

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/commentariiinsac10lapi

CORNELIUS A LAPIDE.

COMMENTARII

IN SACRAM SCRIPTURAM.

Rt. Rev. P. O'Malloney

LUGDUNI, EX TYPIS PELAGAUD ET LESNE.

R. P. C.

CORNELII A LAPIDE

È SOCIETATE JESU,

S. SCRIPTURÆ OLIM LOVANII, POSTEA ROMÆ PROFESSORIS,

COMMENTARII

IN SACRAM SCRIPTURAM.

TOMUS X,

COMPLECTENS COMMENTARIA

IN ACTA APOSTOLORUM, EPISTOLAS CANONICAS

ET APOCALYPSIN,

INDICIBUS NECESSARIIS ILLUSTRATA.

EDITIO RECENS,

A QUAMPLURIMIS MENDIS, QUIBUS CÆTERÆ SCATEBANT, DILIGENTISSIMÈ EXPURGATA ET CASTIGATA,

ET

ILLUSTRISSIMO DD. A. R. DEVIE, EPISCOPO BELLICENSI,

DEDICATA.

LUGDUNI,

APUD PELAGAUD ET LESNE,

SS. DD. PAPÆ BIBLIOTYPOGRAPHOS.

M.D.CCC.XL.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
TORONTO

NOV 3 1945

12993

CHRONOTAXIS

ACTUUM APOSTOLORUM,

EPISTOLARUM CANONICARUM

ET APOCALYPSEOS,

ADEOQUE TOTIUS PRIMI A CHRISTO CHRISTIANI SÆCULI, IN OMNIBUS CONSENTIENS ANNALIBUS CARDINALIS BARONII PAUCIS EXCEPTIS.

Anno à nativitate Christi 34. *Tiberii imperii* 18.

NNO Christi 34. per tres menses inchoato, qui fuit annus mundi 3984. à diluvio 2327. ab Abraham 2035. ab exitu Hebræorum ex Ægypto 1530. à templo Salomonis 1051. ab Isaia et Prophetis 800. Olympiadis 202. annus quartus, à Roma condita 785. à captivitate Babylonica 625. à Cyro 565. ab initio 70. hebdomadum Danielis 487. puta in medio 70. et ultimæ hebdomadæ, uti prophetavit Daniel capite 9. 26. ab annis Græcorum, sive Seleucidarum 344. à Machabæis 199. (Vide tabulam Chronologicam quam præfixi Pentateucho) hoc inquam anno ætatis suæ 34. Christus Dominus, Princeps Pontificum, Ecclesiæ Hierarcha, redemptor et salvator orbis, sacerdos secundum ordinem Melchisedec, expleturus vota et promissa Patriarcharum, legis umbras et figuras, ac viticinia Prophetarum, perfecit munus suæ legationis et œconomiæ in carne, ac redemptionis nostræ sibi à Patre demandatum : quare pro nobis passus est atrocissima tormenta, et crucifixus inter latrones quasi latro, mortuus est, ut nobis vitam daret die 25. Martii : quo pariter die ante 34. annos obrumbante Spiritu sancto conceptus et incarnatus erat in intemerato Beatæ Virginis utero, ut habet communior Doctorum sententia : consequenter resurrexit die 27. Martii : ascendit in cœlum post 40. dies, die quinta Maii : misit Spiritum sanctum in specie linguarum ignearum die quinquagesima, puta in Pentecoste, die 15. Maii, uti ostendam Actor. 1. 12.

Paulo post ascensionem Christi ante Pentecosten ; agente S. Petro Matthias sorte suffectus est in locum et apostolatum Judæ proditoris.

Accepto Spiritu sancto in Pentecoste, illico Petrus prædicans convertit tria millia hominum, Actor. 2. 41. qui omnes vendebant possessiones suas, et pretia earum ponebant ad pedes Apostolorum, perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione. Paulo post Petrus ad portam templi speciosam sanans claudum, indeque concionans ad populum, convertit quinque hominum millia : quocirca à Pontificibus incarceratus, libere respondet, oportere magis obedire Deo quam hominibus, Actor. 3. et 4. Inde cap. 5. Ananiam et Sapphiram suffurantes de pretio agri sui, morte punit. Mox iterum cum cæteris Apostolis incarceratur, sed ab angelo liberatus, jubetur concionari in templo : qua de causa à magistratu reductus ad concilium, examinatus et increpitus, idem quod prius intrepide respondet? agit causam ejus Gamaliel. Ipse et ceteri Apostoli flagellati, *ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contuliam pati.*

Eodem anno paulo post Pentecosten, ob murmur Græcorum contra Hebræos, Apostoli crearunt septem Diaconos : inter quos præcipnos, et quasi archidiaconus eminuit S. Stephanus, qui ardenter et assidue disputans contra Judæos, eosque convincens, tandem ab eis lapidibus obrutus, glorioso martyrio coronatur die 26. Decembris, Actor. 6. et 7.

Eodem anno sequenti die, puta 27. Decembris, S. Jacobus frater Domini creatur primus Episcopus Hierosolymorum. Ita illico mirifice post Christi ascensum et missionem Spiritus sancti crevit Ecclesia, cum Christus ascendens tantum reliquerit duodecim Apostolos, 72. Discipulos, et quingentos Christianos, 1. Corinth. 15. 6.

Anno Christi 35. *Tiberii Imp.* 19.

Ob Stephanum Judæi insanientes, persecuti sunt cæteros Christianos : hinc illi omnes dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ, præter Apostolos. Quocirca Philippus Diaconus Samariæ prædicans, eam convertit. Unde Petrus et Johannes eo profecti sunt, ut baptizatos à Philippo Sacramento Confirmationis communirent. Ibi S. Petrus primum certamen habuit cum Simone Mago. Philippus ab angelo raptus, convertit Eunuchum Candacis reginæ Æthiopum, qui deinde in Æthiopia fidem Christi propagavit. Censent multi cum Cardinale Baronio, in eadem persecutione Judæos invasisse amicissimos Christi, nimirum S. Magdalenam, Martam, Lazarum, Maximinum, Marcellam, et Josephum ab Arimathia, eosque navi sine velis et remis imposuisse, ut in alto vi ventorum et fluctuum mergerentur ; sed Dei ductu navis salvis omnibus Massiliam appulit, ubi Christi fidem disseminarunt ; ac tandem Magdalena in præruptum montem secessit, ubi pœnitentiæ, lacrymis et contemplationi vacans, per 30. annos vitam egit angelicam atque ab angelis quotidie rapta in altum, angelicis hymnis pasta, cibum omnem humanum fastidivit.

Anno Christi 36. *Pauli Apostoli* 1.
Tiberii Imp. 20.

Die 25. Januarii Saulus conversus, factus est

Paulus. Spirans enim minarum et cædis in Christianos, cælitus prostratus in terram, Christo se dedit. Unde missus ad Ananiam, ab eo est baptizatus. Ananiæ enim dixerat Deus : *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filius Israel.* Paulus mox Damasci incipit prædicare Christum. Inde abiit in Arabiam : ex qua rediit Damascum, Galat. 1. 17.

Anno Christi 37. *Pauli* 2. *Tiberii Imp.* 21.

S. Petrus visioni lentei, in quo erant omnia quadrupedia et serpentia terræ, audiensque; *Surge, Petre, occide et manduca,* cognovit Gentiles admittendos ad Ecclesiam, eisque prædicandum esse Evangelium. Quare vocatus à Cornelio Centurione, eum cum familia instruxit, et baptizavit, itaque ostium fidei publice Gentibus patefecit. Unde eodem anno cathedram suam posuit Antiochiæ, in eaque sedit septem annos. Quocirca patefacto jam Gentibus Evangelio, eodem anno S. Jacobus profectus est in Hispaniam ; ceterique Apostoli in suas provincias evangelizatum juxta Christi præceptum abierunt. Ante separationem et discessum composuerunt Symbolum, quod ab iis Apostolorum vocatur, quasi communem fidei tesseram. Baronius divisionem et discessionem Apostolorum consignat anno Christi 44. Verum causas cur citius ea ponenda videatur, recensui Actor. 12. 1.

Anno Christi 38. *Pauli* 3. *Tiberii Imp.* 22.

Pilatus, Deo ulciscente necem Christi, à Vitellio Syriæ præside exauctoratus, et in ordinem redactus Romam missus fuit, ut coram Imperatore objecta sibi crimina dilueret : ubi mortuo Tiberio, à Caio Imper. perpetuo exilio Viennæ Galliæ reclusus, tantisque ibi irrogante Caio languoribus coarctatus est, ut sua se manu transverberavit. Ita Euseb. Ado et Cassiod. in Chronico, ac Josephus lib. 18. c. 5. Paulo ante Caiphas pontifex, qui Christum ad necem postularat, vitæ pertæsus pariter mortem sibi consciverat, teste Clemente lib. 8. Constit. cap. 1. Sed et Annas socer Caiphæ, male periit, teste Nicephoro lib. 2. c. 10. Tiberius voluit Christum inter deos referre, sed repugnante senatu, per edictum accusatoribus Christianorum comminatus est mortem. Ita Tertull. in Apolog. et ex eo Euseb. in Chron.

Anno Christi 39. *Pauli* 4. *Caii Caligulæ Imp.* 1.

Moritur Tiberius Cæsar XVII. Calendas Aprilis, anno ætatis 78. Successit ei Caius Caligula, qui Herodem Agrippam in vincula à Tiberio conjectum liberavit, eumque proferrea catena à Tiberio ei injecta, ornavit aurea ejusdem ponderis, ac regem Judææ constituit. Tiberio hoc epitaphium Poeta nuper posuit :

Hic Liviæ filius, Augusti privignus.
Matris mores tenuit, non vitrici.
Acuto in pessimis ingenio, obtuso in optimis,
Dextram fortunam, sinistram virtutem habuit.
Triumphator aliorum sæpe, nunquam sui.
Repugnante vitrico, matre propugnante
Ad Imperium ab exilio venit, in exilium missurus Imperium.
Tam sceptri amans cum non haberet, quam amens cum habuit.

Paulus elapsis tribus annis ab abitu suo in Arabiam Damasci prædicans, quæsitus ad vincula a Judæis et Areta rege, sporta per murum demissus effugit, abiitque Hierosolymam, ut videret Petrum, Galat. 1. VI 18 et 2. Corinth. 11. 32.

Anno Christi 40. *Pauli* 5. *Caii Imp.* 2.

Herodes Agrippa Roma proficiscens in Judeam per Alexandriam, ibi à civibus eodem modo illusus est, quo Christus à Judæis. quorum rex erat Agrippa, illusus fuerat. Eodem anno Herodes Antipas patruus Agrippæ, qui Christum veste alba indutum spreverat, ab Agrippa nepote accusatus apud Caium Cæsarem, tetrarchia et fortunis suis spoliatur, ac cum impia Herodiade uxore sua, perpetuo exilio damnatur apud Lugdunum Galliæ urbem : ubi uterque mœrore contabescens interiit, quia Johannem Baptistam occiderat, et Christum illuserat.

Anno Christi 41. *Pauli* 6. *Caii Imp.* 3.

Hoc anno, si credimus Eusebio in Chronico, quem sequitur Baron. S. Matthæus scripsit Evangelium hebraice, quod ad Indos abiturus descriptum secum detulit V. Bartholomæus Apostolus illisque reliquit, ait Euseb. l. 5. Histor. c. 10. et S. Hieron. lib. de Scrip. Eccles. in Panteno caput 36. Illud quoque manu sua descripsit S. Barnabas : unde illud cum corpore ejus inventum est temporis Zenonis Imp. Testatur S. Hieron. Evangelium Hebraicum S. Matthæi, suo ævo exstitisse in Bibliotheca S. Pamphili Martyris, seque illud descripsisse. Ita ipse lib. de Viris illustr. in Matthæo. Idem Evangelium Hierosolymis editum, à Jacobo fratre Domini expositum fuisse, testatur Athanasius in Synop. Verum quod de hoc anno asseritur, mirum videtur, unum Matthæum eousque hæsisse Hierosolymis, cum ceteri Apostoli inde in suas provincias discesserint anno Christi 37. Quare verius videtur, eodem discessisse et Matthæum composito prius Evangelio. Nam illud secum detulit Bartholomæus ad Indos. Quin et S. Matthæum præcipientibus Apostolis scripsisse Evangelium testatur Epiphan. hæresi 51. Denique communis Doctorum sententia est, Matthæum scripsisse Evangelium antequam Apostoli discederent in suas provincias, quod factum esse dixi anno Christi 37. Ergo tunc pariter scripsit Matthæus Evangelium.

Anno Christi 42. *Pauli* 7. *Caii Imp.* 4.

Cœpit fames in toto orbe, prædicta ab Agabo Propheta, diuque duravit. Actor 11. 28.

Sub idem tempus Barnabas et Paulus evangelizant Antiochiæ per annum integrum, docentque turbam multam, ita ut Antiochiæ primum discipuli cognominati sint Christiani, Act. 11. 26.

Caius Cæsar persecutus est Judæos justo Dei judicio, eo quod illi persequerentur Christum et Apostolos. Unde statuam suam poni voluit in templo Hierosolymitano, et in ea à Judæis adorari. Quare à Judæis missus est Philo cum sociis ad Caium, qui id deprecaretur, sed Caius ad eos ringendo conversus : *Vosne,* inquit, *illi diis invisi, qui me omnium confessione Deum declaratum soli aspernamini ?* Vide Philonem in Legatione ad Caium et Josephum 18. Antiq. c. 12.

Anno Christi 43. *Pauli* 8. *Claudii Imp.* 1.

Hoc anno Thadæus missus Edessam ad Abagarum, eum cum regno convetit.

Eodem Caius Cæsar à militibus Prætorianis

occisus est anno imperii quarto, ætatis 29. Successit ei Claudius Drusi Neronis filius, et Liviæ Augustæ nepos, qui Agrippam in regno confirmavit, eique adjecit Samariam et cæteram Judæam.

Anno Christi 44. *Pauli* 9. *Claudii Imp.* 2.

S. Jacobus ex Hispania rediens Hierosolymam, occisus est Ab Herode Agrippa circa Pascha. Ab eodem incarceratus est S. Petrus, sed ab angelo liberatus, Evangelizando peragrat Cæsaream, Berytum, Sidonem, Tripolim, Byblum, Orthosiam, Antandrum, Balanaas, Laodiceam, Cappadociam, aliasque urbes et provincias, ubique Ecclesias, Sacerdotes et Episcopos constituens, tandemque Romam ingreditur.

Paulus iturus Evangelizatum Gentibus, rapitur in tertium cœlum, auditque arcana verba, quæ non licet homini loqui, 2. Corinth. 12. 2.

Anno Christi 45. *Petri Pontificis Romani* 1. *Pauli* 10. *Claudii Imp.* 3.

S. Petrus Romæ cathedram constituit die 18. Januarii, fundatque Romanam Ecclesiam. Antiochiæ post S. Petrum primus Episcopus creatur Evodius. Ita Eusebius in Chron.

Eodem anno Paulus mittitur Evangelizatum Gentibus. Quocirca jussu Spiritus sancti ordinatus Episcopus, quasi Apostolus ab Antiochena Ecclesia missus, cum Barnaba proficiscitur, obitque Evangelizando Gentes circumquaque.

Herodes Agrippa, ulciscente Deo necem S. Jacobi et incarcerationem S. Petri, audiens acclamationes populi, *Dei voces et non hominis*, eisque tacite applaudens, percussus ab angelo, consumptus à vermibus interiit, Actor. 12. 23.

Eodem S. Petrus Romæ scribit primam Epistolam ad fideles dispersos in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia et Bithynia.

Eodem S. Marcus Romæ scripsit Evangelium et mox profectus est Alexandriam, ibique Evangelium prædicavit, et Alexandrinam Ecclesiam erexit, rexitque quasi Episcopus mira sapientia et sanctitate.

Anno Christi 46. *Petri* 2. *Pauli* 11, *Claudii Imp.* 4.

Paulus et Barnabas cum peragrassent Seleuciam, indeque Cyprum navigassent, ac venissent Salaminam, universamque insulam perambulascent, Paphum denique venientes, Sergium Paulum Proconsulem ad Christum convertunt, excæcando Elymam magum Evangelio resistentem, cujus occasione nomen Sauli in Pauli commutatum est. Inde perrexerunt Pergen Pamphyliæ et Antiochiam Pisidiæ; sed à Judæis expulsi convertunt se ad Gentes, abeuntque Iconium, Actor. 13. 4. et seq.

Anno Christi 47. *Petri* 3. *Pauli* 12. *Claudii Imp.* 5.

Iconii Paulus prædicando convertit multos Judæos et Gentiles, ac inter eos S. Theclam, quam miris elogiis Patres celebrant. Quocirca multo tempore, ait Lucas, ibidem commoratus est, donec concitato à Judæis tumultu, ab eis lapidatus confugit in Lycaoniam, Actor. 14. 1. et seq.

Anno Christi 48. *Petri* 4. *Pauli* 13. *Claudii Imp* 6.

Paulus pervenit Lystram, ubi claudum miraculo sanavit: quocirca à turbis acclamatus est Deus, puta Mercurius, et Barnabas Jupiter, cumque eis sacrificare vellent, totis viribus restiterunt: mox à Judæis concitata seditione lapidatus, et pene occisus Paulus, perrexit Derben. Inde relegens iter, revisit et confirmavit fideles in Lystra, Iconio, Antiochia Pisidiæ, ac Evangelizans transiit Pisidiam, Pamphiliam, et Attaliam, Actor. 14. 6. et seq.

Anno Christi 49. *Petri* 5. *Pauli* 14. *Claudii Imp.* 7.

Paulus post quinquennium in hac sua peregrinatione et apostolatu positum, cum Barnaba rediit Antiochiam, ibique biennium commoratur; Actor. 14. ult.

Anno Christi 50. *Petri* 6. *Pauli* 15. *Claudii Imp.* 8.

Paulus Antiochiæ docet; Petrus Romæ, indeque per urbes et provincias totius orbis quaquaversum mittit Episcopos et Apostolos, qui Evangelium propagent, ac Ecclesias ubique fundent et regant.

Anno Christi 51. *Petri* 7. *Pauli* 16. *Claudii Imp.* 9.

Claudius Imp. Roma expellit Judæos: quocirca S. Petrus Dei consilio urbe excedens, redit in Jerusalem. Orta enim controversia Antiochiæ de servanda à Christianis lege Mosis, Paulus et Barnabas missi sunt Hierosolymam ad Apostolos, ut ejus decisionem peterent. Eodem ergo anno celebratum est primum Concilium Hierosolymæ, cui præsedit S. Petrus, interfuerunt S. Johannes, Jacobus, Paulus, et Barnabas, in quo ventilata diu quæstione, tandem Petrus eam decidit, primusque tulit sententiam, edicendo legalia Christianis non esse servanda: cujus sententiam confirmavit, illico S. Jacobus, cæterique omnes. Sententiam hanc Antiochiam deferunt Paulus, Barnabas, Silas et Judas.

Paulus separatur à Barnaba: hic enim cum Johanne Marco pergit in Cyprum, Paulus vero cum Sila perambulat Syriam et Ciliciam, confirmans Ecclesias. Pervenit autem in Derben et Lystram, ubi circumcidens Timotheum, eum comitem suæ peregrinationis et prædicationis assumpsit. Transeuntes autem, ait Lucas Act. 16. 6. Phrygiam et Galatiæ regionem, vetiti sunt à Spiritu sancto loqui verbum in Asia. Cum venissent autem in Mysiam, descenderunt Troadem, ubi Paulo visio ostensa est. Vir Macedo quidem erat stans et deprecans eum, et dicens; *Transiens in Macedoniam adjuva nos.* Quare à Troade navigavit in Samothraciam, inde Neapolim, inde Philippos, ubi Lydiam purpurariam convertit, et dæmonem Pythonem è puella ejecit: quare ab heris puellæ quæstum facientibus ex oraculis Pythonis, accusatus Paulus flagellatur, et in carcerem conjicitur, ubi media nocte eo cum Sila orante et laudante Deum, immisso à Deo terræ motu ostia carceris panduntur, et vincula omnium dissiliunt. Quo viso custos carceris in Christum credidit, Paulique et Silæ plagas lavit. Magistratus audiens à Paulo, eum esse civem Romanum, veniam precatur, eumque liberum dimittit.

Egressi Paulus et Silas Philippis, ait Lucas Actor. 10. 1. cum perambulassent Amphipolim et Appolloniam, venerunt Thessalonicam, ubi

BS
485
C7

multos converterunt; et mulieres nobiles non paucas. Unde concitarunt seditionem Judæi, et Paulo non invento Jasonem pertraxerunt ad tribunal, qui data satisfactione liber abiit. Paulus et Silas noctu à fratribus dimissi sunt Berœam, cujus incolæ avide susceperunt Evangelium; sed Judæis Paulum insectantibus, ipse à fratribus deductus est Athenas.

Hoc anno tres simul soles apparuerunt, statimque simul in eumdem orbem coierunt, ait Euseb. in Chron.

Anno Christi 52. *Petri* 8. *Pauli* 17. *Claudii Imp.* 10.

Paulus Athenis in Areopago prædicans convertit Dionysium Areopagitam, et insignem matronam Damarin, Act. 17. 16. Opinantur multi tunc quoque fuisse conversum S. Hierotheum, quem passim in suis libris celebrat et sequitur S. Dionysius, eumque vocat *divinum suum magistrum.*

Eodem anno Paulus Athenis profectus Corinthum, multos ibi convertit, ac inter eos Crispum principem Synagogæ. Quare oraculo Dei monitus diutius ibi evangelizavit. Ibidem post adventum Silæ et Timothei, scripsit priorem epistolam ad Thessalonicenses. Act. 18. 1. et seq.

Eodem anno, inquit Baron. Agrippina Germanici, fratris Claudii Imp. filia, quam post interitum Messalinæ Claudius in uxorem acceperat Augustæ titulo augetur, ejusque filius Domitius ab eodem Imperatore adoptatus in familiam Claudiam, Nero Claudius est appellatus. Hic est Nero, qui Claudio quasi patri adoptivo, in imperium successit: quo etiam anno Agrippina, in oppidum Ubiorum, in quo illa, agente ibidem cum exercitu Germanico patre, genita erat, coloniam duci jussit, cui nomen hinc est inditum, ut ex ipsius nomine Colonia Agrippina sit dicta. Porro Agrippina fuit filia Germanici, qui fuit filius Drusi Germanici, fratris Tiberii Imp. ex Livia matre, uxore Augusti Imp.

Anno Christi 53. *Petri* 9. *Pauli* 18. *Claudii Imp.* 11.

Corinthi secundum annum egit Paulus. Ibidem scripsit Epistolam secundam ad Thessalonicenses. Ibidem Judæi tumultuantes protraxerunt Paulum ad tribunal Gallionis, qui fuit frater Senecæ Philosophi, et præceptoris Neronis Imp. Gallio eos repressit et abegit; unde Judæi furentes Sosthenem Archisynagogum, quasi Paulo faventem coram Gallione verberarunt; et nihil horum Gallioni curæ erat. Addit S. Chrysost. ab iisdem verberatum et Paulum. Paulus post tumultum multo adhuc tempore remansit Corinthi tandem abiturus in Syriam, ex voto totundit caput in Cenchris, qui erat portus Corinthi, Actor. 18. 11. et seq.

Anno Christi 54. *Petri* 10. *Pauli* 19. *Claudii. Imp.* 12.

Paulus navigans in Syriam per mare Icarium, quod est pars maris Ægæi, appulit Ephesum: ubi parum moratus, relicto Aquila et Priscilla, solvit Cæsaream, inde Hierosolymam; ubi Ecclesiam primigeniam, et cæterarum matricem salutavit: mox reversus Antiochiam, peramбulavit ex ordine Galaticam regionem et Phrygiam, confirmans omnes discipulos, Actor. 18. 19.

Apollo vir eloquens et potens in Scripturis Ephesi instructus ab Aquila et Priscilla, pergit Corinthum, ubi fideles confirmat, valideque Judæos revincit, Actor. 18. 24.

Eodem anno, inquit Euseb. in Chronico, qui fuit Olympiadis 207. annus 4. Philippus Apostolus apud Hierapolim Asiæ civitatem, dum Evangelium populo annuntiaret, cruci affixus lapidibus opprimitur. Occubuit ergo 20. anno à passione Christi sub Claudio, secundum Eusebium ejusque asseclas: licet Hippolytus tract. de 72. discipulis, asserat eum passum sub Domitiano Imp.

Anno Christi 55. *Petri* 11. *Pauli* 20. *Claudii Imp.* 13.

Paulus peregratis superioribus partibus Asiæ venit Ephesum, ibique per tres annos, puta per biennium et tres menses, residet et prædicat, Act. 19. 1. et c. 20. 31. Ephesi Paulus fuit objectus bestiis, 1. Corinth. 15. 32. Ibidem virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediabantur, Act. 19. 12.

Anno Christi 56. *Petri* 12. *Pauli* 21, *Claudii Imp.* 14

Paulus secundum annum agit et prædicat Ephesi. Occasione Judæorum exorcistarum in quos insiliit dæmon, magna facta est Ephesiorum ad Christum et Paulum accessio.

Multi credentes veniebant confitentes et annunciantes actus suos.

Multi qui curiosa fuerant sectati, contulerunt libros et combusserunt, Act. 19. 13. et seq.

Eodem anno die 13. Octobris moritur Claudius Imp. annum agens ætatis 64. Imperii 13. cum octo mensibus. Ita Sueton. in Vita Claudii cap. 45. et Dio libr. 60. Sic igitur defuncto, Agrippinæ uxoris dolo veneno illi propinato, successit in imperium Nero filius Agrippinæ, annum agens ætatis 18. tenuitque annis 13. mensibus 7. excluso Britannico puero germano Claudii Imp. ex Messalina uxore filio, ideoque legitimo imperii hærede, quem proinde paulo post Nero veneno sustulit. Ita Joseph 20. Antiq. 5. porro Nero ex Sabinis oriundus, lingua Sabina idem est quod fortis ac strenuus, inquit Suetonius in Tiberio c. 1. et Gelius l. 13. c. 21. *Nero*, inquit, *sive Nerienes verbum Sabinum est, quo significatur virtus et fortitudo. Itaque ex Claudiis, quos ex Sabinis oriundos accepimus, qui erat egregia ac præstanti fortitudine, Nero appellatus est. Sabini autem id nomen à Græcis accepisse videntur, quia vincula et firmamenta membrorum νεῦρα dicunt: unde nos quoque latine nervos appellamus. Servius Claudius vero, Nerio interpretatur quasi Neirio, id est, sine ira, placidus, mitis, tranquillus;* qualis initio Imperii fuit Nero.

Anno Christi 57. *Petri* 13. *Pauli* 22. *Neronis* 1.

Sublato jam per mortem Claudii edicto de Judæis Roma abigendis, Paulus tertium annum Ephesi agens cogitat Romam: sed prius Ecclesias Achaiæ et Macedoniæ visitare, ac Hierosolymam reverti decernit. Epheso ergo propediem abiturus, scribit priorem Epistolam ad Corinthios.

Opifices argentarii Dianæ, concitante Demitrio, movent seditionem contra Paulum vociferantes : *Magna Diana Ephesiorum.* Sedat eam Alexander. Mox Paulus vocatis discipulis, exhortatus eos valedixit, ac relicto ibidem Tim., quem et primum constituit Ephesi Episcopum, profectus est in Macedoniam. Actor 19, 23. per Minorem ergo Asiam iter faciens venit Troadem urbem, quæ adjacet Hellesponto, ubi quærens Titum, cum non invenisset, transmisso freto abiit in Macedoniam, 2. Corinth. 2. 12.

Ex Macedonia ad Timotheum quem Ephesi reliquerat, hoc anno scripsit priorem Epistolam, qua eum instruit in munere pastorali.

Paulus obitis et confirmatis Macedoniæ Ecclesiis, per Ægæum mare Cycladas adnavigans pervenit Cretam, ibique reliquit et creavit Episcopum Titum, discipulum charissimum, epist. ad Titum cap. 1. 5.

Anno Christi 58. *Petri* 14. *Pauli* 23. *Neronis* 2.

Hoc anno gesta sunt omnia quæ narrat Lucas c. 20. Actor. et deinceps usque ad c. 28. et ut Paulus enim peragrans Græciam, venit Nicopolim, ibique statuit hiemare : unde ex Creta eo vocat Titum scribens ad eum Epistolam, ad Titum c. 3. 12. Nicopoli quoque videtur scripsisse Paulus Epistolam secundam ad Corinthios : mox ipse videtur adiisse Corinthum, ibique in portu Cenchrensi scripsisse Epistolam ad Romanos. Inde perrexit Philippos in Macedoniam, mox Troadem, ubi à morte suscitavit Eutychum : inde asson, Mitylenen, Chium, Samum, Miletum; quo convocans majores natu Ephesi, eis longa exhortatione ultimum valedicit. Actor. 20. Mileto navigat Coum, Rhodum, Pataram, Tyrum, Ptolemaidem, Cæsaream, ubi Agabus ei vincula Hierosolymitana prædicit : ac tandem eodem anno sub Pentecosten, uti statuerat, pervenit Hierosolymam; ubi suadente Jacobo purificans se in templo, à Judæis capitur et pene occiditur; sed eripit eum Tribunus; à quo potestate loquendi facta, populum alloquitur, Act. 21. et 22. Populus audiens à Paulo, ipsum relictis Judæis missum esse ad Gentes, occlamat, poscitque eum ad mortem. Quare Tribunus eum flagellari imperat, sed Paulus dicens se civem Romanum, flagellis se eximit, Act. 22. Mox in concilium adductus Paulus, positusque inter Pharisæos et Sadducæos, dicens se Pharisæum, et de resurrectione mortuorum judicari, dissidentibus inter se judicibus, judicium evadit. Tendunt illi insidias Judæi, quas per judicium sui nepotis Paulus evadit. Quare Tribunus eum vinctum mittit Cæsaream ad Felicem Præsidem, Act. 23. ibi cum accusat Tertullus orator, defendit se Paulus; ac Rursum coram Felice disputans de justitia, castitate et judicio, eum percellit. Felici succedit Portius Festus. Act. 24. Cum Festus vellet Paulum Hierosolymis coram Judæis judicare, Paulus Cæsarem appellans, Romam mittitur, cum prius causam suam egisset coram Agrippa rege, Act. 25. et 26. Paulus ergo cum Centurione navigat Sidonem, inde Cyprum, inde Lystriam, ac tandem naufragium patitur. Apparet ei Christus, omnesque in navi salvos evasuros pollicetur : omnes ergo salvi perveniunt Melitam, actor. 27.

Eodem anno paulo post Pauli adventum Hierosolymam, B. Virgo agens annum ætatis 72. ex Jerusalem terrestri abiit ad cœlestem, cum triumpho ab angelis deducta in paradisum. Vide dicta Actor. 21. 17.

Eodem anno S. Lucam scripsisse Evangelium censet Baron. sed anterius id à luca scriptum esse, ostendam Actor. c. 16. 10.

Anno Christi 59. *Petri* 15. *Pauli* 24. *Neronis* 3.

Paulus vinctus ex Melita navigat Syracusas, inde Rhegium, inde Puteolos, inde pedestri itinere Romam ingreditur die 6. Julii. Hospitatus est in domo conducta, quæ postea conversa est in ecclesiam S. Mariæ in Via lata. Postero die convocatis Judæis sui suæque fidei rationem reddidit : ex quibus aliqui credid erunt, alii non crediderunt. Mansit Romæ cum custodiente se milite biennium; suscipiens omnes libereque prædicans Christum; esto ob Neronis metum, omnes sui eum deseruissent. Astitit enim illi Christus eumque confortavit, ut per eum prædicatio impleretur, et audirent omnes gentes; quin et eripuit eum de ore leonis, puta Neronis, 2. Timot 4. 16. et 17. Roma scripsit Paulus Epistolam ad Philippenses, per Epaphroditum eorum Episcopum : item Epistolam ad Ephesios, quam misit per Tychicum.

Anno Christi 60. *Petri* 16. *Pauli* 25. *Neronis* 4.

Paulus agens secundum annum Romæ in vinculis, scripsit Epistolam ad Colossenses : et Epistolam ad Philemonem, rogans eum ut Onesimum servum fugitivum in gratiam, domumque recipiat. Fecit id Philemon qui et Onesimum libertate donavit, qui virtutibus excrescens, post Timotheum creatus est Episcopus Ephesiorum. In hac Epistola v. 23. meminit Epaphræ concaptivi sui, Marci, Aristarchi, Demæ et Lucæ, eosque quasi adjutores suos in Evangelii propagatione commendat. Eodem anno scripsit Paulus Epistolam ad Hebræos.

Anno Christi 61. *Petri* 17. *Pauli* 26. *Neronis* 5.

Paulus biennio in vinculis exacto à Nerone dimissus, varias provincias evangelizando peragravit, ac nominatim Hispanias : ubi inter alios Xantippem et Polyxenam ad Christum convertit.

Hoc anno Romæ S. Lucas finiens Acta Apostolorum (ubi et imagines B. Virginis ac Christi Domini depinxit, quas hodie ibidem veneramur, reversus in Græciam, evangelizando obiit Dalmatiam, Galliam, Italiam, Macedoniam, Lybiam, etc., ac tandem, cælebs ad annum ætatis 84. Patras urbem Achaiæ adiens, ibidem Apostolatum suum nobili martyrio conclusit. Eodem anno Nero matrem suam Agrippinam occidit, justo Dei judicio, utpote quæ Claudium Imp. maritum suum veneno sustulerat, ut filius suus Nero ei in imperio, succederet : quæ ergo maritum occidit propter filium, à filio ipso occisa est. Justa enim et congrua numinis vindicta, filius matricida, factus est matris suæ mariticidæ carnifex, et necis vitrici sui ultior : *hanc illi gratiam non pro nativitate solum referens, verum etiam quod ejus artibus ad imperium provectus fuisset*, ait Joseph 20. Antiq. 5.

Anno Christi 62. *Petri* 18. *Pauli* 27. *Neronis* 6.

Festus Judææ Præses, qui S. Paulum vinctum Romam miserat, obiit : cui successor à Nerone designatur Albinus. Ita Euseb in Chronico.

Agrippa Rex pontificatu deposuit Josephum,

eique surrogavit Ananum, Anani senioris filium, ita Joseph. 20. Antiq. 8.

Roma variis prodigiis concussa fuit : nam ob ortum recentis cometæ, et ob fulmen illapsum in mensam Neronis, quasi certior reddita esset de ejus morte, omnia studia convertit in Rubellium Plautum, quod ex Julia gente per matrem originem duceret, qui Neronis jussu solum vertere, et in Asiam proficisci coactus est. Ita Corn. Tacitus lib. 14.

Laodicea urbs Asiæ illustris, cujus meminit Apostolus epist. ad Colossens. terræ motu collapsa prosternitur : sed à civibus, utpote opulentissimis, brevi in integrum restituitur.

Hoc anno Christi 62. S. Andreas crucifixus est Patris Achaiæ, ait Onuphrius in Chronico.

Anno Christi 63. *Petri* 19. *Pauli* 28. *Neronis* 7.

Hoc anno, ait Euseb, in Chron. S. Hieron. lib. de scrip. Eccles. in Jacobo, Baronius et aliis, S. Jacobus frater Domini, et Hierosolymorum primus Episcopus, qui Canonicam scripsit epistolam, Christum constanter prædicans, à Judæis è pinna templi dejicitur, et fullonis vecte percussus, orans pro suis interfectoribus gloriosum obit martyrium, cum 29. annis sanctissime illam rexisset Ecclesiam. Ejus necem mox ulciscente numine, cœpit Judæa variis casibus et prodigiis, ultimi excidiis prænuncii exagitari. Quocirca Josephus, licet Judæus, quem citat Euseb. lib. 2. cap. 22. et Origen. lib. 1. contra Celsum, excidium Hierosolymæ et Judææ per Titum, asscribit neci hujus Jacobi, qui ob insignem sanctimoniam et morum Christi similitudinem, cognominatus est justus, et frater Domini. S. Jacobo in Episcopatu Hierosolymitano successit Simeon filius Cleophæ, Christi propinquus, qui usque ad annum ætatis 129 sancte Hierosolymitanam gubernavit Ecclesiam, atque sub Trajano cruci affixus, supra vires et ætatem constanter martyrium pro Christo, sui causa crucifixo, subiit, cujus diem natalem celebrat Ecclesia die 18. Februarii.

Eodem anno S. Barnabam in Cypro occisum, tradit L. Dexter et Onuphrius in Chronico.

Anno Christi 64. *Petri* 20. *Pauli* 29. *Neronis* 8.

S. Marcus Evangelista Alexandriæ Martyr occubuit, cum enim à S. Petro Roma, ubi Evangelium scripserat, Alexandriam Evangelii causa amandatus esset, ibidem Ecclesiam constituit tanta doctrinæ et vitæ continentia, ut omnes sectatores Christi ad sui exemplum cogeret. Essenos enim quasi primo Religiosos et viros Angelicos, quos mire celebrant Philo, Eusebius, S. Hier. et alii, instituit. Quocirca Gentiles quadam die Dominica cum Missam celebraret, in eum irruentes, func in collum injecto raptantes eum per saxa, carnes ejus dilacerarunt : unde pene spiritum redditurus, in carcerem detrusus, apparente sibi Domino una cum angelis, ad futurum certamen instauratur. Mane autem facto rursum è cerere eductus, et per scabra loca raptatus, agens Deo gratias, discensque *In manus tuas commendo spiritum meum*, impollutum eum Deo reddidit, sepultusque est honorifice à discipulis suis. Ita Menologium Græcorum, Beda et Ado in martyrol. die 25. Aprilis.

Eodem anno Nero Octaviam uxorem et sororem (utpote filiam Claudii Imper. qui duxerat Agrippinam matrem Neronis, ideoque eum in filium adoptarat) calumniis circumventam in insulam relegatam, mori tandem balnei vapore compulit. Ita Tacitus lib. 15.

Eodem anno Simon et Judas Apostoli occisi sunt in Perside, ait Onuphrius in Chronico, sed id negat Baron. et alii : de qua re dicam proœmio in epist. S. Judæ.

Anno Christi 65. *Petri* 21. *Pauli* 30. *Neronis* 9.

Hoc anno, qui fuit quartus, ante bellum Judaicum, et octavus ante Hier. obsidionem, Jesus quidam (suo nomine et vaticinio Jesum Christum, ob cujus necem exscindenda erat Judæa, repræsentans) Anani filius plebeius, et rusticus, à Deo instinctus clades urbi imminentes prædixit. Repente enim clamare cœpit : *Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox à quatuor ventis, vox in Hier. et templum : vox in omnem hunc populum.* Quocirca à Magistratu acriter flagellatus non veniam precatus est, nec illacrimavit, sed quotidie velut orationem quamdam meditans : *Veh, veh Hierosolymis*, vociferabatur, idque per annos septem, et quinque menses continuos, donec supra murum consistens : *Veh, veh civitati, templo populo, ac mihi*, maxima voce clamitans, lapide, tormento Romanorum misso, ictus interiit. Ita Joseph, lib. 7. Belli c. 12.

Hoc anno Persius Volaterranus, Satyricus Poeta moritur. Ita Euseb. in Chron.

Anno Christi 66. *Petri* 22. *Pauli* 31. *Neronis* 10.

Roma horribili incendio conflagravit, cujus causam Nero per calumniam conjecit in Christianos, eoque nomine illos sævissimis, iisdemque diversis mortis generibus enecavit, *ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur*, ait Tacitus lib. 15. Fuerunt hæ Martyrum primitiæ, eorum catalogo in Martyrol. Romano asscriptæ die 24. Junii.

Hoc anno occisum S. Matthiam Apostolorum tradit L. Dexter et Onuphrius in Chronico. Addit Dexter : *Helena Adabienorum regina, Christiana floret Hierosolymis, prædicatione Apostolorum conversa.*

Anno Christi 67. *Petri* 23. *Pauli* 32. *Neronis* 11.

Nero primam in Christianos persecutionem publico edicto instituit, eamque usque ad finem Imperii et vitæ prorogavit. Quocirca in ea jam ante inchoata, permulti è Christianis illustre obiere martyrium, qui sparsim in Martyrol. Rom. recensentur, uti S. Bernabas, S. Andreas, S. Jacobus frater Domini, ceterique Apostoli, licet diversis annis et locis. Item complures ex ipsius Neronis familia, quorum menimit Paulus Philipp. 4. 22. inter quos eminuit Torpes et Evellius, qui Martyrologio Rom. ascripti die 11. et 17. Maii. Insuper S. Processus et Martinianus custodes carceris, Herodion, Olympias, ac religiosissimæ feminæ Basilissa et Anastasia, Apostolorum discipulæ, quæ Martyribus associatæ leguntur in Martyr. die 15 Aprilis, quo suis opibus alebant, et sepeliebant. S. Lucina et Perpetua baptizata à S. Petro, de quibus in Martyr. die 30. Junii. Romæ Nero plures Senatores et primarios, eo quod in necem suam conjurassent, interfecit, ac inter eos Senecam præceptorem suum, et Lucanum Poetam Senecæ nepotem, atque Plautum Lateranum Consulem designatum, qui pa-

latium habebat in Cœlio monte, quod postea à Constantino Imp. in templum Salvatoris conversum, ab eo denominatum est Basilica Lateranensis, uti testatur S. Hieron. epist. 30. ad Oceanum. Secuta est mors Poppææ Sabinæ Augustæ, quam licet amatissimam, Nero ira percitus ictu calcis percussam occidit. Ita Tacitus, Dio, et alii.

Anno Christi 68. *Petri* 24. *Pauli* 33. *Neronis* 12.

S. Petrus et Paulus Romam redierunt, et collabentem pene Ecclesiam ob Neronis persecutionem, instaurarunt.

S. Petrus secundam scripsit Epistolam, in qua significat ex revelatione sibi constare, velocem fore depositionem tabernaculi sui.

Paulo post Judas scripsit suam Epistolam Canonicam. Nam in illa alludit in multis ad secundam Petri Epistolam.

Simon Magnus suis magicis artibus Romanos, et præsertim Neronem dementans, ab iis divinos honores est consecutus. Certant contra eum S. Petrus et Paulus, eumque tandem volare conantem ex alto præcipitant. Nam cum Simon à dæmonibus in aera raperetur, precibus S. Petri prostratus, fracta coxendice et cruribus, paulo post infelicem animam exhalavit. Quocirca Nero indignans suas magiæ delicias sibi ablatas, S. Petrum et Paulum carceri mancipat Mamertino, præsertim quia Paulus quoque pellicem à Nerone abstraxerat, et ad Christum traduxerat. E carcere Paulus scribit Epistolam secundam ad Timotheum, vocans eum ad se, ut instantis suæ mortis et martyrii sit spectator.

Eodem anno Appollonius Tyanæus Simoni Mago succedens Romam venit, contra quem Apostoli et Christiani pari modo certarunt.

Eodem prodigia excidium Hierosolymæ portendentia apparuerunt, nimirum die octava Aprilis hora nona nocturna, circa aram et templum tantum lumen effulsit per mediam horam, ut clarissimus dies putaretur. Bos cum ad hostiam duceretur, agnum in medio templi peperit. Orientalis templi porta ænea et gravissima clausa, sponte aperta est hora noctis sexta. Die 21. Maii in aere visi sunt currus ferrei, et armatæ acies urbi circumfulsæ. In Pentecoste audita est vox in templo : *Migremus hinc.* Ita Josephus l. 7. Belli cap. 12.

Eodem anno mense Maio, Neroni et Romanis rebellare cœperunt Judæi, ortumque est bellum Judaicum, ob Cestii Flori procuratoris Judææ avaritiam et tyrannidem. Ita Josephus lib. 2. Belli cap. 13. Christiani ergo juxta Christi monitum Hierosolyma excedentes, in urbem Pellam se contulere.

Anno Christi 69. *Petri* 25. *Pauli* 34. *Neronis* 13.

Hoc anno ab incarnatione Christi 69. ab ejus passione et morte 36. S. Petrus et Paulus die 29. Junii è carcere Mamertino (ubi Processum et Martinianum custodes suos, cum aliis 47. ad Christum converterant, et miraculosa aqua è carcere subito scaturiente baptizarant) educti gloriosum obiere martyrium. S. Petrus in Vaticano crucifixus est, capite deorsum vergente : id enim ipse petierat, ne Christo crucifixo videretur assimilari et æquari. Paulus vero ad aquas Salvias capite truncatus, è cervice recisa pro sanguine lac manavit : caput vero terno saltu tres fontes elicuit, qui etiamnum visuntur, multisque sunt saluti.

S. Linus in pontificatu S. Petro succedit, sedetque annos undecim.

Vespasianus cum exercitu missus à Nerone contra Judæos, gravissimis cladibus eos affecit, quas recenset Josephus lib. 3. Belli c. 4.

Jerusalem civibus mutuo inter se digladiantibus, ac præsertim Zelotis in cives grassantibus, maximis stragibus afficitur, quas recenset Josephus lib. 5. Belli c. 1.

Anno Christi 70. *Lini* 1. *Neronis* 14.

Nero anno necdum elapso à nece Apostolorum, in sanguinis Apostolici ultionem, à Senatu damnatus, eo quod eumdem universum interficere destinasset, fugiens ex urbe in speluncam, pavidus sibi manus intulit, quem ægre morientem unus ex libertis, Epaphroditus, confecit die 10. Junii (eadem die, qua ante decem annos Octaviam uxorem interfecerat) agens suæ ætatis annum 32. Imperii 14. atque in eo omnis Augusti familius, et stirps regia extincta est. Ita Sueton. in Nerone c. 43. et seq.

Neroni successit Servius Sulpitius Galba, à militibus, quibus præerat, acclamatus Imperator, tenuitque per menses septem.

Floret Plutarchus Philosophus et M. Fabius Quintillianus Orator. Ita Euseb. in Chron.

Josephus Judæus Historicus, dux belli Judæorum, cum à Romanis interficiendus esset, Vespasiano prænunciat mortem Neronis, eumque in imperium illi successurum, cujus rei causa vitam dono accipit. Ita Euseb. in Chron.

Anno Christi 71. *Lini* 2. *Ottonis.* 1.

Galba Imp. occiditur à militibus, ab eisque eidem surrogatur M. Silvius Otho, qui cum imperasset menses tres, rebellante Vitellio mortem sibi conscivit : Imperium ergo capessit Vitellius, tenetque per menses octo.

Vespasianus interea multas Judææ urbes sibi ac Romanis subigit. Unde multi opinati sunt ipsum esse Messiam, utpote cui regnum Juda à Prophetis promissum erat. Quocirca opera et præstigiis Apollonii Tyanæi visus est cæcum illuminare, et ægro manum restituere. Ita ex Tacito lib. 1. cap. 4. et Suet. in Vespasiano c. 7. Baron. qui hæc mendacia ab adulatoribus conficta esse convincit

Eodem anno Evodio ex humanis sublato, eidem in cathedra Antiochena succedit S. Ignatius, qui post annos fere 40. sub Trajano, anno Christi 110 Romæ leonibus objectus, glorioso martyrio est coronatus, cum primus ipse Antiochiæ chorum psalmodiæ, quo alternis canerent, instituisset; eo quod angelos SS. Trinitatem eo ritu laudantes vidisset, et audisset.

Anno Christi 72. *Lini* 3. *Vespasiani* 1.

Vespasianus à militibus suis creatus Imperator, Romam navigans, ibidem Capitolium bello civili concrematum restituit, ac Titum filium ad conficiendum bellum Judaicum destinat. Titus ergo Hierosolymam obsidet in Paschate, cum undequaque eo Judæi ad festum confluxissent, ut omnes ab eo concluderentur, et mactarentur, vel caperentur : sicut ipsi eodem festo ante annos 38. ibidem Christum crucifixerant. In ultionem ergo sanguinis Christi, utriusque Jacobi Apostoli, et S. Stephani, ac vinculorum. SS. Pe-

tri et Pauli, atque persecutionis et expilationis Christianorum, Jerusalem Romanis capta, et cum templo incensa, funditus eversa est, uti ei prædixerat Christus Lucæ 19. 43. E Judæis toto bello occisa sunt undecies centena millia, capta 97. ait Joseph. l. 7. Belli c. 17.

Anno Christi 73. *Lini* 4. *Vespasiani* 2.

Titus de Judæa subacta Romæ triumphavit. Extat etiamnum Romæ arcus ejus triumphalis, in quo candelabrum templi, quod in triumphum duxit, expictum cernitur. Judæis in Ægypto tumultuantibus, mandat Vespasianus demoliri eorum templum, Heliopoli ante 333. annos ædificatum ab Onia pontifice, indeque vocatum Onion. Per hæc tempora S. Bartholomæus, qui et Nathanael, Apostolus apud Persas Christum prædicans, excoriatus capite plectitur, ait Onuphrius in Chronico.

Anno Christi 74. *Lini* 5. *Vespasiani* 3.

Ebion et Cherinthus hæresiarchæ negantes Christi divinitatem, suas hæreses spargunt. Confutat eos S. Johoannes Apostolus, tam factis, quam verbis : ideoque nec balneum eorum ingredi sustinuit, dicens : *Fratres, egrediamur hinc, ne cadat balneum, et pereamus cum Ebione, qui intus est in balneo, propter ipsius impietatem.* Ita Epiphan. hæresi 30. licet Irenæus lib. 3. c. 4. Euseb. lib. 3. 22. et Theodor. l. 2. Hæret. fabul. id non Ebioni, sed Cherintho asscribant.

Eodem anno S. Martialis Episcopus Lemovicensis, et Galliarum Apostolus, eo amandatus Roma à S. Petro, cum Lemovicences, Tolosanos, Burdigalenses, Cadurcenses, Aquitanos, aliosque ad Christum convertisset, diem clausit extremum, abiitque in cœlum. Innocentius Pont. *extrav.* de *sacra unctione, in fine.* Scribit S. Martialem baculo sibi à S. Petro Romæ dato, mortuum ad vitam revocasse.

Anno Christi 75. *Lini* 6. *Vespasiani* 4.

S. Apollinaris à S. Petro Ravennam missus, cum 29. annos illi sedi præfuisset, et continuum pene martyrium perpessus esset, varie tortus Martyr in cœlum evolavit. Successit ei in Episcopatu Aderitus, et post eum Eleucadius, olim Platonicus philosophus.

Philosophi orbem circumeunt, ut instar Christi discipulos post se trahant. Tales fuere Appollonius Tyanæus, Euphrates, Demetrius, Musonius, Damis Pythagoreus, Epictetus Stoicus, Lucianus Epicureus, Diogenes junior, qui ob maledicentiam à Vespasiano capite mulctatus est. Verum hos omnes obtrivit et sepelivit S. Johannes Apostolus, Ecclesiæ columna et Patriarcha, cum suis sociis et asseclis, et Dionysio Areopagita, Ignatio, Herma, Polycarpo, Clemente, etc., quibus proinde Deus vitam longævam concessit, et in multos annos prorogavit.

Eodem anno occisum esse S. Thomam apud Indos asserit Onuphrius in Chronico.

Anno Christi 76. 77. 78. 79. 80. *Lini* 7. 8. 9. 10. 11. *Vespasiani* 5. 6. 7. 8. 9.

Anno Christi 77. templum Pacis augustissime ædificatum, dedicatum est, in eoque ornamenta è toto orbe quæsita, sed præsertim è templo Hierosolymitano sublata, sunt reposita. Ita Joseph. lib. 1. Belli 24. Titulus templi erat : *Pacі æternæ.*

Anno Christi 80. Linus Pontifex cum sedisset annos 11. jussu Saturni Consulari martyrio coronatur die 23. Septembris. Succedit ei Cletus.

Anno Christi 81. *Cleti* 1. *Vespasiani* 10. *Titi* 1.

Vespasianus agens annum ætatis 69. Imperii decimum, moritur : succedit ei filius Titus, orbis deliciæ, qui urbis luxum et luxuriam castigavit. Unde de eo Martialis l. 6. epig. 9.

Plusque tibi debet Roma, pudica quod est.

Adeo vero beneficus fuit, ut, cum semel super cœnam recordaretur, se eo die nemini beneficium contulisse, exclamarit, *Amici diem perdidi :* iis qui in necem suam conjurarunt, pepercerit, dicens : *Perieturum se potius, quam perditurum,* et : *Principes fato dari.* Ita Sueton in Tito c. 11. Dior. c. 8. et 9.

Anno Christi 82. *et* 83. *Cleti* 2. *et* 3. *Titi* 2. *et* 3.

Urbs Roma immisso divinitus incendio, tribus totidemque noctibus conflagravit. Ita Dio in Tito. Titus Amphitheatrum Romæ ædificat, et in dedicatione ejus quinque millia ferarum occidit. Ita Euseb. in Chron. Hoc solum cum Pantheo, ex veteris Romæ magnificentia, reliquum, in urbe etiamnum spectamus.

Anno Christi 83. Titus Imper. veneno à fratre Domitiano (ut fama fuit) sublatus est annum agens ætatis 41. Imperii tertium. Succedit ei Domitianus natura sævus, ingenio ferox et vafer. Ita Sueton. Dio et alii in Tito et Domitiano.

Anno Christi 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. *Cleti* 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. *Domitiani* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

Josephus Judæus Historicus, Romæ in honore est apud Domitianum, uti fuerat apud Titum et Vespasianum.

Anno Christi 84. Titus à Senatu inter deos refertur. Ita Euseb. in Chron.

Domitianus philosophos urbe exegit, ac inter alios Musonium, Dionem Chrysostomum, Epictetum Stoicum, et Peregrinum, nonnullos vero occidit, ut Rusticum Arulenum, et Maternum Sophistam. Ita Euseb. in Chron. et Dio in Domitiano.

Domitianus delubrum Jovis Capitolini concrematum, ingenti sumptu restauravit. Ita Sueton. et Dio in Domit.

Anno Christi 87. Anianus, cum post. S. Marcum 22. annos præfuisset Ecclesiæ Alexandrinæ, è terris in cœlum abiit. Ita Euseb. l. 3. c. 12.

Anno Christi 88. Domitianus sanxi, ut deinceps anni numerarentur per agones Capitolinos ; sicque ab hoc anno primus agonalis cœptus est numerari. Agonalis instar Olympiadis quatuor continebat annos. Ita Censorinus de die natali cap. 14.

Anno Christi 89. Domitianus jussit Octobrem mensem, Domitianum vocari ; se vero Deum et Dominum appellari. Unde illud : *Edictum Domini Deique nostri.* Ita Sueton. in Domitian. c. 13. Idem quotidie secretam quietem captabat, in qua nihil aliud curabat, nisi muscas præacuto stylo configere. Ita Euseb. in Chron.

Apollonius Tyanæus Romæ à Domitiano incarceratus, per magiam invisibilis factus evanuit,

et Puteolis improvisus apparuit, indeque Ephesum concessit, ubi cum Joanne certavit.

Anno Christi 92. *Cleti.* 12. *Domitiani* 9.

S. Johannes Apostolus Epheso Romam, ad Domitianum Imp. reus impietatis, à Proconsule Asiæ vinctus mittitur: ubi ante portam Latinam in ferventis olei dolium missus, integer et illæsus exivit, teste Tertul. lib. de Præscript. c. 26. Quare à Domitiano relegatur in insulam Pathmos, Apocal. 1. 9. Exstat Romæ martyrii S. Johannis locus ecclesia illustratus, ac dies in tabulas Ecclesiasticas relatus est 6. Maii.

Domitianus, ait Euseb. lib. 6. c. 13. alteram post Neronem in Christianos movet persecutionem. Erat enim crudelis admodum: unde à Gentilibus vocatus est alter Nero. Audi Juvenal. sat. 4.

> Cum jam semianimum laceraret Flavius orbem
> Ultimus, et calvo serviret Roma Neroni:

Sub Domitiano ergo, sequentibus ejus annis multi passi sunt Martyres, inter quos illustriores fuere S. Eutropius Episcopus Santonensis, in Gallias à S. Clemente missus, ascriptus Martyrol. die 30. Aprilis, Lucianus Episcopus Bellovacensis die 8. Januarii, ac Maximianus et Julianus presbyteri: Carnoti vero Ceraunus 28. Maii, item Nicasius Episcopus Rotomagensis: Quirinus Presbyter, Scabiculus Diaconus, Patientia virgo; item S. Romulus, Felusanus in Tuscia Episcopus, illuc à S. Petro missus, Ptolemæus Episcopus Tuscaniæ, Eugenius Toletanus Episcopus, Mancius civis Romanus Eboræ, et alii.

Anno Christi 93. *Clem.* 1. *Domitiani* 10.

Cletus Pontifex cum sedisset annis 12. martyrio coronatur. Succedit ei S. Clemens.

S. Johannes in Pathmos omnes insulæ accolas ad Christi fidem et pietatem instituit, ait OEcumen, proœmio in Apocal.

Sub hoc tempus Antipas martyrium subiit Pergami in Asia, de quo dixi Apocal. 2. 13.

Anno Christi 94. *Clement.* 2. *Domitiani.* 11.

Acilius Glabrio superiori anno Consul Romæ cum aliis martyrio afficitur. Ita Dio in Domit.

Anno Christi 95. *Clement.* 3. *Domitiani* 12.

S. Clemens scripsit epistolam ad Corinthios de pace et concordia, quam celebrat Euseb. lib. 3. c. 12. Plures alias scripsit, atque Constitutiones Apostolicas.

Anno Christi 96. *Clement* 4. *Domitiani* 13.

Hoc anno Josephus Historicus, ut ipse testatur in fine lib. 20. Romæ finit commentarium de Antiquitatibus Judaicis in viginti libros distributum, in quo videns Jerusalem cum templo et judaismo eversam; videns pariter Vespasianum defecisse, cui vaticinatus tribuerat, quod Christo à Prophetis prænunciatum erat, imperium; jamque tempus Messiæ præteriisse, ipse, licet Judæus, convictus tamen rei evidentia, luculentum Jesu nostro crucifixo perhibuit testimonium, quod ipse sit Messias, sive Christus. Sic enim de eo scribit l. 18. Antiq. c. 4. *Eodem tempore fuit Jesus, vir sapiens; si tamen virum eum fas est dicere. Erat enim mirabilium operum patrator, et doctor eorum qui libenter vera suscipiunt, plurimosque tam de Judæis, quam de Græcis sectatores habuit. Christus hic erat: quem accusatum à nostræ gentis principibus, Pilatus cum addixisset cruci, nihilhominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant. Apparuit enim tertia die vivus, ita ut divinitus de eo vates hoc, et alia multa miranda prædixerant, et usque hodie Christianorum genus ab hoc dominatum non deficit.* Hunc locum ex Josephi translatione Hebræa, ab ipsis facta, sustulerunt Judæi, sed Josephus scripsit græce: exemplaria autem Græca et Latina ita habent, ut retuli. Ita Romæ cuidam Rabbino id objicienti, respondi.

Anno Christi 97. *Clementis.* 5. *Domitiani* 14.

Hoc anno S. Joannes à Domitiano relegatus in Pathmos, ibi per exilium pro Christo, meruit ab eo accipere Apocalypsin, sive revelationem eorum quæ futura erant in Ecclesia et orbe, præsertim in fine mundi, ut iis fideles à fide metu persecutionum, vel blandiloquentia Ebionis, Cherinti, aliorumque hæreticorum aberrantes, aut vacillantes, in eadem confirmaret, roboraretque eos, eorumque posteros, ad instantes reliquas octo generales Ecclesiæ persecutiones, à totidem Imperatoribus concitandas, constanti animo sustinendas. Ipse enim ex omnibus Apostolis solus superstes et grandævus, quasi fidelium omnium pater et patriarcha, molem Ecclesiæ, veluti Christi familiæ sibi ab eo commissæ, sua auctoritate, sapientia et sanctitate quasi Atlas sustentabat. Ita Iren. l. 5. in fine, Baron et alii.

S. Dionysius Areopagita scripsit Epistolam, quæ numero est decima. ad S. Johannem in Pathmos, significans sibi à Deo revelatum esse quod brevi ab exilio liberandus foret, tumque sese invicem essent visuri et fruituri. Ita factum mox post mortem Domitiani, quæ anno sequenti contigit.

Domitianus eos qui de genere erant David interfici præcepit, ut nullus Judæorum regno reliquus foret, itaque Messiæ expectationem eis eriperet. Ita Euseb. in Chron. et alii.

Anno Christi 98. *Clement.* 6. *Domitiani* 15.

Flavius Clemens Consul. Rom. cognatus Domitiani (cujus sororem Flaviam Domitillam habebat uxorem) et S. Clementis Pontificis, à Domitiano, eo quod religionem Christianam coleret, occiditur, cum antea ejus filios successores Imperii destinasset, alterumque Vespasianum, alterum Domitianum appellasset. Ita Sueton. In Domitiano cap. 15. Eadem de causa sæviit in Clementis uxorem et neptem, utramque scilicet Flaviam Domitillam, aliosque ejus Domesticos Christianos. Hoc ergo anno Flaviam Domitillam juniorem, Flavii Clementis Consulis ex sorore Plautilla neptem, in insulam Pontiam relegavit: ita Euseb. libr. 3. 14. Hæc est illa Domitilla celebris virgo et Martyr, cujus mater Plautilla à S. Petro instante martyrio conversa et baptizata, filiam hanc Domitillam tradidit Christianis virtutibus imbuendam S. Clementi, qui eandem, cum virginitatem suam Deo incitantibus eam S. Nereo et Achilleo eunuchis, vovisset, sacro velamine consecravit. Quare Aurelianum sponsum respuens, in Pontiam relegatur, quo eam secuti sunt Nereus, et Achilleus: qui inde abstracti et Tasracinam missi, ibi post varia tormenta capite mulctati sunt. Flavia vero post longum exilium, tandem sub Trajano gloriosum obiit martyrium. Ita habent Acta SS. Nerei et Achillei.

Hoc anno Domitianus ob crudelitates, præsertim in Christianos excitatas, à conjuratis, ac nominatim à Stephano S. Flaviæ Domitillæ procuratore, confossus occubit, annum ætatis agens 45. imperii 15. quare statuæ ejus omnes arcusque ilico eversi fuere, nomen etiam è saxis eradi jussum. Ita Dio in Domit. et Sueton. c. 17. Ovidit hanc Domitiani necem Apollonius Tyanæus Ephesi existens, per magiam, revelante dæmone. Nam concionans ad populum, torvis oculis in terram aspiciens, dixit: *Percute tyrannum;* ac postea tabellarii Roma venientes nuntiarunt, eodem tempore occisum esse Domitianum. Ita Philostr. lib. 8. Vitæ Apollonii.

Domitiano successit Nerva Cocceius tam senatus consensu, quam militum, imperavitque annum unum, quem mire laudant Historici; qui omnes exules in patriam reduxit, vetuitque quempiam religionis causa accusari. Ita Dio in Nerva. Quare S. Johannes Apostolus tunc ex Pathmos, ubi exulabat, Ephesum est reversus, atque Asiæ Ecclesias gubernavit. Ita Euseb. lib. 3. cap. 15. qui et cap. 17. recenset mirum charitatis S. Johannis exemplum in juvene, olim discipulo suo, à latrociniis revocando, cum diceret Episcopo, cui eum commendarat: *Age Episcope, depositum nobis redde, quod ego et Christus Ecclesia teste, quam gubernas, tibi commisimus. Adolescentem repeto, animam fratris.*

Tunc quoque S. Johannes certans cum Apollonio Tyanæo thaumaturgo, mortuum suscitavit; aliaque complura miracula in fidei et fidelium confirmationem patravit. Ita Euseb. l. 5. 17. Sozomen. lib. 7. c. 26. Baron. et alii. Quin et L. Dexter in Chronico anno Christi 100. *Stacteus,* inquit, *Zotici, vel Getulici filius; qui Zoticus Ephesi negotiorum causa morabatur: mortuus Stacteus à Johanne ad vitam revocatur. Convertitur Zoticus et Symphorosa cum filiis ad fidem, qui reversi ad Italiam passi sunt.* Hæc ille de cujus fide dicam in fine Chronotaxis.

Dionysius Areopagita Athenarum Episcopus adit S. Johannem ex Pathmos reducem, ejusque, ut videtur, consilio Romam ad Clementem Pontificem se contulit, à quo cum Rustico et Eleutherio in Gallias missus est, ut Martiali, Eutropio, Luciano, aliisque à S. Petro eo missis, et jam vita martyrioque perfunctis in Evangelii prædicatione succederet: qui multis conversis, tandem sub Hadriano Imp. Apostolatum illustri martyrio decoravit. Porro Dionysio in Atheniensi Episcopatu successit Publius, Publio Quadratus. Ita Euseb. l. 4. 22. et S. Hieron. 1. de Script. Eccl. in Quadrato.

Anno Christi 99. *Clementis* 7. *Nervæ* 1.

S. Johannes post reditum ex Pathmos, coactus ab Asiæ Episcopis et multarum Ecclesiarum legationibus, post indictum publicum jejunium et supplicationes, scripsit Evangelium, et quasi filius tonitrui illud proœmium è cœlo veniens eructavit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum,* ait S. Hieronym. præfat. in Evangel. S. Matthæi. Addit Metraphrastes, quem sequitur Baronius. S. Johannem scripturum Evangelium, quasi alterum Mosem, legem novam cœlitus accepturum, ascendisse in verticem montis, et elevatis manibus mentem à sensibus abstraxisse: *Tuncque horrenda tonitrua,* inquit, *terrores et fulgura, his similia, quæ antea Mosi legem recipienti contigerant, facta sunt. Ad extremum tonitrua in vocem exprimuntur, atque resonant, In principio erat Verbum.* Porro græce scripsit Evangelium, contra Ebionem et Cherintum, tunc grassantes, qui docebant Christum esse merum hominem, et ante Mariam non fuisse. Quocirca totus est in divinitate Christi astruenda, atque gesta Christi ante incarcerationem Johannis Baptistæ, à cæteris Evangelistis prætermissa, supplet et persequitur. Ita S. Hieronym. libr. de Scriptor. Eccles. In Johan. cap. 9.

Scripsit pariter S. Johannes tres Epistolas Canonicas, è quibus duas priores contra Basilidem et alios Christi carnem negantes, docentesque non veram, sed phantasticam fuisse Christi incarnationem, passionem, mortem, etc., exaravit. Unde hæresim hanc clidens ita orditur: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ: et vita manifestata est, et vidimus, et testamur.* Quocirca S. Hieron. Epist. 85. ad Evagrium: *Clangit,* inquit, *tuba filius tonitrui, quem Jesus amavit plurimum, qui de pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit: Presbyter electæ Dominæ et filiis ejus, quos diligo in veritate.* Porro sicut doctrinarum, sic et ignis ac flammarum fluenta è Christi pectore potavit: unde totus spirat amoris, charitatisque ignes et incendia.

Eodem anno Apollonius Thyanæus magus, occultam oppetens mortem (quo immortalis crederetur in cœlum esse translatus) incerto exitu diem clausit extremum. Ita Philostr. l. 8.

Nerva videns se senio fatiscentem, ut consuleret imperio, præteritis sibi sanguine junctis, M. Ulpinum Trajanum Hispanum adoptavit in filium ac Cæsarem nominavit. Ita Dio et Plinius in Panegyr. Trajani.

Anno Christi 100. *Clementis* 8. *Nervæ* 2. *Trajani* 1.

Nerva agens annum ætatis 65. ait Dio: senio et morbis consumptus, magno omnium luctu diem obiit die 27. Januarii. Successit ei Trajanus agens Agrippinæ, quem anno præcedente in filium sibi Nerva adoptarat. Decreto senatus Nerva inter deos refertur. Ita Euseb. in Chron.

Anno hoc sæculari mire crevit et floruit Christi Ecclesia: deorum fana, delubra, oracula, aræ velut fulmine icta collabebantur.

Plinius Secundus Præfectus Bithyniæ scripsit ad Trajanum, quid de Christianis fieri vellet? nihil aliud se de sacris eorum comperisse, quam quod antelucanis cœtibus hymnos Christo canerent. Rescripsit Trajanus: *Eos inquirendos non esse, oblatos vero puniri oportere, cœtusque et sodalitates, quas hæterias vocant, prohiberi.* Ita Plinius lib. 10. epist. 7. 9.

Trajanus Clementem Pontificem in Tauricam Chersonesum jussit deportari: ubi Christianos ad marmora secanda damnatos mire consolatus est, præsertim cum suis precibus fontem, ad levandam aquarum penuriam, indicante locum Agno elicuit: quo miraculo mire ibidem propagata est Christi fides et religio.

Flavia Domitilla una cum Euphrosyna et Theodora, cum à Christiana religione divelli nullatenus possent, incenso cubiculo martyrium consummarunt. Persecutio in Christianos efferbuit. Erat enim Trajanus magnus deorum cultor, vinolentus, et masculorum concubitor: atque

inter alios Hadrianus consobrini filius qui in imperio ei successit, ejus pæderastiæ inservivit.

Anno Christi 101. *Clementis* 9. *Trajani* 2.

S. Johannes Apostolus et Evangelista, Apostolorum ultimus, eorumque quasi Mathusalem, Ephesi moritur annum agens 97. et juxta urbem sepultus est, cum prius omnes fideles ad charitatem fraternam crebro et impense esset exhortatus, adeoque dum præ senio non posset in plura vocem verba contexere, illud tantum per singulas solebat proferre collectas: *Filioli alterutrum diligite*, cumque discipuli tædio affecti quod semper idem audirent, rogarent; cur semper eadem loqueretur? dignam respondit Johanne sententiam: *Quia præceptum Domini est, et, si solum fiat, sufficit*, uti refert S. Hier. in epist. ad Galat. lib. 3. c. 6. Plura vide apud Baron.

S. Johanni in Episcopatu Ephesino successit Onesimus Pauli discipulus, vir eximiæ charitatis. S. Johannis auditores insignes fuerunt, Papias Episcopus Hieropolitanus, Ignatius Antiochenus, et Polycarpus Smyrnæus. Paulo post S. Johannem nimirum anno sequenti, qui fuit Christi 102. S. Clemens S. Johanni amicissimus, jussu Trajani anchora ad collum appensa projectus in mare, martyrii lauream obtinuit. Orante vero populo retrocessit mare ad tria ferè milliaria, quo ingressi Christiani, invenerunt in figuram templi marmorei habitaculum à Deo paratum, et illic situm corpus S. Clementis cum anchora. Singulis deinde annis simili modo, in die transitus illius retrocessit mare. Contigitque semel incuria parentum puerum quemdam illic relinqui, qui anno vertente vivus repertus est, ita habent vita et acta S. Clementis.

Nota. Ante annos fere 1200. ævo S. Hieronymi et Augustini, Fl. Lucius Dexter, filius S. Patiani, postea Episcopi Barcinonensis, Præfectus prætorio Orientis sub Theodosio Imp. Hispanus et Hispanorum encomiastes, scripsit Chronicum à natali Christi usque ad annum Christi 430. quo mortuus est S. Augustinus, illudque dedicavit S. Hieronymo (et eo jam vita functo, Paulo Orosio) uti ipse testatur lib. de Script. Eccles. in fine, quem librum S. Hieronymus vicissim eidem L. Dextro inscripsit. Quæsivit illud Cardin. Baronius, sed non reperit: post mortem ejus inventum est in Bibliotheca Barcinonensi, eo olim translatum ex Bibliotheca Fuldensi, uti ferunt, typisque editum est in Hispania Cæsaraugustæ anno Domini 1619. cum appendicibus Maximi, Braulionis et Hælecæ, Episcoporum Cæsaraugustanorum, qui illud alternatim et successive usque ad sua tempora continuarunt et prorogarunt. Multi viri docti, præsertim Hispani, illud avide arripiunt, citantque. Nonnulli tamen eruditi, quibus acris est crisis; spurium censent, vel certe aliorum laciniis assutum et vitiatum: tum quia varia ejus circumferuntur exemplaria, quæ inter se evariant et dissonant: tum quia stylus rudior, Dextri stylum non æquat: tum quia paradoxis et parachronismis inspersum videtur: tum quia ubi, quando, et à quo post tot sæcula primo repertum sit, ignoratur. Sane Fuldæ illud studiose perquisivi, nec inveni. Nolim ego in hac lite sedere arbiter, nec tanti auctoris judicium mihi vendicare, ut fidem illi derogem, vel arrogem. Audio esse in Hispania qui illud recusuri. et limaturi, eique fidem arrogaturi sint. Subinde, sed parce, illud citabo, præsertim ubi verisimiliora et rariora narrans, aliorum gravium Auctorum testimonio fulcitur et roboratur.

Denique totam seriem peregrinationis S. Pauli ordinarunt, et ad amussim conscripserunt multi, ut Orontius Finæus, Petrus Appianus, Marcus Jordanus, Arias Montanus, et alii; eamque in tabula Chorographica spectandam exhibet Ortelius in Theatro pag. 114. Actum ergo non agam.

EFFIGIES
SANCTI PAULI,
SIVE IDEA VITÆ APOSTOLICÆ.

SANCTUS Paulus, ceterique Apostoli adeo virtutibus omnibus excelluerunt, adeoque singulas continue per actus heroicos exercuerunt, ut à Deo cunctis fidelibus per omnia sæcula, positi sint in perfectione earum exemplar et speculum, quod omnes pro viribus æmulari satagant. Nam ut sæpe inculcat S. Chrysost. in homiliis octo de laud. S. Pauli, Paulus eandem nobiscum habuit naturam, idem corpus, eamdem animam, ac proinde quod ille effecit, et nos efficere possumus per gratiam Christi, quam Deus uti Paulo elargitus est, ita et singulis fidelibus eam postulantibus, eique strenue collaborantibus liberaliter offert et impertitur, eamque majorem semper et majorem pro merito orationis et operationis. Auxit ille mirifice Dei gratiam per quotidianos pro fide labores et agones, nos quoque simili ratione eamdem miris quotidie per opera præclara, præsertim heroica, incrementis augere possumus. *Fuerunt Apostoli præcones Christi, pugiles veritatis athletæ Dei, organa Spiritus sancti, religionis præsides, Ecclesiæ principes, sanctitatis antistites :* nostrarum partium est eos sequi contento passu, ac licet is eis sit impar, cum tamen jugiter agglomerando, quos eminus sequimur, tandem cominus si non assequemur, certe insequemur. Huc nos invitant eorum certamina, coronæ, trophæa, huc tituli et elogia, quibus eos condecorant et celebrant Patres ad unum omnes. Accipe pauca è multis selecta. S. Chrysost. homil. 1. de laudibus S. Pauli : *Nihil prorsus,* inquit, *erraverit, qui pratum insigne quoddam virtutum, et paradisum spiritualem Pauli animum nuncupaverit : tam mira enim gratia floruit, tamque huic gratiæ congruente vitæ perfectione resplenduit: quoniam enim vas electionis effectus est, et bene seipsum emendare curavit, largissime in eum Spiritus S. munus effusum est. Quæ autem lingua inveniatur laudibus ejus æqualis, cum omnia quæ sunt in hominibus bona una anima possidebat, et ea cuncta plene ac cumulate, quæ non solum hominum sunt, sed quod amplius est, angelorum ?* Rursum, *Paulus cœli civis, Ecclesiarum columna, angelus terrestris, cœlestis homo. Sicut enim missum in igne ferrum, totum profecto ignis efficitur, sit Paulus charitate succensus totus effectus est charitas.* Idem suavius et uberius in S. Matth. c. 10. *Misit,* inquit, *Christus Apostolos quasi sol radios suos, quasi rosa suavitates odoris sui, quasi ignis scintillas suas dispersit, ut sicut sol in radiis apparet, sicut rosa in odoribus suis sentitur, sicut ignis in scintillis suis aspicitur, sic in illorum virtutibus Christi potentia agnoscatur. Quis enim videns discipulos bene instructos, non scientiam magistri collaudet?* Breviter, sed nervose, S. August. in serm. 1. de Apost. Petro et Paulo, *Paulus,* ait, *dum urget gladiis sanctos, fidei suscipit jugum et magister factus est Gentium, forma Martyrum, formido dæmonum, indultor criminum, fonsque virtutum.* Idem : *Dedit,* ait, *Dominus Apostolis potestatem super naturam, ut eam curarent super dæmones, ut eos everterent : super elementa, ut ipsa immutarent : super mortem, ut eam contemnerent : super angelos, ut corpus Domini consecrarent.* Hæc etiam potestas data est eorum successoribus, secundum illud Apocal. 11. 6. *Ii habent potestatem claudendi cœlum, et convertendi aquam in sanguinem.*

Porro æque heroica et admirabilis fuit eorum mors, ac fuerat vita. Audi S. August. serm. jam citato : *Nullatenus,* ait, *potest explicari, quibus modis interfectio Apostolorum pretiosa pensetur. Moriuntur abjecti, et orbis terrarum capiunt principatum. Moriuntur terrenæ dignitatis extranei, et eorum opificio cœlum reseratur et claditur.* Idem. serm. 5. de dedic. Ecclesiæ : *Per illos ergo est salus confirmata credentium; quia videmus eos veritatem, quam annuntiarunt prædicando, confirmasse moriendo : rebus, non sermonibus declarantes, quantum sit bonum illud spe certum, in retributione gloriosum, in possessione jucundum, pro quo lux negligitur, gladius non timetur, anima incunctanter afficitur.* Idem lib. 1. de civit. c. 32. Scipionem præfert diis Romanorum : *Tolerabilius,* inquit, *divinos honores deferretis illi Scipioni, quam deos ejusmodi coleretis. Neque enim erant illi dii suo pontifici meliores.* Et Tertull. in Apolog. c. 11. dicit satius fuisse deos fieri, sapientiæ Socratem, justitiæ Aristidem; militiæ Themistoclem, eloquentiæ Ciceronem, felicitatis Syllam, opum Crassum, sublimitatis Pompeium, gravitatis Catonem, hi enim diis ipsis præstabant hisce rebus. Quid jam dicemus de Apostolis ? hi enim non unius gentis, sed omnium, non unius virtutis, sed universarum fuerunt culmina, imo fulmina. Hi ergo Christianis non humani, sed divini fuere Pontifices, Scipiones, Socrates, Aristides, Themistocles, Cicerones, Pompeii, Catones. Illis enim vere competit illud psal. 81. 6. *Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes.* Et illud psal. 138. 17. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Et illud psal. 18. 1. *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum, Ecclesia,* inquit S. Bernord. serm. 27. in Cant. *habet cœlos suos homines spirituales vita et opinione conspicuos, fide puros, spe firmos, lætos charitate, contemplatione suspensos. Et hi pluentes pluviam verbi salutaris, tonant increpationibus, coruscant miraculis. Hi enarrant gloriam Dei.*

Jam particulatim Pauli et Apostolorum mores depingamus, ut eos melius contemplari, admirari et æmulari possimus. Distinguam eos ordinis et memoriæ causa in tria capita. Primum, erit de iis, qui Deum concernunt; Secundum, de iis qui seipsum; Tertium, de iis qui proxi-

mum spectant. Paulum præ ceteris ex Luca pingo. Nam cum S. Chrysost. hom. 11. in Genes. *Flagro amore hujus viri, et propterea continuo versatur in ore meo, et quasi in archetypum aliquod exemplar, ita in illius animam respiciens, obstupesco in hoc viro miram affectionum calcationem, fortitudinis excellentiam, amoris in Deum fervorem: et arbitror quod unus homo omnes virtutes congregarit, et perfecerit.* Idem hom. 22. ad populum: *Paulus*, inquit, *Apostolus, Gentium doctor*, etc. *Christum in se habens loquentem, terrestris angelus et cœlestis homo, receptaculum Spiritus sancti, qui in corpore corruptibili paradisum habitavit: zelo incomparabilis, charitate magnus, Ecclesiarum Dei sollicitus curator, orator pietatis, imbecillium deductor, credentium pronubus, Judæorum redargutio, nostri omnium sagena, post mortificationem doctor, et post mortem præco, qui nobis demonstravit quemodo in cœlos ascendere oporteat.* Quocirca Paulus per excellentiam et antonomasiam vocatur Apostolus, Ait S. August. qui et lib. 14. de Civit. c. 9. *Invenimus*, ait, *doctorem Gentium in fide et veritate, qui et plus omnibus suis coapostolis laboravit, et pluribus epistolis populos Dei instruxit: illum, Inquam, verum athletam Christi, doctum ab illo, unctum de illo, crucifixum cum illo, gloriosum in illo, in theatro hujus mundi, cui spectaculum factus est, et angelis, et hominibus, legitime magno agone certamen et palmam supernæ vocationis in anteriora sectantem*, etc. Quare quod S Gregor, Nazianz. orat. 20. de laudibus S. Athanasii dicturus, ita orditur: *Athanasium laudans, virtutem laudabo. Idem enim est illum dicere, quod virtutem laudibus efferre: quoniam virtutes omnes in unum collectas tenebat, et etiamnum tenet: virtutem autem laudans, Deum laudabo, à quo virtus hominibus est.* Idem potius de Paulo dicam: Paulum laudans, apostolatum laudabo, imo Deum, qui Pauli et apostolatus est auctor. Nam ut ait S. Leo serm. 1. de S. Petro et Paulo: *De illis Ecclesiæ apicibus, imo oculis, qui omnem loquendi superant facultatem, nihil diversum, nihil debemus sentire discretum: quia illos et electio pares, et labor similes, et finis fecit æquales.*

CAPUT PRIMUM.

DE PAULI MORIBUS ET VIRTUTIBUS DEUM CONCERNENTIBUS.

Prima dos et virtus, Singularis Dei electio et vocatio: ejusque humillima agnitio, gratiarum actio et admiratio.

Primo, Paulus singulari Dei gratia ab æterno prædestinatus est, non tantum ad fidem et sanctitatem, sed etiam ad Apostolatum, eumque eximium ut nimirum præ cæteris Apostolis fieret admirabilis Evangelii præco, et doctor Gentium ubilibet degentium. Ita ipse ad Ephes. 1. 11. agens de prædestinatione Christi omnia instaurantis: *In quo*, ait, *et nos sorte vocati sumus secundum propopositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ ejus nos, qui ante speravimus in Christo.* Et Actor. 9. 15. de eo Deus ait Ananiæ: *Vas electionis* (ab æterno à me electum, et è tot hominum millionibus selectum) *est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel.* Hic verum est illud: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, Rom. 9. Rom. 16. Porro Apostoli orbem commoverunt amore, Prophetæ vero terrore. Prophetæ enim terrent, Apostoli suadent: *Deus enim nunc virga utitur, nunc flagello. Virga, ut corrigat, flagello, ut suadeat. Recta illic, hic inflexa præceptio, qua peccatoris conscientia velut lento verbere flagellatur. Alii sunt enim terrores prophetici, aliæ apostolicæ suasiones: in utroque tamen unius verbi est disciplina*, ait S. Ambros. lib. 9. in Lucæ c. 19. in fine capitis. Idem l. 7. *Eos*, inquit, *misit ad seminandum fidem, qui non cogerent, sed docerent; nec vim potestatis exercerent, sed doctrinam humilitatis attollerent.*

Secundo, Paulus eadem Dei gratia, in tempore ab eo vocatus est ad gratiam simul et ad Apostolatum uno eodemque instanti: quæ gratia fuit eximia, tum in se, tum ex hoc capite, quod ipse vocatus sit in ipso ardore persecutionis, cum scilicet spiraret minas et cædes in Christianos. Tunc enim subito irradiante Deo, ex lupo factus est ovis ex Saulo Paulus, ex persecutore prædicator, Actor. 9. 6. imo mox ab occiso et lapidato à se Stephano conversus, illico illi in prædicatione successit. *Nam postquam siluit os Stephani, mox sonuit tuba Pauli*, ait, S. Chrysost. homil. de convers. S. Pauli. Hæc fuit ejus antecedens, et quasi in actu primo vocatio ad Apostolatum: consequens enim, et quasi in actu secundo fuit ea, qua Antiochiæ consecratus Episcopus, proxime missus est evangelizatum Gentibus, Actor. 13. 2. dicente Spiritu sancto, *Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Porro Paulus abundatiorem cæteris Apostolis accepit gratiam, ut Deus magis ostenderet suum esse quod dat, non hominis: sicut Medicus excellentiam artis suæ ostendit in ægro desperato, ait S. Augustin. in psalm. 130. Unde et cæteros Apostolos Christus vocavit verbo, Paulum vero prosternendo et cæcando coegit ad fidem, ait idem Aug. ep. 50. ad Bonifacium.

Tertio, Paulus huic Dei vocationi illico plane pleneque obedivit, dicens: *Domine quid me vis facere?* Actor. 9. 6. Unde baptizatus *continuo in Synagogis prædicabat Jesum, quoniam hic est filius Dei.* Ibidem v. 20. Et ad Galat. 1. 15. *Cum autem placuit ei qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret filium suum in me, continuo non acquievi carni et sanguini*, etc. Quare ilico se pro Christo periculo vitæ exposuit; Judæis in ipsum quasi apostatam frendentibus, ultro sese evangelizando objiciens. Paulus enim acri fuit ingenio et ardenti indole, ac natura igneus, ut patet Actor. 9. 1. Unde accedente et naturam informante Dei gratia factus est organum Dei electum, efficax et eximium quare S. Bernard. serm. de conversione S. Pauli: *Conversus Paulus*, inquit, *conversionis minister factus est universo mundo*, etc., *et ne adhuc quidem cessat ab hominum conversione: dico autem exemplo, oratione, doctrina.*

Quarto, Paulus ubique hanc Dei in se gratiam admiratur, et mira animi demissione, gratitudine et exultatione celebrat et deprædicat. Unde Epistolas ita fere orditur: *Paulus vocatus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum.* Et *mihi*, inquit, *omnium Sanctorum minimo data est gratia hac, in Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creavit*, Ephes. 3. v. 8.

Quinto, Paulus hac Dei vocatione demandatam sibi Evangelii prædicationem intelligens, ad eam se obligari censuit, adeo ut si eam negligeret, grave peccatum admitteret. Hoc est enim quod ait 1. Corinth. 9. 16. *Nam si evangelizavero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit: væ enim mihi est si non evangelizavero.* Et: *Deus posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* 2. Cor. 5. 20. Paulum imitentur, qui se à Deo ad statum Apostolicum vocari sentiunt, ut Deo vocanti alacriter obediant, strenueque cooperentur. Nam, ut ait S. Basil. in c. 1. Isaiæ: *Nisi in fundamento Apostolorum perseveremus, ædificantes pretiosa et honore digna, quasi nullo subnixi fundamento, præcipites ibimus, fietque ruina nobis non exigua.*

Secunda dos et virtus est Missio legitima.

Primo, Paulus immediate à Christo revelationem edoctus est, didicitque Evangelium, ut ipse diserte asserit Galat. 1. 12. Hinc nonnulli Gnostici docebant, ex Apostolis solum Paulum cognovisse veritatem, eo quod per revelationem manifestatum ei esset mysterium, quos refutat Irenæus lib. 3. c. 13.

Secundo, Paulus proxime iturus evangelizatum Gentibus, raptus est in tertium cœlum anno Christi 44. à conversione sua nono, ibique audivit arcana verba quæ non licet homini loqui, 2. Corinth. 12. 2. ut quasi alter Moses à Deo mitti, et quasi è cœlo cœlestis Gentium doctor prodire videretur. Unde S. Bernard. serm. 23. in Cant. *Thomas*, inquit, *in latere, Joannes in pectore, Petrus in sinu Patris, Paulus in tertio cœlo secreti hujus gratiam sunt assecuti. Thomas in solido fidei, Joannes in lato charitatis, Paulus in intimo sapientiæ, Petrus in luce veritatis.* Et S. Ambros. in Psalm. 47. *Vide*, ait, *Paulum cum persequeretur Ecclesiam Dei, latus Aquilonis fuisse. Vide nunc cum legitur in Ecclesia, montem esse speculatorium* (Sion) *per quem Christi gloriam cognoscimus et videmus.*

Tertio, nihilominus instinctu Dei contulit suum Evangelium et doctrinam cum S. Petro aliisque Apostolis, ut illi eam probarent, eique veritati testimonium apud fideles darent. *Contuli*, inquit, *cum illis Evangelium quod prædico in Gentibus*, etc. *ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem*, Galat. 2. 2. Et v. 9. *Cum cognovissem gratiam quæ data est mihi, Jacobus, et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dederunt mihi dextras societatis, ut nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem.*

Quarto, Paulus, etsi à Deo electus Apostolus, tamen auctoratus fuit ab Ecclesia. Unde jussu Spiritus sancti ab ejus primoribus consecratus est Episcopus, missusque prædicatum Gentibus, Actor. 13. 2. Ordo enim hierarchicus à Deo institutus id poscit, ut homines inferiores ab hominibus superioribus regantur et mittantur, ne fraus et dolus subesse possit. Sic enim pseudoprophetæ et hæretici mentiuntur se mitti à Deo, cum mittantur à diabolo, ideoque omnem Pontificum Ecclesiæ missionem et directionem respuunt, de quibus jure queritur Dominus per Jeremiam c. 23. 21. dicens: *Non mittebam Prophetas, et ipsi currebant: non loquebar ed eos, et ipsi prophetabant.*

Quinto, Paulus in dubiis et controversiis de servandis legalibus, adiit S. Petrum et Apostolos, eorumque sententiam secutus, eamdem toti Ecclesiæ Antiochenæ capessendam servandamque proposuit, Actor. 15. Ita S. Hieron. licet Doctor Ecclesiæ, tom. 2. epist. 57. ad Damasum Pontificem, ab eo petit decisionem quæstionis: An in Deo dicendæ sint tres hypostases, an una? *A pastore*, inquit, *præsidium ovis flagito. Cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri, communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio*, etc. *Quicumque tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi.*

Tertia dos et virtus fuit, Præstans potensque fides, etiam ad patrandum miracula.

Primo, Paulus fide excelluit. Nam quasi doctor eam ubique prædicavit, et propugnavit contra Judæos, philosophos, oratores, magos, reges et tyrannos. Præclare S. Chrysost. in c. 20. S. Matthæi, explicans illud: *At illi magis clamabant: Talis*, inquit, *est natura fidei, quanto magis vetatur, tanto magis accenditur. Virtus fidei in periculis secura est, in securitate periclitatur. Quid enim sic laxat vigorem fidei, sicut longa tranquillitas?* Idem in c. 25. S. Matthæi. *Fides*, inquit, *lampas est; quia sicut lampas illuminat domum; ita fides animam.* Idem in illud Symboli, *Credo in Deum: Fides*, ait, *lumen est animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ.*

Secundo, Paulus raptus in tertium cœlum, vidit mysteria quæ fide credimus, 2. Corinth. 12. 2. Quin S. August. l. 13. de Trinit. c. 2. docet, fidem nostram suo modo et videre et videri, in suis scilicet operibus et effectis. Sic rursum per opera heroica ingentem suam fidem toti orbi conspicuam exhibuit Paulus. Sapienter S. Bernard. serm. 24. in Cant. *Mors fidei*, inquit, *est separatio charitatis. Credis in Christum? fac Christi opera, ut vivat fides tua. Fidem tuam dilectio animet, actio probet. Non incurvet terrenum opus, quem fides cœlestium erigit.* Et S. Ambr. serm. 1. *Fides Christiana*, inquit, *quasi granum sinapis, prima fronte videtur esse parva, vilis, tenuis, non ostendens potentiam suam: at ubi diversis tentationibus teri cœperit, statim vigorem suum prodit, acrimoniam indicat, calorem Dominicæ credulitatis aspirat, et tanto divini ignis ardore jactatur, ut et ipsa ferveat, et participantem sibi ardere compellat.*

Tertio, Paulus fidem suam, Prophetarum et Apostolorum celebrat passim, ac præsertim toto c. 11. ad Hebr. *Fides*, inquit, *est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* Vide cætera quæ sequuntur.

Quarto, Paulus pro fide immensos labores, itinera, pericula, verbera, carceres, ac tandem mortem et martyrium constanter sustinuit. Celebrat S. August. serm. 120. de Temp. fidem boni latronis, quod in cruce confessus sit Christum: *Solus*, inquit, *testis est majestatis, qui socius probatur doloris.* Major fuit fides Pauli, qui non tantum cum Christo, sed et pro Christo tot tantaque passus est. Præclare S. Cyprian. tract. de Mortalitate: *Ad omnia*, inquit, *te paratum facere timor Dei, et fides debet. Sit licet rei familiaris amissio, sit de infestantibus morbis assidua membrorum, et cruenta vexatio; sit de uxore et liberis tristis avulsio: non sint tibi scandala ista, sed prælia; nec debilitent aut frangant Christiani fi-*

dem, sed potius ostendant in colluctatione virtutem; cum contemnenda sit omnis injuria malorum præsentium, fiducia bonorum futurorum. Nisi præcesserit pugna, non potest esse victoria: cum fuerit in congressione pugnæ victoria, tunc datur vincentibus corona. Gubernator in tempestate dignoscitur, in acie miles probatur. Arbor quæ alta radice fundata est, ventis incumbentibus non movetur. Sic et Apostolus Paulus post naufragia, post flagella, post carnis et corporis multa et gravia tormenta, non vexari, sed emendari se dicit adversis; ut dum gravius affligitur, verius probaretur. Idem l. 4. epist. 6. ad Thibaritanos : *Gaudere nos*, inquit, *et exultare voluit in persecutionibus Dominus; quia quando persecutiones fiunt, tunc dantur coronæ fidei, tunc probantur milites Dei, tunc Martyribus patent cœli.* Et inferius : *Hoc enim est robur virtutis et fidei credere et scire quod Deus à morte præsente liberare possit, et tamen mortem non timere, nec cedere, ut probari fortius fides possit.* Idem lib. 1. epist. 3. ad Cornelium : *Manere*, inquit, *apud nos debet, frater charissime, fidei robur immobile, et stabilis atque inconcussa virtus contra omnes incursus atque impetus oblatrantium fluctuum, velut petræ objacentis fortitudine et mole debet obsistere.*

Quinto, Paulus habuit fidem miraculorum, qua plurima supra naturam, omnemque vim creatam angelorum et dæmonum, miracula patravit, ac mortuos suscitavit, adeo *ut super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur,* ait Lucas Act. 19. 12. Unde S. Aug. l. Quæst. novi Testamenti q. 42. docet Apostolos tripliciter recepisse Spiritum sanctum. Primo, ut fideles, per gratiam sanctificantem; Secundo, ut Episcopos, ad conferendum aliis Spiritum sanctum in Sacramento Confirmationis et Ordinis; Tertio, ut thaumaturgos; *in signis ac miraculis faciendis ad fidei incrementum. Semina enim sunt fidei, virtutes per Apostolos factæ.*

Quarta virtus fuit, Invicta in Deum spes et confidentia.

Primo, Paulus in spem contra spem credidit et speravit, dum supra vires humanas, supra naturam multa conatus est, Deique invocatione et ope perfecit. Nam ut ipse ait Rom. 8. 24. *Spes quæ videtur, non est spes. Nam quod videt quis, quid sperat?* Et v. 26. *Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

Secundo, Paulus hac spe superavit omnia naturæ non tantum difficilia, sed et impossibilia. Nam ut ipse ait Rom. 8. 31. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* De talibus vere S. Bernard. serm. 32. in Cant. *Magna*, ait, *audent, quoniam magni sunt; et quæ audent, obtinent. Magna siquidem fides magna meretur, et quatenus in bonis Domini fiduciæ pedem porrexeris, eatenus possidebis. Istiusmodi magnis spiritibus magnus occurrit sponsus, et magnificabit facere cum eis.* Idem serm. 3. de Annuntiat. Dom. *Sola*, ait, *spes apud te* (Domine) *miserationis obtinet locum, nec oleum misericordiæ, nisi in vase fiduciæ ponis.*

Tertio, Paulus hac spe gloriabatur in persecutionibus : *Gloriamur*, inquit, *in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem : spes autem non confundit*, Rom. 5. 3.

Quarto, Paulus non tantum sibi, sed et suis fidelibus in quibusvis afflictionibus speravit, et sperando obtinuit Dei opem, robur et victoriam. Hanc enim spem afflans Corinthiis ep. 2. c. 1. 6. *Quæ*, inquit, *operatur tolerantiam earumdem passionum, quas et nos patimur, ut spes nostra firma sit pro vobis, scientes quod sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis.* Præclare S. Cyprian. de Exhortat. Martyr. *In persecutionibus*, ait, *nemo cogitet, quod periculum diabolus importet, sed consideret quod auxilium Deus importet; nec mentem labefactet humana infestatio, sed corroboret fidem divina protectio; quando unusquisque secundum divina promissa, et fidei suæ merita, tantum accipiat de Dei ope, quantum sic credat accipere; nec sic quod omnipotens præstare non possit, nisi accipientis fides caduca defecerit.*

Quinto, Paulus continua experientia opis divinæ edoctus, securus erat in qualibet difficultate, de prospero rei exitu et eventu. *Ipsi*, inquit, *in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit et eruit : in quem speramus, quoniam et adhuc eripiet*, 2. Cor. 1. 9. Paulum secutus S. Cyprianus scribens ad Demetrianum judicem, et Christianorum hostem : *Viget*, ait, *apud nos spei robur, et firmitas fidei, et inter ipsas sæculi labentis ruinas erecta mens est, et immobilis virtus, et nunquam non læta patientia, et de Deo suo semper anima secura, sicut per Prophetam Spiritus sanctus loquitur et hortatur, spei ac fidei nostræ firmitatem cœlesti voce corroborans : Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo salutari meo. Exultant semper in Domino Christiani et lætantur et gaudent in Deo suo, et mala atque adversa mundi fortiter tolerant, dum dona et prospera futura prospectant.* Ita fecerunt Sancti, ut Job c. 13. 15. *Etiamsi*, inquit, *occiderit me, in ipso sperabo.* Jeremias c. 17. 7. *Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus.* Et Thren. 3. 24. *Pars mea Dominus, dixit anima mea : propterea exspectabo eum. Bonus est Dominus sperantibus in illum, animæ quærenti illum.* Vide Paulum de hac spei, quasi anchoræ, fortitudine disserentem Hebr. 6. 17. et cap. 10. 23. et 35. et sequent. Vere Psaltes psalm. 31. 10. *Sperantem in Domino misericordia circumdabit* Et S. Aug. in psal. 3. *Vita vere mortalis, spes est vitæ immortalis.* Et S. Bernard. serm. 9. in psalm. *Qui habitat. Si insurgant adversum me prælia, si sæviat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro adversus spiritum concupiscat, in te ego sperabo.*

Sexto, Paulus hac spe audacter insiliit in quævis vitæ discrimina. Ita in tumultu Ephesino contra se concitato, insilire voluit in theatrum, cum tamen sciret se unum caputque suum peti, Actor. 19. 30. Ita profectus est Hierosolymam, Prophetis ubique prædicentibus, eum ibi fore vinciendum : quibus ipse respondit : *Quid facitis flentes, et affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed et mori paratus sum propter nomen Domini Jesu*, Actor. 21. 13. Quocirca hac spe omnia sua et suorum pericula superavit. Unde in naufragio apparuit ei angelus, spondens non tantum ipsi, sed et omnibus vectoribus propter ipsum liberationem et salutem : *Ne timeas*, inquit, *Paule, Cæsari te oportet assistere : et ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum*, Actor. 27. 23.

Septimo, Paulus certa spe præcipiebat gloriam et coronam cœlestem : *Scio enim*, inquit, *cui credidi et certus sum, quia potens est depositum*

meum servare in illum diem, 2. Timoth. 1. 12. Et c. 4. 7. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.*

Quinta fuit, Eximius Dei Christique amor.

Primo, Paulus ardebat amore Dei et Christi : unde aiebat Rom. 5. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Præclare Origen. hom. 2. in Cant. interprete S. Hieron. tom. 3. *Vulnerata charitate ego sum. Quam pulchrum est, quam decorum à charitate vulnus accipere! Alius jaculum carnei amoris excipit, alius terreno cupidine vulneratus est; tu nuda membra tua, et præbe te jaculo electo, jaculo formoso : siquidem Deus sagittarius est. Posuit me, inquit, ut sagittam electam. Quam beatum est hoc jaculo vulnerari!*

Secundo, Paulus optabat mori, ut suo Christo frueretur : *Coarctor*, inquit, *è duobus desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo*, Philip. 1. 23. Et : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Rom. 7. 24. Paulus ergo erat columba gemens et suspirans in cœlum, teste S. Aug. in ps. 54. dicebat cum Sponsa : *Fulcite me floribus, stipate me malis; quia amore langueo*, Cant. 2. 5.

Tertio, Paulus provocabat hostes, ærumnas, pericula, diabolos, totumque infernum et mundum, quasi ad duellum pro amore Christi : *Quis*, ait, *nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut scriptum est. Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro*, Rom. 8. 35.

Quarto, ex tam incenso Dei amore manabat ardens amor in proximos, adeo ut totum orbem ad Christum convertere satageret, de quo plura inferius. Vere S. Hieron. epist. 14. ad Celantiam, *Grandem*, inquit, *vim obtinet vera dilectio : et qui perfecte amatur, totam sibi amantis vindicat voluntatem. Nihil est imperiosius charitate. Nos si vere Christum diligimus, si ejus nos redemptos sanguine recordamur, nihil magis velle, nihil omnino debemus agere, quam quod illum velle cognoscimus.*

Quinto Paulus adeo Christum amabat, ut in eum transformatus videretur. Amoris enim effectus, imo apex, est intima unio, excessus, raptusque in amatum : anima enim magis est ubi amat, quam ubi animat. Hoc sonant illæ Pauli voces : *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.* Philip. 1. 21. *Christo confixus sum cruci. Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Galat. 2. 20. Et c. 6. 14. *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Et v. 7. *De cætero nemo mihi molestus sit : Ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.* Christus ergo videbatur esse mens, anima, vita, et spiritus S. Pauli, qui per eum loquebatur, operabatur, patiebatur. *An*, inquit, *experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* 2. Corinth. 13. 3. Hinc S. Hieron. Pammachio hanc vitæ et amoris normam præscribit : *Christus omnia, ut qui omnia propter Christum dimiserit, unum inveniat pro omnibus, et libera possit voce proclamare : Pars mea Dominus.* Denique Paulus Christo confixus cruci, clavis non ferri, sed amoris, in ipso vivebat vitam amatoriam, ut ait S. Dionys. cap. 4. de Divin. nomin. quia Christus in eo vivebat tanquam principium, regula et finis omnium ejus cogitationum, desideriorum, sermonum et operum. Et hoc est quod ait : *Mihi vivere Christus est.* q. d. Vita mea est Christus, cogitatio mea est Christus, desiderium meum est Christus; amor meus est Christus; meum velle, meum loqui, meum operari est Christus; aliud non volo, aliud non sapio, aliud non ago, aliud non cogito et loquor quam Christum.

Sexto, Paulus et Apostoli quasi amore Dei ebrii, eum ubique eructabant celebrantes magnalia Dei, Actor. 2. 13. vide ibi dicta : *Sive enim*, inquit, *mente excedimus, Deo : sive sobrii sumus, vobis. Charitas enim Christi urget nos*, etc., *ut et qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.* 2. Cor. 5. 13. Hinc passim eum afflat aliisque afflat : *Implemini*, inquit, *Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini Jesu Christi, Deo et Patri*, Ephes. 5. 19.

Septimo, nomen Jesu erat Paulo in deliciis, ac mel in ore, melos in aure, jubilus in corde. Unde illud in paucis suis parvisque epistolis iterat ducenties decies novies, Christi vero quadringenties et semel. *Non est*, inquit Chrysost. l. 3. de Sacerdotio, *qui Paulo vehementius Christum dilexerit; nemo qui apud Deum gratiosior quam Paulus fuerit.* Hinc vicissim Jesus eum ita suis consolationibus mulcebat, ut voluptates carnis et mundi sperneret, imo detestaretur ut stercora. Dicebat ergo cum Sponsa : *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.* Cant. 5. Et : *Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia donec aspiret dies, et inclinentur umbræ.* Sic legimus de S. Ephrem, eum ita abundasse dulcedine divina, ut exclamaret : *Contine Domine undas dulcedinis tuæ, quia sustinere non valeo.* Et S. Xav. Indorum Apost. : *Satis est Domine, satis est.* Et B. Aloisius Gonzaga. *Recede à me Domine.*

Sexta fuit, Profunda Dei reverentia et religio.

Primo, Paulus ubique Deum præ oculis habens, venerabatur, cogitans se in divino ejus conspectu angelorumque omnium versari, agere et loqui. *Spectaculum*, inquit, *facti sumus mundo, et angelis, et hominibus*, 1. Cor. 4. 9. Ita S. Bernardus cum Deo in nube versabatur et habitabat. Sic et S. Benedictus, qui proinde erectis in cœlum manibus moriens stetit, et ultimum spiritum inter verba orationis efflavit, ait S. Greg. l. 2. Dial. 37.

Secundo, Paulus profunda cordis corporisque demissione Deum colebat, et adorabat : *Habemus*, inquit, *gratiam, per quam serviamus placentes Deo cum metu, et reverentia. Etenim Deus noster ignis consumens est*, Hebr. 12. 28. Et : *Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiri-*

tum ejus in interiorem hominem, Ephes. 3. 14. Et: *Orabo spiritu, orabo et mente: psallam spiritu, psallam et mente*, 1. Cor. 14. 15.

Tertio, Paulus Deum crebro invocabat, et Christianorum orationes poscebat, ut Deus fidelium et infidelium, quibus prædicabat, mentes illuminaret. *Gratias*, inquit, *ago Deo meo, in omni memoria vestri, semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens*, Phil. 1. 3. Et: *De cætero fratres orate pro nobis, ut sermo Dei currat et clarificetur, sicut et apud vos, et ut liberemur ab importunis et malis hominibus*, 2. Thessal. 3. 1. Et: *Orationi instate*, etc. *orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi*, Colos. 4. v. 3. Idem scribit Ephesiis c. 6. v. 18. et 19.

Quarto, Paulus, ait S. Chrysost. hom. 1. de ejus laudibus, *Semetipsum Deo per singulos dies immolabat: quam hostiam dupliciter offerebat, cum quotidie moriens, tum corpori suo mortificationem sine intermissione circumferens. Nam et ad pericula jugiter parabatur, consummans voluntate martyrium; et naturam in se mortificando carnis, nihil minus quam immolatæ hostiæ Deo munus implebat, imo etiam multo amplius. Propter quod dicebat: Ego enim immolor, sanguinem utique suum immolationem vocans. Neque vero his tantum sacrificiis contentus fuit, sed quia seipsum consecraverat Deo, etiam orbem universum studuit offerre.*

Quinto, Paulus Deum, S. Trinitatem, ejusque opera et consilia obstupescit, et obmutescit: *O altitudo*, inquit, *divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula. Amen*, Rom. 11. 33. præsertim vero admiratur mysterium redemptionis, incarnationis, passionis et crucis Christi, ac vocationis Gentium et reprobationis Judæorum, illudque profunde scrutatur et magniloque circumscribit, vocans illud *mysterium temporibus æternis tacitum, quod nunc patefactum est per scripturas Prophetarum, secundum præceptum æternum Dei ad obeditionem fidei*, Roman. 16. 25. *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*, 1. Cor. 2. 9. Rursum idem vocat *investigabiles divitias Christi dispensationem sacramenti absconditi à sæculis in Deo, multiformem sapientiam Dei: ut possitis*, inquit, *comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei*, Ephes. 3. v. 8. et 18.

Septima virtus fuit, Plena voluntatis suæ cum divina conformitas et in eam resignatio.

Primo, Paulus per omnia se suosque conformabat voluntati divinæ: *Ut probetis*, inquit, *quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.* Roman. 12. 2. Hinc rectissimam in omnibus actionibus habebat intentionem, intendens per omnia soli Deo placere: unde hominum judicia, laudes et vituperia nihili faciebat; neque se ullius amore vel odio, blanditiis aut minis, à justo et recto abduci sinebat; sed ubique sincerus erat, rectus, constans, immobilis et imperturbabilis, quasi in Deo defixus, ideoque superior rebus universis, tam prosperis, quam adversis: *Mihi*, inquit, *pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die; sed neque meipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium: et tunc laus erit unicuique à Deo*, 1. Corinth. 4. 3. Hinc rursum Paulus in omnibus, sive adversis, sive prosperis Deo agebat gratias, Coloss. 3. 17. ejusque providentiam laudabat, dicens cum Psalte: *Benedicam Dominum in omni tempore.* Idem S. Hieron. præscribit Pammachio: *Sanus sum*, inquit, *gratias refero creatori: langueo, et in hoc laudo Domini voluntatem. Quando enim infirmor, tunc fortior sum, et virtus spiritus in carnis infirmitate perficitur.* Ita S. Servulus pauper et paralyticus, ait S. Gregor. 4. Dial. 14. *Studebat semper in dolore gratias agere, hymnis Deo et laudibus, diebus ac noctibus vacare.* Unde moriens suis psallentibus ait: *Tacete, nunquid non auditis quantæ resonent laudes in cælo?* quibus intendens animam Deo reddidit, cum mira quam spirabat odoris fragrantia.

Secundo, Paulus Dei voluntatem ubique executus est, quasi angelus terrestris. Unde cum angelis comparat S. Chrysost. hom. 1. de laud. S. Pauli: de iis enim scriptum est psalm. 103. 4. et Hebr. 1. 7. *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis.* Et psalm. 102. 20. *Potentes virtute, facientes verbum illius.* Paulus enim præcepta Dei non tantum implevit, sed et superavit, addens consilia Evangelica; ut, quod sine sumptu gratis evangelizaret. *Quæ est*, inquit, *merces mea? Ut Evangelium prædicans, sine sumptu ponam Evangelium*, 1. Cor. 9. 18. *Paulus*, inquit Chrysost. hom. 1. de laud. S. Pauli, *velut ignis ac spiritus totum terrarum percurrit orbem, percurrendoque purgavit. Et hoc omnino mirabile: quia talis versabatur in terris, et mortali adhuc carne circumdatus cum incorporalium potestatum virtute certabat. Quanta ergo sumus condemnatione digni, cum uno homine bona omnia in se congregante, ne minimam quidem eorum partem studeamus imitari? Hæc assidue mente volventes, et nos ipsos inculpabiles præbeamus, et ad illius zelum studeamus accedere, ut ad eadem bona pervenire mereamur.*

Tertio, Paulus in omnibus faciebat id quod perfectius est, et Deo gratius. Id se facturam vovit B. Theresia, multo magis Paulus. Hinc evangelizans laborabat manibus, ne cui esset oneri. Hinc vixit in perpetua paupertate, castitate, et obedientia instar Religiosi, imo quasi dux et patriarcha Religiosorum. De quo mox plura.

Quarto, Paulus mentem per orationem et contemplationem habebat conjunctam cum Deo, non tantum per diem, sed etiam per noctem. Unde Philippus in carcerem conjectus cum Sila, media nocte orans laudansque Deum, terræ motu carcerem concussit, ostiaque omnia reseravit, Actor. 16. 25. Ita S. Jacobus frater Domini, ut habet ejus Vita, callosa habebat genua, ex crebra longaque genuflexione in oratione. Ita S. Paula invitans S. Marcellam in Bethlehem, epist. 17. apud S. Hieron. *Ecce*, inquit, *in hoc parvo terræ foramine cælorum conditor natus est? Cum per Silo et Bethel ad nostram speluncam redierimus, canemus jugiter, crebro flebimus, inde*

sinceriter orabimus, et vulneratæ jaculo Salvatoris in commune dicemus : Inveni quem quæsivit anima mea, tenebo eum, et non dimittam illum. Et : Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.

Quinto, Paulus ingentem habebat zelum honoris divini propagandi : *Ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim*, inquit ipse, *Evangelium Christi*, Rom. 15. 19. Hoc zelo opposuit se S. Petro, suo et cæterorum Apostolorum principi, eumque libere coram omnibus redarguit, dicens : *Si tu cum Judæus sis, gentiliter vivis, et non judaice; quomodo Gentes cogis judaizare?* Galat. 2. 14. Quocirca vere Nazianz. orat. 25. *Nonne*, inquit, *Apostoli peregrini fuerunt? nonne multarum nationum atque urbium hospites? in quas divisi sunt, ut Evangelium quaquaversum curreret, ne quidquam triplicis luminis* (S. Trinitatis) *expers esset, ac veritatis luce minime perfusum, adeo ut iis etiam qui in tenebris et umbra mortis sedebant, ignorantiæ caligo discuteretur.*

CAPUT SECUNDUM.

DE MORIBUS ET VIRTUTIBUS S. PAULI CIRCA SEIPSUM.

Prima virtus, Patientia.

Primo, Paulus admirabilis, adamantinæ, et amplissimæ fuit patientiæ. Eam enim quasi fundamentum vitæ Apostolicæ in anima sua collocavit. Quocirca ipse perfectum virum Apostolicum depingens 2. Corinth. 6. 4. *In omnibus*, ait, *exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate : in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ à dextris et à sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam : ut seductores, et veraces : sicut qui ignoti, et cogniti : quasi morientes, et ecce vivimus : ut castigati, et non mortificati : quasi tristes, semper autem gaudentes : sicut egentes, multos autem locupletantes : tanquam nihil habentes, et omnia possidentes.* Unde S. Hieron. ad Nepotianum : *Per bonam famam*, inquit, *et malam, à dextris et à sinistris Christi miles graditur, nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur : non divitiis tumet, non contrahitur paupertate : et læta contemnit et tristia : per diem sol non urit eum, neque luna per noctem.* Talis exemplo Pauli fuit S. Athanasius qui per 46. annos toto orbe fugitans, Arrianorum persecutiones invicto animi robore sustinuit, cui proinde merito hoc dat elogium S. Gregor. Nazianz. orat. 20. *Athanasius fuit percutientibus adamas, diffidentibus magnes.*

Secundo, Paulus hanc patientiam per totam vitam ubilibet exercuit, et exercendo quasi in immensum auxit. Quocirca S. Chrysost. hom. 1. de laud. S. Pauli, eum præfert S. Job : *Qui*, inquit, *est athleta mirabilis, et qui Paulum ipsum velut ex adverso possit aspicere, ob patientiam puritatemque vitæ, ob testimonium Dei propter illam cum diabolo fortissimam pugnam, propter victoriam quæ pugnam secuta est : at Paulus non mensibus tantum, sed annis plurimis in agone perdurans, tam clarus emicuit, non terræ gleba saniem carnis eradens, sed in ipsius intelligibilis os leonis frequenter incurrens, et pugnans adversus tentationes innumeras, omni erat lapide tolerantior : qui non à tribus aut quatuor amicis, sed à cunctis infidelibus, à falsis etiam fratribus opprobria sustinebat, consputatus ab omnibus atque maledictus.* Et post pauca : *Sed vermes et vulnera sævos ac intolerabiles S. Job dolores inferebant : et ego fateor. Verum si per tam multos annos Pauli verbera, et cum jugi fame etiam nuditatem, catenas, carcerem, insidias, periculaque consideres, quæ à domesticis, ab extraneis; à tyrannis, à toto postremo patiebatur orbe : addas etiam his profecto amariora, id est, pro eis qui lubebantur, dolores, sollicitudinem quam pro Ecclesiis, ustionem quam pro scandalizatis singulis perferebat, videbis quam erat omni saxo durior anima ista perpetiens et ferrum atque adamantem superans.*

Tertio, tres sunt gradus patientiæ, Primus, pati, patienter; Secundus, libenter; Tertius, exultanter, in eoque gloriari, ac passiones et persecutiones ambire. His omnibus excelluit Paulus : gloriabatur enim in tribulationibus, Rom. 5. 3. in iisque Deo gratias agebat. S. Franciscus Xaverius in acerrimis persecutionibus et tribulationibus, ita consolationibus divinis exuberabat, ut eas non capiens diceret : *Satis est Domine, satis est;* de laboribus vero et persecutionibus diceret, posceretque : *Amplius Domine, amplius. Non me liberes hac cruce, nisi graviorem immittas.* Ita habet ejus vita, et Acta canonizationis. Hoc didicerat, hoc hauserat à S. Paulo, et S. Jacobo, qui ait c. 1. 2. *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet.* Ita Paulus in vinculis exultat : *Ego*, inquit, *vinctus in Domino*, Ephes. 3. 1. hocque titulo magis gloriatur quam diademate coronatus, ait Chrysost, Vide ibi dicta. Hinc et S. Petrus ep. 1. c. 4. 13. *Communicantes*, inquit, *Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.*

Quarto, Paulus à Deo electus Apostolus, simul auctoratus fuit dux passionum et patientiæ, ut disceremus Apostoli insigne esse omnigenam patientiam : *Vas*, inquit, *electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus.* Causam subdit : *Ego enim ostendam illi, quanto oporteat eum pro nomine meo pati*, Actor. 9. 15. Vide ibi dicta. Hinc Paulus 1. Corinth. 4. 11. *Usque in hanc horam*, inquit, *et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris : maledicimur, et benedicimus : persecutionem patimur, et sustinemus : blasphemamur, et obsecramus.* Et epist. 2. c. 12. 12. *Signa*, ait, *Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, et prodigiis, et virtutibus.* Particulatim vero suos agones recensens, in iisque quasi trophæis triumphans c. 11. 23. *In laboribus*, inquit, *plurimis in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte et die in profundo maris fui, in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus : in labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate : præter illa quæ*

extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum, etc.

Quinto, Paulus mira patientia sustinuit suos æmulos, invidos, detractores, calumniatores. Vide 2. Cor. c. 10. et 11. Et Philip. 1. 17. *Quidam*, inquit, *ex contentione Christum annunciant, non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Quid enim : dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur, et hoc gaudeo, sed et gaudebo*, etc., *quia in nullo confundar, sed in omni fiducia sicut semper et nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem.* Et : *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur : aporiamur, sed non destituimur : persecutionem patimur, sed non derelinquimur : dejicimur, sed non perimus*, 2. Cor. 4. 8. Vere S. Greg. hom. 35. in Evang. *Patientia*, ait, *est martyrium occulta cogitatione.*

Sexto, Paulus plurimas non tantum infirmitates et angustias corporis, sed et animi, adeoque graves, et continuas carnis tentationes heroice sustinuit et superavit : *Ne magnitudo*, inquit, *revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet à me, et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea : nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Cum enim infirmor, tunc potens sum*, 2. Corint. 12. 7.

Secunda virtus, pœnitentia et jugis mortificatio.

Primo, Paulus suum infidelitatis, et persecutionis Christianorum peccatum, licet ex ignorantia commissum, jugiter deflevit, et publice sæpe confessus est magno doloris sensu, quem suis scriptis ad omnes posteros omniaque sæcula transmisit. *Ego*, inquit, *sum minimus Apostolorum : qui non sum dignus vocari Apostolus quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei*, 1. 1. Corinth. 15. 9. Et : *Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus (non tempore, sed malignitate,* ait S. August. in titul. psalm. 70.) *ego sum : sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui crediturі sunt illi in vitam æternam.* 1. Timoth. 1. 15. Sic S. Petrus singulis noctibus ad galli cantum procidens in genua petensque veniam, deflebat peccatum negationis Christi uberrimis lacrymis, adeo ut oculi jugiter ruberent, quasi sanguine respersi, et in genis canalis, lacrymis quasi excavatus appareret, uti testatur oculatus testis, ejusque discipulus S. Clemens, et ex eo Nicephor. l. 2. c. 37. Sic S. Hieron. epist. 5. ad Florentium : *Ego*, inquit, *cunctis peccatorum sordibus inquinatus, diebus ac noctibus opperior cum tremore reddere novissimum quadrantem : sed tamen quia Dominus solvit compeditos, et super humilem et trementem verba sua requiescit, forsitan et mihi in sepulchro scelerum meorum jacenti dicat : Hieronyme veni foras.*

Secundo, Paulus, ut pro hoc peccato satisfaceret, longe magis inhiavit propagationi fidei, quam prius ejus persecutioni studuerat, ideoque omnes homines, omnesque Gentes, immensis laboribus ad Christum traducere contendebat.

Tertio, Pauli vita non fuit aliud, quam continua patientia et pœnitentia, cui voluntarias pœnas à se sponte susceptas addidit : *Castigo*, inquit, *corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*, 1. Cor. 9. 27. Causam dat S. Hieron. ad Eustoch. de virgin. custod. *Magnis*, ait, *inimicorum circumdamur agminibus, hostium plena sunt omnia : caro fragilis, et cinis futura post modicum, pugnant sola cum pluribus, cum autem fuerit dissoluta et venerit princeps hujus mundi, et invenerit in ea nihil, tunc secura audies per Prophetam : Non timebis à timore nocturno.* Et inferius : *Si Apostolus post nuditatem, jejunia, fames carcerem, flagella, supplicia, exclamat : Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? tu te putas securam esse debere?*

Quarto, Paulus jugiter studuit omnigenæ mortificationi carnis, sensuum et affectuum. *Semper*, inquit, *mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis*, 2. Corinth. 4. 10. Causam duplicem subdit. Priorem v. 16. *Licet is qui foris est noster homo corrumpatur : tamen is qui intus est renovatur de die in diem.* Secundam v. 17. *Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, super modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt.*

Quinto, Paulus hanc mortificationem fidelibus commendat. *Qui*, inquit, *sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis*, Galat. 5. 24. *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini : si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*, Rom. 8. 13.

Tertia virtus, Humilitas.

Primo, Paulus se æstimabat et vocabat, non tantum minimum Apostolorum et Sanctorum omnium, Ephes. 3. 8. sed et peccatorum omnium primum et maximum. 1. Timoth. 1. 15. Hinc suis non mandat, sed supplicat : *Obsecro*, inquit, *vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine*, Ephes. 4. 1. Idem Rusticum docet S. Hieron. epist. 4. *Servias*, inquit, *fratribus, hospitum pedes laves, passus injuriam taceas, præpositum monasterii timeas ut dominum, diligas ut parentem. Credis tibi salutare quidquid illi præceperit, nec de majorum sententia judices, cujus officii est obedire et implere quæ jussa sunt, dicente Moyse : Audi Israel et tace.* Et inferius : *Ne ad scribendum cito prosilias, multo tempore disce quod docceas : ne credas laudatoribus tuis, imo irrisoribus autem ne libenter accommodes, qui cum te adultionibus foverint, et quodam modo impotem mentis effecerint, si subito respexeris, aut ciconiarum deprehendes post te colla curvari, aut manu auriculas agitari asini, aut æstuantem canis protendi linguam.*

Secundo, Paulus ima humilitate subjecit se non tantum Deo et angelis, sed et omnibus hominibus, eorum quasi servum et mancipium se efficiens. *Factus sum*, inquit, *infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem : omnibus omnia factus sum*, omnium infirmitates, animi angustias, op-

probria, verbera humiliter excepi et toleravi; *ut omnes facerem salvos*, 1. Corinth. 9. 22. Hinc esto esset Apostolus et Episcopus, subditos tamen non tam imperando, quam obsecrando et monstrando regit, docens magis exemplo quam verbo, juxta illud S. Petri epist. 1. c. 5. 2. *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum : neque turpis lucri gratia, sed voluntarie : neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Sapienter S. Hier. ad Paulinum : *Quantumcumque*, ait, *te dejeceris, Christo humilior non eris.* Et epist. 7. scribens de monasterio S. Paulæ in Bethleem : *Humilitatis inter omnes*, ait, *hic contentio est. Quicumque novissimus fuerit, hic primus reputatur.* Et in vita S. Paulæ : *Paula cum frequentibus Virginum choris cingeretur, et veste, et voce, et habitu, et incessu minima omnium erat.*

Tertio, Paulus nihil virtutis et tantorum meritorum sibi, sed totum Deo ejusque gratiæ asscripsit. *Gratia*, inquit, *Dei sum id quod sum*, 1. Corinth. 15. 10. et c. 4. 7. *Quis te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis.* Et c. 1. 26. *Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia elegit Deus et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* Præclare S. Hieron. ad Eustoch. de custodia virg. *Nolo*, inquit, *tibi superbiam venire de proposito sed timorem. Onusta incedis auro; latro tibi vitandus est : stadium est hæc vita mortalibus : hic contendimus, ut alibi coronemur. Nemo inter serpentes et scorpiones securus ingreditur. Et inebriatus est, inquit Dominus, gladius meus in cœlo, et tu pacem arbitraris in terra, quæ tribulos generat, et spinas quas serpens comedit?*

Quarto, Paulus in omnibus non suam, sed Christi gloriam quæsivit. *An quæro*, inquit, *hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem, ad* Galat. 1. 10. Et : *Loquimur non quasi hominibus placentes, sed Deo qui probat corda nostra*, etc., *nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis.* Idem docet Corinthios epist 1. 10. 31. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et Romanos : *Nemo*, ait, *nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur*, Rom. 14. 7. Vere Nazianz. epist. 43. vel juxta aliam editionem 30. ad Greg. Nyssenum, *Ingloriam* vocat *gloriam, et dæmonum pessimam ambitionem.* Gloriosa enim gloria, et angelorum optima, est humilitas, qua quis non suam, sed Dei gloriam quærit. Hæc est *legitima ambitio*, ut idem ait orat 33. animi nimirum morumque modestia et moderatio. Porro qualis et quanta debeat esse Apostoli et prædicatoris humilitas, aureis sententiis et documentis depingit S. Gregor. lib. 23. Moral. c. 1. in fine : *Sanctæ*, inquit, *Ecclesiæ prædicator in cunctis quæ dicit, solerti cura se inspicit : ne in eo quod recta prædicat, vitio se elationis extollat; ne vita à lingua discordet; ne pacem quam in Ecclesia annunciat, in seipso dum bene dicit, et male vivit, amittat. Sed studet summopere contra maledicos rumores adversantium, et defendere loquendo quod vivit, et ornare vivendo quod dicit. Nec in his omnibus suam, sed auctoris gloriam quærit : atque omnem sapientiæ gratiam, quam ut loqueretur accepit, non suis se æstimat meritis, sed eorum intercessionibus, pro quibus loquitur accepisse. Sicque dum se infra dejicit, superest; quia suæ nimirum magis mercedi proficit, eo quod bona quæ exercere prævalet, alienis meritis reddit. Indignum se omnibus judicat, etiam cum dignius cunctis vivat. Scit enim quod bona quæ innotescunt hominibus, sine periculo esse vix possunt. Et quamvis sapientem se esse sentiat, vellet tamen esse sapiens non videri, atque hoc sibi omnimodo quod loquendo proditur, pertimescit; et si liceat tacere appetit, dum esse multis tutius silentium cernit; eosque se feliciores putat, quos intra sanctam Ecclesiam locus inferior per silentium occultat : et tamen ut sanctam Ecclesiam defendat, quia ad loquendum vi charitatis impellitur, ex necessitate quidem officium locutionis suscipit, sed ex magno desiderio, otium taciturnitatis quærit. Hoc servat voto, illud exercet ministerio. Hanc autem dicendi formulam, arrogantes ignorant. Neque enim loquuntur quia causæ eveniunt, sed causas evenire appetunt ut loquantur. Quorum nunc Helia speciem signat, qui in locutione sua immensa se vitio elationis exaltat.*

Quinto, Paulus omnium etiam vilissimorum exactam gerebat curam : unde multis sermonibus servos et ancillas, quin et anus instruit, ad Titum 2. 1. et seq. Ephes. 6. 5. Coloss. 3. 22. imo propter Onesimum servum fugitivum, scripsit totam Epistolam ad ejus herum Philemonem, ut illum ei reconsiliet. Vide ibidem dicta in argumento. Ita S. Paulinus Nolæ Episcopus, se in servum pro filio viduæ redimendo Vandalis tradidit, eaque re meruit omnes cives suos è servitute, eadem liberare, cujus proinde humilitatem et charitatem celebrat S. August. S. Gregor. totaque Ecclesia, quasi vivum Christi, qui pro nobis ex Domino omnium factus est omnium servus, exemplum et speculum.

Sexto, Paulus palam prædicat sua peccata, scilicet quod fuerit infidelis, persecutor Ecclesiæ, et blasphemus : suasque infirmitates et tentationes, ut stimulum carnis, 2. Corint. 12. 7. et motus concupiscentiæ Roman. 7. 8. et sequent. occultat vero suas visiones, virtutes et charismata, nec nisi coactus illa prodit, uti raptum in tertium cœlum. *Factus sum*, inquit, *insipiens vos me coegistis*, 2. Cor. 12. 11. Eo utique major, quo minor esse cupiebat; eo celebrior, quo occultior : Deus enim ejus sapientiam, virtutes et magnitudinem toti mundo patefecit. Nimirum vera animi magnitudo est humilitas, qua quis magnitudinem suam abscondit instar Verbi incarnati, quod se in carne celavit, imo eamdem ignorat. Vera magnitudo est in magnis esse et exhibere se parvum, magna despicere, parva ambire; ut, esto sis egregius, nolis tamen esse singularis, sed sis velut unus è cæterorum grege, hic enim magnis omnibus major est et celsior. Vera magnitudo est, magna omnia Deo arrogare, non sibi; ac nihil magnum æstimare, nisi quod æternum est et immensum. Deum inquam, qui est ipsa rerum omnium immensa magnitudo et celsitudo. Hoc est quod monet Eccl. c. 3. 20. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.* Unde S. August. de Virginit. c. 31. *Mensura humilitatis*, inquit, *cuique ex mensura ipsius magnitudinis*

data est, cui est periculosa superbia, quæ amplius amplioribus insidiatur.

Quarta virtus, Magnanimitas et animi celsitudo.

Primo, Paulus uti in se rebusque suis fuit humillimus, ita in iis quæ ad Christum Deique gloriam pertinent, animo fuit erecto et celsissimo. Unde officium et apostolatum suum exaltat : *In quo,* inquit, *ego positus sum prædicator, et Apostolus, et doctor Gentium*, 2. Tim. 1. 11. Et : *Quandiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo,* Rom. 11. 13. Vide cap. 3. epist. 2. ad Corint. quo toto ministerium apostolatus, præ ministerio Mosis et Aaronis exaltat.

Secundo, Paulus honores, opes, gloriam, omniaque terræ bona pedibus calcabat. *Quæ mihi,* inquit Philip. 3. 7. *fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verum tamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi, propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora,* quæ et vilitate, et sordibus, et fœtore odiosa sunt. Ratio est, quia in cœlo mente habitans, celsior erat terra, omniaque terrena sub se despiciens, vilipendebat. Idem se relicto sæculo fecisse in monasterio scribit S. Gregor. l. 1. epist. 5. *Nihil,* inquit, *in hoc mundo appetens, nil pertimescens, videbar mihi in quodam rerum vertice stare, ita ut in me pene impletum crederem, quod pollicente Domino ex Propheta* (Isaia c. 58. 14.) *didicissem : Sustollam te super altitudines terræ. Super enim ipsam altitudinem terræ sustollitur, qui et ipsa, quæ alta et gloriosa præsentis videntur sæculi, per mentis despectum calcat. Et,* ut idem ait 31. Moral. c. 19. *altitudines terræ sunt lucra rerum, blandimenta subditorum, divitiarum abundantia, honor et sublimitas dignitatum, quæ quisquis per ima adhuc desideria incedit, eo ipso alta æstimat, quo magna putat. At si semel cor in cœlestibus figitur, mox quam abjecta sint cernitur, quæ alta videbantur.* Unde tales sunt aquilæ, de quibus Job c. 39. 27. *Nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum?* Sancti enim nidum suum habent in cœlo. dicuntque cum Paulo : *Nostra conversatio in cœlis est.* Nam, ut ait S. Chrysost. hom. 15. ad pop. Sicut si quis è summo altissimi montis vertice deorsum prospiciat, omnia ei pusilla videntur, ac non solum homines et arbores, sed etiam urbes integræ et magni exercitus formicarum instar super terram ire videntur ; sic qui animo erecto in superna, transcendens nubes, in cœlis consistit, ibique sedem figit, illi omnia humana, omnis potentia, gloria, opes, ita minuta et exigua apparent, ut ne digna quidem judicet, quibus hanc immortalis animi nobilitatem applicet. Hinc Primo, omnibus est admirationi ; Secundo, si quem habet inimicum, ab ejus telis et insidiis tutus est, utpote extra, imo supra omnem teli jactum positus; Tertio, inferiora ista, tanquam à se tanto intervallo remota, quædam vix videt, quædam ne videt quidem. Hinc

Tertio, Paulus quasi terra major, ejusque turbinibus celsior, jugiter in adversis, æque ac prosperis, summa animi pace et tranquillitate fruebatur. Quid enim in eum humana mutabilitas possit, qui omnibus quæ mutationi obnoxia sunt, relictis, omnes ejus aditus interclusit? Quocirca quasi supra ventorum flatus in Olympo positus, immobilis semper manens, omnibusque eventibus superior, jugi mentis serenitate gaudebat. Vere S. Cyprian. tract. de Orat. Domin. *Qui,* inquit, *renuntiavit jam sæculo, major est honoribus ejus et regno ; et ideo qui se Deo et Christo dedicat, non terrena, sed cælestia regna desiderat.* Et S. Gregor. l. 5. Moral. c. 34. *Magnus est,* ait, *qui æterna concupiscit.* Huc accedit S. Hieron. in Threnos l. 1. c. 3. *Is vere et non ex parte magnus est, qui et in eremo squalorem solitudinis, et in cœnobio infirmitates fratrum æquali magnanimitate sustentat.*

Quarto, Paulus libere prædicabat philosophis, regibus, tyrannis, quasi omnibus superior omniumque magister : quare intrepide eos monebat, arguebat, castigabat. Nam, ut ait S. Gregor. l. 7. Moral. 15. *Sancti velut in magni vertice montis siti, præsentis vitæ gaudia plene despiciunt, seque ipsos per spiritualem celsitudinem transcendentes, subjecta sibimet intus vident, quæcumque per carnalem gloriam foris tument. Unde et nullis contra virtutum potestatibus parcunt, sed quos attolli per elationem conspiciunt, per spiritus auctoritatem premunt.* Ita Paulus coram Felice præside animose disserens de justitia, castitate et futuro judicio, eumdem perculit et tremefecit, Actor. 24. 25. Ita in vinculis Christum, propter quem vinctus erat, audacter prædicabat Festo præsidi et judici, qui proinde exclamans, ait : *Insanis Paule, multæ litteræ te ad insaniam redigunt.* Cui Paulus : *Non insanio optime Feste, sed veritatis et sobrietatis verba loquor.* Et Agrippæ regi dicenti : *In modico suades me Christianum fieri ;* respondit : *Opto apud Deum et in modico et in magno, non tantum te, sed etiam omnes qui audiunt hodie fieri tales, et qualis et ego sum, exceptis vinculis his,* Actor. 26. v. 24. et 29. Sic Athenienses Sephos, et Areopagitas libere vocavit superstitiosos, Actor. 17. 22. Sic Actor. 16. 37. magistratus Philippenses per custodem Paulum carcere eximi jubentes, magnanime injustitiæ arguit, dicens : *Cæsos nos publice indemnatos homines Romanos, miserunt in carcerem, et nunc occulte nos ejiciunt? Non ita ; sed veniant, et ipsi nos ejiciant. Timueruntque audito quod Romani essent et venientes deprecati sunt eos.* Quanta Pauli celsitudo, qui judices sibi fecit supplices ? Ita ad Anamiam pontificem inique jubentem se percuti : *Percutiat,* inquit, *te Deus paries dealbate. Et tu sedens judicas me secundum legem, et contra leges jubes me percuti?* Actor. 23. 3. In repentinis enim et improvisis periculis maxime apparet fortitudinis habitus, ait Arist. 3. Ethic. 8.

Quinto eadem magnanimitate Paulus magis et dæmonibus erat formidabilis, eosque plactebat et expellebat. Ita Elymam magum avertentem Sergium Paulum proconsulem à fide, perculit, dicens : *O plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas? Et nunc ecce manus Domini super te, et eris cæcus,* Actor. 13. 10. Ita dæmonem Pythonem, licet se laudantem è puella expulit, Actor. 16. 18. Ita ejus sudaria fugabant spiritus immundos, Actor. 19. 12.

Sexto, Paulus hac animi celsitudine contempsit omnes Neronis et tyrannorum minas, vincula, eculeos, ignes, gladios, bestias et cruces. *Paulus occidi potest, superari non potest,* ait S. Gregor 31. Moral. 15. Aurea S. Chrysost. hom. 2. de laudibus S. Pauli, eum non tantum tyrannis et dæmonibus, sed et angelis superiorem facit. *Hujus rei studio,* inquit, *non tantum*

urbes, gentes, exercitus, provincias, pecunias, potestates velut arenam vilia reputavit; sed et pro Christi dulcedine non angelorum, non archangelorum admiratus est dignitatem, nec quidquam simile concupivit. Quod enim majus erat omnibus, Christi amore fruebatur: cum hoc beatiorem se cunctis putabat, sine hoc autem neque dominationum, neque principatuum socius esse cupiebat: sed cum hac dilectione magis esse extremus optabat, imo etiam ex numero punitorum, quam sine hac inter summos, et honore sublimari. Causam assignat, aitque : *Perfrui enim charitate Christi, hoc illi vita erat, hoc mundus, hoc angeli, hoc præsentia, hoc futura, hoc regnum, hoc promissio, hoc bona videbantur innumera. Præter hæc vero nihil in tristium parte ponebat. Horum enim quæ hic habentur nihil asperum, nihiletiam suave reputabat, sic despiciebat universa quæ cernimus, ut solet herba jam putrefacta contemni. Tyrannos vero ipsos, ac populos spirantes furorem, velut quosdam culices æstimabat: mortem vero, et cruciatus, et mille supplicia quasi ludum putabat esse puerorum, dummodo propter Christum aliquid sustineret. Tunc enim amplectebatur libenter, et decorabatur vinctus catena magis, quam diademate coronatus. Etenim coarctatus carcere habitabat cælum, ac libentius verbera excipiebat et vulnera, quam alii bravia diripiunt: dolores non minus quam præmia diligebat, cum ipsos utique dolores loco duceret præmiorum: propterea enim illos et gratiam nominabat.* Quocirca Paulus Romæ in primis vinculis, multos ex aula Neronis convertit, de quibus Philip. 4. 22. *Salutant*, inquit, *vos omnes Sancti, maxime qui de Cæsaris domo sunt :* è quibus plures martyrio laureati sunt, ut dixi in Chronotaxi anno Christi 67. In secundis vero vinculis pellicem Neronis convertit, et ab eo abstraxit, adeoque martyrii palmam tulit, ut dicam inferius.

Septimo, Paulus adeo fuit magnanimus, ut non fugeret, sed sciens et prudens ambiret et adiret certissima vitæ pericula, vincula, tormenta et martyria. Ita certus ex continuo Dei oraculo, se à Judæis vinciendum, et, ne Deus impediret, occidendum, si Hierosolymam pergeret, eo tamen intrepidus alacerque invitis suis sociis, cæterisque Christianis perrexit, dicens ; *Quid facitis flentes, et affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu*, Actor. 21. 13.

Rursum Paulus magnanime excussit pulverem pedum in faciem Judæorum, repellentium Evangelium Antiochiæ Pisidiæ, ut tam impia terra non solum se dispulveraret, sed et prorsus expulveraret, Actor. 13. 51.

Octavo, Paulus jubet Christianos omnes esse generosos et magnanimos, quasi qui duellum inituri sint cum diabolo, imo cum toto dæmonum exercitu, omnibusque inferni viribus. *Non est nobis*, inquit, *colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus : propterea accipite armaturam Dei.* Unde mox eis arma suggerit, et panopliam à capite ad talos, nimirum pro scuto fidem, pro galea spem, pro gladio verbum Dei, pro lorica justitiam, pro cingulo veritatem, pro ocreis præparationem ad Evangelium toto orbe circumferendum, Ephes. 6. v. 12. 13. 14. Hos Pauli animos induit noster Edmundus Campianus, nobilis fidei athleta, Angliæ Apostolus et Martyr, quando evidentia causæ, et fidei certitudine confisus, omnes in Anglia Calvini doctores provocavit ad disputationem : cujus provocationis rationes decem edens, eas concludit exhortando omnes, ut salvi esse velint, veritatem fulgentem oculis excipiant, illecebras Lutheranas despiciant. At quænam hæ? inquit : *Aurum, gloriæ, deliciæ Veneris : contemnite. Quid enim aliud ista sunt, nisi terrarum ilia, canorus aer, popina vermium, bella sterquilinia? spernite, Christus dives est, qui vos alet. Rex est, qui ornabit. Lautus est, qui satiabit. Speciosus est, qui felicitatum omnium cumulos largietur. Huic vos adscribite militanti, ut cum eo triumphos, vere doctissimi, vereque clarissimi reportetis.* Præclare enim Nazianz. orat. 25. *Magnis*, ait, *et excelsis viris patria una est superna Jerusalem, in quam conversionem nostram recondimus : omnibus genus unum, si inferiora hæc spectare velis, pulvis; si superiora, spiraculum illud cujus participes facti sumus, quodque conservare jubemur, et cum quo mihi ad tribunal sisti necesse est, ut divinitus inditæ nobilitatis imaginisque rationem reddam.*

Quinta virtus Paupertas Evangelica.

Primo, Paulus et Apostoli Christum pauperem pauperes secuti sunt : *egeni in terris, in cœlis divites, spiritales divitias credentibus largiebantur*, ait S. Ambros. in 2. Corinth. 6. Audierant enim à Christo Matt. 5. 3. *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Unde et eidem dixerunt Matth. 19, 27. *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Hoc votum potentissimi voverant*, ait S. August. Apostoli ergo fecerunt votum paupertatis, uti jam faciunt Religiosi, æque ac castitatis et obedientiæ, uti ostendam Actor 5. 2. Ipsi enim fuerunt vitæ religiosæ et perfectæ antitistes, parentes et choragi. Quin et S. Hieron. vitam Clericorum ita ex Apostolis pingit Nepotiano : *Clericus qui servit Ecclesiæ, interpretetur primo vocabulum suum, et nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος græce, sors latine appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte Domini sunt, vel quia ipse Dominus sors, id est pars ipsorum Clericorum est. Qui autem ipse pars Domini est, vel Domini partem habet, talem se exhibere debet, ut et ipse possideat Dominum, et possideatur à Domino*, non ab auro, alia vere creata.

Secundo, Paulus vixit in fame, siti, nuditate, fatigatione, 1. Corinth. 4. 11. et 2. Corinth. 11. 27. et Philip. 4. 12. *Scio*, inquit, *et humiliari* (inopiam pati) *scio et abundare* (*ubique et in omnibus instructus sum*) *et satiari, et esurire, et abundare, et penuriam pati : omnia possum in eo qui me confortat. Paulus*, inquit Chrysost. hom. 4. in epist. 2. ad Timoth. *homo erat, qui sæpe cum fame luctatus est, dormivitque incænatus, homo nudus, et cui vestitus ipse sæpe necessarius deerat. In frigore, inquit, et nuditate.* Vere S. Hieron. ad Heliodor. *Affatim*, inquit, *dives est, qui cum Christo pauper est.* Hinc S. Paulo in Bethlehem pauper cum Christo in votis habebat, ut mendicans moreretur, ut unum nummum filiæ (Eustochio) non derelinqueret, et in funere suo aliena sindone involveretur. Trini hujus voti plene facta est compos, itaque plene ut optarat ei, accidit. Ita S. Hier. in ejus Vita.

Tertio, Paulus exemplo Christi pedes obivit multas magnasque, provincias, uti ostendam

Actor. 20. 13. Apostolos ergo, imo Christum sequuntur, qui cum S. Francisco non in equis et curribus, sed pedibus evangelizando obeunt pagos et urbes. Romæ in templo S. Pauli, ostensa mihi est pars baculi S. Pauli, cui innixus Romam pedes ingressus dicitur. Idipsum Christus Apostolis ut facerent præscripsit Matth. 10. v. 10. et 14. Unde in regula S. Francisci, quæ Apostolicum vivendi modum exprimit, cap. 3. in Constit. Benedicti Papæ XII. sub gravissimis pœnis interdicitur, *ne quis obequitet, nisi gravis cogat necessitas, aut valetudo.* Idem Societatis nostræ Religiosis, qui Apostolorum more obeunt provincias, graviter ac serio commendat Congregatio 3. generalis can. 12. Sic S. Vincentius Fererius vir Apostolicus, qui evangelizando peragravit Italiam, Galliam, Angliam, Hiberniam, Hispaniam, etc., *iter non æquitando, sed propriis pedibus peregit, solo baculo, cui inniteretur, contentus: idque quindecim annis continuis fecit. Verum postea ex quadam ægritudine quæ ei supervenit in tibia, necessitate compulsus, habuit asinum, quo vehebatur,* ait auctor Vitæ ejus l. 2. c. 7.

Quarto, Paulus in tot tantisque Evangelii laboribus, noluit à fidelibus sumptus accipere, sed operatus est manibus suis scenofactoriam exercens, ut non tantum sibi, sed et suis omnibus victum pararet: quod sane admirabilem ejus paupertatem, charitatem et zelum liquido demonstrat: *Argentum,* inquit, *et aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis: quoniam ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ: omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes, oportet suscipere infirmos, et meminisse verbi Domini Jesu: quoniam ipse dixit, Beatius est magis dare quam accipere,* Actor. 20. 34. Paulum eminus imitatus est celebris ille Spiridion Trimithuntis Episcopus, qui pecuariam exercuit, de quo Ruffin. l. 10. c. 5. Sozom. l. 1. c. 11. Niceph. lib. 8. c. 42. Et Zenon Majumæ Episcopus, qui lanificium exercuit non paupertatis, sed humilitatis studio et exemplo, de quo Sozom. lib. 7. c. 27. et Niceph. lib. 12. c. 47. Unde et S. Hier. præfat. in Job, Nepotianum et Rusticum ad opus manuale provocat. Vide Isidor. Pelus. l. 1. epist. 470. ubi opus manuum probat exemplo Pittaci Mitylenæi regis, qui pistrinum versans, farinam et panem quo vesceretur sibi parabat. Quin et Concil. Cathag. IV. c. 50. 51. et 53. et Concil. Nannetense, atque ex iis can. 2. 3. 4. distinct. 91. præcipiunt, ut Clerici sibi victum vestitumque agricultura, aut honesto artificio comparent: quod intellige, cum sunt pauperes, nec Ecclesia eos alere potest. Ita olim: nunc enim decreto Concilii Trident. sess. 21. c. 2. et aliorum vetustiorum sanctum est, ut nemo ordinetur, nisi qui seipsum ex bonis vel propriis, vel Ecclesiæ alere potest.

Paulum hoc sæculo imitatus est P. Andreas Oviedo, qui è Societate nostra à Pontifice creatus Patriarcha Æthiopiæ, ibidem usque ad mortem vixit in tanta paupertate, ut propriis manibus aratrum duceret, sereretque fruges quas comederet: unde revocatus à Gregor. XIII. Pont. litteras ad eum dedit exaratas in marginibus, quas è Breviario suo præciderat, eo quod aliam ad scribendum chartam non haberet; quibus enixe obsecrabat Pontificem, ut permitteret se Ecclesiæ suæ, quam sibi desponderat, usque ad finem vitæ assistere. Visis hisce litteris illacrymatus est Gregorius, suamque illi benedictionem impertiit. Atque hujus paupertatis et constantiæ jam fructus videmus, nimirum Æthiopiæ Imperatorem, ejusque fratrem et proceres Ecclesiæ Romanæ reconciliatos, novum expetere Patriarcham, Episcopos et Religiosos, qui vastum illud imperium plane pleneque convertant. Porro S. Hieron. ad Rusticum epist. 4. *Facito,* inquit *aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum. Si Apostoli habentes potestatem de Evangelio vivere, laborabant manibus, ne quem gravarent, et aliis tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia, cur tu in tuos usus cessura non præpares? Vel fiscellam texe junco, vel canistrum lentis plecte viminibus: sarriatur humus, areolæ æquo limite dividantur. Apum fabricare alvearia. Texantur et lina capiendis piscibus. Scribantur libri, ut et manus operetur cibum, et animus lectione saturetur. In desideriis est omnis otiosus.*

Sexta, Sobrietas, et Castitas angelica.

Primo, Paulus in tanta paupertate necessario sobrie vixit. Sic enim videmus opifices, qui ex opere manuali vivunt, ut sibi suisque alimenta comparent, sobrie victitare. Sapienter S. Hieron. epist. ad Eustoch. de custod. virgin. ei hanc sobrietatis diætan præscribit: *Sit tibi moderatus cibus, et nunquam venter expletus. Plures quippe sunt, quæ cum vino sint sobriæ, ciborum largitate sunt ebriæ. Sint tibi quotidiana jejunia, et refectio satietatem fugiens: nihil prodest biduo triduoque transmisso vacuum portare ventrem, si pariter obruatur, si compensetur saturitate jejunium. Illico mens repleta torpescit, et irrigata humus spinas libidinum germinat.* Idem ad Paulin. epist. 13. *Sit vilis,* ait, *et vespertinus cibus: holera et legumina, interdumque pisciculos pro summis deliciis ducas. Qui Christum desiderat, et illo pane vescitur, non quærit magnopere de quam pretiosis cibis stercus conficiat, quidquid post gulam non sentitur, idem sit tibi quod panis et legumina.*

Secundo, Paulus crebro jejunabat, uti ipse asserit 2. Corinth. 11. 27. deliciis, vino et carne abstinebat. Nam, ut ait S. Hieron. ad Nepotianum: *Fortissimum jejunium est aqua et panis; sed quia gloriam non habet, et omnes pane et aqua vivimus, quasi publicum et commune, jejunium non putatur.* Idem ad Helidor. epist. 3. *Nepotianus,* inquit, *jejunia in aurigæ modum, pro lassitudine et viribus temperabat.* Idem ad Rusticum epist. 4. *Jejunia,* ait, *moderata sint, ne nimia debilitent stomachum, et majorem refectionem poscentia erumpant in cruditatem, quæ parens libidinum est. Modicus ac temperatus cibus et carni, et animæ utilis est.* Idem faciebant cæteri Apostoli, nisi ab aliis invitati, convivio interessent. Tunc enim ex præcepto Christi, omnibus quæ apponebantur vescebantur, tum urbanitatis causa, tum vitandæ singularitatis ergo, tum ne hospiti suo molesti essent. Id liquet exemplo Timothei cui scribit Paulus epist. 1. c. 5. *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates.* Idem patet ex voto Nazaræatus, quod fecit Paulus Actor. 21. 26, statimque postero die explevit: Nazaræi enim vino sicera et deliciis abstinebant. *Si esca,* inquit, *scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum,* 1. Corinth. 8. 13. Et:

Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum, Rom. 14. 21. Quod aliis consuluit Paulus, utique et sibi ipsi. Ita S. Petrus victitabat lupinis, teste S. Nazianz. orat. de cura pauperum. Ita S. Jacobum fratrem Domini carne, vino et sicera abstinuisse, pane et aqua vixisse, ex Eusebio l. 2. Historiæ c. 22. Niceph. et aliis scribit Baron. anno Christi 36. et alii in ejus vita. S. Mathæum carnibus abstinuisse asserit Clemens Alexandr. l. 2. Pædag. c. 1. Ratio est, quia Apostoli debebant dare exemplum sobrietatis, omnisque virtutis toti Ecclesiæ, omnibusque statibus et sæculis : erant enim ipsi dati mundo in exemplar sanctitatis, perfectionis ac vitæ cœlestis, ad quam omnes verbo, et magis exemplo incitare debebant. Ridicule enim satur hortabitur alios ad jejunium, deliciosus ad abstinentiam, incestus ad castitatem, vino madens ad aquæ potum. Ita S. Franciscus Xaverius Indorum Apostolus, vino et carne abstinebat nisi esset apud hospites, semelque in die tantum cibum sumebat, eumque vulgarem et modicum, ne pane quidem explens famem, ait Tursel. in ejus Vita l. 6. c. 7. Quin et S. August. Episcopus Hipponensis *mensæ usus est frugali et parcu, quæ inter olera et legumina etiam carnes aliquando, propter hospites, vel quosque infirmiores continebat*, ait Possidon. in ejus Vita c. 22.

Tertio, Paulus parvi erat somni, magnamque noctis partem vigilabat, tum orando, tum laborando, tum sollicite curando salutem omnium Ecclesiarum. Unde ipse ait, se vixisse in vigiliis multis, 2. Corinth. 11. 27. Pastoris enim propria virtus est vigilantia, qua gregi suo invigilet. Quare minus vera et plena videtur illa temporis et horarum distributio, quam nonnulli Paulo assignant, nimirum Glossa in Act. 9. v, 9. ex Beda (sed in Beda id non invenitur). *Tradunt quidam*, inquit, *quod ab hora quinta usque ad horam nonam et decimam disputationem protraheret Paulus, ita ut horas operi* (scenofactorio) *quinque, alias quinque doctrinæ, duas cibo et orationi daret.* Sed addit, *nulla hoc auctoritate firmari.* Et merito, ait Hugo, et Lorinus ibidem. Quid enim reliquis duodecim diei naturalis horis agebat? certum est enim non dormisse, sed post exiguum somnum orationi et operi se dedisse. Unde media nocte in carcere inventus est orans, Actor. 16. 25. Vere S. Hieron. ad Eustoch. *Sanctis*, ait, *ipse etiam somnus oratio est. Esto cicada noctium : psalle spiritu, psalle et mente, lava per noctes lectum tuum, lachrymis tuis stratum tuum riga.*

Quarto, Paulus castitate fuit angelica. Unde vixit cælebs, imo virgo per omnem vitam. Hinc fidelibus proponens consilium virginitatis et castitatis Evangelicæ : ait, *Volo*, (velim, optarim) *omnes vos esse sicut meipsum*, 1. Corinth. 7. v. 7. ita S. Ambros. ibidem, S. Hieron. contra Jovin. et alii passim. In hac castitate mire crevit per continuam luctam cum stimulo carnis, cum assidue comprimens et subjugans, 2. Cor. 12. 7. Hinc inter Juvenculas et matronas versabatur quasi angelus, easque non tantum ad fidem, sed et ad castitatem traducebat : uti à Nerone abstraxit pellices, persuadens eis castitatem, ideoque à Nerone occisus est, factus castitatis hostia, uti docet S. Chrysost.

Quinto, Paulus etsi haberet donum castitatis, in eaque æque ac in gratia esset à Deo confirmatus, tamen non tantum studiose vitabat tentationes et pericula, sed etiam carnem suam severe macerabat et austere castigabat. 1. Cor. 9. 27. Sine hoc enim difficile, et quasi impossibile est servare castitatem, uti asserebat S. Carolus Boromæus. Hinc noluit mulieres pias, quæ cum alerent, se comitari. *Nunquid*, inquit, *non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et cæteri Apostoli?* 1. Corinth. 9. v. 5. et 15. *Ego autem nullo horum usus sum.* Quin et S. Theclam ab ore Pauli pendentem, eumque sequi volentem prohibuit, eamque domum amandavit, uti habet S. Theclæ Vita. Idem fecit aliis; mox enim ut eas converterat, alio migrans, illas ibi relinquebat. Magnum enim et castitati et famæ periculum creatur ex crebra cum mulieribus, etiam piis et devotis, conversatione. Vide S. Cyprian. tract. de Singularitate Clericorum. Quocirca S. Franciscus Xaverius, licet vir esset cœlestis, *nunquam tamen cum femina ulla, nisi luce palam et adhibitis arbitris, de rebus utique necessariis collocutus est, ratus mulieres adiri minori emolumento quam periculo*, ait Tursel. in ejus Vita lib. 6. cap. 6. Quin et sanctus Hieron. Nepotiano Clerico ita præscribit : *Hospitiolum tuum aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant : omnes puellas et virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansites : nec in præterita castitate confidas. Nec sanctior Davide, nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quod paradisi colonum de possessione sua mulier ejecerit.* Idem ad Rusticum epist. 4. *Matrem*, ait, *ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant, et tacitum vivat sub pectore vulnus. Ancillas quæ illi in obsequio sunt, tibi scias esse in insidiis : quia quanto vilior earum conditio, tanto facilior est ruina. Et Joannes Baptista sanctam matrem habuit, pontificisque filius erat, et tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, ut in domo parentum cum periculo viveret castitatis, Vivebat in eremo, et oculis desiderantibus Christum, nihil aliud dignabatur aspicere. Vestis aspera, zona pelicea, cibus locustæ melque silvestre, omnia virtuti et continentiæ præparata. Quandiu in patria tua es, habeto cellulam pro paradiso : varia Scripturæ poma decerpe, his utere deliciis. Si scandalizat te oculus, pes, manus, projice ea. Nulli parcas, ut soli parcas animæ*, etc. *Vas electionis, in cujus ore Christus resonabat, macerat corpus suum et subjicit servituti, et tamen cernit naturalem carnis ardorem suæ repugnare sententiæ, ut quod non vult hoc agere compellatur, et quasi vim patiens vociferatur et dicit ; Miser ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus? Et tu te arbitraris absque lapsu et vulnere posse transire, nisi omni custodia servaveris cor tuum, et cum Salvatore dixeris : Mater mea et fratres mei hi sunt, qui faciunt voluntatem Patris mei? Crudelitas ista pietas est*, etc. *Mihi oppidum carcer, solitudo paradisus est.* Et inferius : *Volo ego te non habitare cum matre, ne oleum igni adjicias, et inter frequentiam puellarum per diem videas, quod nocte cogites.* Scribit de S. August. Possidonius in ejus Vita c. 26. *Feminarum*, inquit, *intra domum ejus nulla unquam conversata est, nulla mansit, nec germana quidem soror, quæ vidua Deo serviens multo tempore, usque in diem obitus sui præposita ancillarum Dei vixit : sed neque patrui sui filiæ, et fratris sui filiæ, quæ pariter Deo serviebant.* Et mox causam dans : *Ob hoc ergo*,

inquit, *dicebat, nunquam debere feminas cum servis Dei, etiam castissimis, in una manere domo, ne aliquod scandalum, vel offendiculum tali exemplo poneretur infirmioribus. Et si forte ab aliquibus feminis ut videretur, vel salutaretur rogabatur, nunquam sine clericis testibus ad eas intrabat, vel solus cum solis unquam est locutus, nisi secretorum aliquid interesset.*

Septima, Modestia, Gravitas et Comitas.

Primo, Paulus *gravitatem morum hilaritate frontis temperabat* (quod Nepotiano ad Heliod. scribit S. Hieron.) eratque vultu sereno et amœno, utpote indice animi sereni et amœni, eoque omnes ad se alliciebat. Vultum hunc ejus repræsentant Romæ imagines antiquæ, ac in primis illa S. Sylvestri Constantino Imper. per visum exhibita. Hinc Nicephorus lib. 2. c. 37. Paulum ita pingit : *Paulus*, inquit, *corpore erat parvo et contracto, et quasi incurvo, ac paulatim inflexo, facie candida, annosque plures præ se ferente, capite modico : oculis multa inerat gratia, supercilia deorsum vergebant : nasus pulchre inflexus, idemque longior, barba densior et satis promissa, eaque non minus quam capitis coma, canis respersa. Ambo autem Christi discipuli* (Petrus et Paulus) *cum inspicerentur, divinum quiddam præ se ferebant. Spiritu sancto et divina gratia ita referti, ut qui eos viderent fideles, ex aspectu solo arcanam quamdam et latentem conciperent gratiam, moresque et vitam una cum fide conformarent, et in melius converterent.* Hinc semper idem ei erat animus, idem vultus, mores per omnia similes. Secus faciunt leves et ficti, de quibus dicitur : *Intus Nero, foris Cato.* Et : *Prima Leo, postrema draco, media ipsa Chimæra*, ait S. Hieron. ad Rusticum.

Secundo, modestiam hanc fidelibus commendans, *Modestia*, ait, *vestra nota sit omnibus hominibus*, Philip. 4. 5. Et v. 8. *De cætero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ ; si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate.* Et c. 3. 17. *Imitatores mei estote fratres, et observate eos qui ita ambulant sicut habetis formam nostram.* Et 1. Corinth. 14. 40. *Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant.*

Tertio, Paulus in verbis mire fuit affabilis et gratiosus, in sermone jucundus, in conversatione benignus et blandus : *Facti*, inquit, *sumus sicut parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix fovcat filios suos. Ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras quoniam charissimi nobis facti estis*, 1. Thess. 2. 7.

Quarto, Paulus officiosus est in salutando, tam omnes in communi initio epistolarum, quam singulos nominatim in fine earumdem ; tum ut suam in eos comitatem ostendat : tum quia efficax est Sanctorum salutatio. Salutem enim quam apprecatur, suis meritis impetrat et præstat : uti B. Virgo salutans Elisabetham, eam cum fœtu sanctificavit. Et Baptistam Christi prodromum effecit, Lucæ 1. 44. Unde S. Chrys. in 2. Timoth. 1. *Sufficit*, ait, *sola Pauli salutatio gratia implere eum, qui ea salutatur.* Quin et Paulus vinctus ad Neronem missus, *salutavit Neronis pocillatorem et concubinam*, ait Chrysost., his hom. 54. Creditur illa fuisse Poppæa Sabina, quæ præ cæteris in deliciis à Nerone habebatur, inquit Baron., ac forte per eam Neronem sibi conciliavit, ut liber dimitteretur è primis Romæ vinculis.

Quinto, Paulus oculis, ore, opere, gestu, habitu, omnique actione et motu spirabat animi morumque compositionem, pietatem, devotionem, sanctitatem vitamque cœlestem. Paulus, ait Chrysost. hom. 1. de ejus laudibus, *semetipsum mundo crucifigens, non solum humanorum corporum pulchritudines, sed etiam omnia quæ videntur rebus clara atque decorata, ita cernebat, sicut nos favillam cineremque despicimus, qui quasi mortuus prorsus ad mortuum immobilis permanebat.* S. Franciscus animo et vultu in cœlum intentus non aliud vita et voce, habitu et gestu concionabatur, *quam ad cælum, ad cælum.* Audi S. Bonav. cap. 4. Vitæ ejusdem : *Evangelicus præco civitates circuibat et castella, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in virtute spiritus annuntians regnum Dei. Videbatur intuentibus homo alterius sæculi : quippe qui mente ac facie in cœlum semper intentus, omnes sursum trahere conaretur.* Et cap. 12. *Omnis ætas, omnisque sexus properabat virum novum mundo cælitus datum cernere et audire.* Sic et illi homonymus ac suppar noster S. Franciscus Xaverius, Indorum Apostolus, mente oculisque in superna defixus, non nisi paradisum cogitabat, spirabat, prædicabat, ac quasi homo cœlo lapsus, ad cœlum omnes traducere satagebat. Multo magis horum dux et princeps Paulus, in paradisum raptus cœlestes induerat mores, ac quasi angelus cœlo lapsus, ad homines in cœlum revocandos missus à Deo videbatur. Hinc cum Psalte admirando clamabat : *Filii hominum ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium? Quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Deorsum corpora, surrum sunt corda. Despice terrena, suspice cœlestia. *Quid enim mihi est in cælo, et à te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum?* Præclare S. Chrysost. in epist. 1 ad Timoth. homil. 2. *Hujusmodi*, ait, *tibi unguenta eme, quorum odor implere possit orbem. Talem fragrantiam Apostoli spirasse noscuntur. Odor enim, inquit, suavitatis sumus, aliis quidem in mortem, alii vero in vitam. Quid autem sibi hoc vult? Fertur nempe et sus fragrantia odoris suffocari. Non autem corpus Apostolorum tantum, sed et indumenta ipsa unguento spiritualis gratiæ plena erant. Ita enim Pauli indumenta suavissimum spirabant odorem ut etiam dæmones pellerent*, Act. 19. 12. *Quod folium, quam casiam, quam myrrham hujusmodi odor non suavitate et utilitate transcendit?*

Octava, Studium proficiendi.

Primo, Paulus, esto in virtutis culmine consisteret, tamen quotidie seipsum superare, et ad altiora conscendere satagebat. Hinc sibi persuadebat se esse imperfectum. *Non quod jam acceperim*, inquit, *aut perfectus sim : sequor autem si quo modo comprehendam, in quo et comprehensus sum à Christo Jesu. Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis in Christo Jesu ;* Philip. 3. 12. Sapienter S. Hieronymus ad Paulinum : *Nihil in te mediocre esse contentus sum ; totum summum, totum perfectum desidero.*

Secundo, Paulus quotidie augebat labores : hinc novas et novas semper regiones adibat, et Evangelizando obibat. Paulus, ait S. Chrysost. hom. 2. de ejus laud. *quotidie celsior assurgebat, majores ambiens agones, majora certamina, majora pericula, majora tormenta pro Christo; perinde ac flamma in sylvam immissa jugiter proserpit, donec totam sylvam subigat, et in immensum crescat incendium.*

Tertio, Paulus fideles in spiritu et virtute provehere et perficere studebat, omnesque ad sanctitatis incrementa incitabat. Unde Ephes. 4. 15. *Veritatem*, inquit, *facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.* Et v. 23. *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Modum crescendi præscribit Roman. 12. 11. *Sollicitudine* ait, *non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes, in tribulatione gaudentes, orationi instantes*, etc. Et S. Petrus epist. 2. c. 1. 10. *Fratres*, ait, *magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Paulus, ait S. August. serm. 11. in Evangel. secundum Matthæum, *homines deos vel angelos esse cupiebat.*

Quarto, Paulus curabat ut Episcopi, et pastores Ecclesiæ essent eximii in doctrina et virtute. Unde non nisi maxime idoneos promovebat, eos scilicet, qui maxime videbantur Christianos in re Christiana promoturi. Vide quot, quantaque hac de re præscribat Timotheo Episcopo Ephesino, epist. 1. toto c. 3. et Tito c. 1. v. 6. et seq. Ita S. Gregorius Thaumaturgus, Comanæ in Ponto, postpositis multis nobilibus et primariis, qui à variis proponebantur, Episcopum creavit Alexandrum Carbonarium, licet reluctantem, qui cum esset vir sapiens, studio latendi, ad carbones in urbem devehendos se abjecerat; eo quod nullus esset magis idoneus : qui proinde adeo præclare rexit istam Ecclesiam, ut pro ea sanguinem fuderit, eamque martyrio suo condecorarit. Testis est Gregor. Nyssenus in vita Thaumaturgi.

Quinto, Paulus, etsi haberet scientiam à Deo revelatam et infusam, tamen per otium sacris litteris et lectioni dabat operam. Unde vinctus in carcere à Nerone sibi à Timotheo suos afferri jubet libros et membranas, 2. Timoth. 4. 13. Et idem præscribit epist. 1. c. 4. 13. dicens : *Dum venio attende lectioni.* Et epist. 2. c. 2. 15. *Sollicite*, inquit, *cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis.* Si hæc faciebat Paulus, qui erat arca virtutum, et pelagus sapientiæ, spiritus et zeli, quid nos facere convenit. Ita Nepotianus, ait S. Hieron. in ejus Epitaphio ad Heliod. lectione assidua et meditatione diuturna *pectus suum bibliothecam fecerat Christi.*

Sexto; Paulus erat quasi homo igneus, (sic et cæteri Apostoli, ait Chrysost. hom. 4. in Acta, erant quasi homines ignei) et quasi flamma immissa in stipulas et silvam, quæ quotidie proserpens, in majus et majus semper crescebat incendium. Unde sicut ignis non timet multitudinem stipularum vel asperitatem, nec ab ea læditur, sed potius augetur, omniaque in se convertit; ita et Paulus nulla hominum hostiumque copia, nullis minis et persecutionibus terrebatur, aut lædebatur : sed hæc omnia erant fomenta ac flabra, quæ ignem hunc charitatis quotidie magis accendebant; ille enim omnia devorabat et in se convertebat, juxta illud Cant. 8. 6. *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio : lampades ejus lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruerunt illam.* Hinc et Christus constituens Petrum suum Vicarium, Episcopum, Pastorem et Apostolum totius orbis, ter rogavit : *Petre, amas me?* eoque respondente : *Domine, tu scis, quia amo te;* subjunxit : *Pasce oves meas;* ut significaret pastorem animarum quotidie crescere debere in amore, ut pariter crescat in pastura, adeoque mensuram amoris esse mensuram pasturæ. Vir ergo Apostolicus dum apostolatum init, et v. g. Indiam, Æthiopiam, Angliam, Hollandiam adit, sibi persuadeat, se jam prorsus alium esse debere ab eo qui fuit, ac ex Saulo fieri Paulum, ex animali spiritualem, ex terrestri cœlestem, ut sit quasi novus homo cœlo lapsus, veniens in novum orbem, qui amorem et ardorem divinum ore, vultu, gestu, oculis spiret, vibret et effulguret; idque magis semper et magis : ac proinde cum S. Xaverio quotidie, crebro ardentibus suspiriis invocet Spiritum sanctum, ejusque hymnum ardenter recitet, ut is eum magis magisque accendat et igniat.

Septimo, Paulus fidelibus quibusque quos ad Christum convertebat, inspirabat suum animarum zelum, etiam plebeiis et feminis. Unde singulos quasi faciebat Apostolos, ut singuli satagerent Christi gloriam et fidem propagare, ad eamque parentes, filios, cognatos, servos, ancillas, vicinos adducere. Atque hac ratione statim per urbes et oppida mire propagata est religio Christiana, granumque sinapi crevit in magnam arborem et segetem. Idem faciant viri Apostolici : sic enim non unius apostolatus, sed plurimorum habebunt laudem, fructum, meritum et gloriam. Alioqui unus solus parum efficiet.

CAPUT TERTIUM.

DE VIRTUTIBUS PAULI PROXIMUM SPECTANTIBUS.

Prima est, Indefessa Evangelii prædicatio.

Primo, Paulus non aliud prædicabat quam Jesum Christum et hunc crucifixum, 1. Corinth. 2. 2. Et Ephes. 3. 8. *Mihi*, ait, *omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, evangelizare in Gentibus investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti abscondita à sæculis in Deo, qui omnia creavit, ut innotescat principibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam, multiformis sapientiæ Dei secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro.*

Secundo; Paulus prædicabat non in humana sapientia et eloquentia, sed magna efficacia et zelo, *in ostensione spiritus et virtutis*, 1. Corinth. 2. v. 4. Nam, ut ipse ait c. 4. 20. *Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute.* Unde S. Hier. in Apologia ad Pammach. pro libris adversus Jovin. *Paulum*, inquit, *Apostolum proferam, quem quotiescumque lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua*, etc. *quocumque respexeris fulmina sunt.* Hinc prædicabat gratis : non enim quærebat lucrum, sed animas. Rursum intrepide, libere, sincere; fortiter, asseveranter, *Licet nos*, inquit, *aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*, Galat. 1. v. 8. Et 2. Timoth. 4. 1.

Testificor, ait, *coram Deo et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos per adventum ipsius et regnum ejus; prædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.*

Tertio, Paulus studiose catechizavit infideles et fideles, præsertim rudes et parvulos primi illius ævi Christiani, adeoque pleræque ejus conciones non fuerunt aliud quam catecheses. Docebat enim et confirmabat prima fidei rudimenta: *Facti*, ait, *sumus sicut parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos.* 1. Thessal. 2. 7. Et *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi.* 1. Corinth. 3. 1. Id primus sanxit et præstitit Christus: *Sinite*, inquit, *parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos: talium enim est regnum Dei*, Marci 10. 13. Id secutus S. Petrus optat omnes repuerascere epist. 1. c. 2. 2. *Deponentes*, ait, *omnem malitiam, et omnem dolum et simulationes, sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.* Nam, ut ait S. Hieron. epist. 12. ad Gaudentium, *ut aqua in areola digitum sequitur præcedentem, ita ætas mollis et tenera in utramque partem flexibilis est, et quocumque duxeris trahitur.* Sic olim, teste Eusebio l. 6. Histor. c. 3. 8. et 12. catechumenis instruendis in Alexandrina Ecclesia præfuerunt Pantenus, Clemens, Origenes, Heraclas; ac præcedenti sæculo Joan. Gerson Cancellarius Paris. qui pueros catechismum docebat, eorumque confessiones audiebat. Et S. Vincentius Ferrerius vir Apostolicus, de quo ita scribit Petrus Ranzanus in ejus Vita: *Neque tantum provectos erudiebat, sed etiam pueros certis ad se horis evocatos instituebat, docens eos cruce se signare, orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, fidei Symbolum, Deum colere, parentibus et proximis quibusque honorem habere, et debita officia persolvere.* Hi enim sunt Reipubl. seminarium, qui in viros civesque probos adolescent. Quocirca sanctus Ignatius fundator Societatis nostræ, cum primis patribus studiose catechesin exercuit, eamdemque omnibus Sociis impense commendavit. Vide Ribaden. lib. 3. Vitæ ejus c. 24. Unde S. Franciscus Xaverius apostolatus sui in India fundamenta jecit per catechesin rudium et puerorum, adeoque per pueros, parentes, famulos, ancillas convertit: quin et par eosdem miracula magna et multa patravit, uti narrat Tursellin. in ejus Vita lib. 2. c. 3. 6. et 7. Xaverium secutus est Gaspra Barzæus, Armuziam per pueros quasi convertit, ac inter alia fanum Saracenorum dejecit, uti refert Nicol. Trignatius in ejus Vita lib. 2. cap. 4. et 19. Ita Deus omnibus favet, et par parvos pueros et innocentes mira operatur.

Quarto, Paulus socio suæ prædicationis et peregrinationis plures allegit, ut Barnabam, Silam, Lucam, Titum, Timotheum, Clementem, etc., quos omnes quasi fratres, imo filios complectens, trajiciebat in viscera sua ac si eos unum faceret secum: et seipsum vicissim transmittebat in interiora eorum, quasi se faceret unum quid cum illis; ita ut in seipso omnes intueretur, et seipsum in omnibus, omnia illorum bona et mala, tanquam propria aspiciens. Unde fiebat id quod de Religiosis scribit Chrys. hom. 77. in Joannem, nimirum quod multi per charitatem sint unus ita ut per eamdem charitatis unionem singuli sint multi. *Unio*, inquit, *decem Religiosorum efficit, ut unus sit decem: nam unus est in omnibus decem, et omnes decem in uno. Quare unusquisque habet viginti manus, viginti oculos, et ita respirat et spirat per decem animas, tantam enim quisque curam gerit de altero, quantam de seipso. Idcoque oculi, manus, et pedes omnium decem, serviunt unicuique: nullus enim contentus est cura sui ipsius, sed etiam curam gerit reliquorum. Ac idcirco unus potest multa, quia potest sicut decem. Quod si unio est centum Religiosorum, unusquisque poterit quantum centum possunt.* Hæc Chrysost. Hoc symbolice significant sancta illa animalia Cherubica Ezech. 1. quæ erant numero quatuor, et tamen Ezech. 10. v. 15. et 20. vocantur unum animal: per unionem enim omnia quatuor erant unum, et ita quatuor erant in uno, ut unum quodque vicissim esset in quatuor, Unde et addit. cap. 1. 9. *Junctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum.* Paulus enim se solo non poterat omnia præstare. Per Titum ergo catechizabat, per Timotheum privatim hos illosve instruebat, per Silam alibi prædicabat, per Lucam scribebat, etc. Apostolatus ergo plures, et plurium conspirationem exigit. Id vidit S. Ignatius fundator Societatis nostræ, nimirum se solum parum posse in fide et pietate Christiana per totum mundum propaganda. Quocirca socios sibi adjunxit, et Societatem instituit, quæ toto orbe sparsa, per hanc unionem et gratiam Dei tanta præstat, quanta cum gaudio videmus et audimus. Sic S. Vincentius Ferrerius evangelizando obiens provincias, multos secum ducebat presbyteros, qui eum adjuvarent, et pœnitentium confessiones exciperent, ut habet ejus Vita. Porro Paulus fide et Ecclesia aliquo loco plantata, illico eidem aliquem ex sociis, et aut aliis dabat Episcopum, qui plantata à se rigaret et proveheret, Ita Ephesiis dedit Timotheum, Cretensibus Titum, Rheginis Stephanum, etc.

Quinto, Paulus adibat metropoles, ut Corinthum in Achaia, Ephesum in Asia, Athenas in Græcia, Philippos in Macedonia, Romam in Italia. His enim conversis reliquæ urbes et pagi eis subjecti facile convertuntur, quælibet enim suæ metropolis et principis fidem ac religionem sequitur. Ita S. Xaverius Meacum Japoniæ metropolim, indeque ad regem Sinarum contendit: eo enim converso totam Chinam et Japoniam, quæ Chinæ religionem sequitur, convertisset.

Sexto, Paulus prima ubique jaciebat fidei et Ecclesiæ fundamenta. *Sic*, inquit, *prædicavit Evangelium, hoc non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem; sed sicut scriptum est: quibus non est annunciatum de eo, videbunt; et qui non audierunt, intelligent*, Roman. 15. 20. Ipse ergo ubique ingenti animo et conatu, primus glaciem et aciem perfringebat: ipse primus aratrum fidei in novale gentilissimi, evulsis eorum vepribus et spinis, imittebat. Unde scribens Corinthiis epistol. 1. 4. 15. ait: *Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.* Hoc imitatus est noster Xaverius, de quo ita scribit P. Nicol. Trigautius libr. 1. de Vita Gasparis Barzæi c. 15. *Erat S. Xaverius ex iis imperatoribus, qui non modo nunquam plus militi suo imponebat, quam ipse sibi sumeret; sed qui ut apud Lucanum Cato, dicere suis posset: Pericula vestra prætentate meo. Solebat enim ipse aliis ad difficillima quæque vitam*

præmunire, et initia omnia quæ fere solent esse difficiliora, præfibare.

Septimo, Paulus raptus in paradisum, *illic arcana sacrorum disciplina à veritate initiabatur, atque illinc ad obediendum fidei in omnibus gentibus, vim sermonis accipiebat. Unde totius propemodum orbis terrarum pater exstitit*, ait Nyssenus in Laud. S. Basilii.

Octavo, Paulus prædicabat tum verbis, tum magis precibus, et vitæ exemplo. Unde ait : *Imitatores mei estote, et observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram*, Philipp. 3. 17. Notat solerter S. Barnard. serm. 2. de Resurrect. Christum dum Petro Pastori commendaret suas oves, ter ingeminare : *Pases oves meas.* Joan. 21. 15. ut significet eum tripliciter pascere debere, nimirum mente, lingua, manu. *Pasce*, inquit, *mente, pasce, ore, pasce opere. Pasce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione.* Idem epist. 201. *Pasce*, ait, *verbo, pasce exemplo, pasce sanctarum fructu orationum.* Hinc rursum ait Paulus : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi*, 1. Corinth. 11. 1. Hoc ex Paulo dicicit S. Basil. de quo præclare dixit Nazianz. in ejus Epitaphio : *Basilii oratio erat tonitru; quia vita erat fulgur.* Denique Paulus semper et ubique prædicabat, etiam in vinculis et martyrio, tum verbis, tum epistolis quarum plures et ardentiores scripsit è carcere. Porro S. Chrysost. lib. 4. de Sacerdotio in epistolis Pauli agnoscit. *Isocratis tersum lævorem, Demosthenis amplam sublimitatem, Thucydidis verendam majestatem, Platonis excellentem dignitatem.* Idem hom. 6. de pœnit. Paulum vocat *Christi rhetorem, mundi piscat orem, qui per quatuordecim epistolas veluti spiritualia retia, ad salutem captat.*

Secunda, Prudentia.

Primo, Paulus rerum occasiones prudenter captabat. Unde captus à Judæis, cum videret judices suos partim esse Pharisæos, partim Sadducæos, exclamavit se esse Pharisæum, et de resurrectione mortuorum judicari, itaque Pharisæos in suam partem attraxerit, qui eum contra Sadducæos tutati sunt, Act. 23. 6. Rursum Paulo prima sui erat cura : *Ne forte*, inquit, *cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*, 1. Corint. 9. 27. *Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Adde, sui cura et lanctitas est optima dispositio et via ad curandum et sanctificandum alios. Sic enim mater, quo majores et meliores cibos comedit, eo plus generat lactis quod infantibus impertiatur.

Secundo, Paulus, ait Chrysost. hom. 5. de ejus laud. *in verbis et actibus erat varius et multiplex, non mutando sententiam, nec alter factus ex altero; sed ipse quod erat semper manendo, eorum quæ dicta sunt usum pro causarum opportunitate variabat. Sic enim medicum videmus nunc urentem, nunc fovente m; nunc jejunium, nunc cibum indicentem : nunc aquam calidam, nunc frigidam propinantem : quia hoc ægri et ægritudinis variatio deposcit. Hinc Paulus nunc custodit legem, nunc despicit, nunc servat præsentem vitam, nunc contemnit; nunc postulat pecunias, nunc refutat, nunc circumcidit, nunc circumcisionem excludit.* Quocirca S. Greg. Nazianz. Paulum et Apostolos vocat ambi dextros. *Bonum ducem efficiunt labor in negotiis, industria in agendo, in providendo consilium, et celeritas in conficiendo*, ait Cicero. Talis per omnia fuit Paulus.

Tertio, Paulus prudenter se personis accommodabat, ut cum Judæis videretur Judæus, cum Gentilibus, Gentilis, cum infirmis infirmus : *Omnibus*, inquit, *omnia factus sum, ut omnes salvos facerem.* Idem egregie imitatus est S. Xaverius. Hinc prudenter uterque studit conciliare sibi principes et magistratus, laudando eorum officium et politiam quasi à Deo institutam, ac jubendo ut Christiani eis licet Ethnicis, obedientiam, honorem et tributum præstent, Rom. 13. 1. et seq. Hoc imitentur viri Apostolici, ac principes tam laicos, quam Ecclesiasticos sibi devinciant : illi enim eorum operas valde vel promovere, vel impedire possunt. Unde et S. Petrus epist. 1. c. 2. 13. *Subjecti*, inquit, *estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi Præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum : quia hæc est voluntas Dei.* Hac de causa Paulus impense orari jubet *pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus, in omni pietate et castitate*, 1. Timoth. 2. 2.

Quarto, Paulus eleemosinas pro pauperibus Christianis qui erant Hierosolymæ, per Timotheum et socios colligebat, ne quis suspicaretur eum pro se petere, aut aliquid in proprios usus convertere, 2. Corinth. 8. 20. Ita et S. Xaverius Gaspari Barzeo mandat, ut eleemosynas, sibi oblatas ad eleemosynarios amandet, multasque hujus rei causas et utilitates assignat, quas recenset Tursellinus in ejus Vita lib. 6. c. 12.

Quinto, Paulus prudentissimus erat morborum animi medicus; cuique enim congrua et propria exhibebat pharmaca, quæ ex eo hausit et accurate dispersit S. Gregor. tota 3. parte. Pastor. Ubi fuse docet, qua ratione et modo admonendi sint viri, qua feminæ; qua læti, qua tristes; qua subditi, qua Prælati; qua hebetes, qua sapientes; qua verecundi, qua impudentes; qua ægri, qua sani; qua pigri, qua præcipites; qua mansueti, qua iracundi, qua pertinaces, qua inconstantes; qua humiles, qua elati, etc. Idem parte 2. vivam veri Pastoris ideam ita depingit : *Sic necesse est cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, internorum curam in externorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam internorum sollicitudine non relinquens*, quæ deinde sigillatim ordine toto libro prosequitur.

Tertia Zelus.

Primo, Paulus charitate complexus est totum orbem, eumque studuit *Deo offerre*, ait S. Chrysost. homil. 1. de ejus laudibus, *qui terram videlicet ac mare, Græciam simulque Barbariam, omnemque prorsus quanta sub cælo est regionem, quasi volitans circumivit, non simplici labore, velut in vacuum itinera percurrens, sed peccatorum spinas pariter evellens, et verbum seminans ubique pietatis, fugans errores, veritatem reducens, ex hominibus angelos faciens; quinimo ipsos homines quasi ex dæmonibus in angelos provehens.* Hinc quasi fulgur, ut ait Chrysos. hom. 2. celerrime orbem pertransiit et subegit. Pinxit Apelles

Alexandrum Magnum fulgur manu tenentem, eo quod instar fulguris eum pervaserit et subjugarit. Unde et Alexander usurpare poterat illud Julii Cæsaris : *Veni, vidi, vici.* Paulus superavit Alexandrum, quia orbem subegit verbo, non ferro, Christo non Alexandro. Ita S. Chrysost. cujus verba recitabo Actor. 20. 16. Ex hoc zelo plus cæteris Apostolis laboravit, ut ipse ait 1. Corinth. 15. 10.

Secundo, cor Pauli ita magnum erat, latum et amplum, ut totus mundus ei videretur exiguus. Audi S. Chrysost. hom. 32. in epist. ad Rom. in Morali : *Cordis illius*, ait, *pulverem videre vellem : quod si quis totius orbis cor dixerit, et elementum primarium salutis nostræ, non erraverit. Cor istud adeo latum fuit, ut in se susceperit integras urbes, populos et gentes. Cor enim, inquit, meum dilatatum est sed ut latum fuerit, tamen sæpenumero occupavit et pressit illud quæ ipsum dilatabat dilectio. Ex multa quippe tribulatione, inquit, et anxietate cordis scripsit vobis. Et dissolutum etiam videre vellem cor istud, erga unumquemque pereuntium accensum et ignitum, secundo parturiens filiorum abortus, Deum videns hostiam factum cælis ipsis sublimius, orbe latius, radiis solaribus exilaratius, igne ferventius, adamante solidius, fluvios emittens (fluvii siquidem fluent ex ventre ejus inquit, aquæ vivæ) ubi erat fons exiliens, et rigans non terræ superficiem, sed animas hominum. Unde non solum fluvii, sed et fontes lacrymarum noctes atque dies emanarunt. Cor, inquam, quod novam vitam, non hanc nostram, vixit. Vivo enim, inquit, Jam non ego, vivit vero in me Christus. Cor itaque Christi, erat cor Pauli, tabulaque Spiritus sancti, atque charitatis volumen.*

Tertio, Paulus habebat zelum admirabilem animarum. Hic enim eum impulit ad tantos labores pro iis continue exantlandos, omniaque vitæ discrimina animose subeunda. *Æmulor*, inquit, *vos Dei æmulatione : despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo*, 2. Corinth. 11. 2. Zelo ergo videbatur esse angelus, imo Seraphinus. Nam, ut ait S. Ambr. in Psal. 118. serm. 18. *Angeli sine zelo, nihil sunt, et substantiæ suæ amittunt prærogativam, nisi eam zeli ardore sustentent.* Et paulo post : *Et quid miremur, si angeli eum habent? Ipse Deus Pater ait : Zelans zelabo Jerusalem zelo magno : quia Deus magnus, ideo et zelus magnus est; et pro uniuscujusque potentiæ qualitate, ita et zelus aut mediocris, aut magnus est. Zelo vindicatur Jerusalem, zelo Ecclesia congregatur, zelo fides acquiritur, zelo pudicitia possidetur. Dominus quoque Jesus ait : Zelus domus tuæ comedit me.* Et rursum, *Zelum habere debet sacerdos, qui incorruptam servare studet Ecclesiæ castitatem.* Ita Phinees sacerdos, zelo suo occidens principem idololatrantem, idololatriam compescuit, indignationem Dei et vindictam sedavit; meruitque pontificatum perpetuum, Num. 25. v. 11. Pergit Ambros. *Bonus zelus et utilis in sacerdote, præcipue ne negligens, ne remissus sit (unde vulgo dicitur : Qui non zelat, non amat) Zelus Dei vita est. Zelum habuit Elias, et ideo raptus ad cœlum est. Zelans, inquit, zelavi pro Domino Deo exercituum*, 3. Reg. 19. v. 10. *Zelum habuit Mathatias, qui adversus sacrilegia Antiochi excitavit plebem ad resistendum.* 1. Mach. 2. 27.

Quarto, Paulus zelum exercuit in idola, dæmones, vitia et vitiosos; illa extirpando, hos corrigendo, secutus Christum, qui ait Lucæ 22. 49. *Ignem veni mittere in terram et quid volo nisi ut accendatur?* et Psaltem, qui ait psalm. 118. 139. *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Unde S. Ambros. loco jam citato : *Zelum qui habent*, inquit, *omnes sibi inimicos suos putant, qui sunt hostes Dei, quamvis patrem, fratres, socios. Omnibus dicit : In hostes facti sunt mihi; sicut David ait.* Et S. Greg. 2. p. Pastor c. 6. *Sit rector*, inquit, *per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, ut et bonis in nullo se præferat, et cum pravorum culpa exigit, potestatem sui protinus prioratus agnoscat, ut erga perversos jura rectitudinis exercere non formidet.* Sic Paulus jubet Tito c. 1. 13. ut duros dure increpet.

Quinto, Pauli quasi hominis ignei, sermo pariter erat igneus, instar Eliæ, de quo dicitur : *Surrexit Elias Propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat*, Eccli. 48. 1. Unde et curru igneo raptus est in cœlum : Nam, ut ait Psaltes psal. 118. 140. *Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud. Hoc igne*, ait S. Ambros. ibidem, *Apostolicum illud aurum probatur. Hoc igne calefactus dicit Jeremias : Et erat ignis flammigerans in ossibus meis. Hoc igne pretiosi illi lapides illuminantur, fœnum autem et stipula consumitur. Mundat ergo hic ignis animum consumit errorem. Hic est ignis qui ardet ante Dominum : nisi enim quis flagrantiam devotionis sumpserit, præsentiam Domini habere non poterit. Hoc igne urebatur rubus, et non exurebatur. Urit enim sermo divinus, ut corrigat conscientiam peccatoris, non exurit ut perdat.* Præclare S. Aug. in psal. 68. *Quis*, ait, *comeditur zelo domus Dei? qui omnia quæ forte ibi videt perversa, satagit emendare, cupit corrigere, non quiescit : si emendare non potest, tolerat, gemit. Non excutit de area granum, sustinet paleam, ut intret in horreum, cum palea fuerit separata.* Et S. Chrysost. hom. 52. in Acta : *Qui igne*, inquit, *Christi captus fuerit, talis fit, qualis esse homo solus super terram habitans : adeo nihil ei curæ est gloria et ignominia. Tentationes autem sic contemnit, et flagella, et carceres, quasi in alieno corpore pateretur : vel perinde ac si adamantium possideret corpus. Quæ autem suavia sunt in hac vita, ita ridet, et non sentit, sicut nos ipsi mortui corpora mortua : et sicut muscæ in medium flammæ non incidunt, sed fugiunt, ita et affectiones animi illos accedere non audent.* Celebrant Gentiles plenis buccis duodecim labores et heroica facinora Herculis, quos ita decantat Poeta :

> Compressit Nemeæ primum virtute Leonem,
> Extincta est anguis quæ pullulat, Hydra secundo.
> Tertius evictus Sus est Erymanthius ingens.
> Cornibus auratis Cervum necat ordine quarto.
> Dejicit horrisono quinto Stymphalidas arcu.
> Abstulit Hippolytæ sexto sua vincula victæ.
> Septimus Augiæ stabulum labor egerit undis.
> Octavo domuit magno luctamine Taurum.
> Tum Diomedis equos nono cum rege peremit.
> Geryonem decimo triplici cum Corpore vicit.
> Undecimo abstractus vidit nova Cerberus astra.
> Postremo Hesperidum victor tulit aurea mala.

Longe verius et potiori jure celebrat S. Scriptura heroica gesta Samsonis, Davidis, Judæ, et fratrum Machabæorum, sed hos omnes supera-

vit Paulus, non corpora, sed animas vincieus et vincens, non bruta, nec homines duntaxat, sed et dæmones subjugans : non unam gentem, sed totum orbem Christo subjicieus. Paulus ergo est verus Christi Hercules, verus Samson, verus David, verus Machabæus, qui non duodecim, sed mille trophæa erexit, mille triumphos peregit.

Quarta, Compassio.

Primo, Paulus omnium infirmitatibus ita compatiebatur et cruciabatur, ac si omnium esset mater : proinde eas curare, ac in se suscipere satagebat, secutus illud Isaiæ de Christo cap. 53. v. 4. *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Præclare S. Greg. prædicatores vocat cervas et ibices, quæ præ cæteris animalibus difficillime, maximoque nisu et cruciatu pariunt. Unde de eis mystice explicat illud Job. c. 39. v. 1. *Nunquid nosti tempus partus ibicum in petris, vel paturientes cervas considerasti? Incurvantur ad fœtum, et pariunt, et rugitus emittunt. Video*, ait, *Paulum quasi cervam quosdam in suo partu magni doloris rugitus emittentem : O insensati, ait, Galatæ quis vos fascinavit? Et : Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, carne consummemini? Currebatis bene, quis vos impedivit veritati non obedire? Qualis in hujus cervæ parturugitus fuit, quæ diu conceptos fœtus cum tot difficultatibus peperit, et quandoque partus ad malitiæ uterum redisse cognovit? Consideremus quid doloris habuerit, quid laboris, quæ et postquam potuit concepta edere, rursum compulsa est exstincta suscitare.* Vide eumdem lib. 30. Mor. c. 9. et 10.

Secundo, Paulus per compassionem crebro flebat. Unde aliquo in peccatum labente, mœstitia, omni verme molestior, eum consumebat, ait S. Chrysost. homil. 1. de ejus laud. *Hinc et juges lacrymarum fontes,* inquit, *ex eo non diebus solum; sed etiam noctibus affluebant, omniquc muliere parturiente vehementius affligebatur in singulis, propter quod etiam dicebat? Filioli mei quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis,* Galat. 4. 19. *Et in causa ejus qui fuerat fornicatus,* ait S. Chrysost. hom. 3. de laud. S. Pauli, *non minus ipso, qui pro peccato suo lamentabatur, dolet, proque illo alios deprecatur dicens,* 2. Corinth. 2. 8. *Confirmate in illum charitatem. Sed etiam quando illum ab Ecclesiæ corpore separabat, quam multis hoc lacrymis genituque faciebat : Ex multa, inquit, tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas, non ut contristemini, sed ut sciatis quam charitatem habeam abundantius in vos* ibidem v. 4. Idem hom. 6. in Matth. *Paulus* inquit, *crebro flevisse legitur, risisse nunquam, æque ac Christus.* Idem hom. 2. de laud. S. Pauli : *Nullus*, ait, *tanto affectu mala propria, quanto Paulus deflebat aliena.*

Tertio, Paulus videns avariores et arctiores Christianorum à se conversorum animos ad dandam ei debitam jure naturæ et divino alimoniam, non refrixit in Evangelizando; sed majori charitate eos complexus, eorum oblationes et dona recusavit, gratisque eis prædicavit, nocte et die cum lacrymis docens, et monens unumquemque eorum, uti ipse ait Actor. 20. vers. 31. Vide S. Chrysostom. homil. 44. cujus verba ibidem recitavi. Hinc rursum ait Corinthiis tenacioribus Epist. 2. cap. 12. 15. *Ego libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris, licet plus vos diligens, minus diligar.*

Quarto, Paulus sicut omnes lapsos benigne in gratiam recipiebat, ita labantes omni ope sustentabat. *Quis*, ait, *infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* 2. Corinth. 11. 29. et de iisdem sollicitus cap. 12 20. *Timeo*, ait, *ne forte cum venero, non quales volo inveniam vos, et ego inveniar à vobis, qualem non vultis; ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, etc., sint inter vos, ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos. Omnem enim*, inquit Chrysost. hom. 3. de laud. S. Pauli, *prorsus hominem Deo exhibere cupiebat, et omnes quantum ad ipsum spectat exhibuit : quasi enim universum mundum genuisset, sic perturbabatur, sic currebat, sic omnes in regnum Dei festinabat inducere, docendo, pollicendo, meditando, orando, supplicando, terrendo, dæmones animarum corruptores fugando : aliquando epistolis, aliquando præsentia : nunc sermone, nunc rebus : nunc per discipulos, nunc per semetipsum conabatur erigere labantes, stantes vero firmare, humi jacentes erigere, sanare contritos, torpentes oleo exhortationis animare.* S. Paulum imitatus est Nepotianus, de quo S. Hieronym. in ejus Epitaph. ad Heliod. *Clericatum*, inquit, *non honorem intelligens, sed onus, primam curam habuit, ut invidiam humilitate superaret, subvenire pauperibus, visitare languentes, provocare hospitio, linire blanditiis, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus : cæcorum baculus, esurientium cibus, spes miserorum, solamen lugentium fuit. Ita in singulis virtutibus eminebat, quasi cæteras non haberet. Inter presbyteros et coæquales primus in opere, extremus in ordine.*

Quinto, Paulus non tantum animarum, sed et corporum curam gerebat. Unde studiose in Achaia et Macedonia collectam pecuniarum fecit pro pauperibus Hierosolymitanis, 2. Corinth. 8. et 9. Ipse ergo sibi labor manuum victum parans, alios insuper alebat : ipse pauper, alios ditabat : ipse esuriens, alios pascebat : ipse pedibus incedens, socio navi imponebat, Act. 20. 13. et 34. *Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos : nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis,* ait ipse 2. Corinth. 12. 14. Vere S. Hieron. ad Paulinum : *Verum Christi templum*, ait, *anima credentis est : illam exorna, illam vesti, illi offer donaria, in illa Christum suscipe.* Idem ad Rusticum Epist. 4. *S. Exuperius*, inquit, *Tolosæ Episcopus, viduæ Sareptensis imitator, esuriens pascit alios, et ore pallente jejuniis, fame torquètur aliena, omnemque substantiam Christi visceribus erogavit. Nihil illo ditius, qui corpus Domini cænistro vimineo, sanguinem portat in vitro, qui avaritiam ejecit è templo, etc.*

Sexto, Paulus suo et Christi exemplo, impense Christianis commendat, ut mutuas et aliorum quorumlibet infirmitates tolerent, sustentent et curent. Hoc enim non tantum indicium esse magnæ et robustæ virtutis ; sed et causam meritoriam, ut Deus vicissim nostras infirmitates toleret et curet. *Debemus*, inquit, *nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere.* Rom. 15. 1. et c. 14. 1. *Infirmum autem in fide assumite.* Et Galat. 6. v. 2. *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Vide ibi dicta.

Septimo, Paulus studiose vitabat et cavebat quodlibet scandalum : *Sine offendiculo*, inquit, *estote Judæis et Gentibus, sicut et ego per omnia*

omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. 1. Corinth. 11. 32. Hinc vetuit, idolothyta comedi ob scandalum. Vide Rom. c. 14. et 1. Corinth. 8. Sapienter S. Hieron in Epitaphio Nepotiani ad Heliodorum Episcopum : *Domus*, ait, *tua et conversatio quasi in specula constituta, magistra est publicæ disciplinæ : quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant. Cave ne commitas, quod aut qui reprehendere volunt, digne lacerasse videantur; aut qui imitari, cogantur delinquere.*

Quinta, Amor inimicorum.

Primo, Paulus Judæos hostes et insidiatores suos infensissimos, qui ejus sitiebant cruorem, eumque quotidie discepere gestiebant, ait S. Chrysost., ita amavit, ut eis jugiter prædicarit, ubique prius ingrediens Synagogas Judæorum, quam ad Gentes diverteret, ut patet ex Actis c. 13. et seq. Ubi admirare heroicam Pauli constantiam, qua toties repulsus à Judæis, semper ad eos rediit sperans se eos conversurum. Nam, ut ait S. Chrysost. hom. 1. ad populum, *Mollis et ignavus ex primo statim impetu concidit, vehemens autem et excitatus, licet millies interpelletur, tanto magis divinis rebus instabit, quantum in se est omnia implens. Amantis enim maxime est, nunquam ab his quæ amato complacent absistere.*

Secundo, optabat pro eorum salute millies mori, imo gehennæ tormenta subire, Rom. 9. 1. *Veritatem*, inquit, *dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis*, puta pro Judæis. Vide ibi dicta.

Tertio, Paulus pseudoapostolos sibi invidentes humilitate sustinuit, patientia fregit, prudentia discussit, magnanimitate superavit, charitate subjugavit. Vide totum c. 10. et 11. Epist. 2. ad Corinth. et ea quæ ibi dixi. *Quanto amplius*, inquit, Chrysost. hom. 3. de laud. S. Pauli, *efferebantur inimici, tanto eorum magis miserabatur insaniam. Ut enim aliquis indulgentissimus pater afficitur erga filium phrenesi comprehensum, cujus quanto magis conviciis ictibusque pulsatur, tanto potius eum miseratur et deflet : ita Paulus qui ipsum magnitudinem passionum, eorum à quibus affligebatur, existimaret furorem, majora illis adhibebat fomenta pietatis : sæpe lacrymabatur, vehementer pro illis dolebat, volentes illis insultare prohibebat, excusabat. Mordebatur enim vehementer, ac penitus dissecabatur, cum eos pereuntes videret.*

Quarto, Paulus fidelibus impense commendat dilectionem inimicorum quasi notam Christi et Christianismi. *Si esurierit*, inquit, *inimicus tuus, ciba illum. Si sitit, potum da illi : hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum*, Rom. 12. 20. Christus enim idipsum sanxit præ gentilibus Philosophis et Judæis. Matth. 5. 43. *Audistis*, inquit, *quia dictum est* (Judæis :) *Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.*

Quinto, Paulus persecutiones, contradictiones, infortunia, aliaque impedimenta sibi in prædicatione objecta, ascribebat diabolo. Unde ejus machinationes sapienter indagabat, et fortiter ac constanter superabat. Ita fornicarium Corinthium à se excommunicatum, post pœnitentiam jubet absolvi ne in pusillanimitatem et desperationem incidat; *Ut non circumveniamur*, inquit, *à Satana : non enim ignoramus cogitationes ejus* 2. Cor. 2. 11. Et cap. 11. 14. *Satanas transfigurat se in angelum lucis.* Et c. 12. 7. *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Et 1. Thessal. 2. 18. *Voluimus venire ad vos*, etc., *sed impedivit nos Satanas.* Unde orat. Romam. 16. 20. dicens : *Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.* Et Ephesios cap. 4. 27. monet : *Nolite locum dare diabolo.* Sic et S. Petrus Epist. 1. cap. 5. 8. *Sobrii*, inquit, *estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide.*

Sexta, Martyrium.

Primo, Paulus toto apostolatus sui tempore fuit Martyr : longum enim in perpetuis periculis, ærumnis, persecutionibus, quas ipse recenset, 2. Corinth. 11. obivit martyrium. Hinc ipse è primis sub Nerone vinculis, quasi martyrii candidatus, illud avide expectans et ambiens, scribens ad Philip. cap. 2. 10. *Sed et si immolor*, inquit, *super sacrificium et obsequium fidei vestræ gaudeo et, congratulor omnibus vobis.* q. d. Sacrificium meum est prædicatio Evangelii, vos estis mea hostia quam sacrifico, libamen sit sanguis meus : libens ergo sanguinem pro vobis fideque vestra profundam, ut eo vos quasi hostiam condiam, sanciam, libem, offeramque Deo. Et 1. Corinth. 15. 31. *Quotidie morior per vestram gloriam fratres, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro.* Unde S. Bernard. serm. 1. in die S. Petri et Pauli : *Isti*, inquit, *sunt præclari Martyres, Martyrum duces, Apostolorum principes, duo magna luminaria, quos Deus in corpore Ecclesiæ suæ constituit, quasi geminum lumen oculorum. Illi mihi traditi sunt in magistros, et in mediatores, quibus secure me committere possim.*

Secundo, Paulus laureæ apostolatus sui imposuit coronidem martyrii. Cum enim Romanos à Simone Mago, pellicem à Nerone ad Christum traduxisset, ait Chrysost. lib. 1. Contra vituper. vitæ monasticæ, à Nerone anno imperii sui 13. securi 13. securi in columna, quæ etiamnum juxta Romam ad aquas Salvias visitur, percussus, cursum suum glorioso martyrio conclusit et decoravit. Quis animi ipsius in ultimo illo vitæ articulo sensa ultima, quis animæ Dei Christique desiderio ardentis vota et preces, quis colloquia cum Christo, quis suspiria, quis gaudia, quis raptus commemoret, imo cogitatione assequatur? Sane in illo vitæ et mortis confinio, in illo temporis et æternitatis horizonte jam quasi cœli civis, imo quasi Seraphinus, toto in Christum mentis rapiebatur excessu. Unde et ore et voce Jesum ingeminans, caput licet à cervice recisum, tres ingentes dedit saltus, quibus totidem miraculo ingenti fontes è terra elicuit, quibus etiamnum Roma fruitur, perennibus utique testibus fontium doctrinæ et gratiæ, quos vivens in Romam et totum orbem scaturivit et eructavit. Hinc etiam insolito vultus vocisque ardore, lictores suos militesque ad

Christum convertit. Denique è cervice recisa non sanguis, sed lac emanavit, ut non tam cruentatus emori, quam latens vivere solitumque doctrinæ suæ lac fidelibus, etiam moriens porrigere videretur. Vere S. Hieron. ad Eustoch. de custod. virg. *Pretiosa*, inquit, *in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Hæc est sola digna retributio, cum sanguis sanguine compensatur et redempti cruore Christi pro Redemptore libenter occumbimus.*

Tertio, Paulus martyrii fidelibus fuit dux et antesignanus, eoque cæteris Martyribus tanto exemplo præivit, ut Romæ et alibi multa centena fidelium millia eum animose secuta, sanguinem pro Christo suderint, martyriumque non tantum obierint, sed et ambierint. *Ut tu sine offensione gradiaris, discipuli Domini amictu proprii se corporis exuentes, inter adversa turbarum viam tibi suo stravere martyrio*, ait S. Ambros. lib. 9. in Lucam. Idem S. Amb. l. 7. ep. 1. quæ Inter omnes est numero 53. narrat S. Paulum sibi apparuisse et revelasse locum in quo sepulta erant corpora S. Gervasii et Protasii Martyrum, discipulorum et asseclarum suorum, ac jussisse ut ea eximeret, et Ecclesiam eorum nomine fabricaret, in qua honorifice illa reconderet. *Apparuerunt* (S. Gervasius et Protasius) *mihi*, inquit, *cum tertia persona, quæ similis esse B. Paulo Apostolo videbatur, cujus me vultum pictura docuerat, in tantum ut ipse mecum, illis tacentibus, loqueretur dicens : Isti sunt qui monitis meis obtemperantes, prædia et divitias respuentes, secuti sunt Domini nostri Jesu Christi vestigia, nihil terrenum, nihil carnale concupiscentes, in media hac Mediolanensi urbe per decem annos in Dei servitio perdurantes, ad hoc pertingere meruere, ut Christi Martyres fierent. Quorum corpora in eo loco invenies, in quo stas et oras.* Porro Paulus moriens animam cœlo, famam æternitati, fideles Ecclesiæ, corpus et sanguinem cum fide Romæ transmisit et consecravit, factusque non tantum civis, sed et Consul ac Imperator Romanus, ibidem arcem imperii obtinuit, deturbatoque dæmonum et Gentilitatis cultu, Christi crucis vexilla constituit, ut jam Roma Ethnica facta Christiana, Christo non tantum suum, sed et totius orbis sibi subjecti, caput submittat. Vere Tertull. in Scorpiaco cap. 15. *Orientem fidem*, ait, *Romæ primus Nero cruentavit. Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci astringitur. Tunc Paulus civitatis Romanæ consequitur nativitatem, cum illic martyrii renascitur generositate.* Idem de Præscript. adversus hæret. cap. 36. Romanam Ecclesiam celebrans : *Statu felix Ecclesia*, inquit, *cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.* Vide S. Chrysost. hom. 32. in Epist. ad Roman. in Morali, ubi inter alia ait : *Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli, affigi sepulchro, videre pulverem oris illius, per quod locutus est Christus?* Voto potitus est non in vita, sed post mortem. Nam corpus S. Chrysost. Romam translatum, conditum est ad limina Apostolorum Petri et Pauli, ut eorum ostiarius esse videatur : ubi eum quasi Pauli discipulum, et asseclam illi associatum, eo quo par est cultu et devotione veneramur. Porro Chrysost homil. 6. de Pœnitentia, Neronem vocat victum, Paulum vero victorem : *Respuebat*, inquit, *Cilix pellium sutor, vinctus, pauper, fameque confectus, Romanæ opulentiæ regem imperantem omnibus, Quis ergo clarior? qui vincebat in vinculis, an qui superabatur in purpura? qui contemnebatur imperans, an qui jussus nihil curabat jubentis imperium? qui solus cum esset vicit, an qui innumero vallatus exercitu victus est? Vinctus catena diadematum prostravit regem.* Denique Paulus fuit :

Quidam quasi in terris obambulans Deus,
Et sanctus in carne angelus :
In regeneratione similis futurus Dei filio,
Suaque mensura Deus.

Hæc de effigie Pauli breviter dicta sunto. Nam eamdem plenius et copiosius efformat noster P. Thomas Massutius integro opere, quod hoc titulo et argumento adornat.

VOTUM AUCTORIS

EX S. HILAR. LIB. 1. DE TRINIT.

Ego hoc vel præcipuum ritæ meæ officium, debere me tibi Pater omnipotens Deus conscius sum, ut te omnis sermo meus et sensus loquatur. Neque enim ullum aliud majus præmium, hic ipse usus mihi à te concessus loquendi potest referre, quam ut prædicando te tibi serviat, teque quod es, Patrem scilicet Unigeniti Dei, aut ignoranti sæculo, aut neganti hæretico demonstret. Et in hoc quidem tantum voluntatis meæ professio est : cæterum auxilii et misericordiæ tuæ munus orandum est, ut extenta fidei nostræ confessionisque vela flatu Spiritus tui impleas, nosque in cursum prædicationis initæ propellas. Amen.

IN ACTA APOSTOLORUM

ARGUMENTUM.

TRIA hic præmittenda sunt. Primum, de libri argumento. Secundum, de fine et scopo. Tertium, de Auctore. Quoad primum: Argumentum liquet ex titulo. Inscribitur enim hic liber à Græcis, πράξεις à Latinis *Actus*, à Syro *Historia Apostolorum* quia eorum gesta, non omnia, sed præcipua magisque illustria circa Evang. promulgationem et propagationem enarrat. Quocirca S. Chrys. eum cognominat librum dogmatum de Spiritu sancto, et Œcum. Evangelium Spiritus sancti (perinde ac Itali Pentecosten nuncupant Pascha Spiritus sancti: prius enim Pascha est Christi resurgentis.) Nam uti, inquit, quatuor Evangelistæ scribunt Evangelium Actaque Christi, sic Lucas hic describit Evangelium Actaque Spiritus sancti, quæ scilicet ipse gessit in Apostolis, et per Apostolos. Sicut enim filius Dei amore nostri è cœlis descendens incarnatus est, ut ore proprio nos doceret viam virtutis et salutis, atque arcana Patris abscondita à constitutione mundi; ita post Christum ad nos visibiliter descendere voluit Spiritus sanctus, et quasi Christi æmulus, quodammodo incarnari in linguis igneis, ut iis imbueret Apostolos primosque fideles. Quia ut ait S. Gregor. Nazianz. et ejus interpres Nicetas orat. 4ª. *cum Filius corpore sensibili, et conspicuo nobiscum consuetudinem habuisset, par erat, ut Spiritus quoque corporaliter appareret; sicut etiam apparuit primum in forma columbæ, nunc in forma linguarum igneārum. Et cum Christus ad ea quæ Deo conveniebant reversus esset, suæque gloriæ restitutus, Spiritum ad nos post Christum descendere oportebat*, ut testimonium Christo perhiberet, ejusque cœpta compleret. Qua de causa plura et præclariora gessit quam ipse Christus. Christum enim decebat in humilitate carnis et passionis redemptionem nostram peragere: qua peracta congruebat ut Spiritus sanctus eum per miracula, prædicationem Evangelii, conversionem et subjectionem omnium gentium toto orbe celebraret, et glorificaret, juxta id quod ait Apostolus Philip. 2. 8. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, etc. *Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, uti in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum.* Spiritus sanctus ergo à Christo Apostolis promissus, et post ejus in cœlum ascensum in Pentecoste ad eos missus, quasi alter Christus, non jam mortalis, sed immortalis et gloriosus, eos implevit sapientia, robore, zelo, virtute miraculorum, omnique charismate cœlesti, quibus ipsi quasi panoplia, à capite ad talos armati debellarunt idola, dæmones, philosophos, oratores, reges et principes, ac triumphantes totum orbem subegerunt Christo. Hoc enim opus fuit non hominum paucorum et rudium, sed Spiritus sancti. *Conspicies hic*, inquit, Chrysost. *Apostolos seu volucres terram mariaque percurrentes, ac timidos illos quondam rudesque subito in alios homines esse versos, fastu divitiarum, gloria, ira, concupiscentia, breviter rebus omnibus superiores esse factos;* utique non alia vi, quam Spiritus sancti eos agentis et impellentis, *Apostoli*, ait S. Hilar. in c. 5. Matth. v. 13. *sunt rerum cœlestium prædicatores et æternitatis velut satores, immortalitem omnibus corporibus, quibus eorum sermo aspersus fuerit, conferentes.* Ex Actis ergo discimus, quanta sit virtus et sanctitas Christi et christianismi, ac quam apud paucos primæva illa remanserit.

Disputat hic Valla, et alii, an hic liber potius *Actus* vocandus sit, an *Acta?* Sed hoc leviculum desyllabis litigium Grammaticis dirimendum relinquamus. Romani, aliique docti indigitant *Actus*, quæ vox prope respondet Græco πράξεις, uti Valla aliique fatentur. Actus hosce esse Scripturam Canonicam, de fide est, uti censuit Ecclesia sæculorum omnium, et consentiunt hæretici omnes moderni. Historia ergo hæc certissima est, jucundissima, utilissima, augustissima. Narrat enim gesta non tam Apostolorum, qui Ecclesiæ fuere principes, quam ipsiusmet Spiritus sancti per Apostolos.

Hoc itaque libro describitur infantia Ecclesiæ Christianæ et primævi Christianorum mores, fervor et sanctitas aspirata à Spiritu sancto per prædicationem Apostolorum, præsertim sancti Pauli, cujus comes individuus, et oculatus testis, imo cooperator fuit S. Lucas, quem hujus libri Auctorem esse habet inscriptio Græca, Complut. et omnes consentiunt. Audi S. Hieron. lib. de Scrip. Eccles. in Luca: *Aliud quoque edidit volumen egregium, quod titulo* πρειξεις ἀποστόλων *prænotatur, cujus historia usque ad biennium Romæ commorantis Pauli pertinet, id est, usque ad quartum Neronis annum: ex quo intelligimus in eadem urbe librum esse compositum.* Idem habet inscriptio marmorea, quam vidi Romæ in Ecclesia S. Mariæ in Via lata, quæ fuit statio S. Pauli et Lucæ in primis vinculis. Captus est enim Paulus à Judæis Hierosolymæ, et appellans Cæsarem, à Festo præside missus est Romam ad Neronem anno secundo ejusdem, ibique mansit per biennium: ubi S. Lucas hanc suam historiam finit, et concludit dicens c. ult. v. ult. *Mansit autem* (Paulus) *biennio toto in suo conducto* (hospitio) *et suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum prædicans regnum Dei, et docens quæ sunt de Domino Jesu cum omni fiducia, sine prohibitione.* Hinc sequitur, hunc librum 27. annorum circiter acta complecti. Tot enim fluxerunt ab ascensione Christi in cœlum, quæ contigit anno ejus 34. à qua orditur Lucas, usque ad annum 4. Neronis, ubi finit, qui incidit in annum Christi 60. ita S. Hieron. Quanquam Baronius biennium (puta finem biennii) hoc carceris S. Pauli consignat anno 3. Neronis, qui fuit annus Christi 60. ita, ut 38. annorum hic texatur

historia, quot pariter libri sunt capita. Unde sequitur, eodem anno Christi 60. vel 61. librum hunc à Luca esse conscriptum, vel perscriptum et finitum.

Duæ sunt præcipuæ libri partes. Priore, à c. 1. usque ad decimum, recensetur fundatio fidei et Ecclesiæ in Judæa et Samaria, juxta præceptum Christi Actor. 1. 8. Posteriore, à c. 10. usque ad finem enarratur propagatio Evangelii per Syriam, Lycaoniam, Pamphyliam, Græciam, aliasque gentes opera Apostolorum, præsertim S. Pauli, factam. Ubi notat Iren. lib. 3. cap. 14. Lucam ea quæ Pauli sunt, quæque ipse præsens viderat, imo cum Paulo gesserat, exacte et seriatim conscribere, cætera obiter perstringere, vel transilire. Stylus Lucæ historicus est, facilis et planus : quare in eo explicando more meo exactus ero, sed brevis : qui plura cupit variamque eruditionem, legat nostrum Lorinum, quo nemo fusius, nec eruditius commentatus est. Mihi propositum est lectoris quaquaversum commodis consulere iisque obsequi; ideoque quæ ab aliis fuse, vel confuse, vel involute et obscure dicta sunt, ea breviter, methodice, aperte et lare dicere complectique contendo : quæ vere ab aliis tacita, vel omissa sunt, adeo. Sequor enim brevitatem, methodum, claritatem, integritatem et copiam : an assequar judicet lector. Deum rogo, ut quod minus ego, ipse plenius assequatur; utque hæc mea vota uni ipsius gloriæ bonoque publico plene planeque serviendi secundet, præstet et compleat. Amen.

Præter Comment. S. Chrysost. Œcumen. et aliorum, pulchro carmine Acta Apostol. vertit et explicuit Arator Diaconus tempore Justiniani Imp. sub annum Domini 530.

Quoad secundum. Finis et fructus hujus libri est, ut in eo aureum primitivæ Ecclesiæ sæculum intuentes, videamus quantum ab illo descivérimus, omnique studio ad idem redire conemur. Sane cum priscos et primævos Christianorum mores adeo sanctos, vitamque admirabilem et actus heroicos intuemur, pudere et gemere nos oportet, ac cum Jeremia in Threnis c. 4. 1. exclamare : *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum? Egressus est à filia Sion omnis decor ejus. Filii Sion inclyti et amicti auro primo quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?* O domus antiqua, quam dispari domino dominaris! Primi Christiani plerique omnes sanctitate, et sapientia erant argentei et aurei; nunc multi cupiditate sunt terrei, imo æneï et ferrei. Unde hæc rerum tanta vicissitudo? Primi illi hoc præmeditatum, et in mente fixum gerebant, quod ab eis didicit docuitque S. Hilarion. teste S. Hieron. in ejus vita, *præterire figuram hujus mundi, et eam esse veram vitam, quæ vitæ præsentis emeretur incommodo.* Audierant à Paulo 1. Corinth. 7. 29. *Hoc itaque dico fratres : Tempus breve est : reliquum est, ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint; et qui flent, tanquam non flentes; et qui gaudent, tanquam non gaudentes; et qui emunt, tanquam non possidentes; et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utuntur. Præterit enim figura hujus mundi.* Nimirum mundus hic non habet rerum veritatem, sed umbram duntaxat et figuram; ejus opes, pompæ et gaudia umbratica sunt, ficta et picta, non vera et solida. Hoc sciebant, hoc ruminabant primi fideles ideoque terram et terrena spernebant, cœlum et cœlestia ambiebant dicebantque cum S. Hieron. *Terra eram, cœlum factus sum* per baptismum et christianismum. Secus jam faciunt multi, qui quasi talpæ terræ inhiant, ideoque in terrenis acutum vident ut lynces, in cœlestibus cæcutiunt ut noctuæ. Asserit S. Chrysost. in titulum psalm. 50. *Prophetas esse velut quosdam pictores virtutis ac militiæ qua contra peccata et diabolum decertamus.* Ita scilicet Abraham quasi pictor, in seipso suaque vita vivis coloribus pinxit nobis fidem, Isaac obedientiam, Joseph castitatem, Job patientiam, Abel innocentiam, Moses mansuetudinem, David psalmodiam, Elias zelum : pictores Christi fuerunt Evangelistæ, pictor Apostolorum, vitæque Christianæ, et Paulinæ est S. Lucas. Pinxit ipse penicillo imagines Virginis Deiparæ, et Verbi incarnati, imo infantis, quas etiamnum Romæ magna veneratione intuemur, et colimus : at longe excellentius in hisce Actis pinxit ideam vitæ Christianæ, perfectæ et Apostolicæ, ut eam posteris omnibus quasi speculum et exemplar quod æmularentur, proponeret, et ad eam consectandam primorum Christianorum exemplo accenderet. Quis enim non accendatur ad contemptum rerum terrenarum, ad amorem cœlestium, ad charitatem, ad zelum, ad martyrium, quando legit primos fideles quasi homines cœlestes, et angelos quosdam terrestres opes calcasse ad cœlum suspirasse, jugiter orationi et Eucharistiæ vacasse; carceres, mortes et martyria pro Christi amore non fugisse, sed quæsiisse? Quis non inflammetur ad fortiter luctandum cum carne, mundo et dæmone, ad generosam sui suarumque passionum et cupiditatum victoriam, ad animarum lucrum, ad Christi regnum propagandum, quando classicum Lucæ audit? *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una : nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Quotidie perdurantes in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, et simplicitate cordis, collaudantes Deum, et habentes gratiam ad omnem plebem. Quotquot* (non sacerdotes, sed laici et conjugati) *possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat. Ibant gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Ecce video cælos apertos, et filium hominis stantem à dextris Dei;* et plurima talia per singula capita. Quocirca vere et apposite S. Hieron. ad Paulinum. *Acta Apostolorum*, inquit, *nudam quidem videntur sonare historiam, et nascentis Ecclesiæ infantiam texere, sed si noverimus scriptorum eorum Lucam esse Medicum, cujus laus est in Evangelio, animadvertemus pariter omnia verba illius, animæ languentis esse medicinam*, præsertim quia passim inculcat Christi nostramque resurrectionem, et vitam æternam, quæ omnium dolorum est levamen, et stimulus ad omnia ardua vel agenda, vel toleranda. Unde S. Aug. in psalm. 109. *Spes*, ait, *vitæ immortalis est vita vitæ mortalis.* Quapropter vere S. Chrys. *Quod maxime*, inquit, *agit hic liber, est resurrectionis declaratio : quæ sic credita fuerit, et cæteris*

aperta est via. Hæc Acta ergo docent, in cruce et morte Christi non fuisse extinctam et sepultam ejus scholam (uti optabant et putabant Judæi) et Ecclesiam, sed potius tunc cœpisse ejus regnum et gloriam per resurrectionem Christi ejusque fidelium, eamque duraturam in æternum, uti promisit Deus per Prophetas, et per angelum. Lucæ 1. 32. Igitur πράξεις hæ ἀποστόλων docent praxim Evangelii et doctrinæ Christi : hanc enim in praxim redegerunt, et in actus contulerunt Apostoli. Unde merito dolet S. Chrys. argum. in epist. ad Philemonem, acta eorum plurima, etiam minutissima intercidisse : *Utinam*, inquit, *non defuisset, qui Apostolorum nobis historiam diligentissime traderet, non solum quid scripserint, quidve locuti sint, sed ut sese per omnem vitam habuerint, quid et quando comederint, quando sederint, quo ierint, quod diebus singulis gesserint, et in quibus partibus vixerint, quam introierint domum, quo navigaverint, ubinam applicuerint, atque omnia diligenter exponeret, adeo illorum omnia eximia utilitate referta sunt. Si enim cum loca tantum cernimus, ubi sederunt, seu vincti sunt, loca inquam inanima, illuc sæpe dirigamus animum, virtutesque illorum conspiciamus, et expergiscamur, et promptiores evadamus, multo id profecto magis fieret, si verba illorum, et reliqua gesta audire contigisset. Certe de amico quis perlibenter interrogat, ubinam degit? quid facit? quo procedit? non longe dignius de communibus orbis magistris id fieri decuit?*

Quoad tertium. Auctor hujus libri est S. Lucas Medicus Antiochenus, inter omnes Evangelistas linguæ græcæ eruditissimus, ait S. Hier. ep. 145. ad Damasum, qui patrio idiomate, puta Græco eleganter primo Evangelium, deinde Acta conscripsit, perinde ac civis ejus, et assecla S. Joan. Antiochenus græce concionatus est et scripsit; qui ab eminenti Græcanicæ linguæ eloquentia *Chrysostomus*, id est *os aureum*, est cognominatus. Antiochia enim, utpote à Græcis, puta ab Antiochis Alexandri Magni successoribus condita et gubernata, eorum idioma Græcum suscepit, esto et proprium haberet, puta Syrum, utpote Syriæ metropolis.

Quæres, qualis fuit S. Lucas? Resp. Primo, fuit Evangelista, scripsit enim Evangelium, in quo præ cæteris documenta Christi ad mores, et perfectionem spectantia enarrat. Fuit ergo Cherubinus, uti mox ostendam, scilicet unus è quatuor Cherubim quos vidit Ezechiel cap. 1. et S. Joannes Apocal. 4. 7. Ergo Lucas ex Medico corporum factus est medicus animarum.

Secundo, fuit virgo aut cælebs : nunquam enim uxorem duxit. Ita S. Hieron. in Luca.

Tertio, S. Epiphan. hær. 51. S. Greg. præfat. in Job c. 1. Doroth. in vita S. Lucæ, Mariana et alii censent eum fuisse unum è 72. Christi discipulis : sed contrarium insinuat ipse Lucas initio Evangelii, ubi ait se id scribere non ex visu, sed ex auditu. Fuit ergo ipse non Christi, sed Apostolorum puta S. Pauli discipulus. Ita Iren. lib. 1. c. 20. Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 2. Theodor. in præfat. vit. SS. Patrum, S. Hieron. in c. 65. Isaiæ. Baron. et alii : licet Mariana ad id respondeat, Lucam non omnia Christi acta vidisse; sed quædam vidisse, quædam audivisse. Unde S. Greg. loco jam citato, censet Lucam fuisse comitem Cleophæ, et utrique Christum se revelasse in Emaus per fractionem panis, Lucæ 24. 23. et seq.

Quarto, Apostolus, tum quia apostolatus Pauli, laborum, et periculorum fuit comes et cooperator, idque ex suffragiis et electione Ecclesiarum, uti asserere videtur Apostolus 2. Corinth. 8. 19. Unde liquet eum Spiritu Dei præ cæteris plenum et eximium fuisse. Idem *patet ex miraculis quæ nunc per illum fiunt.* Ait S. Chrysost. Tum quia postquam Roma discessit, ait Œcumen. proœm. in Lucam, in Orientem est reversus, rursumque Libyam petiit, et Thebanos Christiana religione instituit, et, ut ait Epiphan. hæres. 51. prædicavit primum in Dalmatia ac Gallia, et in Italia ac Macedonia. Multos ergo labores, ærumnas, persecutiones in hoc suo apostolatu pro Christo sustinuit usque ad annum ætatis 84. testeS. Hier. Quocirca hoc ei elogium dat Ecclesia : *Qui crucis mortificationem jugiter in suo corpore, pro tui nominis honore portavit.* Idcirco apposite inter quatuor animalia Cherubica Ezech. 1. 10. et Apocal. 4. 7. sicut aquila assignatur S. Joanni, homo S. Matthæo, leo S. Marco, ita bos S. Lucæ bos enim laborum est patiens, et assidue in agro heri ad segetem et messem exercetur. Hinc aliqui viri docti censuerunt, apposite Lucam prisca lingua Latina significare bovem, decepti verbis Plinii dicentis lib. 8. cap. 6. *Elephantes Italiæ primum vidit Pyrrhi regis bello, et boves Lucas appellavit, in Lucanis visos annos Urbis* CCCCLXXII. Hæc enim verba significare videntur boves ab Italis vocatos esse Lucas : sed longe alius est Plinii sensus nimirum Italos, qui ante Pyrrhum elephantes non viderant, ob monstrorum magnitudinem eos vocasse boves lucas, id est Lucanos, eo quod in Lucania in Pyrrhi exercitu primum eis visi sint : bovem enim vocabant maximum animal, quale est elephas, sed cum cognomento Luca, qui in Lucania primum visus. Ita Varro l. 6. de Lingua Latina diserte asserit bovem lucam vocari elephantem, non tam à Lucania, ut vult Plinius, quam, inquit, *quod longe relucebant propter inauratos regios clypeos, quibus eorum tum ornatæ erant turres.* S. Lucas ergo est bos lucens : bos, quia victima laboris, mostificationis et martyrii : lucens, per doctrinam et Evangelium. Idem est bos luca, puta elephas, quia sicut elephas inter animalia est sapientissimus et proxime ad hominis rationem accedit, ita et S. Lucas sapientia excellit, ac præ cœteris evangelistis sapientiam Verbi incarnati ejusque sapientia dicta, dogmata ac consilia practica, et ad mores conformandos apposita enarrat. Lucas ergo, si Latinum etymon usumque scruteris, est elephas : si Hebræum, Lucas est doctor, qui scientiam vel historiam à majoribus acceptam posteris tradit. à rad. לקח *lechah*, id est, *doctrina accepta et tradita :* Hebr. enim *chet* in Græcum et Latinum S. liquescit, uti ex *Maschiach* fit *Messias.* Si Græcum etymon spectes, Lucas est lotor, scilicet peccatorum, à λουω, id est *lavo*, inquit Pagnin. in Nomin. Hebr. qui et addit, Lucas hebr. idem esse quod לוקם *lo cam*, id est, *ei resurrectio*, scilicet competit ob labores et passiones : aut Lucas idem esse quod Lucius, quod Latinum est nomen à luce dictum, quasi lucidus, quod etiam sensit Orig. in epistol. ad Roman. in fine, et noster Sanchez hic. Qui enim à Græcis Lucas ἀπὸ τῆς λυκης, id est, à *luce*, idem Latinis Lucius à Luce pariter dici videtur; quin et Varro l. 6. elephantes vocat boves lucas, id est lucentes. Lucas ergo videtur esse nomen etymon habens Græcum et Latinum

Sed terminationem Syram, utpote in Syria. Præclare S. August. l. 2. de Doctr. Christ. c. 16. notat nomina peregrina, ut *Hebræa, non parvam habere vim atque adjutorium ad solvenda ænigmata Scripturæ, si quis possit ea interpretari.* Nam, ut idem ait c. 6. l. de Genesi ad litter. imperfecto, *nomen appellatur quasi notamen, quod rem notet.* Unde infert Sanchez, Lucam fuisse cognatum S. Pauli: fuisse enim ipsum Lucium, quem inter cognatos suos numerat Paulus Rom. 16. 21. Lucæ enim dedisse Latinum nomen Lucius, quia ad Romanos scribebat, ideoque forte Pauli comes fuit individuus.

Quinto, S. Lucam martyrio vita functum, et laureatum indicat S. Nazianz. orat. 1. in Julian. dum ait, *Non victimas pro Christo cæsas es veritus? non magnos pugiles extimuisti, Joannem illum, Petrum, Paulum, Jacobum, Stephanum, Lucam, Andream, Theclam, eos qui et post illos, et ante illos capitis sui periculo veritatem protexerunt: qui cum igni et ferro, et belluis, et tyrannis, et præsentibus malis, et denunciatis, alacri animo, veluti in alienis corporibus, imo quasi corporum expertes dimicarunt?* Paulinus Nolanus his item versibus ipsum nominat Martyrem:

Ilic pater Andreas, et magno nomine Lucas
Martyr, et illustris sanguine Nazarius.

Rursum Gaudentibus Episcopus Brixianus, qui claruit eodem quo Ambrosius sæculo, hæc habet: *Horum quatuor habemus in præsenti reliquias; qui regnum Dei et justitiam prædicantes ab incredulis et impiis occisi, Deo semper vivere operationum suarum virtutibus demonstrantur, Joannes in Sebaste Palæstinæ, Thomas apud Indos, Andreas et Lucas apud Patras Achaiæ civitatem consummati referuntur.* Ita ipse serm. in Dedic. Eccles.

De eodem hæc Nicephorus l. 2. cap. 43. paucis vitam illius complectens: *Lucas Antiochiæ quæ est in Cælesyria, ortus medicus simul et pictor egregius, Thebis ad Paulum venit: atque ibi nuncio patrio errori remisso, ad Christum accessit, pro corporum curatione animarum medicus factus: Evangelium suum Paulo præcipiente scripsit, atque itidem Acta Apostolorum. Cum Paulo autem Romæ cum fuisset, in Græciam est reversus, plurimosque ibi divinæ doctrinæ et cognitionis luce illustravit; et tandem à divini verbis contemptoribus ex fructiferæ oleæ arbore suspensus, quod aridi ligni, unde crux fieret, copia non esset, Deo spiritum commendavit, cum octoginta, ut dicitur, annos natus esset.*

Pergit deinde Nicephor. narrare miracula ad ejus sepulchrum patrari solita, deque Christi, Deiparæ, Petri et Pauli imaginibus ab eo pictis. Eadem de martyrio in olea peracto habet Glycas, lib. 3. Annal. additque liquorem medicum ex reliquiis scaturire, eoque indice illas esse repertas. Eamdem habet Cedrenus in Compend. Hist. Denique in Luca et per Lucam completum est illud Psaltis psalm. 18. 5. *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum;* ut merito ei attribuas quod de Thoma Aquinate (quem condiscipuli ob juge silentium, vocabant bovem mutum) dixit Albertus Magnus; *Bos Mutus talem vocem edet, quem audiet totus orbis.* Denique caput S. Lucæ, S. Gregor. cum esset aprocrisarius Constantinopoli, detulit Romam, ubi etiamnum in basilica S. Petri visitur et colitur.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Duæ sunt Capitis partes. Prior enarrat Christi ascensionem in coelum. Posterior, Mathiam per sortem Judæ surrogatum in Apostolatu.

1. Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Jesus facere, et docere, 2. usque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est: 3. quibus et præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei. 4. Et convescens, præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum: 5. quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. 6. Igitur qui convenerant, interrogabant eum dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? 7. Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora vel momenta: quæ pater posuit in sua potestate: 8. sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos: et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria et usque ad ultimum terræ. 9. Et cum hæc dixisset, videntibus illis, elevatus est: et nubes suscepit eum ab oculis eorum. 10. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt: 11. Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? hic Jesus, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. 12. Tunc reversi sunt Hierosolymam, à monte qui vocatur Oliveti, qui est juxta Jerusalem, sabbati habens iter. 13. Et cum introissent in cœnaculum, ascenderunt ubi manebant Petrus et Joannes, Jacobus et Andræas, Philippus et Thomas, Bartholomæus et Matthæus, Jacobus Alphæi, et Simon Zelotes, et Judas Jacobi. 14. Hi

omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu, et fratribus ejus. 15. In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum dixit (erat autem turba hominum simul, fere centum viginti) 16. Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Jesum: 17. qui connumeratus erat in nobis, et sortitus est sortem ministerii hujus. 18. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, et suspensus crepuit medius: et diffusa sunt omnia viscera ejus. 19. Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille, lingua eorum, Haceldama, hoc est, ager sanguinis. 20. Scriptum est enim in libro Psalmorum, Fiat commoratio eorum deserta: et non sit qui habitet in ea: et episcopatum ejus accipiat alter. 21. Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus, 22. incipiens à baptismate Joannis usque in diem qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. 23. Et statuerunt duos, Joseph qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, et Mathiam. 24. Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum, 25. accipere locum ministerii hujus, et apostolatus, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum. 26. Et dederunt sortes eis, et cecidit sors super Mathiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis.

1. Primum.] Nomen est, non adverbium: græce enim est τὸν πρῶτον, id est *priorem*, scilicet *sermonem feci*. Ita S. Chrysost. q. d. Scopus meus fuit, et est, scribere historiam Verbi incarnati, puta Christi et christianismi: Christi historiam scripsi in Evangelio, scilicet ejus incarnationem, gesta et mortem per 34. annos vitæ, nunc ejusdem prosequor gesta post mortem, scilicet christianismi et Ecclesiæ institutionem, et propagationem usque ad prima vincula Pauli, quæ contigerunt viginti octo annis post mortem Christi. Ergo Lucas tam in Evangelio, quam in Actis hisce pertexit historiam Christi et Ecclesiæ, per primos ejus sexaginta duos annos.

Quidem.] Græcum μέν, id est, *quidem*, communiter post se requiritur καί id est *autem*; at non semper; subinde enim additur duntaxat ad numerum et pondus narrationis, præsertim in exordio, ut illa alto quasi cothurno incessum ordiatur uti notant Lexicographi ex Demetrio Phalereo. Utrumque hic facit. Nam et historiæ, majestatem addit, et implicite priorem posteriori nectit, ab eaque ad hanc transitum parat et facit. q. d. Priorem quidem sermonem in Evangelio fecit de vita Christi; nunc autem posteriorem et subalternum faciam de vita Apostolorum Christi.

Sermonem feci,] in Evangelio à me scripto. Syrus, vertit, *librum scripsi*, λόγος enim et *verbum et sermonem*, et *librum* sive *volumen*, ut vertit Vatabl. et Gagneius, significat. Sic Cicero lib. 3. Offic. λόγον οἰκονομικὸν vertit, vocatque librum œconomicum Xenophontis.

Notat S. Chrys. modestiam S. Lucæ, quod suum Evangelium non vocet Evangelium, sed sermonem: *Non enim*, inquit, *dicit, Prius Evangelium quod Evangelizavi, sed Priorem quidem sermonem feci, nimirum Evangelii prædicationem magnificentiusquiddam esse ducens, quam pro ipsius dignitate aut viribus. Et tamen Apostolus eum ornat hoc titulo, Cujus laus est in Evangelio*, imo Ecclesia, quæ sermonem librumque ejus de Christo indigitat et inscribit *Sanctum Jesu Christi Evangelium secundum Lucam*. Ita humiles, qui se suaque deprimunt, Christus et Ecclesia exaltant. Eadem modestia Lucas in hisce Actis, nullam operum suorum opisque, quam insignem S. Paulo præstitit, facit mentionem, sed sua omnia alto silenti premit.

De omnibus.] Præcipuis scilicet mysteriis, vel punctis, quæ sufficiunt ad Christo fidem conciliendam, et ad ejus doctrinamque vitamque explicandam. Nam quæ de suscitato Lazaro, de absoluta adultera, de cæco illuminato, de aqua in vinum mutata, etc. S. Joannes in Evangelio enarrat, Lucas tacet et præterit: quin et Evangelistæ omnes simul juncti pauca Christi gesta dictaque conscripserunt, plurima siluerunt: *quæ si scribantur per singula, nec ipse mundus capere posset eos qui scribendi essent libros*, ait S. Joann. in Evang. c. 21. 25.

O Theophile.] Primo, S. Salvianus epist. ad Salonium, *Theophilum* vertit *Dei amorem*, quasi Lucas hunc librum scripserit et dedicarit amori Dei, qui eum impulit ad scribendum, ut eumdem mentibus legentium imprimeret. *Sic Timotheus*, inquit, *idem quod honor Dei. Itaque cum legis Timotheum ad Ecclesiam scripsisse, hoc intelligere debes, pro honore Dei ad Ecclesiam scriptum esse, imo potius ipsum honorem Dei scripta misisse: quia recte ipse scripsisse dicitur, per quem factum est ut scriberetur*. Hoc ingeniosum est, symbolicum et pium, et non literale, nec genuinum. Theophilus enim et Timotheus nomina concreta sunt, non abstracta, ac proinde non Dei amorem et honorem; sed Dei amantem, eumque honorantem significant. Illi ergo, non Deo, Acta hæc inscribit dicatque Lucas. Unde

Secundo, melius alii censent Theophili nomen esse commune cujusvis fidelis; non proprium alicujus. Ita Origen. et Ambros. in cap. 1. Evang. S. Lucæ, et Epiphan. herm. 51. Θεόφιλος enim Græcis idem est quod *diligens Deum*, ut ait Origen. vel *dilectus à Deo*, *Deoque gratus*, uti S. Ambrosius, cui recte datur epithetum κρατίστος, id est, *potentissimus*. Amor enim facit amantes Deum omnipotentes; tum quia amicorum omnia sunt communia; tum quia *fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*, Cant. 8. 6. Sic Theodoretus Historiam religiosam S. Anachoretarum inscribit Philotheum (quod inverse idem nomen est quod Theophilus) quia Ana-

choretæ fuerunt Philothei, id est amantes Deum et amati à Deo.

Tertio, Titus Bostrenus in Lucæ 1. censet hunc librum à Luca inscribi certæ personæ, sed incertum esse an ea nomine proprio, an vero communi vocata sit Theophilus, id est, Dei amator et cultor.

Quarto et genuine, S. Chrysost. Theophylact. OEcumen. Euthym. Toletus et alii in Lucæ 1. ac 5. S. August. lib. 4. de consensu Evang. c. 4. censent Theophyli nomen esse proprium, non commune (uti hodie multi nomine proprio vocantur Theophyli) eumque fuisse virum eximium et potentem : hoc enim significat epithetum κράτιστε, id est *potentissime;* Noster vertit, *optime*, quod ei dat Lucas Evang. c. 1. v. 3. olim enim præsides et præfecti vocabantur κράτιστοι, id est *potentissimi* vel *optimi :* ut *optime Felix*, Actor. 24. 3. *optime Feste*, Actor. 26. 25. Quocirca Theophyl. et Euthym. censent hunc Theophylum fuisse senatorem vel principem, OEcumen. præsidem provinciæ, Nicephor l. 3. c. 25. Episcopum sextum Antiochiæ. Sed epithetum κράτιστε potius præsidem, aut principem (huic enim datur) quam Episcopum fuisse significat; nisi dicas ex principe creatum Episcopum, uti S. Ludovico aliisque contigit. Porro dubitat S. August. an hic Theophylus sit idem cum eo, cui Evangelium inscripsit S. Lucas. Sed certum videtur esse eumdem, idque significat hic Lucas dum se ei posteriorem hunc librum Actorum dicare scribit, quia ei priorem Evangelii dicarat; ita S. Chrysost. Theophyl. OEcum. Toletus et alii. Forte hic Theophylus fuit is Antiochenus vir nobilis, quem S. Petrus convertens, ejus domum vertit in Ecclesiam, in qua Cathedram suam Antiochenam collocavit, uti narrat S. Clemens lib. 10. Recog. c. ult. ideoque forte hic omittit Lucas titulum κράτιστε, id est, *optime*, quo eum compellarat initio Evangelii, quod is magistratu jam se abdicasset, et modestiæ Christianæ studio vitam privatam et silentem ageret. Ita censet Baron. cujus conjectura proba est, quod scilicet Lucas Antiochenus videatur ad Theophylum pariter Antiochenum quasi civem suum hæc scripsisse. Denique quo Theophylo scribit Lucas, hoc nobis scriptum cogitemus, præsertim cum omnes simus, vel ambiamus esse Theophyli Deique cultores. Addit Theoph. in c. 1. Evang. S. Lucæ, Theophylum fuisse discipulum et catechumenum.

Cœpit Jesus facere et docere.] *Jesus* est nomen proprium, non Dei, sed hujus hominis à Filio Dei assumpti, sive verbi incarnati, sicut meum nomen proprium est Cornelius, alterius Petrus, Paulus, etc. Christus enim vocatus est *Jesus*, id est Salvator, quia à Deo destinabatur orbis redemptor et Salvator, Matth. 1. 21. Vide dicta Philip. 2. 10. Sensus est. q. d. In Evangelio scripsi Acta Christi, orsus à primis ejus factis et documentis, imo ab ejus infantia, eaque pertexui usque ad ascensum ejus in cœlum.

Moral. Nota hic modum, sapientiam et efficaciam Christi in docendo, scilicet prius fecit, deinde docuit; prius docuit exemplo, deinde verbo. Unde Primo, nihil docuit, quod prius ipse non fecerit. Idem fecisse S. Basilium docet Nazianz. in orat. funebri ejusdem, ac S. Malachiam et S. Franciscum docent S. Bernard. et S. Bonavent. in eorum Vita. Principium ergo faciendi, est via et principium docendi. Secundo, plura fecit quam docuit. Nam per annos primos triginta vitæ suæ fuit in continua actione, docuit vero tribus tantum ultimis annis ejusdem, nimirum voluit Christus docere tanquam potestatem habens, ac *dare voci suæ vocem virtutis, ut instrueret ita alios docere, ut etiam teipsum doceas*, ait S. Bernardus serm. 59. in Cantic. et ep. 101. Aureum et regale est documentum Pacati in Panegyr. Theodosii Imp. *Exasperat homines imperata correctio, blandissime jubetur exemplo.* Porro Christum id fecisse, per exempla demonstrat S. Chrysost. *Considera*, inquit, *quo pacto Christus dictis suis per opera fidem conciliarit. Ad mansuetudinem hortatus est dicens : Discite à me quod mitis sum et humilis corde : docuit nos paupertatem; et utrumque factis demonstravit. Siquidem filius hominis*, inquit, *non habet ubi caput suum reclinet. Rursum præcepit ut diligeremus inimicos. Exhibuit hoc in cruce deprecans pro crucifigentibus. Dixit, Volenti trahere in jus ut tunicam eripiat, permitte ut et pallium auferat. Ipse vero non vestimenta tantum, sed sanguinem quoque suum dedit. Idem ut facerent et discipulis præcepit. Unde et Paulus dixit : Sicut habetis formam ex nobis. Nihil enim doctore frigidius, qui verbis duntaxat philosophatur. Neque enim hoc doctoris est, sed histrionis et hypocritæ. Ideoque Apostoli prius vitæ exemplis docebant, deinde verbis : quin potius ne verbis quidem erat opus, cum clamarent opera.* Addit deinde : *Nec aberrarit à vero, qui passionem ejus actionem dixerit. Nam patiendo fecit ingens illud et admirandum opus, quo mortem dejecit, reliquaque omnia peregit.*

2. Usque in diem, qua præcipiens (græce est aoristus ἐντειλάμενος, id est, *cum præcepisset :* post præceptionem enim assumptus est; ita Syrus et alii.) Apostolis per spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est,] τὸ *per Spiritum sanctum*, habet difficultatem, quo enim refertur? quid significat? Primo, Syrus refert ad *quos elegit*, ut sit anastrophe, hoc modo ordinanda : *Præcipiens Apostolis, quos elegit per Spiritum sanctum;* insufflando enim eis Spiritum sanctum dixit, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, Joannis 20. 22. Sed hæc anastrophe hiulca et duriuscula est, præsertim quia Romani aliique codices τὸ *per Spiritum sanctum* per comma dirimunt et sejungunt à *quos elegit.*

Secundo, Idacius lib. 3. contra Varimundum, refert ad *prædicare*, quod ipse subaudit; *In die*, inquit, *qua Apostolos elegit per Spiritum sanctum prædicare Evangelium.* Verum τὸ *prædicare Evangelium*, non est in textu, nec apud ullum Interpretem.

Tertio, S. Chrysost. refert ad verbum, *præcepit.* q. d. Christi præcepta erant sancta et spiritualia, non carnalia et terrena : quia omnia sua præcepit ex instinctu Spiritus sancti, quem sibi habuit semper assistentem et inhabitantem, imo comitem et cooperatorem. Unde ait Christus : *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus et vita sunt*, id est, spiritualia, et vitalia sunt ex suggestu Spiritus sancti manantis, Joannis 6. 64.

Quarto, alii referunt ad τὸ *assumptus est.* q. d. Christus in cœlum assumptus est virtute Spiritus sancti. Sed tunc durius interjicitur τὸ *quos elegit*, Hunc sensum sequebatur Nestorius, ex eo contendens Christum non esse Deum, utpote qui aliena ope, puta Spiritus sancti, indiguisset.

Verum Spiritus sanctus non est alienus, sed intimus et ὁμούσιος Christo qua Deus est.

Quinto, genuine et proprie referas ad τὸ *Apostolis*, ut eorum sit titulus et auctoramentum τὸ *per Spiritum sanctum*. q. d. Præcipiens Apostolis qui à Christo vocati, electi et designati ad apostolatum per instinctum Spiritus sancti paulo post ab eodem Spiritu publice in Pentecoste reipsa auctorandi, et consecrandi erant Apostoli : intelligitur enim Græcus articulus τοῖς nimirum q. d. ἐντειλάμενος τοῖς ἀποστόλοις, τοῖς διὰ πνεύματος ἁγίου, id est, *præcipiens Apostolis, qui tales futuri erant per Spiritum sanctum*. Est idiotismus Græcorum, apud quos passim relativum cum verbo substantivo subauditur. Addit hoc Lucas, ut auctoritatem tum Apostolis, tum hisce eorum Actis conciliet, utpote gestis per Spiritum sanctum, cujus ipsi fuerunt organa.

Addit Vatabl. *per Spiritum sanctum*, id est, inquit de Spiritu sancto, ut τὸ *per Spiritum Sanctum* partim referatur ad τὸ *Apostolis*, eo sensu quem jam dedi, partim ad τὸ *præcipiens* : itaque plenus erit sensus. q. d. Christus Apostolis à se electis, et mox creandis auctorandisque per Spiritum sanctum præcepit de eodem Spiritu, scilicet expectando, ut nimirum Apostoli eum ejusque adventum, et missionem per orbem patienter expectarent, et ad eum quiete et pie se compararent. Ita enim hoc præceptum et hæc verba explicat, dum mox subdit, vers. 4. *Præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis* (inquit) *per os meum : quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.* Ecce hoc est τὸ *præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum*, et de Spiritu S. : nec enim aliud præceptum Apostolis à Christo in die ascensionis datum legimus. Idem confirmat Lucas Evang. c. ult. v. 49. ubi immediate ante ascensum Christi in cœlum præmittit ejus promissum et præceptum : *Ego*, inquit, *mitto promissum* (Spiritum sanctum) *Patris mei in vos : vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Nam illud præceptum : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, datum est Apostolis non in ascensione, sed anterius in monte Galilææ, ubi Christus post resurrectionem se ex condicto toti discipulorum cœtui redivivum ostendit, ut patet Matth. 28. 16. Huc facit Glossa, quæ *per Spiritum sanctum* explicat, *propter Spiritum sanctum*. q. d. Præcepit Apostolis sedere in Jerusalem propter Spiritum sanctum, ut scilicet eum ibidem descensurum in Pentecoste reciperent. Accedit et Cajetan. qui per τὸ *Apostolis per Spiritum sanctum*, putat undecim Apostolos distingui, et secerni à Juda. Judas enim fuit electus in apostolatum à Christo, sed non auctoratus à Spiritu sancto : unde eo excidit et periit. Hinc patet Apostolos fuisse creaturas Spiritus sancti, sicut Cardinales creaturæ sunt Pontificis. Spiritus S. enim eis dedit Primo, potestatem prædicandi Evangelium ex officio, ut scilicet id facerent quasi legati ipsius, æque ac Christi. Secundo, implevit eos spiritu suo, puta mente et lingua ignea, ut ingenti zelo et efficacia prædicarent, percellerent et converterent omnes gentes. Tertio, dedit eis potestatem patrandi miracula, ut eis quasi sigillo Spiritus sancti prædicationem suam confirmarent et obsignarent. Quarto, astitit, et direxit eos per omnia, ita ut non tam ipsi, quam Spiritus sanctus per eos loqui et agere videretur, uti promiserat Christus : *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*, Matth. 10. 20.

Quos elegit.] Græce οὓς ἐξελέξατο, *quos elegerat*, scilicet jam pridem, multo ante, nimirum Matth. 10. 1. et 2. Hinc Tertull. l. de Præscript. cap. 20. sic legit et intelligit, *quos lateri suo adlegit*. q. d. Quos Christus quasi summus Pontifex, Legatos à latere misit per totum orbem. Hoc est quod ait Paulus. 2. Corinth. 5. 20. *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.*

Assumptus est,] non ab angelis, sed sua virtute et à seipso, puta à sua divinitate, per dotem agilitatis humanitati beatæ et gloriosæ à se inditam. Assumptus est ergo sursum (hoc enim significat Græcum ἀνα in ἀναλήφθη) hoc est, ascendit in cœlum. Sic ἀναλαμβανειν ἑαυτον, significat ad seipsum redire, seipsum colligere ex metu, in locum suum se restituere, idque non externa, sed interna et propria vi et virtute. Fecit hoc Christus annum ætatis agens 34. uti habet verior et communior Theologorum et Chronologorum sententia. Sed cur tam cito assumptus est? Cur non pluribus annis suam præsentiam terræ, et hominibus adeo desideratam et proficuam exhibuit : juxta id quod queritur Jeremias c. 14. 8. *Expectatio Israel, quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus?* Resp. Variæ sunt causæ. Prima, quia Christus venit maxime, ut sua morte nos redimeret, et vitam suam pro nobis offerret. Decebat autem illam offerri cum est florentissima, puta florem ætatis, qui est anno 34. Hæc enim hostia fuit nobilissima et dignissima Deo, præsertim quia Adam in eadem ætate creatus, illa abusus est ad offensam Dei, quam eadem ætate et flore reparare venit Christus.

Secunda, quia 34. annis perfecit opus suæ legationis, puta evangelizavit, fecit miracula, dedit exempla virtutum omnium, obivit totam Judæam evangelizando : nil restabat amplius. Ipse enim solis Judæis prædicavit, utpote Messias ei promissus ; ne si ad Gentes diverteret, Judæi haberent ansam calumniandi, quod non esset Messias eis promissus, sed alius Gentium.

Tertia, quia Christus paucis annis plurimos et perfectissimos omnium virtutum et officiorum suorum edidit actus, adeoque plures quam nos centum, imo mille annis : consummatus ergo in brevi, explevit tempora multa.

Quarta, quia corpori ejus divino debebatur cœlum, quasi proprius ejus locus, ubi ipsum angeli avide expectabant : ergo non decebat illud diutius quam necessitas legationis requireret, in terra relinqui, ubi Judæis erat probrum, Gentibus scandalum : præsertim quia diutina conversatio minuit æstimationem, et parit contemptum.

Moral. ut doceret nos non desiderare longam vitam, sed anhelare ad cœlum, illudque, *Annos virtutibus imple* : et illud Sapient 4. 8. *Senectus venerabilis non diuturna, neque annorum numero computata : cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata.*

3. Quibus et.] Hæc recte rectuntur præcedentibus. Hisce enim explicat Lucas, τὸ *assumptus est*, modum scilicet et seriem ascensionis Christi,

ejusque dispositiones prævias, quibus nimirum Apostolis probavit vere se resurrexisse, eorumque animos sensim disposuit, ne ægre ferrent suum discessum abitumque in cœlum.

Præbuit seipsum vivum,] παρέστησεν, id est, *stitit, exhibuit, repræsentavit ex morte redivivum*, scilicet suscitando, se, et virtute divinitatis suæ resurgendo, ac resuscitatus sistens se vivum, spectandumque exhibens Apostolis : utrumque enim significat παρέστησεν. Unde Franc. Suarez 3. p. t. 1. disp. 45. sect. 2. cum D. Thoma docet, Christum resurrexisse virtute divinitatis, quasi causæ primæ et principalis, quæ post mortem toto triduo mansit hypostatice unita tam corpori, quam animæ Christi; ac virtute animæ quasi instrumenti, aut potius causæ secundæ. Licet enim nostra resurrectio futura sit, non ab anima nostra, sed ministerio angelorum; tamen secus fuit in Christo. Decuit enim animam Christi per se resurgere, ne videretur egere ad hoc ope angelorum. Anima ergo Christi sufficiens erat principium, sicut ad disponendum corpus, ita etiam ad colligendas partes quæ dispersæ erant, imo extra sepulchrum, uti erant sanguis, capilli, alisque humores in passione sparsim effusi. Hæc enim omnia Christi anima duxit in sepulchrum, faciendo ut penetrarent lapidem illud obtegentem, ac rursum insererentur corpori : quod deinde ipsa ad informationem disposuit, et organizavit ad sui unionem, ac disposito quasi socio suarum passionum, et instrumento meritorum, rursum sese inseruit, illudque animavit, vivificavit, beavit et glorificavit. Porro hæc virtus connaturalis est animæ Christi ratione unionis hypostaticæ : quia ex unione ad Verbum habet illa anima potestatem permanentem, et per modum habitus ad efficienda hujusmodi miracula. Unde anima Christi hic se habet non ut merum instrumentum, sed instar causæ secundæ, quæ in se vim agendi habet; hæc Suarez. Quocirca Christi morientis et resurgentis hieroglyphicum est sol occidens et oriens, cujus pariter symbolum est Phœnix, quem avem fixerunt et pinxerunt cum alis expansis, ut iis solis radios adumbrarent. Porro Christo competit ænigma Phœnicis apud Symposium :

> Vita mihi mors est, morior si cœpero nasci.
> Sed prius est fatum, lætæ quam lucis origo.
> Sic solos manes ipsos mihi dico parentes.

In multis argumentis,] per multa argumenta, græce τεκμηρια, id est, indicia signaque certa, indubitata et necessaria, ut ex Aristotele docet Quintil. l. 5. c. 7. quibus Christus probavit suam resurrectionem. Talia fuerunt tot Christi apparitiones, manducationes, locutiones, stigmata plagarum, quæ ostendit tangique voluit à Thoma, miracula, ut, quod clausis januis, eas penetrando, ad discipulos introiret, et subito cum vellet dispareret : quæ omnia simul sumpta sufficienter faciebant credibilem, et credendam resurrectionem Christi, adeoque corpus ejus non tantum redivivum, sed et beatum, subtile et gloriosum demonstrabant, accedentibus præsertim testimoniis Angelorum, et S. Scripturæ, ita ut eis non posset subesse deceptio aut fictio. Loquor de demonstratione et evidentia morali, non Mathematica; ita D. Thom. et Suarez 3. p. q. 55. art. 6. Ubi docet Christum se redivivum ostendisse per opera triplicis vitæ, scilicet vegetativæ, dum comedit et bibit : sensitivæ, dum ostendebat se videre et audire : intellectivæ, dum loquebatur, et de Scripturis disserebat.

Per dies quadraginta,] non continuè, sed per vices et interpolate. Quæres, cur præcise tot? Resp. Prima causa est, quia hic numerus est perfectus, et sacer, creberque in Scriptura : sacratus enim est jejunio Mosis, Eliæ et Christi, multisque aliis.

Secunda, quia in die 50. puta in Pentecoste, missurus erat è cœlo Spiritum sanctum : decebat ergo ut quadragesimo die eo ascenderet, ut cum Spiritu sancto in cœlo de descensu ejus ageret eo tempore, quo discipuli eo absente, per preces et suspiria ad Spiritus sancti adventum se disponebant.

Tertia, ut quadraginta horarum absentiam in morte totidem dierum præsentia compensaret, ait Glossa. Mortuus enim est Christus hora nona feriæ sextæ, et resurrexit in aurora diei Dominicæ ergo à morte ejus usque ad resurrectionem intercesserunt horæ 40. quibus anima ejus fuit in inferno; corpus vero jacuit in sepulchro dumtaxat 36. horis nam post tres horas à morte sepultus est. Ita habet sensus Ecclesiæ, et docet S. August. in Dial. ad Orosium 65. quæstionem, quæst. 26.

Quarta, ut antitypus typo responderet; scilicet Christus Deo, Petrus Mosi. Deus enim præsentem se exhibuit Mosi, dum per quadraginta dies egit in Sina, legemque ab eo excepit : decuit ergo ut Deus incarnatus, puta Christus, in Sion totidem diebus cum Petro et Apostolis, quasi novis et Evangelicis legislatoribus degeret, eisque legem Evangelicam traderet et explicaret.

Symbolica causa est, quod quadragenarius numerus sit symbolum peregrinationis nostræ in hoc mundo. Unde quadraginta annis peregrinati sunt filii Israel in deserto, tendentes in terram promissam : ita pariter Christus quadraginta diebus hic quasi peregrinatus est, et iis peractis ascendit in cœlum, ut pari modo doceret nos peregrinari tota hac vita, et quasi peregrinos per sæculum pertransire, nec ulli rei creatæ mentem affigere, sed in cœlo conversari, quo peracto quadragenario exilii nostri, perventuri sumus. Hinc rursum quadragenarius symbolum est pœnitentiæ, purificationis et jejunii, quo rite consummato, cum Christo perveniemus ad Pascha cœleste, et ad quinquagesimam jubilei, quasi ad mercedem laboris et continentiæ. Unde S. Thom. 3. q. 57. a. 1. ad 4. *Per quadraginta dies*, inquit, *tempus præsentis sæculi, quo Christus in Ecclesia conversatur, potest intelligi : quia homo constat ex quatuor elementis, et eruditur contra transgressionem decalogi.*

Moral. voluit Christus discipulos sensim ablactare, et abducere à sua præsentia corporali, ne percellerentur si subito in cœlum ascenderet. Rursum, voluit ostendere Deus quanto ipse liberalior sit in consolationibus, quam pœnis et desolationibus irrogandis, nam pro 40. horis absentiæ Christi in morte, dedit discipulis quadraginta dies præsentiæ ejusdem. Horam ergo afflictionis die consolationis pensavit.

Ubi Christus versatus sit hisce quadraginta diebus, curiosum est quærere, et temerarium definire. Probaliter suspicantur aliqui eum egisse cum Elia et Enoch in paradiso, sive illo primigenio Genes. 2. 8. sive quo simili; tum quia hic locus et societas decebat corpus Christi

beatum et gloriosum : tum quia id merebatur Elias, qui ei astiterat et testimonium perhibuerat in transfiguratione : tum quia id quasi jure suo poscebat Eliæ et Henoch translatio, remoraque et dilatio beatitudinis ; ut quia propter Christum per tot annorum millia vivi remanent in terris, nec ad cœlum, sicut cæteri viri sancti omnes, transferuntur, ut contemplentur Deum eoque fruantur, saltem viderent humanitatem Christi redivivam in terris agentem, eaque gloriosa fruerentur, atque ab ea acciperent legationem, qua fungentur, et mandata, quæ exequentur in fine mundi, cum redibunt ut Christi fidem contra Antichristum propugnent et pro ea Martyres occumbant; ita opinantur S. Justinus Martyr in quæstionibus ad Orthodoxos, q. 75. 76. et 85. Irenæus l. 5. c. 5. Nicephor. l. 1. Histor. c. 31. S. Bonavent. in Meditat. cap. 91. et 98. Pavet S. Thom. in 3. dist. 22. q. 3. art. 2. in fine, ubi opinatur animas Patrum qui cum Christo resurrexerunt, fuisse in paradiso terrestri ; nam ubi hæ fuerunt, ibi fuit et Christus.

Loquens de regno Dei.] Regnum Dei proprie est regnum cœlorum : ibi enim Deus per gloriam regnat in Beatis, qui per potentiam et providentiam regnat in toto orbe. Ad hoc regnum Deus creavit et vocavit homines à mundi exordio : hic enim est hominis finis et beatitudo. Quocirca S. Joannis Baptistæ concionis hoc erat thema : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*, Matth. 3. 2. Idem deinde thema fuit Christi Matth. 4. 17. et ejus jussu Apostolorum omnium Matth. 10. 7. Verum quia hoc regnum Dei sese diffundit, illudque Deus communicat Ecclesiæ, et fidelibus, Sanctisque in ea militantibus, hinc et Ecclesia militans vocatur regnum Dei, scilicet spirituale : tum quia in ea regnat Deus per fidem, gratiam, cæterasque virtutes : tum quia ipsa est via, pars et inchoatio Ecclesiæ triumphantis, quæ proprie et perfecte est regnum Dei : nam ad eam tendit, suosque fideles ducit. Itaque per metonymiam Ecclesia, uti et prædicatio Evangelica, fidesque subinde vocatur *regnum Dei*, ut cum ait Christus : *Pervenit in vos regnum Dei*, id est, fides Evangelica, per quam Deus in vobis regnat, quæque vos facit membra Ecclesiæ, quæ est regnum Dei, ut jam ad ejus ditionem et regnum pertineatis. Sensus ergo est, q. d. Christus per 40. hos dies ante suum in cœlum ascensum, locutus est Apostolis de regno Dei, tum cœlesti, puta de gloria et felicitate æterna in Ecclesia triumphante ; tum terrestri quod ad cœleste ducit, puta de Ecclesia militante : nimirum docuit Apostolos quomodo Ecclesiam instituere, formare, perficere deberent per prædicationem Evangelii in toto orbe ; per varios Episcoporum, Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, etc. ordines ; per varios populi fidelis gradus et status ; per Sacramenta ; per humilitatem, patientiam, charitatem cæterasque virtutes. Quocirca Christus hic docuit Apostolos materias et formas, ritusque singulorum Sacramentorum et Ordinum, quas in Scriptura nusquam expressit ; jejunium quadragesimale, baptismum parvulorum, Eucharistiam non tantum esse Sacramentum, sed et sacrificium pro vivis et defunctis quotidie Deo offerendum, aliasque traditiones Apostolicas, quas ab illo acceptas Apostolis Ecclesiæ et posteris, ac posteri suis successoribus per manus continue per singula sæcula usque ad nos tradiderunt. Docuit rursum fideles debere continue luctari cum suis concupiscentiis, cum mundo et diabolo, ferre crucem, multa pati ut ad regnum cœlorum perveniant. *Regnum* enim *cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*, Matth. 11. 12. Docuit virtutes Christianas omnes, quibus quasi viis ad cœlum tenditur. Docuit instantes ipsis et Ecclesiæ persecutiones, easque continuas, quas mox à Christo passa est Ecclesia per trecentos annos usque ad tempora Constantini Imperatoris, etc.

Moral. docuit nos Christus crebro loqui de regno cœlorum, eoque actiones omnes nostras dirigere, et in omni tribulatione ejus spe constantiam sustentare, ac ad illud aspirare. Hujus enim fide et spe Sancti omnes tot heroica opera patrarunt, quæ recenset Apostolus Hebr. 11. toto cap. Nam, ut ait Tertull. lib. de Resurrect. *Spes Christianorum est resurrectio mortuorum.*

4. Et convescens.] Græci Codices hic variant. Nonnulli legunt συναυλιζόμενος, id est *conversans cum eis in eadem aula et hospitio ;* unde et aliqui codices Latini pro *convescens*, legunt *conversans.* Verum S. Chrysost. Syrus, Theophyl. Œcumen. et alii passim legunt συναλιζόμενος : quod Tigurina, Erasm. et Pagnin. vertunt *cõgregans eos in idem loci*, à voce ἀλίη, sive ἀλία, quæ *concilium* sive *congregationem* significat. Voluit enim Christus abiturus, omnes adesse, ut omnibus extremum vale diceret, ultimaque daret monita, ac coram omnibus ascenderet. Sed melius S. Hieron. ad Hedibiam q. 7. S. Chrysost. Theophyl. Œcumen. vertunt, *convescens*, ut συναλιζεσθαι dicatur à salis communione. Nam qui invicem convescuntur, de eodem sale et salino participant : ἅλς enim Græcis idem est quod sal Latinis. Sæpe enim Græcam aspirationem Latinum litteram S vertunt, ut ὑπερ, *super ;* ὗς, *sus ;* ἕρπω, *serpo ;* ἑρπύλλον, *serpillum ;* ὕλη, *sylva.* Eodem utraque lectio et versio redit. Nam qui in eodem hospitio degunt, eodem hospitii pane et sale vescuntur. Hinc Pythagoras, teste Laertio in ejus vita, censuit salem potissimum in mensa apponendum, quod æquitatis ac justitiæ nos admoneat, ut quod et servet tueaturque quidquid occuparit, et liquidissimis rebus aqua marique fiat. Rursum, sal symbolum est amicitiæ : quia corpora condit, et diutissime conservat, hinc sal fœderis nuncupatur Levit. 2. 13. Quare hospitibus ante alios cibos apponi solitum, quo amicitiæ firmitas ac perpetuitas significetur. Unde nonnulli ominosum habent, si sal in mensam profundi contigerit. Inde adagium : *Non oportet transgredi salem et mensam*, id est, jus amicitiæ. Sicut enim sal ex multis aquis, et fusilibus in unum quoddam et solidum coit, ita ex diverso convenientes in unum animi coalescunt, fitque illud Platonis (imo S. Lucæ), μιὰ ψυχή, inquit Pierius Hierog. l. 13. c. 10. quocirca Orig. in Matth. cap. 27. agens de Juda proditore. *Neque salis ejusdem*, ait, *neque mensæ, neque panis communicati memor fuit.*

Insuper τὸ συναλιζόμενος notat frugalitatem veterum, quod pani non aliud obsonium adderent, quam sal, sicuti potus eis erat aqua. Hinc illud Diogenis, qui vocatus à Cratere ad hospitium respondit, *se malle Athenis salem lingere, quam alibi opiparis vesci epulis.* Et illud Horatii.

Cum sale panis
Latrantem stomachum bene leniet.

Idem alibi Tigellium cantorem ita loquentem inducit :

Sit mihi mensa tripes, et concha salis puri.

Eodem spectat quod Cicero libr. de Amicitia, multos cum eo prius salis modios sumendos præcipit, cum quo amicitiam inire cogitas. Plinius l. 31. c. 7. ex Varrone, sale pulmentarii vice usos veteres, illosque salem cum pane esitasse testatur. Hinc Homerus salem vocat *divinum*, et Plato, *sacrosanctum*, de quo vide Plutarch. in Sympos. decad. 5. Hinc et Apostolos sanxisse, ut Christiani feria quarta et sabbato non nisi panc, sale et aqua vescerentur; scribit Epiphan. l. 5. tom. 1. hæresi 75. imo S. Nazianz. perpetim se non aliud, quam hæc tria sumpsisse, testatur Carmine 9. dum ita canit:

Brevisque voluptas
Ærumnas multas comites habet. At mihi cordi
Est panis rigidus, mihi grata obsonia præbet
Sal purum; simplex nulloque instructa labore
Mensa, dein latices mihi sobria pocula fundunt.
Hæ mihi divitiæ summæ, Christusque salutis
Auctor.

Iisdem victitasse Anachoretas et Cœnobitas priscos, patet ex Vitis Patrum.

Porro significat Lucas hic, et Evangel. c. 24. 48. Christum paulo ante ascensionem comedisse et prandisse cum Apostolis, idque docet S. Hieron. loco jam citato, et S. Aug. tract. penult. in Joannem.

Causæ fuerunt. Prima, *ne ipsum spectrum et phantasma putarent*, ait S. Chrysost. Secunda, ut abiturus insignis dignationis, amicitiæ, humilitatis et charitatis (perinde ac fecerat in ultima cœna iturus ad mortem) exemplum eis daret, et aculeum ad imitandum et redamandum infigeret. Quis enim non miretur Christum, non jam mortalem et passibilem, sed immortalem et gloriosum, qui cibo angelorum, imo Dei ipsius vescitur, ad rudium et pauperum Apostolorum mensam, escam, et salinum vile et luteum se demittere, eis assidere, cum eis convivari, eadem esca et sale vesci, quasi socium cum sociis, amicum cum amicis? Ex adverso Lutherus non Apostolicus, sed Apostaticus et fanaticus, ut sui cacangelii auctorem ostenderet, jactabat se cum diabolo modium salis comedisse. Diaboli ergo fuit conviva, socius, Apostolus. Vide nostrum Serarium lib. de Lutheri Magistro. Tertia, ut daret typum, et quasi prælibationem convivii cœlestis, juxta illud : *Ecce ego dispono vobis*, etc. *regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo*, Lucæ 22. 29. Unde sal est symbolum æternitatis, æque ac sapientiæ et discretionis, quam Christo convescentes Apostoli ab eo participarunt, ut fierent sal terræ. Vide dicta Levit. c. 2. 13.

Ex hoc loco multi colligunt, Christum paulo post peractum prandium, quod fieri solet in meridie, plena luce et palam coram omnibus discipulis in cœlum ascendisse. Ita S. Prosper sententia 203. inter Sentent. ex August. collectas, quæ habentur in fine tom. 3. S. Aug. certo tradit Christum meridie ascendisse. Quocirca in multis locis pia est consuetudo, ab hora meridiei usque ad horam primam post meridiem orationi vacare, in memoriam Dominicæ Ascensionis, ait Franc. Suarez 3. p. tom. 1. disp. 51. sect. 2. Nam statim finito prandio, quod factum est Hierosolymæ in cœnaculo Sionis, eduxit Apostolos in montem Oliveti : in quo itinere, et in congregandis aliis discipulis aliquid temporis insumptum est : mox in monte Oliveti valedicens et benedicens eis ascendit. Causam dat S. Prosper ex S. Aug. loco jam citato. *Vigor*, ait, *fidei Christianæ tribus temporibus initiatur, vespere, mane et meridie. Vespere enim Dominus in cruce, mane in resurrectione, meridie in ascensione. Unum ad patientiam occisis, aliud ad vitam resuscitati, tertium pertinet ad gloriam majestatis in Patris dextera considentis.* Sicut ergo in meridie crucifixus est, sic et merito crucis in meridie ascendit, ut quo tempore se humiliavit ad mortem crucis, eodem et ascendens exaltaretur in cœlo. Unde sub idem tempus moriens Ven. Beda secutus est Christum Dominum ascendentem in cœlum. Mortuus est enim V. Beda ipso festo Ascensionis Christi, idque sine morbo, cum interesset Vesperis, canens *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto;* anno Domini 731. ætatis 59. Ita Auctor vitæ ejus, et ex eo Baron. anno Christi jam dicto.

Quæres, quæ, et qualis fuerit hæc Christi comestio in ore et corpore ejus jam glorioso? Dico Primo. Auctor de Mirabil. S. Script. l. 3. c. 14. apud S. August. censet fuisse comestionem non veram, sed apparentem, qualis fuit Raphaelis Tobiæ 12. 19. dicentis : *Videbar quidem vobiscum manducare et bibere, sed ego cibo invisibili, et potu qui ab hominibus videre non potest, utor.* Comestio enim est actio vitalis, qua scilicet vi animæ cibus ex ore in stomachum, et membra quæ anima informat, vitaliter trajicitur, et concoquitur. Raphael autem non informabat corpus assumptum, sed ei tantum assistebat : unde locutio ejus, comestio, perfectio, etc. non erant actiones vitales, id est, factæ vitaliter ab anima informante corpus, sed extrinsecus per corpus, et in corpore quasi organo exercitæ. Trajiciebat ergo angelus cibum ex ore in stomachum : sed sicut os ejus et stomachus, non erat verum et humanum os et stomachus; sic nec vera et humana erat ejus comestio. Verum secus fuit in Christo : Christus enim post resurrectionem verum assumpsit corpus, quod anima vere ut prius informabat, ac proinde sicut vera et vitalis fuit ejus locutio, visio, auditio, sic et comestio. Vitaliter vi animæ trajiciebat cibum ex ore in stomachum. Fuit ergo hæc ejus comestio non apparens, sed realis et propria : quia eam adhibuit quasi certum argumentum vitæ, et consequenter resurrectionis suæ; ita passim Patres.

Dico Secundo, Hic autem cibus non fuit à Christo digestus, et in corpus ejus conversus, uti vult Waldensis et Durandus in 3. dist. 22. q. 6. ad 2. corpus enim gloriosum ali, et crescere aut decrescere nequit : est enim impassibile et inalterabile. Nam ut ait S. August. epist. 49. q. 1. et ex eo Beda : *Aliter aquam absorbet terra sitiens, aliter Solis radius candens; illa indigentia, iste potentia.* Unde sequitur, quod hæc comestio non tam sit animæ vegetantis, utpote cujus actiones cessant in corpore glorioso, quam animæ sentientis et loco motivæ. Est enim quasi applicatio quædam materiæ, in quam exerere possit virtutem suam facultas nutritiva, si nutrimento egeret, aut ejus esset capax, uti est corpus mortale, non autem immortale, quale erat Christi.

Christus ergo virtute sua divina subito hunc cibum consumpsit, eumque in aerem, aut præjacentem materiam resolvit : vel per dotem subtilitatis stomachus Christi penetravit cibum, itaque in alium à cibo locum transivit; ac consequenter cibum à se exclusit, eumque in locum quem voluit transtulit; ita Suarez 3. p. tom. 1. disp. 47. sect. 5.

Objicies : ergo non fuit realis et propria Christi comestio, qualis est in nobis, qui ex ea vegetamur et nutrimur. Resp. nego consequentiam : nam ad rationem veræ et propriæ comestionis requiritur, et sufficit, ut per vitalem actionem et organa vitæ (puta, linguam, dentes, maxillas, fauces, etc.) cibus ore sumptus transmittatur in stomachum : quod non est in angelo, si corpus assumat. Nec enim in eo est actio vitæ, sed tantum motio localis per corpus, cui quasi auriga assistit. Verum tamen est, in Christo non fuisse tam perfectam comestionem, quam est in nobis. In nobis enim est opus animæ tam vegetantis, quam sentientis : in Christo sentientis dumtaxat. Media ergo fuit hæc Christi comestio inter nostram et angelorum. Nostra enim est actio animæ sentientis et vegetantis; in Christo sentientis, non vegetantis : in angelo nec vegetantis, nec sentientis, sed loco moventis, sive motum localem circa stomachum et corpus assumptum exercentis.

Præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent.] Quæres, cur Christus Hierosolymis, non alibi miserit Spiritum sanctum? Resp. Prima causa, fuit quia in Jerusalem fuit passus, Jerusalem enim elegerat passioni, Bethlehem nativitati, ait S. Leo serm. de Pass. Domini : quia gloriam suam abscondere, et ignominiam toti orbi ostendere voluit, ut nos idem facere doceret : passionis autem merito missus est Spiritus sanctus : decebat enim, ut ibi Christus passus erat ignominiam, ibi subiret et gloriam. Nam Spiritus sanctus fuit Christi gloria, eumque in Judæa et toto orbe celebravit, ut nos doceret pati ignominiam, spe certa, quod illam Deus versurus sit in gloriam.

Secunda, quia in Jerusalem, puta in monte Oliveti, qui imminet Hierosolymæ, in cœlum ascendit. Ibi ergo pariter misit Spiritum sanctum, ut significaretur ipsum esse qui mitteret, uti prædixerat et promiserat, non alium.

Tertia, quia in Jerusalem Christus docuit, instituit Apostolos, fundavit Ecclesiam. Ibidem ergo venit Spiritus sanctus, ut hæc omnia confirmaret et promoveret.

Quarta, ut Spiritus sanctus significaret, se abolito Judaismo (hujus enim metropolis erat Jerusalem) instituere christianismum. In Pentecoste enim Apostoli pleni Spiritu sancto cœperunt legem novam promulgare. Hæc autem promulgatio publice fieri debebat in Jerusalem, ut omnes Judæi eam possent audire et cognoscere, indeque discere antiquatam esse legem veterem.

Quinta, quia Jerusalem erat caput Synagogæ et populi fidelis, uti jam est Roma. Sicut ergo anima magis est, vigetque in capite quam in ceteris membris : ita Spiritus sanctus magis erat et vigebat Hierosolymæ (uti jam viget Romæ, dum dirigit Pontificem, et Cardinales in regimine Ecclesiæ, dumque fidelibus ibidem tantum fervorem, totquepietatis et charitatis opera aspirat) quam in aliis Judææ urbibus. Adde, in Jerusalem erat Sion et templum, in quo colitur et præses est Spiritus sanctus.

Sexta, quia in Sion regnavit David et Salomon, quorum filius fuit Christus eis promissus. Hic ergo pariter in Sion regnare debuit. In Sion itaque fundavit Ecclesiam, quasi suum regnum. Unde illa à Prophetis vocatur Sion, ut Isaiæ 2. v. 3. *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.* Et c. 61. 1. *Spiritus Domini super me,* etc. *ut prædicarem annum placabilem Domino,* etc. *ut ponerem lugentibus Sion, et darem eis coronam pro cinere;* et sæpe alibi.

Tropol. Jerusalem, id est visio pacis, symbolum est animæ justæ, quæ pacem colit cum Deo, secum et cum proximis. Hæc enim sedes et templum est Spiritus sancti, juxta illud : *Factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion,* Psal. 75. 3.

Alleg. Jerusalem typus est Ecclesiæ, in qua sola est, et ostendit se Spiritus sanctus, juxta illud : *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum,* Matth. 18. 20. Nemo ergo se separet ab Ecclesia, à sua congregatione, ordine, collegio, si velit recipere et retinere Spiritum sanctum. Rursum quisque fidelis, Clericus, Religiosus frequentet templa cœtusque publicos, ut Litanias, conciones, collationes, etc. ibi enim sentiet loquentem Spiritum sanctum, ejusque inspirationes et dona percipiet. Quocirca monet Apostol. fideles dicens : *Non deserentes collectionem nostram,* Heb. 10. 25.

Anagog. Sion et Jerusalem terrestris, typus est cœlestis, in qua Spiritus sanctus suas opes et gloriæ dotes effundit in Beatos, qui ejus gratiæ et donorum in terrestri fuere participes, juxta illud Hebr. 12. 22. *Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis et judicem omnium Deum, et spiritus justorum perfectorum, et testamenti novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel. Videte ne recusetis loquentem.*

Sed expectarent.] Primo, ad acuendum in eis desiderium Spiritus sancti, *oportebat enim illos desiderio promissi teneri, atque ita donum accipere,* ait S. Chrys. Secundo, *oportebat in cœlo comparere naturam nostram, et perfectam reconciliationem fieri, ac tum venire Spiritum, quo merum purumque gaudium fieret.* Tertio, quia *noluit Christus discipulos ante Spiritus sancti adventum tanquam inermes, et sicut absque auriga equos prodire in publicum,* ait idem Chrysost. Succubuissent enim laboribus, tentationibus, persecutionibus, philosophis, tyrannis, nisi Spiritus sanctus eos armasset, et invictos, imo omnium victores, effecisset. Hinc explicans hoc Christi præceptum Lucas Evang. 24. 49. *Vos autem sedete,* inquit, *in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Moral. non incogitantibus, torpentibus et dormientibus, sed expectantibus, orantibus et vigilantibus Spiritus sanctus ejusque dona obveniunt.

Promissionem Patris.] Est metonymia : ponitur actus pro objecto, puta promissio pro promisso, vel re promissa. Promissio ergo est Spiritus sanctus promissus, tum à Christo, tum à Patre; modestiæ tamen causa vocat eum promissionem, non suam, sed Patris, sicut et in Evangel. apud S. Joannem, vocat eum donum, non suum, sed Patris : quia scilicet Pater est primus fons, et origo SS. Trinitatis. Ab eo enim haurit

Filius suam deitatem, et consequenter vim spirandi, ut scilicet cum Patre spiret et producat Spiritum sanctum. Hujus modestiæ testes sunt hi sermones Christi : *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis*, Joann. 14. 16. q. d. Ego fui prior paraclitus, à Patre ad vos docendos et redimendos missus : docui, redemi vos : peracta ergo mea legatione in cœlum redeo : orabo Patrem, et impetrabo, ut mei loco alium Paraclitum mittat vobis, puta Spiritum sanctum qui ea quæ ego docui illustret et perficiat, juxta illud v. 26. *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.*

Nota. Spiritus sanctus est donum, et dos propria novi Testamenti, puta legis Christianæ, et gratiæ Christi : illius enim est pignus et promissum : illo proinde caruit vetus testamentum, puta lex Mosis, Synagoga et Judæi, utpote duri, terrestres et carnales : si qui vero illum habuerunt, ut Elias, Moses, David, illi filii fuere novi testamenti potius quam veteris. Hinc illud prædixerunt, et promiserunt Prophetæ, ut Ezechiel c. 36. *Dabo vobis cor novum, et Spiritum novum ponam in medio vestri, et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. Et Spiritum meum ponam in medio vestri : et faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Et Jerem. cap. 31. 33. *Hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus : Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens : Cognosce Dominum : omnes enim cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum.* Joel. c. 2. 28. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri,* de quo cap. 2.

5. QUIA JOANNES QUIDEM BAPTIZAVIT AQUA] Judæos quoslibet, imo et Apostolos antequam à Christo vocarentur, ait S. Chrysost. Euthym. et Tertull. lib. de Baptismo c. 12. (etsi id negare videatur Beda) præsertim Andream ejusque socios, qui erant discipuli Joannis.

VOS AUTEM BAPTIZABIMINI SPIRITU SANCTO,] scilicet in baptismo Christi. Hunc enim opponit baptismo Joannis, inquit S. Chrys. Theophyl. et Euthym. in Joannis c. 3. qui consequenter censet Apostolos Christo moriente, resurgente et ascendente necdum baptismo Christi baptizatos, et per aquam lustratos fuisse. Accedunt ad hanc sententiam alii, qui opinantur Baptismum Christi non ante, sed post mortem et resurrectionem ab eo institutum fuisse, Matth. 28. v. 19. cum dixit : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Ita opinatur Tertull. lib. de Baptism. c. 11. S. Hier. Dial. contra Lucifer. Chrys. hom. 28. in Joannem, et obiter S. Thom. 3. p. q. 73. art. 5. ad 4. Verum jam diu ante institutum fuisse baptismum à Christo patet Joannis 3. 3. esto promulgatus fuerit post Christi ascensum in Pentecoste, tumque omnes obligare cœperit, ut patet Actor. 2. v. 38. Ita censent passim Interpretes, et Doctores cum D. Thoma 3. p. q. 66. art. 2. ubi id tractat ex professo. Unde et Apostolos Christi, æque ac Joannem Baptistam, in aqua baptizasse, utique baptismo non Joannis, sed Christi, ideoque ortam esse contentionem inter discipulos de baptismo Joannis et Christi, legimus Joannis 4. 25. Quocirca S. Evodius successor S. Petri in Cathedra Antioch. epist. quæ inscribitur τὸ φῶς, id est *lumen*, asserit Christum suis manibus baptizasse ex mulieribus solam Virginem, ex viris solum Petrum : Petrum autem baptizasse Andream, Jacobum et Joannem ; et hos tres baptizasse reliquos Apostolos.

Dico ergo ad litteram, baptismum Spiritus sancti vocari hic effusionem Spiritus sancti in Pentecoste, qua copiose instar aquæ in Apostolos effusus est, eosque in seipso quasi mersit et absorpsit. Baptismus igitur significat copiam charismatum, quam receperunt Apostoli in Pentecoste, adeo ut eo non tingi, non imbui, sed profundi, repleri et inebriari viderentur : *Ut enim is qui aqua mergitur et baptizatur, undique ab aquis circumdatur, sic et illi à Spiritu baptizati sunt perfecti*, ait Cyrill. catechesi 17. Opponit itaque Christus mysticum suum baptismum effusionis Spiritus sancti, litterali baptismo Joannis Baptistæ, in eo, quod ille dumtaxat datus sit in aqua, nec contulerit remissionem peccatorum, gratiam aut justitiam, sed ad eam in baptismo Christi recipiendam disposuerit ; inducendo homines et voce et gestu ad pœnitentiam et lacrymas, uti docet S. August. in c. 1. S. Joannis tract. 5. et alii passim : Christi vero baptismus mysticus dandus sit in Spiritu sancto, ostendente se non in aqua frigida, sed in igne ardenti : quia daturus erat in Pentecoste Apostolis cor igneum et linguas igneas. q. d. Joannes baptizavit in aqua dumtaxat, at ego non tantum in aqua, sed et in Spiritu sancto baptizo. Nam brevi mittam in vos Spiritum sanctum, qui suo spiritu et sanctitate ita vos opplebit, ac si in eo toti baptizaremini, et mergeremini ; ut deinceps vos etiam alios possitis baptizare in aqua et Spiritu sancto. Ita factum est. Nam Apostolis baptizantibus descendebat Spiritus sanctus in fideles, non tantum invisibiliter, sed et visibiliter in specie ignis, etc. uti primitus in ipsosmet descenderat in Pentecoste ; ita S. Chrysost. Œcumen. Beda, Lyran. et alii. Porro missionem Spiritus sancti Christus vocat *baptismum ;* quia baptismus significat, Primo, purgationem peccatorum et affectionum, quam Apostolis contulit, et in dies confert Spiritus sanctus. Sicut enim aqua in baptismo corpus tangens cor abluit, ut ait S. August. omneque peccatum ab eo extergit, ita Spiritus sanctus in Pentecoste cor mentemque Apostolorum ab omni peccato, vitio et cupiditate terrena abluit et expurgavit.

Secundo, vox *baptismus* significat plenam sanctificationem. Sicut enim baptismus animæ à peccatis expurgatæ inserit fidem, spem, charitatem et sanctitatem : ita Spiritus sanctus in Pentecoste indidit Apostolis omnem gratiam, virtutem et sanctimoniam, idque in gradu perfecto et heroico.

Tertio, eadem vox significat plenitudinem et abundantiam charismatum. Sicut enim corpus in baptismo aqua circumdatur et obruitur : ita Apostoli Spiritu sancto ejusque donis quasi circumdati et obruti fuere.

Quarto, significat ardorem et zelum. Hic enim eorum baptismus fuit igneus, non aqueus : Spiritus sanctus enim in specie ignis eis insidens ignivit corda eorum. Hoc est quod ipse S. Joannes Baptista Judæis, eum interrogantibus de suo baptismo, respondit : *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam, qui autem post me ven-*

turus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni. Matth. 3. 11.

Hinc Theologi triplicem distinguunt baptismum, fluminis, flaminis, et sanguinis. Fluminis, est communis, qui fit per aquam. Sanguinis, est martyrium : hoc enim expiat omne peccatum, æque ac baptismus. Flaminis, est hic Apostolorum, et etiam eorum qui contriti desiderant Sacramentum baptismi, sed ob defectum aquæ, aut ministri illud suscipere nequeunt. Hi enim justificantur sua contritione cum voto baptismi, quod aspirat eis flamen, id est, Spiritus sanctus. Denique hic baptismus maximum fuit innovati mundi miraculum. Quocirca vere S. Chrysost. in Gentiles, qui negabant Apostolorum miracula : *Hoc ipsum*, inquit, *maximum est miraculum, est miraculum absque miraculis orbem terrarum accurrere, à duodecim pauperibus et illiteratis hominibus attractum.*

NON POST MULTOS HOS DIES.] Puta decimo abhinc die in Pentecoste, sed noluit Christus certum diem eis indicare, *ut superessent vigilantes*, ait S. Chrys., *ac sollicitius promissum expectarent, non enim datur, non datur inquam gratia, nisi vigilanti. Annon vides quid dicat Elias discipulo? Si videris me cum abripiar, sic erit tibi, hoc est, continget tibi quod postulas*, puta spiritus meus duplex, 4. Reg. 2. *Sic et Paulo non statim data est gratia, sed triduum intercessit, quo fuit cæcus, atque interim metu purgatur ac præparatur. Nam sicut qui purpuram tingunt, prius aliis quibusdam coloribus præparant id quod tincturam accipiet, ne flos dilutus et evanidus fiat : sic et hic prius animi sollicitudinem Deus præparat, ac deinde infundit gratiam. Eamdem ob causam nec Spiritum illico misit, sed in die quinquagesimo.*

6. IGITUR QUI CONVENERANT.] Non soli Apostoli, sed et alii discipuli, coram quibus Christus ascendit. *Simul coeunt*, ait S. Chrysost., *ut pudore quodam, ac reverentia multitudinis, quod scire desiderant, extorqueant.* Vox *igitur*, innuit, quod Apostoli putarint Christum quasi Messiam, jam post resurrectionem suam restituturum regnum Israel jampridem collapsum, ideoque missurum Spiritum sanctum, ut id restituat, hancque esse promissionem Patris per Prophetas. Amos enim cap. 9. 11. sic vaticinatur : *In die illa suscitabo tabernaculum David quod cecidit, et reædificabo aperturas murorum ejus*, etc. Et Osee cap. 14. 6. *Ero quasi ros Israel, germinabit sicut lilium, et erumpet radix ejus ut Libani.* Et Joel. cap. 3. 20. *Judæa in æternum habitabitur, et Jerusalem in generationem et generationem*, etc. *et Dominus commorabitur in Sion.* Et Abdias v. 17. *In monte Sion erit salvatio, et erit sanctus : et possidebit domus Jacob eos qui se possederant.* Denique Gabriel Archangelus nuntians Christi ortum Virgini Deiparæ, *Dabit*, inquit, *illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum*, Lucæ 1. 32.

SI, id est, an, num, ut vertit Pagnin. Tigurina, et alii, IN TEMPORE HOC tuæ resurrectionis, gloriæ et triumphi, RESTITUES, græce ἀποκαθιστάνεις, id est, *restituis* in præsenti REGNUM ISRAEL.] Græce τῷ ἰσραήλ, id est, *Israeli*. q. d. Israel jam perdidit regnum, imo illud translatum est in Herodem Idumæum, et alienigenam. Scimus ex prophetiis præsertim Jacobi Gen. 49. 10. translato jam sceptro propediem Messiam venturum, ut illud Israeli restituat : ergone id modo præstabis? Scimus enim et credimus te esse Messiam, id est, novum verumque Davidem Israelis. Erant in eo, quod putent regnum Messiæ fore temporale, quale fuit Davidis et Salomonis, non spirituale. Sed hic communis Judæorum (uti jam est omnium) ævi illius fuit error. Unde Joannes et Jacobus petierunt dextram et sinistram in regno Christi, Matth. 20. 20. et duo discipuli euntes in Emaus : *Sperabamus*, inquiunt, *quod ipse redempturus esset Israel*, Lucæ 24. 21. Quocirca Christus ad quæstionem eorum directam non dat solutionem, quia ejus adhuc erant incapaces, sed retundens eorum curiositatem, indirecte et tacite eamdem solvit, nimirum venturum Spiritum sanctum, ut intrepide Christi regnum spiritale per fidem, in Judæa et Samaria, totoque orbe propagent. Spiritalis enim Israel est populus fidelis et Christianus, ad quem carnalis Israel aggregabitur in fine mundi, quando regnum hoc evadet gloriosum, omnesque Sanctos in anima et corpore beabit in æternum.

7. NON EST VESTRUM NOSSE TEMPORA,] successiones, decreta et eventa temporum.

VEL MOMENTA.] Græce καιρούς, id est, *opportunitates temporum;* ita Pagnin. et alii ; Tigurina, *articulos temporum;* Vatabl. *opportunitates*, scilicet rei gerendæ. Noster docte eas vocat vertitque *momenta :* quia momentum hic non significat instans, sed pondus et inclinationem temporis. Sic Cicero l. 5. de Finibus ait, *inclinationes rerum et momenta temporum*, et Horat. l. 1. epist. 6. *certis momentis decedentia tempora.* Rursum Cicero lib. 6. epist. 10. ad Trebatium : *Omnia*, inquit, *momenta* (id est, occasiones) *observabimus, neque ullum prætermittemus tui juvandi et levandi locum. Momentum* enim Grammatici deducunt à moveo ; momentum enim, sive occasio, est quasi pondus rem movens et inclinans ad rem gerendam : hinc vocantur judiciorum, et rerum maximarum magna momenta, id est, quæ magnum pondus habent et efficaciam, ut res huc illuc ve inclinet. Sic et Sapiens c. 11. 23. dixit, *momentum statere*, græce ῥοπή, id est, *inclinatio, motus, propensio stateræ*, sive *bilancis.* Sic vulgo dicimus : Favor in aulis magnum habet momentum, parvum eruditio.

Moral. Deus regnorum rerumque omnium vicissitudines, exordia, media et fines peragit suis momentis, et opportuno tempore. Opportunitas enim rei gerendæ magnum affert, tum momentum et pondus, tum facilitatem, tum decorem. Quod si ea desit, Deus procurat ut adsit per congruos providentiæ suæ modos, quos in thesauris sapientiæ suæ reconditos habet, quibus facit ut omnes rerum temporumque successus invicem apposite nectantur, ac velut ansulæ sibi invicem inserantur, ut catenam elegantem efficiant. Quocirca Boetius l. 4. de Consol. prosa 6. providentiam docet esse seriem causarum rerumque in mente Dei, quæ omnia suis nectat ordinibus miris arctisque, sed arcanis nobis : veteres fatum appellavere. Stoici enim fatum dixere esse præcedentium causarum subsequentiumque perplexionem quamdam, et instar catenæ connexionem. Verum quia hoc, utpote indeclinabile et inevitabile, necessitatem inferre, et libertatem voluntati hominis et angeli adimere censuerunt; hinc merito impii, imo fatui sunt, qui fatum vel fando usurpant. Audi S. Aug. tract. 37. In Joannem : *O si cor tuum non esset fatuum, non crederes fatum.*

Ita Deus congrue et opportune fecit, ut regnum

et Monarchia Cyri et Persarum succederet Monarchiæ Chaldæorum : Dario deinde et Persis succederet Alexander et Græci : his Romani, qui regnum Israel per Pompeium et Augustum, intrudendo alienigenam regem Herodem, capite minuerent, et paulo post ob cædem Christi per Titum et Vespasianum delerent : ut ita abolito regno Israel et Judaismo, succederet regnum Christi et christianismus, cui Israel aggregabitur in fine mundi, idque opportune et congrue. Tunc enim mittet Deus Henoch, ex quo quasi patriarcha prognati sunt Israelitæ; et Eliam, qui fuit Judæus, et Propheta celeberrimus Judæorum, cui proinde Christum annuntianti, quasi civi et Prophetæ suo credent Judæi, æque ac Henoch, utpote patri et patriarchæ suo.

Idem exemplo suo docet nos Deus, nimirum ut opportune omnia agamus, et occasiones rei bene gerendæ studiose captemus, nec effluere sinamus. Nam, ut ait Cato :

> Fronte capillata est, à tergo occasio calva,

ut, cum transierit, eam apprehendere nequeas. Et Ovid.,

> Temporibus medicina valet : data tempore prosunt,
> Et data non apto tempore vina nocent.

Phocylidis monitum fuit : *Occasioni obtempera, et noli spirare contra ventos.* Menandri : *Occasio legibus est potentior multo, et multarum rerum est causa : celerrime permutat res, et ipsa celerrime elabitur et avolat.* Vegetii l. 3. de Re milit. c. 26. *Occasio in bello amplius solet juvare quam virtus.* Demosthenis orat. ad Leptin. *Parvæ occasiones magnarum rerum causæ existunt.* Alterius : *Occasio anima actionum est,* Livii lib. 2. decade 3. *Armatus intentusque his neque occasioni tuæ desis, neque suam occasionem hosti des.* Sic qui versantur cum puellis, dant dæmoni occasionem tentandi se libidine; qui cum superbis, de fastu; qui cum gulosis, de gula; nam si vel filum, aut pilum illi concedas, inde plectet tibi funem, quem omni robore vix dirumpes Antigonus Pyrrho ad bellum provocanti respondit : *Suam militiam non magis armorum, quam temporum esse : Pyrrho, si illum vitæ suæ tædium cepisset, satis multas ad interitum vias patere;* ita Plutarch. in Pyrrho. Themistocles adolescenti qui occasionem neglexerat : *O adolescens,* ait, *sero quidem ambo, sed tamen sapere cæpimus.* Ita Plut. in Apopht. Scipionis Africani dogma fuit : *Non esse pugnandum nisi aut invitaret occasio, aut urgeret necessitas.* Ita Plut. in ejus vita. Quocirca Gentilium prudentia maxime in opportunitate captanda enituit. Egregie Plinius l. 15. c. 24. *Morus,* ait, *novissima omnium germinat, et tamen parit inter primas : ita qui tempus idoneum operiuntur rei conficiendæ, etiamsi serius cœperint, tamen maturius conficiunt.* Idem l. 11. cap. 6. et 10. *Aper peragunt opus suum non statis diebus, sed quoties cœli commoditas invitat : ita suo quæque tempore rapienda est occasio.* Denique S. Chrysost. lib. 1. de Compunctione : *Sicut,* ait, *in corporibus et fistulis, nisi quis prius humorem influentem sistat, mali fonte non obstructo, incassum omnia facit : itidem et nos, nisi occasionem quasi fontem mali caverimus,* Porro idipsum non tantum in factis, sed et in verbis dictisque locum habet, verbum enim opportune prolatum plus efficiet, quam mille importune. Vere Sapiens Proverb. 25. 11. *Mala aurea in lectis argenteis; qui loquitur verbum in tempore suo.* Christianus ergo hæc sibi adaptet, et occasionibus omnibus ad bene agendum utatur, ut lucra cœlestia adaugeat, quæ quotidie mire augere potest, si occasiones captet, uti captat mercator occasionem negotiandi, miles vincendi. Post hoc enim breve tempus et occasionem, non erit tempus nec occasio lucrandi.

8. Sed accipietis virtutem,] δύναμιν, id est *potentiam, robur, vim, efficacium,* quæ tanta fuit in Apostolis, ut reges, tyrannos, Gentes feras et barbaras, totumque orbem subegerint Christo; cum ipsi essent pauci, pauperes, rudes, ignobiles. Hoc est quod ait Christus Lucæ 24. 49. *Ego mitto promissum Patris mei in vos : vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Præclare S. Bernard. ser. 85. in Cant. *Opus virtute habes,* inquit, *et non quacumque, sed qua induaris ex alto. Ipsa enim si perfecta sit, facile sic animum victorem sui et sic invictum reddit ad omnia. Est quippe vigor animi cedere nescius pro tuenda ratione. Vel sic : Vigor animi, quod in se est, omnia ad rationem cogens vel dirigens,* etc. *Felix anima quæ angelis spectantibus præbuit gaudium pariter et miraculum sui, ut audiret de se loquentes : Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Alioquin frustra nititur, si non innititur.* Et mox : *Quidni omnia possibilia sint innitenti super eum qui omnia potest? Quantæ fiduciæ vox : Omnia possum in eo qui me confortat? Nihil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quam quod omnipotentes facit omnes qui in se sperant.* Et inferius : *Ita Verbo innixum, et indutum virtute ex alto, nulla vis, nulla fraus, nulla tam illecebra poteris vel stantem dejicere, vel subjicere dominantem.*

Supervenientis.] Græce ἐπελθόντος, in aoristo, id est, *cum* vel *postquam supervenerit.* Prius enim datus est Spiritus sanctus personaliter Apostolis, deinde existens in eis, eosque inhabitans, suam virtutem et dona in eos transfudit : perinde ac sol postquam ortus est, suos radios in orbem diffundit; de quo plura cap. 2.

Spiritus sancti.] Quis, qualis et quantus sit hic Spiritus, dicam initio cap. 2.

Et eritis mihi.] *Mihi,* meæ scilicet incarnationi, morti, redemptioni, resurrectioni, ascensioni, cæterisque mysteriis quæ hucusque peregi. q. d. Docebitis et testificabimini me esse Filium Dei, qui pro salute hominum incarnatus et crucifixus sum, ac proinde me esse Salvatorem mundi, ideoque eos in me credere debere ut salventur, nec enim extra me est salus.

Testes.] Per miracula, per vitæ sanctimoniam, per prædicationem, sapientiam et efficaciam non humanam, sed divinam. q. d. Vidistis ô discipuli, ô filii mei, vitam meam, doctrinam audistis, spectastis mea miracula, itinera, labores, contradictiones, tormenta, mortem, crucem, resurrectionem, mox spectabitis meam ascensionem et missionem Spiritus sancti. Ubique vidistis meum in homines amorem et zelum, qui me è cœlo in terram et in crucem traxit : ite, testificamini, et docete hæc in toto mundo, ut suam salutem ament et curent, sicut ego amavi et curavi, ut me ipsos amantem redament : ecce ascendo, ut parem eis locum in cœlo : suadete ergo, ut vanas terræ opes pompasque contemnat, ut timeant Dei judicium et gehennam, ambiant, aspirentque ad cœlum. Ecce quales et quanti hi testes Christo fuerunt.

Vide hic dignitatem Apostolorum, de qua præclare S. Chrysost. hom. de S. Andrea, quæ extat

apud Surium die 30. Novemb. *Nihil tale*, inquit, *unquam fuit, quale fuerunt Apostoli. Hi cum Dei verbi essent ministri, attrectarunt incarnatum illum, qui ut Deus figuram non habet. Secuti sunt ambulantem eum, qui ubique præsens est. Discubuerunt una cum illo, qui nullo loco circumscribitur. Ejus vocem audiverunt, qui verbo fecit omnia. Mundum ipsum lingua, tanquam sagena quædam concluserunt. Circumierunt suis cursibus fines orbis terrarum. Errores ut zizania eradicarunt. Aras ut spinas quasdam amputarunt. Idola tanquam feras interfecerunt. Dæmones ut lupos profugarunt. Ecclesiam ut gregem quemdam collegerunt. Orthodoxo tanquam frumentum congregarunt. Hæreses ut paleas projecerunt. Judaismum tanquam fœnum arefecerunt. Græcorum sectam tanquam stipulas quasdam igne combusserunt. Humanam naturam cruce ipsa tanquam aratro quodam excoluerunt, et verbum Dei ut sementem quamdam sparserunt. Ad summam, omnia illorum facta tanquam sidera quædam effulserunt. Quamobrem clara voce illis dicebat Dominus : Vos estis lux mundi. Siquidem Orientem habet Christianus homo, illum qui è Virgine natus est : diluculum habet, eum qui baptismatis parens fuit : splendorem habet, Christi crucifixi gratiam : radios, admirabiles illas linguas : diem, futurum illud sæculum : meridiem, tempus quo in cruce ipsa mansit Dominus : occidentem, sepulchri habitationem : vesperam, brevem illam mortem : solis fulgorem, resurrectionem à mortuis. Vos estis lux mundi. Intuere astra hæc, et illorum splendorem obstupesce.*

In Jerusalem.] Apollonius, vetus Ecclesiasticus scriptor, ait Euseb. lib. 5. Histor. c. 18. in fine, *Meminit Thraseæ cujusdam Martyris, qui quasi ex traditione priorum se accepisse asseruit, Salvatorem præcepisse Apostolis suis, ne ante duodecimum annum ab Hierosolymis discederent.* Sed hoc cum grano salis accipiendum : satis enim constat ex Actis, ob necem Stephani, quæ paulo post Christi ascensionem contigit, dispersos fuisse Apostolos; ac eorum divisionem per orbis provincias ante duodecimum annum contigisse, multi Historici et Doctores docent. Nam. S. Jacobum, qui ante duodecimum andum Martyr occubuit, in Hispanias profectum, ibique evangelizasse constanter asserunt Hispan. Annales et continua traditio.

9. Et cum hæc dixisset,] aliaque quæ recensent S. Lucas, Matthæus et Marcus in fine Evangelii. Verisimile est Christum finito prandio, Apostolos aliosque discipulos prius convocatos (quos 120. recenset Lucas v. 15.) è Jerusalem per mediam urbem, Judæis vi divina cohibitis, stupefactis et attonitis, eduxisse in montem Oliveti, ac ex itinere divertisse in adjacentem Bethaniam, ut ait Lucas Evang. c. 24. 50. ut valediceret Magdalenæ, Marthæ et Lazaro, eosque secum pariter eduxisse, ut eis ascensionis suæ visionem et consolationem impertiretur, utpote sibi amicissimis; ita Suarez 3. p. disp. 51. sect. 2. Quæ omnia facile horam à prandio exactam significant, antequam Christus perveniret in montem Oliveti, ibique suis valedicens ascenderet. Quæ fuerint colloquia suavissima et ultima Deiparæ Matris et Christi, item amplexus ejus et discipulorum, aliaque plura quæ studio brevitatis tacet Lucas, contemplari possumus, enarrare nequimus, S. August. serm. 6. de ascens. qui est 179. de Temp. ait Apostolos hæc Christo dixisse, (intellige corde potius quam ore) *Domine quare nos derelinquis ascendens, qui nos elegisti in ripa præcedens? Domine quando sumus verba tua super mel et favum eminus percepturi, et stillantis rorantisque, gratiæ balsamum de tuis labiis ac faucibus libaturi? Aut instrue quo ascendis, aut ne deseras cum ascendis : quasi scuto benignitatis tuæ remansimus in aperto nudati, tanquam pupilli matris ampiectentis pennatæ, velamine destituti. Quando venies ad nos, qui redimisti nos? Mors tua fuit peccatum nostrum, sit ascensus tuus pignus nostrum, ne nimis absorpti mœrore merganur, quos elevasti de gemitibus inferorum.* Christum vero eis respondisse per angelos à se submissos : *Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus qui assumptus est à vobis in cœlum, si veniet*, etc. Unde ser. 7. hosce duos angelos vocat duos prætores, et duos palatinos cœlestis imperii. *Oportebat enim*, inquit, *cœlestes mitti consolatores ne remanerent trepidi piscatores.* Noster Lud. de Ponte meditat, de Ascensione, pie et probabiliter mediatur, Christum abeuntem in cœlum, ut majorem sui fidem, spem, amorem et reverentiam discipulis imprimeret, dedisse eis osculandas suas manus et pedes (ut tangerent sacra vulnerum in iis stigmata) ex quibus suavissimus odor fragrabat, quo illorum corda mire recreabantur et confortabantur : matri vero suæ obtulisse etiam osculandum latus, quæ in illud se abdere, in eoque cum Christo ascendere gestiebat. Discipulos ergo summo amore et reverentia manus et pedes Christi osculatos esse, uti osculata fuerat Magdalena, eisque comites mulieres, Joan. 29. 17. et Matth. 28. 9.

Elevatus est.] *Non subito raptus*, ut Elias, et Henoch, *non furtim sublatus, sed videntibus illis elevatus est*, ait S. Bernard. de Grad. humil. c. 1. Idem serm. de Ascens. *Quid*, ait, *putatis fratres, quantus dolor et timor irruperit Apostolica pectora, cum eum viderunt à se tolli, et attoli in aera, non scalis adjutum, non sublevatum funibus, etsi angelico comitatum obsequio, non tamen fultum auxilio, sed gradientem in multitudine fortitudinis suæ? Elevatus* ergo à se, suaque virtute per dotem agilitatis, idque sensim et pedetentim, ut diutius pasceret oculos discipulorum intuentium. Hoc enim significat Lucas Evan. c. 24. 50. *Et elevatis manibus suis benedixit eis. Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum.* Ex quibus verbis liquet Primo, Christum elevasse manus, tum ut Deum oraret, et invocaret ad benedicendum Apostolis; tum ut elevando et deprimendo, vel certe transversim collocando manus, uti fecit Jacob Genes. 48. 14. signum crucis efformaret, uti docet noster Gretserus. l. 3. de Cruce cap. 16. Per crucis enim meritum omnem benedictionem nobis impetravit. Unde innoluit in Ecclesia consuetudo, ut tam in publicis et sacriis Officiis, quam in privatis benedictionibus Prælatorum, Sacerdotum, Sanctorum, vel parentum, is qui benedicit signum crucis efformet super eum quem benedicit; quam esse traditionem Apostolicam testatur S. Basil. lib. de Spiritu Sancto c. 37.

Secundo, liquet Christum discipulis benedixisse, id est, Patris opem, et gratiam eis apprecatum fuisse, qua et ipsi in fide vitaque Christiana proficerent, et alios ad eamdem verbo et exemplo provocarent, utque Deus omnia eorum opera secundaret per omnem vitam, uti de facto fecit, fuit enim efficax hæc Christi oratio et be-

nedictio. Addit noster Ludov. de Ponte medit. de ascensione, Christum ascendentem discipulis faciem solito amabiliorem et radiantiorem exhibuisse. Formula vero benedictionis hac usum esse : *Benedicat vos Dominus et custodiat. Ostendat Dominus faciem suam vobis, et misereatur vestri.* Hanc enim Deus præscripsit Aaroni, qui fuit typus Christi, Num. 6. 23. Aut hac, *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos. Pater quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam*, etc. Johan. 17. 11. 22. 24. Aut simili. Porro Christi benedictio fuit efficax : quare discipulos replevit bonis illis cœlestibus, quæ benedicendo illis apprecabatur.

Tertio, Christum sensim ascendisse : hoc enim significat τὸ *recessit, et ferebatur.*

Quarto, Manichæi censebant Christum restitisse in cœlo solis, ideoque solem quasi numen adorabant, idque ex eo quod scriptum est psal. 18. 5. *In sole posuit tabernaculum suum.* Refert et ridet hoc S. Aug. tractat. 34. in Joan. Certum est Christum ascendisse super omnes cœlos. Hoc enim asserit Apostolus Ephes. 4. 10. Vide ibi dicta.

Quinto, de fide est Christum non tantum qua Deus est, sed etiam qua homo ascendisse ad solium Dei Patris, ibique ad dexteram ejus quasi Dominum cœli et terræ, angelorum et hominum considere. Id enim docet Apostolus Coloss. 3. 1. quia enim Christus se in cruce infra omnes creaturas humiliavit, hinc et meruit super omnes exaltari, Philip. 2. 10.

Sexto, Christus sua morte cœlum ob peccatum Adæ, et posterorum clausum reseravit; unde et primus eodem ascendit. Hinc et secum duxit in triumphum omnes animas SS. Patrum et Patriarcharum, quos è limbo eduxerat. Hoc enim est quod enim est quod ait Psaltes psalm. 67. v. 19. et ex eo Paulus Ephes. 4. 8. *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem.* Porro præcipui ex illis cum Christo resurrexerunt, ut patet Matth. 27. 53. ac consequenter in corpore glorioso cum Christo ascenderunt; quasi resurrectionis ejus primitiæ. Hoc est quod ait Micheas cap. 2. 13. *Ascendet enim pendens iter ante eos.*

Septimo, Christo per dotem subtilitatis cœlos penetranti, quasi Domino regique suo occurrit tota cœlestis aula, omnesque omnino angeli, uti docuit S. Cyprian, Epiphan. Nyssen. serm. de ascens. et alii, et satis colligitur ex illo Heb. 1. 6. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit : Et adorent eum omnes angeli Dei;* qui admirantes ejus gloriam interrogarunt : *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* etc. Isaiæ 63. ac triumphantes cecinerunt : *Attolite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ*, psal. 23. Unde S. Aug. serm. 5. de resurrect. *Viderunt*, inquit, *cœlites cuncti speciosum vulneribus Christum, spolia è castris tyrannicis reportantem, et admirantes fulgentia divinæ virtutis vexilla, talibus concrepant hymnis, deducuntque lætantes : Quis est iste rex gloriæ :* Hoc est quod jubilat Psaltes psal. 67. 18. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium : Dominus in eis in Sinai in sancto.* Et psal. 46. *Omnes Gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis. Quoniam Dominus excelsus, terribilis : Rex magnus super omnem terram*, etc. *Ascendit Deus in jubilo : et Dominus in voce tubæ.*

Octavo, Beda lib. de Locis sanctis cap. 7. testatur solemnitatem hujus diei quotannis recurrentem, fuisse cælestibus prodigiis, in eo loco quo Christus ascendit, illustratam. *Nam in die*, inquit, *ascensionis Dominicæ per annos singulos Missa peracta valide flaminis procella de sursum venire consuevit, et omnes qui in Ecclesia fuerint in terram prosternere. Tota ibi ea nocte lucernæ ardent, ut non illustrari tantum, sed et ardere mons, et supposita loca videantur.* de loco ascensionis dicam v. 12.

Quæres, quibus de causis Christus mox post resurrectionem ascendit in cœlum. Resp. Prima, est, ut suam legem et doctrinam confirmaret, et ostenderet esse cœlestem. Se enim è cœlis descendisse, ut eam doceret, ideoque eo redire quasi unigenitum Dei filium, juxta illud Joan. nis 3. 13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo.* Unde S. Maximus hom. 2. de Pentec. *Sicut*, inquit, *aquila humilia deserit, alta petit, cœlorum vicina conscendit; ita et Salvator humilia inferni deseruit, paradisi altiora petiit, cœlorum fastigia penetravit.*

Secunda, ut cœlum hominibus peccato Adæ clausum reseraret, utque ostenderet regnum suum non esse terrenum et temporaneum, uti putabant discipuli, sed cœleste et æternum; quocirca sequacibus suis terram et terrena omnia esse despicienda. Nam, ut ait S. Aug. serm. 175. de Temp. *Cum Christo non ascendit superbia, non avaritia, non luxuria, nullum vitium nostrum ascendit cum medico nostro. Et ideo si post medicum desideramus ascendere, debemus vitia et peccata deponere.*

Tertia, ut corpori ejus ita in terris humiliato et afflicto, justam daret mercedem et gloriam : corporis enim gloriosi congruus propriusque locus est cœlum, non terra : hæc enim est locus generabilium et corruptibilium. Unde S. Aug. ser. 107. de Temp. *Noster*, ait, *hic Samson ablatis portis imperioque inferni et mortis, ascendit per turbinem in cœlum.*

Quarta, ut angelos sua presentia et gloria exhilararet, ad cœlum exornaret; nam *lucerna ejus est Agnus*, Apocal. 21. 23. Unde et ei acclamarunt : *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem et gloriam*, Apocal. 5. 12. Adde, ut sederet à Dextris Dei tanquam contubernalis Patri, à quo in hunc mundum missus fuerat, ait OEcum. in c. 3. v. 21. Præclare S. Aug. ser. 37. de Tempor. *Quam mirifico*, ait, *mysterio noster Jesus Christus vel tactu corporis sui, vel transitu gloriæ suæ omnem ad momentum creaturam sanctificat, vivificat et illustrat? Aquas enim consecrat, dum baptizatur : terram sanctificat, dum sepelitur : mortuos suscitat, dum resurgit : cœlestia glorificat, dum ascendit ad cœlum, et sedet ad dexteram Patris.*

Quinta, ut è cœlis mitteret Spiritum sanctum nostramque causam jugiter apud Patrem ageret, ostendens ei sacra sua vulnera. *Talis enim decebat, ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, et excelsior cœlis factus.* Heb. 7. 26. *Sic cœpit esse, divinitate præsentior, qui factus est humanitate loginquior*, ait S. Leo serm. 2. de Ascens.

Sexta, ut S. Trinitati rationem suæ legationis in terra peractæ redderet, eique redemptione hominum peracta honorem, lætitiam et gloriam afferet. Unde S. Cyprian. serm. de Ascens. asserit, *Nec linguis hominum, nec angelorum, nec cujusquam acumine ingenii definiri posse, quæ Patris in reditu Filii hilaritas fuerit: perinde ac si ulla ad immutabile illud gaudium esse accessio potuerit.* Et S. Epiph. Orat. de Ascens. *Christus*, ait, *ingenti gaudio triumphans, ovem humanæ naturæ humeris impositam Patri obtulit, atque pro tali munere munus Spiritus sancti quod reddat, impetrat.* Et S. Chrysost. serm. de Ascens. *Christus ascendens in cœlum naturæ nostræ primitias obtulit Patri, et oblatum donum miratus est Pater, quod et tanta dignitas offerebat, et quod offerebatur nulla macula fœdabatur. Nam et suis manibus suscepit oblatum, et suæ sedis fecit esse participem*, etc. *Illa natura est quæ audivit: Terra es, et in terram ibis.* Et inferius: *Hodie angeli atque archangeli naturam nostram in sede Dominica immortali gloria fulgentem viderunt.*

Moral. Christus coram Apostolis et discipulis ascendit, quasi oculos et cor eorum (utinam et nostrum!) secum vehens in cœlum, docens nos Primo, ut cum Apostolis oculis animi eum in astra sequamur, et mente in cœlestibus habitemus. Ipse enim est amor noster; ubi autem amor, ibi et oculus et cor. Quocirca Apost. Coloss. 2. 1. *Quæ sursum*, inquit, *sunt quærite, ubi Christus est in dextra Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Patria enim nostra cœlum est, terra vero exilium et carcer; ita judicant sentiuntque animæ sapientes et sanctæ. Christus ergo in fidelibus beatitudinis et regni cœlestis fidem solidavit, et spem acuit eo ascendendo: *Ubicumque enim fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ*, Matth. 24. 28. Et S. Aug. serm. 3. de Ascens. *Nos*, ait, *Christi mors vivificavit, nos resurrectio erexit, nos ascensio consecravit.* Et S. Bernard. serm. 2. de Ascens. *Quæramus*, ait, *quæ sursum sunt, quia illic profecto thesaurus noster est Jesus Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*

Secundo, ut doceret nos quanti apud Deum meriti sit humilitas, eamque efficaciter nobis persuaderet. Nam ut ait Apostolus Ephes. 4. 10. *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.* Ita S. Franciscus per humilitatem ascendit ad Seraphinos, uti ex visione cujusdam Sancti testatur S. Bonavent. Unde S. Bernardus serm. 2. de Ascens. *Neque enim*, ait, *ascendere potes nisi descenderis, quia ut æterna lege fixum est, omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur. O perversitas, ô abusio filiorum Adam! quia cum ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi et leviter ascendunt, et difficilius descendunt.*

Tertio, ut doceret heroica virtutum opera patrare, et dura pati, etiam martyria, juxta illud Apostoli 2. Timoth. 2. 10. *Ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Jesu, cum gloria cœlesti*; quam explicans subdit: *Fidelis sermo: nam si commortui sumus, et convivemus; si sustinebimus, et conregnabimus.* Deus Pater ergo exaltans Christum ad suam dexteram, nos *consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu*, ut ait idem. Ephes. 2. 6. Nam ut ait S. Leo serm. 1. de Ascens. *Quia Christi ascensio nostra et provectio, et quo præcessit gloria capitis, eo spes vocatur et corporis, dignis dilectissimi exultemus gaudiis, et pia gratiarum actione lætemur. Hodie enim non solum cives paradisi firmati sumus, sed etiam cœlorum in Christo superna penetravimus.* Idem. serm. 2. *Sursum vocatos animos desideria terrena non deprimant, ad æterna prælectos peritura non occupent, viam veritatis ingressos fallaces illecebræ non retardent, et ita à fidelibus hæc temporalia decurrantur ut peregrinari se in hac valle cognoscant, in qua etiamsi quædam commoda blandiantur, non amplectenda nequiter, sed transeunda sunt fortiter.* Et superius: *Hanc fidem ascensione Domini auctam, et Spiritus sancti munere roboratam non vincula, non carceres, non exilia, non fames, non ignis, non laniatus ferarum, nec exquisita persequentium crudelitatibus supplicia terruerunt. Pro hac fide per universum mundum non solum viri, sed etiam feminæ, nec tantum impubes pueri, sed etiam teneræ virgines usque ad effusionem sui sanguinis decertarunt.* Et S. Gregor. homil. 29. in Evangel. *Ecce*, ait, *iste venit saliens in montibus, transiliens colles*, etc. *Vultis ejus agnoscere? De cœlo venit in uterum, de utero in præsepe, de præsepi in crucem, de cruce in sepulcrum, de sepulcro rediit in cœlum. Quia exultavit ut gigas ad currendam viam, ut nos ei diceremus: Trahe nos post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. Unde fratres charissimi oportet ut illuc sequamur corde, ubi cum corpore ascendisse credimus. Desideria terra fugiamus, nihil jam nos delectet in infimis, qui Patrem habemus in cœlis.* Et S. Aug. serm. 3. de Ascens. *Ascendamus post illum, et per vitia ac passiones nostras: si utique unusquisque nostrum subdere eas sibi studeat, ac super eas stare consuescat, ex ipsis sibi gradum construit, quo possit superiora conscendere. Elevabunt nos, si fuerint infra nos: de vitiis nostris scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus.* Et S. Bern. serm. 4. de Ascens. *Quid*, inquit, *grave illi videri poterit, qui semper mente tractat, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam? Quid concupiscere poterit in sæculo nequam, cujus oculus semper videt bona Domini in terra viventium, semper videt æterna præmia? quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.* Et inferius: *Ascende Domine super asinum istum, conculca hos bestiales motus, quia domari debent, ne dominari prevaleant; nisi enim calcati fuerint, conculcabunt nos: nisi præmantur, oppriment nos*, etc. *Sequere etiam ascendentem crucem, exaltatum à terra ut non solum super eam, sed et super omnem quoque mundum mentis fastigio colloceris*, etc.; *nulla te mundi oblectamenta inclinent, nullæ adversitates dejiciant.* Vide eumdem serm. 6.

Et nubes suscepit eum.] Quæres, quæ et qualis fuit hæc nubes? Primo, Cajetan. hic et ex eo Medina 3. p. q. 58. art. 4. censent nubem hanc non fuisse nubem, sed splendorem, quem Christi corpus ex se sparsit cum cœlo appropinquaret, cujus simile est in via lactea. Verum aliud est splendor, aliud nubes: ille clarus et subtilis, hæc obscura et densa. Adde, nubes hæc velavit Christum, ne eum amplius viderent discipuli: fuit ergo vera nubes.

Secundo, Abulens. Paradoxo 5. c. 9. putat hanc nubem fuisse Christo instar sedis et throni, qua partim nuditatem suam tegeret, partim gloriosus quasi in sella gestatoria è terra in altum as-

cenderet, non elevatus ab Angelis, sed virtute propria. Verum nubes hæc Christum in altum evectum suscepit, et abscondit. Unde S. August. serm. 179. de Temp. eam excelsam indigitat. Non ergo fuit ei loco sedis, nec in terra, sed in æthere eum suscepit; Christus enim erectus ascendit, non sedens : hic enim situs decet corpus gloriosum. Ergo nubes hæc magis à Christo ferebatur, quam illum ferret, ait Œcumen.

Tertio ergo et genuine, nubes hæc fuit vera, sed gloriosa et eximia luce corusca, ab hoc à Deo adducta, vel producta, ut corpus Christi tegeret, et ab oculis Apostolorum eximeret, simulque suo fulgore majestatem ascendentis ostenderet. Ita Suarez. 3. p. disp. 52. sect. 2. et S. Chrysost. qui et addit, *Hanc nubem fuisse cœli symbolum, declarans, quod in ipso signo divinæ potentiæ ascenderet, juxta illud* psalm. 103. *Qui ponis nubem ascensum tuum.* Passim enim in Scriptura Dei majestas dicitur tegi et velari nubibus. Unde et Sancti rapientur in nubibus obviam Christo in aera, 1. Thess. 4. 17. Porro nubem hanc Christus secum non deduxit in cœlum, sed suo loco in aere reliquit.

Nota. Christus sensim ascendit eo usque quo pertingere poterat Apostolorum visus : deinde subduxit eum nubes : ac mox illico instar fulguris per dotem agilitatis libravit se in cœlum empyreum, non quasi transeundo ab extremo in extremum sine medio, ut censet Abulens paradoxo 5. c. 13. sed successive singulos cœlos mira celeritate transeundo, ut tanquam supremus omnium dominus omnium possessionem acciperet, et quodammodo sua præsentia sanctificaret, juxta illud Ephes. 4. 10. *Ut impleret omnia.* Ita Suarez disp. 51. sect. 2. Ubi adverte vim dotis agilitatis Christi : per eam enim subito in ictu oculi, instar fulguris se libravit ex aere in verticem et culmen cœli empyrei, quod spatium ingens est et quasi immensum. Alpharabius nobilis inter Arabes Astrologus asserit, tanto intervallo firmamentum, sive Octavam sphæram, in qua sunt stellæ fixæ, à terra distare, ut vix quisquam octo annorum millibus eo pervenire posset. Cæteri Astronomi docent, terram distare à concavo firmamenti octoginta millionibus milliarium : spissitudinem vero firmamenti esse eamdem, scilicet octoginta millionum : quanta ergo debet esse distantia, spissitudo et amplitudo cœli noni, decimi, et si qui alii iis sunt superiores, ac maxime cœli empyrei ? Idem docent, stellam quamlibet in æquinoctiali positam singulis horis conficere 42. milliones milliarium: lapidem molarem, si è firmamento caderet, casurum per nonaginta annos, antequam terram attingeret : per quatuor millia annorum vix te perventurum ad convexum firmamenti, etiamsi quotidie recta ascendens conficeres centum milliaria, uti ostendi Gens. 1. in opere quartæ diei. Hæc omnia Christus pene in momento transmisit, facitque ut animæ sanctæ post mortem eadem quasi in momento transmitant. Hæc cogita, his te solare, cum quis labor te fatigat cum tardum pigrumque corpus te in opere pio delassat.

Denique Abulens. Paradoxo 5. cap. 34. censet, Christum post resurrectionem, utpote gloriosum, nullas induisse vestes, sed nudum semper, et solo splendore gloriæ suæ vestitum discipulis apparuisse, ac consequenter nudum è terra in cœlum ascendisse sola nube et luce circumdatum. Ratio ejus est, quia alioqui non potuisset vulnus lateris Thomæ ostendere, et tangendum exhibere : vestes enim manum Thomæ exclusissent. Sed respondendum est, Christum post resurrectionem tales vestes assumpsisse, ut illæ quinque vulnera non tegerent, nec vestirent ; aut si tegerent, facile retegi possent in locis vulnerum, ut ea ostenderet discipulis, ex iisque probaret se idem corpus habere quod vulnera exceperat : Christus enim Magdalenæ apparuit ut hortulanus, duobus discipulis euntibus in Emaus ut peregrinus. Habebat ergo habitum vestesque, quæ intuentibas hortulani et peregrini esse videbantur : ergo pariter vestitus ascendit in cœlum, quousque visus est ab Apostolis, cum vero nubes eum suscepit, vestimenta dimisit. Corpus enim gloriosum sua dote claritatis vestitur instar Dei, qui amictus est lumine sicut vestimento psalm. 102. Quare Beati in cœlis non veste, sed gloria vestiuntur.

Porro Christum in veste rubra et purpurea ascendisse, censet Fredericus Nausea in Catechis. c. 36. probatque ex illo Is. 63. 2. *Quare ergo rubrum est vestimentum tuum?* Et Apocal. 19. 13. *Vestitus erat veste aspersa sanguine*, nimirum ut illa significet cruentam victoriam Christi sanguine partam. Alii censent Christum in stola candida ascendisse, hæc enim decet corpus gloriosum. Unde Christi vestimenta in transfiguratione facta sunt candida ut nix; et Beati à Johanne visi sunt vestiti stolis albis Apocal. 7. 9. et Byssino candido Apocal. 19. 14. Verum quia Christus coram Apostolis gloriam suam pene abscondit, eamque tenuiter tantum ostendit, ut cum iis familiariter agere, videri et tangi posset; hinc crediderim eum in veste communi, qua in vita uti solebat, iis apparuisse, ut idem videretur esse qui resurrexerat, non alius ; ac in eadem ascendisse, ita tamen ut ascendendo radios gloriæ suæ in eam transfunderet, eamque radiantem claritate partim candicante, partim purpurascente efficeret. Sic enim dos claritatis et lucis Beatorum in cœlo erit colorata, et varia. Nam in Martyribus erit purpurea, in Virginibus candida, in Doctoribus viridis, ait D. Soto in 4. dist. 49. in fine.

10. Cumque intuerentur,] ἀτενίζοντες, id est *intendentes, et intentis defixi oculis*, ac, ut S. Ambros. serm. 60. *suspensi* : τείνω enim est *tendo*, α vero epitasin addit augetque. Apostolorum typus fuit Elisæus, sicut Christi Elias ascendens in cœlum curru igneo. Unde in eo intendens Elisæus succlamabat : *Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga ejus.* Et : *Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus*, 4. Reg. 2. 9. et 12. Quis hic Apostolorum admirationem, lætitiam, amorem, spem, omnesque animorum motus ; omneque pathos exprimat, imo mente concipiat? S. Bernard. serm. 3. de ascensione, addit eos plorasse.

Duo viri,] duo angeli in assumpto corpore apparentes, quasi duo viri eximii et gloriosi.

In vestibus albis.] Hic enim color eorum puritatem Christique gloriam et triumphum denotat. Unde de Beatis Christum sequentibus ait Johannes Apocal. 19. 14. *Et exercitus qui erant in cœlo sequebantur eum in vestibus albis, vestiti byssino albo et mundo.* Notat S. Greg. hom. 49. in Evang. *Christo nascente non legi candidatos angelos apparuisse : quia in nativitate apparuit Deus humilis, in ascendente ostensus est homo sublimis.*

11. Viri Galilæi.] Apostoli enim è Galilæa erant oriundi, sed alludunt angeli ad etymon et significatum. *Galilæus* enim hebr. idem est quod transmigrans. q. d. Estote Galilæi, à terra in cœlum mente et vita transmigrate, fortiter depugnantes contra mundum, carnem et diabolum. Erant enim Galilæi bellicosi et pugnaces, teste Josepho, qui Galilæorum dux cum iis fortiter contra Vespasianum et Romanos depugnavit, uti ipse narrat lib. de bello Judaico.

Quid statis aspicientes.] Syrus, *quid statis et suspicitis*, id est, fixe quasi firmo statoque pede suspicitis? q. d. Sat suspexistis : Christus enim jam ab oculis vestris subductus est ; eum amplius videre non potestis ; sed scitote eum rediturum ad judicium, ut vos secum assumat in cœlum. Ergo domum redite, et ad munus Apostolicum quod ipse vobis demandavit, ac ad Spiritus sancti adventum vos comparate.

Moral. docent nos Apostoli, crebro oculis tam mentis, quam corporis cœlum suspicere, ad illudque anhelare, cogitantes nos in hoc mundo peregrinos esse, patriam vero habere cœlum. Conscripti enim sumus cives Sanctorum, et domestici Dei. Sanctis ergo terra est exilium, et σῶμα est σῆμα, id est corpus est carcer, ut aiebat Plato : tum quia in eo anima illigatur, deprimitur, affligitur, cruciatur mille ærumnis quasi in carcere, imo quasi in eculeo : tum quia ob cupiditates et tentationes, quas animæ suggerit, illi creat periculum damnationis et gehennæ : tum quia sancti aspirant ad suum thesaurum et amorem, puta ad Christum, B. Virginem, Angelos et Sanctos, ac ad SS. Trinitatem, ut ejus visione beentur, eamque perpetim adorent, ament, glorificent.

Ita S. Martinus jugiter aspiciebat cœlum, eaque nota à cæteris dignoscebatur, adeo ut vulgo cognominaretur *suspex cœli*. Unde et moriturus in ardente febre, supinus oculis in cœlum intentis orabat, cumque discipuli peterent ut converso corpore tantisper, dum remitteret vis morbi, pronus conquiesceret, *Sinite me*, inquit, *cœlum potius quam terram aspicere, ut suo jam itinere, iturus ad Dominum spiritus dirigatur.* Ita Sulpitius in ejus Vita.

S. Antonius in oratione pernoctans, in iisdem vestigiis consistens, iisdem oculis sursum elatis solem orientem aspiciebat, quibus occidentem aspexerat, ait S. Athanasius.

S. Magdalena non tantum oculis, sed et corpore toto quotidie septies ab Angelis elevabatur in cœlum, ibique cœlestis melodiæ musicam audiebat, ut habet ejus vita.

S. Maria Oigniacensis versebatur cum angelis et Sanctis in cœlo, ut eos inter se distinguere posset ; quin et realiter ipsos Sanctos audiret, cum iisque familiariter colloqueretur, de qua mira scribit Card. Jacobus de Vitriaco c. 8. Vitæ ejusdem.

S. Franciscus ita assidue et affectuose in cœlum spectabat, ut corpore in cœlum ascenderet: nimirum tanta erat vis amoris et desiderii, ut secum sursum attoleret molem corporis. Quocirca pingitur ipse pede globum terræ calcans, oculis cœlum suspiciens cum hoc lemmate : *Quæ sursum sunt, non quæ super terram.*

S. P. Ignatius fundator Societatis nostræ, solebat in solarium ascendere, unde libere in cœlum posset suspicere, ibique fixis in cœlum oculis ubertim lacrymans Deum adorare. Unde illa ejus vox : *Quomodo sordet mihi terra, cum cœlum aspicio!* Ita Ribaden. lib. 5. Vitæ ejus c. 1.

Hic Jesus,] qui vobis fuit, eritque semper Jesus, id est Salvator : cujus proinde mellifluum nomen jugiter in corde et ore gerite, dicentes : *Jesu nostra redemptio, amor et desiderium, Deus creator omnium, homo in fine temporum, quæ te vicit clementia, ut ferres nostra crimina?* etc.

Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem,] propria virtute, non aliena ope deductum, ait S. Chrysost.

In cœlum.] Tria hic Apostolis ingerunt angeli, tribusque de causis eis apparuerunt. Primo, ut quod discipuli oculis corporis videre non poterant, scilicet Christum in cœlum pervenientem, verbis suis docerent, ac confirmarent. Secundo, ut Apostolos consolarentur, eosque instruerent, ut fide potius quam visu corporeo Christum intuerenter, ac exspectarent. Tertio, ut significarent Christum ad immutabilem quemdam statum, et æternitatis consortium ascendisse. Hoc enim est quod aiunt : *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum*, id est, in eadem gloria et majestate, et cum eadem anima et corpore, quæ nulla temporis duratione alterari poterunt aut mutari. Quæ verba ita ponderavit Ignatius epist. 10. ad Smyrnenses, Chrysost. et Beda in Acta, et Tertul. lib. de Carne Christi cap. 24. et lib. de Resurrect. carnis c. 31.

12. Tunc reversi sunt Hierosolymam, a monte qui vocatur Oliveti,] ab oleis et olivis, quibus consitus et fertilis est, uti juxta Romam mons Tiburtinus. Hinc patet Christum, è monte Oliveti in cœlum ascendisse. Unde alibi hic mons sanctus et inclytus vocatur. Videtur huc allusisse Zachar. c. 14. 4. cum ait : *Stabunt pedes ejus in die illa supra montem olivarum, qui est contra Jerusalem ad Orientem.* Vide ibi dicta. Sed cur inde? Resp. Primo quia ibi inchoavit passionem, dum in horto orans sudavit aquam et sanguinem, moxque à Juda proditus, captus, ligatus et protractus est ad Annam et Caipham ; ibi ergo pariter decuit eum finire, et corodinem imponere passioni suæ et vitæ terrenæ ; ut ubi pœnam injuste sustinuit, ibi et justitia innocentiaque ejus declaretur, et glorificetur. Ecce rursum, ut instrumenta et loca passionis Christique ei vertuntur in gloriam et triumphum.

Secundo, quia in hoc monte sæpe Christus oravit et pernoctavit ut patet lucæ c. 21. 22. et 23. æque ac David fugiens Absalonem, 3. Reg. 15.

Tertio, ut in conspectu impiæ et Judaicæ Jerusalem, quæ eum depresserat et occiderat, gloriosus ascenderet, itaque abolito judaismo christianismo sanciret et illustraret. Mons enim Oliveti tantæ altitudinis est, ut ex eo omnes pene plateæ Jerusalem (quin et mare mortuum) conspiciantur.

Quarto, quia olivetum et oleum symboleum est gratiæ et misericordiæ, quam Christus nobis in hoc monte patiens et ascendens impendit. Hinc pariter in hoc loco judex considebit, cum in fine mundi redibit ut judicium universale peragat. Hoc enim futurum est in valle Josaphat, quæ subjacet monti Oliveti, et exiguo spatio inter eum et urbem Jerusalem interjacet, ut Judæi infideles et impii, qui passionis et ascensionis ejus oleum et mel spreverunt, ibidem sentiant gustentque acetum et fel iræ ipsius et vindictæ.

Quinto, quia mons Oliveti, æque ac oliva symbolum est Ecclesiæ, et Sanctorum. Oliva enim symbolum est pacis, concordiæ, modestiæ, obedientiæ, eleemosynæ, splendoris, æternitatis, quæ dotes omnes competant Ecclesiæ et Sanctis, uti ostendi Jerem. 11. 16. et Zachar. 14. 4. et Apoc. 11. 4.

Nota tria continua miracula, quibus in monte Oliveti Deus illustravit Christi ascensum. Primum, Christus ad sui suæque ascensionis monumentum, huic monti petroso instar ceræ impressit, et impressa reliquit sacrorum pedum suorum vestigia, quæ nulla ratione tot sæculis deleri potuerunt, ibique etiamnum inter medios licet Turcas visuntur, cum tamen peregrini devotionis causa ea eradant, ut terræ à Christi pedibus quasi sacratæ particulas quasi reliquias secum auferant. Ita S. Hieron. in Locis Hebr. S, Paulinus ad Severum epist. 11. Sulpitius l. 2. Histor. sacræ. Beda de Locis sanctis c. 7. recentiores Geographi, ac peregrini terræ sanctæ. Porro hæc Christi vestigia conversa sunt ad Occidentem, et versus Catholicam ex Gentibus Romanam spectant Ecclesiam, ad quam ipse ejus caput tanquam geminos et illustres oculos, S. Petrum, suum in terris Vicarium, et S. Paulum doctorem Gentium missurus erat. Ita Adrichom. et alii in descriptione Jerusalem. Secuncundum, locus ille è quo Christus ascendit, nunquam se tegi, aut marmore paviri ornarique est passus, semper excussis, solo respuente, quæ manus humana adornandi studio tentabat apponere, uti testatur S. Paulinus jam citatus. Tertium, eodem in loco postea templum rotundum, et magnificum, in honorem ascensionis est erectum à S. Helena matre Constantini Imper. quod in se includebat Christi vestigia, cujus tectum ea parte qua Christi corpus ascendit nunquam contegi et concamerari potuit, sed transitus ejus è terra ad cœlum usque manet apertus, uti Romæ videmus in Pantheo. Ita S. Hieron. et Beda loco jam citato. Adde quartum flaminis et venti, quod verbis Bedæ recensui v. 9.

Porro S. Athanasius, vel potius Anastasius (nam quæst. 3. et 8. citat Epiphanium, et Nyssenum, qui S. Athanasio fuerunt posteriores) in Quæst. S. Script. quæst. 37. docet, ideo Christianos adorare Deum et Christum convertendo se ad Orientem, quia Christus ascendit in monte Oliveti, qui est ad Orientem Hierosolymæ. Affert ibidem duas alias rationes. Prior est, quia in Oriente oritur sol: unda ibidem non solem, uti veteres Romani et Gentiles, sed Deum solis auctorem, et cum sole nobis quasi affulgentem veneramur et invocamus, ut lucem diemque totam nobis prosperet. Posterior, ut memores paradisi, qui erat in Oriente, Genes. 28. juxta Septuag. ex quo per peccatum excidimus, rogemus eo restitui.

Denique multi opinantur Antichristum Christi, ejusque ascensionis et gloriæ æmulum, in monte Oliveti dæmonum ope elevandum in altum, ut in cœlum videatur conscendere, sed siderabit eum Christus, spirituque oris sui interficiet, 2. Thessal. 2. 8.

Sabbati habens iter.] Id est, distans à Jerusalem tanto spatio, quantum Judæis in sabbato licebat proficiscendo conficere, (Judæis enim tanta religione præceptum erat sabbatum, ut capessere non liceret iter nisi modicum, uti liquet Exodi 16. 29.) quod multi censent duorum fuisse milliarium. Milliare est spatium mille passuum: Syrus vertit, *septem stadiorum*, id est, 875. passuum. Verum minus fuisse hoc iter liquet tum ex Josepho, qui lib. 6. Belli c. 3. asserit Jerusalem à monte Oliveti distare stadiis quinque, ab ejus vero culmine sex: stadium autem continet 125. passus: quinque ergo stadia faciunt 625. passus. Tum ex S. Hier. epist. 151. ad Algasiam quæst. 10. ubi ex R. Akiba, Simeon et Hillel, iter sabbati definit esse ambulationem bis mille pedum: ubi per pedes non passus, uti volunt nonnulli, sed pedes, ut vox sonat accipit: jam quinque pedes conficiunt passum; ergo bis mille pedes faciunt. 400. passus. Tum ex Origene apud OEcumen. qui ait iter sabbati esse milliare duum millium cubitorum, cubitus est pes cum dimidio: duo ergo millia cubitorum faciunt tria millia pedum, quæ faciunt passus 600. Tum ex Wilhelmo Archiepiscopo Tyri, qui lib. 8. Belli sacri cap. 11. ait montem Oliveti milliario distare ab urbe Hierosolyma.

Favet huic sententiæ, quod Josue c. 3. 3. jusserit, ut populus in aciem progrediens, ab arca distaret spatio duorum millium cubitorum: quia scilicet hoc erat iter sabbati, quod quovis die, etjam sabbato, Levitæ conficere poterant, et ad arcam, cum opus erat, accedere, quod accedit ad sententiam Josephi, qui numerat passus 625. à Jerusalem usque ad radices montis Oliveti, sed usque ad culmen ejus, ex quo Christus ascendit, numerat sex stadia, quæ faciunt passus 750. Iter ergo sabbati est medium milliare Italicum, et insuper 200. vel 150. passus. S. Chrysost. τὸ *Sabbati habens iter*, putat addi, eo quod christus ascenderit die sabbati. q. d. Esto Christus ascenderit die sabbati, tamen licuit illi cum Apostolis ire eo die in montem Oliveti, quia illud iter exiguum est, et in sabbato permissum. Verum certum est Christum ascendisse feria quinta, sive die Jovis. Si enim à Paschate numeres dies 40. incides in diem Jovis: Christus autem quadragesimo die à resurrectione sua ascendit.

Porro quo mense, quotoque ejus die Christus ascenderit, non constat, et variant Doctores, quia variant in consignando die passionis Christi. et paschate. Multi enim opinantur Christum passum esse et mortuum in Aprili, alii die 16. alii 2. alii 3. plures in Martio, alii die 7. alii 23. alii 30. Communior sententia est S. August. 18. Civit. c. ult. Tertul. lib. contra Judæos c. 8. Chrysost. serm. de Nativit. S. Joannis Baptistæ, D. Thom. in c. 2. S. Johannis, Antonini, Platinæ, Usuardi, et Suarez. 3. p. disp. 40. sect. 5. Christum passum esse et mortuum die 25. Martii, sicut eadem die incarnatus est; ac consequenter resurrexisse 27. Martii, ascendisse In cœlum quinta Maii, misisse Spiritum sanctum 15. Maii. Idem diserte affirmat Lucius Dexter, Præfectus prætorio, in Chronico, quod ipse dedicat S. Hieron. uti vicissim eidem dedicavit S. Hieron. suum tractat. de Scriptor. Ecclesiæ quod Chronicon à Baronio et aliis multis studiose quæsitum, tandem post Baronii mortem nuper repertum et editum est, de quo plura dixi in fine Chronotaxeos. Favet Martyrologium Romanum, quod 25. Martii consignat diem obitus sancti Latronis, puta S. Dismæ, hic enim cum Christo crucifixus est eodem die et loco.

13. Et cum introissent in coenaculum, ascenderunt.] Ita dispungunt Romana. Sed ex Græco

liquet aliter esse dispungendum, et comma ponendum post *introissent*, non post *cœnaculum*. Sic enim habet Græcus καὶ ὅτε εἰσῆλθον, ἀνέβησαν εἰς τὸ ὑπερῶον, οὗ ἦσαν καταμένοντες, ὅ, τε πετρος καὶ ἰακωβος, etc., id est, *Et cum introissent*, scilicet urbem, vel potius domum, *ascenderunt in superiorem domus partem, ubi erant manentes et Petrus, et Jacobus*, etc., quæ lectio perspicua est, et clarum dat sensum. Veteres enim Hebræi, æque ac Romani degebane in superiore parte domus, ibique aulas habebant amplas ad convivia, cœtus, et cœnas, quas proinde cœnacula vocabant. Cujus hæc domus et cœnaculum fuerit, non constat. Nicephor. lib. 1. Histor. c. 28. et Cedrenus putant fuisse S. Johannis Evangelistæ : Theophyl. in Matth. 26. censent fuisse Simonis leprosi, Euthym. ibidem ait fuisse Josephi ab Arimathia, Nicodemi, aut similis viri potentis et Christiani. Probabilius Baron. anno Christi 34. censet fuisse domum Mariæ matris Johannis, qui cognominatus est Marcus. Fuitque consobrinus Barnabæ, quo Petrus è carcere liberatus se contulit, ubi et cæteros discipulos ad preces collectos reperit. Idem etiam testatur Alexander in vita S. Bernabæ : *In illo cœnaculo*, inquit, *Dominus pascha fecit, in illo apparuit Thomæ Apostolo, cum à mortuis surrexisset : illuc postquam in cœlis assumptus est discipuli cum reliquis fratribus centum viginti, in quibus erat Barnabas et Marcus, ex monte olivarum convenerunt : illuc Spiritus sanctus in linguis igneis ad discipulos descendit in die Pentecostes. Illic collocata nunc est magna et sanctissima Sion, Ecclesiarum omnium maxima.* Meminit ejusdem ecclesiæ in Sion positæ S. Hieron. epist. 27. et Beda in Locis sanctis c. 3. adduntque in eadem positam fuisse columnam, ad quam ligatus et flagellatus est Christus. Hinc liquet cœnaculum hoc fuisse in monte Sion, juxta arcem David. Addit Adrichom. in Descript. Jerusalem n. 6. *In eodem cœnaculo Prima Petri concione ter mille Judæi conversi, et baptizati sunt. Ibidem Jacobus frater Domini cognomento Justus, primus Hierosolymorum Episcopus ab Apostolis est creatus, atque Stephanus et reliqui sex Diaconi sunt ordinati, ibidem Apostoli primum celebrasse Concilium Act. 15. et in sua divisione, Apostolicum Catholicæ fidei Symbolum edidisse videntur, Eodem loco S. Helena amplissimum extruxit templum, in cujus portico cœnaculum circumclusit : postea in hoc cœnaculi loco ædificatum est monasterium Franciscanorum*, etc. *Turcæ ex eorum monasterio palatium sibi fecerunt, locumque hunc in tanta habent veneratione, ut non nisi discalceati eum intrent.*

Petrus.] Petrus hic et alibi passim ab Evangel. primus nominatur, quia Primas Ecclesiæ, et caput Apostolorum. Ita S. Chrysost. et alii passim.

Jacobus Alphæi,] scilicet filius, qui cognominatus est Justus, fuitque primus Episcopus Hierosolymorum, cujus festum celebrat Ecclesia die 1. Maii. Prior enim Jacobus frater Johannis, fuit filius Zebedeæi.

Simon Zelotes,] id est, Cananæus : Hebr. enim קנא *cana* significat *zelari* : inde Cananæus idem est quod zelotes. Ita Gagneius. Addit Baron. eum ita dictum à patria, scilicet à Cana Galilææ : unde cum Nicephoro lib. 8. c. 30. opinatur, hunc Simonem fuisse sponsum in nuptiis in Cana Galilææ, Johannis 2. 1. à quibus Christus cum avocarit ad apostolatum. Quidquid sit de sponso, videtur plane hic Simon dictus Cananæus à Cana patria. Sed quia Cananæus hebr. idem est quod zelotes, idque congruebat Simoni, utpote qui zelo fervebat, ait S. Hieron. epist, 53. ad Riparium, hinc pariter Zelotes est cognominatus, æque ac Cephas dictus est Petrus, quia petra Ecclesiæ : perinde ac si sanctum Gregorium indigitares Vigilantium, Theodorum Deo datum, Phrontiscum Prudentium. Sic Roma primitus vocata fuit Valentia : ῥωμὴ enim græce vocatur robur, quo pollebant Romani, ita Plinius lib. 3. c. 5. et Solinus Polyhist. cap. 1.

Judas Jacobi.] Supple, frater. Hic Judas alibi cognominatur *Thadæus*, quasi mammæus : *tad* enim syriace, idem est quod hebr. שד *sad*, id est, *mamma* alibi *Lebbæus*, id est, corculum (Hebr. enim לב *leb* est *cor*) sicut Scipio Nasica appelatus est *corculum*, ob eximiam sapientiam, teste Cicerone Tuscul. 1. aut leunculus (hic enim vocatur לביא *labi*.) Erant ergo hi quatuor fratres, scilicet Jacobus, qui dicitur minor, vel Alphæi, vel Frater Domini ; Joseph, Simon et Judas Matth. 13. 55. Marci 15. 47. omnes cognati Christi, è quibus tres in Apostolos elegit, Jacobum, Simonem et Judam. Ita censent multi : sed hoc discutiendum Matth. 13. 55.

Cætera quæ de vocatione, ordine, officio, dignitate, vita Apostolorum dici possent, spectant ad c. 10. S. Matthæi.

14. Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione.] Nota hic tres virtutes, quibus vacarunt Apostoli, ut se disponerent ad adventum Spiritus sancti : prima, est oratio, secunda unanimitas, tertia, perseverentia. Hæ enim ad se provocant et alliciunt Spiritum sanctum, utpote divinæ, eique charissimæ. Adde quartam, familiaritatem et devotionem erga B. Virginem, de qua sequitur : *Cum mulieribus, et Maria Matre Jesu.* Hæc enim cum sit Dei Patris filia, filii Dei mater, Spiritus S. sponsa, quidvis obtinet. Quid enim non impetret filia à patre, mater à filio, sponsa à sponso ? Nota. Pro *perseverantes* græce est, προσκαρτεροῦντες, quod significat esse assiduum, perstare, insistere rei cuipiam arduæ et prolixæ, nec ab ea discedere ; sed sustinere, et fortiter superare molestias, labores, fatigationes, tædia, tentationes, etc., quæ vel rei difficultas, vel hostis sagacitas, vel naturæ imbecillitas suggerit, qualia experimur in oratione, præsertim longa et continua, qua mens humana instar arcus tenditur, et continue extenditur ad cœlestia et divina.

Cum mulieribus.] Quarum antesignana et princeps in amore et fervore erat S. Magdalena.

Et Maria matre Jesu.] Quasi matrefamilias hujus sacri cœtus et familiæ Christi. Christus enim paterfamilias abiens in cœlum, idcirco in terris reliquit amantissimam matrem, ut loco sui esset quasi mater Apostolorum omniumque fidelium. Miratur S. Bernard. eam hic ultimo loco poni. *Itane*, ait, *et mulierem sese ultimam exhibebat, ut novissima omnium poneretur?* Causam dat, *Cum Maria quanto major erat, humiliaret se non modo de omnibus, sed et præ omnibus. Merito facta est novissima prima, quæ cum prima esset omnium, sese novissimam faciebat. Merito facta est omnium domina, quæ se omnium exhibebat ancillam. Merito denique super angelos exaltata est, quæ et infra viduas et pœnitentes, infra eam de qua ejecta fuerant septem dæmonia, ineffabili sese*

mansuetudine inclinabat. Obsecro vos, filioli, æmulamini hanc virtutem, si Mariam diligitis si contendite ei placere. Ita ipse serm. de verbis Apocal. 12. *Signum magnum.* Hisce consonat effigies B. Virginis, quam ex antiquis imaginibus, et ex Epiphanio ita pingit Nicephor. lib. 2. cap. 23. *Mores autem, formæque et staturæ ejus modus talis (ut inquit Epiphanius) fuit : Erat in rebus omnibus honesta, et gravis, pauca admodum eaque necessaria loquens, ad audiendum facilis et perquam affabilis, honorem suum et venerationem omnibus exhibens : statura mediocri, quamvis sint qui eam aliquantulum mediocrem longitudinem excessisse dicant. Decenti dicendi libertate adversus homines omnes usa est, sine risu, sine perturbatione, et sine iracundia maxime : colore fuit triticum referente, capillo flavo, oculis acribus, subflavas tanquam oleæ colore pupillas in eis habens : supercilia erant et inflexa et decenter nigra, nasus longior, labia florida, et verborum suavitate plena : facies non rotunda, nec acuta, sed aliquantulo longior, manus simul et digiti longiores. Erat denique fastus omnis expers, simplex minimeque vultum fingens, nihil mollitiei secum trahens, sed humilitatem præcellentem colens : vestimentis, quæ ipsa gestavit, coloris nativi contenta fuit, id quod etiamnum sanctum capitis ejus velamen ostendit. Et ut paucis dicam ; in rebus ejus omnibus multa divinitus inerat gratia.* Simili ergo modo Lucas hic ponit pingitque B. Virginem talem, qualis ipsa in se erat, qualemque se exhibebat, minimam, quia ut minimam se gerebat; novissimam, quia novissimam se exhibebat. Hoc imitatæ sunt sanctæ matres familias, ut S. Monica, quæ *erat serva servorum tuorum ô Domine*, etc. *Ita curam gessit, quasi omnes genuisset; ita servivit, quasi ab omnibus genita fuisset*, ait S. August. lib. 9. Confess. cap. 9. Et S. Paula, de qua Hieron. in ejus Epitaph. *Quæ prima*, ait, *Christianorum virtus est, tanta se humilitate dejecit, ut qui eam non vidisset, et pro celebritate nominis videre gessisset, ipsam esse non crederet, sed ancillularum ultimam. Et cum frequentibus choris virginum cingeretur, et veste, et voce, et habitu, et incessu minima omnium erat.*

15. Et fratribus ejus.] Puta cognatis tam Jesu, quam Mariæ : hos enim Hebræi vocant fratres. Hi ergo cognati fuerunt fideles, et crediderunt in Christum. Unde junxerunt se Apostolis, et cum eis exspectarunt Spiritum sanctum.

In diebus illis exurgens Petrus.] Est hic altera pars capitis, qua Lucas enarrat surrogationem Mathiæ in locum Judæ. Incipit hic Petrus fungi suo officio et primatu, primumque ejus actum exercet ; nimirum curat collegium Apostolicum Judæ lapsu imminutum, per alterius Apostoli surrogationem instaurari et compleri. Sciebat enim non tantum fidelium, sed et Apostolorum sibi, quasi Præsidi et Primati, curam à Christo commissam, cum ab eo audivit : *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, Lucæ 22. 32. Hanc pastoralem vigilemque Petri sollicitudinem admirans S. Chrysost. homil. 3. *Quam* inquit, *est fervidus, quam cognoscit creditum sibi à Christo gregem ? quam in hoc choro princeps est, et ubique primus omnium incipit loqui ?* Et inferius ; *Primus omnium auctoritatem usurpat in negotio, ut qui omnes habet in manu. Ad hunc enim dixit Christus : Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* S. Chrysost. sequitur OEcum. *Surgit*, ait, *Petrus, et non Jacobus, tanquam ferventior, et velut is cui discipulorum præsidentia commissa est.* Id significat vox *exurgens* nimirum Primo, quasi præses cæteris eminens et statu graduque excelsior. Secundo, *exurgens*, ut quasi concionaturus, acturusque de re publica totius collegii et Ecclesiæ, attentionem auditorum excitaret, mentesque vultus et aures omnium ad se evocaret, accommode facileque à singulis audiretur. Tertio, τὸ *exurgens*, significat pastoralem vigilantiam Petri, utpote qui quasi pastor erectus stet, et totum gregem circumspiciat et circumlustret. Quarto, significat, animi confidentiam et celsitudinem, quod quasi Vicarius Christi audeat ejus officio se ingerere, imo succedere, ac cœtum Apostolorum ab eo inchoatum supplere et perficere. Quinto, modestiæ studio exsurgendo toti cætui Apostolorum, et Ecclesiæ honorem exhibuit, eumque salutavit, ac præsertim B. Virginem, quæ præsens aderat, inquit S. Chrysostom. Sic præceptor inchoaturus lectionem surgit et salutet discipulos.

In medio.] Symbol. vox *medium* notat auream mediocritatem, qua pastor et Prælatus debet præcellere, ut inter subditos, qui disparis, imo contrarii sunt humoris, judicii, voluntatis, versetur quasi medius, ut in nullam partem effectu suoque favore inclinet, sed omnibus se indifferentem, benevolum et amicum, imo patrem exhibeat, itaque omnes licet inter se diversos in se nectat et uniat, sicut caput in se unit omnes sensus membraque hominis. Vide dicta Habacuc 3. 1. Secundo τὸ *in medio* innuit modestiam, qua S. Petrus, licet cæteris superior, inter eos tamen se gerebat quasi frater potius quam pater, secutus exemplum Christi, cujus erat Vicarius, qui ait Luc. 22. 27. *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Aurea est gnome S. Bern. *Si sis egregius, esto quasi unus è grege.*

Poterat enim S. Petrus solus, uti docet Chrysost., successorem Judæ eligere, et Apostolum duodecimum designare; sed noluit, tum ut ostenderet se non dominari in Cleris, sed modesti regiminis dare et initiare exemplum : tum ut majus pondus adderet electos, majoremque ei amorem et reverentiam conciliaret, utpote qui cæterorum calculo fuisset electus : tum denique ut Dei voluntatem in tanto negotio, per Ecclesiæ suffragia sortesque exquireret. Constituere enim Apostolum proprium videbatur esse Dei. Quocirca Summi Pontifices, S. Petri exemplo, non facile quippiam majoris momenti, præsertim circa res fidei definiunt, nisi ex consilio et decreto Episcoporum, ad id è toto orbe congregatorum in Concilio OEcumenico. Spiritus sanctus enim pleneque assistit capiti Ecclesiæ, quando illud suis membris, totique corpori (quod Episcopi repræsentant) conjungit. Tota enim Ecclesia est sponsa unica, uniceque dilecta Spiritus sancti. Hinc rursum priscis temporibus ii dumtaxat ordinabantur Episcopi, quos populus postulasset, ut et ipsi populo chariores, et ipse populus eis charior esset. Audi S. Leonem Ep. 87, vel 89. *Expectarentur vota civium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum ; quæ in sacerdotum solent ordinationibus, ab his qui norunt Patrum regulas, custodiri.* Populis ergo competebant vota, id est, desideria et testimonia, clericis autem solis jus eligendi.

Erat autem turba hominum.] Græce, ὀνομάτων, id est *nominum*, hoc est, capitum quæ nominatim censentur. Est metonymia. Similis est Apo-

cal. 3. 4. *Habes pauca nomina*, id est, capita et homines, *in Sardis.* Vide ibi dicta. Scribit Climachus in hisce 120. in quos delapsus est Spiritus sanctus, prodiisse quatuordecim hæresiarchas. Climachum citat noster Salmeron in illud 1. Johann. 2. 19. *Ex nobis prodierunt, sed ex nobis non erant;* sed in Climacho idipsum hucusque non reperi. Sane S. Paulus c. 20. 30. *Ex vobis ipsis*, inquit, *exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* Tanta est hominum, etiam sanctorum, infirmitas, inconstantia, vanitas.

16. VIRI FRATRES.] Primo, S. Petrus Apostolos vocat *fratres;* quia omnes Apostoli in Apostolatu erant pares, et quasi fratres; esto ipse eorum esset præses. Sic Pontifex Cardinales et Episcopos vocat fratres. Secundo, cæteros omnes fideles vocat fratres cognatione, non carnis, sed fidei regeneratione, baptismi, non uteri. Fratres ergo, id est Christiani. Sic omnes Christianæ vocabantur et vocabant se invicem sorores. Sic Paulus in epistolis passim fideles vocat fratres et sorores. Ratio est, quia Christus instituit Ecclesiam quasi familiam suam, in qua voluit fideles sibi invicem esse conjunctissimos, et sese invicem amare ut fratres, habentes eumdem patrem Christum, et eamdem matrem Ecclesiam, eumdemque uterum baptismi; eamdem domum, scilicet templum, eamdem mensam Eucharistiæ, eamdem educationem, eadem Sacramenta, eamdem patriam cœlestem, etc. Vox ergo *fratres*, notat summam fidelium conjunctionem, et communicationem mutuam bonorum omnium. Nam, ut ait Aristot. 8. Ethic. c. 11. *Fratribus communes sunt parentes, uterus, sanguis, ortus, educatio, domus, generis claritas, res familiaris, patrimonium, disciplina, mores.* Quocirca merito Psaltes jubilat psal. 132. *Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum! Sicut unguentum in capite*, etc. Audi Tertul. Apolog. c. 39. *Quod*, ait, *fratres nos vocamus, non alias, opinor, infamant, quam quod apud ipsos omne sanguinis nomen de affectione simulatum est. Fratres autem etiam vestri sumus* (ô Gentiles) *jure naturæ matris unius, et si vos parum homines, quia mali fratres. At quanto dignius fratres et dicuntur, et habentur, qui unum patrem Deum agnoverunt, qui unum Spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejusdem ad unam lucem expaverint veritatis?* etc. *Ex substantia familiari sumus fratres quæ penes vos fere dirimit fraternitatem. Itaque quia animo animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus: omnia discreta sunt apud nos præter uxores.* Et Minutius in Octavio: *Fratres*, inquit, *vocamur, ut unius Dei parentis homines, ut consortes fidei, ut spei cohæredes.*

QUI FUIT DUX.] Non ut capitaneus, sed ut dux viæ: hunc enim proprie significat Græcum ὁδηγός, Unde Pagnin. vertit, *dux itineris*, Vatabl. *commonstrans viam.*

17. SORTITUS EST SORTEM.] q. d. Judas quasi sortito, vel sorte obtinuit sortem, id est partem, puta duodecimum locum ministerii, hoc est, apostolatus nostri. Nota. Apostolatus hic vocatur sors, quia Apostolis singulis hæc dignitas obvenit non ex natura, non ex prosapia, (uti posteris Aaronis primogenitis obvenit pontificatus ex jure primogenituræ) non ex jure, non ex merito, sed ex mera Dei dignatione et gratia, qui sine ullis eorum meritis, hosce duodecim ex tot millionibus hominum selegit, vocavit et cooptavit in suos legatos, et Apostolos ex suo beneplacito, ita ut ex parte Dei fuerit destinata voluntas, et decretum eligendi hos, non alios; ex parte vero Apostolorum fuerit casus et sors felicissima; perinde ac si Deus super eis jecisset aleam, ejusque jactus felix incidisset in ipsos: quia ipsi ad Apostolatum nullum habebant jus, meritum, gradum et ordinem. Simili modo Saul sorte ex agasone, et David ex opilione factus est rex. Sic quivis fidelis sorte, id est gratia, non merito, vocatus est ex infidelitate et peccato ad fidem et cultum Dei, juxta illud Apostoli: *Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine*, Coloss. 1. 12. Et: *In quo etiam et nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Ephes. 1. 11. Fidelis ergo non superbiat de sua fide, nec justus de sua justitia, nec Episcopus de suo episcopatu, nec Apostolus de suo apostolatu: quia hæc bona sors ei obtigit non ex ipsorum dignitate, sed ex mera Dei gratia et liberalitate, qui eos ad illam infinitis aliis iisque nobilioribus, doctioribus, melioribus, aptioribus, etc., prætermissis eligere et vocare dignatus est.

Hinc liquet Judam non tantum Apostolatus gradum, sed et ministerium participasse, ac consequenter evangelizasse, expulisse dæmones, fecisse miracula, perinde ut fecerunt cæteri Apostoli à Christo missi per Judæam, et Galilæam. Ita S. August. lib. 3. contra litteras Petiliani c. 55. Cyrillus Hierosol. catechesi 7. S. Leo serm. 16. de passione Domini. Addit Nazianz. in Christo patiente. *Quod doctrinæ suæ verbis multos genuit filios.* Fuit ergo primitus ipse non tantum sanctus, sed et zelo prædicationis suæ sanctificans alios, donec procurator à Christo constitutus loculos habere et amare cœpit, indeque effectus est fur et proditor Christi. Ita Tertul. lib. de anima cap. 4. et alii.

Pro *sortem* græce est κλῆρον: unde Clerus et Clerici vocati sunt, qui segregati à laicis, quasi Domini sors et hæreditas, deputati peculiari ejus cultui, et Ecclesiæ obsequio ad procurandas res sacras. Hinc quando Clerici creantur ab Episcopo, et tonsuram clericalem accipiunt, audiunt, discuntque ab eo quotidie dicere illud ps. 15. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei: tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* Sicut enim olim Levitæ nullam habebant hæreditatem inter fratres suos, sed Dominus, id est, Domini oblationes et victimæ, erat eorum hæreditas. Num. 18. 6. et 23. Ita in novo testamento clericorum sors est Deus, Deique cultus et obsequium, ut proinde discant non ambire bona in terra, sed in cœlo. Quocirca S. Hier. ad Nepotianum. *Clericus*, ait, *interpretetur primo vocabulum suum, et nominis definitione prolata nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος græce, vel sors latine appellatur, propterea vocatur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est pars Clericorum est.*

Tropolog. disce hic nullam esse tam sanctam sodalitatem, quæ non habeat suam fæcem, suum nævum. Quid mirum? Christus in suo cœtu, in sua familia habuit Judam. Audi S. August. suum monasterium purgantem à scandalo quod in eo acciderat, epist. 137. *Quantumlibet*, ait, *vigilet disciplina domus meæ, homo sum, et inter homines vivo; nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit quam arca Noe, ubi tamen inter octo homi-*

nes reprobus unus inventus est. Aut melior sit quam domus Abrahæ, ubi dictum est: Ejice ancillam, et filium ejus. Aut melior sit quam domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Aut melior sit quam domus ipsius Jacob, ubi lectum patris filius incestavit. Aut melior sit quam domus ipsius David, cujus filius cum sorore concubuit, cujus alter filius contra patris tam sanctam mansuetudinem rebellavit. Aut melior quam cohabitatio Pauli Apostoli, qui tamen si inter omnes bonos habitaret, non diceret quod superius commemoravi: Foris pugnæ, intus timores; nec diceret cum de sanctitate et fide Timothei loqueretur: Neminem habeo qui germane de vobis sollicitus sit. Omnes enim sua quærunt, non quæ sunt Christi. Aut melior quam cohabitatio ipsius Domini Christi, in qua undecim boni, perfidum et furem Judam toleraverunt. Aut melior sit postremo quam cœlum, unde angeli ceciderunt. Subdit deinde experimentum notabile. *Simpliciter autem fateor charitati vestræ coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam, ex quo Deo servire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores quam qui in monasteriis profecerunt, ita non sum expertus pejores quam qui in monasteriis ceciderant; ita ut hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum; Justus justior fiat, et sordidus sordescat adhuc. Quapropter etsi contristamur de aliquibus purgamentis; consolamur tamen etiam de pluribus ornamentis. Nolite ergo propter amurcam, qua oculi vestri offenduntur, torcularia detestari, unde apothecæ Dominicæ fructu olei luminosioris implentur.*

18. Et hic quidem possedit agrum.] Judas proprie non possedit agrum figuli, quia retulit pretium, et abiens se suspendit; sed eo sacerdotes emerunt agrum in sepulturam peregrinorum: dicitur tamen eum possedisse figurate, quia scilicet possedit pretium, quo postea emptus fuit ager. Quia ergo ager hic comparatus fuit pecunia Judæ, hinc Judas dicitur eum possedisse, per catachresin. Jure enim quod meo ære emptum est; hoc meum censetur. Unde S. Gregor. lib. 1. Moral. 9. *Possedit*, inquit, *id est, possidere fecit.* Et græce est ἐκτήσατο, quod Tigurina vertit, *paravit;* OEcum. et Vatabl. *acquisivit*, per emptionem sacerdotum. Aliter Raban. *possedit*, quia scilicet in eo sepultus est Judas. Sed hoc incertum est, nec satisfacit: sepultus enim non possidet totum agrum, vel cœmiterium, sed ut summum fossam et loculum suum. Denique Johannes Alba Electorum c. 98. *Possedit agrum de mercede iniquitatis*, hoc est, inquit: De mercede iniquitatis ejus possessus, vel emptus est ager. Sic. 8. *In humilitate judicium ejus sublatum est*, id est, sublatus est humilitate judicii, sive humili judicio, vel supplicio abjecto, hoc est, morte, probrosa et abjectissima. Similis hypallage est Eccli. 49. 18. *Ossa ipsius* (Joseph) *visitata sunt, et post mortem prophetavit*, hoc est, prophetavit Joseph de illis (nempe fratribus suis) post mortem suam visitandis à Deo, et de suis ossibus asportandis in Chanaan mandavit eis. Nam Genes. 50. ait, *Deus visitabit vos, asportate ossa mea vobiscum.* hæc Alba.

De mercede iniquitatis.] Triginta argentei Judæ, quibus emptus fuit ager, vocantur *merces iniquitatis*, quia fuerunt merces et pretium proditionis et venditionis Christi, quod fuit summa iniquitas: puta summa simonia, summum sacrilegium, summum parricidium, imo Christicidium et Deicidium. Venditus enim illa fuit Christus ad crucem et mortem.

Et suspensus crepuit medius.] Pro *suspensus* græce est πρηνὴς γενόμενος, quod Beza et Bullingerus vertunt, *præcipitavit:* putant enim Judam non laqueo, sed præcipitio vitam finisse. Verum errant: nam Matth. 27. 5. de eo diserte dicitur: *Et abiens laqueo se suspendit:* græce ἀπῆγξατο, id est *strangulavit;* ita Syrus, το ergo πρηνὴς γενόμενος, ad verbum verte cum OEcum. Erasmo, Vatablo et aliis passim, *præceps*, vel *dejecto capite, et in terrum prono*, ut legit S. August. l. 1. contra Felicem Manich. 4. qui est gestus suspensorum; aut *sese præcipitans.* Videtur enim Judas ad celeriorem mortem fune in collum inserto, affixoque arbori, ex ea se præcipitasse, ut valido corporis gravis impulsu et libratione, illico laqueum collo astringeret, itaque se suffocaret.

Addit Theophyl. in Matth. 27. 5. Judam laqueo rupto supervixisse, ac tandem post Christi resurrectionem præcipitio vitam finiisse. *Scias*, inquit Theophyl., *quod laqueum quidem posuit in collum, et cum penderet ab arbore, ea inclinata supervixit, Deo volente ipsum vel in pœnitentiam conservare, vel in traductionem et confusionem. Dicunt enim quod morbo hydropico laborarit, ita quod transire non potuerit orbitam, et deinde pronum cecidisse sive præcipitatum, et crepuisse medium, id est esse disruptum, ut in Actis dicitur.* Addunt alii alia ex Papia, OEcum. et Euthym. in Matth. 27. Judam rupto loqueo Christo supervixisse, inflato tamen corpore, atque ita cum se movere non posset curru occurrente fuisse obtritum et discerptum. Verum hæc parum consentiunt cum S. Luca hic, et cum S. Matth. cap. 27. 5. dicente: *Abiens laqueo se suspendit;* græce *strangulavit*, id est, suffocavit et occidit se. Nam *suspensus crepuit medius*, ut sequitur. Dico ergo, Judam post relatos argenteos, ut ab angoribus conscientiæ se liberaret, ilico se suspendisse, et suspendio se strangulasse, ita ut mole corporis, vel potius vindicta numinis crepuerit medius: *Ut guttur per quod vox proditionis exierat, laquei nodus necaret*, ait Beda; utque anima sacrilegia non per os, quo perfide Christum osculatus fuerat, sed per viscera instar bestiæ vel feræ laniatæ, egrederetur. Simili modo Arrius blasphemus, quasi alter Judas cum visceribus, et per viscera impiam animam in secessum effudit, inquit Nazianzenus orat. in S. Athanasium.

Porro Juvencus Poeta, et Beda in Locis sanctis c. 4. scribunt, Judam se suspendisse è ficu, quæ suo tempore etiamnum Hierosolymæ extabat. Vulgus inter nos, ait Mariana, ex sambuco suspensum sentit: scilicet Romæ canes quotannis ex sambuco suspendebant, eo quod Gallis Senonibus in Capitolium irrepentibus non latrassent, inquit Plinius l. 29. c. 4. Et est ea arbor suspendio apta, tum ob duritiem, uti testatur idem Plinius l. 16. c. 39. tum quia infrugifera, ideoque inter felices arbores, quas reorum suspendio destinabant, juxta illud Livii lib. 1. *I, lictor, caput obnubito, infelici arbori suspendito.*

Ex casu Judæ discimus Primo, quantum malum sit avaritia: hæc enim fuit causa sceleris, et proditionis. Secundo, quam profunde ruant qui in alto gradu consistunt, indeque, prolabuntur, ut de iis dici possit: *Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant.* Vulgo dicitur: Ex vino dulcissimo, si corrumpatur, fit acidissimum acetum; ex Lucifero diabolus, ex Apostolo apostata, ex

monacho hæresiarcha, ex Sancto nebulo. Tertio, quantum peccatum sit desperatio. Gravius enim peccavit Judas desperando, quam Christum tradendo: desperatio enim eum ad laqueum et gehennam adegit: *Quia ut laqueo respiratio, ita prohibetur desperatione Spiritu S.* ait S. August. hom. 27. inter 50. Quocirca S. Leo serm. 16. de pass. *Tu*, inquit, *impiissime homo, semen Chanaan, et non Juda, nec jam vas electionis, sed filius perditionis et mortis, utiliora tibi diaboli incitamenta credebas, ut facibus inflammatus avaritiæ, ad triginta argenteorum lucrum inardesceres, et quid divitiarum amitteres non videres.* Et mox. *Unde facinus commercii tui non ideo detestandum est, quia dominum viliter æstimasti, sed quia redemptorem etiam tuum, ut tibi parceres, vendidisti. Et merito tibi tua pœna est commissa, quia in supplicium tuum nemo te sævior potuit inveniri.*

19. HACELDAMA.] Syrus חקלרמא *chakal dema*, et ita videtur vocatus hic ager: Judæi enim post reditum è captivitate non pure hebraice, sed corrupte et semichaldaice, id est, syracide vel syrochaldaice loquebantur. Ita Pagnin. in Nomin. Hebr.

HOC EST, AGER SANGUINIS.] Hæc interpretatio, nominis Syri non est addita à S. Petro, ut vult Hugo, utpote Syris syriace loquente, sed à S. Luca, qui Græcis græce scribens, Syram vocem *Haceldama* per Græcam est interpretatus. Ager hic vocabatur Primo, *figuli*: quia ex ejus argilla figuli vasa figulina formabant. Secundo *ager Judæ*: quia pecunia Judæ comparatus, ut dixi v. 18. Tertio, *sanguinis*: quia pretio sanguinis Christi emptus, idque Dei consilio, ut, cum ipsi suum scelus hac emptione in speciem pia obruere et sepelire vellent, ipse ager juge esset homicidii, imo Christicidii eorum monumentum; ut, quoties agrum sanguinis nominarent, toties sanguinis Christi à se occisi recordarentur, ait S. Chrysost. scirentque hunc sanguinem non alio, quam suo sanguine expiandum, uti factum à Tito et Romanis.

20. SCRIPTUM EST ENIM, psalm. 68. 26. FIAT COMMORATIO EORUM DESERTA.] q. d. Impia parricidarum, imo Christicidarum civitas, puta Jerusalem, in qua ipsi secure quasi inexpugnabiles commorantur, capiatur, succendatur et desoletur à Tito et Romanis. Idem prædixit eis Christus ingemiscens et lacrymans: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, Matth. 23. 3.

ET EPISCOPATUM EJUS ACCIPIAT ALTER.] Combinat hic S. Petrus duos versus diversorum psalmorum. Prior enim habetur psalm. 68. 26. hic vero legitur psalm. 108. 8. Pro *episcopatum* hebr. est פקדתו *pekuddato*, id est præfecturam, regimen et principatum ejus, puta apostolatum Judæ, *accipiat alter* scilicet Mathias. Nota. Toto psalm. 108. David dura imprecatur Judæ proditori, et Judæis in typo et persona Doeg proditoris sui apud Saulem, ut docent ibidem S. August. et Theodor. Quocirca plenus est minis et maledictis, adeoque nonnulli numerant tot maledictiones, quot argenteos acceperat Judas? nimirum triginta. Prima est v. 6. *Constitue super eum peccatorum*, quasi impium judicem et tyrannum ei perfice, qui acriter eum judicet et puniat. Secunda: *Et diabolus stet à dextris ejus.* q. d. Diabolus, id est, calumniator ei astet, ut eum apud judicem criminetur, et mortis reum peragat. Rursum in judicio divino proprie diabolus in eum potestatem accipiat, eum accuset, teneat, præcipitet, exagitet, et ad restim adigat. Sic in Judam ingressus est Satan Johann. 13. *Diabolus*, ait S. August. in psalm. 108. *stetit à dextris Judæ, cum avaritiam præposuit sapientiæ, pecuniam saluti suæ, ut Christum proderet; et sic noluit possideri à Christo, sed à diabolo.* Tertia: *Cum judicatur exeat condemnatus*, ad mortem, præsentem et æternam, Quarta: *Et oratio ejus fiat in peccatum*, id est, in offensam. q. d. Oratio hominis tam impii, jam quasi condemnati et desperabundi, orantis pro remissione non tam culpæ, quam pœnæ, magis offendat et exasperet judicem, tum hominem, tum Deum. Ita Theodor. Chald. vertit, *oratio ejus sit in condemnationem.* Quid boni expectandum illi cui nihil superest nisi oratio, quæ ei vertitur in tormentum, imo in peccatum? Quinta: *Fiant dies ejus pauci.* Ita paucis horis proditioni suæ supervixit Judas, ilicoque se suspendit. Sexta: *Et Episcopatum ejus accipiat alter.* Vide, et computa reliquas ὑπισκοπος græce idem est quod ἔφορος, id est *inspector, superintendens, custos, speculator, qui aliqui rei intendit et invigilat quasi Præfectus*: Episcopi enim munus est, ὑπισκοπεῖν, id est *intendere rei sibi commissæ.* Unde 2. Esdræ 11. 22. Azzi vocatur *Episcopus*, id est, inspector et præfectus, *Levitarum.* Et Cicero fuit Episcopus oræ Campaniæ: Sic enim ait l. 7. epist. Ad Atticum: *Vult enim me Pompeius esse, quum tota hæc Campania, et maritima ora habeat Episcopum, ad quem delectus et negotii summa referatur.* Et Arcadius Imp. Digest. de muner. et honor. *Ii*, inquit, *proprie dicuntur Episcopi, qui præsunt pani et cæteris venalibus rebus.*

21. QUI NOBISCUM SUNT CONGREGATI.] Pagn. et Tigurina, *conversati.*

IN OMNI TEMPORE QUO INTRAVIT ET EXILIT INTER NOS DOMINUS JESUS.] Id est, quo inter nos versatus est, est hebraismus *ingredi* enim et *egredi* Hebræis significat totam vitæ seriem et conversationem, puta omnes actiones, sermones, gestus et gesta. Secundo, ingredi et egredi coram cœtu vel populo, est ei præesse, eum ducere et regere. Ducis enim est egredi ante populum instar pastoris ducentis oves, sic Moses ait Deuter. 31. 2. *Non possum ultra ingredi et ingredi*, id est ducere et gubernare populum. Et Salomon. 2. Paral. 1. 10. *Da*, inquit, *mihi sapientiam et intelligentiam, ut ingrediar et egrediar coram populo tuo*, quod explicans subdit: *Quis enim potest hunc populum tuum digne, qui tam grandis est, judicare: Ingredi* ergo et *egredi* idem est quod judicare, et regere populum.

22. INCIPIENS A BAPTISMATE JOHANNIS.] Inde enim cœpit Evangelium, et gesta Christi. Johannes enim in suo baptismate omnibus annunciabat et demonstrabat Christum dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Johan. 1. 29. ideoque Christus ab eo baptizari voluit, indeque ordiri suam prædicationem.

TESTEM RESURRECTIONIS EJUS.] Apostolus ergo idem est, quod testis resurrectionis Christi, ac consequenter cæterorum mysteriorum et gestorum ejus, quæ in resurrectione, quasi in suo fine et scopo terminantur, et concluduntur. Ideo enim natus, passus, mortuus est Christus, ut resurgeret, suaque resurrectione peccatum et mortem aboleret, nosque ab iis resuscitaret. juxta illud Rom. 4. 25. *Qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificatio-*

nem nostram. Vide ibi dicta. Primitus enim hic articulus resurrectionis creditu erat difficillimus : unde cum maxime inculcabant Apostoli, eoque persuaso facile cæteros persuadebant. Unde S. Petrus vult eligi talem, qui omnium actorum Christi à baptismo Johannis usque ad ascensionem in cœlum, sit conscius, eorumque æque ac resurrectionis possit esse testis, ut testetur et dicat : *Ecce qui edebat, qui bibebat, qui crucifixus est, idem ille resurrexit,* ait S. Chrysostom.

23. Et statuerunt.] Apostoli cæterique fideles communi consensu nominarunt è toto numero duos excellentiores in fide, virtute, rerumque Christi cognitione : eos deinde seorsim statuerunt quasi Apostolatus candidatos, ut super utrumque jacerent sortem, quæ Apostolum designaret. Hæc omnia facta sunt dirigente S. Petro, qui totius hujus operis fuit choragus. Unde S. Aug. lib. 1. de Actis cum Felice Manich. c. 4. pro *statuerunt* legit *statuit,* scilicet Petrus cum Apostolis, et per Apostolos. Porro uterque fuit è numero 72. discipulorum, inquit ex Clemente Alexand. Beda.

Joseph.] Hinc Joseph videtur fuisse frater Jacobi Minoris et Judæ Apostolorum, ac filius Alphæi et Mariæ, ideoque consanguineus Christi. Unde inter matronas astantes Christo crucifixo, nominatur hæc *Maria Jacobi et Joseph Mater,* Mat. 27. 56. Hic Joseph postea creatus est Episcopus Eleutheropolis in Palestina, ait Dorotheus in Synopsi, inter Sanctos relatus legitur in Martyr. Rom. die 20. Julii hisce verbis : *eodem die natalis B. Joseph qui cognominatus est Justus, quem Apostoli cum B. Mathia statuerunt ut locum Apostolatus Judæ proditoris impleret, sed cum sors cecidisset super Mathiam, ipsi nihilominus prædicationis et sanctitatis officio inserviens, multamque pro fide Christi à Judæis persecutionem sustinens, in Judæa victorioso fine quievit, de quo etiam refertur quod venenum biberit, et nihil ex hoc triste propter Domini fidem pertulerit.* Ejusdem meminit S. Dionys. c. 11. dicens : *Ipsa divina pax et tranquillitas quam S. Justus* (Joseph enim cognominatus est Justus) *silentium appellat.*

Qui vocabatur Barsabas.] *Barsabas* idem est quod filius Sabæ, sicut *Barabas* idem est quod filius Abbæ. *Bartimæus* idem est quod filius Timæi, *Barjona* idem est quod filius Jonæ, vel Johannis : pater enim S. Petri vocabatur Johannes, et per crasin Jonas. An Idem dicendum sit de hoc Barsaba, quod scilicet pater ejus vocatus vel cognominatus sit Sabas, incertum est. Potest enim *sabas* accipi ut appellativum, non ut proprium, significans vel juramentum, vel saturitatem, vel reversionem, ut *Barsabas,* idem sit quod filius juramenti (perinde ac Barsabee idem est quod puteus juramenti, Genes. 21. 31.) vel saturitatis, vel reversionis, vel conversionis ; ita S. Hier. et Pagnin. in Nomin. Hebr. Alius est hic Barsabas à Barnaba consobrino S. Pauli, qui pariter vocatus est Joseph, Actor. 4. 36.

Qui cognominatus est justus,] ab insigni ejus justitia et sanctitate, æque ac ejus frater Jacobus, ab eadem cognominatus est *justus* et *frater Domini. Justus* enim non Hebræum, ut Beda aliique putant, sed Latinum est nomen, estque proprium vel nomen, vel cognomen, sicut hodie multi nomen habent Justus, quocirca græce vocatur pariter Ἰοῦστος. Sic multas voces Latinas Evangelistæ græce scribentes, usurpant quasi Græcas. Tales sunt *prætorium, flagellum, colonia, legio, sudarium, census.*

Vide hic, ut ad prælaturas non semper aptiores sint justi et sancti. Aptior enim est qui habet talentum regendi et gubernandi quod magis in prudentia et gratia, quam in sanctitate consistit, uti dicebat S. Theresia, quæ proinde Superiores eligi volebat prudentes potius et discretos, quam sanctos, si alterutrum deesset.

Multi censent hunc Joseph fuisse fratrem S. Jacobi Minoris, Simonis et Judæ : hos enim quatuor fuisse fratres insinuat S. Math. cap. 13. 35. ac proinde noluisse Christum ut in eum sors caderet, tum ne tot cognatos suos videretur externis præferre, tum, ne quatuor fratres simul essent in collegio duodecim Apostolorum ; perinde ac Canones cavent, ne in eadem Ecclesia pater et filius simul beneficium obtineant : et plura Capitula in suum Canonicorum cœtum nolunt admittere plures fratres, ne ii inter se conspirent, cæterisque dominari velint, itaque factiones et schismata concitent.

Mathiam.] *Mathias* hebraice idem est quod מתן יה *mattan ja,* id est, donum Dei, vel donatus à Deo. Unde Beda censet nomen ejus fuisse omen quod donandus esset apostolatu. Hinc idem pene est nomen Mathias, quod Matthanias et Nathinæus : imo Pagninus Mathiam non aliter quam Matthamah nuncupat. Idem est nomen geminata littera *thau* Mathatias, qui fuit pater Judæ, Jonathæ et Simonis Machabæorum, idemque sonat quod *domum Domini,* vel *interfectio Domini :* interfecit enim ipse ducem Antiochi ex zelo. Sane Matthatiæ in zelo similis, imo superior fuit Mathias. Addit Beda et alii, *Mathias* hebr. idem esse quod *parvus Dei,* quod Apostolorum fuerit ultimus, quodque merito humilitatis evectus sit ad apostolatum juxta illud Christi Matth. 11. v. 25. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, et prudentibus revelasti ea parvulis :* Verum non video unde *Mathias* idem sit quod *parvus Dei,* nisi dicas per commutationem litteræ *m* cum *p* (eo quod utraque sit labialis,) *Mathias* idem esse quod *Pethias : pethi* enim hebr. significat *parvulum;* vel certe *Mathias* conflatum esse ex יה מה אתה *ma atta ja,* id est, *quid tu Deus?* Quid tu Domine, quid ego? tu abyssus entis omnisque boni, ego abyssus nihili omnisque mali. Sic *Michael* idem est quod *quis ut Deus?* Clemens Alex. l. 4. Strom. censet Mathiam fuisse Zachæum, qui ex arbore sycomoro à Christo vocatus sit, factusque è 72. discipulis, ac postea ab Apostolis Judæ suffectus creatusque Apostolus, dictus sit Mathias. Verum cum Zachæus fuerit princeps publicanorum, ut patet Lucæ 19. 2. multi censent eum fuisse Gentilem : Judæis enim infame erat hoc nomen et officium ; Christi autem Apostoli omnes Judæi fuere, nulli Gentiles. Ita censet Tertull. l. 4. contra Marc. 37. cui assentiri videtur S. Cyprian. epist 63. ad Cæcilium. S. Ambros. et Beda in cap. 19. Lucæ. Sed hanc rationem confutat S. Hier. epist. 146. ex eo quod S. Matthæus fuerit publicanus, et tamen Judæus, ideoque Apostolus : rursum Judæus fuit publicanus, qui cum pharisæo oraturus ascendit in templum, Lucæ 18. v. 10. Quocirca Zachæum fuisse Judæum censent Euthym. Lyran. Cajetan. Montan. Jansen. Salmeron et Barrad. in Lucæ c. 19. tum quia ibidem v. 9. vocatur, *filius Abrahæ;* tum quia dicit Christo : *Si*

quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum, quod Judæis præceptum erat Exodi 22. 1. non Gentilibus. Magis obstat, quod S. Clemens lib. 1. et 3. Recogn. in fine asserat Zachæum à S. Petro ordinatum Episcopum Cæsareæ Palæstinæ, quod si verum est, liquet eum non fuisse Apostolum : sed de libri Recognit. auctore et fide multi dubitant. Solebat gloriari Carolus V. quod natus festo S. Mathiæ, sortem Imperii, felicitatis et victoriarum obtinuisset.

24. Et orantes dixerunt.] Docent Apostoli orationem communem et publicam præmittendam electioni Pastoris et Episcopi, ut dignissimum Deus concedat; ab eo enim pendet salus vel perditio gregis. Sic Christus designaturus Apostolos pernoctavit in oratione, Lucæ 6. 12. Sic Concil. Trident. sess. 24. c. 1. jubet ut Episcopatu vacante indicantur per totam diœcesim publicæ preces pro electione boni Pastoris.

Qui corda nosti omnium.] Græci unica voce significantius Deum vocant invocantque, κύριε καρδιογνῶστα, *Domine cordis inspex*, qui scilicet solus cordis, id est mentis, sinus fundumque inspicis et perspicis, qui ejus latebras omnes scrutaris, qui pervides liberas et arcanas cujusque mentis cogitationes, consilia, desideria, intentiones etiamsi ipsi sæpe velatas, fucatas et incognitas ac proinde optime nosti, quis ad hoc apostolatus officium aptissimus sit. Homines enim in eligendo sæpe falluntur, quia exteriora tantum respiciunt, corda vero videre nequeunt, in quibus sæpe multa latent, quæ hominem pastoratu et officio maxime dignum, vel indignum efficiunt : Deus ergo solus est cardiognostes, non homo non angelus.

Ostende quem elegeris.] Videntur hi duo, Joseph et Mathias, dotibus fuisse quasi pares, inquit glossa; aut se habuisse ut excedens et excessum, ut licet unus in uno superaret alium, tamen hi altero ab eodem superaretur, ut proinde Apostoli nescierint uter alteri præferendus esset : ideoque Deum invocarunt, ut is aptiorem designaret. Sciebant enim se, utpote Ecclesiam novellam Christi, ipsi cordi et curæ esse ipsumque in re tanti momenti adfore; ac sicut olim undecim Apostolos elegerat, ita et nunc duodecimum demonstraturum. Hanc fiduciam sibi ab eo aspirari sentiebant, ideoque fidenter orant, non dubii quin voti sint futuri compotes, et id quod orant impetraturi.

Accipere locum.] Græce κλῆρον, id est *sortem*, de qua v. 17.

25. De quo prævaricatus est Judas.] Pagnin. et Tigurina vertunt, *unde prævaricatus excidit Judas*, hoc est, ex quo per prævaricationem (puta proditionem, desperationem et sui strangulationem) excidit Judas. Est metalepsis. Græce, ἐξ ἧς παρέβη, quod aliqui vertunt, *ex quo aberravit, ut* παρέβη, pro παρεξέβη et παράβασις, pro παρεκβασις, id est, *digressio, alteratio*, ponatur. Est enim vocatio nostra et status quasi via et stadium, in quo recta decurrimus ad metam, ut bravium cœlestis gloriæ nanciscamur; à quo aberrant, qui in avia tendunt, alioque flectunt curvantque cursum.

Ut abiret in locum suum,] se dignum, puta in laqueum quem sibi nexuit, ait Œcum. aut in infernum : quia hactenus occupaverat locum alienum, et ex propriis demeritis damnationis locum suum efficit, inquit Cajet. Subtiliter S. Bernard. in psalm. 90. serm. 8. *in locum suum, id est*; inquit, *ut suspensus in aere creparet aeriarum collega potestatum, utpote quem veri Dei et veri pariter hominis, qui de cœlo venisset operaturus salutem in medio terræ, hujus inquam proditorem, nec cœlum reciperet, nec terra sustineret, juxta illud : Si non in cœlis, stes ubicumque velis.*

Eratne ergo Judas in loco suo, cum erat in apostolatu ? Nequaquam : nam : ut ait Cajet. *Abiit in locum suum, quia hactenus occupaverat alienum apostolatus et ministerii locum.* Quamvis enim apostolatu insignis videretur : re vera apostolatum non habebat, quia illo ut par erat, non utebatur. Ita plane et pastores, qui suis ovibus regendis non attendunt; nihil minus habent, quam dignitatem pastoralem, de qua ipsi sua se incuria ac socordia deturbant. Quare D. Bern. serm. ad pastores in Synodo congregatos, in illud Davidicum : *Confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos*, Ps. 52. v. 6. sic pastores alloquitur : *Et vos*, ait, *confusi estis in actibus vestris : non honorati, sed onerati, dignitatibus vestris, quoniam Deus sprevit vos.* Quæ moraliter dicta accipe : nam certum est ad litteram Judam verum habuisse apostolatum, et impios pastores verum habuisse pastoratum.

26. Et dederunt sortes eis.] Syrus, *conjecerunt sortes;* Pagnin. *et dederunt sortes eorum;* Tigurina, *et miserunt sortes eorum.* Græce enim est αὐτον, id est *eorum* in genitivo, non *eis* in dativo.

Quæres Primo, quæ, et quales fuerunt hæ sortes : Resp. Aliqui, ut Gagneius, censent fuisse scrutinium suffragiorum. Accedunt nostri Salmeron et Sanchez, qui censent Apostolos orasse, ut Deus illuminaret mentes eorum, ac declaret cui eos vellet suum dare suffragium; et hoc vocare sortem. Probant ex eo, quod pro *annumeratus est*, græce fit συγκατεψηφιστη, id est, *communibus calculis cooptatus est.* Verum sic non fuisset sors et sortitio, sed electio : nec sors cecidisset super Mathiam, sed jure suffragiorum creatus esset Apostolus.

Secundo, S. Dionys. Ecclesiast. Hierarch. can. 5. part. 3. quem S. Antonin. Turian. Baron. Sanchez et alii sequuntur, censet fuisse signum quoddam divinum : at quale fuerit, non explicat. *Videtur mihi*, inquit Dionys., *Scriptura sortem appellasse divini quiddam et præcipui muneris, per quod ille choro sacratissimo insinuaretur, qui esset divina electione declaratus.* S. Antoninus 1. p. tit. 6. c. 2. censet fuisse radium è cœlo demissum in Mathiam, sicut radio lucis demonstratus fuit Gregorius Magnus Pontifex, et alii nonnulli. Dionys. Carthus. censet fuisse columbam cœlitus delapsam in Mathiam, sicut S. Fabianus illapsu columbæ creatus est Pontifex. Alii censent fuisse donum prophetiæ, vel sapientiæ aspiratum Mathiæ.

Si objicias, quomodo ergo Apostoli dicuntur dedisse eis sortes : Resp. Hoc sensu, quod Apostoli signum hoc ex instinctu divino præfinierint, dicendo : super quem descendet radius, aut columba è cœlo, ille Dei judicio erit Apostolus : tumque Deum orarunt, ut ipse has sortes ostenderet, et ederet, perinde ac fecit Eliezer servus Abrahæ, quærens uxorem Isaaco, ac per signum oblationis hydriæ cognovit et elegit Rebeccam, Gen. 24. 14. Simili modo Gentiles sua oracula et responsa deorum vocabant sortes, quia à diis eorumque sacrificulis, consultore quasi forte, ac sæpe per sortilegia reddebantur.

Hinc apud Valerium l. 1. *præcipi sortibus*, idem est quod *præcipi oraculis*.

Verum dare aut mittere, sortes, non hoc, sed longe aliud significat, ut cuivis patet ex communi terminorum significatione et usu. In sorte enim eventus est fortuitus et à casu expectatur, ut is vincat, in quem sors quasi felix alea ceciderit. Dico ergo Apostolos misisse sortes proprie dictas, ut verba sonant, et sortem cecidisse super Mathiam. Porro qua re, et modo missæ sint hæ sortes, incertum est. Nostri Lorinus et Mariana censent, nomen Mathiæ uni chartæ, nomen Joseph alteri fuisse inscriptum, itaque utrumque injectum in urnam, ibique commistum, ut cujus primo educeretur, is esset Apostolus; ac primo eductum esse nomen Mathiæ. Scimus varias apud veteres sortiendi fuisse rationes et modos. Nam Proverb. 16. 33. in sinum conjiciebantur chartulæ, tesseræ, globuli, aut lapilli: apud Homerum Illiad. η in galeam apud Plautum in Casina in situlam, apud Cicer. lib. 4. in Verrem in hydriam, apud Virgil. Æneid 6. in urnam. Quo modo et ratione usi sint Apostoli, incertum est: certum est, Deum per eam declarasse Mathiam tum dirigendo sortem, ut caderet in Mathiam, juxta illud Proverb. 16. 33. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur:* tam addendo signum aliquod cœleste, v. g. radium aut quid simile, quo sortem comprobaret, uti censet S. Dionys. et alii jam citati. Item S. August. psalm. 30. conc. 2. et Orig. hom. 23. in Josue; idque ne Mathias cæteris Apostolis, qui à Christo ipso electi erant, esset inferior. Id patet ex oratione Apostolorum sorti prævia, qua Deum rogarunt ut magis idoneum designaret: non dubium autem, quin Deus hanc orationem communem Apostolorum et Ecclesiæ exaudierit, eosque voti compotes fecerit. Quocirca sors hæc humana fuit, si sortientes Apostolos spectes, eadem tamen divina fuit, si calculum quem Deus ei adjecit, consideres. Hoc enim ait S. Dionys. qui utique sortem illam optima norat. Et sic hæc tertia sententia jungenda et secundæ.

Quæres Secundo, qua conscientia Apostoli rem tantam commiserunt sorti, id est casui et fortunæ? Resp. Primo aliqui ex Glossa, id eos recte fecisse, eo quod eligendi in dotibus externis essent pares: tum enim sorte res decidi et dirimi potest. Unde S. August. epist. 119. cap. 20. et epist. 180. docet, sorte decidendum esse, qui sacerdotes persecutionis tempore fidelibus assistere debeant, qui vero fugere. Idem censendum tempore pestis, similisve necessitatis. Eodem modo sancit Plato de Republ. dialog. 5. sortis æqualitate in republica utendum esse ad multorum offensas vitandas, ita ut Deum et bonam fortunam in precationibus invocemus, ut ipsi sortem ad id quod justissimum est dirigant: Deus enim est moderator fortunæ, adeoque ipse est fortuna activa et fortunans. Et Plutarchus in Moral. *Ut in democratia*, inquit, *cui sorte contigit imperium, eum oportet imperare: sic in vita hominum quod sors dederit, boni consulendum est.*

Secundo, Apostoli secuti sunt exempla S. Scripturæ. Sic enim Saul sorte creatus est Rex, 1. Reg. 10. 20. Sic sorte deprehensus est Acham, Josue 7. 16. Sic sorte divisa est terra promissa inter 12. Tribus, Josue 15. etc. Unde S. Hier. in Jonæ cap. 1. S. August. serm. de S. Mathia, S. Chrys. et Beda hic ac S. Thom. 2. 2. q. 95. art. 8. censent, Apostolos adhuc rudes et inexpertos, id fecisse ex consuetudine Patrum veteris testamenti, antequam recepissent Spiritum sanctum, ideoque post eum receptum id non fecisse in electione Diaconorum cap 6. perinde ac jam omnis sors in electionibus Pastorum et Ecclesiasticorum est prohibita Jure Canonico, ut patet c. *Ecclesia*, de sortilegiis, sub finem. Nam jure naturæ, divino et humano ad beneficia, præsertim habentia curam animarum annexam, eligendus est dignior, uti sancit Concil. Trident. sess. 24. c. 18. de reform. idemque docent passim Theologi cum D. Thom. quos citat et sequitur noster Lessius lib. 2. de Justitia c. 34. dub. 14. Simili modo Romani, Gentiles licet, legem tulerunt, ne quis sacerdos sorte aut pretio crearetur, uti refert Dion. lib. 2. Hist. Rom.

Tertio et genuine, Apostoli jecerunt hanc sortem licite, quia id fecerunt ex instinctu divino, quo tacite Deus promittebat se suam voluntatem per eam demonstraturum, et magis idoneum designaturum. Ita noster Lessius l. 2. de Justitia c. 43. dub. 9. apud quem vide plura de divisione et varietate fortium, quæque ex eis licita sit, quæ illicita. Simili enim modo jussit Deus Samueli dare sortes pro creatione Saulis regis, et Josue pro deprehensione Achan, et pro divisione terræ sanctæ, de quibus paulo ante dixi: et S. Francisco sortito capere sententias S. Script. primo in Evangeliis occurrentes, easque capessere pro regula vitæ, uti refert S. Bonavent.

Præclare S. August in psalm. 30. conc. 2. explicans illud: *In manibus tuis sortes meæ. Sors*, ait, *res est in dubitatione humana divinam indicans voluntatem.* Et mox sortem interpretatur gratiam Dei: *Quia in sorte*, inquit, *non est electio, sed voluntas Dei. Nam ubi dicitur? Iste facit, iste non facit, merita considerantur, et ubi merita considerantur, electio est, non sors. Quando autem Deus nulla merita nostra invenit, sorte voluntatis suæ salvos nos fecit, quia voluit; non quia digni fuimus. Hæc est sors.*

Et cecidit sors super Mathiam.] Ex hac sorte Mathiam fuisse primum Clericum, indeque Clericos originem et nomen accepisse, censet S. August. in psal. 67. *Nam et Cleros*, inquit, *et Clericos hinc appellatos puto, qui sunt in Ecclesiasticis gradibus ordinati, quia Mathias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum. Clericus enim dicitur à κλῆρος, id est sorte, quia sorte in sortem Domini asciscitur.* Idem cum S. Aug. sentit Isidorus l. 2. Etymol. c. 2. et S. Antoninus loco paulo ante citato, etsi aliis aliud videatur. Sane antiquiorem Clericum Mathia non legimus: atque ex hac sententia Cleri nomen cœpit cum Apostolis, imo ab Apostolis, primusque clericus fuit Apostolus.

Moral. Primo, sorte hac docuit Christus, in electione ad officia Ecclesiastica se nolle haberi rationem consanguinitatis. Nam Joseph consanguineo suo in apostolatu prætulit Mathiam extraneum. Secundo, quemque vocationem suam à Deo expectare debere, eaque esse contentum: sicut Joseph non doluit sibi prælatum Mathiam; nec inde in prædicatione Evangelii segnior evasit, sed æque strenue Christo in aliis muniis deservivit, uti superius dixi. Multi enim repulsam passi ab episcopatu vel officio, schisma vel hæresim invexerunt. Ut Tertullianus, Novatus, et

nostro sæculo Lutherus. Tertio, apostolatum, similesque præeminentias et gradus non cadere sub meritum de condigno : Deus enim Mathiam cæterosque Apostolos sorte elegit, non merito. Simili modo alii heroes à Deo missi ad Ecclesiæ vel defensionem, vel reformationem, vel illuminationem ut S. August. Hier. Basilius, Chrysost. Benedictus, Bernardus, Dominicus, Franciscus, et similes, sorte, id est gratia Dei, ad hoc electi sunt. Ad hanc tamen gratiam se disposuerunt, eamque meriti sunt de congruo sua humilitate profunda, agnoscentes se ad tantum opus plane indignos et ineptos esse, sequeque ad id destinari sorte et dono Dei (quod sonat nomen Mathias, ut dixi.) Quocirca S. Franciscus à multis rogatus, quid haberet gratiæ aut boni, ob quod à Deo ad tantum sanctitatis et auctoritatis fastigium esset exaltatus, ut totum mundum ad se suique amorem et venerationem traheret. Tu enim, inquiebant, non es nobilis, non dives, non doctus, non eloquens, non speciosus; qui ergo totus mundus post te currit? Respondit, Idcirco Deus me ad hoc elegit, quia nil habeo in quo gloriari possim, ut ostendat hoc opus non esse hominis, sed Dei.

Hanc ejus humilitatem imitemur, eique ingentem zelum gloriæ Dei propagandæ jungamus, et Deus per nos magna efficiet. Ita David tantus factus est Propheta et Psaltes, quia sensit et dixit : *in manibus tuis sortes meæ.* psal. 30. 16. Ita de Sanctis in hac vita spretis et humiliatis, sed in die judicii exaltatis et glorificatis admirabundi dicent impii, *Ili sunt quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei et inter Sanctos sors illorum est,* Sapient. 5. 3. Unde sero pœnitentes gementesque subjungunt : *Ergo erravimus à via veritatis*, etc. Merito errastis, quia dixistis : *Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra,* etc. *hæc est pars nostra, et hæc est sors. Opprimamus pauperem justum*, etc. Sapient 2. 9. Ex adverso *Felix est sterilis, et coinquinata*, etc. *et spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversus Deum nequissima. Dabitur enim illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissimo*, Sapient 3. 13. Quocirca monet Eccles. cap. 17. 24. *Cognosce*, inquit, *justitias et judicia Dei, et sta in sorte propositionis et orationis altissimi Dei. In partes vade sæculi sancti cum vivis et dantibus confessionem Deo.* q. d. Sta et constanter persevera in sorte tibi proposita hoc est, in vocatione tua, tum novæ vitæ, tum certi status sancti. Similiter persiste in sorte orationis, ut scilicet crebro Deum ores, gratiamque impetres, qua digne vocatione tua vivas. Hæc enim est utilissima oratio, si jugiter in rebus omnibus ores : Domine dirige me ea sorte, eo statu, illis viis quibus me prævides sancte virtutum, et in offenso pede recta ad cœlum sortemque Beatorum perventurum. *In partes vade.* q. d. Per bona opera profice, ut pars sæculi sancti, id est futura gloria cœlestis tibi obtingat, adeoque illam hic inchoa Deum laudando ore et opere, cum justis qui adhuc vivunt, et dant laudem Deo. In cœlis enim perpetua erit laus Dei.

ET ANNUMERATUS EST.] Græce, συγκατεψηφίσθη, id est, *communibus calculis cooptatus est*, q. d. Omnes sortem divinam, ac per eam electionem Mathiæ consona voce laudarunt, et comprobarunt. Vatabl. vertit, *suffragiis additus est ad numerum undecim Apostolorum;* Pagnin. *suffragiis additus est undecim Apostolis.* Unde non recte colligas Mathiæ sortem fuisse suffragia, sed sorte addita fuisse suffragia. Triplici ergo calculo electus est Mathias, primo sortis, secundo Dei signique divini, tertio Apostolorum, sortem Deique calculum collaudantium.

Adde, συγκατεψηφίσθη per catachresin transferri ad quamlibet electionem, idemque significare quod eligi, accenseri, annumerari, ut vertit Noster, sive id fiat suffragiis sive sorte, sive alia ratione.

Vidi et veneratus sum Treviris reliquias sancti Mathiæ in Ecclesia cathedrali, cui hi tituli assignantur, quo recenset S. Antoninus loco jam citato : *Fuit in lege Domini doctissimus, corpore mundus, animo prudens, in solvendis questionibus S. Scripturæ acutus, in consilio providus, in sermocinatione expeditus, multorum signorum patrator, extensis in cœlum manibus Martyr spiritum Dei reddidit.* Tria axiomata S. Mathiæ recenset Clemens Alexandr. Primum libr. 2. Strom. *Oportet admirari præsentia*, nimirum ut admiremur opera, Dei visibilia, et ex illis ad invisibilia ascendamus admirantes et contemplantes in eis Dei Majestatem, potentiam, sapientiam, bonitatem. Secundum lib. 3. *Si electo vicinus peccavit, peccavit electus. Nam si se ita gessisset ut jubet verbum vel ratio, ejus vitam ita vicinus esset reveritus, ut non peccasset.* Ita S. Bernardini adhuc juvenis sanctitatem ejus coævi reverebantur, ut eo præsente omnes ad modestiam se componerent dicerentque; *Tacete, Bernardinus adest.* Tertium lib. 7. quod et citat Euseb. lib. 3. Hist. cap. 29. *Adversus carnem pugnandum, et in nullo prorsus voluptati ejus ac libidini concedendum; animam vero alendam sapientiæ pastibus, et scientiæ cibis in majus semper augendam.*

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Tria hic agit Lucas. Primo, a vers. 1. ad 14. describit Spiritus sancti adventum in Pentecoste, sub specie venti validi et linguarum igneārum. Secundo, a vers. 14. ad 42. enarrat primam concionem S. Petri, qua convertit tria hominum millia. Tertio, a v. 42. usque ad finem, describit continuas orationes, synaxes, charitatem et mores sanctos primorum Christianorum.

1. Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco 2. et factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes. 3. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum; 4. et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. 5. Erant autem in Jerusalem habitantes Judæi, viri religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est. 6. Facta autem hac voce convenit multitudo, et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes. 7. Stupebant autem omnes et mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt? 8. Et quomodo nos audivimus unusquisque linquam nostram in qua nati sumus? 9. Parthi, et Medi, et Ælamitæ, et qui habitant Mesopotamiam, Judæam, et Cappadociam, Pontum et Asiam. 10. Phrygiam et Pamphyliam, Ægyptum, et partes Libyæ, quæ est circa Cyrenem, et advenæ Romani. 11. Judæi quoque et Proselyti, Cretes, et Arabes: audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. 12. Stupebant autem omnes, et mirabantur ad invicem dicentes: Quidnam vult hoc esse? 13. Alii autem irridentes dicebant: Quia musto pleni sunt isti. 14. Stans autem Petrus cum undecim; levavit vocem suam, et locutus est eis: Viri Judæi, et qui habitatis Jerusalem universi, hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea. 15. Non enim sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia: 16. Sed hoc est: quod dictum est per Prophetam Joel. 17. Et erit in novissimis diebus (dicit Dominus) effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ: et juvenes vestri visiones videbunt, et seniores vestri somnia somniabunt. 18. Et quidem super servos meos, et super ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo, et prophetabunt: 19. et dabo prodigia in cœlo sursum, et signa in terra deorsum, sanguinem, et ignem, et vaporem fumi. 20. Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et manifestus. 21. Et erit: omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. 22. Viri Israelitæ, audite verba hæc: Jesum Nazarenum, virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus, et prodigiis, et signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos scitis: 23. Hunc definito consilio et præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis: 24. Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. 25. David enim dicit in eum: Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi ne commovear: 26. Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe: 27. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. 28. Notas mihi fecisti vias vitæ; et replebis me jucunditate cum facie tua. 29. Viri fratres, liceat ardenter dicere ad vos de patriarcha David, quoniam defunctus est, et sepultus: et sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem. 30. Propheta igitur cum esset, et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus. 31. Providens loecutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. 32. Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus. 33. Dextera igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritus sancti accepta à Patre, effudit hunc, quem vos videtis, et audistis. 34. Non enim David ascendit in cœlum: dixit autem ipse: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, 35. donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. 36. Certissime sciat ergo omnis

domus Israel, quia et Dominum eum, et Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis. 37. His autem auditis, compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum, et ad reliquos Apostolos : Quid faciemus, viri fratres ? 38. Petrus vero ad illos : Pœnitentiam (inquit) agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum : et accipietis donum Spiritus sancti. 39. Vobis enim est repromissio, et filiis vestris, et omnibus qui longe sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster. 40. Aliis etiam verbis plurimis testificatus est, et exhortabatur eos, dicens : Salvamini à generatione ista prava. 41. Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt : et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia. 42. Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus. 43. Fiebat autem omni animæ timor : multa quoque prodigia et signa per Apostolos in Jerusalem fiebant, et metus erat magnus in universis. 44. Omnes etiam qui credebant, erant pariter, et habebant omnia communia. 45. Possessiones et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat. 46. Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, et simplicitate cordis, 47. collaudantes Deum, et habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augebat qui salvi fierent quotidie in idipsum.

1. ET CUM COMPLERENTUR DIES PENTECOSTES.] Puta dies quinquaginta à Paschate. Ita ut jam adesset dies quinquagesima, Pentecoste enim græce significat tam dies 50. prævios, quam ipsam diem quinquagesimam, quæ erat festum Pentecostes, Latinus ergo Interpres Pentecosten sumit priori modo, Græcus vero textus posteriori. Sic enim habet, ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς, *in impleri*, hoc est, *dum implerctur dies Pentecostes*, id est, dum advenisset dies quinquagesima à Paschate et resurrectione Christi. Pentecoste enim unica dumtaxat die, puta quinquagesima, celebrabatur; cum ex adverso Pascha, uti et Scenopegia, per septem dies continuos celebraretur, ut docet Philo l. de Decalogo, et liquet ex Levit. 23. 15. Hinc sequitur, vocem *compleri*, ex phrasi Hebræa sumi hic in actu inchoato ; non perfecto. Die enim quinquasima inchoata, puta mane, venit Spiritus sanctus non vero in vespera et fine diei. Simile est Luc. 2. 22. *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus*, hoc est postquam impleri cœperunt, cum scilicet advenisset et illuxisset dies quadragesimus à partu Deiparæ. Et Jerem 25. 12. *Cum impleti fuerint septuaginta anni.* Nam, ut ex Josepho et Chronologis liquet laxata est captivitas Babylonica anno septuagesimo incunte, non finiente.

Nota Primo, Judæis indictum erat à Deo festum Pentecostes duplici de causa. Prior fuit in memoriam datæ illo die legis per Mosen in Sina. Exodi 19. 1. Posterior, in gratiarum actionem pro novis illius anni frugibus, quas tum metere incipiebant : unde earum primitias, puta duos panes ex frugibus illius anni pistos, Deo offerebant in Pentecoste. Hæc fuerunt typus et umbra Christianæ Pentecostes, in qua promulgata est lex nova à S. Petro et Apostolis per Spiritum sanctum apparentem in linguis igneis : unde in ea pariter primitiæ fidei, puta tria millia animarum oblata et dicata sunt Christo. Præclare S. Chrysost. homil. 2. de Pentecoste in fine tomi 3. *Quæ igitur lex;* inquit, *quam hodie è cœlo datam discis? Spiritus gratia. Quæ rationales tuæ tabulæ, in quibus hæc lex insculpitur? animæ et corpus. Quæ tua spiritualis circumcisio? omnis malæ concupiscentiæ excisio, et ab ea aversio quod tuum altare? mens tua spiritualis. Quod spiritale tuum sacrificium? omnis bona operatio. Quis altaris tui ignis? compunctionis calor. Quod templum tuum à Deo conditum? mundum cor, in quo Deus habitare amat.*

Nota Secundo, Prima Christianorum Pentecoste incidit in diem Dominicum : in Dominico enim descendit Spiritus sanctus, æque ac Christus resurrexit. Numera enim à Dominica resurrectionis dies quinquaginta, et reperies quod Dominica septima sit dies quinquagesima, id est, Pentecoste. Unde sequitur, primam pentecosten Christianorum, quam hic describit Lucas, fuisse diversam et distinctam à Pentecoste Judæorum. Illi enim eam celebrarant in sabbato immediate præcedente ? Apostoli vero eam celebrarunt in Dominico subsequente; ut significaretur legem novam veteri succedere, veteremque in novam desinere, illique quasi peracto cursu suo, lampada tradere. Cum ergo ait Lucas, *Dum complerentur dies Pentecostes.* Pentecosten Christianam, non Judaicam intellige. Sicut enim Christiani differunt à Judæis in celebrando Paschate, ita et consequenter in Pentecoste. Judæi enim Pascha celebrabant 15. die primi mensis, quæcumque ea sit, indeque dies quinquagesima est eorum Pentecoste, sive ea incidat in feriam primam, sive secundam, sive quam aliam. Christiani vero Pascha celebrant in Dominica, quæ proxime sequitur decimam quintam Lunam, sive diem primi mensis, sive æquinoctii verni, idque in honorem resurrectionis Christi, qui in Dominica resurrexit : atque exinde numerando 50. dies, consequenter Pentecosten celebrant in Dominica : quia in illa pariter descendit spiritus sanctus, qui per Apostolos legem novam promulgavit in Sion. Et hoc enarrat hic Lucas : est enim ipse Historicus primitivæ Ecclesiæ, qui ejus infantiam, progressum, festa religionem, etc. ordine prosequitur. Unde Evangelio suo hæc Acta subnectere se scribit c. 1. 1. quasi continuationem Historiæ Christi et Ecclesiæ. Sicut ergo finit Evangelium in primo Paschate Christiano, puta in resurrectione Christi; ita ab illa mox hic in Actis numerat primam Pentecosten Christianam, non Judaicam. in qua per spiritum sanctum facta est promulgatio legis novæ : præsertim, quia ipse hæc scripsit 28. annis post Christi ascensionem in

cœlum, uti dixi in Proœmio, quo tempore abolita erat Pentecoste Judaica, et ubique apud Christianos celebris erat Pentecoste Christiana, cujus originem ipse hic describit. Christiani enim audientes nomen Pentecostes, non Judaicam, sed suam, puta Christianam, concipiebant et intelligebant. Quare sicut c. 1. 3. numeravit quadraginta dies à Christi resurrectione usque ad ejus ascensionem, ita hic ab eadem numerat 50. dies usque ad Pentecosten Christianam, in qua descendit Spiritus sanctus. Ita Franc. Suarez 3. par. q. 53. disp. 46. sect. 1. Vatabl. et alii: Pluribus idipsum confirmavi Levit. 23. 15.

Moral. Notat R. Moses filius Maymon, in Resolutione dubiorum legis l. 3. c. 44. Deum statuisse 50. hosce dies ante suum in Sina ad Mosen et populum adventum, ut per tot dierum moram sui adventus desiderium in eis accenderet: *Sicut*, ait, *qui exspectat visionem amici quem diliget ex animo, numerat dies donec videat ipsum.* Unde tradunt aliqui, Judæos à Paschate quotidie convenire solitos in Synagoga, ibique post preces et benedictionem numerare et proclamare solitos: Hic est primus dies, hic secundus, hic tertius, etc., usque ad Pentecosten. Ita numerabant Apostoli et primi fideles singulos dies ab ascensu Christi, avide exspectantes Pentecosten, et Spiritum sanctum. Idem faciant Christiani. Quid enim optabilius adventu Spiritus sancti, qui sicut primitus in Apostolos cum donorum suorum plenitudine descendit in Pentecoste, ita in eadem quotannis descendit in fideles, qui ad ejus adventum se digne præparant et aspirant. Est enim Pentecoste festum proprium Spiritus S. ejusque jubileum. Sicut enim annus quinquagesimus erat jubileum, in quo servi fiebant liberi, omnesque redibant ad avitas hereditates, etiamsi millies fuissent divenditæ, ita per Spiritum S. redimus ad gratiam et amicitiam angelorum, ad libertatem gloriæ filiorum Dei, ad hereditatem et regnum cæleste.

Quocirca Græci negantes Spiritum sanctum procedere à Patre et Filio; sed à solo Patre, cum de hoc errore sæpius, ac ultimo in Consilio Florentino à Latinis reprehensi fuissent, perstiterunt tamen in illo. Unde in Consilio Florentino prædixit eis Nicolaus V. Pont. per litteras, fore ut triennio exacto in Turcarum potestatem venirent: quod ita plane evenisse testatur Genadius ipsorum Patriarcha in eo libro; quem contra Græcorum errorem scripsit. Idem multo prius prædixerat illis S. Brigida, ut notavit Thomas Bozius in Signis Ecclesiæ, signo 99. Et nequis dubitarct eos ob blasphemiam in Spiritum sanctum hac pœna mulctatos, capta est Constantinopolis à Turcis, occisus Constantinus ultimus Græcorum Imperator, et deletum penitus Orientale Imperium die tertia Pentecostes, anno Christi 1453. Juste Turcis Deum unum confitentibus, et trinum negantibus, ideoque Spiritum S. respuentibus, traditi sunt Græci, qui Latinis SS. Trinitatem, et spiritus sancti divinam ex Patre et Filio processionem confitentibus consentire, et subdere se noluerunt. Juste durum Turcanum jugum subeunt, qui suave Ecclesiæ Romanæ jugum excusserunt. Juste Turcis quasi mancipia serviunt, qui ad Turcarum errorem accesserunt, quique fraternam unionem et germanitatem cum Ecclesia Latina, per immane odium et schisma disciderunt. Implicite enim tollunt è medio Spiritum S. Si enim Spiritus sanctus non procedit à Filio, ergo ab eo non distinguitur, sed est ipse Filius. In divinis enim non est personarum distinctio, nisi per processionem: ex hac enim oritur relationum oppositio, et ex ea personarum distinctio.

ERANT OMNES.] Christiani numero 120. de quibus c. præced. à v. 15. hucusque egit agitque Lucas. Ita S. Chrysost. et S. Cyprian. serm. de Spiritu sancto, imo Joel, quem S. Petrus citat v. 17. Quare inepte et imperite Beza restringit ad solos Apostolos hunc Spiritus sancti adventum, ac ab eo excludit B. Virginem, ridetque pictores, qui eam pingunt in medio Apostolorum recipientem Spiritum sanctum. Notat sanctus August. serm. 116. de Temp. Spiritum sanctum à Christo promissum duodecim Apostolis, datum vero numero decuplato: decies enim duodecim faciunt centum viginti. Ea est fidelitas, imo liberatitas Christi, docens nos pauca promittere, sed decuplo plura præstare.

PARITER.] Græce ὁμοθυμαδὸν, id est *unanimiter*. Unanimis enim concordia, consentio et oratio elicuit ad se Spiritum sanctum, qui est amor increatus, ideoque amator concordiæ.

IN EODEM LOCO.] Cœnaculi, de quo dixi cap. 1. v. 13.

2. ET FACTUS EST REPENTE DE CŒLO SONUS.] Hic sonus symbolum erat sonitus Evangelii toto orbe ab Apostolis, recepto Spiritu sancto prædicandi, juxta illud psal. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum*, cœlorum scilicet, non tam materialium, quam spiritualium, puta Apostolorum, *et in fines orbis terræ verba eorum.*

Ad litteram hic sonus excitabat tum animos fidelium, ad devote excipiendum Spiritum sanctum adventantem, tum Judæos per orbem sparsos, ut ejus fragore excili accurrerent ad cœnaculum Apostolorum: in illud enim sonus hic ferebatur, illique incumbebat; perinde ac tonitru et fulmen certum locum domumque ferit.

REPENTE.] Duplici de causa. Prior est, ut ostenderet Spiritus Sanctus hanc sui plenitudinem, suaque dona, præsertim linguarum, aliaque gratis, sine fidelium merito aut dispositione sufficienti, ex mera ejus liberalitate ipsis infundi. Posterior, ut declararet suam celeritatem, vim et efficaciam, qua repente homines terrenos in cœlestes transmutat: perinde ac S. Paulum repente ex persecutore fecit Apostolum, Magdalenam ex peccatrice pœnitentem et sanctam. *Nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia*, ait S. Ambros. in c. 1. Evang. S. Lucæ. Sic in Samsonem, quoties patraturus erat opus heroicæ et supernaturalis fortitudinis, dicitur irruisse Spiritus Domini, quasi eum, ad id præparans, excitans, elevans et corroborans.

Præclare S. Gregor. hom. 30. in Evang. *O qualis*, inquit, *est artifex iste Spiritus! nulla ad discendum mora agitur in omne quod voluerit. Mox enim ut tetigerit mentem, docet, solumque tetigisse, docuisse est. Nam humanum subito ut illustrat, immutat affectum: abnegat hoc repente quod erat, exhibet repente quod non erat. Pensemus sanctos Prædicatores nostros, quales hodierna die reperit; quales fecit!* Et paulo ante. *Ecce gaudet Petrus in verberibus, qui ante in verbis timebat, et qui prius ancillæ vocem requisitus timuit, post adventum Spiritus sancti vires principum cæsus premit.*

DE CŒLO.] Primo, quia in cœlo est thronus gloriæ Dei et Spiritus sancti. Secundo, ut fig-

nificaret se Apostolos et fideles ad cœlum vocare et evehere, eosque facere cœlestes, ut ipsi cæteros homines pariter ad cœlum vocent, et deducant. Audi S. Chrysost. serm. 1. de Pentecoste in fine tomi 3. *Hodie*, ait, *nobis terra facta est cœlum, non stellis de cœlo in terram descendentibus, sed Apostolis ad cœlos ascendentibus : quia effusa est copiosa gratia Spiritus sancti, et universum orbem operata est cœlum, non immutans naturam, sed voluntatem emendans. Invenit namque publicanum, et Evangelistam effecit : invenit persecutorem, et Apostolum reddidit : invenit latronem, et in paradisum induxit : invenit meretricem, et virginibus coœquavit : invenit magos, et Evangelistas ostendit : fugavit malitiam, et induxit benignitatem : exterminavit servitutem, et induxit libertatem : concessit debitum et intulit gratiam Dei. Ideo cœlum factum est terra, et hoc sæpius dicens non cessabo. Quæ enim tales stellæ sicut Apostoli? Stellæ in cœlo, Apostoli super cœlos. Quæ sursum sunt* (inquit Apostolus) *sapite, ubi Christus est in dextera Patris sedens. Stellæ de igne insensibili, Apostoli de igne intelligibili. Stellæ in nocte lucent, in die obscurantur : Apostoli in die et in nocte suis radiis, hoc est virtutibus, effulgent. Stellæ orto sole obscurantur, Apostoli sole justitiæ resplendente sua claritate lucescunt : stellæ in resurrectione cadent sicut folia, Apostoli in resurrectione rapientur in aera in nubibus. Et in illis quidem sideribus alias Antifer, alius Lucifer appellatur : in Apostolis autem nullus Antifer est, omnes Luciferi : et ideo stellis majores Apostoli.* Et paulo post : *Vinitores erant, et illis absentibus corpore, vinea florescit et botros affert. Etenim vinitores erant, et piscatores, et turres, et columnæ, et medici, et duces, et doctores, et portus, et gubernatores, et pastores, et athletæ, et pugnatores, et coronas gestantes. Columnæ quidem, quoniam virtute sua Ecclesiæ robur sunt : fundamentum autem, quia in confessione ipsorum fundata est Ecclesia, dicente Domino : Tu es Petrus, et super hanc petram fundabo Ecclesiam meam. Portus autem, quia tempestates impias repressérunt. Gubernatores, quoniam orbem terrarum viam rectam docuerunt. Pastores, quoniam lupos abegerunt, et oves conservaverunt. Aratores, quoniam spinas eradicaverunt. Vinitores, quoniam labruscas eradicaverunt, et semina pietatis plantaverunt. Medici, quoniam vulnera nostra curaverunt. Et ut discas me non incassum hæc dixisse, adducam Paulum in medium hæc omnia facientem. Vis eum plantatorem videre? audi : Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Vis eum structorem videre? Sicut sapiens, inquit, architectus fundamentum posui. Vis eum dimicantem videre? Sic pugno, non ut aerem cædens. Vis eum videre cursorem? Ab Hierosolyma et in circuitu usque ad Illyricum, et inde ad Hispanias, et in ultimas partes repletum est Evangelium Christi. Vis eum videre athletam? Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem. Vis eum videre ducem? Assumite arma Dei, et induite loricam fidei, et galeam salutis et gladium Spiritus sancti. Vis eum videre certantem; Certamen bonum certavi, fidem servavi. Vis videre coronatum? De cætero reposita est mihi corona justitiæ. Et cum esset unus, omnia faciebat, Dominum suum imitans. Etenim cum sit divinitas unius substantiæ, et immutabilis, pro nostra salute omnibus omnia fit.* Idem hom. 2. *Spiritus sanctus*, inquit, *nostræ imaginis est reformatio, mentis perfectio spiritalis, mentalium oculorum nostrorum sol, interni nostri hominis lumen, Lucifer in pectoris cœlo*, etc. *Spiritus sanctus est copula unionis nostræ in Christo, animarum exultatio, cordis tripudium, ignis, fons rorulentus. Spiritus sanctus lugentium consolatio, mœstudinis depositio, mentis requies, sapientiæ communicatio, prudentiæ inventio, præscientiæ illustratio. Hoc Prophetæ illustrantur, Reges inunguntur, Sacerdotes ordinantur, Doctores declarantur, Ecclesiæ sanctificantur, altaria fundantur, unguentum consecratur, aquæ purgantur, dæmones abiguntur, morbi curantur.* Et mox : *Ostendit animæ intrinsecus quasi in speculo, cum inefabili gaudio futurum æternum gaudium, adhortaturque eam, et dicit : Veni ad Patrem, veni ad supernam patriam, veni ad supernum regnum, veni ad incorruptibilem sponsi thalamum*, etc.

Ex dictis liquet, quam insana fuerit arrogantia et hæresis Manichæi, qui docebant Spiritum sanctum non per Apostolos, sed per Manichæum ad nos venisse, ideoque hanc Lucæ Historiam, Actaque Apostolorum velut conficta respuebat, quem recte confutat S. August. l. de Utilitate credendi c. 3. et l. 19. contra Faustum cap. 31. Ita juxta nomen suum Manes, id est, insanus (hoc enim græce est μανης : unde mania est insania) insane ; qui proinde impietatis et insaniæ suæ meritas dedit pœnas, cum à rege Persarum vivus excoriatus est, eo quod ejus filium ægrum, quem se sanitati restituturum promiserat, pro vivo mortuum (uti nuper fecit Calvinus) stiterit, teste Socrate l. 1. Hist. cap. 17. ubi et addit, quod Curbicus, qui se Manem appellavit, se non tantum Apostolum, sed et Paracletum nuncupavit.

2. TANQUAM ADVENIENTIS SPIRITUS.] Græce πνοῆς, id est, *flatus venti.*

VEHEMENTIS.] Græce, βιαίας, id est, *violenti.* Unde S. Cyprian. lib. 3. Testimon. contra Judæos, legit *quasi ferretur flatus vehemens ;* Vatablus *similis flatui violento qui fertur ;* Pagnin. *tanquam impetu venientis* (hoc enim est τὸ φερομένης, *flatus vehementis.* Hic ergo spiritus non fuit Spiritus sanctus, sed flatus, sive ventus vehemens ; ac proinde cum impetu veniens et quasi irruens in cœnaculum, ut repræsentaret efficaciam, vehementiam et impetum Spiritus sancti adventantis in Apostolos, quo eos facturus erat efficaces, validos et impetuosos ad invadendum, debellandum et subjugandum totum orbem Christo. *Flatus ille à carnali palea corda purgabat, ignis ille fœnum veteris concupiscentiæ consumebat*, ait S. August, serm. 188. de Temp.

Nota. Spiritus sanctus varie in variis figuris, pro varietate operationum et significationum apparuit. Nam Primo, apparuit in Christi baptismo in specie columbæ, ad significandam innocentiam et fœcunditatem bonorum operum, quæ Christo et baptizatis facienda suggerit. Secundo, in transfiguratione apparuit tanquam nubes resplendens, ad significandam pluviam doctrinæ, quam tradi ; et protectionem, quam accipit suorum fidelium. Tertio, in cœnaculo à Christo fuit datus tanquam aspiratio ad significandam spiritualem vitam, quam per Sacramenta nobis confert. Unde et discipulis insufflans Christus dixit : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, Joan. 20. Quarto, in Pentecoste datus est in specie tum ignis, quia instar ignis mentes purificat,

illuminat, accendit, et ad res cœlestes elevat : tum spiritus vehementis, ad significandam efficaciam prædicationis Apostolorum, eis inditam à Spiritu sancto. Ita S. Thom. 1. p. q. 43. art. 7. ad 6. Sicut enim validus ventus, turbo et procella, præsertim ecnephias, non tantum sternit segetes, frutices, arbores, sed et domos integras à fundamentis evellit, et in altum rapit, alioque transfert; ita pariter omnem mundi potentiam, sapientiam, eloquentiam, etc. straverunt Apostoli, et à gentilismo, in Christi Ecclesiam transtulerunt, juxta illud : *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis*, psal. 47. 8. Et : *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia*, psalm. 28. 4. Quocirca sonus hic Apostolos et fideles non perculit, nec exanimavit, sed ad amorem, reverentiam et desiderium Spiritus sancti acuit et excitavit, simulque significavit quales ipsos et cæteros fideles esse oporteret, nimirum vehementes in studio virtutis et salutis. *Regnum enim cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Ita Cyrillus Catech. 17. ex adverso Eliæ zelanti et indignanti idololatris, optantique eorum necem et excidium, apparuit Spiritus sanctus in vento et aura, non vehementi, sed leni, ut ejus indignationem et zelum nimirum leniret, eique spiritum patientiæ et mansuetudinis inderet, 3. Reg. 19. 11. Nam, ut ait S. Bernard. serm. 23. in Cant. *Tranquillus Deus tranquillat omnia, et quietum aspicere quiescere est.* Vide septem dotes et commoda ventorum quæ recensui Daniel. 3. 65. eaque mystice accommoda Spiritui sancto.

Denique multi censent hic realem fuisse ventum, qui cum impetu perflaverit cœnaculum Apostolorum : sicut realis fuit sonus à vento perstrepente, ut videtur, productus. Alii tamen censent realem fuisse sonum, sed non ventum ; tum quia Lucas ait, *Tanquam advenientis spiritus :* Vox enim *tanquam*, significat spiritus, id est venti, non essentiam, sed similitudinem. q. d. Auditus est sonus et fragor ingens, qualis excitari solet à vento valido ingruente; esto hic non esset talis ventus. Deus enim fragorem et sonum, quem causare solet ventus, sine vento producere potest; quin et homines certa arte et collisione corporum similem sonum repræsentant, perinde ac nonnulli vocem philomelæ, aliarumque avium et bestiarum ita imitantur, ut à voce ipsarum avium discerni nequeant. Tum quia si realis fuisset ventus, ejus vehementia læsisset et stravisset Apostolos, humique afflixisset : tum denique quia pariter linguæ igneæ non fuerunt reales et propriæ, sed earum species et similitudo duntaxat, uti mox dicam.

Moral. S. Chrysost. homil. de Spiritu sancto in fine tom. 3. *Da*, ait, *mihi navim vacuam, gubernatorem, notas, funes, anchoras, omnia disposita, et nusquam esse spiritum venti, nonne tardat omnis quantuscmque est apparatus, si desit operatio spiritus? Ita fieri solet, licet sit ampla sermonis supellex, et mens profunda, et eloquentia, et intelligentia, si non adsit Spiritus qui vim suppeditat, otiosa sunt omnia.*

Et replevit (sonus venti, non ventus, ut jam dixi) totam domum.] Ut significaret incolas domus replendos Spiritu sancto. Unde symbolum hoc explicans subdit v. 4. *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Per domum ex phrasi Hebræa intellige cœnaculum : in eo enim erant sedentes Apostoli et fideles : qui enim extra illud erant, non receperunt Spiritum sanctum. Unde S. Cyprianus l. 3. Testim. c. 101. legit : *Et implevit totum illum locum.*

Ubi erant sedentes.] Vel proprie, uti censet Cajet. Sessio enim quietis et collectæ mentis (quæ optima ad recipiendum Spiritum sanctum est dispositio) est symbolum. Unde in vita sancti Bernardi legimus, cum fere sedendo contemplationi vacasse. Hinc illud Philosophi : *Anima sedendo fit sapiens.* Vel *sedentes*, id est, degentes et commorantes, hoc enim significat Hebr. ישב *iascab?* id est, sedere. Credibile enim est fideles orationi vacasse, et invocasse Spiritum sanctum, cum ipse in eos advenit : ac proinde vel genibus nixos, vel stantes more Judæorum idipsum fecisse, juxta id quod canit Ecclesia in festo Pentecost. *Orantibus Apostolis Deum venisse nuntiat.*

3. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ.] *Dispertitæ*, id est, distributæ per singulos, ita ut quisque suam haberet partialem linguam capiti suo insidentem, licet integram et indivisam, uti communiter pictores eos depingunt. Multi tamen probabiliter censent, linguas singulas proprie fuisse dispertitas, id est dissectas, ut vertit Tigurina (hoc enim significat Græcum διαμεριζόμεναι) ita ut sectili forma apparuerint, quam ita possumus concipere, ut imaginemur singulis occubuisse plures partiales linguas, quæ tamen inferne in unam quasi radicem coalescerent, ita ut inferne videretur esse una totalis lingua, de qua dicitur : *Sedítque supra singulos eorum*, quæ exurgens in plures linguas quasi culmos et calamos, sese dispertiret et divideret. Unde Ecclesia in Missa Pentecostes, infra Actionem, dicit linguas hasce fuisse innumeras. Ignis enim, cujus speciem habebant hæ linguæ, ob suam agilitatem et volubilitatem in varias partes quasi linguas facile se dividit et dispertit. Ratio est, quia hæ linguæ significabant Spiritum Sanctum incumbentem Apostolis, eisque indentem omnium linguarum tot gentium, ad quas ituri erant, cognitionem : multæ ergo linguæ multiplices gentium linguas (quas Apostolis indebat Spiritus sanctus) repræsentabant. Addit S. Cyprian. serm. de Spiritu sancto, hac multiplicitate linguarum significari multiplicitatem donorum, quam cuique communicabat Spiritus sanctus, juxta illud 1. Corinth. 12. 4. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.*

Simile est quod narrat Diodorus Siculus l. 2. c. ult. in Insula quadam reperiri homines qui habent dissectam linguam, ita ut simul dupliciter, idcoque cum duobus loqui possint : una enim parte linguæ loqui uni, alia alteri. Verum viri cordati jure id pro fabula habent, præsertim cum nulli Historici classici tanti prodigii meminerint. Porro serpentes, quorum prudentiam imitari nos jubet Christus Matth. 12. 16. linguam habent trifidam et trisulcam, eamque ardentem et urentem, ut trilingues esse videantur.

Nota. Voluit Spiritus sanctus hoc visibili signo se quasi visibilem exhibere, et visibiliter Apostolis illabi. Causam dat Nazianz. ejusque interpres Nicetas orat. 44. *Nam*, inquit, *cum Filius corpore sensibili et conspicuo nobiscum consuetudinem habuisset, par erat ut Spiritus quoque corporaliter appareret : sicut etiam apparuit primum in forma columbæ, nunc in forma linguarum igneárum. Et cum Christus*, etc., *ad ea quæ Deo con-*

veniebant reversus esset, suæque gloriæ restitutus. Spiritum ad nos post Christum descendere oportebat. Sicut ergo Christus incarnatus est, ut ore proprio doceret nos viam virtutis et salutis, atque eructaret in sinu Patris abscondita à constitutione mundi, ita post Christum quasi incarnatus est Spiritus sanctus in linguis igneis, ut iis imbueret Apostolos et fideles.

Linguæ.] Quæres, cur specie linguæ Apostolis insedit Spiritus sanctus? Resp. Primo quia Apostolos hic constituebat prædicatores Evangelii : prædicationis autem instrumentum est lingua. Per linguas ergo accipiebant donum linguarum. Ubi Nota. Donum linguarum complectitur tria : primo, ipsam cognitionem vocum variarum : secundo significationem earumdem : tertio, habituationem potentiarum motivarum et organorum, ad voces diversorum idiomatum recte et prompte formandas, per quam habituationem habebant habitualem facultatem debite componendi, coordinandi et pronuntiandi, voces et sententias cujuscumque linguæ. Hæc enim habituatio alia est in lingua Hispanica, alia in Germanica, alia in Gallica. Et in hoc proprie consistit habitus, sive donum habituale linguarum. Adde Quarto, cum linguis, inditam fuisse Apostolis perfectam sapientiam, et cognitionem rerum fidei ac sublimium mysteriorum, ad quæ prædicandum destinabantur, idque significabatur per linguas : tum quia linguæ et voces symbola sunt rerum et veritatum eis significatarum, tum quia eædem sunt instrumentum ad eas prædicandum. Si enim Spiritus sanctus dedit eis instrumentum accessorium ; ergo multo magis dedit ipsum principale, quod est motor et fons talis doctrinæ et prædicationis. Hoc autem est clara fides et contemplatio veritatis salutaris ad hominum salutem necessariæ, vel convenientis, inquit S. Bernardinus serm. 1. in Pentecoste. Insuper acceperunt Apostoli hic prudentiam supernaturalem, qua provide et prudenter omnes suos actus et sermones per tot difficultates, pericula, rerum et personarum diversitates componerent, et dirigerent ad suam aliorumque salutem. Denique acceperunt audaciam et zelum, cæterasque virtutes et dotes ad tantum munus necessarias, easque in actu perfecto et heroico. Cui enim sol ille divinus fulget, huic facile cuncta refulgent.

Secunda causa est, quia, ut ait S. Gregor. homil. 30. in Evang. habet cognationem maximam lingua cum verbo. Sicut enim verbum mentis producit vocem linguæ, sic à verbo spiratur et producitur Spiritus sanctus. Ita Nazianz. oratione 44. de Pentecoste, per linguam censet significari cognationem et vinculum quod est inter Filium et Spiritum sanctum. Rursum, sicut lingua est ejusdem naturæ cum ore et ceteris membris : ita Spiritus sanctus est consubstantialis Patri et Filio, ita ut quasi lingua eorum arcana et secreta nobis enuntiet, juxta illud 1. Corinth. 12. 3. *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.* Ita S. Gregor. hom. 30. in Evang.

Tertia, sicut lingua discernit sapores, et distinguit dulce ab amare, sapidum ab insipido, ita Spiritus sanctus mentem illuminans, facit eam distinguere res cœlestes et æternas à terrenis et caducis; ut illas eligamus, has contemnamus. Hac de causa ait Apostolus 1. Cor. 4. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus,* quia scilicet non habet gustum sincerum nec linguam hanc Spiritus sancti. Linguæ ergo hæ significabant quod Spiritus sanctus intimos gustus rerum divinarum, vimque gustativam ipsorum divinitus Apostolis dabat, ait S. Bernardinus serm. 1. de Pentecoste, cujus sermones pios et eruditos manu ipsius propria scriptos anno Domini 1427. magna cum animi voluptate vidi, legi et deosculatus sum Romæ in illustri Bibliotheca Ducis et Altemps, qui proinde eosdem aureo involucro ornavit.

Quarta, quia lingua multum juvat digestionem : nam cum dentibus cibum dividit, masticat et quasi in chilum vertit. Unde Physici docent primam digestionem fieri in ore, secundam in stomacho, ac proinde sanum et perutile esse ut cibus bene prius masticetur in ore, antequam in stomachum trajiciatur. Ita Spiritus sanctus facit, ut per meditationem quasi linguam ruminemus et masticemus verba Dei, itaque ea in mentem trajiciamus, nobisque incorporemus.

Quinta, quia lingua est membrum homini vel utilissimum, vel maxime noxium. Nam ut dicitur Proverb. 12. *Mors et vita in manu linguæ.* Et S. Jacobus ait, cap. 3. 8. *Linguam nullus hominum domare potest : inquietum malum, plena veneno mortifero.* Quare opus est Spiritu sancto, qui linguam domet, regat, sanctificet, juxta illud Prov. 16. *Hominis est præparare cor, Domini autem gubernare linguam.* Spiritus sanctus enim docet pauca loqui cum discretione, et multa operari cum fervore, ac jugiter laudare Deum. In hoc enim perfectio vitæ spiritualis consistit.

Viderunt id per umbram Gentiles. Scitum est illud Anacharsis, qui rogatus, *quid esset in homine pessimum, et quid optimum?* Resp. *lingua :* hæc enim utilissima est, si recta ratione gubernetur: pestilentissima vero, si secus. Ita Laertius l. 1. de Vitis Philosoph. cap. 9. Stobæus sermon. 34. narrat Theocritum Chium, cum Anaximenes dicturus esset, ita præfatum esse : *Incipit verborum flumen, mentis gutta ;* significans illum esse multiloquum, sed parum sapientem, Demosthenem vero rogatum, *cur homo haberet unam linguam, aures vero duas?* respondisse : *Quoniam duplo magis audire hominis expedit, quam loqui.* Unde Zeno adolescenti in convivio loquaci dixit : *Aures tibi in linguam defluxerunt ;* ut refert Laert. l. 7. c. 1.

Tanquam ignis.] Vox *tanquam,* videtur significare has linguas non fuisse verum ignem, sed ignis duntaxat habuisse speciem et similitudinem ; primo, in colore rubæo ; secundo, in fulgore ; tertio, in volubilitate et motu. Ita Cajetan. Verum multi probabiliter censent verum fuisse ignem, sicut verus fuit sonus. Vox enim *tanquam,* vel *sicut,* sæpe in Scriptura non similitudinem, sed veritatem significat, ut, *Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti.* Joan. 1. 14. Adde, *tanquam :* significare potius multitudinem fuisse in linguis, quam in igne, ut sit hypallage, q. d. *Linguæ tanquam ignis,* hoc est, ignis tanquam linguæ, aut potius, q. d. Linguæ hæ non erant veræ linguæ, humanæ et carneæ (hæ enim fuissent crassæ, et indecentes, ac incongruæ ad repræsentandum Spiritum sanctum, qui subtilissimus est Spiritus) sed erant similes igni : quia ignis hic in linguæ specie apparebat, et insidebat Apostolis.

Prior sententia uti simplicior, ita germanior videtur : tum quia vox *tanquam* significat fuisse ignis similitudinem, non veritatem : tum quia græce est ὡς πυρὸς, id est, *tanquam ignis*, in genitivo. q. d. Linguæ hæ non erant veræ, sed instar ignis, sive erant linguæ non carneæ, sed ignis speciem referentes; perinde ac si ex igne fuissent effictæ. Sicut ergo non fuerunt linguæ carneæ et humanæ, sic nec verus fuit ignis, sed ejus species et similitudo, sicut pictores pingere solent ignem. Hic autem vivacior fuit ignis pictura et species, quia videbatur ardere, agitari, et in altum assurgere instar veri ignis. Tum denique, quia non fuit vera columba, sed ejus duntaxat species, quæ descendit in Christum dum baptizaretur in Jordane, Matth. 3. 16. uti graviores Doctores censent et significat Matth. dicens; *Et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam.* Vox enim *sicut*, indicat fuisse columbæ similitudinem. Simile fuit de vento, ut dixi v. 2. denique si fuisset verus ignis, efflasset et combussisset capillos et capita Apostolorum. Videtur ergo ignis hic similitudinarius fuisse aer aut vapor densior, cui Deus indidit lucem roseam et rubeam instar ignis, in linguæ speciem conformatus, ita ut videretur esse lingua ignea : tum quia ignis per se pyramidalis est, sensimque se arctans in conum assurgit, uti facit et lingua : tum quia Deus hunc ignem proprie in linguæ modum efformabat. Fuerunt itaque linguæ πυρὸς, id est *ignis*, puta flammæ ignis, quæ longe acutiores sunt, quam linguæ nostræ.

Quare plane pyramidales erant, et in acumen assurgebant et desinebant, idque quinque de causis, Prima est, ut significaretur quod Spiritus sanctus ardor mentem acuit, et profunda Dei penetrare facit. Secunda, in signum quod corda discipulorum subtilissime et acutissime subintrabat et penetrabat. Tertia, in signum quod ea faceret suspirare et anhelare ad cœlum et cœlestia. Quarta, in signum quod linguis eorum ad penetrandum, et inflammandum mentes auditorum miram efficaciam inderet, juxta id quod Christus promiserat Lucæ 21. *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non potuerunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.* Quinta, in signum quod daret eis donum discretionis spirituum, quo penetrarent mentes, affectiones et secreta cordium, ut iis congrue ad salutem loqui, prædicare et consulere possent. Hoc enim donum iis qui animas tractant, ut Confessariis, Concionatoribus, Rectoribus, est valde utile et opportunum.

Quæres, cur linguæ hæ fuerunt igneæ : Resp. Primo, quia Deus, ac præsertim Spiritus sanctus, est amor subtilissimus, efficacissimus, potentissimus, agillimus. Unde ejus symbolum est ignis, juxta illud Deut. 4. 24. *Deus tuus ignis consumens est.* Idipsum per multas analogias ostendi Levit. 9. 23. Rursum, sicut lex vetus fuit data in Sina per ignem, et cum igne, imo cum fumo, tonitruis et fulguribus, ut dicitur Exodi 19. v. 16. et 18. ita multo magis ejus antitypa lex nova danda fuit per ignem. Ille enim ignis repræsentavit has linguas igneas, tonitrua repræsentarunt sonum venti vehementis, fulmina conciones et miracula Apostolorum, fumus contritionem et pœnitentiam Judæorum et Gentium. Causam dat Isidorus Pelusiota epist. 494. *Ut*, inquit, *unus Deus in utroque Testamento cognosceretur*, quod scilicet idem ipse utriusque esset auctor, ideoque pro jure et arbitrio suo vetus aboleret, novumque ei surrogaret.

Secundo, quia sicut Spiritus sanctus auctoravit Prophetas per ignem, ita multo magis decebat ut auctoraret et Apostolos. De Prophetis liquet. Nam Isaiam c. 6. 6. creavit Prophetam, et sui ævi Apostolum tangens purgansque labia ejus carbone ignito. Sic de Elia ait Eccles. cap. 48. 1. *Surrexit Elias quasi ignis, et verbum ejus quasi facula ardebat :* unde et raptus est in cœlum curru igneo, 4. Reg. 21. 11. et Jeremias Thren. 1. 13. *De excelso*, inquit, *misit ignem in ossibus meis, et erudivit me.* Et Ezechiel quatuor Cherubinos stipatores currus gloriæ Christi ita describit c. 1. 13. *Aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, et quasi aspectus lampadarum.* Illi autem typi fuerunt Apostolorum, qui quasi Cherubini, imo Seraphini, currum Ecclesiæ et gloriæ Dei egerunt per totum orbem, dum Dei et Ecclesiæ magnificentiam toto orbe celebrarunt et propagarunt. Quocirca Christus ipsum prædixit dicens Lucæ 12. 49. *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* Hinc et Spiritus sanctus repræsentatus fuit columna ignis et nubis, quæ præivit et deduxit castra Hebræorum per desertum in terram promissam, uti dixi Exodi 13. 21.

Tertio, ut significaret legem Christi, quam mox promulgaturus erat, esse legem ignis, id est, charitatis et zeli, juxta illud Deut. 33. 2. *In dextera ejus ignea lex.* Ignis ergo significat incendium amoris, quod Apostolis et fidelibus immittit Spiritus sanctus.

Quarto, ut significaret effectum, quem Spiritus sanctus operaturus erat in animis Apostolorum, cæterorumque fidelium, nimirum quod in eis torporem, timorem, concupiscentias et vitia consumeret, et combureret quasi ignis, eosque igneos, id est, zelosos, efficaces et agiles ad omne bonum efficeret, sicut ignis ignit ferrum, ait Cyrillus catechisi 17. *Hic ignis*, ait Chrysost., hom. 4. *mundi peccata quasi sylvam exussit.* Et inferius : *Sicut enim igneus homo si in medias incidat stipulas, nihil lædetur, sed magis vim exeret suam; ita evenit.* Et S. Gregor. hom. 30. in Evang. *In linguis igneis*, ait, *apparuit Spiritus, quia omnes quos repleverit, ardentes pariter et loquentes facit. Linguas igneas Doctores habent, quia dum Deum amandum prædicant, corda audentium inflammant. Nam et otiosus est sermo Doctoris, si præbere non valet incendium amoris. Hoc doctrinæ incendium ab ipso veritatis ore conceperant, qui dicebant : Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas?* Verum est illud Ciceronis de oratore præceptum lib. 2. de Orat. *Ardeat orator, si judicem velit accendere.* Oportebat ergo hoc igne ardere Apostolos, ut eo totum orbem frigore torpentem et gelidum inflammarent.

Quinto, Cyrillus Hieros. catechesi 17. *Ignis*, ait, *prætendit tribulationem magnam et multiplicem, quam passuri erant Apostoli et fideles; sed superaturi per ignem amoris divini, quem idcirco hic eis indidit Spiritus sanctus.*

Sexto, ignis significat acre examen, et lumen quod menti suggerit Spiritus sanctus. Audi S. Bernard. serm. 2. de Pentecoste : *Quid*, ait, *à te quærit, qui tanta sollicitudine te quæsivit, nisi te sollicitum ambulare cum Deo tuo? Hanc*

sollicitudinem non facit, nisi Spiritus sanctus, qui scrutatur profunda pectorum nostrorum, discretor cogitationum et intentionum cordis, qui nec minimam paleam intra cordis, quod possidet, habitaculum patitur residere, sed statim igne subtilissimæ circumspectionis exurit. Spiritus dulcis et suavis, qui nostram voluntatem flectat, imo erigat, et dirigat magis ad suam, ut eam et veraciter intelligere, et ferventer diligere, et efficaciter implere possimus.

Denique S. August. serm. 185. de Temp. *Ipse* (Spiritus sanctus inquit) *Apostolos suos vivæ lucis fonte perfudit, ut ipsi postmodum universum mundum, tanquam duodecim solis radii, ac totidem lampades veritatis illuminent, et inebriati novo vino repleant, atque irrigent sitientia corda populorum.* Quocirca idem toto affectu cum invocans in Meditat. c. 9. *Jam*, inquit, *divini amor numinis, Patris omnipotentis prolisque beatissimæ sancta communicatio, omnipotens Paraclete Spiritus, mœrentium consolator clementissime, jam cordis mei penetralibus potenti illabere virtute, et tenebrosa quæque laris neglecti latibula, corusci luminis fulgore pius habitator lætifica, tuique roris abundantia, longo ariditatis marcensia squalore visitando fœcunda. Saucia interioris hominis arcana tui amoris jaculo, et torpentis medullas jecoris flammis salutaribus penetrando succende, sanctique fervoris igne illustrando, intima mentis et corporis universa depasce. Pota me torrente voluptatis tuæ, ut nil jam mundanorum degustare libeat venenatæ dulcedinis. Judica me Domine, et discerne causam meam de gente non sancta, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Credo ergo, quia quemcumque inhabitaveris, Patris, ac pariter Filii domicilium condis. Beatus qui te merebitur hospitari, quoniam per te Pater et Filius, apud eum faciunt mansionem. Veni jam, veni benignissime dolentis animæ consolator, protegens in opportunitatibus, in tribulatione adjutor. Veni mundator scelerum, curator vulnerum, veni fortitudo fragilium, relevator labentium: veni humilium doctor, superborum destructor.*

Viderunt idipsum Gentilium Philosophi. *Stoici* enim, ait S. Cyrillus l. 1. contra Julian. *Deum vocant ignem artificialem, via incedentem ad nativitatem mundi. Democritus asserit Deum esse mentem in igne orbicularis specici, esseque animam mundi.*

SEDITQUE SUPER SINGULOS EORUM.] *Sedit*, id est, institit, incubuit: nec enim lingua, vel ignis proprie sedet. Jam *sedit:* non sonus, aut ventus: hic enim non sedebat, sed agitabatur, et perflabat totam domum, sed ignis hic linguarum, vel lingua ignea, ac consequenter Spiritus sanctus, hisce linguis repræsentatus, qui unus erat in omnibus linguis. Unde ait *sedit*, non *sederunt:* tum quia una erat lingua totalis, licet in varias partiales dispertita, quæ singulis insidebat, ut dixi vers. 3. tum quia unus erat Spiritus sanctus, cujus index erat lingua. Syrus tamen vertit, *et sederunt*, scilicet linguæ igneæ, quæ plures erant in pluribus, imo in eodem, sed partiales, ut dixi. Ita S. Cyprian. lib. 3. Testimon. c. 101. *Et visæ sunt*, inquit, *illis linguæ divisæ quasi ignis, qui et insedit in unumquemque illorum.* Communiter Patres censent linguas has insedisse capitibus Apostolorum, licet aliqui eas in os eorum se inseruisse censeant. Causam dat Cyrill. Hierosol. catechesi 17. *Sedit*, inquit, *super illos, ut novæ coronæ spirituales per linguas igneas imponantur capiti illorum.* Secundo, quia in Apostolis quasi in Cherubico throno resedit majestas Spiritus sancti, ait Nazianz. orat. 44. Tertio, ut eos auctoraret orbis Doctores, eosque ostenderet esse cœlestes, ideoque cœlesti sapientia et facundia præditos. Ita Ammonius hic. Quarto, ut ostenderet Spiritus sanctus, inquit Chrysost. se in iis eorumque successoribus permansurum usque ad finem mundi, juxta promissum Christi, Joannis c. 14. 16. Quinto, sessio hæc significabat Primo, tranquillitatem animæ omniumque appetituum; Secundo, stabilitatem et constantiam mentis; ne prosperis elevarentur, et adversis dejicerentur; Tertio gravitatem et maturitatem morum, quam eis indebat Spiritus sanctus. Sexto, addit noster Franc. Turrianus lib. 1. de Hierarchia ordinat. Minist. c. 2. citans S. Dionys de Eccles. Hierarch. et S. Hieron. Dial. contra Lucifer. Item Ammonius, Damianus et alii, Apostolos hoc symbolo creatos esse Episcopos in Pentecoste, cum prius à Christo in ultima cœna dicente: *Hoc facite in meam commemorationem*, creati essent Presbyteri. Ratio eorum est, quia in Pentecoste, inquiunt, acceperunt Apostoli potestatem dandi Spiritum sanctum, per impositionem manuum, puta per Sacramentum Confirmationis et Ordinis. Verum ad hoc dici potest, Apostolos potestatem hanc tunc accepisse in actu secundo, cum eam prius accepissent in actu primo; nam non congruebat eos hac potestate uti in actu secundo, antequam ipsi Spiritus sancti plenitudinem in Pentecoste recepissent. Tunc enim ipsi in gratia confirmati, cœperunt confirmare et ordinare alios. Quare verius est eos creatos esse Episcopos ab ipso Christo post resurrectionem, cum eis dixit Joannis 20. 21. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Hisce enim verbis creavit suos Vicarios, orbisque Doctores, ac consequenter suum officium et auctoritatem, puta omnem potestatem Ecclesiasticam eis communicavit, ac proinde eos creavit Episcopos, uti ibidem asserunt S. Cyrill. Chrysost. Theophyl. Rupert. et alii.

Denique aliqui, ut Dionys. Carthus., censent Apostolos hic confirmatos esse in gratia per assistentiam et protectionem continuam Spiritus sancti, quæ eis hic ab illo deputatur et addicitur, ita ut deinceps ab ea excidere, nec mortaliter, sed venialiter dumtaxat, peccare possent. Confirmatos enim eos fuisse in gratia docet S. Ambros. lib. de Benedict. Patriarch. c. 4. et passim Scholastici: nec apparet ubi confirmati sint in ea, nisi in Pentecoste: tunc enim Spiritus sancti plenitudinem acceperunt, perinde ac baptizati, in Sacramento Confirmationis dicuntur in gratia baptismo accepta confirmari, roborari et perfici, ac repleri Spiritu sancto, licet non ea plenitudine qua Apostoli. Unde Euseb. Emissenus (vel quisquis est auctor) homil. de pentecoste, asserit in Sacramento Confirmationis illud robur Spiritus sancti conferri, quod collatum est Apostolis in Pentecoste.

4. ET REPLETI SUNT OMNES.] Qui antea habebant Spiritum sanctum, jam ejus plenitudinem acceperunt, ait S. Leo serm. 3. de Pentecoste. Porro non omnes parem acceperunt gratiam, sed alius majorem, alius minorem, quisque scilicet pro suo, tum officio et gradu, tum dispositione, sicut vasa minora et majora replentur

vino; sed majus plus recipit capitque quam minus, ob majorem capacitatem. Capacitas autem major ad recipiendum dona majora Spiritus sancti, est major dispositio et præparatio, major humilitas, majus eorum desiderium, spes, oratio, etc. Præclare S. August. serm. 185. de Temp. *Quanta*, ait, *et quam ineffabilis pietas Redemptoris? hominem portavit ad cœlum, et Deum misit ad terras. Quanta est auctori cura pro instauratione facturæ suæ! Ecce iterum nova de supernis medicina mittitur, ecce iterum infirmos suos per seipsam majestas visitare dignatur. Ecce iterum humanis divina miscentur, id est, vicarius successor Redemptoris, ut beneficia quæ Salvator inchoavit, peculiari Spiritus sanctus virtute consummet; et quod ille redemit, iste sanctificet; quod ille acquisivit, iste custodiat.*

Ubi Nota. S. August. Spiritum sanctum vocat Vicarium, id est, successorem Christi. Spiritus sanctus enim voluit descendere in mundum, ut imitaretur Verbi, puta Christi, descensum, ejusque cœpta et acta compleret. Quocirca descensus Spiritus sancti in Apostolos, similis fuit descensui Christi in mundum, puta incarnationi. Primo, quoad substantiam. Sicut enim Verbi substantia descendit in carnem, sic Spiritus sanctus substantialiter descendit in Apostolos. Secundo, quoad modum. Sicut enim modus incarnationis fuit unio hypostatica, sic hypostasis Spiritus sancti unita fuit Apostolis modo quodam simili. Unde sicut Verbum in carne fuit quasi ignis in carbone, ideoque illud carboni ignito assimilant S. Cyrill. Damasc. et alii; ita pariter Spiritus sanctus fuit quasi ignis insidens Apostolis. Ignis enim quoad splendorem repræsentat Verbum, quod est sapientia, lux et splendor Patris: ignis vero quoad calorem repræsentat Spiritum sanctum, qui est calor, id est, amor Patris et Filii: linguæ vero repræsentant carnem, quæ sunt pars carnis nobilissima, ac connexionem habent cum pulmone et corde, ex quo omnis spiritus, sanguis et vita carnis oritur. Tertio quoad causam. Tam enim descensus Spiritus sancti quam Christi causa fuit amor immensus et divinus, quo ipse quasi Deus, et summum bonum cupivit summe benefacere hominibus, iisque se summo modo, adeoque substantialiter et personaliter communicare et donare. Quarto, quoad proprietates. Sicut enim proprietates humanæ naturæ in Christo attribuuntur Deo et verbo, et vice versa per communicationem idiomatum, qua Deus dicitur natus, esuriisse, sitiisse, passus, mortuus, crucifixus, quia scilicet humana natura quam assumpsit, nata est, esuriit, passa est, mortua et crucifixa: ac vicissim hic homo dicitur esse Deus, omnipotens, immortalis, æternus, quia scilicet persona Verbi cui juncta est humanitas, est Deus omnipotens, immortalis, æternus: ita pariter est quædam communicatio idiomatum inter Spiritum sanctum et Apostolos, per quam Apostolos, per quam Apostoli dicuntur effecti divini, spirituales, sancti, ob Spiritum divinum et sanctum quem receperunt, ac vicissim ipse Spiritus sanctus dicitur Apostolicus, multilinguis, propheticus, doctor, prædicator, quia tales effecit Apostolos, adeoque per eorum ora et linguas locutus docuit et prædicavit. Quinto, quoad fructus et effectus. Sicut enim Verbum incarnatum purgavit nos à peccatis, illuminavit, omni gratia donavit, perfecit, beavit, et ad gloriam æternam perduxit: ita pariter purgat, illuminat, perficit, beat nos Spiritus sanctus.

Spiritu sancto.] Quæres, quis, qualis, quantus est Spiritus Sanctus? Resp. et dico. Primo, Spiritus sanctus vocatur tertia persona S. Trinitatis quam spirant et spirando producunt Pater et Filius; sicut homo spirando producit flatum, sive anhelitum et spiritum. Sicut enim cor per os producit flatum; ita Pater per Filium producit Spiritum sanctum, ipse ergo est spiritus et anhelitus Patris et Filii. Aut potius, sicut anima ex intellectione rei amabilis spirat et producit amorem ejusdem; ita Pater per Verbum spirat Spiritum sanctum. Ergo Spiritus sanctus est et dicitur Amor castus et sanctus, spiratus et productus à Patre et Filio. Amor enim est quasi spiritus quem expirat affectus: unde et amantes apud homines languent. Hinc et de Sapientia, cujus fons est Spiritus sanctus, ait Sapiens, 7. 25. *Vapor est enim virtutis Dei, et emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera.*

Nota. Hic Spiritus non est extrinsecus Deo, ab eoque emissus et efflatus, sed intrinsecus et substantialis. Est enim Spiritus hic non creatura, sed vere et proprie Deus, tertia persona S. Trinitatis, in eadem numero Deitate cum Patre et Filio subsistens, ab iisque ab æterno naturali emanatione spiratus et productus, ideoque utrique consubstantialis, coæternus, et per omnia æqualis. Audi S. Cyrillum Hierosol. catechesi 17. *Unus*, ait, *est Spiritus sanctus subsistens, qui ubique Patri et Filio adest, non qui ab ore Patris et Filii loquente formetur, vel effletur, ut in aerem diffundatur, sed substantialis, loquens ipse et operans.* Hinc S. Gregor. Thaumaturgus in sua confessione, quam refert Gregor. Nyssen. in orat. de illius laudibus, Spiritum S. vocat imaginem Filii, quia scilicet à Filio, ut à suis principio et exemplari procedit. *Unus*, inquit, *Spiritus sanctus ex Deo ortum et existentiam habens, qui per Filium apparuit, imago perfecta Filii perfecti.* Et S. Athanas. in Symbol. *Spiritus sanctus*, ait, *à Patre et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Idem serm. 4. contra Arianos, ostendens quomodo in uno Deo sint tres personæ, affert simile de sole. Sicut enim in sole est splendor et lux, quæ duo ex se emittit, ita in Patre est Filius et Spiritus S. quos ambos ex se producit, Filium generando, spiritum S. spirando. *Non enim*, inquit, *tria principia, aut tres Patres introducimus, sicut Marcionistæ, cum non tres soles ad comparationes adducamus, sed unicum solem, ejusque splendorem, unicamque ex ambobus lucem.* Alias similitudines arboris et fontis affert Tertull. lib. contra Praxeam: *Tertius*, inquit, *est Spiritus à Deo* (Patre) *et Filio, sicut tertius à radice fructus ex frutice, et tertius à fonte rivus ex flumine, et tertius à sole apex ex radio: Nihil tamen à matrice alienatur, à qua proprietates suas ducit.*

Dico Secundo, sicut Filius procedit ab intellectu et intellectione Patris, qua se Pater intelligit et comprehendit, quasi hujus intellectionis terminus adæquatus, et Verbum consubstantiale, ideoque genitus et Filius, sic Spiritus S. procedit à voluntate et dilectione, qua se invicem Pater et Filius infinite diligunt, quasi hujus dilectionis terminus adæquatus, et amor consubstantialis, ideoque Spiritus sanctus spiratus, non genitus. Unde Richardus de S. Victore epist. ad S. Bernard. de processione Spiritus sancti: *Si tu*, inquit,

recte dicaris amare te amore cordis tui, cur non etiam recte dicantur Pater et Filius amare se amore cordis sui, qui est Spiritus sanctus? Et communis est hæc sententia Patrum : *Pater et Filius diligendo se invicem, producunt Spiritum*, ait Franc. Suarez de Deo trino et uno l. 11. c. 2. Spiritus sanctus ergo ex vi processionis suæ est amor notionalis, primus, increatus, immensus, divinus, ipseque Deus : ac proinde hunc amorem nobis communicat, dum seipsum cum charitate creata quam nobis infundit, nobis communicat, juxta illud Apostoli Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Hic verum est illud Philosophi : *Deus est circulus, qui incipiens in se, desinit in seipsum.* Incipiens enim in Patre generare Filium, desinit in Spiritum S. qui idem Deus est cum Patre et Filio. *Deus enim charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*, 1. Johan. 4. 16. Deus ergo charitas est ei, cui charus ante omnia est Deus. Rursum S. Aug. lib. 11. Civit. c. 24. *Vocatur*, ait, *Spiritus S. tanquam sanctitas substantialis, et consubstantialis amborum.* Hinc idem S. August. lib. 6. de Trinit. c. 5. Spiritum sanctum vocat *unitatem, charitatem et sanctitatem Patris et Filii.* Et S. Bernard. serm. de Pentec. ait, *Spiritum sanctum procedere tanquam firmissimum et indissolubile vinculum Trinitatis.* Et serm. 8. in Cant. eum vocat *osculum Patris ad Filium.*

Hinc dico Tertio, Spiritus sanctus est primum et increatum donum Patris et Filii, in quo suam essentiam cum omnibus divinis attributis ei donarunt, ut eandem nobis donare et communicare posset, ita S. August. lib. 4. de Trinit. c. 20. *Spiritui sancto*, ait, *donum Dei esse est ex Patre* (Filioque) *procedere.* Idem lib. 5. cap. 15. *Quia*, ait, *Spiritus sic ab æterno procedebat, ut posset donari, jam donum erat antequam esset cui donaretur. Aliter enim intelligitur cum dicitur donum, aliter cum dicitur donatum. Nam donum potest esse et antequam detur : donatum autem nisi datum fuerit, nullo modo dici potest.* Vide D. Thomam et Scholast. 1. p. q. 38. Audi S. Basil. l. 5. contra Eunomium sub finem : *Spiritus*, inquit, *Imago Filii dictus est, et Dei Spiritus, et verbum, et Spiritus oris, et bonus Spiritus, et rectus, et principalis, et Spiritus potentiæ, et Dominus, et Deus dictus est Dei Spiritus, sicut etiam ipsum verbum.* Ubi nota improprie per catachresin Spiritum dici imaginem et Verbum, quia scilicet Patri et Filio, à quibus procedit, est similis, licet ex vi processionis suæ formaliter non procedat ut similis : hoc enim proprium est generationi Filii, qui proinde solus proprie est imago et Verbum Patris, ac proinde ejusdem character, splendor et pulchritudo. Pulchritudo enim nihil est aliud, nisi summi boni splendor in Verbo, ac per Verbum in creaturis refulgens.

Dico Quarto, reipsa et physice nobis donari ipsam personam Spiritus sancti, cum gratia et charitate, ac consequenter Patrem quoque et Filium : Id patet ex Joan. 14. 13. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciamus.* Ergo mansio Dei et sedes, templum ac thronus Dei et S. Trinitatis est anima justi, ac proinde proprie magisque intime est in ea præsens Deus, quam est in rebus creatis per essentiam, præsentiam et potentiam, imo si per impossibile Deus non esse in anima per essentiam, præsentiam et potentiam, per gratiam et justitiam inciperet ibi esse realiter præsens, inquit Suarez loco mox citando : Sicut incipit esse corpus Christi sub speciebus panis per verba consecrationis ; et sicut deitas Verbi cœpit esse præsens humanitati Christi, cum eam sibi hypostatice univit; adeo ut, si ante non fuisset in ea præsens, per hanc unionem hypostaticam cœpisset in ea realiter existere, et esse præsens : cœpit enim ibi esse hypostatice, id est, personaliter ; sic et hic. Est enim hic summa Dei unio inter Deum et animam sanctam, qua nulla creaturæ puræ potest dari major. Nam ut ait S. Petrus, per eam simus divinæ consortes naturæ. Sicut ergo Beatis realiter est præsens Deus, cum illis suam essentiam ostendit, eamque fruendam et possidendam communicat; sic et est in anima sancta, ac proinde mox in ea suam gratiam, charitatem, aliaque dona divina diffundit et communicat : uti sol ubi oritur, mox suam lucem, radios et calorem spargit. Posita ergo ultima dispositione ad justitiam, v. g. contritione, statim subintrat in animam Deus et S. Trinitas, ac deinde eidem suam charitatem et gratiam communicat. Hoc significat τὸ *mansionem apud eum faciemus.* Ita S. Bonav. in 1. dis. 14. artic. 2. quæst. 1. ibid. Magister, Scotus, Gabriel, Marsilius ad D. Thom. 1. p. quæst. 43. art. 3. et 6. ibidem ejus discipuli, ac Gregorius de Valentia, Vasquez, et fuse Franc. Suarez lib. 12. de Deo trino et uno cap. 5. ubi et aliam rationem moralem adjungit, scilicet hanc : Plena, ait, amicitia exigit præsentiam amici : justitia autem et charitas est amicitia Dei plena : ergo Deus animæ sanctæ, quasi amico suo, est præsens, in eaque habitat quasi in templo suo, ut anima eum præsentem colat, amet et veneretur. Quocirca S. Basil. homil. de Spiritu sancto docet, justos per gratiam fieri Deos, agereque vitam divinam ; quia inhabitat eos Spiritus sanctus, qui quasi anima eos vivificat, et agit ad omne bonum. Verba S. Basilii sunt : *Habet homo per inhabitatorem Spiritum dignitatem propheticam, apostolicam et angelicam, cum antea fuerit terra et cinis.* Et mox : *Hujus gratia Deus est quisque Sanctorum; dictum enim illis à Deo est : Ego dixi. Dii estis, et filii Excelsi omnes. Et Deus Deorum* (utique Sanctorum) *locutus est. Et: Videbitur Deus Deorum* (videlicet Sanctorum) *in Sion. Necesse est autem divinum esse Spiritum, et ex Deo esse, qui Diis divinitatis est causa.* Et paulo post : *Sicut in igne caliditas est, partim quam in se habet, partim quam affert aquæ; ita et Spiritus in seipso habet vitam, et qui participes illius sunt divino quodam modo vivunt, vitam adepti divinam ac cœlestem. Quapropter et omnia in illo perfecta sunt, dilectio, gaudium, pax, tolerantia, bonitas, prudentia, sapientia, consilium, securitas, pietas, scientia, sanctimonia, redemptio, fides, operationes virtutum, dona sanationum, et quæcumque alia illis similia. Qui se illi conjunxerit, et quasi in unum coierit, audiet illud Apostoli : Qui Domino adhæret, unus cum illo Spiritus est.* Idem l. 3. contra Eunom. *Sicut*, ait, *ferrum quod in medio ignis jacet, ferri naturam non amisit, vehementi tamen ignis actione ignitum, cum universam ignis naturam in semetipsum acceperit, et colore, et calore, et actione ad ignem transit : sic sanctæ virtutes ex communicatione, quam cum illo habent qui natura sanctus est, per totam suam subsistentiam receptam, jam quasi innatam sanc-*

tificationem habent: diversitas vero ipsis à Spiritu Sancto hæc est, quod Spiritus natura sanctitas est, illis vero participatione inest sanctificatio. Quocirca Cyrillus catechesi 16. Spiritum sanctum vocat gratiarum parochum, id est, præbitorem, largitorem ex officio. Parochus enim vocatur, cui officium rem aliquam curandi et præstandi incumbit.

Dico Quinto, omnibus quidem justis dari Spiritum sanctum, sed tamen non dicit mitti ad quempiam, *Nisi quando proficit in aliquem novum actum, vel novum statum gratiæ, ut puta cum aliquis proficit in gratia miraculorum, aut prophetiæ; vel in hoc quod ex fervore charitatis exponit se martyrio, aut abrenuntiat his quæ possidet, aut quodcumque opus arduum aggreditur*, ai D. Thom. 1. p. quæst. 43. art. 6. ad 2. Sic in Pentecoste missus est ad Apostolos, quia contulit eis excellentiam donorum omnium. Idem significat τὸ *repleti sunt*, ita nimirum ut eum quo pleni erant, quasi supereffluentes in alios effunderent. Præclare Richard. de S. Victore serm. de missione Spiritus sancti, tres in eo gradus ponit et distinguit, nimirum sancti Spiritus infusionem, diffusionem, effusionem. Infusio est, cum suam gratiam animæ infundit, etiamsi eam non impleat; sicuti cum vinum vasi infunditur usque ad vasis dimidium. Diffusio, quando per totam animam diffunditur, ita ut nullam ejus partem vacuam relinquat. Effusio, quando ita eam replet, ut supereffluat, eumque in alios effundat. Et sic Apostoli hic, aliique fideles in Actis dicuntnr repleti Spiritu sancto. Unde S. Augustin. serm. 185. de Temp, *Affuit*, inquit, *in hac die fidelibus suis non jam per gratiam visitationis et operationis, sed per ipsam præsentiam majestatis, atquæ in vasa non jama odor balsami, sed ipsa substantia sacri defluxit unguenti.* Idem asserit Nazians. orat. 44. Et S. Leo serm. de Pentecost. *Spiritus sanctus*, inquit, *inspirator fidei, doctor scientiæ, fons dilectionis, signaculum castitatis, et totius est causa virtutis.* Et serm. 2. asserit, apostolos in Pentecoste accepisse *constantiam illius charitatis, quæ omnem formidinem foras mitteret, et furorem persequentium non timeret; quia Spiritus sancti nova abundantia repleti, ardentius vel, et efficacius posse cœperunt, proficientes, à præceptorum scientia ad tolerantiam passionum; ut sub nulla jam tempestate trepidantes, fluctus sæculi, et elationes mundi fide supergrediente calcarent, et morte contempta omnibus Gentibus Evangelium veritatis inferrent.* Invocemus ergo sanctum hunc Spiritum, dicamus cum Poeta Christiano, imo cum S. Ecclesia :

> Aura potens, amor ignipotens, spirabile numen,
> Amborum (Patris et Filii) communis amor, cœli
> aurea flamma,
> Sancte veni, sanctis accende ardoribus orbem.
> O dium flamen nostris te mentibus affla.

Reple tuo nos flamine, flumine, lumine, numine, *Veni creator Spiritus, mentes tuorum visita, imple superna gratia, quæ tu creasti pectora. Accende lumen sensibus, infunde amorem cordibus: infirma nostri corporis virtute firmans perpeti. Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me.* Denique proprietates, epitheta, et dotes plurimas Spiritus sancti recenset Sapiens cap. 7. 22. dicens : *est enim in illa* (Sapientia, cujus fons et auctor est Spiritus sanctus) *spiritus intelligentiæ sanctus unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus, intelligibilis, mundus, subtilis.* Hinc vocatur *Spiritus*, non tantum ratione essentiæ et modi procedendi, quia scilicet spiratur ut spiritus, uti dixi initio; sed etiam ratione efficaciæ et efficientiæ, quia subtilis est, penetrans, efficax, etc. ut spiritus, ut patet ex verbis jam citatis. Additur *Sanctus*, quia purissimus et sanctissimus est, omnisque sanctitatis creatæ fons et causa.

ET CŒPERUNT LOQUI.] Non poterant se continere Apostoli Spiritu sancto quasi musto pleni, quin ilico in Dei laudes erumperent, ac donum sibi à Spiritu inditum monstrarent, et in alios effunderent. Ad hoc enim eos urgebat vis et plenitudo Spiritus, perinde ac B. Virgo Verbo concepto, Deo plena erupit, cecinitque : *Magnificat anima mea Dominum*, etc. Præclare S. Leo serm. 1. de Pentecoste exclamat : *O quam velox est sermo sapientiæ; et ubi Deus magister est, quam cito discitur quod docetur, etc. Ab hoc igitur die tuba Evangelicæ prædicationis intonuit : ab hoc die imbres charismatum, flumina benedictionum omne desertum, et universam aridam rigaverunt.* Et S. August. in ps. 54. *Per superbos homines divisæ sunt linguæ, per humiles Apostolos congregatæ sunt linguæ. Spiritus superbiæ dispersit linguas, Spiritus Sanctus congregavit linguas.* Idem l. Blasphemia in Spiritum sanctum : *Ideo*, ait, *Apostoli linguis omnium Gentium locuti sunt, quia per linguas constat consociatio generis humani. Et oportebat per linguas omnium gentium significari istam societatem filiorum Dei; et membrorum Christi futuram in omnibus gentibus, ut, quemadmodum tunc ille apparebat accepisse Spiritum sanctum qui loquebatur linguis omnium, ita nunc ille se cognoscat accipisse Spiritum Sanctum, qui tenetur vinculo pacis Ecclesiæ, quæ effunditur in omnibus gentibus.*

VARIIS LINGUIS.] Tum quia unus una, alius alia lingua, v. g. Andreas parthice, Joannes græce, Jacobus persice, simon germanice loquebatur. quæres, quomodo id factum? Aliqui censent Apostolos una dumtaxat lingua locutos, nimirum patria, quæ erat Syro-hebræa; sed à variis variarum linguarum gentibus fuisse intellectos, sicut S. Vincentius Ferrerius Hispanice loquens et concionans, ab Italis, Gallis, Flandris et Anglis intelligebatur; et S. Xaverius unica responsione duodecim diversa quærentibus satisfaciebat. Favet huic sententiæ quod dicitur. v. 11. *Audivimus eos loquentes nostris linguis.* Et quia implicat, eundem eodem tempore simul diversis linguis loqui. Non enim potest quis simul nisi unam vocem et orationem proferre. Ita consent S. Cyprian. serm. de Spiritu S. Arator, Œcum. et Dionys. Carthus. hic.

Verum dico, Apostolos et fideles singulos hic vicissim et successive variis linguis esse locutos. Probatur Primo, quia id clare hic dicitur : *Loquebantur*, inquit, *variis linguis*, græce, ἑτέραις, id est *aliis et diversis à sua patria*, quæ erat Syro-chaldaica et Galilæa. Syrus, *loquebantur lingua et lingua*, id est, pluribus linguis.

Secundo, quia alioquin miraculum hoc non tam loquentium, quam audientium fuisset : non

enim fuisse et in Apostolis, sed in Judæis, qui eos audiebant. Deus autem hoc dono linguarum ornare et glorificare voluit ipsos Apostolos. Ita Nazianz. orat. 44.

Tertio, quia idipsum promisit Isaias cap. 28. uti explicat Apostolus 1. Corinth. 14. 21. dicens: *In aliis linguis, et in aliis labiis loquar populo huic.* Unde et Apostolus ibidem gloriatur : *Gratias*, inquit, *ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor.* Hoc est, quod, eis pollicitus et Christus : *Linguis loquentur novis*, Marci 16. 17.

Quarto, quia idipsum significat Ecclesia in Missa Pentecostes, dum infra Actionem ita orat: *Communicantes, et diem sacratissimum Pentecostes celebrantes, quo Spiritus Sanctus Apostolis innumeris*, id est plurimis, *linguis apparuit.*

Quinto, quia multis miraculis fuisset opus, si ipsi una lingua loquentes, à variis gentibus in variis linguis fuissent auditi : debuisset enim sigillatim vox et lingua cujusque à Deo in aere formari, itaque ad aures ejus deferri. Sin autem ipsos variis linguis locutos dicamus, unum dumtaxat fuit miraculum, scilicet infusio linguarum facta Apostolis. Deus autem et natura non solent opera et miracula sine necessitate multiplicare. Frustra enim fit per plura, quod fieri potest per pauciora.

Sexto, ita quia censent Cyril. catech. 17. S. August. tract. 93. in Joan. S. Ambros. in psal. 18. Ubi idipsum probat ex ejus v. 4. *Non sunt loquelæ, neque sermones quorum non audiantur voces eorum.* Nazianz. orat. 44. S. Leo serm. 1. de Pentecoste, S. Gregor. hom. 30. in Evang. et alii.

Addo tamen, Apostolos subinde una lingua loquentes et concionantes, ab auditoribus variarum linguarum fuisse intellectos : ac consequenter utroque modo habuisse hoc donum linguarum quasi duplicatum. Si enim id concessum fuit S. Vincentio, aliisque viris Apostolicis, multo magis ipsis Apostolicis. Sane S. Franciscum Xaverium utroque modo habuisse donum linguarum, testatur processus Canonizationis ejusdem. Unde Illustrissimus Cardinalis de Monte, in revelatione facta in Consistorio coram Gregorio XV. Pontif. ita ex Actis de eo profitetur: *Diversarum gentium linguis quas non didicerat, cum eas Evangelii causa adiret, ita eleganter et expedite loquebatur, ac si ibi natus et educatus esset : et contigit non raro, ut eum concionantem diversarum nationum homines, sua quisque lingua plane et polite loquentem audiverit : id quod pro maximo miraculo ab ea gente habitum, non solum auxit venerationem Xaverii, sed multos etiam ad fidem convertit.*

Porro Apostoli acceperunt hic cognitionem omnium linguarum totius orbis; quia ad omnes gentes destinabantur, omniumque erant Apostoli et doctores. Ita S. Ambros. epistol. 33. Numerantur autem à plerisque primævæ linguæ septuaginta : tot enim in divisione linguarum tempore fabricæ turris Babel, totidem familiis ex Noe prognatis indita fuisse censent. Verum Gen. 10. 32. ostendi, eo tempore 55. tantum fuisse familias, ac consequenter totidem linguas ; sed ex illis multæ aliæ tot labentibus sæculis prognatæ sunt, multæ etiam novæ adinventæ. Legi in una dumtaxat valle Indiæ Occidentalis numerari septingentas linguas, adeoque quamlibet urbem sæpe habere propriam linguam, ne ab incolis vicinæ urbis, cum quibus hostilitatem exercet, intelligatur, neve cum hostibus vel in lingua communicet. An hæ omnes, Apostolis inditæ sint, incertum est. Certum est omnes primævas, et primarias lateque patentes eis esse inditas : item dialectos earumdem, et particulares alias, quæ illarum gentium ad quas Deus eos ituros prævidebat, erant propriæ. Facile est enim Spiritui sancto hæc et plura indere, sicut eidem facile fuit omnibus angelis in primo instanti creationis indere, species, et scientias rerum omnium, earumque signa et linguas spiritales, quibus ipsi suos conceptus aliis enuntiare, et inter se colloqui possent. Hinc S. Leo serm. 1. de Pentec. *Nec dubium*, ait, *in illo omnium humanarum vocum exultante concentu, majestatem sancti Spiritus fuisse præsentem.*

Ex quo sequitur, non solos Apostolos, sed et cæteros fideles numero 120. tum viros, tum feminas, hoc donum linguarum accepisse, præsertim B. Virginem, ac S. Magdalenam : ipsa enim fuit Apostola, ac ut talis prædicavit Massiliensibus, eosque convertit, uti habet ejus vita. Ita contra Cajetan. id de B. Virgine negantem, docet inter alios Franc. Suarez 3. p. quæts. 37. disput. 20. sect. 2. Erat enim ipsa Apostolorum, omniumque fidelium ad se, quasi ad Christi matrem, et toto orbe visendi causa confluentium doctrix et consolatrix, ac consequenter ut eos resalutare, animare et instruere posset, debebat eorum callere linguam. Addit Suarez, eam ante adventum Spiritus sancti habuisse hoc donum : nam cum tribus magis eorum lingua locuta est. Quin et deinceps primis illis Ecclesiæ sæculis, multis hoc donum datum fuit. Nam Iren. lib. 5. c. 6. testatur *audisse se multos universis linguis loquentes.* Sic S. Basilius, ait Amphilochius in ejus vita, S. Ephrem Syro-Græcæ linguæ cognitionem à Deo postulavit, et obtinuit. Sic S. Antonius Ulysipponensis coram Pontifice prædicans, à variarum nationum et idiomatum auditoribus intellectus est. Sic Bernardinum in Conc. Florentino latine loquentem, Græci Latini sermonis ignari intellexerunt. In his ergo verum est illud Sap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc* (hic Spiritus Græcizat : nam πνεῦμα, id est *Spiritus*, Græcis est neutrum) *quod continet omnia, scientiam habet vocis :* ac proinde eam suis, quibus vult, communicat et aspirat. Sic etiamnum Patres Societatis nostræ, qui quasi Apostoli Indias obeunt, magnam facilitatem in addiscendis earum linguis, ex dono Spiritus sancti, ad illas gentes convertendas necessario sentire se scribunt. Si enim natura non deest in necessariis, multo minus Deus et Spiritus sanctus. Qui ergo linguas igneas desiderat, vitam Apostolicam ambiat, easque ardenter et crebro afflagitet à Spiritu sancto. Memorabile est exemplum F. Gentilis Franciscani, qui sum annum Domini 1330. in Persidem Evangelii causa profectus, cum Babylone degeret, neque in ediscendo Arabico idiomate, cujus illic usus est, magnopere proficeret, decrevit in Italiam regredi ; in ipsa autem via occurrit ei adolescentulus, qui causa cognita, redire eum jussit; quoniam Deus illius linguæ notitiam ei inderet: itaque ab ea hora tam bene et expedite Arabice locutus est, ac si in Arabia natus fuisset. Ita habent Chronica Franciscanorum, et ex iis Hieron. Platus lib. 2. de bono status relig. c. 30.

PROUT SPIRITUS SANCTUS DABAT ELOQUI ILLIS.] Græce, ἀποφθέγγεσθαι, id est, præclare et sententiose loqui quasi gnomas divinas, et apophtheg-

mata cœlestia, inquit Chrysost., non ad elegantiam et pompam composita, sed ardentia, et ad corda audientium compungenda, et inflammanda, igne Spiritus sancti succensa. Improbabile est quod asserit Jacobus de Valentia super *Magnificat*, Apostolos hic vidisse Dei essentiam quasi obiter et per transennam, in eaque audisse arcana verba quæ non licet homini loqui : nec enim Mosi, nec Paulo, nec ulli Prophetæ, vel Apostolo, id in hac vita concessum fuisse ostendi 2. Cor. 12. 4. et Exodi 33. 19. Porro loquebantur *magnalia Dei*, ut patet v. 11.

Moral. disce hic Apostolos, et viros sanctos non loqui ea quæ natura, imaginatio aut voluntas propria, sed quæ Spiritus sanctus suggerit. Ille enim in mente eorum degit sicut sol in mundo, illuminans eam; sicut rex in suo regno, gubernans eam; sicut pater in familia, regens eam; sicut magister in schola, erudiens eam; sicut hortulanus in horto, irrigans eam. Est enim ipse lux intellectus, ardor voluntatis, suscitator memoriæ, frænum timoris, anchora spei, sal gustus spiritualis animæ, medicina passionum, nauclerus appetituum et desideriorum.

Rursum disce, quemque loqui ex Spiritu intus in corde dominante : hic enim Spiritus cor ad loquendum per os movet. Si sanctus est, movet ad sancta verba : si malus et impurus, ad mala et impura. Vis ergo scire cor et secreta cujusque? vis scire qualis quisque sit? Considera qualia crebro et libenter loquatur. Si videris eum delectari colloquiis vanis, curiosis, turpibus, superbis, invidis, rixosis, maledicis; scito cor ejus esse vanum, curiosum, turpe, superbum, invidum, rixosum, maledicum : sin gravibus, pudicis, humilibus, benignis, beneficis, sapientibus, spiritualibus; scito eum gravem, pudicum, humilem, benignum, beneficum, sapientem, spiritualem. *Ex abundantia enim cordis os loquitur*, ait Christus. Quin et Socrates : *Loquere*, ait, *adolescens, ut te videam. Imago enim et speculum mentis et sermo.* Hinc Apostoli, quia pleni erant Spiritu sancto non nisi sancta, divina, ignea eructabant. Vas enim per orificium exhalat odorem ejus rei, qua intus plenum est : si vino plenum, exhalat odorem vini : si aceto, aceti : si melle, mellis : si fœtore, fœtoris, etc. Quare assidue invocandus est Spiritus sanctus doctoris, concionatori, et cuivis fideli, ut cor ejus possideat, ex eoque linguam regat, ut eo modo doceat, concionetur, loquatur, quo audientium mentes feriat, illasque Dei cognitione illuminet, ejusque timore et amore accendat, uti sibi concionanti accidisse narrat S. Augustin. apud Possid. in ejus Vita cap. 15. Ita Esther conversura Assuerum orat Deum dicens : *Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis*, Esther. c. 14. 13.

5. ERANT AUTEM IN JERUSALEM HABITANTES.] I. est, commorantes, degentes ad tempus, ad celebrandum ibi festum Pentecostes, juxta legem Exodi 23. 17. aut studiorum, vel pietatis causa, perinde ac multi Romam veniunt, ibique aliquot septimaneas vel menses commorantur, ut visitant loca sancta; alii per plures annos studiorum, vel negotiorum causa. Nam ex sequentibus liquet hos in aliis provinciis natos resedisse. Aiunt enim v. 8. *Audivimus unusquisque linguam nostram in qua nati sumus, Parthi et medi, et Ælamitæ, et qui habitant Mesopotamiam.* Unde et à Judæis in Judæa natis et habitantibus, se distingunt v. 11. dicentes : *Judæi quoque et Proselyti, Cretes et Arabes.* Denique expresse v. 7. inter eos nominantur *advenæ Romani.* Ita Nazianz. orat. OEcum. et alii.

Nota. In Jerusalem, quasi in matrice et metropoli Synagogæ, erant collegia et hospitia omnium gentium : Judæi enim per gentes dispersi, æque ac proselyti, in Jerusalem confluebant tum religionis, tum sapientiæ et legis addiscendæ causa. Talia jam sunt Romæ.

VIRI RELIGIOSI.] Syrus *timentes Deum*, alii; *cultui Dei addicti;* alii, *Dei et pietatis cultores*, quales vulgus jam *devotos* vocat. Non enim erant Religiosi votis tribus Religionis Deo religati et astricti, quales jam sunt : sed Religiosi à virtute religionis, cui proprium est, ut Deo cultum reddat, illi debitum majestati, tum ob ejus præstantiam et excellentiam, tum ob beneficia quæ ab eo accepimus, et perpetuo accipimus. Unde Cicero l. 2. de Natura deorum, religionem dici putat à relegendo, ut qui omnia quæ ad Dei cultum pertinent diligenter pertractarent, et tanquam relegerent, Religiosi appelarentur. S. August. vero l. de Vera religione circa finem, religionem à religando deducit, quasi hæc virtus sit, quæ quasi vinculum Deo nos alligat et religat, utpote creaturam suo creatori, hominem suo Numini. Sic ait S. Jacobus c. 1. 27. *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immacalatum se custodire ab hoc sæculo :* quia scilicet virtus religionis hos actus misericordiæ, puritatis et innocentiæ non elicit, sed imperat.

Præclare de S. August. tract. 29. in Johan. *Quid,* inquit, *tum tuum, quam tu? quid tam non tuum, quam tu, si alicujus es, quod es?* Nam ut jumentum quidquid est hominis est; sic homo multo magis totus es Dei. Et S. Gregor. lib. 10. Moral. cap. 10. *Necesse est*, ait, *ut homo in cunctis suis motibus sub dispositione disciplinæ religetur, et tanquam domesticum animal loris vinctum serviat, atque æternis dispositionibus restrictum vivat.* Et S. Bernard. serm. de quadruplici debito : *Ecce,* inquit, *in januis est qui fecit cœlum et terram; et creator tuus est, tu creatura : tu servus, ille Dominus : ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes; à quo totum habes, illi præcipue Domino, qui et te fecit, et benefecit tibi, qui tibi ministrat siderum cursus, aeris temperiem, fœcunditatem terræ, fructuum ubertatem. Huic revera totis medullis, totis viribus serviendum, ne forte indignationis oculo te respiciat et despiciat, et conterat in æternum.* Ita Psaltes, imo Christus psal. 21. *Anima mea*, inquit, *illi vivet, et semen meum serviet ei.*

EX OMNI NATIONE.] Judæi enim ob veras persecutiones, præsertim Antiochi Epiphanis, toto orbe dispersi, ubivis gentium degebant, uti etiamnum degunt. Ita Nazianz. orat. 44. Porro Deus ita disposuit, ut ex omni natione adessent, qui hujus prodigii testes, domum reversi, illud apud suos enarrarent, itaque essent semina futuræ prædicationis in toto orbe, ita Chrysost. Hi fuerunt quasi præcursores Apostolorum, eisque viam ad evangelizandum straverunt. Nota τὸ *ex omni*, id est, ex plurimis. Est hyperbole, non enim erant absolute ex omni natione : quia non legimus hic adfuisse Indos, Japones, Sinas, imo nec Gallos, Germanos, Hispanos, Sarmatas.

6. FACTA AUTEM HAC VOCE.] Tum soni vehementis vers. 2. hic enim quasi tuba sonora, excivit omnes incolas Hierosolymæ ad cœnaculum Apostolorum, cui incumbebat, ut dixi vers. 2. Ita Syrus, tum locutionis Apostolorum variis linguis. Unde liquet, Spiritum sanctum sonoram et tubalem vocem, æque ac mentem ardentem Apostolis indidisse, quæ procul audiretur, præsertim cum tot hominum, puta 120. fidelium, concurrerent, et simul resonarent. Sic de S. Paulo ait S. Hieron. epist. 6. ad Pammachium: *Paulus vas electionis, tuba Evangelii, rugitus leonis nostri, tonitrua Gentium, quem quotiescumque lego, videor mihi non verba, sed audire tonitrua.* Adde; hanc vocem à paucis auditam, in plures fuisse divulgatam. Unde Tigurina vertit, *is rumor cum increbuisset, convenit multitudo*, non tantum ob vocis citationem, sed maxime ob impulsum Spiritus sancti, qui eos interius incitabat, ut causam hujus vocis inquirerent, eaque ratione Petri concionem audirent, converterentur et crederent in Christum. Ita Cajet.

MULTITUDO.] Multorum millium. Nam mox ex ea tria millia conversa esse ait Lucas vers. 41. Cœnaculum ergo hoc per omnium linguarum et gentium confluxum fuit quasi compendium mundi et microcosmus.

ET MENTE CONFUSA EST.] Τὸ *mente*, non est in Græco, sed tantum συνεχύθη, quod Primo, Syrus, vertit, *conturbata est.* Secundo, Chrysost. *perculsi sunt*, ob pavorem conscientiæ suggerentis se occidisse Christum, ejusque sceleris vindictam Deum eis hoc fragore comminari, et intentare. Tertio, Beda, *confusa*, inquit, id est, commista est, *sicut olim confusum est labium universæ terræ, et vocatum est nomen loci ejus Babel*, Genes 11. 9. Quarto, alii, *confusa*, inquiunt, *est* pudore. q. d. Erubuit ad tantum prodigium quo Deus glorificabat Christum, quem ipsi occiderant. Quinto, alii, *tumultuata est*, uti solet fieri in hominum confluxu et turba ad spectaculum insolitum et prodigiosum. Alii enim stupebant, alii rogabant. Quidnam vult hoc esse? Alii irridebant dicentes, eos esse musto plenos, ut patet vers. 12. Sexto, et genuine, *confusa est* admiratione, stupore, sacroque timore, reverentia et horrore tanti, tamque novi et insoliti miraculi. Ita Vatabl. Cajet. et alii. Nam, ut sequitur v. 7. *Stupebant omnes et mirabantur.* Unde causam hujus confusionis, simulque ipsam confusionem explicans subdit Lucas.

QUONIAM AUDIEBANT UNUSQUISQUE LINGUA ILLOS LOQUENTES.] Dubitat Nazianzen. orat. 44. quo referri debeat *lingua sua*, an ad *audiebat*. q. d. Quisque sua lingua audiebat et intelligebat illos loquentes una lingua, scilicet, patria et Hebraica: an vero ad ad *loquentes*. q. d. Quisque audiebat eos loquentes variis linguis, ac consequenter et sua in qua natus erat. Verum dico ad utrumque pertinere: quia enim Apostoli variis linguis loquebantur, hinc audientium quisque audiebat in eis suam pariter linguam, uti dixi v. 4.

7. STUPEBANT,] ἐξίσαντο, id est, *extra se rapiebantur quasi in extasin.*

GALILÆI SUNT.] Mirantur Galilæos esse polyglossos, quia Galilæi hebetiori, sed martio ingenio, magis ad arma quam ad litteras et linguas erant idonei, ait Glossa.

9. ÆLAMITÆ.] Duplex est Ælam, una in Persia, altera in Media, contra quam prophetat Jeremias c. 49. Vide ibi dicta.

QUI HABITANT MESOPOTAMIAM ET JUDÆAM.] q. d. Tam ii qui Mesopotamiam, Parthiam, Cappadociam, etc., quam qui ipsam Judæam incolunt Mirabantur enim ipsi Judæi in Judæa habitantes, Apostolos Judæos non tantum judaice, sed tot peregrinis linguis loqui, esto ipsi eas non intelligerent. Nota, Spiritum sanctum Apostolis gentium plurium, quam hic nominentur, linguas indidisse. Nec enim nominantur hic Brasilii, Mexicani, Peruani, Germani, Galli, quorum tamen linguas calluerunt Apostoli, utpote ad eos propediem mittendi et ituri.

ET ASIAM.] Asia est tertia pars orbis, sed magnitudine cæteris duabus, puta Europæ et Africæ, par imo major, adeoque ipsa est quasi dimidia pars orbis: complectitur enim Indias usque ad Sinas inclusive. In Asia, puta juxta Babylonem, fuit paradisus terrestris. Asia est duplex, major, et minor. Hugo hic Asiam minorem accipit, quæ hodie Turcici imperii melior est portio, vocaturque Anatolia, eo quod ἀνατολὴν, id est Orientem, spectet, inquit Ortelius in Theatro orbis. Verum quia hæc complectitur Cappadociam et Phrygiam, quæ quasi discretæ ab Asia hic recensentur, hinc distinctius alii per *Asiam* accipiunt Propontidem, de qua Ptolem lib. 5. tab. 1. Asiæ, et S. Petrus epist. 1. cap. 1. vers. 1. *Petrus*, inquit, *Apostolus Jesu Christi electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ*, etc. Ita Salmeron, Lorinus et Sanchez hic, qui Secundo, addit, *Asiam* accipi posse civitatem in eo tractu præcipuam, ejusdem cum provincia nominis, ut in Africa est civitas Africa, à qua provincia nomen accepit; et in Hispania sunt Metropoles Valentia, Toletum, Corduba, Hispalis Muria, à quibus provinciæ integræ nomen sortitæ sunt.

10. LIBYÆ QUÆ EST CIRCA CYRENEM,] ideoque à sua metropoli Cyrene, apud Cosmographos vocatur *Cyrenaica.* Ex hac ortum fuisse Simonem Cyrenensem patrem Alexandri et Rufi, quem Judæi angariaverunt ut Jesu crucem bajularet, censet Gagneius et alii; licet alii ex alia Cyrene quæ est in Cypro, aut ea quæ est in Syria, prognatum putent.

ADVENÆ ROMANI.] Syrus, *qui venerunt ex urbe Roma*, nimirum erant Judæi Romæ commorantes, qui Hierosolymam religionis, vel negotiorum causa venerant.

11. JUDÆI QUOQUE ET PROSELYTI.] Paulo ante nominavit eos *qui habitant Judæam*: hic ergo *Judæos* vocat eos, qui ex Judæis ubivis terrarum et gentium, quas hucusque recensuit, erant prognati. Opponit enim eos Proselytis, qui scilicet erant oriundi ex Gentibus, sed Judaismum erant amplexi. q. d. Quos hactenus nominavi, *Parthi, Medi, Ælamitæ*, etc., tam Judæi fuerunt, quam Proselyti. Cajetanus per *Judæos*, accipit eos qui orti erant ex tribu Juda, ac divisa à cæteris Judæam incolentibus dialecto loquebatur.

PROSELYTI.] Est vox Græca προσήλυτοι, id est *advenæ*, vel *adventitii*, qui scilicet ex Gentibus advenientes aggregabant se Judæis, eorumque circumcisionem et sacra capessebant. Hi ergo erant Gentiles natione, sed Judæi religione. Nota, Lucas non curat hic situm et ordinem nationum: unde subdit, *Cretes et Arabes*, qui à Cretensibus remoti, præ Parthis, Medis, etc. Judæis sunt vicini, imo contermini. Tantum hac enumeratione significat, promiscue quoslibet

populos audisse suam linguam ex ore Apostolorum resonantem, non tantum Judæos, sed et Proselytos.

Magnalia Dei,] Syrus, *mirabilia Dei facinora*, tum olim per Mosen, Patriarchas et Prophetas edita; tum paulo ante per Christum, et modo per Spiritum sanctum patrata. Celebrabant enim Christi nativitatem, vitam, miracula, mortem, redemptionem, ascensionem, missionem Spiritus sancti, æque ac Spiritus sancti erga se et Ecclesiam amorem, dignationem et magnificentiam: perinde ac cecinitis B. Virgo Dei erga se munificentiam qua Dei mater est effecta, dicens: *Magnificat anima mea Dominum.* Idem videre est in cantico Annæ 1. Reg. 2. Erant ergo linguæ Apostolorum quasi canoræ citharæ, organa et plectra Spiritus sancti, ore quasi decachordo personantia et modulantia Dei laudes et magnalia.

Et mirabantur,] διηπόρουν quo Tigurina vertit, *hæsitabant;* alii, *interrogabant:* διαπορέω enim multa significat, nimirum *dubito, ambigo, anceps animi sum et consilii inops, admiror, interrogo, inquiro.* Hi enim affectus connexi sunt: nam ex admiratione sequitur dubitatio ex dubitatione interrogatio.

Alii autem irridebant.] Verisimile est hos fuisse Scribas et pharisæos, eorumque asseclas. Ili enim uti Christum, ita et Christianos, præsertim Apostolos irriserunt et persecuti sunt: irrisio enim hæc profecta est, non ex ignorantia, sed ex malitia, facile enim videbant Apostolos non vino, sed Spiritu Dei agi; nullum enim vinum est, quod peregrinas linguas inspiret. Ita Œcum.

Musto pleni sunt isti.] Græcum γλεῦκος et *mustum*, et *vinum succumque dulcem* significat, unde alii hic vertunt, *vino dulci pleni erant.* Nam hæc dixerunt in Pentecoste, puta in Maio, cum non sunt uvæ, ut ex eis mustum vinumque recens exprimi possit. Verum irridendo et subsannando hoc dicunt. Unde non curant congrue, sed maledice loqui. q. d. Isti videntur ebrii et insanire, perinde ac si mustum bibissent. Mustum enim, quia lentum, turbidum et fœculentum magis inebriat turbatque cerebrum, quam vinum vetus et defæcatum, præsertim quia ob dulcedinem avidius et majori copia bibitur, atque ob lubricitatem facile cerebrum permeat. Ita Œcum. Unde ab Ovidio lib. 3. Tristium elegia 10. vocantur *fervida musta.* Et Plinius lib. 14. cap. 20. *Pugnacibus mustis*, inquit, *crapulæ plus inditur, lenibus parcius.* Unde et Cicero lib. de Claris orator. *Sic ego*, ait, *istis censuerim, et novam istam quasi de musto ac lacu fervidam orationem fugiendam:* licet alii contrarium censeant, scilicet vinum vetus, utpote potentius, magis inebriare novo, puta musto.

Vera dicunt Judæi, inquit Cyrill. catechresi 17. *sed irridendo. Novum enim vere erat illud vinum, novi Testamenti gratia. Sed novum hoc vinum est à spirituali vinea, quæ jam antea sæpe in Prophetis fructum ferebat, et in novo Testamento refloruit. Ut enim sensibilis vinea semper manet eadem, successu autem temporis novos affert fructus: sic et Spiritus sanctus, idem semper manens sicuti est, qui sæpe in Prophetis operabatur, nunc novum quiddam et admirandum declaravit.* Et inferius: *Non ita sicut vos existimatis, isti ebrii sunt, sed sicut scriptum est: Inebriabuntur pinguedine domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Inebriati sunt sobria ebrietate, quæ peccatum mortificat, et cor vivificat: ebrietate omnino contraria illi corporeæ ebrietati. Illa enim et cognitorum induci oblivionem, hæc etiam ignoratorum notitiam donat. Inebriati sunt bibentes vinum spiritualis vitis illius, quæ dicit: ego sum vitis, vos palmites.* Considera hic utriusque ebrietatis, corporalis scilicet et spiritualis, analogias. *Ebrietas*, inquit S. Bern. lib. de Modo bene vivendi cap. 25. *corpus debilitat, mentem illaqueat. Ebrietas generat perturbationem mentis. Ebrietas auget furorem cordis. Ebrietas nutrit flammam fornicationis. Ebrietas ita alienat mentem, ut homo nesciat semetipsum*, etc., *nec est aliud ebrietas quam manifestissimus dæmon.* Similis, sed in opposito genere, est ebrietas spiritalis: et sicut ebrius vino, videtur incarnatus diabolus; sic ebrius amore et Spiritu sancto, videtur incarnatus angelus.

Primo, enim sicut ebrietas corporalis rationem naturalem adimit; ita et spiritalis facit hominem emotæ mentis, ac à ratione naturali ad supernaturalem eum tranfert, ut amplius non satiat terrena et humana, sed cœlestia et divina.

Secundo, sicut ebrius non cognoscit amicos, sed eos impugnat et ferit; ita ebrius Spiritu Dei non curat parentes, fratres, cognatos, cum se à Dei cultu, à religione, à martyrio avocare conantur, uti fecerunt Levitæ jussu Dei occidentes idololatras, etiamsi fratres essent, filii et patres, juxta illud Mosis Deut. 33. 9. *Qui dixit patri suo et matri suæ: Nescio vos; et fratribus suis; Ignoro vos et nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt.*

Tertio, sicut ebrius discurrit per plateas, et obvios invadit; ita Apostoli discurrerunt per orbem invadentes reges et principes, eosque subjugarunt Christo.

Quarto, ebrius lætissimus est, ita et Apostoli. Audi S. Bernard. tract. de Diligendo Deo: *Tunc prorsus*, inquit, *inebriat charissimos suos, tunc torrente voluptatis suæ potat: quoniam quidem in complexu illo arctissimo et castissimo sponsi et sponsæ, fluminis impetus lætificat civitatem Dei.*

Quinto, vinum accendit hominem, ita et charitas gratiaque Spiritus sancti. Unde Bernard. ibidem: *Hinc* ait, *sobria illa ebrietas vero, non mero, ingurgitans: non madens vino, sed ardens Deo.* Et serm. 49. in Cant. explicans illud Cant. *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Ebria*, inquit, *est sponsa, sed amore, non vino, nisi quod amor vinum est*, etc., *Erant Apostoli ebrii, sed Spiritu sancto, non musto.* Hanc ebrietatem sobriam sanctamque bibunt eximii Sancti in Eucharistia, de qua Psaltes psalm. 22. 5. *Et calix meus inebrians quam præclarus est;* et Zachar. cap. 9. 17. *Quod enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum bonum electorum, et vinum germinans virgines?* Vide ibi dicta.

Sexto, ebrius exhalat et eructat vinum et crapulam, quo plenus est, cantat et vociferatur: sic et Apostoli *bulliebant musto, et musto buliente linguæ gentium profluebant*, ait S. August. ser. 186. de Temp. Et serm. 188. *Jam enim facti fuerant nitres novi, sanctitatis gratia renovati, ut vino novo, hoc est Spiritu sancto repleti, linguis omnibus loquendo ferverent, et Ecclesiam Catholicam per omnium Gentium linguas futuram, evidentissimo illo miraculo præsignarent.*

Septimo, ebrius vino æstuans, animosus et pugnax nil timet, sed intrepidus ruit in enses

etignes. Unde Kosaki aliique milites pugnaturi implent se vino adusto, eoque pleni non nisi pugnas et minas spirant: ita Apostoli antea timidissimi, post receptum Spiritum sanctum facti animosissimi, non nisi bellum contra infidelitatem, impietatem et dæmonem spirarunt, ac intrepide in pericula, carceres et martyria se conjecerunt. Audi ebrium Apostolum : *Quis nos separabit à charitate Christi : tribulatio? an angustia? an fames?* etc. Rom. 8.

Octavo, ebrietas parit insaniam. Nam, ut aiebat Anacharsis, primus calix qui bibitur est necessitatis, secundus hilaritatis, tertius voluptatis, quartus insaniæ : ita ebrii Spiritu fiunt mundo et mundanis insani. Pulchre S. Bernard. tractat. de Natura divini amoris cap. 3. *Audi*, ait, *sanctam insaniam, sive mente, inquit Apostolus, excedimus Deo : sive sobrii sumus, vobis. Vis adhæc audire insaniam? Si dimittis, inquit, eis hoc peccatum, dimitte : sin autem ; dele me de libro vitæ.* Exodi 32. *Vis aliam? Ipsum audi Apostolum, optabam, inquit, anathema esse à Christo. Hæc ad sancti Spiritus adventum, Apostolorum fuit ebrietas, hæc Pauli insania, cum diceret ad eum Festus : Insanis Paule. Mirumne erat si insanire pronunciabatur, qui in ipso mortis periculo, ipsos judices suos à quibus pro Christo judicabatur, ad Christum convertere nitebatur? Non hanc insaniam multæ literæ in eo faciebant, sicut dicebat Rex veritatem intelligens, sed dissimulans ; sed, ut dictum est, sancti Spiritus ebrietas, in qua et in parvo et in magno similes eos sibi facere gestiebat, quia eum judicabant. Et ut cætera omittam quæ major, quæ magis inopina insania, quam hominem relicto sæculo desiderantem, et ardentem inhærere Christo; pro Christo rursum necessitate obedientiæ et charitatis fraternæ inhærere sæculo; tendentem in cœlum semetipsum mergere in cœnum? Hic est Beniamin adolescentulus, qui in mentis suæ excessu nec suum aliquid sentit, sed eum solum in quem totus excessit. Hac insania insani erant Martyres, inter tormenta ridentes. Cur hic non dicam, quod in fervore lasciviæ suæ lascivus Poeta dixit : Insanire libet?* Sicut ergo vinum, ita et amor facit insanos. Videre hoc est in iis, qui perdite amant feminam quampiam : quid non agunt, quid non tentant, quæ pericula non adeunt, ut ejus gratiam consequantur? nil aliud cogitant, nil somniant, nil loquuntur nisi de ea, quasi insani. Idem, sed potentius, facit amor incensus zelusque Dei, qui hominem ita inebriat, ut non aliud cogitet, somniet, loquatur, quam Deum, et ea quæ Dei sunt. Cupit enim ubique Deum celebrare omnesque ad Dei cultum et amorem pellicere, imo impellere. Quocirca multa dicit et facit, quæ mundani æstimant insaniam. Denique optat pro Deo quotidie subire mille pericula, labores et mortes.

Graphice hanc ebrietatem describit S. August. serm. 185. de Tempor. cujus proinde sensa plena spiritu hic ad verbum, in gratiam et commodum lectoris ascribam. Sic ergo ait : *Hoc musto inflammantur, et hoc præclaro populo quotidie inebriantur etiam corda fidelium, et animæ convertentium. Quod frequenter fieri videmus, quando pro desiderio salutis suæ parentes et patriam suam fugiunt. Exeunt nullo compellente de terra, et de cognatione sua : et mortui huic mundo alios spiritualiter animarum inquirunt parentes, et liberi sub jugo veniunt, et paulo ante elati atque sublimes humilia affectant, superba fastidiunt, et cupiunt esse quod antea despexerunt : et odisse incipiunt quod fuerant. Præsentium hospites, futurorum appetitores, æternam illam patriam contempta temporalium falsitate suspirant. Hoc itaque musto, spiritales animæ inebriatæ, et penitus commutatæ, abstinentiam deliciis, vigilias dulcibus somnis, paupertatem divitiis anteponunt. Arduum contra vitia, laborem, jucundissimam computant voluptatem : dulcescunt eis vilia, et quæ prius fuerant pretiosa vilescunt : diligunt inimicos suos, et benefaciunt his qui se oderunt. Non convincuntur* (forte legendum *conviciantur*) *indignantibus, non irritantur in opprobriis; non franguntur in injuriis : prorsus horum nihil sentiunt propter fervorem Spiritus sancti, et propter æternam retributionem. Hoc spiritali mero calebant Martyres, quando abjicientes et post se jactantes omnia sæculi blandimenta, ibant ad passiones, obliviscentes facultates, et affectiones, patrimonia ac matrimonia sua, et vincentes armatam contra se parvulorum pignorum fletibus pietatem, vociferantes quidem parentes, pulverem mittentes in capita sua, et matres facies suas avulsis crinibus dilacerantes. Sed illi hæc omnia tanquam ebrii non videbant, nec cognoscebant suos : quia infuso præcordiis suis Spiritu sancto ad dolores, ad supplicia : tanquam ad consolationes et ad præmia festinabant.*

14. STANS AUTEM PETRUS.] Quasi Prisma Apostolorum caputque Ecclesiæ. Unde ipse solus pro omnibus loquitur, et prodigii rationem reddit, ac legem Evangelicam solemniter promulgat. In Pentecoste à Petro, quasi Christi Vicario, fieri debuit hæc prima et solemnis in Sion legis Christi promulgatio, qua abrogata est lex vetus, ita ut deinceps obligare desierit, uti docet D. Thomas et Theologi passim. Porro erexit se Petrus stetitque, ut à tot millibus videri et audiri posset. Unde et *levavit vocem*, id est, elata voce clamavit. Verisimile enim est, tot millia cœnaculo capi non potuisse, sed circum illud in locis vicinis ipsaque platea constitisse ; nisi quis dicat cum nonnullis, Petrum eduxisse turbam in templum ibique concionem hanc ad eam habuisse.

Tropol. Τὸ *stans*, significat constantiam, et celsitudinem animi in Petro post receptum Spiritum sanctum, qui prius ad vocem ancillæ expaverat, et negarat Christum. Audi S. Chrysostom. hom. 4. in Acta : *Erat*, inquit, *Petrus os omnium, causam fidei agit pro omnibus, doctrina sua instruit omnes ; ipse præcipuus fidei assertor est, præcipuus Catechista habetur, et primus extitit verbi concionator, et primus coegit Ecclesiam, eamque non ex Hierosolymitanis, et circumcirca habitantibus Judæis ; sed ex Parthis, Medis, Phrygiis, Libycis, Ægyptiis, Arabibus, advenis Romanis, et aliis. Et qui omnium pastor fuit à Domino institutus ex omnibus nationibus cogere cœpit oves : docuit eos fidem, simul et Apostolicos mores, nempe renunciare omnibus, simul convenire in oratione et panis à Christo edocta fractione.*

15. NON ENIM, etc.,] HI EBRII SUNT CUM SIT HORA DIEI TERTIA,] ab ortu solis Judæis dies erat duodecim horarum, quas in quatuor partes dividebant, nimirum primam, tertiam, sextam, nonam, cuique ternas horas assignantes. Prima computabatur ab ortu solis, et complectebatur tres horas; quibus evolutis succedebat tertia, cum totidem horis, post quas in meridie sequebatur sexta, quæ teste Plutarcho l. 8. Sympos. quæst. 6. apud omnes pene Gentes solet esse tempus et

hora prandii. Unde et prandium, ait Plutarch. dicitur quasi παρ' ἔνδιον, id est, *juxta meridiem*, vel *meridianum*. Ita Josephus in Vita sua, et ex eo Baron. tradunt Judæos in festis omnibus abstinere solitos usque ad sextam.

Hinc patet, Spiritum sanctum descendisse in Apostolos tempore matutino, puta hora ab ortu solis tertia : idque Primo, quia eo tempore homines post somnum vigiles, et ante cibum jejuni, solent esse aptiores ad recipiendos Dei illapsus. Secundo, quia iisdem de causis auditores magis idonei erant ad hoc prodigium conid erandum, et ad prædicationem Petri audiendam. Tertio, quia illa hora, ait Beda, apud Judæos erat orationi destinata, uti et nunc est apud Christianos. Quocirca hac hora solent celebrari Missæ, quia eadem in orantes Apostolos descendit Spiritus sanctus, ait Rupert. lib. 10. Officior. cap. 18. Quarto, quia hora tertia, scilicet finiente, crucifixus est Christus, ait S. Marcus cap. 15. 25. qui proinde eadem hora implevit quod in vita promisit, et in cruce promeruit, scilicet missionem Spiritus sancti, ait S. Cyrill. catech. 17. Symbolice Hugo : *Hora*, ait, *tertia significat dari orbi tertiam legem. Prima enim fuit lex naturæ, secunda Mosis, tertia Christi.*

17. Effundam de Spiritu meo.] Id est, *Effundam Spiritum meum*, ut vertit Noster Interpres Joelis 2. 28. Est hebraismus : Hoc Joelis oraculum exposui Joelis 2. v. 28. eo enim spectat : quare quæ ibi dixi hic non repetam.

22. Virum approbatum.] ἀποδεδειγμένον, quod Pagnin. vertit, *designatum ;* Tigurina, *exhibitum ;* Vatabl. *demonstratum*, quem scilicet multis signis ostendit à se esse missum ; Tertull. lib. de Carne Christi cap. 15. *destinatum :* Syrus, *qui à Deo apparuit ;* Noster, *approbatum à Deo*, quem scilicet Deus multis demonstrationibus comprobavit esse suum filium, et legatum. Non ergo necesse est dicere cum Erasmo, Nostrum interpretem legisse ἀποδεδεγγενον, ἀπο του ἀποδέχομαι, id est, *recipio, approbo*, imo hæc lectio frigidum et alienum dat sensum. Non enim vult dicere Lucas Christum susceptum fuisse à Deo, sed orbi demonstratum, et comprobatum per multa prodigia.

In vobis.] Syrus, *apud vos ;* Pagnin. et Tigurina *erga vos*, vestri scilicet causa, ut vestris animis et corporibus consuleret, vosque in utroque homine salvaret.

Virtutibus, et prodigiis ; et signis.] Hæc tria idem, vel pene idem sunt, connotato dumtaxat differentia, sed exaggerationis causa junguntur, ut multitudinem et magnitudinem miraculorum Christi significent. Miracula enim vocantur *virtutes*, græce δυναμεις, quia sunt opera virtutis, id est, omnipotentiæ Dei, quæ hominum et angelorum vires transscendunt. Eadem vocantur *prodigia*, quia portentosa et stupenda sunt præsertim cum in aere aut cœlis fiunt. Eadem vocantur *signa*, quia significant res vel futuras, vel præsentes, v. g. Christum eorum auctorem, esse Messiam Dei filium : tum quia Messiam illa patraturum prædixit Isaias, aliique Prophetæ : tum quia Christus illa hoc fine faciebat, ut iis Judæis probaret se esse Dei filium.

23. Hunc definito consilio.] Hoc dicit, ne Judæi putent Christum casu, aut necessitate et violentia crucifixum, q. d. Ne putetis vos vestris viribus vim intulisse Christo, eumque non potuisse manus vestras evadere ; fuit id ab æterno decretum in consistorio S. Trinitatis, ac consequenter ab ipsomet Christo, qua Deus est : libere ergo et sponte mortem ipse subiit, eique se obtulit. Poterat enim se subducere, poterat vos omnes arefacere, occidere, imo annihilare. Merito Tertull. Apolog. cap. 25. ridet Gentiles, quod deos et Jovem subjicerent fato : *misera*, inquit, *illa conjux Jovis et soror, adversus fata non valuit tueri Carthaginem contra Romanos. Plano fato stat Juppiter ipse.*

Moral S. Chrysost. *Petrus*, inquit, *tentat liberare eos à crimine, ut quondam fratres suos Joseph, à quibus venditus fuerat, dicens*, Genes. 45. 8. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Et cap. 50. 19. *Nolite timere : num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitatis de malo, sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me*, etc., *et salvos faceret multos populos.* Secundo per τὸ *definito consilio*, significat quam Christus libenter ac libere passionem subierit, et à Deo præfinitis cooperatus sit, ait Œcumen.

Et præscientia,] Imperite et impie Calvinus Beza, pro *præscientia*, vertunt, *providentia et decreto.* Cen sent enim Deum esse auctorem operum omni um, tam malorum, quam bonorum, v. g. tam proditionis Judæ, quam vocationis Petri : tam crucifixionis Christi, quam conversionis S. P auli. Deum enim esse primam rerum et actionum omnium causam, ac proinde actiones omnes, tam malas, quam bonas, quæ in tempore fiunt, ab æterno decrevisse et sanxisse ut fierent, atque ex vi hujus decreti Deum easdem in tempore procurare, et officere ut fiant. Unde sequitur, Deum esse auctorem peccati, æque ac virtutis : quæ horranda etiam Gentilibus, et sæculis omnibus inaudita est impietas et blasphemia. Hoc excludit hic Petrus dicens προγνώσει, id est *præscientia*, hoc est, prænotione et prævisione, qua scilicet prævidebat impias Judæorum voluntates, quæ Christum eis à se traditum et objectum avide susciperent (quod significat Græcum λαβόντες) et morte afficerent. Hæc ergo fuit series et combinatio præscientiæ cum decreto Dei. Prævidebat Deus per suam omniscientiam, Scribas et Pharisæos tali tempore et loco fore tam impios et perversos, ut, si Christum eis objiceret, præsertim taxantem eorum scelera, ipsi eum invaderent, et crucifigerent. Tunc decrevit et dixit, Volo Christum eis objicere, ac volo ut ipse crucem et mortem ab eis infligenda m patiatur et subeat, ut per eam satisfiat offensæ, et injuriæ mihi factæ per peccatum Adæ et posterorum ejus, itaque redimatur et salvetur genus humanum. Præscientia ergo fuit impietatis Judæorum, decretum vero passionis Christi et redemptionis nostræ. Hoc est quod Theologi communi axiomate celebrant : *Actio displicuit, passio grata fuit. Actio*, scilicet occisio et crucifixio Christi facta à Judæis, summe displicuit Deo, quia fuit immane parricidium, imo Christici dium et Deicidium. *Passio* vero Christi, sponte hanc crucem suscipientis, summe placuit Deo, quia fuit actus summæ humilitatis, obedientiæ, charitatis et religionis, qua se in holocaustum Deo pro nobis obtulit. Vide S. Leonem, serm. 16. de passione. Poterat Deus decernere, et jubere alicui Regi aut Prophetæ, ut Christum immolaret, sicut præcepit Abrahæ immolare filium Isaac. Sed noluit, quia non decuit. Maluit ergo uti ad hoc impiis Judæo-

rum voluntatibus, quas ipse tali tempore certo fore, certoque id facturas prævidebat.

Dices, Posita hac Dei præscientia et decreto, infallibile et necessarium erat Christum à Judæis occidi : præscientia enim Dei falli nequit, ideoque impossibile est ut non eveniat, quod ipse præscit fore. Ergo posita hac Dei præscientia, necessarium erat et fatale Judæos occidere Christum. Quare occisio eorum fuit necessaria, quomodo ergo eis fuit libera ?

Resp. Duplex est necessitas, æque ac impossibilitas : una antecedens actum liberum, sive consensum liberi arbitrii : altera eumdem consequens. Antecedens tollit libertatem, facitque ut consensus voluntatis non sit liber, sed necessarius. Tale est Dei decretum, æque ac gratia efficax et prædeterminans, quam ponit Calvinus. Hæc enim se sola actum producit in voluntate, ea nihil libere cooperante. Consequens necessitas non tollit libertatem actus, sed eam sequitur et præsupponit. Talis est necessitas præscientiæ Dei ; hæc enim sequitur actum liberum, eumque præsupponit. Ideo enim vivit Deus Judæos occisuros Christum, quia ipse libere eum erant occisuri, si ipse illis eum objiceret ; non vero è contrario, ideo Judæi occiderunt Christum, quia Deus præviderat illos eum occisuros, hoc enim falsum est. Visio enim sequitur et præsupponit rem visam, quasi suum objectum quod enim non est, videri nequit : prius ergo necesse est ut sit, ac deinde quasi posterius sequitur, ut videri possit, actuque videatur, uti recte docet S. August. l. 5. Civit. c. 10.

Instabis Primo, Præscientia Dei est ab æterno, actus vero liber fit in tempore : Prior ergo est præscientia, quam sit actus liber. Ergo necessitas præscientiæ est antecedens libertatem, non consequens. Ergo libertatem ab actu libero tollit, eique necessitatem imponit, quia quidquid antecedit actum liberum, ita ut ex eo necessario sequatur actus, hoc actum determinat, facitque necessarium, non liberum. Talis autem videtur esse Dei præscientia.

Resp. Necessitas præscientiæ est antecedens tempore, sed consequens causalitate. Antecedit enim actum liberum tempore, imo antecessit ab æterno, eundem tamen consequitur objective, et in genere causæ materialis. Deus enim sua præscientia prævertit existentiam rerum futurarum, atque eminus quasi ex alta specula æternitatis prævidet actus, qui post multa sæcula futuri sunt. Itaque tempore eos antecedit, sed objective eos sequitur. Prius enim est rem esse futuram, quam futuram à Deo prævideri : sicut prius est hominem ambulare, quam à me videri ambulare. Sicut ergo visio mea, qua video Petrum ambulantem, illi non imponit necessitatem ambulandi ; quia ea non obstante, potest quandocumque vult cessare ab ambulatione eumque sistere ; ita et præscientia Dei non imponit necessitatem actibus liberis futuris : quia ea non obstante potest voluntas quandocumque vult ab iis cessare imo contrarium facere, itaque tollere Dei præscientiam, ac facere ut eos amplius Deus non prævideri. Ergo necessitas præscientiæ simpliciter non est antecedens libertatem, sed consequens, quæ consensum voluntatis liberum sequitur et præsupponit, etiamsi tempore, imo æternitate eam antecedat.

Instabis Secundo, Impossibile est hæc duo inter se componi, simulque consistere et esse vera, nimirum Deum præscire actum futurum, et tamen illum non fore, sive non esse futurum. Ergo posito quod Deus præsciat eum futurum, necessario fit, ponitur autem Deus nunc eum præscire, ergo nunc necesse est ut quandoque fiat, sitque futurus.

Resp. Hæc impossibilitas et necessitas est ex suppositione actus futuri, ideoque consequens, non antecedens. Ideo enim impossibile est ut non sit futurum, quod Deus præscit futurum, quia impossibile est ut id quod futurum est, ideoque præscitur à Deo esse futurum, non sit futurum ; sed sicut futurum est libere, ita et Deus prævidet illud libere futurum : nullam ergo ei sua præscientia necessitatem imponit, qua necessario sit futurum. Hæc ergo necessitas non est alia quam ea, qua res dum est, necessario est ; dum est præterita, necessario est præterita ; dum est futura, necessario est futura : quæ rem, reique existentiam consequitur ; ideoque non tollit libertatem, sed eam præsupponit. Sic Antichristus peccabit libere ; posito tamen quod peccabit, necessarium est ut peccet. Impossibile enim est, ut idem simul sit futurum, et non futurum, sive ut idem simul sit, et non sit. Sic posito quod videam Petrum ambulantem, necessarium est ut ambulet : nec enim videre possum id quod non est ; et tamen libere ambulat Petrus, quia potest visionem meam non ambulando tollere.

Instabis Tertio. Id quod videtur et prævidetur, jam esse extra causas, jamque existit, et est in facto esse : ergo impossibile est ut non existat, et sit infectum : ergo necessario existit, non libere.

Resp. Actus liber dupliciter potest spectari : Primo, ut est in fieri ; Secundo, ut est in facto esse : priori modo est liber, posteriori necessarius : libere enim egreditur ex libera electione voluntatis, ita ut in potestate voluntatis sit eum elicere, vel non elicere, imo contrarium elicere ; postquam tamen egressus est, non potest non esse egressus, utrumque sua præscientia prævidet Deus : prævidet enim eum libere egredi à voluntate ; et postquam jam egressus est, non posse non esse egressum, ideoque priori consideratione esse liberum, posteriori necessarium : prævidet enim rem ut in se fit ; omnemque ejus et dum incipit, et dum completur seriem modumque contemplatur. Hæc dixi obiter ob quorumdam objectiones, qui iis se mire torquent : sed unica distinctione necessitatis in antecedentem et consequentem, et altera, qua consideratur actus nunc in fieri, nunc in facto esse, res tota facilis est, clareque perspicitur, æque concordia gratiæ efficacis, et prædestinationis cum libero arbitrio : utraque enim innititur præscientiæ Dei. Gratia enim efficax est, quæ ita alicit mulcetque liberum arbitrium, ut illi persuadeat, eliciatque effectum, puta liberum arbitrii assensum : quare efficax non est, et consequenter prævideri nequit, nisi prævideatur quod liberum arbitrium libere sine se ab ea flecti, quodque eam acceptabit, eique libere consentiet, cum facile possit eamdem refutare, illique dissentire, si velit. Idem est de prædestinatione, quæ gratiæ efficaci, et consequenter præscientiæ Dei innititur. Prædestinatio enim non est aliud, quam gratiæ præparatio, puta decretum Dei, quo decernit, v. g. Petro dare gratiam efficacem, eamque continuare usque ad

finem vitæ. Hoc non intellexit Calvinus, ideoque censuit præscientiam et prædestinationem Dei esse quasi fatum inevitabile, quod homini liberum adimat arbitrium : sicut ex adverso Cicero ita liberum statuit arbitrium, ut Dei negaret præscientiam ; utque tolleret fatum, sustulit providentiam, atque ita dum homines fecit liberos, fecit sacrilegos, ait S. August. l. 5. de Civit. c. 9. et sequentibus.

Ex dictis sequitur, falso plebeios nonnullos culpare præscientiam Dei, in eamque conjicere suas et sortes et casus, quin et damnationem vel salutem. Narrat et reprehendit S. August. lib. de Bono persever. c. 15. quemdam sui monasterii Religiosum, qui cum de defectibus suis argueretur, respondebat : *Qualiscumque nunc sim, talis ero qualem me Deus futurum esse præscivit.* Melius dixisset : *Talem me Deus fore præscivit, qualis vel per me peccando, vel per gratiam Dei bene agendo esse voluero.* Nam suo illo axiomate negligens curam suæ salutis, eamque in Deum rejiciens, tandem monasterium deserens, factus est velut canis reversus ad suum vomitum.

Traditum,] ἐκδοτον, id est, *expositum ;* Syrus, *segregatum.* Nota. Traditus est Christus, tum à Patre, Roman. 8. 32. et à seipso, Galat. 2. 20. tum à diabolo, Joan. 13. 2. ac à Juda, à Judæis, à Pilato in mortem et crucem : sed passive et objective à Patre, et à se : à diabolo vero, cæterisque ejus asseclis active et positive. Rursum fine diverso, nam à Patre, et à se traditus est, ut mundum salvaret : à diabolo, ut Judæos ad Christi parricidium impelleret; à Juda per cupiditatem pretii ; à Judæis per malignitatem ; à Pilato per metum. Ita Origen. et S. Thom. in Matth. 26.

Per manus iniquorum.] Hæc verba referri possunt tum ad *traditum*, quod præcessit Christus enim traditus fuit per manus iniqui Judæ et satellitum ejus, Annæ et Caiphæ pontificibus. Tum ad *affigentes*, scilicet cruci, ut habet Syrus : Christus enim cruci affixus est per manus iniquorum militum.

Quem deus suscitavit solutis doloribus inferni.] Τὸ *inferni* legit quoque Irenæus lib. 3. cap. 12. S. August. et alii apud eum epist. 99. ad Evodium, et Syrus, qui vertit, *solutis funibus inferorum.* Hebr. enim חבל *chebel*, et funem, et dolorem significat : quia dolor est quasi funis ligans, arctans et stringens, acriterque pungens afflictum. Verum Græca habent λύσας τὰς ὠδῖνας του θανατου, id est, *solvens dolores mortis,* idque clarius et planius est. Sed eodem res redit, nam idem quasi est mors et infernus; quia olim ante Christum omnes qui moriebantur, ibant in infernum. Unde tunc teneri morte, vel inferno, idem esse videbatur : anima enim post mortem ibat in infernum, corpus ad sepulchrum. Unde de utroque resuscitando subdit v. 27. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

Quæres, qui sunt dolores mortis et inferni, quos Deus solvit suscitans Christum? Primo, Calvinus censet esse pœnas, anxietatem, et desperationem, quam damnati patiuntur in inferno. Hanc enim nobis debitam, in se luendam suscepisse Christum, ideoque in cruce desperasse, dum clamavit : *Deus meus, Deus meus, ut quid me derelinquisti?* Verum hoc non minus stolidum est, quam blasphemum et impium, uti ostendi Hebr. 5, 7.

Secundo, alii censuerunt hic significari, quod Christus moriens liberarit damnatos ex inferno, idque videtur innuere S. August. epist. 99. Verum hæc est hæresis, quam recenset et refutat idem S. August. hæresi 79. et S. Greg. l. 6. epist. 179. Melius alii censent, Christum morientem vel omnes, vel plurimos ex Purgatorio liberasse, eisque dedisse primam et plenariam indulgentiam, uti dixi Zachar. 9. 11.

Tertio, alii ex Syro censent dolores vel funes mortis hic vocari vires mortis, quibus quasi funibus corpus Christi mortui ligabat, et detinebat in sepulchro, animam vero in inferno.

Quarto, Cajetan. ex S. Thoma censet, dolores mortis et inferni vocari pœnalitates, quas naturaliter, et communi sorte ac jure patiebatur Christi Corpus in sepulchro, et anima in inferno, quæ duæ erant. Prior, quod anima esset separata à corpore, quasi à suo compare, ad quod naturalem habet inclinationem, itaque quasi esset altera sui parte trunca et mutila. Posterior, quod detineretur in loco tam vili et infimo, qualis est sepulchrum et infernus. Verum dolor et pœna omnis Christi finita est in ejus morte. Et certum est Christi animam non fuisse detentam in inferno, nec corpus in sepulchro in vindictam, vel supplicium, aut satisfactionem alicujus peccati, sed fuit hoc corpori mortuo quasi naturæ debitum, et commoditas, animæ vero fuit potius honor et triumphus : quia per eam Christus quasi victor inferni, et liberator Patriarcharum, eo descendit.

Quinto, alii respondent, quod Christus dolores, vel funes inferni puratos ut se constringerent, sicut alios omnes morientes constrinxerant, et constringunt ; solvit, id est, discussit et dispulit, fecitque ne iis constringeretur. Rursum de facto solvit eos in aliis, qui in limbo vel Purgatorio iis constricti tenebantur, dum eos inde liberavit et eduxit. Ita S. August. epist. 99. Hic sensus probabilis et appositus est.

Sexto, S. Chrysost. et OEcum. respondent, dolores hos non fuisse Christi, nec fidelium, sed ipsius mortis : *Mors enim,* inquit, *illum detinens doluit, sicut cetus absorpto Jona quasi indoluit, ideoque eum evomuit.* q. d. Deus per Christi resurrectionem ipsam mortem à doloribus quasi parturientis liberavit : mors enim et infernus suo utero tantum Christi onus, et pondus ferre non volentes, quasi dolorem patiebantur cum eum clauderent, quem tenere et capere non poterant. Verum hoc subtilius est, quam solidius et germanius.

Septimo ergo et genuine, dolores mortis et inferni metonymice vocantur dolores gravissimi, qui hominibus mortem afferunt, eorumque in infernum mittunt, ut ibi quasi in tenebris, et carcere ineluctabili perpetuo detineantur et degant. Hinc illud Psalm. 17. 5. *Circumdederunt me dolores mortis,* etc., *dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis.* Quo alludit hic Petrus. Unde pro *dolores mortis,* Interpres. 2. Reg. 22. 5. vertit, *contritiones mortis,* et pro *dolores inferni,* vertit, *funes inferni.* Hebræi enim dolores metaphorice vocant חבל *chable,* id est, funes quia instar funium stringunt et affligunt. Ita S. Basil. et Theodor. in Psalm. 17, et Suarez 3. p. q. 52. disp. 43. sect. 1.

Sensus ergo est. q. d. Deus suscitavit Christum solutis doloribus mortis et inferni, hoc est, superata per Christi suscitationem morte et

inferno cum omnibus doloribus illam comitantibus, puta tum præcedentibus in agonias, passione et cruce; tum qui illam subsequi solent in inferno. q. d. Deus per Christum resurgentem dissolvit, et destruxit mortis et inferni regnum, cum omnibus suis doloribus et ærumnis. Rursum per hypallagen, dolor mortis et inferni accipi potest mors dolorosa, sive dolor mortalis et infernalis, qualis est morbus vel cruciatus lethalis, qui animam è corpore sua acerbitate avellit et extorquet. q. d. Per resurrectionem Deus solvit et abolevit mortem; quæ in Christo fuit dolorosissima. Huc accedit expositio Riberæ in Osee cap. 13. 14. qui sit explicat : *Solutis doloribus mortis,* id est, solvens et irritans id, quod per tot dolores et cruciatus mors effecerat, ut scilicet anima Christi à corpore separaretur, dum eam speratam rursum in resurrectione corpori univit. Mors enim et infernus suis ærumnis et doloribus quasi funibus, videbantur Christi animam et corpus quasi colligata et incarcerata detinere, ut non videretur esse spes inde exeundi et remeandi ad vitam. Sed Deus hæc vincula et hosce funes dissolvit, dum Christum ex iis ad lucem et vitam redivivum reduxit. Morti, sive inferno dat epithetum et titulum *dolorum :* tum quia mors in se est plena doloribus : unde *terribilium omnium terribilissimum est mors,* ait Arist. tum quia proprie significat dolores Christi, quos in passione et morte habuit plurimos et maximos, adeo ut superarint omnes dolores omnium Martyrum. Ita S. Leo serm. 1. de Ascensione : *Post passionem,* inquit, *ruptis mortis vinculis, quæ vim suam in eum qui peccati erat nescius, incedendo perdiderat, infirmitas in virtutem, mortalitas in immortalitatem, contumelia transivit in gloriam.*

Tropol. S. Hieron. et S. Aug. in psal. 17. dolores inferni, inquiunt, sunt invidiæ detrahentium, et calumniantium et exprobrantium, quæ mortem infernalem operantur, animamque in mortem secundam et infernum præcipitant, quales à Scribis et Judæis passus est Christus, etiam pendens in cruce, dum ab iis audit : *Vah qui destruis templum Dei, et in triduo reædificas illud : salva temetipsum. Si filius Dei es, descende de cruce,* Matth. 27. 40.

24. JUXTA QUOD IMPOSSIBILE ERAT TENERI ILLUM AB EO.] Inferno scilicet, et morte : tum quia Christus erat innocentissimus et sanctissimus; mors autem et infernus sunt pœna, et carcer peccatorum : tum quia Christi divinitas, æque ac humanitatis vis et robur claudi et detineri nequibant morte et inferno, sed potius Christus quasi victor, dominator et triumphator ea sua manu et potestate clausit, imo dissolvit, enervavit, abolevit.

25. DAVID ENIM DICIT IN EUM.] *De eo.* Ita Syrus, puta de Christo. Vel *in eum,* id est, in persona ejus, ait Cajetan. David enim in Christi persona hæc dixit,

PROVIDEBAM DOMINUM IN CONSPECTU MEO SEMPER.] q. d. In omni mea actione, passione, cruce et morte prospiciebam ad Dominum, eamque mihi proponebam, fortiter, fortique spe omnia agens et sustinens, quasi decretans pro Deo in ejus conspectu; perinde ac milites acriter pugnant, dum sunt in conspectu sui ducis. Sciebam enim me jugiter à Deo conspici, ac proinde vicissim jugiter eum conspiciebam, dicens cum Elia : *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto,* 3. Reg. 17. v. 1. ac proinde omnem meam spem, amorem et affectum in Domino me contuente defixi, certus quod ex omni tribulatione me liberabit, et à morte ad vitam gloriosam suscitabit. Unde subdit : *Quoniam à dextris est mihi,* tanquam hyperaspites, protector et propugnator, *ne commovear,* etc. *Et caro mea* crucifixa, mortua et sepulta *requiescet in spe* resurrectionis, quod scilicet tertio die eam à morte ad vitam suscitabis. Ita Sancti omnes ambularunt in conspectu Dei, cogitantes se semper et ubique præsentem habere Deum, ac in ejus præsentia omnia operari et pati, ideoque per omnia studuerunt ei placere. Hic enim acer et stimulus ad virtutem. Unde S. Ephrem serm. de virtute c. 10. asserit, *continua Dei recordatione animæ passiones recedere, instar maleficorum prætore accedente.* Hinc Deus præcepit Abrahæ : *Ambula coram me, et esto perfectus* Genes 17. 1. Vide ibi dicta. S. Basilius admonit. ad filium spiritalem : *Memento,* ait, *te sub Domini conspectibus stare, qui occulta cordis prospicit, et abdita mentium novit. Quodcumque opus inchoaveris, primo invoca Dominum, et ne desinas gratias agere, cum perfeceris illud. Quære Dominum, et invenies eum : nec dimittas cum tenueris, ut copuletur mens tua in amore ejus. Hoc stude in vita tua, ut orationem puram offeras Deo. Qualem cupis erga te esse Dominum, talis esto ipse erga conservum tuum. In omni opere quod cogitas facere, prius examina, si secundum Dominum est, quod cogitas. Et si rectum est coram Deo, perfice : si vero adversum fuerit repertum, amputa illud ab anima tua.*

A DEXTRIS EST MIHI.] q. d. Mihi Christo qua homo sum, Deus Pater proxime adest et assistit, ut me protegat, conservet, et ressuscitet : Deus vero Filius mihi assistit quasi hypostasis, et suppositum me sustentans, per unionem hypostaticam, quam nunquam dissolvet : ac proinde esto in morte separetur anima à corpore, tamen divinitas utrique manebit unita : perinde ac qui panem manu frangit, partes panis à sese invicem separat; sed utramque manu retinet : unam dextra, alteram sinistra.

NE COMMOVEAR.] *Sed stabiliter in eo permaneam,* ait S. August. in psalm. 15.

27. QUONIAM NON DERELINQUES ANIMAM MEAM IN INFERNO.] Ergo de fide est, Christi animam post mortem descendisse ad inferos, ut habet Symbolum Apostolorum. Ita S. Ambros. serm. 74. de mart. S. Hieron. in psalm. 15. S. August. epist. 99. et alii passim. Inepte ergo et impie Beza secutus Calvinum, vertit, *non derelinques cadaver meum in sepulchro;* animam in cadaver, infernum in sepulchrum inaudita metamorphosi, histrionica levitate transmutans. Negat enim ipse cum suo Calvino Christum descendisse ad inferos, itaque reipsa tollit hunc articulum è Symbolo : *Descendit ad inferos;* dum eum ita interpretatur, ut idem sit quod descendit ad sepulchrum : explicat enim, inquit (imo obscurat, depravat et evertit) id quod præcessit, *Et sepultus est.* Inepte inquam. Nam, ut alia taceam, opponitur hic anima carni. De carne enim præcessit : *Caro mea requiescet in spe;* et sequitur : *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem,* scilicet in sepulchro. De anima vero per antithesin subjungit, *Non derelinques animam meam in inferno.* Secundo, quia Græcum ᾅδης semper *infernum,* nunquam *sepulchrum* significat. Vide Bellarm. lib. 4. de anima Christi cap. 12. Nota

τὸ quoniam : hæc enim vox dat causam ejus quod præcessit, *Et caro mea requiescet in spe.* q. d. Ideo caro mea secure in sepulchro quiescet in spe resurrectionis, quoniam tu Domine non derelinques animam meam in inferno, uti prædixisti et promisisti per Davidem psal. 15. sed tertio die eam ex inferno ad sepulchrum reduces, ut carnem rursum induat, vivificet et glorificet.

Inepte rursum Calvinus et Brentius censent *descendere in infernum* idem esse quod extingui, perire et inderire, q. d. inquit Calvin. Non sines animam meam interire et extingui, quia divinitate suffulta est. Unde recte inferas, cæterorum hominum animas, quæ unione hypostatica divinitatis non suffulciuntur, interire et extingui, perinde ac animas brutorum. Vide hic ut Calvinus viam sternat atheis et atheismo.

Nec dabis, אל תתן *al titten*, id est, *non sines, non permittes*, Sanctum tuum.] Græce est vox masculina τὸν ὅσιον, qua notatur Christus, qui est *Sanctus* per antonomasiam, utpote Sanctus Sanctorum. q. d. Non sines ô Domine, me Christum secundum corpus corrumpi : quia sum Sanctus Sanctorum, quem non decet corruptio; sed incorruptio et immortalitas Ubi nota. Sola unio hypostatica non sufficiebat (esto id exigebat) servare Christi corpus à corruptione ; sed præter eam requirebatur actio physica divinitatis, quæ corpus conservaret, et tueretur ab aere, humoribus, aliisque rebus quæ corpora mortua corrumpere, et putrefacere solent. Unde S. Augustinus in psal. 15. hunc locum sic exponit. q. d. *Neque sanctificatum corpus, per quod aliis sanctificandi sunt, corrumpti patieris.* Idipsum ad sanguinem à Christo patiente effusum extendit Durandus et Gabriel, quos citat et sequitur noster Suarez 3. p. tom. 2. disp. 47. sect. 3. scilicet sanguinem hunc in triduo mortis Christi non fuisse corruptum, uti corrumpi solet sanguis ab aliis hominibus effusus, eo quod eum à corruptione tutaretur Verbi divinitas, cui, æque ut ante, manebat hypostatice conjunctus, ut fuse ibidem probat Suarez, aitque id definitum videri à Clemente VI. et Pio II. Contrarium tamen, scilicet sanguinem Christi in triduo mortis ejus corruptum fuisse, mansisse tamen unitum hypostatice Verbo, non est improbabile : licet enim corruptus fuerit quoad formam vitalem (sive illa sit anima, sive alia) quam habuerat in corpore Christi vivo, idem tamen mansit incorruptus quasi sub forma cadaveris sibi accommodata ; atque eo modo quo mansit ille sanguis quasi mortuus, seu quasi cadaver sanguinis, ita pariter mansit unitus Verbo.

Videre.] Id est, sentiri, experiri. Est catachresis : visus enim omnium sensuum nobilissimus, pro quolibet sensu ponitur in Scriptura : hic pro tactu ponitur,

Corruptionem.] Christi viventis corpus vidit corruptionem, quia mortuum est : mors enim est hominis et vitæ corruptio. Christi vero morientis corpus non vidit corruptionem, Græce διαφθορὰν, puta putrefactionem et incinerationem. Cæterorum enim hominum corpora post mortem putrefiunt: ex putrefactione nascuntur vermes et bufiones, qui carnem usque ad ossa depascuntur : quo facto ipsi deficiente alimento moriuntur, putrescunt, et in sua elementa, terram et aquam, resolvuntur. Cadaver ergo abit in putredinem et vermes, inde in terram, itaque impletur prima Dei in hominem peccantem sententia : *Pulvis es, et in pulverem reverteris*, Gen. 3. 19. Christi vero corpus ab hac sententia immune fuit tum quia peccato immune et sanctum : tum quia hypostatice unitum erat Verbo ; tum denique quia passione sua meruit dominium mortis et corruptionis, ejusque exterminium per suscitationem sui et nostri.

28. Notas mihi fecisti ; Syrus, *manifestati* (ostendisti, exibuisti) vias, hebr. et syriace, *viam* Vitæ.] Id est, me ex morte et inferno ad vitam reduxisti et revocasti. Resurrectio enim et glorificatio corporis, sunt viæ quibus Christus progressus est ad vitam immortalem et gloriosam, nosque progredi faciet in universali resurrectione. Unde pro *notas mihi fecisti*, hebr. est תודיעני *todieni*, quod cum sit futurum in Hiphil, proprie significat, *facies me docere*, notas facere, demonstrare vias vitæ, ut scilicet eas ostendam et exhibeam, tum Patriarchis et Sanctis mecum resurrecturis, tum meis fidelibus in die judicii mea virtute resurrecturis. Hæ vocantur *viæ vitæ;* tum quia ducunt ad novam resurgentium vitam : tum quia ducunt in cœlum, quæ est terra vitæ et viventium. Hinc Theologi docent quod Christus in hac vita fuerit viator usque ad resurrectionem, operando, et merendo nobis salutem, sibi resurrectionem : esto simul fuerit comprehensor ; quia anima ejus videbat Dei essentiam, eaque visione erat beata.

Tropol. S. August. in psalm. 15. exponit. q. d. *Notas fecisti per me humilitatis vias, ut ad vitam redirent homines, unde per superbiam ceciderant : in quibus quia ego sum, notas mihi fecisti.* Christus enim est via, veritas et vita. S. Bern. serm. 1. in festo Apost. Petri et Pauli, *Putas*, ait, *parva res est, scire vivere? Magnum aliquid, imo maximum est. Non vivit qui superbia inflatur, qui luxuria sordidatur, qui cæteris inficitur pestibus : quoniam non est hoc vivere, sed vitam confundere et appropinquare usque ad portas mortis. Bonam autem vitam ego puto, et mala pati, et bona facere et sic perseverare usque ad mortem.* Et paulo post : *Arbitror autem quod tu qui in congregatione es, bene vivis, si vivis ordinabiliter, sociabiliter, et humiliter. Ordinabiliter tibi, sociabiliter proximo, humiliter Deo. Ordinabiliter, ut in omni conversatione tua sollicitus sis observare vias tuas, et in conspectu Domini, et in conspectu proximi; cavens et tibi à peccato, et illi à scandalo. Sociabiliter, ut studeas amari et amare, blandum te et affabilem exhibere; supportare non solum patienter, sed et libenter infirmitates fratrum tuorum, tam morum, quam corporum, Humiliter, ut cum hæc omnia feceris; spiritum vanitatis studeas exsufflare, qui ex hujusmodi nasci solet; et quantumcumque illum senseris, negare consensum.* Et S. Ambros. serm. 22. *Martyres*, inquit, *sicut viam passionis Christi experti sunt, ita et experientur et vitæ. Scriptum est enim : Notas mihi fecisti vias vitæ. Hoc utique in resurrectione ex persona dicitur Salvatoris, ut qui dum post mortem ab inferis redit ad superos, incipiat notam habere viam vitæ, quæ ante habebatur ignota.* Et mox : *Notas enim mihi fecit vias vitæ, cum me docuit fidem, misericordiam, justitiam, castitatem. His enim pervenitur itineribus ad salutem : et licet nos in resolutione corporis mortis umbra circumdet, tamen gressus suos vita non deserit, sed inter ipsas medias inferni leges, incunctanter Christi virtutibus ambulamus. Unde ait S. Propheta : Nam*

etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

REPLEBIS ME JUCUNDITATE CUM FACIE TUA.] Id est, coram facie tua, præsente facie tua. Ita S. Hieron. et Cald. puta, cum faciem tuam, id est, te mihi præsentem et benevolum exhibueris. q. d. Replebis me omni gaudio et lætitia, tam in corpore, quam in anima, cum mihi resuscitato ostendes faciem tuam, ut jam non tantum anima, uti factum est in triduo mortis meæ, tuam faciem videat, eaque beetur; sed et corpus per animam eamdem conspiciat, eaque fruatur: præsertim quia ab ea mediante gloria animæ, hauriet impassibilitatem, claritatem, aliasque dotes gloriosas. Unde S. Hieron. in psalm. 15. vertit, *Ostendes mihi plenitudinem lætitiarum ante vultum tuum.* Quocirca subdit Psaltes: *Delectationes in dextra tua usque in finem:* q. d. Sedens ad dexteram tuam, id est, in summis gloriæ tuæ bonis, tibi proximus et vicinissimus, perennes in delectationes hauriam.

29. DE PATRIARCHA DAVID.] Probat citatum locum psalm. 15. *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem,* non competere Davidi, eo quod ipse defunctus, sepultus et corruptus sit, sed Christo post triduum mortis resurgenti.

ET SEPULCHRUM EJUS EST APUD NOS.] q. d. Corpus Davidis usque ad hunc annum jacuit in sepulchro: ergo corruptum, putrefactum, et in pulverem redactum fuit. Ergo David non de se, sed de Christo prophetavit, cum dixit: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Nota. Caute dicit S. Petrus, *Sepulchrum ejus est apud nos,* non corpus, aut caro ejus: quia videtur David paulo ante inter alios Patriarchas puta Adam, Abraham, Isaac, Jacob, Mosen, etc. cum Christo ex sepulchro resurrexisse, Matthæus 27. 53. ac proinde amplius non fuisse in sepulchro. Nam verius est, Sanctos qui cum Christo resurrexerunt, non rediisse ad mortem et sepulchrum, sed resurrexisse ad vitam immortalem atque cum Christo in corpore et anima gloriosos et triumphantes ascendisse in cœlum. Hoc enim decebat triumphum Christi, ut cum in corpore glorioso triumpharet, haberet pariter Sanctos in corpore triumphi sui asseclas et stipatores, quos quasi captivitatem et prædam morti ereptam, triumphans secum duceret in cœlum. Hoc etiam decebat ipsos Sanctos, quibus sane miserius fuisset rursum mori, quam optabile resurgere ad vitam tam brevem. Adde, animæ eorum jam erant beatæ, ac proinde par erat, eas non uniri corporibus nisi gloriosis et immortalibus. Ita Orig. S. Hieron. Beda, Anselmus, D. Thom. in Matth. 27. 53. Clem. Alexand. l. 6. Strom. Euseb. l. 4. Demonstr. c. 12. Epiph. hær. 73. et passim Recentiores.

30. DE FRUCTU LUMBI EJUS.] In lumbis enim est origo seminis, quod ex iis per venas in membra generationi destinata descendit. Fructus ergo lumbi, vel ventris, ut vertit Syrus, sunt proles et posteri. Nota. Textus Græcus hic addit κατα σαρκα ἀναςῆσαι Χριςὸν. q. d. *Sciens quod Deus sibi jurasset de fructu lumbi ipsius,* nimirum *Christum secundum carnem suscitaturum,* vel *resurrecturum* (nam τὸ ἀναςῆσαι vel active *suscitaturum,* vel passive *resurrecturum* vertas) *quem collocaret super sedem ejus.* Vel, ut Œcumen. q. d. Cum jurasset de fructu ventris ponere super sedem ejus, secundum carnem resurrecturum Christum prævidens, locutus est de ejus resurrectione. Verum hæc verba nec habet Syrus, nec noster Interpres, et sine iis sensus constat. Unde Erasmus suspicatur ea in Græco ab eruditulo quopiam, cui sensus non videbatur esse adeo clarus et absolutus, fuisse adjecta in margine, indeque postea in textum esse translata.

SEDERE SUPER SEDEM EJUS,] occupare regnum Davidis patris sui, in ejusque throno quasi regem sedere. Hoc Christi regnum non fuit temporale, uti Davidis, sed spirituale et æternum. Regnum ergo Christi est Ecclesia, primum in Judæa, deinde per totum orbem sparsa; jam militans, quæ in fine mundi erit triumphans. Christus enim stirpem et regnum Davidis collapsum restituit, sed augustius et nobilius: nam pro terreno cœleste, pro caduco perenne substituit. Hanc regni sui instaurationem à Prophetis promissam, avide Judæi tempore Christi expectabant, uti etiamnum expectant. Unde Gabriel nuncians Deiparæ Christi conceptionem et incarnationem Lucæ 1. 52. *Hic,* inquit; *erit magnus et filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.* Quare frustra miseri et abjecti Judæi hoc sui Messiæ regnum carnale, exile et caducum præstolantur.

31, PROVIDENS,] προιδὼν, id est, *prævidens.* Ita Syrus.

32. QUIA NEQUE DERELICTUS EST IN INFERNO,] quoad animam, sed illa ex eo egrediens ad sepulchrum carnem suam resumpsit, et cum ea gloriosa resurrexit.

33. DEXTERA IGITUR DEI EXALTATUS,] dum per dexteram, id est, potentem Dei virtutem et operationem, quasi victor et trimphator peccati, mortis, dæmonis et inferni, gloriose resurrexit et ascendit in cœlum.

PROMISSIONE SPIRITUS SANCTI ACCEPTA A PATRE.] q. d. Christus accepit à Patre potestatem promittendi, et mittendi Spiritum sanctum; vel accepit à Patre, ut posset mittere in Apostolos Spiritum sanctum quem eis promiserat. Nam Deus Pater quasi promisit Christo, Christus nobis, Spiritum sanctum.

EFFUDIT HUNC, Spiritum sanctum, QUEM VOS VIDETIS in linguis igneis, ET AUDITIS,] per os nostrum variis linguis loquentem magnalia Dei. Hinc Patres probant contra Arrianos, Christum esse Deum. Nam *quomodo Deus non est, qui dat Spiritum sanctum? imo quantus Deus est; qui dat Deum?* ait S. Aug. l. 15. de Trinit. c. 26.

34. NON ENIM DAVID ASCENDIT IN COELUM.] q. d. Ergo David cum ait Psalmo 109. uti jam citabo; *Sede à dextris meis,* non de se loquitur, sed de Christo resuscitato, quia ascendit in cœlum, sedetque ad dextram Patris, ac inde effudit Spiritum sanctum in nos. Romæ quidam eruditus Rabbino-Christianus mihi asseruit, S. Petrum hoc dixisse contra μετεμψυχωσιν Phythagoræ: censuit enim Pythagoras animas de uno corpore in aliud transmigrare. Qui error Hebræos quoque pervasit: unde dicunt ipsorum Cabalistæ, Adam tres habere litteras, quæ singulæ virum illustrem significant. Prima est A. quæ significat Adamum. Secunda est D. quæ significat Davidem. Tertia est M. quæ significat Messiam, sive Christum. Hos ergo tres facere Adam, id est, unum quasi hominem; eo quod anima Adæ migrarit in Davidem, et ex Davide in Christum. Quocirca S. Petrum hunc errorem hic perstrin-

gere, ac dicere animam Christi, non Davidis, ascendisse in cœlum, ita ipse. Nam alias, inquit, quis nescit David esse mortuum, nec ascendisse in cœlum? Aut quis alius unquam deliravit, dixitque quod David ascenderit in cœlum, ut Petro idipsum hic refutandum esset? Favet, quod simili ratione Herodes putabat animam Johannis Baptistæ, à se occisi, transmigrasse in Christum, Matth. 14. 2. Et Judæi animam Phinees censent transmigrasse in Eliam, Eliæ vero animam in Johannem Baptistam. Unde cum interrogant : *Elias es tu?* Johannis. 1. 21.

Dixit autem ipse.] Hinc patet quod David sit auctor psalm. 109. non Melchisedec, nec Eliezer servus Abraham, aut quis alius, uti fingunt Rabini. Canit enim David illo psalmo non Abrahæ, nec Davidis, nec Ezechiæ, uti somniant Judæi, sed Christi regnum per resurrectionem, et ascensionem in cœlo et in terra, quo ex Sion cœpit regnare in omnes gentes, donec impios conterat in die judicii.

Dixit.] Hebr. נְאֻם *neum*, id est, dictum, effatum, pronunciatum, decretum, oraculum Domini, de Christo Domino meo.

Dominus, Deus Pater, Domino meo.] Hebr. אֲדֹנִי *adoni*. q. d. Christo qui meus, puta Davidis cum sit filius, est tamen et Dominus, non tantum qua Deus est, sed et qua homo. Nam qua homo, jure et titulo redemptionis, æque ac unionis hypostaticæ, qua in immensum omnes homines et angelos antecellit, omnium hominum et angelorum, ac consequenter meus, id est Davidis, est Dominus. *Dixit* ergo Deus Pater Christo homini, cum triumpho ascendenti in cœlum.

Sede a dextris meis.] Id est, mihi proximus in summa mea gloria regna. Ita S. Hieron. et Theodor. in ps. 109. Quomodo Christus sedeat ad dextram Dei, fuse explicui Colos. 3. 1.

Citant hunc psalmi 109. versum Christus Matth. 22. et S. Paulus Hebr. 1. 13. ex eoque probant Christum esse majorem angelis, esseque Deum : hoc enim dominium Davidem, omnesque homines Christus homo obtinuit, non vi humanitatis, sed unionis hypostaticæ; quia scilicet ipse non est purus homo, sed homo Deus.

35. Donec ponam inimicos tuos, in die judicii, scabellum pedum tuorum,] ut scilicet planc victi, tibi tuisque pedibus subjecti sint, et substrati quasi vile scabellum. Sic Sapores rex Persarum Valerianum Imper. bello victum fecit scabellum pedum : dorsum enim quasi scabellum, præbebat pedibus Saporis in equum ascensuri, inquit Eutropius et Victor in Valeriano. Idem fecit Tamberlanes Bajazeti Turcarum Imperatori victo et capto. Nota. τὸ *donec* non significat, quod eousque duntaxat sessurus sit Christus ad dexteram Dei, quasi deinceps non sit sessurus et regnaturus; sed potius contrarium. q. d. Sede et regna apud me donec omnes hostes tibi subjiciam, quando longe magis sedebis et regnabis : nam non tantum apud me, sed toto orbe dominaberis; qui omnes hostes tibi subjugabo. Simile est Matth. 1. 25. *Non cognoscebat eam donec peperit filium suum.* q. d. B. Virgo non concepit ex Joseph, quia non cognovit eam usque ad partum; multo minus cognovit eam post partum. Porro *inimicos* vocat infideles, Saracenos, Paganos, hæreticos, omnesque impios, qui Christo noluerunt se subjicere, et obedire.

Omnis domus, id est, tota familia, tota posteritas, tota gens Israel,] id est, Jacobi Patriarchæ.

36. Quia et Dominum eum, et Christum fecit Deus, hunc Jesum.] q. d. Deus Pater evexit Jesum ad hoc dignitatis fastigium, ut sit Dominus universorum, et Christus sive Messias, hoc est, unctus gratiæ plenitudine, de qua omnes accepimus : evexit inquam, eo ipso quo eum divinæ personæ et naturæ in incarnatione univit. Quare perperam Arriani hæc verba torquent contra divinitatem Christi; q. d. Petrus : Christus non fuit Deus et Dominus per naturam divinam, sed à Deo Patre factus et denominatus est per communicationem divinæ auctoritatis et potestatis. Nam S. Petrus loquitur de Christo, non qua Deus, sed qua homo est : Jesus enim est nomen proprium hujus hominis, et qua homo factus est Dominus omnium, et Christus orbisque redemptor, dum à Judæis crucifixus est. Ita S. Cyrill. lib. 9. Thesauri c. 3. S. Basilius lib. 4. contra Eunomium, et alii. Perperam quoque Theodorus Mopsuestenus docens Christum fuisse merum hominem, quia sua sanctitate meruerit conjunctionem cum divina natura, idipsum ex hoc loco probabat. Audi Vigilium : *In suprascripto* 39 *cap. rursum illud quod B. Petrus dixit Actor.* 2. *Jesum à Nazareth, quem unxit Deus Spiritu et virtute, exponens dicit, per unctionem Spiritus quod meruit, et immaculatum eum per omnia factum, et ad divinam naturam meruisse conjunctionem : quæ verba Christum purum hominem aperte significant. Qui ergo hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat, anathema sit.* Ita Vigilius Papa in codice Vaticano, quem citat Baron. anno Christi 553. pag. 417.

Quem vos crucifixistis.] Hic ingens est stimulus, quo S. Petrus mira libertate et sinceritate pupugit corda Judæorum. q. d. Videte quantum scelus commiseritis : crucifixistis enim Jesum, id est, Salvatorem mundi, qui est Dominus universorum, et Messias, sive Christus vester. Unde notat S. Chrysost. multos ex Judæis, qui coram Pilato contra Christum clamaverant : *Crucifige, crucifige eum,* huic Petri concioni interfuisse, eaque compunctos se ad Christum, quem crucifixerant, convertisse.

37. Compuncti sunt,] intimo et dolore contritione, quod Christum occidissent et sprevissent. Utrum hic miremur magis, Christine in suos parricidas potentiam? an clementiam? an potius utrumque? clementia enim eos ad pœnitentiam vocavit, et pœnitentes in gratiam recepit, habuitque loco charissimorum filiorum : potentia mentes eorum hostiles et saxeas compunxit, et commutavit, fecitque benevolas et amicas, ut Christum, quem antea summe oderant, diligerent. Hæc mutatio dexteræ Excelsi. Hæc vis compunctionis.

Præclare S. Bernard. tract. de Modo bene vivendi serm. 10. *Maria Magdalena,* inquit, *per compunctionem et lacrymas meruit à Domino audire : Remittuntur tibi peccata tua. Bona compunctio Thesaurus est desiderabilis, et inenarrabile gaudium in mente hominis. Anima quæ in oratione habet compunctionem, proficit ad salutem. Lacrymæ pœnitentium pro baptismate reputantur apud Deum. Compunctio cordis sanitas est animæ. Compunctio mentis illuminatrix est animæ. Compunctio lacrymarum remissio est peccatorum. Compunctio Spiritum sanctum reducit ad se, quia*

cum Spiritu sancto mens visitatur, statim homo peccata sua plorat. Subdit deinde quatuor causas et motiva compunctionis : *Ploramus enim*, inquit, *propter peccata nostra, et propter miseriam hujus mundi, ac propter compassionem proximi, et propter dilectionem cœlestis præmii. Propter peccata flebat ille qui dicebat : Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum rigabo. Idem de miseriis hujus mundi gemebat, cum dicebat, Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Dominus per compassionem flevit super Lazarum, et super civitatem Jerusalem, dicens : Quia si cognovisses et tu. Etiam Paulus Apostolus, qui præcepit gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus, per compassionem dolebat, dicens, Quis infirmatur, et ego non infirmor? Cum dilectione cœlestis præmii plorabant justi dicentes illud Psalmistæ : Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui Sion*, etc. Actus vero heroicus effectusque compunctionis quem assignat sancti Chrysost. l. 2. de Compunctione, dicens : *Hæc est humiliati cordis vera compunctio, magna agere, et humilia loqui : justa operari, et super peccatores timere ac tremere.*

38. Pœnitentiam agite.] Pœnitentia ante baptismum requisita et necessaria est contritio, non perfecta, quæ est dolor de peccatis ex amore Dei; quia scilicet homo per eum Deum super omnia diligit, quem olim offendit, quem tamen requirit Navarr. in Enchirid. c. 1. n. 38. sed imperfecta, quæ à Theologis dicitur attritio, estque dolor de peccatis ob metum gehennæ et damnationis. Hac enim dispositione posita baptismus, qui est regeneratio animæ, ei gratiam, quasi novam primamque Spiritus vitam infundit : alioqui si contritio perfecta requireretur, cum hæc manet ex perfecto amore Dei, ideoque hominem justificet et vivificet, sequeretur vitam requiri ante vitam; nec baptismum regenerare, sed contritionem illi prævium. Excitandi tamen sunt pœnitentes baptizandi ad veram contritionem, utpote perfectiorem, uti Petrus hic eos, licet compuncti essent, excitat ad compunctionem augendam, declarandam et perficiendam.

Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi,] puta in fide, professione, virtute, meritis et baptismo Jesu Christi (non Johannis Baptistæ, aut Pharisæorum, qui sua multaque habebant baptismata) credendo et profitendo hunc esse Christum, unicumque mediatorem à Deo Patre propositum ad assequendam remissionem peccatorum, justitiam et salutem. Porro baptismus Christi est, is qui confertur in nomine S. Trinitatis, dicendo : Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Tres enim personæ S. Trinitatis (hujus enim confessio et professio est baptismus) explicite et distincte in baptismo exprimendæ sunt. Licet enim de hac re olim nonnulli dubitarint, imo negarint id esse necessarium, censentes sufficere ut baptizans dicat : *Ego te baptizo in nomine Jesu Christi*, eo quod id hic dici videatur, tamen contrarium declaravit et definivit Ecclesia. Vide Franc. Suarez 3. p. tom. 3. disp. 21. Adde, fortasse Apostolos primis illis temporibus, formæ baptismi addidisse nomen Jesu Christi dicendo : Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii Jesu Christi, et Spiritus sancti, ut huic novo nomini fidem amorem et reverentiam conciliarent. Quare certum est, S. Petrum antequam hosce pœnitentes baptizaret, catechizasse eos, ac docuisse mysterium S. Trinitatis, alios symboli articulos, ac deinde eos in nomine Trin. baptizasse quæ omnia compendio perstringens Lucas, ait eum dixisse : *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi.* Nam, ut notat S. Aug. lib. 3. contra Maximin. c. 17. una persona S. Trinitatis aliam non excludit, sed includit : quocirca Scriptura nunc unam, nunc aliam, nunc omnes nominat, ut significet omnes tres esse ejusdem essentiæ et potentiæ. Et Theoph. in fine Evang. *Christi, id est uncti, nomen*, inquit, *in se continent et Patrum ungentem, et unctionem Spiritum, et unctum Filium.*

Tropol. S. Chrysost. hom. 12. in 2. ad Corint. *Cum*, inquit, *per Jesum Christum mortuum vivamus, ei utique ob quem vivimus, vivere debemus.* Et S. Bernard. serm. de quadruplici debito : *Christo Jesu*, inquit, *debes omnem vitam tuam : quia ipse vitam suam posuit pro tua, et cruciatus amaros sustinuit, ne tu perpetuos sustineres.* Ac post multa ita concludit : *Cum ergo ei dona vero quidquid sum, quidquid possum, nonne istud est sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum?* Idem tract. de Dilig. Deo : *Si totum me debeo pro me facto, quid addam jam pro refecto, et refecto hoc modo? Nec enim tam facile refectus, quam factus, nam qui me semel, et tantum dicendo fecit, in reficiendo profecto et dixit multa, et gessit mira, et pertulit dura; nec tantum dura, sed et indigna. In primo opere me mihi dedit, in secundo se; et ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo et redditus, me pro me debeo, et bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? Nam etiamsi me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum?* Idem serm. 20. in Cant. *Dignus plane est morte, qui tibi Domine Jesu recusat vivere, et mortuus est : et qui tibi non sapit desipit : et qui curat esse nisi propter te pro nihilo est, et nihil est. Propter temetipsum Deus fecisti omnia, et qui vult esse sibi et non tibi, nihil esse incipit inter omnia.*

Et accipietis donum Spiritus sancti.] Primo, q. d. Accipistis ipsum Spiritum, qui est primum et increatum Dei donum, uti ostendi vers. 4. Secundo, q. d. Accipietis gratiam et justitiam, quæ est donum Spiritu sancti. Tertio, Francisc. Suarez tract. de Sacramento Confirmationis disput. 32. sect. 1. per *donum Spiritus sancti*, accipit gratiam Sacramenti Confirmationis, quæ eximia est, et singulare donum Spiritus sancti. Unde Sacramento Confirmationis hunc effectum tribuit Scriptura, quod conferat Spiritum sanctum, ut patet Act. 8. et c. 19. Olim enim cum grandævi baptizabantur, mox à baptismo conferebatur eis Sacramentum Confirmationis.

39. Vobis enim est repromissio,] ad vos quasi filios Abrahæ pertinet promissio Abrahæ facta de Christo, quod scilicet per eum benedicendæ, id est, justificandæ et salvandæ, essent omnes gentes, Gen. 22. Hæc ergo promissio est de Christo, ac consequenter de Spiritu sancto, quem æque ac Apostoli recepturi erant in baptismo, si crederent in Christum.

Omnibus qui longe sunt,] à Deo, Ecclesia, fide et salute, puta Gentilibus, quibus ait Apostolus Ephes. 2. 12. *Eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes et sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo*

Jesu vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi.

40. TESTIFICATUS EST,] διεμαρτύρετο, id est, quasi testibus adhibitis asseverabat, confirmabat, et contestabatur vera esse sua dicta et dogmata de Christo. Testes hi erant, tum Scriptura et prophetiæ de Christo, tum commemoratio sanctitatis et miraculorum vitæ et passionis Christi, tum ipsi Apostoli cæterique fideles, quin et ipsa Judæi, qui Christi vitam, miracula et mortem viderant.

EXHORTABATUR.] Syrus, *postulabat*, vel *efflagitabat ab eis.*

SALVAMINI A GENERATIONE ISTA PRAVA.] q. d. Per fidem et baptismum Christi, vitamque Christianam segregate vos ab hoc sæculo infideli et impio, puta à Judæis et Gentibus infidelibus et impiis, ut salvetis animas vestras. Præclare S. Eucherius ep. ad Valerianum : *Vera*, inquit, *beatitudo est, sæculi beatitudinem spernere, neglectisque terrenis in divina flagrare. Abrumpatur illa interminabilis sæcularium negotiorum catena. Nihil est magnum re, quod parvum tempore : nec longis dilatatur gaudiis, quidquid arcto fine concluditur.*

Moral. Nota, conversationem cum sæcularibus et impiis esse periculosam, ac ducere ad interitum æternum. Pauci enim tam fortes et constantes sunt, ut tot pravis exemplis, sermonibus, invitationibus, irrisionibus, minis, etc., impiorum semper resistant, nec iis se ad eorum mores flecti sinant. Qui ergo sapit cum Lot fugiat de Sodoma, ne ejus incendio affletur. Verum enim est illud Eccles. 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea : et qui communicaverit superbo, induet superbiam.* Et illud S. Hieron. epist. 7. *Proclivis est malorum imitatio, et quorum virtutes assequi nequeas, cito imitaris vitia.* Nam, ut ait S. Cyprian. l. de Spectac. *Nihil facilius, quam ut superbia superbiam, iracundia iracundiam, omne denique vitium, sui generis vitium in aliorum animis pariat ; non modo nescientibus et non advertentibus, sed sæpe etiam invitis.* Exemplo est S. August. qui l. 2. Confess. c. 3. et 9. deplorat, quod juvenis inter coætaneos suos jactantes vitia sua, ipse etiam stimulabatur non modo ad eadem facienda, sed etiam ad fingenda quæ non fecerat, ne videretur abjectior, quo erat innocentior ; et ne vilior haberetur, quo erat castior. Nimis enim contagiosam rem esse malos sodales, cum dicitur : *Eamus, faciamus, et pudet non esse impudentem.* Similis huic concioni Petri est concio S. Johannis epist. 1. c. 2. dum ait : *Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* Et S. Leonis serm. 5. de Quadrages. *Plena*, ait, *omnia periculis, plena laqueis. Incitant cupiditates, insidiantur illecebræ ; blandiuntur lucra, damna deterrent ; amaræ sunt obloquentium linguæ, nec semper veracia sunt ora laudantium.* Quocirca sapienter S. Bernardus epist. 103. *Beatus*, inquit, *qui post illa non abiit quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant.* Vide S. Ambr. l. de Fuga sæculi.

41. APPOSITÆ SUNT.] Ecclesiæ et cœtui fidelium qui tum collecti erant pauci numero, puta 120. super quos descendit Spiritus sanctus. Sic ait Jerem. c. 50. 5. *Apponentur ad Dominum fœdere sempiterno.*

ANIMÆ,] homines. Est synecdoche : pars enim ponitur pro toto.

TRIA MILLIA.] Vide hic fructum sanguinis Christi : vide et linguam igneam Spiritus sancti, per os Petri jaculantem ignea verba quasi tela, quibus totum auditorum cœtum amore Christi accendit et inflammavit. Erant hæ primitiæ fervoris et spiritus.

42. ERANT AUTEM PERSEVERANTES,] προσκαρτεροῦντες, id est, *perdurantes magna continuaque instantia et constantia.* Vide dicta c. 1. 14.

IN DOCTRINA APOSTOLORUM,] audienda, ruminanda, meditanda.

ET COMMUNICATIONE FRACTIONIS PANIS.] Græce *communicatione et fractione panis. Communicatione*, scilicet bonorum, inquit Vatabl. et officiorum mutui obsequii, ait Cajetan. q. d. Primi Christiani mutuo suas opes, res et obsequia magna charitate communicabant : erant enim ipsis omnia communia. Verum de hac operum communione dicet Lucas v. 44. Quare melius noster Interpres τὸ *et* accepit quasi exegeticum, pro *id est*, uti alibi sæpe accipitur : aut potius censuit esse hendiadyn, qua unum per duo dicitur, ut apud Virgil. *Aurum frænosque momordit*, id est, aureos frænos momordit. Sic *in communicatione et fractione panis*, id est, in communicatione fractionis panis, vel quæ communicatio erat fractio, sive in fractione panis : alioqui τὸ *communicatione* caret genitivo, nec explicatur cujus rei fuerit hæc communicatio. Unde pro *communicatione* græce est κοινωνία, id est *communio*, sive *communis unio*, quo nomine à S. Paulo et Patribus vocatur Eucharistia quatuor de causis. Prima est, quia ipsa est mensa, et cibus communis, cui assident et communicant omnes fideles. Unde Græci cœnam quasi κοινὴν, id est *communem*, nuncupari censent. Secunda, quia in Eucharistia communicamus cibo plane eidem et individuo, puta corpori Christi, quod non fit in aliis cœnis, ubi unus hanc cibi partem, alius aliam sumit et manducat. Unde S. Chrys. hom. 88. in Matth. ait, *nos per communicationem cum Christi corpore fieri massam unam.* Et Cyrill. Alexand. l. 4. in Joan. c. 17. *Sicut*, ait, *cera ceræ liquefactæ miscetur, et ignis ferro ignito se insinuat, ita nos miscemur corpori Christi*, ac consequenter ejus divinitati ; itaque efficimur *corporei et consanguinei Christi*, imo Christiferi. Quocirca Isidor. Pelus. lib. epist. 228. asserit *communionem vocari, propter conjunctionem cum Deo, et quia regni participes reddit.* Hoc est quod ait Paulus 1. Corinth. 10. 16. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Ubi et tertiam rationem subdit, dicens : *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus.* q. d. Eucharistia est communis omnium fidelium unio ; nam unit omnes eidem corpori Christi, ac consequenter unit omnes inter se. Quæ enim sunt eadem uni tertio sunt et eadem inter se. Quocirca S. Dionys. Eccles. Hier. c. 3. *Divinissima*, inquit, *unius ejusdemque panis atque poculi communis pacificaque communicatio, divinam illis velut convictoribus morum conjunctionem sancit ;* additque, quod Eucharistia sit omnium *Sacramentorum consummatio et perfectio.* Denique Eucharistia uniendo nos Christo, omnibus et singulis Christi sanguinem, passionem et merita communicat.

FRACTIONIS PANIS.] Beza et hæretici, ac non-

nulli Catholici accipiunt panem communem, q. d. Christiani habebant mensas communes, agitabant convivia communia. Verum hæc non est laus Christianorum, sed Epicureorum. Dico ergo, græce esse τοῦ ἄρτου, id est, *illius panis*, scilicet Eucharistici et divini. Unde Syrus clare vertit, *Eucharistiæ* : hoc enim nomen licet Græcum, retinuerunt Syri, uti et Latini. Et patet ex circumstantiis : hæc enim fractio panis interjicitur inter doctrinam Apostolorum et orationes. Erat ergo ejusdem ordinis, puta spiritualis, uti illa erant spiritualia, non carnalis. Alludit enim Lucas ad verba sui Pauli 1. Corinthius 10. 16. paulo ante citata, ubi Eucharistiam vocat fractionem panis, ob causas quas ibidem recensui; quibus adde, primos Christianos post Eucharistiam agitasse commune convivium, quod ob symbolum charitatis vocabant agapen, in qua eumdem panem cibumque frangebant et manducabant, de quo dixi 1. Corinth. 11. 21. Porro hæc mox à Pentecoste prima, descensuque visibili Spiritus sancti contigerunt. Post eam ergo illico à fidelibus cœpit frequentari Eucharistia, indeque tantus eorum fervor. In cujus rei memoriam, festum corporis Christi institutum ab Urbano IV. Pontifice ab eodem jussum est celebrari feria quinta post Octavam Pentecostes. Nam, ut ait S. Thom. in Officio Eccles. illius festi, *congruit ut tanti Sacramenti institutionem illo tempore specialiter recolamus, quo Spiritus sanctus corda discipulorum edocuit, ad plene cognoscenda hujus mysteria Sacramenti : nam et in eodem tempore cœpit hoc Sacramentum à fidelibus frequentari.*

Nota hac tria primaria primorum Christianorum munia et exercitia, nobis, quoad possumus, imitanda et frequentanda. Perseverabant enim Primo, in doctrina Apostolorum : ita et nos in concionibus verboque Dei audiendo, legendo, ruminando perseveremus. *Qui enim ex Deo est, verba Dei audit*, ait Christus Joan. 8. 47. Verbum Dei est lux animæ et semen orationis, meditationis, omniumque bonorum operum, juxta illud psalm. 118. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, et lux semitis meis.*

Secundum est, sancta communio Eucharistiæ, per quam ipsi Christo realiter et substantialiter unimur. Sicut enim cibus unitur corpori, et in illud convertitur ; ita Christus quasi cibus unitur nobis : verum non se in nos, sed nos in seipsum convertit, juxta illud quod dixit S. Augustinus : *Non me mutabis in te, sed tu mutaberis in me.* Qua de causa primi fideles quotidie communicabant, uti hic innuit S. Lucas, eaque præcipua fuit causa tantæ sanctitatis et perfectionis eorum. Idem facere etiamnum dicuntur Abyssini sub Preto-Joanne. Hoc est quod oramus in oratione Dominica: *Panem nostrum quotidianum*, græce ὑπερούσιον, id est, *supersubstantialem*, ut vertit Interpres Sancti Matthæi c. 6. 11. *da nobis.* Hinc Tertull. lib. de Oratione c. ult. ait, *solvendam esse orationem corpore Domini accepto.* Hac de causa olim fideles Eucharistiam domum deferebant, præsertim tempore persecutionis, ac quotidie eam sumebant, ut se armarent ad martyrium; eaque fuit causa fortitudinis tot Martyrum, uti docet S. Cyprian. l. de Spectac. et Exhort. ad Martyr. Quocirca Conc. Flor. docet effectum Eucharistiæ esse augmentum gratiæ, et omnem illum effectum, quem materialis cibus in corpore efficit. Et Infra subdit Eugenius Pont. *Hujus Sacramenti effectus quem in anima efficit digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum : et quia per gratiam homo Christo incorporatur, et membris ejus unitur, consequens est, quod per hoc Sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur.* Et Trid. sess. 13. c. 2. docet, *hoc Sacramentum esse institutum tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius qui dixit: Qui manducat me, et ipse vivet propter me; et antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, et à peccatis mortalibus præservemur.* Hinc vocatur *panis*, sed sacer et transsubstantiatus, non tantum quia habet speciem panis, sed etiam quia ad omnem cibum adhibetur panis; unde panis a pascendo dicitur. Hinc et ab Hebræis quilibet cibus et pabulum, dicitur panis. Eucharistia autem omnimodo pabulo animam pascit; est ergo panis et plusquam panis.

Præclare S. Cyprian. de Cœna Domini : *Qui manducat*, ait, *ex hoc pane, ultra non esurit : qui bibit, ultra non sitit : quoniam mysterii hujus sic sufficit gratia, sic reficit intelligentia, ut cuicumque tantæ rei innotuerit plenitudo, omnis consummationis fine invento, Christi bajulus ipsum ferat in pectore, ipsum gerat in mente, et omni tempore habitatori suo dicta et facta jubilatione consona laudes resonent et gratiarum actiones decantent. Hæc ebrietas non accendit, sed extinguit peccatum : in hoc vino non est luxuria, nec movetur ad ludum post hunc potum lascivia. Cum sopivit oblivio cuncta carnis ludibria, mira sunt quæ sentit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur : quin Agnus iste paschalis inhabitat, cujus animam meri hujus fortitudo hilaritate inexplicabili lætificat, et delectat.*

Tertium est, oratio qua Deum laudamus, gratias agimus, novamque gratiam poscimus et impetramus. Ubi obiter Nota. Lucam hic tribus verbis describere ritum et ordinem, quem primi fideles servabant in suis cœtibus et synaxibus. Primo enim audiebant verbum Dei. Secundo, communicabant. Tertio Deo canebant hymnos, psalmos, et cantica spiritualia, uti ostendi 1. Corint. 14. Hæc enim tria sunt necessaria Ecclesiæ et cuivis fideli, ejusque sunt quasi anima et vita. Sicut enim ad vitam corpoream requiruntur tria, scilicet sol, panis, et halitus sive respiratio, ita totidem requiruntur ad vitam spiritualem, nimirum spiritualis sol, puta verbum Dei: spiritualis panis, puta Eucharistia; et spiritualis halitus puta oratio : hac enim halitum et spiritum divinum è cœlo attrahimus et haurimus, juxta illud psalm. 118. v. 131. *Os meum aperui, et attraxi spiritum.* Hæc tria adumbrata fuerunt tribus vasis in templo veteri, puta in Sancto, quæ erant candelabrum septiceps, mensa panum propositionis, et altare thymiamatis : candelabrum enim repræsentat verbum Dei : mensa panum Eucharistiam : altare orationem, hæc enim est thymiama Deo odoratissimum, et gratissimum, ut patet Apoc. 8. 3. Porro *oratio perfecta est*, ait S. Bernard. tr. de Natura divini amoris c. 3. *in qua tanta sit fides, ut speret omnia : tanta devotio, ut Deum videatur cogere* (qualis erat S. Catharinæ Senensis, dicentis, Domine non dimittam te, nisi hanc illamve animam virtutem aut gratiam mihi concesseris :) *tantus amor, ut omnia quæ petit, in ipsa oratione se sentiat obtinere; tam benigna humilitas, ut in omnibus non suam, sed Dei voluntatem in se fieri præoptet.* Talis fuit horum primorum fidelium,

ideoque omnia quæ poposcit à Deo, protinus impetravit.

Panis.] Ex hoc loco colligitur, sufficere laicis sumere Eucharistiam sub una specie panis, nec requiri alteram, puta calicis. Crescente enim in immensum numero fidelium, difficile et pene impossibile erat omnibus dari calicem. Adde, multos esse abstemios, qui abhorrent à vino; esseque in tanto numero evidens periculum irreverentiæ, et effusionis sanguinis, præsertim in turba rudium et rusticanorum. Objiciunt hæretici, sub pane intelligi calicem; nam certum est Apostolos et sacerdotes obtulisse sacrificium, in quo requiritur consecratio tam vini, quam panis. Resp. Lucas hic non loquitur de sacrificio sacerdotum, ad quod requiritur utraque species, sed de communione fidelium laicorum: in qua cum duntaxat nominet panem, colligimus eum solum fuisse datum, et distributum in tot millium turba.

43. Fiebat autem omni animæ timor.] *Timor* hic erat sacer quidam horror et reverentia, qua videntes linguas igneas, et audientes sermones igneos, timebant et venerabantur Apostolos quasi homines cœlestes et divinos, qui miracula pratrare, et cum Elia ignem è cœlo devocare, et in hostes vibrare possent. Sic *primus in orbe deos fecit timor*, ait Poeta. Sic visis Christi prodigiis dicuntur turbæ timuisse, Lucæ 7. v. 16. Timor hic non erat aliud quam religio et reverentia erga Christum, ex ejus miraculis concepta. Sic Matth. c. 9. 8. sanato paralitico à Christo, ait, *Timuerunt turbæ*, græce ἐθαυμασαν, id est, *admiratæ sunt:* admirationis enim effectus est timor, sive reverentia. Unde S. Lucas idem narrans c. 5. 26. Evang. scribit, *Apprehendit omnes*, ἔκστασις, id est, *ecstasis*, puta timor ex stupore manans, et in Dei glorificationem erumpens. Ecce ut Spiritus sanctus Apostolos antea timidos veluti cervos, facit omnibus terribiles quasi leones. Ecce quanta est vis sanctitatis, quam etiam impii verentur et expavescunt.

Prodigia.] Hisce enim à Deo erat confirmanda nova primaque fides de Christo, ut per ea credibilia fieret hominibus; alioqui temere credidissent. Quare similia ab hæreticis nova dogmata afferentibus poscenda, et exhibenda sunt, sibi credidi velint. Vere Richardus Victorinus l. 1. de Trinit. cap. 2. *Si error*, inquit, *est quod credimus, à te decepti sumus: ista enim in nobis iis signis et prodigiis confirmata sunt, quæ non nisi à te fieri potuerunt.*

Et metus erat magnus in universis.] Hæc verba desunt in Græco et Syro, quia idem sunt cum eo quod præcessit: *Fiebat autem omni animæ timor*, illudque exaggerant et inculcant.

44. Omnes etiam qui credebant, erant pariter.] Græce, ἦσαν ἐπι το αὐτο, *erant in idipsum;* Syrus, *erant simul;* Tigur. et Pagnin. *erant conjuncti*, non quod simul habitarent: hoc enim erat impossibile in tanta hominum, præsertim conjugatorum et mechanicorum turba. Quæ enim domus tot millia fidelium cepisset? Erant ergo simul, quia statis horis simul ad synaxin, puta ad concionem, communionem et orationem, de quibus paulo ante dixit Lucas, in templum conveniebant. Id nostri Anabaptistæ, quasi simiæ imitantur in Moravia: quisque enim eorum suam domum et officinam habet, sed statis horis ad suas synaxes eocunt omnes. Adde, Apostolos et capita Ecclesiæ, puta primarios fideles, simul habitasse juxta templum in porticu Salomonis. Hoc est enim quod ait Lucas c. 5. 12. *Per manus autem Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe. Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis.* Denique sociabant se, ut vicini invicem habitarent circa templum, quoad poterant, et quantum officia rerumque status cuique permittebant, uti videmus in urbibus recte constitutis, cives qui ejusdem sunt sectæ, nationis, mercaturæ, vel opificii, simul habitare in eadem platea. Et hoc innuit Lucas dicens v. 46. *Frangentes circa domos panem.*

Et habebant omnia communia.] Meum enim et tuum est causa omnis discordiæ, ait S. Chrys. Plato ideam perfectæ reipubl. describens deposcit, ut in ea omnia sint communia, ad perfectam civium unionem et concordiam, etiam uxores. Sed in eo fœde erravit: uxorum enim communitas repugnat legi naturæ, quæ sancit unam cum uno copulandam ad prolis certitudinem, et debitam educationem. Primi Christiani ergo hoc sustulerunt, omniaque habuerunt communia præter uxores: ac proinde vixerunt quasi Religiosi, imo religiosæ vitæ fundamenta ab eis jacta esse, docent S. Hieron. l. de Viris illustr. in S. Marco, S. August. epist. 109. et S. Basil. in regul. fusior. Reg. 19. et 32. Vidit hoc per umbram Pythagoras, cum auream hanc gnomen edidit: *Amicorum omnia communia;* ex quo Diogenes colligebat, *sapientis esse omnia quæ in orbe sunt:* hæc enim sunt Dei, cujus amicus est sapiens; testis est Seneca l. 7. de beneficiis c. 12.

Ex hoc ergo loco, quod primi Christiani haberent omnia κοινα, id est *communia*, ortum est, κοινοβίον, puta Cœnobia et Cœnobitæ, inter quos primi fuerunt Essæi, quorum parens fuit S. Marcus, de quorum sanctitate mira scribit Euseb. l. 2. Hist. c. 17. S. Hieron. l. de Script. Eccles. in vita S. Marci. Quocirca recte idem S. Hieronim. eodem libro in Philone: *Talis*, inquit, *primo credentium fuit Ecclesia, quales nunc Monachi esse nituntur et cupiunt, ut nihil usquam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper: patrimonia egentibus dividantur, orationi vacetur et psalmis, doctrinæque, et continentiæ, quales et Lucas refert primum Hierosolymis fuisse credentes.* Quocirca ex tunc cœpit vita Religiosa et cœnobitica à viris perfectioni avidis, qui primævam Apostolorum et fidelium vitam æmulari conabantur, quorum ingens fuit multitudo per orbem sparsa, uti testatur S. Dionys. Eccl. Hierar. c. 10. Eam deinde post annum Domini 300. instauravit S. Antonius in Ægypto, S. Basilius in Græcia, S. Hieronymus in Syria, S. Augustinus in Africa, S. Benedictus in Italia, totoque Occidente, quem deinde secuti sunt S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciscus, etc.

Porro hæc communio bonorum, magnum est virtutis et perfectionis compendium. Nam Primo, ingens est charitatis mutuæ incentivum. Unde S. Laurent. Justinian. l. de Obedientia. c. 18. *Quid aliud*, inquit, *esse dixerim Religiosorum monasteria, et Deo famulantium loca; quam stadia militaria, atque spiritualia castra pugnantium? Nonne in eisdem frequentissimæ devotionis lacrymæ, compunctionis gemitus, suspiria pietatis, compassionis et charitatis ad Deum incessanter effunduntur vota?* Et paulo post: *Quid oro locupletius, quam nihil habere, et omnia possidere? Carere rebus superfluis, et uti necessariis? Proprium spernere patrimonium, et Christi esse here-*

dem? Monasteriorum quippe redditus thesauri sunt Salvatoris, ii profecto communes fiunt omnibus in commune viventibus. Non cecernitur persona divitis, non potentis statui defertur; sed prout cuique expedit, erogantur; quod est opus divinum, commendatio gratiæ, charitatis officium, et naturæ exemplum.

Secundo, quia amerem et affectum avocat ab opibus et deliciis terrenis, quasi vilibus et exilibus, eumque totum transfert in Deum et res cælestes: quo fit, ut in cœlo defixus quasi aquila, pompas omnes et dignitates terræ, velut formicas aspiciat et despiciat, ac quasi rex omnibus emineat et dominetur: juxta illud ab Isaia c. 58. promissum: *Sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hereditate Jacob patris tui.* Nam, ut ait S. Cyprian. tractat. de Orat. Domin. *Qui renuntiavit jam sæculo, major et honoribus ejus et regno; et ideo qui se Deo et Christo dedicat, non terrena, sed cælestia regna desiderat.* Cœnobita ergo celsior est mundo, Dominus universi, par angelis, civis Sanctorum, domesticus paradisi, heres Dei, coheres Christi. Vide S. Chrys. homil. 15. ad popul. Hinc nullum, licet potentem et principem timet, nulli adulatur, sed libere quorumvis vitia carpit, audacter tyrannis resistit, ut Elias restitit Achab, Nathan David; Elisæus, Joram, Moses Pharaoni, qui proinde à Deo audivit: *Constitui te Deum Pharaonis*, Exod. 7.

Tertio parit meritorum et bonorum omnium communionem. Unde S. Basilius Const. monast. c. 19. *Communis*, ait, *eis est Deus, communis pietatis mercatura, communis salus, communia certamina, communes labores, communia præmia, et certaminum coronæ, ubi multi unus, et unus, non solus, sed in pluribus.*

Quarto, aufert materiam, lutium, cupiditatum, vitiorum et tentationum omnium; ac ex adverso materiam, tempusque et aptitudinem suggerit vacandi sibi et Deo, meditandi, exercendi opera pietatis, spei, charitatis, et virtutum omnium, juxta illud Psal. 39. *Ego autem mendicus sum et pauper: Dominus sollicitus est mei.* Vere S. August. serm. 33. de verbis Apost. *Amor*, inquit, *rerum terrenarum viscus est spiritualium pennarum. Ecce concupisti, hæsisti. Quis dabit tibi pennas ut columbæ? quando volabis ubi vere requiescas, quando hic ubi male hæsisti, perverse acquiescere voluisti?*

Quinto, parit animi pacem, serenitatem, lætitiam et jubilum perpetuum. Hæc ergo vita accedit ad vitam quam egit Adam et Eva in paradiso, estque inchoatio vitæ cælestis, quam Beati agunt in cœlo. Quocirca hæc primorum Christianorum *vita erat angelica*, ait S. Chrysost. juxta illud Christi: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo*, Matth. 19. 21. Et illud. ps. 72. *Quid mihi est in cœlo, et à te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum?* Unde S. Laurentius Justinianus opusc. de Monastica conversat. c. 2. pulchritudinem vitæ cœnobiticæ, qualem agunt claustrales, describens: *Est*, inquit, *claustrum hortus conclusus, paradisus delitiarum, thalamus nuptialis, cubile immaculatum, virtutum schola, tabernaculum fœderis, reclinatorium sponsi, bellatorum statio, sanctitatis domus, castitatis custos, prudentiæ firmamentum, religionis magisterium, et obedientiæ sanctæ speculum singulare.*

Possessiones.] *Agrorum* aut *domorum*, ut explicat Lucas c. 4. unde *possessio* dicitur quasi *pedum sessio* aut *positio*, ait Festus: funde enim aut domus possessio capiebatur, immittendo ineam pedem, quasi in rem propriam et pedulium.

45. Et substantias, bona mobilia, ut pecora et supellectilia, vendebant,] studio tum paupertatis et perfectionis calcantes terrenas opes, et anhelantes ad cœlestes, tum vitæ communis et charitatis, ut ea in fratres, puta Christianos, præsertim egentes distribuerent: tum ex instinctu Dei quasi præsagientes imminentem persecutionem, ne bona hæc à Judæis confiscarentur, sed ut ipsi ex eorum pretio viverent, aliisque fidelibus in persecutione bonis suis spoliatis succurrerent, juxta illud Apostoli Hebr. 11. v. 34. *Nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam.* Unde Melchiades Pontifex 12. q. 1. cap. *futuram*, ait, quod futuram Ecclesiam in gentibus Apostoli prævidebant, idcirco prædia in Judæa minime sunt adepti, sed pretia tantummodo ad fovendos egentes: præsertim quia prævidebant Jerusalem et Judæam paulo post à Tito et Romanis plane vastandam. Idem fecerunt deinceps Christiani, qui vigente persecutione parabant se ad martyrium, ut S. Valerianus, S. Cæcilia, S. Sixtus, S. Laurentius, qui bona etiam Ecclesiæ divendebant et distribuebant inter fideles egenos, ne persecutores ea confiscarent et raperent, prudenti sane pioque consilio.

Prout cuique opus erat.] *Non quod pueriliter quis gestire poterat: nil ibi otiosum erat, ac multo minus superbum: quod opus erat, hoc est, quantum ad indumenta, quod et nuditatem tegeret, et frigus repelleret*, ait S. Bern. Apol. ad Gul. Abb.

46. In templo.] Hoc imitantur hodie Cœnobitæ, et sæculares pii, tam viri, quam matronæ, quæ omne tempus quod à negotiis liberum habent, in templo orationi, lectioni et concioni impendunt. Ubi enim quis melius, jucundius, utilius, nobilius versetur, quam cum Deo in ejus domo?

Et frangentes circa domos, græce, κατ' οἶκον, id est, *circa domum*, puta Dei, hoc est templum, ait Œcum. panem,] qui proinde cum multis aliis censet, panem hunc quem in templo frangebant, fuisse Eucharistiam. Unde pro *panem*, Syrus vertit, *munus benedictum*, puta panem consecratum et transsubstantiatum, Deoque quasi *mincha* in sacrificium oblatum. Idque est valde probabile, quia Eucharistia à Paulo et Luca vocatur *fractio panis*. Nec obstat, quod Noster Græcum, κατ' οἶκον, vertat *circa domos*, puta domatim, per domos singulas, idque recte ex græcismo; quia crescente numero fidelium per varias domos eos distribuere, in iisque Eucharistiam celebrare oportebat. Atque exinde ortæ et distinctæ parœciæ, quibus singulis suus præest Parochus, sive Pastor, cum primitus una esset οἶκος, sive domus et cœnaculum fidelium, uti patet c. 1. 13. Alii tamen, ut Lyran. Cajet. et Carth. significant hunc panem fuisse usualem et communem. q. d. *Frangebant*, id est, distribuebant per domos panem, id est cibum, pro numero, qualitate et quantitate incolarum cujusque domus. Unde notat Chrysost. dici *panem*, q. d. Alimentum necessarium, non delicias. Huic sensui favet id quod sequitur: *Sumebant cibum cum exultatione*, sed hoc recte accipias de agape post Eucharistiam. q. d. Post Eucha-

ristiam sumebant agapen, sive cibum in epulo et convivio communi, instituto in memoriam ultimæ cœnæ Christi communis, ad symbolum et stimulum charitatis. Unde pro *sumebant*, græce est μετελάμβανον, id est, *simul sumebant cibum communem*, scilicet in agape, quam post Eucharistiam celebrabant.

Cum exultatione,] tum ob receptam Christianismi gratiam, tum ob supradictam Eucharistiam, tum ob agapen, tantamque in se invicem charitatem mutuam. Videbant enim novam in mundo rempublicam Christianam, qualis nunquam visa fuerat in mundo, eamque similem vitæ cælesti et angelicæ; seque in eam per Dei gratiam esse cooptatos, ac proinde omnium Spiritus sancti charismatum in ea factos esse participes. *Nullum enim majus signum inhabitantis Spiritus est, quam lætitia spiritualis*, ait S. Bernardus. Rursum, *Secura mens quasi juge convivium*, ait Sapiens. Nimirum, *Vox exultationis et salutis in tabernaculis justorum*, Psal. 117. Ita in S. synaxi exultabat S. Franciscus, ut ait S. Bonavent. in ejus Vita c. 9. *Flagrabat*, inquit, *erga Sacramentum Dominici corporis servore omnium medullarum, stupore admirans permaximo illam charissimam dignationem, et dignantissimam charitatem : sæpe communicabat, et tam devote, ut alios devotos efficeret, dum ad immaculati Agni degustationem quasi spiritu ebrius, in mentis ut plurimum rapiebatur excessum.*

Porro Tertull. bona et delectationes Christianismi, in quibus jure exultant Christiani, ita strictim recenset, et compensat lib. de Sectaculis c. 29. *Quid*, inquit, *jucundius quam Dei Patris et Domini reconciliatio, quam veritatis revelatio, quam errorum recognitio, quam tantorum retro criminum venia? quæ major voluptas, quam fastidium ipsius voluptatis, quam sæculi totius contemptus, quam vera libertas, quam conscientia integra, quam vita sufficiens, quam mortis timor nullus; quod calcas deos nationum, quod demonia expellis*, etc. *quod Deo vivis? Hæ voluptates, hæc spectacula Christianorum sancta, perpetua, gratuita.* Et mox : *Vis et pugillatus et luctatus? præsto sunt non parva sed multa. Aspice impudicitiam dejectam à castitate, perfidiam cæsam à fide, sævitiam à misericordia contusam, petulantiam à modestia obumbratam : et tales apud nos sunt agones, in quibus ipsi coronamur. Quale autem spectaculum in proximo est adventus Domini jam indubitati, jam superbi, jam triumphantis? Quæ illa exultatio angelorum, quæ gloria resurgentium Sanctorum? quale regnum exinde justorum : qualis civitas nova Jerusalem?* etc. *Qualia illa sunt quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt?* Unde paulo ante concludit : *Delicatus es Christiane si et in sæculo voluptatem concupiscis, imo nimium stultus, si hoc existimas voluptatem. Ducas velim, non possumus vivere sine voluptate, qui mori cum voluptate debebimus? Nam quod est aliud votum nostrum, quam quod et Apostoli, exire de sæculo et recipi apud Dominum? Hæc voluptas ubi et votum.*

Et simplicitate cordis.] Id est, sine malitia, dolo, suspicione, invidia, mœstitia; benevole, candide, sincere, integre, hilariter, liberaliter. Significat omnia bona fide esse gesta; nullas exquisitas fuisse delicias, nullas etiam sectas vel schismata; sed quemque sua libenti et alacri animo fratribus communicasse, ait Chrysost., ac vicissim quæ ex distributione sibi obtingebant, simpliciter, candide, hilari et grato animo accepisse, non respisciendo an alteri melior vel major pars distributa fuisset.

Nota. Sicut in rebus naturalibus simplicia dicuntur corpora, quæ non sunt mista et composita, qualia sunt cœlum et elementa, ex quibus reliqua corpora componuntur et conflantur; ita in moralibus simplices vocantur, qui carent suco, dolo, et cupiditatum passionumque mistura. Quocirca Deus simplicissimus est, tam physice in natura, quam moraliter in virtute, candore et puritate. Unde præclare S. August. lib. 11. Civit, 10. *Est*, inquit, *bonum solum simplex, et ob hoc solum incommutabile, quod est Deus. Ab hoc bono creata sunt omnia bona, sed non simplicia, et ob hoc mutabilia. Creata sane, id est facta, non genita. Quod enim de simplici bonum genitum est, pariter simplex est*, puta Verbum et Filius Dei. Et mox : *Ideo simplex dicitur, quoniam quod habet, hoc est*, etc. utpote *cui non sit aliquid habere, quod vel possit amittere; vel aliud sit habens, aliud quod habet, sicut vas aliquem liquorem, aut corpus colorem, aut aer lucem, aut anima sapientiam. Nam neque vas liquor est, nec corpus color, nec aer lux, neque anima sapientia est. Hinc est quod etiam privari possunt rebus quas habent.* Et inferius : *Secundum hoc ergo dicuntur illa simplicia, quæ principaliter vereque divina sunt, quod non aliud est in eis qualitas, aliud substantia; nec aliorum participatione, vel divina, vel sapientia, vel beata sunt.* Unde idem alibi : *Simplex eris, si te mundo non implicaveris, sed explicaveris : explicando enim te à mundo* (unies te cum Deo simplicissimo; itaque) *simplex implicando duplex eris.* Et Ficinus in c. 7. Timæi Platonis : *Simplicitas*, inquit, *suprema super æternitatem extat, à qua in divinis mentibus sit integritas, et in animalibus rationabilibus æternitas tempori mixta, et in mundi sphæris sempiternitas temporalis : in his autem quæ sphærarum motu virtuteque sunt, quædam portio temporis.* Quo ergo quis simplicior est, eo proximius ad Deum et divinitatem accedit. Quocirca monet Christus : *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ*, Matth. 10. q. d. ait S. Hieron. epist. ad Rustic. *Habeto simplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos; et astutiam serpentis, ne aliorum supplanteris insidiis : quia non multum distat in vitio, aut decipere, aut decipi posse.* Idem in c. 7. Osee : *Prudentia*, ait, *absque simplicitate malitia est, et simplicitas absque ratione stultitia nominatur.*

Simplicitati opponitur hypocrisis, quæ virtutum simulatione clausum vitium abscondit, et arte palliat, quam proinde acriter passim insectatur Scriptura. Hypocrita enim est vulpes, histrio, Mercurius triceps, et simia in purpura : ut camelopardalis collo refert æquum, pedibus et cruribus bovem, capite camelum, maculis tigrim aut pardum; ita inter hypocritas sunt, qui varias hominum formas exprimant. Si cultum inspicias, Sanctum quempiam esse existimes : si orationem audias, satrapam loqui putes : si vitam expendas, nebulonem invenies : si scripta, bubulcum. Vide S. Gregor. l. 10. Mor. cap. 27. in illud : *Deridetur justi simplicitas*, ubi graphice simplicium, æque ad duplicium sensa et mores depingit; et Climachum gradu 24. ubi inter alia ait, simplicitatem esse habitum animæ varietate carentem, totiusque perversæ cogitationis ignarum, et qui nulla mala cogitatione moveatur. Sic S. Paulus exhortens ad eleemosynam, jubet

ut eam faciant in simplicitate: *Qui tribuit*, ait, *in simplicitate*, Roman. 12. 8. Vide ibi dicta. Simplicitatis insignis, et primævæ fidelium æmulæ, domesticum in Societate habemus exemplum, et speculum R. P. Paschasium Broetum, qui unus è decem primis Patribus S. P. N. Ignatii sociis, creatus Nuncius Apostolicus per Hiberniam, ac præ cæteris omnibus à S. Ignatio dignus judicatus patriarchatu Æthiopiæ, ob raram sapientiam et sanctitatem cum miro candore et simplicitate conjunctam; adeo ut ab eodem *Societatis angelus* nuncuparetur. Sic enim de eo scribit noster Sacchinus tom. 2. hist. Societ. l. 6. num. 97. *Propria ejus laus dicebatur simplicitas mixta prudentiæ. Hanc principio complexus, toto vitæ cursu tenuit. Hanc prædicabat ipse frequenter, et commendari ab omnibus cupiebat;* idque tribus de causis. Prima, *quia materia maxime capax cœlestium donorum simplicitas est: perennis fons beatæ cordis tranquillitatis, impenetrabile diabolo munimentum, virtutum cæterarum conciliatrix, altrix et decus. Nam quod in ore formoso est hilaritas, hoc est in virtutis quasi vultu simplicitas.* Secunda, *quod ipsa sit alienæ benevolentiæ rapax illicium. Nihil enim ita blandum et amabile, ut candidum et apertum, et cui te, securus credas, ingenium; ut nescius cuiquam nocere ac cuivis prodesse paratus animus.* Tertia, *quod simplicium congressu et Deus, et homines mirifice delectantur. Denique simplicitas in eum maxime statum reponit humanam sobolem, unde serpentis fraus parentem primum dejecit.* Simplicitatis quoque illustre nuper dedit exemplum Illustrissimus Card. Bellarminus; adeo ut, cum quidam liberius diceret, eum non fuisse evectum ad pontificatum, eo quod haberetur simplex, candide et hilariter responderit: *Felix simplicitas, quæ me tanto onere liberavit.*

47. Collaudantes Deum.] Notat eos post cibum gratias egisse Deo, eumque de suis alimentis quasi donis collaudasse. Hinc post agapen canebant Deo hymnos et cantica spiritualia, ut ait Apostolus Ephes. 5. 19. Qui rursum 1. Tim. 4. 4. *Nihil*, inquit, *rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Vide ibi dicta.

Et habentes gratiam.] Id est, amabiles, grati et accepti toti plebi. Pro *gratiam*, Syrus vertit רחמא *rachame*, quod significat visceralem affectionem, et ex intimis visceribus manantem compassionem, amorem et benevolentiam. Porro hanc gratiam et dilectionem populi fidelibus *conciliabat beneficentia eleemosynæ, et morum candor atque simplicitas*, ait S. Chrysost., item modestia, mansuetudo, sanctitas in vultu, verbis, omnique actione relucens.

Dominus autem augebat,] προσετεθη, id est, *addebat* numero cœtuique fidelium, puta Ecclesiæ, ut habet Græcus, de quo mox, plures alios *qui salvi fierent*, inspirando eis fidem, et desiderium baptismi ac Christianæ vitæ, quibus justificarentur, et, si in iis usque ad vitæ finem perseverarent, salvarentur, et æternam beatitudinem consequerentur.

In idipsum.] Id est simul, videlicet *in Ecclesia*, ut habent Græcus et Syrus. Porro Græcus επι το αυτο, id est, *in idipsum*, rejicit ad initium capitis sequentis. Verum videtur Lucas scripsisse hic επι το αυτο, quod aliquis explicuerit addens in margine, τῃ ἐκκλησίᾳ, id est, *in Ecclesia;* quod deinde ab alio putante hoc ad textum pertinere, in textum translatum est, excluso επι το αυτο in caput sequens. Sed quocumque modo legas, idem est sensus. *In idipsum* enim idem est, quod simul, pariter, puta in Ecclesia, ut dixi. Denique tam exacte S. Lucas hic, et insequentibus enarrat virtutes et vitam primorum fidelium, quia ipsa fuit interpretatio Evangelii, et praxis doctrinæ Christi, quæ ejus legem nobis ad vivum factis exprimit, ac proinde ipsa nobis viva est lex et norma vitæ Christianæ. *In Sanctorum vitæ cognoscimus, quid in Scriptura legere debeamus*, ait S. Gregor. hom. 10. in Ezech. Et vice versa Evangelium, et *lex scripta est commentarius vitæ Sanctorum;* ait Philo lib. de Abraham.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sanctus Petrus claudo gressum restituit: inde docet populum se hoc miraculum non sua, sed Christi virtute effecisse, ut in eum credant.

1. Petrus autem et Joannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam. 2. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum. 3. Is cum vidisset Petrum et Joannem incipientes introire in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet. 4. Intuens autem in eum Petrus cum Joanne, dixit, Respice in nos. 5. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. 6. Petrus autem dixit: Argentum et aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jesu Christi Nazareni surge, et ambula. 7. Et apprehensa manu ejus dextera allevavit eum, et protinus consolidatæ sunt bases ejus et plantæ. 8. Et exiliens stetit, et ambulabat: et intravit cum illis in templum ambulans, et exiliens, et laudans Deum. 9. Et vidit omnis populus eum ambulantem, et laudantem Deum. 10. Cognoscebant autem illum, quod ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi: et impleti sunt stupore et extasi, in eo quod

contigerat illi. 11. Cum teneret autem Petrum et Joannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum quæ appellatur Salomonis, stupentes. 12. Videns autem Petrus, respondit ad populum: Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? 13. Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum, glorificavit filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis et negastis ante faciem Pilati, judicanti illo dimitti. 14. Vos autem sanctum et justum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis: 15. auctorem vero vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit à mortuis, cujus nos testes sumus. 16. Et in fide nominis ejus hunc, quem vos vidistis, et nostis, confirmavit nomen ejus: et fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum. 17. Et nunc fratres scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri. 18. Deus autem, quæ prænuntiavit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, sic implevit. 19. Pœnitemini igitur, et Convertimini, ut deleantur peccata vestra, 20. ut cum venerint tempora refrigerii à conspectu Domini, et miserit eum, qui prædicatus est vobis, Jesum Christum, 21. quem oportet quidem cœlum suscipere usque in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os sanctorum suorum à sæculo Prophetarum. 22. Moyses quidem dixit: Quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tanquam me, ipsum audietis juxta omnia quæcumque locutus fuerit nobis. 23. Erit autem: omnis anima quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe. 24. Et omnes Prophetæ à Samuel, et deinceps, qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos. 25. Vos estis filii Prophetarum, et testamenti, quod disposuit Deus ad Patres nostros, dicens ad Abraham: Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. 26. Vobis primum Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis: ut convertat se unusquisque à nequitia sua.

1. Petrus autem et Joannes.] Græcus præfigit ἐπὶ τὸ αὐτὸ, id est, *in idipsum*, hoc est simul, pariter Verum hoc pertinet ad finem capitis præcedentis, uti jam dixi: licet Cajetan. Pagnin. Tigurin. et alii referant hoc ad c. 3. q. d. Petrus et Joannes ascendebant in templum simul et pariter, vel, ut Cajet. sub idem tempus, quo scilicet gesta sunt ea quæ audivimus c. 2. Notat S. Chrys. combinationem Petri et Joannis, tam hic quam c. 8. 14. et Joannis 20. 3. indicem magnæ inter utrumque conjunctionis et amicitiæ, ut suo exemplo doceant Prælatos, et capita congregationum unionem et concordiam. Erant enim hi duo primarii, et quasi duo oculi, non tantum Ecclesiæ, sed et Apostolorum. Nimirum sequuntur institutum Christi, qui Apostolos binos misit ad evangelizandum, Matth. 6. 7. Hoc exemplum sequantur Religiosi, qui nunquam soli, sed semper cum comite, qui vitæ sit testis et adjutor, incedant; adeo, ut S. Thomas Aquinas Religiosum, qui solus incederet, vocare sit solitus dæmonem solitarium. Hoc enim inter cætera ejus apophthegmata recenset Castiglius in ejus Vita.

Ascendebant in templum.] Templum enim situm erat edito loco in monte Sion, ut toti urbi esset conspicuum, ad quod proinde per gradus ascendebatur, in quibus multi censent recitatos fuisse psalmos, qui inde Graduales dicantur. Templum enim est domus, uti Dei altissimi, ita et orationis, qua colloquimur cum Deo, et ad Deum mente ascendimus. Oratio enim enim est mentis in Deum elevatio; ita S. Chrysost. Porro templum hoc erat atrium laicorum, non Sanctum, multo minus Sanctum sanctorum: in illud enim solis sacerdotibus Aaronicis, in hoc soli pontifici semel in anno patebat ingressus.

Disce hic contra hæreticos, meliorem esse orationem quæ fit in templo quam alibi, idque quinque de causis. Prima est, quod oratio in templo sit publica Dei invocatio, laus et adoratio coram tota Ecclesia, ideoque major et honorificentior Deo, quam quæ fit alibi solitarie. Secunda, quod in templo quasi in domo sua habitet Deus, ac proinde ibi suam præsentiam exhibeat, et postulata exaudiat, uti precatus est Salomon 3. Reg. 7. Deusque ei promisit ibidem c. 9. 3. dicens: *Erunt oculi mei, et cor meum ibi cunctis diebus.* Tertia quia in templo ob consociationem, preces unius adjuvantur à precibus et meritis omnium præsentium, ac præsertim sacerdotis, qui speciatim pro omnibus præsentibus sacrificat. Sicut ergo nummus unus non habens justum pondus, si detur creditori, ab eo rejicitur; sin vero multis aliis misceatur, acceptatur, transitque cum cæteris: ita et oratio solitarii si sit tepida, vaga, negligens, rejicitur à Deo; sin vero multis aliis ferventibus jungatur, earum vi et quasi alis attolitur, et in cœlum ad Deum evolat. Quarta, oratio in templis facta adjuvatur à Sanctis, quorum corpora ibidem sepulta sunt. Quinta, eadem dat aliis orandi exemplum, aliosque ædificat.

Quare fanatica et hæresis recenter exhorta in Hollandia, quæ damnat templa et oratoria publica, cœtusque fidelium et Ecclesiæ non nisi in privatis cubiculis cogendos et celebrandos docet, ibique suos cogit et celebrat, nixa male intellectis Christi contra Pharisæos suæ devotionis ostentatores, verbis Matth. 6. 6. *Tu autem cum oraveris intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito.* Ut quid enim jussit Deus Mosi fabricare tam amplum tabernaculum, et Salomoni tam augustum templum, promittens se in eo ipsius et fidelium preces exauditurum, 3. Reg. c. 8. et 9. nisi quia in eo volebat publice coli et adorari: Ut quid toties David, Christus, Petrus et Joannes hic ascenderunt in templum, nisi publicæ orationis causa? Ut quid à tempori Constantini piissimi Imperatores, Reges, Pontifices singulis

sæculis ædificaverunt tot basilicas, tot templa tanta amplitudine et magnificentia, quantam ubique terrarum cernimus, nisi ut fideles in iis turmatim admati Deum unanimiter et propalam invocarent et laudarent? juxta illud Regii Psaltis: *Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi*, id est multo, imo plurimo, *laudabo te.* Et illud Christi: *Apud te laus mea in Ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum*, Psal. 21. 26. Et illud: *Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis. Quoniam Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram*, Psal. 46. 1.

Quocirca Deus horribiliter ulcisci solet templorum violationem, vel eversionem: quin et Gentiles Historici multa raraque exempla narrant eorum, qui in multas gravesque inciderunt calamitates, eo quod reverentiam debitam templis falsorum suorum deorum non detulissent. Unde Socrates l. 7. Hist. cap. 23. sapienter notat, profanationem templorum certum esse signum iræ Dei, et cladis reip. imminentis. Porro quo quis major est, eo majorem debet. Deo ejusque templis honorem, ut suo exemplo alios idem facere doceat.

Id sapiebat Theodosius Imp. qui adeo venerabatur templa, ut cum armis et diademate illa ingredi noluerit, sed utraque ad eorum fores deposuerit, dictitans hanc reverentiam se debere iis locis, in quibus magis resplendet divinitas et majestas Domini. Ita refertur in Concilio Ephesino c. 21.

S. Gregor. Nazianz. orat. 19. laudat Nonnam matrem suam ita venerantem templa, *ut in iis numquam illius vox audita sit, quod silentio Sancta honorarit, quod venerandæ mensæ numquam terga obverterit, nec in divinum pavimentum expuerit.* Nam ut recte ait S. August. in reg. et refertur dist. 42. can. 6. *Id oratorio præter orandi et psallendi cultum penitus nihil agatur, ut nomini huic et opera jugiter impensa concordent.* Est enim et vocatur domus orationis: ibi ergo non aliud agendum, quam ut orationi vocetur S. Chrysost. hom. 2. in epist. 2. ad Corint. in fine agens de Liturgia Ecclesiæ: *Quidam*, ait, *adeo sunt incogitantes, stulti ac dissoluti, ut non solum eo tempore, quo hæc aguntur cum catechumenis, sed etiam in his quæ aguntur cum fidelibus, stent et fabulentur. Hinc subversa sunt omnia hinc perierunt omnia, et quidem eo tempore, quo maxime Deus erat placandus, illo magis irritato discedimus.*

S. Mauritius tanta reverentia et devotione versabatur in templo, ut nunquam visus sit sedere, sed genuflexus semper, aut stans facie pavida et pallida. Rogatus causam, dixit: *Non pavebo, non tremam, sciens me hic stare coram Deo?* Ita Severus in ejus Vita.

Quin et Abyssini omnes etiam laici, quantumvis senes in templo ex reverentia nunquam sedent, sed genuflectunt, vel certe stant innixi scipionibus, si senes sint, vel infirmi; id Romæ mihi asseverarunt viri graves, et Abyssini ipsi.

Moral. S. Greg. Nazianz. in Sententiis, *Perpetuum*, inquit, *sit tibi hoc studium, ut mentem tuam templum Deo extruas: sic enim eum pro spirituali statua in intimo corde habebis.* Modum præscribit idem Nazianz. in Monastichis dicens:

Si beneficus fueris, imitaberis Deum.
Fac sis benignus, ut benignum habeas Deum.

Vide dicta in fine Aggæi Prophetæ.

Ad horam orationis nonam,] quæ incipiebat hora tertia post meridiem, et finiebatur in vespera solisque occasu. Judæi enim diem et noctem dividebant in quatuor partes et vigilias, puta in horam primam, tertiam, sextam et nonam, et quamque pie ordiebantur à Deo et precibus, juxta illud: *A te principium, tibi desinet.* Fideles enim omnia sua opera cum Deo inchoare, æque ac finire decet. Hinc Psaltes, licet totius regni curis districtus; *Septies*, inquit, *in die laudem dixi tibi*, psal. 118. 164. et Judæi è Babylone reduces, *legerunt in volumine legis Domini Dei sui quater in die, et quater confitebantur et adorabant Dominum*, ait Esdras lib. 2. cap. 9. 3. Daniel quoque in Babylone *tribus temporibus in die flectebat genua sua, et adorabat, confitebaturque coram Deo suo*, Daniel 6. 10. ubi causas hujus rei recensui. Rursum Psaltes ps. 118. 62. *Media*, ait, *nocte surgebam ad confitendum tibi.* Ex quibus locis liquet, discrimen horarum orationi destinatarum ante Christum apud Judæos et veteres fuisse, idemque Ecclesiam recte imitatam esse, imo perfectius facere per septem Horas Canonicas; nimirum. Primo, in honorem SS. Trinitatis, ut tertia quaque hora eam laudemus, quam semper laudare deberemus ut angeli, sed cum id curæ et necessitates corporis et vitæ non permittant, id saltem faciamus initio cujusque horæ, puta ad primam, tertiam, sextam et nonam, juxta illud Thren. 2. 19. *Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum.*

Secundo, in gratiarum actionem ob beneficium creationis. Septem enim diebus. Deus omnia creavit, Genes. 1.

Tertio, ob septem primaria mysteria redemptionis, quæ totidem horis recolimus. Nam nocturnis horis tam natus, quam captus est Christus. Prima judicatus est, et resurrexit. Tertia condemnatus est, et misit Spiritum sanctum in Pentecoste. Sexta crucifixus est, et in cœlum ascendit. Nona mortuus est, et in limbum ad patres liberandos descendit. Vespere è cruce depositus est: omnibusque completis sepultus, quod recolimus Completorio; ita S. Cyprianus serm. de Oratione Dominica. Tertull. contra Psychicos c. 10. S. Athanasius serm. de virgin. Vide Bellarm. l. 1. De Bonis operibus c. 13. Francolinum et Navarrum tract. de Horis Canonicis.

Porro apud Judæos primariæ orationis horæ erant duæ, nimirum prima et nona, ob duplex juge sacrificium agni, quod iis offerebant, nempe matutinum, quod mane hora prima; et vespertinum, quod hora nona immolabant, de quo dixi Exodi 29. 39. Initium ergo diei, æque ac finem Judæi dabant Deo, per solemnem adorationem et sacrificium. Idem multo magis facere decet Christianos.

Moral. disce hic Primo, pietatem omnia à Deo impetrare: quia enim Petrus ascendit in templum pietatis et orationis causa, hinc meruit curare claudum.

Secundo, unum opus bonum disponere, et sternere viam ad aliud: ita hic oratio sternit viam ad eleemosynam, eleemosyna ad sanationem et miraculum. Sicut enim peccatum allicit et advocat aliud, ut superbia invidiam, invidia

Agendorum initium et finis sit Deus, *etc.*

rixam, rixa cædem; ita una virtus provocat aliam: est enim virtutum; æque ac vitiorum inter se concatenatio, et quasi contesseratio: *Somnus somnum adescat et vigilias vigiliæ pariant*, ait S. Dominicus Loricanus, ut habet ejus Vita.

Tertio, devotis et euntibus ad orationem omnia prospere succedere, Deumque mira providentia eorum res dirigere, secundare et exaltare.

Denique docet hic S. Petrus fideles, præsertim Ecclesiasticos, observare stata et ab Ecclesia sancita orandi, et horarias preces persolvendi tempora, ut scilicet eas non simul et conjunctim, sed divisim suis quibusque horis et temporibus legant, quantum fieri potest, et quantum officia et occupationes cujusque patiuntur. Hac enim de causa ab Ecclesia per horas distincta et distributa sunt. Qua in re excelluit Illustrissimus Cardin. Bellarminus piæ memoriæ, qui licet tot studiorum, lectionum, consultationum negotiis distringeretur, solebat tamen singulas seorsim et stato ab Ecclesia tempore, v. g. nocturnas noctu, Primam hora prima, Tertiam tertia, Sextam sexta, Nonam nona recitare.

Narrat beatus Petrus Damiani epist. ad Desiderium Cassinensem Abbatem, S. Severinum Coloniensem Archiepiscopum post mortem apparuisse cuidam clerico, ac tactu manus suæ tantum ei ardorem indidisse, ut è manu ejus carnes usque ad ossa defluerent, ac dixisse se relegatum ad ignes Purgatorii, hoc solo nomine et culpa: *Quia in aula regia*, inquit, *constitutus, imperialibus me consiliis vehementer implicui, Canonicæ synaxis officia per distincta horarum spatia non persolvi. Mane quippe simul omnia coacervans, tota die negotiis ingruentibus secura libertate vacabam. Ob hanc itaque negligentiam horarum, ardoris hujus fero supplicium.* Idem ex Damiano refert Baron. tom. 11. anno Christi 1062. ubi tamen recte censet pro Severino legendum Peregrinum, qui creatus est Archiepiscopus Coloniensis anno Domini 1021. et præfuit annis 16.

Magnus ille Sabbas Abbas pro suorum negotiis adiens Justinianum Imp. eaque cum illo tractans audita hora tertia, illico ab imperatore transtulit se ad statas illius horæ preces; cumque socius ejus Jeremias diceret hoc esse indecorum et incivile; respondit: *Imperator facit officium suum, nos nostrum*; ita habet ejus Vita die 5. Decemb.

Vir] 40. annorum, ut dicitur v. 22.

Claudus.] Non dubium plures alios à Petro et Apostolis esse sanatos, inquit S. Chrysost. et satis insinuat Lucas c. 5. 12. hujus tamen unius curationem enarrat, tum quia cæteris fuit illustrior, præsertim quia facta est juxta templum, ubi erat turba populi, tum quia ejus occasione concionem habuit S. Petrus ad turbam, qua quinque millia ad Christum convertit, ut patet cap. 4.

Quem ponebant quotidie ad portam templi.] Hinc patet apud Judæos, pauperes, et ægros et mancos præ foribus templi mendicasse, uti fit Romæ, et apud Christianos multis in locis: idque Primo, ut Christianis, qui raro hospitalia et carceres visunt, eleemosynæ cogitationem mentemque injiciant. Secundo ut per eleemosynam disponant se ad orationem, sciantque se esse mendicos Dei; et ab eo vicissim eleemosynam petant, et accipiant. Rursum, mendici docent nos modum orandi, piamque Rhetoricen, scilicet affectuose, miserabiliter et clamose miserias nostras Deo proponere, ejusque liberalitatem et opes celebrando, opem et gratiam quasi stipem emendicare. Unde S. Chrysost. hom. de Martyribus, quæ est tomo 5. ordine secunda: *Prævenimur*, ait, *precibus preces: rogantem claudum rogaturi ante audiunt, quam precentur: nec permittit claudus orare illos quos petit, nisi prius acciperet ipse quod optavit.* Tertio, ut admoneantur miseriæ et fragilitatis humanæ, memores sibi idem contingere posse; quod in mendicis intuentur. Ex eadem carne constamus omnes, et eadem lege nati sumus, eidem peccato originali ejusque pœnis obstricti nascimur. Altos ergo spiritus cristasque ponant, Deoque gratias agant, quod in sorte mendicorum eos non collocarit. Quarto, ut mendicorum preces efflagitent, sciantque se plus ab eis accipere quam dare. Quocirca Christus: *Ego*, inquit, *dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceretis, recipiant vos in æterna tabernacula*, Lucæ 16. v. 9. Mendici ergo sunt janitores cœli, cubicularii Dei) divitum non tam clientes quam patroni; ita S. Chrysost. hom. 28. ad popul.

Porro Antverpiæ, aliisque multis per Germaniam et Belgium bene ordinatis urbibus, non permittetur ut mendici fores templi obsideant; aut publice, multo minus per templum, mendicent, ne orantes obturbent, ne infirmis et prægnantibus nauseam et aborsum moveant, neve mendici audaces et clamosi aliis honestis egentibus, sed timidis et verecundis, eleemosynas præripiant, imo ipsis dantibus ditiores evadant, uti subinde deprehensum est. Quare Eleemosynarios publicos constituunt, qui templum obeant et eleemosynas petant, quas in egentes per hospitalia à se distributos, pro cujusque necessitate et meritis congrue distribuant. Quod sane uti ordinatius, ita et satius sanctiusque est, idque olim decrevit Concil. Turonense II. cap. 5. nuperque Mediolani renovavit beatus Carolus Borromæus.

Quæ dicitur speciosa.] A specie et pulchritudine. Hæc enim est quæ à Josepho l. 15. Antiq. cap. 14. inter decem atrii portas pulcherrima describitur, quam proinde Baronius anno Christi 34. censet esse illam, quæ ab eodem Josepho Corinthia nuncupatur, eo quod ex ære Corinthio, quod apud veteres præstantissimum et laudatissimum erat, fabricata esset, quæ multum, ait idem Josephus, cæteras portas argento inclusas, et inauratas decore et honore superabat, quia crassiori argento et auro vestiebatur. quod quidem novem portis infuderat Tiberii pater Alexander. Sic et Ribera lib. 1. de Templo c. 22. Verisimile est hanc portam non fuisse templi, puta atrii, mediam, ut nonnulli volunt, sed extimam: licet enim Josephus l. 6. Belli c. 6. subindicet cœcos et claudos templum laicorum, puta atrium, ingredi potuisse; tamen eos ibi mendicasse non est credibile: quia id non decebat sanctitatem loci: tum quia ille locus tantum erat Judæorum et mundorum, extimus vero erat Gentilium quoque et immundorum. Mendici ergo ut tam à Gentilibus et immundis, quam à Judæis et mundis stipem poscerent, ante extimam extimi atrii portam sese collocabant. Et ita eam extimam, ante atrium

Gentium graphice depingit Adrichomius in tabula Chorographica urbis Jerusalem : qui et addit portam hanc fuisse Orientalem, alias, Sur, alias Seir dictam; et Speciosam cognominatam, quod omnium portarum esset maxima, altissima et pulcherrima, per quam etiam principalis in templum erat introitus. Hanc collapsam Joatham rex instauravit, 2. Paral. 27.

3. Rogabat.] *Quia vidit illos*, inquit Chrysost. *miracula facientes, et pios ex ipso habitu judicavit.*

4. Respice in nos.] Jussit Claudo Petrus, ut in se respiceret. Primo, ut ejus attentionem ad futurum miraculum excitaret. Secundo, ut ejus spem erigeret et dirigeret. q. d. Oculos, spem et mentem in nos defige, quasi quid novum et magnum à nobis recepturus. Tertio, ut claudus in se respiciens modum miraculi videret, sciretque illud à se proficisci invocato nomine Jesu, ac consequenter audiret illud : *In nomine Jesu Christi Nazareni surge et ambula;* eaque fide dextera apprehensum erigeret et sanaret. Quare Christo miraculum tribueret, et gratias ageret, in eumque crederet, ac idipsum coram aliis profiteretur et celebraret.

Moral. docuit Petrus quam potens sit vel solus aspectus Sanctorum. Sicut enim basiliscus suo aspectu eos quos aspicit, enecat : ita Sancti suo aspectu virtutem, gratiam et Dei benedictionem eis quos intuentur, aspirant. Ea de causa S. Chrysost. in c. 1. et ult. ad Rom. scribit, S. Paulum tam officiosum esse in salutationibus, quia sola Sanctorum salutatio efficax est, potensque afferre salutem, uti beata Virgo salutans Elisabeth, eam cum prole sanctificavit. Unde ipsa exclamavit : *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo,* Lucæ 1. 43.

Vere S. Ambros. explicans illud Psal. 118. *Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur. Pretiosum est*, inquit, *videre virum justum : plerisque enim justi aspectus admonitio correctionis est, perfectioribus vero lætitia.* Et mox : *Justi sanat aspectus, et ipsi oculorum radii virtutem quamdam videntur infundere iis, qui fideliter eum videre desiderant.* Ita solus S. Francisci aspectus intuentes compungebant, et ascendebat ad amandum Deum et cœlestia, ait S. Bonavent. in ejus Vita. Idem de S. Dominico, S. Francisco Xaverio, beato Aloysio Gonzaga, testantur eorum Vitæ.

6. Argentum et aurum non est mihi.] Apostoli pauperes erant censu, ideo divites erant sensu, spiritu et fide, ut ait S. Jacobus cap. 2. 5. Audi Nazianz. orat. 27. de amore paupert. *Adeo pauper vivendi genus sibi Petrus præscripsit, ut lupinis famem expelleret.* Lupini sunt pisa amara et agrestia.

Præclare S. Ambr. in illud psal. 118. v. 37. *Portio mea Dominus. Cui*, ait, *portio Deus est, totius naturæ possessor est effectus, videlicet totus quidam cum Domino Dominus.* Declarat id exemplo S. Petri, qui quia relictis omnibus secutus est Dominum, ipse quoque naturæ Dominus esse meruit; nam claudo petenti Eleemosynam dixit : *Quod habeo tibi do : In nomine Jesu Christi surge et ambula. Ecce Petrus sub Christi nomine quasi unus Christus, ac ideo omnium Dominus factus est, qui naturæ damna reparabat. Quomodo ergo poterat naturæ damna sentire?* Sic recte dixit S. Chrysost. *agram pauperis esse crumenam divitis.* Et S. August. serm. 28. de verbis Apostoli : *Non tibi displiceat paupertas tua, nihil ea potest ditius inveniri. Vis nosse quam locuples sit? cœlum emit. Quibus thesauris conferri possit, quid videmus paupertati indultum?* Hinc et Climac. gradu 17. asserit pauperem monachum dominum esse mundi, et quia jactavit curam suam in Deum, in eo per fidem possidere omnes res et gentes in servos. Nam *desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua*, Psal. 9. Pergit S. Augustinus, *Deo dives est inops auri, virtutes largitur et gratias confert.* Et superius : *Testimonium virtutis securæ, est professio paupertatis. Unde Apostolus loquebatur : Nihil habentes, et omnia possidentes. Qui aurum non habet, fidem habet, virtutem habet. Videamus quid amplius coruscet? Aurum quod nemo tutum habet, nisi qui semper abscondit? Aurum, quod in perniciem Domini fulget? Aurum, quod per tenebras quæritur, per tenebras custoditur? Aurum, cujus inquisitio damnatos habet, cujus amor Judam facit? Aurum quod apud avarum animum perfertur Christo? cujus gravis acquisitio ærumnosa possessio.* Hæc et plura ibidem sparsim S. Augustinus.

Legi vitas plurimorum Sanctorum, et deprehendi eos solos excelluisse miraculorum copia et pondere, qui excelluerunt in paupertate et austeritate vitæ, quasi ejus merces et præmium congrue à Deo decretum, fuerit donum miraculorum : tales fuere S. Bernardus, S. Dominicus, et tres S. Francisci, nimirum Assisias, de Paula, et Xaverius, qui pauperrimus, in India 25. mortuos, ut alia taceam, suscitavit.

Legi apud Auctores graves, S. Thom. Aquinatem, cum ad Innocentium IV. Pontificem venisset, coram quo forte magna vis auri signati numerabatur, et ei Pontifex dixisset : Videsne Thoma, Ecclesiam non amplius, sicut olim cum primum inciperet, dicere posse : *Aurum et argentum non habeo?* modeste respondisse : *Fatendum hoc est, Pater sancte; sed etiam Ecclesia modo non potest, sicut primitiva, ad claudum dicere : Surge, ambula, sanus esto.* Et tamen certum est, Ecclesiam licite et utiliter, imo necessario, possidere pecunias et prædia, uti docte contra Joannem Wiclef. demonstrat Bellarm. tom. 1. l. 1. de Cleric. c. 26. Verum Deus pro rerum et temporum exigentia ita sapientissime sua dona partitus est, ut Ecclesia primitus pauper coruscaret miraculis, ad infidelium conversionem iis vero conversis, miraculis amplius non indigens, opibus et donis fidelium suum jus et dignitatem tueretur : quin et nonnullis eximiis in ea Sanctis etiam Pontificibus, præsertim paupertatis studiosis, gratiam miraculorum concessit, uti S. Martino, qui præter alias tres mortuos ad vitam revocavit, de quo canit Ecclesia : *Martinus hic pauper et modicus, cœlum dives ingreditur*, etc. Et S. Gregorio, cujus vitam et miracula Joannes Diaconus quatuor libris conscripsit : sed et hic censu licet dives, spiritu tamen fuit pauperrimus : adeoque suum patrimonium, quod erat amplissimum, ac factus Pontifex omnes pontificatus redditus et opes in eleemosynas profudit, quibus omnes pauperes Romæ et per totam Italiam, quin et in terra sancta, aliisque provinciis, vere pauperum pater aluit et sustentavit.

Quod autem habeo, hoc tibi do.] q. d. Potestatem faciendi miracula quam habeo, tibi ap-

plico, per eamque tibi sanitatem dono. Potestatem enim hanc habebat Petrus permanentem, non per habitum (nullus enim habitus dari potest, qui physice quævis miracula patret) sed instar habitus: Dei enim assistentiam habebat per modum habitus, ut per ejus omnipotentiam sibi paratam, quoties vellet, toties miraculum ederet. Deum ergo, Deique potentiam Petrus quasi habebat in manu, ac per eam erat quasi omnipotens. Ecce quid facit Dei amicitia et sanctitas! Ecce quomodo Deus, se suaque omnia Sanctis communicat! Moral. docet hic S. Petrus, ut in donis acceptis à Deo, communicandis simus liberales: ideo enim à Deo communicantur. Quocirca quisque det quod habet. Qui habet opes, det opes; qui eas non habet, porrigat manum, det linguam, consolando, docendo, etc. porrigat cor compatiendo, orando, etc. *Esto calamitoso Deus*, ait Nazianz. orat. 27. ut vicissim Deum promereare, isque tibi sit Deus, id est, beneficus et liberalis.

Quare Petri Deique dissimiles sunt divites avari, qui, ut ait S. Hieron. ad Eustoch. de custod. virgin. c. 14. *licet sermone taceant, opere loquuntur: Fidem et misericordiam non habeo; quod autem habeo argentum et aurum, hoc tibi non do.*

In nomine Jesu Christi.] Qui scilicet est Christus, id est Messias, tibi tuisque Judæis promissus.

Nazareni.] Scilicet ex Nazareth oppidulo oriundi, quem proinde Judæi per contemptum vocarunt Nazarenum, imo cruci ejus hunc titulum præfixerunt: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* Quare Deus enim ita humiliatum nunc exaltat, ac in nomine Nazareni te sanat, tibique ætatis florem et membrorum vigorem restituit. *Nazarenus* enim hebraice idem est quod floridus, et floridos efficiens. Talis factus est Christus per resurrectionem, juxta illud psal. 27. 7. *Refloruit caro mea.*

7. Protinus.] Ut appareret esse instantanea, ideoque non naturalis et medicinalis, sed divina sanatio. Fuit hæc subita sanatio symbolum nostræ resurrectionis, quæ fit in momento. Unde S. Augustin. hom. 28. de verbis Apostoli: *Testimonium*, ait, *velocis resurrectionis, est velocitas ex debilitate surgentis in momento, in ictu oculi, in novissima turba.* Hoc miraculum fecit Petrus anno 34. Christi, eodem scilicet quo in Parasceve Christus est passus, in Paschate resurrexit: unde quadragesimo die in cœlum ascendit, ac die quinquagesimo in Pentecoste misit Spiritum sanctum; nam paulo post Pentecosten, de qua cap. præced. Petrus patravit primum hoc suum miraculum. Lucas ergo hic recenset fructus passionis Christi, et effectus.

Consolidatæ sunt bases ejus.] Puta crura et tibiæ, hisce enim quasi basibus moles corporis fulcitur, ait Lyran.

Et plantæ.] Græce σφυρά, quod Besa vertit *malleoli*, id est ossa juxta talos extantia: sed frigide; σφυρά enim significat totum pedem, ut à tibia secernitur. Unde σφυρόω idem est quod *calceo*, et εὐσφυρος, *bene calceatus.* Quare minutius minusque recte Pagnin. et Tigurin. σφυρά vertunt, *tali.* Melius Noster et Syrus vertunt, *plantas*, puta pedes, quibus totum corpus insistit; qui in paralyticis humore aqueo in eos defluente, resoluti sunt, in claudis contracti, debiles et manci.

Mystice, claudus hic erectus à Petro significat Judæos, quos quasi animas claudicantes, Petrus hoc sanationis miraculo ad fidem adduxit, ait Nyssen. orat. de S. Stephano. Et S. Ambros. serm. 2. de S. Petri et Pauli encomiis, docet merito S. Petrum primum edidisse miraculum in pedum claudi confirmatione, ut ostenderet se esse fundamentum Ecclesiæ: *Ut sicut*, inquit, *in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita et in homine membrorum fundamenta* (quæ sunt pedes) *confirmet; ut jam non trepidus, nec imbecillis possit supra petram Ecclesiæ, sed robustus et fortis incedere.* Quocirca sæpius hoc miraculum in claudis operatus est S. Petrus.

Memorabile est quod legimus, in vita S. Eduardi regis Angliæ, scripta ab Alredo, qui floruit anno Domini 1164. nimirum contractum quemdam utroque pede, missum à S. Petro ad S. Eduardum, ut ei diceret, se curatum iri, si Eduardus eum suis humeris impositum, ad templum S. Petri perferret. Quare Eduardum illico id fecisse, itaque ei integram sanitatem gressumque restituisse. Porro revelarat contracto S. Petrus, se velle Eduardum in hoc miraculo habere socium, utpote sibi valde devotum: nuncuparat enim votum visitandi limina S. Petri Romæ; sed votum jussu Pontificis, ad Anglorum petitionem, commutavit in templum hoc, quod in honorem S. Petri exædificavit.

Tropol. claudicant qui nunc in vitium, nunc in virtutem; nunc in fidem, nunc in hæresim inclinant, quos consolidat Petrus, id est, Pastor et Prælatus vi verbi et gratiæ Christi, Hebr. 12. 13. Claudicatio enim hæc periculosa est, ut vicina ruinæ extremæ, ac Deo vehementer injuria et exosa. Componit enim et conjungit Deum cum dæmone, eumque Deo quasi æmulum opponit, imo anteponit. Quocirca Elias 3. Reg. 18. 21. ait ad populum: *Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum.* Et Josue c. ult. 19. *Non poteritis servire Domino: Deus enim sanctus et fortis, æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris*, etc. *Testes vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum, ut serviatis ei.* Et Moyses Deuter. c. 32. 16. *Provocaverunt eum in diis alienis: et in abominationibus ad iracundiam concitaverunt.* Et v. 39. *Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me.* Et Christus Matth. 6. 24. *Non potestis Deo servire et mammonæ.* Et Paulus 2. Corinth. 61. 14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conjunctio Christi ad Belial?*

Ita Politici in Republica conjungunt hæreticos cum Catholicis, itaque fidem et simul Rempublicam evertunt. Tales fuerunt Cuthæi, sive Samaritæ, ex Assyria translati in Samariam, qui coluerunt Deum Israelis, et simul deos Assyriorum, 4. Reg. 17. v. 33. Tales sunt quasi chamæleontes; nam pro varietate locorum et personarum omnibus se conformant, cum hæreticis loquuntur hæretice, cum Catholicis catholice, cum piis et castis simulant pietatem et castitatem, cum impiis et impudicis impia et impudica effutiunt; præsentibus adulantur, absentes lacerant; bilingues, trilingues, imo omnilingues sunt. Sedent sellis duabus, imo omnibus: fidem habent labricam, ideoque nullam. Vere noster Frusius de tanta sectarum hujus ævi varietate: *Cur nunc tot fidibus luditur una fides?* Talis Pro-

teus fuit Julianus Apostata, ait Nazianzen. orat. contra eumdem, qui cum Constantino et Christianis erat Christianus, cum Gentilibus Gentilis : modo palliatus, modo togatus : trocho versatilior, polypi mentem obtinens : biceps ut amphisbena : anceps ut mulus : Euripo inconstantior, luna mutabilior, pila mobilior, magis varius quam hydra.

Præclare Cassian. collat. 6. c. 12. *Mens justi*, ait, *non debet esse similis ceræ, quæ semper characteri signantium cedens, pro ejus forma et imagine figuratur*, etc. *quin potius debet velut quoddam esse adamantinum signatorium, ut inviolabilem mens nostra figuram sui semper custodiens characteris, universa quæ incurrerint, sibi qualitatem sui status signet atque transformet, ipsa vero insigniri nullis incursibus possit.* Objecit olim Æschines Demostheni, quod commutata factione, Euripum ipsum inconstantia sua superasset, esseltque Euripistes et incertæ fidei. Quot hodie sunt Euripistæ, quibus nulla est nisi Græca, aut Punica fides!

8. Ambulans et exiliens.] In eo ergo impletum est illud Isaiæ cap. 35. 6. de Christo et Apostolis oraculum : *Tunc saliet sicut cervus claudus*, ait S. Cyrill. catechesi 17. Nota. Hic duplex fuit miraculum. Prius, quod claudo restituta sit pedum rectitudo et firmitas. Posterius, quod illico prompte incesserit, imo exilierit. Qui enim diu non ambularunt, esto sani sint et valeant pedibus, ut incarcerati, tamen ex longa desuetudine ambulandi, expedite incedere nequeunt; sed sensim ambulare discunt, ejusque usum et facilitatem ambulando acquirunt, uti experientia constat; ita Sanchez.

10. Et impleti sunt stupore et extasi,] θάμβους καὶ ἐκστάσεως. Pagnin. et Tigurin. *repleti sunt admiratione et stupore;* Syrus, *admiratione et extasi;* Biblia Gothica quæ citat Mariana, *stupore et mentis consternatione.* Ecstasis hic significat admirationem maximam, qua attoniti et perculsi, quasi emotæ mentis, extra se fierent, perinde ac in extasi sive raptu proprie dicto, mens à terrenis ad cœlestia rapitur. Unde S. Aug. explicans illud ps. 30. *Ego dixi in excessu* (græce ἐν ἐκστάσει, hebr. בחפזון *bechippazon*, id est, *in trepidatione et pavore*) *mentis meæ : Omnis homo mendax. In excessu mentis*, inquit, *duo intelliguntur : aut pavor, aut intentio ad superna, ita ut quodammodo de memoria labantur inferna.*

11. Cum teneret (ita et Græca et Syrus : perperam ergo aliqui legunt *tenerent;* alii, *viderent*) autem Petrum et Joannem.] Puta claudus à Petro sanatus. Sed cur tenuit eos? Resp. OEcum. ex timore, ne, si ab eis disjungerent, rursus in claudicationem incideret : nam apprehensa dextera ejus à Petro, sanus evaserat. Melius sanctus Chrysost. censet id eum fecisse ex amore, reverentia et gratitudine, ut suos sanatores arcte complecteretur, stringeret, et ab eis avelli non posset, eosque toti populo ostenderet et deprædicaret.

Ad porticum quæ appellatur Salomonis,] ante quam Petrus sanaverat claudum : claudus enim jacebat mendicans ante hujus porticus portam, quæ vocabatur Speciosa; sed à Petro erectus, cum eo per portam in porticum hanc introivit, celebrans miraculum et miraculi auctorem Petrum. Unde populus, ut id videret, tam ad claudum curatum, quam ad Petrum curantem cucurrit.

Quæres, quænam fuit porticus Salomonis? Nota. Templum Judæorum proprie duas habebat partes, Sanctum et Sanctum sanctorum : in illud soli sacerdotes ingrediebantur, in hoc solus pontifex semel in anno. Quare pro populo ante Sanctum adjectum fuit atrium, ut populus in eo spectaret sacrificia, Deumque oraret. Atrium hoc duplex erat : prius Judæorum, posterius Gentium et immundorum. Judæorum bipartitum erat : prior enim ejus pars vicina Sancto, in qua erat altare holocaustorum, cedebat sacerdotibus; posterior laicis, sed mundis. Porro non licebat sub pœna mortis Gentibus, puta Romanis, ex suo atrio transire in atrium Judæorum, nec Judæis in atrium sacerdotum, teste Josepho l. 6. Belli c. 6. Jam quæstioni huic tripliciter respondent Interpretes.

Primo enim aliqui censent, porticum hanc fuisse exterius adhærentem ipsi Sancto, quæ proinde instar Sancti, erat longa viginti cubitos, lata decem, uti dicitur 3. Reg. 6. 3. perinde ac videmus Romæ Basilicis S. Petri, S. Laurentii, S. Cæciliæ, et aliis extrinsecus adhærere porticus, per quas in basilicas introitur; Ita Adrich. in Descriptione Jerusalem. Verum obstat, quod in hanc porticum, imo in atrium sacerdotum, quod erat ante porticum, nulli nisi sacerdoti Aaronico fas erat introire. In hanc autem porticum ingressus est Petrus, claudus, totusque populus.

Secundo, alii censent, porticum hanc fuisse ipsum atrium Judæorum, dicique Salomonis; tum quia in eodem loco et area erectum fuit ab Herode, in quo olim Salomon suum erexerat : tum ad distinctionem porticus extimæ, puta atrii Gentium, quod atrio Judæorum adjecit Herodes; ita Ribera l. 1. de Templo cap. 16. et seq. Censet enim ipse Salomonem ædificasse tantum atrium Judæorum, non vero atrium Gentium, sed illud adjectum esse ab Herode, ac proinde atrium Judæorum vocari porticum Salomonis, atrium vero Gentium porticum Herodis. Quare porticus Salomonis fuit templum Judæorum, in quo Christus docuit, et miracula patravit. Verum obstat, quod porticus hæc erat extima, uti eam vocat Josephus, quodque mendici ante atrium, non interius Judæorum, sed extimum Gentium desidebant, ut tam à Gentibus introeuntibus, quam à Judæis stipem poscerent. Non enim decebat sordidos et putidos mendicos in loco Judæis sanctissimo, tanto numero jugiter desidere : nec Judæi id permisissent, præsertim ne eorum clamore et tumultu in sacrificiis et precibus obturbarentur. Erant enim ipsi in sacris religiosi, imo superstitiosi; et practicabant illud vulgo tritum : *Cæci et claudi non intrabunt in templum*, 2. Reg. 5. 8. etiam si nulla lege id sancitum esset. Sic et apud Romanos mendicorum statio erat ad pontem, uti etiamnum est, ut patet ex Juvenali satyra 4. et Martiali l. 10. epigram. 5. Ita Sanchez.

Tertio ergo alii censent, porticum Salomonis fuisse atrium Gentium, aut certe ejus partem. Hoc enim erat quasi templum Gentium, in quo ipsæ Deum adorabant, et ante illud ejusque portam Speciosam sedebant mendici. Erat hoc atrium tale, qualia videmus Romæ in palatiis, nimirum sub dio, ita tamen ut ad latera haberet porticus tectas columnis insistentes, ad quas tempore pluviæ vel æstus reciperet se populus, eaque de causa vocatur porticus Salomonis, non quod

Salomon in eo oraret (orabat enim in atrio Judæorum, utpote Judæus et Judæorum rex) sed quod hæc porticus ex incendio templi facto per Chaldæos, superstes manserit, saltem bona sui parte, ita ut facile à Zorobabele, et postea ab Herode instaurari potuerit, inquit Œcumen. Ita Villalpand. lib. 3. de Templo cap. 9. ubi idipsum confirmat ex eo, quod Gentiles, qui non nisi in atrio Gentium versari poterant, adierint Philippum in porticu Salomonis, ut viderent Jesum. Jesus ergo tunc in atrio Gentium degebat, Joannes 12. 90. Idem lib. 5. de Templo disp. 4. c. 67. et 60. in fine, idipsum confirmat ex Josepho l. 20. Antiquit. cap. 14. ubi porticum hanc ait fuisse extimam templi, eamque vocat *opus Salomonis*, non Herodis. In hanc ergo porticum ingrediente Petro cum claudo sanato, accurrit populus turmatim, et concionante Petro conversa sunt quinque millia. Unde liquet porticum hanc quæ tot millia caperet, fuisse ingentem, ideoque fuisse idipsum atrium Gentium. Hoc enim dictum est *porticus:* tum quia erat extimum: tum quia pro immundis et profanis Gentibus erat quasi immundum et profanum respectu atrii Judæorum, quod pro fidelibus et sanctis Judæis quasi mundum et sanctum erat, et vocabatur templum, non porticus. Sic enim etiamnum vestibula ante templa, quia extima, et quia extra templum sunt, vocamus porticus, non templum aut templi partem. Atrium ergo Gentium vocabatur *porticus*, ad distinctionem atrii Judæorum, quod vocabatur *templum*, cui atrium Gentium exterius adjacebat quasi porticus.

12. Aut potestate.] Legit Interpres in Græco ἐξουσίᾳ, id est *potestate*. Quocirca et Syrus vertit, בשלטנה *bescultanam*, id est, *imperio nostro*. Unde *Sultani* Ægypti, Babylonis, Tartarorum, vocantur eorumdem principes et Imperatores. Jam legunt εὐσεβείᾳ, id est *pietate*, itaque in Latinis Bibliis legunt Lyrann. Hugo et Dionys. Inepte hæc Calvinus torquet contra invocationem Sanctorum, quasi nulla sit in eis eorumque reliquiis potestas. Non enim hoc vult Petrus, sed tantum docere, potestatem patrandi miracula, quam ex effectu eum habere constabat, non esse suam, id est, suarum virium, sed Dei, ab eoque sibi gratis concessam: Sancti enim, inquit S. Greg. lib. 2. Dialog. 30. faciunt miracula, vel prece, vel potestate, hoc est, nunc invocando Deum, nunc per Dei virtutem sibi communicatam imperando dæmonibus, morbis, etc., ut abscedant.

13. Et justum.] Tum formaliter, tum causaliter, hoc est, justificantem cæteros omnes, ita ut nemo hominum sit justus, nisi qui justitiam à Christo acceperit, eique illam acceptam referat.

16. Et in fide nominis ejus.] q. d. Per fidem et invocationem nominis Christi, per fidem qua in Christum credimus, eumque Salvatorem agnoscimus et prædicamus: vel per fidem quam habemus nomini Christi, id est, ipsi Christo à me nominato et invocato, *hunc claudum, quem vos vidistis et nostis, confirmavit*, id est, consolidavit et sanavit, *nomen ejus*, puta Christi. q. d. Christus in quem credo, à me nominatus et invocatus confirmavit, et curavit hunc claudum, non ego mea medicina, vel virtute. Est hic triplex hebraismus. Primo enim præpositio *in* ponitur pro *per: in fide*, id est, *per fidem*. Secundo, *fides nominis* passive hic vocatur fides quæ habetur nomini Christi, id est, Christo ipsi: non enim active fides Christi hic vocatur illa, quam in se habet Christus (in Christo enim non fuit fides, sed visio) sed passive, quam scilicet nos habemus in Christum, qua credimus Christo. Tertio, nomen Christi metonymice vocatur ipse Christus nominatus et invocatus: vel certe ipsa invocatio nominis Christi.

Nota. Fidei tribuitur hic miraculosa sanatio tanquam causæ non primariæ, sed instrumentariæ. Fides enim est causa applicans nobis merita Christi, per quæ sanamur: rursum fides est dispositio ad sanitatem mentis et corporis. Tertio, fides et invocatio est quasi causa impetratoria sanitatis: ipsa enim est oratio vel tacita, vel expressa, quæ sanitatem à Deo impetrat; unde et eam meretur, non de condigno, sed de congruo. Causa ergo physica principalis curationis claudi fuit Deus, instrumentalis fuit S. Petrus, manu elevans et erigens claudum. Causa vero moralis, puta meritoria, principalis fuit Christus, ejusque merita: instrumentalis fuit fides S. Petri, ob tres rationes et modos; quos jam recensui: ita D. Thomas de potentia quæst. 6. ad 19.

Et fides, quæ per eum, hoc est, in eum, est, dedit integram sanitatem,] ὁλοκληρίαν, id est, integritatem corporis et membrorum, puta pedum. Aliter Chrysost. Fides, inquit, quæ per eum, puta Christum, est prædicata et evangelizata, dedit sanitatem claudo: fides autem à Christo prædicata, est fides in ipsum Christum; verum Petrum modestiæ causa id non statim exprimere, sed velare et circumscribere, ne aversos à Christo Judæos offendat, donec sensim se in mentes eorum insinuans idipsum declaret et clare denuntiat.

Moral. Nota hic Primos Sanctos sua miracula et dotes non sibi asscribere, sed Deo, cujus sunt, reddere cum gratiarum actione et glorificatione, ac dicere cum Psalte: *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam:* quod cum facimus, Deus novas in nos gratias effundit: gratia enim congruit daturque grato, quæ aufertur ingrato. Vide S. Greg. hom. 5. in Ezech. sub finem, *Idcirco*, ait, *viri sancti semper laudem Creatori reddunt, ut vera stabilitate persistant in ea virtute quam accipiunt.*

Secundo, quanta sit virtus fidei excellentis et heroicæ: hæc enim omnia quæ credit et sperat, impetrat à Deo, juxta promissum Christi Marci 11. v. 24. *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis.* Talis est fides miraculorum, per quam S. Petrus, S. Paulus, S. Gregorius Thaumaturgus, et similes, tot tantaque prodigia ediderunt.

Tertio, quantam fidem, spem et amorem debeamus gerere erga Christum, quem Deus nobis dedit redemptorem, salvatorem, mediatorem, omnisque boni datorem, per quem nos benedixit omni benedictione spirituali in cœlestibus, uti admirabundus docet et eructat S. Paulus toto cap. 1. ad Ephes. Unde ipse alibi passim non nisi Jesum et Christum sonat et crepat, dicens se nihil prædicare, nihil scire, nihil sperare, nihil amare, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum imo se in se non vivere, sed Christum: *Vivo*, inquit, *ego jam non ego, vivit vero in me Christus. Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo, Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.*

Idem fuit sensus primorum fidelium, ut S. Ignatii Epist. ac Rom. *Amor meus crucifixus est*, ac consequenter et fides, et spes mea crucifixa est; S. Johannis, qui in Evangelio et Epistolis non nisi Christi amorem, quem ex ejus pectore hausit, spirat; S. Polycarpi, S. Dionysii, S. Laurentii, etc. qui Christi amore ebrii ad ignes, furcas et leones ibant quasi ad epulas. Sapienter S. Nazianz. in Sententiis : *Alii*, inquit, *aurum, alii argentum, alii mensas delicatas, id est, vitæ ludibria in pretio habeant. Ego vero Christum amplissimarum opum instar duco : quem utinam aliquando pura mente mihi intueri contingat : cætera autem mundus habeat.* Præclare S. Bernard. lib. de Conscientia cap. 1. *Cum amor Christi*, inquit, *totum absorbuit affectum hominis, ut negligens et immemor sui, nil nisi solum Jesum Christum et ea quæ sunt Jesu Christi sentiat, tunc demum in eo perfecta est charitas. Non est onerosa ei paupertas : iste non sentit injurias, ridet opprobria, contemnit damna, mortem lucrum deputat; imo nec mori se putat, cum magis de morte ad vitam transire se sciat.* Et c. 3. *Premat corpus, trahat mundus, frendeat diabolus, secura erit conscientia*, in Christo defixa. Vere oleum effusum nomen tuum Jesu Christe. Vide eumdem serm. 14. in Cant.

17. PER IGNORANTIAM FECISTIS, SICUT ET PRINCIPES VESTRI.] Sed longe culpabilior fuit principum ignorantia, quam populi, utpote crassissima vel etiam affectata : qui tamen hæc quoque aliquo modo in scelere minuit audaciam, impudentiam et irreverentiam in Deum, eo quod minuit voluntarium (gravius enim peccassent si Christum cognitum, quod scilicet ipse esset Messias et filius Dei, voluntarie et destinata malitia occidissent) idcirco à Petro hic allegatur quasi causa Christicidium excusans, non in toto, sed in tanto. Unde Christus pro iis orans in cruce, *Pater*, inquit, *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Et Paulus 1. Cor. 2. 8. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

18. DEUS AUTEM, QUÆ (ita Græca et Rom. non *qui*, uti nonnulli legunt) PRÆNUNTIAVIT, scilicet PATI CHRISTUM,] ut sequitur. q. d. Passiones et tormenta Christi, quæ Deus prænuntiavit per Prophetas, omniaque de Christo passuro oracula, implevit per vos vestramque ignorantiam, qua factum est, ut Christus de facto pateretur ea omnia, quæ cum passurum prænuntiarant Prophetæ.

19. UT DELEANTUR.] Non tegantur, ut volunt hæretici, non superficie tenus radantur, sed plane deleantur et aboleantur, ac, ut Syrus, *expungatur* : sicut litteræ è tabulis ceratis olim expungebantur, et nunc è membranis expunguntur.

20. UT CUM VENERINT TEMPORA REFRIGERII.] Vatabl. *refocillationis*, scilicet *à peccatis et ira Dei*, subaudi, *salvi sitis*, vel *refrigeremini et vos. Refrigerium*, vel, ut Syrus vertit, tranquillitatem et quietem vocat salutem et beatitudinem æternam, qua ab æstu tentationum, persecutionum et afflictionum hujus vitæ, quibus in hujus vitæ pelago assidue jactamur et urimur, quiescemus et refrigerabimur. Alludit S. Petrus ad excidium Jerusalem et Judæorum mox futurum per Titum, ac ad Judæorum ærumnas, quibus toto orbe vagi continue agitantur, à quibus in fine mundi liberabuntur.

Porro hoc *refrigerium* pœnitentibus, et conversis ad Christum obveniet *à conspectu Domini*, id est, ab ipso Domino præsente et conspiciente. Pro *conspectu*, græce est προσωπου quod. Tertull. lib. de Resurrect. carn. vertit, *à persona Domini*; Cajetan. *à facie Domini* : quia, inquit, facies Christi erit objectum et causa beatitudinis. Visio enim divinitatis Christi, est objectum beatitudinis essentialis : visio vero humanitatis ejusdem, est objectum primarium beatitudinis accidentalis. Unde Vatabl. exponit, q. d. Quæ refrigeratio erat, cum rursus conspectus erit Christus. Notat Sanchez, pro *refrigerii* græce esse ἀναψυξεως, quæ vox et *resurrectionem* et *refrigerium* significat : et utrumque huic loco convenit, q. d. Cum venerit ἀναψυξις, quæ resurrectio est et reanimatio (ψυχὴ enim est anima) illa ipsa tunc implebit nominis sui mensuram; nam vobis justis erit ipsa refrigerium, æque ac è morte ad vitam beatam resurrectio. Unde v. 21. eandem vocat restitutionem omnium. Unica ergo hac voce duos Symboli articulos complectitur, nimirum, *Credo carnis resurrectionem* : et, *vitam æternam.*

QUI PRÆDICATUS EST.] Ita et Pagnin. Tigurina et Vatabl. legentes in Græco προκεκηρυγμένον, q. d. *præconizatum et proclamatum*; alii legunt προκεχειρισμένον, id est *præparatum*, ut vertit Syrus, itaque legit Irenæus lib. 3. cap. 12. Tertull. lib. de Resurrect. carn. vertit, *prædesignatum*, forte legit προωρισμένον.

21. QUEM OPORTET QUIDEM CŒLUM SUSCIPERE.] Ambiguum est, ait Cajetan. an dicere velit quod Jesus cœlum suscipiat, sicut rex suscipit regnum; an vero quod cœlum suscipiat Jesum, sicut locus suscipit locatum; utrumque enim est verum, et utrumque huic loco convenit; ac prius involvit posterius. Prior sensus augustior, posterior simplicior est, si cum Syro vertas, *quem oportet cœlo capi.* Ex quo contra Ubiquetarios concludas, Christi corpus non esse ubique, uti ubique est ejus divinitas. Sed ex eo contendebat Berengarius, Christum non esse in Eucharistia, utpote cœlo conclusum; quem secutus Beza : Nota, inquit, Christum cœlo capi, contra eos, qui pro eo, quod fide nobis ascendendum est in cœlum, ut capiti nostro conjungamur, Christum iterum è cœlo, velut Jovem quemdam Elicium evocandum, pertinacissime tuentur. Sed respondendum : Non docemus Christum cœlo evocandum ad Eucharistiam, quasi cœlum deserens locali motu ad nos descendat (hoc enim tantum fiet in die judicii) sed quod manens in cœlo, per omnipotentiam Dei se præsentem sistat in Eucharistia (sive id fiat per corporis ejus replicationem, sive per acquisitionem duntaxat novi loci, de quo inter se disputant Scholastici) idque invisibiliter et indivisibiliter, cum in cœlo sit visibiliter et divisibiliter respectu loci : alio enim in loco est Christi caput, in alio collum, in alio pectus, in alio pedes, cum in Eucharistia omnia Christi membra sint in eodem loco, puta in eadem hostia, eodemque hostiæ puncto. Christus enim in Eucharistia est sicut anima in corpore, nimirum totus in tota, et totus in qualibet ejus parte.

Insuper Nota, Christum post ascensum in cœlum subinde visibiliter in terris apparuisse, ut S. Paulo, dum eum convertit, Actor. 9. 4. ac S. Petro. Cum enim ipse è carcere rogatu Christianorum fugisset, occurrit ei Christus, rogantique Petro : *Domine quod vadis?* respondit : *Vado iterum crucifigi.* Ex quo intellexit Petrus,

Deum velle, ut in carcerem rediret, seque pararet ad crucem et martyrium. In cujus apparitionis memoriam, Romæ extra portam S. Sebastiani, in ipsomet apparitionis Christi loco erectum est sacellum, cui vulgo nomen *Domine quo vadis?* Sic apparuit S. Antonio post victoriam luctæ cum dæmonibus, ait S. Athanas. in ejus vita : item S. Tarsillæ, teste S. Gregor. in Dial. l. 4. c. 16. Quocirca S. Thom. et Cajetan. censent Christum tunc modico tempore cœlum reliquisse, ac descendisse in terram ad S. Petrum, Paulum, Antonium, etc. Alii putant has visiones fuisse imaginarias; vel etiam reales, non corporis Christi, sed corporis aerei formati ab angelo quod repræsentaret Christum; sicut ante incarnationem Verbum in corpore aereo Abrahæ, Jacobo, aliisque Patriarchis et Prophetis apparuit.

Verus videtur, quod Christus aliquando simul in cœlo et simul in terra fuerit, et utrobique realiter proprieque sit visus, ut cum apparuit S. Petro et Paulo. Nam, ut hic dicitur, cœlum non reliquit, et tamen in terra fuit, apparuitque S. Petro et Paulo. Ergo tunc simul fuit utrobique. Insinuat id S. Chrysost. Videtur autem Christus cœlum modico tempore reliquisse, cum descendit ad B. Virginem in ejus morte : nam cum ea rursum gloriose in cœlum ascendit. Obiter ergo tunc cœlum reliquit. Quod ergo hic dicitur, *oportet eum cœlum suscipere*, intelge quod thronum gloriæ suæ in cœlo firmiter collocarit, ita ut ex eo gloriose et publice non sit descensurus, nisi in die judicii, cui non repugnat, quod secreto, invisibiliter et obiter ad B. Virginem descenderit. Ita Suarez 3. p. q. 58. in fine.

Quæres, An simili modo cœlum, purgatorium et infernus teneant et claudant animas cæterorum hominum, ut inde exire nequeant ante diem judicii? Aliqui censent animas damnatorum nunquam egredi ex inferno, ac consequenter nunquam apparere hominibus. Ratio est, quod inferno quasi perpetuo carceri et gehennæ sint mancipatæ. Rursum, quod in inferno nulla sit redemptio. Ita censet Dom. Soto in 4. d. 45. q. 1. a. 4. ad 1. Victoria relect. de Magia n. 27. et Abulens. in 4. Reg. c. 4. q. 56. Verum alii probabilius opinantur animas tam in inferno et purgatorio, quam in cœlo commorantes, subinde egredi et viventibus apparere, idque ad hoc, ut efficacius iis vel gloriam cœlestem, vel pœnas ignesque inferni sive verbis, sive reipsa per flammas ostendant, itaque majorem vel spem, vel metum et terrorem eis incutiant. Nec hoc quidquam de illorum gloria, vel de horum pœna decerpit, quia utrique utrumque secum portant. Damnati ergo cum apparent, suum carcerem, puta ignem cui alligati sunt, secum ferunt, uti ex pluribus eorum apparitionibus constat. Ita sentiunt D. Thom. in 4. dist. 45. q. 1. a. 1. q. 3. Abulens. in cap. 25. S. Matth. q. 753. Alphonsus Mendosa q. 5. Scholast. de veris mort. appar. et noster Petrus Thyræus lib. 1. de Spirit. appar. n. 117. et 249. qui tamen recte addit, animas è cœlo, et ex inferno rarius per se et personaliter apparere, sed crebrius id fieri per angelos. Rursum, animas è cœlo apparere, quoties eis libuerit : animas vero ex purgatorio et inferno non posse egredi, nec apparere, nisi ex peculiari dispensatione Dei.

Usque in tempore restitutionis omnium,] usque in diem judicii, quo Deus hominem lapsum in peccatum, ærumnas et mortem, Deo, gloriæ et felici immortalitati restituet, itaque instaurabit angelorum ruinas. Pariter tunc cum homine cœlum, elementa, totumque orbem primævæ integritati, incorruptioni et splendori restituet. Erit enim tunc renovatio, et quasi regeneratio totius mundi, uti docet Apostolus Rom. 8. 21. et S. Petrus Epist. 2. c. 3. v. 13.

Omnium,] non tantum *temporum*, ut vertit Syrus; sed et hominum rerumque omnium, uti jam dixi.

A seculo.] Hebr. מעולם *meolam*, q. d. Qui Prophetæ ab olim, à priscis sæculis, ante aliquot annorum millia hanc mundi restitutionem, à Christo in die judicii faciendam, prædixerunt.

22. Moyses quidem dixit.] E multis Prophetis unum citat, eumque primarium, puta Mosen, qui clare de Christo Salvatore prophetavit Deuter. 18. 18. Ejus oraculum ibidem explicavi : quare hic illud non retexam.

23. Exterminabitur de plebe.] Moses Deuter. 18. habet : *Ego* (Deus) *ultor existam :* quæ verba paraphrastice hic explicat et interpretatur S. Petrus : cum enim Deus ad ultionem prosilit, exterminat et occidit vel morte corporali, vel spirituali et æterna. Utraque hic significatur. Judæi enim Christo increduli excisi sunt corporaliter à Tito, et spiritualiter æterna morte puniuntur in gehenna.

Dies istos,] adventus et redemptionis Messiæ, puta Christi.

Vos estis filii Prophetarum.] *Filii*, scilicet spirituales in fide et religione. q. d. Vos amplectimini et creditis Prophetarum oracula, eorumque fidem sequimini, quasi germani eorum in pietate filii. Sicut ergo ipsi in Christum venturum crediderunt, eumque prædixerunt; ita et vos in eumdem jam natum, passum et resurgentem credite, ne à majorum vestrorum fide et spiritu degeneretis, imo apostatetis.

Et testamenti.] Hoc est, fœderis, pacti et promissionis divinæ. Nota Hebraismum : filii fœderis vocantur Judæi, ad quos pertinet fœdus à Deo cum Abraham patre eorum initum : Deus enim Abrahæ et posteris ejus promisit Messiam, ejusque benedictionem, id est, gratiam, justitiam et salutem. q. d. Vos estis filii Abrahæ, ac consequenter filii fœderis, quod Deus cum Abraham pepigit; ac promissionis, quam ei dedit de Messiæ redemptione et salute : nunc ergo cum illa per me vobis à Deo ostenditur et offertur, avide et ambabus, ut aiunt, manibus illam excipite. Vos enim sicut estis filii et heredes Abrahæ, ita et promissionis illi à Deo factæ. Sic et Christiani vocantur filii novi Testamenti, quia illi asscripti sunt per fidem, et ad illos pertinent Sacramenta, gratia, omniaque bona, quæ in novo Testamento Christus Christianis promisit et exhibuit.

In semine tuo.] In filio tuo, puta in Christo ex semine et posteris tuis nascituro. Ita explicat Apostolus Galat. 3. 26. et ipse Petrus dicens v. 26. *suscitans filium suum :* hic ergo est semen benedictum Abrahæ promissum.

Benedicentur, id est justificabuntur, omnemque gratiam et gloriam accipient, omnes familiæ terræ,] puta omnes gentes. Dei enim benedictio est efficax, nec verbalis tantum, uti est hominum; sed realis, quæ bonum, quod dicit et imprecatur, reipsa confert et præstat : Dei

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES

enim benedicere, est benefacere, non quomodo libet, sed eximie et divine. Hoc enim decet Deum, Deique immensam liberalitatem et munificentiam. Magnum enim magna dare decet, ut aiebat Alexander Magnus. De hac Abrahæ benedictione, vide ea quæ dixi Genes. 12. 3.

26. VOBIS PRIMUM.] Primo enim et directe missus est Christus ad Judæos, quasi Messias patribus eorum promissus. Unde ab Apostolo vocatur *minister circumcisionis*, Rom. 15. 8. id est, circumcisorum, puta Judæorum : quia per se iis solis prædicavit.

SUSCITANS,] ἀναστήσας in aoristo, id est, *cum suscitasset eum*. Alludit Petrus ad illud Mosis, *Prophetam suscitabit vobis Deus*, quod citavit v. 22. Jam *suscitans*, id est *resuscitans*, puta postquam resuscitavit eum à mortuis. Post resurrectionem enim Christus suam benedictionem, id est Spiritum S. gratiam et salutem, copiose in Judæos effudit. Resurrectio enim græce vocatur ἀνάστασις.

BENEDICENTEM VOBIS.] Quia vobis benedicat, id est benefaciat, dando flumina gratiarum in hac vita, et gloriæ in futura, ut in die judicii ab eo audiatis : *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Ita *qui crucifixus est suos crucifixores benedixit*, ait S. Chrysost.

UT CONVERTAT.] ἐν τῷ ἀποστρέφειν. Quod tripliciter verti potest. Primo, conditionate, q. d. *Si convertat se quisque et pœnitentiam agat.* Ita Syrus. Secundo, assertive. q. d. *Dum quemlibet vestrum convertit.* Ita Gagneius. Tertio, finaliter et optative. q. d. Hoc fine misit Deus Christum, ut scilicet vos convertat à peccatis per suam gratiam et justitiam. *Iste est* enim *omnis fructus ut auferatur peccatum*, ait Isaias c. 27. 9. Ablatio peccati enim non fit nisi per gratiam, et justitiam et charitatem infusam à Deo. Quocirca remissio peccatorum in Scriptura celebratur quasi summum Dei opus, patrandum à Messia, ejusque proprius finis et effectus; ut à Zacharia : *Jusjurandum*, inquit, *quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis, ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris*, etc. *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum*, Lucæ 1. 73. Idem celebrat S. Paulus in Ephes. c. 1. et 2. et passim alibi.

Quocirca docent Theologi, quod remissio peccatorum et justificatio sit majus Dei opus, quam creatio cœli et terræ : tum quia peccatum magis distat à Deo, quam nihil ab ente : tum quia nihil ita Deo contrarium et exosum, ac peccatum. Sicut enim peccatum est summum malorum omnium, ita Deus est summum bonorum omnium. Unde et pro peccato Deo satisfieri, ac peccatum ipsum expiari remittique non potuit, nisi per mortem et crucem ipsius unigeniti filii Dei : tum quia per gratiam peccata remittentem et justificantem, peccator ex abysso profundissima suorum scelerum elevatur quasi in cœlum empyreum, dum per eam fit non tantum sanctus et amicus Dei, sed et consors divinæ naturæ, Dei filius et hæres, quod donum majus, sublimius et divinius est, quam cœlum et terra, omniaque quæ in iis creata. Ita diserte S. August. tract. 72. in Johannem, ubi et addit; *Judicet*, ait, *qui potest, utrum majus sit justos angelos creare, quam impios justificare : certe si æqualis est utrumque potentiæ, hoc majoris est misericordiæ.* Et fuse D. Thom. 1. 2. quæst. 113. art. 9.

Vide hic quantum malum, quamque fugiendum et execrandum sit peccatum; ac ex adverso quanta sit bonitas Dei et Christi, dum nos peccatores ex potestate diaboli, peccati et inferni transfert in regnum gratiæ et dilectionis filii sui, facitque hæredes, imo reges cœli, ut illam merito admirari, gratias agere, et celebrare debeamus tota vita, uti fecit S. Paulus, S. Magdalena, S. Pelagia; aliique pœnitentes, imo per totam æternitatem, uti faciunt Beati in cœlo. Quocirca Christus à S. Johanne Baptista hoc elogio, quasi indice toti orbi indicatus et prædicatus est : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, Johan. 1. 29. Quem secutus S. Johannes Evangelista, passim in Apocalypsi Christum indigitat Agnum pro peccatis nostris occisum et immolatum, eumque ut talem à Beatis in cœlo adorari et laudari pronuntiat, ut c. 5. 6. *Vidi Agnum stantem tanquam occisum*, etc., *et viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno*, etc. *dicentes : Dignus es Domine accipere librum, et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram.* Etc. 7. 9. c. 14. 1. c. 15. 3. c. 19. 7. c. 20. 9. et 22.

Quare merito hoc eximium Christi donum admirans Michæas, oracula sua de Christo ita concludit c. 7. 18. *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, et transis peccatum reliquiarum hereditatis tuæ?* Et mox : *Revertetur et miserebitur nostri, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Dabis veritatem Jacob, misericordiam Abraham, quæ jurasti patribus nostris à diebus antiquis.* Vide ibi dicta.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PETRUS ET JOANNES, EO QUOD PRÆDICANT CHRISTUM RESURREXISSE, INCARCERANTUR, ATQUE IN CONCILIO VETITI PRÆDICARE CHRISTUM, CONSTANTER RESPONDENT, OPORTERE MAGIS OBEDIRE DEO QUAM HOMINIBUS. SECUNDO, V. 23. DIMISSI ET REVERSI AD SUOS LAUDANT ET INVOCANT DEUM, IMPETRANTQUE LIBERTATEM ET ROBUR EVANGELIZANDI: IN CUJUS SIGNUM TERRÆ MOTU CONCUSSUS EST LOCUS, IN QUO ORABANT. DENIQUE V. 32. NARRAT CHRISTIANIS FUISSE COR UNUM ET ANIMAM UNAM, NULLUMQUE INTER EOS FUISSE EGENTEM, SED ET PRETIO AGRORUM ET DOMORUM, QUOD SINGULI AFFEREBANT AD PEDES APOSTOLORUM, DIVISUM FUISSE CUIQUE TANTUM, QUANTUM OPUS HABEBAT.

1. Loquentibus autem illis ad populum, supervenerunt sacerdotes et magistratus templi, et Sadducæi. 2. Dolentes quod docerent populum, et annuntiarent in Jesu resurrectionem ex mortuis: 3. Et injecerunt in eos manus, et posuerunt eos in custodiam in crastinum: erat enim jam vespera. 4. Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt: et factus est numerus virorum quinque millia. 5. Factum est autem in crastinum, ut congregarentur principes eorum, et seniores, et Scribæ in Jerusalem; 6. et Annas Princeps sacerdotum, et Caiphas, et Joannes, et Alexander, et quotquot erant de genere sacerdotali. 7. Et statuentes eos in medio; interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos? 8. Tunc repletus Spiritu sancto Petrus, dixit ad eos: Principes populi, et seniores audite: 9. Si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmis, in quo iste salvus factus est, 10. notum sit omnibus vobis, et omni plebi Israel: quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis: quem Deus suscitavit à mortuis, in hoc iste astat, coram vobis sanus. 11. Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli: 12. et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus in qui oporteat nos salvos fieri. 13. Videntes autem Petri constantiam, et Joannis, comperto quod homines essent sine litteris, et idiotæ, admirabantur, et cognoscebant eos quoniam cum Jesu fuerant: 14. hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere. 15. Jusserunt autem eos foras extra concilium secedere; et conferebant ad invicem. 16. Dicentes: Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos, omnibus habitantibus Jerusalem manifestum est, et non possumus negare. 17. Sed ne amplius divulgetur in populum, comminemur eis, ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum. 18. Et vocantes eos, denuntiaverunt ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jesu. 19. Petrus vero et Joannes respondentes, dixerunt ad eos: Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum, judicate: 20. non enim possumus quæ vidimus et audivimus non loqui. 21. At illi comminantes dimiserunt eos: non invenientes quomodo punirent eos, propter populum, quia omnes clarificabant id quod factum fuerat in eo quod acciderat. 22. Annorum enim erat amplius quadraginta homo, in quo factum fuerat signum istud sanitatis. 23. Dimissi autem venerunt ad suos et annuntiaverunt eis, quanta ad eos principes sacerdotum et seniores dixissent. 24. Qui cum audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, et dixerunt: Domine, tu es qui fecisti cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt: 25. qui Spiritu sancto per os patris nostri David, pueri tui, dixisti: Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? 26. Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum, et adversus Christum ejus? 27. convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes, et Pontius Pilatus, cum gentibus, et populis Israel, 28. facere quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri. 29. Et nunc Domine respice in minas eorum, et da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, 30. in eo quod manum tuam extendas ad sanitates, et signa et prodigia fieri per nomen sancti filii tui Jesu. 31. Et cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati: et repleti

sunt omnes Spiritu sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiducia. 32. Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una : nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. 33. Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri : et gratia magna erat in omnibus illis. 34. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, 35. et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat. 36. Joseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis (quod est interpretatum filius consolationes) Levites, Cyprius genere, 37. cum haberet agrum, vendidit eum, et attulit pretium, et posuit ante pedes Apostolorum.

1. Loquentibus autem illis.] Solus Petrus dicitur locutus cap. præc. v. 12. sed Petri verba approbabat Joannes, quasi ejus socius et assecla, itaque per Petrum loquebatur. Adde, Johannem non fuisse elinguem, sed zelo plenum idem asseruisse, et prædicasse turbis cum cingentibus, quod publice prædicarat Petrus.

Supervenerunt.] Græcum ἐπέστησαν secundo verti potest, *institerunt eis ;* Tigurina, *præsto fuerunt illis ;* Syrus *insurrexerunt in eos.*

Magistratus templi.] Tigur. *præfectus templi;* Pagnin. *dux templi :* in tanto enim sacerdotum, Levitarum et populi è tota judæa, imo è toto orbe ad templum quotidie confluentis numero, ne quid turbarum, tumultus aut seditionis oriretur, institutus erat Magistratus, quasi *prætor templi,* ait Beda, suos habens satellites et milites, qui omnes in officio contineret, et eos qui turbas aut tumultus concitabant, in carcerem abduceret. Quocirca S. Chrysost. magistratum hunc vocat *ducem militum templi.* Et hoc significat Græcum στρατηγος, scilicet unum aliquem cæterorum militum ducem : est enim singularis numeri. Unde patet magistratum fuisse militarem pro reis capiendis, non autem judicandis, vel condemnandis institutum. Ita Sigonius lib. 7. de Rep. Heb. c. 13. Atque hic fuit, qui cum Juda proditore mittens suos aliosque satellites, Christum cepit in horto, Lucæ 22. v. 4. Videtur ergo hic unus fuisse è pontificibus, socios et milites habens minores sacerdotes et Levitas : his enim à Deo commissa erat custodia templi, Numer. 4. Ita censent Arias Montanus, Salmeron, Sigon. lib. 7. de Republ. Hebr. cap. 13. et alii. Ratio est; quia Judæi non tolerassent prætorem Gentilem in loco sacro, imo nulli Gentili templum eorum ingredi licebat sub pœna capitis, teste Josepho. Habebant tamen Romani, suoque præsidio firmabant Antoniam quæ erat arx amplissima et munitissima vicina templo, ut docet Joseph. lib. 15. Antiq, c. 14. idque tum ad templi custodiam, tum ne Judæi è templo arcem facerent, et Romanis rebellarent. Huic arci ergo et præsidio præpositus dux, vel tribunus Romanus, si gravior tumultus in templo concitaretur, accitus à prætore templi accurebat cum suis militibus, motusque omnes componebat. Talis videtur fuisse tribunus Romanus, qui accurrit cepitque Paulum, et in Castra, quæ erant in arce Antonia perduxit c. 21. Et hoc tantum probant argumenta Sanchez, qui opinatur prætorem templi fuisse Romanum, puta Antoniæ præfectum ; non Hebræum.

Sadducæi.] Ita dicti, quasi justi essent, aut potius quod justos se jactitarent (Hebr. enim צדיק *tsaddic* vocatur justus) aut potius à Sadoc eorum auctore, inquit Epiphan. hæresi 14. Fuit hæc una è sectis Judæorum, à Samaritis progenata : unde cum iis solum Mosis Pentateuchum recipiebat, docebatque non esse resurrectionem, nec angelum, nec spiritum, Actor. 23. 8. ac consequenter animam non esse immortalem ; nec esse Numen res humanas dirigens, pios præmians, impios puniens ; sed quemque sibi suæ sortis et fortunæ esse fabrum. Erant ergo hi Judæorum quasi Epicurei, reipsa dictitantes illud : *Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.* Quocirca Christo et Apostolis prædicantibus Dei judicium, et resurrectionem bonorum ad gloriam, malorum ad tormenta, perpetim se opposuerunt. Vide Josephum lib. 13. Antiq. c. 9. et lib. 18. c. 2.

2. Dolentes,] διαπονουμενοι, Syrus, *indignantes;* Tigurina et Pagnin. *moleste ferentes ;* alii, *anxii.*

In Jesu.] Ita Græca et Romana, non *in Jesum* Jam *in Jesu*, id est, in nomine Jesu, per Jesum. Ita Tigurina et Pagnin. Secundo, *in Jesu*, id est, de Jesu. Sic enim Hebræi et Græci sæpe *in* usurpant pro *de :* proprie enim Petrus et Johannes prædicabant Jesum resurrexisse ; inde tamen colligebant, vel auditoribus colligendum relinquebant, Jesu discipulos quoque ejus ope et virtute resurrecturos. Unde Tertio, τὸ *in Jesu*, explicari posset, *instar Jesu :* sæpe enim Hebræum ב, id est *in*, sumitur pro vicino כ, id est, *sicut, instar*, Christus enim resurgens est causa nostræ resurrectionis, tam exemplaris, quam meritoria et efficiens.

3. Posuerunt eos in custodiam.] *In custodiam*, puta in carcerem ; Tigurina, *dederunt* (miserunt) *in custodiam.* Hic est primus carcer sancti Petri, quem deinde multi alii consecuti sunt ; Apostolatus enim insigne est persecutio et carcer, non minus illustre et gloriosum, quam signa et prodigia, uti docet Paulus 2. Cor. 11. 23. qui proinde in vinculis suis solet exultare et gloriari. Vide ea quæ notavi Ephes. 3. 1. Cum Petro et Johanne incarceratum quoque fuisse claudum sanatum, quasi criminis materiam et objectum, patebit v. 7. 9. et 10.

Erat enim jam vespera,] utpote post horam nonam ab ortu solis : nona enim sanaverat Petrus claudum, c. præced. v. 1. et 7.

4. Multi autem qui audierant verbum.] Prædicationem Petri sanatione claudi, et magis intrepida hilarique constantia in carcere, inquit S. Chrysost. confirmatam.

Quinque millia.] Diversa prorsus sunt hæc quinque millia, à tribus millibus : prima Petri concione conversis cap. 2. Quare iis adjecta, effecerunt numerum octo millium : tot ergo mox fuere fideles, conversi à Petro. Ita S. Hieron. in cap. 40. Isaiæ, S. August. tract. 39. in Johannem, S. Chrysost. hic, Lyran. et Beda, qui addit : hæc quinque millia convertenda fore typico præsignificasse Christum, cum mandavit Apos-

tolis, ut quinque hominum millia paucis panibus pascerent, Matth. 14. 16. Porro hæc quinque millia fuerunt *virorum*, ait Lucas, quibus si adjicias feminas et pueros, quos non dubium est tot viris plurimos fuisse permixtos, longe major fuit numerus, femineus enim sextus præ viris magis solet esse devotus. Ecce hic verum est illud S. Chrysost. hom. de virtute et vitio: *Modicum fermentum Apostolorum magnam farinæ massam convertebat; quia non quantitate numeri, sed gratia Spiritus vim suam justi tenent.* Nunc aliquot centeni sacerdotes in civitate: vix totidem centenos cives convertunt, quia refrixit utrorumque spiritus. Denique Sophronius in Fragmento de laboribus S. Petri et Pauli, quod extat tom. 7. Biblioth. SS. Patrum, asserit sanctum Petrum constituisse decem millium virorum Ecclesiam: quia scilicet verba ejus animata erant Spiritu cœlesti, et quasi jacula igne divino ardentia, corda audientium feriebant et incendebant.

5. Ut congregarentur principes, etc.] Fuit hoc magnum concilium 72. virorum, quod græce συνέδριον, indeque Hebr. et Syriace *Sanedrin*, vocatum est, primitus institutum à Deo, Num. 11. 24. et seq. ut ibi dixi. Conflatum erat non ex solis viris Tribus Juda, uti volunt Johannes Annius et Lucidus in Breviar. tempor. nec ex solis sacerdotibus, ut vult Abulens. sed ex duodecim Tribuum duodecim principibus, et ex 24. principibus sacerdotum, qui totidem eorum familiis præsidebant, jussu Dei instituti; et in 24. classes distributi à Davide, 1. Paral. 15. 6. Harum enim præsides in Evangeliis, Actis, Esdra, etc. crebro vocantur *Principes sacerdotum:* atque ex cæteris populi primoribus, præsertim Scribis et Legisperitis. In hoc concilio damnatus fuit Christus, præsidente eodem Caipha pontifice, qui hic nominatur, ejusque socero Anna, Matth. 27. 1. Unde mirum est illos, qui recenter tam infensi fuerant erantque Christo, mitius egisse cum ejus Apostolis: sed retinebat eorum furorem Dei manus, et populi, magno numero eis credentis, metus, ne eum in se concitarent, ab eoque lapidarentur.

Seniores.] Qui tum annorum, tum potius prudentiæ et morum maturitate grandævi sunt, ideoque populo venerabiles ait S. Gregor. 19. Moral. c. 13. Hinc ab his senibus lectus et dictus est Senatus, inquit Cicero.

Scribæ.] Sicut Græci suos sapientes vocabant Philosophos, Chaldæi Magos. Ita Hebræi eos appellabant סופרים *sopherim*, à ספר *sepher*, id est, littera, vel liber. Septuag. vocant γραμματεῖς, id est, *litteratos*; eorum enim erat S. Scripturam describere, docere, interpretari. Ita Epiphan. hæresi 15. Josephus l. 2. contra Appion. et alii. Unde Esdras vocatur *Scriba*. Sic Appion. Philoponus, et alii vocati sunt Grammatici, id est, litterati et docti, non solum in Grammatica, sed et Rhetorica, Philosophia, omnique litteratura.

6. Et Annas princeps sacerdotum.] Videtur ergo Annas jam fuisse summus pontifex. Ipse enim cum Caipha genero suo, alternis annis gerebat pontificatum, à Romanis, ut videtur, emptum. Dices, Paucis septimanis ante, summus pontifex erat Caiphas, qui Christum condemnavit. Joann. 11. 49. ergo Annas non fuit tunc pontifex. Respondent Glossa Interlinearis, Hugo et Gagneius post mortem Christi, puta in Paschate, de more Caipham annuo pontificatu perfunctum, cessisse illum Annæ. Annus enim sacer (quo utebantur in pontificatu ineundo, vel deponendo) apud Judæos incipiebat à Nisan, id est à Martio, et à Paschate, utpote festo primo et maximo; idque ex decreto Dei exodi 12. 1. Adde, præponi Annam Caiphæ; quia erat senior, et socer Caiphæ, adeoque felix et venerandus, ut filios suos omnes, numero quinque, pontifices viderit, teste Josepho lib. 20. Antiq. c. 8. Aliqui hunc Annam putant esse Jonatham Annæ filium, qui remoto Caipha factus est pontifex à Romanis, teste Josepho lib. 18. c. 6. et vocari etiam Annam de nomine patris credunt. Unde et Nicephorus in sua Chronol. sic hujus ævi pontifices numerat: Annas, et ex alio genere Ismael, Eleazar filius Annæ, Simon, Caiphas Annæ gener, Jonathas et Theophylus Annæ filii. Pontificatus enim tunc erat annuus. Ita Mariana.

Et Caiphas.] Nota. Paulo ante Petrus in domo Caiphæ pavidus, ter cum juramento negarat Christum; jam Spiritu Sancto in Pentecoste recepto roboratus, coram eodem negationem suam retractat, et Christum generose confitetur, itaque priorem lapsum et scandalum sarcit et reparat. Caipham, Scribas et Pharisæos Christicidii sui justas Deo dedisse pœnas, adeoque Caipham, æque ac Pilatum, necem sibi intulisse, indicat Nicephorus lib. 2. Histor. c. 10. quin et Clemens Rom. lib. 8. Constit. c. 2. et ex eo sanctus Athanasius vel potius Anastasius Episcopus quæst. 18. Nicænus in Script.

Johannes.] Hic unus fuit ex quinque Annæ filiis, adeoque pontifex, alio nomine Jonathas appellatus, in pontificatu gerendo æquus et dexter, unde eum laudat Josephus l. 2. Belli capite 25.

Alexander.] Hunc opibus æque ac virtute et pietate celebrem, Alexandriæ gessisse magistratum Halabarchæ, id est, Præfecti salis (ἅλς enim Græcis est sal, ἀρχων præfectus, princeps) narrat Josephus lib. 20. Antiq. c. 3. et ex eo Baron. anno Christi 34. qui et addit, *Hic est Alexander Lysimachus, cujus pater Tiberius portas templi argento et auro sumptuosissime exornarit.*

Quotquot erant de genere sacerdotali,] id est, *pontificio*, ut vertit Syrus, Tigurina et Pagnin. hoc enim significat Græcum ἀρχιερατικοῦ. Erant ergo hi principes sacerdotum, puta 24. familiarum sacerdotalium capita, uti paulo ante dixi. Hi enim principes vocabantur pontifices, quibus præsidebat unus summus pontifex.

7. In qua virtute,] δυνάμει, id est, *qua potentia*. Ita Pagnin. et Vatablus.

Fecistis hoc?] Non tam miraculum, quam prodigium magicum claudi sanati; unde per despectum, ait OEcumen. non vocant miraculum, sed *hoc*, scilicet vulgo notum et famosum præstigium, quod in claudo erecto cernimus. Volebant scilicet Apostolos obruere sua auctoritate et præjudicio, ut faterentur se non miraculum in nomine Christi; sed ludicrum quid arte mirabili, sive magica edidisse. Ita Chrysost. Vere Plato in Theæteto: *Antiquitatis auctoritas est sæpe malum præjudicium.* Ex dictis infert Lyran. claudum ipsum cum Apostolis fuisse incarceratum, et è carcere cum iisdem eductum in tribunal, Annæ et Caiphæ præsentem astitisse, idque patet v. 10. Hanc enim ejus præsentiam videtur innuere pronomen *hoc*, scilicet novum et mirum, quod videtis in claudo recte gradien-

te. Porro Christum ab infidelibus habitum fuisse magum et magiæ doctorem, patet Lucæ 11. 14, et Johan. 8. 48. et idipsum de suo ævo testatur S. August. lib. 1. de Consensu Evangel. cap. 8. Unde passim in Actis S. Agnetis, Luciæ, Agathæ, aliorumque martyrum legimus, Christianos à judicibus insimulatos magiæ, ideoque damnatos ad ignem: censebant enim miracula eorum, ac præsertim quod à bestiis, eculeis, aliisque tormentis exirent illæsi, esse opus magicum patratum ope, non Dei, sed diaboli.

8. TUNC REPLETUS SPIRITU SANCTO.] Nova est hæc repletio Spiritus sancti, ab illa quam accepit in Pentecoste: illa enim fuit habitualis, hæc actualis, nimirum qua Spritus sanctus actu movebat, dirigebat et roborabat Petrum, ut libere, constanter et prudenter responderet, et profiteretur fidem Christi, se scilicet ejus invocatione et virtute claudum sanasse. Hoc est quod Petro et Apostolis promiserat Christus Lucæ 12. 11. *Cum autem inducent vos in Synagogas, et ad magistratus, et ad potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis: Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere.* Simili modo quoties Samson patraturus erat opus aliquod heroicæ fortitudinis, dicitur prius; *Irruit Spiritus Domini in Samson*, scilicet incitans eum, animans et roborans ad illud tum aggrediendum, tum opere perficiendum, Judic. 14. v. 6. 19. et seq. Ad opera enim heroica non sufficit communis et habitualis gratia, sed nova actualis, eaque communi major et potentior requiritur. Sæpe enim ista opera habitum gratiæ præsentem superant, et transcendunt.

9. SI NOS HODIE DIJUDICAMUR,] ἀνακρινόμεθα, id est, *discutimur, in quæstionem et examen vocamur.* Ita Græci: hoc est, *examinatur*, ut vertit Tigurina et Pagnin. hinc Syrus, *si in jus vocamur.* Vox conditionalis *si* pendet et expletur à *notum sit omnibus vobis*: potuisset dicere. Quia dijudicamur; sed modestiæ causa dicit, *Si dijudicamur.*

IN BENEFACTO.] Ob beneficium, puta ob sanitatem claudo collatam. Est Hebraismus: Hebræum enim ב, id est *in*, sæpe est index pretii vel meriti, significans *ob*, *propter*. q. d. Nos ob meritum in crimen vocamur: beneficimus enim claudo, et examinamur ut malefici. Tacite ergo perstringit, taxatque judices inhumanitatis et injustitiæ, qui potius hoc beneficium celebrare et remunerari debuissent. Judaicum ergo et Pharisaicum est, sinistre interpretari et calumniari benefacta, etiam miracula, eaque tribuere, non Spiritui sancto, cujus sunt propria, sed vitio, imo Belzebub et diabolo, uti Judæi exprobrarunt Christo Matth. 12. 24. Hoc faciunt invidi virtutum et bonorum operum; quod proinde est peccatum in Spiritum sanctum, uti Christus docet loco citato.

IN QUO,] qua ratione: quomodo, qua vi et virtute. Sic capitur Hebr. במזה *bamme*, id est, *in quo.* Est enim hoc ב modi vel instrumenti, Hebræis frequens.

10. IN NOMINE.] Id est, in invocatione, hoc est, per invocationem et virtutem Jesu. Vide dicta cap. 2. v. 38.

NAZARENI.] Oriundi ex Nazareth oppidulo, ac proinde à vobis despecti; sed à Deo exaltati, cum in resurrectione eum fecit Nazarenum, id est, efflorescentem vita, immortalitate, fama et gloria. Vide dicta cap. 3. 6.

QUEM VOS CRUCIFIXISTIS.] Nota hic intrepidam libertatem et heroicos animos Petri, quibus in publico Concilio judicibus objicit Christicidium, ut eos pungat et compungat: Crux enim Christi unica est mundi salus, ideoque intrepide ubique prædicata à Petro, Paulo, Andrea, cæterisque Apostolis.

Moral. disce veritatem, præsertim fidei, cum de ea quis juridice et legitime interrogatur, libere et fortiter profitendam esse, etiam cum periculo vitæ. Quærebant Scribæ v. 7. *In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?* Respondet Petrus vere et libere: *In nomine Domini nostri Jesu Christi, quem vos crucifixistis.* Ita fecerunt Martyres omnes, ideoque martyrio coronati sunt.

DEUS.] Pater imo et Deus Filius, sed hoc necdum capere poterant Scribæ et Judæi, qui Christum ideo occiderant, quod diceret se esse Deum et Dei Filium; idcirco subticet hoc Petrus, aitque in genere *Deus.* Ita Œcumen.

ASTAT.] Ergo claudus ipse erat præsens in Concilio, utpote è carcere eductus cum Apostolis, ut dixi v. 7.

11. HIC EST LAPIS.] Citat Psalm. 117. 22. *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli;* quod Chald. explicat de Davide, q. d. David primo rejectus à Saule ejusque asseclis, deinde creatus rex factus est quasi lapis angularis Synagogæ, nectens sibi Judam et Israelem, hoc est tam duas, quam decem tribus. Verum licet ad Davidem psalmus ille alludat, est enim in eo gratulatio solemnis tum Davidis, tum populi de Davidis coronatione in Hebron, vel potius de arca in pace ab eo translata in Sion, ut patet v. 19. tamen per Davidis typum describit Christi resuscitati gloriam et regnum, ac fidelium ei acclamantium v. 17. gratulationem, nimirum cum turba in die Palmarum ei, quasi Messiæ regi acclamavit: *Osanna filio David*, Matth. 21. 9. Uti enim David, ita multo magis Christus rejectus à pontificibus et Scribis, qui erant quasi architecti Synagogæ, post resurrectionem factus est lapis angularis; utpote qui totum Ecclesiæ ædificium continet et nectat, Judæos scilicet et Gentes, imo angelos et homines, uti fuse explicat Apostolus Ephes. 2. 14. et seq. Vide ibi dicta.

Nota Primo. Utitur Psaltes, et ex eo Petrus, metaphora lapidis, dum Christum vocat lapidem; quia loquitur de fabrica Ecclesiæ fabricæ autem lapidibus exconsurgit. Unde in Hebræo est elegans paronomasia inter אבן *eben*, id est lapis; et בנה *bana*, id est ædificavit: à *bana* enim dicitur *eben*. q. d. Ex *eben bana binian*, id est ex lapide ædificavit suum ædificium, puta ex Christo Ecclesiam: hæc enim est fabrica et domus Dei, non materialis, sed spiritualis.

Secundo, hic lapis est durior marmore: unde nec carie consumi, nec scalpris concidi potest, sed illæsus manet in æternum: quia sustinet æternam fabricam, scilicet Ecclesiam duraturam in æternum, cui nulla vis, adeoque portæ, id est omnes vires inferorum prævalere nequeunt, uti petra Christus asseruit, et promisit Petro Vicario suo, Matth. 16.

Tertio, hic lapis est probatus à Deo, angelis, totoque mundo et pretiosus ut ait Isaias c. 28. v. 16. quia ipse est pretium et lytrum sæculi, hoc est, omnium hominum. Unde S. Johannes Apocal. 21. 18. Vidit ei inædificatam Jerusalem cælestem ex duodecim gemmis pretiosissimis,

jaspide, smaragdo, amethysto, etc. Ecclesia enim tum militans, tum maxime triumphans, est quasi palatium Dei pretiosissimum, cujus lapides sunt gemmæ, puta Apostoli, et fideles omni virtute præstantes : lapis vero angularis et primarius, ideoque pretiosissimus, est Christus. De his vaticinatus est Zachar. c. 9. 16. *Lapides elevabuntur super terram,* Vide ibi dicta.

Qui factus est in caput anguli.] Alludit ad fabricam Jerusalem, restauratam à Nehemia, de qua Nehemiæ cap. 3. 19. dicitur, *Ædificavit*, etc. *contra ascensum firmissimi anguli :* Jerusalem enim fuit typus Ecclesiæ, Nehemias Christi. Sed proprie citat Psalm. 117. 22.

In caput anguli.] Id est, capitalis et angularis, ut scilicet duos parietes, Gentium et Judæorum, in se velut angulo conjungat.

Nota. *Angulus* in Scriptura symbolum est principis, regis et regni, quia quod in fabrica est angulus, in ostio cardo, hoc in republica est rex in princeps : omnes enim sibi vincit et unit. Christus ergo vocatur *angulus*, quia rex et princeps est Ecclesiæ. Vide dicta Isaiæ. 19. 13.

Quæres, quis est hic lapis angularis, an summus, animus in fabrica ? Noster Villalpandus tom. 2. in Ezech. pag. 477. censet esse summum. Christus, inquit, factus est in caput anguli, id est, in summum angulum, hoc est, in lapidem qui in domo eminet quasi culmen, et fastigium, sive frontispicium, quem Hebræi et Latini vocant pinnam. Melius alii passim accipiunt lapidem imum. Nam huc alludens Isaias c. 28. 16. vocat hunc lapidem *in fundamento fundatum :* et S. Paulus Ephes. 2. 20. dicit fideles omnes huic lapidi superædificari, quasi ἀκρογωνιαίω, id est, *imo angulari.* Christus ergo factus est caput anguli in fundamento, id est, lapis angularis fundamentalis Ecclesiæ. Sic enim S. Paulus, et alii passim Christum vocant fundamentum Ecclesiæ, scilicet primum et imum, cui deinde incumbunt duodecim fundamenta secundaria, puta duodecim Apostoli, Apoc. 21. 19.

Arroganter et impie Calvinus hæc sibi appropriat, jactatque se esse lapidem, qui reprobatus sit à Papa et Ecclesia Romana, sed à Deo factus sit fundamentum, et caput Ecclesiæ Reformatæ, hoc est, deformatæ. Ita Thraso ille audet se comparare Christo, seque facere caput et Papam Ecclesiæ Christianæ, cum sit Satanicæ: alioqui det ipse signa, quibus se à Deo missum doceat, puta miracula, prophetias, Scripturas, etc., quæ dedit Christus.

12. Et non est in alio aliquo salus.] Non est alius qui salvet homines, tum in corpore, uti sanavit hunc claudum. Ita S. Cyprianus lib. 2. contra judæos cap. 16. tum potius in anima, dando illi gratiam, et per eam post hanc vitam gloriam, et salutem æternam. Unde Syrus vertit, *non est in alio aliquo redemptio.* Quapropter explicans subdit :

Nec enim aliud nomen est.] Id est, non est alius, quam Jesus Christus, in cujus virtute vel invocatione salvemur. *Nomen* enim sumitur pro re nominata, vel pro persona cujus est nomen, puta pro Christo ; quem nomine suo invocamus, sperantes et impetrantes ab eo salutem. Est Hebraica metonymia. Sic dicitur Proverb. 18. 10. *Turris fortissima nomen Domini*, id est, Dominus nomine suo invocatus. Sic passim Scriptura jubet invocare nomen Domini, id est, ipsum Deum omnium Dominum. Hinc graves Theologi docent, post promulgatum Evangelium omnibus hominibus ad salutem, id est, ad justitiam, et ad felicitatem æternam acquirendam necessariam esse necessitate, non tantum præcepti, sed et medii, fidem explicitam Christi : hunc enim *Deus proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius*, Rom, 3. 24. Quocirca Ethnici et Pagani salvari nequeunt, nisi cognoscant et credant in Christum, esto alias bene viverent. Ita Hugo Victorinus, Magister Sent. S. Thom. Bonav. Alensis, Albertus, Marsilius et Gabriel quos citat et sequitur Gregor. de Valentia 2. 2. quæst. 2 puncto 4.

Moral. Hic disce, quam reverendum, amabile, et desiderabile cuivis fideli esse debeat nomen Jesu Christi ; utpote à quo solo salutem omneque bonum exspectare debeat ; quamque ei obedire, eumque in omnibus, quo ad fieri potest, imitari debeamus. Nam *hoc solo constat nomine nostra salus.* Vide ea quæ dixi c. 3. 6. et Philip. 2. 10. Præclare Clemens Alex. Adhort. ad Gentes : *Apparuit*, inquit, *hominibus hic ipse Verbum, qui solus est ambo, Deus et homo, et est nobis omnium causa bonorum, à quo edocti recte vivere, ad vitam æternam transmittimur.* Et sub finem ait, *Nullum esse aliud opus Christi, quam ut homo salvus fiat.* Et S. August. in Psalm. 101. conc. 1. *Christus*, inquit, *est pellicanus nascendo, nycticorax moriendo, passer resurgendo : quia natus, in solitudine*, ut pellicanus : *passus in tenebris Judæorum tanquam in nocte, in prævaricatione tanquam in ruinis*, ut nycticorax : resurgendo *factus est sicut passer volando, id est, ascendendo singularis in tecto, id est, in cœlo.* Et hæc tria fecit, ut nos salvaret. Idem in S. Johannem serm. 55, *Filius Dei*, inquit, *qui semper in Patre veritas et vita est, assumendo hominem factus est via. Ambula per hominem, et pervenis ad Deum. Per ipsum vadis, ad ipsum vadis*, etc. *Ambula moribus, non pedibus. Multi enim ambulant bene pedibus, et male ambulant moribus.* Et sermon. 54. in fine : *Qui Christum possidet pietate, omnia possidet, quia per ipsum facta sunt omnia.*

13. Videntes, θεωροῦντες, id est, *considerantes, contemplantes*, Petri constantiam,] παῤῥησίαν, id est, *in dicendo libertatem.* Ita Tigurina, Pagnin. *in dicendo audaciam.* Nam Apostoli, ut ait Chrysost. *non solis verbis ostendebant se non curare de quibus judicentur, et quod extrema intententur pericula ; sed etiam habitu, et voce, et aspectu, in summa omnibus libertatem apud populum demonstrabant, per ea quæ loquebantur.*

Sine litteris,] ἀγράμματοι : *illiterati, qui non didicerant litteras*, utpote mechanici et piscatores.

Idiotæ.] *Idiota est qui proprio (idios enim est proprius) tantum naturali que idiomate, seu lingua et scientia contentus, nescit studia litterarum*, ait Beda, Unde Cicero in Pisonem : *Tu*, inquit *eruditior qua in Piso, prudentior quam Cotta, abundantior ingeni, consilio, sapientia, quam Crassus, ea contemnis quæ illi idiotæ, ut tu appellas, præclara duxerunt.*

16. Et cognoscebant eos, Quoniam cum Jesu fuerant,] recordabantur se vidisse eos cum Jesu ambulante et prædicante. Unde Pagnin. et Tigurin. vertunt, *agnoscebant eos fuisse discipulos Jesu*, ideoque cum prædicare et celebrare.

Quid faciemus hominibus istis ?] *Verba hæc victis non ventunt, non vincentibus*, ait Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 182. Vincebantur enim tum *facti evidentia*, ait Lyran. tum constanti assev e-

ratione Petri et Johannis ; æque ac claudi, uno ore asserentium, in nomine Jesu Christi eum sanatum esse : quare videbant se juste non posse eos in carcere detinere, multo minus flagellare, vel occidere : et tamen excæcati malitia, in Christum credere nolunt, imo ejus nomen, prædicationem et memoriam opprimere satagunt. Hæc est agnitæ veritatis impugnatio, quæ est peccatum in Spiritum sanctum. Unde subdunt :

Comminemur.] Græce, *minis comminemur*, id est, ut Tugurina, *minaciter comminemur*, Pagnin. *minaciter interminemur*, Atrocibus ergo minis percellere, et ad silentium adigere conantur.

Ne ultra loquantur in nomine hoc.] Ne scilicet amplius Jesu Christi nomen prædicent, invocent, et in ejus nomine miracula faciant. Ecce quo prorumpit invidiæ et odii malitia, ut veritatem luce clariorem cernere nolit, eamque aliis invideat; quin et ejus beneficia ac miracula populo tam salutaria, imo necessaria, inhibeat. Nota Hebraismum : *Loqui in nomine*, idem est quod loqui nomen, vel de nomine. Sic psal. 118. dicitur : *in tuis justificationibus*, id est, tuas justificationes, puta præcepta, *doce me.*

18. Denuntiaverunt,] παρήγγειλαν, quod et *denuntiare*, et *præcipere* significat. Unde Syrus et Pagnin. vertunt, *præceperunt ;* Tigurina, *dixerunt.* Denuntiatio ergo hæc fuit non simplex admonitio, sed imperiosa præceptio, et interminatio cum minis verberum et carcerum, uti præcessit.

19. Si justum est.] Tigurina et Pagnin. *an justum sit in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum judicate,* Adeo ergo justitiæ justæque suæ causæ præfidunt, ut hostes suos ejus constituant judices, dummodo deposita passione et præjudicio, velint ex ratione et veritate sincere quasi stantes in conspectu Dei ea dijudicare. Qui enim serio cogitat se stare coram Deo, eumque suorum judiciorum, dictorum et factorum credit judicem et vindicem, hic recte de omnibus judicat, et sentit. Hoc ergo cuique sapienti et prudenti in qualibet re et deliberatione faciendum, ut sepositis affectibus, coram Deo statuat id, quod in judicio extremo coram tribunali Christi consistens, volet se statuisse.

Nota. Non tenebantur Apostoli hac in re obedire pontificibus et Synagogæ. Primo, quia jam ei non erant subditi, eo quod jam per promulgationem Evangelii et Ecclesiæ desiisset et mortua esset vetus Synagoga, ac consequenter omnis pontificum auctoritas et judicandi potestas. Secundo, quia Synagoga in hac causa resistebat Deo mandanti Apostolis ut prædicarent Christum, idque per miracula confirmanti, ne ignorantiam Synagoga prætexere posset. *Quid enim?* inquit S. Bernard. epist 7. *quod jubet homo, prohibet Deus ; et ego audiam hominem surdus Deo?*

20. Non enim possimus quæ vidimus.] q. d. Christus voluit nos esse testes suos, ideoque nos suos comites et Apostolos constituit : ergo quæ de eo vidimus et audivimus, licite silere non possumus. Secundo, quia, ut ait S. Gregor. l. 1. in lib. 2. Reg. c. 1. *Vino cœlesti ebrii se continere non poterant, et à prædicationis fervore minis victi tepescere nolebant. Non possumus* ergo, *id est, non volumus*, ait Glossa.

21. Quia omnes clarificabant,] ἐδόξαζον τον θεὸν, id est *glorificabam Deum.* Ita Pagnin. Tigur. et alii. Ecce populus hic sapientior est, sincerior, æquior, et patientior suis principibus, adeoque *vox populi, vox Dei.*

22. Annorum enim erat amplius quadraginta homo.] Cum enim ab utero fuerit claudus, uti dictum est cap. 3. 2. talisque manserit per 40. annos, certum erat, hanc claudicationem ei fuisse naturalem, versamque in naturam, imo ex natura primitus vitiata manantem, ideoque medicinæ et naturæ, quin et magiæ viribus incurabilem ; ac proinde Petrum, qui eum subito uno instanti sanaverat, non naturæ, nec magiæ, sed Dei viribus per miraculum id fecisse.

23. Venerunt ad suos.] Syrus, *ad fratres suos.*

Quanta,] ὅσα Syrus, Tigur. et Pagnin. *quæcumque.* Noster significantius vertit *quanta*, id est, quam magna, quam gravia et atrocia ei : dixissent et comminati essent.

24. Unanimiter.] Non tantum uno animo, sed uno quasi ore eadem verba, non sine magno miraculo proferentes, ait Dionys. Nam unam eamdemque orationem quæ sequitur, omnes una eademque voce protulerunt, inspirati utique à Spiritu sancto. Densant enim preces, itaque armatas offerunt Deo, eique quasi vim faciunt, ut ab eo robur contra instantem persecutionem impetrent, et, ut ita dicam, extorqueant, utque ipse persecutorum consilia, infatuet, animosque et iras vel frangat, vel molliat.

25. Pueri tui.] *Servi tui.* Ita Syrus. Est hebraismus, servi enim sunt heris, quod pueri parentibus, discipuli magistris, juvenes senioribus.

Quare fremuerunt (aliqui vertunt, *frenduerunt*) Gentes.] S. Hilarius in Psalm. 2. per *Gentes* accipit Gentiles persecutores Christi et Christianorum, præsertim Imperatores Romanos, qui decem persecutiones pene continuas, et atrocissimas per trecentos annos usque ad Constantinum, contra Ecclesiam concitarunt : per *populos* vere accipit Judæos, quales hic erant pontifices et Scribæ. Simplicius alii censent, idem esse *gentes*, quod *populi.* Solet enim Psaltes posteriori hemistichio idem pene inculcare et exaggerare quod dixit priori, sed aliis verbis. Gentes ergo sunt populi tam Judæorum, quam Gentilium, turmatim conspirantes et insurgentes contra Christum et Christianos. Id ita esse patebit v. 27.

Inania.] Hebr. ריק *rie*, accipi potest dupliciter. Primo, ut nomen, significans vacuum, inane, et sic acceperunt Septuag. et ex iis sanctus Lucas, vertentes κενά, id est *vacua.* Secundo, ut adverbium, significans vacue, frustra, inaniter. q. d. pontifices et Scribæ agitant consilia de evertendo Christo et Ecclesia, nobisque minantur exterminium, sed inane, et inaniter, nec enim tuum, ô Domine, de ea consilium et decretum convellere possent : imple ergo quod decrevisti, reque ipsa ostende, quod eorum minæ et consilia inania sint dissipando ea, sicut spuma à mari, bulla à vento dispellitur et dissipatur.

26. Astiterunt.] Hebr. יתיצבו *ytiatsebu*, id est, statuerunt se, erexerunt se ; Syrus, קבו *kanu*, id est, insurrexerunt.

Convenerunt in unum.] In consilium congregati sunt, vel conspiraverunt.

Adversus Dominum.] Quia licet colerent Deum, quasi unum omnium dominum, tamen perse-

quendo Messiam, sive Christum ab eo missum, pugnabant contra Deum: qui enim legatum persequitur, aut injuria afficit: regem, cujus vicem et personam gerit persequitur et injuria afficit.

CONVENERUNT,] συνάχθησαν : Syrus, *congregati sunt.*

27. VERE.] Juxta oraculum Davidis psal. 2. jam citatum. q. d. Illud jam vere et reipsa vidimus in nobis expleri.

PUERUM TUUM.] Syrus, ברך *berich*, id est, filium tuum. Sic enim se explicat v. 30.

QUEM UNXISTI.] Unxione gratiæ, tum unionis hypostaticæ, tum habitualis et infusæ, uti dixi c. 2. 36.

CUM GENTIBUS ET POPULIS ISRAEL.] Ecce quod dixi v. 25. Gentes et populos esse eosdem, hic liquet. Nam gentes, sive populi, vocantur hic Judæi: neque enim in concilio et cœtu hoc Judæorum, intererant Gentiles.

28. FACERE QUÆ MANUS TUA.] *Manus*, id est, potentia, ait S. Chrysost. opus enim redemptionis nostræ è potestate mortis, peccati, diaboli et inferni, peractum per Christi passionem, utpote rem infirmissimam, opus fuit ingentis potentiæ Dei. Secundo, *manus*, id est, providentia et directio: manu enim omnia dirigimus. Sensus est, ait Œcum. q. d. Judæi non prævaluerunt Christo, nec eum sua vi occiderunt, ejusque nomen et fidem deleverunt, uti intendebant; sed Deus omnia moderatus est ad suam voluntatem et gloriam omniaque ad optimum finem, puta ad Christi laudem, et Ecclesiæ propagationem perduxit. Tertio, *manus*, id est, operatio: Deus enim passionem Christi, et per eam redemptionem nostram, ac Ecclesiæ institutionem operatus est. Quarto, *manus*, id est, gratia et beneficentia (hæc enim fit manu) opus enim redemptionis nostræ per Christum, fuit opus summæ gratiæ et beneficentiæ Dei: *ut mirabilior esset gratia et potentia Dei; quæ de tam duris animis, tam tenebrosis mentibus, tam inimicis cordibus, fecit sibi populum fidelem, subditum, sanctum*, ait S. Prosper lib. 2. de Vocat. Gent. c. 15.

ET CONSILIUM,] βουλή. Syrus, *voluntas tua;* significantius Noster vertit, *consilium.* Redemptio enim nostra æque ac Ecclesia à Christo fundata, fuit opus summæ sapientiæ et consilii divini, uti docet S. Paulus 1. Corinth. 2. et alibi.

DECREVERUNT,] προώρισε, id est, *prædefinivit.*

FIERI.] Pati scilicet Christum, ob salutem et exaltationem tum Ecclesiæ, tum suam. Perperam ergo Beza pro *fieri* passivo, ponit activum *facere*, vertique *quæ definieras facienda*, quasi Judæi vi decreti divini acti et impulsi sint in necem Christi, itaque Deus primus auctor fuerit tam immanis operis et sceleris, puta Christicidii. Græce enim est γενέσται, id est, *fieri*, non *facere.* Ita Pagnin. Tigurin. et alii passim. Unde Syrus vertit דמהוה *demcheue*, id est, ut fieret: male ergo Latinus Syri Interpres vertit active, *facienda.* Dicit itaque S. Petrus, Deus passionem et necem Christi jam ante ab æterno decreverat, sed prævisis prius per præscientiam conditionatam perversis Judæorum voluntatibus, quod scilicet Pontifices et Scribæ superbi, avari et impii Christum essent occisuri, si Deus illum eis objiceret vitia eorum et scelera redarguentem; atque ex vi hujus decreti jussit Christo, passionem hanc à Judæis excipere, patique crucem et mortem. Secundo, Deus etiam decrevit positive permittere scelera Judæorum, et vim quam illaturi erant Christo, ut Christus pati posset, itaque Ecclesiam redimere, quod erat arcanum Dei consilium, Judæis, imo et dæmonibus incognitum. Dei enim providentia et decretum positivum, non tantum versatur et attingit id quod positive ab ea decernitur; ut ipse vel per se, vel per creaturas faciat; sed etiam id, quod ab ea decernitur, ut permittatur fieri ab impiis.

Egregie declarat S. Leo serm. 16. de passione, ubi citatis hisce Lucæ verbis: *Quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri: Numquid*, inquit, *iniquitas persequentium Christum ex Dei est orta consilio? et illud facinus, quod omni majus est crimine, manus divinæ præparationis armavit? Non hoc plane de summa justitia sentiendum est: quia multum diversum, multumque contrarium est id, quod in Judæorum malignitate præcognitum, et quod in Christi est Passione dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, unde moriendi; nec de uno extitit Spiritu atrocitas sceleris, et tolerantia Redemptoris. Non enim impias furentium manus immisit in se Dominus, sed amisit; nec præsciendo quod faciendum esset, coegit ut fieret, cum tamen ad hoc carnem suscepisset, ut fieret.* Et inferius: *Quod itaque Dominus Jesus Christus furorem frementium pati noluit, in nullo auctor eorum criminum fuit, nec egit ut hæc vellent, sed cessit ut possent: et sic usus est occæcatæ plebis insania, quomodo et perfidia traditoris, quem ab immanitate concepti sceleris, et beneficiis est revocare dignatus et verbis, assumendo in discipulum, provehendo in apostolum, monendo signis, consecrando mysteriis, ut cui nihil benevolentiæ deesset ad correctionem, nihil occasionis superesset ad crimen.*

Tropol. S. Prosper ad objecta Gallorum respons. 13. docet, per miram Dei providentiam persecutiones cedere in bonum Ecclesiæ, adeoque persecutores fabricare coronas iis quos persequuntur. *Inspiciatur*, ait, *primum ipsa crux Christi, in qua magno scelere Judæorum misericors voluntas Dei, ut pro redemptione nostra unicus filius ejus occideretur, impleta est. Inspiciatur Apostolorum gloriosa tolerantia, inter persequentium fremitus hac unanimi voce ad Deum clamantium: Convenerunt vere adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes, et Pontius Pilatus cum gentibus et populis Israel, ut facerent quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri. Inspiciantur denique innumerabilium Martyrum palmæ, quibus de crudelissima infidelium sævitia felix est parta victoria. Audiatur etiam Apostolus, Ecclesiam Dei ad perseverantiam pietatis instituens: in nullo, inquit, terreamini ab adversariis, quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis, et hoc à Deo*, Philip. 1. Idem ad excerpta Genuens. resp. ad dub. 7. ex hisce Lucæ verbis docet, *quod in malorum potestate est peccare: ut autem peccando hoc, vel hoc illa malitia faciant: non est in eorum potestate, sed Dei dividentis tenebras et ordinantis eas; ut hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei. Male enim velle facillimum est malis, et eorum damnabilem voluntatem non dubium est, à Dei potestate concludi, ut effectum cupiditatis suæ nisi ille permiserit, habere non possint. Uti autem sapientiam et justitiam Dei etiam malorum operibus, quæ ex illorum prodeunt appetitu, ad implenda consilia et*

judicia sua, nullus vel tenuiter secundum pietatem doctus ignorat, qui videt Dei Patris optimam voluntatem, non parcentis Filio suo, sed pro nobis omnibus tradentis eum, pessima traditorum Judæ et Judæorum voluntate completam. Judæi ergo persequendo Christum et Ecclesiam, eos exaltarunt : quia occidendo Christum, fecerunt eum salvatorem mundi et fundatorem Ecclesiæ, occidendo fideles, fecerunt eos Martyres, seque et rempublicam perdiderunt, ob hoc enim excisi sunt à Tito et Romanis. Sic Aman persequens Mardochæum, illum exaltavit, se perdidit. Sic fratres Joseph vendendo eum, crearunt principem Ægypti. Ecce quam potens, quam mira, quam fidelis Dei providentia in suos !

29. Respice in minas eorum.] Ut eas compescas, et à nobis avertas ; aut nos contra eas armes et robores.

Da servis tuis cum omni fiducia loqui,] μετὰ παῤῥησίας, quod Primo, Syrus vertit, *clare, manifeste, publice ;* Secundo, Pagnin. *cum omni audacia.* Unde S. Chrysost. ait fideles hic poscere animum imperterritum ; Tertio, alii, *cum omni libertate ;* Quarto, Noster, *cum omni fiducia :* hæc enim libertatem, audaciam, fortitudinem et constantiam involvit, vel adducit. Qui enim Deo fidit, liber est, audax, intrepidus et constans.

30. In eo quod manum.] q. d. Dabis nobis fiduciam prædicandi, si prædicationem nostram manu tua juves et confirmes, operando per nos ad invocationem Jesu Christi sanitates et signa, quibus ei attesteris, fidemque apud auditores concilies.

31. Et cum orassent motus est locus.] Primo, ut hoc signo significaretur eorum orationem à Deo esse exauditam, ait Chrysost. Beda et Lyran. Sic orante Paulo et Sila in carcere terra mota est, cap. 16. 26. Secundo, ut significaretur Deum eis esse præsentem, ad opem ferendam contra omnes terrores et hostes ; Deus enim suam præsentiam et magnificentiam solet ostendere per terræ motum, ut sui metum et reverentiam hominibus incutiat. Hinc cum descendit in Sina daturus legem Mosi et Hebræis mota est terra à facie Domini ps. 113. 6. Exodi 19. 19. Hinc psal. 74. 4. dicitur : *Liquefacta est terra* (à facie Dei in eam descendentis) *et omnes qui habitant in ea, ego confirmavi columnas ejus.* Et psalm. 103. 32. *Qui respicit terram, et facit eam tremere.* Vide Eccl. 16. 18. Tertio, ut significaret, Deum hostibus eorum minacibus et terribilibus fore, terribiliorem, omnesque eorum minas et terrores majori terrore incusso discussurum. Quarto, ut indicaret gentes terræ incolas, audito Evangelii præconio ejus metu et reverentia concutiendas, eique subjugandas. Ita Beda et Lyranus : idque patet Aggæi 2. 7. Quinto, ad acuendas fidelium mentes contra instantes Judæorum persecutiones. Sexto, symbol. terræ motus signum est et excitamentum lætitiæ : terra enim præ gaudio videtur subsilire, et Apostolis Deique servis applaudere. Ita Arator canit :

——Horum subgressibus ergo
Læta movetur humus.

Hinc Christo resurgenti terra applaudens tremuit et subsiliit ; Matth. ultim. Idem fecit cubiculum S. Paulini Episc. Nolani, eo moriente : gaudebat enim terra, quod tam S. viri corpus mox gremio suo exciperet, animam vero in cœlum transmitteret. Hujus rei symbolo cum populus Israel exiret de terra Ægypti, pergeretque per siccum maris rubri alveum in terram promissam, quæ typus erat cœli, *Montes exultaverunt ut arietes et colles sicut agni ovium,* quasi præ gaudio tripudiantes, Psalm. 113. Septimo, terræ motus signum erat advenientis in eos Spiritus sancti qui daturus erat eis fiduciam ad concutiendum et convertendum terrena et dura hominum corda. Unde explicans subdit :

Et repleti sunt omnes Spiritu sancto.] Jam in Pentecoste Spiritu sancto repleti fuerant, sed quasi in habitu ; nunc eodem replentur quasi in actu, ut scilicet in persecutione loquantur verbum Dei cum fiducia, per linguas igneas quas tunc receperant. Unde S. Chrysost. *Reaccensi sunt,* inquit, *Spiritu Sancto, et reaccensum in ipsis charisma.* Quocirca *jam non metuunt ; quia cor eis Spiritus sanctus mutavit,* ait S. Greg. in c. 10. l. 1. Regum. Hinc discimus, gratiam habitualem justi non sufficere ad vincendas ingruentes acres tentationes et persecutiones, sed ad hoc opus esse novo crebroque impulsu et robore Spiritus sancti, illudque precibus continuis et ardentibus efflagitandum, et impetrandum esse, uti hic fecerunt fideles.

32. Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una.] Nota το *multitudinis :* jam enim Christiani ad octo millia et amplius excreverant ut patet ex dictis. Erant tamen pauci, si cum Judæis et Gentibus conferrentur. Verum, ut recte ait S. Chrysost. hom. 40. ad populum Antiochen. *Non in numeri multitudine, sed in virtutis probitate multitudo consistit. Elias unus erat, sed totus mundus non erat dignus, qui ipsi reprehenderetur.* Non physice : quia quisque habebat suum cor et suam animam : non enim datur una anima communis, quasi idea Platonica, singulis individuis se communicans, licet enim id sensisse Platonem dicat passim Aristoteles, tamen alia fuit mens Platonis : non etiam datur intellectus unus abstractus singulis assistens ; licet enim id sensisse Averroem nonnulli putent, tamen longe alia fuit mens Averrois, uti fuse et erudite explicat noster Dandinus lib. 3. de Anim. Erat ergo fidelium cor unum, et anima una, non physice, sed moraliter. q. d. Ita animis et sensibus erant concordes, ac si omnes unum idem habuissent cor, et unam animam. Ratio erat, Prima ; quia per charitatem perfectam, pariter perfectam habebant inter se amicitiam : hæc autem in æqualitate et concordia animorum consistit, quasi in omnibus esset una et eadem anima : sicut amicus est alter ipse, inquiebat Pythagoras. Secunda, quia omnes Christum induerant, in eoque summe tam cum ipso, quam inter se erant uniti : quæ enim sunt unum cum eodem tertio, sunt et unum inter se. Ita enim amabant Christum Christique discipulos, ut parati essent pro eo mori, quem ante poposcerant crucifigi, ait S. Leo serm. 11. de passione. Tertia ; quia omnes non suam, sed Dei voluntatem cognoscere et implere satagebant : Dei autem voluntas una est et eadem. Unde sanctus Gregor. in cap. 1. l. 1. Reg. *Per intentionem rationis,* inquit, *solum conditorem aspiciebant, et per affectionem amoris solam ejus faciem videre desiderabant.* Quarta ; quia omnes possidebantur et regebantur eodem Spiritu sancto, quem ad hoc eis à Patre poposcerat Christus, dicens :

Pater sancte serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum voluntate, *sicut et nos unum sumus*, essentia et substantia, Joan 17. 11. Unde S. Aug. trac. 14. in Joan. sic legit: *Multitudinis credentium erat illis anima una, et cor unum in Deum*; quia scilicet vinculum charitatis mutuæ erat Deus et Spiritus sanctus. Sicut ex adverso, *nihil æque est molestum dæmoni ut concordia*, etc. *hinc ægerrime fert teneri in terra, quam non potuit conservare in cœlo*, ait S. Bernard. cap. 41. de Modo bene vivendi. Infert. S. August. *Si charitas*, inquit, *de tot animabus fecit animam unam, et de tot cordibus fecit cor unum, quanta est charitas inter Patrem et Filium?* Quinta, quia omnes uni Petro tanquam suo Patri et Pastori Ecclesiæ, plane et plene obediebant. Obedientia enim mater est unionis et concordiæ, uti patet in Religionibus, ubi ea viget. Ergo unum cor et una anima primorum fidelium, erat primo perfecta amicitia et charitas mutua. Secundo, idem Christus singulos inhabitans, et quasi animans. Tertio, eadem intentio omnium in Deum Deique voluntatem. Quarto, idem Spiritus omnes agens et movens. Quinto, eadem omnium obedientia et reverentia erga S. Petrum.

Audi Origen. hom. de Elcana: *Cur*, ait, *non omnes unum dicantur? quorum cor et anima una esse describitur; unam semper omnes sapientiam meditantur, unum sapiunt, unum sentiunt, unum Deum venerantur, unum Dominum Jesum Christum confitentur, uno Spiritu Dei replentur. Unde merito et ipsi omnes non solum unum, sed et unus dicuntur, sicut Apostolus designavit dicens: Omnes quidem currunt, sed unus accipit palmam*, 1. Cor. 9. 24. *Vides manifeste quia omnes isti unus est.*

Porro hæc unio inter Christianos primævos diu viguit. Testis est Tertull. qui vixit sub annum Christi 200. Is enim Apolog. 39. scribit totam Evangelicam legem consistere in charitate invicem exibenda, ita ut communis Gentilium de Christianis esset vox: *Vide ut se diligant, ut alter pro altero mori sint parati.* Et S. Pachomius. Hic enim cum Gentilis esset, militaretque in exercitu Constantini magni, videretque Christianorum in milites egenos charitatem, curam et munificentiam, ad Christum conversus, monachus, quin et monachorum pater et princeps effectus est, uti habet ejus Vita. Hinc Christiani olim se invicem fratres appellabant. Porro *melior est*, inquit Sanctus August. serm. 25. vel, ut alii numerant, 27. (qui sermo habetur quoque inter Ambrosianos num. 9. et 29.) de verbis Apostoli, *fraternitate sanguinis, Christi fraternitas: quoniam illa interdum sibi inimica est, Christi autem fraternitas sine intermisssione pacifica est. Illa inter se communia cum æmulatione dividit: hæc enim cum gratulatione communicat.*

Refrixit crescente fidelium numero hæc unio. Unde ejus retinendæ causa instituta sunt cœnobia, in quibus tanta fuit unio et communio, ut S. Basil. Constit. monast. c. 19. admiretur *homines ex diversis nationibus et regionibus profectos, per exactam morum ac disciplinæ similitudinem adeo velut in unum coaluisse, ut in pluribus corporibus unus tantum animus inesse videatur, vicissimque plura corpora unius animi instrumenta.* Unde et S. Gregor. in c. 1. lib. 1. Regum docet, Monachi nomen non tantum significare solitudinem et unionem cum Deo, ut ait S Dionys. Eccl. Hierarch. c. 10. sed et unionem fraternam, puta unanimem multorum in eodem Dei cultu et obsequio consensum et concentum: hæc enim est musica Deo gratissima. Sic et S. Aug. in psalm. 132. explicans illud: *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum*, docet id primitus impletum esse in hisce primis fidelibus, quibus erat cor unum et anima una; ac deinceps in Monachis, qui inde sortiti sunt nomen, scilicet à μονος, id est unus, solus. *Nam qui sic*, inquit, *vivant in unum, ut unum hominem faciant, ut sit illis vere, quod scriptum est, una anima, et unum cor; multa corpora, sed non multæ animæ; multa corpora, sed non multa corda: recte dicitur* μονος, *id est unus, solus.* Quare signum florentis disciplinæ, et virtutis vitæque religiosæ in cœnobio vel collegio, evidens est, si in eo magna vigeat animorum unio et charitas. Ad eam vero retinendam et augendam Cassianus collat. 16. c. 6. duo necessaria esse docet. Primo, ut omnes divitiarum et cujuslibet rei terrenæ cupiditates eliminentur. Secundum, ut ita quisque suas resecet voluntates, ut alterius potius, quam suo arbitrio stare velit. Optabat eam Plato in idea suæ Reipubl. Dialog. 5. sed modum eam in praxim apud homines redigendi non inveniebat. Hanc ergo, ait ille, civitatem, sive rempubl. sive dii alicubi, sive deorum filii una plures incolant, certe beatos omnique gaudio cumulatos esse. Hac de causa Apostolus toties hanc unionem fidelibus commendat, ac præsertim Ephes. 4. 1. et seq. Vide ibi dicta. Porro Abbas Anuph. hunc modum concorditer vivendi fratribus præscripsit: *Nos*, inquit, *qui septem fratres sumus, si vultis ut maneamus simul, efficiamur sicut statua hæc, quæ contumeliis affecta non turbatur.* Ita habetur in Vitis Patrum lib. 5. c. 15. de humilitate n. 11. Et lib. 7. cap. 42. Abbas Agathon adolescenti, petenti, qua ratione cum fratribus habitare posset et deberet? respondit: *Observa præ omnibus, ut qualis primo die ingrederis apud ipsos talis, reliquum tempus peragas, et cum quiete adimpleas peregrinationem tuam.* Idem rursum: *Si habitas*, inquit, *cum proximo, esto sicut columna lapidea, quæ si injuriatur, non irascitur; si glorificatur non extollitur.* Porro quam grata sit Deo hæc unanimitas, ex hoc Dei oraculo disce. B. Machario Anachoretæ celebri revelatum fuit, duas mulieres, quæ erant uxores duorum fratrum, ipso esse sanctiores, eo quod in eadem domo per quindecim annos ita concorditer vixissent, ut nunquam litem aliquam habuerint, vel verbum asperius invicem dixerint, uti refert Ruffinus in Vitis Patrum. lib. 2. n. 97.

NEC QUISQUAM EORUM QUÆ POSSIDEBAT, ALIQUID SUUM ESSE DICEBAT.] Abdicabant ergo rerum proprietatem et dominium, ex studio et voto (ut patebit c. 5. 1.) paupertatis æque ac charitatis et communis vitæ. Hoc fecerunt primi Christiani Hierosolymis duntaxat (qui cæteris seçuturis sanctiores, eis perfectæ sanctitatis dare voluerunt heroicum exemplar) non vero in aliis Gentilium provinciis, quibus prædicabat Paulus. Hos enim possedisse res suas, et habuisse proprias opes et fundos, patet ex collectis: quas pro pauperibus fieri jubet. 1. Cor. 16. v. 1. et ex eleemosynis in Christianos pauperes erogandis, ad quas eos adhortatur. 2. Cor. 8. et 9. et alibi, ac S. Joan. epist. 1. c. 3. v. 17.

Quare erraverunt hæretici, ab æmulatione vitæ Apostolicæ dicti Apostolici, quos tempore S. August. secutus est Pelagius, et nunc Anabaptistæ, dum hoc Hierosolymitarum spontaneum propositum volunt esse præceptum, non consilium Evangelicum. Errat ex adverso Calvinus, qui censet eos retinuisse dominium bonorum, sed ea sponte et liberaliter cum Christianis cæteris communicasse. Non enim habebant quid proprium, sed erant illis omnia communia, ut ait Lucas : ergo abdicabant se dominio, illudque in communitatem ; id est, in totam Ecclesiam transferebant. Adde, Ananiam et Sapphiram cap. 5. punitos esse morte, quia res suas à se prius abdicatas, rursus sibi vendicare et appropriare volebant.

Quæres, cur tam studiose primi illi fideles Hierosolymis amplexati sunt paupertatem? Resp. Primo, quia audierant à Christo et Apostolis, illam esse primam et summam beatitudinem : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, Matt. 5. Rursum Christus in paupertate constituit perfectionem virtutis et vitæ Christianæ, non formaliter (perfectio enim hujus vitæ formaliter consistit in charitate, futuræ vero in visione et fruitione Dei), sed causaliter, quia scilicet paupertas nudat nos amore rerum terrenarum, ut impleat amore Dei rerumque cœlestium. Audi S. Hieron. epist. 150. ad Hedibiam quæst. 1. *Vis*, inquit, *esse perfecta, et in primo stare fastigio dignitatis? fac quod fecerunt Apostoli : Vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et sequere salvatorem, ut nudam solamque crucem nuda sequaris et sola. Non vis esse perfecta? sed secundum vis tenere gradum virtutis? dimitte omnia quæcumque habes, da filiis, da propinquis.* Idem ad Nepotian. *Optimus*, ait, *dispensator est, qui sibi nihil reservat.* Idem in Epitaph. Nepotiani ad Heliodorum : *Nepotianus*, ait, *baltheo posito habituque mutato, quidquid castrensis peculii fuit, in pauperes erogavit. Legerat enim : Qui vult perfectus esse, vendat omnia quæ habet, et det pauperibus, et sequatur me. Et iterum : Non potestis duobus dominis servire, Deo et mammonæ. Excepta vili tunica, et operimento pari, quo tecto tantum corpore frigus excluderet, nihil sibi amplius reservavit. Cultus ipse, provinciæ morem sequens, nec munditiis, nec sordibus notabilis erat.* Et inferius: *Possideant opes sub Christo paupere; quas sub locuplete diabolo non habuerant, et suscipiet eos Ecclesia divites, quos tenuit mundus ante mendicos : Nepotianus noster aurum calcans, scedulas consectatur : et sicut in carne sui contemptor est, et paupertate incedit ornatior, ita totum animæ investigat ornatum.* Idem ad Rusticum epist. 4. *Sectare vestigia eorum quos sacerdotium et humiliores facit et pauperes : aut si perfecta desideras, exi cum Abraham de patria et cognatione tua, et perge quo nescis. Si habes substantiam, vende et da pauperibus ; si non habes, grandi onere liberatus es : nudum Christum nudus sequere : durum, grande, difficile ; sed magna sunt præmia.*

Secunda, quia paupertas ex diametro opponitur, et evertit cupiditatem, quæ Est radix omnis peccati et mali. Nam ex divitiis oriuntur vitia omnia, ac præsertim superbia et fastus, ac gula et libido : hisce enim opes, arma et fomenta ministrant. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ*, puta gula (et libido) avaritia et superbia, ait S. Joan. epist. 1. c. 2. v. 16. Ex avaritia autem oritur superbia et gula : ergo ipsa est radix omnis peccati. Audi Paulum 1. Tim. 6. *Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum, et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide, et inseruerunt se doloribus multis.*

Tertia, quia paupertas liberat hominem à mille distractionibus et curis, facitque, ut sit liber et expeditus ad vacandum sapientiæ, contemplationi, Evangelio et rebus divinis. Unde S. Bernard. *Noli*, ait, *amare* (bona terrena) *quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. Nonne ipsa sunt quæ concupita inardescunt, adepta vilescunt, amissa vanescunt?* ait S. Aug. et S. Chrysost. homil 47. in Matth. *Si*, inquit, *intueri volueris animam hominis aurum amantis : invenies eam ut vestimentum à decem millibus vermium corrosum, ita eam perforatam undique à sollicitudinibus, et à peccatis putrefactam, et ærugine plenam. Verum non talis est anima pauperis voluntarii, sed potius fulget ut aurum, spendet ut gemma, efflorescit ut rosa. Non est illic tinea, neque fur, neque sollicitudo negotiorum hujus vitæ, sed sicut angelus ita conservatur. Non subjacet dæmonibus, non assistit Regi, sed assistit Deo; non militat cum hominibus, sed cum angelis : non habet thesaurum terram, sed cœlum; non indiget servis, magis autem habet servos possessiones et cogitationes, quæ rebus dominantur. Quid igitur hoc paupere melius? At non habet equos et currum, quid vero his opus est ei, qui super nube vehi debet, et esse cum Christo?*

Quarta, quia paupertatis, merces et præmium à Christo promissum sunt opes cœlestes, immensæ et æternæ. Sicut ergo mercator sapit, qui aureo uno emit merces, quas postea decem aureis divendet; ita multo magis sapit Christianus, qui paupertate emit opes divinas. Paupertas enim facit hominum peregrinum terræ, civem cœli, socium angelorum, domesticum Dei : pauper ergo soli, dives est cœli. Unde S. Aug. in Sententiis sententia 250. *Dives*, ait, *qui talis est, ut contemnat in se quidquid illud est, unde inflari superbia solet pauper est Dei.* Ideoque homo cœlestis, angelicus et divinus. Angeli enim et Beati ex alto despiciunt et rident exiguum hoc terræ punctum, omnesque ejus opes et dotes. *Generosi enim, magnique animi est, nihil admirari præter Deum*, ait S. Cyprian. Quare vere et præclare Climachus gradu 17. *Paupertas*, ait, *est abdicatio sollicitudinum sæculi, iter ad Deum sine impedimento, expulsio omnis tristitiæ, fundamentum pacis, munditia vitæ, qui nos liberat omnibus curis vitæ transeuntis, et facit ut Dei mandata perfecte exequamur*, Facit enim paupertas, ut animus ab amore rerum temporalium abstractus, non putet se hic habere civitatem permanentem, sed cum Abrahamo futuram semper inquirat, cujus artifex et conditor est Deus, Hebr. 11. 10.

Quinta, quia paupertas facit ut homo totus Deo adhæreat, in eoque omnem spem et amorem collocet : quocirca Deus vicissim vicariis providentiæ suæ brachiis eum, ut suum amplectitur, ditatque non tantum omni gratia, sed et rebus omnibus ad vitam necessariis. Hoc est enim centuplum, quod pauperibus promisit Christus

Matth. 19. Et Psaltes psal. 54. 23. *Jacta super Dominum curam tuam, ipse te enutriet :* quem versiculum suis fratribus pro viatico dare solebat S. Franciscus. Et psal. 33. *Divites,* inquit, *egueruut et efuticrunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Quocirca S. Bernard. serm. 21. in Cant. docet quod Christus de se dixit: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum;* idem omnibus ejus fratribus esse commune, quibus omnia non solum adjiciuntur, sed etiam subjiciuntur, dummodo se terrenis rebus liberent, ac super illas se elevent. *Quod si ita est,* inquit, *non putent divites hujus sæculi fratres Christi sola cœlestia possidere, quia audiunt dicentem : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Non eos inquam æstiment sola cœlestia possidere, quia ea sola audiunt in promissione. Possident et terrena, et quidem tanquam nihil habentes et omnia possidentes, eo pro certo magis Domini, quo minus cupidi. Denique fideli totus mundus divitiarum est. Totus plane, quia plane tam adversa quam prospera ipsius, æque omnia serviunt ei, et cooperantur in bonum. Ergo avarus terrena esurit ut mendicus, fidelis contemnit ut dominus. Ille possidendo medicat, iste contemnendo servat.*

Sexta, quia Christus Dominus, Verbum et Sapientia Patris æterni, è cœlis in terram venit, ut paupertatis prætium et dignitatem non tantum verbo, sed et exemplo sanciret. *Ego,* inquit, *mendicus sum et pauper,* psal. 39. Quocirca pauperem elegit matrem, patrem fabrum; nec in domo, sed in stabulo nasci voluit; nec in cunis, sed in præsepio, eoque alieno reclinari. Tota vita nil proprium possedit, sed aliorum eleemosynis vixit : *Vulpes,* ait, *foveas habent, et volucres cœli nidos : filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Matth. 8. Discipulos et Apostolos instituit non divites, sed piscatores, plebeios et pauperes. Quocirca Christum in paupertate secuti sunt S. Petrus, Paulus, Apostoli et discipuli omnes, et posterioribus sæculis Prælati et viri Apostolici, S. Basilius, S. Nazianzenus, S. Chrysostomus, S. Martinus, S. Augustinus, S. Gregorius, etc.

Floruit hoc paupertatis studium in pace Ecclesiæ sub Constantino Magno. Post sæculum enim Martyrum, quod fuit ante Constantinum, secutum et sæculum Monachorum et Anachoretarum, quorum dux et antesignanus fuit sanctus Antonius; cujus vitam à se conscriptam Romam detulit S. Athanasius, eaque multos Romanos divites et potentes commovit ad eamdem imitandam : inter quos prima fuit S. Marcella, ait S. Hieron. in ejus Epitaphio. Sub idem tempus Gallicanus, destinatus Constantiæ sponsus, et Constantini Magni gener, ac Romanus Consul, relictis omnibus, ad Ostia Tiberina hospitale ædificavit, in quo ipse pauper pauperibus et ægris serviebat; qui deinde à Juliano Apostata occisus paupertatis studium martyrii laurea coronavit.

Idem studium paulo post suscitavit exemplo æque ac verbo S. Paulinus ex Consule Romano monasticem amplexus, indeque creatus Episcopus Nolanus : item S. Hieronymus, quando cum S. Paula secessit in Bethleem, eoque traxit nobilitatem Romanam. Porro S. Paula ita paupertatis erat amans, ita omnia sua (quæ erant amplissima et opulentissima) erogabat in pauperes, ut nec obolum sibi relinqueret, sed in aliena sindone sepeliri peroptaret; quod et ei contingit. Matrem secuta est filia Eustochium, et cæteræ, ac gener Pammachius, qui ex Consule Romano factus monachus domum suam in Ecclesiam convertit, quæ etiamnum titulo, S. Pammachi inscripta visitur, et nuncupatur S. Joannis et Pauli : quem proinde mire celebrat ejus incentor S. Hieron. epistola ad eumdem Pammachium de obitu Paulinæ uxoris : *Nobis,* inquit, *post dormitionem somnumque Paulinæ, Pammachium monachum Ecclesia peperit posthumum, et patris et conjugis nobilitate patritium, eleemosynis divitem, humilitate sublimem.* Et mox : *Quis hoc crederet, ut Consulum ponepos, et furiani germinis decus, inter purpuras Senatorum furva tunica pullatus incederet, et non erubesceret oculos sodalium, ut deridentes se derideret? Lucet margaritum in sordibus, et fulgor gemmæ purissimæ etiam in luto radiat.* Et inferius : *Nunc omnes Christi Ecclesiæ Pammachium loquuntur, miratur orbis pauperem, quem hucusque divitem nesciebat,* etc. *Parva dimisimus, et grandia possidemus. Centuplicato fœnore Christi promissa redduntur,* etc. *Fecit hoc Crates Thebanus, fecit Antisthenes : plus debet Christi discipulus præstare, quam mundi Philosophus, gloriæ animal, et popularis auræ atque rumorum venale mancipium. Tibi non sufficit opes contemnere, nisi Christum sequaris. Christus sanctificatio est, sine qua nemo videbit Deum. Christus redemptio, idem redemptor et pretium. Christus omnia, ut qui omnia, propter Christum dimiserit, unum inveniat pro omnibus, et possit libere proclamare : Pars mea Dominus,* etc. Et paulo post : *Sive legas, sive scribas, sive vigiles, sive dormias, amor tibi semper buccina in auribus sonet, hic litaus excitet animam tuam; hoc amore furibundus, quære in lectulo tuo quem desiderat anima tua, et loquere confidenter : Ego dormio, et cor meum vigilat. Cumque invcneris eum, et tenueris, ne dimittas.* Subdit deinde de Pammachii xenodochio : *Audio te xenodochium in portu fecisse Romano, et virgam de arbore Abraham in Ausonio plantasse litore : Primus inter Monachos in prima urbe, primum sequeris Patriarcham. Hæc moneo, frater charissime, pietate qua te diligo : ut non solum pecuniam, sed et teipsum Christo offeras hostiam viventem, sanctam, placentem Deo, et imiteris filium hominis, qui non venit ministrari, sed ministrare. Quantumcumque te dejeceris, Christo humilior non eris. Esto nudis incedas pedibus, fusca tunica vestiaris, æqueris pauperibus, inopum cellulas dignanter introeas, ipse aquam portes, ligna concidas, focum extruas; ubi vincula? ubi alapæ? ubi sputa? ubi flagella? ubi patibulum? ubi mors? Et cum hæc omnia feceris, ab Eustochio tua Paulaque vinceris, si non opere, certe sexu.* Hæc et plura sparsim S. Hieron.

Hos in paupertatis instituto secutus est S. Benedict. S. Bernard. S. Domin., S. Franc. qui paupertatem ita adamavit : ut eam quasi sponsam sibi suisque desponsarit. Unde rogatus sæpe à Fratribus, *quænam virtus maxime nos Christo commendaret gratosque faceret?* cum jubilo respondit, *Paupertas : hæc est enim via salutis, humilitatis fomes, perfectionis radix, quæ fructus nobilissimo cosque multiplices producit, sed occultos et paucis cognitos.* Quocirca ipse Romæ ad sepulchrum S. Petri et Pauli cum lacrymis supplicans, ut sese de thesauro paupertatis instruerent, meruit eos videre, qui et eum osculo salutantes, dixerunt : *F. Francisce, quia hoc petis quod Christus et Apostoli servarunt, certiorem te reddimus,*

tuum desiderium esse exauditum : en thesaurus sanctæ paupertatis tibi, tuisque asseclis perfecte conceditur : ac quicumque eum capessent, de regno beatitudinis erunt securi, et à Domino benedicti. Hinc idem dictitabat : Pauper est typus Christi, qui propter nos egenus factus est, ut nos sua inopia divites efficeret, qui ergo pauperi maledicit Christo maledicit. Ex adverso pecunia servis Dei non est aliud, quam diabolus et coluber venenosus. Ejus discipula, et in instituto Religioso filia S. Clara, cum esset nobilis et opulenta, sua omnia distribuit in pauperes, Ordinem pauperum Religiosarum instituit, ac palam professa est suum hoc collegium fore stabile et Deo gratum, quamdiu paupertate fuerit opulentum. Quamobrem ab Innocentio III. Pontifice novum, et eo usque inauditum paupertatis privilegium petiit, et impetravit, quod et Pontifex propria manu conscripsit. Cum deinde Gregorius IX. Pontifex ipsi suaderet, ut in Ordinem possessiones admitteret, seque de facto ipsam à voto, illis adverso, absolvere, respondit : *Nolo Pater sancte à Christi sequela in perpetuum absolvi.* Porro ipsa cæteris raro præivit exemplo : licet enim per viginti octo annos gravi morbo affligeretur, tamen simplici tunicula et rudi panno vestiebatur, perpetuo rigidoque è setis porcinis ad nudam carnem cilicio utebatur, nudipes incedebat, vili tenuique cibo vescebatur, non cubabat in lecto, sed humi vel super asseres. Hæc et plura habet ejus Vita.

Denique tanta, tamque varia et illustria suni paupertatis bona, ut eam ambierint Gentiles quoque philosophi et principes, vel ut sapientia, vel ut gubernaculis reipublicæ toti vacarent, eaque clarissimi evaserint. Hinc S. Chrysost. l. 2. Contra vituperat. vitæ monasticæ, comparat pauperes cum opulentis regibus, Diogenem cum Alexandro, Platonem cum Dionysio, Socratem cum Archelao, docetque illos gloriosiores fuisse sua paupertate, quam hos suis regnis. Laudat quoque Epaminondam Thebanum principem, qui in concionem vocatus, cum venire non potuisset, quia vestem laverat, nec aliam habebat, omnibus qui eo venerant illustribus viris spectatior et illustrior fuit. Crates Thebanus, ait S. Hieron. epist 13. magnum auri pondus projecit in mare, quod diceret, non posse se divitem satis bene philosophari : *Mergam*, inquit, *vos, ne mergar à vobis.* Seneca magnus paupertatis et frugalis vitæ encomiastes epist. 17. *Si vis*, inquit, *vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. Non potest studium salutare fieri sine frugalitatis cura.* Apuleius in Apologia : *Paupertas*, inquit, *est apud Græcos in Aristide justa, in Phocione benigna, in Epaminonda strenua, in Socrate sapiens : in Homero diserta.*

Sed audi Ælianum breviter eorum heroica paupertatis facinora, sane memoranda, recensentem lib. 11. Variæ Histor. c. 9. Aristides, inquit, Lysimachi filius, qui multa præclare domi militiæque gessit, et Græcis tributum imperavit, non tantum post obitum reliquit, ut exequiis celebrandis sumptus esset. Phocion etiam egenus erat, attamen cum mitteret ei Alexander centum talenta interrogavit : *Quam ob causam hæc mihi donat?* Qui cum responderent, *Quoniam te solum ex omnibus Atheniensibus bonum honestumque virum judicat. Sinat igitur*, inquit, *me talem esse.* Etiam Epaminondas Polymnidis filius, pauper erat. Cum autem Jason ei quinquaginta aureos nummos mitteret : *Injuriam*, inquit, *mihi facere incipis.* Et quinquaginta drachmas à cive mutuatus, ut essent pro viatico, profectus est in Peloponesum. Cum vero nuntium allatum esset, armigerum ejus à captivo quodam pecunias accepisse : *Mihi*, inquit, *da scutum. Tu vero tibi cauponam eme, in qua vivas. Non enim ulterius pericula subire voles, cum dives sis factus.* Pelopidas, cum objurgarent eum amici, quod pecuniariæ rei ad vitam tuendam conferentis nullam curam gereret : *Et*, inquit, *me hercule res utilis est, verum huic Niconicäi*, intento digito in hominem quemdam claudum et mutilum. Scipio 54. annorum vitæ spatium emensus, neque emit, neque vendidit quidquam : adeo paucis fuerat contentus. Cum autem quidam ei scutum eleganter apparatum ostenderet, dixisse fertur : *Atqui Romanum civem par est in dextra spem ponere, non in sinistra*, puta in gladio qui dextra, non in scuto quod sinistra geritur. Ephialtes Sophonidæ filius pauperrimus fuit; etsi vero amici ei decem talenta dono darent, non accepit : *Hæc*, inquiens, *me cogerent, siquidem reverenter vos haberem, aliquid præter jus concedere : sin minus vos observarem, ingratissimum videri.* Hæc Ælianus.

Æque memoranda sunt, quæ recenset Antonius in Melissa part. 1. serm. 33. Democritus, inquit, audiens quemdam de paupertate sua conquerentem, dixit : *Si non multa desideres, pauca tibi multa videbuntur. Desiderium enim contractum, paupertatem divitiis æquipollentem reddit.* Idem dictitabat. *Pauperis conditionem divitis multo beatiorem esse. Pauperes quippe maximis malis non infestantur, ut insidiis, odio invidia, quibus divites quotidie expositi sunt.* Arlstides diviti sibi pauperiem objectanti, dixit : *Mihi quidem nihil adferet mali paupertas, tibi vero divitiæ non paucas perturbationes.* Aristoteles aiebat : *paupertatem multis quidem indigere, inexplebilitatem autem omnibus.* Cato dicebat, honestam paupertatem impiis divitiis longe præferendam esse : hoc enim opprobrii, illud miserationis causa fieri solet. Hæc Antonius.

Talia quoque sunt quæ narrat Stobæus ser. 95. Socrates Archelao ipsum ditare volenti, renuntiari jussit : *Quod, farinæ chœnices quatuor obolo venirent Athenis; et fontes aquam funderent. Nam si res meæ mihi non sufficiunt, at ego ipsis sufficio, et sic etiam ipsæ mihi.* Diogenes sibi pauperiem exprobranti respondit : *Infelix quid ais : At ego neminem vidi tyrrannidem gerere propter paupertatem, omnes vero propter divitias.* Idem paupertatem appellabat virtutem αὐτοδίδακτον, id est, quæ per se discitur. Divites indigent multis præceptis ut frugaliter vivant, ut corpus exerceant, ne pompis inhient, etc., quæ omnia seipsam docet paupertas : ipsa ergo cogit ad virtutem. Hæc Stobæus. Idem Diogenes gloriari solebat, quod esset ἀνηρίος, ἄπολις, ἀπάτρις, ἀχρήματος, ἄσατος, καὶ ἐφημερόβιος, id est, *carens domo, civitate, patria, pecunia, nullam habens certam sedem, sed erro, et in diem vivens.* Ita Laert. lib. 6.

Sic nostro ævo de se jocantem audivimus Henricum IV. postea Franciæ regem, quod rex esset sine regno, et maritus sine uxore, ac dux belli sine pecunia. Plutarchus in Lacon. narrat, Lycurgum rogatum, *quomodo Sparta salva et invicta contra hostes consistere posset?* respondisse, *Si pauperes fueritis, nec alius alio plus requirat. Ad opulentos enim spes prædæ invitat hostem, nec facile potest elabi qui sarcinis et impedimentis re-*

tardatur. Adhæc tutiores sunt ab hostium incursu apud quos est æqualitas, et ex æqualitate concordia. Hæc illi lumine naturæ viderunt, et fecerunt reipubl. philosophiæ et laudis causa : sed ad paupertatem Evangelicam, quæ inducit bonorum communionem, quæque unius Dei, et vitæ æternæ amore suscipitur, assurgere non potuerunt. Ad eam assurrexerunt primi hi Christiani, quorum proinde vita fuit interpretatio. Evangelii et doctrinæ Christi, uti docet S. August. lib. de Mendacio c. 15. *Divinæ Scripturæ*, ait, *non solum præcepta continent, sed etiam vitam moresque justorum; ut, si forte occultum est, quemadmodum accipiendum sit quod præcipitur* (vel consulitur) *in factis justorum intelligatur.*

ERANT ILLIS OMNIA COMMUNIA.] Quia propria fecerant communia. Omnia ergo possidebant in communi, et si quisque pro uno prius sibi proprio, conferendo illud in commune, possidebat omnia cæterorum in communi. Hoc ergo uti commodius est et lucrosius, ita nil derogat paupertati et perfectioni, uti patet in modernis Religiosis plerisque, qui bona possident in communi : esto aliqui majoris resignationis et fiduciæ in Deum studio, nil omnino, ne in communi quidem, habere velint, sed vivere in diem mendicato. Porro hæc communio bonorum nascebatur ex communione animorum, *ut qui eodem consortio religionis tenebantur, eodem consortio fruerentur et vitæ, ut quibus erat una fides, esset una substantia; quibus erat communis Christus, communis esset et sumptus. Non quærit charitas quæ sua sunt*, ait S. Aug. serm. 27. de verbis Apost. qui in lib. 6. Confess. c. 14. narrat se ante conversionem agitasse consilium cum sociis de vita communi incunda, ut remoti à turbis otiose viverent; *Ut unam*, inquit, *rem familiarem conflaremus ex omnibus; ut per amicitiæ sinceritatem non esset aliud hujus, et aliud illius, sed quod ex cunctis fieret unum, et universum singulorum esset, et omnia omnium. Et placuerat nobis, ut bini annui tanquam magistratus omnia necessaria curarent, cæteris quietis. Sed posteaquam cœpit* (Romanianus unus è sociis) *cogitare, utrum hoc mulierculæ sinerent, quas et alii nostrum jam habebant, et nos habere volebamus, totum illud placitum, quod bene firmabamus, dissiluit in manibus, atque confractum est. Inde ad suspiria et genitus convertebamur, et gressus ad sequendas latas, et tritas vias sæculi.*

33. ET VIRTUTE MAGNA.] Græce, δυναμει, id est, *potentia, robore.* Ita Syrus, Tigurina et Pagnin. Robur hoc consistebat tum in fiducia et audacia prædicandi Christum, tum in patrandis miraculis, uti rogarant Deum, v. 29.

REDDEBANT,] quasi depositum sibi à Christo commissum. Hoc enim est ἀπεδιδουν. Ita Chrysostomus.

ET GRATIA MAGNA ERAT IN OMNIBUS ILLIS.] Tum: *quia gratiam habebant ad omnem plebem*, ut dixit c. 2. v. 47. id est toti, plebi erant amabiles et gratiosi : tum quia Deus eos sua gratia et donis spiritualibus cumulabat, quæ in eorum vultu, verbis omnique actioni resplendebat : unde Pagnin. vertit, *gratia magna erat super omnes illos*, tum proprie, quia fideles in mutua conversatione ostendebant magnam gratiam, benevolentiam et beneficentiam, ut viderentur esse fratres, imo angeli, et gratiarum filii. Unde Tigurina vertit, *gratiaque magna* (Syrus *bonitas*) *aderat omnibus illis.* Hunc esse sensum patet ex ratione quam subdit : *Neque enim quisquam egens erat inter illos*, etc.

35. ET PONEBANT ANTE PEDES APOSTOLORUM.] Tum studio humilitatis et reverentiæ erga Apostolos : unde Hugo et Glossa censent, eos flexis genibus sua obtulisse Apostolis, tum ut ostenderent opum contemptum, quasi eæ non manibus tractandæ, sed pedibus calcandæ essent. Unde Arator :

> Calcandumque docent quod subdunt gressibus aurum,
> De quo terrenæ veniunt ad pectora curæ.

Tum ut ostenderent se non tam gratiam facere, quam recipere ab Apostolis. Audi S. Chrysost. in 1. ad Corinth. c. 11. *Majoris ducebant quod ab eis reciperentur, quam quod darentur dona; hoc enim est potissimum contemnere opes, hoc est pascere esurientem Christum, si absque arrogantia et fastu id facias, sicque de quasi tibi ipsi plura, quam danti beneficia dare videaris.* Das enim terram, imo terræ particulam, et recipis cœlum.

Denique S. Chrysost. hic homil. 11. conatur hanc primorum fidelium devotionem, et bonorum communionem suadere suis civibus Constantinopolitanis, ut omnia sua in commune conferant vivantque in commune, promittens eis similem Dei benedictionem, ita ut nihil cuiquam desit, sed omnia ad vitam necessaria affatim adsint : sed in tanta civium (erant enim in urbe ut minimum centum millia Christianorum, ut ipse ait) multitudine divitibus et opulentis id persuadere non valuit. Quare hæc vita communitas et æqualitas apud primos tantum fideles Hierosolymis modico tempore constituit; mox ab eis ad sacerdotes et clericos transiit : ab his illico digressa est ad Monachos et Religiosos, qui soli eam retinent et tuentur.

Porro ex hac primorum fidelium reverentia erga Apostolos, videtur manasse priscus mos demittendi se ad pedes, non tantum Pontificis, sed et Episcoporum ac virorum sanctorum, juxta oraculum Isaiæ 49. 23. *Vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent.* Vide ibi dicta. Ita S. Domna illustrissima et pulcherrima femina 24. annorum, gentilitiis deorum sacrificiis præfecta, legens Acta Apostolorum, ad Christum conversa est, et à Cyrillo Nicomediensi Episcopo instructa : unde quod in Actis Apostolorum primos fideles fecisse legerat, quæcumque habuit, ut gemmas, thesauros et vestes pretiosas, ad Cyrilli pedes in pauperes eroganda portavit. Quare accusata et in carcerem detrusa, post longum agonem martyrio coronata est tempore Maximiani Imper. ita ex Actis Martyrum Nicomediensium Baronius tom. 2. anno Christi 293.

36. JOSEPH AUTEM.] Hujus unius exemplum ponit S. Lucas, tum quia vir fuit illustris et inter fideles primarius : tum quia deinceps ejus crebram et magnificam faciet mentionem : fuit enim ipse socius S. Pauli, destinatus à Spiritu sancto ad evangelizandum Gentibus quaquaversum, tum quia hæc ejus oblatio et donum fuit eximium; nam Alexander monachus in vita S. Barnabæ, narrat eum cum ditissimus esset, non agellum quempiam, sed latifundium amplissimum magnificis decoratum ædificis Christi causa vendidisse, pretiumque ad pedes Apostolorum obtulisse : atque hac ratione se ad apostolatum disposuit, ad eumque evehi meruit, de qua cap. 13.

QUI COGNOMINATUS EST BARNABAS AB APOSTO-

LIS.] Alius ergo est à Barsaba, qui fuit compositus S. Mathiæ, eique postpositus in apostolatu cap. 1. esto uterque vocatus sit Joseph. Ita S. Chrysost.

QUOD EST INTERPRETATUM FILIUS CONSOLATIONIS.] Id est, totus consolatorius, plenus consolatione, ingens consolator, consolationem omnibus afferens. Causam dat cur ei Apostoli mutarint nomen, vel potius Josepho dederint cognomen Barnabas; quia scilicet, Barnabas idem est quod filius consolationis. Talis autem erat Joseph. Primo, quia hoc suo præclaro oblationis exemplo Apostolis consolationem, omnibusque ædificationem attulit, qui proinde certatim eum imitati sunt. Secundo, ob eximiam mansuetudinem, hilaritatem, suaviloquentiam, gratiam, sanctitatem, pollebat gratia consolandi afflictos et miseros, ita Alexander in ejus vita. Tertio, quia pauperes suis eleemosynis consolatus est. Ita OEcumen.

Nota. Hæc interpretatio videtur nonnulis non à S. Luca, sed ab Interprete addita, et S. Lucæ inserta: tum quia non solet Lucas etyma interpretari: tum quia hæc interpretatio non videtur etymo consentire. Verum certum est S. Lucam eam inseruisse, quia ea non tantum in interpretatione et Bibliis Latinis, sed in ipso autographo Græco Lucæ textu, quin et in Syriaco habetur. Voluit enim Lucas rationem reddere, cur Joseph cognominatus sit Barnabas, quia scilicet erat plenus consolatione, quod hebraice significat *Barnabas*. Sic nomen Elymæ interpretatur magus c. 13. 3.

Quæres, quomodo *Barnabas* hebraice significat filium consolationis? Primo, Erasmus et alii nonnulli nomen Barnabas derivant à בר *bar*, id est filius, et, נפש *naphas*, id est respiravit, q. d. Filius respirationis et refrigerii, puta consolationis in æstu tentationum et tribulationum: à *naphas* enim dicitur נפש *nephes*, id est, anima, spiritus, alitus, respiratio refrigerans et consolans cor: sicut Græcis ψυχὴ, id est anima, dicitur à ψύχω, id est refrigero, ait Plato in Cratylo. Verum obstat, quod *Barnabas* scribatur per b *naphas*, autem per p, nisi dicas has duas litteras, utpote labiales et ejusdem pene soni, esse commutabiles, uti Germani eas commutant, dum pro b dicunt p. pro *Barnabas* dicunt *Barnapas*. Addit Erasmus se dubitare, annon pro *Barnabas* legendum sit *Barnachum*, id est, filius consolationis: נחם *nacham* enim proprie significat consolari. Verum omnia exemplaria habent *Barnabas*, non *Bernachum*, et ita deinceps audiemus eum vocari in apostolatu et comitatu Pauli.

Secundo, *Barnabas* proprie dicitur quasi בר נבוה *barnabi*, id est, filius Prophetæ: Propheta enim dicitur is, qui exhortatur et consolatur (unde græce vocatur filius παρακλήσεως, id est tam exhortationis, quam consolationis. Hoc enim est ejus officium, ut ait Paulus 1. Corinth. 14. 31. Unde c. 15. 32. ait Lucas: *Judas autem et Silas, et ipsi cum essent Prophetæ, verbo plurimo consolati sunt fratres, et confirmaverunt.* Hinc et Isaias princeps Prophetarum *consolatus est lugentes in Sion*, ait Eccles. c. 48. 27. Unde Isaias c. 40. 1. proclamat: *Consolamini, consolamini populo meus, dicit Deus vester: loquimini ad cor Jerusalem*, et c. 61. in persona Christi: *Spiritus Domini super me*, etc., *ut consolarer omnes lugentes, et ponerem lugentibus in Sion, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium gaudii pro spiritu mœroris.*

Tertio, Pagnin. in Nomin. Hebr. *Barnabas* deducit *à bar* et נבע *naba*, id est, eructavit, emanavit, scaturivit, ebullivit, prolocutus est. Unde מבוע *mabbia* et vena, fons scaturigo, scatebreæ, ebullitiones. q. d. Filius ebullitionis et eloquii ebullientis, id est, sermone profluus, hoc est, consolator. Eloquentes enim et verbis profluí, quibus sermo in ore quasi bullit, solent pollere gratia consolandi et exhilarandi. Sunt enim velut venæ et fontes jugiter emanantes aquas dulces blandi et suavis eloquii, quibus cor angustiatum refrigeratur, reficitur et consolatur.

Forte etiam radix *naba* illo ævo S. Lucæ proprie significabat consolari. Jam enim valde restricta est lingua Hebræa et Syra, ideoque multa verba et verborum significata illius ævi ignoramus. Id enim exigere videtur hoc loco textus Lucæ. Favet, quod ex *naba*, per aphæresin litteræ *nun*, deductum videtur. Syrum modernum בוא *baia*, id est, consolari; unde *buino* nostris Syris est consolatio. Hinc et Lexicon Syriacum: Barnabas, inquit, idem est quod filius consolationis, vel filius refugii; sed etymon non indicat, forte quia peregrinum erat. v. g. Cyprium priscum, Barnabas enim fuit Cyprius.

Aut potius etymon est Syrum jam dictum, puta בואא *baiia*, id est, consolatus est, exhilaravit: unde מבואא *mebaiia*, est consolator. Id ita esse patet ex interprete Syro, qui *Barnabas* hoc loco interpretatur בראדבואא *bera debviaa*, id est filius consolationis.

LEVITES.] Licet enim Levitæ Num. 18. 20. vetentur possidere agros in Judæa, non tamen extra eam, imo nec in Judæa, si ii sint pascuales dumtaxat ad alenda pecora, ut patet Num. 35. 3. Unde Hugo censet hunc Barnabæ agrum fuisse in Cypro, Alexander vero in Vita S. Barnabæ, ait eum fuisse in Judæa.

CYPRIUS GENERE.] Judæi enim post tot captivitates sparsi erant per totum orbem, et ubique gentium fixerant domos, uti et modo fixerunt. Addit Alexander, Barnabam natum in Cypro habitasse Hierosolymis, ibique una cum Stephano et Saulo sacris Litteris imbutum fuisse à Gamaliele: ac demum ad Christum venisse una cum consobrino suo Johanne, qui cognominatus est Marcus, in cujus domo coalescere cœpit nova hæc Christi ecclesia, ut dixi cap. 1. Unde Barnabam fuisse unum è 72. Christi discipulis tradit S. Epiphan. hæres. 1. Euseb. lib. 3. Histor. c. 35. et alii.

Porro Sophronius Patriarcha Hierosolym. in Fragmento de laboribus S. Petri et Pauli, quod extat tomo 7. Biblioth. S. Patrum, tradit S. Petri uxorem fuisse filiam Aristobuli, fratris Barnabæ, ex qua susceperit filium et filiam. Sophronio astipulatur Helecas Episcopus Cæsaraugustanus. in Addition. ad Chronicon Lucii Dextri et M. Maximi, quod anno Domini 1595. repertum et editum est Cæsaraugustæ. Sic enim scribit: *S. Petrus in honore habetur in Hispaniis, et uxor ejus Concordia passa Romæ sub Nerone, non multo prius quam ipse pateretur. Fuit hæc (ut docet M. Maximus ad epistolam S. Petri) filia Aristobuli, id est, Zebedæi, et Salomes, socrus S. Andreæ, qui duxit alteram sororem Concordiæ, et Jacobi et Johannis. Fuit autem Aristobulus cognomento Zebedæus, frater Barnabæ Apostoli Domini. Idem Ze-*

bedæus et Barnabas consobrini Johannis cognomento Marci, et nepotes Mariæ, ubi Christus cœnam ultimam celebravit, et ubi Spiritus sanctus venit in Apostolos. Sic ergo juxta Helecam, Barnabas fuit frater Aristobuli, qui alio nomine dictus est Zebedæus, fuitque pater S. Jacobi et Johannis Apostolorum, quorum proinde Barnabas fuit patruus, æque ac uxorum S. Petri et S. Andreæ : quare primarii hi Apostoli fuerunt consanguinei, vel affines. Porro de Zebedæo fratre Barnabæ, hæc addit Helecas : *In Britannia celebris est memoria multorum Martyrum, præcipue S. Aristobuli, unius de septuaginta duobus discipulis, qui dictus est etiam Zebedæus, pater Jacobi et Johannis, maritus Mariæ Salomes, qui cum Petro Romam petivit : inde relictis domesticis suis, missus in Angliam Episcopus, occubuit Martyr anno secundo Neronis.* Et inferius de uxore ejus : *Celebris*, ait, *memoria est apud Hispanos S. Mariæ Salomes, matris S. Jacobi, et uxoris Zebedæi, quæ cum attigisset annum nonagesimum anno Christi 42. sub Jacobo filio Alphæi Episcopo Hierosolymitano, die 24. Maii sanctissime decessit ad cœlos in Italia, diciturque Verulis quiescere, et mors ejus multis nobilitata miraculis.* Idem tradunt Verulenses. Cæterorum, utpote novorum, nec ab aliis traditorum, fides sit penes Helecam et Sophronium.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, S. Petrus Ananiam et Sapphiram, ob fraudatum agri pretium, morte punit. Secundo, v. 12. recensentur miracula crebra Petri et Apostolorum. Tertio, v. 17. incarcerantur Apostoli, sed ab angelo liberantur : inde concionantes in templo a Magistratu abducuntur in concilium, a quo increpiti intrepide respondent : Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Quarto, Gamaliel v. 34. sapiens pro Apostolis dat consilium. Denique v. 40. flagellantur Apostoli ; sed in iis exultantes, alacrius et audacius Christum prædicant.

1. Vir autem quidam nomine Ananias, cum Sapphira uxore sua, vendidit agrum, 2. et fraudavit de pretio agri conscia uxore sua: et afferens partem quamdam, ad pedes Apostolorum posuit. 3. Dixit autem Petrus : Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, et fraudare de pretio agri? 4. Nonne manens tibi manebat, et venundatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo. 5. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit et expiravit. Et factus est timor magnus super omnes qui audierunt. 6. Surgentes autem juvenes amoverunt eum, et efferentes sepelierunt. 7. Factum est autem quasi horarum trium spatium, et uxor ipsius, nesciens quod factum fuerat, introivit. 8. Dixit autem ei Petrus: Dic mihi mulier, si tanti agrum vendidistis? At illa dixit : Etiam tanti. 9. Petrus autem ad eam ; Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum, ad ostium; et efferent te. 10. Confestim cecidit ante pedes ejus et expiravit. Intrantes autem juvenes, invenerunt illam mortuam, et extulerunt, et sepelierunt ad virum suum. 11. Et factus est timor magnus in universa Ecclesia, et in omnes qui audierunt hæc. 12. Per manus autem Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe. Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis. 13. Cæterorum autem nemo audebat se conjungere illis: sed magnificabat eos populus. 14. Magis autem agebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum. 15. Ita ut in plateas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis. 16. Concurrebat autem et multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes ægros, et vexatos à spiritibus immundis, qui curabantur omnes. 17. Exurgens autem Princeps sacerdotum, et omnes qui cum illo erant (quæ est hæresis Sadducæorum) repleti sunt zelo : 18. et injecerunt manus in Apostolos, et posuerunt eos in custodia publica. 19. Angelus autem Domini per noctem aperiens januas carceris, et educens vos, dixit : 20. Ite, et stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus. 21. Qui cum audissent, intraverunt diluculo in templum, et docebant. Adveniens autem princeps Sacerdotum, et qui cum eo erant, convocaverunt concilium, et omnes seniores filiorum Israel: et miserunt ad carcerem ut adducerentur. 22. Cum autem venissent ministri, et aperto carcere non invenissent illos, reversi nuntiaverunt.

23. Dicentes : Carcerem quidem invenimus clausum cum omni diligentia, et custodes stantes ante januas : aperientes autem neminem intus invenimus. 24. Ut autem audierunt hos sermones magistratus templi, et principes Sacerdotum, ambigebant de illis quidnam fieret. 25. Adveniens autem quidam nuntiavit eis : Quia ecce viri, quos posuistis in carcerem, sunt in templo stantes, et docentes populum. 26. Tunc abiit magistratus cum ministris, et adduxit illos sine vi : timebant enim populum ne lapidarentur. 27. Et cum adduxissent illos, statuerunt in concilio : et interrogavit eos princeps Sacerdotum, 28. dicens : Præcipiendo præcipimus vobis ne doceretis in nomine isto : et ecce replestis Jerusalem doctrina vestra ; et vultis inducere super nos sanguinem hominis istius. 29. Respondens autem Petrus, et Apostoli, dixerunt : Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. 30. Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno. 31. Hunc principem et salvatorem Deus exaltavit dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israeli, et remissionem peccatorum. 32. Et nos sumus testes horum verborum, et Spiritus sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi. 33. Hæc cum audissent, dissecabantur, et cogitabant interficere illos. 34. Surgens autem quidam in concilio Pharisæus, nomine Gamaliel, legis doctor honorabilis universæ plebi, jussit foras ad breve homines fieri : 35. dixitque ad illos : Viri Israelitæ, attendite vobis super hominibus istis quid acturi sitis. 36. Ante hos enim dies extitit Theodas, dicens se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum : qui occisus est : et omnes qui credebant ei, dissipati sunt, et redacti ad nihilum. 37. Post hunc extitit Judas Galilæus in diebus professionis, et avertit populum post se, et ipse periit : et omnes quotquot consenserunt ei, dispersi sunt. 38. Et nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus istis, et sinite illos, quoniam si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur : 39. si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne forte et Deo repugnare inveniamini. Consenserunt autem illi. 40. Et convocantes Apostolos, cæsis denuntiaverunt ne omnino loquerentur in nomine Jesu : et dimiserunt eos. 41. Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. 42. Omni autem die non cessabant in templo et circa domos docentes, et evangelizantes Christum Jesum.

1. ANANIAS.] Hebr. idem est quod *donum Domini*, quod scilicet per votum Domino obtulit ; vel *paupertas Domini*, id est, Domino dicata : sed ex *Anania* factus est *Cananias ;* id est, institor et mercator Domini, quia pretii partem Deo dicatam, sibi quasi mercator retinuit, ideoque rursum factus est *Ananias ;* id est, afflictio Domini, quia à Domino morte mulctatus est.

SAPPHIRA.] Hebr. idem quod *numerans*, scilicet pretium : aut, ut Syrus : *pulchra*, vel sapphirina.

AGRUM.] Syrus קריתא *keritha*, id est, ager et villa : quæ vox deducta est ab hebræo קריה *kiria*, id est, civitas, pro quo Chaldæi dicunt קרתא : unde Carthago vocata est civitas nova à Didone condita : lingua enim Punica Hebrææ est affinis, utpote ab ea progenita.

2. ET FRAUDAVIT DE PRETIO AGRI,] ἐνοσφίσατο, id est, *callide surripuit*, ab oculis domini vel heri calide removendo ; Syrus, *sustulit*. Erat ergo hoc furtum, et sacrilegium rei Deo dicatæ. Ergo vel diserte voverat, vel certe professus erat verbis, aut ipso facto plenam bonorum, eorumque pretii abdicationem et oblationem, uti faciunt Religiosi jam voventes paupertatem. Negat tamen Cajet. fideles eam tum vovisse : idem negant constanter Calvin. Marlorat. aliique hæretici, votorum et Religionis hostes dicentes Ananiam solo mendacio solaque hypocrisi peccasse, quod simularet se dare totum cum daret partem, ideoque morte punitum esse. Verum errare eos, patet Primo, ex verbo *fraudavit?* fraus enim non fit in re propria, sed aliena, puta cum res alteri data, vel vendita, aut promissa surripitur. Unde græce est ἐνοσφίσατο, id est, callide surripuit. Fuit ergo fur et sacrilegus, quia scilicet violavit votum, et professionem paupertatis quam fecerat. Unde S. Aug. serm. 27. de verbis Apostoli : *Dum*, inquit, *ex eo quod promiserat partem subtraxit, sacrilegii damnatur et fraudis. Sacrilegii, quod Deum in pollicitatione fefellerit. Fraudis, quod integris muneribus portionem quamdam putaverit subtrahendam.* Secundo, quia Petrus Ananiam culpans ait : *Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, et fraudare de pretio agri ?* Si enim non vovisset, nec promisisset, fuisset tantum mendacium officiosum, non perniciosum, utpote in re propria, ideoque veniale ; sicut qui donaret amico centum aureos, dicens, Plures darem si haberem, at non habeo ; peccat tantum mendacio officioso et veniali, nec dicitur fraudare, multo minus mentiri Spiritui sancto. Instar ei Petrus acrius : *Quare posuisti in corde tuo hanc rem ?* tam nefandam, tam sacrilegam. *Non es mentibus hominibus, sed Deo.* Ergo Deo voverat et promiserat. Ille enim dicitur mentiri Deo et Spiritui sancto, qui id quod ei promisit et vovit, non servat. Tertio, idem patet ex pœna : Petrus enim punivit eum, æque ac uxorem morte, eaque subita, publica et infami. Fuit ergo lethale et grande hoc scelus : fuit ergo violatio voti et sacrilegium. Si enim non vovissent, licite potuissent pretium, vel ejus partem sibi retinere, et etiamsi dixissent hoc totum esse agri pretium, nemini fecissent injuriam, ideoque non peccassent fraude lethali, sed mendacio tantum veniali. Quarto, ita passim docent Patres. S. Basil. serm. 1. de Instit. monach. *Humana*, ait,

gloriæ cupiditate Ananias quidquid bonorum habebat Deo palam consecrarat, ut hominum de se opinionem excitaret. S. August. verbis paulo ante citatis, S. Chrysost. hic hom. 12. *Quare,* inquit, *hoc fecisti? Voluisti habere? oportebat initio habere, et non promittere nunc autem postquam consecrasti, majus sacrilegium commisisti.* S. Hieron. epist. 8. ad Demetr. clare : *Ananias*, inquit, *et Sapphira dispensatores timidi, imo corde duplici, et ideo condemnati : quia post votum abstulerunt quasi sua, et non ejus cui semel ea voverant, partemque sibi jam alienæ substantiæ reservantes.* S. Greg. lib. 1. p. 33. ad Vanantium : *Ananias*, inquit, *pecunias Deo voverat, quas postea victus persuasione diaboli subtraxit, sed qua morte mulctatus est scis.* S. Fulgent. epist. de debito conjugali c. 8. *Quam*, ait, *sit malum quamque sollicite fugiendum, si quis de hoc quod Deo voverit retinere aut rapere aliquid mortifera prævaricatione pertentet, exemplo sunt Ananias et Sapphira.* Idem asserunt S. Athanas. serm. de passione et cruce, Nazianz. in carm. de Virginit. præc. Cyprian. lib. 3. Testimon. c. 30. Cassian. collat. 18. cap. 7. atque in hoc caput commentantes Œcumen. qui peccatum Ananiæ vocat sacrilegium, Arator, Beda, Hugo, Lyran. et alii passim, quin et, quod mineris, Beza, veritatis utique nimis clara luce convictus.

Porro si primævi fideles, etiam conjugati, vovebant paupertatem, multo magis eam voverant Apostoli, eorum in virtute duces, sanctitatis et perfectionis magistri, ac Evangelicorum consiliorum præcones exemplo magis quam verbo, idque diserte docet S. August. 17. Civit. c. 4. *De terra*, inquit, *suscitatus est ille* (Paulus) *super omnes divites pauper, et de illo stercore erectus supra omnes populos opulentos ille inops, ut sedeat cum potentibus populi quibus ait : Sedebitis super sedes duodecim, et sedem gloriæ hæreditatis dans eis. Dixerant enim potentes isti; Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te. Hoc votum potentissimi voverant. Sed unde hoc eis, nisi ab illo de quo hic continuo dictum est, Dans votum voventi?* Et S. Thomas 2. 2. q. 83. a. 4. ad 3. *Apostoli*, inquit, *intelliguntur vovisse pertinentia ad perfectionis statum, quando Christum relictis omnibus sunt secuti.* Idem multis probat Alvarus Pelagius l. 2. de Planctu Ecclesiæ c. 9. et ex eo noster Hieron. Platus l. 2. de Bono status Relig. c. 28.

Porro licet D. Thomas loco citato negare videatur Christum eadem vovisse, idemque diserte doceant Medina et Cajetan. tamen multi contrarium censent : licet enim in Christo non fuerit illa causa vovendi quæ est in nobis, scilicet ad firmandam voluntatis inconstantiam, quæ in Christo nulla fuit (quod tantum videtur voluisse S. Thomas) tamen multæ aliæ fuerunt, scilicet Prima ut Deo offeret nobilissimum religionis actum. Hic autem est vovere et votum, quo non tantum res et actus, sed et voluntas ipsa in totum Deo consecratur, ita ut rem nec habere, nec velle possit; sicut plus est dare arborem cum fructibus, quam solos ejus fructus, ait S. Anselm. lib. de Similit. c. 84. Secunda, ut ipse perfectionis magister, ejus Apostolis nobisque daret specimen et exemplum, quod sequamur. Matt. 19. 21. Lucæ 14. 33. ubi Apostoli se Christi exemplum in paupertate secutos asserunt. Tertia, quia perfecta opum abrenuntiatio non fit nisi per votum : illo enim vovens non tantum præsentia, sed et futura bona quæ habere potest, libere à se abdicat. Quarto, quia tria vota Religionis sunt tria præstantissima holocausta : Christus autem se suaque in perfectissimum holocaustum Deo Patri obtulit. Unde ejus hæc est vox psal. 21. 26. *Vota mea*, id est, promissa mea; ait ibi S. Basil. et Theodor. *reddam in conspectu timentium eum.* Hanc sententiam probabilissimam esse censet Francisc. Suarez 3. p. qu. 40. disp. 20. sect. 2. et Salmeron. tomo 5. tractat. Videtur ergo Christus in primo instanti conceptionis suæ, se et omnia sua obtulisse ac vovisse Deo præsertim per paupertatem, castitatem et obedientiam. Nam homini obedientiam vovere non poterat, eo quod non haberet superiorem. Sic in vita S. Teresiæ quasi quid illustre ponitur, quod ipsa voverit se in qualibet re facturam id quod erat perfectius.

Insuper si primi fideles Hierosolymitæ vovebant paupertatem, valde quoque probabile est eosdem vovisse tunc castitatem, et uxoribus deinceps abstinuisse. Probatur id Primo, quia qui fecerunt majus, fecerunt et minus. Majus autem est abdicare à se bona omnia ad vitam necessaria, quam abstinere conjugio voluntario, et non necessario; cum multi eo abstineant, quod nolint illo illigari, nec pati molestias uxorias et rei familiaris. Adde, ad alendas proles, quæ ex conjugio continue suscipiuntur, opus esse multis opibus, ac proinde non posse eas abdicari. Secundo, quia hodie videmus eos qui faciunt votum paupertatis, facere et castitatis; sed non vice versa : multi enim castitatem vovent, qui bonis sui frui volunt. Tertio, id suadet fervor Christianorum illius ævi, et primitiæ Spiritus, quas ipsi hauserant. Unde de iis ait Lucas c. 2. 42. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum :* hæc autem assidua erat, nec tantum tradebat præcepta, sed et consilia Evangelica, inter quæ unum præcipuum erat illud Christi : *Sunt eunuchi qui se ipsos castraverant propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat.* Matt. 19. 12. Castratio enim hæc non solam abstinentiam ab usu conjugii, sed et ejus impotentiam significat, non physicam, sed moralem, quæ fit per votum, per quod homo licite non potest uti conjugio. Quarto, quia de iisdem ait Lucas ibidem. *Quod erant perseverantes in communicatione fractionis panis et orationibus.* Et vers. 46. *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem.* Si quotidie communicabant, si perpetim erant in templo orantes, ergo se continebant. Hoc enim jubet Apostolus 1. Corinth. 7. 5. Quinto, quia ea de causa Corinthii putabant, fideles omnes debere vivere cælibes, quia videbant primos Hierosolymitas ita vivere, ac proinde hoc dubium proposuerunt Paulo : quibus ille respondet, cælibatum non esse præceptum, sed consilium Evangelicum, ut patet toto cap. 7. prioris epistolæ ad Corinth. Sexto, quia Esseni, quos S. Marcus Alexandriæ instituit, ad instar primorum fidelium, quos viderat Hierosolymis institutos à S. Petro, uti docet S. Hieron. de Script. Eccles. in Marco, Esseni, inquam, coluerunt. cælibatum. Audi Plinium lib. 5. c. 17. *Gens* (Essenorum) *sola in toto orbe præter cæteras mira, sine ulla femina, omni venere abdicata, sine pecunia, socia palmarum, in diem ex equo convenarum turba renascitur*, etc., *ita gens æterna est in qua nemo nascitur : tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia est.* Et Solinum Polyhist. cap. 36. *Interiora Judææ Esseni tenent, qui præ-*

diti morali disciplina, recesserunt à ritu gentium universarum majestatis, ut reor, providentia ad hunc morem destinati, nullæ ibi feminæi veneris penitus abdicant, pecuniam nesciunt, palmis victitant: nemo ibi nascitur, nec tamen deficit hominum multitudo. Locus ipse addictus pudicitiæ est, ad quem plurimi licet undique gentium properant, nullus admittitur; nisi quem castitatis fides et innocentiæ meritum prosequatur. Itaque incredibile dictu, gens æterna est cessantibus puerperiis.

Iisdem argumentis probatur, fideles primos professos esse obedientiam Apostolis et S. Petro. Unde et bona sua, ac se totos cum bonis ad pedes Apostolorum obtulerunt cap. 4. 35. Voluit enim Deus in his primis dare primum et perfectum exemplar vitæ Christianæ, quod omnia deinceps sæcula intuerentur et imitarentur. Egerunt ergo ipsi vitam religiosam, verique fuerunt Religiosi, uti docet S. Hieron. de Script. Eccles. in Philone, cujus verba recitavi cap. 2. 44. et Cassian. lib. 2. de Instit. Renunt. cap. 5. et collat. 18. c. 5. ubi docet Cœnobitarum institutum à tempore Apostolorum initium sumpsisse, cum multi perfectionis avidi, non eo tantum contenti essent quod omnes facerent, ut sua omnia in commune conferrent: sed etiam his altiora meditantes, in secretiora loca suburbana secederent, qui quod à conjugibus, et à suorum consortio, imo ab omni mundi conversatione abstinerent, ideirco à solitudine Monachi, à communitate Cœnobitæ sint nuncupati. Inter hos autem principem, et cæterorum magistrum extitisse S. Marcum Evangelistam in Ægypto; sicut in Æthiopia extitit S. Matthæus, qui Iphigeniam regis filiam cum sociabus in monasterio Deo consecravit; in Græcia S. Paulus, qui Theclam; Romæ S. Clemens, qui Flaviam Domitillam; in Gallia S. Martha, quæ in cœnobio à se erecto cum aliis feminis Deo dicatis cœlestem vitam duxit. Idem liquet ex S. Dionys. Eccles. hierarch. cap. 10. ubi ritus consecrandi monachos suo, id est Apostolorum, ævo usitatos describit. Hinc S. Chrysost. lib. 3. Contra vituper. vitæ monast. docet institutum Religiosorum esse Apostolicum: sic et S. August. Euseb. et alii superius citati. His ergo parentibus et ducibus glorientur Religiosi, eorumque virtutem et ardorem æmulentur, scientes se primævum christianismi spiritum, et perfectionis apicem consectari, ut sint sancti totique Deo consecrati, sicut primi illi fideles à Paulo et aliis passim nuncupantur sancti.

Denique quam religiosa, sancta et excelsa fuerit primorum fidelium vita, liquet ex Essenis, quos instar Hierosolymitarum Alexandriæ instituit S. Marcus Essæi enim, vel Esseni nuncupati sunt quasi ὅσιοι, id est, *sancti*, ait Euseb. l. 8. Præpar. Evang. c. 4. ex Philone vel à Jesu, quasi Jessæi, Jesuæi, Jesuini, Jesuitæ. Ita Epiphan. hæresi 29. licet Judæorum Esseni dicti videantur nonnullis ab Hebr. חסה *chasa*, id est, vidit, quasi videntes; vel à *chosen*, pro quo Josephus l. 3. Antiq. cap. 9. græce vertit *Essen*, id est rationale, quod erat in pectore pontificis, cui inscripta erat doctrina et veritas. q. d. Rationales, contemplativi, qui toti vacabant rationi, menti, doctrinæ, et veritati rebusque divinis contemplandis, vel potius Esseni dicti sunt ab Hebræo *chasid*, et Syro *chasi*, de quo mox plura.

De Essenis ita ex Philone scribit Euseb. loco citato: *Nulla animi perturbatione feruntur, sed vera soli hominum libertate fruuntur. Nemo proprium aliquod possidet, non domos, non pecus, non res aliquod, sed omnibus in medio positis communiter utuntur: habitant simul, et convivunt quasi sodales. Cumque omnia pro communi utilitate faciant, alia aliorum negotia sunt, quæ impigre subeuntes certant; non frigus, non calorem, non aliquam aeris mutationem formidantes. Sunt autem eorum alii agricolæ, alii pastores, alii apum cultores, alii aliarum artium magistri. Cumque à laboribus suis mercedem ceperint, apud eum deponunt qui quæstor creatus est. Is omnia diligenter procurat quibus egent: egent autem paucissimis, cum omnem luxum, tanquam animæ et corporis morbum, aspernentur.* Et inferius: *Nemo servus apud eos est, sed cum universi liberi sint, alteri alteris serviunt.* etc. *Illam philosophiæ partem solum approbant, qua de Deo et creatione omnium scrutamur: Morali maxime invigilant. Die septima ad loca sacra concurrentes, ordine sub senioribus juvenes considere solent. Leguntur Scripturæ diligenter et exponuntur. Discunt igitur pie, sancte, justeque vivere; triplici regula utentes amore Dei ardentissimo, virtutis cultu diligentissimo, charitate proximi ferventissima. Quod igitur summe Deum diligant, multa nobis argumento sunt, castitas perpetua, jurisjurandi nulla mentio, mendacii odium, et præcipue quod bonorum omnium, nullius mali, Deum causam esse opinantur. Quod virtuti studeant patet, quia pecuniam negligunt, gloriam spernunt, voluptatem oderunt, constantes, severi, magnique animi sunt, charitatis autem argumenta sunt benevolentia, societas, æqualitas. Nullus enim domum habitat, quæ omnium communis non sit; unum ærarium, unus sumptus, omnibus est: vestis communis cibus et potus, communis mensa, omnis vita communis est.* Hæc de Essæis ex Philone Eusebius, qui eadem et plura de iisdem ex Porphyrio recenset lib. 9. de Præpar. Evang. cap. 1. et Joseph. lib. 1. de Bello cap. 7. ubi ait eos fuisse opum contemptores, paupertatis et vitæ communis amantes, religiosos erga Deum, silentio deditos, psalmodos, mites, fideles, pacificos, continentes, justos, abstinentes, longævos, in tormentis constantes, imo ridentes, immortalitati et æternitati viventes, quasi heroes et semideos: quos origine et genere fuisse Judæos; sed in christianismum transisse, et fide ac religione fuisse Christianos, docet Epiphanius loco citato, S. Hieron. in Philone et S. Marco, Sozomenus, Cedrenus, Beda et alii apud Baron. tomo 1. anno Christi 64. et fuse idipsum contra Scaligerum et Novantes ostendit noster Nicolaus Serarius l. 3. Trihæres. cap. 17. et cap. 4. ubi quinquaginta Essenorum dogmata et instituta enumerat. Et cap. 1. Essenos nomen accepisse censet ab Hebræo חסיד *chasid*, à quo Syriacum *chasi*, et *chosio*, id est, ὅσιος puta *sanctus*: quod præ cæteris undecim etymis, quæ ibi recenset, videtur probabilius: quin et idem Eusebius lib. 2. Histor. cap. 17. ubi citans verba Actor. 4. in fine, quibus primorum Christianorum vitam communem et virtutes Lucas depingit, docet tales fuisse Essæos. Quos rursum ex Philone ita describit: *Hoc in primis testatur, quod facultatibus suis renuntiarint, ac bonis ad se pertinentibus cesserint iis, qui philosophari cœpissent, et cunctis vitæ hujus curis abstinuerint, relictisque muris, in agris et hortis solitarie conversati sint, certo scientes*

consortia eorum, qui disparem sequebantur videndi rationem, inutilia et noxia esse illis, qui tum temporis hoc, ut par erat, agebant. Hæc prævictus Philo testificatus ad verbum subjicit, dicens: Est autem in multis quidem terrarum locis hoc genus hominum (oportebat enim perfecti boni participes fieri tam Græcos, quam Barbaros) verum in Ægypto in singulis præfecturis, sicuti vocant abundant et maxime circa Alexandriam. Deinde et habitationes eorum quales fuerint describens, de Ecclesiis ejus regionis hæc dicit: in singulis autem sacrum domicilium est, quod monasterium vocatur, in quo manentes sanctæ vitæ mysteria celebrant, nihil illud inferentes, nec potum, nec cibum, neque aliud quidquam eorum, quæ sunt ad corporis sustentationem necessaria, sed leges et oracula Prophetarum, et hymnos et reliqua hujusmodi, quibus scientia et pietas augentur et consummantur. Et aliquando post dicit: Totum autem illud temporis spatium, quod est à diluculo usque ad vesperam, in exercitium illis insumitur. Sacras quippe Scripturas legentes philosophantur, ac patriam philosophiam allegorice tractant. Etenim putant ea quæ in manifesta sunt Scripturarum expositione, quædam esse absconditæ naturæ symbola per figuras significata. Habent autem et commentarios priscorum virorum, qui cum disciplinæ eorum duces essent, multa in forma rerum allegorice traditarum post se monumenta reliquerunt. Continentiam autem primum, tamquam fundamentum quoddam in anima collocant, deinde et alias virtutes superstruunt. Cibum aut potum nemo illorum ante solis occasum usurpat. Etenim philosophiæ studium luce, corporis vero necessitas tenebris dignas esse judicant. Unde et diem illi, istis vero modicam, noctis partem tribuunt. Nonnulli ex eis toto triduo cibi non recordantur, quibus major scientiæ, quam cibi desiderium insedit. Nonnulli ita lætantur ac delectantur sapientia pasci; quæ dogmata opulente et abunde subministrat: ut duplicato temporis spatio abstineant, ac vix per sex dies necessario cibo gustantes vescantur. Addit præterea, apud illos, de quibus loquitur, mulieres quoque reperiri, quarum pleræque grandævæ virgines castitatem non necessitate, sicut quædam sacerdotes apud gentes, magis quam sua sponte, propter zelum ac studium sapientiæ custodiant: cujus commercium studiose colentes, corporum voluptates aspernantur, cum immortales potius liberos, quos solus amans Dei animus ex se gignere potest, quam mortales habere cupiant. Quid opus est istis adjicere, quomodo in unum congregati, separatimque viri, ac separatim mulieres, conversati sint, et quæ illis exercitia fuerint, quæ adhuc apud nos durant, et præcipue circa salutaris passionis festum diem, in jejuniis, et vigiliis nocturnis, divinorumque sermonum lectione exercere consuevimus? Et ut unus ex omnibus consurgens in medio, psalmum honestis modulis concinat, utque ei præcinenti unum versiculum, omnis multitudo respondeat: atque in ipsis diebus in terra recumbentes, vinum quidem nemo omnino, ne gustu quidem contingat, sed nec quamlibet carnem: tantum autem aqua sit eis poculum, et panis cum sale vel hyssopo cibus. Addit autem quomodo sacerdotes, vel ministri exhibeant officia sua, vel quæ sit supra omnia Episcopalis apicis sedes.

Tales ergo tantique fuere Essæi, puta primi fideles tam Hierosolymæ, quam Alexandriæ, de quibus vere dixit Nyssenus initio tractat. quid sibi velit nomen Christiani: *Christianismus est vitæ divinæ imitatio.* Et Nysseni frater S. Basil. hom. 10. Hexamer. *Christianismus quid est? Assimulatio Dei, quatenus eam assequi potest humanæ fragilitas naturæ. Votine reus es te Christianum fore? ne cunctere Deo fieri similis: Christum induc.* Et S. August. lib. 1. de Symbolo ad catechum. c. 5. *Christianus est templum Spiritus sancti.* Idem (vel quisquis est auctor: non enim videtur esse S. Augustin.) lib. de Vita Christiana cap. 1. tomo 6. *Christianus est Christi imitator.* Et cap. 6. *Christianus*, inquit, *justitiæ, bonitatis, integritatis, patientiæ, castitatis, prudentiæ, humilitatis, humanitatis, innocentiæ, pietatis est nomen; et tu illud quomodo defendis et vendicas tibi, cui de tam plurimis rebus nec pauca subsistunt? Christianus est qui potest justa voce dicere: Nemini hominum nocui, juste vixi cum omnibus.* Et cap. 14. *Christianus ille est, qui omnibus misericordiam facit, qui omnino non movetur injuria, qui opprimi pauperem se præsente non patitur, qui miseris subvenit, qui indigentibus succurrit, qui cum mœrentibus mœret, qui dolorem alterius sicut proprium sentit, qui ad fletum fletibus alienis provocatur, cujus domus communis est, cujus janua nemini clauditur, cujus mensam pauper nullus ignorat*, etc., *qui Deo die noctuque deservit, qui ejus præcepta indesinenter meditatur; qui pauper mundo efficitur, ut Deo locuples fiat; qui inter homines habetur inglorius, ut coram Deo et angelis ejus gloriosus appareat; qui in corde suo nihil videtur habere simulatum vel fictum; cujus simplex et immaculata est anima, cujus conscientia fidelis et pura est, cujus tota mens in Deo est, cujus omnis spes in Christo est, qui cœlestia potius quam terrena desiderat; qui humana spernit, ut possit habere divina.* Similia habet S. Ambros. serm. in die ascensionis Domini, et Irenæus l. 2. contra hæres. c. 57. sub finem.

2. De pretio agri.] Patrem sibi reservantes, ut humana prudentia sibi in tempore necessitatis, v. g. persecutionis, fugæ, senectutis consuleret, diffidentes Deo. Unde S. Hieron. epist. 8. ad Demetr. vocat eos *Dispensatores timidos, ac metuentes famem, quam fides non timet.* Addit Lyran. voluisse de una medietate pretii expensas habere communes, uti cæteri; et de altera lautius vivere in occulto; itaque communitatem hac parte defraudabant.

Afferens partem quamdam,] medietatem, ait Didymus l. 1. de Spiritu sancto, et Lyran. quin et Cassian. collat. 6. c. 11. censet enim potiorem pretii partem attulisse, et exiguum quid sibi reservasse. Verum pro *partem quamdam*, græce est μέρος τι, ubi τι est diminutivum, et significat partem unam è pluribus, hoc est, particulam, vel particellam ab eo fuisse allatam: plures ergo partes pretii sibi retinuit, unam dumtaxat attulit. An partem hanc pretii acceptarit Petrus, incertum est. S. Chrysost. in epist. ad Titum hom. ult. innuit non acceptasse, idque in detestationem sacrilegii. Unde hoc ejus exemplum secuti videntur S. Greg. et alii, quos mox citabo, qui pretium proprietariorum in eorum sepulchrum injiciebant, clamantes: *Pecunia tua sit tecum in perditionem.*

3. Dixit autem Petrus,] quasi Primas Apostolorum et Ecclesiæ Caput. Ita Glossa et Hugo.

Cur tentavit.] Græce ἐπλήρωσεν, id est, *implevit.* Sic et Syrus. q. d. ait Beda, Cor et mens hominis à solo Deo impleri potest: cur ergo tu permisisti illud impleri, id est, plene possideri

à diabolo, ejusque prava suggestione et consiliis; cum ipse illud, esto velit implere revera non possit? Noster cum S. Epiphanio hæresi 59. legit ἐπείρασεν, hoc est, *tentavit*, id est, tentando vicit, et impulit in scelus et sacrilegium : verbum enim *tentavit* sumitur in actu perfecto et consummato, uti sæpe fit apud Hebræos. Nam alioqui peccatum non erat tentari à diabolo : nec in potestate Ananiæ erat facere, ut ab eo non tentaretur. Sic Christus in oratione Dominica jubet nos orare : *Et ne nos inducas in tentationem*, ita scilicet, ut ea superemur. q. d. Ne permittas nos vinci tentatione, sed da gratiam, qua eam, cum ingruit, vincamus. Potest tamen Secundo, *tentavit* accipi simpliciter in actu inchoato, q. d. *Cur tentavit Satanas*, id est, cur vestra cupiditate et avaritia occasionem dedistis diabolo, ut vos tentaret ad hoc furtum? Diabolus enim non solet tentare nos nisi eo vitio, in quod nos videt esse proclives, ideoque facile vinci posse : perinde ut dux belli civitatem oppugnat ea parte, qua debilior est. Sic qui aspiciunt feminas, dant occasionem tentationi libidinis, taciteque volunt ea à diabolo tentari. Nota hic spiritum prophetiæ in Petro quo occultum Ananiæ scelus ex Dei revelatione cognovit.

Satanas.] S. Justin. contra Trophon. Iren. l. 5. c. 21. Beda in c. 16. Matth. Oleaster in cap. 26. Genes. nomen *Satanas* derivant à שטן *sata*, id est declinavit, defecit, apostatavit, ut *Satanas* sit idem quod apostata : primus autem apostata à Deo fuit Lucifer, ejusque asseclæ dæmones, cui proinde antonomastice competit nomen *Satanas*. Addit S. Justin. *Satanas* derivari à *sata*, id est, recessit, apostatavit; et *nas*, quod per crasin idem est quod נחש *nachas*, id est serpens : ut *Satanas* sit idem quod *apostata serpens*. Verum hebraice vocatur *Satan* : unde ejus proprium etymon est שטן *satan*, id est, adversari, quod expressit Zacharias cap. 3. 1 *Satan stabat à dextris ejus* (Jesu pontificis) *ut adversaretur ei*. Hebraice לשׂטנו *listheno*., à rad. שטן *satan*, id est adversatus est, q. d. Satan, id est adversarius, stabat, ut ex nomine et officio suo adversaretur Jesu. Idem significat S. Petrus epist. 1. cap. 5. v. 8. dicens : *Quia adversarius vester diabolus* (Satanas) *quasi leo rugiens circuit quærens quem devoret*. Ita Origen. tractat. 1. in Matth. et S. Hieron. epist. ad Marcellam. Porro hinc liquet minus verum esse, quod addit Justin. et ex eo Hilar. in cap. 4. S. Matth. nomen Satanæ primitus à Christo impositum esse diabolo, cum eum tentavit Matth. 4. Nam diu ante Christum Zacharias cap. 3. 1. eum vocavit *Satanam*. *Satanas* ergo pene idem est quod diabolus, pro quo Dorice dicitur Zabulus (Dores enim pro διὰ dicunt ξὰ) id est calumniator, à διαβάλλω, id est *calumnior*. Denique quia *Satan* hebraice significat quemlibet adversarium et contrarium, hinc Christus Petrum suæ passioni obsistentem vocavit *Satanam*, dicens : *Vade post me Satana*, Matth. 16. 23. Denique non omne peccatum committitur tentante diabole, uti nonnulli censuerunt, quia ad multa impellit nos concupiscentia innata; sæpe tamen illi se insinuat diabolus, eamque excitat et accendit, quia incredibili in Deum odio, et in homines invidia flagrat, estque solertissimus et perspicacissimus concupiscentiarum nostrarum indagator, ut per eas nos in ruinam impellat, uti docet Cassianus collat. 5. c. 15. Qui ergo à sciendo vocatur dæmon, à calumniando diabolus, idem ab adversando vocatur Satan.

Mentiri te Spiritui sancto.] Græce est *mentiri te Spiritum sanctum*; Syrus *mentiri te in Spiritum sanctum*, et sic habent nonnulli codices Græci εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Verum hæc omnia idem significant, nimirum id quod Noster, Tigurina, Pagninus et alii clare vertunt, *mentiri te Spiritui sancto*. Ponitur enim sæpe à Græcis et Latinis accusativus pro dativo, ut Benedico te, id est, benedico tibi : Evangelizo te, id est, tibi. Adde, ψεύσασθαι non tantum significat mentiri, sed et fallere ac fraudare. Unde verti potest, *fallere*, vel *fraudare te Spiritum sanctum*. Aliter Vatabl. et Cajet. q. d. *Cur mentitus es*, id est, cur præ te tulisti te habere Spiritum sanctum, et ex ejus instinctu fecisse hanc pretii oblationem et fraudem, cum potius feceris eam instinctu Satanæ, qui tentavit cor tuum, uti præcessit? Porro mentiri Spiritui sancto, est negare Spiritui sancto rem illi promissam et voto obligatam, sive fidem illi datam fallere, et, ut Apostolus ait 1. Timoth. 5. 12. irritam facere. Unde explicans subdit : *Et fraudare de pretio agri*. Ita Patres omnes, quos citavi v. 1. Discant hic voventes, quam stricte vota servare debeant : si enim ea violent, mentiuntur Spiritui sancto. Mentitur ergo Spiritui sancto, qui cum voverit obedientiam jussus à Superiore aliquid minus placens, vel minus honorificum facere, respondet, *Non possum* pro *non volo*.

4. Nonne manens tibi manebat.] Est hebraismus. q. d. Omnino tuum manebat pretium, liberum tibi erat illud mihi offerre, vel non offerre, si videlicet voti religione et promisso, te proprietate rerum non abdicasses. q. d. Cur te voto obstrinxisti, si illud violare volebas? poteras enim non vovere, itaque tuum tibi agri et pretii dominium reservare. Perperam ergo ex hoc loco Cajet. infert Ananiam non fecisse votum. Syrus vertit, *nonne tuus erat ager antequam venderetur*.

Et venundatum.] Græce, καὶ πραθὲν, scilicet κτῆμα, id est, *venditus*, scilicet ager, in tua erat potestate. Ita Syrus, Tigurina et Pagnin. Dices, si ager erat venditus : ergo jam non erat in potestate et dominio vendentis Ananiæ, sed alterius qui eum emerat. Resp. *venditus*, potest primo, accipi materialiter pro re vendita. q. d. Res vendita, puta ager, antequam eum venderes, erat in tua potestate. q. d. Nemo coegit te ut agrum venderes : poteras eum tibi servare : cur ergo eum vendidisti : ejusque pretium Deo vovisti, cum ejus pretium majori ex parte tibi contra votum reservare velle? Secundo, τὸ *venditus*, accipi potest formaliter; sed tunc *ager* metonymice sumitur pro pretio agri q. d. Pretium agri à te venditi erat in tua potestate, scilicet antequam illud Deo voveres et offerres. Cur ergo illud Deo vovisti et obtulisti; cum ejus partem fraudare et surripere cogitares? Hinc videtur quod ante votum Ananias vendiderit agrum, ac votum emiserit in pretii oblatione. Cum enim fideles pretia rerum suarum ad pedes Apostolorum deponerent, vel expresse, vel tacite profitebantur se omnem suam substantiam à se abdicare, eamque transcribere Deo et Ecclesiæ, ut in ejus jus et dominium transferretur; distribuenda deinde in fideles, prout Apostoli eorum principes censuissent. Communitas ergo,

puta Ecclesia, fiebat domina horum bonorum à à fidelibus oblatorum. Apostoli vero, utpote et ipsi paupertatem professi, non erant domini, sed dispensatores, uti modo sunt Generales, Provinciales et Rectores Religiosorum.

QUARE POSUISTI IN CORDE?] *Cor* vel est intellectus, vel voluntas: *Ponere* ergo *in corde*, vel est cogitare: Unde Vatab. vertit, *cur concepisti?* Vel velle et decernere: unde Tigurina vertit, *cur induxisti in animum?* cur statuisti et decrevisti hanc rem, hoc sacrilegium et votifragium?

NON ES MENTITUS HOMINIBUS, scilicet tantum, vel præcipue: alias enim vere Ananias mentiebatur. Petro et Apostolis, SED DEO.] Puta Spiritui sancto ut paulo ante dixit, cui tua vovisti. Unde recte contra Macedonium inferunt Patres, Spiritum sanctum esse Deum. Ita S. Athanasius libr. de Communi essentia, Nyssenus orat. de Filio et Spiritu sancto. Hieron. in cap. 63. Isaiæ, Ambros. libr. 3. de Spiritu sancto cap. 10. et alii. Erat ergo hoc peccatum Ananiæ sacrilegium, et injurium Spiritui sancto. Verum propriè non erat peccatum, quod à Christo Matth. 12. 31. vocatur in Spiritum sanctum. Illud enim est, cum opera Spiritus sancti, v. g. miracula tribuuntur Beelzebub et dæmoni, uti ibidem liquet.

Nota. Ananias dici poterat mentitus quoque Patri et Filio, proprie tamen dicitur mentitus Spiritui sancto. Primo, quia post ascensum Christi in cœlum, Spiritus sanctus, in Pentecoste missus in Apostolos et Ecclesiam, factus est ejus dominus, sponsus, pastor, imo anima et vita: quare fraus ab Anania commissa in Ecclesiam; censetur commissa in Spiritum sanctum. Secundo, quia Spiritui sancto tanquam primo et increato amori tribuuntur omnes gratiæ, virtutes et bona opera, præsertim heroica, quale est se et sua consecrare Deo. Spiritus sanctus ergo movit Ananiam ad hanc tam sublimem consecrationem et votum: quare ille resiliens votumque violans, fefellit Spiritum sanctum ejus auctorem. Tertio, quia Spiritus sanctus se liberaliter in Ananiam et fideles omnes effuderat dando eis omnia dona gratiæ, tum gratum facientis, tum gratis datæ: quare ingratus ei erat Ananias, dum res suas modicas illi promissas subduxit, et suffuratus est. Hæc enim erat magna indignitas, avaritia et ingratitudo; perinde ac si principi danti mille auri talenta, recipiens fraudaret et negaret unum obulum ei promissum. Hoc est quod indignans Deus queritur Isaiæ 57. 17. *Propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus, sum, et percussi eum: abscondi à te faciem meam, et indignatus sum; et abiit vagus in via cordis sui.* Insignis enim et iniquissima est avaritia, se suaque negare Deo, qui omnia dedit, cuique mille nominibus obstricti sumus, et totum debemus quod possidemus imo quod sumus. Quarto, quia Spiritus sanctus est spiritus veritatis, quem Christus dedit Ecclesiæ, ut eam doceret omnem veritatem, Johan. 16. 13. Veritati autem adversatur mendacium, quale erat hoc Ananiæ. Rursum Spiritus sanctus est spiritus candoris et sinceritatis, cui repugnat simulatio et hypocrisis, qualis erat hæc Ananiæ.

5. AUDIENS.] Hinc Porphirius arguebat S. Petrum sævitiæ et cædis, quod occidisset Ananiam, cui respondet S. Hieron. epist. 8. negando quod Petrus eum occidisset, cum ne quidem mortem ei intentarit, aut minatus sit. Unde Origen. tract. 9. in Matth. censet Ananiam tam gravi et inopinata Petri increpatione perculsum, ingenti pudore et mœrore animam exhalasse: sicut de multis aliis legimus, quod nimia tristitia expirarint. Quin et Plinius lib. 7. cap. 53. testatur Diodorum quemdam Dialecticæ professorem pudore subito obiisse, eo quod lusoriam quæstionem non protinus dissolvisset. Verius est, eum ad vocem Petri divinitus plaga lethali percussum interiisse. Fuit enim hæc ejus mors non naturalis, sed peccati pœna, et plaga à Deo inflicta. Unde Dionys. Carthus. ait Ananiam et Saphiram secreto occisos ab angelo. Vox ergo Petri fuit tantum occasio, vel causa instrumentalis occisionis, eaque non physica, sed moralis, ut patet. Unde Tertul. lib. de Pudicitia cap. 21. censet eam fuisse typum excommunicationis.

Notant Origen. tract. 8. in S. Matth. S. August. lib. 3. contra Parmen. cap. 1. Cassian. collat. 6. c. 1. Isido. Pelus. lib. 1. epist. 181. hanc mortis pœnam Ananiæ divinitus inflictam, ad terrorem novellæ Ecclesiæ, ut eo sanciretur publica disciplina crescente numero fidelium: neque tamen Ananiam in æternum damnatum; sed potius per carnis interitum consultum fuisse ejus et uxoris saluti spirituali et æternæ: penituerunt ergo audita increpatione Petri, antequam expirarent; et forte contritioni et dolore nimio expirarunt, uti contigit malefico illi audienti concionem beati Vincentii Fererii, uti in ejus Vita narratur: nisi dicas, eos non expressum votum, sed tacitam tantum bonorum abrenuntiationem ipsa eorum oblatione fecisse; ac proinde rerum Evangelicarum adhuc rudes censuisse, sine gravi peccato posse se aliquid ex iis in suos usus servare: itaque per ignorantiam excusari, et venialiter tantum deliquisse, ita Petr. Damiani epist. 15. cap. 3. Sic enim Deus percussit Ozam ob arcæ contactum, quod scilicet eam labentem sustentasset, 1. Regum. 6. 7. Sic Prophetam per leonem occidit, quod contra præceptum suum in Bethel comedisset, seductus ab alio Propheta, qui sibi contrarium revelatum asserebat, 3. Regum 13. 24. ubi tantum videtur fuisse peccatum veniale. Contrarium innuit S. August. serm. 27. de verbis Apostoli: *Ananias,* inquit, *pariter et vitam perdidit, et salutem.* Et S. Basil. serm. 1. de Instit. Monach. dicens: *Ad pœnitentiam aditum invenire non potuit,* utpote subita morte percussus.

Moral. hinc discant Religiosi, quam arcte votum paupertatis observare: ita testamentorum executores, quam studiose pia legata exequi, nec ea in suos, vel profanos usus avertere debeant: Deus enim hujus sacrilegii acerrimus est vindex. S. Hieronymus epist. 22. ad Eustochium de Virginitat. scribit adeo arctam fuisse in Monachis sui temporis paupertatis professionem, ut nemini liceret vel necessaria petere, tametsi vigilabat Præpositorum diligentia, ne cui aliquid necessarium deesset. Additque, quadam vice in monasterio quodam Nitriæ repertum fuisse monachum jam moriturum, qui aliquot solidos sibi retinuerat: quapropter placuisse Machario, Isidorio et aliis senioribus, ut cum mortuo pecuniæ infoderentur, clamantibus omnibus: *Pecunia tua tecum sit in perditionem. Nec hoc,* inquit, *crudeliter quispiam putet factum,*

tantus cunctos per totam Ægyptum terror invasit, ut unum solidum dimisisse sit criminis. Idem in simili casu fecit S. Gregor. ut ipse narrat lib. 4. Dialog. cap. 9. Quin et Ecclesia olim Religiosos proprietarios punivit carentia sepulturæ. Nam Clemens III. can. *Super quodam*, de statu monachorum, sancit ut Canonicus regularis, qui non resignavit proprium, in morte careat Christiana sepultura, et, si sepultus sit? exhumetur. Idem sancit Innocentius III. in Concil. Lateran. ut habetur ibidem cap. *Monachi.*

Porro votum paupertatis in eo proprie consistit, et ad hoc obligat sub peccato mortali, ut nihil liceat habere quasi proprium, aut sine venia Superioris, qui bonorum communium est dispensator. Unde S. Augustinus de communi vita Cleric. et habetur c. *Non dicatur*, 12. quæst. 1. *Certum est*, ait, *eos nihil habere, possidere, dare vel accipere sine licentia Superioris debere.* Idem in reg. 3. cap. 28. *Quod si*, inquit, *aliquid detur alicui, ut vestis, redigatur in communem rem, et cui necessarium fuerit præbeatur. Quod si aliquis rem sibi collatam celaverit, furti judicio condemnetur.* Et S. Basil. in Constit. monast. cap. 35. *Furtum*, inquit, *est privata possessio.* Dices, cui furatur? Respondet S. Basil, *Societatis enim expilatio est rei cujuscumque, et undecumque in privatum usum revocatio.* Quocirca idem S. Basil. uti refert Cassianus lib. 7. de Instit. Renunc. cap. 19. senatori cuidam, qui abdicata dignitate, mundo et opibus, monachum professus erat; ita tamen, ut nonnulla sibi reservaret, ne manibus, uti cæteri monachi, laborare cogeretur, dixit: *Et senatorem perdidisti, et monachum non fecisti.*

Refert Auctor serm. ad Fratres in eremo tomo 10. S. August. (certum enim est hos sermones non esse S. Augustini) serm. 5. Januarium monachum retinuisse sibi secreto centum siclos, quos cum post mortem ejus fratres invenissent, injecerunt in ejus sepulchrum plangentes, et dicentes, *Pecunia tua tecum sit in perditionem. Non enim licet nobis servis Dei eam collocare in victu, vel in vestitu, vel in opere monachorum, quia pretium damnationis est.*

Simile refert Cæsarius lib. 9. Histor. memorab. cap. 64. de proprietario monacho, quem exhumantes et in agrium projicientes cum suis quinque solidis conclamarunt: *Pecunia tua, quam clam nobis contra professionem tuam possedisti, tecum sit in æternam perditionem.* Plura his similia recenset noster Alfonsus Rodriguez tract. de paupertate in fine. De paupertate et proprio vide S. Aug. epist. 109. et S. Basil. loco citato, et S. Bern. tract. de modo bene vivendi c. 48. Scholastice vero et didactice vide nostros Suarium, Lessium et Thomam Sanchium tract. de voto paupertatis.

Ex hoc loco S. Bonifacius (et post eum omnes Episcopi cum ordinantur) dum ordinaretur Episcopus Moguntinus à Gregorio II. Hac formula eidem juramentum obedientiæ et fidelitatis præstitit: *Quod si* (*quod absit*) *contra hujus promissionis meæ seriem aliquid facere quolibet modo, seu ingenio vel occasione tentavero, reus inveniar æterno judicio, ultionem Ananiæ et Saphiræ incurram, qui vobis* (*id est beato Petro*) *etiam de rebus propriis fraudem facere præsumpserunt.* Ubi videtur indicare eos esse damnatos. Rursum S. Gregor. exemplo Ananiæ increpat Venantium, qui ex monacho factus erat Patricius et Cancellarius Italiæ. Sic enim ad eum scribit lib. 9. epist. 33. *Ananias pecunias Deo voverat, quas post diabolica victus persuasione subtraxit; sed qua morte mulctatus est scis. Si ergo ille mortis periculo dignus fuit, qui eos quos dederat nummos Deo abstulit; considera quanto periculo in divino judicio dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum Deo omnipotenti, cui te sub monachali habitu devoveras, subtraxisti?* Insuper ex ruina Ananiæ discant Confessarii, non facile suis pœnitentibus permittere ut voveant, præsertim rem integram et perpetuam, nisi diu multumque eorum constantiam probarint. Potius suadeant eis vota partialia et temporaria, v. g ut voveant se hanc illamve eleemosynam, aut opus pium facturos, se castitatem servaturos ad mensem vel annum, quo exacto novum novi mensis et anni votum nuncupent, si prius bene cesserit. Sic enim habebunt meritum voti sine periculo sacrilegii.

7. UXOR IPSIUS, NESCIENS QUOD FACTUM FUERAT.] Quia, ut ait Chrysost. *non est ausus quispiam annuntiare quod acciderat: adeo Petrum observabant et reverebantur, eique obediebant.*

8. DIXIT.] *Salutanti mulieri*, inquit Cajetan. Simplicius Syrus pro *respondit*, vertit, *dixit*, ut et Noster. Sic enim Hebræi *respondere* sumunt pro dicere, et ordire sermonem.

SI TANTI.] Expressit Petrus pretii quantitatem, quæ ab Anania oblata fuerat. Ita Lyran, eam tamen tacet Lucas.

9. QUID UTIQUE CONVENIT NOBIS,] τί συνεφωνήθη ὑμῖν; id est, *quid convenit inter vos? quid compacti estis?* Vatabl. Figurin. et Pagnin. *quid conspirastis inter vos.*

TENTARE SPIRITUM DOMINI?] *Spiritus* hic Primo, propheticus accipi potest. q. d. Ut quid voluistis tentare et experiri, an ego spiritu prophetico præditus sim, sciamque occultam vestram fraudem et furtum? Esto enim ipsi non intenderent hanc tentationem, re ipsa tamen tentabant. Ita Cajetan. Secundo, *spiritus* hoc accipi potest pro judicio, condemnatione, zelo et indignatione Domini, cui pretium oblatum suffurati erant. q. d. Ut quid voluistis experiri judicium, indignationem et punitionem Domini? Unde sequitur.

ECCE PEDES EORUM, QUI SEPELIERUNT VIRUM TUUM, AD OSTIUM.] q. d. Juvenes, qui occisum tuum maritum sepelierunt sunt ad ostium, ut pari modo efferant et sepeliant te, Spiritu enim divino video eos redeuntes à sepultura viri tui, et pedibus suis appropinquantes ostio domus hujus.

11. ET FACTUS EST TIMOR.] *Nullus*, ait Chrys., *ibi ingemuit, nullus ejulavit, cum divinum judicium venerarentur et discerent Deum non esse contemnendum.*

ET IN OMNES.] Super omnes. Ita Pagnin. Ergo etiam Judæos non credentes in Christum timor hic pervasit: cogitabant enim, si Petrus fideles ita perculit et occidit, ergo etiam nos potest percellere et occidere, si eum offendamus.

12. PER MANUS AUTEM APOSTOLORUM.] Hoc est, per Apostolos, quasi per instrumenta thaumaturga omnipotentiæ Dei, manus enim est organum organorum, ait Arist. l. de Partibus animal. Adde, revera multa miracula facta esse per manus, puta benedictione, extensione, elevatione vel contactu manuum, uti Petrus manu elevans claudum, eum sanitati restituit. c. 3. 7.

In plebe,] simplici, humili, credula, ideoque magis disposita ad Dei dona præ principibus superbis, opulentis et incredulis. Sic etiamnum videmus Sanctos fere per miracula opitulari simplicibus, plebeiis et pauperibus, non item doctis, nobilibus et divitibus.

In porticu Salomonis,] ut ibi liberius et pluribus prædicarent. Erat enim hæc porticus in atrio Gentium, ut dixi cap. 2. ad quod omnibus etiam immundis et Gentilibus patebat aditus; cum atrium Judæorum solis Judæis mundis et incontaminatis pateret. Adde, porticum hanc fuisse amplissimam, idcoque capacem tot millium jam conversorum ad Christum, qui ad Apostolos orationis, Eucharistiæ et prædicationis causa confluebant.

13. Cæterorum autem nemo.] Primo, aliqui sic exponunt. q. d. Nemo Judæorum adhuc infidelium audebat nomen dare Christo, et se aggregare Ecclesiæ et Apostolis, ob metum Principum Apostolos persequentium. Verum obstat quod sequitur: *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo.* Secundo, alii explicant. q. d. Nemo fidelium eorum qui necdum se bonis abdicaverant, audebat se sociare Apostolis: timebant enim, ne in casum Ananiæ et Sapphiræ inciderent. Sed hoc parum est probabile: ex casu enim Ananiæ potius incitati sunt ad contrarium, scilicet ad liberaliter offerendum sua omnia Apostolis: hoc enim faciendo, certi erant sibi nihil mali irrogandum; non faciendo autem, dubii, et meticulosi. Dico ergo sensum esse. q. d. Apostoli soli degebant in porticu Salomonis, nemo cæterorum audebat se iis adjungere, se iis inserere, se profiteri Apostolum, aut Apostolis familiarem, idque partim metu Magistratuum, partim ex admiratione et reverentia Apostolorum, quod ad eorum dignitatem et virtutem se assurgere posse diffiderent. Erant enim, inquit Chrys., *sicut angeli ita admirabiles*, interriti ad minas et pericula, divitiis et delitiis superiores, spirantes ignem divinum, gravitate et vultu venerabiles, affabilitate amabiles, charitate fervidi, oratione cœlestes, moribus divini. Unde sequitur: *Sed magnificabat eos populus.*

14. Credentium in Domino,] id est credentium Domino, scilicet Jesu Christo. Est hebraismus, puta *bet* contractus, quod Hebræi jungunt omnibus verbis quæ tactum aliquem, sive corporalem, sive spiritualem significant. Dicunt enim tangere in manu, id est tangere manum; percutere in capite, id est, percutere caput; credere in Domino, id est credere Domino. *Credere* enim significat contactum spiritualem; qui enim credit, mentem suam per fidem extendit ad eum cui credit, itaque cum spiritualiter fide sua tangit. Vide dicta Exodi 13. 31.

15. In plateas ejicerent,] in plateas efferrent: hoc enim est Græcum ἐκφέρειν. q. d. Tanta erat miraculorum multitudo, tanta ægrorum ad Apostolos concurrentium copia, ut eos nec ad Apostolos deferre, nec Apostoli eos domatim obire possent; quare efferebant eos in plateas, per quas transituri erant Apostoli, ut ibi ab eis curarentur. Ita Cajet.

Grabatis.] *Grabatum* est species lecti simplicior et vilior, qualis est pauperum et ægrorum gestatilis, dum in eo jacentes à bajulis, vel jumentis ad nosodochium portantur, vel alio transferuntur. Ita Cicero l. 2. de Divinat.

Ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum.] Mira thaumaturgia Petri: non tantum corpore, sed et umbra sola corporis, quæ res inanis est, corporisque et lucis mera privatio, sanat infirmos. Ecce hic impletum illud Christi: *Qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet.* Petrus enim fecit miracula majora quam Christus. Porro non umbra, sed corpus Petri per umbram suam contingens, ægros, sanabat eos quasi instrumentum et causa instrumentaria Dei omnipotentis, vel physica, vel potius moralis. Notat Bozius l. 18. de Notis Eccl. c. 1. (idque, insinuat. S. Chrysost.) τὸ *quemquam illorum*, censetque eo significari, quod umbra Petri tangente unum duntaxat, cæteri omnes qui illi vicini, vel in eadem platea expositi erant, sanarentur, esto ab umbra Petri non contingerentur. Sequitur enim in plurali: *Et liberarentur ab infirmitatibus suis.* In hunc sensum pronus est totius hic contextus nostræ versionis Latinæ, non vero Græcus, nec Syrus: uterque enim expungit illud, *Et liberarentur ab infirmitatibus suis*, Simplicior ergo et certior sensus est. q. d. Certatim omnes ambiebant inserere se in umbram Petri: quotquot enim ea tangebantur, sanabantur. Sic S. Vincentius Ferrerius serm. in Parasceve ait, quosdam censere ideo unum duntaxat latronem, qui à dextris erat Christi crucifixi, fuisse conversum, quia ipsum solum tangebat umbra Christi crucifixi. Causam dat S. Ambros. l. 3. Hexam. *Hanc viriditatem gratiæ semper florentis in Christo*, inquit, *secuta Ecclesia dicit.* Cant. 2. *In umbra ejus concupivi et sedi. Hanc prærogativam doni virentis acceperunt et Apostoli, quorum nec folium unquam potuit elabi, ut eorum etiam umbra curaret ægrotos. Obumbrabat enim infirmitati corporis fides mentis, et florentia merita virtutum.*

Symbol. Beda censet per umbram Petri significari Ecclesiæ Sacramenta (quæ quasi gratiæ sunt velamenta) quorum in præsenti vita, quæ umbratica est, et instar umbræ pertransit, contactu justificamur, itaque per ea deducimur ad res cœlestes quæ umbris hisce figurantur. Rursum S. August. serm. 29. de Sanctis, infert, si tantum potuit umbra Petri, quantum poterunt ejus catenæ et reliquiæ? *Si tam medicabilis*, inquit, *fuit obumbratio visitantis, quanto magis catena vincientis?* etc. *plus enim de corpore meruerunt attrahere salubritatis ferreo pondere sacris impressa membris vincula passionis.* Rursum si hoc potuit umbra, quid poterit imago Petri? Umbra enim est naturalis imago corporis, sed inanis et evanida; imago vero est realis et stabilis. Unde ab umbra ortam esse pingendi, et effigiandi artem, post Plinium docet Clemens Alex. in exhortat.

Denique Petri umbra docet Prælatos debere residere, ut præsentes subditis suis eos curent, obumbrent, tegant et regant. Physice Plinius l. 17. c. 12. docet, corpora suam qualitatem communicare umbræ: quare magnam vim in utramque partem inesse umbræ, ideoque in arboribus serendis ejus exactam habendam esse rationem. *Umbra*, inquit, *juglandium gravis et noxia, etiam capiti humano, omnibusque juxta satis*, etc. *Ficorum levis, quamvis sparsa, ideoque inter vineas seri non vetantur. Ulmorum levis, etiam nutriens quæcumque opacat. Jucunda platani, quamquam crassa. Populo nulla, lulentibus foliis. Pinguis*

alno, sed pascens sata. Vitis sibi sufficit, mobili folio jactatuque crebro solem umbra temperans. Omnium fere levis umbra, quorum pediculi longi. Non fastidienda hæc scientia, atque non in ultimis ponenda, quando quibusque satis umbra aut nutrix, aut noverca est. Juglandium quidem, pinorumque et picearum, et abietis, quæcumque attigere, non dubie venenum est. Idem lib. 8. cap. 30. scribit, *Umbræ hyænæ contactu canes obmutescunt.* Simili modo umbra Petri et Sanctorum salutifera est bonis, noxia malis, non vi naturali, sed divina. Allusit ergo Deus in hoc umbræ Petri miraculo, ad naturalem umbræ proprietatem jam recensitam.

16. VEXATOS, ὀχλουμένους, id est, *turbatos, perturbatos, agitatos,* A SPIRITIBUS IMMUNDIS,] puta energumenos à dæmonibus vel possessos, vel obsessos et divexatos. Dicuntur *immundi*, quia ardent superbia, ira et odio Dei et hominum; et quia homines ad gulam, venerem, omniaque peccata sollicitans. Hinc et cum apparent, non nisi in specie asinorum, hircorum, felium, porcorum similiumque fœdorum et immundorum animalium appareat.

Nota. Hic et in Evangeliis crebra fit mentio possessorum à dæmone, quos curavit Christus et Apostoli: imo crebrior quam in toto veteri Testamento: quia vigebat tempore Christi hæresis Sadducæorum, negans esse angelos et spiritus; ad hanc refutandam permisit Deus dæmoni corpora humana possidere, in eisque se et vim suam ostendere, idque aliquando sine culpa, aliquando ad puniendam culpam vel obsessorum: vel parentum, præsertim gravem et lethalem; sub inde tamen quoque ob venialem, uti modicam gulam, iram, acediam, quorum exempla extant apud S. Greg. lib. 1. Dialog. 4. Cassian. Collat. 7. c. 27. et alios. Simili de causa Deus nunc permittit tot sagas et magos, totque eorum maleficia, contra atheos, qui pariter negant omnem spiritum, imo omne numen. Porro inter alias dotes et notas Ecclesiæ collatas à Christo, una eminens est, potestas ejiciendi dæmones, uti ex continua experientia Gentilibus objicit S. Justinian. Dialogo contra Tryph. et S. Antonius apud S. Athanasium. Unde Exorcistas ad hoc Ecclesia ordinat, ut per sacros exorcismos dæmones expellant: cum ex adverso Lutherus anno 1545. volens ejicere dæmonem, ab eo in extremas angustias redactus sit, uti narrat ejus tunc discipulus, sed postea hostis, Staphylus in respons. contra Smidelinum, et Bredembachius l. 7. Collat. cap. 40. qui et c. 42. et 43. plura similia exempla recenset.

QUI CURABANTUR OMNES.] Verisimile est multos ex his, visis miraculis Apostolorum, credidisse in Christum, ac cum baptizarentur, vi baptismi, utpote in quo adhibetur exorcismus ad expellendum dæmonem, à dæmone liberatos esse. Id enim multis aliis contigisse narrat hic noster Lorinus: eos vero qui post baptismum corripiebantur à dæmone, vi Sacramenti Confirmationis, quod suscipiebant, ab eo liberari solitos narrat Prudent. in Apotheosi, et Lactant. l. 4. c. 27.

17. QUÆ EST HÆRESIS,] id est, secta; Tigurina *factio*, ut patet Actor. 24. 14.

SADDUCÆORUM.] Syrus, *qui erant ex doctrina Sadducæorum.* q. d. Pontifex cum suis, qui secta erant Sadducæi, persecuti sunt Apostolos, eo quod prædicarent resurrectionem, quam ipsi, utpote Sadducæi, pertinaciter negabant. Innuit Pontificem fuisse pariter Sadducæum, ideoque Apostolis indignatum.

REPLETI SUNT ZELO.] Pagnin. *æmulatione*; Syrus, *invidia.* q. d. Induerunt zelum suæ secta, puta Sadducæismi tuendi, ideoque inviderunt Apostolis eum per miracula inpugnantibus, et quasi de eo triumphantibus, eosque opprimere conati sunt: sed zelus Apostolorum, utpote cœlestis et divinus, vicit et oppressit zelum terrenum et perversum Sadducæorum.

18. IN CUSTODIA PUBLICA.] δημοσίᾳ, id est *populari et plebeia*, in qua incarcerati tenebantur fures et latrones, aliique malefici plebeii et viles, ut eo majori ignominia et dolore afficerent Apostolos, quasi aliis maleficis similes, uti in culpa, ita et in pœna. Nobiles enim ponebantur in carcere secreto honoratiore et commodiore, ait Hugo.

19. ANGELUS AUTEM DOMINI.] Aliqui censent fuisse S. Michaelem, cui commissa est cura Ecclesiæ, ideoque et capitis ejus, puta Pontificis, qualis erat S. Petrus. Ita Pantaleon Chartophylax in encomio S. Michaelis, quod extat apud Surium 29. Septembris, Sophronius tom. 2. Biblioth. S. Patrum in encomio angelorum, et alii. Addit Arator angelum hunc venisse coruscum ingenti lumine, eoque carcerem et noctem illustrasse, alioqui enim eum videre non potuissent Apostoli.

APERIENS JANUAS CARCERIS.] Rupertus, Dionys. Gagneius et alii censent, januas revera non fuisse apertas, sed per phantasiam: angelum enim eos eduxisse è carcere portis clausis, per penetrationem dimensionum (uti Christus nascens penetravit clausum matris uterum, et resurgens penetravit lapidem quo clausum erat sepulcrum) sed ita expedite, ac si per portas carceris apertas eos eduxisset: unde eis visum fuisse quod per portas apertas egressi essent. Verum contrarium est verius, scilicet angelum revera aperuisse carcerem: angelus enim non potest facere, ut corpus unum penetret aliud; sed mox ut eos eduxit; rursum januas clausit: unde eas clausas invenerunt ministri Magistratus, v. 23.

Moral. disce hic, in rebus arctis maxime suis adesse Deum, tumque suam potentiam, etiam per miraculum, in iis tuendis ostendere: itaque nemini tunc desperandum, sed potius acuendam spem in Deum, ejusque opem maxima fiducia invocandam esse, uti hic fecisse Apostolos non est dubium.

20. ITE, ET STANTES,] quasi constantes in fide et prædicatione Christi. Statio enim est symbolum et gestus constantiæ constantium. Unde Sap. 5. 1. de iis dicitur: *Stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt.* Nota hic, quantam libertatem et generositatem à præconibus suis requirat Deus et angeli, ut scilicet sese opponant toti concilio, eoque invito prædicent, ejus nec minas, nec tormenta, nec mortem metuentes.

LOQUIMINI, etc. OMNIA VERBA VITÆ HUJUS.] *Vitæ*, id est, instituti puta Christianismi; Secundo, *vitæ*, scilicet Christianæ; Tertio, *vitæ*, scilicet æternæ: quæ nimirum viam ostendunt, ducuntque ad Salutem et vitam æternam.

21. INTRAVERUNT DILUCULO IN TEMPLUM.] Syrus, *tempore pulchritudinis.* Aurora enim est pulcherrima, tum sole Oriente auricomo, tum avium cantu, tum suavi per lucem et calorem è flori-

bus, herbis, germinibus et rore, exhalante spiritu. Scribit Plato l. 10. de legibus, Græcos omnes, æque ac Barbaros Sole tam Oriente, quam Occidente adorare Deum: quocirca Clemens l. 2. Constit. cap. 24. acriter redarguit Christianos tardius templa adeuntes, cum Gentiles et Judæi suas Synagogas diluculo frequentent: quin et Sapiens c. 16. 28. docet manna cœlitus ninxisse diluculo, *Ut notum omnibus esset*, inquit, *quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, et ab Orientem lucis te adorare.* Ita hic Apostoli dimissi è carcere, primo diluculo adeunt templum, tum orationis et gratiarum actionis, tum prædicationis causa, scientes utique Judæos auditores de more diluculo ad orationem venturos in templum.

Præclare Climachus, magnus spiritalis vitæ magister gradu 26. docet, quemque debere diem cum oratione incipere et finire, ut cum Deo evigilet, eique indormiat: inde enim totum reliquum vel diem, vel noctem pendere; ac proinde dæmonium vespertinum vespere, matutinum vero mane nobis insidiari. *Quoties*, inquit, *quietis causa lectulo decubuerimus, adveniens immundus spiritus iniquas ac sordidas cogitationes, velut spicula quædam jaculatur in nos, ut cum per desidiam ad orationem non exurgimus, neque contra illum ocyus armamur, in sordidis obdormiamus cogitationibus, sordidaque videamus somnia.* Subdit deinde de matutino: *Est è spiritibus unus qui Præcursor dicitur, qui nos è somno surgentes protinus excipit, primumque nostrum cogitatum inquinare nititur. Da Domino primitias diei tuæ. Erit enim tota ejus, qui prior occupaverit. Memorabile verbum operarius quidam optimus locutus est: Ab ipso*, inquit, *matutino tempore cursum totum meum diei scio.* Fideles ergo illico ut evigilant, instar volucrum et cum volucribus incipiant jubilare Deo.

Adveniens,] ad locum concilio destinatum.

Convocaverunt concilium.] Syrus, *suos socios et collegas*, puta Pontifices inferiores, qui ei à consilio erant, uti modo sunt Cardinales Pontifici.

24. Magistratus templi,] στρατηγὸς, id est, dux militum, et quasi prætor templi, ut ex Chrys. et Beda dixi c. 4. 1.

De illis quidnam fieret?] τί ἂν γένοιτο τοῦτο; *quidnam hoc esset*, vel *quidnam de illis factum esset?* ita Syrus; Tigurina, *quidnam hoc sibi vellet?* Vatabl. *quomodo hoc factum est?* an scilicet Apostoli pecunia corrupissent custodes carceris; ad eum ipsis aperiendum, an vi perfregissent carcerem, an magico præstigio ex eo evasissent, uti videtur fecisse Apollonius Tyanæus, qui Romæ à Domitiano incarceratur, subito Puteolis apparuit, teste Philostrato l. 8. Vitæ ejus c. 4. Aliter vertit Pagnin. *quidnam hoc futurum esset?* q. d. Nesciebant quonam res hæc evaderet, quem exitum habitura esset.

26. Adduxit illos sine vi.] Paruerunt Magistratui, sive Prætori Apostoli, etsi non tenerentur, possentque ejus vim propulsare plebis sibi addictæ auxilio, ut darent exemplum Evangelicæ humilitatis, patientiæ, integritatis, constantiæ, et obedientiæ erga Magistratus, etiam infideles et hostiles, juxta mandatum Christi Matth. 10. 12. et Joann. 14. 27. Nihil enim timet bona conscientia nixa Deo, certaque ejus ope et præsidio, *qui tanquam volucres illos* (Apostolos) *semper ex ipsorum* (Judæorum) *manibus eripiebat*, ait S. Chrys.

28. Præcipiendo præcepimus.] q. d. Diserte, graviter et severe sub pœnis magnis præcepimus vobis.

Et vultis inducere.] q. d. Vultis nobis imputare et imponere crimen homicidii, quod scilicet impie et injuste Christum verum, innocentem et sanctum occiderimus, itaque nobis afflare infamiam et periculum vitæ, tum apud plebem, tum apud Romanos rerum dominos; potentes æque ac justos scelerum vindices. Inducere enim sanguinem alicujus super alium, est eum reum facere homicidii, ejusque pœnas ab eo deposcere, scilicet ut det suum sanguinem, et vitam pro sanguine alterius quem injuste effudit. *Oblitus est*, ait Beda, *Princeps sacerdotum debiti, quod ipse sibi et suis imprecatus erat, dicens: Sanguis ejus super nos et super filios nostros.*

Hominis istius.] Jesu Christi, quem dedignantur nominare, vel propter ejus claritatem, inquit Glossa: quia nimirum ei invident, ejusque nomen obscurare et abolere conantur, vel propter odium: quos enim odimus, nec videre, nec audire, nec nominare sustinemus.

29. Respondens autem Petrus et Apostoli.] Lyran. censet Petrum solum locutum esse pro cæteris, ne, si omnes loquerentur, esset confusio vocum, quæ intelligi nequiret. Melius Hugo, Dionys. et alii Censent, Petro responsionem inchoante alios ei succenturiatos fuisse, quisque responsionem confirmasse: erant enim pleni zelo et ardore, tum prædicandi et profitendi Christum, tum pro eo patiendi.

Obedire oportet Deo magis quam hominibus.] Aurea est hæc gnome, modesta et fortis, cordibus omnium insculpenda, quæ praxime exigit quotidianam, et jugem in quovis loco et tempore. Ea freti Apostoli et Martyres, opposuerunt se edictis Imperatorum de adorandis idolis, aliisque rebus à Deo vetitis, usque ad ignes, cruces et bestias. Ita Machabæi responderunt Antiocho mandanti, ut contra legem Dei vescerentur carne porcina: *Non obedio præcepto regis, sed præcepto legis, quæ data est nobis per Moysen*, 2. Machab. 7. 30. Huic simile est axioma Platonis in Phædro: *Nulli hominum fas est discedere ab eo munere quod Deus ei imperavit.* Nam, ut idem ait in Eutyphro: *illud sanctum est, quod Deo gratum est et placet.*

Secundo, Apostoli tacite hac sententia, et sequenti perstringunt suos judices et pontifices: *Magna enim sapientia ostendunt, quod illi cum Deo pugnent*, ait S. Chrys.

31. Hunc principem et salvatorem,] σωτῆρα, de quo S. August. l. 3. de Trinit. c. 10. *qui est hebraice Jesus*, inquit, *græce* σωτὴρ, *nostra autem locutione Salvator.* Sic Gentiles Antiochum cognominarunt Soterem, à salute suis allata.

Exaltavit,] à terra in cœlum per gloriosam ascensionem, ait S. Chrys. sicut eumdem v. 30. *suscitavit* à morte per resurrectionem. Rursum exaltavit eum in terra per nostram prædicationem, dando ei nominis claritatem, eique sensim subjiciendo Judæos et Gentes, *ut in nomine Jesu omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris*, Philipp. 2. 11.

Ad dandam pœnitentiam.] Ut per Christum, perque Christi merita, ad ejus gloriam, daret Israeli locum modumque pœnitentiæ, et per eam remissionem peccatorum, puta justitiam

et salutem : non quod justificatio nostra consistat tota in remissione peccatorum, per imputatam nobis justitiam Christi, uti delirat Calvinus, negans gratiam habitualem et virtutes infusas, cujus proinde errorem damnat Concil. Trident. sess. 6. can. 11. sed quod justificatio nostra in hac vita, potius peccatorum remissione constet quam perfectione justitiæ, ait S. Aug. 19. Civit. cap. 27. Nam post peccatum originale remissum in baptismo; remittuntur nobis peccata mortalia post baptismum admissa, in Sacramento pœnitentiæ : post illud crebro ex innata concupiscentia relabimur in peccata saltem venialia ; pro quorum remissione quotidie oramus ex præcepto Christi, dicentes : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Vide Bellarm. l. 2. de Justificatione c. 3. et 6.

Porro Petrus præ aliis donis Christi et Christianismi, proponit judicibus remissionem peccatorum, quia eis objiciebat peccatum gravissimum, quod scilicet Christum occidissent, ne ergo ejus veniam desperent, asserit Deum per Christum omnia omnino peccata, etiam hoc Christicidii, eis, si pœniteant et credant in Christum, condonaturum. Nam *Christus*, inquit Œcumen., *à Deo exaltatus injuriarum obliviscitur.*

32. Et nos sumus testes horum verborum,] id est harum rerum et mysteriorum (*verbum* enim ponitur pro re verbo significata, per metonymiam) puta Christi resurrectionis, ascensionis et exaltationis, ac pœnitentiæ et remissionis peccatorum, à Deo in Christum credentibus promissæ. Ita Lyran.

Et Spiritus sanctus.] Græce καὶ τὸ πνεῦμα καὶ τὸ ἅγιον, hoc est, ut Pagnin. et Tigurin. *insuper autem et Spiritus sanctis.* q. d. Non tantum nos testes sumus Christi, sed et Spiritus sanctus, qui per nos intrepide eloquitur hoc de Christo testimonium, quique per nos in fidem hujus sui testimonii tot signa et miracula operatur, imo omnibus in Christum credentibus se communicat, ac proinde et vobis, licet Christicidæ sitis, se communicabit, si in Christum credatis. Porro Spiritus sanctus non tantum dabat testimonium Christi per Apostolos, sed et per seipsum : tum quia in forma linguæ, ignis, venti, visibiliter illabebatur credentibus in baptismo : tum quia menti credentium internam suggerebat fidem, spem et amorem in Christum. Qualis quantusque testis sit Spiritus sanctus, docet S. Cyrillus l. 10. in Joann. c. 33.

33. Hæc cum audissent, dissecabantur.] Syrus, *dilacerabant se præ furore ;* alii, *frendebant et stridebant dentibus*, quasi per os serram traherent. Optime Noster *dissecabantur*, quasi serra iræ et furoris per medium cor dissecti et disserrati : hoc enim est Græcum διαπρίεσθαι. Nam ingens dolor, livor et ira, est quasi serra mentem irati dissecans, et discerpens in mille cogitationes, motus et æstus impatientiæ et indignationis. Ex adverso Apostoli mites et fortes, inter medios hostes constituti summa pace, mentisque serenitate fruebantur. Tanti est mens sibi conscia recti, et in Deum defixa.

Cogitabant,] ἐβουλεύοντο, id est, *consultabant*, ut vertit Tigurina et Pagninus.

34. Pharisæus.] *Pharisæus* hebr. idem est quod *expositor, explanator*, scilicet S. Script. et legis divinæ ; vel *separatus ab aliis*, scilicet religione et vitæ sublimitate. Habebantur enim inter Judæos legis peritissimi et observantissimi. Unde et Paulus ante conversionem fuit Pharisæus, cap. 23. 6. et Philipp. 3. 5. Vide ibi dicta.

Gamaliel.] Fuit hic magister S. Pauli, S. Barnabæ et S. Stephani, qui postea credidit in Christum, ejusque fidem publice professus est, ac relatus inter Sanctos in Martyrol. die 3. Augusti, una cum filio suo Abibone, ut patet ex Luciano in Relatione inventionis corporis S. Stephani, Nicodemi, Gamalielis et Abibonis, quam recenset Baron. Luciano. enim apparens Gamaliel, locum sepulturæ suæ et sociorum revelavit. Jam ergo occulte favebat Christo et Apostolis, imo S. Clemens l. 1. Recogn. c. 9. et ex eo Beda asserunt, eum jam fuisse Christianum (licet id neget Chrysost.) sed Apostolorum suasu fidem celasse, ut in concilio Apostolos tueri, et Pontificum contra eos consilia dissipare posset ; uti fecit S. Sebastianus pro Christianis apud Diocletianum. Porro Gamaliel Hebraice idem est quod *retributio mea Deus*, vel *ablactatus Dei*, vel *camelus meus fortis*, inquit Pagninus in Nominibus Hebraicis, quæ omnia Gamalieli egregie quadrant.

Honorabilis,] τίμιος, id est, *in pretio habitus.* Ita Tigurina et Pagnin. idque tum ob sapientiam, tum ob virtutem morumque gravitatem.

Jussit foras ad breve homines fieri.] q. d. Præsidi concilii suggessit, ut juberet Apostolos ad breve tempus extra concilium educi. Ita Syrus, tum ne collegis suspicionem injiceret, quod Apostolis occulte faveret, si eos in præsentia excusasset, ait S. Chrysost. tum ut absentes efficacius defenderet. Ita Lyran.

35. Attendite vobis.] Lenit furorem judicum, suadendo cunctationem maturam. q. d. Nolite præcipitare sententiam ex passione et ira, ne ejus vos postea, sed sero pœniteat. Ita S. Chrys. Sapienter Aristot. l. 6. Ethic. c. 9. asserit, *celeriter quidem deliberata agenda esse, cum mora autem consulendum.*

36. Extitit Theodas.] Alii *Theudas.* Alius est hic à Theuda, de quo Joseph. lib. 20. Antiq. c. 2. qui sub Cuspio Fado Præside Judææ, id est, anno quarto Claudii Cæsaris, Prophetam se finxit, multis post hanc Gamalielis orationem annis (hæc enim dixit Gamaliel anno 34. Christi. qui fuit 18. Tiberii Cæsaris : cui deinde successit Caius Caligula, Caio Claudius.) In quo falsus est Eusebius lib. 2. Histor. c. 11. Beda, Dionys. et alii ; nisi dicas in Chronologia Theudæ errare Josephum, ac Theudam diu ante Claudium rebellionem apud Judæos concitasse, quod tamen creditu est difficile, scilicet Josephum tot annis in re ævi sui errasse : fuit enim ipse Claudio coævus. Forte Theudas Josephi ; fuit filius vel nepos Theudæ nostri, qui ejus rebellionem sopitam suscitare, patrisque vel patrui necem vindicare conatus est, uti et hodie fieri videmus.

Dicens se esse aliquem.] Græca addunt μέγαν, id est *magnum ;* Syrus, *dicens se esse Rab*, vel *Rabbi*, id est, magnum quemdam doctorem et Prophetam. Persuasum erat populo ex oraculis Prophetarum, et ex sceptra à Juda in Herodem alienigenam translato, instare tempus Messiæ, qui Judæis regnum restitueret, et toti orbi imperaret. Hujus persuasionis meminit quoque Tacitus l. 21. et alii. Multi ergo impostores eam occasionem arripuerunt se pro Messia venditandi, inter quos videtur fuisse hic Theodas. Audi de eo Josephum : *Apud Judæam præstigiator quidam nomine Theodas, persuasit magnæ vulgi*

multitudini, ut assumptis suis facultatibus sequeretur se ad Jordanem fluvium (Prophetam enim se jactabat) pollicens scissurum se verbo Jordanem fluvium, ac facilem præbiturum transitum, talique promissione multos seduxit. At Fadus misit in eos equitum turmas, qui ex improviso irruentes ex his multos interemerunt, multos vivos ceperunt, et in his ipsum Theodam, cujus caput abscissum reportavit Hierosolymam. Sive enim unus idemque fuerit Theodas Josephi et Gamalielis hic, sive diversus, certe uterque similis fuit genii et ingenii.

CUI CONSENSIT,] ᾧ προσεκολλήθη, id est, *cui agglutinatus est*, Pagnin. *cui adhæsit.*

37 POST HUNC EXTITIT JUDAS GALILÆUS.] Hinc rursum colligas, alium fuisse Theudam nostrum, alium Josephi: hic enim fuit sub Claudio, noster sub Augusto: fuit enim ante Judam Galilæum, qui Romanis rebellare cœpit nascente Christo. Ita Origen. l. 1. contra Celsum et tract. 21. in Matth. docet Theudam fuisse ante Christi nativitatem, Judam vero paulo post eam, puta in censu quem fecit Augustus nascente Christo. Sic et Lucius Dexter in Chronico, anno secundo Christi, qui fuit urbis Romæ 753. hæc habet: *Tres soles apparuerunt in Hispaniis in unum collecti. Augustus Tiberium et Agrippam in filios adoptat. Judas Galilæus Judæos ad rebellandum Romanis cohortatur:* imo et Lucas hic, aut potius Gamaliel dicens: *Post hunc extitit Judas Galilæus in diebus professionis*, id est, in diebus census, ut mox dicam. Alii, qui volunt eumdem esse Theudam nostrum cum illo Josephi, ideoque posteriorem Juda Galilæo, respondent: *post hunc*, idem esse quod *præter hunc:* Græcum enim μετα, non semper significat ordinem temporis, sed rerum connexionem. Verum dura et contorta videtur hæc expositio: græce enim μετα τοῦτον, proprie significat *post hunc*, ut vertit Noster, Tigurina, Pagnin. et alii passim, non *præter hunc.*

IN DIEBUS PROFESSIONIS,] ἀπογραφῆς, id est *descriptionis.* Ita Tigurina. Syrus, *in diebus quibus homines descripti sunt in pecunia capitionis*, puta capitatim in censu. In censu enim fiebant hæc tria. Primo, singuli profitebantur se subditos Cæsaris Augusti. Secundo, ei solvebant censum in signum subjectionis. Tertio, describebantur à præside in tabulis Cæsareis, ad ineundum numerum Judæorum et aliarum gentium, quæ se Cæsari subditas profitebantur, ut ex illo sciret Cæsar quantæ essent provinciarum vires, tum ad pendendum vectigal, tum ad conscribendum militem, vel etiam imponendum, ne provinciæ fretæ sua multitudine et robore, Cæsari rebellarent. Hic est census de quo Lucas c. 2. 1. *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino: et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. Ascendit autem et Joseph*, etc. Judas ergo occasione accepta hujus census, cœpit concitare Judæos ad rebellandum Romanis, dicens indignum esse ut gens fidelis, et filii Abrahæ hucusque liberi, servire inciperent infideli Cæsari et Romanis. Addebat, lege iis vetitum esse dare Romanis vectigal. Nam Deuter. 23. post versum 17. *Non erit meretrix*, etc. Septuag. addunt: *Non erit τελεσφόρος de filiabus Israel*, quod Tertull. lib. de Pudicitia c. 9. et S. Hieron. epist. 146. vertunt, *non erit vectigal pendens ex filiis Israel:* τελος enim significat *vectigal.* Verum perperam: nam hæc sententia non habetur in Hebræo textu, nec in Latino et aliis. Quare videtur addita à Septuag. ad explicandum præcedentem legem: *Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel*, scilicet per meretricem et scortatorem maxime hic intelligi eos, qui se suamque turpitudinem Veneri et Priapo sacrilege dedicabant, qualis fuit mater Asa regis Juda, et effeminati, de quibus 3. Reg. 15. v. 12. et 23. τελεσφόρος enim non tam à τελος, id est *vectigal*, quam à τελετή, id est *consecratio*, deducitur. Unde S. August. lib. 10. de Civit. c. 9. ait, hoc voce teletarum significari consecrationes quasdam, quæ vere erant fallaces ritus dæmonum, in quibus scilicet meretrices et effeminati dona, ac præsertim partem pretii et lucri suæ turpitudinis offerebant Veneri, vel Priapo, sicut canephoræ apud Athenienses; planeque videtur τελεσφόρος dictum de femina, non de viro. Sequitur enim, *de filiabus Israel.* Et mox: *Et non erit* τελισκόμενος, id est, *initiatus, de filiis Israel.* Ubi Theodoretus quæst. 28. in Deuter. τελεσφόρον, ait, *vocat eum qui mysteriis initiat;* τελισκόμενον *autem eum qui initiatur*, id est, consecratur Veneris aut Priapi Sacerdos, aut cultor vel cultrix. Tales enim hebraice vocabantur *kades, kadesca*, quod Noster in Deuter. vertit *meretrix et scortator;* alibi vero *effeminati. Kades* enim proprie significat sanctum et consecratum alicui numini, ut hic meretricem Veneri. Ita et S. Cyrill. lib. 15. de Adoratione.

Judas ergo hic fuit auctor sectæ Galilæorum, qui pro libertate sua tuenda omne vectigal et dominium Cæsaris, etiam morte proposita abnuebant. Vide Josephum l. 18. Antiq. c. 1. qui et l. 20. c. 3. addit, Judæ filios, Jacobum et Simonem, sub Claudio Imperatore, eadem de causa crucifixos esse. Sed audi eumdem de Galilæorum, etiam puerorum, pertinacia scribentem. l. 7. Belli c. 29. *Omni genere tormentorum et vexatione corporum in eos excogitata, ob hoc duntaxat, ut Cæsarem dominum faterentur, nemo cessit, neque dicere velle visus est; sed omnes illa necessitate validiorem sententiam conservavere, tanquam brutis corporibus, non animis etiam cruciatus ignemque susciperent. Maxime vero puerorum ætas miraculo spectantium fuit: nec enim vel eorum quisquam commotus est, ut dominum Cæsarem nominaret, usque adeo corporum infirmitatem vis audaciæ superabat.*

Diu hæc secta inter Judæos viguit, adeoque erupit in publicum bellum, quo Judæi à Tito et Vespasiano subjecti et excisi sunt. Hac de causa Christus et Apostoli, quia sub idem tempus cœperunt docere, et quia æque ac Judas ejusque asseclæ, erant Galilæi in hæresis eorum, suspicionem apud Judæos et Romanos venerunt, ideoque ut ab ea se alienos ostenderent, passim docent jubentque ut fideles principibus, etiam infidelibus, obediant, eisque debitum honorem et tributum impendant. Vide S. Paulum toto cap. 13. ad Rom. Quin et Christus hac de causa voluit solvere tributum, etiamsi ad id non obligaretur, Matth. 17. 27. Hinc et Scribæ tentarunt Christum, ut eum apud Pilatum accusarent, dicentes: *Licetne tributum dare Cæsari, an non?* Matthæi 22. 17. Ita S. Hier. ibidem.

Hi sunt Galilæi quos occidit Pilatus miscendo sanguinem sacrificiis eorum, Lucæ 13. 1. De iisdem agit Hegesippus lib. 2. de Excid. Hieros.

c. 5. ubi tamen eos Samaritanos vocat. Sed respondeo, origine fuisse Galilæos, secta Samaritanos, ideoque à Judæis separatos templo, religione et sacrificiis. Aut certe misti erant ex Samaritis et Galilæis. Porro quo fine et sensu Gamaliel citet rebelliones Theudæ et Judæ, mox patebit.

AVERTIT POPULUM.] Græce additur, ἱκανὸν, id est *multum*. Sic et Syrus.

DISPERSI SUNT,] annihilata est eorum secta et rebellio, quia omnes vel occisi, vel dispersi sunt. q. d. Pari modo annihilabitur hæc Apostolorum facta, si vergat ad seditionem, vel aliud scelus : eo enim detecto, præses Rom. eos comprehendet et puniet, æque ac nos Pontifices et Scribæ, qui in eorum doctrinam et mores invigilamus : sin autem eorum secta sit pia et à Deo, non possumus, nec debemus ei resistere, uti ipse subdit vers. 38. Quare non præcipitemus consilium et sententiam, sed expectemus et videamus quoniam res eorum evadent : ita in nullam partem peccabimus; nec enim à populo vel Præside negligentiæ, nec à Deo imprudentiæ et temeritatis argui poterimus. Hoc est quod subdit :

38. ET NUNC ITAQUE DICO VOBIS : DISCEDITE AB HOMINIBUS ISTIS.] Hoc est, ut Syrus, Tigurina et Pagnin. *abstinete ab hominibus istis*. q. d. Nolite vos miscere eorum prædicationi : uti eam non probatis, ita nec improbate : tempus quod veritatis est magister, docebit nos an ex Deo sit, an ex spiritu humano : hactenus neminem læserunt, nec quid impii aut perversi docuerunt : non enim docent cultum idolorum, nec blasphemant Deum Israelis : ergo adhuc in eos actionem nullam habemus : nullum jus persequendi aut puniendi. *Discedite* ergo, græce ἀπόστητε, id est abscedite, et desistite à vestra contra eos inquisitione, nolite eorum res et acta dijudicare, nolite eorum conciones impedire; ne si novi Prophetæ sint à Deo missi, in Deum injurii sitis, ab eoque castigemini : sin autem humano seditionis aut ostentationis spiritu agantur, ille se prodet, eosque populo contemptibiles, et magistratibus reos constituet; qui proinde eos compescent et punient; itaque hoc eorum opus et consilium per seipsum dissolvetur et corruet.

39. SI VERO EX DEO EST, NON POTERITIS, NEC physice, nec etiam moraliter. q. d. Licite non potestis, nec debetis, DISSOLVERE ILLUD.] Unde sequitur : *Ne forte et Deo repugnare inveniamini*. Poterat dicere Gamaliel : Certum est hoc Apostolorum opus esse à Deo, idque probant tot eorum miracula. Verum quia judices ab eis plane aversos, imo in eos furentes vidit, prudenter id tacuit, ne et suum in Apostolos affectum proderet, et Judæorum furorem magis concitaret, sibique et Apostolis vitæ periculum crearet. Dicit ergo conditionate : *Si vero ex Deo est* (uti revera est) *non poteritis dissolvere;* ut injecto Dei metu, quasi aqua frigida, eorum furorem mitiget et restinguat, quem plane extinguere et sullocare non poterat. Simul hoc dicto innuit, ut serio et sine passione inquirant, an hoc opus non sit ex Deo : si enim considerent eorum mores sanctos ac miracula, facite visuros hoc esse opus Dei. q. d. *Credite quod non poteritis dissolvere*, ait S. Chrysostomus. Esto enim Apostoli docerent novam legem novumque testamentum, quo vetus lex et sacrificia abroganda erant, tamen id ipsum futurum esse prædictum fuerat à Prophetis. Hujus autem mutationis jam tempus adesse, multis Scripturis et miraculis probabant Apostoli.

Abutuntur hac sententia Gamalielis hæretici; dicentes, cum accusamur apud Magistratus novæ doctrinæ, respondendum eis est : Si hoc opus est ex hominibus, dissolvetur : si ex Deo, non poteritis dissolvere illud. Sed perperam : certum enim est omnem hæresim esse hæresim, id est, doctrinam falsam et pestilentem, à Deo et Ecclesiam damnatam, quam proinde Magistratus statim succidere debent, ne proserpat; multosque inficiat et perdat. Notum est quantum inducias à Carolo V. coacto datæ hæreticis in Germania usque ad Concilium generale, nocuerint Ecclesiæ, hæresimque propagarint, ut illa hucusque radicari non potuerint. *Sermo enim eorum ut cancer serpit*, 2. Timoth. 2. 17. Quocirca eos statim occidi jussit Deus Deut. 13. 5. Secus fuit hic in Apostolis : certum enim erat Gamalieli, eorum doctrinam esse sanctam et divinam. Scribis vero et judicibus idipsum si non certum, certe dubium esse debebat ob tot signa et prodigia, quæ indies de Apostolis audiebant, vel videbant. In tanto autem dubio non poterant bona conscientia Apostolos damnare, cumque ex præconcepto contra eos præjudicio et aversione non vellent eos absolvere, omnino faciendum eis erat Gamalielis consilium, scilicet : Absistite ab hominibus istis, quoniam si ex hominibus est hoc eorum opus, dissolvetur; sin ex Deo, dissolvere non poteritis illud. Quid enim aliud suadeas homini furenti et in scelus ruenti?

CONSENSERUNT AUTEM ILLI,] scilicet, ne Apostolos interficerent, uti paulo ante furentes cogitarant v. 33. non tamen furor eorum ita restinctus fuit, quin eos flagellarent, et juberent prædicatione Christi abstinere, ut sequitur.

40. CÆSIS DENUNTIAVERUNT,] flagellarunt ergo vel fustigarunt Apostolos; Syrus, *verberarunt*. Græcum δείρω significat *verberare et excoriare*. Fecerunt id, quia quoquo modo *suæ libidini satisfacere voluerunt, ne nihil egisse viderentur, et insipienter ea tentasse, quæ ipsis impossibilia erant*, ait S. Chrysost. Porro S. Clemens lib. 5. Constit. c. 2. hujus verberationis auctores facit Caipham, Annam et Alexandrum, asseritque non semel, sed sæpius ab eis verberatos esse Apostolos. Vere S. Athanas. epist. ad Orthodoxos in persec. *Flagella pati*, inquit, *Christianorum est, inferre Caiphæ et Pilati*. Impletur hic oraculum, quod Apostolis prædixit Christus : *In Synagogis suis flagellabant vos*, Matth. 12. 17. Præclare S. Nazianz. orat. 23. in laudem Heronis; *Philosophi animus ex eo quod passus est, generosior redditur, atque ut candens ferrum frigidæ aspersione, ita ipse periculis obdurescit*.

NE LOQUERENTUR IN (id est *de*) NOMINE JESU,] ne de Jesu prædicarent, scilicet eum resurrexisse et esse salvatorem mundi.

IBANT GAUDENTES.] *Tam fortis*, ait Chrysost., *invictaque res est virtus, et dum patitur, affligentes vincit*. Et mox : *est quippe fortitudinis excellentissimus gradus, non tantum patienter et libenter, sed lætanter quoque adversas res ferre. Hoc est omne gaudium, in varias tentationes incidere*, ut ait S. Jacob c. 1. 2. Additque hanc fortitudinem et lætitiam in plagis, mirabiliorem esse omnibus signis et miraculis. Cassianus collat. 12. c. 13. narrat, Christianum quemdam à Gentilibus di-

vexatum, cum illi petulanter rogarent : *Quid miraculi Christus vester, quem colitis, fecit?* respondisse : *Ut his, ac majoribus, si intuleritis, non movear, nec offendar injuriis.*

Ita S. Paulus exultat passim et gloriatur in suis vinculis, plagis, flagellis, lapidationibus. Vide totum c. 11. ep. 2. ad Cor.

Unde S. Chrysost. homil. 1. in 2. ad Corinth. *B. Paulus*, ait, *cum videret quasi nivis cumulos tentationes quotidie ingruentes, non aliter quam si in medio paradiso vixisset, gaudebat gestiebatque.* Et S. Aug. l. 83. Quæst. qu. 2. asserit *justos etiam sequestrata spe futuræ vitæ, jucundius et lætius præ amore veritatis torqueri, quam luxuriosi præ cupiditate ebrietatis epulentur.*

Ita in craticula exultabat S. Laurentius, irridens tyrannum : *Assatum est, versa et manduca.*

Ita in eculeis et acerbissimis tormentis exultabat S. Vincentius, sua lætitia vincens et affligens Dacianum judicem et tortorem.

S. Tiburtius, prunis candentibus insistens nudis plantis, dicebat, *se super rosas ambulare.*

S. Theodorus Martyr die nono Novembris, toto corpore dilaceratus cantabat : *Benedicam Dominum in omni tempore.*

S. Bonifacius 14. Maii ungulis excarnificatus jubilabat : *Gratias tibi ago Domine Jesu Christe fili Dei.*

S. Ignatius damnatus ad leones, audiens, eos rugientes in amphitheatro Romano; exultans exclamabat : *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.*

S. Barlaam manu thure plena, igni à carnificibus ante idolum imposita, ut, si manum ab igne retraheret, thusque in ignem excuteret, videretur idolo thurificasse, manum ardentem immotam in igne continuit, psallens : *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum.* Ita S. Basilius orat. in S. Barlaam.

Johannes Fischerus Episcopus Roffensis, damnatus ab Henrico VIII. Angliæ rege schismatico ad mortem, cum duceretur ad supplicium, canebat hymnum : *Te Deum laudamus.*

Idem fecit noster Campianus in tribunali damnatus, cui Scherwinus in damnatione socius succinens, in hunc mentis vocisque jubilum erupit, *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea.* Hoc est quod ait Jeremias Thren. 3. 30. *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis*, quasi ea esuriens, iisque se pascens et exultans. Vide ibi dicta.

Quocirca S. Saturninus durum obiens in martyrio dolorum agonem, aiebat : *Breviter patior, libenter patior; gratias ago; nec agere sufficio. Christe da sufferentiam. Tibi laus, tibi decus.* Ita habet ejus vita apud Surium die 11. Februarii.

Marcus Aretbusius sub Juliano Apostata excarnificatus, eo quod idolum confregisset, stylis confossus, melle illitus et suspensus, ut à vespis comederetur, suos tortores irrisit, dixitque eos abjectos esse et humi repere, se vero erectum et in sublimi positum. Hac constantia et alacritate eos convertit. Ita Theodor. l. cap. 6. Idem dixit nuper Martyr quidam in Anglia, ex alto suspensus.

QUONIAM DIGNI HABITI SUNT.] Est enim ingens Dei donum, ut docet Apostolus Philip. 1. 29. pati pro Christo, ac consequenter ingens est dignitas, laus et gloria. Vide dicta Philip. 1. ac S. Cyprian. tract. de Exhort. martyrii, et epistola nona ad martyres, ubi eos vocat fortissimos, fidelissimos, benedictos, beatissimos. Vide et Tertull. l. ad Martyres, ubi eos vocat pugiles veritatis, milites Christi, victores sæculi. Idem l. de Anima c. 32. *Tota paradisi clavis*, inquit, *tuus sanguis est*, ô Martyr. Idem lib. de Cultu femin. in fine : *Stolæ*, inquit, *martyriorum præparantur, angelis bajulis sustinentur.* Et Clemens Alexandr. lib. 4. Strom. *Martyria*, inquit, *sunt gloriosæ conversationis exemplaria.*

PRO NOMINE JESU.] Hæc est causa tantæ dignitatis passionum et patientiæ, scilicet quod pro nomine, honore et amore Jesu patiantur. Hoc est mel, quod omne dolorum fel dulcorat. Audi S. Aug. in Soliloq. cap. 22. *Tu Domine es dulcedo inæstimabilis, per quam omnia amara dulcorantur. Tua enim dulcedo Stephano lapides torrentis dulcoravit : tua dulcedo craticulam beato Laurentio dulcem fecit : pro tua dulcedine ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine tuo contumeliam pati. Ibat Andreas securus ad crucem et gaudens, quoniam ad tuam dulcedinem properabat. Hæc enim tua dulcedo ipsos apostolorum principes sic replevit, ut pro ipsa crucis patibulum unus eligeret, alter quoque caput ferienti gladio supponere non timeret. Pro hac emenda Bartholomæus propriam pellem dedit. Pro hac quoque gustanda veneni poculum intrepidus Johannes potavit. Hanc vero ut gustavit Petrus, omnium interiorum oblitus, clamavit quasi ebrius dicens : Domine bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula : hic moremur, te contemplemur, quia nullo alio indigemus : sufficit nobis Domine videre te, sufficit, inquit, tanta dulcedine satiari. Unam enim stillam dulcedinis ille gustavit, et omnem aliam fastidivit dulcedinem. Quid putas dixisset, si magnam illam multitudinem dulcedinis divinitatis tuæ gustasset, quam abscondisti timentibus te? Hanc tuam dulcedinem ineffabilem et illa gustaverat virgo* (S. Agatha) *de qua legimus, quod lætissima et glorianter ibat ad carcerem, quasi ad epulas invitata. Hanc, ut reor, et ipse gustaverat, qui dicebat : Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam· abscondisti timentibus te? quique monebat : Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus. Hæc est enim illa beatitudo Domine Deus noster, quam exspectamus daturum te nobis, pro qua tibi Domine continue militamus; pro qua tibi mortificamur tota die, ut in tua vita tibi vivamus.*

CONTUMELIAM PATI.] Vere S. Hier. *non quæras gloriam; et non dolebis cum eris inglorius : qui laudem non appetit, nec contumelias sentit.* Id videre est hic in Apostolis, qui spernendo contumelias, veram gloriam adepti sunt. Quid enim gloriosius, quam pati pro Deo, suaque passione Dei gloriam illustrare? Quid gloriosius, quam vitam expendere, et sanguinem profundere pro eo qui eam nobis dedit? Quid gloriosius, quam Christo tanta, et tam dura pro nobis passo vicem reddere (ut ait Tertull. lib. de Resurrectione carnis) plagas plagis, probra probris, cruorem cruori rependere? Etsi enim illius cruor infinities majoris sit pretii quam noster, tamen noster nobis pariter maximi est pretii : nec enim habemus quid pretiosius, quod ei rependamus. Hinc illæ laureæ, illæ coronæ, illi triumphi Martyrum in Ecclesia tam militante, quam triumphante. Sanctissimi viri, ut S. Franc. S. Xaver. S. Antonius de Padua, ambierunt martyrium.

ideoque ad Barbaros profecti sunt; sed Deus eos hoc dono dignatus non est: hinc Martyres, qui eo digni habiti sunt, summas pro eo Deo egerunt gratias, ut patet ex Actis S. Agnetis, S. Luciæ, S. Agathæ, S. Polycarpi, S. Marci et Marcelliani et aliorum Martyrum. Quocirca S. Ignatius Fundator Societatis nostræ, Christi causa in vincula conjectus, cum ab eo quæreret Franciscus Mendosius, postea Episcopus Burgensis et Cardinalis, num dolenter ferret illum carcerem ac vincula? respondit: *An tantum malum tibi videtur carcer esse? at vero non tam multæ Salmanticæ compedes sunt, non tot catenæ, quin ego plures pro Christo cupiam.* Ita Ribaden. in ejus Vita lib. 1. cap. 15. Idem roganti, *Quænam esset compendiaria via ad perfectionem?* respondit: *Multa pati pro Christo*, idque assidue postulare a Deo.

Merito ergo S. Hieron. ad Hedibiam quæst. 11. *Triumphus Dei*, inquit, *est passio Martyrum, et pro Christi nomine cruoris effusio, inter tormenta mira perseverantia stare, torqueri et in suis tormentis gloriari. Ideo odor disseminatur inter gentes, et subit tacita cogitatio, nisi verum esset Evangelium, nunquam id sanguine defenderent.* Id sapiebat Michael illustris in Japonia Martyr anno Domini 1609. Audi ejus animos et ignes, è litteris quas è carcere ad suos scripsit: *Non possum*, inquit, *Dei in me beneficentiam verbis exæquare, quod pro ejus fide captus sim, nimirum ex illo die dignatam esse augustissimam illam Majestatem, et animæ et corporis mei velut adire et capere possessionem: inde in summa pace fui. Æstuabat cor meum inæstimabili desiderio, sui ad omnem Dei nutum, in prosperis et adversis ad unguem conformandi.* Et nonnullis interjectis: *Nunc intelligo, irrisiones, contemptus, fastidia, quaslibet denique injurias pro Dei amore æquo animo toleratas, omnibus regum et Imperatorum sceptris ac diadematibus esse infinitis partibus anteponenda. Quadriennio sui in carcere ita lætus et alacer, ut uno tantum die mihi fuisse videar.* Ecce hi sunt spiritus primitivæ Ecclesiæ, in novella Japonum Ecclesia recalescentes, quos suscitat mustum Spiritus sancti.

42. OMNI AUTEM DIE NON CESSABANT.] Mirare hic tum Apostolorum fortitudinem, tum Pontificum et Magistratuum stuporem. Paulo ante cæsis denuntiaverunt, ne amplius prædicarent Christum: prædicant nihilominus ipsi ubique et publice, et tamen tacent Pontifices et Magistratus, perinde ac si elingues et enerves essent, nimirum Deus ligabat eis mentem, manum et linguam.

CIRCA DOMOS,] κατ' οἶκον, *per domos, de domo in domum;* Tigurina, *domesticatim;* Pagnin. *in singulis domibus.* Ita boni Pastores non tantum suas oves pascunt et docent publice in templo, sed et privatim obeuntes singulorum domos, eos instruunt, consolantur, hortantur, et incitant ad omne bonum.

Nota. Sub hoc tempus occasione persecutionum Judæorum, Apostoli ex impulsu Spiritus sancti quem recenter in Pentecoste ad hoc receperant, cœperunt cogitare de implendo testamento Christi: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*, Matth. 28. Quocirca Lucius Dexter Præfectus prætorio Orientis, in suo Chronico nuper edito (si tamen illud ipsum sincerum est) quod dedicavit S. Hieronymo, sicut vicissim S. Hieron. eidem dedicavit tract. de Scriptor. Ecclesiasticis, de iis ita scribit: *Anno Christi trigesimo quarto* (quo mortuus est, resurrexit et ascendit in cœlum) *ultima die Junii sancti Dei Apostoli, triginta et octo diebus plus minus post adventum Spiritus sancti* (puta post Octavam Pentecostes) *conveniunt in cœnaculo Sion* (*quæ domus erat Mariæ matris Johannis, cognomento Marci*) *ac habito consilio sortitioneque divina, provincias mundi prædicationis gratia inter se partiuntur. Contigitque S. Jacobo Zebedæi filio Hispania, Johanni Asia, Matthæo Æthiopia, Thomæ India, Philippo Schythia et Gallia* (forte Gallogræcia sive Galatia). *Quo tempore Canones eduntur, et Apostolicæ constitutiones componuntur, ad Sacramentorum et totius Ecclesiæ œconomiam,* multo magis Symbolum Apostolorum. Unde subdit anno Christi 37. qui fuit tertius post ascensum Christi in cœlum, S. Jacobum profectum esse in Hispanias, ibique evangelizasse, de quo plura c. 1. Addit Dexter: *Sacra virgo Maria consilio, luce doctrinæ, et mirabili vitæ exemplo collegio præsidet Apostolico, nihilque grave gerunt illi, quod non ejus consilio ductuque gerant.* Et mox: *Anno Christi trigesimo-septimo B. Virgo, Jacobo preces fundenti Cæsar-augustæ in columna apparet in spiritu, veniente quoque Johanne Theologo.* Et paulo ante: *Jacobus primum templum, vel oratorium B. Virgini, ex ejus jussu præsentiaque super columnam Cæsar-augustæ erexit.* Et inferius ad annum Christi 86. *Apud Messanenses celebris est memoria B. Virginis Mariæ, missa prius ab eadem dulci epistola.* Et iterum ad annum Christi 35. *Ad quam* (B. Virginem) *frequens ex Hispania fiebat peregrinatio.* Hac enim de causa Christus matrem sibi superstitem esse voluit, ut quasi sui Vicaria, columen esset Ecclesiæ, doctrix Apostolorum, et consolatrix fidelium. Verum de his alias. Sane mox à Pentecoste Apostolos è Jerusalem abiisse in suas provincias, censent Gaspar Sanchez, Christoph. à Castro, aliique viri eruditi, qua de re quid sentiendum videatur dicam c. 12.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ad sedandum murmur Græcorum Apostoli creant septem Diaconos, inter quos eminent S. Stephanus v. 19. disputans cum Judæis, eosque convincens, ab eis capitur, et reus violatæ legis Mosaicæ in concilio agitur.

1. In diebus autem illis, crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. 2. Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. 3. Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto, et sapientia, quos constituamus super hoc opus. 4. Nos vero orationi, et ministerio verbi instantes erimus. 5. Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide et Spiritu sancto, et Philippum, et Prochorum, et Nicanorem, et Timonem, et Parmenam, et Nicolaum advenam Antiochenum. 6. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum: et orantes imposuerunt eis manus. 7. Et verbum Domini crescebat, et multiplicabatur numerus discipulorum in Jerusalem valde: multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei. 8. Stephanus autem plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo. 9. Surrexerunt autem quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, et Cyrenensium, et Alexandrinorum, et eorum qui erant à Cilicia et Asia, disputantes cum Stephano: 10. et non poterant resistere sapientiæ et Spiritui, qui loquebatur. 11. Tunc summiserunt viros, qui dicerent se audivisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen, et in Deum. 12. Commoverunt itaque plebem, et Seniores et Scribas: et concurrentes rapuerunt eum, et adduxerunt in concilium. 13. Et statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum, et legem. 14. Audivimus enim eum dicentem: Quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum, et mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses. 15. Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus tanquam faciem angeli.

1. In diebus illis.] Quibus incarcerati et flagellati fuerunt Apostoli, uti præcessit. Ita sanctus Chrysost. Lucius Dexter in Chronico tradidit Diaconos hos creatos anno Christi 34. paulo post ejus ascensum in cœlum, nutu et consilio B. Virginis: *Apostoli*, inquit, *septem Apostolicos Diaconos, ex Græcis omnes creant.* Eodem anno eos creatos docet Baron. qui et ex Eusebio in Chronico addit, eodem anno Jacobum Alphæi, fratrem Domini, à S. Petro ordinatum esse Episcopum Hierosolymorum. 27. die Decembris, ac sedisse annis 29.

Crescente numero.] Per persecutiones enim semper crevit crescitque Ecclesia: *Plures efficimur quoties metimur à vobis: semen est sanguis Christianorum*, ait, Tertullian. Apolog. cap. ult. Tanta enim modestia, pietas, innocentia, fortitudo, charitas, tantus tormentorum et mortis contemptus, tantus ardor patiendi pro Christo, elucebat in vultu Apostolorum et Martyrum, ut Gentiles ad eorum fidem et vitam capessendam raperet. Videbant enim has dotes esse supra naturæ vires, nec ab alio quam à Deo posse aspirari. Hinc S. Hieron. vita S. Malachi: *Persecutionibus*, inquit, *crevit Ecclesia, martyriis coronata est.*

Factum est murmur Græcorum adversus Hebræos.] Ecce post persecutiones schismata vexant Ecclesiam, quorum causa fuit duplex. Prima, multitudo et turba: inter paucos steti. una anima et unum cor, inter multos multæ subintrarunt animæ et multa corda, diversa scilicet judicia, desideria, voluntates, cupiditates, quæ unionem hanc ex parte disciderunt. Idem videmus factum in Ordinibus et monasteriis, juxta illud: *Multiplicasti gentem: non magnificasti lætitiam*, Isaiæ 9. 3. Secunda, diversitatis nationum: Græci enim certant cum Hebræis. Solet enim quisque suam gentem præ extera amare, quin et exteram parvipendere, imo subinde aversari et odiisse. Quocirca Paulus crebro fideles monet, in Christo et Ecclesia ponenda esse hæc gentium, linguarum, et morum dissidia: *Non est Judæus*, inquit, *neque Græcus: non est servus, neque liber: non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu*, Galat. 3. 28.

Græcorum,] ἑλληνιστῶν, id est, *Græcistarum*, sive *Græcizantium*, puta Judæorum, qui extra Judæam in Græcia nati, aut in ea diu versati, Græca utebantur lingua, Græcisque moribus. Hi enim non ἕλληνες, id est *Græci*, sed ἑλληνισται, id est *Græcistæ*, vocabantur. Hebræos enim colonias in Græciam, ut Lacedæmona, et in Joniam duxisse, tradit Josephus lib. 12. Antiq. cap. 5. et lib. 14. cap. 9. et lib. 16. cap. 4. Nam Gentiles

necdum videntur admissi fuisse ad Ecclesiam et Christianismum : primus enim ad eam admissus videtur fuisse Cornelius, de quo cap. 10. Contrarium tamen censet Glossa et alii, qui per Græcos accipiunt Gentiles : aliquos enim Gentiles mixtos Judæis, probabile est audita prædicatione Petri, ad Christum esse conversos, de quo plura cap. 10. Notat Bozius de Signis Eccles. l. 19. c. 3. Græcos uti primi murmurarunt, ita primos schisma fecisse et discessisse ab Ecclesia utpote in novitates et factiones proclives : quamquam Græci hic, sive Græcizantes, vocentur non solum illi qui è Græcia, sed etiam qui ex Cilicia, Parthia, Media, aliave quavis Gentilium regione venerant : nam post tempora Alexandri Magni et Antiochi, Judæi omnes Gentiles vocabant Græcos. Unde Apostolus Roman. 1. 16. et alibi, opponit Judæum Græco, id est Gentili.

Hebræos,] qui in Judæa nati Hebraice, sed corrupte, hoc est Syriace, loquebantur.

Eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum.] Quis hic despectus? quod ministerium ? Primo, Raban. censet Græcas mulieres ab Hebræis deputatas ad viliora ministeria, nimioque labore oppressas. Secundo, S. Chrysost. et Beda censent, Græcas viduas quasi rudiores repulsas fuisse ab Hebræis à ministrando, ut rarius ministrarent quam Hebrææ. Tertio, Œcum. quem sequuntur Gagneius et Cajetan. ministerium hoc non active, ut Beda, sed passive accipit, quo scilicet illis videbantur et ministrabantur necessaria ad victum. q. d. Male alebantur viduæ Græcorum. Omnes hi sensus probabiles et connexi sunt. Viduis enim competebat ministerium non tantum passivum, sed et activum proprie dictum : ipsæ enim, utpote seniores matres familias, ministrabant et dividebant aliis necessaria. Nam in earum locum ad hoc ministerium ordinati sunt Diaconi. Apostoli enim murmuri occursuri, active dicunt : *Non est æquum nos ministrare mensis*, ideoque creant Diaconos, qui loco viduarum iis ministrent. A viduis ergo totum murmur proserpit ad viros : feminæ enim, uti minus habent judicii quam viri, ita magis privatis ducuntur affectibus. Origo ergo murmuris videtur fuisse hæc, quod viduæ Hebrææ, eo quod Hebrææ essent, arrogarent sibi honoratiora et locupletioria ministeria, præsertim distribuendi cibos et vestes, ut patebit vers. 3. viliora vero et tenuiora relegarent ad Græcas. Rursum quod in distributione ciborum et vestium, magis favere plusque dare viderentur Hebræis, quam Græcis.

Moral. hinc disce, in omni republica et communitate, pacis et concordiæ causam esse æqualitatem, si videlicet omnes pari jure et modo tractentur; murmuris vero et discordiæ causam esse inæqualitatem, si alii aliis dominari, vel plus habere velint. Ita videmus in monasteriis, ubi hæc æqualitas exacte servatur, perfectam esse pacem et disciplinam : ubi vero non, utramque languere et interire.

Non est æquum (Tigurina, *non est commendabile;* Pagnin. *non est placitum* Deo et hominibus; Syrus, *non est res pulchra;* alii, *non est conveniens :* omnia hæc significat ἀρεσον) nos derelinquere verbum Dei, docere et prædicare, et ministrare mensis.] q. d. Nostrum est pascere animas vestras cibo spirituali, puta verbi Dei : ergo par est, ut non destineamur cura pascendi corpora vestra cibo corporali : aliis ergo minus occupatis eam demandemus. Hinc patet *ministerium*, in quo despiciebantur viduæ Græcorum, ideoque murmurabant, fuisse *ministrare mensis*, puta curare ea quæ ad cibum et potum, vitæque sustentationem pertinent. Ubi Nota, mensas has partim fuisse sacras, partim profanas et communes. Primo enim hi primi fideles celebrabant Eucharistiam, deinde agapen, id est, convivium commune omnium fidelium in signum charitatis : et ad utrumque ministerium deputati, imo ordinati sunt Diaconi, de quo mox plura. A ministerio enim nuncupati sunt græce Diaconi, id est ministri.

Notent hic Episcopi et Prælati, procurationem rerum suarum temporalium aliis demandare, sibi vero Ecclesiæ regimen et prædicationem competere. Id cognoscebant S. Basilius, S. Nazianz. S. Aug. qui ne quidem de rebus suis temporalibus loqui, aut earum rationes audire sustinebant, ut patet in eorum Vita, ac præsertim S. Aug. apud Possidon. c. 24. Vide S. Bern. l. 4. de Consider. c. 9.

3. Boni testimonii,] μαρτυρουμένους, id est, ut Vat. *bono testimonio probatos;* Tigurina, *spectatæ probitatis*, quibus scilicet populus præbeat testimonium prudentiæ, fidei et probæ vitæ, puta qui sint bonæ famæ. Sic S. Leo epist. 87. cap. 1. in Episcoporum electione requirit *vota civium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electionem clericorum.* Testimonium ergo ad populum spectat, electio uti Clericos, ordinatio ad Episcopos. Refert Sophronius, vel potius Johannes Moschus in Prato Spirit. cap. 149. hunc S. Leonem ad sepulchrum S. Petri in oratione pervigilasse, ac peccatorum suorum veniam postulasse, eique S. Petrum respondisse : *Oravi pro te, et dimissa sunt tibi peccata tua, præterquam impositio manuum : hoc solum abs te requiretur, sive bene; sive fortasse male egeris.* Videant ergo Episcopi, quales ordinent, eosque diligenter prius examinent et perscrutentur.

Septem.] Ad instar septem angelorum : sicut enim illi Deo quasi primarii ministri assistunt, et ministrant; ita hi septem Diaconi assistebant et ministrabant S. Jacobo, cæterisque Apostolis. Vide dicta Apocal. 1. 4. Ergo delegerunt septem Diaconos in Ecclesia militante, ut illi responderent totidem Diaconis, id est, ministris Dei, in Ecclesia triumphante. Utraque enim hæc Ecclesia est una et eadem, una alteri connexa est et subordinata. Horum ad instar Romæ constituti sunt olim septem Diaconi vocati Regionarii, a septem urbis regionibus, quibus à Fabiano Pontifice, ut habet ejus vita, præpositi fuerunt. Evaristus quoque Pontifex septem Diaconos sanxit, qui Episcopum concionantem custodirent. In Concilio Romano II. sub Silvestro, statuitur can. 6. ut Diaconi Cardinales in urbe sint septem. Idem sanxerunt aliæ Ecclesiæ, ut patet in Concilio Aquisgranensi cap. 7. Sed crescente fidelium numero, hic Diaconorum numerus pariter laxatus et amplificatus est.

Plenos Spiritu sancto.] Tum ad patienter ferendum, ac sedandum oblocutiones et murmura viduarum et orphanorum, ut vult Œcum. tum ad alia Diaconorum munia, de quibus mox rite obeundum.

Quos constituamus super hoc opus.] Hinc S. Chrysost. Œcumen. Beda et Mariana censent hos septem Diaconos constitutos fuisse duntaxat mensarum præfectos, non autem ordina-

tionem aliquam sacrum adeptos : itaque diversos eos fuisse à nostris Diaconis qui ordinantur ad ministerium Eucharistiæ et Ecclesiæ. Ulterius progrediuntur hæretici, quin et è Catholicis Durandus in 4. d. 24. qu. 2. qui absolute negat diaconatum esse Sacramentum : solum enim sacerdotium esse Ordinis Sacramentum. Durando consentit Cajetan. tom. 1. tract. 11. Et scribens in hunc locum Actor. negat Diaconos fuisse ministros altaris. Idem habet spurius Canon sextæ Synodo affixus cap. 10. apud Theod. Balsam. Verum dico utrumque esse falsum ; etsi enim non sit de fide (eo quod nec in Scriptura expressum, nec ab Ecclesia definitum sit) tamen communis sententia Patrum et Doctorum est, diaconatum esse Sacramentum, eoque hic initiatos septem hosce primos Diaconos.

Id ita esse patet Primo, quia hi septem Diaconi ordinati sunt per impositionem manuum, id est, simili ritu quo Episcopi et Presbyteri : ergo sicut illi, sic et Diaconi suscipiunt Sacramentum Ordinis.

Secundo, quia in Diaconos hic non alii electi sunt, nisi qui à populo haberent probitatis testimonium, plenique essent Spiritu sancto et sapientia : hæc autem non requiruntur ad ministerium mensarum, quod antea obierant communes viduæ, sed ad sacram ordinationem. Hinc rursum eosdem ordinaverunt prævia oratione, uti fieri solet in ordinatione sacerdotum.

Tertio, quia S. Stephanus paulo post ordinationem cœpit prædicare Evangelium, idque tanta vi spiritus et gratiæ, quam in ordinatione acceperat, ut nemo Judæorum ei possit resistere.

Quarto, quia S. Paulus semper conjungit Diaconos cum Episcopis, sub quibus comprehendit et sacerdotes, ab eisque magnam sanctitatem et perfectionem exigit. Insuper Ephesi, Philippis et Cretæ eos instituit, ubi tamen non erat vita, nec mensa fidelium communis, ac proinde non erant ibi mensarum præfecti : ergo Diaconi ibidem aliud et altius habebant ministerium. Vide 1. Timoth. 3. v. 2. ad Titum 1. v. vers. 6. Philipp. 1. 1.

Quinto, quia Diaconi in absentia sacerdotum possunt baptizare, Eucharistiam ministrare, reconciliare pœnitentes publicos, prædicare, etc. ut patet ex Conc. Nicæno c. 14. S. Cypriano l. 3. epist. 17. S. Greg. l. 4. epist. 88. Conc. Valensi II. c. 2. et ex vita S. Vincentii Martyris et Diaconi, qui jussu Episcopi prædicabat : imo olim ordinarie Diaconi sanguinem Domini populo ministrabant, ut patet ex actis S. Laurentii, et ex S. Cypriano serm. 5. de lapsis, et ex S. Justino Apolog. 2. et ex Concil. Carthag. IV. cap. 38. ergo sicut ad hæc ordinantur sacerdotes, gratiamque ad hæc rite obeunda recipiunt, ita et Diaconi.

Sexto, Diaconatus semel susceptus amitti, aut iterari nequit : ergo imprimit characterem : ergo est Sacramentum.

Septimo, Diaconatus ex Apostolorum instituto habet annexum cælibatum, ut docet Concil. Carthag. II. cap. 2. Idem sancitum est in Conc. Ancyrano c. 9. vel 10. Agathensi sub Symmacho Arelatensi II. c. 2. Arausicano I. c. 22. à Syricio ep. ad Episc. African. c. 2. S. Leone ep. 95. et aliis ; Ergo est Ordo sacer.

Octavo, quia Diaconis ex officio competit solemnis recitatio vel decantatio Evangelii, oratio cum Pontifice, cura silentii et pacis in Ecclesia, ut ait S. Clemens l. 2. Constit. c. 61. cura vasorum sacrorum et thesauri Ecclesiæ, eleemosynarum distributio ; quæ sane postulant ministrum sacrum et sacratum.

Nono, id convincitur ex Patribus, S. Dionys. Diaconos quasi Ordinis sacri ponit in sua Eccl. Hierarch. cap. 2. et seq. aitque inter alia, eos panem sanctum et calicem benedictionis, id est, consecrationis Eucharistiæ, imponere altari. S. Ignatius epist. ad Heronem Diaconum, qui ipsi in Episcopatu Antiocheno successit : *Nihil*, ait, *sine Episcopis facito : sacerdotes enim sunt, tu vero sacerdotum minister : baptizant, sacrificant, eligunt, manus imponunt : tu vero illis ministres, ut S. Stephanus Jacobo.* Idem ep. ad Trallianos : *Oportet et Diaconos mysteriorum Christi ministros per omnia placere : nec enim ciborum et potuum minitri sunt* (nota) *sed Ecclesiæ Dei ministratores.* Et inferius : *Quid vero Diaconi, quam imitatores Angelicarum virtutum? qui purum et inculpatum ministerium illis* (sacerdotibus) *exhibent, uti S. Stephanus B. Jacobo, Timotheus et Linus Paulo, Anacletus et Clemens Petro : qui igitur his non obedit, atheus prorsus et impius est.* Idem tradit S. Cyprian. l. 3. epist. 9. docet hos Diaconos ab Apostolis ordinatos esse ad hoc, *ut haberent Episcopatus sui et Ecclesiæ ministros.* S. Polycarp. ep. ad Smyrnenses, asserit Diaconos esse ministros non hominum, sed Christi.

Porro septem hosce primos Diaconos sacrum Diaconatus Ordinem suscepisse, docet S. Dion. Eccles. Hierarch. c. 5. Cyprianus epist ad Rogatianum, S. August. serm. 4. de Sanctis, Arator. Baron. Salmeron, et passim alii hic. Quin et S. Clemens l. 8. Constit. c. 17. et 18. tradit, Episcopum ordinare Diaconum imponendo ei manus et certis precibus, quibus postulat ei dari plenitudinem Spiritus sancti, sicut eo impletus est S. Stephanus. Et S. Hieron. epist. 1. asseverat Nicolaum, unum è septem hisce Diaconis, ministrasse calicem Domini. Concilium Aquisgranense c. 7. docet, Diaconos in Ecclesia ordinari ad instar septem horum primorum Diaconorum quos repræsentarunt Levitæ in veteri testamento : imo Ecclesia in Diaconorum ordinatione orat, ut digni existant gradu et ordine, quo in septenario numero Apostoli Stephanum cum sociis elegerunt. Quocirca Conc. Neocæsar. can. 14. asserit, Diaconos ab Apostolis institutos regulam esse Diaconorum. Insuper Diaconi, uti juvenes ætate, vigore et spiritu, sustinuerunt pondus Ecclesiæ, præsertim in persecutione, in eaque robore et alacritate corporis et animi Pontifices superarunt, totique Ecclesiæ exemplum constantiæ, et exemplar martyrii dederunt, uti fecit S. Laurentius tempore S. Sixti Pont. Vincentius tempore Valerii Episcopi Cæsaraugustani ; S. Cyriacus, Largus, Smaragdus, etc., tempore S. Marcelli sub Diocletiano, quibus omnibus præivit et præluxit hic S. Stephanus quasi eorum primicerius et choragus.

Dices, S. Anacletus epist. 2. S. Cyprianus l. 3. epist. 9. et Demasus epist. 3. asserunt, Diaconos non à Christo, sed ab Apostolis esse institutos. Ergo Diaconatus non est Sacramentum : omnia enim Sacramenta à Christo, non ab Apostolis, sunt instituta, uti definit Conc. Trid. sess. 7. c. 1.

Resp. hos Patres tantum velle dicere, quod Christus nullos ordinarit Diaconos, sicut ordinavit Episcopos et Presbyteros : inde tamen non sequitur, Christum non instituisse Diaco-

natus Sacramentum; sed tantum ejus executionem commisisse Apostolis. Pari modo Christus nullum confirmavit, et tamen instituit Confirmationis Sacramentum, jussitque Apostolis et Episcopis ut illud administrarent.

Dices Secundo : Diaconi hic instituuntur occasione murmuris, et mensis duntaxat præficiuntur. Ergo non fuerunt ordinati ad aliud sacrum ministerium.

Resp. Primo, occasionem instituendi hosce Diaconos fuisse murmur de mensis, inde tamen non sequi eos duntaxat præfectos fuisse mensis. Nam Apostoli hac occasione usi, executi sunt præceptum Christi de creandis Diaconis, eisque demandandi omnia officia à Christo sancita, tam spiritualia, quam corporalia, quale erat mensarum et eleemosynarum distributio. Ita Innoc. III. l. 3. de Myster. Missæ c. 5. et 56.

Resp. Secundo, mensas has fuisse sacras, nimirum celebrationis Eucharistiæ; et post eam agapes, sive convivii communis in signum charitatis. Primi enim Christiani quotidie communicabant, et post communem simul cœnabant, ut patet 1. Cor. 11. 21. Unde non sumebant enim corporalem, nisi prius sumpsissent sacrum. Diaconi ergo instituti sunt, ut ministrarent tum sacerdoti in mensa, hoc est Altari Eucharistiæ, quam constat omnino esse sacram; tum populo in mensa agapes, quæ licet corporalis esset, erat tamen spiritualis quoque et sacra; tum quia erat appendix et quasi clausula ac consummatio Eucharistiæ, tum quia mensa hæc benedicebatur à sacerdote sacrificante; tum quia instituebatur communis, in symbolum ameris et charitatis; tum denique quia instruebatur ex bonis fidelium Deo oblatis et dicatis, quæ proinde jam erant Ecclesiastica et sacra, non laica et profana. Ergo Diaconi utrique mensæ ministrantes, obibant ministerium non profanum, sed sacrum; ad quod proinde rite obeundum exigebatur peculiaris Dei gratia, quæ eis dabatur in impositione manuum Apostolorum, puta in ordinatione.

Denique præter officia Diaconorum jam recensita, eorum erat. Primo, circumspicere omnia quæ in Ecclesia fiebat, eaque referre ad Episcopum. Unde S. Clemens l. 3. Constit. c. 19. Diaconum vocat *animam et sensum*, puta oculum, auditum, os et cor, *Episcopi*. Secundo, ex Diaconis eligebantur Apocrisarii, id est, nuntii et legati. Sedis Apostolicæ, ut patet ex S. Gregorio l. 11. epist. 43. Tertio, Diaconorum erat obire carceres, et Confessores futurosque Martyres consolari, animare, alere, omnique ope spirituali et corporali adjuvare, ut patet ex S. Cypriano l. 3. epist. 15. Quarto, eorum erat gestare et curare sacras reliquias, ut patet ex Victore Uticensi lib. 4. Persecut. Wandal. Plura eorum officia recenset S. Clemens l. 3. Constit. c. 19. quæ et enumerantur in Decreto dist. 93. c. *Diaconi Ecclesiæ*. Idem Clemens lib. 2. Constit. c. 61. *Diaconus*, inquit, *loca videat, ut quilibet ingrediens* (in Ecclesiam) *in suum locum concedat, ac præter decorem ne sedeat. Attendat ne quis murmuret, neve conniveat, vel nutet.* Et mox : *Diaconi absoluta oratione, alii oblationi Eucharistiæ sint intenti, ministrantes corpori Domini; alii turbas videant, quietemque illis imperent. Dicat autem qui assistit Pontifici Diaconus, populo : Ne quis aliquem, ne quis in hypocrisi*, scilicet accedat ad S. Eucharistiam. Idem l. 8. c. 7. et 9. tradit, Diaconum solitum emittere ex Missa energumenos et catechumenos stato tempore, uti finita Missa omnes fideles dimittit, dicens : *Ite missa est.* Ac cap. 13. ait, Diaconum solitum indicere preces populo pro Episcopis, Presbyteris, viduis, virginibus, orphanis, catechumenis, omniquc statu Ecclesiæ.

Porro recte notat Baron. anno Christi 34. hos septem Diaconos non ita præfectos fuisse mensis ut (quod ministrorum mensarum est) cæteris accumbentibus, ipsi quæ ad cibum potumque pertinebant, illuc inferrent; sed quod ea quæ cuique essent opus, eleemosynas dividendo, curarent : quod usu retentum esse S. Leo in serm. de S. Laurentio testatur, dum de eo ait : *Non solum ministerio Sacramentorum, sed etiam dispensatione Ecclesiasticæ substantiæ præeminebat.* Idem patet ex Actis S. Sinii, Cyriaci, Largi et Smaragdi, Diaconorum, qui Christianis ad lutum et lateres in thermis Diocletiani damnatis eleemosynas fidelium distribuebant. Sic et Titus Diaconus pecunias pauperibus dispertiens, occisus Martyr occubuit, teste Prospero in Chronico anno Domini 429. Idem de Diaconis tradunt S. Ambros. lib. de Offic. cap. ult. et S. Hieron. in Ezech. c. 48. Adeo vero erat Diaconis commissa cura rerum Ecclesiæ, ut adversus Episcopos eas dilapidantes se constanter erigerent, uti fecit Honoratus Archidiaconus Ecclesiæ Salonitanæ, teste S. Gregor, l. 2. ep. 13.

Hinc et Romæ, aliisque in locis, ubi Romana Ecclesia latifundia possidebat, diaconiæ erectæ erant, in quibus eleemosynæ à Diacono rectore diaconiæ, et fructuum ex latifundiis collectorum dispensatore distribui solebant, uti passim in epistolis docet S. Gregor. quæ diaconiæ etiamnum Romæ extant, priscumque nomen retinent. Romæ ante S. Gregorium diaconiæ æque ac Diaconi Cardinales erant septem, sed ejus tempore duplicatus est numerus, creatique quatuordecim, juxta totidem regiones vel vicos, in quos urbs erat distributa, ut quæcumque regio suam haberet Diaconum Cardinalem, qui sub se alios habebat Diaconos, per quos pauperibus omnibus regionis sibi commissæ eleemosynas distribuebat. His 14. Gregor. III. Pont. adjecit alios quatuor, ut universim essent octodecim, teste Onuphrio in ejus vita. Atque hæc est origo octodecim Cardinalium Diaconorum, qui olim in collegio Cardinalium visebantur : in quo ante Leonem X. numerabantur quinquaginta duo Cardinales Auxit hunc numerum Leo X. et sequentes Pontifices. Quare ne vagus et nimius esset Cardinalium numerus, Sixtus V. in bulla quæ incipit, *Vetus ille*, sanxit ut universim essent septuaginta, juxta numerum septuaginta seniorum, quos Deus addidit Mosi in regimine populi, Numer 11. 16. Idem in Constit. *Postquam*, quæ est 5. statuit ut inter 70. Cardinales, quatuordecim sint Diaconi, quot fuerunt tempore S. Gregorii : sex Episcopi, cæteri presbyteri. Itaque Diaconorum primi et principes erant Archidiaconi, qui Romæ appellabantur Diaconi Cardinales, uti colligitur ex Concil. Romano II. cap. 7. Cardinales enim in tres classes sive ordines distributi sunt : alii enim sunt Cardinales Episcopi, alii Cardinales Presbyteri, alii Cardinales Diaconi : et ad hos omnes, eosque solos spectat electio Papæ utpote, qui ejus sunt familiares et consiliarii : quæ consuetudo cœpit anno Domini 1059. si credimus Sigonio lib. 9. de Regno Italiæ, qui

et lib. 3. docet sanctum esse à Stephano III. Pontific. anno Domini 779. ne quis aliunde quam ex Cardinalium numero Pontifex eligatur.

4. Nos vero orationi.] Nota hic primum Apostolorum officium fuisse orare pro se tota Ecclesia, atque in oratione hauriebant à Deo ea quæ erant docturi et prædicaturi. Idem imitentur Episcopi, Prælati, Doctores et Concionatores, *ut quieti contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant*, ait S. Greg. 6. Moral. c. 17. vel juxta aliam editionem 25. Nisi enim Spiritus sanctus eorum corda accendat, linguamque imbuat et regat, ut eo modo dicant, quod congruit auditoribus ad feriendum eorum corda, nihil efficient, ut docet S. August. l. 4. de Doctrina Christ. c. 15. Unde S. Prosper l. 1. de Vita contempl. c. 23. *Lacrimas*, inquit, *quas vult à suis auditoribus fundi, ipse primitus fundat, et sic eos compunctione sui cordis accendat.* Ita faciebant Cherubini, qui *ibant* (ad homines) *et revertebantur* (per contemplationem ad Deum) *in similitudinem fulguris coruscantis*, Ezechiel. 1. Sic erunt *quasi flumina, quæ ad locum unde exeunt per contemplationis secretum, per publicam operationis seu prædicationis instantiam revertuntur*, ait S. Gregor. hom. 5. in Ezechiel. Præclare S. Bernard. epist. 201. *Nunc*, inquit, *manent, tria, verbum, exemplum, oratio: major autem horum oratio: ea namque operi et voci gratiam et efficaciam promeretur.*

5. Elegerunt Stephanum.] Electio hæc non fuit ordinatio, nec institutio aut creatio Diaconorum. Hæc enim spectabat ad Apostolos, non ad populum; sed oblatio et præsentatio. q. d. Populus ex omnibus discipulis selegit Stephanum cum sociis, quasi cæteris aptiores ad hoc munus, eosque auctorandos et ordinandos obtulit Apostolis, si illi eorum electionem probassent. Sic hodie principes laici, qui habent jus patronatus beneficiorum, seligunt aliquem quem præsentant Episcopo, ut is ei beneficium conferat, eumque Canonicum vel Pastorem, etc., creet et instituat. Porro Epiphanius hæresi 21. censet hos Diaconos electos esse è numero 72. discipulorum Christi. Sed S. Augustinus serm. serm. 94. de diversis dubitat an Stephanus ad Christum conversus sit post ejus ascensionem.

Stephanum.] *Stephanus* Græcum est nomen, significans *coronam*, à στεφανόω, id est *corono*: licet Beda censeat esse Hebræum, et significare *regula vestra*, quia primus martyrium obiit, cæterisque Martyribus exemplar patiendi et moriendi pro Christo dedit: sed non video à qua radice hebræa, vel etymo. Unde Pagnin. et alii passim censent *Stephanus*, uti et cætera horum Diaconorum nomina esse Græca. Unde videtur quod ipsi, licet genere essent Hebræi, patria tamen fuerint Græci. Elegerunt ergo Græcos, non Hebræos, ut magis satisfacerent murmuri Græcorum, Græcos. Diaconos præponendo mensis et eleemosynis. Ita Lucius Dexter in Chronico anno Christi 34. diserte asserit omnes hos Diaconos fuisse Græcos Favet, quod multorum sententia sit, S. Stephanum fuisse cognatum S. Pauli: Paulus autem erat Cilix, puta Tarsensis: Græcus enim hic idem est, quod inter Gentiles natus vel educatus.

Nota. Primus et quasi princeps Diaconorum fuit S. Stephanus. Ille enim cæteris eminebat plenitudine gratiæ, fidei et spiritus, item vi disputandi et efficacia prædicandi. Hinc et primus pro Christo certamen obiit, factusque est Protomartyr. Unde Lucianus epistol. de inventione S. Stephani, vocat eum primicerium aliorum et Archidiaconum. Damascenus lib. 4. de Fide c. 16. vocat eum primum Diaconum, id est ministrum, Christi: ibidem vocat eum Apostolum. Et S. Augustinus serm. 94. de diversis, ait quod inter Diaconos erat *primus ut inter Apostolos Petrus.* Et Nicetas apud Metaphrasten: *Erant*, inquit, *inter Apostolos Apostolus, Propheta inter Prophetas, Doctor inter Doctores.* Addit S. Augustinus serm. 2. de Sanctis, S. Stephanum fuisse juvenem speciosum, ac virginem: unde et faciem habuit angeli vers. 15. Damascenus asserit eum præstanti fuisse indole, in eaque Spiritum sanctum gratiæ radios fulgentiores effecisse. S. Hieron. lib. 1. contra Jovinian. et Nyssen. Orat. de S. Stephano, negant eum gratia inferiorem fuisse Apostolis: non officio, puta Diaconatu, constat fuisse iis inferiorem. S. August. serm. 5. de Sanctis, ait eum eminuisse castitate. *In hac re*, inquit, *quod præpositus est feminis* (viduis) *testimonium meruit sincerissimæ castitatis.* Et ser. 6. *Stephano martyri et pulchritudo erat corporis, et flos ætatis, et eloquentia sermocinantis, et Sapientia sanctissimæ mentis, et operatio divinitatis.*

Plenum fide.] Primo, *fide* Christiana: unde eam propugnavit usque ad mortem. Secundo, *fide* id est fidelitate: hæc enim maxime in dispensatore eleemosynarum requiritur. Tertio, *fide*, id est sapientia Christiana: hæc enim requiritur in diaconatu et dispensatione rerum Ecclesiæ. Quarto, *fide*, id est, fiducia in Deum, quod necessaria subministraret ad alendum tot viduas et pauperes. Quinto, *fide*, id est, robore fidei, ad superandum non tantum murmura pauperum, sed et lapides ac tormenta Judæorum. Sexto, *fide*, id est, excellentia fidei tanta, ut etiam miracula patraret, quæ est fides miraculorum, eadem cum fide Catholica, sed Excellens, et annexam habens ingentem fiduciam in Deum, v. g. patrandi hic et nunc miraculum, uti dixi in Evangeliis.

Et Spiritu sancto.] Puta septem donis Spiritus sancti, omnibusque virtutibus et gratiis, tum gratum facientibus, tum gratis datis, ac præsertim charitate et zelo. Unde Nicetas apud Metaphrasten ait de S. Stephano, *quod magis ardebat charitate, quam omnes Sancti sui temporis*, puta fideles cæteris: excipiuntur enim Apostoli, qui plenitudine Spiritus, uti et apostolatu, cæteris antecellebant.

Philippum.] Hic utpote Diaconus, alius est à Philippo Apostolo. Hic tamen ab Eusebio lib. 3. Histor. c. ult. Tertul. lib de Baptismo. c. 8. Isidoro Pelus. l. 1. epist. 147. et sequent., vocatur *Apostolus*, non quod unus fuerit è duodecim Apostolis, uti nonnuli falso opinati sunt; sed *Apostolus*, id est, vir Apostolicus. Unde idem c. 21. v. 8. vocatur *Evangelista*, quia scilicet instar Apostoli Evangelium prædicavit, ut patebit c. 8. Habuit quatuor filias Prophetissas, c. 21. v. 9. De eo sic legimus in Romano Martyrol. die 6. Junii: *Cæsareæ in Palæstina natalis B. Philippi, qui fuit unus de septem primis Diaconis. Hic signis et prodigiis clarus Samariam ad fidem Christi convertit, et Candacis Æthiopum reginæ Eunuchum baptizavit, ac demum apud Cæsaream requievit: juxta quem tres virgines ejus filiæ Prophetissæ tumulatæ jacent: nam quarta filia ejus plena Spiritu sancto Ephesi occubuit.* Adhuc tempore S. Hieron.

Cæsareæ ædicula *Philippi*, et cellulæ filiarum integræ permanebant, quas omnes S. Paula profectura Hierosolymam invisit, ut idem scribit epist. 27. ad Eustochium.

PROCHORUM.] Hic inter sanctos relatus extat in Martyrol. Roman. die 9. Aprilis, ubi sic dicitur : *Antiochiæ S. Prochori, qui fuit unus de septem primis Diaconis, et fide ac miraculis clarus martyrio coronatus est.* Extat tom. 7. Biblioth. SS. Patrum, vita S. Joannes scripta à Prochoro, sed multa eo indigna et fabulosa continet. Quare Auctor ut sibi fidem conciliaret, Prochori nomen ementitus est. Cæteroqui veteres testantur Prochorum scripsisse Acta. S. Joannis, inter quos Lucius Dexter in Chronico ad annum Domini 94. ita loquitur : *Prochorus scripsit res gestas S. Joannis, unus ex septem Diaconis.* Sed hic Prochorus deperiit, nec hactenus comparuit.

NICANOREM.] De hoc ita legimus in Martyrol. Rom, die 10. Januarii : *In Cypro B. Nicanoris Diaconi de septem primis, qui gratia fidei et virtute admirandus gloriosissime coronatus est.*

TIMONEM.] De hoc die 19. Aprilis in Romano Martyrol. hæc habentur : *Natalis S. Timonis Diaconi de septem primis, qui primo apud Beræam Doctor resedit, ac deinde verbum Domini disseminans venit Corinthum, ibique à Judæis et Græcis (ut traditur) flammis injectus; sed nihil læsus, demum cruci affixus martyrium suum implevit.*

PARMENAM.] De hoc 23. Januarii Martyrol. Rom. ita scribit : *Philippis in macedonia S. Parmenæ, qui fuit unus de septem primis Diaconis. Hic traditus gratiæ Dei, injunctum sibi à fratribus officium prædicationis plena fide consummans, sub Trajano martyrii gloriam est adeptus.*

NICOLAUM.] Hic fuit causa et auctor, ut tradunt Irenæus lib. 1. c. 27. Epiphan. hæresi 25. Tertul. l. de Præscript. c. 46. et alii ; vel certe occasio, ut volunt alii, hæresis Nicolaitarum, quæ docet licere fornicari, de qua dixi Apoc. 2. v. 6. et 15. vide ibi dicta. Nicolaum enim ab hac turpitudine et hæresi excusat Clemens Alexandrinus lib. 3. Strom. c. 3. Euseb. l. 3. Histor. c. 23. August. l. de Hæres. c. 5. Baron. et alii ob hoc dubium, solus è septem Diaconis Nicolaus non est asscriptus Sanctorum catalogo in Martyrol.

ADVENAM,] προσήλυτον, id est, *Proselytum*, Erat ergo hic Nicolaus Gentilis, sed conversus ad judaismum, talis enim græce vocabatur Proselytus, latine advena.

6. ANTIOCHENUM,] oriundum Antiochia.

ORANTES.] Sub oratione comprehendit sacrificium Eucharistiæ uti indicat S. Clemens l. 8. Constit. cap. ult. Unde etiamnum non nisi in sacrificio ordinantur Diaconi. Addit S. Chrysost. jejunium, cujus expressa fit mentio in ordinatione Sauli et Barnabæ cap. 13. v. 3. Unde etiamnum Ecclesia ordinationi semper præmittit publicum et solemne jejunium.

IMPOSUERUNT EIS MANUS.] Hinc patet Diaconatum esse Ordinem et ordinationem sacram. Imponere enim manus apud Apostolos est ordinare. Unde ordinatio à Græcis vocatur χειροτονία, id est, *manuum impositio*. Ergo hi Diaconi præcipue non sunt ordinati ad ministrandum mensis (ad hoc enim non requiritur ordinatio solemnis, uti patet in œconomis aliisque mensuram ministris) sed ad ministrandum Ecclesiæ et Apostolis in Missa, concione, aliisque ministeriis sacris, ut patet ex usu et traditione totius antiquitatis. Secundo, hinc videtur quod impositio manuum non sit quid accidentale, sed materia essentialis Sacramenti Ordinis, uti recte contra D. Soto docet Bellarminus lib. 1. de Ordinat. cap. 9. Immo hic non poterat esse alia materia : nam liber Evangeliorum, qui nunc datur Diaconis in ordinatione, estque materia Ordinis diaconatus, ut definit concilium Florentinum in Bulla unionis, tunc necdum extabat, quia necdum scriptus erat Hinc S. Paulus. 1. Timoth. 4. 14. et alibi docet, per impositionem manus dari gratiam ; idque visibili signo columbæ, aut simili ostendit Deus in ordinatione S. Chrysostomi et aliorum SS. Episcoporum. Et Concil Trident. sess. 23, cap. 4. docet dari gratiam quando Episcopus super ordinandum (utique manus imponendo) dicit : *Accipe Spiritum sanctum.* Causa, est, quod impositio manus repræsentet illapsum Spiritus sancti, ejusque obumbrationem et plenitutinem, quæ requiritur in iis qui ordinantur, ideoque postulatur et datur in ordinatione, ut scilicet Spiritus eum roboret, illuminet, dirigat in omnibus suis ministeriis, quæ commune Ecclesiæ bonum spectant. Ita ex S. Dionysio Amalarius lib. 1. de Eccles. Officiis cap. 1. 12.

Mystice, significatur ordinandum offerri Deo, quasi victimam et holocaustum : huic enim in lege veteri manus imponebatur juxta legem Levitici 1. 4. ut moneantur ordinandi, se quasi victimas debere seipsos suaque omnia consecrare, et expendere ad Dei obsequium et cultum. Plura de impositione manuum in ordinatione dixi 1. Tim. 4. v. 14.

Porro viduæ hæ amotæ à mensis, et credentes Diaconis, aliis minoribus officiis deputatæ sunt, factæque Diaconissæ : quarum tria erant munia præcipua. Primum, nudare feminas ad baptismum et sacram unctionem. Secundum custodire portas feminarum, seminisque præesse in templo. Tertium tempore persecutionis ab Episcopo, vel Parocho mittebantur ad fideles, præsertim in carcere juvandos et animandos. Vide dicta 1. Timoth. 5. v. 9.

7. ET VERBUM DOMINI CRESCEBAT,] in numero, æque ac in fide et opere credentium, ait Glossa : quia Apostoli liberati cura mensarum, magis, totosque se dabant orationi et prædicationi, sicut crescente agricolatione, irrigatione, et cura agricolæ, crescit seges in agro. Alludit ad parabolam seminis et seminantis, cui à Christo comparatur verbum Dei, Marci 4. 26.

MULTA ETIAM TURBA SACERDOTUM,] communium et minorum (hi enim vocantur turba) non summorum et principum, uti videtur velle S. Chrysost. qui et miratur hic Spiritus sancti gratiam, et Christi clementiam, quod eos qui paulo ante blasphemarant Christum in cruce dicentes : *Alios salvos fecit, seipsum salvum facere nequit*, perduxerit ad fidem et salutem.

OBEDIEBAT FIDEI.] Syrus *auscultabat*, id est assentiebatur *fidei*, puta credebat in Christum. Ad fidem magis requiritur voluntatis pia inclinatio, quam intellectus propensio; res enim fidei sunt obscuræ, et supra rationis captum. Unde ad eas credendas pia voluntas movet intellectum, hic cæcutientem, eumque subjicit et quasi captivat in obsequium fidei, ut ait Apostolus 2. Cor. 10. 5.

Tropol. obedit fidei Christianus, qui facit ea quæ fides facienda dictat et jubet, qui scilicet juste, pie et sobre vivit : pie Deo, sobrie sibi, juste proximo ; cujus proinde vita fidei respon-

det, et mores professione adæquantur : sic enim vivit ut credit.

Plenus gratia.] Syrus, טבותא *tabuta*, id est, bonitate. Græca nunc habent πίστεως, id est, *fide*, de qua dixi v. 5.

8. Et fortitudine.] Lyran. *gratiam*, multa heroica operandi : *fortitudinem*, multa dura patiendi accipit. Verum dico, per *gratiam*, quodlibet charisma et virtutes omnes ; utpote gratiæ comites et quasi filias (hæ enim omnes sunt gratiæ, quia gratis à Deo infusæ) intelligi, ac consequenter ipsam quoque *fortitudinem ;* sed quia in ea excelluit S. Stephanus, hinc ait, *Et fortitudine.* q. d. Plenus erat omni gratia, sed maxime fortitudine, tum ad agendum, præsertim ad intrepide prædicandum, disputandum et convincendum Judæos : tum ad offerendum se minis, periculis, tormentis, lapidationi et martyrio : tum ad patrandum signa et prodigia : quibus suam fidem et doctrinam de Christo confirmabat, uti sequitur.

Nota hic vim et effectum Sacramenti ordinationis : nam ante eam, nec gratia plenus fuit Stephanus, nec prædicavit, nec miracula patravit, post eam vero, imo per eam, omnia hæc præstitit, uti advertit S. Chrysost.

9. De Synagoga.] Non quod una omnium sequentium fuerit Synagoga, ut vult Cajetan. sed *de Synagoga*, id est, de Synagogis. Est enallage numeri. Judæi enim Alexandrini suam habebant Synagogam Hierosolymis, suam Cyrenenses, suam Cilices, etc., ita S. Chrysost. perinde ac Romæ Germani suum habent Collegium, Angli suum, Scoti suum, Maronitæ suum, Græci suum. Sicut enim nunc Roma, ita tunc Jerusalem erat metropolis fidei, religionis et sapientiæ, ad quam proinde Judæi sparsi per orbem mittebant suos filios, ut lege et sapientia Dei imbuerentur, et ad hoc variarum nationum collegia, quas Synagogas vocabant, erant instituta.

Quæ appellatur Libertinorum,] id est filiorum qui prognati erant ex parentibus in servitutem à Pompeio aliisque Romam aliove abductis, sed libertate donatis. Ita S. Chrysost. Beda Cajetan. et alii. Hi enim, utpote è servili genere prognati, videntur à ceteris, quasi liberis rejecti, ideoque peculiarem constituisse Synagogam. Alii *Libertinos* censent vocari oriundos ex Libya. Ita OEcum. Glossa, Gagneius, Hugo et Lyran. Unde nonnulli suspicantur corrupte legi *Libertinorum*, pro *Lybyrtinorum*, vel potius *Lybystinorum.* q. d. Libyes, qui inter Cyrenaicam et Ægyptum habitant, quique suam habebant in Jerusalem Synagogam, quæ à gente et regione vocabatur Libystinorum. Verum omnia exemplaria Græca et Latina habent *Libertinorum*, non *Lybistinorum.* Quare prior expositio est verior, quæ confirmatur ex eo, quod Romæ Judæi vocabantur *Libertini*, qui libertate donati in Transtiberina regione habitabant, de iis enim ita scribit Philo in Legatione ad Caium sub medium : *Non passus fuisset Augustus trans Tiberim, bonum urbis partem teneri à Judæis, quorum plerique erant Libertini : quippe qui belli jure in potestatem redacti : ab hæris suis manumissi fuerant, permissi ritu majorem vivere : hos sciebat suas habere proseuchas, in quibus suos cœtus facerent, præsertim sabbatis.*

Cyrenensium.] Cyrene alia erat in Syria, alia in Media, alia in Africa. De tertia hic agi censent Chrysost. OEcum. Gagneius : quia Cyrenenses hic junguntur Alexandrinis, qui pariter sunt Afri. Sic ergo fama Stephani tres orbis partes pervagata est. Disputavit enim cum Libertinis Romanis, qui sunt in Europa ; cum Cilicibus, qui sunt in Asia ; cum Cyrenensibus et Alexandrinis, qui sunt in Africa.

Alexandrinorum,] qui oriundi erant Alexandria metropoli Ægypti, de qua dixi Nahum. 3. 8.

Eorum qui erant a Cilicia.] Quæ hodie Caramania dicitur, ut patet ex Theatro orbis Ortelii, in Turcia. Ex hac Synagoga videtur fuisse S. Paulus, æque ac S. Stephanus, utpote Pauli consobrinus ut censet Sanchez, Salmeron et alii. Fuit enim S. Paulus Cilix, puta Tarsensis ; ideoque S. Stephano, usque ad verba et verbera, ipsamque mortem se opposuit, ut patet cap. 7. Erat enim ipse ardenti ingenio, et zelator legis veteris, ideoque cum collegis suis in Stephanum, utpote cognatum suum, et ejusdem secum scholæ ac synagogæ, quasi in apostatam acrius insurrexit. Fratrum enim, et consanguineorum, ac collegarum odia sunt acerbissima, amor enim acuit iras.

Et Asia.] Minori, quæ Ciliciæ adjacet : ea nunc vulgo Turcia vocatur. Hinc disce, quanta fuerit gratia, virtus, efficia, sapientia, prodigia, fulgor sancti Stephani, quæ omnium in se synagogarum oculos convertit, animosque et linguas armavit, utpote gloriæ ipsius invidentium.

10. Et non poterant resistere sapientiæ,] divinæ, qua plenus erat sanctus Stephanus. Hac enim eos convincebat, et ex sanctis Scripturis, aliis que notis et signis demonstrabat Jesum Christum esse Messiam, orbisque salvatorem.

Et Spiritui, qui loquebatur.] Legit Interpres, ὃς ἐλάλει jam legunt, ᾧ ἐλάλει, id est, *quo* vel *per quem loquebatur.* Glossa addit, *cum omni fiducia et sine timore.* Ecce in Stephano impletur illa promissio Christi : *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Matt. 10. 20. Et : *Ego dabo vobis os et sapientiam cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.* Lucæ 21. 15.

11. Tunc submiserunt,] ὑπέβαλον, id est, Tigurino *suborn[illegible]ant ;* Pagnin. *clam acceperunt viros qui dicerent*, etc.

Verba Blasphemiæ,] βλασφημία græce idem quod δυσφημία, id est, mala fama ab alio sparsa, vituperium, calumnia, maledicentia : sed usu Ecclesiastico significat injuriam, sive probrum jactatum in Deum et Sanctos, uti hic in Mosen, ejusque legem. Hanc enim accusationem intentant S. Stephano, eum scilicet dixisse contra Moser, quod lex Mosis à Christo jam abolita sit, ideoque non fuerit ex deo ; ac consequenter quod Moses mentitus sit, cum dixit eam esse divinam, foreque æternam : contra Deum vero eum blasphemasse, eo quod dixisset, Deum velle per Christum abolere legem veterem, quasi illa non fuisset data à Deo vero et sempiterno, quodque Deus finxerit de Mosi eam dedisse, falsoque promiserit eam fore perpetuam.

Notat S. August. serm. 93. de Sanctis, hosce falsos testes eamdem pene calumniam impingere S. Stephano, quam Paulo ante Scribæ impegerant Christo. Nam falsum hoc suum testimonium explicantes v. 13. dicunt : *Homo iste non cessat loqui adversus locum sanctum et legem ; audivimus enim eum dicentem, quoniam Jesus Nazarenus*

hic destruet locum istum, et mutabit traditiones quas tradidit nobis Moses. Contra Christum vero dixerunt : Hic dixit : Possum destruere templum Dei, et post triduum reædificare illud, Matth. 26. 60.

Rursum notat S. Augustin. hanc eorum accusationem verum fuisse oraculum, perinde ac fuit sententia Caiphæ contra Christum. Joan. 11. 50. Porro eos mentiri, et calumniari S. Stephanum patet, quia Stephanus nihil dixerat contra locum sanctum, id est, contra templum, vel Jerusalem, quæ erat civitas sancta, neque contra legem : nam et Christus de se dixerat : *Non veni solvere legem, sed adimplere*, imo perficere, Matth. 5. 17. neque dixerat quod Jesus destrueret templum, vel Jerusalem; aut quod mutaret traditiones, τὰ ἔθη, id est ritus cæremonias, cultum, legesque et instituta à Mose tradita : Et esto id dixisset, si legem mutare erat crimen, non Stephanum id vaticinantem, sed Jesum id facientem invadere debebant. Unde exclamat S. Greg. Nazianzen. orat. de S. Stephano : *O injustam audientium sententium! Quoniam, inquiunt, Jesus mutavit leges, lapidetur Stephanus.* Summa ergo accusationis et criminis quod Stephano intentant, est hæc : Stephanus dixit, quod lex nostra in evangelium sit transitura, judaismus in christianismum, Moses in Christum, qui est Dei filius : ergo blasphemavit legem nostram, et Deum, dando ejus divinitatem Jesu Christo, quem scimus fuisse merum hominem. Verum dicunt in sua sententia, puta in sua perfidia et judaismo, et vere hæc prædicabat Stephanus, et sic vere coram concilio Judaico eum capitis reum agebant, uti Christum reum egerant ; Sed alia immiscent falsa : impingunt enim Stephano multa, quæ ipse non dixerat, uti jam dixi. Porro alludunt ad id quod dixerat Christus, templum cum urbe vestandum à Romanis, Luc. 19. 44. Sed de suo mendaciter addunt, id facturum esse Jesum, cum id non dixerit Jesus (multo minus Stephanus) sed potius dixerit id facturas esse Gentes, puta Romanos. Denique Martyr est Stephanus, quia pro prædicatione Christi et Evangelii occubuit in illud enim transituram legem veterem, Moses et Prophetæ prædixerant : sed hæc eorum oracula intelligere nolebant, et etiamnum nolunt Judæi.

15. VIDERUNT FACIEM EJUS TANQUAM FACIEM ANGELI.] Erat Stephanus naturali specie vultuque speciosissimus, ait S. August. serm. 6. de Sanctis ; sed supra naturam hic ei addita fuit pulchritudo. Facies enim angeli significat eximium quid, augustum et cœleste in vultu, puta speciem et majestatem angelicam. Patet id ex illo Esther c. 15. 16. ad Assuerem regem. *Vidi*, inquit, *te Domine quasi angelum Dei, et conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valde enim mirabilis es Domine et facies tua plena est gratiarum.*

Contulit ergo Deus Stephano novum mirumque splendorem, et quasi radios corporis gloriosi, quales contulit Mosi Exodi 34. 1. et S. Antonio, S. Francisco, nostroque S. Ignatio. Unde S. August. serm. 99. de diversis ait, *Faciem Stephani radiasse instar solis ;* idque Primo, ut exterior fulgor vultus indicaret internum fulgorem, et pulchritudinem mentis. Nam ut ait S. Hilar. Arelat. hom. de S. Stephano, *abundantia cordis transierat in decus corporis, et in facici pulchritudinem candor splendorque animi exundabat, ac abscondita pectoris ornamenta speculum frontis irradiabant, atque cum habere in se Spiritum sanctum, os præ se gestabat angelicum.* Secundo, quia S. Stephanus in moribus et doctrina, puta in disputando et prædicando æmulabatur puritatem, innocentiam, libertatem, fortitudinem, sapientiam, zelum et sanctitatem angelicam : quare in amico et æmulo angelorum Evangelica similitudo apparuit ait S. Augustin. serm. 6. de Sanctis. Tertio, ut gloria sui corporis resurrectionem Christi jam factam, et nostram futuram incredulis repræsentaret; utpote de qua cum Judæis disputaverat, et quam ægre audiebant, præsertim Saducæi. Unde S. August. loco. jam citato ait, quod S. Stephanus *ad confusionem illorum, revelata facie speculans in cœlum gloriam filii Dei, resurrectionis amuntiabat Sacramentum.* Quarto, S. Hilar. Arel. homil. jam citata, *Facies*, ait, *Stephani assumpsit speciem resurgentis, adversariis ad pœnam peccati, et tormentum invidiæ, et exprobrationem impietatis, et testimonium criminis.* Judæis ergo facies Stephani visa est formidabilis, Christianis, vero amabilis et admirabilis. Quinto, quia S. Stephanus jam erat quasi candidatus martyrii, et triumphi gloriæque cœlestis : unde ejus prælustres quosdam radios evibrabat. Hinc quasi mox evolaturus in cœlum exclamabat : *Ecce video cœlos apertos, et Jesum stantem à dextris virtutis Dei.* Stupeant ergo omnes in vultu Stephani gloriam triumphantis, ait Petrus Damiani serm. de S. Stephano. Hinc et Tertull. lib. de Resurrect. carnis cap. 55. ait, S. Stephanum instar Christi in transfiguratione, angelicum fastigium induisse.

Allegor. Doctoribus novi testamenti, qualis erat S. Stephanus, dictum est à Christo : *Vos estis lux mundi*, Matth. 5. 14. Hinc est Christi, utpote Doctoris mundi, facies resplenduit quasi sol, Matth. 17. 2. Nam, ut ait Apostolus 2. Corinth. 3. 9. *Si ministratio damnationis* (id est, legis Mosaicæ, quæ minantur mortem et damnationem) *gloria est : multo magis ministerium justitiæ* in Evangelio *abundat in gloria.*

Anagog. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam eruditi multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates*, ait Daniel c. 12. 3.

Tropol. Impiorum mens et facies nigrescit ut olla, piorum serena est et nitescit ut jubar auroræ : mentis enim decus vel dedecus in vultu emicat. Unde Chaldæus Cantic. 1. v. 5. paraphrastice hæc addit : *Quando Israelitæ fecerunt vitulum, denigratæ sunt facies eorum sicut Æthiopum, qui habitant in tabernaculis Cedar ; et quando egerunt pœnitentiam, et dimissum iis fuit peccatum, multiplicatus est splendor gloriæ vultus eorum sicut vultus angelorum.* Denique S. Chrysost. commettans in c. 7. v. 55. censet, Stephanum faciem angelicam induisse ex conspectu gloriæ Dei et Christi : Ait enim v. 55. *Ecce video cœlos apertos, et Jesum stantem à dextris Dei.* Hanc enim visionem eum ab initio habuisse, sed prudenter tacuisse, ne Judæos hoc spectro offenderet. Sic Mosi ex aspectu et consortio Dei afflati sunt radii, et quasi cornua lucis Exodi 34. v. 29. Deus enim quasi sol lucidissimus suis suam lucem afflat : nam facies angelica Stephani maxime sita erat in radiis lucis et splendore angelico. Idem sentit S. August. serm. 6. de S. Stephano, *Stephanus*, ait, *revelata facie speculabatur in cœlum gloriam Dei filii, ideo videbant vultum ejus Judæis tan-*

quam vultum angeli Dei et nunc tantummodo beatus Martyr Stephane terram despice, cœlum conspice; et pontificem sperne, Patrem attende. Atque hæc videtur propria et litteralis causa fuisse faciei angelicæ in S. Stephano. Simili modo Christus in transfiguratione radios sui splendoris et gloriæ afflavit Mosi et Eliæ, qui pariter visi sunt in gloria et majestate, uti ait S. Lucas Evang. c. 9. 31.

Addit S. Chrysost. ob hunc angelicum faciei decorem Judæos, licet hostes Stephani infensissimos, permisisse tamen diutius eum libere concionari, ut tanto decore oculos pascerent. Verum in sua perfidia partinaces, hoc splendore interius non illuminati, sed magis excæcati obduerunt, ideoque ejus faciem æque ac doctrinam obscurare et lapidibus opprimere satagerunt.

Simili modo S. Joannes Baptista Castitate, vita, sermone, zelo, vultu fuit angelicus, ideoque à Christo vocatus est *Angelus* Matth. 11. 20.

Malachias Propheta à moribus, prædicatione et suaviloquentia vocatus est Malachias, id est, angelus Domini; imo Origenes eum, æque ac Joannem Baptistam, censuit fuisse vere angelum, non hominem, uti dixi initio Malachiæ.

S. Cæcilia familiariter cum angelo virginitatis suæ custode conversans puritatem, alacritatem, efficiam, gratiam, speciemque induit angelicam: unde et Valerianum sponsum, ejusque fratrem Tiburtium, ac 400. alios ad Christum convertit. Quocirca in officio Ecclesiastico de ea canit Ecclesia: *O beata Cecilia, quæ duos fratres convertisti, Almachium judicem superasti, Urbanum Episcopum in vultu angelico demonstrasti.*

S. Basilius gravitate, devotione, ordine hierarchico, vultuque angelico perculit Vaventem Imp. eumque sævientem contra Catholicos compescuit, et pene exanimavit. Nam, ut refert. S. Greg. Nazianz. orat. de laudibus S. Basilii, cum Valens multis satellitibus stipatus, in festo Epiphaniæ templum ingressus, *audivit psalmodiam instar tonitrui personantem, plebisque pelagus vidit, omnemque ordinem et concinnitatem, angelicam potius quam humanam: atque ipsum Basilium ante populum recto corpore stantem, nec oculis, nec animo, perinde ac si nihil novi contigisset, ullam in partem se moventem, sed Deo et altari affixum: eos autem à quibus cingebatur, cum timore quodam ac reverentia stantes; humanum quidquam passus est, atque oculorum vertigine ac tenebris totus impletur*, etc. *Ita enim titubare cœpit, ut, nisi quispiam ex Sacrarii ministris vacillantem supposita manu retinuisset, misere utique et luctuose prolapsurus fuerit.* Subdit eum tanta sapientia et gratia cum Valente prolocutum ut Dei voces esse viderentur, quibus proinde Valentis iras flexit et sedavit. Addit Amphilochius in vita S. Basilii, eum dum sacrificaret, ab Eubulo visum clarissimo lumine ac angelis circumdari.

Ita S. Zosymas, cum audisset vitam angelicam S. Mariæ Ægyptiacæ, eamque vidisset supra flumen Jordanis ambulantem, ac in oratione raptam in aerem, rediens et requirens eam, orans dicebat: *Ostende mihi Domine absconditum thesaurum, quem mihi peccatori manifestare dignatus es. Ostende mihi obsecro Domine, in corpore angelum, cui totus comparari indignus est mundus*, uti ipse refert in ejus vita. Vere enim Anastasius Nycænus ad Antiochum quæst. 30. angelum ita definit: *Quid est angelus? Est vivum rationale, hymnisonum immortale.*

S. Thomas Aquinas ab innocentia et castitate baptismali, quam per omnem vitam conservavit, ut nunquam stimulum carnis senserit ab eo tempore, quo angeli lumbos ejus cingulo castitatis accinxerunt: insuper ab intellectus, sapientiæ et doctrinæ eminentia, nuncupatus est Doctor Angelicus.

S. Mechtildis, ait Engelhardus in ejus vita c. 5. *silentium tantum indixerat sibi, ut mutam crederes: si vero loqueretur, cum angelo te conferre putares*, quæ proinde, cum quadam vice ei inadvertenter verbum otiosum excidisset, illud diu multis lacrymis et voluntariis pœnis castigavit. Silentium ergo angelicum nos docet cum angelis, et ab angelis cum hominibus angelice loqui. Unde et de S. Thoma Aquinate, quem condiscipuli ob juge silentium *bovem mutum* appellabant, dixit Albertus Magnus ejus magister: *Hic bos mutus brevi tantam dabit vocem, ut eam audiat totus orbis*, imo omnia sæcula eam quasi angelicam admirentur.

Noster B. Aloisius Gonzaga virginitate, modestia, mansuetudine, blanditoquio, verecundia, oratione, contemplatione, vultu erat angelicus: unde à matre Comitissa Castillionensi non aliter vocabatur, quam *meus angelus*. Quin et Auditores Rotæ in processu Canonizationis ejusdem, ipsi *Angelici* titulum ultro et motu proprio dederunt.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

STEPHANUS SUAM CAUSAM AGENS, DOCTE ET FUSE PERORAT IN CONCILIO, ALTEQUE EXORDIENS REFRICAT HISTORIAS ABRAHÆ, ISAAC, JACOB, MOSIS ET PROPHETARUM, QUI PRÆNUNTIARUNT CHRISTUM, QUIBUS UTI RESTITERUNT PRISCI JUDÆI, MULTOSQUE EX EIS OCCIDERUNT, ITA NUNC POSTEROS EORUM PERSEQUI CHRISTUM EJUSQUE DISCIPULOS, LIBERE PROCLAMAT. UNDE INGENTI ZELO, LIBERTATE AC SPIRITU v. 51. IN ILLOS DETONAT: DURA, INQUIT, CERVICE, ET INCIRCUMCISIS CORDIBUS ET AURIBUS, VOS SEMPER SPIRITUI SANCTO RESISTITIS, SICUT PATRES VESTRI, ITA ET VOS, VOCATQUE PRODITORES ET HOMICIDAS CHRISTI. QUOCIRCA ILLI STRIDENTES ET FURENTES RAPIUNT EUM, AC LAPIDIBUS OBRUUNT: ILLE VERO INTERRITUS, OCULIS IN COELUM INTENTIS VIDENS GLORIAM DEI ET JESUM: DOMINE JESU, INQUIT, SUSCIPE SPIRITUM MEUM.

1. DIXIT autem princeps sacerdotum: Si hæc ita se habent? 2. Qui ait: Viri fratres, et patres, audite: Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ cum esset in Mesopotamia: prius quam moraretur in Charan, et dixit ad illum: 3. Exi de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram, quam monstravero tibi. 4. Tunc exiit de terra Chaldæorum, et habitavit in Charan. Et inde, postquam mortuus est pater ejus, transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis. 5. Et non dedit illi hereditatem in ea, nec passum pedis: sed repromisit dare illi eam in possessionem, et semini ejus post ipsum, cum non haberet filium. 6. Locutus est autem ei Deus: Quia erit semen ejus accola in terra aliena, et servituti eos subjicient, et male tractabunt eos annis quadringentis: 7. et gentem cui servierint, judicabo ego, dixit Dominus, et post hæc exibunt, et servient mihi in loco isto. 8. Et dedit illi testamentum circumcisionis: et sic genuit Isaac, et circumcidit eum die Octavo: et Isaac, Jacob, et Jacob duodecim Patriarchas. 9. Et Patriarchæ æmulantes, Joseph vendiderunt in Ægyptum, et erat Deus cum eo: 10. et eripuit eum ex omnibus tribulationibus ejus, et dedit ei, gratiam et sapientiam in conspectu Pharaonis regis Ægypti, et constituit eum Præpositum super Ægyptum, et super omnem domum suam. 11. Venit autem fames in universam Ægyptum et Chanaan, et tribulatio magna: et non inveniebant cibos patres nostri. 12. Cum audisset autem Jacob esse frumentum in Ægypto, misit patres nostros primum: 13. et in secundo cognitus est Joseph à fratribus suis, et manifestatum est Pharaoni genus ejus. 14. Mittens autem Joseph accersivit Jacob patrem suum, et omnem cognationem suam in animabus septuaginta quinque. 15. Et descendit Jacob in Ægyptum, et defunctus est ipse et patres nostri. 16. Et translati sunt in Sichem, et positi sunt in sepulchro quod emit Abraham pretio argenti à filiis Hemor, filii Sichem. 17. Cum autem appropinquaret tempus promissionis, quam confessus erat Deus Abrahæ, crevit populus, et multiplicatus est in Ægypto: 18. quoadusque surrexit alius rex in Ægypto, qui non sciebat Joseph. 19. Hic circumveniens genus nostrum, afflixit patres nostros, ut exponerent infantes suos ne vivificarentur. 20. Eodem tempore natus est Moyses, et fuit gratus Deo, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris sui. 21. Exposito autem illo sustulit eum filia Pharaonis, et nutrivit eum sibi in filium. 22. Et eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum, et erat potens in verbis, et in operibus suis. 23. Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor ejus ut visitaret fratres suos filios Israel. 24. Et cum vidisset quemdam injuriam patientem, vindicavit illum: et fecit ultionem ei qui injuriam sustinebat, percusso Ægyptio. 25. Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis: at illi non intellexerunt. 26. Sequenti vero die apparuit illis litigantibus: et reconciliabat eos in pace, dicens: Viri, fratres estis, ut quid nocetis alterutrum? 27. Qui autem injuriam faciebat proximo, repulit eum dicens: Quis te constituit principem et judicem super nos? 28. nunquid interficere me tu vis, quemadmodum interfecisti heri Ægyptium? 29. Fugit autem Moyses in verbo isto, et factus est advena in terra Madian,

ubi generavit filios duos. 30. Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sina angelus in igne flammæ rubi. 31. Moyses autem videns, admiratus est visum, et accedente illo ut consideraret, facta est ad eum vox Domini, dicens: 32. Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. Tremefactus autem Moyses, non audebat considerare. 33. Dixit autem illi Dominus: Solve calceamentum pedum tuorum: locus enim in quo stas, terra sancta est. 34. Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto, et gemitum eorum audivi, et descendi liberare eos. Et nunc veni, et mittam te in Ægyptum. 35. Hunc Moysen, quem negaverunt, dicentes: Quis te constituit principem et judicem? Hunc Deus principem et redemptorem misit, cum manu angeli, qui apparuit illi in rubo. 36. Hic eduxit illos, faciens prodigia et signa in terra Ægypti: et in rubro mari, et in deserto annis quadraginta. 37. Hic est Moyses, qui dixit filiis Israel: Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tanquam me, ipsum audietis. 38. Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, et cum patribus nostris: qui accepit verba vitæ dare nobis. 39. Cui noluerunt obedire patres nostri: sed repulerunt, et aversi sunt cordibus suis in Ægyptum. 40. Dicentes ad Aaron: Fac nobis deos, qui præcedant nos: Moyses enim hic, qui eduxit nos de terra Ægypti, nescimus quid factum sit ei. 41. Et vitulum fecerunt in diebus illis, et obtulerunt hostiam simulacro, et lætabantur in operibus manuum suarum. 42. Convertit autem Deus, et tradidit eos servire militiæ cœli, sicut scriptum est in libro Prophetarum. Nunquid victimas et hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israel? 43. Et suscepistis tabernaculum Moloch, et sidus Dei vestri Rempham, figuras, quas fecistis, adorare eas. Et transferam vos trans Babylonem. 44. Tabernaculum testimonii fuit cum patribus nostris in deserto, sicut disposuit illis Deus, loquens ad Moysen, ut faceret illud secundum formam quam viderat. 45. Quod et induxerunt, suscipientes patres nostri cum Jesu in possessionem gentium, quas expulit Deus à facie patrum nostrorum, usque in diebus David. 46. Qui invenit gratiam ante Deum, et petiit ut inveniret tabernaculum Deo Jacob. 47. Salomon autem ædificavit illi domum. 48. Sed non excelsus in manufactis habitat, sicut Propheta dicit: 49. Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus, aut quis locus requietionis meæ est? 50. Nonne manus mea fecit hæc omnia? 51. Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ita et vos. 52. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis: 53. quia accepistis legem in dispositione angelorum, et non custodistis. 54. Audientes autem hæc dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum. 55. Cum autem esset plenus Spiritu sancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, et Jesum stantem à dextris Dei. Et ait: Ecce video cœlos apertos, et Filium hominis stantem à dextris Dei. 56. Exclamantes autem voce magna continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum. 57. Et ejicientes eum extra civitatem lapidabant: et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus. 58. Et lapidabant Stephanum invocantem, et dicentem: Domine Jesu suscipe spiritum meum. 59. Positis autem genibus, clamavit voce magna, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino. Saulus autem erat consentiens neci ejus.

Nota Historiæ pleræque quæ hoc capite recenset S. Stephanus, petitæ sunt ex Genesi et Exodi, ubi eas explicui: quæ ergo ibi dixi, hic non repetam. Porro in multis Stephanus videtur repugnare Genesi. Septem enim hic occurrunt antilogiæ, partim in Genesi solutæ, partim hic breviter solvendæ.

2. VIRI FRATRES ET PATRES.] *Fratres* vocat sibi æquales et coævos: *patres* vero, seniores, pontifices et judices coram quibus causam suam agebat in concilio. Ita Lyran. et Hugo.

DEUS GLORIÆ.] Scilicet origo, fons et causa, hoc est, Deus gloriosissimus, cui competit omnis honor et gloria, eaque divina et immensa; quique angelis et hominibus omnem gloriam, quam habent, communicat. Nota S. Chrysost. id dicere S. Stephanum contra Judæos, putantes gloriam Dei alligatam esse templo et legi ipsorum. q. d. Deus ante legem et templum fuit Deus gloriæ, suamque gloriam ostendit Abrahæ et patribus vestris; quos divites, victoriosos, felices, gloriosos effecit: ergo pari modo potest suam gloriam nunc avocare à templo et lege vestra, eamque transferre in Christum et Ecclesiam. Vide quæ de Dei gloria et glorificatione dixi Rom. 11. 33. et Isaiæ 6. 3. et Apocal. 4. 8.

APPARUIT PATRI NOSTRO ABRAHÆ.] Incipit ab Abraham, quia is Judæorum, hoc est fidelium et Synagogæ, fuit primus pater et patriarcha,

primusque promissionem explicitam accepit de Christo ex se nascituro.

Accusarant Judæi Stephanum, quod locutus esset contra eorum Deum, legem, templum, Mosen et Prophetas. Refellit id Stephanus; honorifice loquendo de Deo Abrahæ, ac vocando eum Deum gloriæ; deque ipso Abraham, vocando eum patrem nostrum, ac de lege, templo, Mose et Prophetis. Ostenditque Judæos potius iis obloqui et resistere, dum Christum à Deo, Mose et Prophetis promissum, ac in lege et victimis templi adumbratum, ejusque discipulos persequuntur. q. d. Accusatis me quasi blasphemum, eo quod Christum præponam Mosi et Prophetis, afferamque eum esse Dei filium et redemptorem mundi. At vero idipsum credidit Abraham, Moses et Prophetæ, qui et idipsum prædixerunt. Imitamini ergo patrem vestrum Abraham, legislatorem Mosen, vestrosque Prophetas, ac in Christum jam natum credite, sicuti ipsi in Christum nasciturum crediderunt, eumque vobis prædixerunt et promiserunt: alioqui non ego, sed vos à fide Abrahæ, Mosis et Prophetarum degeneres, iis adversos et hostes vos ostendetis. Ita S. Augustin. serm. 93. de diversis.

In Mesopotamia.] Est hic prima antilogia. Videtur enim Stephanus hic pugnare cum Mose Genes. 12. 1. juncto cum Genes. 11. 31. ubi dicitur quod Abraham vocatus et eductus sit de Ur Chaldæorum.

Respondeo, S. Stephanum *Mesopotamiam* hoc loco late accipere, pro omni regione quæ est trans Euphratem: opponit enim eam terræ Chanaan Judæis promissæ, quæ se extendebat usque ad Euphratem; hic enim ejus limes statuitur à Deo Deuter. 11. 24. Quare sub *Mesopotamia*, comprehendit hic Chaldæam. Id ita esse patet ex vers. 4. ubi ait: *Tunc exiit de terra Chaldæorum.* Porro quomodo Genes. 12. 4. dicatur Abraham egressus de Haran, ibidem explicui: eo enim pertinet.

Charan.] *Charan*, sive *Haran* sunt Charræ, quæ fuit urbs Parthorum, sita in finibus Mesopotamiæ versus terram Chanaan, juxta quam cæsus est M. Crassus à Parthis, de quo Lucan. lib. 1. de Bello civili:

Assyrias Latio maculavit sanguine Charras.

3. Exi de terra.] Præclare S. Hieron. qui Stridonem et Dalmatiam patriam suam deserens, per orbem discendi causa peregrinatus, tandem in Bethlehem consedit et conquievit, Epist. ad Paulinum: *Credenti*, ait, *totus mundus divitiarum est, et facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum.* Et Poeta:

Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor.

Hinc Socrates, dicebat se esse cosmopolitam, id est, civem mundi. Et ex Platone Plotinus apud S. August. l. 9. de Civit. c. 6. *Fugiendum est*, ait, *ad clarissimam patriam: et ibi pater, et ibi omnia: quæ igitur classis, aut fuga? Similem Deo fieri. Si ergo Deo tanto similior, quanto fit quisque propinquior, nulla est ab illo tanta longinquitas, quanta ejus dissimilitudo.* Sumus enim ab æterno ab eo conscripti cives Sanctorum et domestici Dei, quasi ejus filii et heredes, coheredes autem Christi, patria ergo nobis est cœlum, terra vero exilium. Hicque fuit communis Abrahæ et Sanctorum omnium sensus, uti multis ostendi Hebr. 11. 9.

Transtulit,] μετώκισεν, id est *habitare fecit*, S. August. 16. Civ. c. 16. legit. *collocavit*; Syrus, *mutavit*; scilicet Abrahæ domum, sedem et habitationem transtulit ex Haran in Chanaan.

4. In qua vos nunc habitatis,] non ego, quia terram et omnia terrena cum Apostolis reliqui, et vicinus morti ad cœlum propero. Ita Glossa.

5. Et non dedit illi hereditatem in ea, nec passum pedis.] Græcum βῆμα Primo, significat *vestigium*, ut vertit Syrus, Pagnin. et Tigurina. Secundo, *passum*, ut patet ex Plutarcho in Demetr. passus autem est mensura quinque pedum: hos enim efficit distensio et divaricatio unius pedis ab altero. q. d. Ne minimam quidem terræ mensuram dedit. illi Est hic secunda antilogia. Nam Genes. 23. 9. Abraham in Chanaan emit et possedit speluncam duplicem, ad sepulturam Saræ et suorum. Resp. Primo, illam non dedit ei Deus, sed pretio suo eam sibi comparavit Abraham. Ita S. August. quæst. 56. in Genes. Secundo, non possedit illam quasi hereditatem, scilicet ut vivus eam quasi prædium coleret vel incoleret, sed ut sepulturam, in qua mortuus quiesceret. Sepulchrum enim non est hereditas nec domus, vel ager vivorum, sed potius crypta subterranea mortuorum. Ita Glossa.

Cum non haberet filium.] Hoc auget promissionem Dei et fidem Abrahæ. Deus enim promisit Chanaan Abrahæ, id est, posteris ejus; cum tamen nondum haberet filium, sed ipse esset senex, et uxor ejus Sara sterilis, atque Abraham promittenti Deo credidit; quia credebat Deum esse omnipotentem, atque senibus et sterilibus posse restituere vim generativam, idque hic juxta promissa facturum, uti de facto fecit, cum iis dedit virtutem generandi Isaac, qui cum posteris, Deo dante, futurus erat heres Chananææ.

6. Quia erit semen ejus accola in terra aliena.] Pro *accola* græce est πάροικος, id est, advena, peregrinus, in terra aliena, non incola et civis in propria. q. d. Posteri tui, ô Abraham, erunt peregrini in Chanaam (uti exprimunt Septuag. Exodi 12. 40.) et in Ægypto ibique Ægyptii cogent eos servire sibi per annos quadringentos.

Annis quadringentis.] Est hic tertia antilogia. Nam Exodi 12. 41. et Galat. 3. 17. numerantur anni 430. et ita hic legendum censent Rabanus. S. Thomas. Cajetanus, et Glossa. Resp. à vocatione Abrahæ quæ facta est anno vitæ ejus 75. fuisse annos 430. hic vero eos computari à nativitate Isaac, qui natus est Abrahamo post 25. annos, puta anno vitæ ejus centesimo. Inde enim usque ad exitum Hebræorum ex servitute Ægyptiaca, fluxerunt anni 405. præcise, qui hic vocantur quadringenti, numero et computu rotundo, omissis quinque, qui hunc computum excedunt. Scriptura enim sæpe ponit numeros integros et rotundos, præsertim centenarios, etiamsi pauculi iis desint vel supersint. Sic enim dicimus nos vidisse centum milites, etiamsi duo vel tres huic numero desint. Sensus enim est: vidi centum, id est, circiter centum, plus minus centum. Pari modo hi anni præcise numerantur quadringenti infra c. 13. 20. et Genes. 15. 13. Vide ibi dicta.

7. Judicabo.] Id est condemnabo, ulciscar et puniam: ita Vatabl. Deus enim occidit Pharaonem et Ægyptios oppressores Hebræorum, mergendo eos in mari rubro; Chananæos vero mactavit in prœliis per Josue.

EXIBUNT,] de Ægypto in Chanaan, quam eis promisi.

8. ET DEDIT ILLI TESTAMENTUM CIRCUMCISIONIS.] *Testamentum*, id est, fœdus vel pactum : Deus enim conditionem fœderis inter se et Abraham, ejusque posteros initi, voluit esse circumcisionem, promittens se Abrahæ et posterorum fore Deum, provisorem et protectorem, si ipsi ex ejus voluntate et lege se circumciderent, ac vicissim eum colerent, non idola. Vide dicta Genes. 17. 7. et seq.

9. EMULANTES,] invidentes. Ita Tigurina.

JOSEPH VENDIDERUNT.] Meminit Joseph, quia is expressus præ cæteris fuit typus Christi, venditi, capti et afflicti à Judæis, idque tacite hic eis insinuat et objicit S. Stephanus.

ET ERAT DEUS CUM EO,] educens eum è carcere, sublimans in principem Ægypti, omniaque ejus opera secundans et prosperans, uti mox explicat S. Stephanus. Vide Sapient. c. 10. 13. et 14.

13. ET IN SECUNDO,] scilicet adventu fratrem Joseph in Ægyptum, Syrus, *in secunda vice;* Tigurina et Pagninus, *cumque iterum misisset eos.*

14. IN ANIMABUS SEPTUAGINTA QUINQUE.] *Animabus*, id est hominibus, puta filiis et nepotibus ex Jacob prognantis. In his enim stabat tota cognatio, id est prosapia et posteritas Jacob. Est synecdoche.

Est hic quarta antilogia : nam Gen. 46. 26. numerantur tantum 70. non 75. Resp. fuisse 70. Sed Septuag. quos sequitur S. Stephanus, numerant 75. quia annumerat filios et nepotes Joseph natos in Ægypto, uti dixi Gen. 46. 26.

16. ET TRANSLATI SUNT IN SICHEM.] *Sichem* sive *Sichar* urbs erat Samariæ præcipua, quæ post *Mabartha* teste Josepho lib. 5. Belli c. 4. vel ut ait Plinius lib. 5. c. 13. *Mamortha* dicta est, deinde, *Flavia Cæsarea* à Flavio Domitiano, qui eo coloniam deduxit denique *Neapolis* est appellata, nunc *Naplos* dicitur, in qua natus est S. Justinus Philosophus et Martyr, S. Stephani in fide propugnanda æmulus: unde gloriosum illius ad instar, pro ea martyrium obiit anno ætatis circiter 50. Christi 168. ut habet Chronicon Alexand. licet Baronius id consignet anno Christi 165.

Et hic quinta antilogia. Nam Abraham, Isaac et Jacob sepulti sunt in Hebron, ut patet Genes. c. 25. 9. et c. 50. 13. Resp. Abraham, Isaac et Jacob sepultos esse in Hebron, duodecim vero Patriarchas qui fuerunt filii Jacob, sepultos esse in Sichem. Ita S. Hier. in Epitaphio S. Paulæ. Aut certe hi quoque primum ex Ægypto translati et sepulti sunt in Sichem, inde in Hebron, uti diserte docet Joseph l. 2. Antiq. c. 4. ubi asserit omnes, excepto Joseph, sepultos esse in Hebron. Josephum quasi gnarum et fidum suæ gentis historicum, sequuntur Magister Histor. Scholast. Dionysius et Gagneius, atque idipsum hic significat Stephanus, cum subdit : *Et positi sunt in sepulchro quod emit Abraham*, utique in Hebron, ut patet Genes. 23. non in Sichem.

ET POSITI SUNT IN SEPULCHRO QUOD EMIT ABRAHAM PRETIO ARGENTI A FILIIS HEMOR, FILII SICHEM,] est hic sexta antilogia, eaque maxime implicata et difficillima : nam Abraham sepulchrum emit ab Ephron filio Seor, Genes. 23. v. 16. non à filiis Hemor, filii Sichem. Ab illis enim partem agri in Sichem emit Jacob, non Abraham. Genes. 33. 19.

Resp. Primo, Beda, Rabanus, et ex iis Melchior Canus in fine l. 2. de Locis Theolog. S. Stephanum totum alteri rei, puta causæ suæ de Christo, intentum hic lapsum esse memoria, et pro Jacob nominasse Abraham : confudisse enim duas emptiones, et commiscuisse in unam, scilicet priorem Abrahæ de qua Genes. 23. 16. et alteram Jacob, de qua Genes. 33. 19. Verum quis hoc credat de S. Stephano, qui plenus erat fide et Spiritu sancto, imo in quo loquebatur Spiritus sanctus ; præsertim cum ipse hic publice coram doctissimis Rabbinis, suis adversariis, concionaretur, tractaretque controversiam de Christo, æquæ ac causam suæ religionis et fidei, vitæque et necis? erat enim jam martyrii cœlique candidatus, viditque gloriam Dei. Minus improbabile est quod censent alii, nomen Abrahæ pro Jacob hic irrepsisse, æque ac nomen Jeremiæ irrepsisse Matth. 27. v. 9. multi viri docti autumant. Si enim pro *Abraham* ponas *Jacob*, aut expuncto *Abraham* repetas nomen *Jacob*, quod paulo ante præcessit, tota sententia plane fluit, nec ullum ingerit scrupulum. Ita Eugubinus et Lipomanus in Catena Genes. c. 33. ac Andres Masius in c. ult. Josue vers. 32. Verum omnia exemplaria Græca, Latina et Syra constanter habent *Abraham* non *Jacob;* nec ullus veterum pro *Abraham* legit *Jacob*, nec est quidquam quod ad ita legendum cogat; sunt enim alii hæc loca conciliandi modi, iique magis probabiles et expediti.

Unde Secundo, respondet Vatablus, Sanchez et alii, *Abraham* patronymice sumi, ut idem sit quod Abramides puta Abrahæ filius, scilicet Jacob : aut q. d. Abraham, qui primus et famosissimus fuit parens Israelitarum, ac hæres terræ promissæ à Deo institutus, emit suis hunc agrum, non per se, sed per nepotem suum Jocob Genes. 33. Sic Christus vocatur *Israel*, id est Israelitides, sive Israelis filius, Isaiæ 49. 3. *Servus meus es tu Israel.* Idem vocatur *David*, id est Davidides, sive David is filius Ezech. 24. vers. 23. *Suscitabo super eos servum meum David. Ego autem ero eis in Deum, et servus meus princeps in medio eorum.* Idem vocatur *Salomon*, in titulo Psal. 71. id est, Salomonides, Sic Trojanus vocatur *Tros*, à Troe parente, Æneid. 6.

> Tros Anchisiade facilis descensus Averni.

Et lib. 1.

> Tros Tyriusve mihi nullo discrimine agetur.

Idem vocatur *Dardanus*, id est Dardanides, puta Dardani soboles Æneid. 4.

> Hauriat hunc oculis iguem crudelis ab alto
> Dardanus.

Sic Trojani vocantur *Teucri*, à Teucro progenitore; Græci vocantur *Danai*, à Danao rege Argivorum. Sic Romani à Romulo, ab Horatio l. 4. Carm. vocantur *gens Romula*. Verum hæ phrases conveniuntur Poetis et Prophetis, non vero Historicis, qualis est hic S. Stephanus.

Tertio, Cajetan. et alii censent esse hyperbaton ; verba enim sic esse ordinanda : *Et translati sunt in Sichem patres nostri filii Jacob, et positi sunt à filiis Sichem, filii Hemor in sepulchro; quod emit Abraham pretio argenti in Hebron.* Causamque dat, quod Sichimitæ memores, cladis acceptæ à Simeon et Levi filiis Jacob, non passi sint eorum corpora apud se manere in Sichem, ideoque ea transtulerunt in Hebron. Verum hoc

fictitium videtur : potius enim insepulta abjecissent, et hyperbaton illud durum et contortum apparet. Adde, Cajetan. mutat genealogiæ seriem. Ait enim : *à filiis Sichem, filii Hemor,* cum textus ex adverso habeat : *à filiis Hemor, filii Sichem.*

Quarto, Gagneius respondet eumdem agrum in Sichem prius emptum fuisse ab Abraham, etiamsi id non narretur in Genesi, eumque abalienatum, rursus emptum esse à Jacob post 117. annos cum ex Mesopotamia rediit in Chanaan. Sed et hoc sine fundamento asseritur.

Quinto ergo et verisimillime, S. Greg. lib. 7. epist. 55. Lyran. Lorinus et alii hic, ac fuse Pererius in Genes. 23. n. 46. et sequentibus, censent hic sermonem esse de emptione speluncæ facta ab Abraham Genes. 24. non agri facta à Jacob Gen. 33. 19. Probatur id Primo, quia *Abraham* diserte habent omnes codices, non *Jacob.* Secundo, quia S. Stephanus loquitur de emptione sepulchri; hoc autem pro Sara uxore defuncta emit Abraham, non Jacob : Jacob enim emit agrum ad altare, non ad sepulcrum. Tertio quia S. Stephanus ait sepulcrum hoc emptum esse pretio argenti, scilicet quadringentis siclis argenti, de quibus dicit Ephron venditor sepulchri ad Abraham emptorem, *illud est prætium inter me et te,* Genes. 24. 15. Jacob autem emit agrum non pretio argenti, sed centum agnis, ut dicitur Genes. 53. Denique Hemor ille Jacobi, dicitur fuisse pater Sichem : hic vero Abrahæ, dicitur fuisse filius Sichem. Quare diversus ab eo fuit, esto idem habuerit nomen. Sed ad hoc responderi posset, Hemoris patrem, æque ac filium vocatum fuisse Sichem : unde græce est τοῦ σοχέμ, quod tam patrem, quam filium Sichem significat.

Dices, Abraham sepulcrum emit ab Ephron filio Seor, non à filiis Hemor, filiis Sichem.

Resp. Ephronis patrem fuisse binomium : vocatus enim et Seor, vocatus est et Hemor. Hebræi enim multi fuerunt binomii, ut patet, si nomina quæ initio lib. 1. Paralip. recensentur, conferas cum iis quæ ponuntur in Genesi. Porro Hemor fuit filius Sichem, non illius, à cujus filiis emit agrum Jacob, sed eo longe antiquioris. Hemor autem multos habuit filios, inter quos major et primogenitus videtur fuisse Ephron, qui nomine cæterorum fratrum sepulchrum vendidit Abrahæ.

Dices secundo, quomodo verum est quod ait Stephanus, Jacob et Patres nostri translati sunt in Sichem, et positi in sepulchro Abrahæ? hoc enim erat in Hebron, non in Sichem : nec Jacob ex Ægypto translatus est in Sichem, sed in Hebron, Genes. 50. 13.

Respondi paulo ante, dupliciter. Primo, Jacob cum Isaac et Abraham, sepultum esse in Hebron, Jacobi vero filios in Sichem. Est synecdoche : partialiter enim hæc explicanda sunt; quia S. Stephanus concise loquitur, et paucis multa conglomerat et perstringit. Cum ergo ait *Patres nostri,* intelligit non tantum Jacobi filios, sed et parentes, scilicet Abraham et Isaac, quos nominavit v. 8. ubi genealogia eorum descripsit, non mortem, nec sepulturam. Utramque ergo hic generatim consignat, dicens, eos defunctos et positos in sepulcro quod emit Abraham, puta juxta Hebron. Secundo, duodecim Jacobi filii primo translati sunt in Sichem, deinde in Hebron, uti ex Joseph et aliis asserui. Nec id negat S. Hier. in Epitaphio S. Paulæ. Ibi enim tantum dicit, duodecim Patriarcharum sepulchra adhuc sua ætate ostendi solita in Sichem : quia enim ibi primo sepulti sunt, hinc sepulchra eorum ibidem manserunt, et religiose à posteris asservata et frequentata sunt; esto ipsi deinde ex Sichem in Hebron translati sint, uti asserere videtur hic S. Stephanus.

Paulo aliter respondet Pererius, nimirum, cum S. Stephanus nominat Jacob et patres nostros, solum intelligere Jacobi filios, non parentes : filios autem sepultos esse in Sichem, Jacobum vero in Hebron; ut sit enallage numeri, *positi,* pro *positus;* sicut discipuli dicuntur apud Matth. cap. 26. v. 8. murmurasse contra Magdalenam, effundentem unguentum super caput Christi, cum solus Judas murmurarit, ut ait Joannes cap. 12. v. 4. Verum hæc enallage hoc loco diriuscula est, præcedit enim : *Et translati sunt in Sichem,* quod in plurali accipiendum esse, omnes consentiunt. Ergo et id quod ei copulatur, scilicet : *Et positi sunt in sepulchro quod emit Abraham,* in plurali ut sonat accipiendum videtur, non in singulari de solo Jacob.

17. QUAM CONFESSUS,] id est, *professus erat,* ut legunt nonnulli codices, hoc est, promiserat cum jurejurando. Syrus, *quam pollicitus erat cum juramento.* Græca enim jam habent ὤμοσεν; id est, *juraverat.* Ita Tigurina. Forte interpres noster legit ὡμολόγησεν, id est, *confessus, professus, erat.*

18. NON SCIEBAT,] ignorabat quanta beneficia Joseph Hebræus contulisset Ægypto, ideoque ab Hebræis aversus eos affligebat.

19. HIC CIRCUMVENIENS GENUS NOSTRUM,] κατασοφισάμενος, id est, *sophismatibus implicans, dolosis artibus quasi retibus capiens;* Syrus, *dolum componens,* Exodi. 1. 10. Hebr. est נתח נבחה לו *nit chaé kema lo,* id est sapientores simus eo : quod noster clare vertit, *sapienter,* id est astute, *opprimamus eum.* Neque enim Ægyptii Hebræos manifeste opprimere audebant, aut poterant, cum nullam hujusce rei causam haberent. Porro doli hi et fraudes Pharaonis narrantur. Exodi 1. scilicet. Primo, quod vectigalibus et laboribus lateriis eos afflixerit. Secundo, quod obstetricibus mandarit, ut infantes eorum masculos in partu clam occiderent. Tertio, quod jusserit, ut jam natos in flumen projicerent.

UT EXPONERENT INFANTES SUOS q. d. Pharao cœgit patres nostros exponere infantes suos, dum per ministros suos ita perscrutabatur domos Hebræorum, ad rapiendum et Mergendum infantes eorum, ut Hebræi eos non possent domi abscondere, sed cogerentur eos in agris, vel ripis fluminum exponere, uti à matre expositus est Moses, Exodi 2. 3. Alium sensum dat Syrus, qui Græcum αὐτῶν vertit *eorum* non *suos,* ut Noster. Sic enim habet; *Mandavit ut essent abjecti filii eorum ne viverent.* q. d. Præcepit Pharao suis Ægyptiis, ut filios Hebræorum abjicerent in flumen ibique eos mergerent et occiderent. Utraque versio est commoda et vera. Utrumque enim fecit Pharao et Græcum ἔκθετα, tam expositos, ejectos et projectos, scilicet in flumen, significat.

NE VIVIFICARENT.] Refert hoc ad Pharaonem, non ad Patres infantium q. d. coegit Pharao Patres nostros exponere suos infantes, ne vivificarentur, id est, vivi servarentur, sed expositi, vel fame morerentur, vel à lupis et feris devo-

rarentur vel reperti à ministris suis submergerentur. Græce est εἰς τὸμὴ ζωογονεῖσθαι, id est *ne vitales essent, ne vini gignerentur, vel producerentur:* quia antequam nascerentur, ab eo morte erant damnati, et paulo post nativitatem occidendi.

20. MOYSES FUIT GRATUS DEO.] Græcum ἀστεῖος significat *elegantem*, ut vertit noster Exodi 2. v. 2. *urbanum festivum :* sed quia additur τῷ θεῷ, hinc hoc loco idem est quod σχαριεις, vel ἔυσχαρις, id est, *gratiosus, gratus, charus Deo.* q. d. Moses infans adeo erat elegans, decorus et gratiosus, ut tam Deum, quam homines in sui amorem alliceret : elegantia enim corporis præter solitum Mosi à Deo indita, effectus et indicium erat elegantiæ, quæ animæ erat ab eodem indita et indenda. Unde Syrus vertit, *fuit dilectus Deo.* Sic et S. Chrys. et Œcumen. qui tamen Secundo ἀστεῖος vertit, *irreprehensibilis.* Tertio, Recentior quidam sic interpretatur : *Moses erat elegans Deo*, id est, *insigniter elegans, eximie pulcher :* quæ enim Deo pulchra sunt, eximia sint oportet. Sic in Script. vocantur *cedri Dei, montes Dei,* id est cedri et montes excelsissimi. Hinc Deus Mosen diligens, eum à submersione et morte, in vita mirabiliter servavit, eumque suis donis et gratiis cumulavit, ac tandem ducem populi sui creavit, qui per plagas et portenta admiranda Israelem educeret ex Ægypto. Aliter Cajet. q. d. *Fuit Moses Deo acceptus, non ex propriis meritis, sed ex Dei bonitate, tanquam æternaliter prædestinatus, atque ad plurima bona opera agenda præordinatus.* Ostendit hic Stephanus se Mosis non esse hostem, ut objiciebant Judæi sed amicum et encomiasten.

Allegor. Moses elegans fuit typus Christi, qui fuit *speciosus forma præ filiis hominum*, Psalm. 44. 3. quia corpus perfectissimum habuit, utpote formatum et organizatum à Spiritu sancto, ut index esset animæ ipsius elegantissimæ pulcherrime. Divinitas enim velut sol resplendebat per humanitatem Christi, eique suam pulchritudinem afflabat. Vide Abulens. paradoxo 1. et Niceph. lib. 1. Histor. c. ult. ubi Christi formam et figuram describit.

Vere auctor Panegyrici ad Constantinum : *Natura ipsa*, ait, *magnis mentibus domicilia corporum digna metatur.* Et S. Ambros. lib. 2. de Virgin. *Corporis*, ait, *species simulachrum est mentis, figuraque probitatis.* Simile dat Maximus Tyrius serm. 10. *Ut ante sol exoriens*, inquit, *præmittit fulgorem, qui cacumina montium illustret, uberioris lucis spe : ita splendescenti animo præfulget in superficie corporis decor, spem afferens multo melioris.* Id patet in Salomone Sap. 7. 11. Davide 1. Reg. 16. 12. Josepho Genes. 36. 6. Judith. 10. 4. Porro splendidum est mendacium Plinii l. 30. cap. 1. Mosen magnum fuisse socium Jannis (qui fuit magus Pharaonis, contra Mosen decertans) imo magicæ factionis apud Judæos auctorem. Sic et alii Historici Gentiles de Mose et Judæis, utpote sibi invisis, miras narrant fabulas et calumnias. Reliqua quæ de Mose hic recenset Stephanus, explicui Exodi 2. et sequent.

25. EXISTIMABAT AUTEM.] Stephanus tacite perstringit Judæos et judices suos. q. d. Patres vestri in figura non cognoverunt, nec receperunt Mosen missum sibi à Deo vel salvatorem : sic nec vos Christum Mose adumbratum, et à me prædicatum agnoscere aut recipere vultis ; idque clarius significat et inculcat v. 35. *Hunc Mosen quem negaverunt*, etc.

29. IN VERBO ISTO,] ad verbum istud, quia videbat propalatam esse suam cædem, quam putabat occultam.

34. DESCENDI.] *Descensus Dei*, ait S. August. 16. Civit. c. 5. *significat aliquid in terra fieri præter usitatum naturæ cursum.* Descendere igitur dicitur Deus, non quasi de loco supero ad inferum se transferat, cum sit ubique; sed enthropopathos ; in terra insigne quid operatur, præsertim circa ultionem impiorum, vel protectionem piorum, uti hic descendit ad liberandum Hebræos de tyrannide Pharaonis, et ad Pharaonem cum suis perdendum. Sic descendisse dicitur Deus ad fabricam et fabros turris Babel, cum opus disturbavit per linguarum confusionem, Genes. 11. 5. Sic descendit in Sodomam, et protinus secuta est urbis et Pentapolis conflagratio, Genes. 18, 21. Sic descendit in montem Sina, cum in eo legem dedit Mosi et Hebræis, Exodi 19. 20.

35. QUEM NEGAVERUNT.] Uti vos negatis Christum Mosis antitypum : sed sicut iis invitis Deus Mosen constituit *principem et redemptorem*, græce λυτρωτην, id est *liberatorem*, scilicet populi sui ex Ægyptia servitute ; ita et Christum nunc vobis invitis constituit principem, et redemptorem mundi.

CUM MANU ANGELI,] id est, per manum, puta per opem, operam et ministerium, sive ductum, angeli : nam *manus* significat tum potentiam, tum causam mediam et executricem. Manus enim omnium artium et operum est administra, ait Cicero.

37. HIC EST MOYSES, QUI DIXIT FILIIS ISRAEL : PROPHETAM SUSCITABIT VOBIS DEUS.] Puta Christum, Prophetarum principem. Ecce hic est scopus dictorum de Mose à S. Stephano, nimirum ut ostendat Mosen prophetasse de Christo, ac proinde se non adversari Mosi, sed potius consentire, dum Christum prædicat : Judæos potius adversantes Christo, adversari quoque Mosi, Christi prænuntio.

38. HIC EST QUI FUIT IN ECCLESIA,] puta in populi fidelis cœtu et congregatione, cui ipse præerat.

VERBA VITÆ.] Decalogum aliasque Dei leges quarum observatione ad vitam beatam et æternam in cœlis ingredimur.

39. AVERSI SUNT CORDIBUS SUIS IN ÆGYPTUM,] scilicet redire volentes. Aliter Vatabl. q. d. Desiderio Ægypti flagrarunt est hebraismus.

41. ET VITULUM FECERUNT.] Recte : hoc enim est ἐμοσχοποίησαν. Syrus vero pro ά legens ε scilicet ἐμοσχοποίησεν, vertit in singulari, *et vitulum fecit*, scilicet Aaron. Aaronem id fecisse, non magos Ægyptios, ut vult Lypomanus, patet Exodi 32. v. 2. et 3. Certum est ergo Aaronem hic graviter peccasse : quia debebat potius morti se exponere, quam furenti populo idolum fabricare. Ita Cyril. Hieros. catechesi 2. Metus tamen mortis, et *furor* populi, qui eum coegit fabricare vitulum, effecit, ut hoc ejus peccatum minus esset : coactio enim et metus minuunt voluntarium, quod requiritur ad culpam et peccatum. Et hoc tantum volunt S. Ambros. epist. 32. Theodor. Lyran. Abul. Hugo, et alii in Exodi 32. dum Aaronem excusare conantur.

Nota. Deum permisisse duos summos pontifices, unum veteris, alterum novi testamenti, labi in re tam gravi, qualis erat idololatria, et negatio Christi, scilicet S. Petrum et Aaronem,

ut doceret eos, et posteros compati lapsibus subditorum.

Et lætabantur in operibus manuum suarum.] Puta in idolo, scilicet vitulo quem fabricarunt, circum illum quasi Deum choros et Choreas agendo, cantando, convivando, etc.

42. Convertit autem Deus,] ἔστρεψε, quod Vatabl. vertit, *avertit se ab eis Deus*, Pagnin. *convertit se;* alii, *retraxit se ab eis:* Melius noster vertit active *convertit :* στρέφω enim est quod *flecto, converto, inflecto.* q. d Deus videns Judæos continue sibi rebelles, *convertit et tradidit eos servire militiæ cœli,* id est adorare solem, lunam et astra : convertit, inquam, et tradidit eos, non positive impellendo, sed permissive, et occasionaliter; nimirum deserendo eos sua ope et gratia, atque occasiones objiciendo, idque in pœnam rebellionis et præcedentium peccatorum ipsorum, nimirum gentes omnes vicinas, quæ idola astraque colebant, ditando et prosperando, quæ proinde Judæos ad idolorum cultum provocarunt, spe similis prosperitatis rerumque abundantiæ. Quem modum plenius explicui can. 36. et 37. in Prophetas Majores.

In libro Prophetarum.] Amos 5. 22. cujus verba, quæ hic recitat Stephanus, ibidem explicavi : hic ergo ea non repetam, nec actum agam.

43. Moloch.] *Meloch, Melech,* vel *Melchom,* id est, *rex eorum,* est Saturnus, vel Jupiter, vel Sol, qui in militia cœli eminet et elfulget ut rex. *Rempham* et Lucifer, sive stella Veneris : hanc enim etiamnum colunt Saraceni et Turcæ nomine *Cubar;* unde adorantes exclamant : *Alla ova Cubar,* hoc est *Deus et Venus;* quod ipsum memorat Constantinus Imp. lib. de Administr. Imp. ad Romanum filium c. 14. Vide dicta Amos 5. 25.

44. Tabernaculum testimonii,] id est, fœderis dicitur *testimonii,* quia continebat arcam, in qua erat lex sive tabulæ legis, quæ vocatur *testimonium,* quia Judæis testabatur voluntatem Dei, quid scilicet eis perciperet, quidque ab eis præciperet, quidque ab eis exigeret Deus. Tabernaculi fabricam vide Exodi 26. 1.

Ut faceret illud secundum formam quam viderat. Deus idem tabernaculi Mosi ostendit in Sina, ut juxta eam illud fabricaret. Hoc est enim quod ei ait : *Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Exaudi 25. 40.

45. Quod et induxerunt.] q. d. Patres nostri tabernaculum cum arcana duce *Jesu*, id est Josue, induxerunt in Chanaan, quæ erat *possessio gentium,* id est Chananæorum quos Josue ea expulit. Arca enim præibat castra et in arca Deus quasi residens, pro Hebræis pugnans cædebat Chananæos, Josue 3. 14.

Usque in dierus David.] Id est, ut habent Græca et Syriaca, *usque ad dies David.* q. d. Tabernaculum Mosis duravit usque ad tempora Davidis: nam David per Salomonem vice tabernaculi exigui et mobilis, stabile et augustum ædificavit templum. Ita Lyran. Glossa, et alii. Unde explicans subdit.

46. Qui invenit gratiam ante Deum.] Puta gratus, dilectus, et è toto Israele in regem electus fuit à Deo : *et petiit ut inveniret tabernaculum Deo Jacob,* cum nimirum *juravit Domino, et votum vovit Deo Jacob. Si introiero* (id est, quod non introibo) *in tabernaculum domus meæ,* etc., *donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob,* locum scilicet, in quo Deo templum (in quo tabernaculum Mosis includam) erigam, Ps. 131. 2. et seq. Hoc autem videtur vovisse David in plaga, qua Deus per angelum percussit populum, ob cum à Davide numeratum, 2. Reg. 24. 1. Tunc ergo ut Deum sibi populoque infensum placaret vovit se non introiturum domum, suam donec Deus ei revelaret locum quem petebat, nimirum in quo ei ædificaret templum ad solemnem perennemque cultum, supplicationes et sacrificia. Unde Deus tunc per Gad Prophetam revelavit ei, se velle coli in Maria monte, super quem conspexerat angelum gladium vibrantem in populum. Quocirca David illico in eodem Deo sacrificium obtulit, emitque aream Ornam Jebusæi cæteraque omnia ad fabricandum in ea templum opportuna comparavit. Ita tradunt Hebræi.

Deo Jacob.] Quem scilicet coluit Jacob, qui alio nomine dictus est *Israel,* omnesque ejus posteri puta Israelitæ : quique vicissim se Jacobo et Israelitis jugiter Deum, id est patrem, protectorem et benefactorem eximium, exhibuit, cum multi ex posteris Abrahæ, puta Ismaelitæ, et ex posteris Isaac, puta Idumæi, Deum non coluerint, nec vicissim ab eo pro populo suo habiti sint. Dei enim Ecclesia, sive populus fidelis, dumtaxat erat domus Jacob, id est populus Israel.

47. Domum,] templum. Hoc enim est domus Dei apud homines.

48. Sed non excelsus in manufactis habitat.] q. d. Deus proprie non eget, nec habitat in domibus, puta templis manu fabrorum ædificatis et factis : ipse enim est עליון *Elion*, id est, Excelsus et Altissimus; qui non tantum terram, sed et cœlos omnes sua majestate et gloria, æque ac situ et immensitate transcendit, ideoque ubique est, et ubique latria colendus. Notat Stephanus Judæos, qui Deum templo suo delectari, eique quasi affixum putabant, unde putabant se esse invictos : Deum enim nunquam passurum domum suam capi et possideri à Chaldæis. Hinc Jeremiæ c. 7. templi excidium prædicenti occlamabant; *Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Dicit ergo Stephanus : Ne insolescatis vestro templo, ejusque ritibus Judaicis, quasi illi perpetue futuri sint neve despiciatis Christum et Ecclesiam, quasi adhuc carentem templo. Nam suo tempore non unum, ut vos, sed plurima et augustissima toto orbe habebunt templa. Deus enim proprie non habitat in templo, ut vos putatis; sed formaliter habitat in seipso, suaque divinitate, immensitate; participative vero et effective per operationem habitat in toto mundo, præsertim vero in mentibus fidelibus et sanctis, quales nunc habent Christiani, non Judæi.

Sicut Propheta dicit.] Isaias cap. 66. ubi hæc ejus verba explicui.

49. Quis locus requietionis meæ.] q. d. Ego habito et quiesco in me ipso, uti antequam mundum crearem, per æterna sæcula in meipso habitavi et quievi : nulla ergo mihi à vobis, ô Judæi, ædificari potest domus et templum, nisi ad hoc tantum, ut in illo à vobis colar, vos exaudiam, vobis adsim et prosim : vobis inquam, non mihi.

51. Dura cervice,] ut eam cum mente flectatis Deo, Christoque ejus. q. d. Duri, cervicosi, inflexiles, pervicaces estis in resistendo Christo et Evangelio.

Quæres, cur Stephanus hucusque lenis et mansuetus, nunc subito acer tonet et fulminet in Judæos? Resp. Primo, Œcum. quia videbat illos non advertere animum his quæ dicebantur, sed persistere in sua pertinacia et perfidia persequendi Christum et Christianos, ipsumque Stephanum occidendi. Duros ergo dure increpat, juxta præceptum Apostoli ad Tit. 1. 13. Forte etiam eos intuitus, vidit magis à se aversos, magisque in vultu et gestu accendi eorum odia et iras, eo quod sæpius taxasset patres eorum quasi Mosis rebelles, ac dixisset Deum non egere, nec habitare in templo Hierosolymitano. Jure ergo eorum duritiem increpat et contundit agens cum eis quasi desperatis.

Secundo, ut ostenderet zelum in Christum Christique fidem, insectando Judæorum incredulitatem et perfidiam. Unde S. August. serm. 1. de Sanctis, docet S. Stephanum hic significare se perfecto odio odisse non Judæos, sed Judæorum pervicaciam.

Tertio, ut declararet libertatem et fortitudinem Evangelici, imo Apostolici spiritus.

Quarto, quia ambiebat et anhelabat ad martyrium, quod exterius videbat sibi à Judæis parari, et interius à Deo sentiebat se ad id agi et incitari.

Tropol. S. Fulgent. serm. de S. Stephano, docet S. Stephanum dare hic formam concionatoribus et Prælatis, ut vitia subditorum acriter insectentur, et tamen apud Deum pro eis intercedant; hanc enim esse perfectam charitatem; *Ita ut ideo*, ait, *in oratione quam postea pro eis fudit, audiri meruerit lenitas ejus, quia sine charitate non fuit in correctione severitas; et Ecclesiasticum dispensatorem erudierit, ut ad corrigendum cujuslibet peccati errorem, non desit in ore correptio, et ad Deum pro eo supplex effundatur oratio: ut qui malum fecit, per increpationem de malis operibus confundatur, et per orationem apud Deum adjuvetur.* Æque acris fuit objurgatio Isaiæ cap. 1. 1. et 10. Jeremiæ cap. 22. et 23. Ezechielis cap. 2. 3. et aliorum Prophetarum correptio non tantum populi, sed et principum regumque Juda. Similis fuit Machabæorum in Antiochum 2. Mach. 7. S. Laurentii in Valerianum, S. Vincentii in Dacianum, S. Sebastiani in Diocletianum, aliorumque Martyrum in tyrannos libertas, fortitudo, zelus et increpatio. Pulchre S. August. serm. 1. de Sanctis: *Eia*, ait, *S. Stephane dic aliquid Judæis, ut incipias lapidari, et possi coronari, jaculare verba, et excipe saxa. Dic aliquid de incircumcisis cordibus, et morieris lapidibus.*

Et incircumcisis cordibus et auribus.] q. d. Vos estis rebelles et obstinati, qui cor et aures infidelitatis pellicula obductas habetis, ut credere non possitis, quia illam circumcidere et auferre non vultis. Hinc Constantin. Imp. rebellibus Judæis jussit amputari auriculas, uti tradit S. Chrysost. hom. 2. contra Judæos. In hujus rei symbolum S. Petrus Malcho, contra Christum præ cæteris insolescenti, amputavit auriculam dextram, ut repræsentaret Judæos perdituros aurem dextram, qua spiritualia et cœlestia Christi dogmata capiant, nec nisi sinistra aure Dei et Mosis mandata percepturos, qua videlicet res temporales tantum curent, ut ait S. Ambros. in cap. 22. Lucæ, donec Christus in fine mundi per Eliam eis aurem dextram restituat, ut tunc omnis Israel salvus fiat.

52. Justi.] Christi. Hic enim antonomastice vocatur *justus*, quia ita eminenter justus est, ut omnes in se credentes justificet. Unde à Daniele cap. 9. 24. vocatur *Sanctus sanctorum, et Justitia sempiterna.* Vide Isaiæ 45. 8. et Jerem. 23. et sequent.

Cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis.] Quia per Judam eum prodidistis, ejusque proditioni consensistis, imo eam pecunia emistis. Rursum prodidistis eum Pilato, postulantes eum occidi et crucifigi.

53. In dispositione angelorum.] Græcum διαταγὴ significat *dispositionem, ordinationem, præceptum*: διατάττω enim significat *collocare, disponere, in ordinem componere, edicere, mandare.* Unde Syrus, Tigur. et Vatab. vertunt, *per præcepta et mandata angelorum.* Angelus enim vice Dei quasi legatus, proclamans legem ex Sina, jubebat eam, omniaque ejus præcepta servari. Verum Noster melius vertit, *in dispositione angelorum*, id est, Primo, ministerio angelorum. Secundo, proprie *in dispositione*, quia angeli recto ordine legem disponentes, tradiderunt Mosi. Nam primo Exodi 20. tradiderunt legem naturalem, puta Decalogum: inde cap. 21. 22. tradiderunt leges judiciales: denique cap. 25. et seq. tradiderunt leges cæremoniales. Rursum angeli ita disposuerunt legem Mosaicam, ut media esset inter legem naturæ, quasi ea perfectior, et legem Evangelii, quasi ad eam, utpote perfectiorem, se suosque dirigens et ducens.

Tertio, *dispositio* hæc complectitur omnes dispositiones (græce enim est διαταγὰς, in plurali) et prodigia, quæ quasi pompa vel antecesserunt, vel comitata, vel secuta sunt legem, puta quod angeli jusserint populo, ut se præpararet ad accipiendum legem per purificationem et sanctificationem, id est, lotionem vestium et abstinentiam ab uxoribus; Mosi vero ut ascenderet in Sina montem, quod angeli daturi legem descenderint in Sina cum igne, fumo et terræ motu; quod voce tubali Decalogum ex Sina proclamarint, etc., quæ narrantur Exod. 19. Hæc enim pompa optime disposita, vocatur hic *dispositio*: per eam enim populo rudi signaficabitur legis et legislatoris dignitas, terror, potentia et magnificentia, ut eam religiose observarent, nec violare auderent.

Quarto, *dispositio* significat distributionem legum in tres Classes, quæ plene et perfecte quoquoversum disponebant, formabant et componebant vitam moresque Hebræorum. Prima enim classis erat Decalogi et legis naturalis, quæ recte eos in se componebat, ut actus eorum tum interni, tum externi essent conformes rectæ rationi et legi æternæ. Secunda erat legum cæremónialium, quibus rite et sancte colerent Deum, eique debitum honorem exhiberent. Tertia erat legum judicialium, quibus disponebantur ut recte se gererent erga proximos, eisque sua jura et debita tribuerent.

Mystice et Anagogice, hæc dispositio significabat eos qui legem servarent, se disponere ad vitam statumque angelorum, ut inter angelos cœlestes quasi angeli terrestres angelice vivant, Deoque serviant, et post hanc vitam inter eorum ordines et hierarchias pro meritis disponantur et referantur. Ita Œcum. *Christi*, ait, *proditores et occisores dicit, quod eorum essent participes qui ipsum crucifixerunt, idque cum le-*

gem accepissent ordinationes habentem, quæ facerent eos qui ipsam opere complerent, angelis similem servare politiam.

ANGELORUM.] S. Chrysost. Ambrosiaster, Euthym. Theoph. S. Thom. et alii commentantes in Galat. 3. 19. per angelos accipiunt Dei nuntios, puta Mosen, Aaronem et Josue. Verum simplicius illi ipsi, et alii passim veros accipiunt angelos. Idem docet S. Paulus Galat. 3. 19. et Hebr. 2. 2. Angeli enim sunt administratorii spiritus à Deo in ministerium missi, ut ait Apost. Hebr. 1. Porro dicit angelos in plurali, quia etsi unus fuerit primarius angelus. v. g. S. Michael, qui nomine Dei decalogum proclamavit in Sina, is tamen honoris causa multos alios inferiores angelos habuit asseclas, qui ignem, fumum, terræ motum, tonitrua, cæteraque prodigia partitis inter se operis excitarunt.

Porro S. Stephanus legem veterem vocat *angelorum*, non Mosis. Primo, ut ostendat quanti eam faciat, et refellat calumniam Judæorum, qui eum quasi contemptorem et hostem legis Mosaicæ accusabant. Secundo, ut arguat Judæorum ingratitudinem et inobedientiam, qui legem angelicam, utpote à Deo per angelos datam, non custodierint; nec Christum in lege adumbratum et prædictum receperint. Blasphemiam ergo legis contemptæ, quam adversarii ipsi objecerant, in ipsosmet retorquet.

Tropol. Verius arguas Christianos, qui legem Evangelicam, quæ non per angelos, sed per ipsum Dei filium, ea de causa incarnatum, data est, non observant, qui proinde graves ipsi pœnas dabunt, uti minatur Apostolus Heb. 2. 2. et cap. 12. 25.

54. DISSECABANTUR,] διεπρίοντο, id est, *disserrabantur*, serra scilicet iræ, angoris et indignationis. Vide dicta cap. 5. 33. Notat S. Chrysost. angoris Judæorum causam fuisse, quod vellent occidere Stephanum, nec tamen ad id justam causam invenirent. Stephanus enim legem laudarat, sed ipsos violatæ legis accusarat: furunt ergo et stridunt, frendentque in eum dentibus, quod verum dixerit, ipsosque acriter taxarit, nec tamen honestum, se de eo vindicandi titulum captare queant. Esto enim eum, ut in suos maledicum calumniari, ejicere aut flagellare possent; non tamen occidere, quod volebant. Pulchre S. Aug. serm. 6. de Sanctis: *Super martyrem Stephanum*, inquit, *dentibus colubrinis stridebant, quem quasi serpentem in corde habebant.*

55. CUM AUTEM ESSET PLENUS SPIRITU SANCTO (Syrus, *plenus fide et Spiritu sanctitatis*) INTENDENS IN COELUM.] Significat hic nova plenitudo, puta novus illapsus et impulsus Spiritus sancti roborans Stephanum contra furorem Judæorum, animansque ad instans martyrium. Unde movit eum, ut deserens terram et terrena omnia, utpote vilia et exilia oculos mentis et corporis intenderet figeretque (hoc enim est ἀτενίσαι) in cœlum, quasi candidatus gloriæ, eo anhelans et suspirans: ita Lyran. et Gloss. simul è cœlo opem et robur postulans, ad instantem martyrii agonem fortiter obeundum. Censet S. Chrysost. S. Stephanum ab initio suæ concionis vidisse cœlum apertum, et gloriam Dei Christique, indeque faciem ejus visam lumine cœlesti radiantem instar angeli; sed in initio tacuisse, ne Judæos tam insolito nuntio offenderet, et à se averteret.

Moral. Petrus Damiani serm. de S. Stephano, notat Spiritum sanctum docere oculos intendere in cœlum: *Quia*, inquit, *qui Spiritu divinitatis afflatur, conculcatis terrestribus, cœlestibus inhiat et æternis:* ubi enim est oculus, ibi et cor et amor. Ex adverso mundani terram intuentur, quia terrenis inhiant, qui de terra est, de terra loquitur. Rursum, pii in tribulationibus in cœlum aspiciunt, dicuntque cum Davide: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Ps. 120. 1. Mundani ad humana auxilia respiciunt, eaque conquirunt: ideoque justo Dei judicio ea non inveniunt. Vide dicta cap. 1. vers. 9. et 11. Causa fortitudinis est, intentio in cœlum. Unde Plato in Cratylo: ἀνδρεία, inquit, id est, fortitudo, dicitur quasi ἀνωρρυτία, id est, *sursum fluxus: quia fortitudinis est malis obviis obniti, sursumque ferri.* Qui id facit, est ἀνὴρ, id est *vir*, et ἄρρην, id est *mas*, non femina. Unde idem in Apologia Socratis, cum injuste damnatum ad mortem: eo quod deos plures negaret, unicumque dumtaxat esse assereret, ita se consolantem, lætoque animo morientem inducit, ut dicat: *Nihil unquam bono viro quidquam mali evenire posse, nec vivo, nec mortuo; neque unquam ejus res à diis negligi. Nec sane meæ res istæ fortuito contigerunt, sed hoc mihi certum perspicuumque est, mihi et mori, et negotiis adeo liberari melius esse atque condicibilius. Illic versabor cum Orpheo, Musæo, Hesiodo, Homero, cum Minoe, Radamanto, cum Ajace, et aliis injuste damnatis, uti ego injuste damnor.*

VIDIT GLORIAM DEI.] Primo, aliqui censent Stephanum vidisse Dei essentiam. Ita aliqui apud Lyran. Favet Greg. Nyssenus orat. de S. Stephano; dum ait, *eum vidisse ipsum lumen in lumine Dei, plena mentis comprehensione, atque Deum et Trinitatem.* Et Hilar. Arelat. hom. de S. Stephano, asserit eum jam tunc accepisse præmium, et vidisse Deum; et quod sperabatur desideriis, oculis ejus demonstratum, et spem in re, spiritu adhuc intra carnem militante, perfectam. Et S. August. serm. 96. affirmat, *eum vidisse revelata facie Patrem filium et Spiritum sanctum* Et serm. 99. *Vidisse Deum, ac Trinitatem ipsam et divinitatem.* Verum Exodi 33. 11. et 2. Cor. 11. ostendi, nec Mosen nec Paulum in raptu, nec quem alium in hac vita vidisse Dei essentiam.

Secundo, alii censent Stephanum vidisse Deum Deique gloriam, non in se, sed in imagine aliqua, puta in phantasmate à Deo in phantasia ejus efformato repræsentatam, quomodo Isaias cap. 6. vidit Deitatem et Trinitatem per schema quoddam corporeum, uti ibidem dixi. Unde Beda retract. in Acta, ait Stephanum futuræ vitæ gaudia in hac adhuc vita, cum divinitus sublimatus esset, esse speculatum eo modo, quo Paulus cum raptus est ad tertium cœlum.

Tertio, Dionys. Carth. censet hanc Stephani visionem non fuisse imaginariam, sed pure intellectualem in apice mentis, qualis solet esse contemplantium et exstaticorum, per splendidissimam quamdam irradiationem increatæ lucis æternæ.

Quarto, et simplicius Cajetan. et alii censent Stephanum vidisse gloriam Dei, id est, claritatem quamdam corporalem eximiam et augustam, ita ut Dei præsentiam testaretur et præ se ferret: hanc enim vidit Stephanus oculis corporeis, dum eos in cœlum intendit, æque ac iisdem vidit Jesum stantem à dextris virtutis Dei: nulla enim est qualitas, quæ nobis Majestatem et gloriam Dei magis repræsentet, quam lux,

claritas et fulgor insolitus. Et sic Moses et Hebræi sæpe dicuntur vidisse gloriam Dei, quia viderunt cœlestem quamdam lucem et splendorem, quæ Dei Majestatem repræsentaret. Sic Exodi. 24. 17. dicitur : *Erat autem species gloriæ Domini quasi ignis ardens.* Similia sunt Num. 14. 10. et 3. Reg 8. 10. et alibi. Et sic Apostoli in transfiguratione viderunt gloriam Christi, quia resplenduit facies ejus sicut sol, Matth. 17.

Porro cum oculis corporis S. Stephani, elevati sunt à Deo pariter oculi phantasiæ et mentis, ut sublimius cœli Empyrei Deique gloriam, quasi ejus jam candidatus, contemplaretur, uti dixerunt Auctores secundæ et tertiæ sententiæ. Unde Petrus Damiani ser. de S. Stephano : *Si*, ait, *vidit, oculis corporalibus, certum est hunc omne hominum genus disparitate gloriæ prætervolasse, et pennis fidei et virtutum incorporeis, etsi non comprehendisse, apprehendisse tamen luminibus.* Et hoc tantum videntur voluisse S. Aug. Hilarius, et Nyssenus citati pro prima sententia : dum enim dicunt Stephanum vidisse Deum, intellige non in essentia sua, sed in imagine vel specie sua, partim corporea, qualis est lux et claritas ; partim incorporea, qualis est phantasma et visio mentalis.

Et Jesum stantem a dextris Dei.] Sic lege cum Romanis et Græcis : ergo dele τὸ *virtutis*, quod nonnulli interserunt. *Dei*, id est, gloriæ, sive lucis augustæ, quæ Deum repræsentabat, uti paulo ante dixi. Porro Christus dicitur stare à dextris Dei Patris, non quasi ei non sit consubstantialis qua Deus est, sed qua homo Verbo unitus, eo sensu quem dedi Colos. 3. 1. Ubi et addidi ; Christum dici sedere à dextris Dei, ad significandam ejus regiam Majestatem, dominium et potestatem judiciariam : stare vero, Primo, quia hic situs est naturalis corporis valentis et gloriosi. Ita S. Chrysost. Œcum. Beda et S. Greg. hom. 29. in Evang. et S. Aug. qu. 88. inter qu. novi testamenti. Secundo, stat quasi miles et dux, cum, et pro Stephano pugnaturus contra Judæos. Unde Petrus Damian. orat. de S. Staphano : *Christus*, ait, *cum Patre stante stabat, et cum bellante bellabat, nec minor erat illo*, ut suum juvaret et propugnaret athletam. Et S. Ambros. in Psal. 61. ait Stephanum interritum inter hostes et saxa stetisse, quia immobilis fide immobilem Christum vidit, illique se totum animo obtutuque affixit. Addit. S. August. serm. 98. de diversis, Stephanum vidisse quoque angelos, quasi milites Christum ducem suum sequentes, et pro se quasi commilitone suo decertantes. Ferunt Alexandrum Magnum prandere solitum ab tibias, cumque tibicines mutato tono delitioso bellicum intonarent, subito arrectum sine sensu corripuisse lanceam ; quod evidens erat indicium pugnacis animi, et virtutis imperatoriæ. Longe verius Christus in cœlo empyreo delitiis affluens, suorum fidelium rebus et luctis ita intendit, ut simul ac increpuerit luctantium clamor, illico à delitiis assurgat ad arma. Stat ergo hic armatus omnipotentia sua, ut Stephanum Judæis insuperabilem reddat. Ita stetit astitique S. Antonio certanti contra dæmones, uti scribit S. Athanas. in ejus vita. Tertio, stat Christus quasi advocatus, et quasi sacerdos Stephanum in martyrio, quasi victimam et holocaustum suavissimum Patri oblaturus, ait S. Amb. l. 3. de Fide c. ult. Quarto, stat quasi agonotheta, ut animam Stephani victoris cum triumpho excipiet, eique bravium victoriæ consignet, ac juxta nomen, corona gloriæ eum coronet. Ita S. Ambros. epist. 82.

Porro Stephanus naturali oculorum acie pertingere non poterat ad cœlum empyreum, ibique videre Jesum in sua forma et quantitate, cum multas stellas quæ sunt in firmamento, ac consequenter longe inferiores cœlo empyreo, videre non possimus, quæ tamen non tantum corpore Jesu, sed toto terræ globo longe sunt majores. Ergo vi divina confortatus et elevatus fuit ejus oculus et visus, ut Jesum integrum in sua specie et figura in cœlo, imo super cœlum empyreum stantem clare, distincte et perfecte videret.

Symbol. S. August. q. 88. super novum Test. docet, Christum stare ut Stephano stanti, patienti et reo, ipse quoque stans, quasi patiens et reus compatiatur. Quærit enim August. cur Christus ante triumphos visus sit Isaiæ cap. 6. sedens, Stephano autem post triumphos stans ? ac respondet : *Quoniam tunc*, inquit, *in pace erat causa divinitatis ejus ; in Stephano autem Salvatoris causa vim patiebatur, ideo sedente judice Deo stans apparuit, quasi qui causam diceret. Omnis enim qui causam dicit, stet necesse est. At quia bona causa ejus est, ad dexteram judicis stabat.* Hæc Aug. Allusit ad veterem Rom. morem, quo non tantum rei stantes causam dicebant, sed et parentes, cognati, amici cum illis simul stabant sordidati, intonsa barba et capillis, ac si ipsi cum reo rei essent : ejus enim sortem in se suspiciebant. Ita enim hic Christum Stephano causam suam agenti compati, assistere, et quasi reum cum reo stare, ut ejus litem agat et peregat. Sic Deus visus est Mosi in rubo ardenti, Exodi. 3. ut significaret se ipsi, et Hebræis in Ægypto afflictis, et quasi in rubo ardenti constitutis condolere, et re ipsa compati, eamdemque cum ipsi sortem et conditionem subire, ut eos consolaretur, juverat et liberaret.

Secundo, stat Christus, ut insigne et jucundum hoc Stephani spectaculum et certamen spectet, eoque se oblectet. Nam, ut ait Apostolus 1. Cor. 4. 9. *Spectaculum* (græce *theatrum*, scilicet quo quasi damnati ad bestias, innes, saxa, etc., spectamur) *facti sumus mundo, et angelis, et hominibus.* Unde Nyssenus orat de S. Stephano, ait ad ejus hoc spectaculum præsentes fuisse omnes angelos. Et Petrus Damiani de eodem : *Curramus*, ait, *ad spectaculum, ad quod currit qui exultat ut gigas ad currendam viam.*

Ecce videos cœlos apertos.] Stephanus primus post Christum vidit cœlos apertos ; vidit et introivit, ut canit Ecclesia : sed ante eum in Christi baptismo aperti sunt cœli, eosque apertos vidit non solus Christus, sed omnis astantium turba, æque ac columbam inde descendentem in Christum, quæ erat index Spiritus sancti ; ac vocem inde in eumdem à Patre delapsam audivit, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.* Quæ omnia non imaginaria, sed sensibilia fuerunt, et realiter contigerunt, idque Primo, ad hoc, ut vox è cœlo labens Christi dignitatem Joanne ipsum baptizante majorem significaret, Secundo, ut cœlum Christo et per Christum omnibus aperiri monstraretur, ait ibidem S. Chrysost. Tertio, ut vis baptismi cœlestis indicaretur, nimirum, per illum gratiam cœlestem dari, quæ nobis cœlos aperiat,

et in eos inducat, ideoque per baptismum nos ad cœlestem vitam, et ad cœlestia dona et bona vocari. Ita S. Thom. 3. p. q. 39. a. 5.

Quæres : Quomodo cœli solidi aperiri potuerunt ? Resp. Aliqui imaginantur eos vere fuisse apertos, quasi realiter eorum soliditas divisa et discissa sit. Verum hæc est vulgi rudis crassaque imaginatio : hoc enim naturaliter est impossibile, supernaturaliter superfluum.

Secundo, alii censent per fulgura et fulgetra crebro à Deo immissa, visum fuisse hominibus ætherem dividi et aperiri ; unde vox quasi tonitruum erupit : *Hic est Filius meus*, etc. Favet Psal. 28. v. 3. et 6. in sensu allegorico : idque ad hoc, ut per hæc terribilia populus excitaretur ad intuendam hanc cœli aperturam, et audiendam vocem in Christum illapsam, juxta illud Psal. 76. *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ.* Sic ait Silius Italicus ; *Raptoque polo micat igneus æther*, id est, fulgurat. Et Statius : *Abrupta tremiscunt fulgura, et attritus subita face rumpitur æther.* Ita Prado in Ezechiel. 1. 1.

Tertio, alii censent cœlos realiter non fuisse apertos, sed per visionem intellectualem, vel imaginariam S. Stephano aliisque inditam, uti Ezechiel. 1. 1. per visionem aperti sunt cœli. Ita Auctor imperfecti in Matth. 3. et S. Thomas loco citato. Verum quia in baptismo Christi vox fuit realis, æque ac columba ; et Stephanus realiter oculis corporeis vidit Christum in cœlis apertis : hinc

Quarto, alii melius censent in baptismo Christi visum fuisse verum quemdam hiatum, hoc est, speciem aperturæ sensibilis in suprema aeris regione, ex qua vox illa de cœlo labi videbatur cum columba. Porro hiatus hic hoc modo factus est : fecit Deus partes aeris extremas et supremas densiores et lucidiores, ita ut ad illas terminari posset intuentium visus : aerem autem interjectum fecit manere rariorem, ita ut de more non videtur : hoc enim modo videbatur hominibus in aere esse hiatus, vacuum et apertura. Ita Suarez 3. p. q. 39. a. .. Euthym. Jansen. et alii in Matth. 3. Tales hiatus quasi spectra sæpe apparent in aere, de quibus Aristot. et Philosophi in Meteoris. Verum quia Stephanus hic non tantum aerem, sed et cœlos omnes apertos vidit usque ad convexam superficiem cœli empyrei, ubi vidit Jesum : hinc

Quinto et genuine dico cœlos hic dici ei fuisse non scissos, sed apertos, id est patentes ; quia nimirum oculus ejus per Dei concursum supernaturalem elevatus, cœlos omnes quasi patentes penetravit, et porrectus fuit usque ad cœlum empyreum, ut in eo clare perspiceret Dei gloriam, et Jesum à dextris Dei. Sic enim nos per aerem apertum videmus remota, puta solem, lunam, astra ; ita Stephanus per cœlos apertos, id est patentes et perspicuos, vidit gloriam Dei et Christi : ad hoc enim duntaxat et aperti sunt cœli. Porro hoc magnæ puritatis, et fervoris Stephani fuit indicium. Ait enim : *Video cœlos apertos.* q. d. Non timeo vestras, ô Judæi, minas, nec mortem ; quia video cœlum apertum, ut me in suum civem ad gloriam æternam suscipiat. Secundo, his verbis invitavit eos ad pœnitentiam. q. d. Cœlum æterni gaudii, salutis et felicitatis apertum est ; videte ut accurratis et introeatis antequam claudatur, juxta illud : *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis*, Joan. 12. Et : *Dum tempus habemus, operemur bonum*, Galat. 6. Quòd si tempus pœnitentiæ neglexeritis, scitote Deum è cœlo aspicere vestra scelera, eumque fore judicem et vindicem, ut e cœlo in gehennam et tartara vos deturbet et præcipitet. Ita Moneta celebris Boroniæ Doctor, ad capessendum S. Dominici institutum permotus est cujusdam ex ea concionatoris, hæc verba S. Stephani explicantis, voce, dicentisque : *Ecce nunc cœli aperti sunt volentibus introire ; sed mox in æternum claudentur iis, qui hoc vitæ et bene agendi tempus neglexerint*, uti narrant Chronica ordinis S. Dominici p. 1. l. c. 37.

Et filium hominis,] id est, Christum, qui antonomastice vocatur *homo*, quia homo Deus. Quærit S. Aug. serm. 5. de Sanctis, cur S. Stephanus Christum vocarit *filium hominis*, et non potius Filium Dei, qui dignior est titulus ? ac respondet : quia Judæi confitebantur Filium Dei, sed negabant filium hominis, id est, incarnationem Verbi : *Ut*, ait, *ad confutandum Judæorum incredulitatem, ille Martyri ostenderetur in cœlo, qui à perfidis negabatur in mundo ; et illi testimonium cœlestis veritas daret, cui fidem terrena impietas derogaret.* Porro solum Stephanum vidisse Jesum et gloriam Dei docet S. Aug. serm. 92. de diversis : *Soli*, ait, *apparebat, et alii non videbant, sed invidebant ;* innuitque Judæos vidisse in fronte Stephani crucem, quasi ea signatus esset tanquam signo *thau*, Ezech. 9. Crux enim est signum Christi et Christianorum. Censent nonnulli Christum exiliisse de cœlo, ac propius accessisse, ut seipsum commode Stephano videndum exhiberet. Verum contrarium videtur verius, scilicet eum suo loco mansisse in cœlo empyreo, ibique visum à Stephano. Primo, quia Stephanus vidit Jesum stantem juxta gloriam Dei, id est, juxta Deum Patrem ; gloriam autem suam Pater Beatis ostendit in cœlo empyreo. Secundo, quia vidit non cœlum, sed cœlos apertos, omnes scilicet, ait Petrus Damiani serm. de S. Stephano : ergo et empyreum, ut scilicet ibi videret stantem Christum. Tertio, quia Stephanus vidit locum Beatorum, in quem jam vocabatur per martyrium, in quo præsidet Jesus.

Dices : Naturaliter oculus hominis aciem suam nequit porrigere tam alte et remote. Respondi jam et dixi supernaturaliter à Deo elevatam, et eò usque extensam fuisse aciem visumque Stephani.

Quæres : Cur id dicit Stephanus Judæis, qui Jesum non videbant, nec eum à Stephano videri credebant ? Respond. Id dicit partim ex ardenti amore in Jesum, ac desiderio eo fruendi. q. d. Video Jesum amorem merum, me invitantem : ad eum anhelo et propero ; quare non curo, imo desidero vestra saxa, ut per illa transeam et transvolem ad meum Jesum. Ita S. Aug. serm. 94. de diversis. *Non tacuit Stephanus quem vidit, ut perveniret ad eum quem vidit ; quia festinabat mori pro illo, ut viveret cum illo,* inquit idem serm. 95. Secundo, id dicit ex ingenti fiducia, zelo et fortitudine, quasi dicat : Non contra me mortalem pugnatis, ô Judæi, sed contra Jesum et Deum immortalem, qui è cœlis vos vestraque scelera prospicit, ibique stat ut vos judicet et punlat, si in scelere persistatis. Ita S. Aug. serm. 98. de diversis. Tertio, id dicit, ut eos invitet ad pœnitentiam, q. d. Jesus stat à dextris Dei, tanquam advocatus peccatorum et pœnitentium : pœnitentiam ergo agite, ut per eum veniam et misericordiam consequamini. Quarto, ut resurrec-

tionis Christi, quem Judæi pernegabant, non tantum auritum, sed et oculatum testem se esse ostendat, qui postmodum multos credituros sciebat, qui ejus patientiam, sanctitatem, vultum angelicum et martyrium vidissent.

EXCLAMANTES AUTEM VOCE MAGNA CONTINUERUNT AURES SUAS.] Græce, κράξαντες, id est, horribili voce corvorum more crocitantes, ait Petrus Damiani orat. de S. Stephano. Nam ut ait Ecclesiast. c. 27. 15. *Loquela multum jurans* (multo magis blasphemans) *horripilationem capiti statuet, et irreverentia ipsius obturatio aurium.* Horrende ergo clamant, quasi qui horrendam audierint Stephani blasphemiam, quod scilicet viderit cœlos apertos, et gloriam Dei, et Jesum stantem à dextris Dei, quem ipsi pro malefico habebant, et ut maleficum crucifixerant. Unde continent aures, ne blasphemiam audiant. *Aures clauserunt et ad lapides currerunt,* ait S. Aug. serm. 1. de Sanctis. Ergo exclamant quasi inclamantes Deum, ut tantam blasphemiam vindicet, et è cœlo sideret. Ita Glossa. Addit S. Aug. serm. 98. de diversis; eos exclamasse contra Jesum, quem Stephanus exaltabat, eumque blasphemasse. Hinc et prætermisso ordine juris, Stephanum necdum à Concilio damnatum, furentes rapiunt ad necem : licet Cajet. asserat, id eos fecisse cum Pilati Præsidis consensu.

EJICIENTES EUM EXTRA CIVITATEM.] Ne illam sua blasphemia contaminaret, juxta edictum Domini Num. 24. 14. Ita Judæi censebant, sed revera extra civitatem ejiciebatur, quasi advena mundi, et non habens hic manentem civitatem : futuram enim tota mente quærebat. Secundo, quia Jerusalem impia non erat digna tam sancto Martyre, æque ac mundus non est dignus vita et morte justorum. Tertio, ut similis in hoc, ut et in cæteris esset Christo, qui extra Jerusalem passus est, ut nos eligeret et vocaret de mundo ad cœlum : *Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.* Hebr. 13. v. 12. et 13. Vide ibi dicta.

LAPIDABANT,] quasi blasphemum. Sic blasphemus tempore Mosis, jussu Dei extra castra à toto populo, in criminis execrationem, lapidatus est, Num. 24. 14. Hinc et Judæi dicunt Christo : *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia,* quod scilicet diceret se esse Deum et Dei filium, Joann. 10. 33. Porro S. Stephanus lapidatus est in valle Josaphat, quæ inter montem Oliveti et Jerusalem interjacet, juxta torrentem Cedron : quia juxta aquas magnas solet esse lapidum copia : ubi etiamnum locus sanguine S. Stephani consecratus, magna veneratione colitur. Unde portam Jerusalem quæ ad hanc vallem vergit et ducit, peregrini et Christiani Hierosolymæ degentes, vocant portam S. Stephani. Id Lucianus in descriptione inventionis S. Stephani, se accepisse ait ex revelatione Gamalielis. Idem tradit Beda, Borchardus, Ceverius, Ausingus, Adrichom. Zwallardus, et alii in descriptione terræ Sanctæ (et ex iis noster Villalpando tom. 2. in Ezech. p. 1. l. 3. c. 7. pag. 161.) è quibus addit noster Lorinus (quod et peregrini asseverant, idemque mihi Romæ asseveravit R. P. Melchior ab Helmont Antverpiensis, Franciscanus, qui quater Hierosolymam est peregrinatus, ibique diu habitavit, qui et addidit, signa et effigiem capitis et scapularum S. Stephani lapidi, dum expirans retrorsum caderet, impressa, etiamnum in eo ostendi, seque illa vidisse) ibidem ostendi lapidem, in quo B. Virgo cum S. Joanne pro Stephano, toto lapidationis tempore preces fuderint. Ergo S. Stephanus suam martyrii coronam debet B. Virgini, æque ac S. Paulus suam conversionem, quam moriens pariter impetravit ei S. Stephanus. Insuper eodem in loco in quo lapidatus est S. Stephanus, Eudocia Augusta ingentem basilicam exædificavit, uti testatur Evagrius lib. 1. Histor. c. 12. et Nicephor lib. 14. cap. 56. Addit Beda lib. de Locis sanctis cap. 3. quod Christiani Hierosolymis religiose asservarent petram, super quam Judæi lapidarunt S. Stephanum.

Præclare S. Aug. serm. S. de Sanctis : *In ipso* ait, *juventutis flore, decorem ætatis suæ sanguine purpuravit,* videtur enim fuisse circiter 34. annorum : tot enim erat ejus cognatus, coævus et condiscipulus Saulus, ut mox dicam. Tam ergo Saulus, quam Stephanus, fuit coævus Christo. *Stephanus græce, latine corona appellatur. Jam coronæ nomen habebat et ideo palma martyrii suo nomine præferebat.* Idem serm. 5. *Cum,* ait, *S. Stephanus Diaconus ab Apostolus ordinatis sit, Apostolos ipsos beata ac triumphali morte præcessit; ac sic qui erat inferior ordine, primus factus est passione : et qui erat discipulus gradu magister cœpit esse martyrios complens illud Psaltis : Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Retribuere enim voluit primus Stephanus Martyr Domino, quod cum omni humano genere accepit à Domino. Mortem enim quam Salvator dignatus est pro omnibus pati, hanc ille primus reddidit Salvatori.* Eodem enim anno 34. quo Christus passus est 25. Martii, Stephanus creatus est Diaconus post Pentecosten, ac paucis post mensibus martyrium obiit. S. Antonin 1. p. Hist. tit. 6. c. 2. § 4. et Adriconius in Descript. terræ Sanctæ pag. 273. censent, eum obiisse die tertia Augusti, feria quarta. Verum errant, diem inventionis cum die mortis commutantes : corpus enim ejus inventum est die tertia Augusti. Unde Baronius et alii passim censent, eum obiisse die 26. Decembris : tunc enim Ecclesia ejus diem natalem felicitatis æternæ celebrat. nimirum postridie nativitatis Christi. Idem testantur omnia Martyrologia, et Patres in homil. de S. Stephano. Ideo enim Christus natus est in terra, ut Stephanus nasceretur et coronaretur in cœlo, ut docet S. Fulgent. serm. de S. Stephano. Addit Beda in Martyr. et ex eo Baron. postridie necis ei triumphi S. Stephani, puta die 27. Decembris, eodem anno Christi 34. S. Jacobum fratrem Domini creatum esse Episcopum Hierosolymorum, ibique sedisse annis 29. irrepsit ergo error in Chronicon Glycæ, qui lib. 3. Annal. ex Hippolyto; et Nicephori lib. 2. c. 3. qui ex Evodio scribunt, et Stephanum anno septimo post Christum occubuisse : pro *anno septimo* enim ponendum est *mense septimo.*

Tropol. Nyssenus tractat. de Beatitud. docet S. Stephanum initiasse illam Christi beatitudinem : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Idcirco,* ait, *magnus ille Stephanus gaudet lapidibus undique petitus, ac veluti suavem quemdam rorem, crebros lapidum ictus in modum floccorum nivis incidentium, corpore cupide excipit; ac benedictionibus nefarios homicidas prosequitur,* etc. *currenti ei per confessionem, quod sperabatur ostenditur, cœlum apertum.* Idem orat. de S. Stephano : *Per omnia,* ait, *magnitudine animi atque*

indolis excellebat, iræ quidem lenitatem, minis vero despicientiam, mortis terrori vitæ contemptum, odio dilectionem, malevolentiæ benevolentiam, calumniæ veritatis prædicationem opponens. Et inferius : *Nam orbe lapides undique conjicientium, quasi corona cinctus, ita accepit id quod agebatur, quasi corona victoriæ præmium in manibus adversariorum necteretur.* Hinc pro corona lapidum ferientium, accepit coronam lapidum pretiosorum, juxta illud : *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* Psal. 20. 4. et S. Aug. serm. 94. de diversis : *Quando,* ait, *B. Stephanus pro Christo primus sanguinem fudit, quasi corona processit de cœlo, ut eam sumerent sequentes in præmio, qui præcedentis pietatem imitarentur in prælio. Impleverunt postmodum terram crebro martyria. Quicumque postea sanguinem pro Christi confessione fuderunt, imposuerunt coronam illam capiti suo, et eam secuturis integram servaverunt.*

Symbol. ibidem S. Aug. et serm. 92. *Ad lapides,* ait, *currebant, duri ad duros; et petris lapidabatur, qui pro petra, qui Christus est, moriebatur: et à lapideis, qui legem acceperant in lapideis tabulis.*

Denique S. Aug. serm. 31. et 32. de diversis, scribit lapidem qui cubitum S. Stephani ferierat, à quodam viro pio, qui lapidationi ejus præsens fuerat, delatum Anconam, Italiæ urbem, multis miraculis claruisse, nimirum decebat ut lapis cubitalis in urbe cubitali poneretur eamque tueretur ; Ancona enim dicitur ab ἀγκὼν, id est cubito, *quia in ipso flectentis se oræ cubito sita est,* ait Plin. l. 3. c. 13. Hujus lapidis accepti festivitatem à priscis temporibus celebrant die 3. Augusti, in quem postea diem incidit inventio S. Stephani, quam proinde eodem die recolit Ecclesia.

Et testes deposuerunt vestimenta sua.] Syrus, *ipsorum,* non Stephani, ut ait S. Bern. serm. de S. Stephano, dicens per contactum vestium S. Stephani, æque ac per ejus preces, Saulum fuisse conversum : *vestimenta,* scilicet extima, qualia sunt pallia, ut expeditius lapides vibrarent : hæc enim significat vox Græca ἱμάτια.

Secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus.] Saulus lapidationis fuit dux et choragus, quia indigne ferebat Stephanum cognatum et condiscipulum suum, à se suaque lege et schola defecisse ; insuper eloquentia, sapientia et miraculis, ab eo jam Christiano se superari invidebat ; quare lapidationis fuit incentor, ideoque non contentus se solo illum lapidare, omnium lapidantium vestes servans, per omnes eum lapidabat. *Ab ipso,* ait S. August. serm. 1. de Sanctis, *omnium lapidantium vestimenta servabantur, ut tanquam in manibus omnium ipse lapidare videretur.* Idem confitetur Saulus jam factus Paulus c. 22. 20. *Et cum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam* (græce, ἐφεστὼς, id est, *superstabam,* hoc est, præram) *et consentiebam, et custodiebam vestimenta interficientium illum.* Unde S. Fulgentius, serm. de S. Stephano, ait eum occisum lapidibus Pauli.

Porro Saulus vocatur *adolescens,* græce νεανίας, id est, juvenis, aut vir juvenili audacia et robore præditus, quia erat 34. annorum. Nam post totidem annos, occisus est à Nerone anno regni ejus 13. cum universim esset 68. annorum, ut tradit S. Chrysost. hom. de Principibus Apostolorum to. 5. Sit Pythagoras adolescentiam extendebat ab anno vigesimo ætatis usque ad quadragesimum. Unde et Cicero l. de Senect. adolescentiam extendit usque ad senectutem : *Qui enim citius,* ait, *adolescentiæ senectus, quam puritiæ adolescentia obrepit.* Idem orat. 23. Isocratem nunc virum vocat, nunc adolescentem. *Adolescens,* ait, *etiam nunc, ô Phædre, Isocrates est ; sed quid de illo augurer, libet dicere.* Et paulo post. *Inest enim natura philosophiæ in hujus viri mente quædam.* Hæc de adolescente Socrates apud Cicer. auguratur. Alioqui à Physicis et Medicis adolescens proprie quis discitur, à fine pueritiæ, scilicet ab anno 12. usque ad 25. quandiu scilicet homo crescit in longitudine : cum enim percrevit, adultus vocatur.

59. Domine Jesu suscipe spiritum meum.] Ut cum victorem, quasi agonotheta sistas Deo Patri, corona gloriæ decorandum, q. d. ait S. Aug. serm. 93. *Tibi vixi, tibi morior : quia adjuvisti me. vicit quem suscipis : accipe spiritum meum de manu eorum qui oderunt tuum.* Et ser. 51. *Fecisti me victorem, recipe me in triumphum : illi persequuntur, tu suscipe : illi ejiciunt, tu intromitte : dic spiritui meo, intra in gaudium Domini tui.* Hinc multi censent, Christum suorum servorum et servarum animas statim à morte excipere, easque quasi fructus laborum suorum Deo Patri offerre. Nota hic optimam moriendi formam. Primo, non de corpore, sed de spiritu curam gerit : contrarium faciunt impii. Secundo, fidem profitetur. Jesum vocans Dominum, scilicet creatorem, redemptorem et salvatorem suum, totiusque mundi. Tertio, spem in eum defigens, ipsum invocat, meritis suis diffidens : hinc vocat eum Jesum, cui scilicet velit et possit eum salvare. Quarto, per amorem ei animam spiritumque resignat.

Quocirca Christus resignatum sibi à suis spiritum excipit : ac qua homo peragit particulare ejus judicium, in quo eumdem cœlo adjudicat beatque, ac cum triumpho in cœlum traducit ; sin adhuc aliquid purgandum habeat, ad Purgatorium, ut expietur transmittit. Porro hæc facit vel per se, vel potius per angelos. Nam si per se id faceret, cum singulis horis, et sæpe momentis, plurimi per orbem moriantur, deberet Christus singulis momentis ad singulos morientes è cœlis descendere, imo cum eodem momento multi in variis locis moriantur, deberet simul ad varia loca descendere, seque multoties replicare. Quare Barthol. Sibylla in Speculo peregrini, quæst. decade 1. cap. 2. quæst. 9. censet, Christum hoc particulare judicium cujusque committere angelo custodi ejusdem, ut is deinde eum pro meritis vel ad cœlum, vel ad Purgatorium, vel ad infernum deducat, aut dæmoni deducendum tradat. Hoc enim ad angeli custodiam pertinere videtur, ejusque esse finis et clausula. Alii censent hoc judicium ab ipso Christo, manente in cœlo empyreo, fieri per mentalem Christi locutionem ; sicut angelus ad angelum, licet remotissimum, mentaliter loquitur, uti dixi Zachar. 12. 10. Judicium vero universale in fine mundi per se peraget Christus ; unde ad illud omnibus Angelis et Sanctis comitatus, è cœlo gloriosus descendet, Matth. 25. 31. Nonnullis tamen illustrioribus Sanctis morientibus Christus per se apparuit, eorumque animas excepit. Audi exempla selecta.

S. Pantaleon Martyr in ligno suspensus, ferreis laniatus ungulis, lampadibus ustulatus, oculis

in cœlum intentis orans, vidit Christum in habitu Hermolai sui magistri, qui cum ad martyrium animabat ; *Ego enim,* ait, *tecum sum in omnibus, quæ propter me pateris.* Uti habet vita ejus apud Surium die 27. Julii.

S. Menæ Martyri cum oculi effoderentur, evelleretur lingua, caro dilaceraretur, apparuit Christus atque omnia ipsi membra restituit, et sanavit, hortatusque est ad constantiam, promittendo ei præsentem suam opem et auxilium, uti habet ejus vita apud Surium die 11. Novemb.

S. Barbaræ in carcere apparuit Christus, suoque splendore carcerem illustravit, ac plagas sanavit, animando eam ad instans martyrium, pollicens præsentem suam opem.

S. Elizabetha Hungarorum regis filia, oculis in cœlum intentis vidit Christum, ab eoque audivit ; *Bono animo esto filia, ego tecum sum.* Cui illa ; *Ita Domine, tu mecum, et ego tecum.* Eidem post vitam multis annis religiose transactam Christus apparuit, dixitque : *Veni sponsa, cœlesti thalamo potire.*

S. Tarsilla amita S. Greg. ut ipse refert l. 4. Dialog. c. 16. moriens, *sursum respiciens Jesum venientem vidit, et cum magna animadversione cœpit circumstantibus clamare dicens : Recedite, recedite, Jesus venit. Cumque in eum intenderet quem videbat, sancta illa anima è corpore est egressa. Tantaque subito fragrantia miri odoris aspersa est, ut ipsa quoque suavitas ostenderet, illuc auctorem suavitatis venisse.*

Sic S. Dionysio Areopagitæ crucifixo, in carcere Apparuit Christus insolita luce coruscus, eumque ad ultimum martyrii agonem constanter obeundum animavit.

S. Antonius de Padua agens animam cecinit : *O gloriosa Domina, excelsa super sidera,* etc. deinde sublatis oculis, eos in cœlum fixe intendit, Rogatus, quidnam aspiceret ? *Video,* inquit, *Dominum meum,* ac mox feliciter in Domino obdormivit anno Christi 1231.

S. Eligius Episcopus Noviomensis, moriens oculis in cœlum intentis : *Nunc dimittis,* ait, *servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. In manus tuas commendo spiritum meum. Tu scis quia semper spes mea fuit in tua misericordia, et fides mea in tua credulitate permansit. Et nunc quoque in confessione sancti tui nominis, extremum Christi anhelitum meum efflabo. Suscipe ergo me secundum magnam misericordiam tuam.*

S. Arnulpho Suessionis Episcopo è vivis migrante, cella contremuit : contremiscente Everolpho Presbytero : *Ne paveas,* ait, *dilecte frater ; sunt enim hæc omnia divinæ majestatis signa.* Et mox iterato terræ motu : *Sub prima,* ait, *quassatione B. Petrus Apostolus ad me venit, significans mihi peccata remissa, et vitæ januam patere. Adeat Beatorum frequens cœtus laudes divinas continenter modulantium. Sub altera quassatione cum multis angelicis spiritibus S. Michael me invisit, pollicens se duce me ad beatam vitam ingressurum. Tertia concussione adfuit Domina nostra, vere misericordiæ mater ; multis stispata S. Virginum agminibus, benignissima me voce certiorem faciens de anima mea inter Assumptionis ejus gaudia in cœlos transferenda.* Quare in festo Assumptionis B. Virginis expirans, ab ipsa assumptus est in cœlum.

S. Nicolaus Tolentinas sex totis ante obitum mensibus, paulo ante nocturnas preces singulis noctibus suavissimum angelorum concentum audivit, qui illi prægustum futuræ vitæ præbebat. Unde ipse ingeminabat : *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* Jamque in extremo spiritu gestiens et exultans, rogatus causam, attonitus rei magnitudine, vixque præ gaudio sui compos ; respondit : *Dominus meus Jesus Christus, S. Matri suæ et Augustino Patri nostro innixus dicit mihi : Euge serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui ;* in quibus verbis expiravit. Ita habet ejus, et cæterorum vita apud Surium et alios.

60. Positis autem genibus.] Ut genuflexione ostenderet summam curam, dolorem, compassionem et compunctionem, ut ea Saulo sævienti et Judæis obstinatis veniam impetraret, ait S. Chrysost. orat. 2. de Parasceve. Nota, S. Stephanus pro se oravit stans, pro hostibus vero genu flexit. Causam dat S. Aug. respondens in persona Stephani serm. 2. de Sanctis : *Pro me stans oravi, quia pro me qui recte Deo servivi, orando et impetrando non laboravi : quia qui pro justo orat, non laborat, ideo pro se stans oravit. Ventum est ut oraret pro Judæis, pro interfectoribus Christi, pro interfectoribus Sanctorum, pro lapidatoribus suis, attendit tam multam et magnam esse impietatem ipsorum, quæ difficile donari posset, genu flexit, et ait : Domine ne sta tuas illis hoc peccatum.*

Clamavit voce magna,] quantum vires illo articulo deficientes, ferebant : nam cum hac voce expiravit : alioqui miraculi speciem habet, quod in morte quis clamet, uti miraculum fuit in Christo, quod expirans clamarit : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* S. Aug. ser. 99. de diversis, addit Stephanum clamore miscuisse lacrymas, ideoque efficax fuit ejus oratio.

Domine ne statuas illis hoc peccatum.] Non orat Stephanus, ut Deus peccatum, puta homicidium Judæorum, non æstimet peccatum, nec homicidium : hoc enim est impossibile, Deoque injurium ; qui tribuit ei perversum de peccato judicium, ut scilicet judicet peccatum non esse peccatum : sed *ne statuas,* id est, ne statis fixisque oculis illud intueraris. q. d. Ne quæso firmiter et perenniter coram te hoc scelus maneat, sed cito ab eo oculos averte, illudque condona, convertendo meos lapidatores ad pœnitentiam. Secundo, ne statuas culpam eorum ad pœnam, hoc est, noli eos punire obduratione et morte æterna, quam merentur : sed pœnam cum culpa eis remitte. Stant enim fixe ante Deum peccata, quasi vindictam petentia : statuuntur, quasi maleficiorum statuæ marmoreæ, cum peccator in iis obfirmatur, obduratur et moritur ; ita ut maneant irremissa, ut plectantur igne æterno. Ex adverso de bonis Cornelii operibus dicitur cap. 10. 4. *Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Græcum ἔστημι multa significat, nimirum *sistere, statuere, firmare, finire, erigere, appendere, ponderare ;* et omnibus his modis hic accipi potest. q. d. Ne sistas, ne firmes, ne finias hoc eorum peccatum, ne scilicet sinas eos in illo finire vitam, et damnari ; ne erigas in statuam et monumentum eorum malitiam et vindictam, ne appendas, ne ponderes in rigida tuæ justitiæ lance hoc scelus, sed excusa quasi commissum per passionem et ignorantiam, ut eis clemens veniam concedas.

Stephanus imitatur Christum, quem stantem

in cœlis intuebatur, ait Nyssenus, qui in cruce pro suis crucifixoribus oravit : *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Putas,* ait S. Aug. serm. 94. de diversis, *verba ista audivit Paulus? audivit subsannans, sed irrisit.* Hilar. Arelat. serm. de S. Stephano dicit, *nescisse Stephanum iis irasci, per quos sibi videret aulam regni cœlestis aperiri, per quos æternis sæculis intelligeret consecrari : et sic ex oleastro novum ramum cœpisse inferri, ut olivam veterem nollet abscindi.*

Notat S. Fulgentius serm. de S. Stephano, arma quibus contra Judæos pugnavit Stephanus, et vicit, fuisse charitatem, præsertim erga suos hostes et lapidatores : *Per charitatem Dei,* ait, *sævientibus Judæis non cessit : per charitatem proximi pro lapidantibus intercessit. Per charitatem arguebat errantes, ut corrigerentur : per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur. Charitatis virtute subnixus vicit Saulum crudeliter sævientem, et quem habebat in terra persecutorem, in cœlo meruit habere consortem.* Sane ardentissima fuit hæc Stephani charitas, quæ furorem ardentissimum Sauli et Judæorum vicit superavit. Voluit enim Deus in Stephano quasi in Protomartyre, cæteris omnibus Martyribus secuturis dare illustre fortitudinis, patientiæ, innocentiæ, et cæterarum virtutum exemplar, ac præsertim charitatis, qua tortores suos converterent, uti fecit S. Paulus, S. Jacobus, et passim alii Martyres.

Notat Secundo, S. Aug. ser. 1. de Sanctis, efficaciam orationis S. Stephani : *Si S. Stephanus,* ait, *non orasset, Ecclesia Paulum non haberet : sed ideo erectus est Paulus, quia in terra inclinatus exauditus est Stephanus.* Et serm. 5. docet longe amplius Stephanum planxisse scelus hostium, quam suos dolores, ideoque pro illis tam impense et ferventer orasse. *Plus,* ait, *dolebat illorum peccata, quam sua vulnera : plus illorum impietatem, quam suam mortem : Et recte plus : in illorum quippe impietate erant multa quæ plangi potuissent, in illius autem morte non erat quod debuisset doleri. Illorum impietatem mors sequebatur æterna, hujus autem mortem vita perpetua.*

Nota Tertio, efficacissimam esse orationem ardentem, quæ funditur pro inimicis, qualis fuit hæc Stephani : tum quia ipsa est actus difficillimæ et eminentissimæ charitatis : tum quia eam Deus nobis consuluit, imo imperavit Matth. 5. 44. tum quia injuria hæc proprie tangit hominem. Si ergo is læsus, jus et actionem suam, contra lædentem remittat, imo oret ut et Deus remittat, cogit quasi Deum ad remittendum : Deus enim homine longe clementior est, et videri vult. Quocirca hæc Stephani oratio impetravit et quasi peperit Paulum, eumque fecit Apostolorum orbisque doctorem. Quocirca Cardin. Vitriaco in Vita S. Mariæ Oigniacensis l. 2. cap. 11. scribit, eam in extasi cognovisse, S. Stephanum, S. Pauli decollati animam excepisse, et Deo obtulisse : *Dicebat,* ait Vitriaco, *cum de B. Stephano Protomartyre caneret, quem paradisi rosarium appellabat, illi sub mortem oranti Dominum pro munere dedisse S. Paulum : et S. Paulo peracto martyrio è corpore excedente, S. Stephanum adfuisse, ejusque spiritum obtulisse Domino, atque dixisse : Domine hoc ingenti et singulari munere, tu me donasti; ego vero multiplici fructu autem tibi illud reddo.*

Oratio ergo pro inimicis apud Deum est potentissima, eumque pene cogit ad parcendum inimico : quia pure fit ad gloriam Dei, itaque è mera, pura putaque charitate proficiscitur : nullus enim hic se miscet amor sui, vel amor naturæ; quia contra naturam sua benevolentia et beneficentia tendit in hostes naturæ, quibus a Deo ignosci et benefieri optat et orat, ut Deus per hoc glorificetur; uti revera hæc summa est Dei gloria, puta clementia divina, qua ex inimicis suis et nostris facit amicos, imo filios et heredes suos; quam proinde poscenti concedit Deus, qui gloriæ divinæ est zelotes magis quam nos, uti par est, justum et sanctum.

Probabiliter opinatur Œcum. non solum Saulum, sed et plures alios lapidatores Stephani, per has ejus preces veniam, gratiam et salutem esse adeptos. Hinc denique S. Stephanus singularis, potensque est patronus et advocatus eorum, qui suos inimicos æque ac homines sceleratos et obduratos, uti sunt Judæi, convertere satagunt, uti multis experientiis constat; id enim ipse suo zelo, exemplo et martyrio meruit, cum ergo invocent.

Narrat Baron. anno Christi 418. ex Severo Episcopo Majoricæ insulæ, reliquiis S. Stephani Majonam (quæ urbs est in Majorica) illatis omnes Judæos, quorum numerus erat 540. per miraculum fuisse conversos, cum nimirum viderent suis saxis, quæ quotidie jaciebant in Christianos reliquias gestantes et comitantes, neminem lædi; et Dei vindicta ignem cœlitus in Synagogam suam immitti. Simile est quod scribit S. Aug. l. 22. de Civit. c. 8. Martialem virum honoratum, à gentilismo ad Christianismum, cui antea semper restiterat, à genero et filia fuisse conversum per invocationem S. Stephani, perque flores ex Altari S. Stephani desumptos, et capiti Martialis, cum æger decumberet, suppositos; adeo ut deinceps perpetim in ore haberet ultima S. Stephani verba : *Christe accipe spiritum meum.*

Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino.] Quasi mori et quiescere nequiret, nisi priu hostibus bene precatus, veniam à Deo impetrasset. Nota S. Paulus Christianos morientes vocat dormientes, 1. Corinth. 15. et 1. Thessal. 5. quia eorum mors non tam mors est, quam somnus, ob spem brevi futuræ resurrectionis, interim anima transeunte ad requiem et gloriam æternam, ut in visione et fruitione Dei felix et beata conquiescat, dicatque cum Psalte Psal. 3. *In pace in idipsum dormiam et requiescam.* Ubi S. Augustin. *O in pace!* inquit, *ô in idipsum! ô dormiam et requiescam!* Hinc fidelium pius est mos, ut aliquo è suis moriente non dicant, Talis mortuus est, sed, *Obdormivit in Domino, Felix somnus,* ait Petrus Damiani orat. de S. Stephano, *cum requie, requies cum voluptate, voluptas cum æternitate.* Nam ut dicitur Psal. 126. 2. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditatis Domini.* Et Apoc. c. 14. 13. *Beati mortui qui in Domino,* id est, in Domini mihi fide, gratia et sinu, quasi viva ejus membra, *moriuntur.* Vide ibi dicta.

Hic fuit finis, hic triumphus, hæc coronis et corona primi Christi athletæ, S. Stephani, quem S. Aug. Nyssenus; Fulgentius, Emissenus, Chrysolog. Bern. Nicetas et alii suis homiliis prosecuti, miris encomiis celebrarunt.

Miracula post mortem per sacra ejus lipsana et reliquias patrata magna et multa recenset S. August. l. 22. Civit. c. 8. et hom. 7. de Sanc-

tis, et Prosper. l. de Prædict. dimidii temp. c. 6. Greg. Turon. lib. 1. Hist. c. 31. Gennadius, Nicetas et alii plures. Porro jam inde ab ejus obitu, tanto in honore et cultu apud omnes fideles fuit, ut S. Clemens l. 8. Constit. c. 33. scribat, Apostolos sanxisse, ut quotannis dies, martyrii ejus publice festus celebretur. Unde sanctus Martialis Apostolorum discipulus Altare sancto Stephano in Gallia dedicavit, uti ipse testatur in ep. ab Burdegal. cujus exemplum secutæ multæ aliæ Gallicanæ Ecclesiæ, nomine et titulo S. Stephani magnifica templa et basilicas erexerunt. Primus Hungarorum Rex et Martyr S. Stephanus, et à S. Stephano et nomen, et regnum, et martyrii lauream est adeptus, uti habet ejus vita 25. Augusti.

Denique S. Dorotheus in Synopsi, asserit eodem die cum Stephano occisum esse à Judæis Nicanorem Diaconum, et insuper duo Christianorum millia. De Nicanore idem tradit S. Hippolytus l. de 72. discipulis. Verum Martyrol. Rom. 10. Januarii, asserit Nicanorem in Cypro esse occisum. Idem habet Menologium Græcorum 28. Julii, quod et addit, id contigisse sub Vespasiano.

Ito nunc S. Stephane, ito pugil Christi, ito ad Jesum tuum, pro cujus fide et amore tantum agonem obiisti. Jesus te expectat ut coronet, qui spectavit ut vinceres. Bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem servasti, accipe coronam gloriæ. Ito Martyr fortissime in domum fortium Dei. Ito Virgo castissime in supernum montem Sion : sequere cum choris S. Virginum Agnum quocumque ierit, canta cum eis Canticum novum, imo illud cæteris præcine. Ito Christi Evangelista et præco in Aulam cœlestem Christi. Ille victorem et felicem tuum spiritum excipiet. Ille tibi saxa in gemmas convertet; pro corona saxorum imponet capiti tuo coronam carbunculorum, adamantum, smaragdorum. Ille ab oculis tuis lacrymas, à vultu sudorem à corpore cruorem omnem absterget: ille Deo Patri victorem te sistet, ut pro modico agonis tempore æterni regni diadema accipias. Ito Protomartyr, cæteris iter in cœlum præi, viam ad triumphum sterne, sequentur te ut ducem toto orbe per omnia futura sæcula, innumera Martyrum agmina. Paucis horis fortiter luctando teipsum meritis, Apostolos gaudio, fideles exemplo, Ecclesiam gloria, orbem fama, angelos exultatione, cœlum civibus, paradisum Martyribus implesti et condecorasti. Eia ex alto nos respice, ut tui certaminis vestigia fortiter sequi, itaque gloriæ tuæ bravium consequi mereamur. Amen.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

A morte Stephani oritur gravis Ecclesiæ persecutio ; unde fideles disperguntur ; et Samariam convertunt, in eaque Simonem Magum : sed ille volens emere potestatem dandi Spiritum sanctum a S. Petro increpatur. Denique v. 26. Eunuchus Candacis reginæ a Philippo baptizatur.

1. Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ, præter Apostolos. 2. Curaverunt autem Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum. 3. Saulus autem devastabat Ecclesiam, per domos intrans, et trahens viros, ac mulieres tradebat in custodiam. 4. Igitur qui dispersi erant, pertransibant, evangelizantes verbum Dei. 5. Philippus autem descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum. 6. Intendebant autem turbæ his quæ à Philippo dicebantur, unanimiter audientes, et videntes signa quæ faciebat. 7. Multi enim eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant. 8. Multi autem paralytici et claudi curati sunt. 9. Factum est ergo gaudium magnum in illa civitate. Vir autem quidam nomine Simon, qui ante fuerat in civitate Magus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum: 10. cui auscultabant omnes à minimo usque ad maximum, dicentes: Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna. 11. Attendebant autem eum, propter quod multo tempore magiis suis dementasset eos. 12. Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres. 13. Tunc Simon et ipse credidit; et cum baptizatus esset, adhærebat Philippo. Videns etiam signa et virtutes maximas fieri, stupens admirabatur. 14. Cum autem audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. 15. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum: 16. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. 17. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum. 18. Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus

sanctus : obtulit eis pecuniam, 19. dicens : Date et mihi hanc potestatem, ut cuicum[que] imposuero manus accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum : 20. Pecunia tua tecum sit in perditionem : quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. 21. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto : cor enim tuum non est rectum coram Deo. 22. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua : et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. 23. In felle enim amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse. 24. Respondens autem Simon, dixit : Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum quæ dixistis. 25. Et illi quidem testificati et locuti verbum Domini, redibant Hierosolymam, et multis regionibus Samaritanorum evangelizabant. 26. Angelus autem Domini locutus est ad Philippum dicens : Surge, et vade contra meridianum, ad viam quæ descendit ab Jerusalem in Gazam, hæc est deserta. 27. Et surgens abiit. Et ecce vir Æthiops, eunuchus, potens Candacis reginæ Æthiopum, qui erat super omnes gazas ejus, venerat adorare in Jerusalem : 28. et revertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam Prophetam. 29. Dixit autem Spiritus Philippo : Accede, et adjunge te ad currum istum. 30. Accurrens autem Philippus, audivit eum legentem Isaiam Prophetam et dixit : Putasne intelligis quæ legis? 31. Qui ait : Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogavitque Philippum ut ascenderet, et sederet secum. 32. Locus autem Scripturæ quam legebat, erat hic : Tanquam ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum. 33. In humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarrabit, quoniam tolletur de terra vita ejus? 34. Respondens autem Eunuchus Philippo, dixit : Obsecro te, de quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo? 35. Aperiens autem Philippus os suum, et incipiens à Scriptura ista, evangelizavit illi Jesum. 36. Et dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam : et ait Eunuchus : Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? 37. Dixit autem Philippus : Si credis ex toto corde, licet : Et respondens ait : Credo Filium Dei esse Jesum Christum. 38. Et jussit stare currum : et descenderunt uterque in aquam, Philippus et Eunuchus, et baptizavit eum. 39. Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, et amplius non vidit eum Eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens. 40. Philippus autem inventus est in Azoto, et pertransiens evangelizabat civitatibus cunctis, donec veniret Cæsaream.

1. FACTA EST AUTEM IN ILLA DIE (id est, illo tempore, est synecdoche) PERSECUTIO MAGNA IN ECCLESIA,] ἐπι τὴν ἐκκλησιαν, id est, *in Ecclesiam, contra Ecclesiam.* Ita Tigur. Dorotheus tradit cum Stephano occisos esse bis mille Christianos, uti paulo ante dixi. Certe plures tunc occisos indicat Paulus Act. 26. 20, dicens ; *Et cum occiderentur, ego detuli sententiam.* Hæc ergo fuit prima generalis Ecclesiæ persecutio, quam moverunt Judæi hostes ejus exinde, et deinceps semper infensissimi. Ita Euseb. in Chronico.

Multi censent hoc tempore S. Magdalenam cum sorore S. Martha, fratre Lazaro, Maximino, Marcella, et Josepho ab Arimathia (qui deinde in Britanniam trajiciens, ibi evangelizans Christum in pace quievit) à Judæis navi sine velis et remis impositos, Dei ductu Massiliam appulisse, ibique Christi finem propagasse. Ita ex Actis S. Magdalenæ, et historia Vaticana Baron tom. 1. Annal. et in Martyrol. 22. Julii, licet Lucius Dexter in Chronico tradat tardius id contigisse, scilicet anno Christi 48. qui et subjungit : *Anno Christi* 48. *Maria Magdalena miraculis clara, mirifice divinis laudibus et contemplationi dedita, in Gallicam migrat.* Sic et alii plures scribunt eam grandævam, octogesimo ætatis suæ anno è vita migrasse. Postquam enim apostolatu perfuncta Massillienses ad Christum convertit, instinctu Dei secessit in montem, futura sæculis omnibus pœnitentiæ et contemplationis exempla, ibi per triginta annos vitam angelicam in orationibus et lacrymis egit. Hoc enim ei denunciarat S. Michael Archangelus dicens : *Deus quem tantum ô Magdalena concupiscis, et semper habes, te vult hunc locum lacrymis irrigare profusis, ut futuris sæculis exemplum pœnitentiæ perpetuo fias.* Ac iterum angelus, qui ad Purgatorii loca eam deduxerat, reponens ipsam ad crucem in Bauma, edixit, et prædixit : *Quanto tempore tuus ac noster amor Jesus, in terris te propter evixit, tanto tu quoque in hac spelunca moraberis ;* uti ipsa apparens Eliæ Anachoretæ Baumam suam incollenti narravit, teste Doctore Sylvestro Prierate apud Suriumdie 22. Julii. Sane Judæi præ cæteris Magdalenæ, ejus familiæ infensi, ob eximium ejus in Christum amorem, et ob mirum dolorem, quem in morte Christi cruci astans ostenderat, in eam virus odii sui illico evomuisse videntur.

ET OMNES DISPERSI SUNT PER REGIONES JUDÆÆ.] *Omnes*, scilicet fideles, qui erant de Ecclesia, de qua præcessit : non ergo soli seniores dispersi sunt, ut videtur velle Euseb. l. Hist. c. 1. sed et cæteri : nonnulli tamen qui potentes habebant amicos, vel in latebras sese abdebant, aut periculis et carceri se offerebant, remanserunt. *Omnes* ergo intellige commode, qui scilicet facile fugere poterant. q. d. Plerique omnes, permulti *dispersi sunt* græce διεσπαρμένοι, id est, *disseminati sunt, quasi seminantes frumenta ad panem supercœlestem conficiendum ; universumque orbem peragrantes, vivificæ doctrinæ virtutes efficaciasque disseminarunt*, S. Athanas. hom. de fermento.

Ecce quantum bonum ex malo elicit Deus. quantam ex persecutione Ecclesiæ dilatationem, et Gentium conversionem ? ita *crescit adversis agitata virtus.* Unde Nyssenus hom. de S. Stephano, docet, persecutionem S. Stephani, Evangelium per orbem evulgasse. Ob ejus enim cædem discipuli per alias regiones dispersi, eas converterunt; et S. Stephanus è cœlo earum conversionem suis præcibus impetravit, ac præcipue ut S. Paulus conversus orbem evangelizando obiret. Sic enim impiorum conatibus, quibus opera Dei impedire conantur, Deus opera sua promovet et exequitur, uti ostendi C. 4. 28. Primo, ergo dispersi sunt *per regiones Judææ et Samariæ ;* sed mox inde longe ulterius se sparserunt. Testis est S. Luc. c. 11. 19. *Et illi quidem,* ait, *qui dispersi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque Phœnicem et Cyprum, et Antiochiam.* Quare Antiochiæ crescente fidelium numero, primum discipuli cognominati sunt Christiani : idem ait v. 26. Unde Baron. conjectat dispersorum numerum fuisse ad quindecim millia, additque illos ipsos esse quibus S. Petrus et Jacobus suas epistolas inscribunt, dicentes : *Advenis dispersionis Ponti, Galatiæ,* etc. vel *Duodecim tribubus quæ sunt in dispersione, salutem.*

Astipulatur Lucius Dexter in Chronico, quod dedicat S. Hieronimo (illi enim fuit coævus) sic enim habet : *Anno Christi* 35. *occiso lapidibus Stephano, magna persecutio Hierosolymis et confiniis exoritur : plusquam quindecim mille viri, qui prædicantibus Apostolis in Christum crediderant, fugantur, Alii ad Asiam, nonnulli ad Europam veniunt. Ex his plusquam quingenti nave Cypro educti, ad portum Carthaginensem Hispaniæ pertingunt : divisi per Hispanias, mortem Christi resurrectionemque denuntiant, et Mariæ vitam, ad quam frequens ex Hispania fiebat peregrinatio ; totamque provinciam undique mirificis et inauditis nuntiis complent. Ex his primi à beato Jacobo eliguntur urbium Pontifices, et Pastores. Dubium an omnes Judæi fuerint. Hispani præcipue Judæi mittunt legatos ad Apostolos, ut quam primum aliquis eorum veniat ad eos, qui de rebus recensitis de Christo eos verius et uberius doceat.* Unde mox addit, ad eos profectum S. Jacobum anno 37. Christi, qui fuit tertius ab ejus ascensu in cœlum : *S. Jacobus,* ait, *Apostolus, Zebedei filius, peragratis urbibus Hispaniæ, multisque erectis Ecclesiis, et Episcopis creatis ex advenis, Petrum Bracaræ reliquit Episcopum; ac primum oratorium B. Virgini, ejus jussu præsentiaque super columnam Cæsaraugustæ erexit.* Idem tamen Dexter paulo post addit; plerosque alios Apostolos tardius discessisse in provincias, quæ sibi obtigerant nimirum anno Christi 41. Sic enim ait : *Ex Hispania rediens Jacobus, Galliam invisit, et Britanniam, et Venetiarum oppida, ubi prædicat, ac Hierosolymam revertitur, de rebus gravissimis consulturus B. Virginem et Petrum. Jacobus interest profectioni ad prædicandum nonnullorum Apostolorum, scilicet Mathiæ, Thomæ, Andreæ, Philippi, Bartholomæi, Simonis, Judæ, et Matthæi, qui Deo duce profecti sunt hoc anno, cum eodem anno scripsisset in Evangelium. Eodem anno Johannes Theologus comitante B. Virgine, Ephesum proficiscitur.* Additque anno sequenti, qui fuit Christi 42. Jacobum redeuntem Hierosolymam, ibidem ab Herode fuisse occisum.

Porro constat, Apostolos in hac persecutione S. Stephani non fuisse dispersos. Ait enim Lucas, *præter Apostolos,* Ex quo merito Beda hic refellit Pseudo Melitonem libro de obitu B. Virginis, qui asserit anno secundo à Christi ascensione Apostolos dispersos, profectos esse in suas provincias. Dei enim consilio et protectione manserunt Apostoli Hierosolymæ, ut ubi Ecclesiam à Christo, et à se inchoatam fundarent et firmarent, ne Judæi eam à se dispersam et eversam criminarentur; sed potius ipsa ibidem Synagogæ succederet, eamque sepeliret. Hinc rursum nonnullis parum probabile videtur, quod aliqui apud Baron. in Martyrol. 25. Julii, censent, in hac dispersione S. Jacobum profectum esse in Hispaniam, ibique Hispanis non Gentilibus, sed Judæis dumtaxat, evangelizasse: fuit enim et ipse unus ex Apostolis, quos Lucas ait non fuisse dispersos. Nisi dicas unum Jacobum hic excipi. Sane Verulis in Italia valde colitur S. Maria Salome mater S. Jacobi, quam ferunt Hierosolymis tunc eo profugisse, et labore ætateque fractam, ibidem in Domino pie obdormivisse, ita Baronnius, et Ribadeneira in vita S. Jacobi. Sed de hoc plura dicam c. 12.

2. CURAVERUNT AUTEM STEPHANUM.] Syrus, *positum in arca sepelierunt.* Græcum κομίζω significat *curare, gestare, portare,* estque subinde verbum funerale, significans *mortuum efferre et sepelire.* Quocirca Noster uti generalius, ita plenius vertit, *curaverunt.* Curare enim funus et corpus defuncti, est illud abluere, componere, ungere, vestire, loculo imponere, efferre, sepelire, justa persolvere, omnemque funeris pompam adornare. Porro Græcum συνεκόμισαν, id est *curaverunt una,* vel *pariter,* ut vertit Pagnin. et Tigurina, significat viros timoratos unanimi consensu, collatisque operis funus composuisse. Minus recte Cajet. interpretatur, una cum persecutione eos funus S. Stephani curasse. Alii vertunt, *comportarunt, simul extulerunt,* uti videmus funera multis simul succollantibus efferri.

VIRI TIMORATI,] εὐλαβεῖς, id est, *pii, religiosi.* Ita Pagnin. et Tigur. Nam *timor Dei* in Scriptura, idem est quod pietas, religio et cultus Dei : et *timere Deum,* est eum pie venerari et colere. Horum dux fuit Gamaliel : nam ut ipse revelavit Luciano, qui idipsum scribit in invent. S. Stephani, Judæi corpus Stephani abjecerunt in agrum, ut à feris et volucribus voraretur; quocirca per diem et noctem ibi mansit insepultum, et à feris avibusque Dei nutu intactum; sed Gamaliel nocte sequenti misit viros fideles et religiosos, qui illud occulte ad villam suam deferrent, quæ ex nomine suo dicebatur Caphargamala, viginti passuum millibus distans à Jerusalem, ibique eum posuit in monumento novo, faciens ei planctum 70. diebus.

Nota hic, proprium priorum opus esse, sepelire mortuos, à quo in Scriptura laudatur Tobias, et incolæ Jabes Galaad sepelientes Saulem, 2. Reg. 2. 4. Celebratur in Martyrol. die 8. Decemb. S. Eutychianus Pontifex, quod suis manibus sepelierit 342. Martyres. Idem de Martyribus sanxit Pius I. Pontifex et Martyr anno Domini 166. epistola 2. ad Justum Viennensem Episcopum, quæ exstat tom. 1. Bibtioth. SS. Patrum. *Cura,* ait, *S. Martyrum corpora, sicut membra Dei, quemadmodum curaverunt Apostoli Stephanum.* Additque : *Carceres Sanctorum visita, ne aliquis tepescat in fide Martyria sancta Spiritu sancto proba.*

Ut perseverent in fide, cis incitator insistæ. Plebs universa tua sanctitate protegatur. Revelatum mihi esse scias collega beatissime, citius me finem hujus vitæ esse facturum : sequenti enim anno martyrio et coronatus.

FECERUNT PLANCTUM MAGNUM SUPER EUM.] Syrus, *planxerunt eum vehementer.* Quæres, quis et qualis hic planctus ? Respond. Primo, fuisse luctum et lacrymas. *Quis enim,* ait Chrysostomus, *non plorasset videns illum mansuetum agnum lapidari et facere mortuum ?* Plangunt enim pii suos mortuos, non quasi omnino perierunt, ut mundani faciunt, qui extincto corpore de salute actum esse credunt, quos redarguit Apostolus 1. Thessal. 4. 1. sed ex amore et charitatis affectu ; quia eorum presentia, ope et consolatione vident se destitutos. Plangunt Stephanum, ait OEcumen. quod se tanto profecto, tanto patrono, tanta doctrina, tantisque signis privatos conspicerent. Sic Martha et Magdalena planxerunt Lazarum, quin et Christus ipse Johann. 11. Sic Joseph planxit Jacob, Genes. 50. Israelitæ Mosen, Deuteron. ult. et Josue cap. ult. Hoc est quod Sapiens monet Eccles. 22. 10. *Super mortuum plora, defecit enim lux ejus,* etc. *Modicum plora super mortuum, quoniam requievit,* etc. *Luctus mortui septem diebus : fatui autem et impii, omnes dies vitæ illorum.* Quare nullo modo mortuis compati, nec mœrere, misanthropon est, Timonicum et ferinum : nimium autem dolore, muliebre et Ethnicum : moderate lugere, humanum est et pium. Porro Judæi in luctu funebri plangebant hoc tantum voce lugubri et lacrymis, sed et gestibus, complodendo manus, stringendo brachia, tundendo pectus, etc. Et hoc proprie significat Græcum κοπετὸς, à κόπτω, id est, *pulso, ferio.* Hinc adhibebant tibicines, qui triste carmen modulantes, cierent planctum et ejulatum, ut patet Matth. 9. 23.

Secundo planctus hic significat funebrem pompam, puta atras vestes (in funere enim omnia erant furva ; unde et funus nomen accepit, ait Festus) aromata et unguenta, quibus corpus unguebant: thurificationem, lugentium catervas, tædas funebres, exequias, elemosynarum distributionem in pauperes, convivium funebre, etc. Ad hæc orationes et sacrificia pro defuncto. Sed his non eguit Stephanus, utpote Martyr: *quoniam injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre, cujus nos debemus orationibus commendari,* ait S. August. tract. 84. in Joan. *Sic planctus magnus et fortis totius Ægypti pro Jacob, non longas imperabat Ægytus lacrymas, sed funeris monstrabat ornatum,* ait S. Hier. ad Paulam consolans eam de obitu filiæ Blesillæ, ubi et addit : *Grandis in suos pietas, hoc est, effusæ nimium lacrymæ, impietas in Deum est.*

Tertio, planctus hic significat processionem cum accensis cereis, psalmodiam et hymnodiam, tum Cleri, tum populi in funere, etiam Sanctorum, adhiberi solitam. Unde tradit Nicetas orat. de martyr. et invent. S. Stephani, Apostolos ipsos cum frequentia fidelium, in psalmis et hymnis trastulisse et sepelivisse Stephanum, facientes planctum magnum per quadraginta dies. Sic et S. Hier. epist. 53. ad Riparium, scribit Apostolos curam corpori Stephani impendisse; funus enim hoc erat non fidelis cujuslibet, sed Martyris, ejusque primi et illustrissimi. Planctus ergo hic significat pompam religiosam, sed gloriosam, Martyris triumpho debitam et impensam. Quocirca merito urget hunc locum S. Hieronym. pro cultu SS. Reliquiarum contra Vigilantium epist. jam citata : *Ergo,* ait, *Martyrum immanda sunt Reliquiæ? Et quid passi sunt Apostoli, ut immundum Stephani corpus tanta funeris ambitione præcederent, ut facerent ei planctum magnum, ut eorum luctus in nostrum gaudium verteretur ?* Ad planctus hujus pompam pertinet martyrium, id est, Martyris tumultus et monumentum, ad quod orationis causa convenire solent fideles.

Ita in Actis S. Laurentii, qui S. Stephano fuit compar et consimilis, tum diaconatu, tum fortitudine et zelo, tum martyrii gloria, legimus, eo in craticula animam Deo exhalante, convenisse S. Justinum sacerdotem, Hippolytum, aliosque fideles, præsertim pauperes, in quos opes Ecclesiæ jussu S. Xisti Pontif. distribuerat, eumque planxisse lacrymando, ac funebri et solemni pompa corpus ejus efferendo in agrum Veranum, ibique tumulum honorificum ei erigendo, juxta quem omnes constiterunt tribus diebus in jejuniis, vigiliis nocturnis, et orationibus, poscentes ejus ope beneficia sibi dari à Domino Deo : quibus exactis S. Justinus Missam celebravit, in qua omnes communicarunt, itaque eos dimisit, ne à persecutoribus comprehenderentur, eo quod rumor hujus conventus et pompæ jam percrebresceret.

Similes fuerunt planctus et pompæ funebres aliorum Martyrum, uti videre est in eorum Actis. Denique huc pertinet memoria et celebritas annua S. Stephani et S. Martyrum, ab Apostolis fidelibus indicta et sancita, teste S. Clemente lib. 8. Constit. cap. 33. Similia leges de sancto Polycarpo et Martyribus Lugdunensibus, apud Euseb. lib. 5. Histor. cap. 15. et lib. 5. c. 1. et sequent. Hæc Nota contra hæreticos, pro cultu Sanctorum et reliquiarum eorumdem. Caute quoque hic legendus Cajetan. qui funus hoc et planctum Stephani mere Judaicum fuisse putat. Hoc enim ex Actis liquet esse falsum.

Rursum ; ex hoc loco recte Baronius tradit originem ritumque funeris Christianorum : *Exemplo,* ait, *Apostolorum, laudabilis in Ecclesia Dei, in curandis defunctorum corporibus consuetudo permansit, ut eadem in primis aromatibus condirentur, unde Tertulianus : Si Arabiæ quæruntur, sciant Sabæi pluris et carius suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam diis fumigandis. Gregorius Nyssenus hæc in funere Meletii: Sindones mundæ, et panni serici, unguentorum, et aromatum largitas, liberalitas mulieris ornatæ et honestæ,* etc. *Gregor. Nazian. non sine myrra Cæsarium fratrem sepelivit. De qua etiam consuetudine pristina Prudentius agit his versibus ?*

> Candore nitentia claro
> Prætendere linea mos est,
> Aspersaque myrrha Sabæo
> Corpus medicamine servat.

Et in fine :

> Nos tuta fovebimus ossa
> Violis ac fronde frequenti,
> Tituluмque et frigida saxa
> Liquido spargemus humore.

Rursum vero accensis cereis, cantu prosequi pompam funeris, apud Christianos antiquo usu receptum esse, multis habetur testatum exemplis ; ut quod habet Pontius Diaconus de funere S. Cypriani Martyris his verbis : *Inde cum*

cereis et scholaribus in area cujusdam Candidi procuratoris magno triumpho sepultum est. Quod insuper Gregorius Nyssenus factum tradidit in funere Meletii, cum ait : *Quomodo utrimque quasi ignei omnes continuentibus facibus, tractu continuo perpetuoque fluentes, quoad oculi longissime prospicere solem, porrigebantur.* Gregorius Nazianzenus de matre sua in funere Cæsarii filii gestante faces, hæc habet : *Cum multiplici hymnorum cantu deducitur, celebrique pompa ad Martyrum sedem affertur, sanctisque parentum manibus honoratur, matre accensas faces gestante.* Eadem plane habet cum agit de funere Constantii, in orat. 1. adversus Julianum Apostatam. Hoc etiam idem qui supra Gregorius Nyssenus, cum meminit de funere S. Macrinæ sororis, testatur. Idipsum Eusebius in funere Constantini : sed et Hieronymus de funere S. Paulæ, hæc ait ; *Translata Episcoporum manibus, et cervicem feretro subjicientibus, cum alii Pontifices cereos lampadesque, alii choros psallentium ducerent, in medio Ecclesiæ speluncæ Salvatoris est posita.* Athanasius eadem feliciter et explicat et probat, cum ait : *Si quis diem abierit, licet in aere ponatur inhumatus, ne omiseris oleum et ceram invocato Christo Deo ad sepulchrum accendere : accepta enim Deo sunt, plurimamque secum referunt retributionem : oleum et cera holocaustum est ; incruentæ vero hostiæ oblatio, propitiatio est.* Quid vero Chrysostomus ? *Quid,* ait, *ardentes, quæso, lampades sibi solunt ? nonne tanquam athletas eos comitamur ? Quid autem hymni ? nonne glorificamus Deum, et illi gratias agimus, quia jam defunctum coronavit, et ab incertitudine sublatum penes se retinet ?* Idemque alias laudatissimam Christianorum consuetudinem in celebrandis exequiis defunctorum sæpe commendat. Incenso etiam thure defunctos honorari consuevisse, idque prætermisisse piaculum grande existimatum esse, satis declarant Acta sacrosanctæ Synodi Chalcedonensis : ubi recitatur libellus accusationis adversus Dioscorum, oblatus ab Ischyrione Diacono, quo inter alia datur crimini, quod ejus avaritia factum sit, ut in funere Peristeriæ piissimæ feminæ, quæ sua legaverat sanctis locis, oblatio incensi (quantum ad ipsum pertinuit) fuerit prætermissa.

Porro post annos 380. puta anno Christi 415. fuit Innoc. I. Pontificis XIV. Honorii Imp. 21. inventæ sunt reliquiæ S. Stephani, per revelationem Gamalielis apparentis Luciano presbytero, qui rem gestam fuse perscripsit, ex eoque Beda, Marcellinus, Gennadius, Nicephorus et Baron. anno jam nominato. Addit Lucianus : *Johannes Episcopus Hierosolymorum (cui quasi Episcopo loci, in quo erat sepulchrum, jusserat Gamaliel Luciano demandare translationem corporis S. Stephani sepulti) assumpsit secum duos alios Episcopos, Eleutherium de Sebaste, et Eleutherium de Jericho; et venerunt ad locum. Qui cum aperuissent Domini Stephani thecam, statim terræ motus factus est, et tanta suavitas et fragrantia odoris inde egressa est, quantam nullus hominum se meminit vel audivisse, vel sensisse ; ita ut putaremus nos in amœnitate paradisi esse positos. Multitudo namque populi aderat nobiscum, inter quos erant plurimi infirmi variis languoribus. Et ipsa hora mox de odore suavitatis ejus septuaginta tres animæ curatæ sunt : ab aliis fugati dæmones : aliorum fons restinctus est sanguinis : alii strumis et furunculis liberati : alii à stringio sanati, alii à tertianis et quartanis : alios febris reliquit, alios morbus regius : alii à cephalea curati et hemicrania : nonnulli à viscerum occulto dolore liberati : et multas alias curationes senserunt homines, quas enumerare longum. Exosculantes sacras reliquias iterum clauserunt. Et tunc cum psalmis et hymnis portaverunt reliquias B. Stephani in sanctam Ecclesiam Sion, ubi et Archidiaconus fuerat ordinatus,* etc. *Tunc jugis et infinita siccitas erat; sed eadem hora pluvia magna descendit, et abundanter inebriata est terra.* Hæc Lucianus. Meminit ejusdem S. August. serm. 51. de diversis : *Latuit,* inquit, *tanto tempore corpus ejus : processit quando Deus voluit, illuminavit terras, tanta miracula fecit : mortuus vivos facit mortuos, quia nec mortuus.* Idem enim S. Augustinus 22. Civit. cap. 8. narrat, per reliquias S. Stephani sex mortuos revocatos ad vitam. Nam Paulus Orosius peregrinatus in terram Sanctam, incidens in tempus inventionis S. Stephani, reliquias ejus detulit in Africam ad S. Augustinum, qui per varias Ecclesias eas dispertitus est. Partem alteram detulit Orosius secum in Minoricam, insulam Tertiam, et in suam Hispaniam : inde in Lusitaniam fuere distributæ et Franciam, ubi multis claruere miraculis, teste Gregorio Turon. lib. de Gloria Martyr. cap. 33. et lib. 1. Histor. cap. 31. Ita Stephanus vita functus, quasi primarius Ecclesiæ Diaconus, more majorum ex eminenti suggestu Evangelium, quod omnes credant, etiamnum populo decantat, fidemque Catholicam et Apostolicam præconio nuntiat, eamdemque sequentibus signis obsignat. Nimirum sanguis ejus instar Abelis, clamat apud Deum, postulans misericordiam : idem clamat apud homines, prædicans fidem orthodoxam.

Rursum anno Domini 439. qui fuit Theodosii Junioris Imp. 32. Eudocia ejus uxor, peregrinata Hierosolymam, inde reliquias S. Stephani secum detulit Constantinopolim, easque in martyrio, id est templo, S. Laurentii Martyris collocavit. Ita ex Marcellino et aliis Baronius, qui et addit ex Cedreno : *Cum reliquiæ dextræ manus S. Stephani essent Chalcedonem perlatæ, ea ipsa nocte Pulcheria Augusta (soror Theodosii Imp.) S. Stephanum vidit sibi dicentem : En impetrasti quod precibus tuis petebas, et ego Chalcedonem veni. Itaque ipsa assumpto fratre obviam sacris reliquiis profecta est, iisque in palatium illatis, munificum templum B. Stephano condidit, in eoque reliquias deposuit.* Hic verum illud quod de Christo et Christi asseclis prædixit Isaias c. 11. 10. *Erit sepulcrum ejus gloriosum.* Et psaltes psal. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.*

Porro reliquiæ S. Stephani Romam translatæ, in monumento S. Laurentii collocatæ, nobile Archidiaconorum Martyrumque par, quasi geminos, eosque lucidissimos Ecclesiæ oculos, urbi orbique dederunt. Ita tabulis sacris in Martyrol. consignatum est die 7. Maii, ubi sic legimus : *Translatio corporis S. Stephani Protomartyris, quod Pelagio summo Pontifice à Constantinopoli ad urbem allatum, atque in sepulchro Sancti Laurentii Martyris in agro Verano positum, ibidem magna piorum religione colitur.* Ferunt S. Laurentii corpus, veniente S. Stephano, per miraculum se commovisse, ac adventanti hospiti locum cessisse, illumque intra suum loculum recepisse. Ita refert Pompeius Ugonius in Station. Roman. stat 19. Petrus de Natal. lib. 4. cap. 13. et alii, quos citat et sequitur Octavius

Pancirollius in Thesauris Romæ, secundæ editionis, agens de templo S. Laurentii extra muros. Estque hæc fidelium Romæ traditio.

Quid mirum? S. Stephanus toto orbe tot corruscavit miraculis, ut S. Aug. l. 22. Civit. c. 8. multis recensitis, tandem multitudine victus, reliquis recensendis supersedeat. *Si enim*, inquit, *miracula sanitatum, ut alia taceam, modo velim scribere, quæ per hunc Martyrem, id est gloriosissimum Stephanum, facta sunt in Colonia Calamensi et in nostra, plurimi conficiendi sunt libri; nec tamen omnia colligi poterunt.* Continuum vero et perenne S. Stephani miraculum est, quod sanguis ejus concretus in vitrea ampulla ex Africa Neapolim à S. Gaudioso Episcopo delatus, et nunc in Ecclesia S. Gaudiosi repositus, quoties inter Missarum solemnia in altari exponitur, liquescit fluitque, ac si recens effusus esset. Testes oculati sunt cives Neapolitani.

Denique Christianis Hierosolymam invadentibus, S. Stephanus eamdem tradidisse videtur. Nam, ut narrat Gulielmus Tyrius lib. 8. Belli sacri cap. 16. et seq. cum Christiani oppugnatione urbis defatigati recederent, et dilaberentur, *Ecce rebus desperatis adfuit virtus divina. Nam de monte Oliveti miles quidam* (forte S. Stephanus, aut angelus ab eo missus) *qui tamen postea non comparuit, splendidum et refulgentem ventilando clypeum, signum dabat nostris legionibus ut redirent in idipsum, et congressum iterarent. Accessit oraculum viri sancti, qui habitans in monte Oliveti, prædixerat urbem illo die capiendam.* Quo signo exhilaratus dux Godefridus Bullonius, primus cum fratre Eustachio in mœnia conscendit, quem alii secuti, illico ejus jussu effregerunt portam S. Stephani, quæ monti Oliveti obversa est, ac per eam totum in urbem induxerunt Christianorum exercitum. Itaque à Godefrido et Christianis capta est Hierosolyma anno Christi 1099. die 15. Julii, feria sexta, qua olim Christus moriens ibidem de morte hostibusque omnibus triumpharat, ut hanc Christianis de infidelibus pareret daretque victoriam.

Ecce quantam gloriam in cœlo et in terra, labore et fervore septem mensium (tot enim circiter fluxerunt ab ejus diaconatu, usque ad diem vigesimum sextum Decembris quo martyrium obiit) consecutus est S. Stephanus. *Consummatus in brevi explevit tempora multa.* Vere dixit ille: *Præstat mori ut leonem, quam vivere ut asinum:* præstat paucis annis vivere in fervore et efficacia heroicorum operum, quam multis in tepore, vel torpore. Christus tribus dumtaxat annis evangelizans, fundavit Ecclesiam per omnia sæcula duraturam. Totidem annis prædicans S. Joannes Baptista in spiritu vehementi, contrivit naves Tharsis, puta tumida et Judæorum corda, ac gloriam eximiam adeptus est. S. Xaverius undecim annis apostolatu in India perfunctus, quot quantasque gentes fide imbuit? quanta patravit mira et miracula? quantum nomen et decus æternum sibi peperit? Gaspar Barzæus septennio Goæ et Armuziæ exacto quanta patravit? quantos labores exantlavit? quot infideles ad finem, quod fideles ad pietatem et sanctitatem traduxit? stupet qui legit Vitam ejus scriptam à P. Nicolao Trigautio. Ex adverso quam multi Sancti initio fervidi, longitudine temporis refrixerunt, imo ceciderunt, et dederunt maculam in gloriam suam; uti dedit Salomon, Tertullianus, Origenes, etc.

3. PAULUS AUTEM DEVASTABAT.] Ecce Benjamin, puta Paulus oriundus è Benjamin, quasi lupus rapax sævit et furit in gregem Domini, adeo ut non tantum viros, sed et mulieres Christianas domatim perscrutetur, trahatque in carceres ad tormenta et mortem, uti ipse conversus confitetur c. 22. 4. Quod enim nos habemus *per domos*, græce est, κατὰ τοὺς οἴκους: quod Tigurina vertit, *domesticatim;* Pagnin. *per singulas domos:* scrutabatur ergo singulas domos et angulos, ut Christianos persecutionem fugientes et latebras quærentes reperiret, et raperet ad vincula, perinde ac faciunt modo prætores et lictores Catholicorum in Anglia.

4. QUI DISPERSI ERANT, PERTRANSIBANT EVANGELIZANTES.] Ecce quam provide pieque primi illi fideles Dei instinctu bona sua vendiderunt, pretiumque ad pedes Apostolorum deposuerunt c. 4. 34. alioqui enim illa in hac persecutione diripuissent Judæi; ac fideles occupati ut ea tutarentur, venderent vel conservarent, non fuissent expediti ad fugam, ut dispersi evangelizarent aliis gentibus. Nunc autem iis venditis, expedite fugiunt et evangelizant, dicuntque illud Biantis: *Omnia mea mecum porto.*

5. PHILIPPUS.] Non Apostolus, ut vult Polycrates apud Euseb. lib. 5. Histor. c. 24. Apostoli enim manserunt Hierosolymis, uti Lucas dixit v. 1. sed Diaconus, c. 6. 5. primus à S. Stephano, ejusque heres, ait Glossa. Unde non potuit imponere manus Samaritis; sed ad hoc v. 14. mittuntur Apostoli Petrus et Joannes. Hic tamen Philippus, licet Diaconus, vocatur subinde Apostolus, ut à Tertull. lib. de Baptismo c. 8. S. August. lib. 1. de Doctrina Christiana in Proœmio, et aliis, quia circumibat regiones evangelizando. Sic et Paulus, Barnabas, aliique similes vocantur Apostoli, etiamsi non fuerint è numero duodecim Apostolorum. Porro ex hac evangelizatione, quam Philippus primus fecit in Samaria, Evangelistæ nomen accepit c. 21. 8. ita Baron.

DESCENDENS.] Jerusalem enim altiori loco sita erat, quam Samaria.

IN CIVITATEM SAMARIÆ.] Hoc est, in Samariam civitatem, quæ erat Metropolis provinciæ Samariæ, æque ac regni Israel, sive decem tribuum; ac proinde illi nomen suum dedit. Distat à Jerusalem sedecim leucis: sita erat in monte Someron, à quo et nomen accepit: uti et mons à suo possessore Semer. 3. Reg. 16. 24. Postea in honorem Augusti Cæsaris, cui illam dedicavit Herodes Ascalonita, sive infanticida appellata est Σεβαστή, id est *Augusta:* fuit enim in fabricis murorum, domorum, palatiorum, æque ac opibus et deliciis magnifica et superba. In hac sepulti sunt Elisæus et Abdias Prophetæ, item Joannes Baptista, ad quorum sepulchra cum pervenisset S. Paula, multis intremuit consternata mirabilibus. Nam videbat dæmones variis rugire cruciatibus, et ante sepulchra Sanctorum homines energumenos ululare more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, sibilare serpentum, mugire taurorum, alios rotare caput et post tergum terram vertice tangere, ait Sanctus Hieronimus in Epitapho S. Paulæ, et in Abdiæ c. 1.

PRÆDICABAT ILLIS CHRISTUM.] Præcepit Christus, ut se vivo non prædicarent Gentibus, nec

Samaritis, Matth. 10. 5. sed iturus in cœlum permisit, imo præcepit, iis prædicari Evangelium : Actor. 1. 8. Primi ergo post Judæos fidem Christi suscepere Samaritæ ; quia et ipsi inter Judæos generali nomine censebantur, etsi ab eis in fide et religione, uti regno, ita et schismate essent divisi à Jeroboam primo eorum rege, subducente se suosque à Roboam filio Salomonis. Unde et Christus viveus in transitu, biduo eis prædicaverat, multosque converterat, Joan. 4. 40. Missum fuisse Philippum Samariam prædicatum ab Apostolis, tradit S. Cyprian. epist. 37. ad Jubaianum.

6. INTENDEBANT,] non tantum audiendo, sed et credendo. Ita Syrus, et patet ex sequent.

7. MULTI ENIM EORUM QUI HABEBANT SPIRITUS IMMUNDOS.] Ita lege cum Roman. id est, multi spiritus habentium spiritus, hoc est, multi spiritus dæmoniacorum, sive energumenorum, clamantes exibant, scilicet ex dæmoniacis, sive energumenis. Adjectivum ergo *multi*, non refert substantivum, *homines* habentes spiritus, puta energumenos, sed *spiritus*, quod sequitur, hoc ergo hic subauditur, et repetendum est. Nec enim spiritus ex seipso, sed ex energumento egreditur. Noster legit πολλὰ videlicet πνεύματα, id est, *multi spiritus* in nominativo; jam legunt πολλῶν in genitivo, id est *multorum*, quod clarius se nonnulli vertere putant hoc modo : *Multorum enim habentium spiritus immundi clamantes exibant.* Unde Pagnin. et Tigurina vertunt, *spiritus enim immundi è multis, qui illis tenebantur, exibant.* Sed sensus omnium eodem redit. Est hebraismus : Hebræi enim sæpe rei magis quam verbis intenti, Verbum aliquod ex iis quæ præcedunt vel sequuntur, intelligendum relinquunt.

9. SIMON QUI ANTE FUERAT. (et etiamnum erat, ut mox patebit, sed exterius simulabat se velle converti fierique Christianum) IN CIVITATE MAGUS.] Græce, μαγεύων, id est, *magiam exercens, magica patrans opera, magicas præstigias ostentans, et seducens.* Est hendiadys. q. d. Magicis suis artibus erat seducens multos. Græce est, ἐξιστῶν τὸ ἔθνος, id est, *obstupefaciens et quasi in extasin rapiens vulgus.* Noster v. 11, vertit, *dementans.*

DICENS SE ESSE ALIQUEM MAGNUM,] puta Prophetam, vel angelum, aut semideum, imo Deum et Dei filium. Unde S. Hieron. in c. 42. S. Matthæi, ait Simonem hunc in tantam prorupisse superbiam, ut diceret : *Ego sum sermo Dei, ego sum speciosus, ego paracletus, ego omnipotens, ego omnia Dei.* Et S. Aug. lib. de Heres. c. 1. ait eum se vocasse Christum et Jovem, id est, Messiam Judæorum et Deum Gentium, ut ab utrique haberetur Deus. Addit S. Aug. *Dixerat*, inquit, *se in monte Sina legem Moysi in persona Patris dedisse Judæis; tempore Tiberii in Filii persona putative apparuisse; postea se in linguis igneis Spiritum sanctum super Apostolos venisse; Christum autem nec venisse, nec à Judæis quidquam pertulisse.* Ubi adverte, quædam ex his dixisse post auditum Evangelium et susceptum baptismum. Nam ante illud nesciebat, utpote Judæus et Samarita, imo nec audierat nomen Paracleti, aut Verbi vel sermonis Dei; sed utrumque dedicerat à Philippo et Apostolis evangelizantibus, à quibus baptizatus, factus et apostata et hæreticus, imo hæresiarcha, isque omnium qui post Christum extiterunt, primus. Unde à S. Ignatio epist. ad Trallianos, vocatur *primogenitus Satanæ;* ac à S. Augustino, Epiphanio, Philastrio, et aliis qui scribunt de hæresibus, inter hæresiarchas primo loco collocatur. Illo ergo Mago qui cum dæmone rem habebat, duce et chorago glorientur Lutherus, Calvinus, cæterique hæresiarchæ, qui pariter dæmones, partim visibiliter, partim invisibiliter familiares habuerunt, ab eoque sua dogmata hauserunti, uti ostendi 1. Timot. c. 4. 1. Hinc et à priscis hæreticis Simonis asseclis, puta Marco, Menandro, Basilide, Carpocratianis, Gnosticis, cultam fuisse magiam, testatur Irenæus l. 1. c. 8. Epiphan. contra Gnosticos. Tertull. l. de Præscript. æque ac à modernis nostris eadem laudatur et defenditur. Sane Lutherus hæresum hujus ævi pater et princeps, lib. de Missa angulari saxonice scripto, palam profitetur sibi notum et familiarem esse malum spiritum, seque cum eo plus quam modium salis comedisse. Idem refert Jacobus Lingæus in vita Lutheri.

Rursum Nota hic, superbiam esse fontem hæresis, hæc enim Simonem impulit ut talia et tanta de se jactaret, seque faceret Deum. Eadem impulit cæteros hæresiarchas ad comminiscendum novos errores, ut eorum haberentur inventores, in eosque post se ducerent discipulorum agmina. Proprium ergo signum et quasi stigma hæretici, et superbia; æque ac orthodoxi, præsertim doctoris, est humilitas. Hic enim sequitur S. Petrum et Paulum, qui fuerunt humillimi, imo Christum qui *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, id est, non rapuit divinitatem, uti fecit Simon ; *sed semetipsum exinanivit in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Philip. 2. 7. Denique vide hic odium diaboli in Christum et Ecclesiam, et ex adverso Christi virtutem omnia ejus tela superantem. Diabolus enim hostes Christo suscitavit, Annam, Caipham, Scribas et Pharisæos : æmulos vero, Theodam in Judæa, Judam Galilæum in Galilæa, Simonem hunc in Samaria, Apollonium Tyanæum in Asia; sed hos omnes supplantavit sua sapientia, sanctitate et miraculis Christus ejusque Apostoli. Idem respectet vir sanctus et zelosus qui magna molitur, cogitet se diabolum totumque infernum ad duellum provocasse : virtutis enim comes est invidia, tum diaboli, tum hominum malevolorum. Ubi recte advertit Baronius dæmonem esse simiam Christi. Sicut enim Christus primum Apostolorum suorum creavit Simonem, quem deinde vocavit Petrum, ita diabolus primum ei antagonistam, suum pseudoapostolum opposuit Simonem Magum, ideoque Simon Petrus à Christo et Apostolis destinatus est Samariam, ut Simonem Magum profligaret.

Symbol. Simon Magus, puta superbus et insipiens se jactat esse aliquem, cum sit nullus et nihil. Ex adverso humilis et sapiens dicit se esse nullum et nihil, cum per Deum sit omnia. Sapuit hoc prudens Ulysses, qui vocando se Nullum, Cyclopum manus evasit. Nam, ut narrat Homerus Odyss. 9. Ulysses cum sociis captus à Polyphemo, Cyclope, petensque ab ea gratiam libere redeundi in patriam, rogatus à Polyphemo *quod ejus esset nomen?* respondit : οὔτις, id est, *Nullus vocor.* Cui Polyphemus : *Ego*, inquit, *Nullum sociorum suorum ultimum comedam, alios vero prius: hoc nostrum munus habeto.* Ulysses ergo Polyphemum inebriavit, ebriumque exoculavit. Evigilans ille exclamat, advocatque alios Cyclopes

dicens : *Adjuvate, Nullus me per dolum excæcavit.* Cui illi : *Si nullus tibi soli existenti vim affert, morbum magni Jovi non est evitare.* q. d. Si nullus hominum, sed Jupiter te ferit, nolumus contra Jovem pugnare, ut tibi opem feramus. Ita evasit Ulysses tectus pelle arietis. Simili modo humilis Cyclopum, id est dæmonum, manus evadit. Unde S. Antonius cum vidisset totum mundum usque ad cœlum plenum laqueis dæmonum, et anxius rogaret ? *Qui hos láqueos evadet?* audivit : *Humilitas.* Ita S. Athanas. in ejus Vita.

10. HIC EST VIRTUS DEI QUÆ VOCATUR MAGNA.] Tigurina, *iste est potentia Dei illa magna.* q. d. Simon est Dei potentia, non qualis qualis, sed maxima et sublimissima. Unde Theod. l. 1. de Fabulis hæret. asserit Simonem se vocasse infinitam potentiam, id est Deum omnipotentem. Et Clemens Roman. l. 2. Recog. *Excelsum virtutem supra creatorem Deum.* Audi Tertull. lib. de Præscript. c. 46, *Simon Magus*, inquit, *ausus est summam se dicere virtutem, id est, summum Deum : mundum autem ab angelis suis institutum*, etc. *Post hunc Menander, discipulus ipsius, similiter Magus, eadem dicens quæ Simon ipse : quidquid se Simon dixerat, hoc se Menander esse dicebat, negans habere posse quemquam salutem, nisi in nomine suo baptizatus fuisset.* Et Irenæum lib. 1. 20. *Hic* (Simon Magus) *à multis quasi Deus glorificatus est, et docuit semetipsum esse, qui inter Judæos quidem quasi filius Dei apparuerit in Samaria, quasi Pater descenderit, in reliquis vero Gentibus quasi Spiritus sanctus adventarit. Esse autem se sublimissimam virtutem, hoc est, cum qui sit super omnia Pater. Hic Selenem quamdam secum circumducebat, dicens hanc esse primam mentis ejus conceptionem, per quam initio mente concepit Angelos facere et Archangelos*, etc.

Vide hic ingenium hæresiarcharum, nimirum quam carnales sint et mulierosi. Pergit Iren. de Simone docente ; *Cum angeli moderarentur mundum, eo quod unusquisque eorum concupisceret principatum, se venisse ad rerum emendationem, et descendisse transfiguratum et assimulatum virtutibus, et potestatibus, et angelis, ut et in hominibus homo appareret, cum non esset homo, et passum in Judæa putatum, cum non esset passus. Prophetas autem à mundi fabricatoribus angelis inspiratos, dixisse prophetias : quapropter nec ulterius curarent eos hi, qui in eum et Selenem ejus spem habeant, et ut liberos agere quæ velint : secundum enim illius gratiam salvari homines, sed non secundum opera justa.* Hæc fecit post susceptum baptismum, seque pro Christo ipso substituit. Hunc fastum didicit Simon à patre suo diabolo, de quo S. Antonius apud S. Athanas. *Vidi*, inquit, *aliquando diabolum excelsum corpore, qui se Dei virtutem et providentiam ausus est dicere, et ait ad me : Quid vis ut à me tibi donetur Antoni? At ego sputum vi maxima in os ejus ingeminans, totum me Christi nomine armatum in eum ingessi : et statim ille procerus aspectu inter medias manus evolevit.*

11. PROPTER QUOD,] id est, eo quod, propterea quod, patet ex Græco.

12. DE REGNO DEI.] *Regnum Dei*, est Ecclesia tum militans, in qua Deus per gratiam regnat in fidelibus : tum triumphans, in qua Deus in iisdem regnat per gloriam. Utrumque prædicavit Philippus et Apostoli.

IN NOMINE JESU CHRISTI BAPTIZABANTUR.] Ita Romana. q. d. Baptizabantur baptismo, non Joannis, non Pharisæorum, sed Christi, in quo inter cæteras personas S. Trinitatis, invocatur nomen Filii Dei, puta Jesu Christi. Vide dicta c. 2. 38.

Aliter hæc legunt et dispungunt Græci codices moderni, nimirum : *Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei et de nomine Jesu Christi, baptizabantur*, ita Tigur. Pagnin. et alii. Sic quo accipi et dispungi potest nostra versio Latina, si ante *baptizabantur*, ponas comma. Tunc enim erit sensus, q. d. Cum credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, scilicet illud acquirendum esse in nomine, id est per fidem et invocationem nominis Jesu Christi, baptizabantur.

13. CREDIDIT,] ficte, id est, simulavit se credere, tum ne à suis discipulis Philippo credentibus desereretur, tum ut potestatem loquendi variis linguis et faciendi miracula acciperet, sicut videbat eam accepisse Philippum et fideles in baptismo. Audi Euseb. l. 2. Hist. c. 1. *Simon callide se in Christi religionem insinuavit, et usque eo fidem in Christum veteratorie simulavit, quoad baptismatis lavacro tinctus est*, additque idem suo adhuc tempore factitari solitum ab ejus asseclis Simonianis. Hinc S. August. tract. 6. in Joannes ait quod Simon ut corvus ingressus sit in Ecclesiam. Idem censent S. Hieron, scribens in c. 16. Ezech. Iren. 1. c. 20. S. Gregor. in psal. 4. pœn. Ambr. l. 2. de Pœnit. c. 4. Cyrill. Hierosol. catech. 3. Chrysost. hom. 60. ad populum : qui ait, Simonem accessisse ad fidem et Ecclesiam, sicut Judas in ultima cœna accessit ad Eucharistiam.

Nota. Scriptura sæpe loquitur more hominum. iis enim se accommodat : homines autem judicant et loquuntur de rebus et personis prout exterius apparent : interiora enim et arcana cordis perspicere nequeunt. Sic ergo Simon hic dicitur credidisse, quia exterius profitebatur se credere ; esto id fingeret, et revera interius in corde non crederet.

VIRTUTES,] δυνάμεις, id est, opera potentia et miraculosa. Vide dicta c. 2. 22.

ADMIRABATUR.] Tum quia majora faciebat Philippus, quam ipse Simon : tum quia miracula Philippi vera erant et realia ; Simonis autem pleraque erant præstigiæ, quibus oculis hominum illudebat, ut videretur facere quod revera non faciebat : tum denique quia videbat in baptismo Philippi, visibiliter in baptizatos descendere Spiritum sanctum in specie ignis, lingrarum, etc. Quod sane uti novum et divinum, summe erat stupendum et reverendum. Quid enim mirabilius, quid majoris dignationis, quid obtabilius, quam Deum omnipotentem in hominem descendere, in eo inhabitare, loqui, operari?

14. MISERUNT.] Mittitur hic Petrus, non tanquam minor, cui jubeatur ; sed ut caput et superior, qui rogatur, ut hoc iter tam sanctum et arduum, ad Dei gloriam et Ecclesiæ propagationem capessat, quomodo resp. rogat regem, ut proficiscatur ad legationem maximi momenti ; ut cum S. Leo Pontif. ut vobis fidelium satisfaceret, profectus est ad Attilam, ejusque furorem à Romana Ecclesia avertit. Sic Pater misit Filium in mundum, et cum eo misit Spiritum sanctum in Pentecoste ; esto omnes tres personæ in divinis, auctoritate et gloria sint pares. Unde Cajet. *Petrum*, inquit, *Apostoli mittunt, non imperio, sed fraterna charitate ac impulsione, ut multi fra-*

tres mittunt quandoque majorem; et capitulares mittunt Episcopum ad Papam, vel Cæsarem. Porro mittitur Petrus potius quam alius; tum ut quasi pastor Ecclesiæ, in eam gentem exteram recipiat: tum ut quasi caput omnium, Samaritas uniat Judæis, à quibus ante implacabili schismate dissidebant: tum ut se opponat Simoni Mago et primo hæresiarchæ futuro.

15. ORAVERUNT PRO IPSIS.] Ut scilicet ipsi congrue se disponerent ad Sacramentum Confirmationis, utque in eo super eos visibiliter descenderet Spiritus sanctus.

UT ACCIPERENT SPIRITUM SANCTUM.] Puta plenitudinem Spiritus sancti, per signum visibile de quo mox: alioqui enim jam in baptismo, invisibiliter acceperant Spiritum sanctum, per gratiam sanctificantem. Unde sequitur

16. NONDUM ENIM IN QUEMQUAM ILLORUM VENERAT.] Græce ὑπιπέπτωκος, id est, *erat illapsus*, puta per signum visibile: licet enim Spiritus sanctus visibiliter illapsus sit in baptismo super primos credentes, ad primas conciones S. Petri c. 2. 41. et c. 4. 4. atque in Cornelium ejusque familiam, mox ut credidit ante baptismum, c. 10. 44. tamen id non fuit baptismo proprium, ideoque rarum; ac forte concessum dumtaxat S. Petro ob primatus apicem. Unde nec hic in baptismo Samaritarum, nec v. 38. in baptismo Eunuchi, nec alibi legimus in baptismo visibiliter datum fuisse Spiritum sanctum, sed id reservatum est Sacramento Confirmationis, utpote in qua confertur robur et plenitudo Spiritus sancti, ad libere profitendum et præcandum fidem Christi, ut patet v. seq. et c. 19. v. 5. et 6.

Notat Epiphan. l. 1. hæresi 9. Samaritarum hæresim fuisse, non esse Spiritum sanctum, itaque eo mitti Petrum, ut eam evellat, non tam argumentis, quam reipsa per Confirmationis Sacramentum, visibiliter conferendo eis Spiritum sanctum.

17. TUNC IMPONEBANT MANUS SUPER ILLOS.] Conferendo illis sacramentum Confirmationis. Ita passim Doctores contra Calvinum, qui negat Confirmationem esse Sacramentum, aitque hanc manus impositionem fuisse meram orandi pro aliquo cæremoniam. Vide Bellar. de hoc Sacramento. Et patet: quia per hanc manus impositionem accipiebant Spiritum sanctum, qui est effectus Sacramenti.

Nota hic primo, solius Episcopi esse conferre hoc Sacramentum. Unde Philippus Diaconus id non poterat, sed ad hoc vocavit Episcopos, puta Petrum et Joannem. Ita definit Conc. Florent. in formula unionis Armenorum; et Trident. sess. 7. can. 3. In necessitate tamen Summus pontifex potest presbyterum auctorare, facereque ministrum Sacramenti Confirmationis, uti S. Gregorium fecisse legimus l. 4. epist. 33. Vide Franc. Suarez de Sacram. Confirmationis.

Porro in tribus Sacramentis imponitur manus, scilicet in Ordine, Pœnitentia, et Confirmatione; de qua hic agi patet ex eo, quod conferebatur recens baptizatis.

Nota Secundo. Dubium est an Petrus et Johannes hic adhibuerint chrisma, an vero per solam manus impositionem contulerint hoc Sacramentum. Utrumlibet est probabile: nonnulli Doctores propendent in hoc, quod non adhibuerint chrisma, dispensant in hoc Deo, eo quod tunc loco chrismatis esse ipsum visibile signum, per quod illabebatur in confirmandos Spiritus sanctus. Ita S. Thomas, Bonav. Scotus, Durandus, Gabriel, Richardus, Paludan. et Soto in 4. dist. 7. Suarez et alii. Favere videtur Concil. Florent. dum ait Sacramentum Confirmationis successisse loco manus impositionis Apostolicæ.

Verum longue probabilius est, imo quasi certum, nunquam Apostolus hoc Sacramentum sine chrismate exhibuisse, ut docet Hugo de S. Victore l. 2. de Sacram. p. 7. §. 2. et Waldens. tom. 2. c. 113. Et probatur Primo, quia in cæteris Sacramentis non habuerunt istam, neque alia Sacramenta sine sua ordinata materia administraverunt. Secundo, quia nullus veterum dicit illos hoc Sacramentum vario modo administrasse, nempe nunc per solam manus impositionem, nunc per chrismatis unctionem, cum tamen multi dicant illos usos fuisse chrismate, ut S. Dionys. c. 4. Eccl. hier. Clem. Rom. l. 7. Constit. Apostolic. c. 44. Fabianus Papa ep. 2. denique ipse S. Thom. 3. p. q. 72. a. 2. Tertio, quia sub nomine impositionis manuum commodissime simul comprehendimus unctionem, etiamsi non exprimatur, ut docent Hugo et Wald. sup. Nam qui inungit, manus imponit: quia *manus imponere*, phrasi Hebraica significat tangere. Unde Marci 3. 2. cum quidam petissent à Domino, ut lunatico manus imponeret, ipse id fecit digito tangens linguam ejus et aures. Vide Pagninum in verbo סמך *samah*, quod significat ungere, imponere, confirmare, fulcire, stabilire, seu tangere ad fulciendum. Sic dicitur Sap. 8. 12. *Manis ori suo imponent*, id est, apponent. Quarto, quia Patres qui uno loco dicunt Spiritum sanctum dari manus impositione, iidem alio loco dicunt dari unctione chrismatis: tanquam hæc duo pro eodem habentes, vel alterum in altero per compendium intelligentes, ut patet in testimonio Turtull. mox citando, ubi meminit unctionis, signationis et manus impositionis. Idem autem l. 1. contra Marcionem solum exprimit unctionem; Cypr. ep. 70. solum meminit unctionis: ep. autem 72. vocat manuum impositionem; et tamen idem significat. Accedit, quod Apostoli facile potuerint habere oleum et balsamum, utpote quod in Judæa nascitur; illique est proprium: ex oleo autem et balsamo conficitur chrisma. Cur ergo illud à Christo sancitum omisissent, ubi nulla urgebat causa, vel necessitas? Secus est de libro Evangeliorum: hunc enim ad hibere non potuerunt in ordinatione primorum Diaconorum, eo quod ille necdum esset conscriptus. Quinto, quia Patres quando dicunt solos Episcopos dare Spiritum sanctum per unctionem chrismatis, id probant ex hoc loco Act. 8. et 19. ubi soli Apostoli manus imponebant: ergo aperte significant in illa manu impositione fuisse comprehensam chrismatis unctionem. Vide Cyprian. ep. 73. Innoc. ep. 1. et Damas. ep. 4. Sexto, quia familiare est Scripturæ res multas conjungi solitas per compendium perstringere, una tantum expressa, ut Actor. 8. et 19. dicit Lucas Apostolos baptizasse in nomine Christi, relinquens nobis alias personas cointelligendas. Act. 8. dicit Eunuchum à Philippo baptizatum, cum dixisset: *Credo filium Dei esse Jesum;* tamen non est dubitandum, quin de aliis multis fuerit interrogatus Eunuchus.

Dices, Concil. Florent. in instruct. Armen. dicit loco impositionis manuum Apostolorum, dari nunc in Ecclesia Confirmationem; et In

noc. III. c. *cum venisset.* tit *de S. unctione*, dicit per frontis chrismationem designari manus impositionem Apostolorum. Resp. non distinguunt isti ritum à ritu, sed tantum modum loquendi à modo loquendi : nam solum volunt dicere idipsum quod Apostoli faciebant, cum dicebantur manus imponere, nunc facere Episcopos, cum dicuntur confirmare : quod enim tunc vocabatur manus impositio, nunc vocatur Confirmatio ; quamquam sit idem prorsus Sacramentum. Quod hoc velint dicere clarissimum est, si loca inspiciantur : alio quin dicerent tempore Apostolorum non fuisse Sacramentum Confirmationis.

Et accipiebant Spiritum sanctum.] Nam Sacramento Confirmationis datur plenitudo gratiæ acceptæ in baptismo. Unde S. Cypr. epist. 73. ad Jubaianum, illud vocat *signaculum Dominicum quo Christiani consummentur ;* ut qui antea erant fideles, jam fiant milites, athletæ et pugiles Christi. Et S. Melchiades ep. ad Episcop. Hispan. *In Baptismo*, inquit, *regeneramur ad vitam, in Confirmatione armamur ad pugnam.* Et S. Urbanus in ep. Decret. *Omnes*, inquit, *fideles per manuum impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.* Quocirca S. Cornelius Pont. ep. ad Fabianum Antioch. apud Euseb. l. 6. hist. c. 33. agens Novato : *Non fuit*, inquit, *signaculo chrismati consummatus : unde nec Spiritum sanctum potuit promereri.* Et S. Dionys. Eccl. hier. c. 2. p. 3. *Perficiens*, ait, *illa unctio facit perfectum.* Pulchre vero Tertull. l. de Resur. carnis c. 8. paucis totum Sacramenti hujus ritum, puta unctionem, signum crucis, et manus impositionem perstringit : *Caro*, inquit, *ungitur, ut anima consecretur : caro signatur, ut anima muniatur : caro manus impositione adumbratur, ut anima Spiritus illuminetur.*

In Sacramento Confirmationis datur Spiritus sanctus, Primo quia datur augmentum gratiæ acceptæ in baptismo, ac consequenter virtutum omnium. Unde Euseb. Emissen. (vel quisquis est Auctor. certe priscus est et gravis) hom. de Pentecoste, *Spiritus sanctus*, inquit, *qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam.*

Secundo, quia datur in eo plenitudo septem donorum Spiritus sancti, ac præsertim ingens robur ad luctandum cum diabolo. Audi S. Cyprian. (vel quisquis est Auctor.) tract. de Cardinal. Christi operibus : *Hujus unctionis beneficio, et sapientia nobis, et intellectus divinitus datur, consilium et fortitudo cœlitus illabitur ; scientia, et pietas, et timor inspirationibus supernis infunditur. Hoc oleo uncti cum spiritualibus nequitiis colluctamur.* Unde forma Sacramenti Confirmationis est hæc : *Consigno te signo crucis et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Quocirca in historiis legimus, sæpe energumenos in susceptione hujus Sacramenti à dæmone fuisse liberatos. Idipsum quoque testatur Nazianz. orat. in Julian. Lactant. l. 4. c. 27. Prudent. in Apotheosi. Quin et S. Bern. in vita S. Malachiæ, sic scribit de ejus præceptore Malcho Episc. *Puerum mente captum ex his quos lunaticos vocant, inter confirmandum sacra unctione curavit.* Ex adverso Euseb. l. 6. Hist. c. 35. vel juxta aliam editionem 33. scribit, Novatum rejicientem hoc Sacramentum à dæmone fuisse correptum ; et cum esset presbyter, in persecutione præ metu negasse se esse presbyterum. Rursum Gregor. Turon. l. 1. de Gloria Martyr. c. 41. narrat, artes magicas per præsentiam cujusdam Christiani qui chrismate confirmatus erat, fuisse irritatas et discussas.

Tertio, datur animus et fortitudo ad intrepide profitendam fidem, præsertim in persecutione et martyrio. Unde ejus virtute Martyres de tyrannis, tormentis et morte triumpharunt : qua de re inter alias illustre est exemplum Aproniani, qui cum esset commentariensis, et Sisinnium Diaconum præsidit examinandum sisteret, vocem è cœlo audivit : *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est à constitutione mundi*, qua voce conversus, à Sisinnio baptizatus, et à Marcello Papa confirmatus, ad martyrium vocatus, fortiter ejus agonem obiit, uti habent ejus acta apud Surium 16. Januarii. S. Bonifacius Germanorum Apostolus in Frisia, dum à se baptizatos Confirmationis Sacramento munire parat à Frisiis trucidatus, ejus fidem prior ipse eo confirmatus, suo sanguine confirmavit. Ita habet ejus Vita apud Surium die 5. Junii.

Quarto, sæpe Deus per hoc Sacramentum patravit miracula, quæ sunt opera Spiritus sancti et gratiæ gratis datæ. Præter ea quæ jam recensui, S. Rembertus secundus Bremensis Archiepiscopus, ante annos 800. cum in Sueciam profectus esset et ibi Pontificiali more sacro chrismate cæcum inunxisset, illi visum restituit. Ita habet ejus Vita apud Surium 4. Februarii.

Sic et Faro Meldensis Episcopus puerum cæcum confirmans illuminavit, ut habet ejus Vita apud Surium 5. Octobris.

Memorabile est quod scribit Optatus Milevit. l. 2. contra Donatistas, nimirum ampullam sacri chrismatis à Donatistis impie violatam, et per fenestram præcipitatam, ab angelis fuisse exceptam, ne frangeretur aut læderetur.

Fideles ergo mature curent suos filios confirmari, ut hæc Spiritus sancti dona percipiant : Episcopi vicissim diligentes sunt, ut illud suis impertiant, illoque suas, imo Christi oves obsignent et confirment. Celebre est exemplum S. Maurilii Episcopi Andegavensis, qui vocatus ad quemdam puerum moribundum confirmandum, paululum tardans reperit puerum jam defunctum. Quare hanc suam, ut ipse dicebat, negligentiam multis annis luxit, ac relicto episcopatu, secreto fugiens longam et molestam peregrinationem suscepit, uti refert Venantius Fortunatus in ejus Vita.

18. Cum vidisset.] Recte hinc infert S. Chrysost. visibili signo, puta ignis, linguarum igearum, columbæ, aut quo simili tunc in fideles confirmatos descendisse Spiritum sanctum : unde et visibiles, id est sensibiles, ejus affectus emanabant, ut quod loquerentur variis linguis, quod prophetarent, quod jubilarent, psallerent, concionarentur supra captum hominum, quasi enthusiasmo Spiritus sancti acti et impulsi. Quocirca Simon Magus pecunia voluit idipsum emere ab Apostolis, scilicet ut non tantum ipse reciperet Spiritum sanctum, sed ut et aliis quoque eumdem communicare, imo vendere posset, longe utique majori tum pecuniæ, tum honoris et gloriæ pretio. Ita OEcum. et S. Cyprian. serm. de jejunio et tentatione. Multi enim ingens ei de-

dissent pretium, si per impositionem manus conferendo Spiritum sanctum, contulisset pariter ipsis donum loquendi variis linguis, revelandi arcana et futura, explicandi S. Scripturam (hæc enim multi ambiunt magnique æstimant) uti faciebant Apostoli.

Hinc sequitur Simonem saltem implicite (forte etiam explicite) ambivisse et voluisse emere Episcopatum : quia solorum Episcoporum est imponere manus, et hac impositione conferre Spiritum sanctum in Sacramento Confirmationis et Ordinis; hanc autem potestatem conferendi Spiritum sanctum emere volebat Simon. Rursum cupiebat superbus Simon inter suos Samaritas excellere et eminere quasi propheta et vir divinus, uti hactenus per magicas artes excelluerat. Quare videtur voluisse à S. Petro creari Hierarcha et Episcopus Samariæ : unde ab eo hodie qui emunt episcopatus et beneficia, vocantur Simoniani vel Simoniaci. Ita Bellar. l. 4. de Notis Eccles. cap. 13. *Constat*, ait, ex *Act.* 8. *Simonem Episcopalem auctoritatem ambivisse, et data pecunia emere voluisse : ubi vero exclusus fuit, hæresim novam excogitasse, ut qui in Ecclesia non poterat, saltem extra eam principatum gereret.* Simili enim modo Arrius, valentinus, Marcion, Montanus, Novatianus, Lutherus, cæterique hæresiarchæ, quia ab episcopatu, similive officio et gradu, quem ambiebant, repulsi sunt, nova dogmata et hæreses adinvenerunt, novasque cathedras extra Ecclesiam sibi erexerunt, uti ostendam 2. Petr. 2.

En tibi primum post promulgatum Evangelium (nam ante illud simoniaci fuerunt, Balaam, pretio volens vendere sua oracula, benedictiones et maledictiones. Num 22. 7. et Esau, vendens jus primogenituræ, eique annexum sacerdotium fratri Jacobo Heb. 12. 16. et Giezi, à Naaman exigens pretium miraculosæ curationis à lepra, 4. Reg. 5. 20 et Jason, emens ab Antiocho pontificatum, 2. Mach. 4. 8. æque ac Annas et Caiphas, eumdem redimentes à Romanis) simoniæ parentem : en primum sacrilegum Spiritus sancti institorem, Simonem Magum. Tradit S. Clem. l. 6. Const. c. 7. diaboli concilium fuisse per Simonem Apostolos, *pecunia delinitos et captos, dono Dei privare; sicut Adamum post degustatum cibum interdictum, promissa immortalitate privarat.* Recte nota Tharasius 1. q. 1. c. *eos qui*, pejorem esse simoniam hæresi Macedonianorum, *Illi enim*, inquit, *creaturam, et servum Dei Patris et Filii, Spiritum S. delirando fatentur : isti vero eumdem Spiritum efficiunt suum servum*, imo quasi pecus et peculium à se emptum, quod aliis divendere ad libitum possint.

Quocirca simonia proprie est peccatum contra Spiritum sanctum. Hinc refert Petr. Damiani ep. 5. c. 7. simoniacum quemdam scelus suum parvi pendentem, jussum pronuntiare doxologiam S. Trinitatis : *Gloria Patri et Filio, et Spiritui sancto*, nequivisse dicere, *Et Spiritui sancto;* sed tantum, *Gloria Patri et Filio*, etiamsi secundo et tertio idem interando, conatus fuisset addere, *Et Spiritui Sancto*, sed frustra. Nam, ut subjicit Damianus : *Merito Spiritum sanctum dum emit, amisit, ut qui exclusus erat ab anima, procul etiam etiam consequenter esset à lingua.*

Porro Urbanus II. Pont. anno Domini 1099. ut grassantem illo sæculo simoniæ pestem reprimeret, contra eam scripsit epistolam decretalem, ad Lucium præpositum S. Juventii apud Ticinum, qua inter alia docet, simoniam esse emere vel vendere beneficium Ecclesiasticum, aut aliam rem sacram, eo quod Simon idem hic fecerit. Audi eum : *Objicitur, utrum vendere Ecclesiasticam rem, simoniacum sit? Hoc simoniacum esse patenter colligitur ex hoc; quod beatus Petrus Apostolus ait Simoni : Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possideri. Donum quippe Dei est Spiritus sanctus, et donum Dei est res ipsius Ecclesiæ oblata. Et si bene advertis, Simon Magus qui ficte ad fidem accessit, non Spiritum sanctum, propter spiritum sanctum quo ipse indignus erat (quoniam scriptum est : Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum) sed ideo quantum in ipso est emere voluit, ut ex venditione signorum, quæ per eumdem fiebant, multiplicatam pecuniam quam obtulerat, lucraretur. Nec Apostolus emptionem Spiritus sancti, quam benenoverat fieri non posse, sed ambitionem tali quæstus, id est avaritiam, quæ est idolorum servitus, in eodem Simone exhorruit, et maledictionis jaculo perculit. Quisquis itaque res Ecclesiasticas, quæ Dei dona sunt, quoniam à Deo fidelibus, et à fidelibus Deo donantur, quæque ab eodem gratis accipiuntur et ideo gratis dari debent, propter sua lucra vendit vel emit, cum eodem Simone donum Dei pecunia possideri existimat*, etc., *cum principalis intentio Simonis fuerit, sola pecuniæ avaritia, id est idololatria, ut ait Apostolus Paulus.*

Hinc rursum Henricus II. Imp. anno Domini 1047. ob simoniæ labem à Spiritu sancto desertus professus est se toto triduo dæmones infestos vidisse, flammam in se per fistulam jaculantes, adeo pertinacem, ut noster ignis in comparatione illius jocus putetur, et nihil calere; sed liberatum fuisse à juvene seminstulato, scilicet à S. Laurentio cujus Ecclesiam restauraverat. Ita ex Wilhelmo Malmesburensi et Matthæo Westmonasteriensi refert Baron. tom. 11. anno Christi 1047.

20. PECUNIA TUA TECUM SIT IN PERDITIONEM.] Maledicit hic Petrus Simoni, ex zelo justitiæ non vindictæ tanquam judex vindexque sceleris, puta simoniæ, ad cæterorum exemplum et terrorem. Ex charitate ergo id fecit, et studio religionis, ut primi Christiani discerent, quantum esset Simonis et Simoniæ flagitium. q. d. Pereas et damneris ô sacrilege, cum tuis nummis sacrilegis. Justam enim in scelus profert sententiam, eique debitam pœnam irrogat, subaudi. Nisi pœnitentiam agas, teque emendes. Unde paulo post ad illam eum hortatur dicens *Pœnitentiam itaque age.* Magis ergo minando, quam feriendo id dicit. q. d. Dignus es qui pereas morte præsenti et æterna : minor tibi, et ex parte Dei denuntio, te periturum iturumque in gehennam, nisi ab hoc crimine resipiscas. Alioqui enim si absoluta et efficax fuisset hæc Petri sententia. Non autem comminatoria, utique subito occidisset Simonem, eumque trusisset in tartara, uti occidit Ananiam et Sapphiram c. 5. qui tamen longe minus peccarant quam Simon. Sed voluit Deus servari Simonem, ad majores sancti Petri cum eo Romæ coram Nerone agones et triumphos.

Addit Beda et Glossa, hæc verba Petri non tam esse imprecationem, quam prophetiam et prædictionem, quod scilicet Simon in hoc suo scelere aliisque esset periturus et damnandus; esto ex officio suo hortetur eum ad pœnitentiam. v. 22. Sic maledicit Psaltes impiis ex eodem zelo

psal. 68. *Deleantur de libro viventium.* Sic et iisdem maledicit Christus, non minando, sed feriendo in die judicii; dicendo: *Item maledicti in ignem æternum.* Porro maledicit Petrus non tantum Simoni, sed et ejus pecuniæ, non qua pecunia est; sic enim est Dei creatura, et consequenter res bona; sed quatenus pretium erat simoniæ, et sceleris materia. Sic enim pecunia hæc erat impia et sacrilega, dignaque perire, æque ac impius et sacrilegus ejus nundinator Simon. Unde S. Hieron. in c. 3. Michææ: *Oblatam,* inquit, *pecuniam cum offerente damnavit.* Et S. Chrysost. sic explicat. q. d. *Peccatum tuum sit in perditionem.* Et S. Bernard, ep. 237. citatis hisce Petri verbis, exclamans ait: *O vox tonitrui, ô vox magnificentiæ et virtutis, ad cujus terrorem, confundantur et convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion!* Vide de maledictione et quomodo creaturæ maledicere liceat, disserentem S. Thomam 2. 2. q. 76.

Narrat Baron. anno Christi 1047. (quo sæculo ob tres pseudopontifices valde grassata est simonia; cui proinde præ aliis valide se opposuit B. Petrus Damiani) ex Desiderio Abbate Cassinensi, episcopum quemdam Galliæ à Leone IX. Pontifice à sacris suspensum, furtim data pecunia à Cancellario Leonis absolutionem et restitutionem officii Episcopalis impetrasse. Intellecta fraude Leo, vocato presbytero qui pecuniam nomine Episcopi dederat, ait: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei furtim tentasti pecuniis possidere.* Cujus sermonem divina mox ultio est secuta, ita ut amissa mente ab illa die usque nunc, inquit Auctor, ubique vagabundus incedat, nec ulla domus, vel claustra, ultra duos dies vel tres cum retinere valeat.

Quoniam donum Dei.] Nomen proprium Spiritui sancto est quod sit donum, quia ipse est donum primum increatum et notionale: procedit enim à Patre et Filio quasi amor utriusque: amor autem est primum optimumque donantis donum, quo gaudet ille cui donatur, et à quo cætera dona largiter profluunt, eoque largius quo major est amor. Ita ex S. August. S. Thom. 1. p. qu. 38 a ult. ibique Scholastici ad unum omnes. Simon ergo volebat emere Spiritum sanctum, ut eum aliis venderet, puta dona et gratias Spiritus sancti, non tam gratum facientes, quam gratis datas: hæ enim ostentationem, gloriam et quæstum apud homines pariunt; quales sunt, loqui linguis, prophetare, morbos curare, etc. Ita Urbanus II. cujus verba paulo ante recitavi.

21. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto,] id est, in re ista; Tigurin. vertit, *in hoc negotio:* puta in receptione et donatione Spiritus sancti. Est metonymia. *Sermo* enim ponitur pro re, quam suo sermone expresserat Simon, æque ac Petrus. Syrus legit, *non est tibi pars, nec sors in fide ista*; Clemens lib. 6. Constit. c. 7. *Non est tibi pars in sermone hoc, neque sors in fide hac.* Sic quoque legunt S. August. tract. 6. in Joan. et Ambr. l. 2. de Pœnit. c. 4. q. d. Tu non habes fidem veram Christi, sed fingis te eam habere, ac proinde Christianæ religionis et Ecclesiæ non es particeps, atque consequenter Spiritus sancti non es capax.

Rursum Vatabl. proprie accipit *sermonem* pro prædicatione. q. d. Prædicatio nostra nihil ad te pertinet: neque enim es ex eorum numero, qui revera credunt, vel, non es dignus qui admittaris in consortium Evangelistarum, quorum est conferre Spiritum sanctum.

Addunt aliqui S. Petrum hac voce Simonem expulisse ex Ecclesia, ideoque Jure Canonico simoniacos excommunicari. ita Turrien. in l. 1. Constit. c. 11. Quin et S. Petrus in Canon. Apost. can. 28. *Si quis*, ait, *Presbyter*, etc., *per pecuniam hanc obtinuerit dignitatem*, etc., *à communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon Magus à me Petro abscissus est.* Memorabile est quod scribit S. Hieron. in vita S. Hilarionis, nimirum eum cum plurimos miraculose curaret, nihil unquam ab eis oblatum gratitudinis ergo voluisse recipere, illudque Christi obtendisse: *Gratis accepistis, gratis date.* Cumque Orionus vir primarius, quem à legione dæmonum liberaverat, veniret ad eum quasi gratiam redditurus, dona afferens dixit ei Sanctus: *Non legisti quid Giezi, quid Simon passi sint, quorum alter accepit pretium, alter obtulit ut ille venderet gratiam Spiritus sancti, hic mercaretur? Cumque Orionus fluens diceret: Accipe, et da pauperibus, respondit: Tu melius potes tua distribuere, qui per urbes ambulas, et nosti pauperes: ego qui mea reliqui cur aliena appetam? Tristi autem et in terra jacenti: Noli, inquit, contristari fili: quod facio, pro me et pro te facio. Si enim hæc accepero, et ego offendam Deum, et ad te legio revertetur.* Disce hic, quam Deus velit sua gratis dari Sanctosque, præsertim thaumaturgos, ab avaritia esse puros, et ab acceptione munerum esse liberos.

Cor enim tuum non est rectum coram Deo,] quia distortum per avaritiam et ambitionem, et fictum per hypocrisin.

22. Si forte remittatur.] Dices, ergone dubitat Petrus num Simoni, si vere pœniteat, remittendum sit peccatum? Resp. nequaquam. Nam Primo, τὸ *forte* non est dubitantis, sed potius expletiva confirmantis particula: græce enim est ἆρα, quod non tantum *forte*, sed et *utique*, *sane profecto* significat, estque sæpe expletiva particula apud Homerum, ut notat Gaza l. 2. Grammat. Sic Christus ait Matth. 11. 23. *Si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te* (ô Capharnaum) *forte mansissent usque in hanc diem;* ubi τὸ *forte*, non est dubitantis (sciebat enim determinate Christus, quid in hoc casu futurum fuisset) sed confirmantis: græce enim est ἂν, id est, *utique.* Pluribus exemplis id demonstat S. Ambros. l. 2. de Pœnit. c. 4. et 5. ubi docet, nullum esse tam grave peccatum, quod pœnitentia non deleat. Secundo, τὸ *forte* significat dubium eventum et effectum remissionis, ex dubia causa: licet enim certum esset quod Simon, si ageret pœnitentiam, veniam consequeretur, tamen quia anceps et incertum erat, an esset acturus pœnitentiam, hinc pariter anceps et incertum erat, an veniam consequeretur. Liberi enim erat arbitrii, ex eoque libere poterat pœnitere, vel non pœnitere: ac videtur Petrus per τὸ *forte* hic innuere, quod non esset acturus pœnitentiam, ac proinde veniam non consecuturus, uti revera non egit, nec consecutus est. Sic *forte* Latine usurpant in rebus quæ evenerunt, sed incerta de causa, *forte* enim idem est quod contingenter, casu, et velut per sortem. Sic Terentius in Andria: *Forte*, inquit, *aspicio militem, aggredior hominem.* Et Livius l. 1. *Forte evenit.* Et infra: *Forte ita acciderat.* Tertio, τὸ *forte* significat fortuitam remissionem

non culpæ, si pœniteat, sed pœnæ, v. g. mortis temporalis : Deus enim sæpe pœnitentibus licet condonet culpam, non tamen condonat pœnam, ut patuit in Davide pœnitente, 2. Reg. 12. 14. *Non morieris, verumtamen*, etc., *filius qui natus est tibi, morte morietur.* Simile fuit in Ninivitis, quibus intonabat Jonas : *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur*, egerunt enim pœnitentiam, etsi non essent certi se per eam evasuros excidium. Unde S. August. in psal. 50. 8. *Ninivitæ*, inquit, *de incerto egerunt pœnitentiam, et certam misericordiam invenerunt.*

Cogitatio,] ἐπίνοια, id est, *consilium, conceptus, excogitatio, machinatio ;* Syrus, *dolus.*

23. In felle enim amaritudinis.] Id est, in felle amarissimo. Jam Primo, per hoc *fel* accipi potest ira et invidia : iræ enim sedes et materia est fel. q. d. Video te vehementer iratum, esse amaro et invido corde, eo quod videas te à tuis despici, tuosque discipulos à te ad nos transire : invides ergo nobis excellentiam, tum gratiarum, tum auctoritatis et æstimationis. Ita Vatabl.

Secundo, per *fel* hoc accipi potest hypocrisis. Sicut enim fel colore est simile melli, sed sapore dissimillimum ; ita hypocritæ os habent melleum, sed felleum cor. q. d. Tu simulas bonitatem, et ambis columbam fellis expertum, id est, Spiritum sanctum suavissimum, ejusque dona ; at intus plenus et malitia et impietate : os ergo habes melleum et columbinum, sed cor felleum et serpentinum.

Tertio, per *fel*, accipi potest simonia : hoc enim fuit proprium Simonis peccatum. Simonia enim vocatur fel, quia ipsa est sacrilegium felleum, id est, pessimum et amarissimum. Porro Simon videtur non tantum voluisse emere et vendere Spiritum sanctum, sed et pertinaciter sensisse hoc esse licitum, quæ est hæresis. Fuit ergo ipse hæreticus, ut habetur 1. q. 5. can. *Petrus.* Hæresis ergo est fel amaritudinis.

Quarto, *fel* significat quodlibet peccatum, quod amaricat conscientiam, et exacerbat Deum ac Spiritum sanctum, qui totus suavis est et melleus. Hinc in Scriptura peccatores dicuntur Deum suis peccatis exacerbare, amaricare, potare felle et aceto : ut patet psal. 68. 22. Osee 12. 14. et Deuter. 32. 32. et maxime Deuter. 29. 18. *Ne forte*, etc., *sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem*, quo hic alludit S. Petrus. Hujus rei symbolo Judæi fellei, Christo in cruce propinarunt fel et myrrham, Matth. 27. 31. Peccator ergo habet cor felleum ; id est, pessime affectum erga Deum, erga legem, erga virtutem et honestatem : hæc enim omnia odit.

Nota. Pro *fel*, locis citatis hebr. est ראש *ros*, quod tam toxicum, quam fel significat. Peccatum ergo est fel et toxicum. Primo, occidens ipsam animam, quæ pecca. Nam *anima quæ peccaverit, ipsa morietur*, Ezech. 28. 20. Secundo, Deo et hominibus noxium, invisum et exosum, adeoque est Deicidium et Christicidium. Si enim veneno, vel telo aliquo perimi et occidi posset Deus, non alio quam peccato occideretur, uti de facto eodem occisus est Christus. Hinc vicissim Deus peccatis et peccatoribus erga se felleis, est felleus, eisque fel iræ et vindictæ suæ propinat, juxta illud Job 20. 14. *Panis ejus in utero illius vertetur in fel aspidum.* Et Jerem. 8. 14. *Potum dedit nobis aquam fellis.* Et c. 23. 15. *Cibabo eos absinthio, et potabo eos felle.* Et Thren. 3. 5. *Circumdedit me felle et labore.* Hoc fel gehennæ longe amarius est omni felle terræ, quod ejus respectu pictum tantum est et fictum. Cogitent hoc fel gulosi et peccatores, qui hic cupiditatis suæ exiguum mel sorbent, dicantque, Tanti pœnitere non emo, non ita demens ero, ut modico melle æternum et amarissimum fel mihi accersam.

Denique pro *in felle amaritudinis*, græce est, εἰς χολὴν πικρίας, id est *in fel acerbitatis video te esse : in fel*, id est in felle, ut vertit Noster. Sæpe enim εἰς ponitur pro ἐν, utrumque enim respondet Hebræo *beth*, id est *in ;* nisi subaudias τρέχοντα, id est *currentem*, vel *ruentem.* Unde noster Lorinus suspicatur, Petrum per revelationem Dei vidisse et cognovisse Simonem fore reprobum ; et addicendum pœnis æternis, utpote in quas hoc suo scelerum felle sponte rueret, quæque sunt fel omnis amaritudinis. Unde et subdit ;

Et obligatione iniquitatis.] Græce εἰς συνδεσμὸν, id est, *in colligatione.* q. d. Video te multis peccatis, quasi funibus et catenis, undique colligatum esse. Syrus, *in vinculis iniquitatis te esse video.* Significat Simonem multis peccatis obstrictum, in iisque obstinatum esse ; scilicet immersum esse superbiæ, avaritiæ, invidiæ, magiæ, hypocrisi, simoniæ, sacrilegio, etc. Talibus intonat Isaias c. 5. 18. *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum.* Vide ibi dicta. Ecce quam acri censura simonia in suo auctore, Simone, à S. Petro perstricta est et damnata : quam proinde concionatores in ejus asseclas, puta simoniacos, pari ratione et jure intorqueant. Denique noster Mariana per *fel* et *obligationem iniquitatis*, accipit pœnam, non culpam. q. d. Video te felli et obligationi, id est gravi supplicio et vinculis, destinari : quia enim irretitus es peccatis, hinc video quod te maneat fel et supplicium.

24. Precamini.] Simon fingit se pœnitere, ut pœnam evadat : timebat enim ne morte mulctaretur, uti Ananias mulctatus erat ab eodem Petro, quem in signis terribilem et thaumaturgum videbat, et metuebat. Nam post discessum Apostolorum multos Samaritanos seduxit, et à fide Christi avertit, uti indicat Irenæus l. 1. c. 20. Refert S. Clem. l. 6. Constit. c. 7. S. Petrum rursum cum Simone Cæsareæ congressum, eum disputando convicisse, ac ad fugam in Italiam coegisse. Inde ergo proficiscens Petrum prævenit, et Neronem circumvenit, cui ob suas præstigias in admiratione fuit, adeo ut illi in insula Tiberina, ubi nunc est templum S. Bartholomæi, statua posita fuerit hoc titulo : *Simoni Deo sancto*, teste Eusebio l. 2. Hist. c. 13. Sed tandem certans cum S. Petro, et volans per aera, ejus precibus dejectus et ad saxum afflictus ; crura confregit, teste Epiph. hær. 22. Qua de causa Nero ægre ferens, suas in Simone curiosas delicias sibi ereptas, S. Petrum cum S. Paulo morte damnavit, uti habent ejus Acta.

25. Et illi quidem testificati,] διαμαρτυράμενοι, id est, suo testimonio confirmantes ea quæ de Christo prædicata fuerant à Philippo, dicendo, se eadem vidisse et audisse à Christo, esseque testes non tantum auritos, sed et oculatos. Sic in judicio et tribunali διαμαρτύρων dicebatur is, qui affirmabat et testificabatur quiddam, non

in sua, sed in aliena causa, in qua exceptionem intendens liti se offerebat, quo facto litem suam faciebat testificando, qui si mendacii convinceretur, ψευδομαρτυριῶν, id est falsi testimonii, crimine damnabatur, ait Budæus in Comment.

Et multis regionibus.] Græce, κώμας, id est, *oppidis, villis castellis;* Syrus, *pagis;* Pagnin. *vicis:* nec enim in Samaria erant multæ regiones, id est, provinciæ; sed ipsa unica erat regio integra, sive provincia. Apostolicum ergo est evangelizando obire pagos et villas, et rusticos docere res fidei et salutis. Id enim fecerunt hic S. Petrus et Joannes, imo Christus, dicens: *Pauperes evangelizantur*, uti recte advertit S. Chrysost.

26. Vade contra meridianum.] Vade versus meridiem, ita Tigurin. et Pagnin. Samaria enim, unde veniebat Philippus, erat ad Septentrionem Gazæ.

Hæc est deserta.] *Hæc*, scilicet non via, ut vertit Syrus; sed urbs Gaza. Addit hoc Lucas ad distinctionem. Duplex enim fuit Gaza: una in Perside, ita dicta, quod in ea, utpote munitissima, Cambyses omnes suas opes congesserat, ait Curtius l. 13. altera Philistinorum, quæ plane eversa et vastata fuit ab Alexandro Magno, teste Curtio l. 4. ideoque vocatur *Deserta.* Ita Beda, Hugo, Cajet. Gagneius et alii: Perperam ergo Beza putat τὸ *hæc est deserta*, irrepsisse in textum, esseque delendum: unam enim tantum esse Gazam, scilicet quintam Satrapiam Philistinorum, quæ nunquam plane fuerit deleta, ut dici possit deserta. Hoc enim falsum est. Audi Adricomium in Descriptione terræ Sanctæ, in Gaza. Alexander Magnus statim atque Tyrum expugnavit, Gazam post bimestrem obsidionem occupans, in sempiternum vertit tumulum: unde ob id deserta appellatur. Nova vero Gaza non longe à veteri ædificata, tempore Machabæorum, Josephi et Hieronymi magnopere floruit: unde juxta eam vixit S. Hilarion; sicut olim et Samson in Gaza veteri; mirum sui roboris decus, vivens, auferendo ejus portas; et moriens collisione columnarum domum cum tribus hominum millibus evertens et occidens, ostendit, Judic. 16. 21. et 29. Quæ, qualis, et quanta fuerit Gaza, dixi Jer. 47. 1.

27. Æthiops.] Abyssinus; ubi nunc regnat Preto Joannes. Unde liquet eum fuisse Gentilem genere, an etiam religione, dubium est Affirmat Beda, Hugo, Cajet. noster Lorinus et Sanchez. Verius negant Iren. l. 4. c. 40. Baron. Carthus. et alii, censentque eum religione fuisse Judæum, puta proselytum; tum quia legebat Isaiam: tum quia venerat adorare in Jerusalem: tum quia primo Gentili, puta Cornelio Centurioni, Evangelium prædicavit S. Petrus Act. 10. tum quia magna fuit Æthiopibus cum Judæis familiaritas, et in religione consensio, teste Strabone l. 17. Unde et circumcidebantur, æque ac Judæi teste Josepho l. 8. c. 4. præsertim quia reges Æthiopiæ scribunt se filios Salomonis et Davidis, utpote prognatos à regina Saba ex Salomone, uti fuse narrat Damianus Goes libro de Moribus Æthiopum.

Hic adimpletum est illud psal. 67. 32. *Æthiopia prævenict manus ejus Deo: prævenict*, id est, prima veniet, prima extendet, *manus ejus*, id est, suas (ut patet ex Hebræo) *Deo*, scilicet ad fidem, obedientiam, fœdus et munera ei offerenda. Unde S. Hieron. vertit, *Æthiopia festinet dare manus Deo*, Pagnin. *currere faciet manus suas Deo.*

Mystice, S. Aug. credendo *prævenict manus*, id est, opera sua; fides enim præcedit bona opera. Per hunc enim Æthiopem principem, æque ac paulo post per S. Matthæum Apostolum eodem missum, Æthiopia fidem Christi recepit. Ita S. Hilar. Basil. et alii in psalmum 67. ac S. Hieron. in Abdiam.

Eunuchus.] Id est, princeps, reginæ et gynæcei custos: quia enim feminarum regiarum pudicitia commendabatur eunuchis, hinc illi effecti sunt aulæ principes, adeo ut eunuchus idem fuerit quod princeps, ut dixi Daniel c. 1. Nam, teste Aristotele, cum cætera animalia mansuescant si castrentur, solus homo eo fit ferocior. Unde Euthym. in psalm. 167. scribit, hunc Eunuchum in imperio Æthiopiæ, post reginam fuisse primum.

Candaces.] Nazian. orat in S. Baptisma, et Euthym. in Psalm. 67. censent, hoc esse nomen Eunuchi. Verum alii omnes censent, esse nomen reginæ Æthiopum: nam hi regebantur à feminis quasi reginis, quas Candaces nuncupabant. Ita Plinius. l. 6. c. 29. Strabo l. 17. et Euseb. l. 2. Histor. c. 1. Post reginam enim Saba quæ venit ad Salomonem, videtur receptum ut reginæ regnarent, ait Mariana. Sic Pharao, et postea Ptolemæus, fuit commune nomen regum Ægypti; Antiochus, regum Syriæ; Cæsar, Imperatorum Rom. Tradunt Æthiopes, hanc Candacem, sive reginam Æthiopiæ, vocatam fuisse Indich, eamque ab Eunucho conversam ad Christum, convertisse pariter Æthiopiam. Sic enim ajunt apud Damianum Goes c. 16. de Æthiopum moribus: *Nos ferme prius cæteris Christianis omnibus, baptismum ab Eunucho Candacis reginæ Æthiopiæ, cui nomen erat Indich, accepimus.* Idem refert Ortelius in Theatro orbis, in Abyssia, qui pro *Indich*, ait eam vocatam *Judith.*

Qui erat super omnes gazas ejus.] qui præerat thesauro regio, quasi reginæ thesaurarius, sicut Romæ dignitas erat quæsturæ et quæstorum, qui præerant thesauro reipublicæ.

Venerat adorare in Jerusalem.]Scilicet Deum verum Judæorum, tum proprie dicta oratione et adoratione, tum sacrificio. Hoc enim ex legis præscripto nullibi peragi poterat, nisi in templo Hierosolymitano; cum oratio et adoratio in Æthiopia et quovis alio loco fieri posset. Sic *adorare* sumitur pro sacrificare, Joannis 4. 20. *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis, quia Hierosolymis est locus ubi adorare oportet.* Simile est Joan. 12. 20. Sophon. 2. 11. et alibi.

28. Legensque Isaiam Prophetam.] Videtur ergo caluisse linguam Hebraicam, ait Hugo et Glossa, quasi Proselytus; nisi dicas Isaiam fuisse conversum in linguam Æthiopicam. Notat S. Chrys. diligentiam et devotionem hujus Eunuchi, qui etiam per iter in curru lectitarit Isaiam. Et S. Hieron. ep. 103. ad Paulinum: *Reliquit*, inquit, *aulam regiam, et tantus amator legis divinæque scientiæ fuit, ut etiam in vehiculo sacras Litteras legeret.* Sic hoc sæculo Cardinal. Hosius Concilii Tridentini Præses, ne quid temporis in itinere perderet, solebat in curru lectitare, ac nominatim lectitabat paraphrasim Osorii in Isaiam; quæ tunc recens prodierat, ait Protonotarius Reschius in ejus vita.

29. DIXIT AUTEM SPIRITUS PHILIPPO.] Scilicet Spiritus sanctus per internam inspirationem et locutionem. Ita Beda, Hugo et Dionys. licet Cajetan. et noster Lorinus accipiant angelum. Hic enim vocatur Spiritus Domini v. 39.

31. QUOMODO POSSUM, SI NON ALIQUIS OSTENDERIT MIHI?] Græce ὁδήγησει, id est *duæ viæ mihi fuerit*, ut vertit Pagnin. et Tigurina. Ergo verba intelligebat, non sensum abditum, cujus ducem et interpretem postulat. Notent hoc hæretici, qui sacram Scripturam intellectu facilem et cuilibet apertam pronuntiant. Audiant S. Hieron. ep. 103. jam citata: *Nec sanctior sum hoc Eunucho, nec studiosior, qui*, etc. *ignorabat eum, quem in libro nesciens venerabatur. Venit Philippus, ostendit ei Jesum, qui clausus latebat in littera*, etc., *ut intelligeres te in Scripturis sanctis, sine prævio et monstrante semitam non posse ingredi.* Idem senserunt et fecerunt S. Basil. et S. Nazianz. apud Ruffinum l. 11. Histor. c. 9. Et S. Aug. ep. 119. c. 21. *In ipsis*, ait, *S. Scripturis multo nescio plura, quam scio.* Idem l. 12. Confess. c. 14. *Mira*, ait, *profunditas eloquiorum tuorum, Deus meus, mira profunditas; horror est intendere in eam, horror honoris, et tremor amoris.* S. Ambros. ep. 44. ad Constant. *Mare*, inquit, *est in se scriptura divina, habens in se sensus profundos, altitudinem Propheticorum ænigmatum.* Quocirca S. Hieron. præfat. in epist. ad Ephes. *Nunquam*, ait, *ab adolescentia aut legere, aut doctos viros quæ nesciebam interrogare cessavi, aut me ipsum habui magistrum. Denique nuper Alexandriam perrexi, ut viderem Didymum, et ab eo in Scripturis omnibus quæ habebam dubia sciscitarer.* Idem dicunt alii, quos citavi Proœmio in Pentateuchum.

32. LOCUS AUTEM SCRIPTURÆ.] Direxit Spiritus sanctus oculos Eunuchi in c. 53. Isaiæ, quod totum est de Christo ejusque passione, ut ex eo, explicante Philippo, Christum agnosceret, in eumque crederet. Unde discimus, quam utile sit legere libros pios præsertim S. Scripturam. Huic enim lectioni interserit se Spiritus sanctus eorum auctor, piasque rerum lectarum cogitationes intellectui, et affectiones voluntati instillat, quibus homo convertatur, vel ad majorem sanctitatem provehatur. Ita ex lectione vitæ S. Antonii, conversi sunt duo illi aulici Imper. ipseque S. August. uti ipse refert l. 8. Confess. c. 6. et 7. Imo cum S. Athanasius fugiens Arrianos, vitam S. Antonii à se scriptam Romam detulisset, eamque legendam dedisset, multi Romani nobiles, viri et feminæ, spreto mundo vitam religiosam instar S. Antonii amplexi sunt: quorum dux fuit S. Marcella, teste S. Hieron. in ejus Epitaphio epist. 16. ad Principiam ejus filiam. Sic Societatis nostræ fundator S. Ignatius, ex vulnere decumbens, cum casu, vel potius Dei nutu et ductu, vitam Christi et Sanctorum lectitaret, ex milite sæculari factus est dux militiæ sacræ et religiosæ, uti narrat Ribaden. initio Vitæ ejus.

Qui ergo suæ salutis et perfectionis, æque ac divinæ inspirationis et gratiæ est avidus, sequatur et exequatur hoc S. Basilii, imo Spiritus sancti, placitum: *Lectioni piæ succedat oratio, orationi lectio.* Et illud S. Aug. serm. 112. de Tempore: *Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare et legere. Nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur: cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur.* Fecit hoc S. Marcella, de qua S. Hier. epist. 16. jam citata: *Divinarum*, inquit, *Scripturarum ardor erat incredibilis, semperque cantabat: In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Et illud de perfecto viro: Et in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte; meditationem legis non in replicando quæ scripta sunt, ut Judæorum existimant Pharisæi, sed in opere intelligens, juxta illud Apostolicum: Sive comeditis, sive bibitis, sive quid agitis, omnia id gloriam Domini facientes. Et Prophetæ verba, dicentis: A mandatis tuis intellexi, ut postquam mandata complesset, tunc se sciret mereri intelligentiam Scripturarum.* S. Ambr. serm. 35. *Quod*, inquit, *sacrarum litterarum lectio vita sit, Dominus testatur dicens Joan. 6. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Idem l. 1. Offic. c. 26. *Cur*, ait, *non illa tempora, quibus ab Ecclesia vacas, lectioni impendas? cur non Christum revisas, Christum alloquaris, Christum audias? illum alloquimur cum oramus, illum audimus cum divina legimus oracula.* S. Chrys. hom. 35. in Genesim; *Magna*, inquit, *diligentia divinarum Script. lectioni vacemus. Nam licet desit nobis hominis magisterium, ipse Dominus superne corda nostra intrans illustrat mentem, rationi jubar suum infundit, detegit occulta, doctorque fit eorum quæ ignoramus*, etc. *Igitur lectioni vacemus magna pietate et attentione, ut possimus à sancto Spiritu ad scriptorum intelligentiam duci, et multum inde fructum percipere.* Id deinde probat exemplo nostri hujus Eunuchi, quod fuse explicat et perurget.

TANQUAM OVIS.] Vide hæc explicata in ipso Isaia.

33. APERIENS AUTEM PHILIPPUS OS SUUM.] Id est, orsus loqui, docere et prædicare Jesum. Hæc enim phrasis significat rem, quam quis ore suo prolocuturus est, esse gravem et sublimem, eamque cum pondere et auctoritate eloqui. Symbol. Beda: Apposite, ait hæc apertio oris alludit ad nomen Philippi. *Philippus* enim hebraice idem est, quod *os lampadis*; quæ scilicet hic obscuritatem prophetiæ Isaiæ, illustret. et convertat in lucem scientiæ. Porro Philippus hic catechizavit Eunuchum, eumque docuit mysterium incarnationis et redemptionis Christi, illi antea inauditum. Sic et Apostoli omnes fuerunt catechistæ, eorumque conciones erant catecheses, uti ait Paulus Galat. 6. 6. Hisce ergo ducibus glorientur nostri catechistæ, sciantque suum munus esse Apostolicum. Alacriter ergo et strenue rudes, puta pueros, plebeios, rusticos catechizent. Hoc fecit Christus, hoc Apostoli. Vide dicta Galat. 6. 6.

36. ECCE AQUA.] Modeste petit baptismum. q. d. Baptiza me, *fides plena, est, aqua prope, baptizator præsens*, ait Glossa. Inde hæc aqua vocata est fons Æthiopis, de quo ex S. Hieron. et Salignacio audi Andrichom. in Descript. tribus Dan: *Fons Æthiopis*, inquit, *est in medio itinere, quo itur ab Jerusalem in Gazam contra Bethsuram, vigesimo ab urbe lapide, ad radices montis ebulliens, et eadem qua gignitur sorbetur humo, in quo Philippus Eunuchum Æthiopem baptizavit, qui dum in curru vetus instrumentum relegeret, fontem reperit Evangelii.*

37. CREDO FILIUM DEI ESSE JESUM CHRISTUM.] Multa alia credenda sunt, ut quis digne suscipiat baptismum; ut mysterium S. Trinitatis, Ecclesia Catholica, remissio peccatorum, resurrectio, et cætera quæ Symbolo Apostolico con-

tinentur. Quare dubium non est ea evangelizasse Philippum et credita esse ab Eunucho. Præcipuum ergo articulum de Christi divinitate duntaxat hic nominat Lucas, et sub eo cæteros intelligit: quia is unus toti orbi erat novus et pene incredibilis, ac recenter peractus: eum ergo ubique præ cæteris prædicabant et inculcabant Apostoli. Similiter non est dubium Philippum exegisse, et Eunuchum exhibuisse signa doloris et contritionis de peccatis admissis. Hic enim dolor requiritur ante baptismum, ut quis sit capax remissionis eorumdem et justificationis. Ita S. August. lib. 1. de Fide et oper. c. 8. et 9.

39. Spiritus Domini.] Puta angelus, qui nominatus est v. 26. Ita Salmeron, Sanchez, Lorinus, et innuit Hieron. in c. 63. Isaiæ.

Rapuit Philippum.] Sicut rapuit subitoque ex Judæa in Babylonem transtulit Habacuc, ut ferret prandium Danieli c. 14. 35. sic hic subito ex via Gazenzi transtulit Philippum in Azotum, quæ à Gaza distat quadraginta milliaribus. Ita S. Chrysost. Œcumen. et alii. Idque primo, ut per hunc hunc raptam sciret Eunuchus, Philippum esse virum admirabilem et divinum, ait S. Chrysost. Secundo, ut sciret Philippum à Deo ad ipsum catechizandum et baptizandum, esse missum: unde eo facto, ab eodem abripi. Ita Lyran. Tertio, quia alias Eunuchus diutius detinuisset Philippum, quem Deus volebat aliis quoque evangelizare. Ita Œcum. Porro hæc omnia contigerunt paulo post cædem S. Stephani, ut patet ex v. 4. Unde Chronicon Alexand. asserit, secundo anno ab ascensu Christi in cœlum in conversum esse Eunuchum à Philippo, et Cornelium à S. Petro, de quo c. 10. Idem sentit Gaspar Sanchez tract. 1. de Prædic. S. Jacobi in Hispan. c. 9.

Ibat autem per viam suam gaudens.] Gaudium enim est fructus Spiritus sancti quem in baptismo receperat. Merito gaudebat de tam magno Dei dono, et tam mira et speciali ejus providentia sibi collato. Vere S. August. in sententiis sent. 90. *Non potest*, ait, *quisquam fraudari delectationibus suis, cui Christus est gaudium. Æterna enim exultatio est ei, qui bono lætatur æterno.* Et sent. 131. *Christiano recte gaudendi causa, non præsens sæculum est, sed futurum.* S. Hieron. in cap. 53. Isaiæ scribit hunc Eunuchum prædicasse Christum in Æthiopia, factumque Apostolum Æthiopum, ac de discipulo magistrum. Idem testatur Irenæus libr. 3. c. 12. Cyrillus catechesi 17. et Euseb. lib. 2. historiæ c. 1. Fertur ipse suscepisse S. Matthæum in Æthiopiam missum, in urbe Nadaber, inquit Gagneius. Addit Dorotheus in Synopsi Sanctorum: et ex eo Niceph. lib. 2. c. 6. et 7. hunc Eunuchum in Arabia Felici, Taprobana, et universa Erythra Evangelium prædicasse, tandemque martyrio coronatum ibidem sepultum: insuper cœmeterium ipsius fidelibus esse munimentum insuperabile, barbaros et scelestos fugans, morbos depellens, et sanationes operans usque ad præsentem diem.

40. Donec veniret Cæsaream.] *Cæsarea* urbs Palestinæ sita inter Doram et Joppem; prius dicta est *turris Stratonis;* sed ab Herode Ascalonita in honorem Augusti Cæsaris, cui eam dedidicavit, dicta est *Cæsarea*, diversa fuit à Cæsarea Philippi, quæ scilicet à Philippo Herodis filio, in honorem Tiberii Cæsaris, ad radices Libani et ædificata; inde nomen utrumque accepit, ac postea ab Herode Agrippa in honorem Neronis, dicta est *Neronias.* Porro in hac nostra Cæsarea Philippus hic Diaconus domum habuit, in qua et habitavit cum quatuor suis filiabus Prophetissis, de quibus c. 21. In eadem Herodes Agrippa senior, cum quinquennalia celebraret, neque adulatores compesceret, qui ei peroranti acclamabant: *Vox Dei, non hominis*, ab angelo percussus interiit, Act. 12. In eadem Cornelius Centurio à S. Petro baptizatus, primus in ea Episcopus fuisse traditur, Act. 10. Hic quoque Agabus Propheta zona Pauli se astringens; ejus vincula prædixit: unde paulo post Hierosolymæ Paulus vinctus, missus est Cæsaream, ubi coram rege Agrippa et Felice præside causam suam egit, ac detentus in vinculis à Festo Cæsarem appellavit, Act. 23. et seq. Hujus urbis Episcopus postea fuit Eusebius Eccles. Historiæ scriptor, qui inde Cæsarensis est dictus; sicut S. Basilius alterius Cæsareæ, quæ est in Cappadocia, fuit Episcopus. Ita Adrichom. in Descriptione terræ Sanctæ.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describitur hic Primo, conversio S. Pauli. Secundo, duo miracula S. Petri, scilicet curatio Æneæ paralytici, v. 32 et Dorcadis defunctæ suscitatio, v. 38.

1. Saulus autem adhuc spirans minarum, et cædis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum. 2. Et petiit ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas: ut, si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem. 3. Et cum iter faceret, contigit ut appropinquaret Damasco: et subito circumfulsit eum lux de cœlo. 4. Et cadens in terram audivit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris? 5. Qui dixit: Quis est Domine? Et ille: Ego sum Jesus, quem tu persequeris, durum est tibi contra stimulum calcitrare. 6. Et tremens, ac stupens dixit: Domine quid me vis facere? 7. Et Dominus ad eum: Surge, et ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitebantur cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem

vocem, neminem autem videntes. 8. Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum. 9. Et erat tibi tribus diebus non videns, et non manducavit, neque bibit. 10. Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias: et dixit ad illum in visu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego Domine. 11. Et Dominus ad eum: Surge, et vade in vicum, qui vocatur Rectus: et quære in domo Judæ Saulum nomine Tarsensem: ecce enim orat. 12. Et vidit virum Ananiam nomine, introeuntem, et imponentem sibi manus ut visum recipiat. 13. Respondit autem Ananias: Domine, audivi à multis de viro hoc, quanta mala fecerit Sanctis tuis in Jerusalem: 14. et hic habet potestatem à principibus Sacerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen tuum. 15. Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel. 16. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. 17. Et abiit Ananias, et introivit in domum: et imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via qua veniebas, ut videas, et implearis Spiritu sancto. 18. Et confestim ceciderunt ad oculis ejus tanquam squameæ, et visum recepit: et surgens baptizatus est. 19. Et cum accepisset cibum, confortatus est. Fuit autem cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot. 20. Et continuo in Synagogis prædicabat Jesum, quoniam hic est filius Dei. 21. Stupebant autem omnes qui audiebant, et dicebant: Nonne hic est, qui expugnabat in Jerusalem eos, qui invocabant nomen istud: et huc ad hoc venit, ut vinctos illos duceret ad Principes sacerdotum? 22. Saulus autem multo magis convalescebat, et confundebat Judæos, qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus. 23. Cum autem implerentur dies multi, consilium fecerunt in unum Judæi ut eum interficerent. 24. Notæ autem factæ sunt Saulo insidiæ eorum. Custodiebant autem et portas die ac nocte, ut eum interficerent. 25. Accipientes autem eum discipuli nocte, per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta. 26. Cum autem venisset in Jerusalem, tentabat se jungere discipulis, et omnes timebant eum, non credentes quod esset discipulus. 27. Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos: et narravit illis quomodo in via vidisset Dominum, et quia locutus est ei, et quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Jesu. 28. Et erat cum illis intrans, et exiens in Jerusalem, et fiducialiter agens in nomine Domini. 29. Loquebatur quoque gentibus, et disputabat cum Græcis: illi autem quærebant occidere eum. 30. Quod cum cognovissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream, et dimiserunt Tharsum. 31. Ecclesia quidem per totam Judæam, et Galilæam, et Samariam, habebat pacem, et ædificabatur ambulans in timore Domini, et consolatione sancti Spiritus replebatur. 32. Factum est autem, ut Petrus dum pertransiret universos, deveniret ad Sanctos, qui habitabant Lyddæ. 33. Invenit autem ibi hominum quemdam, nomine Æneam, ab annis octo jacentem in grabato, qui erat paralyticus. 34. Et ait illi Petrus: Ænea, sanat te Dominus Jesus Christus: surge, et sterne tibi. Et continuo surrexit. 35. Et viderunt eum omnes, qui habitabant Lyddæ et Saronæ: qui conversi sunt ad Dominum. 36. In Joppe autem fuit quædam discipula, nomine Tabitha; quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis, et Eleemosynis, quas faciebat. 37. Factum est autem in diebus illis, ut infirmata moreretur. Quam cum lavissent, posuerunt eam in cœnaculo. 38. Cum autem prope esset Lydda ad Joppen, discipuli audientes quia Petrus esset in ea, miserunt duos viros ad eum, rogantes: Ne pigriteris venire usque ad nos. 39. Exurgens autem Petrus venit cum illis. Et cum advenisset, duxerunt illum in cœnaculum et circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, et ostendentes ei tunicas et vestes, quas faciebat illis Dorcas. 40. Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua oravit: et conversus ad corpus, dixit: Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos: et viso Petro, resedit. 41. Dans autem illi manum, erexit eam. Et cum vocasset sanctos, et viduas, assignavit eam vivam. 42. Notum autem factum est per universam Joppen: et crediderunt multi in Domino. 43. Factum est autem, ut dies multos moraretur in Joppe, apud Simonem quemdam Coriarium.

1. Paulus.] Ita dictus est à Saul, primo rege suæ tribus Benjamin. Qui enim hebr. dicitur Saul, Latine vocatur Paulus. Unde v. 4. pro *Saule, Saule,* Græca et Syra habent, *Saul, Saul.* Hinc censent S. Chrysost. et S. Hieron. epist. 27. quosdam è tribu Benjamin servatos esse in communi ejus strage et excidio, Judic. 20. 45. ut ex ea Saulus hic, futurus Paulus, nasceretur. Sicut ergo Saul, in Hebraice vocatus est, quasi שׁאוּל *schaul,* id est, postulatus, scilicet rex à populo, et commodatus à Deo; ita dictus est Saulus, *quod ad vexandam Ecclesiam fuisset à diabolo postulatus,* ait S. Hieron. in epist. ad Philemon. Rursum sicut Saul persecutus est

Davidem, ita Saulus persecutus est Christum Davidis antitypum, ait S. August. in Psal. 51.

Symbolice, Saul et Saulus alludit ad שאל *scheol*, id est infernum, ita dictum, quod semper postulet, et nunquam satietur, juxta illud : *Inferus insatiabiliter cava guttura pandit.* Saulus enim fuit quasi infernus semper hians ad sanguinem et cædes fidelium, sed conversus in Paulum factus est cœlum virtutum omnium, hians ad Gentium salutem. Ita Arator agens de lapidatoribus S. Stephani :

> Ad Sauli, ait, posuere pedes velamina sævi,
> Infernum quod Hebræus ait.

Rursum Saulus apposite Græca voce et etymo alludit ad σαλεύεσται, id est, *jactari*, et *agitari*, ut Saulus idem sit quod inquietus, omnia agitans, turbans et vexans, quasi σάλος, id est, *fluctus et concitatio maris;* unde Latinum *salum*, id est, mare et fretrum æstuosum. Ita Ambrosiaster in cap. 1. ad Rom. v. 1. Denique Saulus fuit σκῦλος, id est, *vitiosus, fluctus, delicatus, lævis.*

Adhuc.] q. c. Necdum suam sævitiam et aviditatem sanguinis Christiani expleverat nec Stephani, et aliorum Christianorum virorum et mulierum, quos trahebat ad vincula et tribunalia, c. 8. v. 2.

Spirans minarum et cædis.] Pagnin. *spirans minas et cædem*, scilicet instar leonis furentis proloquens, et eructans minas atrocissimas et lethiferas. Hic mystice impletum est illud Jacobi de Benjamin (ex eo enim prognatus est Saulus) vaticinium : *Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia*, ut ex S. Chrysost. Hieron. Ambrosio et Beda dixi Genes. 49. 27. Sævit ergo ut lupus. Unde matri Ecclesiæ fuit Benoni, id est, filius doloris : sed mutatus in Paulum factus est Benjamin, id est, filius dexteræ. Hæc enim ejus mutatio fuit opus dexteræ Excelsi, ac renascens in Christo, matri Synagogæ mortem intulit, æque ac Benjamin matri Racheli. Rursum sicut Benjamin inter duodecim fratres Patriarchas fuit minimus et ultimus, ita et Paulus inter Apostolos. Et sicut Benjamin à Josepho multis privilegiis fratribus fuit prælatus, Genes. 42. 44. Ita et Paulus à Christo dotatus fuit præ aliis Apostolis.

Unde S. Chrysost. miratur Dei potentiam et gratiæ Christi virtutem, utpote quæ Paulum ferocientem et furentem, in ipso æstu furoris stitit, fregit et immutavit; nec exspectavit donec furor hic sæviendo subsideret : *Ut ostenderet*, ait, *potentiam suam vincens, et superans persecutorem in media insania : Sic enim medicum maxime admiramur, quando febrim, cum infestior, et flammam morbi cum vehementior est, extinguere et penitus abolere potest.* Nimirum hæc fuit vis orationum S. Stephani et fidelium, ac maxime B. Virginis pro Saulo, uti dixi cap. 7. 57. et 59. Causa finalis fuit, ut Deus per Saulum hostem acerrimum Christianorum jam conversum, confunderet Judæorum incredulitatem, eamque per ipsum revinceret. Quis enim non credat Christo et Christianismo, cui hostis Saulus tam loculentum perhibuit testimonium? Ita S. Chrys. Œcum. et alii. Porro hic ardor sæviendi in Paulo, oriebatur tum ex zelo legis Mosaicæ, uti ipse ait Galat. 1. 19. tum ex ardore juventutis et indolis, tum ex invidia gloriæ S. Stephani, Barnabæ, aliorumque fidelium. Hæc enim invidia in cædes erupit, nimirum φθόνος in φόνον, uti nomine, ita re sibi affinem.

Minarum et cædis.] Hinc patet Saulum præter Stephanum, plures alios fideles occidisse. Unde ipse pœnitens ait Actor 22. v. 4. *Hanc viam* (vitam Christianorum) *persecutus sum usque ad mortem.* Et c. 26. 10. *Et cum occiderentur, detuli sententiam.*

Ad Principem sacerdotum.] Qui tunc erat Annas, vel expleto anno Caiphas, aut aliquis ex Annæ filiis, uti dixi c. 4. 6.

2. Epistolas in Damascum.] *Damascus* erat caput Syriæ, sita ad Latus Libani, distans à Jerusalem itinere quinque dierum, puta 50. leucis Gallicis. Unde sicut Syria, sic et Damascus, Judæis non erat subdita, sed suum habebat regem Aretam, 2. Cor. 11. 31. Habebant tamen Judæi suas plateas Damasci, ubi suis jus dicebant et exercebant : id enim eis concessit Benadad rex Syriæ, 3. Reg. 20. 34. Adde Aretam a Judæis persuasum, eis consensisse in persecutione Christianorum, ut patet 2. Cor. 11. 31.

Nota hic ardorem Pauli, quo grassatus in fideles Hierosolymæ cæteraque Judææ loca, furorem suum extendit in eos Damascum usque. Hoc est quod ipse ait c. 26. 11. *Et amplius insaniens in eos, persequebar usque in exteras civitates : in quibus dum irem Damascum*, etc. Addit S. Justinus contra Tryphonem, Principes sacerdotum alios quoque in alias regiones misisse, qui Christianos caperent et persequerentur, forte Pauli exemplo et instinctu. Porro Damasci potius, quam in aliis urbibus Saulus perscrutatus est Christianos, eo quod dispersos in nece Stephani eo confugisse audisset; utpote qui in urbe Gentili et regia Judæis non subdita, ac remota, putarent se immunes fore à persecutione Judæorum; nec in aliis vicinis urbibus, utpote Judææ subditis, vel confœderatis, tutos ab ea se fore arbitrarentur.

Hujus viæ.] Id est, hujus instituti, puta Christianismi sectatores et professores. Vide dictae. 2. 38.

Vinctos perduceret.] Ergo multos secum adducebat comites, vel milites, vel satellites, ut patet v. 7. plures petiturus ab Archisynagogo Judæorum Damasci, si iis opus haberet.

In Jerusalem.] Tum quod majori auctoritate hæc fieri vellet, inquit S. Chrysost., tum quod Hierosolymis sciret Annam, Caipham, cæterosque Judæorum principes Christo et Christianis esse infensissimos : Damasci autem adhuc obscurum, et pene incognitum erat Christianorum nomen, eorumque hostilitas in Judaismum, uti Saulus censebat, ideoque metuebat ne ibidem mitiores in eos forent Synagogæ Principes.

3. Ut appropinquaret Damasco.] Primo, ut Damasci clarius conversionis ipsius miraculum ac proventus appareret, ait Glossa, dum non initio, sed in termino itineris et persecutionis suæ, subito cœlitus feritur et immutatur. Secundo, ut cæcitate percussus, illico Damascum introduci posset ad Ananiam, qui eum juvaret, catechizaret et baptizaret. Denique Damascus insigniter nobilitata est conversione S. Pauli. Porro hic locus, in quo conversus est S. Paulus, distat Damasco dimidium milliare; atque in ejus conversi memoriam, posteri in honorem S. Pauli templum ibidem erexerunt; ibidem etiamnum Christiani, qui Damasci habitant, sepeliri solent. Locus hic à Syris Mergisafer dicitur. Atque Christianorum exercitus in bello

sacro, duce Godefrico Bullonio Damascum petens, ipso conversionis S. Pauli die eodem pervenit, ac ibidem biduo commoratus est. Ita ex Ludovico Romano, Bredembachio, et Guilielmo Tyrio, Adrichom. in Descriptione terræ Sanctæ, in Damasco : qui et graphice locum hunc in tabula geographica delineat. Idem mihi retulerunt Romæ viri graves oculati testes, qui Damascum et loca sancta visitarunt.

SUBITO CIRCUMFULSIT EUM LUX DE COELO.] Auget miraculum tempus, lucisque magnitudo. Nam in meridie hoc contigit cum sol est lucidissimus, ac proinde lux hæc suo fulgore vicit splendorem solis, uti Paulus ipse testatur c. 26. 13. Fuit ergo hæc lux instar fulguris et coruscationis, ait Lyran., nec tantum S. Pauli, sed omnium comitum ejus oculos perstrinxit, ut ipse ait c. 26. v. 31. Idque Primo, ut lux hæc furorem oculorum animique ejus reperciteret et sterneret, itaque mente serenata vocem Christi attentius perciperet, ait S. Chrysost. hom. de ferendis reprehens. Secundo, ut tanquam lupus nocturnis operans tenebris, effusa lucæ cæcaretur, ait S. Ambros. lib. de Benedict. Patriarch. in Benedict. Benjamin. Tertio, ut lux hæc exterior interiores mentis tenebras ei panderet, juxta illud Sophon. 1. 17. *Tribulabo homines, et ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt.* Quarto, ut lux exterior repræsentaret lucem internam quam Deus Pauli menti infundebat; quaque ei tam semetipsum, quam persecutionis ipsius scelus patefaciebat, juxta illud quod ipse ait : *Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris*, 2. Cor. 4. 6. Et illud : *Omnia quæ arguuntur, à lumine manifestantur : omne enim quod manifestatur, lumen est. Propter quod dicit : Surge qui dormis, et exurge à mortuis, et illuminabit te Christus,* Ephes. 5. 13. Idem intonat Deus cuilibet peccatori, cum in mente ejus fulgurat coruscationem et cogitationem mortis, judicii, gehennæ, etc. Quinto, ut ex hac luce disceret, deinceps sibi ambulandum esse in luce Evangelii, gratiæ et bonorum operum, juxta illud quod ipse scribit ad Ephes. c. 5. v. 8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino : ut filii lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate.* Sexto, hæc lux erat symbolum doctoratus Pauli, quo illuminaturus erat omnes gentes lucæ doctrinæ, et vitæ Christianæ, uti ipse Actor. 26. 18. Christum sibi dixisse significat. Porro hanc lucem spargebat corpus Christi gloriosum. Christus enim hic apparens Saulo, ut patebit v. 5. quasi duellator cum luce sua siderabat, cæcabat et sternebat, juxta illud Hab. 3. 11. *Sol et luna steterunt in habitaculo suo : in luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore figurantis hastæ tuæ.* Sic in transfiguratione, splendore corporis Christi radios suos afflavit Mosi et Eliæ, quin et Apostolis, Lucæ 9. 31.

4. ET CADENS IN TERRAM.] Quasi perculsus et sideratus à luce fulgurante, uti jam dixi. Fulme Christi enim sternit homines, imo animalia, arbores, domos, et templa. Lucem hanc adjuvit vox Christi terribilis, instar tonitrui : *Saule, Saule, quid me persequeris?* Nam ut ait Job cap. 26. 14. *Quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Sic Seraphinis alterna voce Deo conclamantibus, *Sanctus, sanctus, sanctus, commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis,* Isaiæ 6. vers. 3. et 4. Porro non tantum Saulus, sed et omnes ejus comites hac luce prostrati sunt in terram, uti narrat Paulus cap. 26. 14. S. Gregor. hom. 8. in Ezech. opinatur S. Paulum in faciem cecidisse : pœnitentes enim et sanctificandos in faciem cadere, quasi mox per pœnitentiam resurrecturos; impios vero et impœnitentes resupinari in dorsum, ut nunquam resurgant, uti cecidit Judas et satellites Christum comprehensuri, Johan. 18. 6. Hæc tamen distinctio non est perpetua : nam et Goliath infidelis moriens in faciem cecidit 1. Reg. 17. 49.

Nonnulli Paulum censent peditem venisse et cecidisse; sed communis opinio (quam passim exprimunt picturæ) est eum fuisse equitem, et ex equo cecidisse : tum quia longum faciebat iter, scilicet quinque vel sex dierum à Jerusalem in Damascum : tum quia veniebat quasi prætor stipatus satellitibus. Ita Sanchez, Lorinus et alii. Tertio, idipsum suadet Sauli generoistas et animositas : fastu enim et ita tumens spirabat minas et cædes, esto ex zelo legis, ut sibi videbatur. Quarto, idem innuit ejus ruina et prostratio : nam cum Christo quasi duellans, abeo dejectus equo, gravique casu collisus, sed eodem ictum moderante et infrengente non elisus, nec oppressus : sentiens potentem ejus manum, toto corpore conquassatus et afflictus, illico suos spiritus cristasque deposuit, et humiliatus ac supplex Christo victori se dedidit : dicens : *Domine quid me vis facere?* Si enim pedes fuisset, exiguus et levis fuisset ejus casus, nec sufficiens ad ejus ferociam edomandam. Contrarium tamen sentit noster Salmeron, et alii, et innuit S. August. dicens eum ambulasse peditem, estque probabile : tum quia Script. nusquam ejus equi, vel equitis meminit : tum quia Judæi religiosores, uti Pharisæi, qualis erat Paulus, vix equis utebantur. Uti dixi Deuter. 17. 16. tum quia ipse erat juvenis uti manu acer, ita pedibus celer.

AUDIVIT VOCEM.] Hebraica lingua, ut refert Paulus Act. 26. 14. Et c. 22. 9. asserit se solum hanc vocem audisse, non comites suos; corpus enim gloriosum per Dei virtutem sibi assistentem potest facere; ut ab uno videatur et audiatur, non à cæteris : quia sui suæque vocis speciem potest diffundere ad unum, non ad cæteros, uti docent Scholastici. *Vox de cœlo Saulo allata est, ut ostenderetur prædicationem quæ ipsi committebatur, esse cælestem.* ait Isidor. Pelusiot. lib. 1. Epist. 400.

Moraliter, Deus in Paulo dedit schema et typum conversionis peccatorum. Lux enim repræsentat gratiam excitantem, et internam mentis illuminationem : prostratio in terram, adversitatem : vox reprehensionem concionatoris, magistri, socii, etc., stimulus, conscientiæ remorsum : Ananias, confessarium : cæcitas, clausuram oculorum et animæ ad res terrenas, ac considerationem æternarum et cœlestium : triduanum jejunium, satisfactionem pro peccatis per jejunia et preces : casus squamarum ab oculis, est depositio excusationum : baptismus, est pœnitentia et confessio, quæ est secunda post naufragium tabula, et quasi alter baptismus : cibus, est Eucharistiæ frequentatio : versari cum discipulis, est agere cum probis. Vide S. Bernard. serm. de quatuor orandi modis. Ita Salmeron hic. Fulgura ô Domine coruscationem, Paulinæ similem, tu animas nostras, ut ad te toto corde convertamur. Fac nos vasa electionis, ad tuam gloriam toto orbe celebrandam.

SAULE, SAULE.] Græce et Syre, *Saul, Saul*, sic enim Hebraice vocabatur Saulus, et Christus hic Hebraice loquebatur, uti jam dixi. Geminatio hæc index est, tum alti somni, quo in peccato suo dormiebat Saulus, tum ingentis amoris et commiserationis, æque ac efficacis, et ad intima Pauli penetrantis, vocationis Christi, ut durum et obstinatum cor Sauli feriret et molliret. Clamat Christus, ut Sauli à se remotissimi aures mentemque perstringat. Audi S. Aug. in hom. inter 50. *Quantum distat Ortus ab Occidente, longe fecit à nobis iniquitates nostras. Quantum distat Oriens ab Occidente, avertere ab Occidente, convertere ad Orientem. Occidunt ibi peccata, oritur inde justitia. In Occidente vetus, in Oriente novus. In Occidente Saulus, in Oriente Paulus.* Clamavit ergo Christus in Oriente, ut in Occidente audiret et obediret Paulus.

QUID ME PERSEQUERIS?] Christus caput habet in cœlo, corpus in terris: corpus enim mysticum Christi est Ecclesia, membra sunt fideles. Saulus Christum in cœlo persequi non poterat: hinc eum in terra, puta in fidelibus suis persequitur. Audi S. August. in epist. S. Joan. tractat. 10. *Non expavescis*, ait, *vocem capitis de cœlo clamantem pro membris suis: Saule, Saule, quid me persequeris? persecutorem suum, vocavit persecutorem membrorum suorum.* Idem serm. de Sanctis: *Membris adhuc positis in terra, caput clamabat in cœlo, et non dicebat: Quid persequeris fideles meos? sed, Quid me persequeris?* Adeo Christus diligit Ecclesiam et fideles; adeo cum eis se unit, ut eorum velit esse caput, spiritus, anima et vita, uti dixi 1. Cor. 12. 12. Et S. Bernard. serm. de conversione S. Pauli: *Vere deprehensus est Saulus; non est dissimulandi locus, non est facultas ulla negandi. In manibus sunt Epistolæ crudelissimæ legationis, auctoritatis execrandæ, potestatis iniquæ. Quid me persequeris? inquit. An non persequebatur Christum, qui Christi membra trucidabat in terris? An vero persecuti sunt Christum, qui sacratissimum illud corpus Crucis affixere patibulo; et non persequebatur eum, qui adversus corpus ejus, quod est Ecclesia, odio furebat iniquo? Denique si proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, non tibi videtur graviorem ab eo sustinere persecutionem, qui suggestione maligna, exemplo pernicioso, scandali occasione avertit ab eo animas quas redemit, quam à Judæo, qui sanguinem illum fudit? Agnoscite dilectissimi, et expavescite consortia eorum, qui salutem impediunt animarum. Horrendum penitus sacrilegium, quod et ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino Majestatis manus sacrilegas injecerunt.* Nota hoc dogma morale S. Bernardi de scandalo.

Jam si singula Christi verba ponderes et premas, magnum habent pondus, magnum pathos: *Saule, Saule, quid me persequeris* ad necem, qui te persequor ad vitam, ut ex Saulo efficiam Paulum? Ego sum dulcis, melleus, tuique amantissimus: nulla in re te læsi; ne vel verbulo umquam offendi: quid me quasi hostem persequeris? Ego intimus tui sum amicus: in manibus et corde meo descripsi te, satagoque, ut in intima cordis mei te trajiciam et recondam, ut in ejus centro inhabites: quid me persequeris? Ego propter te in terram descendi, factus homo: jam rursum propter te solum è cœlo ad te descendo. Ego pro te lacrymas, easque in horto sanguineas effudi: pro te sudavi et alsi: pro te sanguinem et vitam dedi, millies adhuc daturus, si opus esset: quid me persequeris? Ego pro te manus in cruce extendi ad Patrem, clavis confixus sum, spinis coronatus, flagellis concisus: quid me persequeris? Ego te elegi in meum ducem, destinavi te Apostolum et vas electionis: quid me persequeris? In passione et cruce tot probris et tormentis affectus non querelam, non gemitum, non votum emisi; de te queror, et juste queror: de te gemo, de te vocem lugubrem emitto: quid me, id est, meos fideles, qui mihi vita chariores sunt, persequeris? quid eos à me avellere et perdere satagis? Me persequeris, qui sum Jesus, id est, tuus Salvator, tua salus? Cur in me teipsum, tuamque salutem exitialiter impugnas? ut ego peream, vis teipsum perimere? Hæc, et longe plura interius in mente Pauli loquebatur, et quasi fulgurabat Christus.

Quocirca Saulus jam conversus, hanc Christi post se quasi currentis dignationem, et amorem immensum ponderans, passim hanc ejus in se clementiam intimo animi sensu deprædicat, ut 1. Timoth. 1. 15. *Fidelis sermo*, inquit, *et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* (Nam ut ait S. August. serm. 10. de verbis Apostoli: *Nemo acrior inter persecutores: ergo nemo prior inter peccatores.* Hunc compunctionis et humilitatis S. Pauli spiritum imitetur et induat; totaque vita conservat, quicumque aliquando peccavit Deumque offendit. Ita S. Chrysost. lib. 2. de Compunct. et S. August. lib. de Vera et falsa pœnitentia cap. 13.) *Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui crediturі sunt illi in vitam æternam: ut dicant sibi omnes*, ait S. August. serm. 9. de Verbis Apostol. *Si Paulus sanatus est, ego quare despero? Si tanto medico tam desperatus æger sanatus est, ego cur meis vulneribus illas manus non optabo, ad illos manus non festinabo? ut hoc dicerent homines, ideo Saulus factus est ex persecutore Apostolus.* Similia habet 1. Corinth. 15. 9. ad Ephes. 3. 8. et alibi. Vide ibi dicta.

Denique S. August. in Psalm. 72. *Ipse*, inquit, *primo Saulus, postea Paulus, id est, primo superbus, postea humilis et modicus. Saul enim, unde dictum est nomen Sauli, nostis quia rex superbus et infrenis fuit: Paulum autem, modicum est. Audi quomodo fuerit Saulus, et quomodo sit Paulus. Quid fuit prius? Quid? blasphemus, et persecutor, et injuriosus. Audisti Saulum, audi et Paulum, Ego enim sum, inquit, minimus Apostolorum. Quid est minimus, nisi ego sum Paulus? Et sequitur: Qui non sum dignus vocari Apostolus. Quare: quia fui Saulus. Quid est fui Saulus? Ipse dicat: quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Sed gratia Dei, ait, sum id quod sum.*

Quocirca Ecclesia quotannis celebrat festum Conversionis S. Pauli. Primo, ut eum omnibus peccatoribus in exemplum pœnitentiæ proponat. Secundo, ut Deo gratias agat, quod Ecclesiæ dederit Paulum doctorem Gentium. Tertio, ut Paulum conversum invocet, ut è cœlo peccatores convertat; adhuc enim, licet translatus in cœlum, plurimos convertit suo exemplo, precibus, Epistolis. Tradit ex Fazello Alanus Copus lib. 3. cap. 28. Dialog. eos qui nascuntur in festo Conversionis sancti Pauli, venenatis morsibus sua saliva mederi.

5. Qui dixit : Quis es Domine?] Paulus luce Christi perstrictus, et cæcutiens vocem Christi audiebat; sed eum ingenti splendore undique circumfusum distincte videre et agnoscere non poterat. Rogat ergo, quis sit, an Angelus, an Deus; eique tacite se quasi servum submittit, vocans eum *Domine*. Ita S. Chrysost.

Nota. Saulus hic vidit Christum, esto confuse. Hoc enim de eo asserit Ananias v. 17. dicens : *Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via.* Et v. 27. *Narravit illis quomodo in via vidisset Dominum.* Quin et Paulus ipse 1. Corinth. 15. 8. *Novissime*, ait, *omnium tamquam abortivo visus est et mihi :* esto enim sæpius deinceps viderit Christum, hic tamen dumtaxat fuit abortivus, quia violenter conversus et renatus in Christo. Ita Tertul., lib. contra Praxeam cap. 15. Primasius, S. Thomas et Glossa in 1. Cor. 15. licet Ambrosiaster, Sedulius et Haymo, id accipiant de visione Christi, quam Paulus habuit in templo, de qua Actor. 22. v. 17. Porro Christus videtur hic descendisse de cœlo, eo tamen non relicto, ad aerem Paulo vicinum, inde enim vocem emittebat (quam Paulus clare et distincte audivit, ita ut cum eo colloqueretur) ac lucem tantam, quæ eum cæcaret et comites sterneret. Ita S. Ambros. lib. de Benedict. Patriarch. c. ultimo, S. Thom. 3. p. q. 57. a. 6. ad 3. et alii. Vide dicta cap. 3. 21. Fuit ergo Christi corpus tunc in duobus locis, puta in cœlo et in aere. Quod Nota contra Calvinum et Sacramentarios, qui negant Christi corpus posse esse in cœlo et in Eucharistia simul.

Ego sum Jesus.] Nazarenus, uti addit Syrus hic, et Paulus Actor. 22. 8. Non dicit, Ego sum Deus et Dei filius, sed, Jesus; quia divinitatem credebat Paulus, sed incarnationem, id est Jesum, impugnabat. q. d. *Humilitatis meæ infima suscipe, et tuæ superbiæ squamas depone*, ait ex S. Gregorio Beda.

Durum est tibi contra stimulum calcitrare.] Est adagium sumptum à bobus cervicosis, qui cum ab aratoribus, vel aurigis stimulo (qui ex eo βουκέντραι, vocantur) punguntur, illi recalcitrant; sed eo magis stimulum induunt, eique acrius punguntur : significans, simili modo eum qui potentiori obluctatur, uti Paulus Christo, frustra id facere et cum damno proprio : provocat enim potentioris iram, ut ictus et plagas graviores et crebriores illi infligat. Innuit Christus Paulum hactenus contra se quasi stimulum calcitrasse : stimulus enim miraculorum, sanctitatis, et disputationum S. Stephani, ac adhortationum S. Barnabæ (ut habet ejus vita) crebro Christus pupugerat mentem Sauli, ut in se crederet; sed ille recalcitrans impegit in stimulum validiorem, quem illi hic impegit Christus, prosternens eum humique affligens. *Verba* enim *sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à Pastore uno*, ait Eccles. 12. 11. Porro durus conscientiæ peccantis stimulus est, ipse ejus remorsus et oblatratio : *Durus animo ipse accusator, judex, carnifex, vermis remordens*, ait Quintil. l. 5. Instit. Nec dubium hunc conscientiæ stimulum non raro Saulum sensisse. Ergo *durum est tibi contra stimulum calcitrare*, hoc est, durum est tibi contra Deum pugnare, eum enim provocas, qui lacessitus plagas acres et inevitabiles infligit; perinde ac qui stimulo recalcitrat, non stimulum, sed seipsum lædit, juxta illud Plauti in Trucul. *Si stimulos pugnis cædis, manibus plus doles.* Quocirca sapienter Euripides in Bacchis ait :

> Potius sacra illi fecerim, quam calcibus
> Stimulos ferire coner, iracundia
> Citus in Deum mortalis ipse cum siem.

6. Et tremens ac stupens,] ad tantam lucem, vocem, gloriam, potentiam et Majestatem præsentis Christi, qua se cæcari et ad terram affligi sentiebat; præsertim, qu a ob præteritas persecutiones male sibi conscius, videns se à Christo comprehensum, ac in ejus esse potestate, et manibus, metuebat, ne acres et meritas de eo exigeret scelerum pœnas. Solet enim Deus primo peccatoribus incutere timorem pœnarum, mortis, judicii et gehennæ; ac ex eo movere eos ad dolorem et detestationem scelerum; inde ad spem veniæ, Deique amorem et obedientiam. Timor enim est velut acus vel seta, quæ filum amoris introducit, ut ait S. Augustin. tract. 9. in epist. 1. Joannis. Porro tanta est Majestas angelorum, et multo magis Dei, ut illico homo eam videns corruat. Ita Daniel cap. 10. 16. viso angelo : *Domine*, inquit, *in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium.* Et Ezechiel cap. 2. vers. 2. visa Dei gloria, *Cecidi*, inquit, *in faciem meam.* Quin et Manue pater Samsonis, *Moriemur*, inquit, *quia vidimus Deum*, puta angelum vicarium Dei, Judicum 13. 22.

Dixit : Domine, quid me vis facere?] Sunt verba hæc animi plene compuncti, humilis, resignati, devoti, tradentis et dedentis se Deo. Unde S. August. serm. 14. de Sanctis : *Jam*, inquit, *parat se ad obediendum, qui prius sæviebat ad persequendum. Jam formatur ex persecutore prædicator, ex lupo ovis, ex hoste miles. Ovis audiat, quid facere debeat.* Unde patet, Paulum tunc per contritionem tantam non tantum justificatum, sed et eximie instar S. Magdalenæ Lucæ 7. sanctificatum fuisse. Ita passim Interpretes, ac nominatim S. Greg. 11. Moral. c. 6. vel 7.

Notat hic Primo, S. Chrysostomus Paulum non coacte et necessario, sed sponte et libere se convertisse, hoc enim ejus verba significant. Negant id Lutherus, Calvinus, et alii, qui hominis arbitrium non liberum, sed servum esse volunt; ac gratiam Paulo datam fuisse tam efficacem, ut violenter eum ad Christum raperet, sicut rapiuntur fures à Prætore ad carcerem : quos damnat Conc. Trident. sess. 6. can. 4. 5. et 6. et S. Aug. lib. de Spiritu et littera cap. 13. Ubi docet, Deum internis, externisque suasionibus mentem pulsare, ut se convertat; sed consentire vocationi vel dissentire, proprie hominis voluntatis esse.

Nota Secundo, magnitudinem et efficaciam gratiæ, qua attractus et conversus est Paulus. Nam ea subito ex acerrimo persecutore factus est summus amicus Christi. Unde S. Aug. eam sæpe vocat efficacissimam. Audi eum l. 1. ad Simplic. quæst. 2. *Quam rabida*, ait, *voluntas, quam furiosa, quam cæca in Saulo? qui tamen una desuper voce raptus est, occurrente utique tali viso, quo mens illa et voluntas refracta sævitia retorqueretur, et corrigeretur ad fidem.* Hinc S. Gregor. lib. 3. Dialog. c. 17. *Majus*, ait, *est miraculum prædicationis verbo, et orationis solatio peccatorem convertere; quam carne mortuum suscitare. Lazarum quippe carne Dominus suscitavit, Saulum mente*, quia mentem ejus immutavit totam, ut ex diabolica fieret plusquam angelica,

uti ibidem ostendit S. Gregorius. Hæc ergo gratia fuit tam potens, ut primo summam Pauli hostilitatem in summum Christi obsequium converteret.

Secundo, ut non tantum peccata, sed et peccatorum radices habitusque pravos illico aboleret : secus fit in aliis peccatoribus. Si quis enim ebriosus, vel libidinosus convertatur, esto peccata præterita ei per pœnitentiam et absolutionem dimittantur; tamen manent habitus ebrietatis et libidinis, qui eum pungere et sollicitare ad pristinam crapulam et libidinem non cessant, donec longo tempore per multos contrarios actus evellantur, vel potius refrigantur et sopiantur. S. Paulus vero, quia efficacissimam habuit gratiam, eique heroice cooperatus est dando totum suum cor Deo, ac dicendo : *Domine, quid me vis facere?* hinc omnes vitiorum habitus, et quasi memoriam è mente sua abstersit. Quocirca hæc lux et impetus gratiæ divinæ subito eum totum in alium, imo contrarium hominem immutavit, ut ex leone fieret agnus, ex lupo Pastor, ex persecutore Apostolus.

Hinc Tertio, hæc gratia ei tantum Christi amorem indidit, ut qui paulo ante Christum et Christianos volebat occidere, jam pro eis optaret mori, vitamque omnem pro iis expenderet, offerens se omnibus itineribus, laboribus, persecutionibus, fami, siti, carceribus, tormentis, mortibus, ut Christi gloriam, et Ecclesiam propagaret; adeoque totus videbatur transformatus in Christum. Unde ait : *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.* Et : *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus.* Hinc non aliud sciebat, non aliud sapiebat, non aliud spirabat corde, ore et opere, quam Christum crucifixum, qui tradidit, inquit, semetipsum pro me : cætera omnia quæ in mundo sunt, arbitrabatur ut stercora. Hinc ille zelus lucrandi animas Christo, ut omnibus omnia fieret, ut totum orbem Christum prædicando percurret, ut omni ætati, sexui, conditioni leges vitæ Christianæ præscriberet; ut infatigabilis, nocte et die non cessaret docere et Evangelizare Christum. In hac ergo prima sui conversione Saulus accepit gratiam, non tantum Christianam communem cæteris fidelibus, sed et Apostolicam propriam Apostolis; atque cœlitus à Christo electus et creatus est Apostolus, uti patebit v. 15.

Nota Tertio, Christus hic quasi duellum init cum Saulo, eumque vincit et sternit : unde jure duelli poterat eum occidere, sed ejus miserens vitam ei condonat : quocirca Paulus gratias agens ei servum perpetuum se mancipat. Hinc et initio Epistolarum fere omnium hunc titulum præfert : *Paulus servus Jesu Christi.* Ita Rupert. Similis fuit vox superbi Turni duello victi et prostrati ab Æneâ, quam graphice exprimit Virgil. 12. Æneid. in fine :

> Ille (Turnus) humilis supplexque oculos, dextramque precantem
> Protendens : Equidem merui, nec deprecor, inquit,
> Utere sorte tua (occide me si libet) miseri te si qua parentis
> Tangere cura potest, oro (fuit et tibi talis
> Anchises genitor) Dauni miserere senectæ :
> Et me seu corpus spoliatum lumine mavis,
> Redde meis; vicisti (et victum tendere palmas
> Ausonii videre) tua est Lavinia conjux
> Ulterius ne tende odiis. Stetit acer in armis
> Æneas volvens oculos, dextramque repressit, etc.

Sed mox ut agnovit balteum sui Pallantis, quo se accinxerat Turnus, indignans et ulciscens eum trucidavit. Longe ergo mitior et clementior fuit Christus in Saulum, quam Æneas in Turnum. Paulus igitur fuit quasi rhinoceros superbus et ferus, quem Deus sibi subjugavit, imo suum præconem effecit, juxta illud Job 39. *Nunquid volet rhinoceros servire tibi? nunquid alligabis rhinocerotem ad arandum loro tuo?* in quem locum vide S. Greg. 31. Moral. c. 2. et 3.

Moral. docet hic nos S. Paulus, cum sentimus divinas inspirationes, Deumque ad emendationem et sanctitatem, vel perfectionem nos vocantem, quid ei respondere debeamus, nimirum : *Domine, quid me vis facere :* Hac enim submissione, resignatione, devotione, promptitudine, alacritate animi ad omnia parati, totumque se Deo offerentis disposuit se, et meruit de congruo evehi ad apostolatus apicem, fierique doctor Gentium. Ita Abraham vocatus à Deo Genes. 12. 1. respondit : *Adsum.* Sic et Jacob Genes. 31. 11. et Moses Exodi 3. 4. Et Ananias hic v. 10. *Ecce ego Domine.* Et Isaias c. 6. 8. *Ecce ego, mitte me.* Sic et Samuel vocanti Deo respondit : *Loquere Domine, quia audit servus tuus*, 1. Reg. 3. 10. Et Psaltes : *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum : cantabo et psallam in gloria mea*, psalm. 107. 2. Solebat S. Franciscus audiens Deum in corde loquentem, etiamsi in itinere esset, gradum sistere, mentemque intra se colligere, ut totus illi intenderet, ac mox id quod audierat, opere exequebatur. Ita ad apicem sanctitatis pervenit, uti refert S. Bonavent. in ejus Vita.

Denique S. Bernard. serm. 1. de conversione S. Pauli : *Hæc plane fratres*, ait, *perfectæ conversionis est forma. Paratum, inquit, cor meum Deus, paratum cor meum : Domine, quid me vis facere? O verbum breve, sed plenum, sed vivum, sed efficax, sed dignum omni acceptione*, etc. *Heu plures habemus Evangelici illius cæci, quam novi Apostoli imitatores? Quid vis (ait Dominus ad cæcum illum) ut faciam tibi? Absit hoc Domine : tu magis dic, quid me facere velis? Sic enim decet, sic omnino dignum est, non meam à te, sed à me tuam quæri et fieri voluntatem*, etc. *Sic profecto, sic multorum usque hodie pusillanimitas et perversitas exigit, ut ab eis quæri oporteat : Quid vis ut faciam tibi? non ipsi quærant : Domine, quid me vis facere?*

7. SURGE,] *sta super pedes tuos*, ut habetur c. 26. 56.

ET INGREDERE CIVITATEM (Damascum) ET IBI DICETUR TIBI, QUID TE OPORTEAT FACERE.] Dices, Actor. 26. 16. dicitur, Christum Saulo id dixisse : *Ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum et testem eorum quæ vidisti*, etc., *ego mitto te aperire oculos eorum, ut convertantur à tenebris ad lucem*, etc. Resp. Christus Saulo in genere dixit, se velle eum constituere suum præconem; sed in particulari de baptismo instrui eum voluit ab Ananiâ. Hoc enim habet suavis Dei dispositio, ut, sicut angeli ab angelis, ita homines ab hominibus edoceantur : qua de re illustre extat exemplum apud Sophronium, vel potius Joannem Moscum in Prato Spirituali c. 199. idque ne quis fanaticus suos errores et somnia tueatur, obtendendo internum instinctum Spiritus sancti, uti faciunt Anabaptistæ. Ita Cassian. Collat. 2. cap. 15. Secundo, hic, ait S. Bernard. serm. 1. de conversione S. Pauli,

socialis vitæ commendatur utilitas, ut edoctus per hominem, discat et ipse secundum datam sibi gratiam hominibus subvenire. Tertio, Paulus triduo jejunans et cæcus, Damasci edoctus fuit à Deo; sed ad Ananiam mittitur, non tam ut edoceatur, quam ut ab eo baptizetur, et à cæcitate curetur. Unde signanter ait : *Quid te oporteat facere :* nimirum suscipere baptismum, de quo plura v. 9.

STABANT.] Dices, c. 26. 16. ait Paulus comites suos secum fuisse prostratos : ergo non stabant Resp. Primo, *stabant*, id est, ibi erant, ibi sistebantur, ibi manebant : statio enim hic opponitur, non sessioni aut prostrationi, sed motui et progressioni. Sic Magdalena dicitur stans retro secus pedes Jesu, lavisse ejus pedes : *stans*, id est procumbens, genu flexo, Lucæ 7. 38. Secundo, *stabant*, quia post prostrationem se è terra levarunt et in pedes erexerunt, ut Saulum erigerent. Solus enim Saulus in terra jacens Jesum videbat, et cum eo colloquebatur, mentemque sibi mutari sentiebat. Permisit ergo Deus comites Sauli in Judaismo permanere, ut essent testes Judæis omni exceptione majores, hujus miraculosæ conversionis S. Pauli, omniumque mirabilium quæ in ea acciderant. Ita S. Chrys. et OEcum.

STUPEFACTI.] Syrus, Pagnin. et Tigurina, *attoniti :* alii, *muti;* qui enim stupent, obmutescunt : pavor enim et stupor vocem eripit, æque ac mentem et memoriam : et Græcum ἔννεοι, etiam *mutos* et *surdos* significat.

AUDIENTES QUIDEM VOCEM, NEMINEM AUTEM VIDENTES.] Dices Actor. 22. 9. contrarium dicitur, nimirum *lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt.* Respondeo, additur ibidem. *Ejus qui loquebatur mecum,* id est Christi. q. d. Meam vocem audierunt, non Christi. Ita S. August. in psalm. 67. Lyran. Hugo, Vatabl. et alii hic. Secundo, dici potest, eos quoque vocem Christi audisse, sed confuse duntaxat : quia attoniti vocem ejus articulatam distincte audire, et intelligere non poterant.

8. SURREXIT AUTEM SAULUS.] Partim sponte sua obediens nixusque voci Christi, dicentis, *Surge,* partim adjutus et erectus à comitibus.

NIHIL VIDEBAT.] Noster Interpres legit οὐδέν, id est, *nihil :* jam legunt οὐδένα, id est *neminem :* quod aliqui restringunt ad Christum. q. d. Christum non vidit amplius, quem paulo ante jacens in terra viderat. Verum eum nihil vidisse et cæcum fuisse, patet ex eo, quod à comitibus in urbem trahi debuerit, ut sequitur. Christus enim sua luce magis feriit oculos Pauli, quam comitum : ille enim cæcatus fuit, non hi, ad hoc scilicet, ut eum ducere possent in urbem. Ita S. Chrysost. et OEcumen. Quare non est probabile quod ait Dionys. Paulum nihil vidisse, quia mens ejus à sensibus abrepta erat in extasin. Nam Paulum non tantum fuisse privatum usu oculorum, sed et potentia videndi, patet; quia, ex oculis ejus ceciderunt squamæ, cum paulo post miraculose curatus est ab Anania. Unde sequitur immanem fuisse lucem, quæ oculos ejus instar fulguris ita perstrinxit, ut visum ei ademerit; non humorem crystallinum siccando, aut tunicas oculares lædendo, sed pelliculas quasi squamas eis obducendo, de quo vers. 14. Ubi adverte, Christum hanc lucem initio temperasse, ut Paulus eum aliquo modo confuse, utpote gloriosum et luce circumdatum conspicere posset; at mox subducens se, eam intendit ut Paulus surgens senserit ea se plane cæcatum : idque Primo, ut ex eo conjiceret Paulus, quanta esset Christi claritas, potestas, majestas et gloria. Ita Rupert. Secundo, ut exterius cæcatus, intus oculos mentis colligeret, ad considerandum ea quæ suæ salutis erant, quæque Deus ab eo poscebat. Tertio, ut per cæcitatem corporis luerit cæcitatem mentis, quam sponte induerat claudens oculos, imo resistens luci Evangelii. Unde S. Bernard. serm. 1. de Conv. S. Pauli : *Felix,* ait, *cæcitas, qua male quondam illuminati in prævaricatione, tandem in conversione oculi salubriter excæcantur.* Quarto, ut disceret oculos claudere rebus bonisque terrenis, et aperire cœlestibus. q. d. Despice terram, suspice cœlum.

AD MANUS AUTEM ILLUM TRAHENTES.] En trahitur quasi captivus Christi, qui Christianos tracturus venerat ad carceres, ait S. Chrysost. Quale spectaculum sui præbuit hic Paulus Judæis et Damascenis civibus? quale vero et quam jucundum Deo, Angelis, Ananiæ, Apostolis, omnibusque Christianis?

9. ET ERAT IBI TRIBUS DIEBUS NON VIDENS, ET NON MANDUCAVIT.] Orationis et pœnitentiæ causa. Nam ut ait S. Chrysost. *compungebat se propter ea quæ fecerat, confitebatur, precabatur, orabat Deum.* Unde in hoc triduo didicit à Deo mysteria fidei Christianæ et Evangelii : nam illa paulo post publice cœpit prædicare v. 20. Quare initio epist. ad Galat. *Paulus,* inquit, *Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum.* Et v. 12. ait se Evangelium non didicisse ab homine, sed per revelationem Jesu Christi. Hinc Beda. Hugo et Glossa censent, Paulum hoc triduo fuisse raptum in tertium cœlum. 2. Corinth. 12. 2. Verum ibidem ostendi posterius illum raptum contigisse. Quod ergo Paulus ad Ananiam sit missus, non tam doctrinæ, quam curationis à cæcitate, et baptismi causa fuit, ut scilicet ab eo illuminaretur et baptizaretur, ait S. Chrysost. Idem hom. 4. de laudibus S. Pauli : *Pauli,* inquit, *cæcitas, totius orbis illuminatio effecta est. Quoniam enim videbat male, eum excæcavit Deus, ut utiliter jam videret in reliquum.*

Tropolog. S. Bernard. serm. 1. de convers. S. Pauli : *Sane,* ait, *quod triduo Paulus sine cibo manet persistens in oratione, ad eos maxime pertinet, qui noviter sæculo abrenuntiantes, necdum in cœlesti consolatione respirant. Sustineant ergo Dominum et ipsi in omni patientia, orent sine intermissione, quærentes, petentes, pulsantes : quia exaudiet eos Pater cœlestis in tempore opportuno.*

10. ANANIAS.] Fuit hic inter fideles insignis, ait S. Chrysost. imo ipse Paulus cap. 22. 12. S. August. lib. 2. Quæst. Evang. qu. 47. censet eum fuisse Presbyterum; OEcumen. vero Diaconum duntaxat, sed unum è 72. Christi discipulis. Idem habet Dorotheus in Synopsi, qui et addit, eum postea creatum fuisse Damasci Episcopum. De eo sic legimus in Romano Martyrol. die 25. Januarii : *Apud Damascum natalis S. Ananiæ, qui eumdem Apostolum baptizavit. Hic cum Damasci, et Eleutheropoli alibique Evangelium prædicasset, sub Licinio judice nervis cæsus et laniatus, demum lapidibus oppressus martyrium consummavit.*

Mystice, mittitur Benjamin lupus rapax, put: Saulus, ad Ananiam, id est, ad gratiam et mise

ricordiam Dei, ut ab ea veniam obtineat, et transformetur in ovem. Aliter S. Aug. serm. 14. de Sanctis : *Adductus est*, inquit, *ad Ananiam, et Ananias interpretatur ovis.* (nescio qua lingua : sane non Hebræa, nec Syra, nec Græca) *Ecce lupus rapax adducitur ad ovem sequendam, non rapiendam : et ne rapientem ovis expavesceret lupum, ipse Pastor de cœlo, quia omnia faciebat, nuntiavit lupum venturum ovi, sed non sævitarum : et tamen tam immanis fama lupum illum præcesserat, ut non posset ovis audito ejus nomine non conturbari.* Et mox : *Lupo sævitia interdicitur. Lupus ad ovem captivus ducitur. Ab Agno pro ovibus mortuo fit ovis secura de lupo.*

Vade in vicum,] in plateam. Urbs enim dividitur in regiones, regiones in vicos sive plateas, vici in domos. Unde à vico dicitur vicinus, qui in eodem vico habitat.

Rectus,] quia erat longus et rectus, uti Romæ trans Tiberim est platea quæ vocatur *Longara*, quia longissima et rectissima.

Saulum nomine Tarsensen,] τὸ *nomine* refer ad Saulum, non ad Tarsensem. Pauli enim nomen erat *Saulus*, cognomen vero *Tarsensis* à patria ; quia natus erat Tarsi, quæ est metropolis Ciliciæ. Unde Tigurina, æque ac Græca ponunt comma post *nomine*. q. d. Quære in domo Judæ virum quemdam, cui nomen est Saulus ; patria vero est Tarsensis. His enim indiciis Ananiæ indicat Saulum, ne pro eo alius quis ei se offerat, vel ingerat. Porro Tarsus navigationibus mercibus et opibus adeo fuit celebris, ut ab ea mare vicinum, et aliud quodlibet ab Hebræis vocatum sit *Tharsis* : quocirca Solinus Polyhist. cap. 47. Tarsum vocat *matrem urbium.*

Ecce enim orat.] Nota τὸ *enim* dat causam cur jubeat adiri Saulum, omnemque metum Ananiæ adimit. q. d. Ne timeas Anania adire Saulum, paulo ante persecutorem fidelium ; jam enim non est Saulus, qui fuit : jam non persequitur, sed orat, ut se ad meliorem vitam et baptismum disponat. Ita S. Chrysost. Hugo et Lyran. Aliter Syrus, qui hæc nectit sequentibus. Sic enim vertit : *Ecce enim dum ipse oraret, vidit per visionem virum Ananiam nomine* : Verum Græcus Textus nostræ Latinæ versioni consentit et astipulatur.

12. Et vidit virum.] Hic versus in Bibliis Romanis et Græcis parenthesi includitur : continet enim verba, non Christi loquentis ad Ananiam, sed Lucæ Historici ea referentis. q. d. Eo tempore quo Ananias à Deo missus est ad Saulum, ipse Saulus orans per visionem, non corporalem (erat enim cæcus) sed imaginariam vidit Ananiam ad se venientem, seque curantem ; idque ad hoc, ut mox veniente Anania, ex ejus voce, et specie quam in visione viderat, ab eo illuminatus eum agnosceret, et reciperet quasi à Deo ad se missum.

Domine audivi.] Tanta erat Sauli sævitia, tanta furoris fama, ut ad solum Sauli nomen Ananias, licet a Deo ad eum missus, cohorresceret. Unde se excusat. q. d. ait S. Chrysost. *Timeo eum ne forte me in Jerusalem ducat. Quid me projicis in os leonis? cur me huic prodis* : Timet ovis ire ad lupum, nesciens lupum mutatum in ovem, uti paulo ante dixi ex S. Augustino.

14. Et hic habet potestatem,] id est, hoc in loco, puta Damasci, græce enim est ὧδε. *Hic* ergo est adverbium, non pronomen.

15. Vas electionis, id est, instrumentum singulariter electum, est mihi iste.] Saulus. Hebræi enim כלי *keli*, id est vas, vocant quodlibet instrumentum. Sic *vasa cantici* Amos 6. 5. sunt instrumenta musica : *vasa belli* Gen. 49. 5. sunt arma et armati, quibus bellatur : *vasa mortis* Psal. 8. 14. sunt gladii et tela quibus mors infertur. Hinc Tigurina vertit, *organum electum*, hoc est, homo selectissimus et præstantissimus, *est mihi iste*, ait Vatablus.

Quæres, cur Paulus vocatur *vas*, id est, instrumentum electum ? Resp. Primo : quia Deus eum ex tot millenis hominum millibus præ cæteris, etiam Apostolis, elegit ad evangelizandum ubique, tam Judæis, quam Gentibus. Unde hanc ejus electionem explicans subdit : *Ut portet nomen meum coram Gentibus, et Regibus, et filiis Israel.* Hinc patet Saulum in prima sui conversione accepisse Apostolatum et gratiam Apostolicam, ac à Christo creatum esse Apostolum.

Secundo, *vas electionis*, id est prædestinationis. q. d. Paulus ab æterno à Deo ad magnam gratiam et gloriam fuit prædestinatus, juxta illud Galat. 1. 15. *Cum autem placuit ei qui me segregavit ab utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam.* Ita S. Hieron. ibidem. Simili modo Apostolus prædestinatos vocat vasa in honorem, puta aurea et argentea : reprobos vasa in contumeliam, puta lutea et fictilia, 2. Timoth. 2. 20.

Tertio, S. Chrysost. censet electionem hanc respicere tum indolem acrem et ardentem, tum zelum legis divinæ in Saulo. q. d. Deus elegit Saulum ardentem et zelantem, ut hunc ardorem et zelum corrigeret et transferret ad Christum, ut scilicet acer esset, et zelosus Christi propugnator et præco. Ad tam arduum enim Evangelii et Apostolatus munus requirebatur indoles heroica, quæ adjuta et imbuta gratia Dei, omnes difficultates, pericula et persecutiones superaret. Frigidi enim et phlegmatici, esto sancti, ad tam ardua perfringenda minus idonei sunt. Unde S. Chrysost. quærens, cur electus sit à Deo Saulus sævus et ferus? Respondet, ut homo ad cædes compositus Christianorum, converteretur ad cædes errorum, ut scilicet jugularet Judaismum et gentilismum.

Quarto, *vas* electum, id est sanctum, fuit Paulus ; tum quia virginitatem virginemque animum jugiter in corpore illibato, quasi in vase sancto, conservavit, ut patet 1. Cor. cap. 7. 7. Ita S. Gaudentius tract. 8. tom. 2. Bibliothecæ SS. Patrum. Nam, ut ait Cicero Tuscul. 1. *Corpus est quasi vas et aliquod animi receptaculum* : tum quia fuit organum Spiritus sancti. Sicut enim in organo resonat spiritus et flatus follibus illi inspiratus, in eoque suavem edit melodiam ; sic in Paulo ejusque ore resonabat Spiritus sanctus, et cœlestem edebat harmoniam, quæ homines, etiam feros et barbaros, ad se raperet, et ipsos angelos oblectaret. *Movit Amphion*, ac longe magis Paulus, *lapides canendo.* Orpheum celebrat Virgil. 4. Georg. sua voce et cantu.

Mulcentem tigres, et agentem carmine quercus.

Orpheus verus, Paulus inquam modulante per eum Spiritu sancto ferina et quernea saxeaque hominum corda mollivit et cicuravit. Ipse ergo fuit vas, id est organum, cithara, tibia, tuba et chelys meloda et conora Spiritus sancti. Unde S. Hieron. epist. 61. ad Pammach. *Ubi*, inquit, *electionis vas, tuba Evangelii, rugitus leonis nos-*

tri, tonitrua Gentium, flumen eloquentiæ Christianæ, qui mysterium, retro generationibus ignoratum, et profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei magis miratur, quam loquitur.

Quinto, fuit *vas electionis*, quia strenue et ardenter vocationi et electioni divinæ cooperatus est, juxta illud : *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi.* 1. Corinth. 15. 10. Et illud : *Si quis se emundaverit ab istis, erit vas in honorem sanctificatum et utile Domino, ad omne opus bonum paratum.* Labor et amor sunt gemelli, ait Plato : quia quem quis amat, pro eo laborat, nec ullum pro amato laborem recusat, uti Paulus pro Christo quem summe amabat, nullum recusavit, sed omnem ambivit. Fuit ergo Paulus prodigium naturæ, miraculum gratiæ, stupor Gentium, terror Judæorum, portentum universi, Dei servus electus, Christi Apostolus selectus et dilectus. Sic heri servos electos et dilectos vocant eos, qui omnia eorum jussa statim exequuntur, omniaque opera et negotia illico conficiunt.

Sexto, sicut sol Eccles. 43. 2. vocatur *vas admirabile opus Excelsi*, quia sol est vas lucis, quo Deus totum mundum illuminat; ita et S. Paulus, ipse enim fuit quasi sol orbis. Unde S. Chrysost. in cap. 1. ad Roman. *Pauli*, inquit, *lingua supra ipsum etiam solem illuxit, cæteros omnes verbi doctrina exuperans; unde à Gentilibus Mercurius esse credebatur.* Actor. 14. 11. Et lib. 1. de Providentia : *Nullus Paulo major est, aut etiam æqualis.* Unde

Septimo, S. Hieron. in c. 8. Osee : *Vas electionis*, inquit, *est Paulus, quia est vas legis, et S. Scripturarum armarium.* Sicut S. Antonius de Padua ob peritiam S. Script. à Pontifice vocatus est *Arca testamenti.*

Octavo, alii S. Paulum proprie vocari volunt *vas electionis*, quia plenus fuit sapientia et gratiâ, adeo ut de ejus plenitudine omnes gentes biberint. Ita Origenes lib. 3. Periarchon, et S. Ambros. serm. 11. de S. Petro et Paulo. Hoc est quod ait Sapiens Proverb. 20. v. 15. *Est aurum et multitudo gemmarum, et vas pretiosum labia scientiæ.*

Nono, S. Thom. præfatione in Epist. S. Pauli, de eo explicans illud, quod ab Ecclesiastico c. 50. 10. dictum est de Simone magno pontifici, *Quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso : Paulus*, ait, *fuit vas auri ob sapientiam, solidum ob charitatem ornatum cæteris omnibus virtutibus.* Vide apud eum plura.

Decimo, Paulus fuit *vas electionis*, quia electus et destinatus fuit ad multos labores, persecutiones et tribulationes patiendum pro Christo et Evangelio. Hanc enim causam subdit Christus dicens, *Ego enim ostendam ei, quanta oporteat eum pro nomine meo pati;* de quo ibi plura.

Denique vis scire ad quanta, et quam sublimia electus à Deo et evectus sit Saulus? Audi S. Chrys. h. 18. in c. 11. ad Rom. in Morali, ubi eum cœlo comparat et anteponit : *Cœlum namque*, inquit, *licet tanto sit tempore visum, non tamen admodum permovit : Paulus vero exiguo concionatus tempore, totum orbem attraxit. Cœlum enim suum servans terminum et canonem, eadem statione consistit, mentis vero Paulinæ sublimitas omnes cœlos transcendit ipsique Christo conversatur. Est autem tanta ejus pulchritudo, ut et Deus illam deprædicet. Astra quidem cum fierent admirabantur angeli : hunc vero Deus ipse admiratus est, dicens : Vas electionis iste mihi est. Cœlum istud sæpe à nube obtegitur : Pauli vero mentem nulla obnubilavit tentatio, sed in mediis quoque tempestatibus ipsam meridie claritudinem suo splendore superavit. Sol enim iste qui in Paulo luxit, tales radios non emittebat, qui tentationum concursu potuerint obumbrari, sed tum potissimum elucescebant. Unde et dicebat : Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus mea in infirmitate perficitur. Æmulemur itaque illum, et nihil erit etiam nobis collatum cœlum istud, neque sol, neque universus iste mundus.*

Idem l. 2. de Compunctione cordis : *Paulus*, ait, *super terras incedens, ipsum tenebat cœliverticem*, etc. *Amor autem ejus, et desiderium quod habebat erga charitatem Christi, non solum tres penetraverat cœlos, sed etiam omnes omnino transcenderat, et usque ad ipsum pervenerat Christum, instar flammæ immensæ, quæ universum repleret terram, et inde ascendens, repletis omnibus, usque ad ipsa perveniret cœli fastigia; sed et inde superans omnia, etiam illum qui super cœlum est aerem transcenderet : atque ubi et quæ ibi sunt spatia compleret, ascenderet usque ad tertium cœlum, et omnia hæc uno atque eodem igne compleret; ita ut nec terræ ullum, nec cœli, imo nec cœlorum spatium vacuum relinqueret.* Vide eumdem in fine Epist. ad Rom. et homiliis octo quas de laudibus S. Pauli scripsit in fine tom. 3. ubi in octava Paulum confert et præfert omnibus non tantum Patriarchis, Prophetis et Sanctis, sed et Angelis, Cherubinis et Seraphinis. An non hic est vas electionis? Quam felices in quos cadit hæc Dei electio? Terque quaterque beati, quos Deus ab omni ævo destinavit sibi vasa electionis. Utinam et nos dignetur rara sua electione et sancta vocatione Christus amor noster; ac vicissim nos vocationi et gratiæ ejus ex æquo respondeamus, itaque eam jugiter augeamus et transcendamus. Hæc enim est unica via ad eximiam virtutem et sanctimoniam. Ora pro nobis S. Paule, ut admirabilis tuæ electionis et vocationis participes effici mereamur. Amen.

Ut portet nomen meum.] Primo, sicut præco suo præconio audacter præfert et portat nomen sui principis legislatoris, cujus leges ac edicta promulgat. Secundo, sicut Propheta suis oraculis portat et præfert nomen Dei dicens : *Hæc dicit Dominus.* Tertio, sicut legatus libere portat et præfert nomen Regis, à quo mittitur. Quarto, sicut miles et vexillifer intrepide ac fortiter portat, præfertque nomen et insigne sui ducis. Quinto, sicut doctor portat et præfert nomen sui Auctoris, cujus libros et doctrinam docet et explicat. Porro Paulo portavit Christi nomen in corde per amorem ardentissimum, in ore per eloquium efficacissimum, in opere per labores et passiones continuas et gravissimas, in Epistolis per sapientiam et zelum ferventissimum. Unde ait : *Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.* Galat. 6. 17. hæc enim stigmata sunt quasi characteres nominis Jesu.

Coram Gentibus.] Hinc ejus titulus est, *Doctor Gentium*, 1. Timoth. 2. 7.

Et regibus.] Ut coram Agrippa rege Judææ, Actor. 26. Nerone, et aliis provinciarum, quas plurimas Evangelizando obivit, regibus. Similis fuit electio et vocatio S. Johannis Chrysostomi : Flaviano enim Patriarchæ mane oranti apparuit angelus, jussitque adire monasterium in quo monachum agebat Chrysostomus eumque con

secrare sacerdotem : *Ille enim*, inquiebat, *instar Pauli futurus est vas electionis, et verbo comprehensurus totum orbem.* Cumque Chrysostomus silentii et monastices adamator, illum honorem onusque subterfugeret, ei quoque apparuit angelus, jubens, ut Flaviano non repugnaret, sed acquiesceret, dicens : *Quæ Deus statuit, quis poterit vitare?* ita habet vita S. Chrysost.

Et filius Israel.] Hi ultimo ponuntur loco, quasi digniores Gentibus, utpote qui erant filii Abrahæ, et consequenter eis proprie promissus et missus erat Christus : hos tamen infensissimos sui, æque ac Christi hostes expertus est Paulus.

Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.] Ostendit hoc Deus Paulo, tum per internam inspirationem (solet enim Deus instantia mala gravia Sanctis suggerere, et quasi præsagire, ut ad ea paratiores et animosiores accedant) tum per externam, ut cum per Agabum prædixit ei vincula, quæ paulo post subiit Hierosolymis cap. 21. 11. tum per experientiam quotidianam, cum scilicet eum quotidie novas et majores experiri et subire fecit persecutiones et cruces. Sic sæpe in Scriptura *ostendere*, idem est quod reipsa exhibere, præstare, facere, ut cum toties orat Psaltes : *Ostende nobis Domine misericordiam tuam. Ostende*, id est exhibe, præsta, fac. Et Daniel. c. 3. 44. *Confundantur omnes qui ostendunt* (id est faciunt) *servis tuis mala.* Et Psalm. 4. 7. *Quis ostendet* (dabit) *nobis bona.* Et Ps. 50. *Ostendisti* (fecisti) *populo tuo dura.* Et Ps. 70. 20. *Quanta ostendisti* (immisisti) *mihi tribulationes.*

Nota. Τὸ *enim* dat causam præcedentium, cur scilicet Paulus futurus sit vas electionis, et quomodo portaturus sit nomen Christi coram Judæis et Gentibus, q. d. Paulus erit mihi vas electionis, quia portando nomen meum coram gentibus et regibus, multa magnaque pro me generose et constanter patietur. Unde liquet Paulum, aliosque electos Dei servos, magis à Deo eligi et destinari ad multa pro eo patienda, quam agenda. Servitus enim Dei, æque ac apostolatus, magis consistit in multa passione, quam operatione ; nimirum : *Fortia agere Romanum est; fortia pati Christianum est*, imo Apostolicum et Paulinum. Nam Primo, Paulus et Apostoli evangelizantes novam fidem et paradoxam, nimirum Christum crucifixum esse Deum et Salvatorem mundi, servandam esse continentiam, sobrietatem, mortificationem cupiditatum, etc. multos senserunt irrisores, contradictores et persecutores. Secundo merito hanc pœnam Saulo pro peccatis inflixit Deus. Audi S. August. serm. 14. de Sanctis : *Ostende*, ait, *persecutori non solum bonitatem, verum etiam severitatem tuam : patiatur, quod fecit illos et pati : qui faciebat, sentiat et ipse quod aliis inferebat. Ego*, ait, *illi ostendam quæ illum oporteat pati pro nomine meo : qui faciebat contra nomen, patiatur pro nomine. O sævitia misericors! Vides illum præparare ferrum, secturus est, non peremptarus.* Tertio, quia Christus multo plura pro eo, et ab eo passus erat : decuit ergo, ut et ipse vicem rependeret Christo, et multa pateretur pro eo. Quarto, quia decuit prædicatorem Christi crucifixi eum magis prædicare exemplo, quam verbo : hoc enim efficacius est, magisque persuadet. Quinto, quia actus majoris fortitudinis est fortia pati, quam agere, utpote longe difficilior. Sexto, quia amor ille ardens, ipsi à Christo inditus satiari non poterat, nisi magnis multisque laboribus et tribulationibus pro eo toleratis. Unde ipse ait : *Gloriamur in tribulationibus.* Roman. 5. 3. præsertim quia videbat se à Christo tantopere diligi, tot beneficiis affici, ac nominatim divinis consolationibus affluere in medius persecutionibus. *Quoniam*, ut ipse expertus ait 2. Cor. 1. 5. *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra :* quantum ergo crescebat tribulatio et desolatio, tantum quoque crescebat Dei consolatio.

Porro quanta, et quam gravia assidue pro Christo passus sit Paulus, patet tum ex sequentibus capitibus hujus libri usque ad finem, tum ex Epistolis S. Pauli, ac præsertim toto cap. 11. Epist. 2. ad Corinth. Christus enim ei magnam præparat in cœlis gloriam et coronam, quæ ei promerenda erat per magnos labores et dolores. *Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Rom. 8. 18. Quocirca summa dignitas et gloria est, multa magnaque pati pro Christo : quam Deus non omnibus, sed electis et dilectis suis dat, ut S. Paulo et similibus. Vide dicta c. 6. 41.

Simili visione et multa patiendi symbolo sanctus Franciscus Xaverius cœlitus evocatus, et quasi auctoratus est Indorum Apostolus. Dum enim Romæ in hospitali domo ægris ministraret in somnis revelavit et repræsentavit ei Deus ingentes labores et ærumnas, quos in India pro sui nominis gloria erat subiturus. Quos intuens Xaverius alacer : *Plus*, inquit, *Domine, plus, plus;* idque iteravit voce tam alta, ut P. Simonem Rodericum cubiculi socium è somno excitaret, et percelleret. Idem sibi visus est in somnis sæpius, humeris gestare Indum atrum instar Æthiopis, adeo gravem, ut sub tanto onere non posset caput attollere. Id ipse referens P. Jacobo Laynez tum socio suo : *Adhuc*, ait, *ex hoc somnio tantam corporis fatigationem et quasi contusionem in membris persentisco, ac si reipsa cum Indo illo luctatus essem.* Ita inter alios refert P. Lucena gravis Theolog. l. 1. Vitæ Xaverii c. 7.

17. Imponens ei manus.] Calvinus censet Ananiam Saulo impendisse Sacramentum Confirmationis. Hoc enim vocatur impositio manuum. Unde infert, illud non à solis Episcopis, sed et à Presbyteris aliisque (talis enim erat Ananias) posse conferre. Sed errat : nam necdum baptizatus erat Saulus ; ergo hæc impositio manuum non fuit Confirmatio, quæ sequi debet baptismum ; sed partim fuit curatio et illuminatio Sauli, juxta illud Christi Marci ult. *Super ægros manus imponent, et bene habebunt :* partim fuit dispositio et præparatio ad baptismum. Sic enim catechumenis olim manus imponebantur à sacerdote, ut pro eis oraret eisque Dei benedictionem imprecaretur : cujus cæremoniæ testes sunt S. Dionys. Eccles. Hieron. c. de Baptismo, S. Cyprian. Epist. 56. S. August. l. de Fide et oper. c. 4. et Conc. Carthag. IV. Can. 85. Adde, peculiaria multa fuisse in Saulo : vocatus enim è cœlo, edoctus à Christo, rem Sacramenti percepit sine Sacramento, puta repletus est Spiritu sancto, qui est effectus Sacramenti Confirmationis, sine hoc Sacramento. Denique repletus est Spiritu sancto non per manuum Ananiæ impositionem, ut vult Calvinus sed per baptismum, uti mox dicam.

Saule frater.] Olim Christiani invicem vo-

cabant se fratres, et feminas sorores, scilicet spiritu, non carne : nam omnes eodem baptismo renati, eumdem habebant Patrem Christum, et eamdem Matrem Ecclesiam, in qua magis amice et concorditer vivebant, quam germani fratres in eadem paterna domo. Esto enim Paulus necdum reipsa esset Christianus, quia necdum baptizatus, voto tamen erat eoque ardentissimo; jam enim plane fidem, amorem et spiritum Christi induerat.

Dominus misit me Jesus.] *Nomen Jesus interponit, ut significet illius virtute afferri sanitatem, sicut significavit Petrus, cum claudo gressum restituit* cap. 3. 6. ait S. Chrysost. Manum ergo Saulo imponens, nominando et tacite invocando Jesum, cæcitatem discussit, eique visum restituit.

Ut videas, per hanc manuum mearum impositionem, Jesuque invocationem : et implearis Spiritu sancto,] in baptismo, quem mox tibi conferam. Id ita esse patet ex eo, quod proxime sequitur : *Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ et visum recepit.* Ubi nihil additur de Spiritu sancto, sed de eo subdit.

18. Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ,] similes squamis piscium, inquit Lyran. et Cajet. Hinc videtur, quod cæcitas Pauli non fuerit intrinseca, nimirum sita in læsione organi, puta in desiccatione vel extinctione humoris crystallini, vel tunicæ ocularis; sed extrinseca, scilicet quod oculi ejus obducti fuerint pelliculis, quasi squamis. Similis fuit Tobiæ cæcitas, quæ naturaliter felle piscis discussa est. Unde de ea cap. 11. 14. *Et cœpit*, ait, *albugo ex oculis ejus, quasi membrana ovi egredi quam apprehendens Tobias traxit ab oculis ejus, statimque visum recepit.* Sicut ergo stercus hirundinum cadens in oculos Tobiæ, ibique cum affluente ex cerebro humore, sive pituita concrescens, eos pellicula obduxit et cæcavit, ita et hic lux illa feriens oculos Pauli, suo calore et occulta vi humores ex cerebro in oculos deduxit, ibique eos coagulavit, ut in pelliculas intar squammarum duras concrescerent, itaque oculos obtegerent et cæcarent. Similis cæcitas multis hodie obvenit ex humore defluente, in pelliculam concreto, oculosque velante, quam periti chirurgi sæpe arte sua curant, acu pelliculam auferentes. Verum in Paulo pelliculæ et cæcitatis ablatio fuit miraculosa, quia sola impositione manuum Ananiæ, et invocatione nominis Jesu illico facta : nec enim Ananias felle piscis extergente, vel acu educente pelliculam et squamam exemit.

Tropol. S. Greg. 33. Moral. c. 24. per squamas accipit velamen carnalis sapientiæ, aut excusationum et hypocriseos. *Carnalis tegumenti duritia* (ait) *illum* (Saulum) *presserat, et idcirco radios veri luminis non videbat. Sed postquam superbæ repugnationes ejus victæ sunt, defensionum ejus squamæ ceciderunt corporis, sed ante jam sub Dominica increpatione ceciderant ab oculis cordis, cum prostratus dixit : Domine quid me vis facere? Repulsis videlicet squamis, jam ad cordis viscera veritatis sagitta pervenerat, quando deposita elatione superbiæ, eum quem impugnaverat Dominum confitens, et quid ageret nesciens requirebat. Unde audivit : Ego sum Jesus. q. d. Humilitatis meæ infirma suscipe, et tuæ superbiæ squamas amitte. Sciendum tamen est, quod istæ defensionum squamæ, quamvis pene omne humanum genus contegant, hypocritarum tamen specialiter et callidorum hominum mentes premunt. Ipsi enim culpas suas tanto vehementius confiteri refugiunt, quanto se citius videri ab omnibus peccatores erubescunt. Correpta itaque sanctitatis simulatio, et malitia occulta deprehensa squamas objicit defensionis, et veritatis gladium repellit.* Hypocritæ ergo, et sui amatores cæci sunt. Simulatio enim squama est, calva excusatio squama est, amor sui squama est, quæ eis velat oculos mentis, visumque veritatis adimit. Sed has squamas Jesus per Ananiam, id est, per gratiam Dei, perque concionatores, confessarios, aliosque viros spiritales dissolvit et discutit.

Et surgens baptizatus est.] Nec enim ante baptismum repletus fuit Spiritu sancto præsertim, cum hic descensus et repletio Spiritus sancti illo tempore fieret per signum visibile ignis, aut linguarum ignearum. Hunc autem signum ordinarie non dabatur nisi in confirmatione, et subinde in Baptismo; uti hic in gratiam Pauli, in eo dedit illud Deus. Alia fuit ratio in descensu Spiritus sancti, ad concionem Petri super Cornelium, antequam baptizaretur, c. 10. 44. ut ibi dicam. Addit Nyssenus orat. de S. Basilio, et S. Hieron. in 1. Ezech. Paulum visum recepisse, non per impositionem manuum Ananiæ, sed per baptismum; ut sit hoc loco hysterologia. Verum contrarium est verius, uti jam dixi : id enim exigit ordinata series contextus. Ita passim Interpretes. Addit Paulus Actor. 22. 14. Ananiam sibi exhortando dixisse : *Deus patrum nostrorum præordinavit te, ut cognosceres voluntatem ejus, et videres justum* (Christum) *et audires vocem ex ore ejus; quia eris testis illius ad omnes homines, eorum quæ vidisti et audisti : Exurge et baptizare, et ablue peccata tua.*

Et Baptizatus est.] Licet enim jam ante cum diceret, *Domine, quid me vis facere?* per contritionem ei dimissa essent peccata; tamen hæc contritio includebat votum et obligationem baptismi : qua proinde hic se exsolvit Saulus. Rursum baptizatus est, ut Christianismo initiaretur, utque fieret capax Confirmationis, Ordinationis, cæterorumque Sacramentorum : horum enim janua est baptismus.

Censet S. Ambros. serm. 31. Saulum in baptismo mutasse nomen, vocatumque esse Paulum. Verum contrarium verius est, de quo c. 13. 9.

Porro per baptismum Saulus recepit Spiritum sanctum, ejusque plenitudinem. In baptismo enim omnia peccata, et omnes peccatorum pœnæ abluuntur, ac infunditur gratia, charitas, omnesque virtutes et dona Spiritus sancti. Quare non est verisimile, Saulum horum plenitudinem recepisse per nudam impositionem manuum Ananiæ, quæ non erat Sacramentum, sed mera cæremonia et orationis symbolum. Ergo recepit eam per baptismum, qui est primum et præcipuum Christi et Ecclesiæ Sacramentum. Porro ex speciali Dei dono Saulus, utpote Apostolus, et mox futurus prædicator, longe majorem in eo recepit plenitudinem, quam cæteri fideles.

19. Et cum accepisset cibum confortatus est.] Nam, ut ait S. Chrysost. *debilitatus erat ex itinere, et ex metu, et ex jejunio, et ex tristitia*, puta compunctione animi.

Quæres, quoto anno à nativitate et passione Christi, conversus est Paulus? Resp. aliqui, conversum esse anno proximo à passione Christi, qui fuit ab ejus nativitate 35. anno

enim 34. passus est Christo in Martio, et eodem in decembri die 26. lapidatus est Stephanus : inde fere post mensem, puta anno 35. Christi, die 25. Januar. conversus est S. Paulus Favet, quod precibus S. Stephani dum lapidaretur, conversus sit Paulus : ergo mox à lapidatione ejus : alioqui enim preces ejus per annum integrum, quo permissus est in Ecclesias grassari Saulus, fuissent inefficaces et quasi irritæ. Ita Eusebius in Chronico, Guil. Durandus l. 7. Rationalis divin. offic. c. 4. Chrystoph. à Castro in Chronol. Deiparæ, et Adrichom. in Chorolog. qui ait Paulum conversum anno 35. Christi feria quarta, sive die Mercurii. Huc etiam reduci possunt Hippolytus, Thebanus et Evodius, qui dicunt Sthephanum 7. anno à morte Christi passum, et mox ab ejus nece conversum esse Paulum : ibi enim pro *anno* videtur legendum *mense*, ut dixi cap. 7. v. 57. Porro paradoxum est quod scribit Chronicon Alexandrinum, Stephanum lapidatum esse anno primo Claudii Imper. et Paulum conversum anno secundo ejusdem. Annus enim primus Claudii incidit in annum à Christi nativitate 43. qui fuit à morte et ascensu Christi nonus.

Ex adverso alii putant Paulum conversum esse anno 2. à morte Christi, qui ab ejus natali fuit 36. Ita ut præcise à die mortis Christi usque ad diem conversionis S. Pauli, intercesserit biennium, exceptis duobus mensibus, qui fluxerunt à die 25. Januarii, quo conversus est Paulus, usque ad diem 25. Martii, quo passus est Christus, uti eodem ante 34. annos fuerat annuntiatus et conceptus, factus homo in utero Virginis. Ita censent Œcumen. Sanchez. Lorinus, Baron. et Perer. in Prolegom. epist. ad Roman. disput. 1. Num. 24. favet Martyrol. Romanum, et Usuardi, et Isidorus lib. de Vita et morte Sanctorum cap. 71. qui dicunt Paulum conversum anno 2. ab ascensione Christi. Licet enim alii ad hoc respondeant, hos Auctores computare annum 1. ab ascensione cum, qui immediate ab ascensione fluxit usque ad Calendas Januarii, quibus inchoabatur novus annus, isque secundus; tamen communiter aliter loquuntur et computant homines, et per annum secundum significant biennium. Favet et ratio; quia quæ narrat Lucas post necem S. Stephani de persecutionibus Sauli, de conversione Samariæ, de itineribus et gestis Philippi, deque Ecclesia jam collecta Damasci, non videntur fieri potuisse uno mense, sed facile unum annum requirunt; nisi quis dicat, multa ex illis post conversionem S. Pauli contigisse; Lucam vero ea præposuisse, ut simul gesta Philippi, qui S. Stephano successit, pertexeret. Hæc sententia, uti communior et Martyrologiis conformior, ita et verior videtur. Permisit ergo post preces Stephani Deus, adhuc annum integrum sævire Paulum, ut totum malitiæ virus expromeret, itaque facilius curaretur, utque eo major ipsius gratia et potentia in eo convertendo toto orbe splendesceret : suorum enim preces esto exaudiat Deus, non tamen statim adimplet, sed tempore suis consiliis et decretis opportuno et commodo. Unde prius permisit eum grassari in Christianos per totam Judæam, antequam iret et vexaret exteros, puta Damascenos, ut ipse insinuat c. 26. 11. ubi ait se per omnes Synagogas eos esse persecutum. Idem insinuatur c. 8. 2. Hoc autem facere non potuit uno mense, sed uno anno. Judæa enim est ampla et vasta, præsertim quia, ut ibidem dicitur v. 3, Saulus scrutabatur singulorum domos, et fideles occiso Stephano dispersi sunt per omnes regiones Judææ et Samariæ, quos omnes Saulus spirans minarum capere et extirpare satagebat.

Hinc sequitur, Saulum conversum esse anno ætatis 34. ac totidem deinde annos serviisse Christo, defunctus enim est anno ætatis 68. ait S. Chrysost. quem citavi proœm. in S. Paulum. Quare quod quidam citant S. Chrys. hom. de Princip. Apost. dicentem de Paulo : *Triginta quinque annis servivit Domino cum omni promptitudine*, indeque colligunt, Paulum conversum esse anno Christi, 35. incunte, non 36. ego hucusque in S. Chrysost. non reperi. Sed si id dicat S. Chrysost. secutus videtur Chronicon Eusebii tunc recens editum, quod necem Pauli consignat anno Neronis 14. qui fuit Christi 70. Si enim numeres annos Christi à 36. quo conversus est Paulus, usque ad 70. quo in Chronico Eusebii ponitur occisus, invenies annos Pauli post conversionem 35. Verum errat hic Chronicon. Nam S. Petrum et Paulum occisos esse anno Neronis 13. non 14. convincit ex eo Baronius, quod anno 14. die 29. Junii, quo occisi sunt Apostoli, Nero non erat in vivis; occisus enim est sub initium Junii ejusdem anni 14. Hoc ergo Baronii computu dicendum est, Paulum 34. non 35. annos serviisse Christo.

19. FUIT AUTEM CUM DISCIPULIS, QUI ERANT DAMASCI, PER DIES ALIQUOT.] S. Chrys. legit, *per dies tres :* pro τινὰς enim, id est *aliquot*, legit τρεῖς, id est *tres :* qui et causam hujus mansionis subdit. *Consolatio*, ait, *ista adducto* (converso) *Paulo, compensabat mœrorem quem ex morte Stephani fideles conceperant : nec facile potest æstimari, quanto cuncti gaudio triumpharent, et quas Deo gratias agerent, et Saulo gratulationes exhiberent.*

20. ET CONTINUO (εὐθέως, id est *confestim*) IN SYNAGOGIS PRÆDICABAT JESUM.] Hinc patet Paulum illo triduo quo cæcus mansit Damasci, à Christo fuisse edoctum, et accepisse scientiam infusam, et intelligentiam Scripturarum de Christo : illico enim cœpit eum prædicare, et cum Judæis doctissimis disputare eosque convincere. Nota hic miram mutationem Pauli, animos et ignes subitos. *Non erubescat*, ait Chrys., *mutationem, neque formidabat destruere ea in quibus ante clarescebat.*

Hæc nimirum est visetenergia Spiritus sancti, de qua præclare S. Greg. hom. 30. in Evang. *Ecce apertis*, ait, *oculis fidei David, Amos Danielem, Petrum, Paulum, Matthæum intueor, et sanctus iste Spiritus qualis sit artifex considerare volo, sed in ipsa mea consideratione deficio. Implet namque citharœdum pucrum* (Davidem) *et Psalmistam facit. Implet pastorem armentarium sycomoros vellicantem et Prophetam facit. Implet abstinentem puerum, et judicem senum facit. Implet piscatorem, et prædicatorem facit. Implet persecutorem, et doctorem Gentium facit. Implet publicanum, et Evangelistam facit. O qualis artifex est iste Spiritus! nulla ad discendum mora agitur in omne quod voluerit. Mox enim ut tetigerit mentem, docet; solumque tetigisse, docuisse est. Nam humanum animum subito ut illustrat, immutat; abnegat hoc repente quod erat, exhibet repente quod non erat. Pensemus sanctos prædicatores nostros, quales hodierna die reperit, quales fecit*, etc.

QUONIAM, ὅτι, id est *quod*, IS ESSET FILIUS DEI.] Ita Tigurina, Pagnin. et alii.

21. STUPEBANT AUTEM OMNES.] Judæi scilicet, et Gentiles infideles, ait S. Chrys. quin et fideles ac Christiani mirabantur, tantam, et tam subitam in Saulo mutationem, ut, sicut de Saule prophetante dicebant : *Num et Saul inter Prophetas?* 1. Reg. 10. Sic et de Saulo dicerent : *Nam Saulus inter Apostolos? Nunquid ille Jesum prædicat, qui Jesum persequi solebat?* ait S. Greg. l. 4. in lib. 1. Reg. c. 10.

QUI EXPUGNABAT,] ὁ πορθήσας ; Tigurin. *qui grassabatur;* Vatab. *qui vastabat*, vel *populabatur. Expugnabat* ergo, id est oppugnabat, expugnare et extinguere satagebat : sumitur enim in actu inchoato, non perfecto : nec enim Ecclesia, nec fideles in fide constantes ulla persecutione expugnari, vel everti possunt. Sic ait Psaltes Ps. 128. 1. *Sæpe expugnaverunt me à juventute mea,* id est oppugnaverunt ; nam sequitur : *Etenim non potuerunt mihi.* q. d. Oppugnaverunt me, sed non prævaluerunt, non expugnarunt. Mirantur merito, quod Saulus paulo ante acer oppugnator Ecclesiæ, illico fiat acrior, ejusdem propugnator.

22. SAULUS AUTEM MULTO MAGIS CONVALESCEBAT,] id est, *invalescebat*, ut vertit Tigurina valentior fiebat, majores vires et animos sumebat, validius oppugnabat Judæos.

ET CONFUNDEBAT JUDÆOS,] συνέχυνε, id est *conturbabat;* Syrus, *terrebat.* Confundere ergo hic proprie non significat pudore afficere, sed commovere, conturbare, perplexos reddere : ut nescirent quomodo se expedirent, et Pauli argumenta solverent.

AFFIRMANS,] συμβιβάζων, id est *conferens aptansque*, nempe tempora promissi Messiæ, et oracula Prophetarum inter se comparans et componens, confirmansque ex omnium collatione atque convenientia, Christum crucifixum esse semen illud benedictum Abrahæ et Prophetis promissum, in quo benedicendæ, id est justificandæ et salvandæ, erant omnes gentes hoc est Christum esse Messiam, salvatorem et redemptorem mundi. Congerebat enim Saulus testimonia de Christo ex Mose, Isaia, Jeremia, aliisque Prophetis, ac ostendebat omnia inter se congruere; nec aliud dicere, quam *quoniam*, id est, *quod hic* Jesus à Judæis crucifixus, *est* Messias, sive *Christus.*

23. CUM AUTEM IMPLERENTUR DIES MULTI.] Puta post triennium. Nam Saulus Damasco abiit in Arabiam, inde rediit Damascum, ubi hæ ipsi positæ sunt insidiæ, quas effugiens profectus est Hierosolymam, uti ipse narrat Gal. 1. v. 17. et 18. Vide ibi dicta. Nam si hæc ejectio Sauli è Damasco contigisset ante hoc triennium, puta ante ejus abitum in Arabiam, uti nonnulli volunt, ita ut tunc è Damasco occulte debuerit fugere, imo dimitti per murum in sporta; certe eodem palam post triennium non fuisset reversus, conjecisset enim se in manifestum vitæ periculum. Ita Baron.

24. CUSTODIEBANT AUTEM ET PORTAS.] Persuaserant enim Judæi Aretæ regi Damasci Saulum esse proditorem et exploratorem, uti dixi 2. Corinth. 11. 32. Vide ibi dicta.

26. CUM AUTEM VENISSET IN JERUSALEM, TENTABAT SE JUNGERE DISCIPULIS,] id est Christianis, præsertim Petro et Apostolis : videndi enim Petri, utpote Apostolorum et Ecclesiæ Principis, causa fatetur se ivisse Hierosolymam, Galat. 1. 18. Pro *jungere* græce est κολλᾶσθαι, id est, *se agglutinare;* sicut enim charta chartæ glutino, ita Christianus Christiano charitate agglutinatur : licet enim triennium jam à Pauli conversione esset exactum, tamen quia ipse toto eo tempore delituerat in Arabia, idcirco ejus conversio et mens multis adhuc erat incognita et suspecta ob priorem ejus vitam, acremque fidelium persecutionem, ne forte fingeret se conversum, ad explorandos et divexandos Christianos : uti faciunt proditores Christianorum in Anglia.

27. BARNABAS AUTEM.] Qui noverat intime Sauli indolem et mores, certoque cognoverat ejus conversionem, utpote Saulo à puero familiaris et condiscipulus sub Gamaliele magistro, quique continuo eum ad conversionem sollicitabat, ut habet ejus Vita. Hic ergo duxit Saulum ad Apostolos, ut ab eis non tantum inter Christianos, sed et inter Apostolos admitteretur, utpote à Deo creatus Apostolus, imo electus in vas electionis.

ET QUOMODO IN DAMASCO FIDUCIALITER EGERIT IN NOMINE JESU,] ἐπαρρησιάσατο, id est manifeste, libere, fidenter egisset in nomine Jesu, hoc est, magna libertate, fiducia, audacia et fortitudine in Synagogis Judæorum docuisset, et demonstrasset Jesum esse Christum, sive Messiam. Vide de hoc verbo ea quæ notavi c. 4. 29.

Nota, *in nomine Jesu*, hoc est nomine Jesu, pro Jesu. Ita Tigurina. Vel *in*, id est, *de* nomine Jesu, docens scilicet eum esse Jesum, id est salvatorem mundi. Tertio, verti potest, *quomodo fiducialiter docuerit in nomine Jesu,* id est, nomen Jesu, puta Jesum vere esse Jesum, id est, salvatorem mundi. Verba enim contactus, tum corporalis, tum spiritualis, qualis est docere (vox enim Doctoris tangit aures mentemque discipuli) apud Hebræos construuntur cum ablativo mediante propositione *in*, ut tangere in manu, est tangere manum; percutere in capite, est percutere caput : sic docere in nomine Jesu, est docere nomen Jesu, puta Jesum : nomen enim metonymice pro re cujus est nomen, puta pro persona nominata ponitur.

28. ET ERAT CUM ILLIS INTRANS ET EXIENS.] Id est, familiariter, jugiter et ubique commanens et conversans : *intrare enim* et *exire*, Hebræis significat quemlibet actum. q. d. Quidquid ageret, hoc agebat cum illis, continuo et perpetim versabatur cum illis. Vide ibi dicta c. 1. 21.

29. LOQUEBATUR QUOQUE GENTIBUS.] Vox *Gentibus* non est in Græco, nec Syro, nec Latino Gothico, teste Mariana, nec in Beda, nec in Chrysost. aliisque Græcis Interpretibus, unde Mariana censet eam redundare. Romani tamen Codices jussu Clementis VIII. emendati eam habent uti et cæteri Latini. Porro non est verisimile Saulum hic prædicasse Gentilibus; hoc enim primum jussu Dei fecit Petrus Cornelio Centurioni, ut audiemus cap. seq. nec Judæi etiam ad Christum conversi, passi fuissent eum evangelizare Gentibus, uti hac de causa expostularunt cum S. Petro cap. 11. v. 3. Dici ergo potest Primo, eosdem hic esse *Græcos et Gentes :* voluit enim Lucas explicare, quænam essent hæ Gentes, vocando eas Græcos. Pro Græcis autem græce est non Ἕλληνες, sed ἑλληνιστάς, id est *græcizantes*, hoc est, Judæi in Græcia, puta inter Gentes nati, vel

educati et conversati; aut, ut Syrus vertit, *Judæi qui sciebant græce.* Idem ergo est *loquebatur Gentibus*, quod *disputabat cum Græcis*, puta cum Judæis è Græcia venientibus. *Gentes* ergo hic vocantur Judæi inter Gentes nati, vel conversati. Hi enim vocantur Græci, græce ἑλληνισταί: illo enim tempore Græcus idem erat quod Gentilis, uti dixi c. 6. 1.

Secundo, respondet Bellarm. lib. 1. de Romano Pontif. cap. 22. Saulum disputasse cum Gentibus, non eas ad fidem pertrahendo, sed fidem Christianam ab earum calumniis defendendo.

Tertio, *Gentes* hic accipi possunt Gentiles proselyti, hoc est conversi ad judaismum: illi enim utpote religione jam Judæi, capaces erant Christianismi.

Quarto, si omnino velis hic accipere Gentiles manentes in gentilismo, dicito cum Sanchez, hæc contigisse post conversionem Cornelii à S. Petro c. 10. qui aperuit ostium fidei et Ecclesiæ Gentilibus. Nam hæc contigerunt post triennium à conversione S. Pauli: triennio enim egit in Arabia, ut dixi v. 23. inde rediens Damascum, ob insidias Judæorum fugit Jerusalem, ibique locutus est Gentibus, ut hic dicitur. Quare cum Paulus conversus sit anno Christi 36. adde triennium, habebis annum Christi 39. quo, vel post quem hæc contigerunt: ante quem videtur conversus à Petro Cornelius, de quo cap. seq. Est ergo hic hysterologia. Voluit enim Lucas pertexere res Pauli continuo filo, deinde aggredi gesta S. Petri.

Illi autem quærebant occidere eum.] *Propter adeo acrem efficacemque disputationem ejus pro nomine Christiano*, ait S. Chrysost. Verisimile enim est eum disputasse cum sua Synagoga Judæorum, qui erant è Cilicia, de qua cap. 6. 9. qui uti lapidarant Stephanum, ita et lapidare cogitabant Saulum, eo magis, quod is quasi Synagogæ transfuga et proditor, Christianorum acerrimus esset propugnator. Ipse enim, utpote Tarsensis et Cilix, olim cum S. Stephano fuerat è Synagoga Cilicum.

30. Deduxerunt eum Cæsaream.] Quæ à Philippo Tetrarcha cognominata est *Philippi*. Syrus ait nocte deductum, ut scilicet nocte silenti securius abiret. Porro videtur abiisse jussu Dei, sibi apparentis in templo, uti ipse ait c. 22. v. 17. illa enim ejus visio quæ illo cap. enarratur, videtur hoc tempore contigisse. Porro fugit Paulus, non ex metu, sed ex fortitudine. *Fortis enim prædicator Dei teneri intra claustra noluit, quia certaminis campum quæsivit*, ait S. Gregorius, 2. Dial. 3.

31. Ecclesia.] Græce ἐκκλησίαι, id est, *Ecclesiæ* in plurali: plures enim erant particulares per Judæam, Galilæam, et Samariam Ecclesiæ, quæ unam conflabant totalem et universalem.

Habebat pacem.] Jam enim à persecutione et nece Stephani, qui occisus est anno Christi 34. in fine agebatur annus quintus, puta annus Christi 39. uti paulo ante dixi: quo pariter anno, imperii sui ultimo Tiberius Cæsar, teste Eusebio in Chron. audiens mira quæ Christus gesserat in Syria, eum ut Deum habendum et colendum censuit, qua de re retulit ad Senatum: *Senatus quia non prior probaverat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum*, ait Tertull. Apolog. c. 5. Atque hæc non parva pacis Ecclesiæ fuit causa: ita Deus persecutioni pacem, tristibus læta submittit, nimirum *post nubila Phœbus.*

Ædificabatur,] crescebat numero et virtute fidelium: hi enim quasi lapides vivi ædificant domum Dei, quæ est Ecclesia, ad Ephesios 2. 20.

Ambulans in timore Domini.] Timor hic filialis est idem cum charitate. Charitas enim sicut unice amat Deum, ita summe timet et cavet ne qua re eum offendat. Hic est timor Sanctorum, de quo Psaltes: *Timete Dominum omnes Sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum.* Et psal. 2. *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.* Proverb. 14. *Timor Domini fons vitæ.* Eccli. 1. *Timor Domini, gloria et gloriatio.* Et c. 21. *Consummatio timoris Dei sapientia.* Et c. 25. 15. *Timor Dei super omnia se superposuit. Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei: qui tenet illum cui assimilabitur? Timor Dei initium dilectionis ejus.* Et c. 40. 20. *timor Domini sicut paradisus benedictionis, et super omnem gloriam operuerunt illum.*

Et consolatione.] Græcum παράκλησις tria significat, scilicet, *consolationem, exhortationem, et patrocinium:* inde Spiritus sanctus est et dicitur Paracletus, quia hæc tria Sanctis præstat. Unde Græca et Syra habent: *et consolatio Spiritus sancti multa erat*, juxta illud psal. 30. 20. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!* Hoc est manna absconditum vincenti promissum et datum Apocal. 2. 17. Vide ibi dicta. His divinis solatiis abundabat in Indicis laboribus S. Xaverius, quando clamabat: *Satis est Domine, satis est: nec enim cor humanum in hac vita tantum voluptatis tuæ torrentem capit.* Et Psaltes psal. 76. *Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, et delectatus sum.* Præclare S. Bernard. serm. de verbis Apostoli. *Non est regnum Dei esca et potus. Gaudium*, inquit, *de regno Dei*, etc. *est gaudium in Spiritu sancto. Unde autem hoc gaudium, nisi de justitia et pace procedit? Ipsa ergo procedant tanquam cellulæ mellis.* Et mox: *Hoc est duplex gaudium quod habes in Spiritu sancto, de memoria futurorum bonorum, et malorum præsentium tolerantia.* Idem in vigilia Nativitatis serm. 4. *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete. Gaudete de exhibitione, iterum gaudete de promissione: quoniam et res plena gaudio, et spes plena gaudio est. Gaudete, quia jam percepistis donasinistræ: gaudete, quia expectatis præmia dextræ. Læva, inquit, ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Læva quidem levat, dextera suscipit. Læva medetur et justificat, dextera amplectitur et beatificat. In læva ejus merita, in dextera vero præmia continentur.* Plura vide apud S. August. concion. 20. in psal. 118. Gregor. hom. 36. in Evang. Chrysost. hom. 1. in 2. ad Corinth. Cassianum collat. 4. c. 5. S. Bernardum in Cantic. serm. 1. 2. 3. 74. etc.

32. Dum pertransiret universos,] tanquam caput fidelium lustrans universos, sicut princeps perambulat regiones sibi subjectas, omnia lustrans, omnibus providens et jus dicens. *Perambulare* enim in Scriptura est principum, et denotat auctoritatem et jus regendi, uti ostendi Zachar. 1. 10. et 11. *Sicut dux in exercitu*, inquit Chrysost. *obambulans considerabat quæ pars sit coadunata, quæ ornata, quæ suo adventu egeat: vide illum ubique circumcursare et primum invenire.*

Moral. discant hic Pastores à Principe Pastorum, obire et visitare suos subditos, uti inter alia mandat Concilium Trident. sess. 14. c. 3. de reformat. nimirum : *A bove majori discit arare minor.*

Nota. Multa hic omittit Lucas, ut quod S. Petrus in hoc transitu (quem ad biennium durasse censet Baron.) devenerit Antiochiam, ibique quasi in Metropoli Syriæ, ad quam magnus erat Judæorum confluxus, et ad quam multi Christiani in dispersione facta post necem Stephani, profugerant, fixerat cathedram pontificiam, fundando Ecclesiam Antiochenam (quam postea prædicando auxerunt Saulus et Barnabas, ita ut discipuli primum Antiochiæ cognominati sint Christiani, cap. 11. 26.) quod S. Hieron. in c. 2. ad Galat. et Euseb. in Chron. eum fecisse censent anno ultimo Viberii, qui fuit Christi 38. licet Baron. et alii anno sequenti, qui fuit Caii Caligulæ Imper. primus, et Christi 39. idipsum factum putent. Sedit autem S. Petrus ibidem Pontifex per 7. annos, scilicet usque ad annum 2. Claudii, qui fuit Christi 44. quo Romam pergens, ibique Romanam Ecclesiam erigens, eo cum sua persona cathedram pontificiam, omneque jus summi Pontificii transtulit, uti ex S. Gregorio, Damaso, et aliis ostendit Baron. anno Christi 39. Ubi et refellit Onuphrium Panvinum, qui contra veterum consensum, censet S. Petrum primum fundasse Ecclesiam Romanam, deinde Antiochenam. Porro dicitur fixisse ibi cathedram, non quod illi urbi affixus fuerit, et numquam ex ea pedem extulerit, hoc enim falsum est : circumibat enim visitando fideles aliarum urbium, et evangelizando infidelibus. Sed quod illam Ecclesiam primam fecerit Orientalium omnium, utpote cujus ipse erat Episcopus, qui simul erat Pontifex orbis. Illius ergo Episcopatui annexuit pontificatum, donec utrumque Romam transtulit.

Ab Sanctos.] Olim omnes Christiani vocabantur *Sancti*, quia vocati ad sanctitatem, et sanctificati in baptismo, vivebant vitam sanctam, uti dixi sæpe in Comment. epist. S. Pauli.

Lyddæ.] Civitas erat ad mare sita inter Joppen et Jerusalem, una ex undecim Judææ toparchiis, ordine quinta. Tempore S. Hieronymi vocabatur *Diospolis*, id est, Jovis civitas. In hac, ait Guliel. Tyrius lib. 7. Belli sacri cap. 22. usque hodie egregii Martyris Georgii gloriosum sepulchrum ostenditur, in quo secundum exteriorem hominem in Deo creditur conquiescere, ad cujus honorem Justinianus Imp. Ecclesiam multo studio et devotione ædificari præcepit. Erat enim in ea urbe decollatus S. Georgius : unde etiam nunc, *ad S. Georgium* dicitur, uti ex Vitriaco, Bredemb. et aliis scribit Adrichom. in Descriptione Terræ sanctæ.

33. Æneam ;] Syrus *Aniam*. *Anias* enim Hebræum et Syrum est nomen, significans pauperem, humilem, mansuetum Domini : *Æneas* Latinum.

Sanat te.] Ita assertive legunt Græca, Latina, Rom. et Syrus. Certa enim fide et spe asserendo, et assertione sua curando in virtute Christi, Petrus sanat Æneam; S. Gregor. tamen 23. Moral. c. 13. vel 15. Glossa et Interpretes legunt optative : *Sanet te.* Eodem res redit. Assertio enim Petri tacitam continet optationem, precem et invocationem Christi, cujus virtute sanatus est Æneas.

34. Et sterne tibi.] q. d. Stratum tuum non extende, sed collige : tolle grabatum tuum et ambula : non enim jubet sternere, id est componere, lectum, ut in eo decumbat, cum eum sanet et è lecto erigat.

Mystice : *Surge et sterne tibi, q. d. Torporem in quo fessus jacuisti, discute, et bona opera in quibus requiescere valeas, para.* Ita Beda. Et S. Gregor. 23. Mor. c. 15. *Quid est dicere, Surge, nisi mala quæ perpetrasti, derelinque? Et quid est dicere, Sterne tibi, nisi mercedis causas, in quibus requiescere debeas, operare? ut et deserat resurgendo quæ fecit, et inveniat sternendo quod fecerit. Quod utrumque Propheta breviter comprehendit dicens : Declina à malo, et fac bonum. Declinare quippe à malo, est ab eo in quo jacuit surgere : bonum vero facere, est mercedis opera in quibus requiescere debeat præparare.*

Nota. Christus sæpe exegit fidem ab iis quos sanabat dicens : Credis me hoc posse facere? quia ipsi ægri, vel ægrorum parentes aut amici rogabant Christum, ut eos sanaret : unde vice versa jure ab eis poscebat hanc fidem. Hic vero Petrus ab Ænea non fuit rogatus, sed ipse eum prævenit, ut eo illustrius esset miraculum, quo liberalius erat beneficium. Addit S. Chrysost. hoc Petrum patrasse, non tam ad paralytici privatum commodum, quam ad commune bonum, ut scilicet eo credentes in fide confirmaret, et non credentes ad eam invitaret, eaque de causa illum ultro et liberaliter curasse, non exigendo ab eo fidem, ullamve præparationem vel conditionem.

35. Saronæ.] *Saron, Sarona et Lassaron,* græce *Assaron*, mons est, et urbs egregia, quam cepit Josue cap. 12. rege illius interfecto. Inde tota regio campestris, quæ à Cæsarea Palestinæ usque ad Joppen protenditur, dicitur, *Saron*, estque pinguis et fertilissima, ideoque saginandis pecoribus apposita : quocirca ibi pascebantur regis animalia. Hæc *juxta soli qualitatem, Petro prædicanti fidei continuo fructus germinavit*, inquit S. Hieron. in Locis Hebr. et ex eo Adrichom. omnes enim Lyddenses et Saronenses viso hoc Petri miraculo, conversi sunt ad Dominum, ut subdit hic Lucas. Tunc impletum est illud Isaiæ, de Ecclesiæ flore et felici propagine vaticinantis, oraculum cap. 35. 2. *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron : ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri.*

36. In Joppe.] *Joppe,* inquit ex S. Hieron. Josepho et aliis Adrichomius, quæ et *Japho* dicitur ; id est pulchritudo aut decor, urbs antiquissima, à Japhet filio Noe ante diluvium condita, sita ad mare in adito promontorio, littore saxoso, alto et arduo, arce ac mœnibus munita valde. Est portus Hierosolymæ et Judææ totius, ad quem ligna et lapides pro templi structura de Libano ratibus transferebantur, atque hinc terreno itinere curribus pervehebantur Hierosolymam. Portus autem impetuosissimus est : ob id ad excursus piraticos commodus : in quem usum Machabæorum tempore sæpe est occupatus. Hic Jonas navem intravit, cum fugeret à facie Domini in Tharsis, hoc est Ciliciam. Hanc Machabæi sæpe occuparunt et munierunt. In hac D. Petrus Tabitham à mortuis suscitavit : hic hospitatus apud Simonem coriarium (cujus domus erat sub rupe posita juxta mare, quo loci postea sacellum S. Petro constitutum est) recepit viros de Cæsarea à Cornelio Centurione, ad angeli monitum eo trans-

missos. In hujus littore monstrantur saxa, ad quæ catenis religata fuisse dicitur Andromeda, devoranda à bellua marina, nisi Perseus illam liberasset. Denique in Joppe excendunt peregrini, et sesquidiei itinere terrestri perveniunt Hierosolymam.

Discipula,] id est Christiana, sicut *discipuli*, scilicet Christi et Apostolorum, primitus vocabantur Christiani.

Tabitha.] Hebr. צבי *stebi* idem est quod gloria, decor, res jucunda, dilecta et desiderabilis: qua de causa terra Israel vocatur *tsebi* Daniel. 11. v. 15. et Jerem. 3. 19. *Quomodo*, inquit, *ponam te in filios, et tribuam tibi terram desiderabilem* (hebraice *tsebi*, *tsibot*) *hereditatem præclaram exercituum Gentium?* Vide utrobique dicta. Inde *tsebi* et *tsebia*, est capreolus, damula caprea. Syri mutantes litteram *stade* in *tau*, pro *tsebia*, dicunt *tabitha*. Græce dicitur δορκας, ἀπό τοῦ δέρκειν, id est, *à videndo*, dorcades enim, sive capreæ acutissimo pollent visu. Sic quoque Syro hebræum *Tabitha* alludit ad נבט *nabat*, id est cerno, video; quod hoc animal acri sit oculorum acie. Unde Plinius lib. 28. cap. 11. docet, dorcades, uti et capreas, non lippire: adhæc noctu æque cernere ac die.

Innuit ergo Lucas hanc discipulam apposite vocatam Tabitham, id est Dorcadem, quia dorcadi erat similis, nimirum Primo, eam fuisse vigilantem et sobriam, uti sunt dorcades, ait S. Chrysost. Secundo, eam, in montana virtutum conscendisse cum B. Virgine, uti dorcades petunt saliuntque in montes. Ita S. Hieron. in Ezechiel. c. 45. Tertio, fuisse castam, timidam et verecundam, ac fugisse conspectus virorum, qualis est dorcas, juxta illud Cant. c. 8. 14. *Fuge dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum.* Quarto, mentis fideique acie penetrasse cœlos, ac deditam orationi penetrasse cœlestia: Quinto fuisse amabilem, plenamque operibus charitatis et misericordiæ. Caprea enim est symbolum gratiæ, amoris et benevolentiæ, juxta illud Cantic. 2. 9. *Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum*, et Proverb. 5. 19. *Cerva carissima, et gratissimus hinnulus.* Tales sint nunc puellæ, et erunt dorcades.

Talis Dorcas fuit S. Margareta regina Scotiæ, tota in eleemosynas pauperum effusa, et in oratione perennans, de qua S. Adalredus Abbas in ejus vita apud Surium 10. Junii: *Nihil*, ait, *illius fide firmius, vultu constantius, patientia tolerantius, consilio gravius, sententia justius, colloquio jucundius:* quæ dum moreretur, audiens mariturum suum regem cum filio in prælio cecidisse; *Gratias*, ait, *tibi ago Domine, quia hoc dolore me crucias, et hanc justam peccatis meis pœnitentiam irrogas.*

37. Posuerunt eam in coenaculo] in altiore scilicet et publica domus parte: *quippe quæ bonis operis ad summa conscenderat*, ait S. Hieron. in c. 41. Ezech.

38. Ne pigriteris.] Tigurina et Pagnin. *ne graveris;* alii, *ne cunctaris, ne tardes.* Hæc enim omnia significat ὀκνῆσαι. Non enim verisimile est eos S. Petrum insimulasse pigritiæ; aut eum vocaturos fuisse pigrum, si vocatus statim non venisset.

36. Exurgens autem Petrus.] *Impigre pro Apostolica humanitate venit*, ait S. Cyprian. l. de Oper. et eleemos. c. 2.

Ostendentes ei tunicas,] ad ostendendam tum charitatem et pietatem Tabithæ, tum suam orbitatem, quod tali curatrice et quasi matre destitutæ essent, ut utraque moverent sanctum Petrum ad eam in vitam revocandam. Ita sanctus Chrysost.

Simile est quod scribit Abdias in vita S. Joannis Evang. scilicet viduas ostendisse ei ex Pathmo reverso vestes, quas eis faciebat Druisiana Ephesina jam defuncta: qua re commotum S. Joannem eam ad vitam revocasse.

Ita S. Martinus in porta Ambianensi dimidium chalmydis discendens, dansque pauperi nudo meruit nocte sequenti videre Christum, illud ipsum chlamydis frustum ostentantem, eumque audire coram angelorum choris gloriantem: *Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit*, uti refert Sulpitius in ejus Vita c. 2.

Ita Martyrius suo pallio involvens leprosum, et humeris asportans, sensit se Christum involvisse et portasse. Ab eo enim audivit: *Martyri tu non erubuisti me super terram, ego te non erubescam super cœlos*, uti fuse narrat. S. Gregorius hom. 39. in Evang.

Ita S. Franciscus suis vestibus se exuens, iisque induens pauperem, nocte sequenti vidit palatium speciosum et magnum cum militaribus armis, crucis Christi signaculo insignitum, audivitque hoc suum fore militumque suorum, uti refert S. Bonavent. c. 1. Vitæ ejus.

S. Catharina Senensis tunica se spolians, eamque dans pauperi, nocte proxima vidit Christum gestantem hanc tunicam, margaritis et coruscantibus gemmis conspicuam, ab eoque audivit: *Dabo tibi vestem invisibilem, quæ à te arceat omne noxium utriusque hominis frigus.* Ab eo tempore nunquam hiemis intemperiem sensit: quare iisdem hieme, quibus æstate, vestibus utebatur; atque ejusdem promisso cognovit, se præcellenti in cœlis gloria sine fine perfruituram. Ita habet ejus Vita. Quare merito dicebat S. Job cap. 31. 19. *Si despexi pereuntem, eo quod non habuerit indumentum, et absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera ejus, et de velleribus avium mearum calefactus est.*

Quas faciebat illis Dorcas.] Tum pannum emendo, tum ex eo vestes conficiendo, easque consuendo, uti pauperibus fecisse feminas, etiam principes et reginas, puta S. Elisabetham filiam regis Hungarorum, et S. Elisabetham reginam Lusitaniæ, et similes, in earum vita legimus; quas multæ hoc seculo strenue imitantur magno pauperum bono, et majore orbis exemplo. Græca addunt μετ' αὐτῶν οὖσα, id est, *dum esset cum ipsis*, dum inter eas versaretur et viveret: quibus verbis notat Lucas humilitatem et benevolam familiaritatem Dorcadis, quod ipsa dives et eleemosynaria, inter viduas pauperes degeret ageretque quasi mater cum filiabus, vel quasi soror cum sororibus, cum iis amice colloquens, operans, sarciens, earumque opera utens ad vestes pluribus pauperibus conficiendas. Ita S. Chrysost. *Unde sensit Petrus impetrari posse, quod sic petebatur, nec defuturum Christi auxilium viduis deprecantibus, quando esset in viduis ipse vestitus*, ait S. Cyprianus loco jam citato.

40. Ejectis autem omnibus,] ut Deum secretius efficaciusque oraret, ait Lyran.

Tabitha surge.] *In nomine Jesu Christi*, uti

addit S. Cyprian. non enim suo, sed Christi nomine, vel voce, vel mente invocato, eam suscitavit.

AT ILLA APERUIT OCULOS,] qui mortuis solent claudi. *Aperiendo oculos, mortem instar somni esse ostendit*, ait S. Chrysost.

RESEDIT.] q. d. Quæ jacebat quasi mortua, jam suscitata se erexit et viva resedit.

41. DANS AUTEM ILLI MANUM, EREXIT EAM,] in pedes, ut quæ in lecto resederat quasi viva, sed adhuc debilis, jam à Petro erecta è lecto surgeret, et firma pedibus consisteret. Dando ergo ei manum Primo significavit se sua manu, id est, ope et auxilio eam suscitasse, sicut Christus puellam manu tenens eam ad vitam revocavit, Matth. 9. 25. Secundo, eam quæ resurrexerat, sed adhuc debilis resederat, firmam et validam reddidit, ut stare et ingredi posset. Tertio, apprehensa manu eam viduis et Christianis vivam assignavit. Moral. Arator :

> Illa manus meruit Petri contingere dextram,
> Pauperibus quæ larga fuit

Inde Petrus eam tangendo, tacite ejus beneficentiam commendavit.

CUM VOCASSET SANCTOS,] puta Christianos.

ASSIGNAVIT EAM VIVAM,] παρεςηκέν, id est, *stitit*, et, ut Tigur. *exhibuit eam vivam.* Verisimile est Tabitham, utpote misericordem et piam feminam in statu gratiæ decessisse, ac proinde cœlo vel certe Purgatorio destinatam : quocirca revocatam à Petro ad vitam, certam fuissse de sua salute : alioqui enim Petrus ei non beneficium, sed potius maleficium intulisset, si à certo salutis statu ad dubium eam revocasset.

Unde recte censet noster Lorinus, et fuse Bellarm. l. 2. de Purgatorio c. 8. certum videri, eum qui semel evaserit periculum damnationis, illud denuo non subire. Rursum, nec de numero damnatorum, nec de Beatis quemquam suscitari. Tabitham ergo vel è Purgatorio fuisse revocatam ; vel, si nihil purgandum habebat, suspensam fuisse ejus beatitudinem, quia destinebat Deum eam remittere ad vitam mortalem, orante S. Petro.

Ita S. Salvius, qui postea fuit Episcopus Albigensis, cum defunctus raptus esset ad cœlum, ibique vocem Dei audisset : *Revertatur hic in seculum ; quoniam necessarius est Ecclesiis nostris ; ingemuit : Heu, heu Domine, inquit, cur mihi hæc ostendisti, si his frustrandus eram ? Ecce hodie ejicis me à facie tua ut revertar ad sæculum fragile, et huc ultra redire non valeam : Ne quæso Domine auferas misericordiam tuam à me, sed deprecor ut permittas me hic habitare, ne illud decidens peream. Et ait vox quæ loquebatur ad eum : Vade in pace : ego enim sum custos tuus donec reducam te in hunc locum.* Ita Greg. Turonens. l. 7. Histor. Francor. c. 1.

Hinc in vita S. Stanislai Episcopi Cracoviensis et Martyris, legimus quod, cum ipse à morte suscitas set Petrum quemdam, eumque quasi testem venditi à se agri ad tribunal Boleslai regis iniqui produxisset, dato à Petro testimonio, ab eo quæsierit : *Visne Petre, ut gratitudinis ergo petam à Domino, ut liceat tibi nobiscum ad annos aliquod in terris commorari ?* Cui respondit Petrus : *Ego Pater sancte nolim in hac vita permanere, quam ego rectius mortem appellandam censeo ; sed illam peto vere beatam in qua videtur præsens Dei vultus. Versor in Purgatorio ; spero me brevi ad superos migraturum. Tu quæso, mi Pater, pro me ora, ut id cito fiat.* Promisit Stanislaus se curaturum quod petebat, et ille rediens ad sepulchrum, animam rursum expiravit.

Sic S. Christinaa Mirabilis, defuncta, et deducta ad Purgatorium, videns horrendas animarum pœnas, optionem accipit à Deo : *Optionem*, inquit, *tibi facio, vel nunc in æternum apud me permanere in gloria, vel redire ad terras, ibique harum animarum pœnas luere, easque illis liberare, efficereque ut homines tuæ pœnitentiæ et vitæ exemplis ad me conversis, à suis facinoribus abstineant et resipiscant ; ac peractis omnibus ad me multis aucta meritorum cumulis reverti.* Illa vero illico respondit ; se ad corpus velle reverti ; ac reversa admirabiles pro animabus illis subiit cruces et pœnitentias, quibus peractis gloriose ad Deum transiit. Ita habet ejus Vita apud Surium die 23. Junii c. 3. et seq. quam laudat Jacobus de Vitriaco Episcopus et Cardinalis.

Memorabile est quod in Actis Canonizationis S. P. N. Ignatii legimus, cum P. Jacobo Laynez, qui ei in Generalatu successit, proposuisse hanc questionem : *Si Deus daret tibi optionem, vel statim eundi ad cœlum, vel manendi in hac vita cum dubio salutis ostenderetque tamen, te in hac vita præclarum aliquod ipsi obsequium posse prestare, utrum eligeres ?* Cumque Laynez respondisset : *Eligerem ire ad cœlum et assecurare meam salutem. Ego vero,* inquit S. Ignatius, *eligerem manere in vita ut explerem Dei desiderium, eique obsequium ab eo cupitum præstarem. Non enim dubito, quin ipse, qui longe me est fidelior et liberalior, salutis meæ curam habiturus esset, nec permissurus, ut hæc mea electio facta ad ejus gloriam cum meæ salutis incertitudine et periculo, mihi fraudi foret, sed longe magis eam custodiret et assecuraret. Hæc mea de divina bonitate est sententia et confidentia,* utique heroica, digna Ignatio, imo digna Deo.

43. APUD SIMONEM QUEMDAM CORIARIUM.] Non curialem, ut vult Hugo et Dionys. sed *coriarium*, qui scilicet coria macerabat vel concinnabat, ut inde ocreæ et calcei, vel thoraces et vestes confici possent, hic enim græce voce vocatur βυρσευς. Notat S. Chrysost. modestiam Petri, qui non apud Tabitham aliosque divites, sed apud plebeium coriarium hospitium elegit. Cum enim esset Princeps Ecclesiæ, pauperes non est dedignatus, sed cum illis commorari præelegit, quasi eorum socius et conviva, ut illis animum adderet. Tabithæ domum delinavit, ne videretur pro miraculo hospitii gratiam recipere, sed ut purum putum suum esset beneficium. Forte etiam, quia virgo erat aut vidua, apud quam non decebat virum, præsertim Apostolorum. Principem, commorari. Simonis ergo domum elegit, quia ei notus erat Simon, vel quia ardentius ab eo invitabatur. Adde, quia domus hæc coriarii erat extra urbem juxta mare, ut dicitur c. 10. 6. ubi etiamnum peregrinis, ejus ex ruinis residuum ostenditur, ait Gagneius, imo ibidem sacellum S. Petro fuit erectum, ut dixi v. 36. *Segregata enim ab urbibus loca sectabantur Apostoli, utpote solitudinis et quietis amici,* ait Œcum. Coriarii enim, ne pellium maceratarum fœtore publicum aerem inficerent, solebant olim extra urbes, vel ad loca semota religari, uti etiamnum fit. Audi Artemidorum l. c. 15.

Coriarium exercere malum omnibus : corpora enim mortua tractat coriarius, ideoque ab urbe secluditur.

Rursum. Nota magnitudinem amoris et animi in Simone, qui licet coriarius, ausus est invitare et excipere mensa et hospitio continuo ipsum summum Ecclesiæ caput et pontificem, eumque liberaliter pro dignitate personæ, quantum vires et opes ferebant, alere et tractare.

Præclare S. Leo serm. 2. de Quadrag. *Nulli*, ait, *parvus est sensus, cui magnus est animus, nec de rei familiaris modo mensura miserationis pendet ac pietatis. Nunquam merito caret etiam in tenui facultate bonæ voluntatis opulentia.* Voluntas hæc opulentissima est, quia à possibilitate non pendet, sed egisse putatur, quidquid efficaciter cupit. Hac pauperes largas eleemosynas erogant; imbecilles seipsos minime tangentes, quia præ infirmitate non valent, multis corporis afflictionibus macerantur; indocti doctrinam Evangelicam per totum orbem prædicant: quia pro operibus quæ præstare non possumus, abunde substituitur efficax bonæ voluntatis affectus. Et unusquisque unus cum sit, sola voluntate fit multiplex: quia per eam potest multorum labores et ministeria complecti. Deinde hic affectus excitat ardentem orationem, qua petimus à Deo ut per alios id præstet, quod nos optamus et præstare non possumus: ardens autem oratio id quod petit, impetrat. Unde S. Bernard. serm. 16. in psalm. *Qui habitat: Merito*, ait, *non exauditur qui clamare dissimulat, aut omnino non postulans, aut tepide postulans, et remisse. Siquidem in Dei oribus desiderium vehemens, clamor magnus; è regione autem remissa intentio, vox submissa.*

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

CORNELIUS CENTURIO ROMANUS A S. PETRO JUSSU DEI, PER VISIONEM LINTEI ET QUADRUPEDIUM, ID SIGNIFICANTIS, IN FIDE CHRISTI INSTRUITUR ET BAPTIZATUR; ITAQUE GENTIBUS OMNIBUS PALAM APERITUR OSTIUM AD EVANGELIUM ET ECCLESIAM.

1. VIR autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis quæ dicitur Italica. 2. Religiosus, ac timens Deus cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper: 3. Is vidit in visu manifeste, quasi hora diei nona, angelum Dei introeuntem ad se, et dicentem sibi, Corneli. 4. At ille intuens eum, timore correptus, dixit: Quid est, Domine? Dixit autem illi: Orationes tuæ, et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. 5. Et nunc mitte viros in Joppen, et accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus: 6. Hic hospitatur apud Simonem quemdam coriarium, cujus est domus juxta mare: hic dicet tibi quid te oporteat facere. 7. Et cum discessisset angelus, qui loquebatur illi, vocavit duos domesticos suos, et militem metuentem Dominum, ex his qui illi parebant. 8. Quibus cum narrasset omnia, misit illos in Joppen. 9. Postera autem die iter illis facientibus, et appropinquantibus civitati, ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam. 10. Et cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus: 11. et vidit cœlum apertum, et descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cœlo in terram. 12. In quo erant omnia quadrupedia, et serpentia terræ, et volatilia cœli. 13. Et facta est vox ad eum: Surge Petre, occide et manduca. 14. Ait autem Petrus: Absit, Domine, quia nunquam manducavi omne commune et immundum. 15. Et vox iterum secundo ad eum: Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris. 16. Hoc autem factum est per ter: et statim receptum est vas in cœlum. 17. Et dum intra se hæsitaret Petrus, quidnam esset visio, quam vidisset: ecce viri, qui missi erant à Cornelio, inquirentes domum Simonis, astiterunt ad januam. 18. Et cum vocassent, interrogabant, si Simon, qui cognominatur Petrus illic haberet hospitium. 19. Petro autem cogitante de visione, dixit Spiritus ei: Ecce viri tres quærunt te. 20. Surge itaque, descende, et vade cum eis mihi dubitans: quia ego misi illos. 21. Descendens autem Petrus ad viros, dixit: Ecce ego sum, quem quæritis: quæ causa est, propter quam venistis? 22. Qui dixerunt: Cornelius Centurio, vir justus, et timens Deum, et testimonium habens ab universa gente Judæorum, responsum accepit ab angelo sancto, accersire te in domum suam, et audire verba abs te. 23. Introducens ergo eos, recepit hospitio. Sequenti autem die surgens profectus est cum illis: et quidam ex fratribus ad Joppe comitati sunt eum. 24. Altera autem die introivit Cæsaream. Cornelius vero expectabat illos, convocatis cognatis suis, et necessariis amicis. 25. Et

factum est, cum introisset Petrus, obvius venit ei Cornelius, et procidens ad pedes ejus adoravit. 26. Petrus vero elevavit eum, dicens: Surge, et ego ipse homo sum. 27. Et loquens cum illo intravit, et invenit multos qui convenerant: 28. dixitque ad illos: Vos scitis quomodo abominatum sit viro Judæo, conjungi, aut accedere ad alienigenam: sed mihi ostendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem. 29. Propter quod sine dubitatione veni accersitus. Interrogo ergo, quam ob causam accersistis me? 30. Et Cornelius ait: A nudius quarta die usque ad hanc horam, orans eram hora nona in domo mea, et ecce vir stetit ante me in veste candida, et ait: 31. Corneli, exaudita est oratio tua, et eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei. 32. Mitte ergo in Joppen, et accersi Simonem, qui cognominatur Petrus: hic hospitatur in domo Simonis coriarii juxta mare. 33. Confestim ergo misi ad te? et tu bene feceisti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus, audire omnia quæcumque tibi præcepta sunt à Domino. 34. Aperiens autem Petrus os suum dixit: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: 35. Sed in omni gente, qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi. 36. Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Jesum Christum: (hic est omnium Dominus.) 37. Vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam: incipiens enim à Galilæa, post baptismum quod prædicavit Joannes. 38. Jesum à Nazareth: quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto, et virtute, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo. 39. Et nos testes sumus omnium, quæ fecit in regione Judæorum, et Jerusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. 40. Hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri. 41. Non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo, nobis qui manducavimus et bibimus cum illo postquam resurrexit à mortuis. 42. Et præcepit nobis prædicare populo, et testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo judex vivorum et mortuorum. 43. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum. 44. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. 45. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro: quia et in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. 46. Audiebant enim illos loquentes linguis, et magnificantes Deum. 47. Tunc respondit Petrus: Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut et nos? 48. Et jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi. Tunc rogaverunt eum ut maneret apud eos aliquot diebus.

1. In Cæsarea.] Non Philippi, sed Palestinæ, quæ sita erat in littore maris Mediterranei, eratque munitissima: hinc et turris Stratonis dicta est; erat enim quasi arx et antemurale Palestinæ: unde à Romanis firmo præsidio custodiebatur, in quo Centurio Erat Cornelius. Cæsarea conversa ad Christum, facta est Ecclesiarum Palestinæ metropolis, sub se continens Ecclesiam Hierosolymitanam: tum quia Cæsareæ converso Cornelio apertum fuit ostium Ecclesiæ Gentibus; tum potius quia Cæsaræa primitus sub Romanis erat Palestinæ metropolis, et maxima civitatum Judeæ, teste Josepho lib. 3. de Bello c. 15. Sed postea anno Christi 553. Vigilius Papa in Consilio Constantinopol. Hierosolymitanam Ecclesiam fecit Patriarchalem, eique subjecit Cæsariensem. Ita Baron. anno jam dicto.

Nomine Cornelius.] Videtur hic fuisse Italus (erat enim centurio cohortis Italicæ) et Romanus. Romæ enim illustres celebresque fuere Cornelii, et domus, imo gens, Corneliorum nobilissima: sicut in Belgio ampla est familia Corneliorum, ex qua ego prognatus sum: unde omnes ex illa oriundi cognominantur Cornelii. Romæ enim illustris fuit Cornelius Cossus tribunus militum, qui Tolumnium Laertem Vejentium regem occidit, secundoque opima spolia Jovi Feretrio retulit, teste Livio lib. 4. decad. 1. Et Cornelius Centimalus; qui cum Annibal mœnibus appropinquaret, trepidante urbe; ei occurrens, extra urbem castra posuit, teste Plutarcho. Et Cornelius Merula Consul, qui contra Boios in Galliam missus, duodecim millia hostium cecidit, teste Livio de bello Maced. lib. 5. Et Cornelius Merula, superioris nepos, flamen Dialis, qui ingresso urbem mario, ne in ejus, utpote hostis potestatem veniret, in Jovis æde venis succisis sibi mortem conscivit, sacerdotisque sui sanguine foci vetustissimi maduere, inquit Valerius Max. lib. 9. c. 12. Similes fuere plurimi: inter quos emicuere Cornelii Scipiones, præsertim S. Cornelius Scipio, cognomento Africanus à devicta Africa, bis consularis et censorius, ac triumphalis, ter Princeps Senatus; qui fratrem habuit consularem et triumphalem, nepotem vero filii adoptione bis consularem, bis triumphalem, et censorium, et augurem: cujus soror Cornelia mater Gracchorum, virago fuit magni animi, prudentiæ et eloquentiæ, quam laudat Quintil. lib. 1. c. 1. et Cicero in Bruto. Fuit ergo Romæ Corneliorum familia non una, sed plurimæ, adeo ut gentem integram constare posset. Ejus enim familiæ, et quasi partes erant Scipionum, Lentulorum, Cinnarum, Balborum, Merularum, Rutulorum, Cethegorum, Mamercorum, Dolabellarum, Mammularum, Severorum, et aliæ plures, quas fuse recenset Ant. Augustinus lib. de Familiis Roma-

norum. Ex his ergo oriundus videtur hic Cornelius Centurio. A primo enim illustri Cornelio, filii, nepotes et posteri omnes dicti sunt Cornelii.

Porro nonnullis eruditis ita dicti videntur à cornu, quasi cornei, robusti et constantes. Unde S. Cornelius Romanus Pontif. et Martyr, S. Cypriano per litteras familiaris, pingitur cum cornu in manu, quia Decio et Volusiano Impp. constantissime restitit, uti narrat S. Cyprianus, cornu enim est robur animalium : unde cornu symbolum est fortitudinis, victoriæ, regni, gloriæ et triumphi, juxta illud de Joseph, *Cornua rhinocerotis cornua illius.* Deut. 33. 17. Et psal. 43. 6. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu.* Et psal. 91. 11. *Exaltabitur sicut unicornis cornu meum.* Et psal. 131. 17. *Illuc producam cornu David.* Et psal. 111. 9. *Cornu ejus exaltabitur in gloria.* Et Zachar. 1. 21. *Hæc sunt cornua quæ ventilaverunt Judam.* Hinc psal. 97. *Psalite Domino*, ait, *in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ*, hoc est mystice, in robore virtutis. *Duas* ait ibidem S. Hier. *habe tote tubas, et argenteam, et corneam. Argenteam, ut habeatis sermonem : corneam, ut habeatis virtutem. Legimus in Levitico : Nullum animal offeratur, nisi quodcumque cornutum est*, etc. *Et nos ergo quandiu habemus cornu, meremur victima esse Dei. Si autem cornu nostrum fuerit excussum, quasi debiles sumus, et inter sacerdotes Dei venire non possumus.* Et S. August. Ibid. *Cornu*, ait, *excedit carnem, necesse est ut carnem superando sit firmum ad perdurandum, et capax vocis. Qui vult esse tuba cornea, superet carnem, transcendat carnales affectus.* Et inferius : *Tuba cornea te erigat adversus diabolum, non tuba cornea adversus fratrem tuum.* Quocirca S. Cornelius quasi roboris antistes, et Martyrum primipilus, ad robur æque ac ad decus martyrii impetrandum, à fidelibus invocari solet. Ita ut alios taceam, eum sibi cognominem martyrii causa invocare solebat Cornelius Musius, apud Belgas Poeta laureatus, qui proinde hunc ei hymnum sæpe concinebat :

Beate Christi Pontifex, Christique Martyr inclyte,
Hanc gratiam Cornelio tuo benignus impetra ;
Ut exprimo quem nomine, te charitate, te fide,
Et asserendæ audacia te veritatis exprimam.

Ac ab eo voti compos effectus est : nam Lugduni Batavorum sub annum Domini 1572. à Calvinistis naso, auribus, manuum pedumque digitis truncatus, trabi in foro affixus, et laqueo strangulatus, anno ætatis 72. gloriosum obiit martyrium, uti refert Aubertus Miræus in Elogiis Belgicis.

Vel certe Cornelius dicitur à corde, quasi cordatus. q. d. Corneli *cor ne linque solo :* cor sit in æthere, non in ære ; in sole et cœlo, non in solo et salo. Talem enim decuit esse hunc Cornelium, primipilum Ecclesiæ Gentilis, qui Gentibus omnibus quasi dux et antesignanus viam ad Ecclesiam, imo iter in cœlum panderet ; nimirum nobilem Romanum, militum ducem, qui nobilibus Romanis, militibus et principibus fidei et virtutis exemplum daret : unde eum paulo post secuta sunt tot agmina Romanorum, præsertim militum et nobilium, non tantum ad fidem, sed et ad martyrium. Fuit ergo ipse gloria gentilitatis, et Gentium primitiæ, ait Orig. hom. 11. in Num. et S. Hieron. ad Salvinam : *Primus*, ait, *Cornelius salutem Gentium dedicavit.*

Centurio.] Qui centuriæ militum præerat, quæ primo constabat centum militibus : sed variis de causis subinde adauctus est hic numerus. Cajetan. opinatur Cornelium hunc fuisse Centurionem primæ cohortis ex decem, quibus constabat legio, qui proinde primipilus dicebatur, cui præferebatur vexillum aquilæ, quod erat Romanorum insigne, ac 400. milites in prima acie gubernabat, quasi primi ordinis doctor, teste Vegetio lib. 2. c. 6. Unde et equestribus ornamentis censuque decorabatur, uti docet Lipsius lib. 2. de Militia Romana.

Cohortis.] Græce ἐκ σπείρης, id est, *ex cohorte :* cohors enim plures habebat centurias et centuriones, è quibus unus fuit Cornelius. Cohors enim primitus erat decima pars legionis, constans quinquaginta manipulis, manipulus autem 25. militibus : quare cohors constabat 1250. militibus : legio 12. militibus et quingentis, ut patet ex Cæsare lib. 6. de Bello civili. Velleio lib. 2. et aliis. Jam cohors vulgo à Gallis vocatur regimentum, et qui ei præest dicitur Tribunus, sive Chiliarcha. Verum postea uti legionis, ita et cohortis numerus imminutus est, idque varie pro varietate temporum et locorum. Legio tandem redacta est ad sex millia et sexcentos.

Italicæ,] ab Italis militibus quibus constabat. Opinatur Baron. hanc cohortem ordine fuisse sextam, et cognominatam Ferratam : hanc enim ab Augusto collocatam fuisse in Judæa scribit Dio.

Religiosus ac timens Deum.] Vatabl. *pius et religiosus erga Deum.* Est hic problema : An Cornelius antequam accerseret Petrum fuerit justificatus, necne ? Negat S. Chrysost. Œcumen. et Stapletonus hic, et S. Basil. in Regul. brevior. reg. 224. Favet S. August. lib. de Prædest. sanc. c. 7. Huic sententiæ favent ea quæ dicuntur. v. 5. 43. 44. et cap. seq. v. 14.

Longe verius affirmant. S. Gregor. homil. 9. et 19. in Ezech. Beda, Dionys. et Lorinus hic, Magister in 3. dist. 25. ibique Albertus, Bonavent. et S. Thom. ibidem, ac 3. p. q. 69. a. 4. ad 2. Ruardus Tapper. art. 7. Alfonsus à Castro verbo *Baptismus*, hæresi 10. Greggorius de Valentia 2. 2. disp. 1. quæst. 2. puncto 4. Favet S. Hieronimus in c. 5. epist. ad Galat. Probatur Primo, quia Cornelius hic vocatur *religiosus ac timens Deum ;* ergo non tantum erat justus, sed et pius ac religiosus. Secundo, quia v. 4. dicuntur opera et eleemosynæ ejus ascendisse in memoriam in conspectu Dei. Tertio, quia id diserte videtur asserere S. Petrus v. 34. dicens : *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus ; sed in omni gente qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi :* loquitur autem de Cornelio. Ergo Cornelius acceptus et gratus erat Deo : ergo erat justus : nullus enim est gratus Deo, nisi justus. Primus enim effectus gratiæ justificantis est, facere hominem gratum et acceptum Deo. Deinde, qui operatur justitiam est justus : Cornelius autem, teste S. Petro, operabatur justitiam ; ergo erat justus. Quarto, quia v. 22. de eo dicitur : *Cornelius vir justus et timens Deum, et testimonium habens ab universa gente Judæorum, responsum accepit ab angelo sancto, accersire te.* Denique v. 2. de eo dicitur : *Faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper.* Hæc autem duo consistere nequeunt cum peccato, sed præsupponunt gratiam sanctificantem. Quare Cornelius ante

adventum S. Petri, à Judæis quibuscum Cæsareæ versabatur, didicit hausitque fidem explicitam unius Dei, et implicitam Christi mediatoris, coluitque verum Deum; sicut et Job ejusque amici : non enim soli Judæi ante Christum, sed et nonnulli Gentiles coluerunt verum Deum, qui servantes legem naturæ et charitatis, justificati sunt, indeque eleemosynas aliaque pia opera præstiterunt. Hæc autem facere non potuerunt per vires solius naturæ, uti censebant Pelagiani, sed ad hoc egebant gratia Dei excitante et cooperante, uti recte docet S. Prosper lib. de Libertate arbitrii.

Dices : Si erat justus, quid opus erat ad eum mittere S. Petrum? Resp. Opus erat ad hoc, ut per eum disceret explicitam fidem Christi, omniumque ejus mysteriorum : nam implicita fides non sufficiebat. Jam enim facta erat promulgatio novæ legis, et fidei explicitæ de Christo mediatore in Pentecoste Hierosolymis; illaque sensim serpebat ad alias vicinas urbes, ita ut de illa inaudierit Cornelius, ut patet v. 22. Quare ejus obligatio incipiebat ubique induci, et consequenter obligare Cornelium, qui hactenus laborarat ejus ignorantia invincibili : sed illa jam incipiebat fieri vincibilis, ideoque culpabilis; qui si illam depellere, et obligationi jam dictæ satisfacere neglexisset, peccasset, et amisisset justitiam. Unde ut eam non amittat, sed retineat et augeat, jubetur ab angelo accersere Petrum, qui explicite eum doceat illa, quæ de Christo scire et credere necessarium erat, non tantum ad acquirendam, vel augendam, sed ad retinendam justitiam : necessarium, inquam, non tantum necessitate præcepti, ut vult Andr. Vega lib. 6. in Conc. Trident. c. 20. et Dom. Soto lib. 2. de Natura et gratia cap. 11. et 12. sed etiam necessitate medii. Nam post sufficientem Evangelii promulgationem; nemo potest justificari et salvari, nisi per explicitam fidem Christi mediatoris, ut habet verior et communior Theologorum sententia. Perperam enim Melchios Canus, et ex eo Dominic. Banez 2. 2. q. 2. a. 8. separant salutem à justitia, dicuntque Cornelium, et similes sine fide explicita Christi potuisse justificari, sed non salvari. Salus enim individue adhæret justitiæ : justitia enim et gratia est semen gloriæ, ut quicumque moritur in gratia, certus sit de salute et gloria æterna. Hoc est quod ait S. Gregor. loco citato, Cornelium *per bona opera meruisse fidem*, scilicet explicitam de Christo; et simul *per fidem*, scilicet implicitam, *venisse ad bona opera*. Rursum per fidem venisse ad bona opera, sed per opera esse solidatum in fide. Porro baptizavit Cornelium Petrus, ut eum Christianismo initiaret, gratiamque acceptam augeret et confirmaret : jam enim baptismus incipiebat eum omnesque alios obligare. Non ergo baptizatus est, ut remissionem peccatorum acciperet, quam ante jam acceperat, nisi forte venialium, si quæ irremissa habebat, uti et pœnarum peccatis mortalibus præcedentibus debitarum, si quæ adhuc remittendæ restabant. Adde, culpam peccatorum mortalium ei remissam fuisse per contritionem, quæ includebat votum implicitum baptismi : unde debebat baptizari, ut hoc voto exolveret, illius enim intuitu remissa ei erant peccata.

Dices Secundo : Ad verba S. Petri v. 44. descendit in eum Spiritus sanctus : ergo ante non descenderat. Resp. Tunc visibiliter descendit, qui prius in eum invisibiliter descenderat; contulitque ei augmentum gratiæ, et insuper gratias gratis datas, ut donum linguarum, etc., de quo v. 44. Minus recte ergo aliqui eum tunc primo justificatum censent. Argumenta Adversariorum petita ex versibus citatis, in illorum explicatione dissolventur.

Deprecans Deum semper,] quantum scilicet per negotia domestica et militaria licebat, *semper* ergo, id est frequenter, assidue. Nota hic quatuor virtutes Cornelii, cuivis Christiano, præsertim Superiori, imitandas, si suæ vocationi atque officio satisfacere velit. Prima est religio; fuit enim ipse vir religiosus erga Deum. Secunda est timor Dei. Tertia est misericordia et eleemosyna : qui enim in proximum misericors est, vicissim Deum in se misericordem experietur, juxta illud promissum Christi : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, Matth. 5. Unde Nazianz. or. de cura pauperum. *Esto*, inquit, *calamitoso Deus, ut vicissim Deus in tua calamitate sit tibi Deus.* Ita Cornelius per eleemosynas meruit visitari ab angelo, et à S. Petro, ab eoque percipere fidem Christi, ut ait ei angelus v. 4. Quarta est oratio frequens : hæc enim est quasi fistula, è cœlo eliciens omnem gratiarum imbrem.

Tropolog. S. Hieron. epist. 9. ad Salvinam, hæc omnia applicat Nebridio, ejus marito jam defuncto, qui fuerat Imperatorum nepos, natus ex sorore Augustæ. *Quidquid*, inquit, *de illo* (Cornelio) *dicitur, hoc nomine commutato, in Nebridio meo vindico. Sic religiosus fuit, et amator pudicitiæ, ut virgo sortiretur uxorem : sic timens Deum cum omni domo sua, ut oblitus dignitatis omne consortium cum monachis haberet et Clericis, tantasque eleemosynas faceret in populis, ut fores ejus pauperum ac debilium obsiderent examina : certe sic semper orans Deum, ut illi, quod optimum esset, eveniret. Raptus est, ne malitia mutaret mentem ejus, quia placita erat anima illius Deo.* Et mox : *Nihil nocuit militanti paludamentum, et baltheus, et apparitorum catervæ : quia sub habitu alterius alteri militabat. Legimus et in Evangelio Matt. 8. de alio Centurione Domini testimonium : Nec in Israel tantam fidem inveni. Joseph post Pharaonem regis ornatus insignibus, sic Deo charus fuit, ut super omnes Patriarchas duarum tribuum pater fieret. Daniel et tres pueri sic præerant Babyloniæ opibus, ut habitu Nabuchodonosor, Deo mente servirent. Mardochæus et Esther inter purpuram, sericum et gemmas, superbiam humilitate vicerunt; tantique fuere meriti, ut captivi victoribus imperarent.* Et inferius : *Mirum dicta est : nutritus in palatio, contubernalis et condiscipulus Augustorum, quorum mensæ ministrat orbis, et terra ac maria serviunt, inter rerum omnium abundantiam, in primo ætatis flore tantæ verecundiæ fuit, ut virginalem pudorem vinceret, et ne levem quidem obscœni rumoris de se fabulam daret. Deinde purpuratorum propinquus, socius, consobrinus, iisdem cum ambobus studiis eruditus, non est inflatus superbia; sed cunctis amabilis, ipsos principes amabat ut fratres, venerabatur ut dominos. Ministros autem eorum sic sibi charitate sociarat, ut qui merito inferiores erant, officiis se pares arbitrarentur.* Notent hæc Principes, aulici, duces, milites, notent et imitentur.

3. Et vidit in visu manifeste.] Fuit ergo hæc visio, corporalis et ocularis : hæc enim sola est manifesta. Adde, factam esse non noctu, sed per

diem hora nona in vigilia, cum oraret Cornelius : ergo fuit corporalis : nam quando per visionem duntaxat imaginariam quid videtur, solet id fieri noctu. Angelus ergo in corpore assumpto apparuit in Cornelio. Causæ fuerunt quatuor. Prima, ne Cornelius, aut ejus domestici putarent fuisse illusionem nocturnam. Secunda, ne Judæi putantes ad se solos pertinere Messiam, fidem et Evangelium, objicerent S. Petro, surreptitiam fuisse visionem, et vocationem Cornelii ad fidem, uti hac de re expostularunt cum eo c. 11. 3. Tertio, ut Gentiles è Cornelio scirent certo et manifeste, sibi apertum esse ostium Evangelii. Quarto, quia Gentibus manifeste revelandus erat Christus, Christique fides ; Judæi vero excæcandi erant, et ad suæ legis umbras relegandi.

Quasi hora diei nona,] quæ incipit à tertia pomeridiana, et protenditur usque ad vesperam. Unde hora nona, erat hora orationis vespertina; sicut prima erat matutina, uti dixi c. 3. v. 1. Videtur ergo Cornelius more Judæorum, inter quos agebat utrumque orandi tempus observasse; cumque vespertinam horæ nonæ orationem obiret apparuit ei angelus. Orantibus enim se interserunt, astant et apparent angeli, quorum opus et deliciæ est oratio. Ita Cassian. lib. 3. de Inst. Renun. cap. 3. Et S. Chrys. qui et causam dat, cur potius vespertina hora apparuerit angelus, quam matutina : *Quia postrema hora hæc erat*, inquit, *quando curæ dimittuntur, et vocatur precibus atque compunctioni.* Cor enim curarum expers et compunctione saucium, capax est illustrationum rerumque cœlestium, optimeque ad eas dispositum.

Mysticam causam dat Beda : *Quoniam*, inquit, *in morte illius* (Christi) *baptizandus erat, qui spiritum tradidit hora nona.* Hinc Alcuinus lib. de Divinis offic. cap. de Sabbato sancto, docet catechumenos baptizari hora nona : quia ea hora ad primum è Gentibus catechumenum, puta ad Cornelium, venit Angelus jubens vocari Petrum, qui eum baptizaret.

Tropol. S. Chrysost. *Cornelius*, inquit, *vitæ religiosæ sibi tempora constituit : non enim est vir pius qui sibi stata orandi, et bonis operibus vacandi tempora non præfugit.* Et S. Hieron. epist. ad Salvinam viduam, hoc ei dat monitum : *Semper in manibus tuis sit divina lectio, et tam crebræ orationes, ut omnes cogitationum sagittæ, quibus adolescentia percuti solet, hujusmodi clypeo repellantur.* Inter Apophtegmata S. Thomæ Aquinatis primarium hoc recensetur : *Religiosus non est, qui non semper versatur cum Deo, aut cogitat de Deo.* Quocirca ipse ita assiduus erat in oratione, ut omnem suam scientiam illi potius, quam studio, cui tamen sedulo vacabat, attribueret, diceretque scientiam suam magis esse cœlitus infusam, quam humanitus acquisitam. Rursum, *Anima*, inquiebat S. Thomas, *sine oratione non proficit. Religiosus sine oratione, est velut miles nudus, qui pugnat sine armis*, ideoque inermis facile ab hoste vincitur.

Angelum Dei.] Lyran. et Dionys. probabiliter opinantur, angelum hunc fuisse Custodem Cornelii. Angeli enim Custodis officium est curare clientis catechesin, baptismum et salutem. Quare falsum est quod censuit Origenes hom. 6. in Matt. angelum Custodem incipere custodire clientem suum à tempore baptismi. Nam et infideles non baptizati habent Custodem angelum, qui eos à peccatis avocet, et ad virtutes, præsertim fidem et baptismum, deducat, ut habet communis Theologorum sententia.

4. Timore correptus.] Angeli enim Majestas et gloria videntem percellit, uti dixi c. 7. 32.

Quid est Domine?] Ita Roman. Græcus et Syrus, q. d. Quid à me poscis Domine? quid me vis facere? Aliqui codices Latini legunt : *Quis es Domine?* uti dicebat Saulus c. 9. 5. Sed priorem lectionem esse genuinam, patet ex responsione angeli. Ait enim: *Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam*, Græce, εἰς μνημόσυνον, ut scilicet quasi memoriale à te submissum ad Deum, serventur, et semper obversentur conspectui Dei, Vatabl. *recordatus est Dominus, orationum et eleemosynarum tuarum*, ideoque eas digno præmio remunerari volens, mittit me ad te, ut ostendam tibi viam ad fidem et salutem. Tertull. lib de Jejunio c. 8. addit, *et jejunia :* eleemosyna enim et jejunium sunt quasi duæ alæ, quibus oratio evehitur et evolat in cœlum ad Deum. Credibile enim est Cornelium miscuisse orationi et eleemosynis jejunium. A Judæis enim didicerat illud angeli consilium datum Tobiæ cap. 12. 8. *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere : quoniam eleemosyna morte liberat, et ipsa est quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam.*

Nota τὸ *ascenderunt* alludit ad ritum sacrificiorum præsertim holocausti, quod totum per ignem et fumum ascendebat ad Deum, indeque dictum est עולה *ola*, id est ascensio. Orationes enim sunt instar holocausti : inde enim vocantur vituli labiorum, sacrilicium laudis, etc.

5. Et nunc mitte.] Non dicit, *Vade tu ad Petrum :* quia volebat cum eo totam ejus familiam catechizari et baptizari : hæc autem tota domo abire non poterat, ita Hugo. Rursum angelus per se hæc non præstat, quia homines à Deo ordinati sunt ministri verbi Dei et baptismi, non angeli. Sic Saulus ab Anania baptizatus est, Eunuchus Candaces à Philippo. Porro voluit Deus accersiri Petrum, non Joannem, vel quem alium, quia decebat, ut Petrus quasi caput Ecclesiæ, sicut primus omnium post Christum prædicaverat Judæis, Act. 2. et 3. Ita primus prædicaret et Gentibus, puta Cornelio ejusque familiæ. Ipse enim quasi totius Ecclesiæ Pastor, debebat in eam quasi in unum ovile Christi, congregare tam Gentes quam Judæos, ut utrique eum quasi communem patrem agnoscerent, colerent, obedirent et sequerentur, in eoque utrique, licet inter se diversi, imo adversi unirentur.

8. Misit illos in Joppen,] perquirere et accersere Petrum non imperando, sed rogando, ut dignaretur venire ad domum Cornelii.

9. Ascendit Petrus in superiora,] εἰς δῶμα, id est, in tectum domus : tecta enim in Palestina sunt plana, ut in iis ambulare, sedere, orare possint, quæ græce domata, Romæ solaria, vel mœniana appellantur, ait S. Hieron. epist. 135. ad Suniam. Ascendit ergo et secessit, ut liberius cœlum intueretur, eoque à terra oculos et mentem oraturus attolleret. Oratio enim est ascensus mentis ad Deum, quem juvat ascensus corporis. Hinc Christus, Moses, Elias, Elisæus, S. Franciscus, aliique Sancti oraturi ascendebant in montes, ut sicut loco, sic et cogitatione cœlo vicini efficerentur, ait S. Ambros. serm. 11.

Circa horam sextam.] Nota hic horam sextam

orationis : quia ea uti homo creatus est, et peccavit, ita et recreatus est à Christo cruci affixo : et quia ea hora solet sumi prandium, cui exemplo Petri et Ecclesiæ præmittenda est oratio. Vide dicta 1. Timoth. 4. v. 3. et 4.

10. Et cum esuriret,] cibum corporalem : hujus enim fames solet obvenire adventante tempore prandii. Quare quod S. Ambros. serm. 10. Beda et alii accipiunt de esurie spiritali animarum ; eo quod videret paucos Judæos converti ad Christum, mysticum est, non litterale, ut patet ex sequentibus.

Voluit gustare.] Vox *gustare* notat sobrietatem S. Petri, quasi cibo non se opplere, sed eum dumtaxat pro necessitate degustare, et summis, ut dicitur, labris delibare voluerit. Rursum, quod in hac vita sit tantum gustus et delibatio voluptatis, in futura vero saties, juxta illud psal. 16. 15. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Quocirca vir sapiens dixit, cor nostrum esse pyramidale, ita situm in homine, ut ejus basis sursum, conus deorsum vergat, ad significandum, quod terram et terrena quæ deorsum sunt, tantum obiter et levissime, quasi in puncto dumtaxat tangere et gustare, totum vero cordis mentisque sinum et capacitatem sursum ad cœlestia erigere et expandere debeamus. Unde mystice S. Hieron. ad Rusticum epist. 4. *Petrus*, ait, *esuriens in Judæis, Cornelii saturatur fide, et famem incredulitatis eorum, gentium conversione restinguit ; atque in vase Evangeliorum quadrangulo, quod de cœlo descendit ad terram, docetur et discit omnes homines posse salvari : rursumque quod viderat, in specie candidissimi linteaminis in superna transfertur, et credentium turbam ad cœlum rapit, ut pollicitatio Domini compleatur : Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Cecidit super eum mentis excessus.] q. d. Raptus est in ecstasin. Vox *cecidit*, significat hanc ecstasin non fuisse naturalem, qualis est ea quæ ex vehementi ira, pavore, amore, studio et contemplatione nascitur, sed divinam, nimirum cœlitus S. Petro immissam fuisse hanc visionem et raptum. Videque de ecstasi dixi præfatione in minores Prophetas can. 19.

11. Et vidit cœlum apertum.] *Vidit* scilicet in mentis excessu, de quo præcessit. Unde sequitur hanc visionem non fuisse oculorum, sed imaginationis et mentis.

Symbolice significatur hic Primo, arcanum mysterium in cœlis et Dei prædestinatione reconditum, de Gentium Vocatione ad Christum, jam toti mundo reserandum et patefaciendum esse, ait Beda. Secundo, Petro quasi cœli clavigero, datas esse claves ad aperiendum et claudendum cœlos, Matth. 16. 19.

Et descendens vas quoddam.] *Vas*, id est receptaculum, non æneum, nec ferreum, nec ligneum, sed lineum. Unde sequitur *velut linteum magnum.* Erat ergo hoc linteum sive linteamen, velut uter lineus, continens omnis generis escas, inferne concavus et clausus, superne apertus, qui quatuor sui angulis è cœlo demittebatur ad Petrum, eique esurienti omnes has escas ad manducandum offerebat.

Quæres, quid ad litteram significat hoc vas, sive linteum ? Resp. Primo Glossa Interlin. Significare corpus Christi, quod est ut linteum, quoniam sine semine conceptum, candorem castitatis custodit ; et quia mortuum : magnum veros propter deitatis consortium, et quia resurrexit. Ita et Cassian. lib. 3. de Instit. Renun. c. 3.

Secundo, melius alii accipiunt Dei sermonem, et prædicationem Evangelii, in qua molliter quiescunt peccatorum animæ in cœlestis gratiæ illapsu, et supernæ gloriæ spe. Ita sanctus Ephrem. serm. de S. Basil. t. 3. et S. Greg. l. 33. Moral c. 16. vel. 20.

Tertio et aptissime, S. August. serm. 26. de diversis, S. Ambr. ser. 10. Cyrillus, vel potius Origenes hom. 7. in Levit. S. Hier. in epist. 89. ad S. Aug. Greg. loco jam citato, Beda et alii accipiunt Ecclesiam Christi. Hæc enim est quasi vas lineum, id est purum, propter incorruptibilem veritatem et fidem ; quia purissima et sanctissima est tum in fide, tum in vita et moribus, non habens maculam, neque rugam, Ephes. 5. 27. Hæc de cœlo demittitur, quia ipsa est civitas sancta, Jerusalem nova descendens de cœlo à Deo, Apocal. 21. v. 2. Quatuor anguli sunt quatuor Evangelia, quibus per quatuor plagas mundi, et quatuor partes terræ disseminatur Ecclesia. Hoc vas ter è cœlo demittitur, quia fide et sacramento SS. Trinitatis fideles innovantur, et in Ecclesiam, admittuntur. In eo sunt immundæ et feræ bestiæ, id est, quævis gentes, quæ prius erant turpibus et ferinis moribus, atque à legali Judæorum munditie alienæ, Audi S. Gregor. *Quid*, ait, *signatur linteo sindonis, nisi subtilis intextio sanctæ prædicationis, in qua molliter quiescitur, quia mens in illa fidelium superna spe refovetur.*

Tropol. per vas hoc multi accipiunt statum Religionis, qui constat lino, id est, maceratione carnis et mortificatione appetituum. Linum enim varie maceratur et carminatur, ut fiat linum : quatuor initia sunt quatuor regulæ quatuor priscorum Ordinum, puta regula S. Basilii, S. Augustini S. Benedicti et S. Francisci : in eo sunt animalia immunda, id est peccatores qui ut peccata in sæculo admissa expient, pœnitentiæ causa se mancipant Religioni. Ita Glossa. Porro quomodo lineum et linteum sit symbolum puritatis, pœnitentiæ, patientiæ, fortitudinis, religionis, etc., dixi Exodi 28. 39. et Jeremiæ 13. 1. Simile est hoc vas lineum vasi intemerato, de quo noster Causinus Parabol. Hist. l. 12. c. 71. ex Pausania. Tradit enim Pausanias in Arcadia esse Stygem fluvium, cujus aqua adeo acris et potens est, ut omnia vasa sive ærea, sive ferrea, sive lapidea disrumpat, excepto vase quod fit ex ungula equi, quod proinde vas intemeratum dicitur ; estque hieroglyphicum B. Virginis, quæ nullo peccato, vel originali, vel actuli (cujus symbolum est Styx) infici aut lædi potuit. Simili modo Religio est vas intemeratum, quia omnia peccata et peccatorum occasiones amovet et excludit, quantum fragilitas humana patitur.

Symbol. OEcum. Vas inquit, linteum denotat totum orbem, qui ad Christum vocatur : quatuor initia sunt quatuor elementa, quibus hic inferior mundus constat et propagatur : animalia varia sunt varii hominum status. Consequenter vas linteum est homo, qui est microcosmus constans quatuor elementis, quare cogitet se, uti ex iis conflatus est, ita brevi in ea resolvendum, et per mortem rediturum. Quocirca Antistites in Æthiopia, cum cruce sibi preferri curant vas cinerum, quod eos jugiter memores reddat suæ mortalitatis, taciteque eis inclamet

Memento homo, quia cinis es, et in cinerem reverteris. Ita Nicolaus Causinus l. 5. Parbol. Hist. c. 4. ex Sabellico l. 4. cap. 4.

QUATUOR INITIIS.] Syrus et Vatabl. *quatuor angulis;* Tigurina, *quatuor extremitatibus.* Græce additur δεδεμένον, id est *alligatum:* cum enim linteamen hoc esset quadratum, nec esset expansum instar straguli, sed instar vasis, vel utris constrictum at capienda animalia, necessario debebat in quatuor sui extremitatibus constringi et colligari, ne animalia diffluerent, vel dilaberentur. Hi quatuor anguli significant quatuor Evangelia, spargenda per quatuor orbis plagas, uti jam dixi.

12. IN QUO ERANT OMNIA QUADRUPEDIA.] Id est omne genus quadrupedum. Ita Syrus est enim hic distributio pro generibus singulorum, non autem pro singulis generum: nec enim omnia individua omnium animalium capi poterant unico vase et linteo. Græce additur θηρία, id est *feræ*, S. Hieron. in c. 38. Ezech. et Origen. homil. 2. in c. 2. Genes. censent, in hoc linteo fuisse animalia tam munda, quam immunda, sicut fuerunt in arca Noe, munda significabant Judæos, immunda Gentes: ex utrisque enim una conflatur Ecclesia. Probabilius censet Justinus quæst. 89. ad Orthod. in hoc linteo fuisse sola animalia immunda: nam si munda fuissent, Petrus non exhorruisset, sed ea accepisset relictis immundis. Jam autem videns omnia immunda exhorrescens dixit: *Nunquam manducavi omne commune et immundum.* Significabant enim Gentes immundas. Unde volatilia denotant superbos et ambitiosos, serpentia invidos et iracundos; quadrupedia avaros, gulosos et lubricos: hi enim oculos mentemque in terram et terrena projectam gerunt. Ita Lyran. Sic fere et S. Basil. in cap. 14. Isaiæ; nisi quod per volatilia intelligat leves et instabiles. Erant tamen in hoc vase munda nonnulla, sed perpauca et sub immundis abscondita: nam munda significabant Judæos cum immundis, id est Gentibus, capiendos esse Ecclesia Christi.

13. ET FACTA EST VOX,] non realis et sonora, sed imaginaria vel mentalis; talis enim solet fieri in exstasi.

OCCIDE,] θῦσον verti potest Primo, *occide*; Secundo, *sacrifica* vel *immola.* Ita Beda olim enim manducabant, etiam laici, ex victima occisa et immolata Deo. Unde apposite S. Ambr. ser. 10. *In Ecclesia*, ait, *primum Deo animal ex Gentibus Centurio Cornelius est immolatus.* Hæc occisio et immolatio significabat, in Gentibus occidendam esse infidelitatem et vitia, ut in eis viveret Christus, fides et virtus. Unde S. Hier. vel quisquis est Auctor. in Threnos. cap. 3. censet, Petro quasi capiti Ecclesiæ dictum esse de Gentibus: *Macta et manduca, id est, vestutatem earum contere, et in corpus Ecclesiæ ac tua membra converte.* Comparat Petrum leoni, qui quasi rex animalium ea mactat et comedit; ac leænæ, id est Ecclesiæ ea transscribit. Unde S. Gregor. 18. Moral. cap. 20. vel. 22. *Ipsi*, ait, *Primo Pastori* (Petro) *quasi hujus leænæ ori dicitur: Macta et manduca. Quod mactatur quippe, à vita occiditur: id vero quod comeditur, in commedentis corpore commutatur. Macta ergo et manduca dicitur, id est, à peccato eos qui vivunt interfice, et à seipsis illos in tua membra converte*, puta *in novam vitam societatis Ecclesiæ*, ut ait S. Aug. ser 26. de Diversis cap. 7.

Hinc patet minus esse verisimile quod censent aliqui animalia hæc in linteo visa fuisse, non integra et solida, sed in ipso linteo quasi in charta depicta, vel impressa. Probatur id ex S. Cyrillo l. 9. contra Julian. ubi docet animalia hæc in linteo non fuisse vera, sed effigiata et expicta. Verum S. Cyrill. tantum vult dicere ea non fuisse realia et viva, sed instar statuarum fuisse exsculpta et effigiata, ita ut effigiem verorum et vivorum haberent. De his enim, non autem de impressis pictisque in ipso linteo, apte recteque in visione Petro dicitur: *Occide et manduca.*

Tropol. Prælatus et prædicator cogitet se debere esse leonem, fortem ac magnanimum in jugulandis erroribus, pravis moribus et amoribus, sibique æque ac S. Petro, dictum esse: *Occide et manduca.* Ita S. Greg. 30. Moral. c. 7. vel. 11. Quocirca leonino et calidissimo debet esse stomacho, ut instar struthionis ferum digerat, quin et serpentes aliaque venenata animalia in bonum Ecclesiæ succum convertat. Medici triplicem statuunt stomachum. Primum debilem et infirmum, qui escas boni succi in malum, puta in bilem aut phlegma, convertit. Secundum bonum, qui cibos boni succi in bonam alimoniam convertit. Tertium optimum, qui vi caloris res mali succi in bonum commutat. Ita symbolice, debili charitate sunt et virtute, qui volentes sæculares convertere ab eis pervertuntur, moresque eorum induunt. Secundo, alii sunt, qui bonis in bonitate conservant. Tertio, optimi sunt, qui vi charitatis malos, serpentinos, imo saxeos homines in bonos, ovinos et cereos convertunt. Talis fuit Christus, qui Magdalenam et Paulum convertit. Talis Paulus cæterique Apostoli. Talis ergo sit vir Apostolicus, animarum et Dei gloriæ zelator.

14. AIT AUTEM PETRUS: ABSIT, DOMINE; QUIA NUNQUAM MANDUCAVI OMNE COMMUNE ET IMMUNDUM.] *Commune*, id est, impurum et profanum, ut legit S. Cyrill. lib. 9. contra Julian. quod scilicet communiter comedi poterat à quibuslibet Gentilibus et immundis. Judæi enim ne Gentes offenderent, cibos eorum, lege Mosis vetitos et immundos, non vocabant immundos, sed *communes.* Hic *communicare*, sive *commune facere*, est inquinare, vel immundum reddere, ut Matth. 15. 11. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem*, græce κοινοῖ, id est *communicat.* Dicit hoc Petrus, quia adhuc cum fidelibus, utpote Judæo-Christianis, servabat legem Moysi, et differentiam ciborum mundorum et immundorum, ea præscriptam Levit. 11. cujus differentiæ rationes et causas ibidem assignavi. Nota hebraismum, *non omne*, id est nullum: non manducavi omne commune, id est, nullum commune.

15. QUOD DEUS PURIFICAVIT, TU COMMUNE (id est profanum, pollutum et immundum) NE DIXERIS.] q. d. Deus purificavit omnes cibos hoc ipso, quo legem veterem vetantem aliquos cibos quasi legaliter immundos, per novam Christi legem abolevit. Unde R. Moyses et R. Salomon apud Lyran. Genes. 9. 4. traduut, tempore Messiæ nulla animalia fore immunda, uti prius sub Mose, sed omnia fore munda, Perinde ac fuerunt tempore Noe, qui proinde tam immunda, quam munda induxit in arcam; Genes. 7. 28.

Symbolice, Irenæus lib. 3. c. 12. censet omnia purificata esse per sanguinem Christi : quia scilicet sanguis Christi legem veterem, cum omni sua immunditie. et S. Amb. l. 7. in Lucæ c. 10. censet ea purificata per baptismum : per illum enim inserimur Christo, Ecclesiæ et legi novæ, in qua omnia sunt munda ; sicut tempore diluvii omnia in arca Noe fuerunt munda, etiam ea quæ postea Moses sanxit immunda.

Ne dixeris.] Græce, μὴ κοινοῦ, id est, *ne commune facias*, hoc est, ne contamines, ne polluas, id est, ne contaminatum et pollutum dixeris, aut censueris. Est hebraismus : ponitur enim factum pro dicto, vel censura. Sic Levit. 13. sæpe dicitur de leproso, *Contaminabit eum sacerdos*, id est contaminatum eum judicabit et pronuntiabit.

16. Hoc factum est per ter.] q. d. Ter in extasi vidit Petrus vas è cœlo ad se demitti. Ter audivit : *Occide et manduca.* Ter respondit : *Nunquam manducavi omne commune et immundum.* Ter iterum audivit : *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.* Ita S. Cyrill. lib. 7. in Levit. Ternarius Primo, confirmat visionem, ostenditque eam esse veram, vereque à Deo immissam, non somniatam, ait Cyrill. loco jam citato. Secundo, symbolum est SS. Trinitatis, in Cujus nomine baptizandæ et regenerandæ erant Gentes. Ita S. Aug. Ambr. et alii supra citati. Unde in vita hujus. S. Cornelii, quæ exstat apud Surium 13. Septemb. dicitur, per visionem hanc ter repetitam, adumbratam fuisse trinam immersionem Cornelii et cæterorum in baptismo.

Et statim receptum est vas in coelum,] unde primitus dimissum erat. Ut significaret Ecclesiam Christi, in quam cooptandæ erant Gentes, è cœlis descendere, suosque fideles in cœlum ducere et transcribere. Ita Lyran. et alii.

17. Ecce viri.] Deus suavi sua providentia ita hæc dirigebat, ut Petro indaganti significationem suæ visionis, ilico occurrerent viri quos significabat hæc visio, simulque indicavit illi, propter eos hanc visionem illi immissam, eosque repræsentare. Unde et eorum gressus ita direxit, ut nescientes recta pergerent ad domum Simonis, in qua erat Petrus : *Ibique assisterunt ad januam : quia vilis erat domus*, ait S. Chrysost., *intra rogabant, non vicinos.* Notat S. Gregor. homil. 1. in Ezechielem varios esse prophetiæ modos et species, ac inter eos unum, cum mentem Prophetæ Deus ex parte tangit, et ex parte non tangit, uti hic mentem Petri tetigit visione lintei, et mittendo ad eum legatos Cornelii : sed quid hæc sibi vellent, ei non indicavit, nisi ipso rei eventu. Spiritus sanctus enim sensim per occasiones et eventus, more humano voluit docere Petrum et Apostolos. Vult enim Ecclesiam imitari puerum Jesum, qui ætate crescebat et sapientia, ait Hilarius.

18. Et cum vocassent,] aliquem ex incolis domus, sive ex domesticis : vel *vocassent*, id est pulsassent januam, qua phrasi vulgo Hispani utuntur, ait Mariana.

19. Dixit Spiritus.] Puta Spiritus sanctus per internum inspirationem. Ita S. Chrysost. S. Cyrill. catechesi 17. S. Ambros. lib 2. de Spiritu sancto c. 11. et S. Greg. 28. Moral. cap. 2. Aliter Dionysius et Glossa : per Spiritum enim accipiunt angelum vicarium Spiritus sancti, qui exterius sensibili voce dixerit : *Ecce viri tres quærunt te.* Verum sic angelus apparuisset Petro in corpore assumpto, cujus hic nulla fit mentio, imo contrarium innuitur, cum vocatur *spiritus. Spiritus enim carnem et ossa non habet*, Lucæ 24. 39. et cum subditur : *Ego misi illos*, Spiritus sanctus enim mittebat illos.

20. Vade cum eis.] Jubetur Petrus ab oratione et Deo transire ad opera vitæ activæ cum proximo, æque ac Moses Exodi 32. 7. Ut doceat idem nos facere, ac cum officium, necessitas vel charitas poscit, à Maria transire ad Martham, id est, à contemplatione ad actionem.

Ego Misi illos,] ego movi Cornelium ut mitteret illos.

21. Ecce ego sum quem quæritis.] Instinctu Spiritus sancti descendit Petrus, offertque se ignotis antequam eorum quæsitionem audisset, ut ipsi sciant eum virum esse divinum et Prophetam à Deo edoctum, ac proinde ei credant. Insuper mirentur et imitentur ejus promptitudinem, humilitatem, benevolentiam, charitatem ad obsequendum. Ita S. Chrysost.

22. Et testimonium habens ab universa gente Judæorum.] q. d. Omnes Judæi testantur Cornelium esse virum probum, justum et timentem Deum, uti præcessit, ideoque cum, licet Gentilem (à que naturaliter Judæi abhorrere solent) amant et venerantur. Dicunt hoc, ut suæ assertionis, quod sit justus et timens Deum, proferant testes. Secundo, ut Petri, utpote Judæi, gratiam Cornelio Gentili concilient. Tertio, ut Judæo Christiani qui cum Petro venerant, aliique qui Hierosol. erant audituri Cornelium Gentilem admissum esse ad fidem et Ecclesiam, id non ægre ferent, utpote quem Judæi cœteri diligant et colant.

Responsum accepit.] Puta oraculum : hoc enim est ἐχρηματίσθη. Sic sæpe alibi *responsum* capitur pro oraculo.

Et audire verba abs te.] *Verba*, scilicet Christi, Evangelii, salutis et vitæ æternæ, uti explicatur cap. sequenti v. 14. Hæc enim antonomastice et per excellentiam sunt *verba.* Unde *verbum* in epist S. Pauli sæpe capitur pro Evangelio, ejusque prædicatione ; æque ac Scriptura capitur pro sacra et divina.

23. Recepit hospitio,] ἐξένισε, id est, *hospitio excepit*, laute habuit, xeniis et muneribus quasi hospites donavit. Nota hic hospitalitatem insignem S. Petri, quam ipse hospes et peregrinus, in peregrinos aliena in domo exercuit, ac cæteros fideles verbo et exemplo docuit, sed maxime in Romanam Ecclesiam transfudit, in qua proinde etianum hospitalia et nosocomia visuntur tot et tanta, ut unum hoc urbis orbisque prodigium videatur. Ita olim ibidem similia erexerunt Pammachius, gener. S. Paulæ, Fabiola, et Gallicanus gener Constantini Magni, qui suis manibus peregrinis serviebat, totamque vitam et opes hospitibus et hospitalitati consecravit : qua de causa martyrii lauream sub Juliano Apostata meruit.

Merito ergo hoc elogium Ecclesiæ Romanæ dat Martinus Papa I. ep. 16. quod quisquis miserabilis homo ad eam veniat, illum hospitio recipiat, omnia ad usum ei præbeat, nec ullum repellat, detque panem mundissimum et vinum diversum. Eamdem hospitalitatis laudem Romanæ Ecclesiæ dat Dionysius Corynthi Episcopus, apud Euseb. l. 4. c. 23. Ita sane hoc anno 1622. quo Italia fame primum, deinde morbis afflicta est, Roma non tantum suos indigenas, sed et

omnes ex cætera Italia, aliisque provinciis turmatim affluentes hospitio excepit, aluit, curavit, cumque vetera xenedochia et nosocomia turbam non caperent, nova instituit, cardinalibus, aliisque sumptus liberaliter præstantibus. Hæc ergo charitatis et misericordiæ dos, ab initio à S. Petro Romæ aspirata, etiamnum in ea perdurat, estque veræ fidei et virtutis priscæ ingens indicium. Plura de hospitalitate dixi Genes. 18. 1. et Hebr. 13. v. 2.

Ut quidam ex Fratribus.] Ut minimum sex, uti habetur c. 11. 12. Quidam Codices addunt, *Ut Petro testes sint :* sed hæc explicationis causa à quopiam ad marginem addita, postea in textum irrepserunt. Ita Glossa.

24. Altera autem die introivit Cæsaream.] Hæc enim distat à Joppe itinere quindecim leucarum, sive horarum, ut patet ex tabulis Adrichomii : quare commode hoc spatium biduo confici potuit à Petro et comitibus, etiam peditibus, ut videtur.

Moral. notent hic Concionatores, Doctores et similes, se non debere spectare copiam et nobilitatem auditorum, sed eadem alacritate adire et docere paucos ac multos, rusticos ac nobiles, barbaros ac civiles. En tibi S. Petrus Summus Pontifex, non dedignatur adire unum Cornelium Gentilem militem, et hoc nomine Judæis invisum. Nomine enim Romanorum Judeos sub jugo detinebat. In ejus domo coram eo et paucis è familia, docet et concionatur. Ratio est multiplex. Primo, quia in paucis subinde et rudibus major fructus fit, quam in multis divitibus. Et Deus humilitatem et charitatem Doctoris remunerari solet, et facere ut è Paucis fructus in multos spargatur. En tibi per Cornelium apertum est ostium Evangelii ad Gentes : mox enim cæteri Apostoli secuti exemplum S. Petri, in gentes se disperserunt, easque converterunt. Unius ergo Cornelii conversio fuit initium et causa conversionis tot millionum in gentibus. Narrant Annales Hispaniæ, S. Jacobum sub idem hoc tempus in ea novem vel, ut alii referunt, septem dumtaxat convertisse : sed per hosce sparsa est fides, ac sensim tota Hispania conversa, quæ deinde per alias provincias, Indiasque utrasque eamdem fidem propagavit, et etiamnum propagat, ut merito columna et columen Ecclesia nuncupari possit. Ita Christus uni mulieri Samaritanæ prædicavit, sed per eam Samariam convertit, Joan. 4.

Secundo, esto nullus, vel parvus concionis esset fructus, tamen integram laboris et charitatis suæ mercedem concionator à Deo recipiet, qui reddet unicuique; secundum opera sua, non secundum fructum ex operibus secutum : hic enim sæpe in manu est Dei, non nostra. Qua de causa, S. Franciscus, ait S. Bonav. in ejus vita, eadem spiritus alacritate concionabatur paucis ac multis, plebeis ac nobilibus.

Tertio, ac Dei et Ecclesia magnificentiam spectat, multos habere doctores et concionatores; qui Deum celebrent, etsi pauci sint auditores; sicut ad decorem civitatis facit, ut in ea plures sint fontes semper scaturientes, etiamsi pauci ex iis aquam hauriant. Non cessat fons aquam eadem copia emanare, etiamsi nemo hauriat : et tu eodem spiritu eructa verbum Dei, esto pauci audiant. Alioqui per omnem vitam inquietus eris et miser, utpote pendulus ab auditorum phantasia, et mutabilitate.

Quarto, tales justificant Deum, ejusque causam agunt : satagunt enim nomine Dei omnes docere, omnesque peccatores convertere. Quare si non convertantur, ipsorum est culpa, et inexcusabiles sunt. Deus enim in judicii die justificabit se per hosce doctores, dicetque, Ecce ego dedi vobis tot tantosque concionatores : feci quidquid potui ut vos à peccatis avellerem. At vos tam illos, quam me sprevistis : igitur digni estis maledictione et igne æterno. Quare solentur se concionatores, dum paucos vel refractarios habent auditores, exemplo Christi, qui tales habuit, et Dei, qui solem facit oriri super bonos et malos, pluit super justos et injustos, qui tot tentaque bona indies in homines effundit, etiamsi pauci ad ea advertant : pro iisque Deo gratias agant. Noli ergo animum dejicere, ne sinas tibi ligari linguam, cum auditorium minuitur, imo tunc valentius concionare : ostende te Dei gloriam quærere, non hominum. Si uni Deo placere et satisfacere in animum inducas, non curabis an multi, an pauci audiant. Signum minus recte intentionis est, cupere, vel quærere cathedras honoratas et frequentes, nimirum quod quæras plausum hominum magis, quam uni Deo placere. Et hoc vanitas est, à qua nos liberet veritas. Verum est illud Gallorum proverbium : *Beaucoup de bruit, peu de fruit.* Ea quæ plausum habent, parum habent planctus et fructus. Videmus in multis Academiis, professores Medicinæ et Juris paucos habere auditores, et tamen animose docere per multos annos, imo per totam vitam hoc nomine, quod Academia requirat tales; et quod integra semper percipiant stipendia. Idem apud se statuat concionator. Plato uno Aristotele discipulo contentus, cum is in scholis adesset etiamsi cæteri abessent docebat dicens : *Auditorium est.* Nos magnum habemus auditorem Deum, quid ultra requirimus ? Stratonicus musicus cum in ludo suo haberet pictas Musas novem, Apollinem unum, discipulos autem tantum haberet duos, rogatus à quodam quot haberet discipulos ? Cum diis, inquit, duodecim, ita Athenæus, et ex eo Bruson. l. 5. c 2. Tu si sex habeas, cogita te totidem auditores habere angelos, eorum custodes.

Quinto, Deus non tam considerat quantum, quam ex quanto faciamus, puta ex quanta humilitate, charitate et zelo : ex iis enim opus suam vim, valorem et meritum sortitur. Qua in re errant plerique : putant enim meritum consistere in magnitudine operum, cum in eo non consistat, sed in magnitudine charitatis. Fac opus parvum magna charitate, plus mereberis quam is, qui facit opus magnum ex parva charitate; radix enim, norma et mensura meriti est charitas. Hæc magis puriusque exercetur coram paucis quam multis; coram plebeiis et rusticis, quam divitibus et nobilibus, ubi sæpe se miscet carnalitas et cupiditas, cum in illis sit mera puraque charitas.

Sicut Mathematicus considerat lineam in se, et abstraxit ab eo quod sit aurea, vel ærea, nec libentius auream quam æream speculatur : ita sanctus doctor et prædicator unum Deum spectat : illi soli placere intendit, illius voluntatem explere satagit, nec curat an id fiat in officiis et pulpitis splendidis, vel vulgaribus; an coram multis, vel paucis. Denique S. Monica unum discipulum habuit, filium S. Augst., quet quan-

tosque pro eo uno formando labores et dolores subiit? At per unum Aug. quot quantosque docuit, et etiamnum docet et convertit? Anachoretæ plerique unum alterumve dumtaxat habebant discipulum, in eo poliendo et perficiendo totam vitam insumebant, ut eum suæ vitæ et doctrinæ, æque ac cellæ, relinquerent heredem. At unum ille alterve in virum perfectum evadebat, eatque instar mille, qui proinde multos alios ad vitam religiosam et perfectam instituebat, uti videre est in Vitis Patrum..

Necessariis amicis.] q. d. Amici non omnibus, sed magis intimis, puta necessitudine et propinquitate conjunctis.

25. Adoravit.] Non latria, sed adoratione civili et religiosa, sicut Abraham adoravit filios Heth. Gen. 23. 7. et Alexander Magnus Jaddum pontificem Judæorum, teste Josepho l. 11. Antiq. cap. 8. et sicut modo exemplo Cornelii fideles adorant pontificem, eumque genuflexi osculo pedis venerantur; quod notent hæretici. Addit vir doctus, Cornelium proprie adorasse Petrum: putasse enim in Petro esse quid numinis, eumque esse quid super hominem, imo super angelos, utpote ad quem ab angelo missus esset, auditurus ab eo verba salutis, et majora quam ab angelo audiisset. Unde et S. Hieron lib. contra Vigilantium ait Cornelium eo errore laborasse quo Lycaonii, qui Paulum esse Mercurium opinabantur, Barnabam vero Jovem, Actor. 14. 11. Sic enim Gentiles, præsertim Platonici, heroes censebant esse deos quosdam inferiores, terrestres, et medios inter Deum et homines cæteros. Verum hoc de Cornelio unum Deum cognoscente et colente, imo religioso, justo et sancto, parum videtur credibile, præsertim cum ipse hæc omnia faceret Deo astante, ducente, gubernante. Sciebat enim unum esse Deum, non plures, uti recte advertit Salmeron hic, et Suarez 3. par. tom. 1. disp. 53. sect. 1. et Vasquez lib. 1. de Adorat. cap. 3. num. 161.

Dices, cur ergo Petrus hanc adorationem recusat, causam allegans dicensque: *Surge, et ego ipse homo sum?* Resp. Id facit humilitatis et modestiæ studio, ad exemplum fidelium, præsertim quia apud Judæos unum Deum adorantes, inusitata et suspecta erat hominis quælibet adoratio: qua de causa Mardochæus noluit adorare, id est, genua flectere coram Aman. Unde Petro in primis illis tenuibus sui pontificatus initiis, hic honor visus est æquo major et immoderatior, ut ait S. Greg. 21. Moral. c. 10. vel 11. Sensus est ergo. q. d. Surge Corneli: ego enim homo sum tui similis, ac proinde nolo ut te ante me prosternas. Hæc enim prostratio nobis Judæis est insolita, nec fere fieri solet nisi angelo, aut Deo, qualis ego non sum. Itaque licet tua erga me, id est, Patrem tuum spiritalem, reverentia et veneratio bona sit et sancta tamen hoc tempore eam mihi adhiberi nolo: tum ut dem humilitatis exemplum; tum ne Judæos comites meos, quibus illa nimia, nec homini, sed angelo, vel Deo debita videri potest, offendam: tua enim tam profunda mentis, vultus et corporis ante me demissio, eis videtur numini potius, quam homini competere: quare ergo hunc honorem, modestiæ et scandali vitandi causa, declino, fateorque me hominem esse, ac ut hominem comiter et familiariter velle tecum agere. Simili de causa noluit angelus à Joanne adorari genuflexione, Apoc. 19. 10. uti ibi dixi.

Tolerabilius dici posset, Cornelium putasse Petrum esse angelum incarnatum, et ut talem adorasse, ideoque prohibitum à Petro dicente, *Et ego homo sum.* Verum Cornelium scivisse Petrum esse hominem, non angelum, patet ex dictis, et ex circumstantiis notisque Petri, quas ei indicavit angelus, jubens eum vocari v. 5. et 6. Adoravit ergo eum ut hominem, sed Proph. et Spiritu Dei plenum: Petrus vero modeste hunc honorem recusavit, de quo vide S. Basil. in Moral. c. 59.

28. Abominatum sit.] Græcum ἀθέμιτον, id est, *illicitum* (ut habent Biblia Gothica, teste Mariana) *iniquum, nefarium, abominabile*, deducitur à θέμις, id est, *lex, jus, fas*, et à privativo: q. d. contra jus et fas est. Judæi enim abominabantur et aversabantur alienigenas, id est Gentes, quasi infideles, impias, eleges, impuras, pollutas; uti vicissim Gentes spernebant Judæos, quasi viles, singulares, et lege ac religione diversos et separatos à cæteris populis; eosque per contemptum vocabant verpas recutitos, appellas.

Sed mihi ostendit Deus, neminem communem aut immundum dicere.] Neminem scilicet ut immundum et pollutum, abominandum esse et aversandum. Ostendit autem id Deus per visionem vasis lintei, et animalium immundorum, quæ significabant Gentiles, dicendo: *Occide et manduca: quod Deus purificavit, tu commune*, id est, pollutum et immundum, *ne dixeris.*

29. Sine dubitatione,] ἀναντιρρήτως, id est, *citra contradictionem*, ut vertit Tigurina; Syrus, *expedite.* Pagnin. et Vatab. *incunctanter.*

Interrogo.] Sciebat Petrus ex visione lintei, et ex instinctu Spiritus sancti et ex nuntiis promissis, quid vellet Cornelius. Interrogat tamen eum, ut plenius Cornelii animum perscrutetur, acuatque ejus desiderium audiendi res fidei et salutis. Ita S. Chrysost.

A nudiusquarta die,] ἀπὸ τετάρτης ἡμέρας, id est, *die abhinc quarta.* Ita Tigur. Pagnin. et Syrus. *Prima die viderat angelum, et miserat nuntios, secunda hi pervenerunt Joppen: iidem inde cum Petro profecti sunt; quarta reverterunt Cæsaream*, ait Lyran.

Porro Græca et Syra sic habent: *Die abhinc quarto usque ad hanc horam eram* (hoc est enim ἤμην, licet Tigurin. et alii apud Gagneium legant ἤμην, id est, *sedebam*) *jejunus, et hora nona precabar domi meæ:* quorum verborum sensus clarus est hic. q. d. Quarto abhinc die eram jejunans usque ad horam hanc vespertinam, quando more meo orans hora nona, vidi angelum. Aliter vertit S. Chrysost. scil. *à quatuor diebus eram jejunans, cum hora nona orans vidi angelum.* Censet enim ipse quatuor hosce dies jejunii Cornelii, præcessisse apparitionem angeli, quasi eam meruerit Cornelius per prævium quatriduanum jejunium. Aliter quoque ex versione nostra vulgari interpretantur alii. q. d. Ab hora nona nudiusquartus, quando mihi oranti apparuit angelus, hucusque mansi jejunus et orans. Hunc enim sensum exigere videtur τὸ *à nudiusquarta die.* Unde sequitur, Cornelium in oratione jejunum (ut habent Græca et Syra) perstitisse per quatriduum, scilicet usque ad adventum S. Petri, itaque se præparasse ad recipiendam Christi fidem et Baptismum. Dicit vero *eram*, potiusquam sum, vel mansi, aut maneo, quia

maxime urget initium orationis suæ, quando ei apparuit angelus, et quia jam paulo ante ab oratione cesserat, scilicet mox ut advenit Petrus. Verum hic sensus dissentit à Græco et Syro : quare ut ei consentiat versio nostra Latina, sic exponenda est. q. d. Nudius quarta die, id est nudiusquartus, eram orans hora nona usque ad hanc horam, scilicet vespertinam : videtur enim Petrus vespere pervenisse Joppen, et ingressus domum Cornelii, ut itinerantes facere solent. Primus ergo sensus est genuinus. *Nudius quartus* enim, ait Festus, componitur ex *nunc* et *die quarto*. q. d. Nunc est dies quartus. Unde *à nudius quarta die*, idem est quod, ex nunc quarta die, sive quarta abhinc die, ut habent Græcus et Syrus: *nudius* enim idem est quod, *nunc dies*.

ORANS ERAM HORA NONA.] Nota Beda et Glossa, nonnullos codices Latinos et Græcos sic legere, *adorans eram à sexta usque ad nonam*. Unde et Œcum. censet, eum orasse per tres horas antequam angelus veniret, sed vera lectio et expositio est ea, quam paulo ante dedi.

IN VESTE CANDIDA.] Græce λαμπρᾷ, id est *splendida* : color enim candidus est lucidus et splendidus. Unde olim vestis candida erat nobilium, et ambientium magistratus, qui inde vocabantur Candidati.

31. EXAUDITA EST ORATIO TUA.] Qua orasti pro salute tua et tuorum : unde suggero tibi, ut voces Petrum : hic te docebit fidem Christi, quæ te ad salutem et beatitudinem perducet.

ET ELEEMOSYNÆ TUÆ COMMEMORATÆ SUNT.] q. d. Deus recordatus est eleemosynarum tuarum, ac propter eas impertiet tibi lucem Evangelii. Vide dicta v. 4.

32. NUNC ERGO OMNES NOS IN CONSPECTU TUO ADSUMUS.] Quasi prompti et parati audire et facere quæcumque ex Deo jusseris. Græca jam habent, *in conspectu Dei* : quod Tigur. vertit *teste Deo;* Vatab. *conscio Deo omnes adsumus*. q. d. Testamur Deum et juramus nos paratos audire, et facere ea quæ tibi præcepta sunt à Deo.

34. IN VERITATE COMPERI,] καταλαμβάνομαι, id est, *comperio, deprehendo, video*.

QUIA NON EST PERSONARUM ACCEPTOR DEUS.] Græce eleganter dicitur una voce, ἐκ ἐσιπροσωποληπτης. q. d. *Deus non est personæceps*, ut scilicet Judæos(ut ipsi putant) præ Gentibus, sicut ad Synagogam Mosis, ita et ad Ecclesiam Christi elegerit, sed paratus est omnes in Christum credere volentes in gratiam recipere, sive Gentiles sint, sive Judæi. Hoc enim nationis discrimen in electione hac ad gratiam, Ecclesiam et salutem, non respicit Deus. Nota. Hæc personarum acceptio hoc loco non est illa, quæ est vitium oppositum justitiæ distributivæ : Deus enim hac justitia non ligatur : quia homines ad Dei gratiam, fidem et salutem nullum jus habent. Unde Deus sine ulla injuria, et sine vitio acceptionis personarum potuisset eligere Judæos ad christianismum, et ab eo excludere Gentes. Ergo hæc acceptio personarum hoc loco est illa, quæ fit in rebus gratuitis, quæ ex mera donantis libertate pendent, ut si dives velit facere eleemosynam, sed certis personis duntaxat, v. g. suis civibus, vel subditis. q. d. Deus in distribuendis suis fidei et gratiæ donis non respicit personam, an videlicet Judæus sit an Gentilis, sed utrislibet eam offert, ac præsertim : *in omnigente, qui timet Deum, et operatur justitiam, acceptus est illi*, uti tu, ô Corneli, licet Gentilis, quia times Deum, et operaris justitiam (hoc ipso enim dignior es Judæis) acceptus es illi, ideoque per me tibi fidem explicitam Christi, baptismum christianismum impertiet. Vide quæ de personarum acceptione dixi Rom. 2. 11.

35. ET OPERATUR JUSTITIAM.] *Justitia* hic Primo, accipi potest generaliter, ut virtutes omnes contineat, sitque earum complexio, à qua denominatur justus. Sic etiam accipitur ab Aristotele 5. Ethic. c. 1.

Secundo, *justitia* accipi potest pro eleemosyna : Cornelii enim justitia maxime sita erat in erogandis eleemosynis; sic accipitur Psal. 111. 9. *Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in sæculum sæculi; justitia*, id est eleemosyna, quam dispersit in pauperes. Ratio est, quia per eleemosynam explemus triplex jus et debitum; nimirum id quod debemus proximo, nobis et Deo : homo enim homini debet humanitatem : sibi debet, ut suæ naturæ consortem ac concorporalem et consanguineum, quasi suum fratrem adjuvet : Deo debet, ut, cum ipsi se benefacere non possit, id faciat ejus imagini, puta homini, quem Deus creavit ad suam imaginem et similitudinem, ut esset quasi Deus quidam terrestris; præsertim cum Deus in tota Scriptura id tantopere jubeat et commendet, sibique id fieri æstimet : atque hujus rei rationem exacturus sit in die judicii, ac misericordes cœlo, immisericordes inferno adjudicaturus, Matth. 25. 35. hinc Hebr. affines sunt voces, et per metathesim pene eædem חסד *chesed*, id est, pietas, misericordia ; et צדק *tsedec*, id est, justitia, adeoque sæpe חסיד *chasid*, id est, pius, misericors, idem est quod justus et sanctus. Causas dedi 2. Cor. 9. 9. et Dan. 4. 24.

Tertio, *justitia* hic accipi potest antonomastice scilicet non qualis qualis, sed illustris, eximia et heroica. Sic capitur Eccli. 20. 30. *Qui operatur justitiam, ipse exaltabitur*. Et Hebr. 11. 33. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam :* ibi enim Apost. heroica patrum facta, quasi fidei illustres effectus et elogia commemorat. Pari modo Cornelius non tantum justus erat, sed illustria justitiæ et eleemosynæ facinora edebat. Unde præ cæteris meruit visitari ab angelo, primusque gentilium publice à S. Petro Christianismo initiari. Quocirca S. Chrysost. omnibus Cornelium in exemplum justitiæ et bonorum operum, æque ac remunerationis divinæ proponit.

36. VERBUM MISIT DEUS.] Hic Petrus finita præfatione rem orditur, ac Centurionem cum suis catechizat, ait Tertul. l. de Corona militis c. 11. Primæ enim Apostolorum conciones fuerunt catecheses : de quo glorientur nostri catechistæ, sintque eorum æmuli. Docet enim Petrus Jesum Christum à Patre missum in carnem, ad redimendum homines, ideoque passum, crucifixum, resurrexisse, venturum judicem; per ejus merita remitti peccata, dari gratiam et salutem. Nota. *Verbum* hoc accipi potest. Primo, pro sermone et prædicatione Evangelii; Secundo, pro Verbo æterno, id est, filio Dei incarnato, hoc est, Jesu à Nazareth, uti se explicat Petrus v. 38. Sic enim de eo ait Joan. in initio Evang. *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum*, etc. *Et Verbum caro factum est*. Ita Hugo, Glossa et Dionys. hic, ac

S. Athanas. orat. contra Arrian. in illud, *Deus de Deo.* Tertio et plane, *verbum* hic accipias pro re verbo significata, puta pro rebus à Christo dictis et factis, de quo mox plura. Alludit Petrus ad illud Isaiæ 9. v. 8. *Verbum misit Dominus in Jacob, et cecidit in Israel.* Est enim utrobique eadem phrasis, sed dispar scopus et sensus. Vide ibi dicta.

ANNUNTIANS PACEM PER JESUM CHRISTUM.] Puta pacem et reconciliationem cum Deo, indeque cum proximis, æque ac pacem conscientiæ. Unde angeli Christo nato illico cecinerunt: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, Luc. 2. Hanc pacem allatam à Christo sæpe commendat Apost. ac præsertim Ephes. 2. 14. *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum*, etc. Vide ibi dicta.

HIC EST OMNIUM DOMINUS.] *Hic*, scilicet Jesus Christus, qui proxime præcessit. Unde Christi divinitatem contra Arrianos ex hoc loco probat S. Athanas. loco jam citato, et alii.

37. VOS SCITIS, id est, rumore audistis, ex fama communi confuse (nam distincte et particulatim ignorabant: unde edocentur hic à Petro) cognovistis, QUOD FACTUM EST VERBUM.] *Verbum* hic paulo aliter à nonnullis capitur, quam v. præc. ibi enim græce erat λογος, hic vero est ῥῆμα. Verbum enim æternum, puta Dei filius, in Scriptura vocatur λογος non ῥῆμα; ῥῆμα ergo significat Evangelii prædicationem factam à Christo per totam Judæam. Ita Hugo, Gloss. et Dionys.

Secundo et planius, *verbum* hic capitur metonymice pro re, puta pro summa dictorum et factorum Christi, quam Græci vocant œconomiam Christi: hanc enim in sequentibus explicat et enarrat S. Petrus. Ita Lyr. Cajet. Gagneius et noster Lorinus. q. d. Audistis famam prædicationis, miraculorum et gestorum Christi. Hunc esse sensum patet ex textu Græco, qui sic habet, ὑμεις οἴδατε τὸ γενὸμενον ῥῆμα κατ' ὅλης της Ἰουδαίας, ἀρξάμενον ἀπὸ της Γαλιλαιας, μετα τὸ βάπτισμα ὃ ἐκήρυξεν Ἰωάννης, Ἰησοῦν τον ἀπὸ Ναζαρετ, ὡς ἔχρισεν αὐτόν ὁ Θεος πνευματι ἁγίῳ, etc., id est, *Vos scitis et verbum quod factum est per totam Judæam, exortum à Galilæa, post baptismum quem prædicavit Joannes, Jesum à Nazareth, quomodo unxerit eum Deus Spiritu sancto.* Ita Pagnin. Tigurina, Vatabl. Gagneis, et alii passim. Unde patet Primo, *verbum* hoc esse *Jesum à Nazareth*, puta dicta et gesta Jesu Nazareni, quæ scilicet ipse post susceptum à Joanne baptismum, accepto ab eo testimonio quod ipse esset Messias, cœpit docere et facere, incipiens à Galilæa, et prosequens per universam Judæam. Unde id explicans Petrus subdit: *Quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute, qui pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos à diabolo.* Quare Vatab. per metathesin unius voculæ *quomodo* sic exponit: *Vos scitis verbum quod factum est*, scilicet, *quomodo unxit Deus Jesum Nazarenum Spiritu sancto*, etc., ut pronomen *eum*, per pleonasmum Hebræum redundet. Patet Secundo, *verbum* hoc versu idem significare quod v. præced. scilicet dicta et facta Christi. Patet Tertio, τὸ *incipiens*, vel, ut alii vertunt *exortum*, referre *verbum*, quod præcessit, non *Deum*: licet ergo Latina versio habeat, *incipiens enim à Galilæa*, subaudi *fuit*, tamen Græca non habent τὸ *enim*: eo enim omisso sensus plane fluit.

POST BAPTISMUM QUOD PRÆDICAVIT JOANNES.] Pronomen *quod* refert *baptismum*, quia sicut Græcis βάπτισμα dicitur in neutro genere, et βαπτισμος in masculino sic et latine dicitur *baptismus* masculine, et *baptismum* neutre, uti neutre usurpat sæpe S. August. S. Hier. et alii. Aliter hæc legunt Rabanus et Beda, nimirum sic: *Vos scitis ut prædicavit Joannes Jesum à Nazareth.*

38. JESUM A NAZARETH.] Scilicet scitis esse verbum jam dictum: inde enim connexe hæc omnia pendent, uti jam ostendi ex Græco. De nomine Nazareni dixi c. 2. 22.

QUOMODO UNXIT EUM DEUS SPIRITU SANCTO.] De hac unctione dixi c. 4. 27. Vide Euseb. l. 4. de Demonstr. c. 15. ubi docet gratiam Spiritus sancti recte vocari oleum et unctionem, quia instar olei nitidos facit, lucidos, fortes, vegetos et hilares.

ET VIRTUTE,] δυναμει, id est, *potentia.* Hanc enim Christus divinam ostendit in patrandis miraculis, ejiciendis dæmonibus, convertendis animis.

QUI PERTRANSIIT BENEFACIENDO,] εὐεργετῶν, id est, *benefaciens;* ut recte Christus cognominari posset Evergetes, id est benefactor, utique longe verius quam Ptolemæus ille rex Ægypti, ordine tertius. Proprium ergo Christi, ejusque asseclarum est, nemini male, sed cuilibet benefacere, ut ubicumque degit, spargat radios suæ beneficentiæ instar solis, qui jugiter currit et pertransit, ut lucem, calorem et influxum suum communicet hominibus et plantis toto orbe dispersis.

Vere S. Bernard. epist. 253. ad Guarinum: *Pertransiit*, ait, *sicut non infructuose, ita non remisse, non pigre, non lento gressu, sed quemadmodum de eo scriptum est: Exultavit ut gigas ad currendam viam. Porro currentem non apprehendit, qui et ipse pariter non currit. Et quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? Ideo Paulus aiebat: Sic currite ut comprehendatis. Ibi tu, Christiane, fige tui cursus profectusque metam, ubi Christus posuit suam. Factus est*, ait, *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Idem serm. 11. inter parvos: *Justitia*, ait, *est in duobus, in innocentia, et in beneficentia. Innocentia justitiam inchoat, beneficentia consummat.* Idem epist. 181. ad Haimericum: *Benevolus nil sibi carius ipsa æstimat benevolentia, qua et benevolus nominatur, et beneficus est.* S. Chrysost. hom. 27. in Gen. *Benefacere*, ait, *homini, est beneficium magnum apud Deum deponere.* Dei enim proprium est benefacere, sicut diaboli malefacere. Deum ergo patrem suum imitantur benefici. Audi Christum Matth. 5. 44. *Benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.*

Quare Gentilis, non Christiana, est ista Ciceronis vox: *Beneficium nec in juvenem, nec in senem conferendum est: in hunc, quia perit antequam gratiæ referendæ detur opportunitas: in illum, quia non meminit.* Pientius Titus Vesp.. Imp. aiebat: *Non licere quemquam à vultu Imperatoris tristem discedere.* Idem recordatus se eo die nemini benefecisse: *Amici*, ait, *diem perdidimus;* ita Sueton. in ejus Vita. Pythagoras rogatus, *qua ratione homines diis similes haberi possent?* resp. *Si veritatem amplecterentur, et cunctis benefacerent.* Ita Ælian. l. 12. Theophrastus

rogatus, *quidnam vitam humanam conservaret?* resp. *beneficentia.* Ita Stobæus serm 41. Anaxilaus interrogatus, *quid esset in regno beatissimum?* resp. *Nunquam vinci beneficiis.* Publius Mumus : *Beneficium*, ait, *qui dare nescit, injuste petit.* Alexander Severus Imp. rogatus, *Quis esset optimus?* resp. *Qui amicos muneribus retinet, et inimicos beneficiis ambit, sibique conciliat.* Ita Maximus serm. 9. de Magist. Epictetus : *Sicut sol*, ait, *non expectat preces ut exoriatur; sed illico fulget ac salutatur ab omnibus; ita neque tu expectaveris plausus strepitus et laudes ut benefacias, sed sponte confer beneficia, et æque ac sol ambieris*, teste Stobæo serm. 44. de Magistrat. Præclarius S. Gregor. Nyssen. orat. de pauper. amandis : *Beneficentia*, ait, *est omnium virtutum laudatarum præstantissima. Hæc est felicitatis comes. Hæc assidet Deo, et magna est cum ipso necessitudine conjuncta.*

Et sanando omnes oppressos a diabolo,] καταδυναστευομένους, id est, potentia et tyrannide diaboli in potestatem ejus redactos, oppressos, et sub jugum missos, possessos scilicet à diabolo, vel corpore, vel anima, vel utroque. Diabolus enim erat princeps mundi; sed eum suo principatu tyrannico dejecit Christus, Luc. 11. 12.

Quoniam Deus erat cum illo.] Primo, per unionem hypostaticam. Secundo, per gratiam eximiam, singularem et capitalem, qualis decebat unigenitum Dei. Tertio, per potentem operationem miraculorum et sanitatum, perque efficacem prædicationem, qua mentes hominum illuminabat, et ad Deum convertebat. Inde vocatus est Emmanuel, id est, *nobiscum Deus*, Isaiæ 7. 14. Facessat ergo Nestorius, qui ex hoc loco et similibus inferebat, Christum esse merum hominem, non Deum, quia Deus erat cum illo, scilicet homine Christo : alia ergo erat persona hominis Christi, alia Dei qui erat cum illo homine. Respondeo enim negando consequentiam : nam τὸ *illo* significat hominem Christum existentem, non subsistentem in propria persona, sed in persona Verbi, ac proinde non significat personam hominis, sed naturam et existentiam hominis in concreto : in hac enim erat Deus per unionem hypostaticam, ac consequenter ei suam hypostasin et subsistentiam divinam communicabat. Aliter ergo Deus est in nobis, aliter in Christo : in nobis enim tantum est per gratiam et operationem; in Christo, etiam per substantiam.

Non omni populo.] *Suscitatum Christum nemo vidit impiorum*, ait S. August. tract. 76. in Joannem.

42. Qui constitutus (ὡρισμένος, id est, *definitus, destinatus, designatus*) est a Deo judex.] Nimirum qua homo, *quia filius hominis est*, ut ait Joan. c. 5. 27. ut scilicet in humana natura, gloriosa, visibiliter judicet omnes homines in valle Josaphat in ultimo mundi die. Hæc enim potestas judiciaria debita est humanitati Christi ob unionem cum Verbo : loquitur S. Petrus primario de judicio universali, secundario de particuliari : hoc enim universali annexum et subordinatum est. Christus enim particulatim singulos homines judicat, dum moriantur, non quod singulorum animæ deferantur in cœlum, Christoque judici judicandæ sistantur, ut velle videtur S. Augustin. de Vanitate sæculi c. 1. sanctus Chrysostomus hom. 46. ad popul. et S. Bernard. in Medit. c. 2. nec enim decet peccatores in cœlum elevari : non etiam quod Christus personaliter in terram descendat, ut quemque morientem judicet, uti videtur velle Innoc. III. l. 2. de Contemptu mundi, c. 43. sic enim Christus quolibet momento deberet è cœlo in terram, imo in varia terræ loca simul descendere : sed quod animæ defuncti statim post mortem intellectualiter loquatur, eique sua facta repræsentet, ac pro meritis, vel demeritis cuique sententiam quasi judex dictet et proferat. Sicut enim angelus in Oriente potest loqui alteri angelo, qui est in Occidente, per mentalem locutionem, ita Christus gloriosus in cœlo, mentaliter potest loqui animæ existenti in terris. Ita Franc. Suarez 3. par tom. 2. disp. 52. sect. 2. licet nonnulli sentiant, Christum particulare cujusque judicium peragere per angelum ejus custodem, uti dixi cap. 7. 58.

Nota. Hanc potestatem judiciariam habuit Christus in actu primo, à primo instanti conceptionis suæ, et unionis cum Verbo. Ex tunc enim habuit jus et potestatem judicandi omnes, æque ac dominium universi et creaturarum omnium : sed usum et exercitium hujus potestatis accepit in resurrectione : tunc enim accepit gloriam regnantis statumque dominantis, dum enim viveret habuit statum se humiliantis et patientis, merentis et morientis.

Vivorum et mortuorum.] Id est, justorum et injustorum, ait S. Chrysost. hom. 1. de Symbolo, et S. August. Enchir. c. 51. animarum et corporum, ait Ruffinus in Symbolo. Verum hæc mystica et symbolica sunt. Dico ergo ad litteram, vivos hic vocari eos, qui in die judicii vivi reperientur, cæteros vocari mortuos, non quod et illi vivi morituri non sint, sed quod è morte illico sint resurrecturi, ita ut mors eis sit potius transitus ad vitam, quam interitus. Vide dicta 1. Thessal. 4. 15.

Hinc patet, omnes omnino homines resurrecturos, præsentes fore Christo in die judicii, ab eoque judicandos, etiam parvulos sine baptismo in peccato originali mortuos, uti docet S. Greg. 9. Mor. c. 12. vel 16. et S. August. l. 3. de Libero arbitr. c. 23. et plerique Scholastici in 4. dist. 47. omnes enim subditi sunt judici Christo, sicut pro omnibus idem natus et mortuus est. Christus itaque in parvulos proferet sententiam mediam : non enim admittet eos in cœlum, ut beatos; nec damnabit ad ignem gehennæ, ut damnatos. Puniet ergo eos pœna damni, id est, privatione cœlestis gloriæ ob peccatum originale, non vero pœna sensus : hæc enim respondet peccato actuali, quod parvuli non habent.

43. Remissionem peccatorum accipere.] Id est, *quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen ejus, quisquis crediderit in eum*, ut vertit Tigurina, qui scilicet in eum crediderit fide, non mortua, sed viva, quæ in spei, timoris, invocationis, charitatis et cæterarum virtutum actus se exerit, ut scilicet credat Christum esse mediatorem inter Deum et homines, ejusque passionis merito Deum remittere peccata, ac ut talem invocet, amet, veneretur, ejusque legi et præceptis per omnia obediat. Ita contra hæreticos hujus temporis explicat et docet sanctus Jacobus c. 2. 24. Cur Apostoli passim inculcent beneficium remissionis peccatorum, causas dedi c. 5. 31. et c. 2. 38. licet enim Cornelius jam esset justificatus, tamen etiam justus sep-

ties in die cadit, saltem in peccatum veniale. Adde, in domo Cornelii multos fuisse, qui necdum remissionem peccatorum acceperant, sed jam à S. Petro erant accepturi per fidem Christi. Denique docet hic S. Petrus vim baptismi, quod nimirum remittat peccata, ideoque nemo justificetur nisi eum actu suscipiat, vel habeat in voto, uti habuit Cornelius.

44. CECIDIT SPIRITUS SANCTUS.] Visibili specie, scilicet in igneis linguis, incumbens capiti Cornelii et domesticorum ejus. Hac enim specie descenderat in Apostolos. Id patet ex c. seq. v. 15. ubi dicitur : *Cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut et in nos in initio*, puta in Pentecoste, per linguas igneas. Unde et sequitur : *Audiebant enim illos loquentes linguis.* Porro cecidit Spiritus sanctus in eos antequam baptizarentur : unde sequitur, eos ad catechesim S. Petri fidem in Christum concepisse, ac contritionem de peccatis, cum audirent remissionem peccatorum sperandam et petendam à Christo, per eamque se esse justificatos. Ita disposit Deus, ut Judæi Petrum non possent arguere, quod eos utpote Gentiles, baptizasset et christianismo initiasset, utpote cum vidissent in eos jam ante descendisse Spiritum sanctum qui suo descensu eos sibi in filios adoptabat, itaque significabat eos in Ecclesiam suam esse cooptandos. Ita S. Chrysost. Quare imperite hoc loco argutantur hæretici : Cornelius ante baptismum recepit Spiritum sanctum, ergo eum non confert baptismus ; sed is tantum est signum justitiæ et gratiæ per fidem acceptæ : perinde enim est ac si sic argutarentur. Contritio confert Spiritum sanctum ergo eum non confert baptismus. Inepta enim est utraque consequentia. Idem enim effectus, puta gratia Spiritus sancti à pluribus causis promanere potest, puta à contritione, et à baptismo. Adde contritionem includere votum baptismi, et sine eo non conferre Spiritum sanctum uti superius dixi. Denique hic illapsus Spiritus sancti in Cornelium ante baptismum, fuit privilegium speciale ei soli concessum, quod regulæ legique communi, juxta quam per baptismum datur remissio peccatorum et gratia Spiritus sancti non præjudicat.

45. EX CIRCUMCISIONE, ex judaismo, FIDELES.] est synecdoche : ponitur enim *circumcisio* pro tota lege Mosis, quia ipsa ejus erat initium et professio, uti est baptismus legis novæ et christianismi. Secundo, *ex circumcisione*, id est, circumcisi, puta Judæi fideles et Christiani. Est græcismus, de quo dixi Rom. 4. 12.

QUIA ET IN NATIONES (ἔθνη, id est, *Gentes* et *Gentiles*) GRATIA SPIRITUS SANCTI EFFUSA EST.] Putabant enim Judæi Christum Christique gratiam, et Ecclesiam, Judæis solis esse promissam et destinatam à Deo, et Gentes ab ea excludendas.

GRATIA,] δωρεὰ, id est, *donum gratuitum*, ideoque gratia.

46. ET MAGNIFICANTES DEUM.] Loquentes magnalia Dei, tum orbi toti, tum sibi præ cæteris Gentilibus per Christum præstita, ideoque ex intimo cordis, devotionis et gratitudinis sensu. Vide dicta c. 2. 11.

47. TUNC RESPONDIT PETRUS,] id est, cœpit dicere. Nam *respondere* in Scriptura est ordiri sermonem, etiamsi nulla præcesserit interrogatio, uti hic nulla præcessit.

NUNQUID AQUAM QUIS PROHIBERE POTEST?] Contradicit Petrus prohibentibus Judæis, ait S. Chrys. q. d. Vos ô Judæi Christiani putatis ad solos Judæos pertinere Christum, Christique baptismum, ideoque vultis prohibere Gentes, ne eo ebluantur : at non potuistis prohibere Spiritum Sanctum quo minus illaberetur in eas : ergo nec potestis prohibere, quo minus ejus baptismo baptizantur, baptismus enim est Sacramentum Spiritus S. Unde S. Aug. hom. 23. inter 50. *Ipsa*, ait, *attestatione rei magnæ quasi acclamatum est* (à Spiritu S. et Christo) *ad Petrum : Quid de aqua dubitas? jam ego hic sum.* Hinc Secundo per metathesin vocis *aquam*, ita plane vertit Pagnin. et Tigur. *num quis prohibere potest, quominus aqua baptizentur*, etc., ut scilicet per hoc Sacramentum initientur christianismo, fiantque cives Ecclesiæ.

SICUT ET NOS,] visibiliter per linguas igneas, accipiendo donum linguarum.

48. JUSSIT EOS BAPTIZARI,] à suis comitibus : Apostolorum enim erat evangelizare, minorum sacerdotum baptizare, ut docet Paulus 1. Corinth. 1. 17. Sic Christus per se prædicabat, per Apostolos baptizabat Lucæ 4. 18. et Joann. 4. 2.

IN NOMINE DOMINI JESU.] Puta Baptismo Christi. Vide dicta c. 2. 38. Cornelium hunc post Zachæum, creatum esse à S. Petro Episcopum Cæsareensem, testatur Martyrol. Rom. 2. Febr. et Clem. l. 7. Constit. c. 46. Adhæc Cornelii domum conversam esse in Ecclesiam, eamque adhuc extitisse tempore S. Hieron. docet ipse epist. 27. ubi describens navigationem et iter S. Paulæ ait, ipsam Cæsareæ invisisse domum Cornelii jam Christi factam Ecclesiam. Porro Sanctorum catalogo asscriptus est Cornelius 2. Februarii, ubi sic habet Martyrol. Rom. *Cæsareæ in Palæstina S. Cornelii Centurionis, quem B. Petrus Apostolus baptizavit, et apud præfatam urbem episcopali honore sublimavit.* Vita hujus S. Cornelii extat apud Surium ex Metaphraste 13. Septemb., sed in qua quædam apocrypha contineri censet noster Lorinus, et tale quid redolent.

Quæres hic Primo, an Petrus et Apostoli usque ad Cornelii vocationem, ignorarint Gentes vocandas esse ad Christum, eisque prædicandum esse Evangelium? an Cornelius omnium omnino Gentilium primus sit conversus et baptizatus? Affirmant nonnulli, quia id videtur visio et narratio hujus capitis significare.

Verum contrarium multi moderni viri docti sustinent, idque videtur verius. Primo, quia Christus ascensurus in cœlum diserte dixerat, et jusserat Apostolis, ut evangelizarent Gentibus : *Euntes*, ait, *in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*, id est omni homini, Matth. 28. Et *eritis mihi testes in Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ.* Act. 1.

Secundo, quia Apostoli viderant Gentiles deduci ad Christum, ab eoque suscipi, Joann. 12. 20. rursum ab eo sanari filiam Chananææ, utique Gentilis, Matth. 15. 22. Adhæc audierant primitus tres Magos ex Oriente à Deo, duce stella vocatos ad præsepe Christi : hi autem erant primitiæ Gentilium. Insuper viderant curatum à Christo servum Centurionis Romani, Matt. 8. 5. quem Lucius Dexter in Chronico, scribit origine fuisse Hispanum, et Hispanis prædicasse Christum. Sic enim ait : *C. Cornelius Centurio Capharnaumensis, dominus servi quem Dominus sanavit, pater etiam C. Oppii Centurionis, erat Hispanus :*

mire floret in Hispania. Et de ejus filio: C. *Oppius*, inquit, *Centurio Hispanus, credidit Christo morienti in cruce. Ex Gentilibus hic primus à Christi morte credidit, qui fuit civis Romanus, baptizatusque à S. Barnaba factus est tertius Mediolanensis Episcopus. Vir quidem Apostolicus, qui Christi mortem et eclipsin admirabilem primus omnium Hispanis genti suæ, cum audientium stupore refert.*

Tertio, quia ad hoc Apostoli in Pentecoste receperant Spiritum sanctum in linguis igneis, ut iis irent prædicatum gentibus omnibus totius orbis. Hoc est enim quod ex Joele citat et profitetur ibid. v. 17. et 21. S. Petrus: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem*, etc. *Et erit: Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Unde et verisimile est, in Pentecoste, inter tot nationes tot linguarum et regionum quot recensentur Actor 2. fuisse aliquos Gentiles immixtos, qui ad concionem S. Petri cum Judæis et Proselytis conversi sint ad Christum, æque ac in altera concione S. Petri, in qua ipse quinque hominum millia convertit. Act. 4. 4. probabile est nonnullos ex eis fuisse Gentiles. Rursum Eunuchus Candaces reginæ Æthiopum conversus à *Philippo* cap. 8. à multis putatur fuisse Gentilis, utpote Æthiops et Æthiopum princeps. Hoc facit, quod Saulus jam conversus *loquebatur quoque Gentibus, et disputabat cum Græcis*, uti audivimus c. 9. 29. Et c. 11. 2. dicuntur fideles ex circumcisione, id est, circumcisi et Judæi, murmurasse contra Petrum, quod ad Cornelium Gentilem divertisset: quo satis significat, fuisse alios fideles ex præputio, id est, incircumcisos et Gentiles, qui factum Petri laudarunt, et Cornelio, utpote Gentili et suæ gentis ac fortis, applauserunt. Eodem c. v. 20. dicuntur Cyprii et Cyrenæi evangelizasse Græcis, id est Gentilibus.

Quarto, quia idem Lucius Dexter asserit, Apostolos inter se divisisse orbis provincias ad iis evangelizandum, anno Christi 34. paulo post ejus ascensum in Cœlum, nimirum die ultima Junii, 36. diebus post Pentecosten et receptum Spiritum sanctum, et Jacobum anno Christi 37. qui fuit annus tertius à morte, resurrectione et ascensione Christi, profectum esse in Hispaniam, ibique evangelizasse: esto enim eo tempore ibidem multi fuerint Judæi, ut idem asserit. quis tamen neget eum Gentibus quoque, quæ longe plures erant, prædicasse?

Dices, quomodo ergo vulgo asseritur, quod per conversionem Cornelii, primo Gentibus apertum fuerit ostium Evangelii et Ecclesiæ? Resp. id accipiendum et limitandum esse ad publicam, solemnem, et ex professo apud Gentes Evangelii prædicationem, quam Petrus visione cœlesti accepta, jussus est publice Judæo Christianis denuntiare, ne ipsi Apostolis ad Gentes ituris obsisterent et Gentes ab Ecclesia repellerent. Docet id diserte hoc loco S. Chrys. scilicet S. Petrum secreto scivisse, se et Apostolos debere prædicare Gentibus: sed id non fecisse, ne Judæos offenderet, donec visione cœlesti admonitus, hanc esse Dei voluntatem Judæis persuasit, præsertim cum ipsi viderunt visibilem Spiritus et descensum in Cornelium et domesticos ejus.

Ita et L. Dexter in Chronico anno Christi 40. qui fuit sextus ab ascensu Christi in Cœlum: *Cornelius*, ait, *Centurio Italicensis, Petro prædicante repletur Spiritus S., Hierosolymisque denuntiata solemni Gentilium ad fidem Christi conversione, Cornelius baptizatus floret.* Idem fuse docet Gaspar Sanchez in Appendice ad Acta Apost. sive tractatu 1. de Prædic. S. Jacobi in Hispania c. 9. Porro hic Flavius L. Dexter, fuit Præfectus prætorio, qui Chronicon hoc dicavit S. Hier. uti ipse refert l. de Script. Eccl. sed eo morte præcepto, dicavit illud P. Paulino. Vicissim S. Hier. Dextro huic inscripsit librum de Script. Eccles. in quo eundem ponit et dilaudat. Chronicon hoc Dextri nuper Fuldæ repertum citat et laudat noster Gaspar Sanchez l. 2. de Profect. S. Jacobi in Hispan. c. 2. et Christophor. à Castro Hist. Deiparæ c. 18. Vide dicta in fine Chronotaxis.

Quæres Secundo, quoto anno à morte et adscensu Christi conversus sit Cornelius, et apertum publice Gentibus Evangelium? Resp. id definiri non posse. Variant enim Chronologi. Primo enim Chronicon Alexandrinum, et Gaspar Sanchez tract. 1. de Profect. S. Jacobi in Hispan. cap. 10. censent Cornelium conversum anno Christi 38. qui fuit à morte ejus secundus. Secundo, Adrichomius in Chorolog. censet eum conversum anno Christi 38. qui fuit à morte ejus quartus. Tertio, alii Moderni censent anno Christi 39. qui fuit à morte ejus quintus. Quarto L. Dexter in Chronico, scribit Cornelium conversum anno Christi 40. qui fuit à morte ejus sextus: anno vero Christi 41. Apostolos ivisse in suas provincias: anno denique Christi 42. S. Jacobum ab Herode occisum. Quinto, Baronius et noster Gordonus in Chronol, censent Cornelium conversum anno Christi 42. qui fuit à morte Christi septimus, et Caii Caligulæ Imp. secundus, quo et S. Matthæus scripsit Evangelium.

Verisimilius videtur, Cornelium conversum sub anno Christi 37. Illo anno enim S. Petrus fundavit Ecclesiam Antiochenam, utpote aperto jam Gentibus publice ostio fidei et Ecclesiæ. Unde et in vita hujus S. Cornelii habetur, quod ipse conversus profectus sit cum S. Petro Antiochiam. Licet enim Chronicon Alexand. tradat, S. Petrum posuisse cathedram Antiochiæ anno 4. post mortem Christi, qui fuit annus à nativitate Christi 38. vel 39. idemque de anno Christi 39. censeat Baron. omnesque ejus sequaces, et multi alii; tamen mox ostendam id factum esse anno 37. Quis autem credat S. Petrum in Antiochia, utpote urbe Gentili, posuisse cathedram, ante apertum Gentibus fidei ostium, quod factum est per conversionem Cornelii. Aut quomodo Judæi id æquis oculis et animis aspexissent, avelli nimirum à se caput Ecclesiæ irreque ad Gentes, ac ad eas Ecclesiæ primatum, et Pontificatum transferre? præsertim cum S. Clemens l. 10. Recogn. tradat, S. Petrum cathedram hanc Antiochiæ posuisse in domo Theophili, cui S. Lucas dedicat hæc Acta c. 1. 1. qui Gentilis fuit, non Judæus, ut patet ex nomine. Theophilus enim est nomen Græcum, significans Dei amantem; et quia Theophilus hic magistratu Antiochiæ fungebatur, teste Œcumenio. Eodem quoque anno Christi 37. videtur S. Jacobus profectus in Hispaniam, uti dicam c. 12. Sic enim omnia optime cohærent. Nam converso jam Cornelio à S. Petro, sine nota et contradictione Judæorum potuit S. Jacobus publice prædicare Hispanis Gentilibus, ac post quinque annos

rediens Hierosolymam, anno Christi 43. vel ut volunt alii 44. occisi ab Herode: ita recentissimi quidam, sed magni judicii Chronologi. Hinc et nonnulli censent sub eundem annum Christi 37. Apostolos profectos esse in suas provincias, utpote qui per Petrum cœlitus admonebantur ad prædicandum Gentibus. Unde Cajet. Act. 9. 32. et aliis, scribit Apostolos per orbem fuisse divisos intra triennium, quo in Arabia fuit Paulus; hoc autem triennium cœpit à mox conversione ejus, quæ facta est anno Christi 36. et terminatur anno Christi 39. licet Baron. quem multi sequuntur censeat Apostolos per orbem esse dispersos post occisum ab Herode Jacobum anno Christi 44. de quo plura Actor. 12. v. 1. Itaque hæc sententia à posteriori valde confirmatur ex eo, quod omnes consentiant S. Petrum Antiochiæ sedisse per annos septem: scilicet usque ad annum secundum Claudii, qui fuit Christi 44. quo sedem transtulit Romam. Computa enim hos septem annos retrorsum ab anno Christi 44. invenies primum eorum annum, quo sedere cœpit Antiochiæ, incidere in annum Christi 37. Ergo eodem, vel certe præcedente, puta 36. conversus est Cornelius. Hæc magis patebunt ex iis quæ dicam cap. 12. 1.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Judeo-Christiani expostulant cum S. Petro, quod Cornelium Gentilem induxerit in Ecclesiam. Petrus narrando suam et Cornelii visionem, eis satisfacit. Secundo, v. 20. narratur incrementum fidei, præsertim Antiochiæ: unde eo mittitur Barnabas, qui cum Saulo totum annum ibi evangelizans multos convertit: quocirca ibidem primo discipuli cognominantur Christiani. Tertio, vers. 27. Agabus prædicit famem toti orbi instantem: quare fideles Antiocheni faciunt collectam, quam fidelibus Hierosolymitis per Saulum et Barnabam transmittunt.

1. Audierunt autem Apostoli, et fratres qui erant in Judæa, quoniam et Gentes receperunt verbum Dei. 2. Cum autem ascendisset Petrus Hierosolymam disceptabant adversus illum, qui erant ex circumcisione, dicentes: 3. Quare introisti ad viros præputium habentes, et manducasti cum illis? 4. Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem, dicens: 5. Ego eram in civitate Joppe orans, et vidi in excessu mentis visionem, descendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis summitti de cœlo, et venit usque ad me. 6. In quod intuens considerabam, et vidi quadrupedia terræ, et bestias, et reptilia, et volatilia cœli. 7. Audivi autem et vocem dicentem mihi: Surge Petre, occide, et manduca. 8. Dixi autem: Nequaquam, Domine: quia commune aut immundum nunquam introivit in os meum. 9. Respondit autem vox secundo de cœlo: Quæ Deus mandavit, tu ne commune dixeris. 10. Hoc autem factum est per ter: et recepta sunt omnia rursum in cœlum. 11. Et ecce viri tres confestim astiterunt in domo, in qua eram, missi à Cæsarea ad me. 12. Dixit autem Spiritus mihi, ut irem cum illis, nihil hæsitans. Venerunt autem mecum et sex fratres isti, et ingressi sumus in domum viri. 13. Narravit autem nobis, quomodo vidisset angelum in domo sua, stantem et dicentem sibi: Mitte in Joppen, et accersi Simonem, qui cognominatur Petrus. 14. Qui loquetur tibi verba, in quibus salvus eris tu, et universa domus tua. 15. Cum autem cœpissem loqui, cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut et in nos in initio. 16. Recordatus sum autem verbi Domini, sicut dicebat: Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto. 17. Si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus, sicut et nobis, qui credidimus in Dominum Jesum Christum: ego quis eram, qui possem prohibere Deum? 18. His auditis, tacuerunt, et glorificaverunt Deum, dicentes: Ergo et Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. 19. Et illi quidem qui dispersi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano per ambulaverunt usque Phœnicem, et Cyprum, et Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Judæis. 20. Erant autem quidam ex eis viri Cyprii, et Cyrinæi, qui cum introissent Antiochiam, loquebantur et ad Græcos, annuntiantes Dominum Jesum. 21. Et erat manus Domini cum eis, multusque numerus credentium conversus est ad Dominum. 22. Pervenit autem sermo ad aures Ecclesiæ, quæ erat Hierosolymis, super istis: et miserunt Barnabam usque ad Antiochiam. 23. Qui cum pervenisset, et vidisset gratiam Dei, gavisus est: et hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino: 24. Quia erat vir bonus, et plenus

Spiritu sancto, et fide. Et apposita est multa turba Domino. 25. Profectus est autem Barnabas Tarsum, ut quæreret Saulum: quem cum invenisset, perduxit Antiochiam. 26. Et annum totum conversati sunt ibi in Ecclesia: et docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli, Christiani. 27. In his autem diebus supervenerunt ab Hierosolymis Prophetæ Antiochiam: 28. et surgens unus ex eis nomine Agabus, significabat per spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio. 29. Discipuli autem prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus: 30. quod et fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ et Sauli.

1. Apostoli, et fratres.] *Fratres*, id est, cæteri fideles, Apostolis inferiores et subditi.

Disceptabant,] διεκρινοντο. Syrus *litigabant;* Chrysost. *tanquam valde offensi expostulabant.* S. Epiphan. hæresi 28. tradit, auctorem et incentorem hujus expostulationis et murmuris fuisse Cherintum, qui proximus post Simonem Magum fuit hæresiarcha, eundemque suscitasse Judæos contra Paulum, ut eum caperent, quasi qui Gentiles induxisset in templum, Act. 21. 28. Sic murmurarant prius Judæi contra Christum quod manducaret cum publicanis, Lucæ, 19. 6. et 7. hi enim fere erant Gentiles. Porro Cherintus judaizans pugnabant pro judaismo, ut excluderet christianismum: unde docebat omnes homines debere circumcidi, et servare legem Mosis, ideoque contra eum promulgatum est primum Concilium Hierosolymis, Actor. 15. ita Epiphan. hær. 28. et Philastrius l. de Hæres. c. 87.

3. Manducasti cum illis?] Notat S. Chrys. eos non dicere: Quare prædicasti illi Christum? hoc enim quasi impium et injurium Christo omnes exhorruissent, sed *Quare manducasti cum illis?* hoc enim Judæo illicitum videbatur. Hi enim si cum Gentibus communicarent in mensa, censebantur à Judæis hoc convictu contaminari, fierique immundi. Sed pariter hæc censura frigida erat, Judaica et Pharisaica, jamque per Christum cum lege vetere ejusque immunditie et irregularitate sublata et abolita.

4. Incipiens autem Petrus.] Vatabl. *rem ab initio repetens Petrus.*

5. Vidi in excessu.] Græce, *in exstasi,* Pagnin. *in raptu;* Vatabl. *in abstractione*, scilicet, *spiritus, id est, spiritus meus abductus* (non realiter, sed intellectualiter) *à corpore meo vidit;* Tigurina, *raptus extra me vidi visum.* Petrus hic retexit et repetit totam seriem rei gestæ enarratam cap. præcedenti usque ad v. 18. quare eam hic non repetam.

16. Vos autem baptizabimini Spiritu sancto,] in Pentecoste. Vide dicta c. 1. 5.

17. Eamdem gratiam,] ἴστην δωρεαν: Tigurina; *par donum,* vel *æqualem gratium:* par scilicet in substantia, licet in quantitate pro dispositione vel Dei, vel hominis, dispar et majus, vel minus.

Ego quis eram, qui possem prohibere Deum,] ut scilicet gratiæ Dei descensum et illapsum in Cornelium inhiberem, sisterem et averterem. Hoc enim impossibile est, æque ac impium et satanicum. q. d. Sicut non potui impedire descensum Spiritus sancti, sic nec baptismum ejusdem. Spiritus sanctus enim suam Cornelio communicans gratiam, significabat se pariter velle conferre ei per me suum baptismum, ut cæteris suis fidelibus suæque Ecclesiæ aggregaretur. q. d. Si ego Gentiles arcere non potui à Christianismo, nec vos poteritis. Ita Glossa.

Moral. mirare hic S. Petri modestiam, qua cum esset superior, imo Summus Pontifex, fidelium de se querelas non respuit, nec imperiose refutat, dicendo: Ego scio quid agam, non teneor vobis rationem facti mei reddere: vestrum est obedire et tacere, etc. Sed modeste et humiliter seriem rei gestæ enarrans, eis satisfacit.

Idem imitari debere Prælatos, cum ab inferioribus reprehenduntur, ut scilicet eis ex ratione, non ex potestate satisfaciant, docet S. Greg. l. 9. epist. 39. *Nam si in querela fidelium*, inquit, *aliquid de sua potestate diceret* (S. Petrus) *profecto doctor mansuetudinis non fuisset. Humili ergo eos ratione placuit, atque in causa reprehensionis suæ etiam testes exhibuit. Si ergo Pastor Ecclesiæ Apostolorum Princeps, signa et miracula singulariter faciens, non dedignatus est in causa reprehensionis suæ rationem humiliter reddere, quanto magis nos peccatores cum de re aliqua reprehendimur, reprehensores nostros ratione humili placare debemus.* Sapienter Climachus gradu 26. hoc dat signum opus esse ex Deo, nosque operari secundum Deum, *si ex ejus actione plus humilitatis in anima accipiamus, quam prius habuerimus.* Si enim ex eo superbiamus, signum est, nos id fecisse non ex Deo, sed ex diabolo, puta ex fastu, vanitate, etc.

18. Glorificaverunt Deum.] Ergo, ait Chrysost. horum exemplo bonis proximorum non invidere, sed gaudere debemus, iisque gratulari, et Deum glorificare; esto ipsi nos superent et transcendant, uti Gentiles superarunt Judæos in fide et christianismo.

Pœnitentiam,] id est, tempus et locum pœnitentiæ, ait Lyran. Secundo, *pœnitentiam*, id est, gratiam et impulsum ad pœnitentiam. Ita Glossa. Tertio, *pœnitentiam*, id est, effectum et fructum pœnitentiæ: puta remissionem peccatorum. Utrobique est metonymia: in secundo enim sensu ponitur effectus pro causa; in tertio causa pro effectu.

Ad vitam.] *Ut vivant*, ait Vatabl., scilicet hic vita fidei et gratiæ, in futuro vita gloriæ et felicitatis æternæ.

19. Sub Stephano,] επι Στεφάνῳ, quod Primo verti potest, *propter Stephanum.* Ita Syrus. Secundo, *post Stephanum.* Ita Vatabl. utrumque complectitur Noster, vertens, *sub Stephano*, id est, tempore Stephani, ob ejus zelum et libertatem arguendi Judæos.

Phœnicem.] *Phœnice*, vel Phœnicia regio est Syriæ (unde et incolæ Syrophœnices vocantur) cujus metropolis erat Tyrus: præcellit nunc Tripolis, ita dicta à trium urbium obtentu, scilicet Sidonis, Aradi et Tyri, ait Strabo, Plinius et Mela lib. 1. Vide Salmeronem tom. 1. proleg. 41. Phœnices, præsertim Tyrii, navigatione fuerunt celeberrimi; unde ab eis condita est Carthago in Africa, et Afri vocati sunt Pœni, quasi Phœni et Phœnices. Hinc et Pœnorum lin-

gua Syræ et Hebrææ fuit affinis, teste S. Hieron. l. 5. in c. 25. Jerem. et S. Aug. in psal. 136.

Antiochiam.] Hæc ait S. Hieron. in c. 6. Amos, *est Syriæ metropolis, tertium inter omnes Romani orbis urbes locum obtinens, hoc est, post Romam et Alexandriam.* Hinc et S. Petrus ibi primo cathedram suam constituit. Unde Antiochena Ecclesia facta est secunda sedes Patriarchalis. Prima enim est Romana, tertia Alexandrina, quia eam fundavit S. Marcus missus à S. Petro. Atque hæ tres solæ fuerunt primæ Patriarchales, quibus postea accessit, quarta, scilicet Hierosolymitana : hæc enim facta est Patriarchalis explicite à Vigilio Papa in Concil. Rom. anno Dom. 553. ut docet Baron. implicite vero à Concilio Chalcedon. Actor. 7. quod ei subjicit tres Palestinas, ut ejus litem cum Antiochena dirimeret. Accessit quinta, scilicet Constantinopolitana, tempore et opera Justin. Imp. ibidem residentis : postea adjectæ sunt et aliæ, ut Aquileensis et Veneta. Vide Sigonium l. 1. de Regno Italiæ.

20. Loquebantur ad Græcos,] πρὸς ἑλληνιστὰς, id est, *ad Græcistas*, hoc est, ad Judæos inter Græcos, id est Gentiles natos, vel educatos, vel habitantes. Ita Vatabl. Verum quia Græcistæ hic opponuntur Judæis degentibus in Phœnicia, Cypro et Antiochia, hoc est, in regionibus et urbibus Gentilibus : hinc per Græcistas hoc loco, non Judæi inter Gentes nati, vel viventes, sed Gentiles significantur, ἑλληνίζαι, ergo hic idem est quod ἕλληνες, hoc est, Græcistæ sunt Græci, puta Gentiles. Ita Lyran. Hugo et Cajet. Unde patet, hosce Cyprios Evangelistas evangelizasse Gentilibus ante conversum Cornelium, scilicet paulo post necem S. Stephani, uti dictum est v. 19. qua de re plura dixi in fine cap. 10. Forte Lucas eos vocat ἕλληνες, id est *Græcistas*, quia cum essent Syri et Phœnices loquebantur tamen græce, hoc est, imbuti erant sapientia et eloquentia Græcanica : tunc enim Græcorum sapientes et oratores erant celebres, adeo ut Isocrates in Panegyrico dicat, nomen Græcorum jam non nationis gentisque, sed rationis esse ac mentis. Unde et Apostolus Rom. 1. 14. Græcos vocat sapientes, Barbaros insipientes. Et 1. Cor. 1. 22. *Græci*, inquit, *sapientiam quærunt.*

Et erat manus Domini cum eis.] *Manus*, id est, assistentia, potentia et cooperatio. q. d. Deus sua potenti manu aderat eis ad faciendum miracula in confirmationem fidei, ad prædicandum tanta sapientia et efficacia, ut multos Gentiles converterent ad Christum. Ita S. Chrys. et Œcum.

Multusque numerus credentium conversus est ad Dominum.] *Credentium*, id est, incipientium credere : sumitur enim in actu inchoato. Nam ante Cypriorum prædicationem erant Gentiles, id est, infideles, non credentes, imo ignorantes Christum. Unde Syrus vertit, *Multique crediderunt, et conversi sunt*, id est, credendo conversi sunt, à gentilismo ad Christianismum. Est hendiadys. Et Tigurina clare vertit, *multusque numerus recepta fide conversus est ad Dominum.*

22. Miserunt Barnabam.] *Recte*, ait Cajetan. *Cypriis prædicatoribus Cyprium item prædicatorem adjunxerunt.* Erat enim Barnabas oriundus ex Cypro. Docet S. Chrysost. non ivisse eo ipsos Apostolos, propter Judæos, ne eos offenderent, conversando cum Gentilibus Cypriis et Antiochenis.

23. Cum vidisset gratiam Dei.] Quod scilicet Gentiles Antiochiæ per gratiam Dei excitati, tam avide arriperent fidem Christi, in eaque tam essent constantes, devoti et ferventes. Rursum *gratiam*, id est, gratias gratis datas, puta loquendi linguis, prophetandi, interpretandi Scripturas, celebrandi magnalia Dei, etc. Antiochenis à Deo cum fide et baptismo communicatas.

Hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino.] Hoc est, in Domini Jesu Christi fide, amore, gratia, Ecclesia, puta in Christianismo, Græca habent, *exhortabatur eos, ut proposito cordis sui permanerent Domino*, Syrus, *ut toto corde suo adhærerent Domino ;* Pagnin. *ut proposito cordis perseverarent in Domino.* Pro *hortabatur*, græce est παρεκάλει, quod multa significat, Primo, cohortabatur ; Secundo, excitabat; Tertio consolabatur ; Quarto obsecrabat ; Quinto, efflagitabat. Ita Syrus ; Sexto, advocabat et quasi advocatus causam eorum agens consulebat omnibus. S. Chrysostomus, *Hortabatur*, inquit, *omnes cum præconio et laudibus : et forsan in eo quod laudabat et approbabat turbam, plures convertit : virtus enim laudata crescit.*

Dogmatice disce hic, perseverantiam, licet sit donum Dei, tamen pendere à libero arbitrio, adeoque in cujusvis fidelis et justi potestate et arbitrio esse, cum Dei gratia in fide et charitate perseverare usque ad finem vitæ, itaque salvari. *Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cæpit opus bonum, ita perficiet operans velle et perficere*, inquit Concil. Tridentin. sess. 6. cap. 13. et cap. 11. *Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Pie vero S. August. in Soliloquiis cap. 14. *In toto tempore*, ait, *totum me simul semper consideras, ac si nihil aliud considerare habeas. Sic super custodiam meam stas, sicut si omnium oblitus sis, et mihi soli intendere velis. Quocumque iero, tu me Domine non deseris, nisi prior ego te deseram.*

Rursum duplex est donum perseverantiæ. Prius, quo quis in fide et gratia Dei perseverare potest, si velit. Hoc habent omnes justi in actu primo, habituri et in actu secundo, si assidue gratiam Dei invocent, eique strenue cooperentur. Posterius, quo quis in fide et gratia usque ad mortem actu perseverat ; hoc habent omnes et soli prædestinati, sive electi ad gloriam. Hi enim à Deo accipiunt gratiam efficacem, sive congruam, qua scilicet prævidet Deus eos non tantum posse perseverare, sed et actu perseveraturos ; eo quod libero arbitrio ita sit contemperata, ut illud ad cooperandum pelliciat et flectat, ideoque liberum arbitrium ei sponte et continue usque ad mortem cooperetur. Ita S. August. toto lib. de Bono perseverantiæ, et lib. de Prædestinatione Sanctorum. Et Concil. Trident. sessione 6. can. 16. *Si quis*, inquit, *magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum absoluta, et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit.* Unde hoc donum non cadit sub meritum, sed merum est Dei donum, qui illud dat quibus voluerit ; per orationes tamen fervidas et continuas illud postulando, perque assidua bona opera illud à Deo impetrare, et quasi de congruo emereri possumus. Quocirca qui hoc donum ambit, uti quilibet salutis suæ cupidus ambire debet, sequatur monitum S. Petri ep. 2. cap. 1. v. 10. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis : hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Et c. 3.

14. *Satagite immaculati et inviolati ei invenire in pace.*

Moraliter disce, quantum donum ex parte Dei, et quanta virtus ex parte hominis sit perseverantia. S. Hieronymus epist. 10. ad Furiam, *Non quæruntur in Christianis initia*, inquit, *sed finis. Paulus male cœpit, sed bene finivit. Judæ laudantur exordia, sed exitus proditione damnatur.* Idem l. 1. Contra Jovinianum : *Incipere*, ait, *plurimorum est, perseverare paucorum. Unde et grande præmium eorum qui perseverarint.* Senior ille in Vitis Patrum l. 5. c. 7. de patientia numero 35. *Sicut canis venaticus*, inquit, *videns leporem sequitur, nec impeditur propter illos canes qui post se revertuntur, sed neque de præcipitiis, neque de silvis, neque de vepribus cogitans, raditur et pungitur, et non quiescit donec comprehendat : ita et qui Dominum Christum quærit, cruci indesinenter intendit, quæ occurrunt scandala omnia prætereiens, donec ad crucifixum perveniat.* Ibid. l. 4. num. 21. *Perseverantia boni*, inquit, *victoria est certa, et coronaberis :* Nulla enim re magis vincuntur tentationes carnis et diaboli, quam perseveranter eis resistendo, vacandoque orationi. Hinc inter virtutes sola perseverantia coronatur. *Nam qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, ait æterna Veritas Matth. 10. Quocirca perseverantia uti virtutum est maxima, ita summum est Dei donum, ut docet S. Aug. l. de Bono perseverantiæ, et Concil. Trident. sess. 6. can. 16. *Incassum quippe bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur : quia et frustra velociter currit : qui priusquam ad metas venerit, deficit.* ait S. Gregor. et habetur de pœnitent. distinct. 3. canon. *Incassum.* Quocirca S. Paulus : *Quæ retro*, inquit, *sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu*, Philip. 3. 14. Animalia sancta Ezech. c. 1. 9. *Non revertebantur cum incederent sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur.* Ita Victor proconsul Carthaginis, ad fidei negationem sollicitatus à legatis regis Arriani : *Dicite*, inquit, *regi vestro, ut subjiciat me ignibus, adigat bestiis, excruciet omni genere tormentorum. Si consentio, frustra sum baptizatus in Ecclesia Catholica.* Ita Victor Uticens. l. 3, Wandal. Histor. *Perseverantia ergo*, ait S. Bernardus epist. 129. *est vigor virium, virtutum consummatio, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, soror patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis.* Vide eumdem epist. 253. ad Guarinum. Denique audi Christum Apoc. 2. 10. *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam Vitæ.* Et cap. 3. 11. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Vide ibi dicta.

Idem viderunt Gentiles. Socrates, apud Stobæum ser. 1. de Prudentia : *Ut statua basi*, inquit, *ita vir bonus instituto innixus, ab honesto nullatenus discedere debet.* Ibidem Chilon ait, tarde quidem aggredienda omnia, verum cum semel jam inceperis, constantissime in agendo perseverandum esse. Livius lib. 5. decad. 1. *Ad disciplinam militiæ*, inquit, *plurimum interest, insuescere militem non solum parta victoria frui, sed si res etiam lentior sit, pati tædium, et quamvis feræ spei exspectare exitum : si non sit æstate perfectum bellum, hiemem operiri : nec sicut æstivas aves, statim autumno tectare, recessum circumspicere.* Addit, urbes inexpugnabiles, sola obsidionis perseverantia, per famem et sitim expugnari. Sertorius, teste Plutarch. in ejus Vita : *Perseverantia*, inquit, *est efficacior vi, multaque quæ uno impetu confici non possunt, paulatim absolvuntur : est enim assiduitatis vis invicta, quæ omnem superat exsinditque potentiam.* Seneca epist. 1. *Nihil*, inquit, *est quod non expugnet : pertinax opera, et intenta ac diligens cura.* Idem epist. 65. *In excelso est vita beata, sed perseverantia penetrabilis.* Idem alibi : *Turpe est cedere oneri, et lucturi cum officio, quod semel recepisti. Non est vir fortis ac strenuus, qui laborem fugit, nec crescit illi animus ipsa rerum difficultate.* Ergo

Perfer et obdura : dolor hic tibi proderit olim;
Sæpe tulit lassi succus amarus opem.

24. QUIA ERAT VIR BONUS, ET PLENUS SPIRITU SANCTO,] instar sui condiscipuli sancti Stephani cap. 6. 5. Tales enim aptissimi, imo necessarii sunt ut alios exhortentur, impellantque ad omne bonum. Aqua enim non generat ignem, sed aquam : sic tepidus et frigidus frigidos facit, non calidos et fervidos spiritu. Plenus ergo Deo sit oportet vir Apostolicus, qui frigida hominum corda Dei amore succendat.

Unde tales singulis sæculis Ecclesiæ suæ submittere solet Deus, uti olim submisit S. Augustinum, S. Basilium, S. Chrysostomum, S. Gregorium, S. Bernardum, S. Dominicum, S. Franciscum, etc. Ita hoc sæculo submisit S. Ignatium, ejusque socios à Deo ignitos, qui refrigescentem in mundo charitatem accenderent. Unde de iis P. Petrus Canisius à vidua quadam Arnhemii celebris sanctitatis, ante Societatis nostræ auditum nomen, efflata divino Spiritu, vaticinium hoc accepit : *Tu*, inquit, *fili cooptaberis in novum quemdam sacerdotum Ordinem, quem in Ecclesia sua ad reformationem ejus, ac multorum salutem parat Deus. Ego eos per visum vidi, et te ad eos adjungi. Graves erunt viri, docti, modesti, Deo pleni, et animarum charitate præditi.* Talem mox Moguntiæ Canisius vidit P. Petrum fabrum, primum S. Ignatii socium, illicoque ei et Societati nomen dedit, uti refert P. Sacchinus in ejus vita l. 1. Ad hanc ideam et normam se examinet, formet et perficiat vir Religiosus et Apostolicus, ut alios inflammet, Deoque impleat.

Sapienter S. Ber. s. 18. in Cant. *Si sapis*, ait, *concham te exhibebis, et non canalem. Hic siquidem pene simul et recipit et refundit : illa vero donec impleatur exspectat, et sic quod superabundat sine suo damno communicat*, etc. *Verum canales multos hodie habemus in Ecclesia, conchas vero perpaucas, ut ante effundere quam infundi velint, prompti docere quod non didicerunt, et aliis præesse gestientes, qui seipsos regere nesciunt.* Et mox : *Concha imitetur fontem. Non manat illic in rivum, nec in lacum extenditur, donec sui satietur aquis. Denique ipse fons vitæ plenus in seipso primum ebulliens in proxima secreta cœlorum, deinde erupit in terras, ac de superfluo homines et jumenta salvavit. Ergo et tu fac similiter. Implere prius, et sic curato effundere.*

ET APPOSITA EST MULTA TURBA DOMINO.] q. d. Per exhortationes Barnabæ multi conversi sunt ad Christum, et ad Ecclesiam ejus aggregati : quia enim apponitur et aggregatur et corpori, puta Ecclesiæ, aggregatur capiti, puta Christo.

25. UT QUÆRERET PAULUM.] Paulus enim vetus fuerat amicus Barnabæ, ejusque condiscipulus sub Gamaliele magistro, longe jam ei amicior

in Christo et Christianismo. Præclare S. Chrys. *Venit*, ait, *Barnabas ad athletam, ad ducem belli ad certantem singulari duello: venit ad canem venaticum leones occidentem, ad taurum fortem, ad facem claram, ad os orbi sufficiens.* Addit deinde, Pauli virtutis et zeli fuisse, quod tanta fidelium multitudo Antiochiæ sit Ecclesiæ aggregata, quodque ibidem ortum sit nomen Christianorum. Urbem ergo illam celebrat, quod prima omnium ore Pauli frui meruerit, cum tanto suo fructu, laude et gloria, æque ac postea fruita est ore aureo, ipso inquam Chrysostomo Pauli discipulo et æmulo.

26. CONVERSI SUNT,] συναχθῆναι, id est, ut exponit Syrus, *congregati sunt*, hoc est, sacras synaxes, sacros conventus, sacros cœtus egerunt, convocando et congregando populum in Ecclesiam, ibique edocendo fidem Christi, et prædicando Evangelium. Pagnin. *egerunt cum ea congregatione;* Tigurina, *consuetudinem egerunt cum ea congregatione.* Græcum enim συνάγω idem est quod *congrego, colligo, consocio.* Unde συναγωγή, id est synagoga, congregatio, collectio, Cœtus, concio, Ecclesia.

ITA UT COGNOMINARENTUR (Tigurin. *nuncuparentur*) PRIMUM ANTIOCHIÆ DISCIPULI CHRISTIANI.] A Christo, sicut Platonici à Platone, Aristotelici ab Aristotele duce et magistro. Suidas verbo *Christiani*, censet id factum, cum S. Petrus abiturus Romam Evodium sibi successorem in sede Antiochena declaravit; tunc enim, inquit, Christiani vocari cœperunt, qui prius vocabantur Nazareni et Galilæi. Genebrardus id factum putat anno Christi 49. qui fuit à morte ejus decimus sextus. Verum id anterius factum esse, sub eum annum quo Antiochiæ prædicarunt Paulus et Barnabas, satis innuit hic Lucas. Unde Baron. opinatur quod nomen inditum anno Christi 43. qui fuit à morte ejus decimus : qui et addit perperam à Gentilibus Christianos vocatos *Chrestianos*, et Christum *Chrestum*. Sub annum enim 43. S. Petrus Antiochia abiit Romam versus.

Porro Gentiles partim per ignorantiam, partim per irrisionem Christum vocabant *Chrestum*, et Christianos *Chrestianos*. Unde Tertulianus : *Si nominis odium est, quis nominum reatus? quæ accusatio vocabulorum? nisi si aut barbarum sonat aliqua vox nominis, aut infaustum, aut maledicum, aut impudicum : Christianus vero, quantum interpretatio est, de unctione deducitur. Sed et cum perperam Christianus pronuntiatur à vobis (nam nec nominis certa est notitia penes vos) de suavitate vel benignitate compositum est. Oditur ergo in nominibus innocuis etiam nomen innocuum.* Et paulo post : *Ante odium nominis, competebat prius de auctore sectam recognoscere, vel auctorem de secta. At nunc utriusque inquisitione et agnitione neglecta, nomen detinetur, nomen expugnatur et ignotam sectam, ignotum et auctorem vox sola prædamnat, quia nominantur, non quia revincuntur.* Eodem modo loquitur Lactantius : *Ignari*, inquit, *rerum nostrarum Christum Chrestum, et Christianos Chrestianos vocabant : χρηστὸς autem bonus et commodus dicitur.* Sic et Justinus Martyr. *Nomine sane quidem appellatione neque bonum quidquam, neque malum sine factis sub nomen ipsum cadentibus judicatur. Et quantum ad nomen ipsum pertinet, quod criminis loco nobis objicitur, optimi certe χρηστότατοι sumus* Sic et Theophilus Antiochenus : *Mihi*, ait, *cri-men vertis quod sim Chrestianus* (ita enim latine Græca vox redditur) *et insigne præclarumque hoc nomen geram. At libere confiteor me esse Chrestianum, et nihil magis in votis habeo, quam ut sim εὔχρηστος, id est, bonus erga Deum : non enim mihi molestum aut odiosum illud nomen est.* Certe Suetonius : *Judæos*, inquit, *impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit.* Et mihi valde verisimile fit, apud Tacitum legendum esse Chrestianos et Chrestum. *Vulgus*, inquit, *Chrestianos appellabat : auctor nominis ejus Chrestus, qui Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.*

S. Chrysost. hom. 3. ad populum, mire extollit et celebrat suam urbem, puta Antiochiam, quod in ea primum auditum sit nomen Christianum. Hoc enim nomen uti fidelium proprium, ita illustre est et eximium. Unde id prævidens, in spiritu Isaias exultavit, dicens c. 43. 1. *Vocavi te nomine tuo : meus es tu*, puta Christianus à me Christo, et c. 62. 2. *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit.* Illustrius ergo est esse et vocari Christianum, quam esse, et vocari regem vel principem : Christianus enim est Christi discipulus, imo filius et heres regni cœlestis. Quocirca jure queritur Salvianus l. 4. de Providentia sub initium, Christianos perdere vim tanti et tam sancti nominis vitio pravitatis. *Nam qui Christiani nominis opus non agit, Christianus non esse videtur. Nomen enim sine actu atque officio suo, nihil est. Quid est aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine? aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra et fatua,* Prov. 11. *Et in nobis itaque Christianum vocabulum quasi aureum decus est quo si indigne utimur, fit, ut sues cum ornamento esse videamur.*

Huc pertinet illud Musonii apud Gelium l. 9. cap. 2. de hominibus improbis, qui se Philosophos vocabant: *Mihi*, inquit, *dolori et ægritudini est, quod istiusmodi animalia spurca atque probra, nomen usurpent sanctissimum, et Philosophi* (Christiani) *appellentur. Majores autem mei Athenienses nomina juvenum fortissimorum Harmodii et Aristogitonis, qui libertatis recuperandæ gratia Hippiam tyrannum interficere adorsi erant, ne unquam servis indere liceret, decreto publico sanxerunt, quoniam nefas ducerent, nomina libertati patriæ devota, servilis contagio pollui. Cur ergo non patimur nomen Philophiæ* (Christianæ) *illustrissimum, in hominibus deterrimis exsordescere?* Domitianus Imp. Metium Pomposianum interemit, quod nomina Magonis et Anniballis, utpote illustrium ducum, servis indidisset, ait Sueton. in ejus vita cap. 10. Alexander Magnus ignavum militem Alexandrum vocari vetuit, nisi se Alexandri animos et decora imitaturum promitteret, teste Curtio. Cur ergo Christiani vocentur, qui Christi vel fidem, ut hæretici; vel mores et vitam, uti improbi Christiani, lacessunt, traducunt, violant, dedecorant, infamant? Christianus es, Christum imitare : vive ut vixit Christus : vive ut vixerunt primi Christiani Actor. 3. et 4. vive vitam S. Petri, S. Pauli, sancti Joannis, etc.

Præclare S. Hieron. epist. 10. ad Furiam : *Pater tuus, quem honoris causa nomino, non quia consularis et patricius, sed quia Christianus, impleat nomen suum.* Idem ad Paulinum : *Noli respicere ad phaleras et nomina vana Catonum. Esse*

Christianum grande est, non videri. Invidit hoc nomen fidelibus Julianus Apostata. *Galilæos pro Christianis nominans, atque ut ita vocaremur, publica lege decernens. Ex quo perspicue ostendit Christi appellationem perhonorificam esse, maximique ad gloriam momenti, quoniam eam nobis eripere cogitavit. Nisi fortasse hoc ea ratione fecit, quod hujusce nominis vim et potestatem instar dæmonum reformidaret,* ait Nazianz. orat. 3. contra Julian.

Ex eodem accipe hæc Christiani partim officia, partim elogia et axiomata. Primum. orat. 20. quæ est de laudibus S. Basil. hanc ejus vocem celebrat: *Non personarum dignitate, sed fide christianismus insignitur. Cæteris in rebus mansueti et placidi sumus, atque omnium adjectissimi; verum ubi Deus nobis periclitatur ac proponitur, tum demum alia omnia pro nihilo putantes, ipsum solum intuemur. Ignis autem, et gladius, et bestiæ, et ungulæ carnem lacerantes, voluptati ac deliciis nobis potius sunt, quam terrori. Mors beneficii loco mihi erit : citius enim me ad Deum transmittet, cui vivo.*

Secundum orat. 3. *Solent Christianorum fortes et generosi animi, ei qui vim afferre parat, contumaciter obsistere, non secus ac flamma, quæ à vento excitatur, quo amplius perflatur, eo vehementius accenditur. Sic persecutione Christianam religionem potius illustrarunt, quam debilitarunt, animas nimirum ad pietatem roborantes, ac periculis, ut aqua calens ferrum obdurantes.*

Tertium, in Iambic. Iambico 15. Christianismus *est lex, mysterium, et professio crucis Christi. Humanitas Christi mea est refectio. Mors ejus, mortis meæ est exstinctio.*

Quartum, orat. 31. *Cur Christiani,* inquit, *nomen venerabile est? An non quia Christus Deus? Petrum honore prosequor, nec tamen Petrianus vocor; et Paulum, nec tamen Paulianus nominatus sum: Non fero me ab hominibus nomen ducere, qui à Deo sum creatus. Proinde si quia Deum ipsam existimas, ideo Christianus vocaris, voceris sane et maneas in nomine, atque adeo in re. Si autem Deum credis, rebus ipsis quod credas, ostende.* Quintum, orat. 12. Christianos *Deus pro divitiis habet, et divites reddit.* Sextum, ibidem: Christiani *eodem fidei et spei charactere formati et consignati sunt.*

Septimum orat. 20. *Cum aliis alia quædam cognomenta sint, vel à parentibus accepta, vel ex seipsis, hoc est, ex propriis vitæ studiis institutisque comparata, nobis contra magna res magnum nomen erat, Christianos et esse et nominari : atque ea re magis efferebamur, quam Gyges palæ annulli conversione (si quidem hoc fabulosum non esset) per quam Lydiorum tyrannidem occupavit; aut Midas auro, quod ipsi interitum accersivit, cum voti sui compos factus, nihil præter aurum possideret; quæ et ipsa Phrygia est fabula. Nam quid Hyperborei Aburidis sagittam, aut Argivum Pegasum dicam, quibus non tantum erat per aerem ferri, quantum nobis mutua opera, et simul ad Deum attoli.* Octavum, Iambico 18.

Nos (*Christiani*) ab omni re proba omnem gloriæ
Auram fugamus : ut quibus nil sit prius,
Quam ne sinistra, dextera quid faciat, sciat.

Nonum, in Præceptis ad Virgines :

Quid mirum in medio si fixus corpore Christus,
Humanos omnes pellat violentus amores?

Decimum, ibidem :

Christicolis animus circum præcordia major
Exilit, infestus quoties movet arma tyrannus.
Tum dulces hymnos noctuque diuque canentes,
Sidera summa petunt mundoque et carne relictis.

Undecimum, ibidem :

Ut phœnix moriens primos revirescit ad annos,
In mediis flammis post plurima lustra renascens :
Haud secus egregia redduntur morte perennes,
Dum pia divinis ardescunt pectora flammis.

Duodecimum, ibidem :

Corpore in afflicto sita vis roburque piorum est.
Hæc quisquis bene perspiciet, cum corpore fœdus
Non feriet, postquam meliore exarserit igni.

Decimum tertium, in Beatitudine, et spiritualis vitæ regulis :

Felix qui Christum fortunis omnibus emit,
Cunctorumque crucem, quam gerit, instar habet, *etc.*
Felix qui primos inter numerandus ovilis
Christicolæ tacitus se tenet inter oves.
Felix qui Christum manibus non segnis honorat,
Multisque est vitæ regula lexque piæ.
Felix qui multis junctus, non plurima versans
Distrahitur, pectus sed dedit omne Deo.

Decimumquartum, orat. 3. *Nos* (Christiani) inquit, *externam speciem ac velut picturam parum admodum curamus : in interno autem homine multo plus opera studiique ponimus : idque potissimum studemus, ut spectatorem ad ea quæ animo cernuntur retrahamus : qua etiam ratione vulgus magis erudimus.*

Decimumquintum, orat. 3. *Christianis jucundius est pietatis causa pati, etiamsi nemo id resciturus sit, quam aliis cum impietate florere, atque in gloria versari. Hominibus quippe placere parum admodum curamus, id unum expetentes, ut honorem à Deo consequamur.*

Decimumsextum, ibidem explicante Billio num. 96. *Sicut juxta Pythium oraculum, equa Thessala reliquis omnibus antecellit, et mulier Spartana omnibus aliis mulieribus, et viri Siculi omnibus viris, ita etiam Christiani in religiosis ritibus atque sanctionibus mortales omnes antecellunt, ac principem honoris locum merentur.*

Decimumseptimum, orat. 3. contra Julianum. *Nos,* inquit, *non in virtute proficere nec ex veteribus subinde novos effici, sed eodem statu hærere, in vitio ponimus.* q. d. Christiani est quotidie proficere in melius. Rationem dat : *Ita enim nobis idem quod trochis accideret, quos in orbem volvi, non autem, progredi videmus.*

Decimumoctavum, in Carm. de vita sua,

Christianus improbus, potissimum
Si sit sacerdos, afficit probro fidem.

Decimumnonum, orat. 4. contra Julian. *Sicut nec cataractæ Nili ab Æthiopia in Ægyptum cadentes ulla arte inhiberi possunt; nec solis radius, etiamsi nube aliquantisper obducatur, sic nec Christianorum linguæ vincula injici, res vestras insectanti ac proscindenti.*

Vigesimum, Iambico 18.

Nec turbulento tempori unquam cessimus :
Quin pax habebat languidi si quippiam,
Aut si quis aliis moribus pravis erat,
Hic (*in persecutione*) cuncti ad unum pectus obfirmavimus.
Atque solidati flammeo zelo hostium
Tulimus furorem, splendide et victi sumus.
Nemo salutem nam cupit lubentius,
Pericla quam nos, vera laus quibus comes.

Ita nimirum S. Polycarpus urgenti Præsidi, ut juraret per fortunam Cæsaris, unum hoc respondit : *Christianus sum*, cui id non licet, testis Euseb. l. 4. c. 5. Idem responderunt Martyres Lugdunenses et Viennenses, de quibus Euseb. l. 5. cap. 51. Ac imprimis S. Blandina, in tormentis falsis criminationibus interrogata, non aliud respondit quam : *Christiana sum, ne mali quippiam à nobis committitur.* Et alius nomine *Sanctus*, ad cuncta interrogata respondebat : *Christianus sum. Hoc ille et nominis sui, et civitatis, et generis et omnium aliorum loco frequenter confitebatur, nec alium vocem ex illo audiebant Gentiles*, ait Euseb. *Nihil enim terribile, ubi Patris dilectio : neque triste, ubi Christus est gloria*, Christianus ergo est, cui Christus semper est in corde, ore et opere.

27. In his autem diebus.] Illo anno quo Antiochiæ docuerunt Paulus et Barnabas, ait Glossa.

Supervenerunt ab Hierosolymis Prophetæ.] Ecclesia enim à sui initio habuit Srophetas : prophetia enim erat una è gratiis gratis datis Spiritus sancti, ac consequenter et veræ Ecclesiæ, quam regit Spiritus sanctus, index, ut patet 1. Corinth. 14. Unde et hi missi sunt Antiochiam, ut illam Ecclesiam jam efflorescentem suæ prophetiæ dote confirmarent et illustrarent.

28. Agabus.] Quem Doroth. in Synopsi Sanctorum, ait fuisse unum è 72. Christi discipulis. Beda nomen *Agabus*, interpretatur *nuntius tribulationis :* Alii, *locusta :* חגב *chagab* enim est locusta. Apposite : locustæ enim depascendo germina et segetes, sunt causa et prænuntii famis, quam prædixit Agabus. Alii, *organista*, ab עוגב *ugab*, id est organum. Alii Agabi nomen deducunt ab עוגה *uga*, id est torta, vel panis subcineritius, qui tempore famis à pauperibus fieri solet, ut illico comedatur. Alii Agabum interpretantur *enthusiastem*, vel amatorem : עגב *agab* enim significat amare, insanire, agi enthusiasmo. Ita Pagnin. in Interpret. nom. Hebr. Relatus est Agabus inter Sanctos in Martyrol. Romam. die 13. Febr.

Significabat per spiritum famem magnam futuram in universo orbe.] Voluit Spiritus sanctus, OEcumen. hanc famem per Prophetas Christianos prædici, ne Gentiles eam imputarent christianismo, quasi propter eum dii irati, illam in orbem immitterent. Secundo, ut Antiocheni fideles facerent collectam, qua Hierosolymitanorum egestati et fami instanti subvenirent : uti et fecerunt. Verisimile est Deum hac fame universali totius orbis, voluisse punire tum alia ejus scelera, tum recentem idololatriam Caii Caligulæ Imper. qui Claudium antecessit. Caius enim eo dementiæ venit, ut ubique adorari voluerit ut Deus, adeo ut nec Jovi cederet, sed Jovis Olympii effigiem in suam commutare destinaret, teste Suetonio in ejus vita cap. 22. et Dione lib. 59. qui et addunt, eum salutatum fuisse Jovem Latialem, templaque ei erecta, in quibus exquisitissimæ hostiæ, puta phœnicopteri, pavones, meleagrides phasiani quotidie ei sacrificarentur. Quin et à Judæis adorari voluit in imagine, quam poni jussit in templo Hierosolymitano : qua de causa Judæi ad eum legatum miserunt Philonem, qui id deprecaretur, uti ipse fuse refert Legat. ad Caium : ubi, æque ac Josephus et Euseb. in Chronico, diserte asserit toto orbe Romano, præterquam in Synagogis Judæorum, statuas, imagines et aras Caio Cæsari fuisse consecratas. Hanc ergo idololatriam Caii toto orbe adorari, Deumque sua divinitate quasi spoliantis, æque ac totius orbis Caio vel applaudentis, vel obedientis, generali totius orbis fame plectere et punire decreverat Deus. Porro eadem fame afflixit Judæos, Caii idololatriæ resistentes : quia ipsi persequebantur Christum et Apostolos, ait Chrysost. Porro quantum malum sit fames, ostendi Thren. 4. 9. Certe fames adducit pestem, nimirum λιμος λοιμον, uti hoc anno Domini 1622. Romæ, et per totam Italiam experimur. Ex fame ergo homines didicerunt, vel dicere debuerunt, panem, victumque et vitam non dari à Caio, sed à Deo, ac proinde ab eo solo petendum, eumque solum colendum et adorandum esse.

Quæ facta est sub Claudio.] Anno 2. Claudii, qui fuit annus Christi 43. et ex parte 44. ait Baron. et Dio Cassius lib. 60. Alii tamen censent famem hanc contigisse post biennium scilicet anno Claudii 4. qui fuit Christi 45. forte quia usque ad annum 4. perduravit. Ita Josephus lib. 20. cap. 2. Euseb. in Chron. Orosius l. 7. c. 6. qui duo ultimi addunt, Helenam Adiabenorum reginam (quam ad Christum conversam esse scribit Orosius) Judæis in hac fame magna munificentia succurrisse. Quare hæc Agabi prophetia de fame, videtur facta sub annum Claudii primum, Christi 42. Porro Caio Caligula anno 4. regni sui à militibus occiso, in imperium successit hic Tiberius Claudius Drusus Germanicus Drusi Neronis et Antoniæ filius, Liviæ Augustæ, Augusti Cæsaris uxoris, nepos annos natus 50. creatus Imperator factione militum prætorianorum, regnavitque annos tredecim : cui successit Nero, quem Claudius in filium adoptarat. Ita Suetonius et alii. Primus ergo post Julium Cæsarem, Romæ et orbis Imperator fuit Octavius Augustus, Julii nepos ; secundus, Tiberius ; tertius, Caius ; quartus Claudius ; quintus, Nero : sub quibus contigerunt ea, quæ in Actis scribit Lucas. Denique Claudius ob hanc famem in medio foro, ait Sueton. cap. 18. vitæ ejus, *A turba conviciis, ac simul fragminibus panis ita infestatus est, ut ægre, nec nisi postico evadere in palatium valuerit, nihil non ex eo cogitavit ad invehendos, etiam in tempore hiberno, commeatus.*

29. In ministerium,] εἰς διακονίαν, quod Pagnin. Syrus in Tigurina vertunt, *in subsidium :* hoc enim est diaconia, nimirum eleemosynæ, qua egentibus ministrantur necessaria ad vitam.

Habitantibus in Judæa fratribus.] Tum religionis ergo : agnoscebant enim eos quasi patres suos utpote primos fideles : tum quia fideles in Judæa spoliati bonis à Judæis, majori indigentia laborabant, uti dixi Hebr. 10. 34. tum quia ipsi sponte se bonis abdicarant, posuerantque eorum pretia ad pedes Apostolorum, ut vidimus cap. 4. 34. quare præ cæteris merebantur juvari. Ita S. Hieron. in ep. ad Galat. c. 2. 10.

30. Mittentes ad seniores,] ad Apostolos, ait OEcumen. Alii, ad presbyteros et primores fidelium, præsertim Diaconos : horum enim erat eleemosynas distribuere, ut dixi c. 6. Nam verisimile est Apostolos jam Hierosolymis discessisse, de quo cap. 12.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Herodes Agrippa occidit S. Jacobum, et S. Petrum incarcerat : sed ille ab angelo liberatur. Secundo, v. 20. Herodes a populo Deus acclamatus, occiditur ab angelo.

1. odem autem tempore misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. 2. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. 3. Videns autem quia placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet et Petrum. Erant autem dies azymorum. 4. Quem cum apprehendisset, misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum, volens post Pascha producere eum populo. 5. Et Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. 6. Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus : et custodes ante ostium custodiebant carcerem. 7. Et ecce angelus Domini astitit : et lumen refulsit in habitaculo : percussoque latere Petri, excitavit eum, dicens : Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus. 8. Dixit autem angelus ad eum : Præcingere, et calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi : Circumda tibi vestimentum tuum, et sequere me. 9. Et exiens sequebatur eum, et nesciebat quia verum est, quod fiebat per angelum, existimabat autem se visum videre. 10. Transeuntes autem primam et secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem : quæ ultro aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum unum et continuo discessit angelus ab eo. 11. Et Petrus ad se reversus, dixit : Nunc scio vere, quia misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni exspectatione plebis Judæorum. 12. Consideransque venit ad domum Mariæ matris Joannis, qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati, et orantes. 13. Pulsante autem eo ostium januæ, processit puella ad audiendum, nomine Rhode. 14. Et ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit januam, sed intro currens, nuntiavit stare Petrum ante januam. 15. At illi dixerunt ad eam : Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere. Illi autem dicebant : angelus ejus est. 16. Petrus autem perseverabat pulsans. Cum autem aperuissent, viderunt eum, et obstupuerunt. 17. Annuens autem eis manu ut tacerent, narravit quomodo Dominus eduxisset eum de carcere, dixitque : Nuntiate Jacobo, et fratribus hæc. Et egressus abiit in alium locum. 18. Facta autem die, erat non parva turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro. 19. Herodes autem cum requisisset eum, et non invenisset, inquisitione facta de custodibus, jussit eos duci : descendensque à Judæa in Cæsaream, ibi commoratus est. 20. Erat autem iratus Tyriis, et Sidoniis. At illi unanimes venerunt ad eum, et persuaso Blasto, qui erat super cubiculum regis, postulabant pacem, eo quod alerentur regiones eorum ab illo. 21. Statuto autem die, Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, et concionabatur ad eos. 22. Populus autem acclamabat : Dei voces, et non hominis. 23. Confestim autem percussit eum angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo : et consumptus à vermibus expiravit. 24. Verbum autem Domini crescebat, et multiplicabatur. 25. Barnabas autem et Saulus reversi sunt ab Hierosolymis expleto ministerio, assumpto Joanne, qui cognominatus est Marcus.

1. Eodem autem tempore.] Puta inchoato anno 2. Claudii, et Christi 43. quo cœpit fames, ut dixi in fine c. præcendentis.

Herodes.] Non Ascalonita, qui infantes in ortu Christi occidit : nec Antipas, qui Joannem Baptistam decollavit, et Christum illusit : sed Agrippa, filius Aristobuli, filii Herodis Ascalonitæ. Ita Syrus et Eusebius lib. 2. c. 10. Vocatur rex, non Tetrarcha, quia regnum, regisque nomen à Caio Caligula Imp. obtinuerat, eo quod sub Tiberio Cæsare Caio familiaris, Tiberio celerem mortem, ut Caius nepos ei in imperio succederet, optasset, ideoque à Tiberio in carcerem detrusus esset : unde mox moriente Tiberio, succedens Caius, Agrippam carcere liberatum regem Judææ creavit, uti narrat Josephus l. 18. c. 8. et lib. 19. c. 5.

Nota. Quatuor fuerunt Herodes : primus, Ascalonita, secundus, Antipas, filius Ascalonitæ : tertius, hic Agrippa, Antipæ ex fratre nepos ; quartus, Agrippa junior, hujus senioris filius, de quo c. 25. 16. qui fuit tempore excidii Hieroso-

lymitani, cui Josephus suam historiam Judaicam dedicavit.

Ut affligeret.] Quia, teste Josepho, Judaismi et Judæorum erat studiosissimus, atque à Caio eius regno jus etiam in res sacras, templum et sacerdotium obtinuerat. Adeo enim Caio ob optatum et prædictum ei imperium, erat charus, ut Caius creatus Imperator, mox Agrippæ donarit catenam auream, pondere parem ferreæ, qua eum onerarat et vinxerat Tiberius, ait Josephus lib. 19. cap. 5. Videtur Agrippa Romæ didicisse crudelitatem à Tiberio Cæsare, à quo conjectus in vincula, à Caio evectus fuit ad regnum : perinde ac Tiberius ab exilio Rhodiensi vocatus est ad imperium, de quo Suetonius in ejus vita cap. 59. *Multa*, ait, *ita sæve et atrociter factitavit, ut nonnulli versiculis quoque et præsentia exprobarent; et futura denuntiarent mala :*

Asper et immitis, breviter vis omnia dicam?
Dispeream, si te mater amare potest.
Aurea mutuasti Saturni sæcula, Cæsar :
Incolumi nam te, ferrea semper erunt.
Fastidit vinum, quia jam sitit iste cruorem,
Tam bibit hunc avide, quam bibit ante merum:
Aspice Felicem sibi, non tibi Romule, Syllam :
Et Marium, si vis, aspice, sed reducem.
Nec non Antoni civilia bella moventis,
Nec semel infectas aspice cæde manus.
Et dic; Roma perit : regnabit sanguine multo,
Ad regnum quisquis venit ab exilio.

Occidit autem Jacobum.] Cur Jacobum præ cæteris Apostolis? Resp. Primo, quia hic Jacobus major frater Joannis, erat unus è primariis tribus Apostolis ; adeoque è columnis Ecclesiæ. Secundo, quia, ut ait S. Chrysost. et Theoph. in c. 17. S. Matth. Jacobus hic quasi Boanerges, id est filius tonitrui, in prædicatione Evangelii erat igneus quasi fulmen, ac Judæis terribilis et gravis quasi tonitru confutando Judæos et judaismum, ideoque ab eis postulatus ad necem. Tertio, quia ex Hispania obita celebris, rerumque gestarum gloria clarus, oculos omnium in se convertebat, ac nominatim quod duos famosos magos, Philethum et Hermogenem, ad Christum convertisset : forte etiam Judæi, qui plurimi tum in Hispania, degebant ejus prædicatione et gestis offensi, litteras ad suos Hierosolymitas dederant, ut Jacobum è medio tollerent. Denique probabile est cæteros plerosque Apostolos abfuisse Hierosolymis, imo abiisse in suas provincias, ut proinde eos comprehendere non potuerit Herodes, de quo mox plura.

Occidit autem Herodes Jacobum, tum ut Judæos magis sibi conciliaret, tum quia judaismi, quem S. Jacobus impugnabat, erat amantissimus : Unde Josephus lib. 19. Antiq. cap. 7. *Quapropter*, inquit, *libenter et continue degebat Hierosolymis, institutorum ac rituum patriæ servator religiosissimus. Purus enim erat à contaminamentis omnibus, nec ulla dies ei præteribat absque sacrificio.* Porro occisus est S. Jacobus à Judæis paulo ante Pascha, puta ante 14. lunam primi mensis Nisan, vel paulo post, ut volunt alii. Unde Rom. Martyr. 25. Julii ait, *prope Pascha*, non definiens ante, an post : Nam paulo post ejus necem, voluit Herodes occidere quoque Petrum post dies azymorum, id est post octavam Paschatis. S. Hieron. in cap. 43. Ezech. scribit S. Jacobum immolatum altera die Paschatis, scilicet decima quinta luna, in qua Christus occisus est. Ado Trevirensis in Martyr. et Calixtus Papa I. de Miraculis S. Jacobi, scribunt eum occisum 25. Martii, quo pariter die ante decem annos, puta anno Christi 34. occisus fuerat Christus. Christoph. tamen à Castro in Histor. Deip. c. 18. censet eum occisum in Aprili in diebus azymorum : festum tamen ejus celebratur die 25. Julii, quia eo die translatum est ejus corpus Compostellam, ubi miraculis plurimis coruscans magna Hispanorum, imo peregrinorum è toto orbe confluentium confluxu colitur, quæ peregrinatio celebrari cœpit anno Domini 1220. teste S. Antonino 1. p. Hist. tit. 6. c. 7.

Gladio.] Quia licet in veteri testamento vix legamus, Judæos usos gladios in pœnis reorum, tamen postquam in Romanorum potestatem venerunt, eo, more Romanorum, usi sint eorum Tetrachæ et Reges : unde et Herodes Antipas hujus Herodis patruus, gladio occidit S. Joannem Baptistam.

Porro S. Jacobus vadens ad mortem, suum accusatorem, nomine Josiam, sua constantia et sanctitate ita obstupefecit, ut eum ad Christum converterit, Martyremque effecerit. Audi S. Clemente Euseb. l. 2. Hist. c. 9. *Is sane qui eum ad tribunal duxerat, cum martyrium subiturum cerneret, ea re motus, et se Christianum esse ultro confessus est. Ducti sunt igitur simul uterque. Ille vero in itinere petiit, ut ignosceretur sibi à Jacobo. Hic cum paramper deliberasset : Pax tibi, inquit, et osculatus est eum : atque ita simul uterque decollatus est.* Addit S. Isidorus, S. Jocobum eundem ad martyrium, paralyticum suam opem inclamantem membris et sanitati restituisse.

Nota S. Jacobi laus et gloria prima est, quod primus omnium Apostolorum pro Christo martyrium generose obierit, cæterisque ad illud dux et choragus fuerit. Ex adverso frater ejus sanctus Joannes agmen Apostolorum claudit, et ultimus omnium defunctus est grandævus anno Christi 101. post Christi passionem 68. post Jacobi necem 58. Quare hi duo fratres cæterorum omnium Apostolorum vitam et mortem sua morte, quasi initio et fine complectuntur, inchoant et terminant, eorumque sunt quasi α et ω.

Secunda, quod cognatus fuerit Christi, natus ex patre Zebedæo, et matre Maria Salome, quæ Sanctorum catalogo ascripta, religiose colitur Verulis in Italia, ubi ejus corpus requiescit.

Tertia, quod à Christo mutatum sit ei nomen, ac cum fratre Joanne vocatus sit *Boanerges*, id est filius tonitrui, id est, tonitru et fulmem : fulmineus enim fuit zelo, actione, prædicationem, miraculis. Nulli alteri Apostolo Christus mutavit nomen, nisi Simoni, quem vocavit *Cephan*, id est Petrum eo quod illum Ecclesiæ suæ destinaret basin et Primatem.

Quarta quod à Christo præ cæteris Apostolis electus fuerit et dilectus : hi enim tres, Petrus, Jacobus et Joannes, quasi triumviri Christi, soli interfuerunt ejus transfigurationi in monte Thabor, et orationi ultimæ in horto paulo ante mortem, in qua sudavit aquam et sanguinem. Insuper semper mansit virgo, æque ac frater ejus Joannes. Unde de utroque loquens Epiphan. hæres. 58. *Quinam ergo*, inquit, *hi fuerint, quam generosi Apostoli, et monasticam vitam degentes, ac deinceps virgines.*

Quinta quod Christi fuerit amantissimus, ejusque honoris zelosissimus. Unde Lucæ 9. 54. cum Samaritæ Christum spernerent, indignans et

Christi injuriam ulcisci volens, ingenti zelo, etsi adhuc rudi et impolito dixit : *Domine vis dicamus, ut ignis descendat de cælo, et consumat illos?* q. d. Vis ut instar Eliæ eos igne cœlesti et fulmine afflemus? *Surrexit enim Elias Propheta quasi ignis et verbum ipsius quasi facula ardebat* Eccli. 48. 1.

Sexta, quod B. Virgini charissimus fuerit. Unde ipsa adhuc vivens Hierosolymæ, eidem apparuit Cæsaraugustæ, insistens columnæ, jussitque ibidem oratorium sibi extruit, prædicens illam Hispaniæ partem sibi fore devotissimam. Quare S. Jacobus eidem sacellum, omnium in orbe primum, exædificavit. Ita referunt Annales Hispaniæ.

Septima, quod Hispaniam à Mauris et Saracenis liberarit, visibiliter præiens aciem Ramiri regis, dum ille anno Domini 834. cum innumeris Saracenis è recenti victoria insolentibus, sibique insultantibus, monitu et invocatione S. Jacobi confligens, eos omnes vel cecidit, vel cepit, vel in fugam egit. Unde et Hispani in præliis eum jugiter invocant, et ejus ope illustres contra fidei hostes obtinuerunt et obtinent victorias. Quare in ejus honorem instituerunt Ordinem Militarem Equitum. S. Jacobi, qui cœpit sub Alfonso IX. Rege Hispan. anno Domini 1158.

Octava, Jacobo debet Hispania, quod à Christo hucusque in vera et orthodoxa Christi fide constans perstiterit, ut merito reges ejus Catholici cognominentur, ipsaque sit basis et columen fidei et Ecclesiæ, quodque fidem Christi cum æterna nominis sui gloria per Indias, tam Orientis, quam Occidentis, longe lateque propagarit, et indies magis magisque propaget.

Censet S. Isidorus, et Lucius Dexter in Chronico, idque habet Liturgia Mozarabum, et versio Arabica, S. Jacobum hunc fratrem S. Joannis scripsisse epistolam Canonicam, quæ vulgo S. Jacobi dicitur : Eusebius tamen S. Hieron. et alii multi censent eam scriptam à Jacobo Minore, qui *frater Domini* dictus, primus fuit Episcopus Hierosolymorum, quod in ipsa ejus Epistola discutiendum erit.

Denique, Sicut S. Joan. Baptista occisus est ab Herodiade, quæ erat soror hujus Herodis Agrippæ, eo quod incestas ejus nuptias cum Herode Antipa, patruo suo culpasset; ita et S. Jacobus occisus est à fratre ejus Agrippa : nimirum S. Joannem martyrii socium merebatur. S. Jacobus ; itaque Herodias Joannicida fratrem herodem, et Herodes Jacobicida sororem Herodiadem, velut dignum patella operculum poscebat, nimirum uterque mali corvi malum fuit ovum. Uterque enim prognatus est ex Herode Ascalonita, qui fuit infanticida, et in eis Christicida. Hic enim utriusque fuit avus : genuit enim Aristobulum, qui fuit pater Herodis Agrippæ et Herodiadis.

Addit L. Dexter in Chronico anno Christi 41. *Ex Hispania rediens Jacobus Gallias invisit, ac Britanias, ac Venetiarum oppida ubi prædicat, ac Hierosolymam revertitur, de rebus gravissimis consulturus B. Virginem et Petrum.* Et mox anno Christi 42. *Prædicans acerrime Judæis, prius interfuit hoc anno consecrationi ædis sacra Nazareth* (quæ Lauretum ab angelis translata, inde nunc Lauretana dicitur) *in qua Virgo Deum concepit, præsentibus nonnullis Apostolorum : succiso ab Herode capite, recens Hierosolymam reversus, nobile martyrium* 25. *die Martii* (quo et Christus crucifixus est) *gloriose pertulit. Discipuli sancti Jacobi, Dei monitu, Virginisque consilio, corpus magistri Joppe in navi deponentes, Iriam Flaviam Gallaciæ civitatem felici navigatione pervenerunt. Altare super sacrum corpus erigunt, et more sacro, Basilius, Athanasius, Chrysogonus, Agathodorus, Elpidius* (*qui nuntio accepto de corpore sui parentis in Hispanias allato, mox Iriam accurrunt*) *sacrant, et Apostolo dicant.* Subdit anno Christi 50. S. Petrum Hispanias adiisse multis eum comitantibus, inde in Africam et Ægyptum transisse. Horum omnium fides sit penes Auctorem, quæ quanta sit dixi in fine Chronotaxeos.

Quæres, quoto Christi anno occisus est sanctus Jacobus? Primo, Euseb. in Chronico, ait eum occisum anno Christi, 36 qui fuit Tiberii. Imp. 20. à morte Christi 2. Verum irrepsit error in Chronicon hoc. Nam eo tempore necdum regnabat Herodes Agrippa, qui cum occidit : cœpit enim regnare cum Caio successore Tiberii. Unde idem Euseb. l. 2. Histor. cap. 8. et 9. ait eum occisum, æque ac Petrum incarceratum, sub Claudio imp.

Secundo, alii Jacobi necem contigisse putant anno Claudii 8. Christi 49. qui fuit à morte ejus 15. eo quod Herodes Agrippa paulo post eum occisum, et Petrum incarceratum, sit occisus ab angelo, cap. 12. Mortuus est autem Agrippa anno 9. Claudii, ait Tacitus lib. 12. Annal. Sed erat Tacitus : nam Agrippa 3. Claudii anno defunctus est, uti passim tradunt Historici.

Tertio, Baronius putat S. Jacobum decollatum anno Claudii 2. Christi 44. qui fuit à morte ejus undecimus : Herodem vero percussum ab angelo anno Claudii 4. Christi 46. Verum cæteri tradunt eum tantum tres annos regnasse sub Claudio, et quatuor sub Caio, hoc est, universim septem annos.

Quarto, Onuphrius in Chron. et Mariana Histor. Hispan. l. 4. c. 2. S. Jacobi necem consignant anno Christi 42. qui fuit Claudii Impr. primus. Nam anno sequente, put a 2. Claudii. Petrus statim à nece Jacobi incarceratus, ab angelo liberatus profectus est Romam, uti omnes tradunt. Sic et L. Dexter. in Chronico, tradit S. Jacobum occisum anno Christi 42. die 25. Martii.

Quinto, Genebrardi in Chronol. l. 2. eam ponit anno Christi 46. qui, inquit, fuit Claudii tertius Agrippæ septimus et ultimus : septennium enim eum regnasse docet Josephus loco mox citando; nam paulo post occisum Jacobum occisus est, ita ut 4. annos regnarit sub Caio, tres sub Claudio. Verum non statim à nece Jacobi ab angelo percussus est Agrippa : nam ut ait Lucas in fine hujus c. Agrippa occisus est Cæsareæ : eo autem ascendit post moram aliquam actam Hierosolymæ à nece Jacobi. Rursum non statim ut ascendit Cæsaream, ibi percussus est. Nam Lucas narrat interim famem accidisse prædictam ab Agabo : Tyrii enim et Sidonii facto concursu. per Blastum conati sunt Agrippam sibi reconciliare, eo quod alerentur eorum regiones ab illo, ut ait Lucas v. 20. Non ergo paucis diebus Agrippa Cæsareæ commoratus est; sed partem anni sexti regni sui, et totum septimum ibi transegit. Quocirca.

Sexto, alii censent S. Jacobum occisum, et S. Petrum incarceratum fuisse in Paschate. anno Claudii 2. incipiente, qui fuit Christi 43. nonus ab ejus morte. Tunc enim Agrippa Romæ, ubi à Claudio in regno fuerat confirmatus, ce-

leriter rediens Hierosolymam ante Pascha, volens Judæis gratificari, S. Jacobum occidit, et S. Petrum vinxit : sed ille ab angelo liberatus, multis Asiæ provinciis peragratis Romam ingressus, Romanam cathedram exerit die 18. Januar. sub finem anni 2. Claudii, qui finiendus erat die 24. Januarii inchoato jam anno Christi 44. ac eodem jam currente, et post diem 24. Januarii concurrente cum anno 3. Claudii Imp. Agrippa percussus est ab angelo, cum septem annos regnasset, nimirum quatuor sub Caio, tres sub Claudio. Sic enim omnia apposite inter se per annos distributa connexa cohærent. Ita Josephus, qui tum vivebat, et hæc spectabat. l. 19. Antiq. c. 8. et ex eo Christoph. à Castro in Histor. Deiparæ c. 18. pag. 530. quem vide. Eodem anno Christi 43. Thadæus missus est ad Abagarum (uti ei vivens promiserat Christus) eumque cum populo Edessene fide Christi imbuit, et baptizavit, teste Euseb. l. 1. Histor. c. 13.

Mihi magis probatur sententia Baronii, excepto anno quo ab angelo percussus est Herodes : illum enim censeo fuisse Christi 45. Claudii tertium : nam ultra tertium Claudii annum non regnasse, nec vixisse Herodem consentiunt Chronologi et Historici. Porro primus Claudii annus incidit in annum Christi 43. non 42. uti tradit Euseb. et cæteri. Nam Christus mortuus est anno Tiberii 18. uti omnes consentiunt, agens annum ætatis, 34. Tiberius autem 22. annos regnavit, cui successit Caius per 4. annos. Caio successit Claudius : combina horum annos cum annis Christi, invenies Claudii 1. annum incidere in annum Christi 43. non 42. Anno ergo Christi 44. Petrus è carcere liber, variis provinciis peragratis Romam contendit, ibique cathedram posuit 18. Januarii, inchoante anno 45. Christi, et finiente anno Claudii secundo. Nam tertius Claudii annus inchoandus erat die 24. Januarii ejusdem anni. Id patet ex eo, quod Petrus sederit Romæ 25. annis. Jam incipe ab anno 3. Claudii, et numera reliquos ejus 12. annos (universim enim regnavit 14. annis) adde annos 13. Neronis (13. enim anno Neronis, ab eo occisus est Petrus) qui successit Claudio, habebis annos 25. Sedis Romanæ S. Petri.

Quæres Secundo, quoto post Christi in cœlum ascensum anno Apostoli discesserunt è Judæa in suas provincias, ut toto orbe evangelizarent Gentibus quibuslibet? Resp. varii varium assignant annum. Primo, Apollonius, qui vixit anno Christi 220. scribit apud Euseb. l. 5. Histor. c. 17. Christum jussisse, apostolis ne ante 12. annos à morte sua computandos, Hierosolymis discederent. Id accepit ex Clem. Alexand. qui paulo ante vixit et scripsit, scilicet anno Christi 190. Clemens enim l. 6. Strom. idem tradit : sed Clementis hujus scripta vitiata sunt ab hæreticis, ideoque inter apocrypha relata à Gelasio Pontifice, æque ac Itinerarium Petri, à quodam Clemente (non illo Rom. Pont S. Petri discipulo et successore, uti præ se fert) compositum, ubi idem de hisce 12. annis à Christo Apostolis præstitutis, dicitur : ex quo primo desumpta et propagata videtur hæc traditio. Sed eam falsam esse et confictam patet ex hisce Actis Apost. Nam paulo post necem S. Stephani, Philippus Samariam convertit; unde eo Hierosolymis acciti discesserunt sancti Petrus et Joannes, ut Samaritis Sacramentum Confirmationis impenderent. Rursum ex iisdem patet, S. Petrum paulo post lustrasse Joppen, Lyddam, aliasque civitates Judææ : deinde Cæsareæ Christi fidem prædicasse Cornelio, ac tandem cathedram suam Antiochiæ collocasse per septem annos, donec eam Romam transferret, quod factum est anno circiter decimo post ascensum Christi in cœlum.

Secundo, Baronius, quem multi sequuntur, ac Lorinus hic ad v. 20. censent Apostolos se dispersisse per orbem post necem S. Jacobi, anno Christi 44. qui fuit decimus à Christi morte et resurrectione : unde S. Matthæum paulo ante, puta anno Christi 41. scripsisse Evangelium. Causam dispersionis fuisse persecutionem Herodis, qua occidit S. Jacobum, et incarceravit S. Petrum, eum et cæteros occisurus, si potuisset : quocirca illos periculum fugientes, profectos esse ad Gentes. Multo longius abeunt, qui Apostolos universaliter per orbem dispersos esse opinantur post primum Concilium Hierosolymis habitum Act. 15. hoc enim celebratum esse anno Christi 51. ut vult. Baron. vel 54. ut vult S. Hieron. Citant pro hac sententia. S. Chrysostomus hom. 25. in Acta, sed falso.

Verum hæc sententia difficilis est creditu. Primo, quia Euseb. lib. 1. hist. c. 13. scribit sanctum Thadæum profectum Edessam Syriæ anno Christi 43. convertisse Abagarum regem et populum Edessenum ad Christum, uti abagaro olim scripserat et promiserat Christus. Quocirca Lucius Dexter in chronic. et Genebr. in Chronol. censent divisionem Apostolorum factam anno Christi 41. qui fuit septimus à morte ejus. Sed nec hoc satisfacit, ob sequentes rationes.

Secundo, quia S. Jacobus in Hispanias profectus est, utique, ante annum Christi 44. nam eo occisus est Hierosolimæ ab Herode. Eum enim in Hispania, prædicasse, universalis est et immemorabilis non tantum Hispaniæ, et fidelium ubique traditio, cui refragari nemo queat. Jacobus ergo in Hispanias profectus est sub annum Christi 37. Ergo eodem cæteri quoque in sua loca abiisse videntur.

Tertio, quia Christus jusserat Apostolis, ut manerent Hierosolymis usque dum reciperent Spiritum S. in Pentecoste, ut eo recepto linguis igneis irent prædicatum per totum orbem, ut patet Act. 1. si enim decem annos mansissent in Judæa, tarde admodum executi essent mandatum Christi de prædicando Gentibus per totum orbem, et parum temporis ad id exequendum habuissent. Plerique enim anno trigesimo apostolatum cum vita et martyrio finierunt. Adde, pauci fuerunt, puta duodecim; et tamen hi remotissimas et plurimas gentes, vastas et amplas adire et convertere debebant.

Quarto, quis credat eos omnes decennium integrum posuisse apud paucos perfidos et obstinatos in sua lege Judæos, cum scirent totum orbem sibi à Christo præscriptum et demandatum esse ? Sane pauci anni sufficiebant ad prædicandum per totam Judæam, præsertim cum ibidem Diaconos et Presbyteros ordinassent; quin et S. Jacobum fratrem Domini constituissent Episcopum.

Quinto, quia S. Paulus Galat. 1. 19. ait se post triennium à conversione sua (quæ contigit anno Christi 36. vel, ut alii volunt, 35.) puta anno Christi 38. vel 39. ascendentem Hierosolymam, neminem Apostolorum vidisse, nisi S. Petrum et Jacobum fratrem Domini : quia scilicet cæteri

ad evangelizandum toto orbe erant dispersi, ait S. Hieron. Anselm. Claudius Taurinensis et Cajet. ibid. Hinc et S. Lucas describens Acta S. Petri, et ortum progressumque Ecclesiæ in Judæa, nullam aliorum Apostolorum mentionem facit, nisi S. Joannis; utique facturus si in ea diutius mansissent.

Ob hæc ergo argumenta probabilius videtur, Apostolos longe ante annum Christi 44. qui fuit decimus à morte ejus, in suas provincias discessisse, quo anno discesserint, præcise definire non ausim. Probabile est, eos discessisse paulo post conversum à Petro Cornelium : tunc enim apertum est publice per cœleste oraculum ostium fidei Gentibus, iisque jussus est illico Petrus ac consequenter et cæteri evangelizare. Quocirca ipse mox adiit Antiochiam ibique cathedram constituit anno Christi 37. Videntur ergo sub idem tempus quoque cæteri suas adiisse gentes, in eisque Ecclesias erexisse, ibique suas cathedras posuisse. Quis enim credat eos cœlesti visione Petri admonitos. Jam esse tempus prædicandi Gentibus, tardasse et distulisse hujus moniti, imo præcepti divini executionem per septem vel octo annos, puta ab anno Christi 37. usque ad 44. Videntur ergo discessisse sub annum Christi 37. Unde et anno Christi 36. Deus convertit Saulum eumque Gentium Apostolum et doctorem designavit. Quod si quis eodem anno Christi 36. contendat Cornelium fuisse conversum, et paulo post Apostolos, saltem aliquos, ivisse in suas provincias, non repugnabo. Sub idem enim tempus videtur apertum Gentibus fidei ostium, quo Saulus conversus, creatus est à Deo Gentium doctor.

Imo noster Gaspar Sanchez tract. 1. de Prædic. S. Jacobi in Hispania cap. 6. et Christoph. à Castro in Histor. Deiparæ c. 18. pag. 541. censent Apostolos statim à Pentecoste anno Christi 34. ivisse in suas provincias. Probant id Primo, quia ideo in fine illius anni 34. ut tradit Eusebius in Chronico et alii ordinasse videntur sanctum Jacobum fratrem Domini Episcopum Hierosolymæ, ut Judæorum curam pastoralem in ipsum transferrent, ipsi vero discederent ad Gentes.

Secundo, id probant ex Melitone Sardensi, quem citat Beda. in c. 8. Act. et ex Prochoro discipulo S. Joannis : sed utriusque scripta sunt vitiata, apocrypha et fabulosa.

Tertio, quia Christus ascendens in cœlum jussit, dixitque Apostolis Marci ult. *In mundum universum euntes docete omnes gentes.* q. d. *Ite, quia jam tempus est*, ait S. Thom. Hugo et Cajet. qui et addit, hoc mandato revocatum esse illud anterius ; *in viam Gentium ne abieritis.*

Quarto, quia Ecclesia in officio Pentecostes, in Vesperis secundis, ad *Magnificat* canit : *Hodie completi sunt dies Pentecostes : hodie Spiritus Sanctus in igne discipulis apparuit, et tribuit eis charismatum dona : misit eos in universum mundum prædicare.* Similiter loquitur S. Leo serm. 1. in Natali S. Petri et Pauli. Iren. Metaphrastes, et alii. Unde concludit Sanchez, paulo post Pentecosten Apostolos prædicasse Gentibus, et ad eas profectos esse ante conversionem Cornelii, quam ipse censet factam anno 36. Christi, qui fuit secundus ab ejus morte. Licet enim posterius eam narret Lucas, eam tamen esse præponendam. Lucam enim per hysterologiam gesta Petri postponere, ut narrata conversione S. Pauli, ejus gesta eodem historiæ filio pertexat, quibus pertextis gesta S. Petri enarrare aggreditur.

Verum difficile est creditu Apostolos ivisse ad Gentes, ante apertum iis cœlitus fidei ostium per conversionem Cornelii. Ideo enim Deus illam cœlesti visione Petro præmonstravit, ut per illam Apostolis iter ad Gentes panderet : alioqui enim Judæi, quales erant plerique primi Christiani, id non permisissent, imo iis restitissent, uti restiterunt S. Petro cap. 11. 3. Sed Petrus per visionem à Deo acceptam eis satisfecit.

Quare argumenta à Sanchez allata probant dumtaxat, à Pentecoste licuisse Apostolis prædicare Gentibus, uti recte judicavit Gabriel Vasquez quem citat Sanchez cap. 8. imo eosdem prædicasse Gentibus, quæ se Judæis miscebant in concionibus S. Petri et Apostolorum : non tamen probant; eos statim à Pentecoste ivisse in suas provincias : tum quia primo satisfacere debebant Judæis, qui prætendebant Missiam sive Christum, ejusque Evangelium ad se pertinere, non ad Gentes : illum enim ad se esse missum, eo quod patribus suis fuisset promissus. Hoc autem fecerunt ordinando Hierosolymæ Episcopum S. Jacobum, dispergendo se per cæteras Judææ, Galilææ et Samariæ civitates, ibique evangelizando : tum quia exspectabant occasionem et tempus, quo à Deo discedere monerentur, ut hoc Judæis possent obtendere; ne ipsis abeuntibus obstreperent, aut schisma facerent : hoc autem factum est per visionem. S. Petro oblatam.

Rursum illa argumenta recte probant, Apostolos iter suum non distulisse per multos, v. g. decem annos, sed rebus in Judæa compositis mox discessisse. Hoc autem factum est, cum Petrus obita Judæa, Lydda et Joppe, ubi multos dies mansit, ait Lucas c. 9. missus est Cæsaream ad convertendum Cornelium : quod factum est sub annum Christi 37. ut dixi in fine c. 10. ac consequenter tunc pariter videntur Apostoli in suas oras profecti. Sic enim omni suavi dispositione, et concinna narratione connexa cohærent. Nam ab anno Christi 34. usque ad 37. Apostoli omnes per triennium integrum evangelizando Judæis : abunde eis satisfecerunt : unde eo expleto, anno Christi 37. converso Cornelio, et patefacto cœlitus Gentibus ad Ecclesiam ingressu, omnes se ad iter in suas provincias accinxerunt.

Confirmatur Primo, quia Lucius Dexter in Chronico, et alii tradunt, S. Jacobum anno Christi. 37. profectum in suam provinciam, puta Hispaniam : ergo idem cæteri plerique fecerunt alternative. Dico : Plerique et alternative. Nam non omnes simul eodem tempore præcise discesserunt, sed alii citius, alii tardius, pro rerum et negotiorum comoditate, vel necessitate, ut recte advertit Christ. à Castro c. 18. Hist. Deiparæ. Sic S. Joannes diutius ibidem mansit, ut serviret B. Virgini, cui à Christo datus erat custos, imo filius, S. Petrus Judæis vel præsens, vel vicinus esse voluit per decem annos, ex quibus septem egit Pontificem Antiochiæ, sed ita, ut crebro in Judæam et Jerusalem excurreret. Unde et S. Paulus anno Christi 39. veniens Hierosolymam, eum ibidem invenit et convenit. Galat. 1. 19. sanctus Petrus enim præcipue erat Judæorum Apostolus, sicut Paulus Gentium, Galat. 2. 9.

Confirmatur Secundo, quia Apostolos Hierosolymis non discessisse ante conversionem Cornelii, patet ex eo, quod Lucas cap. 11. 1. dicat illos eam ibidem audivisse : *Audierunt*, ait, *Apostoli et fratres qui erant in Judæa; quoniam et Gentes receperunt verbum Dei :* ergo ante non receperant : nec eis ex professo prædicarant Apostoli. Quod vero mox post conversum Cornelium discesserint in suas provincias, liquet ex eo, quod paulo post Lucas v. 22. dicat Barnabam missum esse Antiochiam, non ab Apostolis, utpote jam profectis et absentibus, sed à presbyteris Ecclesiæ. *Pervenit*, ait, *sermo ad aures Ecclesiæ, quæ erat Hierosolymis, super istis, et miserunt Barnabam usque ad Antiochiam.*

Confirmatur Tertio, quia ideo Herodes anno Chris 43. apprehendit Petrum, et Jacobum accidit præ cæteris Apostolis c. 12. 1. eo quod cæteri jam abissent ad suas gentes.

Hæc itaque est Chronotaxis Christi, Apostolorum et primitivæ Ecclesiæ.

Christus occisus resurrexit, ascendit in cœlum, indeque misit Spiritum sanctum in Pentecoste, anno à nativitate sua 34.

Eodem anno S. Petrus prædicans convertit tria et mox quinque hominum millia.

Eodem quoque creati sunt primi septem Diaconi, Actor. 6.

Eodem anno lapidatus est Stephanus, die 26. Decembris

Et die sequenti puta 27. S. Jacobus Minor creatus est primus Hierosolymorum Episcopus.

Paulus conversus est ad Christum anno Christi 36.

Cornelius conversus à S. Petro, patefacit ostium fidei Gentibus initio anni 37.

S. Petrus posuit cathedram Antiochiæ eodem anno 37. in eaque sedit septem annos. Hic annus fuit 4. ab ascensu Christi, ut habet Chronicon Alexandrinum.

S. Jocobus in Hispanias profectus est, cæterique Apostoli in suas provincias, eodem anno Domini 37.

Fames prædicta ab Agabo toto orbe cœpit anno Domini 42.

S. Jacobus rediens Hierosolymam occisus est ab Herode Agrippa circa Pascha, anno Domini 44.

S. Petrus vinctus est ab Herode, et liberatus ab angelo anno Christi 44.

S. Petrus post septennem sedem Antiochiæ, liberatus è vinculis Herodis, multis locis peragratis, Romam ingreditur, ibique cathedram collocat die 18. Januarii, finiente anno 2. Claudii Imp. sub initium anni Christi 45.

Eodem anno 45. Paulus cum Barnaba missus, iturusque ad Gentes rapitur in tertium cœlum ; de quo c. seq. v. 2.

3. Apposuit ut apprehenderet et Petrum.] Τὸ *et* æque ac *apposuit*, emphasin habent, q. d. Occiso Jacobo crevit animus et improbitas Herodi, ut etiam in ipsum Ecclesiæ Primatem, puta S. Petrum, auderet manus sacrilegas injicere. Causam dat S. Chrysost. vel potius Proclus in Encomio vinculorum S. Petri apud Surium die 1. Augusti : *Nam putabant* (Judæi) *illud futurum*, ait, *ut si Petrum Apostolum de medio sustulissent, facile reliquos Apostolos superarent. Ille enim erat qui contrarias voces mittebat, quique in conciliis, in judiciis et in synagogis cum adversariis certabat, et Jesu nomen palam prædicans, invocato ejus nomine præcipua quædam miracula faciebat.* Et inferius hosce S. Petro dat titulos : *Vere hic est Apostolorum firmamentum, et sacratus cœlorum magister, arcanorum interpres, nutantium confirmator, lapsos erigens, firmos conservans, pœnitentiæ dux ardentissimus : Petrus denique magnum illud orbis terrarum miraculum, Ecclesiæ jactatio, discipulorum decus, eorum qui recte sentiunt ornamentum, Theologorum pulchritudo, Christi os, mens cœlestis, Trinitatis pulcherrimum tabernaculum, lapsorum reconciliator, honeste viventium ductor, recte currentium propugnator, omni cœlesti et humana laude, omni præconio dignissimus. Cujus si umbra et lentei morbos profligarunt, certe catenæ quæ venerandum Apostoli corpus contigerunt, quanto propiorem tactum habuerunt, tanto abundantiorem miraculorum vim participarunt*, etc. Subdit hac catena diabolum fugari : *Non enim ferre potest Spiritu S. gratiam has catenas obumbrantem, neque scintilla ex divino illarum igne exilientes sustinet, sed ab ipsis incenditur atque comburitur.*

Erant autem dies azymorum.] Qui per septem dies continuos à Paschate celebrabantur, ita dicti, quod in nullis panibus nisi azymis, id est, fermento carentibus, vesci Judæis liceret. Addit hoc Lucas, tum ut denotet tempus necis S. Jacobi et carceris S. Petri, tum ut indicet causam, cur non illico occisus sit S. Petrus, sed dilatus post Pascha, quia scilicet erant dies festi azymorum, quos sanguine effuso maculare et funestare nolebat Herodes : tum denique ut indicet perversitatem Herodis et Judæorum, qui in diebus azymorum, quibus debebant vacare Deo, esseque azymi carentes omni fermento malitiæ et nequitiæ, ut ait Apost. 1. Cor. 58. exarserunt odio et invidia in Ecclesiam, summumque scelus in ejus caput S. Petrum designarunt. Ita et hodie sæpe fit, ut homines suis cupiditatibus addicti, in majoribus festis majora designent scelera, tum quia festo se suamque malitiam abscondere et latere posse putant : tum quia ad hoc eos instigat diabolus, ut festi sanctitatem atroci scelere profanet et violet. De diebus azymorum et Paschate dixi Exodi. 12.

4. Tradens quatuor quaternionibus.] Syrus, *tradidit eum sedecim militibus custodiendum.* Causam dat OEcumen. *Ut singulis noctis vigiliis, hoc est, ternis in æqualibus horis, quatuor advigilarent custodes*, ut scilicet prioribus fessis et dormiturientibus novi et vigiles succederent. Tam arcte S. Petrum custodivit ; quia audierat eum facere miracula, ne per ea eleberetur è carcere, præsertim quia eum olim ex carcere, cum S. Joanne per angelum evasisse audierat, Actor. 5. 19.

Post Pascha.] Hinc videtur, quod Agrippa S. Jacobum occiderit ante Pascha, ne dies paschales ejus nece et sanguine funestaret. Erat enim ipse judaismi studiosissimus, ideoque in iis noluit occidere S. Petrum, sed causam ejus distulit post Pascha, id est, post dies paschales, sive post octavam Paschæ; Pascha enim celebrabatur per septem dies. Secus sentit S. Hieron. in c. 43. Ezech. Christoph. à Castro. Mariana et alii, quos initio cap. citavi, scilicet S. Jacobum occisum esse die primo vel secundo azymorum ; simili enim modo Judæi Christum crucifixerunt primo die azymorum : Petrum vero distulisse post Pascha in gratiam Judæorum, ne illos cultu et religione dierum et sacrificiorum paschalium occupatos, ab iis vel tantillum distraheret, sed

iis elapsis plenius Petri, utpote Primatis, causam cognosceret, pleniusque et jucundius in ejus nece, populo jam à sacris ferianti spectaculum daret. Addit S. Chrysost. in encomio vinc. S. Petri apud Surium 1. Augusti, id cum fecisse, ut diuturniore cruciatu carceris, catenarum, famis, metus mortis, vexationis militum, etc. S. Petrum torqueret : quomodo Tiberius Cæsar *vinctorum causas ideo se aiebat serius cognoscere, ne affecti supplicio cito levarentur malis, quæ meruerant antea tis sceleribus : nunc dum longiores moras terunt, multo gravius reddi illorum infortunium*, ait Josephus lib. 18. Antiq. cap. 8. Sed S. Petrus, ait Chrysost., hisce omnibus fortior evadebat, adeo ut jucunda et secura hilaritate milites confunderet, et in ruborem converteret. Ergo in Paschate vinctus fuit Petrus, et tamen festum vinculorum horum celebratur ab Ecclesia die prima Augusti : causam dabo v. 6.

Producere.] Primo, in publicum tribunal, ut coram populo causam Petri discuteret, eumque publica sententia ad mortem damnaret. Secundo, in theatrum, in quo publice spectante et gaudente populo, cum excruciaret et morte mulctáret. Græce est ἀναγαγεῖν, quod potest verti, *offerre*. Unde Syrus vertit, *volens eum tradere populo*, Lyran. *volens eum exponere morti ad voluntatem populi*. Unde alicui censent, Herodem, ut magis gratificaretur populo, voluisse ei tradere S. Petrum, ut ad libitum, eo genere mortis quo luberet, illum cruciaret et enecaret.

5. In carcere.] Intimo, ait S. Chrysost. hom. 8. in epist. ad Ephes. Adrichom. in Theatro terræ Sanctæ, censet hunc carcerem non fuisse civitatis et magistratus, in quem inclusit Petrum et Apostolos cap. 4. 3. sed regis, eumque situm fuisse in Stratopedo, id est, in area regiam Herodis undequaque ambiente, ubi regii milites excubias agebant. Alii alio loco eum collocant. Ita Romæ ad radices Capitolii videmus carcerem Mamertinum, profundum et tenebrosum, in quem à Nerone conjectus fuit S. Petrus cum S. Paulo, ex eoque eductus ad martyrium : quem nunc conversum in sacellum pie veneramur, præsertim quia in eo fontem miraculosum S. Petri precibus elicitum, ad baptizandum S. Processum et Martinianum carceris custodes, etiamnum perennibus et salutiferis aquis manantem intuemur et haurimus.

Ab Ecclesia.] Tota ergo Ecclesia orabat pro S. Petro, quasi pro capite et Pontifice suo, quem intime diligebat et colebat : æstimans si Petrus capite mulctaretur, non tam illi, quam sibi caput truncandum. Id etiamnum imitatur Ecclesia quæ in canone Missæ semper, et crebro in Collectis orat pro Summo Pontifice. Ipse enim quasi Atlas Ecclesiæ totum ejus pondus humeris suis sustinet. Porro hæc oratio fuit efficax, et per miraculum S. Petrum è carcere eduxit, tum quia erat devota et communis omnium fidelium, qui tunc fere erant Sancti, imo in sanctitate eximii, tum quia erat fervida et continua, etiam noctu : nam noctu veniens è carcere Petrus fideles orantes invenit. Ad cujus imitationem institui solet oratio quadraginta horarum, in honorem sepulturæ Christi, qui totidem horis in sepulchro decubuit.

6. Cum autem productorus eum esset.] Disce hic Deum sinere S. Petrum, et fideles adigi ad extrema, ut probet eorum in se confidentiam, ut tunc illustriori ope eos liberet, etiam per miraculum, si opus sit. Quocirca de ejus ope nunquam desperandum, imo quo magis crescunt pericula et afflictiones, eo magis augenda spes in Deum. Ipse enim dixit et promisit : *Cum ipso sum in tribulatione*, Psal. 90. 15. Et : *Cum transieris per aquas, tecum ero ; et flumina non operient te ; cum ambulaveris in igne, non comburéris et flamma non ardebit in te.* Isaiæ 43. 2.

Erat Petrus dormiens.] Quasi secure quiescens in Dei providentia, cui se curæ esse sciebat, paratusque vel vivere, vel mori prout Deus norat expedire ad majorem sui nominis gloriam, et Ecclesiæ Bonum. *Dormit corpore Petrus, corde ad Deum vigilat : Deus vero custos ipsius nec dormitat, nec dormit*, ait S. Chrysost. hom. 8. in epist. ad Ephes.

Moral. dormit secure in sinu Dei, qui cum illo sentit et dicit : *Quo fatu trahunt retrahuntque sequamur. Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.*

Vinctus catenis duabus.] *Quatuor difficultates cumulant custodiam, carcer, milites, catenæ, custodes*, ait Glossa : eo illustrius fuit Dei auxilium et miraculum, hæc omnia momentum disjiciens et superans, Petrumque liberans. Addit Arias, binos milites, inter quos medius vinctus erat Petrus, singulos singulas Petri tenuisse catenas, ne quo modo dormientes fallere et elabi posset.

Nota. Hac catenas, utpote à S. Petro principe Apostolorum et Ecclesiæ, quasi sacratas, præ cæterorum Apostolorum et Sanctorum catenis honoravit et honorat non solum Ecclesia, sed et ipse Deus ; ut cujus est in ligandis et solvendis alienis vinculis præcipua in Ecclesia potestas, ejus etiam vincula à cunctis fidelibus præcipuo in honore habeatur, juxta id quod S. Petro occimus in festo S. Petri ad vincula :

> Solve jubente Deo terrarum Petre catenas,
> Qui facis ut pateant cœlestia regna beatis.

Deus enim eas honoravit, Primo, ex eis miraculose eripiendo S. Petrum per angelum. Secundo, catenam Herodianam cum Neroniana miraculose connectendo, de quo mox. Tertio, multa per eas miracula operando, quæ recenset Baron. Ribadeneira et alii die 1. Augusti.

Ecclesia et fideles eas honorant, Primo, celebrando magno urbis confluxu festum vinculorum S. Petri Calendis Augusti, non Pauli (quæ tamen hic Romæ in Ecclesia S. Pauli videmus et veneramur) non aliorum Apostolorum. Cujus festi occasionem dedit, non Eudoxia uxor Arcadii Imper. quæ persecuta est S. Chrysostomum, uti putavit Beda, sed Eudoxia uxor Theodosii junioris, qui fuit filius Arcadii et Eudoxiæ. Eudocia enim sub annum Domini 437. Hierosolymam voti causa profecta, ibidem à Juvenale Patriarcha accepit duas hasce catenas, quibus S. Petrum vinxerat Herodes : unam detulit Constantinopolim, alteram misit Romam ad Eudoxiam Augustam suam filiam, Valentiniani junioris Imp. conjugem : utrobique autem festa dies statuta est, et quasi catenarum dedicatio : unde paulo post anno Domini 438. Eudoxia filia Eudociæ, Romæ basilicam in earum honorem erexit, quæ etiamnum exstat in monte Esquilino, vocaturque S. Petri ad vincula : vel titulus Eudoxiæ ; æque ac mater ejus Eudocia similem Constantinopoli exstruxit. Porro cum Eudoxia Pontifici Romano catenam S. Petri Herodinam ostenderet, Pontifex ei vicissim ejusdem Neronianam

ostendit; quam cum inter se conferunt, ecce illico una cum altera coaluit; qualem etiamnum quotannis intuemur, et reverentes osculamur.

Secundo, Alexander Pontifex et Martyr, ordine, sextus à S. Petro, incarceratus, S. Balbinæ et sociis ejus vincula deosculantibus dixit: *Desine has osculari boias* (id est, catenas jam dictas, quasi bonum jugum, ait Festus et Isidor. lib. 5. Orig.) *inquire autem Domini mei Petri Apostoli vincula et ea potius osculare. Balbina his auditis cum multo studio ac desiderio pervenit tandem ad illa beata vincula, iisque inventis gratias egit Domino nostro Jesu Christo, prosternensque se in oratione dixit: Benedictum sit nomen tuum omnipotens Deus, qui per famulum tuum Alexandrum mihi ancillæ tuæ thesaurum spiritualem indicasti, cœpitque illa vincula cum multo timore osculari, et gratias agere Regi cœlorum*, Ita habent Acta S. Alexandri die 3. Maii.

Tertio, vincula S. Petri encomio insigni celebrat S. Chrysost. (vel potius S. Proclus, aut Germanus: nam tempore S. Chrysost. necdum Eudocia hæc vincula repererat) quod extat apud Surium die 1. Augusti, ubi præter alia ex eo jam citata: *Has*, ait, *catenas composuit Dei Patris Verbum; ejusdem æternitatis et principii particeps, ut ejus de Deo confessionis præmium essent. Ab his dæmonum pravi spiritus illigati enecantur, ab his princeps hujus mundi captivus ducitur, à fidelibus hominibus illuditur.* Subdit hisce Ecclesiam cingi, et contra hostes invictam reddi, iisdem Christianorum vertices coronari, ut ab inimicis sint intacti: *His catenis Apostolus ornabatur, his exultans ac gestiens se oblectabat, et tanquam regalem aliquem ornatum circumferens exultabat.* Subdit modum quo illæ servatæ sunt, nimirum per aliquos Herodis ministros, qui occulte erant Christiani. *Has*, ait, *in carcere derelictas ipsi Herodis ministri, quibus divinæ cognitionis lumen affulserat, clam sustulerunt, et apud seipsos velut thesaurum conservaverunt.* Et inferius venerationis causam assignans: *Catenas hasce videntes, Petrum ipsum*, ait, *mente inspicere nobis videmur, et eas tangentes, Apostolum à nobis tangi existimamus. Nam has et illum mente formantes, et per fidem ipsam in unum copulantes, ad eum ipsum qui per hæc passus est, totum referimus.* Ac in fine invocans S. Petrum: *His catenis*, ait, *nostrarum animarum vulnera quæso liges. His barbaros ipsos devincias, captivos ducas, et civitati te veneranti hostiles eorum exuvias conferas. His catenis Imperatorem nostrum armes, munias, victoriis trophæis corones.*

Quarto, solebat olim limatura catenarum S. Petri, pro ingenti dono ad reges et principes à Romanis Pontif. mitti, ac per eam Deus multa edebat miracula. Moris enim erat eam includere auræ clavi, ab altari S. Petri acceptæ, sicque eam ab absentes transmittere, uti eamdem ad Childebertum Francorum regem mittere se scribit S. Greg. lib. 5. Epist. 6. et lib. 6. Epist. 23. Eamdem ab Hormisda Papa petiit et impetravit Justinianus, postea Imperator.

Moral. vide S. Chrysost. hom. 8. in Epist. ad Ephes. magnis mirisque laudibus celebrantem vincula S. Pauli, ubi ea præfert regnis et sceptris, Regibus et Imperatoribus, imo Angelis et Archangelis, adeoque miraculis et suscitationi mortuorum.

7. Angelus Domini.] In corpore assumpto, quod in novo testamento post et per resurrectionem Christi, assumere solent gloriosum, id est, fulgidum et splendidum; adeo ut hoc splendore suo carcerem totum illustrarit. Unde sequitur: *Et lumen refulsit in habitaculo.* Ita in natali Christi, *angelus Domini stetit juxta illos* (pastores) *et claritas Dei circumfulsit illos*, Lucæ 2. 9. Et de angelo post resurrectionem Christi apparente in ejus sepulchro, ait Matth. c. 28. v. 3. *Erat autem aspectus ejus sicut fulgur.*

Nonnulli probabiliter opinantur hunc angelum fuisse S. Michaelem: illo enim est præses Ecclesiæ: unde sicut ejus curam gerit, ita et capitis ejus, puta S. Petri. Ita Pantaleon Chartophylax in Encomio S. Michaelis, quod recitat Surius die 29. Septemb. Censet S. Chrysost. et Glossa hoc lumen resplenduisse soli Petro; quia scilicet solus ille excitatus fuit ab angelo: custodibus enim, inter quos medius vinctus tenebatur Petrus, angelus immisit gravem soporem, ut nec lumen ejus viderent, nec vocem colloquentis cum Petro, nec strepitum catenarum cadentium audirent: alioqui lumen corporis adeo fulgidi refulsit per totum carcerem, quod utique vidissent custodes si fuissent vigiles, nisi ab angelo fuissent impediti. Hinc Gerson. 3. part. tract. 8. super *Magnificat*, hunc angelum ab effectu vocat *Uriel*, id est *fulgor Dei*; hunc enim produxit in carcere: alioqui idem adit, hunc angelum fuisse custodem S. Petri, quod et alii multi censent, puta S. Michaelem, uti paulo ante dixi: sicut principes Ecclesiæ non angelum, sed Archangelum, aliumve principem angelum custodem habent.

Percussoque latere Petri.] Quia alte dormiebat, ait S. Chrysost., quod signum erat animi secuti et intrepidi, utpote in Dei providentiam resignati, et placide quiescentis.

Surge velociter.] Non quod metueret angelus, ne si moras necteret, excitarentur custodes: ipse enim in eis soporem continuabat, quamdiu volebat: sed quia angeli sunt veloces, alacres et agillimi, utpote spiritus et velociter Dei jussa peragunt, juxta illud: *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis.* Hebr. 1. 7. Unde pariter à Petro, aliisque clientibus velocem exigunt actionem, et obedientiam. Rursum ait *velociter*; quia somnum Petri excutere volebat: somnolenti enim sunt lenti et tardi. Denique τὸ *velociter*, significat desiderium incitatum angeli ad liberandum Petrum.

Moraliter, docet hic angelus illud Eccl, 31. 27. *In omnibus operibus tuis esto velox, omnis infirmitas non occurret tibi.* Velox enim et expeditus excutit acediam, torporem, languorem, induitque robur, valorem, et vigorem angelicum. Sic de Jonathan et Saule ducibus Israelis in prælio cæsis, canit David 2. Reg. 1. 23. *Aquilis velociores, leonibus fortiores.* Et de Asael. uno fortium Davidis dicitur ibid. cap. 2. 18. *Porro Asael cursor velocissimus fuit, quasi unus de capreis quæ movantur in silvis.* Et Gadditæ profugientes ad Davidem, *erant viri robustissimi, et pugnatores optimi tenentes clypeum et hastam: facies eorum quasi facies leonis, et veloces quasi capreæ in montibus.* 1. Paralip. 12. 8. Hinc Proverb. 22. 29. dicitur: *Vidisti virum velocem in opere suo? coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles:* reges enim delectantur ministris, qui velociter jussa exequuntur; multo magis Deus. Jeremias c. 4. 13. describens robur et impetum Nabuchodonosoris,

et Chaldæorum invadentium Judæam : *Ecce*, inquit, *quasi nubes ascendit et quasi tempestas currus ejus : velociores aquilis equi illius.* Unde et subdit : *Væ nobis, quia vastati sumus.* Et de iisdem Thren. 4. 19. *Velociores*, ait, *fuerunt persecutores nostri aquilis cœli : super montes persecuti sunt nos.* Et de iisdem ait Habacuc. cap. 1. 8. *Leviores pardis equi ejus, et velociores lupis vespertinis.* Denique Isaias c. 18. 2. *Ite*, ait, *angeli veloces* ite ô Petre, *ad gentem convulsam et dilaceratam*, q. d. Ite ô Apostoli velociter ad Gentes, ad barbaros à dæmone convulsos et vitiis dilaceratos, ut eos liberetis et salvetis. Ita mystice Vatabl., nam alius ejus loci est sensus litteralis, ut ibi dixi.

Et ceciderunt catenæ de manibus ejus.] Quia eas frangendo, vel aperiendo et solvendo excussit angelus. Videtur Petrus solis manibus fuisse vinctus : nam pedum hic nulla fit mentio.

8. Præcingere.] *Propter carceris rigorem*, ait Beda, *ligamenta ad horam laxaverat, ut tunica circa pedes demissa, frigus noctis utcumque temperaret.* Non enim interiorem vestem, v. g. interulam et indusium, exuerat Petrus, ut nudus inter milites jaceret (hoc enim fuisset indecens et inverecundum) sed tantum tunicam extimam : hanc ergo induere, eaque se cingere jubetur. Unde Proclus in encomio vincul. S. Petre : *Ad eximendum*, inquit, *Petro metum, quomodo per dispositas militum custodias pertransiret, tanto angelus illum auxilio et præsidio confirmat, ut otiose palium induere, atque sandalia et laxatam astringere vestem possit.* Orientales enim, quales sunt Judæi, longas gerunt vestes, quas ituri vel operaturi cingunt, quieturi discingunt et solvunt. Ita faciunt Sinæ et Turcæ, qui non nisi tunicis se accingunt, et femoralibus carent. S. Aug. in Ps. 92. distinguit hæc quatuor, cingi, succingi, præcingi, accingi ; ut primum sit operaturi, secundum ituri, tertium ministraturi, quartum pugnaturi : sed præcingi hic et alibi idem est, quod cingi et succingi.

Et calcea te caligas tuas.] ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου, id est, *subliga sandalia tua.* Ita Pagnin et Tigurina. Jam *sandalia* esse tibialia (quæ vulgus Germanorum caligas inferiores vocat) censet Joannes Ferdinandus in Thesauro S. Script. verbo *calceus.* Verum alii passim censent sandalia esse calceos, sive munimenta pedum, non tibiarum vel crurum. Idque ita esse patet Primo, ex verbo *calcea :* calceamus enim pedes calceis, non tibias tibialibus. Secundo, quia veteres Hebræi, Græci et Romani non utebantur tibialibus (imo nec femoralibus, uti dixi Habacuc 2. 15.) sed tibiis et genibus nudis incedebant. Unde Julius Cæsar cum occideretur, *togam manu demisit, ut inferior pars corporis tecta collaberetur*, ait Valerius lib. 4. c. 5. Sic Romæ in columna Trajani, videmus ipsum et milites ejus nudis tibiis exsculptos. Idem de Augusto docet Suetun. in vita ejus c. 82. Sic Plato, ait S. Hieron. in c. 10. S. Matth. *præcepit duas corporis summitates non esse velandas, nec assuefieri debere mollitiei, capitis et pedum.* Idem Spartanis præcepit Lycurgus, et Athenensibus Phocion, ait Plutarch. in eorum vita. Achillem, Ajacem, Craterem, et alios Philosophos nudipedes incessisse, docet Philostratus : idem Christianis suadet Clemens Alexand. l. 2. c. 11. Et ita priscos fecisse docet Lucianus, dum habitum Christiani describens in Philopatro ait : *Pallium patre, sine calceis et tegmine, capite nudo incedens, detonsa coma.* Denique Pompeio fascias tibiales gestanti, causamque ulceris prætendenti. *Favonius inquit : Non refert qua parte corporis sit diadema ;* vocans eum in suspicionem affectati regni, ait ait Valer. lib. 6. cap. 2. Tertio, quia expresse S. Marcus cap. 6. 9. ait *calceatos sandaliis.* Unde Petrus Faber in Agonist. lib. 2. cap. 84. asserit sandalia esse *caligulas, sive galliculas, ut habet Glossarium Græco-latinum : unde nostrum* gallocheS *deductum.* Et Synodus à S. Bonifacio celebrata cap. 209. jubet, *ut unusquisque presbyter Missam ordine Romano cum sandaliis celebret*, id est, cum calceis. Judæi enim sacrificabant nudipedes, uti dixi Exod. 3. et 28.

Quæres hic Primo, cur ergo Noster vertit *caligas ?* Resp. quia caliga olim Latinis significabat calceum. Probatur id Primo, ex Genes. 14. 23. ubi ait Abraham regi Sodomæ : *A filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ* (id est, calcei : hic enim habet corrigiam, non tibiale) *non accipiam ex omnibus quæ tua sunt.*

Secundo, Cajus Imper. à calceo cognominatus est Caligula : *quia natus in exercitu fuerat, cognomentum calceamenti militaris* (à quo milites caligati vocabantur) *id est caligulæ, sortitus est*, ait Aurelius Victor in Caligula. Unde Ausonius in Monostichis :

Cajus, cognomen Caligæ cui castra dederunt.

Hinc et pærœnia, ut de nimis procero et longolio dicatur : *Caliga maximini*, id est, calceus Maximini. *Maximinus enim*, inquit Capitolinus in ejus vita, *quia erat pedum octo et prope semis, calceamentum ejus regium constat pede majus fuisse hominis vestigio atque mensura.*

Tertio, S. Isidorius Hispal. lib. 19. Origin. cap. 34. recensens omnes calceorum species : *Caligæ*, ait, *vel à callo pedum dictæ, vel quia ligantur ; nam socci non ligantur, sed tantum intromittuntur.* Et S. Greg. lib. 1. Dialog. c. 4. ait S. Equitium, cum fœnum secaret, calceatum caligis clavatis : solebant enim calceis affigere clavos, ut fortiores essent, uti etiamnum eos inclavant rustici. Et erudite noster Alphonsus Salmeron hîc : *Caliga*, ait, *à ligando calce, id est, imo pede dicitur, quasi calciliga. Et cum calx à calcando dicatur, et calceus à calce, liquet proproprie caligas non esse tibialia, sed soleas, aut genus calceorum, quod plantas aut calces muniret.*

Quarto, idem patet ex S. Hieron. ad Agerucchiam epist. 11. *Apostoli*, inquit, *toto orbe peregrini, non æs in zona, non virgam in manu, non caligas*, id est, calceos plenos) *habuere in pedibus.* Et S. August. in epist. 1. S. Joannis cap. 5. *Forte*, inquit, *caligis* (id est calceis) *clavatis conteret pedes tuos.* Et Cassian. lib. 1. Instit. cap. 10. *Tantummodo caligis* (id est calceis) *suos muniunt pedes.* S. Benedictus in Regula c. 55. *Indumenta pedum*, inquit, *pedules et caligas : pedules* vocat soleas, quæ plantas pedum muniunt. Fusius idipsum probat noster Julius Nigronius in erudito libello de Caliga, ubi cap. 4. num. 6. docet, caligam, id est calceum militarem, non ascendisse ad mediam usque tibiam, uti nonnulli censent ; sed soleam dumtaxat fuisse plantæ inhærentem, pedis calcaneo alligatam loris, sive habenis, ejusque effigiem in fine libri exhibet. Talis enim visitur in columna Trajani, et arcu Constantini : unde perones, et calcei talares dicebantur, quod talos tegerent.

Quæres Secundo, qua forma fuerint calce

vocati *sandalia?* Putant aliqui fuisse forma communi, ita ut totum pedem tuam superne, quam inferne contegerent. Tales enim fuisse Apostolorum, ut lis per totum orbem inoffenso pede poscent discurrere. Verum alii passim censent, sandalium dumtaxat inferne pedem texisse instar soleæ, quæ superne pedi per ligamina astringebatur : quales modo gestant Capuccini. Tales enim soleas gestasse Christum, docet Clemens lib. 2. cap. 11. Unde etiamnum calcei Apostolici vocantur : talibus enim calceati pinguntur Apostoli in antiquis picturis, etiam in templis Græcorum et Ruthenorum, uti mihi Romæ oculati testes affirmarunt : imo Treviris in templo Cathedrali : à R. D. Præposito ostensum est mihi sandalium S. Andreæ Apost. quod plane formam habebat soleæ. Sic et imago Deiparæ, quæ Romæ extat in basilica S. Mariæ Majoris, picta à S. Luca, puerum Iesum exhibet cum sandaliis, id est soleis, quæ superne per ligacula circumligantur pedi, ita ut Christi pedes et digiti pedum prossur intecti sint et nudi, ut ego ipse accurate sæpe inspexi.

Secundo, ita plane cum sandaliis, id est soleis pingitur Isaias, Ezechiel, aliique Prophetæ in antiquis imaginibus Basiliis Porphyrogeniti Imper. quæ exstant in Vaticano, quas curavi depingi et præfigi Prophetis. Talibus ergo usi videntur Petrus et Apostoli, ex Præcepto Christi Marci, 66. 9. *Calceatos*, inquit, *sandaliis :* nam calceamenta eis vetuit Matth. 10. 10. saltem in Judæa, regione calida et saxis aspera : soleæ enim pedes satis muniebant, ne in saxa impengerent. An vero proficiscentes et discurrentes per orbem, contra frigora, fatigationem, imbres, et cæteras aeris terræque injurias, non mutarint sandalia et soleas in calceos plenos et integros ; merito quis non tantum quærere, sed et suspicari opinarique potest, ac dicere, illud de sandaliis Christi præceptum temporaneum tantum fuisse, pro eo scilicet tempore, quo in Judæa degerent. Ita S. August. et S. Chrysost. in c. 10. S. Matth. Idem. de sandaliis docet Beda qui pro iis vertit *soleas :* imo S. Aug. l. 2. de Consensu Evang. c. 30. *Ita ut pes neque tectus sit*, inquit, *neque nudus.* Idem docent Salmeron, verbis paulo ante citatis, Lyran. Gagneius, Dion. et alii.

Tertio, idem indicat Græcum ὑπόδησαι, id est, *subliga :* non enim calcei integri, sed soleæ dum calceantur, pedi subligantur.

Quarto, idem patet ex imagine antiqua caligæ, id est calcei militaris, Quam exibet noster Nigronius paulo ante citatus. Nam in arcu Constantini, et in columna Trajani milites pinguntur cum solea, ita ut superior pars pedis sit nuda, sed ei solea per corrigiam illigetur, sitque calceus fenestratus.

Mystice Beda : *Jubetur*, ait, *Petrus resumere insigna prædicationis, quæ sunt cingulum et calcei.* Matth. 10. Porro mysticam causam, et significationem duplicem sandaliorum, sive calceorum fenestratorum dat Ivo Carnot. ser. de signific. indum. sacerd. Durandus in Rationali, Alcuinus, Beda, et ex iis Stephanus Durantus lib. 2. de Ritibus Ecclesiæ c. 9. num. 21. Prior est : quia gressus prædicatoris subter debent esse muniti, ne polluantur terrenis, secundum illud, *Excutite pulverem de pedibus vestris ;* et sursum aperti, quatenus ad cognoscenda cœlestia revelentur. Posterior : sicut sandalia partem pedis tegunt partem reliquunt apertam ; sic et Evangelii doctores partim Evangelium operire, partim aperire debent : ita videlicet ut fideles et devotus sufficientem habeat doctrinam ; infidelis vero et contemptor non inveniat blasphemandi materiam.

CIRCUMDA TIBI VESTIMENTUM TUUM,] ἱμάτιον, id est *pallium.* q. d. Tunicæ injice pallium. Hunc habitum S. Petri imitantur Clerici et Religiosi, qui supra tunicam induunt pallium : imo pallium olim erat vestis et insigne Christianorum. Unde proverbium : *A toga ad pallium*, cum quis à gentilismo transisset ad Christianismum. Vide Tert. l. de Pallio.

9. ET NESCIEBAT QUIA VERUM EST.] *Maximæ enim res fiebant, quæ præ timore videntur incredibiles*, ait S. Chrysost. præsertim cum sunt improvisæ, spemque et expectationem superant. Sic Judæorum è Babylone redeuntium tanta fuit felicitas et lætitia, ut Psaltes de iis dicat Psalm. 125. 1. *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati*, hebr. כחולמים *kecholemim*, id est, sicut somniantes. q. d. Tam novus, tam jucundus, tam admirabilis nobis fuit reditus è Babylone, ut is nobis videretur esse somnium, ut eum non reipsa, peragere, sed somniare videremur. Sic cum accepisset Jacob filium Joseph vivere, *quasi de somno evigilans, tamen non credebat eis*, Genes. 45. 26. Idem contigit hic S. Petro. Nam, ut ait Lyran. *Fortitudo carceris, et diligens custodia, fecerant illi imaginationem de impotentia evadendi ; propter quod rem gestam somnium æstimabat.* Addit Carthus. S. Petrum non plene fuisse vigilem, sed semisomnem. Hinc *existimabat se visum videre*, putans per visionem hæc sibi in imaginatione pingi, non revera fieri, sed esse imaginationis ludrica, vel somnii ludibria. Unde et Mariana, æstimabat, ait, se visum videre, id est somniare et ludi in somnio. Plerumque enim somniamus res falsas, fictas, imaginarias, et aliquando impossibiles, ob specierum et phantamatum in somno commixtionem et confusionem. Unde Plato in Cratylo, ψεῦδος, id est *mendacium*, dici putat, quod sit εὕδος, id est *dormientium stupor*. Aliter S. Gregor. lib. 2. Dial. c. 3. et Macarius h. 7. putant hoc visum, vel visionem Petri fuisse exstasin : in eam enim raptum S. Petrum, fuisse in contemplationis culmine. Verum hic sensus mysticus est : prior vero litteralis et genuinus, ut patet ex circumstantiis.

10. TRANSEUNTES AUTEM PRIMAM ET SECUNDAM CUSTODIAM,] militum custodientium Petrum. Unde patet, ab eis visum non fuisse Petrum, eo quod angelus in eos immisisset gravem soporem, vel certe ἀορασίᾳ, id est avidentia, eos percussisset, æque ac Sodomitas. Gen. 19. 11. ut ibi dixi.

VENERUNT AD PORTAM FERREAM, QUÆ DUCIT AD CIVITATEM.] Hinc Arias, Lorinus et alii censent, carcerem hunc fuisse extra civitatem juxta montem Calvariæ : in eum enim conjectos fuisse sceleratiores morte damnatos, vel certo damnandos, ut vicini essent loco supplicii, puta monti Calvariæ. Verum Cajet. Baron. Adrichom. et alii censent, eum fuisse intra civitatem, uti passim carceres sunt in ipsis urbibus ; adeoque in ipso Herodis Regis Palatio : in hoc enim erat porta ferrea, et tres turres munitissimæ, scilicet Hippicus, Phaselus et Mariamne, teste Josepho l. 6. Belli cap. 6. Unde mox ait, *Processerunt vicum*

unum, puta unam civitatis plateam. Porro ait, *Quæ ducit ad civitatem*, scilicet veterem, quæ filia Sion, et vulgo Jerusalem vocabatur. Hæc enim fuit prima civitas, cui deinde adjecta est civitas secunda, in qua erat hoc Palatium Herodis, ex quo per portam ferream ibatur in civitatem primam, sive veterem. Vide tabulas Adrichomii. Sic Romæ qui habitant in urbe trans Tiberim in Burgo, si in aliam urbis partem quæ cis Tiberim est, pergant, dicunt se ire Romam, quia scilicet vetus Roma fuit cis Tiberim, illaque etiamnum ita habitata et celebrata est, ut ea sola ab indigenis Roma nuncupetur : quo fit ut qui in Transtiberina urbis parte habitant, extra urbem habitare videantur, esto habitent juxta Vaticanum et basilicam S. Petri intra muros Romæ.

Quæ ultro aperta est eis,] angelo occulte seris reductis eam aperiente. Festive Arator :

> Ferrea quid mirum si cedunt ostia Petro?
> Quem Deus ætherea custodem deputat aulæ,
> Infernum superare jubet.

Mystice Beda : ferrea porta quæ ducit ad Jerusalem cœlestem, est crux, mortificatio, tribulatio, martyrium, quæ Petri et Apostolorum vestigiis nobis facta est meabilis et pervia, qui sanguine proprio eam reservaverunt : sicut portæ Caspiæ, quæ et ferreæ dicuntur, sunt angustiæ inter Caspios montes et rupes, pene imperviæ, penetrandæ tamen iis qui in Assyriam pergunt, de quibus Statius l. 4. Sylvarum :

> Aut Istrum servare latus, metuendaque portæ
> Limina Caspiacæ.

Hoc est quod ait Christus : *Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem*, Matth. 7. 13.

Ex hoc loco Rupert. l. 14. et Maldonat. c. 20. S. Joannis v. 19. censent, intima ostia carceris fuisse clausa, ac proinde S. Petrum ea vi divina penetrasse, sicut Christus ea penetravit post resurrectionem, quando iis clausis intravit ad discipulos. Ex eo enim quod Lucas ait extimam portam scilicet ferream, fuisse Petro apertam, videtur colligi, intimam carceris portam non fuisse apertam, sed clausam, ideoque à Petro miraculose penetratam.

Verum probabilius videtur contrarium : majus enim fuisset miraculum penetrationis, quam apertionis : quare si hoc expressit Lucas, utique nec illud tacuisset. Rursum Deus non solet facere miracula frustra. Hic autem penetratio frustra fuisset : poterant enim ostia ab angelo aperiri, sicut aperta est porta ferrea. Tertio, penetratio est dos propria corporis gloriosi : unde Christus ut se tale habere ostenderet, clausis ostiis penetravit ad discipulos. Petrus vero adhuc habebat corpus mortale et crassum, non subtile et gloriosum. Denique omnia hæc fiebant per angelum. Angelus autem non potest facere, ut unum corpus penetret aliud; hoc enim proprium est omnipotentiæ et virtuti divinæ. Itaque res hæc sic peracta videtur : angelus assumpsit corpus in stratopedo, id est, in arca Palatii Herodis, ex aere vicino : inde seris occulte reseratis, aperuit ostia carceris, sicque ingressus carcerem, Petrum solvit, eduxitque per ostia jam ante, tam pro suo corpore assumpto quam pro Petri corpore à se aperta. Aperta enim ea fuisse indicat Lucas v. 10. *Transeuntes autem primam et secundam custodiam, venerunt ad portam, venerunt ad portam ferream.* q. d. Transeuntes ostia jam aperta, non sunt visi ab ostiorum custodibus, utpote ab angelo sopitis; sed venerunt ad portam palatii ejusque aræ extimam, puta ferream, quam clausam aperuit angelus, et per eam apertam, extra Palatium Herodis Petrum jam omnino liberum eduxit in civitatem.

Processerunt vicum unum.] Non statim à carcere, nec à Palatio Herodis angelus dimisit Petrum, sed *vicum*, id est, plateam integram, cum deduxit, tum ut eum loco plane securo poneret : nam juxta Palatium Herodis erant excubitores et milites, in quos potuisset Petrus incidere, qui eum in carcerem reduxissent : tum ut Petrus in platea diutius cum angelo deambulando, domosque et Palatia urbis spectando et agnoscendo, ex mentis stupore ad se plane rediret sciretque se non visionem videre, sed reipsa ab angelo liberari et deduci. Porro Hebræi tradunt Jerusalem distributam fuisse in 24. vicos, sive plateas celebriores.

Et continuo discessit Angelus ab eo.] Nimirum disparuit, dimittendo corpus assumptum, illudque in aerem et sua elementa resolvendo. Sicut enim natura et Deus nec desunt in necessariis, nec redundant in superfluis; sic et angeli. Satis erat angelo Petrum in tuto collocasse, sibique restituisse : non ergo ulterius cum eo progreditur, sed quasi officio et legatione sua perfunctus discedit; reliquum Petri industriæ committit. Ita S. Chrys.

11. Et Petrus ad se reversus.] Græce γενόμενος ἐν ἑαυτῷ, id est, *factus in seipso*, quasi qui extra se fuisset, mente à se alienata raptus quasi in exstasin. Mystice Richard. de S. Victore l. 5. de Contempl. cap. 13. Petrus, ait, id est, mens sancta piis exercitiis sublimata, ne superbiat incarceratur ab Herode, id est, à stimulis carnis et concupiscentiæ. Herodes enim hebr. idem est, quod *conceptionem triturans*, vel, *pellis glorians*, ait Pagninus. Hæc suis et aliorum orationibus liberatur ab angelo, vel proprie dicto, vel mystico, puta à verbo Dei, Deique gratia, quam menti immittit Deus, ut humiliata et in se reversa relegat vestigia pristinæ puritatis, orationis et contemplationis. Plura vide apud Innoc. III. et Petrum Blesensem serm. de vinculis S. Petri.

Misit Dominus angelum suum.] Ita invisibiliter fideles suos à periculis et afflictionibus liberat Deus per angelos, quasi suos administros et nostros custodes, ut iis gratissimus, eorumque beneficia celebremus. Id multis exemplis ostendi Exodi 23. 23.

Et de omni expectatione; Syrus *machinatione*, plebis, id est populi Judæorum,] præsertim Scribarum et Pontificum, qui in Petro quasi in capite conabantur exscindere novam Ecclesiam et Christianismum. Hæc enim erat eorum machinatio et exspectatio : hi proinde hic nomine plebis censentur. Sed Deus eorum consilia et spes evertit, ac convertit in majus Ecclesiæ bonum, et majorem Petri gloriam, mittendo angelum è cœlo qui eum liberaret. Ita humanis omnibus præsidiis deficientibus, in extrema necessitate et quasi desperatione suis adest Deus; sicut Davidem è manibus Saulis, Eliseum à latrunculis Syriæ, Danielem è lacu leonum, Ezechiam è manu Sennacherib, Susannam a

falsis testibus et judicibus, etc., miraculose eripuit.

12. CONSIDERANSQUE.] Scilicet Dei hoc per angelum beneficium et miraculum, perrexit ad fideles congregatos in domo Mariæ, ut eos de se suspensos anxietate liberaret, gaudium suum in eos transfunderet, omnesque ad Dei laudem et gratiarum actionem excitaret. Secundo, considerans suum periculum, seque jam ab angelo sibi relictum, ita considerate gressus suos direxit, ut caveret ne rursum in Herodianorum manus incideret, ideoque recta ivit ad domum Mariæ, ut inter suos tutus esset.

Moral. disce hic, sapientis esse, prius considerare suas vias, opera et verba, antequam ea proloquatur, vel exequatur. *Verba*, ait S. Bern., *bis ad limam veniant, quam semel ad linguam.* Hoc est quod monet Sapiens : *Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Dirige semitam pedibus tuis, et omnes viæ tuæ stabilientur.* Proverb. 4. 25. Omnis enim error, omne vitium, omne peccatum oritur ex defectu considerationis. Si enim peccator consideraret circumstantias, effecta, pœnas et damna peccati, utique illud non perpetraret. Unde Prov. 14. 22. dicitur : *Errant qui operantur malum. Errant*, quia non considerant malitiam mali, quod perpetrant Vide S. Thomas 1. 2. q. 77. a. 2. in corpore.

Præclare S. Bern. lib. 1. de Consideratione ad Eugen. c. 7. *Consideratio*, ait, *mentem purificat, regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat. Postremo, divinarum pariter et humanarum rerum scientiam confert. Hæc est quæ confusa determinat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta et fucata explorat. Hæc est, quæ agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat aut incorrectum, aut correctione egens. Hæc est quæ in prosperis adversa præsentit, in adversis quasi non sentit; quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiæ est.*

VENIT AD DOMUM MARIÆ,] in qua erat Ecclesia et cœtus fidelium orantium pro Petro, de qua dixi c. 1. 13.

QUI COGNOMINATUS EST MARCUS.] Alius est Marcus Evangelista, qui comes S. Petri Romæ scripsit Evangelium, inde Alexandrinam fundavit Ecclesiam, ab hoc Johanne Marco, qui fuit socius peregrinationis S. Pauli et Barnabæ, de quo sæpe inferius. Ita S. Basilius lib. 5. contra Eunom. c. ult. S. Hieron. lib. de Script. Ecclesiasticis, Doroth. in Syncpsi, Isidorus lib. de Obitu Sanctorum, et ex iis Baronius. Perperam ergo Origenes, Euthym. Victor Antioch. OEcumen. et alii quos citat Sixtus Senensis l. 3. et 2. Biblioth. censent hos duos esse unum eumdemque, Joannes Marcus ascriptus est catalogo Sanctorum : de eo enim sic legimus in Martyrol. Rom. die 27. Septem. *Bybli in Phœnicia S. Marci Episcopi, qui et Joannes à B. Luca nominatur.*

UBI ERANT CONGREGATI ET ORANTES.] Hinc videtur, quod fideles nocturnas egerint vigilias in oratione : noctu enim liberatus è carcere Petrus ad eos venit, et orantes invenit. Unde hæ primæ sunt fidelium vigiliæ, quas deinde Ecclesia eorum exemplo in festis majoribus olim celebravit, sed tandem ob abusum abolevit : perdurant tamen eæ in officio Ecclesiastico trium nocturnorum quod noctu decantant Cœnobitæ, de quo vide Francolinum Tract. de Horis Canon. cap. 2. Vide et S. Chrysost. hic, et S. Hier. contra Vigilantium vigilias improbantem, quem proinde Dormitantium appellat.

13. PULSANTE AUTEM EO OSTIUM JANUÆ.] Græcum πυλῶνος, et *januæ* et *vestibuli* cum Syro et Pagnino verti potest. Domus enim majores, uti palatia, solent in ingressu habere vestibula et atria quas suas habent januas, sive portas majores, per quas primus fit in domum ingressus puta in vestibulum, et inde in domum.

PROCESSIT PUELLA,] παιδίσκη et *puellam* significat, quasi femininum à παῖς, id est *puer*, et *ancillam*, uti vertit Chrysost. et Pagnin. ostiariæ enim esse solent ancillæ. Noster autem Interpres, æque ac Syrus, *puellam* vertentes, subindicant non fuisse ancillam, sed honestam, forte filiam, vel neptem domus. Unde et nomen ejus exprimit Lucas, quod vocata sit *Rhode* : illa ergo vel ex curiositate vel instinctu divinitus, anne forte esset Petrus pro quo fiebat communis in domo oratio, præsertim quia is noctu veniebat et pulsabat, processit ad videndum quis pulsaret.

AD AUDIENDUM.] Ita Roman. idque significat Græcum ὑπακοῦσαι, aliqui tamen codices legunt, *ad videndum*, id est, ad audiendum; visus enim pro quovis sensu sumitur, ut alibi dixi : Nec enim noctu pulsanti aperiri solent fores, ut videatur quis sit, sed interrogari quis pulset, ut ex voce audiatur an amicus sit, an inimicus.

NOMINE RHODE.] *Rhode* Hebr. idem est quod *visio fortitudinis*, ait Glossa. Verius est *Rhode* esse nomen Græcum, et *rosam* significare. Sic enim Rhodus insula ita dicta est à rosa, vel quod rosæ speciem referat, vel quod amœna rosis abundet. Unde et soli sacra fuit, ait Diod. l. 6. qui puellam nomine Rhodiam, sive Rhodem amans, ab ea Rhodum nominavit. Nam ut scribit Solinus, nunquam ita cœlum nubilum est, ut in sole Rhodus non sit. Aut quod capulo rosæ illic invento sit ædificata, ait Strabo. Licet Pagn. ex Nicia, Rhodum dictam putet à ῥοὸς, id est, fluxu vertentis pelagi, quod antequam insula appareret, multus ibi pelagi fluxus volveretur. Porro rosa est flos florum, quia purpura punicat, candore nitet, et flammeo colore rutilat. Quare si quis omnibus laudibus sit cumulatus, *rosa* nuncupatur. Unde S. Hieron. lib. 2. ep. 15. de puella laudatissima : *Universa*, inquit, *propinquitas rosam ex se natam gaudeat.*

Talis fuit hæc Rhode, de qua sic scribit Helecas Episcopus Cæsaraugust. in Addit. ad Chronicon Lucii Dextri et M. Maximi, quod nuper inventum et editum est : *Rhode, quæ Rosulia dicta est, in persecutione Trajani (ut idem refert Maximus super Acta) passa est pro fide, cum aliis Martyribus in Sardinia.*

Similis ei et nomine et martyrio fuit S. Rosula, quæ cum S. Cypriano Episcopo Carthagin. sub Valer. Imp. gloriosum obiit martyrium die 14. Septemb. ut habet Roman. Martyrol. Et S. Rosa virgo Franciscana, quæ velut rosa inter spinas resplenduit virginitate, virtutibus et miraculis, migravitque ad Dominum anno Christi 1254. Viterbii prope Romam, ubi etiamnum ejus virgineum corpus non tantum integrum, sed et flexile (quod proinde vestiri se sinit) ostenditur, quæ proinde in Martyr. Romano Sanctis asscripta legitur die 4. Septembr. Rosa enim suo odore et colore roseo, typus est virginis et virginitatis. Hæc quippe inter cæteros hominum status est, quod rosa inter flores, nimirum *florum pyropus,*

hortorum purpura, odorum sapphirus, Aprilis oculus, veris phœnix, naturæ pompa, ut ait Orator. Et Symposius Poeta hoc dat ænigma rosæ :

Purpura sum terræ pulchro perfusa rubore,
Septaque ne violer, telis defendor acutis.
O felix, longo si possim vivere fato !

Est ergo rosa virgo, nimirum

Virgineus roseo cernitur ore pudor.

Sappho apud Achillem Tatium, l. 2. de Leucippe, *rosam* indigitat *florum reginam, terræ ornamentum, plantarum decus, oculum florum, prati ruborem, pulchritudinem coruscantem, terræ risum.*

Quocirca S. Dorothea virgo martyrium obiens in hiemis rigore, puta 6. Februarii, misit ad Theophilum rosas, quibus quasi rhododaphne, id est rosario, sive rosacea corona coronanda erat ejus virginitas à sponso Christo in Paradiso, uti habet ejus Vita.

Et S. Ludovicus primogenitus Caroli II. Siciliæ regis, ideoque nepos S. Ludovici Regis Franciæ, spreto regno Ordinem S. Francisci amplexus, indeque à Bonifacio VIII. creatus Episcopus Tolosanus, moriens visus est rosam ex ore emittere ob meritum virginitatis, quæ tanta in eo fuit, ut nec matrem osculari, nec feminam in vultu aspicere unquam voluerit, ut habet ejus Vita 19. August. apud Ribadaneiram.

Et S. Joscio, vel Josbertus, monachus S. Bertini, moriens anno Domini 1161. quinque rosas è vultu emisit, unam ex ore cui inscriptum erat nomen B. Virginis Mariæ, eo quod vivens quotidie rosarium quinque psalmorum inchoantium à litteris nominis Maria, in honorem ejusdem recitaret, uti habent Annales ejus monasterii, quos ibidem vidi, et ex iis asserunt S. Antonin. Thomas Cantiprat. et Joannes Molanus in Sanctis Belgii die 30. Novemb. Ipsa enim est *rosa mystica*, ut canit Ecclesia in Litaniis, et ut ait S. Bern. in deprecatione ad B. Virginem, pag. 64. *Ipsa est viola humilitatis, lilium castitatis, rosa charitatis.* Ergo

Necte rosas generosa,
Plecte flores, Virgo rosa,
Rosarum pulcherrima.

14. PRÆ GAUDIO NON APERUIT JANUAM, SED INTRO CURRENS NUNTIAVIT.] Primo, ut mœrentes et mœrore pene absorptos ob carcerem Petri, ejus liberati nuntio exhilaret, et quasi ad vitam revocaret. Secundo, ut omnes obviam Petro procederent reverentiæ causa, illi liberationem tam inexpectatam gratulaturi; simulque ut suæ verecundiæ virginali, quam nomine præferebat, consuleret. Nam ut ait S. Hieron. ad Rusticum : *Ostendam tibi variorum pulchritudinem florum, quid in se lilia habeant puritatis, quid rosa verecundiæ possideat, quid violæ purpura promittat in regno.* Idem ad Salvinam, ejus filiolam vocat *rosarum et liliorum calathum, eboris ostrique commercium.*

INSANIS,] deliras, Syrus, *perterrita, perculsa es*, scilicet ex imaginatione vehementi, qua putas te vidisse spectrum, vel umbram Petri : terror enim facit hominem emotæ mentis, indeque delirum et insanum.

ANGELUS EJUS EST.] Hinc liquet communem tum fidelium opinionem fuisse, quod quilibet à Deo haberet sibi deputatum angelum Custodem, uti ex hoc loco evincit S. Chrysostom. hom. de Ascensione, quod Nota contra hæreticos nostri temporis, qui id negant, ac perperam pro angelo accipiunt nuntium à Petro missum. Unde et Isidorus Clarius vertit *nuntium*. Aut per *angelum* impertinenter et contorte accipiunt visionem angelicam Petro, vel aliis de Petro factam. Ita Beza, qui visionem hanc ex suo cerebro effingit, cum nullum ejus hic sit indicium, quid enim hæc visio facit ad hanc Historiam? Æque insulse Calvinus lib. 1. Instit. c. 14. num. 7. respondet, hunc angelum fuisse datum custodem Petro tempore carceris duntaxat, non per omnem vitam. Sed unde hoc tam audacter asseveras, imo fingis, Calvine? Unde fideles sciebant ei in carcere duntaxat, à Deo destinatum esse angelum? Quis eum viderat? cui Petrus cum ostenderat, vel revelarat? Tu nihil admittis, nec credendum censes nisi in S. Scriptur. expressum, ubi hoc scriptum vel expressum legisti?

Nota hic, angelos subinde induere speciem et personam suorum clientum, similiumve hominum, ut eorum res curent et negotia peragant. Sic Raphael comes, imo dux Tobiæ, induit speciem Azariæ : *Ego sum*, ait, *Azarias Ananiæ magni filius*, c. 5. 18. Sic cum tribus pueris in fornacem Babyloniam descendit angelus *similis filio Dei*, puta Christo, qui eos ab igne illæsos servavit, Daniel 3. 92.

Celebre est in Annalibus Hispanorum miraculum Paschalis Vivas, qui Mauros in prælio visus est profligare, cum tamen ipse prælio non interesset, sed sacrificio Missæ, nimirum angelus ejus personam suscepit, et ejus vice pugnavit ac vicit. Ita audiente te devote sacrum, angelus negotia tua geret, melius quam tu.

Simile est in Chronicis Fratrum Minorum l. 1. c. 57. de F. Joanne Parmensi, qui cum generalatu Ordinis contemplativæ vitæ studio se abdicasset, Religiosum sui Ordinis habebat Missæ administrum. Contigit eum tempore Missæ obdormiscere : quare angelus ejus specie et habitu Missæ ministravit. Sic quando defuncti vivis apparent, crebro id fit per angelos, qui defunctorum formam assumunt, uti docet S. Aug. l. 1. de Cura pro mortuis, et noster Thyræus l. 1. de Spirit. apparit. c. 12.

Sic S. Placidus cum mergeretur aquis, vidit S. Benedictum (qui absens miserat S. Maurum ad Placidum liberandum) astantem, seque ex aquis educentem, teste S. Gregor. lib. 2. Dialog. c. 7.

Sic S. Nicolaus absens apparuit nautis se invocantibus in tempestate, eamque sedavit, ut habet ejus Vita. Idem in somnis apparuit Constantino Magno, jussitque ut tres viros injuste incarceratos dimitteret.

Sic S. Antonius de Padua existens in Italia, visus est in Lusitania patrem suum calumnia et morte liberans.

Sic S. Franciscus absens apparuit fratribus in curru igneo. Hæc enim omnia facta sunt per angelos, qui simulacrum, et speciem Sanctorum dictorum efformarunt, aliisque repræsentarunt, uti docet Thyræus l. 2. c. 10. præsertim quia ipsi qui exhibentur, plerumque se exhiberi ignorant. Unde liquet, eos non replicari, nec animam è corpore egredi, ut alibi appareat, uti nonnulli putarunt.

Sic nostro ævo S. Ignatius, fundator Societatis nostræ, Romæ existens, apparuit Coloniæ R. P.

Leonardo Kesselio, qui Sociorum erat Superior.

Sic S. Franciscus Xaverius in navi existens, apparuit in scapha vi tempestatis à navi avulsa, eamque cum vectoribus ad navim reduxit, utique per angelum. Ita habet Vita et processa Canonizationis eorumdem. Memorabile est exemplum apud Johannem Moscum in Prato Spirituali cap. 207. de puella Alexandrina, quæ cum sua in pauperes erogasset, indeque depauperata, ex fornicatione victum quærere cogeretur, tandem facti pœnitens, baptismumque poscens, cum nemo ejus vellet esse patrinus et sponsor, angeli aulicorum quorumdam formam assumentes, sponsores se pro ea præbuerunt.

Simile est in vita S. Stephani primi regis Hungarorum. Cum enim Conradus Imp. ei bellum moveret, jamque exercitus procederet, angeli nuntiorum specie litteras detulerunt, quasi à Conrado scriptas, quibus jubebat suos pedem retro referre, domumque redire.

Similia sunt in vita S. Vinceslai Principis Boemiæ, apud Dubravium l. 4. et 5. Hist. Boemicæ. Hæc angelorum sunt erga fideles et Sanctos officia et beneficia.

17. Ut tacerent.] *Tacere jubet*, ait Glossa, *ne clamore gaudentium adventus ejus in civitate agnoscatur.*

Nuntiate Jacobo,] Minori (nam Major jam erat occisus v. 1.) qui erat Episcopus Hierosolymorum. Unde videtur, quod cæteri Apostoli jam abierant in suas provincias, uti dixi initio capitis : alioqui enim eis pariter suam liberationem nuntiari jussisset Petrus.

Egressus abiit in alium locum.] Nimirum Cæsaream, Sidonem, Berythum, Tripolim, Aradum, Antaradum, Antiochiam : inde Galatiam, Cappadociam, Pontum, Asiam, Bithyniam, ubique evangelizans, confirmans fideles, et instituens Episcopos, ac tandem iis peragratis hoc eodem anno pervenit Romam, uti ex S. Hieron. lib. de Script. Eccles. et S. Leone serm. 1. de Apostol. Petro et Paulo, docet Baronius. Hic enim annus est septimus ab initio cathedræ Antiochenæ : in ea enim sedit septem annos, post quos eam transtulit Romam, uti habet communis Doctorum sententia. Hoc ergo anno Petrus primus ex Apostolis adiit Romam, Imperii orbisque caput, ut ibi pariter Ecclesiæ caput statueret, eique orbem, conversis Romanis principibus, subjugaret. Quare minus verum videtur, quod Simeon Metaphrastes in vita S. Barnabæ tradit, eum primum omnium Evangelium Romæ prædicasse. Unde et S. Clemens initio l. Recogn. testatur se S. Barnabam Romæ prædicantem audivisse, et ab eo deductum Cæsaream ad S. Petrum. Verum hic liber multa fabulosa continet, nec est Clementis, vel certe ab Ebione (hic enim teste Epiphan. hæresi 30. scripta Clementis corrupit) corruptus, ideoque à Gelasio inter Apocryphos est rejectus.

Porro Deum jussisse S. Petro ut Romam se conferret, docet S. Marcellus. Pontif. epist. ad Antiochen. et S. Leo serm. 1. de S. Petro et Paulo ac S. Athanas. Apol. profuga, S. Ambros. orat. contra Auxent. S. Maximus serm. 1. de S. Petro et Paulo. Hoc autem fuit urbis Romanæ Episcopatum ad summum orbis terræ Pontificatum evehere, atque certo in loco, qui ad orbem regendum commodior esset, collocare, non autem majori minorem Episcopatum adjungere. Denique S. Petrus Romæ divertit in domum Prudentis Senatoris Romani, eumque cum filiis Timotheo et Novato, ac filiabus Prudentia et Praxede, ad Christum convertit, uti habent eorum Acta. Unde domum ejus in Ecclesiam (quæ prima fuit Romæ) consecravit, quæ postea dicta est Titulus Pastoris, ubi etiamnum Altare in quo S. Petrus celebravit, ostenditur. Sedere ergo cœpit Petrus Romæ anno 2. Claudii finiente, qui fuit Christi 45. seditque per annos 25. scilicet usque ad 13. Neronis, Christi 69. quo à Nerone cum S. Paulo martyrio est coronatus. Insuper sanctum Petrum secum felicitatem reipubl. Romam induxisse, docet Paulus Orosius l. 7. c. 6. nam eo urbem ingresso cessarunt intestini tumultus, invecti à crudelitate Caii Caligulæ. Claudius enim ei succedens indixit omnibus ἀμνησίαν, et injuriarum oblivionem. Rursum Deus compressit Furium Camillum Legatum Dalmatiæ, eum per milites occidendo, ne tyrannice invaderet imperium. Adhæc Britanniam Claudio subjecit sine prælio et sanguine, intra paucissimos dies. Plura habet Dio l. 60. Verum cum idem Claudius anno regni sui 9. Christianos cum Judæis urbe expulit, mox fames urbem invasit, ut populus in Claudium insurrexerit, qui furorem populi per posticum fugiens, ægre evasit in palatium, ac paulo post 35. Senatores et trecentos equites Romanos minimis causis interfecit: ipse autem manifestis veneni signis est mortuus. Hæc Orosius.

18. Quidnam factum esset de Petro.] Græce τί ἄρα ὁ Πέτρος ἔλενετο, id est, *quid tandem Petrus factus esset;* Tigur. *quonam devenisset Petrus*, an vi magica, vel divina è carcere evasisset, vel in avem, spiritum, aliamve rem esset conversus; vel alio raptus. Incertum est an angelus aperiens januas carceris, et portam ferream Palatii Herodis, eas educto Petro post se clauserit, an vero apertas reliquerit; ut ut fuerit, utrimque ingens erat prodigium. Chrys. hom. in Matth. sentit omnia clausa fuisse, et duorum militum, qui cum Petro dormiebant, manus eadem catena, qua cum illo constricti fuerant, colligatas mansisse.

19. Inquisitione facta de custodibus.] Græce ἀνακρίνας τους φύλακας : ἀνακρίνειν multa significat, scilicet *inquirere, examinare, torturæ admovere :* item *judicare et condemnare.* Unde Syrus vertit, *condemnavit custodes.*

Jussit eos duci,] in carcerem, ait Rabanus, aut Cæsaream, quod Herodes erat venturus : ubi paulo post occiso Herode, custodes dimissi sunt, ait Cajetan. Deo ita animum Herodis emolliente, ne Petri solutio alicui noceret, aut custodibus necis esset causa. Melius S. Chrys. *jussit eos duci*, scilicet ad supplicium. Unde Syrus, *jussit eos necari.* Petrus Alexandr. can. 13. apud Theodor. Balsalmonem tradit eos suffocatos, sive strangulatos fuisse.

Descendensque a Judæa in Cæsaream.] Quæ prius *Stratonis turris* dicta est : ubi solemnes ludos celebravit Herodes Agrippa pro salute Cæsaris, ad quam magna multitudo Nobilium et procerum ex tota provincia convenerat, ait Josephus l. 19. Antiq. c. 8. Simul ut se vindicaret de Tyriis et Sidoniis, ut sequitur.

20. Iratus,] θυμομαχῶν, q. d. *Animo moliens bellum;* Tigur. *bellum animo agitabat in Tyrios;* alii, *pugnacem et infensum gerens animum.* Causa iræ Herodis nos latet. Baron. suspicatur fuisse,

quod Sidonii Petrum è carcere elapsum suscepisset, ab eoque facti Christiani, Episcopum ab eo accepissent. Verum id aliis minus placet.

BLASTO, QUI ERAT SUPER CUBICULUM REGIS.] Puta præfectus cubiculi, primus regis cubicularius, ideoque ipsi familiarissimus.

EO QUOD ALERENTUR REGIONES EORUM AB ILLO.] Græce ἀπὸ της βασιλικῆς, scilicet, χώρας, uti præcessit, id est, *ex regione*, vel *ditione regis* Herodis. Ita Syrus. Ex Judæa ergo subministrabatur eis frumentum omnisque annona. Pacem ergo petunt, ne hanc frumenti exportationem prohibeat Herodes, itaque eos fame conficiat.

21. STATUTO AUTEM DIE.] Syrus, *die percelebri*. Erat enim dies secundus ludorum pro Cæsaris salute, ait Josephus loco jam citato. Ille ergo die Herodes in magnificentia regia sedit pro tribunali, ut Tyriorum et Sidoniorum causam et postulationem, aut potius satisfactionem et submissionem cognosceret, deque iis ad libitum statueret. Unde et concionabatur ad eos, scilicet Tyrios et Sidonios, uti præcessit. Ita Lyran.

VESTITUS VESTE REGIA.] *Vestis regia;* complectitur purpuram, sceptrum et coronam; hisce induti judicabant: hæc enim regni, æque ac judiciariæ potestatis sunt symbola. Unde et Josephus lib. 17. Antiq. c. 11. de Herode ad sepulchrum elato sic scribit: *Eratque ipse mortuus circumamictus purpureis vestimentis, caput ejus diademate coronatum, sceptrum quoque in manu ejus, velut si à vivo teneretur, erat appositum.* Porro Agrippæ vestis ex argento erat, mirabili opere contexta, ait Joseph. quæ radiis solis percussa divinum fulgorem emittebat. Gestabat ergo purpuram, coronam auream in capite, et sceptrum, quæ sunt regum insignia, eaque supra modum splendida. Quare modum et modestiam vestitus excessit superbus Herodes, ansamque dedit Tyriis et Sidoniis supplicibus, adulantibus ei, acclamandi dandique divinos honores. Ita Isidor. Pelusiota lib. 1. epist. 74. Quocirca sapienter Justinus Imp. moriens Tiberium successorem monuit, dicens: *Ne te in errorem ducat vestis splendor, neque illustris ornatus illarum rerum quæ sub aspectum cadunt, te decipiat, quibus ipse in fraudem impulsus, meipsum gravissimis suppliciis obnoxium reddidi. Non elevet te habitus, sicut me. Ecce Deus qui benefecit tibi: hunc habitum dedit tibi, non ego. Honora illum ut tu quoque honoreris ab eo.* Testis est Evag. lib. 5. c. 13. Æque sapienter S. Bernard lib. 2. de Consider. ad Eugenium cap. 12. eum monens, ne ex monacho factus Pontifex, in tanto culmine sibi applaudat: *Magnus*, ait, *cui præsens felicitas si arrisit, non irrisit. Hæc enim incautis ad disciplinam relaxandam est, quod ignis ad ceram, quod solis radius ad nivem vel glaciem.*

22. POPULUS AUTEM ACCLAMABAT: DEI VOCES, ET NON HOMINIS.] q. d. Agrippæ regis vestium fulgor, et orationis majestas ita nos perstringit, ut videamur Deum videre et audire, non hominem. Acclamatio hæc orta à Tyriis et Sidoniis, qui gratiam Herodis aucupabantur, proserpsit ad reliquum Cæsariensium populum. Vide hic quantum malum sit adulatio, quæ ex rege facit Deum, ideoque ex homine cadaver: ipsa enim regem occidit. Frequens hoc malum in aulis principum: unde aulator est adulator, sed et κόλαξ est κόραξ, id est, adulator est corvus; effodiens oculos eorum quibus adulatur. Præclare Curtius l. 8. *Perniciosa adulatio perpetuum regum malum est, quorum opes assentatio sæpius, quam hostis evertit.*

23. CONFESTIM (Syrus, *eadem hora*) AUTEM PERCUSSIT EUM ANGELUS DOMINI,) zelotes et vindex honoris divini, qui hic à Deo abreptus, sacrilege dabatur Herodi. Unde videtur fuisse angelus hic bonus, licet noster Lorinus censeat fuisse malum, et dæmonem.

PERCUSSIT.] Id est, plaga lethali illum feriit. Plaga hæc fuit dolor viscerum et tormina, ait Josephus: item corporis putrefactio et fœtor; inde enim vermes ebullierunt. Sic avus ejus Herodes Ascalonita infanticida, qui sanctos innocentes occidit à pediculis consumptus interiit. Addit Josephus, bubonem visum fuisse super caput Herodis, quasi calamitatis nuntium, uti ei olim Romæ prædixerat Germanus quidam, teste eodem Josepho l. 18. c. 3. OEcum. vero pro bubone angelum fuisse visum scribit.

EO QUOD NON DEDISSET HONOREM DEO.] Id est, eo quod non defendisset honorem Dei; sed eum sibi arrogasset, consentiendo insanæ assentationi et acclamationi populi. Narrat hanc Herodis punitionem S. Lucas occasione occisionis S. Jacobi, et incarcerationis S. Petro: hæc enim duo ejus immania in Christum et Ecclesiam scelera meruerunt ejus exæcationem, et prolapsum in hanc idololatriam, ob quam à Deo, sui honoris et divinitatis justo zelote et vindice punitus est morte, ut appareret esse mortalis, imo mortuus, qui concupierat esse Deus.

Sic Lucifer ambiens divinos honores, ex primo angelo factus est teterrimus cacodæmon. Sic Alexander Magnus occisus est à suis, quod vellet ab eis adorari ut Deus, uti Hermolaus quidam è conjuratis ei exprobrat apud Curtium l. 8. Sic Nabuchodonosor, qui in statua aurea à se erecta, Daniel. 3. adorari voluit, à Deo mutatus est in bestiam, Daniel. 4. 28. Sic Antiochus Epiphanes qui ex fastu Deum terrestrem se putabat, percussus dolore viscerum et à vermibus corrosus, æque ut hic Herodes, interiit 2. Machab. 9. 12. Quare omnes hi fuerunt typi Antichristi, qui sedebit in templo, voletque adorari ut Deus, ideoque à Deo adigetur in tartara, Apoc. 13.

Nota, Peccavit Herodes tacendo: sic enim tacite assensus est blasphemæ acclamationi: debebat enim Dei honorem tutari, ideoque eum à se amoliri, populumque graviter reprehendere, quod Deo hanc tam insignem injuriam intulisset, uti fecerunt S. Paulus et Barnabas, quos Lycaonii adorare volebant, hunc ut Jovem, illum ut Mercurium, *Scissis* enim *tunicis suis exilierunt in turbas, clamantes et dicentes: Viri, quid hæc facitis? et nos mortales sumus, similes vobis homines*, Actor. 14. 13. Tali enim casu verum est istud: *Qui tacet, consentire videtur*: præsertim si sit Superior, aut vir sapientia et auctoritate pollens.

ET CONSUMPTUS A VERMIBUS (græce, *factus esca vermium*) EXPIRAVIT.] Sic superbos dejicit sideratque Deus. Juste Herodes volens esse Deus, fit esca vermium, ut humiliatus se non tantum mortalem, sed et putidum discat, dicatque illud Jobi cap. 17. 14. *Putredini dixi: Pater meus es: mater mea et soror mea, vermibus.* Per *vermes* accipe pediculos qui è corpore putido et fœtido per singula membra ebulliunt, de quo morbo vide Galenum lib. de Compos. medic. secundum

loca c. 7. Addit S. Chrys. hom. 26. in ep. ad Heb. quod *erepuit et effusa sunt viscera ejus.*

Hac phthiriasi, id est morbo pediculari et vermium morte punire solet Deus blasphemos, hagiomachos, fidelium persecutores; sed maxime divinitatis appetitores, uti Antiochum Epiphanem, Herodem infanticidam, de quibus paulo ante dixi, Hunnericum regem Arrianum persequentem Orthodoxos, de quo Victor Uticens. lib. 3. Wand. Histor. eodem modo periit Pherecydes Pythagoræ præceptor, atheus et omnis numinis contemptor, de quo ex Aristot. Plutarcho, Æliano et Plinio Rhodiginus l. 19. c. 30. et Maximianus, in imperio et persecutione socius Diocletiani, de quo Eusebius lib. 8. cap. 28. et Julianus Apostata, de quo Zozomenus lib. 5. c. 7. et blasphemus Nestorius, teste Nicephoro lib. 14. c. 36. et impius Calvinus, teste Bolseco in ejus Vita. Præclare Drogo Cardinalis tract. de Sacramento Domin. passion. tom. 2. Biblioth. SS. Patrum : *Quid veste*, inquit, *nitida gloriaris? subter te sternetur tinea, et operimentum tuum vermis est. Hæc tua vestis est. Illuserunt tibi, qui chlamyde coccinea circumdederunt. Sic Antiochus et Herodes duo, alienis vestibus depositis, in suis vestibus expirarunt.*

Denique Historiam mortis hujus Herodis graphice describit Josephus l. 19. c. 8. ubi tamen in honorem suæ gentis et regis, eam emollit, et parum fideliter æquanimitatem Herodis commendat : ac tacet ejus vermes, solumque tormina, quæ nimirum vermes erodentes viscera causabant, commemorat. Sic enim ait : *Jamque tertium Judææ totius regni annum exegerat* (Herodes) *cum pervenit in urbem Cæsaream, quæ prius Stratonis turris dicta fuit : ubi solemnes ludos celebravit pro salute Cæsaris; ad quam festivitatem magna multitudo Nobilium, ac procerum convenerat ex tota provincia. Ejus celebritatis die secunda processit mane in theatrum, amictus veste tota ex argento mirabili opere contexta, quæ radiis exorientis solis percussa, et mirandum quemdam fulgorem emittens, venerationem cum horrore incutiebat spectantibus. Moxque adulatores alius aliunde acclamantes, Deum consalutabant, rogantes ut faveret propitius, hactenus enim ut hominem reveritos, nunc agnoscere et fateri in eo quiddam mortali natura excellentius. Hanc impiam adulationem ille nec castigavit, nec repulit : pauloque post suspiciens vidit supra caput suum bubonem, funi extento insidentem : moxque ut sensit hunc esse calamitatis nuntium, qui olim felicitatis fuerat, ex intimis præcordiis indoluit. Secuta sunt ventris tormina statim à principio vehementia. Conversis igitur in amicos oculis : En ait, ego ille vestra appellatione Deus, vitam relinquere jubeor, fatali necessitate coarguente vestrum mendacium, et quem immortalem salutastis ad mortem rapior. Sed ferenda est voluntas cœlestis Numinis : neque enim male viximus, imo tanta felicitate, ut omnes me beatum prædicarent. Hæc locutus crescente dolore discruciabatur. Propere igitur relato in regiam rumor sparsus est breri esse moriturum. Quamobrem confestim totus populus una cum uxoribus atque liberis saccum indutus, more patrio supplicabat Deo pro salute regis, omnia miscens lamentis et ejulatibus. Rex autem in celsiore decumbens cubiculo, et in faciem stratos humi prospiciens, ne ipse quidem temperabat sibi à lacrymis. Cruciatu deinde per continuos quinque dies nihil se remittente, confectus vitam finiit, annum natus quartum supra quinquagesimum postquam regnasset per septennium. Quatuor enim annos sub Caio Cæsare obtinuit regnum, primum in Philippi tetrarchiu per triennium, cui quarto demum anno accessit et Herodis tetrarchia : tribus deinde annis sub Claudio Cæsare, præter jam dictam ditionem, in Judæa quoque regnavit : et Samaria simulque Cæsarea.*

Subdit deinde huic Herodi in regno successisse filium, scilicet Herodem Agrippam juniorem, annorum 17. coram quo Paulus captus causam suam egit c. 25. 22. in quo Herodis Ascalonitæ stirps desiit, æque ac reges regnumque Judææ, eversum à Tito et Vespasiano : insuper eum superstites reliquisse tres filias, Mariammem, Berenicem, quæ nupsit Felici præsidi, et Drusillam, quarum mentionem facit Lucas cap. 24. 24. et 25. 13. Addit Josephus Cæsarienses et Sebastenos mortuum Herodem conviciis impetivisse, æque ac viventem, præsentem et videntem impeterant in publica comœdia Alexandrini : in qua iisdem ludibriis eum affecerunt, quibus Judæi, quorum rex erat Herodes, paulo ante affecerant Christum præponentes ei Barabbam, coronantes spinis, vestientes chlamyde purpurea, et irrisorie regem Judæorum salutantes. Insanum enim quemdam, nomine Carabbam (Baron. suspicatur legendum *Barabbam*) qui Herodis personam referret, in theatrum induxerunt, cujus capiti diadema imposuerunt papyraceum, pro paludamento induerunt storea, pro sceptro frustum arundinis in manum dederunt. Marim, id est dominum, eum acclamantes, uti narrat Philo in Flaccum cap. 31. Ita Deus justo suo judicio, Agrippæ et Judæis talionem irrisi Christi reddidit.

24. VERBUM AUTEM DOMINI CRESCEBAT.] q. d. Persecutione Herodis Agrippæ adeo non decrevit, ut vehementer creverit Christianorum numerus et virtus, præsertim ubi viderunt persecutorem à Deo punitum, et à vermibus consumptum. Recte S. Nilus hom. 2. de Christi ascensione Ecclesiam comparat viti, quæ quo diligentius putatur, eo fit feracior. *Succidebantur*, ait, *Ecclesiæ palmites, et fidei fructus augescebat, et florem non marescentem proferebat : E radice enim illa hi palmites nati sunt, quæ verissime dixit : Ego vici mundum. Ego sum vitis, vos palmites. Stephanus tanquam ramus excidebatur, et alius Martyrum palmes pullulabat. Jacobus et Petrus resecabantur, et alius rursum Martyr exoriebatur : et hoc resecto, alius rursum multifer palmes è radice hac emittebatur. Vindemiabatur Paulus, et alius martyrii racemus maturescens Thomas apparebat : et undique radix vindemiata, copiam uberiorem, præ eo quod isti vindemiarant, ac germen durabilius efferebat. Et quidem isti excisores brevi marcescentes exterminati sunt : hæc vero semper gravata fructibus, terræ fines suis germinibus complexa est.* Præclare Tertull. Apologet. c. 27. *Et illos dæmones*, ait, *nunquam magis detriumphamus, quam cum pro fidei obstinatione damnamur.* Et cap. ult. *Plures efficimur, quoties metimur à vobis. Semen est sanguis Christianorum.* Ita crescebant Hebræi persecutione Ægyptiorum, *quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur.* Exodi 1. Unde S. Chrysost. homil. 40. in Juventium et Maximinum Martyres : *Sicut plantæ irrigatæ*, inquit, *magis crescunt, ita et fides nostra oppugnata magis floret, et vexata plus exuberat : neque ita hortos aquarum irriga-*

tio reddere fœcundos solet, ut Martyrum sanguis irrigare natus est Ecclesias. Et S. Leo serm. 1. in natali S. Petri et Pauli : *Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur. Et semper Dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.* Idem à pari, vel suppari, fit in quovis fideli. Hic enim in tentatione et adversitate, virtute et viribus crescit, instar palmæ.

25. Barnabas autem et Saulus reversi sunt ab Hierosolymis.] *Reversi*, scilicet Antiochiam, ut habet Syrus, unde missi fuerant, ut eleemosynam deferrent Hierosolymitis pauperibus et fame laborantibus, uti dictum est c. 11. 28.

Assumpto Joanne, qui cognominatus est Marcus.] Hinc colligit Salmeron, Saulum et Barnabam latuisse in domo hujus Johannis Marci eo tempore, quo Herodes plexuit Jacobum, et incarceravit Petrum. Unde veniens è carcere Petrus eosdem ibi reperit.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Saulus et Barnabas jussu Spiritus S. mittuntur ut Evangelizent Gentibus : in Cypro Saulus convertit Sergium Paulum proconsulem, et Elymam magum excæcat. Inde Antiochiæ Pisidiæ in Synagoga concionatur Paulus, sed per Judæos expulsus, excusso pulvere pedum cum Barnaba pergit Iconium.

1. Erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ et doctores in quibus Barnabas et Simon, qui vocabatur Niger, et Lucius Cyrenensis, et Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, et Saulus. 2. Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus : Segregate mihi Saulum et Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos. 3. Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. 4. Et ipsi quidem missi à Spiritu sancto abierunt Seleuciam, et inde navigaverunt Cyprum. 5. Et cum venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei in Synagogis Judæorum. Habebant autem et Joannem in ministerio. 6. Et cum perambulassent universam insulam usque Paphum, invenerunt quemdam virum magum pseudoprophetam, Judæum, cui nomen erat Barjesu, 7. qui erat cum proconsule Sergio Paulo viro prudente. Hic, accersitis Barnaba et Saulo, desiderabat audire verbum Dei. 8. Resistebat autem illis Elymas magus, (sic enim interpretatur nomen ejus) quærens avertere proconsulem à fide. 9. Saulus autem, qui et Paulus, repletus Spiritu sancto, intuens in eum, 10. dixit : O plene omni dolo, et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas. 11. Et nunc ecce manus Domini super te, et eris cæcus non videns solem usque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo, et tenebræ et circuiens quærebat qui ei manum daret. 12. Tunc proconsul cum vidisset factum, credidit admirans super doctrina Domini. 13. Et cum à Papho navigassent Paulus, et qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliæ, Joannes autem discedens ab eis, reversus est Hierosolymam. 14. Illi vero pertranseuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pisidiæ : et ingressi Synagogam die sabbatorum, sederunt. 15. Post lectionem autem legis et Prophetarum, miserunt Principes Synagogæ ad eos, dicentes : Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite. 16. Surgens autem Paulus et manu silentium indicens, ait : Viri Israelitæ, et qui timetis Deum, audite : 17. Deus plebis Israel elegit patres nostros, et plebem exaltavit cum essent incolæ in terræ Ægypti, et in brachio excelso eduxit eos ex ea. 18. Et per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto. 19. Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum, 20. quasi post quadringentos et quinquaginta annos : et post hæc dedit Judices usque ad Samuel Prophetam. 21. Et exinde postulaverunt regem : et dedit illis Deus Saul filium Cis, virum de tribu Benjamin, annis quadraginta. 22. Et amoto illo, suscitavit illis David regem : cui testimonium perhibens, dixit : Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. 23. Hujus Deus ex semine secundum promissionem eduxit Israel salvatorem Jesum, 24. prædicante Joanne ante faciem adventus ejus baptismum pœnitentiæ omni populo Israel. 25. Cum impleret autem Joannes cursum suum, dicebat : Quem me arbitramini esse ? non sum ego, sed ecce venit post me, cujus non sum dignus calceamenta pedum solvere. 26. Viri fratres, filii

generis Abraham, et qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis hujus missum est. 27. Qui enim habitabant Jerusalem, et principes ejus, hunc ignorantes, et voces Prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, judicantes impleverunt: 28. et nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt à Pilato, ut interficerent eum. 29. Cumque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento. 30. Deus vero suscitavit eum à mortuis tertia die: qui visus est per dies multos his, 31. qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Jerusalem: qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem. 32. Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est: 33. quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum, sicut et in psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu: ego hodie genui te. 34. Quod autem suscitavit eum à mortuis amplius jam non reversum in corruptionem, ita dixit: Quia dabo vobis sancta David fidelia. 35. Ideoque et alias dicit: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. 36. David enim in sua generatione cum administrasset, voluntate Dei dormivit: et appositus est ad patres suos, et vidit corruptionem. 37. Quem vero Deus suscitavit à mortuis, non vidit corruptionem. 38. Notum igitur sit vobis viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur: et ab omnibus quibus non posuistis in lege Moysi justificari, 39. in hoc omnis, qui credit, justificatur. 40. Videte ergo ne superveniat vobis quod dictum est in Prophetis: 41. Videte contemptores, et admiramini, et disperdimini: quia opus operor ego in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarraverit vobis. 42. Exeuntibus autem illis, rogabant ut sequenti sabbato loquerentur sibi verba hæc. 43. Cumque dimissa esset Synagoga, secuti sunt multi Judæorum, et colentium advenarum, Paulum et Barnabam, qui loquentes suadebant eis ut permanerent in gratia Dei. 44. Sequenti vero Sabbato pene universa civitas convenit audire verbum Dei. 45. Videntes autem turbas Judæi, repleti sunt zelo, et contradicebant his quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes. 46. Tunc constanter Paulus et Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes. 47. Sic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem Gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ. 48. Audientes autem Gentes gavisæ sunt, et glorificabant verbum Domini: et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. 49. Disseminabatur autem verbum Domini per universam regionem. 50. Judæi autem concitaverunt mulieres religiosas, et honestas, et primos civitatis, et excitaverunt persecutionem in Paulum et Barnabam: et ejecerunt eos de finibus suis. 51. At illi, excusso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium. 52. Discipuli quoque replebantur gaudio, et Spiritu sancto.

1. Antiochiæ,] ad Orontem, quæ erat Metropolis Syriæ, et à Justiniano Imp. vocata est *Theopholis*: unde antonomastice vocatur *Antiochia;* cæteræ vero cum addito, Antiochia Pisidiæ, Antiochia Epiphaniæ, etc.

Prophetæ,] proprie dicti. Spiritus sanctus enim in Ecclesiæ exordiis, inter alia charismata dabat donum prophetiæ, ut patet Joel. 2. 28. Act. 2. 17. 1. Corinth. 14. Licet noster Lorinus *Prophetas* censeat eosdem esse cum Doctoribus, puta explanatores S. Script. Turrian. vero l. 1. de Hierarch. Ordin. c. 20. per *Prophetas* accipit Episcopos, per Doctores Presbyteros. Episcopi enim, ut ait S. Dionys. c. 6. Eccles. Hierarch. sunt divinorum judiciorum denuntiatores, quia nihil agere debent hierarchicum, nisi ut à Deo acti. Et nos rursus in iis quæ illi hierarchice operantur ad eos tanquam à Deo actos accedere debemus. Unde et à S. Clemente l. 2. Constit. vocantur Prophetæ laicorum; imo Ordinatio Episcopi vocatur prophetia à S. Paulo, 1. Timoth. 4. 14.

Simon, qui vocabatur Niger,] à colore atro, ut videtur, sicut à flavo vocabantur Flavii, ab albo Albini, à rufo Rufi apud Romanos.

Lucius Cyrenensis.] Quem Cyrenæ fuisse Episcopum tradit Beda, Ado, Usuardus, imo Martyrol. Rom. die 6. Maii, ubi Sanctorum catalogo asscribitur.

Manahen.] De quo in Rom. Martyr. die 24. Maii, sic legimus; *Antiochiæ S. Manahen, Herodis Tetrarchæ collactanei, Doctoris et Prophetæ sub gratia novi testamenti, in eadem urbe requiescentis.*

Herodis Tetrarchæ.] Herodis Antipæ, qui fuit filius Herodis Ascalonitæ, et patruus Herodis Agrippæ, de quo cap. 12. 1. Hic Antipas Christum induit veste alba et irrisit, ac Johannem Baptistam occidit.

Collactaneus.] Quia puer cum puero Herode fuerat enutritus, et ejusdem nutricis lacte lactatus. Significat Manahen fuisse insignis et illustris familiæ, utpote qui Herodi fuerit collactaneus.

2. Ministrantibus autem illis Domino.] Græce λειτουργούντων, id est *sacrificantibus*, ut vertit Erasmus, et Tigur. *cum operarentur Domino. Sacris* enim, vel *Deo operari*, est sacrificare. Sacrificium enim est opus Deo soli debitum et proprium: licet Scholia Vatablo asscripta, *operari Domino*, exponant per *prædicare Evangelium*, uti et Œcumen. et Cajetan. quod avide arripit Calvinus et Beza, qui negant Missæ sacrificium. Syrus *cum preces auspicarentur Deo*, puta publi-

cas et solemnes, quæ fiunt in sacrificio. Inde enim sacrificium Missæ vocatur *Liturgia* : licet enim *liturgia* significet ministerium in genere, tamen antonomastice significat sacrificium, ut patet ex Liturgia S. Jacobi, S. Basilii, S. Chrysostomi, Mozarabum, etc. Idem evincit vox *Domino* : nullum enim ministerium tam proprie Domino exhibetur, quam sacrificium : Evangelium enim prædicatur hominibus, non Deo. Unde et sequitur, *Imponentesque eis manus*, scilicet in Missæ sacrificio per impositionem manuum ordinando eos Episcopos, uti Apostolos facere solitos tradit S. Dionys. Eccles. Hierarch. p. 1. c. 2. Vide Bellarm. lib. 1. de Missa cap. 13.

Dices, per sacrificium hic accipi posse Aaronicum, puta immolationem ovis aut vituli : adhuc enim fideles servabant legem Mosi, non ex obligatione, sed ut Judæos non offenderent. Resp. id dici non posse : nam sacrificium hoc oblatum est Antiochiæ, cum Aaronicum non nisi Hierosolymis in templo Salomonis offerri posset, juxta legem Deut. c. 16. 6.

Jejunantibus.] Jejunium enim ex Apostolorum usu et traditione solet præmitti ordinationi, tum ut fideles Dei gratiam, ad idoneos ministros Ecclesiæ ordinandos, jejunio implorent : tum ut ordinandi jejunio se disponant ad recipiendam ordinationis gratiam. Ita S. Chrys. hic.

Dixit] instinctu interno, quem prophetis et primoribus Ecclesiæ ingessit.

Segregate mihi Saulum ac Barnabam in opus.] Segregate Saulum quasi vas electionis, id est, selectum et eximium per singulare judicium Dei, quo ab æterno decrevit et segregavit Saulum in Apostolum Gentium et orbis Doctorem. Ita S. Chrys. Unde et Paulus vocat se segregatum Galat. 1. 15. *Segregate* ergo eum per executionem et missionem, quem Deus ab æterno segregavit per electionem ad hanc missionem.

Porro Saulus jam ab initio suæ conversionis à Deo designatus et auctoratus erat Apostolus Gentium Act. 9. 15. sed in actu primo et secrete : hic vero in actu secundo et publice designatur Apostolus earumdem, ut eos evangelizando obeat et percurrat. Hactenus enim Damasci et Antiochiæ dumtaxat prædicaverat.

Segregatus fuit quoque Barnabas, et sublimatus ad apostolatum, ob insignem ejus virtutem et zelum, quo omnes suas facultates ad pedes Apostolorum posuerat 4. 36. ut expeditus esset ad ubique evangelizandum. Quocirca S. Barnabam hisce elogiis ornat Alexander monachus initio Vitæ ejus : *Barnabas*, inquit, *magnus Ecclesiæ orator, Evangelicæ prædicationis tuba, magna Christi vox, Spiritus sancti cithara, divinæ gratiæ plectrum, Christi miles robustissimus, Christiani ovilis dux certus, Dei Paradisus, fidei germen, charitatis rosa suavissima odorem emittens, spei flos incorruptus, immortalitatis racemus mel distillans, patientiæ propugnaculum. Barnabas consolationis filius, pietatis magister, fidei columna ac fastigium, turris firma et immobilis, fundamentum stabile, crepido indissolubilis, fluctuantium portus, architectus nobilissimus, qui cœlestem in terris tenuit semitam, et parem angelis vitam duxit, adjutor pauperum, viduarum consolatio, orphanorum procurator et pater. Barnabas Christi mysteriorum thesaurus, orthodoxorum minister, ægrotantium medicus, Christiani gregis custos vigilantissimus, Gentium dux, Ecclesiarum præco, virtutum cœlestem odorem spirantium rasetum, Christi gratiarum ager fertilissimus, virginitatis margarita, castitatis beryllus, temperantiæ gemma Christum in se loquentem habens, electum Dei vas, sanctæ Trinitatis templum.*

In opus] scilicet evangelizandi ubique Gentibus.

Ad quod assumpsi eos] προσκέκλημαι, id est *accersivi eos*. Ita Pagnin. et Tigurina ; alii, *in auxilium advocavi eos*. Meminerint ergo Apostoli et viri Apostolici, se in auxilium vocari à Spiritu sancto ad animas sanctificandas, ideoque Dei in opere divino et nobilissimo esse cooperatores et adjutores, ut ait S. Paulus 1. Corinth. 3. v. 9. Porro Spiritus sanctus Saulum et Barnabam accersivit hac ipsa vocatione et jussione, dicens : *Segregate mihi Saulum*, etc. nec enim aliam uspiam legimus. Secundo, planius, *assumpsi* id est, assumere decrevi, et ab æterno prædestinavi. Verba enim realia apud Hebræos, sæpe per mentalia exponenda sunt.

3. Tunc jejunantes.] Græce sunt aoristi, quos Syrus vertit, *postquam igitur jejunassent, ac preces auspicati fuissent, imposuerunt* (melius, *et imposuissent*) *eis manus, et dimiserunt eos*. Ita Pagnin. Vatab. et alii.

Imponentesque eis manus.] Quæritur, an hæc impositio manuum fuerit Sacramentum Ordinis, puta consecratio in Presbyteros vel Episcopos ? Negat Arias hic, et Cajetan. c. 6. 6. quin et Franc. Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 34. sect. 1. (et alii) ubi hanc impositionem manuum asserit fuisse precatoriam, non ordinativam. Ratio est. Prima, quia jam ante à Deo Saulus erat ordinatus Apostolus Actor. 9. 15. Unde Galat. 2. 6. ait, quod cæteri Apostoli nihil sibi contulerunt. Hic ergo tantum imponitur ei apostolatus executio, puta mittitur ad evangelizandum : ad quod non opus erat nova ordinatione. Simili modo Paulus 2. Corinth. 8. 19. ait de socio suo, quod ordinatus, id est constitutus, sit comes peregrinationis suæ. Secunda, quia Paulus videtur ordinatus Presbyter et Episcopus à S. Petro et Apostolis, quorum nemo hic nominatur.

Verum melius alii affirmant, dicuntque Saulum et Barnabam hic ordinatos esse Episcopos. Nam plene verisimile est, eos jam ante ordinatos fuisse Presbyteros. Jam enim per annum Antiochiæ turbam multam docuerant, ut ait Lucas cap. 11. 26. hoc autem est proprium Presbyterorum, ut recte advertit Turrianus lib. 1. de Hierarch. Ordin. cap. 26. Ratio est Prima, quia id circumstantiæ videntur exigere, scilicet liturgia, jejunium prævinm, et impositio manuum. Inde enim quasi ex usu et exemplo Apostolorum, Ecclesia solet præmittere jejunia et preces ante impositionem manuum, id est, ante consecrationem ordinandorum, eamque peragere in Liturgia Missæ. Secunda, quia nusquam legimus Saulum et Barnabam ordinatos fuisse Episcopos, nisi hic : unde et mox cap. 14. et sequent. Episcopalia munia obierunt, ordinando per civitates Presbyteros. Tertia, quia hæc impositio manuum facta est sub anno Christi 45. ut deducit Baron. et liquet ex dictis c. 12. 1. quando Paulus raptus est in tertium cœlum, et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui, uti ostendi 2. Corinth. 12. 2. nimirum quia decebat, ut Saulus jam proxime futurus Gentium doctor, et legationem suam ad eas auspicaturus, in cœlum raperetur, ut quasi cœlestis doctor, instar Mosis

è cœlo ad eas mitti videretur. Quare congruum fuit tunc quoque ei ultimam manum ordinationis, per consecrationem in Episcopum imponi. Quarta, quia Christus ordinavit Apostolos Episcopos, hi alios et alios : ergo et Paulus ab iis ordinatus : hoc enim postulat ordo hierarchicus à Christo institutus, ut cum ipse Petrum et Apostolos ordinarit, cæteri omnes ab eis, vel eorum successoribus ordinentur. Sic multi censent S. Jacobum Minorem ordinatum esse Episcopum Hierosolymorum à S. Petro, Joanne et Jacobo Majore. Citat eos Henriquez lib. de Ordin. Sacram. cap. 3. Nusquam autem apparet quod ab hominibus ordinatus sit Saulus, nisi hic. Ita docet S. Chrysost. hic. Et S. Leo epist. 81. vel juxta aliam editionem 79. ad Dioscorum Alex. sancit ut jejunium præmittatur ordinationi, eo quod illud hic præmiserunt Apostoli ordinationi Sauli et Barnabæ.

Dices Primo, Quomodo ergo ait Paulus de cæteris Apostolis, *Mihi nihil contulerunt?* Galat. 2. 6. Resp. id intelligi de doctrina et Evangelio; hoc enim ipse à Christo didicit, non ab Apostolis. Nam alioqui Ananias contulit ei baptismum, Apostoli Confirmationem et Ordinem.

Dices Secundo, Quis hic Apostolus et Episcopus eos ordinavit? Non Petrus, ut vult Arator : quia jam abierat Romam. Non Jacobus Zebedæi; quia jam occisus erat ab Herode. Non cæteri Apostoli, quia jam discesserant in suas provincias. Resp. Lyran. Antiochiæ fuisse Episcopos ab Apostolis ordinatos, qui eos ordinarunt. Œcumen. censet Lucium et Manahen eis manus imposuisse. Potuit quoque è Judæa advocari S. Jacobus Episcopus Hierosolymorum, S. Joannes, S. Mathias, aut quis alius vicinior Apostolus. Unde S. Leo loco jam citato ait, eos ordinatos ab Apostolis.

Quæres Secundo, quo anno ordinatus fuit Saulus cum Barnaba, ac apostolatum suum ad Gentes est auspicatus? Resp. Beda censet id fuisse anno 13. ab ascensione Christi, qui fuit à Christi nativitate 47. Secundo, Chronicon Alexand. sive Fasti Seculi, scribunt id contigisse anno quinto Claudii Imp. qui fuit Christi 46.

Verius est eum ordinatum fuisse anno Christi 44. concurrente cum anno 3. Claudii Imp. nam initio hujus anni 45. Petrus è carcere liber venit Romam, ibique cathedram constituit, uti ostendi c. præced. v. 1. Hæc enim præcedenti capiti subnexa, paulo post carcerem Petri contigisse videntur. Ita Baron. et alii : nimirum congruebat, ut, quo anno Saulus adibat Gentes eas subjugaturus Christo, eodem Petrus Apostolorum Princeps peteret gentilismi arcem, puta Romam, eamque Christo subderet. Addit S. Leo epist. citata ad Dioscor. Alex. Episcopum, Saulum et Barnabam ordinatos fuisse die Dominico, ideoque sancit, ut idem deinceps fiat. Unde hæc Leonis sanctio relata est in Jus Canonicum, et habetur dist. 75. can. 5. *Quod die Dominico ordinationes sacerdotum celebrentur*, etc.

Denique notat S. Hier. epist. 85. ad Evagr. hanc ordinationem ministrorum Ecclesiæ adumbratam fuisse in veteri testamento, ex eoque usurpatam in novo. Quod enim, inquit ipse, Aaron, et filii ejus, ac Levitæ in templo fuerunt; hoc Episcopi, Presbyteri et Diaconi vindicant in Ecclesia : unde etiam Aaron et filii ejus impositione manuum Mosis ordinati sunt, Exodi 29. 9. et seq.

4. ABIERUNT SELEUCIAM.] Quia hæc vicina erat Antiochiæ, unde mittebantur, eratque urbs frequens et celebris. Condita et nominata est à Seleuco Nicanore, uno è ducibus Alexandri Magni, qui primus post Alexandrum, anno scilicet duodecimo post mortem ejus, diadema Asiæ sibi imposuit, indeque incipiunt et numerantur anni Græcorum (id est Macedonum, posterorum Seleuci) in libris Machabæorum. Tradit Volaterranus lib. 11. Geogr. Seleucum urbes sedecim vocasse Antiochias, in honorem patris sui Antiochi; à se novem Seleucias; à matre Laodice, quinque Laodiceas; ab uxore Apamia, tres Apamias.

ET INDE NAVIGARUNT CYPRUM,] quia et Seleucia commodus est trajectus in Cyprum.

5. SALAMINAM] quæ postea à Constantino Imp. dicta est *Constantia*, cujus Episcopus fuit S. Epiphanius; nunc *Famagosta*, quasi Fama augusta dicitur, à septuaginta annis expugnata à Selymo Turcarum Imp.

IN SYNAGOGIS JUDÆORUM.] A Judæis ordiuntur, ne hi contentiosiores fierent, ait S. Chrysost. si vidissent Gentes sibi in Evangelio præponi.

HABEBANT AUTEM ET JOANNEM] cognomento Marcum, de quo c. 12. 25.) IN MINISTERIO.] Græce ὑπηρέτην, id est *ministrum*. q. d. Joannes Marcus ministrabat Saulo et Barnabæ, præsertim in cura victus, vestitus, rerumque temporalium, eosque adjuvabat, ut facilius et plenius evangelizarent.

6. CUI NOMEN ERAT BARJESU.] Multi codices legunt *Barjeu*, vel *Barjehu*. q. d. Bar Jehova, id est filius Dei, puta Jovis. Sicut Simon Magus vocabat se virtutem Dei, cap. 8. v. 10. Unde Paulus huc alludens v. 10. idque refellens, vocat eum filium, non Dei, sed diaboli. Verum legendum est *Barjesu* (ita enim legunt Græca et Romana correcta) id est, filius salvatoris, hoc est salvator. Hoc enim nomen impostor sibi arrogabat, eo quod per magiam multos ægros sanaret. Adde, videtur quod pater ejus vocatus sit Jesus : à Josue enim primo Hebræorum duce percelebri, qui eos induxit in terram promissam, multi vocati sunt Josue, sive Jesus, ita Sanchez. Quare minus recte Syrus pro *Barjesu*, legit *Barschoumo*, id est, filius nominis, hoc est nominatus celebris et famosus, quasi *Elymas* inverse idem sit quot *Schoumo*, de quo mox.

7. QUI ERAT CUM PROCONSULE.] *Proconsul* erat quasi vicarius consulis, quia scilicet nomine consulis Romani, potestate consulari provinciam administrabat : unde et ejus præses, vel præfectus dicebatur. Rursum proconsules Romæ vocabantur exconsules : qui scilicet præcedenti anno fuerant consules. Hi enim obitæ dignitatis nomen ex parte retinebant, et sæpe ut proconsules mittebantur ad regendas provincias. Vide Sigonium de Magistrat. Roman.

DESIDERABAT AUDIRE VERBUM DEI.] Ἐπεζήτησεν, id est, *studiose quæsivit et expetiit* : unde et meruit fieri votis compos. Solet Deus eis quibus fidem et gratiam destinat, prius illius desiderium injicere, ut per hoc se ad donum tantum præparent, illudque efflagitent, et obsecrando quasi emereantur. Unde S. Chrys. miraculo deputat, quod Sergius Paulus præoccupatus à mago, adeo desiderarit audire Apostolos.

ELYMAS MAGUS. SIC ENIM INTERPRETATUR NOMEN EJUS.] Varii hoc varie exponunt. Primo, Cajet. pro αὐτοῦ, id est *ejus*, vertens *suum* (Hebræi enim

idem habent pronomen reciprocum, quod absolutum) sic transfert et explicat. q. d. Barjesu voluit dici *Elymas*, id est, *Dei mensura*, vel *census*, fingens et mentiens id significare *Barjesu*. Sic enim ipse interpretabatur nomen suum Hebræum apud Græcos; sed quasi magus et impostor mentiebatur, et fallebat eos. Nam *Barjesu* vocabatur quasi *filius Jesu;* quod nihil commune habet cum Elyma, id est, censu Dei. Alii minus improbabiliter sic explicant : *interpretatur*, id est, alio nomine vocatur. q. d. Barjesu alio nomine vocabatur Elymas magus. Sicut si dicas, Petrus interpretatur, id est, alio nomine vocatur Simon. Secundo, alii volunt Barjesu hebraice significare magum; sed hoc est ignorantium linguam Hebræam, in quo Barjesu idem est quod filius Salvatoris. Tertio, Gagneius Elymam interpretatur cæcum : hic enim, inquit, hebraice dicitur, *Elimana*, vel *Eliman*, quia Elymas excæcatus fuit à S. Paulo. Sed et hoc falsum est, æque ac impertinens : quia S. Lucas Elymam interpretatur magum, non cæcum. Quarto, Arias ex Syro : *Elymas*, inquit, inverse idem est quod *Samuel*, id est nomen Dei, vel nomen forte et magnificum, qualia in suis incantationibus adhibere solent magi. Quinto, Mariana : Elymas, inquit, dicitur magus, ab Elymaide regione Persidis, in qua abundant magi : sicut Chaldæus idem est quod Astrologus vel magus; quia Chaldæi Astrologiæ erant dediti. Sexto, Vatabl. Elymas, inquit, græce idem est quod præstigiator, incantator, impostor. Sed à quo themate? et quo auctore? Aliqui deducunt ab ἔλυμος, id est niger, ut niger sit idem quod magus, sicut Germani et Belgæ artes nigras vocant magicas, quin et magia vulgo *nigromantia* dicitur, sed forte pro *necromantia*. Alii Elymas vertunt, corruptor, perditor, vastator, quales sunt magi; ut sit idem quod λυμεών, id est *perditor*, à λύμη, id est *pernicies :* verbum enim λυμαίνω significat *perdere, corrumpere, vastare*, idque videtur plausibile. Septimo, alii censent Elymas esse nomen Hebræum, sed varie : nam Primo, S. Hieron. in Nominib. Heb. et ex eo Beda : *Elymas*, inquit, idem est quod *ad transgressionem*, vel *transgressionem faciens*. Secundo, Beza *Elymas* deducit ab אל יעץ *el joets*, id est, Dei consiliarius : Magi enim erant Persarum sapientes et consiliarii : et Mahomet impostor finxit se esse consiliarium Dei. Verum *Elymas* longe distat ab *el joets*. Tertio, Lyranus, Elymas, inquit, idem est quod *Elimas*, id est, Dei tributum, Dei census, Dei mensura. Quarto, Bibliander apud Bullingerum, censet Elymas per metaphesin idem esse quod Elias, vel Elisæus, aut Elia Moses : hoc enim innuit vox μεθερμηνεύεται, scilicet hoc nomen per aliquam litterarum transpositionem, vel commutationem exponendum esse : μετα enim significat *trans*, quasi Elymas finxerit se esse Eliam, aut habere animam Eliæ et Mosis. Verum, quid hæc ad nomen Magus, quo vocem *Elymas* interpretatur Lucas. Quinto, alii volunt esse nomen Syrum : *Elyma* enim syre significat iracundum, ira ebrium et quasi furiosum, uti magi et energumeni furiis dæmonis aguntur. Sexto, Elias Hutterus in versione Hebraica novi Testamenti, hoc loco pro *Elymas* vertit אלי משיח *eli maschiach*, id est *Elimessias*, hoc est, Deus meus Messias, quasi magus hic finxerit se esse Deum Messiam, sive Christum, ac pro *Elimessias* per crasin vocarit se *Elymas;* ideoque nomen suum *Barjehu*, vel *Barjesu* interpretatus sit per *Elymas*, id est *Elimessias*. *Barjehu* enim est filius Dei, *Barjesu*, est filius salvatoris, id est salvator; qui utique non est alius, quam Elimessias, id est, Deus Christus; sicut nos Jesum interpretamur, addendo et indigitando Christum. Verum perperam pro *Elymas* substituit *Eli Maschiach* quod habet litteram *chet*, qua caret *Elymas*. Rursum *Eli* scribitur per *iod*, *Elymas* per *upsilon*. Nullus enim per *Elymas* intellexit, aut intelligit significari Messiam. Nusquam enim Messiæ nomen per crasin contrahitur, sed ubique integrum ponitur et pronuntiatur. Adde, nomen proprium ejus fuisse *Elymas*, quod interpretatur *Magus;* Barjesu enim ejus cognomen fuit à parente. q. d. Elymas filius Jesu. Sic Simon cognominatus est Bar Jona, id est filius Jonæ.

Septimo et verosimillime Sanchez : Elymas, ait, videtur esse barbarum nomen, ac forte Cyprium priscum, significans magum; sicut Barnabas olim Cypria lingua significabat filium consolationis, uti dixi c. 4. 36. Certe Hebræi עלם *alam* vocant abscondere et occultare; et inde Græci ἑλύειν vocant involvere, implicare, et ἕλυμα vel εἴλυμα vocant involucrum occultum : atque Arabes ab heb. *alam*, sapientiam vocant *alilm*, vel *talim* id est, rem arcanam : ac *alim* vocant scientem, litteratum, doctum, quasi similiter Elymas apud Cyprios idem fuerit quod impostor, præstigiator, magus, mystes, qui occultorum scientiam, mysteria, artesque arcanas profiteretur. Ita nonnulli linguarum periti. Sic et Pagnin. in Interpret. nomen. Heb. nomen Elymas, ait, significat magum, sive corruptorem, vel pernicio̲sum, aut tegmen et involucrum. ab εἰλυω, id est *involvo*, *in limo implico :* unde et εἰλυὸς, id est *latibulum*, *lustrum*, *spelunca*, ubi cum dæmone colloqui, et magica sua tractare solent magi; et εἰλυσσᾶσθαι, id est, *ad modum serpentis moveri*. Dæmon enim sæpe in forma serpentis magis apparet. Sane Elymas videtur ex peregrina lingua, uti et alia multa, irrepsisse in Græcum. Græce enim loquuntur Cyprii, ut et olim locuti videntur, uti mihi Romæ assuerunt Cypri, et indicat Aristot. l. de Poetica c. 21. Ubi tamen innuit eos propriam habuisse dialectum. Porro sicut S. Petro certamen fuit cum Simone Mago, S. Joanni cum Apollonio Tyanæo pariter mago, sic et hic Paulo cum Elyma mago. Diabolus enim per suos magos validissime se opposuit Christo, Apostolis et Ecclesiæ, uti etiamnum opponit. Valde enim crescit magorum et sagarum secta, quæ in fidelium corpora animasque grassatur.

9. Saulus autem qui et Paulus.] Hic primum Saulus vocatur *Paulus*, quod nomen deinceps semper ei tribuit Lucas. Unde videtur, quod occasione Sergii Pauli proconsulis, et apostolatus sui ad Gentes, nomen Hebræum Saulus, in Romanum et Græcum Paulus commutarit, ut facilius et blandius se Romanis et Græcis, quasi re et nomine Romanus, insinuaret. Vide dicta Rom. 1. 1.

Repletus Spiritu S.] Novum sentit hic Paulus Spiritus S. ardorem et instinctum ad opus arduum et miraculosum aggrediendum, nimirum ad Elymam magum confutandum, excæcandumque, eaque ratione convertendum Sergium Paulum proconsulem. Vide dicta c. 2. 4.

Intuens in eum] iracundis et ardentibus oculis

Elymæ arcanam malitiam penetrans, percellens et castigans. *In oculis*, ait Plinius lib. 11. cap. 37. *animus inhabitat. Ardent, intenduntur, nictant, connivent. Animo videmus : oculi seu vasa quædam, visibilem ejus partem accipiunt atque transmittunt.* In oculis ergo cernitur animus, ejusque passiones et motus iræ, indignationis, amoris, benignitatis, etc. Idque verius in Sanctis et Apostolis, quorum animos, indeque oculos inhabitat regitque Spiritus sanctus.

10. O PLENE OMNI DOLO (interno) ET OMNI FALLACIA] externa; Pagnin. et Tigur. *omni versutia.* Syrus, *omnibus flagitiis :* hæc enim facile instigante diabolo perpetrant magi; et Græcum ῥᾳδιουργία significat propensionem ad quodvis facinus patrandum, ait Vatabl.

FILI DIABOLI.] *Fili*, non generatione, sed instinctu et imitatione; quia ejus contra Christum suggestiones et dolos opere perficis. Diabolus enim quasi serpens, dolosissimus et vaferrimus est. Nam, ut ait S. Cyrill. in c. 6. Joan. l. 4. c. 30. *Sicut qui adhæret Deo, unus spiritus fit cum illo; ita qui diabolo, diabolus quodammodo efficitur.* Unde et Judas, quia dolosus et proditor Christi, ab eo *diabolus* vocatur, Joan. 6. 70. Vere S. Justinus apud Damasc. l. 1. Paral. c. 24. *Vitæ*, ait, *à ratione aversæ dux et gubernator, dæmon est.*

INIMICE (non casu, non lapsu infirmitatis; sed studio, proposito, firma malitia, et destinata voluntate) OMNIS JUSTITIÆ.] Primo, quia Elymas adversabatur Evangelio Christi, quod tradebat Paulus, in quo continetur omnis justitia. Ita S. Chrys. Secundo, *omnis*, id est humanæ et divinæ; quia impediebat fidem Christi, per quam solam vera justificatio datur, quæ nos justos facit tam coram Deo, quam coram hominibus. Tertio *justitiæ*, id est virtutis : nam, ut ait Aristot. l. 5. Ethic. justitia generalis est virtus, quæ in sese virtutes continet omnes : omnis enim vera virtus nititur fide et gratia Christi, cui resistebat Elymas. Ita Arias. Quarto, *justitiæ*, id est æqui ac justi, puta legis divinæ, quæ præscribit id quod justum est. q. d. Tu es hostis legis Evangelicæ, quæ in se omnem legem, scilicet naturæ et Mosaicam, divinam et humanam complectitur. Ita Dionys. Quinto, omne subinde idem est quod integrum, perfectum : ut Eccles. 12. 13. *Deum time, et mandata ejus observa. Hoc est enim omnis homo : omnis* id est totus, perfectus, vel quidquid est homo. Sæpe enim Hebræi per catachresin, totum universale sumunt pro toto integro, id est, omne pro toto. q. d. Omne bonum, omne officium, omnis perfectio, finis et felicitas hominis in hac vita consistit in timore Dei, ejusque legis observantia. Aut : Hoc est quod spectare debet omnis homo quantus quantus est, in dictis factisque suis omnibus et tota vita, ut sibi jugiter et ubique ob oculos ponat Dei timorem, indeque impellatur ad servanda ejus præcepta. Nam, ut ait ibidem Salonius, qui aliter vivit et facit, non homo est, sed bestia, quia non rationaliter, quæ est natura hominis, sed bestialiter vivit, nimirum si gulose, ut lupus; si dolose, ut vulpes; si superbe, ut leo; si crudeliter, ut tigris; si libidinose, ut porcus; si acediose, ut asinus.

NON DESINIS SUBVERTERE VIAS DOMINI RECTAS?] Nervosius Græca et Syrus habent, *non desines?* q. d. Quousque non desines subvertere, et, ut Tigurina, invertere vias Domini rectas? *Vitæ Domini* sunt Evangelium, fides, lex et gratia Christi, cui resistebat Elymas, pro eis supponens et opponens suas artes magicas, quibus colebatur diabolus. Illis enim quasi viis animam ingreditur, eamque quasi templum suum inhabitat.

11. ECCE MANUS.] Id est, vindicta et punitio, quæ fit manu. Est metonymia. Mystice et Chrys. Erat, inquit, hæc manus medica Dei, quia dirigebatur non ad ultionem, sed ad sanationem Elymæ, ut ille excæcatione oculorum percussus aperiret oculos mentis Christumque per fidem agnosceret.

11. ET ERIS CÆCUS.] Quia enim alios in mentis cæcitatem et errorem inducis, juste et congrue punit te Deus cæcitate oculorum, ait Beda.

NON VIDENS SOLEM USQUE AD TEMPUS. Temporariam, non perpetuam, ut vult Glossa, cæcitatem illi inflixit Paulus, ut resipisceret. Censent aliqui eum ad tempus resipuisse, Paulo credidisse, et à cæcitate curatum esse. Ita Isidorus Pelus. lib. 1. epist. 354. Sed postea ad judaismum et magiam rediisse liquet : nam S. Dion. c. 8. de Divin. nominib. asserit, Elymam postea rursum restitisse Paulo, ac nominatim arguisse ejus dictum : *Deus seipsum negare non potest.* 2. Timoth. 2. 13. quasi inde sequeretur, quod Deus non esset omnipotens. Unde Beda Elymam æternæ Dei ultioni subjicit, ob insanabile peccatorum pondus.

CALIGO,] quæ instar nubis, vaporis, vel nebulæ oculos velaret, eisque vim usumque cernendi adimeret : unde ea postea à Deo sublata, rursus recte vidit.

12. TUNC PROCONSUL CUM VIDISSET FACTUM.] Puta Elymæ excæcationem, et in eo superatum à Paulo diabolum *credidit, admirans*, ἐκπλησσόμενος, id est, *perculsus, attonitus, sacro horrore perfusus, super doctrina Domini;* nimirum eam esse tam potentem, tamque thaumaturgam, ut illico ei resistentem Elymam, licet magum et mirabilium opificem, cæcitate percutiat. Porro hic proconsul, quasi illustres primitiæ spoliorum Pauli è Gentibus, ei nomen suum dedit, ut pro Saulo vocaretur Paulus. Fuit enim à Paulo creatus Episcopus, ac spiritu Apostolico claruit, ideoque inter Sanctos relatus est. De eo imprimis sic scribit Lucius Dexter in Chronico ad annum Christi 76. *Sergius Paulus Hispali, Cordubæ, Barcinonæ, Cæsar-augustæ, Secuntiæ, et in plurimis aliis Hispaniæ urbibus prædicat, totasque Hispaniæ provincias peragrat.* Rursum eum factum esse Episcopum Narbonæ in Gallia, docet Prudent. Peri Stephan. hymno. 4. *Surget et Paulo speciosa Narbo.* Et Martyr. Rom. die 22. Martii de eo sic habet : *Narbonæ in Gallia natalis S. Pauli Episcopi, Apostolorum discipuli, quem tradunt fuisse Sergium Paulum proconsulem, qui à Paulo Apostolo baptizatus, et cum in Hispaniam pergeret apud Narbonam relictus, ibidem Episcopali dignitate donatus est : ubi prædicationis officio non segniter expleto, clarus miraculis migravit in cœlum.*

13. JOANNES AUTEM (cognomento Marcus) DISCEDENS AB EIS, REVERSUS EST HIEROSOLYMAM,] ex pusillanimitate aliqua nolens tot itinera conficere, et tanta subire pericula, ait S. Chrysost. et Baron. Hinc ortum est dissidium et divisio Pauli et Barnabæ, de qua cap. seq.

14. DIE SABBATORUM.] Id est, die sabbati, sive uno die è sabbatis : varia enim per annum et menses singulos occurrebant sabbata.

15. Post lectionem legis et Prophetarum.] Lectione enim peracta aliquis vel è Synagoga, vel advena habebat concionem, uti in Ecclesiis Parochialibus post lectionem Epistolæ et Evangelii in Missa habetur concio, idque ex instituto Apostolorum, uti testatur S. Clemens l. 8. Constit. c. 4. Hinc et in Horis Canonicis post psalmos, Epistolas et Evangelia leguntur homiliæ Patrum. Porro solebant advenas, si idonei videbantur, ad hanc concionem faciendam ex humanitate invitare, ut hic invitant Paulum. Idem de Episcopis, cum alium Episcopum aliamque civitatem adeunt, ut ad concionem invitentur, sancit Concil. Carthag. IV. can. 33. et S. Clemens l. 2. Constit. cap. 58. Exempla in Vitis Sanctorum hac de re passim sunt obvia.

Si quis est in vobis sermo exhortationis.] Tigurina, *si est vobis in animo sermone exhortari populum*, si lubet sermocinari et exhortari.

16. Manu silentium indicens.] Sic ait Persius: *Fecisse silentia turbæ Majestate manus.* Hoc enim gestu olim verba facturi silentium indicebant.

Viri Israelitæ.] Hic est primus sermo Sancti Pauli descriptus à S. Luca, plenus sapientia et spiritu Apostolico, imo Paulino, cujus summa est hæc, ait Lyrannus: Deus ille qui tot patribus antiquis contulit beneficia, olim vobis in semine David redemptionem promisit, hanc nunc in Jesu Nazareno adimplevit: illi ergo ut redemptori credite et adhærete.

Et qui timetis Deum.] Primo quasi hoc sit expositio et epiphetum Israelitarum, sensus est, q. d. Vos qui estis Israelitæ, posteri Israelis, sive Jacobi Patriarchæ, ideoque timetis Deum. Ita Chrysost. Secundo simplicius, ut hoc sit disparatum ab Israelitis: illud enim indicat copula *et*. q. d. Et vos, ô proselyti! sive Gentiles conversi ad judaismum, qui timetis, id est reveremini et colitis, Deum verum. Timor enim in Scripturis significat Dei cultum. Nam proselyti cum Judæis in sabbatis conveniebant in Synagogam ad audiendam legem. Ita Arias, Lorinus, et alii.

17. Elegit patres nostros.] Ex omnibus gentibus, ut essent populus et Ecclesia Dei. Elegit autem in Abraham, Isaac et Jacob, vocando eos ad sui cultum, et promittendo eis sese fore eorum Deum, ac ex semine eorum producturum Christum: atque in Mose, qui in Sina accepit legem à Deo, et ritum sacrorum, quibus Israelitæ colerent Deum.

Et plebem exaltavit.] Per Mosen, qui decem plagas Pharaoni in Ægypto inflixit, quibus eum coegit Israelitas è servitute liberos demittere, quique populi ex Ægypto exeuntis fuit dux potens, et gloriosus, utpote ductus et directus à Deo ab eoque instructus et ornatus oraculis, et prodigiis cœlestibus.

Brachio excelso,] maximo robore et potentia.

18. Mores eorum (inconditos, rudes, duros, rebelles) sustinuit.] Erat enim populus duræ cervicis: perinde ac mater sustinet non tantum pueriles, sed et malitiosos mores et gestus sui filioli, quem unice diligit. Vide Deuter. 32. 10. et Numer. 11. 11.

19. Terram eorum,] earum, scilicet gentium.

20. Quasi post quadringentos et quinquaginta annos.] Varie hos annos subducunt Abulensis, Julius, Hilarion, Gagneius, Cajetan. Arias, Joannes, Benedictus. Dico breviter, eos inchoandos esse à nativitate Isaac: nam ille fuit heres promissionum à Deo factarum Abrahæ patri suo, de terra promissa, non Ismael ejus frater ex Agar. Inde enim usque ad egressum ex Ægypto fluxerunt anni 405. quibus adde 40. annos, quibus Hebræi vagati sunt in deserto, et quinque, vel septem, ut multi volunt, annos bellorum Josue, quibus finitis divisa est Hebræis terra per sortes, habebis annos 450. aut 452. Solet enim Scriptura negligere parvos numeros excrescentes, et consignare numeros integros et rotundos, quales sunt 450. Ita Beda, Glossa, Lyran. Hugo, Dionys. et alii.

In Græcis et Syris hic est error, ut fatetur etiam Lutherus et Beza. Habent enim sic: *Et post hæc annis circiter quadringentis et quinquaginta dedit eis judices.* Hoc enim falsum esse, liquet ex libro et Chronologia Judicum: constat enim eos non præfuisse 400. annis. Unde nonnulli pro 450. legendum censent 350. tot enim circiter præfuerunt Israeli Judices. Vide de his annis dicta Exodi 32. 40.

21. Saul, etc. annis quadraginta.] In his 40. annis excluduntur anni Samuelis, quibus ipse ante Saulem præfuit Israeli. Ita Josephus l. 13. Antiq. in fine Euseb. in Chronico, Severus Sulpitius lib. 1. Historiæ sacræ, Abulensis in 1. Paracl. c. 19. v. 9. et alii passim, excepto Melchiore Cano l. 11. de Locis cap. 5. et seq. qui post Samuelem soli Sauli assignat annos regni 40. secutus Eusebium lib. 10. Præpar. c. 3. Sed Eusebius id retractat in Chronico. Paulus enim hic Samuelem non inter Judices, sed inter Prophetas reponit, adeoque tempus Judicum finit in morte Heli, qui Samuelem præcessit. Ait enim: *Et post hæc dedit Judices usque ad Samuel Prophetam.* Ergo tempus Samuelis non Judicibus, sed regibus, qui Judices secuti sunt, annumerat: ac proinde totum illud tempus quod ab exitu Judicum, seu à morte Heli fluxit usque ad finem regni Saulis (in quo utique Samuelis Judicis tempus comprehenditur) quadraginta annis definit. Ita Tornielus anno mundi 2979.

22. Qui faciet omnes voluntates meas,] id est omnia volita, puta omnia præcepta mea, *excepto sermone Uriæ Hethæi*, uti additur 2. Reg. 11. 2. scilicet excepto adulterio et homicidio Davidis: in quo tamen rursum fecit voluntatem Dei, cum illud humiliter confessus est, amare planxi, et per pœnitentiam abolevit. Ita S. Augustinus ad Dulcitium quæst. 8. tomo 4. Nam peccatum numerationis populi, uti et alia nonnulla, nec tantum fuit, nec tam Davidis, quam populi, de quo 2. Reg. 24. 1. *Omnes* ergo, id est plerasque, pene omnes; cum enim in magno cumulo, v. g. hominum, unus alterve tantum deest, dicimus omnes adesse.

23. Eduxit Israel,] suscitavit Israeli salvatorem Jesum: græce enim est dativus.

24. Ante faciem adventus (græce *introitus*) ejus.] Id est, ante adventum ejus, id est, ante eum advenientem, vel etiam coram eo adveniente et introeunte ad Israel. Joannes enim fuit præcursor Christi, et ante Christum prædicavit pœnitentiam, ut venienti Christo viam aptaret, populumque præpararet ad gratiam, justitiam et salutem à Christo recipiendam. Sicut enim Lucifer præit solem, ita Joannes Christum.

Baptismum Pœnitentiæ.] Id est, baptismum qui erat symbolum et incitamentum pœnitentiæ, ad remissionem peccatorum et justitiam baptismo Christi recipiendam. Baptismus ergo

Joannis fuit pœnitentiæ, Christi vero justitiæ. Vide Matth. 3. 11. et Actor. 1. 5.

25. CURSUM SUUM,] scilicet tam vitæ, quam sui ministerii: quod erat, Christo dare testimonium, eumque Israeli ostendere, ac corda hominum ad eum recipiendum præparare.

QUEM ME ARBITRAMINI ESSE.] q. d. Vos putatis me esse Messiam, sive Christum: fallimini, ego non sum Christus; sed ecce Christus post me illico veniet, quem ego non sum dignus discalceare.

Nota hic humilitatem S. Joannis, qua non tantum recusavit Messiæ nomen et honorem sibi a Judæis oblatum, sed et infra pedes Christi se abjecit, dicens, se non esse dignum Christi calceos tangere, utpote qui esset non tantum homo, sed et Deus omnipotens, atque hac humilitate meruit exaltari, nec tantum pedes, sed et caput Christi tingere, eumque baptizare, imo esse ejus paranymphus et Sponsi amicissimus.

27. JUDICANTES, id est, condemnantes Jesum ad crucem, IMPLEVERUNT, scilicet, VOCES PROPHETARUM,] qui uno ore prædixerunt Christum pro salute nostra passurum et moriturum. Ita Syrus. Vide dicta c. 3. 18.

32. QUÆ AD PATRES REPROMISSIO FACTA EST,] de Christi incarnatione et redemptione mundi.

33. HANC DEUS ADIMPLEVIT FILIIS NOSTRIS.] Græce, *filiis eorum*, puta patrum nostrorum, scilicet *nobis*. Ita Pagnin. Vatabl. Erasmus, et alii *Nostris* ergo, id est, patrum nostrorum, puta nostræ generationi, nostræ genti, nostro sæculo. Alii legunt, *filiis vestris*. Eodem omnes hæ lectiones recidunt.

IN PSALMO SECUNDO.] Quidam Græci codices legunt *primo:* quia nonnulli psalmum secundum cum primo in unum conflant. Melius alii legunt *secundo:* nam communiter alii psalmum secundum à primo dispescunt, uti fuse docet Lorinus et Franc. Lucas hic in Annot.

DIXIT.] Objiciebat olim Eunomius, quo verbo dixit? Filius enim est primum unicumque Dei Verbum, per quod creavit omnia. Ergone eodem verbo dixit ad ipsum Verbum? Resp. omnino: Verbum enim est id quod dicitur, et dicendo producitur gigniturque; ac simul est, id cui dicitur: *Filius meus es tu.* Nam, ut dixi, dicendo gignitur: est enim verbum mentis, quod intelligendo dicendoque gignitur, non seminando, uti creaturæ suos filios et fœtus producunt. Nec alio verbo dicitur, cum sit primum (alioqui enim esset progressus in infinitum) sed seipso. Simili modo Pater et Filius non alio, sed eodem amore amant Spiritum sanctum quo ipsum spirant et producunt.

EGO HODIE GENUI TE.] Hunc vers. Psalmi 2. tripliciter exponunt Interpretes. Primo et optime, de divina Christi generatione: Secundo, de ejusdem incarnatione. Vide dicta Hebr. 1. v. 5. Tertio de ejusdem à morte resuscitatione: hæc enim in Scriptura vocatur regeneratio. Unde et Christus vocatur primogenitus mortuorum. Apostolus enim hisce verbis videtur velle probare resurrectionem Christi: in ea enim totus est. Nec male congruit hic sensus iis quæ dicuntur psalmo 2. de Gentibus et populis contra Christum insurgentibus, eum scilicet occidendo. q. d. Etsi Judæi insurgant in Christum eumque occidant, et conentur ejus nomen abolere; ego tamen eum resuscitabo, et secundo quasi gignam; ac resuscitato ob meritum passionis ejus et mortis, dabo gentes in hereditatem, ut habeat regnum et nomen æternum. Ita S. Hilar. Chrysost. Jansen Vatabl. Flaminius, Varlenius in Psal. 2. et S. Ambros. lib. 3. de Sacerd. c. 1.

Quocirca triplicem hujus loci esse sensum, primum de generatione divina, secundum de incarnatione, tertium de resurrectione, concedunt Suarez tom. 2. de Incarnat. disp. 4. sect. 1. Viegas in cap. 1. Apocal. Gregorius de Valentia 1. p. de ipsa Theolog. disp. 1, quæst. 1. puncto 5. Molina 1. p. q. 27. art. 1. disp. 2. et alii, ut sensus sit. Primo, ego hodie, id est, in æternitate, quæ est quasi punctum semper durans, et quasi unum idemque hodie, te filium meum Deum genui. Secundo, ego pariter generatione humana in B. Virgine, te ô Christe hominem genui hodie, puta in hoc die incarnationis et nativitatis. Tertio, ego hodie, id est hoc die Paschatis, resuscitavi te. Verum quia aliis dura videtur hæc tertia expositio, et quia Apostolus Hebr. 1. v. 5. explicat hunc, locum de æterna Christi generatione, facilius dici potest, de eadem hic eumdem exponere. Hæc enim verba non est necesse referre ad τὸ *resuscitans*, quod immediate præcessit: sed remotius ad τὸ *annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est:* hæc enim repromissio est Christus, sive Christi filii Dei missio in carnem et mundum: Christum enim Dei filium advenisse redemptorem et jam natum esse ubique probandum erat Paulo et Apostolis. Alterum vero de ejus resurrectione, probat in sequentibus. Id ita esse indicat id quod sequitur.

34. QUOD AUTEM SUSCITAVIT EUM A MORTUIS. etc. ITA DIXIT.] Ubi Nota τὸ *autem*. q. d. Probavi Christum esse verum et naturalem Dei filium ex Ps. 2. *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Quod autem idem à Judæis occisus, à Deo Patre sit resuscitatus, probo ex Isaiæ 55. v. 3. *Quia dabo vobis sancta David fidelia.* Tertio, quia per τὸ *ego hodie genui te*, tantum probat et explicat id quod præcessi, *Filius meus es tu.* q. d. Filius meus es tu, quia ego hodie, id est in instanti æternitatis, genui, et semper gigno te. Christus autem non est filius Dei constitutus per resurrectionem, sed per primævam generationem: Christi enim divinitatem ubique inculcant Apostoli, ne videatur fuisse merus homo, uti credebant Judæi, idemque postea crediderunt Nestorius, Arrius, aliique hæretici. Ita OEcumen. S. Aug. Beda, Cajetan. Lyran. Dionys. Ribera ad Hebræos 1. Genebrardus in Psal. 2. Bellarminus lib. 1. de Christo cap. 5. Et huc tandem accedit S. Ambros. qui sic exponit. q. d. Ego hodie proprie genui te, et rursum hanc tui generationem hodie confirmavi, cum te peremptum in vitam revocavi, iterumque quasi hodie genui te. Resuscitatio enim Christi fuit index divinitatis ejusdem, quia vi divina resuscitavit se Christus, nobisque eamdem resurgendi potestatem et gratiam elargitus est. Qui sensus medius est, et utramque expositionem conciliat, imo jungit. Sæpe enim verba activa Hebræorum non actionem, sed actionem probationem, ostensionem et confirmationem significant, ut illud tunc fieri dicatur, cum factum esse demonstratur. Ita Sanchez, et Vasquez 1. p. q. 1. disp. 18. num. 6. Sic ergo *genui te*, id est, ostendi te genitum ex me, sive ostendi quod ego genuerim te.

Verum prior sensus de ipsissima æterna Christi generatione, uti simplicior, ita germanior est. De illa enim proprie dicitur: *Ego hodie genui te.*

Nam in æternitate et in æterna generatione, *ubi dies nec hesterni fine inchoatur, nec initio crastini terminatur, semper hodiernus est*, ait S. August. Hodie ergo proprie competit æternitati. Nam *hodie præsentiam significat, atque in æternitate nec præteritum quidquam est, quasi esse desierit; nec futurum, quod nondum sit; sed præsens tantum: quia quidquid æternum est, semper est*, ait S. August. in Psal. 2. Idem tamen competit humanitati, sive Christo homini, tam primum ex B. Virgine genito, quam postea à morte resuscitato, quatenus per resuscitationem rursum factus est hic homo, qui hypostatice unitur Deo, estque filius Dei. De eo enim vere dicitur, quod sit ab æterno à Deo genitus, quod sit Dei filius, omnipotens, immensus, etc., per communicationem idiomatum; uti recte docet Molina loco jam citato. Per hanc ergo communicationem, hic locus referri potest ad Christum resurgentem.

QUOD AUTEM SUSCITAVIT.] Hic probat Christi resurrectionem, sicut paulo ante divinitatem.

AMPLIUS JAM NON REVERSURUM IN CORRUPTIONEM,] id est, in mortem: mors enim est corruptio hominis et naturæ humanæ. Christus enim semel mortuus et resurgens, amplius non moritur: alioqui nec in prima morte corruptus, id est, putrefactus et incineratus est, uti mox dicetur.

DABO VOBIS SANCTA DAVID FIDELIA.] *Sancta*, id est sanctas, pias et munificas promissiones Dei factas Davidi, faciam fideles, id est ratas, firmas et stabiles: quia eas opere complebo, præstando quidquid ei promisi de Christo ex semine ejus nasciturο. Inter alia autem quæ de Christo ei promisi, est resurrectio, et regnum æternum illius, et omnium fidelium per illum, Psalm. 15. v. 10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Citat Isaiæ 55. 3. *Feriam vobiscum pactum sempiternum*, per Christum, *misericordias David fideles. Misericordias* vocat promissa, quæ scilicet Deus misericorditer promisit de Christo, quæ Septuag. vocant ὅσια, id est, *sancta, pia, religiosa*, uti vertit Tertull. Ubi Nota, Hebr. חסיד *chasid*, quod Septuag. vertunt ὅσιον, id est *sanctum*, significare pium, misericordem, et per metalepsim, sanctum, quia signum et causa sanctitatis est pietas, seu misericordia et Eleemosyna, uti alibi dixi. Vide dicta Isaiæ 55. 3.

35. NON DABIS SANCTUM TUUM (Christum Christique corpus) VIDERE CORRUPTIONEM,] id est putrefactionem et incinerationem, uti dixi cap. 2. 31. Unde R. Isaac vertit, *non dominabitur post mortem scolex aut vermis.* Aliter hic sumitur *corruptio* quam v. præced. ibi enim mortem significat, hic putrefactionem: mors enim est initium corruptionis, et via ad putrefactionem.

36. DAVID ENIM IN SUA GENERATIONE (sua ætate, sua vita et sæculo) CUM ADMINISTRASSET, id est inserviisset, VOLUNTATI DEI.] Fuit enim vir secundum cor Dei, faciens omnes voluntates ejus, v. 22. Tigurin. Pagnin. et Vatabl. vertunt. *David cum suæ generationi ministrasset*, id est, rexisset populum suæ ætatis, *voluntate Dei dormivit.* Melius vertit noster: melius enim dicitur David serviisse voluntati Dei, quam suæ generationi.

DORMIVIT, ET APPOSITUS EST AD PATRES SUOS.] Id est, mortuus est, relatus in numerum patrum jam mortuorum, aggregatus mortuis, quasi in tumulum et cumulum; quod alibi dicitur, Dormivit cum patribus, vel, Appositus est ad populum suum, vel, Ingressus est viam universæ carnis: hæc enim via est mors, quæ fideles ducit ad immortalitatem.

37. QUEM VERO DEUS SUSCITAVIT (puta Christus) NON VIDIT CORRUPTIONEM.] q. d. Ergo locus ille Psalmi: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, ad Christum pertinet, non ad Davidem, utpote qui mortuus sit et corruptus.

38. ET AB OMNIBUS, q. d. Annuntiatur vobis remissio à peccatis, æque ac ab omnibus cæremoniis et legis veteris oneribus, QUIBUS NON POTUISTIS JUSTIFICARI.] q. d. Christus liberavit vos non tantum à peccatis, sed etiam ab omnibus cæremoniis, quæ quia innumeræ et graves, erant onera legis, non commoda. Nam eæ vos justificare et salvare non poterant, sed solus Christus, ejusque fides, gratia et Sacramenta.

39. IN HOC, id est, per hunc, vel in hunc, scilicet Christum, OMNIS QUI CREDIT, fide non mortua, sed viva, quæ per charitatem operatur, JUSTIFICATUR,] non per imputationem meritorum et justitiæ Christi, ut argumentatur Calvinus, sed per gratiam et justitiam infusam, quam scilicet Deus animæ ob merita Christi infundit et indit.

40. IN PROPHETIS,] in uno è Prophetis minoribus, qui apud Hebræos simul in uno codice jungi, ac proinde simul quoque citari solent, puta in Habacuc c. 1. 5.

41. VIDETE CONTEMPTORES.] Paulus secutus Septuag. legit בגדים *begodim*, id est prævaricatores, contemptores: sed Noster, Aquila Symmach. Theodot. et Chald. legunt בגוים *baggoim*, id est, in Gentibus. Vide dicta Habacuc 1. 5.

DISPERDIMINI.] Ita lege cum Roman. non *dispergimini.* Sic et Græca habent ἀφανίσθητε: ἀφανίζω enim idem est quod *evanesco, destruor, dispердor, è conspectu auferor.*

OPUS OPEROR.] Ad litteram opus hoc fuit vindicta, quam Deus per Chaldæos exercuit in gentes impias, impiosque Judæos. Mystice, hoc opus est execatio, reprobatio et perditio Judæorum fidei et Apostolis rebellium, ac vocatio et electio Gentium. Minus recte Theophyl. et Hugo accipiunt Christi incarnationem, Lyran. passionem et resurrectionem, Cajetan. baptismum.

42. EXEUNTIBUS AUTEM ILLIS,] è Synagoga, ut habent Græca.

ROGABANT.] Græci plerique codices habent *rogabant eos Gentes.* Per *Gentes* Gagneius et Cajetan. accipiunt Gentiles: sed Chrysost. Theophyl. et alii accipiunt turbam et multitudinem Judæorum: ad hos enim pertinebat Synagoga. Verisimile est τὸ *Gentes* è margine in textum irrepsisse. Nam illud omittit Noster, Syrus et multi Græci.

UT SEQUENTI SABBATO.] Ita quoque vertit Syrus, OEcumen. Pagnin. Tigurina. Accedit et Vatabl. qui vertit, *intercurrente*, vel *intermedio sabbato.* Perperam ergo Scaliger in Emend. temp. lib. 6. pag. 259. corrigit textum Græcum, sicque legit: εἰς μεταξὺ σαββάτων, id est, *in medio sabbatorum.* q. d. Diebus ferialibus, qui intercurrunt inter duo sabbata.

43. COLENTIUM ADVENARUM.] Id est proselytorum, ut habent Græca, qui Deum verum colebant, non idola, quæ prius coluerant cum cæteris Gentibus. Unde vocantur σεβόμενοι, id est, *pii, religiosi, colentes Deum.* Aliqui σεβόμενοι passive

verunt, *culti, honorati, celebres,* quasi fuerint viri illustres.

In gratia Dei,] qua prævenli cœperant sequi fidem Christi et Apostolorum.

45. Zelo,] invidia et indignatione.

46. Indignos vos judicatis,] et judicando facitis. Dum enim judicatis spernendam esse Christi fidem, tacite pariter judicatis vos indignos vita æterna. Illa enim nemo dignus est, nisi qui fidem Christi capessit.

47. Præcepit.] Dum enim prædixit per Isaiam se decrevisse, et velle, ut Christus sit lux et salus Gentium, consequenter hoc ipso decrevit et voluit, præcepitque Apostolis, quos Christi præcones destinavit, ut Gentibus Christum prædicent, itaque ejus lucem et salutem illis impertiant. Apostoli enim à Deo electi fuerunt ad hoc, ut essent ejus in hoc opere administri, et voluntatis ejus executores.

Posui,] certo ponam : prophetice enim ponitur præteritum pro futuro, ob futuri certitudinem, quasi jam non esset futurum, sed præteritum. Vide dicta Isaiæ 49. 6.

48. Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.] Ex hoc loco Dionys. Carthus. et alii probare contendunt, electionem efficacem hominum ad gloriam factam esse à libera et mera Dei voluntate, non ex meritis electorum, imo ante eorum prævisionem. Sensum enim esse, q. d. Quotquot crediderunt, ideo crediderunt, qui ab æterno à Deo absolute præordinati et prædestinati erant ad vitam æternam. Efficax enim intentio finis causat efficacem electionem mediorum, quæ ad finem intentum assequendum sunt necessaria. Quia ergo Deus efficaciter eos præordinarat ad gloriam, hinc ut finem hunc assequerentur, dedit eisdem efficacia media, puta fidem et gratiam congruam, quibus hoc fine potirentur.

Verum quidquid sit de hac sententia, certe illa ex hoc loco efficaciter probari aut evinci nequit. Nam Primo, Pro *præordinati,* græce est τεταγμενοι, id est, ordinati et dispositi erant veluti milites in acie et ordine suo, ut videlicet eo tempore ponerentur in ordine et via ad vitam æternam. Sic enim τάξεις vocantur ordines militares. Et Leo Imp. scripsit ταντικὰ, id est, præcepta et modum instruendi aciem ad prælium, ut sensus sit; Crediderunt, quotquot jam ordinati et dispositi erant ad vitam æternam, quotquot scilicet habebant verum vitæ æternæ desiderium sibi à Deo injectum, quotquot studebant suæ saluti, quotquot vestigabant modum et iter quo se salvare, et ad vitam æternam pertingere possent. Hi enim videntes hoc iter manifeste à Paulo ostendi esse fidem in Christum, illico illam capessiverunt et amplexi sunt. Unde non videtur obstare, quod, Noster verterit *præordinati,* quia illud ex Græco exponi potest, ut sit idem quod prædispositi, scilicet ex libera sua dispositione sibi à Deo indita, quæ erat, ex salutis suæ desiderio, et sincero veritatis studio attendere prædicationi S. Pauli, illam examinare, et videre bene probatam, consonamque oraculis Prophetarum, rationi et veritati. Ita Isidorus Clarius, Salmeron et alii. Vox enim τεταγμενοι, militaris est, eosque significat qui in censum, numerum et classem militum quasi asscripti, sub Christi ducis vexillo, recta via et ordine contendebant in cœlum, et enitebantur ad vitam æternam.

Secundo, τὸ *præordinati ad vitam æternam,* non exprimit, nec definit an hæc præordinatio fuerit generalis, conditionata, inchoata, et communis omnibus fidelibus, an vero specialis, absoluta, completa, et propria solis electis. Vide can. 13. in S. Paulum. Rursum, non significat an facta sit per fidem et post merita, an sine fide et ante merita prævisa. Unde Doctores qui tenent, electionem efficacem ad gloriam factam esse ex prævisis meritis, accipiunt hic præordinationem generalem, conditionatam, et incohatam, quæ est omnium fidelium, hunc que dant sensum : crediderunt quotquot ab æterno à Deo præordinati erant, ut in tempore, prædicante S. Paulo per vocationem gratiæ congruæ et efficacis ponerentur in ordine, via et cursu ad vitam æternam, utque iter ad illam gratiæ Dei cooperando, capesserent et inirent. Hoc enim iter est, credere et obedire Evangelio, aggregari Ecclesiæ, censeri inter fideles. Simili modo dicas de duodecim Apostolis : secuti sunt Christum vocantem ad apostolatum, quotquot præordinati erant (ut ponerentur in ordine et via) ad lauream Apostolicam in cœlis; et tamen unus ex iis fuit Judas, qui culpa sua ab hac præordinatione et laurea excidit, eamque irritam fecit: dum enim Christum prodidit, apostolatu, gratia Dei, suo ordine et salute privatus est. Sic recte dicitur; Omnes fideles præordinati sunt ad vitam æternam : quia Deus per fidem et gratiam suam omnes eo vocat et ordinat, omnesque certo ad illam pervenient, si continuo usque ad finem vitæ, gratiæ et vocationi Dei obsequantur : sed quia multi non obsequuntur, hinc ea excidunt et pereunt.

Porro per *ordinationem,* non absolutam et completam, sed conditionatam et inchoatam accipiendam esse colligunt. Primo, ex eo quod non sit verisimile S. Lucam hic, ubi tantum de fide et initio salutis agit, velle dicere, hos omnes usque ad unum perseverasse in fide et gratia Dei, esseque salvatos, multo minus eum voluisse omnes illos certos et securos reddere de sua salute. Quocirca nonnulli adversæ sententiæ sic exponunt. q. d. Crediderunt, quotquot præordinati erant ad vitam æternam, scilicet per piam opinionem, conjecturam et confidentiam. q. d. Crediderunt, quotquot dabant signum et initium suæ prædestinationis. Sed incertum est, an hoc signum et initium fuerit efficax, ut in omnibus de facto causarit salutem. Rursus id colligunt ex eo, quod non videatur Lucas velle dicere, neminem præter eos, qui jam crediderunt; esse salvatum, quod ex prima illa expositione sequitur : nam multi postea crediderunt, et salvati sunt. Statim enim subdit Lucas : *Disseminabatur autem verbum Domini per universam regionem.*

Secundo, quia sic erit manifesta antithesis cum v. 46. quam hic spectare videtur Lucas, q. d. Vos ô Judæi, repellitis fidem, ideoque indignos vos facitis vitæ æternæ, et ab ejus via omnino deviatis et aberratis: Gentiles vero qui credunt in Christum, ea se dignos faciunt, unde à Deo ab æterno præordinati sunt ad eam; sed inchoate dumtaxat et conditionate, si videlicet continenter credere, et secundum dictamen fidei vivere pergant usque ad finem vitæ; alioqui si ipsi sponte vel à fide, vel à vita quam fides dictat, recedant, recedent pariter à via cœli et vitæ æternæ, et viam quæ eos recta ducit ad infernum, inibunt. Sic S. Paulus Ephes. 1. omnes

Christianos Ephesios vocat prædestinatos et electos, scilicet inchoate per fidem et gratiam, non complete: alioqui enim omnibus assecurasset salutem. Ita S. Prosper lib. de Libero arbitrio, Salmeron, Stapletonus et Sanchez hic; Gabr. Vasquez tomo 1. in 3. part. disp. 33. cap. 12. Qui et addunt, *vitam æternam* hic metonymice posse accipi pro via ad vitam æternam, uti accipitur Joann. 17. v. 3. *Hæc est autem vita æterna* (id est, via ad vitam æternam) *ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Et 1. Joann. 3. v. 15. *Omnis homicida non habet vitam æternam* (id est gratiam, quæ est via ad vitam æternam) *in semetipso manentem.* Sic sæpe in Evangeliis regnum cœlorum vocatur Ecclesia: quia hæc per Sacramenta, fidem et gratiam nos dirigit ducitque ad cœlum. Verum id dicere non est opus, cum et via et ordo includatur in voce *præordinati.*

Porro perperam ex hoc loco colligit Calvinus, omnes fideles esse prædestinatos, eo quod fides semel accepta non possit amitti: multi enim à fide excidunt, fiuntque infideles; plures fideles infideliter vivunt. Denique Arias sic legit et explicat: *crediderunt ii* (scilicet Gentiles) *qui* (non minus quam Judæi) *præordinati erant ad vitam æternam:* videtur enim Lucas agere hic de vocatione Gentium. Verum græce est ὅσοι, id est *quotquot*, ut vertit noster, Tigurina, Pagninus, et passim alii: *quotquot* autem innuit, non omnes credidisse, sed eos dumtaxat, qui præordinati erant ad vitam æternam.

Addit hoc S. Lucas, ut demonstret dignitatem fidei et Christianismi per ejus finem, scopum et præmium, nimirum fideles omnes qui credunt et obediunt Christo, ab æterno præordinatos, et in tempore ordinatos, vocatos et destinatos esse ad vitam æternam, beatam et gloriosam in cœlis. q. d. Christianismus est vocatio ad vitam cœlestem et æternam, Christianismus est sublimatio fidelium à terra in cœlum, Christianismus exaltat fideles à vita humana ad Evangelicam, beatam et divinam, juxta illud 2. Petri 1. v. 3. *Qui vocavit nos propria gloria et virtute, per quem* (Christum) *maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Et Epistola 1. c. 1. v. 3. *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi; qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cœlis in vobis, qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo.* Et cap. 2. 9. *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.*

50. MULIERES RELIGIOSAS.] Puta zelosas pro gentilismo, vel judaismo, id est, superstitiosas, quæ à Gentilibus et Judæis religiosæ videbantur, et vocabantur. Mulieres enim sunt blandiloquæ, pertinaces, illices, zelosæ pro sua fide vel perfidia, in pietatem vel pietatis speciem pronæ: unde Evangelium valde vel promovere, si ei credant, vel impedire, si non credant, possunt, uti hic Paulum impediverunt, immo expulerunt. Audi Anastasium Nicænum tomo 6. Bibliothec. SS. Patrum q. 62. §. *Omnis qui aspexerit. Quid est*, ait, *mulier: cordis lancea; Sanctorum calumnia, quies serpentis, fornax succensa, os effrænatum, dux tenebrarum, magistra delictorum, vestita vipera, domus tempestas, viri naufragium, immitis fera, etc.* Quocirca S. Hier. ad Ctesiphontem tom. 2. docet, omnes hæreses propagatas esse per mulieres. *Simon Magus*, ait, *hæresim condidit, adjutus auxilio Helenæ meretricis. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum conditor, choros duxit femineos. Marcion quoque Romam præmisit mulierem ad majorem lasciviam. Appelles Philomenem comitem habuit. Montanus Priscam et Maximillam primum auro corrupit, deinde hæresi polluit. Arius ut orbem deciperet, sororem principis ante decepit. Donatus Lucillæ opibus adjutus est. In Hispania Agape Helpidium, mulier virum cæcum cæca duxit in foveam, successoremque sui Priscillianum habuit, cui juncta Galla alterius et vicinæ hæreseos reliquit hæredem.*

51. AT ILLI EXCUSSO PULVERE PEDUM IN EOS.] Jusserat Christus Apostolis, ut id facerent apud eos qui Evangelium admittere nollent, Matth. 10. v. 14. Idque Primo, in signum contempti ab eis Evangelii. Secundo, ut significarent se frustra pro iis tantum iter, tot molestias et fatigationes suscepisse. Tertio, ut nihil è terra hominum impiorum, quasi maledicta et anathematizata, secum efferrent, neque in ullo cum illis participarent. Sic 3. Reg. 13. v. 9. Propheta à Deo missus in Bethel ad idololatras, jussus est alia via redire, quasi propria et recta via in Bethel esset polluta; neve vir fidelis et sanctus vel viam cum infidelibus haberet communem. Sic hic excutiunt pulverem, quasi impium, utpote civitatis impiæ, idque in incolas impios, ut hoc signo denotent eos esse quasi anathema, execratos, et condemnationis æternæ obnoxios, ac proinde se eorum nihil, ne pulverem quidem velle habere sibi adhærentem. Quarto, ut hic pulvis in aerem excussus, quasi in cœlum vindictam clamet, ac in die judicii contra infideles quasi testis et accusator insurgat. Unde subdit Christus, *in testimonium supra illos.* Lucæ 9. 5. Et, *Tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati,* Matth. 10. 15. Ita S. Hier. Hilar. Chrysost. Ambr. Beda et alii ibidem. Ita S. Franciscus Xaverius Malacensi præfecto, eo quod iter suum in Sinas impediret, excommunicato illico *Malaca discedit. In urbis porta pulvere de calceis* (*uti Christus Apostolis præceperat*) *excusso, civitati cœlestem iram, multasque et graves denuntiat clades. Et denuntiationi respondit eventus. Nam brevi fame, bellis, morbis urbs exhausta est, ut fera ad solitudinem redigeretur*, ait Tursel. lib. 5. vitæ ejus c. 7.

ICONIUM.] Urbs est famosa in Lycaonia ad Taurum montem, de qua Plinius lib. 5. cap. 27. Altera ejusdem nominis est in Cilicia. De priore hic agitur.

52. DISCIPULI QUOQUE REPLEBANTUR GAUDIO.] Hoc enim Deus fidelibus aspirare solet in persecutione, præsertim cum vident doctorum suorum (uti hic Pauli et Barnabæ) in ea constantiam et alacritatem.

ET SPIRITU SANCTO.] Puta robore fidei, spei et charitatis, aliorumque donorum Spiritus sancti. *Nam crescit adversis agitata virtus:* tum quia adversa sunt stimuli ad acriorem luctam, roburque colligendum, tum quia Deus congruum hoc merito patientiæ præmium rependit, ut athletæ suo generose certanti animos addat, viresque adaugeat.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PAULUS ET BARNABAS ICONII MULTOS CONVERTUNT: INDE PULSI A JUDÆIS FUGIUNT LYSTRAM, UBI SANANTES CLAUDUM, HONORES DIVINOS JOVIS ET MERCURII, SIBI A GENTIBUS DELATOS REFUTANT; HIC RURSUM OPERA JUDÆORUM LAPIDATI, FUGIUNT DERBEN, AC TANDEM RELEGENTES SUUM ITER, CONFIRMATIS FIDELIBUS ORDINATISQUE PRESBYTERIS, REDEUNT ANTIOCHIAM.

1. FACTUM est autem Iconii, ut simul introirent in Synagogam Judæorum, et loquerentur, ita ut crederet Judæorum et Græcorum copiosa multitudo. 2. Qui vero increduli fuerunt Judæi, suscitaverunt, et ad iracundiam concitaverunt animas Gentium adversus fratres. 3. Multo igitur tempore demorati sunt, fiducialiter agentes in Domino testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante signa et prodigia fieri per manus eorum. 4. Divisa est autem multitudo civitatis: et quidam quidem erant cum Judæis, quidam vero cum Apostolis. 5. Cum autem factus esset impetus Gentilium et Judæorum cum principibus suis, ut contumeliis afficerent, et lapidarent eos, 6. intelligentes confugerunt ad civitates Lycaoniæ, Lystram et Derben, et universam in circuitu regionem, et ibi evangelizantes erant. 7. Et quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat, claudus ex utero matris suæ, qui nunquam ambulaverat. 8. Hic audivit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, et videns quia fidem haberet ut salvus fieret. 9. Dixit magna voce: Surge super pedes tuos rectus. Et exilivit, et ambulabat. 10. Turbæ autem cum vidissent quod fecerat Paulus, levaverunt vocem suam, lycaonice dicentes: Dii similes facti hominibus, descenderunt ad nos. 11. Et vocabant Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium: quoniam ipse erat dux verbi. 12. Sacerdos quoque Jovis, qui erat ante civitatem, tauros et coronas ante januas afferens, cum populis volebat sacrificare. 13. Quod ubi audierunt Apostoli, Barnabas et Paulus, conscissis tunicis suis exilierunt in turbas, clamantes, 14. et dicentes: Viri, quid hæc facitis? et nos mortales sumus; similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cœlum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt. 15. Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas: 16. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et lætitia corda nostra. 17. Et hæc dicentes vix sedaverunt turbas ne sibi immolarent. 18. Supervenerunt autem quidam ab Antiochia et Iconio Judæi: et persuasis turbis, lapidantesque Paulum, traxerunt extra civitatem, existimantes eum mortuum esse. 19. Circumdantibus autem eum discipulis, surgens intravit civitatem, et postera die profectus est cum Barnaba in Derben. 20. Cumque evangelizasssent civitati illi, et docuissent multos, reversi sunt Lystram et Iconium, et Antiochiam. 21. Confirmantes animas discipulorum, exhortantesque ut permanerent in fide: et quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. 22. Et cum constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros, et orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt. 23. Transeuntesque Pisidiam, venerunt in Pamphyliam, 24. et loquentes verbum Domini in Perge, descenderunt in Attaliam: 25. Et inde navigarunt Antiochiam, unde erant traditi gratiæ Dei, in opus quod compleverunt. 26. Cum autem venissent, et congregassent Ecclesiam, retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, et quia aperuisset Gentibus ostium fidei. 27. Morati sunt autem tempus non modicum cum discipulis.

1. FACTUM EST ICONII UT, etc. LOQUERENTUR, id est Evangelizarent Christi fidem et legem, ITA UT CREDERET JUDÆORUM ET GRÆCORUM, id est Gentilium, COPIOSA MULTITUDO.] Ita S. Chrysost. Inter Græcos hic conversos illustrissima fuit S. Thecla miris laudibus à Patribus celebrata et nuncupata Apostolica, ac primogenita S. Pauli. Hæc enim desponsa juveni, nobilissimo, ditissimo et formosissimo, ait S. Epiphan. hæresi 78. audito Paulo ardenter de virginitate disserente, sponso relicto; ad castum Christi cœlestis sponsi thalamum advolvavit, eique sese voto virginitatis sacravit, ideoque à matre et sponso accusata, plurima, et maxima tormentorum

genera constanter subiit, ac illæsa superavit, nimirum ignes, serpentes, leones, ursos, tauros: etc. in quibus astitit ei Christus, præ se ferens vultum sancti Pauli, eam confortans. Tradit S. Chrysost. hic homil. 25. Theclam, ut custodem carceris, quo Paulus Iconii detinebatur inclusus, sibi conciliaret, gemmis ac mundo muliebri distractis, pecuniam inde acceptam illi donasse, ut ad Pauli colloquium admitteretur. *Audi*, ait, *de Beata Thecla illa, ut Paulum videret, aurum suum dedit: tu autem ut Christum videas, nec obolum das.* Addit S. Hieron. epist. ad Oceanum tom. 9. *Thecla*, ait, *post tentationem passionis Antiochiæ, à Paulo prohibetur pariter pergere.*' Nam, ut habetur in Actis S. Theclæ, quæ probat Baron. Thecla à tormentis libera verbi cupida, magistri avida, profecta est Antiochiam Pisidiæ ad Paulum: sed ipse, ne quod offendiculum daret Evangelio, eam dimisit.

Præclare S. Ambros. l. 2. de Virg. eas exhortans: *Thecla*, ait, *doceat immolari, quæ copulam fugiens nuptiarum, et sponsi furore damnata, naturam etiam bestiarum veneratione virginitatis mutavit: namque parata ad feras, cum aspectus quoque declinaret virorum, ac vitalia ipsa sævo offerret leoni, fecit, ut qui impudicos detulerant oculos, pudicos referrent. Cernere erat lingentem pedes bestiam cubitare humi, muto testificante sono, quod sacrum virginis corpus violare non posset. Ergo adorabat prædam suam bestia, et propriæ oblita naturæ, naturam indurat, quam homines amiserant.* Et S. Zeno Episcopus Veronensis serm. de Timore: *Adversus Theclam*, ait, *accusator acerrimus eximit linguæ gladium, cum suis sibi ministris publicæ leges inserviunt. Stimulis acuitur feritas in ferocitatem, et tamen mitior hominibus invenitur. Ne quid sane tam diræ inhumanitatis deesse videatur, immittuntur et marina monstra. Laciniis omnibus expoliatur puella, vestitur incendio. Inter tot instrumenta mortis spectatore metuente, secura calcat genera universa terrorum. Incolumis quasi orbe subacto, de illo feralis caveæ loco jam non miserabilis, sed mirabilis fanereo habitu excedit, victi sæculi triumphum reportans, quam tot suppliciis omnes crediderant perituram.* Et S. Nazianz. in Præcept. ad Virgin.

> Quis Theclam necis eripuit flammæque periclo?
> Quis validos ungues vinxit rabiemque ferarum?
> Virginitas, ô res omni mirabilis ævo!
> Virginitas fulvos potuit sopire leones.

Quocirca ab Isidoro Pelus. epist. ad Tharasium, et ab aliis, Thecla vocatur *Protomartyr*, eo quod inter feminas prima pro Christi in theatrum descenderit, impietatem pro tormenta prostraverit, et triumphum fidei ac virginitatis egerit. Unde idem Isidor. Pelus. l. 1. epist. 160. *Adde*, inquit, *muliebrium victoriarum ac trophæorum caput, hoc est, illam omnibus laudibus celebratam Theclam, quæ tanquam immortalis pudicitiæ columna prostat, quæque è media turbidarum affectionum tempestate, tanquam fax incensa, ad portum ab omnibus fluctibus immunem appulit.* Hinc S. Hieron. in Chronic. celeberrimam illam Melaniam comparat Theclæ. Et S. Gregor. Nyssen. Frater S. Basilii ep. ad Olympium monachum, asserit sororem suam Macrinam, ob egregium sanctitatis meritum, dicendam esse Theclam, idque ex cœlesti prænuntio. Defuncta est Thecla anno ætatis circiter 90. sepulta Seleuciæ, ubi miraculis clara, totius Orientis concursu, olim visitabatur. Relata inter Sanctos in Martyr. Romano legitur die 23. septembr.

Præter alios scripsit vitam S. Theclæ Basilius Seleuciæ Episcopus, sub annum Domini 450. qui Concil. Constantin. et Calcedonensi interfuit, cujus exemplar Græcum Romæ exstat in Biblioth. Sfortiana, quam nuper lustravi, quod in Latinum idioma transtulit Petrus Pantius Decanus Bruxellensis. In ea multa Basilius narrat de S. Paulo, quæ Lucas prætermisit, ut quod Christus Pauli specie Theclæ ad ignem damnatæ astiterit, eamque confortarit, et ab igne intactam servarit: quod Paulus ob Theclam à se conversam fuerit incarceratus, flagellatus et in exilium actus delituerit cum Onesiphoro ejusque filiis in sepulchro, ibique plures dies cibo abstinens oraverit pro Thecla ad rogum damnata, quæ liberata ad Paulum accessit, cum eoque Antiochiam perrexit, ubi bestiis objecta, sed à Deo erepta, Paulum requirens, ab eo Iconium remissa fidei propagandæ causa, postquam multos ibidem et Seleuciæ ad Christum convertisset, post multos agones et miracula, *haudquaquam vita defuncta est, sed viva subsidens, in terram ingressa, quæ Deo ita volente in ejus gratiam discessit, seque illi apparuit eo in loco, quo in divina ac sacra Liturgiæ mensa constructa, in orbe columnis argentoque undique fulgente cincto, est constituta. Unde tanquam ex canali virginalis suæ beneficentiæ, copiose ibidem profluentis, contra omnem dolorem atque ægritudinem salutares remediorum fontes egentibus postulantibusque emittit: ita ut locus ille publica jam medicinæ officina, et commune terrarum orbis propitiatorium sit effectus.* Hæc Basilius, quem laudat Baron. in Martyr. die 23. Septembr. Eadem habent Althelmus, Metaphrastes et alii in vita S. Theclæ. Non quod S. Thecla non sit mortua, sed quod instar S. Joannis, in locum subterraneum sibi à Deo destinatum descendens, ibi animam virgineam uni Christo dicatam debitamque reddiderit. Adjicit deinde Basilius, librum secundum de Miraculis S. Theclæ. Simili modo Deus Mosi in monte Nebo, S. Clementi in mari, S. Catharinæ in Sina, S. Agathæ, et aliis per angelos paravit et adornavit sepulchrum, imo mausoleum. Denique Basilius S. Theclam quoque vocat Protomartyrem, quia prima multoties martyrium passa est, esto Deus eam miraculose à morte præservarit. Eamdem vocat Apostolam, quia fidem Christi disseminavit. Eamdem virginum fuit dux et primiceria. Horum omnium doctor, et incentor fuit S. Paulus, qui et S. Theclæ abeunti, ultimumque sanctitatis et perfectionis monitum à se poscenti, hoc dedit: *Bene se habent rationes tuæ, ô virgo. In omnibus fidei robur tuæ excelluit, et jam Apostolicos labores curriculaque superasti*, etc. *Abi igitur, et verbum doce, Evangelicumque cursum perfice, et in partem mei pro Christo laboris veni. Eo enim te Christus mea opera selegit, ut ad Apostolicum te etiam munus provocheret, et urbem aliquam nondum Christianæ religionis præceptis imbutam tibi committeret. Nam et tibi tua talenta multiplicanda sunt.* Hæc et plura Basilius, qui subdit Theclam profectam Seleuciam, ibi multos convertisse, ac tandem ibidem in pace quievisse. Quocirca S. Chrysostomus dilaudans S. Theclam, eam ob tot tantosque agones forti-

ter superatos *magnum ante victoriam martyriis, martyrium appellat.*

Iconii quoque Paulus convertit S. Tryphænam et Tryphosam, quas proinde salutat et laudat, quod laborent in Domino, puta in promovenda fide et pietate Christiana. Rom. 16. 12. de quibus in Romano Mart. die 20. Novembr. Ita legimus : *Iconii in Lycaonia SS. mulierum Tryphænæ et Tryphosæ, quæ S. Pauli prædicatione, et exemplo Theclæ, in Christiana disciplina plurimum profecerunt,* de quibus habentur plura in actis S. Theclæ.

Ad iracundiam concitaverunt (ἐκκάκωσαν, id est, *malignitate impleverunt, fecerunt malos,* hoc est, malevolos, aversos, offensos, iracundos) adversus fratres,] id est, Christianos, præsertim Apostolos, quasi novatores essent et turbatores Reipubl. inducentes novum Deum crucifixum, ejusque novam fidem et religionem. Nonnulli Græci codices, teste Beda, et Latini manuscripti addunt : *Deus autem et pacem fecit,* q. d. Deus malignitatem hanc et malevolentiam discussit, convertitque in benevolentiam, ac Gentiles benignos et benevelos Apostolis effecit, juxta illud Proverb. 16. 7. *Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem.* Idem per omnia hodie experiuntur viri pii, præsertim Apostolici, et qui animas Deo lucrifaciunt. Idem experta S. Teresia in propagando suo Ordine, dicebat se comperisse, illa monasteria fuisse utilissima, quæ initio plus contradictionis et persecutionis sustinuissent. Quocirca neminem debere animo cadere, cum in primordiis magnorum operum odia insurgunt : hoc enim evidens esse signum secuturi fructus; sicut aspera hiems et nives signum, imo causa sunt copiose frugis et messis secuturæ.

3. Multo igitur tempore demorati.] Vox *igitur* respicit versum primum, esto remotiorem, scilicet *ut crederet Judæorum et Græcorum copiosa multitudo :* hæc enim causa, scilicet copiosa conversio, fecit Paulum et Barnabam diutius ibidem demorari. Aut certe respicit id quod est in Græcis nonnullis : *Deus autem pacem dedit.* Pax enim sinebat Apostolos ibidem commorari, et fiducialiter Evangelizare. Denique ad proxime præcedentia referas hoc sensu. q. d. Quia Judæi averterant animos Gentilium à Paulo et Barnaba, hac de causa iidem ibidem diutius commorati sunt, ut sua patientia, constantia, sanctitate, zelo et miraculis eos ad se et ad Christum converterent. Unde et sequitur v. 4. *Divisa est autem multitudo civitatis,* etc.

Fiducialiter agentes in Domino,] confidenter, libere et intrepide Evangelizantes verbum Domini : hoc enim est παῤῥησία, de qua dixi c. 4. 29. *in Domino*, id est in negotio Domini puta in Christi Evangelio propagando : vel *in Domino*, id est ope Domini. Vide can. 25. in S. Paulum.

Verbo gratiæ suæ.] Evangelium vocatur *verbum gratiæ*, hic, et cap. 20. v. 24. et 32. Primo, quia summam gratiam annuntiat et affert nimirum Dei amicitiam, justitiam, salutem et vitam æternam. Secundo, quia doctrina ejus et præcepta sunt gratiosa, nimirum blanda, suavia et efficacia, quæ animos etiam duros et ferinos flectunt, moliunt, incurvant.

4. Divisa est,] ἐσχίσθη, id est, *scissa est; schismate secta et divisa est.*

Cum Apostolis.] Paulo et Barnaba, qui à Spiritu sancto c. 13. 2. missi sunt Evangelizare, æque ac duodecim illi primi à Christo.

5. Ut contumeliis afficerent.] Melius transtulit Interpres Græcum ὑβρίσαι, quam Pagnin. Erasmus et Vatabl. qui vertunt, *ut vim facerent;* quia Apostoli contumelias non timebant, hinc eis intentant, ait Erasmus; sed neque vim lapidationem aut mortem timebant, et Græcum ὕβρις proprie significat injuriam et contumeliam verborum, non vim verberum.

Et lapidarent eos.] Quasi blasphemos.

6. intelligentes] Apostoli hanc Judæorum et Gentilium contra se conspirationem. Unde Tigurina vertit, *re intellecta.*

7. Infirmus pedibus,] ἀδύνατος, id est, *impotens, invalidus*, qui scilicet pedibus non poterat consistere, nec ambulare : unde perpetim sedebat, vel jacebat. Similem claudum simili modo sanavit S. Petrus c. 3. 1.

8. Qui intuitus eum,] ἀτενίσας αὐτοῦ, id est, *cum in eum oculos defixisset, cum intento et fixo obtutu eum esset intuitus.*

Et videns quia fidem haberet, ut salvus fieret.] Nimirum quod crederet dictis Pauli, speraretque se ab eo curandum et sanandum, ac tacite sanitatem ab eo peteret et efflagitaret. *Nam ejus desideria vultus, oculi, gestus, attentio in audiendo, satis prodebant,* ait Beda. Rursum spiritu prophetico Paulus penetravit in animum claudi, viditque ejus fidem, spem et desiderium sanitatis. Simili domo discretionis spiritum S. Hilarion videbat secreta cordium, teste S. Hieron. in ejus vita. Idem donum habuit S. Antonius, S. Franciscus, S. Catharina Senensis, S. Ignatius, S. Xaverius, et alii. Hinc infert S. Chrysost. animam hujus claudi prius sanatam esse per fidem, quam corpus.

9. Dixit magna voce,] ut tota multitudo, et claudus qui longius aberat, eam audirent, scirentque non esse magicam mussitationem et incantationem. Rursum magna vox indicium et effectus erat magnæ fidei et spei, qua Paulus hoc miraculum patravit. Mystice, magna voce evocandus est, qui per pravam consuetudinem malitiam fere vertit in naturam, cujus symbolum fuit Lazarus mortuus quatriduanus, quem Christus valido clamore et lacrymis è sepulchro evocavit, dicens : *Lazare veni foras,* Joan. 11. 45. Ita ex S. Aug. Beda.

Surge.] Græca, Syra, et nonnulli Latini codices addunt : *Tibi dico ; in nomine Domini Jesu Christi surge,* etc. Ubique enim Apostoli Jesum Christum prædicabant, eoque invocato miracula patrabant, ut populis ostenderent ipsum esse salvatorem mundi.

Exilivit,] illico in pedes se erexit, tum ex agilitate pedum sibi à Paulo restituta tum ex lætitia, juxta oraculum Isaiæ 35. 16. *Tunc saliet sicut cervus claudus.*

Dii similes facti hominibus (græce ὁμοιωθέντες id est *assimilati*, puta assumentes speciem humanam) descenderunt ad nos.] Sicut Christiani è S. Script. et Historiis norunt angelos sæpe hominibus apparuisse in corpore assumpto : sic idem de suis diis credebant Gentiles. Unde Poetæ multa fabulantur de Jovis, Saturni, Mercurii, aliorumque deorum descensu in terram, amoribus, præliis, facinoribus et gestis. Porro ignorarunt Gentiles Filii descensum in carnem per unionem hypostaticam, quo factus est homo. Hinc patet, Paulum et Barnabam supra homi-

nem, divinum quid spirasse in vultu, voce, moribus, miraculis, ut viderentur non tam homines esse, quam angeli, imo dii de cœlo lapsi. Vide Euseb. l. 3. Præpar. Evangel. c. 9. Vir ergo Apostolicus eos imitetur, ut inter homines, ait S. Chrysost. quasi angelus angelice vivat, et angelorum sanctitatem, spiritum, beneficentiam, suavitatem et gratiam imitetur. Hinc Apostolus, ad Galatas scribens c. 4. 14. *Sicut angelum Dei*, inquit, *excepistis me, sicut Jesum Christum.* Sic S. Petrum quasi angelum Dei veneratus est Cornelius, Actor. 10. 25. Ita S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciscus colebantur à populis quasi homines cœlo delapsi. Vide dicta Malach. 2. 7. ubi sacerdos vocatur Angelus Domini exercituum. Sic et Alexander Magnus Judæis licet infensus adoravit Jaddum Pontificem eorum, eique omni postulata concessit.

11. Et vocabant Barnabam Jovem.] Primo, quia Barnabas statura, et forte ætate erat grandior, ait Lyran. Paulus vero parvo, contracto et incurvo corpore. Unde de eo ait S. Chrysost. *tricubitalis est, et cœlos transcendit.* Idem tradit Nicephor. formam et figuram Pauli describens liber 2. Historia caput 37. Secundo, quia Barnabas, ait sanctus Chrysostomus, vultu erat pulchro et joviali, æque ac moribus liberalis, benignus, benefícus; sicut Jupiter dicitur à juvando, ait Varro, quasi juvans pater; ac Græci eum vocant ζῆνα, quod vitæ sit auctor. Unde Cicero lib. 2. de Natura deorum : *A Poetis*, inquit, *dicitur Divum atque hominum pater, à majoribus autem nostris Optimus maximus. Et quidem ante optimus, id est beneficentissimus, quam maximus; quia majus est, certeque gratius prodesse omnibus, quam opes magnas habere.* Nihil enim ita divinitati est proprium, atque benefacere : ipsa enim est velut mare bonorum, in omnia exundans, et quasi sol radiis suis omnia quaquaversum illustrans, calefaciens, fœcundans. Quocirca nil hominem ita similem Deo reddit, ac beneficentia in omnes. Hinc Nazianz. orat. de cura pauperum : *Esto*, ait, *calamitoso Deus.* Quapropter Gentiles Jovem coronabant corona ex olea, quæ semper est virens, pinguis benefica, et multæ utilitatis. Nam ut de eo canit Orpheus :

Jupiter omnipotens est primus, et ultimus idem.
Jupiter est caput et medium : Jovis omnia munus.
Jupiter est fundamen humi, ac stellantis Olympi.

Tertio, quia Barnabas sua specie et gravitate sileus assistebat Paulo, eique quasi nuntio et præconi suo annuebat, uti Jupiter annuit Mercurio, eoque præcone utitur. Unde nonnulli putant Jovem ab Hebr. *Jehova*, et per crasin *Jova*, qui per Mosen et Proph. est locutus, esse nuncupatum. Certe Varro Jovem Judæorum Deum esse putavit ait S. Aug. l. 1. de Consensu Evang. c. 22. Sic Moses fuit quasi Deus Pharaonis et Ægypti, cujus Mercurius, id est os et interpres, fuit Aaron. Audi Deum ad Mosen loquentem Exodi 7. 1. *Ecce constitui te Deum Pharaonis, et Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* Modum subdit et explicat : *Tu loqueris ei omnia quæ mando tibi et ille loquetur ad Pharaonem, ut dimittat filios Israel de terra sua.*

Paulum vero Mercurium, quoniam ipse erat dux verbi.] Mercurius fuit Jovis filius, ex Maia Atlantis filia genitus; habitus est Deus sermonis et facundiæ : dictus est Mercurius, quasi medicurius, id est medius inter homines currens, inquit Arnobius, et S. Augustinus l. 1. Civit. c. 14. eo quod sermo inter homines curat medius. Græce dictus est ἑρμῆς, *Hermes*, (isque Trismegistus, id est, ter maximus) ἀπο τοῦ ἔρειν καὶ μηχασθαι, quod loqui excogitaverit et machinatus sit, ait Plato in Cratylo, et ibidem Proclus : vel ut Phavorinus, ἀπο τοῦ εἴρω, id est *annuntio.* Unde et Iris dicta, quasi nuntia Deorum, cœli et pluviæ. Hinc Horat. l. 1. Carm. ode 10.

Mercuri facunde nepos Atlantis;
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasticatus, et decoræ
More palæstræ,
Te canam magni Jovis, et deorum
Nuntium, curvæque lyræ parentem.

Unde et mercibus præerat : inde Mercurium nuncupatum esse censet Festus, quasi mercium curam, eo quod inter vendentes et ementes sermo sit medius, quo paciscuntur et contractum ineunt. Ideo et alas in capite et pedibus ipsi addunt volentes signare velocem ferri per aera sermonem : ideo et nuntius dicitur quia per sermonem omnia enuntiantur, ait S. Augus. l. 7. Civit. c. 14. Hinc secundo, Mercurius dictus est Deus oratorum, mercatorum, negotiorum, palæstræ, viarum et itinerum dux : unde pedibus ejus dant talaria, eumque *Alitem* et *Alipedem* vocant. Denique dictus est cordis et sermocinationis Dominus, rationis et veritatis Deus. Hinc victimarum linguas offerebant Mercurio, teste Homero. Ita Pierius Hieroglyp. l. 33. c. 40. et 42. Ubi addit, Mathematicos docere, linguam regi à stella Mercurii; sicut splen regitur à Saturno, hepar à Jove, sanguis à Marte, cor et cerebrum à Sole, renes et genitura à Venere, stomachus à Luna. Tertio, Cicero, Aristides et alii tradunt, Mercurium invenisse non tantum litteras, sed et musicam et palæstram, luctamque ac Geometriam. Unde à Galeno in Suasoria, Mercurius vocatur artium omnium parens. Idcirco Maiæ et Jovis filius dicitur, hoc est, τοῦ νοῦ καὶ φρονήσεως, eo, quod ex mente et prudentia oratio dicatur : vel, ut Phurnutus ait, ideo Maia natus est, id est, ex speculatione et inquisitione, μαῖα enim, id est, obstetrix, quæ obstetricandi officium parturientibus gerit, ita dicta est, quod scrutando et inquirendo fœtus in lucem producat. Juniorem quoque effingebant Mercurium, eo quod non senascat oratio; et quadratum, propter firmitatem et veri sermonis robur. Quarto, Mercurius erat caduceator, interpres, præco et nuntius deorum ad homines : unde ab Orpheo vocatur Jovis angelus et ab Hesychio εὐάγγελος : quia Evangelium, id est bonum nuntium, affert. Hinc et pingitur cum caduceo ac duobus draconibus virga implicatis, quod hoc initium fuerat Mercurio pacis. Quocirca Martialis de eo sic canit. l. 7.

Cyllenes, cœlique decus, facunde minister,
Aurea cui torto virga dracone viret.

Isidorus vero : Mercurius, inquit, virgam tenet, quæ serpentes dividit id est venena : nam bellantes et dissidentes interpretum oratione sedantur. Virgilius autem 4. Æneidos sic de eo canit.

Tum virgam capit : hac animas ille evocat Orco.

Unde à Laertio vocatur quæstor animarum, quod eas post mortem suscipiat, quasi potestatem habens tam in cœlum, quam in infernum. Hinc

et *Nomius*, id est legifer, quod leges ferat, apellatur æque ac χριδοτὴς, id est, *gratiæ dator*. Hæc Giraldus Syntagm. I. 9. et Pierius Hierogl. l. 33. Denique proverbium est, κοινὸς ἑρμῆς, id est, *communis Mercurius*, significans opes et bona in commune esse conferenda, publicæque utilitati studendum, de quo Lucianus in Votis.

Paulus ergo vocatur *Mercurius*: Primo, quia Barnabæ non tantum erat interpres, sed et dux verbi: facundia enim præcellebat Barnabam. Secundo, quia non tantum eloquens erat, sed et efficax in dicendo. Unde S. Hieron. Apolog. ad Pammach. pro lib. contra Jovin. *Quotiescumque*, ait, *Paulum Apostolum lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua*, etc., *quocumque respexeris fulmina sunt*. Tertio, quia pollebat sapientia, eaque verbis exprimebat: unde Festus præses eam admirans, dicebat: *Insanis Paule; multæ te litteræ ad insaniam convertunt*, Actor. 26. 24. Quarto, quia in tertium cœlum raptus cœlestis videbatur orator, et nuntius è cœlo ad homines missus, qui non nisi cœlestia spirans, homines Orco addictos revocare, cœlestes efficere, et in cœlum transmittere satagebat; idcoque draconum, id est dæmonum, suggestiones discussit, bella et litigia sustulit, pacem plenam induxit, legem et gratiam Christi propagavit, totique orbi communem fecit.

12. Sacerdos quoque Jovis, qui (scilicet Jupiter, ut patet Græco, non sacerdos) erat ante civitatem.] q. d. Qui (Jupiter) in suburbiis suam habebat aram et templum, æque ac suum sacerdotem et sacrificulum. Ita Græce et Syrus.

Tauros et coronas.] Id est, tauros coronatos. Est hendiadys, qualis est illa Virgilii 2. Georg. *Victori velatum auro vittisque juvencum*, id est, velatum aureis vittis.

Et coronas.] Quas capiti victimæ, puta tauri, imponebant, iisque illum coronabant, ut significarent victimam hanc dari Jovi, qui est rex regum. Unde et apud Persas, non tantum sacerdotes ejus coronas gestabant in capite, sed et quotquot præsentes aderant: quin et templi fores, aras, columnas, etc. sertis et coronis exornabant. Idem fecere Judæi parta victoria 1. Machab. 4. v. 57. Idem fecerunt olim, et etiamnum faciunt Christiani. Unde S. Paulinus in natali 3. S. Felicis ait:

> Spargite flore solum, prætexite limina sertis.

Porro corona primitus soli Jovi et diis dabatur. Corona enim symbolum est absolutæ perfectionis cumuli bonorum, regni, victoriæ, triumphi, felicitatis et gloriæ, quæ soli Deo competit. Audi Plinium l. 16. c. 4. *Antiquitus nulla corona nisi Deo dabatur*: postea heroibus quoque data est. Unde subdit Plinius: *Feruntque primum omnium Liberum patrem imposuisse capiti suo ex hedera; postea deorum honori sacrificantes sumpsere, victimis simul coronatis*. Idem l. 12. c. 19. *Coronas ex cinnamo interassili auro inclusas, primus omnium in templis Capitolii et Pacis dicavit Imper. Vespasianus*. Ita Pausanias in Eliacis, memorat Jovem ex auro et ebore factum ac olea coronatum in sede sua sedere. Vide Tertull. lib. de Corona militis. Hoc exemplo Samii ob placatum sibi ab Æsopo (ut habet ejus vita) Crœsum, Æsopo ad eos redeunti, velut salutari cuidam numini, coronas attulerunt. Hinc irrisus fuit Metellus Pius, *qui se in Hispania Deum faciebat, dum patiebatur sibi in transenna sedenti à demisso Victoriæ simulacro, cum tonitruum machinato strepitu, sicuti capiti cœlesti, coronas imponi, sibique adeo supplicari*, ait Valer. Max l. 9. c. 1. et Macrob. l. 2. Saturn. c. 14. Victimas ergo coronabant, quia Deo coronato non nisi coronata, id est, absoluta, selecta, perfecta et eximia offerenda sunt. Unde Ovid. 15. Metamorph.

> Victima labe carens, et præstantissima forma
> Sistitur ante aras, vittis præsignis et auro.

Ibidem lib. 1. Fastor.

> State coronati plenum ad præsepe juvenci.

Ita Iphigenia Agamemnonis filia, cum immolanda duceretur ad sacrificium, coronata fuit, teste Euripide in Ephigenia. Plutarch. quoque in Paulo Emilio: *Post hos*, inquit, *ducebantur, auratis cornibus armentales boves centum viginti, mitris ornati et corollis*. Insuper sæpe coronæ hæ erant ex illa herba, vel flore, qui Deo, cui sacrificabatur, erat sacer; puta ex hedera, si Baccho; ex pinu, si Pani; ex olea, si Minervæ, etc., sacrificaretur: communiter tamen erant ex cupressu, quia hæc erat feralis, indexque mortis. Unde Prudent. in Apoth.

> Pontificum festis ferienda securibus illic
> Agmina vaccarum steterant, vitulasque revincta
> Fronte coronatas umbrabat torta cupressus.

Ante januas.] Tigurina, *ad vestibula*; utrumque enim significat Græcum πυλῶνας, et vestibula, sive atria domorum, sunt in introitu earum juxta januas. Syrus, *ad fores atrii, ubi commorabantur*, scilicet Paulus et Barnabas in civitate. Sacerdos ergo Jovis habitans extra civitatem juxta fanum Jovis, non ibi voluit sacrificare Paulo et Barnabæ, utpote absentibus et degentibus in civitate, sed comitatus turba populi cum pompa ingressus est civitatem, adiitque domum, in quam peracto miraculo fugientes humanas laudes, ait Cajetanus, se receperant Apostoli, ibique ante januam voluit eis sacrificare: quod illi videntes, è domo exilierunt, et sacrificium, imo sacrilegium prohibuerunt.

Volebat sacrificare,] tam Mercurio quam Jovi, id est, tam Paulo quam Barnabæ: utrumque enim credebant esse Deum. Ita Syrus. Sic Nabuchodonosor Danielem, cum ei exposuisset suum somnium, *adoravit, et hostias et incensum præcepit ut sacrificarent ei*, Daniel. 2. 46.

13. Quod ubi audierunt,] scilicet tam voces clamantium: *Dii similes hominibus ad nos descenderunt*; quam strepitum et apparatum sibi sacrificare volentium. Habebant enim domum linguarum, æque ac cæteri Apostoli, ac proinde Lycaones lycaonice loquentes recte intelligebant, esto id negare videatur S. Chrysost.

Conscissis tunicis suis.] Solebant enim Judæi audientes blasphemiam et sacrilegium (quale hoc erat sacrificare Apostolis quasi diis) in ejus detestationem et execrationem scindere vestes, ut hoc signo sibi cor intimo dolore tangi, et quasi scindi testarentur; ac blasphemiam cum blasphemo dignam esse quæ plane dirumperetur et discinderetur. Quocirca vestes frequentius scindebant à collo secundum humeros usque ad pectus, ubi est cor et doloris sensus, ut tradunt Hebræi in libro Misnaioth de volum. parvo c. 3. Idem fecisse Æneam tradit Virgil. Æneid. 5.

> Tum pius Æneas humeris abscendere vestem,
> Auxilioque vocare deos et tendere palmas.

EXILIERUNT,] εἰσεπήδησαν, id est, insilierunt in turbam, ut eam compescerent; sicut herus insilit in domum incendio flagrantem, ut illud extinguat.

Moral. disce hic, quam Apostoli alieni fuerint ab honoris ambitu, ac vicissim quam zelosi honoris divini, ut illum à se amolirentur, inviolatumque Deo, quasi debitum et proprium conservarent. Vide hic S. Chrysost. ample de humilitatis laude disserentem.

14. MORTALES SUMUS, SIMILES VOBIS HOMINES.] Græce ὁμοιοπαθεῖς ἐσμεν ὑμῖν ἄνθρωποι, id est, *nos similibus passionibus et malis obnoxii, quibus vos, sumus homines :* inter has autem passiones et mala, præcipua est mors. Unde Noster apte vertit, *mortales.* q. d. Sumus homines mortales, non dii immortales; præsertim quia tota hominis vita est cursus ad mortem, imo perpetua et longa quædam mors. Nam ut ait S. Gregor. homil. 37. in Evangel. *Ipse quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud quam quædam prolixitas mortis.*

hinc Moral. disce, contra superbiam efficax remedium esse, memoriam et meditationem mortis. Ita Salomon in omni sua gloria dicebat. Sap. 7. 1. *Sum quidem et ego mortalis homo, similis omnibus,* etc. Et Antiochus humiliatus et percussus à Deo : *Justum est,* ait, *subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire,* 2. Machab. 9. 12. Alexander Magnus, teste Curtio, in morte agnovit se hominem infirmum et imbellem : *En,* ait, *morior, quem falso Deum esse dicebatis.* Constantius Imp. Romam ingressus, Hormisdæ Persæ ostendens ejus magnificentiam, petiit quid sibi de ea videretur? Cui ille : *Romæ, æque ac alibi, homines moriuntur.* q. d. Mors omnem hanc magnificentiam tecum, cum magnificis tuis sepeliet. Ita Fulgos. lib. 7. c. 2. Alfonsus Arag. rex rogatus, *quæ res reges et privatos, divites et pauperes, claros et obscuros, denique omnes prorsus exæquaret?* respondit, *Cinis.* Quis enim ex cineribus, aut ossibus humanis terra crutis dignoscat, dicantque. Hic fuit rex; ille plebeius; hic dives, ille pauper? Ita Panorm. lib. 4. de Gestis Alfonsi. Nam ut secundus philosophus, rogatus ab Adriano Imp. *quid esset mors?* Respondit : *Mors est æternus somnus, dissolutio corporum, divitum pavor, pauperum desiderium, inevitabilis eventus, incerta peregrinatio, latro hominis, somni pater, fuga vitæ vivorum discessio, resolutio omnium.* Ita Laertius. Quocirca Musonius interrogatus, *quis optime extremum diem claudere posset?* ait : *Qui semper postremum vitæ diem sibi instare proposuerit.* Ita Maxim. ser. 36. *Facile enim contemnit omnia qui semper cogitat se moriturum,* ait Hieron. ad Paulinum. Hinc Ægyptii cadaver ligneum in convivio circumferebant, dicentes : *In hunc intuens pota et oblecta te, talis post mortem futurus,* teste Herodoto l. 3.

ANNUNTIANTES VOBIS AB HIS VANIS, à Jove, Mercurio, aliisque idolis, quæ non sunt aliud quam vani et mendaces dii, CONVERTI AD DEUM UNUM,] vivum, et verum. Nam, ut ait Lactant. lib. 1. de Falsa Religione c. 11. *Jupiter mortalis fuit, imbecillis et nihili : quippe qui potuit et tunc cum nasceretur extingui* (à patre Saturno) *sicut frater ejus ante genitus extinctus est; qui si vivere potuisset, nunquam minori concessisset imperium : ipse autem furto servatus, furtimque nutritus,* Ζεὺς *sive* ζην *appellatus est, non, uti isti putant, a fervore ignis cœlestis* (quasi ἀπὸ τοῦ ζεῖν, id est *fervore* quasi ipse sit igneus et fervida substantia, uti censuit Tertull. l. 1. contra Marc. cap. 13.) *vel quod vitæ sit dator. vel quod animantibus inspiret animas : quam enim possit inspirare animam, quam ipse accipit aliunde? sed quod primus ex liberis Saturni maribus vixerit, latitans in specu.* Unde Seneca in Hercul. furente :

> Quid? qui gubernat astra, qui nubes quatit,
> Num latuit infans rupis exesæ specu?

Subdit Lactantius Jovis libidines, fraudes, rapinas, etc. Similiter *Mercurius fur ac nebulo, quid ad famam sui reliquit, nisi memoriam fraudum suarum? Cœlo scilicet dignus, quia palæstram docuit, et lyram primus invenit,* inquit Lactant. ibidem c. 10. Unde Mercurius à Poetis vocatur furum, furtorum, somni et fraudum Deus. Vide S. Aug. l. 7. Civit. c. 9. et seq.

15. DIMISIT GENTES INGREDI VIAS SUAS,] sequi suas concupiscentias, errores et ficta numina. *misit* autem, non quasi eis omne virtutis et veritatis auxilium abstulerit. Sic enim necessario errassent, et impie egissent, ac proinde non peccassent. Nam usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium, ait S. August. lib. de Vera Relig. cap. 14. Sed quod generalia et modica dumtaxat, gratiæ et fidei præsidia eis elargitus sit specialia et magna reservans Christo et legi gratiæ; idque ex arcano ejus judicio et beneplacito. Ita se explicat Apostolus dum subdit : *Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit,* etc. Et Rom. 1. 20. docet, Gentiles potuisse et debuisse Deum ex creaturis agnoscere, imo multos agnovisse : *Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim Dei, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles : quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, nec gratias egerunt : propterea,* ait, *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, etc.* Vide ibi dicta, et S. August. Epist. 49. cap. 2. et S. Prosperum lib. 1. de Vocat. Gent. cap. 4. 5. et seq.

Impie et imperite Calvinus hæc adaptat Ecclesiæ, quasi illam pari modo permiserit Deus ire in errores, donec veniret Calvinus, qui illos sua luce dispelleret : illud enim est gentilismus et paganismus, aliud Christianismus et Ecclesia, quæ est domus Dei, columna et firmamentum veritatis, ut ait Apost. 1. Timoth. 3. 15. cum qua Christus se mansurum promisit usque ad consummationem sæculi, Matth. ult vers. ult.

16. DANS PLUVIAS,] quæ terram fœcundent, ad producenda omnia fructuum genera. Porro in Ægypto, ubi non pluit, Deus loco pluviæ dat Nilum qui statis temporibus exundans, eam facit fertilissimam, adeo ut olim horreum Romanorum vocaretur. Memorabile est quod scribit Socrates lib. 1. Histor. cap. 14. *Cum Gentiles,* ait, *affirmarent Serapidem esse, qui Nilum ad agros Ægypti irrigandos introduceret, propterea quod ulna quædam, id est mensura, aquæ inundantis, in templum Serapidis esset deportata; Imperator* (Constantinus Magnus) *ulnam illam ad Ecclesiam Alexandrinam transferri jubet,* quasi mensuram exundantis Nili Serapidi adimens, et Deo, cujus erat, asscribens. *Cum autem sermo percrebesceret, Nilum præ Serapidis ira deinceps minime inundaturum, non modo flumen anno sequenti extra ripas diffluxit, sed etiam inde reipsa planum factum est, Nilum non propter hujusmodi super-*

stitiosam Religionem, sed propter divinæ providentiæ decreta inundare consuevisse. Simile est quod scribit Sozomenus l. 7. c. 20. *Cum Theodosius Imp.* ait, *idolorum, ac consequenter Nili* (quem quasi Deum suum, ob fœcundationem agrorum, colebant Ægyptii) *cultum publico edicto sustulisset, Nilus tunc solito tardius ad primum exundationis gradum constitit. Indignabantur ergo Ægyptii, quod non liceret sibi more solito Nilo sacrificare, ut ab eo exundationem impetrarent. Verum Paulo post adeo præter solitum intumuit et exundavit, ut Ægyptii metuerent, ne Alexandropolim, quæ Libyæ pars erat, inundaret. Unde in theatris exclamabant, quod fluvius, velut senex ac delirus, eminxisset, ac ex eo plurimi Ægyptii patria superstitione damnata, ad Christianismum transierunt.*

Tempora fructifera.] Suis enim temporibus sibi invicem succedentibus, varios fructus et fruges producit Deus, quibus homini fastidium adimat, et perpetua novitate appetitum acuat et oblectet. Sic cesaris succedunt ficus, ficubus pruna, prunis pyra, pyris poma, pomis uvæ, etc. Unde Joannes Alba Electorum caput 94. per hypallagen sic exponit: *Dans tempora fructifera*, hoc est, dans fructus temporibus suis. Vide similes c. 1. 18.

17. Vix sedaverunt turbas.] Sacerdotis Jovis nulla hic fit mentio. Unde suspicatur Dionys. Carthus. eum cum audiret Jovem suum à Paulo despici et vanum vocari, venerationem in odium Pauli convertisse, eoque relicto domum abiisse.

Supervenerunt autem.] Studio id fecerunt ex zelo Judaismi, et odio Christianismi ac Pauli ut illum everterent.

18. Persuasis turbis.] Quod Paulus et Barnabas quasi novorum, non deorum, sed dæmonum essent præcones ideoque exitium urbi allaturi, forent lapidandi et occidendi, Iconii, quasi magi, paulo ante lapidati fuerant. Unde Græci quidam codices sic habent: *Et cum illi fortiter disputarent persuaserunt turbis, ut ab eis desciscerent dicentes, quod nihil veri dicerent, sed omnia mentirentur.*

Lapidantesque Paulum,] λιθάσαντες, id est, *cum lapidassent Paulum.* Unde videtur Paulus solus, quia dux erat verbi, lapidatus, non Barnabas, idque intra civitatem: nam paulo post *traxerunt extra civitatem existimantes eum mortuum esse;* Syrus, *propterea quod putarent eum mortuum esse.* Cadavera enim efferebant extra civitatem, ne eam contaminarent, et in agris sepeliebant. Lapidatur hic Paulus, quia prius lapidarat ipse Stephanum: congrue ergo patitur id quod alteri irrogavit. Sed irrogavit ut Saulus, patitur ut Paulus.

Moral. disce hic vulgi mobilitatem et inconstantiam: Paulo ante, imo eodem ut videtur, die, Paulum et Mercurium adorare volebat, mox ad sibilum Judæorum, eum ut sacrilegum lapidat. Vide dicta Num. 11. 4. et Num. 20. 3.

19. Circumdantibus autem eum discipulis.] Ut vel mortuum sepelirent, uti vult Cajetan. vel vivum tegerent et Judæis absconderent. Ita Lyran. et Hugo.

Surgens.] Miraculo Deus illico restituit sanitatem et vires Paulo, ut qui lapidibus obrutus, confractus et quasi enecatus jacebat, illico surgeret, ac postridie quasi valens validusque pergeret in Derben. Ita Lyran. Dionys. et Lorinus. Sic S. Sebastianus sagittis confixus, ac pro mortuo relictus, illico Dei virtute convaluit adiensque Diocletianum ejus impiam crudelitatem redarguit, ut habent ejus Acta.

20. Cumque Evangelizassent.] Ecce persecutione crescit, non decrescit animus virtusque Paulo, ut illico valentius et audacius iisdem in locis quibus lapidibus fuerat appetitus, Evangelizet. Unde S. Gregor. 31. Moral. c. 15. vel juxta aliam editionem 25. Paulum vocat equum generosum Dei: *Ecce,* ait, *lapidibus obruitur, nec tamen à veritatis sermone removetur. Occidi potest, superari non potest: velut extinctus extra urbem projicitur, sed intra urbem die alio illæsus prædicator invenitur. O quam fortis huic viro inest infirmitas! ô quam victrix pœna! ô quam dominatrix patientia! Ad arguendum repulsione provocatur, ad prædicandum salutem plagis erigitur, et ad propellendum laboris lassitudinem pœna refovetur.* Ita S. Abraham Eremita, uti refert S. Ephrem in ejus Vita, missus ad convertendum Paganos, feros et barbaros, ab eis assidue irrisus, vexatus, verberatus, sed fortior assurgens, et majorem amorem semper ostendens, per triennalem hanc patientiam, amorem et constantiam tandem eos convertit. Ergo *tu ne cede malis, sed contra audentior ito.*

21. Quoniam per multas tribulationes.] Crux enim à Deo statuta est via paradisi, quam Christum inire, et nobis præire voluit. Infert hinc S. Hieron. epist. ad Ocean. de ferendis opprobr. *Si,* inquit, *per multas tribulationes quibusdam cœlestis regni aditus aperitur, illis utique claditur, qui nolunt sustinere vel paucas.* Idem epist. 1. ad Heliodorum; *Delicatus,* inquit, *es, si et hic vis gaudere cum sæculo, et postea regnare cum Christo.* Scripsit hac de re totum caput ultim. lib. 2. de Imitat. Christi noster Thomas Theodidactus (falso Gerson indigitatus) aureis refertum gnomis; illudque hac sententia concludit: *Omnibus ergo perfectis et servatis, sit ista finalis conclusio: quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Porro dixit hoc Paulus occasione persecutionis suæ, quam assidue patiebatur à Judæis, ne Gentiles conversi ea offensi, resilirent à fide, præsertim cum similia eis ob fidem pati contingeret. Præmunit ergo eos, ut sciant sibi causa fidei multa esse toleranda.

Nota τὸ *oportet.* q. d. Necesse est, ita fieri debet, aliter fieri nequit: idque primo, quia ita sanxit et decrevit Deus. q. d. Æterna et irrevocabili Dei lege sancitum est, ut via ad cœlum sit tribulatio: et ab hoc decreto neminem excepit, sed eo omnes inclusit: ergo nemo ab eo se excipiendum putet: velis, nolis, crux ab æterno à Deo decreta, tibi subeunda est: subi ergo eam volens; ne, si nolens; pœnam tibi duplices, ac meritum et coronam amittas. Secundo, *oportet,* quia decet et congruit, ut tantum Dei regnum emereamur heroicis operibus, agendo et patiendo multa ardua pro Deo et cœlo: nec enim datur corona, nisi post agonem. *Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Quociraa Joan. Abdas dixit, *portam cœli esse Injuriarum perpessionem. Hæc,* inquit, *est porta Dei, per quam patres nostri per multas tribulationes et injurias gaudentes ingressi sunt civitatem Dei.* Ita in Vitis Patr. lib. 3. n. 84. auctore Ruffino. Et num. 85. narratur de alio, qui rogans dicensque: *Da mihi Pater unam rem quam custodiam, et salver per*

eam; audivit : *Si potueris injuriari et affici convitiis, et portare ac tacere, magna est hæc res, et super alia mandata.* Tertio, *oportet,* quia Christus caput nostrum per crucem ingressus est in cœtum : membra autem decet conformari suo capiti. *Si enim compatimur, et conglorificabimur,* Rom. 8. 17. Quarto, *oportet,* quia Patriarchæ, Apostoli, Martyres, Virgines, Anachoretæ, Sanctique ad unum omnes hac via ingressi sunt in cœlum : nos ergo diversam ingredi non convenit. Quinto, *oportet,* quia tribulatione veluti nitro et lixivio peccata expianda sunt et concupiscentiæ motus restinguendi, et expurgandi. Sexto, *oportet,* quia vita hæc plena est miseriis, tentationibus, persecutionibus, etc., quas nemo evadere potest. Quocirca Ptolemæus, ut habetur in præfatione Almagesti, inter alias gnomas hanc edidit : *Qui in mundo permanere voluerit, cor patiens adversitatibus præparet.* Et Menander : *Necesse est mortalem multa perpeti mala.* Solon vero Crœso regi ditissimo beatum se æstimanti : *O Crœse,* inquit, *homo est quædam gravis calamitas. Quare ante mortem nemo beatus censendus est.* Ægre accipit id Crœsus, sed reipsa id verum esse didicit, quando captus à Cyro rogoque adjudicatus, *Solon, Solon,* inquit, *quam vera dixisti!* ita Herodotus l. 1. Quocirca Seneca l. 1. de Vita beata c. 15. *Ad hoc sacramentum,* inquit, *adacti sumus, ferre mortalia, nec perturbari his quæ vetare nostræ potestatis non est. In regno nati sumus : Deo parere libertas est.* Septimo, *oportet,* quia qui pietati studet hostes habet infensissimos, nimirum dæmones omnes, mundum, carnem, ac sæpe amicos, cognatos, fratres et parentes, qui eum tentant: vexant, tribulant, juxta illud : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem, patientur,* 2. Timoth. 3. 12. Octavo, *oportet,* quia dulcia non meruit qui non gustavit amara : nemo enim sentit quam dulce sapiat, nisi qui sensit quam amarum desipiat. Hinc Christus *favos post fella gustavit,* ait Tertull. de Corona militis c. 14. post gustatum enim fel, optime sapit mel. Sic œnopolæ ut vina sua hospitibus commendent, eis libanda dant nonnulla insipida et acerba. Cum proficisserer Romam per Germaniam, vir prudens hoc mihi dedit consilium : in hospitiis hospiti vinum propinanti, rogantique num bonum sit, respondeto, esse bonum, illudque laudato : tum enim melius et melius dabit, ut ostendat se optimis vinis abundare. Si enim dicas esse malum, illudque vituperes, hospes dabit pejus semper et pejus, ut cogaris repetere prius, dicereque illud fuisse longe melius. Itaque mihi res evenit. Sic et Deus congrue suis electis dat hic fel, et vinum austerum tribulationis, ut post illud eis melius sapiat mel, et nectar consolationis et fruitionis Dei in cœlo. Vide dicta de tribulationis utilitate Gen. c. 22. 1. et c. 33. in fine, et c. 42. v. 21. Rom. 8. 17. Daniel. 11. 35. et alibi. Ita S. Urbanus Pontifex magister S. Cæciliæ, cum eum in carcere inclusum visitarent Fortunatus et Justinus Presbyteri, flentesque dicerent : *Ora pro nobis sanctissime Pater, quia tempus persecutionis imminet;* respondit : *Nolite ex hoc flere, sed magis gaudete; per multas enim tribulationes oportet nos introire in regnum Dei,* ac paulo post productus ad tribunal gloriosum martyrium obiit anno Christi 233. Ita habent ejus Acta.

22. Et cum constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros.] Græce χειροτονήσαντες, quod Erasmus, Pagninus et Tigurina (et innuit Syrus) vertunt, *cum per suffragia elegissent,* vel *creassent eis Presbyteros,* quasi hi Presbyteri creati sint à laicis, puta suffragiis populi : χειροτονία enim est manus extensio, solebat enim populus manum elevando ferre suffragium. Hoc verum est in creatione Magistratuum civilium, at non Ecclesiasticorum : hi enim non à laicis, sed ab Ecclesiasticis, puta ab Episcopis, creantur et ordinantur.

Id ita esse patet Primo, quia τὸ χειροτονήσαντες spectat Paulum et Barnabam, non populum, ut patet intuenti textum. Ergo Paulus et Barnabas erant χειροτονήσαντες, id est, *manus extendentes,* sive *manus imponentes* super Presbyteros, atque hac manuum impositione eos sacro ritu ordinantes, non populus.

Secundo, quia Paulus 1. Timoth. 4. v. 14. *Noli,* ait, *negligere gratiam, quæ tibi data est per impositionem manuum Presbyterii,* id est, cœtus Presbyterorum. Presbyteri ergo manus imponebant ordinandis, non laici. Et c. 5. 22. *Manus cito nemini imposueris.* Et 2. Timoth. 1. 6. *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum,* non populi.

Tertio, quia χειροτονέω in novo Testamento est χειροθεσία, id est, *manus impositio,* hoc est, sacra Ordinatio, ut patet ex locis jam citatis : idque diserte docet S. Chrysost. hom. 10. in epist. 1. ad Timoth. S. Hieron. in c. 58. Isaiæ, Theodor. l. 1. Histor. c. 9. et Græci passim, qui χειροτονίαν vocant Ordinationem, qua Episcopi manus non elevant ad dandum suffragium, sed imponunt ordinando, ut eum Episcopum vel sacerdotem consecrent. Idem patet ex canon. 1. Apostol. et ex Concil. Nicæno, quod citat Theodor. loco jam dicto, et Concil. Laodicen. c. 5.

Quarto, idem patet ex continua et immemorabili praxi Ecclesiæ, quæ Ecclesiæ ministros constituit per impositionem manuum Episcopi, non per suffragia populi; esto aliquando Episcopi ex indulgentia concesserint populo jus eligendi et præsentandi ordinandos, uti etiamnum multi principes habent jus patronatus præsentandi Abbates et Episcopos : verum ita, ut eos non constituant, nec ordinent, sed constituendos et ordinandos offerant Pontifici.

Quinto, quia ita Christus per se ordinavit Apostolos in Episcopos et Presbyteros, sine ullo populi suffragio. Atque idem facere jussit Apostolis, non solum suo exemplo, sed et verbo, dicens in ultima cœna, cum eos ordinavit Sacerdotes : *Hoc facite.* Christus enim instituit modum ordinandi, æque ac conferendi reliqua Sacramenta.

Presbyteros,] tum summos, id est, Episcopos; tum minores, id est Sacerdotes. Episcopi ergo nomine Presbyterorum comprehenduntur, uti dixi 1. Timoth. 3. v. 1. et 8.

Et orassent cum jejunationibus.] Est hysterologia, oratio enim et jejunium præmissum fuit Ordinationi Presbyterorum, æque ut præmissum fuit in Ordinatione Pauli et Barnabæ, cap. præcedenti v. 2. et 3. atque etiamnum præmittitur Ordinationi, quæ proinde fit prævio jejunio quatuor temporum. Idipsum liquet ex Græco, ubi non est conjunctio etc., sed tantum aoristus προσευξάμενοι, id est, *postquam orassent.* q. d. Cum post orationem et jejunium constituissent eis Presbyteros. Porro Lyranus per ora-

tionem accipit hic sacrificium Missæ : in ea enim est solemnis et publica oratio, in qua proinde ordinari solent Ecclesiæ ministri. Vide dicta capite præcedenti v. 2. et 3.

COMMENDAVERUNT (puta Paulus et Barnabas *eos*, fideles Lystrenses, Iconienses, etc. cum Presbyris quos eis constituerant) DOMINO IN QUEM CREDIDERUNT.] Ut is eos in fide suscepta conservaret et promoveret. Minus recte ergo nonnulli inverse sic explicant. q. d. Fideles conversi commendarunt Paulum et Barnabam Domino, ut is eorum iter et prædicationem dirigeret et secundaret, utpote *in quem crediderant*, id est, cujus providentiæ totos se commiserunt et tradiderunt.

24. ATTALIAM.] Perperam Vatabl. legit, *Italiam*. Sic et Interpres Syri male legit et vertit, *Litaleia*, cum alio puncto legere et vertere debuisset *Latalia*, id est, *in Italiam*. Longe enim aberant hi Apostoli ab Italia : nec Paulus venit in Italiam ante annum secundum Neronis, quo Romam ad eum vinctus missus est à Festo, Actor. 27. 1. Errant ergo qui aliter sentiunt. Attalia urbs est et regio in Pamphylia. Ita Ptolemæus lib. 5. c. 6. et Strabo lib. 14. Vel certe juxta Pergamum, cujus rex fuit Attalus, unde vestes Attalicæ, quæ ibi fiebant. Opus enim Attalicum est, in quo staminibus sericis aurea subtegmina intexuntur : nos telam auream vocamus. De quo Plinius l. 3. c. 48. *Acum facere Phryges invenerunt, ideoque Phrygiones appellati sunt. Aurum intexere in eadem Asia invenit Attalus rex : unde nomen Attalicis. Colores diversos picturæ intexere Babylon maxime celebravit, et nomen imposuit. Plurimis vero liciis texere, quæ polymita appellant. Alexandria instituit Scutulis dividere Gallia.*

25. UNDE ERANT TRADITI GRATIÆ DEI.] Puta traditi Spiritui sancto, eos exposcenti ac dicenti c. 13. 2. *Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Spiritus sanctus enim est Spiritus gratiæ, qui gratis et copiose suis, præsertim præconibus, dona quælibet gratiarum ad ministerium hoc opportuna aspirat et subministrat. Gratia ergo Dei hic significat Spiritus sancti directionem, roborationem, illustrationem, quibus animabat Paulum et Barnabam, eosque suo spiritu et zelo igniebat ad efficaciter et ardenter evangelizandum, et ad patrandum miracula, quibus converterentur Gentiles. Secundo, *traditi gratiæ*, id est, gratuito apostolatui et legationi ad Gentes : apostolatus enim ingens est gratia. Unde nonnuli per hypallagen sic exponunt : ubi traditi erant gratiæ Dei, id est, ubi tradita erat eis gratia Ordinationis et apostolatus, hoc est, ubi ordinati erant Episcopi, et constituti Apostoli jussu Dei. Tertio, τῇ *gratiæ* notat faustas Antiochensium Presbyterorum et fidelium apprecationes, quibus Paulo et Barnabæ abeuntibus ad apostolatum omnia fausta, omnemque Dei gratiam et benedictionem apprecabantur commendantes eos Deo ejusque misericordiæ et gratiæ Unde hanc gratiam explicans Lucas v. 26. ait, *Quanta fecisset Deus cum illis :* Deus enim ejusque gratia, erat quasi pædagogus et auriga Pauli. Hic sensus videtur planissimus, ut Paulus dicatur traditus gratiæ Dei per hypallagen, hoc est, commendatus Deo, qui omnis gratiæ liberalissimus est donator viris Apostolicis.

IN OPUS (ad opus apostolatus) QUOD COMPLEVERUNT,] id est, fideliter, plene et perfecte obiverunt. Sic Paulus jubet Timotheo epist. 2. c. 4. 5. dicens : *Ministerium tuum imple.* Et Christus angelo, id est Episcopo, Sardensi arguens dicit Apocal. 3. 2. *Esto vigilans, et confirma cætera quæ moritura erant ; non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.* Vide ibi dicta. Baronius censet, Barnabam et Paulum in hoc opere peregrinationis et apostolatus sui posuisse quinque annos. Exisse enim Antiochia ad prædicandum anno Christi 44. qui fuit Claudii Imp. 2. vel. 3. rediisse vero anno Christi 49. qui fuit Claudii septimus, et majori ex parte octavus.

ET QUIA APERUISSET GENTIBUS OSTIUM FIDEI.] Hoc est, Gentes per prædicationem vocasset ad fidem, ac per fidem et baptismum vocasset et admisisset in suam Ecclesiam et cœtum fidelium : Ecclesiæ enim ostium est fides et baptismus. Ostium ergo fidei, est prædicatio Evangelii et fidei, tum externa per Paulum, tum interna per Spiritum sanctum, qua spiritus sanctus intellectum et voluntatem movet, ut intendat prædicationi externæ, eique credat et obediat; per prædicationem enim quasi per ostium aurium, sermo fidei fidesque ingreditur in animam, ac seipsam animæ insinuam et persuadet : atque vicissim anima ingreditur in fidem, ei se submittendo, credendo et tradendo in obsequium Dei, Christi et Apostolorum ejus. Sic moraliter Deus fidelibus aperit ostium humilitatis, patientiæ, charitatis, vitæ religiosæ et Apostolicæ, dum eis inspirat pias affectiones, motus et desideria humilitatis, patientiæ, charitatis, vitæ religiosæ et Apostolicæ, juxta illud quod ait Christus de sua passione et obedientia usque ad mortem crucis, Isaiæ 50. 5. *Dominus Deus aperuit mihi aurem : ego autem non contradico, retrorsum non abii.*

MORATI SUNT AUTEM TEMPUS NON MODICUM CUM DISCIPULIS,] Antiochiæ. Baron. censet Paulum et Barnabam post reditum Antiochiæ mansisse biennium, puta anno Christi 49. et 50. usque ad Concilium primum Hierosolymitanum, quod celebratum esse asserit anno Christi 51. de quo capite sequenti.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

ANTIOCHIÆ ORITUR QUÆSTIO, AN GENTILES CHRISTIANI DEBEANT CIRCUMCIDI ET SERVARE LEGEM MOYSI? AD EAM SOLVENDAM MITTITUR AD APOSTOLOS HIEROSOLYMAM PAULUS CUM BARNABA. APOSTOLI COGUNT PRIMUM CONCILIUM, IN QUO RESPONDENT ET DEFINIUNT, CHRISTIANOS NON OBLIGARI LEGE MOSIS. RESPONSUM HOC ANTIOCHIAM REFERT. PAULUS ET BARNABAS; QUI PAULO POST SEPARATI, PAULO ASSUMENTE SILAM, BARNABA JOANNEM MARCUM, PERGUNT EVANGELIZARE GENTIBUS.

1. Et quidam descendentes de Judæa, docebant fratres: Quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari. 2. Facta ergo seditione non minima Paulo et Barnabæ adversus illos, statuerunt ut ascenderent Paulus et Barnabas, et quidam alii ex aliis, ad Apostolos et Presbyteros in Jerusalem, super hac quæstione. 3. Illi ergo deducti ab Ecclesia, pertransibant Phœnicen et Samariam, narrantes conversionem Gentium et faciebant gaudium magnum omnibus fratribus. 4. Cum autem venissent Hierosolymam, susceptі sunt ab Ecclesia, et ab Apostolis, et senioribus, annuntiantes quanta Deus fecisset cum illis. 5. Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque servare legem Moysi. 6. Convenerunt que Apostoli et seniores videre de verbo hoc. 7. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Evangelii, et credere. 8. Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut et nobis, 9. et nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum. 10. Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? 11. Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi. 12. Tacuit autem omnis multitudo: et audiebant Barnabam et Paulum narrantes quanta Deus fecisset signa et prodigia in gentibus per eos. 13. Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus, dicens: Viri fratres, audite me. 14. Simon narravit quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex Gentibus populum nomini suo. 15. Et huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est: 16. Post hæc reverter, et reædificabo tabernaculum David, quod decidit: et diruta ejus reædificabo, et erigam illud: 17. ut requirant cæteri hominum Dominum, et omnes gentes, super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc. 18. Notum à sæculo est Domino opus suum. 19. Propter quod ego judico, non inquietari eos qui ex Gentibus convertuntur ad Deum. 20. Sed scribere ad eos ut abstineant se à contaminationibus simulacrorum, et fornicatione, et suffocatis, et sanguine: 21. Moyses enim à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne sabbatum legitur. 22. Tunc placuit Apostolis, et senioribus cum omni Ecclesia, eligere viros ex eis, et mittere Antiochiam cum Paulo et Barnaba Judam, qui cognominabatur Barsabas, et Silam, viros primos in fratribus. 23. Scribentes per manus eorum: Apostoli et Seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ, et Syriæ, et Ciliciæ, fratribus ex Gentibus, salutem. 24. Quoniam audivimus quia quidam ex nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus: 25. placuit nobis collectis in unum, eligere viros et mittere ad vos, cum charissimis nostris Barnaba et Paulo. 26. Hominibus, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi. 27. Misimus ergo Judam et Silam, qui et ipsi vobis verbis referent eadem. 28. Visum est enim Spiritui sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria: 29. ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione; à quibus custodientes vos, bene agetis, Valete. 30. Illi ergo dimissi, descenderunt Antiochiam, et congregata multitudine tradiderunt epistolam. 31. Quam cum legissent, gavisi sunt super consolatione. 32. Judas autem et Silas, et ipsi cum essent

Prophetæ, verbo plurimo consolati sunt fratres, et confirmaverunt. 33. Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace à fratribus, ad eos qui miserant illos. 34. Visum est autem Silæ ibi remanere : Judas autem solus abiit Jerusalem. 35. Paulus autem et Barnabas demorabantur Antiochiæ, docentes, et evangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini. 36. Post aliquot autem dies, dixit ad Barnabam Paulus : Revertentes visitemus fratres per universas civitates, in quibus prædicavimus verbum Domini, quomodo se habeant. 37. Barnabas autem volebat secum assumere et Joannem, qui cognominabatur Marcus. 38. Paulus autem rogabat eum (ut qui discessisset ab eis de Pamphylia, et non isset cum eis in opus) non debere recipi. 39. Facta est autem dissensio, ita ut discederent ab invicem, et Barnabas quidem assumpto Marco navigaret Cyprum. 40. Paulus vero electo Sila profectus est, traditus gratiæ Dei à fratribus. 41. Perambulabat autem Syriam, et Ciliciam, confirmans Ecclesias : præcipiens custodire præcepta Apostolorum, et Seniorum.

1. Et quidam descendentes de Judæa.] Judæi ergo hujus litis et quæstionis fuere auctores : nam pro suo judaismo certantes, prætendebant solis Judæis promissum et missum esse Messiam, ejusque gratiam et salutem; ac proinde Gentiles non esse capaces Messiæ et Christianismi, nisi prius fiant Judæi. Horum auctor fuit Cherintus, teste Epiphanio hæresi 28. et Philastrio lib. de hæret. 8. *Hic*, inquit, *sub Apostolis quæstionem seditionis commovit, dicens debere circumcidi homines : cujus causa contra ipsum et hæresin ejus decreverunt de suis Actibus Apostoli sententiam, non debere jam homines judaismo, id est circumcisioni, aliisque talibus superstitionis vanæ parere carnalibus, qui de Gentibus venientes credebant in Christum Dominum nostrum Salvatorem.* Idem habet S. August. in catalogo hæresum, et S. Hier. epist. 89. Unde et Cherintus fideles concitavit contra S. Petrum, eo quod baptizasset Cornelium, ut vidimus cap. 10. et rursum concitavit Judæos, ut Paulum quasi judaismi hostem caperent, uti audiemus cap. 21. Cherinti assecla fuit Ebion qui mentiebatur Paulum esse Gentilem, sed factum esse proselytum, ut Hierosolymis filiam sacerdotis in uxorem ducere posset : verum hac spe dejectum, factum esse hostem Judæorum et judaismi. Ita Epiphanius hæresi 30.

Quia nisi circumcidamini,] sub circumcisione per synecdochen, totam legem Mosis et judaismi intellige, hujus enim initium, ingressus et professio erat circumcisio, æque ac baptismus legis novæ et Christianismi, ut docet Apostolus Galat. 5. 3.

Secundum morem Moysi,] à Mose præscriptum in lege. Unde Syrus vertit, *ritu legis.*

2. Facta ergo seditione.] Græce στάσεως καὶ ἐκζητήσεως, id est, *facta contentione et diceptatione :* στάσις enim significat non tantum *seditionem*, sed et *secessionem, dissensionem, discordiam, certamen, contentionem :* et sic Noster Interpres summit hic seditionem pro secessione et acri contentione. q. d. Paulus et Barnabas secesserunt, et dissenserunt à Cherinto Judaizantibus, atque contra eos acriter contenderunt, Gentiles non debere circumcidi et servare legalia. Unde Syrus vertit, *ortus est tumultus plurimus et disceptatio.* Ex clamosa enim contentione partium litigantium oritur tumultus, schisma et seditio. Est catachresis et metalepsis : seditio enim ponitur pro contentione, ex qua consequi solet : alioqui Paulus proprie seditiosus dici nequit, sed potius Cherintus et Judaizantes : cum seditiosis autem seditiose agendum ; sicut enim bellum non nisi bello propulsatur, sic et tumultus, non nisi tumultu seditio non nisi seditione, contentio non nisi contentione superatur et sedatur. Nisi enim hæreticis fortiter sese opponant Catholici, suosque omnes in partem suam ad resistendum evocent, à factione et furore hæreticorum opprimentur. Dicitur enim *seditio* quasi *seorsum itio.* Unde Cicero lib. 6. de Republ. C. 7. declarat seditionem à dissensione civium dictam esse, quod seorsum eant alii in alium. Idem actione 3. in Verrem : *Malus civis*, inquit, *improbus Consul, seditiosus homo Cneus Carbo fuit.* Seditio ergo bona, vel mala est, prout causa bona, vel mala est. Denique seditio hæc potius populo tribuenda est, quam Paulo. q. d. Populus fidelis audito jugo legis, quod ei imponere volebant Judaizantes, concitavit tumultum et seditionem, ac tumultuans adortus est Paulum et Barnabam, eosque coegit insurgere contra Judaizantes, ac populi libertatem Christianam propugnare.

Ut ascenderet Paulus.] Cum Tito, ait Theodor. quem maxime impetebat Cherintus, ejusque asseclæ, eo quod cum esset Gentilis, et conversus ad Christum à Paulo, non tamen fuisset circumcisus, uti ait Apostol. Galat. 2. vers. 1. Ubi et asserit, se non tantum missum ab Antiochenis, sed et *secundum revelationem*, est, accepto oraculo jussuque Dei ascendisse in Jerusalem, ut Evangelium. quod prædicabat Gentibus, conferret cum Apostolis, ne Judæi criminari possent, eum quasi Christi posthumum dissentire ab Apostolis, qui cum Christo vixerant, ab eoque edocti erant.

Et quidam alii ex aliis.] Ex parte adversa Cherinti et Judaizantium, ut utraque dissidentium pars suas rationes proponeret Apostolis, quibus auditis ipsi pronuntiarent sententiam, litemque deciderent. Minus recte aliqui per *alios* accipiunt Titum et alios Paulo et Barnabæ adhærentes. Nam τὸ *alii ex aliis*, significat eos fuisse ex parte adversa; atqui in judicio debet utraque pars audiri. Ita Mariana.

Ad Apostolos.] S. Petrum, Jacobum et Joannem, ut patet Galat. 2. 9. cæteri enim Apostoli dispersi erant per orbem. Joannes enim facile Epheso poterat evocari, uti et Mathias, et si qui alii in locis vicinis degebant. Jacobus aderat, utpote Episcopus Hierosolymorum. Alter enim Jacobus Zebedæis, frater Joannis, jampridem erat occisus : S. Petrus Roma expulsus cum cæteris Judæis à Claudio, ut patet cap. 18. 2. pariter in Jerusalem quasi fidelium matricem, nutu Dei redierat. Hoc ergo Concilium tribus primariis Apostolis constabat. Ita Baronius. Ad-

dit S. Clemens lib. 6. Constit. cap. 12. omnes duodecim Apostolos per orbem dispersos, instinctu Dei in Jerusalem convenisse, et quæstionem hanc definivisse. Verum id magnam habet difficultatem. Nam Jacobus Zebedæi, qui erat unus è duodecim Apostolis, quemque mox c. 14. expresse nominat Clemens, huic Concilio interesse non potuit, utpote jam pridem occisus ab Herode. Quare liber hic à Baronio, Bellarmino et aliis censetur apocryphus. Nam et lib. 3. c. 6. distinguit Mariam Magdalenam à Maria sorore Lazari, cum constet unam eamdemque fuisse, lib. 3. c. 2. quartas nuptias vocat libidinem et manifestam impudicitiam. lib. 7. c. 24. jubet servari festum sabbati, æque ac Dominicæ l. 6. c. 14. Jacobum fratrem Domini et primum Episcopum Hierosolymorum, constituit extra numerum duodecim Apostolorum, ponitque tres Jacobos, primum Zebedæi, secundum Alphæi, quos ait fuisse Apostolos, tertium fratrem Domini, quem negat fuisse Apostolum, sed Episcopum dumtaxat fuisse asserit. Esto hæc mitigare et excusare contendat noster Turrianus, qui censet hos libros germanos esse S. Clementis et incorruptos.

Et Presbyteros.] Tum sacerdotes, tum Episcopos. Episcopi enim soli sunt judices, habentque jus suffragii in Concilio : Presbyteri autem intersunt ut consiliarii et doctores, qui controversiam in utramque partem agitant et explicant, ut Episcopi deinde eam decidant. Vide Bellarm. lib. 1. de Conciliis c. 15. et 16.

5. Surrexerunt autem quidam.] Hæc verba accipi possunt vel ut Pauli et Barnabæ, vel ut Lucæ : ut Pauli et Barnabæ, si cum Syro subaudias, *sed inquiunt*, quasi hic incipiant ipsi proponere suam cum Judæis controversiam : ut Lucæ, si dicamus Paulo perorante, et Gentium controversionem celebrante, exsurrexisse ejus adversarios eum criminantes, quod Gentes admitteret ad Christianismum, nec tamen cogeret eas circumcidi, fierique prius Judæos. Hunc secundum sensum videntur præ se ferre plana Lucæ verba : et verisimile est Pauli accusatores et hostes, eo loquente causamque suam agente, non tacuisse. Priorem tamen exigere videtur ipsa narratio, et connexio historiæ. Plane enim videtur Paulus loquens simul statum controversiæ, ob quam mittebatur, exposuisse. Idque exposcit vox *eos :* cum subdit, *Dicentes : quia oportet circumcidi eos :* quos? Utique Gentiles quorum conversionem celebrabat Paulus. Sæpe enim Hebræi suppositum, vel nomen substantivum intelligendum reliquunt ex Historiæ circumstantia. Idem exposcit narratio hujus Historiæ, quam facit sanctus Petrus apud sanctum Clementem lib. 6. Constit. Apostolorum cap. 12.

De hæresi (secta) Pharisæorum.] Erat hæc primaria secta judaismi, quæ proinde acrius pugnabat pro judaismo, etiam post conversionem ad Christum, ut nobilitatem suam, quam habuerat et acceperat ex judaismo, tueretur. Pharisæi hi litem moverant Paulo Antiochiæ, futuri pariter actores contra eumdem, vel per se, vel per suos apud Apostolos. Sin juxta secundum sensum jam datum magis eos fuisse in Jerusalem, dicito subornatos fuisse à Judæis Antiochenis, Pauli hostibus, ut Judaismi causam contra Paulum Hierosolymis agerent. Pharisæi enim erant honorati inter Judæos, ac consequenter et inter Christianos, utpote qui ex Judæis prodierant.

Circumcidi eos.] Gentiles, quorum causa hic agebatur, quosque nominavit v. 3. et c. præcedenti vers. 26.

Præcipere quoque servare, id est, ut servent Gentiles, legem Moysi,] æque ac servant Judæi.

6. Convenerunt que Apostoli et Seniores.] Puta Presbyteri, de quibus vers. 2. Hic ergo fuit primus conventus Ecclesiæ primumque Concilium, in quo acta est causa Christianismi contra judaismum. Porro hoc Concilium celebratum fuit anno 14. à conversione S. Pauli, ut ipse ait Galat. 2. 1. qui fuit annus à passione Christi 16. ab ejus nativitate 51. Claudii Imper. nonus : quo anno à Claudio Judæos expulsos fuisse Roma, et consequenter S. Petrum tradit Orosius l. 7. Histor. c. 6. Ita Baron. Bellarm. in Chronol. Lorinus et Perer. præfatione in epist. ad Rom. disp. 1. nu. 34. licet S. Hieron. et alii numerando illos annos 14. non à conversione S. Pauli, sed à triennio post eam acto Damasci in Arabia, de quo Galat. 1. v. 18. censeant hoc Concilium celebratum triennio tardius, nimirum anno 17. à conversione S. Pauli, qui fuit annus Christi 54. Claudii Imper. 12. vel 13. Vide dicta Galat. 2. 1. Sic post trecentos fere annos, puta anno Christi 325. secundum Concilium celebratum est, nimirum Nicænum primum, sub Constantino Imp. et Sylvestro Pontif. in quo acta est causa divinitatis Christi contra Arrium. Deinde post annos 56. puta anno Christi 381. sub Theodosio seniore celebratum est tertium Concilium OEcumenicum, puta Constantinopolitanum primum, in quo acta est causa divinitatis Spiritus sancti contra Macedonium. Quartum Concilium generale fuit Ephesinum, celebratum anno Domini 430. in quo acta est causa unius personæ in Christo contra Nestorium. Quintum fuit Chalcedonense sub Leone 1. Pont. et Marciano Imper. anno Domini 451. in quo acta est causa duarum naturarum in Christo contra Euthychetem. Hisce ultimis quatuor Conciliis S. Gregorius quatuor Evangeliis honorem haberi voluit.

7. Surgens Petrus,] quasi Princeps Apostolorum et Primas Ecclesiæ, qui audita controversiæ in utramque partem disceptatione, hic eam primus, quasi judex definit. Unde mox ejus sententiam sequitur S. Jacobus, et cæteri omnes. Ita S. Hieron. epist. 89. quæ. 11. est inter epist. S. August. cap. 3. ubi ait, Petrum fuisse principem hujus Decreti. Et Theodor. epist. ad Leonem Papam : *Si Paulus*, inquit, *præco veritatis, tuba sancti Spiritus, ad magnum Petrum cucurrit, ut iis qui Antiochiæ de legalibus institutis contendebant, ab ipso afferret solutionem; multo magis nos qui abjecti sumus et pusilli, ad Apostolicam vestram sedem currimus, ut Ecclesiarum vulneribus medicinam à vobis accipiamus. Vobis enim per omnia primos esse convenit.*

Quoniam ab antiquis diebus.] Id est, jampridem, jamdiu, ab olim, puta primo in actu exercito à conversione Cornelii, quæ contigit sub annum Christi 37. uti ostendi c. 10. in fine : inde enim computando usque ad annum Christi 51. quo hæc dixit Petrus, fluxerunt anni 14. de quibus recte dici potest, *Ab antiquis diebus*, puta ab initio nascentis Evangelii, et prædicationis apud Gentes. Secundo in actu signato Matth. 16.

18. ubi Petrus audivit à Christo : *Tu es petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Id autem dixit Christus sub annum vitæ suæ 33. hoc est, ante octodecim annos. Aliqui exponunt, *à diebus antiquis*, id est, ab æterno. Ita Prosper. lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 18. Verum minus genuine.

DEUS IN NOBIS ELEGIT PER OS MEUM.] q. d. Deus inter nos me primum et principem elegit Apostolum, per cujus os Gentes audiant Evangelium et credant. S. Chrysost. pro *in nobis*, legit *in vobis*, explicatque *in Palæstina*, vel *præsentibus vobis.*

8. ET QUI NOVIT CORDA DEUS,] ὁ καρδιογνώστης θεὸς, id est, *Deus qui est cardiognostes*, hoc est, arcanorum cordis scrutator et inspector, scilicet, novit corda Gentilium credentium Evangelio sincere quærere Deum, et salutem suam, ac proinde capacia esse gratiæ, justitiæ et salutis allatæ à Christo; ac consequenter eos admittendos esse ad Ecclesiam et Christianismum. Unde et hujus sinceritatis et capacitatis *testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum*, in visibili specie ignis vel linguarum ignearum *sicut et nobis*, uti dedit Cornelio ejusque familiæ, Actor. 10. 44.

9. ET NIHIL DISCREVIT INTER NOS ET ILLOS] scilicet inter Judæos et Gentiles, quoad gratiam, justitiam et salutem. q. Deus non est acceptor personarum, Judæos in Christianismo præferat Gentilibus.

FIDE PURIFICANS CORDA EORUM.] Occurrit objectioni judaizantium; dicebant enim: Gentiles sunt impuri, utpote idololatræ et scelerati: ergo non sunt admittendi ad puritatem Christianismi. Respondet Petrus, Gentiles in gentilismo fuisse impuros, sed Deum per fidem eos purificasse tum ab idololatria, tum à sceleribus: per fidem enim agnoverunt idola esse falsos deos, Deumque verum esse unum in essentia, et trinum in personis. Rursum per idem purificati, id est, justificati sunt à peccatis. Intellige fidem, non nudam, sed sese exerentem in actus spei, contritionis, charitatis observationis mandatorum et bonorum operum; sive, ut ait Paulus, fidem quæ per charitatem operatur. Vide canones 2. et 3. in S. Paulum.

10. NUNC ERGO QUID TENTATIS DEUM?] Tentat Deum, qui ejus clara certaque dicta et jussa in dubium revocat. Talis enim tentat Deum, an vere et serio, non joco hoc dixerit et jusserit; aut certe an in dictis et jussis suis sit firmus et constans. q. d. Deus clare et certo manifestavit suam voluntatem esse, ut Gentiles admittantur ad Christianismum, cum in eos visibiliter misit Spiritum sanctum; quid ergo, ô Judaizantes, eam in dubium revocatis, itaque Deum tentatis, an serio hoc velit, aut in voluntate sua sibi constet et perseveret? illud enim est facere Deum ludionem et ridiculum, hoc levem et inconstantem. Secundo, tentatis Deum: quia conamini ejus voluntatem agnitam ad vestram, quæ contraria est, inflectere, ut contra id quod decrevit, imponat jugum legis Gentilibus, quia id vos vultis et cupitis. Tertio, ait Cajet. *tentatis Deum*, id est, ad iram et vindictam provocatis, dum vultis experiri an ipse incredulitatem et injuriam, quam non credendo ei irrogatis, ulcisci possit et velit.

IMPONERE,] ὑπιθεῖναι. Tigurina et Pagn. vertunt, *ut imponatur*, scilicet à Deo, sive, ut imponat eis Deus jugum legis pene importabile: quod S. Aug. serm. 9. de verbis Domini vocat sarcinam innumerabilium observationum, qua dura cervix Judæorum premenda erat, ne ad idola et idololatras respiceret. R. Moses l. 3. Ductoris dubiorum c. 6. numerat præcepta legis affirmativa 218. tot quot sunt membra in homine, negativa vero 365. tot scilicet, quot sunt dies in anno. Porro Christus non abolevit Decalogum, puta præcepta moralia et naturalia legis, sed tantum cæremonialia et judicialia: quia pro cunctis laciniosæ legis cæremoniis dedit verbum abbreviatum, id est, brevissimum fidei et dilectionis præceptum, ait S. Hieron. in Isaiæ c. 10.

NEQUE NOS PORTARE POTUIMUS.] Hoc est, ægre, difficulter portavimus: impossibile ergo moraliter hic cape pro valde difficili: Deus enim physice impossibilia non præcipit, hoc enim faciunt tyranni. Quocirca multi hoc legis jugum portarunt, ut Elizabeth et Zacharias, de quibus dicitur Lucæ 1. 6. quod *erant justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela.* Idem dicitur de Davide Actor 13. 22. de Josue cap. 11. 15. de Josia 4. Reg. 23. 25. et aliis.

11. SED PER GRATIAM JESU CHRISTI CREDIMUS SALVARI QUEMADMODUM ET ILLI,] scilicet patres nostri Judæi: ergo multo magis Gentiles non nisi per gratiam Christi salvari possunt. Hinc patet, neminem ab Adæ lapsu fuisse justificatum, nisi per gratiam Christi. Errarunt ergo Pelagiani, qui docuerunt; *homines ante legem salvos factos esse per naturam, deinde per legem, postremo per Christum, evacuantes quod dictum est*, 1. Timot. 2. 5. *Unus Deus, et unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus*, ait S. Augustin. lib. 2 contra 2. epist. Pelag. cap. 21.

12. TACUIT AUTEM OMNIS MULTITUDO.] Hoc suo silentio reverens Petrum, ejusque dicta approbans, ipsius sententiæ definitioni acquievit, eamque confirmarunt Paulus et Barnabas, *narrantes quanta Deus fecisset signa et prodigia in Gentibus per eos.*

13. RESPONDIT JACOBUS.] Id est, orsus est post Petrum primus sententiam dicere, Petrique sententiam roborare: erat enim ipse Hierosolymorum (ubi Concilium hoc agebatur) Episcopus. Unde decebat eum primum post Petrum loqui. Quare incaute et falso Abulens. in c. 17. Matth. q. 13. ad 1. quem sequitur Calvinus, censet Jacobum quasi Episcopum Hierosolymorum præfuisse huic Concilio, et quasi majorem Petro definitivam pronuntiasse sententiam. Hanc enim ante Jacobum pronuntiaret Petrus, quam Jacobus secutus est, adjungens tamen paucula, quæ Judæos, quorum ipse erat Episcopus placarent, et Gentibus conciliarent. Porro Rupert. l. 1. in Cant. merito censet B. Virginem quasi magistram Apostolorum, omnem hanc quæstionem definivisse, non quod ipsa concilio interfuerit (hoc enim feminam non decebat) sed quod privatim consulta ab Apostolis, prima sententiam hanc pronuntiarit.

14. SIMON.] Petrus: qui enim antea dicebatur *Simon*, à Christo vocatus est *Cephas*, id est Petrus Joannis 1. 42. Græce est Συμεών. Quare idem est nomen Simon et Simeon; Hebræi enim dicunt שמעון per *sceva* quiescens; sed septuag. *sceva* illud faciunt mobile, dicuntque Συμεών, ut patet Gen. 29. 33. Porro Hebr. *Simon* idem est, quod *audiens, obediens*, à radice שמע *scama*, id est,

audivit, obedivit. Toletus vero in c. 1. Joannis annot. 64. deducit à rad. שמן *soaman*, id est, impinguavit, ut *Simon* idem sit quod pinguis, vel impinguatus oleo et gratia Spiritus sancti.

PRIMUM.] Id est, primitus, sive ab antiquis diebus, ut Petrus v. 7.

DEUS VISITAVIT SUMERE EX GENTIBUS POPULUM NOMINI SUO.] Est Hebraica metathesis sive transpositio vocum; illæ enim sic ordinandæ videntur: Deus visitavit in Gentibus, id est Gentes, ut ex iis sumat populum nomine suo. Alludit ad Zachariæ Canticum: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ*, Lucæ 1. 68. Deus enim Gentes miseras, cæcas et perditas visitavit, quasi doctor, medicus, et salvator, cum per Petrum et Apostolos eas imbuit fide et gratia Christi, qua à peccatis justificarentur et salvarentur. S. Cyprianus l. 2. contra Judæos cap. 7. pro *visitavit*, legit, *prospexit;* alii, *providit;* alii, *cogitavit*, destinavit; alii, *consideravit*, inspexit. Hæc omnia enim significat Græcum ἐπεσκέψατο, et Hebræum פקד *pukad*.

NOMINI SUO.] Id est, sibi ipsi. Nomen enim Dei est Deus nominatus, per metonymiam. Sic dicitur Proverb. 18. 10. *Turris fortissima nomen Domini*, id est, Dominus nominatus et invocatus. Unde et subdit: *Ad ipsum currit justus, et exaltatur:* currit enim ad Deum, ab eoque exaltatur, non à nomine Dei. Secundo, *nomini suo*, qui scilicet invocat nomen Dei, et vicissim vocatur nomine Dei puta Ecclesia et populus Dei. Ita Glossa, Hugo et Vatab. Tertio, *nomine suo*, id est, ad nomen, laudem et gloriam tuam, per quem scilicet laudetur et glorificetur nomen Dei.

15. PROPHETARUM.] Prophetæ Amos c. 9. v. 11. et 12. Est enallage numeri pluralis pro singulari.

16. REÆDIFICABO TABERNACULUM DAVID.] Id est, Ecclesiam, in qua habitat et regnat Christus filius Davidis, cujus olim typus fuit tribus Juda cum Benjamin, in qua tabernaculum et sedem quasi rex et moderator fixit David. Juda enim adhæsit Deo, cum cæteræ Tribus ad idola et vitulos aureos deflexerunt. Hoc tabernaculum cecidit in Judæis incredulis, qui Christum recipere noluerunt, suscitatum est in Apostolis et aliis credentibus è Judæa; sed plane restauratum ex Gentibus, quæ loco Judæorum huic tabernaculo et domui Dei, ex toto orbe quasi vivi lapides inædificata sunt. Ita S. Hieron. in Amos 9. v. 11. Vide ibi dicta.

18. NOTUM A SÆCULO EST DOMINO OPUS SUUM.] q. d. Deus ab æterno sapientissime præcogitavit, prædisposuit et prædestinavit hoc opus fabricæ tabernaculi Davidis, id est Christi, puta Ecclesiæ Christianæ ædificandæ ex Gentibus, etiamsi vobis, ô Judæi, novum id et paradoxum videatur: acquiescite ergo in Dei sapientissima ordinatione nec Gentes repellite à Christianismo cogendo eas ad judaismum, quasi per illum capaces fieri debeant Christianismi: quia si id feceritis, resistetis Deo, Deique prædestinationi, sed frustra. Deus enim vobis invitis et male mulctatis, perficient suum hoc opus, quod ab æterno facere decrevit. Nota. *Sæculum* non significat hic spatium centum annorum, quod sæculum dicitur à senio, quasi spatium senescendorum hominum, ait Varro l. 5. de lingua Latina; sed sæculum hic est æternitas, quod heb. dicitur, *olam* dicitur, græce ἀεὶν.

19. NON INQUIETARI.] μὴ παρενοχλεῖν, id est, *non turbandos*, vel *obturbandos esse*. Ita Pagnin. et Tigur. Aut, *non addendam esse molestiam*, vel *non esse exhibendum eis negotium*. Ita Vatabl.

20. SED SCRIBERE AD EOS, UT ABSTINEANT SE A CONTAMINATIONIBUS SIMULACRORUM.] Hoc est, ab idolothytis, puta à carnibus, et cibis qui immolati erant idolis, ideoque contaminati censebantur, quos qui comedebat, censebatur immolationis et idololatriæ esse particeps, ac consequenter esse idololatra. Vide dicta 1. Corinth. 8. initio capitis.

ET FORNICATIONE,] quia Gentes putabant fornicationem simplicem non esse peccatum, saltem mortale: unde idipsum expresse dedocendi erant. Eumdem errorem Græcis tribuit Guido Carmelita. Quin et Durandus in 4. dist. 33. qu. 2. docet fornicationem non esse peccatum mortale jure naturæ, sed jure positivo, tam divino, quam humano. Verum certum est, eam etiam jure naturæ esse peccatum mortale, tum ob alias causas, tum quia repugnat bonæ prolis educationi, ipsique matrimonio. Ita D. Thom. 2. 2. qu. 154. art. 2. et alii passim.

ET SUFFOCATIS.] Tum quia Gentiles censebant suffocata esse dæmonum cibum, ait Origen. lib. 8. contra Celsum: tum quia in suffocatis non est expressus, sed adhuc inest sanguis, cujus esus vetatur, ob causas mox afferendas: tum quia Judæi à suffocatis ex legis præscripto abhorrebant.

Ut igitur Judæi non abhorrerent à Gentibus, jubentur et hæ à suffocato et sanguine abstinere. Ubi Nota, vetari hic Christianis esum suffocati et sanguinis, non idcirco quod lex Mosis Judæis illa vetarit, quasi lex illa adhuc obligaret, et ad Gentiles quoque extendenda esset: utrumque enim est falsum; nam paulo ante edixit tam Petrus, quam Jacobus, legem et legalia non obligare Christianos: sed quod illorum esus vetitus esset à Deo ante legem Noe et posteris ejus, paulo post diluvium, Genes. 9. 4. Hoc ergo præceptum positivum à se datum olim toti mundo, hic renovat Deus Gentilibus, ut eos cum Judæis illud observantibus conciliet. Ita S. August. l. 32. contra Faustum c. 13. Alioqui, uti dixi, lex de animalibus immundis non comedendis, vel tangendis, lata Levit. 11. in lege nova à Christo fuit abrogata. Unde et Rabbini in Midras Tehillim, id est in explicatione Psalmorum, ad illum versum Psalm. 145. *Dominus solvit compeditos*, scribunt in adventu Messiæ Hebræos cibos omnes sine delectu comesturos.

ET SANGUINE.] Causam dat Cyrill. Hier. catechesi 4., ut fideles recedant à more Barbarorum *Multi*, inquit, *homines feri et immanes more canum viventes, sanguinem lingunt instar bellua-rum*, etc.; *tu vero Domini Dei servus, cum vesceris, vescere cum religione:* quasi hic tantum vetetur lingere sanguinem more canum. Sic et Justin. in Quæst. cap. 145. *Ut separaret*, inquit, *nos Deus à belluarum similitudine.* Scythæ enim et Tartari solent in siti equo cui insident venam aperire, ejusque sanguinem potare. Unde Martial. in Amphitheatro:

> Venit et epoto Sarmata pastus equo.

Et Claudianus in Ruffinum:

> Et qui cornipedes in pocula vulnerat audax
> Massagetes; ———

Et Plinius lib. 18. 10. *Sarmatæ*, ait, *hac pulte aluntur, et cruda etiam farina equino lacte vel sanguine è cruris venis admixto.* Quin et Romani in sanciendo fœdere mutuum hauriebant sanguinem, uti de Catilina scribit Sallustius. Alias causas dedi Genes. 9. 4. ubi et dixi, omnino sanguinis esum, vel haustum hic prohiberi, quomodocumque is fiat.

Tropolog. per sanguinem vetatur homicidium (imo illud hic ad litteram vetari censet Tertull. lib. de Pudicitia, et Cyprian lib. ad Quirinum legit, *à sanguinis effusione,*) per suffocatum vis et rapina; per idolothyta idololatria. Unde cum olim Gentiles criminarentur Christianos, quod infantes occiderent, eorumque sanguinem haurirent, eo quod aliquid de Eucharistia in qua sub speciebus panis et vini editur et bibitur caro et sanguis Christi, inaudissent, illudque crudele et carnaliter intelligerent, æque ac Capharnaitæ Johan. 6. 60. et 61. Christiani eos hac lege confutant et convincunt. Audi S. Blandinam Martyrem apud Euseb. lib. 5. c. 1. *Multum*, inquit, *erratis ô viri, quod putetis, infantium carnibus vesci eos, qui ne mutuorum quidem animalium sanguine utuntur.* Et Minutius Felix in Octavio: *Nobis*, inquit, *homicidium nec videre fas, nec audire: tantumque ab humano sanguine cavemus, ut nec edulium pecorum sanguinem in cibum noverimus.*

Usu abolita fuit hæc lex cessante dissidio Judæorum et Gentium, cum utrique plane in unam Ecclesiam coaluerunt. Unde S. Augustin., loco jam citato, scribit eam suo tempore non amplius fuisse in usu scilicet apud suos Hipponenses aliosque vicinos Africanos: nam nonnulli post ætatem S. Augustini ad reverentiam Apostolorum qui eam tulerant, illam observarunt, præsertim Græci (qui etiamnum eam observant) ut patet ex Concil. Gangrensi cap. 2. et Leone Imper. in Novel. Constit. 58. ubi hanc Apostolorum legem renovat: quin et Latini aliqui, ut Aurelianenses, quibus hoc edicitur in Concil. Aurelian. II. cap. 20. ac Wormatienses, Moguntini, aliique Germani, ut patet ex Concil. Wormatiensi c. 65. et ex Zacharia Papa in epist. ad Bonifacium. Verum nunc à multis centenis annis lex ista ubique gentium (exceptis Græcis) usu contrario abolita est. Unde nunc sanguinem in farciminibus, quæ fiunt ex intestinis porcorum et boum sanguine infartis, comedimus.

21. Moyses enim.] Hoc dicit Jacobus ad placandam partem adversam, puta Judaizantes pugnantes pro Mose et lege. Non est quod nos Christiani solliciti simus de honorando Moyse et lege: Moyses enim et lex satis honorantur et celebrantur à Judæis in Synagogis suis. Judæi ergo qui Moysis honorem zelant, ejus Synagogas adeant, ibique eum celebrent: nobis enim Christianis sufficit in Ecclesia Christum, ad quem Moyses nos remisit Deuter. 18 18. ejusque legem celebrare. Præcones ergo Mosis sint Judæi, Christi vero Christiani. Ita S. Chrysost.

22. Cum omni Ecclesia,] quæ Decretum Concilii non condidit, sed ab Apostolis conditum probavit et sparsit. Unde et epistola nomine Apostolorum scribitur, in eaque ipsi loquuntur, non Ecclesia.

Cum Paulo et Barnaba.] Qui in controversia hac pars una fuerant: unde ut eis credat pars adversa, junguntur eis Silas et Judas, qui decretum Apostolorum perferant, Pauloque et Barnabæ causam ab eis adjudicatum significent.

Judam, qui cognominabatur Barsabas.] Alius est hic Judas à Joseph; forte ejus fuit frater: namque uterque cognominatur *Barsabias;* Judas hic, Joseph c. 1. 23.

Et Silam.] *Silas* hebr. significat Apostolum: ait S. Hieron. epist. 143. ubi et eumdem esse censet cum Silvano comite S. Pauli 2. Corinth. 1. 1. Nam hunc Silam socium fuisse apostolatus S. Pauli, patebat v. 40. et capite sequenti v. 19. et c. 17. 4. Asscriptus est catalogo Sanctorum in Martyr. Roman. Die 13. Julii, ubi hæc ei elogia dantur: *In Macedonia B. Silæ qui cum esset de primis fratribus, et ab Apostolis ad Ecclesias Gentium una cum Paulo et Barnaba destinatus, prædicationis officium gratia Dei plenus instanter consummavit, atque in passionibus suis Christum clarificans postmodum requievit.*

Viros primos,] ἡγουμένους, id est, *primarios, præcedentes, præeminentes, et quasi duces cæterorum.* Ita Pagnin. Tigur. et alii. Sic Paulus Rom. 16. 7. vocat *nobiles in Apostolis*, id est, inter Apostolos.

23. Scribentes per manus eorum.] Non quod manus et digiti Sauli et Silæ has litteras scripserint, dictantibus Apostolis, sed quod scriptas ab Apostoli quasi nuntii detulerint ad fideles Antiochenos. Sic scribimus per tabellarium, id est, scriptam epistolam mittimus. Est metalepsis.

24. Turbaverunt vos.] Syrus, *terruerunt*, vel *terrorem incusserunt*, quasi in Christianismo non sit tuta salus, nisi simul suscipiatur judaismus.

25. Evertentes animas vestras.] Id est, destruentes pacem et equietem animarum vestrarum, quam habetis in Christo ejusque fide, dum Christum et Evangelium dicunt non sufficere, ad salutem, nisi ei addatur Moses et lex. Unde Græcus et Syrus addunt: *Jubentes vos circumcidi et servare legem.* Hæreticorum et Schismaticorum proprium est evertere et perdere animas. Talis fuit Novatianus Antipapa et æmulus S. Cornelii Pontificis, quem S. Cyprian. epist. 1. ad Cornel. his titulis insignit, *desertor Ecclesiæ, misericordiæ hostis, interfector pœnitentiæ, doctor superbiæ, veritatis corruptor, proditor charitatis.*

26. Tradiderunt animas suas.] Id est, seipsos, suasque vitas, ut eas vel laborando et prædicando, vel moriendo impendant et expendant pro Christo ejusque gloria. Sic ait Psaltes psalm. 109. *Anima mea in manibus meis semper*, hoc est, ut exponit Chaldæus: *Anima mea periclitatur, ac si in superficie manus meæ esset*, obvio cuilibet exposita in prædam. Qui ergo amat sincere et ardenter Christum: debet esse prodigus animæ, ut pro eo vitam et valetudinem periculo exponat, imo prodigat et perdat cum res poscit.

28. Visum est enim spiritui sancto et nobis.] Id est, visum est nobis inspiratis et directis à Spiritu sancto, est hendiadys. Hinc liquet, Spiritum S. in Concilio adesse et præesse, illudque dirigere ut, in decernendo non erret. Unde dicere solent Patres in Concilio: *Hæc S. Synodus in Spiritu sancto legitime congregata decernit*, etc.

Nihil ultra,] ex lege Mosaica: nam à Decalogo, sive jure naturæ, æque ac lege Christi eos absolvere nec voluit, nec potuit.

29. Bene agetis,] Id est, recte et Christiane facietis, vel feliciter vivetis. Unde Syrus vertit,

cumque conservaveritis animas vestras, bene se habebunt, scilicet animæ vestræ Addit S. Clemens lib 6. Constit. cap. 12. Apostolos congregatos multa alia constituisse. Sic enim ait in eorum persona : *His igitur litteris missis, remansimus nos pluribus diebus Hierosolymis, conquirentes una quæ in communem utilitatem ad correctionem spectant;* quæ ipse deinde enarrat. Addit S. Paulus Galat. 2. 9. se dextras societatis dedisse S. Petro, ut ipse peculiarem Judæorum gereret curam, Paulus vero Gentium. Porro post hoc decretum mansisse adhuc aliquid simultatis inter Judæos et Gentiles conversos ad Christum, indicat ibidem Paulus, cum ait se Petro venienti Antiochiam in faciem restitisse, eo quod timens Judæos : subduceret se à Gentibus, itaque suo exemplo eas cogeret judaizare. Vide ibi dicta.

31. Gavisi sunt super consolatione,] quam eis dederunt Apostoli, amoventes ab eis onus et jugum grave legis Mosaicæ, Syrus, *gavisi sunt et consolationem acceperunt.*

32. Cum essent Prophetæ.] Tum proprie dicti, ut ait Miltiades apud Euseb. lib. 5. Histor. cap. 16. vel 17. tum metaphorice, scilicet Prophetæ, id est, doctores, prædicatores et exhortatores : horum enim est consolari et confirmare fratres. Vide dicta 1. Corinth. 14. initio.

Verbo plurimo,] διάλογου πολλοῦ, id est, *verbo multo*, puta copioso, vehementi et efficaci; Syrus, *sermone divite.*

33. Cum pace.] q. d. Controversia de legalibus jam sopita, cum omnes in decreto apostolorum acquiescerent, itaque pacem mutuam colerent. Aut *cum pace*, id est valedicendo imprecantes eis pacem et prosperitatem, dicentes : Ite in pace, vel Deus pacis pacifice reducat vos, vel Pax vobis. Hæc enim fuit salutatio Christi, à quo eam didicerunt et usurparunt Apostoli, aliique fideles.

Ad eos qui miserant,] ad Apostolos in Jerusalem.

36. Visitemus fratres.] Non enim sufficit parere filios Christo, sed et oportet eosdem lactare ac enutrire, ut in fide et virtute crescant. Ita Episcopi debent crebro visitare suas Parochias. Nam, ut ait Aristot. 1. OEconom. c. 6. *Domini oculus pascit equum, et vestigia pingue faciunt agrum.* De visitatione hac multa utilia congessit hic noster Lorinus.

38. Paulus autem rogabat,] ηξίου, id est, *æquum et dignum censebat.*

Ut qui discessisset.] Vel metu persecutionis, vel fuga laboris, vel amore matris degentis in Jerusalem. Græce efficacius dicitur, τὸν ἀποχωρπα, id est, *qui descivisset*, vel *defecisset :* inde enim ἀποστάτης vocatur desertor, defector. Ita Pagnin. Tigurin. et alii.

39. Facta est autem dissensio,] παροξυσμος. Pagnin. et Vatabl. *exacerbatio*, Tigurina; *acris disceptatio:* alii, *iræ* vel *animi incitatio*, sive primus iræ motus primaque bilis commotio. Ira utrimque bona esse potest, cum utraque pars legitima ratione movetur, et pro suo jure vel desiderio ardenter contendit et disceptat, uti hic fiebat; esto in excessum venialem facilis sit lapsus. Id factum est nutu Dei, ut Barnabas à Paulo devideretur, itaquo separati diversis et pluribus evangelizarent, ait S. Chrysost. Secundo, ut Johannes, cognomento Marcus, hac disceptatione et severitate S. Pauli notatus ignominia, suam culpam inconstantiæ et ignaviæ agnoscens, animosior et constantior evaderet; uti factum est. Unde et Paulus eum resumpsit, charumque et fidum comitum habuit. Ita idem Chrysost. Præclare S. Hieron. Apol. contra Ruffinum : *Nonne*, inquit, *Apostoli salvis inter se amicitiis dissenserunt, cum Paulus et Barnabas propter Johannem, cognomento Marcum, stomachati sunt, et separavit eos navigatio, quos Evangelium copulabat?* Talis dissensio fuit inter S. Petrum et Paulum Galat. 2. inter S. Hieronymum et Augustinum, inter S. Chrysostomum et Epiphanium, inter S. Cornelium et Cyprianum circa baptismum hæreticorum non iterandum, etc.

Et Barnabas quidem assumpto Marco navigaret Cyprum.] Lucas deinceps Barnabæ, non meminit, sed solius Pauli, cujus discipulus et comes fuit, acta persequitur. Ex peregrinatione S. Barnabæ cum S. Paulo, quam hucusque descripsit Lucas, liquet esse falsum quod ait Clemens in recognit. et Alexander monachus in vita S. Barnabæ, Barnabam scilicet primo omnium evangelizasse Romæ, indeque Clementem abduxisse Cæsaream ad S. Petrum. Verum post hæc S. Barnabam in Italiam venisse, in Liguria prædicasse, Ecclesiam Mediolanensem erexisse, longe lateque fidem propagasse, firmæ traditiones ejusdemque Ecclesiæ monumenta, pluresque scriptores fidem certam faciunt, ait Baron. Tandem Barnabas rediit in Cyprum, ibique gloriosum pro Christo obiit martyrium. De eo sic legimus in Rom. Martyr, die 11. Junii. *Natalis S. Barnabæ Apostoli, qui natione Cyprius, à discipulis cum Paulo Gentium Apostolus ordinatus, multas regiones cum eo peragravit, Evangelicæ prædicationis injunctum sibi opus exercens : postremo Cyprum profectus, ibi apostolatum suum glorioso martyrio decoravit : cujus corpus tempore Zenonis Imper. ipso revelante repertum est, una cum codice Evangelii S. Matthæi sua manu descripto.* Porro eum fuisse unum è 72. discipulis Christi, tradit Euseb. lib. 2. Hist. c. 2. Epiphan. in Panar. l. 1. sub finem, Beda in act. c. 4. et alii.

40. Traditus gratiæ Dei.] Vide dicta cap. 14. vers. 26.

41. Præcipiens custodire præcepta Apostolorum.] Ergo non tantum Dei, sed et hominum, puta Superiorum, præcepta servanda sunt, quod negant hæretici. Hæc verba desunt hic in Græco, et Syro, sed eadem habentur et repetuntur cap. sequenti v. 4.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PAULUS OB JUDÆOS CIRCUMCIDIT TIMOTHEUM, EUMQUE SOCIUM SUÆ PRÆDICATIONIS ASSUMIT IN ASIA ET BITHYNIA, AC PER VISIONEM EVOCATUR IN MACEDONIAM, PHILIPPUS ERGO CONVERTIT LYDIAM PURPURARIAM, DÆMONEMQUE È PUELLA EJICIT: QUARE VIRGIS CÆSUS, CUM SILA NOCTU ORANS ET LAUDANS DEUM CIET TERRÆ MOTUM QUO OSTIA CARCERIS PANDUNTUR. HIS VISIS CUSTOS CARCERIS CONVERTITUR, PAULUSQUE A MAGISTRATU LIBER CUM HONORE DIMITTITUR.

1. Pervenit autem Derben, et Lystram. Et ecce discipulus quidam erat ibi nomine Timotheus, filius mulieris Judææ fidelis, patre Gentili. 2. Huic testimonium bonum reddebant, qui in Lystris erant et Iconio fratres. 3. Hunc voluit Paulus secum proficisci: et assumens circumcidit eum, propter Judæos qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes quod pater ejus erat Gentilis. 4. Cum autem pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis et Senioribus, qui erant Hierosolymis. 5. Et Ecclesiæ quidem confirmabantur fide, et abundabant numero quotidie. 6. Transeuntes autem Phrygiam, et Galatiæ regionem vetati sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia. 7. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam: et non permisit eos Spiritus Jesu. 8. Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem: 9. et visio per noctem Paulo ostensa est: vir Macedo quidam erat stans, et deprecans eum, et dicens: Transiens in Macedoniam, adjuva nos. 10. Ut autem visum vidit, statim quæsivimus proficisci in Macedoniam, certi facti quod vocasset nos Deus evangelizare eis. 11. Navigantes autem à Troade, recto cursu venimus Samothraciam et sequenti die Neapolim. 12. Et inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ civitas, colonia. Eramus autem in hac urbe diebus aliquot, conferentes. 13. Die autem sabbatorum egressi sumus foras portam juxta flumen, ubi videbatur oratio esse: et sedentes loquebamur mulieribus, quæ convenerant. 14. Et quædam mulier nomine Lydia, purpuraria civitatis Thiatyrenorum, colens Deum, audivit: cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur à Paulo. 15. Cum autem baptizata esset, et domus ejus, deprecata est dicens: Si judicastis me fidelem Domino esse, introite in domum meam, et manete. Et coegit nos. 16. Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quamdam habentem spiritum Pythonem obviare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis divinando. 17. Hæc subsecuta Paulum, et nos, clamabat dicens: Isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis. 18. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus et conversus, spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea. Et exiit eadem hora. 19. Videntes autem domini ejus quia exivit spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum et Silam, perduxerunt in forum ad principes: 20. et offerentes eos Magistratibus, dixerunt: Hi homines conturbant civitatem nostram, cum sint Judæi: 21. et annuntiant morem, quem non licet nobis suscipere, neque facere, cum simus Romani. 22. Et cucurrit plebs adversus eos: et Magistratus, scissis tunicis eorum, jusserunt eos virgis cædi. 23. Et cum multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem, præcipientes custodi ut diligenter custodiret eos. 24. Qui cum tale præceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem, et pedes eorum strinxit ligno. 25. Media autem nocte, Paulus et Silas orantes, laudabant Deum: et audiebant eos, qui in custodia erant. 26. Subito vero terræ motus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia: et universorum vincula soluta sunt. 27. Expergefactus autem custos carceris et videns januas apertas carceris, evaginato gladio volebat se interficere, æstimans fugisse vinctos. 28. Clamavit autem Paulus voce magna, dicens: Nihil tibi mali feceris: universi enim hic sumus. 29. Petitoque lumine, introgressus est et tremefactus procidit Paulo et Silæ ad pedes: 30. et producens eos foras, ait: Domini, quid me oportet facere, ut salvus fiam? 31. At illi dixerunt: Crede in Dominum Jesum, et salvus

eris tu, et domus tua. 32. Et locuti sunt ei verbum Domini, cum omnibus qui erant in domo ejus. 33. Et tollens eos in illa hora noctis, lavit plagas eorum : et baptizatus est ipse, et omnis domus ejus continuo. 34. Cumque perduxisset eos in domum suam apposuit eis mensam, et lætatus est cum omni domo sua credens Deo. 35. Et cum dies factus esset, miserunt Magistratus lictores dicentes : Dimitte homines illos. 36. Nuntiavit autem custos carceris verba hæc Paulo : Quia miserunt Magistratus ut dimittamini : nunc igitur exeuntes, ite in pace. 37. Paulus autem dixit eis : Cæsos nos publice, indemnatos, homines Romanos miserunt in carcerem, et nunc occulte nos ejiciunt? Non ita : sed veniant, 38. et ipsi nos ejiciant. Nuntiaverunt autem Magistratibus lictores verba hæc. Timueruntque audito quod Romani essent : 39. et venientes deprecati sunt eos, et educentes rogabant ut egrederentur de urbe. 40. Exeuntes autem de carcere, introierunt ad Lydiam : et visis fratribus consolati sunt eos, et profecti sunt.

1. Filius mulieris Judææ.] Ita Romana, Græca et Syrus. Aliqui pro *Judææ* legunt *viduæ*. Vocabatur ea Eunice, id est Victoria, quam æque ac aviam Timothei, nomine Loidem, laudat Apostolus 2. Timoth. 1. 5.

Fidelis.] Id est, Christianæ, quæ scilicet à judaismo conversa erat ad Christianum.

Patre Gentili.] Vetita erant Judæis matrimonia cum Chananeis Exodi 23. 32. at non cum aliis Gentilibus. Unde Gentiles uxores duxerunt Jacob Genes. 29. 23. Joseph. Genes. 41. 45, Moses Exodi 2. 21. et post datam Mosi legem David 2. Reg. 3. 3. Salom. 3. Reg. 3. 1. Esther Judæa nupsit Gentili Assuero c. 2. 17. Sic primitus Christiani contrahebant matrimonia cum Gentilibus, eaque separari vetat Apostolus 1. Cor. 7. 12. Postea tamen Ecclesia irritavit hæc matrimonia : unde impedimentum hoc matrimonii, vocatur disparitas cultus : cum hæreticis vero conjugium non irritavit, sed prohibuit, ob periculum pervisionis. Vide Sanchez de Matrim. tract. de disparitate cultus.

2. Huic testimonium reddebant.] Fidei non fictæ, virtutis, et bonæ educationis in studio sacrarum Literarum, ut patet 1. Timoth. 6. 12. et 2. Timoth. 1. 3. Unde Paulus Timotheum vocat filium charissimum, et præ cæteris peregrinationis suæ adjutorem, et administrum fidelem et strenuum, ac Ephesinæ Ecclesiæ Episcopum ordinavit, 1. Corint 4. 17 Philipp. 2. 20. et 23. Rom. 16. 21. Vide dicta in utraque Epistol. ad Timoth.

3. Circumcidit eum propter Judæos.] Sponte id fecit Paulus, ne quod, illi negotium facesserent Judæi, eo quod Timotheum Gentilem asscivisset in socium prædicationis, utque eos demereretur, faciliusque ad Christum traduceret : legalia enim erant mortua, sed necdum mortifera. Titum vero, æque Gentilem, Paulus non est passus circumcidi : quia Judæi eum ad id volebant compellere, ne videretur eorum sententiæ falsæ subscribere, qua docebant circumcisionem esse necessariam ad salutem. Vide dicta Galat. 2. 3. Laudat discretionem S. Pauli S. Gregor. 28. Moral. c. 6. vel. 12. *Plerumque*, inquit, *virtus cum indiscrete tenetur, amittitur : cum discrete intermittitur, retinetur*. Et S. Chrysost. tantam conversionem quanta secuta est v. 5. asscribit studio concordiæ S. Pauli.

Erat Gentilis,] ὑπῆρχεν. Syrus, *fuerat Gentilis*. Putant enim nonnulli patrem Timothei hoc tempore fuisse mortuum ; itaque dicendum est, si mater ejus erat vidua, uti dixi aliquos legere vers. 1.

4. Dogmata.] Non fidei, sed legum, id est, præcepta. Unde explicans subdit : *Quæ erant decreta ab Apostolis*. Ergo obligant leges Apostolorum, Episcoporum, Pastorum, etc., quod negant hæretici.

Vetati sunt a Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia.] Cur? Perperam aliqui respondent : Quia, inquiunt, Asiani erant à Deo rejecti et reprobati : Deus enim vult omnes homines salvos fieri. Unde et paulo post Asianis fidem per 2. Joannem et Paulum communicavit. Primo, ergo OEcumen. respondet, quia Paulus prævidebat famem futuram in Asia, quæ hominum curas à fide ad panem quærendum divertit. Unde Beda et Origen. homil. 9. in Levit. causam dant, quod Paulus prævidebat Asianos contempturos verbum Dei Et S. Gregor. homil. 4. in Evang. ne gravius inquit, de contempta prædicatione mali auditores judicari mererentur. Secundo et melius, S. Chrysost. quia Asia, inquit, servabatur S. Joanni, sicut Bithynia S. Lucæ, ait Gagneius. Tertio, quia Asiani adhuc imparati erant et indispositi ad recipiendum Evangelium, paratiores vero erant Macedones, ut patet v. 9. ita Sedulius in c. 1. ad Roman. Sicut ex adverso jussit Deus Paulum prædicare Corinthi : *Quoniam*, ait, *populus est mihi multus in hac civitate*, Act. 18. 10. Quarto, S. Prosper. lib. 2. de Vocat. Gent. c. 3. censet arcanam hic fuisse causam, quæ nos latet, ob quam non negata, sed dilata est Asianis gratia prædicationis. Sic Paulus Rom. 1. 13. scribit se sæpe proposuisse venire ad eos, sed prohibitum fuisse. Ubi recte notat S. Chrysost. et Ambros. à Dei nutu pendere tum verba, tum itinera prædicatorum suorum : hæc enim illi summæ esse curæ.

Moral. Moyses Abbas apud Cassian collat. 1. c. ult. notat sæpe se expertum, quod sibi volenti exhortari defecerit sermo, et quasi arefacta fuerit lingua : *Quibus indiciis*, inquit, *evidenter agnoscitur, Domini gratiam pro merito* (intellige ex virtute ejusdem gratiæ) *ac desiderio audientium disputantibus aspirare sermonem*. Viri ergo Apostolici et prædicatores toti à Deo pendeant, eique assidue se commendent, ut iter linguamque eorum dirigat eo, ubi major erit Dei gloria et animarum fructus, ac vicissim fideles orent, ut tales sibi mittat Pastores, doctores, confessarios et prædicatores, qui magis eorum salutem promovebunt.

In Asia] Minori, non tota, quæ complectitur Phrygiam, Pamphyliam, Lycaoniam, Ciliciam, Galatiam, etc., totaque mari cingitur, præter eam partem quæ spectat Orientem; sed quæ finitima est Epheso : hæc enim proprie Asia minor dicitur, in qua paulo post Paulus prædicavit

per biennium, Actor., 19. v. 1. et 10. ac deinde S. Joannes Apostolus.

7. In Mysiam.] A S. Hieron. in locis Hebr. vocatur *Mesiam*. Ptolemæus duplicem facit Mysiam, majorem et minorem, et utramque extra Bithyniam in Asia, non procul ab Ida. Mysos alii Thraces, alii Lydos fuisse dixerunt. Et quia Lydi facum acetosam (quæ multa nascitur in Olympo) Mysam vocavere, ab eo Mysos dictos putaverunt, quibus sermo fuit ex Lydo Phrygioque permistus. Hæc ergo Mysia fuit in Asia. Alia Mysia est in Europa, quam aliqui vocant Bosniam. Porro Mysi adeo fuere viles et despecti, ut in proverbium abierint, ac de homine vilissimo dicatur, *Mysorum ultimus*. Ubi vide charitem et humilitatem Pauli, qui vilibus, æque ac honoratis evangelizat, memor illius dicti Isaiæ et Christi, *Pauperes evangelizantur*.

Non permisit eos (ob causas paulo ante datas) Spiritus Jesu.] Puta Spiritus sanctus, qui à Patre et Filio, puta Christo Jesu, procedit, et utrique est proprius et consubstantialis. Unde colligas, Spiritum sanctum non solum à Patre, ut voluere Græci, sed etiam à Filio procedere, ac consequentur vere esse Deum. Ita S. Cyrill. l. 2. in Joannem, c. 3. et S. August. tract. 99. in Joannem, ac Concil Ephesinum c. de resurrectione Christi. Idcirco enim vocatur Spiritus Jesu, æque ac Spiritus Dei patris.

8. Descenderunt Troadem.] Troas Asiæ est regio Hellesponto adjacens, ita dicta à Troianis, ait Pompon. Mela lib. 1. Ptolemæus minorem Phrygiam appellat. In ea urbes nobiliores fuere, Troia, Antandrus, Smyrna, Clazomene, Pergamus, Thyatira, Philadelphia, Laodicia, Ida et Tmolus. Porro S. Hieron. in Locis Hebr. ac Baro. censent Troadem fuisse urbem in Asia, alio nomine Antigoniam appellatam. Verum Syrus et alii censent esse regionem eam, quam jam descripsi. Utrumque est probabile. Sane c. 20. 7. Lucas indicat Troadem esse urbem.

9. Et visio per noctem.] Hæc ergo visio fuit somnium à Deo Paulo immissum per angelum. Angelus enim in imaginatione Pauli formavit et pinxit virum habitu Macedonico, ejusque vocem, ut videretur Macedonice loqui et dicere : *transiens in Macedoniam adjuvanos*, vel certe ipse angelus viri Macedonis speciem et vocem assumpsit. Videtur hic angelus fuisse tutelaris et præses Macedoniæ.

Simili visione S. Franciscus Xaverius cognovit se vocari in Indiam. Visus est enim sibimet sæpe per quietem, humeris Indum aliquandiu vectare, adeo gravem, ut ipso pondere fatigatus excitaretur à somno, nimirum hoc præsagium erat gravium ærumnarum et laborum, quos pro Indorum salute subiturus erat. Ita Horat. Tursellinus in vita Xaverii lib. 1. c. 8.

Simili modo ad Africanos, Indicos et Æthiopicos propagandæ fidei agones vocatus est Joannes Nunnius, ex illustri Gusmanorum familia oriundus, is qui primus Patriarcha in Æthiopiam destinatus à Pontifice Maximo, multis exantlatis laboribus, magnam suæ virtutis, veræque sanctitatis opinionem posteris reliquit. Cum enim annum integrum supplicasset B. Virgini, ut sibi indicaret quis vitæ status sibi capessendus foret, in somnis apparuit ei B. Virgo, comitata duobus è Societate Jesu, Petro Fabro scilicet et Francisco Strada, dixitque : *Vis servire filio meo usque ad defatigationem?* Cui Nunnius : *Omnino Domina. Sequere ergo*, ait illa, *hos viros*. Mox ille eis obvius factus, in Societatem eorum admitti petiit et impetravit, ac primum in Hispania, deinde in Africa ; demum in India pro Christo laboravit usque ad defatigationem. Ita P. Maffeius in Vita S. Ignatii de Loiola lib. 2. cap. 6.

Moral. Nota somnia esse indicia vigilantis animi, et virtutis aut vitii. Quæ enim in vigilia animus cogitat, agit et frequentat, hæc et somniat : naturaliter enim ea noctu recurrunt. Somnium ergo est signum rei amatæ, et per frequentem actionem, aut meditationem animo penitus insitæ et infixæ. Quocirca Plutarch. lib. de Profectu morum, assignans duodecim signa acquisitæ virtutis, unum ex Zenone dat ex somniis. Si enim somnies de Deo, de amore Dei, de convertendis animabus, certum est interdiu te crebro de Deo Deique amore, et convertendis proximis cogitare, agere et satagere ; ac consequenter ardere amore Dei et proximi. Ita Paulus jugiter intentus prædicationi, et saluti Gentium, de eadem re somniat. Deus tamen illud somnium ita direxit et attemperavit, ut de Macedonia somniaret, potius quam Galatia, vel Asia, ideoque vir Macedo vocans in Macedoniam ei appareret, quia eo illum destinabat. Idem signum dat S. August. lib. 12. de Genes. ad litter cap. 15. ubi et addit exemplum Salomonis, quin somnis petiit sapientiam à Deo, 3. Reg. 3. quia in vigilia crebro eam desiderabat. Idem alibi : *Memor es*, ait, *Domine mandatorum tuorum, etiam in somnis peccatis resistimus*. Hinc signum est eximiæ castitatis, si in somnis nunquam occurat turpis imaginatio ; aut si occurrat, statim ei phantasia resistat, uti fecit S. Francis. Xaver. resistendo ei usque ad emissionem sanguinis. Sicut enim equi viam sæpe à se initam et tritam incunt etiam dum auriga dormit : sic idem facit sensus, caro et phantasia, etiam dum mens sopita est et ratio dormit. Perinde ergo ac in repentinis secundum habitum operamur, v. g. si tentatio aut periculum occurrat, illico generose eam repellimus, si alias eam soliti simus repellere, sic et in somnis. Nam, ut ait Aristot. 3. Ethic. c. 8. *Ars perfecta non deliberat : tam sibi facilis est actus suus*. Vis ergo cum Paulo pia somniare de Deo, Christo, cœlo, etc., eadem vigilans frequenter et ardenter cogita, ac rumina. Cum enim hujus cogitationis habitum indueris, is quasi naturaliter, etiam noctu, in actum suum sese exercet, præsertim si eam sub somnum renoves, eique indormiat.

10. Statim quæsivimus.] Scilicet ergo Lucas, Paulus, Silas et Timotheus : hic enim adhæsit Paulo vers. 3. ut per plures magis spargeretur Evangelium. Sic S. Vincentius Fererius, sui ævi Paulus, provincias Europæ evangelizando obiens, ducebat secum multos sacerdotes et fratres, tum sui Ordinis, tum aliorum, qui eum adjuvarent, ac præsertim pœnitentium confessiones exciperent, ait auctor Vitæ ejus lib. 2. cap. 7. Solerter notat Baron. et alii, Lucam hic loqui in prima persona, dicendo, *quæsivimus*, ac proinde seipsum comprehendere, cum hactenus locutus sit in tertia persona : unde videri, quod Lucas primum adhæserit Paulo Troade, indeque individuus fuerit Pauli comes, ut ait S. Hieron. l. de Viris illustr. in Luca, ac proinde deinceps non tam audita, quam visa à se Pauli gesta enarret. Hinc infert Baron. Lucam

scripsisse Evangelium anno Christi 58. illo enim Paulus fuit in Achaia et Bœotia (ubi Lucam scripsisse Evangelium asserit S. Hier.) non ante.

Verum alii probabilius censent, Lucam aliquando abfuisse à Paulo. Primo, quia ab hoc versu deinceps per quatuor capita, scilicet usque ad c. 20. 5. Lucas mutat personam, et à prima redit ad tertiam. Cum enim hoc cap. mutasset tertiam personam in primam dicendo v. 10. *Quæsivimus*, etc., *certi facti quod vocasset nos Deus.* Et vers. 11. *Venimus Samothraciam.* Et vers. 12. *Eramus autem.* Et vers. 13. *Egressi sumus, loquebamur.* Et vers. 16. *Euntibus nobis ad orationem*, etc. *Pythonem obviare nobis.* Et v. 17. *Subsecuta nos;* ut significet se tunc fuisse comitem Pauli : idem tamen sub finem capitis hujus mutat rursum personam primam in tertiam, ut significet se tunc à Paulo abfuisse, idque facit constanter usque ad c. 20. 5. Unde ait hoc c. v. ult. de Paulo et Sila : *Visis fratribus consolati sunt eos; et profecti sunt.* Et cap. 17. 1. *Cum autem perambulassent Amphipolim, venerunt Thessalonicam*, etc., quibus evidenter significat se tunc non fuisse in comitatu Pauli. Videtur ergo ab eo abfuisse, usque dum Paulus perambulando regiones, rediit in Græciam, navigaturus in Syriam c. 20. 3. tunc enim Paulus inter alios socios hujus itineris, qui illo versu nominantur, assumpsit et Lucam. Unde de iis, æque ac de se subdit ibidem Lucas vers. 5. *Hi cum præcessissent, sustinuerunt nos Troade : nos vero navigavimus post dies azymorum.* Et vers. 15. *Venimus contra Chium :* ac deinceps semper eadem persona prima utitur, ut seipsum includat. In illa ergo ex Græcia in Syriam, indeque Romam navigatione, longa et periculosa, Lucas individuus fuit comes Pauli, non ante. Secundo, quia, et esto fuisset Lucas ante comes Pauli firmus, et stabilis (quod tamen non liquet) non idcirco firmiter ei adhæsisset. Crebro enim Paulus suos comites alio amandabat, ad Ecclesias à se erectas confirmandas, uti Titum et Lucam amandavit Corinthum 2. Cor. 8. 18. Silam Athenas, Titum in Cretam, Timotheum Ephesum, Erastum in Macedoniam, Actor. 19. 22. Tertio, quia 2. Cor. 8. vers. 18. per fratrem cujus laus est in Evangelio, quem Paulus ait se mittere Corinthum, S. Hieron. Tertull. Anselm. imo S. Ignatius (quos ibidem citat) intelligunt S. Lucam. Unde sequitur anno Christi 58. (illo enim scripsit Paulus epistolam 2. ad Corinth.) vulgatum jam et celebre Lucæ Evangelium, ac proinde aliquot annis ante illud à Luca fuisse conscriptum, nimirum inter annum Christi 51. quo Lucas hic cœpit adhærere Paulo, et annum Christi 58. quo illud ore omnium laudari asserit Paulus. Ex dictis sequitur, pluribus annis Lucam à Paulo abfuisse. Ubi Nota insignem modestiam S. Lucæ, utpote qui mollam sui Evangelii, laborem, et opis quam navavit S. Paulo, mentionem facit; cum tamen eam dilaudet Paulus in suis Epistolis. Sua ergo alto premit silentio, ac in gesta Pauli se totum effundit : vice versa Paulus Lucam suum adjutorem vocat et celebrat ep. ad Philem. vers. 24. ac charissimum nuncupat Coloss. 4. vers. 14. Et in vinculis Romæ agens : *Lucas*, inquit, *est mecum solus :* cum tamen de aliis suis sociis mox subdat : *Omnes me dereliquerunt : non illis imputetur*, 2. Timoth. 4. vers. 11. et 16.

Proficisci in Macedoniam.] Quam cum descripsisset Plinius l. 4. c. 10. subdit : *Hæc est Macedonia terrarum imperio potia quondam. hæc Asiam, Armeniam, Iberiam, Albaniam, Cappadociam, Syriam, Ægyptum, Taurum, Caucasum transgressa : hæc in Bactris, Persis, Medis dominata, toto Oriente possesso. Hæc etiam Indiæ victrix per vestigia Liberi patris atque Herculis vagata. Hæc eadem est Macedonia, cujus uno die Paulus Æmilius Imperator noster 72. urbes direptas vendidit. Tantam differentiam sortis præstitere duo homines.* Hanc nunc S. Paulus Christianus Alexander, et alter Paulus Æmilius, non Romanis, sed Deo et Christo subjecit.

11. Samothraciam.] Ita dicta est regio à Samiis et Thracibus vicinis et accolis, vel etiam incolis, teste Diodor. lib. 5. cap. 11. Unde Virgil. 7. Æneid. *Threiciamque Samon, quæ nunc Samothracia fertur.*

Neapolim.] Urbs erat, non in Caria, ut vult. Dionys. sed in confinio Thraciæ et Macedoniæ contra Thesum insulam. Hæc enim, non illa, vicina erat Samothraciæ; ita Gagneius, Cajetan. et Arias, Œcum. ait suo ævo nuncupatam Christopolim.

12. Philippos.] Ita dicta est urbs à Philippo patre Alexandri Magni, qui eam instauravit, conversa est ad Christum à S. Paulo.

Quæ est prima partis Macedoniæ civitas.] *Partis*, id est, Primo, regionis vel provinciæ. Secundo, proprie *partis*, id est, portionis illius Macedoniæ, quæ è Thracia et Samothracia (unde veniebat Paulus) venientibus occurret : ample enim erat Macedonia; aliasque habebat urbes aliis provinciis conterminas. Tertio, μέρος, id est, *pars*, sumitur pro principio. Sic sumit Virg. 7. Æneid.

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.

Ita Budæus in Comment. linguæ Græcæ; q. d. Philippi est prima civitas principii Macedoniæ, sive à qua incipit, et principium capit Macedonia. Ita Syrus vertit, *quæ est principium Macedoniæ*, et Erasmus, *quæ est in prima parte Macedoniæ.* Unde quis suspicari posset, in Nostro pro *prima*, legendum *primæ : quæ est primæ partis Macedoniæ civitas.* Sic enim sensus est clarus. Verum exemplaria Bibliorum Græca et Latina constanter habent *prima.* Quarto, ergo planus sensus est hic. q. d. Philippi est prima civitas in confinio Thraciæ, quæ ad partem; id est sortem et ditionem Macedoniæ pertinet; aliæ enim ulteriores pertinent ad partem, id est ad sortem, ejus et ditionem Thraciæ; imo Philipporum urbis pars una ad Thraciam, pars altera, eaque potior ad Macedoniam pertinebat.

Colonia.] Romanorum, ut patet vers. 21. ideoque jure Romanorum civium gaudens, sicut nobilis Ubiorum civitas Belgio vicina, dicta est Colonia Agrippina; quia Agrippina uxor Claudii Impr. et mater Neronis, eo Coloniam Romanorum deduci curavit. Coloni enim dicebantur cives Romani ad aliquam urbem habitandam missi, qui non propriis, sed populi Romani legibus vivebant, ait Cicero lib. 3. de Natura deorum. Porro Colonias ducebant Romani, tum ad exonerandam Romam populis oppletam, eorum examina alio deducendo; tum ad pauperes urbis alendos; his enim alibi dividebant jugera terræ; tum ut iis militibus stipendia solverent, vel præmia largirentur : tum maxime ut illi Romanorum jus et imperium iis in locis, ad quæ mit-

tebantur, tuerentur. Ita Cicero de lege Agraria : *Majores*, inquit, *colonias sic idoneis in locis contra suspiciones periculi collocarunt, ut non oppida Italiæ, sed propugnacula imperii esse viderentur.* Et pro Fonteio de Gallia provincia loquens : *Est in eadem provincia Narbo Martius, Colonia nostrorum civium, specula populi Romani, ac propugnaculum istis ipsis nationibus oppositum et objectum.* Colonia quoque dicebatur urbs donata jure et privilegiis Coloniæ, etiamsi ex colonis aliunde missis non esse conflata.

Conferentes.] Ita legunt Romana, id est, disserentes, disputantes : Græce enim est διατρίβοντες; unde Scholasticæ disputationes vocantur *diatribæ*, idque probat Erasmus. Alii legunt *consistentes;* unde Vatabl. et Pagnin. vertunt, *commorantes.* Hoc enim quoque significat Græcum διατριβοντες. Eodem res redit. Nec enim commoratio Pauli fuit otiosa, sed intenta ad disputandum et prædicandum.

13. Ubi videbatur oratio esse,] Græcum προσευχὴ et *orationem*, et *oratorium*, sive *locum orationis* (ut vertit Syrus) significat, puta Synagogam, hæc enim Judæis erat locus orandi et prædicandi. Unde et Paulus in eo prædicare cœpit. Talia loca extra civitates crebro habuisse Judæos et Samaritas, tradit Epiphan. hæresi 80. Sic Philo ad Cajum, Judæorum Synagoga vocat proseuchas. Et Juvenal. satyra 3.

Ede ubi consistas, in qua te quæro proseucha.

Sic cœnatio vocatur *cœnaculum*, in quo fit cœnatio : ambulatio vocatur *ambulacrum*, in quo ipsa fit, *cœtus*, *consilium* et *Ecclesia* vocatur locus, in quo fit, cœtus et congregatio populi, vel consiliariorum. Unde liquet locum hunc orationis fuisse Judæorum, præsertim quia eo convenit Lydia, quæ colebat Deum, ut dicitur v. 10. Salmeron tamen censent fuisse idolium, ubi Gentes suos deos colebant et invocabant.

14. Nomine Lydia.] Censent aliqui Lydiam dictam, quia oriunda erat è Lydia provincia, cujus rex fuit Crœsus tempore Cyri. Favet quod scribit Plin. l. 7. c. 56. *Lydos Sardibus primos rationem invenisse lanas purpuras inficiendi.* Verum obstat τὸ *nomine.* Nomen ergo proprium erat Lydia, non cognomen à patria. Adde, cognomina non sumi à provinciis tam amplis, ut regna sint, qualis erat Lydia : potius ab urbe dicenda erat Thyatirena. Lydia Sanctorum cataloguo asscripta est in Martyrol. die 3. Augusti.

Purpuraria.] Aliqui ita dictam censent, quod purpura vestiretur, utpote nobilis et prognata è stemmate regio : regum enim est purpura. Alii, quod purpuram tingeret. Verum Græce est πορφυρόπωλις, id est, *purpuræ venditrix*, quales solent esse divites : imo opes et gloria Tyri consistebant in conficienda et vendenda purpura, uti dixi Isaiæ 23.

Civitatis Thyatirenorum.] Civitas est Lidiæ, de qua dixi Apoc. 1. 18. ex ea ergo oriunda erat Lydia.

Colens Deum.] Lydia erat Gentilis : cognovit ergo et coluit Deum vel lumine naturæ, ex creatione et gubernatione universi; vel ex institutione majorum, vel ex familiaritate cum Judæis, uti et Cornelius Centurio Actor. 10. Unde Lyran. Hugo, Glossa et Carth. censent eam fuisse proselytam.

Cujus Dominus aperuit cor.] Puta illuminavit intellectum, et movit voluntatem ejus, ut intenderet iis quæ dicebantur à Paulo, eaque vere esse intelligeret; itaque Christum cognoscere et diligere. Oret prædicator, ut Deus auditorum corda aperiat : idem orent auditores, si fructum ex concione referre cupiunt.

15. Si judicatis me fidelem Domino.] *Si*, id est, quia q. d. Quia censuistis me dignam baptismo et fide Christiana, quia me fecistis fidelem et Christianam, divertite ad me, ut ego vestro alloquio, et vos mea hospitalitate gaudeatis. Nec enim decet Christianos, præsertim Apostolos, nisi apud Christianos hospitari.

Et coegit nos.] Hinc colligit S. Greg. hom. 23. in Evang. quod peregrini ad hospitium non solum invitandi sint, sed etiam trahendi. Et S. Ambros. l. 1. de Abraham, à Christianis, præsertim Episcopis, requirit ut præsto sint advenientibus, occurrant obviam, itinera explorent, adsint non quærentibus, rapiant prætergredientes, uti fecit Abraham. Sic et discipulis duo coegerunt Christum secum divertere in Emaus, ideoque eum in fractione panis agnocere meruerunt, Lucæ 24. 29.

16. Ad orationem.] Ad locum orationis, ad proseucham, uti dixi v. 13.

Habentem spiritum Pythonem.] Syrus, *spiritum divinationis*, puta dæmonem familiarem, imo obsidentem, ait Cajetan. et Hugo (nam Paulus illum ex ea expulit) qui de futuris oracula reddebat, Apollo enim cognominatus est Pythius, vel à dracone Pythone, quem in Delo occidit, vel à πύθεσθαι, id est, *consulere*, puta à dandis responsis et oraculis. Inde spiritus ille quo afflati prædicebant futura, Pytho vocari cœptus est. Inde etiam πύθιοι dicebantur, qui Delphos ad consulenda oracula mittebantur, qui publice cum regibus cibaria habebant, et vescebantur una, teste Herodoto lib. 6. Vide dicta Isaiæ 8. 19.

17. Isti homines servi Dei excelsi sunt.] Non ait, Jesu Christi, quia hic illi exosus est, utpote qui eum regno suo dispoliavit. Dixit hoc dæmon per puellam, vel coactus à Deo; ita Beda, Glossa, Hugo et Dionys. vel sponte, ut hac arte ad se plures pelliceret, quasi qui spiritus esset divinus, utpote servos Dei indicans et dilaudans; ita S. Chrysost. OEcumen. Lyran. et Cajet Addit Chrysost. ut Paulum adulando sibi conciliaret, ne se à puella expelleret, eumque laudando titillaret, et ad vanam gloriam incitaret. Verum potior causa petenda videtur ex eventu, quem dæmon sagacissimus uti prævidebat, ita et malitiosissimus, intendebat : nimirum prævidebat Paulum non laturum hasce suas voces, sed eum expulsurum, se vero libenter cessurum, ut horos Pythonissæ jam privatos suo divinationis quæstu accenderet in Paulum, ut eum male mulctarent vel occiderent. Pauli enim caput petebat diabolus, ut ejus prædicationem, et conversionem Gentium inhiberet; ita factum est : nam Paulus ab eis captus, flagellatus et incarceratus est. Scribat enim, si Paulum perderet, se plurimos perditurum.

18. Dolens autem Paulus.] Tum puellæ miseriam, tum diaboli fraudem, qui divinando populos ad se, et ad magicas artes attrahebat. Græce pro *dolens* est διαπονηθεὶς, id est, *moleste ferens et indignans;* Erasmus, *tædio affectus.* Noluit hanc laudem et hoc testimonium recipere à diabolo Paulus, tum ut ostenderet eum patrem esse mendacii; et verum subinde dicere, ut deinceps mentienti credatur : tum ut ostenderet

omnem cum diabolo communicationem nobis esse interdictam. *Nam beneficia ejus omnibus sunt nocentiora vulneribus*, ait S. Leo. serm. 19. de Passione. *Deum enim beneficia præstat, magis nocet*, ait S. Aug. 8. Civit c. 24.

19. AD PRINCIPES.] Syrus, *ad primores civitatis*, inter quos multi erant è Magistratu : Magistratui enim puniendum obtulerunt Paulum, ut sequitur.

20. CUM SINT JUDÆI.] Conflant invidiam Paulo : Judæi enim Romanis et aliis Gentibus erant exosi ob fidei singularitatem, separationem et morum dissimilitudinem. Idem odium in Christianos, quasi è Judæis oriundos, derivarunt, ut patet ex Tertull. Apolog. c. 7. ac ex Apologiis Aristidis, Quadrati, Athenagoræ, Justini, et aliorum illius ævi.

21. ANNUNTIANT MOREM,] ἔθη, id est, *mores, instituta*, puta novam fidem et religionem, novum modum vivendi, novum novi Dei cultum.

CUM SIMUS ROMANI.] Puta coloni Romanorum, ac proinde eorum jure viventes. Romani enim sanxerant, ne quis Deus admitteretur, nisi quem Senatus approbasset. Unde cum Tiberius Cæsar auditis miraculis Christi, vellet cum inter deos referre, Senatus restitit, eo quod se prius non consuluisset, teste Eusebio l. 2. Histor. c. 2.

22. SCISSIS TUNICIS EORUM.] Pauli et Silæ. Id fecerunt tum ad execrationem sceleris, quod scilicet deorum cultum abolere, et novum Deum statuere satagerent ; tum ut eos notarent ignominia ; tum ut eos nudarent ad flagellationem, quæ mox secuta est. Aliter Tigurina et Clarius ; vertunt enim, *scissis tunicis suis*, pro ἑαυτῶν legentes ἀυτῶι, quasi Magistratus non Pauli, sed suas tunicas siderint, in detestationem auditæ blasphemiæ et novæ religionis, quam prædicabat Paulus. Hanc enim ipsi superstitiosam, et blasphemam impiamque censebant.

23. ET CUM MULTAS PLAGAS EIS IMPOSUISSENT.] per virgarum flagellationem. Unde Syrus vertit, *et cum multum eos flagellassent*. Alii præter virgas, putant Paulum et Silam partim à populo furente, partim à lictoribus, fustibus et pugnis fuisse appetitos : hisce enim proprie plagæ infliguntur. Præclare S. Chrysost. hic sub finem hom. 39. *Paulus*, inquit, *verberabatur, et nihil dicebat. Hunc et nos imitemur. Referiamus percutientes mansuetudine, silentio, longanimitate. Difficiliora sunt hæc vulnera : major plaga et onerosior. Gravius enim est percutere animam, quam corpus. Multos percutimus, sed ut amici ; ut delectatur : sed quem percusseris cum contumelia, quoniam cor tetigisti, valde contristasti. Ita magis cor illorum percutimus. Quod autem mititas magis verberet, quam temeritas, age demonstremus*, etc. Idem hom. 6. de Laudibus S. Pauli, docet Paulum eidem cui nos infirmitati carnis subjacuisse, sed eam virtute transcendisse. *Non enim*, inquit, *habere naturam infirmitatibus subditam, sed servire infirmitatibus, criminosum est ; ut merito magnus ille habeatur atque mirabilis, qui imbecillitatem naturæ voluntatis virtute superavit : et hoc ipso ostendit, quanta sit liberæ voluntatis potestas, obstruitque ora dicentium cur non natura boni facti sumus, nec cum ipsa virtute progeniti? Quid enim refert natura esse, quod potes effici voluntate? imo præstat sponte coronis et amplissima laude decorari.* Et mox : *Paulus*, inquit, *fuit statua virtutis, qui bona voluntatis in naturæ firmitatem certavit abducere. Dolebat quidem ille corpus, sed non inferior incorporis potestatibus, ipsos contemnebat dolores. Quando enim dicit, Mundo crucifixus sum, quid aliud videtur dicere, quam quod etiam ex corpore ipso animi virtute migraverit?*

24. STRINXIT LIGNO,] numella, vel cippo, cui seorsim singuli inserebantur.

25. MEDIA AUTEM NOCTE PAULUS ET SILAS, ORANTES, LAUDABANT DEUM.] Vide hic Pauli et Silæ, in flagellatione et incarceratione constantiam et lætitiam, qua exultantes Deo, quasi pro ingenti dono gratias agunt. Idem fecerunt olim Martyres. Rursum quam brevis somni fuerit Paulus, scilicet dormivit usque ad mediam noctem. Tertio, cum solitum media nocte consurgere ad orationem, instar Davidis dicentis Psalm. 118. 62. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi ;* et Isaiæ c. 26. 9. *Anima mea desideravit te in nocte.* Hinc fideles olim media nocte solebant ad orationem surgere : tum quia sub id tempus natus est Christus, æque ac passus : tum quia credebant Christum noctu venturum ad judicium, inquit Lactant. lib. 7. cap. 9. *Quocirca*, inquit Clemens Alexand. 2. Pædag. cap. 9. *Sæpe noctu è lecto surgendum est, Deusque laudandus : beati enim, qui in ipsum vigilarunt, seipsos assimilantes angelis, quos nos ἐγρηγόρους, id est vigilantes, vocamus.* Idem exemplo Pauli hoc loco, faciendum esse docet S. Basil. in reg. interrog. 37. et S. Hieron. ad Demetriadem, post alias diurnas orandi horas : *Ad vesperam*, inquit, *media nocte, et mane semper est exercendum.* Quin et Plinius de Christianis apud se accusatis ita scribit ad Trajanum lib. 10. epist. 97. *Affirmabat autem hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo dicere secum invicem.* Unde liquet non tantum Clericos, sed et laicos olim noctu ad orationem et hymnos convenisse. Atque hinc orti sunt Nocturni, quos quotidie legimus in officio Ecclesiastico, idque exemplo Pauli et Silæ, qui ὕμνουν, id est, *hymnizabant, hymnos dicebant*, ait Lucas. Unde Ecclesia in hymno Feriæ 4. ad Matutinum sic canit :

> Mentes manusque tollimus,
> Propheta sicut noctibus
> Nobis gerendum præcepit,
> Paulusque gestis censuit.

Hinc et S. Hieron. Eustochio scribit et præscribit dicens : *Esto cicada noctium.* Noctu enim canit cicada. Ita S. Vicentius Ferrerius, S. Petrus Martyr Ordin. Prædic. S. Xaverius, aliisque viri Apostolici per diem prædicabant, noctu orabant, exemplo Christi qui *erat pernoctans in oratione Dei*, Lucæ 6.

12. Plura vide apud Cassianum l. 2. Francolinum lib. de Horis Canon. c. 2. Baronium hic, et in Martyrol. ad diem 5. Januarii.

26. SUBITO VERO TERRÆ MOTUS FACTUS EST MAGNUS.] Ut eo ostenderet Deus, se preces Pauli et Silæ exaudisse, eorumque curam gerere, seque eos è carcere liberaturum, ac pro eis terram, omniaque elementa concussurum, si opus esset. Vide dicta c. 4. 31. Hic terræ motus videtur fuisse non tantum in carcere sed etiam in urbe : eo enim territus Magistratus, illico jussit eos dimitti.

UNIVERSORUM VINCULA SOLUTA SUNT.] Vel vi terræ motus, vel potius operatione secreta angeli : nemo tamen effugit, quia percussi erant

omnes, adeoque non advertebant incarcerati se vinculis esse solutos, ait Chrysost.

27. Custos carceris.] OEcumen. censet hunc custodem fuisse Stephanum, cujus se domum baptizasse scribit Paulus 1. Corinth. 1. 16. quemque inter primitias Achaiæ commemorat ibidem c. ult. v. 15. Sed obstat, quod hæc Philippis sint gesta in Macedonia, non in Achaia; nisi dicas, custodem hunc oriundum ex Achaia, migrasse Philippos, ibique conversum à Paulo, rediisse Corinthum in Achaia.

29. Introgressus est,] εἰσεπήδησε, id est, ut Tigurina et Pagnin. *irrupit, insiliit.*

30. Quid me oportet facere.] Conversus est hic custos per terræ motum, quodque Paulus et Silas soluti vinculis, in iis tamen perstitissent laudantes Deum; inde enim videbat Deum pro Paulo et Sila, quasi legatis suis pugnare.

31. Crede in Dominum Jesum.] Multa alia credenda erant de Patre et Spiritu sancto, de Ecclesia, aliisque Symboli articulis, quæ proinde sigillatim ei exposuit Paulus v. 32. Sed horum omnium caput et summa, erat fides in Christum: hæc enim includit et docet cætera omnia. Fides enim Christiana credit traditque Symbolum Apostolorum, quo reliqua credenda continentur.

35. Dimitte homines illos.] Magistratus præcipitarat sententiam contra Paulum et Sylam: unde rediens ad se, et causa melius examinata, nimirum quod ob pulsum à muliere Pythonem dæmonem, id est, ob beneficium in eam totamque urbem collatum, eum tam male excepissent; forte etiam sentientes, vel à custode per nuntium edocti de miraculo terræ motus, Paulique innocentia et lætitia; quodque à Deo solutis vinculis, carcere egredi noluisset, eum illico jussit dimitti, Deo ad id ipsum impellente, ne prædicationis Pauli cursus inhiberetur; ita Lyran. Hugo et Dionys. Unde quidam Græci codices addunt: *Die autem facto convenerunt Magistratus in concilium, et Memores terræ motum factum, timuerunt ac miserunt lictores;* quæ verba significant terræ motum non tantum fuisse in carcere, sed per totam urbem uti dixi v. 26.

37. Indemnatos.] Taxat injustitiam Magistratus, quod præcipitarit tam sententiam, quam pœnam causa inaudita. Syrus vertit, *innocentes.*

Homines Romanos.] In Pandect. lege 5. tit. 26. lege Julia, de vi publica damnatur, qui civem Romanum, ante ad populum nunc ad Imperatorem appellantem, necarit, torserit, verberarit, in vincula ducit jusserit. Exaggerat Cicero actione 5. in Verrem, quod Gavium civem Romanum Verres flagellarit. Nec ulla vox alia, inquit, istius miseri inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur, nisi hæc: *Civis Romanus sum.* Recens erat Rhodiorum exemplum, qui cum peccassent in aliquos Romanos cives, Claudius eos libertate plane privavat, uti narrat Dio lib. 60. Antiquo enim jure Romanorum nefas erat, civem Romanum subjicere flagellis, seu virgis. Id primum statuit lata lege Valerius Publicola apud Valer. Max. lib. 4. c. 1. Idipsum confirmatum est lege Porcia, et lege Sempronia, teste Cicerone pro Rabirio. Vide Sigonium lib. 1. de Antiquo jur. Roman. c. 6.

Non ita, sed veniant, et ipsi nos ejiciant,] ἐξαγαγέτωσαν, id est, *educant.* Hinc patet, Paulum post cibum in domo custodis sumptum, rediisse ad carcerem, ut ibi cum Magistratus inveniret, et innocentem pronuntiaret et dimitteret. Vide hic magnanimitatem Pauli, qua carcere egredi non vult nisi Magistratus sententiam ferat de ejus innocentia, idque publice. Simili consilio Socrates noluit è carcere fugere, ne illa fuga reum potius se convinceret, quam innocentem, ait Plato in Crito. Idem eadem causa et virtute fecit Ignatius fundator Societatis nostræ. Lege Ribad. l. 2. Vitæ ejus cap. 14. Sapienter Melania à Præside Palæstinæ incarcerata, ut ab ea aurum, quod copiose in monasteria erogabat, exprimeret: *Ego,* ait, *illius fui filia, hujus vero uxor, qui in terra fuit genere clarus, nunc autem sum Christi ancilla. Neque meum vilem habitum despexeris: possum enim me, si velim, extollere: ne ergo forte ignorans in crimen aliquod incidas quænam sum tibi declaravi.* Additque documentum: *Oportet enim adversus stolidos, tanquam cane et accipitre uti animi elatione, et in tempore superbiæ in ipsos immittere. Tunc judex se excusavit, et eam adoravit, et jussit eam absque ullo impedimento cum sanctis viris versaris;* ita Palladius in Lausiaca c. 117. Hac de causa Paulus subinde animos, quin et iram assumpsit. Ira enim est eos virtutis. *Iram,* inquit, Chrys. hom. 6. de laudibus S. Pauli, *providus creator nobis inservit, ut dormientes atque resolutas animas ab inertia ac desidia suscitaret. Quasi enim gladio aciem, ita menti nostræ iræ acumen imposuit, ut eo cum oportet utamur. Propterea igitur et Paulus hoc sæpe usus est affectu, et modeste loquentibus erat melior iratus, cum tempore omnia faciens opportuno pro lucro et commodo prædicandi.*

39. Deprecati sunt eos.] Ecce Paulus suos judices facit sibi supplices. Unde Gagneius et Dion. Veniam, inquiunt deprecati sunt pro injuria, violatoque jure civilitatis Romanæ. Græci codices nonnulli addunt, Magistratum venisse cum amicis, ac dixisse: *Ignoravimus statum vestrum, et quod estis justi. Et educentes eos rogaverunt dicentes: Exite ex hac urbe, ne forte rursus irruant in vos, et vociferentur contra vos.*

40. Introierunt ad Lydiam,] purpurariam v. 14. mœstam, et orantem pro Pauli liberatione.

Et visis fratribus.] Luca, Timothæo, et si qui alii socii erant Pauli, solus enim Paulus et Silas incarcerati fuerant. Unde pro eo sollicitus erat Lucas, et Timotheus. Hinc Paulus consolatus est eos, narrando terræ motum, et cætera, quæ Deus in carcere pro se operatus erat ad gloriam Christi. Unde quidam Græci codices addunt: *Narraverunt quæcumque fecit Dominus illis.* Nam Philippis hac vice Paulus tantum legitur convertisse Lydiam, et custodem carceris; sed hi sparserunt in alios fidei semen. Unde ad eos scripsit postmodum Paulum epistolam ad Philippenses, zelo et desiderio martyrii ardentem.

Moral. discamus à Paulo, eadem, alacritate et contentione prædicare paucis ac multis, pauperibus ac nobilibus, feminis et pueris ac viris. Idem dico de doctrina, audiendis confessionibus, catechesi, et quavis alia occupatione ac labore: Esto enim initio parvus sit fructus, Deus tamen suo tempore inde majorem eliciet.

Debile principium melior fortuna sequetur.

Ad magna non scanditur nisi per parva: ab iis ergo inchoandum tendenti ad magna. Vide dicta Zachar. 4. 10.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PHILIPPIS EXIENS PAULUS CONTENDIT THESSALONICAM, UBI MULTOS CONVERTIT; SED JUDÆIS EUM PERSEQUENTIBUS ABIIT BEROEAM, INDE ATHENAS: UBI EX ARA IGNOTO DEO DICATA, DEMONSTRANS HUNC DEUM ESSE CHRISTUM, MULTOS AD EJUS FIDEM TRADUXIT, AC INTER EOS DIONYSIUM AREOPAGITAM.

1. Cum autem perambulassent Amphipolim, et Apolloniam, venerunt Thessalonicam, ubi erat Synagoga Judæorum. 2. Secundum consuetudinem autem Paulus introivit ad eos, et per sabbata tria disserebat eis de Scripturis, 3. adaperiens et insinuans quia Christum oportuit pati, et resurgere à mortuis: et quia hic est Jesus Christus, quem ego annuntio vobis. 4. Et quidam ex eis crediderunt, et adjuncti sunt Paulo et Silæ, et de colentibus Gentilibusque multitudo magna, et mulieres nobiles non paucæ. 5. Zelantes autem Judæi, assumentesque de vulgo viros quosdam malos, et turba facta, concitaverunt civitatem, et assistentes domui Jasonis quærebant eos producere in populum. 6. Et cum non invenissent eos, trahebant Jasonem et quosdam fratres ad principes civitatis, clamantes: Quoniam hi, qui urbem concitant, et huc venerunt, 7. quos suscepit Jason, et hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt regem alium dicentes esse, Jesum. 8. Concitaverunt autem plebem, et principes civitatis audientes hæc, 9. Et accepta satisfactione à Jasone, et à cæteris, dimiserunt eos. 10. Fratres vero confestim per noctem dimiserunt Paulum et Silam in Beræam. Qui cum venissent, in Synagogam Judæorum introierunt. 11. Hi autem erant nobiliores eorum, qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent. 12. Et multi quidem crediderunt ex eis, et mulierum Gentilium honestarum, et viri non pauci. 13. Cum autem cognovissent in Thessalonica Judæi, quia et Berææ prædicatum est à Paulo verbum Dei, venerunt et illuc, commoventes et turbantes multitudinem. 14. Statimque tunc Paulum dimiserunt Fratres, ut iret usque ad mare: Silas autem et Timotheus remanserunt ibi. 15. Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum usque Athenas, et accepto mandato ab eo ad Silam et Timotheum, ut quam celeriter venirent ad illum, profecti sunt. 16. Paulus autem cum Athenis eos expectaret, incitabatur spiritus ejus in ipso, videns idololatriæ deditam civitatem. 17. Disputabat igitur in Synagoga cum Judæis, et colentibus, et in foro, per omnes dies, ad eos qui aderant. 18. Quidam autem Epicurei, et Stoici Philosophi disserebant cum eo, et quidam dicebant: Quid vult serminiverbius hic dicere? Alii vero: Novorum dæmoniorum videtur annuntiator esse: quia Jesum, et resurrectionem annuntiabat eis. 19. Et apprehensum eum, ad Areopagum duxerunt, dicentes: Possumus scire quæ est hæc nova, quæ à te dicitur, doctrina? 20. Nova enim quædam infers auribus nostris: Volumus ergo scire quidnam velint hæc esse. 21. (Athenienses autem omnes, et advenæ hospites, ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi.) 22. Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video. 23. Præteriens enim et videns simulacra vestra, inveni et aram, in qua scriptum erat: IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. 24. Deus, qui fecit mundum, et omnia quæ in eo sunt, hic cœli et terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, 25. nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia: 26. fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, et terminos habitationis eorum, 27. quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrûm. 28. In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus: sicut et quidam vestrorum Poetarum dixerunt: Ipsius enim et genus sumus. 29. Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi sculpturæ artis et cogitationis hominis, Divinum esse simile. 30. Et tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam

agant, 31. eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis. 32. Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. 33. Sic Paulus exivit de medio eorum. 34. Quidam vero viri adhærentes ei, crediderunt: in quibus et Dionysius Areopagita, et mulier nomine Damaris, et alii cum eis.

1. Cum autem perambulassent Amphipolim.] Civitas est Macedoniæ, vel Thraciæ vicina Philippis; ita dicta, quod aquis undequaque sit circumdata, isthmo tantum terræ coherens; ita Pollux l. 9. Hæc Philippo Macedoni et Atheniensibus, bellorum causam dedit. Hanc Brasides Lacedæmoniorum dux bello Peloponnesiaco occupavit; ita Thucydides l. 4.

Apolloniam.] Hæc vicina est Thessalonicæ. Aliæ enim plures alibi fuerunt urbes eodem nomine.

Thessalonicam.] Hæc prima, vel inter primas fuit Macedoniæ civitas, ita dicta à νικὴ, id est *victoria*, quam de Thessalis ibidem obtinuit Philippus Macedonum Rex. Nunc per apheresin *Salonica* vocatur, in qua Judæi habent Synagogam, Typographiam, imo dominium; ita Strabo l. 7. et Stephanus lib. de Urbibus.

2. Secundum consuetudinem.] Consueverat enim Paulus, ait Chrysost., ubique primo adire Synagogas Judæorum, ibique prædicare, etiamsi sæpius ab eis offensus, expulsus et lapidatus ut constantem in suam gentem amorem ostenderet; bonumque pro malo redderet, itaque multos ex eis converteret, reliquos nolentes converti faceret inexcusabiles, ne, si primo Gentibus prædicaret, Judæi prætendere, vel objicere possent, ipsum non annuntiare verum Messiam, eo quod hic promissus esset Judæis, non Gentibus.

Disserebat eis de Scripturis,] ἀπὸ τῶν γραφῶν, id est *è Scripturis;* ita Tigurina, et Pagnin. E Scripturis enim probat Jesum Christum esse Messiam et salvatorem mundi, cujus fide omnes justificari et salvari debeant. Melius et nervosius vertit Noster, *de Scripturis.* Solebant enim Judæi in Synagogis non aliud tractare, quam Scripturas: unde si Paulus aliud tractasset, ac præsertim directe et expresse egisset de Christo crucifixo, explosissent eum Judæi. Thema ergo Pauli erat Scriptura, sed ita, ut ex ea opportunis locis semper ingereret et insinuaret Christum, uti sequitur. Ubi Nota solertiam et dexteritatem Pauli, qua Christum artificiose, quasi aliud agens Judæis invitis et Christum aversantibus insinuat et prædicat. Idem faciendum est iis qui venantur animas vitiis immersas, et sermonem omnem de virtute abhorrentes, ut primo de aliis rebus, quas illis gratas esse sciunt, sermonem faciant, deinde latenter ad vitia et virtutes descendant.

Noster fundator S. Ignatius hoc suis dabat axioma: *Ingredimini cum eo quod est illorum, sed exite cum vestro;* significans initio nos hominibus sæcularibus accommodare debere et omnibus omnia fieri, ut omnes lucrifaciamus, ac tandem virtutem, quam intendimus, eis persuadeamus. Ita venatores avium et ferarum, ac piscatores piscium, eis escam objiciunt, sed sub esca retia et hamos abscondunt, quibus eos illaqueant et capiunt: idem faciat venator et piscator animalium rationalium, quæ instar ferarum et piscium viventia, terrenis inhiant.

Ita S. Barlaam Eremita fingens se gemmarium, gammamque afferre eximii splendoris et valoris (puta fidem Evangelicam) aditum sibi patefecit, convertitque Josaphat Regis Indiæ filium, uti refert Damascenus in eorum Historia.

Ita S. Abrahamus neptem suam Mariam lapsam in fornicationem, fingens se mercatorem reduxit in viam salutis, uti refert S. Ephrem in ejus vita.

Ita in vita Astionis Martyris legimus, Vigilantium parentes adhuc Gentiles de Astione filio perquirentes, mortem ejus celasse, dixisseque eum vivere in regione fortium, puta in cœlo, itaque eos consolatum esse, ac tandem dextere martyrium ejus nobile enarrasse, eosque ad Christum convertisse.

Ita Sanctus Xaverius à concubinariis avellebat concubinas, insinuans se in eorum amicitiam, et nunc unam, nunc alteram alio prætextu eis adimens, donec ad unam omnes adimeret. Lege Tursellinum in ejus Vita lib. 6. cap. 10. sub finem.

3. Adaperiens.] q. d. Sensim et opportune aperiens eis Christum in Scripturis latentem, et ex iis ostendens Christum debuisse pati et crucifigi.

Et insinuans,] παρατιθέμενος, id est, *proponens, explicans, ostendens*, Pagnin. et Tigurina, *allegans;* alii, *componens et conferens* gesta et passiones Christi cum verbis Prophetarum, qui illa ipsa prædixerunt; sed occultius et obscurius. Noster solertius et profundius vertit, *insinuans*, ob causam jam dictam: forte etiam legit παρεντιθέμενος, id est, *inferens, interjiciens, obiter et quasi per parenthesin insinuans.* Sic S. Petrus epist. 1. c. 5. 5. ait: *Omnes autem invicem humilitatem insinuate*, id est, in sinum immittite quasi occulte et aliud agendo, utpote invitis et reluctantibus. Sic Rhetores utuntur insinuatione, præsertim in re odiosa, ut judicum, vel auditorum animos aversos sibi concilient, et quasi aperiant, de qua Cicero l. 1. de Invent. *Insinuatio*, ait, *est oratio quadam dissimulatione et circuitione obcure subiens auditoris animum.* Et ut Servius in 11. Æneid. *est callidus et subtilis aditus ad persuadendum.* Sic insinuare se in amicitiam alterius dicitur is, qui non recta, sed per quosdam sinus et divorticula latenter in amicitiam ingreditur, et quasi irrepit.

Et quia hic est Jesus Christus quem, etc.] q. d. Quia hic scilicet Christus, ita celebratus in Script. et exspectatus à Patribus non est alius, quam Jesus Christus, quem ego annuntio vobis. Aut, ut Græca: *quia hic est Christus*, nimirum *hic Jesus quem ego annuntio vobis.* Judæi enim negant Jesum esse Christum, sive Messiam, quem dicunt venturum in fine mundi. Alii ex eis fingunt duos Christos: unum pauperem, patientem et afflictum, et hunc esse nostrum. Unde R. Jacob in Collectaneis è Talmud, dicit quod Christus hic sedeat Romæ inter pauperes miser et dolens (uti refert Lyran. l. contra Judæos) Alterum nobilem et splendidum instar Salomonis;

hunc fore Messiam Judæorum, et venturum in fine mundi. Ita ludiones isti negantur, aut somniant; cum ex adverso Scriptur. veteres Rabbini, et Patres omnes, unum tantum commemorant Messiam, sive Christum, scilicet Jesum à Judæis crucifixum.

4. Et quidem ex eis (Judæis, et de quibus sermo præcessit) crediderunt, etc. et de colentibus, Gentilibusque multitudo magna.] *Colentes* hic vocantur proselyti, puta Gentiles ad Judaismum conversi : opponuntur enim Judæis gente et genere, ac Gentilibus in gentilismo viventibus. Dicit ergo ex Judæis aliquos fuisse conversos ; ex proselytis vero et Gentilibus multos ; ita Beda, Hugo, Glossa, Lyran. et Carthus. Græci codices et Syrus faciunt hunc versum bimembrem, non trimembrem : eosdem enim faciunt Gentiles et colentes. Sic enim habent : *Et de colentibus Gentilibus multitudo magna*, ut colentes vocentur pii et religiosi Gentiles unum Deum colentes. Unde Syrus vertit, *multique ex Græcis illis qui timebant Deum.* Quocirca Apostolus postea scribens ad Thessalon., eorum in credendo promptitudinem, alacritatem et constantiam dilaudat. Sic enim scribit 1. Thessal. 1. et 2. *Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed in virtute et Spiritu sancto, et plenitudine multa, sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos. Et vos imitatores nostri facti estis, et Domini, excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus sancti, ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia et in Achaia,* etc. Vide ibi dicta.

5. Zelantes autem Judæi.] *Increduli*, ut addunt Græca ; et, ut Syrus, *scelerati.* Vide Paulum Judæorum horum zelum, invidiam et pravitatem describentem 1. Thessal. 2. 14. et seq.

Assumentesque de vulgo viros quosdam malos.] Pro *de vulgo*, græce est τῶν ἀγοραίων, id est, *ex circumforaneis ;* ita Tigurin. et Erasmus. Porro circumforaneos vocat eos, qui in foro versari solent, ait Vatabl. quos proinde Pagnin. vocat *forenses*, quales sunt vendentes et ementes ; ad hæc bajuli, homines inertes et otiosi ; item pauperes qui herum quærunt, suamque operam ad omne vel fas, vel nefas offerunt, quales multi sunt è vulgo in civitatibus amplis, uti erat Thessalonica. Nam, ut ait Sallust. in Jugurtha : *Egentissimo omnia cum pretio honesta videntur.* Et Silius Italicus lib. 13. *Sceleri proclivis egestas.* Divinius vero Salomon Prov. 30. 9. *Mendicitatem*, inquit, *ne dederis mihi, ne egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei.*

Porro multi Thessalonicæ erant inertes et otiosi, inde pauperes, inde inquieti, turbulenti, rapaces et fures. Quare hanc eorum inertiam otiumque acriter castigat Apostolus 2. Thessal. 3. 7. et seq. Præclare Diogenes Cynicus apud Laertium lib. 6. *Otiosorum negotium dicebat esse amorem et cupiditatem ;* quod hic affectus potissimum occupet otio deditos. Ita enim fit, ut dum otio indulgent, in rem negotiosissimam, qualis est cupiditas et desiderium rei alienæ, incidant. Et Appius Claudius, teste Valerio Max. dicebat : *longe melius populo Romano committi negotium, quam otium ;* quia turba bellis excitatur ad virtutem, in pace et otio defluit ad voluptates et luxum, ex quibus nascitur seditio, cædes, rapinæ, et relpubl. exitium.

Malos.] Græce, πονηροῦς, id est, *pravos, nebulones, flagitiosos*, item, *egenos, inopes, miseros, ærumnosos.* Improbitas, ait Chrysost. hom. 7. in Acta, dicitur πονηρία, eo quod πόνον, id est laborem et molestias mille auctori afferat. Adde, quod sæpe oriatur ex πενία, id est ex paupertate et inopia, uti jam dixi. Idipsum verbo et exemplo docuit Bulas famosissimus latro, qui sub Severo Imp. per totam Italiam comparata manu sexcentorum latronum, biennio maximas prædas egit. Cum autem centurionem vitæ suæ insidiantem cepisset, eumdem raso capite ad Severum Imp. remisit dicens : *Nuntia dominis tuis, ut servos suos alant, ne latrocinentur.* Habebat enim Bulas multos apud se Cæsarianos, partim exigua mercede conductos, partim nullo stipendio, ita Xiphilinus in vita Severi.

Assistentes domui,] ut in eam vi facta irrumperent, ex eaque in populum producerent *eos*, scilicet Paulum et Silam. Unde græce est ἐπιστάντες, id est, *adorti domum*, sive *urgentes, instantes et imminentes domui ;* ita Tigurin. Pagnin. Vatabl. et alii.

Jasonis.] Apud quem hospitabantur Silas et Paulus. Unde Beda censet hunc Jasonem fuisse Christianum, nimirum conversum à Paulo, per tria sabbata in Synagoga Thessalonicensi disputante de Christo è Scripturis v. 2. Videtur hic Jason esse idem de quo Apostolus Rom. 16. ait : *Salutat vos Timotheus adjutor meus, et Lucius et Jason, et Sosipater, cognati mei.* Videtur enim Jason cum Paulo Thessalonica ivisse Corinthum, unde illa Paulus scripsit ad Romanos anno Christi 58. ita Baron. Geneb. in Calendario Græcorum quod Psalmis præfixit, Sixtus Senensis l. 2. Biblioth. et alii. Quod si verum est, patet hunc Jasonem fuisse Christianum, Pauli cognatum, discipulum et familiarem. Rursum hic Jason videtur esse is, qui ascriptus catalogo Sanctorum legitur in Martyr. Romano die 12. Julii his verbis, *In Cypro S. Jasonis, antiqui discipuli Christi*, nam alium Jasonem Christianum, sanctumque, illo ævo nunquam legimus, nisi hunc. Ex quibus verbis probabiliter conjiciunt auctores jam citati, hunc Jasonem eumdem esse cum Mnasone, de quo Actor. 21. 16. dicitur : *Adducentes secum apud quem hospitaremur Mnasonem quemdam Cyprium, antiquum discipulum.* Hæc enim verba plane consentiunt cum verbis Martyrologii, nisi quod pro Jasone vocent eum Mnasonem ; sed nonnulla exemplaria pro Mnasone legunt Jasonem. Unde liquet, Jasonem fuisse oriundum è Cypro, domum tamen habuisse tam Thessalonicæ, quam Hierosolymæ. Menologium Græcorum 29. Aprilis, et Dorotheus in Synopsi, asserunt, Jasonem fuisse Episcopum Tarsensem ; Hippolytus vero lib. de 72. discipulis, eis annumerat Jasonem, facitque Episcopum in Syria. Baronius tamen in Martyr. die 12. Julii, Jasonem illum Martyrologio ascriptum censet esse eumdem cum Mnasone Actor. 21. 16. fuisseque Episcopum Tarsensem, diversum vero ab hoc Jasone Thessalonicensi, qui fuit Pauli hospes et discipulus. Utrumque est probabile : nihil enim hic est certum et evidens.

Quærebant eos producere in populum.] Ut scilicet à populo, per Judæos concitata et furente, lapidarentur, vel male multarentur Paulus et Silas. Vides hic morem Judæorum similem esse mori hæreticorum, qui per tumultus populi expellunt Catholicos vel urbe, vel senatu : quia sciunt, si ex jure et veritate causam suam

quiete agerent in tribunali, apud judices se causa casuros.

6. TRAHEBANT JASONEM.] Tumultuarie, ut tumultu furentis populi cum opprimerent apud primores civitatis. Quare minus recte vertit Syrus, *litem intendebant Jasoni:* tumultu enim res agebatur à Judæis, non lite judiciali, esto id pretenderent; idcirco enim ad principes urbis, quasi ad judices traxerunt eum.

ET QUOSDAM FRATRES,] puta Christianos.

QUONIAM,] quod: hoc enim est ὅ τι.

HI (scilicet sunt) QUI URBEM CONCITANT.] Græca pro *urbem* legunt οἰκουμένην, id est, *orbem*, sive *totam terram*. Sic et Syrus, Complut. Clarius, Vatablus et alii. Sed eodem res redit: per orbem enim intelligunt urbem vastam et amplam hyperbolice. q. d. Hi sunt qui tota urbe turbas movent, et totum populum ad seditionem concitant. Sic Pharisæi de Christo prædicante in sola Judæa dicunt Joannis 12. 19. *Totus mundus post eum abiit.* Et Athenæus lib. 1. Romam vocat *mundi populum*. Romanæ enim urbis populus videtur esse orbis totius, quia è toto orbe Romam confluxit. Potest tamen Græca lectio alium commodiorem habere sensum. q. d. Hi sunt qui ubique in orbe concitant tumultus, atque huc etiam venerunt ut eosdem suscitent. Alioqui si legas cum nostro *urbem*, tunc id quod additur, *Et huc venerunt*, sic accipe, q. d. Sunt extranei et advenæ, non cives et indigenæ: unde ab eis quasi incognitis, novatoribus et turbatoribus omni modo nobis cavendum est. Reddunt enim eos suspectos, dicendo quod aliunde veneriut, sintque extranei, ignoti, errones et vagabundi.

7. QUOS SUSCEPIT,] ὑποδέδεκται, id est, *clanculum et furtim excepit*, quasi facinorosos, novatores et turbatores; ita Tigurina, Pagninus, Gagneius et alii.

REGEM ALIUM DICENTES ESSE, JESUM.] Crassa hæc calumnia est, aliqua enim specie id Christo vivo objicere potuerunt Pharisæi, Joan. 19. v. 1. at non Christo mortuo jam in cœlis regnante, qui è terra et humanis sublatus, omnia hæc sub pedibus velut exilia despicit et calcat, quemque edicta Cæsaris ligare et tangere nequeunt.

8. CONCITAVERUNT AUTEM PLEBEM.] Hæc enim movetur solo nomine novi regis, sive tyranni, qualem hic criminabantur esse Christum, nec apprehendit, aut quærit an is vivus sit, an mortuus, an in terra, an in cœlo; forte etiam cogitabant è cœlo posse redire in terram, ut eam totam occupet, eique dominetur, præsertim quia hoc tempore regnabat Claudius Imperator, qui timidissimus ad solas umbras et rumusculos novi regni et tyrannidis totus percellebatur, uti fuse narrat Suetonius in ejus vita c. 35. et 36.

9. ET ACCEPTA SATISFACTIONE.] Qualis ea fuerit Scriptura non narrat. Syrus explicat, aitque fuisse fidejussores. *Sed acceperunt*, inquit, *fidejussores à Jasone*, qui scilicet fidejuberent eos fideles fore Cæsari et Romano Imperio, nihilque novi contra illud moturos, ait Cajetanus. Budæus vero, et ex eo Gagneius et Sanchez per *satisfactionem* accipiunt satisdationem, id est fidejussionem, qua Jason seipsum pro Paulo sponsorem dedit, vel sistendi illum tribunali, vel pro eo satisfaciendi, si in aliquo deliquisse convinceretur. Tertio, Dionysius et Lorinus per *satisfactionem* accipiunt excusationem et purgationem, qua Jason ostenderit Paulum non esse seditiosum, nec inducere novum regem terrenum, puta Christum, utpote qui jampridem sit mortuus, cujusque regnum sit spiritale, non corporale. q. d. Cum Jason sufficienter satisque ostendisset Paulum, non concitasse turbas, dimissus est. Quarto, Petrus Alexand. serm. de Pœnitentia, per *satisfactionem* accipit mulctam, puta pecuniam, quam Jason pro se redimendo dederit. Verum hoc parum videtur probabile; nec satis dignum generositate et integritate Pauli et Evangelii. Priores ergo sententiæ sunt probabiliores. Miratur Chrysost. Jasonis virtutem, qui se caputque suum pro Paulo periculo objecerit.

10. BEROEAM.] Urbs est Macedoniæ, non longo à Pella, Alexandri Magni patria.

IN SYNAGOGAM JUDÆORUM INTROIERUNT.] Mirare hic animos zelumque Pauli, à Judæis enim iterum et tertio male mulctatus ad eos rursus ingreditur; non sedit persecutionibus, sed sortior iis exurgit, *Ac vehementius in adversarios fertur, et incrementa persecutionis majoris illi fiunt causa constantiæ, instar flammæ, quæ vento agitata magis inardescit*, ait S. Chrysost. hom. 7. de laudibus S. Pauli. Ita certat virtus cum vitio, amor cum odio, beneficentia cum maleficiis: certat, et vincit. Hic est mos amantis, hic animus fortis et generosi, ut sibi dicat: *Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.* Præclare S. Bern. ep. 156. ad Eugenium Pont. *Legi*, ait, *apud quemdam sapientem: Non est vir sortis, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate. Ego autem dico: fideli homini magis est inter flagella fidendum.*

11. HI AUTEM.] q. d. Berœa erat nobilior Thessalonica, et cives Berœenses erant nobiliores Thessalonicensibus: ita S. Chrysost. Gagneius et Vatablus. At vero aptius Syrus, Lyran. Hugo et Cajetan. hæc restringunt ad Judæos, de quibus proxime præcessit. q. d. Judæi Berœa habitantes, erant nobiliores Judæis habitantibus Thessalonicæ: his enim solis competit id quod sequitur, *Quotidie scrutantes Scripturas;* hæ enim propriæ erant Judæorum, non Gentilium. Idem confirmat vers. 12. ut ibi patebit.

NOBILIORES.] Id est, nobilissimi, tum genere et prosapia, tum generositate et indole. Sæpe enim nobilitas generis secum affert nobilitatem animi, puta magnanimitatem, sinceritatem, civilitatem, probitatem, humanitatem, liberalitatem; ita Chrys. OEcum. Lyran. et alii. Dicit hoc Lucas, ut ostendat Berœenses nobili indole proditos, magis fuisse dociles, magisque capaces et promptos ad capessendam doctrinam Evangelii. Unde de iis subdit.

QUI, scilicet Berœenses, non Thessalonicenses, SUSCEPERUNT VERBUM Evangelii prædicatum à Paulo, CUM OMNI AVIDITATE.] Græce προθυμίας, id est, *cum animi promptitudine*, sive *libenter et propensis animis.*

SCRUTANTES SCRIPTURAS.] Non enim tenebantur credere, imo prudenter credere non poterant initiis Evangelii, et Paulo novo prædicatori, novum Deum annuntianti; nisi re examinata comperissent, hanc prædicationem esse consonam verbo Dei et oraculis Prophetarum. Quocirca idem de se dixit Christus Judæis Joan. c. 5. 39. *Scrutamini*, ait, *Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam habere æternam: et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Secus est jam cum Evangelium, et fides primitus sat superque exa-

minata, toi sæculis probata et recepta est, et tamen etiamnum possumus scrutari Scripturas, non ut fidem examinemus, sed ut in ea nos confirmemus, ejusque mysteria, melius et profundius penetremus, nobisque et aliis imprimamus; imo idipsum dumtaxat fecisse Berœenses est verisimile. Jam enim susceperant verbum Dei cum omni aviditate : non ergo scrutabantur Scripturas, ut primitus crederent, sed ut in fide susceptа confirmarent, singula Scripturarum testimonia de Christo à Paulo citata examinando, et cum dictis Pauli conferendo. Quare perperam hæretici contendunt ex hoc loco, hæreses suas esse examinandas ad Script. Cum enim constet eas esse hæreses, id est errores, fidei et traditioni Patrum repugnantes, non examinandæ, sed illico damnandæ et explodendæ sunt.

12. Et multi quidem crediderunt ex eis,] scilicet Judæis Berœensibus : hos enim opponit Gentilibus mulieribus et viris, quorum pariter non pauci crediderunt in Christum. Vide dicta initio v. 11.

14. Ut iret usque ad mare.] Græce, ὡς ἐπι θάλασσαν, id est, *quasi ad mare :* noluerunt enim fratres, ait Cajetan. ut Paulus aperte fugeret, sed declinaret, tanquam iturus ad mare. Verum Noster pro ὡς, id est *quasi*, legit ἕως, id est *usque*. Nam hoc itinere perrexit continue Paulus, et pervenit Athenas.

Silas autem et Timotheus remanserunt ibi,] ut Berœensibus fidei avidis fidem annuntiarent, et eos qui jam crediderunt in ea confirmarent. Solius enim Pauli, quasi choragi, caput petebant Judæi.

15. Qui autem deducebant Paulum,] tum honoris, tum securitatis causa, ne quas insidias, vel periculum à Judæis subiret. Hoc enim est Græcum καθιστῶντες, id est, *comitatu suo eum confirmantes et securitatem præstantes.* Id etiamnum faciunt suis prædicatoribus ferventes Catholici in Anglia, Hollandia, Japonia, India.

Athenas.] Ubi erat schola eloquentiæ et sapientiæ, ac consequenter Poetarum, Oratorum et Philosophorum multitudo, insuper idolorum abundantia : idque patet ex Poetarum de suis diis præconiis et encomiis. Unde Theodor. de Curan. Græc. affect. primatum idololatriæ inter cunctas orbis urbes Athenis defert, idemque insinuat Paulus v. 16. et 22. Nunc Athenæ sepultæ jacent, et in vicum redactæ. Erat ergo Athenis Apostolo magna messis, præsertim quia ex Athenis quasi ex capite sapientiæ, in reliquam Græciam erat derivanda. Unde celeriter eo vocavit adjutores suos, Silam et Timotheum. Hinc Tertull. l. de Anima c. 3. Athenas vocat linguatam civitatem, aitque ibi caupones fuisse sapientiæ et facundiæ. Græci vero eam vocant ἑλλαδος ἑλλάδα, id est, *Græciæ Græciam;* sicut Athenæus l. 1. Dipnosophist. Romam vocat ἐπιτομην της οικουμένης, id est, *compendium*, sive *urbem orbis.*

16. Incitabatur spiritus ejus in ipso,] παρωξυνετο, id est, *irritabatur excandescebat*, ita Pagnin. Tigur. et Vatabl. Syrus, *mœrore afficiebatur;* S. August. lib. 1. contra Crescent. c. 12. legit, *irritabatur Spiritu Sancto intra se.* q. d. Æstuabat Pauli animus, hinc dolore et compassione tam doctæ, et tam cæcæ miseræque civitatis; inde desiderio et zelo eam juvandi, erudiendi et salvandi; aliunde ira et indignatione in idololatriam, ejusque auctorem diabolum. Sic Jerem. c. 20. v. 9. de sermone Dei ait : *Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, et defeci ferre non sustinens.* Ubi S. Hieron. *conceptus animo sermo divinus*, ait, *nec ore prolatus ardet in pectore. Unde Paulus Athenis videns idololatriæ deditam civitatem tota mente fervebat.*

17. Colentibus,] proselytis, ait Chrysost., hoc est, Gentilibus ad Judaismum conversis, aut suæ salutis et vere religionis studiosis.

In foro.] Syrus, *in platea.* Ita primi Societatis nostræ Patres et fundatores, instar Pauli in plateis et foris concionabantur, uti etiamnum Romæ faciunt nostri, spiritus patrum suorum asseclæ et æmuli, magno confluxu et fructu.

Quidam autem Epicurei..] Epicurus Xenocratis discipulus, puer 14. annorum philosophari incipiens in hortis, omne bonum ait felicitatem hominis ponebat in voluptate. Hinc negabat numen et providentiam Dei : quocirca plurimos habuit sectatores : esto enim à nonnullis frugalis fuisse dicatur, et parcus; à pluribus tamen voluptuarius nuncupatur et porcus, ait S. August. de Utilit. credendi c. 4. Unde illud Horatii : *Epicuri de grege porcus.* Negabat enim animæ immortalem, et consequenter resurrectionem, dictitabatque : *Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.* Unde Sidonius in Epithalamio Polemii : *Ast Epicureos eliminat undique virtus.* Timocrates apud Laert. l. 10. in vita Epicuri asserit Epicurum bis quotidie præ crapula vomere solitum, ideoque corpore miserabiliter affectum, sic ut per multos annos è lecto surgere non posset : minam quotidie in mensam impendisse : tandem calculo obiisse. Nausiphanes Epicurum ob crapulam appellabat pulmonem, et indoctum, et circumscriptorem, et scortum. Porro natus est Epicurus 3. an. cix. Olympiadis, 7. annis postquam mortuus est Plato : vixit 72. annos.

Hæc ejus axiomata recenset Laertius : *Quod beatum est et immortale, id neque ipsum negotii quidquam habet, neque alteri exhibet, ut neque ira, neque gratia moveatur : in quo enim ejusmodi insunt, omne hoc imbecillum est.* Unde inferas, Deum non curare res humanas, nec malos punire. *Mors nihil ad nos pertinet. Quod enim dissolutum est, id sensus est expers : quod vero sensus est expers, nihil ad nos pertinet.* Unde colligas, animam post mortem nil sentire, unaque cum corpore interire. *Felicitatem sitam esse in voluptate : hanc enim esse initium et finem bene vivendi, vitæque beatæ. Mundos esse innumerabiles, eosque ex atomis inter se coeuntibus coaluisse : atomos ergo esse principium rerum omnium, esseque infinitas;* quod hausit à Democrito suo Magistro. Unde S. August. lib. 3. contra Academicos c. 10. *Quomodo*, inquit, *inter Democritum et superiores Physicos, de uno mundo et innumerabilibus litem dijudicabimus, cum inter ipsum, heredemque ejus Epicurum, concordia manere non potuerit? Nam iste luxuriosus, cum atomos quasi ancillulas suas, id est, corpuscula quæ in tenebris lætus amplectitur, non tenere viam suam, sed in alienos limites passim et sponte declinare permittit, totum patrimonium etiam per jurgia dissipavit.* Itaque Paulo et Christianis acre semper contra Epicureos fuit certamen και ἀσπονδος πόλεμος.

Et Stoici.] Philosophi fuere ita dicta à στοά, id est porticu, in qua docere et disserere solebat Zeno eorum parens, severi et rigidi, ideoque Epicureis oppositi. Unde Cicero pro Murena : *At enim*, ait, *agit mecum austere et stoice Cato.*

Stoicorum paradoxa, et errores Paulo convellendi fuere hi. Primus : fatum esse, omniaque regi fato : fatum ergo esse Deum. Deum itaque tollebant Deique providentiam, et pro Deo substituebant fatum ac naturam : omnia enim fluere censebant naturæ cursu et necessitate. Naturam, inquit Lactant. lib. 3. c. 28. dixerunt esse rerum omnium matrem, quasi dicerent omnia sua sponte esse nata. Præclare S. Eucherius epist. ad Valerianum sub finem : *Fatum non esse*, ait, *interrogent Gentes vel leges suas, quæ utique non puniunt, nisi factorum voluntatem.* Factum ergo cujusque elidit fatum, puta libertas necessitatem.

Secundus : virtutem, in qua summum bonum ponebant, esse in potestate et industria cujusque : unde non esse eam petendam à Deo, utpote quæ sita sit in arbitrio hominis : quare cuique in sua virtute esse gloriandum ; ita S. Aug. tom. 6. tractatu de Epicur. et Stoicis c. 4. et seq. Docebant ergo sapientem sibi sufficere, ac se solo contentum esse : eum solum esse divitem, liberum, regem, beatum, impeccabilem, apathem, imperturbabilem, et Deo parem. Vide Justum Lipsium Manuduct. ad Stoicam Philosoph. l. 3. 14.

Tertius : omnes virtutes esse pares, et omnia vitia paria ; ac qui unum habet, vel vitium, vel virtutem, omnia, et omnes cæteras habere. Rursum vitia, Dei providentia existere, ad varietatem et ornamentum universi ; ita Cicero in Paradoxis, et Plutarchus contra Stoicos.

Quartus : non esse ignoscendum reo qui offendit, non esse miserendum, eo quod misericordia sit passio et ægritudo animi, quæ in sapientem non cadit, quodque justitiæ suus dandus sit locus, ut rei puniantur. Unde Cicero pro Murena ex Stoicis ait, *neminem misericordem esse nisi stultum et levem.* Et Seneca lib. 2. de Clementia c. 4. damnat misericordiam quasi vitium. Et cap. 6. *Misericordia*, ait, *vicina est miseriæ, habet enim aliquid trahitque ex ea. Misericordia vitium est animarum nimis miseriæ faventium.* Vide Lipsium loco citato c. 19.

Quintus : sapientem sumere aliquando mortem posse, imo decere et debere, ne scilicet misere vivat. Unde Seneca in Ajace : *Aut honeste vivere, aut statim mori generosum oportet.* Ita Cleanthes Stoicus, ulcere in ore nato, cum suasu medicorum cibo abstinuisset ad biduum, meliusque jam factum esset, illis ad cibum revocantibus, abnuit, *nec majore viæ parte confecta, esse rediturum* asseruit. Ita inedia obiit. Zeno ipse 98. annos natus, cum valens et integer è schola veniens pedem offendisset, lapsusque esset, manu terram pulsans, illud Euripidis occinuit : *Venio, quid appellas me?* Vide Senecam Philosophum l. 3. de Ira c. 15. et epist. 70. Idem in Sentent. *Bona*, ait, *mors est homini, vitæ quæ extinguit mala.* Unde ipse moriens, uxorem suam mori volentem secum, eam ferro incidi permisit, et ad id animavit.

Sextus : omnes deos mortales esse, excepto Jove, et in Jovem transituros : sic in conflagratione mundi, sol, inquiebant, lunam, et cæteras stellas in se transmutabit ; ita Plutarch. lib. Contra Stoicos. Ubi etiam addit, Stoici Deum aiunt esse corpus mente præditum, mentemque in materia versantem ; non simplicem esse, neque purum, sed ex alio et per aliud esse pronuntiantes. Vide eumdem lib. de Stoicorum repugnantiis.

Septimus : Deum esse spiritum et animam mundi. Itaque spiritum qui vegetat mare, esse et vocari Neptunum : qui terram, Cererem : qui aera, Junonem : qui vites, Bacchum : qui oleas, Minervam : qui solem et sidera, Apollinem : qui herbas et pharmaca, Æsculapium : qui linguas, Mercurium : qui æthera, Jovem ; ita Plutarch. lib. de Iside et Osiride. Quia enim videbant res omnes spiritu et calore nasci, foveri et crescere ; hinc hunc spiritum et calorem, quem vocarunt ignem, censuerunt esse æternum et increatum rerum omnium principium et causam, ideoque esse Deum. Idem ante Stoicos censuit Hippocrates de Princip. *Videtur mihi*, inquit, *quod calidum, sive ignem dicimus, immortale esse, et intelligere omnia et videre, et audire, et scire omnia præsentia et futura.* Quid absurdius dici potest? nam æternitatem, sensum, intellectum, scientiam et præscientiam tribuit igni. Hinc Posidonius apud Stobæum, Deum definit esse spiritum igneum. *Deus*, ait, *est spiritus intelligens et igneus, formam ipse non habens, sed in omnes se vertens, et omnibus assimilans.* Et Democritus : *Deus*, ait, *est mens in igne sphærico.* Et Athenagoras : *Deus est*, inquit, *fervens substantia juxta Stoicos.* Et Pytagoras de Stoicis prognatus censuit, ait Cicero l. 1. de Natura deorum, *Deum esse animum, per naturam rerum omnium intentum et commeantem.*

Octavus : mundum esse animal animatum, vivum et rationale : ratione enim regi, spiritu vegetari et irrigari. Denique mundum esse Deum. Audi Manilium lib. 1.

> ——Vivere mundum,
> Et rationis agi motu, cum spiritus unus
> Per cunctas habitet partes, atque irriget orbem
> Omnia pervolitans, corpusque animale figuret.

Et rursum :

> Qua pateat mundum divino munere verti,
> Atque ipsum esse Deum.

Et Seneca Stoicorum acutissimus epist. 97. *Totum*, ait, *hoc quo continemur, et unum est, et Deus est ; et socii ejus, et membra sumus ;* quem refutant Lactant. l. 7. c. 3. *Si hæc omnia*, inquit, *quæ videmus, Dei membra sunt, jam insensibilis ab his constituitur Deus.* Quin et Varro Romanorum doctissimus, idem censuit. Audi S. August. lib. 7. de Civit. cap. 6. *Varro*, ait, *de naturali Theologia proloquens, dicit Deum se arbitrari animam mundi, et hunc ipsum mundum esse Deum.*

Ex dictis liquet, tam Stoicos, quam Epicureos, habuisse suos atheismos : et in re fuisse atheos, imo polytheos, ideoque magis atheos. Qui enim plures deos ponit, hic unum Deum verum, qui solus est, è medio tollit. Hi aliique errores Stoicorum et Epicuræorum convellendi erant Paulo, docendo omnem nostram virtutem, bonum et salutem consistere in Christo crucifixo, cujus gratia et potentia resuscitandi simus in vitam immortalem et beatam : ideoque eum solum esse mediatorem Dei et hominum, eorumque salvatorem : cujus proinde doctrina et vita sobria, casta, justa, pia et sancta nobis sit capessenda.

Moraliter : ita hodie nulli magis Christianæ disciplinæ et virtuti adversantur, quam Epicuræi, id est, voluptarii et deliciis carnis immersi ; ac Stoici, id est arrogantes, suæ sapientiæ et judicio præfidentes, quales sunt hæretici. Unde experientia constat, hæresiarchas omnes fuisse

Epicureos, vel Stoicos, id est, ventrosos, et venereos, vel superbos; ideoque in hæresim esse prolapsos. Nunquam enim hæresis est primum peccatum, sed alia ei sunt prævia, quæ hominem ad hoc malorum barathrum sensim deducunt. Apposite Barlaam apud Damascenum in Histor. c. 12. Josaphat regi dat parabolam monocerotis, id est mortis, qui hominem insequitur: ille fugiens apprehendit arborem, in qua modicum est mellis, id est voluptatis; quo se pascens, in subjectum barathrum, puta gehennam, corruit.

> Heu quam dulce malum mortalibus additum,
> Mellis dulcis amor!

Et Boetius lib. 3. Metro 7.

> Habet omnis hoc voluptas,
> Ubi grata mella fundit,
> Fugit et nimis tenaci
> Ferit icta corda morsu.

Quocirca Deus Judæis in sacrificio vetuit mel, uti dixi Levit. 2. 11.

Vere S. Bernard. serm. 30. in Cant. *Epicurus*, ait, *voluptatem, Hippocrates autem bonam valetudinem præfert: Christus vero utriusque contemptum prædicat, dicens: Qui amat animam suam, perdet eam. Perdet, vel ponendo eam ut Martyr, vel affligendo ut pœnitens. Quanquam genus martyrii est, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum quo membra cædantur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius.* Quin et Seneca l. 2. de Vita beata c. 7. *Altum quiddam*, inquit, *est virtus, excelsum et regale, invictum, infatigabile; voluptas, humile, servile, imbecillum, caducum, cujus statio ac domicilium fornices et popinæ sunt. Virtutem in templo invenies in foro, in curia, pro muris stantem, pulverulentam, coloratam, callosas habentem manus: voluptatem, latitantem sæpius, ac tenebras captantem.*

Dissertabant cum eo,] συνέβαλλον, id est, *congrediebantur et conflictabantur cum eo;* Ita Pagnin. Vatabl. et Tigurina.

Quid vult seminiverbius.] Græce eleganter dicitur σπερμολόγον, id est, *spermologus, verbisator, puta seminator verborum*, uti legit S. August. tract. contra Epicur. et Stoicos, Œcumen. censet alludi ad σπερμολόγον avem quamdam vilem è genere graculorum, quæ femina colligit, quam proinde vertere et vocare possis *seminilegam*, de qua Aristot. l. 8. Histor. animal cap. 3. Unde Eustachius in Odyss. lib. 5. censet ab hac ave vocari spermologos, homines inopes et abjectos, qui in foro colligunt grana è saccis excidentia et neglecta, indeque victitant. Proprie Epicuræi Paulum hic vocant spermologum, id est, verbosum, garrulum, qui nil nisi verba effutiat, et ad quæstum quidvis garriat, uti faciunt rabulæ forenses, et agyrtæ, sive circumforanei, qui suas nugas verbis appretiant et venditant. Vere S. Augustin. loco paulo ante citato: *Dictum est quidem*, inquit, *ab irridentibus, sed non respuendum est à credentibus: erat enim revera ille seminator verborum, sed messor morum.* Verba enim ejus non erant verba aerem ferientia, sed tela mentem sauciantia. Spermologi sunt Prædicantes hæreticorum, qui vere se vocant *Ministros verbi*, quia reipsa non nisi verba dant, non Dei, sed diaboli.

Novorum, ξένων, id est, *peregrinorum, novorum, inauditorum, absurdorum,* Dæmoniorum.] Syrus, *deos alienos prædicat iste.* Gentiles enim dæmones censebant esse deos minores. Porro cum sint calorum dæmones et cacodæmones, id est, dæmones boni et mali) dæmon enim græce idem est quod sciens, ait Plato in cratylo; unde vocatur dæmon Socratis: licet Eusebius lib. 4. Præc. c. 3. nomen *dæmon* derivet, à δειμαίνειν, id est, *percellere, metum injicere.* Alii à δάσασθαι, id est, *regere*, eo quod homines regant) hinc tam de bonis, quam de malis hæc sententia accipi potest; ita Syrus, Vatablus et alii Apuleius apud S. August. 8. Civit. c. 16. *Dæmones* definit *esse genere animalia, animo passiva, mente rationalia, corpore aerea, tempore æterna. Horum vero quinque tria priora illis esse nobiscum communia, quartum proprium, quintum eos cum diis habere commune.* Sed duo ultima falsa sunt, æque ac primum, nisi per æterna accipias æviterna in futurum, non in præteritum.

Quia Jesum et resurrectionem annuntiabat.] Jesum, quasi Deum: ἀναγασιν, id est *resurrectionem*, quasi deam, resurrectionis præsidem, quæ sibi devotos faceret à morte resurgere; ita S. Chrysost. Œcumen. et Sanchez. Sic enim Romani fortunam, felicitatem, salutem, honorem, etc., colebant ut deas, quæ hæc suis cultoribus aspirarent. Vide S. August. lib. 4. Civit. cap. 11. et seq. Verum simplicius, *novorum dæmoniorum annuntiator est*, referri potest ad Jesum, quem annuntiabat Paulus: vero *seminiverbius*, ad resurrectionem. Gentiles enim cum lumine naturæ non caperent resurrectionem, eo quod ipsa sit supra naturam et miraculum, ac proinde per Dei omnipotentiam, non per vim naturæ futura; dicebant Paulum eam prædicantem, serere verba, id est, prædicare nugas, fabulas, res impossibiles, esseque impostorem, qui præsentia lucra captet, promittendo montes aureos in futura resurrectione, uti faciunt Bonzii apud Japonis.

19. Ad Areopagum duxerunt.] *Areopagus* græce idem est quod Martis vicus; Martia cura Ἄρης enim vocatur Mars Græce est ἐπι τὴν ἄρειον πάγον, id est, *ad Martium vicum:* sicut Romæ erat campus Martius. Athenæ enim distributæ erant in quinque pagos sive vicos, è quibus unus erat Areopagus, ita dictus à templo Martis, in quo primum judicium capitis actum fuisse scribit Plinius lib. 7. cap. 56. Hoc enim Areopagi judicio nihil erat constantius, nihil severius, nihil fortius, ait Cicero lib. 1. ad Attic. epist. 9. ut tot Martes esse viderentur, quot erant judices. Hinc Areopagitæ, judices severissimi, qui in templo, vel juxta templum Martis judicabant. Nam cum Mars homicidii insimularetur, judicantibus duodecim diis in eo pago, sex sententiis absolutus est, ut tradunt Græci; cum enim pares erant sententiæ, absolvebatur reus, utpote cui in dubio, et in pari favendum est potius, quam actori: nam condemnandus est nemo, nisi convincatur esse reus et nocens.

Refellit hanc sententiam Varro apud S. Augustinum 18. Civitat. c. 1. Unde Œcum. et Isidorus Selus. lib. 10. epist. 91. ex Sausania tradunt. Martem eo loci accusatum à Neptuno de stupro, capitis damnatum fuisse, indeque dictum Areopagum. Demosthenes vero orat. contra Aristocr. censet Areopagum dictum esse, quod in eo causæ Martiæ, de pugnis et homicidiis voluntariis, tractarentur; nam fortuitæ agebantur in Palla-

dio tribunali. Institutum est Areopagi tribunal à Cecrope; ait Aristot. 2. Polit. et Eusebius in Chronico, anno mundi 3694. semperque etiam sub Tyrannis perduravit, Solon vero decrevit, Areopagitas esse rerum omnium speculatores et custodes: unde eos deligi voluit ex iis dumtaxat, qui Archontes, id est, principes et reipublic. præfecti fuissent, ita Plutarch. in Solone. Erant ergo Areopagitæ fama integerrimi, virtute spectatissimi, et usu rerum perspicacissimi. Unde judicabant noctu in tenebris, ne reorum moverentur lacrymis et aspectu: qui proinde jubebantur simplicibus verbis causam enarrare, et ab omni verborum gestuumque fuco abstinere. Porro sententiam ferebant non loquendo, sed calculum, vel absolutionis, vel damnationis dando. Unde proverbium: *Areopagita taciturnior.* Quocirca gravissimæ causæ toto orbe, etiam à Romanis, teste Gellio, lib. 12. c. 7. ad Areopagitas judicandæ deferebantur, eorumque tanta erat gravitas et majestas, ut Aristides in Panath. asserat, eorum sententias oraculis fuisse adæquatas, ne fasque duxisse omnes, præ reverentia Areopagi, in ejus ridere conspectu. Unde et ter tantum in mense, in Areopagum judicaturi conscendebant) nimirum quarto Calend. tertio, et pridie. Hæc et plura Badæus in Pandectas lege ult. de Sent.

Ductus est ergo Paulus ad Areopagum, ut ibi quasi novæ religionis assertor judicaretur, et si reus esset, puniretur. Sic enim Socrates Athenis damnatus est ad mortem 281. sententiis, eo quod novos deos vel dæmones induxisset. Unde S. Chrysost. *Ad Areopagum*, ait, *duxerunt Paulum, non ut quippiam cognoscerent, sed ut punirent, et suppliciis afficerent: ibi enim capitalia exercebantur judicia.* Sed Dei providentia hæc in contrarium vertit, fecitque ut magna dignitas Evangelio et religioni accresceret in Areopago, eo quod ibi eam probasset Paulus, adeoque judicem ipsum, puta Dionysium Areopagitam, ad eamdem convertisset.

Symbol. Areopagus significat eos, qui sincere et recte de re quapiam judicare volunt, debere induere animum virilem et martium: ut nulla cupiditate, vel passione effeminari et corrumpi se sinant. Ideo enim feminæ sæpe de rebus male judicant; quia feminæ sunt, et passionibus aguntur, quæ rectum judicium obscurant. Nam, ut ait ille: *Femina aut amat, aut odit:* atque amor et misericordia in quam pronæ sunt feminæ, non minus judicium perturbant, quam odium et sævitia.

Possumus.] Astute, civiliter et humaniter interrogant quasi postulando, dicuntque *possumus.* q. d. Placetne tibi hæc nova nobis edisserere: mox deinde animum suum prodant, dum eum urgent, et vi pene responsum extorquent, dicendo, *Volumus ergo scire quidnam velint hæc esse.*

20. Nova,] ξενίζοντα, id est, *peregrina*, puta peregrinam fidem, peregrinum Deum, peregrina dogmata; quæ Athenis inaudita, tu aliunde eo inducis et prædicas.

21. Et advenæ hospites.] Tigurin. *et qui illic versabantur hospites*, sive peregrini.

Ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi.] Sic et Plutarch. tract. de Garrulitate, tradit Athenienses mire fuisse novorum avidos, datque exemplum tonsoris cujusdam, qui cum magnam Atheniensium in Sicilia acceptam cladem, quam ex servo inde fuga elapso cognoverat, relicta officina primus in urbe annuntiasset, nec rumoris hujus tristis producere posset auctorem, ipse quasi cum confinxisset, rotæ alligatus ad publicum ludibrium fuit expositus. Mox adfuere nuntii, qui ex ipsa clade profugerant: itaque omnes dissipati sunt ad suos luctus, miserum tonsorem rotæ alligatum relinquentes. Atque is sero solutus, è lictore quæsivit: *Audivissentne etiam de Nicia duce exercitus: quo is modo perierit?* Adeo inexpugnabile et incmendabile malum fit consuetudine, novorum aviditas. Idem tract. de Gloria Atheniensium, ait eos plus in comœdias novitatis officinas, quam in bella insumere solitos, *Laco ille*, inquit, *non inepte dixit; graviter peccare Athenienses res serias in ludicrum impedentes, hoc est magnarum classium et exercituum commeatum et sumptus in theatrum prodigentes.* Hæc Plutarchus, qui vixit sub ævum S. Pauli et Lucæ, nimirum sub Domitiano Imperatore.

Tales et hodie nonnulli sunt. Curiositas enim novi quippiam videndi, vel audiendi, hominibus innata est nova enim placent, nova delectant. Et quia nova vera non semper suppetunt, hinc multi nova fingunt, nugasque et fabulas narrant, easque sæpe infames, quibus famam proximi lacerant, eumque aliis ridendum objiciunt. Quare perniciosa est curiositas, æque ac verbositas. Quocirca Euclides rogatus, quales essent Dii, et qua re delectarentur? *Cætera quidem ignoro*, inquit, *at curiosos illis odio esse certo scio;* ita Maximus serm. 21. Socrates semper de moribus disserebat, non de astris, aut de meteorologis: rogatus cur? Respondit: *Quæ supra nos, nihil ad nos.* Idem crebro usurpabat illud Homeri:

Ædibus in nostris quæ prava, aut recta gerantur.

Ita Laertius in ejus vita. Zeno adolescentem quemdam curiosius quiddam sciscitantem, adduxit ad speculum, utque se contemplaretur admonuit. Mox rogitavit, an videretur tali vultui convenire tales quæstiones proponere? Ita Laert. lib. 7. c. 1. Demonax cuidam roganti, an mundus rotundus esset et animatus? *Vos*, ait, *de mundo solliciti estis, et vestram ipsorum immunditiem non curatis;* ita Maximus serm. 21. Narratur de Ægyptio bajulo, qui gestans quiddam velis opertum, cuidam sciscitanti, quid portaret, sapienter respondit: *Ideo obvelatum est, ne scires: tu vero cur curiose vestigas quod occultatum est?* Gorgias audiens quemdam inepta quærentem, et alterum inepte respondentem, ait: *Uter stultior, qui mulget hircum, an qui cribrum supponit?* Argute quidam dixit, Athenienses virtutem habere in labris, non in factis, ait Plutarch. in Lacon. quia loquaces non sunt operosi. Unde qui multum garriunt, parum faciunt: animus enim eorum totus est in lingua, non in manu. Vide dicta in illud Sophon. 3. 18. *Nugas qui à lege recesserant congregabo.* Sane tales sunt tempiperdæ, verbiperdæ lucriperdæ, auriperdæ, et sæpe animæperdæ; quibus intonat Christus: *Dico vobis: Quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*, Matth. 12. 36. Quid nova quæris, cum nil novi sit sub sole? Eccles. 1. 10. *Non saturatur oculus visu, nec auris impletur auditu*, ibidem v. 8. Celebre est exemplum Machetis apud Cassian. lib. 5. de Institut. renunc. cap. 29. qui in collatione

spirituali longissima nunquam, sed in narratione otiose et curiosa illico incidebat in somnum. Et cap. 31 docet dæmonem facere, ut audientes spiritualia obdormiscamus, audientes fabulas expergiscamur, et attendamus.

22. QUASI SUPERSTITIOSIORES.] Mitigat reprehensionem *quasi*, et comparativus *superstitiosiores*, magis enim pupugisset, vocando eos in positivo superstitiosos. Syrus vertit, *video vos nimios esse in cultu dæmonum* : græce enim δεισιδαίμων est, qui δέδιε τα δαιμόνια, id est, *timet dæmonia*, ait OEcumen. Adde δεισιδαιμοίαν, æque ac superstitionem sæpe in bonum capi pro religione, uti capit Plutarch. libr. περὶ δεισιδαιμονίας, Cicero actione 4. in Verrem (cum de Siculis ait, totam provinciam religionem occupasse, et mentes omnium Siculorum superstitionem pervasisse) et alii : alioqui superstitio differt à religione per excessum, quod sit inanis et minima religio. *Nam qui totos dies precabantur et immolabant, ut sibi sui liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati*, ait Cicero lib. de Natura deorum. Sic et Servius : *A superstite*, inquit, *superstitio dicta, quæ anicularum propria est, quæ multis per ætatem superstites sunt, et quæ rebus inanibus addictæ, dum volunt nimis esse religiosæ, superstitiosæ, fiunt et ita delirant.* Hinc subinde superstitiosus vocatur religiosus, ut apud Terent. in Heaut. *Ut stultæ et miseræ omnes sumus religiosæ.* Melius Lactantius lib. 2. cap. 28. asserit dici superstitionem de colentibus superstitem memoriam defunctorum, tanquam deorum : aut de iis qui parentes suos superstites colebant. Isidorus vero lib. 8. Etym. c. 3. *Superstitio*, inquit, dicta est quasi superstatuta et superflua observatio. Et Lucretius apud Servium in 8. Æneid. *Superstitio*, ait, est timor inanis superstantium rerum, puta cœlestium et divinarum quæ super nos stant. Denique Nonius Marcellus superstiosos nuncupari censet, quod præ cultura deorum cætera supersedeant, id est negligant ; sicut religiosos, quasi relinquosos, quod cæteris relictis, solis sacrificiis deserviant. Verius S. August. libr. de vera religione in fine, religionem nuncupari censet à religando : quia ea fit, *ut ipsis* (angelis) *adjuvantibus ad unum Deum tendentes, et ei uni religantes animas nostras, unde religio dicta creditur, omni superstitione careamus. Ecce unum Deum colo, unum omnium principium, et unam sapientiam ; qua sapiens est quæcumque anima sapiens est : et ipsum munus quo beata sunt, quæcumque beata sunt. Quisquis angelorum hunc Deum diligit, sectur sum quod etiam me diligit.* Dicit ergo Paulus : Video vos, ô Athenienses, ubique nimis religiosos et superstitiosos : quia ubique video vestros deos, vota, sacrificia, lumina : illi autem dii Primo, sunt falsi ; Secundo, nimis multi ; Tertio, incogniti. Nemo enim prudenter colit id quod non cognoscit, quodque ignorat. Ego ergo huc veni, ut superstitionem vestram commutem in veram religionem, ut pro diis falsis agnoscatis et colatis verum, pro multis unum, pro incognitis certum et notum.

Præclare S. August. lib. 4. de Civit. cap. 30. *Agamus*, inquit, *Domino Deo nostro gratias, qui has superstitiones per altissimam Christi humilitatem, per Apostolorum prædicationem, per fidem Martyrum pro veritate morientium et cum veritate viventium, non solum in cordibus religiosis, verum et in ædibus superstitiosis libera suorum servitute subvertit.* Idem libr. 8. c. 17. *Quæ igitur causa est, nisi stultitia errorque miserabilis, ut ei* (Jovi, Veneri, etc.) *te facias venerando humilem, cui te cupias esse vivendo dissimilem : et religione colas, quem imitari nolis ; cum religionis summa sit imitari quem colis?* Et c. 23. citans Mercurium Trismegistum docentem ; statuas inanimes et insensibiles non esse deos, ac proinde earum cultum casurum, dicentemque : *An ignoras*, ait, *ô Asclepi, quod Ægyptus imago sit cœli, ac verius terra nostra mundi totius templum?* etc. *Omnis eorum* (Ægyptiorum) *sancta veneratio, in irritum casura frustrabitur.* Subdit August. *In quo videtur hoc tempus prædicere, quo Christiana religio quanto est veracior atque sanctior, tanto vehementius et liberius cuncta fallacia figmenta subvertit, ut gratia Salvatoris liberet hominem ab iis diis, quos fecit homo ; et ei Deo subdat, à quo factus est homo.* Quin et Plato in Timæo docet, animos humanos ab opifice Deo temperatos in eodem cratere, ex iisdemque elementis, cum cœlestibus animis puta cum angelis et dæmonibus : unde cavendum, ne nos illorum servos velimus, quibus nos fratres Deus et natura coaptavit.

23. VIDENS,] ἀναθεωρῶν, id est, *attentius inspiciens et considerans.*

SIMULACRA VESTRA.] *Simulacrum* usu Ecclesiastico in malam partem sumitur, pro imagine falsi numinis, sive dolo. Ita dictum à simulando, quia ex desiderio mortuorum, eorum adinstar effictum est, ut qui jam defecerant, vivere viderentur. Unde Plautus in Mostel. *Quando natus est, similem esse arbitrarer, simulacrumque habere.* Sic idolum esse *simulacrum*, quia simulat et mentitur se esse numen. Lactantius tamen lib. 2. Instit. cap. 2. *simulacrum* deducit à simulando, quod sit simile rei cujus est imago : sed sic potius dicendum esset similacrum per *i*.

INVENI ET ARAM IN QUA SCRIPTUM ERAT : IGNOTO DEO.] Sic Lucianus in Philopatro ait, Gentiles jurasse per ignotum Athenis.

Quæres, quis hic Deus ignotus ? Resp. Primo, S. Chrysost. et fusius OEcumen. cujus hic verba notatu digna asscribam : *Duas*, inquit, *causas referunt, cur apud Athenienses inscriptum fuerit aræ : Ignoto Deo. Siquidem aliqui dicunt, quod Athenienses Philippidem miserant ad Lacedæmonios de ferendo auxilio, cum Persæ exercitum ducerent in Græciam. Quorum nuntiis juxta Parthenium montem Panis spectrum obviam factum, Athenienses accusabat quod se neglecto alios deos colerent ; et auxilium promisit. Cum itaque victoria potiti essent, templum illi erexerunt, aramque ædificarunt, et tanquam observantes, ne vel idem sane, vel aliud simile ipsis accideret, si quempiam ignotum sibi Deum prætermitterent, aram illam erexerunt inscribentes : Ignoto Deo ; dicentes : Si quis adhuc alius à nobis ignoretur, in ejus honorem hæc ara à nobis erecta esto, quo nobis propitius sit, licet, cum ignoretur, non colatur. Alii vero aiunt ; pestem quondam Athenis grassatam fuisse adeoque illos exussisse, ut neque sindones tenuissimas possent tolerare. Cum igitur colerent eos, qui apud ipsos dii habebantur, nihil adjumenti senserunt. Intelligentes itaque quemdam fortasse esse Deum, quem ipsi absque honore reliquissent, qui pestem immisisset, novam extruxerunt aram, ac inscripserunt : Ignoto Deo. Cumque ipsi sacrificassent, statim curati sunt. Hunc ergo Christum Jesum esse, Deum omnium dicit*

Paulus, quem se illis annuntiare dicebat. Tota autem aræ inscriptio hæc est Θεοῖς Ἀσίας καὶ Εὐρώπης καὶ Λιβύης, Θεῷ ἀγνώστῳ καὶ ξένῳ, *hoc est Diis Asiæ et Europæ ac Libyæ, Deo ignoto ac peregrino.*

Verum, ut bene observat Baron. Athenis multæ fuerunt aræ diis ignotis in plurali inscriptæ; sed una in singulari inscripta fuit: *Ignoto Deo.* Id enim asserit Paulus.

Secundo, Hugo, Lyran. et Sanchez hic, ac Michael Syngellus in laud. S. Dionysii, censent ignotum Deum Athenis fuisse Christum crucifixum. Cum enim eclipsim factam in morte et ob mortem Christi videret Dionysius, exclamavit: *Deus ignotus in carne patitur, ideoque mundus his tenebris obscuratur*, ait Syngellus. Deum ergo ignotum esse Deum patientem, puta Christum crucifixum. Huic enim præ cæteris aram erexisse Athenienses, quia magnum putabant illum Deum, cui natura admirabili mutatione luctuque cœlesti parentasset.

Tertio, probabilius Baronius, Lorinus et alii censent, Athenienses à Philosophis et Sibyllis, forte etiam à Judæis, intellexisse Deum verum esse invisibilem, absconditum, sublimem, inaccessum et incomprehensibilem, ideoque illi aram statuisse hoc titulo: *Ignoto Deo.* Idcirco enim Hebræi nomen Dei *Jehova*, dicebant esse ἄῤῥητον καὶ ἀνεκφώνητον, id est *ineffabile*, uti dixi Exodi 6. v. 3. Quocirca Clemens Alexandr. lib. 1. Strom. c. 9. et S. August. lib. 1. contra Crescon. cap. 29. docent, Athenienses unum Deum verum, licet sibi ignotum, coluisse. Et S. Hieron. in cap. 16. Ezech. ait, Dei majestatem obscure saltem Gentilibus istis incognitam non fuisse, ut non erat Judæis utentibus ineffabili nomine tetragrammato. Unde Lucan. 2. lib. *Incerti natura Dei: incerti*, id est incogniti. Quod enim Deus hic ignotus fuerit verus, non falsus aliquis ex diis Gentium, innuit Paulus eum subdit: *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.*

Dices, Cur ergo eos vocat superstitiosos? Resp. Primo, eò quod cum Deo ignoto colerent simulacra Gentium, eaque illi æquarent, juxta illud Isaiæ 40. 25. *Cui assimilastis me et adæquastis? dicit Sanctus.* Secundo, quod eum vocarent ignotum: nemo enim colit vel amat id, quod non novit. Nam *ignoti nulla cupido.* Tertio, quod verè eum non nossent, uti poterant et debebant. Non enim agnoscebant eum esse creatorem cœli et terræ, datorem pluviæ, messis, frugum, rerumque omnium: eum esse præsentem ubique: in ipsius manu esse nostram vitam et halitum; unde de his eos instruit Paulus. Denique poterat sub nomine ignoti Dei latere, et abscondere se diabolus; uti Nicephor. l. 7. c. 50. indicat, argonautas, numini eos dirigenti simulacrum posuisse, ac postea S. Michaelem Archangelum Constantino Magno significasse, se eos direxisse. Sic Christus Joan. 4. 22. arguit Samaritas dicens; *Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus, quod scimus.*

Egregius plane locus de Deo ignoto extat apud Arnobium lib. 1. contra Gentes, ante medium, his verbis: *Prima*, inquit, *tu causa es, locus rerum ac spatium, fundamentum cunctorum quæcumque sunt, infinitus, ingenitus immortalis, perpetuus, solus quem nulla delineat forma corporalis, nulla determinat circumscriptio qualitatis, expers quantitatis, sine situ, motu et habitu, de quo nihil dici et exprimi mortalium potest significatione verborum; qui ut intelligaris, tacendum est; atque ut per umbram te possit errans investigare suspicio, nihil est omnino mutiendum. Da veniam Rex summe, tuos persequentibus famulos, et quod tuæ benignitatis est proprium, fugientibus ignosce tui nominis et religionis cultum. Non est mirum, si ignoraris; majoris est admirationis si sciaris.*

Præclare et Tertull. in Apologetico adversus Gent. c. 17. *Quod colimus nos*, inquit, *Deus unus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo, quo jussit; ratione, qua disposuit; virtute, qua potuit; de nihilo expressit in ornamentum majestatis suæ. Unde et Græci nomen mundo* κόσμον *accomodaverunt. Invisibilis est, etsi videatur: incomprehensibilis, etsi per gratiam repræsentetur: inestimabilis, etsi humanis sensibus æstimetur. Adeo verus, et tantus est. Cæterum quod videri communiter; quod comprehendi, quod æstimari potest; minus est oculis quibus occupatur, et manibus quibus contaminatur; et sensibus, quibus invenitur. Quod vero immensum est, soli sibi notum est hoc quod est: Deum æstimari facit, dum æstimari non capit. Ita enim vis magnitudinis et notum hominibus objecit et ignotum. Et hæc est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt.* S. Cyrill. lib. 1. contra Julian. *Hermes Trismegistus*, inquit, *dicit, Deum intelligere quidem difficile, eloqui autem impossibile. Incorporeum enim corpore significare impossibile, et perfectum imperfecto comprehendere non possibile, et sempiternum conferre cum momentaneo difficile. Proinde si quis incorporeus oculus egrediatur à corpore ad contemplationem pulchri, et subvolet ac contempletur, non figuram, non corpus, non species intueri quærens, sed illud potius, quod omnia facere potest, quod quietum, quod tranquillum, quod solidum, quod inconvertibile, quod ipsum omnia et solum, quod unum, quod ipsum ex seipso, quod ipsum in seipso, quod sibi ipsi simile, neque alii simile. Omnis enim virtus ipse est, neque in aliquo ipsum cogites esse, neque iterum quasi extra aliquem. Ipse enim est qui sine termino omnium est terminus: et qui à nullo comprehenditur, omnia in se comprehendit.* Et paulo post. *Adhæc et sapientissimus Xenophon: Igitur manifestum quod magnus sit et potens, omniaque concutiat et confirmet, ignotum autem qualis sit figura, neque enim videtur esse lucidissimus sol, neque hic videtur permittere, ut ipse cernatur: sed si quis impudenter eum spectet; oculis privatur.* Hæc Cyrill.

Simonides ab Hierone tyranno rogatus, quid esset Deus? petiit diem ad cogitandum, mox biduum deinde quatriduum, postea octiduum, etc. Mirante Hierone, causamque rogante: *Quia*, inquit, *quanto diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior*, ita Cicero lib. 1. de Natura deorum.

Quarto, per Deum ignotum aliqui accipiunt Deum in carne appariturum, puta Christum incarnandum, potuerunt enim Athenienses ex Sibyllis, et ab Hebræis discere futuram Christi incarnationem, illique aram statuere hoc titulo, *Ignoto Deo*, Christus enim ante eam hominibus fuit ignotus et incognitus. Id verum est, si vera sunt quæ scribit Hilduinus Archiep. Rhemensis in Vita S. Dionysii. Sic enim ait: *Dum Paulus singula altaria et simulacra falsorum deorum perlustrasset, inter cæteras aras reperit altare unum cui erat titulus superscriptus, Deo ignoto: et conversus ad eum Paulum interrogavit illum dicens: Quis est ille Deus incognitus? Ad quem Dionysius;*

adhuc, inquit, non est ipse Deus demonstratus inter deos, sed est incognitus nobis, et sæculo venturo futurus. Ipse enim est Deus cui regnaturus est in cælo et in terra, et regnum ejus non accipiet finem. Subjungens itaque Paulus ait: Homone erit an spiritus? Respondens Dionysius, dixit: Verus Deus et verus homo, et ipse renovaturus est mundum; sed adhuc incognitus est hominibus: quoniam apud Deum in cælo ejus conversatio. Et ait Paulus: illum Deum prædico vobis, quem incognitum appellatis. Natus enim ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, pro salute humana mortuus resurrexit, cælosque ascendens sedet à dextris Dei Patris: verus Deus et verus homo per quem facta sunt omnia; et venturus est in fine sæculi judex omnium quæ geruntur: qui notus est jam in Judæa Deus et magnum in Israel et sanctum nomen ejus. Quamobrem quem incognitum usque nunc habuistis, modo cognoscite; quia ipse est Deus solus, et præter eum non est alter: qui nos de morte sanguinis sui pretio reduxit ad vitam: qui cælum et terram, hominem scilicet et angelos, in unitate regni sui conjunxit: qui mortificat justus, et vivificat pius, qui claudit et nemo aperit, aperit et nemo claudit. Subdit Hilduinus, hisce aliisque Pauli verbis Dionysium fuisse conversum, et Christi amore accensum, præsertim ubi vidit cœcum à Paulo illuminari. Verum hujus narrationis fides sit penes Hilduinum: nonnullis enim videtur apocrypha.

Moraliter dice hic Dei celsitudinem, qua omnium angelorum hominumque aciem superat et transcendit. *Inhabitat* enim *lucem inaccessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest* (per oculos aciemque mentis et naturæ) 1. Timoth. 6. v. 16. præsertim si SS. Trinitatem in una individua essentiæ unitate spectemus, si mysterium incarnationis, passionis, Eucharistiæ consideremus. Unde Isaias, c. 45. 15. *Vere tu es Deus absconditus, Deus, Israel Salvator:* Et psaltes psal. 17. 12. *Qui posuit tenebras latibulum suum.* Quocirca Seraphini velatis oculis acclamant ei: *Sanctus, sanctus, sanctus,* Isaiæ 6. 3. Causas duas dat Seneca lib. 7. Natur. quæst. cap. 31. Prior est: *Quia,* inquit, *illi tanta subtilitas et claritas est, quantum consequi acies humana non potest.* Altera, *quia in sanctiori secessu majestas tanta delituit.* Adde Tertiam ex Damasceno: *Cognitio,* inquit, *eorum est, quæ sunt: at Deus super ipsum esse est. Ergo et super atque extra notitiam, quia super essentiam.* Et Quartam, quia quaquaversum infinitus est et immensus, sive substantiam, sive potentiam, sive sapientiam, sive cætera attributa spectes. Audi Senecam lib. 2. Quæst. c. 45. *Vis illum factum vocare? non errabis. Hic est ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum. Vis illum providentiam? recte dices: est enim cujus consilio huic mundo providetur, ut inconcussus eat, et actus suos explicet. Vis naturam vocare? non peccabis: est enim ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus. Vis mundum? Ipse enim est totum quod vides, totus suis partibus in ditus, et se sustinens vi sua.*

Divinius S. Dionys. cap. 15. Cœlestis hierarch. asserit Deum comparari vento, imo ambulare super pennas ventorum, propter vim movendi et animandi, ac celerem insuperabilemque discessum, atque nobilium principiorum et finium incognitas et invisibiles latebras. Et S. August. l. 10. Confess. c. 6. *Domine,* inquit, *amo te. Percussisti cor meum verbo tuo, et amavi te. Sed et cælum et terra et omnia quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ut sint excusabiles. Altius autem tu misereberis, cui misertus eris; et misericordiam præstabis, cui misericors fueris. Alioquin cælum et terra surdis loquuntur laudes tuas. Quid autem amo, cum te amo? non speciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis ecce istis amicum oculis, non dulces melodias suavium cantilenarum omnimodarum, non florum, et unguentorum et aromatum suavcolentium, non manna et mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo, cum amo Deum meum: et tamen amo quamdam lucem, et quamdam vocem, et quemdam odorem, et quemdam cibum, et quemdam amplexum, cum amo Deum meum, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei: ubi fulget animæ meæ, quod non capit locus; et ubi sonat, quod non rapit tempus; et ubi olet, quod spargit flatus; et ubi sapit, quod non minuit edacitas; et ubi hæret, quod non divellit satietas. Hoc est quod amo, cum Deum meum amo. Et quid est hoc? Interrogavi terram, et dixit: Non sum: et quæcumque in eadem sunt, idem confessa sunt. Interrogavi mare et abyssos, et reptilia animarum vivarum et responderunt: non sumus Deus tuus, quære super nos.* Vidit id per umbram Valerius Max. l. 2. c. 7. *Quidquid,* inquit, *in excelso fastigio positum est, humili et trita consuetudine, quo sit venerabilius, vacuum esse convenit.* Et Jamblichus Protrep. c. 3. *Dei cognitio,* inquit, *est perfecta felicitas,* quam in hac vita nancisci non possumus. Clemens Alex. l. 5. Strom. citat et laudat hæc Orphæi de Deo carmina;

Unus perfectus per se, ex uno omnia facta.
Nullus et ipsum.
Mortalis cernit, verum omnes aspicit ipse.
Non video hunc, solidus positus nam nimbus in orbem est.

Et Cleanthis Stoici, qui Deum ita pingit:

Quod ordinatum est religiosumque ac pium,
Justum, sui potens, decorum ac utile,
Quod est severum, grave, semper conducibile,
Expers metus, doloris et molestiæ,
Juvans, placens pulchre, sibi consentiens,
Clarum, nec insolens; modestum et vehemens
Quod permanet, potest nec quis imitarier.

Hæc est divina caligo, quam graphice depingit S. Dionys lib. de Mystica Theol. cap. 1. et sequent. Ubi et summum animæ in Deum ascensum vocat *caliginem et lumen,* caliginem animæ, lumen Deo. Ex quo Taulerus, Suso, Ruisbrokius, et alii contemplativi, sua contemplationis dogmata de intranda Dei caligine hauserunt.

QUOD ERGO IGNORANTES COLITIS, HOC EGO ANNUNTIO VOBIS.] q. d. Non sum novorum dæmoniorum annuntiator, uti vos objicitis; sed Deum vestrum vobis annuntio, atque ex ignoto facio notum. Hinc patet Deum ignotum Athenis, fuisse Deum verum: alioqui enim eum refutare debuisset Paulus, eique substituere Deum verum, sicut Constantinus Magnus Imp. fanum ab argonautis erectum Numini salutifero, indeque Sosthenium appellatum, convertit in Michaelium, id est S. Michaelis templum, teste Nicephoro lib. 7. c. 50. eo quod S. Michael argonautas juvisset, non Jupiter, aut aliud Numen, uti argonautæ putabant. Id enim S. Michael apparens Constantino asseveravit.

24. DEUS QUI FECIT MUNDUM.] Taxat Epicureos, negantes Deum Deique providentiam; et Stoicos, qui mundum fato aut natura existere censebant. Utrique enim negabant, Deum liberum libere creasse mundum. Ita Chrysost. Ex creatione ergo et opificio mundi agnosci potest, et coli debet creator ejus Deus. *Cœli* enim *enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum*, psal. 18. 1. Quin et Euripides: *Stellæ*, ait, *in cœlo, sunt varietas sapientis fabri*, nimirum Dei. Vide S. Augustinum lib. 7. Civit. cap. 29. ubi præcipua Dei opificis opera enumerat et celebrat.

NON IN MANUFACTIS TEMPLIS HABITAT,] quasi corporeus templis corporeis delectetur: iisque sit alligatus, conclusus et circumscriptus; sicut rex habitat in regio palatio, ejusque ambitu circumscribitur. Deus enim loco non alligatur, multo minus terminatur; sed super omnes cœlos per immensa vacui spatia se extendit.

Ita S. Justinus Philosophus et Martyr, centum annis S. Paulo posterior (obiit enim martyrium anno Domini 165. teste Baronio) rogatus ab urbis Præfecto, quem in locum solerent Christiani convenire? respondit, eo convenire quemque, quo vellet et posset. *Christianorum enim Deus*, inquit, *nullo loco circumscribitur: sed cum sit inaspectabilis, cœlum et terram implet, et ubique à fidelibus adoratur, et ejus gloria celebratur.* Adjecit tamen, se diversari in termis Timothinis, sive Novatianis (quæ erat domus Pudentis senatoris, et commune hospitium advenarum Christianorum, nunc est Ecclesia S. Pudentianæ: Pudens enim fuit pater S. Timothi, Novati, Praxedis et Pudentianæ,) *Quod si quis*, ait, *ad me venire voluit, cum eo veritatis doctrinam communicavi.* Ita habet ejus Vita et martyrium, quod ex actis publicis recenset Baron. anno Christi 165. licet Chronicon Alexand. quod post mortem Baronii edidit noster Raderus, asserat Justinum martyrium obiisse anno ab ascensione Christi 135. qui fuit à nativitate ejusdem 168.

Clemens Alex. lib. 5. Strom. citans hanc Pauli sententiam, eam confirmat dicto Euripidis:

> Constructa ab architectis, quæ queat domus
> Corpus Dei plexu cohibere mænium?

Et Zenonis, dicentis *non oportere templa facere, nec imagines; nihil enim quod sit compositum esse diis dignum.* Et Platonis, dicentis *Deum eminus habitare in idearum regione, ac mundum esse Dei templum: quare prohibuit, ut nemo privatim haberet deorum imagines. Nam aurum et argentum*, ait, *privatim, et in sacris est res invidiosa: ebur autem quod amisit animam, est nefarium donarium: ferrum vero et æs, sunt instrumenta bellorum. Ex ligno autem quod uno ex ligno est compactum, quodcumque voluerit offerat: similiter etiam ex lapide quoque ad sacra communia.* Hæc Plato.

25. NEC MANIBUS HUMANIS COLITUR,] ut et per manus hominum fabricentur, erigantur et dedicentur statuæ, idola, aræ et fana, in quibus ei sacrificia carnea offerantur: quasi idola sint membra et corpus Dei; aræ et fana sint ejus domus et palatia, sacrificia sint ejus cibus et deliciæ, uti censebant Gentiles. His tamen non obstat, quin Deus rite à Christianis coli possit in imagine et statua: quia sciunt Christiani Deum non pendere ab imagine; sed imaginem mere esse imaginem, quæ Deum hominibus qui sensu ducuntur repræsentet. Vide dicta Deuter. 5. v. 8. Olim tamen cum Gentiles transirent ad Christianismum, Patres studiose cavebant imagines ac magis statuas Dei, ne Gentiles recens conversi, ex pristina consuetudine colerent eas ut deos. Unde imaginem Dei fieri vetat Lactant. lib. 2. c. 2. et Justin Apolog. 2.

Syrus vertit, *nec per manus hominum ministratur ei.* Solebant enim Gentiles suis diis exhibere talia ministeria, qualia famuli exhibent suis heris, præsertim regibus, excitando eos, vestiendo, comendo, lavando, cibum potumque porrigendo, perinde ac si dii eorum homines fuissent, uti revera Jupiter, Venus, Mars, Mercurius, et cæteri homines fuerunt potentes, sed tyranni et scelerati. Vide S. August. lib. 6. de Civit. c. 10. Deus ergo hoc manuum ministerio non indiget, nec officiis humanis colitur, sed angelicis ministeriis, juxta illud Daniel. 7. 10. *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Quocirca Christus Johan. 4. 24. *Spiritus est Deus*, inquit, *et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.*

INDIGENS ALIQUO, CUM IPSE DET OMNIBUS VITAM ET INSPIRATIONEM (spiritum, sive halitum vitalem) ET OMNIA.] *Omnibus*, intellige accommode, puta eis quæ habent vitam: nec enim Deus dat vitam saxis. Rursus *vitam* accipe ample pro qualibet vita, etiam vegetativa et sensitiva. Minus ergo recte Lyran. vitam limitat ad angelicam et spiritalem. Per *inspirationem*, græce πνοήν accipe halitum, spiritum, vel, ut Syrus, animam sensitivam: quæ enim hanc habent, respirant. Ita Cajet. Porro recte Chrysost. id limitat ad animam rationalem, quam Deus inspiravit Adæ Genes. 2. 7. Eo enim alludit Paulus: agit enim de hominibus uti jam dixi. Simili modo Plato, Speusippus et Apuleius apud Rhodiginum lib. 12. cap. 2. Deum ita definiunt: *Deus est vivens immortale, per seipsum ad beatitudinem sufficientia, essentia sempiterna, ipsius boni causa, ens incorporeum, aperimetron, beatum, beatificum, omnium pater, optimum, nulla re indigens, cuncta conferens.* Porro Deus omnium entium est causa: primo, efficiens; Secundo, finalis; Tertio, exemplaris. Hinc Timæus Pythagoricus Deum vocat mundum exemplarem: quia ipse est maximus mundus sapientiæ, sanctitatis, intelligentiæ, vitæ, rationum, formarum, specierum et rerum, quas omnes in se complexus servat et continet? non secus ac mundus nos, et omnia rerum genera suo ambitu cingit: cujus rei pulchrum Ægyptiorum hieroglyphicum affert Euschius, lib. 3. de Præparat. Evangel. c. 3.

Quamobrem mundus est Dei liber, ut aiebat S. Antonius, Dei tabula, Dei carmen et canticum, ut ait S. Paulinus Natali 9. S. Felicis, Deum assidue laudans, et omnibus gentibus ejus majestatem et beneficentiam deprædicans: quo fit, ut nemo tam rudis sit et barbarus, qui si in cœlum suspexerit, Deum rectorem non videat, non sentiat eumque velut ex ungue leonem, ex linea Apellem deprehendat. Deus enim est quasi sol immensus et beneficentissimus, quia omnia suo lumine illustrat, omnia suo calore vegetat, omnia sua omnipotentia creat et producit. Hac de causa hebr. vocatur *Saddai*, id est mammeus, cornucopiæ, sufficientissimus, liberalissimus. Vide dicta Genes. 17. 1. Idem viderunt Gentiles, qui Isidem deam mammosam, id est totam ex uberibus confectam, pingebant, ut

terræ omnium parentis et altricis fœcunditatem repræsentarent. Errarunt : nec enim Isis est dea, nec terra ex se mammosa ; sed omne quod habet, accipit à Deo. Deus ergo est totus uber, totus mamma, assidue lacte beneficentiæ suæ alens terram, plantas, animantes et homines. Hinc Apuleius Metam. lib. 11. *Deus*, inquit, *dulcem matris affectionem miserorum casibus tribuit, nec dies, nec quies ulla, ac ne momentum quidem tenue ejus transcurrit beneficiis otiosum.* Rursum Ægyptii, ait Horus Apollo lib. 1. Hieroglyph. cap. 6. Deum volentes significare pingebant accipitrem : tum quod fœcundum sit, ac diuturnæ vitæ hoc animal : tum quod solis sit simulacrum, utpote intentissimis oculis in ejus radios prospiciens. Sol autem est visibile Dei hieroglyphicum. Pulchre Horat. lib. 1. Carm.

> Qui res hominum ac deorum ;
> Qui mare et terras, variisque mundum,
> Temperat horis.

Sublimius noster Boetius lib. 3. de Consolat. metro 9.

> O qui perpetua mundum ratione gubernas ;
> Terrarum cœlique sator, qui tempus ab ævo
> Ire jubes, stabilisque manens das cuncta moveri.

Et S. Dionys. de Divinis nomin. c. 9. *Magnus*, ait, *Deus dicitur, tum ex sua magnitudine, qua se et cum omnibus quæ magna sunt communicat, et per omnem magnitudinem diffundit atque extendit ; locum omnem continet, omnem numerum superat, omnem infinitatem transilit : tum ex summa vi actionisque magnitudine, ac muneribus, quæ ipso quasi fonte manant, quatenus cum omnibus infinita profusione communicata, tamen integra manent, eamdemque habent multitudinis exuberantiam, nec communicationibus minuuntur, sed potius etiam redundant et superant.*

Et omnia.] Græce, κατα πάντα id est, *secundum omnia*, scilicet principia et organa requisita ad vitam et respirationem, ait Cajet. Verum pro κατα legendum καὶτὰ. Sic enim legit S. Chrysost. vertens ut Noster, *et omnia*. Quocirca Clemens Alexand. lib. 3. Pædagog. *Laudemus*, inquit, *unum Patrem, et Filium una cum Spiritu sancto, qui unus est omnia, in quo omnia, per quem omnia, qui est undequaque bonus, undequaque pulcher, undequaque sapiens, undequaque justus, cui gloria nunc et in sæcula.* Et S. August. serm. 19. in Joannem : *Deus tibi totum est : si esuris, panis : si sitis, aqua tibi est : si in tenebris es, lumen tibi est : si nudus es, immortalitatis tibi vestis est.* Idem in psal. 26. *Quidquid præter Deum est, dulce non est. Quidquid mihi vult dare Dominus meus, offerat totum, et se mihi det.* Sapide Psaltes psal. 144. *Magnus Dominus et laudabilis nimis ; et magnitudinis ejus non est finis. Generatio et generatio laudabit opera tua, et potentiam tuam pronuntiabunt. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, et magnitudinem tuam narrabunt. Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, et justitia tua exultabunt. Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus. Confiteantur tibi omnia opera tua, et Sancti tui benedicant tibi.* Omnia enim sua sponte auctorem repetunt suum. Natura enim duce referuntur ad Deum à quo nascuntur, ut unde vitam hauserunt, vitæ etiam et gloriæ alimenta percipiant, origini semper inhærentia suæ. Quocirca apposite Deum definiens Cassiod. in psalm. 47. *Deus*, ait, *est virtus inexplicabilis, pietas incomprehensibilis, sapientia ineffabilis, cujus definitio est finem in Sanctorum laudibus non habere.* Hæc est ergo Christi et Pauli philosophia, ac Theologia vera et pia, quæ docet nos ex nobis nihil habere, sed omnia à Deo ; quam calluit S. Franciscus, qui crebro orando ingeminabat : *Dominus quis tu? quis ego? Tu omnia, ego nihili : tu abyssus entis et boni, ego abyssus nihil et mali. Tibi ergo me abyssali humilitate et reverentia prosterno, Deus meus et omnia.*

26. Fecitque ex uno.] Græca addunt *sanguine* : quia ex uno sanguine et carne Adæ protoplasti, propagati sunt et descendunt omnes homines : *sanguine* ergo, id est homine ; per synecdochen. Sanguis notat modum propagationis, videlicet per generationem, quæ fit per semen quod non est aliud quam sanguis magis concoctus, ideoque purior et nobilior. Cur Deus voluerit omnes nasci ex uno, causam dat S. August. lib. 12. Civit. c. 21. *Ut eo modo vehementius homini commendaretur societatis unitas vinculumque concordiæ, si non tantum inter se naturæ similitudinem, verum et cognationis affectu homines necterentur ;* ideoque Evam ex Adamo produxit.

Inhabitare super universam faciem (id est superficiem) terræ.] Tota enim terra est habitabilis et habitata : unde adversam nobis terram incolunt Antipodes. Vide dicta Gen. 10. q. d. Deus non tantum creavit homines, sed et eos assidue gubernat, locumque et tempus vitæ cuilibet definit.

Definiens statuta tempora,] q. d. Deus præfinivit cuique homini, genti et regno suam temporis et ætatis mensuram, ut videlicet homo vivat septuaginta aut octoginta annis, Psal. 89. v. 10. ut hi homines primo nascantur et imperent, deinde illi et illi : ut primam monarchiam obtineant Assyrii, secundam, Persæ tertiam Græci, quartam Romani. Notat Paulus Athenienses, qui se omnium hominum antiquissimos et primos jactitabant, vocabantque αὐτόχθονας, id est, *terrigenas è terra sua prognatos.* Ita Cicero orat. pro Flacco.

Et terminos habitationis eorum,] q. d. Deus præscripsit cuique genti terminum tam temporis, quam loci in quo habitet, ne vicini locum occupet, vel invadat. Hoc est quod canit Moses Deuter. 32. 8. dicens : *Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel.*

27. Quærere Deum,] q. d. Hoc fine homines ita distribuit, et moderatur per tempora et loca Deus, ut eum investigent et quærant, cognoscant, ament et colant. Mundus enim est quasi animal, cujus spiritus et velut anima est Deus ; oculi sunt luna et sol : hepar, venæ, sanguis et phlegma sunt fontes, venæ et flumina : proles sunt arbores, herbæ, flores, animalia, homines : quæ omnia vivificat, vegetat, fovet alitque Deus. Unde ex iis facile inveniri et cognosci potest. Vide Theodor. sermonibus decem, quos erudite scripsit de Dei providentia, sive de Numine ; et nostrum Lessium de eodem argumento ; et Ciceronem, lib. 2. de Natura deorum ; ac S. Anselmum in Menologio et Prosologio. Plato in Cratylo ait ἥλιον, id est *solem*, vocari à conversione, quod suis radiis, luce, calore, efficacitate, omnes res omniumque oculos ad se convertat : multo magis id facit Deus, qui est sol immensus tum lumine, tum calore, tum beneficentia in omnes et omnia. Vere S. Justinus apud Damascenum lib. 1. Paralip. c. 65. *Ut corporis bonum*, inquit, *est sanitas, sic animæ bonum, est*

Dei cognitio : quæ est velut quædam animæ sanitas, per quam divina similitudo comparatur. Idem apud Antonium in Melissa. l. 2. serm. 43. *Finis philosophandi est, Deo, quoad ejus fieri potest, assimilari.*

SI FORTE ATTRECTENT EUM.] Græce, ψηλαφήσειαν, id est, *palpent eum*, sicut cæcus in tenebris palpando prætentat iter et locum. Ita Pagnin. Vatab. et alii. Significat Deum à nobis in hac vita videri et clare cognosci non posse, nosque quasi cæcos palpando vestigia Dei, puta creaturas, ad ejus notitiam pervenire. Sicut enim cæcus palpando pervenit ad locum quo tendit, ita nos palpando et vestigando creaturas, pervenimus ad Deum earum creatorem. Vere S. August. epist. 120. ad Honoratum c. 3. et tract. 1. in Joan. *Quomodo*, inquit, *homo positus in sole cæcus, præsens est illi sol, sed ipse soli absens est : sic omnis stultus, omnis iniquus, sic omnis impius cæcus est in corde ; præsens est illi sapientia, sed cum cæco præsens est, oculis illius absens est : non quia ipsa illi absens est, sed quia ipse ab illa absens est.* Idem proportionaliter dicas de quovis homine, etiam justo : omnis enim respectu Dei cæcus est. Licet enim Deus totus sit lux, tamen sibi soli est lux, qua omnia clarissime perspicit, nobis vero est lux transcendens et inaccessibilis. Tiberius Cæsar ita lucidos habebat oculos, ut in tenebris per eorum lucem videret omnia vicina, ait Suetonius in ejus vita, longe lucidiores oculos habet Deus : omnia ergo videns à nemine videtur. Sensus ergo est, si forte homines Deum attrectent, non tactu corporeo, sed metaphorico et mentali, hoc est, si mente attingant, inveniant, et cognoscant Deum, ut eum venerentur, ament et invocent : cognoscant, inquam, ex ejus operatione, et productione frugum rerumque omnium. Sicut enim cæcus si in sylvis densissimis, vel in domo plenissima sit, si vel leviter se commoveat, in arbores, parietes, resve alias impinget : sic ubique homini occursat, imo incursat Deus. Quis enim si penitius suum corpus, ejusque membra et organa, tot tamque varia ; si suam animam, ejusque sensus, potentias, motus et actiones, si suum esse, tam mirum et multiplex consideret; maxime, cum qua ratione hæc facta sint et fiant, non intelligat, illico non colligat, esse numen intra se, quod fabricam hanc instar horologii, tot machinis et organis instructam fabricarit, ordinarit, tueatur et moderetur; quod admirabiles illos motus cieat, quod harmoniam illam stupendam corporis et animæ, sensuum et membrorum, mentis et carnis inter se divina arte misceat, contemperet et arctissime in unum compositum consocict? Ita Sanchez. In omni enim re motuque ad aliquod principium immobile, quasi ad primam causam deveniendum est. Unde Plato in Timæo, Deum definit esse unum idem, et semper sui simile, unum omnium principium ingenitum. Si enim esset genitum, utique non esset principium; sed ad alio principio productum. Vide S. August. 8. Civit. c. 6.

QUAMVIS,] καίτοιγε, id est *quamvis*, vel *nam*. Unde Syrus vertit, *quandoquidem*, illudque hic valde est appositum. q. d. Facile est invenire Deum, quandoquidem ipse non longe est ab unoquoque nostrum. Noster tamen, Pagnin. Tigurin. et alii vertunt *quamvis :* hoc ergo sequamur et exponamus.

QUAMVIS NON LONGE SIT AB UNOQUOQUE NOSTRUM.] Ne quis putaret ex eo quod dixerat Paulus, *quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant*, Deum esse à nobis absentem; absentia enim quærimus et invenimus, quasi corrigendo id explicat subdens, Deum non longe abesse ab unoquoque nostrum, tum situ et loco, tum potius operatione : ex hac enim facile est attrectare et cognoscere Deum, utpote qui nobis det vitam, motum, alimenta et omnia, ut sequitur. q. d. Sicut mare non longe est à piscibus, quia pisces in eo et ex eo generantur, aluntur et vivunt; unde illud sentiunt : Ita Deus non longe est à nobis, quia in eo, et ex eo quasi mari bonorum omnium haurimus vitam, motum et omnia : ex quo facile est eum attrectare et cognoscere. Esto enim ipse sit spiritus invisibilis, tamen per affectus hosce suos se hominibus cæcis cognoscendum et quasi palpandum exhibet. *Deus*, inquit S. August. lib. 7. Civit. c. 30. *ubique totus, nullis inclusus locis, nullis vinculis alligatus, in nullas partes sectilis, ex nulla parte mutabilis, implens cœlum et terram præsente potentia, non absente natura. Ab hoc uno et vero Deo vitam speramus æternam.* Solerter notat Gabriel Vasquez. 1. p. disp. 28. c. 4. num. 17. Paulum hic directe et ex proposito non agere de immensitate Dei, sed quam facile à nobis ex operibus suis attrectari, non manibus, sed mente, hoc est, cognosci et coli possit. Est enim Deus nobis operatione sua vicinus, imo intimus sicut aer, in quo vivimus, quemque respirando attrahimus. Sicut ergo aerem respirando quasi palpamus et sentimus, dum ille nos refrigerat; ita Deum in nobis operantem cognoscimus, et quasi attrectamus. Quare minus recte Cajetan. Alii ex hoc loco colligunt, quod Deo ratio et fundamentum existendi in rebus, sit ipsa ejus operatio, sicut in corporibus quantitas est ratio replendi locum. Operatio enim est signum et effectus præsentiæ Dei et angeli, non causa. Prius enim est Deum, vel angelum alicubi esse præsentem, quam ibi operari, imo sæpe est præsens angelus, et nihil operatur. Paulus ergo agit hic potius de præsentia operationis divinæ. q. d. Sentimus Dei in nobis operationem : nam ipse operatur in nobis vitam, motum et existentiam : in ipso enim vivimus, movemur et sumus : ergo non est nobis ignotus, ut vos Athenienses putatis, sed facillime ex operatione sua cognosci et attrectari potest. Verumtamen est, operationem Dei conjunctam esse cum præsentia substantiæ divinæ, eamque præsupponere, quia enim Deus est immensus, hinc ubique est præsens secundum substantiam, nec usquam operari potest, nisi sit præsens, eo quod id exigat, non operatio, vel modus operandi Dei, sed ejus immensitas. Si enim operaretur alicubi ubi non est, non esset immensus, ac consequenter non esset Deus, nec operari posset ut Deus. Porro ex operatione sentiri et attrectari potest Deus, non ex præsentia, cum sit spiritus et invisibilis. Omnia hæc significat hic Paulus. Sensus ergo est, q. d. Deus adest nobis, etsi à nobis non videatur. Est enim immensus et ubique : unde et ubique operatur, omnibusque se cognoscendum exhibet. Ex operatione ergo cognoscere potestis Deum, id est, primam causam, primum et immensum ens, hoc enim sicut ubique est, ita ubique operatur. Secus est de sole, qui absens in distantia operatur, quia non est immensus. Adde, sicut locum, puta aerem sentimus per respirationem, refri-

gerium vel calorem ; ita et Deum : Deus enim est locus locorum. Hunc sensum mox magis explicabo.

28. IN IPSO ENIM VIVIMUS, MOVEMUR ET SUMUS.] Non quasi in ipsa Dei substantia siti simus ejusque simus pars, uti quidam stolide imaginati sunt, ait S. Cyrill. lib. 9. in Johann. c. 40. S. August. lib. 4. de Genes. ad litter. c. 12. Sed Primo, *in ipso*, id est, per ipsum, ait S. Cyrill. Probat enim Paulus Deum dare omnibus vitam, inspirationem et omnia ex eo, quod in ipso, id est per ipsum, vivamus, moveamur et simus. Ergo sumus in ipso tanquam in causa efficiente, et conservante, hoc est, continuo quasi creante : conservatio enim est continuatio creationis, et continua creatio. Deus enim conservat animam, vitam, motum, sensum et essentiam nostram, ea semper in nos influendo, sicut primitus ea creavit ; perinde ac sol suos radios conservat, jugiter eos emanans et producens.

Secundo, concomitanter *sumus in ipso*, tanquam in continente et loco divino, uti jam dixi. *Prope est*, ait Seneca epist. 41. *à te Deus : et cum est, intus est. Sacer intra nos Spiritus sedet :* Deus enim sicut est ævum ævorum, ita est spatium spatiorum, et locus locorum, sine quo nullus locus est, vel esse potest. Sicut enim omne esse manat ab essentia Dei, et omne tempus, omnisque duratio manat ab æternitate Dei ; ita et omne spatium omnisque locus manat ab immensitate Dei, uti erudite docet noster Lessius lib. de Attributis divin. agens de immensitate Dei. Deus ergo est quasi mare quoddam immensum per infinita spatia extensum, in quo mundus et omnia quæ in eo sunt innatant, quasi spongia in oceano, ait S. August. lib. 7. Confess. c. 5.

Quocirca docte et eleganter S. Gregorius Dei immensitatem describens lib. 2. Moral. cap. 8. *Ipse*, inquit, *manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia : et superior est per potentiam et inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem : sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans : nec alia ex parte superior ; alia inferior, aut alia ex parte exterior, atque alia manet interior ; sed unus idemque totus, ubique præsidendo sustinens, sustinendo præsidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans : unde superius præsidens, inde inferius sustinens ; et unde exterius ambiens, inde interius replens : sine inquietudine superius regens, sine labore inferius sustinens ; interius sine exclamatione penetrans, exterius sine extensione circumdans. Est itaque inferior et superior sine loco, est amplior sine latitudine, est subtilior sine extenuatione.*

Et Minutius Felix in Octavio respondens Gentilibus, objicientibus Christianos Deum colere, quem non videbant : *Imo*, inquit, *Ex hoc Deum credimus, quod eum sentire possumus, videre non possumus. In operibus enim ejus, et in mundi omnibus virtutem ejus semper præsentem aspicimus, cum tonat, fulgurat, fulminat, cum serenat.* Et mox : *Qui ipsum solis artificem, ipsum luminis fontem possis sustinere, cum te ab ejus fulgoribus avertas, à fulminibus abscondas ?* Et inferius : *Ubique non tantum nobis proximus, sed infusus est. In solem adeo rursus intende : cœlo affixus, sed terris omnibus sparsus est : pariter præsens ubique interest ; et miscetur omnibus (nusquam enim claritudo violatur) quanto magis Deus auctor omnium, ac speculator omnium, à quo nullum potest esse secretum, tenebris interest, interest cogitationibus nostris, quasi alteris tenebris? Non tantum sub illo agimus ; sed cum illo, ut prope dixerim, vivimus.*

In Deo ergo, quasi in æthere infinito vivimus et movemur, intra illum stamus et habitamus : ille nos penetrat sua essentia et substantia, penetrat totum corpus, et totam animam nostram omnesque ejus sinus, angulos et latebras : extra illum exire non possumus quia ubique est : et quia est immutabilis, ubi semel est semper est. Hac de causa signanter ait Paulus : *In ipso vivimus*, non *per ipsum*, ut significaret Deum ita esse causam efficientem nostræ vitæ, ut sit etiam localis et quasi materialis, utpote qui omnem corporis vitæ et essentiæ materiam, totumque subjectum nobis subministrat, perinde ac mare suppeditat piscibus, sed longe potiori ratione. Deus enim materiam creavit ex nihilo, et conservando quasi continuo creat ; mare vero creatam à Deo accipit, et piscibus impertit. Sicut ergo pisces ita vivunt in aqua, et ex aqua per naturalem sympathiam et dependentiam, ut extra eam vivere nequeant : Sic nos in Deo et ex Deo vivimus, ut extra eum vivere non possimus, adeo ut si per impossibile Deus non existeret in nobis, sive in loco in quo sumus, nos in eodem existere et subsistere non possemus. Sicut enim nostra substantia pendet à substantia Dei : sic nostra existentia in loco pendet à Dei existentia in eodem loco, quasi radius à sole, quasi embryo à matre et matrice, quasi avis ab aere ; quasi homo à respiratione ; et planius sicut corpus ab anima vivit, movetur, est, et sustentatur. Sicut ergo de anima dici potest, quod in ipsa vivamus, moveamur et simus, ita multo magis idem dicitur de Deo : ipse enim est anima non tantum corporis, sed et animæ cujusque, ubique illi præsens, eamque vivificans, movens et sustentans. Vide ergo quam Deo juncti simus physice, et moraliter jungi debeamus, ut quoties auram attrahimus, toties Deum attrahamus, cogitemus et invocemus in quo sicut in aura vivimus, movemur et sumus. Ita S. Chrysost. *sicut*, inquit, *impossibile est ignorare aerem ubique diffusum, et non longe ab unoquoque nostro existentem, ita profecto et omnium opificem. Vide quomodo omnia illius dicit esse ; providentiam esse illius ; conservationem esse ab illo ; operandi vim ; actum habere, et non perire.* Profunde Lyran. Ipse ait ; est nobis intimior quam nos ipsi : quoniam ipse conjungit principia intrinseca, quibus nimirum unusquisque nostrum constituitur substantialiter. Porro Deus est in nobis, et nos vicissim in Deo sicut lumen est in aere, et aer in lumine. Vide S. August. lib. 4. de Genesi ad litteram cap. 12. et lib. 14. de Trinit. c. 12. et S. Cyrill. lib. 9. in Joan. cap. 40.

Tertio, in Deo vivimus, movemur et sumus, quasi in circulo, vel rota nos concludente et ambiente. Unde Empedocles : *Deus*, ait, *est circulus cujus centrum est ubique, circumferentia nusquam.* Et circulus symbolum est perfectionis et æternitatis Dei, ut docet Pierius Hierogl. l. 39. Divine S. Dionys. c. 7. de Divin. nomin. ait, divinam monadem, sive unitatem in tribus personis, se à cœlestibus in omnia, etiam ima diffundere, *ut quæ sit primum*, inquit, *omnis essentiæ principium et causa, eamdemque omnia eximio modo complexu suo, qui invictus sit, continere.*

Quarto, juridice in Deo, id est, in Dei domi-

nio et juridictione vivimus, eoque cingimur, ut ejus jus et manus evadere non possimus, juxta illud psal. 138. 7. *Quo ibo à spiritu tuo, et quo à facie tua fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es : si descendero in infernum, ades*, etc. sed ipse quasi figulus nos formet, moveat, regat, mutet, prout voluerit. Unde S. August. in illud Matth. 6. *Pater noster*, etc. *Deus*, inquit, *est in seipso, sicut α et ω : in mundo, sicut rector et auctor in angelis, sicut sapor et decor : in Ecclesia, sicut paterfamilias in domo : in animo, sicut sponsus in thalamo : in justis, sicut adjutor et protector : in reprobis, sicut pavor, et horror.* Et Arist. vel quisquis est actor. lib. de Mundo. *Quod*, ait, *in navi est gubernator, in curru auriga, in choro præcentor, in civitate lex, in exercitu imperator, hoc idem in mundo est Deus?* ac consequenter mundus vicissim est in Deo, sicut regnum in rege à quo regitur.

Significat ergo hæc præpositio *in*, nos intime à Deo pendere, Deumque esse quasi animam et vitam nostram, juxta illud S. August. serm. 18. de verbis Apostoli : *Vita corporis anima est, vita animæ Deus est.* Magis enim pendet homo et res quælibet à Deo, quam à seipsa : quia et materia, et forma ipsius ex se non est, sed omne suum esse habet à Deo, illudque tandiu habet, quandiu placet Deo. Si enim illi manum suam retrahat, illico res omnis recidit in suum nihilum, unde à Deo per creationem educta est. Magis ergo pendemus à Deo, quam radii à sole, lumen à luce, calor ab igne, vita ab anima, respiratio ab halitu. Et hæc est causa cur magis Deum quam non ipsos, id est, vitam et animam nostram diligere debemus : quia scilicet à Deo, quasi à fontali principio, magis pendemus nos totumque universum, cujus nos sumus pars, quam à nobis ipsis. Ita D. Thom. et Scholastici 2. 2. q. 26. art. 3.

Moral. τὸ *in ipso vivimus*, significat Primo, nos ex vita et anima nostra facili gradu ascendere ad Deum. Unde S. August. lib. 7. Confess. c. 10. citatis his Pauli verbis : *Et inde*, inquit, *admonitus redire ad memet ipsum, intravi in intima mea, duce te, et potui, quoniam factus es adjutor meus. Intravi, et vidi qualicumque oculo animæ meæ, supra eumdem oculum animæ meæ, supra mentem meam, lucem Domini incommutabilem, non hanc vulgarem et conspicuam omni carni, nec quasi ex eodem genere. Grandior erat, tanquam si ista multo multoque clarius claresceret, totamque occuparet magnitudine. Non hoc illa erat, sed aliud, aliud valde ab istis omnibus. Nec ita erat supra mentum meam, sicut oleum supra aquam, nec sicut cœlum super terram, sed superior : quia ipsa fecit me; et ego inferior, quia factus sum ab ea. Qui novit veritatem, novit eam; et qui novit eam, novit æternitatem. Charitas novit eam. O æterna veritas et vera charitas et chara æternitas! Tu es Deus meus, tibi suspiro die ac nocte.*

Secundo, τὸ *in ipso* significat Deum in manu sua habere nostram vitam, nostrum halitum nostrum esse, ac consequenter nostram gratiam et gloriam, nostram felicitatem et damnationem æternam. *In manibus tuis sortes meæ.* Ait David psal. 30. 16. Hoc est quod Daniel intonat Baltasari regi interitum ei denuntians : *Deos*, inquit, *Argenteos, et aureos*, etc., *laudasti. Porro Deum qui habet flatum tuum in manu sua, et omnes vias tuas, non glorificasti*, Daniel. 5. 23.

Symbolice in Deo ipso vivimus et sumus tanquam in causa exemplari : nostrum enim omnium ideæ, juxta quas conditi sumus, proprie sunt in Deo : in eo enim, ait S. Augustinus, vivunt sempiternæ rerum omnium rationes. In Deo ergo sum et vivo, quia mei idea et exemplar proprie est et vivit in Deo. Vide S. Thomam et Scholast. 1. p. q. 15.

Rursum in Deo, id est, in Dei mente, sapientia, voluntate; cura et providentia vivimus, movemur et sumus. Ille enim semper cogitat de nobis, curat res nostras, regit, dirigit, nobisque providet de omnibus. Si ergo grati esse volumus, jugiter de Deo nostro vicissim cogitare debemus, illi obsequi et per omnia placere. Sicut enim nullum est momentum quo non fruamur Dei beneficiis, sic nullum debet esse momentum quo non de eo cogitemus. Quis enim obliviscatur animæ suæ, vel halitus sui in quo vivit, movetur et est? Ita S. Dominus, S. Thomas aliique Sancti jugiter de Deo, vel cum Deo loquebantur. Ita S. Augustinus in Soliloquiis cap. 18. *Omni momento*, inquit, *me tibi obligas Domine, dum omni momento mihi tua magna beneficia præstas, sicut ergo nulla est hora, vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non utar, sic nullum debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos, in mea memoria, et te non diligam ex omni fortitudine mea.* Quocirca Deus sicut est centrum animæ nostræ, ita debet esse et centrum omnium cogitationum, intentionum et actionum nostrarum.

Idipsum eleganter docet Cassianus Collat. 24. cap. 6. exemplo testudinis, sive concamerationis, cujus rotunditas coire et stringi debet in centro, alioqui corruet; *Ita etiam*, inquit, *mens nostra nisi solam Domini charitatem, velut centrum immobiliter fixum, per universa operum molitionumque nostrarum momenta, circumagens circino charitatis, omnium cogitationum vel aptarit, vel repulerit qualitatem, nequaquam structuram illam ædificii spiritualis, cujus Paulus est architectus 1. Corinth. 3. probabili arte molietur, nec pulchritudinem domus illius possidebit, quam B. David in corde suo Domino suo cupiens exhibere : Domine, inquit, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ.*

Et S. Augustinus lib. de Spiritu et anima c. 17. vel quisquis est Auctor. Nam non esse S. Augustini, sed alicujus eo posterioris, liquet ex capite 37. ubi citat Boetium, qui à Theodorico rege Gothorum occisus est anno Christi 526. cum S. Augustinus vixerit anno Christi 420. Et cap. 48. multa citat ex Gennadio libr. de Eccles. dogmat. qui pariter Augustino recentior est. Hic inquam Auctor pie et eleganter describens Dei beneficia communia et propria, curamque et providentiam, subdit : *Hæc et multa alia fecit mihi Deus meus, de quibus dulce est mihi semper loqui, semper cogitare, semper gratias agere, ut pro omnibus beneficiis suis possim semper eum laudare et amare. Cum enim cunctis sit præsidens, singulos implens, ubique præsens universorum curam gerens, et tam singulis quam omnibus providens, ita totum ad custodiam meam occupatum video, ut, si ego super custodiam meam stabo, quasi omnium oblitus sit, et mihi soli intendere velit. Semper se præsentem exhibet, semper se paratum offert, si me paratum invenerit. Quocumque me vertero, non deserit, nisi ego prior eum deseram. Ubicumque fuero, non recedit à me, quo-*

niam ubique est, ut quocumque ivero inveniam eum, cum quo possim esse. Quidquid fecero, pariter assistit, utpote perpetuus inspector omnium cogitationum, intentionum et actionum mearum. Cum hæc diligenter considero, timore pariter et ingenti rubore confundor, quia illum ubique mihi præsentem, et omnia occulta mea videntem intueor. Multa enim sunt in me, de quibus coram oculis ejus erubesco, et pro quibus ei valde displicere timeo. Nec pro his omnibus quid illi rependam habeo, nisi tantum ut diligam eum. Non enim melius, nec decentius, quam per dilectionem rependi potest, quod per dilectionem datum est.

Quocirca S. Bernardus lib. de Modo bene vivendi c. 29. hoc sorori dat dogma pium et salutare : *Ibi pecca, ubi nescis esse Deum. Nihil enim celatur ante Deum. Videt occulta, qui fecit abscondita. Dominus ubique præsens. Spiritus totum implet. Majestas omnipotentis Dei penetrat omnia elementa, nullus locus est extra Deum. Dominus scit cogitationes hominum.* Rursum S. August. serm. 255. de Temp. *in nobis*, ait, *duo alteria sunt constituta, corporis silicet et cordis nostri. Duplex à nobis sacrificium quærit Deus : unum, ut, simus casto corpore ; aliud, ut mundo corde esse debeamus. Ergo in exteriori altari, id est in corpore nostro, offerantur opera bona, in corde odorem suavitatis redoleat cogitatio sancta, ut cor tanquam altare thymiamatis, jugiter ex Deo exhalet thymiama laudis et gratiarum actionis.* Idem lib. 14. Trinitate c. 12. *Magna*, ait, *homini miseria est cum illo non esse, sine quo non potest esse, id est subsistere. In quo enim est, proculdubio sine illo non est : et tamen si ejus non meminit, eumque non intelligit, nec diligit, cum illo non est.* Hæc physice de esse naturali, quo naturaliter vivimus, movemur et sumus in Deo.

Mystice, hæc veriora sunt in esse et gradu supernaturali. Supernaturaliter enim in Deo vivimus per gratiam, movemur per charitatem aliasque virtutes, sumus per summam unionem cum Deo, qua divinæ consortes naturæ, facti sumus nova et supernaturalis creatura. Nam per justificationem novo modo fit præsens Deus in anima justi, adeo ut si per impossibile prius in ea non fuisset præsens per essentiam, præsentiam et potentiam, illico virtute gratiæ et justitiæ fieret præsens per essentiam, præsentiam et potentiam, uti ex D. Thoma, Suarez, aliisque Scholasticis ostendi Osee 1. 10. Unde S. Ambros. lib. de Bono mortis c. ult. *Movemur*, inquit, *in Deo, quasi in via ; sumus, quasi in veritate ; vivimus, quasi in vita æterna.* Et S. Cyprianus lib. de Baptismo Christi, hæc applicat SS. Trinitati : *In Patre*, ait, *sumus, in Filio vivimus, in Spiritu sancto movemur et proficimus.* Hoc est quod Isaias ait cap. 26. 12. Deum in nobis operari omnia opera nostra, item omnia in omnibus, ut ait Paulus 1. Corinth. 12. 6. ac eum operari in nobis velle et perficere, Philipp. 2. 23. Hoc est quod diserte asserit Christus Johan. 14. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum : et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*

In te ergo, ô Domine, vivimus, movemur et sumus, sicut infans in sinu, imo in ventre matris, à qua gignitur, formatur, alitur, omneque suum esse accipit : sicut pisciculus in mari : sicut avis in aere : sicut herbæ et gramina in terra : sicut navigantes in navi, sicut equitantes in curru. Tu enim es currus Israel, et auriga ejus, tu ut currus nos sustines, et vehis : ut auriga moderaris, dirigis et ducis rectis itineribus ad cœlum. *Quid peto ut venias in me, qui non essem, nisi esses in me? An potius non essem, nisi essem in te?* ait S. Aug. 1. Conf. c. 2.

In te, hoc est, in tua memoria, intellectu et voluntate semper vivimus : tu de nobis assidue memoraris, cogitas, disponis et ordinas. Da ut vicissim in memoria, intellectu et voluntate nostra semper vivas, ut nihil nisi te memoremur, sapiamus, velimus, amemus, ut te indies magis magisque vestigando cognoscamus, et diligamus. *Quid enim*, ait S. August. lib. 1. Conf. c. 4. *es Deus meus? Quid rogo nisi Dominus Deus? Quis enim Dominus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum? Summe, optime, potentissime, omnipotentissime, misericordissime et justissime, secretissime et præsentissime, pulcherrime et fortissime, stabilis et incomprehensibilis, immutabilis mutans omnia, nunquam novus, nunquam vetus, innovans omnia, et in vetustatem perducens superbos, et nesciunt. Semper agens, semper quietus : colligens et non egens : portans, et implens, et protegens : creans, et nutriens, et perficiens : quærens, cum nihil desit tibi : amas, nec æstuas, zelas, et securus es : pœnitet te, et non doles : irasceris, et tranquillus es : operamutas nec mutas consilium : recipis quod invenis, et nunquam amisisti : nunquam inops, et gaudes lucris : nunquam avarus, et usuras exigis ; et supererogatur tibi ut debeas, et quis habet quidquam non tuum? Reddis debita nulli debens, donas debita nihil perdens. Et quid dicimus, Deus meus, vita mea, dulcedo mea sancta, aut quid dicit aliquis, cum de te dicit? Et væ tacentibus de te, quoniam loquaces muti sunt.*

Atque ex his collige et metire quanta sit bonitas et beneficentia divina, tum præsens ; tum potius futura, quantaque sint bona et gaudia, quæ Deus in cœlis præparavit diligentibus se, ea hac mensura et ulna metire. Nam, ut ait S. Eucherius epist. ad Valerianum. *Cum Deus in hac vita tam præclara justis pariter et injustis tribuat, qualia sunt putanda quæ justis reservat? Consideremus qui tanta dedit, quanta restituet : qui tam magnus est in donis, quam magnus erit in præmiis. Si tam inæstimabilis est numerantis benignitas, quæ illa remunerantis? Ineffabilia sunt quæ præparavit Deus his qui diligunt eum : quam magna rependet bonis, qui tam magna largitur ingratis?*

Quam ergo Deum semper præsentem in mente habere debemus, et ejus præsentiam nobis semper repræsentare, uti nil eo indignum, quod ejus oculos offendat, agamus, velimus, cogitemus? quam sanctos esse nos convenit : qui in ipsa sanctitate, in Deo, inquam, quasi in templo increato vivimus, movemur et sumus? Dicebat vicissim Philo, et ex eo Lanctantius lib. de Ira c. 14. *mundum esse totum templum quoddam sanctissimum, et Deo dignum :* multo magis microcosmus, puta homo, præsertim fidelis et sanctus, est templum Dei animatum et vivum, in quo substantialiter Deus inhabitat, ac proinde in eo semper eum contemplari, revereri, colere potest et debet. *Perpetuum*, ait Nazianz. in sententiis, *tibi hoc sit studium, ut mentem tuam templum Deo extruas : sic enim pro spiritali statua eum in intimo corde habebis.* Ita S. Gorgonia soror Nazianzeni, seipsam vivum Deo templum exhibuit, ac proinde moriens hanc cyeneam edidit

vocem ; *In pace in idipsum dormiam et requiescam*, uti ipse testatur orat. 11. quæ est de S. Gorgonia.

IN IPSO VIVIMUS, MOVEMUR ET SUMUS.] Hæc tria quasi antistropha respondent, et confirmant tria, quæ homines accipere à Deo dixit Paulus v. 25. dum ait : *Cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia.* q. d. Deus dat nobis vitam, quia in ipso vivimus : dat respirationem, quia in ipso movemur : ipsa enim respiratio est motus : est enim continua inspiratio et exspiratio aeris, quæ fit per contractionem et dilatationem pulmonum quasi follium, ad refrigerandum cor. Rursum respiratio, conjuncta est cum motu : quæ enim habent vim motivam, respirant : unde et dum fortius se movent, magis respirant : motu enim excitatur calor, qui respiratione refrigerandus et temperandus est. Ipse denique dat omnia, quia in ipso sumus, id est, ab ipso fugimus et haurimus omne esse nostrum, omnia quæ habemus, totum quod sumus : præter vitam enim et multum, multa alia habemus à Deo.

Nota. In Deo vivimus, non formaliter, quasi ipse sit causa formalis vitæ nostræ, uti nonnulli censuerunt : ac hæretici Apollinaristæ Christo homini adimebant mentem et animam, dicentes ejus vice fungi divinitatem. Rursum nonnulli Scholastici censuerunt, vitam quæ consistit in visione Dei, fieri per solum divinitatis, vel luminis gloriæ illapsum in animam, ita ut ipsa nil agat, nec active eliciat actum visionis beatificæ, sed mere passive se habeat eum duntaxat recipiendo. Hæc enim et Philosophiæ et Theologiæ repugnant, quæ docet actus vitales, qualis est visio, intellectio, amor, etc., essentialem ordinem dicere ad animam viventis in quo sunt, ita ut ab ea vitaliter manere et produci debeant : alioqui non vitales actus erunt, sed mortuæ qualitates et actiones. In hoc enim actus vitalis à non vitali secernitur, quod ille à principio intrinseco vitaliter procedat, hic non.

Nota Secundo τὸ *in quo movemur.* Inde enim patet, Deum immediate concurrere ad omnem motum nostrum, æque ac ad omnem operationem causæ secundæ, idcoque ex eo recte concludit Apostolus, Deum non longe abesse à nobis, sed ubique esse præsentem ; quia scilicet ubique immediate non tantum nos, sed et motus, actionesque nostras omnes contingit, iisque cooperatur, adeo ut sine ejus concursu et cooperatione, nec digitum extendere, nec minimum nutum, vel motum producere possemus. Ita passim contra Durandum in 2. d. 1. q. 5. (ubi docet, Deum tantum dare et conservare vim motivam, non vero concurrere ad ipsum motum) docent Scholastici cum S. Thoma 1. p. q. 18. a. 4. ad. 1. Omnis enim res pendet et manat à Deo : ergo et actio : est enim ipsa res et ens quoddam.

SICUT ET QUIDAM VESTRORUM POETARUM (Syrus, *sapientum :* Poetæ enim erant Gentilium Sapientes et quasi Prophetæ) DIXERUNT.] Virgil. 4. Georg.

Deum namque ire per omnes
Terrasque tractusque maris, cœlumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenues nascentem arescere vitas.

Plato, et ex eo Virgil. Æneid. 4.

Spiritus intus alit, totumque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.
Inde hominum, pecudumque genus, vitæque volantum.

Si Deus est anima mundi et microcosmi, multo magis idem est anima microcosmi, puta hominis, Luc. l. 2.

Jupiter est quodcumque vides, quocumque moveris.

Rursum :

Jovis omnia plena.

Ennius apud Cicer. lib. 2. de Natura deorum :

Vides sublime fusum immoderatum æthera,
Qui tenero terram circumvectu amplectitur,
Hunc summum habeto divum, hunc perhibetur Jovem.

Similia habet Aratus, de quo mox.

IPSIUS ENIM ET GENUS SUMUS.] Sunt verba Arati in Phænomenis. Aratus fuit Poeta antiquus et celebris, Antiocho regi in deliciis, olympiade 125. anno à Roma condita 472. patria Solensis, non longe à Tharso : ac proinde Pauli pene concivis. Præclare scripsit de stellis et signis cœlestibus : unde ejus versus in Latinum transtulit l. 2. de Natura deorum Cicero. Aratus ergo sic orditur.

A Jove principium, quem nunquam mittimus ipsi
Insalum : plena vero Jovis omnia quidam compita,
Omnes vero hominum cœtus, plenum vero mare,
Et portus ; ubique autem indigemus Jove omnes.

Alii pro *indigemus*, vertunt *utimur*, vel *fruimur*, quasi κεχρήμεθα derivetur à χράομαι, id est *utor*, non à χρῄζω, id est *indigeo.* Sed χράομαι, construitur cum dativo, χρῄζω cum genitivo : qualis hic est Διος id est *Jovis.*

Hujus etenim genus sumus.

Quod hemistichium brevitatis causa tantum citat Paulus ; et quia illud sufficit ad confirmandum id quod dixerat : *In illo vivimus, movemur et sumus.* Subdit Aratus, Jovem providisse stata tempora serendi, germinandi, metendi, etc. Unde concludit : *Salve pater, magna admiratio, magna hominibus utilitas.* Moral. exemplo Pauli disce, Ethnicorum sententias Christiano concionatori raro et sobrie citandas esse : de quo multa noster Lorinus hic.

Gabr. Vasquez, et ex eo Sanchez, genus sumunt non pro prole, sed pro opere. q. d. Sumus opus et creatura Dei. Unde Clemens Alexandr. lib. 5. Strom. sub finem : *Ipsius genus sumus*, inquit, scilicet creatione : γυμνὰω enim non tantum *gignere*, sed et *producere* significat. Unde liber Genesis vocatur, quo rerum creatio et productio enarratur. Sic Job 38. Deus dicitur pluviæ pater, id est productor, ut sensus sit. q. d. Si nos qui sumus genus, id est, opus Dei longe præstamus idolis ligneis et lapideis, imo simulacra hæc manu hominis formata sunt, multo magis iis præcellit Deus : quare illa Deo æquari, aut pro Deo coli nefas est.

Verum alii passim genus accipiunt pro progenie et sobole. Sic Græci Poetæ vocant Heroes διογενεῖς διοτρεφεῖς et δίους, hoc est, *à Deo genitos, à Deo nutritos, et divinos.* Homo ergo est genus Dei qui creatus est ad imaginem et similitudinem Dei, quasi Dei proles et filius ; qui proinde ab eo participat ejus essentiam præ cæteris creaturis, summumque entis gradum, puta naturam rationalem. Vide dicta Genes. 5. Longe excellentius et perfectius sumus genus, id est, filii Dei, per gratiam, qua adoptamur in filios Dei, imo fimus divinæ consortes naturæ, ut ait S. Petrus 2.

ep. 2. l. 4. Unde S. Greg. 20. Mor. c. 16. et Beda : Genus, inquiunt, sumus Dei, non quia de substantia Dei, parsve illius, sed quia per Spiritum illius, et voluntarie per adoptionem recreati, nam in justificatione non tantum qualitas aliqua, puta gratia et charitas, sed ipsissimus Spiritus sanctus, ac tota SS. Trinitas nobis datur, uti paulo ante dixi, quæ nos substantialiter sibi unit, et quasi in se transformat, ut simus ejus congeneres et concorporei, ideoque unum genus cum eo, imo unus spiritus, ut dicitur 1. Corinth. 6. 17. Ita S. Gregor. Nyssenus scribit de suo fratre S. Basilio Magno in orat. funebri : *Genus quidem illi* (Basilio) *et necessitudo cum Deo : patria autem, virtus.* Porro ex eo quod sumus Dei genus, recte confirmat suum dictum Apostolus, quod in ipso vivamus, moveamur et simus, utpote qui ita simus genus Dei, ut illi ejusque substantiæ intime simus uniti, ab eaque toti penetremur et possideamur; ac consequenter quod Deus non sit à nobis remotus, nec ignotus, ut Athenienses putabant; sed cognitus et vicinus, non tantum loco, sed et cognitione et substantia : quia nos sumus è genere et stirpe Dei, quasi ejus soboles et propago; Aratus enim ut patet ex versibus ejus paulo ante citatis, ita dicit nos esse genus Dei, ut ille quaquaversum omnia (puta macrocosmum, et multo magis microcosmum, id est homines) se suoque numine, id est, sua substantia, præsentia, operatione, beneficentia continua, impleat et compleat, omnesque eo indigeamus, utamur et fruamur perpetim, dum scilicet in illo vivimus, movemur et sumus, uti explicat Apostolus. Deus enim est velut anima mundi, quæ se per eum totum diffundit, in eoque homines quasi filios ex seipsa et in seipsa producit, sicut mare in se et ex se producit pisces : ita ut instar piscium in Dei et deitatis oceano vivamus, natemus, moveamur et simus.

Quare licet in hominibus et animalibus filii à parentibus suis sint separati, in Deo tamen et loco et operatione cum eo sunt conjuncti, eo quod ipse sit immensus, omniaque impleat, penetret et occupet. Hinc rursum, licet homo semel genitus à patre, ab eo amplius non generetur, nec corpus aut vitam accipiat : in Deo tamen secus est : ab eo enim assidue pendemus uti radius à sole. Ita ergo sumus genus Dei, ut ipse assidue nos quasi generet, conservando et jugiter influendo in nos vitam motum, omneque esse nostrum.

Denique recte probat Aratus, Deo nos omnes indigere, ex eo quod ejus genus, id est propago et filii sumus. Filii enim indigent ope patris, utpote à quo accipiunt vitam, victum, vestitum, hereditatem, et omnia : præsertim vero egent ope Patris divini, ipsiusque Dei, qui est pater totius entis, omnisque esse et essentiæ, ideoque in eo vivimus, movemur, et sumus, uti ratiocinatur Apostolus.

Secundo, posset τὸ *ipsius enim et genus sumus*, referri altius more Hebræo ad priorem partem v. 27. *Quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant*, ut hujus sit probatio, potius quam ejus quod proxime præcessit : *In ipso enim vivimus, movemur, et sumus.* q. d. Sumus genus Dei, ejus cognati et filii : ergo facile possumus eum invenire et cognoscere : filius enim naturaliter suum agnoscit patrem, cognatus cognatum, consanguineus consanguineum, congener sibi congenerem; perinde ac bos bovem, philomela philomelam, equus equum, leo leonem agnoscit et amat. Vulgo dicitur : *Simile gaudet simili : Cicada cicadæ chara, formica formicæ : Asinus asino, sus sui pulcher : Semper graculus assidet graculo.*

Tertio, alii censent esse argumentum à majori ad minus, q. d. Mirum vobis, ô viri sapientes, videri non debet quod dixi, nos scilicet in Deo vivere, moveri et esse; cum vester Poeta etiam amplius illi tribuat, majoremque nostri cum illo doceat esse conjunctionem, dum dicit nos Dei esse genus, seu progeniem; quia scilicet ipse nos, æque ac angelos, creavit ad sui imaginem, suæque libertatis, rationis et spiritualis essentiæ fecit esse participes.

Verum primus sensus est genuinus, ut patet intuenti Aratum. Hinc veteres Philosophi et Poetæ, ut Orpheus in hymnis, Soranus, Varro et Philo dicunt, Deum creaturis esse patrem et matrem, nimirum esse μητροπάτορα et πατρομήτορα, id est, *matripatrem et patrimatrem.* Primo, quia, sicut homo à patre et matre accipit suum esse et bona omnia, sic multo magis eadem ipse, et quælibet alia creatura accipit à Deo. Secundo quia, ut ait Philo lib. de Temulen. patris nomen denotat potentiam, matris scientiam, puta ideam, quæ rei fabricam concipit et efformat quasi mater. Deus ergo est pater per omnipotentiam, est et mater per omniscientiam, et ideam rerum omnium, quæ attribuitur Verbo, puta Filio. Hic ergo est quasi mens, et mater omnium. Tertio, quia Deus est pater per productionem et creationem universorum : est et mater per bonitatem et beneficentiam, qua cuncta creat, conservat, pascit, gubernat. Unde Deus Pater, cui attribuitur creatio, est pater : Spiritus sanctus, cui attribuitur bonitas, est quasi mater omnium. Quarto, quia Deus in mundo, et per mundum, semina rerum producendarum emittit quasi pater : eadem quoque recipit quasi mater. Ita Varro et Soranus, qui tamen in eo errarunt, quod censerent mundum ipsum esse Deum. Audi eos citantem et refutantem S. August. lib. 7. de Civit. cap. 9. *Jovi*, inquit, *universum solent tribuere. Unde est illud : Jovis omnia plena. Ergo et Jovem, ut Deus sit, et maxime ut rex deorum, non alium possunt existimare quam mundum : ut in diis cæteris secundum istos suis partibus regnet. In hanc sententiam etiam quosdam versus Valerii Sorani exponit idem Varro in eo libro, quem seorsim ab istis de cultu deorum scripsit, qui versus hi sunt :*

> Juppiter omnipotens, regum Rex, ipse Deusque
> Progenitor, genitrixque Deum, Deus unus et omnis.

Exponuntur autem in eodem libro ita, ut cum marem existimarent, qui semen emitteret; feminam, quæ acciperet : Jovemque esse mundum, et eum omnia semina ex se emittere, et in se recipere; qua causa, inquit, *scripsit Soranus : Juppiter progenitor, genitrixque, nec minus cum causa unum et eumdem omnia esse. Mundus enim unus, in eo uno omnia sunt.* Quinto, valde apposite Verbum caro factum est πατρομήτωρ. Deitas enim est quasi pater, humanitas in Christo est quasi mater nostra : ideo enim Deus factus est homo, ut qui erat pater, esset nobis et mater, de quo pl. 1. Joan. c. 1. 1.

Moral. disce hic, quanta sit nobilitas animæ, nimirum quod sit cœlestis, divina, proles et

propago Dei; ac proinde indignum esse si illa ad brutas cupiditates se abjiciat: quare deberent eam divinam, cœlestem et angelicam vitam agere, ut Deum patrem suum imitetur, ad eumque beanda redeat. Quocirca idem quod Aratus hic, dixerunt Poetæ cæteri, nimirum *animam* hominis esse *divinæ particulam auræ*. Ovid. l. 1. Metamorph.

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, et quod dominari in cætera posset:
Natus homo est, sive hunc divino semine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo.

Manilius l. 4.

An dubium est habitare Deum sub pectore nostro,
In cœlumque redire animas, cœloque venire?

Virgil. l. 6. Æneid.

Igneus est ollis (illis, *scilicet* animabus) vigor, et cœlestis origo.

S. Paulinus Ausonio ep. 14.

Mens quippe lapsis quæ superstes artubus,
De stirpe durat cœliti.

Juvenal. satyra 15.

Sensum à cœlesti demissum traximus arce.

Claud. Pan. 4. Honorii, ait, quod Prometheus ut fingeret homines, eosque animaret, *sinceram patri mentem furatus Olympo*, eam quasi animam indiderit homini.

Hesiodus et Homerus crebro dicunt, quod Jupiter sit πατηρ ἀνδρῶντε θεῶντε, hoc est, ut Virgil. Homerum more suo sequens, vertit Æneid. 11. *hominum sator atque deorum.*

29. Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro, etc.] Hoc est argumentum Apostoli: Homo non est conflatus ex auro, argento, vel lapide, sed ex carne, et anima rationali, quæ longe superat omne aurum et argentum. Atqui homo est genus, soboles et imago Dei. Ergo et Deus non est conflatus ex auro, vel argento, sed spiritus purus, increatus, omnipotens. Si enim homo vivus longe præstat simulacro aureo, utpote muto et inanimi; multo magis eo præstat Deus. Rursum Deus non potest fabricari ab homine, sed potius vice versa factus est à Deo, estque ejus genus et propago. Atqui simulacra sunt fabricata ab homine. Ergo nequeunt esse dii. Aut potius hæc est argumentatio Apostoli. Anima nostra, juxta quam sumus genus Dei, non potest pingi, vel effigiari in auro, argento, aut lapide sculpto, cum sit incorporea et spiritalis; ergo multo minus in iisdem pingi, effigiari atque repræsentari potest divinitas quæ purissimus est spiritus, omniumque spirituum fons et origo. Denique hac sententia perstringit Paulus Epicureos et Anthropomorphitas, qui dicebant Deum esse corporeum. Nos enim sumus genus Dei secundum animam rationalem, non secundum corpus. Ergo, ut ait Cato:

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipue sit pura mente colendus.

Non debemus æstimare,] νομίζειν, *existimare, putare.*

Sculpturæ artis et cogitationis hominis.] Vox *sculpturæ* non est nominativi casus. q. d. Aurum, argentum aut lapis, quæ sunt sculpturæ, sive simulacra arte sculpta; sed dativi: græce enim est χαράγματι, est ergo appositio, vel epexegesis, q. d. Non debemus existimare, auro, argento aut lapidi, puta sculpturæ per artem et excogitationem hominis efformatæ, Deum et divinitatem esse similem. Unde Pagninus et Tigurina vertunt, *non debemus existimare auro et argento, aut lapidi arte sculpto, aut invento hominis numen esse simile.*

Cogitationis,] ἐνθυμήσεως, id est *cogitationis, meditationis, conceptionis, imaginationis*, puta ideæ, quam imaginatus est, concepit et excogitavit artifex et sculptor. Irenæus lib. 3. cap. 12. vertit, *concupiscentiæ, lapidi*, inquit, *per artem vel concupiscentiam hominis deformato.*

Divinum,] τὸ θεῖον, id est *divinitatem.* Ita Syrus; sive numen, ut vertit Pagninus et Tigurina.

30. Et tempora quidem hujus ignorantiæ (Syrus, *idololatriæ*) despiciens Deus.] *Despiciens*, id est, ex alto culmine deorsum aspiciens et miserans, juxta illud Lucæ 1. 78. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Hoc enim proprie est ὑπεριδεῖν, id est *despicere*, nimirum deorsum aspicere, ut notant Latini. Et sic accipitur psalmo 53. 9. *Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, et super inimicos meos, despexit oculus meus.* Sic S. Francisci gnome erat: *Despice terram, suspice cœlum.* Ita Emmanuel Sa.

Secundo, alii ὑπεριδών, id est *despiciens*, interpretantur contemnens, vel dissimulans. q. d. Deus hucusque hanc patrum vestramque ignorantiam neglexit, et dissimulavit connivendo, nec vos puniendo, ut hac sua longanimitate vos per meum prædicationem, qua verum Deum vobis annuntio, resipiscatis, pœnitentiam agatis, et ad eum convertamini. Ita Chrysost. et OEcumen. q. d. Hactenus tacuit Deus, suamque injuriam dissimulavit: at nunc non amplius dissimulabit: unde per me loquitur, jubetque simulacra aboleri, et se verum Deum coli.

Tertio, Lyran. τὸ *despiciens* refert, non ad homines, sed ad deos et idola. q. d. Deus despiciens et abominans idola, statuit jam eis finem imponere, eaque evertere, ut amplius pro diis non habeantur, nec colantur.

Quarto, et genuine ὑπεριδών est aoristus significans *cum despexerit* in præterito. q. d. Hactenus Deus despexit, id est neglexit, Gentes idololatras, permittendo eas idolis servire, quasi eas non curaret, illæque ad ejus paternam providentiam non pertinerent: at nunc post Christum et per Christi merita, eas non despicit, sed oculis paternis respicit, statuitque suam in eas curam ostendere: quocirca annuntiat per me vobis veram unius Dei fidem, gratiam et salutem. Idem enim hic dicit Paulus, quod in simili concione dixit Lycaoniis cap. 14. 15. *Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas:* quod enim ibi dicit *dimisit*, hic dicit *despexit.* Ita Sanchez. Causas, cur Deus gentes dimiserit, dat S. Aug. ep. 47. c. 2. ubi respondet Porphyrio idipsum cavillanti.

Notat Paulus infelicitatem priorum temporum et felicitatem præsentis, puta legis novæ, quæ est quasi aurenm sæculum, et juge jubileum gratiæ, lætitiæ, virtutum et bonorum omnium; ut infinitas Deo gratias agere debeamus, quod nos fecerit nasci hoc tempore fulgentis Evangelii, quo facile beatitudinem adipisci possumus; cum majores nostri nati fuerint in tempore ignorantiæ Dei et idololatriæ, ideoque cum cæteris idololatris perierint, et damnati sint. Glo-

riabatur Socrates se natum Athenis, quasi in schola sapientiæ. Gloriabatur Philippus rex, natum sibi Alexandrum tempore Aristotelis, ut ab eo instrui posset : multo magis glorietur Christianus se natum tempore Christi, quo in ejus Ecclesia, Dei fidem et sapientiam ediscit : ac tantæ Dei gratiæ non sit ingratus, nec enim in vacuum recipiat; sed ei strenue cooperetur ad suam et aliorum salutem.

Ut omnes pœnitentiam agant,] de sua ignorantia, id est, idololatria aliisque peccatis.

31. Eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem.] Idem prædicavit Paulus Felici præsidi Act. 24. 23. et Petrus Cornelio, Act. 10. 42. *Præcepit nobis*, inquit, *prædicare populo, et testificari, quia ipse est qui constitutus est à Deo judex vivorum et mortuorum*, ut nimirum in eum redemptorem credant, eique obediant, quem judicem expectant. Idem crebro prædicet Concionator. Magis enim minæ et terrores, quam blanditiæ et promissiones fuerunt, et percellunt dura peccatorum corda. Audivi in Belgio insignem potentemque concionatorem, qui in omnibus concionibus multis efficacibusque verbis populo refricabat et inculcabat memoriam judicii, motusque animorum vehementes ciebat, et multos convertebat.

Præclare S. Justinus apud Damascenum in Paralip. lib. 2. cap. 77. *Quemadmodum*, inquit, *corporibus omnibus à Deo procreatis hoc insitum est, ut umbram habeant; sic Deum quoque qui justitia præditus est, tum iis qui virtutem sibi colendam proposuerint; tum iis; qui vitium amplexari maluerint, pro cujusque merito præmia pœnasque tribuere consentaneum est.* q. d. Sicut umbra indivulse sequitur corpus; ita Deum comitatur providentia et retributio.

In viro in quo statuit.] Pagninus et Tigurina *per eum virum, per quem decreverat*, puta per Christum. Hinc patet Christum secundum humanitatem, qua homo est et vir, non qua Deus, fore judicem. Decet enim hominum judicem esse hominem, ut ab iis videri, sentiri et audiri possit. Christus ergo est vir statutus à Deo judex. Unde Concilium Ephes. cap. 31. in fine : *In eo*, inquit, *qui forinsecus apparebit, et ab omnibus qui judicandi sunt palam cernetur, divina natura occulte latitans judicium exercebit.*

Notat S. Ambros. lib. 6. in cap. 9. Lucæ, prudenter Paulum primo prædicasse solum Christi humanitatem, et sensim per eam gradum fecisse ad ejus divinitatem, ne, si statim eum Deum et hominem esse dixisset, à Sophis Atheniensibus exploderetur et irrideretur; sicut irrisus fuit ob resurrectionem Christi. Idem imitandum prædicatori, et doctori apud rudes, aversos et contrariis erroribus imbutos, quales sunt Pagani, hæretici, etc. Denique S. Dionysius de Divin. nom. cap. 2. et 3. *Cum*, inquit, *summus ille Deus substantiam nostræ carnis accepit, et vir est appellatus*, etc. *in naturalibus nostris supernaturalis erat, in iis quæ nostræ sunt essentiæ super essentiam, omnia nostra ex nobis et super nos possidens excellenter.*

Fidem præbens omnibus.] q. d. Fidem faciens et publice judicem eum fore declarans, per ejus resuscitationem ad vitam immortalem et gloriosam. Hoc enim est testimonium sufficiens ad fidem faciendam, quod ipse ideo resuscitatus sit, ut gloriose dominetur, sitque judex orbis. Ita Chrysost. et Cajetanus. Secundo, alii sic exponunt, q. d. Deus fidelem se in promissis exhibuit, quando Christum à mortuis excitavit : quia id se facturum ps. 15. 10. promiserat. Tertio, Lyran. et Hugo. q. d. Deus fidem præbuit resurrectioni nostræ per resurrectionem Christi, quod scilicet nos similiter suscitabit, sicut suscitavit Christum. Quarto, alii, q. d. Deus per Christum fidem fecit eorum quæ credi voluit de se, de judicio, de pœnitentia, et aliis quæ præcesserunt. Sed primus sensus maxime est præcedentibus connexus, ideoque genuinus. Fides ergo hic non fidem Christianam, sed probationem, vel argumentum significat, quo modo Aristoteles 1. Topicorum cap. 7. ait : *Una fides per inductionem est, alia per syllogismum*, etc. q. d. Deus fidem fecit, hoc est, sufficienter probavit hominibus, Christum esse virum illum per quem judicaturus sit orbem, quandoquidem in ejus rei probationem et confirmationem, resuscitavit ipsum omnium primum ad vitam immortalem. Nam, ut ait Apostolus Rom. 14. v. 9. *in hoc Christus et mortuus est, et resurrexit, ut mortuorum et vivorum dominetur.*

34. Quidam vero viri adhærentes ei crediderunt.] Miratur Arator hanc Sophorum per Paulum conversionem, stupensque exclamat :

> O lupe Paule rapax, quid jam remanebit in orbe,
> Quod non ore trahas, postquam solertia Graia
> Cessit, et indoctas in dogmate vincis Athenas?

In quibus et Dionysius Areopagita.] Græce est articulus ὁ, q. d. Ille Areopagita famosus et celebris judex Dionysius, in Areopagitarum senatu primarius. Hic est ille, qui sublimes illos libros scripsit de Cœlesti et Eccles. Hierarchia, de Div. nominib. de Mystica Theolog. etc. in quibus cœlestem angelorum civitatem, Deique attributa ita graphice describit, ac si ea in cœlis oculis spectasset. Quocirca à S. Chrysostomo vocatur πετεινον τοῦ οὐρανοῦ, id est, *volucris cæli* : ab aliis *divinissimus, patrio prænomine Ionicus, et cognomine Christiano Macarius Galliæ apostolus.* A Paulo creatus est Athenarum Episcopus. Unde propter eum mire floruit Ecclesia Atheniensis, ait Orig. lib. 3. contra Celsum, protulitque viros doctrina et sanctitate perillustres, Quadratum, Athenagoram, Publium, quem sibi in episcopatu Atheniensi substituit iturus Romam, etc. Libros ejus à calumniis hæreticorum Scaligeri et Erasmi, erudite defendit Baronius, Delrio, et olim Maximus, Anastasius, Hincmarus, Hilduinus, et alii. Sane ipsa eorum profunditas, eloquiique sublimitas et majestas, qua omnium Theologorum Patrumque scripta transcendunt, auctorem indicant virum fuisse Paulinum et divinum. Rursum hunc Dionysium esse eumdem cum Dionysio Parisiorum Episcopo, non diversum, ut aliqui ex Adone volunt demonstrat Baron. in Martyr. die 9. Octobr.

Porro magna causa, vel occasio conversionis S. Dionysii fuit, visio eclipsis miraculosæ anno Christi 34. in Parasceve, dum Christus crucifigeretur, quam ipse vidit Heliopoli in Ægypto, cum Apollophane, uti ipse testatur epist. ad eumdem Apolloph. et epist. 11. ad Polycarpum. Tunc enim stupens exclamavit : *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissolvitur* : vel, ut narrat Suidas, et Michael Syncellus in encomio S. Dionysii, dicens se id accepisse à suis majoribus : *Deus ignotus patitur in carne, ideoque mundus hisce tenebris obscuratur, et concutitur.*

Addit S. Dionys. epist. ad Apollophan. se tunc fuisse 25. annorum : quare cum Paulus prædicarit Athenis anno decimo nono à passione Christi, qui fuit ab ejus nativitate 52. et Claudii 10. sequitur eodem tunc Dionysium fuisse conversum, cum annum ageret ætatis 44. Inde per triennium adhæsit S. Paulo, ut mysteria religionis Christianæ penitus perdisceret, mox creatus ab eo primus Athenarum Episcopus, mire ibidem fidem Christi propagavit : inde cum Paulo ascendens Hierosolymam, morti et funeri B. Virginis Deiparæ interfuit, uti ipse asserit l. de Div. nomin. cap. 3. Post hæc S. Joannem Apostolum relegatum à Domitiano in Pathmos, anno Christi 97. consolatus est per epistolam, qua ei celerem reditum prædicit : sequenti enim anno occisus est Domitianus : mox ab exilio rediit S. Joannes, cujus hortatu S. Dionysius profectus est Romam ad S. Clementem : à quo missus in Gallias cum Rustico et Eleutherio, post magnos longosque labores, quibus fidem propagavit, et Ecclesiam Gallicanam fundavit, tandem nobili martyrio coronatus est Parisiis sub annum Domini 119. imperante Adriano, cum annum ætatis ageret 110. uti ostendit Baronius : quando prodigium à sæculis inauditum contigit, nimirum quod ipse caput suum à carnifice resectum in manus acceperit, illudque portarit comitantibus et canentibus angelis per duo milliaria, quasi triumphans de morte et tyranno. Ita habet ejus Vita, et traditio Ecclesiæ Gallicanæ.

Assecla S. Dionysii tum in eruditione et sapientia, tum in virtute et vita, tum in martyrio et miraculosa capitis gestatione fuit magnus ille Severinus Boethius, Symmachi socer, cum eo occisus à Theodorico rege Ariano, anno Domini 526. Audi Julium Martianum in ejus vita, et ex eo Baronium : *Ticini incolæ semper à majoribus traditum constanter asseverant, Severinum, cum regius speculator lethale vulnus intulisset, utraque manu divulsum caput sustinuisse; interrogatumque à quonam se percussum existimaret? ab impiis, respondisse : atque ita cum in vicinum templum venisset, et flexis genibus ante altare sacra* (S. Synaxin) *percepisset, paulo post expirasse. Extinctus divinos honores* (illos qui Martyribus exhiberi solent) *à nostris consecutus est, quod pro Catholicis contra perfidiam Arii mortem sustinuerit.* Ticini ejus carcer, et sepulchrum in æde S. Aug. visitur.

Et mulier nomine Damaris.] Hanc fuisse uxorem Dionysii censet S. Chrysost. lib. 4. de Sacerdotio, et Hilduinus in Vita S. Dionysii, ac insinuat S. Ambrosius epist. ad Eccles. Vercell. Et Græcum γυνὴ tam *uxorem*, quam *mulierem* significat. Verum sic addidisset Lucas αὐτου, dixissetque *mulier ejus :* jam autem absolute dicit in genere γυνὴ, id est *mulier :* unde significat eam non fuisse Dionysii uxorem, sed mulierem primariam, ita Pagnin. Tigur. et alii passim.

Et alii cum eis.] Multi censent unum ex eis fuisse Hierotheum. Eum enim Atheniensem fuisse tradunt Græci, et ex iis Ambrosius Morales in Historia Hispaniæ, et Joan. Mariana l. 4. de Rebus Hispaniæ c. 3. et nomen ipsum indicat eum fuisse Græcum ; ἱεροθεὸς enim græce idem est quod *sacer*, vel *consecratus Deo.* Unde et in Martyrol. Roman. die 4. Octobris sic de eo legimus : *Athenis S. Hierothei discipuli S. Pauli.* Et eodem die Menologium Græcorum sic habet : *Natalis S. Patris nostri Hierothei, qui fuit unus è numero Areopagitarum, qui ab Apostolo Paulo est instructus una cum magno illo Dionysio, et cum religiose vixisset, migravit ad Dominum.* Addunt aliqui, Hierotheum fuisse Episcopum Athenarum : sed nil tale habet Menologium. Hispani tamen censent Hierotheum fuisse Hispanum, aut potius Hispaniæ Præfectum, ibique à Paulo esse conversum, ita Morales, et Ribadeneira in Vita S. Dionysii. Porro mirifice Hierotheus passim deprædicatur à S. Dionysio. Nam cap. 2. de Div. nomin. ab eo vocatur *inclytus præceptor noster,* οὐ μόνον μαθων, ἀλλὰ καὶ παθών τὰ θεῖα, id est, *non solum discens, sed et patiens divina, consummatus,* etc. Et c. 3. proximo post Apostolos loco eum constituit : *Omnes Doctores,* inquit, *superavit, totus excedens, totus extra se positus, divino numine afflatus, occupatus à Deo, divinus laudator ab omnibus judicatus, ideoque* ἱεροθεὸς, *id est sacer quidam Deus, ac divinus præceptor noster.*

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Paulus Athenis pergit Corinthum. Ibi jussu Dei pollicentis multorum conversionem prædicat per sesquiannum : inde v. 12. accusatus a Judæis, se purgat apud proconsulem, in cujus conspectu Judæi furentes Sosthenem impune verberant. Post hæc v. 18. Paulus prædicando peragrat Ephesum, Cæsaream, Antiochiam, Galatiam et Phrygiam. Denique v. 24. Apollo eruditus ab Aquila, fortiter contra Judæos fidem Christi propugnat et propagat.

1. Post hæc egressus ab Athenis venit Corinthum : 2. et inveniens quemdam Judæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, et Priscillam uxorem ejus (eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Judæos à Roma) accessit ad eos. 3. Et quia ejusdem erat artis, manebat apud eos, et operabatur (erant autem scenofactoriæ artis). 4. Et disputabat in synagoga per omne sabbatum, interponens nomen Domini Jesu, suadebatque Judæis, et Græcis. 5. Cum venissent autem de Macedonia Silas et Timotheus, instabat verbo Paulus, testificans Judæis esse Christum Jesum. 6. Contra-

dicentibus autem eis, et blasphemantibus, excutiens vestimenta sua, dixit ad eos: Sanguis vester super caput vestrum: mundus ego, ex hoc ad Gentes vadam. 7. Et migrans inde, intravit in domum cujusdam, nomine Titi Justi, colentis Deum, cujus domus erat conjuncta synagogæ. 8. Crispus autem archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua: et multi Corinthiorum audientes, credebant et baptizabantur. 9. Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo: Noli timere, sed loquere, et ne taceas: 10. propter quod ego sum tecum: et nemo apponetur tibi ut noceat te: quoniam populus est mihi multus in hac civitate. 11. Sedit autem ibi annum et sex menses, docens apud eos verbum Dei. 12. Gallione autem proconsule Achaiæ, insurrexerunt uno animo Judæi in Paulum, et adduxerunt eum ad tribunal. 13. Dicentes: Quia contra legem hic persuadet hominibus colere Deum. 14. Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Judæos: Si quidem esset iniquum aliquid aut facinus pessimum, ô viri Judæi, recte vos sustinerem. 15. Si vero quæstiones sunt de verbo, et nomininibus, et lege vestra, vos ipsi videritis: judex ego horum nolo esse. 16. Et minavit eos à tribunali. 17. Apprehendentes autem omnes Sosthenem principem synagogæ, percutiebant eum ante tribunal: et nihil eorum Gallioni curæ erat. 18. Paulus vero cum adhuc sustinuisset dies multos, fratribus valefaciens, navigavit in Syriam, (et cum eo Priscilla, et Aquila) qui sibi totonderat in Cenchris caput: habebat enim votum. 19. Devenitque Ephesum, et illos ibi reliquit. Ipse vero ingressus synagogam, disputabat cum Judæis. 20. Rogantibus autem eis ut ampliori tempore maneret, non consensit. 21. Sed valefaciens, et dicens: Iterum revertar ad vos Deo volente, profectus est ab Epheso. 22. Et descendens Cæsaream, ascendit, et salutavit Ecclesiam, et descendit Antiochiam. 23. Et facto ibi aliquanto tempore profectus est, perambulans ex ordine Galaticam regionem, et Phrygiam, confirmans omnes discipulos. 24. Judæus autem quidam, Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, devenit Ephesum, potens in Scripturis. 25. Hic erat edoctus viam Domini, et fervens spiritu loquebatur, et docebat diligenter ea quæ sunt Jesu, sciens tantum baptisma Joannis. 26. Hic ergo cœpit fiducialiter agere in Synagoga. Quem cum audissent Priscilla et Aquila, assumpserunt eum, et diligentius exposuerunt ei viam Domini. 27. Cum autem vellet ire Achaiam, exhortati fratres, scripserunt discipulis ut susciperent eum. Qui cum venisset, contulit multum his qui crediderant. 28. Vehementer enim Judæos revincebat publice, ostendens per Scripturas, esse Christum Jesum.

1. Post hæc egressus ab Athenis.] Quia Athenienses novitatis studiosi, nova Pauli doctrina statim exsaturati, aliis novis de more suo audiendis et dicendis intendebant, ait Chrysost. Hæc enim est novitatis amantium indoles, ut novis auditis statim illa quasi vetera fastidiant, moxque nova alia et alia captent: nam quasi febricitantes, insatiabili novitatis siti laborant.

Venit Corinthum.] Quia Corinthus, ait sanctus Chrysost., erat urbs plena Philosophis et Oratoribus. Erat hæc metropolis Achaiæ, sive Peloponnesi, quæ nunc *Morea* dicitur, de cujus situ, opibus, moribus, vide dicta in præfat. epist ad Corinth. Hic Paulus scripsit epist. ad Thessalonicenses, quæ omnium epistolarum S. Pauli est prima, si tempus scriptionis spectes. Paulus enim Silam et Timotheum evocatos ad se Athenas, miserat Thessalonicam: illi ad eum redierunt Corinthum; statumque Thessalonicensis Ecclesiæ ei retulerunt: quo audito primam ad eos dedit epistolam. Ita Baron. Vide dicta 1. Thessal. 3. 6.

2. Ponticum genere,] oriundum ex provincia Ponti. Perperam aliqui legunt, *pontificum genere*, quasi fuerit oriundus ex pontificibus. Alius hic est Aquila ab Aquila pariter Pontico, qui primus post Septuag. vetus testamentum ex Hebræo in Græcum convertit, vixitque sub Adriano Imp. factus ex Gentili Christianus, ex Christiano Judæus, de quo Epiph. lib. de Mensuris, et Philastr. hæresi 90. Nam noster hic illo Interprete fuit prior, magnusque Evangelii propagator. Unde eum mire laudat Paulus epist. 2. ad Timoth. cap. 4. 19. et 1. Corinth. 16. 19. Quocirca Aquila hic cum uxore Priscilla, sive Prisca; Sanctorum catalogo asscriptus legitur in Martyrol. die 8. Julii. Ubi vide Baron.

Qui nuper,] προσφάτως, id est *recenter;* Syrus *eo tempore.*

Eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Judæos a Roma.] Causam dat Suetonius in Claudio cap. 25. quod Judæi Romæ assidue tumultuarentur; sed in eo quod addit, *impulsore Christo*, splendide mentitur, uti solent Gentiles historici in rebus Judaicis. Videtur ergo, quod Romæ increbescente religione Christiana, Judæi se ei more solito opposuerint, et cum Christianis assidue de Messia, id est Christo, ejusque regno altercati sint; affirmantibus Christianis Christum jam venisse, negantibus Judæis. Claudius metuens, ne quis inde tumultus existeret, quo ipse imperio pelleretur per Christum et Christianos (erat enim timidissimus, et umbras nomenque novi regis exhorrescebat, uti superius ex Suetonio dixi) jussit omnes Roma excedere. Nam non solum Judæos, sed et Christianos è Judæis oriundos, quasi genere Judæos, Roma excessisse, patet hic exemplo Priscillæ et Aquilæ, ac S. Petri qui ea de causa Roma discedens venit Hierosolymam, ibique celebravit primum Concilium Hierosolymitanum, uti dixi cap. 15.

Audi nuperum Poetam, Claudium suis coloribus pingentem :

> Vecors stupidus, prudentibus stultus, stultis prudens visus.
> Clarior erat, si fuisset obscurior.
> In angulo gladium fugiens, sceptrum invenit.
> Dominium sub domino gessit, liberti libertus, uxoris servus.
> Omnia in imperio habuit præter imperium.

Aliam causam expulsionis Judæorum dat Hugo et Lyran. nimirum quod ipsi Aggrippinam Claudii uxorem pellexissent ad Judaismum, sicut paulo ante Tiberius eosdem Roma proscripserat, eo quod Fulviam Saturnini senatoris uxorem ad Judaismum traduxissent, ab eaque aurum et purpuram extorsissent, uti narrat Josephus 18. Antiqu. c. 1. et 5. Porro hæc expulsio contigit anno Claudii 9. Christi 51. uti ex Paulo Orosio, Beda, Adone et aliis demonstrat Baronius.

3. Et operabatur.] Idque per sesquiannum continue prædicans, et sibi suisque operans, ut victum compararet. Vide hic generositatem Pauli : poterat alimoniam et stipendium prædicationis à Christianis exigere, eoque se sustentare, uti faciebant alii Apostoli; sed noluit, ut omnibus liqueret eum non lucra, sed animas venari, itaque plures ad Christum converteret. Vide S. Greg. hom. 12. in Ezech. et ea quæ dixi 1. Cor. 9. Præclare Chrysost. laboriosam arduamque vitam Pauli commendans : *Sic enim palæstra*, inquit, *pugili magis utilis, quam molles lecti, et militi ferrens gladius magis, quam aureus probatur. Et operabatur prædicans. Erubescamus nos, qui etiam absque prædicatione vivimus otiose.*

Erant autem scenofactoriæ artis.] Puta tabernaculorum factores; Syrus *opifices conopæorum*, Vatabl. et alii, *aulæorum*, quæ scilicet fiunt ex consutis pellibus, uti sunt aulæa Turcica : hæc enim omnia sunt ejusdem artis, scilicet sutrinæ pellium. Origen. lib. 4. contra Celsum, Paulum vocat *phrygionem*, quem vulgus *recamatorem* appellat. Apposite Paulus fuit scenifex, utpote qui tota vita peregrinatus, omnes doceret hic vivere ut peregrinos ac cives Sanctorum, et domesticos Dei : peregrini enim non habent domum, sed hospitantur in tabernaculis, uti fecerunt filii Israel peregrinantes per desertum, et etiamnum faciunt milites in castris, ita Chrys. Porro hæc tabernacula et conopæa fiebant ex pellibus. Unde Paulus ab Origene hom. 17. in Numer. vocatur *pellium sutor*, *qui à terrenorum tentoriorum futura ad æterna consuenda vocabatur.* Ubi, et quo consilio hanc artem mechanicam didicerit, et exercuerit Paulus dixi 2. Thessal. 3. 8.

Ita S. Franciscus, Pauli discipulus, et paupertatis professor, illam sui Ordinis fundamentum jaciens, inquit S. Bonavent. suos jubebat construere et inhabitare domos pauperes, non ut proprias, sed ut alienas quasi peregrinos : quorum leges sunt, *sub alieno colligi tecto, sitire ad patriam, pacifice pertransire.* Ita veteres monachi operabantur manibus, indeque vivebant. Vide S. Aug. tract. de Opere monachorum tom. 3. Idem exemplo Pauli factitasse multos sacerdotes et Prælatos Ecclesiæ, testatur S. Epiphan. hæresi 80. Porro miratur Paulum Chrysost. homil. 4. de ejus Laudibus. *Homo enim ignobilis*, ait, *abjectus et circumforaneus, qui artem exercebat in pellibus; in tantum virtute progressus est, ut vix triginta annorum spatio et Romanos, et Persas, et Parthos, et Medos et Indos, et Scythas, et Æthiopes, et Sauromatas, et Saracenos, et omne prorsus humanum genus sub jugum mitteret veritatis. Responde igitur : Unde iste opifex vilis ac publicus, stans in loco artis suæ, ac scascellum in manu gerens, ita ut ipse philosophatus sit, et alios docuerit philosophari, gentes scilicet, urbes atque regiones; nec vim in se sermonis ostendens?* Hæc rhetorica amplificatione dicit os aureum : nam non legimus, Paulum Indis, Æthiopibus et Sauromatis prædicasse. Addit causam : *Ipse enim velut ignis in fœnum, aut in stipulas immissus, omnia dæmonum opera consumpsit, atque in quod voluit omnia convertit. Virtutem venerare crucifixi.* Et inferius, recensens gentes et Judæos quasi feras ubique in Paulum insurgentes : *Beatus tamen Paulus*, inquit, *in tantos ignes insiliens, atque in medio talium luporum consistens, quanquam ictus omnium exciperet, non modo tamen obrutus ipse non est, sed etiam omnes illos in partem transtulit veritatis*, etc., *ac sicut igne succenso paulatim spinæ consumuntur, et cedunt flammisque superantur; sic etiam insonante Pauli lingua, et omni igne vehementius irruente, cedebant omnia, fugiebant dæmonum cultus, mores patrii, populorum furores, tyrannorum minæ, insidiæ domesticorum, pseudoapostolorum operationes malignæ. Magis autem, sicut radiis solis orientibus, et tenebræ fugantur, et feræ latitant, et latrones, homicidæ; fures ad antra suffugiunt, lucidaque efficiuntur omnia, terra, pelagus, montes, urbes, regiones, sic etiam tunc prædicatione fulgente, et ubique Evangelium disseminante Paulo, fugabatur error, veritasque remeabat.* Concludit hortando, ut satagamus Paulo fieri similes. *Neque illud*, ait, *impossibile putemus : nam tale illi, quale etiam nobis corpus fuit, talis anima, tales cibi; sed voluntas in eo mirabilis, et præclara devotio : et illud est prorsus, unde talis effectus est.*

4. Interponens nomen Domini Jesu Christi.] Hæc verba desunt in Græco et Syro. Sensus est. q. d. Paulus in synagoga disserendo more Judæorum de Script. passim inserebat mentionem de Christo : scopus enim ejus erat prædicare Jesum Christum. Vide dicta c. 17. 3.

5. Cum autem venissent de Macedonia (Berœa et Thessalonica. Vide dicta vers. 1.) Silas et Timotheus, instabat verbo (prædicationis) Paulus.] q. d. Instanter et crebro prædicabat nunc per se, nunc per Silam, nunc per Timotheum, Græce est συνείχετο τῷ πνεύματι, id est, *coarctabatur spiritu*, præ molestia quam illi facessebant Judæi, ait Chrys. Unde Syrus vertit *constrictus erat in sermone Paulus, quia insurgebant in eum Judæi.* q. d. Judæi suis persecutionibus ligabant quasi cor et linguam Pauli, ut vix posset proloqui et prædicare : præsentiebat enim se lusurum operam. Melius alii, *coarctabatur spiritu*, id est zelo, inquiunt, adeo ardente, ut fere eum non caperet : ut sit idem quod de eodem Athenis dixit cap. 17. 16. *Incitabatur spiritus ejus, videns idololatriæ debitam civitatem.* Unde alii vertunt, *comprimebatur spiritu*, quasi Spiritus sanctus premeret, et urgeret cor et os Pauli ad prædicandum. Hæc omnia complexus Noster apte vertit, *instabat verbo.*

Testificans (è testimoniis S. Scriptura efficaciter ostendens) Judæis esse Christum Jesum,]

quod scilicet Jesus Nazarenus crucifixus, esset verus eorum Messias, id est Christus.

6. Blasphemantibus,] conviciantibus tum Christum, tum Paulum : Notanda est hic aurea gnome S. Chrysost. *Convicium*, ait, *sive contumelia est quasi furax ancilla, quæ vas immundum è domo heri furatur* (v. g. matulam) *eamque in publico proponit; qua re magis se confundit, quam herum : idem facit conviciator; immundus enim verbis magis se coinquinat, quam suum hostem. Idem enim fit, quando cum malis pugnamus, ac si quis sterquilinio obvolutum percutiat, qui dimissis in stercus manibus, dum illum ferire studet, sese coinquinat.*

Excutiens Paulus vestimenta sua.] Iisdem de causis, quibus excussit pulverem pedum c. 13. 51. Eadem enim utriusque excussionis est ratio. Vide ibi dicta.

Sanguis vester super caput vestrum.] q. d. Exitium et mors sempiterna capiti vestro, ob hostilitatem in Christum et fidem, imminens, vobis imputetur : culpa vestra peribitis, non mea, nec alterius cujuspiam. Ego enim à vobis hoc exitium amoliri conatus sum : at vos mihi contradicitis, et Christum blasphematis. Vos ergo vestri estis peremptores et homicidæ.

Mundus ego.] A vestro sanguine et exitio, quia quod mei muneris erat, prædicare scilicet vobis salutem per Christum, hoc feci : at vos Christum, et consequenter salutem vestram, impugnatis : mundus enim non essem, si vobis non prædicassem. Hinc infert Chrys. *Ergo et nos rei sumus sanguinis eorum qui nobis concrediti sunt, si illos negligamus.*

Ex hoc ἀπο του νυν, id est, *ex nunc*, ex hoc tempore et momento ad Gentes vadam prædicatum, Idem dixit et fecit c. 13. 46.

Titi (cognomento) Justi.] Forte à justitia qua præcellebat, inquit Beda. Vox *Titi* jam non est in Græco, sed in Syro. Unde verisimile est olim fuisse in Græco : inde enim translata est versio Syra. Alius est hic Titus à Tito Pauli discipulo, quem Cretæ constituit Episcopum, ad eumque scripsit epist. inscriptam ad Titum. Ita Beda, Hugo et alii.

Colentis Deum.] Puta Gentilis, sed Deum verum colentis, non idola, ut cæteri Gentiles, idque vel ex institutione parentum, vel ex familiaritate cum Judæis : unde et eorum synagogæ vicina erat domus Titi. Ita Glossa et Hugo.

8. Crispus autem archisynagogus, princeps et præfectus synagogæ Judæorum Corinthi, credidit Domino] eumque solum cum Caio et Stephana, Corinthi se sua manu baptizasse scribit Paulus 1. Cor. 1. v. 14. Asscriptus est Crispus Sanctis die 4. Octobris. Miratur S. Chrys. hom. 7. de Laudibus S. Pauli, ejus virtutem et efficaciam, qua Proconsules, judices, principes Judæorum sibi infensissimorum, ad se et Christum repente convertit. *Sicut enim ignis*, inquit, *in diversas materias incidens, augetur magis, et ex subjecta sibi substantia incrementa sortitur : sic etiam lingua Pauli quibuscumque fuisset admota ad scipsum continuo tranferebat. Impugnatores quoque ejus celeriter ipsius verbo capti, pabulum quoddam spirituali huic efficiebantur igni, perque ipsos magis Evangelii fama crescebat.*

Dixit autem Dominus nocte per visionem (in somno) Paulo : Noli timere.] Poterat enim jure timere Paulus, ne propter Crispum archisynagogum à se conversum, tota synagoga Judæorum contra se insurgeret. Præclare S. August. serm. 6. de verbis Evang. secundum Matth. *Quid times hominem*, inquit, *homo, in sinu Dei positus? Tu de illius sinu noli cadere; quidquid ibi passus fueris, ad salutem valebit, non ad perniciem. Laniatus membrorum Martyres pertulerunt, et timent Christiani injurias temporum Christianorum?*

Loquere (prædica Evangelium) ne taceas.] Hæc negotio priorem affirmationem more Hebræo confirmat, et auget. q. d. Loquere palam, libere et intrepide, aperto ore, sonora voce, constanti corde. Qui enim timens loquitur, non diducit os, hæsitat, mussitat, ac verba non tam promit, quam premit; frangit magis quam pangit, ait noster Lorinus.

Propter quod, διότι, id est, *propterea quod, quia,* ego sum tecum,] ut te defendam, propugnem, animos et verba suggeram, ac te hostibus omnibus, omnique mundi et inferni potentia superiorem efficiam. Sic angelus ait Gedeoni, mittens eum contra castra numerosissima Madian : *Dominus tecum, virorum fortissime*, etc. *Vade in hac fortitudine tua, et liberabis Israel de manu Madian : scito quod miserim te*, Judic. 6. 12. et 14.

10. Et nemo apponetur tibi.] Græce υπιδήσεται, quod active verti potest, *nemo imponet*, vel *injiciet* tibi manus scilicet; nemo adorietur, vel invadet te.

Ut noceat te,] tibi? olim enim *noceo* regebat accusativum. Græce, του κακῶσαί σε, id est, *ut affligebat te.*

Quoniam populus est mihi multus.] q. d. Multi Corinthii tua prædicatione convertentur, fientque meus populus, meaque Ecclesia.

11. Sedit,] resedit, commoratus est.

12. Gallione autem proconsule.] L. Junius Gallio, Proconsul Achaiæ, fuit frater germanus L. Annæi Senecæ, præceptoris Neronis, uti testatur ipse Seneca in præfat. l. 4. Quæst. natur. qui et eidem inscripsit librum de Remediis fortuitorum, et alterum de Vita beata. Ita Baron. Hic enim Gallio fuit coævus Paulo, non alius senior, ut vult Delrio præfat. in Senecam cap. 3. Nec enim senior, puta junioris hujus Gallionis pater, legitur fuisse Proconsul Achaiæ, sed junior, sive filius. Hi enim tres fuerunt fratres, videlicet M. Annæus Novatus, L. Annæus Seneca Neronis præceptor, et L. Annæus Mela qui pater fuit Lucani poetæ. Novatus autem mox nomen mutavit et in Junii Gallionis familiam transiit, ab eo adoptatus. Vide Lipsium proœmio in Senecam cap. 2. de vita Senecæ. Quocirca ab utraque familia in Eusebii Chronico, hic Gallio cognominatur *Junius Annæus Seneca Gallio, frater Senecæ, egregius declamator.* Favet, quod Seneca epist. 104. asserat, Gallionem fratrem suum seniorem et primogenitum, quem idcirco (et quia Proconsul erat Achaiæ) Dominum suum vocat, ait Lipsius, in Achaia fuisse : sed inde ob febrim discessisse, quod diceret non corporis, sed loci esse morbum. Per Senecam autem videtur Gallio factus Proconsul. Cum enim Seneca à Messalina Augusta Claudii uxore (ut tradit Dio l. 60.) injuste damnatus exilio, post illius necem ab Agrippina, altera Claudii uxore, et Neronis matre, restitutus, ac Neroni, quem Claudius in filium adoptarat, præceptor datus esset, in ejus gratiam Achaia provincia Gallioni ejus germano est tributa. Hinc per Gallionem, cui causam suam probavit Paulus, videtur conciliata ami-

citia inter Paulum et Senecam : unde utriusque ad alterum circumferuntur litteræ; sed viris doctis merito de suppositione suspectæ, nec satis dignæ gravitate et Pauli et Senecæ, scripsisse tamen Paulum et Senecam, et vicissim ab eo accepisse litteras, testatur S. August. epistol. 54. S. Hieronym. lib. de Script. Eccles. et alii. Errant vero, qui Senecam censent fuisse Christianum : vixit enim Stoicus, et mortuus est Stoicus, ac proinde scripta ejus nil Christiani, sed Stoica dogmata continent, uti patet ex dictis cap. 17. 18. Denique moriens sanguinem suum Jovi libavit. Nimirum inflatus opinione sapientiæ, quasi primus illius ævi Philosophus, et Neronis magister, dedignatus est fieri discipulus Pauli et Christi crucifixi, alioqui Paulum Romæ videre et alloqui potuit : nam biennio ante Paulum occisus est à Nerone. Hoc est quod ait Paulus 1. Corinth. 1. 26. *Non multi sapientes*, etc., *sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus.* Hic Gallio cum fratre Seneca à Nerone damnatus, *propria se manu interfecit, mortem ejus Nerone in suam præsentiam differente*, ait Eusebius in Chron. anno Christi 66.

Porro Paulus jam egerat Corinthi sesquiannum, ait S. Chrysost. (licet aliqui ante exactum sesquiannum, tumultum hunc contigisse putent) eo exacto cum novus Proconsul in Achaiam veniret Gallio, ad ejus tribunal Paulum Judæi traxerunt, forte quod putarent Gallionem suum esse amicum et fautorem, æque ac Messalina Augusta nuper Judæis amica et familiaris Judaizarat.

QUIA CONTRA LEGEM,] tum Judæorum, quæ colit unum solum Deum incorporeum; tum Romanorum, quæ vetat sine Senatusconsulto novos inducere Deos.

PERSUADET (Paulus) HOMINIBUS COLERE DEUM.] Puta Christum hominem à nostris pontificibus crucifixum, Gallio autem judex legem Romanorum neglexit, sciens, vel interpretans illam solum Romæ locum habere, non in provinciis exteris : legem autem Judæorum, de qua proprie contendere Judæos cum Paulo Judæo suspicabatur, contempsit, aut certe ad se non pertinere censuit. Unde dixit : *Judex ego horum nolo esse.*

14. SI QUIDEM ESSET INIQUUM, etc.] q. d. Si Paulo objiceretur crimen iniquitatis, v. g. quod esset fur, homicida, seditiosus, turbator reipubl. audirem vos et judicarem : nunc autem, cum eum violatæ legis et religionis vestræ accusetis, nolo huic liti me immiscere : tum quia ego legem vestram non intelligo : tum quia ego sum judex politicus, cujus est judicare causas civiles, non Ecclesiasticas. Sic Augustus causas religionis aperto foro cognoscere noluit, ait Suetonius in ejus vita cap. 39. Ex adverso reges Ægypti, ut de iis judicare possent, creabantur pontifices, ait Dio lib. 53. Idem aliarum gentium reges factitasse tradit Aristost. 3. Polit. c. 10.

15. SI VERO QUÆSTIONES SUNT DE VERBO ET NOMINIBUS ET LEGE VESTRA.] Id est, *de verbo et nominibus legis vestræ*, uti legunt nonnulli codices. Est hendiadys. Paulus enim contendebat, Christum in re esse eumdem Deum, quem colebant Judæi : Judæi vero eum diversum et alium vocabant. Rursum Paulus asserebat, Jesum vocandum esse Messiam et Christum : negabant Judæi. Unde Gallio censebat esse quæstionem de voce et nomine. Insuper contendebat Paulus cum Judæis de legis et S. Script. sensu, an videlicet is esset de Christo, quem prædicabat Paulus; an alius, ut volebant Judæi, quare Gallio recte censuit hoc judicium esse legis Judaicæ, ab proinde ad se non pertinere. Hoc liberum Gallionis judicium consentit cum iis, quæ de indole, integritate, et adulationis odio Gallionis fratris sui, scribit Seneca initio lib. 4. Quæstionum natur.

16. ET MINAVIT.] Id est, abduxit, vel potius abduci jussit. Aliud est *minare*, aliud *minari*. Nam *Pastor ovem baculo minat, lupus ore minatur.* Græce ἀπήλασεν, id est, *depulit, abegit;* Syrus, *amandavit.*

17. PERCUTIEBANT SOSTHENEM PRINCIPEM SYNAGOGÆ.] Qui videlicet Crispo converso ad Christum v. 8. in principatu et primatu synagogæ successerat. Minus enim probabile est quod opinatur Chrys. scilicet Sosthenem eumdem esse cum Caio; fuisse enim binomium. Nam Martyrologia distinguunt faciuntque duos.

Porro Beda, Hugo, Cajet. et Carth. censent Sosthenem adhuc fuisse Judæum : itaque percussum à Græcis, ut addunt Græca, puta à ministris Proconsulis, ut juxta ejus sententiam, eum cum suis Judæis à Tribunali pugnis abigerent : aut potius percussum instigantibus Judæis per Græcos, id est Gentiles, eo quod frigidius causam eorum egisset, Pauloque favere videretur, eumque à Judæorum volentium eum occidere, manibus erupuisset. Incredibile enim est quod ait Hugo Sosthenem verberatum à Christianis; eo quod Paulo et Evangelio resisteret. Verius est Judæos, cum spe sua Paulum necandi apud Proconsulem excidissent, furorem suum evomuisse in Sosthenem, præsertim cum à proconsule audissent, *Vos videritis;* putarunt enim hac voce sibi permissam esse suæ legis vindictam. Sosthenes enim Pauli prædicatione conversus, animo erat Christianus, adeoque Paulo favit, eumque defendit : quare eum quasi causæ et legis suæ proditorem, Judæi vel per se vel per Græcos, id est Gentiles, verberant. Unde S. Paulum quoque hoc tumultu Judaico verberatum fuisse, scribit S. Chrysost. hic, et præfatione in 1. epistol. ad Corinth. Id ita esse liquet ex eo, quod Sosthenem hunc laudat, sociumque suum facit S. Paulus initio epist. 1. ad Corinth. Ad hæc Menologium Græcorum die 7. Decembris facit eum Colophonis Episcopum. Denique Martyrol. Rom. die 28. Novembr. clare hæc de eo habet : *Apud Corinthum natale S. Sosthenis discipuli B. Pauli, cujus mentionem facit idem Paulus Corinthiis scribens. Hic ex Principe synagogæ conversus ad Christum, ante Gallionem proconsulem acriter verberatus; præclaro initio fidei suæ primordia consecravit.* Vere ergo fuit Sosthenes, id est, salvator robustus, scilicet Pauli : σωζω enim est salvo, τένος est robur : robustum enim ejus (cujusvis patientis) patientiam et mansuetudinem, qua plagas acriores animis Judæorum inflixit quam ipse ab eis in corpore recipiebat, egregie laudat hic sanctus Chrysost.

ET NIHIL EORUM GALLIONI CURÆ ERAT.] Vel quod contemneret Judæos; eorumque rixas; vel quod metueret, ne, si eas dirimeret, in ipsum metiras suas verterent : alioqui non satis dignitati suæ nec Sosthenis innocentiæ, nec reipubl. quieti hac dissimulatione consuluit, uti ex officio debebat : erat enim Proconsul et præses provinciæ.

18. PAULUS VERO CUM ADHUC SUSTINUISSET (Tigurin. *commoratus esset*) DIES MULTOS,] post turbas illas Judæorum intrepide et constanter evangelizans. Aliqui hos dies includunt sesquianno, de quo v. 11. per prolepsin; ita ut universim sesquiannum tantum Corinthi egerit Paulus : S. Chrys. vero eos separat et post sesquiannum exactos hos dies censet, utrumlibet est probabile. Porro Paulum multa magna patrasse, et miracula edidisse, quæ subticet Lucas, docet idem scribens postea ad Cor. epist. 2. cap. 12. *Signa*, inquit, *apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis et prodigiis, et virtutibus. Quid est enim quod minus habuistis præ cæteris Ecclesiis?* Denique Corinthi sicut anno priore (sedit enim ibi sesquiannum) scripsit priorem epistolam ad Thessalonicenses, ita anno posteriore scripsit posteriorem ad eosdem. Ita Baron.

QUI SIBI TOTONDERAT.] Τὸ *qui*, ad Aquilam refert Isidorus l. 2. Offic. cap. de tonsura, et Baron. imo quidam codices legunt, *totonderant*, scilicet Aquila et Priscilla. Verum τὸ *qui* referre Paulum, censet S. August. epist. 19. et S. Hieron. epist. 11. quæ exstat tomo 2. epist. S. Aug. Beda et alii passim. Unde Romani codices Priscillam et Aquilam parenthesi intercipiunt, ita ut ad eos hæc tonsio pertinere nequeat.

HABEBAT ENIM VOTUM.] Quæres, quænam hæc tonsio, et quale votum? Primo, aliqui censent fuisse votum Pauli peculiare, distinctum à voto Nazaræorum (illud enim fieri et expleri debuisset Hierosolymæ) à Paulo editum Dei cultus et mortificationis studio. Secundo, alii censent fuisse votum nazaræatus, sed editum à Paulo ante conversionem in judaismo : ut enim everteret Christum et christianismum, vovisse eum se fore Nazaræum, id est, à vino abstemium et alentem comam, donec Christianam religionem exstinxisset. Sicut nostro ævo nonnulli Nobiles ex iis qui suscitarunt primos rebellionis tumultus in Belgio, jurarunt se non posituros cæsariem, donec ulti essent necem aliquot principium Belgarum, à rege Hispaniæ capite plexorum, eo quod hæreticis favisset. Verum hoc votum, æque ac juramentum, est impium, et consequenter ejus executio in Paulo fuisset impia : illa enim professus fuisset, se votum illud Judaicum probare, esseque Judæum et Judaismi vindicem, ac per votum hoc Deo supplicare, ut christianismum everteret.

Dico ergo, votum hoc Pauli fuisse votum nazaræatus, quod scilicet abstineret vino, et aleret comam, non tota vita, sed ad certum tempus à se præfinitum, de quo dixi Numer. 6. Probatur. Primo, quia hoc erat commune et ordinarium votum apud Judæos, adeoque antonomastice vocabatur Votum : perinde ac apud Christianos est votum religionis, cujus nazaræatus erat typus et præludium : quare cum nominabant votum, intelligebant nazaræatum. Secundo, quia votum Nazaræorum proprie consistebat in coma capitis, ut eam alerent, et finito voto tonderent. Tertio quia ideo navigavit Paulus in Syriam, ut scilicet Hierosolymis illud expleret. Dat enim causam Lucas, cur Paulus navigarit in Syriam, quia scilicet totonderat sibi caput, id est, obstrinxerat se voto nazaræatus, quod expleri debebat in templo Hierosolymitano. Quarto, quia præcise tonsionem capitis vovere leviculum est, et indignum religione voti, præsertim Paulini : ergo hæc tonsio erat annexa nazaræatui. Quinto quia votum hoc nazaræatus, vel simile, explevit Paulus in templo cap. 21. 24. Ex quo loco magna lux huic versiculo affulget. Ibi enim S. Jacobus dicit S. Paulo : *Audierunt de te* (Judæo-Christiani) *quia discessionem doceas à Moyse eorum, dicens non debere eos circumcidere filios suos neque secundum consuetudinem ingredi*, etc. *Hoc ergo fac quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor, votum* (Nazaræatus) *habentes super se. His assumptis sanctificata te cum illis, et impende in illis ut radant capita : et scient omnes, quia quæ de te audierunt falsa sunt; sed ambulas et ipse custodiens legem.* Idipsum jam ante viderat et præviderat Paulus. Itaque ut Judæos et Judæo-Christianos sibi, quasi vetanti legalia servari, offensos reconciliaret, ac ne eos, quos à judaismo ad christianismum convertebat, scandalizaret, utpote qui Judaismo assueti, tam cito eum deponere non poterant, multo minus ejus abolitionem audire, fecit votum Judaicum, ac ut Nazaræus comatus incessit, et abstemius vixit. Nazaræi enim summe erant legis Mosaicæ observantes, in eaque erant id quod apud nos sunt Monachi et Religiosi. Unde vocabantur *corban*, id est, Dei donum; eo quod seipsos Deo dicassent et donassent, teste Josepho lib. 4. Antiq. c. 4. Nazaræatus autem consistebat in abstinendo à vino, et alenda coma : in hac enim erat sanctitas rudis illius sæculi. Quod si illa contaminaretur per funus aliquod, aut contactum morticini, debebat Nazaræus tondere comam quasi pollutam, et de novo nazaræatus sui tempus inchoare, quod quia sæpe contingebat, hinc ille, illiusque votum subinde per plures annos protrahebatur. Expleto autem voto, debebat adire templum, tondere comam, Deoque sacrificia lege Numer. 5. statuta offerre. Videtur ergo quod Paulus habens votum nazaræatus, ideoque alens comam, funere aliquo fuerit pollutus, ideoque juxta legem totondit comam, ut rursum nazaræatum inchoaret, et comam aleret, usque ad voti sui expletionem, tunc eam positurus Hierosolymis in templo, quod fecit vers. 22. ut ibi dicam, aut certe cap. 21. 24. Ita Baron. Cajetan. Sanchez et alii.

Dices, Nazaræus si pollueretur super mortuo, tonderi debebat, et simul offerre victimas expiatorias, ut præscribitur Numer. 6. 9. Paulus autem nullas victimas hic obtulit, nec offerre potuit utpote quæ solum in templo Hierosolymis offerri poterant et debebant. Resp. Victimas hasce offerre debebant illi, qui erant Hierosolymæ, eique vicini : remoti enim ab ea, uti erat Paulus, id facere non poterant, nemo enim tenetur ad impossibile, unde hi solum tondebant caput. Porro id fecit Paulus Corinthi, quia ibi erat Judæorum multitudo; ut eis ostenderet se legem non aspernari, sed venerari et colere. Hinc patet Paulum vino et sicera, id est, omni eo quod inebriare potest, abstinuisse; hoc enim faciebant Nazaræi. Ecce sobrietatem Pauli in tantis laboribus, ecce charitatem, qua omnibus omnia fit, Judæis Judæus, Gentilibus Gentilis, ut omnes lucrifaciat.

IN CENCHRIS.] *Cenchreæ*, vel Cenchreæ est navale, ait Strabo l. 8. et portus Corinthi ad Orientem, cui vicinus est alter dictus *Lecheæ*. Ab his duobus portubus Græci Corinthum vocant bimarem, et amphithalassum, uti dixi in præfat. epist. ad Corinth.

19. Devenitque Ephesum.] Ephesus erat metropolis Asiæ Minoris, in qua erat nobile Dianæ templum, de quo cap. 19. ac oratorum et philosophorum multitudo : quare Apollonius Tyanæus celebris philosophus, vel potius magus, Ephesi resedit. Ejus Episcopum Paulus postea constituit Timotheum, cui successit Onesimus. Ephesi quoque frequentius morabatur S. Joannes Apostolus cum B. Virgine ejus curæ à Christo concredita, dum totius Asiæ fundaret et gubernaret Ecclesias, uti asserunt Patres Concil. Ephesini c. 27. ad Cler. Constant. unde et Ephesi mortuus est.

Illos (Aquilam et Priscillam) ibi reliquit,] ut Ephesios fide Christi imbuerunt.

21. Dicens.] Græca addunt : *Oportet omnino festum quod instat, me agere Hierosolymis.* Ita quoque legit S. Chrys. OEcum. Cajetan. Vatabl. et alii passim.

Revertar ad vos Deo volente.] Hoc exemplo Pauli et S. Jacobi c. 4. 13. usurpant pii Christiani, ut cum aliquid se facturos dicunt, addant, *Deo volente*, vel, *si Deus voluerit.* Credunt enim, sperantque se suaque omnia regi à Deo, quo præeunte omnia succedunt prospere, juxta illud Nazianz. in Distichis.

> Deo annuente nihil potest livor.
> Deo abnuente nihil potest labor.

22. Et descendens Cæsaream.] Cappadociæ, inquiunt Raban. Beda, Lyran. Gagneius et alii, quia necdum in Syriam pervenerat Paulus, Cajetan. vero, Baron. Arias et alii intelligunt Cæraream Palestinæ. Censent enim eo venisse Paulum : indeque perrexisse Hierosolymam, ibique salutasse Ecclesiam, puta Hierosolymitanam, quasi matricem, utpote è qua cæteræ prognatæ erant. Id exigunt verba Græca paulo ante citata, itemque profectio Pauli in Syriam, et votum nazaræatus, de quo vers. 18. hoc enim explendum erat Hierosolymæ in templo. Quod si verum est, hæc est tertia (licet aliqui quartam velint) Pauli post conversionem profectio in Jerusalem. Multa enim brevitatis studio subticet, vel prætervolat Lucas. Nam prima fuit post triennium à conversione sua, Actor. 9. 26. et Galat. 1. 18. puta anno Christi 39. Secunda post 14. annos, puta anno Christi 51. tunc enim ob quæstionem legalium adiit Apostolos, interfuitque Concilio Hierosolymitano, Actor. 15. Tertia est hic. Quartam audiemus c. 21. 17. Porro Paulus salutans Ecclesiam, imprimis salutavit B. Virginem Deiparam, Ecclesiæ matrem et principem, consilia sua cum ea communicans, eamque vicissim in dubiis consulens, ac poscens ejus opem et præces apud filium in tantis suis laboribus, difficultatibus et persecutionibus, uti par est credere. Vide dicta caput 1. 14. et caput 20. 22.

Et descendit Antiochiam.] Pisidiæ, utpote vicinam Cæsareæ Cappadociæ, aiunt Beda et auctores prioris sententiæ jam citati, qui per Cæsaream acceperunt eam quæ est Cappadociæ. At vero Chrys. Baron. et alii passim accipiunt Antiochiam Syriæ. Hæc enim absolute vocatur *Antiochia*, utpote caput Syriæ; reliquæ vero cum addito, ut *Antiochia Pisidiæ.* Amabat Paulus, inquit Chrysost., Antiochiam, utpote ubi creatus erat Apostolus Gentium, imo ubi primum iis prædicarat tanto fructu, ut ibi primum discipuli cognominati sint Christiani.

23. Perambulans ex ordine Galaticam regionem et Phrygiam.] Vide Apostolum instar fulguris celerrime per Asiæ regiones discurentem. Vere S. Chrys. hom. 8. de laudibus S. Pauli : *Sol quidam,* ait, *est hominibus Paulus qui totum prorsus orbem fulgentibus linguæ suæ radiis illuminavit, quique universas circumeundo gentes, cursum omnino solis imitatus est, ac mundi regiones omnes quasi libero à corpore animo pervolavit; et hoc cum amara ei vulnera crebrius obviarent :* ac mox confert et præfert eum Patriarchis, Prophetis, Angelis et Archangelis. Porro Galatæ Paulum quasi angelum de cœlo lapsum susceperunt, uti testatur Paulus ad eosdem scribens caput 4. 14.

24. Apollo.] Quidam apud OEcum. censet hunc esse Apellem, Pauli discipulum et ab eo creatum Episcopum Corinthi, de quo idem scribit ad Roman. 16. v. 10. *Salutate Apellem probum in Domino.* Verum alii passim distinguunt *Apollo* ab Apelle. Hic est Apollo de quo Apostolus ait; *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit.* 1. Corinth. 3. v. 6. Asscriptus est Sanctis in Martyrol. die 22. Aprilis. Porro *Apollo* græce Ἀπολλώς, est nomen indeclinabile, ac proinde diversum ab Apolline Gentium Deo.

Vir eloquens,] λόγιος Vatabl. vertit, *eruditus;* alii *prudens;* alii, *disertus;* alii, *historiæ et antiquitatis peritus.* Hæc enim omnia significat λόγιος.

Potens in Scripturis.] Puta versatus et efficax in iis citandis, explicandis, urgendis ad revincendos adversarios. Putant aliqui quod Apollo Alexandriæ (erat enim ipse Alexandrinus) in schola S. Marci inter Essæos eruditus fuerit, et exercitatus in sacris Litteris. Verum obstat id quod sequitur, *Sciens tantum baptisma Joannis.* Vatabl. vertit, *Hic erat doctissimus librorum veteris Testamenti.* Unde *Apollo* idem est quod vibrans radios, ait Pagnin. in Interpr. nom. Hebr. aut perdens et exterminans, ut sit idem quod *Apollyon* Apoc. 9. 11. Nam sua doctrina vehementer Judæos revincebat v. 28. et Judaismum exterminabat.

25. Hic erat edoctus,] κατηχημένος, id est, *catechizatus, institutus ut catechumenus, initiatus, doctus primordia fidei Christianæ :* nam necdum erat baptizatus baptismo Christi, sed tantum Joannis Baptistæ, ut sequitur, ac proinde necdum erat Christianus.

Fervens spiritu.] Unde videtur, quod ante baptismum per actum contritionis et charitatis fuerit justificatus. Ita Chrysost.

Docebat ea quæ sunt Jesu,] scilicet Jesum crucifixum esse Messiam, sive Christum à Prophetis promissum, ex illis ipsis ostendebat.

Sciens tantum baptisma Joannis.] Cujus professio et quasi forma erat, ut crederent in venturum Jesum, de quo cap. 19. v. 1. et 4. Forte olim baptismo Joannis erat baptizatus; in eoque audierat Jesum esse Christum; ac deinde rarius viderat vel audierat Christianos, ut baptismum Christi, aliaque ejus mysteria ignoraret : unde ea didicit ab Aquila moxque Christi baptismum suscepit.

26. Hic ergo cœpit fiducialiter agere in synagoga.] q. d. Libere et intrepide cœpit Judæis prædicare Jesum Christum.

Assumpserunt eum,] in domum suam plenius in Christiana fide erudiendum. Notat Chrys. laudatque sinceram fidem et charitatem Aquilæ

et Priscillæ, utpote qui non suam, sed Christi gloriam quæsiverunt, ideoque Apollo instruxerunt, ut ille eloquens et potens in Scripturis, melius et efficacius prædicaret Christum. *Sicut*, inquit Chrys. *in cithara varias quidem habes voces, unam autem harmoniam; et unus musicus est qui citharam in manum sumit : sic hoc in loco cithara quidem est charitas ipsa; voces, loquentes verba quæ ad charitatem conciliandam pertinent; omnes in unam suavem conspirant consonantiam. Musicus vero est charitatis vis, illa dulcem melodiam pulsando affert. Hæc melodia et Deum et angelos lætificat. Hæc totum in cælo spectaculum excitat : hæc et dæmonum furorem compescit, et affectionem demulcet impetus, imo eis silentium inducit : sicut musico choro personante omnes auditores, quantumvis garruli et turbidi, silent et auscultant. Nihil sic facit amicum, ut anima gratitudinis studiosa, os bene loqui solens, anima sine fastu contemptus vanæ gloriæ, contemptus honoris.*

Et diligentius exposuerunt ei in viam Domini,] puta institutum christianismi à Deo sancitum. Nota hic humilitatem et docilitatem Apollo, qui vir eloquens potensque in Scripturis, erudiri se sinit ab Aquila et Priscilla. Cicero in Catone Majore laudat hanc Solonis sententiam. *Quotidie addiscens plurima, fio senex.* Tale est et illud Salvii Juliani Jurisconsulti : *Etsi alterum pedem in sepulchro haberem, adhuc addiscere vellem.* Diogenes Cynicus ab Anthistene baculo repulsus : *Cæde*, ait, *si vis, at nullum invenies baculum tam durum quo me abs te abigas, dum aliquid dixeris.* Ita Laertius libr. 6. cap. 2. Zeno oraculum consulens, *quo pacto optime vitam institueret*, audivit : *Si mortuis concolor fieret.* Ille sentiens se vocari ad veterum lectionem, contulit se ad philosophiam : nam studium ac victus parsimonia maciem, et pallorem homini conciliat. Ita Laertius lib. 7. cap. 1. Ita S. Hieronymus natu grandior adiit Constantinopolim, ut S. Gregorium Nazianz. audiret, eoque præceptore sæpe gloriatur. Ita S. Augustinus, sua dubia in Scripturis proposuit S. Hieronymo ut ab eo docceretur. Idem fecit S. Damasus Pontifex.

Exhortati fratres,] προτρεψαμενοι. Syrus *prævenerunt eum fratres*, exhortando scilicet eum, ut pergeret in Achaiam, puta Corinthum, ac fideles tua sapientia et facundia in fide et pietate confirmaret. Noster recte vertit, *exhortati* : nam λογος προτρεπτικος vocatur oratio exhortatoria.

Contulit multum iis qui crediderant.] Græca addunt, δια της χαριτος, id est, *per gratiam* verbi, spiritus ac fervoris sibi à Deo aspiratam.

28. Vehementer,] ἐυτονως, id est, *acriter*, *magna contentione*, *nervose et efficaciter.*

Esse Christum Jesum] quod Jesus esset Christus. Est anastrophe.

CAPUT DECIMUMNONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Paulus redit Ephesum : ibi duodecim circiter discipulos Joannis baptizat et confirmat. Secundo, vers. 7. in synagoga tres menses, mox in schola tyranni per biennium prædicat, et dicta sua miraculis confirmat, adeo ut solis sudariis suis, ægros sanet, et dæmones pellat, quod dum imitari teneant Judæi Scevæ, filii invaduntur a dæmone : quare multi magiam damnant, et magicos libros comburunt. Tertio, vers. 23. Demetrius argentarius Dianæ tumultum concitat contra Paulum, quem sedat scriba.

1. Factum est autem, cum Apollo esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, et inveniret quosdam discipulos : 2. dixitque ad eos : Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum : Sed neque si Spiritus sanctus est, audivimus. 3. Ille vero ait : In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt : In Joannis baptismate. 4. Dixit autem Paulus : Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens : In eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Jesum. 5. His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu. 6. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant. 7. Erant autem omnes viri fere duodecim. 8. Introgressus autem synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans, et suadens de regno Dei. 9. Cum autem quidam indurarentur, et non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine : discedens ab eis, segregavit discipulos, quotidie disputans in schola tyranni cujusdam. 10. Hoc autem factum est per biennium, ita ut omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini Judæi atque Gentiles. 11. Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli : 12. ita ut etiam super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria, et semicincta, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur. 13. Tentaverunt autem quidam et de circumeuntibus Judæis exorcistis, invocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Jesu, dicentes : Adjuro vos per

Jesum, quem Paulus prædicat. 14. Erant autem quidam Judæi Scevæ principis sacerdotum septem filii, qui hoc faciebant. 15. Respondens autem spiritus nequam dixit eis: Jesum novi, et Paulum scio: vos autem qui estis? 16. Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium pessimum, et dominatus amborum, invaluit contra eos, ita ut nudi et vulnerati effugerent de domo illa. 17. Hoc autem notum factum est omnibus Judæis, atque Gentilibus, qui habitabant Ephesi: et cecidit timor super omnes illos, et magnificabatur nomen Domini Jesu. 18. Multique credentium veniebant, confitentes et annuntiantes actus suos. 19. Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus: et computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. 20. Ita fortiter crescebat verbum Dei, et confirmabatur. 21. His autem expletis, proposuit Paulus in spiritu, transita Macedonia et Achaia ire Hierosolymam, dicens: Quoniam postquam fuero ibi, oportet me et Romam videre. 22. Mittens autem in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi, Timotheum et Erastum, ipse remansit ad tempus in Asia. 23. Facta est autem illo tempore turbatio non minima de via Domini. 24. Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum. 25. Quos convocans, et eos qui hujusmodi erant opifices, dixit: Viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio: 26. et videtis, et auditis quia non solum Ephesi, sed pene totius Asiæ, Paulus hic suadens avertit multam turbam, dicens: Quoniam non sunt dii, qui manibus fiunt. 27. Non solum autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, sed et magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, sed et destrui incipiet majestas ejus, quam toto Asia et orbis colit. 28. His auditis, repleti sunt ira, et exclamaverunt dicentes: magna Diana Ephesiorum. 29. Et impleta est civitas confusione, et impetum fecerunt uno animo in theatrum, rapto Caio et Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli. 30. Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli. 31. Quidam autem et de Asiæ principibus, qui erant amici ejus, miserunt ad eum, rogantes ne se daret in theatrum. 32. Alii autem aliud clamabant. Erat enim Ecclesia confusa: et plures nesciebant qua ex causa convenissent. 33. De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Judæis. Alexander autem manu silentio postulato, volebat reddere rationem populo. 34. Quem ut cognoverunt Judæum esse, vox facta una est omnium, quasi per horas duas clamantium: Magna Diana Ephesiorum. 35. Et cum sedasset scriba turbas, dixit: Viri Ephesii, quis enim est hominum, qui nesciat Ephesiorum civitatem cultricem esse magnæ Dianæ Jovisque prolis? 36. Cum ergo his contradici non possit, oportet vos sedatos esse, et nihil temere agere. 37. Adduxistis enim homines istos, neque sacrilegos, neque blasphemantes deam vestram. 38. Quod si Demetrius, et qui cum eo sunt artifices, habent adversus aliquem causam, conventus forenses aguntur, et proconsules sunt, accusent invicem. 39. Si quid autem alterius rei quæritis, in legitima Ecclesia poterit absolvi. 40. Nam et periclitamur argui seditionis hodiernæ: cum nullus obnoxius sit (de quo possimus reddere rationem) concursus istius. Et cum hæc dixisset, dimisit Ecclesiam.

1. PERAGRATIS SUPERIORIBUS PARTIBUS.] Galatia et Phrygia, postquam Hierosolymis redisset Antiochiam, de quo cap. præced. v. 23.

QUOSDAM DISCIPULOS.] Opinatur Cajet. hosce fuisse conversos, et baptizatos baptismo Joannis ab Apollo. Hic enim ante Paulum fuerat Ephesi, solumque sciebat baptisma Joannis, cap. præced. v. 24. et 25. Sed obstat, quod Ephesi Apollo instructus fuerit plenius de Christo, et Christi baptismo ab Aquila c. 18. v. 26. quare si hi fuissent ejus discipuli, utique ipse eos plenius de Christo instruxisset, et baptismo Christi baptizari curasset. Adde, baptismum Joannis durasse tantum usque ad Christum: ad illum enim ducebat et tendebat, ideoque à solo Joanne collatus est, non à discipulis, vel posteris ejus, uti docet S. August. tract. 5. in Joannem, et S. Cyrill. in Joan. lib. 2. c. 57. et sat colligitur Joan. 1. 33. et c. 3. 23.

Dico ergo, hos ante annos viginti, ab ipso Joanne Baptista fuisse baptizatos in Judæa. Dum enim ex Asia Hierosolymam de more ad diem festum ascendissent, audientes prædicationem Joannis, ejus baptismum susceperunt, ab eoque didicerunt, credendum esse in Christum mox venturum, mox in Asiam domum redeuntes, nihil amplius de rebus in Judæa à Joanne et Christo gestis audierant: quare ea hic audiunt à Paulo. Ita Chrysost. et alii mox citandi.

SI SPIRITUM SANCTUM ACCEPISTIS.] q. d. Estisne confirmati Sacramento Confirmationis? in eo enim primitus visibiliter dabatur Spiritus sanctus, uti dixi cap. 8. Quia enim dicebant se esse discipulos Christi, ad quem missi erant à Joanne, putabat Paulus eos baptizatos esse baptismo Christi; sed dubitabat an essent confirmati, eo eo quod Ephesi nullus fuisset Episcopus, cujus solius est conferre Sacramentum Confirmationis. Unde addit:

CREDENTES.] Græce πιστεύσαντες, id est *postquam credidistis*, et consequenter baptizati estis. Ita Pagnin. Tigur. et alii.

SED NEQUE SI SPIRITUS SANCTUS EST, AUDIVIMUS.] Hinc patet baptismum Joannis diversum fuisse à baptismo Christi, uti contra Calvinum, et hæreticos definit Concil. Trident. sess. 7. cap. 1. de baptismo. Baptismus enim Christi confertur invocatione S. Trinitatis, dicendo : *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti.* Joannis vero in nomine Christi venturi dumtaxat, ut patebit v. 4. ideoque hi non audierant nomen Spiritus sancti. Vide Bellarm. tract. de baptismo c. 19. et 21. Perperam ergo S. Cyprian. epist. 73. ad Jubaianum ex horum rebaptizatione sumpsit argumentum de rebaptizandis hæreticis : quem errorem *passionis falce purgavit* ait S. Aug. epist. 48. Pejus fingunt Centuriatores lib. 2. cap. 4. tit. de baptismo, et Kemnitius in Exam. Concil. Trid. cap. de baptismo, Joannem Baptistam baptizasse in nomine S. Trinitatis : hos vero non recepisse verum Joannis baptisma ; sed mutilum et vitiatum. Nam ipsi diserte asserunt se baptizatos baptismate Joannis, nec Paulus de ejus veritate dubitat, quin potius verum fuisse præsupponit. Sed addit Joannis baptismum fuisse tantum symbolum pœnitentiæ, ideoque insufficientem ad remissionem peccatorum : eam enim solum præstare Christum in suo baptismo.

3. IN QUO,] εἰς τι, id est, *in quid*, id est, in quo, scilicet baptismate : respondent enim, *in Johannis baptismate :* sæpe enim εἰς sumitur pro ἐν. Alioqui proprie *in quid*, id est, in quem, puta cujus nomine invocato, *baptizati estis?* Imperite et inepte Beza et Bucerus hic, baptismum interpretantur doctrinam Joannis à baptismo seclusam, q. d. In quo baptizati estis, id est, cujus doctrinam edocti estis, à quo instituti estis ? respondent illi, *In Joannis baptismate*, id est, in Joannis schola et disciplina eruditi sumus, non tamen ab eo baptizati. Id faciunt, quia censent baptismum Joannis fuisse eumdem cum baptismo Christi. Ne ergo Paulum, qui eos baptizari curavit baptismo Christi, faciant Anabaptistam, dicunt eos non fuisse baptizatos baptismo Joannis, sive Christi, ut ipsi opinantur. Ubi vide quis spiritus agat hæreticos, videlicet invidi Luciferi, qui eos excæcat et in vertiginem agit. Ut enim Christum, ejusque Sacramenta extenuent, confundunt ea cum veteribus et S. Joannis, imo hæc illis adæquant et identificant.

Verum nusquam in Script. vel Patribus doctrina vocatur *baptismus :* aliud enim est docere, aliud baptizare. Quis unquam baptizari baptismo, censuit idem esse quod doceri doctrinam? Secundo, proprie hic baptismum accipi, patet ex sequentibus : *Dixit autem Paulus : Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum.* Rursum : *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu ;* ubi clarum est proprie baptismum accipi pro ablutione sacramentali, non pro doctrina. Ergo et paulo ante, cum ait eos baptizatos baptismo Joannis, proprie baptismum accipit. Opponit enim baptismum Christi baptismo Joannis, et baptizatos baptismo Joannis jubet baptizari baptismo Christi. Ergo clarum est, baptismum Joannis fuisse alium à baptismo Christi, eoque longe inferiorem, nisi Paulum velimus facere Anabaptistam. Tertio, ita docent et explicant S. Chrysost. hic, S. Aug. lib. de Unico baptismo cap. 7. S. Hieron. in c. 2. Joelis, Tertullianus libr. de Baptismo c. 10. Origen. tomo 8. in Joannem, et alii passim : Quarto, quia Græce est μὲν, quod expressam, vel tacitam exigit antithesin. Unde post se poscit δὲ. q. d. Joannes quidem baptizavit baptismo pœnitentiæ, Christus vero baptizat baptismo remissionis peccatorum justitiæ et salutis. Perperam enim Beza τὸ μὲν refert ad δὲ, quod habetur vers. 5. in Græco, ubi dicitur : ἀκούσαντες δὲ, id est, *audientes vero baptizati sunt.* Nam Pauli oratio imperfecta expleri nequit per historiam rei gestæ per alios, puta baptizatos, sed ejusdem Pauli oratione tacita suppleri debet : alioqui dicendum est τὸ μὲν esse enclyticum, et redundare, uti redundat cap. 1. 1. et alibi. Vide Bellarm. de baptismo cap. 22. ubi alia aliorum effugia confutat.

4. JOANNES BAPTIZAVIT BAPTISMO PŒNITENTIÆ.] Id est, baptismo, qui erat symbolum, excitatio et protestatio pœnitentiæ, ad remissionem peccatorum baptismo Christi recipiendam. Vide dicta c. 1. 5. Hinc sequitur, infantes et pueros rationis et pœnitentiæ impotes non fuisse baptizatos baptismo Joannis ; sed solos adultos, utpote rationis et pœnitentiæ capaces. Ita Suarez et alii passim. Secus est de baptismo Christi, qui confertur parvulis ad remissionem peccati originalis.

DICENS : IN EUM QUI VENTURUS ESSET POST IPSUM, UT CREDERENT.] Hinc colligunt S. Hieron. in Joelis cap. 2. D. Thom. Magister Sentent. Bonavent. Palatius et alii in 4. dist. 2. hanc fuisse formulam baptismi Joannis : *Ego te baptizo, in eum qui venturus est ut credas, hoc est, in Jesum Christum*, quem vobis mox ostendam. Christum vero baptizans dixit : *Ego te baptizo, in nomine tuo, qui venturus es*, ait Palatius. Ubi adverte, hanc formulam esse exhortatoriam, ideoque non proprie fuisse formam Sacramenti (hoc enim est proprium Sacramentis legis novæ, quæ quia perfecta sunt, coalescunt ex materia et forma) sed instar formæ. Erat enim proprie exhortatio ad pœnitentiam et fidem in Christum. Ita docet Durandus, Gabriel, Sotus, et ex iis Franc. Suarez 3. part. quæst. 38. disput. 25. sectione 1. Nota *τὸ qui venturus est*, est periphrasis Messiæ sive Christi, ut dixi Genes. 49. 12. Unde Græca et Syra addunt : *Hoc est, in Jesum Christum.*

5. HIS AUDITIS BAPTIZATI SUNT.] Beza contendit hæc esse verba non Lucæ, sed Pauli : ejus enim narrationem cœptam v. præcedenti hic expleri. q. d. Paulus, Multi è populo auditis verbis Joannis, ab eo baptizati sunt in nomine Christi. Verum hæc esse verba non Pauli, sed Lucæ, plane exposcit tota rei gestæ series, quæ historica est narratio, quod scilicet hi duodecim Ephesii baptizati baptismo Joannis, audientes à Paulo baptismum Joannis esse insufficientem, et complendum per baptismum Christi, eodem mox baptizati sint. Idem evincunt sequentia vers. 6. *Et cum imposuisset illis manus, venit Spiritus sanctus super eos.* q. d. Baptizati sunt, et mox à Paulo confirmati receperunt Spiritum sanctum : alioqui enim nulla erit horum versuum connexio, sed erunt scopæ dissolutæ, et *arena sine calce*, ut dicebat Caius Imp. de scriptis et sententiis Senecæ, teste Lipsio in ejus proœmio.

6. ET CUM IMPOSUISSET ILLIS MANUS, impertiendo eis Sacramentum Confirmationis, VENIT, in visibili ignis, vel linguarum specie, SPIRITUS SANCTUS SUPER EOS. Unde et LOQUEBANTUR LINGUIS ; ET PROPHETABANT,] vel proprie futura prædicendo,

vel improprie celebrando magnalia Dei. Hi enim erant effectus Sacramenti Confirmationis, non baptismi, uti ostendi cap. 2. 4. et cap. 8. 17.

8. De regno Dei.] Puta de regno cœlorum, deque modis et viis quibus ad illud tendere debemus, uti dixi c. 1. 3. nimirum per fidem, obedientiam et cultum Christi crucifixi.

9. Cum autem quidam, Judæi (erant enim è synagoga, in qua prædicabat Paulus,) non crederent.] Syrus *excandescerent.*

Maledicentes viam Domini,] conviciantes institutum christianismi, Christumque crucifixerunt blasphemantes. *Hinc discimus*, ait Chrysost. *Quod non debemus non immiscere maledicentibus, sed ab eis discedere. Cum malediceretur, non maledixit etiam ipse, sed potius quotidie disputabat : et ob hanc causam potissimum sibi familiares faciebat, quod quamvis male audiret, non tamen recederet, neque resiliret.*

Disputans in schola tyranni cujusdam.] Syrus, Dionys. Arias et Mariana censent, *tyrannus* esse nomen proprium viri sic appellati; imo Arias censet nomen *tyranni* mutatis punctis idem esse quod Tyrni, vel Turni. Sic Tyrannio dictus est Grammaticus ille, quem laudat Strabo libr. 13. Forte hic est ille Tyrannus Sophista, quem scribit Suidas libros decem edidisse de Statu et divisione orationis. Ita Baron. Alii *tyranni* nomen accipiunt ut appellativum, pro principe, primate aut viro potente : unde et in Romanis Bibliis scribitur per minusculum. Ita Lyran. Cajetan. Vatabl. Gagneius et alii; quasi studio hunc locum viri potentis elegerit Paulus, ut eis eum sua potentia contra Judæorum audaciam tueretur, unde et biennium ibidem resedit et docuit. Forte erat ex stirpe Androchi quem Strabo lib. 14. asserit fuisse Codri Athenarum regis filium, Ephesumque condidisse, eamque fecisse regiam Jonum, additque : *Etiamnum omnes ex hoc genere reges vocantur, et quibusdam regiis fruuntur honoribus, ut qui primo loco sedeant in et spectaculis, purpuram habeant, scipionem quoque pro sceptro.* Tunc *schola* pro aula, vel porticu, inquam otii causa hic tyrannus, id est vir potens, secedere solebat, accipi debet : σχολάζω enim idem est quod otior, requiesco, ferior, immoror : unde σχολή est otium, vocatio, cessatio, mora, secessus : unde ludus litterarius vocatur *schola*, eo quod litteræ otium poscant. Studiosi enim et scholares cæteris rebus omissis, toti debent vacare liberalibus studiis. Vide Brissonium lib. 17. de Verborum signific.

10. Hoc autem factum est per biennium.] Adde tres menses, quod Paulus prædicando exegit in synagoga v. 7. habebis duos annos expletos, et tertium inchoatum per tres menses. Unde cap. 20. 31. ait Paulus, se Ephesi tres annos resedisse, scilicet incomplete, quia tertium dumtaxat inchoavit. Porro Paulus venit Ephesum anno Christi 55. Claudii 13. inde recessit anno Christi 57. Neronis 1. post Pentecosten. Hoc enim scribit Corinthiis epist. 1. c. 16. 8. *Permanebo*, inquit, *Ephesi usque ad Pentecosten.* Ita Baron. qui et recte advertit, Paulum hoc biennio non semper hæsisse Ephesi, sed et excurrisse ad Alias Asiæ civitates, iis evangelizando. Causa, cur tamdiu Ephesi hæserit Paulus, fuit civitatis frequentia, idololatria, philosophia, magia. Erat enim Ephesus Asiæ metropolis, in eaque Dianæ templum celeberrimum : hanc ergo idololatriæ arcem expugnandam suscipit Paulus, ut ea subacta, facile reliqua omnia expugnet. Ephesi enim scholam magiæ instituit sub hoc tempus Apollonius Tyanæus impostor, Christi Paulique hostis. Hanc causam dat Paulus Epheso scribens ad Corinth. epist. 1. cap. 16. 8. *Permanebo*, inquit : *Ephesi : Ostium enim mihi apertum est magnum et evidens, et adversarii multi.* Hac etiam de causa scribens postea ad Ephesios, stylum attolit, profunde loquitur, sublimia speculatur, ut ostendat se profunditate sapientiæ non cedere, sed superare magos et philosophos, uti dixi proœmio in epistolam ad Ephesios. Quocirca Haymo ibidem : *Sicut cor*, inquit, *in medio ventris, ita ista in medio corpore epistolarum consistit.*

Omnes,] plerique omnes, plurimi.

In Asia,] minore : undequaque enim ex Asia hac confluebant Ephesum, tum ob orbis, tum ob templi Dianæ celebritatem. Hinc recte docet Baron. anno Christi. 97. Ephesinam Ecclesiam primitus non à S. Johanne, dum is cum cæteris fidelibus jussus abire Hierosolymis, una cum Dei genitrice venit Ephesum; sed à Paulo fuisse fundatam; hoc enim moris sui fuisse scribit Paulus Roman. 15. v. 20. Unde et S. Ignatius scribens ad Ephesios, Paulum Johanni in ædificatione Ephesinæ Ecclesiæ præponit. Et Epiphan. hæres. 51. ait, S. Johannem in senectute curasse Asianam Ecclesiam : ergo post Paulum.

11. Virtutesque non quaslibet,] non vulgares, sed maximas, ait Syrus, puta miracula grandia.

12. Semisinctia.] Quidam putant esse idem cum sudariis, aut eorum speciem; unde ait Lucas, *sudaria, vel semicinctia.* OEcum. autem *sudaria* censet fuisse vittas capitis, *semicinctia* vero strophiola, quæ nos *sudaria* vocamus, quod iis sudorem abstergamus. Alii *semicinctium* interpretatur velamen lineum, vel pelliceum, quo opifices pectus et femora præcingunt, ne operando vestes commaculent, erat enim Paulus opifex et scenopegus. Dicuntur *semicinctia*, quia non totum corpus, sed dimidium cingunt et velant. Ita Salmeron et Lorinus. Denique apposite per *semicinctia* accipies breviora vel arctiora cingula, aut zonæ sive singuli partes, q. d. semizonas, semicingula. Unde Isidorus l. 19. *Cinctus*, ait, *est lata zona, et minus lata semicinctium, et utrisque minima cingulum.* Sic Nicephorus Episcopus Constantinopol. inter alias vestes sacerdotales, quas mittit Leoni III. Pontifici nominat *semicinctia*, id est cingula, *auro variegata*, uti patet in Actis Concilii Ephesini cap. 22. Et Petronius, dum quemdam se suspendere parantem describit, asserit eum ad hoc parasse semicinctia, id est cingula. Quocirca Martialis in Apophoreto 153. cujus titulus est *semicinctium*, illud ita describit :

> Det tunicam locuples, ego te præcingere possum.
> Essem si dives, munus utrumque darem.

Hæc et plura Sanchez. Accedit Nicephor. l. 2. cap. 24. qui semicinctia interpretatur fascias tenues. Nota. In textu Græco sunt Latinæ voces, *sudaria* et *semicinctia*, quia multæ similes ex lingua Romana (utpote dominantibus in Græcia Romanis) in Græcam Apostolorum ætate transierant, ut *libertini*, Actor. 6. *Prætorium.* Matth. 27. *Custodia*, ibidem; *Niger, Euroaquilo, centurio, titulus.* Joan. 19. *Denarius, quadrans, legio, spiculator, linteum, colonia, flagellum*, Joan. 2. *Membrana, census.* Matth. 17. *Perperam.* 1. Co-

rinth. 13. *Artemon, sicarii.* Actor. 22. Ita Mariana.

Recedebant ab eis languores.] S. Chrys. hæc theorice exaggerans hom. 8. in epist. ad Rom. et hom. 6. in epist. 1. ad Corinth. addit umbra Pauli revixisse mortuos. Hinc patet antiquus usus, vis et energia sanctarum reliquiarum, nec tantum corpora Sanctorum, sed et sudaria, vestes aliaque corpori adjacentia esse salutiferra, uti de floribus feretrum S. Stephani tangentibus narrat S. Aug. lib. 22. Civitat. cap. 8. iis plures ægrotos esse sanitati restitutos. Sic S. Gregorius Constantiæ Augustæ lib. 3. ep. 30. et aliis pro sacris reliquiis misit brandeum, id est, velum quod Apostolorum et Martyrum reliquias texerat, vel tetigerat. Theodoretus in Philotheo cap. 21. asserit, oleum in lychnis ante sepulchra Martyrum ardens, multis sanitatem per miraculum attulisse. Plura vide apud Baron. hic anno Christi 55.

13. Judæis exorcistis.] Judæos ante Christum suos habuisse exorcistas ad expellendum dæmones, hinc liquet, et ex illo Matth. 12. 17. *Filii vestri in quo ejiciunt?* et ex Josepho lib. 8. Antiq. c. 2. et l. 7. Belli cap. 25. et ex Epiphan. hæresi 30. ubi asserit eos usus nomine tetragrammato Jehova. De exorcismis Salomonis vide Josephum loco citato, et Delrio in Magicis : quanquam S. Thom. q. 6. de potentia artic. 10. ad 3. et ex eo Franc. Victoria relectione de magia, num. 28. censent exorcismos Salomonis per certam radicem cum adjuratione, ab eo compositos esse postquam factus est idololatra. Sane hos exorcistas magicis artibus usos, suspicari licet ex eo quod ait Lucas v. 9. *Multi autem ex eis qui fuerant curiosa sectati*, etc. Jam soli Christiani habent et ordinant exorcistas, quorum exorcismi, id est, adjurationes et dæmonum, sunt spiritualia eorum *flagra et verborum tormenta*, ait S. Cyprianus epist. ad Demetrianum. Hanc enim potestatem ejiciendi dæmones Christus dedit Apostolis et Ecclesiæ Lucæ 10. 19. Errat ergo Origenes tract. 35. in Matth. ubi docet Judaicum esse exorcizare dæmones, non Christianum, hoc argumento : Christiano homini ex lege Christi non licet omnino jurare, Matth. 5. 34. ergo nec quempiam adjurare, sive exorcizare. Verum, sicut falsum est antecedens, ita et consequens, sive conclusio inde deducta.

Adjuro vos per Jesum.] Nam, ut ait S. Chrys. hom. 4. de laudibus S. Pauli, *si Jesum invoces Nazarenum, velut ab igne repente diffugit dæmon.* Et S. Justin. de Verit. Christ. relig. *Ejus nominis* (Jesu) *potentiam dæmones tremunt et reformidant; hodie quoque illi per nomen Jesu Christi crucifixi adjurati nobis parent.* Et Prudentius in Apotheosi contra Judæos :

——— Torquetur Apollo
Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi
Ferre potest : agitant miserum tot verbera linguæ,
Quot laudata Dei resonant miracula Christi.

Ratio est, quia à Jesu victus et prostratus est dæmon. Jesum ergo et crucem ejus horret, sicut canis horret baculum quo percussus est, et multo magis percussorem, qui baculum in eum vibrat. Testatur S. Dionys. Eccl. Hierarch. cap. 3. Christianos cum post baptismum in peccatum aliquod mortale incidissent, vexari à dæmonibus consuevisse. Et S. Cyprian. epist. 76. *Sæpe*, ait, *nonnulli de iis qui sani baptizantur, si postmodum peccare cœperint, spiritu immundo redeunte quatiuntur, ut manifestum sit, diabolum in baptismo fide credentis excludi; si fides postmodum defecerit, regredi.* Hæc Cyprian. agens de iis qui à fide et Christo apostatant.

Quem Paulus Prædicat.] Videntur hi exorcistæ ex præsumptione voluisse imitari Paulum in expellendis dæmonibus per nomen Jesu, ut inde sibi plausum et quæstum facerent apud populum. Unde S. Chrysost. et S. Cyprian. serm. de baptismo Christi, vocant eos quæstuarios. Verum quia suis viribus diffidebant, prætexunt nomen Pauli, quem videbant dæmonibus esse terrori eosque expellere. Porro quia erant Judæi, ideoque increduli Christo, ideirco non ipsi diabolo, sed ipsis diabolus prævaluit, in eosque insiliit. Addunt aliqui, id eos astute dolo malo fecisse, nimirum ut à Paulo ejusque doctrina homines averterent, et ad se ac judaismum traducerent. Si enim ipsi expellerent dæmones, cum ipsi essent Judæi, dicturi erant se virtute judaismi et fidei Judaicæ id facere, ac proinde Jesum sive Salvatorem et Christum esse eum, quem Judæi expectant, non quem Paulus jam venisse prædicat. Si non expellerent, dicturi erant Jesu nomen esse inane et invalidum ad expellendos dæmones, ac proinde frustra coli et invocari, frustraque à Paulo prædicari, et suis exorcismis prætexi.

14. Principis sacerdotum,] unius è principibus, sive Pontificibus. Erant enim 24. principes, sive pontifices, puta primogeniti totidem familiarum sacerdotalium, uti dixi cap. 4. 6.

15. Vos autem qui estis?] q. d. Vos non estis servi Christi, nec Pauli asseclæ, sed nostra mancipia, utpote Christo increduli et infideles, lucrum plausumque ex Christi nomine captantes : indignum autem est, ut mancipium suo hero et domino imperet, eumque domo sua expellat. S. Cyprianus serm. de baptismo, sic explicat : *Christum scimus, et Paulum novimus, et in nomine Christi quem Paulus prædicat adjurati, egredimur; vos autem penitus ignoramus.* Chrysostomus vero. q. d. Vos non creditis Christo, sed ejus nomine abutentes, hæc verba fingitis : vos non estis hujus nominis præcones, quia, mei estis. Christi ergo et Pauli herile imperium agnosco, non vestrum : puniam ergo vestram audaciam et temeritatem, atque ut servos meos mihi insultantes male mulctabo. *Quare*, inquit Chrysostom. *non dixit spiritus malus. Quid est Jesus? Terrebatur, ne et ipse pœnam det. Sciebat enim concedi et ulcisci illos, quos hujus nominis illusoris fecerat.* Simili modo Lutherus volens exorcizare dæmonem, ab eo invasus in extremas angustias redactus est, uti narrat Staphylus contra Smidelinum p. 404. et Bredembachius Collat 7. cap. 40.

Ex adverso S. Hilarion, qui teste S. Hieron. in ejus vita, præ cæteris Sanctis dominatus est dæmonibus, plurimosque expulit, hoc in eos imperium acquisivit contemptu sui, fuga opum et honorum : aurum enim pro luto habebat. *Crebro*, inquit S. Hieron., *mutabat locum, non ex levitate, sed honorem fugiens et importunitatem, semper enim silentium et vitam ignobilem desiderabat. Singulos hortabatur præterire figuram hujus mundi, et eam esse veram vitam, quæ vitæ præsentis emeretur incommodo.* Videns omnium ordinum ad se concursum flebat. Rogatus cur?

Rursum, ait, *ad sæculum redii et recepi mercedem meam in vita mea. Mirentur alii signa quæ fecit, mirentur incredibilem abstinentiam, scientiam, humilitatem : ego nihil ita stupeo, quam gloriam illum et honorem calcare potuisse. Concurrebunt enim ad eum Episcopi Presbyteri, Monachi, matronæ quoque, Christianorum grandis tentatio : at ille nihil aliud nisi solitudinem meditabatur, dæmones in energumenis ubique eum latere cupientem prodebant. sed ille dolens, et quodammodo in sui ultionem sæviens, tanta eos orationum instantia flagellabat, ut omnes ab energumenis expelleret. Nihil in eo cunctis ita admirantibus, quam quod post tanta signa et miracula, ne fragmen quidem panis à quoquam illis in locis accepisset. Accensus enim fiducia pauperis conscientiæ, in eo magis lætabatur et quod nihil haberet sæculi, et quod ab accolis illius loci mendicus putaretur.* Habebat hanc gratiam, ut ex odore corporum, vestium, et earum rerum quas quis tetigerat, sciret cui dæmoni, vel vitio subjaceret. Apposito cicere cujusdam avari : *Non sentis*, ait, *putorum teterrimum, et in cicere hærere avaritiam? Da bobus.* Dedit alter : at illi illico ruptus loris fugerunt. Terribili camelo et feroci procedens obviam : *Non me*, ait, *terres diabole tanta mole corporis : et in vulpecula, et in camelo unus atque idem es.* Orionus vir potens à legione dæmonum ab eo liberatus, obtulit ei multa dona. Recusanti ait : *Da pauperibus.* Cui Sanctus : *Tu* ait, *melius potes tua distribuere, qui per urbes ambulas, et nosti pauperes. Ego qui mea reliqui cur aliena appetam :* Cumque ille doleret sua respui : *Noli*, ait, *contristari ô fili. Quod facio, pro me et pro te facio. Si enim hæc accepero, et ego Deum offendam, et legio ad te revertetur.* Adducta est ad Sanctum puella energumena, qui irridens dæmonem. *Grandis*, ait, *fortitudo tua, qui licio et lamina strictus teneris, Dic quare ausus es ingredi puellam Dei?* Respondit dæmon, *Ut servarem illam virginem.* Cui Sanctus : *Tu servares, proditor castitatis? Cur non potius in eam qui te mittebat es ingressus? Ut quid*, respondit dæmon, *intrarem in eum, qui habebat collegam meum amoris dæmonem? Splendente luna cernit ex improviso rhedam serventibus equis super se irruere : cumque inclamasset Jesum, ante oculos ejus repentino terræ hiatu pompa omnis absorpta est. Tunc ille ait : Equum et ascensorem projecit in mare. Et : Hi in curribus, et hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri magnificabimur.* Puer pene existens, incidit in latrones, qui ad eum conversi : *Quid, inquiunt, faceres, si latrones ad te venirent? Quibus ille respondit · Nudus latrones non timet. Et illi : Certe, aiunt, occidi potes. Possum, ait, possum ; et ideo latrones non timeo, quia mori paratus sum.*

16. Et insiliens in eos,] pugnis plagisque eos contundendo, vestesque eorum dilacerando, dentibus unguibusque laniando, calcibus impetendo, itaque vulnerando : nam nudi et vulnerati de domo effugerunt. Vide hic, ait Chrysost. quantam vim habeat dæmon in corpora infidelium et irrisorum, indeque collige eumdem similia, imo majora exercere in animam peccatoris, quam per peccatum obsidet, possidet, agitat et exagitat, ut lictor quasi vile suum mancipium. Additque, *Peccatum gravius est dæmone, Nam ille quidem humiles facit peccatum autem superbos : insuper vitiosum habitum in animam inducit. Sic iruti familiarem apud se alunt fictorem se torquentem, ulciscendi inquam cupiditatem. Sicut enim putredo quædam ac tinea, ita mentis nostræ radicem arrodit. Quare bestiam intra viscera tua includis? Melius esset viperam et serpentem in corde positam esse, quam iram, vel invidiam.*

Dominatus amborum.] E septem ergo duo hic exercebant exorcismum, cæteris absentibus vel quiescentibus : unde in duos solum insiliit dæmon. Græca tamen jam pro *amborum* habent αὐτων, id est, *eorum*, quasi in omnes septem dæmon insilierit. Verum quidam Græci codices habent ἀμφοτέρων, id est *amborum*, uti notat Valesius.

18. Confitentes et annuntiantes actus suos.] Perperam Lutherus pro *actus suos*, vertit, *miracula sua :* miracula enim non sunt actus nostri, sed Dei qui solus est omnipotens, ideoque et thaumaturgus. Unde Syrus clare vertit, *renuntiabant offensas suas, et confitebantur quod fecerant.*

Hæc de confessione, quæ fit in Sacramento pœnitentiæ, accipit Œcum. Salmeron, Sanchez et Gagneius hic, Bellarm. lib. 3. de pœnitentia cap. 4. Baron. Greg. de Valentia, Hosius, Ruardus Tapperus, et alii, qui hinc probant necessitatem confitendi contra hæreticos. Nam τὸ *actus suos*, significat hanc confessionem non fuisse generalem et publicam, dicendo, Fateor me esse peccatorem, ut vult Calvinus et Beza, sed particularem, ideoque secretam : in hac enim, non in illa enarrantur speciatim et particulatim singuli actus mali à pœnitente. Alii tamen hæc accipiunt de confessione prævia baptismo. Hi enim videntur fuisse Gentiles et Judæi, de quibus dixit vers. præcedenti, quod perculsi illa strage exorcistarum magnificarint nomen Domini, ac consequenter crediderint in Christum. Hi ergo ante baptismum compuncti, ostenderunt signa veræ compunctionis publice enuntiando sua peccata, quæ in gentilismo commiserant; sicut de Johannis baptismo dicitur Johan. 1. 5. *Baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua :* ubi græce idem est verbum ἐξομολογουμενοι, quod hic. Ita Arator, Cajet. et Lorin. Euseb. l. 3. Demonst. cap. 8. Beda in Marci 1. Andreas Vega lib. 13. de Justit. cap. 28. et alii.

Prior sententia videtur verior et germanior. Primo, quia hos confitentes non fuisse Gentiles vel Judæos, sed Christianos, patet ex eo, quod vocentur *credentes*, quod primo illo sæculo erat proprium nomen Christianorum. Est enim hic altera pars, et alter effectus, quem causavit ignominia et plaga Judæis exorcistis à dæmone inflicta. Nam vers. præcedenti dicit suas quod in Gentilibus et Judæis causarit timorem et doxologiam ; hoc vero dicit, quod in Christianis causarit pœnitentiam et exomologesin, uti etiamnum causat. Nam Christiani timore aliquo et terrore diabolico perculsi, illico ad exomalogesin confugiunt, ut animæ suæ consulant, ejusque salutem in tuto collocent.

Dices, Gentiles vocantur *credentes*, quia incipiebant credere et aspirare ad baptismum. Resp. Id dici nequit, quia in Græco est præteritum πεπιστευκοτων, id est, multi eorum qui jam crediderant, et consequenter baptizati erant. Secundo, quia nulla hic baptismi fit mentio, quam utique fecisset Lucas, si Gentilium conversionem et initiationem (hæc enim fit baptismo) significare voluisset. Præsupponit ergo eos fuisse baptizatos. Adde, primitus ante baptismum vix ullos

confessos esse in particulari sua peccata : sufficiebat enim contritio. Et unus Paulus cum Sila et Timotheo, non suffecisset audiendis tot tantorum confessionibus.

Dices Secundo. Incredibile videtur Christianos à Paulo instructos, retinuisse adhuc libros magicos et magiæ vacasse, quod tamen de his confitentibus asserit Lucas versu sequenti de Resp. Primo, in primis illis fidelium à Gentilismo ad Christianismum conversionibus, non omnia statim à Paulo dici, nec à fidelibus disci et practicari poterant : sicut etiamnum in Gentilibus recens conversis remanent multi mores gentilitii, sensim dedocendi et evellendi : quinimo etiamnum apud segnes frigidosque et rudes Catholicos, libros superstitiosos magicos et hæreticos est invenire. Secundo, alii sunt hi confitentes ab illis magiæ deditis et magicorum librorum possessoribus. Id patet ex voce adversativa *autem. Multi autem qui fuerant curiosa sectati*, etc. Ita Sanchez.

Porro Stapletonus hic censet, hosce confitentes primo secretam confessionem peregisse, deinde publicam aliquorum saltem peccatorum. Id enim olim in publica pœnitentia fieri solitum, patet ex facto Nectarii, qui publicam hanc confessionem Constantinopoli ob exortum ex ea scandalum sustulit, teste Socrate l. 6. cap. 19. Idipsum innuit vox ἀναγγέλλειν, id est *palam, publice annuntiare.* Verum non est necesse id asserere : nam ἀναγγέλλω idem est quod *annuntio*, ut vertit Noster et alii, sive publice id fiat, sive privatim et secreto : ἀναγγέλλω enim idem est quod *renuntio, indico, prodo, recito, profiteor, pronuntio.* Neque in primis illis rudibus Ecclesiæ initiis, publica pœnitentia videtur fuisse in usu, sed sero ad sarcienda scandala, quæ crescente numero fidelium sensim oboriebantur, est introducta et ab Episcopis injuncta. Hic vero fideles libere confessi sunt, ut dæmonis manus et vindictam evaderent : ad quod utilis erat secreta et sacramentalis confessio, non publica : si enim suffecisset, et præstitisset Deo corde contrito confiteri.

Moraliter, notent hic fideles, se contra omnes satanæ insultus munire sacra confessione. Ipsa enim omnes ejus vires enervat, omnes ejus fraudes detegit, omnes dolos aperit, omnes perplexitates discutit. Unde S. Hier. in Ecclesiast. c. 10. *Si quem*, inquit, *serpens diabolus occulte momorderit, et nullo conscio eum peccati veneno infecerit, si tacuerit qui percussus est, et non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri et magistro voluerit confiteri, magister qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit. Si enim erubescit vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina, non curat.*

In vita S. Epicteti et Astionis hæc legimus : *Vidit B. Astion puerum quemdam nigrum cum ignea facula de sinu suo egredientem, ac talia sibi dicentem : Confessio tua Astion magnas meas contrivit hodie vires, et una oratio vestra me inermem in omnibus reddidit ac desolatum.*

Narrat Ruffinus l. 3. in Vitis Pat. n. 57. quemdam tentatione blasphemiæ, ejus revelatione et confessione, fuisse levatum.

Idem de tentatione fornicationis, legimus in Vitis Patr. l. 5. n. 13. *Nihil enim*, ait, *sic extædiat dæmonem fornicationis, quomodo si revelentur stimulationes ejus : et nihil enim sic lætificat, quomodo si abscondantur cogitationes.*

Seraphion Abbas apud Cassianum collat. 2. c. 10. et 11. narrat se tentatione gulæ et consuetudine furandi panem, liberatum per publicam hujus furti confessionem. *Ea enim peracta statim*, ait, *velut lampas accensa de meo sinu procedens tanto fœtore cellam replevit, ut vix in ea residere possemus.* Erat hic dæmon cui eum ad furtum ad et gulam tentabat. Vere Sapiens Proverb. 28. 13. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur.* Addit Cassianus hoc fuisse commune Abbatum et Seniorum dogma : malam cogitationem statim ut irrepit, revelandam esse suo Seniori. Unde S. Antonius in Vitis Patr. part. 2. n. 104 *Si potest fieri*, ait, *quot passus ambulat monachus, vel quot calices aquæ bibit in cella sua habet declarare Superioribus, ut non devietur in ipsis.*

Quocirca Climachus gradu 4. de obedientia, scribit monachos prisci ævi in cingulo gestasse libellum, in quo cogitationes per diem occurrentes scribebant, ut eas revelarent Pastori. Idem vitæ spiritualis dogma et quasi principium assignant S. Basil. in Constit. monast. et in Regulis fusius disp. respons. 26. S. Ambros. lib. 3. Offic. c. 16. S. Hier. Regul. monach. c. 34. S. Bernard. tract. de Ordine vitæ. Qui etiam apposita similitudine rem declarant, imo demonstrant. Sicut, inquiunt, aer nubibus densus et obtenebratus, iis per pluviam effusis serenatur et albescit, sic et per confessionem, qua afflictio quasi effunditur in sinum alterius, exinanitur ægritudo animi. Vide D. Thomam. 1. 2. qu. 38. art. 2.

Ita S. Dorotheus ser. 5. narrat se in jugi fuisse animi pace et lætitia, eo quod omnes animi cogitationes revelaret suo Patri spirituali.

Memorabile est quod scribit Dom. Soto in 4. dist. 18. q. art. 1. Norimbergenses misisse legatos ad Carolum V. Imper. qui peterent ab eo publico decreto sanciri præceptum confessionis : se enim expertos esse, quod, postquam illa exulasset, multæ fraudes, vitia et scelera irrepsissent in urbem et rempublicam. *Tamdiu*, ait Cassian. loco jam citato, *suggestiones ejus* (diaboli) *dominantur in nobis, quamdiu celantur in corde : illico enim ut patefacta fuerit cogitatio maligna, marcescit, et antequam discretionis judicium proferatur, serpens teterrimus velut et tenebroso ac subterraneo specu, virtute confessionis petractus ad lucem, et traductus quodammodo ac dehonestatus discedit.* Unde idem l. 4. de Instit. renunc. c. 4. *Generale*, ait, *et evidens judicium diabolicæ cogitationis esse pronuntiant, si eam seniori confundamur aperire. Omnis* enim *iniquitas oppilabit os suum*, Psal. 106. 42. S. Greg. l. 7. Mor. cap. ult. et l. 3. Pastor. admon. c. 15. *Vulnera clausa*, ait, *plus cruciant, quia cum putredo quæ intrinsecus fervet, ejicitur ad salutem, dolor aperitur*, etc. *Quid est peccatorum confessio, nisi vulnerum ruptio?* Unde Psaltes Ps. 31. 3. *Quoniam tacui*, ait, *inveteraverunt ossa mea.*

19. MULTI AUTEM EX EIS QUI FUERANT CURIOSA SECTATI.] Vatabl. *qui curiosas artes exercuerant.* Vox *autem* significat aliam hanc esse narrationem à præcedenti confitentium, uti dixi. Unde cum illi fuerint Christiani, hi videntur fuisse Gentiles magiæ dediti, aut certe Christiani rudes, qui timentes ne à dæmone magorum hero male mulctarentur, uti illi exorcistæ, magiam abdicarunt, magicosque libros exusserunt. Ita Chrys. Œcum. Beda et Syrus, qui vertit, *multi porro etiam ex*

magis : et Euseb. lib. 2. Demonstr. cap. 8. Porro Ephesii magicis artibus erant dediti, teste S. Hieron. præfat. in epist. ad Ephes. Unde Apollonius Tyanæus Ephesi publice magicæ artis ludum aperuit, et ab Ephesiis statua donatus inter divos relatus est, teste Philostrato lib. 4. in Vita ejusdem, qui et lib. 5. addit id contigisse primis Neronis annis, quando Paulus Ephesi agebat, cui proinde acre contra eum certamen fuisse non est dubium. Hinc et proverbialiter *Ephesia grammata*, vel *notæ*, vocantur signa magica, ad obtinendam victoriam, et depellenda pericula teste Suida; quin et ad expellendos dæmones, teste Plutarcho in Sympos. l. 7. quæst. 5. Hæ enim notæ, ait Eustathius in Odyss. ϙ erant verba obscura instar ænigmatum, quæ in pelliculis consutulibus gestabantur inscripta in pedibus, zona et corona Dianæ. Magiæ studiosissimus fuit Julianus Apostata, qui per eam imperium, vitam et animam perdidit. Valerianus quoque Imp. à mago seductus, ex amico Christianorum factus eorum hostus et persecutor, à Sapore Persarum rege captis, et caveæ ferreæ inclusus, orbi ludibrio fuit, æque ac Bajazetes Turcarum Imp. Tamberlano.

Secundo, Mariana censet per *curiosa* hic accipi libros et opifices chalchymiæ, id est permutandi metalla, v. g. ex ære conficiendi, aurum, ex stanno argentum. Hujus enim artifices, ut ait Suidas in voce χυμεία. Diocletianus in Ægypto comburi jussit, ne ditati abuterentur pecunia. Optandum esset, ut Magistratus hanc artem eliminarent: nihil enim est aliud quam perditio pecuniæ et temporis, et sæpe impostura.

Tertio, alii per *curiosa* accipiunt astrologiam, et atrologos judiciarios et genethliacos, qui ex horoscopo dieque natali, constellatione et astris, divinant ea, quæ cuique in vita et morte sunt eventura; in quam invehitur S. Aug. l. 1. de Doct. Christiana c. 21. 22. 23. et passim alii Patres. Quocirca Aquila Ponticus, celebris S. Script. interpres ab Ecclesia est ejectus, quod geniturarum inspectionibus et nativitatum horoscopis vacaret, ait Epiphan. lib. de Ponderibus et mens. imo Augustus Cæsar Mathematicos hosce urbe expulit, ait Dio. lib. 49. Rursum anno 12. Claudii Imp. Christi 54. factum est Romæ senatusconsultum de pellendis Italia Mathematicis, occasione (ut videtur) Junii Scriboniani, qui finem Claudii per Chaldæos scrutatus esset. *Genus hominum*, ait Tacitus l. 17. *potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra vetabitur semper, et retinebitur.* Verus fuit vates. Nam, ut ait Baron. humana curiositas mente pruriens, ac novitatis avida hoc agit et satagit, ut quos Imperatores et principes sæpius exagitarunt, revocentur et renascantur. Sane paucis annis quibus Romæ fui, vidi plures viros magnos ab astrologis deceptos, tum huic vitam longiorem, illi cardinalatum, alteri papatum prædicunt et promittunt, quos omnes vana spe et mendacio delusos fuisse eventus docuit, magna eorum periculo et damno. Dum enim se non credunt morituros, nisi prius adepti sint prælaturam quam promiserunt Mathematici, etiam lethali morbo icti, ad mortem se non parant: quare imparati et improvidi moriuntur, quæ sæpe aperta est diaboli fraus, qui per divinationes hasce animabus ipsorum insidiatur, et quasi lupus inhiat, ut eas capiat et rapiat. Expergiscimini Prælati. *Filii hominum ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* imo sæpe interitum non tantum corporis, sed et animæ. Id sapiebat Alfonsus Aragonum Rex vere sapiens, qui in omnes munificus, solos astrologos ab aula sua arcebat. Rogatus est: Cur? resp. secretorum ejus conscius: *Sidera stultos regunt impelluntque, sapientes vero astris imperant. Stultos ergo principes honorare astrologos consequens est, non sapientes, inter quos nomen suum Alfonsus obtinet.* Ita Æneas Silvius. l. 4. de rebus Alfonsi cap. 3.

Idem censit Franc. Sfortia, qui Insubrium cibi suisque paravit imperium, qui semper astrologi omnes vel odio fuere, vel contemptui, tantum abest ut eos in bellis rebusque suis consuleret.

Idem judicium fuit Joannis Pici Comitis Mirandulæ, ut videre est l. 2. quem scripsit contra Astrol. c. 2. Sane astrologi reip. sunt perniciosi, et turbant principum regimen, dum brevi eos morituros, et alios quibus adulantur, eis successuros prædicunt et venditant. Quis enim amet, obediat, colat principem brevi morituram? et non potius captet gratiam alterius, quasi solis novi mox orituri? Quocirca Vitellius Imp. astrologos hosce morte mulctabat. Andi Sueton. in eo c. 14. *Nullis infensior quam divinaculis et mathematicis: ut quisque deferretur, inauditum capite puniebat.*

Contulerunt libros, et combusserunt.] *Ut vitent ignibus ignes*, ait Arator. Idem magicis libris fecit magnus ille conversus à S. Augustino, de quo ipse in Psal. 61. sub finem sic scribit: *Perierat iste nunc quæsitus inventus adductus est: portat secum codices incendendos, per quos fuerat incendendus; ut illis in ignem missis, ipse in refrigerium transeat.* Sic libros Mathematicorum comburendos in oculis Episcoporum sanxit Honorius Imp. et Theodosius, l. *Mathemat.* c. *de Episc. aud.* Multo magis cremandi sunt libri hæreticorum, utpote nocentiores, uti sanxerunt jidem aliique Imp. l. ult. *de Hæret.* Cod. Theod. Idem sanxerunt Canones et Concilia, præsertim Trident. Vide Bellarm. lib. de laicis cap. 20.

Invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.] Græca et Syrus, *invenerunt argenti quinque myriades*, hoc est quinquagies mille nummum. Budæus l. 5. de Asse, et alii ex eo censent hoc pretium fuisse quinque millium aureorum. Sic Romæ quinque millia aureorum valent quinquaginta millia Juliorum, seu regalium Hispan. Aureus enim continet decem Julios: quinquies autem decem faciunt quinquaginta. Porro denarius pendebat drachmam, valebatque unum Julium, sive regalem Hispan. uti dixi in fine Pentateuchi. Discant hic Christiani, libros magicos, hæreticos, spurcos comburere, quantovis pretio æstimentur, etiamsi auro appendantur: quia noxa quam inferunt nullo auro pensari potest. Quocirca Paulus et Apostoli magorum, æque ac idolorum responsa sustulerunt, vel stiterunt. Huc facit quod scribit Plinius. l. 3. c. 2. Neronem à magis toto orbe conquisitis, nullum responsum extorquere potuisse. Unde ei Plutarchus librum scripsit de Oraculorum defectu. Vide S. Aug. l. de Devinat. dæmon. cap. 6.

21. Proposuit Paulus in spiritu.] Instinctus Spiritu sancto. Ita Lyran. Vatabl. Cajet. Dionys. et alii, Syrus vers vertit, *proposuit in mente sua.*

Transita Macedonia et Achaia.] Transivit hac

Paulus, tum ut Ecclesias ibidem à se fundatas visitaret et confirmaret, tum ut colligeret eleemosinas pro pauperibus Hierosolymitanis, ut patet 2. Cor. 8. et 9.

Ire Hierosolymam.] Tum ut eleemosynas jam dictas Sanctis deferret, tum pietatis ergo, ob loci reverentiam, ait Dionys., sanctorumque locorum et primitivæ Ecclesiæ, præsertim S. Jacobi, visitationem. Amplius enim in hac vita non erat illa visurus.

Oportet me et Romam videre.] Quia Dei instinctu, ait Chrys. Paulus agebatur Romam, ut Romanam Ecclesiam cum S. Petro in matricem et caput cæterarum erigeret, ac contra Simonem Magum et Neronem, primam persecutionem in Christianos adornantem decertaret.

22. Mittens autem in Macedoniam, etc., Timotheum et Erastum.] Ut viam sibi secuturo pararent, et simul collectam eleemosynarum pro Hierosolymitis facerent, ut patet 1. Cor. 4. 17. Erastus hic vocatur *arcarius*, id est, quæstor civitatis, scilicet Corinthi Roman. 16. 23. postea creatus fuit Philippensis Episcopus, ibique Martyrio coronatus, Sanctis asscriptus legitur in Martyrol. die 26. Julii.

Ipse remansit ad tempus in Asia,] puta Ephesi.

23. Turbatio,] ταραχος, id est, *tumultus plurimus*, ait Syrus. Unde ejus gravitatem explicans Paulus 2. Cor. 1. 8. *Supra modum*, ait, *gravati sumus, supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere. Afflictiones enim*, ait Chrys., *abstrahunt nos ab affectione erga præsentem mundum. Itaque statim mortem petimus, et non sumus amatores corporis, quæ sane maxima philosophiæ pars est.* Additque multa commoda tribulationis, ac tandem concludit: *Magnum bonum est afflictio: noster pædagogus est afflictio.*

De via Domini,] de instituto Christi et Christianismi.

24. Demetrius.] Erat hic ceterorum aurifabrorum caput et princeps, ac forte à Magistratu obtinuerat, ut nemo præter se et suos, posset cudere ædes Dianæ.

Argentarius,] ἀργυροκοπος, id est, *cudens argentum*, ita Syrus: puta faber argentarius, ait Vatabl. qui nunc vocatur aurifaber vel aurifex. Qui enim cudunt aurum, cudunt et argentum. Est enim ἀργυροκοπος ab elaborando argento dictus, nisi mavis à κοπτω, id est, *incido*, deducere: unde et monetam Græci vocant νομμα.

Faciens ædes argenteas.] Quænam hæ? Primo, aliqui censent fuisse vota et anathemata, quæ offerebat Dianæ ob depulsum periculum, vel acceptum beneficium. Secundo, alii censent cum Chrys. fuisse arcas, sive thecas, in quibus gestabantur amuleta, puta signa Dianæ, sive litteræ Ephesiæ, quas contra febres, morbos, pericula, aut pro felici sorte et fortuna, fallaces sacerdotes Dianæ dabant adventantibus. Aut potius, ut Baron., hæ ædes erant ipsæ argenteæ statuæ Dianæ, cum suis ædiculis seu loculamentis. Tertio, et optime hæ ædes erant imagines, sive simulacra templi Dianæ. Ita enim ejus templum venerabantur, ut illud in imaginibus effingerent, ejusque similitudinem in statuis, puta in ædiculis argenteis conflarent, quibus effigiem, sive statuam Dianæ imponebant; eas deinde vel offerebant Dianæ in templo, vel ad collum, aut in pileis et vestibus appensas gestabant, sicut nostri peregrini gestant imagines B. Virginis Lauretanæ, aut certe domi in lararis et oratoriis eas reponebant, præsertim si solidæ essent, non planæ et in lamina. Id ita esse patet ex eo, quod eas Lucas græce vocet ναους, id est, *templa*, et Polybius ναιδια, id est, *parva templa, templula*, puta delubra et ædiculas effigie templi, in quibus reponebantur statuæ Dianæ.

Dianæ.] Dea ita dicta ἀπὸ του διὸς, quasi Joviana, quia Jovis filia ex Latona *Diana* est luna, sic appellata, quod quasi diem noctu lucendo efficiat, ait Cicero l. 2. de Natura deorum; sicut luna dicta est quasi *lucens una*, quod noctu sola luceat: unde et noctiluca vocata est. Quare Macrobius: Diana, ait, dicta est quasi Jana, addita littera D. veteres enim lunam vocabant Janam, ait Varro l. de re rustica. Hinc et Horatius:

> Nec per aut eadem nocturnæ forma Dianæ,
> Rite crescentem face Noctilucam.

Alii tamen *Dianam* dictam putant quasi devianam, quia venantes per silvas deviare solent: unde ipsa habita est viarum dux et dea. Eadem dicta est *Lucina* et *Juno*, ait Cicero: *Juno*, à juvando; *Lucina* quod partum in lucem prodat: quam proinde in partu invocant. Unde Virgil. *Casta fave Lucina, tuus jam regnat Apollo.* (Hinc Diana à Poetis vocatur lucifera, clara, succincta, armata, nocturna, omnivaga, verecunda, integra, virginea, aeria.) Vel, ut Plinius, quod oculis præsit et luci, sive à luco quem Romæ in Exquiliis habebat. Plures, inquit Cicero fuerunt Dianæ; sed illa nominatissima, quæ eodem partu cum Apolline, ex Jove Latona nata est. Hæc ob virginitatis amorem fertur hominum consortia fugisse, et ut libidinis tentationes evaderet, venando silvas et montes incolebat, paucarum virginum comitatu contenta. Arcum ferebat et pharetram, succincta semper incedens, et cothurno induta: qua de causa silvarum et nemorum dea credebatur. Cicero act. 6. in Verrem: *Fuit*, ait, *apud Segestanos ex ære simulacrum Dianæ, tum summa atque antiquissima religione præditum singulari opera artificioque perfectum.* Et mox: *Erat admodum amplum et excelsum signum cum stola. Verum tamen inerat in illa magnitudine ætas atque habitus virginalis: sagittæ pendebant ab humero, sinistra manu retinebat arcum, dextra ardentem facem præferebat.* Porro Diana Ephesiorum erat πολυμασθος, id est *multimammia*, ait S. Hier. præfat. in epist. ad Ephesios: *ut ipsa effigie mentirentur, omnium eam bestiarum et viventium esse nutricem.*

Falsa ergo et mendax fuit Gentilium Diana: vera et verax Christianorum Diana, est B. Virgo Maria, virgineis stipata choris, quæ in montana abiit ut Baptistam eremicolam consecraret. Hæc enim et æterni Patris filia, quæ lucem mundi peperit, ideoque maris stella in nocte hujus sæculi cunctis fidelibus fulgens, monstrat iter in cœlum. Eadem est multimammia, quia nova Eva mater viventium, lac suæ gratiæ et consolationis omnibus se invocantibus impertit. Ipsa est enim *mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim*, Apoc. 12. 1. Quod enim in mundo est sol, et luna sive Diana, hoc in Ecclesia est Christus et Maria. Unde B. Virgo hoc ipso anno, vel proxime sequenti, quo Dianæ cultus et templum à Paulo everti cœpit, terras relinquens in cœlum abiit, ut inferius ostendam Diana à Græcis dicta est ἀρτεμις, quasi ἀειροτομη, quod luna ar-

rem, vel potius ætherem incedendo secet, ait Macrobius. Secavit hoc tempore cœlos omnes penetrando, et super omnes angelorum choros exaltatas est B. Virgo. Plato vero in Cratylo : Diana, ait, dicitur ἄρτεμις διὰ τὸ ἀρτεμὲς καὶ τὸν κόσμον διὰ τὴν τῆς παρθενίας ὑπιθυμιαν, id est, *propter integritatem et modestiam, propter virginitatis desiderium :* vel quasi ἀρετὴς εἴσωρα, id est, *virtutis inspectrix et conscia :* vel, ut Strabo lib. 14. ἀπὸ τοῦ ἀρτεμέας ποιεῖν, id est, *quod integros et perfectos efficiat.* Quæ omnia non Dianæ Gentilium, sed Christianorum, Virgini inquam Deiparæ conveniunt, uti et illud quod de Dianæ templo olim Romæ in Aventino monte ædificato, nunc vero Deo in S. Sabinæ honorem dedicato, scribit Sextus Pompeius : *Servorum,* inquit, *dies festus existimatus Idibus Augusti, quod eo die Servius Tullius natus serva, ædem Dianæ dicaverit in Aventino, cujus tutelæ sunt cervi à quorum celeritate fugitivos vocant cervos.* Hæc est ergo Opis nostra (Sic enim dicta est Diana ab opitulando) cui competit illud Virgilii : *Opis ad æthereum pennis aufertur Olympum.* Denique Reges et principes thesauros suos in templo Dianæ deponebant, quos nemo, ne hostis quidem urbem diripiens, tangere audebat. Ita virtutis et salutis fida custos est Deipara ; ita ut impossibile sit perire eum, qui se suaque ei sedulo commendat, uti docet communis omnium experientia, ac S. Bern. hom. 4. super *Missus est : Ex ore tuo* (ô Maria, inquit,) *pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui.* Idem alibi sparsim : *Maria,* ait, *est viola humilitatis, lilium castitatis, rosa charitatis. Mariæ nec facultas, nec voluntas dandi dona hominibus deesse potest. Mariæ pietati non defuit fides, voci gravitas, efficacia voto. Mariæ commendare memento quidquid Deo offerre paras. Maria decus paradisi, gaudium cœli. Maria gremium virgineum. Mariæ virginitas major quam angelica puritas. Mariam cogitans, non erras; Mariam rogans, non desperas. Per Mariam cœlum repletum est, et infernus evacuatus. In Maria Deus posuit solem et lunam, Christum et Ecclesiam. In Maria angeli lætitiam, justi gratiam, peccatores veniam invenerunt in æternum. In Maria, per Mariam, de Maria benigna manus omnipotentis quidquid creaverat, recreavit : sine Maria nihil refectum est sicut sine Deo nihil factum : per Mariæ manus transiit, quod Deus non habere voluit.*

Jam quod ad Ephesinum Dianæ templum attinet, erat illud adeo augustum et magnificum, ut inter septem orbis miracula numeraretur. Audi Plinium. l. 36. c. 14. *Magnificentia vera admiratio exstat templum Dianæ Ephesiæ, ducentis* (alibi habet) *quadringentis, viginti annis factum à tota Asia. In solo id palustri fecere, ne terræ motus sentiret, aut habitus timeret. Rursum ne in lubrico atque instabili fundamenta tantæ molis locarentur; calcatis ea substravere carbonibus, dein velleribus lanæ. Universo templo longitudo est* CCCCXXV. *pedum, latitudo* CCXX. *columnæ* CXXVII. *à singulis regibus factæ, sexaginta pedum altitudine, ex iis* XXXVI *cælatæ.* Et mox : *Cætera ejus operis ornamenta plurium librorum instar obtinent.* Eo die quo natus est Alexander Magnus, templum hoc Dianæ incendit Herostratus, ut ex hoc suo facinore nomen suum ad omnes posteros transmitteret. Unde nomen ejus ex omnibus libris deleverunt, sed tamen manus illud superstes. Ex hoc incendio conjectarunt augures : illo die natum esse, qui exitium afferret Asiæ. Tandem Gothi sub Galieno Imper. invadentes Asiam, hoc templum planè spoliarunt et concremarunt, ait Capitolinus in vita Galieni.

25. Quos (artifices ædicularum Dianæ) CONVOCANS, ET EOS QUI HUJUSMODI ERANT OPIFICES,] περὶ τὰ τοιαῦτα ἐργάτας, id est, *et eos qui circa eadem operabantur.* Præter enim ipsos artifices, erant alii opifices eorum administri. Alii enim argentum in laminas deducebant, alii liquabant, alii purgabant, alii poliebant, alii pingebant, alii inscribebant, alii exornabant. Pagnin et Vatabl. vertunt, *et eos qui similium rerum erant opifices,* quasi omnes omnino aurifabros, sculptores, statuarios, etc., Demetrius convocarit ut majorem cieret tumultum.

DE HOC ARTIFICIO EST NOBIS ACQUISITIO.] Tigur. *ex hoc opificio nobis ist quæstus.* Græce enim est εὐπορία, id est, *lucrum, quæstus.*

27. NON SOLUM AUTEM HÆC PERICLITABITUR NOBIS PARS (hæc sors nostra, hoc opificium nostrum, hic quæstus noster) IN REDARGUTIONEM VENIRE,] puta in reprobationem et contemptum, ut redarguta et confutata à Paulo quasi vana et superstitiosa ab omnibus negligatur, reprobetur et contemnatur ; itaque ad paupertatem redigamur et fame moriamur. Aliqui vertunt, *periclitamur hac parte.*

MAGNÆ DIANÆ.] Gentiles magnos deos numerabant duodecim, sex mares, totidem feminas, quos Ennius hoc disticho complectitur :

> Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
> Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Cæteri dii erant minorum gentium.

DESTRUI INCIPIET MAJESTAS EJUS.] Legit Interpres μέλλειν δὲ. Sic et Pagnin. Vatab. et alii. Nonnulli tamen legunt μᾶλλον δὲ, id est, *magis vero.* q. d. Non tam angit nos perditio lucri, quam Dianæ honor et cultus : acerbissimum enim nobis erit, et omnibus esse debet, si Majestas ejus apud vulgus depereat.

29. CONFUSIONE,] perturbatione, tumultu.

ET IMPETUM FECERUNT,] ὥρμησαν, id est, *impetu uno concurrerunt in theatrum,* in illud rapientes Gajum et Aristarchum, ut illos, aliosque Christianos ibidem reos et sacrilegos publice proclamarent et mactarent. Ita Arator, Beda, Hugo et alii. Gajus hic fuit Macedo, alius à Gajo Derbeo, de quo cap. seq. v. 4. Aristarchum Paulus vocat concaptivum suum Coloss. 3. 10. Asscriptus est Sanctis die 4. Aug. ubi sic legimus : *Thessalonicæ S. Aristarchi, qui fuit individuus comes Pauli, et ab eo Thessalonicensium Episcopus ordinatus, post longos agones sub Nerone coronatus quievit.*

30. PAULO AUTEM VOLENTE.] Extollit S. Chrysostom. 7. de laudibus S. Pauli, ejus animi magnitudinem, quod quæsitus ad necem in populi furentis turbam ingredi voluerit, eam vel sedaturus, vel pro Christo occubiturus. Hoc enim, ait, decebat ducem fidelium, ut audacia cæteris præiret, ac reipsa ostenderet Christianis non esse timendam, sed ambiendam mortem pro Christo. Sic in bellis dux animosus animat totum exercitum, timidus intimidat. Unde illud. *Fortior est exercitus cervorum duce leone, quam leonum duce cervo. Paulus enim,* ait Chrys., *in prædicandi ardore ipso igne vehementior, pluviam in se flam-*

mam ipse succendit : non pericula timuit, non irrisiones erubuit, sed alios accipiens oculos, utique charitatis, aliamque mentem, multo cum impetu instar torrentis irrupit, omnia pariter Judæorum trahens atque convolvens, etc., *et quasi semper satisfaceret Deo pro tempore jam peracto, sic lubra spiritualia undique colligebat, in locum, qui esset belli pars maxima, et laborum periculorumque plena, fidenter insiliens. Hoc vero mirabile, quod, cum esset tam audax, et quasi ad pugnam semper accinctus, et ignem quemdam belli conspirans, ita rursum placabilem se præbebat magistris, ut nunquam in tanto alacritatis impetu offenderit.* Unde et suis dissuadentibus ingressum in theatrum, illico acquievit. Sic et S. Gregor. 31. Moral. cap. 14. vel 23. Paulum comparat equo generoso, qui in prælio exultat. *Intueri*, ait, *licet illum sessoris sui calcaribus excitatum contra armatos hostes, quantus Paulum fervor accenderet, quando cum Ephesi ad irrumpendas theatri turbas zeli flamma rapiebat.*

32. Alii autem aliud clamabant.] Videtur esse aposiopesis, et aliquid esse supplendum, quod explicat Syrus, dum vertit, *turbe autem quæ erant in theatro, valde tumultuabantur, et alii aliud clamabant.* Nam ut sequitur : *Erat Ecclesia*, id est populi cœtus et turba confusa, uti fit in seditione et tumultu, dum unus hoc vult et clamat, alius aliud.

33. De turba autem detraxerunt Alexandrum.] Hic Alexander videtur fuisse Judæus, peritus et eloquens, Paulo tamen amicitia conjunctus, quem Judæi protraxerunt in locum aptum ad perorandum pro communi causa. Nam Ephesios pro Diana certantes non tantum in Christianos, sed et Judæos, Dianæ hostes, fuisse commotos et concitatos patet ex sequentibus v. 34. Unde Syrus vertit, *plebs autem Judæorum, qui illic erant, statuerunt ex seipsis virum Judæum, cui nomen erat Alexander.* Nam pro *detraxerunt*, græce est προεβίβασαν, id est, *prius instruxerunt*, uti vertit Vatabl. Sic instruimus advocatum, vel patronum causam nostram acturum : unde quidam putant nostrum Interpretem legisse προεβίασαν, id est, *protuserunt.* Verum etiam προβιβάζεσθαι, dicitur, qui cogitur prodire et protruditur. Alexandrum hunc putat Baron. Hugo et alli conversum fuisse ad Christum, sed apostatasse, essequc illum, quem Paulus cum Hymenæo ob blasphemiam tradidit Satanæ, 1. Timoth. 1. 20. Verum alii, ut Cajet. et Arias, censent fuisse diversum.

Alexander autem manu silentio postulato,] κατασείσας τὴν χεῖρα, id est, *agitans manum*, *mota manu.* Ita Persius : *Et calidæ fecisse silentia turbæ, Majestate manus.*

35. Et cum sedasset scriba turbas.] Scriba hic fuit Secretarius civitatis, vel consiliarius Magistratus, ejusque quasi os et sensus, quales in Belgio sunt et vocantur Pensionarii. Unde græce vocatur γραμματεύς, id est, *legis doctor*, qui jura civitatis callet et tuetur, ac in iis Magistratum informat et dirigit. Syrus vertit, *princeps civitatis* quasi fuerit Cancellarius.

Putant aliqui scribam hunc fuisse Alexandrum Judæum. Ita Baron. Verius alii censent alium fuisse, eumque Gentilem : nam Lucas videtur eos distinguere. Alexandro enim, utpote Judæo, acclamarunt turbæ Gentilium per duas horas. Ut ergo eas sedaret, successit scriba Gentilis, qui laudans Dianam (quod non fecisset Judæus) eas compescuit. Unde Chrysost. vocat eum insidelem. Sane vir fuit politicus et prudens, qui statim turbas composuit, qualis fuit Demosthenes, *quem mirabantur Athenæ Torrentem, et pleni moderantem frena theatri*, ait Juven. sat. 10.

Cultricem esse.] Syrus, *ædituam esse :* græce νεωκόρον, id est, *templi ornatricem et administram.* Sicut S. Paulinus optabat esse custos et ædituus templi S. Felicis, quem proinde celebravit decem hymnis natalitiis.

Jovisque prolis.] Græce καὶ τοῦ διοπετοῦς, id est, *à Jove demissi* vel *delapsi*, scilicet ἀγάλματος, id est, *simulacri* Dianæ, ita Syrus, Chrysost. Pagn. Vatabl. et alii. Fingebant enim Dianæ simulacrum non ab homine effictum, sed cœlo delapsum, idque vulgo creditum fuisse docet Suidas in voce διοπετές. Ita mendacio aucta est superstitio. Sic Palladium Trojanum, et Ancile Romanum cœlo lapsa finxerunt. Noster legit τῆς διοπετοῦς, id est, *à Jove profectæ*, vel *descendentis* Dianæ. Homerus enim reges vocat διοπετεῖς, quasi à Jove profectos et ortos. Forte etiam legit διογενοῦς, id est, *à Jove genitæ.*

37. Neque blasphemantes deam vestram.] Mentitur officiose ad sedandum populum, ait Chrys. Paulus enim docebat eam non esse deam, sed idolum inane et fictum ; quod apud Ephesios erat insignis blasphemia. Notat tamen insignem Pauli modestiam, qui conviciis et maledictis Dianam non prosciderit, sed nudam ejus veritatem dixerit et detexerit. Idem faciebant Judæi, putantes illud præceptum esse Exod. 22. 28. *Diis non detrahes ;* licet alius ejus loci sit sensus, ut ibi dixi. Unde Josephus l. 2. contra Appionem : *Noster mos*, ait, *est propria custodire, non aliena accusare, et ut neque videre neque blasphemare debeamus eos, qui apud alios putantur dii, aperte nobis legislator interdixit.* Huc facit illud S. Aug. monitum in Evangelium secundum Matth. serm. 6. *Prius idola in cordibus hominum, deinde in idoliis et templis esse confringenda.* Ex hisce verbis colligitur, scribam hunc Paulo favisse, eique fuisse amicum, vel benevolum.

38. Conventus forenses aguntur.] Græce, ὠγοραῖοι ab ἀγορὰ, sicut forenses à foro. Quinam hi ? Primo, Syrus vertit, *artifices sunt*, quasi hi conventus fuerint artificum, in quibus à Decanis ejusdem artis quæstiones et lites decidirentur, ut passim in Germania fieri videmus. q. d. Lis hæc pertinet ad collegium aurifabrorum : ibi decidatur.

Secundo, Œcum. *forenses* interpretatur vulgares et plebeios judices, qui plebeiorum causas decidebant, sicut divitum proconsules.

Tertio, *forenses* vocantur, qui in publico loco et consessu, puta in foro, fiunt. Sicut vulgo causas forenses vocamus civiles. Apud Romanos enim, aliosque judicia publica exercebantur in foro, teste Cicerone, Quintil. l. 3. et aliis. Unde forensis opponitur domestico, quasi publicum privato. Et scimus Ciceronem causas suorum egisse in foro, non rerum venialium, sed causarum, quæ in publico loco, velut suo foro tractantur.

Quarto, Baron. ex Dionisio Halicarn. l. 4. *conventus forenses* censet fuisse eos, quibus statis per annum diebus populus conveniebat ad sacra et ludos Dianæ : ubi deinde præsto erant judices, qui lites deciderent et componerent. Aut potius, inquit, apud Lucam *conventus forenses* illi erant, cum proconsul in quibusdam provinciæ civitati-

bus, quæ sibi ad hoc peragendum commodiores videbantur, certis diebus consistens, per se vel legatos causas comprovincialium cognoscens, judicia exercebat, et per sententiam definiebat. Meminit horum Cicero l. 3. epist. 6. et 8. et Josephus 14. Antiq. c. 10. Sic in Hungaria, aliisque regnis, lites et causæ graviores differuntur usque ad comitia regni, in quibus à regni proceribus deciduntur. Tertius sensus cæteris planior videtur et communior.

39. Si quid autem alterius rei quæritis,] gravioris, ad bonum et quietem publicam spectantis.

In legitima Ecclesia, in cœtu et comitiis provinciæ, vel populi, legitime à lege, vel Magistratu indictis, poterit absolvi,] id est, definiri, vel transigi et componi. *Legitimam* opponit tumultuariæ, quam hic ipsi per seditionem conflarant. Ita Gagneius, Vatabl. et alii. Addit Chrys. hos cœtus ter in mense fieri solitos. Baron. vero ex Epiphanio hæresi 30. per *Ecclesiam* accipit Synagogam Judæorum. q. d. Si quid Judaicæ quæstionis habetis circa Judæos et legem Mosaicam, qualis videtur esse hæc quam Paulo Judæo intentatis, adite Synagogam Judæorum, ibi ea optime decidetur. Judæi enim Ephesi habitantes, ejusdem civitatis municipes erant, ac proinde privilegiis civium potiebantur, et Ephesii dicebantur, teste Josepho l. 2 contra Appionem. Verum sic scriba hic magis irritasset furentem populum : ille enim oderat Judæos, quasi Dianæ suæ hostes. Prior ergo sensus est planior.

40. Nam et periclitamur argui seditionis.] Percellit eos metu Imperatoris et proconsulis, qui in auctores hujus tumultuarii concursus et seditionis sit inquisiturus, de iisque pœnas sumpturus.

Cum nullus obnoxius sit,] ἄτιος, id est *reus*. q. d. Cum nemo sit in culpa, cum nullus sit turbator, reip. proditor, seditiosus, ob quem hic concursus sit factus, ut propterea eum excusare possimus, ejusque rationem reddere proconsuli. Enorme enim crimen debet esse, ob quod totus populus concurrat et insurgat. Secundo, αἴτιος, non ad hominem, sed ad rem causamque referri potest. q. d. Cum nulla sit causa per quam excusare possimus hunc populi concursum. Ita Gagneius, juxta illud Eustath. Odyss. α ἄτιος ὁ ραγας αἰτια Καλλιμάχω. *Est reus asscribens crimina Callimacho.*

Dimisit Ecclesiam,] cœtum populi. Nota. Multa et magna hic et alibi omittit Lucas. Nam tantum itinera Pauli, et capita rerum in iis gestarum summatim percenset. Sic cap. 9. omittit profectionem Pauli recens conversi in Arabiam, reditum in Damascum, post annos tres, accessum Hierosolymam, reprehensionem Petri, quæ tamen recenset Paulus Galat. 1. et 2. Sic 1. Cor. 11. 24. ait Paulus. *A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi*, de quibus Lucas ne verbum quidem. Cumque Paulus ter se cæsum virgis dicat, de unica tantum flagellatione facta Phillippis, idem meminit c. 16. De terno naufragio; item, quo Paulus ait se nocte et die in profundo maris fuisse, nil habet Lucas : nam naufragium quod c. 27. recenset, contigit post scriptam epistolam ad Corinthios. Sic de cathedra Petri Antiochena, Romana, aliisque ejus gestis altum silentium est apud Lucam. Pari modo hic Ephesi omisit pugnam Pauli cum bestiis, de qua Paulus 1. Cor. 15. 32. ait : *Si secundum hominem* (id est, humana audacia, contentione et robore, sive quantum homini est possibile) *ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt ?* Nam quod Theoph. OEcum. Anselm. et ex eis alii recentiores (quorum unus alium, quasi ovis ovem sequitur) hanc pugnam metaphorice accipiunt pro contentione, quam Paulus habuit cum Demetrio et argentariis, quos ob sævitiam et furorem, atque ob carnalem et bestialem vitam (qua carni dediti ita vivebant, ac si non esset resurrectio et altera vita in cœlis) vocet bestias, certum est eos errare. Nam epistola ad Corinth. in qua pugnæ hujus meminit, scripta est Ephesi, ut patet ex eo quod ait 1. Cor. 16. 8. *Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten.* Rursum scripta est ante contentionem cum Demetrio : post eam enim statim Epheso discessit, ut patet c. 20. 1. ita Baron. et alii passim. Quocirca nonnulli, ut Arias, censent hanc pugnam Pauli cum bestiis, fuisse concertationem quam habuit cum Judæis, et filiis Scevæ exorcistis, vers. 9. et 13. Verum id minus est probabile. Exorcistis enim fuit concertatio cum diabolo, qui in eos insiliit, non cum Paulo, qui tacuit : cum Judæis autem ad prædicationem Pauli se indurantibus non certavit ipse. *Sed discedens ab eis segregavit discipulos, quotidie disputans in scola tyranni cujusdam*, ait Lucas. Longe majus certamen fuit Paulo cum Judæis in Derbe, Lystra, Corintho, uti audivimus cap. 14. 15. et seq. et tamen nusquam eos vocavit bestias.

Quare verius videtur, ad litteram Paulum Ephesi objectum fuisse bestiis. Primo, quia id proprie verba ejus jam recitata sonant. Secundo, quia aliæ expositiones sunt impropriæ, nec solido fundamento nituntur. Tertio, qui cum plerique Martyres, multique Pauli discipuli et discipulæ, inter quas fuit S. Thecla, objecti fuerint bestiis, decebat ut et Paulus eorum Antesignanus et dux, eis in hac re præiret, daretque exemplum. Fuit enim ipse tentatus et consummatus per omnia. Quarto, quia ita explicant Theodor. Amb. Arboreus et Marian. 1. Cor. 15. Favet quoque Chrysost. dum bestias non nisi bestias interpretatur, esto ambigue loquatur. Ait enim : *Quid est secundum hominem ? quantum feritatis in homines cadit, depugnavi cum bestiis.* Ubi interpretatur τὸ *secundum hominem*, non autem τὸ *pugnavi cum bestiis*, quasi per se clarum, ut sonat accipiendum. Quinto, quia idcirco dixit 1. Corinth. 4. 9. *Spectaculum* (græce θέατρον, id est, *theatrum*) *facti sumus mundo, et angelis, et hominibus.* q. d. In theatro bestiis objecti, facti sumus spectaculum hominum, Dei et angelorum. In theatris enim spectabantur hominum et ferarum pugnæ, gladiatores, et bestiludia, uti sanctus Ignatius Pauli assecla, post cum Romæ à Trajano ad bestias damnatus, in amphitheatrum productus, videns circumfusam spectantium turbam, eamque salutans : *O Romani*, inquit, *in theatrum hoc prodeo, vobisque spectaculum fio, non ob crimen aliquod, cum nihil morte dignum commiserim ; sed ut per leones ad Deum perveniam, eoque fruar, cujus insatiabili teneor desiderio.* Unde et subdit Paulus : *Tanquam purgamenta* (ὥσπερ καθαρματα, id est, *tanquam anathemata et diris devota capita*) *hujus mundi facti sumus, omnium peripsema.* q. d. Facti sumus ut piaculares hostiæ, detrimenta mundi, et bestia-

rum pabula, quasi vita, luce, aere et terra hac indigni, ideoque in ferrarum ventre detrudendi et sepeliendi.

Dices Primo. Non est credibile Paulum proprie pugnasse, id est, dimicasse cum bestiis, ut ipse ait, esto eis sit objectus.

Resp. θηριομαχεῖν, id est, *pugnare cum bestiis*, idem est quod bestiis objici : quia enim plerique reorum ita objiciebantur bestiis, ut cum eis depugnarent ad spectantium voluptatem (populus enim magis spectare avebat has pugnas et bestiludia, quam nudas hominum devorationes) hinc pugnare cum bestiis, idem est quod bestiis objici, ut patet ex Actis Martyrum. Unde sanctus Ignatius epist. 11. ad Ephesios ait : *Ut merear Romæ cum bestiis dimicare*, id est, bestiis objici, ab eisque laniari.

Dices, Secundo, Paulus erat civis Romanus, ac proinde jure Romanorum non poterat ad bestias damnari.

Resp. eum objectum fuisse bestiis, non per legitimum judicem et judicium, sed per furorem populi. Rem gestam narrat Nicephorus l. 2. caput 25. ex antiquis Pauli Actis, quæ citat probatque Origen. l. 1. Periarch. c. 2. *Verum enim vero*, ait, *qui profectiones Pauli descripserunt, cum quam plurima alia simul et fecisse et passum esse, tum hoc quoque cum Ephesi esset, de eo memoriæ mandarunt. Cum ibi principem locum Hieronymus obtineret, multa cum libertate Paulus est concionatus : quare Hieronymus illum bene quidem et diserte dicere, orationem ejus non esse eorum temporum testatus est. Plebs quidem certe per insolentiam et furorem Paulo compedibus injectis, carceri eum includit, ut leonibus vorandus objiceretur. Ibi tum Eubula et Artemilla, clarorum Ephesi virorum conjuges fidem edoctæ à Paulo (noctu enim ad eum veniebant) divini lavacri gratiam ab eo petunt. Itaque virtute divina atque angelici satellitii ministerio, caliginem noctis exuberantia splendoris illustrante, Paulus ferreis compedibus liberatus, illas divino baptismo ad littus maris initiat, et cum id nemo omnium quibus custodiæ cura mandata fuerat, sensisset, ad vincula rursum sua in quibus esca leonibus asservabatur, redit. Sed enim ingenti magnitudine et robore intolerando leo contra ipsum immissus, in arenam quidem ille procurrit, sed ad Pauli pedes consedit. Et cum itidem aliæ immanes feræ immitterentur, ne tangere quidem illa sacrum corpus ad orationem erectum, atque compositum sustinuit. His ita actis, de repente fragore multo vehemens quædam supra naturæ ordinem grando decidens, multorum simul et virorum, et ferorum animalium comminuit capita, ipsiusque Hieronymi aurem amputat : qui deinde cum suis per Paulum Deo conciliatus, salutiferum suscepit lavacrum : leo autem ille profugus in montes proximos evadit : et Paulus inde in Macedoniam et Græciam transmisit, atque ita tandem Hierosolymam proficiscitur. Mirandum non est, Lucam hanc Pauli cum belluis pugnam reliquis ejus actis non inseruisse : nam etsi ex Evangelistis solus Johannes Lazari resuscitationem commemorat, minus tamen de fide veritateque ejus ambigendum.* Hucusque Nicephorus.

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Paulus Epheso discedens, per varias Asiæ et Græciæ urbes pergit in Macedoniam; inde Troadem, ubi Eutychum a morte revocat: inde Miletum; quo Seniores Ephesi accersens, eis Ecclesiam commendans ultimum vale dicit.

Nota. Omnia quæ hoc capite et deinceps narrat Lucas usque ad cap. 28. et ultimum, gesta sunt uno eodemque anno, scilicet Christi 5. Neronis 2. Vide Chronotaxin.

1. Postquam autem cessavit tumultus, vocatis Paulus discipulis, et exhortatus eos, valedixit, et profectus est ut iret in Macedoniam. 2. Cum autem perambulasset partes illas, et exhortatus eos fuisset multo sermone, venit ad Græciam. 3. Ubi cum fecisset menses tres, factæ sunt sunt illi insidiæ à Judæis navigaturo in Syriam: habuitque consilium ut reverteretur per Macedoniam. 4. Comitatus est autem eum Sopater Pyrrhi Beræensis, Thessalonicensium vero Aristarchus, et Secundus et Gaius Derbeus, et Timotheus : Asiani vero Tichicus et Trophimus. 5. Hi cum præcessissent, sustinuerunt nos Troade : 6. nos vero navigavimus post dies azymorum à Philippis, et venimus ad eos Troadem in diebus quinque, ubi demorati sumus diebus septem. 7. Una autem sabbati cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis, profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque in mediam noctem. 8. Erant autem lampades copiosæ in cœnaculo, ubi eramus congregati. 9. Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus super fenestram, cum mergeretur somno gravi, disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsum, et sublatus est mortuus. 10. Ad quem cum descendisset Paulus, incubuit super eum: et complexus dixit: Nolite turbari, anima enim ipsius in ipso est. 11. Ascendens autem, frangensque

panem, et gustans, satisque allocutus usque in lucem, sic profectus est. 12. Adduxerunt autem puerum viventem, et consolati sunt non minime. 13. Nos autem ascendentes navem, navigavimus in Asson, inde suscepturi Paulum: sic enim disposuerat ipse per terram iter facturus. 14. Cum autem convenisset nos in Asson, assumpto eo, venimus Mitylenen. 15. Et inde navigantes, sequenti die venimus contra Chium, et alia applicuimus Samum, et sequenti die venimus Miletum. 16. Proposuerat enim Paulus transnavigare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes faceret Hierosolymis. 17. A Mileto autem mittens Ephesum, vocavit majores natu Ecclesiæ. 18. Qui cum venissent ad eum et simul essent, dixit eis: Vos scitis, à prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim. 19. Serviens Domino cum omni humilitate, et lacrymis, et tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum: 20. quomodo nihil subtraxerim utilium, quominus annuntiarem vobis, et decorem vos publice, et per domos, 21. testificans Judæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum. 22. Et nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Jerusalem; quæ in ea ventura sint mihi, ignorans: 23. nisi quod Spiritus sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens: quoniam vincula, et tribulationes Hierosolymis me manent. 24. Sed nihil horum vereor: nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum, et ministerium verbi, quod accepi à Domino Jesu, testificari Evangelium gratiæ Dei. 25. Et nunc ecce ego scio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei. 26. Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium. 27. Non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis. 28. Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. 29. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. 30. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. 31. Propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte et die non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque vestrum. 32. Et nunc commendo vos Deo, et verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare, et dare hæreditatem in sanctificatis omnibus. 33. Argentum et aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut 34. ipsi scitis: quoniam ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. 35. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes, oportet suscipere infirmos ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare quam accipere. 36. Et cum hæc dixisset, positis genibus suis oravit cum omnibus illis. 37. Magnus autem fletus factus est omnium: et procumbentes super collum Pauli osculabantur eum, 38. dolentes maxime in verbo, quod dixerat, quoniam amplius faciem ejus non essent visuri. Et deducebant eum ad navem.

1. Exhortatus eos.] Græce tantum est προσκαλεσάμενος, id est, *vocans:* unde ex Græco excidisse videtur altera vox vicina και παρακαλεσάμενος, id est *et exhortatus;* vel, ut Syrus, *consolatus eos:* ideo enim vocavit eos, ut exhortaretur et consolaretur in tanta Demetrii seditione et tumultu.

Valedixit,] ασπασάμενος. Syrus *deosculatus eos.* Pagnin. et Tigurina, *complexus eos.* Solebant enim Christiani primitus se salutare in osculo sancto, id est, amplectando sese invicem, uti etiamnum eorum exemplo faciunt Religiosi. Vide dicta ad illud: *Salutate invicem in osculo sancto,* 1. Cor. 16. 20. et 2. Cor. 13. 12.

Profectus est.] Sapienter cedens furori Demetri et argentariorum, ne in Christianos omnes insurgerent, eosque mactarent; se vero aliis provinciis et laboribus reservans. Ita sanctus Athanasius sciens se unum quæri ab Arrianis, ac in suo capite verti rem Christianam de homusio, prudenter ubique fuga se subduxit, vitamque pene omnem in exilio et latebris egit; ac fugiendo, hostium furorem fregit et superavit.

Ut iret in Macedoniam,] inde iturus Hierosolymam, ut ipse destinavit c. 19. 21.

3. Factæ sunt illi insidiæ a Judæis.] Nimirum obsederunt vias, ut eleemosynas, quas deferebat fidelibus in Jerusalem, eriperent, ait Dionys. et ut eum occiderent, ait Lyran.

4. Comitatus est autem eum.] Græca addunt, *usque ad Asiam.*

Sopater.] Nonnulli legunt *Sosipater,* hic enim per crasin dicitur *Sopater.* Fuit hic cognatus Pauli, ut patet Rom. 16. 21. ita S. Chrysost. Theophyl. Origen. et alii in Rom. c. 16. Asscriptus est Sanctis in Martyrol. 25. Junii.

Pyrrhi,] scilicet *filius;* vel, ut Sedullius legit, *pater.*

Beroensis.] Beda hoc cognomen ad Sopatrem refert, non ad Pyrrhum. q. d. Sopater patria erat Beroensis, sive natus Beroeæ: licet Ado et Usuardus in Martyrol. 25. Junii legunt *Pyrrhi-Beræensis,* quasi civitas hæc dicta sit *Pyrrhi-Boerræea.* Verum de urbe hujus nominis, nihil uspiam reperi.

Tychicus.] Hic fuit administer Pauli in perferendis litteris et mandatis ad absentes. Unde

Paulus eum vocat charissimum fratrem, fidelem ministrum et conservum in Domino, Ephesion. 6. 21. Colos. 4. 7. Sanctis asscriptus est in Martyrol. Rom. die 29. Aprilis.

TROPHIMUS.] Hic fuit Ephesius ex Gentilibus oriundus : unde propter eum captus est Paulus, suspicantibus Judæis, quod Trophimum Gentilem induxisset in templum eorum, c. 21. 29. De eo sic legimus in Martyrol. Rom. 29. Decemb. *Arelate natalis S. Trophimi, cujus meminit sanctus Paulus ad Timoth. scribens, qui ab eodem Apostolo Episcopus ordinatus præfatæ urbi primus ad Evangelium prædicandum directus est : ex cujus prædicationis fonte, ut S. Zosimus Papa scribit, tota Gallia fidei rivulos accepit*, qua de causa Arelatensis Ecclesia de primatu Galliæ contendit, uti fuse hic narrat Lorinus.

6. NAVIGAVIMUS POST DIES AZYMORUM.] Hinc patet, hoc tempore, puta anno Christi 58. adhuc apud Christianos viguisse legalia, saltem nomine et umbra tenus. Esto enim Christiani celebrarent Pascha, non tamen dies azymorum : hi ergo erant Judaici.

Nota. Lucas hic mutat personam tertiam in primam, dicens *navigavimus*, idque facit usque ad finem libri. Unde liquet, Lucam hucusque abfuisse à Paulo ; hic vero, cum ad Græciam rediit Paulus, rursum ei adhæsisse : eum enim cum cæteris Paulus assumpsit socium itineris è Græcia Hierosolymam, indeque Romam. Vide dicta c. 16. 10. Causam, cur Lucas hic rursum adhæserit Paulo, Silet Lucas ex modestia, sed explicat Paulus 2. Cor. 8. 19. scilicet quod Lucas apud Græcos tum ex medicina, tum ex probitate et fide, tum ex scripto Evangelio celebris, ab Ecclesiis electus esset comes peregrinationis Pauli, ad perferendas eleemosynas fidelium Achaiæ et Macedoniæ in Jerusalem. Prudenter enim nolebat Paulus eas perferre, sed latorem designari ab Ecclesiis, ne quis suspicari posset, eum quid ex iis in suos vel aliorum usus convertisse, ut ipse ibidem ait.

2. UNA AUTEM SABBATI,] id est, prima die hebdomadæ (quæ à præcipua die vocatur *sabbatum*) vel prima die post sabbatum, puta Dominica : unde in ea Paulus celebravit Eucharistiam, ad quam fideles de more convenerunt. Ita S. Chrys. Beda et S. Aug. epist. 86. Vide dicta 1. Corinth. 16. 1. Fuit hæc Dominica una ex iis, quæ inter 50. dies à Paschate usque ad Pentecosten intercurrunt : et hoc respectu à Chrysost. vocatur Pentecoste ; alioqui non fuisse ipsam Dominicam Pentecostes, patet ex v. 16. ubi festinat Paulus, ut Pentecosten celebret Hierosolymæ.

AD FRANGENDUM PANEM,] non corporalem, ut vult Lyran. et alii ; sed sacrum, puta ad celebrandam et sumendam Eucharistiam, et post eam Agapen. Ita Syrus et S. August. epist. 86. quin et Calvinus et Bullingerus hic. Vide dicta c. 2. 46. Nota hic primævum morem celebrandi Missam in Dominica, ad quam conveniebant omnes fideles, in eaque communicabant : quod deinde præcepto universali sanxit Anacletus Papa quartus à S. Petro, ut habetur in ejus decretis 2. quæst. 7. c. *Laici.*

PROTRAXITQUE SERMONEM USQUE IN MEDIAM NOCTEM.] Primitus enim exemplo Christi, Eucharistia celebrabatur vespere post sermonem sive exhortationem, eratque et vocabatur cœna Dominica, Paulus ergo ultimum valedicturus, protraxit sermonem in mediam noctem. Ubi Nota fervorem Pauli in prædicando, et vice versa populi in audiendo devotionem, *ut audirent tubam illam, et amabilem vultum intuerentur*, ait Chrysost. Porro incertum est an hæc nox et vespera fuerit prævia, et principium diei et lucis Dominicæ, an sequens, diemque terminans : festum enim habebat duas vesperas, puta primam et secundam, uti etiamnum habet in Officio Ecclesiastico. Terminantem accipere videtur S. Hieron. epist. 28. ad Lucinum, dicens : *Utinam omni tempore jejunare possemus, quod in Actibus Apostolorum diebus Pentecostes, et die Dominico Apostolum Paulum et cum eo credentes fecisse legimus. Nec tamen Manichææ hæresis accusandi sunt* (qui docuerunt die Dominico esse jejunandum, etiamsi nemo sit communicaturus) *cum carnalis cibus præferri non debuerit spiritualis.* Jejunarunt ergo die Dominica, non ob præceptum, sed ob reverentiam Eucharistiæ, quam sumpturi erant. Jejunium autem nullum est die inchoante, sed finiente. Ergo finiente die Dominica celebrarunt Eucharistiam, non inchoante.

8. LAMPADES COPIOSÆ.] Tum ad pellendas noctis tenebras, tum ad decoranda mysteria et celebrationem Eucharistiæ, uti etiamnum cereis altaria collucent in Missa, de quo ritu vide Baron. hic.

9. DUCTUS SOMNO,] κατενεχθεὶς ὑπὸ τοῦ ὕπνου, id est, *victus à somno*, ait Budæus. Nam sermo Pauli protrahebatur, in mediam noctem. Celebre est exemplum Machetis in Collationibus spiritualibus pervigiliis, apud Cassianum lib. 5. de Instit. renunt. cap. 29.

10. CECIDIT DE TERTIO CŒNACULO.] Syrus, *de tertia contignatione.* Casus et mortis Eutychi S. Chrysostom. auctorem facit diabolum, ut festum hoc gaudiumque Christianorum, et fructum concionis Pauli interturbaret, et tam tristi eventu funestaret.

INCUBUIT SUPER EUM.] et Syrus, *cecidit super eum*, instar Eliæ 3. Reg. 17. 21. Et Elisæi 4. Reg. 4. 34. qui incumbentes puero mortuo, eum suscitarunt, ita Beda.

ET COMPLEXUS,] Vox Græca συμπεριλαβών, id est, *circumplexus ;* notat arctissimum circumquaque Pauli complexum, ut viscera suæ compassionis, charitatis et misericordiæ in eum effundere velle videretur. *S. Eutychus à S. Paulo resuscitatus; secutus est S. Joannem Evangelistam, Telæ passus in Vaccæis in Hispania, completo martyrio gloriosus migrat ad Dominum anno Christi* 112. ait L. Dexter in Chronico.

11. SIC PROFECTUS EST.] Syrus, *tunc profectus est.*

12. ET CONSOLATI SUNT NON MINIME.] Id est, maximam consolationem acceperunt. Pulchre Beda, *Inter verba*, ait, *prædicationis occurrit occasio curationis, ut dulcedine miraculi et doctrinæ sermo firmetur, et vigiliarum labor arceatur, et memoria magistri jam discessuri, arctius mentibus infigatur.*

13. ASSON.] Urbs est in Æolide juxta Troadem, alio nomine dicta *Apolonia*, ait S. Hieron in Locis Hebraicis.

PER TERRAM ITER FACTURUS.] Chrysost. *pedibus per terram ingressurus* hoc enim est πεζεύειν, nimirum pedibus incedere, vel pedestri itinere venire. Unde notat Chrysost. Paulum pedibus iter fecisse, socios vero navigare jussisse, ne laborem pedestris itineris subirent. Ita S. Fran-

ciscus, et viri Apostolici incedunt pedites, quantum possunt exemplo Christi, qui pedibus magno labore, et fatigatione obambulabat Judæam et Galilæam et discurrebat per vicos et castella, ubique evangelizando regnum Dei : nec unquam equitasse legitur, sed semel asino vectus, nimirum quando ut Messias Rex Judæi, solemni pompa ingressus est Jerusalem in die Palmarum. Pedes ergo ivit Paulus, tum ut pedestri itinere amicos fideles salutaret, tum ut utique evangelizaret, tum mortificationis studio et exemplo.

14. Assumpto eo.] Paulo scilicet, *in navim nostram*. Ita Syrus. Omnia hæc narrat Lucas in prima persona, quia ipse omnibus his interfuit, et horum pars magna fuit.

15. Chium.] Insula est nota inter Samum et Lesbum, præstantis vini ferax, quod vulgo Malvasinum dicitur, de qua Plinius l. 14. cap. 7.

Samum.] Insula est in mari Ionio, patria Pythagoræ et Sibyllæ Samiæ, inventrix vasorum fictilium, quæ inde Samia vocantur. Unde illud Poetæ.

> Fictilibus cœnasse ferunt Agathoclea regem,
> Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.

Agathocles enim ex figulo factus rex, in figulinis vasis cœnabat, ut semper meminisset se figulum fuisse et figuli filium.

Addunt Græca, Syrus et S. Chrys. *ac divertimus Trogyllum*. Porro Trogyllum est promontorium contra Samum, habens juxta se parvam insulam, Trogyllum pariter appellatam. Ita Strabo l. 14.

Venimus Miletum.] Urbs hæc fuit illustris Joniæ, patria Thaletis, lanarum optimarum fertilis : quæ inde *Milesiæ* dicebantur. De ea ait Paulus S. Timoth. 20. *Trophimum reliqui infirmum Mileti* : quod cum verificari non possit de hoc Pauli adventu Miletum ; nam Trophimus Mileto comitatus est Paulum Hierosolymam usque, ac propter eum ibidem captus est Paulus cap. 21. 29. neque etiam de ejus itinere quo Hierosolymis vinctus, missus est Romam ad Neronem, quæ prima fuerunt Pauli Romana vincula ; in eo enim itinere non Miletum, sed Miletam, sive Maltam adnavigavit cap. ult. v. 1. hinc sequitur, id contigisse post prima Romana Pauli vincula, postquam scilicet iis liber Hispaniam adiit, ac Miletum aliasque Asiæ urbes revisit : tunc ergo Mileti infirmum reliquit Trophimum. Unde consequens est, epistolam secundam ad Timotheum non è primis, uti multi volunt, sed è secundis vinculis Romæ à Paulo scriptam esse, ut ibidem docui.

Transmigrare (prætervehi) Ephesum.] Vide hic Paulum instar fulguris, imo instar angeli tot urbes, tot gentes, tanta terræ marique spatia celerrime pervolantem. Præclare S. Chrys. hom. 2. de laudibus S. Pauli : *Paulus*, ait, *in terra gradiens sic se agebat in cunctis quasi angelorum societate frueretur. Nam passibili adhuc colligatur corpori illorum perfectione gaudebat, tantisque fragilitatibus subditus, in nullo inferior supernis virtutibus apparere certabat. Nam et tanquam pennatus totum docendo per volavit orbem, et velut incorporeus labores omnes periculaque contempsit, et quasi jam cœlum possidens cuncta prorsus terrena despexit, et tanquam cum ipsis jam incorporeis degeret, ita jugi mentis intentione vigilavit : et angelis quidem sæpe diversarum gentium cura commissa est, sed nullus eorum ita creditum sibi gubernavit populum, ut Paulus universum gubernavit orbem Michaeli gens commissa est Judæorum, Paulo verro terræ ac maria, atque universi orbis habitatio.* Et mox : *Quomodo non admirabile hoc atque improvisum videtur, cum ex tenera lingua sermo prosiliens mortem fugat, peccata dissolvit, tenebras cæcitatis illuminat, et mutatione mirifica terram convertit in cœlum ?*

Diem Pentecostes.] Christianæ et ritu Christianorum, ait Epiphan. hæres. 75. Hugo, Lyran. Cajet. et alii ; non Judaicæ ritu Judæorum. Vide dicta cap. 2. 1. Hinc patet antiquitas festi Pentecostes, scilicet à tempore S. Pauli.

19. Serviens Domino cum omni humilitate.] Nihil enim admirabilius, quam in tanta Pauli sublimitate tanta humilitas. Rara avis in terris. Præclare S. Greg. l. 2. epist. 54. ad Joannem Ravennatem Episcopum, pallium sibi arrogantem : *Decorari*, ait, *pallio volumus, forsan moribus indecori : dum nihil in Episcopali cervice splendidius fulget, quam humilitas*, præsertim si iis se humiliat, à quibus exagitatur et contemnitur, ut idem ait l. 2. ep. 24. juxta illud Psal. 9. *Vide humilitatem meam de inimicis meis*. Vide S. Aug. 10. Confess. cap. 4. et S. Bern. serm. 23. et 42. in Cant.

Memorabile est quod scribit Sophronius, vel potius Joannes Moschus in Prato Spirit. cap. 210. Duo, inquit, Episcopi erant in simultate ; unus ex eis ut illam discuteret, cum Clero processit ad alterum, ad ejusque pedes procidit dicens : *Ignosce Domine, servi tui sumus*. Ille victus hac humilitate : *Tu meus*, ait, *et Dominus et pater es*. Concludit Moschus : *Et vos cum habetis inimicum, ita facite, et vincetis. Quare majorem habet gloriam humilis, quam rex quia ab omnibus laudatur*. Alia similia recenset cap. 202. et 218. et 219. Nota Apostolus ait humilitatem esse servitium Dei. Nulla enim re magis quis se profitetur servum Dei, quam si se profunde non tantum ipsi, sed et hominibus quibusque propter Deum humiliet et substernat. *Magna potentia Dei solius et ab humilibus honoratur*, ait Ecclesiasticus, cap. 3. 21.

Rursum Nota *τὸ cum omni humilitate* : non enim sufficit se humiliare in una re obiter et semel, sed in omnibus profunde et semper. Humiliavit ergo se Paulus in corde, in verbo, in incessu, in salutatione, in victu, in vestitu, cæterisque omnibus. Adde *τὸ omni* accipi potest pro plena et perfecta humilitate, ut sit enallage, qua totum universale ponitur pro toto integro, puta omne pro perfecto, et omnibus partibus numerisque absoluto. Omnis ergo humilitas est plena, profunda, ima humilitas. Sic Exodi 33. 19. ait Deus Mosi : *Ego ostendam omne bonum*, id est, summum bonum, puta meipsum, *tibi*. Hanc didicit Paulus à Christo eamque verbo et exemplo docuit omnes fideles, Ephes. v. 1. Christus enim cum esset in forma Dei, propter eos exinanivit se per omnem vitam, nascens in præsepio, vivens in hospitio, non habens ubi caput suum reclinaret, moriens in patibulo. Quocirca accedens ad Joannis baptismum, cum Joannes ex summa reverentia eum prohiberet, diceretque ? *Ego debeo à te baptizari, et tu venis ad me ?* respondit : *Sine modo. Sic enim decet nos implere omnem justitiam*. Matth. 3. 15. *Omnis justitia est humilitas*, ait Glossa, quæ se non tantum superioribus et æqualibus, sed et inferioribus subjicit ; sicut ex adverso omnis injustitia est superbia,

qua quis etiam superiori se præponit : jus enim et subjectionem debitam ei adimit. Sicut ergo in omni actu virtutis intervenit humilitas, qua quis Deo ejusque legi humiliter se subdit, ita in omni actu peccati se miscet superbia qua quis superbe jugum legemque Dei excutit : humilitas itaque solvit, imo superat omnem justitiam, omneque debitum, quod debet Deo, proximo et sibi ipsi : Deo enim se subjicit per religionem, proximo per charitatem, corpus per continentiam subdit animæ, animam spiritui, spiritum Deo. Secundo, S. Amb. l. 2. in c. 3. Luc. *Hæc*, ait, *est justitia, ut quod alterum facere velis, prior ipse incipias, et tuo alios horteris exemplo. Si pro nobis Christus lavit, imo nos in corpore suo lavit, quanto magis nos nostra delicta lavare debemus?* Hoc est quod clamabat Christus : *Discite à me quia mitis sum et humilis corde*, Matth. 11. Tertio, *omnem*, id est summam, *justitiam* implevit Christus et Paulus. Nam magna humilitas et justitia est subdere se superiori, major subdere se æquali, maxima subdere se inferiori : uti Christus, cum esset Sanctus sanctorum, caput tamen inclinavit Joanni ad baptismum, quasi potens ab eo purificationem et sanctificationem : tamquam peccator et pœnitens, uti faciebant cæteri, qui baptizabantur baptismo pœnitentiæ à Joanne. Præclare S. Gregor. *Hæc*, ait, *est summa justitia et sanctitas, si virtutis merito summi, humilitate simus infimi.* Hanc impense et continuo docuit Christus Dominus, qui est æterna Patris Sapientia, ideoque è sinu Patris et summo cœlorum in imum terræ, uterumque Virginis descendit; ad hoc ut refutaret erroneum mundi judicium, quod falso docet, si quid habeamus sapientiæ ut virtutis, ut id ostentemus, extollamus, ambiamus honorari et cæteris præferri. S. Thom. Aquinas rogatus quo indicio vere sanctus et perfectus dignosci possit ? respondit : Humilitate, contemptu sui, fuga honoris et laudis. Si ex adverso, inquit, videris aliquem dum negligitur, postponitur, irridetur, dare sensum doloris vel indignationis, dejicere vultum, nasum contrahere, rugare frontem, scito hunc non esse sanctum non esse magnum, etiamsi miracula faceret. Ostendit enim in sui contemptu suam superbiam, tristitiam, iram, impatientiam, ac proinde vilem se facit et contemptibilem. Ex adverso S. Ambros. lib. 5. in Lucam, ad illud : *Beati pauperes : Humilitas spiritus*, inquit, *divitiæ virtutum sunt.* Quarto *omnem justitiam*, id est, omne incrementum justitiæ et humilitatis, ut scilicet quotidie magis magisque te humilies, donec ad culmen, aut potius ad centrum humilitatis pertingas. Sic Christus descendit è cœlo in uterum, ex utero in præsepium, ex præsepio in Jordanem, ex Jordane in crucem, ex cruce in infernum ; unde merito tanti descensus, ex inferno gloriosus ascendit et resiliit in cœlum, imo super omnes cœlos ; nimirum docuit te et me, ut, si ex uno loco, officio, gradu in quo eminebas, colebaris, honorabaris ab omnibus, mittaris et devolvaris ad alium locum, officium, gradum, in quo deprimaris, negligaris, despiciaris ab omnibus, libens eo descendas, dicasque cum Christo : *Sic decet nos implere omnem justitiam.* Quod si feceris, certus esto, te cum Christo in summum honoris gradum conscensurum, uti in summum cœlorum sua humilitate conscendit S. Franciscus.

Quocirca sapienter S. Augustinus epist. 56. ad Dioscorum : *Huic* (Christo humili, inquit,) *te mi Dioscore, ut tota pietate subdas velim, nec aliam tibi ad capessendam et obtinendam veritatem viam munias, quam quæ munita est ab eo, qui gressuum nostrorum tamquam Deus videt infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, et quoties interrogares, hoc dicerem ; non quod alia non sint præcepta quæ dicantur, sed nisi humilitas omnia quæcumque benefacimus, et præcesserit, et comitetur, et consecuta fuerit, et proposita quam intueamur, et apposita cui adhæreamus, et imposita qua reprimamur : jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia.* Appositum dat exemplum : *Itaque sicut Rhetor ille nobilissimus* (Demosthenes) *cum interrogatus esset, quid ei primum videretur in eloquentiæ præceptis observari oportere, pronuntiationem dicitur respondisse : cum quæreretur, quid secundo, eamdem pronuntiationem : quid tertio, nihil aliud quam pronuntiationem dixisse. Sic si interrogares, et quoties interrogares de præceptis Christianæ religionis, nihil aliud respondere, nisi humilitatem, liberet. Huic humilitati saluberrimæ, quam Dominus noster Jesus Christus ut doceret, humiliatus est, adversatur imperitissima scientia*, etc. *ut docti eruditique videamur.*

Et lacrymis.] Græce, *et multis lacrymis ;* tum compunctionis, ob mea et omnium fidelium peccata : tum compassionis, ob tot Christianorum infirmitates et miserias : tum orationis, ut lacrymis à Deo impetrarem, et quasi emerem gratiam toti Ecclesiæ necessariam : tum zeli et charitatis, qua deflebam obstinationem Judæorum et Gentilium, non tam Christo et mihi, quam sibi et suæ saluti obluctantium. Vide de lacrymarum fructu S. Basil. hom. 4. de gratiarum actione, et ejus familiarem S. Ephrem, qui totus fuit vir compunctionis et lacrymarum, tom. 2. in illud : *Attende tibi*, cap. 9. et ea quæ dixi Jerem. 9. 1. et Thren. 1. 2. et cap. 3. 48.

Pulchre Chrys. hom. 2. de laud. S. Pauli : *Sicut*, inquit, *parentes qui mortibus filiorum vulnerantur, aliquid consolationis accipiunt, cum fletibus malent ; magisque dolent, cum dolore prohibentur : sic Paulus nocte ac die consolationem accipiebat ex lacrymis : nullus siquidem tanto affectu mala propria, quam ille deflebat aliena.* Unde ait Rom. 9. 2. *Tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis ; qui sunt cognati mei secundum carnem.* Et 2. Corinth. 2. 4. *Ex multa tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas* (madefaciens epistolam) *non ut contristemini, sed ut sciatis quam charitatem habeam abundantius in vobis.* Nam, ut ait Chrys. *tanta est vis spiritualium in parturitione dolorum, ut malit sexenties defatigari qui talem partum enititur, quam unum ex his qui nati sunt, videre perditum ac corruptum.* Est hæc Pauli oratio ultima ad Ephesios, velut testamentum ejus, quo eis ultima dat monita ideamque Vitæ suæ, quam sibi infigant, jugiterque ad imitandum ob oculos ponant. Similia dedit Apostolis Christus Joannis 13 et 14. et 15. et 16. et 17. æque ac Jacob. Moses, Samuel, David et Tobias morituri. Sunt enim ultima verba parentum efficacia, hærentque in mentibus filiorum, quasi *scrupulus abeunti*, ait Cicero l. 4. de Finibus.

Et tentationibus.] Vexationibus, angustiis, afflictionibus. Sic sumitur *tentatio* pro tribula-

tione Heb. 11. 37. *Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt.* Et Jacob. 1. 2. *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in varias tentationes incideritis.* In tribulatione enim gaudendum est : de tentatione autem proprie dicta, utpote peccati illice, non gaudendum, sed dolendum est et pavendum.

20. NIHIL SUBTRAXERIM UTILIUM.] Puta eorum *quæ possent prodesse animabus vestris.* Ita Syrus. *Sicut enim invidiæ est quædam abscondere, ita insipientiæ est omnia dicere,* ait Chrysost. Unde Deus nonnisi utilia eloquitur. *Ego Dominus Deus tuus docens te utilia,* inquit ipse Isaiæ 48. 17. Hoc imitentur Doctores et Concionatores, ut non speciosa, non curiosa, non blanda, sed utilia doceant ; quæ animæ saluti conferant. Vide S. Basilium hom. 11. Hexam. Præclare Sidonius Apoll. l. 8. epist. 4. *Modo*, ait, *tempus est seria legi, seria scribi, deumque vita perpetua potius quam memoria cogitari ; nimiumque meminisse nostra post mortem non opuscula, sed opera pensanda.*

Secundo, et magis genuine, τὸ *utilium* referas non tantum ad doctrinam utilem, sed et ad alia quævis saluti utilia. Unde Pagnin Tigur. et Vatabl. vertunt, *quomodo nihil suffugerim,* vel *detrectarim* (hoc enim est ὑπεξειλαμην) *eorum quæ essent in rem vestram.* q. d. Nihil detrectavi neque periculi, neque laboris, qui modo ad vestram pertineret utilitatem.

PUBLICE, ET PER DOMOS.] Hinc patet non sufficere Episcopo et Pastori, ut publice in genere doceat, sed et debere privatim singulos in particulari docere et monere, ubi res exigit, præsertim cum rudes sunt, aut peccatis gravibus vel scandalosis irretiti. Imitari enim debet Pastorem ovium, qui singulas oves in particulari agnoscit, fovet, pascit, curat, medetur si ægrotent, uti faciebat Jacob pascens oves Laban, Genes. 31. 39. Hoc est quod monet Sapiens Proverb. 27. 23. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.* Cura enim et providentia est rerum particularium, non universalium.

Ita in Belgio vidi vigilantes Pastores parœciam suam obire domatim, ac singulos salutare, compellare, solari, monere, hortari ; quod mirum eis subditorum amorem, confidentiam et reverentiam conciliabat. Id fecisse se ait Paulus v. 31. *Per triennum,* ait, *nocte et die non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum.* Nam, ut ait Chrys. hom. 3. de laudib. S. Pauli : *Omnem prorsus hominem Deo exhibere cupiebat, et omnes quantum ad ipsum spectat exhibuit : quasi enim universum mundum genuisset, sic perturbabatur, sic currebat, sic omnes in regnum Dei festinabat inducere docendo, pollicendo, meditando, tum pro ipsis etiam supplicando et terrendo, et dæmones corruptores animarum fugando : aliquando epistolis, aliquando pœnitentia, nunc sermone, nunc rebus, per discipulos, per semetipsum conabatur erigere labantes, stantes vero firmare, humi jacentes attollere, sanare contritos, torpentes oleo exhortationis animare, inimicis insonare terribiliter, hostes minaciter intueri, more optimi cujusdam Ducis ac Medici artis suæ instrumenta gestantis protector ipse bellantium, ipse sedulus ægrotorum minister, et unus omnium officiorum personas et exercitium abique custodiens.* Causam subdit : *Cum celsus in omnium consisteret arce virtutum, omnem tamen flammam præcipuo charitatis ardore vincebat. Ut enim missum in ignem ferrum, totum profecto ignis efficitur ; sic Paulus charitate succensus, totus factus est charitas : qui quasi communis totius mundi esset pater, ita in amore omnium ipsos eorum imitabatur parentes, imo cunctos non carnales solum, sed et spirituales patres sollicitudine ac pietate superabat ; et pecunias, et verbu, et corpus, et animam, pro his quos diligebat impendens.*

21. TESTIFICANS.] Id est, publice et libere prædicans, ait Chrysost. Apostoli enim fuerunt publici testes Christi et Evangelii. Vide dicta c. 10. v. 42.

IN DEUM POENITENTIAM.] Pœnitentia : etsi non sit virtus Theologica, puta fides, spes aut charitas, quæ directe et primario Deum, quasi objectum respiciunt ; tamen indirecte suo quoque modo tendit in Deum. Sicut enim peccatum est offensa Dei, ita pœnitentia est reconciliatio Dei : quia ipsa est quasi satisfactio pro offensa Deo facta.

22. ALLIGATUS SPIRITU.] Noster Mariana sic explicat. q. d. Spiritus prædicit fore, ut liger in Jerusalem. Alii, q. d. Scio mihi instare vincula : quare perinde habeo, atque si illis jam essem alligatus. Simplicius alii, q. d. Pergo Hierosolymam impellente me Spiritu sancto, cui quasi alligatus et devinctus sum. Ipse enim me ita possidet, ut non tam agere, quam ab eo agi videar, juxta illud Roman. 8. 14. *Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* Porro Spiritus sanctus mihi indit spiritum, id est, impulsum desiderium, ardorem eundi in Jerusalem ; qui me ita valide eo impellit, ut ei alligatus, eoque ferri videar ; sicut nubes ita aguntur vento quaquaversum, ut ei alligatæ videantur, juxta illud Osee 4. 19. *Ligavit eum spiritus in aliis suis.* Causa hujus impulsus fuit. Prima, quia hoc eodem anno post paucos dies beata Virgo Hierosolymis migratura erat in cœlum, uti dicam c. 21. 17. Impulit ergo Spiritus sanctus Paulum in Jerusalem, ut ante migrationem beatam Virginem salutaret, eique tam suos fideles et Ecclesias, quam instantes agones cum Judæis et Nerone commendaret. Secunda, quia volebat Spiritus sanctus Paulum Hierosolymis vinctum mitti Romam, ut cum S. Petro Romanam Ecclesiam fundaret et stabiliret.

23. SPIRITUS SANCTUS PER OMNES CIVITATES MIHI PROTESTATUR,] per ora fidelium prophetantium : primitus enim fideles multi accipiebant donum prophetiæ, ut vidimus c. 2. 17. et c. 13. 1.

VINCULA ET TRIBULATIONES HIEROSOLYMIS ME MANENT.] *Ut ubi aliquando persequebatur Ecclesiam, ibi nunc pro Ecclesia decertet,* ait Beda. Hoc enim gloriosum erat tum Christo, tum Paulo.

24. SED NIHIL EORUM VEREOR,] οὐδενός λόγον ποιοῦμαι id est, *nullius ex dictis rationem facio, nihili duco, non curo, non timeo. Paulus,* ait Chrysost. hom. 2. de ejus laud. *ad confusionem et injurias, quas ob prædicandi studium sustinebat, magis quam ad bonorum oblectamenta properabat ; mortem potius quam vitam appetens ; paupertatem quam opulentiam : et multo magis laborem desiderans, quam alii requiem post laborem : ac mœrorem magis eligens, quam alii voluptatem : studiosius pro inimicis orans, quam alii adversus inimicos. Converterat enim orbem terrarum, quem nos pervertimus.* Causam subdit : *Quia non tantum urbes gentes, exercitus, provincias, pecunias, potestates, velut arenam vilia reputavit ; sed et præ Christi dulcedine non angelorum, non Archangelorum, admiratus est dignitatem nec*

quidquam simile concupivit. Quod enim majus erat omnibus, Christi amore fruebatur : cum hoc beatiorem se cunctis putabat, sine hoc autem neque Dominationum, neque Principatuum socius esse cupiebat : sed cum hac dilectione magis esse extremus optabat, imo etiam ex numero punitorum, quam sine hac inter summos et honore sublimes. Perfrui enim charitate Christi, hoc illi vita, hoc mundus, hoc angeli, hoc præsentia, hoc futura, hoc regnum, hoc promissio, hoc bona videbantur innumera : præter hæc vero nihil in tristium parte ponebat. Horum enim quæ hic habentur, nihil asperum, nihil etiam suave reputabat. Sic despiciebat universa quæ cernimus, ut solet herba jam putrefactam contemni. Illi ergo vivere Christus erat, et pro eo mori lucrum.

Nec facio animam meam pretiosiorem quam me.] *animam*, id est vitam, metonymice. Legit Interpres τιμιωτέραν ἐμαυτοῦ, id est, *pretiosiorem me*, q. d. Vitam non pluris facio quam me : me autem consecravi Christo et Evangelio : ergo et vitam, tam hanc quam me pro Christo prodigere et perdere paratus. Jam Græca habent τιμίαν ἐμαυτῷ, id est, *non habeo, non duco animam mihi pretiosam*, aut *charam* ; Syrus, *nihilo mihi habetur anima mea*, scilicet pro Christo q. d. Paratus sum mori pro Evangelio. *Et tamen moriendo magis eam pretiosam faciebat, cui tantum meritum conquirebat*, ait S. Aug. q. 57. in Levit. Sic David ait psal. 118. 109. *Anima mea in manibus meis semper, et legem tuam non sum oblitus.* q. d. Pro lege tua animam meam omnibus periculis expono, eamque quasi in manibus fero cuivis hosti obvio eam libenter daturus. Heliogabalus Imp. teste Lampridio in ejus Vita, dicebat : *Basilice moriendum est, ut mors parem non viderit*, Dixit, sed non præstitit : at Paulus dixit, et reipsa præstitit. Vide S. Bernard. serm. 30. in Cant.

Paulum imitentur viri Apostoloci et Religiosi, ut prodigi valetudinis et vitæ, se perditos æstiment, et utramque libenter, imo exultanter offerant Christo, pro eoque prodigant. Hispanorum axioma est : *Capitaneum gloriæ avidum, debere nihil ducere vitam.* Quid jam dicat miles, imo signifer, Christi, et ambiens gloriam cœlestem et æternam, ut cum Christo regnet in omnia sæcula ? Nimirum Paulus præmeditatus in corde gerebat hasce aureas S. Nazianzeni sententias : *Sola virtus ducenda est vita. Mortem velut præsentem semper tibi ob oculos pone : ita enim fiet, ut cum ipsi occurrendum erit, superior existas. In sempiternum ævum thesauriza. Nil est vita hæc quam fumus, herbæ flos, insomnium, rota semper volubilis. Nudus omnino vitæ pelagus sulca. Labora, ut animus natura sua volubilis, in te fixus sit et constans. Sepulchris opes tuas ne relinquas. Nullus enim funebris honor cum præclara fama comparari potest.* Et illud ejusdem Nazianzeni orat. 19. *Vita et mors improprie vocantur. Vita enim hæc est mater corruptionis adeoque continua mors vero est janua vitæ beatæ. Una vita est, ad vitam respicere. Una mors peccatum : est enim animæ interitus :* Denique Paulo vivere Christus erat, et mori lucrum.

Dummodo consummem cursum meum.] Græca addunt μετὰ χαρᾶς, id est, *cum gaudio.* Gaudebat enim Apostolus dari sibi occasionem martyrii, quo evolaret ad Christum, quem magis quam cor suum et animam propriam diligibat. Unde ait, *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo.* Philip. 1. 23. Et die mortis martyriique instante, exultans : *Bonum*, inquit, *certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi : in reliqua reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex*, 2. Timoth. 9. 7.

Evangelium gratiæ Dei.] Quia Evangelium est annuntiatio, et exhibitio gratiæ Christi, tum per prædicationem efficacem Apostolorum, tum per Sacramenta quæ gratiam conferunt ex opere operato, tum per exempla Sanctorum, tum per copiosam gratiam, quam sponte sua Christus in fideles suos instillat. Unde et vocatur lex gratiæ.

25. Et nunc ecce ego scio,] per instinctum et revelationem Dei.

26. Mundus sum a sanguine omnium.] q. d. Si quis vestrum pereat, sua culpa peribit, non mea. Ego enim meo officio perfunctus sum docendo, hortando, monendo. Hic verum est illud vulgo tritum : *A pastore requiritur cura, non curatio*, juxta illud angelorum Jerem. 51. 9. *Curavimus Babylonem, et non est sanata.* Alludit Paulus ad Ezech. 3. 17. *Filii hominis speculatorem dedi te domui Israel. Si dicente me ad impium : Morte moricris, non annuntiaveris, ei*, etc.; *ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus, de manu tua requiram.* Vide dicta cap. 17. 6.

Præclare S. Gregor. hom. 12. in Ezech. explicans illud : *Speculatorem dedi te domui Israel*, etc. *Sanguinem ejus de manu tua requiram : quia*, inquit, *ipse hunc occidit, qui eum tacendo morti prodidit. In quibus utrisque pensandum est, quantum sibi connexa sunt peccata subditorum atque præpositorum : quia ubi subjectus ex sua culpa moritur, ibi is qui præest quoniam tacuit, reus mortis tenetur. Pensate ergo fratres charissimi, pensate, quia et quod nos digni Pastores non sumus, etiam ex vestra culpa est, quibus tales prælati sumus. Et si quando vos ad iniquitatem defluitis, etiam ex nostro hoc reatu est, quod obsistentes atque reclamantes in pravis desideriis non habetis. Vobis ergo et nobis parcitis, si à pravo opere cessatis : vobis et nobis parcimus, quando hoc quod displicet, non tacemus. O quam liber à commissorum sibi sanguine fuerat prædicator egregius, qui dicebat : Mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis. Si enim non annuntiasset, mundus à sanguine non esset. Sed quibus omne consilium Dei annuntiare studit, ab eorum sanguine mundus fuit.* Deinde idipsum sibi et suis applicans subdit : *In qua voce nos convenimur, nos constringimus, nos rei esse ostendimur, qui sacerdotes vocamur, qui super ea mala quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus ; quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi et tacentes videmus. Sanguis ergo morientis de manu speculatoris requiritur, quia peccatum subditi culpa esse proposita, si tacuerit, reputatur. Est ergo quod faciat, ut etiam moriente subdito se liberum reddat, surgat, invigilet, malis actibus contradicat, sicut scriptum est : Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.*

27. Omne consilium.] Syrus, *Omnem voluntatem*, scilicet omne quod Deus à vobis vult fieri, puta utilia ad vestram salutem, ut dixit v. 20.

28. Attendite vobis, et universo gregi.] q. d. Invigilate primo vobis, vestræque saluti et perfectioni, deinde cæterorum fidelium vestræ curæ

commissorum. Pastor enim primam sui curam gerere debet, deinde sui gregis. Nam quo magis se curat et perficit, tanto magis curabit et perficiet gregem : sicut mater quo magis se curat, plusque comedit, eo plus habet lactis quo lactet infantem. Unde S. Gregor. ideam veri Pastoris pingens in Pastorali, primam ejus dotem ponit munditiem cordis : *Tantum*, inquit, *debet actionem populi actio transcendere Præsulis, quantum distare solet à grege vita pastoris. Sit ergo necesse est cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo : singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus : bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus : internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in internorum sollicitudine non relinquens.* Ita ipse initio Pastoralis, quæ deinde singula ordine toto libro prosequitur.

Sapienter Philo in Legat. ad Caium : *Sicut*, inquit, *cœlos regunt angeli, cœli elementa, sic reguntur bestiæ ab homine, ab anima corpus, res omnis inferior, à superiore.* Melius S. Chrys. l. 3. et 6. de Sacerdotio, Episcopum in populo doctrinâ et sanctitate eminere debere docet, sicut angelus eminet inter homines, pastor inter oves, magister inter discipulos, et, ut ait Nazianz. Apolog. de fuga, sicut animus et caput in corpore. *Vita principis debet esse censura populi*, ait Trebellius in Valeriano. Quocirca Archiepiscopi gestant pallium. *Illum enim*, ait Isidor. Pelus. *amiculum ex lana contextum, quod illi gestant humeris, ovis illius, quam Dominus aberrantem quæsivit, inventamque humeris suis sustulit, pellem designat.* Vide dicta Ezech. 3. 4.

In quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos.] Episcopalis enim cura, officium, jurisdictio, potestas instituta est à Spiritu sancto, per Christum. Spiritus sanctus ergo singulis Episcopis dum Episcopatum ineunt, hæc omnia largitur et imponit. Porro Ephesi unus erat Episcopus, scilicet Timotheus. *Episcopos* ergo vocat primarios Presbyteros : hi enim cum Episcopo quasi Episcopi invigilabant Ecclesiæ, eamque regebant. Unde v. 17. vocavit eos *majores natu*, id est, Seniores et Presbyteros. Vide dicta Philip. 1. v. 1. Jam vero Ephesinum Episcopum non advocavit, quia is erat Timotheus, qui erat cum Paulo, ut patet v. 4. et seq. Adde, Paulum advocasse plures revera Episcopos, nimirum eos qui erant Episcopi civitatum provinciæ Ephesiæ (metropolis enim erat Ephesius). Hoc enim est quod ait v. 25. *Amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei.* Ita intellexit S. Irenæus l. 3. c. 14. dicens : *Paulus in Mileto convocatis Episcopis et Presbyteris, qui erant ab Epheso et à reliquis proximis civitatibus, multa testificans ei adjecit*, etc.

Regere,] ποιμαίνειν, id est *pascere*, juxta illud quod à Christo dictum est Petro principi Pastorum : *Pasce oves meas*, Joan. ult. *Pasce verbo, pasce oratione, pasce exemplo*, ait S. Bernard. ideo Christus ter Petro dixit : *Pasce.* Sic Psal. 22. 1. *Dominus regit me;* Hebr. *Pascit me.* Meminerint ergo Episcopi et Pastores, ipsorum regimen esse pastum, regere esse pascere, non se, sed oves.

Ecclesiam Dei, græce, *Ecclesiam Domini et Dei;* Syrus, *Ecclesiam Messiæ*, sive Christi. Unde sequitur, quam acquisivit (Christus) sanguine suo.] Hinc patet Christum esse Deum, contra Arianos : ipse enim existens Deus, in carne assumpta effudit sanguinem, quo emit et redemit Ecclesiam. Inepte enim et distorte Erasmus Arianis arma ministrans, sic exponit : *In quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (Patris) *quam acquisivit* (Christus) *sanguine suo.* Si hoc non est falsare Script. quid erit? Porro *pretium tantum sanguinis Filii, vehementer sollicitat et flagitat Pastorum custodiam et curam, monetque fore, ut princeps ipse Pastorum peculium diligentissime tueatur et servet*, ait Vigilius Episcopus lib. 2. contra Eutychem. Rursum hinc fideles monet Apostolus, dicens : *Empti estis pretio magno : glorificate et portate Deum in corpore vestro*, 1. Corinth. 6. 20.

29. Lupi rapaces.] Syrus, *feroces.* Hæretici sunt lupi, ait S. Ambros. lib. 7. in c. 10. Lucæ, ad illud v. 3. *Mitto vos sicut agnos inter lupos. Lupi*, inquit, *bestiæ sunt quæ insidiantur ovilibus, circa pastorales versantur casas, habitacula domorum intrare non audent, somnum canum, absentiam aut desidiam pastoris explorant, ovium guttur invadunt, ut cito strangulent : feri, rapaces, iidemque natura corporis rigidiores, ut se facile non possint inflectere, impetu quodam suo feruntur, et ideo sæpe luduntur. Si quem priores hominem viderint, vocem ei quadam naturæ feruntur vi eripere : si autem homo prius eos viderit, exagitari memorantur.* Et mox hæc applicans : *Nonne lupis istis*, ait, *hæretici comparandi sunt, qui insidiantur ovibus Christi, fremunt circa caulas nocturno magis tempore quam diurno? Semper enim perfidis nox est, qui lucem Christi scævæ nebulis interpretationis fuscare conantur. Versantur ergo circa caulas, stabula tamen Christi intrare non audent. Explorant Pastoris absentiam, et ideo Pastores Ecclesiarum vel necare, vel in exilium agere contendunt : quia præsentibus oves Christi incursare non possunt : mentis intentione duri ac rigidi, nequaquam solent à suo errore deflectere. Si quem versuta mentis suæ circumscriptione prævenerint, faciunt obmutescere; si autem commenta impietatis ejus agnoveris, jacturam piæ vocis timere non poteris. Animam petunt, guttur invadunt, vitalibus vulnus affigunt. Graves sunt morsus hæreticorum, qui ipsis graviores et rapaciores bestiis, nullum avaritiæ finem impietatisque noverunt. Vestitum ovis habent, facta prædonis : foris ovis, intus lupus est. Nonne vobis videtur lupus, qui humanæ necis insaturabili crudelitate, fidelium morte populorum rabiem suam explere desiderat? Ululat iste, non tractat, qui negat vocis auctorem, et sacrilego sermone bestiale murmur interstrepit, qui non confitetur Dominum Jesum æternæ præsulem vitæ. Audivimus ejus ululatus cum in orbem gladius mitteretur, dentes asperos, ora tumida præferebat, et putabat quod vocem omnibus abstulisset, quam solus amiserat.* Quocirca S. Clemens ex mente Apostolorum lib. 8. Const. cap. 18. jubet eos extirpari ut insidiatores Ecclesiæ, gregis labefactatores, hereditatis contaminatores, qui Judæos falsa religione, Græcos impietate superent.

30. Et ex vobis ipsis exurgent.] Paulus hic verus fuit vates : nam adhuc eo vivente, contra eum insurrexerunt Hymenæus, Alexander, Phygellus et Hermogenes, uti ipse testatur. 1. Tim. 1. 20. et epist. 2. c. 1. 15.

Ut arducant, τοῦ ἀποσπᾶν, *ut abripiant dolo et fraude* à Christo, qui unus omnium est magister, Matth. 23. 10. discipulos post se.] Fons enim hæreseos est ambitio, et ambitus magisterii ac dis-

cipulorum. *Omnes* (hæretici) *tument*, ait Tertull. lib. de Præscript. c. 41. *Omnes scientiam pollicentur. Ante sunt perfecti catechumeni, quam edocti. Ipsæ mulieres hæreticæ quam procaces, quæ audeant docere*, etc.

31. VIGILATE.] *Oportet*, ait Antiochus hom. 111. *ut Pastor totus mens oculusque virgam seu baculum gestet oculatum et vigilantem*, instar Argi, *ut ne una quidem concreditarum sibi pecudum rejicula fiat.* Sic Cherubini pleni erant oculis, Ezech. 1. 18. et Apoc. 4. 6. *Vita ergo Pastorum vigilia.* Vide S. Gregor. lib. 2. Indict. 10. epist. 33. et S. Bernard. serm. 76. et 77. in Cantic.

PER TRIENNIUM.] Non integrum et absolutum, sed duos annos integros, et tertium inchoatum per tres menses : tot enim resedit Ephesi, ut dixi c. 19. 10.

NOCTE ET DIE NON CESSAVI CUM LACRYMIS MONENS UNUMQUEMQUE VESTRUM.] Vide hic ô Pastor, Pauli vigilantiam, assiduitatem, lacrymas in monendo et exhortando singulos, eamque imitare. Ita legimus S. Ambros. *S.* Bern. S. Dominicum pœnitentes audivisse, et monuisse cum lacrymis. Quod cor tam saxeum, ut hisce lacrymis non emolliatur? quis non fleat flente Paulo? Nam ut hæc verba Pauli expendens ait S. Chrys. homil. 12. in epist. ad Coloss. *Ex quonam fonte tanta emanarunt fluenta, ut ex illius oculis lacrymæ?* Et paulo post : *Quemnam fontem vis comparare cum his lacrymis? Eumne qui est in paradiso qui irrigat universam terram? Sed nihil dices æquale.*

Notai τὸ *unumquemque* : esto enim directe alloquatur Paulus majores natu, tamen in illis alloquitur cæteros fideles, quos singulos habebat in corde et ore, q. d. ait Chrys. hic in fine hom. 44. *Si liceret cor nostrum disrumpere ac ostendere, videretis intus esse in magna latitudine vos omnes, mulieres, pueros ac viros. Tanta enim charitatis vis est, ut cœlo faciat animam latiorem. Capaces nostri estote, dicebat Paulus* 2. Cor. 7. *non augusti estis in nobis. Totam Corinthum habebat ille in corde suo et dicebat : Dilatamini et vos.* P. Gaspar Barzæus, S. Franc. Xaverii discipulus et Vicarius, imo in spiritu Apostolico alter in India Xaverius : ad Socios in Europam inter cætera hæc scribit : *Saluto omnes et singulos è Societate in visceribus charitatis Christi : singulorum imaginem menti impressam gero, adeo vivam, ut ipsi eam intuentes, ex ea sola se agnoscerent : si cui id non obtingeret, id inde fieret, quod ipse ex humilitate non alium se sibi in animo efformarit, nimirum vilem, abjectum, inutilem, cum ego eumdem mihi ut virtutibus donisque Dei conspicuum, illustremque; in meo corde pinxerim et sculpserim.* Idipsum præ Gaspare, Xaverio, aliisque omnibus factitabat Paulus, fideles omnes in memoria, mente et benevolentiæ affectu, æque ac beneficentiæ effectu, quasi mater et nutrix assidue gerens et versans.

32. ET NUNC COMMENDO VOS DEO,] orans ut ipse vos dirigat, custodiat, augeat. Discat hic Pastor à Paulo, sibi orandum esse pro ovibus sibi commissis.

ET VERBO GRATIÆ IPSIUS.] Id est, Spiritui sancto, inquit Glossa Interlin. Alii, Filio, per quem gratia et veritas facta est, Joan. 1. 17. Alii Evangelio, quod gratiam confert præ Mose et lege ut sit prosopopœia. Fingitur enim Evangelium quasi persona animata et spiritu plena, Spiritum et gratiam aspirare sui præconibus, q. d. Evangelium ejusque spiritus vos dirigat et custodiat, formetque tales, ut digni sitis capessere hæreditatem inter sanctificatos. Hic sensus est plausibilis, placetque nostro Sanchez. Alii *verbo*, id est, Evangelio, ejusque prædicationi, ut sit hypallage : *commendo vos verbo*, id est, commendo vobis verbum et prædicationem Evangelii per quam via ad gratiam aperitur, tum quærendam, tum conservandam et augendam; tum si perdatur, recuperandam. Verum hæc hiulca sunt et durinscula. Sequitur enim : *Qui potens est.* Ergo *verbum gratiæ* per hebraismum est ipsa gratia, sicut verbum Evangelii est ipsum Evangelium. q. d. Commendo vos Deo et gratiæ ejus. Sicut dixit Lucas c. 14. 25, Paulum et Barnabam ab Antiochenis traditos fuisse gratiæ Dei.

Gratiam vocat verbum : tum quia Hebræi omnem rem metonymice vocant verbum : tum quia gratia verbo à Deo per Christum nobis promissa est : tum quia verbo et jussu Dei datur. Sufficit enim ut Deus verbo dicat : Esto sanctus, patiens, humilis ; et mox talis ero. Verbum enim Dei est efficax : Dei enim dicere et facere. Unde sequitur : *Qui potens est.* Ubi Syrus vertit, *quod potens est :* tum quia verbo, puta Evangelio, gratia exhibetur et annuntiatur. q. d. Commendo vos Deo, ejusque Evangelicæ gratiæ, quæ verbo Dei promissa, verbo Prophetarum prædicta, verbo Christi exhibita, verbo meo vobis annuntiata est. Ita Mariana, qui tamen ait τὸ *verbo* per hebraismum redundare. Huc accedit Sanchez, qui sic explicat : *Commendo vos verbo gratiæ*, id est, divinæ promissioni, quæ gratiam omnibus liberaliter offert. Ac si dicat : Obsecro Dominum ut ipse vobis tribuat, quod suis promisit, hereditatem scilicet suam his qui sanctificantur. Hoc vero nihil aliud est, quam petere ut illi à quibus discedebat Paulus, ita sanctificentur, ut digni sint quibus Deus præter verbum gratiæ, id est, gratiam verbo, id est Evangelio promissam, seu verbum gratiosum. Denique verbum sæpe sumitur in Script. pro facto et opere, quod potenti Dei verbo jussuque fit. q. d. Commendo vos Deo ejusque potentiæ et potenti operationi gratiæ ipsius : ipse enim potens est, et per gratiam suam potenter ædificabit Ecclesiam vestram, singulosque vestrum, ut fiatis domus, imo templum Dei, hic per gratiam, in futuro per gloriam.

QUI POTENS EST.] Græcum τῷ, Syrus et alii referunt ad λόγον, id est *verbum.* Planius Noster et alii referunt ad Deum.

ÆDIFICARE,] ἐποικοδομῆσαι, id est, *superædificare.* q. d. Ego ædificavi fundamenta Ecclesiæ vestræ, rogo Deum, ut ille superstruat, et fabricam ejus consummet, tum gratia, tum gloria et hæreditate cœlesti.

HÆREDITATEM,] in cœlis, quæ est ipse Deus, quam nobis quasi filiis suis dabit. *Hæredes Dei sic sunt*, ait S. August. serm. 119. de Temp. *ut ipse Deus sit hæreditas nostra. Hæc hæreditas non minuitur copiæ possessorum, non fit angustior numerositate cohæredum, sed tanta est multis, quanta paucis; tanta singulis, quanta omnibus. Non talis te fecit hæredem, cui mortuo succedas, sed cum quo in æternum vivas?* imo, ut ait S. Ambros. in Psal. 118. *Manet emolumentum integrum, et eo magis singulis crescit, quo pluribus fuerit acquisitum.* Secus est in hæreditate terrena, quæ quo in plures dividitur, eo singulis fit minor.

In sanctificatis omnibus.] Syrus, *in omnibus sanctis*, id est inter, vel cum omnibus sanctis: soli enim sancti hujus hæreditatis sunt capaces.

33. Argentum et aurum, aut vestem nullius concupivi.] Idem fecit et dixit Moses Num. 16. et Samuel 1. Reg. 12. Hoc ergo Mosaicum, hoc Propheticum, hoc Apostolicum opus, *Gratis accepistis, gratis date*, ait Christus Matth. 10. Mira libertas, energia et auctoritas persuadendi prædicatori et confessario accedit, si omnia dona refutet. Præclare S. Hieron. ad Nepotianum: *Nunquam*, ait, *petentes, raro accipiamus rogati. Nescio enim quomodo, qui te precatur ut tribuat, cum acceperis, viliorem te judicat: et nimium in modum se rogantem contempseris, plus te posterius venerabitur.*

Ita S. Columbanus objurgans Theodoricum regem Gallorum de suis sceleribus, dapes regias ei à rege submissas refutavit, dicens: *Munera impiorum reprobat Altissimus.* Eccli. 33. Vix autem verba protulerat, cum vasa omnia quibus dapes continebantur, disrupta sunt, qua re rex territus se in ejus potestate in omnibus rebus fore pollicitus est.

Similis fuit continentia et constantia S. Antonii de Padua: Ezelinus enim tyrannus, quem graviter ob cædes et rapinas increparat Antonius, misit ad eum quosdam ex suis cum præclaris donis, quibus ita mandarat, ut precibus et omni importunitate id agerent, ut ea acciperet: quod si faceret, illico eum obtruncarent; si non acciperet, patienter ferrent quidquid ab eo diceretur. Illis igitur ficta humilitate instantibus ut dona admitteret, Antonius voce liberrima: *Abite*, inquit, *illico cum vestris impiis donis, ne vel ruente tecto, vel dehiscente terra nos quoque exitio vestro involvamur.* Ita illis dimissis, Ezelinus re cognita, semper illum deinceps ut hominem sanctum veneratus est.

Par fuit virtus S. Bernard. Senensis, qui libere in concione redarguens Ducem Mediolanensem, cum ab eo submissum esset poculum aureum auro plenum, ipse illud cum stomacho rejecit: cumque legati instarent ut acciperet, et urgendi finem non facerent, surgens Bernardinus, eosque sequi jubens, ad carcerem perrexit quo obærati tenebantur, quos eo die omnes ære quod debebant persoluto, vinculis exemit.

34. Et iis qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.] Hæc excellentia, hæc gloria Paulo pene propria, quod in tantis laboribus et Ecclesiarum omnium negotiis, manibus tamen victum pararit non tantum sibi, sed et suis omnibus, qui sæpe erant multi, ut vidimus v. 4.

35. Omnia ostendi vobis.] *Omnia*, scilicet non tantum abstinentiam à donis, labores, lacrymas, ærumnas, prædicationem, sed et opus manuum, ut doceam vos suscipere infirmos, eorumque infirmitati consulere. Secundo, apposite Syrus et Vatabl. restringunt τὸ *omnia*, ad opus manuum, ut per græcismum intelligatur κατὰ, id est *per*, q. d. Per omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes, sicut ego laboravi, oportet se accommodare infirmis in fide, nec ab illis quidquam accipere, ne ipsi pecuniæ suæ amantes putent eam quæri, non se suamque salutem. De hac enim fidei infirmitate et animi pusillanimitate ad litteram loquitur Apostolus.

Præclare S. Grægor. homil. 18. in Ezech. *Quis*, inquit, *nostrum, si unum hujus mundi divitem ad omnipotentis Dei servitium convertisset, seque egere conspiceret, et illum sibi vitæ subsidia non præbere, non protinus de ejus vita desperasset? Quis non incassum laborasse se diceret? Quis non ab ejus exhortatione obmutesceret, quem in semetipsum primum ferre fructum boni operis non videret? Sed Paulus per mansuetudinem in virtutum vertice solidatus perstitit, prædicavit, dilexit, et bonum quod cœperat explevit, eaque portando et persistendo, discipulorum corda ad misericordiam perduxit.* Unde pro *suscipere*, græce est ἀντιλαμβάνεσθαι, quod ait Vatabl. proprie et porrecta manu retinere lapsurum alioqui, vel abiturum. Paulus ergo ne ullius omnino jacturam faceret, cavebat ne quam ansam præberet infirmis, et alienandis à Christo, quod nollent gravari sumptu, sed potius eis porrigebat manum.

Notent hoc Concionatores, et Confessarii. A pari tamen potest idipsum ad quamlibet infirmitatem, et quoslibet infirmos extendi: quamlibet enim tolerare, imo superare et sanare debet prædicator, et quicumque animabus mederi, easque salvare satagit: adeoque signum virtutis heroicæ est, quamlibet proximi infirmitatem, sive corporis, sive animi sit, patienter et generose sufferre, uti multis ostendi Galat. 6. Præclare S. Chrysost. hic hom. 40. in fine: *Exhibeamus*, ait, *nos ad colloquium faciles ne expectemus proximos; ne dicas: Si videro aliquem expectantem, deterior eo efficiar: sed magis quanto videris, assume, et extingue ejus affectionem. Vides ægrotantem, et auges morbum? Hoc maxime faciamus, ut præveniamus invicem honore. Itaque si præveneris honore, teipsum magno honore ornasti, accelerans ut magis honoreris. Ubique primatus aliis concedamus: nihil eorum quæ erga nos facta sunt malorum cogitemus, sed si quid bonum. Nihil sic facit amicum, ut lingua gratitudinis studiosa, os bene loqui solens, anima sine fastu, contemptus vanæ gloriæ, contemptus honoris.* Et paulo ante dicit hanc charitatis dilatationem esse signum, quod certo ostendat nos esse filios et discipulos Christi, *sicut diadema et paludamentum ostendit regem.* Hæc magnitudo animi et dilectionis necessaria est Apostolo, ut ea absorbeat omnes fidelium et infidelium mores inconditos et insulsos, sicut mater magnitudine amoris absorbet omnes ærumnas et ineptias sui infantuli.

Ac meminisse verbi Domini Jesu.] Hoc verbum nusquam scriptum extat: illud ergo dixisse Christum Paulus Apostolorum traditione, vel revelatione accepit, ut et Clemens qui idem Christi dictum citat. lib. 4. Const. cap. 3. licet S. Chrys. OEcum. et Lyran. illud deducant ex illo Christi; *Omni petenti te tribue*, Lucæ 6. 30. Et: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Ibidem v. 35. Et: *Cum facis convivium, voca pauperes*, etc. *et beatus eris, quia non habent retribuere tibi.* Lucæ 13. v. 23. Talc est et illud Christi dictum, quod nusquam scriptum est, citat tamen Hieron. in cap. 5. ad Ephesios. *Nunquam lœti sitis, nisi cum fratrem vestrum videritis in Charitate.* Plura citat Clemens lib. 2. Const. c. 40. Justin. contra Tryphon. Ignatius epist. ad Smyrnenses. Unde liquet non omnia Christi dicta esse scripta, sed nonnulla per manus tradita; ac proinde traditiones esse admittendas.

Beatius est magis dare quam accipere,] temporalia bona. Nam in spiritualibus, ut Sacramentis, gratiam recipit accipiens, non dans, ideoque dante beatior est. Syrus *beatior*, vel *me-*

lior est ille qui dat, quam qui accipit. Primo, quia dare signum est abundantiæ, accipere vero signum est egestatis, ait S. August. lib. 3. contra Maximin. c. 14. Ubi et addit, hoc axioma non habere locum in divinis. Esto enim Pater det, Filius accipiat à Patre divinitatem, tamen Filius tam beatus est quam Pater : quia Filius, inquit, à Patre accipit omnia, ac consequenter ipsam etiam copiam, et æqualitatem.

Secundo, quia dare signum est liberalitatis, accipere necessitatis aut cupiditatis. q. d. *Beatior est impartientis largitas, quam accipientis penuria,* ait Cassianus l. 10. de Instit. renuntiat. c. 18. et 19.

Tertio, quia major est benefacientis ad beneficiatum amor, quam hujus ad illum : quoniam ille nobilius operatur, ait Aristoteles 9. Ethic. Unde et liberior est : qui enim accipit, ob donum acceptum obligatus, et quasi alligatus est donanti. Quæ major beneficii merces ? quæ amplior compensatio, quam beatitudinis incrementum : Quocirca Seneca l. 1. de Beneficiis c. 5. *Beneficium,* ait, *eripi non potest : non enim res est, sed actio.* Et inferius : *Potest eripi domus, et pecunia et mancipium, in quo hæsit beneficii nomen ; ipsum vero stabile et immotum est.* Hinc M. Antonius apud Rabirium Poetam, cum fortuna sua excidisset, ac nihil sibi reliquum videret, exclamavit : *Hoc habeo, quodcumque dedi.* Quem secutus Martialis :

> Extra fortunam est quidquid donatur amicis,
> Quas dederis solas semper habebis opes.

Quamobrem Plinius in Panegyr. Trajani, cum celebrat, quod acceptando imperium à Nerva, tantum ei dederit, quantum acceperat : *Imploratus,* inquit, *adoptione et accitus es.* q. d. Nerva tibi imperium dedit, tu illi reddidisti. Solus ergo adhuc es, qui pro munere tanto, paria accipiendo fecisti, imo ultra dantem obligasti : communicato enim imperio sollicitior tu, ille securior factus est. Hinc Plutarch. lib. de Præceptis gerendæ reipubl. amicos dicit esse reipubl. fulcrum, *quam tutatur amor,* ait Claudian. lib. 12. Quocirca Alexander Macedo rogatus ubi haberet thesauros, amicos ostendit, quod ii soli veri thesauri censeri debeant. Hinc Hebræi hoc Christi et Pauli proverbium sic paronomastice efferunt : *Beatius est* תת מושאת *tet misset,* id est, dare quam accipere, tollere, auferre : qui enim tollit, alium spoliat vel privat re sua. Beati autem est beare et ditare ; non privare, et egenum miserumque facere. Ita Franc. Vallesius Sacræ Philosoph. c. 88. Beatius, ait, est dare, quia liberalis largitionis extremum, non est bonorum vacuitas, sed adjectio potiorum, puta honestatis et honoris. Acceptio vero est egestatis, vel illiberalitatis. Atque hac de causa censet Aristot. plus amare eos qui beneficia conferunt, quam in quos sunt collata, utpote magis inde bonum consecuti. Ita etiam à parentibus magis amari filios, quam ab eis redamentur. Contra qui receperint, citius recedere ab amicis, quam qui largiti sint, quod scilicet amissa utilitate, nihil illis restet in amicitia præter illiberalitatis memoriam : his vero restet semper suavis recordatio beneficiorum. Hæc ex Arist. Vallesius.

Quarto, quia honorabilior est qui dat, vilior qui accipit, ait S. Hieronymus ad Nepot. Celebre est illud P. Syri in Mimo : *Beneficium qui accipit, libertatem vendit.* Ex adverso in malis et injuriis, *beatius est eas accipere, quam dare.* Unde S. Chrysost. scripsit homil. 78. ad pop. hoc titulo : *Quod melius est injuriam pati quam inferre. Patienti enim,* inquit, *Deus totum reserat cœlum, Sanctorum civem efficit, à peccatis absolvit : coronat justitia.* Et mox : *Non es affectus injuria, sed coronatus, anima redditus sapientior, Deo similis constitutus, cura pecuniarum liberatus, cœlorum regnum adeptus.* Et anterius : *Hoc ergo fac, et in cœlum respiciens, cogita quod illic super Cherubim sedenti factus es similis.* Hoc ergo paradoxum Christi et Pauli, priori est antistrophon.

Quinto quia dare est regale et divinum, accipere plebeium et humanum. Deus enim omnia dat, et nihil accipit : atque in hoc consistit ejus beatitudo, opulentia et bonitas immensa, qua ut mare redundans sua effundit in creaturas : defectus enim miseriæ et infirmitatis est, accipere ; plenitudinis vero, beatitudinis et magnificentiæ, dare, juxta illud Psaltis : *Dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non egès,* Psal. 15. 1. Hinc Deus heb. vocatur *Saddai,* id est cornucopiæ. Clemens Alexandr. lib. 2. Strom. c. 9. *Dei,* inquit, *imago est homo benefaciens.* Et Nazianz. orat. 16. de cura pauperum. *Nihil,* ait, *adeo divinum habet homo, quam benefacere. Esto calamitoso Deus.* S. Leo serm. 10. de Quadrages. *Ubi,* inquit, *Deus curam misericordiæ invenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit,* Deus Pater dat Filio suam naturam : Pater et Filius eamdem dant Spiritui sancto : Filius se nobis dedit in præsepio, et in cruce, ac quotidie se totum dat in Ven. Sacramento. Deum imitantur omnes ejus creaturæ. Cœli enim dant lumen et influxum, ignis dat calorem, aer dat auram qua respiramus, terra dat fructus omnis generis, mare tot pisces, animalia dant lanam et carnes, sol omnibus dat radios, vigorem et vitam. Unde Leo Imp. homines beneficos comparabat soli, qui cunctis suum splendorem et calorem impertit. Jupiter, Mars ceterique ob beneficia inter Deos relati sunt, ait, Plinius lib. 2. c. 7. Quin et Ptolemæus Philadelphus, secundus ab Alexandro Ægypti rex, aiebat *regium magis esse ditare, quam ditescere,* ait Ælian. Et Artaxerxes Longimanus Rex Persarum teste Plutarcho in Apophtheg. reg. dicebat sibi quasi principi, manum ad dandum, puta dextram, esse longissimam, alteram vero ad detrahendum puta sinistram, contractam esse et brevissimam : *regalius enim esse addere, quam adimere.* Ita Deus ad dandum est longimanus, ad accipiendum vero brevimanus, imo nullimanus. Sic Bion semper dicebat *esse optabilius suam messem alteri largiri, quam alienam decerpere,* ait Laertius lib. 4. c. 7. Demosthenes rogatus, *quid Deo simile haberent homines?* resp. *benefacere.* Ita Maximus serm. 8. Xenophon dicere solebat : *Multo præclarius ac laudabilius esse beneficiorum, quam trophæorum multitudinem post se relinquere.* Ita Stobæus, serm. 46. Agesilaus *sibi jucundius esse dicebat ditare suos milites quam seipsum.* Ita Plutarch. in Lacon.

Sexto, quia qui accipit, accipit tantum temporalia, qui vero dat à Deo recipit spiritalia, puta gratiam et gloriam ; et ab accipiente recipit preces, benedictiones, gratiarum actiones, denique laudes. Quocirca Agapetus Diaconus Rom. inter monita quæ dat Justiniano Imper. tom. 2. Biblioth. SS. Patrum hoc dat ordine 50. *Eos plus ama, qui accipere abs te beneficia suppli-*

cant, quam qui tibi contendunt offerre munera : his enim debitor referendi gratiam efficeris, illi vero Deum dant tibi vadem, vendicantem sibi, pertinereque ad se putantem, quæcumque ergo supplices contuleris, et remunerantem, bonis retributionibus tuam tam piam, quam perhumanam intentionem. Solis profecto partes sunt illustrare radiis orbem; principis vero virtus est egenorum misereri.

Dices : Ergo Religiosi mendicantes sunt infeliciores utpote qui accipiunt; sæculares vero et divites sunt feliciores, utpote qui eis dant eleemosynam. Resp. negando consequentiam. Primo, quia illi non mendicant ex concupiscentia, aut inopia coacti, sed ex virtute et libera electione elegerunt enim paupertatem voluntariam, ut sint similes Christo, qui eam verbo et exemplo suasit, quasi medium utilissimum ad perfectionem.

Secundo, quia Religiosi simul et semel omnia sua dederunt Christo et pauperibus, cum ingressi sunt Religionem. Liberaliores ergo, et consequenter beatiores fuerunt divitibus, qui sensim et parce sua erogant, longeque plura sibi reservant. Unde S. Basilius Syncletio senatori monasterium ingresso, sed nonnulla sibi reservanti, ne cui gravis esset, dixit : *Syncleti senatorem perdidisti et monachum non fecisti;* uti refert Cassian. l. 7. de Instit. renunt. c. 19. S. Hilarion. teste S. Hier. in ejus Vita, recusans munera Orioni : *Nemo*, ait, *melius erogat, quam qui sibi nihil reservat.* Vide Hier. Platum l. 3. de bono status Relig. c. 20.

Tertio, quia Religiosus plus dat diviti, quam ab eo accipiat, ut aiebat S. Franciscus; dat enim spiritualia, accipit corporalia : dat cœlestia, accipit terrena, dat æterna, accipit temporalia : dat cœlum, accipit solidum, juxta illud Christi : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula*, Lucæ 16. 9. Præclare Hermas Pauli discipulus l. 3. c. 3. *Sicut*, inquit, *vitis ulmo fulcitur, sic dives oratione pauperis juvatur.* Liber hic titulo Pastoris sæpe à Patribus citatur, et celebratur; sed à Novatianis inspersi videntur eidem errores de neganda relapsis pœnitentia, unde à Gelasio Papa inter apocryphos rejectus est, extat tom. 5. Biblioth. SS. Patrum initio. Denique Paulus utrumque habuit : fuit enim pauper, et tamen dedit ut dives, quod est perfectissimum et beatissimum. Nam, ut ait Cassian. lib. 10. de Instit. renunt. c. 19. *Labore proprio non solum suæ necessitatis sufficientiam, verum etiam quod tribuat indigenti pia sollicitudine parare festinat, duplici gratia decoratus, quod et perfectam naditatem Christi universarum rerum suarum abjectione possideat, et munificentiam divitis labore suo exhibeat et affectu.*

Sunt qui sanctos in multis imitentur, solum hoc pulcherrimum pauli exemplum vix habet æmulos, vix asseclam. Citant hic nonnulli Sixti III. Pont. l. de Divitiis, ubi varie ad objectionem jam factam respondet. Verum sciat Lector, hunc librum inscribi Sixto III. Pont. cum sit editus à Pelagianis, contendentibus Christianos omnes, etiam prolibus abundantes, debere à se abdicare divitias, esseque pauperes, qui fuit error Pelagii. Sic enim sextus hæresum ejus articulus, in Consilio Diospolitano condemnatus habet : *Divites baptizatos, nisi omnibus abrenuntient, si quid boni visi fuerint facere, non reputari illis, nec eos habere posse regnum Dei.* Vide S. August. lib. 2. de peccato origin. c. 11. et epist. 106. ad Paulinum. Id primum de libro hoc notarunt Doctores Lovanienses, ac Lindanus, Baron. Possevinus. Vide Baron. anno Christi 440. c. 7.

36. Positis genibus.] Familiare fuit Apostolis et priscis Christianis, crebro per diem orare, idque flexis genibus, uti videtur fecisse S. Stephanum Actor. 7. v. 59. et S. Petrus cap. 9. 40. S. Jacobus frater Domini ex genuflexione frequenti genua habebat callosa instar cameli. Addit S. Chrysost. hom 5. in Matth. eum collosam quoque habuisse frontem, quod eam orans prostratus humo affigeret. In vita S. Marthæ apud S. Antonium et alios legimus, eam centies per diem, et centies per noctem genibus flexis adorasse, et invocasse Deum. Simile legimus de S. Bartholomæo in ejus vita apud Ribadeneiram et alios. Didicerunt hoc à Christo, qui *positis genibus orabat, dicens : Pater, si vis, transfer calicem istum à me.* Lucæ 22. 41. Idem ante Christum fecit Daniel c. 6. *Tribus temporibus in die*, inquit, *flectebat genua sua, et adorabat confitebaturque coram Deo suo.* Quin et Salomon Regum magnificentissimus : *Utrumque enim genu* (notent hoc nostri ignobiles et delicatuli, qui coram Deo unum genu flectunt instar Judæorum) *in terram fixerat, et manus expanderat in cœlum*, 4. Reg. 8. Sic S. Petrus Simonem Magum per aera in cœlum volantem, orans flexis genibus præcipitavit, ejusque genua collisit, teste S. Maximo hom. 5. de natali S. Petri et Pauli. Hic enim situs et gestus est supplicis, rei, orantis et reverentis Numen.

Mysticam physicamque causam dat Rupert. lib. 6. in cantic. quod genua respondeant genis, easque per sympathiam moveant ad lacrymas : *Lacrymæ autem pœnitentium* et orantium, *vinum sunt angelorum.* Audi Rupertum explicantem illud Cantic. 6. 7. *Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ. In utero*, inquit, *nos ita natura formavit, ut genua genis opposita sint : unde et à genis genua dicuntur. Ibi enim cohærent sibi, et cognata sunt oculis lacrymarum indicibus et misericordiæ. Denique complicatum aiunt gigni formarique hominem, ita ut genua sursum sint, quibus oculi formantur, ut cavi fiant ac reconditi. Inde est quod homines dum se ad genua prosternunt, statim lacrymantur. Voluit enim natura nos maternum rememorare uterum, ubi considebamus in tenebris, antequam veniremus ad lucem. Profecto qui causam istam diligenter attendit, ille scienter atque rationabiliter laudat et approbat, sanctis et eruditis cogitationibus familiare esse, genua frequentius excelso Deo curvare, et genas lacrymosas genibus curvis applicare, ut respiciat ac recogitet Creator habitans in excelsis, qualiter nos in utero formaverit. Unde et illud S. Job commonefacit his verbis : Memento, quæso, quod sicut tutum feceris me, et in pulverem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti?* Et paulo inferius ibidem : *Nec vero soli Deo, sed et hominibus dulcis visu, et amabilis est hujusmodi compositio : tantoque magis quis reverendus existit, quanto frequentius atque affectuosius genua curvans, genas suas vel oculos, vel totum caput demiserit.* Ita Rupertus.

Porro Apostolis et Paulo id familiare fuit in abitu, ut valedicentes cum suis genuflexi pariter orarent, tum ut oratione suam doctrinam obsignarent, tum ut Deum invocarent ad eam-

dem in mentibus discipulorum conservandam et confirmandam contra omnes tentationum et persecutionum insultus. Unde Paulus idem fecit Tyri c. seq. v. 5. *Positis*, inquit Lucas, *genibus in littore oravimus.* Esto enim tunc esset tempus paschale (festinabat enim Paulus, ut Pentecosten celebraret Hierosolymæ v. 16.) quo ob honorem resurrectionis Christi stantes solent fideles orare, idque à tempore Apostolorum, ut tradit Justin. q. 115. ad Orthodoxos; tamen tunc necdum introducta erat ista consuetudo. Ita Baron. Adde consuetudinem istam standi tempore paschali, magis esse in publicis Ecclesiæ precibus et officiis Ecclesiasticis, uti sanxit Conc. Nicænum canon. 28. vel 29. quam privatis, quales fuerunt hæ pauli. Unde etiamnum multi fideles tempore paschali in Ecclesia orant genuflexi. Pauli exemplo solent nostri Olysippone in Indiam Evangelii causa soluturi, et Europæ ultimum vale dicturi : cum sociis in littore orando extremum se salutare. Audi nostrum Nicol. Trigautium oculatum testem, imo consortem in Vita Gasparis Barzæi lib. 1. c. 5. *Solenne*, inquit, *tunc erat generosos illos totius mundi cives, velut olim Christiani Paulum, ad littus usque comitari, ac subinde positis genibus, Dei Virginis et Sanctorum auxilium implorare* in signum communionis et charitatis, abeuntibus felix iter, sibi eorum memoriam et imitationem, utrisque uberem Dei gratiam comprecantes.

PROCUMBENTES SUPER COLLUM PAULI, OSCULABANTUR EUM.] Syrus, *complexi sunt eum.* Amplexus ergo vocatur osculum, quia caput capiti, et per illud quasi eos ori jungit. Vide dicta de osculo sancto 2. Corinth. 13. 12. Mirus fuit amor fidelium erga Paulum, utpote qui esset doctor, Apostolus, pater causa salutis, omnisque boni eorum, nimirum magnes amoris est amor : si vis amari, ama. Hinc ad Gal. 4. 14. ait, *Sicut angelum Dei excepistis me; sicut Christum Jesum*, etc. *quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis, et dedisse tis mihi.* Discant hic fideles, quo amore et reverentia prosequi debeant suos Pastores, Concionatores, Confessarios, etc.

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PAULUS NAVIGAT COUM, RHODUM, PATARAM, TYRUM PTOLEMAIDEM, CÆSAREAM; UBI AGABUS EI VINCULA HIEROSOLYMITANA PRÆDICIT: PERGIT ERGO INTREPIDUS HIEROSOLYMAM; UBI SUADENTE JACOBO PURIFICANS SE IN TEMPLO, A JUDÆIS CAPITUR ET PENE OCCIDITUR; SED ERIPIT EUM TRIBUNUS : A QUO POTESTATE FACTA POPULUM ALLOQUITUR.

1. Cum autem factum esset ut navigaremus abstracti ab eis, recto cursu venimus Coum, et sequenti die Rhodum et inde Pataram. 2. Et cum invenissemus navem transfretantem in Phœnicem ascendentes navigavimus. 3. Cum apparuissemus autem Cypro, reliquentes eam ad sinistram, navigavimus in Syriam, et venimus Tyrum : ibi enim navis expositura erat onus. 4. Inventis autem discipulis, mansimus ibi diebus septem : qui Paulo dicebant per Spiritum ne ascenderet Hierosolymam. 5. Et expletis diebus profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum uxoribus et filiis usque foras civitatem : et positis genibus in littore, oravimus. 6. Et cum valefecissimus invicem, ascendimus navem : illi autem redierunt in sua. 7. Nos vero, navigatione expleta à Tyro descendimus Ptolemaidam : et salutatis fratribus mansimus die una apud illos. 8. Alia autem die profecti, venimus Cæsaream. Et intrantes domum Philippi Evangelistæ, qui erat unus de septem, mansimus apud eum. 9. Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes. 10. Et cum moraremur per dies aliquot, supervenit quidam à Judæa Propheta nomine Agabus. 11. Is cum venisset ad nos, tulit zonam Pauli : et alligans sibi pedes et manus, dixit : Hæc dicit Spiritus sanctus : Virum, cujus est zona hæc, sic alligabunt in Jerusalem Judæi, et tradent in manus Gentium. 12. Quod cum audissemus, rogabamus nos, et qui loci illius erant, ne ascenderet Hierosolymam. 13. Tunc respondit Paulus, et dixit : Quid facitis flentes, et affligentes cor meum ? Ego enim non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum, propter nomen Domini Jesu. 14. Et cum ei suadere non possemus, quievimus, dicentes : Domini voluntas fiat. 15. Post dies autem istos præparati, ascendebamus in Jerusalem. 16. Venerunt autem et ex discipulis à Cæsarea nobiscum, adducentes secum apud quem hospitaremur, Mnasonem quemdam Cyprium, antiquum discipulum. 17. Et cum venissemus Hierosolymam, libenter exceperunt nos fratres. 18. Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Jacobum, omnesque collecti sunt Seniores. 19. Quos cum salutasset, narrabat per singula, quæ Deus fecisset in Gentibus per ministerium ipsius. 20. At illi cum audissent, magnificabant Deum, dixeruntque ei : Vides

frater, quot millia sunt in Judæis, qui crediderunt, et omnes æmulatores sunt legis. 21. Audierunt autem de te, quia discessionem doceas à Moyse eorum, qui per Gentes sunt, Judæorum: dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi. 22. Quid ergo est? utique oportet convenire multitudinem: audient enim te supervenisse. 23. Hoc ergo fac quod tibi dicimus: Sunt nobis viri quatuor, votum habentes super se. 24. His assumptis, sanctificat te cum illis: et impende in illis ut radant capita: et scient omnes quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas et ipse custodiens legem. 25. De his autem qui crediderunt ex Gentibus, nos scripsimus; judicantes, ut abstineant se ab idolis, immolato, et sanguine, et suffocato, et fornicatione. 26. Tunc Paulus assumptis viris postera die purificatus cum illis intravit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio. 27. Dum autem septem dies consummarentur, hi qui de Asia erant Judæi, cum vidissent eum in templo, concitaverunt omnem populum et injecerunt ei manus, clamantes: 28. Viri Israelitæ, adjuvate: hic est homo, qui adversus populum, et legem, et locum hunc, omnes ubique docens, insuper et Gentiles induxit in templum, et violavit sanctum locum istum. 29. Viderant enim Trophimum Ephesium in civitate cum ipso, quem æstimaverunt quoniam in templum, introduxisset Paulus. 30. Commotaque est civitas tota, et facta est concursio populi. Et apprehendentes Paulum, trahebant eum extra templum: et statim clausæ sunt januæ. 31. Quærentibus autem eum occidere, nuntiatum est tribuno cohortis: Quia tota confunditur Jerusalem. 32. Qui statim assumptis militibus et centurionibus, decurrit ad illos. Qui cum vidissent tribunum et milites, cessaverunt percutere Paulum. 33. Tunc accedens tribunus apprehendit eum, et jussit eum alligari catenis duabus: et interrogabat quis esset, et quid fecisset. 34. Alii autem aliud clamabant in turba. Et cum non posset certum cognoscere præ tumultu, jussit duci eum in castra. 35. Et cum venisset ad gradus, contigit ut portaretur à militibus propter vim populi. 36. Sequebatur enim multitudo populi, clamans: Tolle eum. 37. Et cum cœpisset induci in castra Paulus, dicit tribuno: Si licet mihi loqui aliquid ad te? Qui dixit: Græce nosti? 38. Nonne tu es Egyptius, qui ante hos dies tumultum concitasti, et eduxisti in desertum quatuor millia virorum sicariorum? 39. Et dixit ad eum Paulus: Ego homo sum quidem Judæus à Tarso Ciliciæ, non ignotæ civitatis municeps. Rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum. 40. Et cum ille permansisset, Paulus stans in gradibus, annuit manu ad plebem, et magno silentio facto, allocutus est lingua Hebræa, dicens.

1. Abstracti ab eis,] ἀποσπασθέντας, id est, *avulsi ab eis*, sicut pater avellitur à filiis charissimis; qui proinde eum, navimque mare sulcantem oculis prosecuti sunt, quoad acies eorum porrigere se poterat, ita Arator.

Coum.] Cous, Coa, et Cea, insula est è Cycladibus in mari Ægæo alia à Chio. Nam inter Chium et Coum media est Samos. Porro Cous patria fuit Hippocratis medicorum et Apellis pictorum principis. Putant nonnulli ex Coo Salomonem emisse equos generosos; hebr. enim est *de Coa*, 3. Reg. 11. 28. Sed hoc ibi examinabitur.

Rhodum.] Nota est insula, sæculo præcedenti anno Domini 1522. à Selymo Turcarum Imper. Christianis erepta; de qua Plinius lib. 2. c. 62. asserit, nunquam in ea tam nubilum esse diem, quin sol appareat. Unde in ea colossus, sive statua soli ex ære erecta fuit altitudine pedum centum et quinque, ita ut ejus pollicem multi non possent amplecti. Quare hic colossus erat unum è septem mundi miraculis, de quo Plinius l. 34. c. 7. Hinc ab hoc colosso nonnulli putarunt Rhodios vocari Colossenses, esseque eos ad quos Paulus scripsit epistolam: sed falso, ut ibidem dixi.

3. Cum apparuissemus autem Cypro,] ἀναφανέντες δὲ τὸν Κύπρον, id est *aperientes*, vel *discooperientes Cyprum*, hoc est, cum cœpisset nobis aperiri et apparere Cyprus. Est hypallage in multis linguis usitata, eo quod navigantibus terra nunc aperiri et accedere, nunc abscondi et recedere videatur: quia enim navigans in navi quiescit, hinc non sentit se moveri et progredi, unde putat cætera moveri.

4. Qui Paulo dicebant per spiritum (prophetico) ne ascenderet Hierosolymam.] q. d. Dicebant Paulo ex spiritu prophetico, eum, si iret Hierosolymam, ibi fore capiendum. Suadebant ergo ex spiritu proprio, quo eum ejusque salutem amabant, ne eo ascenderet: alioqui Spiritus sanctus volebat eum eo pergere, ibique capi, ut captus mitteretur Romam. Ita Lyranus.

5. Deducentibus nos omnibus cum uxoribus et filiis.] Impletum hic est oraculum psal. 44. 3. de Tyri ad Ecclesiam accessu, ait Beda: *Filiæ Tyri in muneribus; vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis*, etc. Nulla enim civitas majori dulcedine Apostolum suscepit, tenuit, dimisit. Denique hodie monstratur in arenis locus, ubi cum Paulo pariter orabant, quem Christiani religiose venerantur, tanquam majorum suorum Tyriorum pietatis monumentum.

8. Philippi Evangelistæ.] Non quod scripserit, sed quod prædicarit Evangelium, *qui erat unus de septem* primis Diaconis. Vide dicta c. 8. v. 5.

9. Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes.] Virginitatis enim præmium est sapientia et prophetia, ait OEcum. Sic Sybillas virginitate meruisse prophetiam, ideoque dictas Sibyllas, quasi σιοβούλας, eo quod sola consilium Dei norit virginitas, asserit S. Hieron. l. 1. contra Jovin. Joannes Alba tamen Electorum c. 58. *Virgines* has *prophetantes* interpretantur, divinas laudes celebrantes, uti nunc faciunt Moniales: tunc enim harum conditio cœpisse videtur. Sic in libris Regum vocantur *filii Prophetarum*, qui psalmis et divinis laudibus vacabant. Gaudeant virgines tam sanctis et antiquis sui ducibus. Extabant adhuc ævo. S. Hieronymi, Cæsareæ domuncula et cubicula filiarum Philippi, quæ S. Paula itura Hierosolymam, cum venisset Cæsaream, pio invisit affectu, uti ipse testatur in ejus Epitaphio, qui et l. 1. contra Jovin. *Post crucem Christi*, inquit, *statim in Actis Apostolorum, una domus Philippi Evangelistæ quadrigam producit virginum filiarum, ut Cæsarea, in qua ex Gentibus Ecclesiæ per Centurionem Cornelium fuerat dedicata, etiam virginum puellarum præberet exempla.* Asscriptæ sunt omnes catalogo S. Virginum. Legimus in Menologio, ex eis unam Herminem nominatam, sub Trajano gravissima passam, in Domino quievisse die 4. Sept.

10. Agabus.] Hic est Propheta, qui famem sub Claudio Imp. prædixit c. 11. 28.

11. Alligans sibi pedes et manus.] Sic Jeremias c. 13. et 27. gestans catenas et vincula, iis reipsa adumbravit, et vaticinatus est vincula injicienda Judæis, cæterisque gentibus à Chaldæis. Idem fecit Isaias. c. 20. et Ezechiel. c. 4. et 12. Vide ibi dicta. Nota. Pro *sibi* Græce est αὐτοῦ: quod si legas per spiritum aspiratum, αὑτοῦ significat *sibi*, ut vertit Noster, sin legas spiritu leni αὐτοῦ, significat *ipsi*, scilicet Paulo. Unde S. Gregorius hom 37. in Evang. et Dionys. hic censent Agabum ligasse manus et pedes Pauli ut ipsum ita ligandum Hierosolymis portenderet, et reipsa repræsentaret. Noster vertens *sibi* significat Agabum sibi ipsi ligasse manus ut in se Paulum ejusque vincula repræsentaret: forte utrumque fecit tamque Paulo quam sibi vincula injecit, sed successive.

Symbolice. Agabus seipsum potius quam Paulum alligavit, ut significaret, fore ut Paulus suos labores et cruciatus non magis sentiret, quam si illos in aliena persona pateretur, tanta ad eos subeundos voluntate ferebatur: et proinde quoscumque adibat, parvos judicans, ad majores exsorbendos æstuabat.

Et tradent in manus Gentium.] Uti Judæi tradiderunt Christum Gentibus, puta Pilato et Romanis, ad flagellandum et crucifigindum, ita tradiderunt et Paulum Gentibus, tribuno et præsidi Romano ac tandem fero Neroni.

12. Qui loci illius erant,] οἱ ἐντόπιοι, id est, *inquilini*, puta Christiani Cæsareæ habitantes.

13. Quid facitis flentes.] Ergo cum lacrymis obtestabantur Paulum, ne pergeret Hierosolymam.

Et affligentes cor meum.] Græce συνθρύπτοντες, Syrus *contundentes*, alii, *contribulantes*, alii, *confringentes, conterentes;* alii, *discerpentes cor meum.* Nota hic vicera charitatis et miserationis S. Pauli *Obsecrabat illos*, inquit Chrysost., *dolens super lacrymis ipsorum, et qui in propriis tentationibus non patiebatur, dolebat præ amore, quia videbat lacrymantes, et lædi se conquerebatur ab ipsis quasi censerent eum periculis, quæ prædicabantur, ægre affici. Non solitus reluctari fratrum postulatis, ut cum se permisit Damasci per fenestram demitti, cum Ephesi non se dedit in theatrum* c. 19. 31. *unus obnixe obnititur, certus de Dei voluntate.* Sic Christus repulit Petrum revocantem se à passione: *Vade*, inquit, *post me Satana*, Matth. 16. 23.

Ego enim non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum, propter nomen Domini Jesu.] Hæc vox est antesignani fidelium et Martyrum, digna Paulo, qua cæteros invitat, et quasi classicum canit ad carceres et martyria. Hoc signum est eminentis amoris, propulsantis ab se justa quadam ira inimicum, et indignantis adversus impedimenta perfectionis, ait Abbas Isaias orat. 21. tom. 2. Biblioth. SS. Patrum.

14. Et cum suadere, in actu consummato, id est persuadere, non possumus.

15. Præparati,] ἐπισκευασάμενοι Vatabl. *sublatis sarcinis;* OEcum. *viatico et rebus necessariis instructi.* Adde, *Præparati*, id est resoluti subire cum Paulo vincula et mortem, omneque id quod Deus nos pati vellet.

16. Adducentes secum apud quem hospitaremur.] Non in via, ut vult Lyran. hæc enim exigua supererat, sed Hierosolymæ, ubi propter instantem Pentecosten, qua Judæi undique in Jerusalem ad templum confluebant, juxta legem Exodi 23. 17. penuria hospitiorum futura erat, et ne gravaremus fideles, qui in Jerusalem persecutionem et rapinam bonorum à Judæis passi, erant pauperes, quibus proinde Paulus collectam eleemosynarum deferebat

Mnasonem.] Alii legunt *Jasonem.* Vide dicta c. 17. 5.

17. Et cum venissemus Hierosolymam.] Indicat Chrysost. Paulum appulisse Hierosolymam post Pentecosten: eam enim celebrasse Cæsareæ, ut Cæsareenses cum detinentes solaretur, eisque aliqua ex parte morem gereret. Probabilius Baron. censet Paulum Hierosolymam appulisse ante Pentecosten: tum quia id ipse certo destinarat c. 20. v. 16. tum quia Cæsareensibus eum retinere volentibus non acquievit, sed fortiter obluctatus est, tum quia Lucas studiose enumerat dies à Paschate, ut significet Paulum diem quinquagesimam, puta Pentecosten, egisse Hierosolymæ. Nam c. 20. 1. narrat Paulum cum suis in Paschate, post 7. dies azymorum solvisse Philippis, et diebus 5. Troadem appulisse, ibique 7. dies commoratum esse, indeque tribus diebus pervenisse Miletum. Ibi cum aliquamdiu hæsisset, properasse ut Pentecosten ageret Hierosolymæ: quare inde recedentem prima die venisse Coum, secunda Rhodum, inde Pataram, inde Tyrum; ibi septem egisse dies: inde Ptolemaide diem unam: inde venisse Cæsaream; ibi hæsisse aliquot dies, ac mox Hierosolymam concessisse. Numera hosce dies omnes, et pertinges circiter ad 50. ita ut quinquagesimam, sive Pentecosten egerit Hierosolymæ.

Nota. Paulus pervenit Hierosolymam sub Pentecosten anno Christi 58. Petri in Romana Sede 14. Neronis 2. quo pariter anno B. Virgo Deipara die 15. Augusti ex Jerusalem terrestri concessit ad cœlestem, licet enim in Chronico Eusebii habeatur, B. Virginem vita et terra decessisse anno Christi 48. ætatis vero suæ 62. vel 63. ta-

men id verum esse nequit, eo quod S. Dionys. l. de Divin. nom. cap. 3. scribat se cum Hierotheo ejus funeri interfuisse. Dionysius autem anno Christi 48. necdum viderat Paulum, ac proinde necdum erat conversus. Paulus enim Athenas venit anno Christi 52. Hierosolymam vero adiit anno Christi 58. quando illum eo comitatus videtur S. Dionys. et funeri Virginis interfuisse. Esto enim probabile sit Paulum quoque anterius, puta anno Christi 54. ascendisse Hierosolymam, uti dixi c. 18. 22. tamen hic subitus fuit excursus duntaxat, isque adhuc incertus et dubius. Quare Cedren. in Compen. in Tiber. Epiphanius Presbyter serm. de Deipara, Baron. anno Christi 48. c. 4. Suarez 3. p. q. 37. art. 2. disp. 21. sect. 1. Canisius et Christoph. à Castro in Historia Deiparæ, censent B. Virginem decessisse anno Christi 58. ætatis suæ 72. qui fuit annus à passione Christi 24. die 13. Augusti, ac die tertio, puta 18. Augusti, resurrexisse : licet nonnulli, sed pauci, censeant eam defunctam die 13. Augusti, et resurrexisse die 13. et gloriosam tam in corpore quam in anima ab angelis, imo à Christo suo filio cum triumpho assumptam in cœlum, ibique supra omnes angelorum ordines in solio juxta filium collocatam, cœli et terræ reginam esse coronatam. Atque hæc fuit causa, cur Spiritus sanctus impulerit Paulo festinare Hierosolymam, nimirum ut ante ejus obitum abitumque in cœlum, eamdem salutaret, eique suas Ecclesias suosque agones, præsertim quos Romæ cum Nerone et Simone Mago propediem subiturus erat, commendaret. Morienti tamen adesse non potuit, utpote qui paulo post suum Hierosolymam adventum, puta paulo post Pentecosten, in templo à Judæis captus, in vinculis degeret.

Aliqui tamen suspicantur Paulum Virgini morienti adfuisse. Si enim verum est quod tradunt Juvenalis, Damasc. et alii mox citandi, ad illam cæteros ex toto orbe per miraculum traductos convenisse Apostolos, cur id uni Paulo vicino, Virginis amantissimo, ejusque benedictione, consilio et precibus egentissimo, utpote in vinculis, jam ituro Romam, et cum Nerone certaturo, denegemus? Tam enim angelus Paulum è vinculis, quam Petrum Actor. 12. v. 7. et 8. eximere ad modicum tempus poterat, idque insensibiliter, et mox reducere. Licet enim Epiphanius hær. 78. contra Antidicomarianitas, B. Virginem celebrans, indicare videatur, eam non esse mortuam, sed instar Henoch translatam, vel instar Eliæ curru igneo vivam raptam in cœlum, tamen certum est eam mortem obiisse, et resurrexisse, ac deinde in cœlum assumptam, uti tradit Ecclesia.

Porro ad transitum B. Virginis, mira Dei providentia, convenerunt omnes Apostoli toto orbe dispersi, ut tradit Juvenalis Episcopus, Hierosolymam apud Niceph. lib. 2. cap. 21. et sequent. Damascenus de dormit. Virg. et alii. Non ergo dubium est, quin omnes Apostoli Hierosolymam ad Virginem convenientes, visitarint pariter Paulum in vinculis jam agentem, ac mirifice invicem sint consolati, narrando alternatim suos labores, ac conversionem omnium gentium. Ex dictis liquet, omnia quæ narrat Lucas cap. 20. usque ad 28. et ultimum, à Paulo gesta esse hoc anno Christi 58. Hoc ergo anno B. Virgo deserit Jerusalem terrestrem, itque in cœlum, quo Paulus Hierosolymæ traditur in vincula, ut Ecclesiæ decus à Jerusalem et Judæa transferat Romam ad Gentes. Dum enim viveret B. Virgo in Judæa, Ecclesiæ decus ibidem sua vita et meritis sustentabat, ea mortua, quasi fulcro sublato ruit Ecclesia Judaica.

18. INTROIBAT PAULUS NOBISCUM AD JACOBUM.] *Detulit*, inquit Chrysost., *dignitati Episcopali, quam Jacobus frater Domini Hierosolymis gerebat et eximiæ sanctitati et auctoritati, qua pollebat.* Unde idem fecit Paulus Galat. 1. vers. 18. et Actor. 15. vers. 2. Jacobus hic post paucos, puta quinque annos, nimirum anno Neronis 7. cum 30. vel potius 29. annos sanctissime rexisset Ecclesiam Hierosolymitanam, è templi fastigio præcipitatus, et fullonis vecte percussus Martyr occubuit, inquit Beda, Euseb. in Chronico, et alii, nimirum Judæi iras in Paulum conceptas, eo Cæsarem appellante, et Romæ ab eo libero dimisso, evomuerunt in Jacobum sibi præsentem.

OMNESQUE COLLECTI SUNT SENIORES,] tum ætate, tum potius dignitate et ordine, puta Presbyteri, ut habet Græcus. Non fuit hic celebratum Concilium; nihil enim hic definitum : sed conventus duntaxat fuit salutantium Paulum, eique adventum gratulantium. Improprie ergo Beda ait, hoc fuisse quartum concilium : Primum enim coactum esse in electione S. Matthiæ, Actor. 1. vers. 15. Secundum, in electione et ordinatione septem Diaconorum cap. 6. vers. 2. Tertium, et proprie dictum, in quæstione de servandis legalibus, Act. 15. v. 6. Quartum hoc loco.

19. QUOS CUM SALUTASSET.] Syrus, *dedimus eis pacem.* Salutatio enim Hebræorum, indeque et Christianorum, erat : *Pax tecum : Pax vobis.* Pax enim Hebræis omne bonum significat.

20. QUOT MILLIA.] Græce, μυριάδες. Myrias continet decem millia. Sed hic confuse sumitur, significatque multa millia ; primi enim Christiani à Petro et Apostolis, per plures annos in Judæa, efficacissime prædicantibus, conversi, fuere Judæi, iique plurimi, ut patet ex cap. 2. v. 41. et c. 4. v. 4. Unde liquet, Deum non ita rejecisse Judæos, quin multos ex eis elegerit et salvarit.

ET OMNES ÆMULATORES SUNT LEGIS,] ζηλωταί. Tigurina, *studiosi, sectatores.* q. d. Judæi conversi ad Christum, magno zelo certant pro Mose et lege ejusque honore et observatione : verentur autem, ne illa per te tuosque sermones negligatur et aboleatur; itaque ipsi quoque à Gentibus ad Christum conversis, utpote numero et dignitate potioribus, contemnantur et proterantur. S. Jacobus agit causam Judæorum, quasi eorum Pastor, et Episcopus. Licet enim lex Mosis jam esset mortua à 24. annis, puta à prima Pentecoste, in qua facta est promulgatio legis novæ anno Christi 34. mox ab ejus passione et resurrectione; tamen illa necdum erat mortifera. Unde adhuc à Judæis observari poterat, quasi honesta et religiosa, dataque à Deo; esto neminem jam obligaret; ut ab ea quasi nefaria non essent prohibendi Judæi nec vicissim Gentiles, ad eam quasi necessariam, compellendi, ait S. Aug. ep. 19.

21. QUIA DISCESSIONEM DOCEAS A MOSE EORUM, QUI PER GENTES SUNT, JUDÆORUM.] Clare Tigurina, *quod defectionem doceas à Mose omnes qui inter Gentes sunt, Judæos.* Hoc de Paulo spargebant Judæi manentes in judaismo, ideoque Pauli hostes, sed falso : nusquam enim vetuit Paulus Judæos circumcidi, et servare legem Mosis; imo

vero ipsemet Timotheum circumciderat, Actor. 16. 3. et votum Nazaræatus nuncuparat, Actor. 18. 18. Unde græce pro *discessionem*, est ἀποστασίαν. Paulum ergo vocant legis apostatam, uti eum vocavit Ebion hæresiarcha, imo apostatarum incentorem et patrem, quasi qui legem damnaret ut sacrilegam. Occasio hujus calumniæ fuit, quod Paulus elevabat Christum Christique gratiam, eoque tacite deprimebat Mosen et legem, docens nos justificari per Christi gratiam, non per legem Mosis, hanc enim illius umbram et præambulum fuisse duntaxat.

NON DEBERE, id est, non licere eis, CIRCUMCIDERE FILIOS SUOS,] quod circumcisio sit abolita per Christum.

NEQUE SECUNDUM CONSUETUDINEM INGREDI.] Tigurina, *neque secundum instituta*, vel *consuetudines* patrias et Judaicas *vivere*. q. d. Audierunt te non servare ritus à patribus institutos et traditos.

22. QUID ERGO EST,] quid consilii? quid facto est opus?

UTIQUE OPORTET CONVENIRE MULTITUDINEM : AUDIENT ENIM TE SUPERVENISSE.] q. d. Utique convenient multitudo Judæorum legem zelantium, ut de te tuisque dictis contra legem inquirant, quærantur, accusent, et forte male tractent et mulctent, nisi prævertas, teque legis studiosum ostendas.

23. HABENTES VOTUM,] nazaræatus, cujus terminus et consummatio erat sanctificatio, id est, detonsio comæ, lustratio, et sacrificii oblatio juxta legem. Num. 6. vers. 13. et sequent. Addit S. Hieron. ep. 11. ad Aug. pedum nudationem. Nonnulli tamen per *votum* accipiunt votum sacrificandi, uti dicam inferius.

SANCTIFICA,] ἁγνίσθη, id est, *purifica te* modo jam dicto, et plenius mox dicendo. Audierat jam ante Jacobus et alii Hierosolymitani, Paulum fecisse votum nazaræatus. Ita Baron. et alii, qui censent votum hoc Paulo fuisse familiare, crebrum et quasi continuum, ideoque perpetuo abstinuisse vino.

ET IMPENDE IN ILLIS UT RADANT CAPITA.] Syrus *pro illis*. Hinc censet Cajetan. Paulum hic non fuisse Nazaræum, nec solvisse votum nazaræatus : recens enim advenerat, nec voti ejus ulla facta est mentio. Paulum ergo tantum Nazaræis se junxisse, pro eisque expensas fecisse, et quasi patrinum eos præsentasse in templo. Hoc ipso enim publice declarabat se Nazaræorum judaismi et Judæorum esse patrinum et patronum. Verum Lyranus et alii censent, Paulum quoque hic fuisse Nazaræum, suumque votum explesse; illudque inquit τὸ *sanctifica te cum illis*. Hoc ergo votum fecit Paulus Actor. 18. 18. Si dicas eum illud explesse Actor. 18. 22. ut ibidem innui, necesse est asserere, eum illo expleto aliud nuncupasse, illudque hic exoluisse : poterat enim quolibet die hoc votum nuncupari, et arctari etiam ad unum diem, alteroque expleri. Quod ergo ait, *Impende in illis*, id est, cum illis, vel potius pro (hoc enim significat Græcum ἐπὶ) illis, ut magis ostendas te legis et rituum et legalium esse studiosum. Forte etiam cæteri erant pauperes, ut sumptus pro eis facere debuerit Paulus, uti censent Cajetan. et Vatablus. Pro *impende* græce διαπανησον, id est, *fac sumptus*, *expende*, *exolve*. Porro sumptus hi necessarii erant tum *ut radant capita sua*. Unde Arias vertit, *impende rituales sumptus in lotionem et tonsuram capillorum* : tum consequenter ad emendas et offerendas hostias in rasura Nazaræorum lege Num. 6. vers. 12. et 14. præscriptas. Vide hic, quamdiu durarit legis, post eam abolitam, observatio, nimirum 24. annis. Hæc enim gesta sunt anno Christi 58. ut dixi in Chronotaxi : illo ergo anno lex, licet esset mortua, necdum tamen erat mortifera, ut scilicet peccaret is qui eam servaret.

25. DE HIS AUTEM QUI CREDIDERUNT EX GENTIBUS.] Occurrit objectioni : ne enim obtenderet Paulus Gentilium scandalum, scilicet eos exemplo suo existimaturos, se quoque debere servare legalia, docet, aut potius refricat, jam ad eos scriptum esse, quod lege Mosis non obligarentur, ac jussos esse abstinere tantum idolothytis, sanguine et suffocato, uti sciebat Paulus, qui huic decreto interfuerat, imo ejus causa extiterat, Actor. 15.

UT ABSTINEANT SE AB IDOLIS IMMOLATO.] Græce, *ab idolothyto*, puta à carne et cibo idolis oblato et immolato. Vide dicta cap. 15. v. 20. et 29.

26. TUNC PAULUS ASSUMPTIS VIRIS.] Vide hic facilitatem Pauli, statim acquiescentis S. Jacobi consiliis, ac studium non tantum vitandi scandali, sed et conciliandi sibi Judæos. Ita omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret. Insuper S. Chrysost. homil. 5. de ejus laudibus, notat ejus prudentiam, qua juxta loca et tempora, vitæ modum variat, ac quasi ambidexter nunc judaice, nunc gentiliter vivit et agit. Sic Homerus initio Odysseæ celebrat Ulyssis versutiam, eumque vocat ἄνδρα πολυτροπον, id est, *virum versatilem*, qui pro rerum, locorum et temporum exigentia, nosset se vertere et versare in omnem partem, ac cuilibet genti, personæ, loco, tempori cedere, seque accommodare. Hæc dos requiritur in viro Apostolico.

POSTERA DIE PURIFICATUS CUM ILLIS INTRAVIT IN TEMPLUM.] Vatabl. *Simulans*, inquit, *se implesse tempus nazaræatus sui*, quasi Paulus vere non fecerit votum nazaræatus, sed finxerit se fecisse, ut satisfaceret Judæis. Verum hoc fuisset mendacium, quod absit à Paulo, uti recte contra S. Hieron. qui Paulum asserit simulate tantum reprehendisse Petrum Galat. 2. 11. argumentatur S. Aug. ep. 19.

Quæres, quænam fuit hæc Pauli purificatio? Vatablus, et alii censet fuisse votum nazaræatus, quod tum vel inchoarit, vel expleverit Paulus; ut *purificatus* sit idem, quod, purificationem inchoans, vel explens. Nazaræatus enim vocatur purificatio, et sanctificatio : quia Nazaræi erant puri à vino et sicera, ac consecrati Deo. Adde, nazaræatum suscipiebant, ut castigarent luxum præteritum, et ab eo se purificarent. Denique in fine nazaræatus purificabant se, quia offerebant victimam pro peccato, ut scilicet expiarent defectus tempore nazaræatus in voti observatione commissos. Num. 6. 14. Purgatio ergo hæc fuit lotio Pauli, præsertim comæ, expleto jam voto, cremandæ, ita Arias, q. d. Paulus purificavit, id est, lustravit et lavit se, suamque comam, ut eam mox purificaret, id est, Deo consecraret et cremaret in templo, juxta legem Num. 6. 18.

Alii, ut Sanchez planius et verisimilius censent, hanc purificationem fuisse proprie dictam : ita enim semper in Græco hic vocat eam Lucas, nimirum Paulum habentem votum nazaræatus, contactu mortui fuisse pollutum, et ab hac im-

munditia legali se purificasse. Hoc enim proprie sonat vox *purificatus*, et hanc purificationem præscribit lex Num. 6. 10. Ubi et septem dies ei constituit, ac totidem hic eidem impendit Paulus v. 27. Eadem de causa Paulus totondit caput in Cenchris Actor. 18. v. 18. Sensus ergo est, q. d. Paulus pollutus ex funere, ab hac pollutione se purificavit radendo illico caput, itaque purificatus adiit templum, ut ibi annuntiaret et expleret reliquos septem dies purificationis suæ præscriptos lege Numer. 6. 9. Alioqui enim si per purificationem votum ipsum nazaræatus accipias, erit amphibologia in voce *purificatus*. Nam hic significat lustrationem : mox cum dicit, *Annuntians expletionem dierum purificationis suæ* significabit votum ipsum. Favet Syrus qui v. 23. pro *votum habentes super se*, vertit, *vote obnoxii ut mundentur*. Unde videtur colligi, quod et hi quatuor Nazaræi Pauli socii, æque ut ipse, purificati fuerint à simili immunditia legali, non autem expleverint votum nazaræatus. Idem colligitur ex eo quod sequitur : *Annuntiavit expletionem dierum purificationis suæ, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio*, scilicet in purificatione præscripta : erant ergo omnes impuri et polluti, ideoque purificandi.

Annuntians expletionem dierum purificationis.] De hac annuntiatione nihil præscriptum legimus. Num. 6. Unde Sanchez censet incertum esse qualis ea fuerit, et an ea à Paulo facta sit Judæis, quasi ipse eis annuntiarit suam legalem in nazaræatus pollutione purificationem, ut iis ostenderet se legem Mosaicam non contemnere, sed servare : an vero Nazaræis, quasi sociis, sumn votum annuntiarit : an denique sacerdotibus, quod ultimum passim censent alii. Ad sacerdotes enim pertinebant purificationes et cæremoniæ nazaræatus utpote in Nazaræi per eos explendæ. Jam si per *purificationem* accipias votum nazaræatus, τὸ *expletionem* proprie in actu perfecto expletoque sumitur. q. d. Annuntians votum suum esse expletum, postulansque ut cæremoniæ et oblationes pro se fiant, quæ in expletione voti hujus præscribuntur. Num. 6. 13. ubi dicitur : *Cum dies quos ex voto decreverat* (Nazaræus) *complebuntur; adducet* (sacerdos) *eum ad ostium tabernaculi fœderis et offerret oblationem ejus Domino agnum anniculum*, etc. Et v. 18. *Tunc radetur Nazaræus ante ostium tabernaculi fœderis cæsarie consecrationis suæ; tolletque capillos ejus et ponet super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum.* Capilli ergo ejus velut sacri, instar hostiæ offerebantur per ignem, et cremabantur Deo cum hostia pacifica. Unde quod sequitur, *Donec offerretur*, sic expone q. d. Usque dum offerretur, vel, ut offerretur, *pro unoquoque eorum oblatio.* Ita Mariana.

Ex hac expositione moraliter elice, nazaræatum nostrum, puta statum Religionis, esse statum assiduæ purificationis et sanctificationis, ac consequenter, Religiosos usque ad finem voti et vitæ, jugiter purificationi cordis et affectuum studere debere. Sin purificationem proprie accipias pro expiatione immunditiæ legalis, τὸ *expletionem* sumas oportet in actu inchoato hoc præsenti tempore, sed explendo in futurum, q. d. annuntians sibi explendos esse septem dies purificationis præscriptos. Num. 6. 9. ubi dicitur : *Si autem mortuus fuerit subito quispiam coram eo, polluetur caput consecrationis ejus; quod radet illico in eadem die purgationis suæ, et rursum septima : et in octava die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ sacerdoti in introitu fœderis testimonii, facietque* (immolabit) *sacerdos unum pro peccato, et alterum in holocaustum, et deprecabitur pro eo, quia peccavit super mortuo, sanctificabitque caput ejus in die illo, et consecrabit Domino dies separationis illius, offerens agnum anniculum pro peccato.* Et hæc est oblatio de qua ait Lucas, *donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio.* q. d. Persistebat Paulus in templo, cum quatuor sociis Nazaræis per septem dies, donec die octava fieret pro eis oblatio lege præscripta, ita Vatablus. Quod dico *in templo;* intellige juxta templum, in ædibus et cubiculis annexis templo : templum enim nemo ingredi poterat nisi purus. Unde pro impuris erat atrium ante templum, in quo degebant donec purificarentur. Hoc posterius videtur verius, uti paulo ante ostendi.

Tertio, aliqui hic facillime se expediunt, dicendo hæc vota et purificationes non fuisse nazaræatus, aut similes lege sancitas, sed fuisse alias peculiares, ex devotione populi et traditione majorum introductas. Tales enim fuisse apud Judæos, liquet ex Josepho lib. 2. de Bello cap. 15. ubi agens de Berenice sorore Agrippæ regis : *Venerat*, ait, *Hierosolymam, ut vota Deo solveret. His enim qui morbo, vel aliis necessitatibus implicantur, mos est orare per triginta dies antequam immolent hostias; abstinere quoque vino, et capillos radere. Quem morem regina exercens illis diebus, nudipes etiam ante tribunal stetit, deprecans Florum.* Quæ verbi Josephi pene ad amussim consentiunt cum hisce Lucæ, et secundum ea hæc Lucæ sic exponas. q. d. Paulus fecit votum sacrificandi, sive victimas offerendi : quare juxta ritum majorum purificavit se, id est, rasit caput, ac quotidie Deum precaturus in templum ascendit, annuntians expletionem dierum hujus suæ purificationis, ut iis expletis sacrificium quod voverat, Deo offerret. Nec obstat, quod Josephus numeret triginta dies purificationis, Lucas vero septem; quia cum numerus hic dierum ex devotione cujusque penderet, poterat ob occupationes aliasve necessitates contrahi, præsertim ad septenarium, qui Judæis ob religionem sabbati sacer erat et frequens; itaque Paulum Evangeli prædicatione occupatum eos contraxisse ad septem.

27. Dum autem septem dies consummarentur,] in actu progrediente, aut potius inchoante, non perfecto, id est, dum pergerent aut potius inciperent consummari : nec dum enim erant consummati, uti mox patebit. Unde Græca habent, ὡς δὲ ἔμελλον αἱ ἑπτὰ ἡμέραι συντελεῖσθαι, id est, *cum futurum esset ut septem dies implerentur*, vel, *cum inciperent impleri :* μέλλω enim sæpe idem est quod incipio, uti ostendam Jacobi 2. 12. licet Syrus sumat in actu pene perfecto, vertatque, *cum advenisset dies septimus;* sed minus vere. Nam Paulus paulo post captus, missus est Cæsaream, ibique mansit quinque dies c. 24. 1. quibus elapsis ductus ad tribunal Præsidis c. 24. 11. ait, *Non plus sunt mihi dies quam duodecim, ex quo ascendi adorare in Jerusalem.* Nam à Jerusalem usque ad Cæsaream est iter bidui. Adde septem, quinque et duos, habebis dies 14. non 12. Quare dicendum est Paulum dum hæc diceret, non consummasse et explesse dies septem, sed eos cœpisse explere, ita ut jam ageretur dies tertius ab adventu suo in Jerusalem, qui erat

primus purificationis Pauli, quo eam inchoans, illico captus est. Adde enim tres, quinque, duos et duos alios, de quibus mox dicam, habebis præcise dies duodecim, quos hic assignat Paulus. Ita Beda. Porro aliqui hos septem dies inchoant ab adventu Pauli in Jerusalem. Ita Lyr. et Vatablus. Alii et melius à cœpta Pauli purificatione : hæc enim, ut dixi durabat septem dies, ita Beda, Glossa, Dionys. et Sanchez.

Hæc ergo est series et Chronotaxis rei gestæ : Paulus appulit Jerusalem : postridie invisit Jacobum : ille suasit purificationem : paret illico Paulus, ac postero die, ut dicitur v. 26. purificationis causa ingressus templum, ibi capitur : quare captus est tertio die ab adventu suo Hierosolymam : sequenti die, puta quarto, ut patet v. 30. Paulus in concilio causam dicit : sequenti nocte confortatur à Christo c. 23. 11. facto mane, puta die quinto, conspirant in ejus necem Judæi, ibidem v. 12. Quare tribunus v. 23. sequenti nocte misit eum Antipatridem, quæ Hierosolymis distabat 17. horis; eo ergo pervenit Paulus die sexto ad vesperam : ac sequenti die, qui fuit septimus, pervenit Cæsaream (hæc enim ab Antipatride tantum distabat Octo horis) c. 23. 32. post quinque dies pontifex Cæsaream ingressus, Paulum coram præside accusat c. 24. 1. Paulus inter alia respondet ibidem v. 11. se à duodecim diebus venisse Hierosolymam. Numera enim dies septem jam recensitos, et quinque venientis Pontificis, præcise habebis duodecim, quos Paulus assignat : ideoque versibus jam citatis, sigillatim Lucas eos digerit eo modo quo jam recensui, ut ostendat Paulum verum dixisse, ac præcise fuisse dies duodecim.

28. Gentiles induxit in templum.] Judæi enim Gentiles aversabantur ut alienigenas, idololatras et immundos ; et si è gentilismo conversi essent ad Christianismum, ut erat hic Trophimus, nihilominus eos Gentilium nomine et probro censebant, imo pejus oderant, quasi directos judaismi hostes, hinc capitale erat Gentili ingredi templum, teste Josepho l. 5. Antiq. c. 14. *Templum* hic vocat, non Sanctum; hoc enim solis sacerdotibus ingredi licebat ; multo minus Sanctum sanctorum; hoc enim soli Pontifici patebat, idque semel in anno dumtaxat, scilicet in die expiationis : sed atrium laicorum, quod ante Sanctum, et ante atrium sacerdotum erat sub dio, è quo populus spectabat sacerdotes orantes et sacrificantes in suo atrio. Porro ante hoc atrium Judæorum, adjectum est atrium extimum pro Gentilibus et immundis : ipsi ergo illud duntaxat ingredi poterant : quod proinde non habebatur locus sanctus, sed profanus.

30. Trahebant eum extra templum.] Ut enim liberius et audacius occiderent, ne templum ejus sanguine polluerent, ait Chrysost. Dices, in templo est jus asyli, ut reum ex eo extrahere non liceat, nisi sit insidiosus, homicida, aut publicus latro vel publicus depopulator agrorum, ut habetur cap. *Immunitatem.* Extrav. de Immun. quo jure ergo Judæi Paulum è templo extraxerunt? Resp. Jus asyli immunitatis, ex Jure Canonico et civili proprium est templo novæ legis, non veteris, uti contra Canonistas docet Abulens. in c. 21. Exodi q. 16. nusquam enim in veteri Script. extat sanctio de hac templi immunitate. Ex reverentia tamen templi, noluerunt Paulum ibidem vulnerare vel occidere. Adde, censebant Paulum violasse sanctitatem templi, inducendo in illud Gentilem Trophimum, ideoque eo quasi indignum, extrahendum esse. Porro templum cæde, aliove scelere pollutum, expiabatur communi ritu semel in anno in die expiationis, Levit. 16. 15. et sequent. nisi in eo perpetrata esset idololatria : tunc enim statim expiari debebat, nec ante expiationem licebat in eo sacrificare, ut colligitur 4. Reg. 23. vers. 4. et 2. Paral. 29. 3.

Et statim clausæ sunt januæ,] ne in hoc tumultu Gentiles in templum irrumperent, quasi Paulum, vel Trophimum Gentilem (ob quem seditionem concitarant Judæi) liberaturi et defensuri : ac ne in hoc tumultu cædes aliqua committeretur in templo. Aliter Arias : censet enim januas templi divinitus fuisse clausas, ut Paulus adhuc degens in eo maneret, et servaretur, nec ab affluente populi furentis turba occideretur. Quod si verum esset, utique ingens fuisset miraculum, æque ac Dei in Paulum patrocinium.

31. Confunditur,] συγχέχυται, *commiscetur, conturbatur.*

32. Decurrit ad illos.] Scilicet ex arce edita in subjectum ei templum, ubi Paulus à Judæis raptabatur ad necem. Arx hæc non fuit in Sion, ut vult Cajet. sed fuit turris Antonia, quam ita ex Josepho et aliis describit Adrichom. in Descr. Jerusalem : *Antonia arx firma et munita valde, à Septentrione templo adjacens, quæ olim ab Hyrcano Machabæo in rupe quinquaginta cubiti salta, et undique abrupta extructa, et Turris Baris vocata est. Hanc Pontifices à Machabæis orti, usque ad Herodem incoluere : ubi in cella ad hoc ipsum structa, sacra Pontificis stola servabatur, præfecto arcis accendente ibi lucernam quotidie. Herodes major regnum adeptus, hanc arcem cum opportuno loco cohibendis Civibus, ne quid rerum novarum per seditionem molirentur, sitam esse deprehenderet, eam magno sumptu instauravit : et intus regia magnifica instar palatii et civitatis formata, et per quatuor angulos quatuor turribus excelsis (quarum tres quingenta, quarta vero septuaginta cubitis eminebat) communivit, unde totum templum videri poterat : eamque in gratiam M. Antonii triumviri, amici sui, Antoniam denominavit. In qua Romani milites cum armis semper excubabant, observantes ne quid novi populus festis diebus in templo committeret. Et sic templum civitati, templo autem Antonia castrum erat.* Eadem habet Aristæas lib. de 72. Interpretibus, Hegesippus l. 1. de Excidio Jerusalem c. 6. et alii.

33. Catenis duabus.] Una ligabat manus, altera pedes Pauli, uti ei prædixerat Agabus v. 11.

34. In castra.] *Castra* hæc erant præsidium Romanorum in arce Antonia, de qua jam dixi. Unde græce est εἰς τὴν παρεμβολήν, id est, *in locum communium, militumque stationibus et tentoriis interstinctum.*

35. Gradus,] quibus ascendebatur in arcem Antoniam.

36. Tolle eum.] Ita clamarunt Judæi contra Christum Johan. 19. 15. non mirum ergo si idem clament contra Paulum, qui non nisi Christum spirabat. Chrysost. et Œcumen. aiunt aliquos exponere. q. d. *In signa cum tollendo injice,* puta in hastas et enses militum, sub signis in arce congregatorum.

38. Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies tumultum concitasti ?] Puta ante triennium, nimirum anno Claudii Imper. 13. Christi 55. hæc

enim à tribuno dicta et acta sunt anno Christi 58. Neronis 2. ita Euseb. in Chronico, qui et lib. 2. Histor. c. 21. ex Josepho l. 20. Antiq. c. 20. hunc Ægyptium ita describit : *Eodem*, ait, *tempore quidam ex Ægypto venit Hierosolyma, vatem se esse profitens, et plebi suadens ut secuta se in montem Oliveti ascenderet, qui è regione orbis ad quintum abest stadium : illic enim visuros suo jussu cadere Hierosolymorum mœnia, ita ut per eorum ruinas aditus in urbem pateat. Quo cognito Felix jubet milites arma sumere : stipatusque multis equitibus ac peditibus erumpens, invadit turbam seductam ab Ægyptio : quorum quadringentis occisis ducentos vivos cepit : Ægyptius ipse pugna elapsus disparuit. Post hæc latrones rursum ad rebellandum Romanis incitabant populum, dictitantes excutiendum illorum imperium, et non assentientium vicos direptos absumebant incendiis.*

Porro Ægyptii olim male audiebant, tanquam malarum auctores artium. Unde proverbium; *Nectunt stupendas machinas Ægyptii*, de versutis, et ut ait Plautus, consutis dolis dictitatum. Et : *Lydi improbi, post hos secundi Ægyptii, tertiique Cares perditissimi omnium.* Et : *Ægyptii nuptiæ*, inauspicatæ et infelices dicebantur. Sumptum è fabula Ægypti, qui filios quinquaginta totidem filiabus fratris maritos dedit : at hi præter unum, omnes à sponsis jugulati sunt. Sic etiamnum errones illi, quos Itali *Cingaros*, vocant, qui divinando cuique fortunam, evacuant bursam, *Ægyptii* nuncupantur, et ex Ægypto se venisse jactitant.

Quatuor millia.] Tot initio eduxerat ex Ægypto sed, ut fit, affluente turba prædonum numerus excrevit ad triginta millia, uti narrant Josephus et Eusebius jam citati.

Sicariorum.] Ita dicti qui sicas gestabant ad secreto, occulte et expedite alios trucidandum. Sica enim erat gladius brevior, sed acutior, ita dictus à secando, quasi seca. Unde Cicero oratione 2. et 3. in Catilinam : *Non jam*, ait, *inter latera nostra sica illa versabitur, non in campo, non in foro, non in curia, non denique inter domesticos parietes pertimescemus.* Ecce rursum Paulum similem Christo. Christus enim cum Barraba compositus, inter latrones quasi latro crucifixus est : ita Paulus hic censetur sicarius, imo sicariorum antesignanus.

39. A Tarso Ciliciæ.] Est enim alia Tarsus in Bythynia, alia in India. Tarsus olim vocata est *Tersus*, quod illic primum à diluvio apparuerit terra sicca : vel quod illic delapsus Pegasus talo fracto, quem illi ταρσόν vocant, claudicationem contraxerit. Ita Stephanus lib. de Urbibus, aut à serie remigii et remigum, quam Græci vocant ταρσον. Tarsus enim utpote maritima, remigibus et navibus abundabat. Unde in Script. celebrantur naves Tharsis.

Non ignotæ.] Id est notæ, celebris. Est miosis, erat enim Tarsus Ciliciæ metropolis. Ita Stephanus l. de Urbibus : nunc vero longe celebrior est, eo quod illi Paulum Apostolum debeamus.

Municeps,] πολίτης, id est *civis;* Syrus, *in qua natus sum. Municeps* à munere, quasi munus capiens, proprie is dicebatur, qui in civitatem Romanam receptus, munerum particeps fiebat, quales fuerunt Tusculani, Tiburtes, Prænestini, Arpinates, etc., quibus non licebat Magistratum capere, sed tantum muneris partem. Ita Festus. *Municipes dicti, quod munera civilia capiant*, inquit Paulus in lib. *Munus* ff. *de verborum et rerum significatione.* Postea tamen abusive municipes dicti sunt, cujusque civitatis cives, inquit Ulpianus in dict. lib. 1. ff. *ad municipales.* Dicit hoc Paulus. q. d. Ego non sum Ægyptius ille sicariorum dux; ut tu putas tribune; quia sum Tarsensis, ac consequenter Romanus municeps et civis.

Allocutus est.] Miratur hic merito S. Chrys. Pauli animum ingentem, qui in tanto tumultu et periculo sibi præsens, imperturbatus, celsus et erectus, utpote innocentiæ causæque suæ confisus, ac Deo nixus, tam appositam, imo compositam ad populum furentem habuerit concionem, ut miro omnium silentio sit auditus, nimirum *justus ut leo confidit*, dicitque cum Psalte : *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversum me prœlium, in hoc ego sperabo.* Psalm. 26. 1. utique dicebat Paulus : *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.*

Rursum vide hic Pauli pectus ardens amore suæ gentis, licet erga se ingratissimæ, sibique inimicissimæ, quod in tantis injuriis adhuc de Judæorum salute cogitat, si vel aliquos possit Christo lucrifacere et salvare. Unde optabat pro eis anathema fieri à Christo, Rom. 9. 1.

Tertio, vide quantus fuerit in Paulo zelus honoris divini, ad propagandum nomen et Ecclesiam Christi, ejusque Majestatem et gloriam amplificandi. Nam etiam in mediis vinculis et tumultibus, ipsoque agone mortis tacere non potest, quin Jesum Christum pro viribus prædicet, celebret, glorificet; esto auditores omnes obstrepant et occlament.

Denique Paulus captus fuit circa Pentecosten, ut dixi v. 17. et forte ipso festo Pentecostes, quo allusit dicens cap. 20. 22. *Ecce alligatus ego spiritu vado in Jerusalem, et Spiritus sanctus protestatur, quod vincula et tribulationes me manent Hierosolymis.* q. d. Alligat et impellit me Spiritus sanctus in Jerusalem, ut in ejus festo, puta Pentecoste, pro ipso vinculis alliger. Unde sicut sanctus Petrus ante 24. annos, in prima Pentecoste Christiana habuit primam concionem ad populum, Actor. 2. ita in eadem habet et Paulus hic; sed causa et eventu dissimili. Petrus enim habuit auditores, ob prodigia Pentecostes, maxime capaces, et benevolos, ideoque illico vi spiritus et lingua ignea convertit tria hominum millia; Paulus vero concionatus est ad hostes sibi infensissimos, poscentes eum ad necem : unde fructum alium non retulit, quam ut in eum jaciendo vestes et pulverem, occlamarent : Tolle eum de terra; non enim fas est eum vivere.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PAULUS PERORANS AD POPULUM, SUAM DE COELO VOCATIONEM, CONVERSIONEM ET MISSIONEM ENARRAT. SILENTER AUDIT EUM POPULUS, DONEC PAULUS EDICIT, SE MISSUM AD GENTES. TUNC ENIM VESTES ET PULVEREM JACIENS IN AEREM, VOCIFERATUR: TOLLE EUM DE TERRA. QUARE TRIBUNUS JUBET PAULUM FLAGELLARI ET TORQUERI: ILLE ASSERENS SE CIVEM ESSE ROMANUM, FLAGRIS SE EXIMIT. TRIBUNUS POSTERO DIE EUM SOLUTUM STATUIT IN CONCILIO SACERDOTUM ET PRIMORUM, UT CAUSAM SUAM AGAT.

1. VIRI fratres, et patres, audite quam ad vos nunc reddo rationem. 2. Cum audissent autem quia Hebræa lingua loqueretur ad illos, magis præstiterunt silentium. 3. Et dicit: Ego sum vir Judæus, natus in Tarso Ciliciæ, nutritus autem in ista civitate, secus pedes Gamaliel eruditus juxta veritatem paternæ legis, æmulator legis, sicut et vos omnes estis hodie: 4. qui hanc viam persecutus sum usque ad mortem, alligans et tradens in custodias viros ac mulieres. 5. Sicut Princeps sacerdotum mihi testimonium reddit, et omnes majores natu, à quibus et epistolas accipiens, ad fratres Damascum pergebam, ut adducerem inde vinctos in Jerusalem ut punirentur. 6. Factum est autem, eunte me, et appropinquante Damasco media die, subito de cœlo circumfulsit me lux copiosa: 7. et decidens in terram, audivi vocem dicentem mihi: Saule, Saule, quid me persequeris? 8. Ego autem respondi: Quis es Domine. Dixitque ad me: Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris. 9. Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt ejus, qui loquebatur mecum. 10. Et dixi: Quid faciam Domine? Dominus autem dixit ad me: Surgens vade Damascum: et ibi tibi dicetur de omnibus, quæ te oporteat facere. 11. Et cum non viderem præ claritate luminis illius, ad manum deductus à comitibus, veni Damascum. 12. Ananias autem quidam, vir secundum legem testimonium habens ab omnibus cohabitantibus Judæis. 13. Veniens ad me, et astans dixit mihi: Saule frater respice. Et ego eadem hora respexi in eum. 14. At ille dixit: Deus patrum nostrorum præordinavit te, ut cognosceres voluntatem ejus, et videres justum, et audires vocem ex ore ejus: 15. quia eris testis illius ad omnes homines, eorum quæ vidisti et audisti. 16. Et nunc quid moraris? Exurge, et baptizare, et ablue peccata tua invocato nomine ipsius. 17. Factum est autem revertenti mihi in Jerusalem, et oranti in templo, fieri me in stupore mentis, 18. et videre illum dicentem mihi: Festina, et exi velociter ex Jerusalem: quoniam non recipient testimonium tuum de me. 19. Et ego dixi: Domine ipsi sciunt quia ego eram concludens in carcerem et cædens per Synagogas eos qui credebant in te: 20. et cum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam et consentiebam, et custodiebam vestimenta interficientium illum. 21. Et dixit ad me: Vade, quoniam ego in nationes longe mittam te. 22. Audiebant autem eum usque ad hoc verbum, et levaverunt vocem suam dicentes: Tolle de terra hujusmodi: non enim fas est eum vivere. 23. Vociferantibus autem eis, et projicientibus vestimenta sua, et pulverem jactantibus in aerem, 24. jussit tribunus induci eum in castra, et flagellis cædi, et torqueri eum, ut sciret propter quam causam sic acclamarent ei. 25. Et cum astrinxissent eum loris, dixit astanti sibi centurioni Paulus: Si hominem Romanum et indemnatum licet vobis flagellare? 26. Quo audito, centurio accessit ad tribunum, et nuntiavit ei dicens: Quid acturus es? hic enim homo civis Romanus est. 27. Accedens autem tribunus, dixit illi: Dic mihi si tu Romanus es? At ille dixit: Etiam. 28. Et respondit tribunus: Ego multa summa civitatem hanc consecutus sum. Et Paulus ait: Ego autem et natus sum. 29. Protinus ergo discesserunt ab illo, qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit postquam rescivit quia civis Romanus esset, quia alligasset eum. 30. Postera autem die volens scire diligentius, qua ex causa accusaretur à Judæis, solvit eum, et jussit sacerdotes convenire, et omne concilium, et producens Paulum, statuit inter illos.

1. VIRI FRATRES ET PATRES.] *Patres* vocat Pontifices, sacerdotes, et cæteros ætate, vel dignitate præstantes : reliquos appellat *fratres*. Vide dicta c. 7. 2. Nota hic modestiam, mansuetudinem et prudentiam Pauli, qua ubique decorum servat, ut omnibus se insinuet.

REDDO RATIONEM.] Græce, ἀπολογίας, id est *defensionem* contra accusationem, mihi à Judæis Asianis intentatam. Aliqui legunt *excusationem*.

3. SECUS PEDES GAMALIEL.] Id est, discipulus Gamalielis : discipulorum enim est stare, vel sedere ad pedes magistri in altiori cathedra sedentis. Sic Magdalena *sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius*. Lucæ 10. 39. Huc spectat illud Mosis Deut 33. 3. *Et qui appropinquant pedibus ejus* (puta discipuli Dei, qui eum audiunt ejusque pedes et vestigia sequuntur) *accipient de doctrina illius*.

ERUDITUS JUXTA VERITATEM κατ' ἀκρίβειαν, id est *juxta exactam rationem*, vel *juxta rigorem*, PATERNÆ LEGIS.] Tigurina, *institutus accurate in patria lege*. Forte Noster pro ακριβειαν, legit αληθειαν, id est *veritatem ;* aut certe illam pro hac accepit ; veritas enim rigida est, et in exacta ratione, adeoque in indivisibili, et in puncto consistit.

ÆMULATOR LEGIS.] Græce ζηλωτὴς τοῦ θεοῦ, id est, *Zelutor Dei*, nimirum legis Dei, qui zelator est legis, zelator est Dei, qui auctor est legis.

4. QUI HANC VIAM, hunc vivendi morem, hanc vitæ rationem, consuetudinem et institutum (hoc enim significat Hebr. דרך *derech*, id est via) puta Christianismum, PERSECUTUS SUM USQUE AD MORTEM.] Morti tradens sanctum Stephanum aliosque Christianos. Aliter Hugo, q. d. Adeo sectator eram legis, ut paratus essem mori pro ea. Verum græce est ἐδίωξα, id est *hostiliter persecutus sum*, fideles Christi, usque ad mortem et internecionem.

5. SICUT PRINCEPS SACERDOTUM MIHI TESTIMONIUM REDDIT.] Hinc probabiliter Sanchez et alii censent, Paulum servasse literas olim sibi à Pontifice et Consilio traditas : tum quia eas ad hæc tempora periculosa et dubia, magno sibi usui fore arbitrabatur : tum ut iis se aliosque accenderet ad Christi amorem, qui eum publicum persecutorem, publica fide auctoratum, tam benigne sit complexus, tantaque gratia donarit.

AD FRATRES.] Judæos scilicet, qui erant Damasci, ut mihi in capiendis Christianis os et manum, puta consilium et opem prætarent. Aliter Vatabl. *ad fratres*, inquit, id est, adversus fratres, puta Christianos.

UT PUNIRENTUR.] Syrus, *ut capite mulctarentur*.

6. CIRCUMFULSIT,] περιαστραψαι, id est *circumfulguravit*. Unde lux hæc instar fulguris perculit oculos Pauli eumque cæcavit.

9. ET QUI MECUM ERANT, LUMEN QUIDEM VIDERUNT, VOCEM AUTEM NON AUDIERUNT.] Articulatam scilicet et distinctam : nam confusum vocis sonum eos audiisse, patet ex illo cap. 9. vers. 7. *Audientes quidem vocem, neminem autem videntes*, licet S. Chrysost. id explicet de Pauli voce, quasi ejus socii vocem Pauli respondentis audierint, non Christi objurgantis. Græca addunt : και ἔμφοβοι ἐγενοντο, *et exterriti fuerunt :* unde et omnes cum Paulo in terram corruerunt, uti asserit Paulus Agrippæ regi c. 26. 14.

11. ET CUM NON VIDEREM PRÆ CLARITATE (græce δόξης, id est, *gloria*) LUMINIS.] Significat lucem hanc ingentem fuisse et augustam, utpote quæ à divino Christi corpore evibraretur, ejusque Majestatem et gloriam repræsentaret.

12. VIR SECUNDUM LEGEM.] Græce εὐλαβὴς, id est *reverens, pius secundum legem ;* Syrus, *justus in lege*. Sensus est, q. d. Religiosus legis observator. Commendat Paulus Ananiam à tribus, scilicet à pietate, doctrina et bona fama.

13. RESPICE,] ἀναβλέψον, id est, *recipe visum, atolle oculos, apertis oculis me intuere*. Hac enim voce Ananias cæcitatem Pauli discussit, eique oculorum usum visumque restituit. Unde sequitur. *Et ego eadem hora respexi in eum :* græce ἀνέβλεψα εἰς αὐτὸν, id est, *recepto visu vidi illum*, vel, *intuitum sum et aspexi in eum*. Aliqui vertunt, *suspice*, sive *sursum aspice :* hoc enim innuit ἀνα. Solent enim cæcutientes sursum aspicere, ut cœli lucem utpote clariorem cæteris, intueantur.

14. PRÆORDINAVIT TE.] Legit Interpres προεχειρίσατο, jam legunt προεχειρίσατο, id est *designavit*, vel *præparavit te ;* Syrus *constituit te ;* alii, *expedivit te*, ut esses Deo πρόχειρος, id est, *ad manum* promptus et expeditus ad discurrendum, et evangelizandum per totum orbem.

ET VIDERES JUSTUM.] Puta Christum, qui est *justus* antonomastice, puta formaliter in se justissimus : et causaliter justificans omnes, qui unquam justi fuerunt, sunt aut erunt. Unde Christus à Daniele cap. 9. 24. vocatur *justitia sempiterna, et Sanctus sanctorum*. Hinc patet, Christum Paulo fuisse vicinum, eique apparuisse, ac suo fulgore eum cæcasse. Unde et vocem ex ore ejus manantem auribus suis accepit et audivit, quod utique naturaliter fieri non potuisset, si Christus fuisset in cœlo, non in aere Paulo vicino.

Rursum S. Chrysost. notat Paulum tacite culpare Judæos injustitiæ, quod Christum justum occiderint. Nota pro τον δικαιον, id est *justum* masculine, aliqui legunt τὸ δικαιον, id est *justum* neutre, puta id quod justum est, justitiam. q. d. Ut videas Christi ejusque legis justitiam, quam antea zelo excæcatus non videbas. Minus recte : eodem tamen redit sensus.

16. ABLUE PECCATA TUA.] Per baptismum : licet enim videatur Paulus jam ante totum se Deo dedens, per actum contritionis abluisse peccata sua, esseque justificatus ; tamen is actus includebat propositum baptismi, et ab eo vim abluendi accipiebat, uti docet Conc. Trident. sess. 14. c. 4. Insuper baptismus abluebat peccata veniali, si quæ in Paulo erant reliqua, omnemque pœnam tam iis, quam peccatis mortalibus, per contritionem jam remissis, debitam, uti communiter docent Doctores Scholastici tract. de pœnit et de baptismo.

INVOCATO NOMINE IPSIUS.] Oportet enim baptizandos ante baptismum, invocare Christum, à quo sperant gratiam, justitiam et salutem : hæcque Christi invocatio est una inter cæteras congrua ad baptismum dispositio.

17. FIERI ME IN STUPORE MENTIS.] Græce, *in exstasi :* hæc enim stuporem tam corpori, quam menti inducit. Videtur hæc exstasis Paulo contigisse tertio anno à conversione et baptismo, cum rediit Jerusalem. Actor. 9. 26. Galat. 1. 18. Hoc enim videtur connexa Pauli narratio exigere. Tum enim constitutus est Gentium doctor : unde et mox cœpit Gentibus prædicare. Ita Sanchez. Aliqui tamen censent eam contigisse

diu postea, nimirum cum iturus apostolatum ad Gentes, Actor. 13 vers. 2. raptus est in tertium cœlum, 2. Corinth. 12. 2. Verum ille raptus videtur contigisse Antiochiæ, ubi Paulus ordinatus est Episcopus, et Apostolus Gentium; hæc autem contigit Hierosolymis in templo, ut ipse hic asserit.

18. EXI VELOCITER EX JERUSALEM.] Prævidebat Deus Judæos Paulo machinaturos carceres et mortem, si iis in Jerusalem prædicaret, per suam omniscientiam, qua præscit omnia futura, etiam conditionalia, licet nunquam futura, eo quod conditio nunquam sit futura, uti ostendi Jeremiæ 38. 17. Jubet ergo Paulum è Jerusalem excedere, quia ejus vita et salus sibi curæ erat, eaque uti volebat ad multorum conversionem.

19. IPSI SCIUNT.] Est modestia Pauli ad manendum Hierosolymis, ibique prædicandum contra Deum egredi jubentem replica. q. d. Judæi sciunt quam ferventer pugnarim olim pro judaismo : nunc cum ab eo tam mire à Deo conversus sim ad Christianismum, pro eoque ferventius decertem, utique scire possunt et debent, me non privato odio aut affectu id agere, sed impelli à Deo, qui intellectum meum et voluntatem tam potenter immutavit, ut Christum, quem prius non cognitum summe oderam, jam agnitum summe diligam et prædicem : ac proinde mihi tanquam Judæo, Christianorum olim hosti, sed nunc à Deo illuminato, et de veritate certo credere debent. Ita Lyranus, Dionys. et alii. Commemorat hoc Judæis Paulus, ut ostendat summum eis amorem, quo apud eos cupivit manere, iisque prædicare : quod ergo, iis relictis iverit ad Gentes, non ex suo voto, sed Dei jussu compulsum fecisse : simul terret eos, ne religionem Christianam, quasi ab hominibus inventam persequantur, quin potius eam ut divinam, et à Deo revelatam revereantur.

20. STEPHANI TESTIS TUI.] Græce, *Protomartyris tui.* Primus enim ex adultis Stephanus sanguine fulso, Christo testimonium perhibuit.

EGO STABAM,] ἐφεστὼς, id est *assistebam, instabam*, et quasi supra stabam, velut dux et choragus.

ET CONSENTIEBAM,] συνευδοκῶν τῇ ἀναιρέσει, id est, *complacebam neci ejus, comprobabam ejus interfectionem.*

Moraliter disce hic, quantus fuerit Pauli affectus in suam gentem et patriam, eumque imitare. Rursum, quam ejus ingratitudinem gratia, iram patientia, livorem amore, malevolentiam benevolentia, invidiam modestia, maleficia beneficiis et præteritis et præsentibus vincere et obruere sategerit. Multis enim idipsum, quod Paulo, accidit, ut cum pro repul. suisque civibus se suaque impenderint, levi de causa eos ingratos, imo hostes experiantur. Celebrant Græci Epaminondam Ducem Thebanorum, qui ab æmulis accusatus quod quatuor mensibus diutius quam populus jusserat, gessisset imperium, rebus ita exigentibus, quod erat confessus est, neque pœnam mortis lege sancitam abnuit; sed unum ab iis petivit, ut in occisi sepulcro conscriberent : *Epaminondas à Thebanis morte mulctatus est, quod eos coegit apud Leuctra superare Lacedæmonios, quos ante se imperatorem nemo Bœotiorum ausus fuit aspicere · in acie uno prælio non solum Thebas ab interitu retraxit, sed etiam universam Græciam in libertatem vindicavit.* Hæc cum dixisset æmulis pudorem injecit, ac risus omnium cum hilaritate coortus est, neque quisquam judex ausus est ferre suffragium, sic à judicio capitis maxima discessit gloria. Ita Æmilius, Plutarch. et alii in vita epat minondær.

Themistocles Atheniensibus ipsum contumelia afficientibus : *Quid tumultuamini*, inquit, *adversus eos, à quibus sæpe magnis estis affecti commodis?* Dicebat autem se similem platanis, sub quarum umbram accurrunt homines afflicti tempestate, et easdem simul ut rediit serenitas, vellunt : sic enim populus in belli periculis, virorum fortium implorat opem; in pace contemnit, conviciis et injuriis vexat, ita Plutarch. in Græc. Apophth. Hinc Antisthenes dicebat : *Regium est cum bene feceris, audire male*, teste Laertio lib. 6. cap. 1.

Demosthenes inter fugiendum respiciens subinde ad arcem Palladis, exclamavit : *O Pallas urbium domina, cur tribus infaustissimis bestiis delectaris, nocturna, dracone et populo?* Noctua cum sit avium inauspicatissima, tamen Pallidi erat sacra, uti et draconum habebat pro gestamine; populus autem bellua est multorum capitum, pessimam gratiam referre solita optime de se meritis, ut Socrati, Phocioni, Lycurgo et aliis compluribus. Ita Plutarch. in eodem.

Alfonsus Aragonum Rex increpitus, quod in Alvarum Lunam hominem sibi plane ingratum, tanta beneficia contulisset : *An ignoratis*, inquit. *ingenti beneficio non nisi ingenti ingratitudine satis semper fieri?* Ita Panorm. lib. 2. de Gestis Alfonsi.

Scipio Africanus ab æmulis accusatus peculatus in rostris, libere ita respondit : *Memini Quirites me tali die de Annibale et Pœnis egregiam victoriam consecutum : quare posthabitis litibus, hinc eumdem in Capitolium censeo, ut pro Republica felicissime gesta divino Numini gratias agamus.* Scipionem ergo in Capitolium secuta est tota concio, Magistratu cum solis ministris relicto. Ita Plutarch. in Scipione.

Hosce omnes longe superavit Moses, qui à populo sæpe lapidibus appetitus, cum tamen dilexit instar matris, adeoque pro eo se devovit, dicens : *Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti*, Exodi 32. 32. Unde et sibi reipsa à Deo jussum dictumque censuit : *Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, et defer in terram pro qua jurasti patribus eorum.* Numer. c. 11. v. 12. Hinc et à Deo hoc elogium meruit : *Erat enim Moses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra*, Numer. 12. vers. 3. Mosen æmulatus est Paulus, cupiens anathema fieri pro suis ingratissimis Judæis, Romæ 9. 2. Vide illis locis dicta.

21. IN NATIONES LONGE,] ad gentes remotas. Addit hoc Paulus, ut ostendat se invitum, nec nisi Dei mandato à Judæis divertisse ad Gentes, ac proinde Judæos in hac re debere sibi veniam dare, divinæ voluntati cedere, imo obsecundare; sed tantus erat Judæorum suæ nationis amor et tantum Gentium odium, ut interpretantes hunc insignem esse sui contemptum, quod nimirum Gentibus postponerentur, quodque Paulus Messiæ gratiam Judæis promissam ab eis transferret ad Gentes (hoc enim contumeliosum eis videbatur, quasi ipsi indigni essent veritate, Evangelio, Messia et salute : iis autem dignæ essent Gentes, ideoque promissionum

Abrahæ Judæorum parenti factarum, futuræ heredes) ut illico enim quasi judaismi transfugam, et Messiæ proditorem poposcerint ad necem.

Moraliter, tales hodie multi sunt, qui tamdiu audiunt Concionatores, Superiores, præceptores, confessarios, monitores, quamdiu nihil contra eos dicunt; ubi vero vitia reprehendunt, ulcusque tangunt, illico aures animumque avertunt. Miseri sane et miserandi qui cum in corporalibus morbis medicos admittant, pharmacaque amara libentes hauriant, in spiritualibus, qui multo majores et damnosiores sunt: omnem medicum et medicinam respuunt.

22. TOLLE DE TERRA HUJUS MODI,] τοιοῦτον, id est *talem*, Paulum scilicet apostatam et suæ gentis hostem.

23. PROJICIENTIBUS VESTIMENTA SUA, ET PULVEREM JACTANTIBUS IN AEREM.] Primo, in signum excandescentiæ et detestationis, quod execrentur verba Pauli, ait Lyran. Secundo, ut vi quasi à tribuno extorqueant sententiam damnationis Pauli. Ita Chrysost. Tertio, ut significent Paulum turbatorem esse non tantum terræ, sed et aeris ac Cœli, ait Cajetan. Quarto, in signum furoris et turbulentiæ: est enim hoc signum, imo imago et principium seditionis et pugnæ. Ita Dionys. Glossa vero Interlin. censet hoc signum fuisse mœroris. Quinto, Sanchez, ut significent, inquit, Paulum à tribuno lapidibus esse obruendum quasi blasphemum et religionis contemptorem: nam in lapidationes vestis ponitur, et lapides mittuntur, cujus optima imago est ventilatio pulveris: erat enim Paulus in turba et intra templi ambitum, ubi lapidibus appeti non poterat. Pro iis ergo pulverem jactant, ut indicent se primos in eum missuros lapides, ubi id licebit, sicut ipse olim per suos fecerat in Stephanum, ipsomet hic narrante; ut quem persecutus est culpa, sequatur in pœna.

Moral. Hæ furiæ Judæorum ipsosmet vexarunt, non Paulum. Nam, uti docet S. August. in illud Psal. 96. *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus: Furor magis cruciat animum furentis, quam corpus patientis.* Et alibi: *Maledictum et maleficium patientia repercussum, in suum redit auctorem, illæso eo qui petebatur.* Porro Paulus amore cum furore certabat, perinde ac medicus conviciis et pugnis phrenetici non iritatur, sed magis ad commiserationem, ejusque curationem incitatur. Scit enim eum esse phreneticum, id est, sui impotem, mentisque non sanæ, sed insanæ. Phrenesi ergo convicia tribuit, non homini.

24. JUSSIT TRIBUNUS INDUCI EUM IN CASTRA.] In arcem Antoniam, ubi erat præsidium Romanorum, uti dixi cap. præced. v. 34. Consistebat enim Paulus in gradibus arcis, perorans ad populum interius ad gradus consistentem: inde ergo in arcem induci jubetur, ne populus tumultuans Paulum, et per Paulum forte arcem invadat.

ET FLAGELLIS CÆDI ET TORQUERI.] Syrus et Græca: *ut per flagra interrogaretur*, vel *examinaretur*. Injuste in Paulum hic agit tribunus: nec enim ob furorem populi tumultuantis, licebat Paulum damnare ad torturam et flagra. Ita Chrysost. Unde recte Paulus excipit, iisque se eximit. Nam, ut ait Lucas.

25. ET CUM ASTRINXISSENT EUM LORIS.] Ad palum, vel columnam, uti Christus columnæ alligatus est dum flagellaretur, quæ Romæ in templo S. Praxedis religiose servatur et visitur. S. Ignatius, uti refert Antonius in Melissa part. 2. ser. 89. dictitabat: *Dum cæderis, firmiter quasi incus stato. Generosi athletæ est cædi, et vincere: maxime vero propter Deum omnia nobis patienda sunt, ut et ipse nos patiatur.* Ita Paulus stabat hic quasi incus pro Christo tundenda.

DIXIT ASTANTI (ἑστῶτι, id est *instanti suprastanti*, quasi qui torturæ et flagellationi Pauli præesset) SIBI CENTURIONI PAULUS. SI HOMINEM ROMANUM, ET INDEMNATUM LICET VOBIS FLAGELLARE?] Duplex eis crimen objicit. Prius, quod civem Romanum: posterius, quod indemnatum velint flagellare. Vide dicta c. 16. v. 37. Dixit hoc Paulus, non quod flagella pro Christo refugeret, qui in iis gloriabatur; sed ne probrum hoc in Christi fidem et religionem derivaretur, quasi Christiani flagellandi et exterminandi essent. Rursum tribuno consulebat, ne is hac iniquitate conscientiam læderet, et Deum offenderet, simulque docuit judices, ne simplices et pauperes in gratiam potentum opprimant, memores eorum vindicem fore Deum judicum judicem. Nam, ut ait Psaltes: *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.*

28. EGO MULTA SUMMA CIVILITATEM HANC CONSECUTUS SUM.]q. d. Ego multa pecunia ejus civitatis Romanæ, sive ut haberer civis Romanus, comparavi et emi. Græcum πολιτεία et *civitatem*, et *civilitatem* significat. Sicut enim à πολιτεία πολίτης, ita à civitate civis dicitur. Unde aliqui codices hic legunt *civitatem*, id est jus civitatis, jus civium. Sic Juriconsulti dicunt aliquid fieri civiliter, id est, jure civili, vel civico; item dari actionem civilem, petere officia civilia, etc. *Civilitas* ergo non significat hic urbanitatem et concinnitatem morum, quæ rusticitati opponitur; nec etiam socialem inter cives conversationem, vel administrationem reip. ut vult Beda; sed jus civitatis, quo quis particeps fiebat privilegiorum Romæ sive prærogativarum quibus gaudebant cives Romani: inter quas erat una, ut verberibus cædi, et in crucem aginon possent, qua de causa cum S. Petrus Romæ crucifixus est, S. Paulus, ut civis Romanus, non crucifixus, sed capite plexus est.

Porro jura et privilegia civium Romanorum erant multa et magna, quæ recenset Brissonius l. 1. Antiqu. juris civil. c. 13. Primum erat: Ex civium Romanorum testamentis solis cives capiebant, civiumque dumtaxat Romæ rata habebantur testamenta. Secundo: inter solos cives Romæ, justæ nuptiæ contrahebantur. Unde Seneca l. 4. de Benef. c. 35. *Promisit*, inquit, *tibi filiam in matrimonium: postea peregrinus* (ita vocabatur qui non erat civis) *apparuisti; non est mihi cum extraneo connubium.* Tertium: in liberos habebant jus patriæ potestatis: hocque eis erat proprium. Quartum: Verberibus cædi cives, aut in crucem agi, aut injussu populi in eos animadverti fas non erat. Quintum: In legionibus non alii quam qui civitatem accepissent, militabant. Sextum: Solis civibus licebat honores Romæ gerere, suffragium ferre, et toga uti: perigrinis enim fas non erat indui toga, sed pallio. Hominis enim Romani certissimum signum erat toga. Itaque apud Livium à Q. Fabio in invidiam P. Scipio eo nomine adducitur, quod in Sicilia palliatus fuisset. Hinc etiam regibus, quos amicos et socios appellabant, inter cætera togam muneri mittebant, et amicos populos jure togæ donabant, quod novæ Cartha-

gini concessum Tertull. lib. de Pallio significat. Inde Togatæ Galliæ nomen quam et ad honores aspirasse, et suffragiorum jus in urbe habuisse, memorat, Tacitus lib. 11. Hæc Brissonius, qui et addit, solis civibus Romanis prænominibus insigniri licuisse.

Moral. si tanti est, tantique emitur esse civem Romanum, quanti est esse civem cœli, quantoque pretio comparanda est civitas cœlestis, ut simus cives sanctorum et Domestici Dei : Nam, ut ait Apostolus : *Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti in cœlis*, etc. Hebr. 12. 23.

Natus sum.] Non in urbe Romana; sed ex patre et patria civitate Romana donatis. Tarsus enim, ubi natus erat Paulus, hoc privilegium, et jus civitatis Romanæ obtinuerat, uti innuit Plinius l. 5. c. 27. et Dion. Cassius l. 47. Vide Baron De Paulo ergo, quasi cive suo, glorietur Romæ et Romani, utpote quo illustriorem non habuit, nec habitura sit.

30. Volens scire diligentius,] τὸ ἀσφαλὲς, id est, *certum scire volens :* ita Tigurina et alii.

Solvit eum.] Quasi civem Romanum honorans, et præcedentia vincula injuste ei injecta, hac gratia et beneficio compensans. Si ita honoratur civis terræ, quomodo honorandus civis cœli : si illum nemo impune lædit, quis hunc tangere audeat : *Nolite tangere Christos meos*, ait Deus Psal. 104. Sic Deus punivit Pharaonem et totam Ægyptum, propter unam Saram Abrahæ uxorem, ab eo abreptam Gen. 12. et Abimelech regem : propter eamdem abductam, Gen. 20. Sichimitas delevit ob violatam Dinam, Genes. 34. Tribum Benjamin pene abolevit ob illatum stuprum uxori Levitæ, Judic. 20.

Producens Paulum,] καταγαγών, id est *demittens*, scilicet ex turri Antonia in locum concilii, qui erat inferior et in templo. Ibi enim erat locus Sanedrin, sive consilii magni primorum Judææ, ut colligitur 1. Paral. 26. 15. voluit enim tribunus Paulum, utpote Judæum, in lite Judaica causam suam agere coram primis Judææ senatoribus, ita tamen ut ipse totam hanc actionem dirigeret et moderaretur, quasi concilii præfectus et præses, nomine Imp. Romani : unde et c. seq. vers. 10. Paulum abripuit, ne ab eis occideretur. Quam ob causam verisimilius est consilium hoc, non solito loco in templo (illud enim tribuno, utpote Gentili, ingredi non licebat) sed in ima arce ab eo esse congregatum, ne Paulus à Judæis abriperetur et necaretur, uti paulo ante in templo factum, et pene perfectum meminerat. Ita Sanchez.

CAPUT VIGESIMUMTERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Paulus in concilio suam agere causam orsus, jubetur a Pontifice percuti. Cui ille : Percutiet te Deus, paries dealbate. Inde se esse Pharisæum proclamans, jaciensque pomum discordiæ inter Sadducæos et Phariseos, ne occidatur, a tribuno abducitur. Apparet ei Christus, jubens esse constantem : oportere enim eum et Romæ prædicare. Mox v. 12. Judæi in Pauli necem conjurant : sed conjuratione detecta, Paulus a tribuno Cæsaream ad felicem Præsidem mittitur.

1. Intendens autem in concilium Paulus ait : Viri fratres, ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usque in hodiernum diem. 2. Princeps autem sacerdotum Ananias præcepit astantibus sibi percutere os ejus. 3. Tunc Paulus dixit ad eum : Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu sedens judicas me secundum legem, et contra legem jubes me percuti ? 4. Et qui astabant, dixerunt : Summum sacerdotem Dei maledicis ? 5. Dixit autem Paulus : Nesciebam, fratres, quia Princeps est sacerdotum. Scriptum est enim : Principem populi tui non maledices. 6. Sciens autem Paulus, quia una pars esset Sadducæorum, et altera Pharisæorum, exclamavit in concilio : Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum, de spe et resurrectione mortuorum ego judicor. 7. Et cum hæc dixisset facta est dissensio inter Pharisæos et Sadducæos, et soluta est multitudo. 8. Sadducæi enim dicunt, non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum : Pharisæi autem utraque confitentur. 9. Factus est autem clamor magnus. Et surgentes quidam Pharisæorum, pugnabant, dicentes : Nihil mali invenimus in homine isto : quid si Spiritus locutus est ei, aut angelus ? 10. Et cum magna dissensio facta esset, timens tribunus ne discerperetur Paulus ab ipsis, jussit milites descendere, et rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in castra. 11. Sequenti autem nocte assistens ei Dominus, ait : Constans esto : sicut enim testificatus es de me in Jerusalem sic te oportet et Romæ testificari. 12. Facta autem die collegerunt se quidam ex Judæis, et devoverunt se dicentes, neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum. 13. Erant autem plus quam quadraginta viri, qui hanc conjurationem

fecerant. 14. Qui accesserunt ad Principes sacerdotum, et Seniores, et dixerunt: Devotione devovimus nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum. 15. Nunc ergo vos notum facite tribuno cum concilio, ut producat illum ad vos, tanquam aliquid certius cognituri de eo. Nos vero prius quam appropriet, parati sumus interficere illum. 16. Quod cum audisset filius sororis Pauli insidias, venit, et intravit in castra, nuntiavitque Paulo. 17. Vocans autem Paulus ad se unum ex centurionibus, ait: Adolescentem hunc perduc ad tribunum, habet enim aliquid indicare illi: 18. Et ille quidem assumens eum, duxit ad tribunum, et ait: Vinctus Paulus rogavit me hunc adolescentem perducere ad te, habentem aliquid loqui tibi. 19. Apprehendens autem Tribunus manum illius, secessit cum eo seorsum, et interrogavit illum: Quid est, quod habes indicare mihi? 20. Ille autem dixit: Judæis convenit rogare te, ut crastina die producas Paulum in concilium, quasi aliquid certius inquisituri sint de illo: 21. tu vero ne credideris illis, insidiantur enim ei ex eis viri amplius quam quadraginta, qui se devoverunt non manducare, neque bibere, donec interficiant eum: et nunc parati sunt expectantes promissum tuum. 22. Tribunus igitur dimisit adolescentem, præcipiens ne cui loqueretur quoniam hæc nota sibi fecisset. 23. Et vocatis duobus centurionibus, dixit illis: Parate milites ducentos, ut eant usque Cæsaream, et equites septuaginta, et lanceariios ducentos, à tertia hora noctis: 24. et jumenta præparate, ut imponentes Paulum, salvum perducerent ad Felicem præsidem. 25. (Timuit enim ne forte raperent eum Judæi, et occiderent, et ipse postea calumniam sustineret: tanquam acceptarus pecuniam) 26. Scribens epistolam continentem hæc: Claudius Lysias optimo præsidi Felici salutem. 27. Virum hunc comprehensum à Judæis, et incipientem interfici ab eis, superveniens cum exercitu eripui, cognito quia Romanus est: 28. volensque scire causam quam objiciebant illi, deduxi eum in concilium eorum. 29. Quem inveni accusari de quæstionibus legis ipsorum, nihil vero dignum morte aut vinculis habentem criminis. 30. Et cum mihi perlatum esset de insidiis, quas paraverant illi, misi eum ad te, denuntians et accusatoribus ut dicant apud te. Vale. 31. Milites ergo secundum præceptum sibi assumentes Paulum, duxerunt per noctem in Antipatridem. 32. Et postera die dimissis equitibus ut cum eo irent, reversi sunt ad castra. 33. Qui cum venissent Cæsaream, et tradidissent epistolam præsidi, statuerunt ante illum et Paulum. 34. Cum legisset autem, et interrogasset de qua provincia esset: et cognoscens quia de Cilicia: 35. Audiam te, inquit, cum accusatores tui venerint. Jussitque in prætorio Herodis custodiri eum.

1. Intendens autem in concilium Paulus,] ἀτενίσας, id est, *figens oculos, fixisque oculis concilium intuens.* Hæc vox notat Pauli Primo, confidentiam: Secundo, innocentiam, quod ipse sibi optime conscius esset; Tertio libertatem; Quarto, prudentiam, et prudentem circumspectionem, ut se suamque orationem et gestum auditorum, puta hostium suorum, mentibus et auribus attemperaret; Quinto, animositatem; Sexto, benevolentiam. Solent enim oratores hilari vultu intuentes in cœtum populi, vel judicum, eum sibi conciliare: maxima enim vis dicendi consistit in obtutu et ardore oculorum. Hos ergo in Paulo, æque ac Stephano, inhabitans acuebat et accendebat Spiritus S. ut scintillas divinæ sapientiæ et amoris vibrare viderentur. Unde et vultus obtutusque Stephani erant instar angeli, Act. 6. 15. Quin et Augustus Cæsar naturali oculorum fulgore percellebat intuentes. Nam, ut in ejus vita scribit Suetonius c. 79. *Oculos habuit claros ac nitidos: quibus etiam existimari volebat inesse quiddam divini vigoris, gaudebatque si quis sibi acrius contuenti, quasi ad fulgorem solis vultum submitteret.* Sic et Tiberii Imper. oculos lucem evibrasse, idem testatur in ejus vita cap. 68. Hinc Varro oculos dictos censuit, quod eos tegminibus superciliorum Deus occuluit. Aut, quod occulta cordis pandant; nam, ut ait Demosthenes: *Oculi morum sunt indices.*

Viri fratres.) Non addit, *et patres*, uti addidit c. 22. 1. sive quia dicendi libertas animusque ei in vinculis accreverat, sive quia orationem convertit ad Pharisæos, quos in secta similes, compellatione fratrum sibi conciliare satagebat, uti revera eos sibi conciliavit v. 9.

Ego in omni conscientia bona conversatus sum ante Deum.] Tum in Christianismo, tum suo quodam modo in judaismo: in eo enim æmulator fui legis Mosi à Deo datæ, in eoque seculus sum conscientiam meam, licet errantem. Hæc enim mihi dictabat persequendos esse Christianos, ut judaismus stabiliretur. Fuit ergo hæc conscientia Pauli bona, id est sincera, sine adulatione et hypocrisi, ait Vatabl. Secundo, bona ex objecto et fine bono: quia intendebat propugnare legem Deique cultum; sed non secundum scientiam, ideoque ignorans et errans. Denique fuit bona civiliter et politice respectu Judæorum et judicum; qui putabant judaismum esse bonum, Christianismum malum. Sensus ergo est, q. d. Non sum mihi conscius, quod in Christianismo, multo minus in judaismo, vos læserim; quod quidquam mali vobis vestræque legi irrogarim, ac proinde nihil dignum hisce vinculis commisi, inquit Chrysost. Sic et Dionys. et Cajetan.

Nota. Pro *conversatus sum ante Deum*, græce est πεπολίτευμαι τῷ θεῷ, quod Primo, Vatabl. vertit, *gessi quæ Dei erant.* Secundo, Gagneius, *munere meo functus sum Deo*, id est munere mihi

à Deo commisso, juxta ejus voluntatem, rite ad ejusdem gloriam perfunctus sum. Nam, ut ait Budæus in Comm. linguæ Græcæ, πολίτευεσθαι non cives, sed Magistratus respicit, significatque officium sibi concreditum administrare. Munus hoc in Paulo erat apostolatus et prædicatio Evangelii, sicut in judaismo erat cura et propugnatio legis Mosaicæ : utrumque suo tempore fideliter et strenue peregit.

2. Princeps autem sacerdotum Ananias.] Incertum est, quis sit hic Ananias. Aliqui putant esse Annam socerum Caiphæ, ad quem primo ductus est Christus, captus et vinctus, Joan. 18. v. 13. Favet, quod Paulus cap. 22. 5. innuit ab hoc pontifice sibi olim ante annos 24. datas esse litteras ad persequendum Christianos. Si ita est, utique annosus fuit Annas 70. vel 80. annorum. Alii forte probabilius putant Ananiam esse Ananum, ultimum Annæ jam dicti filium. Habuit enim Annas quinque filios, omnesque ex ordine vidit Pontifices : ultimus eorum fuit Ananus, qui post quinque annos, puta anno Christi 63. occidit Jacobum fratrem Domini, ideoque ita displicuit populo et Agrippæ regi, ut eum Pontificatu privarit. Favet, quod hic Ananus fuerit audax, sævus, ferus, et secta Sadducæus, teste Josepho 20. Antiq. cap. 8. Tertio, Sigonius lib. 5. de Republ. Hebr. cap. 1. Ananiam hunc Nebedæi filium ab Agrippa rege Chalcidiæ Pontificem datum et remotum scribit, de quo Josephus lib. 20. cap. 3. Quarto alii censent Ananiam alio nomine dictum fuisse Ismaelem, Phabæi filium : hunc enim ultimis annis Felicis præsidis, ad quem Paulus vinctus missus est, pontificatum gessisse docet Josephus lib. 20. cap. 6. licet Baron. et alii censeant errare hic Josephum.

Præcepit astantibus sibi percutere os ejus.] Cur ? Resp. Primo, quia plenus erat malevolentia, felle et odio Christi et Pauli, quasi hostium sui judaismi et Pontificatus, præsertim quia paulo ante totus Populus contra Paulum, quasi gentis suæ proditorem, succlamarat, Tolle eum, c. 22. v. 22. Quare non sustinet audire Pauli vocem, præsertim qua suam innocentiam suamque conservationem bonam protestatur : jubet ergo os ejus, quasi impium et blasphemum ignominiose percuti et obturari, uti olim Martyrum multorum ora, ob dicendi et increpandi libertatem, à præsidibus jussa sunt verberari et obturari quod sua dicta et edicta, suosque deos spernerent. Hoc enim illi sibi contumeliosum, et diis blasphemum interpretabantur : ora ergo eorum quasi blasphema, rebellia, contumacia et maledica verberando, et obturando puniebant. Unde Secundo, Dionys. censet, Pontificem hunc superbia inflatum, non tulisse libertatem Pauli, præsertim quod se omnesque Pontifices vocasset fratres, non, patres et dominos, ac proinde debitum sibi honorem demisse salutando non detulisset. Putabat impius Pontifex, Paulum ex percussione territum cessaturum : è contra Paulus vel ipsa voce indicat, se in eadem fortitudine permansurum. Adversa enim pati, non semper est virtutis : multi enim ex pusillanimitate patiuntur, non audentes resistere, Christiana autem patientia conjunctam habet animi fortitudinem, juxta illud : *Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.*

3. Percutiet te Deus, paries dealbate.] Sic vocat eum, quod esset hypocrita : ita ut nomine et stola Pontificia forinsecus niteret, intrinsecus luteis concupiscentiis, livore et odio sorderet, ait S. August. l. de Mendacio c. 15. Dixit hoc Paulus auctoritate Apostolica, ex zelo justitiæ intentans, et prædicens injusto judici justam Dei ultionem et plagam, præsertim ut coram tribuno, qui eum à flagris exemerat, suum jus et decus tueretur. Ita S. Chrysost. et Œcum. Mystice S. Aug. lib. 1. de serm. Dom. in monte c. 19. docet, hanc Pauli vocem non tam contumeliam sonare quam prophetiam, ut illi qui saperent, intelligerent destruendum esse per adventum Christi parietem dealbatum, hoc est, hyprocrisin sacerdotii Judæorum. Minus probabiliter S. Hieron. lib. 3. contra Pelag. agnoscit hic lapsum Pauli ex infirmitate humana, quod non tam clementer responderit ac Christus dicens danti sibi alapam : *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo : si autem bene, quid me cædis ?* Paulum enim sedate hæc dixisse, liquet ex eo, quod mox tam mansuete responderit, dicens : *Nesciebam quia Princeps est sacerdotum.* Hoc enim tam cito ab indignantibus et perturbatis fieri non potest, ait S. August. lib. de serm. Dom. in monte c. 19. Aliqui pro *percutiet*, ut habent Romana et Græca, legunt *percutiat* optative, ut sit maledictum, hoc est, mali non tantum prædictio et comminatio, sed et imprecatio, quam Paulus in se agnoscere videtur v. 5. Et sæpe apud Hebræos est enallage modi, ut futurum ponatur pro optativo, optativum pro futuro, vel indicativo, uti docet S. August. in Psal. 78. et S. Hieron. in Psal. 11.

Porro *paries dealbatus*, vel *incrustatus*, est parœmia, significans hominem fictum et fucatum. Sic Christus scribas vocat sepulcra dealbata, quæ foris apparent pulchra, intus autem referta sunt ossibus cadaverum, omnique spurcitia. Sic Seneca asserit Philosophos, qui cum docerent honesta, turpiter tamen viverent, similes esse quorumdam pharmacopœorum pyxidulis, quarum tituli remedium pollicentur, cum intus venenum occultarent. Ex adverso qui meliores sunt intus, quam fronte et sermone præ se ferunt, hos Plato in convivio Socratis, assimilabat Silenis Alcibiadis. Sileni erant imagunculæ sectiles, quæ clausæ ridiculam et monstrosam tibicinis speciem habebant, apertæ subito numen ostendebant. Talis, inquit, erat Socrates, quem si de summa cute vidisses, non æstimasses asse : facies enim erat rusticana, taurinus aspectus, nares simæ et stillantes, cultus neglectus, sermo simplex et plebeius, fortuna tenuis, uxor vilis et maledica : rogatus quid sciret : respondit se nihil scire. Et tamen hic mentem habebat sapientia et virtute illustrem, adeo ut Apollinis oraculo mortalium sapientissimus sit indigitatus. Tales Sileni potius fuere Apostoli, illitterati, rudes, pauperes, ignobiles, imbecilles foris, sed intus Spiritu Sancto, ejusque charismatibus pleni : item Anachoretæ, Silentiarii, similesque Sancti, juxta illud Col. 3. 3. *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Vide ibi dicta. Hypocritæ ergo et impii sunt parietes et sepulcra dealbata, simplices vero et Sancti sunt basilicæ denigratæ, et templa atrata. Sic Lucian. in Gallo, regum principumque pompas comparat idolo quod exterius aureum est, coronatum, sceptroque insignitum, intus luteum plenumque araneis et muribus. Vita enim regum forinsecus splendida, intus amara est, puta plena curis, suspicionibus, molestiis, ærumnis.

Moraliter S. Greg. l. 7. Mor. c. 15. notat miram fuisse Paulum, aliorumque Prophetarum et Apostolorum animi licet exterius oppressi, celsitudinem, indeque dicendi et principes redarguendi libertatem. *Nam*, ait, *super se interius rapti, in alto animum figant, quæque in hac vita patiuntur, quasi longe infra labentia, atque à se aliena conspiciunt, atque, ut ita dixerim, dum mente extra carnem fieri decertant, pene ipsa quæ tolerant, ignorant. In horum profecto oculis quidquid temporaliter eminet, altum non est: nam velut in magni vertice montis siti præsentis vitæ gaudia plene despiciunt: seque ipsos per spiritualem celsitudinem transcendentes subjecta sibimet intus vident; quæcumque per carnalem gloriam foris tument. Unde et nullis contra veritatem potestatibus parcunt, sed quos attolli per elationem conspiciunt, per spiritus auctoritatem premunt. Hinc est quod Moyses ait ad Pharaonem: Hæc dicit Dominus: Usquequo non vis subjici mihi? Et Nathan ad David: Tu es ille vir, qui fecisti hanc rem. Et Elias ad Achab: Non ego turbavi Israel, sed tu et domus patris tui. Et Eliseus ad Joram regem: Quid mihi et tibi est? vade ad Prophetas patris tui. Et Petrus ad principes: Si justum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate. Non enim possumus quæ vidimus et audivimus non loqui. Et Paulus ad Pontificem: Percutiet te Deus, paries dealbate. Et Stephanus ad Judæos: Dura cervice, et incircumcisi corde et auribus, vos semper spiritui S. resistitis. Sed quia sancti viri ad verba tantæ altitudinis zelo veritatis, non autem vitio elationis exiliunt, ipsi patenter indicant, qui suam humilitatem et charitatem manifestant.* Id deinde per singulos ostendit, ac nominatim in Paulo, ex eo quod dicit: *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Dominum nostrum Jesum Christum, nos autem servos vestros per Jesum*, 2. Cor. 4.

ET CONTRA LEGEM JUBES ME PERCUTI.] Lex enim naturæ, divina et humana jubet, neminem percuti aut puniri, nisi prius audiatur, auditusque damnetur: at ego necdum auditus, multo minus damnatus sum; quia ergo tu injuste jubes me percuti, juste puniet et percutiet te Deus, S. Chrysost. ait Pontificem hoc Pauli tam justo responso, quasi fulmine ictum obstupuisse, et elinguem ac semimortuum, ne verbum quidem respondere potuisse: unde alios astantes id pro ipso fecisse, ac dixisse.

4. SUMMUM SACERDOTEM DEI MALEDICIS?] λοιδορεῖς, id est *conviciaris*. Ita Tigur. S. Cyprian. legit l. 1. epist. 3. ad Cornelium: *Sic insilis in sacerdotem Dei maledicendo?* Maledictum ergo hic vocatur convicium, scilicet quod Paulus pontificem vocarit parietem dealbatum. Potest Secundo, maledictum accipi pro mali imprecatione, scilicet si legas vel intelligas per optativum, hoc modo: *Percutiat te Deus*, uti jam dixi. q. d. Maledicis, id est malum non tantum prædicis, sed et precaris, intentas et comminaris summo pontifici.

5. NESCIEBAM, FRATRES, QUIA PRINCEPS EST SACERDOTUM.] Potuisset Paulus regerere: Pontifex me non tractat ut civem, nec ego tracto eum ut pontificem; hypocritam et scurram agit, hypocrita et scurra audit; juxta illud S. Hieronymi ad Nepot. *Scitum est istud Domitii: Cur ego habeam te ut principem, cum tu non habeas me ut senatorem?* Et illud Crassi apud Cicer. l. 3. de Orat. dicentis: *non esse sibi consulem, cui ipse non esset senator.* Et illud S. Hier. epist. 63. ad Theophilum, contra errores Joannis Hierosolymitani Episcopi: *Aut quasi Pontifex cunctis æqualiter imperet, aut quasi imitator Apostoli universorum saluti ex æquo serviat: si talem se præbuerit, ultro præbemus manus. Sentiat in Christo sicut omnibus Sanctis, ita et nos sibi esse subjectos*, etc. *Sed contenti honore suo: patres se sciant esse, non dominos, maxime apud eos qui spretis ambitionibus sæculi, nihil quieti et otio præferunt.* Sed noluit id dicere Paulus, voluitque modestiæ et reverentiæ erga Prælatos, etiam impios et tyrannos, publicum tam præsentibus, quam posteris dare exemplum, ne Judæi eum ut arrogantem criminarentur, acriusque in eum concitarentur, et furibundis animis et manibus in eum insilirent.

Unde S. Cyprian. l. 1. epist. 3. ad Cornelium, quæ in editione Pamelii est 55. *Si ita*, ait, *Paulus reveritus est Pontificem, qui tantum inane nomen et umbram Pontificis gerebat, quomodo reverendi sunt Pontifices Catholici et Romani, quibus sacerdotalis auctoritas et potestas de divina dignatione firmatur? neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tempus judex vice Christi cogitatur: cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversum sacerdotum collegium quidquam moveret, nemo post divinum judicium, post populi suffragium, post coepiscoporum consensum, judicem se jam non Episcopi sed Dei faceret: nemo dissidio unitatis Christi Ecclesiam scinderet: nemo sibi placens ac tumens, seorsim foris hæresim conderet.* Perstringit Novatum et Novatianum, contra Cornelium et Ecclesiam insurgentes: Ruminent hoc Novatores.

Quæres, quomodo Paulus in Jerusalem eruditus et versatissimus, non agnovit summum Pontificem, præsertim ex ipso sedendi ordine? Sedebat enim primus in solio augustiore. Respondet. Primo, Œcumen. Paulum eum agnovisse, sed ignorationem simulasse ob ædificationem astantium. Verum sic mentitus esset Paulus, dicendo: *Nesciebam, fratres, quia Princeps est sacerdotum.* Secundo, Beda: Nesciebam, inquit, eum esse Pontificem, eo quod per Evangelium jam cessasset sacerdotium Mosaicum: et tamen ita se corrigit Paulus, quasi peccasset, ut alios doceret reverentiam deberi iis, in quorum potestate sumus. Sic et S. August. lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 19. q. d. Ego non alium agnosco Pontificem quam Christum, cui maledicere fas non est; et vos tamen maledicitis, cum in me nihil aliud, quam ejus odistis nomen. Unde idem epist. 5. ad Marcellinum, et ex eo Lorinus censet Paulum hic ironice et irrisorie loqui, quasi dicat, Nesciebam eum esse Pontificem, quia ex modo loquendi furioso non videtur esse pontifex, sed tyrannus. Verum prius esto sit verum, potius tamen argutum et mysticum videtur, quam genuinum et litterale, posterius non satis simplicitati et candori Pauli respondet. Sed ad hoc commode responderi posset, Paulum prudenter cum vulpibus vulpinari, nimirum cum versutis versute agere, ac callidis et irrisoribus callide et irrisorie respondere, juxta illud Psalm. 117. 27. *Cum electo electus eris, et cum perverso perverteris*, pro quo Genebrardus et Tigur. vertunt, *cum candidis candide ages: et*

cum versutis versute : hoc enim significat hebr. תחבתל *tilpattal.* Et illud : *Responde stulto juxta stultitiam suam.* Prov. 26. 5. Quare hic sensus argutus et acer, moribus Pauli non indignus, imo ejus genio et ingenio amœno et versatili congruus videtur et appositus. Scitum est illud, quod apud Plutarchum in vita Syllæ Carbo dixisse memoratur. Cum enim Sylla non solum aperto Marte, sed et dolis bellum gereret, ait : *Bellum gero cum vulpe et leone* (quorum utrumque habitabat in animo Syllæ) *sed à vulpe vehementius angor.* Et illud Lysandri apud eumdem : *Si leonina pellis non satis est, vulpina addenda :* quo significabat bellum magis stratagemate, quam aperta vi conficiendum. Nam, ut ait Vigil. *Dolus an virtus, quis in hoste requirat?* Tertio, Baron. Respondet, præter summum pontificem, fuisse alium ordine secundum cæteris præpositum, qui princeps sacerdotum dicebatur, hunc que ex adverso summi pontificis latere sedisse primum, ita ut Paulus dubitarit, uter esset summus pontifex. Verum de hoc secundo pontifice nihil uspiam legimus : primogeniti enim familiarum sacerdotalium erant pontifices inter se æquales, quibus solus præerat summus pontifex. Quarto, simplicius respondet Chrysost. Lyranus, et Dionys. Paulum non agnovisse pontificem, quia diutius Hierosolyma abfuerat, et novus erat hic pontifex, ac multis astantibus cingebatur. Addit Sanchez et alii, Paulum audisse vocem pontificis, sed præ turba nescisse à quo vox esset emissa, præsertim quia concilium hoc coactum videtur non in loco ordinario, puta in templo, sed in arce Antonia ; ubi tumultarie et confuse sedebatur, ac proinde summus pontifex non considebat in solio, sed in sede aut scamno, mistus aliis pontificibus et judicibus.

Principem populi tui non maledices,] non detrahes, non conviciaberis, non vilipendes : hoc enim est Hebr. קלל *kalal.* Vide dicta Exodi 22. 28. Ita S. Cyprian. l. 4. epist. 9. ad Florentiam, asserit se in visione hanc vocem à Deo audisse : *Qui Christo non credit sacerdotem facienti, postea credere incipiet sacerdotem vindicanti.*

6. Saducæorum.] *Quod genus est omnium Judæorum in judicando crudelissimum,* ait Josephus l. 20. Antiq. cap. 8. ubi et addit, Ananiam (quem multi volunt esse hunc Ananiam) pontificem fuisse Sadducæum.

Ego Pharisæus sum.] Hæc enim erat secta Judæorum melior et honoratior : credebat enim animæ immortalitatem, abstinebat deliciis, vacabat legi et sapientiæ. Hoc est pomum discordiæ, quod prudenter jacit Paulus inter Pharisæos et Sadducæos, ut eos inter se committat : utrique enim in necem Pauli inique conspirabant, ac proinde causam ejus, non ut æqui judices indagabant, sed ut testes furiosi præcipitabant. Melius ergo erat eos inter se divisos contendere, quam unanimiter veritatem impugnare. Quocirca pie et prudenter impiam eorum concordiam, serendo schisma, rumpit Paulus, ut per hoc utraque pars eo infirmior ad malum perpetrandum reddatur, quo validius inter se dissidet et disceptat.

Nota. Discordiam inter cives serere impium est. Quare impium est axioma politicum Machiavelli : *Si vis regnare divide.* Hoc enim non est principis, sed tyranni. Verum si hostes et impii inter se inique in malum meum, vel reip. puta in seditione, hæresi, impietate, aliove scelere conspirent, licet inter eos dissensionem serere, imo hoc unicum est medium impiam factionem et conspirationem dissolvendi, uti docet S. Thom. 2. 2. qu. 37. a. 1. ad 2. Et S. Greg. l. 34. Mor. c. 4. Noxia, ait, est, malorum unitas, ideoque scindenda, juxta illud Psal. 54. 10. *Præcipita Domine, et divide linguas eorum.* Sic Deus divisit linguas fabrorum Babel, itaque insanam eorum fabricam et turrim discussit. Sic divisit impiam unionem Abimelech fratricidæ cum Sichimitis, Judic. 9. c. 24. Sic divisit Roboam et Jeroboam, sive Juda ab Israel, 3. Reg. 12. Sic Cato, teste Plutarcho in ejus vita, serebat dissentiunculas inter servos, ne in furta, aliave heri damna conspirarent. Idem patet in hæreticis : hi enim quasi vulpes Samsonis caudis conspirant, incenduntque Ecclesiam, capite vero abeunt in diversa : quocirca discordia et *bellum hæreticorum, est pax Ecclesiæ.* Id sapienter vidit et edixit Cardin. Hosius, magni illius Hosii Cordubensis in fide tuenda æmulus. Cum enim in Polonicis comitis, Parcoviæ Lutherani et Calvinistæ urgerent, ut Trideistæ et Anabaptistæ regno pellerentur, restitit Hosius : *Comedant,* ait, *potius invicem, ut consumentur ab invicem : bellum enim hæreticorum, pax est Ecclesiæ. Aut, simul omnes qui ab Ecclesia discesserunt proscribantur, aut simul omnes tolerentur. Veritas enim falsitatem, non falsitas pellere debet veritatem. Solos enim Trideistas et Anabaptistas ejicere, est Lutheristas et Calvinistas canonizare, eorumque potentiam augere et audaciam nutrire. Si libet insanire, hanc potius dominatam impii Trideistæ Gregorii perfidiam recipite, et Polonicam quoque fidiculam appellate : vel si vultis ad perfectionem Lutherani Evangelii citius, et sine molestia pervenire, universæ fidei Christianæ simul abrenuntiate, et dicite. Edamus, bibamus, cras enim moriemur. Quorsum enim tot ambages? quorsum istæ tot circumitiones? Lutherani Evangelii perfectio, atheismus est, et epicureismus. Nec enim aliud Satanæ propositum fuit, dum Lutherum ab inferis suscitavit, quam ut per eum fidem in Deum ex animis mortalium extirparet. Sed noluit statim cornua sua prodere, ne homines rei turpitudine illico ab eo absterreret. Tam est anathema, tam Ethnicus et publicanus, qui Ecclesiam in multis, quam qui in paucis non audit : sicut tam mergitur qui palmo aquæ, quam qui abysso maris contegitur. Hinc ille impostor nequissimus librum edidit de tribus orbis impostoribus, Mose, Christo et Mahometo. Ita à parvis initiis ad summum impietatis gradum ascenditur. Si de regni pace laboratur, primi expellendi sunt Lutherani et Calvinistæ. Hi enim in Gallia, Anglia, Germania bella civilia suscitarunt. Et ex his nati sunt Trideistæ et Anabaptistæ. Semina hæc bellorum et motuum extirpanda sunt. Dolemus pacem Ecclesiæ scissam? scidit Lutherus. Dolemus templa diruta, incensa, profanata, monasteria eversa, agros, pagos, urbes vastatas? diruit, evertit, vastavit Lutherus. Dolemus bella civilia suscitata? suscitavit Lutherus. Desideramus Moros, Roffenses, Carthusianos? eripuit Lutherus.* Vide Stanislum Bescium in vita Hosii l. 2. c. 21.

De spe et resurrectione mortuorum ego judicor.] Aliqui distinguunt *spem* à *resurrectione,* quod spes respiciat felicitatem alterius vitæ cujus objectum est Deus, Deique visio et fruitio ; resurrectio vero significet statum corporum denuo copulandorum, tam damnatorum, quam

beatorum. Alii per *spem* accipiunt rem speratam, puta Christum Judæis promissum, quem proinde Paulus Act. 28. 20. vocet *spem Israel*, dicens : *Propter spem Israel catena hac circumdatus sum.* Simplicius et germanius Syrus hæc duo conjungit, sicque per hendiadyn vertit et explicat : *De spe resurrectionis mortuorum ego judico.* Spes enim Christianorum non est alia, quam resurrectio mortuorum, ut ait Tertull. Nec enim Judæi litem movebant Paulo de spe felicitatis æternæ, sed de resurrectione Christi et Christianorum. Unde et Vatab. sic explicat. q. d. *Propterea accusor, quod defendam et asseram sperandam esse omnium resurrectionem :* Judæi enim et præsertim Sadducæi negantes resurrectionem, quorum caput est Ananias pontifex, me persequuntur, quod doceam Christum, quem ipsi occiderunt, ut eum extinguerent, ejusque nomen et sectam abolerent, resurrexisse, ac rediturum ad judicium, ut sit eorum omniumque judex et vindex, atque ab eo expectandam esse resurrectionem nostram, non à Moyse, non à lege, vel aliunde. Ergo non mentitur hic Paulus, sed tacet ea quæ supplevi ; quæ prudenter tali loco et tempore tacenda erant. Τὸ ergo *mortuorum*, intellige Christi et Christianorum, qui ex morte et per mortem sperant transire ad resurrectionem et immortalitatem. Impertinens ergo est Hugonis expositio, quæ talis est : *Mortuorum*, id est, pro mortuis qui sunt in Purgatorio aut cœlo : nec enim hac de re quæstio erat inter Judæos et Paulum. Rursum qui sunt in cœlo, non habent spem, sed rem et certitudinem tam felicitatis æternæ, quam resurrectionis æternandæ.

JUDICOR.] Græce κρίνομαι : quod aliqui accipiunt pro διακρίνομαι, id est *secernor*, *separor*, quasi Pharisæus credens resurrectionem, à Sadducæis eam negantibus ; de qua expositione aliisque multa habet hic Sanchez Verum plane et genuine vertit Syrus, *in judicium vocor ;* Vatab. *accusor ;* alii, *condemnor*, et inauditus, quasi præjudicio damnatus, verberor. Nota hic rursum libertatem et animum Pauli in vinculis, inter medios hostes, eosque judices. Quare ei vere applices elogia, quibus Celerinum Confessorem celebrat S. Cyprian. l. 4. epist. 5. ad Presbyteros, Diaconos et plebem. *Hic ad temporis nostri prælium primus, hic inter Christi milites antesignanus, hic inter persecutionis initia ferventia cum ipso infestationis principe et auctore congressus, dum inexpugnabili firmitate certaminis sui adversarium vincit, vincendi cæteris viam fecit : non brevi compendio vulnerum victor, sed adhærentibus diu permanentibus pœnis, longæ colluctationis miraculo triumphator. Per decem et novem dies custodia carceris septus, in nervo ac ferro fuit : sed posito in vinculis corpore, solutus ac liber spiritus mansit. Caro famis ac sitis diuturnitate contabuit, sed animam fide et virtute viventem nutrimentis spiritualibus Deus pavit. Jacuit inter pœnas pœnis suis fortior, inclusus includentibus major, jacens stantibus celsior, vincientibus firmior vinctus, sublimior judicantibus judicatus ; et quamvis ligati nervo pedes essent, et calcatus serpens et obtritus et victus est. Lucent in corpore glorioso clara vulnerum signa, eminent et apparent in nervis hominis, membris longa tabe consumptis expressa vestigia. Sunt magna, sunt mira, quæ de virtutibus ejus ac laudibus fraternitas audiat.*

Idem l. 5. epist. 9. ad Successum : *Hæc peto*, ait, *per vos et collegis vestris innotescant, ut hortatu eorum possit fraternitas corroborari, et ad agonem spiritualem præparari, ut singuli ex nostris non magis mortem cogitent, quam immortalitatem ; et plena fide ac tota virtute Domino dicata gaudeant magis ; quam timeant in hac confessione in qua sciunt Dei et Christi milites non perimi, sed coronari.*

7. ET SOLUTA EST MULTITUDO,] discedendo, non domum, sed in varias sententias, et factiones. Græce enim est ἐσχίσθη (Noster legit ἐλύθη, id est, *soluta est*) πλῆθος, id est, *dissecta est multitudo.* Ita Tigur. et Syrus, *divisus est populus.*

8. SADDUCÆI ENIM DICUNT NON ESSE RESURRECTIONEM.] Unde contra illos eadem probat Christus Matth. 22. 23. et 32. ex illo Exodi 3. 15. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob : non enim est Deus mortuorum, sed viventium.*

NEQUE ANGELUM, NEQUE SPIRITUM.] Ergo Sadducæi negarunt ; Primo, animam rationalem esse spiritualem et immortalem ; Secundo, esse dæmones ; tertio, esse Spiritum sanctum. Ita Nazianz. orat. 5. quæ est de Spiritu sancto. Quarto, S. Trinitatem : generatio enim Verbi est spiritualis, fitque in spiritu. Quinto, Deum esse spiritum, censebant enim in Deo unam tantum esse personam, æque ac naturam, eamque corpoream, qualis est hominis.

Sic Tertullianus censuit angelos esse corporeos, animam pariter hominis esse corpoream, imo ipsam esse corpus effigiatum et coloratum, aerei scilicet coloris et lucidi ; quod suos habeat sensus, *oculos, aures, et cæteros artus, per quos in cogitationibus utitur, et in somnis fungitur*, hunc que esse hominem interiorem, quem sæpe nominat et celebrat S. Paulus. Ita de Tertulliano refert S. August. l. 10. de Genes. ad litt. duobus ultimis capitibus. Ratio Tertulliani erat hæc, quod anima videatur esse ex traduce. Cum enim pater generat filium, videtur quod anima patris ex se traducat et proseminet animam filii, sicut planta una proseminat aliam : atqui id quod proseminat et proseminatur, est corpus, non spiritus. Addit S. August. Tertullianum putasse Deum esse corporeum, adeoque nihil in mundo esse incorporeum : quod fuit hæresis Vadianorum, qui inde dicti sunt Anthropomorphitæ. Hinc et Tertull. dicit animam hominis puta Adæ, esse ex materia Dei, l. 4. contra Marc. c. 37. Pamelius tamen in Paradoxis Tertulliani, eum ab hoc errore excusat, quod ipse per corpus intellexerit substantiam, quæ in Deo et angelis est spiritalis, in hominibus corporalis.

PHARISÆI AUTEM UTRAQUE CONFITENTUR.] Syrus pro *utraque* vertit, *omnia :* sunt enim hic tria quæ negabant Sadducæi, confitebantur vero Pharisæi, scilicet resurrectio, angelus et spiritus. Sed Lucas angelum et spiritum quasi unum quid, et ejusdem rationis ac generis conjungit, opponit que resurrectioni, quæ est corporum. Ita Chrysost. et OEcum. Quare minus recte Cajet. spiritum, id est, animam rationalem, censet unum censeri cum resurrectione, et opponi angelo.

9. QUIDAM PHARISÆORUM.] Græce, οἱ γραμματεῖς τοῦ μέρους τῶν φαρισαίων, id est, *Scribæ qui erant ex parte Pharisæorum.* q. d. Litterati et doctores Pharisæorum.

PUGNABANT,] certabant, contendebant, non studio veritatis, sed sectæ suæ tuendæ.

QUID SI SPIRITUS (puta, Deus, vel, Spiritus

sanctus) AUT ANGELUS LOCUTUS EST EI ?] Supple, quis culpet, vel incuset Paulum ? Alludunt ad extasin, qua Paulus se à Deo abreptum, edoctum et missum dixit c. 22. 17. simulque perstringunt adversarios suos et Pauli, Sadducæos, qui negabant angelos et spiritus. q. d. Nos Pharisæi cum Paulo credimus esse angelos et spiritus, æque ac resurrectionem, quam angeli nos docuerunt, ipsaque natura animæ evincit. Si enim anima est spiritus; ergo immortalis; ergo resurget, rursumque corpus assumet : naturali enim pondere propendet ad illud, et sine eo in æternum esse nequit : sic enim in æternum esset in statu innaturali et violento. Quid si ergo idipsum, cæteraque quæ docet Paulus, ei in extasi revelarit angelus aut Spiritus Dei quid habetis, ô Sadducæi, quod in ipso carpatis, eique objiciatis? Quod enim ipse sentit et docet, nos quoque sentimus et docemus. Si ipsum accusatis, nos accusatis. Si ipsum tangitis, nos tangitis. Unde Græca addunt μὴ θεομαχῶμεν, id est, *ne cum Deo*, Deique Spiritu *pugnemus*, sicut superbi illi olitani gigantes, quos proinde Deus disperdidit. Verum hæc additio irrepsisse videtur ex nota marginali, desumpta ex simili sententia Gamalielis, qua Apostolos defendit c. 5. 39. Ecce quid facit amor patriæ sectæ. Pharisæi pro aris et focis pugnant pro Paulo, alias suo hoste, eo quod ipse Pharisæum se professus sit, et filium Pharisæi.

10. DESCENDERE.] Ex superiore loco arcis Antoniæ in inferiorem, ubi erat concessus pontificum, ut ex eo abriperent Paulum, quasi civem Romanum, ne à Sadducæis discerperetur.

11. SEQUENTI AUTEM NOCTE ASSISTENS EI DOMINUS.] Hinc videtur Christus per angelum apparuisse in visione Paulo dormienti, ac proinde Paulus hic realiter non vidit, nec audivit Christum. Ita Dionys.

CONSTANS ESTO,] Θάρσει Παῦλε, id est, *aude Paule*, juxta illud Johannis 16. 33. *Confidite, ego vici mundum.* Syrus, *obfirma te.* Vere dicebat S. Pantaleon Martyr in tormentis : *Cum tu sis mecum Domine, quid est quod timeam? Quid enim times, ô homo, in sinu Dei?* ait S. Augst.

12. FACTA AUTEM DIE.] Syrus, *cum factum esset mane.*

DEVOVERUNT SE,] dejerantes et dicentes, velle se perdi à Deo, et deleri instar anathematis, nisi Paulum occiderent, ait Vatabl. Græce enim est ἀνεθεματισαν ἑαυτούς, q. d. Se velut anathema devoverunt. Sic Decii pro patria se devoverunt.

Secundo, devoverunt se fami et morti, scilicet se non gustaturos quicquam cibi, donec occiderent Paulum, adeoque fame morituros, nisi illum è medio tollerent : ita enim hoc eorum devovere explicatur verbis sequentibus. Ita Beda, Lyranus, et alii.

Tertio et genuine, nectendo utrumque sensum. q. d. Diris se devoverunt, dejerantes et execrantes, dicendo, v. g. Deus nos perdat, si aliquid comedamus aut bibamus, antequam occidamus Paulum. Hoc enim est quod aiunt v. 14. *Devotione devovimus nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum*, ubi Græca habent, *Anathemate anathematizavimus nos*, puta execrando execravimus nos nihil comesturos, quoad necemus Paulum.

Suspicatur Baronius anno Christi 58. c. 136. hosce quadraginta conjuratos in necem Pauli fuisse sacerdotes illos, quos Josephus in Vita sua scribit à Felice levi de causa vinctos missos esse Romam, acturos causam apud Cæsarem. *Quos*, ait, *ut periculo eriperem; præsertim cum audirem ne in calamitate quidem constitutis curam pietatis excidisse, et ficis et nucibus eos vitam sustentare; veni Romam, ubi per Alityrum Judæum Poppææ uxori Cæsaris innotui, et confestim per eam impetravi absolutationem illis sacerdotibus; magnisque præterea donatus ab ea muneribus, in patriam reversus sum.* Suspicatur Baron. eos, eo quod jurassent se non manducaturos nisi occidissent Paulum, cum minus voti compotes facti essent, abstinuisse pane, tantumque arida comedisse, ne penitus interirent. Sed ambigua et obscura est hæc conjectura, præsertim quia Paulo, à Festo Felicis successore Romam misso, Judæi qui Romæ erant dixerunt : se nihil de eo inaudisse, Actor. 28. v. 21. qui utique multa de eo audissent à sacerdotibus illis, si ipsi ob Paulum vincti fuissent destinati Romam.

15. UT PRODUCAT ILLUM AD VOS.] Græca addunt αὔριον, id est, *cras* idque diserte habent Latina et Græca. v. 20. Cupiebant enim illico rem conficere, itaque juramento votoque absolvi. Ita Lyran.

16. QUOD CUM AUDISSET FILIUS SORORIS PAULI INSIDIAS,] scilicet à Judæi strui Paulo. Unde Græca plane habent : *Cum autem audisset filius sororis Pauli insidias.* An casu audierit, an de industria, eo quod sollicitus de avunculo clanculum indagarit consilia, quæ Judæi contra eum agitabant, uti censet Lyran. incertum est.

21. EXPECTANTES PROMISSUM TUUM,] non factum sed faciendum. q. d. Expectant ut eis promittas, te cras producturum Paulum in eorum cœtum.

23. PARATE MILITES DUCENTOS UT EANT USQUE CÆSAREAM, ET EQUITES SEPTUAGINTA, ET LANCEARIOS DUCENTOS.] Videntur ducenti milites esse diversi à ducentis lanceariis : forte *milites* communi nomine vocantur levis armaturæ, ut velites, fundibularii et similes, qui jaculis et arcubus cartabant : *lancearii* vero qui lanceis, vel hastis oblongis depugnabant : hi enim græce vocantur δεξιολάβοι, perinde ac nunc in exercitu sunt sclopetarii, et lancearii sive hastati, qui loricati longas hastas gerunt, suntque quasi triarii, roburque exercitus : utrique ergo videntur fuisse pedites, quia hic ab equitibus secernuntur. Alii tamen censent *lancearios* fuisse equites, quia iis junguntur, sed ab equitibus vulgaribus hic secerni, quod hi jaculis, arcubus, aliisve armis certarent; lancearii vero lanceis; perinde ac jam equites alii sunt sclopetarii, alii lancearii, uti Epirotæ sive Albani, quorum auctor et dux fuit Georgius Castriota, Turcarum terror et flagellum, qui proinde a Turcis Scanderbeg, id est, Alexander Magnus est cognominatus. Aliqui tamen censent, ducentos milites eosdem esse cum ducentis lancearii, ut τὸ *et*, sit διαγρτικόν, explicetque τὸ *milites ducentos.* Favet vers. 32. ubi præter equites, soli nominantur milites, quasi iidem sint cum lanceariis. Sed ad id respondent alii, lancearios fuisse pedites, vel equites, verum lanceis armatos, ponique ultimo loco, quia ultimi erant in acie quasi triarii, uti etiamnum sunt ultimi. Hic ergo Paulus deductus fuit à 470. præsidiariis. Timebat enim Tribunus, ne illi quadraginta, qui in necem Pauli conspirarant, secum traherent multa populi agmina.

Cæsaream.] *Cæsarea* erat tunc sedes Præsidis, quia Judææ caput. Ita ex Tacito lib. 18. Mariana : præsertim quia Herodes eam exornatam, in gratiam Cæsaris Cæsaream nominarat, in eaque prætorium exædificarat, ut patet v. 35. Sic Ravenna fuit sedes Exarchorum Italiæ, non Roma.

Vide hic, quam Gentiles et Romani æquiores, sinceriores et humaniores sint Judæis in Paulum contra jus furentibus. Ecce tibi Centurionis comitatem, qua Paulo vincto obsequitur, ejusque nepotem ad tribunum deducit, Tribunus pari comitate eum manu apprehendit, seorsim audit, silentium indicit, ac ex ejus indicio, ut Paulum à Judæorum insidiis tueatur, cum 470. militibus stipatum ad præsidem Cæsaream mittit.

Notent hoc illi, qui magistratu intumescunt et insolescunt; ideoque non nisi potentes et divites ad colloquium admittunt. Magistratus enim est omnes benevole audire : misericordiam cum justitia conjungere, ob potestatem non superbire, agnoscere se ministrum aliorum ; orphanos, viduas et pauperes contra injurias potentum tueri : contrarium faciunt tyranni. Laudat Sueton. Augustum Cæsarem, in ejus vita c. 33. et 72. quod perstaret in noctem in audientia, etiam sub porticibus, lectica quoque utens pro tribunali, si parum corpore valeret, vel etiam domi cubans. Plin. in Paneg. celebrat Trajan., quod assiduus esset in tribunali, *adeo ut labore reficì ac reparari videretur*. Demonax rogatus à quodam quomodo provinciam sibi commissam optime administrare posset, respondit : *Si minimum loquens, plurima audieris*. Artaxerxes Cyri frater, cognomento Mnemon, id est Memor, non solum se facilem et affabilem præbuit adire volentibus, sed et uxorem jussit sublatis currus aulæis vehi, ut iis qui eam conventum vellent, etiam in itinere pateret aditus. Ita Plutarch. in Regum Apophtheg. Celebre est Vespasiani dictum : *Non oportet quemquam à Cæsare tristem discedere*. Ita Sueton. in ejus vita. Aristippus cum aliquando Dionysium interpellaret pro amico, nec ille preces admitteret, prostratus cœpit amplecti pedes regis, et impetravit. Id factum cum quidam abjectius, quam ut Philosophum deceret, culparent : *Non ego*, inquit, *sum in culpa, sed Dionysius, qui aures habet in pedibus*. Ita Laert. lib. 2. c. 8. Legati Lacædemonii venientes ad Lygdamin tyrannum, cum ille eos differret, et infirmitatem obtenderet : *Per Jovem*, inquiunt, *non venimus huc cum illo luctaturi, sed collocuturi*. Ita Plutarch. in Lacon. Anus à Philippo postulans ut causam suam cognosceret, cum ille diceret, sibi non esse otium, inclamavit : *Proinde ne rex quidem esse velis*, quare Philippus non tantum illi, sed et aliis faciles aures præbuit. Ita Plutarch. in Apophth. Reg. Inter Christianos illustris fuit Gratianus Imper. de quo Ausonius : *Laudabile est*, inquit, *Imperatorem interpellantibus faciles præbere aditus, nec de occupatione causari : Tu confirmas adhuc cunctantes ; etiam querimoniis explicatis, ne quid adhuc sileatur, interrogas*. Celebrat facilitatem S. Ambrosii, eam expertus S. August. circumsessum enim eum fuisse *catervis negotiosorum hominum, quorum infirmitatibus inserviebat : nec vetitum quemquam ingredi, nec ei venientes nuntiari in more fuisse*.

A tertia hora noctis.] Refert ad *eam*. q. d. Ut tertia hora noctis incipiant ire et proficisci cum Paulo Cæsaream. Porro Romani, et ex iis Judæi, uti diem in quatuor partes sive horas dividebant, ita et noctem in quatuor vigilias sive horas, quarum quæque ternas nostrates comprehendebat : in quarum initio fiebat in castris et excubiis mutatio vigilium et excubitorum. Sicut ergo tertia hora diei est tertia ab orto sole, ita tertia hora noctis est tertia ab occasu solis, quam Itali vocant tertiam noctis. Aliter Dionysius, qui tertiam interpretatur tertiam post mediam noctem, vel tertiam vigiliam noctis. Prior sententia planior est : nam sequitur v. 31. *Paulum duxerunt per noctem in Antipatridem*, etc.

24. Et jumenta præparate.] Puta equos, asinos vel mulos, ad vehendum Paulum et socios ejus. Ita Dionys. Syrus vertit, *parate jumentum, ut ei Paulum faciatis inequitare, et ereptum perducatis ad Felicem præsidem*. Vide hic, quam Deus Paulum non tantum tueatur, sed et honoret. Ibat enim eques septus præsidio 470. equitum et peditum, qui ei ad corporis custodiam contra Judæos erant assignati. Unde δεξιολάβους, id est *lancearios*, Suidas et alii vertunt παραφύλακας, id est, *corporis custodes*. Quis princeps, aut rex incedit stipatus 470. custodibus et stipatoribus ? Ita incedit hic Paulus. Vere pretiosa in conspectu Domini non tantum mors, sed et vita Sanctorum ejus.

Ad Felicem præsidem.] Felix hic, teste Suetonio in Claudio c. 28. erat frater Pallantis, qui è servo factus libertus à Claudio Imp. apud eum gratia et potentia pollebat : adeoque matrimonium Agrippinæ matris Neronis cum Claudio conciliavit, itaque causa fuit ut Nero in imperium Claudio succederet. Quocirca in gratiam Pallantis, Claudius Felicem ejus fratrem Samariæ, ac postea Nero toti Judææ præfecit. Verum Felix ex servo factus præses intumuit, et prolapsus est, de quo c. sequenti v. 3. Sapienter Salvianus ad Eucherium : *Pedissequa plerumque novi honoris est arrogantia*. Et Ausonius :

> Fortunam reverenter habe, quicumque repente
> Dives ab exili progrediere loco.

25. Timuit enim.] Hic versus deest in Græco et Syro.

Tanquam accepturus pecuniam.] Supple à Judæis, permisisset ab eis occidi Paulum. In multis enim verum est istud Catonis apud Gellium l. 11. c. 18. *Fures privatorum furtorum in nervo et in compedibus vitam agunt, fures publici in auro et purpura*. Præclare Nazianz. Juliano Apostatæ in purpura insolescenti orat. 5. *Annon*, inquit ; *eam Tyriis objicies, à quibus pastoralis ille canis prodiit, qui exeso murice labiisque cruore perfusis, pastori florem indicavit ; ac per eos vobis Imperatoribus pannum illum, improbis luctuosum ac superbum porrexit ?* Nam ut explicat ibidem Elias, canis fuit inventor purpuræ, ejusque tincturæ. Cum enim muricem devorasset, indeque expresso succo os ejus ruberet, pastor putans canem suum cæsum fundere sanguinem, succum lana excepit, quam videns eo purpurari, ac manare ex murice, rem evulgavit. Porro Nazianz. purpuram vocat pannum luctuosum ; quia purpura superbis principibus fastum, quo miseros opprimunt, indeque miseris oppressis luctum, conciliat : tum quia purpureus color monet, ut promptis animis sanguinem suum pro subditorum salute fundant quod cum

non meminerint qui minime tales sunt, fastus inde et arrogantiæ ansam trahunt.

26. Optimo,] κρατίστῳ, quod Primo, verti potest *potentissimo*, à κράτος, id est, *robur*, *imperium*. Ita Vatabl. Secundo, *præstantissimo*, ut sit superlativus comparativi κρείττων, id est, *melior*, *præstantior*. Ita Pagnin. Tertio, *victoriosissimo*. Ita Syrus à κρατεῖν, id est, *vincere*. Quarto, *optimo*. Ita Noster.

Nota, hoc epithetum solere tribui præsidibus, principibus et optimatibus, qui ab optimo nomen acceperunt, quod scilicet fortitudine, clementia, justitia, meritis in Remp. omnique virtute optimi et præstantissimi essent (tales enim olim eligebantur præsides) aut esse deberent. Quocirca Dio in Trajano ait, eum pro omnibus honorum titulis, gavisum nomine Optimi. Unde et imperatoribus acclamari solitum: *Vivat Imperator Augusto felicior, Trajano melior.* Porro, sicut Candidati, teste Seneca lib. 1. epist. 3. hoc titulo salutabantur, *Boni viri;* ita magistratum jam adepti, iidem *optimi* dicebantur. Quocirca Paulus sine mendacio c. 23. 3. ait, *Optime Felix*, et c. 26. 25. *Optime Feste*, licet ipsi essent scelerati, quia τὸ *optimus* est titulus amplissimæ dignitatis, non laus personæ; significans tamen talem debere esse personam; quæ ritè publica dignitate et magistratu fungi velit.

27. Eripui, cognito quia Romanus est.] Mentitur Tribunus: ut ostendat se nominis Romani studiosum, itaque Præsidis et Romanorum gratiam captet. Nam cum Paulum è manibus Judæorum eripuit, nesciebat eum esse civem Romanum, sed id ab eo postea didicit, cum præter jus et morem vellet eum flagellare. Ita Lyran.

29. Nihil.] Græce, μηδέν, id est, *nullum*, scilicet crimen. Nota hic, quanta fuerit innocentia Pauli adeo ut tribunus Gentilis testetur se in eo, licet à Judæis calumniis onerato, nullum invenisse crimen.

31. Duxerunt per noctem in Antipatridem.] *Antipatris* distabat Hierosolymis septemdecim leucis, sive horis, ut patet ex tabulis Geographicis: ergo una nocte id iter confici non potuit, præsertim cum tertia noctis hora proficisci cœperint v. 31. Quare per diem iter continuantes, post meridiem, imo sub vesperam appulerunt Antipatridem, ibique post longum iter fessi quiescentes et pernoctantes, *postera die dimissis equitibus ut cum eo irent Cæsaream*, quæ Antipatride octo circiter horis distabat, *reversi sunt in castra*, quæ erant Hierosolymis in arce Antonia, uti jam sæpius dixi. Porro Antipatris, prius Capharsalama dicta, urbs pulchra et amœna, sita in optimo campo, divite arboribus et fluminibus, mari Mediterraneo adjacebat, media inter Joppen et Cæsaream, et ab utraque æqualiter distans, puta octo circiter leucis, sive horis. Juxta hanc Nicanor à Juda Machabæo cæsus est, 1. Machab. 7. 31. Hanc Herodes Rex Judææ extruens, à patre suo Antipatro Antipatridem nominavit. Tempore belli sacri obsessa à Godefrido Bullonio, sed frustra, tandem capta est à Balduino, qui post Godefridum creatus est rex Hierosolymæ: hodie villa est, quæ *Assur* dicitur, ait Brocard. Bredemb. et Adrichom. in Descriptione terræ Sanctæ.

32. Dimissis equitibus,] septuaginta, cum ducentis lanceariis, si hi pariter erant equites, sed lanceis armati: sin autem lancearii erant pedites, cum cæteris militibus redierunt Hierosolymam, de quo dixi v. 23.

33. Statuerunt ante illum et Paulum,] παρέστησαν, id est, *stiterunt*, ad ejus, quasi summi judicis et præsidis, tribunal. Merito exclamat hic Dionys. *O Felix præses, quam vere felix fuisses, si agnovisses qualis et quantus fuerat iste tibi directus, et manibus tuis ad tempus subjectus! Quam humiliter eum suscepisses, et quam reverenter tractasses, sicut Cornelius Centurio Petrum! Et nunc quia id non novisti, neque per Paulum converti meruisti, quem tamen pro tua conversione sæpe orasse non ambigo; miser potius et infelix, quàm felix fuisti.*

35. Jussitque in prætorio Herodis.] Prætorium erat palatium in quo habitabat Prætor, sive præses loci, aut princeps, qualis fuerat Herodes qui ab Augusto Cæsare rex Judææ creatus, in ejus honorem Turrim Stratonis dilatavit et exornavit, ac à Cæsare Cæsaream nuncupavit, atque inter alias fabricas, in ea prætorium pro se et posteris ædificavit: in quo proinde causæ forenses agebantur, rei vincti servabantur, et jus dicebatur; ibi ergo cum cæteris, Paulus, quasi reus asservatus fuit.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Paulus a Tertullo accusatus coram Felice præside, suam causam agit et peragit, adeo ut v. 24. Felix cupierit a Paulo fidem Christi audire. Disputante autem Paulo de justitia, et castitate, et de judicio futuro tremefactus est Felix, qui tandem provinciam cedens Festo, eidem Paulum vinctum assignat.

1. Post quinque autem dies descendit princeps sacerdotum Ananias, cum senioribus quibusdam et Tertullo quodam oratore, qui adierunt præsidem adversus Paulum. 2. Et citato Paulo cœpit accusare Tertullus dicens: Cum in multa pace agamus per te, et multa corrigantur per tuam providentiam, 3. semper et ubique suscipimus, optime Felix, cum omni gratiarum actione. 4. Ne diutius autem te protraham: oro, breviter audias nos pro tua clementia. 5. Invenimus hunc hominem pestiferum, et concitantem seditiones omnibus Judæis in universo orbe, et auctorem seditionis sectæ Nazarenorum: 6. qui etiam

templum violare conatus est, quem et apprehensum voluimus secundum legem nostram judicare. 7. Superveniens autem tribunus Lysias cum vi magna, eripuit eum de manibus nostris, 8. jubens accusatores ejus ad te venire: à quo poteris ipse judicans, de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum. 9. Adjecerunt autem et Judæi, dicentes hæc ita se habere. 10. Respondit autem Paulus (annuente sibi præside dicere.) Ex multis annis te esse judicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciam. 11. Potes enim cognoscere, quia non plus sunt mihi dies, quam duodecim, ex quo ascendi adorare in Jerusalem: 12. et neque in templo invenerunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neque in synagogis, 13. neque in civitate: neque probare possunt tibi de quibus nunc me accusant. 14. Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam, quam dicunt hæresim, sic deservio Patri et Deo meo, credens omnibus, quæ in lege et Prophetis scripta sunt: 15. spem habens in Deum, quam et hi ipsi expectant, resurrectionem futuram justorum, et iniquorum. 16. In hoc et ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, et ad homines semper. 17. Post annos autem plures, eleemosynas facturus in gentem meam, veni: et oblationes, et vota. 18. In quibus invenerunt me purificatum in templo; non cum turba, neque cum tumultu. 19. Quidam autem ex Asia Judæi, quos oportebat apud te præsto esse, et accusare si quid haberent adversum me: 20. aut hi ipsi dicant si quid invenerunt in me iniquitatis, cum stem in concilio, 21. nisi de una hac solummodo voce, qua clamavi inter eos stans: Quoniam de resurrectione mortuorum ego judicor hodie à vobis. 22. Distulit autem illos Felix, certissime sciens de via hac, dicens: Cum tribunus Lysias descenderit, audiam vos. 23. Jussitque centurioni custodire eum, et habere requiem, nec quemquam de suis prohibere ministrare ei. 24. Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla uxore sua, quæ erat Judæa, vocavit Paulum, et audivit ab eo fidem, quæ est in Christum Jesum. 25. Disputante autem illo de justitia, et castitate, et de judicio futuro, tremefactus Felix respondit: Quod nunc attinet, vade, tempore autem opportuno accersam te. 26. Simul et sperans, quod pecunia ei daretur à Paulo: propter quod et frequenter accersens eum, loquebatur cum eo. 27. Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Portium Festum. Volens autem gratiam præstare Judæis Felix, reliquit Paulum vinctum.

1. Post quinque autem dies,] non à captura Pauli, ut vult Cajetan. sed à Pauli appulsu Cæsaream, ad quam postero die à discessu suo Hierosolyma Paulus pervenit, ut dixit Lucas c. 23. 32. Ideo enim omnes hosce Pauli dies diserte consignat Lucas, ut series rei gestæ et temporis constet, utque ostendat fuisse duodecim, uti dicit Paulus v. 11. Vide dicta c. 21. 27. ubi hosce dies 12. sigillatim per acta Pauli consignavi. Quare τὸ *descendit*, non potest accipi in actu inchoato, ut significet, descendere et proficisci cœpit; sed in actu perfecto sive finito; ut significet, descendens vel proficiscens appulit Cæsaream. Si enim accipias pro *cœpit descendere*, sequetur eum non post quinque, sed post octo dies (à Hierosolyma enim usque Cæsaream est iter tridui) appulisse Cæsaream: quibus adde septem quos recensui c. 21. 27. habebis 15. cum tamen Paulus v. 11. tantum assignet duodecim. Sin accipias pro *descendens appulit*, habebis præcise duodecim Pauli dies: quinque enim additi septem, faciunt duodecim. Quocirca tribunus misso nocte Paulo Cæsaream, ne Judæos falleret, audiretque fraudulentus, sequenti die monuit pontifices, ut ipsi ex adversa parte actores mitterent Cæsaream, qui Paulum coram Felice accusarent. Pontifices odio Pauli ardentes, sibique metuentes, ne Paulus eos apud Felicem præveniret et denigraret, habito concilio secundo die cœperunt descendere ireque Cæsaream, eoque post tres dies pervenerunt, ita ut post quinque dies appulsus Pauli, ipsi quoque appulerint Cæsaream. Sensus ergo est, q. d. Lucas: Paulus pervenit Cæsaream; uti dixi c. 23. 32. postero die à discessu suo Hierosolyma, eodem pervenerunt pontifices quinto post Paulum die, ut eum accusarent.

Descendit princeps sacerdotum Ananias.] Tum quia Sadducæus ardebat odio Pauli et Christi: tum quia sibi metuebat, ne accusaretur seditionis in Paulum commotæ, præsertim quia contra jus publice in concilio jusserat os ejus percuti, ne causam suam ageret. Sic enim idem Felix sub idem tempus occidit Jonathan, de quo mox.

Et Tertullo quodam oratore.] Hunc videtur assumpsisse Ananias quasi advocatum suum, tum facundiæ causa, tum quia linguæ Latinæ, cujus ipse, utpote Hebræus, ignarus erat, peritum. Apud præsidem enim Romanum de more, causa hæc latine agenda erat. Unde Tertullus ex nomine videtur fuisse Romanus, vel Italus. Præsides enim secum ducebant procuratores et advocatos Italos in provincias, ad quas mittebantur, ut illi causas provincialium susciperent, et coram se latine agerent. Sic Tertullianus, qui à Tertullo dictus videtur, causas agebat in foro antequam esset Christianus: sed hoc officio factus Christianus se abdicavit, ideoque à Gentilibus irrisus, quod togam cum pallio commutasset, scripsit librum de Pallio, ubi c. 5. *Ego*, ait, *nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo: nihil officio advigilo, nulla rostra præoccupo, nulla prætoria observo, cancellos non adoro, subsellia non contundo, jura non conturbo, causas non elatro: secessi de populo, imo unicum negotium mihi est, nec aliud nunc curo, quam ne curem. Vita meliore magis in secessu fruare. Nemo alii nascitur morituras sibi.*

2. Cum in multa pace agamus.] Partim verum dicit : Felix enim Ægyptium pseudoprophetam cum suis factiosis compresserat : partim falsum : Felix enim Jonatham pontificem per sicarios interfecerat, ac deinde eos in alios impune grassari permiserat, teste Josepho lib. 20. Antiq. c. 5. et 6. Tertullus ergo velut rabula garrit, et adulatur homini iniquo et rapaci. De hisce enim rabulis verum est Italorum proverbium : *Laudenses multa, Veronenses pauci*, nimirum laudatores et adulatores multi, veridici pauci.

Et multa corrigantur (Græcus habet, *et multa officia huic genti præstentur*) per tuam providentiam.] Κατορθώματα enim idem est quod officium virtutis, recta effectio, præclarum facinus : item opus rite correctum, emendatum, instauratum, promotum : denique κατορθώματα omnes numeros virtutis continet, ait Cicero l. 3. de Finibus. Sic Græci dicunt κατορθοῦν τὴν συμφροσύνην, id est, *partes omnes temperantiæ implere ;* et τῆς οἰκονομίας κατορθώτικος, *qui frugaliter administrandæ rei œconomicæ peritus est.* Ita Budæus Annot. in epist. in Verbo *Frugi.*

3. Suscipimus,] ἀποδεχόμεθα, quod Tigurina et Clarius vertunt, *comprobamus ;* alii, *amplectimur*, nimirum tua κατορθώματα, id est, officia jam dicta. Salmeron suspicatur legendum *suspicimus*, id est, admiramur et celebramus. Verum τὸ *suscipimus* respondet Græco.

Optime.] De hoc titulo dixi c. 23. 26.

Felix.] Corn. Tacitus lib. 5. Histor. dat ei prænomen *Antonius :* Josephus vero, Zonaras et Suidas, *Claudius.* Utrumque ergo habuit, nimirum dictus est *Antonius Felix*, ab Antonia matre Claudii Imper. cujus fuerat servus et libertus. Idem dictus est *Claudius Felix*, à Claudio Imp. cui à matre transcriptus erat. Erant enim liberti binomines : alias enim principis, alias patronæ mortuæ nomen ferebant, ait Lipsius in lib. 12. Annal. Taciti.

4. Pro tua clementia.] Græce, ἐπιεικείᾳ, id est, *mansuetudine, æquitate, lenitate, modestia, facilitate, patientia, humanitate, clementia.*

5. Hunc hominem pestiferum.] Græce, λοιμὸν, id est *pestem.* Sic exitialem vocant ὄλεθρον, id est *exitium ;* per antonomasiam. Nota. Oratio Tertulli tot pene consuta est mendaciis, quot verbis, ut patet singula expendenti.

Auctorem,] πρωτοστάτην, vel, ut alii legunt, προστάτην, id est, *præfectum, primipilarem, primum stantem in acie.* Auctor enim et institutor christianismi erat Christus, non Paulus ; sed hic inter Christi duces, puta Apostolos, erat primipilaris, et præcipuus auctor propagationis christianismi, quasi antesignanus et primus stans in acie Christi ad præliandum pro eo.

Catilina à Cicerone consule interrogatus in senatu, de conjuratione in Remp. an ejus esset auctor ? ut sociis audaciam amentiæ suæ ostentaret, consulem hoc ænigmate derisit : *Cum duo corpora sint*, ait, *quorum alterum tenue et ægrum sit, caput tamen habeat ; alterum validum et magnum, sed sine capite, quid mali facio, si ipse me huic caput superimpono ?* uti refert Plutarch. in vita Ciceronis. Omnibus vero ei obstrepentibus, hostemque et parricidam inclamantibus, furibundus ille : *Quandoquidem circumventus*, ait, *ab inimicis præceps agor incendium meum ruina restinguam.* Testis est Sallustius in Bello Catil. Quam dispar Paulus, qui adeo à seditione et ambitu erat alienus, ut ne novæ quidem religionis et Ecclesiæ auctor dici aut haberi vellet ? nimirum agnoscebat ille et prædicabat ejus auctorem, et caput invisibile Christum Dominum, visibile vero S. Petrum ; se autem Christi dumtaxat esse administrum, et S. Petri adjutorem.

Seditionis.] Hæc vox separatim non est in Græco ; sed includitur in præcedenti πρωτοστάτης, si illud à στάσις, id est *seditio ;* et πρῶτος, id est, *primus*, deducas, imo conflas. Probat enim Paulum esse concitantem seditiones, uti dixit, ex eo quod sit πρωτοστάτης, id est, præfectus seditionis, quasi primus seditiosus, stans in prima acie sectæ Nazarenorum, quæ ubique seditiones concitat dum contra judaismum et gentilismum insurgit, et utroque excluso se supponere et surrogare conatur. Cum ergo ait, *seditionis sectæ*, est hypallage. q. d. *Sectæ seditiosæ*, vel quæ est mater seditionis. Vide hic quanta, et quam falsa calumnia oneratur Paulus, cum potius ipsimet ejus accusatores Judæi essent seditiosi ; nam in omnibus urbibus contra eum seditiones populique tumultus excitarant, ut vidimus, c. 9. 23. c. 13. 50. c. 14. 5. c. 18. 12. c. 21. 30. Ejus exemplo se solentur Religiosi, qui eum imitantes, etiamnum à sectariis et æmulis vocantur seditiosi et turbatores. Vere S. Ambr. orat. de traden. Basil. *Semper*, ait, *Christi laudes verbera perfidorum sunt, et nunc cum laudatur Christus, dicunt hæretici quia seditio commovetur. Dicunt hæretici quia his mors paratur : et vero mortem habent in laudibus Christi.* Ita galero Campiani nostri, cum eum vinctum Londinum ducerent, titulum uncialibus litteris affixerunt : Edmundus Campianus seditiosus Jesuita, sed ibat ille in affluente turba invictus animo, vultu alacer aucta ipsis in adversis majestate, quæ et hostibus admirationem ac reverentiam injiceret, uti habet ejus martyrium.

Nazarenorum.] Ita à Christo Nazareno primitus vocabantur Christiani, ut dixi c. 2. 22. Postea Nazaræi dicti sunt hæretici, qui christianismo volebant adjungere jadaismum, quorum parens fuit Cherintus : *sed dum volunt et Judæi esse et Christiani, nec Judæi sunt, nec Christiani*, ait Epiphanius hæresi 29. Porro per contemptum Paulum vocant *Nazarenum*, æque ac olim Christum vocarant *Nazarenum*, quasi ex vili oppidulo Nazareth oriundum. Verum hæc summa est laus Christi et Pauli quod uterque sit Nazaræus, id est, separatus, sanctus, consecratus, coronatus, imo quod auctor et doctor sit Nazaræorum, id est eorum qui ab æterno à Deo conscripti Sanctorum cives, impense sanctitati student, ut in cœlestem Sanctorum et Beatorum cœtum transferantur.

6. Qui etiam templum violare (græce, βεβηλῶσαι, id est, *profanare*) conatus est,] introducto in illud Trophimo Gentili, de quo c. 21. 29. Fallitur rursum et mentitur rabula, cum Judæi potius violassent templum, dum in eo violentas et sacrilegas manus injecerunt in Paulum, eumque verberarunt, et tantum non occiderunt.

Secundum legem nostram,] Judaicam : licet enim Tertullus videatur fuisse Gentilis, tamen Judæorum nomen et legem sibi arrogat, quia eorum quasi patronus causam agebat.

Judicare,] judicialiter damnare, ac damnatum tradere occidendum præsidi Romano. Mentitur iterum : nam Judæi Paulum tumultuarie occidere volebant, non secundum legem judicare : Hic versus deest in multis Græcis.

7. ERIPUIT ETIAM.] Syrus addit, *et ad te misit eum.* Idem habent nonnulli Græci codices.

8. A QUO,] tribuno. Ita Dion. et Hugo; aut potius Paulo. q. d. Paulus ipse crimen negare non poterit, si ἀνακρίνας, id est *examinans, interrogans* et *dijudicans* eum, veritatem ab eo elicias, metuque et minis extorqueas. Nam, ut ait Chrysost. *ne videatur mentiri, Paulum sui ipsius accusatorem adhibet.* Ita effrons et audax est impudentia, ut reum percellat, adigatque ad criminis, licet falsi, confessionem. Rursum effrons et impudens est impietas, dum sua scelera in pios transcribit. Judæi enim hic omnium scelerum, de quibus accusabant Paulum, erant rei: ipse enim contra eum seditionem concitarant, ipsi violarant templum, violentas in eum injiciendo manus; ipsi auctores erant schismatum et sectarum, ipsi erant pestiferi. Ita communiter homines qui livore, invidia, similive passione acti alios accusant, vel judicant de certis vitiis, vel defectibus, ipsi illis ipsis magis, quam is quem accusant, vel judicant, obnoxii sunt, uti solerter annotavit Cassian. l. 5. de Instit. renunt. c. 30. Ubi rursum Nota modestiam Pauli, qui has calumnias vere potuisset regerere in accusatores, ac proferre in judicio injuriosa verba et verbera, quæ ab eis sustinuerat; sed noluit, omniaque alto silentio pressit.

9. ADJECERUNT AUTEM ET JUDÆI DICENTES, HÆC ITA SE HABERE.] Notat Chrys. perverti ordinem judicii, dum Judæi qui erant Pauli accusatores, se faciunt criminis testes, sataguntque sua auctoritate et multitudine opprimere eum.

Moral. vide hic, quam in periculoso statu sint præsides et judices, qui ab impiis potentibus et Prælatis, quasi armata manu adiguntur ad iniquas sententias, nisi leoninum habeant animum, quo eis fortissime resistant: tot enim arietibus pulsantur, quod sunt potentes et tyranni. Sapienter Eccl. c. 7. 6. *Noli*, ait, *quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in æquitate tua.*

10. RESPONDIT AUTEM PAULUS.] Solet reis, utpote pavidis, anxiis, turbatis, consternatis dari advocatus, adeo ut Jure civili, si reus neminem habeat, ei dare debeat prætor. Verum Paulus Deo suæque causæ præfidens, ipsa sibi advocatus est, nimirum veritas et innocentia nec potentiam, nec eloquentiam timet. Justus enim ut leo confidit; leo autem æque ac lupus non timet multitudinem ovium, sed quærit et ambit. Justus enim sceptrum Dei gestat in capite. Ipse enim dixit: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Vere et Nazianz. in Sententiis: *Deo dante*, ait, *nihil potest livor; eodem abnuente nihil potest labor.*

ET MULTIS ANNIS TE ESSE JUDICEM.] Græci codices et Chrysost. addunt δίκαιον, id est *justum;* quod est epithetum proprium judicis, significans, Felicem non esse talem, sed talem esse debere, si legitimus judex esse velit. q. d. Moneo te, ô Felix judex, tacite hoc epitheto tui officii, scilicet ut cum sis judex, justitiæ rationem habeas, non favoris, non turbæ pontificum, qui injuste contra me conspirant. Nota. Felix multis annis à Claudio Imper. præfectus fuerat Trachonitidi, Batanææ et Gaulanitidi, quæ sunt vicinæ Judææ, sed ipsi Judææ à biennio tantum ab eodem Claudio paulo ante mortem datus fuerat præses. Ita Josephus lib. 2. Belli c. 11. Allegat hoc Paulus ad suam innocentiam. q. d. Cum tot annis huic genti præfueris, nec unquam à Judæis de me querelam ullam audieris, facile colliges me nulli unquam nocuisse.

BONO ANIMO.] Legit interpres cum nonnullis Græcis εὐθυμῶς: jam multi legunt per comparativum εὐθυμότερον, id est, *æquiore, tranquilliore, securiore, hilariore animo.* q. d. Impavide, intrepide, libere, secure et alacriter pro me respondebo: εὐθυμία enim est lætitia, jucunditas, recta animi constitutio, securitas, delectatio, alacritas, hilaritas, et, ut Cicero l. 5. de Finibus vertit, animi tranquillitas, in qua asserit Democritum posuisse summum bonum; illud enim vocasse εὐθυμίαν, id est *animum terrore liberum.*

PRO ME SATISFACIAM,] τὰ περὶ ἐμαυτοῦ ἀπολογοῦμαι, id est, *de his quæ me spectant respondeo; pro me apologiam instituo, accusatus me defendo, causam meam ago.*

11. QUIA NON PLUS SUNT MIHI DIES, QUAM DUODECIM.] Sigillatim hosce dies, eorumque acta circa Paulum, recensui c. 21. 27. Sensus est, q. d. Tam paucis diebus non potui ego advena et ignotus, tot seditiones et tumultus, tot scelera constare, quot et quanta Judæi mihi objiciunt.

EX QUO ASCENDI ADORARE IN JERUSALEM.] Adoratio generalis est, et complectitur varios actus et species, inter quas una est sacrificium: hoc enim est adoratio non tam verbalis, quam realis. Est enim protestatio Divinitatis summique Numinis, quod vitæ et necis omnium habet potestatem; cui proinde victimas immolamus, occidimus, incendimus, sacrificamus. Paulus enim ascendebat in templum sacrificaturus.

12. AUT CONCURSUM FACIENTEM TURBÆ.] Non congregantem turbas, scilicet ad seditionem, ut vertit Pagninus.

13. NEQUE PROBARE POSSUNT,] παραστῆσαι, id est, *exhibere, ostendere, convincere.* Unde quidam Græci codices addunt μέ. q. d. Non possunt me tibi sistere, repræsentare et demonstrare talem, qualem pingunt et fingunt, scilicet seditiosum, factiosum, sacrilegum.

14. SECUNDUM SECTAM,] ὁδὸν, id est, *viam*, hoc est, institutum normamque vivendi, puta secundum christianismum, quam ipsi vocant hæresim, id est, sectam et factionem, sed parum æque, et perperam.

15. SIC DESERVIO (λατρεύω, id est, *latria colo et adoro*) PATRI ET DEO.] *Patri*, tanquam filius; *Deo*, tanquam creatura et servus latria deservio. Græce τῷ πατρῴῳ θεῷ, id est, *patrio Deo*, quem scilicet patres nostri, puta mei et Judæorum, coluerunt. Ita Syrus, Œcum. Tigurin. et alii, quo ostendit Paulus se non esse hostem legis, nec apostatam Synagogæ, uti objiciebant Judæi: sed fidei et religioni patrum et avorum insistere. Rursum patrius Deus erat custos patriæ, proprius ac peculiaris Judæis, quales à Gentibus vocabantur penates, indigetes, lares.

SPEM HABENS IN DEUM (supple cum Tigurina, *fore*) QUAM ET HI IPSI EXPECTANT, RESURRECTIONEM MORTUORUM.] Si enim addas τὸ *fore*, plana est sententia; quæ implicata est, si per *spem* metonymice accipias rem speratam, puta resurrectionem: nec enim hanc habemus apud Deum, sed à Deo faciendam speramus et expectamus.

16. IN HOC.] Hugo, *credens in hoc;* Syrus, *propter hoc;* planius Tigur. *quin et in hoc.* q. d. Adeo

non discedo à patrio Deo, lege, religione, fide et spe, præsertim resurrectionis, et ut in hoc patrii Dei cultu, religione et instituto, studeam puram habere conscientiam ad Deum et ad homines.

Studeo,] ἀσκῶ, id est, *me exerceo, laboro, satago.* q. d. Totus sum in hac re. Sic olim *Asceta* vocabantur Religiosi, qui toti vocabant sibi et Deo, qui toti erant in domandis animi motibus, toti in exercitatione virtutum. q. d. Totus sum in eo, ut inculpate Deo serviam, ut judicio divino et humano nihil in me reprehendi possit; vel, ut ne homines, nec Deum ulla in re offendam. Hæc nimirum est vera sapientia, vera prudentia, verum officium Apostoli, et cujusque fidelis. *Deum time, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo,* ait Sapiens Eccli. 12. 13.

Præclare S. Greg. Naz. in Sententiis : *Optimus,* ait, *esse contende. Cave unquam in via virtutis subsistas. Tibi enim qui à vitiosa vita excessisti, perinde esse puto consistere, ac si in imum vitii gurgitem labereris. Age vero deserto universo hoc mundo, mundique sarcinis excussis, ad vitam cœlestem vela pande : præsertim tibi Trinitas curæ sit.* Idem epist. 57. vel 63. Eudoxium exhortans, ut Rhetorica abdicata det se studio sapientiæ virtutis et perfectionis Christianæ: *Ne sustineas,* ait, *inter graculos excellere, cum aquila esse possis. Migremus hinc, efficiamur viri, somnia projiciamus. Alios occupatos teneant, jactent, ludificentur, invidia, et tempus et fortuna. Valeant throni, opes, splendores, vilis hæc et despicabilis gloriola, ac denique magna hujus scenæ ludicra nugæque theatricæ. Nos verbum arctissime complectamur, ac pro omnibus rebus Deum habere optemus, solum inquam perenne illud bonum suum et nostrum : quia virtutis præmium est, Deum fieri. Ad hæc contende volita. Nusquam spes tuas siste, quoadusque ad illud summe expetendum et beatum bonum perveneris.*

Sine offendiculo,] id est, inoffensam; Syrus, *puram.*

Moral. disce hic à Paulo, quanta cuique esse debeat cura integræ et puræ conscientiæ, de qua vide dicta 1. Timoth. 1. 5. et 2. Timoth. 1. 3. Quin et hæc communis Philosophorum fuit vox. Bias enim interrogatus, *quænam res in vita metu careret?* respondit, *Bona conscientia.* Ita Maximus serm. 24. Socrates interrogatus, *Quinam tranquille viverent? Illi,* ait, *qui nullius absurditatis sibi conscii sunt.* Ita Antonius in Melissa part. 2. serm. 77. Periander percontatus, *quid in minimo esset maximum? Bona mens,* ait, *in corpore humano.*

Agis rex ultimus Lacedæmonum, ab Ephoris damnatus, ductus ad supplicium, videns quemdam suam sortem deflentem : *Noli,* ait, *flere propter me, quia præter jus et æquum ad dirum hoc supplicium ducor, meliorque sum iis qui ad mortem me damnarunt.* Ita Plutarch. in Lacon.

Chilon grandævus asserebat se sibi nullius facti conscium esse, cujus pœniteret, uno excepto, quod cum esset delectus arbiter, ut inter duos amicos litem dirimeret, nec quidquam vellet adversus leges facere, persuaserit alteri amico, ut ad alios deferret arbitrium, hoc facto et legem servavit, et amicum. Dicebat enim, se patronum legis facere debuisse, eoque offendere amicum. Ita Laert. in ejus vita.

Julii Drusi domus patebat vicinorum prospectibus. Suggessit faber, se eam sublaturum quinque talentis. Cui Drusus : Decem dabo si talem reddas domum meam, ut undequaque pateat omnium oculis, ut omnes videant quomodo domi meæ vivatur. Plura congerit Stobæus serm. 22.

Audi ex multis pauca. Periander rogatus, *quid esset libertas?* dixit : *Recta conscientia.* Isocrates dicebat : *Omnino sperandum non esse, si quid turpe feceris, te latiturum. Quamvis enim lateas alios, tute tamen tibi male conscius eris.* Pythagoras *neminem tam audacem esse dicebat, quem mala conscientia non faceret timidissimum :* hæc enim ad ventum quemlibet expavescit, uti pulchre in Ægyptiis describit Sapiens c. 17. 4. et sequent. Idem dicere solebat : *Virum impium plus mali pati afflictum conscientia, quam eum qui corpore castigatur.* Multo enim graviores sunt animi ægri, quam corporis morbi, juxta illud Poetæ :

> Evasisse putes, quos diri conscia facti
> Mens habet attonitos, et diro verbere cædit,
> Occultum quatiente animo tortore flagellum?

Quocirca Chilon asserebat, *damnum turpi lucro semper præferendum esse. Illud enim semel dolere, hoc semper.* Ita Laert. l. 1. c. 4. *Conscientia enim rectæ voluntatis, maxima rerum incommodarum est consolatio,* ait Cicero ad Torquat.

Ad Deum, et ad homines.] Ut nec homines, nec Deus cardiognostes eam culpare possit: Deus enim intima mentis et conscientiæ acutissimis et lucidissimis divinitatis oculis inspicit et perspicit. Nam, ut ait Clemens Alexand. lib. 7. Strom. post initium : *Sicut sol non modo cœlum et orbem universum illuminat, terram et mare collustrans, sed per fenestras quoque et exiguum foramen, in abditissimos ædium recessus splendorem emittit; sic Verbum quoquoversus diffusum vel minimas vitæ actiones respicit.* Quocirca S. Leo. serm. 5. de Quadragesima suos monet, *ut non sibi blandiantur, Quia nobis,* ait, *conscientiæ singulorum patere non possunt; cum oculos Dei simul universa cernentis, non abditorum, non parietum septa concludant : nec solum ei acta et cogitata, verum et agenda, et cogitanda sint cognita. Ista ergo scientia summi judicis, iste et tremendus aspectus, cui pervium est omne solidum, et apertum omne secretum; cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, et sine voce mens loquitur.* Et S. Bernardus de Modo bene vivendi ad sororem. *Ibi pecca, ubi Deus non est,* non videt. Si autem Deum credis te tuaque ubique videre, quomodo in oculis tantæ majestatis, et judicis ac vindicis peccare audes? Sane si serio Dei præsentiam et initium cogitaremus, impossibile foret coram eo peccare, eum ad iram provocare, eum ad vindictam lacessere. Studeamus cum Paulo inoffensam habere conscientiam ad Deum, et ad homines semper. Dicamus cum S. Francisco Xaverio : *ubicumque fuero, meminero me in orbis terræ theatro, in cœlestis regis ac superum oculis versari.*

Semper.] Syrus, *perseveranter.*

17. Post annos autem plures.] Puta 24. à conversione Pauli; ipse enim conversus est anno Christi 36. hoc vero gessit et dixit anno Christi 58. Vide Chronotaxin quam Actis præposui.

Eleemosynas facturus.] Puta quas in Asia à fidelibus collegeram pro Christianis pauperibus, qui erant Hierosolymæ, eas ipsis perlaturus.

Vide 2. Cor. c. 8. et 9. Elidit suspicionem seditionis. q. d. Adeo non sum seditiosus, ut beneficentiæ et eleemosynæ causa, faciendæ genti meæ, tantum iter Hierosolymam susceperim.

OBLATIONES ET VOTA.] Hinc videtur, quod Paulus prius nuncuparit vota et oblationes quasdam Hierosolymæ in templo offerendas, antequam moneretur à Jacobo c. 21. 20. sed monitum à Jacobo ea accelerasse. Fecit id ad invidiam Judæorum vitandam, eorumque gratiam captandam, ostendendo se templi et legis esse cultorem, non hostem.

18. INVENERUNT ME PURIFICATUM IN TEMPLO.] q. d. Ergo non violavi templum, ut ipsi objiciunt, sed honoravi : quia purificatus sum in eo. Singula verba Pauli habent nervum et pondus', quo objecta crimina infringit.

19. QUIDAM AUTEM EX ASIA JUDÆI. Syrus et Vatabl. *Quidam autem ex Asia Judæi eum tumultum concitarant, non ego, quos oportuit sistere mecum coram te.* q. d. Accusatores mei concitarunt tumultum, non ego : illos ergo hic sistere oporteret, judicare et punire, non me, qui seditionem et injuriam passus sum, ab eisque plagas pene lethiferas excepi.

20. CUM STEM IN CONCILIO] quasi reus accusatus à Judæis : quare ipsorum est dicere, quam iniquitatem in me invenerint, eamque probare et me convincere. Syrus vertit, *cum starem*, scilicet in concilio Hierosolymitano reus coram eis c. 23. v. 1. et ita legit Dionys. Cajet. et nonnulli alii. Græcum στάντος cum sit in aoristo utroque modo verti potest. Posteriori lectioni valde congrue respondet id quod subdit Paulus, se clamasse in concilio : *Quoniam de resurrectione ego judicor.*

21. NISI DE UNA HAC VOCE.] Est tacita ironia et sarcasmus. q. d. Nullam seditionem concitavi, nisi ita censere et nuncupare velint vocem meam, qua clamavi inter eos stans : *Quoniam de resurrectione mortuorum ego judicor hodie à vobis.* Ob illam enim vocem Pharisæi fecerunt schisma à Sadducæis, ac contra eos Paulum tutati sunt. Verum hujus schismatis vos ipsi fuistis causa, non ego; qui meam causam egi ac veritatem dixi, meamque de resurrectione Christi et Christianorum fidem palam professus sum. Quid in hac mea apologia peccavi ? quod in hac fidei meæ professione crimen admisi? egi enim rem necessariam, laudabilem, veram, religiosam et piam. Unde nonnulli Græcum ἢ, id est, *nisi, quam* vertentes *aut,* sic transferunt? Aut ipsi dicant, si quid invenerint in me iniquitatis aut de una hac voce, qua clamavi inter eos stans, q. d. Si nihil aliud habent, vel hoc objiciant crimen, quod clamarim me ob fidem et professionem resurrectionis judicari. Verum hoc non est crimen, sed virtus et laus mea. Addit Glossa, voluisse Paulum rursum Judæos inter se commissos à se avertere; refricando enim nomen resurrectionis, tacite renovabat dissensionem inter Pharisæos et Sadducæos, quam paulo ante excitarat Hierosolymi. Pharisæi enim avide nomen et fidem resurrectionis excipiebant, eamque contra Sadducæos palam propugnabat. Denique resurrectionis meminit, ut præses Gentilis sciat, Paulum à Judæis non seditionis accusari, sed novæ religionis, puta resurrectionis, quam Gentiles si non credebant, certe non damnabant, imo reverebantur, metuebant et suspiciebant. Hæc enim fides signum est, causa et stimulus pietatis, vitæque timoratæ, innocentis et sanctæ. Unde subdit Lucas :

22. DISTULIT AUTEM ILLOS FELIX, CERTISSIME SCIENS DE VIA HAC,] ἀκριβέστερον, id est, *certius sciens;* sed comparativus ponitur apud Græcos et Latinos eleganter pro superlativo. Hinc illud Poetæ :

Vespere qui luces cœlo jucundior ignis,

id est, jucundissima stella. Platonici enim censebant stellas esse ignitas, adeoque esse ignes et faces cœlestes. Et illud Apostoli : *Major autem horum est charitas. Major,* id est, maxima inter fidem et spem, 1. Cor. 13. 13.

Porro per *viam* aliqui accipiunt judaismum et jus Judaicum. q. d. Felix, utpote diu versatus inter Judæos, sciebat quænam esset religio Judaica, quantumque distaret à Christiana quam prædicabat Paulus. Melius alii per *viam* accipiunt institutum et religionem Christi et Pauli. q. d. Felix tum ex litteris Lysiæ, tum ex audita Pauli tam sapienti, modesta et innocenti apologia, certo cognovit ejus doctrinam, religionem et vitam non esse seditiosam, uti accusabant Judæi, sed eos ex odio contra eum inique conspirasse, uti Pilatus agnovit Christi innocentiam, ac contra eam injuste conspirasse Scribas et Pontifices. Ita S. Chrys. Lyran. Hugo, Dionys. et alii. Nota hic insigne testimonium innocentiæ et virtutis Pauli. Quare debuisset eum absolvere, illicoque dimittere Felix, sed instar Pilati, ne pontifices offenderet, et ut pecuniam à Paulo emungeret, eum in custodia inique detinuit. Ita Chrys.

23. ET HABERE REQUIEM,] ἄνεσιν, id est, *relaxationem,* laxius haberi, mitius tractari, dari ei plus libertatis et recreationis.

24. CUM DRUSILLA UXORE.] Drusilla erat filia Herodis Agrippæ senioris, qui S. Jacobum occidit, et S. Petrum incarceraverit c. 12. v. 1. ac consequenter erat ipsa soror Agrippæ junioris, de quo c. seq. Cornelius Tacitus l. 5. Histor. scribit, Drusillam fuisse neptem Antonii et Cleopatræ, *ut ejusdem Antonii Felix progener, Claudius nepos esset.* Unde videtur, quod Cypris uxor Agrippæ, et mater Drusillæ, fuerit filia M. Antonii et Cleopatræ, ait Mariana in c. 25. Actor. Hinc et videtur vocata *Drusilla,* à Livia Drusilla uxore Augusti, ejusque filio Druso, fratre Tiberii Imp. Drusus enim ex Antonia sorore M. Antonii genuit Claudium, qui Caio Caligulæ in imperio successit. Agrippa enim rex, pater Drusillæ, evectus fuit ad regnum à Caio Caligula et Claudio Imper. Unde in Claudii gratiam, filiam *Drusillam* nominavit : Drusus enim cognomen fuit familiæ Claudiæ. Unde et Livia uxor Augusti Cæsaris, mater Drusi, et avia Claudii, cognominata fuit Drusilla, quam Caius Cæsar quasi deam consecravit habitu Veneris : sicuti eadem nomine Lunæ consecrata fuerat dea habitu Junonis. Unde ipsa vocata fuit Venus cœlestis, cognomento Panthea. Ita Dio lib. 59. et ex eo Lipsius in lib. 5. Annalium Taciti sub initium. Porro Drusilla hæc, teste Josepho lib. 20. Antiq. cap. 5. tres habuit sponsos. Primo enim desponsa fuit Epiphani, Antiochi regis filio : sed hic eam recusavit, quia noluit subire circumcisionem, quæ conditio in nuptiis ipsius, utpote Judææ, petebatur. Secundus fuit Azizus rex Emesæ, qui subiit circumcisionis conditionem, itaque cum ea matrimonium iniit. Tertius fuit Felix, qui eam ab

Azizo marito ad se pellexit. Hinc Drusilla vocata est *trium regum uxor*, et *ter regina*, ideoque forte à Suetonio in Claudio c. 28. Felix dicitur *trium reginarum maritus*. Denique Drusilla profligati pudoris et fidei femina, à marito rege ad adulterum præsidem, non solum abdicata conjugali fide, sed et patria religione spreta, transiit, ac cum Felice Gentili facta est Gentilis.

Audivit.] Incitante forte Drusilla uxore, quæ cum esset Judæa, ex curiositate volebat audire, quænam esset nova secta, quæ à Judæo Paulo prædicabatur, ac quid differret christianismus à judaismo. Unde curiosi hi auditores nullum ex ardenti Pauli concione fructum retulerunt, nisi majoris damnationis, ob majorem post agnitam veritatem in errore et vitio culpam et pertinaciam.

Fidem quæ est in Christum Jesum] quæ est de Christo Jesu, puta fidem Christi, sive Christianam.

25. Disputante autem illo de justitia et castitate.] Syrus, *de justitia et sanctimonia*, castitas enim est sanctitas, id est, puritas animæ et corporis, uti ostendi 1. Corinth. 7. v. 34. Studio Paulus appositum hoc Felici thema dicendi accepit : sciebat enim eum esse adulterum et injustum, ut eum ad castitatem et justitiam revocaret. Adulterum, quia Drusillam ob eximiam pulchritudinem, opera Simonis cujusdam Magi ad se pellexerat, ut relicto priore matrimonio Azizi regis Emesenorum, ad suas nupsias transiret : unde ex ea suscepit filium, quem à patre Drusillæ Agrippam nominavit. Addit Tacitus, eum per omnem libidinem grassatum esse, cujus verba mox recitabo. Nec mirum : si enim regium thalamum invadere ausus est, et à rege reginam ad se traducere, quid non tentarit in plebeios et subditos? Merito ergo coram adulteris, Felice et Drusilla, Paulus disputavit de castitate; Paulus, inquam, antistes virginitatis, qui, ut ait S. Augustinus, homines angelos, imo deos efficere satagebat.

Moral. docet hic Paulus, judices et præsides debere esse continentes, tam à venere, quam ab avaritia, ne ob lucrum justitiam, ob cupidinem castitatem et conjugia evertant. Unde prisci Romani mire ab utraque se continuerunt, eaque ratione propagarunt imperium, tamque amplum et tantum, quantum in historiis legimus, consecuti sunt, uti multis exemplis docet Valer. Max. lib. 4. c. 3.

Injustum, quia ut ait Tacitus lib. 12. Annal. factus præses Judææ *insolescebat, cunctamaleficia sibi impune ratus, tanta potentia subnixo.* Et mox : *Felix intempestivis remediis delicta accendebat.* Idem lib. 5. Histor. *Felix*, inquit, *per omnem sævitiam et libidinem, jus regium servili ingenio exercuit.* Fuerat enim ipse servus, æque ac frater ejus Pallas, à quo per Claudium Imp. libertate donato et evecto, Felix pariter Judææ præfecturam obtinuerat. Hic verum est illud Proverb. c. 30. v. 21. *Per tria movetur terra, et quartum non potest sustinere : per servum, cum regnaverit; per stultum, cum saturatus fuerit; per odiosam mulierem, cum in matrimonio fuerit assumpta; et per ancillam, cum fuerit heres dominæ suæ.* Quocirca Felicem, ut melius res Judaicas administraret, sæpe admonuit summus pontifex Jonathas, qui proinde monita et monitorem non ferens, eum curavit interfici per sicarios; qui deinde ejus conniventia in multos alios grassati plura homicidia, imo latrocinia perpetrarunt, teste Josepho l. 20. Antiquit. c. 6. *Invitati*, ait, *hac licentia sicarii, per singula festa ventitantes, et tela celantes, pari modo immixti turbis, alios confodiebant propter privatas inimicitias, alios conducti pecunia, idque non modo in reliquis urbis partibus, sed in ipso templo etiam. Unde fas est credere, Deum tanta impietate offensum, adversatum esse Hierosolymam, temploque utpote non amplius puro domicilio, Romanos induxisse, purificaturos id lustralibus flammis.* Subdit deinde Josephus tumultum Cæsareæ inter Judæos et Syros exortum, in quo Felix multos Judæorum immissis militibus occidit. Atque hæc semina fuerunt rebellionis, quæ paulo post in apertum bellum eruperunt, quo à Tito vastata et eversa est Hierosolyma. Pergit Josephus c. 7. *Cæterum*, inquit, *postquam Felici successor Portius Festus à Nerone missus est, primores Judæorum Cæsaream incolentium Romam profecti sunt Felicem accusaturi; delisseteque omnino pœnas injurarium quibus Judæos affecerat, nisi Nero eum donasset Pallantis fratris precibus, qui tum in pretio erat apud principem.* Vide eumdem lib. 2. Belli cap. 12. ubi graphice describit, quanta tum fuerit sicariorum et latronum copia, audacia et terror.

Merito ergo Paulus coram injusto præside de justitia disseruit. Ubi rursum Nota libertatem et magnanimitatem Pauli. Felicem enim tyrannum libere tyrannidis arguit, sciens ea de causa ab ipso recenter occisum Jonathan pontificem, ac proinde simili se neci pro Deo et justitia offerens. Eumdem cum Drusilla arguit adulterii, memor et conscius Joannem Baptistam accusantem adulterium Herodis (qui erat propatruus Drusillæ : erat enim patruus Herodis Agrippæ, patris Drusillæ (cum Herodiade, præmium suæ accusationis tulisse mortem et martyrium : nimirum hoc quærebat, hoc ambiebat Paulus.

Vere S. Chrysost. homil. 2. de laudibus S. Pauli : *Paulus*, ait, *tyrannos ac populos spirantes furorem, velut esse quosdam culices existimabat. Mortem vero, et cruciatus, et mille supplicia, quasi ludum putabat esse puerorum, dummodo propter Christum aliquid sustineret. Et enim coarctatus carcere habitabat cœlum, ac libentius verbera excipiebat et vulnera, quam alii bravia diripiunt.* Et inferius : *Siquidem Paulus in terra gradiens, sic se agebat in cunctis, quasi angelorum societate frueretur. Nam passibili adhuc colligatus corpori illorum perfectione gaudebat tantisque, fragilitatibus subditus, in nullo inferior supernis virtutibus apparere certabat.* Rursum : *Magnanimi est in amore et odio apertum esse*, ait Elias Cretensis in orat. 10. Gregorii Nazianzeni. Id hic cernimus in Paulo.

Et de judicio futuro.] Hunc stimulum, qui acerrimus est, impuro et injusto præsidi adhibet Paulus, ut ad pœnitentiam eum adigat, et ad justitiam, castitatem, fidem, vitamque Christianam traducat : aut saltem, ut frenum ejus cupidini injiciat, ne tam gravia, ac solebat, committeret, neve in gratiam Judæorum, contra justitiam se innocentem condemnaret, memor judicem suum fore Deum et Christum, qui justitias judicabit, Psal. 74. 3.

Discant Concionatores et Confessarii, hoc divini judicii stimulo pungere et frangere dura impiorum corda. Ita eodem illa pungit et ferit Moses Deuter. c. 1. 17. David Psal. 74. v. 3. Salomon. Eccles. 5. 7. Ecclesiasticus c. 7. 40. Machabæi l. 2. c. 7. S. Paulus crebro, ut 1. Corinth.

c. 3. v. 13. *Uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur.* Et c. 4. v. 1. *Qui autem judicat me, Dominus est.* Et ep. c. 2. 5. v. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum. Scientes ergo timorem Domini suademus hominibus.* Paulum secutus S. Cyprianus l. 4. epistola 9. ad Florentium : *Hæc,* ait, *pro animi mei pura conscientia, et Domini et Dei mei fiducia rescripsi. Habes tu litteras meas, et ego tuas : in die judicii ante tribunal Christi utræque recitabuntur.* Sic et noster Edmundus Campianus, Angliæ athleta et Martyr, in libro Decem rationum ratione 20. *Veniet,* inquit, *Elizabetha, dies ille, ille dies, qui tibi liquido commonstrabit, uti te dilexerint, Societas Jesu, an Lutheri progenies.* Audivi in Belgio concionatorem insignem, qui in singulis concionibus pathos vehemens ciebat intentatione et exaggeratione judicii divini, magno audientium motu et fructu.

TREMEFACTUS FELIX.] Vox enim Pauli eum, utpote adulterum et tyrannum, percellebat instar tonitrui. Talis enim est vox virginum Apocal. 14. 2. Paulus autem fuit virgo, ut patet 1. Corinth. 7. 7. Hinc et talis fuit vox S. Jacobi, et S. Johannis intonantis : *In principio erat Verbum :* uterque enim fuit virgo. Unde et à Christo cognominati sunt *Boanerges,* id est, filii tonitrui, Marci c. 3. v. 17. Vere S. Hieron. epist. 61. ad Pamachium. *Ubi,* inquit, *electionis vas, tuba Evangelii, rugitus leonis nostri, tonitru Gentium.* Et S. Aug. serm. 31. de verbis Apostoli : *audivimus,* ait, *de nube magna tonitrua : nubes enim Dei verba ista sonuerunt, et tremere nos fecerunt.* Si impium præsidem perculit Paulus, dum coram eo staret subditus, reus et vinctus; quomodo percellet eumdem, quando cum Christo et Apostolis sedebit super thronos duodecim, judicans Felicem, adeoque omnes Tribus Israelis et totius orbis ? juxta illud Sapient. c. 5. 1. *Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili,* etc. Quocirca in Paulo verum est illud ænigma, et elogium antistrophum :

Imbellis ecce bellat, innocens nocet :
Inermis arma superat, immotus movet :
In pace pugnax, pacis in pugna tenax :
Clemens in ira, horrendus in clementia :
Rigide severus, et severus comiter :
Judicatus judicat, et judicem percellit :
Vinctus vincit, vinciendo vincientem :
Reus fit judex, judicemque facit reum :
Supplex imperat, imperans supplicat :
Terror timet, timor terret.
O miram virtutis vim ! ô virum, ô angelum,
O novum novi Pharaonis Deum !

QUOD NUNC ATTINET.] Perperam Dionysius legit, *quid nunc attinet,* scilicet de istis loqui, et ita detonare ? Græce enim est, τὸ νῦν ἔχον, quod Pagnin. et Tigurina vertunt, *in præsentia,* ubi scilicet ad liberam custodiam, inquit Glossa; ita ut libertatem daret eundi per civitatem, ait Lyran. Sequitur enim per antithesin : *Tempore autem opportuno accersam te,* ut tuam causam plenius audiam examinem et judicem.

26. SPERANS QUOD PECUNIA EI DARETUR A PAULO.] Græca addunt, τὸ νῦν ἔχον, id est, *ut solveret eum,* quasi Paulus se lytro redempturus esset, ac pecunia empturus liberationem et libertatem. Audierat enim Felix à Paulo, ipsum pecuniam attulisse Hierosolymam ad faciendas eleemosynas. v. 17. ac sciebat fideles et discipulos pro eo redimendo sua impensuros. Vide hic sordidam Felicis avaritiam. Rectus Præses facit illud Taciti l. 13. Annal. *Nihil in penatibus suis venale aut ambitioni pervium.* Præclare S. Nazianzenus in Sententiis : *Avarus,* inquit, *quidam dixit ; Fortunæ guttam malo, quam mentis* (sapientiæ) *dolium. Huic sapiens reposuit : Mentis guttam pluris facio, quam fortunæ dolium.* Verum generosus animo Paulus Deo fisus, pro eoque patiendi avidus, sordidam hanc nundinationem abominatus est, maluitque in carcere manere et mitti ad Neronem. Quid mirum ? Socrates apud Platonem in Critone docet, non decere ut vinctus vinculis injustis, dato pretio sese eximat, decere potius ut pœnam mortemque innocenter et fortiter subeat. Nimis rigide Tertullianus lib. de Fuga c. 12. hoc Pauli exemplo concludere conatur, illicitam esse omnem in persecutione fugam et redemptionem. Sancte enim faciunt Catholici, qui suos sacerdotes ab hæreticis vel infidelibus captos pretio redimunt, æque ac illi qui redimi se sinunt. Sanctius tamen et generosius faciunt, qui Paulum imitantes redimi nolunt, tum ut plura pro Christo patiantur, tum ne Catholicos sumptu gravent, tum ne infidelibus Catholicos expilandi, et sacerdotes capiendi dent ansam, eis omnem lucri spem præcludendo, quod nonnullos è Societate nostra mihi familiares, in Hollandia captos factitasse scio, magna sacerdotalis constantiæ fama et gloria.

27. BIENNIO AUTEM EXPLETO.] Scilicet à captivitate et incarceratione Pauli, quam hucusque enerravit Lucas, inquit OEcum. Beda, Lyran. Glossa Sanchez, Cajetan. et Dionysius hic, ac Onuphrius in Chronico : censent enim Paulum per biennium à Felice Cæsareæ in vinculis detentum fuisse. Verum hoc difficile est creditu. Sic enim quadriennium integrum egisset Paulus in carcere, nimirum biennium Cæsareæ, et biennium Romæ. Quare alii passim censent, Paulum anno 2. Neronis, quo et captus est, ex Judæa vinctum missum esse Romam ad Neronem. Quocirca Baronius, Lorinus et Scaliger biennium hoc inchoant à Neronis imperio. Nam olim à Cumani temporibus, Felix à Claudio Imp. in eam provinciam missus fuerat præses. Verum hoc generalius videtur, nec satis ad propositum. Quare magis pertinenter et apposite dicemus, biennium hoc inchoandum à præfectura Felicis in Judæa : nam ante illud præfuerat Trachonitidi, Batanææ et Gaulanitidi : Claudius enim sub finem imperii et vitæ, Felicem præfecit Judææ, ut dixi vers. 10.

Porro Onuphrius in Chronico, censet Felicem à Claudio missum esse Præsidem in Judæam anno Christi 52. Paulum vero Hierosolymæ captum esse anno Christi 55. qui fuit Claudii 14. et ultimus, ac biennio captivum apud Felicem mansisse. Ita ut anno Christi 58. à Festo, qui Felici successit, missus sit Romam. Quæ sententia non est incongrua, nec improbabilis. Ex qua colligas Paulum integro quadriennio fuisse in carcere : nam post hoc biennium missus Romam, ibidem alterum biennium egit in carcere c. 28. 30. Mirum sane videtur, Deum permisisse Paulum tanto tempore claudi, et ab apostolatu impediri. Sed per passiones honoratur Deus magis, quam per actiones, præsertim quia

Paulus in carcere magis et ardentius, quam liber prædicabat Christum tam litteris, quam verbis et exhortationibus, ut patebit in fine c. 28. Sed hic computus dissentit à chronologia et coordinatione annorum Pauli, quam consignat Baron. et alii, egoque in Chronotaxi secutus sum. Quare prius quod dixi verius est.

VOLENS AUTEM GRATIAM PRÆSTARE,] χάριτας καταθέσθαι, id est *gratam rem facere*, vel *gratiam inire*. Ita Vatabl. ne scilicet à Judæis, quos vexaverat, accusaretur apud Neronem. Sed impius gratiam hominum quam quærebat, non acquisivit : nam à Judæis accusatus, vinctus missus est ad Neronem à Festo successore, ut dixi v. 25. Porro hic in Paulo vera est illa aurea Nazianzeni in Sententiis gnome : *Dies ad diem te transmittit, levissimeque volvitur : constantis autem hominis sententia sempiternum diem habet.* Et illa ibidem : *Ut incus maxima ictus non pertimescit, sic mens sapiens omne detrimentum extrudit.*

CAPUT VIGESIMUMQUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

JUDÆIS POSCENTIBUS FESTUS ROGAT PAULUM NUM CAUSAM DICERE VELIT HIEROSOLYMIS. ILLE NEGAT ET ROMAM AD CÆSAREM APPELLAT. FESTUS PRIUSQUAM AD CÆSAREM PAULUM MITTAT, ROGAT AGRIPPAM REGEM UT EUM AUDIAT, ET QUID DE EO FACIENDUM SIT SUGGERAT.

1. FESTUS ergo cum venisset in provinciam, post triduum ascendit Hierosolymam à Cæsarea. 2. Adieruntque eum principes sacerdotum, et primi Judæorum, adversus Paulum : et rogabant eum. 3. Postulantes gratiam adversus eum, ut juberet perduci eum in Jerusalem ; insidias tendentes ut interficerent eum in via. 4. Festus autem respondit, servari Paulum in Cæsarea : se autem maturius profecturum. 5. Qui ergo in vobis (ait) potentes sunt, descendentes simul, si quod est in viro crimen, accusent eum. 6. Demoratus autem inter eos dies non amplius quam octo aut decem, decendit Cæsaream, et altera die sedit pro tribunali, et jussit Paulum adduci. 7. Qui cum perductus esset, circumsteterunt eum, qui ab Hierosolyma descenderant Judæi, multas et graves causas objicientes, quas non poterant probare. 8. Paulo rationem reddente : Quoniam neque in legem Judæorum, neque in templum, neque in Cæsarem quidquam peccavi. 9. Festus autem volens gratiam præstare Judæis ; respondens Paulo, dixit : Vis Hierosolymam ascendere, et ibi de his judicari apud me ? 10. Dixit autem Paulus : Ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet judicari. Judæis non nocui, sicut tu melius nosti. 11. Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori : si vero nihil est eorum, quæ hi accusant me, nemo potest me illis donare. Cæsarem appello. 12. Tunc Festus cum Concilio locutus, respondit : Cæsarem appellasti : ad Cæsarem ibis. 13. Et cum dies aliquot transacti essent, Agrippa rex et Bernice descenderunt Cæsaream ad salutandum Festum. 14. Et cum dies plures ibi demorarentur, Festus regi indicavit de Paulo, dicens : Vir quidam est derelictus à Felice vinctus, 15. de quo, cum essem Hierosolymis, adierunt me principes sacerdotum, et seniores Judæorum, postulantes adversus illum damnationem. 16. Ad quos respondi : Quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, prius quam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. 17. Cum ergo huc convenissent, sine ulla dilatione, sequenti die sedens pro tribunali, jussi adduci virum. 18. De quo, cum stetissent accusatores, nullam causam deferebant, de quibus ego suspicabar malum : 19. quæstiones vero quasdam de sua superstitione habebant adversus eum, et de quodam Jesu defuncto, quem affirmabat Paulus vivere. 20. Hæsitans autem ego de hujusmodi quæstione dicebam, si vellet ire Hierosolymam, et ibi judicari de istis. 21. Paulo autem appellante ut servaretur ad Augusti cognitionem, jussi servari eum, donec mittam eum ad Cæsarem. 22. Agrippa autem dixit ad Festum : Volebam et ipse hominem audire. Cras, inquit, audies eum. 23. Altera autem die, cum venisset Agrippa, et Bernice, cum multa ambitione, et introissent in auditorium cum Tribunis, et viris principalibus civitatis, jubente Festo, adductus est Paulus. 24. Et dicit Festus : Agrippa rex, et omnes, qui simul adestis nobiscum viri, videtis hunc, de quo omnis multitudo Judæorum interpellavit me Hierosolymis, petentes et acclamantes non oportere eum vivere amplius. 25. Ego vero

comperi nihil dignum morte eum admisisse. Ipso autem hoc appellante ad Augustum, judicavi mittere. 26. De quo quid certum scribam domino, non habeo. Propter quod produxi eum ad vos, et maxime ad te Rex Agrippa, ut interrogatione facta habeam quid scribam. 27. Sine ratione enim mihi videtur mittere vinctum, et causas ejus non significare.

1. FESTUS ERGO CUM VENISSET IN PROVINCIAM.] Tigur. *Festus ergo suscepta provincia*, puta cura et regimine provinciæ, nimirum Judææ. Id fecit adeundo Cæsaream : hæc enim erat caput provinciæ, si spectas Romanos; sin Judæos, caput erat Hierosolyma : unde mox eo ascendit Festus.

3. POSTULANTES GRATIAM,] non justitiam : hanc enim in tribunali, coram tribuno et Felice tentarant frustra, Paulo causæ suæ justitiam et innocentiam clare ipsis etiam hostibus demonstrante. Rursum postulant gratiam, ut scilicet Paulus Cæsarea, quo à tribuno ob insidias, Judæorum missus erat, remitteretur Hierosolymam, ut ei novas insidias struerent. Solet enim à præsidibus et principibus, dum primo principatum capessunt, vel inaugurantur, peti gratiam quæpiam. Judæi hic non aliam petunt, quam Pauli necem. Vide, quanti Paulum æstiment, puta quantum Judaismi hostem, et Christianismi hyperaspistem, ut, cum multa longe majora, et publicum bonum spectantia petere possint et debeant, iis omissis unum Pauli petant caput. Ita invidentes gloriæ Pauli, nescientes longe magis eam celebrant. Vere Nazianzenus in Monostichis :

Gratum est invideri : at invidere ingens probrum.

4. FESTUS AUTEM RESPONDIT SERVARI PAULUM IN CÆSAREA.] Refutavit Festus petitionem Judæorum de Paulo Hierosolymam accersendo; sive quia ex vultu, voce et gestu vidit malevolentiam Judæorum in Paulum : sive quia audierat de insidiis illi à Judæis structis : sive quia tribunal præsidiis erat Cæsareæ, quo proinde ipse properabat.

5. POTENTES SUNT,] ad conficiendum iter. q. d. Qui possunt proficisci, et tantum iter (trium diætarum) peragere. Aliter Hugo et Vatabl. q. d. Qui possunt sine rerum suarum incommodo, quibus scilicet commodum est, ire Cæsaream. Secundo, *potentes*, id est validi oratores, sive accusatores lingua pollentes, et validis argumentis armati ad Paulum accusandum et convincendum. Hi enim vocantur δυνατοὶ, et hoc proprie ad rem præsentem facit.

SI QUOD EST IN VIRO CRIMEN.] Pro *crimen* græce est, ἄτοπον, id est *absurdum, insolens, indecens infame.*

7. GRAVES CAUSAS,] αἰτιώματα, id est *crimina et criminationes*, ita Tigur. Pagnin. et alii.

9. VIS HIEROSOLYMAM ASCENDERE?] Non jubet, sed rogat. Impudens enim fuisset, si jussisset, et abduxisset illuc, ubi non erat redargutus, inquit Chrysost., præsertim quia Paulus erat civis Romanus, et stabat Cæsareæ ad tribunal Cæsaris Romani : nomen enim Romanum in reo veneratur præses Romanus, ait Hugo.

AD TRIBUNAL CÆSARIS STO.] q. d. Cæsar suum tribunal, quod tu nunc ejus vice occupas, ô Feste habet hic Cæsareæ, quasi in Metropoli provinciæ, ibi ergo me judicari oportet, non Hierosolymæ. Porro *Cæsares* nuncupati sunt Reges et Imperatores Romani, à Julio Cæsare, qui primus Imperium occupavit, et vocatus est *Cæsar* à familia fuit enim Cæsarum familia Juliis ascita, qui ex Julo Ascanio Æneæ filio descenderunt, juxta illud Virgil. Æneid. 6.

Julius à magno demissum nomen Julo.

Cæsar autem primitus dictus est, vel à Cæsiis oculis, vel à Cæsarie, seu capillis cum quibus natus sit, vel à cæso matris utero, quos ideo cæsones dici, et auspicatius nasci, quam eos qui in pedes nascuntur asserit Plinius lib. 7. c. 9. ideoque Scipionem Africanum Seniorem *Cæsarem* cognominatum esse. Spartianus vero et Servius aiunt, primum qui *Cæsar* vocatus sit, fuisse Julii Cæsaris avum, qui in Africa elephantum interfecit : elephas enim lingua Punica vocabatur *Cæsar*. Certe Julius Cæsar, à quo propagata est familia et nomenclatura Cæsarum, non est natus cæso utero materno, habuit enim ipse matrem Aurel. quam amisit dum in Gallia bellum gereret. Adde ejus quoque pater nuncupatus est *Cæsar* qui prætura functus Pisis obiit.

Porro ipse hoc nomen propagavit in posteros, ob rerum à se gestarum splendorem et gloriam quam multi secuti sunt, nemo assecutus. Ipse enim omnem Galliam quæ saltu Pyrenæo, Alpibusque, ac Rhodano Rhenoque continetur, novem annis in provinciæ formam redegit. Ipse Germanos trans Rhenum habitantes, primus Romanorum ponte fabricato invadens, subjugavit. Ipse Britannos antea ignotos devicit. Ipse in Italia Picenum, Umbriam, Petruriam occupavit. Ipse validissimas Pompeii copias quæ sub tribus legatis, M. Petreo, S. Afranio et M. Varrone in Hispania erant, invasit. In Macedonia superavit Pompeium, in Ægypto Ptolemæum, in Ponto Pharnacem, in Africa Scipionem et Jubam, in Hispania Pompeii filios, idque citissime, instar fulminis omnia pervadens et sternens, ut merito hoc sibi elogium usurparit : *Vidi, veni, vici.* Ipse quinquies triumphavit; primum de Gallia, postea de Alexandria; tertio, de Ponto; quarto, de Africa; quinto de Hispania. Denique ipse Pompeium, Senatum, Romam, totumque Imperium primus subegit et occupavit. Porro ipse fuit liberalissimus, maxime post hos triumphos; ita Sueton. in ejus vita. Quocirca Julius Cæsar hisce elogiis à nupero Poeta celebratur.

Lux Cæsarum et pater.
Romanus Alexander, terræ Mars.
Victor orbe, urbem victricem orbis vicit.
Ingratam patriam patriis armis puniit.
Eam vicit invitus, qua vixit invita.

Sane videtur ipse fuisse naturæ, ingenii, prudentiæ, fortitudinis et felicitatis prodigium, adeoque Deus Romanam aristocratiam per eum in monarchiam convertit, ut viam sterneret Christo supremo Monarchæ paulo post nasciturο, et totum orbem jam à Julio quasi in monarchiam redactum, per S. Petrum Romanum pontificem, et Constantinum Romanum Imp. sibi subjugaturo.

Vere enim dixit Tacitus l. 1. *Unum reipub.*

corpus unius animo regendum est. Et Thucydides l. 6. *Inordinata est res plurium principatus.* Et Homerus Illiad. 2 et ex eo Arist. lib. 12. Metaphys. *Non multos regnare bonum, rex unicus esto.* Verius S. Leo serm. 1. in nativit. S. Petri et Pauli: *Cum duodecim Apostoli*, inquit, *imbuendum Evangelio mundum, distributis sibi terrarum partibus, suscepissent, beatissimus Petrus princeps Apostolici ordinis, ad arcem Romani destinatur Imperii, ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet:* nimirum sicut idem ibidem ait: *ut tot populos cito pervios haberet prædicatio generalis: quos unius teneret regimen civitatis.*

Ibi me oportet judicari.] Caute dicit Cæsareæ se debere judicari, non autem Cæsarem esse suum judicem; quia proprius Pauli judex et superior erat S. Petrus; sed quia cum non agnoscebant Judæi et Romani Gentiles, hinc coram Romanis præsidibus accusatus à Judæis Paulus, coram eis causam dicere debuit. Romani enim Judæam et Judæos sibi subegerant, eisque dominabantur. Adde, in civilibus Apostolos et Ecclesiasticos primis illis Ecclesiæ temporibus, debuisse parere Magistratui civili, ut insinuat Paulus Rom. 13. et ibidem expresse docet S. Chrys. Theod. Theophyl. et S. Thomas. Necdum enim introducta erat exemptio et immunitas Ecclesiastica, quam posterioribus sæculis Pontifices et Concilia Œcumenica sanxerunt, ac reges principesque Christiani approbarunt et concesserunt. Cum enim ipsi sint oves et subditi Pontificum, non decet ut ipsi judicent suos Pastores et Superiores, etiam in civilibus. Verum tempore Pauli principes erant Gentiles, non Christiani, qui nullo modo tulissent Apostolos à sua jurisdictione eximi. Quocirca eis sponte se subjecerunt Apostoli, ne darent infidelibus scandalum, neve principes contra se et fideles concitarent. Vide Lessium lib. 2. de Just. c. 33. de tributis et vectigal. dubio 4. et Bellarm. lib. 2. de Romano Pontif. cap. 29.

Denique Paulus vim passus à Judæis, licite imploravit auxilium Cæsaris, cum aliud tribunal, et remedium se vitamque suam tuendi non haberet. uti docet S. August. epist. 50. Paulum imitatus est S. Athanasius, qui oppressus ab Arrianis, imploravit auxilium Constantii Imp. Arriani. In Apologia enim ad Constantium sic ait, *Si apud alios accusatus essem, ad tuam Majestatem provocarem, sicut Apostolus dixit Cæsarem Apello, et cessatum est ab insidiis contra eum.*

Judæis non nocui, sicut tu melius nosti.] *Melius*, quam ut plenioris cognitionis causa oporteat te ire Hierosolymam ibique meam causam investigare, meque judicare. Testatus est tibi Lysias, Felix, aliique meam innocentiam. Tu eamdem ex accusatione Judæorum turbulenta, qua nihil probare potuerunt, meaque prudenti et vera defensione cognovisti; sat ergo eam nosti.

11. Non recuso mori.] Nota sincerum et intrepidum Pauli animum et vocem: adeo jus et tribunal non declinat, ut si quid contra id peccarit pœnæ et morti ultro se offerat.

Nemo potest me illis donare.] Tacite perstringit Præsidem, quod nimis in gratiam Judæorum pendulus, velit Paulum judicare Hierosolymæ. Hoc enim erat eum tradere Judæis: tum quia ipsi Paulo in via parabant insidias, ut patet v. 3. tum quia Hierosolymæ conspirantes in eum communi studio, tot tantaque contra eum machinati fuissent, ut manus eorum non potuisset effugere.

Cæsarem appello.] Syrus *protectionem Cæsaris invoco.* Appellavit Cæsarem Paulus, Primo, quia non vitæ suæ, sed Ecclesiæ consulebat, ait S. August. epist. 58. Secundo, quia eum ut seditiosum, et Cæsaris jura turbantem accusarant Judæi. Unde S. Chrysost. notat miram Pauli generositatem, qua apud illum quem accusabatur læsisse, judicari velit. Tertio, quia oraculum à Deo acceperat c. 23. vers. 11. se Romæ evangelizaturum: hujus ergo occasionem commodam captat appellando Cæsarem, sciens id Deum velle ideoque appellationis hujus successum Deo curæ et cordi fore. Quarto, quia experientia continua didicerat Paulus se in Judæa nusquam et nunquam tutum fore, nec Judæorum insidias et manus evasurum: ergo Romam et Cæsarem appellat. Quinto ut hac appellatione Cæsarem, puta Neronem demereretur, sibique et Christianis conciliaret: aut certe, si ab eo damnaretur gloriose ut Martyr Romæ in orbis theatro occumberet. Nam, ut vere ait Dionys. Halicarn. lib. 2. *Aut vita libera, aut mors gloriosa eligenda.* Potissima causa fuit, ad vitandos Judæorum laqueos. Prudenter enim S. Gregorius Nazianz. in Sententiis: *Sapiens*, inquit, *vitat omnia gravia ac periculosa, æque ac nauclerus tempestates.* Idem ad Bosphorium epist. 49. vel juxta alios 15. *Demens est, qui bis ad eumdem lapidem impingit.* Et Thucydides lib. 1. *Incidias anticipare potius, quam insidiantibus contra insidiari oportet.* Et Demosthenes Philipp. 1. *Rerum occasiones tarditatem nostram et ignaviam non exspectant.* Et Seneca: *Sapiens nunquam potentium iras provocat, imo declinat, non aliter quam in navigando procellam.* Porro Neronem Poeta nuper hisce coloribus pinxit:

Hic inter privatos optimus, inter principes pessimus fuit.
Regno dignus, nisi regnasset.
Molles illius mores in duris, induruere in mollitie.
Patriæ dominus, non princeps fuit.
Domum augustam fecit, angustam urbem.
Patriam incendit, ut extingueret,
Huic defuit extincto rogus:
Dedignatur terra tegere, qui terram dedignatur tangere.

12. Tunc Festus cum concilio *(cum suis consultoribus;* ita Syrus) locutus.] q. d. Festus audita accusatione Judæorum et defensione Pauli, jussit eos secedere, ac secreto suos conciliarios consuluit, quid in hac causa facto esset opus, et an admittenda esset Pauli appellatio ad Cæsarem, an vero rejicienda: si enim Paulus fuisset seditionum concitator, uti accusabant Judæi, debebat illico plecti, nec mitti ad Cæsarem, uti sanxerunt Jura civilia. Consiliarii ergo declararunt eum non esse talem, ac proinde appellationem admittendam esse, tum ut Paulo appellanti, tum ut Judæis qui Paulum in Judæa vivum videre non poterant, aliqua ratione satisfieret; tum ut Cæsari hic appellationis honos à Præside tribueretur, eoque ipse profiteretur Cæsari se esse subjectum, eumque suum esse Superiorem et judicem.

Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis.] q. d. Quando quidem meum tribunal et judicium vi-

deris recusare ab eoque ad Cæsarem appellas, ito ad Cæsarem, ac coram eo causam tuam age. Videntur enim hæc verba Præsidis manere ex animo nonnihil in Paulum concitato, et suboffenso, quod Paulus præsidis judicium suspectum, et nimis in Judæos propensum hac appellatione arguere videretur.

Nota hic altum mirumque Dei consilium et providentiam, quo Paulum per vincula, criminationes, injurias vexationes non tantum Judæorum, sed et judicum direxit Romam, ut cum S. Petro fundaret Ecclesiam Romanam, eamque invito Nerone matricem cæterarum constitueret. præclare S. Naz. orat 18. de S. Cyp. *Divina*, inquit, *sapientia magnarum rerum fundamenta multo ante jacere, ac contraria per contraria procurare novit, ut majorem sui admirationem mortalibus excitet.* Exempla dat Joseph, Mosen et Hebræos. *Hæc ille* (Deus) inquit, *qui Josephum fratrum scelere et injuria venalem, in Ægyptum duxit, et in semina exploravit, et in frumenti largitione nobilitavit, et per insomnia erudivit, ut in extera regione fidem et auctoritatem obtineret, atque à Pharaone honore afficeretur, paterque maximarum illarum copiarum fieret, propter quas Ægyptus cruciatur, mare scinditur, panis instar pluviæ funditur, solis cursus inhibetur, promissa terra per sortem distribuitur.* Ita Paulus hic per adversa extollitur et glorificatur, adeo ut per ejus vincula ipsius fides, virtus et gloria in aula Neronis, omnique prætorio celebrata sit, uti ipse asserit Philip. 1. 13.

Moral. idem Nazianz. ibidem docet, quod Paulus et Sancti sint cosmopolitæ civesque mundi, quia patriam non habent Judæam, nec Jerusalem terrestrem, sed cœlestem pro qua omnia acerba mortemque subeunt alacriter. S. Cyprianus, inquit, hortabatur omnes fideles in persecutione Decii ad constantiam et martyrium. *Hanc enim negotiationem omnium præstantissimam esse, qua exigui sanguinis pretio cœleste regnum emittitur, ac brevia et fragilia bona cum sempiterna gloria commutantur. Unam enim magnis et excelsis viris patriam esse, nempe Jerusalem illam quæ mente percipitur, non eas quas hic angustis finibus circumscriptas esse, atque ab aliis aliisque hominibus subinde incoli videmus: unum item generis splendorem in eo consistere, ut divinam imaginem conservemus, atque exemplar nostrum imitemur. Unum porro principatum in hoc positum esse, ut adversus improbum illum palmam obtineamus, ac ne in iis certaminibus quæ pietatis causa suscipiuntur, animos nostros frangi et expugnari sinamus, ubi vitium cum virtute confligit, et fluxus ac fragilis mundus cum firmo et stabili; et acerbus ac truculentus certaminis præses cum fortibus athletis; et Belial adversus Christum aciem instruit: ob easque causas et gladios contemnere, et frigidum ignem, ac feras quamlibet immanes et truculentas, mites existimare et famem pro summis deliciis ducere; amicorum autem et propinquorum lacrymas, et luctus ac gemitus et diaboli illecebram, viæque ad Deum ferentis impedimenta, præterire suadebat. Hæc enim virilium et strenuarum animarum esse gravisque consilii ac prudentis. Atque harum rerum propinquum exemplum ille ipse erat, utpote qui omnia pro stercoribus duxisset, ut Christum lucraretur.*

13. Agrippa rex.] Hic Agrippa non fuit senior ille, qui ab angelo percussus interiit cap. 12. sed ejus filius, frater Drusillæ et Bernices. Agrippa enim senior habuit duos filios, Drusum et Agrippam juniorem; ac tres filias, Drusillam, Bernicem et Mariamnem; ita Josephus lib. 18. Antiq. cap. 7. Agrippa junior ad distinctionem Senioris, ab Hebræis vocatur Agrippina. Hic moriente patre puer erat Romæ, et à Claudio Imp. creatus est Rex Chalcidis. Deinde tetrarchia Philippi, puta Trachonitis, ei adjecta est Judæa vero mansit sub præsidibus Romanis. Quod ergo Agrippa mutavit Judæorum pontificem, eorumque sacris se immiscuit, ut scribit Josephus, id non tam jure quam conniventia præsidum Rom. fecit, qui id ipsi tamquam religione Judæo, et Judææ regis nepoti ultro promiserunt, præsertim quia ditio Agrippæ censebatur ad Judæam et Judæos pertinere. Porro Agrippa uterque vocatus est, in gratiam M. Agrippæ qui fuit gener Augusti Cæsaris: ab Augusto enim Herodes Ascalonita, qui fuit Agrippæ avus, regnum Judææ acceperat. Unde Agrippa senior filiam vocavit Drusillam, in gratiam Liviæ uxoris Augusti, quæ Drusilla est cognominata, ut dixi cap. 24. filium vero Drusum, in gratiam Drusi filii Liviæ, et fratris Tiberii Cæsari. Agrippa enim non Hebræum, sed Romanum est nomen, ita dictum ab ægro patu, vel ab ægritudine et pedibus. Audi Gellium lib. c. 16. Quorum in nascendo non caput, sed pedes primi extiterant, qui partus difficillimus ægerrimusque habetur, Agrippæ appellati, ab ægritudine et pedibus. Confixos autem pueros in utero Varro dicit, capite infimo nixos, sursum pedibus elatis: non ut hominis natura est, sed ut arboris (unde et homo vocatur arbor inversa.) Nam pedes cruraque arboris appellat ramos; caput, stipem atque caudicem. Quando igitur contra naturam forte conversi pedes, brachiis plerumque diductis, retineri solent, ægrius tunc mulieres enituntur. Et Plinius l. 7. c. 8. *In pedes*, inquit, *procedere nascentem, contra naturam est: quo argumento eos appellavere Aggripas, ut ægre partos.* Unde et M. Agrippa multas corporis animique ægritudines habuit. *Nam fuit adversa pedum valetudine, misera juventa, exercito ævo inter arma mortesque ad noxia successu, infelici terræ stirpe omni, sed per utrasque Agrippinas maxime:* harum enim una genuit Caium Caligulam Cæsarem, altera Neronem, *totidem faces generis humani. Præterea brevitate ævi, LI. raptus anno, in tormentis adulteriorum conjugis, socerique præ gravi servitio, luisse augurium præposteri natalis existimatur;* ita Plinius; et Sueton. in Augusto cap. 63. 64. 65. Pari modo miser, infelix et infaustus fuit uterque Herodes Agrippa: sub juniore enim gestum est bellum Judaicum, ac eversa Judæa et Hierosolyma à Tito. Addit Plinius: *Neronem quoque toto principatu suo hostem humani generis, pedibus genitum parens ejus scribit Agrippine. Ritu naturæ capite hominem gigni mos est, pedibus efferri.*

Nota hic idem Herodum ingenium et officium in judicandis fidelibus et Christianis, continua generatione propagatum. Primus enim Herodes Ascalonita fuit judex et carnifex parvulorum innocentum, futurus et Christi, si eum nancisci potuisset. Hujus filius Herodes Antipas irrisor fuit Christi, et carnifex S. Joannis Baptistæ. Nepos vero Herodes Agrippa Senior, fuit judex et incarcerator S. Petri, homicida vero S. Jacobi. Abnepos, puta Agrippa junior, hic quasi judex fuit S. Pauli.

Et Bernice.] Hoc nomine multæ fuere illus-

tres feminæ. Prima, Bernice fuit uxor Ptolemæi Lagi primi post Alexandrum Magnum regis Ægypti, mater Ptolemæi Philadelphi, rara mulier forma, et viro dilectissima. Secunda, Bernice fuit filia Philadelphi, quæ deinde fratri suo Ptolemæo Evergeti nupsit, cujus crines in cœlum relati putantur persuasione Canonis Mathematici, de quibus elegiam habet Catullus. Tertia, fuit Bernice celeberrima apud Græcos, à quibus vocata est Pherenice, id est, ferens victoriam, utpote filia, mater et soror Olympionicarum, id est, eorum qui in ludis Olympicis victoriam et palmam tulerant, teste Plinio lib. 7. c. 40. Quarta Bernice fuit filia Herodis Ascalonitæ, quam Augustus Cæsar in honore habuit. Quinta, fuit S. Veronica (hæc enim in Chronico L. Dextri, et ab aliis vocatur *Bernice*, *Berenice*, vel *Beronice*) quæ Christo eunti ad crucem sudarium dedit ad sudorem extergendum, cui Christus vultum suum impressit, quod Romæ in basilica S. Petri magna veneratione asservatur, et quotannis in cœna Domini ostenditur. Sexta, fuit hæc Bernice Herodis Agrippæ senioris filia, et junioris soror, ita dicta à proamita, puta à Bernice, Herodis Ascalonitæ filia. Porro Agrippæ juniori hic eam jungit Lucas, ut significet eam non tantum ipsius fuisse sororem sed et concubinam. Fuit enim ipsa; æque ac soror ejus Drusilla, incontinens et suspecta de incestu cum fratre: unde ita se invicem diligebant, ut semper sociati incederent, ut patebit v. 23. Hinc et Chrysost. eam vocat *uxorem Agrippæ*: quare Bernice ut hanc suspicionem diluceret, nupsit Polemoni Ciliciæ, vel ut volunt alii Luciæ regi, quem tamen mox ex intemperantia reliquit, unde *incestam* eam vocat Juvenal. satyra 6. *Barbarus incestæ dedit hunc* (adamantem) *Agrippa sorori.* Tacitus autem lib. 1. et 2. Histor. docet eam placuisse Vespasiano, et nihil propius fuisse quam ut nuberet Tito. Audi Josephum lib. 20. Antiq. c. *Porro Bernice post Herodis obitum, qui idem maritus ejus et patruus fuerat, aliquanto tempore in viduitate acto, cum spargeretur rumor cum fratre eam congredi, suasit Polemoni regi Ciliciæ, ut prius circumcisus se duceret, rata sic coarguturam mendacium. Nec recusavit Polemon, inductus maxime mulieris divitiis. Id tamen conjugium diuturnum non fuit, propter intemperantiam, ut fertur, discedente ab eo Bernice; qui mox desertus ab uxore, et ipse Judaicæ religionis desertor factus est.* Addit Josephus de Mariamne, altera sorore Bernices, ejusdem cum ea genii. *Eodemque tempore etiam Mariamne dedignata Archelaum, migravit in thalamum Demetrii primi inter Alexandrinos Judæos, Alabarchæ ex quo filium Agrippinum suscepit.* Ecce cum quam impuris et incestis Paulo fuit certamen, et tamen eos, licet judices suos, vehementia veritatis et orationis suæ perculit et obstupefecit, ut patebit c. seq. v. 24. et 27.

Porro Bernice, si Græcum etymon spectes idem est quod βάρος νίκης, id est, *gravitas* vel *pondus victoriæ*, sive *gravis et ponderosa victoria*: Pherenice vero idem est quod *ferens victoriam.* Macedones enim in sæpe commutant, et pro *Pherenice* dicunt *Berenice.* Sin Hebræum etymon spectes, *Bernice* idem est quod *puritas innocentiæ*: בר *bar* enim est purus נקי *naki* est innocens; ita Pagnin. in interpret. nom. Hebr. Hæc etyma et significata optime conveniunt S. Veronicæ; in cæteris vero, ac præsertim nostra hac, significant non quales fuerint, sed quales esse debuerint.

Ad salutandum Festum.] Quasi novum præsidem, felicem ei adventum in provinciam gratulaturi.

15. Postulantes adversus illum damnationem,] δίκην, id est, *sententiam, qua damnaretur ad mortem;* ita Vatabl.

16. Non est Romanis consuetudo etc.] Eadem consuetudo fuit apud alios populos. Est enim juris naturæ et gentium, ut reus accusatus non damnetur, nisi prius audiatur, deturque ei locus apologiæ. Unde illud: *audi alteram partem.* Ita Alexander, teste Plutarcho in Apophtheg. sedens pro tribunali judex alteram claudebat aurem, ut integram servaret reo. Refert Ammianus lib. 18. Delphidium cum Numerium accusaret furti, nec id probare posset, eo audacter negante, exclamasse: *Ecquis florentissime Cæsar nocens poterit esse usquam, si negasse suffecerit?* Cui Julianus: *Ecquis innocens esse poterit si accusasse sufficiet?* Quocirca jura statuerunt ut reus, nisi de scelere convincatur absolvatur. Satius est enim nocentem absolvere, quam innocentem condemnare, ff. *de pen.* l. *Absentem.* C. *de accusat.* Qua de causa litigantes astuti et prudentes, in lite se reos faciunt, et hac ratione sæpe litem obtinent, quam alias perderent: facilius enim est gerere bellum defensivum, quam offensivum; sicut facilius est urbem propugnare, quam expugnare. Accusatori enim incumbit probatio criminis, reo sufficit ejusdem negatio. Unde si accusator deficiat in probatione, reus hoc ipso absolvitur. Vita enim innocenti semel erepta, nunquam restitui potest: vita vero nocenti condonata, quovis tempore repeti et auferri potest, uti ait Theodoricus Rex apud Cassiodorum lib. 7. epist. 1.

Damnare aliquem hominem,] εἰς ἀπώλειαν, *ad necem et interitum,* ut addunt Græca et Syrus. Unde Biblia Romana recte τὸ *donare* corrigunt, pro eo quod legunt *damnare.* Donare enim aliquem ad necem, ut habent Græca, idem est quod damnare. Porro Lucas ait χαρίσασθαι, id est *donare,* quia Judæi petebant gratiam à Festo contra Paulum, ut scilicet is sibi donaretur quasi donum ad mortem, ut ait Paulus v. 3. hoc est damnaretur: quo satis agnoscebant infirmitatem et iniquitatem suæ causæ, scilicet se cupere damnari Paulum per gratiam et favorem, quem reum mortis agere non poterant per justitiam.

18. Nullam causam, (nullum delictum, nullum crimen) deferebant.] Ita Syrus: hoc enim significat αἰτία. Unde noster causam hanc explicans subdit: *nullam causam deferebant de quibus ego suspicabar malum.* Quare clare vertit Pagninus, *nullum crimen intendebant super hisce rebus, de quibus ego suspicabar,* suspicabar inquam, eo quod viderem Judæos tam ardenter eum accusare et deposcere ad mortem.

19. De sua superstitione.] Ita Festus, quia Gentilis, vocat Judæorum religionem. Et vero illa jam per Christi legem et religionem abolita, incipiebat revera esse superstitio.

20. Hæsitans autem ego de hujusmodi quæstione dicebam, si vellet ire Hierosolymam.] Mentitur Festus, ut suum factum coleret: nam non ob hæsitationem, sed in gratiam Judæorum volebat eum ducere Hierosolymam. Et cum paulo ante vocarit eam superstitionem, quomodo de ea hæsitabat? Unde Chrysos. *Si hæsi-*

tans, inquit, *et anxius es, cur in Jerusalem trahis? sic dixit adumbrans suum peccatum.*

21. AD AUGUSTI COGNITIONEM.] Nero hic uti alibi cuilibet imperator, vocatur *Augustus*, ab Octavio Augusto, qui Julio Cæsari successit, sicut à Julio vocatur Cæsar. Octavius enim infans vocatus est Thurinus, *Postea*, inquit Suetonius in ejus vita c. 7. C. *Cæsaris, et deinde Augusti cognomen assumpsit : alterum testamento majoris avunculi, alterum Munatii Planci sententia, cum, quibusdam censentibus Romulum appellari oportere, quasi et ipsum conditorem urbis prævaluisse ut Augustus potius vocaretur, non tantum novo, sed etiam ampliore cognomine; quod loca quoque religiosa, et in quibus augurato quid consecratur, augusta dicantur, ab auctu, vel ab avium gestu gustuve, sicut etiam Ennius docet scribens : Augusto augurio postquam inclyta condita Roma est.* Inter multa enim præsagia imperii et felicitatis Octavii Augusti, quæ recenset Sueton. in ejus vita cap. 94. et seq. aquila ei prandenti panem rapuit, et illico reddidit. Rursum : *Aquila tentorio ejus supersedens, duos cervos hinc et inde infestantes afflixit, et ad terram dedit, notante omni exercitu futuram quandoque inter collegas discordiam, qualis secuta est, ac exitum præsagiente*, ait Sueton. c. 96. Nimirum aquila notabat Augustum, qui duos cervos id est, Lepidum et Antonium in triumviratu collegas debellavit, itaque se fecit Monarcham.

Hinc Augustus, græce σεβαστὸς, idem est quod venerandus, et numinis velut majestate quadam colendus. Est enim Rex vel Imperator, viva Dei in terris imago, et quasi Deus quidam terrenus. Unde illud tritum : *Principes fato dari.* Ita Virgil. 6. Æneid. canit : *Augustus Cæsar divum genus;* et Servius in l. 4. Georg. Augustum, inquit, idem est quod augurio consecratum, abusive nobile et Majestatis plenum. Et Statius l. 4. Silvar. 2. et Ovid. 1. Fastor.

> Sancta vocant augusta Patres, augusta vocantur
> Templa, sacerdotum rite dicata manu.

Et Cicero l. 3. de Natura deorum, de diis ait : *Quos auguste omnes sancteque veneramur.* Abusi sunt Gentiles hisce elogiis et titulis, cum suos Reges et Imperatores vel metu, vel adulatione pro diis habuerunt, et divinis honoribus ut sacrificiis coluerunt. Unde Virgilius de Octavio Augusto ecloga 1.

> Namque erit ille mihi semper deus, illius aram
> Sæpe tener nostris ab ovibus imbuet agnus.

Sanius Christiani Reges et Impp. Augustos nuncupant et venerantur, quasi divinitus datos, et religiosa quadam veneratione humana tamen, non divina, ob merita in rempub. observandos.

22. VOLEBAM ET IPSE HOMINEM AUDIRE,] ex curiositate, quæ ingens videndi et audiendi Paulum, in Agrippa desiderium exacuerat. *Non enim*, inquit Chrysost., *nisi concupivisset, quæsisset audire, neque uxorem* (sic vocat Bernicem sororem et concubinam Agrippæ) *sociam fecisset auditionis, nisi magna de illo sensisset.*

23. CUM MULTA AMBITIONE,] φαντασίας, id est *apparentia, ostentatione, pompa, comitatu, fastu :* fastus hic situs erat in multa famulorum et nobilium turba, splendore vestium, diademate, Corona, Sceptro, aliisque regalis dignitatis insignibus, incessu pompatico, etc. Sic Suidas : φαντασίας, inquit, ἐπὶ τὸ φαίνειν ἔλεγον, scilicet, pro apparare, pro apparatu et ostentatione. Artabanus Xerxi dissuadens bellum contra Græcos : *Ut procera*, inquit, *et elata animalia fulminat Deus, nec sinit ostentare se* (Græce οὐδ' ἐᾷ φαντάσεσθαι *ac velut de se spectaculum præbere : parva vero ne scalpit quidem aut vellicat;* ita Herodot. in Polymnia. Quocirca sapienter Isocrates Parænesi ad Nicoclem docet principum Majestatem et custodiam non consistere in stipatorum armis, sed in virtute amicorum, benevolentia civium, et prudentia principis; et addit Plinius Panegyr. Trajani in innocentia : *Hanc enim velut arcem inaccessam et inexpugnabile munimentum, munimento non egere, frustra se terrore succingere, qui septus charitate non fuerit : armis enim arma irritari.* Hic impletur illud de Paulo oraculum : *Ut portet nomen meum coram gentibus et regibus.* Actor. 9. *Vide*, inquit Chrys., *quale auditorium congregatur Paulo, cum viris principalibus civitatis. Princeps enim et Rex stipatoribus suis omnibus congregatis occurrunt, et cum ipsis Tribuni et primi civitatis affuerunt,* Pauli enim nomen et fama omnes ad eum videndum et audiendum exciverat, et sane quosvis alios excivisset. Unde optabat S. August. tria videre, nimirum, Paulum in cathedra fulminantem, Romam in flore triumphantem, Christum in carne conversantem, uti dixi præmio in S. Paulum.

IN AUDITORIUM, in prætorii aulam, ubi audiebantur et agebantur causæ et lites coram Præside pro tribunali sedente. In illud è carcere inductus Paulus vinctus, sed præside, rege, totoque confessu celsior; uti audiemus ex ejus oratione capite sequ. Nimirum *voluit Deus*, inquit Chrysostomus, *clientis sui in tali theatro innocentiam patefecere, totque tamque locupletibus testimoniis testatam facere.* Unde mox subdit præses v. 25.

25. EGO VERO COMPERI NIHIL DIGNUM MORTE EUM ADMISISSE.] Comperi tum ex litteris Lysiæ, tum ex testimonio Felicis ante me præsidis, tum ex accusatione Judæorum et apologia Pauli.

IPSO AUTEM HOC (id est ipsomet Paulo, ut patet ex Græco αὐτοῦ καὶ τούτου) APPELLANTE AD AUGUSTUM, JUDICAVI MITTERE.] q. d. Non ex meo sensu [utpote qui eum innocentem perspexi, ideoque liberum dimittendum censeo) sed ex ipsiusmet Pauli appellatione statui eum mittere ad Neronem, præsertim ne Judæi me apud eum criminentur, quod reum dimiserim, et appellationem cognitionemque Cæsaris impedierim.

26. DE QUO QUID CERTUM SCRIBAM DOMINO.] Neroni Cæsari : Cæsaris enim titulus erat *Dominus*, quem tamen Augustus Cæsar recusavit, ait Tertull. Apolog. cap 34. et Dio lib. 55. quia occulto Dei instinctu, reipsa quasi præsagiebat instare ortum Christi, qui futurus erat Rex regum et Dominus dominantium, cujus ipse typus tantum erat et umbra. Sic Turcæ suum imperatorem vocant Magnum Dominum ; Tartari, Persæ, aliique eamdem vocant *Sultan*, id est Dominum. Porro Imperatores Christiani pinguntur cum globo in manu, cui infixa est crux, quomodo primo pictus fuit Justinianus Imp. teste Procopio, et ex eo Suida verbo *Justinianus*. Verum noster Gretserus l. 2. de Cruce c. 54. ex Gregoria et Glyca docet, ante Justinianum eo modo pictos fuisse Constantinum, Theodosium, et Eudoxiam uxorem Valentiani III. Imp. quo significatur imperatorem non tam orbis esse Dominum (exiguam enim orbis partem sibi subjectam habet) quam fidem crucemque Christi toto orbe propagare et propugnare debere,

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PAULUS È VINCULIS CORAM AGRIPPA ET FESTO ITA ARDENTER PERORAT DE SUA CONVERSIONE AD CHRISTUM, PRÆDICATIONE ET PERSECUTIONIBUS JUDÆORUM, UT FESTUS EXCLAMET EUM INSANIRE; AGRIPPA, IN MODICO SUADES ME FIERI CHRISTIANUM. CUI PAULUS OPTARE SE AIT, UT IPSE OMNESQUE AUDITORES SIBI SIMILES FIANT, EXCEPTIS VINCULIS. AGRIPPA PRONUNTIAT PAULUM INNOCENTEM, SED QUIA APPELLARAT AD CÆSAREM, AD EUM ESSE MITTENDUM.

MYSTICE, AGRIPPA REX JUDÆUS REPRÆSENTAT MUNDUM, BERNICE EJUS CONCUBINA CARNEM; FESTUS, QUIA IDOLOLATRA, DIABOLUM. CUM HIS CONGREDITUR PAULUS, ET QUISQUE FIDELIS, PRÆSERTIM PRÆDICATOR. HI PAULUM EXAGITANT, TENTANT ET JUDICANT. AGRIPPA, ID EST MUNDUS, CUM EJUSQUE CONCIONES IRRIDET: BERNICE, ID EST CARO CURIOSA, EJUS ASPECTU ET AUDITU SE PASCIT: FESTUS, ID EST DEMON, TENTAT EUM, INSANIRE DICTITANS. PAULUS HOS OMNES DESPICIT ET REFUTAT, AB EISQUE LAUDEM INNOCENTIÆ ET VIRTUTIS EXTORQUET.

1. AGRIPPA vero ad Paulum ait: Permittitur tibi loqui pro temetipso. Tunc Paulus extenta manu cœpit rationem reddere. 2. De omnibus, quibus accusor à Judæis, Rex Agrippa, æstimo me beatum, apud te cum sim defensurus me hodie, 3. maxime te sciente omnia, et quæ apud Judæos sunt consuetudines, et quæstiones: propter quod obsecro patienter me audias. 4. Et quidem vitam meam à juventute, quæ ab initio fuit in gente mea in Hierosolymis, noverunt omnes Judæi 5. præscientes me ab initio (si velint testimonium perhibere) quoniam secundum certissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus. 6. Et nunc in spe, quæ ad patres nostros repromissionis facta est à Deo, sto judicio subjectus: 7. in quam duodecim Tribus nostræ, nocte ac die deservientes, sperant devenire. De qua spe accusor à Judæis, Rex. 8. Quid incredibile judicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat? 9. Et ego quidem existimaveram, me adversus nomen Jesu Nazareni debere multa contraria agere, 10. quod et feci Hierosolymis, et multos sanctorum ego in carceribus inclusi, à principibus sacerdotum potestate accepta: et cum occiderentur, detuli sententiam. 11. Et per omnes Synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare: et amplius insaniens in eos, persequebar usque in exteras civitates. 12. In quibus dum irem Damascum cum potestate et permissu principum sacerdotum, 13. die media in via vidi, Rex, de cœlo supra splendorem solis circumfulsisse me lumen, et eos qui mecum simul erant. 14. Omnesque nos cum decidissemus in terram, audivi vocem loquentem mihi Hebraica lingua: Saule, Saule, quid me persequeris? durum est tibi contra stimulum calcitrare. 15. Ego autem dixi: Quis es Domine? Dominus autem dixit: Ego sum Jesus, quem tu persequeris. 16. Sed exurge, et sta super pedes tuos: ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum et testem eorum quæ vidisti, et eorum quibus apparebo tibi, 17. eripiens te de populo, et Gentibus, in quas nunc ego mitto te. 18. Aperire oculos eorum, ut convertantur à tenebris ad lucem, et de potestate Satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter sanctos, per fidem quæ est in me. 19. Unde Rex Agrippa, non fui incredulus cœlesti visioni: 20. sed his, qui sunt Damasci primum, et Hierosolymis, et in omnem regionem Judææ, et Gentibus annuntiabam, ut pœnitentiam agerent, et converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes. 21. Hac ex causa me Judæi, cum essem in templo, comprehensum tentabant interficere. 22. Auxilio autem adjutus Dei, usque in hodiernum diem sto, testificans minori atque majori, nihil extra dicens quam ea quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, et Moyses, 23. si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annuntiaturus est populo et Gentibus. 24. Hæc loquente eo, et rationem reddente, Festus magna voce dixit: Insanis Paule, multæ te litteræ ad insaniam convertunt. 25. Et Paulus: Non insanio (inquit) optime Feste, sed veritatis et sobrietatis

verba loquor. 26. Scit enim de his Rex ad quem et constanter loquor: latere enim eum nihil horum arbitror. Neque enim in angulo quidquam horum gestum est. 27. Credis Rex Agrippa Prophetis? Scio quia credis. 28. Agrippa autem ad Paulum: In modico suades me Christianum fieri. 29. Et Paulus: Opto apud Deum, et in modico et in magno, non tantum te, sed etiam omnes qui audiunt, hodie fieri tales, qualis et ego sum, exceptis vinculis his. 30. Et exurrexit Rex, et Præses, Bernice, et qui assidebant eis. 31. Et cum secessissent, loquebantur ad invicem, dicentes: Quia nihil morte aut vinculis dignum quid fecit homo iste. 32. Agrippa autem Festo dixit: Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Cæsarem.

1. TUNC PAULUS EXTENTA MANU.] Non versus Agrippam, quasi hoc signo gratias egerit Agrippæ de data sibi ab eo loquendi facultate, ut vult Cajetan. sed Primo, more oratorum extenta manu silentium indicens, ut ex Apuleio lib. 2. de Asino aureo, Persio et aliis dixi c. 12. Secundo, in signum libertatis et confidentiæ, quod innocentiæ suæ conscius, non dubitaret de victoria in hac sua causa et lite. Tertio, in signum auctoritatis, quod quasi Apostolus, doctor et legatus Christi concionaturus esset: unde extenta manu loquitur, quasi potestatem habens.

2. ÆSTIMO ME BEATUM.] Quia, ut ait S. Hieron. epist. 191. *Paulus legerat illud Jesu Siracli*, Eccli. 25. 22. *Beatus qui loquitur in aures audientis; et noverat tantum oratoris verba proficere, quantum judicis providentia cognovisset. Unde et ego me beatum in hoc dumtaxat negotio judico, quod apud eruditas aures* (tuas, ô Pammachi) *imperitæ linguæ responsurus sum.* Ex adverso, *ubi auditus non est, non effundas sermonem*, ait Eccles. c. 32. 6. Quocirca Xenocrates quemdam Mathematicæ ignarum, à sua schola ad mathesin ablegans ait: *Apud me vellus non maceratur, scilicet lana rudis non statim traditur vestiario, sed fulloni;* ita Laert. lib. 4. cap. 2. Paulus hic omnem sermonem convertit ad Agrippam, non ad Festum. Primo, quia coram Festo jam causam suam egerat; Secundo, quia Festus ad Agrippam Pauli causam rejecerat, eaque de causa Paulum hic in conspectum ejus produxerat; Tertio, quia Agrippa avidus erat audiendi Paulum; Quarto, quia Agrippa erat Judæus: unde melius capiebat litem hanc Pauli cum Judæis de Judaismo, quam Festus Gentilis; Quinto, quia sperabat Paulus se Agrippam ad Christum conversurum, demonstrando ei è Mose et Prophetis Jesum esse Messiam, erat enim Agrippa bonæ indolis, sedatæ mentis, intelligens et prudens. Unde et Judæis bellum contra Romanos omni ratione dissuadere conatus est, dictitans illud fore Judæis ruinæ et excidio, uti exitus demonstravit; ita Josephus l. 2. Belli c. 16.

3. MAXIME TE SCIENTE OMNIA.] Maxime cum sciam te scire omnia, scilicet quæ ad rem præsentem et litigium meum cum Judæis pertinent. Captat Paulus benevolentiam Agrippæ, non tamen adulando, uti faciunt rabulæ, sed vere eum laudando, quia lucrari cum volebat: quod et ex parte consecutus est, ait Chrysost. hom. 33. in 1. ad Corinth.

4. VITAM,] βίωσιν, id est, *vitæ actus et mores, puta* conversationem meam, ut vertit Syrus.

IN HIEROSOLYMIS.] Ergo ibi docentem et concionantem Christum vel oculo et aure, vel fama oculisque et auribus aliorum viderat et audierat Paulus; sed nimius zelator Mosis et legis aures mentemque illi occluserat, donec illas vi reseravit Christus, prosternendo eum in terram, et dicendo *Saule, Saule, quid me persequeris?* Actor. 9.

5. PRÆSCIENTES ME AB INITIO,] προγινώσκοντες, id est, *præcognoscentes me*, qui scilicet noverunt me; et mea facta ante Christianismum.

QUONIAM SECUNDUM CERTISSIMAM SECTAM,] ἀκριβεστάτην, id est, *diligentissimam, exactissimam, religiosissimam*, inter Judæos, talis enim erat secta Pharisæorum. Aliter Mariana: Erant, inquit, septem sectæ Pharisæorum, teste Thalmud in tract. *Suta.* Paulus ex hisce septem amplexus erat optimam et perfectissimam. Et Arias: Paulus, inquit, à Gamaliele edoctus erat in domo Hillel; quæ selectior habebatur, quam domus Samai, uti patet ex libro Misnaioth.

6. IN SPE QUÆ AD PATRES NOSTROS REPROMISSIONIS FACTA EST, q. d. Vocor in judicium ob fidem et spem salutis assequendæ per Christum salvatorem, patribus nostris repromissum: ac proinde adeo non recedo à lege, fide et spe majorum, ut illi prorsus insistam; ac propter eam tot tantaque assidue patiar. Apologia Pauli est efficax, probat enim se non esse seditiosum, nec apostatam à lege et fide patrum, quod prædicet fidem et spem in Christum quam omnes patres habuerunt, per eamque salvati sunt. Secundo, et aptius per metonymiam *spem* accipe pro re sperata, puta pro justitia et salute per Christum parta: hæc enim patribus promissa erat, et ob hanc prædicatam à Judæis accusabatur Paulus. Unde et subdit:

7. IN QUAM DUODECIM TRIBUS NOSTRÆ NOCTE AC DIE (Græca addunt, ἐν ἐκτενείᾳ, *in assiduitate*, vel *contentione*) DESERVIENTES, puta latria Deum colentes, adorantes et invocantes; hoc enim est λατρεύοντες: Syrus *precibus assiduis vacantes*, SPERANT DEVENIRE.] Judæi enim sperabant justitiam et salutem per Messiam, sive Christum: verum negabant eum jam venisse, esseque illum quem prædicabat Paulus; sed adhuc exspectari, esseque venturum. Hinc patet spem sumi pro re et salute sperata, nec enim Judæi sperabant devenire in spem, utpote quam jam habebant, et ex qua sperabant, sed in ipsam rem speratam, puta ad salutem, resurrectionem et beatitudinem æternam: in hanc enim sperabant devenire.

8. QUID INCREDIBILE JUDICATUR APUD VOS, SI DEUS MORTUOS SUSCITAT?] Probavit Apostolus resurrectionem Christi, et nostram ex testimonio Patrum, qui omnes illam crediderunt et sperarunt; nunc eamdem probat ex omnipotentia Dei q. d. Deus est Deus, id est omnipotens, ac consequenter Dominus vitæ et mortis: ergo credibile est, imo certum, eum posse mortuos suscitare. Si enim potuit homines cum non essent, ex nihilo creare, cur non possit eosdem jam creatos, et per mortem dissolutos redintegrare et resuscitare?

9. Et ego quidem existimaveram,] ἐδοξα ἐμαυτῷ, id est, *mihi ipsi persuaseram, prorsusque decreveram.* Ostendit se non ex levitate à judaismo transisse ad Christianismum, sed illustratione et vi divina immutatum et adactum.

10. Multos Sanctorum,] multos Christianorum.

Et cum occiderentur, detuli sententiam,] latam à judicibus, puta à principibus sacerdotum: hanc enim ego detuli ad Officiales quorum erat eam exequi, et Christianos à judicibus damnatos occidere. Hinc videtur, plures tunc fuisse occisos. Idem patet ex Actor. 9. 1. *Saulus autem adhuc spirans minarum et cædis.* Quod enim aliqui id ad unum S. Stephanum arctant per synecdochen, violentum videtur, præsertim quia Paulus in nece Stephani non detulit sententiam, utpote quæ tunc nulla fuit. Occisus est enim Stephanus; non per sententiam judicis, sed per furorem populi. Addit Cajetan. Paulum sententiam mortis à Judæis judicibus latam in Christianos, detulisse ad Præsidem Romanum, ut is eam confirmaret, sine cujus approbatione robur non habuisset, atque ab eo subscriptam retulisse, ut executioni mandaretur.

Nota. Pro *sententiam* græce est ψῆφος; quod multa significat, nimirum Primo, *computum* et *rationem* q. d. Detuli computum et rationem damnatorum occidendorum, v. g. tot esse occidendos gladio, tot strangulatione, tot suspendio, etc. Secundo, *suffragium*. Unde Syrus vertit, *suffragabar iis qui damnabant eos*, probando, laudando, et exequendo eorum sententiam. Tertio, *calculum*. q. d. Cum judicarentur et occiderentur, ego inter judices meum quoque dedi calculum, eoque illos damnavi. Quarto, Noster optime *detuli sententiam*, scilicet à judicibus ad executores: Paulum enim non fuisse judicem, sed judicum administrum, patet Actor. 9. 1. ubi dicitur: *Saulus autem adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, et petiit ab eo epistolas in Damascum ad Synagogas, ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem*, judicandos à principibus sacerdotum et populi.

11. Compelleram blasphemare,] cogebam eos negare Jesum, ut dicerent Jesum non esse Messiam, sive Christum, sed juste à pontificibus damnatum et crucifixum: hoc enim est blasphemum, utpote Christo Deoque injurium. Nota hic humilitatem Pauli, qua sua scelera publice confitetur et exaggerat.

12. In quibus,) civitatibus vel operibus insaniæ, ait Hugo. Unde Pagnin. vertit, *quarum rerum studio.*

Cum potestate et permissu.] Alii vertunt, *cum potestate et commissione:* ἐπιτροπη enim significat non tantum *permissionem* sed et *curationem, procurationem, commissionem.* Unde ἐπίτροπος est curator, tutor, procurator, vicarius, præfectus, qui quid committitur. Noster solerter vertit, *permissu*, ut significet missionem hanc et commissionem Pauli ad persequendum Christianos, fuisse non tam à principibus et judicibus sponte demandatam, quam ab ipso Paulo sollicitatam, procuratam, et pene ab invitis, vel certe non mittentibus, sed permittentibus extortam, quo significatur ingens zelus et ardor Pauli pro Judaismo contra Christum et Christianos. Utroque ergo sensu crescit oratio Pauli.

13. Supra splendorem solis circumfulsisse me lumen.] Erat ergo hoc lumen ingens et eximium, utpote referens majestatem Christi, ab ejusque corpore glorioso, quod solis splendorem longe superat emanans. Sic de stella Magis missa à Christo qui est lux mundi, ut eos ad se evocaret canit prudentius in hymno Epiphan.

> Quem stella quæ solis rotam
> Vincit decore ac lumine,
> Venisse terris nuntiat,
> Cum carne terrestri Deum.

Et S. Ignatius epist. ad Ephesios, de stella hac ait: *Stella effulsit, exuperans omnes quotquot ante fuerant: lux enim illius inenarrabilis erat, et stuporem incussit omnibus aspicientibus eam rei novitas, omnia autem reliqua astra cum sole et luna, chorus fuere stellæ ipsius; ipsa vero claritate exuperabat omnes.* Hæc tanta lux Paulo, et Magis discussit infidelitatis et errorum tenebras, ut per eam cernerent Christum, qui est via, veritas et vita, ac verus sol mundi. Unde probabile est quod nonnulli censent, lumen hoc fuisse orbiculare instar solis, ut quasi globus lucidus ambiret Paulum. Hoc enim innuit τὸ *circumfulsisse*, scilicet circumcirca in modum circuli fulsisse. Præclare. S. Aug. serm. 28. de Sanctis: *Dum portat*, inquit, *Saulus funereum contra milites Christi gladium, fulmineum de cœlo accepit testimonium. Dum grassatur, percutitur: dum Christi Sanctos persequitur, violento radio cœlestis luminis cæcatur.* Cætera de Pauli conversione dixi v. 9.

14. Decidissemus in terram.] Sed ita ut comites Pauli ilico è terra surgerent, starentque attoniti, Paulus vero in terra postratus jaceret, ut dixi cap. 9.

Hebraica lingua.] Unde videtur Paulus hic non hebraice, sed græce, uti locutus erat Lysiæ cap. 21. 37. vel certe Latine esse locutus. Agebat enim causam coram Festo Præside Romano, et Latine norat Agrippa, utpote Romæ à puero versatus.

16. Ad hoc enim apparui tibi.] Ergo Paulus tunc realiter vidit Christum sibi præsentem et astantem, idque ad hoc, ut ab eo edoctus et missus, oculatus posset ejus esse testis.

Et eorum quibus apparebo tibi.] *Quibus*, id est, quorum causa ait Sanchez; Pagnin. *in quibus.* Hinc liquet, Christum sæpius apparuisse Paulo, multaque ei revelasse.

19. Non fui incredulus,] ἀπειθής, *insuasibilis, incredulus, inobediens*, sed statim mihi persuaderi permisi fidem in Christum, statim credidi, statim illi obedivi.

Cœlesti visioni.] Græce ὀπτασίᾳ, quæ ait Œcumen. est pura rei inspectio, quæ hominem excedit, et quam qui est in carne, videre nullo modo potest, nisi cœlitus aperiantur ei oculi.

22. Nihil extra (id est, ut vertit. Pagnin. *nihil aliud*) dicens quam ea quæ prophetæ locuti sunt futura esse.] Est hoc tertium argumentum apologiæ Pauli. Primum enim fuit ex testimonio patrum. v. 6. Secundum, ex visione Christi, oculos et mentem illuminantis v. 13. Tertium est hoc loco ex oraculis Prophetarum, qui prædixerunt futura de Christo, quæ Paulus jam facta prædicabat. Nota. Prophetæ prædixerunt Christum venturum, ac novam legem, Ecclesiam et Sacramenta sanciturum: quæ autem et qualia illa futura essent, non explicarunt, sed in Christo

decernendum, et Paulo ac Apostolis explicandum reliquerunt. Quare evanescit sophisma Kemnitii dum sic argutatur : Paulus ait, se non aliam pœnitentiam prædicare, quam quæ à Prophetis suo ævo prædicata fuerat. Illa autem non erat Sacramentum : Ergo nec ea quæ à Paulo in lege nova prædicata est, est Sacramentum. Major enim in rigore est falsa : nam Paulus loquitur in genere, non in specie, de pœnitentia : Pœnitentia enim à Prophetis prædicata, fuit virtus pœnitentia : à Paulo vero prædicata, fuit virtus et Sacramentum pœnitentiæ; quod Prophetæ non prædicarunt, sed prædixerunt in genere, dum per Christum afferendam remissionem peccatorum, modumque ea condonandi sanciendum vaticinati sunt, quis autem ille modus in particulari futurus esset, nimirum per Sacramentum pœnitentia à Christo instituendum non edixerunt, sed Christo edicendum resignarunt.

23. Si passibilis Christus,] τὸ *si* non est conditionale, sed assertivum, per hebraismum significans *quod*. q. d. Prophetæ prædixerunt quod Christus futurus esset passibilis, moreretur, et primus à morte resurgeret, ac deinde per eum cæteri Christiani, ita Lyran. Hugo, Dionys. Sanchez et alii. *Quid mirum*, ait S. Gregor. homil. 26. in Evang. *si ossa, nervos, carnem, capillosque reducat ex pulvere, qui lignum, fructus, folia in magna mole arboris ex parvo quotidie semine restaurat.*

Lumen (veritatis veræque religionis, fidei et salutis) annuntiaturus est populo Judaismo, et gentibus.] Hinc Simeon Christum vocat *lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis Israel*, Lucæ 2. 32.

24. Insanis Paule.] Dixit hoc Festus, tum ob altitudinem mysteriorum, puta passionis Christi filii Dei et resurrectionis, quæ ipse, utpote homo Gentilis, non capiebat, et delira censebat : tum ob visionem Christi, et lucis tam fulgidæ v. 13. in qua eum delirare putabat : tum ob ardorem, vim, et impetum dicendi in Paulo, qui tantus erat, ut videretur esse emotæ mentis. Verum dicebat Festus in sensu, non suo, sed mystico : ebrius enim erat Paulus et insanus, non mero, sed vero ; non furore, sed amore : amor enim Dei faciebat eum stultum et insanum mundo. Audi S. Bernard. tractat. de Natura divini amoris cap. 3. *Mirumne*, ait, *erat, si insanire pronuntiabatur, qui in ipso mortis periculo ipsos judices, à quibus pro Christo judicabatur, ad Christum convertere nitebatur? non hanc insaniam multæ litteræ in eo faciebant, sicut dicebat Rex veritatem intelligens, sed dissimulans; sed Spiritus sancti ebrietas, in qua et in parvo, et in magno, similes eos sibi facere gestiebat, qui cum judicabant.* Vide dicta Actor. 2. 13.

Nota. Paulus hic in multis refert Christum. Christus vocatus est potator vini, et dæmonium habere : ita Paulus vocatur hic maniacus et insanus. Christus publice docuit, idque pontifici in passione respondit Matth. 26. 55. ita Paulus ait v. 26. *Latere eum nihil horum arbitror : neque enim in angulo quidquam horum gestum est.*

Multæ te litteræ ad insaniam convertunt.] Studiosi enim et litterati nimis litteris addicti facile in melancholiam, phrenesin et maniam incidunt. Quin et Aristot. asserit, nullum magnum ingenium sine mixtura dementiæ fuisse. Vide eum in Problem. sect. 30. ubi docet Platonem, Socratem, Empedoclem, Poetas et heroes laborasse melancholia, nonnullos etiam mania. Petro OEcumen. *Festus*, inquit, *dixit hæc turbatus ac indignatus, quod se despici crederet* (eo quod Paulus vultum et vocem converteret ad Agrippam, non ad Festum) *quod regem qui tantopere cupierat illum audire, ab illo, adeo præfractis oculis conspici cerneret, quod non tam purgare calumniam videretur, quam gloriari de sua doctrina vel vita.*

Mor. Nota, mundus sui contemptores, virosque zelosos et divinos censet insanire, vocatque insanos. Sic Propheta unecturus Jehu in regem, audiit : *Quid venit iste insanus ad te? 4.* Regum 9. Sic de Christo dicitur : *Et dum audissent sui, exierunt tenere eum, dicentes, quia in furorem versus est.* Marci 3. 21. Sic hodie viri religiosi et contemplativi à mundanis habentur ludibrio, et vocantur fatui : sed in die judicii suum errorem agnoscent, seroque dicent: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam*, etc. *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est.* Sap. 5. 4.

25. Sed veritatis et sobrietatis verba loquor.] Primo, q. d. Non sum ebrius et insanus, sed sobrius, sanæ mentis et veridicus. Sobrietas enim hic opponitur insaniæ et furori, hic enim facit hominem loqui clamose et turbulente instar ebrii. Secundo, q. d. Vera loquor, idque moderate et sobrie, non nimis ea exaggerando, et supra veritatem extollendo. q. d. In veritate prædicanda modum non excedo. Sic Paulus ait: *Sive mente excedimus, Deo : sive sobrii sumus, vobis*, 2. Cor. 5. 13. Tertio, q. d. *Falsitas abest à dictis, petulantia à fictis, quæ duo sunt insaniæ propria*, ait Glossa.

27. Credis Rex Agrippa Prophetis.] q. d. Si credis Prophetis, uti credis, quia Judæus es, ergo crede et Christo, iisque quæ ego de Christo prædico, quia eadem de eo prædixerunt Prophetæ : Est in hac apostrophe acer stimulus, quo pungit Agrippam, ut credat in Christum.

28. In modico suades, me Christianum fieri.] Primo. q. d. Modicum abest, quin suadeas et persuadeas mihi ut fiam Christianus ; modico negotio persuaderes mihi Christianismum. *Parum abest, quin me feceris Christianum*, ait Cyrillus Hierosol. catechesi 17. Cajetan. Sanchez et alii, quin et Chrysost. hom. 16. ad pop. *Sancti enim*, inquit, *in periculis non considerant quomodo iis liberentur, sed quomodo persequentes lucrentur.* Unde Gagneius et Salmeron censent, Agrippam occulte fuisse Christianum. Verum huic sensui non concordat responsio Pauli : *Opto apud Deum, et in modico, et in magno*, etc. Unde Chrysost. censet Paulum non satis assecutum esse mentem Agrippæ ; quod parum videtur credibile.

Secundo. OEcumen. q. d. Modico tempore, labore et sermone, quo mecum locutus es, suades me fieri Christianum, et Vatabl. et Lyran. q. d. Ex parte et modice suades me fieri Christianum; sed perfecte non suades, non persuades, ut ἐν ὀλίγῳ, sit idem quod ἐν ὀλίγου, scilicet χρόνου καὶ λόγου, id est, *per modicum tempus et sermonem.* Cui Paulus congrue opponit : *Et in modico et in magno.* q. d. Opto te non tantum cum modico, sed et cum magno tempore, labore et sermone meo, fieri Christianum.

Tertio, et genuine, τὸ ἐν ὀλίγῳ, id est, *in modico*, opponitur pro παρολίγοι, ac respondet Hebræo כמעת *kimat*, id est modice, parum, aliquantulum suades. Cui Paulus congrue opponit : *Et in*

modico et in magno. q. d. Non tantum modice, sed et multum, toto corde et affectu opto suadeoque te fieri mei similem, puta Christianum: nec tantum te, sed et omnes qui me audiunt.

Nota hic zelum Pauli, quo Agrippam regem Judæorum, judicem suum apud quem à Judæis accusabatur, quod Judæos à Judaismo ad Christianismum traduceret, ad eumdem traducere et convertere satagit: sed incestuosus rex, veniens cum tanta pompa et fastu, parum aptus erat evangelio, ejusque continentiæ, modestiæ et humilitati, unde illico surgens Pauli sermonem incidit et abrupit.

29. FIERI TALES, QUALIS ET EGO SUM.] Puta Christianos imo Apostolos et prædicatores Christi, qualis ego sum. Præclare S. August. tr. 8. in epist. S. Joannis: *Audi*, inquit, *Apostolum dicentem de visceribus charitatis: Vellem omnes homines esse sicut meipsum. Quomodo volebat omnes? Æquales. Ideo erat omnibus superior, quia charitate optabat omnes æquales.*

EXCEPTIS VINCULIS HIS.] Hinc liquet, Paulum vinculis constrictum et onustum perorasse: nimirum vincula pro Christo ei animos non minuebant, sed augebant, unde in iis exultare et gloriari solet. Vide hæc vincula Pauli mire celebrantem S. Chrysost. homil. 9. in epist. ad Ephesios tom. 4. Sed hanc sapientiam non capiebat Agrippa Rex pompaticus: ideoque Paulus vincula ab illo eximit aitque, *Exceptis vinculis his.* Capiebat eam S. Ignatius, fundator Societatis nostræ, qui pro Christi prædicatione incarceratus, multis ei condolentibus, respondit: *Nescitis quam felix et gloriosum sit, vinciri pro Christo; non sunt tot compedes in urbe, quin et ego plures ferre pro Christo desiderem.* Quocirca continua experientia edoctus, dicebat et docebat, compendiosam viam ad perfectionem esse desiderium multa patiendi pro Christo; ita Ribaden. in ejus Vita l. 1. c. 15.

Vide S. Chrysost. hic homil. 52. ubi inter alia extollit Pauli animos et ignes, quod hæc vincula quibus vinctus erat ut malefactor, nihili fecerit, ideoque in iisdem toto affectu incubuerit ad convertendum Agrippam, omnesque astantes. *Talis*, inquit, *est anima cælesti amore sublimis: non cum ii qui fœdis amoribus capiuntur, nihil putant vel gloriosum, vel pretiosum, quam quod ipsorum concupiscentiis servit; id enim solum gloriosum ac honestum putant, et amasia fit eis omnia: multo magis qui tali amore flagrant, nihili faciunt pretiosa. Si autem non consideramus quæ dicuntur, haud mirum est; imperiti enim sumus hujus Philosophiæ. Qui enim igne Christi captus fuerit, talis fit, qualis esset homo solus super terram habitans; adeo nihil curæ ei est gloria et ignominia: sed quemadmodum si solus nihil curaret, ita et talis quoque non curaret. Tentationes autem sic contemnit, ac flagella et carceres, quasi in alieno corpore paterentur: vel quemadmodum si adamantinum possideret corpus. Ea autem quæ suavia sunt in hac vita, ita videt, et non sentit, sicut nos vel ipsi mortui, corpora mortua. Tantum autem abest, ne ab affectione quadam capiantur, quantum aurum quod igne probatur, à macula abscedit. Et sicut muscæ in medium flammæ incidunt, sed fugiunt: ita et affectiones illis accedere non audent.*

32. DIMITTI POTERAT HOMO HIC, SI NON APPELLASSET CÆSAREM.] Imo dimitti poterat, etiamsi appellasset, quia appellarat coactus, et appellatione sua non nisi dimissionem quærebat: quare si eam præstitisset præses, ultro appellatione sua cessisset Paulus. Hoc ergo prætexit Rex, quia Judæos offendere nolebat dimittendo Paulum, sed eis gratificari mittendo eum vinctum ad Cæsarem ad quem appellarat.

CAPUT VIGESIMUMSEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PAULUS ROMAM DEDUCENDUS CENTURIONI TRADITUR: CRETAM APPELLIT: PRÆDICIT TEMPESTATEM ET NAUFRAGIUM, SED AB EO VECTORES OMNES ERIPIENDOS, FOREQUE SALVOS.

1. UT autem judicatum est navigare eum in Italiam, et tradi Paulum eum reliquis custodiis Centurioni nomine Julio cohortis Augustæ. 2. Ascendentes navem Adrumetinam, incipientes navigare circa Asiæ loca, sustulimus, perseverante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicensi. 3. Sequenti autem die devenimus Sidonem. Humane autem tractans Julius Paulum, permisit ad amicos ire, et curam sui agere. 4. Et inde cum sustulissemus, subnavigavimus Cyprum, propterea quod essent venti contrarii. 5. Et pelagus Ciliciæ et Pamphiliæ navigantes, venimus Lystram, quæ est Lyciæ: 6. et ibi inveniens Centurio navem Alexandrinam navigantem in Italiam, transposuit nos in eam. 7. Et cum multis diebus tarde navigaremus, et vix devenissemus contra Gnidum, prohibente nos vento, adnavigavimus Cretæ juxta Salmonem: 8. et vix juxta navigantes, venimus in locum quemdam, qui vocatur Boni portus, cui juxta erat civitas Thalassa. 9. Multo autem tempore peracto: et cum jam non esset tuta navigatio, eo quod et jejunium jam præteriisset, consolabatur eos Paulus, 10. dicens eis: Viri, video quoniam cum injuria et multo damno, non solum oneris et navis, sed etiam animarum nostrarum, incipit esse navigatio. 11. Centurio autem gubernatori et nauclero magis credebat, quam his quæ à Paulo dicebantur. 12. Et cum

aptus portus non esset ad hyemandum, plurimi statuerunt consilium navigare inde, si quomodo possent, devenientes Phœnicem, hyemare, portum Cretæ respicientem ad Africum et ad Corum. 13. Aspirante autem Austro, æstimantes propositum se tenere, cum sustulissent de Asson, legebant Cretam. 14. Non post multum autem misit se contra ipsam ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo. 15. Cumque arrepta esset navis, et non posset conari in ventum, data nave flatibus, ferebamur. 16. In insulam autem quamdam decurrentes, quæ vocatur Cauda, potuimus vix obtinere scapham. 17. Qua sublata, adjutoris utebantur, accingentes navem, timentes ne in Syrtim inciderent, summisso vase sic ferabantur. 18. Valida autem nobis tempestate jactatis, sequenti die jactum fecerunt: 19. et tertia die suis manibus armamenta navis projecerunt. 20. Neque autem sole, neque sideribus apparentibus per plures dies: et tempestate non exigua imminente, jam ablata erat spes omnis salutis nostræ. 21. Et cum multa jejunatio fuisset, tunc stans Paulus in medio eorum dixit: Oportebat quidem, ô viri, audito me, non tollere à Creta, lucrique facere injuriam hanc et jacturam. 22. Et nunc suadeo vobis bono animo esse: amissio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquam navis. 23. Astitit enim mihi hac nocte angelus Dei, *cujus* sum ego et cui deservio. 24. Dicens: Ne timeas Paule, Cæsari te oportet assistere; et ecce donavit tibi Deus omnes qui navigante cum. 25. Propter quod bono animo estote viri: credo enim Deo, quia sic erit, quemadmodum dictum est mihi. 26. In insulam autem quamdam oportet nos devenire. 27. Sed posteaquam quartadecima nox supervenit, navigantibus nobis in Adria circa mediam noctem, suscipicabantur nautæ apparere sibi aliquam regionem. 28. Qui et summittentes bolidem, invenerunt passus viginti: et pusillum inde separati, invenerunt passus quindecim. 29. Timentes autem ne in aspera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quatuor, optabant diem fieri. 30. Nautis vero quærentibus fugere de navi, cum misissent scapham in mare, sub obtentu quasi inciperent à prora anchoras extendere, 31. dixit Paulus Centurioni, et militibus. Nisi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis. 32. Tunc absciderunt milites funes scaphæ, et passi sunt eam excidere. 33. Et cum lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes sumere cibum dicens. Quartadecima die hodie exspectantes jejuni permanetis, nihil accipientes. 34. Propter quod rogo vos accipere cibum pro salute vestra: quia nullius vestrum capillus de capite peribit. 35. Et cum hæc dixisset, sumens panem, gratias egit Deo in conspectu omnium: et cum fregisset, cœpit manducare. 36. Animæquiores autem facti omnes et ipsi sumpserunt cibum. 37. Eramus vero universæ animæ in navi ducentæ septuaginta sex. 38. Et satiati cibo alleviabant navem, jactantes triticum in mare. 39. Cum autem dies factus esset, terram non agnoscebant, sinum vero quemdam considerabant habentem littus, in quem cogitabant, si possent, ejicere navem. 40. Et cum anchoras sustulissent, committebant se mari, simul laxantes junctures gubernaculorum: et levato artemone secundum auræ flatum tendebant ad littus. 41. Et cum incidissemus in locum dithalassum, impegerunt navem: et prora quidem fixa manebat immobilis, puppis vero solvebatur à vi maris. 42. Militum autem consilium fuit ut custodias occiderent ne quis cum enarrasset, effugeret. 43. Centurio autem volens servare Paulum, prohibuit fieri: jussitque eos, qui possent natare, emittere se primos, et evadere, et ad terram exire: 44. et cæteros alios in tabulis ferebant: quosdam super ea, quæ de navi erant. Et sic factum est, ut omnes animæ evaderent ad terram.

1. Ut autem judicatum est,] à Præside Festo, qui secutus est judicium Agrippæ suique concilii. Unde Syrus, *decrevit de eo Festus, ut mitteretur ad Cæsarem in Italiam.* Porro missus est Paulus Romam non solus, sed cum sociis; inter quos erat Lucas. Unde pro *navigare eum*, græce est, ἀπὸ πλεῖν ἡμῶς, id est, *navigare nos in Italiam:* Ita Pagnin. Tigur. et alii. Lucas ergo socius et Achates Pauli particeps fuit omnium ejus afflictionum, easque hic ut oculatus testis describit.

Cum reliquis custodiis,] id est vinctis, qui custodiebantur in carcere, vel custodia: hos enim significat Græcum δεσμώτας: Custodia enim non tantum carcerem, sed et metonymice ipsos incarceratos, sive custoditos significat. Ita Suetonius in Domitiano: *Nec nisi secreto et solus,* inquit, *plerasque custodias, receptis quidem in manu catenis, audiebat.* Et ff. *de rerum custodia* sancitur, *Ne quis receptam custodiam sine causa dimittat.* Et alibi: *Si custodia*, id est vinctus, *se interfecerit, vel præcipitaverit, militis culpæ asscribitur.* Aliquando vero *custodia* significat ipsos custodes et apparitores, ut cum vocantur acres vel vigiles custodiæ. Ita Cæsar lib. 4. de Bello Gallico: *Neque clam transire propter custodias Menapiorum possent.* Plautus Cap. *Ita vinculis custodiisque circummuniti sumus.* Tacitus l. 1. *Acribus namque custodiis domum et vias sepserat Livia.* Tibul. *Sed pretium si grande feras, custodia victa est.* Catull. *Tuo adventu vigilat custodia.* Virg. 9. Æneid. *Noctem custodia ducit insomnem ludo.* Porro hi vincti, vel ad Cæsarem,

æque ut Paulus, appellarant†; vel ob criminum enormitatem, aut difficultatem causæ, aliave ratione ad Cæsarem mittendi erant. Vide hic rursum Paulum assimilari Christo, qui cum iniquitatis deputatus, et inter latrones crucifixus est.

Cohortis Augustæ.] Incertum est, unde hæc cohors dicta sit *Augusta*. Hugo ita dictum censet, quod missa esset ab Augusto; Dionys. quod à Nerone: hic enim vocabatur *Augustus*, quia Imperator. Alii quod esset cohors Imperatoria. Sic enim vocantur milites *Augustales* apud Vegetium lib. 2. c. 7. æque ac *Prætoriani*, qui prætorem stipant. Alii *Augustæ* id est Imperatricis, cohortem hanc fuisse aut ab ea denominatam autumant.

2. Navem Adrumetinam.] Syrus, *quæ erat ex Adrumeto* urbe, et forte ad eamdem redibat. Adrumetum urbs est in Africa, de qua Plinius l. 6. c. 34. et illam hic accipit S. Hieron. in locis Hebr. Verum alii accipiunt urbem in Asia puta in Æolide, sive Mysia, quam Stephanus l. de Urbibus vocat Adramytteum. Perperam aliqui legunt *Rumentinam* explicantque *Romam tendentem*.

Sustulimus,] anchoras; Pagnin. *solvimus, vela fecimus*. Probabile est navim hanc solvisse e Joppe: Joppe enim non longe aberat Cæsarea, unde vinctus mittebatur Paulus; ita Mariana.

Aristarcho Macedone,] ut ille in Macedonia omnia, quæ circa Paulum acta erant annuntiaret; ita Chrysost. Porro Aristarchum vocat Thessalonicensem urbem, qui erat Macedo provincia; Thessalonica enim erat urbs in provincia Macedoniæ.

3. Humane autem tractans Julius Paulum,] captus eximia Pauli modestia, sapientia et virtute.

4. Subnavigavimus Cyprum.] Id est sub, vel juxta Cyprum navigavimus; ita Pagnin. et Tigur. non enim videntur ingressi Cyprum, sed mansisse in mari. Unde et sequitur: *Et pelagus Ciliciæ et Pamphiliæ navigantes venimus Lystram.*

Propterea quod essent venti contrarii,] imminente jam hieme. Paulus enim sub Pentecosten appulerat Hierosolymam, ut dixi c. 21. 17. mox captus multo tempore, quæ gessit hucusque narrata sunt; ut proinde jam instaret hiems, idque patet ex jejunio, de quo v. 9. ita S. Chrysost. qui et addit: *Iterum tentationes, iterum venti contrarii. Vide per omnia vitam sanctorum sic contexi. Effugerant tribunal, et faciunt naufragium, ac ferunt tempestatem.* Ita Sanctis texitur hic spinea patientiæ corona, ut pariter texatur in cœlis gemmeum gloriæ diadema.

5. Lystram.] Græca, Syrus, S. Chrysost. Isidor. Hugo. Gagneius. Vatabl. et alii legunt *Myram*: hæc enim est in Lycia; cum Lystra patria Timothei, sit in Lycaonia. Verum Latina Biblia, etiam à Romanis emendata constanter habent *Lystram*. Hæc enim licet sit in Lycaonia, tamen quoque est in Lycia: hæc enim generatim sumpta Lycaoniam, aliasque regiones complectitur; ita Stephanus lib. de Urbibus.

7. Contra Gnidum.] *Gnidus* est urbs, aut promontorium Asiæ Cretæ objectum.

8. Et vix juxta (terram) navigantes,] id est, littus legentes.

Talassa.] Græca et Syrus, *Lasæa*, Gagneius ait esse civitatem in littore Cretæ; juxta locum, qui dicitur *Boni portus*. Bonitas enim portus urbem celebrat et locupletat: illum enim ambiunt mercatores et nautæ, ut merces et portoria eo inferant. Quatuor sunt quæ ditant, inquiunt Itali, et ex eis Tiraquellus, *il porto, morto, porco, horto*. Portus enim dat portoria: mortuus suas opes relinquit heredibus: porcus pinguescit, caroque venditur, hortus dat herbas et fructus.

9. Cum jam non esset tuta navicatio, eo quod et jejunium jam præteriisset.] Nonnulli cum Syro et OEcum. putant hoc jejunium fuisse Judæorum puta mense septimo in festo Expiationis, q. d. Jam præterierat æquinoctium autumnale, urgebatque hiems, quando navigatio est periculosa. Multis id confirmat Sanchez. Primo, quia jejunium hoc fuit publicum et solemne: tale autem apud Judæos erat in die Expiationis. Loquitur enim Paulus, et Lucas ex Paulo Judæis, quibus plena erat navis Judaica. Secundo, quia post equinoctium autumnale ingruunt venti et tempestates, soletque esse periculosa navigatio; unde nautæ metuere solent diem S. Matthæi. Tertio, quia in solsticio hiberno sunt dies alcyonii et sereni, nimirum septem dies ante illud, et totidem post, teste Plinio l. 10. c. 32. Vide Sanchez, alii tamen opinantur, hoc jejunium fuisse ante festum tabernaculorum. Alii fuisse jejunium die sexto Marchesuan id est Octobris, inchoatum, quod Judæi ad aliquot dies protrahebant. Ita Mariana.

Verum alii multi accipiunt jejunium decimi mensis, sive quatuor temporum in Decembri. Illud enim apud Christianos antiquissimum est, utpote in quo solebant ordinari Episcopi, Sacerdotes, et Diaconi, ut patet ex Vitis Pontificum. Post hoc enim urget hiems estque periculosa navigatio. Jampridem enim apud Christianos exoleverant jejunia et festa Judaica, et pro illis successerant Christiana. Lucas enim hæc videtur scripsisse Christianis Christiane: scripsit enim 24. annis post Christum, sive post promulgatam legem novam, Act. 2. ita Bellarm. l. 2. de Bonis oper. c. 19. qui hinc probat antiquitatem jejunii quatuor temporum. Adde, jejunium hoc Christianum decimi mensis quasi coincidisse cum jejunio Judaico ejusdem mensis: Judæis enim hoc mense indictum fuisse jejunium patet Zachar. 8. 19. Vide ibi dicta; ita Baron. Sic Pentecosten non Judaicam, sed Christianam nominat, imo describit Lucas Actor. 2. 1. et seq.

Sane verius videtur, hic jejunium non Septembris, sed Decembris intelligi; sive Judaicum, illud accipias, sive Christianum. Primo, quia in Decembri periculosissima est navigatio (non in Septembri) qualis hæc fuit, ut patet ex horribili ejus naufragio, et ex præmonitione S. Pauli. Secundo, quia S. Chrysost. tradit S. Paulum multo post Pentecosten tempore profectum Cæsarea, et ipsa fere hieme in Cretam devenisse. Tertio, noster Octavius Cajetanus in Isagoge c. 20. urget illud c. 24. 27. *Biennio autem expleto accepit successorem Felix Portium Festum*, qui paulo post S. Paulum vinctum misit Romam. Hoc enim biennium ab initio imperii Neronis ordiendum esse censent Baron. Lorinus et Scaliger: Nero autem orsus est imperium 3. Idus Octobris, ut Seneca, Suetonius et Tacitus tradunt. Quare de Septembri hæc Pauli navigatio accipi nequit: tunc enim necdum Nero expleverat biennium imperii, sed illud expleturus erat proximo Oc-

tobri. Verum hæc ratio non plane concludit : uti dixi c. 24. 27. nam, verisimilius alii biennium hoc ordiuntur à præfectura Felicis, quæ cœpit ante Neronem, sub finem Imperii Claudii. Quarto, magis urget, quod (uti dicam cap. 28. 16.) multi tradunt Paulum Romam appulisse sero admodum, puta die sexta Julii. Ergo serum fuit hoc jejunium, et paulo post secutum naufragium, puta in Decembri. Si enim fuisset in Septembri, utique in Januario, ut vult Scaliger, Romam appulisset. Quocirca videtur, ait noster Octavius Paulus in Decembri Cæsarea discessisse, ita ut hæc ejus navigatio longaque in mari jactatio contigerit proxime sequente Januario : tum enim solent flare venti navigantibus infesti, ac tardam, molestam et periculosam (qualis fuit hæc) efficere navigationem : ita ut naufragium S. Pauli inciderit in Februarium quando acre est frigus, ob quod accensa pyra eum naufragum cum sociis recrearunt Melitenses. Porro Melitæ hiemavit Paulus, mansitque tres menses, ut ait S. Lucas : quibus expletis, in vere cœpit navigare. *Ver enim*, teste Plinio l. 2. c. 47. *aperit navigantibus maria, cujus in principio Favonii hibernum molliunt cœlum.* Videtur autem Paulus non ineunte, sed adulto vere, sub initium Maii Melita discessisse, ita ut in navigando Melita Syracusas, Syracusis Rhegium, Rhegio Puteolos, Puteolis Romam, mensem et amplius insumpserit. Adde tres dies Syracusis ab eo insumptos, unum Rhegii, septem Putcolis, sic fiet, ut Romam appulerit die sexta Julii ; quod revera ita contigisse, Beda et alii passim tradunt, uti dicam v. 14.

Hæc noster Octavius apposite, cui in plerisque assentior, excepto exordio navigationis, quod ipse Novembri, vel Decembri assignat. Nam nautæ et navigantes (qui multi hic erant, scilicet 276.) non solent ordiri navigationem tam longam in Decembri, utpote instante hieme, et procellis in mari periculosis. Quare alii verosimilius censent, navem hanc solvisse Cæsarea sub Septembrem, ut ante hyemem posset in Italiam appellere : sed quia ipsa adversos pene continuo habuit ventos, hinc sua spe frustrata, tarde admodum navigavit, multosque menses in mari insumpsit; nec Italiam attigit, sed Melitæ hyemavit. Hoc est enim quod diserte de ea ait Lucas hoc c. 27. 4. *Subnavigavimus Cyprum, propterea quod essent venti contrarii.* Et v. 7. *Et cum multis diebus tarde navigaremus, et vix devenissemus contra Gnidum, prohibente nos vento.* Deinde subdit v. 4. *Multo autem tempore* (puta multis mensibus) *peracto, et cum non esset tuta navigatio, eo quod et jejunium jam præteriisset*, etc., cum scilicet jam esset Januarius : sub finem enim Januarii videtur sequens Pauli naufragium contigisse, ita ut ex eo evadens Melitam, in ea hyemarit, hæseritque tres menses, puta toto Februario, Martio et Aprili : ac inde ineunte Maio Romam versus discesserit, juxta id quod ait Lucas c. 28. 11. *Post menses autem tres navigavimus.* Sic enim lente navigans, uti ostendam v. 12. Romam pervenit die sexta Julii, quod constanter veteres affirmant.

Consolabatur,] παρήνει, id est *hortabatur, suadebat;* Syrus, *consulebat*, eoque consolabatur eos in tam lenta molestaque, æque ac periculosa navigatione. Omnia hæc significat vox παρήνει.

10. Video,] non tam ex aere aliisque naturæ prognosticis, quam ex spiritu prophetico.

Injuria,] quasi dicat, Iniqui et injurii sumus, non tantum navi et mercibus, earumque dominis, puta mercatoribus ; sed et animabus, id est, vitis nostris : hæc enim perditionis et mortis periculo exponimus, si tempore hiberno et importuno navigare pergamus. Minus recte aliqui per *injuriam* accipiunt Dei offensam, et peccata à nautis et vectoribus commissa, quasi ex iis præsagierit Paulus imminentem ex Dei vindicta tempestatem.

12. Phœnicem.] *Phœnix* hæc non est Phœnicia regio Syriæ, cujus caput est Tyrus et Sidon : sed urbs et portus in Creta ad australe ejus littus. Ita Ptolomæus lib. 3. c. ult. qui urbem vocat φοινίκη, portum φοινικοῦντα. Et sic per appositionem explicat Lucas subdens, *Portum Cretæ respicientem ad Africum et ad Corum.* Africus enim est ventus partim Australis, partim Occidentalis, nimirum medius inter Austrum et Occidentem : Corus vero est Occidentalis, seu lateralis vergens in Austrum, de quo Juven. satyr. 14.

Atque habitas Coro semper tollendus et Austro.

Porro Africus dictus est, quia flat ab Africa. Unde alio nomine Libycus, Libs, et Notus vocatur, de quo Horat. l. 1. Carm. ode 1. *Luctantem Icariis fluctibus Africum.* Et Plinius l. 18. c. 34. *Ex adverso Aquilonis ab Occasu brumali Africus flabit, quem Græci Liba vocant.* Hinc turbidus est procellosus, et tempestates ciet. Unde Africæ procellæ, quasi ab Africo vento excitatæ, vocantur ab Horatio l. 3. Car. ode 19. Idem Ephod. 16.

Ire, pedes quocumque ferunt, quocumque per undas
Notus vocabit, aut protervus Africus.

Et Virgil. 1. Æneid.

Una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis
Africus et vastos volvunt ad littora fluctus.

Hinc et Isaias : *Turbines*, inquit, *ab Africo veniunt*, ita ipse c. 21. 1.

Hiemare.] In Phœnice, portu Cretæ jam dicto.

13. Cum sustulissent (scilicet antennas et anchoras, hoc est solvissent) de Asson.] *Asson* hæc non est illa urbs juxta Troadem de qua cap. 20. 13. sed erat urbs, vel locus et portus Cretæ ad Septentrionem ; ex quo solventes, et Cretam præterlegentes versus Occidentem, ad portum Phœnicem, qui erat ad Meridiem, navigare decreverunt. Ita Baron.

14. Misit se contra ipsam ventus Typhonicus, qui vocatur euroaquilo.] Græce εὐροκλύδων, id est, Eurus tempestuosus et fluctuosus excitansque in mari fluctus et vortices, instar Aquilonis : vel qualis est Eurus ad Aquilonem vergens. Unde Noster vertit *Euroaquilo*, ac nonnulli suspicantur Nostrum in Græco legisse εὐροκυλων, itaque omnino in Græco legendum contendit Philippus Cluverius lib. 2. de Antiqua Sicilia cap. 16.

Eurus sive Vulturnus, flat ab Oriente : unde opponitur Zephyro, qui flat ab Occidente : sin medius sit et mistus, hoc est, flet inter Orientem et Aquilonem est Euroaquilo. Et talem hic fuisse indicat Noster, vertens *Euroaquilo*, idque collegit ex eo, quod navis ex Cretico littore, hoc vento partim Meridiem, partim Occidentem versus impulsa sit, puta Melitam, quæ inter Africam et Siciliam sita est.

Dices, Melite directe est ad Occidentem respectu Cretæ, et nullo modo vergit ad Meridiem.

Ergo Euroaquilo navim S. Pauli non poterat impellere versus Melitam, sed versus Africam. Respondet Phil. Cluverius loco citato, Meliten esse ad Occidentem Cretæ, sed Gaulum sive Gaudam, in quam navim impulit Euroaquilo, esse Cretæ ad Meridiem versus Occidentem objectam, teste Mela et Plinio. Hoc ergo vento à Creta infra dextram Gaulum abrepti, cum metuerent ne ulterius eodem cursu in Syrtin impellerentur, *demissis velis ita ferebantur*, nempe ex Ortu in Occasum versus Melitam, gubernaculi adjumento eam regionem tenentes.

Verum huic responsioni obstat Primo, quod Ortelius et alii Geographi Gaulum, sive *Gozo* ponant præcise ad Occidentem Melitæ, æque ac Cretæ. Rursum, quod idem Euroaquilo navim S. Pauli ex Gaulo impulerit Melitam. Insuper quod hic Euroaquilo fuerit Typhon, ut ait S. Lucas; Aristoteles autem negat Typhonem fieri spirante Aquilone, eo quod ille conflatus sit ex sicca calidaque exhalatione, ideoque frigus geluque Aquilonis evincat, statimque extinguat. Fuit ergo hic ventus orientalis, puta Eurus, seu Euroclydon, quod Noster vertit *Euroaquilo*, non quod ex Aquilone spiraret, sed quod impetuosus esset et violentus instar vehementis Aquilonis. Typhonicus enim ventus Euroclydon dictus; Eurus est procellosus, vorticosusque et cum impetu vibratus. Eurus autem ab Oriente hiberno spirat, ut Aristot. Seneca et plinius docent: ex qua cœli plaga spirans ventus, si navigantes in Adriatico mari deprehendat, in Melitam juxta Siciliam recte impellit, ut ex tabulis navigationis et Geographiæ notum est. Ita noster Octavius Cajet. in Isagoge c. 19.

Utrumque conciliabis, si utrumque jungas, dicasque Euroaquilonem vocari Eurum, qui procellosus erat, ut Aquilo, et simul nonnihil ad Aquilonem inclinabat, eratque lateralis, qui à Columella l. 3. c. 11. vocatur Euronotus, à Gellio l. 2. c. 22. Vulturnus, flatque ab Oriente hiberno inter Eurum et Notum, sive Aquilonem, teste Plinio l. 2. c. 47.

Adde, in mari, præsertim hieme, subito sæpe novos, imo contrarios exurgere ventos, eosque inter se vices alternare, adeoque confligere. Sic Euroaquilonem hunc non toto tempore jactationis navis spirasse, sed cum Zephyro vices mutasse valde est credibile, et pene certum. Nam ventus hic tandem navim ex Cauda insula, quæ est ad Occidentem Melitæ, uti inferius dicam, impulit, Melitam. Flavit ergo tunc ab Occidente, fuitque Occidentalis, puta Zephyrus; non Orientalis, puta Eurus.

Typhon est ventus contortus et turbulentus, vortex seu vertex, et turbo, quem Græci orbe motum vocant, vel ecnephiam, id est è nube erumpentem per exiguum nubis foramen, ideoque impetuosus est et procellosus, de quo Aristoteles l. 3. Meteor. et Plinius l. 2. c. 48 de repentinis flatibus: *Sin vero*, ait, *depresso sinu arctius rotati effregerint sine igne, hoc est, sine fulmine, vorticem faciunt, qui Typhon vocatur, id est, vibratus ecnephias. Defert hic secum aliquid abruptum à nube gelida convolvens, versansque et ruinam suo illo pondere aggravans, et locum ex loco mutans rapida vertigine: præcipua navigantium pestis, non antenas modo, verum ipsa navigia contorta frangens.* Signum imminentis Typhonis, sive ecnephyæ est nubecula quædam, quam ubi vident nautæ, illico vela demittunt et se in portum recipiunt. Frequens est Typhon Genuæ, ubi sæpe naves confringit; saxa, arbores, turres, stabula evertit, imo à fundamentis avellit, alioque transfert. Remedium Typhonis Plinius assignat acetum, utpote frigidissimum, in advenientem Typhonem, utpote calidissimum, effusum, unde et dictus est *Typhon* à τύφω id est *inflammo*. Idem illisu suiipsius repercussus, correpta secum in cœlum refert, sorbetque in excelsum.

Porro hunc Typhonem et tempestatem excitatam esse à diabolo, ut mergeret et perderet Paulum, innuit S. Chrys. Ubi symbolice Nota, apposite diabolum insinuasse se Typhoni; quia ipse sæpe Typhoni se immiscet, excitatque in mari et aere tempestates. Unde et Typhon ita naves aliasque res abripit, agit et rotat, ut animatus videatur. Dæmon ergo est spiritualis Typhon. Primo, quia typho superbiæ turget. Secundo, quia tentando homines Typhonem imitatur, turbationes in imaginatione et anima suscitando, sicut Typhon suscitat tempestates in mari, idque rotando animam ab una cogitatione in aliam, ab una passione in aliam, ab uno desiderio in aliud: jam enim metu, jam audacia; jam ira, jam pusillanimitate; jam tristitia, jam lætitia; jam suspicionibus, jam præsumptione, jam odio, jam amore hominem exagitat. Unde S. Gregorius libro 32. Moral. capite 17. illud Job capite 40. v. 12. *Nervi testiculorum ejus perplexi sunt*, mystice explicat de multiplicibus argumentis diaboli, quibus ipse animas prostratas sibi polluit et corrumpit. *Testiculi*, inquit, *ejus sunt suggestiones pravæ, quibus in mentis corruptione fervescit, atque in constuprata anima iniqui operis prolem gignit. Sed horum testiculorum nervi perplexi sunt; quia suggestionem illius argumentu implicatis inventionibus illigantur, ut plerosque ita peccare faciat, quatenus si fortasse peccatum fugere appetant, hoc sine alio laqueo peccati non evadant: et culpam faciant, dum vitant; ac nequaquam se ab uno valeant solvere, nisi in alia consentiant ligati.* Id deinde particularibus exemplis in quolibet statu, ad oculum demonstrat.

Tertio, Typhon est fulmineus: per disruptam enim nubem laxiorem locum quærens, instar fulminis magno impetu deorsum ruit: imo subinde exhalationum et ventorum repercussu et arctatione ignem; et quasi fulmen concipit, ita ut simul ignis et flatus deorsum ferantur: et tunc Prester dicitur (à πίμπρημι, id est, *incendo*) proxima quæque non solum prosternens, sed et amburens: cujus etiam incendio nonnumquam mare effervescit, uti docent Conimbric. tract. 6. in Meteora c. 7. Ita dæmon fulmineus est, imo fulmen, juxta illud Christi: *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*, Lucæ 10. 18. ac fulminis instar homines invadit, sternit, accendit ira, libidine, aliisque cupiditatibus, juxta illud Job cap. 41. 10. *De ore ejus lampades procedunt, sicut tedæ ignis accensæ. De naribus ejus procedit fumus, sicut ollæ succensæ atque serventis. Halitus ejus prunas ardere facit, et flamma de ore ejus egreditur.* Ubi vide S. Greg. 33. Mor. c. 21. Sic Seleucus Asiæ Rex Ceraunius, id est fulmineus, cognominatus est, ob ingenium acre et fulmineum.

Quarto, S. Greg. in Cant. c. 3. explicans illud: *Surge Aquilo, et veni Auster. Quid*, inquit, *per Aquilonem qui in frigore constringit, et torpentes*

facit, nisi immundus spiritus designatur, qui reprobos omnes dum possidet, à bono opere torpere facit? per Austrum vero, calidum scilicet ventum: Spiritus sanctus figuratur, qui dum mentes electorum tangit, ab omni torpore relaxat, et ferventes facit, ut bona quæ desiderant operentur.

Quinto, aliquando flatus è diversis nubibus, inquiunt Conimb. loco citato, vel alia atque alia parte ejusdem nubis protrusi, inter se conglobantur, et dum in diversa nituntur, durante pugna in se retorquentur, ac rotati vorticem efficiunt similem ei quem videmus in aquis fluminum, quæ in saxum ad latus ripæ prominens incurrunt, et sine exitu in sese collectæ flectuntur: quo item modo alias, cum ex lato in angustum in portis aut viis ventus vi adigitur, vortex existit. Igitur flatus magna vi excussus è nube, si recta descendat, proprie ecnephias dicitur: sin in gyrum torqueatur, turbo vel Typho vocatur, qui validissime omnia secum abripit, contorquet, diffringit. Unde Olympiodorus Typhona dictum esse ait, διὰ τὸ τύ πτειν σφοδρῶς, id est, *quia valide et vehementer corpora, in quæ incidit, verberat et quatit*, Nautæ vero, ait, σίφωρα appellant, quia instar σίφωρος, id est *tubæ*, maris aquam ad se trahit. Ita diabolus homines instabiles et inconstantes validissime quatit, et ad se suosque casses trahit, juxta illud Habacuc. 3. 14. *Maledixisti sceptris ejus, capiti bellatorum ejus, venientibus ut turbo ad dispergendum me.* Et Job 40. 18. *Ecce absorbebit fluvium, et non mirabitur; et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus.* Ubi vide S. Gregor. l. 32. Moral. c. 6.

15. Cumque arrepta esset navis,] à vento Typhonico, qui eam agebat et gyrabat instar turbinis.

16. Cauda.] Jam Græca habent κλαύδην, id est *Claudam*. A Plinio l. 3. c. 8. *Gaulos* vocatur, à Mela l. 2. c. 17. *Caudos*, à Ptolemæo l. 3. 13. *Glaudos;* ab alii vocatur *Caudos*, ab aliis *Caunos;* Syrus vertit *Cura*, vel *Cora*. Suidas indicat Καυδω insulam esse vicinam Cretæ hoc nomine memorabilem, quod illic generentur ingentes onagri. Alii censent, hic intelligi eam, quæ nunc corrupto nomine Gaulo, Gaudico et Goza dicitur, et vix tribus horis distat à Melita: tum quia paulo post navis hæc Melitam appulit: tum quia ejus incolæ profitentur se conversos à S. Paulo cum Melitam venit, adduntque per miraculum majores suos ex sua insula Paulum Melitæ concionantem audivisse. Quid mirum? ita audita fuit vox S. Antonii de Padua, et S. Vincentii Fererii ab absentibus et longe remotis. Verum huic opinioni obstat, quod navis hæc vix post quatuordecim dies, ut dicitur v. 27. appulerit Melitam, cum Gozo à Melita paucis horis distet; nisi quis dicat navim contrariis ventis agitatam, nunc antrorsum, nunc retrorsum actam, circa Gozo jactatam per tot dies fuisse, uti fieri solet in tempestate. Ita *Caudam* esse eam quæ nunc *Cozo* dicitur, censet Philippus Cluverius l. 2. de Antiqua Sicilia c. 16. multique alii.

Potuimus vix obtinere scapham.] Id est vix scapham è mari subtrahere et in navim imponere potuimus. Solent enim naves onerariæ scapham sibi adjungere, tum ad homines mercesque invehendos et evehendos, tum ad speculandum piratas et vada, tum ut in naufragio per illam evadant, tum ob alia plura commoda. Scapha dicitur à σκάπτω, id est *excavo*. Primitus enim scaphas et naves faciebant ex truncis arborum excavatis, uti etiamnum faciunt Indi, apud quos naves sunt lintres excavati. Beda aliter dispungit et legit, nimirum sic: *Tunc transcurrimus insulam, quæ dicitur Cauda, quam occupare non potuimus, sed scapha missa adjuvare cœperunt navim.* Verum hæc lectio plane discrepat à Græco et Latino Vulgato.

17. Qua sublata,] in navim.

Adjutoriis utebantur, accingentes navim.] Cajet. per *Adjutoria* accipit adjutores milites et vectores, qui erant in navi: hosce enim adjuvisse nautas ad succingendam navim. Sic enim servos et operarios vocamus *operas* in abstracto. Alii planius per *adjutoria* intelligunt catenas, uncos, funes aliaque instrumenta, quibus accinxerunt navim.

Quæres, quid sit *accingere navim?* et quomodo id factum? Cajet. censet factum per dolia vacua, quæ utrimque navi appensa eam sustinebant, ne in arenam impengeret, aut hæreret. Verum hæc dolia navim onerariam sustinere non potuissent.

Quare melius Beda, Gagneius, Arias et alii, censent id factum esse, tum per catenas, funes et uncos quibus navim contrinxerunt: tum per anchoras, saxa, aliaque pondera, quæ navi alligata in mare demiserunt; partim ad retardandum cursum navis, ne ventorum impetu acta in saxa et Syrtes dissiliret, uti in mari Britannico refrenandæ navi post tergum ingentia saxa subjungere solent, ait Beda: hæc enim et navim deprimunt, ut minus vim ventorum sentiat, et eam degravant, ne tam facile vento agitari et rotari possit: partim ad præsentiendum Syrtes et scopulos: partim ut recta rectoque libramine incederet navis, ne vi venti acta in latus, everteretur et mergeretur: partim ut funibus, catenis et uncis latera navis sibi invicem astricta firmiora essent, validiusque scopulis resisterent: partim ut funibus navis retineri à nautis, et dirigi aliqua ratione posset. Sic àurigæ in descensu declivi et præcipiti, rotam ultimam catena succingunt, ne rotari possit, ut ita currus vehementiorem cursum et rotationem remorentur, ne in præceps actus evertatur vel frangatur.

Porro tota navis in longum circumcirca accingi nequivit. Erat enim in longitudine ingens et vasta, ut pote quæ præter onera continebat 276. homines. Quare in partibus nonnullis dumtaxat eam accinxerunt, v. g. in medio, latus utrumque transversim colligando et constringendo, item proram sive partem navis anteriorem: hanc enim in tempestate valida etiamnum accingere solent nautæ, ne in vada impengens diffringatur; et ut fluctibus in eam primo irruentibus validius resistat, eosque constanter secando iter pervium tutumque navi faciat. Est enim prora quasi rostrum et lancea navis, ejusque clypeus, murus et antemurale.

Ne in Syrtim inciderent.] *Syrtis* in singulari, vel *Syrtes* in plurali, sunt loca arenosa circa fines Africæ Ægyptum versus, ideoque periculosissima, ita dicta à σύρειν, id est *trahere*, quod naves trahat et sorbeat. Unde Sirenes in Syrtibus naves et nautas incantare, et sorbere fabulati sunt Poetæ. Est enim in ea inæqualitas maris et terræ magna, et uno loco profundissima, in alio vero vadosa: spiranteque vento cumulus arenæ qui super mare fuerat, in profundissimas residet valles, et qui deprimebatur, mox super aquas

egeritur. Inde arenosa loca in mari quolibet, vocantur Syrtes, ait Servius.

Submisso vase.] Primo, Syrus et Beda per *vas* accipiunt antennam, sive lignum transversum in malo, cui velum alligatur. q. d. Submisimus antennam cum velo. Ita Chrysost. et Mariana : vela enim submittunt nautæ in tempestate, ne à furente vento navis abripiatur et mergatur. Secundo, Vatabl. accipit scapham. q. d. Scapham in intam navim demisimus. Tertio, Cajet. accipit dolia jam dicta. Quarto, Gagneius, Dionys. et alii multi accipiunt anchoram, id est anchoras. Anchora enim est proprium vas, id est, instrumentum navis et nautarum. q. d. Submissis in mare anchoris, uti paulo ante dixi, navim retardarunt. Quinto, Salmeron accipit ipsam navim, ejusque ventrem et fundum. q. d. Vas, id est, navim depressimus in mare per anchoras, saxa, aliaque pondera, ut ipsa submissior esset, minusque vim et impetum venti sentiret et exciperet; quæ expositio valde est apposita.

18. Jactum fecerunt,] sarcinas et merces projecerunt in mare ad alleviandam navim, ne navis adeo onerata venti impetu allisa ad scopulos, illico dissiliret. Unde Syrus vertit, *supellectilia nostra projecimus in mare.*

19. Armamenta navis projecerunt.] *Armamenta* vocat instrumenta nautica, quæ navis quasi sunt arma, uti sunt anchoræ, conti, remi, saburra, etc.

Tempestate non exigua.] Nubium, imbrium, procellarum, ventorum, tonitruorum et fulminum. Horrisonum est eam in mari videre et audire : habet enim speciem perpetuæ noctis, orebi et inferni. Nam, ut ait Silius lib. 4.

> Fertur ab immenso tempestas horrida cœlo,
> Nigrantesque globos et turbida nubila torquens,
> Involvit terras.

Et Virgil. 1. Æneid.

> Talia jactanti stridens Aquilone procella
> Velum adversa ferit, fluctusque ad sidera tollit.
> Franguntur remi, tum prora avertit, et undis
> Dat latus, insequitur tumulo præruptus aquæ mons.
> Hi summo in fluctu pendent : his unda dehiscens
> Terram inter fluctus aperit, furit æstus arenis.
> Tres Notus abreptas in saxa latentia torquet;
> In brevia et Syrtes urget tres Eurus ab alto,
> Illiditque vadis, atque aggere cingit arenæ.

21. Et cum multa jejunatio fuisset,] ἀσιτία, id est *inedia*, tum ob metum et pavorem naufragii, qui homini cogitationem cibi famemque adimit, facitque ut homo non aliud quam periculum et mortem instantem cogitet : tum ad placandum et propitiandum Deum.

Stans Paulus.] Corpore, et magis animo et corde. *Nam navis cordis ejus in marinis fluctibus integra stetit*, ait S. Gregor. l. 7. epist. 127. quia anchoram spei fixerat in Deo. Notat Chrys. Pauli lætitiam in tanto periculo; proposuisse enim sibi Romæ conversionem pro præmio : modestiam quod non objurget, non exprobret, se, cum tempestatem hanc prædiceret, non fuisse auditum, calamitosis enim non est addenda calamitas : prudentiam qua eis sanum dat consilium: misericordiam et charitatem, qua vinctorum, qui mille facinorum rei erant, paternam curam gessit, omnesque salvavit, ac salutem omnibus prædixit et promisit. Additque, permissam esse hanc tempestatem à Deo, ut per eam Pauli virtus, sanctitas et dignitas panderetur.

Lucrique facere,] κερδῆσαι, id est *lucrari*, hoc est, accersere hanc *jacturam* sive damnum, et *injuriam;* Syrus, *penuriam.* Hugo et Vatabl. per *injuriam* accipiunt maris et cœli tempestatem. Planius *injuriam* hanc accipias pro jactura et damno. Hoc enim erat injurium tam nautis et vectoribus, quam heris mercium, quæ erant in navi, præsertim cum Paulus id nautis prædixisset, ideoque ipsi illud cavere debuissent, ut dixi v. 10.

22. Nullius animæ.] Id est, vitæ corporalis. Addit Lyran. et spiritalis, quasi omnes hæ animæ in Pauli gratiam, à Deo in æternum salvatæ sint. Verum id non est genuinum, esto sit probabile, uti innuit S. Chrys. de quo v. 24.

Præterquam navis.] Tum ut nautæ sua navi mulctarentur, quod non audissent sanum Pauli consilium : tum ut Deus eam permitteret cursui naturali; in naufragio enim solet præ cæteris navis perire et perdi : tum ut majus appareret Dei beneficium et gloria Pauli, quod sine navi omnes vectores salvasset. Ita Chrys.

23. Cujus sum ego,] minister, cultor et Apostolus. Dicit hoc, ne Gentiles qui erant in navi suo Deo, aut diis, hoc oraculum aut miraculum tribuerent.

Et cui deservio,] λατρεύω, id est, *quem latria colo.*

24. Donavit tibi Deus omnes.] Ergo omnes jam perditi erant, id est, certo perdendi, tum cursu naturæ, ob vim tempestatis, uti ait Œcumen. tum ultione Dei, ob eorum scelera. Unde Chrysost. sic explicat. q. d. *Digni quidem erant, qui perirent, quoniam inobedientes fuerunt : verumtamen in tui gratiam servabo eos.*

Quocirca idem Chrys. in Moral. *Si navigantes*, ait, *periclitantes et naufragium sustinentes, si et vincti per Paulum servati sunt, cogita quid est esse virum sanctum in domo : multæ enim tempestates etiam nobis incumbunt his multo graviores, sed potest Deus etiam nos donare, modo credamus Sanctis, sicut illi, si fecerimus quæ præcipiunt. Non enim simpliciter servantur, sed etiam ipse fidem attulerunt : licet vinctus esset Sanctus, majora solutis operatur. Et considera hoc hic factum. Solutus centurio vincto illo habebat opus : gubernator peritus non gubernante egebat. Non enim talem gubernabat scapham, sed orbis Ecclesiam; qui didicerat ab illo maris Domino non humana arte, sed spirituali scientia, in navi illa multa naufragia, multas procellas, spiritus malitiæ, intus pugnas, foris timores atque ita hic revera gubernator erat.* Simili modo S. Benedictus suis meritis et precibus obtinuit, ut Longobardi monasterium suum vastantes, nullum hominem caperent vel necarent, eis ergo Deus res tradidit, animas custodivit. Similis ergo Paulo fuit Benedictus, ait S. Gregor. 2. Dial. c. 17.

Subdit Chrys. nostram vitam esse quasi continuam tempestatem, et ærumnarum vicissitudinem, ac proinde nos pariter indigere Paulo, ideoque ejus opem nobis conciliare debere credendo et obediendo ejus epistolis et præceptis; ac concludit : *Retineamus apud nos Sanctos; nec erit tempestas : imo etiamsi fuerit tempestas, erit serenitas ac tranquillitas, et à periculis liberatio. Quoniam vidua illa Sanctum hospitio habebat, etiam filii ejus mors saluta est, et redivivum accepit puerum. Ubi pedes Sanctorum ingrediuntur,*

nihil erit quod contristat; etiamsi quid fiat, id ad probationem majoremque Dei gloriam pertinet. Assuesce, ut pavimenta domus à talibus calcentur pedibus, et non calcabit dæmon illic: et valde merito: nam sicut ubi fragrantia est, ibi non habet locum graveolentia, ita ibi sanctum est unguentum, ubi suffocatur dæmon, lætificat simul agentes, animam recreat, odorem diffundit: ubi spinæ, ibi bestiæ: ubi hospitalitas, ibi non sunt spinæ. Misericordia ingrediens quavis falce melius sentes exsecat, quovis igne violentius exurit. Ne timeas. Reverentur Sanctorum vestigia, sicut leonem vulpes: Justus enim, ait, ut leo confidit. Introducamus hos leones in domum, et omnes exigentur bestiæ, non clamantibus, sed simpliciter loquentibus illis. Non enim leonis rugitus bestias sic fugat, ut justi oratio dæmones: si loquetur solum, devolant.

Similia habet S. Ambros. lib. 1. de Abraham c. 6. Ex dictis merito S. Hieron. lib. contra Vigilantium et hagiomachos colligit; si Paulus in hac vita salutem 276. animabus à Deo impetravit: ergo modo plura poterit jam gloriosus impetrare, eodem fruens in cœlo. *Porro propter Paulum hæc omnia vide fieri*, ait Chrysostom. *ut credant vincti milites ac centurio:* quos omnes innuit esse à Paulo ad Christum conversos. *Nam etiamsi lapides fuissent, propter oracula, miracula et beneficia Pauli, de illo magna utique cogitassent.* Et hoc innuit τὸ *donavit tibi Deus omnes*, scilicet tam quoad animæ, quam corporis salutem: illa enim hac longe est potior, propriaque S. Paulo.

27. In Adria] in mari Adriatico. Ita Syrus. Ita dictum est ab Adria veteri oppido et portu, ad Padum fluvium à Tuscis condito, teste Plinio l. 3. c. 16. Porro Adriaticum mare subinde late sumitur, nec tantum sinum Venetum, sed et mare Siculum et Jonium complectitur, ait Strabo; cujus fere ævo hæc contigerunt, ita hic sumitur.

28. Bolidem.] *Bolis* est perpendiculum nauticum, puta plumbum ex fune dependens, quo in mare immisso nautæ explorant alvei profunditatem, ne in vida, arenas et scopulos navis impingat. Dicta *bolis* quasi missilis, à βαλλειν, id est, *projicere, mittere, jacere.*

Invenerunt passus viginti, scilicet usque ad alveum, sive fundum maris. Unde *timentes* nautæ, ne in aspera loca, puta in arenas et scopulos, navis incideret, jecerunt de puppi Anchoras quatuor,] ut navim sisterent et firmarent, donec dies illucesceret, ut viderent quo loco essent, et quo cursum flectere deberent.

30. Sub obtentu,] sub prætextu, scilicet fingentes quod in scapham descenderent, non fugiendi causa, sed ut anchoras à prora, id est priore navis parte extenderent, vel in ipso mari, vel in terra et littore, ut vertit Syrus; quasi finxerint navim jam ad littus appulisse, esseque in tuto.

33. Quartadecima die hodie jejuni permanetis.] *Jejuni*, non quod nihil omnino comedissent, sed quod perparum et obiter, quantum scilicet ad vitam tuendam erat necessarium, ita Hugo, Gagneius et alii. Nam Hippocrates libro de Carnibus et princ. aliique medici docent, hominem sanum non posse sine cibo ultra septem dies vivere: Dico sanum: nam ægri, quibus calor naturalis languet, et abundat phlegma, quo calor pascatur, diutius inedia prorogare possunt. Quod ergo ait, *nihil sumentes*, id est, perparum et quasi nihil: vel *nihil* per modum stati justique prandii aut cœnæ, sed carptim quædam libantes potius, quam comedentes.

35. Cœpit manducare.] Nota hic prudentiam charitatis Pauli: ut afflictos consoletur, et inedia pene confectos inducat ad sumendum cibum; ipse primus publice gratiis actis Deo cœpit manducare. Hoc imitatus est vir quidam religiosus, mihi in Belgio notus, qui ut maniacum quemdam sibi ex læsa imaginatione persuadentem se esse mortuum, ideoque nolentem comedere et inedia se conficientem, quod diceret mortuos non comedere, sanaret, mortui habitum et speciem induit, cœpitque comedere coram maniaco, itaque ei persuasit mortuos quoque comedere: qua ratione eum ad comedendum induxit, sibique restituit.

38. Jactantes triticum.] In jactu ergo quem jam ante v. 18. fecerant, non projecerant triticum: quia scilicet hoc eis in cibum erat necessarium. Sic nec ea jactarunt, quibus enatarunt.

40. Laxantes juncturas gubernaculorum.] *Gubernacula* vocant clavum, quo navarchus regit navim, sicut auriga habenis regit equos, et temone currum; sicut arator stiva regit aratrum. Laxarunt ergo clavum, quasi navim sibi et ventis permittentes, ut facilius ad littus vel terram instantem ferretur: vel potius, ut expeditius clavo uterentur, ad dirigendum ejus impetum, quod vellent.

Artemone.] *Artemonem* alii trochleam, qua funes trahuntur; alii antennam, alii aliud esse censent. Verius est esse parvum arctumque velum, ita dictum ab ἀρτάω, id est *suspendo.* Ita Julius Pollux. Parvum fuisse colligitur ex eo, quod navis properabat ad littus: et quia nautæ in tempestate magnum velum deponunt, parvumque exponunt, ne vi ventorum abripiantur, et agantur in exitium.

41. Dithalassum.] Græce, Latine, *bimarem*, ut vertit Tigurina. Ita vocantur locus inter duo maria, sive isthmus, qui utrimque mari alluitur, illudque quasi secat et dividit, qualis est Corinthus, de qua Horatius l. 1. Carm. ode 7. *Aut Ephesum bimarisve Corinthi mœnia.* Porro in dithalasso ob terram mare secantem certum solet esse naufragii periculum. *Dithalassus*, hic adjacet Melitæ, et causatur à rupe vicina, à Melitensibus nunc *Selmon* vocatur; in qua proinde etiam visitur sacellum, in memoriam hujus naufragii, S. Pauli nomine dedicatum. In sinu ejus sinistro visitur in rupe concha rotunda, sex palmos profunda, et totidem lata in diametro, quæ communiter plena est aqua dulci, licet paucis passibus distet à mari ejusque aqua falsa, vocaturque fons S. Pauli: creditur ipse in exscensu illum miraculose produxisse. Denique hic locus in medio fere hoc littore etiam nunc vocatur vulgo *la Cala di S. Paolo*, id est, *portus* sive *appulsus S. Pauli.* Ita Philippus Cluverius lib. 2. de Antiqua Sicilia cap. 16. et noster Octav. Cajet. Isagoges cap. 19.

42. Custodias,] id est, vinctos reos quos custodiebant. Vide dicta v. 1. Eos ergo quasi reos mortis, occidere voluerunt milites,

44. Super ea, quæ de navi erant.] Puta super sarcinas, ligna et tigna; Vatabl. *Super fragmenta*, quæ scilicet è navi discindebant: nam navis erat integra, non fracta. Hoc est quartum Pauli nau-

fragium. Tria enim priora recenset ipse 2. Corinth. 11. 25. dicens : *Ter naufragium feci : nocte et die in profundo maris fui.* Illa enim epistola longe ante iter hoc Romanum scripta est. An sæpius passus sit, ignoramus.

Moraliter disce hic Primo, quanta sunt maris pericula, in quo, ut ait Anacharsis apud Laert. lib. 1. c. 9. et Juvenalis satyra 12. vectores tantum quatuor digitis (quibus scilicet navis mari eminet) distant à morte. Hinc Bias nautam, neque inter vivos numerabat, neque inter mortuos, teste Platone in Axiocho. Unde Cato de tribus dolebat. Primum, quod suum secretum revelasset mulieri ; Secundum, quod vel dies unus ipsi per negligentiam absque fructu effluxisset ; Tertium, quod eo navi vectus esset, quo poterat pedibus proficisci. Ita Plutarch. in vita Catonis. Eadem tria Alexandro tribuit Stobæus, Aristoteli vero Antonius in Melissa p. 1. serm. 17. nisi quod pro secundo ponat, quod in vita hac tam caduca et incerta, vel unum diem mansisset intestatus. Pittacus roganti, *quid fidum esset?* respondit, *Terra. Quid infidum, mare.* Laodamas inde Homericus nihil miserius esse censebat, quam virum fortem ponto exagitari. Calimachus dicebat jucundissimum esse mare, sed si quis illud de terra contempletur, quod imitatus Horatius ait :

Neptunum procul à terra spectare furentem.

Lucretius lib. 5. scribit, aureo Saturni sæculo non fuisse usum navis et navigationis. Quocirca vetus fuit fidelium consuetudo, ut conscensuri navim de peccatis confiterentur, et cum Deo in gratiam redirent, itaque vel se ad mortem componerent, vel mortis pericula evaderent.

Secundo, quam Deus suorum habeat curam. Paulum ecce Deus hic præsenti mortis periculo eripit, et propter eum vectores omnes, etiamsi infideles, numero 276. Vere Poeta :

Favente Numine, naviges vel vimine.

Ita Deus servavit Noe justum, cum octo animabus per arcam, in generali orbis cataclysmo : ita et Jonam in ventre ceti. Quin et Julius Cæsar in tempestate navarchum confortans : *Ne metuas*, ait, *Cæsarem ejusque fortunam vehis : illa te tutabitur.* Est enim Cæsaris : *quem numina nunquam destituunt :* ait Lucan. lib. 4. et Plutarch. in Cæsare. Memorabile est exemplum, quod graphice depingit S. Paulinus tota epist. ad Macarium : ubi senem quemdam mire à Deo horrendo naufragio, sociis omnibus et carinæ retinaculis amissis, ereptum commemorat. Simile est quod narrat S. Greg. 3. Dialog. c. 36. de Maximiano Syracusæ Episcopo, cum post naufraginm nono die salvum cum vectoribus omnibus in portum, sola navi mersa, pervenisse. Sic S. Magdalena cum S. Martha, S. Lazaro et sociis, à Judæis navi sine velis et remis imposita, Deo navim regente, salvis omnibus Massiliam appulit.

Tertio, Paulum et Sanctos in tempestate, naufragio, prælio, peste, latronibus, fame, carcere et quavis alia calamitate vel periculo, stare serenos et securos, præsertim cum obeunt opus pium et Apostolicum ; sciunt enim se Deo cordi et curæ esse. Quare tunc adeo non cadunt animo, ut celsiores evadant, eoque magis sperent in Deum : illique se uniant, quo majus est periculum. Ita Psaltes Ps. 28. 1. *Dominus*, ait, *illuminatio mea, et salus mea, quem timebo. Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversum prælium, in hoc ego sperabo.* Et Job. c. 13. 15. *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.*

Quarto, quid valeat virtus charitatis et obedientiæ. Volebat Deus Paulum ire Romam : ibique prædicare : Paulus ut huic voluntati Dei obsecundet, ad Cæsarem appellat, ac ultro subit tot terrarum mariumque discrimina. Quocirca hujus virtutis merito quasi obligat Deum, ut iter suum dirigat et secundet. Deus ergo eum, et ob eum socios omnes, per oraculum et quasi miraculum, certo mortis periculo eximit. Celebris est Historia et gnome de obedientia S. P. N. Ignatii, quam enarrat in ejus Vita P. Ribaden. lib. 5. c. 4. in fine. Cum esset, ait, Præpositus Generalis, dixit : si Summus Pontifex imperaret, ut ad ostia Tiberina scapham, vel navim primo obviam, clavo, malo, velis, remis destitutam conscenderem, itaque sine commeatu mare trajicerem, id facerem animo non solum æquo, sed et libenti. Cumque Prælatus quidam admiraus, regereret. Quæ isthæc esset prudentia ? Respondit S. Ignatius : *Prudentia Domine non tam est parentis, quam imperantis.* Parentem secutus est filius S. Franciscus Xaverius, qui in Mauricas insulas barbaras contendens, cum amici iter hoc dissuaderent, ac tandem vim facerent, negarentque navigium, respondit, *Se nulla pericula, nullum genus mortis, ubi Dei cultus et animarum salus agatur, formidare : nec ullos hostes ducere, nisi qui divino obstent obsequio, sibi certum esse in Mauricam Deum vocantem sequi : nec navigium morari, si navis desit, semet Deo incubantem utique transnaturum.* Ita Tursel. l. 3. Vitæ ejus c. 2. Dixit, et præstitit. Quocirca in naufragiis cum S. Paulo exultabat, rogabatque Deum, ut præsens periculum et crucem sibi non adimeret, nisi majus immitteret. Atque hoc suo zelo, in naufragio vectoribus omnibus vitam et salutem à Deo, instar S. Pauli, impetravit. Alias in certum exitium abruptam à navi vi tempestatis scapham qua infideles vehebantur, illis ipsis in scapha apparens, eamque revehens ad navim reduxit : quo miraculo eos ad fidem convertit. Denique Malacæ nobilem illam ducentis Lusitanis, contra quinque Acenorum pugnacissimorum millia navalem victoriam promisit, prædixit, imo eminus inspexit, et precibus suis præstitit.

Præclare S. Aug. in Ps. 132. *Multi*, inquit, *naufragaverunt cum Paulo. Amatores hujus sæculi passi sunt naufragium, et nudi omnes exierunt. Illi et quod foris habebant, amiserunt, et domum cordis sui invenerunt inanem. Paulus autem in corde ferebat patrimonium fidei suæ, quod nullis fluctibus, nullis tempestatibus potuit auferri. Nudus exiit et dives exiit.* Idem Aug. serm. 29. de Sanctis : *Petrus*, ait, *ambulare super aquas debita soli Deo potestate præsumpsit, et rerum obstante natura, per insueti maris novas vias pendulum inferens gressum, tumentia maris dorsa calcavit. Sed non minor Paulus, quem velut novi testamenti Jonam, die ac nocte per maris profunda jactatum, absorbuit fluctus, et reddidit, quasi sacrum depositum violare non audens : quia famulatrix eum unda custodiens, illæsum populorum prædicationibus reservabat.*

Quod si quandoque Deus justum, imo Apostolum, naufragio, aliove periculo non eripiat, sed mergi et emori permittat, conquiescat ille in voluntate Dei, dicatque cum S. Jobo afflicto c. 1. 27. *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Et illud Christi morientis, et ad inferos descendentis: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear. Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea: insuper et caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno.* Ps. 15. 8. Et illud S. Pauli Rom. 14. 8. *Sive vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur.* Ita S. Franc. Xaverium, jam Chinensis Imperii conversionem molientem, in insula deserta ab omnibus derelictum Deus emori permisit. Ita P. Ignatium Azebedium cum 40. sociis, Brasiliam Evangelii causa petentem anno Domini 1570. à Calvinistis trucidari mergique permisit. Ita nonnullos alios è Societate nostra navigantes ad Indos, naufragio perire permisit.

Memorabile est recens exemplum Patrum Lusitanorum, qui ad scopulum allisi, cum navarchus eis scapham offerret qua ad littus evaderent, respuerent, malentes vectorum turbæ in scopulo misceri, ut illi fame morituræ in extremo agone assisterent, et tandem commorerentur, quam iis derelictis vivere, quod sane est genus martyrii, et heroicæ charitatis, qua quis cum Christo pro fratribus animam ponit.

Legimus de B. Jordane, qui S. Dominico in Generalatu Ordinis Prædicatorum successit, fuitque eximiæ sanctitatis, cum, cum in terram Sanctam trajiceret, juxta Aconem naufragium passum mersumque interiisse: cumque multi non tam tanti viri mortem, quam genus mortis deplorarent, ac pene contra Deum, quod Patrem sanctum fluctibus hauriri permisisset, murmurarent, ipsummet Jordanem apparuisse pluribus, miro lumine coruscum, ac dixisse: *Ego sum Jordanes. Exivi ex hoc sæculo ad gloriam Beatorum, et inter Apostolorum choros et Prophetarum evectus sum, missusque sum ut vos consolarer. Hoc firmiter tenete, nec dubitate, quia salvus erit omnis, qui usque in finem Domino nostro Jesu Christo servierit.* Ita habet ejus Vita tom. 1. Surii die 13. Februarii. Justus ergo quacumque morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit, præsertim cum in itinere et opere charitatis vel obedientiæ vitam ponit. Talis enim cum Deo, imo pro Deo, et ex Deo moritur, ideoque est victima obedientiæ et charitatis, Deo valde gloriosa et chara.

Præclare S. August. epist. 122. in fine: *Quid interest*, ait, *febris an ferrum de corpore solverit? non qua occasione exeant, sed quales adse exeant, Deus attendit in servis suis.* Misere vixit, mortuus et sepultus est Lazarus, splendide dives Epulo; sed hic descendit in gehennam, ille ab angelis sublatus est in sinum Abrahæ, Lucæ 16. de quo vide S. Aug. in fine psalm. 33. Idem lib. 1. de Civit. cap. 11. *Mala mors*, ait, *putanda non est, quam bona vita præcesserit. Neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem. Non itaque multum curandum est eis, qui necessario morituri sunt, quid accidat ut moriantur, sed moriendo quo ire cogantur. Cum igitur Christiani noverint longe meliorem fuisse religiosi pauperis mortem inter lingentium canum linguas, quam impii divitis in purpura et bysso, horrenda illa genera mortium quid mortuis obfuerunt qui bene vixerunt.* Nam ut ait Sapiens c. 4. 7. *Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.*

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PAULUS MALTÆ VIPERAM È MANU ILLÆSA EXCUTIT, SANAT PATREM PUBLII ET ALIOS, INDE POST TRES MENSES NAVIGAT, PERVENITQUE ROMAM. UBI JUDÆIS, CONVOCATIS CAUSAM ADVENTUS SUI DENUNTIAT, AC BIENNIO IN LIBERO CARCERE, QUASI HOSPITIO, DEGENS, INTREPIDE PRÆDICAT EVANGELIUM.

1. ET cum evasissemus, tunc cognovimus quia Melita insula vocabatur. Barbari vero præstabant non modicam humanitatem nobis. 2. Accensa enim pyra, reficiebant nos omnes, propter imbrem, qui imminebat, et frigus. 3. Cum congregasset autem Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem, et imposuisset super ignem, vipera à calore cum processisset, invasit manum ejus. 4. Ut vero viderunt Barbari pendentem bestiam de manu ejus, ad invicem dicebant: Utique homicida est homo hic, qui cum evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere. 5. Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est. 6. At illi existimabant eum in tumorem convertendum, et subito casurum, et mori. Diu autem illis exspectantibus, et videntibus nihil mali in eo fieri, convertentes se, dicebant eum esse Deum. 7. In locis autem illis erant prædia principis insulæ, nomine Publii, qui nos suscipiens, triduo benigne exhibuit. 8. Contigit autem, patrem Publii febribus et dysenteria vexatum jacere. Ad quem Paulus intravit: et cum orasset, et imposuisset ei manus, salvavit eum. 9. Quo facto, omnes, qui in insula habebant infirmitates, accedebant: 10. qui etiam multis honoribus nos honoraverunt, et navigantibus imposuerunt quæ necessaria erant. 11. Post menses autem tres,

navigavimus in navi Alexandrina, quæ in insula hiemaverat, cui erat insigne Castorum. 12. Et cum venissemus Syracusam, mansimus ibi triduo. 13. Inde circumlegentes devenimus Rhegium: et post unum diem flante Austro, secundo die venimus Puteolos, 14. ubi inventis fratribus rogati sumus manere apud eos dies septem: et sic venimus Romam. 15. Et inde cum audissent fratres, occurrerunt nobis usque ad Appii Forum, ac tres Tabernas. Quos cum vidisset Paulus, gratias agens Deo, accepit fiduciam. 16. Cum autem venissemus Romam, permissum est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite. 17. Post tertium autem diem convocavit primos Judæorum. Cumque convenissent, dicebat eis: Ego, viri fratres, nihil adversus plebem faciens, aut morem paternum, vinctus ab Hierosolymis traditus sum in manus Romanorum, 18. qui cum interrogationem de me habuissent, voluerunt me dimittere, eo quod nulla esset causa mortis in me. 19. Contradicentibus autem Judæis, coactus sum appellare Cæsarem, non quasi gentem meam habens aliquid accusare. 20. Propter hanc igitur causam rogavi vos videre, et alloqui. Propter spem enim Israel catena hac circumdatus sum. 21. At illi dixerunt ad eum: Nos neque litteras accepimus de te à Judæa, neque adveniens aliquis fratrum nuntiavit, aut locutus est quid de te malum. 22. Rogamus autem à te audire quæ sentis? nam de secta hac notum est nobis quia ubique ei contradicitur. 23. Cum constituissent autem illi diem, venerunt ad eum in hospitium plurimi, quibus exponebat testificans regnum Dei, suadensque eis de Jesu ex lege Mosi et Prophetis, à mane usque ad vesperam. 24. Et quidam credebant his quæ dicebantur: quidam vero non credebant. 25. Cumque invicem non essent consentientes, discedebant, dicente Paulo unum verbum: Quia bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad patres nostros. 26. Dicens: Vade ad populum istum, et dic ad eos: Aure audietis, et non intelligetis: et videntes videbitis, et non perspicietis. 27. Incrassatum enim est cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos compresserunt: ne forte videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos. 28. Notum ergo sit vobis, quoniam Gentibus missum est hoc salutare Dei, et ipsi audient. 29. et cum hæc dixisset, exierunt ab eo Judæi, multam habentes inter se quæstionem. 30. Mansit autem biennio toto in suo conducto: et suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum. 31. Prædicans regnum Dei, et docens quæ sunt de Domino Jesu Christo, cum omni fiducia, sine prohibitione.

1. Melita.] Ita Romana et Græca: quare perperam nonnulli legunt *Mitylenen*, alii *Miletum*. Duæ insulæ vocantur Melite. Una est in Illyrico: in hanc è naufragio appulisse S. Paulum contendunt Illyrici, et ex eis Constantinus Porphyrogenitus Imper. ad Romanum filium de administrando Imperio c. 36. Argumenta eorum profert et confutat Philippus Cluverius lib. 2. de Antiqua Sicilia cap. 16. Altera est vicina Siciliæ, vulgo *Malta* dicta; ea hic intelligitur, quæ cœlo est clemente, aquis salubribus, agro benigno et frugifero, à bonitate mellis laudata; indeque Melita, ut videtur, appellata. Ipsa nunc invictum Equitum Melitensium est contra Turcas propugnaculum: ubi celebris Pauli, ex hoc ejus in illam appulsu, est memoria, et erga eum devotio, adeoque juxta urbem spelunca ostenditur cum duobus altaribus, in qua Paulus cum cæteris vinctis dicitur hospitatus. Terra, vel potius petra hujus speluncæ magna religione ab indigenis et advenis excavatur et effertur, valetque contra venena et serpentes: ex ea mihi Romæ particula data fuit, quasi rarum et insigne donum.

Unde Nota hic septem eximia beneficia, et privilegia, quæ S. Paulus contulit Melitæ et Melitensibus: adeo ut Deus ejus naufragium eo ordinasse videatur, ac procurasse, ut id juxta Melitam accideret, ad Melitensium salutem et commoda, quæ per hoc eis conferre ab æterno destinarat.

Primum fuit, Melitensium conversio, fides et salus. Mox enim à Christo sub ipsa Ecclesiæ primordia, Melitenses præ aliis insulis et gentibus prædicationem Evangelii accepere à S. Paulo eique prædicanti et miracula patranti credentes, ab eo primum nacti sunt Episcopum S. Publium, civem, imo principem suum.

Secundum, quod apud eos 276. navigationis et naufragii sui socios baptizarit. Milliari uno à portu in quo exscendit Paulus, etiamnum visuntur variæ ruinæ antiquarum fabricarum, in quibus extat sacellum indigitatum nomine *S. Joannis Baptistæ Telcheres*, id est, *inter ruinas*: ubi S. Paulus 276. jam dictos baptizasse, communis plurium vicinorum pagorum traditio est. Hujus rei indicium est, quod ante paucos annos cum sacellum hoc instauraretur, sub terra inventus sit fons baptismalis è duro lapide. Juxta sacellum extant anguli et parietes longi magnique affabre incisi et elaborati, ubi putatur fuisse villa et domus S. Publii.

Tertium, quod S. Paulus Melitæ commoratus sit per tres menses. Tradunt eum cum S. Luca, Aristarcho, Trophimo aliisque sociis habitasse in crypta quadam suburbana civitatis veteris, quam proinde in magna habent veneratione, adeo ut juxta eam ædificarint Ecclesiam, quæ per multa sæcula fuit matris et Episcopalis totius insulæ. Circa cryptam est cœmeterium ingens, in quo non soli Melitenses, sed et permulti exteri Nobiles devotionis ergo sepeliri, eoque se deportari testamento mandarunt, præsertim quia ibi se sepeliri curantibus olim data

fuit Indulgentia plenaria, qualis est Romæ sepultorum in campo sancto : quocirca in eodem perplura visuntur sacellula, in hoc cœmeterio locus est distans à crypta jactu sagittæ, in quo fama est prædicasse S. Paulum : ad cujus rei memoriam in eodem erexerunt crucem lapideam.

Quartum, quod Melitæ scorpiones et serpentes tam nati quam eo illati, ponant venenum : imo terra Melitensis sanat morsus quoslibet venenosos, etiam canum rabidorum, si in potu sumatur, aut plagæ imponatur; nec id tantum in hominibus, sed etiam in bestiis, adeo ut nonnulli medici Siculi eam præferant terræ sigillatæ. Valet enim non tantum contra venena, sed etiam contra febres malignas, dysenteriam, variolos, quin et toxica, præsertim è sublimato, vel casu, vel sponte hausta : cujus rei illustria exempla et miracula mihi narrarunt viri graves, eorum oculati testes.

Quintum, quod S. Paulus sæpe Melitam ab incursu hostium tutatus sit. Ut alia taceam, sub annum Domini 1470. cum Mauri classe octodecim millium militum eam invaderent, jamque tormenta disponerent ad quatiendam urbem veterem, tertio die apparuit S. Paulus veste stellata, quali depictus visitur in Ecclesia Cathedrali, ac vibrans gladium equo insidens, stipatus innumera multitudine visus est invadere Turcarum agmina : cumque in eum Turcæ multas conjicerent sagittas, omnes in ipsosmet retortæ et repercussæ resilierunt, eosque vulnerarunt et perdiderunt. Visi pariter fuere duo alii insulæ tutelares, S. Georgius, et S. Agatha, quam fama est ibidem persecutionem Siculam fugientem latitasse, ac celebre illud velum Ætnæ incendia compescens contexuisse; idque instar Penelopes ea arte, ut quæ per diem texuerat, noctu retexeret; eo quod matri urgenti eam ad nuptias, eas detrectans responderet, sibi prius velum hoc pertexendum esse. Quocirca S. Agathæ marmoream statuam tunc in muro collocarunt, sed facie à Turcis aversa, et ad urbem conversa : verum illa suapte vi faciem ad Turcas convertit tanto fragore, quantus est bombardarum majorum, adeo ut eodem perculsi Turcæ solverint obsidionem, seque in fugam dederint.

Sextum, quod Melitæ tres extent B. Virginis imagines depictæ à S. Luca, qui, ut ante dixi, comes S. Pauli cum eo in ea hiemavit, habitavitque per tres menses. Quocirca illas per tres primarias insulæ regiones dispertiti, magna colunt veneratione.

Septimum, quod Melita à tempore S. Pauli hucusque, nunquam defecerit à fide à S. Paulo accepta, etiamsi Mauri eam occuparint, tenuerintque per centenos et amplius annos. Idem Coloniæ Agrippinæ à Deo datum ob merita Martyrum Thebæorum, ac undecim millium Virginum ibidem quiescentium. Unde de ea canitur :

Ex quo fidem recepisti,
Recidiva non fuisti
Civitas prænobilis.

Hæc omnia de Melita mihi Romæ constanter viva voce affirmarunt, et scripto consignarunt nostri Patres Melitenses, viri graves et eruditi, eademque tradidit noster Octavius Cajet. in Isagoge c. 19.

Vide hic munificentiam S. Pauli, qua tanta largitate hospitium et hospitalitatem Melitensium remuneratus est, nimirum Sancti se à nobis liberalitate vinci non patiuntur, sed pro uno exili dono reddunt ingens, septulum, imo centuplum. Tanti est Sanctos hospitio recipere, eis benefacere, eos præsentes habere, eos colere et invocare. Hoc enim beneficio divino S. Paulus hospitales barbaros, eorumque humanitatem remuneratus est, ut qui barbariem in eum exuissent, natales viperas veneno exutas humanas in seipsos haberent; quin et glebas suas quasi antidota contra venena possiderent. Quocirca tota Melita S. Paulo consecrata jure S. Pauli insula tutelaris vocari queat : illam enim sæpe peste, fame, bello, liberat.

Barbari.] Incolæ Maltæ sive Melitenses, qui tempore Pauli et lingua et moribus erant barbari. Unde eo laudabiliores, quod tam humanos se præstiterint erga Paulum et naufragos, ita Chrysost.

3. Sarmentorum.] *Sarmenta* proprie sunt segmina vitium : inde tamen quorumlibet lignorum et surculorum segmina significant : hæc enim græce vocantur φρύγανα, id est, *ligna combustibilia*, quæ Latini cremia nuncupant, à φρύγω, id est, *torreo*.

Vipera.] Multi censent *viperam* dici, quasi vi parientem, eo quod fœtus viperæ alvum matris erodant, dum ex eo nascendo in lucem prodeunt. Verum experientia id docet esse falsum, uti alibi ostendi. Unde verius Theophrastes, et eo Ælianus l. 9. de Hist. anim. c. 31. et 32. censet, viperam dici quasi viviparam, eo quod pariat vivum animal, non ova, ut alii serpentes. Porro vipera adeo venenosa est et pestilens, ut solo sibilo et anhelitu quem efflat, hominem obstupefaciat, eique mortem, vel morbum quasi lethalem infligat. Vidi Romæ quemdam è Societate nostra, qui viperam feriens, ab ea sibilante ita afflatus et quasi sideratus fuit, ut multos annos stupore et morbo quasi incurabili laborarit. Arabes viperam vocant *Therion* à Græco θηρίον, id est *fera*. Unde pharmacum contra viperarum et serpentum morsus, ex ipsius viperæ carnibus confectum, vocatur *Theriaca* : cujus compositionem sub Nerone Imp. (qui matrem interfecit, uti vipera fertur matrem enecare) invenit Andromachus medicus, uti narrat Galenus, qui paulo post vixit sub Antonino Imper. tom. 5. l. de Theriaca ad Pisonem cap. 5. Sed ante Andromachum Antiochus Philometor Rex Asiæ, Theriacam, qua contra omnia venena utebatur, confecit ex serpyllo, aniso, opopanace, milio, trifolio, aneto, fœniculo, ammio, apio, ervo, vino generoso, immixtis et in pastillos digestis, uti refert Plinius l. 20. cap. 24. et Galenus libro citato.

Invasit.] Syrus, *momordit*, uti solent serpentes, dum quem invadunt : *pendebat enim de manu ejus.* Ita OEcum. et Lyran. hic, ac Tert. in Scorpiaco, c. 1. et Ambros. l. 6. Hexam. c. 6.

4. Ultio.] Numinis vindicta. Hæc enim præ cæteris facinorosos homicidas persequi solet, juxta illud Christi Matth. 26. 52. *Omnes qui acceperint gladium gladio peribunt.* Sic ultio Dei ubique persecuta est Cain fratricidam, Gen. 4. 7. et seq. Plura hujus ultionis exempla recensui Deuter. 21. 4. Pro *ultio* græce est δίκη, Syrus vertit, *justitia* : alii, *judicium* : alii, vindicta. Videntur barbari hi æstimasse δίκην, sive justitiam et vindictam esse deam, quam Hesiodus in Ergis, facit

Jovis et Themidis filiam, uti et alii Poetæ, qui eam Astræam vocant. Unde Ovidius l. 1. Metam. agens de ferreo improborum sæculo.

Ultima cœlestum, inquit, terras Astræa reliquit.

Cujus effigiem ita pingit Gellius ex Chrysippo lib. 14. c. 4. *Justitia*, ait, *pingitur forma atque filo virginali, aspectu vehementi et formidabili, luminibus oculorum acribus : neque humilis, neque atrocis, sed reverendæ cujusdam tristitiæ dignitate. Ex imaginis autem istius similitudine intelligi voluit, judicem qui justitiæ antistes est, oportere esse gravem, sanctum, severum, incorruptum, inadulabilem contraque improbos nocentesque immisericordem atque inexorabilem, erectumque et arduum ac potentem, vi et Majestate æquitatis veritatisque terrificum.* Vide Lilium Giraldum de Diis Gentium Syntag. 1.

5. Et ille quidem excutiens bestiam.] Præclare OEcum. *Vipera*, ait, *cum in manum Apostoli dentes injecisset, et nullam peccati in ea mollitiem et laxitatem invenisset, statim* (ab eo excussa) *resiliit, et in ignem sese projecit, quasi pœnam de se exegerit, quod nihil ad se pertinens corpus invasisset. Nos vero bestias timemus, propterea quod armatura virtutis muniti minime sumus.* Adam enim in innocentia à bestiis et serpentibus lædi non poterat, imo eis dominabatur. Unde Sancti qui ad primævam ejus innocentiam accedunt, idem sæpe dominium à Deo nanciscuntur, uti nactus est S. Paulus, S. Antonius, S. Macarius, S. Franciscus, et similes, uti dixi Gen. 9. 2. Vipera ergo hæc ultronea sua nece sibi temeritatis supplicium, Paulo innocentiæ dedit encomium. Neque enim ab ea morsus Paulus mortem obiit, sed famam consecutus est immortalitatis, imo et divinitatis. Nam qui aderant, videntes nihil mali in eo fieri, *dicebant eum esse Deum*, ibid. v. 6. Unde optime D. Chrysost. in Psalm. 96. *Ictus*, ait, *à vipera Paulus, Spiritus sancti virtutem quæ in ipso habitabat, ostendit, usus vipera teste;* quasi vipera Apostolo fuerit, non pestis ad mortem, sed testis ad gloriam : et volens lethale venenum Apostolo infundere, sibi hauserit. Vere Arator de Paulo hic

Christique cruci sua membra relegans,
Nescit ab angue mori.

Hinc impletur promissio Christi Marc. 16. 18. *Signa eos qui crediderint, hæc sequentur*, etc. *serpentes tollent : et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Unde Tertull. in Scorpiaco c. 1. *Hoc modo*, inquit, *etiam Ethnicis sæpe subvenimus donati à Deo ea potestate, quam Apostolus dedicavit, cum morsum viperæ sprevit.*

Porro ex hoc tempore, quo Paulus Melitæ viperam excussit, insulæ illi divinitus impertitum est, ut in ea serpentes omnes veneno careant, et quantumlibet aliquem momorderint, nil prorsus inferant detrimenti : eamque insulani vocant gratiam S. Pauli, qui hac ratione abunde eis hospitii et hospitalitatis meritum compensavit. Melitæ ergo nullum maleficum serpentis genus nascitur, neque nocet aliunde invectum, imo gleba Melitensis antidotum est contra venena, adeoque ipsi Melitenses quasi terrori sunt serpentibus, ita Thomas Fazellus de rebus Siculis Decad. 1. lib. 1. cap. 1. Baron. Gagneius et alii. Sic de S. Phoca Martyre in Romano Martyrol. die 5. Martii ita legimus : *Qualiter de antiquo illo serpente triumpharit, hodie quoque populis eo miraculo declaratur, quod si quispiam à serpente morsus fuerit, ut januam basilicæ Martyris credens attigerit, confestim evacuata virtute veneni sanatur.*

Sunt in Italia qui se de genere et cognatione Pauli esse jactitant, et serpentes impune contrectant. Sed hos imposturæ arguit Delrio lib. 1. Magic. c. 3. q. 4. et ex eo Lorinus hic, eo quod compertum sit eos se contra morsum antidotis præmunire. Addit Lorinus, Marsos et Psyllos à serpentibus esse intactos et illæsos, non per antipathiam naturalem, ut quidam censent, sed per incantationes et artes magicas. Quin et Delrio *Salutatores*, qui verbis, et *Ensalmatores*, qui halitu varios morbos sanant, suspectos habet, multaque in iis notat suspicione et periculo plena : etsi Navarr. in Manuali cap. 11. num. 36. Salutatores excuset, putetque donum sanandi in eis, esse gratiam gratis à Deo datam ad bonum reipublicæ.

Porro immunitatem hanc à venenis aliqui volunt esse naturalem Melitæ, uti naturalem esse Hiberniæ tradit Beda l. 1. Hist. Anglic. cap. 1. et Sardiniæ tradit Solinus Polyhist. cap. 35. Sed errant. Nam incolæ Melitæ mirati sunt S. Paulum à vipera tactum non inflari, nec emori, ut aliis accidisse viderant. Ergo ante S. Paulum Melita obnoxia erat venenis. Paulo ergo hanc immunitatem debet, et ultro acceptam refert.

6. At illi existimabant eum in tumorem convertendum,] ex incensione et inflammatione, quam creat viperæ morsus : hoc enim significat Græcum πίμπρασθαι. Unde Tigur. et Pagnin. vertunt, *at illi existimabant futurum ut incenderetur, aut concideret repente mortuus.*

Et mori.] Id est, illico moriturum, uti jam dixi ex Græco. Porro quam cito serpentes, præsertim viperæ et aspides hominem necent, docet Galenus l. de Theriaca ad Pisonem c. 8. in fine, exemplo Cleopatræ : *Cleopatram*, ait, *ferunt magnum primo ac profundum vulnus brachio suo dentibus intulisse : deinde venenum quod prius ex aspide paraverat, in pyxide quadam ad se allatum, vulneri infudisse; atque ita veneno corpus subeunte, non multo post insciis custodibus, vitam leniter finivisse. Nam revera serpentes illi velociter interficiunt, sicut ego sæpe in magna Alexandria expertus sum. Cum enim aliquem hoc supplicii genere condemnatum, sine longo cruciatu dilationeque necare volunt, aspides illorum pectoribus admovent, ambulareque paramper faciunt, atque sic ipsos brevi perimunt.*

Convertentes se,] ad invicem, mutata mente et sermone : hæc enim omnia significat Græcum μεταβαλλόμενοι. Ita Syrus, Chrysost. Tigur. Pagnin. Lyran. et alii.

Dicebant eum esse Deum.] Vide hic subitam Melitensium mutationem. Ex homicida faciunt Deum, ait S. Chrys. Sic Lycaonii videntes miraculum Pauli clamabant eum esse Mercurium, Act. 14. 18.

7. Principis insulæ.] Græce, τῷ πρώτῳ, id est, *primi*. Erat ergo Publius primarius inter Melitenses, ait S. Chrysost. at non princeps absolutus et dominus Maltæ : hæc enim parebat Romanis. Publius nomen est Romanum. Unde videtur ipse fuisse Romanus, qui prætura, vel præfectura Maltæ functus, ibidem prædiis comparatis sedem fixit. Melita enim suberat Romanis, æque ac Sicilia, et à Siciliæ Prætore regebatur per vicarium, qui πρῶτος, id est *primus antecedens*,

primarius princeps insulæ et insulanorum vocabatur, idque docet antiqua Inscriptio : *L. Ca. filius Cyr. eques Romanus*, πρῶτος Μελιταίων, id est, *primus*, vel *princeps Melitensium*, quam recenset Philip. Cluverius l. 2. de Antiqua Sicilia cap. 16. Quam dives fuerit Publius, liquet ex eo, quod hosce 276. naufragos per triduum hospitio exceperit, teste S. Chrysost. Ejus domus fuisse dicitur, quæ in urbe Melita ædes maxima S. Paulo dedicata est : prædia ejus fuisse putantur, quæ hodie *Renuerat* dicuntur, juxta sinum ad quem navis appulit, non longe à pago *Nazar.* Ita noster Octav. Cajetan. Isagoges cap. 19. Silet hic Lucas, Paulum per tres menses, quibus Maltæ fuit, prædicasse, et convertisse Melitenses, ipsumque Publium, de quo Arator ita canit :

Mensibus hibernis tribus in regione Melitæ,
Multiplicem dat Paulus opem.

Sic et Chrysost.

Porro Publium hunc à Paulo creatum esse Episcopum Melitensem, docet Ado in Martyrol. die 21. Januarii, et Beda 18. Januarii : addunt-que eumdem deinde creatum esse Episcopum Atheniensem, esseque illum Publium, qui post Quadratum, Athenis in Episcopatu successit Dionysio Areopagitæ, ac nobili martyrio laureatus decessit, de quo Eusch. 4. Histor. c. 23. et S. Hieron. in Catalog. Script. Eccles. in Quadrato.

8. SALVAVIT EUM,] ἰάσατο, id est *sanavit*, utique per miraculum, præsertim quia febris et dysenteria sunt morbi contrarii, ut notat S. Hieron. in c. 56. Isaiæ. Notat S. Greg. 27. Mor. cap. 11. vel 14. Paulum sanasse patrem Publii, quia is erat infidelis, ut eum hoc miraculo et beneficio converteret ad Christum : Timotheum vero ægrum non sanasse, quia is jam erat conversus. Morbus ergo ei relictus est ad exercitium patientiæ, et augmentum coronæ.

10. MULTIS HONORIBUS NOS HONORAVERUNT.] Non tantum reverentiam, et honoris signa exhibendo, sed et alimenta nummosque subministrando, ut sequitur : hæc enim honor complectitur, ut patet Proverb. 3. 9. *Honora Deum de tua substantia*, dando ei oblationes, decimas, primitias, victimas. Vide dicta Deut. 5. 16.

11. CUI ERAT INSIGNE CASTORUM.] Perperam Glossa legit *castrorum*. Usitatum erat, ait Sanchez, ut nautæ in puppi gestarent deos tutelares, id est, eorum statuas et idola, vel effigies. Hos Phœnices *Patæcos* vocant, teste Hesychio, de quibus Persius.

Ingentes in puppe Dei.

Et Ovid. l. 1. Trist. eleg. 3.

Puppique recurvæ
Insilit, et pictos verberat unda deos.

Unde et Chrysost. opinatur, Castorum effigies in navi fuisse depictas. *Castores* vocantur gemini fratres Castor et Pollux. Castor enim, utpote senior, juniori Polluci suum nomen communicavit. Hi duo nati sunt ex Jove et Leda, Tyndari regis conjuge : unde et *Tyndaridæ* vocantur, et διόσκουροι, id est, *Jovis filii.* Fingunt enim Poetæ ; Jovem cygni formam induisse, et ex eo Ledam ovum concepisse : ex quo nati sunt gemini, Castor et Pollux. Unde Horat. lib. 2. serm. satyra 1.

Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pugnis.

Castor enim fuit egregius equorum domitor ; Pollux vero pugil. Ambo post mortem inter sidera relati sunt : quorum signum, Gemini dicitur, in quo Sol degit in Junio. A gentibus pro diis habiti sunt, præsertim à Romanis. Unde etiamnum eorum ingentes statuæ visuntur Romæ in aditu Capitolii. Hinc et Cicero in Verrem actor. 7. *Vosque*, ait, *omnium rerum forensium, consiliorum maximorum, legum judiciorumque arbitri et testes celeberrimo in loco prætoris locati, Castor et Pollux.* Habiti sunt dii maris, ideoque in navibus picti à nautis in tempestate invocabantur ; sive quia sunt stellæ in cœlo hoc nomine, quæ si utraque appareat serenitatis, si una duntaxat, tempestatis est indicium : sive quia Castor et Pollux mare piratis liberarunt : sive quia iidem fuerunt argonautæ, cum cæteris sociis Colchos navigantes ; et orta tempestate cum cæteri timerent, duæ stellæ super capita Castoris et Pollucis visæ sunt, illicoque mare sedari cœpit : unde se eorum gratia à diis tutandos, cæteri persuaserunt, indeque in simili periculo eos invocare cœperunt, uti ex Diodoro Siculo et Valerio Flacco narrat Giraldus Synt. 5. pag. 182. Hæ fabulæ ortæ sunt ex eo, quod nautæ observare soleant stellas Castorum, ac credere eas, si appareant, navigantes servare. Unde Horat. l. 1. Carm.

Dicam et Alcidem, puerosque Ledæ,
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem ; quorum simul alba nautis
Stella refulsit,
Defluit saxis agitatus humor,
Concidunt venti, fugiuntque nubes,
Et minax (quod sic voluere) Ponto
Unda recumbit.

Idem alibi ;

Tyndaridæ fidus ab infimis
Quassas eripiunt æquoribus rates.

Jam nautæ Christiani post B. Virginem, quæ est stella maris, in periculo invocant S. Paulum, qui die ac nocte in profundo maris fuit, S. Clementem in mari mersum, S. Nicolaum, S. Franc. Xaverium, qui perpetua quasi navigatione immensa Oceani spatia, à Lusitania in Indiam, Molucas, Japoniam et Chinam emensus et remensus est, et S. Hermetem, vel S. Thelmum. Sic enim vocatur à nautis *Telmus*, vel *Elmus*, à loco, qui proprio nomine dictus fuit Petrus Consalvus Ordinis S. Dominici, et ad cœlos migravit anno Domini 1246. cujus vitam et miracula conscripsit Ferdinandus Castiglius p. 2. Hist. S. Dominici l. 2. c. 23. 24. et 25. et Ribadeneira in ejus vita, quam habet in Appendice Sanctorum extravag. Porro invocant eos, non ut deos, et numina, sicut Gentiles, ut objicit Calvinus, sed ut suos apud Deum patronos et advocatos, idque in ea re, in qua ipsi olim Deo servientes, meruerunt ut aliis in eadem opitulari possent. Vide Stapletonium hic in Antidotis.

Porro insigne Castorum sic erat effigiatum. Pingebantur Castor et Pollux quasi duo juvenes ; cuique dabatur ovi pars dimidia, et jaculum in manu, equusque candidus, superne eminebat stella. Ita Lucianus in Deorum Dial. in fine.

SYRACUSAM.] Civitas est Siciliæ maxima et

pulcherrima sub Pachyno monte sita, ubi fons Arethusa. Nunquam tam nubilus est dies in anno, quin eo Syracusis, æque ac Rhodi sol cernatur, ait Plinius l. 2. c. 62. Jam nobilitata est S. Luciæ patria et martyrio. Hinc patet Paulum in Sicilia fuisse et Siculis profuisse. Unde S. Chrys. *Porro*, inquit, *prædicatio etium usque in Siciliam pervenit.*

Scripsit de Sanctis rebusque Siciliæ opus magno labore et studio, è priscis Siculorum monumentis erutum et elaboratum noster P. Octavius Cajetanus, sed morte præventus in lucem dare non potuit. Ejus ergo posthumum edendum suscepit P. Alfonsus Cajetanus, qui opus maturat, ut avidæ longæque multorum exspectationi satisfaciat : interim excerpta ex ejus Isagoge de S. Petri et Pauli in Siciliam adventu et fructu, Panormo ad me Romam misit; cui proinde cum gratiarum actione hæc mecum accepta referat candidus Lector. Illa hic summatim inseram, utpote quæ S. Lucæ Historiam præsentem valde illustrant, multaque addunt et supplent, quæ S. Lucas studio brevitatis omisit. E quibus liquido videas priscam S. Petri et Pauli in Siculos benevolentiam, ac vicissim Siculorum incensa erga Apostolos studia.

Hæc igitur de S. Petro scribit Isagoges c. 18. Certum est Siciliam primitus à S. Petro accepisse fidem, Ecclesias primosque Episcopos. Unde Innocentius I. epist. ad Decent. constanter affirmat in Sicilia nullum hominum instituisse Ecclesias, nisi quos Vener. Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerunt. Metaphrastes orat. de S. Petro et Paulo die 29. Junii, tradit S. Petrum ex Syria Romam navigantem, in Siciliam Tauromenium appulisse; et apud Pancratium Episcopum, quem antea Antiochiæ agens eodem præmiserat, divertisse; quod anno 2. Claudii Imp. contigit : A S. Johanne Chrysost. idem fuisse scriptum, Constantinus Lascaris in schedis suis firmat, quas in Thesauro Mamertinæ urbis legimus. Metaphrastis testimonium doctissimi viri, Vincentius Belluacensis, Guilielmus Spirensis, Petrus Calesinus et Cardinal. Baronius anno Christi 44. firmavere. In Siciliam una cum S. Petro, ut ait Metaphrastes, venere ejus discipuli, Marcus Evangelii scriptor, Appollinaris postea à S. Petro Ravennam missus, Martialis ab eodem deinde amandatus in Gallias, Rufæ Capuæ creatus Episcopus Menæa addunt Beryllum. Tauromenii cum esset S. Petrus, Maximum catechesi probe instructum baptizavit et Episcopum ordinavit, constituitque ut Pancratio succederet. Idem Syracusis Marcianum dedit Episcopum, Catanæ Berillum, ut habet Martyrologium Romanum et Menologia Græcorum. Hæ ergo tres primæ sunt Siciliæ Ecclesiæ à S. Petro erectæ. Hisce proxima est Agrigentum, cujus primum Episcopum Scriptores S. Libertinum Martyrem memorant, sed quo anno id factum, nos latet. S. Libertini Encomiastes Syracusanus, fide dignus, ipsum synchronum facit S. Peregrini Martyris, qui S. Marciani Syracusarum Episcopi à S. Petro instituti, fuit discipulus.

Isagoges vero cap. 20. tradit, S. Paulum Syracusis à Marciano (quem eodem ante aliquot annos miserat S. Petrus, urbisque Episcopum ordinarat) Episcopo incredibili lætitia exceptum, et Christianorum omnium ejus Ecclesiæ studiis officiisque obviam euntium inclyto Apostolo in vinculis trimphanti. Certum mihi est, tres illos dies in eodem cum Marciano hospitio commoratum; ea in spelunca, quam ille pulsis dæmonibus Christo consecraverat. D. Paulum sacris operatum esse; Syracusanam Ecclesiam primitias Occidentis, Deo obtulisse; multos ad Christum convertisse; eamque Ecclesiam adspectu colloquiisque recreasse, atque in Dei amorem incendisse. Vicina etiam Syracusis loca, vicosque obivisse credimus : quamquam enim vinctus Romam duceretur, humanitate tamen Julii Centurionis, cujus custodia tenebatur, multum Apostoli reverentiæ dabatur. Sidone enim ab eo permissus est ad amicos ire, et sui curam agere, Melitæ apud Publium tres dies hospitari. Super humanitatem centurionis accedebat pietas et Christiana religio, quam omnes profitebantur quicumque socii navigationis D. Pauli fuerant, eorumque amor erga Apostolum, utpote cujus beneficio naufragium evasissent, et in Christum credidissent, nam in Pauli gratiam omnium qui navi vehebantur, non solum corpora naufragio, sed animas infidelitati ereptas, ex Actis Apostolorum et D. Johannis Chrysostomi interpretatione superius docuimus. Ex his non ambigimus doctori Gentium permissum Syracusis libere agere, prædicare regnum Dei, quin et proximos urbis vicos obire. Certe quidem procul Syracusis fere octo passuum millibus, in agro cui Solarino nomen, Ecclesia est D. Pauli Apostoli titulo insignita; et sane antiqua est architectura : in qua puteus visitur, cujus aqua hausta, ablutisque ægrotis, invocatione Apostoli Pauli multa indies miracula patrantur, votaque et tabellæ pendentes sanctissimi Apostoli collata adversum mortales beneficia contestantur. Apud Syracusanos vetus traditio est, D. Paulum Apostolum, cum Syracusas venit, eum in locum excurrisse, Ecclesiamque à Christianis in ejus rei memoriam fuisse extructam : in eo sane tractu antiquæ habitationis vestigia reperiuntur; fortasse ævo illo oppidum ibi fuit, quod Apostolus pro charitate sua invisit.

Isagoges vero c. 21. docet, S. Paulum oram Siciliæ legisse à Pachyno ad Pelorum ac monumenta ab eo ibidem relicta recenset. Navigationem, inquit, ex insula melita Syracusas lentam fuisse non desunt qui probent : antequam enim ille navi vectus in Syracusanum portum appelleret, in oram eis Pachynum promontorium descendisse existimamus et vicina loca collustrasse. Vetus est traditio apud Hetinos et Pachyni accolas, Paulum Apostolum in eam oram pervenisse, atque intus ad milliaria quatuor in agrum Elorinum penetrasse : quo loco ædificata est à posteris Ecclesia juxta fluvium Elorum, D. Paulo dicata, quæ adhuc manet in adventus ejus memoriam; neque ab ea procul puteus est in veneratione summa habitus, cujus aquam qui biberint, vel laverint se, variis è morbis eripiuntur, maximeque valet adversum vulnera, morsusque noxios bestiarum. Eodem in agro, cui nomen Baliscalis, alter puteus est, ad quem ejusdem Apostoli virtute et gratia multa miracula patrantur. Porro ex accessu D. Pauli ad hæc loca, illud omnino constat, tardam ejus navigationem per eam Siciliæ oram fuisse, non sine magna Dei providentia, ut Apostolus Siciliam collustraret; et quos posset sua prædicatione ad Christum perduceret; sed et Apostolum Syracusis profectum, insulam circumlegisse D. Lucas docet.

Igitur Paulina navis posteaquam Syracusis solvit, oram Siciliæ maritimam prætervecta, rursum è cursu suo deflexit in littus, intra Tauromenium atque Messanam; ubi nunc ædes est Paulo Apostolo sacra. Antiqua ea fama est apud loci accolas, D. Paulum cum Siciliæ oram legeret, in sinum illum appulisse, cui monasterium D. Placidi in edito colle incumbit, in eoque commoratum littore, quod decem passuum millibus ab urbe Messana distat, ipso in littore locoque Apostoli pedibus calcato, Christiani deinde ubi Christi fides adolevit, parvam, sed magnæ pietatis indicem Ecclesiam, D. Paulo sacram construxerunt, quæ Apostoli in illud littus descensum testificaretur, reique memoriam ad posteros derivaret. Rhegium Apostolus ea ex ora maritima solvit, quæ res à majoribus per manus nobis tradita, à D. Pauli navigatione non abhorret. Ejus enim testis ac scriptor D. Lucas in Actis Apost. ait Syracusis solventem, ora maritima Siciliæ navigata, Rhegium pervenisse. Verosimile est navim insulæ littus circumvectam illuc applicuisse, ubi adverso maris æstu ventisque, sive urgente nocte constitit; dum secundus esset æstus ventique, vel illucesceret dies, ne fretum illud infame naufragiis, Charibdisque vorticibus formidatum cæca nocte trajiceretur, atque iis maxime quibus satis esset timoris ex proximo ad Melitam naufragio. Sinus autem ille, in quem fama est Apostolum descendisse, ad id videtur natura factus; neque illo opportunior maris tractus, Rhegium ex ora Mamertina solventibus; sed et naves quibus ex Oriente iter est per Siciliam in Occidentem, insula præternavigata, eo ex sinu qui nunc æde D. Pauli Apostoli nobilitatur, Rhegium de more transmittunt.

Isagoges cap. 22. ostendit, S. Paulum fretum Siculum navigantem, conspexisse Messanam, sed non adiisse, uti contendit Constantinus Lascaris : adiisse vero eam postquam è primis Neronianis vinculis liber, rursum provincias et Siciliam (ut videtur, innuitque S. Chrysost.) peragravit. Traditio enim est Messanensis Ecclesiæ, S. Paulum Messanensibus Bacchylum Episcopum præfecisse. Sane quotannis ea in urbe supplicationes habentur festo Conversionis sancti Pauli, in memoriam Bacchyli Episcopi, Messanensi Ecclesiæ à S. Paulo præpositi : ac vetus mos in ea Ecclesia est deducendi per urbem reliquas S. Pauli. Hæc noster Octavius. Addunt alii, in ditione Avola, quam multi censent esse Hyblem vel Hyblam, in qua thymi et salicum est copia, unde apes pastæ mel optimum conficiunt indeque apes Hyblææ et mel Hyblæum nuncupatur, de quo Martial. in Xeniis :

> Cum dederis Siculis mediæ de collibus Hyblæ,
> Cecropios dicas tu licet esse favos.

Juxta Hyblam, inquam, pergendo versus Syracusas, similis illi Elorino est puteus qui à S. Paulo nomen accepit, ejusdem virtutis et venerationis : ad quem quia multi serpentes bibendi causa accedunt, hinc juxta eum multæ cernuntur viperæ et serpentes mortuæ, potu hujus aquæ occisæ. Similis et nomine et virtute est puteus juxta Syracusas, cujus aqua multas curat infirmitates. Hoc accepi à nostris Patribus Siculis, oculatis testibus. Ubi vide quantæ dignitatis et meriti fuerit S. Paulus quantæ etiam bonitatis et beneficentiæ, quæ cum nusquam sinebat esse otiosum et vacuum, sed suæ virtutis semina, et vitales radios instar solis ubique spargere compellebat, ut imitaretur Christum, *qui pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos à diabolo*, ut ait S. Petrus Actor. 10. 38. Vere de S. Paulo dicas, quod officium Ecclesiasticum canit de S. Cæcilia : *Cæcilia famula tua, Domine, quasi apis tibi argumentosa deservit.*

Denique Syracusis triduo commorans Paulus evangelizando majorem incolarum partem (ac per eos, vicinos Siculos; ut Sicilia fidem S. Paulo debeat) ad Christum convertit, uti narrat Hieron. Marafiotus in Chronicis Calabriæ lib. 1. cap. 20.

13. RHEGIUM.] Civitas Calabriæ objacens et vicina Siciliæ. Ita dicta ἀπὸ τοῦ ῥηχνυναι, id est *abrumpere;* eo quod terræ motu vel maris eluvione abrupta sit à Sicilia, cui prius cohærebat, eratque contigua, imo continua. Sic et Siciliam dictam volunt quasi *Sicilitam*, id est, *resectam* ab Italia, cui antea cohærebat. Ita Plinius l. 3. c. 8. *Sicilia*, inquit, *quondam Brutio agro cohærens, mox interfuso mari avulsa XII. M. in longitudinem fretro, in latitudinem autem MD. juxta columnam Rheginam.* Et Isidorus Clarius lib. 13. Orig. c. 18. *Fretum*, ait, *apellatum est, quod ibi semper mare ferveat : fretum enim est angustum et quasi fervens. Nam freta Varro dicta ait quasi fervida, id est, ferventia et motum fervoris habentia. Fretum Siciliæ, quod Rhegium dicitur, Sallustius ex tali causa vocari scribit dicens, Italiæ olim Siciliam conjunctam fuisse, et dum esset una tellus, medium spatium aut per humilitatem abruptum est aquis, aut per angustiam scissum; et inde ῥήγιον nominatum, quia græce abruptum hoc nomine nuncupatur.* Eadem quasi ad verbum habet S. Hieron. in Nomin. Actor. Apost. et ex eo Beda hic. Recte ergo fretum hoc vocatur Rhegium, indeque urbs freto adjacens pariter vocatur Rhegium, quia hoc spatio ante fuerat isthmus, quem mare perrupisse dicitur. Porro Thucyd. l. 4. hoc fretum vocat Charybdin : sic et Mela. l. 2. c. 8. et Plinius lib. 13. c. 18. *Eo quod gurgitibus*, inquit, *occultis naves absorbeat. Ter autem in die erigit fluctus, et ter absorbet : nam accipit aquas, ut vomat; vomit, ut rursus accipiat.* Vide Philippum Cluverium l. 1. de Antiqua Sicilia c. 5.

Porro Rhegium vetusta et nobilis est Calabriæ civitas, de qua multa Hier. Marafiotus in Chronicis Calabriæ l. 1. *Rhegium*, inquit, *Prima Italiæ civitas, olim fuit una è quatuor Rebusp. magnæ Græciæ, metropolis Calabriæ, ut liquet ex eo quod cum in Calabria sint quatuor Archiepiscopatus, antiquissimus sit Rhegiensis, qui decem habet Suffraganeos, Consentinus quatuor, S. Severinæ quinque, Rossanensis nullum.*

Silet hic multa Lucas, ac præsertim Rhegiensium à Paulo conversionem uno die, quo apud eos hæsit, factam : quæ ex Ecclesiæ Rhegiensis monumentis eodem ævo græce conscriptis, ac deinde in Latinum idioma translatis, et in Archiepiscopali archivio asservatis, à Rhegiensibus viris eruditis et primariis ad me Romam transmissa, hic transscribam, quia ad historiam præsentem faciunt; ut ex iis liqueat tum Rhegiensium primæva erga Christum et Paulum fides et devotio, tum S. Pauli erga eos amor, simulque ejus insatiabilis, etiam in mediis itineribus et vinculis, ubique evangelizandi sitis et ardor, æque ac energia et fructus. Sic igitur habent in vita et martyrio S. Stephani, qui S. Pauli comes

et discipulus, primus ab eo creatus est Rhegiensium Episcopus. *Hic sanctus Martyr Stephanus fuit è civitate Niceæ : petente autem Paulo Apostolo Romam, comitatus est eum usque ad civitatem Rhegii Calabriæ. Cum autem Apostolus civitatem invenisset idola colentem, prædicavit in ea verbum Domini; et sicut terra bona acceptum semen centuplum reddit, ita et ejus civitatis incolæ verbum Dei receperunt : quos cum Paulus instruxisset, et plurimos illorum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizasset, creavit ipsis Episcopum Stephanum : qui sibi creditum gregem bene pascens, multos ad fidem Christi suis doctrinis convertit. Cum autem in hac civitate decem et septem annos moratus esset, et Episcopos et presbyteros ordinasset; Deique gratia Ecclesia aucta fuisset, postea persecutione contra Christianos mota, captus fuit ab Hierace duce Sanctus, tanquam præcipuus fidei Christianæ; et coactus fuit ut abnegaret Christum et immolaret idolis : ipse autem non admittebat, quin potius intrepide Christum Deum confitendo et factorum omnium, idola autem Gentium ligna et lapides sensu carentia, opera manuum hominum esse asserens et diaboli inventiones, idcirco indefesse percutitur una cum Socra Episcopo, et saxis quoque vultus eorum confringuntur, in caminumque ignis conjecti exierunt illæsi. Unde multi crediderunt in Christum, et acclamaverunt dicentes : Magnus Deus qui à Pontificibus Stephano et Socra prædicatur. Inter quos erant mulieres pudicæ Agnes, Felicitas, et Perpetua nuncupatæ, discipulæ divi Stephani, quæ intrepide coram Hierace duce confessæ sunt, nomen Christi Dei, veri creatoris omnium prædicantes; tunc ira plenus dux, ipsas una cum Stephano et Socra Pontificibus gladio discendi jussit : quo facto ilico tradiderunt sanctas animas suas Domino, gratias agentes et exultantes, quod digni facti essent pro Christo mori.* Addita erant elegantia Troparia et Protonia Græcolatina, puta Antiphonæ, versus et hymni in laudem S. Stephani, ex pervetusto codice Vaticano manuscripto numero 1543. Menæo nuncupato, quo Ecclesia Græcorum in officiis divinis recitandis utitur, accepta, in quibus S. Stephanus vocatur Hierarcha, Hieron. martyr, τοῦ Παύλου ὁμόζηλος, id est, *æmulator et similis zeli cum S. Paulo;* ejusque martyrium consignatur die 5. Julii : quo pariter die Regini ejus festum tota diœcesi celebrant : quæ, ne æquo sim longior, omitto. Addit Hieronymus Marafiotus in Chronicis Calabriæ lib. 1. cap. 20. hac de causa Regiensem Ecclesiam Cathedralem esse insignitam titulo et sede Archiepiscopali, eique olim subjectas fuisse omnes Calabriæ Ecclesias, eo quod ipsa prima inter Calabros Episcopum S. Stephanum acceperit à S. Paulo, quodque S. Stephanus Episcopos, Presbyteros et Diaconos aliis Calabriæ civitatibus dederit et ordinarit.

Porro constans et antiquissima apud Rhegienses est traditio, hac ratione et miraculo S. Paulum Rhegienses convertisse : navi quæ Paulum vehebat Rhegium appellente, ejus visendi causa ad littus concurrerunt Rhegienses, præsertim ut in ea sua numina Castoris et Pollucis, quæ præferebat navis, venerarentur. Mox Paulus de more orsus eis prædicare Evangelium, cum ab eis, utpote idololatris, non audiretur, postulavit ut sibi prædicanti vel ad modicum aures commodarent, tantillo scilicet tempore, quantulo candela exigua arderet. Eo impetrato, candelam accendit, affixitque columnæ, cui naves appellentes solebant alligari : cumque statim absumpta candela evanesceret, illico per miraculum cœpit ardere ipsa columna, quo portento perculsi et compuncti Rhegienses, Paulum ut hominem divinum auscultantes, ab eo ad Christum traducti sunt. In hujus rei fidem et memoriam columna in Ecclesiam S. Pauli (quæ in littore erecta est) translata honorifice supra Altare majus reposita est : ubi mira veneratione colitur, multisque miraculis coruscat, uti liquet ex hoc de ea Rhegiensium hymno, quem typis excusum vulgarunt, mihique exemplar transmiserunt.

HYMNUS

IN COLUMNAM RHEGINAM

S. Pauli Apostoli.

Ave columna nobilis,
Electro et auro ditior
Illaque Mosis ignea
Columna fortunatior.
Quod ore Paulus prædicat,
Te fulgurante comprobat :
Te conflagrante Rhegium
Christi fidem complectitur.
Te Palma tangens languida :
Sensit medelam cœlicam :
Haustusque pulvis illico
Ægris salutem contulit.
Ego columna Rhegia,
Hebros ut Israelica
In terræ optima translulit,
Tu nos in astra ducito.
Summo Patri sit gloria,
Natoque Patris unico,
Et Paracleto numini,
Cunctis in ævum seculis. Amen.

℣. Paulus Apostolus devenit Rhegium. Alleluia.
℟. Et seminavit verbum Dei. Alleluia.

ORATIO.

Deus, qui ad Pauli Apostoli prædicationem, lapidea columna divinitus ignescente, fidei lumine Rheginos populos illustrasti; da quæsumus ut quem Evangelii præconem habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis.

Insuper Joannes Angelus Spagnolus Canonicus Reginus, de rebus Reginis libr. 4. cap. 1. narrat vulgo credi Paulo prædicante pisces littus egressos ei auscultasse, uti auscultarunt S. Francisco et S. Antonio Patavino. Additque, nonnullos dicere cicadas à S. Paulo tacere jussas, nunquam deinceps eo loci comparuisse; sed se id non credere.

PUTEOLOS.] Civitas est Campaniæ juxta Neapolim (ita Syrus) nobilis S. Januarii martyrio. Hinc tradunt et gloriantur Neapolitani, S. Paulum ex itinere Neapolim divertisse. *Puteoli* dicti, ab aquæ calidæ ibi ebullientis putore, ait Festus, vel, ut alii, à multitudine puteorum earumdem aquarum gratia factorum. Hæc etiam vocata est *Dicæarchia*, à justitiæ administratione : à Samiis condita, ut vult Eusebius, eo tempore quo Tarquinii Roma à Bruto sunt expulsi. Pari modo S. Petrum Romam navigantem appulisse Neapolim, ibique Missam celebrasse tradunt Neapolitani, et Card. Baron. anno Christi 44.

14. ET SIC, hoc est, non mari, ut hactenus, sed terra pedestri itinere, VENIMUS, (id est, venire et pergere cœpimus) ROMAM,] unde pedites primo venimus ad Appii Forum, deinde ad tres

Tabernas, denique Romam; ut mox explicat Lucas v. 16. Unde minus recte Cajetanus per Romam accipit portum Romanum, sive ostia Tiberina, ubi scilicet Tiberis in mare influit, qui Roma distat duodecim milliaribus Italicis. Nam inter portum Romanum et Romam non interiacet Forum Appii et tres Tabernæ, quo prius devenisse Paulum narrat Lucas. Melius alii per *Romam*, accipiunt agrum Romanum, præsertim quia olim suburbia Romana longissime se quaquaversum extendebunt. Denique potest hic esse anacephalæosis, qua Lucas generatim primo dicat Paulum Puteolis venisse Romam, deinde particulatim itinera media enarret quibus Romam contendit et pervenit, nimirum per Apii Forum et tres Tabernas : ubi ei occurerunt fideles Romani eumque Romam deduxerunt. Hoc enim frequens est Hebræis, uti videre est in libris Regum, et alibi.

15. Et cum audissent (forte ex litteris Christianorum Puteolanorum) fratres.] Puta Christiani, quod Paulus in urbem adventaret.

Usque ad Appii forum.] Hoc Plinius l. 14. c. 6. ponit in agro Setino, dictum ab Appio Claudio, qui est auctor viæ Appiæ. Ortelius in Theatro censet cum Blondo et aliis, esse Fossam Novam, ubi diem obiit S. Thomas Aquinas. Accedit Baronius, qui *Forum Appii* censet fuisse juxta Pontinas Paludes, ac Roma distare uno et quinquaginta passuum millibus; Tres Tabernas vero triginta tribus, easque hodie vocari *Cisterna*, quæ urbecula est juxta Velitras, patriam Augusti Cæsaris. Eas enim fuisse contra Antium, quod modo *Nettuno* dicitur, docet Cicero ad Atticum lib. 4. epist. 29. *Emersimus*, inquit, *commode ex Antio in Appiam, ad Tres tabernas.* Porro Isidorus Pelus. lib. 1. epist. 337. et ex eo Œcumenus hic, tradit Forum hoc dici Appii, quod fuerit Appii statua insignitum, Romani enim loca, in quibus regum et principum statuæ positæ erant, vocabant fora. Sic vocatum est Forum Cornelii, quod hodie *Imola* dicitur : Forum Claudii hodie *Tolsa :* Forum Julii, hodie *Frigoli :* Forum Livii, hodie *Forli :* Forum Sempronii, vulgo *Fostembrone :* Forum Segusianorum vulgo *Bourg en Bresse :* Forum Tiberii, vulgo *Schuvits*, civitas apud Helvetios.

Accepit fiduciam,] θάρσος, id est *præfidentiam, animos, audaciam*, q. d. Majores accepit animos Romæ prædicandi, et majorem spem Romanos convertendi : tum quia Romanos fideles tam erga se propensos et devotos videbat : tum quia ex eis colligebat indolem Romanorum benignam, amicam, docilem : tum quia eos habiturus erat in prædicatione cooperatores et adjutores.

16. Cum autem venissemus Romam.] Græca addunt, *tradidit centurio vinctos* στρατοπεδάρχῃ, id est, *principi exercitus*, ita vocabatur prætor, vel Præfectus reorum, vinctorum et carcerum; sicut nunc Romæ vocatur *Barzellus*, qui post se ducit agmen Sbirrorum, sive satellitum instar exercitus. Unde vir eruditus censet *Barzellum*, dici ab Hebræo *Barzel*, id est ferrum, eo quod ferro et armis, armatisque militibus stipatus incedat.

Porro Paulus ingressus est Romam anno Christi 57. ait Euseb. in Chronolog. S. Hier. de Script. Eccles. in Paulo, Baron. et alii. Addit Beda, Ado, Usuardus et Onuphrius in Chronol. ingressum esse die sexta Julii. Baronius tamen et noster Lorinus citius id factum putant, et vere putant, si Paulus, ut vult Arator, initio veris solvit Melita. Sed hoc incertum est. Potius credendum est priscis, Bedæ, Adoni, Usuardo. Vide dicta c. 27. 9. Prisci enim inter se hic consentiunt.

Sibimet manere,] in suo hospitio. q. d. Non ductus est in carcerem cum cæteris vinctis, sed in sua domo manere permissus est; ita tamen ut gestaret catenam, ut patet v. 19. et haberet custodientem se militem, ne fugere vel elabi posset. Id honoris præstitum videtur Paulo, quod virum magnum, et, ut ait Chrysost. admirabilem censeret centurio et cæteri; tum ex occursu et reverentia, quam ei ubique à Christianis exhiberi cernerbant; tum ex ejus excelso animo sapientia et vitute.

17. Post tertium autem diem.] Tres enim dies primos Paulus dedit quieti, utpote fessus tam longo itinere, ac comparando hospitio, cæterisque rebus accommodandis. Addit Gagneius ex Œcumenio per hosce dies eum explorasse, num Judæi aliquas Romæ ei struxissent insidias, aut contra eum litteras dedissent ad suos Romæ degentes; eumque cognovisset nil tale eos factitasse, convocasse primos Judæorum. Vide hic curam et charitatem Pauli in Judæos, à quibus tanta, et hæc ipsa vincula patiebatur : ubique primos salutat, et salutare satagit.

Non quasi gentem meam habens aliquid accusare.] *Non quasi habeam de quo gentem meam accusem.* Ita Tigur. adimit suspicionem et metum Judæis, ne putent eum Romam venisse, ut Judæos accuset apud Cæsarem, itaque ipsi contra eum se arment. Tales enim multi è Judea Romam veniebant Pontifices, Scribas et Judæos accusaturi apud Imperatorem, ut patet ex Josepho.

20. Propter spem enim Israel catena hac circumdatus sum.] *Spes* metonymice ponitur pro re sperata. Nam *spem Israel* vocat Christum; quia Messias, sive Christus, uti Israelitis à tempore Abrahæ fuit à Deo promissus, ita assidue per tria annorum millia ab eisdem fuit exspectatus, et etiamnum expectatur, et exspectabitur usque ad finem mundi. Judæi enim in tot ærumnis suis non aliud sperant, non aliud orant, non aliud clamant quam ut veniat Messias, qui eos liberet et salvet. Vocatur autem Christus *spes Israel*, quia per Christum sperabant, et sperant veri Israelitæ justitiam, gratiam, salutem, resurrectionem, felicitatem et gloriam sempiternam. Hæc enim à Christo speranda et exspectanda esse promiserunt Prophetæ. Sensus ergo est, q. d. Ego Paulus hac catena vinctus sum, quia prædico Jesum esse Christum, ab eoque sperandam et petendam esse remissionem peccatorum gratiam et salutem. Judæi ergo me vinxerunt, quia attuli eis suam spem. At vos spem vestram, puta Christum, quem vobis annuntio, et propter quem vinctus sum, excipite, et in eum credite, ut salutem æternam assequamini. Sic Apostolus Coloss. 4. 27. Christum vocat *spem gloriæ*, et 1. Thim. 1. 1. *spem nostram*, quia ipse est objectum et causa spei nostræ : per illum enim bona sperata, puta gratiam et gloriam consequimur. Hinc illæ Prophetarum ardentes Christo preces et voces, Isaiæ c. 45. 8. *Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum : aperiatur terra, et germinet Salvatorem.* Et c. 6. 1. *Utinam dirumperes cœlos et descenderes : à facie tua montes defluerent.* Jacobi *Salutare* (Salvato-

rem) *tuum exspectabo Domine.* Gen. 49. 18. Mosis : *Obsecro Domine mitte quem missurus es,* Exodi 4. 13.

Tropologice Christus est *spes Israel*, id est, dominantis Deo, Deumque videntis, aut potius visuri; quia fideles non aliud sperant quam videre Deum et Christum in cœlo, ejusque præsentia et gloria beari et frui, juxta illud Apoc. 21. 23. *Claritas Dei illuminavit eam* (cœlestem Jerusalem) *et lucerna ejus est Agnus.* Et illud Ecclesiæ :

> Jesu nostra redemptio,
> Amor et desiderium,
> Deus creator omnium,
> Homo in fine temporum.

Et illud Isaiæ c. 26. 8. *Domine nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ.* Et illud Psaltis ps. 15. 5. *Dominus pars hereditatis meæ, et calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. Quid mihi est in cœlo, et à te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum?*

22. ROGAMUS AUTEM A TE AUDIRE QUÆ SENTIS,] de spe Israel, quam dixisti, puta de Messia, an venerit, an adhuc sit venturus.

NAM DE SECTA HAC (Christi et Christianorum, quæ Christum jam venisse credit, quamque ut ô Paule tacite commendasse videris, ideoque à Judæis esse vinctus) NOTUM EST NOBIS QUIA UBIQUE EI CONTRADICITUR.] Id dicunt, ut Pauli animum præoccupent, infringant, et à Christo prædicando avertant. q. d. Tu ô Paule occulte videris Christi sectam sequi, et prædicare : at videris deceptus : nam ubique viri sapientes, inter quos sumus et nos, ei contradicunt. Illis ergo nobisque assentire, mentem affectumque erga Christum depone, ac nobiscum perge colere Mosen et religionem ab eo sancitam.

Moraliter hic disce signum Christi et Christianismi esse contradictionem et persecutionem. Hoc enim prædixit Simeon dicens : *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel et in signum cui contradicetur*, Lucæ 2. 34. Vere S. Hier. in Ezech. c. 47. *Incipit*, ait, *possessio à Thamar, à palma videlicet victoriaque vitiorum, usque ad aquas contradictionis. Semper enim virtutibus contradicitur.* Ac citatis hisce Judæorum verbis, subjungit : *Omnis contradictio est sanctitatis, quæ interpretatur Cades, dicente Psalte Psal.* 28. 8. *Concutiet Dominus desertum Cades.* Hoc est quod ait Paulus : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur*, 2. Tim. 3. 12. Vide ibi dicta.

23. TESTIFICANS REGNUM DEI,] multis testimoniis Mosis et Prophetarum ostendens, regnum Dei esse Ecclesiam Christianam, eamque esse viam ad regnum cœlorum, quod plenum et gloriosum est Dei regnum. Vide dicta c. 2. 40.

A MANE USQUE AD VESPERAM.] Fuit ergo hæc prolixa Pauli vel lectio, vel concio; sed nimirum de Christo loqui non satiabatur, in ejus prædicatione non fatigabatur; zelus et sitis salutis Judæorum, omnem ei corporalis sitis et famis memoriam adimebat. Si enim mercatores in die nundinarum toto die negotiantur, et usque in noctem jejuni permanent, nec famem sentiunt, ob lucri terreni sitim, multo magis Paulus captans animarum lucra, omnis cibi, potus, laboris et fatigationis obliviscebatur.

25. UNUM VERBUM,] appositum, insigne et illustre. Sic de Fabio Maximo dixit Ennius : *Unus homo nobis cunctando restituit rem. Unus*, id est, insignis et eximius.

26. AURE AUDIETIS.] Sunt verba Isaiæ c. 6. 9. ubi ea explicui : quare hic illa non repetam.

28. GENTIBUS MISSUM EST HOC SALUTARE DEI.] Id est, hæc salus Dei puta Christus salvator, cujus Evangelium, gratiam et salutem ego prædico. Sept. enim, quos sequitur S. Paulus, heb. ישועה *iescua*, id est saltus vertunt σωτηριον, id est *salutare*, ut innuant salutem hanc esse Christum salvatorem. Ita S. Basil. in Psalm. 65. et S. Aug. l. 1. Contra advers. legis et Prophet. cap. 15.

29. QUÆSTIONEM,] ζητησιν, id est *disquisitionem*, ob scrupulos de Christo, quos eis injicerat Paulus.

30. MANSIT AUTEM BIENNIO.] Ergo usque ad annum Christi 61. qui fuit Neronis quintus.

IN SUO CONDUCTO.] Ita lege cum Rom. Græcis et Syris, *non conductu*, ut perperam aliqui legunt : *conducto*, scilicet hospitio et domo. Sic *conductum* substantive pro loco conducto, accipit Cicero orat. pro Cluentio dicens : *Solet enim extra portam aliquid habere conducti.* Unde Syrius vertit, *conduxit sibi Paulus domum, et fuit in ea duobus annis.* Domus hæc versa in ecclesiam, vocatur nunc *Diaconia S. Mariæ in via lata*, cui inscriptum est, hoc fuisse hospitium S. Pauli, S. Lucæ, et postea S. Martialis; ac S. Lucam in eadem pinxisse imagines B. Virginis : ubi et Lucas hunc Actorum librum conscripsit et absolvit Diaconia hæc vicina est Collegio Romano, in quo pariter hunc in Lucam Commentarium, ejusdem ope, et quasi vicini spiritu afflatus elucubravi.

31. PRÆDICANS, etc., EUM OMNI FIDUCIA,] μετὰ παῤῥησίας, id est *libertate, audacia, fiducia.* Verisimile est quod scribit Eusebius l. 2. Histor. c. 22. Neronem primo imperii sui quinquennio lenem et facilem, apologiam Pauli clementer excepisse; præsertim, quia quæstio hæc de Christo contra Judæos, quos ipse parvi faciebat, agebatur. Adde Paulum sibi conciliasse familiares Neronis. Sic enim de eo scribit S. Chrysost. hic hom. 54. *Dicitur salutasse Neronis pocillatorem, et concubinam* quam Baronius et alii censent fuisse Poppæam Sabinam de qua ita scribit Tacit. 13. *Huic mulieri cuncta alia fuere præter honestum animum. Quippe mater ejus, ætatis suæ feminas pulchritudine super gressa, gloriam pariter et formam dederat. Opes claritudini generis sufficiebant : sermo comis, nec absurdum ingenium, modestiam præ se ferre et lascivia uti rari in publicum egressus, idque velata parte oris, ne satiaret aspectum, vel quia sic decebat.* Quocirca Paulus in primis hisce vinculis, plures è familia Neronis ad Christum convertit, de quibus ipse ait Philip. 4. 22. *Salutant vos omnes Sancti, maxime qui de Cæsaris domo sunt.* Inter hos eminuere Torpes et Evellius, quos postea Nero sævior factus occidit et martyrio coronavit : ut Martyres enim asscripti leguntur Martyrologio Romano die 11. et 27. Maii.

Nota hic Primo, Paulum in vinculis agentem Philippenses Christiani consolati sunt, mittentes ad eum Epaphroditum suum Episcopum cum pecunia, ut necessitatibus ejus subvenirent : quibus ipse gratias egit, scripsitque epistolam ad Philipp. Venit quoque Iconio ad eum Onesiphorus, ut ei ministraret, uti Paulus testatur

2. Timoth. 1. 16. Nam Pauli comites omnes, excepto Luca, metuentes Neronem, eum dereliquerant, uti ipse ibidem ait cap. 4. 16. Sed Dominus ei astitit, eumque confortavit. Ex vinculis quoque scripsit Paulus epistolam ad Colossenses, ad Ephesios, ad Philemonem, ad Timotheum. Unde illæ cæteris ardentiores, spirant Martyrem et martyrium.

Nota Secundo, Censet Baron. Neronem causam Pauli, quia sacra erat, et religionem spectabat, ad pontifices Romanos rejecisse; qui cum Gentiles essent, et Judæos odissent, Paulum ab eis accusatum absolverunt. Et hoc videtur innuere Paulus Philip. 1. 13. dicens vincula sua fidemque et prædicationem Christi, nota facta fuisse in omni prætorio.

Nota Tertio. Olim Marsilius de Padua tempore Joannis XXII. Pontificis, scripsit librum, cujus titulus *Defensor pacis* in quo contendit S. Paulum fuisse Episcopum Romæ non S. Petrum; eo quod S. Lucas Paulum biennio Romæ versatum dicat, Petri vero non meminerit. Eum hoc sæculo secutus est Uldaricus Valenus aliique hæretici, qui impudenter negant S. Petrum Romæ fuisse; quem fuse refutat Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontifici. cap. et sequentibus. Nam, ut alia taceam, ejus impudentiam refutat continua Ecclesiæ Romanæ et cæterarum omnium fides, et sæculorum omnium traditio. Adhæc omnes Historici et Patres, quos operose citat Bellarminus. S. Petrus ergo fuit Romanus Episcopus, ac episcopatui Romano annexuit pontificatum totius Ecclesiæ, in eoque sibi sequentes Romanos Episcopos succedere voluit, et sanxit, ut, quicumque eligeretur in Romanum Episcopum, is pariter esset Episcopus et Pontifex totius Ecclesiæ, uti à S. Petro hucusque, continua Episcoporum et Pontificum Romanorum successione factum esse constat Paulus ergo Romæ in vinculis prædicando, Petrum in fundando Romano episcopatu et pontificatu adjuvit, eaque de causa S. Epiphanius hæresi 27. Petrum et Paulum vocat Romanos Episcopos, quia scilicet uterque tanquam Apostolus Romanam Ecclesiam erexit, docuit, fundavit, ibique munia episcopalia exercuit: sed Petrus, ut proprius Romæ Episcopus; Paulus, ut Petri administer et adjutor, præsertim quia Romæ, ex professo Paulus sedem non fixit, sed per accidens dumtaxat, et quasi transiens; uti ipse Romanis scripserat cap. 15. 24. dicens: *Cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos, et à vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero.*

Nota Quarto. Lucas hic finit Acta Pauli in biennio vinculorum ejusdem, puta anno Christi 61. Neronis 5. quid deinde ab eo gestum sit, nec ipse, nec alius authentice conscripsit. Nam Acta Lini, quæ hæc conscribunt, de fide suspecta et apocrypha sunt. Illud constat, Paulum à Neronis vinculis fuisse solutum. Hoc enim ipse Paulus testatur 2. Tim. 4. 17. *Dominus*, ait, *mihi astitit, et confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, et audiant omnes gentes, et liberatus sum de ore leonis*,' id est Neronis. Ad quod juverunt litteræ Festi præsidis Syriæ, quas ad Neronem de Paulo dedit, quibus utique significavit se nullum crimen in eo deprehendisse, nec Felicem, nec Lysiam. Causam aliam ex Tacito l. 14. dat Baron. anno Christi 61. in fine. Cum, ait, publica adulatione lætitia quoque publica omnium esset, ut de salute parta Imperatoris (ac forte ut suam crudelitatem specie humanitatis tegeret: eodem enim anno occidit Agrippinam matrem suam) fortasse ex ea causa accidit, ut Paulus in carcere jam insumpto biennio, una cum cæteris vinctis solutus vinculis liber juberetur abire.

Nota Quinto. Patrum (quos citavi Rom. 15. 24.) traditio est, Paulum vinculis solutum, inter alias provincias adiise Hispaniam, uti proposuerat Rom. 15. 24. ibique prædicasse, præsertim ut apud Hispanos jam quasi desertos suppleret locum S. Jacobi, ab Herode capite truncati. Nonnulla quæ ibi gessit sigillatim enarrat L. Dexter in Chronico, anno Christi 64. *L. Annæus Seneca*, ait, *Cordubensis Hispanus, missis ultro citroque ad S. Paulum litteris, de Christiana re bene sentit, factusque Christianus, occultus ejus discipulus fuisse creditur, dulciterque scribit ad Paulum in Hispania morantem.*

S. Paulus ad Hispanias veniens secum fert Philemonem, Timotheum, aliosque discipulos: Libysocæ Laminisque urbibus provinciæ Arenatium prædicat: Philippum cognomento Philotheum (quem anno Christi 19, asserit sepelisse corpora S. Gervasi et Protasii Martyrum, civium suorum Mediolani) *Probum Xantipamque ejus uxorem ad fidem convertit: presbyteros ibi relinquit.*

S. Paulus (Proconsul olim Cypri, Act. 13. 7. conversus à S. Paulo) *Narbonensis Episcopus, qui cum Paulo Apostolos venit in Hispaniam, ibidem prædicat.*

Et mox anno Christi 66. *Sanctæ feminæ virgines Basilissima et Anastasia, Hispanæ, ex urbe Setabi in Edetanis secutæ sunt S. Paulum Apostolum, cujus et Petri corpora curantes, à Nerone Cæsare hujus rei gratia præclaram coronam* (martyrii) *obtinent.*

S. Paulus scripsit epistolam ad Hebræos Hispanos conversos.

Et inferius anno Christi 100. in Hispania discipulos Pauli nominat Xantippen, Polyxenam, M. Lupum, Philippum, Lucium maritum Candidæ et Martyrem, additque: *Floret Q. Marcella, M. Marcelli Romæ Perfecti filia, M. Marcelli Eugenii Toletanorum Pontificis soror, quam S. Paulus visis in ejus fronte aureis litteris, ad fidem Laminii convertit. Ejus mater Claudia, Xantippes civis, fuit corpore super justam staturam procero, in quam jocatur Martialis.* Hæc ille, de cujus fide dixi in fine Chronotaxeos. Illi, adstipulantur alii. Nam Martyrolog. Roman. die 15. Septembr. asserit, Paulum euntem in Hispanias, duxisse secum Paulum, olim Proconsulem Cypri, eumque Narbonæ reliquisse Episcopum. Addit Ado in Chronico anno Christi 59. Paulum reliquisse Trophimum Arelate, Viennæ vero Crescentem. Menologium Græcorum die 25. Septembr. tradit, Xantippen et Polyxenam in Hispania à Paulo ad Christum esse conversas. Idem tradit Metaphrastes in vita S. Pauli, additque cum Isidoro et aliis, eum per Italiam et Franciam evangelizasse. Adjungunt Hispani, et Græci Interpretes. S. Dionysii, Hierotheum, quem ut virum divinum suumque magistrum celebrat Dionys. Areopag. lib. de Divin. nomin. c. 3. fuisse Hispanum, et à S. Paulo ad Christum conversum. Quocirca Lucianus Christi, Pauli et christianismi irrisor, ita Paulum quasi cœlestem et cœlitem pingit in Philopatro: *Quando autem me Galilæus ille convenit recalvaster naso Aquilo, qui in tertium usque cœlum per aerem ingressus est; quæ*

optima et pulcherrima sunt, inde didicit; per aquam nos renovavit, in beatorum vestigia insistere fecit, et ex impiorum regionibus nos reduxit.

Hisce consentit Sophronius Patriarcha Hierosol. quem citat Salmeron hic tract. 59. qui asserit Xantippen vidisse in fronte Pauli inscripta hæc verba, *Paulus Apostolus prædicator Christi*, quo viso eum audiisse, Christi fidem cum marito Probo suscepisse. Et S. Ansel. in epist. ad Rom. c. 15. asserens Paulum in Hispania prædicasse, subjungit: *Pervenit igitur usque ad Hispanias, et à mari rubro usque ad Oceanum prædicando cucurrit, imitans solis cursum ab Oriente usque ad Occasum, ut ante ei terra deficeret, quam studium prædicandi.* Hinc Dertosensis Ecclesia in Hispania, agnoscit et celebrat primum suum Episcopum Rufum, filium Simonis Cyrenensis bajulantis crucem Christi, quem Paulus veniens in Hispaniam secum adduxit. Addit probatque Salmeron tom. 12. tract. 59. Paulum post prima vincula visitasse Syriam, Asiam, Macedoniam, Græciam. Paulus enim ab Hebr. cap. ult. scribens è vinculis: *Cognoscite*, inquit, *fratrem nostrum Timotheum dimissum, cum quo si celerius venerit; videbo vos.* Et ad Philip. c. 2. 24. *Confido in Domino, quoniam et ipse veniam ad vos cito.* Et ad Philem. v. 22. *Para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis.* Ita Theoph. præfat in epist. ad Hebr. Œcum. in c. 15. et alii.

Nota Sexto. Paulus è primis hisce vinculis dimissus, vixit adhuc 8. annos, quibus Hispanias aliasque provincias evangelizando peragravit: quibus exactis Romam rediens, certansque cum S. Petro contra Simonem Magum, et Neronem, ab ipso eo quod pellices à se ad Christum traduxisset; damnatus, gladioque percussus, gloriosum Apostolatum gloriosiore martyrio coronavit anno Christi 69. Neronis 13. die 29. Junii: sedilico Neronem persecuta est divina tam sancti effusi sanguinis ultio. Nam anno sequenti eodem mense Junio, die decima, qua olim Octaviam uxorem occiderat, à senatu proscriptus quæsitusque ad necem, ex desperatione semetipsum confodit anno ætatis 32. Ita Sueton. Dio et alii in ejus vita.

Moraliter S. Chrysostomus hic homilia 54. docet, Paulum et fideles per vincula, adversitates et tentationes gloriosiores fieri: *Perinde enim esse, ac si quis calamo prælietur contrà ignem. Hic enim ignem videtur verberare, sed ignis clarior fit, et calamus consumitur. Alimentum enim et fomes claritudinis est malitia virtuti. Injustitia, quando ut opus fuerit utitur Deus, res nostras clariores reddit. Iterum quando diabolus operatur tale quiddam, clariores facit sustinentes;* uti Pharao persequendo Mosen et Hebræos, eos illustriores effecit; et diabolus affligendo S. Job, ejus patientiam celebravit. *Gymnasium ergo philosophiæ, ac eos virtutis sunt afflictiones et curæ.* Probat id exemplis, et similibus. *Eapropter*, ait, *pauperes divitibus sunt sapientiores, utpote multis fluctibus vexati et exerciti. Nam corpus quod otiosum est et immobile, morbis magis obnoxium et fœdum est: quod autem movetur et laborat, et ærumnis exercetur, formosius est et sanius. Hoc etiam in anima reperire licet. Et ferrum quidem si jaceat, corrumpitur: si exerceatur autem splendet. Et similiter anima quæ movetur. Motio autem animæ, curæ ipsæ, et artes ipsæ pereunt, si non moveatur anima. Fortes nos faciunt contraria.* Idem hom. 15. *Suscepit*, inquit, *illum* (Paulum) *Roma vinctum à mari venientem, ex naufragio servatum et liberata est ab errorum naufragio; sicut rex quidam post navalem pugnam et victoriam, in regalissimam istam aulam ascendit. Suscepit illum Roma vinctum, et vidit coronatum ac celebratum. Hoc autem initium cursus iterum erat, et triumphos triumphis inexpugnabiles conjunxit* Et mox: *Cœlum erat ille* (imo omnibus cœlis sublimior) *solem habens justitiæ. Cui comparaverit quis illius verba? mari vel Oceano? sed nihil par est: illo sunt verba ejus copiosiora, puriora et profundiora: et sic non peccarit quis, si cor Pauli mare etiam ac cœlum dixerit, cum ob puritatem, tum ob profunditatem. Mare est, navigantes non à civitate in civitatem, sed à terra in cœlum vehens. Si quis in hoc mari navigaverit, secunda aura navigat. Non est in hoc mari ventus, sed pro vento est Spiritus S. qui in illo navigantes animas vehit. Mare est portu tranquillius et securius, nihil habens falsum: sed dulcem ac purum laticem, sole limpidiorem et magis perspicuum,* etc. Ac Paulum vocans *os igneum*, concludensque, ait, *Æmulemur Paulum, et imitemur fortem illam ac adamantinam animam, ut per vestigia eorum, qui sic vixerant euntes, possimus vitæ istius pelagus pernavigare, et in portum sine fluctibus pervenire, bonaque diligentibus Deum promissa assequi, gratia et humanitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simul ac sancto Spiritui gloria, imperium, honor nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.*

VIVE ÆTERNITATI.

Perpetuam sempiternæ gloriæ curam habe.

S. Gregor. Nazianz. in Sentent.

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

QUÆ

HISCE IN ACTA APOSTOLORUM COMMENTARIIS EXPLICANTUR, VEL ILLUSTRANTUR.

(Prior numerus paginam, secundus columnam designat: si unicus tantum occurrat numerus, ad præcedentem referri indicio est.)

EX GENESI.

Cap. 12. v. 1. Exi de terra tua, et de cognatione tua, 143. 1
14. 23. A filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ non accipiam, 219. 2
49. 5. Vasa iniquitatis bellantia, 179. 2

EX EXODO.

Cap. 7. v. 1. Ecce constitui te Deum Pharaonis, 241. 1
22. 28. Diis non detrahes, 299. 2
33. 19. Ostendam tibi omne bonum, 304. 2

EX LEVITICO.

Cap. 13. v. 11. Contaminabit eum sacerdos, 196. 1

EX DEUTERONOMIO.

Cap. 18. v. 15. Ego ultor existam, 100. 2
23. 17. Non erit meretrix de filiabus Israel, 128. 1
31. 2. Non possum ultra egredi et ingredi, 57. 2
33. 3. Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius, 322. 1

EX LIBRO JUDICUM.

Cap. 14. 6. Irruit Spiritus Domini in Samson, 105. 1

EX LIBRO II. REGUM.

Cap. 11. v. 2. Excepto sermone Uriæ Hethæi, 233. 2

EX LIBRO III. REGUM.

Cap. 17. v. 1. Vivit Dominus in cujus conspectu sto, 81. 1

EX LIBRO II. PARALIPOMENON.

Cap. 1. v. 10. Ut ingrediar et egrediar coram populo tuo, 57. 2

EX LIBRO II. ESDRÆ.

Cap. 11. v. 22. Episcopus Levitarum, *ibid.*

EX LIBRO TOBIÆ.

Cap. 12. v. 19. Videbar quidem vobiscum manducare et bibere, sed ego cibo, etc. 42. 2

EX PSALMIS.

Psal. 2. v. 1. Quare fremuerunt Gentes, et populi meditati sunt inania? 107. 2. Convenerunt in unum adversus Dominum, etc., *ibid.*
v. 7. Filius meus es tu, ego hodie genui te, 234. 1. 2
4. 7. Quis ostendet nobis bona? 181. 1
7. 14. Et in eo paravit vasa mortis, 179. 2
15. 8. Quoniam à dextris est mihi ne commovear: et caro mea requiescet in spe, 81. 2. 82. 1
v. 10. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem, 81. 2. 235. 2
Ibid. Notas mihi fecisti vias vitæ, 82. 2
Ibid. Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, 83. 1
17. 5. Circumdederunt me dolores mortis, 80. 2
59. 5. Ostendisti populo tuo dura, 181. 1
67. 32. Æthiopia præveniet manus ejus Deo, 169. 1
70. 20. Quantas ostendisti mihi tribulationes, 181. 2
108. 6. Constitue super eum peccatorem, 57. 1
Ibid. Diabolus stet à dextris ejus, cum judicatur, exeat condemnatus: oratio ejus fiat in peccatum: fiant dies ejus pauci, et episcopatum ejus accipiat alter, *ibid.* 1. 2
109. 1. Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, 84. 1
Ibid. Donec ponam inimicos tuos scabellum, *ibid.*
111. 9. Justitia ejus manet in seculum seculi, 199. 2
117. 22. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, 105. 2
118. 74. Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur, 95. 1
v. 109. Anima mea in manibus meis semper, 252. 2. 307. 1
v. 124. In tuis justificationibus doce me, 107. 1
128. 1. Sæpe expugnaverunt me à juventute mea, 184. 1
131. 2. Si introiero in tabernaculum domus meæ, etc., 147. 1

EX LIBRO PROVERBIORUM.

Cap. 3. v. 9. Honora Deum de tua substantia, 364. 1
18. 10. Turris fortissima nomen Domini, 106. 1. 251. 1

EX ECCLESIASTE.

Cap. 12. v. 13. Hoc est enim omnis homo, 232. 1

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

Cap. 8. v. 12. Manus ori suo imponent, 164. 2
11. 23. Momentum stateræ, 45. 2

EX ECCLESIASTICO.

Cap. 17. v. 24. Sta in sorte propositionis et orationis altissimi Dei, 61. 1
Ibid. In partes vade seculi sancti, *ibid.* 1. 2
20. 30. Qui operatur justitiam, ipse exaltabitur, 199. 2
49. 18. Ossa ipsius visitata sunt, et post mortem prophetaverunt, 56. 1

EX ISAIA.

Cap. 18. v. 2. Ite, angeli veloces, ad gentem convulsam et dilaceratam, 219. 1
49. 3. Servus meus es tu, Israel, 144. 2
v. 6. Posui te in lucem Gentium, 236. 1
53. 7. In humilitate judicium ejus sublatum est, 56. 1
v. 55. Misericordias David fideles, 235. 1
66. 1. Quis est iste locus quietis meæ? 147. 2

EX JEREMIA.

Cap. 25. v. 12. Cum impleti fuerint septuaginta anni, 63. 1

EX EZECHIELE.

Cap. 34. v. 23. Suscitabo super eos servum meum David, 144. 2

EX DANIELE.

Cap. 3. v. 44. Confundantur omnes qui ostendunt servis tuis mala, 181. 1

EX AMOS.

Cap. 6. v. 5. Putaverunt se habere vasa cantici, 179. 2

EX ZACHARIA.

Cap. 3. v. 1. Satan stabat à dextris ejus, ut adversaretur ei, 121. 1

EX NOVO TESTAMENTO.

EX S. MATTHÆO.

Cap. 1. v. 25. Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum, 84. 1
3. 15. Sic enim decet nos implere omnem justitiam, 304. 2
v. 16. Vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, 68. 1
6. 13. Et ne nos inducas in tentationem, 121. 1
9. 8. Timuerunt turbæ, 88. 1
10. 16. Estote simplices sicut columbæ, et prudentes sicut serpentes, 90. 2
11. 23. Forte mansissent usque in hanc diem, 167. 2
16. 23. Vade post me, Satana, 121. 1
26. 8. Discipuli indignati sunt, dicentes, 145. 2

EX S. LUCA.

Cap. 2. v. 22. Postquam impleti sunt dies purgationis ejus, 63. 1
5. 26. Apprehendit omnes stupor, 88. 1
7. 38. Stans retro secus pedes ejus, 178. 1
24. 50. Elevatis manibus suis benedixit eis, 47. 2

EX S. JOANNE.

Cap. 1. v. 14. Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti, 67. 2
v. 21. Elias es tu? 84. 1
4. 20. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, 169. 2
6. 70. Ex vobis unus diabolus est, 232. 1
14. 16. Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, 44. 1
v. 23. Mansionem apud eum faciemus, 71. 1
17. 3. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, 237. 1

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

Cap. 15. v. 8. Christus est minister circumcisionis, 101. 1

EX I. AD CORINTHIOS.

Cap. 10. v. 17. Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus, 86. 2
13. 13. Major autem horum est charitas, 338. 2
15. 32. Si secundum hominem ad bestias Ephesi puguavi, 209. 2
16. 8. Permanebo Ephesi usque ad Pentecosten, 292. 1

EX II. AD CORINTHIOS.

Cap. 3. v. 9. Si ministratio damnationis gloria est, multo magis, etc., 139. 2

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

Cap. 2. v. 17. Sed etsi immolor super sacrificium et obsequium fidei, 31. 2

EX I. AD TIMOTHEUM.

Cap. 4. v. 14. Quæ data est tibi per impositionem manuum presbyterii, 245. 2

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

Cap. 11. v. 33. Sancti per fidem operati sunt justitiam, 199. 2
11. 37. Secti sunt, tentati sunt, 306. 1

EX EPIST. CATHOLICA S. JACOBI.

Cap. 1. 2. Cum in varias tentationes incideritis, *ibid.*

EX I. EPIST. S. PETRI.

Cap. 5. 8. Omnes invicem humilitatem insinuare, 262. 2

EX EPISTOLA I. S. JOANNIS.

Cap. 3. v. 15. Omnis homicida non habet vitam æternam, 237. 1

EX APOCALYPSI.

Cap. 3. v. 4. Habes pauca nomina in Sardis, 55. 1

INDEX

RERUM ET VERBORUM

QUÆ

HIS IN ACTA APOSTOLORUM COMMENTARIIS CONTINENTUR.

(Prior numerus paginam, secundus columnam designat : si unicus occurrat numerus, ad præcedentem referri indicio est.)

A

Aaron vitulum aureum fieri permittens an excusari valeat, 146. 2

Abraham quomodo in Chanaan non passum pedis possedisse dicatur, cum tamen haberet ibi sepulcrum, 143. 2. A quo sepulcrum emerit, an à filiis Hemor, an ab Ephron, 144. 1

Abrahmius Eremita patientia sua Paganos convertit, 244. 2. Qua industria neptem ad meliorem frugem reduxerit, 262. 2

Abyssini in templis nunquam sedent, 93. 1. Quotidie in Missa communicant, 87. 1. Eorum Antistites cum cruce vas cinerum præferri curant, 194. 2

Accipiter est Dei symbolum, 273. 1

Acilius Glabrio consul Romæ martyrio afficitur, 9. 1

Actiones (ad omnes) Deus concurrit, 278. 1. In actionibus oportet esse providum, 222. 1

Actorum (libri) Apostolicorum quod sit argumentum : est Evangelium Spiritus sancti, 33. 1. 2. Ejus nomen est actus, 33. 2. Quot annorum gesta contineat, *ibid.* Duæ ejus partes, 34. 1. Ejus interpretes, *ibid.* 2. Ejus scopus et finis, *ibid.* 1. Docet præ cæteris Christi nostramque resurrectionem, *ibid.* 2. Acta sub quibus Imperatoribus contigerint, 210. 2

Actum (an cum Deus præscit) futurum, necessario ille fieri debeat, 79. 2. Actus liber spectatur ut est in fieri et ut in facto esse, *ibid.*

Adolescentia quot annos comprehendat, 153. 2

Adoratio varios actus et species complectitur, 336. 2. Adoratio civilis et religiosa in quo consistat, 198. 1

Adria mare unde dictum, et quod sit, 358. 1

Adrumetum urbs est in Africa, 353. 1

Adulatio quam frequens in aulis, et quantum malum, 225. 1

Ædes (quas) Dianæ effingeret Demetrius argentarius, 297. 1

Ægyptii impostura celebres, 320. 1

Ælamitæ sunt duplices, 75. 1

Æqualitas origo est concordiæ, 133. 1

Æris Corinthii præstantia, 94. 2

Ætatis cuique tempus est à Deo assignatum, 273. 2

Æthiopia à quo ad fidem Christi conversa, 169. 2

Æthiopes magnam habebant cum Judæis familiaritatem, et in religione consensionem, *ibid.* 1. Olim regebantur à feminis, *ibid.* 2

Africa civitas dedit nomen provinciæ toti, 75. 2

Africus quis sit ventus, 354. 2. Unde dictus, *ibid.* Est procellosus, *ibid.*

Agabus Propheta relatus inter Sanctos : unde nomen id derivetur, 210. 1. An Paulo, an sibi pedes et manus alligarit, 315. 1

Agape erat mensa sacra, quomodo, 133. 1. Celebrabatur post Eucharistiam, 87. 1

Agatha (S.) cur sit patrona Melitensium, 362. 1

Ager è Judæ argenteis emptus cur dictus sit sanguinis, 57. 1

Agni occisi nomine cur intelligatur Christus, 101. 2

Agones capitolini quando numerari cœpti, 8. 2

Agrippa vox unde formata, et qui dicti Agrippæ, 344. 2. Agrippa rex. *Vide* Herodes.

Agrippæ (M.) morbi et invaletudo, *ibid.*

Agrippina quando Coloniam in Ubios duxerit, 4. 1. Ejus mors, 5. 2

Alexander Alabarcha Alexandrinus quis, 104. 2

Alexander Carbonarius factus est Episcopus et Martyr, 26. 1

Alexander adversus quem Ephesi tumultuantes clamarunt quis fuerit, 299. 1

Alexandri Magni symbolum fulgur est, 29. 1

Alexandrinæ Ecclesiæ Catechistæ qui, 27. 1

Alfonsus Aragonum rex astrologos cur detestaretur, 296. 2. In Alvarum Lunam ingratum cur benelicus esset, 323. 2

Aloysius (B.) Gonzaga vultu et moribus erat Angelicus, 140. 2

Amantes habent unum cor et animam, 109. 2

Ambitio est fons hæreseos, 308. 2

Ambrosi (S.) facilitas in aliorum rebus audiendis, 332. 1

Amor in Christum commendatur, 99. 1. Amoris divini ebrietas, 76. 2. Ejus effectus, 16. 1. Amor à rebus terrenis avocandus, 89. 1

Amphipolis quæ sit civitas, 262. 1

Amphitheatrum Titi Romæ etiamnum superest, 8. 2

Ampulla chrismatis ab angelis, ne frangeretur, excepta fuit, 165. 2

Anabaptistarum error circa bonorum possessionem, 111. 1. Hi quomodo in Moravia in communi agant, 88. 2

Anachoretæ in deserto similes fuere Silenis, cur, 327. 2

Ἀναχρίνειν est verbum forense, 224. 2

Ananias baptizans Paulum quis fuerit : ejus martyrium, 178. 2. Cur manus Paulo imposuerit, 181. 2. Cur cum eo vincto Cæsaræam venerit, 334. 2

Ananias et Sapphira, quid proprie vox sonet, 117. 1. An fecerint votum paupertatis, *ibid.* Quomodo fraudarint de pretio agri, 120. 2. Mentiuntur Spiritui sancto, 121. 2. Vendiderunt agrum ante votum, *ibid.* Eorum peccatum erat sacrilegium, 122. 1. Quomodo sint mortui, *ibid.* 2. An sint damnati, et cur occisi, *ibid.*

Ananias pontifex quis sit, à quo Paulus jussus percuti, 327. 1. Cur ille eum percuti jusserit, *ibid.* Cur vocetur paries dealbatus, *ibid.* Cur perculsus tacuerit, 328. 1. Erat Sadducæus, 329. 1

Ananus cur Pontificatu ab Agrippa rege sit privatus, 327. 1

Ancona urbs ubi sita et quomodo, 153. 1

Andreas (S.) quando sit mortuus, 6. 1

Andreæ (P.) Oviedi in Æthiopia paupertas, 22. 1

Androchus conditor Ephesi, Codri filius fuit, 292. 1

Angelus corporaliter visus est Cornelio Centur. quatuor de causis, 193. 1. Angelus quare subito Philippum ab Eunucho rapuerit, 171. 1. Angelus quis Petrum è carcere liberavit, et quomodo, 125. 2. 218. 2. Quando is eum carcere eductum dereliquerit, 221. 2. Angelum custodem habet quilibet homo, 223. 1. Ejus officia, 193. 1

Angeli occurrerunt Christo cœlos penetranti, 48. 1. Peragunt particulare judicium, 153. 2. Tribus de causis apparent Apostolis post Christi ascensionem, 51. 2. Sæpe induunt speciem et personam clientum, 223. 2. Per eos

Deus suos à periculis liberat, 221. 2. Angelorum dispositio quæ fuerit in danda lege, 148. 2
Angulus in Scriptura est symbolum principis et regni, 106. 1
Anias hebraice quid sonet, 186. 1
Anima Christi qua ratione cum resuscitarit, 40. 1. Anima et vita nostra docet nos Deum esse, 276. 1. Ejus origo cœlestis est, 279. 2. Eam Tertull. censet esse corpoream, 330. 2. Ipsa in fruitione visionis beatificæ an active, an vero mere passive se habeat, 278. 1. Animæ an cœlo et inferno egredi queant, 100. 1. et quare, et quando, *ibid.*
Animalia immunda erant pleraque in vase et linteo S. Petri, 195. 1. Quid ea denotarent, *ibid.* Erant vera animalia non expicta, *ibid.* 2. Sub Messia nulla erant animalia immunda, *ibid.*
Annæus (L.) Seneca fuit præceptor Neronis, 285. 2. An is S. Paulo scripserit, 286. 1. Non fuit Christianus, *ibid.*
Annas quando esset pontifex, 104. 1. Omnes filios vidit pontifices, *ibid.* 2. 327. 1
Annus conversionis S. Pauli, 182. 2. 183. 1. Anno quoto Christi Cornelius Centurio sit conversus, 203. 2. Anni CCCCL. quibus Hebræis facta promissio de terra Chanaan possidenda, quomodo computandi, 233. 1. Annos quadringentos servitutis et peregrinationis Hebræorum quomodo supputet S. Stephanus, cum fuerint plures, 143. 2. Anni gestorum Apostolicorum subducuntur, 1. 1. et seq. Annis duodecim post Christi ascensionem Apostoli in Jerusalem non manserunt, 47. 1
Anthropomorphitæ putarunt Deum esse corporeum, 330. 2
Antichristus an in monte Oliveti cœlos volet ascendere, 52. 1
Antilogiæ septem S. Stephani et Mosis quoad priscas historias, 142. 1
Antiochena Cathedra et Ecclesia à S. Petro quando fundata, 186. 1. 203. 2. Ejus sedis dignitas, 204. 1
Antiochia Syriæ dicitur absolute Antiochia, reliquæ cum addito, 288. 1. Antiochiæ variæ sunt civitates, 228. 1
Antiochus rex cur Soter sit cognominatus, 126. 2
Antipas (S.) quando martyrium subierit, 9. 1
Antipatris urbs ubi sita, ejus descriptio, 333. 1
Antonia arx Hierosolymæ erat Romanorum præsidium, 103. 1. 319. 2
Antonii (S.) vitæ lectione quam multi sint conversi, 170. 1. Ipse identidem cœlum aspiciebat, 51. 1. Erat dux anachoretarum, 112. 1
Antonio (S.) de Padua morienti apparuit Christus, 154. 1. A variis nationibus intellectus est in una lingua loquens, 73. 2. Ezelini tyranni munera rejicit suo bono, 310. 1. Cur sit dictus *arca testamenti*, 180. 1
Aperire sua Superiori optima tentationum evincendarum ratio est, 295. 1. 2. Aperire os dicimus, dum rem gravem et sublimem dicere volumus, 170. 2
Ἀφανίζω variæ significationis est, 235. 2
Apocalypsis S. Joannis quid tractet, et quis ejus scopus, 9. 2
Apollinaris (S.) quando sit martyrio affectus, 8. 1
Apollinaristæ Christo homini mentem et animam adimebant, 278. 1
Apollo alius est ab Apelle : ejus eloquentia et doctrina, 288. 2. Quando et à quo baptizatus, *ibid.* Ejus humilitas, 289. 1
Apollo deus cur olim dictus Pythius, 258. 2
Apolloniæ plures urbes vocatæ sunt, 262. 1
Apollonius Tyanæus quando Romam venerit, 7. 1. Ejus gesta, 8. 2. 9. 1. Vidit absens necem Domitiani, 10. 1. Ejus mors, *ibid.* 2. Habuit scholam magicam Ephesi, 292. 2. 296. 1. Ejus præstigiæ, 126. 1
Apostolatus cur dicatur sors, 55. 1
Apostoli quales virtutum cultores fuerint, 12. 1. Eorum mors heroica, *ibid.* 2. Sunt digniores heroibus, *ibid.* Sunt velut coli, *ibid.* Vitæ eorum typus et descriptio, 18. 1. Eorum paupertas, 22. 2. Pedites obibant pagos et urbes, 23. 1. Carne et vino abstinebant, 24. 1. Igni comparantur, 26. 1. Sunt satores æternitatis, 33. 2. Eorum gesta plurima interciderunt, 35. 1. Eos Christus assumpsit instincta Spiritus sancti, 39. 1. 2. Quomodo eos Spiritus sanctus auctoraverit, *ibid.* 1. Cur eum respectare jubeantur, 43. 2. A quo sint baptizati, 44. 2. Exspectabant restitutionem temporalem regni Israel, 45. 1. 2. Sunt testes Christi, 46. 2. 57. 2. 58. 1. Eorum encomia, 46. 2. 65. 1. Quibus virtutibus sese ad adventum Spiritus sancti disposuerint, 53. 2. Omnes fuere Judæi, nulli Gentiles, 58. 2. Orarunt antequam Matthiam in Apostolum assumerent, 59. 1. Cur et quomodo sortibus usi in hac electione, 60. 1. Id fecerunt instinctu divino, *ibid.* 2. Sunt velut stellæ, 65. 1. Orarunt cum venit Spiritus sanctus, 66. 2. Habuere donum linguarum, et quomodo, 67. 1. Quidnam per Spiritum sanctum acceperint, *ibid.* 68. 2. 69. 1. Quomodo super eos linguæ sedisse dicantur, 69. 2. An eos Spiritus sanctus crearit Episcopos, *ibid.* An ab eo in gratia sint confirmati, *ibid.* Eo pleni, statim cœperunt loqui variis linguis, et quomodo id fieret, 72. 2. An omnium linguarum totius orbis cognitionem habuerint, 73. 1. Eorum ebrietas spiritualis, 76. 2. Habebant potestatem permanentem faciendi miracula, 95. 2. 96. 1. Non tenebantur obedire synagogæ, 107. 1. Paupertatis votum fecerunt, 118. 1. Majora miracula fecerunt quam Christus, 124. 2. Venere in suspicionem sectæ Galilæorum, et cur, 128. 2. Jussere suos principibus obedire, etiam infidelibus, *ibid.* Fuerunt à Judæis flagellati, 129. 2. Quando ad Gentes sint profecti, 131. 2. 158. 1. 203. 1. 2. 214. 1. Quando septem diaconos elegerint, 132. 1. Post dispersionem Christianorum factam Hierosolymæ, manserunt in Judæa, 158. 2. Curarunt et sepelierunt corpus S. Stephani, 159. 1. An confirmarint chrismate, vel sola manus impositione, 164. 1. Erant catechistæ, 170. 2. 199. 2. Ut plurimum per alios baptizabant, 202. 2. Non simul omnes in provincias suas abiere, sed plerique, et alternative, 215. 2. Eorum chronotaxis, 1. 2. Eorum calcei quales essent, 220. 1. An extra Judæam gestarint calceos plenos, *ibid.* Honoris divini zelosi erant, 243. 1. Ad mortem B. Virginis omnes convenere, etsi toto orbe dispersi essent, 315. 1. 316. 2. Eorum animi celsitudo, 328. 1. Subdebant se principibus Gentilibus, etsi ad id non tenerentur, 343. 1. Apostoli quinam interfuerint primo Concilio Hierosolymitano, 248. 2
Apostolici viri sint moribus et vita angeli, 241. 1. Vitam parvi faciant, sed prodigant, 307. 1
Appii forum urbs unde dicta, et quantum Romæ distet, 368. 1
Apronianus (S.) Confirmationis Sacramento accepto fortiter martyrium subiit, 165. 2
Aquilæ Scripturarum interpres cur ab Ecclesia ejectus, 296. 1
Aquila Ponticus, Pauli adjutor erat in arte scenofactoria cum uxore Priscilla, 283. 2
Arator carmine Acta Apostolorum reddidit, 54. 1
Aratus quis poeta fuerit, et quæ scripserit, 278. 2. Quomodo ex ejus scriptis sua dogmata confirmarit Apostolus, *ibid.*
Arbore (è qua) Judas se suspenderit, 56. 2
Archidiaconi qui dicerentur Romæ, 133. 2
Archiepiscoporum pallium quid designet, 308. 1
Archiepiscopatus quatuor sunt in Calabria, 366. 2
Areopagus quis locus Athenis, et unde dictus, 267. 2. Unde ibi tribunal, et à quo institutum, *ibid.* 268. 1. Ejus judices quam integri et sinceri, 268. 1
Argentarius quis proprie sit, 927. 1
Argentei Judæ cur vocentur merces iniquitatis, 56. 1
Aristarchus Thessalonicensium Episcopus fuit, 298. 2
Aristidis paupertas, 113. 1
Armamenta navis quæ dicantur, 337. 1
Armuzia per pueros maxime conversa est, 27. 1
Arnulpho (S.) morienti varii sancti apparuerunt, 154. 1
Arrius in latrinis animam effudit, 56. 2
Artemon in navi dicitur parvum velum, 356. 2
Ascensionis Christi prodigia, 52. 1. 76. 1. Ejus modus et forma, 47. 1. Christus ascensurus cur Apostolos in montem Oliveti duxerit, 49. 1. *Vide* Jesus Christus.

Ascetæ qui dicerentur, 337. 1
Asia (in) cur Paulus veletur à Deo prædicare, 255. 2. Asia minor quæ dicatur, *ibid.* Asia quæ in Actis intelligatur per eam, è qua dicuntur Judæi venisse Jerusalem, 75. 2. Asiæ partis orbis tertiæ descriptio, *ibid.*
Aspectus Sanctorum admodum salutaris est, 95. 1
Aspiratiouem Græcam Latini vertunt in litteram S. 41. 2
Assos urbs in Æolide est, 303. 2
Astionis parentes qua ratione ad Christum sint conversi, 262. 2
Astrologia judiciaria exploditur, 296. 1
Asyli jus quoad templa est novum, et olim non usurpatum, 319. 1
Athanasius (S.) omnem pene vitam in exilio egit, 18. 1. 302. 1
Atheismus Philosophorum, 266. 2. Huic Calvinus viam sternit, 82. 1
Athenæ erant scholæ eloquentiæ et sapientiæ, 265. 1. Earum elogium, *ibid.*
Atheniensium ingratitudo erga suos duces, 323. 1. 2. Mire fuerunt novorum avidi, 268. 1
Atrii Judæorum in templo descriptio, 97. 2. Atrii Gentium descriptio, *ibid.* 98. 1. Cur dicatur porticus Salomonis, 98. 1
Attalia locus est in Pamphylia, 246. 1
Attalicæ vestes quæ dicerentur, *ibid.*
Attritio ante baptismum necessaria, 85. 1
Auctor libri de Spiritu et anima an sit S. Augustinus, 276. 2
Auditores pauci sunt instar multorum, 197. 2
Augustini (S.) frugalitas in mensa, 24. 1. Videre tria in vita optavit, 346. 2. Deplorat quod juvenis frequentarit malos, 86. 1
Augustum proprie quid sit, 346. 1
Augustus Imp. oculos habuit claros ac nitidos, 326. 1
Auroræ amœnitas, 125. 2. 126. 1
Azymorum dies qui dicerentur, 216. 2

B.

Babylonica captivitas quando finita, 63. 1
Balaam oracula sua pretio vendens; item benedictiones et maledictiones suas; simoniacus fuit, 166. 1
Baptismum et baptismus dicitur, 200. 2. In baptismo aliquando visibiliter datus est Spiritus sanctus, 164. 1. Per eum semper datur ejus gratia, 202. 1. 202. 2. Baptismi vis, 125. 1. Quando sit institutus, et obligare cœperit, 44. 1. Triplex est baptismus, 45. 1. Baptismus non significat doctrinam, 291. 1. Requirit in adultis attritionem, 85. 1. Baptismus in nomine solo Christi an valeat, *ibid.* Baptismus Joannis fuit diversus à baptismo Christi, 291. 2. Hujus forma, *ibid.* Baptismus Spiritus sancti vocatur ejus effusio in Pentecoste, et differt à baptismo aquæ, 44. 2
Barbaram (S.) ad martyrium Christus animavit, 154. 1
Bariesu quisnam impostor esset, unde hoc sibi nomen arrogaret, 230. 2
Barlaam (S.) Martyr in tormentis præ mentis jubilo cecinit, 150. 1
Barlaam (S.) Eremita quo schemate Josaphatum converterit, 262. 2
Barnabas (S.) prædii venditi pretium ad pedes Apostolorum posuit, 114. 2. Dictus est et Joseph, 115. 1. Cur dictus filius consolationis, *ibid.* Nominis Barnabæ etymon, *ibid.* Fuit Levites, *ibid.* 2. An fuerit Cyprius, *ibid.* Ejus prosapia, *ibid.* S. Paulum ad Apostolos introduxit, eum ut suspectum habentes, 184. 2. Ejus elogium, 207. 2. 208. 1. 229. 1. Fuit condiscipulus S. Pauli, 207. 2. Latuit in persecutione Herodis, 227. 1. An fuerit Episcopus, 229. 2. Cur à S. Paulo discesserit, an in Italiam venerit: in Cypro pro Christo Martyr occubuit, 255. 2. Cur à Lycaoniis vocetur Jupiter, 241. 1
Barsabas quid proprie significet, 58. 1. Unde vox formetur, *ibid.* Ab insigni vitæ sanctitate et justitia, æque ac frater ejus, vocatus est Justus, *ibid.*
Bartholomæus (S.) quando sit occisus, 8. 1
Bartimæus idem est quod filius Timæi, 58. 1
Basilius (S.) S. Ephræmo linguæ Græcæ cognitionem impetravit, 73. 2. Vultu suo angelico Valentem Imp. terruit, 140. 1
Basilius (S.) Seleuciensis S. Theclæ vitam conscripsit, 259. 2
Beati in cœlo nulla veste, sed gloria sola vestiuntur, 50. 2
Beda (Ven.) quando et quomodo sit mortuus in festo Ascensionis Domini, 42. 2
Benedicere Dei semper est efficax et eximium, 100. 2. 101. 1
Benedictio omnis in Ecclesia sit per signum crucis, 47. 2
Benedictus (S.) suos defendit ab incursu Longobardorum, 357. 2. Quomodo fit inter orandum mortuus, 16. 2
Benefacere divinum est, 111. 2
Benefacta calumniari et sinistre interpretari Judaicum est, 105. 1
Benefactor summus est Christus, 200. 2
Beneficia æqualiter danda tam gratis quam ingratis, *ibid.*
Beneficus beatior est beneficium accipiente, 310. 2. 311. 1. 2. Varia beneficorum apophthegmata, 311. 2
Bernardini (S.) sermones ubi asserventur manu ipsius scripti, 67. 2. Ejus adhuc juvenis sanctitas quanta esset, 61. 2. Munera ducis Mediolanensis sibi missa in pauperes distribuit, 310. 1
Bernardus (S.) cum Deo in nube versabatur et habitabat, 16. 2. Sedens contemplationi vacare solebat, 66. 2
Bernice plures illustres feminæ fuerunt, uti uxor Ptolemæi Lagi regis Ægypti, et alia, filia Ptolemæi Philadelphi, 344. 2. 345. 1. Sic quoque vocata mulier quæ Christo ennti ad crucem sudarium dedit ad sudorem extergendum, alio nomine Veronica dicta, 345. 1. Vox Bernice unde formetur, *ibid.* Bernice Herodis Agrippæ senioris filia, fratris sui fuit concubina, *ibid.* Nupsit Polemoni regi Ciliciæ, postea quoque nupsit Tito Imperatori, *ibid.*
Berœa urbs est Macedoniæ, 264. 2
Bestiis vere Paulus Apostolus in Ephesina urbe objectus fuit, 300. 2
Bet contactus omnibus verbis contactum significantibus addunt Hebræi, 124. 1
Biennium præfecturæ Felicis quomodo computandum, 340. 2. 353. 2
Blandina (S.) quam Christiano nomine gloriaretur, 210. 1
Blasphemia proprie quid sit, 138. 2. Ea audita Judæi vestes scindebant, 242. 2
Boethii Severini elogium: inique necari jussus à rege Theodorico, 282. 1
Bolis nautica quæ sit, 358. 1
Bonorum communio. *Vide* Communio, Religiosa.
Bos symbolum S. Lucæ, 35. 2. Bos luca unde dicatur elephas, 35. 2
Bubo Herodi Agrippæ seniori mortem portendit, 225. 2
Bulas latro famosissimus quid Severo Imperatori responderit, 263. 2

C.

Cabala litterarum nominis Adam, 85. 2
Cadavera olim extra urbes exportabantur, et in agris sepeliebantur, ne eas contaminarent, 244. 1. Cadaver ligneum cur Ægyptii in convivium circumferrent, 245. 1
Cadunt pœnitentes et sanctificandi in faciem, impœnitentes in dorsum, 174. 2
Cæcilia (S.) fuit angelis familiaris, hinc puritatem et vitam angelicam didicit, 140. 1
Cæcitas Elymæ magi an perpetua, an temporaria fuerit, 232. 2. Cæcitas in Paulo unde orta, et quamdiu durarit, 178. 1. 182. 1. Quomodo sit curata, 181. 2
Cæsares unde dicti, et unde vox Cæsar derivetur, 342. 1. 2. Primus dictus Cæsar est avus Julii Cæsaris, *ibid.* 2
Cæsar (C.) Imperator prodigium fuit naturæ: ejus victoriæ variæ, celeritas, triumphi: primus Romanorum fuit monarcha, *ibid.*
Cæsar-Augustam sibi devotam fore prædixit B. Virgo adhuc vivens, 213. 1

Cæsarea Palestinæ quæ sit urbs, diversa est à Cæsarea Philippi, 171. 2. Quæ memoratu digna in ea contigerint, *ibid.* Erat sedes Præsidis Judææ, 332. 1. 334. 2. 342. 1. Erat ampla civitas, facta est deinde Ecclesiarum Palestinæ Metropolis, 190. 1
Caiphas mortem manu propria sibi conscivit, 2. 1. 104. 2
Caius Imperator unde dictus Caligula, 219. 2. Divinos ambiit honores, 210. 1. Judæos persecutus est, et cur, 2. 2. Ejus nex, 2. 2. 3. 1
Cajetanus libere verba textus aliquando contorquet, 145. 1
Caliga cur vocetur calceus, 219. 2. Unde vox dicatur, 220. 1
Calvini error circa possessionem bonorum primorum Christianorum, 111. 1. Quid de præscientia et prædestinatione Dei censeat, 79. 2. 80. 1. Atheismo viam sternit, 82. 1. Facit Deum peccati auctorem, 78. 2. Ejus superbia, 106. 1. Ejus impius paralogismus, 243. 2. Negat homini cuilibet angelum datum, 223. 2. Ut blasphemus justo Dei judicio est à pediculis consumptus, 226. 1
Candaces erat nomen reginarum Æthiopiæ, quæ post Saba reginam exinde à feminis regebatur, 169. 2
Candida vestis erat nobilium olim, et magistratum ambientium, 199. 1
Canones Apostolorum quando ab iis editi, 131. 2
Capreæ animalia acutissime vident, 187. 1. Sunt symbolum amoris et benevolentiæ, *ibid.*
Carabbas quidam insanus in comœdiam productus ab Alexandrinis, Herodem Agrippam repræsentavit, ut regem fictitium, cum diademate papyraceo, 226. 2
Carcer Mamertinus Romæ quis esset, 217. 1. Carcer S. Petri Hierosolymæ ubi situs, 220. 2. Ejus januæ an revera apertæ Petro egrediente, 125. 2
Cardinalium quis sit numerus et ordo, 133. 2. Cardinalem diaconum suum quæque regio urbis Romanæ habebat, qui sub se alios haberet Diaconos, *ibid.* Quod eorum esset munus, *ibid.* Numerus Cardinalium hujusmodi erat octodecim, *ibid.* Ad Cardinales solos spectat electio novi Pontificis, *ibid.* Quis Pontifex hoc decretum tulerit de non eligendo Papa, nisi ex corpore Cardinalium, *ibid.*
Carolo V. Imp. festum S. Matthiæ erat ominosum et felix, 59. 1
Carthago vox unde dicta, 117. 1
Castitatem an voverint primi fideles abstinentes à conjugio, 118. 2
Castores qui dicantur et sint : sunt filii Ledæ et Jovis : vocantur et Dioscuri, 364. 1. Habiti cur sint dii maris, *ibid.* 2. Quomodo pingerentur, *ibid.* In cœlo inter sidera relati sunt Gemini, *ibid.*
Catechismi commendatio, 27. 1. Eum docuere Apostoli, 170. 2
Catechumeni cur olim hora nona baptizarentur, 193. 1
Catenas S. Petri quomodo honoravit Deus et Ecclesia, 217. 2. Earum inventio per Eudociam Augustam, uxorem Theodosii junioris, miracula in iis patrata, *ibid.* 2. 218. 1. In earum honorem Romæ basilicam exstruxit Eudoxia, quæ etiamnum Romæ superest, 217. 2. Has sancti Patres miris laudibus extulerunt, 218. 1. Earum limatura solebat à summis Pontificibus dono ad reges et principes mitti, ac per eam Deus multa miracula edebat, *ibid.*
Catharinæ (S.) Senensis eleemosynam ratam habuit Christus, 187. 2. Hinc ab eo tempore quo tunicam pauperi dedit, nunquam frigus sensit, *ibid.*
Cathedram Antiochiæ S. Petrus quando fixerit, et quomodo hoc sit intelligendum, 186. 1. 203. 2. Romanam cathedram quando S. Petrus constituerit, 3. 1
Catilinæ (L.) in conjuratione sua præfidentia, 333. 1
Cato de quibus tribus doleret, 339. 1
Cauda vel Gaudos quæ sit insula juxta Melitam, 336. 1
Celerini confessoris elogia, 330. 1
Cenchræ erat portus Corinthi, 287. 2
Censu (in) apud Judæos tria fiebant, 128. 1
Centuria quot milites contineret, 191. 2
Cerei accendi solent in funere Christianorum, 139. 2
Cervæ difficillime pariunt, 30. 1
Charitas fraterna inter Christianos diu viguit, 110. 1. Est cithara, 289. 1. Fovetur vitæ communione, 88. 2. Charitas et affectus in operibus singulis æstimanda sunt, 197. 2. Charitas S. Stephani erga lapidantes, 155. 1
Cherinthus pugnabat pro Judaismo et lege Mosis, 205. 1. 248. 1. Quando hæreses spargere cœperit, 8. 1
Cherubini fuere typus Apostolorum, 68. 2
Chilonem cujus rei pœniteret, 337. 1
Chium vinum præstans erat, 304. 1
Chrisma adhibebant apostoli in Confirmatione, 1164. 2
Christiani primi votum fecerunt paupertatis, 117. 1. 2. item castitatis, 118. 2. item obedientiæ, 119. 1. Infantium sanguinem bibere insimulati sunt ab ethnicis, 252. 1. Eorum amor et unio, 109. 2. 110. 1. Se appellabant mutuo fratres, 55. 1. 110. 1. Abdicabant rerum proprietatem et dominium, *ibid.* 2. Cur paupertatem amplecterentur, 111. 1. Etiam habuerunt donum linguarum, 73. 2. Bona omnia habebant communia, 88. 1. Religiosæ vitæ jecerunt fundamentum, *ibid.* Cur sua venderent, 89. 2. Eorum gaudium unde oriretur, 90. 1. Noctu orabant vigilantes, 259. 2. Eorum tria erant exercitia, 87. 1. 2. Cur conventus agerent, 88. 1. Vetabantur Deum in imagine colere, et cur, 272. 2. Eorum zelus et fervor, 34. 1. Christiani unde dicti sint fideles, et quando, 208. 1. A Gentilibus perperam dicebantur Christiani, *ibid.* Quam nomen Christiani sit honorificum, 208. 2. Vivant digni suo nomine, *ibid.* Eorum officia, elogia, et axiomata varia, 209. 1. Cur dicantur Sancti, 186. 1. Cur dicti sint discipuli, 187. 1. Sint magnanimi, 22. 1. Dicuntur filii novi Testamenti, et cur? 100. 2. Christiani Hierosolymis ante cladem excessere, 7. 1. Ab exteris juvabantur eleemosynis, quas exteri iis mittebant, 210. 2. Ex iis plures occisi una cum S. Stephano Hierosolymis, 156. 1. 157. 1
Christianismus cur dicatur sors, 55. 2. Ejus quanta sit dignitas, 237. 1. Ejus voluptas in quibus sita esset, 90. 1. Ejus elogia et officia, 120. 2
Christina (S.) mirabilis cur ad vitam jam defuncta redire voluerit, 188. 2
Christus. *Vide* Jesus Christus.
Chronicon Lucii Dextri. *Vide* Lucius Dexter.
Chronotaxis gestorum Apostolicorum, 1. 1. et seq.
Chymia vocatur ars curiosa, 296. 1
Cibus à Christo post resurrectionem sumptus, non fuit ab eo digestus, et in alimentum conversus, 42. 2
Cicadæ an obmutuerint Paulo prædicante Rhegii, 367. 2
Cilices habebant Hierosolymis suam synagogam, 138. 2
Cingari apud Italos qui vocentur, 320. 1
Cingi, succingi, præcingi, accingi, quomodo differant, 219. 1
Circulus est symbolum perfectionis et æternitatis Dei, 275. 2
Circumcisio est conditio fœderis inter Deum et Abraham initi, 144. 1. Pro tota lege Mosis capitur, 202. 1. Ipsa professio erat judaismi, 248. 1. Eam aliquando Paulus probavit, aliquando improbavit, 255. 1
Civilitas est jus civitatis, 324. 2
Civium Romanorum sex jura, *ibid.*
Civitatis cœlestis jus quanti ducendum, 325. 1
Clara (S.) quam esset erga paupertatem affecta, 113. 1
Claudicatio mystica quæ et qualis sit, 96. 2
Claudius Imperator quando ad Imperium assumptus, 3. 1. Ejus mors, 4. 2. 210. 2. Ad solum nomen novi regis percellebatur, 264. 1. 283. 2. Ejus mores, 284. 1
Claudum cur primo S. Petrus sanaverit, 96. 2. Is quare eum teneat, 97. 1. Is an una cum Petro incarceratus sit, 104. 2. Quamdiu fuerit claudus, 107. 2
Cleanthes sponte et volenter mortuus est, 266. 1
Clemens (S.) Pontifex precibus fontem elicuit agno indicante, 10. 2. Ejus martyrium, et miraculum annuum in retrocessione maris usque ad ejus sepulcrum, 11. 1. Ejus liber Recognitionum inter apocryphos est relatus, 224. 1
Clementis Alexandrini libri vitiati sunt ab hæreticis, 214. 1

Cleopatræ reginæ ab aspide interitus, 363. 2
Clerici unde et qui dicantur, 55. 2. 60. 2
Cletus (S.) quando martyrio sit coronatus, 9. 1
Coccei Nervæ Imperatoris bonitas, 10. 1. Ejus mors, *ibid.* 2
Cœlum quantum distet à terra, 50. 1. Id semper intuentur Sancti, et cur, 149. 2. Ad illud aspirare identidem debemus, 49. 1. item id aspirare, 51. 1. Ejus cogitatio animat fideles ad heroica opera, 41. 2. Ejus typus est Jerusalem terrestris, 43. 2. Id nobis laboribus mercandum est, 244. 2. Christus id capit eoque capitur, quo sensu, 99. 2. In cœlo empyreo vidit Stephanus Jesum, 151. 2. Cœli aperti Christo, dum baptizaretur, 150. 2. et quomodo id factum sit, 151. 1
Cœnaculum Christi quale fuerit, et quæ in eo fecerit, et cujus id fuerit, 2. 1. Cœnacula habebant Hebræi in superiore domus parte, *ibid.*
Cœnobiorum amor et concordia, 110. 2. *Vide* Religiosus.
Cohors quot milites contineret, 191. 2. Cohors Augusta quæ dicatur, 353. 1
Colentes qui dicantur, 263. 1
Collactaneus quis dicatur, 228. 2
Colonia Agrippina cur in fide prisca perseveret, 362. 1
Coloniarum origo et causa : qui dicti coloni, 257. 2
Colossus solis Rhodi, 314. 2. An inde dicti Rhodii Colossenses, *ibid.*
Columbanus (S.) munera regis impii sprevit, 310. 1
Columna Rhegiensis quo miraculo celebris reddita, 367. 1. 2
Comam alere signum erat Nazaræi, 287. 1. 2
Comestio Christi post resurrectionem fuit vera, 42. 2. Fuit animæ sentientis, non vegetantis, 43. 1
Communio rerum quanta bona adferat, 88. 2. Fuit ea in primis Christianis, 114. 1
Communis dicitur à Judæis cibus immundus, 195. 2
Comparativus eleganter ponitur pro superlativo, 338. 2
Concilia Generalia quinque quando celebrata, 249. 2
Concilia quatuor Hierosolymæ Apostoli an celebrarint, 316. 2
Concilium Hierosolymitanum à quibus celebratum, 249. 2. et quo anno, *ibid.*
Concio olim habebatur peracta lectione S. Scripturæ, 233. 1. Conciones Apostolorum erant catecheses, 170. 2
Concionatores acriter vitia coarguant, 148. 1. Orent ante omnia, 136. 1. Cervis parturientibus comparantur, 30. 1. Seria et utilia doceant, 306. 1. Munera respuunt, 310. 1. Ferant infirmitates auditorum suorum, *ibid.* 2. Sæpe se Deo commendent pro bono rerum successu, 256. 1. Plus efficiunt terrendo quam blandiendo, 281. 1
Concordia facit cor unum, cur, 109. 2. Ejus duo media, 110. 2
Conductum substantive capitur pro domo conducta, 369. 2
Confessio diaboli vires frangit : id probatur exemplis, 295. 1. Confessio particularis adstruitur et sacramentalis, 294. 2
Confirmatione (in) datur Spiritus sanctus, 85. 2. 164. 1. Est Sacramentum : ejus minister est Episcopus, 164. 1. An ad eam chrisma requiratur, *ibid.* 2. In ea datur plenitudo gratiæ in baptismo acceptæ, 165. 1. Ejus vis, 125. 1
Confusio multitudinis Judæorum, audita voce Apostolorum, quomodo intelligatur, 75. 1
Congregatione (in omni) bonorum est aliquis Judas, 55. 2
Consanguinitatis non est habenda ratio in electione ad officia Ecclesiastica, 60. 2
Consecrationes obscœnæ Judæis erant vetitæ, 128. 2
Conscientiæ puræ quanta sit cura habenda, 337. 1
Consolatio Spiritus sancti quæ dicatur, et quanta sit, 185. 1
Consortium malorum fugiendum, 86. 1
Constantinopolis capta est à Turcis in Pentecoste, cur, 64. 1
Contractus verba construunt Hebræi in ablativo cum *in*, 184. 1
Contradictio signum est Christi et christianismi, 369. 1
Contradictio quam utilis sit eam patientibus, 240. 1
Contritio ante baptismum non requiritur, 85. 1. Ipsa includit votum baptismi ante eum, 202. 1
Conventus forenses quos scriba Ephesius intelligat, 299. 2
Conversionis S. Pauli festum ob tres causas celebrat Ecclesia, 175. 2
Corde (ponere in) quid sit, 122. 1. Cordis forma symbolice exponitur, 193. 2
Coriarii extra urbem cur habitent, 188. 2
Corinthus Metropolis Achaiæ philosophis abundabat, 283. 1
Corneliorum familia et gens Romæ nobilissima fuit ; multi Cornelii illustres referuntur, 190. 1
Cornelius Centurio qualis esset, 191. 1. 2. An fuerit justificatus antequam Petrum accerseret, *ibid.* 2. Cur ergo ad eum missus S. Petrus, 192. 1. Ejus quatuor virtutes, *ibid.* 2. Vidit visionem angeli corporalem, 193. 1. Servabat statuta orandi tempora, *ibid.* Ejus frequentia jejunia, *ibid.* 2. Ejus commendatio à Judæis, 196. 2. Adorat S. Petrum, et quomodo, 198. 1. Quomodo in eum et domesticos ceciderit Spiritus sanctus, 202. 1. An dein creatus Episcopus Cæsariensis, *ibid.* 2. Ejus domus est in Ecclesiam conversa, *ibid.* An ipse primus ex Gentibus sit conversus, *ibid.* Quoto anno Christi sit conversus, 203. 2
Cornelius (C.) Centurio Capharnaümensis an fuerit Hispanus, et Hispanis prædicarit, 202. 2. 203. 1
Cornelius Musius Martyr illustris in Hollandia pro Martyrio Deum rogavit, 191. 1
Cornelius (S.) Papa quare cum cornu pingatur, *ibid.*
Corn. Taciti error, 213. 2
Cornu symbolum fortitudinis et regni, 191. 1
Coronis redimebantur victimæ, item sacrificantes et præsentes omnes, 242. 1. Olim Jovi et diis dabantur, *ibid.*
Corpus hoc nostrum arguit esse Deum, 274. 2. Corpus Christi non est ubique, 99. 2. Id in triduo mortis ejus non fuit corruptum, 81. 2. 82. 1
Corus quis sit ventus, 354. 2
Cos insula est una è Cycladibus, 314. 1
Crateris Thebani paupertas, 113. 1
Creatio et opificium mundi Deum creatorem indicat, 272. 1
Creaturæ demonstrant Deum, 273. 2. 274. 1. 2
Credere significat contactum spiritualem Hebræis, 124. 1. Credere quæ oporteat ad digne baptismum suscipiendum, 170. 2
Crispus Archisynagogus Judæorum Corinthi à S. Paulo conversus, 285. 1
Crucifixus Deus an ab Atheniensibus sit adoratus, 270. 1
Crux via est ad cœlum, 244. 2. Ea parit gloriam, 371. 2. Per crucis signum Christus suos benedixit, 47. 2
Cultus disparitas est impedimentum matrimonii contrahendi, 255. 1
Curare funus quid significet et includat, 158. 2
Curbicus Manes Paracletum nominavit, 65. 2
Curiosorum sectatores Ephesi qui essent, 295. 2. 296. 1
Curiosi taxantur : et ad curiosos acuta responsa, 268. 2
Custos carceris Philippensis qua occasione ad fidem sit conversus, 260. 1. Custodes carceris Petri, è quo ipse liberatus, an occisi, 224. 2
Custodiæ capitur pro *vinctis*, 352. 1. Etiam pro custodibus et apparitoribus, *ibid.* 2
Cypriani (S.) error de rebaptizandis hæreticis, 291. 1
Cyprii olim græce loquebantur, 231. 2
Cyrenensis Synagoga quæ esset Hierosolymis, 138. 1
Cyrene duplex regio, 75. 2

D.

Dæmon vento typhoni bene assimilatur, 335. 2. et seq. Ejus tentationes variæ, *ibid.* *Dæmon* vox quid proprie significet, 267. 2. Ejus de Apostolis testimonium, 258. 2. Cur Paulum laudarit per os energumenæ, *ibid.* Simia est Christi, 162. 2. Ejus potentia in animam peccatoris, 294. 1. Pellitur per Confirmationis Sacramentum, 125. 1. 165. 1. Dæmones quare immundi dicantur, 125. 1. Quare corpora possideant, *ibid.* Eos ejiciendi potestas nota eminens est Ecclesiæ, *ibid.* Apparent in forma animalium immundorum, *ibid.* Gentilibus erant dii minores, 267. 2

Dæmoniaci quare plures tempore Evangelii quam legis, 125. 1
Damaris non fuit uxor S. Dionysii Areopagitæ, 282. 2
Damasci situs.: habebat suum regem : Judæi tamen ibi suis jus dicebant, 175. 2. Illuc cur fugerint Christiani Judæi in dispersione, *ibid.* Cur juxta eam Paulus percussus cæcitate, *ibid.* Locus conversionis ejus ibi quam sit celebris, *ibid.* 174. 1
Damnati an aliquando inferno egrediantur, 80. 2. 100. 1
Damnationis periculum qui semel evasit mortuus, illud denuo non subit, vitæ jam restitutus, 188. 1
Dare beatius est quam accipere, 311. 1. 2
David est auctor psalmi CIX. non alius, 84. 1. Quando templi fabricam voverit, et cur, 147. 2. Cum Christo in corpore resurrexit, 83. 1
Decalogum et præcepta moralia et naturalia legis Christus non abolevit, 250. 1
Decembri (in) cur periculosa navigatio, 353. 2
Decimi mensis jejunium quare et quando institutum, *ibid.*
Decrevit Deus passionem, non actionem, necis Christi, 108. 1
Δεισιδαιμονία quale sit vitium, 269. 1
Demetrius argentarius Ephesinus quis esset, 297. 1
Denarius quanti sit pretii, 296. 2
Descendere quomodo dicatur Deus, 146. 2
Desperationis mala, 57. 1
Despicere significat deorsum aspicere, 280. 2
Deus de facto habitat in anima justi, 71. 2. Cur vento comparetur, 271. 1. Permittit peccata, non in ea impellit, 147. 1. Suos lucidos facit, 139. 2. Ejus gloria, 142. 1. 2. Omnium entium est causa, 272. 2. Est sol immensus et beneficentissimus, *ibid.* Cur dicatur multimammeus, *ibid.* Est omnia, 273. 1. 2. Clare à nobis in hoc mundo cognosci nequit, *ibid.* 2. Non longe est à singulis nostrûm, et quomodo, 274. 1. 2. Ubique præsens est, *ibid.* 2. In eo quomodo ipsi simus, *ibid.* et 275. 2. 276. 1. Creaturis est pater et mater, 279. 2. Adest in rebus desperatis, 125. 2. 217. 1. 221. 2. Omnia creata conservat, 275. 1. Est locus locorum, *ibid.* Ejus immensitas describitur, *ibid.* Ipse nos totos permeat, *ibid.* Si ipse non esset in loco, nos in eo esse non possemus, *ibid.* 2. Est quasi aura qua respiramus, *ibid.* Sub ejus dominio et jurisdictione vivimus, 276. 1. Est nostra vita et anima, *ibid.* Ab eo pendet quidquid habemus et speramus, *ibid.* Ejus providentia erga res humanas, *ibid.* Ubique est, 277. 1. Sancte in eo quasi in ipsa sanctitate vivendum, *ibid.* 2. In eo vivimus non formaliter, sed effective, 278. 1. Genus illius sumus, *ibid.* 2. Quomodo omnia suo numine, substantia et operatione compleat, 279. 1. Ab eo semper pendemus, *ibid.* Eo omnes indigemus, *ibid.* Ipse loco et templis non continetur, 272. 1. Cur sanctos et amicos suos nonnunquam deserat, 360. 1. Ejus essentiam nemo vivens vidit, 74. 1. Intima quæque pervidet, 337. 2. Pernovit et perspicit corda hominum, 59. 1. Est absconditus et inaccessus, 270. 1. Ejus natura et proprietates describuntur, *ibid.* Ejus incomprehensibilitas et majestas, 271. 1. Ejus bonitas in vocandis peccatoribus ad sé, 173. 1. Patitur cum suis patientibus, 150. 1. 2. Malorum et peccati non est auctor, uti vult Calvinus, 78. 2. Ejus consilium in Paulum Romam mittendo, 344. 1. Deus in carne appariturus an ab Atheniensibus cultus, 270. 2. 271. 1. Dei est benefacere et dare, 311. 1. Ejus majestas quanta sit, 176. 2. Ejus essentiam an viderit Stephanus, 149. 2. 150. 1. Eum qualem spiritum fingerent Stoici, 266. 1. Deus in Christo tripliciter est, 201. 1. Quæ Dei dicuntur, in suo genere eximia sunt, 146. 1
Diis Gentilium talia ministeria exhibebantur, qualia dominis à famulis, 272. 2. Illi erant mera vanitas et inania, 269. 2. Dii olim in puppi pingebantur, 364. 1. 2
Diaconatus an sit Sacramentum, 133. 2. et seq. 136. 2. An à Christo sit institutus, 134. 2
Diaconi quando ab Apostolis creati, 132. 1. Cur sint creati septem, 133. 2. Cur pleni Spiritu sancto, *ibid.* Fuere sacri ministri, 134. 1. Eorum officia, *ibid.* 135. 1. Diaconi quomodo ordinentur, 134. 2. Sæpe Ecclesiæ exempla fidei et constantiæ dederunt, *ibid.* Cur creati, 135. 1. Iis commissa cura rerum Ecclesiæ, *ibid.* 2. Diaconi primi cur essent Græci, 136. 1. Quibus tribus præviis sint ordinati, 137. 1. Diaconi Cardinales Romæ qui et quot essent, quod eorum munus, 135. 2. 136. 1
Diaconiæ Romanæ quales essent olim, et modo sint, 135. 2.
Diaconissarum tria erant munia, 137. 2
Διαμαρτυρέω est verbum forense, 168. 2
Diana unde dicta, est luna; eadem est Lucina et Juno; ejus arma, forma, 297. 2. Cur dicta ἀρτεμὶς, *ibid.* dicta Opis, 298. 1
Διαπορέω multa significat, 76. 1
Dies cum oratione inchoandus et finiendus, 126. 1. Quo die Christus in cœlos ascenderit, 52. 2. Dies certa dandi Spiritum sanctum cur à Christo non indicata, 45. 1
Diodorus præ pudore subito obiit, 122. 2
Diogenes junior Philosophus ob maledicentiam à Vespasiano Imp. capite est mulctatus, 8. 1
Dionysii (S.) Areopagitæ de sua morte revelatio, 9. 2. Eum Christus ad instans martyrium animavit, 154. 1. Qualis fuerit, quid scripserit; ejus sapientia; fuit Episcopus Athenarum, 281. 2. Conversionis ejus occasio et annus, 282. 1. Synopsis vitæ ejus, et martyrium, *ibid.* 10. 1
Διοπετὲς quid sit, 299. 2
Discere volentium exempla, 289. 1
Discipuli stant, magistri sedent, 322. 1
Discretionis (donum) spirituum multi Sancti habuere, 240. 2
Dispersio primorum Christianorum in Jerusalem quando et qua occasione facta sit, 157. 1. 2. 158. 1
Dispositione angelorum quomodo lata sit lex, 148. 2
Dissensio inter Sanctos potest esse sine peccato, 253. 1. 2
Divinitas effigiari et repræsentari nequit, 280. 1. Divinitatem ambientes phthiriasi consumpti, 226. 1
Divitiarum mala, 111. 2
Docens prius faciat quam doceat, 38. 1
Dolores inferni, à quibus liberatus Christus, qui sint, 80. 1. 2. Dolores Hebræi cur vocent funes, *ibid.* 2
Dominico die cur fiat sacerdotum ordinatio, 230. 1
Dominium Christi in omnes homines, 84. 1
Dominus titulus erat Cæsarum, 346. 2
Domitianus quando ad imperium evectus, 8. 2. Varia ejus gesta, *ibid.* Ejus persecutio in Christianos, 9. 1. Jubet interfici omnes de stirpe David, *ibid.* 2. Ejus mors violenta, 10. 1
Domitilla (S. Fl.) virgo à Domitiano in insulam relegatur: ejus martyrium, 9. 2. 10. 2
Domna (S.) Martyr qua occasione conversa, 114. 2
Domus S. Pauli Romæ in Ecclesiam mutata est, 370. 1
Donec alio sensu in Scriptura accipitur, 84. 1
Donis (in Dei) acceptis communicandis simus liberales, 96. 1. Donum Spiritus sancti accipere quid sit, 85. 2
Dorcadis dicta Tabithæ, quinque dotes, 187. 1. 2. Ad vitam revocatur, 187. 2. Certa fuit de salute, 188. 1
Dorcades. *Vide* Capreæ.
Dorotheam (S.) hieme rosas Theophilo é cœlo attulit, 223. 1
Drusiana Ephesiana cur à S. Joanne ad vitam revocata, 187. 2
Drusilla filia Agrippæ regis senioris, cujus fuerit neptis, trium regum fuit sponsa, 338. 2. Facta est deinde Gentilis, 339. 1
Duellum Christi cum Paulo, 177. 2

E.

Ebion hæresiarcha adversarius S. Pauli, 248. 1. Quando hæreses sparserit, 18. 2
Ebrietas spiritualis alia est à corporali, 76. 1. 2. Utriusque analogiæ et effectus, *ibid.*
Ecclesia cur dicatur vas linteum omnigena animalia continens, 194. 2. Crevit persecutionibus, 132. 2. Cur vocetur regnum cœlorum, 237. 1. Est regnum Dei in terra, 41. 1. 163. 1. Viti comparatur, cur, 226. 2. E cœlo descendit, et eo ducit, 196. 1. Ecclesia licite possidet opes et prædia, 95. 2. Semper erat pro Summo Pontifice,

217. 1. Ecclesia pauper coruscabat miraculis, jam opibus tuetur auctoritatem, 93. 2
Ecclesiæ Hierosolymitanæ dispersio quanta fuerit, 157. 2
Ecclesiastica immunitas à jurisdictione civili quando introducta, 343. 1
Ecnephias quis sit ventus, et unde dictus, 355. 1. Ejus præsagium, *ibid.*
Ecstasis mentis capitur etiam pro admiratione, 97. 1. In ecstasi qualis audiri vox soleat, 195. 1
Edmundus Campianus morti adjudicatus cecinit, 130. 1. Ejus in opprobriis constantia, 22. 2. 333. 2
Eduardus (S.) quemdam pedibus claudum sanitati restituit, 96. 2
Ειλύω et εἰλυὸς quid significet, 231. 2
Electio efficax hominum ad gloriam an facta sit à libera et mera Dei voluntate, ante operum prævisionem, 236. 1. Electionis vas quomodo fuerit Paulus, 179. 2
Eleemosyna cur dicatur justitia, 199. 2. Eleemosynas suorum famulorum ratas habet Christus, 187. 2. Has etiam pauperes erogare possunt, et quomodo, 189. 1. Eleemosynas fidelium Diaconi curabant, 135. 1
Elephas cur dicatur bos luca, 33. 2
Eligio (S.) morienti apparuit Christus visibilis, 154. 1
Elisabethæ (S.) apparuit Christus visibili specie, *ibid.*
Elymas, id est magus, à qua radice formetur, 231. 1. An sit vox Hebræa, *ibid.* Videtur nomen Cyprium significans magum, *ibid.* 2. An resipuerit, 232. 2
Enallage modi Hebræis frequens est, 327. 2
Epaminondæ erga suos ingratos gratitudo, 323. 1. Ejus paupertas, 113. 1
Ephesi celebritas : ibi plerumque habitavit S. Joannes, 288. 1. 292. 1
Ephialtis paupertas, 113. 2
Ephrem (S.) consolatione cœlesti abundabat, 16. 2. Fuit vir compunctionis et lacrymarum, 305. 2
Ephronis pater fuit binomius, 145. 1
Epicurus quis, ejus dogmata et axiomata, 265. 2. Ejus vita, mors, *ibid.*
Επιείκεια varia significat, 335. 1
Episcopalis cura à Spiritu sancto instituta, 308. 1
Επίσκοπος quid proprie significet, 57. 2
Episcopi habent jus suffragii in Conciliis, 249. 1. Sint hospitales, 258. 2. Quare vocentur Prophetæ, 228. 2. Crebro visitent suas Parochias, 186. 1. 253. 1. Non curent temporalia, sed Ecclesiam, 133. 2. Horum solum est conferre Sacramentum Confirmationis, 164. 1. Illos constituit Christus in Apostolis, 69. 2. Olim alium invisentes, ad verbum divinum faciendum invitabantur, 253. 1. Episcopi cur constituerentur, quos populus elegisset, 54. 2. Episcopos Ephesum cur S. Paulus evocarit, 308. 1. Episcopi primi Siciliæ, 363. 1. Episcopi cujusdam simoniaci punitio etiam in hac vita, 167. 2
Epistolam secundam ad Timotheum è secundis vinculis Paulus scripsit, 304. 1. Epistola ad Philemonem quando scripta, 5. 2. Epistola ad Thessalonicenses omnium Epistolarum ejus prima fuit, 283. 1. Epistolæ Senecæ et S. Pauli an sint genuinæ, 286. 1
Επιτροπή diversimode vertitur latine, 349. 1
Eques an Paulus Damascum ierit, an pedes, 174. 2
Erasmus arrianizat, 308. 2
Erastus quæstor, quis fuerit : Episcopus dein creatus, 297. 1
Ερμῆς Mercurius unde dicatur, 241. 2
Essenorum vita describitur, 118. 2. 119. 1. 2. Eorum nomen quod sit, 119. 1. Eorum studia et mores, *ibid.* 2. Fuere quasi Religiosi, *ibid.*
Eucharistiæ vis et effectus, 87. 1. Cur olim domi privatim sumeretur, et cur vocetur panis, *ibid.* 2. 89. 2. Designata est per panes propositionis, 87. 2. Cur vocetur communio, 86. 2. Ejus veritas adstruitur, 99. 1. Olim vespere post exhortationem administrabatur, 303. 1
Eudocia Augusta vincula S. Petri exaltavit, 217. 2. In S. Stephanum bene affecta ac pia fuit, 132. 2. 160. 2
Eunice, mater Timothei, erat Judæa, 235. 1
Eunuchus Candacis reginæ an esset Gentilis, an proselytus, 169. 1. Ejus pietas, *ibid.* 2. Baptizatur à Philippo, 170. 2. Suos Æthiopes convertit, et Martyr occubuit, 171. 2.
Eunuchus capitur pro princeps, 169. 2
Eurypus symbolum est inconstantiæ, 97. 1
Euroclydon vel Aquilo quis sit ventus, 354. 2. Cur ita vocetur, 355. 1. Quis ventus Euro notus, *ibid.*
Eutychianus (S.) Pontifex multos Martyres manibus propriis sepelivit, 158. 2
Eutychus à S. Paulo vitæ restitutus factus est deinde in Hispania Martyr, 303. 2
Evangelii S. Joannis scribendi occasio, præstantia ejus et præparatio, 10. 1. 2. Evangelium S. Matthæi quo tempore scriptum, 2. 2. Id scripsit præcipientibus Apostolis, *ibid.* S. Lucas quando suum conscripserit, 5. 2. Evangelium cur vocetur *verbum gratiæ*, 240. 1
Evangelistæ non omnia Christi gesta scripserunt, 37. 2. Evangelistæ græce scribentes multas Latinas voces usurpant quasi Græcas, 58. 1
Evodius primus post S. Petrum fuit Antiochiæ Episcopus, 3. 1
Excommunicatio repræsentata est in repentina morte Ananiæ et Sapphiræ, 122. 2
Excusationum squamæ tollendæ sunt, 182. 1
Exorcistæ Ephesini cur in nomine Jesu quem Paulus prædicabat dæmonem ejicere tentarent, 293. 1. 2. A dæmone corripiuntur, *ibid.* 2. 294. 1. Exorcistas habebant Judæi ante Christum, 293. 1
Expugnasse quomodo fideles dicatur Paulus, 184. 2
Exsequiarum primorum Christianorum ritus, 159. 2. et seq.
Exuperii (S.) Episcopi charitas erga proximum, 30. 2

F.

Fabianus (S.) illapsu columbæ creatus est Pontifex, 59. 2
Facies piorum serena est, impiorum nigra, 139. 2
Famem cur prædici à Christianis voluerit Deus sub Claudio, 210. 1. Cur ea orbi immissa, *ibid.* Quando ea facta, *ibid.* 2. Fames adducit pestem, *ibid.*
Familiæ sub Cornelia plures Romæ censebantur, 190. 2
Faro (S.) Episcopus puerum cæcum confirmans illuminavit, 163. 2
Fatum Stoicorum quam violentum, 266. 1. Id refutatur, 45. 2. Fatum Calvini tollitur, 79. 1. 2. 80. 1
Fel amaritudinis Simonis Magi quod dicatur, 168. 1. Fel peccati quod sit, et quare Domino Judæi fel in cruce propinarint, *ibid.*
Felix qua occasione præfectus Judææ factus fuerit, 332. 2. 336. 1. Ejus gesta in præfectura, 335. 1. Ejus nomina, *ibid.* Fuit adulter, 339. 1. item injustus, *ibid.* Est Romam unctus missus à Festo successore, *ibid.* 2. 341. 2
Femoralibus non utebantur veteres Græci et Romani, 219. 1
Festum duas habebat vesperas, 303. 2. Festum S. Stephani sancitum ab Apostolis, 156. 1. Festum corporis Christi quare institutum post octavam Pentecostes feria quinta, 87. 1. In festo Conversionis S. Pauli natorum saliva serpentum morsibus an medeatur, 175. 2. In festis majoribus cur homines deteriores sint, 216. 2
Festus Præses Judææ mentitur in causa Pauli, 345. 2. Cur ejus appellationem approbaret, 343. 2
Fideles omnes non sunt prædestinati, quia fides accepta semel, potest amitti, 237. 1. Eorum spes unica est Christus, 369. 1. Fideles primi unam habebant animam et cor, 109. 2. *Vide* Christiani.
Fides videt et videtur, 14. 2. Ejus robur, *ibid.* Ei quomodo tribuantur miracula, 98. 2. Ad eam non requiritur intellectus, 137. 2. Fides Christiana quæ credenda præscribat, 260. 1. Fides explicita Christi necessaria est ad salutem, 106. 2. 192. 1. Fidei heroicæ quanta sit virtus, 98. 2. Ea in diaconis sextuplex erat, 136. 2
Filiæ quatuor Philippi erant virgines et prophetissæ, 315. 1. An fuerint moniales, *ibid.*
Filius Dei est primum unicumque Dei Verbum, 234. 1
Flavius Clemens quando et quare martyrio affectus, 9. 2

Fœdus olim Romani sanciebant mutuum sanguinem potando, 252. 1
Fons Æthiopis quis sit locus, 170. 2. Fons elicitus in carcere Romano precibus S. Petri ad baptizandum Processum et Martinianum, qui etiamnum superest, 217. 1
Forte usurpant Latini in rebus quæ evenerunt, sed incerta de causa, 167. 2
Foro (in) concionantur zelosi concionatores, 265. 2
Forum Appii urbs unde dicta, ejus descriptio, 368. 1. Plures urbes dictæ sunt forum, *ibid.*
Fractio panis intelligitur in Actis de Eucharistia, 87. 1
Franciscanis equi interdicuntur, 23. 2
Franciscus (S.) in eleemosynas effusus fuit, 187. 2. Ejus aspectus intuentes compungebat, 95. 1. E solo Dei beneplacito ad tantum sanctitatis fastigium est exaltatus, 61. 1. Ejus humilitas quomodo sit exaltata, 49. 1. Assidue cœlum spectabat, 51. 1. Ejus vita et mores cœlestes, 25. 2. Erga sacram synaxin valde flagrabat, 90. 1. Absens apparuit Fratribus in curru igneo, 223. 2. Voluit suos habere pauperes domos, 284. 1
Franc. Sforcia Dux astrologos semper contemptui habuit vel odio, 296. 2
Franciscus (S.) Xaverius visione cœlesti vocatus est ad labores Indicos, 181. 2. 256. 1. Habuit donum linguarum, 72. 2. 73. 1. Qua industria concubinas à concubinariis avelleret, 262. 2. Cur Malacæ pulverem de calceis excusserit, 257. 2. Mulieres fugiebat, 24. 2. Ejus vita cœlestis, 25. 2. Per pueros mira præstitit, 27. 1. Ejus prudentia, 28. 2. Ejus obedientia, et in periculis securitas, 359. 2. item ejus ardor patiendi, 18. 2
Fratres olim se vocabant Christiani, 181. 2. Fratres Hebræis sunt cognati, 54. 1. Fratres quare Petrus vocet Apostolos, 55. 1
Frons S. Chrysostomi erat callosa ex assidua oratione, 312. 2
Frugalitas veterum, 41. 2
Fuga in persecutione licita est, 340. 2
Fulgor faciei Sanctorum unde ortum habeat, 139. 1
Funebris pompa in quibus consisteret, 159. 1
Funus unde nomen acceperit, *ibid.*

G.

Galba Imp. breve habuit imperium, 7. 2
Galilæus quid proprie sonet : Galilæi erant stupidi, sed pugnantes et bellicosi, 51. 1. 75. 1. Galilæorum secta quæ esset, 128. 2. Eorum pervicacia, 129. 1. Diu ea inter Judæos viguit, 128. 2
Gallicanus Consul Christi causa pauper factus est, 112. 1
Gamaliel fuit Pharisæus, fuitque Christianus; est inter Sanctos relatus, 127. 2. Ejus consilium pium pro Apostolis, *ibid.* Corpus S. Stephani in villa sua sepeliri curavit, 158. 2
Garrulitas reprehenditur, 67. 2
Gasparis (P.) Barzæi amor erga socios omnes, 309. 1
Gaudium spiritus quam sit suave, 90. 1. Gaudium Sanctorum est Christus, 171. 1. Gaudium in tribulatione quam heroicum sit, 129. 2
Gaulus insula quomodo sita, 355. 1. Ejus nomina, 356. 1
Gaza urbs fuit duplex, una in Perside, altera in Philistæa, 169. 1. Hæc eversa, et altera non procul inde ædificata, *ibid.*
Gemini stella cur à nautis observetur, 364. 2
Generatio Christi æterna, 254. 1. 2
Genethliacorum quam frivola sit scientia, 296. 1
Γεννάω et producere et gignere significat, 278. 2
Gentes Judæos cur spernerent, 198. 2. Eas quando et quomodo respicere Deus cœperit, 280. 2. Iis quomodo Paulus loqueretur in Jerusalem ante apertum Gentibus ostium Evangelii per Petrum, 184. 1. 185. 1. Ipsæ jam conversæ ad legem non tenebantur, 317. 2. Eas quomodo errare permiserit Deus, 245. 2. Ad eas quando abierunt Apostoli, 131. 2. 215. 1. Publice quando iis Apostoli prædicare cœperint, 203. 1
Gentiles ipsam resurrectionem non damnabant, 338. 1. Gentiles nonnulli ante Cornelium ad fidem conversi fuere, 202. 2. Ipsi quam benigne à Christo vivente habiti, *ibid.* Non sunt ab Ecclesia rejiciendi, 250. 1. Eorum nonnulli coluere Deum, 192. 1. Gentiles etiam nonnulli paupertatis studiosi fuere, 113. 1. Hos Judæi vocabant Græcos, 133. 1
Gentilis (F.) divinitus linguæ Arabicæ cognitionem accepit, 73. 2
Genua sæpe per diem flectebant prisci Christiani, 312. 2. Ea habuit S. Jacobus callosa, *ibid.* Genua respondeant genis, *ibid.*
Genus Dei quomodo simus, 278. 2
Georgius (S.) Martyr Lyddæ est sepultus, et ibi ei templum ædificavit Imp. Justinianus, 186. 1
Gervasii (SS.) et Protasii corpora detexit S. Paulus S. Ambrosio apparens, 32. 1
Gesta multa Pauli S. Lucas silentio involvit, aut obiter præterit, 300. 1
Gladio quando Judæi uti cœperint in pœnis reorum, 212. 2
Gloriam Dei quam Stephanus viderit, 149. 2
Glycæ historici locus emendatur, 152. 2
Gnidus urbs Asiæ Cretæ objecta, 353. 1
Gnostici docebant solum Paulum ex Apostolis cognovisse veritatem, 14. 1
Godefridus Bullonius præsentem opem S. Stephani Hierosolymis sensit, 161. 1
Gorgonia (S.) templum Spiritus sancti, 277. 2
Grabatum quis sit lectus, 124. 1
Gradus non cadunt sub meritum de condigno, 61. 1
Græcus idem Judæis quod Gentilis, 184. 2. 185. 1. Græci dicebantur sapientes, 206. 1. Græci primum fecere schisma in Ecclesia, 153. 1. Græci negantes à Filio Spiritum sanctum procedere, die tertia Pentecostes à Turcis eversi sunt, 64. 1
Græcistæ quæ dicantur, 132. 2. 206. 1. Aliquando pro Gentilibus capiuntur, *ibid.*
Græcizantes quos vocet Lucas, 184. 2. 185. 1
Grammatici qui dicerentur, 104. 1
Gratia Spiritus sancti cur dicatur oleum et unctio, 200. 2. In gratia an confirmati Apostoli accepto Spiritu sancto, 69. 2. Gratia potentior Spiritus sancti, ad opera heroica exsequenda requiritur, 105. 1. 109. 2. Gratia cur dicatur *verbum*, 309. 2. Per solam gratiam Christi fuere justificati qui justificati, 250. 2. Gratiæ Dei Evangelium quid sit, 307. 2. 309. 1. Gratia efficax et prædestinatio cum libero arbitrio quomodo concordet, 79. 2. Gratia Pauli fuit efficacissima, 181. 1
Gregorii (S.) Magni celsitudo animi, 21. 1. Ecclesiæ opibus pauperes per orbem juvit, 95. 2

H.

Haceldama quid proprie sonet, 57. 1
Hæreditas nostra Deus est, 309. 2
Hæreses propagatæ per mulieres, 237. 2. Sunt fel amaritudinis, 168. 1. Non sunt ad Scripturam examinandæ, 265. 1
Hæresiarcha primus fuit Simon Magus, 162. 1. Hæresiarchæ Episcopatu excidentes quem ambiebant, nova dogmata adinvenere, 166. 1. Omnes hæresiarchæ fuere vel Epicurei, vel Stoici, 266. 2. 267. 1
Hæretici lupi sunt ob octo analogias, 308. 2. Sunt superbi, 309. 1. Carnales sunt et mulierosi, 165. 1. 267. 1. Eorum bellum pax est Ecclesiæ, 329. 2. Per tumultus rem agunt, 265. 2. Ferro à magistratibus sunt succidendi, 129. 2
Haran quæ sit urbs, 143. 1
Hebdomada unde dicatur sabbatum, 303. 1
Hebræi fuere peregrini in Chanaan et Ægypto, 143. 2. Post reditum è captivitate semichaldaice locuti sunt, 57. 1. Hebræi multi fuere binomii, 143. 1
Hebræorum verba activa sæpe non actionem, sed actionis probationem significant, 234. 2. Verba realia sæpe per mentalia exponunt, 229. 2
Hebron (in) an sepulti sint Patriarchæ, an in Sichem, 143. 1

Helena Adiabenorum regina ab Apostolis conversa, quando floruerit, 6. 2
Heliopolitanum templum Judæorum quando et quare à Vespasiano demoliri jussum, 8. 1
Hemor à quo emit Abraham speluncam pro sepulcro alius fuit ab eo à quo Jacob emit agrum, 145. 1
Henricus II. Imp. quomodo ob simoniam castigatus, 166. 2
Herculis duodecim labores, 29. 2
Hermæ liber dictus Pastoris est inter apocryphos relatus, 312. 1
Herodes fuere quatuor, 211. 2. 213. 2. 228. 2. Fuere omnes infesti Christo et Christianis, 344. 2
Herodes Agrippa senior, cur rex Judææ fuerit factus, et qua occasione, 211. 2. Quam esset Caio Imp. carus, 212. 1. Fuit crudelis, *ibid.* Quare Jacobum Majorem Apostolum occidi jusserit, *ibid.* Quamdiu regnarit, 213. 2. Quo anno ab angelo percussus sit, *ibid.* Cur S. Petrum apprehendere voluerit, 216. 1. Cur eum post Pascha distulerit necare, *ibid.* 2. 217. 1. Ludos Cæsarææ pro salute Cæsaris celebrat, 224. 2. 225. 1. Ejus fastus et splendor è veste argentea, 225. 1. Percutitur ab angelo, et quo morbo, *ibid.* 2. Mortis ejus præsagium, *ibid.* Cur ita sit punitus, *ibid.* Peccavit assensu ad blasphemam populi acclamationem, *ibid.* Ejus mors ad longum narratur, 226. 1. Ejus proles, *ibid.* 2. Quomodo eum Alexandrini in comœdia repræsentarint, *ibid.*
Herodes Agrippa junior, rex Chalcidis, fuit senioris filius; ejus tetrarchia; cur dictus ipse et pater Agrippæ: fratrem habuit Drusum, 344. 2. Ejus soror et concubina fuit Bernice, 345. 1. Erat bonæ indolis, 348. 1. An ad christianismum inclinarit, 350. 2
Herodes Antipas Lugduni mœrore contabuit, 2. 2
Heroes diis sunt majores, 12. 2
Herostratus cur templum Dianæ Ephesiæ incenderit, 298. 1
Hiatus fieri potest in suprema aeris regione, 151. 1
Hibernia naturaliter venenatis caret, 365. 2
Hieronymi (S.) studium discendi, 289. 2
Hierosolymitana Ecclesia quando facta patriarchalis, 206. 1. Hierosolymæ cur datus Spiritus sanctus, 45. 1. Ipsa typus est Ecclesiæ, *ibid.* 2. Hierosolyma 24. habebat vicos celebriores, 221. 2
Hierotheus (S.) an fuerit Atheniensis, an Hispanus; quando ad fidem conversus; ejus elogium, 4. 1. 282. 2
Hilarion (S.) ob curationes ægrorum nihil donorum voluit accipere, 167. 2. Quam potestatem adversus dæmones haberet, 293. 2. et quomodo nosset à quo quis vitio esset occupatus, *ibid.*
Hispani S. Jacobum in præliis invocant, *ibid.*
Hispania S. Jacobo Apostolo debet quod in fide orthodoxa perstet, et perstiterit hactenus, 213. 1. Eam S. Paulus quando adierit, 370. 2. Ejus reges cur Catholici cognominentur, 213. 1
Historia S. Lucæ de actis Apostolicis quot annorum gesta contineat, 33. 2
Hodie competit æternitati, 233. 1
Holocaustum cur hebraice vocetur *ola*, 193. 2
Homo quantopere Deo sit adstrictus, 74. 2. Respectu Dei cæcus est, 274. 1. Homo ab homine edoceri debet, 177. 2
Honorati diaconi animositas, 133. 2
Horarum Canonicarum origo et causa, 93. 2. Horæ diei quomodo Judæi computarent, 77. 2. 78. 1. Hora meridiei apud multos meditationi vacatur in memoriam ascensionis Domini, 42. 1. Hora nona olim catechumeni baptizabantur, 193. 1. Horam laboris compensat Deus die consolationis, 40. 2. Horarum quadraginta oratio est in honorem sepulturæ Christi instituta, 217. 1
Hospitalitas Rom. Ecclesiæ et urbis, 196. 2
Hostibus (pro) oratio quæ funditur, efficacissima est, 153. 1
Humanitati Christi debetur potestas judiciaria ob unionem cum Verbo, 201. 1
Humilis ducit se nihil esse et nullum, 162. 2
Humilitas quanti sit meriti, 49. 1. Evincit adversarium durum, 304. 2. Plena humilitas quæ sit, *ibid.* Cur vocetur omnis justitia, *ibid.* In ea semper crescendum, 303. 1. Honorabilis est, *ibid.* Ea summa virtutum est, *ibid.* 2. et vera animi magnitudo, 20. 2. Signum est doctoris orthodoxi, 162. 2. Vincit diaboli laqueos, 163. 1. Humilitas viri Apostolici quanta esse debeat, 20. 2
Hyblæum mel et apes Hyblææ unde dicatur, 366. 1
Hymnos canebant neochristiani post cibum sumptum, 91. 1
Hypocriseos squamæ auferendæ sunt, 182. 1. 2
Hypocritæ fellii sunt, 168. 1. Sunt sepulcra dealbata, 327. 2. Eorum emblema et proprietas, 90. 2. 91. 1

I.

Ideæ omnium nostrûm, juxta quas conditi sumus, proprie in Deo sunt, 276. 2
Idiotæ qui proprie sint, 106. 2
Idolothytis vesci vetitum Christianis, 251. 2
Ignatius (S.) Antiochenus Episcopus mortuus sub Trajano, 7. 2. Instituit psalmodiam sacram, *ibid.*
Ignatius (S.) de Loyola vitas Sanctorum legens conversus est, 170. 1. Ejus zelus in Dei honore adaugendo, 188. 2. Ejus in cruce gaudium, 131. 1. Cœlum cum lacrymis aspectabat, 51. 1. Ejus obedientia, 359. 2. Quam in vinculis exultaret, 351. 1
Ignis imago est Apostolorum, 26. 1. An vere super Apostolos descenderit, 67. 2. Ignis symbolum est Dei, 68. 1. Per ignem auctorati sunt Prophetæ, *ibid.* 2. Idem significat effectum Spiritus sancti in animis fidelium, item tribulationem et lumen fidei, *ibid.* Ignis Stoicis pro Deo erat et spiritu, 266. 2
Ignorantia Judæorum Christum necantium an fuerit excusabilis, 99. 1
Ignotus Deus Athenis quis esset, 269. 2. 270. 1. An Deus verus, 270. 1. 271. 2
Illustrationum divinarum sunt capaces ii qui carent curis, 193. 1
Imago est quid reale et stabile, 124. 2. Eam cur initio Ecclesiæ vetarent Patres, 272. 2. In ea tamen Deus potest coli, *ibid.* 1
Immensitatis Dei descriptio, 275. 1
Immortalitatem animæ negabant Epicurei, 265. 2
Immunitas Ecclesiastica initio Ecclesiæ non erat introducta, 343. 1
Imperator Roman. an legitimus judex Pauli, *ibid.*
Imperatores cur cum cruce in globo pingantur, 346. 2
Impp. Romani cur censum provinciarum fieri juberent, 128. 1
Impiorum (per) conatus, quibus Dei opera impedire satagunt, ea promovet Deus, 158. 1. Eorum societas dissolvenda, 329. 1. 2
Impositio manus est de essentia Ordinis, 137. 2. Per eam datur gratia, *ibid.* Ea in tribus Sacramentis adhibetur, 164. 1. Per eam unctio intelligitur, *ibid.* 2. Ea significat ordinationem, 229. 2
Impossibilitas duplex est, una actum antecedens, altera consequens, 79. 1
Impossibilia physice Deus non præcipit, 250. 2
Imprecatio Pauli contra Ananiam Pontif. qualis fuerit, 327. 1
In capitur ab Hebræis pro *de*, item pro *sicut*, 103. 2. item pro *propter*, 103. 1
Incarnationis et adventus Spiritus sancti analogiæ, 70. 1
Incognitus nobis cur sit Deus, 271. 1
Incomprehensibilitas Dei hominum et angelorum aciem transcendit, *ibid.*
Inconstantia et mutabilitas sugillatur, 97. 1
Indiæ (in) Orientalis valle una, quam variæ sint linguæ, 73. 1
Infernum (in) Christus vere descendit, 81. 2. Inde anima nulla liberari potest, nisi speciali Dei privilegio, 100. 1
Infideles etiam Angelum custodem habent, 193. 1
Infirmitates suorum ferant confessarii et concionatores, 310. 2
Infusio, diffusio et effusio Spiritus sancti quomodo differant, 72. 1

Ingredi et *exire* quemlibet actum significant Hebræis, 57. 2. 184. 2
Inimici diligendi sunt, 31. 1. Pro iis orandum, 155. 1
Insinuare proprie quid sit, 262. 2
Ira cos et acies virtutis est, 260. 2. Iræ sedes et materia est fel, 168. 1
Iris unde dicatur nuntia deorum et pluvia, 241. 2
Isthmus sive dithalassus quis sit, 358. 2
Italica cohors quæ diceretur, 191. 2

J.

Jacobus (S.) Alphæi quando creatus Episc. Hierosolymorum, 1. 2. 132. 1. 152. 2. Callosa habebat genua, 312. 2. An præfuerit concilio Hierosolymitano : negatur, 250. 2. Dixit in eo sententiam post Petrum, *ibid.* Quando et quare de pinnaculo templi dejectus martyrium obierit, 6. 1. 316. 2
Jacobus (S.) Major quando ad Hispanos iverit, 158. 1. 2. 205. 1. 2. Quam paucos in Hispania converterit, 197. 1. Eum cur Herodes præ cæteris Apostolis occiderit, 212. 1. Ejus gesta et fervor in prædicando, *ibid.* Quando sit occisus, *ibid.* Cur ejus festum celebretur xxv. Julii, *ibid.* 2. Ad mortem vadens accusatorem suum Christo lucrifecit, *ibid.* Varia ejus privilegia, *ibid.* Sæpe Hispanos in prœliis juvit, 213. 1. An scripserit epistolam Canonicam, *ibid.* Alia ejus gesta recensentur, *ibid.* Quo anno Christi sit occisus, *ibid.* 2. 214. 1
Jason Thessalonicensis Pauli hospes, quis fuerit, 263. 2. An idem qui Mnason, *ibid.* An postea Episcopus Tarsensis fuerit, *ibid.* Ejus virtus, 264. 2
Jejunare (quamdiu) homo naturaliter possit, 358. 2
Jejunium prudens esse debet, 23. 2. Jejunium quod intelligat Lucas septimi mensis aut decimi, dum incommodam fuisse tunc ait navigationem, 353. 2. Jejunium olim ante sacram synaxin præmittebatur, 303. 2. Ordinationi sacerdotum præmittitur, 229. 1. 2. 230. 1. 245. 2
Jerusalem erat sedes religionis, 138. 1. Quando obsessa, capta, eversa sit, 7. 2. Illuc quare varii undique Gentium Judæi confluerent, 74. 1. *Vide* Hierosolyma.
Jesus Anani filius, plebeius homo, quando clades prædixerit Judææ, 6. 2
Jesu nomen Paulo in deliciis erat, 16. 2. *Vide* Nomen.
Jesus Christus quo anno mundi et vitæ sit mortuus, 1. 1. Prius fecit, deinde docuit, 38. 1. Quomodo in cœlos ascenderit, 39. 2. 40. 1. 47. 2. 50. 1. Cur tam cito eo ascendit, 39. 2. Resuscitatus est virtute animæ suæ, 40. 1. Resurrectione xl. diebus cum Apostolis egit, *ibid.* Hisce diebus hæsit in paradiso, *ibid.* Quæ docuerit suos tunc temporis, 41. 1. Ascensurus in cœlos cur cum Apostolis sit pransus, 42. 1. Ascendit eo sub meridiem, *ibid.* Quomodo se ad ascensionem disposuerit, et suis valedixerit, 47. 1. Ascensus ejus quomodo peractus, *ibid.* 2. Ascendit etiam qua homo, 48. 1. Ei ascendenti occurrerunt omnes angeli, *ibid.* Cur ascenderit statim à resurrectione, *ibid.* 2. An nudus ascenderit et in veste rubra, 50. 1. Cur à monte Oliveti ascenderit, 51. 2. Quo die passus sit et ascenderit, 52. 2. Cur matrem in terris relinqueret, 53. 2. Quomodo sit vir à Deo approbatus, 78. 1. Libere et sponte mortem subiit, *ibid.* 2. A diversis et diversimode morti traditus est, 80. 1. An in inferno dolores sit passus, *ibid.* Nihil passus est post mortem, *ibid.* 2. Vere descendit in infernum, 81. 2. Non passus est in sepulcro corruptionem, et unde, 82. 1. Fuit in vita viator et comprehensor, *ibid.* 2. Quomodo restituerit regnum David, 83. 2. Est Davidis Dominus etiam qua homo, 84. 1. Quanto eum amore et fide prosequi debeamus, 98. 2. 99. 1. Post ascensum in cœlum subinde visibiliter in terris apparuit, 99. 2. An aliquando modico tempore cœlum reliquerit, 100. 1. Ejus bonitas in nos à peccatis liberando, 101. 2. Quare et qualis dicatur lapis, 105. 2. 106. 1. Fuit pauper, 112. 1. An fecerit votum paupertatis, 118. 1. Ejus naturalis pulchritudo, 146. 1. Antonomastice dicitur justus, 148. 2. 322. 2. Cur in cœlo stet, 150. 1. 2. Cur ei in baptismo cœli aperti, *ibid.* 2. Cur vocet eum Stephanus Filium hominis, 151. 2. An per se peragat particulare judicium, 153. 2. 201. 1. Patitur in fidelibus, 175. 1. Verba ejus ad Paulum examinantur, *ibid.* Dum vixit benefecit omnibus, 200. 2. Ejus divinitas adstruitur, 234. 2. 308. 1. Qua homo erit judex in fine mundi, 281. 1. Semper pedes per oppida evangelizavit, 304. 1. Ejus humilitas, *ibid.* 2. 305. 1. Omnia ejus dicta factaque non sunt conscripta, 310. 2. Est spes Israel et nostra, 368. 2
Judith an sit nomen Candacis sive Reginæ Æthiopum, 169. 1
Joannes Baptista fuit angelicus, 140. 1. Quos baptizarit, 44. 1. Ejus humilitas, 234. 1. Quare solos adultos baptizarit, 291. 2. Baptismi ejus forma, *ibid.*
Joannes (S.) Apost. in oleum quando missus, et in Pathmon relegatus, 9. 1. Ejus Apocalypsis quid contineat, *ibid.* 2. Revertitur ab exilio, 10. 1. Scripsit Evangelium, cur et quomodo, *ibid.* 1. 2. item epistolas, *ibid.* 2. Ejus mors 11. 1. Diutius quam cæteri Apostoli in Judæa mansit, 213. 2. Quo anno Christi sit mortuus, 212. 2. Non fundavit Ephesinam Ecclesiam, 292. 2
Joannis (S.) Chrysostomi vocatio ad sacerdotium, 180. 2. 181. 1. Ejus corpus ex Oriente Romam translatum, conditum est in Vaticano, 32. 2
Joannes Fischerus Episc. Roffensis ductus ad supplicium cecinit, 130. 1
Joannes cognomento Marcus est alius à Marco Evangelista, 222. 1. Quare à Paulo discesserit et Barnaba, 232. 2
Joannes (P.) Nunnius quo viso ad Societatem vocatus sit, 256. 1
Joanni (F.) Parmensi Franciscano celebranti servivit angelus, 223. 2
Jonathas Pontifex erat æquus et dexter, 104. 2. A Felice Præside interfici jussus, 339. 1
Joppe descriptio, unde dicatur, quæ ibi gesta, 186. 2. Ibi Jonas navem conscendit, cum à Domini facie fugeret, *ibid.* Hinc solvit Paulus in Italiam navigaturus, 353. 1
Jordanes (S.) fluctibus mersus interiit, 360. 1
Joscionis (ex ore S.) mortui quinque enatæ sunt rosæ, 223. 1
Joseph Mariæ filius, et Jacobi Alphæi frater, statuitur quasi eligendus in Apostolum, 58. 1. Factus postea Episcopus Eleutheropoleos, *ibid.* Ejus cognomen fuit Barsabas, *ibid.* Unde dictus sit Justus, *ibid.* Cur non sit electus in Apostolum, *ibid.* 2
Joseph historicus prædicit Vespasiano imperium, 7. 2. Ejus de Christo testimonium, quod Judæi depravarunt in sua translatione Hebræa operum ejus, 9. 2
Jovis vox unde derivetur, 241. 1
Judæi quomodo mortuos plangerent, 159. 1. Pentecostes diem quomodo exspectarent, 64. 1. Nudipedes sacrificia obibant, 219. 2. Cur in Paulum pulverem jactarint, 324. 1. Diem quomodo dividerent, 93. 2. In festis omnibus abstinebant cibo usque ad sextam, 78. 1. Cur in Stephanum frenduerint, 149. 1. Cur clamarint audito Stephano, 152. 1. Fulgore faciei ejus obduruere, 140. 1. Afflicti sunt fame quæ fuit sub Claudio Imper., 210. 2. Eorum in Paulum odium, 342. 1. 363. 1. Quare præ cæteris familiæ Lazari infensi fuerint, 157. 2. Quare in varias orbis partes essent diffusi, 74. 2. Erant in sacris suis superstitiosi, 97. 2. Cur à Claudio Roma pulsi, 283. 2. 284. 1. et quando, *ibid.* Gentiles semper aversabantur, etiam Christiani, 198. 2. 203. 1. 319. 1. Cur Gentium deos non irriderent, 299. 2. Erant omnibus gentibus invisi, 259. 1. Cur dicantur filii testamenti, 100. 2. Iis facta promissio de Christo nascituro, 85. 2. Non soli capaces erant Messiæ et Christianismi, 248. 1. Putabant Messiam sibi solis esse promissum, 202. 2. Ipsis ante omnia satisfecere Apostoli antequam ad Gentes abierint, 213. 2. An ob necem S. Jacobi cladibus attriti, 6. 1. Quomodo devoverint se, nisi occiderent Paulum, 331. 1. Quando Romanis rebellare cœperint, 7. 1. Quot eorum à Tito necati et capti, 8. 1. Judæi quam contemptim Christum Dominum habeant; duplicem fingunt Messiam, 262. 2. 263. 1. Adhuc eum exspectant, 368. 2. Eorum duritiæ et pervicacia, 148. 1. Hinc iis rebellibus aures amputari jussit Cons-

tantinus Imp. *ibid.* Eorum fraus et impostura, 9. 2. Judæi Christiani dissidebant à Gentibus Christianis quoad servanda legalia, 248. 1. 253. 1
Judas Barsabas quis fuerit, 252. 2
Judas Galilæus quando Romanis rebellarit, 128. 1. 2
Judas (S.) Apostolus Jacobi frater, dictus Thaddæus et Lebbæus : et ejus qui fratres, 53. 1. Quando epistolam suam scripserit, 7. 1
Judas Iscariotes fuit initio cæteris Apostolis in dignitate, miraculis, ministerio par, sed postea factus est fur, 55. 2. Quomodo agrum dictus sit possedisse, 56. 1. An præcipitio sit, an laqueo mortuus, *ibid.* 2. An laqueo supervixerit, *ibid.* Ejus desperatio, 57. 1
Judices olim quamdiu præfuerint Israeli, 253. 2. Judices sint continentes, 339. 1. Sint in judicando æqui, 336. 1. Judices Areopagitæ quales. *Vide* Areopagus.
Judicium particulare cujusque quomodo peragat Christus, 153. 2. 201. 1
Judicii extremi mentione terreant concionatores auditorum animos, 339. 2. 340. 1. De illo cur apud Felicem agat Paulus, 339. 2. Illud per se peraget Christus, 153. 2. Judicia capitalia in Areopago exercebantur, 268. 1
Julianus Apostata invidit Christianis Christi nomenclaturam, 209. 1. Quam esset versatilis, 97. 1. Per magiam imperium et vitam amisit, 296. 1
Julius (C.) Cæsar fuit prodigium naturæ; ejus gesta, elogium, monarchia, 342. 2
Junius (L.) Gallio proconsul Achaiæ fuit frater L. Senecæ, 285. 1. Seipsum occidit à Nerone damnatus, *ibid.* S. Paulo æquus fuit, 285. 2
Jupiter cur corona oleagina coronaretur, 241. 1. 2. Cur dicatur græce Ζευς, 243. 1
Juramentum Episcoporum dum ordinantur, 123. 1
Justificatio reddit Deum animæ præsentem, 277. 1. Quam magnum Dei opus sit, 101. 1
Justinus (S.) fuit Sichimita, quando Martyr obierit, 144. 1. 272. 1
Justitia tripliciter in sacra Scriptura capitur, 199. 2. *Justitia* diversimode accipitur, 232. 1. Justitia imputativa refutatur, 127. 1. Justitia capitor pro humilitate, 304. 2. 305. 1. Justitiæ virtutis descriptio et effigies, 363. 1
Justus dictus est Joseph, Mariæ filius, 58. 1. Justus dicitur Christus formaliter et causaliter, 98. 1. Justi anima est thronus, sedes et templum Dei, 71. 1. Per gratiam sit Deus, *ibid.* 2. Hic à morte nunquam occupatur, 360. 2

K.

Kades et *Kedesca* quid proprie significet, 128. 2
Kiria vox unde deducatur, 117. 1
Κωμιζω est verbum funerale, 158. 2
Κωποδομα quam varia significet, 335. 1
Kosaki cur ante pugnam se vino adusto repleant, 77. 1
Κρατιζος epithetum est præsidum et præfectorum, 38. 1. 333. 1

L.

Lac pro sanguine manavit è cervice Pauli recisa, 7. 2
Lætitia spiritualis signum est inhabitantis Spiritus sancti, 90. 1
Laicis sub una specie sufficit communicare, 88. 1. Eorum non est ordinandis manus imponere, 245. 2
Lancearii milites qui dicerentur, 331. 2
Laodicæa quando terræ motu conciderit, 6. 1
Lapidantibus (pro) quid Stephanus orarit, 154. 2
Lapidatio supplicium blasphemiæ, 152. 1
Lapis quare dicatur Christus, 105. 2. Lapis angularis an summus an imus in fabrica, 106. 1. Lapis S. Stephani Anconæ colitur, 153. 1
Lapsus eorum qui in alto sunt gradu, quam gravis, 56. 2
Latinæ voces multæ à Græcis usurpatæ, 292. 2
Latro in cruce conversus à Christo, an ab ejus umbra inumbratus esset, 124. 2
Laurentium (S.) quomodo Christiani sepelierint, 159. 2
Lazarus quatriduo mortuus cujus rei fuerit symbolum, 240. 2
Lectio piorum librorum quam utilis sit, 170. 1. 2
Legalia tempore Pauli mortua erant, at non mortifera, 253. 1
Legio quot milites sub se contineret, 191. 2
Legitima Ecclesia Ephesi quæ dicatur, 300. 1
Leone (à S.) Pontifice petita ratio impositionis manuum, 133. 2
Levitæ poterant habere possessiones extra Judæam, 115. 2. Habebant templi curam et custodiam, 103. 1
Lex an sit prorsus servatu impossibilis, 250. 2. Quomodo lata angelis disponentibus, 148. 2. Lex erat triplex, *ibid.* Lex Mosis post Christi ascensum ut honesta et religiosa adhuc observari poterat, non tamen obligabat, 316. 2. 317. 1. Eam cur Paulus deprimeret, 316. 1. Ejus quam grave sit onus, 250. 2. Ejus abolitionem fore an dixerit S. Stephanus, 139. 1. Legis novæ aureum seculum, 276. 2. Lex nova per ignem dari cœpta, 68. 1. 2. Tota consistit in charitate, 110. 1. Lex de suffocatis et sanguine usu est abolita, 252. 1
Libertatem actus non tollit consequens necessitas, 79. 1
Liberti erant binomines, 333. 1
Libertini Judæi qui dicerentur, 138. 1
Libertinus (S.) Agrigentinus Episcopus quando vixerit, 365. 1
Libri magici, mathematici et hæretici comburendi sunt, 296. 2. Libros sacros legere quam sit utile, 170. 1. 2. Liber Pastoris cur inter apocryphos numeretur, 312. 1
Limatura catenarum S. Petri solebat pro ingenti dono ad principes à Rom. Pontificibus mitti, 218. 1
Lingua regenda est viro perfecto, 74. 1. Ejus commoda et effectus, 67. 1. Linguæ dispertitæ in donatione Spiritus sancti quomodo intelligantur, 66. 2. Cur eæ fuerint sectiles, *ibid.* Lingua est symbolum Spiritus sancti, 67. 1. Linguarum donum tria complectitur, *ibid.* Linguæ an veræ fuerint igneæ, *ibid.* 2. Quare pyramidales, 68. 1. Cur igneæ, *ibid.* Linguis variis et non una Apostoli loquebantur, 72. 2. Linguarum variarum scientiam indit Spiritus sanctus viris Apostolicis, 73. 2. 75. 2. Earum quanta sit in orbe varietas, 73. 2
Linus (S.) quando sit martyrio affectus, 8. 2
Liquor medicus ex reliquiis S. Lucæ scaturit, eoque indice sunt repertæ, 36. 2
Litterati ut plurimum sunt melancholici, 350. 1
Liturgia est Missa et sacrificium antonomastice, 229. 1
Livia Drusilla Augusti uxor cur vocata Venus cœlestis, cognomento Panthea, 338. 2
Locus Judæ proprius quis dicatur, in quem abiit, 59. 2. In locis excelsis orarunt Sancti, cur, 193. 2. Locus è quo Christus cœlos ascendit, nunquam se patitur regi, 52. 1
Λογος varia significat, 37. 1
Loquitur quisque prout affectus est, 74. 1
Lucæ (S.) modestia et humilitas, 37. 1. Est auctor libri Actuum, 33. 2. Est pictor Apostolorum, 34. 2. Ejus elogium, 35. 1. Fuit Evangelista, virgo, Pauli discipulus, Apostolus, etc. *ibid.* Ejus labores pro Evangelio, *ibid.* 2. Quid vox Lucas significet, 35. 2. Fuit cognatus S. Pauli, et Martyr, 36. 1. Ejus miracula et reliquiæ, *ibid.* 2. An hysterologia aliquando utatur, 215. 1. Ubi adhæserit Paulo, et an continue, 256. 2. Quando à Paulo abfuerit, 257. 1. Quando Evangelium scripserit, *ibid.* Quam gratus esset Græcis, 303. 1. Melitæ tres imagines B. Virginis pinxit, 362. 1. Quando obierit, 5. 2
Lucius Cyrenensis quis esset, 228. 1. 2
Lucii Dextri Chronicon, et auctoris de eo sententia, 11. 1. 52. 2. 203. 1
Ludovicus (S.) Episcopus Tolosanus morieus visus est rosam ex ore emittere, 223. 1
Lutherus habuit dæmonem familiarem, 42. 1. 162. 2. Dæmonem elicere non potuit, sed ab eo in summas est redactus angustias, 125. 1. 293. 2
Lux denotat Dei gloriam, 149. 2. 150. 1. Lux Paulum circumfulgens quare solem superaret, 174. 1. Unde veniret, *ibid.* 178. 1. Ea qualis esset, 349. 2. Lux in carcere Herodis an solum Petrum circumfulserit, 218. 2

Lycia provincia varias regiones complectitur, 353. 1
Lyddæ urbis situs et nomen, 186. 1
Lydia purpuraria quænam esset, 258. 1. Unde timeret Deum, *ibid.*

M.

Macedoniæ elogium, 257. 2
Magi erant sapientes Persarum, 231. 1. Magi Ephesi erant plures, 296. 1. Horum responsa sustulere Apostoli, *ibid.* 2
Magia hæreticis familiaris est, 162. 2. Ejus insimulatus Christus et Christiani, 104. 2. 105. 1. Ejus artes discussit Christianus chrismate inunctus, 165. 2
Magistratus templi qui diceretur, 103. 1
Magnalia Dei quæ loquerentur Apostoli, 76. 1
Magnanimus quam parvi temporalia omnia faciat, 21. 1. Magnanimitas S. Pauli, 20. 1. 284. 1. 2
Magnitudo animi vera est humilitas, 20. 2
Mala instantia Deus Sanctis prænuntiat, 181. 2
Malachias quomodo dictus angelus, 140. 1
Maledictiones Judæ à Davide prædictæ in persona Doeg, 57. 1
Malum consortium vitandum, 86. 1
Manahemi quis propheta fuerit? fuit Herodis Tetrarchæ collactaneus, 228. 2
Mane præcipue Deus orandus, 126. 1
Manichæi insana hæresis vocantis se Spiritum sanctum, et ejus mors, 65. 2. Solis cultum docuit, 48. 1
Manus Hebræis quam varia significet, 108. 1. Manus instrumentum miraculorum, 123. 2. Capitur pro causa media et potentia, 146. 2. Manus in tribus sacramentis imponitur, 164. 1. Manus impositione sola an Apostoli Confirmationem contulerint, *ibid.* Manuum impositio Episcoporum est, non laicorum, 245. 2. Manus cur catechumenis imponantur, 181. 2. Manum cur S. Paulus coram Agrippa rege perorans extenderit, 348. 1
Marcus Arethusius Martyr irrisit tormenta, 130. 1
Marcus (S.) quando Evangelium scripserit, 3. 1. Quando et quare martyrio affectus, 6. 1
Margareta (S.) Scotiæ regina quam esset in pauperes effusa, 187. 1
Maria (S.) Ægyptiaca vitam duxit angelicam, 140. 2
Maria (S.) Magdalena quando cum sociis in exsilium pulsa, Massiliam appulerit: ejus vita in Bauma, 1. 2. 157. 1. 2. Quotidie septies in cœlum toto corpore rapiebatur, 51. 1. Fuit Apostola Massiliensium, 73. 2
Maria (S.) Oigniacensis cum angelis familiaritas, 51. 1
Mariæ Salomes corpus an quiescat Verulis, 116. 1. 212. 2. Quando Verulas venerit, 158. 2
Maria (B.) Virgo doctrix Apostolorum erat, 131. 2. Ejus memoria celebris in Hispania, *ibid.* Accepit donum linguarum à Spiritu sancto, 75. 2. Est vas intemeratum, 194. 2. Ejus humilitas in omnibus, 53. 2. Ejus effigies, 54. 1. Accepit quoque Spiritum sanctum, 64. 2. Orat pro S. Stephano, 152. 1. 2. Resolvit quæstionem legalium, 250. 2. An vivens adhuc apparuerit S. Jacobo in Hispania existenti, 213. 1. Quando mortua sit, 5. 2. Quo anno Christi et vitæ, 315. 2. 316. 1. Ei morienti an adfuit Paulus, 316. 1. Ea sublata, ruit Ecclesia Judaica, *ibid.* 2
Mariamnes Herodes Agrippæ junioris filiæ intemperantia, 345. 1
Marsi an per incantationes à serpentibus illæsi sint, 363. 2
Marsilii de Padua error de Episcopatu S. Pauli, 370. 1
Martha (S.) quoties per diem et noctem genua flectere soleret, 312. 2
Martialis (S.) Episcopus quando sit mortuus, et ejus baculus miraculosus, 8. 1
Martianus (S.) an primus Episcopus Syracusarum, 365. 1
Martinus (S.) jugiter aspiciebat cœlum, 51. 1. Ejus eleemosyna quantopere Christo placuerit, 187. 2. Qua circumspectione in templo versaretur, 93. 1
Martyres primi qui Romæ fuerint, 6. 2. 7. 1. Martyres pro martyrio summas Deo gratias egerunt, 131. 1. Eorum corpora decenter sepelienda sunt, 158. 2. 159. 1. 2. Eorum sanguis semen est Christianorum, 226. 2. 227. 1. Martyres varii qui in suppliciis gavisi sunt, 130. 1. Martyribus multis ora percussa, 327. 1. Martyres varii sub Domitiano Imp. 9. 1
Martyrius (S.) Christum in paupere contexit, 187. 2
Massiliam quando appulerit Lazarus cum sororibus, 157. 1
Mathematicorum quorum ars sit vana et noxia, 296. 1. Ii multis regibus invisi fuere, *ibid.*
Matrimonia (Judæis) non erant vetita cum Gentibus, 255. 1. Matrimonia cum Gentibus cur irritet Ecclesia, at non cum hæreticis, *ibid.*
Matthæus (S.) quando Evangelium scripserit, 2. 2. Quantæ id sit auctoritatis, *ibid.* Æthiopes convertit ad fidem, 169. 2
Matthias quid significet, idem est qui Matathias, cui in zelo fuit similis: an idem cum Zachæo, 58. 2. Quomodo sors super eum ceciderit, 59. 2. Tripliciter est electus, 61. 2. Tres ejus gnomæ, *ibid.* Ejus reliquiæ sunt Treveris, *ibid.* Quando sit occisus, 6. 2. Quando sit in Judæ locum suffectus, 1. 1
Matutinum tempus idoneum ad recipiendos Dei illapsus, 78. 1. et alia ejus commoda, *ibid.*
Mauritius (S.) quare Episcopatu relicto peregrinationem susceperit, 165. 2
Maximæ res videntur incredibiles, 220. 2
Mechtildis (S.) mirum silentium, 140. 2
Mel quare Judæi sacrificiis non adhiberent, 267. 1
Melancholia laborant litterati, 350. 1
Melania quam generose responderit se ob aurum incarcerantibus, 260. 2
Melitæ situs, 354. 2. Ipsa vicinum habet isthmum, 358. 2. Ejus fertilitas et ager, 361. 1. Septem ei privilegia à S. Paulo collata, *ibid.* Fuit ab eo conversa, *ibid.* 2. Ejus antiquitates, 362. 1. Melita caret venenatis, *ibid.* 363. 1. Eam S. Paulus protexit sæpe, 362. 1. In fide hactenus perseverat, *ibid.* Ante Paulum venenata habebat, 363. 2. Illuc quando Paulus appulerit, et inde recesserit, 354. 1. Melitæ duæ sunt insulæ, 361. 1
Μεν ad sæpe ornatum initio sermonis ponitur, 37. 1
Menæ (S.) Martyri in tormentis apparuit Christus, 154. 1
Mendicorum (olim) statio Romæ in ponte erat, 97. 2. Mendici quare jam ad fores templorum sedeant, 94. 1. An hoc consultum, et ut in templis palam mendicent, *ibid.* 2. Sunt cœli janitores, *ibid.*
Mensis (quibus) ministrarent viduæ, 133. 2. et diaconi, 135. 1
Mense quo Christus ascenderit, et quoto ejus die, 52. 2
Mentem Christo homini demebant Apollinaristæ, 278. 1
Mentiri Spiritui sancto quid sit, 121. 2. 122. 1
Mercurius quis Deus, unde dictus, 241. 1. 243. 2. Quibus rebus præsset, 241. 2. Ejus inventa, *ibid.* Ejus insigne cur virga, *ibid.* Ejus fabula moralizata, *ibid.* Unde dictus Hermes, *ibid.*
Mergisafer locus conversionis S. Pauli dictus est; ejus celebritas, 174. 1
Meritum consistit non in rei quantitate, sed qualitate, 197. 2
Mesopotamia capitur pro omni regione quæ est trans Euphratem, 145. 1
Messanæ an fuerit S. Paulus, 366. 1
Messiæ tempus instare Judæis omnibus persuasum erat, 127. 2. Messiæ nomen nunquam per crasin contrahitur, 231. 2. Ejus tempore tradunt Rabbini omnia animalia munda fore, 195. 1
Μετα an significet etiam præter, 128. 1
Metempsychosim Judæi admittebant, 83. 2
Metropolis fidem sequuntur reliquæ urbes, 27. 2
Michael (an S.) Petrum è carcere liberaverit, 125. 2. Argonautas direxit et juvit, 270. 1. 271. 2. Cur S. Petrum è carcere Herodis liberarit, 218. 2. Decalogum Dei nomine proclamavit, 149. 1
Michaelis Martyris Japonici ardor, 131. 1
Miletum urbs Ioniæ, 304. 1
Milliare quantum sit spatium, 52. 2
Miraculum primum S. Petri extollitur, 97. 1. Miraculum in mari ad sepulcrum S. Clementis, 11. 1. item in sanguine

S. Stephani Neapoli, 161. 1. Miracula tria ascendentis Domini in monte Oliveti, 52. 1. Majora patravit S. Petrus quam Christus, 124. 2. Miracula poscenda ab hæreticis, 88. 1. Miracula quid sint, 78. 1. Fiunt à Sanctis vel prece vel potestate, 98. 1
Misericordiam abhorrebant Stoici, 266. 1
Missæ olim celebrabantur in Dominica, 303. 1. Quare mane hora prima, 78. 1. Cur Missa dicatur liturgia, 229. 1
Mititas magis verberat quam temeritas, 259. 1
Momentum quid proprie sonet, et unde vox formetur, 45. 2
Monachi unde dicantur, 110. 1. 2. Quando primum cœperint, 119. 1
Monasteriorum amor et concordia, 110. 2
Moneta Doctor Bonon. quibus verbis motus ad mundum deserendum, 151. 2
Monicæ (S.) humilitas, 54. 1
Mons Oliveti unde dictus; cur ex eo Christus ascenderit in cœlos, 51. 2. Tria continua miracula in eo post hunc ascensum, 52. 1. Ejus distantia à Jerusalem, *ibid.*
Moriendi recte modus quis, 153. 2
Morosi prævenicndo curandi, 310. 2
Mors cur vocetur dolorosa, 81. 1. Mors Christianorum velut somnus est, 155. 2. Mortem quomodo Christus devicerit, 80. 2. 81. 1. Mors et infernus ante Christum idem quid erat, 80. 1. Mortem sibi quemque inferre posse censebant Stoici, 266. 1
Morus arbor sapiens cur sit, 46. 1
Mosis elegantia et pulchritudo naturalis et supernaturalis, 146. 1. Fuit habitus ab ethnicis magus, *ibid.*
Moveamur (quomodo) in Deo, 278. 1
Mulieris descriptio, 237. 1. Mulieres quantopere pietati vel obesse vel prodesse possint, *ibid.* Earum fuga suadetur, 24. 2
Mundus est liber Dei et carmen, 272. 2. Est velut magnum animal, 273. 2. Ejus regeneratio fiet in die judicii, 100. 1. 2. Eum esse animal animatum censebant Stoici, 266. 2. Mundus viros sanctos putat insanire, 350. 2
Municipes qui dicerentur, 320. 2
Munera spernenda confessario et prædicatori, 310. 2
Murmuris viduarum Græcarum quæ esset origo, 133. 1
Mustum facile inebriat et cerebrum ferit, 76. 1
Mysia unde dicta, an duplex, 256. 1. Mysi quam fuerint viles, *ibid.*

N.

Nati sunt omnes ex uno, cur, 273. 2
Navigantium pericula, 359. 1
Navim accingere quid sit, 357. 1. Navis Pauli cur pessum ierit, non homines, *ibid.* 2
Nautarum Christianorum patroni qui sint, 364. 2
Nazareatus votum fecit S. Paulus, 287. 1. Quid ipsum includeret, *ibid.* 317. 1. Frat id commune Judæorum votum, 287. 1. Quando et quomodo terminabatur, 317. 1
Nazareus mortuo pollutus votum denuo incipiebat, 287. 2
Nazarei hæretici quinam essent, 335. 2
Nazarenus quid proprie sit, et unde sit dictus Christus, 96. 1. 105. 1. Nazareni olim dicebantur Christiani, 335. 2
Neapolis urbs erat in confinibus Thraciæ ac Macedoniæ, 257. 2
Nebridii Romani patricii elogium, 192. 2
Necessitas duplex est, una actum antecedens, altera consequens, 79. 1. Necessitas præscientiæ est antecedens tempore, sed consequens causalitate, *ibid.*
Nepotiani Clerici elogium, 30. 2
Nerio verbum Sabinum quid significet, 4. 2
Nero quo anno et quomodo ad imperium pervenerit, 4. 1. 2. Ejus persecutio prima in Christianos quando excitata, 6. 2. Romæ occidit varios Senatores, *ibid.* Cur in Apostolos sit grassatus, *ibid.* Ejus mors, 7. 2. 371. 1. Ejus descriptio, 343. 2
Nestorianismus confutatur, 38. 2. 39. 1
Nicanor diaconus fuit vir sanctus, 137. 1. Quando sit occisus, 156. 1
Nicolaus (S.) absens apparuit nautis se invocantibus, 225. 2
Nicolaus diaconus an auctor et causa hæresis Nicolaitarum, 137. 1. Cur Martyrologio non sit adscriptus, *ibid.* Fuit proselytus, *ibid.*
Nicolao (S.) Tolentinati morienti apparuit Christus, 154. 1
Nili exundatio Ægyptum fecundat, sed illa à Deo provenit, 245. 2
Nobilitas generis sæpe dat nobilitatem animi, 264. 2
Noceo olim accusandi casum regebat, 285. 2
Nocturni unde orti in officio Ecclesiastico, 259. 2
Nomen Dei capitur pro Deo nominato, 251. 1. 106. 1. Nomen soli Petro ex Apostolis cur Dominus mutarit, 212. 2. Nomen Jesu quam reverendum et amabile, 106. 2. Pellit dæmones, 293. 1. Nomen Christi diversimode Paulus per orbem portavit, 180. 2. Nomen Spiritus sancti proferre nequit simoniacus, 166. 1. Nomen Dei Hebræis erat ineffabile, 270. 1. Nomina generosorum non quadrant ignavis, 208. 2
Nona hora quando inciperet Hebræis, 193. 1
Nonna mater S. Gregorii Nazianzeni quam esset in templo modesta, 93. 1
Norimbergenses cur præceptum confessionis à Carolo V. publico decreto sanciri vellent, 295. 2
Novatianus Antipapa perditor fuit animarum, 252. 2
Novatus rejiciens Confirmationis Sacramentum fuit à dæmone correptus, 165. 1
Nubes quæ et qualis susceperit Christum in cœlos ascendentem, 49. 2
Nudipedes incesserunt veteres, 219. 1
Nudiusquartus vox unde dicatur, 199. 1
Numen omne negabant Epicurei, 265. 2
Numeros rotundos usurpat Scriptura, 233. 2. 143. 2
Nuptiæ Ægypti proverbialiter de nuptiis infaustis dicitur, 320. 1

O.

Obediendum Deo potius quam hominibus, 126. 2
Obedientiæ quanta sit vis, *ibid.*
Occasio commoda rei agendæ captanda est, 46. 2
Octavia uxor Neronis quando ab eo necari jussa, 6. 2
Octavius unde dictus Augustus, 346. 1. Præsagia imperii ejus, *ibid.* Cur vocari noluerit Dominus, *ibid.*
Oculorum vis in dicendo quanta sit, 326. 1. Oculi unde dicti, *ibid.* Iis quanta insit vis animorum, 232. 1
Oleo (ex) et balsamo fit chrisma, 164. 2. Oleum ante sepulcra Martyrum in lychnis ardens multis salutare fuit, 293. 1
Oliva et oleum quarum rerum sit symbolum, 51. 2
Oliveti (in) monte quæ miracula contigerint ascendente Christo, 52. 1. *Vide* Mons.
Omnia ad Deum referuntur, 273. 1
Onesimus (S.) post Timotheum factus Episcopus Ephesinus, 5. 2
Operatio an Deo sit ratio existendi in rebus, 274. 2
Oppius (C.) Centurio an crediderit Christo morienti in cruce, 203. 1
Optimi epithetum quibus tribueretur, 38. 1. 333. 1
Opus sumus Dei, 278. 2. Opus unum bonum viam sternit ad illud, 93. 2. Opus manuum etiam viris spiritualibus et Apostolis commendatur, 23. 1. Opera virtutum heroica nobis patranda sunt, 49. 1. Opera omnia cum Deo incipienda et finienda sunt, 93. 2. Operum meritum consistit in magnitudine charitatis, 197. 2
Oracula Gentiles vocabant sortes, 59. 2
Orarunt (in excelsis locis) Sancti, 193. 2
Orantium res Deus dirigit et secundat, 93. 2. 94. 1. Iis assistunt et apparent angeli, 189. 2
Orationis tempora servanda, 193. 1. Oratio Ecclesiæ Judaicæ pro S. Petro vincto, 217. 1. Orationis effectus, 87. 2. Repræsentatur per altare thymiamatis, *ibid.* Primarium munus viri Apostolici est, 136. 1. Ea in templo melior est quam alibi, 92. 2. Adorationem faciendam media nocte surgebant primi Christiani, 259. 2. Absque ea anima non proficit, 193. 1. Oratio pro hostibus est efficacissima, 155. 1. Orationis horas quas haberent Judæi, 93. 2. Ea

præmittenda electioni pastoris, 59. 1. Oratio capitur pro oratorio, 258. 1. Orationes sunt velut holocaustum, 193.2
Ordinatio fit manuum impositione, 245. 2. Ei præmittitur jejunium. *Vide* Jejunium. In ordinatione primorum Diaconorum non potuit adhiberi liber Evangeliorum, 164. 2
Ordo Equitum S. Jacobi in Hispania quando cœperit, 213. 1
Orientem (ad) conversi cur Christiani orent, 52. 1
Orientales longas gerunt vestes, 219. 1
Origenis error circa Exorcistas damnatur, 293. 1
Osculum sanctum primorum Christianorum, 302. 1
Ostendere in Scriptura idem sæpe est quod reipsa præstare, 181. 1
Ostia clausa carceris an Petrus penetrarit, 221. 1. Ostium fidei aperire quid sit, 246. 2
Otii quantum sit malum, 263. 1

P.

Pachomius est conversus visa charitate Christianorum, 110. 1
Pachyn in Sicilia quid S. Paulus egerit, 365. 2
Pallas è servo quo potentiæ evectus, 332. 2
Pallium erat insigne Christianorum, 220. 2. Pallium cur gestent Archiepiscopi, 308. 1
Pammachii (S.) Christi causa paupertas, 112. 2
Panem cur dividerent Apostoli circa et per domos, 89. 2. Panis Hebræis omnis est cibus, 87. 2
Pantaleon (S.) Martyr vidit Christum ad martyrium se animantem, 154. 4
Paradisus erat in Oriente, 52. 1
Παρακαλεω quam varia significet, 206. 2
Parentum ultima verba sunt efficacia hærentque in memoria filiorum, 305. 2
Paries dealbatus parœmia quid significet, 327. 2
Parmenas diaconus fuit vir sanctus, 137. 1
Parochus quis proprie, 72. 1
Parœciæ unde ortæ et distinctæ, 89. 2
Pars vox quadrifariam accipitur, 257. 2. Partem pretii agri venditi Ananiæ an acceptarit S. Petrus, 120. 2
Parva elegit Deus, ut faciat magna, 61. 1
Parvuli in originali mortui, nec damnandi, nec beandi, 201. 2
Pascha Christianum et Judaicum differunt quoad diem ejus celebrandi, 63. 2. In Paschate cur oretur stando, 313. 1
Paschalis Vivas Hispanus absens visus est cum hoste confligere, 223. 2
Paschasii (P.) Boetii Soc. Jesu simplicitas, 91. 1
Passio emeretur cœlum, 244. 2. 245. 1. Per eam honoratur Deus magis quam per actionem, 340. 2. Passio Christi quomodo Deo placuisse dicatur, 78. 2. Eam Deus decrevit, non actionem necis ejus, 108. 1
Pastoris boni officium, 131. 1. Ejus est obire domos suorum subditorum, 306. 1. A pastore requiritur quod ejus culpa periit, 307. 2. Is quo magis se curat, eo melius se habebit grex, 308. 1. Pastoris veri idea, *ibid.*
Pater et Filius cur in eadem Ecclesia beneficium habere vetentur, 58. 2
Pati magis est Apostolici viri quam agere, 181. 1. Pati pro Christo quam honorificum sit, 130. 1. 2
Patientiæ tres sunt gradus, 18. 2. Tessera est viri Apostolici, *ibid.*
Patria Sanctorum est cœlum, 143. 1
Patriarchæ omnes sepultine in Hebron an in Sichem, 144. 1. 145. 1
Patriarchalium sedium origo et ordo, 206. 1. Patrium Deum quem vocet Paulus, 336. 2
Patronatus jus habentes, etiam laici, licite dignum Episcopo ad beneficium præsentant, 136. 1
Patronus orantium pro hostibus est S. Stephanus, 155. 2. Patroni nautarum Christianorum qui, 364. 2
Patrum animas è limbo eductas Christus in cœlum secum evexit, 48. 1
Pauci æque docendi ac multi, 260. 2
Paulæ (S.) in Bethlehem paupertas, 22. 2. 112. 1
Paulinus (S.) se vendidit ut filium viduæ redimeret, 20. 2. Eo exspirante tremuit cubiculum, 109. 1. Ejus paupertas, 112. 1
Paulus (S.) Apostolus quando in tertium cœlum sit raptus, 3. 1. Varia ejus gesta, *ibid.* 2. 4. 1. 2. Ejus elogium, 12. 1. 13. 1. Variæ ejus virtutes, 13. 1. Est ab æterno ad apostolatum prædestinatus, *ibid.* Ejus vocatio duplex, *ibid.* 2. Vocationi Dei plene obedivit, *ibid.* Hanc gratiam ubique deprædicat, *ibid.* Peccasset nisi prædicasset, 14. 1. Ejus missio legitima : confert doctrinam cum Petro, *ibid.* Ab Ecclesia fuit auctoratus, *ibid.* Ejus fides, *ibid.* 2. Ejus miracula, 15. 1. Spes ejus in Deum et confidentia, *ibid.* Quæ adierit pericula, *ibid.* 2. Ejus amor Dei et Christi, 16. 1. Deum ubique et semper præ oculis habuit, *ibid.* 2. Ubique admiratur mysterium vocationis Gentium, 17. 1. Plenam habuit voluntatis resignationem cum divina, *ibid.* Fuit angelus terrestris, *ibid.* 2. Semper mentem Deo conjunctam habebat, etiam noctu, *ibid.* Patientia fuit admirabili, 18. 1. Peccata sua assidue deflevit, et confessus est publice, 19. 1. Ejus pœnitentia et mortificationes, *ibid.* 2. Quam fuerit humilis, *ibid.* Omnium, etiam vilissimorum, curam gessit, *ibid.* Defectus suos et tentationes passim deprædicat, 20. 2. Ejus animi tranquillitas in adversis, 21. 1. Neminem timet, *ibid.* 2. Ejus paupertas evangelica, 22. 2. 312. 1. Ejus sobrietas, 23. 2. Vino et carne abstinebat, *ibid.* 317. 1. Ejus vigiliæ, 24. 1. Ejus castitas, fuit et castitatis hostia, *ibid.* Ejus modestia et gravitas; *ibid.* 2. Ejus statura et figura, ejus affabilitas, 25. 1. Ejus mores cœlestes, *ibid.* 2. Semper ad majora studebat proficere, *ibid.* Assidue lectioni S. Scripturæ incubuit, 26. 1. Alios quoscumque faciebat igneos!, *ibid.* 2. Ejus prædicatio qualis fuerit, *ibid.* Rudes studiose catechizabat, 27. 1. Prædicationis varios habuit socios, *ibid.* Prima ubique fidei fundamenta ponebat, *ibid.* 2. Exemplo suo plures convertit, 28. 1. Ubique et semper docebat, *ibid.* Ejus prudentia, *ibid.* Ejus charitas ardentissima, *ibid.* 2. Heroica ejus gesta, 29. 2. 30. 1. Ejus compassio erga infirmos, 30. 1. 309. 1. Labantes sollicite sustentabat, 30. 2. Etiam de corporea proximi necessitate sollicitus erat, *ibid.* Pseudoapostolos sibi invidentes quomodo sustinuerit et fregerit, 31. 1. Martyrium semper ambiebat, *ibid.* 2. Id tandem sub Nerone consecutus, et quare, *ibid.* Ejus caput recisum saliens tres fontes elicuit, et lac ex eo, non sanguis, fluxit, *ibid.* Ejus gloria Romæ, 32. 1. Ejus zelus pro lege, 138. 2. Lapidavit Stephanum per alios, 153. 1. Quomodo tunc adolescens fuisse dicatur, *ibid.* Ejus morientis animam Stephanus excepit, 155. 1. Ejus feritas in Christianos, 161. 2. 173. 1. 2. 179. 1. Fuit Benoni et Benjamin ob quatuor analogias, 173. 1. Cur à Deo conversus sit, *ibid.* Ejus conversionis modus enarratur, *ibid.* 2. Eques an pedes iverit Damascum, 174. 2. Vidit Christum in aere vicino, 176. 1. In conversione fuit contritus, itaque justificatus, tamen libere conversus, *ibid.* 2. Ejus gratia diversimode fuit efficacissima, *ibid.* 177. 1. Quando et quomodo edoctus sit à Deo mysteria fidei, 178. 2. Quomodo viderit Ananiam ad se venientem, 179. 1. Fuit vas electionis, quomodo, *ibid.* 2. Est major cœlo, 180. 1. Christi nomen quotupliciter portarit, *ibid.* 2. Quomodo ei Deus ostenderit quæ pro eo passurus esset, 181. 1. Plura passus est quam egerit, *ibid.* 1. 2. Peculiariter in eo multa facta sunt quoad ritus christianismi, quæ in aliis facta non sunt, *ibid.* 2. Ejus cæcitatem discussit Ananias in nomine Jesu, 182. 1. In baptismo repletus est Spiritu sancto, *ibid.* 2. Quo anno Christi sit conversus, *ibid.* Quo anno ætatis, 183. 2. Quamdiu vixerit, *ibid.* Incipit prædicare Jesum, *ibid.* Damasci ei tenduntur insidiæ, et quando, 184. 1. Cur esset Christianis Hierosolymitis suspectus, *ibid.* 2. Judæi tendunt ei insidias, cur, 185. 1. Cur inde se subduxerit, *ibid.* 2. Segregatur à Deo ad prædicationem Gentium, 229. 1. Quando ordinatus sit Episcopus, *ibid.* 2. A quo et quo anno, 230. 1. Unde dictus sit Paulus, 231. 2. 232. 1. Theclam Iconii quomodo converterit, 238. 1. 239. 2. item Tryphænam et Tryphosam, 240. 1. Cur habitus à Lycaonis pro Mercurio, 241. 1. 242. 1.

Ejus eloquentia, 242. 1. Lapidatur in Lystris, 244. 1. A Deo post lapidationem sanatur, *ibid.* Ejus fervor post verbera accepta, *ibid.* 2. Cur Timotheum circumciderit, 255. 1. Cur vetitus à Deo in Asia prædicare, *ibid.* 2. Ejus visio de viro Macedone, 256. 1. Ejus pia somnia, *ibid.* 2. Ejus comites peregrinationis, *ibid.* Cur à dæmone laudari noluerit, 258. 2. Flagellatur, 259. 1. Fuit statua virtutis, *ibid.* 2. Brevis fuit somni et noctu oravit, *ibid.* Ejus magnanimitas, 30. 1. 260. 2. 264. 2. 284. 1. 298. 1. 315. 1. 320. 2. 328. 1. 340. 2. 351. 2. Semper primo ad Judæos prædicabat, 262. 1. Cur dictus in Areopagum, 268. 1. Operabatur manibus ut victum compararet, ne quem gravaret, 23. 1. 284. 1. 310. 1. Efficacia vocis ejus, 285. 1. Ejus contentio cum Judæis Corinthi, 286. 1. Ejus gesta ibi varia, 287. 1. Votum ejus fuit Nazareatus, *ibid.* Quater Jerusalem adiit Christianus, 288. 1. Soli similis est, *ibid.* 2. Quamdiu Ephesi hæserit, 292. 1. 209. 1. Fundavit Ecclesiam Ephesinam, 292. 1. Ejus semicinctia morbos pellebant, *ibid.* Cur Romam cogitaret, 297. 1. Ejus pugna cum bestiis Ephesi quæ fuerit, 300. 1. 2. Vere bestiis objectus fuit, *ibid.* 2. 301. 1. Pedes proficiscebatur, 303. 2. Fulguris instar Asiam et Europam pervadit, *ibid.* Cum lacrymis quomodo servierit Domino, 304. 1. Ejus ultima verba et testamentum ad Ephesios, *ibid.* Ejus zelus, 18. 1. 306. 1. 2. 320. 2. 351. 1. Cur impelleretur ire Hierosolymam, 306. 2. Ad mortem quomodo anhelaret, 307. 1. Pentecosten ultimam quando Hierosolymæ egerit, 315. 2. An Nazareatus votum secundo susceperit, 317. 1. Omnibus se locis ac personis accommodat, 317. 2. Quomodo in templo purificatus sit, *ibid.* Quot dies ei impenderit, et quo die captus, 318. 2. 319. 1. Latronibus assimilatur à Judæis, 319. 2. 320. 1. Ejus charitas erga eos, 31. 1. 320. 2. 323. 1. 2. 368. 2. Cur servarit litteras olim sibi à pontifice traditas, 322. 1. Ejus raptus in tertium cœlum quando contigerit, 323. 1. Cur à Judæis conspergatur pulvere, 324. 1. Cur flagellatus exceperit contra flagellantes, *ibid.* 2. Ejus conscientia bona fuit dum persequeretur Christianos, 326. 2. Cur jussus à pontifice cædi, 327. 1. Cur eum Paulus à Deo optet percuti, *ibid.* 2. Quomodo non agnoverit pontificem Ananiam, 328. 2. Erat Pharisæus, 329. 1. Cur serat discordiam inter Pharisæos et Sadducæos, *ibid.* Honor ei vincto exhibitus à Romanis, 332. 2. Ejus modestia, 336. 1. Ejus libertas coram iniquo præside, 339. 2. An quadriennio in carcere egerit, 340. 2. Ejus judex proprius an esset Cæsar, an S. Petrus, 343. 1. Cur Cæsarem appellaret, *ibid.* 2. A principibus viris auditur, 346. 2. Cur ad Agrippam regem sermonem converteret, relicto festo, 348. 1. Potuit Christum concionantem audivisse, *ibid.* Quomodo sententiam se detulisse dicat cum occiderentur fideles, 349. 1. Fuit insanus amore Dei, 350. 1. In quo Christo similis fuerit, *ibid.* 351. 1. Peroravit coram Agrippa vinctus, 351. 1. In Italiam quando navigare cœperit, 353. 2. Quando Romam appulerit et tempestates passus sit, 354. 1. Quas in navigatione virtutes ostenderit, 357. 1. Quatuor ejus naufragia, 358. 2. Quæ bona Melitensibus contulerit, 361. 1. Vipera eum non læsit, 363. 1. Ejus gesta et appulsus in Siciliam, 365. 1. 2. Fuit Romæ in libera custodia, 368. 2. Ejus ardor in concionando, 369. 1. Plures è Neronis familia convertit, *ibid.* 2. A Pontificibus Rom. absolutus est, 370. 1. Romæ non fuit Episcopus, *ibid.* A Nerone primis vinculis liberatus fuit, 370. 1. Hispaniam adiit, *ibid.* 2. Ejus gesta ibi, *ibid.* Fuit vir cœlestis, *ibid.* 371. 1. Quid egerit post prima vincula, 371. 1. Ejus martyrium, *ibid.*

Pauper voluntarius est Dominus et rex universi, 89. 1

Paupertas quam sit dives, 95. 1. Votum arcte observandum, 122. 2. In quo id situm, 123. 1. Ejus beatitudo et perfectio, 111. 1. Cur eam primi fideles sint amplexi, *ibid.* Ejus commoda et bona, *ibid.* Ejus merces, *ibid.* Ei quomodo Deus provideat, *ibid.* Pauperes Christi, 112. 1. Ejus propago et amor sub Constantino Magno, *ibid.* Ejus votum an Christus emiserit, 116. 1. Eam an voverint Apostoli, 118. 1. De paupertate gnomæ, 114. 1

Pacem apprecantur Hebræi dum salutant, 316. 2. Pacis templum quando Romæ dedicatum, et ejus ornamenta, 8. 2

Peccantes mortaliter olim à dæmone corripiebantur, 293. 1. Quomodo in Spiritum sanctum peccarit Ananias, 122. 1

Peccatores semper agnoscant Dei bonitatem, post acceptam peccati remissionem, 101. 2. Peccatorum pœnitentium schema est Paulus conversus, 174. 2

Peccatum est fel amarissimum, 168. 1. Peccatorum remissio primarium Messiæ opus, 101. 1. Ipsa quantum sit opus, *ibid.*

Pecuniæ Simonis Magi S. Petrus maledicit, et quomodo, 167. 1

Pelagii errores, 111. 1. 250. 2. 312. 1

Pelopidæ paupertas, 113. 2

Penetratio est dos propria corporis gloriosi, 114. 1

Pentecoste Judaica dupliciter accipitur, 63. 1. Ipsa unica tantum die celebratur, *ibid.* Cur ea fuerit Judæis indicta, *ibid.* Hæc fuit typus Pentecostes Christianæ, *ibid.* Prima Pentecoste Christianorum incidit in Dominicam, *ibid.* 2. Differt à Judaica, *ibid.* Est festum Spiritus sancti et jubilæum, 64. 1

Perambulare in Scriptura denotat jus et auctoritatem regendi, 185. 2

Peregrini ad hospitium invitandi, etiam trahendi sunt, 258. 2

Perfectio in linguæ moderatione consistit, 67. 2. Perfectio hujus vitæ et futuræ in quo sita sit, 111. 1

Persecutio prima generalis Ecclesiæ quando excitata, 157. 1. Persecutio et crux est apostolatus insigne, 103. 2. Ejus utilitas, 108. 2. Ea crescente Apostoli cogitare cœperunt de Evangelio Gentibus annuntiando, 131. 1. In illa Sancti sentiunt consolationes divinas, 18. 2

Persecutores fabricant coronas fidelibus, 108. 2

Perseverantia pendet à libero arbitrio, 206. 2. Perseverantiæ donum duplex est, *ibid.* Hoc à Deo precibus petendum, *ibid.* Quantum donum ipsa sit ex parte Dei, et quanta virtus ex parte hominis, *ibid.*

Persona una SS. Trinitatis aliam includit, 64. 1. 85. 2. Personarum acceptor quomodo non sit Deus, 199. 2

Pedibus solent hostes victi subjici, 84. 1. Ad pedes Apostolorum cur primi fideles bona ponerent, 114. 2. Pedes osculandi Episcopis et viris sanctis mos unde profluxerit, *ibid.*

Petra super quam S. Stephanus lapidatus fuit, religiose Hierosolymis fuit à Christianis asservata, 152. 2

Petri (S.) gesta per annos digesta, 2. 1. 3. 1. et seq. Assidue dellevit peccatum negationis suæ, 19. 1. Est caput Apostolorum, 53. 1. Ejus cura de Apostolorum cœtu supplendo, 54. 1. Unde dicatur exsurgere, cum in Judæ locum alium voluit nominari, *ibid.* 2. Statuit duos eligendos in Apostolum, 58. 1. Solus pro omnibus Apostolis loquitur in Pentecoste ad Judæos, 77. 2. Ejus generositas accepto Spiritu sancto, *ibid.* Quare claudum in se jussit respicere, 93. 1. Primum ejus miraculum quando patratum, 96. 1. Ei Christus apparuit extra Romam, 100. 1. Incarceratur, 103. 2. Ejus affinitas et consanguinitas carnalis quæ, 115. 2. An acceperit partem pretii agri venditi Ananiæ, 120. 2. Ananiam non occidit, 122. 1. 2. Ejus umbra sanat ægros, 124. 2. Cur lapsus sit in Christo negando, 147. 1. Quare ab Apostolis Samariam mittatur, 163. 2. 164. 1. Quomodo Simoni Mago perditionem sit interminatus, 166. 1. Quo anno ponat Cathedram Antiochiæ, 186. 1. 203. 2. 204. 1. Quamdiu ibi sederit, 186. 1. Lyddæ Æneam sanat, 186. 1. Tabitham ad vitam revocat, 187. 2. 188. 1. Ejus modestia, 54. 2. 188. 2. Cur mittatur ad Cornelium Centurionem, 192. 1. 193. 2. Ejus sobrietas, 111. 2. Quasi leo sic comedit Gentes, 195. 1. Quamdiu servarit legem Mosis, *ibid.* Cur ter viderit vas lineum animalium immundorum, 196. 1. Ejus hospitalitas, *ibid.* 2. An à Cornelio adoratus, 198. 1. Ejus humilitas, *ibid.* Satis diu in Judæa et in vicinia mansit, et quare, 215. 2. Ejus elogia, 216. 2. Quare ab Herode comprehensus, 215. 2. 216. 2. Cur tam arcte ab eo custoditus, 216. 2. Ejus gaudium in fœtore carceris, 217. 1. Cur pro eo Ecclesia continuo oraret, *ibid.* Ejus securitas de

Dei providentia, *ibid.* 2. 218. 2. Liberatur ab angelo, et à quo, 218. 1. Quomodo carcere sit egressus an ostiis apertis, an ea penetrarit, 221. 1. 224. 2. Jerusalem quando discedens Romam profectus sit, idque Dei jussu, 224. 1. 230. 1. Ubi Romæ sit hospitatus, 224. 1. Quæ bona, et quam felicitatem Urbi invexerit, *ibid.* Quæ eo absente eam mala occuparint, *ibid.* Definitoriam sententiam in Concilio Hierosolymitano pronuntiat, 249. 2. Sicios Christi fidem primus docuit per se et suos discipulos, 365. 1. Romæ fuit Episcopus, 370. 1. Petrus et Paulus Romam redeunt; Simonem Magum prosternentes à Nerone carceri mancipantur, 7. 2. Eorum martyrium, *ibid.* 1

Pharao quibus dolis Hebræos oppresserit, 145. 2

Pharisæi quam nobiles apud Judæos essent, 249. 1. Vix equis utebantur, et cur, 174. 2. Eorum erant septem sectæ, 348. 2. Erant legis peritissimi et observantissimi, 127. 1. Ili Apostolos magnalia Dei loquentes ex malitia deridebant, 76. 1

Philippi urbis Macedoniæ à quo restaurata, 257. 2. An ad Thraciam pertineat, *ibid.*

Philippus Apostolus quo anno cruci sit affixus, 4. 2

Philippus diaconus non fuit Apostolus, 136. 2. 137. 1. Ejus elogium, 137. 1. Est missus ab Apostolis Samariam, 162. 1. Docuit Eunuchum Æthiopem, 170. 2. Raptus est ab angelo ob tres causas, 171. 1. Habitavit Cæsarææ in Palestina, *ibid.* 2

Philosophi quidam impostores post Christi tempora orbem docendo obierunt, 8. 1. Plerique philosophi nudipedes incessere, 219. 1. Multi fuere athei, 266. 2

Philotheus est nomen libri Theodoreti, in quo agit de historia Anachoretarum, 37. 2

Phocionis Atheniensis paupertas, 113. 1

Phœnice quæ regio; fuerunt Phœnices celebres navigatione, 205. 2

Phœnix urbs Cretæ est, 354. 2

Phœnix avis symbolum est resurrectionis Christi et mortis ejus, 40. 1

Pietas omnia à Deo impetrat, 94. 1

Pilatus exauctoratus necem sibi conscivit, 2. 1

Pingendi ars ab umbra initium sumpsit, 124. 2

Placidus (S.) absentem S. Benedictum vidit sibi adstantem, 225. 2

Planctus quis super Stephanum factus, 159. 1

Plato vult uxores esse communes, in quo errat, 88. 1. 2. Quid de Deo sentiat, 274. 2. Censebat heroes esse deos inferiores, 198. 1. Quid de anima sentiat, 109. 2

Plebeii aptiores ad Dei dona recipienda quam divites, 124. 1

Plinii historici mendacium de Mose, 146. 1

Pœnam peccati non semper remittit Deus, etsi culpam remittat, 168. 1. Pœna sensus respondet peccato actuali, 201. 2

Pœnitentia à Prophetis et Apostolis prædicata quomodo differat, 350. 1. Pœnitentia publica quando et quare introducta sit, 295. 1. Pœnitentia est reconciliatio Dei, 306. 2. Pœnitentiæ baptismus est baptismus Joannis Baptistæ, 233. 2. 234. 1

Poetæ erant Gentilium sapientes et prophetæ : quomodo dixerint Deum esse in rebus omnibus, 278. 1. 2

Πολιτευεσθε quid significet, 327. 1

Politici quam noxii in republica, 96. 2

Polycarpus (S.) quam gloriaretur nomine Christiano, 210. 1

Πονηρος diversas habet significationes, 263. 1. 2

Pontificatu (in) ineundo vel deponendo sacer annus erat in usu, 104. 1. 2

Pontifices Judaici varii tempore Apostolorum nominantur, 104. 2

Pontifex Rom. quare Concilium convocare soleat, 54. 2. Is è Cardinalibus assumitur, 135. 2. Ei quantopere obediendum, 328. 2. Pontifices duo cur in re gravissima lapsi, 146. 2. 147. 1

Poppæam Neronis concubinam quando Paulus Christo sit lucratus, 369. 2

Populus an jus habeat eligendi ordinandos, 245. 2. An diaconos primos elegerit, 136. 1

Porta templi speciosa quæ diceretur, 94. 2. Erat non atrii, sed extima, *ibid.* 95. 1. Porta S. Stephani quæ sit Hierosolymæ, 152. 1. Portæ Caspiæ quæ dicantur, 221. 1

Porticus Salomonis quæ sit et dicatur, 97. 2. Ea erat in atrio Gentium, 124. 1

Portus boni commoda, 353. 2

Possessio dicitur quasi pedum sessio aut positio, 89. 2. Possessiones vendebant primi Christiani, *ibid.*

Potestas judiciaria humanitati Christi debetur, 201. 1. Habuit eam in actu primo à primo conceptionis suæ instanti, *ibid.* 2. Potestas ejiciendi dæmones Ecclesiæ cur data, 125. 1

Præcepta (quæ) legis Christus sua lege abolevit, 250. 1. Quot ea essent, *ibid.* Præcepta Superiorum servanda sunt, 253. 2. Præceptum de docendis Gentibus quando datum Apostolis, 39. 1

Prædestinatio et gratia efficax quomodo differant, 79. 2

Prædicantes hæreticorum vere spermologi sunt, 267. 1

Prædicatio publica Gentilibus cœpit à Cornelio, 203. 1

Prædicator sit zelosus et fervidus, 207. 2. Eadem alacritate doceat paucos ac multos, rusticos ac nobiles, barbaros ac civiles, 197. 1. et seq. *Vide* Concionator.

Prælati orationi identidem insistant, 136. 1. Iis commendatur mediocritas, 54. 2. Subditis se faciles præbeant, 205. 2. Sint inter se concordes, 92. 1. Devorent et occidant omnia subditorum vitia, 195. 2. Ipsis est humilitas cum primis necessaria, 304. 2

Prænomina soli cives Romani, non liberti, habebant, 325. 1

Præordinatio efficax ad gloriam an facta sit ex mera Dei voluntate, ante prævisa merita, 256. 1. 2

Præparatio major ad majora Spiritus sancti dona recipienda, quæ sit, 70. 1

Præscientia et decretum Dei de Christo objiciendo morti, 78. 2. Præscientiæ et liberi arbitrii quæ sit concordia, 79. 1. Præscientiæ Dei necessitas actum liberum sequitur et præsupponit, *ibid.* Quid de ea censeat Calvinus, *ibid.* 2. 80. 1

Præsentiæ Dei effectus est operationum causa, 274. 2

Præsides in provincias abeuntes cur secum procuratores et advocatos Italos ducerent, 334. 2. Eorum titulus erat optimus, 38. 1

Prandium dictum quasi παρενδειον, 78. 1

Presbyter etiam Episcopum aliquando significat, 245. 2. Presbyteri adsunt Episcopis in consiliis, ut consiliarii, 249. 1

Primipili quæ esset apud Romanos in castris dignitas, 191. 2

Primus Melitæ quis diceretur, et quæ hæc esset dignitas 363. 2,

Principes subsint Pontificibus, 343. 1. A suis amari satagant, non timeri, 346. 2. Sint erga omnes affabiles, 332. 1. Eorum regimini officiunt mathematici et astrologi, 296. 2. item adulatores, 225. 1. Principes viros sibi demereri debent viri Apostolici, 28. 2

Principes Sacerdotum apud Judæos qui dicerentur, 104. 1. 2

Principio (à) intrinseco vitaliter actus vitalis procedit, 278. 2

Privilegia civium Romanorum quæ essent, 260. 1. 324. 2. Privilegia septem Melitensibus à S. Paulo collata, 361. 1

Prochorus Diaconus scripsit gesta S. Joannis Apostoli, 137. 1

Proconsul quis esset Romæ magistratus, 230. 2

Prodigia, virtutes et signa, an reipsa inter se differant, 78. 1. Prodigia Hierosolymæ cladem portendentia, 7. 1. Prodigia ascensionis Christi quæ fuerint, 48. 2

Proles Dei quomodo simus, 278. 2

Prophetæ sunt velut prædicatores, 253. 1. Eorum officium est exhortari et consolari, 115. 1. Gestarunt sandalia, 220. 1. Semper suos auditores terrent, 13. 2. Eos per ignem auctoravit Spiritus sanctus, 68. 2. Prophetas habuit Ecclesia à sui initio, 210. 1

Prophetia erat una è donis Spiritus sancti, et primitivæ Ecclesiæ frequens, *ibid.* 228. 1. Ipsa est virginitatis præmium, 313. 1

Proprietarii monachi olim infames erant, et sacra sepultura privabantur, 122. 2. 123. 1
Prora cur in navibus constringi soleat, 356. 2
Προσκαρτερειν quid et quam multa significet, 53. 2
Proselyti olim tempore legis Mosaicæ qui dicerentur, 75. 2. Ili cum Judæis in sabbatis convenichant ad legem audiendam in synagoga, 233. 1
Proseuche capitur pro templo et synagoga, 258. 1
Providentia Dei quid proprie sit, 45. 2. Eam Stoici appellarunt fatum, *ibid.* Componit rerum occasiones, *ibid.* In Dei providentia vivimus, 276. 2. Quam ea nos protegat et regat, 109. 1
Providos (in actionibus) nos esse oportet, 222. 1
Provincias (per) quando sint Apostoli dispersi. *Vide* Apostoli.
Proximo (cum) quomodo loqui Religiosi debeant, 262. 1
Prudentia potior dos in Prælato quam sanctitas, 58. 2. Quantam prudentiam in omnibus rebus habuerit Paulus, 28. 1
ψευδεας mentiri ac fraudari significat, 121. 2
ψηφος variam significationem habet, 349. 1
ψυχη vox unde derivetur, 115. 1
Publius quis princeps Melitensium, 363. 2. Ejus opulentia, 364. 1. Factus deinde Melitensium, an et Atheniensium Episcopus est, *ibid.*
Pudentis domus commune hospitium erat advenarum Christianorum, ad eam divertit S. Petrus : nunc est Ecclesia, 224. 2. 272. 1
Puerorum institutio commendatur, 27. 1. Pueros non baptizavit Joannes Baptista, sed adultos, 291. 2
Pugna S. Pauli cum bestiis Ephesi quæ fuerit, 300. 1. 2
Pulchritudo faciei sæpe index est pulchritudinis et elegantiæ mentis, 146. 1
Pulverem excutiebant Apostoli apud eos qui Evangelium recipere nollent, 237. 2. Pulverem cur Judæi in Paulum jactent, 324. 1
Punica lingua et Hebræa sunt affines, 205. 2
Punitiones Dei per mortem repentinam quid denotent, 122. 2
Purgatorio (è) Christus resurgens plurimos vel omnes liberavit, 80. 2
Purificationes Judæi interdum devotionis ergo suscipiebant, 318. 2. Purificatio in templo Hierosolymitano quæ esset, 317. 2. 318. 1
Purpuræ inventio prima : cur purpura regum dicatur pannus luctuosus, 332. 2
Purpuraria unde dicatur Lydia, 258. 1
Pythagoras docuit metempsychosin, 83. 2. Salem cur potissimum in mensa apponi juberet, 41. 2
Pytho dictus est spiritus futura prædicens, 258. 2. Inde dictus Apollo Pythius, *ibid.*

Q.

Quadragenarii numeri mysteria, 40. 2
Quadraginta (cur) diebus à resurrectione Christus suis apparuerit, *ibid.* 1

R.

Raphael angelus non informabat corpus assumptum ; sed ei tantum assistebat, 42. 2
Redemptionis primaria septem mysteria totidem horis recoluntur, 93. 2
Redimi se nolentes sacerdotes ab hæreticis capti, quam generose faciant, 340. 2
Refrigerium cur dicatur beatitudo, 99. 2
Reges Ægypti cur crearentur Pontifices, 286. 1
Reginæ Æthiopiæ cur dicerentur Candaces, 169. 2
Regnum Dei in cœlo et in terra est Ecclesia, 41. 1. Regnum Christi est æternum, et ipsum est Ecclesia, 83. 2. Id regnum quomodo Deus paulatim disposuerit, 45. 2
Religionis causæ non pertinent ad principes seculares, 286. 1
Religiosa vita cœpit tempore Apostolorum, 119. 1. Est status assiduæ purificationis, 318. 1. Ejus quæ fuerint initia, 88. 2. Ejus commoda, *ibid.*
Religiosi et religio quid proprie sit, et unde vox formetur, 74. 2. 269. 1. Religiosi cur vasi lineo à S. Petro viso comparentur, 194. 2. Religiosi à sectariis vocantur seditiosi et turbatores, sed calumniose, 335. 2. Bini cur incedant, 92. 1. Religiosi mendicantes quomodo petendo sint beatiores dantibus eleemosynas, 312. 1
Reliquiæ sanctorum quam sint salutiferæ, 293. 1. Reliquiæ S. Stephani quando inventæ, et per eas sex mortui ad vitam revocati, 160. 1. 2. Per eas Majonam illatas multi Judæi sunt conversi, 155. 2. Reliquiarum cultus adstruitur, 159. 2
Rembertus (S.) cæcum inungens chrismate, ei visum restituit, 165. 2
Remissionis peccatorum beneficium cur toties ab Apostolis inculcetur, 196. 2
Rempham est Lucifer stella : hanc colunt Turcæ, et mane salutant, 147. 1
Respondere Hebræis est idem quod sermonem ordiri, 123. 2. 202. 1
Responsum capitur sæpe apud scriptores pro oraculo, 196. 2
Restitutio omnium rerum creatarum fiet in fine mundi, 100. 1. 2
Resurrectio ethnicis quam stulta videretur, 262. 2. Resurrectio Christi et hominum maxime in Actis Apostolorum docetur, 34. 2. 35. 1. Resurrectionis nostræ causa est Christus resurgens, 103. 2. Resurrectio mortuorum spes est Christianorum, 41. 2. 330. 1. Resurrectio et glorificatio corporis sunt viæ, quibus Christus ad vitam immortalem progressus est, 82. 2. Resurrectio Christi omnium fidei mysteriorum scopus et terminus est, 57. 2. Post eam factam angeli gloriosa corpora semper assumpserunt, 218. 1. 2. In ea Christus accepit usum et exercitium potestatis judiciariæ, quam in actu primo habuit à primo conceptionis suæ instanti, 201. 2
Reus inauditus damnari non potest, 345. 2. Ei potius favendum quam accusatori, *ibid.*
Ραδιουργια propensio est ad quodvis facinus perpetrandum, 232. 1
Rhegienses quomodo ad fidem à S. Paulo sint conversi, 367. 1
Rhegium civitas Calabriæ unde dicatur, 366. 2. Ejus antiquitas, *ibid.* Fidem S. Paulo debet acceptam referre, *ibid.* 67. 1
Rhode puella ostiaria honesta fuit, 222. 2. et martyr, *ibid.* Cur Petro pulsanti non aperiat, 223. 1
Rhodus unde dicta, 222. 2. Rhodi descriptio, et quando ea à Turcis capta sit : semper in ea sol apparet : ejus colossus quam fuerit altus, 314. 2. Soli sacra fuit, 222. 1
Ric hebraice quid sonet, 107. 2
Robertus Bellarminus Cardinalis horas suas Canonicas singulas stato tempore recitabat, 94. 1. Ejus bona et sancta simplicitas, 91. 1
Roma primitus dicta est Valentia significatione Græca, 53. 2. Roma vetus cis Tiberim fuit, 221. 1. Eam Paulus quando sit ingressus, 354. 1. 368. 1. Illic quando Petrus Apostolus cathedram constituerit, 3. 1. Illic plurimi Judæi habitabant, 75. 2. Romæ incensæ causam Nero in Christianos conjecit, 6. 2
Romana Ecclesia celebris est propter Paulum Apostolum illic sepultum, 32. 1
Romani cur habebant in Jerusalem sua præsidia juxta templum in arce Antonia, 103. 1. 319. 2. 324. 1. Quot Judæos in excidio Jerusalem occiderint et vendiderint, 8. 1. Romani in aliis locis torqueri et necari non poterant, 260. 1. Romanis prædicandi liduciam cur Paulus acciperet, 360. 1. Romanorum fidelium hospitalitas semper celebrata fuit, 196. 2
Rosæ floris elogium, 222. 2. Est symbolum virginitatis, *ibid.*
Rosæ (S.) mortuæ corpus etiamnum flexile est, *ibid.*
Rosula (S.) martyr fuit cum S. Cypriano, *ibid.*
Rubellius Plautus Romanus quare in exilium missus sit, 6. 1
Rufus Simonis Cyrenensis filius, an fuerit Episcopus primus Dertosensis, 371. 1

S.

Sabbas (S.) Abbas orationis horas etiam in aula Imperat. servavit, 94. 1

Sabbati iter quod diceretur, 52. 1. 2. *Sabbatum* cur dicatur hebdomada, 303. 1
Sacellum Romæ extra portam S. Sebastiani in cujus rei memoriam erectum, 100. 1
Sacerdotes quales ab Apostolis converterentur, 137. 2. Sacerdotum quorumdam Soc. Jesu mira charitas, 360. 1
Sacramentorum novæ legis vis et potentia : sunt velut fidei velamina, 124. 2. Constant è materia et forma, 291. 2. Eorum materias et formas quando Christus suos docuerit, 41. 1. Apostoli ea non instituerunt, 134. 2. 135. 1
Sacramentarii negant Christi corpus posse esse in cœlo et in Eucharistia simul, 176. 1
Sacrificium nonnisi in templo Jerusalem offerri poterat, 229. 1. Sacrificium Missæ adstruitur, 228. 2. 229. 1. Est ministerium soli Deo debitum et proprium, 229. 1
Sacrilegii vindex acerrimus est Deus, 122. 2
Sadducæi unde vocarentur eorum dogmata, 103. 1. Erant quasi Judæorum Epicurei, *ibid.* 2. Eorum quinque errores, 330. 2. Eorum hæresis viguit tempore Christi, et quomodo ipse eam vivens refutarit, 125. 1. 2
Seculum dicitur à senio, an recte, 251. 1
Sal quarum rerum sit symbolum, 41. 2. Hospitibus cur ante omnia apponi solitum, *ibid.* Cur veteres eum vocarint divinum, 42. 1
Salamina urbs Cypri, 230. 2
Salomonis exorcismi an magici, et quando ab eo compositi, 293. 1. Salomonis porticus in templo quæ diceretur, 97. 2. 124. 1. An in Coo insula equos generosos emerit, 314. 1
Salvius (S.) cur ad vitam redire jussus sit, 188. 1
Salus justitiæ individue adhæret, 192. 2
Salutatio Sanctorum efficax est, 25. 1. 95. 1
Salutatores qui morbos halitu sanant, an tolerandi, 363. 2
Samariæ urbis descriptio, situs, elogium, 161. 2. Prima fidem Christi suscepit, 162. 1. Ab Herode dicta est in honorem Augusti Sebaste vel Augusta, 161. 2
Samaritæ negabant Spiritum sanctum, 164. 1
Sambucus inter arbores infelices numeratur, hinc ex ea Romæ olim quotannis canes suspendebantur, et cur, 56. 2
Samothracia unde dicta sit, 257. 2
Samus insula et vasa Samia quæ sint, 304. 1
Sancti suas dotes et miracula soli Deo adscribunt, 98. 2. Sancti pauperes et austeræ vitæ pene soli miraculis clarent, 95. 2. Sancti in Dei voluntatem se resignent, 360. 1. Sua præsentia peccatores salvant, 357. 2. Eorum infirmitas et inconstantia, 55. 1. Hinc aliquando refrigescunt et cadunt, 161. 1. Eorum aspectus quam sit salutaris, 95. 1. Eorum umbra noxia malis, salutaris bonis, 125. 1. Est eorum salutatio mire efficax, 25. 1. Sæpe dominium in bestias nanciscuntur, 363. 1. Sunt cosmopolitæ, 344. 1. Eis in periculis crescit spes et animus, 359. 1. Multi in opulentia fuere pauperes, 95. 2. Ambulant semper in Dei conspectu, 81. 1. 2. Miracula faciunt vel prece vel potestate, 98. 1. Ipsis patria cœlum, terra exsilium, 51. 1. 143. 1. Eorum cultus adstruitur, 159. 2. Quam sint benefici, 362. 1. 2. Semper cœlum aspiciunt, 51. 1. Oraturi concedunt ad loca excelsa, 193. 2. Sancti viri semper ambierunt martyrium, 130. 2. 131. 1. Sanctis quibusdam morientibus apparuit Christus, 153. 2. 154. 1. Sancti qui cum Christo resurrexerunt, non rediere ad sepulcrum et mortem, 83. 1
Sanctus diaconus quam Christi nomine se jactaret, 210. 1
Sanctitatis primorum fidelium quæ præcipua fuerit causa, 87. 1. Sanctitatis vim etiam impii expavescunt, 88. 1. Sanctitatis omnis, tum creatæ, tum increatæ, fons est Spiritus sanctus, 72. 2
Sandalia sunt calcei, sive munimenta pedum, 219. 1. Eorum forma, *ibid.* 2. 220. 1
Sanedrim concilium è quibus esset conflatum, 104. 1. In eo damnatus Christus præsidentibus Caipha et Anna, *ibid.*
Sanguine (in) S. Stephani continuum miraculum Neapoli cernitur, 161. 1. Sanguinem super aliquem inducere quid sit, 126. 2. Sanguinis esus ante diluvium vetitus, etiam postea Neo-Christianis, 251. 2. Eum potabant Gentiles, *ibid.* Eum Christianos bibere dicebant Gentiles, 252. 1. Sanguine jam vesci licitum, *ibid.* Sanguis Christi in triduo mortis ejus non fuit corruptus, 82. 1. Sanguis Martyrum semen est Christianorum, 226. 2. Sanguinis baptismus est martyrium, quod expiat omne peccatum, 45. 1
Sapientes suos Hebræi vocabant *Sopherim*, Græci philosophos, Chaldæi magos, 104. 1
Sapores usus est Imp. Valeriano ut scabello, equum ascensurus, 84. 1
Saraceni colunt stellam Venerem, eamque vocant *Cubar*, 147. 1
Sarmenta proprie quid sint, 362. 2
Saron quæ sit urbs, et quæ in ea gesta, 186. 2
Satanæ quod sit etymon, et quid proprie significet, 121. 1. Non sic eum primum vocavit Christus cum ab eo tentaretur, *ibid.*
Satisfactio Jasonis Thessalonicæ pro Paulo quæ sit, 264. 2
Saül rex an 40. annis imperarit, 233. 2
Saulus unde sic dictus : comparatur cum rege Saül, comparatur inferno, item fluctui inquieto, 172. 1. 2. *Vide Reliqua verbo* Paulus.
Scandala quælibet vitanda, 30. 2. 31. 1. Eorum quanta sit malitia, 175. 1
Scaphæ cur addantur navibus onerariis, 336. 1
Scenofactoria ars S. Pauli quæ esset, 284. 1
Scenopegiæ festum per septem continuos dies celebrabatur, 63. 1
Schismatis primi in Ecclesia Hierosol. quæ fuerit causa, 132. 2. 133. 1
Schola quid proprie sit ex vi verbi, 292. 1. Scholam magicam quando Apollonius Tyanæus Ephesi instituerit, *ibid.* 2
Scientiam à Deo infusam et revelatam habuit S. Paulus, 26. 1
Scipioni Roma parum grata exstitit, 323. 2. Ejus paupertas, 113. 2
Scriba qui Ephesios tumultuantes compescuit, quis fuerit, 299. 1. Scribæ qui essent, 104. 1
Scripta Clem. Alex. sunt ab hæreticis vitiata, 214. 1
Scripturæ quatenus scrutandæ sunt, 265. 2. Scripturas tractabant Judæi in Synagogis, 262. 1. Eas docebant, describebant, et interpretabantur Scribæ, 104. 1. Vix sine interprete intelliguntur, 169. 2
Sedere cur dicantur linguæ igneæ super singulos Apostolorum, 69. 1
Seditio unde dicatur : an bona vel mala, 248. 2
Selenem suam quamnam esse diceret Simon Magus, 163. 1
Seleucia urbs dicta à Seleuco Nicanore, 230. 2
Seleucus rex Asiæ cur dictus Ceraunius, 333. 2
Semicinctia quæ dicantur, 292. 2
Senatores sint seniores, 104. 1
Seneca fuit Stoicus non Christianus, et moriens sanguinem suum Jovi libavit, 286. 1
Sententiæ Areopagitarum instar oraculorum habebantur, 268. 1
Sepelire mortuos proprium piorum opus est, 158. 2
Septem diaconi cur Apostolis assisterent, et dein Episcopis, 133. 2
Septembri (in) cur incommoda sit navigatio, 333. 2
Septuaginta quinque animas quomodo in Ægyptum ingressas dicat S. Stephanus, cum tantum fuerint LXX. 144. 1
Sepulcrum à quo emerit Abraham, *ibid.*
Sepulturæ Christianorum mos priscus, 159. 2. Sepultura olim carebant ex Ecclesiæ statuto, monachi proprietarii, 123. 1
Serapion quo pacto à tentatione gulæ sit liberatus, 295. 2
Sergius Paulus qua occasione à S. Paulo conversus : relatus est inter Sanctos, fuitque Narbonæ Episcopus, 232. 2
Serpentes quomodo sint trilingues, 66. 2. An impune tractari à quoquam possint, 363. 1. Serpentes in Melita non nascuntur, et illati venena expuunt, 362. 1. 2. 363. 1. Adversus eos quomodo Marsi et Psylli sint illæsi, 363. 2
Servulus (S.) pauper et paralyticus moriens miram odoris spirabat fragrantiam, 17. 2

Sessio apta contemplationi, hinc quietæ mentis est symbolum, 66. 2
Severinus (S.) quare in Purgatorio punitus, 94. 1
Sexta hora orationis quæ, 193. 2. 194. 1. Sexta hora erat prandii, 194. 1
Sibyllæ virginitate meruerunt prophetiæ donum, et unde cognominatæ, 315. 1. Ex iis potuerunt Athenienses discere futuram Christi incarnationem, 270. 2
Sicarii et sica quid sint, 320. 1
Sichem urbs varia postea habuit nomina, 144. 1
Sicilia unde vocetur, 366. 2. A S. Petro fidem et Episcopos accepit, 365. 1. In ea quid egerit S. Paulus, *ibid.* 2
Sicut in Scriptura sæpe non similitudinem, sed veritatem significat, 67. 2
Signo quodam an designatus fuerit Apostolus Matthias, 59. 2. Signo visibili quasi visibilem se reddere Apostolis Spiritus sanctus voluit, 66. 2
Silas an idem sit qui Silvanus : ejus elogium, 252. 2
Sileni quæ essent imagines, 327. 2. et qui iis assimilentur à Platone, *ibid.* Tales sunt ii qui mundo obscuri sunt, at Deo noti, *ibid.*
Simeon (S.) Episcopus Hierosol. sub Trajano senex martyrio afficitur, 6. 1
Simon quid significet, et unde dicatur, 250. 2. 251. 1
Simon pater Rufi, qui crucem Domini portavit, cujas fuerit, 75. 2
Simon Magus volans est in terram dejectus per preces Apostolorum, 7. 1. A Romanis habitus ut Deus, *ibid.* Ei in arte magica Romæ successit Apollonius Tyanæus, *ibid.* Dicebat se esse Deum, 162. 1. 2. Alia ejus deliria dogmata, *ibid.* Fuit primus hæresiarcha, *ibid.* 1. Ficte credidit, 163. 2. Fuit parens simoniæ, 165. 2. Volebat Spiritum sanctum emere et vendere, *ibid.* Ambivit Episcopatum, 166. 1. S. Petrus ei maledicit, *ibid.* 2. Fuit hæreticus, 168. 1. Ejus exitus, *ibid.* 2
Simon Zelotes, id est Cananæus, quis fuerit : unde dictus Cananæus, 53. 1. Simon et Judas Apostoli quando occisi sint, 6. 2
Simoniæ quis sit auctor, 165. 2. Ea est prior hæresi Macedonianorum, 166. 1. Est proprie peccatum in Spiritum sanctum, *ibid.* Quid sit proprie simonia, *ibid.* 2. Ea infecti excommunicantur, 167. 2. Vocatur fel, 168. 1
Simoniaci antiqui testamenti qui fuerint, 166. 1
Simonis Coriarii in domo cur S. Petrus hospitaretur in Joppe, 188. 2. Ejus hospitalitas, 189. 1
Simplicitas physica et moralis quæ sit, 90. 2
Simulacrum proprie quid sit, et unde dicatur; Ecclesiastico usu in malam partem capitur, 269. 2
Sinenses tunicis solum se accingunt, et carent femoralibus, 219. 1
Situs rectus decet corpus gloriosum, 50. 1
Sixti III. liber de divitiis editus à Pelagianis, 312. 1
Sobrietatis verba quomodo Paulus se loqui diceret, 350. 1
Societatis Jesu elogium, 207. 2. Ejus Patres in Indiam navigantes cur genu flexo in littore orando invicem valedicant, 313. 1
Socrates è carcere fugere noluit, 260. 2. Ejus forma alia erat quam mens, 327. 2. Cur sit in Areopago 281. sententiis damnatus, 268. 1
Sodalitas tam sancta nulla est, quæ non habeat suum nævum, 55. 2
Sol oriens et occidens symbolum est Christi, 40. 1. Eo occidente et oriente Barbari Deum adorare solebant, 126. 1. Soles tres apparuere anno Christi LI. et simul omnes in eumdem orbem coierunt, 4. 1
Solarini in Sicilia an Paulus fuerit aliquando, 365. 2
Somnia sunt judicia vigilantis animi, virtutis aut vitii, 256. 2
Sonus cum quo delapsus est Spiritus sanctus, quid denotet, 64. 2. Non fuit verus ventus, sed venti sonus, 66. 1
Sopater erat patria Beræensis, 302. 2
Sortes Apostoli quas miserint, et quomodo, in electione Matthiæ, 60. 1. Fuere diversi sortiendi modi, *ibid.* S. Matthias quomodo per eas fuerit designatus, *ibid.* Quare Apostoli rem tantam sorti commiserint, *ibid.* Sortes in rebus sacris quando sint licitæ, *ibid.* Usitatæ fuere in veteri testamento, jam sunt prohibitæ in electionibus pastorum, *ibid.* 1. 2. Sors Matthiæ qualis fuerit, 59. 2. Sortis nomine cur vocetur Apostolatus, 55. 1
Sosthenes quare percussus à Judæis Corinthi, 286. 2. Paulo favebat, etsi esset Judæus, *ibid.* Sanctis adscriptus est, *ibid.*
Specie (una sub) communicare laicis sufficit, 88. 1. Species rerum omnium Deus angelis ab initio indidit, 79. 2
Spelunca juxta Melitam magna in veneratione habetur, 361. 1
Spermologus quis sit, sic dicta etiam avis, 267. 1
Spes omnia perfringit, 15. 2. Est tunc magis augenda, cum crescunt pericula et adversa, 217. 2. Sanctis ea crescit in afflictionibus et periculis, 359. 1. Spes vitæ immortalis est vita vitæ mortalis, 34. 2. Spes est omnipotens, 15. 2. Spes Israel est Christus, 368. 2
Σφυρα quid proprie significet contra Bezam, 96. 1
Spiridion Episc. Trimitunthis pecuariam exercuit, 23. 1
Spiritum Domini tentare quid sit, 125. 2
Spiritus sanctus post Christum quasi incarnatus est in linguis igneis, 33. 1. Ejus divinitas adstruitur, 122. 1. Quare Hierosolymis in Apostolos missus sit, 43. 1. Cur vocetur promissio Patris, *ibid.* 2. Est proprius novo testamento, 44. 1. Quomodo Apostolos auctorarit, 39. 1. Datur in Confirmationis Sacramento, 165. 1. Ejus effectus, *ibid.* 2. Est ipse donum, 167. 1. Datus est omnibus Christi discipulis, 64. 2. Cur venit cum sono et repente, *ibid.* Cur de cœlo, *ibid.* Ejus elogia, 65. 1. 2. Cur venit cum vento vehementi, *ibid.* 2. Diversis in figuris alias apparuit, *ibid.* Est quasi ventus ecnephias, 66. 1. Non tamen venit cum vero vento, *ibid.* Cur in linguis igneis venerit, *ibid.* 2. Ejus symbolum est lingua, 67. 1. item ignis, 68. 1. Ejus effectus in animis Apostolorum et fidelium, *ibid.* 2. 69. 1. Cur sederit super singulos Apostolorum, 69. 1. An crearit eos Episcopos, *ibid.* 2. Eum quisque fidelium diversum et imparem accepit, *ibid.* Inter ejus adventum et incarnationem Christi quinque analogiæ, 70. 1. Quis, qualis et quantus sit Spiritus sanctus, *ibid.* 2. Est Deo intrinsecus et substantialis, *ibid.* Procedit à voluntate et amore Patris et Filii, *ibid.* Est primum et increatum donum Patris et Filii, 71. 1. Quomodo dicatur imago Filii, *ibid.* Realiter datur justis, *ibid.* Est gratiarum parochus, 72. 1. Infusio, diffusio et effusio Spiritus sancti qui differant, *ibid.* Eo quomodo sint Apostoli repleti, *ibid.* Cur vocetur Spiritus sanctus, *ibid.* 2. Indidit Apostolis omnium linguarum cognitionem, 73. 1. Venit hora tertia ab ortu solis, 78. 1. Ejus vis, 183. 2. Cur dicatur Paracletus, 185. 2. Conciliis præest et adest, 252. 2. Etiam à Filio procedit, 64. 1. 256. 1
Spiritu (de) majorem quam de corpore curam gerere optimus est moriendi modus, 153. 2
Stanislaüs (S.) Episc. Cracoviensis quemdam Petrum ad vitam revocavit, 188. 1
Stanislaüs Hosius Card. etiam per viam in curru lectitabat, 169. 2. Ejus de hæreticorum digladiationibus sententia, 329. 2
Stans Christus in cœlo cur à Stephano visus, 150. 1. 2
Statio symbolum est constantiæ, 125. 2
Statua cur ab Ephesiis donatus sit Apollonius Tyanæus, 296. 1. Statuæ Simonis Magi Romæ quid Nero inscripserit, 168. 2. Cur statuam suam Caius Caligula Imp. in templo Hierosolymitano poni voluerit, 2. 2
Status cujusque velut via et stadium est, 59. 2
Stella Magis apparens quam lucida foret, 349. 2. Stellis cur Apostoli comparentur, 65. 1
Stephanus (S.) primus Rhegiensium Episcopus fuit Martyr, 366. 2. 367. 1. Ejus elogium, *ibid.*
Stephanus (S.) diaconus et protomartyr an fuerit è LXXII. Discipulis, 136. 1. Habuit nomen Græcum et patriam, at Hebræus fuit origine, *ibid.* Ejus dignitas et dotes, *ibid.* 1. 2. Ejus fides commendatur, *ibid.* 2. Fuit plenus Spiritu sancto, *ibid.* 138. 1. 2. 149. 1. Quod crimen ei objicerent falsi testes, 138. 2. Facies ejus erat angelica ob fulgorem,

cur, 139. 1. 2. Honorifice loquitur de Mose et Abraham, 143. 1. An in historica sua narratione lapsus sit memoria, 144. 2. Cur fuerit tam acer, et tonet subito in Judæos, 148. 1. Legem veterem quanti faceret, 149. 1. Quam Dei gloriam viderit, *ibid.* 2. Non vidit eam oculis corporeis, 150. 2. Quomodo viderit cœlos apertos, et quare, 151. 1. Solus vidit Jesum stantem, et in cœlo empyreo, cur, *ibid.* 2. Cur id dixerit Judæis, *ibid.* Extra civitatem cur à Judæis raptus, 152. 1. Ubi sit lapidatus, *ibid.* Ejus capitis vestigia et signa adhuc hodie in lapide, in quo exspiravit, apparent, *ibid.* B. Virgini martyrii sui coronam debet, *ibid.* 2. Ejus ætas, *ibid.* Quando sit lapidatus, *ibid.* Ejus encomia, *ibid.* Cur mortuus sit genuflectens, 154. 2. Cur moriens clamarit, *ibid.* Quomodo oret pro lapidantibus, *ibid.* Charitate Judæos oppugnavit, 155. 1. Precum ejus vis, *ibid.* Excepit S. Pauli morientis animam, *ibid.* Est patronus orantium pro hostibus et obstinatis, *ibid.* 2. Reliquiarum ejus miracula, *ibid.* 155. 1. Ejus sepultura, 158. 2. Ejus reliquiæ quando et quomodo inventæ, 160. 1. Quomodo in Europam et Africam delatæ, *ibid.* 2. Apparet virgini Pulcheriæ, *ibid.* Ei S. Laurentius Romæ in sepulcro locum cessit, *ibid.* Christianos juvit Hierosolymam oppugnantes, 161. 1

Stephanus (S.) rex Hungariæ à S. Stephano protomartyre regnum obtinuit, 156. 1. Per angelos ab hostibus est liberatus, 224. 1

Stimulus contra quem calcitraret Paulus, quis esset, 176. 1

Stoici unde dicti, et eorum paradoxa, 265. 2. 266. 1

Stomachorum tria sunt genera, et illa peccatores convertentibus assimilantur, 195. 2

Studium proficiendi quantum S. Paulus habuerit, 25. 2. Studia nimia ac parcimonia victus pallorem et maciem homini conciliant, 289. 2

Stupor vocem eripit et mentem, 178. 1

Stygis aqua quam sit acris, 194. 2

Suffocata cur vetentur Christianis, 251. 2. Ea censebant ethnici esse cibum deorum, *ibid.* Ab eis Judæi legis præscripto abstinere tenebantur, *ibid.*

Suffragii jus in Conciliis soli Episcopi habent, 249. 1

Sumptus in nazareatus voto quare fierent, 317. 1

Superbi quomodo à Deo puniti, 225. 2

Superbiæ remedium est mortis meditatio, 243. 1. Superbia hæreseos fons est, et signum hæreticorum, 162. 2. Cur sit summa injustitia, 304. 2

Superior sit potius prudens quam sanctus, 58. 2. Superior aliquando mittitur, 163. 2. 164. 1

Superstitiosi et *superstitio* unde dicatur, 269. 1

Symbolum fidei ab Apostolis compositum est ante eorum discessum è Jerusalem, et dispersionem per orbem, 2. 1

Synagogæ variorum Judæorum erant Hierosolymis, 138. 1

Συγαλιξεας unde dicatur, 41. 2

Synaxibus (in) quem ritum et ordinem servarint primi Christiani, 87. 2

Syracusæ urbs describitur, 365. 1

Syris et syrtes quid sint in mari, 356. 2

T.

Tabernaculum David quando reædificatum sit, 251. 1

Tabitha vox quid sonet, et unde derivetur, 187. 1. Tabitha mulier est à S. Petro ad vitam revocata, dein certa de sua salute fuit, 188. 1. In statu gratiæ decesserat, *ibid.*

Tamberlanes Bajazetem Turcarum Imperatorem quam viliter habuerit, 84. 1

Tanquam in Scriptura sæpe veritatem rei significat, non similitudinem, 67. 2

Tarsilla (S.) moriens vidit Christum sibi apparentem, 154. 1

Tarsus urbs unde dicta : abundabat navibus : ejus celebritas, 179. 1. Unde accepit jus civitatis Rom. 325. 1. Est patria Pauli, 179. 1

Tartari potant in siti sanguinem equinum, 251. 2

Ταττω est vox militaris, 236. 1

Tecta Palestinæ domorum erant plana, 193. 2

Τελεσφορος quid significet, et τελος, et τελετη, 128. 2

Telmus (S.) est patronus nautarum, 364. 2

Tempestatis marinæ hypotyposis, 357. 1

Templum quanto cum commodo frequentetur, 89. 2. Templum Dianæ Ephesiæ quanta haberetur in veneratione, 297. 1. 2. Ejus magnificentia, 298. 1. Id quando et à quo incensum, et dein eversum, *ibid.* Templi Judaici descriptio, 97. 2. Ejus prætor quis esset, 103. 1. Ipsum soli Judæi ingrediebantur, nulli Gentiles, *ibid.* 319. 1. Illud gradibus ascendebatur, 92. 1. Id expiatur cum cæde aut alio scelere esset pollutum, in die expiationis, 319. 2. Templi nomine aliquando vocatur atrium laicorum, *ibid.* 1. Templum non gaudebat jure asyli, *ibid.* Eo gaudent templa Christiana, *ibid.* Templum Pacis quando Romæ exstructum, 8. 1. Templum magnificum Helena Imperatrix erexit in monte Oliveti, et ipsum superne apertum, 52. 1. Templum Heliopolitanum dictum Onion, à Vespasiano Imp. demoliri jussum, 8. 1. Templum Lateranense Romæ unde dictum, 6. 2. 7. 1. Deus in templis solis manufactis non habitat, 147. 2. Templorum structura, ornatus, frequentatio commendatur, 92. 2. 93. 1. Eorum violatio et eversio graviter à Deo punitur, 93. 1. Eorum profanatio evidens signum est iræ Dei et cladis imminentis, *ibid.* In iis Abyssini nunquam sedent, *ibid.*

Tempore exiguo multa colligi potest merces et merita, 189. 1. Tempora orationi statuta servanda sunt, 94. 1

Tentationes carnis et diaboli quomodo vincantur, 207. 1

Tentatur Deus tripliciter à nobis, 250. 1

Teresiæ (S.) votum de faciendo eo quod erat perfectius, 118. 2

Terminum temporis et loci cuique genti præscripsit Deus, 273. 2

Terra Melitensis sanat quoslibet morsus venenosos, item valet contra alios morbos, 361. 2. Terræmotus factus orantibus Apostolis, ejusque varia symbola, 109. 1. Terræmotus factus orante Paulo et Syla, 259. 2. Terra Sanctis est velut carcer et exsilium, 143. 1. Terra tota habitabilis et habitata est, 273. 2

Terrores magis feriunt dura peccatorum corda quam blanditiæ, 281. 1

Tertullianus ex oratore forensi factus Christianus, 334. 2. Quare librum de pallio scripserit, *ibid.* Censuit animam esse corpoream, 330. 2. Quo anno Christi vixerit, 110. 1

Testes quænam S. Stephano impingant, 139. 1

Testimonium bonum à populo habeat ordinandus, 133. 2. Testimonii tabernaculum cur dicatur, 147. 1

Thaddæus (S.) quando ad Abagarum regem missus sit, et eum baptizarit, 3. 1. 214. 1. 2

Theatris (in) olim spectabantur hominum et ferarum pugnæ, 300. 2

Theclæ (S.) conversio quomodo facta sit à S. Paulo, ejus elogium, 238. 1. Cur vocetur protomartyr, 239. 1. Quando defuncta sit et ubi sepulta, *ibid.* Ejus vitam qui scripserint, *ibid.* Varia ejus gesta, *ibid.* 2. An sit vere mortua, *ibid.* Varia ejus encomia, *ibid.*

Themistocles erga Athenienses ingratos gratus fuit, 323. 2

Theodas seditiosus quis fuerit, an fuerint duo hujus nominis, 127. 2

Theodorus Mopsuestenus hæreticus docebat Christum esse merum hominem, 84. 2

Theophilus, ad quem Lucas scribit Acta sua, quis fuerit, 37. 2. Fuit civis Antiochenus nobilis et Christianus, 38. 1

Theriaca quando inventa et unde dicta, 362. 2

Τηριομαχει idem est quod bestiis objici, 300. 2. 301. 1

Thesauros suos reges Asiæ in templo Dianæ ut in loco tutissimo reponebant, 298. 1

Thessalonica civitas quæ sit, et unde vocata, 262. 1

Thessalonicenses erant Macedones, 353. 1

Thomas (S.) Apostolus quando sit occisus, 8. 1

Thomas (S.) Aquinas orationis mire studiosus erat, 193. 1. Cur dictus Doctor angelicus, 140. 2. Dictus bos mutus ob silentium, *ibid.*

Thure accenso honorandi defuncti, 160. 1

Thyatira civitas Lydiæ erat, 258. 1
Tiberii Imp. crudelitas, 212. 1. Quam lucidos haberet oculos, 274. 1. Ab exsilio Rhodiensi est ad imperium vocatus, 212. 1. Christum inter deos referre voluit, 2. 1. 185. 1. 259. 1. Quando sit mortuus, et ejus epitaphium, 2. 1
Tibialibus non utebantur veteres Hebræi, et Græci, et Latini, 219. 1
Timon diaconus fuit vir sanctus, 137. 1
Timor paulatim amorem Dei inducit velut seta filum, 176. 2. Is in Sanctis est amore mixtus, 185. 2. Timor Dei in Scriptura idem est quod pietas et cultus Dei, 158. 2. Timor species est reverentiæ, 88. 1
Timotheus (S.) quam probus esset, 255. 1. Fuit primus Ephesinus Episcopus, 5. 1
Titus Imp. Jerusalem et Judæam subigit, 7. 2. 8. 1. Dictus orbis deliciæ, 8. 2. Ejus clementia et beneficentia, *ibid.* Ejus mors, *ibid.*
Toga vestis Romanorum propria, et signum civis Romani, 324. 2
Traditiones à Christo acceptas Apostoli Ecclesiæ et posteris tradiderunt, 41. 1. 2
Trajanus Imp. à Nerva adoptatus fit Imperator, 10. 2. Ejus in Christianos clementia, *ibid.* Ejus vitia, *ibid.* 11. 1
Transfigurationi Christi in monte Thabor qui Apostoli interfuerint, 212. 2
Tribulatio rectissima via ad cœlum est, 244. 2. Nos in ea gaudere oportet, 129. 2
Tribunal Areopagiticum quis instituerit, 267. 2
Tributum cur Christus solverit, cum ad illud non teneretur, 128. 2
Triennio toto evangelizarunt Apostoli in Judæa, 215. 2
Trinitatis (SS.) personæ debent in baptismo exprimi, 85. 1. Ipsa realiter habitat in anima justi, 71. 1
Tripolis quæ sit civitas, 205. 2
Troas regio Asiæ et urbs ubi sita sit, 256. 1
Trophimus discipulus S. Pauli, Arelatensibus in Gallia prædicavit, 305. 1
Tryphænæ et Tryphosæ elogium, 240. 1
Turba causa est dissensionis, 132. 2
Turcæ Constantinopolim cur in festo Pentecostes Græcis subactis invaserint, 64. 1
Tychitus fuit Pauli administer in ferendis litteris, 302. 2
Typhon qualis sit ventus, et ejus natura, 355. 1. 2. 356. 1. Ejus præsagium, vires, remedium : unde dicatur, 355. 2
Tyrannus in cujus schola Paulus Ephesi disputavit, quis fuerit, 292. 1
Tyri opes in conficienda et vendenda purpura sitæ erant, 258. 1

U.

Ubios (in) quando ducta colonia ab Agrippina, 4. 1
Ubiquetarii censent Christi corpus esse ubique, 99. 2
Ultio Dei homicidas facinorosos persequi solet, 362. 2
Umbra Pauli an mortui revixerint, 293. 1. Umbra Petri quam esset salutaris, et quomodo id fieret, 124. 2. Umbra qualitatem accipit à corporibus : id observandum in arborum plantatione, *ibid.* 125. 1
Unanimitatis media et pretium : quam ea Deo sit grata, 110. 2
Unio primorum fidelium, 109. 2. 110. 1. Ejus duo media, 110. 2. Ipsa est causa cur instituta sit deinde vita cœnobitica, *ibid.* Unionis quanta sit vis, 27. 1. Eam symbolice significant quatuor animalia Ezechielis, *ibid.* 2. Unio impiorum rescindenda est, 329. 1. 2
Urbani (S.) Pontificis in tribulatione gaudium, 245. 1
Urbes metropoles cur ante alias convertendæ, 27. 2
Uxorum communitas legi naturæ repugnat, etsi eam Plato in sua rep. inducere voluerit, 88. 2

V.

Vadiani hæretici, cur dicti sint Anthropomorphitæ, 330. 2
Valerianus Imp. mago credens periit, 296. 1
Vallis Josaphat subjacet monti Oliveti, et urbi Jerusalem vicina est, 51. 2
Vas Hebræis est quodlibet instrumentum, 179. 2. Vas lineum S. Petro oranti visum quid denotaret, 194. 1
Vectigal Judæis quale vetitum esset, 128. 1
Velocitatis commendatio, 218. 2
Velociter surgere cur Petrus in carcere jubeatur, *ibid.*
Venti in mari tempore hiemali sæpe mutantur, 355. 1. Eorum quæ sint commoda, 66. 1
Verbum Hebræis quid significet, etiam factum et opus significat, 309. 2. Verbum Dei assidue audiendum, 87. 1. Ejus effectus, *ibid.* 2. *Verbum* capitur sæpe pro *Evangelio*, 196. 2. Verbum dicitur Christus filius Dei, item ejus dicta et facta, 199. 2. 200. 1. 2
Veritas nec eloquentiam nec potentiam timet, 336. 1. In indivisibili consistit, 322. 1
Vermibus consumptorum exempla, 226. 1
Veronica (S.) quæ et qualis fuerit, 345. 1
Vespasianus putatus est esse Messias; an miracula fecerit, 7. 2. Fit Imperator, *ibid.* Ejus mors, 8. 2
Vestes scindebant Judæi in blasphemia, 242. 2. Vestes gestavit Christus à resurrectione, et quales, 50. 2. In quali ascenderit, *ibid.* Vestes albæ sunt angelorum, *ibid.* Vestem albam olim gestabant nobiles et magistratum ambientes, 199. 1
Vestigia Christi in monte Oliveti adhuc exstant, 52. 1
Via vitæ Christo fuit resurrectio, 82. 2
Viator fuit Christus in hac vita usque ad resurrectionem, *ibid.*
Victimæ olim cur coronarentur, 242. 1. 2. et ex qua herba, *ibid.* 2. Ex ea immolata apud Judæos etiam laici manducabant, 195. 1
Viduæ Græcorum qua in re despectæ essent in ministerio quotidiano, 133. 1
Vigiliis quatuor noctem dividebant Romani et Judæi, 332. 1. 2. Vigiliæ fidelium nocturnæ in precibus, 222. 1. Eas coarguit Vigilantius hæreticus, *ibid.*
Vincentius (S.) Ferrerius semper pene pedes provincias oberravit, 23. 1. Etiam pueros docebat privatim, 27. 1. Quare varios presbyteros secum duceret, 27. 2. 256. 2. Una lingua loquens à variis gentibus intelligebatur, 72. 2
Vincula S. Petri Hierosolymis, 216. 1. Ea honoravit Deus et Ecclesia, 217. 2. Eorum elogium, 218. 1. Paulus quas epistolas è vinculis scripserit, et qui ei tunc ministrarint, 369. 2
Vindicta Gentilibus erat Dea, 362. 2. 363. 1
Vinum et amor insanire faciunt, 77. 1. Vino abstinuit S. Paulus, 287. 2. Vino et carnibus communiter abstinuere Apostoli, 24. 1
Vipera unde dicatur, 362. 2. Ejus pestis, *ibid.*
Virginum vox tonitru est, 340. 1
Virginitatis præmium est sapientia et prophetia, 315. 1. Ejus symbolum est rosa, 222. 2. Virginitatem illibatam servavit S. Paulus, 179. 2
Virtus quanta data Apostolis per Spiritum sanctum, 46. 2. Virtus an in cujusque manibus et arbitrio sit, 266. 1. Virtutes omnes et vitia non sunt paria, *ibid.*
Visio deitatis et humanitatis Christi erit objectum et causa beatitudinis essentialis et accidentalis, 99. 2
Visus omnium sensuum nobilissimus, pro quolibet sensu in Scriptura accipitur, 82. 1
Vitam quomodo Deus omnibus det, 272. 2. Vita cursus ad mortem est, 243. 1. Vita in communi primorum Christianorum, 114. 1. Vitæ communis varia commoda, 88. 2. Vita spiritualis quæ sit, 82. 2. Ejus perfectio in quo sita sit, 67. 2. Vita æterna an dici possit ipsa fides, 237. 1. Ipsa est omnium dolorum levamen, et stimulus ad omnia aspera agenda, 34. 2
Vitellius Imp. astrologos morte mulctabat, 296. 2
Vivendum nobis in Christo est, 85. 2. Vivimus in Dei idea et providentia, 276. 2
Vivi quomodo dicantur judicandi, 201. 2
Vocatio Dei est gratuita, et velut ex sorte, 55. 1. Vocatione sua quisque sit contentus, 60. 2. Vocationi Dei homo respondere debet, 177. 2. Vocatio S. Pauli duplex fuit, 13. 2

Voluntas bona quam opulenta, et substituitur pro operibus quæ præstare non possumus, 189. 1. 2. Voluntatis pia inclinatio magis quam intellectus propensio ad fidem requiritur, 137. 2
Voluptas quam brevis et fugax, 267. 1. Ejus in hac vita tantum est delibatio, in futura satietas, 194. 1
Votum paupertatis fecit Ananias agri pretium fraudans, 117. 1. 2. Id arcte servandum, 122. 2. In quo id situm, 123. 1. An id fecerint Apostoli, 22. 2. Vota exacte impleri debent, 121. 2. Vota totalia non passim et leviter admittenda à confessariis, 123. 2. Votum S. Pauli fuit nazaræatus, 287. 1. Votum violantes mentiuntur Spiritui sancto, 121. 2. Vota religionis tria sunt præstantissima holocausta, 118. 2
Vox sonora ac tubalis Apostolorum, 75. 1. Vox virginum est tonitru, 340. 1. Vocis S. Pauli quanta fuerit efficacia, 285. 1
Vulpe (cum) vulpinandum est, 328. 2
Vulturnus quis sit ventus, 354. 2. 355. 1

X.

Xantippe à S. Paulo in Hispania an conversa, 370. 2

Z.

Zabulus dorice dicitur Satanas, 121. 1
Zachæus non idem est cum S. Matthia, 58. 2. An fuerit Gentilis, *ibid.*
Zebedæus an frater S. Barnabæ, 115. 2. An idem vocetur Aristobulus, *ibid.*
Zelus sancti Pauli ardentissimus fuit, 28. 2. 29. 1. Zeli commendatio, 29. 1. Ejus effectus, *ibid.* 2
Zelotæ tempore obsidionis Hierosolymæ maxime in cives sunt grassati, 7. 2
Ζεύς unde dicatur, 241. 1. 245. 1. 2

INDEX
MATERIARUM MORALIUM,
HIS COMMENTARIIS CONTENTARUM,

Quæ ad Evangeliorum Dominicarum, ac Festorum et Feriarum nonnullarum per annum accommodatarum, verba in usum et gratiam Concionatorum adaptantur.

DOMINICA II. ADVENTUS.

Claudi ambulant. Claudicatio mystica quæ sit et qualis, 96. 2

Pauperes evangelizantur. Paupertas quam sit opulenta præ divitiis, 95. 1. Paupertatem cur primi fideles sint amplexi, 111. 1. Ejus amor postea crescente Ecclesia increvit, 112. 2. Paupertatis votum exacte servandum est, et nullatenus violandum, 122. 2. Paupertas S. Pauli, 22. 2

DOMINICA III. ADVENTUS.

Quid ergo baptizas? Joannis Baptistæ baptismus qualis fuerit, 291. 1. 2

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Prædicans baptismum pœnitentiæ. Prædicatoris humilis schema, 20. 1. Prædicatores quam difficulter animas Christo pariant, 30. 1

Pœnitentia. S. Pauli jugis mortificatio et pœnitentia, 19. 1

IN FESTO S. STEPHANI.

S. Stephani Protomartyris etymon et dignitas, 136. 1. 2. Fulgor faciei ejus, 139. 1. 2. Quam acriter in Judæos pervicaces invectus sit, 148. 1. Quomodo viderit gloriam Dei adhuc in terra consistens, 149. 2. Quomodo viderit Jesum stantem à dextris Dei, 151. 2. et cur id Judæis dicat, *ibid.* Ejus lapidatio et mors, 152. 1. et seq. Ejus encomia, *ibid.* 2. Orat pro hostibus suis, 155. 1. 2. Ejus festum quando et à quibus institutum, 156. 1. Quomodo post mortem sit honoratus, et quomodo ejus reliquiæ detectæ, 160. 1

IN FESTO S. JOANNIS.

Quid ad te? tu me sequere. Curiosam S. Petri de Joanne interrogationem sic Dominus repressit, hinc agi poterit de curiosorum incuria, et quomodo iis sit respondendum, 268. 2

IN FESTO CIRCUMCISIONIS.

Vocatum est nomen ejus Jesus. Nomen Jesu quam amabile et suave fidelibus esse debeat, 106. 2. Illud invocatum pellit dæmones ex energumenis, 293. 1

IN FESTO EPIPHANIÆ.

Ecce Magi ab Oriente. Ad Orientem conversi cur Christiani orent, 52. 1

Vidimus stellam ejus. Astronomia judiciaria reprehenditur, 296. 1. Cornelius Centurio an primus ex Gentibus sit conversus, et an ante eum nemo alius, 202. 2

Responso accepto in somnis. Somnia sunt indicia animi, qualis fuit dum vigilaret; item virtutis aut vitii erga quæ homo propendet, 256. 2

IN OCTAVA EPIPHANIÆ.

Vidi spiritum descendentem quasi columbam de cœlo. Quomodo, dum baptizaretur Christus à Joanne, cœli sint aperti, 150. 2

Vexi ego in aqua baptizans. Joannis baptismus qualis fuerit, 291. 1. 2. Baptismus vero Christi quis fuerit, 85. 1

DOMINICA INFRA OCT. EPIPHAN.

Sedentem in medio Doctorum et audientem. Lectio librorum spiritualium quam utilis, quia in illa docemur à Deo : post lectionem vero orandum, 170. 1. 2

Jesus crescebat ætate et gratia apud Deum et homines. Pulchritudo corporis indicat animi pulchritudinem, 146. 1

DOMINICA III. POST EPIPHAN.

Non inveni tantam fidem in Israel. Fides cur vocetur vita æterna, 237. 1. Fides S. Pauli quanta fuerit, 14. 2

Multi recumbent cum Abraham, etc. Christiani nominis quanta sit dignitas, 208. 2

DOMINICA IV. POST EPIPHAN.

Ecce motus factus est magnus. Mare quanta pericula includat, 359. 1

Ipse vero dormiebat. Deus quare suos interdum tribulari et affligi sinat, 360. 1

Domine, salva nos, perimus. Præsentia sancti alicujus viri peccatores salvat, 357. 2

DOMINICA V. POST EPIPHAN.

Cum autem dormirent homines. Cum Deo nos evigilare eique indormire oportet, 126. 1

Unde ergo habet zizania? In omni congregatione, quantumvis bona, suus est Judas, 55. 2

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

Conducere operarios. An operatio sit ratio præsentiæ Dei, 274. 2. Opere potius docendi sunt alii, quam verbo, 38. 1

Ite et vos in vineam meam. Missio S. Pauli fuit legitima, 14. 1

Non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam,

QUIA EGO BONUS SUM? Deus dat sua dona gratis sine ullo prævio merito, 20. 1. Ipse non est auctor mali et peccati, 78. 2

MULTI SUNT VOCATI, PAUCI VERO ELECTI. Quinam dicantur prædordinati ad vitam æternam, 236. 1. Præscientia Dei quomodo cohæreat cum libero arbitrio, 79. 1

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

SEMEN EST VERBUM DEI. Verbo Dei intendendum est, 87. 1. Ipsum etiam in libris legendum, 170. 1. Prædicatores difficulter suos pariunt, 30. 1

A VOLUPTATIBUS VITÆ SUFFOCANTUR. Quanta sit voluptatis pernicies et damnum, 266. 2

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

RESPICE. Sanctorum aspectus quam salutaris sit, 95. 1

Occasione bacchanalium instantium agi poterit de crapula et ingluvie. Ebrietatis corporalis et spiritualis analogiæ variæ, 76. 1. 2. Sobrietas S. Pauli quæ fuerit, 24. 1

FERIA VI. POST CINERES.

DILIGITE INIMICOS VESTROS. Erga ingratos maxime ostendenda charitas, 325. 1. Oratio pro inimicis efficacissima est, qualis fuit S. Stephani, 155. 1. Erga inimicos quantopere Paulus afficeretur, 31. 1

ESTOTE PERFECTI. Christianorum quæ sint officia, 120. 1. 2. 209. 1. Primi Christiani tria in suis cœtibus faciebant, 87. 2

CUM FACIS ELEEMOSYNAM. Beatius est magis dare quam accipere, 310. 2. 311. 1

SABBATO POST CINERES.

UT VEL VESTIMENTI EJUS FIMBRIAM TANGERENT. *Vide notata Dominica XXIII. post Pentecosten.*

DOMINICA I. IN QUADRAGESIMA.

ACCEDENS TENTATOR. Diabolus Typhoni vento ob diversas analogias comparatur, 355. 2

SI CADENS ADORAVERIS ME. Magni si ruant, fiunt pessimi, 56. 2. 57. 1. Ut Satan hic adorari vult, sic et omnis hæresiarcha superbus est, 162. 2

VADE, SATANA. Satanas vox unde derivetur, et quid ex vi verbi significet, 121. 1. Malorum conversatio omnibus fugienda est, 86. 1

FERIA II.

QUAMDIU FECISTIS UNI EX HIS FRATRIBUS MEIS MINIMIS, MIHI FECISTIS. Christus in membris suis patitur et honoratur, 175. 1. Eleemosynas pauperibus factas ipse quoque ratas habet, 187. 2. *Vide dicta in festo S. Michaelis, de parvulis.*

FERIA II. POST DOM. II. IN QUADRAG.

EGO DE SUPERIS SUM. Animæ origo cœlestis est, 279. 2. 280. 1

FERIA IV.

QUI VOLUERIT INTER VOS MAJOR ESSE, SIT VESTER MINISTER. Humilitas altos animos deprimit, 304. 2. Cur ipsa vocetur omnis justitia, *ibid.* 1. 2

PRINCIPES GENTIUM DOMINANTUR EORUM. Principes potius sunt affabiles erga suos, 332. 1

FERIA VI.

LAPIDEM QUEM REPROBAVERUNT. Christus qualis sit lapis, 105. 2. Quomodo sit lapis in caput anguli, 106. 1

QUIA SICUT PROPHETAM EUM HABEBANT. Sic Lycaonii S. Paulum ob eloquentiam putarunt esse Mercurium, 242. 1

DOMINICA III. IN QUADRAGESIMA.

ERAT JESUS EJICIENS DÆMONIUM. Judæi olim habebant exorcistas, 293. 1. Nomen Jesu dæmones pellit, *ibid.*

FERIA V.

SINGULIS MANUS IMPONENS. Laici nemini manus imponant, sed Episcopi, 245. 2

FERIA VI.

JESUS AUTEM FATIGATUS. Apostoli et ipse Christus Jesus pedites pagos et urbes obibant, 22. 2. 23. 1. Ut Christus occasione captata ex aqua puteali mulierem Samaritanam convertit, et ejus cives : sic Dei providentia componit rerum occasiones, 45. 2

DOMINICA IV. IN QUADRAGESIMA.

UT FACERENT EUM REGEM. Ut Judæi Christum regem facere voluere, sic Lycaonii Paulo ut Mercurio victimas offerre voluerunt, 242. 2

FERIA IV. POST DOM. PASSIONIS.

IN PORTICU SALOMONIS. Porticus Salomonis in templo Hierosolymitano quæ esset, an eam Gentiles ingrederentur, 97. 2

FERIA V.

FACIO OPERA PATRIS MEI. An operatio sit ratio præsentiæ Dei, 274. 2. Faciendum prius est quam docendum, 38. 1

SABBATO SANCTO.

ECCE TERRÆMOTUS FACTUS EST. Terræmotus quæ sint symbola, 109. 1

IN FESTO PASCHATIS.

SURREXIT, NON EST HIC. Quos dolores inferni solverit Deus Christum à morte resuscitans, 80. 1. Christus post mortem vere descendit in infernum, 81. 2. Sancti qui cum eo resurrexerunt, non redierunt deinde ad mortem et sepulturam, 83. 1. Anima Christi qua ratione eum resuscitarit à morte, 40. 1. Post resurrectionem egit ipse XL. diebus in terra antequam in cœlos ascenderet, *ibid.* 2. Joannes citius cucurrit Petro ad monumentum. Velocitas excutit acediam, 218. 2

FERIA II. POST PASCHA.

DUO EX DISCIPULIS IBANT. Religiosi semper bini incedant, 92. 1. Unionis quanta sit vis, 27. 1. 2

QUI POTENS FUIT IN OPERE ET SERMONE. Docendi sunt alii facto potius quam verbis, 38. 1

NOS SPERABAMUS. S. Pauli Apostoli spes in Deum invicta fuit, 15. 1. Christus Jesus quomodo sit spes nostra et Israel. 368. 2

NONNE OPORTUIT CHRISTUM PATI ET SIC INTRARE, etc. Patientia S. Pauli quam infracta fuerit, 18. 1. Deus decrevit passionem, non actionem necis Christi, 108. 1. In passionibus nobis est gloriandum, 129. 2. 130. 1. Per tribulationes oportet nos ad cœlum tendere, 245. 1. Cruces et passiones quam tam patientibus gloriam pariant, 371. 1

FERIA III. POST PASCHA.

NOLITE TIMERE. Timor in Scriptura sæpe capitur pro reverentia, 88. 1

DOMINICA IN ALBIS.

UBI ERANT DISCIPULI CONGREGATI. Concordia facit cor unum, et quare, 109. 2. Ejus in congregatione aliqua retinenda quæ sint media, 110. 2. Communis vita quos fructus adferat, 88. 2. 89. 1. Unionis et concordiæ quanta sit vis, 27. 1. 2

JANUIS CLAUSIS. An S. Petrus carceris, quo vinctus tenebatur, ostia clausa penetrarit, an vero angelus hæc ei aperuerit, 221. 1

PAX VOBIS. Hac formula salutant suos Hebræi. Salutatio Sanctorum semper efficax et salutaris est, 25. 1

DOMINICA II. POST PASCHA.

BONUS PASTOR PONIT ANIMAM PRO OVIBUS. A pastore requiritur anima quæ perit, 307. 2

DOMINICA III. POST PASCHA.

VOS VERO CONTRISTABIMINI. Dolere et pati pro Christo magna laus est, 130. 1

TRISTITIA VESTRA CONVERTETUR IN GAUDIUM. Consolationes divinæ quam sint suaves, 185. 2. Christianismi voluptas et gaudia quæ sint, 90. 1

DOMINICA IV. POST PASCHA.

DE PECCATO. Peccatum tripliciter fel est, 168. 1

DE JUSTITIA. Justitia quadrupliciter in Scriptura accipitur, 232. 1

DOMINICA V. POST PASCHA.

PETITE ET ACCIPIETIS. Primum Apostolorum et virorum Apostolicorum munus est oratio, 136. 1

UT GAUDIUM VESTRUM SIT PLENUM. Conscientiæ bonæ quantum sit gaudium, 337. 1

SCIMUS QUIA SCIS OMNIA. Deus intima quæque et cordis penitus latebras pervidet, *ibid.* 2

QUIA A DEO EXISTI. Animæ origo divina et cœlestis est, 279. 2. 280. 1

IN LITANIIS MAJORIBUS.

Date et dabitur vobis. Beatius est magis dare quam accipere, 310. 2. 311. 1

Et si ille perseveraverit pulsans. Perseverantia in bono proprie donum Dei est, 206. 2. Quanta ea sit virtus ex parte hominis, 207. 1

Nostis bona data dare filiis vestris. Beneficentia virtus vere Christiano digna est, 200. 2

IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI.

Christus cur tam cito ad cœlos ascenderit, 39. 2. idque sub meridiem, 42. 1. Ascensurus cur cum Apostolis suis pranserit, *ibid.* et hæc comestio an fuerit vera, *ibid.* 2. Ascensionis ejus modus et forma, 47. 2. Cur statim à resurrectione ascenderit, 48. 2. Cur coram Apostolis suis, 49. 1. An ascenderit nudus, 50. 1. Quo die ascenderit, 52. 2. Christus cœlum capit, eoque capitur, 99. 2. Post ascensum in cœlum subinde visibiliter in terra apparet, *ibid.*

Quid statis aspicientes in cœlum? Cœlos identidem nos aspicere, et illuc oculos deligere oportet, 149. 1

Super ægros manus imponent. Manus impositio de essentia Ordinis, 137. 2

IN VIGILIA PENTECOSTES.

Quia apud vos manebit, et in vobis erit. In Deo quomodo vivamus, moveamur et simus, 275. 1. 276. 2. 277. 2

Quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis. Homo Dei soboles est, 278. 2. 279. 1. Deus est nobis pater et mater, 279. 1

IN FESTO PENTECOSTES.

Quia Pater major me est. Christi divinitas adstruitur, 84. 2. 234. 2

Si quis diligit me. Deum semper præ oculis habebat, et religiose colebat, et diligebat Apostolus Paulus, 16. 2

Ad eum veniemus. Justis realiter datur Spiritus sanctus in justificatione, 71. 1. 277. 1

Spiritus sanctus cur in Jerusalem datus, 43. 1. Est proprius novo testamento, 44. 1. Pentecoste prima fuit Dominica, 63. 2. Est festum Spiritus sancti, 64. 1. Spiritus sanctus venit in Apostolos cum sono, *ibid.* 2. Ejus elogia, 65. 1. Variæ ejus apparitiones, *ibid.* 2. Apparuit in linguis sectilibus, *ibid.* Cur linguæ fuerint igneæ, 68. 1. Varii ejus effectus, *ibid.* 2. Spiritus sancti adventus confertur cum incarnatione Verbi, 70. 1. Ejus natura, qualitas et dignitas describitur, *ibid.* Ejus infusio, diffusio et effusio, 72. 1. Qua hora venerit, 78. 1. Spiritui sancto mentiri quid sit, 122. 1. Simonia quantum sit malum; est injuria in Spiritum sanctum, 165. 1. 166. 2

In Confirmationis Sacramento datur Spiritus sanctus, 165. 1. Quis ejus minister, et quæ materia, 164. 1. Baptismus Spiritus sancti et ignis quis sit, 44. 2

FERIA II. POST PENTECOSTEN.

Sed habeat vitam æternam. Vivendum nobis in Christo; 85. 2

IN FESTO SS. TRINITATIS.

SS. Trinitas et ipse Deus ab hominibus et angelis plene nequit intelligi, 271. 1. Deus cur vento comparetur, *ibid.* 2

Docete omnes Gentes. Rudium doctrina et catechizatio quantam utilitatem includat, 27. 1

Baptizantes eos. Baptismus Christi quis sit, 85. 1

IN FESTO VENERABILIS SACRAMENTI.

Caro mea vere est cibus. Sacrificium Missæ contra hæreticos adstruitur, 228. 2. 229. 1. Eucharistia quadrupliciter communio est, 86. 2. Ejus operatio et effectus, 87. 1. A laicis sub una duntaxat specie sumenda est, 88. 1

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

Uxorem duxi. Mulierum fuga suadetur, 24. 2. Castitatem an voverint primi fideles, 118. 2. Mulier quale sit animal, et ejus descriptio, 237. 1. 2

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

In navi quæ erat Simonis. Per hanc Ecclesia Rom. designatur, quæ omnes ad se venientes benigne admittit, et secundum corpus et animam bene habet, 196. 2. 197. 1

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

Attendite a falsis prophetis. Hæretici dum se invicem conficiunt digladiando, Ecclesia pace gaudet, 329. 2. Hæresis dure tractanda, et cito eradicanda, 129. 2

Qui veniunt ad vos in vestimentis ovium. Simplicitas physica et moralis quæ sit, 90. 2

Intrinsecus sunt lupi rapaces. Hæretici lupis comparantur ob octo analogias, 308. 2

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

Quia si cognovisses et tu. Occasio dum se offert, arripienda est, et rei alicujus gerendæ commoda captanda, 46. 1

DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

Ascenderunt in templum ut orarent. Oratio in templo melior est, quam quæ alibi funditur, 92. 2. Genua sæpe per diem orationis causa flectere solent Christiani, 312. 2

In templum. Mendici quare sedeant ad fores templorum, 94. 1

Gratias ago tibi. Homo quam sit Deo ob beneficia accepta adstrictus, 74. 2

Deus, propitius esto mihi peccatori. Compunctionis quanta sit vis, 84. 2. 85. 1

Omnis qui se humiliat exaltabitur. Sancti ob dona cœlitus accepta semper se humiliant, 61. 1. Humilitas S. Pauli quæ fuerit, 19. 2

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

Solutum est vinculum linguæ ejus. Lingua Spiritus sancti symbolum est, 67. 1. Linguis variis quomodo locuti sint Apostoli, 72. 2. E lingua et verbis potest intelligi quomodo quis sit in anima dispositus, 74. 1

Et loquebatur recte. Pauciloquentia commendatur, 67. 2

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

Diliges Dominum Deum ex toto corde. Amor S. Pauli in Deum et Christum quam fuerit vehemens, 16. 1

Et proximum sicut te ipsum. Charitas fraterna diu viguit inter primos Christianos, 110. 1

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

Cecidit in faciem ante pedes ejus. Episcoporum et Sanctorum pedes osculantur viri humiles, 114. 2

Ostendite vos sacerdoti. Confessio sacramentalis adstruitur, 294. 2. Ea frangit vires diaboli, 295. 1

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

Considerate lilia agri. Mundus et quid in eo creatum est, est Dei liber et carmen, 272. 2. Ex creaturis agnoscitur Deus, *ibid.*

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

Defunctus efferebatur. Sepelire mortuos quam pium sit opus, 158. 2. Ritus funebris et pompa Christiana quæ sit, et quis planctus, 159. 1. Mos sepulturæ priscorum Christianorum, *ibid.* 2

Adolescens, tibi dico: Surge. Mortis meditatio est optimum remedium superbiæ, 243. 1

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

Remittuntur tibi peccata tua. Peccatorum remissio quantum sit Dei donum, 101. 1

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

Licetne censum dare Cæsari. Liceatne Cæsari dare tributum, et an ad id Judæi nati liberi tenerentur, 128. 1

Quid me tentatis, Hypocritæ? Hypocritarum vera hypotyposis, 90. 2

Date Cæsari. Principes et reges sint affabiles erga subditos, 332. 1

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

Tetigit fimbriam vestimenti ejus. Sic et semicinctia Pauli sanant ægrotos, 292. 2. Sic umbra Petri inumbrati ægri sanitati reddebantur, 124. 2

Fides tua te salvam fecit. Quanta fuerit S. Pauli fides, 14. 2. Fides vocatur vita æterna, 237. 1

Non est mortua puella, sed dormit. Christianorum mors velut somnus quidam est, 155. 1

DOMINICA ULT. POST PENTECOSTEN.

Videbunt Filium hominis venientem. Judicium particulare

per angelos peragit Christus, 153. 2. Ipse est judex vivorum et mortuorum, 201. 1. Judicii extremi terroris stimulos duris peccatoribus admoveant concionatores, 339. 2

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Templorum frequentatio suadetur, 92. 2. Ecclesia cur vasi comparetur, 194. 2. Deus nullo loco contineri et concludi potest, etsi in templis habitet, 272. 1

Canonicarum horarum quæ sit origo, 93. 2

IN FESTO CONVERSIONIS S. PAULI.

S. Pauli Apostoli elogia, 13. 1. Ejus electio et vocatio, *ibid.* Ejus missio legitima, 14. 1. Ejus fides quanta fuerit, *ibid.* 2. Ejus mores fuere cœlestes, 25. 2. Fuit homo totus igneus, 26. 1. Variæ ejus virtutes, 15. et seq. Ejus proficiendi studium semper in melius, 25. 2. Lapidavit Stephanum omnium manibus, 153. 1. Unde hoc nomen acceperit prius dictus Saulus, 173. 1. Fuit Benoni et Benjamin, *ibid.* 2. Ejus conversio enarratur, 174. 1. Cur festum Conversionis ejus Ecclesia celebret, 175. 2. Quo anno sit conversus, 182. 2. 183. 1. Gratia ei data fuit efficacissima, 176. 2. Est vas electionis, et quomodo, 179. 2. Ejus gesta in Hispania, 370. 2. Quomodo ubique indefesse prædicaret, 26. 2. Ejus prudentia in omnibus actionibus, 28. 2. Ejus zelus quantus fuerit, *ibid.* Quanta ejus magnanimitas, 21. 1

Domine, quid me vis facere? Plenam habuit voluntatis resignationem et conformitatem cum divina, 17. 1

IN FESTO PURIFICAT. B. VIRGINIS.

Secundum legem Moysi. Votum Nazareatus quando fecerit Paulus, et id solverit, 287. 1

Ecce positus est hic in signum cui contradicetur. Contradictio signum est Christi et Christianismi, 369. 1

IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI.

Super hanc petram fundabo. S. Petrus quando suo primatu fungi cœperit, 54. 2. Romam quando profectus sit, 224. 1. Ipse Romanorum fuit Episcopus, non Paulus, 370. 1

IN FESTO S. MATTHIÆ.

S. Matthias quis fuerit, unde dictus, 58. 2. Sorte quali et quomodo electus sit, 59. 2

IN FESTO S. BARNABÆ.

S. Barnabæ Apostoli vita, nominis etymon, prosapia, genus, 115. 1. 2. Ejus elogia, 229. 1. Cur vocatus sit à Lycaoniis Jupiter, 241. 1

IN FESTO SS. PETRI ET PAULI.

S. Paulus vere bestiis objectus fuit Ephesi, 300. 2. Ipse Melitensibus septem præclara privilegia concessit, 361. 1. Ejus martyrium, 31. 2. 32. 1

IN FESTO COMMEMOR. S. PAULI.

Estote prudentes sicut serpentes. Consideratio nobis in operibus nostris est adhibenda, 222. 1

IN FESTO S. JACOBI.

Illi continuo relictis retibus secuti sunt eum. Deo vocanti quamprimum respondendum et parendum est, 177. 2

S. Jacobus cur ab Herode gladio cædatur, 212. 1. Ejus varia privilegia tum ante mortem, tum post eam accepta, *ibid.* 2. Quo anno Christi occisus sit, 213. 1. 2

IN FESTO VINCULORUM S. PETRI.

Vincula et catenas S. Petri quomodo Deus et Ecclesia honorarit, et miracula per eas patrata, 217. 2. Qua ratione S. Petrus ab angelo è carcere eductus sit, 218. 1. 2

IN FESTO ASSUMPT. B. MARIÆ VIRG.

B. Mariæ Virginis mira humilitas, 53. 2. Fuit doctrix Apostolorum, ideo relicta à filio in terra vivere, ut eos edoceret de omnibus, 131. 2. Ipsa est Diana Christianorum, 297. 2. 298. 1. Quando mortua sit et quomodo, 315. 2. 316. 1

IN FESTO S. MICHAELIS.

Qui scandalizaverit unum de pusillis. Pauci, pueri, rudes et rustici, non minus docendi quam multi, majores et nobiles, 197. 1. Rudium doctrina et catechizatio quam sit utilis, 27. 1

Angeli eorum vident. Angeli sæpe induunt formam et personam suorum clientum, 223. 2

IN FESTO S. LUCÆ.

Neminem per viam salutaveritis. Salutatio Sanctorum efficax est et salutaris, 25. 1

Misit illos binos. Quanta Christianorum inter se debeat esse fraternitas, 55. 1. Religiosi bini incedant, 92. 1

S. Lucas ubi S. Paulo adhæserit, et an continue, 256. 2. Fuit pictor, 34. 2. Ejus vita, elogium, dignitas, facta, martyrium, 35. 1. 2

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Beati pauperes spiritu. Ananias an votum paupertatis fecerit et violarit, 117. 1. 2. Paupertas S. Pauli, 22. 2. *Vide Dom. II. Adventus.*

Beati qui persecutionem patiuntur. Persecutores fabricant fidelibus coronas, 108. 2. In tribulatione Christiano semper gaudendum, 129. 2. 130. 1

IN COMMEMOR. FIDEL. DEFUNCT.

Animæ an inferno et cœlo aliquando egredi queant, 100. 1. Vitæ semel restituti, certi sunt se postea damnationem evasuros, 188. 1

Sepelire mortuos quam sit pium, 158. 2. Planctus in morte Christianorum qualis esse debeat, 159. 1

IN COMMUNI APOSTOLORUM.

Apostolorum quanta sit dignitas, 12. 1. Sunt velut cœli, *ibid.* 2. An sunt in Pentecoste creati Episcopi, 69. 2. Vino et carne communiter abstinebant, 24. 1. Quatuor eorum dotes, 39. 1. Eorum encomia, 47. 1. 65. 1. Voverunt paupertatem, 118. 1. Eorum magis est pati quam agere, 181. 1

Viri Apostolici imago, 18. 1. Apostolatus cur vocetur sors, 55. 1. Apostolici viri sunt velut novi homines, 26. 2

IN COMMUNI PONTIFICUM.

Cardinales primi qui fuerint, et eorum munia, 135. 2. Diaconorum et Diaconissarum officia, *ibid.* 1. Prælatus sit stomacho leonino, 195. 2. Prælatorum est manus imponere, non laicorum, 245. 2

Calceamenta in præparationem Evangelii. Caliga quomodo vocetur calceus, 219. 2. Sandalium erat solea, *ibid.* 220. 1

IN COMMUNI CONFESSORUM.

Christiani primi duxerunt vitam religiosam, 119. 1. Essenorum (qui fuere primi Christiani) vita, studia, mores, continentia, 119. 1. 2. Religiosus status cur vasi comparetur, 194. 2

Cœnobiticæ vitæ prima institutio et occasio, 88. 2. 110. 1. Zeli quis sit effectus, 29. 2

IN COMMUNI MARTYRUM.

S. Paulus fuit Martyr toto apostolatus tempore, 31. 2

IN COMMUNI VIRGINUM.

Virginitatis symbolum est rosa, 222. 2

Virginum vox velut tonitru impuros percellit, 340. 1. Sobrietas et castitas S. Pauli quanta fuerit, 23. 2

FINIS.

CORNELIUS A LAPIDE.

COMMENTARII

IN

EPISTOLAS

CANONICAS.

COMMENTARIUS

IN EPISTOLAS

CATHOLICAS.

ARGUMENTUM.

SEPTEM sequentes Epistolæ, nimirum una S. Jacobi, duæ S. Petri, tres S. Joannis, una S. Judæ, vocantur Catholicæ. Cujus epitheti varii varias dant causas. Vera et genuina est nimirum catholicas hîc non opponi hæreticis, q. d. Epistolæ hæ Christianæ sunt et orthodoxæ, non hæreticæ. Quis enim hoc negat aut nescit? Simili enim ratione Epistolæ S. Augustini, Basilii, Hieronymi, Nazianz. Cypriani, Bernardi, etc., vocandæ essent Catholicæ. Catholicum ergo hîc non opponitur erroneo, sed privato, et particulari, idemque est quod universale et commune, q. d. Epistolæ hæ non sunt particulares et privatæ, v. g. ad amicum; nec tractant particularia negotia, uti faciunt Epistolæ Ciceronis et aliorum, quæ inde Familiares vocantur; sed sunt universales et œcumenicæ, tractantque res omnibus Catholicis et fidelibus communes: unde per eos ubique terrarum spargendæ, recitandæ, crebroque legendæ et relegendæ sunt.

Similes, imo eædem fuere Epistolæ encyclicæ, sive circulares, quas Episcopi de rebus gravibus et publicis, v. g. de persecutione et martyriis, scribebant et mittebant ad omnes Ecclesias totius orbis, communis fidei et ædificationis causa, ut talibus exemplis et monitis fideles ubique ad constantiam animarent: unde et publice in Ecclesiis legebantur. Tales sunt encyclicæ S. Clementis, Theophili Alexand. S. Ignatii, S. Polycarpi, etc. Sicuti enim Judæi et hostes Ecclesiæ mittebant litteras contra Christianos, et Christianam fidem per totum orbem, ut eam cunctis exosam redderent, teste S. Hieronymo præfat. in Epist. S. Pauli; sic ex adverso Apostoli et Episcopi mittebant encyclicas, id est orbiculares, ad fideles totius mundi, ut eos in fide et virtute confirmarent. Hinc Appollonius apud Eusebium lib. 5. cap. 17. de Themisonte ait: *Audebat, Apostolum imitando, Catholicam ad omnes Ecclesias Epistolam contexere.* Idem Eusebius ait Dionysium, Corinthiorum Episcopum, Catholicas ad Ecclesias scripsisse Epistolas Catholicas, id est universales, et encyclicas sive circulares. *Catholicum* enim vox Græca est (composita ex κατα, id est, *juxta, secundùm, per, propter, circa*, et ὅλον, id est, *totum, commune, universum*) significans commune, generale et universale. Sic οἱ κοινοὶ καὶ καθολικοὶ λόγοι vocantur ab Hermogene. Catholicum ergo est, quod circa omnia versatur. Inde Medici vocant Catholicum pharmacum, quod omnibus simul humoribus vacuandis utile est. Inde præcepta universalia, vel perpetualia vocant Catholica, ait Quintil. lib. 2. cap. 13.

Inde fides et Ecclesia vocatur Catholica; est-que hæc ejus nota, et indicium præcipuum, quod scilicet ipsa sit universalis, omnium nimirum gentium locorum et temporum; cum hæreses particularium sint personarum, regionum et ætatum, suis limitibus et angulis circumscriptæ. Audi S. August. Epist. 170. ad Severinum: *Ipsa est Ecclesia Catholica; unde* καθολική *græce appellatur, quod per totum orbem terrarum diffunditur. Hanc ignorare nulli licet; ideo secundùm verbum Domini nostri Jesu Christi abscondi non potest.* Idem Augustinus contra Epistolam fundamenti cap. 4. *In Ecclesiæ Catholicæ gremio me justissime tenet consensio populorum atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit usque ad præsentem Episcopatum, successio sacerdotum. Tenet postremo ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere.* Venerab. Beda in Cantic. cap. 6. *Sicut*, ait, *unus Dominus, una fides, unus baptismus, unus Deus et Pater omnium; ita est una Catholica omnium electorum multitudo per omnia et mundi loca, et tempora sæculi, eidem uni Deo et Patri subjecta.* S. Pacianus Barcinonensis Episcopus Epist. 1. ad Sympron. Novatianum de Catholico nomine: *Christianus*, inquit, *mihi nomen est, Catholicus vero cognomen; illud me nuncupat, istud ostendit. Hoc probor, inde significor, etc. Catholicus, ubique unum, vel, ut doctiores putant, obedientia omnium nuncupatur, mandatorum scilicet Dei; atque ita Catholicus Christianus est.* S. Hilarius ad Constantium Imper. *Certe*, ait, *voces exclamantium à tua mansuetudine exaudiri decet. Catholicus sum, nolo esse hæreticus: Christianus sum, non Arianus; et melius est mihi in hoc sæculo mori, quam alicujus privati potentia dominante castam veritatis virginitatem corrumpere.* Rursum S. Aug. in Psal. 65. ad illud: *Jubilate Deo, omnis terra: Nemo*, ait, *jubilet in parte, omnis terra jubilet, Catholica jubilet, Catholica totum tenet. Quicumque partem tenet, et à toto præcisus est, ululare vult, non jubilare.* Præclare vero Vincentius Lirinensis in aureo libello contra profanas hæresum novitates: *In ipsa*, ait, *Catholica Ecclesia magnopere curandum est ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum. Hoc est enim vere proprieque Catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia vere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fit, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequimur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram*

esse fateamur, quam tota per orbem confitetur Ecclesia. Antiquitatem vero ita, si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos sanctos majores ac patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium, vel certe pene omnium sacerdotum pariter et magistrorum definitiones sententiasque sectemur.

Hanc Catholicam fidem, legem, Ecclesiam describunt, et Catholicis ubivis locorum et temporum demonstrant, et commendant hæ epistolæ; idcirco Catholicæ nuncupantur. Unde eædem quoque Canonicæ cognominantur; quia scilicet fidelibus Apostolicum Canonem, regulam, normam et formam recte credendi, et Christiane vivendi præscribunt; et quia Canonicam S. Scripturæ, veritatisque à Deo revelatæ auctoritatem dignitatemque obtinent, uti contra nonnullos olim hac de re, teste Eusebio lib. 3. Histor. c. 25. dubitantes, definiunt Concilia, Laodicense, Carthagin. III. cap. 47. Florent. et Trident. sess. 4. Hinc et à Patribus Catalogum Librorum Canonicorum S. Script. recensentibus, eidem inscribuntur, ut ab Innocentio I, Gelasio, Origene, Epiphanio, Athanasio, Hieronymo, Augustino, Damasceno, et aliis quos citat Bellarminus l. 1. de Verbo Dei c. 18. Præclare S. Hier. epist. 103. ad Paulinum: *Jacobus*, inquit, *Petrus, Joannes, Judas, septem Epistolas ediderunt, tam mysticas, quàm succinctas, et breves pariter ac longas: breves in verbis, longas in sententiis; ut rarus sit, qui non in earum lectione cæcutiat.*

Nota: Similes, imo eædem sæpe sententiæ reperiantur in Epistolis Canonicis, quæ in Paulinis. Ratio est, quia idem Spiritus per omnes Apostolos loquebatur; et quia omnes eodem ævo, iisdem populis, eadem de re, fide et virtutibus scripserunt. Eadem de causa, quod unus Propheta dicit, dicunt et cæteri, uti in Proœmio eorum ostendi. Quare Paulinæ Epistolæ magnam lucem hisce Canonicis afferunt: Paulus enim uberior est, et uberius mores fidelium sui ævi expressit, et correxit. Igitur dogmata, et sententiæ Pauli antistrophæ sunt sententiis S. Petri, Jacobi, Joannis et Judæ, uti suis locis ostendam. Voluit enim Deus hanc consensus harmoniam, et quasi concentum in Epistolis æque ac in Evangeliis existere, ad indubitatum veritatis Evangelicæ testimonium, ut nemo de ea dubitare possit, dum omnes Apostolos et Evangelistas, locis licet et temporibus disjunctos, idem tamen de ea scribere et constanter asseverare legit, imo conspicit. Epistolæ ergo hæ continent medullam Evangelii: earum enim scriptores Apostoli fuerunt præcones Christi; unde passim ad verba et dogmata Christi in Evangeliis descripta alludunt, imo eadem citant, ac fidelibus in memoriam revocant et inculcant.

Porro S. Judas totus est in fide orthodoxa, S. Joannes in charitate, S. Jacobus in oratione et patientia, S. Petrus in sanctitate Christiana fidelibus commendanda. Exstant inter Opera S. Thomæ Aquinatis Comment. in Epistolas Canonicas; sed hæc per errorem adscribi S. Thomæ Doctori Angelico, cum sint Thomæ Anglici, uti et Comment. in Genesim, Isaiam, Jeremiam et Apocalypsin, docent Sixtus Senensis et Possevinus in Biblioth. noster Lorinus et alii: licet Bellarm. et nonnulli alii opinentur ea esse genuina S. Thomæ Aquinatis.

IN EPISTOLAM
SANCTI JACOBI

PROOEMIUM.

Tria hic præmittenda sunt. Primum, de auctoritate hujus Epistolæ. Secundum, de argumento. Tertium, de auctore.

Quoad prim. Lutherus hoc loco, hanc Jacobi epistolam a Canone S. Scripturæ resecat, eamque vocat straminean, aridam, et Apostolo indignam. Ratio ejus est, quod ipsa commendans opera bona, adversetur doctrinæ Lutheri dicentis, nos sola fide justificari, imo S. Pauli, qui idem docet Roman. 3. 28. inquit Lutherus. Lutherum sequitur Brentius, Kemnitius, et Centuriatores Magdeburgenses, quin et Erasmus hoc loco asserit, eam non redolere gravitatem Apostolicam.

Verum de fide est, hanc Epistolam esse Canonicam, partemque genuinam S. Script. Id enim definiunt Concilia paulo ante citata : idem docent Patres citati, adeoque hic est sensus et consensus totius Ecclesiæ, uti multis veterum et recentiorum testimoniis ostendit Judocus Coccius in Thesauro Catholico tom. 1. lib. 6. pag. 713. Ad argumentum Lutheri respondet S. August. lib. de Fide et operibus cap. 14. ideo S. Jacobum, Petrum, et Joannem suas scripsisse Epistolas, ne quis legens Epistolas S. Pauli, præsertim ad Romanos, putaret cum Luthero solam fidem sufficere ad salutem. Explicant ergo Paulum, docentque eum per fidem non excludere, sed includere opera ex fide manantia ; sicut arbor non excludit, sed includit fructus, quos progignit et portat. Quocirca Calvinus l. 3. Instit. c. 17. §. 11. et 12. et Calvinistæ Epistolam S. Jacobi admittunt ut Canonicam. Soli ergo Luthero cum suis videtur straminea, vereque talis est : tum quia ut stramen accensum urit et evertit straminean ejus fidem : tum quia ut stramen ignitum comburit, et in æternum comburet blasphemam ejus linguam, qua hanc Epistolam Spiritui sancto adimit, et diabolo errorum auctori ascribit. Vide Bellarm. l. 1. de verbo Dei c. 18. ubi octo argumenta, quæ Lutherani huic Epistolæ objiciunt, dissolvit et confutat.

Porro in collocandis Epistolis Canonicis in Bibliis, non est servatus ordo dignitatis : sic enim præponi debuissent Epistolæ S. Petri, utpote Principis Apostolorum, sed temporis. Præponitur ergo cæteris Epistola S. Jacobi, sive quod prius sit scripta, sive quod prius inter Canonicas Scripturas post mortem ejus sit relata. Mortuus est enim Jacobus sex annis ante S. Petrum, et 38. annis ante S. Joannem : S. Jacobus enim obiit anno Christi 63. S. Petrus 69. S. Joannes 101. Vide Chronotaxim. Denique si earum veritatem et auctoritatem spectes, auctoremque primarium, nullus inter eas est ordo ; sed omnes sunt pares et æquales. Omnes enim habent veritatem et auctoritatem canonicam, quia omnes dictatæ sunt à Spiritu sancto.

Quoad secundum. Quæritur, quodnam sit argumentum hujus Epistolæ ? Respond. Scopus et argumentum ejus est. Primo, animare fideles ad constantiam in persecutione, quam patiebantur à Judæis et Gentibus : Hoc enim est ejus exordium ; *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis ;* ac deinceps, graphice invictæ patientiæ decus et Majestatem depingit. Secundo, commendare opera bona, et exercitium virtutum, præsertim pietatis et charitatis. Quia enim S. Paulus in epist. ad Roman. et ad Galatas, adeo extulerat fidem Christi, et depresserat opera legis : ne quis id acciperet, et extenderet ad opera fidei et charitatis, ideoque otiose in fide et gratia Christi conquiesceret, explicat, docetque opera fidei requiri ad meritum et ad salutem ; præsertim quia Simon Magus (quem hoc ævo secutus est Lutherus, Calvinus, eorumque asseclæ) occasionem ex Paulo nactus palam docuit non requiri opera ad salutem, solamque fidem sufficere. Audi de eo Irenæum l. 1. cap. 20. *Docebat*, inquit, *eos qui in eum, et Selenem* (uxorem vel meretricem) *ejus spem habebant, ut liberos agere quæ velint : secundum enim ipsius gratiam salvari homines, sed non secundum operas justas.* Hanc primam primi hæresiarchæ (quem mox secutus est Menander, Carpocras, Valentinus, Eunomius, Gnostici, aliique plurimi) hæresin statim in ejus exordio convellere et confutare aggressi sunt Apostoli, puta SS. Petrus, Jacobus et Joannes; tam verbo quam scriptis Epistolis. Tertio, quia idem Simon docebat libertatem carnis, æque ac Lutherus, ac proinde Christianos à lege liberos, libere posse vacare ventri et veneri ; solam enim fidem sufficere ad salutem : Jacobus eidem fortiter resistit, docetque contrarium, nimirum concupiscentiæ mortificationem, continentiam, abstinentiam, modestiam ; multis enim laboribus, ærumnis, persecutionibus, et sæpe morte ac martyrio comparandum esse regnum cœlorum. Itaque verbis, scriptis et factis, adversus fluvium carnis libertate late fluentem et exundantem, validissimum opponit aggerem. Simon enim Magus erat Samarita, suosque errores spargebat in Samaria, quæ vicina est Hierosolymæ, eoque eosdem derivabat. Debuit itaque ex officio Pastorali S. Jacobus, quasi Hierosolymæ et Judææ Episcopus, ei, quasi gregis sui lupo, palam omni conatu sese opponere. Fuit ergo ipse vere Jacob, id est, pastor fidelium, supplantator infidelium. Hinc ejus Epistola est Catholicæ fidei vitæque Canon et regula. Inter alia enim docet, Primo, omne malum à nobis oriri, omne bonum à Deo Patre luminum, ideoque illud ab eo postulandum : Secundo, sapientiam Christianam distinguit à mundana. Tertio, mundum adversari Christo, et Christum mundo. Quarto, mortificandas esse animi cupiditates. Quinto, vanam et inanem esse ambitionem, et prosperitatem hujus vitæ. Sexto, Deum fore

scelerum et sceleratorum judicem et vindicem, ideoque cavendam personarum acceptionem et contemptum pauperum. Septimo, ambiendam esse amicitiam Dei, sæculi vero fugiendam. Octavo, vitandam esse anxiam sollicitudinem de rebus futuris, et quiescendum in paterna Dei cura et providentia. Quarto, illustria omnium virtutum dat documenta, præsertim fidei, spei, religionis, mansuetudinis, simplicitatis et candoris, beneficentiæ, et curæ pauperum, silentii et frænandæ iræ ac linguæ, mutuæ charitatis et benevolentiæ, fugiendam esse avaritiam et juramentum, in tribulatione patienter expectandum esse Dei adventum. Quinto, sancit sacram unctionem infirmorum, item precandi et psallendi studium : insuper sacram exomologesin. Denique *Qui converti*, inquit, *fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, et operiet multitudinem peccatorum.* Ex dictis liquet, hanc epistolam scriptam esse post epistolam S. Pauli ad Romanos ; quam cum ille scripserit anno Christi 58. sequitur post illum annum hanc scriptam esse à Jacobo, ac consequenter non diu ante mortem et martyrium quod obiit ipse anno Christi 63. Nam, ut ait S. Irenæus lib. 3. cap. 1. Apostoli toti intenti erant prædicationi, ideoque sero cœperunt sua dogmata scriptis mandare.

Porro videri posset hæc Epistola scripta Hebraice, utpote ab Hebræo Jacobo ad Hebræos per orbem dispersos. Verum communior sententia est, scriptam esse græce ; tum quia lingua Græca eo tempore erat communis, etiam Judæis, præsertim dispersis. Unde utebantur ipsi promiscue Græca versione Septuag. æque ac Hebræo Bibliorum textu : ideoque Christus et Apostoli, quin et Josephus ac Philo citant Mosen et Prophetas juxta versionem Septuag. non juxta Hebræum Textum : tum quia Jacobus hanc epistolam, etsi primario scripserit Judæis, secundario tamen scripsit Gentibus, adeoque seculis omnibus : Gentium autem lingua tum latissime patens, erat Græca, tum denique quia S. Athanas. in Synopsi scribit Evangelium S. Matthæi à S. Jacobo translatum esse, utique ex Hebræo in Græcum, quasi universalius idioma. Ergo eodem videtur S. Jacobus scripsisse suam epistolam, ut plures eam legere et intelligere possent Sic S. Petrus, S. Joannes, S. Judas, S. Paulus omnes suas epistolas, excepta ad Hebræos et ad Romanos, scripserunt græce.

Commentati sunt veteres plures in hanc Epistolam. Primo S. August. sed intercidit hic ejus Commentarius. Audi eum lib. 2. Retract. c. 32. *Inter opuscula mea reperi expositionem epistolæ Jacobi Apostoli, quam retractans adverti annotationes potius expositorum quorumdam ejus locorum, in librum redactas fratrum diligentia, qui eas in frontibus codicis esse noluerunt. Adjuvant ergo aliquid, nisi quod ipsam epistolam, quam legebamus quando ista dictavi, non diligenter ex Græco habebamus interpretatam.* Secundo, Didymus Alexandrinus præceptor S. Hieronym. brevem et eruditum scripsit Commentarium in hanc epistolam et in cæteras Canonicas. Extat is t. 8. Biblioth. SS. Patrum. Tertio, Extat in hanc epistolam Catena Græcorum Patrum, scilicet S. Dionysii, Athanasii, Irenæi, Chrysost. Nazianzeni, Basilii, Nysseni, Epiphanii, Cyrilli, Theodoreti et aliorum, quam Joannes Felicianus in Latinum convertit. Quarto, V. Beda. Quinto, Œcumenius. Sexto, Thomas, non Aquinas nec Anglicus (ille enim Lyrano fuit anterior ; mortuus est enim anno Domini 1274. Lyranus autem floruit anno 1320. Hic autem Auctor citat Lyranum commentans in epist. 1. S. Petri c. 2. v. 19.) sed Anglicus Doctor Angelico non absimilis, sive acumen, sive doctrinam, sive stylum, sive professionem (fuit enim Ordinis S. Dominici) spectes, sed eo posterior : floruit enim anno Domini 1400. teste Sixto Senensi in Biblioth. Ex recentioribus scripserunt perplures passim noti, recentissime et exactissime Balthasar Paes Lusitanus, Franc. Fevardentius, Petrus Stevartius Gregorius Primaticcius, qui breviter, sed nervose S. Jacobi sententias per syllogismos stringit et connectit. E Societate nostra P. Alfonsus Salmeron, Benedictus Justinianus, et Joannes Lorinus. Hos omnes sequar, sed more meo per compendium et mellilegium.

Quoad tertium. Quæritur, quis sit hujus epistolæ auctor? Negat Lutherus et Erasmus esse S. Jacobi; dubitat Cajetanus. Verum Concilia jam citata, æque ac Patres, totaque Ecclesia ascribit eam S. Jacobo. Quare de fide est eam esse S. Jacobi. Sed dubium est utrius sit. Duo enim inter Apostolos fuerunt Jacobi, unus filius Zebedæi, frater S. Joannis, occisus ab Herode, Actor. 12. 2. patronus Hispaniæ, qui cognominatur Major. Alter Alphæi, qui frater Domini Galat. 1. 19. et à S. Marco c. 15. 40. *Minor* (sive ætate, sive vocatione, ut vult noster Lorinus; sive statura, ut vult Fevardentius : sive quo alio respectu) cognominatur, fuitque primus Episcopus Hierosolymæ. Jacobo Zebedæi hanc epistolam tribuunt Hispani nonnulli, ut Lucius Dexter in Chronico, ubi asserit S. Jacobum prædicasse Judæis per Hispaniam dispersis, iisque hanc scripsisse epistolam. Additque *quæ fuit prima Scriptura novi testamenti, tanto Apostolo digna.* Idem habet versio Arabica et Mozarabes in Liturgia, ac eorum Patriarcha S. Isidorus lib. de Vita et morte Sanctor. c. 73. quos citat quorumque sententiam probabilem esse censet noster Gaspar Sanchez tract. 3. de Profectione S. Jacobi in Hispaniam c. 12. Idem habet Syriaca versio Widmanstadii, quæ hanc epistolam tribuit S. Jacobo, qui, cum S. Petro et S. Joanne interfuit transfigurationi Christi : ille autem fuit Zebedæi, non Alphæi. Idem censet Sixtus III. Pont. epist. de Malis Doctoribus, quæ extat tom. 5. Biblioth. SS. Patrum. Sed, ut bene notant ibidem Doctores Parisienses in ultima editione, Bellarm. de Scriptor. Eccles. Baron. et alii, epist. hæc falso ascribitur Sixto III. Pont. (quod nomen multos viros doctos decepit) cum sit Pelagiani cujuspiam. Omnia enim tribuit libero arbitrio, et gratiæ nihil : asserit hominem posse vivere sine omni peccato, etiam levissimo. Denique totus scatet erroribus Pelagionorum.

Verum alii passim, et veteres et recentiores, hanc epistolam tribuunt S. Jacobo Alphæi, primo Hierosolymorum Episcopo. Ita S. Hieron. in Catalogo Script. Eccles. in Jacobo, Euseb. l. 2. Hist. c. 22. vel 23. S. Aug. in c. 2. epist. ad Galat. S. Ambr. l. 7. in Lucam, c. 9.

Hic Jacobus fuit frater Judæ et Simonis Apostolorum, ut patet ex epist. Judæ v. 1. ac Joseph Justi, qui oppositus fuit S. Matthiæ in sorte Apostolatus, Actor. 1. 28. Matth. 13. 55. Filius fuit Alphæi, qui alio nomine dictus est Cleophas

et Mariæ, quæ à filio cognominata est, Jacobi; à merito, Cleophæ : licet nonnulli velint Cleopham fuisse patrem Mariæ, et consequenter avum Jacobi. Quod enim nonnulli distinguunt Jacobum Apostolum ab Episcopo Hierosolymæ, tresque faciunt Jacobos, primum Zebedæi, secundum Alphæi, tertium Episcopum Hierosolymæ, qui fuerit Auctor hujus epistolæ, uti faciunt Epiphan. hæresi 76. Doroth. in Synopsi, et insinuant S. Chrysost. Theod. Theoph. et clarius Clemens l. 2. Constit. Apost. c. 59. refellunt S. Hieron. Euseb. Clemens Alex. Baron. et alii, et ex iis Franc. Suarez 3. p. t. 2. disp. 5. sect. 4. Imo Conc. Trident. sess. 4. ubi auctorem hujus epistolæ asserit esse Jacobum Apostolum, de quo plura c. 1. v. 1.

Porro quia, ut ait S. Ambros. lib. 2. de Virgin. *Primus discendi ardor est nobilitas magistri*, Jacobus hic fuit miræ sanctitatis et sapientiæ. Id patet Primo, ex eo, quod vocatus sit frater Domini; tum quia cognatus erat Christi : tum quia Christo simillimus moribus, forma et vultu, teste S. Ignatio epist. 2. ad Johan. et Origine l. 1. contra Celsum, ac si Christi frater et gemellus fuisset. Quare necesse est Jacobum eximia fuisse forma et pulchritudine. Talis enim fuit forma Christi, teste Psalte : *Speciosus forma præ filiis hominum.* Psalm. 44. 3. Rursum hinc sequitur, Jacobum Christo, Apostolis, et Christianis fuisse percharum. Similitudo enim, æque ac virtus est conciliatrix amoris et amicitiæ. Addit Epiphan. hæresi 70. Jacobum à puero simul cum Christo fuisse educatum. Hinc cognominatus est *Justus*, ab eximia justitia et sanctimonia, teste S. Hieron. in Galat. 1. Euseb. lib. 2. Hist. cap. 1. Chrysost. hom. 5. in Matth. et Antiocho monacho hom. 72. qui addit, hoc justi cognomen à singulari justitia illi esse inditum communibus omnium suffragiis. Unde cognominatus est à Græcis Patribus ἀδελφόθεος, id est, *frater Dei.* Hinc et nonnulli dicunt Jacobum instar Johannis Baptistæ et Jeremiæ, sanctificatum fuisse in utero matris. Ita S. Epiph. hæresi 29. Hegesippus apud S. Hieron. in Jacobo, et S. Antoninus 3. p. t. 31. c. 8. penes quos sit hujus rei fides. Certe mater ejus Maria Jacobi sanctissima, è Jerusalem Verulas in Italiam translata, multis magnisque claret miraculis, ut habet Martyr. Rom. die 25. Maii, et Chronica Verulensium.

Secundo, sicut Christus fuit minister circumcisionis, ut ait Apostolus Rom. 15. 8. hoc est, solis prædicavit Judæis, tanquam genti fideli, sanctæ et à Deo electæ, cui per Prophetas eumdem, tanquam Messiam et Salvatorem promiserat; ita et Jacobus quasi Christi frater, successor et heres, ex omnibus Apostolis, ab iisdem jussu Christi, teste Eusebio lib. 7. Histor. c. 14. in fine electus et constitutus est sanctæ civitatis, puta Hierosolymæ, Episcopus, ac Judæorum Pastor. Unde Hesychius in oratione, quæ extat apud Photium in Biblioth. numer. 833. Jacobum vocat novæ Jerusalem summum ducem, sacerdotum principem, Apostolorum verticem, in lampadibus resplendentem, et inter astra maxime illustrem. Porro institutus est Jacobus Episcopus Hierosolymæ à S. Petro, Johanne et Jacobo fratribus, ait Anacletus Pontif. epist. ad Episcopos Italiæ : idque postridie necis S. Stephani, ait Beda in Chron. puta die 27. Dec. anno Christi 34. ut scilicet libertate et increpatione S. Stephani exacerbatos Judæorum animos sua benignitate, modestia et mansuetudine leniret; idque ita præstitit, ut pacifice in ea quasi Episcopus resederit, Ecclesiamque rexerit per 29. annos. Successit ergo Jacobus Christo, quasi frater fratri, ut illi semen suscitaret, quod proinde Christianorum, non Jacobitarum nomen sortiretur. Unde et eidem Christus ad Patrem vadens, filios matris Ecclesiæ commendavit, ait S. Hier. in c. 1. ep. ad Gal.

Tertio, S. Epiphan. hæresi 78. asserit ejus cognomen vulgo fuisse *Oblias*, id est *mutus* (perperam aliqui legunt *manus*) *et præsidium;* pro quo alii legunt *Ophilas*, ab עפל *ophel*, id est arx, turris celsissima et munitissima : qualis erat illa templi, caput nubibus pene inserens, cujus proinde verticem intuentes caligabant oculis. Unde hebr. dicta est *Ophel*, id est caligo, de qua Josephus l. 2. Belli c. 18. et l. 6. c. 6. et l. 7. c. 13. Et Poeta :

> Aspice surgentes obscura in nubila moles,
> Templaque sidereis invidiosa globis.

Idque Primo, quia S. Jacobus orationi addictissimus, in ea quasi in cœlum rapiebatur ad Deum pleno mentis ascensu. Secundo, qui sua oratione et sanctitate erat quasi arx et præsidium, tutans et propugnans totam Ecclesiam, totumque Judæorum populum. Hinc ex frequenti et continua oratione non tantum genua habebat callosa, sed et frontem, utpote quam ex profunda humilitate et reverentia terræ affligebat, teste S. Chrysost. hom. 5. in Matth. Testatur S. Epiphan. hær. 78. S. Jacobum urgente magna siccitate elevantem ad cœlum manus, quasi alterum Mosen Deum precatum esse, ac mox pluviam impetrasse.

Quarto, S. Jacobus erat Nazaræus : unde vino, carne, animatis omnibus, oleo, balneis, vestibus laneis, cæterisque deliciis abstinebat. Ita Eusebius, Epiphanius, et alii citati. Addit Epiph. hæresi 78. eum semper virginem permansisse, putatque hunc illum fuisse, qui relicta sindone nudus tempore passionis Christi aufugit : idcirco id opinatus, quod S. Jacobum lineam sindonem semper induere solitum constet. Tradit insuper eum nudis pedibus incedere consuevisse.

Quinto, S. Jacobus fuit post S. Petrum Ecclesiæ et fidei columna, uti eum nuncupat S. Paulus Galat. 2. 9. ubi quoque asserit se cum eodem contulisse suum Evangelium, *ne in vacuum currerem*, inquit, *aut cucurrissem.* Unde Petrus è carcere per Angelum liberatus illico hujus rei nuncium misit ad Jacobum, Act. 12. 17. Hinc et Judas scribit et gloriatur se fratrem Jacobi; et mater ejus, etiamsi plures habuerit filios, eosque Apostolos, à digniori tamen vocatur mater Jacobi, Marci 16. 1.

Sexto, S. Jacobus fuit proprius Judæorum Pastor et patronus. Unde ut eos sibi conciliaret, et ad Christum traduceret, servavit legem Mosi, licet jam mortuam, sed necdum mortiferam; quin et S. Paulo eamdem servandi auctor fuit, ut eum suis Judæis acceptum faceret et conciliaret, itaque saluti Pauli, communique paci et concordiæ consuleret. Actor. 21. 18.

Septimo, Clemens Alexand. lib. 7. Hypotypos. et ex eo Euseb. lib. 2. Histor. cap. 1. tradunt Christum post Ascensionem suam, singularem quamdam cognitionem impertiisse Jacobo Justo, Johanni et Petro, quam deinde illi cæteris Apostolis communicarint, hi 70. discipulis. Unde Rabanus l. de Universo cap. 3. ait Jacobum hac

Epistola legentibus immensam scientiæ claritatem infundere : ea enim complectitur omnem Christianæ doctrinæ et vitæ perfectionem.

Octavo, S. Jacobus erat vitæ adeo sublimis et exemplaris, ut videretur esse speculum et imago cœli vitæque cœlestis, quam agunt Angeli et Sancti in Paradiso. Hinc perdius et pernox in oratione cum Deo et Angelis versabatur. Hinc et Christi vultus moresque in eo quasi in vivo antitypo resplendebant. Quocirca fideles post Christi in cœlum ascensum, è variis provinciis certatim Hierosolymam pergebant S. Jacobi videndi causa, ut in eo viderent et intuerentur Christum, ob miram quam cum eo habebat per omnia similitudinem. Ita S. Ignatius epist. ad S. Joan. Evangel. (vel quisquis est Auctor : nam multi docti censent non esse S. Ignatii) scribit se cogitare pergere Hierosolymam, ut videat S. Jacobum quasi vivam Christi effigiem. Hinc etiam Judas Christum proditurus Judæis, eis oculi signum dedit, ut eo Christum agnoscerent, ne pro eo Jacobum Christi simillimum comprehenderent. Vere Plato in Theæteto : *Deo*, ait, *nihil est simílius, quam cum ex hominibus aliquis justissimus est. In hoc enim vera hominis præstantia versatur.*

Nono, tradunt multi veterum S. Jacobo concessum fuisse ingredi in Sancta sanctorum, quod ex lege Dei Levit. 16. 2. Hebr. 9. 7. soli Pontifici licebat, idque semel tantum in anno, nimirum in festo expiationis. Id S. Jacobo concessum tradunt S. Hieron. in Catalog. Script. Eccles. in Jacobo, S. Epiphan. hæres. 29. Euseb. lib. 2. Hist. c. 22. vel 23. Hegesippus lib. 5. et ex iis Niceph. Abdias et alii. Hoc multis viris doctis videtur incredibile, tum quia Judæi erant suæ legis et rituum observantissimi ; tum quia iidem summi erant Christi et Christianorum hostes. Sed tanta est Patrum quos jam citavi, fides et auctoritas, ut ei refrigari non liceat. Quid ergo? Temperamento res eget, suaderique potest, si dicamus, non passim et communiter id S. Jacobo fuisse permissum, sed raris duntaxat casibus ut si v. g. fulmen incidisset in Sancta sanctorum ; si casu Cherubim, propitiatorium, vel arca corruisset ; si quis locum sanctum violasset ; sicuti enim Pilatus statuam Cæsaris in urbe, et forte in templo collocavit, teste Josepho lib. 2. de Bello c. 8. sic forte et præses, vel miles aliquis Romanus, ut gratificaretur Caio Caligulæ Imper. (qui Judæis infensus erat, ab eisque, æque ac à cæteris gentibus, volebat adorari ut Deus, ideoque sui imaginem collocari jusserat in templo Hierosolymitano, ut patet ex Philone Legat. ad Caium) statuam ejus collocavit in Sancto sanctorum, etc. Tunc enim ut illud violatum, vel mutilatum purgarent et instaurarent, aut incendii et ruinæ periculo eriperent, necesse erat eo immitti virum eminentis dignitatis, sanctitatis et sapientiæ, qui id præstaret, aut quid facto opus renuntiaret. Jacobo autem nemo erat dignior, nemo sapientior, nemo sanctior. Adde, quod ipse proprius erat Episcopus et Pontifex Hierosolymæ, et ut talis colebatur non solum à Christianis, sed etiam à Judæis, qui eum ob lenitatem, sanctitatem, charitatem, etc., amabant et reverebantur ut parentem ; præsertim quia ipse Judæorum et Judaismi erat observans et tutor, uti paulo ante dixi. Imo longe præferebant eum suo Pontifici Anano, et similibus, qui vel intrusi erant à Romanis, vel simoniaci pecunia emerant Pontificatum, vel illum avare, impure et indigne administrabant. Denique S. Jacobus ob abstinentiam orationem et zelum, non tam videbatur esse homo quam Angelus, cui soli jure deberi aditum in Sancta sanctorum censebant Judæi. Atque hinc nonnulli, ut Salmeron hic, opinantur hanc fuisse causam martyrii S. Jacobi, nimirum quod Ananus Pontifex non ferens Pontificatus socium et æmulum S. Jacobum, dolensque eum sibi à populo anteferri, eum quasi Judaismi eversorem et Christi ac Christianismi præconem citarit, et apud suos legis Mosaicæ zelotas reum capitis egerit. Confirmat hæc omnia testimonium Josephi, qui eversionem Hierosolymæ factam à Tito asscribit cædi S. Jacobi lib. 20. Antiq. cap. 16. uti eidem eamdem asscribunt S. Hieron. in Jacobo. Euseb. lib. 2. Histor. cap. 22. Origen. l. 1. contra Celsum, Isidorus lib. de Vita et morte Sanctorum c. 79. Ex quibus facile colligas, quanta S. Jacobi fuerit sanctitas, æque ac sanctitatis et dignitatis opinio apud Judæos. Tanti est virtus, tanta vis sanctitatis, quæ amicat amicos pariter, et inimicos.

Sic S. Franciscus Xaverius sua sanctitate admirationi fuit Bonziis, licet Christi hostibus, ac etiamnum est infidelibus in India, qui eum Patrem sanctum vocant et invocant, ac sæpe ejus intercessione sanitatem, vitam, aliasque gratias per miraculum à Deo nanciscuntur. Audi Tursellinum in ejus Vita lib. 2. cap. 11. *Vulgo*, inquit, *Magnus Pater vocabatur. Rex Travancoridis toto regno suo edixit, ut Magno Patri omnes obtemperarent, æque ac sibi.* Idem cap. 9. narrat Brachmanas, licet infideles, audita Francisci doctrina, eum amplexatos esse, illamque miris extulisse laudibus.

Sic et ejus discipulus Gaspar Barzæus, ob sanctitatem quasi Propheta, vel Angelus cœlo lapsus cultus fuit à Saracenis juratis Christi inimicis. Nam et flexis in terram usque poplitibus illum salutabant, et manum ejus, quin et vestem ac pedum vestigia osculabantur. *Vocabant eum Zachariæ filium, quasi alterum S. Joannem Baptistam, magnumque Christianorum Caciz : quin et nocte intempesta, cum multis facibus in templum suum (Coranum vocant) magno comitatu induxerunt, et ad summum usque deduxerunt, idque spectante et admirante tota civitate Armusiensi. Et tamen etiam proposita morte, ne ex aliena secta quisquam ingrediatur, Mahometanis legibus est interdictum. Verum illi sic Mahometem explicabant, noluisse illum tam insignem virtute virum excludere*, ait Noster Trigautius in ejus Vita l. 2. c. 14. Simili modo legem explicabant Judæi, noluisse illam S. Jacobum, tam eximiæ dignitatis et sanctitatis virum, ea comprehendi. *Nam propter summum sapientiæ et pietatis studium, quod in vita assidue excoluerat, ab omnibus justissimus putabatur*, ait Eusebius l. 2. Histor. cap. 22. Unde et populus fimbriam vestimenti ejus certatim cupiebat attingere, ait S. Hieron. Quare quod S. Epiphan. loco jam citato asserit, S. Jacobum fuisse sacerdotem legis veteris, ideoque admissum ad sancta sanctorum, merito ab aliis omnibus rejicitur quasi falsum, et quasi insufficiens. Soli enim Pontifici licebat ingredi in Sanctum sanctorum. Constat autem S. Jacobum non fuisse Pontificem Aaronicum. Denique opinantur nonnulli legem illam Levit. 16. 2. ut nemo ingrediatur Sanctum sanctorum nisi Pontifex semel in anno, limitandam esse ad ingressum solen-

nem, quo scilicet res divina solenniter facienda erat in Sancto sanctorum : nam transacto illo tempore licuisse iis, qui in sanctitate erant insignes, qualis erat S. Jacobus, ingredi Sanctum sanctorum. Probant ex eo, quod S. Evodius successor S. Petri in Cathedra Antioch. apud Niceph. lib. 2. cap. 23. German. Constant. Patr. et Georgius Nicomed. orat. de oblat. Mariæ, ac Andreas Cretensis de dormitione Deiparæ, asserant B. Virginem præsentatam in templo, habitasse in adytis et in Sancto sanctorum. Ita censet noster Christoph. à Castro in Hist. Deip. c. 3. Verum lex illa Levit. 16. 2. non videtur hanc limitationem pati, uti graviter docet ibidem Abulens. nec cæteræ virgines, inter quas degebat B. Virgo habitarunt in Sancto sanctorum, sed in atrio ad ostium tabernaculi, ut dicitur Exod. 38. 8. et 1. Reg. 2. 22.

Decimo, S. Jacobus primus Missæ sacrificium solemniter celebravit, ut indicat sexta Synodus de consecr. dist. 1. cap. *Jacobus*, ejusque celebrandi formam, et ritum præscripsit. Extat etiamnum Missa S. Jacobi, quam non apocryphi cujuspiam, sed ipsius S. Jacobi esse, patet tum ex sensu et consensu Doctorum et fidelium in Concilio Trullensi, tum ex Proclo Archiep. Constant. in Concilio Ephesino, tum ex Cyrillo Hierosolymæ pariter Episcop. qui catechesi 5. orationes mystagogicas habet acceptas ex Missa S. Jacobi; ut illud, quod sacerdos alta voce diceret, *Sursum corda ;* et quæ de immensa gloria Dei præfari soleat ante sacra mysteria; quod idem diceret : *Orate pro vivis et defunctis;* quod Diaconus ante sumptionem divinorum mysteriorum inclamaret : *Osculamini invicem in osculo sancto :* atque ea accepturis intonaret *Sancta sanctis,* populus vero responderet : *Unus est sanctus;* quod cantores inter sumptionem S. Eucharistiæ illud Psalm. 33. concinerent : *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus;* et plura hujusmodi. Vide Sixtum Senensem lib. 1. Bibl. in Jacobo, et Claudium Sainctes præfat. in Liturgias cap. 8. Hinc et S. Ignat. epist. ad Heronem, ait S. Stephanum fuisse Diaconum S. Jacobi, eique ministrasse. Idem Ignatius epist. 5. ad Trallianos : *Quid vero*, inquit, *Diaconi nisi imitatores angelicarum virtutum? qui purum et inculpatum ministerium illis* (sacerdotibus) *exhibent, ut S. Stephanus B. Jacobo, Timotheus et Linus Paulo, Anacletus et Clemens Petro. Qui igitur his non obedit, atheos prorsus et impius est.* Porro sanctus Stephanus S. Jacobo, antequam ipse crearetur Episcopus Hierosolymæ. Nam creatus est postridie necis S. Stephani, puta die 27. Dec. ut superius dixi ex Beda. Olim extabat, et etiamnum extat Evangelium titulo S. Jacobi, sed supposititicium : fuit enim pseudoevangelium. Ita Baronius.

Undecimo, S. Jacobus interfuit primo Concilio Hierosolymitano, primusque post S. Petrum, utpote Hierosolymæ Episcopus, sententiam dixit, nimirum Christianos non obligare lege et legalibus Mosis, Actor. 15. 13. Unde ad Episcopalis dignitatis ornamentum, S. Jacobus in capite gestavit laminam auream, quasi insigne tam Pontificatus, quam regni Christi, instar Melchisedech, *ita ut regnum David una cum Pontificatu transtulerit, ac largitus sit servis suis, id est, Pontificibus Catholicæ Ecclesiæ*, inquit S. Epiph. hær. 29. et 78. ac Hieron. in Jacobo, et ad Galat. 2. Pontifex enim Aaronicus cum cidari, sive tiara quam portabat in capite, ei alligatam laminam auream gestabat in fronte, cui inscriptum erat *Sanctum Domino;* ut significaretur eum esse Pontificem Dei summi et sanctissimi. Sic et S. Joannem Apostolum gestasse laminam auream instar coronæ, tradit Polycrates apud Euseb. lib. 5. Histor. c. 13. Eamdem gestasse cæteros Apostolos, indeque nunc Episcopos gestare mitram pretiosam, eo quod regali fungantur sacerdotio, tanquam Christi reges et sacerdotes censet Cardin. Baronius anno Christi 34. p. 263. Unde Euseb. lib. 10. Hist. cap. 4. ita Episcopos compellat : *Amici Dei et sacerdotes, qui sacro podere cœlestisque gloriæ corona, et divino chrismate, denique sacerdotali S. Spiritus stola decorati estis.* Tradit Eusebius lib. 7. Histor. cap. 14. cathedram S. Jacobi ad sua usque tempora religiose asservatam. *Quam*, inquit, *Episcopi qui illic ordine successerunt, permagni æstimant.* Unde liquet, Christianos eam extulisse Hierosolyma ante obsidionem Titi : alioqui enim cum cæteris in ea conflagrasset, inquit Baron. anno Christi 68. c. 51.

Duodecimo, S. Jacobus pro Christo gloriosum obivit martyrium. Epiphanius hæresi 78. tradit S. Jacobum ad decrepitam vixisse ætatem, et occubuisse anno ætatis 96. post Ascensionem Christi 24. Sed alii passim tradunt eum occisum anno Neronis 7. qui fuit à Nativit. Christi 63. à passione et Ascensione 29. ac consequenter totidem puta 29. annis, eum præfuisse Ecclesiæ Hierosolymitanæ. Vix etiam credibile videtur, eum occisum anno ætatis 96. Sic enim cum à Christo vocatus est ad apostolatum, fuisset pene septuagenarius. Quis credat tam senem electum ad labores Apostolicos, præsertim cum cæteri Apostoli à Christo electi fuerint juvenes?

Porro vitam, mortem et martyrium ejus graviter et graphice ita describit et enarrat ex Clemente Alexandrino et Hegesippo Eusebius lib. 2. Hist. c. 22. *Jacobus*, inquit, *ab utero matris suæ sanctus fuit, vinum et siceram non bibit, animalium carnibus se abstinuit : macula caput ejus nunquam rasum fuit, neque corpus oleo perunctum aut balneis lotum. Huic uni licebat in Sancta sanctorum ingredi; vestibus enim utebatur non laneis, sed linteis duntaxat. In templum solus intrare solitus est, atque ibi genibus humi positis pro populi peccatis veniam postulare : cujus genua, quod tam assidue tum ad Deum auguste sancteque adorandum, tum ad veniam precibus populo exposcendam procumbebat, cameli instar tuberculis contractis obduruerunt. Qui propter singularem justitiæ præstantiam, Justi et Obliæ (quod Latine populi præsidium dici potest, et justitia) nomen, sicut Prophetæ de eo memorant, invenit. Quibusdam igitur ex septem sectarum fautoribus in populo sparsarum, et à me Historia ante declaratarum, ab eo sciscitantibus, quodnam esset ostium Jesu? Respondit, Jesum esse Salvatorem. Ex quorum numero nonnulli crediderunt quod Jesus esset Christus. Sectæ autem supradictæ neque carnis resurrectionem fore, neque ullum venturum, qui cuique sit pro his, quæ recte aut secus gesserit in vita, mercedem redditurus, omnino crediderunt. Verum quotquot crediderunt, Jacobi prædicatione et hortatu crediderunt. Ergo cum plerique etiam ex principibus viris fidem essent amplexati, nonnulli ex Scribis, Pharisæis, et reliquis Judæis tumultuari atque adeo vociferari cœperunt, quod universus fere populus Jesum existimabat verum esse*

Christum. Qui etiam ad Jacobum profecti, sic eum compellarunt : Te obnixe oramus, ut quoniam populus fide in Jesum, perinde ac si vere esset Christus collata, in gravem errorem delapsus est, eum ab hac opinione avoces; atque ut omnes etiam, qui hodie ad festum diem Paschatis celebrandum convenerunt, de Jesu recte vereque erudias, te etiam atque etiam obtestamur : tibi enim omnes fidem adhibemus, nec nos solum, sed tota etiam multitudo perhibet testimonium quod justus sis, quodque personam non respicias. Persuadeas igitur populo de Jesu, ne erret : etenim et universus populus, et nos omnes tibi credimus. Idcirco statue te ipsum super pinnam templi, ut de superiori loco cunctis perspicuus sis, atque adeo tua verba à tota multitudine facile et sine impedimento audiantur. Propter festum namque Paschatis non solum omnes Judæorum tribus, sed multi etiam ex Gentibus convenerant. Proinde Scribæ et Pharisæi, quos supra posuimus, Jacobo supra pinnam templi collocato cœperunt exclamare, et dicere : O Juste, cui merito omnes debemus fidem adjungere; quoniam populus Jesum crucifixum imitando aberravit; tu idcirco nobis commonstra, quod sit ostium Jesu crucifixi. Qui clara voce sic respondit : Quid me interrogatis de Jesu filio hominis? Ipse sedet in cœlo à dextris magnæ virtutis et potentiæ Dei, et in nubibus cœli venturus. Hæc expressa et publica Christi professio causa fuit ejus martyrii, quod proinde evidens fuit et illustre. Subdit enim Euseb. *Atque cum multi plene essent persuasi, et ob Jacobi testimonium Deum laudibus in cœlum ferrent, dicerentque Osanna filio Duvid : Scribæ et Pharisæi de integro cœperunt primum ita inter se colloqui : Male certe et infeliciter cecidit, ut istud testimonium nostra opera Jesu tribueretur. At conscensis gradibus illum dejiciamus præcipitem, ut homines inde perterrefacti, nullam fidem ejus doctrinæ adhibeant. Deinde clamare ac dicere : O justus etiam erravit. In quo eloquia sacra apud Sapientiam scripta plane expleta fuere : Tollamus è medio justum, quoniam nobis molestiæ est et incommodo. Quocirca fructus operum suorum comedent. Tandem ergo adolescentes Justum præcipitem dederunt dixeruntque ipsi inter se, Jacobum justum obruere oportere lapidibus. Et quoniam dejectus in præceps non statim mortem obiit, sed vultu sursum sublato genibusque flexis dixit : Obsecro Domine Pater da illis veniam; nesciunt enim quid faciant; cœperunt saxa in eum conjicere, cumque lapidibus illum obruere pergerent, unus ex sacerdotibus ex filiis Rechab, filii Rechabim, qui sunt Jeremiæ testimonio commendati, voce emissa contentius dixit : Quid agitis? Justus pro vobis Deum deprecatur.* Hominem vero qui hæc dixit, fuisse Simeonem ejus nepotem ex sorore, filium Cleophæ, tradit Epiphan.

Prosequitur Eusebius : *Attamen unus ex illis, qui fullo erat, arrepto vecte, quo vestes solebat premere, in caput Justi impegit; ita vitam beato et felici martyrii cruciatu affectus, afflictusque amisit. In quo loco prope templum, ubi columella ejus nomine inscripta adhuc manet, corpus tumulo mandatum est. Iste Jacobus tum Judæis, tum Græcis charus et incorruptus fuit testis, Jesum vere fuisse Christum. Non multo post Vespanius Judæam obsedit, Judæosque redegit in servitutem. Hæc Clementis Historiæ mire consentientia Hegesippus uberius pleniusque explicavit.* Hucusque Eusebius de nece Jacobi ex dictis auctoribus.

Quod vero ad sepulchrum ejus spectat, hæc addit Hieronymus : *Ejus sepultura titulum usque ad obsidionem Titi, et ultimam Hadriani, notissimum habuit. Quidam è nostris in monte Oliveti eum putarunt conditum : sed falsa eorum opinio est.* Addit S. Hieron. in Jacobo, ex Evangelio secundum Hebræos : *Dominus,* inquit, *cum dedisset sindonem servo sacerdotis, ivit ad Jacobum et apparuit ei. Juraverat enim Jacobus, se non comesturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem à mortuis. Rursusque post paululum : Afferte, ait, Dominus, mensam et panem, statimque additur : Tulit panem, et benedixit, et fregit, et dedit Jacobo Justo, et dixit ei : Frater mi comede panem tuum, quia resurrexit filius hominis à dormientibus.* Quin et Adrichomius ex Bredembachio, Saligniaco, et aliis in Descriptione Hierosolymæ numer. 210. describit antrum, in quo jejunus triduo Dominicæ passionis delituit Jacobus, additque : *Ideoque Dominus etiam ei post resurrectionem suam seorsim hic apparuit. In cujus honorem Christiani isto loco postmodum Ecclesiam erexerunt.* Sed hoc juramentum et jejunium Jacobi respuit S. Aug. lib. 3. de Consensu Evangel. cap. 25. et alii, hac ratione, quod apparitio Christi facta Jacobo, de qua Apostolus 1. Corinth. 15. 7. contigerit post apparitionem factam quingentis fratribus. Post illam enim subdit Paulus : *Deinde visus est Jacobo.* Illa autem apparitio Christi facta quingentis fratribus, contigit diu post resurrectionem, quousque Jacobi jejunium naturaliter extendi non potuit : nisi dicas τὸ *deinde*, numerum significare, non ordinem apparitionum; sic ut idem sit quod *insuper, præterea.* q. d. Christus apparuit quingentis fratribus, insuper et soli Jacobo.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Veteri Epistolarum more, varia et disparata de variis virtutibus dat partim monita, partim præcepta. Primo, v. 1. usque ad v. 12. docet gaudendum esse in tentatione, eo quod illius patientia opus perfectum habeat, postulandam esse a Deo sapientiam certa spe et fide: humiles et pauperes gloriari debere in sui exaltatione futura, divites vero et superbos confundi in humiliatione, quæ eos mox excipiet. Secundo, v. 12. usque ad 19. docet, beatum esse qui suffert tentationem: tentationem vero non esse a Deo: sed omne donum et bonum ab eo, quasi a Patre luminum descendere. Tertio, v. 19. usque ad 22. docet frenandam esse linguam, iram et immunditiam. Quarto, v. 22. usque ad finem, docet justificari factores verbi, non auditores tantum. Religionem enim veram esse, visitare pupillos, et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.

1. Jacobus Dei et Domini nostri Jesu Christi servus, duodecim Tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem. 2. Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: 3. scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur. 4. Patientia autem opus perfectum habet; ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes. 5. Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat: et dabitur ei. 6. Postulet autem in fide nihil hæsitans: qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur et circumfertur. 7. Non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid à Domino. 8. Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. 9. Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua; 10. dives autem in humilitate sua, quoniam sicut flos fœni transibit. 11. Exortus est enim sol cum ardore, et arefecit fœnum, et flos ejus decidit, et decor vultus ejus deperiit: ita et dives in itineribus suis marcescet. 12. Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. 13. Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. 14. Unusquisque vero tentatur à concupiscentia sua abstractus, et illectus. 15. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem. 16. Nolite itaque errare fratres mei dilectissimi. 17. Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. 18. Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus. 19. Scitis fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum: tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. 20. Ita enim viri, justitiam Dei non operatur. 21. Propter quod abjicientes omnem immunditiam, et abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras. 22. Estote autem factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. 23. Qui si quis auditor est verbi, et non factor: hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo. 24. Consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit. 25. Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis: hic beatus in facto suo erit. 26. Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed educens cor suum, hujus vana est religio. 27. Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem, hæc est: Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.

1. Jacobus.] Nomen hoc accepit à primo duodecim Tribuum parente et Patriarcha, qui dictus est Jacob, id est supplantator, à Rebecca matre, eo quod in utero, dum nasceretur, tenuerit plantam fratris sui Esau; quo portento significabatur, quod cum esset supplantaturus, eique ejus primogenituræ callide præreptarus, uti dixi Genes. 25. 25. Simili modo S. Jacobus

diabolum, ejusque filium Simonem Magum cum suis supplantavit. Sic Saulus nomen accepit à Saule primo rege suæ tribus Benjamin. Et sicut Saul Davidem, ita Saulus persecutus est Christum et Christianos.

Mystice, *Jacob*, id est luctator, est quivis Christianus : hic enim ad duellum, et singulare certamen provocat dæmonem, carnem et mundum, totumque infernum. Unde est pugil et athleta Christi, ait S. Dionys. c. 2. Eccl. Hier. et à Christo dicitur Christianus, quasi ab unguente unctus ad spiritualem luctam, quo tota vita cum hostibus confligere debet. Ita S. August. tract. 33. in Joann. Idipsum repræsentavit Jacob luctans cum Angelo, Gen. 32. 24. ut docet Theod. ibid. quæst. 91.

Dei et Domini nostri Jesu Christi.] Primo, Græci apud Œcum. per *Deum* intelligunt Deum Patrem, per *Dominum*, Deum Filium, quasi utrinsque personæ divinæ servum se profiteatur Jacobus; utpote quarum una eademque sit, uti essentia et operatio, ita et auctoritas ad dignitas. Secundo, alii per *Deum* accipiunt S. Trinitatem; per *Dominum*, Christum qua homo est. Tertio, et genuine S. Cyrill. lib. 12. Thesaur. c. 13. Thomas Anglicus, Dionys. et alii censent eamdem personam, scilicet Filium, puta Jesum Christum, vocari hic *Deum et Dominum*, ut duæ Christi naturæ significentur; in Deo divina, in Domino humana. Aut certe, quia epithetum Deo proprium est, Dominus : Deo enim proprie competit plenum, transcendens et universale dominium in res omnes, juxta illud Virgilii Æneid. 1.

O qui res hominumque Deumque
Æternis regis imperiis, et fulmine terres.

Unde et illud Martialis irridentis Domitianum Imp. qui Deus haberi et coli volebat :

Edictum Domini Deique nostri.

Teste enim Suetonio in Dormitian. c. 13. tanta arrogantia dictabat Domitianus epistolam, ut sic inciperet : *Dominus et Deus noster sic fieri jubet.*

Notat S. Chrysost. hom. 9. in epist. ad Coloss. nomen Domini, Trinitatis, aut Christi epistolis rebusque omnibus à fidelibus præfigi solitum. *Quia*, inquit, *ubicumque fuerit nomen Domini, ibi prospera erunt omnia; multoque magis nomen Christi, quam Consulum, securitatem litteris addit.* Ita Christianos solere quibuslibet litteris et monumentis præfigere nomen Christi, aut signum crucis docet noster Gretserus l. 3. de Cruce c. 9. et seq.

Moraliter et nervose Primatticius notat, per τὸ *Dei* significari et commendari nobis excellentiam Majestatis divinæ; per τὸ *Domini*, immensam ejusdem potestatem; per τὸ *nostri*, infinitam ejus charitatem; per τὸ *Jesu Christi*, regalem et sacerdotalem ejus dignitatem.

Jesu Christi servus.] Non se vocat Apostolum, sed *servum Christi*. Hinc aliqui opinati sunt, Jacobum, qui fuit auctor hujus epistolæ, non fuisse Apostolum. Distinguunt enim ponuntque tres Jacobos, primum Zebedæi, secundum Alphæi, utrumque Apostolum, tertium fratrem Domini, qui fuerit Episcopus duntaxat (non Apostolus) Hierosolymæ, scripseritque hanc epistolam. Ita Clemens lib. 2. Constit. cap. 59. et lib. 6. cap. 12. et Turrianus ibidem. S. Hieron. in Isaiæ 17. Cyrillus Hieresol. catechesi 14. Favet S. Anacletus, quartus à S. Petro, epist. 2. ubi docet, Jacobum fratrem Domini ordinatum esse Episcopum Hierosolymæ à S. Petro, Jacobo et Joanne fratribus; cum tamen communis sententia Anacleti ibidem, Cyrilli catechesi 17. Ammonii, et aliorum quos citavi Act. 2. 4. sit, omnes Apostolos ab ipso Christo immediate ordinatos esse Episcopos, nisi quis dicat Jacobum hunc à Christo quoque ordinatum Episcopum, sed in genere totius orbis, uti et cæteros Apostolos : à Petro vero ordinatum, id est, deputatum et institutum esse Episcopum proprium primæ Ecclesiæ, puta Hierosolymitanæ, non vero primitus ab iis consecratum, uti recte observavit S. Chrys. hom. 87. in Joannem.

Verum communis sententia est, duos tantum fuisse Jacobos, eosque Apostolos Zebedæi scilicet, et Alphæi, qui fuit Episcopus Hierosolymæ, et auctor hujus epistolæ. Id patet ex S. Paulo, qui Galat. 1. 19. dicit se alium Apostolorum non vidisse, nisi Jacobum fratrem Domini et cap. 2. 9. Jacobum hunc cum Cepha et Joanne vocat columnam Ecclesiæ. Ita sentit et docet Concil. Tridentin. sess. 4. Eusebius lib. 2. Histor. c. 1. et 22. Clemens Alexand. 6. Strom. Chrys. hom. 33. et 44. in Matth. S. Epiph. hæresi 29. et alii passim, imo tota Ecclesia, quæ Jacobi Minoris festum celebrat 1. Maii, asserens illum Apostolum, fratrem Domini, Alphæi filium, fullonis vecte à Judæis occisum. Quare S. Hieron. sententiam mutavit : nam epist. 103. et lib. 2. contra Pelag. Jacobum auctorem epistolæ vocat Apostolum. Clementis libri Recognit. dubiæ sunt auctoritatis. Unde idem Clemens epist. 1. ad Jacobum hunc, asserit eum à Christo immediate ordinatum. Idem asserit Eusebius, Dorotheus in Synopsi, et alii. Hinc à S. Jacobo Ecclesia Hierosolymitana dignitatem Patriarchalis Ecclesiæ obtinuit, æque ac Antiochena et Romana, utpote in quibus per se sedit S. Petrus; atque Alexandrina, in qua sedit S. Petrus per S. Marcum suum discipulum. Patriarchales enim Ecclesiæ sunt Apostolicæ, et ab ipsis Apostolis fundatæ et institutæ. Porro Hierosolyma non tempore S. Jacobi, utpote mox evertenda à Tito, sed diu postea à Vigilio Papa hanc dignitatem obtinuit, uti dixi Act. 11. 25. et 26.

Causæ ergo cur S. Jacobus scribat se servum Christi, non Apostolum, sunt variæ. Prima est, studium humilitatis et modestiæ, uti ex eodem B. Virgo vocavit se ancillam Dei, Lucæ 1. 38. Secunda, quod Apostolus proprie vocetur is, qui missus à Christo, per orbem evangelizatum discurrit. Jacobus autem non discurrit per orbem, uti cæteri undecim Apostoli, sed affixus fuit Judææ et Hierosolymæ; ejusque proprius à Christo et Apostolis creatus fuit Episcopus et Pastor. Tertia, quia ingens dignitas est, et summi honoris titulus esse servum Christi. Nam, ut ait S. Ambros. *Magna dignitas est servum esse potentis :* ergo summa dignitas est servum esse summe potentis, puta Christi, servire enim Deo regnare est. Quocirca Apostoli omnibus mundi regnis præferebant servitutem Christi, magisque gloriabantur quod essent servi Christi, quam si fuissent reges totius orbis, inquit Didymus et Œcumen. Unde et S. Agatha Quintiano præsidi dixit : *Multo præstantior est Christiana humilitas et servitus regum opibus ac superbia.* Esse enim servum Christi, est esse servum æternæ sapientiæ, justitiæ, veritatis, bonitatis, et omnium omnino virtutum, quæ Christus est; uti recte dixit Origenes. Quarta, quia ex Apostolis soli

S. Petrus quasi Primas, et S. Paulus quasi Apostolus doctorque omnium Gentium, antonomastice Apostoli titulum occuparunt. Unde nec S. Joannes, nec S. Judas in suis epistolis se vocant Apostolos. Quinta, quia servus Christi idem est quod Apostolus. Servus enim hic non qualem qualem significat, sed hero, puta Christo, fidelissimum, dilectissimum, proximum et intimum, qui ejus res omnes curat, ab eoque quovis gentium ad eas convertendas mittitur, qui sane non alius est, quam Apostolus. Hinc Judas exemplo fratris sui Jacobi, pariter initio epistolæ se vocat servum Christi. Denique Sixtus Senensis lib. 7. Biblioth. et Fevardentius hic opinantur nomen Apostoli hic erasum esse ab aliquo falsario, ut sublato Auctore tolleret auctoritatem epistolæ. Nam multi codices Latini, Græci, Syri et Arabici habent hic nomen *Apostolus*.

Duodecim tribubus quæ sunt in dispersione,] quæ sunt dispersæ inter Gentes. Ita Syrus jam *tribubus*, id est, Judæis quibuslibet qui prognati sunt ex duodecim tribubus. Nec enim tribus totæ dispersæ fuerunt, sed multi ex singulis tribubus.

Nota. Jacob Patriarcha duodecim habuit filios, pariter Patriarchas. Quisque enim unam familiam et tribum filiorum et nepotum ex se prognatorum constituit, eique suum nomen attribuit ut tribus Juda, Levi, Ruben, dicitur familia prognata ex Juda, Levi, Ruben, etc. Inter has duodecim tribus divisa fuit terra sancta, sive Judæa à Josue c. 15. Ex ea sæpius illæ in captivitatem abductæ, et inter Gentes dispersæ fuerunt, præsertim per reges Assyriorum, Babyloniorum, Syrorum, Ægyptiorum et Græcorum. Multi etiam sponte sua è Judæa in exteras regiones vel lucri, vel quietis, vel parentum, etc., causa abierunt, ibique sedes fixerunt. Insuper Judæi fideles pene omnes, exceptis Apostolis, in persecutione ob S. Stephanum excitata, è Jerusalem ad alias civitates et regiones profugerunt et dispersi fuerunt ut patet Actor. 8. 2. Hisce omnibus, ac præsertim dispersis ob necem Stephani, ut censet Beda, Gagneius, et Ribera in Osee cap. 1. hanc epistolam scribit S. Jacobus (æque ac suam S. Petrus) ut sicut præsentes verbo, ita absentes scripto doceret, corroboraret et exhortaretur ad vitam Christiano dignam. Erat enim ipse proprius Judæorum Episcopus : unde proprie eorum curam pastoralem egit. Hinc patet Primo, S. Jacobum hanc epistolam directe scripsisse Judæis fidelibus, indirecte tamen etiam infidelibus, ut vult Beda, consequenter tamen eadem scripsit et fidelibus è gentilitate conversis. Hi enim omnes eadem Christi fidem et vitam, quam hic inculcat S. Jacobus, profitebantur. Addit Lucius Dexter in Chronico, plurimos Judæos dispersos fuisse per Hispaniam iisque maxime hanc epistolam scriptam esse a Jacobo, utpote quam ipse censet fuisse, non Alphæi, sed Zebedæi, Hispanorum Apostolorum et magistrum, de quo dixi in Proœmio.

Patet Secundo, S. Jacobum non scripsisse hanc epistolam ad decem Tribus, quæ post schisma factum per Jeroboam à duabus, puta Juda et Benjamin, tandem à Salmanasar adductæ sunt in Assyriam, quas Judæi fabulantur Caspiis montibus imperviis concludi et abscondi. Nam S. Jacobus ait se scribere duodecim Tribubus : ergo tam duabus, quam decem jam dictis scribit.

Salutem.] Subaudi optat et precatur, græce est χαίρειν, quod tria significat, scilicet *gaudere*, *salvere*, et *valere*. Salutantis est vox : unde ea Græca utuntur initio epistolarum, quod imitatus Horatius initio lib. 1. Epistol.

> Celso, inquit, gaudere, et bene rem gerere, Albinovano Musa rogata refer.

Sic et hic χαίρειν alludit ad χαρὰν, quæ sequitur q. d. Opto vos gaudere, ut tribulationem quæ vos occupat æstimetis non dolorem, sed gaudium.

Porro salutatio Apostolorum et Sanctorum, non est aulica et verbalis, sed efficax et realis, sufficitque salute implere eum qui salutatur, uti ex S. Chrysost. dixi Rom. 1. sub initium. *Salus* autem pacem, gratiam, omneque bonum, quod ad salutem præsentem et æternam ducit, complectitur; ac consequenter ipsum Jesum, qui est salus, et Salvator mundi. Hoc responsum sit Cajetano, qui hanc salutem (ac consequenter epistolam) profanam, non Apostolicam censuit, et parvipendit. Nam eadem usus est S. Jacobus et Apostoli in Conc. Hierosolymitano Actor. 15. v. 23. Unde eadem utuntur Pontifices Romani in suis Jubileis et epistolis œcumenicis : precantur enim et impertiunt omnibus fidelibus salutem et Apostolicam benedictionem.

Symbolice notat S. August. in Expos. Epistolæ ad Roman. ante medium, vocem *Salus* lingua Punica (quæ affinis, et filia est Hebrææ, in qua שלוש *salos* pariter denotat tria) significare tria, ideoque tacite indicare S. Trinitatem, à qua omnis salus dimanat. *In quorumdam*, inquit, *rusticanorum collocutione, cum alter alteri dixisset, Salus : quæsivit* (Valerius Episcopus Hipponensis) *ab eo qui et Latine nosset et Punice, quid esset Salus? Responsum est tria. Tum ille agnoscens cum gaudio salutem nostram esse Trinitatem, convenientiam linguarum non fortuito sic sonuisse arbitratus est, sed occultissima dispensatione divinæ providentiæ, ut, cum Latine nominatur Salus, à Punicis intelligantur tria: et cum Punici lingua sua tria nominant, Latine intelligatur Salus.* Subdit S. Aug. Chananæam Matth. 15. cum à Christo postulavit filiæ salutem, implicite postulasse S. Trinitatem, ejusque fidem et opem, qua filia non tantum in corpore, sed et in anima salvanda erat.

Omne gaudium.] *Omne*, id est totum, perfectum, plenum, summum. Est enallage quantitatis : ponitur enim totum universale pro toto integro, quod suis patribus completur et integratur. q. d. In tentatione et tribulatione nolite tristari ô Christiani, sed gaudere, non quali quali, sed pleno summoque gaudio. Aliqui imperfecti in tribulatione partim dolent, partim gaudent. Hi unum pedem figunt in patientia, alterum in impatientia, S. Jacobus ergo vult utrumque animi pedem figi in patientia, ejusque summo gradu. Tres enim sunt patientiæ gradus. Primus, sustinere patienter; Secundus, sustinere libenter; Tertius, sustinere gaudenter. Sic *omne* sumitur pro *toto* Eccles. 12. vers. 23. *Deum time, et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo:* id est, totus homo. q. d. Totum hominis bonum consistit in Dei timore ejusque mandatorum observatione; ac proinde totus ipse, totisque animi viribus Dei timori et mandatis intendere, eique impendere debet, ut ea impleat, juxta illud Dei mandatum; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, Deuter. 6. 5.

Secundo, πᾶν *omne* proprie capi potest, tuncque erit sensus nervosior. q. d. Tentatio et tribulatio adeo non est mala, nec fugienda, ut in ea situm sit omne bonum, ac consequenter omne objectum omnisque materia gaudii, adeo ut omnis illa quam natura, vel Deus per alia bona sparsit, in uno hoc universali et summo tribulationis bono collecta et adunata videatur; ita ut in sola tribulatione magis gaudendum sit, quam si solus omnes mundi opes, honores et voluptates possideres. Unde sequitur, tribulationem esse summum bonum hujus vitæ : summum enim gaudium nequit esse nisi de summo bono. Tres enim passiones, sive affectus sunt, quæ pro objecto habent bonum, nimirum amor, desiderium, gaudium. Amor spectat bonum in genere : desiderium est cupido boni absentis : gaudium est fruitio boni præsentis : et quanto majus est bonum, tanto majores sunt hi affectus Ex adverso affectus his oppositi, qui pro objecto habent malum, sunt odium, metus, tristitia. Odium est mali absolute : metus est fuga mali absentis : tristitia est dolor ex tristitia mali præsentis.

Est hoc primum S. Jacobi paradoxum, à quo incipit, ut tentationem lectorum conciliet et excitet, utque fideles suo ævo à Judæis aliisque afflictos, et secuturis sæculis affligendos plene consoletur, doceatque quomodo afflictionem capessere, in eaque se gerere debeant, nimirum animum non dejiciendo, sed erigendo : non dolendo, sed gaudendo, non conquerendo, sed gratias agendo. Alta est hæc sapientia et Philosophis incognita, quam S. Jacobus didicit à Christo, qui illam velut arcanam et cœlestem è sinu Patris in mundum detulit, dicens : *Beati qui persecutionem patiuntur*, etc. Matth. 5. 10. ideoque è cœlo in carnem descendit, ut eam homines doceret, idque magis exemplo, quam verbo. Tota enim vita Christi fuit continua afflictio, crux et martyrium. Paradoxum ergo Christi et Christianismi, à S. Jacobo ceterisque Apostolis prædicatum et practicatum, est : *Tribulatio est summum bonum, ideoque in ea summe gaudendum.* Ignorarunt hoc prisci sapientes, nescivit hoc Aristoteles, non intellexit Plato, falsum censuit Anaxagoras, stultum Epicurus. Natura enim et naturalis ratio horret tribulationem, quasi naturæ et naturali statui, commoditati ac felicitati inimicam, et è diametro contrariam. Quocirca homo, etiamsi totis naturæ viribus connitatur, non potest eo assurgere, ut in tribulatione gaudeat, et summe gaudeat; esto nonnulli Philosophi in ea se gaudere re simularint et finxerint, ut virtutis patientiæ et constantiæ, nomen, famam et fumum inanem apud homines occuparentur. Hinc illud Catonis ad milites suos in Africa, cum arenis et serpentibus luctantes, apud Lucanum :

> ——— Serpens, sitis, ardor, arenæ,
> Dulcia virtuti : gaudet patientia duris.

Vere Tertull. lib. de Patientia c. 16. *Christiano*, inquit, *patientia cœlestis et vera, Gentium falsa et probrosa, quæ tanti boni nomen fœdis operationibus occupant : patientes rivalium, et divitum, et invitatorum, impatientes solius Dei vivunt.* Et S. Cyprian. lib. de Patientia, *Apud Gentiles*, ait, *tam falsa est patientia quam sapientia.*

Christus ergo sua doctrina et gratia supernaturali naturam adeo alte evehit, ut contra naturam de malo naturæ, puta de tribulatione, gaudeat; ideoque permisit lapsum Adæ in peccatum, et per illud in mortem, omnemque tribulationem, ut in ea ostenderet, quasi peritissimus et potentissimus medicus, vim gratiæ suæ, quantumque pharmacum sit patientia Christiana. Hæc enim in statu innocentiæ, utpote immuni ab omni tribulatione, locum habere, locum habere, cerni et demonstrari non potuisset. Plus ergo virtutis à Christo accepimus, quam in Adamo perdidimus, uti ostendi ex Apostolo Rom. 5. Quocirca S. Hieron. in illud Ephes. 5. 20. *Gratias agentes semper pro omnibus*, sic ait : *Christianorum propria virtus est, etiam in his quæ adversa putantur, gratias agere creatori. Juxta Apostolum hæc virtus est maxima, ut in ipsis periculis atque miseriis gratiæ Deo referantur, et semper dicamus : Benedictus Deus, minora, me scio sustinere quam mereor; hæc ad mea peccata, parva sunt; nihil mihi dignum redditur. Hic animus Christiani est, hic crucem suam tollens sequitur Salvatorem, quem nec orbitas, nec damna debilitant : quem, ut ait Flaccus, si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ.*

Antesignanus hujus in tribulationis prælio gaudii, fuit Christus, qui anhelans ad crucem dicebat : *Baptismo habeo baptizari; et quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Lucæ 12. 50.

Primipilus fuit S. Petrus; qui epist. 1. c. 4. 13. *Communicantes*, ait, *Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis : quoniam quod est honoris, gloriæ et virtutis Dei, et qui est ejus Spiritus, super vos requiescit.*

Signifer est S. Paulus : *Gloriamur*, inquit, in *tribulationibus*, Rom. 5. 3. Et : *Placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo*, 2. Cor. 12. 10. Et : *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*, Galat. 6. v. 14. Paulus ergo hoc amore et gaudio crucis, in Christum crucifixum transformatus videbatur. Sic et S. Franciscus; unde et ab eo stigmata quinque vulnerum eidem impressa sunt. Paulus, inquit Chrysost. hom. 1. in 2. ad Corinth. *Cum videret quasi nivis cumulos, tentationes quotidie ingruentes; non aliter quam si in medio paradiso vixisset, ita gaudebat gestiebatque : ac proinde ut qui hoc non tenetur gaudio gaudet, non potest ab animi perturbatione vinci, ita qui hoc non tenetur gaudio, à quibuslibet facile capi vincique potest : ac prorsus huic idem evenit, quasi si quis arma gestans imbecillia, qualibet levi plaga vulneraretur : nullum armaturæ genus validius, quam gaudere secundum Deum.*

Centurio est S. Jacobus hic, cæterique Apostoli, qui, ut ait Lucas Act. 5. 41. *Ibant gaudentes à conspectu consilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Vide ibi dicta. Unde S. Bernard. serm. de tripl. gen. bon. *Non modo patienter*, inquit, *sed et libenter, verum et ardenter ad tormenta sicut ad ornamenta, ad pœnas, sicut ad delicias* B. *Andreas properabat.*

EXISTIMATE,] ἡγήσασθε, id est, *arbitramini, ducite*, putate; Syrus תחבאו *teheve*, id est, *habeatis.* q. d. Hoc gaudium situm est, non in sensu naturæ : hæc enim in tribulatione sentit dolorem, sed in rationis, per fidem et gratiam illuminatæ et roboratæ, existimatione, dictamine et judi-

cio, quod varias naturæ tentatæ et afflictæ graves considerationes et causas, quas mox recensebo, suggerit, ob quas in tentatione ad gaudium sese excitare debeat. Vere Seneca epist. 78. *Levis est dolor, si nihil illi opinio adjecerit. Omnia ex opinione suspensa sunt.*

CUM IN VARIAS TENTATIONES.] Ubi enim tentationi succedit alia et alia, alterius sæpe generis et materiæ, sicut fluctus succedit fluctui, ventus vento, annullus annulo in catena, adeoque plures sæpe simul hominem invadunt. *Tentatio* enim *vita hominis super terram*, ut ait Job. c. 7. 1. juxta Septuag. Quocirca Joan. Picus Mirandula spirituali pugnæ dans arma duodecim, inter ea sextum assignat : *Una tentatione superata aliam expectet, cum dæmon semper circumeat.* Septimum : *Non tantum diabolus vincendus est, sed faciendus cum tentatione proventus, ac tentatio v. g. superbiæ, accipienda ut ad humilitatem adhortatio, et invitatio.* Octavum : *Dum pugnas, pugna quasi perpetuam deinde pacem habiturus : quia sæpe hoc generosis animis Deus largitur : sed cum vicisti, geras te quasi mox pugnaturus.* Undecimum : *Cogita dulcius esse vincere tentationem, quam ire ad peccata; atque ita compara dulcedinem victoriæ cum dulcedine peccati, non pugnam cum voluptate.*

TENTATIONES INCIDERITIS.] Quæres, quidnam hic proprie *tentatio* significet? Resp. Primo, tentatio idem est quod afflictio et tribulatio, puta paupertas qua premebantur primi fideles, fames, morbus, infamiæ, æstus, frigus, cæteræque adversitates et ærumnæ, sive à Deo, sive à dæmone, sive ab hostibus, sive ab amicis, sive à natura, sive aliunde immissæ. Hæc vocantur tentatio, quia tentant et explorant hominis virtutem, patientiam et robur.

Secundo, magis proprie et directe, S. Jacobus *tentationem* vocat hic persecutionem, quam suo ævo fideles patiebantur à Judæis aliisque infidelibus. Ut enim illos in ea corroboraret, scripsit hanc Epistolam, ideoque statim à tentatione hac orditur. Huc refer labores, fatigationes, pericula, innumerasque molestias et difficultates, in quas incidebant, imo sponte se conjiciebant Apostoli, primique fideles causa Evangelii, ut scilicet illud toto orbe prædicarent et propagarent.

Tertio; *tentatio* hæc extendi potest ad veram tentationem dæmonis externam, et internam carnis sive concupiscentiæ. Hæc enim proprie vocatur *tentatio*, quæ hominem ad peccatum tentat et sollicitat, et de hac subdit Jacobus v. 13. *Nemo cum tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur.* Adde tribulationem quamvis pari modo esse tentationem proprie dictam, quia hominem ad pusillanimitatem, impatientiam, iram aliaque peccata sollicitat. Unde de hac concludit v. 12. dicens : *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.*

Quæres Secundo, cur in tribulatione et persecutione Christiano sit gaudendum, non taliter qualiter, sed omni summoque gaudio? adeoque cur tribulatio sit summum bonum, in quo felicitas Christiani in hac vita sit? Resp. Primo, quia tribulatio avellit nos ab hoc sæculo, ejusque amore, illecebris et blandimentis, *ne viam pro patria diligamus*, ut ait S. Greg. c. 23. Moral. c. 23. *et ne viator tendens ad patriam, stabulum pro domo diligat*, ait S. Aug. in Sent. sent. 186. vere Seneca ad Lucilium : *Quantum possumus à lubrico recedamus : in sicco parum firmiter stamus.* Et epist. 95. in fine : *Quasi inter se contraria sunt, bona fortuna et mens bona : ita melius in malis sapimus, secunda rectum auferunt.* S. Chrysost. homil. 14. ad popul. *Dormitantes nos*, inquit, *expergefacere solet, et religiosiores facere tentationum natura.*

Secundo, quia tribulatio signum est filiationis, electionis, et prædestinationis Dei : *Quem enim diligit Dominus, castigat : flagellat autem omnem filium quem recipit*, Hebr. 12. 6. Unde S. August. l. de Pastor. *Si*, inquit, *exceptus es à passione flagellorum, exceptus es à numero fidelium.* Et S. Ambros. lib. 1. epist. 4. patientiam tribulationum vocat *matrem fidelium.* Unde angelus ad Tobiam c. 12. 13. *Ego obtuli*, inquit, *orationem tuam Domino: et quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te*, S. Chrysost. hom. 32. in Genes. *Ne existimemus*, inquit, *esse signum quod nos dereliquerit, et despiciat Dominus, si tentationes nobis inferantur; sed hoc maximum sit in nobis indicium quod Deus nostri curam gerit, quia peccata expurgat, et luctum ac exercendi materiam nobis proponit, ut si quod nostrum est declaremus, largiori dignetur nos cura. Quod cum scimus, ne tristemur in tentationibus, sed gaudeamus cum B. Paulo dicente : Nunc enim gaudeo in afflictionibus*, Coloss. 1. v. 24. Idem S. Chrys. in dictum Apostoli : *Habentes autem eumdem spiritum. Hoc generosæ*, inquit, *ac Deum amantis animæ officium est, afflictiones et adversitates ferre generose, tolerare tentationem, atque insuper gratias agere ei, qui se tentari permittit, demum summæ fortitudinis est, animæque vigilantis, et quæ omnibus humanis affectibus superior sit.* Unde S. Ephrem. de Fide tom. 1. *Christianus*, inquit, *inter diversas tribulationes et tentationes stet, sicut incus, quæ licet semper verberetur, non tamen dat tergum, neque concavitatis formam in se recipit, sed eadem semper manet. Pro munitione ac castro semper Christum Dominum habeat, ad eumque belli tempore confugiat, dicatque : Esto mihi in Deum protectorem, et in locum refugii, ut salvum me facias.*

Tertio, quia tribulatio Christo crucifixo, Dei unigenito nos assimilat, ejusque opem accersit. Nam *non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*, ait Paulus Hebr. 4. 15. Christianum ergo nullibi nisi in cruce Christi gaudere et gloriari cum S. Paulo decet. Tot enim bona Deus abscondit et concludit in cruce Christi et Christianorum, ut ea scrutans Paulus passim in epistolis obstupescat. Rursum Christus sua cruce dulcorat nostras cruces, adeoque non tam nos, quam ipse in nobis patitur. Quocirca S. Ephrem crucem gestabat in fronte, et serm. de cruce magnifica ei dat elogia, quæ recitavi Ezechiel. 9. inter quæ præcipua, et huic loco apposita sunt hæc : *Crux spes Christianorum, crux resurrectio mortuorum, crux afflictorum consolatio, Crux triumphus adversus dæmones, crux desperatorum spes, crux oppugnatorum murus : Crux infantium custos, virorum caput, senum corona, regum magnificentia. Crux Prophetarum prædicatio, Apostolorum comes, Martyrum gloriatio. Crux virginum pudicitia, sacerdotum gaudium. Crux Ecclesiarum firmamentum, et orbis terrarum securitas. Crux imbecillorum fortitudo, ægrorum medicina, monachorum fiducia.*

Quarto, quia tribulatio tollit duo summa bo-

minis mala, scilicet peccatum, et concupiscentiam. Est ergo summum hominis bonum : est enim ipsa pœnitentia pro peccatis commissis, est et antidotum contra futura, quia directe adversatur concupiscentiæ. Sicut ergo sal conservat carnes à putredine, ita tribulatio conservat corpus et animam à concupiscentia et peccato. Ideoque Deus tot tribulationibus vitam nostram opplevit, quia illæ in statu hoc naturæ lapsæ et corruptæ, ad eam erigendam et sanandam sunt utiles, imo plane necessariæ ; ideoque unicum ejus sunt remedium, summumque bonum. Nonne gauderet lapis, si sensum haberet, quod scapello poliatur, fiatque statua elegans regis ? lignum, quod runcina lævigetur, fiatque thronus principis ? pannus, quod lixivio perfricetur et emundetur? etc. utique gauderet : ita prorsus justo gaudendum est in tribulatione. *Quod enim est ignis auro, lima ferro, scalprum lapidi, cauterium cancro, runcina ligno, lixivium panno, ventilabrum tritico, sed carni, fornax pani, malleus contignationi, hoc justo et tribulatio.* Hinc tribulatio est tritura Dei, itaque dicta est à tribula, qua segetes tribulantur et triturantur, Isaiæ 21. 20. Audi S. August. de Tempor. barbarico c. 3. *Si aurum es, quid times paleam, quid times ignem? simul quidem eritis in fornace, sed ignis palea eas in cineres vertet, tibi sordes tollet. Si frumentum es, quid times tribulam? Non apparebis qualis antea eras in spica, nisi tribula conterendo à te separaverit paleas. Si oleum es, quid times pressuram præli? non declarabitur species tua, nisi etiam pondus lapidis à te separaverit amurcam.* Unde B. Antiochus homil. 79. *Sicut cera*, ait, *nisi recalescat, aut permolliatur, non facile in se recipit sigilli impressionem, ita et homo, nisi laborum et multivariæ infirmitatis probetur exercitio.* Hoc est quod ait Dominus Isaiæ 48. 9. *Laude mea infrænabo te, ne intereas :* laude, id est, tribulatione : hæc enim est frenum concupiscentiæ, ideoque laus Dei. Et Thren. 1. 13. *De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me : expandit rete pedibus meis.* Tribulatio enim est rete Dei, quo homines piscatur, et invitos ad se trahit. Tribulatio est disciplina generis humani, uti fuse ostendit noster Gretserus lib. 5. de Cruce cap. 22. et sequent. Quocirca nullam gratiam dat Deus hominibus, nisi prævia tribulatione, ut ait S. Marchus Anachoreta.

Quinto, quia si in tribulatione tristeris et doleas, auges tribulationem et dolorem, ac minuis meritum per mixtionem minoris patientiæ. vel impatientiæ. Sin autem in ea gaudeas et exultes, minuis tribulationis sensum, et auges meritum per incrementum patientiæ. Sumus enim actus gradusque patientiæ est, pati exultanter. Si ergo sapis, tribulationem animose excipe cum gaudio non torpide et invite cum tristitia : sic enim minuet tibi pœnam, et augebit coronam.

Sexto, quia tribulationes omnibus virtutibus, quæ in arduo sitæ sunt, uberem materiam et exercitium suggerunt : virtutes autem gaudent, cum occasionem et objectum habent, id quod suum vigorem exerant, suumque decus ostendant. Unde Philo lib. de Quærenda cognit. erud. gram. asserit animam festum agere, quando æmulando res optimas capessit laborem, quo ad perfectionem contendat : quare virtutem amanti dulcessere laborem, tribulationes esse gaudio et voluptati.

Septimo, tribulatio facit hominem excelsum, et sæculo majorem, ut in cœlo res et spes suas ponat, quasi aquila despiciat hoc terræ punctum, omnesque in eo fortunæ flatus, fluctus et ludibria videat et rideat juxta illud Isaiæ 50. 14. *Tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hereditate Jacob patris tui.* Vide ibi dicta. Vide ibi dicta. Vidit hoc per umbram Seneca lib. de Provid. c. 4. *Prosperea*, ait, *in plebem et vilia ingenia deveniunt, ac calamitates terroresque mortalium sub jugum mittere, proprium magni viri est,* Et cap. 5. *Militares viri gloriantur vulneribus, calamitas virtutis occasio est : dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidiis. Præceptores plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est. Nunquam virtutis molle documentum est. Verberat nos et lacerat fortuna : patiamur, non est sævitia, certamen est.* Et cap. 6. *Labor optimos citat. Ignis aurum probat, miseria viros fortes. Vide quam alte ascendere debeat virtus.* Nazianzenus Epist. 64. ad Philagrium, laudat illud Stoicorum : *Vir bonus beatus est, etiamsi in Phalaridis tauro concremetur.* Præclare Gerson parte 2. serm. de omnibus Sanctis : *Ut*, inquit, *arca Noe, quo magis abundarunt aquæ diluvii, tanto altius ferebatur; sic mansuetus animus, quo majores erunt tribulationis aquæ, tanto erit excelsior.*

Quocirca animæ generosæ Deumque fervide amanti nil optabilius est, nil jucundius, nil dulcius quam multa pro eo pati. Cujus rei causa est multiplex, sed maxime triplex. Prima, quod animæ sanctæ intente amant Deum : amorem autem in eum, nulla in re magis ostendere possunt, quam si pro eo dura patiantur vel agant. Rursum vident Christum pro se tanta passum : ut ergo eum imitentur, utque ei vicem quam possunt reddant, et amorem amori rependant, desiderant pati cum eo et pro eo, sitiunt cruces et dolores, dicuntque cum S. Ignatio : *Amormeus crucifixus est.* Ita S. Laurentius ad tyrannum : *Para*, ait, *eculeos, bestias, ignes, craticulas, et quidquid tormentorum excogitare potes : hæc omnia aveo et ambio. Non est famelicus qui ita desideret cibum, sicut ego tormenta tua. Illa ergo expedi, et famem meam exsatia.* S. Xaverius cum Gentiles eum persequerentur ad necem, ideoque subinde in arboribus pernoctaret, item in naufragiis, cum in medio mari natans fluctibus jactaretur, orabat : *Domine, ne hanc crucem mihi auferas, nisi majorem imittas.* Quocirca ita cœlestibus consolationibus affluebat, ut ut eas non capiens exclamaret : *Satis est Domine, satis est :* in tribulationibus vero : *Non satis est Domine, non satis : da plus pati.* Ita P. Lucerna in ejus vita lib. 1. c. 7. Edmundus Campianus primus in Anglia è Societate Martyr, vere Campianus, id est, pugil Christi, audita sententia mortis, Deo sibique gratulando cecinit, *Te Deum laudamus*, ac protractus ad supplicium in theatro consistens : *spectaculum*, inquit, *facti sumus mundo, angelis et hominibus. Gaudeo et gratulor mihi de hac felici sorte, quod Martyr moriar : nunc vivo, nunc triumpho.* Quare instar Samsonis, qui plures moriens quam vivens occidit, plures in morte quam in vita, suo zelo et martyrii exemplo ad fidem orthodoxam convertit, uti habet ejus vita. Eximius et choragus in hac re fuit S. Andreas, qui visa cruce sibi parata jubilans exclamavit : *O bona crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quæsita, et aliquando*

cupienti animo præparata : accipe me ab hominibus, et redde me magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit.

Secunda, quod Deus eos qui amore sui patiuntur vicissim amplectatur, soletur, et fel passionis melle consolationis divinæ dulcoret. Id experti sunt Martyres, qui in eculeis et tormentis lætitia gestiebant, hymnos et laudes Christo canebant. Id experiuntur omnes, qui libenter adversa pro Deo sustinent. Ita Psaltes : *Secundum multitudinem*, inquit, *dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Psal. 93. 19. et Paulus : *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra.* 2. Cor. 1. 5. Mensura ergo passionis, mensura est consolationis, et quo major passio, eo major accedit consolatio. Hujus rei typo Deus Mosi in Mara dedit lignum, quod dulcorat aquas amaras, Exodi 15. 25. Lignum hoc figura fuit crucis Christi, quæ omnes adversitatum amaritudines dulcorat, ut ibidem dixi. Qua de causa sancti cruces non tolli, nec mitigari sed augeri postulabant, dicentes illud Pii V. Pont. acribus calculi doloribus afflicti, *Domine, auge dolorem, auge et patientiam.* Ita S. Teresia orabat : *Da aut pati aut mori.* Vitam enim meam aliud esse nolo, quam te amare, pro te laborare pro te pati. Alia Sancta dicebat se non desiderare brevem vitam et celerem mortem, quia in cœlo nulla est passio : desidero ergo vivere diu, quia desidero diu pati pro amore Dei, non tantum martyria, sed et morbos, calumnias, infortunia, et quævis adversa. Amanti ergo dulcis est virtus, dulcis patientia, dulcis fortitudo, aiebat Cato. Divinius S. Marcus et Marcellianus : *Nunquam tam jucunde epulati sumus, quam hæc libenter Christi causa perferimus.*

Tertia, quod cogitent passionem esse modicam et brevem, ac mox pro ea se recepturos immensam et æternam gloriam. Habent enim illud præmeditatum : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, 2. Cor. 4. 17. Ita S. Stephano videnti cœlos apertos, Christumque coronam cœlestem ostentantem, lapides torrentis dulces fuerunt. Ita S. Franciscus : *Tanta*, ait, *est gloria quam expecto; ut me omnis morbus, omnis mortificatio, omnis humiliatio, omnis pœna delectet.* Nimirum sentiebat quam dulcis sit crux Christi; ac proindo crux non erat ei crux, sed vitæ et gaudii dux. Felix, cui tribulatio dulcescit, qui cum B. Catharina Senensi dulcia hujus vitæ pro amaris, amara pro dulcibus accipit. Sane qui tot tantaque bona, quæ in cruce et tribulatione Deus recondidit, pervidet et gustat, eam dulcissimam judicat, experitur et sentit, crucique concinit : *Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera.* In cruce ergo est vera dulcedo, vera consolatio, verum gaudium. Amplectere scribens, et ita esse experieris.

Expertus id est S. August. Unde in Medit. c. 7. *nihil*, ait, *quæso sine te Domine mihi dulcescat, nihil complaceat, nil pretiosum, nil præter te mihi arrideat speciosum. Vilescant, obsecro, absque te mihi omnia, sordeant universa : quod tibi adversum est, sit mihi molestum : et tuum beneplacitum sit mihi indeficiens desiderium. Tædeat me gaudere sine te, et delectet contristari pro te.* Quocirca S. Chrysost. hom. 4. de Pœnit. docet, tribulationem esse spiritualem mercaturam, in qua anima patientis ingens sibi parat lucrum. Ita in morbis, mortalitate et morte fortiter standum et gaudendum esse Christiano docet S. Cyprian. lib. de Mortalitate. *Nisi præcesserit*, ait, *pugna non potest esse victoria : cum fuerit in pugnæ congressione victoria, tunc dantur vincentibus et coronæ. Nam gubernator in tempestate dignoscitur, in acie miles probatur. Delicata jactatio est, cum periculum non est : conflictatio in adversis, probatio est veritatis. Arbor quæ alta radice fundata est, ventis incumbentibus non movetur : et navis quæ forti compage solidata est, pulsatur ictibus nec foratur : et quando area fruges terit ventos grana fortia et robusta contemnunt; inanes paleæ flatu portante rapiuntur, Sic et Apostolus Paulus post naufragia, post flagella, post carnis et corporis multa et gravia tormenta, non vexari, sed emendari se dicit in adversis, ut dum gravius affligitur, verius comprobetur.* Vide nostrum Gretzerum toto lib. 5. de Cruce, qui est de cruce spirituali sive tribulatione. Quin et Seneca epist. 78. contra dolores hoc dat remedium : *Vir magnus et prudens*, inquit, *animam deducit à corpore et multum cum meliore et divina parte versatur. Hoc solatium vasti doloris est, quod necesse est desinas illum sentire, si nimis senseris.* Et mox : *Toto contra illum pugnet animo : vincetur, si cesserit : vincet, si se contra dolorem suum intenderit. Si longus est, habet intercapedinem, dat refectioni locum. Brevis morbus ac præceps alterutrum faciet, aut extinguetur, aut extinguet.* Ita Agesilaus Rex Spartæ, teste Plut. in Lacon. cum arderet podagræ doloribus, eumque invisisset Carnedes, atque exiret tristis : *Mane*, inquit, *Carneades : nihil enim illinc huc pervenit*, ostensis pedibus et pectore. Sentiens pedes quidem dolere, sed pectus animumque dolore vacuum esse.

Hæc omnia veriora et majora sunt in ea tentatione, quæ oritur ex persecutione, de qua proprie loquitur S. Jacobus. Huic enim propria materia gaudiorum ex multiplex.

Prima, quod talis patiatur ob fidem, ejusque sit pugil et defensor, aut ob justitiam : qualibus Christus dicit : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*, Matth. 5. Talis ergo est hyperaspis, athleta et propugnator primæ et divinæ veritatis, veræ religionis, ac S. Ecclesiæ, pro iisque opes, vires et vitam dat prædæ, totis viribus dimicat, et sæpe occumbit; quod longe dignius et divinius est, quam pro rege, patria et republica dimicare et occumbere. Unde S. August. in psal. 67. *Martyres*, ait, *in Ecclesiis summum locum tenent, atque apice sanctæ dignitatis excellunt.* Et S. Basil. hom. in 40. Martyres : *O sanctum*, inquit, *chorum! ô sacrum ordinem! ô cuneum inexpugnabilem! ô communes generis humani custodes, legati apud Deum potentissimi, astra mundi, flores Ecclesiarum!*

Secunda, quod patiatur pro Deo ejusque lege, honore et amore. Unde facit se victimam nobilissimam et holocaustum Deo, immolans ei corpus, sanguinem, vitam et mortem, juxta illud Sap. 3. 6. *Tanquam aurum in fornace probavit eos, et quasi holocausti hostiam accepit eos.* Deum ergo mire honorat; æque ac delectat patiens, ac vicissim Deus ejus quasi hostiæ sibi devotæ et consecratæ, possessionem capit, imo cum ipso et in ipso patitur, vincit et triumphat.

Unde S. Hieron. ad Hedibiam q. 12. *Triumphus Dei*, inquit, *est passio Martyrum et pro Christi nomine cruoris effusio, et inter tormenta lætitia*, etc. *Hic triumphus est Dei, Apostolorumque victoria.* Quocirca martyrium ex singulari Dei privilegio omnia peccata, quantumvis multa et enormia, expiat, omnesque pœnas eis debitas abolet, Martyremque ilico in cœlum transmittit. *Hoc est baptisma in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosus. Baptisma, in quo angeli baptizant. Baptisma in quo Deus et Christus ejus exultant : quod fidei nostræ incrementa consummat, quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat*, ait S. Cyprian. ad Fortun. præfat. de Exhort. martyr.

Tertia, quod Christo amoris vicem reddat, reponendo illi corpus pro corpore, sanguinem pro sanguine, vitam pro vita. Unde S. Chrysost. hom. 4. in epist. ad Phil. *Pro Christo pati*, inquit, *munus est majoris administrationis, quam sit revera mortuos suscitare, et signa miranda patrare. Nam illic quidem debitor sum, hic vero debitorem habeo Christum.* Basilius Seleuciæ Episcopus in vita S. Theclæ scribit eam post superatas pro Christo bestias, ignes, carceres, etc. Deum orasse pro perseverantia. *Etiamsi*, inquit, *in singulos dies mihi cum igne, belluis, vinculis, carceribus rem esse contigat : adeo mihi omne etiam mortis et discriminis genus pro pietate subeundum, ipsismet paradisi deliciis epulisque instructissimis potius ducitur : tantummodo digna quæ pro te et nomine tuo cruciatus tolerare semper possim, habear.*

Quarta, quod subeat martyrium, qui est nobilissimus actus fidei, charitatis, religionis, fortitudinis, ac proinde nobilissimam in cœlo et terra dat psalmam et coronam. Vide dicta Oseæ 11. 12. et Tertull. in Scorpiaco, Cypr. de Exhort. martyrii, et epist. ad Martyres. Quocirca Martyres in tormentis non tantum exultabant; sed etiam quo magis illa crescebant, eo magis pariter crescebat exultatio, ut viderentur sibi esse in atriis et ingressu cœli. Unde videntes eos, etiam carnifices et præsides, stupebant, multique ad Christum convertebantur, alii indignatur et frandebant, magisque torquebantur eorum gaudio, quam eos ipsi suis suppliciis torquebant. *Insultabant*, inquit S. Ephrem in Encomio Martyrum, *judicibus, quasi sensus doloris expertes, et quasi in alienis corporibus paterentur, dicentes : Si graviora habetis tormenta, admovete nobis. Hæc enim nullius momenti sunt. Ignis vester frigidus apparet, tormenta inefficacia, percussores imbecilles, gladii vestri sunt ligna marcida : nihil quod nostræ respondeat et promptitudini et alacritati habetis, ad plura et majora toleranda consistimus.* Et inferius, *Non rogus ardens, non stridens flamma, non ignitæ sartagines, non ollæ ebullientes, non candentes laminæ, non ferratarum angularum dentes, etc., deterruerunt animosissimos ac fortissimos Christi milites*, etc. *Cæsi quippe magno cum gaudio verborum ictus, tanquam summas delicias excipiebant. Nam cum lictorum manus eorum membra torquerent, visceraque nudarent, non tristi eos facie aspexerunt, neque inter tormenta gemitum ediderunt ; verum hilariore ac lætiore vultu gaudia interna testati sunt : quippe quibus illi cruciatus pro consolatione erant ac requie : afflicti, tentati, verberati, exquisitisque tormentis cruciati Deum toto corde ac tota mente semper dilexerunt.* Et paulo post : *Læta quippe ac jucunda vobis fuit futurorum expectatio, quæ vos ita animavit et corroboravit, ut singulis horis nova vobis et acriora adhiberi cuperetis supplicia, neque ullis satiari potueritis.*

Denique passio et patientia non est in cœlo, nec paradiso, sed est in terra et statu lapso. Per patientiam ergo homo superat non tantum Adamum, sed et angelos : angeli enim status felicior, sed patientis est fortior. Quare S. Laurentius, v. g. fortior fuit angelis, qui pati nequeunt, fortior, inquam, per patientiam, non unam et simplicem, sed variam et multiplicem. Hæc eximia sunt tribulationum et persecutionum bona et gaudia, atque ideo ambienda et invidenda; adeoque si in angelos cadere posset invidia, utique inviderent nobis tanta passionis et patientiæ dona : quin et homines beati, si tristari possent, de hoc uno tristarentur, scilicet quod non plura pro Deo passi sint, nec amplius pro eo pati possint. Cum ergo mane evigilamus, gaudeamus, et jubilemus, Deo, quod diem illum nobis fecerit illucescere, quo multa ejus amore pati, multosque ei patientiæ, meritorum et virtutum cumulos offerre possumus; uti S. Mechtildem à Beatis sibi apparentibus edoctam et monitam fuisse, in gestis ejus legimus, idemque de ea refert L. Blosius lib. 4. Spirit. grat. c. 4. *Omne ergo gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis.*

Quæres tertio, quomodo licite possit gaudere Christianus in proprie dicta tentatione concupiscentiæ, v. g. fornicationis, gulæ, superbiæ; cum eam fugere et deprecari nos jubeat Christus, ut oremus scilicet : *Et ne nos inducas in tentationem?* Resp. Jubet Christus id nos orare Primo, ut non consentiamus tentationi, ait S. August. epist. 121. c. 11. qui enim consentit, non qui sentit inducitur in tentationem. Unde S. Bernard. de Inter. domo ait : *Molesta est lucta, sed fructuosa, quia si habet pœnam, habebit et coronam : non nocet sensus ubi non est consensus; imo quod resistentem fatigat, vincentem coronat.* Secundo, jubet simul orare, ut Deus amoveat à nobis tentationes, præsertim graviores et periculosiores. Homo enim memor et conscius suæ imbecillitatis, ac periculi consensus quod ingerit tentatio, communiter eam vitare et deprecari debet, non optare, vel accersere, uti exponunt et docent Tertull. Cyprian. Nyssen. et Chrysost. in orat. Domin. Nunc.

Dico Primo : licet communiter oporteat fugere et deprecari tentationem ob periculum lapsus, ex humili agnitione fragilitatis nostræ; tamen posito quod Deus velit nos eam subire et pati, subeunda est cum gaudio; tum ut voluntati divinæ nos magis conformemus; tum ut eam facilius sustineamus et vincamus; tum ut dæmonem, qui eam suscitat, fortius profligemus. Nulla enim re ita vincitur dæmon, ac lætitia spirituali et gaudio, uti aiebat S. Antonius. Hujus rei symbolo de Machabæis invictis, imo hostium numerosissimorum victoribus dicitur 1. Machab. 3. 2. *Et præliabantur prælium Israel cum lætitia.* Hæc enim lætitia dæmonem intimidat et dejicit, spemque vincendi et nocendi ei adimit. Nam, ut ait S. August. l. 20. Civit. 8. *Dæmon est quasi canis à Christo ligatus, qui latrare potest, sollicitare potest; mordere omnino non potest, nisi volentem : persuadere enim potest, præcipitare non potest : spem autem persuadendi amittit, cum videt hominem in tentatione constantem, genero-*

sum, lætum et hilarem. Audi S. Antonium in hoc genere exercitatissimum. *Si quod*, inquit, *in pectoribus nostris malæ mentis et pavoris semen invenerint dæmones, mox quasi latrones qui deserta obtinent loca, cœptos cumulant timores, et crediditer imminentes infelicem vexant animam: sin autem alacres fuerimus in Domino; et futurorum nos bonorum cupido succenderit, si semper omnia manibus Dei committimus, nullus dæmonum ad expugnandum valebit accedere.* Ita sanctus Athanas. in ejus Vita. Quocirca S. Jacobus non ait, Optate tentationes, uti notat Abulens. in S. Matth. c. 4. q. 70. sed caute dicit, *Cum in varias tentationes incideritis, gaudium existimate*, q. d. Nolite vos ultro injicere in tentationes, sed ubi incideritis, sustinete eas cum gaudio. Ita Salmeron.

Dico Secundo. Tentatio quatenus sollicitat ad peccatum, appetibilis non est; sic enim proxima est causa peccati, quod summe est odibile: quatenus vero eadem est materia luctæ et victoriæ, augendæque virtutis et meritorum, appetibilis est, præsertim à viris generosis in Dei spe et amore defixis. Ita Dionys. Carth. lib. de Remed. tentat art. 7. Hinc David psal. 25. 2. *Proba me Domine*, inquit, *et tenta me: ure renes meos et cor meum:* multa enim, eaque grandia bona confert tentatio. Præter enim generalia illa quæ de tribulatione jam recensui, particularia tentationum commoda sunt hæc. Primum, quod virtutem explorat et corroborat. *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis*, ait Eccles. c. 27. Sicut ergo vasa figuli, si haberent rationem et sensum, appeterent igne excoqui, ut eo perficerentur et solidarentur; ita justi Dei gratia et virtute suffulti, possunt flammam tentationis cupere, quæ in eis quidquid impurum est excoquat, et in virtute corboret. Sicut enim in hieme et frigore calor per antiperistasim sese intendit, ita pariter virtus cum tentatione colluctant sese intendit: perinde ut pugil omnes vires exerit, quando cum acri antagonista ei congrediendum est. Unde Julius Cæsar optabat fortissimos hostes, ut in eos virtutem suam exerere et ostendere posset, utque eos debellans gloriosiorem nancisceretur victoriam, et Cato censuit Carthaginem non esse delendam, ut ipsa Romanis daret juge armorum exercitium, ne otio effeminarentur, eisque jugis esset cos virtutis, *Marcet enim sine adversario virtus.* Hinc tentatio libidinis, gulæ superbiæ, etc. in Sanctis qui ei resistunt, magis auget firmatque castitatem, sobrietatem, humilitatem, etc. Eleganter et vere S. Cyprian. l. de Bono pudicitiæ: *Nihil*, ait, *animum fidelem sic delectat, quam integra immaculati pudoris conscientia. Voluptatem vicisse, voluptas est maxima: nec ulla major est victoria, quam quæ de cupiditatibus refertur.*

Secundum, quod tentatio sit cos virtutis, mentis industriam Deique amorem exacuens, perinde ac cos acuit aciem gladii, et aqua modica injecta in ignem, eum magis accendit. Hinc Apostolus ait: *In his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* Rom. 8. 38. Sanctus ergo optans tentationem, optat bellum, in quo gratia Dei vincat: quærit pugnam, in qua à Domino adjutus, hostem prosternat: desiderat occasionem, qua se fidelem Domino ostendat: ambit tentationem, in qua suam in Dei obsequio et amore constantiam toti mundo, angelis et hominibus manifestet. Ita miles optat prælium, ut suam fortitudinem et fidelitatem suo duci commendet; ut gloriosam victoriam, nomen, spolia et opes sibi paret; sic et Sanctus Dei amore fervens, optat tentationem, ut cum ea duellans, ostendat quam Dei sit amans, et in ejus amore fidelis et constans, ut luctando vires exerat, virtutes augeat, et meritorum acervos accumulet. Nam, ut ait S. Leo serm. 1. de Quadrag. *Nulla sunt sine tentationum experimentis opera virtutis, nulla sine perturbationibus fides, nullum sine hoste certamen, nulla sine congressione victoria. Si volumus superare, pugnandum est.*

Tertium, quod tentatio hominem virtutibus illustrem deprimat, et in humilitate Deique timore contineat, ne in superbiam erectus, omnia secum perdat. Ita Paulus: *Ne magnitudo*, inquit, *revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet.* 2. Cor. 12. 7. et Eccles. c. 2. 4. *Omne quod tibi applicitum fuerit accipe, et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino tribulationis.* Et Sap. 3. 5. *Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se* Præclare S. Gregor. lib. 2. Moral. c. 37. *Mira*, ait, *hoc nobiscum dispensatione agitur, ut mens nostra culpæ nonnumquam pulsatione feriatur. Nam esse se magnarum virium homo crederet, si nullum unquam earumdem virium defectum intra mentis arcana sentiret: Sed cum tentatione irruente quatitur, et quasi ultra quam sufficit fatigatur, ei contra hostis sui insidias munimen humilitatis ostenditur, et unde se pertimescit enerviter cadere, inde accipit fortiter stare.* Ita videmus subinde viros doctos et virtute eminentes pulsari tentatione pusillanimitatis, utique provido Dei consilio, ne scientia more suo eos inflet, ne virtus extollat. Sic sæpe una tentatio est cuneus ad vincendam aliam graviorem et periculosiorem. Ita legimus in Vitis Patrum, adolescentem stimulo carnis valde exagitatum, cum frustra remedia cætera tentasset, falsis criminationibus à sociis jussu Abbatis assidue appetitum eum excussisse. Post aliquod enim tempus rogatus ab Abbate, an adhuc ea pulsaretur? respondit; *Vivere non licet, fornicari libeat.*

Quartum, tentatio est stimulus spei et orationis: cogit enim hominem afflictum et periclitantem, ad Dei opem et gratiam implorandam confugere, utpote sine qua videt se tentationem non posse superare, sed certo vincendum. Unde Eccles. c. 2. 2. tentatis remedium et confugium assignans: *Deprime*, inquit, *cor tuum, et sustine*, etc. *Sustine sustentationes Dei: conjungere Deo et sustine, ut crescat in novissimo vita tua*, et mox: *Crede Deo et recuperabit te, et dirige viam tuam, et spera in illum*, etc. *Respicite filii nationes hominum, et scitote, quia nullus speravit in Domino, et confusus est.* Unde Isaiæ c. 12. *Fortitudo mea*, inquit, *et laus mea Dominus*, etc. 38. *Domine vim patior, responde pro me.* Et psaltes. Ps. 69. *Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina*, et psal. 117. 7. *Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos*, et

psal. 120. 1. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi*, et psal. 22. 1. *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo*, et Christus : *Confidite, ego vici mundum*, Johan. 16. 33.

Quintum, Deus suis in tentatione præsentissimus est, adest et astat, ut protegat, juvet et confirmet. Unde psal. 9. dicit : *Cum ipso sum in tribulatione*, locus ergo Dei est tribulatio. Quæris Deum? in tribulatione et tentatione invenies? Unde Jeremias c. 10. 11. *Dominus*, ait, *mecum est quasi bellator fortis : idcirco qui persequuntur me, cadent, et infirmi erunt : confundentur vehementer.* Hæc enim ingens est et magnifica gloria Domini, quod sua gratia ita roboret homines debiles, et fragiles, ut omnia diaboli et carnis potentissima arma superent : qua de causa ipse eligit infirma mundi, confundat fortia. *Ego ero ei murus in circuitu*, ait Dominus Zach. 2. 5. uti Elisæo misit currus igneos angelicorum exercituum, qui eum contra Syros defenderent, 4. Reg. 6. 17. Vide Dionys. Carthus. lib. de Remed. tentat. art. 25. Quare S. Chrysost. tract. de Pœnit. *Fortiores*, ait, *nos tentamenta faciunt, persuadentque familiarissimos Deo fieri : torporem enim excutiunt et sanctum fervorem immittunt.*

Sextum, Deus amplissima præmia tentationem vincentibus promittit. *Qui vicerit*, inquit, *faciam illum columnam in templo Dei mei*, Apoc. 3. 12. Ita S. Antonio Christus apparuit, dixitque, se cum gaudio ejus pugnas spectasse, eumque adjuvisse : *Quia*, inquit, *dimicando viriliter non cessisti, semper auxiliabor tibi, et faciam te in toto orbe nominari.* Ita S. Athan. in ejus Vita. Hinc tentationem vincens, aliis eamdem vincendi illustre dat speculum et exemplum, discitque tentatis compati, consulere, et opportuna remedia adhibere. Quocirca Conon Abbas cum à suo monasterio recessisset, ne baptizaret puellam speciosam, cujus specie sentiret stimulum carnis, obvium habuit S. Johannem Baptistam, qui illum cruce signans dixit : *Crede mihi Presbyter Conon, volebam te pro hac pugna mercede donari; sed quia non vis, ecce abstuli à te hoc bellum : mercede autem hujus operis carebis.* Ita Johannes Moscus in Prato spir. cap. 3. Hinc Sancti in cœlis canunt cum jubilio : *Transivimus per ignem* (concupiscentiæ) *et aquam* (desolationis et despectus) *et eduxisti nos in refrigerium*, psal. 65. 12.

Septimum, tentatio mire mentem illuminat in via virtutis. *Nam qui non est tentatus, quid scit?* Eccli. 34. 9. Rursum eum cautum facit, circumspectum, vigilem, ut undique carni et peccato resistat. Unde S. Laurentius Justinus, in Ligno vitæ tract. de Patientia c. 4. *Sicut*, ait, *caro si sale non aspergitur, quamvis sit magna et præcipua, corrumpitur, ita et anima nisi tentationibus assidue saliatur, continuo resolvitur et relaxatur. Per ipsa namque tentamenta anima negligentiæ putredinem excutit, et in spiritus vivacitate conservatur. O quantos vidimus modicis tentationibus à magnis periculis protegi, et tentatione quadam timoris et corporali quadam ineptitudine à peste superbiæ liberari, qui alias quasi equi effræ nes suis talentis superbirent.* Denique tentatio animam consolatur et tranquillat, quia post nubila Phœbus, post desolationem consolatio, post tentationem serenitas exultatio, Deo ita juste ordinante succedit, ut ait Sara Tobiæ 3. 22. Quodcirca, ut recte notat noster Jacobus Alvarez tract. de Victoria tentationis cap. 2. mentium fortissimarum indicium est, hostium incursus non timere, nec tentationum molestia tristari, sed gaudere. Quarum robur Dominus apud Job. c. 39. 21. et seq. sub figura illius equi generosi mystice eleganter describit, dicens; *Terram ungula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis, contemnit pavorem, nec cedit gladio.* Ubi vide S. Gregorium, qui inter alia ait : *Cum certamen passionis sibi appropinquare considerat, de exercitio virtutis exultat; nec terretur pugnæ periculo, qui victoriæ lætatur triumpho.* Rursus Climachus gradu 27. *Nullum*, ait, *certius argumentum est, quod dæmones à nobis victi sunt, quam si nos acerrime oppugnent. Si enim illis omnino resistas fortissime, oppugnabunt te omnino acriter, ut quasi nihil proficientem à certaminibus revocent*, et inferius : *S. Arsilaites dixit : Notavi mane ut plurimum inanis gloriæ et concupiscentiæ spiritus solere advenire : meridie vero acediæ, iracundiæ et tristitiæ; vespere autem infelices ventris stercorum tyrannos.*

Vis talium pugilum et heroum exempla? Accipe. S. Antonius à dæmonibus laniatus et semimortuus relictus, provocabat eos, dicens : *Ecce ego hic sum Antonius, non fugio vestra certamina, etiamsi majora faciatis : nullus me separabit à charitate Christi*, psallebatque, dicens : *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Ita S. Athan. in ejus vita.

S. Hilarion. S. Antonii discipulus. *In tantum exeso corpore, ut vix ossibus hæreret*, ait S. Hieron. in ejus Vita, *quamdam nocte cœpit infantum audire vagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctum quasi mulierum, leonum rugitus, murmur exercitus, et rursus variarum portenta vocum, ut ante sonitu, quam aspectu territus cederet. Intellexit dæmonum ludibria, et provolutus genibus Christi crucem signavit in fronte : talique armatus casside, et lorica fidei circumdatus, jacens fortius prœliabatur, amodo videre desiderans quos horrebat audire, et sollicitis oculis huc illucqua circumspiciens, cum interim ex improviso splendente luna cernit rhedam ferventibus equis super se irruere : cum, inclamasset Jesum, ante oculos ejus repentino terræ hiatu pompa omnis absorpta est. Tunc ille ait : Equum et ascensorem projecit in mare*, et : *Hi in curribus et hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri magnificabimur.*

S. Johan. Climachus narrat S. Ephr. cum sentiret se in altissima pace et tranquillitate mentis, quasi in cœlo terrestri impassibilitatis constitutum, rogasse Deum, ut pristina tentationum certamina et prælia sibi restitueret, ut non perderet materiam merendi, et pertexendi suam coronam.

Johannes Moscus in Prato spir. cap 164. narrat Abbatem Victorem dixisse cuidam à pusillanimitate tentato : *Pusillanimes ex modica tentatione perturbantur, et magnam illam esse existimant : qui vero anima sani sunt, magis in tentationibus gaudent.*

In Vitis Patrum l. 5. libello 5. (sequor editionem nostri P. Heriberti) 19. quidam discipulus tentatus à spiritu fornicationis, adiit senem suum, à quo rogatus : *Vis rogo Dominum, ut sublevet à te molestiam istam?* respondit : *Video Abba, quia si laboro, tamen ex pondere laboris*

hujus considero fructificare me : sed hoc roga Deum, ut det mihi tolerantiam, per quam sustineam. Cui Abbas : *Nunc agnovi, quia in magno profectu es fili, et supergrederis me.* Ibid. num. 10. narratur, Quod Sara tredecim annis à spiritu fornicationis impugnata, nunquam oraverit ut recederet à se hujusmodi pugna, sed solum dixerit : *Domine da mihi fortitudinem.* Per tentationem enim sensim purgatur et purificatur anima, ut perveniat ad puritatem, et perfectionem pene angelicam.

S. Dorotheus doctrina 13. narrat, monachum quemdam indoluisse, quod Deus ei ademisset tentationem qua pulsabatur, ac lacrymando amice dixisse : *Ergone Domine indignus sum qui patiar, affligar et tribuler pro nomine tuo?*

Palladius in Lausiaca refert monachum similem suo Pastori dixisse : *Dominus liberavit me tentationum pugna, mihique pacem restituit.* Cui pastor : *Revertere, oraque Deum, ut pugnam tibi restituat, ne incidas in teporem et negligentiam.* Reversus retulit ad Deum verba Pastoris. Cui Deus : *Recte dixit Pastor*, simulque ei tentationem restituit. Nam, ut ait S. Basil. orat de Patientia : *Ut gubernatorem navis tempestas, athletam studium, militem acies, magnanimum calamitas; sic Christianum hominem tentatio probat. et sicut athletas certaminum labores coronis ad se alliciunt, ita etiam homines Christianos probatio, quæ ex tentationibus descendit, ad perfectionem ducit, si modo cum decenti tolerantia, ac omni gratiarum actione, quæ à Domino ordinantur, susceperimus.* Et S. August. in Psal. 60. *Vita nostra* inquit, *in hac peregrinatione non potest esse sine tentatione, quia profectus noster per tentationem nostram fit; nec sibi quisque innotescit, nisi tentatus : nec potest coronari, nisi vicerit : nec potest vincere, nisi certaverit : potest certare nisi inimicum et tentationes habuerit.* Et S. Ambros. l. 4. in Lucam c. 4. *Non timeamus tentationes, sed magis gloriemur tentationibus, dicentes : Quando infirmamur, tunc potentes sumus. Tunc enim nictitur corona justitiæ*, etc. *Ergo qui vult corona tentationes suggerit. Et si quando tentaris, cognosce quia paratur corona. Nonne tentatio Joseph, virtutis est consecratio? nonne injuria carceris corona est castitatis?* Cassianus collat. 24. c. 25. *Majora*, ait, *nobis per collectionem tentationum laudis contulit premia, benigna erga nos gratia Salvatoris quam si omnem à nobis necessitatem certaminis abstulisset. Etenim sublimioris præstantiorisque virtutis est, passionibus ærumnisque vallatum manere semper immobilem, et acquirere quodammodo de infirmitate virtutem, quia virtus de infirmitate perficitur.* Idem collat. 18. c. 14. celebrat, Religiosam quamdam petiisse à S. Athanasio feminam pauperem et infirmam, sed molestam, ingratam et rixosam, cui serviret, ut in eâ haberet exercitium patientiæ. Cumque ei diu magna et charitate et patientia servivisset, redit *gratias relatura, eo quod ei secundam desiderium suum magistram patientiæ dignissimam providisset, cujus injuriis jugibus, ut quodam palæstræ oleo, quotidie roborata, ad summam animi patientiam perveniret.*

3. SCIENTES QUOD PROBATIO FIDEI VESTRÆ PATIENTIAM OPERATUR.] *Probatio fidei*, idem est quod tentatio quæ præcessit : tentatio enim probat ejus qui tentatur fidem, virtutem, Dei amorem et constantiam; dat enim causam, cur dixerit in ea esse gaudendum. Hæc ergo est Jacobi argumentatio : In tentatione et tribulatione nolite tristari, sed potius gaudete; quia tribulatio, quæ non est aliud quam fidei vestræ probatio, operatur patientiam, quæ præstans est virtus, ac hujus vitæ quasi beatitudo. Ita Beda : *Cujus patientia*, ait, *vinci non potest, ille perfectus esse probatur : et illa ratio facit per patientiam exerceri, ut per hanc fides quam sit perfecta probetur.* Porro tribulatio operatur patientiam, non effective, sed materialiter et objective; perinde ac ligna operantur ignem, quia ei fomitem et pabulum suggerunt. Quare eam tantum operatur in viro fideli, patiente et constante. Nam in instabili, impatiente et inconstante operatur contrarium, scilicet impatientiam et indignationem. Audi S. Bernard. epist. 32. ad Abbatem S. Nicasii : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio. Nec idcirco tamen immerito his quos in anxietate positos videmus, amicis nostris compatimur, quibus utique dum exitum ignoramus, defectum metuimus. Quoniam quidem sicut Sanctis et electis tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit; sic damnandis et reprobis tribulatio parit è contrario pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatio desperationem; et illa interimit*, etc. *Quocirca studeat humilis prudentia tua non vinci à malo, sed vincere in bono malum : vinces autem, spem tuam fortiter in Deo figendo, et rei finem longanimiter expectando.*

Nota. Jacobus ad gaudium in tribulatione, excitat, vocando eam probationem fidei, q. d. Tentatio non tam est tribulatio et afflictio, quam probatio et exploratio fidei vestræ. Gaudete ergo, quod per eam Deus fidem vestram probet et exploret; ac vos vicissim eam fortiter et exultanter sustinendo, probate et ostendite vos illi esse fideles, ac paratos pro ejus fide et amore longe plura et majora tolerare. Gaudium enim in tribulatione, signum est perfectæ fidei et virtutis. Nam, ut ait Aristot., signum habituatæ et radicatæ virtutis est, si quis eam operetur et exerceat, non cum tristitia, sed cum delectatione et gaudio. Sapienter Seneca lib. 1. de Providentia : *Deus*, ait, *bonos, ut severi patres durius educat, aitque : Operibus, doloribus ac damnis colligant robur*, etc. *Ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus, spectaculum Deo dignum. Fortuna, ut gladiator, fortissimos sibi pares quæret, alios fastidio transit. Ignem experitur in Mutio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormentum in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. Gaudent magni viri aliquando rebus adversis, non aliter quam milites fortes belli triumpho. Dicant ergo : digni visi sumus Deo, in quibus experiretur quantum humana natura possit pati.* Et superius : *Sapiens manet in statu, et quidquid evenit in suum colorem trahit : ut mare flumina.* Idem lib. de Ira sub initium : *Invalidum omne*, inquit, *natura querulum est; nec quidquam magnum, nisi quod simul et placidum.* Et inferius : *Naufragio nuntiato Zeno, cum omnia sua audiret submersa : Jubet*, ait, *me fortuna expeditius philosophari.* Idem lib. de Tranquillitate. *Minabatur*, inquit, *Theodoro philosopho Tyrannus mortem, et quidem insepultam. Tum ille, Habes*, ait, *unde tibi placeas. Hemina sanguinis in tua potestate est. Nam quod ad sepulturam attinet, ô te inepte! tam si putas interesse, intra terram, an supra patrescam. Canius Julius à Caio Cæsare duci jussus : Gratias*, ait, *ago tibi optime princeps; tamentant.bas*

amicis : Vos, inquit, quæritis an animæ immortales sint ego jam sciam. Et Alteri : Observare, ait, proposui, an sensurus sit animus exire se, etc. *Fortunæ ergo dic : cum viro tibi negotium est, quære quem vincas.* Hæc locis citatis Seneca, sed sparsim, non junctim : selegi enim ex eo acutiora et meliora.

PROBATIO FIDEI VESTRÆ PATIENTIAM OPERATUR.] Dices, Contrarium dicit Paulus Rom. 5. 3. nimirum. *Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem.* Ergo probatio non causat patientiam, ut ait Jacobus ; potius ab ea causatur, ut ait Paulus, ejusque est effectus. Resp. Primo, sæpe duæ res sibi invicem sunt causæ, ut una alteram quasi causa producat, et vicissim ab ea producatur quasi effectus. Sic calor producit ignem, et ignis vicissim calorem. Sic vapor causat pluviam, et pluvia vicissim vaporem. Sic ex aere humido fit aqua, et ex aqua vicissim fit aer.

Secundo probatio causat patientiam materialiter et objective, uti jam dixi ; patientia vero causat probationem effective, quia facit hominem probatum, ut nimirum ejus fides et virtus omnibus sit probata et explorata.

Tertio et genuine, pro *probatio* hic græce est δοκίμιον, apud Paulum vero est, δοκιμὴ: δοκίμιον, autem est ipsa res, puta tribulatio, quæ perscrutatur, examinat, probat, tentat et explorat hominis animum, fidem et virtutem ; sicut δοκιμασία est ipsa rei examinatio, perscrutatio, probatio, inquisitio et exploratio : δοκιμὴ vero est terminus probationis et examinationis, puta ipsum experimentum, documentum, specimen. Recte ergo Jacobus dicit, quod ipsa tribulatio quasi δοκίμιον, id est *probatio*, hoc est proba, qua probatur et exploratur hominis fides, operetur patientiam, id est, suggerat materiam exercendæ, confirmandæ et augendæ patientiæ. Recte quoque dicit S. Paulus, quod patientia operetur δοκίμιον, id est *probationem*, hoc est effectum et terminum probationis, quia facit ut probatus et exploratus sit animus patientis, nimirum quod Deum, fidem et zelum rebus omnibus lætis et tristibus anteponat, utpote pro quo tanta sit passus, et plura pati paratus. Quocirca hæc probatio operatur, excitat, acuitque spem, quia facit ut patiens, qui suam virtutem in tot adversis Deo probavit, certo ab eo speret coronam et bravium gloriæ cœlestis, quod in agone patientiæ legitime certantibus promisit.

Nota. Pro *patientiam* græce est ὑπομονὴν, id est, *sustinentiam* et *perseverantiam*, ut scilicet constanter et perseveranter toleremus longas durasque persecutiones et tribulationes, longanimiter expectantes Dei opem, consolationem et liberationem. q. d. Esto, ô Christiani, diutina et continua sit hæc vestri persecutio, esto graviter vos affligat, perseverate tamen in fide et patientia, ut eam perficiatis et protrahatis usque ad ultimum vitæ spiritum, si opus sit, expectantes refringerium non in hac vita, sed in futura, eaque æterna. Et hoc significat Græcum verbum compositum κατεργάζεται, id est *peroperatur*, hoc est, plene et perfecte operatur, quia plenam, continuam et perfectam patientiam, in eaque perseverantiam usque ad mortem operatur. Præclare Isidorus Pelus. lib. 3. epist. 26. ad Cassium : *Præcedit*, ait, *coronam probatio, probationem victoria, patientia victoriam, afflictio atque tentatio, seu exploratio patientiam.* Et Laurent. Justin. de Patientia cap. 3. *Quemadmodum*, ait, *in corporibus reparat sanitatem medicina, sic in animabus patientiam tribulatio generat.*

Hujus probationis causa Superiores, præsertim Religiosorum, eis subinde ardua et naturæ repugnantia præcipiunt, vel offerunt, ut eorum virtutem probent, excitent et acuant ; adeoque in Vitis Patrum legimus, illud apud eos vulgare fuisse. Censuisse enim eos, Superiorem qui subditum non exerceat, eique mortificationis, patientiæ, obedientiæ, aliarumque virtutum occasionem et exercitium non suggerit, inhumanum esse ; perinde ac inhumanus est pater, qui filio famelico cibum poscenti negat : pari enim modo hæc probatio cibus et pabulum est animæ, eam instar panis roborans et confortans. Quocirca in nonnullis Religionibus regula et praxis est, ut Superior quotannis subditis singulis hanc probationis materiam ingerat, eosque tentet, negando nonnulla alias dari solita, vel subtrahendo concessa, vel jubendo insueta. Subditus ergo, cum quid tale ingruit, non cadat animo ; sed cogitet, hanc esse solitam Superiorum legem et praxim; illudque accipiat quasi probationem, quæ patientiam operatur, ne illa carens exercitio, desuetudine rubiginem obducat. Sane non tantum novitiatus, sed et religio ipsa, non aliud est, quam continua probatio. Lege Dorotheum et Climachum gradu de Obedientia, Cassianum l. 4. de Instit. c. 23. et sequent.

4. PATIENTIA AUTEM OPUS PERFECTUM HABET.] Est hic duplex lectio et intellectio. Aliqui enim codices legunt *habet* in indicativo, alii *habeat* in optativo, vel imperativo : Græca enim habent ἐχέτω, id est, *habeat* vel *habeto :* et ita legunt Didymus OEcum. Beda, Pagnin. Tigurina, Vatab. et multa Biblia Latina, Syrus vertit, *habebit*, id est, *habeat*, vel *habet*, phrasi Hebræa et Syra : Hebræi enim futuro utuntur tam pro imperativo et optativo, quam pro indicativo, quo carent. Hinc aliqui utramque lectionem ita conciliant : *habet*, inquiunt, id est, habere debet, oportet ut habeat. Idque valde congruit cum eo quod sequitur : *Ut sitis perfecti, et integri, in nullo deficientes.* q. d. Patientia vestra habeat opus perfectum, id est, sit constans, continua et plena, nullis ærumnis, vel doloribus cedens, nulla duratione fatiscens, sed fortis, sui semper similis, crescens et invicta, *ut sitis perfecti et integri.* Multi enim Christiani illo ævo initio ferventes, stabant fortes in primis persecutionis insultibus, sed illis quasi arietibus continuo iteratis pulsati, fatigabantur animoque cadebant. Hos ergo animat et roborat Jacobus, ut quod bene cœperunt, constanter perficiant usque ad mortem et martyrium, juxta illud Tertull. de Patientia cap. 8. *Fatigetur aliena improbitas patientia tua.* Et : *In omnibus patiens ero, alioqui cruciabor impatientia mea.* Sic hodie multos videmus patientes, sed imperfectos, ideoque ex parte impatientes, qui dicunt : Vellem pati istam persecutionem, istam tribulationem, istam injuriam, istum morbum, istud malum ; at pati nequeo illam et illam : vellem pati ab hoc, vel isto, v. g. extero et hoste meo; at ab amico, filio, discipulo, in quem tot beneficia contuli, quem promovi et evexi, tanta pati non possum : vellem pati ad unum alterumve diem, mensem, vel annum ; at tot annos sine spe exitus et finis pati, intolerabile est : vellem pati hoc istove modo : at ille modus qui mihi

offertur, novus est, inauditus, et vires meas superans. Hæc est patiens impatientia, et impatiens patientia, nec piscis, nec caro, sed mixtum ex utroque, quæ onus sibi adauget, dolorem et cruciatum duplicat. Patiens vero et perfecta patientia cupit pati quidquid mali à quocumque, quantumcumque, quomodocumque irrogatum fuerit. Tales fuerunt Martyres, de quibus canit Ecclesia :

Ili pro te furias, atque ferocia
Calcarunt hominum sævaque verbera,
Cessit his lacerans fortiter ungula,
Hæc carpsit penetralia.
Cæduntur gladiis more bidentium,
Non murmur resonat, non querimonia ;
Sed corde tacito mens bene conscia
Conservat patientiam.

Porro patientia habere debet opus perfectum tripliciter. Primo, perfectum in se, puta in fortitudine et continuatione tolerantiæ usque ad finem crucis et vitæ, ut non deficiamus in tribulationibus, sed audiamus à Christo : *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis ; et ideo ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum*, Lucæ 22. v. 28. Secundo, perfectum in fine, ut scilicet patiatur pro Christi fide, justitia, aut virtute. Tertio, perfectum in comitatu innocentiæ, cæterarumque virtutum, ut scilicet patiens sit innocens, et purus ab omni peccato et vitio. Quid enim prodest tibi pati injuriam, si avaritiæ, gulæ, luxuriæ indulgeas? Ita Salmeron.

Ita S. Lyduina cum vigesimum octavum in sua infirmitate annum ageret (passa est autem annis 38.) ardens desiderio martyrii, in ecstasi vidit coronam pretiosissimam, gemmis diversorum colorum egregie variegatam, necdum tamen in orbem penitus absolutam : petiit ergo multa pati pro Christo, ut hunc orbem absolveret. Exaudivit eam Deus, misitque milites, qui eam conviciis et verberibus male mulctarunt. Angelus deinde ad eam venit instar solis splendibus, aitque ad eam : *Salve charissima soror. Ecce nunc absoluta est corona, quam nuper imperfectam vidisti ; propter inverecundos contactus virorum illorum, noveris te repositam fuisse in vestigiis Salvatoris. Ludibria et vulnera corpori tuo imposita fuere gemmæ quas in illa corona et adesse vidisti, et deesse.* Ita habet ejus vita tom. 2. Surii.

Secunda lectio est : *patientia opus perfectum habet.* Ita legunt codices Romani, Lyran. Thomas Anglicus, Hugo, Dionys. et alii multi. Sensus est. q. d. Gaudete in tribulationibus, quia illæ patientiam operantur : patientia autem est res eximia et perfecta : illa enim facit, *ut sitis integri et perfecti* quaquaversum.

Quæres, Quomodo patientia sola præ temperantia, fide, spe, charitate, cæterisque virtutibus dicatur perfecta, et habere opus perfectum? Resp. Certum est charitatem et religionem, utpote quæ proxime Deum respiciunt, ex objecto esse nobiliores et perfectiores patientia : aliunde tamen patientia habet opus perfectum, idque multipliciter. Primo, quia patientia omnia sustinens et in finem usque perseverans (hanc enim significat Græcum ὑπομονὴ) virtutum consummationem efficit et conservat : crux enim continua est velut instrumentum, v. g. runcina, scalpellum, penicillus, quo nos expolit perficitque Deus. Sic enim *Christus per passionem consummatus est.* Hebr. 2. 10. Patientia ergo est in choro cœtuque virtutum id, quod in domo est tectum. Sicut enim tectum incolas domus ab æstu, frigore, procellis, imbribus, ventis, etc., tutatur, eaque propulsat ; ita patientia hominem à procellis quarumlibet tentationum et adversitatum defendit, eaque in se excipit et elidit : perinde ac lana mollis excipit et elidit impetum tormenti et globi ferrei. Quocirca nulla virtus potest esse, vel consistere sine patientia. Vera enim humilitas esse nequit, nisi per patientiam toleret contemptus et probra. Vera paupertas esse nequit, nisi per patientiam toleret inopiam, famem, sitim, nuditatem. Vera charitas esse nequit, quæ per patientiam non toleret infirmitates proximorum, quin et hostium. Unde Tertull. lib. de Patientia cap. 11. et 12. docet nullam esse virtutem, quæ non comitem, imo ducem habeat patientiam, adeoque complexionem virtutum quam Apostolus 1. Cor. 13. assignavit charitati, ipse assignat patientiæ. *Dilectio*, inquit, *summum fidei Sacramentum, Christiani nominis thesaurus, quam Apostolus totis viribus Spiritus sancti commendat, cujus, nisi patientiæ disciplinis eruditur. Dilectio*, inquit, *magnanimis* (Noster vertit *patiens*) *est : ita patientiam exercet. Benefica est : malum patientia non facit. Non æmulatur ; id quidem patientiæ proprium est. Nec protervum sapit : modestiam de patientia traxit. Non inflatur, non protervit : non enim ad patientiam pertinet. Nec sua requirit, suffert* (alii legunt *si offert*) *sua, dum alteri prosit : nec mutatur. Cæterum quid impatientiæ reliquisset? Ideo*, inquit, *dilectio omnia sustinet, omnia tolerat : utique quia patiens. Merito ergo nunquam excidet ; nam cætera evacuabuntur. Exhauriuntur scientiæ, linguæ prophetiæ : permanet fides, spes, dilectio. Fides, quam Christi patientia induxit spes, quam hominis patientia expectat : dilectio, quam Deo magistro patientia comitatur.* Nullus enim, nisi vehementer amans Deum, fidem et virtutem, potest perfectam patientiam obtinere. Unde S. Ignatius, Laurentius, Vincentius, etc., qui fuerunt specula patientiæ, fuerunt pariter specula charitatis, ut merito Trajanus Imper. videns S. Ignatii ardores ad martyrium, dixerit : *Nulla gens pro Deo suo tanta toleravit, atque Christiani pro suo Christo.* Aurum ergo patientiæ Christianæ, non nisi in fornace charitatis coquitur et formatur.

Secundo, quia ὑπομονὴ, id est, perseverans patientia, et patiens perseverantia, coronat et perficit stadium agonis et vitæ humanæ : durat enim usque ad finem vitæ, ideoque quasi omnium vitrix patientem deducit usque ad mortem, et sæpe ad martyrium, ac per illud ad meritum in cœlis patientiæ et victoriæ bravium. Hoc est quod aliis verbis explicans ait Jacobus v. 12. *Beatus vir qui suffert tentationem : quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Tritum est illud : *Omnes virtutes certant, sola perseverantia vincit et coronatur.* Vere. S. Aug. Nemo potest custodire spem futuræ vitæ, nisi qui patientiam habuerit in laboribus præsentis vitæ. In hoc stadio patientiæ nobis quasi dux præivit Christus. Causam dat Apost. Hebr. 2. 10. *Decebat enim eum propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare ;* Syrus, *perfectum facere ;* græce τελειῶσαι ; id est,

perficere, immolare, consecrare, coronare, glorificare. Ecce hæc omnia præstitit Christo, nobisque præstat passio et patientia, vide ibi dicta. Itaque patientia hic significat perseverantiam in patiendo: hanc enim significat ὑπομονή; et hæc habet opus perfectum, quia tota vitam complectitur, et durat in finem usque ad mortem. Unde ipsa sola coronam gloriæ plene meretur, meritamque illico accipit, de qua præclare S. Bernard. epist. 129. *Perseverantia*, inquit, *est vigor virium, virtutum consummatio, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Idem lib. 5. de Consider. c. ult. *Quis sustinet*, inquit, *et perseverat in amore, nisi qui æmulatur æternitatem charitatis? nempe æternitatis quamdam imaginem perseverantia præ se fert. Denique sola est, cui æternitas redditur, vel potius quæ æternitati hominem reddit.* Idem (vel quisquis est auctor) serm. de obedientia ejusque gradibus: *Incipere*, ait, *multorum est, perseverare paucorum. Perseverantia singularis est filia summi regis, virtutum fructus, earumque consummatio, totius boni repositorium, virtus sine qua nemo videbit Deum, neque à Deo videbitur: finis est ad justitiam omni credenti, in qua virtutum conventus reverendum sibi thalamum consecravit. Quid enim currere prodest, et ante metam cursus deficere? Sic currite ut comprehendatis, dicit Apostolus. O quam perseveranti pede cursum perfecerat, qui dicebat: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiæ*, 2. Timoth. 4. Plura de perseverantia dixi Actor. 11. 23.

Tertio, quia patientia est quasi lorica et clypeus, qui omnia mala, quasi tela, ab homine avertit et repellit, ac contraria bona conciliat. Ipsa enim omnes animi motus, æstus, concupiscentias, passiones regit, mitigat, sedat, componit, omnesque animæ affectus ad æquitatem redigit, et quasi complanat. Unde sequitur mira animæ pax, plenumque sui dominium. Patiens enim est sui suorumqum affectuum dominus, iisque quasi Rex imperat. An non ergo perfectus est? Hoc est quod ait Christus: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Causam dat S. Thom. 2. 2. q. 136. art. 2. ad 2. *Per patientiam*, inquit, *dicitur homo animam suam possidere, in quantum radicitus evellit passiones adversitatum* (puta tristitiam, iram, invidiam, vindictam, etc., quæ suscitantur per adversa) *quibus anima inquietatur.* Et adverso impatiens non possedet suam animam, sed cum ipsa possidetur ab ira et impatientia, ac consequenter à Satana. Duro ergo tyranno dure servit instar mancipii. *Patientia*, ait S. Gregor., *est aliena mala æquanimiter perpeti, et contra eum qui irrogat nullo dolore moveri.* Audi Tertull. lib. de Patientia c. 15. *Patientia fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem instruit, pœnitentiam expectat, exomologesin assignat: carnem regit, spiritum servat: linguam frenat, manum continet, tentationes inculcat, scandala pellit, martyria consummat: pauperem consolatur, divitem temperat: infirmum non exhondit, valentem non consumit: fidelem delectat, Gentilem invitat: servum domino, dominum Deo commendat: feminam exornat, virum approbat: amatur in puero, laudatur in juvene, suspicitur in sene: in omni sexu, in omni ætate formosa est.*

Magistrum Tertullianum imitatur discipulus S. Cypian. lib. de Bono patientiæ. *Patientia*, ait, *est, quæ nos Deo, et commendat et servat. Ipsa est quæ iram temperat, quæ linguam frænat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coercet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet, tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in conjunctis et maritatis individuam charitatem: facit humiles in prosperis, in adversis fortes, contra injurias et contumelias mites, docet delinquentibus cito ignoscere; si ipse delinquas, diu et multum rogare: tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones et martyria consummat.*

Quocirca S. Basil. in Admonitione ad filium spirit. docet patientiam esse singulare medium ad acquirendam perfectionem. *Fili*, ait, *patientiam arripe, quia maxima est virtus animæ, ut velociter ad sublimitatem perfectionis possis accendere. Patientia grandis est medela animæ: impatientia autem est pernicies cordis.* Et S. Thomas Aquinas rogatus, *quis esset perfectus?* respondit: *qui vana non loquitur, et facile patitur se contemni. Quem enim videris in sui contemptu indignari, vel contristari, hunc tu ne dixeris perfectum, etiamsi videris eum miracula patrantem.* Virtutes enim sine patientia sunt id, quod murus sine calce et cæmento, qui proinde illico ruet. Virtutum ergo calx vinculum et statumen est patientia. Unde Beda hic: *Cujus*, inquit, *patientia vinci non potest, ille perfectus esse probatur.*

Quarto, *Perfectum et totum est*, ait, Aristot. lib. 4. Phys. *id cui nihil deest.* Patientiæ autem nihil deest, imo ipsa omnes virtutum rerumque aliarum defectus supplet: ergo non tantum est perfecta, sed et virtutes resque alias perficiens et consummans, ipsa ergo opera imperfecta aliarum virtutum complet et perficit. Unde S. Cyprian. tract. de Patientia: *Tolle*, ait, *charitatis patientiam, et desolata non durat.* Et S. Gregor. hom. 35. in Evang. *Patientia*, ait, *est radix et custos omnium virtutum.* Rationem duplicem dat Dionys Carthus Primam, quia adversa quæ tolerat patientia, extinguunt amorem proprium, qui est causa omnis imperfectionis et mali: secundam, quia patientia sex opera perfecta producit. Primum, iræ, invidiæ, aliarumque passionum subjugationem. Secundum, probationem hominis et virtutum ejus. Tertium, sui ipsius possessionem. Quartum gaudium spiritus. Quintum, gubernationem omnium actionum, ut in iis homo sit moderatus et circumspectus. Sextum, consecutionem vitæ æternæ. Accedit S. Thom. 1. 2. q. 66. art. 4. ad 2. ubi docet patientiam habere opus perfectum, quia ipsa extirpat inordinatam tristitiam, quæ est causa et radix iræ, odii, vindictæ, omnisque mali.

Vere Boëtius lib. 4. de Consol. prosa 6. *Quidam* inquit, *suppliciis inexpugnabiles exemplum cæteris prætulerunt, invictam malis esse virtutem.* Et Lactantius lib. 3. Instit. *Beatus est igitur sapiens in tormentis: sed cum torquetur, pro fide, pro justitia, pro Deo, illa patientia doloris beatissimum faciet.*

Alludit S. Jacobus ad priscos athletas in Olympico agone. Perfectus enim athleta nominabatur, qui perfecte omnes exercitationes sui certaminis, adhibita laborum perpessione, continentia, et legitima victus ratione obiverat; ac proinde ad omnia compositus, ad omnem partem que traduxisset adversarius, ipsi præsto erat, eo manus operamque transferre longo usu didicerat : tales enim athletæ sunt patientes. Unde S. Ephrem orat de laud. SS. Martyr. eos vocat perfectissimos athletas. *Hæc sunt*, ait, *ô formosi milites Christi, insignia vestræ victoriæ : ista ô athletæ probatissimi, perfectique divini bellatores, vestræ fidei ac fortitudinis præmia.* Quocirca Gentiles videntes et admirantes tantam patientiam Christianorum, præsertim Martyrum, per eam ad fidem Christi convertebantur. Dictitabant enim, virtutem tam heroicam et perfectam, non posse manare à natura, sed à Deo solo, ejusque fide et gratia.

Quinto sicut truncus portat arborem cum omnibus suis ramis et fructibus ; ita patientia portat totum hominis et virtutum omnium onus et pondus, puta omnia difficilia, omnia ardua, omnia adversa, etc., idque sereno animo, ore et vultu. Unde patientiæ effigiem ita pingit Tertullian. loco jam citato, *Vultus illi tranquillus et placidus, frons puræ nulla mœroris aut iræ rugositate contracta : remissa æque in lætum modum supercilia, oculis humilitate, non infelicitate, dejectis; os taciturnitatis honore signatum. Color, qualis securis et innoxiis. Motus frequens capitis in diabolum, et minax risus. Cæterum amictus circa pectora candidus, et corpori impressus, ut qui nec inflatur, nec inquietatur; sedet enim in trono spiritus ejus mitissimi, et mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo tunæ, sed est teneræ serenitatis, apertus et simplex, quem tertio vidit Elias*, 3. Regum 19. 12. *Nam ubi Deus, ibidem et alumna ejus, patientia scilicet. Cum ergo spiritus Dei descendit, individua patientia comitatur eum.* Et Prudentius in Psychom. duellum iræ et patientiæ describens, ita eum effigiat :

> Ecce modesta gravi stabat patientia vultu
> Per medias immota acies, variosque tumultus ;
> Vulneraque et rigidis vitalia pervia pilis.
> Spectabat defixa oculos, et lenta manebat.

Clemens Alexand. in homilia quæ refertur tomo 1. Concil. pag. 1205. miris laudibus effert patientiam, ac tandem concludens ait : *Omne itaque bonum patientia nobis suppeditat.* Et Climacus gradu 27. *Patientia*, ait, *est infractus animi labor, nullis vel proximis fragoribus agitatur. Patientia est vexationis quotidie expectatu definitio*, etc., *patiens ante momentum mortuus est : sepulchrum enim cellam suam fecit.*

Sexto, patientia Deum habet agonothetam et debitorem. *Adeo* (inquit Tertull. loco citato) *satis idoneus patientiæ sequester Deus : si injuriam deposueris penes eum ultor est : si damnum, restitutor est : si dolorem medicus est : si mortem, resuscitator est. Quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem?* Causam subdit : *Omnia enim placita ejus tuetur : omnibus mandatis ejus intervenit.* Et paulo ante cap. 14. laudans patientiam S. Job : *O felicissimum*, inquit, *illum, qui, omnem patientiæ speciem adversus omnem diaboli vim expanxit. Quem non abacti greges, non filii uno ruinæ impetu adempti, non ipsius denique corporis in ulcere cruciatus, à patientia et fide Domino debita exclusit, quem diabolus totis viribus frustra cecidit*, etc. *Quale in illo viro feretrum Deus de diabolo extraxit? quala vexillum de inimico gloriæ suæ extulit, cum ille homo ad omnem acerbum nuncium nihil ex ore promeret, nisi Deo gratias? Quid? ridebat Deus. Quid? dissecabatur malus* (diabolus.) Annon ergo perfectum opus habet patientia, quæ S. Job et Sanctis perfectum de diabolo, carne, mundo, vitiisque omnibus dat victoriam, cœlitemque triumphum? S. August. in psalm. 42. ait patientiam esse citharam, tribulationes esse chordas, quæ dum pulsantur, melodiam edunt : pari enim modo melodiam suavem in auribus Dei edit patientia, dum in tribulationibus laudat Deum, eique gratias agit. *Omnis enim patientia*, inquit, *dulcis est Deo : si autem in ipsis tribulationibus defeceris, citharam fregisti.*

Septimo, patientia opus perfectum habet : quia ejus opus et actus primarius est martyrium, inquit Thomas Angelicus, quod est opus nobilissimum et perfectissimum. Martyr enim est pugil Dei, athleta Christi, victor mundi, triumphator mortis, ideoque et præsentem et æternam martyrii lauream meretur, illicoque eam accipit. Patientia ergo Martyres creat et coronat.

Pari modo patientia vincit et superat quidquid in mundo est terribile et formidabile, ideoque vitam hominis facit serenam, placidam, compositam et perfectam. Tota enim vita nostra, adeoque actiones singulæ, et momenta singula plena sunt ærumnis, doloribus et crucibus : has omnes sustinet et superat patientia continua usque ad finem vitæ. Ipsa ergo est unicum asylum, columen et coronis uti vitæ, ita et passionum omnium, hominemque transcribit vitæ impassibili et immortali, itaque eum perficit et beat. Cæteræ ergo virtutes sæpe tantum sunt utiles homini : patientia vero semper et ubique est necessaria. Quocirca Bion, teste Laertio lib. 4. cap. 7. dicebat magnum malum esse non posse ferre malum : absque hoc enim nulli potest esse vita suavis. Antisthenes vero apud eumdem lib. 6. cap. 2. dicebat, virtutem sibi sufficere ad felicitatem, nec ulla re opus habere, nisi robore Socratico : Socrates autem ad omnium rerum patientiam obduraverat.

Octavo, quia Christo patientissimo nos facit simillimos, juxta illud : *Quos præcivit et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipsi primogenitus in multis fratribus*, etc., *illos et glorificabit*, Rom. 8. 28. q. d. Deus prædestinavit nos ut similes simus Christo in Ecclesia, tam militante, quam triumphante : ibi in gratia, hic in gloria : ibi in patientia, hic in corona ; ac consequenter ut simus perfecti ; quia patientia angelis et Deo nos assimilat. *Deus* (ait Seneca in Sapiente) *extra patientiam, sapiens supra patientiam est.* Tertul. l. de Patient. c. 16. *Amemus*, ait, *patientiam Dei, patientiam Christi. Dependamus illa quam pro nobis ipse dependit. Offeramus patientiam carnis, patientiam spiritus, qui in resurrectionem carnis et spiritus credimus.* Hac de re gregie philosophatur Marcilius Ficinus. lib. 5. ad Bastianum Salvinum : *O miram*, ait, *patientiæ potestatem! virtutes quidem aliæ contra factum quodammodo pugnant; patientia vero vel sola, vel maxime omnium expugnat fatum : quæ enim fatum immutabilia necessariaque fore decrevit, patientia cum divinæ providentiæ voluntate consentiens ita quodammodo mutat, ut ex neces-*

sariis faciat voluntaria : sicut cui male agit, bona sibi convertit in malum, ita qui bene patitur mala, ea sibi vertit in bonum, nempe in perferendis malis ipse bonus evadit. Unde concludit, patientiam bonum usque adeo perfectum esse, ut absque ipsa cætera hominum perfici nequeant. Quæ enim ab aliis virtutibus inchoantur, ab ipsa perficiuntur. Et post multa ep. ad Antonium Cocchium : *Tria*, inquit, *precipua patientia præcipit. Primum, tu mala libenter pativelis, quæ ipsa natura jubet ut pati nolis. Secundum, ut ipse tibi voluntaria facias, quæ fatum* (Dei providentia et decretum) *necessaria fore decrevit. Tertium, ut mala quælibet vertas in bona; quod Dei solius est officium. In primo quidem repugnare naturæ, in secundo vero expugnare fatum, in tertio denique jubet* (*ut ita dicam*) *æquare se Deo.* Et paulo post : *Tota hominum vita in hac mundi regione maligna, cælestibusque contraria mentibus, nihil aliud esse videtur, quam morbus quidam, dolorque perpetuus. Accedit impatientiam summa malorum, quæ adeo mala est, ut nihil nobis absque illa sit malum, nihil cum illa sit bonum, patientia vero mala bene ferendo, transfert in bonum; et bonis utendo bene, felicissime fruitur.* Ipse ergo est omnium medicina malorum : quia per illam conjungimur et consentimus Deo, qui est omne bonum, etc. *In hoc uno patientiæ vis tota consistit, ut bene patiamur tanquam bonum, quidquid sub infinitæ bonitatis gubernatione contingit.*

Viderunt id per umbram Gentiles quoque. Burus princeps cum inviseretur à Nerone, à quo ferebatur veneno faucibus illito, quasi remedium adhiberetur, in morbum et mortem adactus, aversatus est illum Burus, qui jam scelus intellexerat, multaque percontanti nihil aliud respondit, quam : *Ego bene me habeo, quia sequor factum Deique providentiam, quæ hanc mortem, licet per tuum scelus adornatam, mihi destinavit : tibi ergo erubescendum, mihi conquiescendum in numinis de mea morte decreto.*

Alexander post interfectum Antoninum Rom. Imp. cum audisset Barbaros magnis copiis se et Romanum Imperium invadere : *Decet*, inquit, *viros fortes et moderatos optima quidem optare, sed ferre quæcumque incidant* (quasi à Numine venientia) *ut enim is qui prior lacessit ipse sibi injurius videtur, ita qui propulsat injuriam, confidentior ex conscientia fit, atque ex justitia spem bonam mutuatur;* ita Herodian. lib. 6.

Zeno roganti, quo pacto ferret convicia? *Perinde*, inquit, *atque si legatus absque responso dimittatur.* Indicans eos, qui non habent quod respondeant, ad convicia solere confugere, eaque proinde non pluris oportere fieri, quam si nihil esset responsum; ita Laert. lib. 7 cap.

Unde Philippus rex Macedonum gratias agebat conviciatoribus : Quia, inquit, dum conor illos mendacii factis meis convincere, evado melior; ita Plutarch. in Apopth. Regum.

Alfonsus Aragonum rex, missa ad eum historia Titi Livii, monitus ne acciperet et legeret, quod veneno infectus esset codex, accepit et legit, dicens : *An nescitis regum animas non privatorum libidini subjectas esse, sed sub cura Dei securas et lætas agere?* Est enim rex Dei in terra vicarius, imo imago et speculum : ita Panorm. et Æneas Sylvius in gestis et dictis Alfonsi.

S. Basil. tractatu de Utilitate capienda ex libris Gentilium, celebrat patientiam Periclis et Euclidis. *Quidam*, ait, *in foro Periclem probris omnibus incessebat. Is autem minimi curare visus, toto fere die sustinuit : deinde vespere jam discedente cum lumine comitatus est, ne quid in philosophiæ studio admitteret. Rursus quidam Euclidi Megarensi animo concitatus juravit, se mortem illaturum. Ille vero contra se patienter laturum juravit, placatumque et ei quamvis infesto se conciliatum iri. Quare valde ad nos excitandus refert, ut talia virorum cohibentium iram exempla nostram memoriam subeant.* Et paulo post : *Quidam vehementi impetu Socratis faciem cecidit : hic autem minime commotus, furentem debacchari et iram satiare permisit : ex quo eum totum ex plagis tumidum atque contusum reddidit. Ubi vero ille cedendo destitit, nihil aliud Socrates fecisse dicitur, quam fronti propriæ inscripsisse : Talis fecit veluti statuæ cuidam auctoris nomen; et eo modo vindicasse.* Sicut ergo Apelles suis picturis perfectis et eximiis inscribebat, *Apelles fecit;* ita patiens suis tolerantiæ facinoribus perfectis et heroicis, quibus eam quasi heroinam in anima sua depingit et ornat, inscribat : *Patientia fecit.*

Denique Epictetus in Arriano cap. 6. *Quidam quæso*, ait, *esset Hercules, nisi taurus leoque extitisset, et hydra, et cervus, et ursus?*

UT SITIS PERFECTI ET INTEGRI, ET IN NULLO DEFICIENTES.] q. d. Si sitis patientes, et in patientia usque ad finem vitæ perseverantes, uti dixi, eritis perfecti et integri : patientiæ enim perseverantia habet opus perfectum, facitque perfectos et integros.

Jam Primo, Thomas anglicus hæc tria ita distinguit. *Perfecti*, inquit, sunt, qui sufferunt longam durationem tentationum : *integri*, qui earumdem acerbitatem et pondus *in nullo deficientes*, qui earumdem varietatem et multiplicitatem. Secundo, idem : Perfectio, ait, consistit in agendo, integritas in patiendo, absentia defectus in perseverando. Tertio et genuine, hæc tria idem, vel pene idem significant. Est enim unius ejusdemque rei per alia et alia verba exaggeratio. q. d. Patientiæ perseverantia faciet undequaque perfectos, integros et in nullo deficientes, ut scilicet in fide et virtute Christiana constanter usque ad mortem profitenda, prosequenda et propugnanda sitis integri, omnibusque officii Christiani partibus et numeris absoluti, quantum fragilitas naturæ lapsæ et corruptæ patitur, ut ab ea nullo metu et terrore, nullis pœnis, nullis promissis vel illecebris illecti deficiatis, atque nullum in ea tædii vel pusillanimitatis, nullum impatientiæ, tristitiæ, similisve perturbationis vitiique motum vel in mente, vel in phantasia, vel in appetitu, vel in voluntate sentiatis, quem non illico superetis et comprimatis : spiritus enim per patientiam subditus Deo Deique voluntati, per eamdem subdet sibi animam, anima subiget sibi sensus, corpus et membra. Deus enim per patientiam sanctificabit, sibique subiget et perficiet vestrum spiritum, et per spiritum animam, et per animam sensus et membra, facietque ut omnia sancta, integra et perfecta illi, quasi integram patientiæ victimam offeratis. Hoc est quod ait Paulus 2. Thessal. 5. 23. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer vester spiritus, et anima et corpus, sine querela, in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.* Vide dicta.

Nota. Pro *perfecti* græce est τέλειοι, quod Secundo, verti potest *selecti*, *eximii*, *summi.* Sic enim apud Lucianum τέλειοι θεοὶ vocantur Dei

perfecti, id est, præcipui et summi : heroes enim habebantur à Gentilibus dii, sed minores. Tertio, *adulti :* nam τελειος ἀνηρ vocatur vir adultus, integræ ætatis et magnitudinis, ut sensus sit : ut sitis in patientia et virtute Christiana, non sit pueri, sed viri et adulti, ut virtus vestra non tenera et puerilis, sed constans et virilis, juxta illud Apostoli Ephes. 4. 12. *Ad consummationem Sanctorum*, etc., *donec occuramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut jam non simus parvuli*, etc. Quarto, *solidi.* Quinto, *sancti* et *sacri*, quasi hostiæ patientes et pacificæ consecratæ Deo : τέλεια enim ἱερά vocabant hostias eximias, luculentas, largiores et sanctiones : et τελειωσις, id est, perfectio et consummatio, vocatur ipsa purificatio, consecratio et sanctificatio, ipsumque martyrium, quo patientes et Martyres Deo consecrantur et immolantur. Unde S. Greg. Nazian. Martyres vocat τελειωθέντας δι αἱματος, id est, *Deo consecratos suo sanguine.* Hinc et τελειωτης, vocatur initiatus sacris, sacerdos.

Nota Secundo, *deficientes*, græce est λειπομενοι, id est cedentes, cadentes, victi fracti, diminuti : λειπομαι enim idem est quod deficio, cado, defatigor, succumbo, vincor, impar et inferior sum, linquor animo. Vult ergo Jacobus, ut Christiani nulla persecutione, nulla adversitate, nullo onere, nulla diuturnitate, nullo tædio defatigentur animisque cadant, ut vel tantillum à fide aut officio Christiano recedant, vel recedere destinent; sed corde forti, æneo et marmoreo in eo persistant, omniaque adversa constanter evincant et superent; itaque integritatem fidei, patientiæ et virtutis omni ex parte intactam et illibatam conservent, ne quid in ea sit mancum, mutillum, languidum, enerve, fatiscens, vel quoquo modo imminutum et deficiens. Patientiæ enim pes frangitur per impatientiam, cum injuriis succumbit : manus frangitur, cum in aliis opitulando defatigatur : lumbi luxantur, cum tarda fit et pigra, etc. Idem est de corpore et membris, integritate et mutilatione ceterarum virtutum, quæ sæpe defectum, mutilationem, et quasi deliquium quoddam patiuntur instar lunæ. Talis est illa, de qua Bernard. serm. de obedientia, patientia, et sapientia : *Cæterum*, ait, *nec leprosa obedientia, nec canina patientia commendatur;* illa nimirum cutem exulcerat, hæc jecur rodit et fel effundit.

5. Si quis autem vestrum indiget (λειπεται, id est destituitur, deficit, fatiscit, uti paulo ante dixi) sapientia.] Ut cognoscat quanta sit utilitas tribulationis, quam alta et profunda mysteria in tentatione et cruce à Deo sint abscondita, quæ jam deprædicavi, nimirum tribulationem esse summum bonum, ideoque de eo summe gaudendum : tribulationem enim parere patientiam, quæ opus habet perfectum, ut sitis perfecti, integri et in nullo deficientes : ut cognoscat, inquam, hæc non tantum speculative, sed et practice, nimirum reipsa constanter omnes tribulationes patiendo, in iisque gaudendo, ac nullis modestiis, vel doloribus cedendo, vel animo cadendo; sed integra et perfecta fortitudine in fide et virtute persistendo. Hæc est enim vera sapientia, non philosophica et humana, sed Christiana et divina, quam proinde multi, etiam Christiani, ignorabant, et etiamnum ignorant, saltem practice, nonnulli etiam speculative : ignorantia enim practica sensim parit speculativam. Dum enim quis in patientia fatiscit, sensimque fit impatiens, fit ut hæc impatientia mentem excæcet, ut non videat, nec cognoscat quantum bonum sit patientia. Quocirca sapientia dicta est à sapore et gustu, quasi sapida scientia, affectuosa scilicet, amans et ardens rem quam cognoscit et sapit. Porro Τὸ *si* non tam conditionem significat dubitandis, quam causam supponentis, uti et Malachiæ 1. 6. *Si* (id est, *quia, cum*) *Pater ego sum, ubi est honor meus? et si* (cum) *Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Omnes enim homines, quantumvis sapientes, indigent sapientia, vel quoad inchoationem, vel quoad incrementum et perfectionem. Hinc Plato in Hippia laudat Heraclii dictum, *hominem sapientissimum si cum Deo conferatur, simiam apparare : simiam autem pulcherrimam esse deformem, si cum alio quopiam animantium genere comparetur; perinde ac olla pulcherrima turpis est, si cum virginum genere conferatur.*

Nota Primo, *Sapientia*, jam dicta non est aliud, quam cognitio Dei et ultimi fini, ac mediorum ad eum assequendum, eorumque desiderium, amor et pius affectus, indeque usus et praxis. Unde Prov. 1. 7. dicitur : *Initium sapientiæ timor Domini*, et Eccles. 1. 20. *Plenitudo sapientiæ est timere Deum*, et cap. 19. 18. *Omnis sapientia timor Dei, et in illa timere Deum, et in omni sapientia dispositio legis.* Hæc est sapientia, quam Sapiens in libris, qui, ab ea, vulgo Sapientiales vocantur; puta in Proverbiis, Sapientia, Ecclesiaste et Ecclesiastico tradit; quamque nunc vocat sapientiam, nunc scientiam, nunc intellectum, nunc disciplinam, nunc eruditionem, nunc doctrinam, nunc prudentiam, nunc legem. Hinc Sapient. 10. 10. vocatur *scientia Sanctorum*, et Luc. 1. 17. *prudentia justorum*, quæ est timere, colere et amare Deum, bonaque cælesti æterna, non terrena et caduca.

De hac scripsit Lactantius libros quatuor de *vera et falsa sapientia*, ubi l. 3. c. 9. *Venio*, ait, *nunc ad veræ sapientiæ summum bonum, cujus natura hoc modo determinanda est. Primum, ut solius hominis sit, nec cadat in ullum aliud animal. Deinde ut solius sit animi, nec communicari possit cum corpore. Postremo, ut non possit cuipiam sine scientia et virtute contingere.* Unde reprehendit Anaxagoram, cui *cum ab eo quæretur, cujus rei causa natus esset? Respondit, cœli ac solis videndi. Quis*, ait Lactant. *te in hoc spectaculum induxit? aut quid cælo, rerumque naturæ visio tua confert? nimirum ut hoc immensum et admirabile opus laudes. Confitere ergo rerum omnium esse constitutorem Deum, qui te in hunc mundum quasi testem laudatoremque sui operis induxit. Magnum esse credis videre cælum ac solem, cur ergo gratias non agis ei, qui hujus beneficii auctor est? Cur non ipsius virtutem, providentiam potestatem metiris animo, cujus opera miraris.* Et inferius : *Quare si quis hominum qui vere sapit, interroget cujus rei gratia natus sit? Respondebit intrepidus ac paratus, colendi se Dei gratia natum, qui nos ideo generavit, ut ei serviamus. Servire autem Deo nihil aliud est, quam bonis operibus tueri et conservare justitiam.* Et mox : *Quia quanto pluris est anima quam corpus, tanto pluris est Deus quam mundus : quia mundum Deus fecit et regit;* et rursum : *Expedita est igitur hominis ratio, si sapiat cujus propria est humanitas. Nam ipsa humanitas quid est, nisi justitia? Quid est justitia, nisi pie-*

tas? pietas autem nihil aliud est, quam Dei parentis agnitio.

Quocirca cap. 16. ridet philosophos, qui suam philosophiam tarde commenti sunt, ut sapientiam invenirent, sed falsam; non veram, ait ergo: *Dixit Seneca: Nondum sunt mille anni, ex quo initia sapientiæ nata sunt. Multis ergo sæculis humanum genus sine ratione vixit. Quod irridens Persius: Postquam, inquit, sapere urbi cum pipere et palmis venit: tanquam sapientia cum saporis mercibus fuerit invecta: quæ si secundum hominis naturam est, cum homine ipso cœperit necesse est.* Idem l. 3. c. 28. *Omnis sapientia hominis*, ait, *in hoc uno est, ut Deum cognoscat et colat. Hoc nostrum dogma, hæc sententia est. Hoc est illud, quod Philosophi omnes in tota vita sua quæsierunt, nec unquam investigare, comprehendere, tenere valuerunt: quia religionem aut pravam tenuerunt, aut totam penitus sustulerunt,* etc. *Huc ergo nos omnes, quibus est cura sapientiæ, conferamus. An expectabimus donec Socrates aliquid sciat? aut Anaxagoras in tenebris lumen inveniat? aut Democritus veritatem de puteo extrahat? aut Empedocles dilatet animi sui semitas? aut Arcesilas et Carneades videant, sentiant, percipiant. Ecce vox de cœlo veritatem docens, et nobis sole ipso clarius lumen ostendens,* etc. *Qui vult sapiens ac beatus esse, audiat Dei vocem discat justitiam, sacramentum nativitatis suæ norit, humana contemnat, divina suscipiat, ut summum illud bonum ad quod natus est, possit adipisci,* Idem lib. 4. cap. 4. *Quibus rebus apparet, quam inter se conjuncta sint sapientia et religio? sapientia spectat ad filios, quæ exigit amorem; religio ad servos, quæ exigit timorem. Nam sicut illi patrem diligere debent et honorare, sic hi Dominum colere et vereri. Deus autem qui unus est, quoniam utramque personam sustinet, et patris et domini; et amare eum debemus, quia filii sumus; et timere, quia servi. Non potest igitur religio à sapientia secerni: quia idem Deus est, qui et intelligi debet quod est sapientiæ; et honorari, quod est religionis. Sapientia præcedit, religio sequitur, quia prius est Deum scire, consequens colere.* Hinc sapientiæ hieroglyphicum fuere Cherubini, positi juxta arcam et propitiatorium, uti dixi Exodi 25. 20. in fine, ubi sapientiæ apophtegmata, exempla et documenta recensui.

Porro modum et media acquirendi sapientiam, egregie ex sua praxi describit S. Thomas Aquinas epist. ad amicum, quæ sic habet: *Quia quæsisti à me, in Christo mihi charissime, qualiter te studere oporteat in thesauro scientiæ acquirendæ; tale à me tibi super hoc traditur consilium, ut per rivulos non statim in mare eligas introire, quia per faciliora ad difficiliora oportet devenire. Hæc est ergo monitio mea, et instructio tua: Tardiloquum te esse jubeo, et tarde ad locutorium ascendentem conscientiæ puritatem amplectere, orationi vocare non desinas, cellam frequenter diligas, si vis in cellam vinariam introduci. Omnibus te amabilem exhibe, nihil quære penitus de factis aliorum, nemini te multum familiarem ostendas: quia nimia familiaritas parit contemptum, et subtractionis à studio materiam subministrat. De verbis et factis sæcularium nullatenus te intromittas. Discursus super omnia fugias. Sanctorum et bonorum imitari vestigia non omittas: non respicias à quo audias, sed quidquid boni dicatur, memoriæ. recommenda. Ea quæ agis et audis, fac ut intelligas: de dubiis te certifices; et quidquid poteris in armario lo mentis reponere satage, sicut cupiens vas implere. Alti ora te ne quæsieris. Illa sequens vestigia frondes et fructus in vineam Domini sabaoth utiles? quamdiu vitam vixeris, proferes ac produces. Hæc si sectatus fueris, ad id contingere poteris quod affectas.* Breviter vero Hugo de S. Victore lib. Didascal. c. 13. sex media adipiscendæ sapientiæ præscribit hisce versibus.

> Mens humilis studium quærendi, vita quieta,
> Scrutinium tacitum, paupertas, terra remota:
> Hæc reserare solent multis obscura legendo.

Nota secundo. Licet hæc sapientia exigat et complectatur omnem virtutem, tamen præ cæteris sita est in patientia. Ob causas nimirum bona patientiæ quas attuli v. 1. Verus ergo patiens verus est sapiens, et summe patiens, summe sapiens juxta illud Prov. 19. 11. *Doctrina viri per patientiam noscitur.* Hinc et παθήματα sunt μαθήματα, id est passiones et tribulationes, sunt doctrinæ et disciplinæ. Quocirca merito Lactant. l. 6. Vero cultu c. 18. reprehendit Ciceronem, qui in Officiis definit virum bonum esse qui prosit quibus possit, noceat nemini, nisi lacessitus injuria. *O quam simplicem,* inquiens, *veramque sententiam, duorum verborum adjectione corrupit! quid enim opus fuerat addere: Nisi lacessitus injuria, ut vitium bono viro, quasi caudam turpissimam apponeret, patientiæque quæ omnium virtutum maxima est faceret expertem? Nociturum esse dixit bonum virum, si fuerit lacessitus: jam hoc ipso boni viri nomen amittat necesse est si nocebit.* Probat in Primo, *non minus enim mali est referre injuriam, quam inferre.* Secundo, *quia improbitati opposita impatientia, magnas sæpe concitat tempestates. Quod si patientiam qua virtute nihil verius, nihil homine dignius inveniri potest, improbitati opposueris, extinguitur protinus, tanquam si igni aquam superfuderis.* Tertio, quod se vindicare non sit hominum, sed pecudum. *Nam et pecudes si lacessas, calce aut cornu repugnant, et serpentes ac feræ, nisi persequaris et occidas, negotium nobis exhibent, et imperiti quoque et insapientes si quando accipiunt injuriam, cæco et irrationabili furore ducuntur, iis qui sibi nocent vicem retribuere conantur. In quo igitur sapiens ac bonus vir à malis et insipientibus differt, nisi quia habet invictam patientiam, qua stulti carent; nisi quod regere se ac mitigare iram suam novit, quam illi, quia virtute indigent, refrenare non possunt?* Quarto, *quia qui referre injuriam nititur, eum ipsum à quo læsus est, gestit imitari, ita qui malum imitatur, bonus esse nullo pacto potest. Duobus igitur verbis duas virtutes maximas bono et sapienti viro, innocentiam patientiamque detraxit.* Quinto, *quia ipse* (Cicero) *caninam illam facundiam* (*sicut Sallust. ab Appio dictum refert*) *exercuit, voluit quoque hominem canino modo vivere, ut remordeat lacessitus.* Sexto, *quæ retribuito contumeliæ, quam perniciosa sit, et quas edere soleat strages, unde oportunius petetur exemplum, quam ex ipsius doctoris tristissimo casu, qui dum his Philosophorum præceptis obtemperare gestit, ipse se perdidit. Quod si lacessitus injuria* (ab Antonio) *patientiam tenuisset, si dissimulare, si ferre contumeliam boni viri esse didicisset, nec illas nobiles orationes alieno titulo inscriptas, impatientia, levitate et insania profudisset, nunquam capite suo rostra, in quibus ante floruerat, cruentasset nec remp. funditus proscriptio illa delesset.*

Unde concludit : *Sapientis ac boni viri non est, velle certare, ac se periculo committere. Summa igitur virtus habenda patientia est, qua ut non careret homo justus, voluit illum Deus pro inerte contemni. Nisi enim contumeliis fuerit affectus, quantum habet fortitudinis in seipso cohibendo ignorabitur. Si autem lacessitus, injuria lædentem persequi cæperit, victus est. Si vero motum illum ratione compresserit, hic plane imperat sibi, et hic regere se potest. Quæ sustentatio sui recte patientia nominatur : quia una virtus omnibus est opposita vitiis et affectibus. Hæc perturbantem ac fluctuantem animum ad tranquillitatem suam revocat, hæc mitigat, hæc hominem sibi reddit*, etc. *Denique Marcus Tullius contra suum præceptum oblivionem injuriarum in magnis laudibus posuit. Spero*, ait, *Cæsar, qui oblivisci nihil soles, nisi injurias.* Idem c. 19. refellit eos, qui dicunt iram esse comitem virtutis, quia ignorant causam, cur homini iram tribuerit Deus : alioquin enim *quid immanius erit homine? quid similius feris, quam id animal, quod ad communionem et innocentiam Deus fecit? Tres sunt igitur affectus, qui homines in omnia facinora præcipites agunt, ira, cupiditas, libido. Propterea Poetæ tres furias esse dixerunt, quæ mentes hominum exagitant. Ira ultionem desiderat : Cupiditas opes. Libido voluptates*, etc. *Quicumque igitur affectus illos intra fines suos redegerit, quod ignorantes Deum facere non possunt, hic patiens, hic fortis, hic justus est;* hæc Lactant.

Patientiæ ergo sapientia præcepta, et prudentia dictamina inter alia sunt hæc. Primum : *Pax præstat quibusvis opibus et bonis : illorum ergo jactura est emenda.* Secundum : *Nullus pejor animæ hostis, quam tumultus æstusque cogitationum, iræ et impatientiæ.* Nam, ut ait Cassian. col. 18. c. 16. *Lædi ab homine quamvis malignante non potero, si ipse in pacifico adversum me corde non dimicem. Si autem lædor, non est vitium impugnationis alienæ, sed impatientiæ meæ.* Tertium optimum vindictæ genus est, lædenti benefacere, ut aiebat S. Joannes Eleemosynarius. Quartum est sublime Abbatis Stephani apud S. Greg. hom. 35. in evang. *Virtus*, ait, *patientiæ vehementer in eo excreverat, ita ut cum sibi amicum crederet, qui sibi molestiæ aliquid irrogasset. Reddebat contumeliis gratias. Si quod in ipsa sua inopia damnum fuisset illatum, hoc maximum lucrum putabat. Omnes suos adversarios nihil aliud, quam adjutores æstimabat.* Quintum, *Mansuetudine subditi vincitur asperitas prælati*, uti eam vicisse Libertinum scribit S. Greg. lib. 1. Dial. c. 2. Sextum : *Injuria nobis illata animarum nostrarum est medicina.* Ita S. Monica, cum ab ancilla per convicium vocaretur meribibula, quasi stimulo percussa, sibi indignans solitam vini cupidinem prorsus à se abdicavit, et bibacitatem extinxit, teste S. Aug. l. 9. Conf. c. 8. Septimum : *Maleficium compensandum est beneficio.* Ita fecit S. Liduina, dicens : *Illis ergo debere me fateor, qui viam mandatorum Dei quorum plenitudo est dilectio, me currere compellunt*, ita habet ejus vita apud Surium. Octavum : *Prudentis est modica ac brevi pœna præsentis vitæ, per patientiam redimere longas et graves Purgatorii, vel inferni*, uti in morbo dicebat Stephanus monachus circa Marcoten in hist. Trip. l. 8. c. 1. Nonum : *Crucem hanc si merui, feram, ut pro peccatis satisfaciam : si non merui, feram eamdem, ut coronam augeam : ut erit, laudem habeo decusque vel pœniten tiæ, vel patientiæ.* Decimum : *Præstat pati in juriam, quam facere : qui enim nocet alteri plus nocet sibi*, uti B. Stephan. dixisse narrat S. Greg. l. 4. Dial. c. 19. Undecimum : *Deus suscipit patrocinium patientis calumniam et injuriam;* ita Senior ille in Prato spir. c. 219. Duodecimum : Seneca. l. 2. de ira : *Magni*, ait, *animi est injurias despicere. Pusilli hominis et miseri est repetere mordentem, ut mures et formicæ, ad quas si manum admoveris, ora convertunt, Imbecilla se lædi putant si tanguntur.* Decimumtertium : S. Ambr. epist. 82. ad Eccles. Vercell. *Non hæc sola est forma justitiæ*, ait, *ut non lædas eum, qui te non læserit; sed etiam illa, ut etiam remittas ei cui læserit. Nihil interest cui male facias, utrum justo, an injusto, cum te male facere non oporteat. Nihil distat, quomodo malignus sis utrum justo vindicandi studio, an voto nocendi, cum malignitas in utroque genere non careat reprehensione.* Plura affert Plut. lib. de Utilitate capienda ab inimicis. Decimum quartum : *Patientia prudens in quavis difficultate suggerit consilium.* Docet hoc S. Ambr. l. 2. de Jacob et vita beata c. 4. exemplo Rebeccæ, quæ Jacob filio suasit fugam, dum Esau eum vellet occidere. *Veniat*, ait, *Rebecca, hoc est, inducatur patientia, bona custos innocentiæ; suadeat ut iræ locum demus, offensioni subrepta oblivio : mater pia abesse sibi dilectissimum filium tolerat, plus ei collatura, quam læsit : utrique tamen consulens, ut alterum immanem à periculo, alterum integrum præstaret à crimine. Quis sic potuit consulere, nisi prudens tolerantia? Quis utrique utile consilium apponere, nisi sapiens patientia?* Decimumquintum : Seneca epist. 60. *Vir sapiens* (utique patiens) *ad omnem incursum invictus : non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem refert. Usque adeo patiens est vir sapiens, et perfecta patientia cum sapientia reperitur.* Hoc est quod ait Sapiens Prov. 14. 29. *Qui patiens est, multa gubernatur prudentia : qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.* Ex quo S. Chrys. hom. 33. in 1. ad Corinth. *Patientia*, ait, *universæ philosophiæ est radix*, etc. ; *charitas omnia suffert, duce utique patientia.*

Allegoriam hujus rei elegantem ex Genes. c. 20. affert Philo lib. de Plantatione Noe, scilicet quod Abimelech rex viderit Isaac jocantem cum Rebecca : Isaac enim, id est risus, representat gaudium : Rebecca, id est saginata, patientiam : Abimelech, id est pater regis, superamundanam sapientium q. d. Gaudium in brachiis sapientiæ reperitur, invicem se amplectuntur, ut dixit S. Jacobus v. 1. *O prudentem ludum ac disciplinam! visus à tolerantia adjuvatur*, ait Clemens 1. Pædag. c. 5. Hunc autem utriusque, lætitiæ scilicet, et patientiæ, complexum nemo considerare potest, nisi Abimelech, id est sapientia. Quod enim aliud negotium sapientem decet, quam ludere, gaudere, hilarescere cum honesta tolerantia? Et hæc est ratio, cur in solis sapientibus sit tolerantia : quia et illi soli hunc ludum spectant. Denique invicti patientis emblema est adamas, quem decussatim stringit gladius et flamma, cum hoc lemmate : *Nec ferro cedit, nec igni.*

Postulet a Deo.] Deus enim est ipsa æterna, increata immensa, essentialis sapientia, qui quasi fons eam communicat angelis, hominibus, omnibusque creaturis, cuique pro sua conditione et capacitate. Unde Lactant. l. 4. de Vera

sapientia c. 4. *Fons*, ait, *sapientiæ et religionis Deus est, à quo hi duo rivi si aberraverint arescant necesse est : quem qui nesciunt, nec sapientes esse possunt, nec religiosi.* Idem et fuse eleganter docet Bar. c. 3. v. 12. et seq. ubi causam omnis mali Israelis assignat, quod ignorarit Deum fontem sapientiæ : frustra enim illum à Philosophis et mundi sapientibus requiri, et tandem concludens v. 36. *Hic*, ait, *est Deus noster, et non æstimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est,* per incarnationem ut sapientiam è cœlis in terram (quod Promethcum, fecisse fingunt Poetæ) deferret, eamque hominibus communicaret. Id fecit Christus, qui est sapientia Patris æterna et incarnata.

Docet hic Primo S. Jacobus, præ reliquis donis postulandam esse à Deo sapientiam; quia hæc est origo et matrix omnis scientiæ, omnis virtutis, omnis boni. Unde eamdem solam petiit à Deo Salomon, cum data esset ei optio petendi quidquid vellet, ac cum ea cætera omnia impetravit. *Quia postulasti*, ait, *verbum hoc, et non petisti tibi dies multos, nec divitas, aut animas inimicorum tuorum; sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum, ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens et intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit : sed et hæc quæ non postulasti dedi tibi; divitias scilicet, et gloriam, ut nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retro diebus*, 3. Reg. 3. 11. Porro in sapientia comprehendit patientiam; hanc enim docet cuique postulandam esse à Deo. Præclare enim Orig. in Psal. 36. hom. 3. *Expectamus*, ait, *Dominum, quia ipse est expectatio nostra et patientia, sicut scriptum est Ps. 3. 38. Et nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus? Sicut ergo Salvator sapientia est, et pax, et justitia; ita est et expectatio, vel patientia. Et sicut participatione justitiæ ejus justi efficimur, et participatione sapientiæ ejus sapientes; ita et participatione patientiæ ejus patientes efficimur. Est ergo velut fons quidam perennis, de quo haurire possumus et patientiam, et justitiam, et sapientiam, et omnia quæcumque sunt virtutum bona; si tamen bona digna et pura et vascula nostra deferamus ad fontem.*

Secundo, docet eam petendam non ab alio, quam à Deo, sive immediate, sive mediante invocatione et patrocinio Sanctorum. Ita Salomon, licet jam promissa et data esset ei sapientia à Deo, eam tamen, id est ejus conservationem et augmentum petiit à Deo, dicens, et nobis omnibus dicendum proponens : *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, et noli me reprobare à pueris tuis : quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ, homo infirmus et exiguis temporis, et minor ad intellectum indicii et legum*, etc. *Mitte illam de cœlis sanctis tuis, et à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te*, etc. *Cogitationes enim mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ. Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Et difficile æstimamus quæ in terra sunt, et quæ in prospectu sunt invenimus cum labore. Quæ autem in cœlis sunt quis investigabit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis, et sic correctæ sint semitæ eorum qui sunt in terris, et quæ placent didicerint homines; nam per sapientiam sanati sunt quicumque placuerunt tibi Domine à principio.* Sap. 9. 4. et seq. Unde 6. 10. mira sapientiæ facinora per Adamum, Loth, Joseph, Mosen et Hebræos edita deprædicat. *Hæc* (sapientia) ait, *illum qui primus formatus est, à Deo pater orbis terrarum* (Adamum) *cum solus creatus esset, custodivit, et eduxit illum à delicto suo, et dedit illi virtutem continendi omnia*, et v. 6. *Hæc justum* (Lot) *à pereuntibus impiis liberavit fugientem, descendente igne in Pentapolim*, et v. 10. *Hæc profugum iræ fratris* (Jacob fugientem Esau) *justum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam Sanctorum : honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius*, etc., *ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia*, et v. 13. *Hæc venditum justum* (Joseph) *non dereliquit, sed à peccatoribus liberavit eum, descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni et potentiam adversus eos, qui eum deprimebant, et mendaces ostendit qui maculaverunt illum, et dedit illi claritatem æternam. Hæc populum justum* (Israelitas) *et semen sine querela, liberavit à nationibus* (Ægyptiis) *qui illum deprimebant. Intravit in animam servi Dei* (Moysis) *et stetit contra reges horrendos in portentis et signis*, etc.

Ita hanc sapientiam à Deo petiit et impetravit S. Antonius, de quo Athanas. in ejus vita : *Erat*, ait, *valde sapiens, et hoc in se mirabile habebat, quia cum litteras non didicisset, ingeniosissimus et prudentissimus, immobilis et mansuetus erat. Venerunt ad eum Gentiles Philosophi, putantes se eum posse decipere, quibus ille : Si ad stultum venistis superfluus et labor vester. Si autem putatis me esse sapientem, imitamini quod probatis. Si ego ad vos venissem, vos imitarer : sed quia vos ad me quasi ad sapientem venistis, estote sicut ego sum, Christiani. Philosophi mirati sunt acumen ingenii.* Rursum Antonius interrogavit eos : *Quid prius sensus, an litteræ? et quid cujus exordium? sensusne ex litteris, an litteræ oriuntur ex sensu? Illis asserentibus quod sensus esset auctor et inventor litterarum*, inquit. *Igitur cui sensus incolumis est, hic litteras non requirit.* q. d. Talis ego sum litterarum expers, sed theodidactos.

Sic S. Ambrosius, ait Paulinus in ejus vita, *cum 43. Psalmum dictaret, me excipiente et vidente, subito in modum scuti brevis ignis* (Index spiritus sancti) *caput ejus cooperuit, atque paulatim per os ejus tanquam in domum habitator ingressus est : post quæ facta est facies ejus quasi nix.*

Rupertus Tuitiensis Abbas l. 12. Matth. objicientibus sibi : Qui sunt patres et magistri tui? respondet : *Hoc profiteor, quia visitatio ab altissimo melior mihi est, quam decem patres et magistri; loquor ad scribendum, quidquid ille monitor suggerit.*

S. Thomas Aquinas palam professus est, se suam sapientiam magis oratione infusam, quam studio acquisitam cœlitus accepisse.

S. Ephrem orans dicensque : *Largire Domine flumina gratiæ tuæ*, ab Angelis in visu accepit librum cum eoque cœlestem sapientiam et facundiam, adeo ut, quantumvis ei perpetui quasi verborum fontes suppeterent; rebus tamen quas mente conceperat explicandis, pares nequaquam essent. Siquidem doctrinæ profunditas et cogi-

tationum celeritas linguam ipsius absorbebat, ut sensa animi efferre nequiret, ait Nyssenus in ejus vita.

S. Equitius sapienter et ardenter prædicans, rogatus unde hoc haberet? respondit : *Quadam nocte speciosus mihi per visionem juvenis astitit, atque in lingua mea medicinale ferramentum, id est phlebotomum, posuit, dicens : Ecce posui verba mea in ore tuo, egredere ad prædicandum. Atque ex illo die etiam cum voluero, de Deo tacere non possum*, ut refert S. Greg. 2. Dialog. c. 4.

S. Ignatius fundator Societatis nostræ, Minoressæ orans, ita in Deum abruptus est, ut Trinitatis ipsius numen augustissimum cerneret distinctum personis, unum essentia, adeo, ut licet litterarum ignarus, non dubitaret librum de Trinitate conscribere, indeque miro rerum cælestium sensu afficiebatur, quoties S. Trinitati sacra perageret. Oblatus quoque est ejus menti modus ipse, quem in hujus universitatis molitione summus ille rerum opifex tenuit. Præterea sacrificium Missæ audiens, dum à sacerdote de more hostia salutaris attollitur, apertissime vidit illam specie Christum Deum et hominem verissime contineri, ait Maffeius in ejus Vita l. 1. c. 7.

S. Trudo illustri prosapia in Belgis ortus, vovit Deo, si Christo opitulante sacras didicisset litteras, se in fundo suo Ecclesiam ædificaturum, illicque Domino perpetuo serviturum. Missus ergo à Deo ad eum angelus : *Noveris*, inquit, *frater ea vota quæ Christo nuncupasti, ei esse grata, nec dubites quin quod prœveniens tibi aspiravit, etiam sit prosecuturus, et affectum perducturus in effectum. Ille inquam, sapientia sua imbuit cor tuum, et erudiet te præceptis suis, et legem suam inscribet pectori tuo.* Ita Notgerus Episcopus Leod. anno Christi 850. In vita S. Remacli c. 6.

Illustre est quod de se scribit S. Justinus Philosophus et Martyr, Dial. contra Tryphonem, nimirum cum sapientiæ studiosus pervagatus esset omnes Philosophorum scholas et sectas, frustraque eam apud Pythagoricos, Platonicos, Peripateticos requisisset, à sene quoddam ignoto audisse, illam non nisi in schola Christi reperiri. *Tu ergo*, ait, *votis et precibus tibi ante omnia lucis portas aperiri opta : neque enim ab aliquibus perspiciuntur aut intelliguntur, præterquam si Deus et Christus eis concesserint intelligentiam.* Quare conversus ad Christum, eumque invocans, tantam sapientiam quantam in libris suis ostendi, consecutus est.

Præclare Philo lib. de Præmiis : et pœnis : *Solem*, inquit, *hunc visibilem, num alia re quam sole ipso adjuti cernimus? Lucis aspectum nonne luci debemus? Ad eumdem sane modum Deus per seipsum illustrat sui notitiam, cooperante nemine, quod ea res excedat vires omnium.* E. S. Aug. l. 4. Confess. c. 16. *Scis tu Domine quia et celeritas intelligendi, et discernendi acumen donum tuum est.* Idem Soliloq. cap. 5. *Semper cæcus fuissem, nisi tu me illuminasses.*

Qui dat omnibus.] Hæc dos propria est Deo, ut det omnibus omnia, et à nemine quidquam recipiat, ideoque hebr. vocatur *Saddæi*, id est *mammeus, cornucopiæ;* uti fusius dixi Genes. 17. 2. Unde Deus nonnullis à dando dicitur, aut potius agnoscitur. Hoc est quod ait Psaltes Ps. 15. 1. *Dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Deus enim est quasi pelagus bonorum omnium redundans et exæstuans, quod in omnia vicina sese largissimo effundit. Vere Thom. Angelicus : *Deus*, ait, *dat* Primo *liberaliter, non vendit, sicut multi.* Secundo, *dat generaliter, non uni, sed omnibus.* Tertio, *dat abundanter, non parce.* Quarto, *dat curialiter, vulgo cortesemente,* quia non improperat. *Erubescat ergo humana pigritia : plus paratus est Deus dare, quam nos accipere,* ait idem ex S. Aug. Erubescat ergo humana ingratitudo et avaritia, quæ Deo tam in se liberali, tam parce et avare ejus obsequio se suaque impendit. Propria ergo natura et indoles Dei est, dare, ut docet S. Thom. l. 1. contra Gentes cap. 39. ubi asserit liberalitatem esse virtutem maxime propriam Dei, quia solus se largiter communicat, quasi fons bonitatis. Et S. Aug. tract. 19. in Joan. *Deus*, inquit, *tibi totum est. Si esuris, panis tuus est. Si sitis, aqua tibi est. Si in tenebris, lumen. Si nudus, immortalitate tibi vestis est.* Et S. Bern. serm. 3. de circum. *Totus*, ait, *mihi datus, et totus in usus meos expensus.*

Simili, sed longe exilori de causa, nimirum ob reddita sibi prædia prius erepta, Virgilius Augustum Cæsarem adulando vocat facitque Deum. ecloga 1.

> O Melibœe Deus nobis hæc otia fecit,
> Namque erit ille mihi semper Deus; illius aram
> Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

Et Cicero P. Lentulum vocat Deum, id est, servatorem suæ vitæ : sic enim ait, post reditum ad Quirites : *P. Lentulus consul, parens, Deus, salus nostræ vitæ, fortunæ, memoriæ, nominis.* Præclare Boetius lib. 3.

> Unus enim rerum pater est,
> Unus cuncta ministrat
> Ille dedit Phœbo radios,
> Dedit et cornua lunæ.
> Ille homines etiam terris
> Dedit, et sidera cœlo.
> Quem, quia respicit omnia solus,
> Verum possit dicere solem.

Et S. Bern. 16. in Cant. *Venus*, ait, *beneficus est, dans affluenter et non improperans : non improperat dona, quia dona sunt; et beneficia sua mihi dedit, non vendidit.*

Affluenter.] Græce ἁπλῶς, id est, *simpliciter.* Suspicantur aliqui interpretem Nostrum legisse ἀθρόως, vel πλουσίως, id est, *diviter, copiose, largiter, affluenter;* quia simpliciter in Script. cum de dando agitur, significat dandi liberalitatem, affluentiam, magnificentiam, ut patet 2. Corinth. 8. 2. *Altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum*, et cap. 9. vers 11. *Ut in omnibus locupletatis, abundetis in omnem simplicitatem,* Rom. 12. 8. *Qui tribuit, tribuat in simplicitate,* id est, simpliciter sine restrictione, copiose largiter; vide ibi dicta. Alludit S. Jacobus ad illud invitamentum et promissum Christi : *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me*, sicut dicit Script. *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum,* Joan. cap. 7. v. 38.

Nota primo, In Deo est infinita propensio et amor se communicandi : quæ provenit ex infinita perfectione et plenitudine essentiæ suæ, quæ tanta est, ut in alios se effundere gestiat; et quantumcumque aliis impertiat, nihil ipse sua de plenitudine amittat. Hinc primo, ad intra propendet naturaliter et intime ad communionem sui infinitam; sicut res creatæ et corporeæ propendent ut se communicent, gene-

rando sibi simile. Verum qua id quod infinitum est, multiplicari nequit, ideirco divina essentia non se communicat generando aliam sibi similem numero distinctam, uti facit homo et animalia; sed largiendo seipsam, et velut replicando, ita ut eadem numero simplicissima essentia divina sit in tribus distinctis numero personis, Patre, Filio, et Spiritu sancto.

Secundo, ad extra propendet ut infinite se suaque bona communicet creaturis, præsertim rationalibus puta angelis et hominibus. Nam, ut ait Nazianz. *Sicut in rebus sensibilibus est sol, ita in intelligibilibus est Deus.* Sicut ergo sol ubique radios suos spargit, ut omnia illuminet, calefaciat, vivificet, fœcundet; ita Deus radios beneficentiæ suæ in omnes et omnia, præsertim angelos et homines spargit, ut eos luce sapientiæ suæ illuminet, indeque sui amore inflammet, vitaque gratiæ et gloriæ vivificet, ut et ipsi aliis eamdem impertiant. Quocirca S. Dionys. de Divin. Nomin. cap. 4. part. 1. ait, amorem divinum esse vim motricem et sursum trahentem in Deum, qui solus est ipsum per se pulchrum et bonum. Hujus amoris, beneficentiæ et communicationis evidentia indicia et effectus sunt, Verbi æterni ad homines docendos et salvandos incarnatio, prædicatio, miracula, passio, mors, Sacramenta, missio Spiritus sancti, cura singularis totius Ecclesiæ et singulorum fidelium. In incarnatione enim seipsum totum, et omnia viscera sua effundit in nos, juxta illud Zachariæ: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto,* Lucæ 1. 78.

Rursum in justificatione et sanctificatione cujusque, Deus non tantum se animæ communicat per gratiam, charitatem et virtutes; sed etiam per seipsum: reipsa enim dat Spiritum sanctum, et cum eo cæteras personas divinas juxta illud: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis,* Rom. 5. 5. et *Si quis diligit me sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum: et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Joan. 12. 23. Quocirca hæc sui communicatione justum ad se elevat, in se transformat, facitque divinum; præsertim eos qui se totos dedunt Deo, illique vacant. Amor enim divinus facit ecstasin et excessum amantis à seipso, ut illum in amatum transferat, et illi arctissime uniat, unumque cum illo efficiat, ut in eo vivat, sentiat, gaudeat, quasi illi incorporatus. Amans enim Deum prorsus à seipso deficiens in Deum transit, et velut colliquescit, nihil aliud cogitans, intelligens aut sentiens præter Deum, nihil aliud appetens aut desiderans, nulla alia re gaudens quam bonis Dei. Qui sic adhæret Deo, unus efficitur spiritus: quiæ seipsum exuit, et Deum induit perinde ac si in divinam naturam transformatio esset. Quocirca totus cogitatione et affectus est in Deo, uti ei precatur Christus Joan. c. 17. v. 11. *Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos.* et v. 21. *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.* Ratio est, quia bonum est sui communicativum et diffusivum. Si ergo sit summum bonum, uti est Deus, summe se communicabit et diffundet: hæc enim boni et summi boni est natura et indoles. *Deus,* inquit S. Leo serm. 2. de nativit. *cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est.*

Nota secundo, Hæc beneficentiæ Dei largitas et affluentia ingens est, et admiranda ex quinque capitibus, ut recte notat noster Lessius l. 9. de Attrib. divinis c. 4. Primum est, majestas amantis et largientis. Quid enim majus et magnificentius Deo, qui tantum (imo infinities amplius) transcendit omnes angelos et homines, quantum cœlum transcendit terram, quæ respectu vastitatis cœli se habet ut centrum et punctum. Secundum est, conditio eorum in quo se suaque effundit; qui si naturam spectes, sunt homines, infimi inter creaturas rationales: (sicut enim materia prima est infima inter res corporeas, ita anima est infima inter res spirituales.) Si qualitatem animæ consideres, sunt peccatores, inimici, superbi, ingrati, carnales, inepti ad omne bonum, proni ad omne malum: si corporis, sunt mortales, morbidi, viles, sordidi, putidi, mox futuri esca vermium, ut merito exclamet Psaltes Ps. 8. *Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Tertium est, bonum ingens et multiplex quod illis partim confert, partim offert. Homini enim cedit animam rationalem creatam ad sui imaginem, gratiam, promissionem gloriæ, angelicam custodiam, totam mundi machinam, denique unigenitum suum. *Nam sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam,* Joan. 3. 16. Quæ verba si expendantur singula magnam habent emphasim, novamque Dei beneficentiam significant. Quocirca Psaltes Psal. 33. 6. *Accedite,* ait, *ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur.* Quartum est, finis ob quem confert, qui est, ut homini bene sit, non Deo: Deus enim de homine nullum lucrum, nullum commodum expectat, vel accipit.

Quintum est, modus quo se communicat et effundit, qui est multiplex. Primus, quod se communicet nobis, non tamquam servis; sed quasi filiis, quos instituit suos heredes et coheredes Christi. Secundus, quod benignitatis divinæ ingenium sit demittere se ad infima, curare infirma, colligere abjecta, attollere humilia, et ubi major est inopia, ibi magis opes suas erogare et opem ferre. Quocirca S. Bernard. lib. 5. de Consider. c. 11. ita Deum definit, aut potius Dei affluentiam circumscribit: *Quid est Deus? voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo, creans mentes ad se participandum, vivificans ad sentiendum; alliciens, ad appetendum; dilatans ad capiendum, justificans ad propromerendum, accendens ad zelum, fœcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad benevolentiam moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem.* Tertius, quod sese communicet sæpe antequam rogetur, uti patet in omnibus gratiis prævenientibus, quodque iis moveat nos ad postulandum subsequentes. Nemo enim potest orare Deum eo modo quo oportet, nisi ad id moveatur à gratia Spiritus sancti, uti passim docet S. August. et Concil. Arausican. imo S. Paulus Rom. 8. 26. Rursum quod rogatus, plus det quam rogetur, juxta id quod orans profitetur Ecclesia, *Deus qui abundantia pietatis tuæ merita supplicum excedis et vota.* Et S. Ambros. in Luc. 23.

v. 42. recte advertit latronem in cruce tantum petiisse, ac dixisse : *Domine memento mei cum veneris in regnum tuum;* Christum vero longe plus ei præstitisse, dicendo : *Hodie mecum eris in paradiso. Nam uberior,* inquit, *est gratia quam precatio; semper enim Dominus plus tribuit quam rogatur.* Ita Ezechias petiit à Deo sanitatem, sed Deus cum illa adjicit ei quindecim annos vitæ, et victoriam miraculosam cæsis185. millibus Assyriorum, Isaiæ 38. Salomon petiit sapientiam; sed Deus cum ea dedit illi ingentes opes et gloriam, 3. Reg. 3. Daniel petiit liberationem populi è captivitate Babylonica; sed Deus dedit illi oraculum et promissum de adventu Messiæ ad redimendum totum mundum è captivitate diaboli, Daniel. 9. 24. David petiit filium; sed Deus præstitit ei Messiam : illum enim ei promisit, fecitque ex eo nasci, 2. Reg. 7. 12. et Ps. 88. 4. Quartus, quod sua dona conferat sæpe in eos, quos præscit fore ingratos, imo in impios, infideles, hæreticos, atheos, blasphemos et reprobos, juxta illud Christi : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderant vos,* etc. *, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* Matth. 5. 44.

Moraliter discamus hic Primo, liberales esse in Deum, liberaliter ei serviendo, cum ipse tam liberalis sit in nos; quia eo vicissim liberaliorem in nos jugiter experiemur. Certat enim ipse nobiscum, et cum sit liberalissimus, non patitur se liberalitate nostra vinci. Hoc est quod promisit per Isaiam c. 66. 11. *Ut sugatis et repleamini ab ubere consolationis ejus : ut mulgeatis et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus. Quia hæc dicit Dominus : Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis; ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur; ita ego consolabor vos.* Præclare Nazianz. orat. de amore pauperum : *Nihil,* ait, *tam divinum homo habet, quam de aliis bene mereri. Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando.* Et Nyssenus de Pauper. amandis : *Beneficientia,* inquit, *est omnium laudatarum virtutum præstantissima. Hæc est felicitatis comes. Hæc assidet Deo, et magna est cum ipso necessitudine conjuncta :* uti ipsamet per visum apparens S. Joanni Eleemosynario, incitans eum ad Eleemosynam, affirmavit. Quin et Seneca lib. 3. de Beneficiis cap. 25. *Qui dat,* ait, *beneficia, deos imitatur; qui repetit, fœneratores.*

Hinc Secundo, cum Deo in se nihil reddere possimus reddamus ei idipsum in sua imagine, puta in proximis nostris; ut in eos liberaliter sapientiam, gratiam, cæteraque bona quæ à Deo accepimus effundamus : ideo enim ea ille nobis dedit, tanto plura daturus, quo plus in alios effundemus. Sicut enim fontes quo plus effluunt, eo plus affluunt : si enim non effluerent aqua, nova non affluerent; prior enim canalem occuparet, et affluentem excluderet : ita prorsus se res habet in doctore, prædicatore, eleemosynario, etc., ut quo plus dat proximo, eo plus recipiat à Deo, uti ex S. Paulo et Basilio docui 2. Corinth. 9. 8. et seq.

Tertio, imitemur Deum, ut petenti simplum demus duplum. Sic Christus petentibus sanitatem corporis, addidit et animæ; de quo proinde S. Petrus Actor. 10. 38. *Qui pertransiit,* inquit, *benefaciendo et sanando omnes oppressos à diabolo.* Unde Christi et Pauli axioma fuit : *Beatius est magis dare quam accipere.* Actor. 20. 35. Vide ibi dicta.

Hujus rei illustria exempla dederunt Gentiles : pudeat Christianos, si eos non superent, sed ab eis liberalitate se superari patiantur. Ita Plato Diogeni paululum vini et carycarum petenti integram lagenam vino plenam misit. Sed Diogenes more suo cynicas, id est caninas, ei egit gratias dicens : *Cum interrogaris, quot sint duo et duo? respondes viginti; ita non secundum ea quæ rogaris das, nec ad ea quæ interrogaris respondes;* uti refert Laert. l. 6. c. 1. qui et addit Diogenem dicere solitum, manus non esse porrigendas amicis complicatis digitis, sed explicatis et liberalibus. Demosthenes rogatus, quid Deo simile haberent homines? respondit, *benigne facere;* ita Maximus serm. 8. Cicero orat. pro Ligario : *Homines,* inquit, *ad deos nulla re propius accedunt, quam dando. Nihil habet fortuna tua majus, quam ut possit, nec natura melius, quam ut velis servare quamplurimos.* Anaxilaus rogatus, quid in tyrannide esset felicissimum? respondit : *In conferendis beneficiis nunquam vinci;* ita Stobæus serm. 46. Cyrus Persarum rex ornamenta ad se missa distribuit in amicos, nihil sibi reservans. Rogatus cur? *Ornatus,* inquit, *amicorum, ornatus meus est;* ita Maximus serm. 6. Dionysius ad filium ingressus, videns copiam vasorum aureorum : *Non est,* inquit, *in te regius animus, qui his poculis quæ à me tam multa accepisti, neminem tibi amicum feceris;* ita Plutarch. in Regum Apophth. Alexander Magnus rogatus, ubinam suos thesauros haberet? amicos ostendens, ait; *In his scriniis;* ita Maximus serm. 6. Idem omnia in amicos distribuens, rogatus à Perillo, quid regi superesset? respondit, *Spes acquirendi majora.* Idem cuidam donans urbem, cum ille diceret, id non convenire fortunæ suæ, respondit Alexander : *Non quæro quid te accipere, sed quid me, qui rex sum, dare deceat.* Idem Perillo pro dote filiarum postulanti decem talenta, jussit dari quinquaginta, dicens : *Tibi quidem satis est, tantum accipere, mihi vero non satis est tantum dare;* ita Plutarch. in Regum Apophth. qui et addit Alexandrum Xenocrati quinquaginta talenta misisse, ut ea suis amicis elargiretur. *Nam mihi,* inquit, *vix Darii opes in amicos suffecerunt.* Idem rogatus, *Quis esset rex optimus? Qui amicos,* inquit, *muneribus retinet, et inimicos beneficiis reconciliat;* ita Maximus serm. 9. de Magistratu. Hinc liberalitatem ab Alexandro didicit ejus dux Ptolemæus Lagi, primus post eum Ægypti rex, qui amicos suos locupletabat, dicens : *Melius est ditare, quam ditescere,* teste Æliano lib. 13. Variæ Hist. Antonius triumvir cum Lepido et Augusto, adeo in donis erat profusus, ut dictitaret, amplitudinem imperii Romani non per ea quæ acciperet, sed per ea quæ daret illustrari, ait Plutarch. in ejus vita.

Verum Christiani heroes hac in re longe superarunt Gentiles. Nota est omnibus profusa munificentia S. Joannis Patriarchæ Alexandrini, qui inde cognomen tulit Eleemosynarii : Experientia enim continua didicerat, se cum duplum daret, quadruplum recipere.

Et S. Paulini Nolani Episcopi, qui viduæ petenti stipem, partemque lytri ad redimendum filium, semetipsum, quantus quantus erat, pro filio in servitutem Wandalis tradidit, ideoque

meruit omnes Nolanos, cives suos, secum à servitute liberare.

Memorabilis quoque fuit liberalitas Adriani Secundi Pontificis, qui ingenti turba peregrinorum confluente, cum œconomus diceret se non habere tantum, ut vel denarium singulis erogaret, quadraginta enim denarios dumtaxat habebat : *Virtute*, inquit, *Christi, qui de quinque panibus et duobus piscibus quinque millia hominum satiavit, non singulis singulos, sed ternos singulis denarios erogabo.* Dixit, et fecit; ac superfuerunt sex denarii. Tum ad œconomum conversus : *Vides*, inquit, *quam largus et suavis sit omnipotentissimus Dominus, qui quadragenariam quantitatem nummorum et fratribus nostris per ternos distribuit, et mihi ternos, et tibi ternos æqua sorte servavit;* ita ex Anastas. Biblioth. Baronius tom. 10. anno Christi 867.

Et non improperat,] non exprobrat, dicens : Tu in meo es ære, tu mihi debes animam, hoc ego beneficium in te immerentem contuli, plura dedi quam merebaris, etc., exprobatio enim beneficii est tinea et ærugo liberalitatis, quæ omnem ejus gratiam exugit, omnem ejus colorem et speciem deformat et decolorat. Unde monet Sapiens Eccli. 41. vers. 28. ut caveas *ab amicis de sermonibus improperii, et cum dederis, ne improperes.* Et c. 18. v. 18. *Stultus acriter improperabit, et datus* (δόσις, id est, *datio, donatio*) *indisciplinatus tabescere facit oculos;* quia eum cui dedit contristat, et pudefacit suis improperiis, impudentia et duritie : et c. 20. 14. *Datus insipientis non erit utilis tibi : oculi enim illius septemplices sunt*, id est, multiplices. q. d. Multiplici oculorum in te jactu et nictu significat, se plus à te expectare quam dederit. *Exigua dabit, et multa improperabit : et apertio oris illius inflammatio est*, id est cholera. q. d. Tibi dure, aspere, cholerice loquetur, græce ἀνοιξει τὸ στομα αὐτῶ ὡς κήρυξ , id est, *aperiet os suum ut præco*, vociferabitur ut præco, ubique præconizabit suum beneficium, et tuam indigentiam, vel ingratitudinem. In qualem intorqueret Democritus suum illud spiculum : *Male pereas, quia gratias virgines, meretrices effecisti :* de quo Maximus serm. 8.

Quocirca sapienter Chilon Lacedæmonius dicebat, *Dati beneficii decere oblivisci, accepti autem meminisse*, teste Laertio l. 1. c. 4.

Alexander Magnus vero regium esse dicebat, à quibus male audias, in eos sæpe et multum conferre, teste Pontano c. 30. de liberalitate.

Ex adverso Aristoteles Cyrenensis asserebat, *Non oportere beneficium oblatum à quoquam recipere. Aut enim, ut rependere possit, molestias habiturum : aut si non referat, ingratum auditurum;* ita Ælian. l. 10.

Huc spectat cavillus Antigoni, quem refert Seneca lib. 2. de Beneficiis c. 17. *Ab Antigono*, inquit, *Cynicus petiit talentum, respondit, plus esse quam quod Cynicus petere deberet. Repulsus, petit denarium : respondit, minus esse quam quod regem deceret dare. Turpissima est ejusmodi cavillatio. Invenit quomodo neutrum daret : in denario regem, in talento Cynicum respexit : cum posset et denarium tanquam Cynico dare, et talentum tanquam rex.* Idem Seneca ibidem cap. 10. *Hæc*, ait, *beneficii inter duos lex est : alter statim olivisci debet dati, alter accepti nunquam. Lacerat animum et premit frequens meritorum commemoratio;* et cap. 11. *Quousque dices : Ego te servavi, ego te eripui morti?* etc. *Admonitio tædium facit, exprobratio odium*, et c. 14. *O superbia magnæ fortunæ! ô stultissimum malum! ut à te nihil juvat accipere, ut omne beneficium in injuriam convertis, quidquid das corrumpis.* Deus ergo cum sit liberalissimus, nemini exprobrat donum, quod scilicet nimis, vel plus dederit quam homo mercatur, si dono suo uti, pœnitere et sancte vivere velit, uti videmus in Saulo, Magdalena, Petro, etc. Exprobrat tamen impio ingratitudinem, quod tot beneficiis affectus, maleficia Deo rependat, iisque cum Dei beneficentia certet, ac in improbitate sua durus et obstinatus persistat. Talis exprobratio Dei est Michææ 6. 3. *Populo meus, quid feci tibi?* etc. Jeremiæ 2. 4. Isaiæ 1. v. 2. et seq. Sic in die judicii Deus exprobrabit reprobis, quod gratia sua abusi sit ad suam perniciem et damnationem, ut patet ex parabola debentis decem millia talentorum, et exigentis à conservo centum denarios, Matth. 18. 24.

Et dabitur ei.] Si videlicet petet pro se, necessaria ad salutem, pie et perseveranter. Has enim quatuor conditiones si habeat oratio, certo impetrabit id quod petit, ait D. Tom. 2. 2. quæst. 83. artic. 15. ad 2. qui et addit ex S. August. in Sentent. sent. 212. *Fideliter supplicans Deo*, ait, *pro necessitatibus hujus vitæ, et misericorditer auditur, et misericorditer non auditur. Quid enim infirmo sit utile, magis novit medicus quam ægrotus. Et propter hoc etiam Paulus non fuit exauditus, petens amoveri stimulum carnis, quia non expediebat.* Et S. Basil. serm. de orando Deum : *Ideo*, ait, *quandoque petis, et non accipis, quia perperam postulasti, vel leniter, vel infideliter, vel non conferentia tibi, vel destitisti.* Quocirca Plato in secundo Alcibiade hunc orandi modum assignat : *Deus opt. max. optima quidem nobis voventibus, et non voventibus, tribue, mala autem poscentibus quoque abesse jube.* Nam, ut ait S. Bernard. serm. contra vitium ingratitudinis. *Sæpe misericordiæ est, subtrahere misericordiam; quemadmodum iræ et indignationis, misericordiam exhibere.* Et S. Greg. lib. 15. Mor. c. 12. *Majoris*, ait, *iracundiæ est cum hoc tribuitur, quod male desideratur, atque inde repentina ultio sequitur, quia hoc quoque obtinuit quod Deo irascente concupivit.* Beneficium ergo tunc negare, non maleficium, sed beneficium est : sicut parentes benigne negant cultros pueris poscentibus, ne iis se lædant : iis enim dare beneficium quod postulant, esset eis ingens facere maleficium.

6. Postulet autem in fide nihil hæsitans.] *Fides* hic tripliciter sumitur, vel potius tria complectitur, quæ in oratione poscit S. Jacobus. Primo, fidem proprie dictam : Secundo, fiduciam, sive spem certam : Tertio, credulitatem et firmam persuasionem obtinendi, quod petimus. Huic triplici fidei opponitur hæsitatio pariter triplex. Prima, est hæsitatio in fide, quæ est incredulitas et infidelitas : dubitans enim in fide, si in dubitatione sit pertinax, est infidelis et hæreticus. Secunda, est hæsitatio in fiducia, quæ est diffidentia vel desperatio. Tertia, est hæsitatio in credulitate, quæ est dubitatio, aut opinio et persuasio non obtinendi id quod petimus.

Primo ergo S. Jacobus ad orationem requirit fidem proprie dictam, non tantum generalem de Dei omnipotentia, providentia, munificentia, veritate, paterna cura et amore erga nos, quod

scilicet ut Deus possit, et ut pater velit, nobis quasi filiis suis benefacere; sed et particularem, quod scilicet id quod petimus, dabit nobis, si id expediat. Idipsum enim ipse promisit, qui mentiri, falli, aut fallere nequit, dicens : *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis*, Marci 11. 22. Matthæi 21. 21. et alibi sæpe. Credimus enim fide divina Deum in promissis esse fidelem, ac proinde eum nobis id quod in oratione petimus, daturum, utpote cum idipsum promiserit, qui, uti seipsum negare nequit, ita nec promissa sua violare. Hanc fidem passim exegit Christus ab iis qui poscebant sanitatem, ut à cæcis Matth. 9. 28. *Creditis*, inquit, *quia hoc possum facere vobis?* cumque responderent, *Utique Domine*, audierunt : *Secundum fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum.* Dices, Ergo vera est fides specialis hæreticorum, qua se credunt justos, prædestinatos et infallibiliter salvandos. Cum enim petant à Deo justitiam, salutem et gloriam; utique hæc à Deo assequentur : Deus enim promisit se præstiturum, quidquid ab eo petimus. Respondeo, Promissio hæc Dei non est absoluta, sed conditionata, si videlicet oremus et petamus eo modo quo oporteret, puta cum debita fide, humilitate, puritate, reverentia, devotione, perseverantia, etc. Ignoramus autem et incerti sumus, an has in oratione conditiones præstemus; ac proinde pariter incerti sumus an justitiam et salutem quam petimus, simus obtenturi.

Secundo, fides hæc, ut docet S. Cyrillus, catech. 5. poscit paritque fiduciam : unde Apostolus fidem definiens Hebr. 11. 1. ait, quod ipsa sit *substantia rerum sperandarum*, fides enim omnipotentiæ et fidelitatis Dei in præstendis promissis, est substantia, id est, basis et fulcrum spei, et rerum sperandarum. Hoc est quod ait S. Aug. serm. 36. de verbis Domini : *Si fides deficit, oratio perit. Unde et Apostolus cum ad orandum exhortaretur, ait : Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit; ut ostenderet fidem esse fontem orationis* (ac consequenter et spei, quæ est mater orationis : nemo enim orat, nisi qui sperat se accepturum) *nec posse ire rivum, ubi caput aquæ siccaretur, adjunxit : Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* Hanc fiduciam pariter poposcit Christus, ut à paralytico Matth. 9. 2. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, et ab hæmorrhoissa, v. 22. *Confide filia, fides tua te salvam fecit.* Vides hic, ut Christus cum fide poscat confidentiam, quam parit fides quasi mater filiam. Unde S. Tho. 2. 2. q. 83. art. 15. ad 3. *Oratio*, inquit, *efficaciam merendi habet à charitate, at vero efficaciam impetrandi à fide* et *fiducia*, ut ait hic S. Jacobus. Porro certitudo spei nequit esse tanta, quanta est fidei : *Quod enim videt quis*, per fidem divinam, *quid sperat :* ait Paul. Rom. 8. v. 24. Unde S. Chrysost. imo Apostolus ad Hebr. 6. v. 18. et 19. fidem assimilat columnæ domum sustentanti : hæc enim sustentatio est firmissima : spem vero anchoræ, quæ navim in fluctibus sustentat; sed ita, ut iis jactetur et fluctuet : sic enim et spes nostra inter fluctus timoris et confidentiæ jactatur et fluctuat. Verum quo major est fides, eo majorem gignit spem; et quo major est spes, eo validior est oratio, certiusque impetrat rem postulatam, uti fuit in S. Dominico, qui dictitabat, se nihil unquam postulasse à Deo, quod non impetrasset, et in S. Thom. Aquinate, qui asserebat se assecutum omne id, quod per intercessionem B. Virginis efflagitasset. Quocirca S. Catharina Senensis in orando hanc spem acuebat, dicens : *Domine non dimittam te, nisi id quod postulo, v. g. conversionem hujus vel illius peccatoris, à te obtinuero;* itaque omnia obtinebat. Porro hæc fiducia oritur partim ex puritate et sanctitate vitæ, puta ex libertate sanctæ et familiaris Deo conscientiæ, juxta illud 1. Joan. 3. 21. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum : et quidquid petierimus, accipiemus ab eo : quoniam mandata ejus custodimus, et ea, quæ sunt placita coram eo, facimus :* partim et potius ex instinctu Dei, qui orantes animat, et quasi promittit se daturum id, ad quod petendum eos impellit et instigat. Quocirca hic fides magis fiduciam, quam fidem significat. Spei enim et fiduciæ proprius actus est oratio : quare quo major et efficacior est fiducia, eo major et efficacior erit oratio. Unde et in oratione maxime excitanda est fiducia, idque docet hic S. Jacobus. q. d. Postulate sapientiam magna certaque fiducia, ita eam certo impetrabitis.

Petes, Cur Deus adeo exigit in oratione spem? Respond. Primo, quia congruus ordo et dispositio eam poscit : decet enim orantem sperare id quod orat, imo sine spe rite orari nequit : nemo enim orat id, de quo desperat. Sicut ergo in vase, ut capiat ingentem vini copiam, requiritur ingens capacitas, ita in orante ut recipiat ingens donum à Deo, requiritur ingens fiducia. Hæc enim in anima idem est, quod capacitas in vase, uti docet S. Bernard. verbis mox citandis. Secundo, quia spes est quasi fistula et canalis, qui ab homine è terra in cœlum ad Deum erigitur, ut per eum defluant et depluant aquæ cœlestium gratiarum in ipsum Sicut ergo aquæ cœlestis pluviæ nisi in canali recipiantur, in cumque confluant, diffluunt et dispereunt; ita et imber gratiarum Dei nisi canali fiduciæ hauriatur et acervetur, in alia quælibet se diffundit et dispergit. Tertio, quia spes et oratio sperans est quasi pecunia, qua gratiam à Deo emimus : nihil enim aliud ipsi pro ea offerre et dare possumus. Hanc vero spem magni ipse æstimat : quia ea ipse summe honoratur. Ea enim profitemur, nos nobis diffidere, eo indigere, ipsumque esse omnipotentem, fidelem, liberalem, imo Deum, patrem, gubernatorem, provisorem nostrum, omniumque creaturarum. Sicut ergo mendicus sperans, et laudans opes et liberalitatem divitis, ab eo emendicat, emit et impetrat eleemosynam; sic et nos à Deo. Itaque spe, quasi honore Dei, emimus amorem opesque Dei.

Tertio, sicut fides poscit paritque spem et fiduciam; ita spes parit fidem, id est, crudelitatem et persuasionem obtinendi id, quod petimus. Sic fides subinde sumitur pro crudelitate, non divina et certa, sed humana et probabili, ut Rom. 14. 23. *Omne quod non est ex fide* (id est, ex crudelitate puta ex conscientia, quæ dictat et credit hoc illudve sibi licere, v. g. manducare idolothyta) *peccatum est.* q. d. Quidquid facis contra dictamen et persuasionem conscientiæ, in eo peccas. Quo ergo major est spes in affectu, eo majorem gignit fidem et credulitatem obtinendi in intellectu. Ratio est, quam dat, S. Bern. serm. 3. de Annunciat. Dom. *Sola*, ait, *spes apud*

te (Domine) *miserationis obtinet locum, nec oleum misericordiæ, nisi in vase fiduciæ ponis.* Qui ergo hoc Dei decretum novit, et hanc spei vim, utique ex ea concipit fidem, id est, persuasionem obtinendi id quod sperat et postulat.

Fides hæc triplex ad orationem efficacem requiritur. Unde solet eam Deus prius quam donet rem postulatam, postulanti aspirare, ac proinde illa ingens est donum Dei, et quasi certum præsagium rei consequendæ, etiam per miraculum, si opus sit. Hæc est enim fides miraculorum nimirum fides conjuncta cum certa fiducia divinæ opis ad patrandum miraculum, quam fiduciam parit instinctus Dei taumaturgum animantis, eique quasi promittentis suam opem miraculum, quod patrare tentat de qua Christus Matth. 21. 22. *Si habueritis*, inquit, *fidem, et non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis; sed et si monti huic dixeritis: Tolle, et jacta te in mare; fiet, et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.*

Vult enim Deus nos sibi plane fidere, ut fiducia nostra honoremus ejus de nobis paternam curam et providentiam. Quare gaudet se ea vinci; eaque sibi piam quasi vim inferri. Orans enim colluctatur cum Deo, sicut Jacob cum angelo, qui eum vincens, ab eo benedictionem obtinuit, et vocatus est Israel, id est, dominans Deo, Genes. 32. 28. Ex adverso Deus diffidentiam odit: quasi minus digne de se suaque benignitate sentientem. Quocirca Sapiens c. 1. *Sentite*, inquit, *de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum quoniam invenitur ab is, qui non tentant illum, apparet autem eis qui fidem habent in illum*, græce τοῖς μὴ ἀπιστοῦσιν αὐτῷ, id est, *qui non diffidunt ipsi.* Unde Cassian. col. 9. c. 31. hoc dat signum certum exauditæ orationis, *si obtinuisse nos in ipsa orationis offusione quod poscimus, senserimus. Tantum enim quis exaudiri atque obtinere merebitur, quantum vel inspici se à Deo, vel Deum crediderit posse præstare. Irretractabilis namque est illa Salvatoris sententia: Quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis; et evenient vobis.* Et adverso c. 33. *Pro certo*, inquit, *non exaudiendum se supplicans quisque non dubitet, cum se dubitaverit exaudiri.* Addit deinde varias causas, ob quas exauditur oratio.

Moraliter disce hic mensuram orationis et impetrationis esse fidem et spem: quod certo speras, hoc certo impetrabis: magna spera et postula, magna impetrabis. Quo enim magis dilatas animam per spem, eo illam donorum Dei capaciorem efficis, eo magis Deus eam illis implebit, juxta illud oraculum: *Dilata os tuum, et implebo illud*, Psal. 80. 11.

Quocirca sapienter S. Bern. serm. 15. in Psal. 90. *Sperate in eo*, inquit, *omnis congregatio populi. Quemcumque enim locum occupaverit pes vester, vester erit: pes vester, utique spes vestra est, et quantumcumque illa processerit, obtinebit: si tamen in Deum tota figatur, ut firma sit, et non titubet. Quid timeat aspidem, aut basiliscum? quid leonis rugitus, aut draconis sibilos expavescat? Quoniam in me speravit, liberabo eum.* Idem clarius serm. 32. in Cant. loquens de Sanctis magnis et magnanimis: *Magna*, inquit, *audent, quoniam magni sunt, et quæ audent, obtinent. Magna si quidem fides magna meretur: et quatenus in Bonis Domini fiduciæ pedem porrexeris catenus possidebis. Istiusmodi magnis spiritibus magnus occurrit sponsus, et magnificabit facere cum eis.*

Ita Judas Machabæus cum paucis illustres de Antiocho, ejusque maximis copiis habuit victorias, sed in ultimo prælio videns suos dilabi, confractus spe et animo, dicensque hæsitanter: *Eamus contra adversarios nostros, si pugnare poterimus contra eos*, succubit et occubuit, 1. Machab. 9. 8.

Hac fiducia pollens Sisois Abbas, orans pro Abraham discipulo suo tentato et lapso, fidenter dixit: *Deus vis non vis, non dimitto te, nisi curaverimus eum.* Et curatus et discipulus, ut habetur in Vitis Patr. l. 6. c. 4. n. 14.

Eadem armatus Theodorus dicebat: *Si cœlum terræ adhæreat, Theodorus non formidat;* poposcerat enim à Deo, ut auferretur ab eo formido. Ibidem l. 5. c. 7. n. 6. Plura illustris hujus spei et rei exempla recensui Jerem. 7. 8.

Porro hæc non solis justis dicuntur, sed et peccatoribus. His enim pœnitere velint, certa à Deo venia, gratia et salus (in quibus vera consistit sapientia) promissa est, ac proinde illi eamdem certa fide et spe postulare debent, uti postulavit S. Magdalena, ideoque impetravit dum à Christo audivit: *Fides tua te salvam fecit, vade in pace*, Lucæ 7. 50. Et paralyticus, dum audivit à Christo: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Matth. 9. Hoc est enim quod passim per Prophetas clamat et promittit: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos. Si impius egerit pœnitentiam*, etc. *vita vivet, et non morietur: omnium iniquitatum ejus quas operatur est, non recordabor.* Ezech. 18. 21.

NIHIL HÆSITANS,] μηδὲν διακρινόμενος, id est, nihil dijudicans; nihil disceptans, nihil disquirens (secum enim disceptat ac dijudicat, quia non plane confidit) nihil ambigens, nihil addubitans, nihil disputans, nihil hæsitans: qui enim dubitant, secum ipsi disputant alternantibus sententiis, ut patet in iis qui perplexi sunt, scrupulosi, anxii, meticulosi, pusillanimes, melancholici.

Hæsitatio ergo hæc, vel fidei opponitur, et est incredulitas; vel potius fiduciæ obtinendi rem petitam, et est diffidentia. Si sit incredulitas, revocat in dubium Dei potentiam, bonitatem, veritatem, et quod non non exaudiet, etiamsi adsint requisita ad orationem. Si sit diffidentia, hæsitat, et diffidit non potentiæ et promissioni Dei, sed suis meritis, quod scilicet ob suam indignitatem rem tantam quam petit à Deo non obtinebit. Diffidendia hæc oritur ex acedia et pusillanimitate. Sic hæsitavit Moses ob populi rebellis indiguitatem, dicens: *Num de petra hac poterimus vobis aquam ejicere?* Numer. 20. 10. ideoque mulctatus est morte in deserto, nec permissus ingredi terram promissam. Sic hæsitavit Petrus videns ventum in mari, ideoque mergi cœpit, Matth. 14. 31. unde audivit à Christo: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Quocirca hæsitatio hæc non comprehendit timorem, qui spei conjunctus, moderatus et sanctus est, donumque Dei. Sicut enim Sancti in cæteris actionibus, sic et in oratione habent fiduciam, sed junctam cum timore. Nam ut vulgare habet proverbium: *Spes in nobis est, in Deo exitus.* Jam varii Sanctorum fuerunt, et sunt spiritus, et virtutes. Alii enim exercuerunt se et excelluerunt in spiritu timoris, uti S. Ephrem. S. Arsenius, et Anachoretæ, de quibus Climachus gradu de pœniten-

tia. Alii vero magis exercuerunt se in spiritu fiduciæ et amoris, uti S. Antonius, cujus hæc erat vox : *Ego Deum meum amo, non timeo.* Hinc factum est, et fit, ut aliqui Sancti in oratione ostendant timorem et metum non obtinendi quod petunt, præsertim si sint res temporales, quæ animæ salutem non tangunt. In his enim sæpe Deus fideles non exaudit ad eorum voluntatem, ut exaudiat ad salutem. Sic David cum metu oravit pro vita pueri à se geniti ex Barsabee, dicens : *Si forte donet eum mihi Dominus*, 2. Reg. 12. 22. et Ninivitæ orarunt pro venia, non culpæ (hanc enim sciebant à Deo promissam pœnitentiæ) sed pœnæ et excidii, dicentes : *Quis scit, si convertatur et ignoscat Deus, et revertatur à furore iræ suæ, et non peribimus?* Jonæ 3. 9. vide ibi dicta.

Verum præstat spiritus spei et amoris spiritui timoris et formidinis : unde quo magis crescit spes et amor, eo magis minuitur metus et timor. Denique *timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem : quoniam timor pœnam habet qui autem timet, non est perfectus in charitate*, 1. Joan. 4. 18. Significat ergo hic S. Jacobus, orantem potius sperare debere, quam timere, se rem quam petit obtenturum. Unde ait : *Postulet in fide nihil hæsitans.* Quare si vis fructuose orare, ante eam et in ea excita ingentem fidem et fiduciam, pro eaque Deum invoca dicens cum Apostolis : *Adauge nobis fidem*, Luc. 17. 5. Et cum patre lunatici : *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam*, Marci 9. 24. Hinc S. Bern. serm. 4. de Quadrag. tria vitia et impedimenta orationis consignans, docet Primo, eam non debere esse timidam ; Secundo, nec ex adverso temerariam ; Tertio, nec tepidam. *Timida enim oratio*, ait, *cœlum non penetrat : quia restringit animum timor immoderatus, ut orans non dicam non ascendere, sed nec procedere queat. Tepida vero in ascensu languescit et deficit, eo quod non habeat vigorem. Nam temeraria ascendit, sed resilit : resistitur enim ei ; nec tantum non obtinet gratiam, sed et meretur offensam. Quæ vero fidelis, et humilis, et fervens oratio fuerit, cœlum sine dubio penetrabit. Unde certum est, quod vacua redire non poterit.* Porro timida *ex eo oritur, cum sic cogitat homo propriam indignitatem : ut non convertat oculos ad divinam benignitatem : abyssus enim abyssum invocat : abyssus luminosa abyssum tenebrosam, abyssus misericordiæ abyssum miseriæ. Profundum namque est cor hominis et inscrutabile ; sed si magna est iniquitas mea, multo major est Domine pietas tua. Ideoque cum ad meipsum turbata fuerit anima mea, memor sum multitudinis misericordiæ tuæ, et respiro in ea : et cum introiero in potentias meas, nolo memorari justitiæ tuæ solius.*

QUI ENIM HÆSITAT, SIMILIS EST FLUCTUI MARIS QUI A VENTO MOVETUR ET CIRCUMFERTUR.] Græcum κλύδων, significat fluctuationem, tempestatem, turbationem, impetum, æstum undarum, præsertim cum à valido vento ἀνεμίζεται, id est ventilatur, agitatur, jactatur. Tunc enim fluctus fluctum continuo propellit ; adeo ut recipro cantibus undis aquarum montes glomerentur, et navigantes videantur nunc in cœlum attolli, nunc in infernum descendere, juxta illud Psalmi 106. 25. *Exaltati sunt fluctus ejus : ascendunt usque ad cælos et descendunt usque ad abyssos.* Et illud Ovidii l. 1. Tristium.

Me miserum quanti montes volvuntur aquarum ?
Jam jam tacturos sidera summa putes :
Quantæ diducto subsidunt æquore valles ?
Jam jam tacturas tartara nigra putes.
Nec levius laterum tabulæ feriuntur ab undis,
Quam graves balistæ mœnia pulsa tonus.

Simili enim modo in oratione hæsitans, et diffidens variis cogitationum, affectionum et passionum fluctibus, quod hæsitatio quasi ventus excitat, impellitur et jactatur ; ut nunc speret se obtenturum, nunc desperet, ibique dicat alternante animi æstu : Obtinebo quod peto, non obtinebo : dabit Deus quod postulo, non dabit ; sero dabit ; modice dabit : mereor obtinere, non mereor : dignus sum, imo indignus : misericors et liberalis est Deus sed est et justus rigidusque : misericordia Dei magna est, sed peccata mea nimia sunt, quam ut exaudiri merear. Unde fit, ut nunc patiens Deum invocet, nunc impatiens queratur et murmuret : nunc expectet ; nunc abjiciat animum, et irascatur, quod non statim exaudiatur : hisque turbationum æstibus cedit, rapique se sinit, nec contra eos velis remisque connititur, uti in tali re facto opus est. Hoc verius est cum quid adversi aut tribulationis insurgit, quod spem videtur elidere aut minuere. Tunc enim pusillanimes cadunt animo, cum potius tunc animos ad Deum, qui in arctis invocatus adesse solet, per fiduciam et orationem magis attollere, planeque in eo defigere deberent. Sic ab Oratoribus proverbialiter vocatur εὐρίπιος, vel Euripus, homo varius, mutabilis, dubiæ fidei et inconstans, qui instar Euripi agitatur et fluctuat ; nunc ait, nunc negat ; nunc vult, nunc non vult ; nunc amat, nunc audit ; nunc fidit, nunc diffidit. Euripus enim maris pars est inter Aulidem et Eubœam, septies die ac nocte reciprocans ; de quo Cicero pro Murena : *Quid enim fretum*, inquit, *quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes, et quantos æstus habet ratio comitiorum?* Ferunt Aristotelem in indaganda causa tantæ reciprocationis Euripi, ab eo esse absorptum. Hinc illud vulgo tritum : *Euripus habet Aristotelem, non Aristoteles Euripum.* T. Livius lib. 8. belli Punici, Euripum à ventis quibusdam illic flantibus, ita rapi credit. Objicit Æschines Demostheni, quod subinde commutata factione Euripum ipsum inconstantia sua vicisset.

Tales hodie sunt multi, qui constanter sunt inconstantes. Talis quoque est Euripus humanæ felicitatis, vel infelicitatis, quem graphice depingit Nazianz. epistol. ad Sophronium. *Vides*, inquit, *quæ sit conditio rerum nostrarum, utque rota quædam negotiorum humanorum cursu circumagatur, nunc his, nunc illis florentibus ac marcentibus : dum neque prosperitas, neque adversitas, nobis constat, sed quam ocyssime in diversum mutatur, ac transilit ; ut auris, ac litteris aquæ inscriptis fidere liceat citius, quam humanæ felicitati.* Tales denique sunt impii et mundani, qui æstibus cupiditatum continuo agitantur ac jactantur, qui proinde similes fluctus et æstus in oratione subeunt, de quibus Isaias c. 57. 20. *Impii*, ait, *quasi mare fervens quod quiescere non potest, et redundat fluctus ejus in conculcationem et lutum. Non est pax impiis, dicit Dominus.* Exemplum illustre est in Cain fratricida, Gen. 4. 13. Piis vero est pax, indeque pacifica, constans et

felix mens, fiducia, oratio, operatio ac vita. Talis fuit Anna mater Samuelis, quæ pro eo orans eum impetravit, *Vultusque, illius non sunt amplius in diversa mutati*, 1. Reg. 1. 18.

7. NON ERGO ÆSTIMET HOMO ILLE QUOD ACCIPIAT.] Pro *ergo* Græca habent γαρ, id est *enim*, sed docte interpres non verbum verbo, sed sensum reddidit. q. d. Ne quis hæsitet postulans, similisque sit fluctui maris; si enim talis sit, edico illi, quod nihil accipiet. Hoc autem est id, quod clare et cum Emphasi dicit Interpres: *Non ergo æstimet homo ille quod accipiet:* Adde Græcum γαρ, et Latinum *enim*, multa significare, nimirum *utique, profecto, enim vero, certe, nimirum, quidem, igitur:* et omnibus his modis hic verti potest, quæ omnia Noster complexus est, vertendo *ergo*. Sic *enim* latine, subinde inchoat sententiam, idemque videtur esse quod *ergo*, ut apud Plautum in Trinummo, *enim me nominat*, et in Persa: *Enim non ibis.* et in Mil. *Enim cognovi nunc.* Denique hebraizat 9. Jacobus. Heb. enim ו *ve* (ut vertit hic Syrus) id est, *et* significat *enim, quia, certe, utique, igitur*, etc. Est argumentum à contrario; q. d. Postulet in fide; sic enim impetrabit: quia qui postulat hæsitans et diffidens, nil impetrabit. Nam sola oratio fidens et constans, meretur impetrare quod petit.

Nota Loquitur S. Jacobus de acceptione et impetratione quantum est ex vi, et quasi merito orationis. Nam alioqui Deus subinde ex sua liberalitate supplet fidei et fiduciæ defectum, ac hæsitantibus postulata largitur, uti largitus est regulo dubitanti, an Christus absens filium absentem curare posset, multo magis an mortuum posset resuscitare, Joan. 4. vers. 49. Absens enim eum curavit, ut hanc illi de se fidem et spem insereret, se nimirum esse filium Dei omnipotentis, Messiam, Salvatorem mundi. Hæc enim fides tum in mundo erat nova, recens et inaudita: unde à Christo miraculis probanda et confirmanda erat, uti notat S. Gregor. hom. 28. in Evangel. Eadem de causa curavit lunaticum post increpationem incredulitatis: *O generatio*, ait, *incredula et perversa, quousque ero vobiscum? usquequo vos patiar?* Matth. 17. 17.

8. VIR DUPLEX ANIMO.] Spectat hoc ad præcedentia: unde S. Petrus apud S. Clementem lib. 7. Constit. c. 12. huc alludens ait: *Ne sis in precatione tua duplici animo, ambigenti utrum sit futurum, an non. Mihi enim Petro dixit Dominus in mari: Modicæ fidei, quare dubitasti?* Et S. Ignatius ep. 13. ad Hieronem: *Ne*, ait, *sis duplici animo in precatione tua: beatus enim qui non ambigit.* Unde Syrus vertit; *vir divisus, animo*, id est dubius, græce διψυχος, id est, *bianimis*, duas quasi habens animas. Qui enim dubitat et hæsitat, videtur habere duas animas; unam, qua sperat futurum id quod petit, alteram qua diffidit et desperat: unam, qua credit Deum potentem et misericordem, alteram, qua credit eum severum, nec facturum id quod petitur. Opponitur hæc duplicitas simplicitati, qua fideli in uno Deo fidem suam et spem firmiter locare et figere debet. Rursum duplex animo, est timidus et irresolutus, qui ex timore animum habet divisum, ut in ærumnis spem nunc ponat in Deo, nunc in homine, dum nunc Dei, nunc, quasi à Deo desertus, hominum opem implorat.

Secundo, διψυχος, id est, *bianimis*, et *bicors*, dicitur, qui animum et cor partim Deo et cœlo, partim mammonæ et terræ, partim virtuti, partim vitio et cupiditati affigit. Hujus enim animus in duo distantissima dividitur, et quasi discerpitur in duos. Ita OEcum. Tangit ergo S. Jacobus hic radicem mali: puta hæsitationis in oratione. Ideo enim hæsitantes fluctuant fide et spe in orando, quia fluctuant mente, dum simul volunt placere Deo et mundo, simul amare cœlestia et terrena, simul gaudere bonis præsentibus et futuris: hos redarguit Christus, Matth. 6. 24. dicens: *Nemo potest duobus dominis servire*, etc. *Non potestis Deo servire et mammonæ.* Non potestis uno oculo cœlum, altero terram spectare. Opponitur, hæc duplicitas simplicitati affectus et amoris, quæ totum cor et amorem in uno Deo et virtute collocat. Porro radix hujus duplicitatis est varietas, imo contrarietas affectuum, quæ oritur ex eo, quod anima hominis partim sit rationalis, partim sensitiva: quatenus enim rationalis est, amat bonum honestum: quatenus sensitiva, bonum delectabilem, quod sæpe honesto repugnat. Unde nonnulli Philosophi videntes in homine tantam contrarietatem affectuum et amorum, ex ea collegerunt in homine esse duas animas sibi in vicem contrarias, unam rationalem, qua communicat cum angelis; alteram animalem, qua communicat cum bestiis. Verum hic est error.

Tertio, διψυχος, id est *bianimis*, vel *duplex animo*, est levis et mutabilis instar polypi, vel chamæleontis, qui omnium rerum quibus se applicat, colores in se suscipit. Hæc enim levitas est mater inconstantiæ, de qua subdit S. Jacobus dicens: *Inconstans est in omnibus viis suis.* Hæc levitas quoque parit hæsitationem in oratione, de qua præcessit sermo. Unde Cassianus lib. 7. Instit. c. 15. et S. Bernard. epist. 99. hanc Jacobi sententiam applicant apostatis, qui habitum Religionis quem susceperunt, ex levitate excutiunt, et ad sæculum redeunt. Opponitur hæc duplicitas constantiæ, qua quis simpliciter, absolute et constanter rectæ rationi et bono honesto sanctoque adhæret.

Quarto, διψυχος; id est, *bianimis*, est hypocrita, parasitus, omnisque vafer et versipellis. Hic enim duplex habet cor, unum verum, alterum fictum. Nam, v. g. fingit se Deum amare, cum amet scelera; fingit se fidelem et pium, cum sit impius et infideles. Tales sunt Hæretici, item Politici, qui cum Catholicis sunt Catholici, cum hæreticis hæretici, cum atheis athei. Item qui cum castis sunt casti, cum incestis incesti, cum sobriis sobrii, cum ebriis ebrii: suum enim pallium ad omnem ventum obvertunt. Hi sane exosi sunt Deo, ac proinde eorum orationes, ob hypocrisim et impietatem, Deo sunt execrebiles. Opponitur hæc duplicitas simplicitati, id est sinceritati: huic enim adversatur hypocrisis.

Tales quoque sunt bilingues et adulatores, de quibus. Psal. 11. 2. *Labia dolosa, in corde et corde*, id est, duplici corde, *locuti sunt.* Unum enim cor habent in ore, melleum et adulatorium, alterum in mente felleum et hostile. Unde horum symbolum est perdix, avis dolosa, uti ostendi Jerem. 17. 9. et 20, quam in Paphlagonia, vere habere duplex, vel bifidum cor, tradit Plinius l. 11. c. 3. et Gellius l. 16. 15.

Bilingues ergo sunt bicordes, ideoque bicorpores, imo bicornes: sinceri vero et simplices sunt unanimes, unicordes, unicorpores, unilingues, ideoque fortissimi et invicti quasi unicornes.

Hoc optabat Psaltes, dicens Ps. 85. 11. *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum;* pro *lætetur* hebr. est יחד *iached*, id est, *unicum*, aut *unitum fac cor meum*, ut vertit Symmachus et S. Hier. ut scilicet tibi uni adhæreat, itaque tibi uniatur, tecumque fiat unum. Nam, ut ait S. Gregor. p. 3. Past. c. 12. *Deus cum simplicibus sermocinari dicitur, quia de supernis mysteriis illorum mentes radio suæ visitationis illuminat, quos nulla umbra duplicitatis obscurat.* Quocirca recte S. Athanas. epist. de Nicæna Syn. hanc S. Jacobi sententiam præ cæteris asscribit Arrianis hæreticis, *qui nunquam*, ait, *unam eamdemque, sententiam, sed alias aliam fovent, dictaque, sua nunc laude, nunc vituperio prosequuntur; ut quod jam probarint, è vestigio damnent.* Nimirum hæresis, quia falsa, inconstans est semperque variat, sicut ex adverso fides, quia vera constans est semperque sui similis, imo eadem ubique. Ergo,

Ut quid tot fidibus luditur una fides?

Moralit. hanc animi duplicitatem, duplicumque leges, mores et actus graphice depingit. S. Greg. l. 10. Moral. c. 27. *Deridetur*, ait, *justi simplicitas: hujus mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt vera ostendere, quæ vera sunt falsa demonstrare. Hæc nimirum prudentia usu à juvenibus; scitur, hæc à pueris pretio discitur: hanc qui sciunt, cæteros despiciendo superbiunt: hanc qui nesciunt subjecti et timidi in aliis mirantur: quia ab eis hæc eadem duplicitas iniquitatis munimine palliata diligitur, dum mentis perversitas, urbanitas vocatur, hæc sibi obsequentibus præcepit, honorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere irrogata ab aliis mala multiplicius reddere; cum vires suppetunt, nullis resistentibus cedere; cum virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacificata bonitate simulare.*

Inconstans est in omnibus viis suis.] Puta in omnibus actionibus et sermonibus suis. q. d. Origo hæsitationis in oratione est duplicitas animi. qui enim hanc habet, in omnibus actionibus suis hæsitat, estque inconstans.

Pro *inconstans* græce est ἀκατάστατος, id est, *confusus, incompositus, inconstans, instabilis, turbatus, infirmus.* Unde ἀκαταστασια est *seditio, inconstantia, tumultus, confusio, turbatus rerum ordo.* Huic opponitur ἀκατασειστος, id est, *inconcussus, firmus, compositus, constans, stabilis.*

9. Glorietur autem frater humilis.] Etsi non sit necesse omnes Jacobi sententias inter se connectere, cum more epistolari variæ sint et disparatæ; tamen nonnulli hanc connectunt cum versu proxime præcedenti, quasi humilem opponat duplici, qui ad magna contendit, ideoque est superbus. q. d. Glorientur superbi et duplices in sua præsenti superbia, sed caduca et brevi duratura: at vero humilis et simplex glorietur in exaltatione sui futura, sed duratura in sempiternum. A duplicitate ergo gradum fecit, transitque ad ei connexam superbiam et opulentiam, eique opponit paupertatem et humilitatem: idque satis videtur appositum.

Alii aptius et concinnius hoc remotius referunt ad v. 1. *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis,* quasi hic à thesi ad hypothesin, à genere ad speciem vel exemplum, puta à tribulatione ad paupertatem et abjectionem, qua premebantur primi Christiani, descendat, et transeat S. Jacobus. Præcipua enim tribulatio primorum fidelium erat paupertas, tum quia sponte bonis se abdicarant, eaque posuerant ad pedes Apostolorum. Act. 4. 34. idque perfectionis studio: tum quia à Judæis Christianos persequentibus, bonis suis erant spoliati. Hoc enim est quod ait Apostolus Hebr. 10. 34. *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.* Hos ergo hic consolatur, et ad constantiam animat. Unde sicut v. 1. dixit: *Omne gaudium existimate*, ita hic simili modo, imo amplius dicit, *glorietur.* q. d. Non tantum gaudeat, sed et glorietur fidelis in tribulatione, v. g. in abjectione et paupertate. Unde materiam hanc concludens subdit: *Beatus vir qui suffert tentationem.* Glorietur ergo humilis et pauper: quia conformis est Christo humili et pauperi: humilitas enim et paupertas honorata, et gloriosa effecta est per Christum, adeoque regum opibus et splendore illustrior. Christi enim vox est: *Discite à me, quia mitis sum et humilis corde,* Matth. 11. Secundo, *glorietur humilis*, quia humilitas scala est cœli, viaque certa ad exaltationem, de quo mox plura.

Frater.] Id est Christianus. Omnes enim Christiani fratres sunt, quia eumdem habent patrem Christum, eamdem matrem Ecclesiam, eodem baptismo quasi utero renati sunt, eamdem hereditatem cœlestem expectant: quia, ut ait Tertull. Apol. 39. *Unum patrem Deum agnoverunt, qui unum spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejusdem, ad unam lucem expaverunt veritatis.*

Humilis,] ταπεινὸς, id est *abjectus*, puta pauper: Hebræum enim עני *ani*, et abjectum sive humilem, et pauperem significat. Hæc enim duo ordinarie conjuncta sunt. Unde humili S. Jacobus opponit divitem, dicens: *Dives autem in humilitate sua*, q. d. Dives, ideoque superbus et gloriosus: *Vermis enim divitiarum est superbia*, ait S. Aug. serm. 5. de verbis Domin. secundum Matthæum. Et S. Bern. de Convers. ad Clerc. c. 30. *Quidni*, ait, *periclitetur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc sæculo nequam?* Sic vicissim humiles per pauperes significat Christus dicens Matth. 5. 3. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Hoc Jacobus, aliis verbis didicit: *Glorietur humilis in exaltatione sua.*

Porro ταπεινὸς, significat tum vilem et abjectum, tum humilem sive humilitatis virtute præditum: hic utrum includit. Significat enim abjectum; qui suam abjectionem ex virtute tolerat, eumque humiliter suscipit et capessit. Tali enim gloriari licet in sui exaltatione: alioqui qui in ea indignatur, aut est animo tumido et superbo · exaltationem sperare nequit; sed potius confusionem et abjectionem majorem. Talis enim Deo et hominibus est odibilis, juxta illud Ecclesiastici 25. 3. *Tres species odivit anima mea, et aggravor valde animæ illorum: pauperem superbum, divitem mendacem, senem fatuum et insensatum.* Ita Œcum. Dion. et alii.

Nota. Dicit hæc Jacobus, quia communis primorum Christianorum tentatio et tribulatio fuit, quod ubique despicerentur, quasi viles et abjecti, idque Primo, quia ipsi pauci erant, pauperes, et paupertatis studiosi: spernebant enim opes

terrenas, ut acquirerent cœlestes. Secundo, quia vestitu modesto et simplici utebantur. Unde Lucianus in Philopatro ita Christianum pingit et ridet : *Pallium patre, sine calceis et tegmine, capite nudo incedens, detonsa coma.* Tertio, quia in verbis, omnique motu et gestu præ se ferebant humilitatem et modestiam. Quarto, quia christianismus tunc habebatur secta nova, vilis, abjecta, ideoque exosa mundo, puta Gentilibus et Judæis : et talis etiamnum habetur apud multos Japones et Indos.

IN EXALTATIONE SUA.] Noster serarius tripliciter hoc explicat. Primo. q. d. Humilis si contingat eum exaltari, humiliter se gerat et in hac sua humilitate glorietur. Secundo, q. d. Humilis glorietur in sua humilitate, quia humilitas per Christum facta est sublimitas, summeque Christianum celebrat et exaltat. Tertio, q. d. Humilis glorietur in sua abjectione, quia hæc erit ei causa summæ exaltationis, ut metonymice ponatur effectus pro causa, sive merces pro merito, nimirum exaltatio pro humiliatione, quæ meretur et causat exaltationem. Quarto, simplicius et germanius, q. d. Humilis glorietur in sui exaltatione, quam certo expectat, hanc enim Deus humilibus promisit, ideoque eam præstat sæpe in hoc sæculo, et semper in futuro. Æterna enim justaque Dei sanctio est : *Qui se exaltaverit, humiliabitur : et qui se humiliaverit, exaltabitur,* Matth. 23. 12. Unde canit B. Virgo : *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.* Lucæ 1. 52.

Ita Saul humilis evectus est ad regnum, sed superbiens vita cum regno privatus est. Unde audivit à Samuele : *Numquid cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es :* 1. Regum 15. 17.

Sic David ex pastore ovium factus est rex.

Sic B. Virgo humilitate sua meruit fieri mater Dei. *Quia respexit,* inquit, *humilitatem ancillæ suæ,* Luc. 48. *Proprium enim opus Dei est alta sternere, humilia erigere,* ut ait Philosophus.

Ita S. Franciscus, quia infra omnes homines se dejecit, supra omnes evectus est. Narrat S. Bonavent. in ejus Vita, virum sanctum vidisse thronum in cœlis sublimem et gloriosum, cumque quæreret, cujusnam ille esset? audisse : *Sedes hæc unius de ruentibus fuit, et nunc humili servatur Francisco.*

Ita Deus exaltavit vilem et humilem S. Equitium, ut narrat S. Greg. l. 1. Dialog. c. 4.

Ita sancta illa virgo in monasterio Tabennesiotarum stultam se simulans, ideoque vilis et despecta, ut totius domus videretur esse spongia, ab Abbate Piterio jussu angeli declarata, et celebrata est omnium sanctissima et sapientissima, idque ob humilitatem dumtaxat. *Nunquam enim cum cæteris mensæ assedit, sed micas tantum ex ea detergens, et abluens ollas, hic solis alimoniis contenta vivebat; nunquam calceamentis usa est, nulli unquam fecit injuriam : nulla ipsius murmur audivit, cum tamen ab omnibus cæderetur, et omnium irrisiones et maledicta tacens sustineret.* Ita Heraclides in Paradiso c. 21. et Palladius in Lausiaca c. 41.

Ita S. Antonio revelatum est coriarium quemdam eo esse sanctiorem; qui omnes se sanctiores cæloque dignos, se autem solum ob peccata inferno dignum, reumque æstimabat. Ita Vitæ Patrum l. 7. c. 15.

Ibidem cap. 13. prisci illi patres hæc humilitati dant elogia : *Humilitas est arbor vitæ in altum excrescens. Perfectio hominis est humilitas. Humilitas nec ipsa irascitur, nec alios irasci permittit. Terra in qua Deus dixit sibi sacrificium offerri, humilitas est. Omnis labor sine humilitate vanus est. Humilitas enim præcursor est charitatis; sicut Joannes præcursor erat Jesu, omnes trahens ad eum : ita et humilitas attrahit ad charitatem, id est, ad ipsum Deum; quia Deus charitas est. Quantumcumque se deposuerit homo in humilitate, tantum quoque proficit in altum. Sicut enim superbia si ascenderit in cœlum, usque ad infernum deducitur; ita et humilitas si descenderit ad infernum, tunc exaltabitur ad cœlum.* Ibidem Abbas Macarius audit à diabolo : *Magnam vim à te patior Macari, qui cum te cupio nocere, non possum. Tu sæpe jejunas et vigilas, ego semper; sed una re me vincis.* Rogante Macario, *Qua?* ait : *Humilitas tua sola me vincit.*

S. Bernard. tract. de 12. gradibus humilitatis, docet scalam Jacob à terra in cœlum porrectam, significare humilitatem, qua per duodecim ejus gradu ad Deum ascendimus. *Et Dominus de super innixus apparuit, quia in culmine humilitatis constituitur cognitio veritatis.* Idem serm. 27. in Cantic. *Quid,* inquit, *voluntaria paupertas, quid humilitas? nonne altera regnum æternum, altera æque exaltationem promeretur æternam?* Idem in annuntiat. Domini serm. 3. Docet Christum è cœlis in terram et uterum B. Virginis descendisse, *ut omnes ejus paupertate locupletemur, ejus humilitate sublevemur, ejus minoratione magnificemur, ejus incarnatione adhærentes Deo incipiamus esse unus spiritus cum eo.* Idem de Modo bene vivendi c. 39. *Quanto humilior fueris, tanto te major sequetur gloriæ altitudo. Descende ut ascendas, humiliare ut exalteris, ne exaltata humilieris. Humilitas casum nescit, scit ascensum.* Quare idem alibi graviter arguit fatuitatem hominum qui per fastum ascendere volunt, cum ad ascensum non sit alia via, quam humilitas et descensus, eaque facillima.

10. DIVES AUTEM IN HUMILITATE SUA,] Ταπεινώσει, id est, *humiliatione, abjectione* sui. Varii varie hoc exponunt. Primo aliqui censent esse ironiam, q. d. Dives, si lubeat, glorietur in suis divitiis, sed sciat certe se iis brevi privandum et humiliandum. Ita Beda, Thom. Anglicus, Hugo, Lyran. Dionys. Gagneius.

Secundo, alii, q. d. Dives si bonis suis spolietur ab hoste, aut naufragio aliove casu privetur, hanc humiliationem et jacturam patienter ferat, eamque cum gaudio suscipiat, adeoque in ea glorietur.

Tertio, alii, quasi dicat, Dives etiamsi opibus affluat, non tamen iis superbiat, nec insolescat, sed in humilitate se contineat, memor illas instar floris marcescere, et instar fœni statim exarescere, id est, diffluere et deperire. Ita Valabl. Cajet. Salmeron et alii.

Quarto, OEcum. subaudit verbum *humilietur,* vel *confundatur,* pudefiat, et demisse de se sentiat, ut si anthithesis. q. d. Humilis glorietur in spe suæ exaltationis, dives autem confundatur in humiliatione, quæ illi parata est, quamque certo expectare debet. Tacuit autem Jacobus τὸ *confundatur,* ex modestia. Hic sensus est nervosior, eumque poscere videtur antithesis humilis, sive pauperis, et divitis in sorte, quæ contraria alterutri obveniet. Item id quod sequitur : *Quoniam sicut flos fœni transibit,* etc. *Dives in itineribus suis marcescet.* Aridilas ergo et marcor

est humilitas, id est confusio divitis. Ita dives Epulo humiliatus est, cum sepultus est in inferno : Lazarus vero mendicus elevatus est ad sinum Abrahæ, Luc. 16. 22. Vere Seneca in Hercul. Furente : *Sequitur superbos ultor à tergo Deus.*

Taxat S. Jacobus hac sententia maxime Gentiles et Judæos, qui opibus studebant et gloriabantur; ideoque Christianos pauperes et censu et spiritu aspernabantur, imo persequebantur, bonisque et vita spoliabant.

QUONIAM SICUT FLOS FOENI TRANSIBIT,] quasi dicat, Ideo humilietur dives in humiliatione sui futura, quia scilicet, sicut flos fœni transibit, nimirum ipse dives, uti legit S. Aug. in Speculo, non humilitas ejus : hæc enim in inferno semper perdurabit. Notat OEcum. divitis opes et gloriam hic comparari, non fœno, sed flori fœni, qui speciem habet et splendorem; sed citius quam ipsa viridis herba fœni à sole siccatur, arescit et decidit : pari enim modo divitum opes splendorem habent et gloriam, sed iis à Deo privantur illico, transeunt et evanèscunt, uti graphice describit. S. Ambr. l. 5. Hexam. c. 7. Sic Poeta juventutem, brevemque hominis vitam comparat flori, dicens :

Collige virgo rosas, dum flos novus, et nova pubes,
Et memor esto ævum sic properare tuum.

et Virgil. in carm. de Rosa :

Quam longa una dies, ætas tam longa rosarum.

Hinc *hemerocallis*, id est, uno die pulchra, dicitur, et Mantuanus :

Mirabar celerem fugitiva ætate juventam;
Et dum nascuntur consenuisse rosas.

Plinius lib. 16. cap. 25. *Flos*, ait, *est pleni veris indicium et anni renascentis, flos gaudium arborum. Tunc se novas aliasque quam sunt, ostendunt : tunc variis colorum picturis in certamen usque luxuriant.* Idem. l. 21. c. 1. docet flores esse lusum lascivum et picturam naturæ, eosque sua fragilitate et modica duratione hominem admonere mortis. *Quippe reliqua*, inquit, *usus alimentique gratia genuit natura; ideoque sæcula annosque tribuit iis : flores vero odoresque in diem gignit : magna* (*ut palam est*) *admotione hominum, quæ spectatissime floreant, celerrime marescere.*

Secundo, sicut herba veridis, alias dulcis, si exarescat, fiatque fœnum, amarescit : qua de causa eam secundam antequam arescat, jubet Cato, et ex eo Plinius lib. 18. cap. 28. ita ubi divitis gloria transierit, amara est ejus memoria et recordatio.

Tertio, sicut sol suo æstu illico florem arefacit; ita incendium, rapina, naufragium, aliusve similis casus et infortunium subito aufert diviti opes et gloriam.

Quarto, sicut flos et herba fœni resecta, renascitur quotannis in vere et autumno : unde Varro l. *h.* de Lingua Latina, et Festus censent fœnum dictum à fœnore, quod quotannis in pratis novum fœtum pariat : ita divitiæ et gloria ab uno divite sublatæ, transeunt ad alium : in eoque quasi renascuntur et repullulant; ab hoc iterum brevi transituræ ad alium et alium.

Quinto, sicut flos oculos dumtaxat suo colore pascit, nullum vero habet fructum, quo os et ventrem impleat; ita divitiæ oculos avari pascunt, mentem non satiant. Quocirca Sapiens c. 5. 8. impiorum res et spes comparat umbræ, nuncio, navi, avi transvolanti, sagittæ emissæ, lanugini, spumæ et fumo. *Quid nobis*, inquiunt, *profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuncius percurrens, et tanquam navis quæ pertransit fluctuantem aquam, cujus cum præterierit, non est vestigium invenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus : aut tanquam avis, quæ transvolat in aere, cujus nullum invenitur argumentum itineris, sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum, et scindens per vim itineris aerem, commotis alis transvolavit, et post hoc nullum signum invenitur itineris illius : aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus aer continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius : sic et nos nati continuo desivimus esse; et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere, in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt : quoniam spes impii tanquam lanugo est, quæ à venio tollitur : et tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur : et tanquam fumus, qui à vento diffusus est : et tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis. Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum, et cogitatio illorum apud Altissimum.*

Sexto, idem flos colorem mutat, idque subinde per diem sæpius. *Sic polii folia mane candida, meridie purpurea, sole occidente cærula, aspiciuntur*, ait Plinius l. 21. c. 7. Pari modo opes et deliciæ speciem saporemque mutant, ac pro gustu divitis aliter aliterque sapiunt : famenti melleæ, saturo felleæ videntur, suique fastidium ingerunt.

Septimo, florum tres præcipui sunt colores; coccineus in rosa, ianthinus in viola, purpureus in iride. Hos tres colores ars imitatur in vestibus quas divites nunc tingunt gestantque coccineas, nunc ianthineas, nunc purpureas, ait Plinius l. 21. c. 8. Hi tres colores repræsentant pariter tres opum interemptores, nimirum coccineus ignem et incendium, violaceus aquam et naufragium, purpureus cædes et rapinas. Opes enim vel pereunt incendio, vel naufragio, vel rapina.

Octavo, arbores et herbæ in flore sibi invicem succedunt. *Primo enim florem amygdalus, deinde pyrus, cerascus, prunus. Sequitur laurus, illamque cupressus : deinde punica, fici. Floret autem solstitio vitis, et quæ paulo serius, incipit, olea. Deflorescunt omnia septem diebus*, ait Plinius l. 16. cap. 25. Sic merces divitum sibi invicem succedunt in flore, usu, et pretio; sed omnes septenis, id est paucis, diebus deflorescunt, perduntque florem, usum et pretium.

11. EXORTUS EST ENIM SOL CUM ARDORE,] tum mane, tum potius meridie : tunc enim ardet, præsertim cum est in cancro, vel leone.

ET DECOR VULTUS EJUS DEPERIIT.] Vultum floris metaphorice vocat, ejus formam et speciem. Sic decor vultus divitis, ejusque opum, est splendor vestium, lautitia mensæ, fulgor domus et suppellectilis, pompa ministrorum, amicorum et asseclarum, et ut ait Thomas Anglicus, humana gratia et favor. Omnes enim divitis gratiam ambiunt, eique applaudunt : sed hæc omnia instar floris cito decidunt.

ITA ET DIVES IN ITINERIBUS SUIS (Recte : hoc enim significat Græcum πορείαις. Aliqui legunt πορίαις, id est, *divitiis* et *copiis* suis. Porro *itinera*

divitis sunt, tum ejus actiones, occupationes, recreationes : tum modi et viæ quibus ad opes, honores et gloriam contendit, imo currit : atque in quibus gloriose incedit, vivit et triumphat, quasi dicat, Dives in sua opulentia, splendore et gloria) MARCESCIT.] Syrus חוכמא *chuma*, id est, arescet instar floris. Marcor enim est languor, putredo, consumptio, tabes, quæ sæpe à febri et calore, humidum radicale depascente et arefaciente, provenit, uti patet in phthisicis et hecticis. Similem ergo opum et gloriæ suæ tabem, phthisim et hecticam sive ab hoste, sive à morte, sive à fure, etc.', expectent divites. Unde S. Aug. in Psal. 52. citans dictum impiorum Sapient. 2. *Coronemus nos rosis antequam marcescant. Quid delicatius*, inquit, *quid lenius? Sperares de hac lenitate cruces gladios? noli mirari, lenes sunt et radices spinarum. Si quis eas contrectet, non pungitur, sed quo pungeris, inde nascitur.*

12. BEATUS VIR QUI SUFFERT TENTATIONEM.] Est hæc conclusio dictorum de tentatione à v. 1. hucusque. Quænam et quotuplex hic intelligatur *tentatio*, dixi v. 1. nimirum tentatio est persecutio, et quævis tribulatio, quin et tentatio proprie dicta, quam vel concupiscentia, vel dæmon suscitat. Quisquis enim hanc constanter suffert, ut ei non cedat, accipiet coronam vitæ : ita Theod. Studita epist. 59. et 118. et Hesych. l. 2. in Levit. cap. 7. Porro hæc sententia Jacobi est antistropha sententiæ Christi, qua ait : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*, etc., *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, Matth. 5. v. 5. et 10. Patiens ergo sufferens tentationem, dolorem et persecutionem est beatus, tum in re, ob virtutem patientiæ, quæ est summum bonum et beatitudo hujus vitæ, ut dixi v. 1. tum in spe, ob coronam vitæ et repositam in cœlis. Hinc et vocatur *vir*, à virili animo, virtute et virore sustinendi omnia. Nam, ut ait Plinius l. 11. c. 49. *Mares in omni genere fortiores sunt præterquam in pantheris et ursis.* Sub voce *vir*, et feminæ quæ generose adversa sufferunt, intelliguntur : hæ enim sunt viragines, imo viri ; quia viros virtute vicerunt etiamnum vincunt. Tales fuere S. Agnes, S. Cæcilia, S. Agatha, cæteræque omnes, quæ pro Christo et virginitate gloriosum obiere martyrium. Hos mundus vocat miseros, sed Christus et Jacobus beatos.

Nota, *suffert*, inquit Hugo, idem est quod *sub Deo fert*, vel *sursum fert*. Verum Græce est ὑπομενει, id est sustinet, suffert, perfert, durat, perstat, moram tolerat, perseverat, præstolatur, expectat, persistit : inde enim ὑπομονὴ vocatur patientia, non quævis, sed quæ conjunctam habet perseverantiam cum spe, qua nimirum toleramus mala per patientem expectationem, dum scilicet spe præmii duramus in malis, et nos rebus et melioribus servamus, uti dixi v. 3. Patiens ergo si perseveret, est velut incus, ut ait S. Nazianz. in Distichis, quæ omnes malleorum ictus constanter suffert, nec cedit ; et velut rupes quæ omnes maris fluctus excipit et repellit, et, ut ait Horatius lib. 4. ode 4.

> Duris ut ilex icta bipennibus, etc.
> Per damna, per cædes, ab ipso
> Ducit opes animumque ferro.

Vere Cassianus Colat. c. 18. 13. *A passionibus et sustentatione*, ait, *patientiam dici nullus ignorat, ideoque constat patientem pronunciari neminem posse, nisi eum qui universa quæ sibi fuerint irrogata, absque indignatione toleraverit*, et inferius : *Neque enim esset alicujus laudabilis fortitudo, si vinceret intentatus ; cum utique victoria locum habere non possit, absque adversitate certaminum. Beatus enim vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ.*

Plutarch. in Lacon. mira scribit de sufferentia puerorum Laconum. *Pueri*, ait, *apud Lacedæmonios in ara Dianæ, cui ab indejicibili virtute cognomen Orthia, flagellis quotanis stato festo ex more totum diem cædebantur, itaque frequenter durabant ad mortem usque hilares ac læti, concertantes inter se de victoria, quis ipsorum diutissime fortissimeque toleraret verbera : unde nec genitum, nec vocem dabant, nec scapulas aut corpus contrahebant, tantum ad hoc, ut victoriæ hujus nomen et decus obtinerent.* Quid jam faciat fidelis, cui non insanæ tolerantiæ ostentatio, et modica hominum laus, sed æterna in cœlis gloriæ corona, ac laus à Deo, Angelis et hominibus pro sufferentia promittitur?

Quocirca S. Athanasius per 46. annos persecutiones Arrianorum, ac totius pene orbis, invicto animo sustinuit. *Scio*, ait ipse orat. 1. contra Arrian. *præmium hic sustinent retribuendum esse à Salvatore, et quod vos ubi sustinueritis, habebitis gloriam, qua dicere licebit, Fidem servavimus. Recipietis autem coronam vitæ, quam repromissi Deus diligentibus se.*

Et S. Basilius præfecto Valentis imper. minanti mortem ni Arrianis consentiret, intrepidus respondit : *Utinam mihi aliquid esset digni muneris, quod offerrem huic, qui Basilium citius de nodo follis hujus absolveret, ut ad Deum evolaret.* Ita Hist. Tripart. lib. 11. c. 9.

Constantius Imper. minabatur abscissionem dexteræ Eusebio Samosateno, ni traderet decretum Arrianorum contra Meletium factum, mox Eusebius ambas manus porrexit, inquiens : Decretum non dabo, ita eadem l. 5. c. 49.

S. Lucius ob fidem damnatus ab Urbicio, cum ad supplicium duceretur : *Gratias ago*, ait, *quod me nequissimis dominis absolutum ad summum cœli regem mittas.* Ita Eusebius l. 4. c. 17.

Simeon Stylites in columna stetit per multos annos, patiens frigus, æstum, ventos, pluviam, famem, etc., immoto corpore et animo : quia assidue cœlum spectabat. Ita Theod. in ejus vita.

Valens Imper. per præfectum Edessæ orthodoxos octoginta cogere volebat ad fidem abnegandam. Cum ergo diceret Elogio : *Communica possidenti regnum ;* respondit : *Et mihi regni quoque ac sacerdotii consortium est.* Ita Tripart l. 7. c. 33.

S. Dionysia matrona nobilis, cum ab Hunerici ministris acriter cæderetur, et rivi sanguinis toto jam corpore fluitarent, libera voce dixit : *Ministri diaboli, quod ad opprobrium meum facitis, ipsa est laus mea.* Ita Victor Uticens. lib. 3. Wandal.

Abbas Alexander cuidam sentienti acediam et tædium in solitudine, dixit : *Istud fili signum est, quia nec regnum cœlorum, nec æternum cruciatum in mente habes. Nam si ista sollicita intentione cogitares, nullam in cella tua acediam sentires.* Ita Joan. Moschus in Prato spirit. c. 142.

Abbas Joannes in Vitis Patrum l. 7. c. 4. n. 12. dicebat : *Porta cœli est injuriarum perpessio, et patres nostri per multas injurias in eam gratulantes, ingressi sunt.* Nam, ut ait S. Aug. lib. 10.

de Civit. c. 6. *Ipse homo*, inquit, *Dei nomini consecratus et Deo devotus, in quantum mundo moritur, ut Deo vivat, sacrificium est.* Idem in Ps. 118. concione 23. loquens de Martyribus ait : *Multi pati voluerunt, neque potuerunt : nulli tamen potuerunt, nisi qui voluerunt*, etc., *quia non est eis gloria temporalis hominum vana quærentium, sed æterna gloria est brevi tempore patientium, et sine fine regnantium. Unde sequitur : Quoniam exultatio cordis mei sunt, et si afflictio corporis, exultatio tamen est cordis.*

Patientia ergo et patiens est quasi palma, quæ quantavisei pondera imponas, *non deorsum cedit*, ait Gelius, l. 3. c. 6. *nec intra flectitur, sed adversus pondus resurgit, et sursum nititur recurvaturque. Propterea*, ait Plutarch., *in certaminibus palmam signum esse placuit victoriæ : quoniam ingenium ejusmodi ligni est, ut argentibus opprimentibusque non cedat.* Id sapiebat Germanorum sapiens P. Petrus Canisius, qui in omnibus morbis et adversis benedicebat Deum, dicens: *Benedictus sit fons ille bonorum, per quem augetur senibus torpor, fastidium, oblivio, incuria, molestia*, etc., *quæ nos in fragili tabernaculo habitare, et ad meliorem vitam tendere hortantur.* Ita refert in ejus vita P. Sacchinus l. 3. p. 375.

Quoniam cum probatus fuerit,] cum scilicet per multam patientiam fuerit exploratus, purgatus, expolitus et perfectus, ut dixi c. 3. Nam, ut ait Eccli. c. 2. 3. *In igne probatur aurum et argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis.* Et Sapiens c. 3. 6. *Tanquam in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos*, etc., *invenit illos dignos se.*

Accipiet coronam vitæ.] Nam, ut ait S. Leo serm. 9. de Quadragesima : *Certa atque secura est expectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ passionis*, etc. *Sicut ergo totius est corporis pie vivere, ita totius est temporis crucem ferre.* Gloria cœlestis vocatur *corona vitæ*, quia datur vincenti tentationes; sicut olim olympionicæ, id est, qui in agone Olympico vincebant, coronabantur corona myrtea, laurea, hederacea. Vocatur *vitæ*, scilicet beatæ, gloriosæ et æternæ. Unde à S. Petro epist. 1. c. 5. 4. corona hæc vocatur *immarcescibilis*, ut opponatur coronæ divitum: hoc est opibus, deliciis, et gloriæ quibus divites quasi corona cinguntur et coronantur : nam hæc est fœnea, et velut flos fœni illico marcescit uti dixit Jacobus v. 11. illa vero patientum est immarcescibilis, ideoque semper virens et florens. Secundo, vita hæc congrue quasi merces redditur tentationibus, plagis et morti pro Christo toleratæ, juxta illud Apoc. 2. 10. *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.* Tertio, *vitæ*, quia corona hæc est viva et animata, vivitque in æternum. Hæc enim corona est visio et fruitio Dei, qua Beati pascuntur, deliciantur et beantur in æternum. Cur gloria cœlestis vocetur vita æterna, dixi Rom. 6. 23. quia scilicet vita hæc complectitur omne gaudium, omnes delicias, omnem sapientiam, omne bonum. Unde Didymus hanc coronam vocat spei, deliciarum et gratiarum. Quarto, addunt nonnulli vocari *vitæ*, quia est præmium vitæ laudabilis in patientia et sanctitate transactæ.

Alludit S. Jacobus ad 4. Esdræ 2. 23. ubi Esdras vidit Christum, singulorum patientium et Sanctorum capitibus imponere coronam. *Ii sunt*, ait, *qui mortalem tunica deposuerunt, et immortalem sumpserunt, et confessi sunt nomen Dei. Modo coronantur, et accipiunt palmas.* Et c. 7. 6. vidit Jerusalem cœlestem, ejusque iter strictum et angustum, puta per tentationes, tribulationes et martyria. *Civitas*, ait, *est ædificata et posita in loco campestri : est autem plena omnium bonorum : introitus ejus angustus, et in præcipiti positus, ut esset à dextris quidem ignis, à sinistris aqua alta.* (unde Psaltes : *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.* Psal. 65. 12.) *Semita autem est una sola inter eos posita : hoc est, inter ignem et aquam, ut non capiat semita nisi solum modo vestigium hominis*, quod explicans v. 18. *Justi*, ait, *ferent angusta, sperantes spatiosa.*

Hæc est corona de qua Psaltes Ps. 20. 4. *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso*, et Ps. 102. 4. *Qui coronat te in misericordia et miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum, renovabitur ut aquilæ juventus tua.* Christus Dominus S. Catharinæ Senensi obtulit duas coronas, unam spineam, alteram auream et gemmeam, dicens : Elige utramvis, sed scito quamlibet elegeris, te alteram illi oppositam in futura vita habituram. Illico ipsa elegit spineam, eamque capiti suo ita infixit, ut per plures dies graves dolores senserit. Idcirco per spineam in terris merui gemmeam in cœlis, nam ut ait Eccles. 1., c. 11. *Timor Domini gloria et gloriatio, et lætitia, corona exultationis.* Timor nimirum quo quis fidelis timens amansque Deum, pro eo quælibet adversa patitur, et c. 6. 32. *Stolam gloriæ indues eam* (sapientiam) *et coronam gratulationis superpones illi*, et Sapient. 5. 17. *Ideo accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini*, et Isaiæ 62. 3. *Eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui.* et c. 28. 5. *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ et sertum exultationis residuo populi sui.* Vide dicta Apoc. 2. 20. et c. 3. in fine.

Præclare S. Aug. hom. 14. Inter 50. *Cum Deus*, ait, *coronat merita tua, nihil coronat nisi dona sua. Quid enim habes quod non accepisti?* unde infert idem serm. 50. de Temp. *Studeamus ut in membrorum* (Christianorum) *vita capitis* (Christi) *sit corona.* Idem coronam hanc vitæ et gloriæ, ejusque decus et præstantiam pathetice describit l. de Diligendo Deo, (vel quisquis est auctor : stylus enim non redolet Augustinum) c. 18. t. 9. *Exultemus*, ait, *et cogitemus quale et quantum electorum sit, unicum et singulare gaudium. Illud scilicet summum bonum, quod vita, lux, beatitudo, sapientia et æternitas, nec tamen non est nisi unicum et summum bonum, omnino sufficiens nullo indigens, quo omnia indigent : ut sint, et bene sint. Hoc bonum est Pater, Filius, et Spiritus sanctus. Hoc bonum continet jucunditatem omnium bonorum, sed tanto differentem, quanto differt creator à creatura. Si enim est bona vita creata, quam bona est vita creatrix? Si jucunda est salus facta, quam jucunda est salus quæ fecit salutem? Si amabilis est sapientia cum cognitione rerum conditarum, quam amabilis est sapientia quæ condidit omnia ex nihilo? Denique si multæ et magnæ sunt delectationes in rebus delectabilibus, qualis et quanta est delectatio in illo qui fecit omnia delectabilia? O qui hoc bono fovetur, quid illi erit, et quid illi non erit? Cur ergo per multa vagamur, quærendo bona corporis et animæ nostræ? Amemus unum bonum, in quo sunt omnia bona, et sufficit.* Et mox : *Regnum namque Dei omni fama majus est, omni*

laude melius, omni scientia innumerabilius, omni gloria quæ putatur excellentius. Regnum itaque Dei plenum est lucis ac pacis, charitatis et patientiæ, honestatis et gloriæ, dulcedinis et delectationis, lætitiæ et beatitudinis perennis, et omnis boni ineffabilis, quod nec dici, nec cogitari potest. Et inferius : *Ergo futura vita creditur esse sempiterna, et sempiterne beata, ubi est certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, felix æternitas, æterna felicitas, ubi amor est perfectus, timor nullus, dies æternus, alacer motus; et unus omnium spiritus de contemplatione Dei sui; ac de sua cum illo permansione securus : ubi ipsa civitas, quæ est angelorum omnium atque Sanctorum congregatione beata, meritis fulgentibus micans, ubi æterna salus exuberat, veritas regnat, ubi nec fallit quispiam nec fallitur : unde beatus nullus ejicitur, ubi nullus miser admittitur.* Et sub finem: *Intellectus erit sine errore memoria sine oblivione, cogitatio sine pervagatione, charitas simulatione, sensus sine offensione, incolumitas sine debilitatione, salus sine dolore, vita sine morte, facilitas sine impedimento, saturitas sine fastidio, et tota sanitas sine morbo.*

Promisit diligentibus se,] qui nimirum ita diligunt Deum, ut ejus amore omnia adversa fortiter et alacriter tolerent. Alludit ad illud Isaiæ 64. 4. quod citat Paulus 1. Corinth. 2. v. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus in iis qui diligunt illum.* Vide ibi dicta.

Charitati ergo et amori velut merito et causæ merendi, quasi merces promissa est corona gloriæ, vitæque æternæ. Hinc patet contra Calvinum, justos sua patientia et bonis operibus mereri cœlestem gloriam. Hoc enim meritum significat hic S. Jacobus tum nomine coronæ : hæc enim vincenti quasi præmium et merces certaminis debetur; unde à Paulo vocatur corona justitiæ. *Bonum,* ait, *Certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex,* etc. 2. Timoth 4. 7. Tum verbo repromisit, quod enim repromittitur sub conditione certaminis et operum, est merces eorumdem.

Mor. S. August. serm. 64. in Evang. S. Joann. *Regnum Dei,* ait, *venale est, Eme, si vis. Nec multum exæstues de re magna propter pretii magnitudinem. Tantum valet, quantum habes. Noli quærere quid habeas, sed qualis sis. Res ista tanti valet, quantum es tu. Te da, et habebis illum. Sed malus sum, inquies, et forte me non accipit, dando te illi, bonus eris. Cum autem bonus fueris, pretium ipsius rei eris.* Damus autem nos Deo per amorem. Amor ergo est pretium, quo emimus coronam gloriæ. Idem in Psalm. 118. conc. 23. *Si,* ait, *diligendo operamur bona, æterna est ipsa dilectio, eique æterna est parata retributio. Propter quam retributionem dicit se inclinasse cor suum ad faciendas justificationes Dei, ut in æternum diligens, in æternum mereatur habere quod diligit.*

Age ergo ô pugil, ô athleta Dei qui cum Christo et pro Christo dura diuque pateris. Attolle animos, pectus obfirma.

Perfer et obdura, dolor hic tibi proderit olim.

Expecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum : stadium patientiæ ingressus es, in eo animose concerta, ut palmam referas. Spectaculum factus es Deo, mundo, angelis et hominibus. Spectat te Christus, spectant te angeli Sanctique omnes, spectat te sanctissima Trinitas : eadem pugnantem adjuvat, ut vincentem coronet. Beatum te pronuntiat S. Jacobus, post probationem brevem et exilem, coronam vitæ tibi pollicetur, diligentibus Deum promissam. Patere ergo pro Deo, pro cœlo, pro amore Christi. Illi te dilexit usque ad mortem, et mortem crucis : dilectionem dilectioni repende. Dulce est Christum diligere, dulcius pro dilecto pati, dulcissimum erit post modicum patientiæ agonem eo frui, et felicissime frui in omnem æternitatem. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

13. Nemo cum tentatur dicat.] Egit S. Jacobus hactenus de patientibus et fortibus qui tentationem, puta persecutionem et spoliationem bonorum fidei causa constanter et generose sustinebant, ideoque merebantur coronam vitæ : nunc agit de imbecillis, qui tentationi cedebant aut succumbebant, ideoque merebantur mortem. Ut enim persecutionem evaderent, suaque bona retinerent, tentabantur ad fidem Christi vel negandam, vel dissimulandam, quales hodie multi nostro ævo fuerunt in Anglia. Docet ergo eos, tentationem hanc pusillanimitatis, timiditatis et avaritiæ non esse à Deo, sed à concupiscentia opum, honorum et voluptatum hujus vitæ, quam ex animo extirpare et eradicare debeant, si tentationem hanc superare velint.

Dicat, quoniam (quod) a Deo tentatur.] Græca habent, *Nemo dum tentatur dicat, Quoniam à Deo tentor;* et ita legit S. Hieron. lib. 2. Contra Jovinian. Eodem redit sensus. Transit hic S. Jacobus à genere ad speciem, puta à tentatione generica ad tentationem specificam et proprie dictam, qua quis tentatur tentatione quæ sui natura, aut tentantis malitia incitat ad peccatum, qualis est quæ interius à concupiscentia, exterius à dæmone suggeritur. Dixerat Jacobus v. 2. tentationem quamlibet esse materiam omnis gaudii, ac consequenter esse bonam, et v. 12. beatum esse eum, qui illam suffert, jam ne quis ex eo inferat. Si tentatio omnis est bona, facitque beatum; ergo omnis est à Deo : Deus enim est fons omnis boni, ac præsertim beatitudinis. Respondet, id non sequi; tentatio enim proprie dicta per se et natura sua est mala, quia ad malum illicit et impellit; licet per accidens in justis et patientibus sit bona, quia illi per suam virtutem ex malo eliciunt bonum, ex veneno medicinam; ex vipera theriacam, dum contra tentationem luctando victoriam referunt, virtutem et meritum adaugent. Hac sententia damnat S. Jacobus hæresim Simonis Magi, dicentis Deum esse auctorem tentationis et peccati. Eamdem docuerunt mox post Simonem Florinus, Apelles, Hermogenes, Seleucius, Valentinus, Marcion, Manichæus : sed hi duos Deos fixerunt, unum bonum, auctorem omnis boni; alterum malum auctorem omnis mali.

Quare his insipientior et impientior est Calvinus, Melanchthon, aliique nostri temporis hæretici, qui docent Deum unum et verum esse auctorem omnium operum, tam malorum, quam bonorum, non tamen peccati, esto illud

operi malo indivulse conjunctum sit, eo quod peccatum oriatur ex voluntate libera hominis volentis peccare; opus autem entitas physica cujus auctor est Deus. Verum hinc sequitur Deum esse auctorem malitiæ. Nam si Deus est auctor operis mali; ergo quoque auctor est peccati, quia peccatum intime conjunctum est cum opere malo, et reipsa non est aliud quam opus malum. Nam, v. g. odium Dei, est opus ita malum, ut à peccato nullo modo, cogitatione quidem separari possit. Si ergo Deus in voluntate causat hoc opus, puta odium Dei, ejusque est auctor, ergo quoque auctor est malitiæ à peccati, quod intrinsece et essentialiter in hoc opere includitur. Adde, Deus cum sit causa prima, secundum ipsos prævenit et præmovet voluntatem ad omnia opera, ita ut voluntas ei resistere nequeat: ergo operum omnium causa est Deus, non voluntas libera, utpote quæ ita movetur à Deo, ut motum hunc amoliri, aliove se flectere nequeat. Quocirca Deus concurrit quidem ad entitatem physicam, quæ est in peccato, v. g. odio Dei, sed concursu generali et indeterminato, quo tam amor Dei, quam odium Dei à voluntate produci potest, optatque ipse et intendit, ut eo amorem Dei producat, non odium: sed voluntas hoc Dei concursu abutitur, eumque divertit, distorquet et determinat ad odium Dei, quare ipsa sola odii Dei est auctor, non Deus. Vide D. Thomam et Scholast. ac Bellarm. lib. 2. de amissione gratiæ c. 8. et S. Basilium hom. *Quod Deus non sit auctor malorum.*

Deus enim intentator malorum est.] Græce ἀπείραστος, quod Primo, aliqui exponunt passive, ut sit idem quod *intentabilis.*, q. d. Deus in se malo aliquo pulsari, aut tentari nequit: est enim impatibilis et optimus, qui nec pati, nec peccare, nec concupiscere potest, ac consequenter ipse neminem tentat; sed id facit dæmon, quia ipse ardet concupiscentia et malitia. Ita Œcumen. et Cajet. Unde quidam suspicantur pro *intentator* legendum *intentatus* in nostra Latina editione. Sed hoc est contra omnium Codicum fidem.

Secundo, alii accipiunt active. q. d. Deus nulli intentat mala, puta tentationes ad male agendum; Deus nullum excitat ad maleficia. Unde explicans subdit: *Ipse autem neminem tentat.* Ita Syrus vertit, *non est* מנסי *menassai*, id est, *tentator malorum*, quia scilicet nulla mala tentat, ac consequenter nullis malis tentatur.

Tertio, alii. q. d. *Deus itentator malorum est*, id est Deus non tentat malos, sed bonos duntaxat, ut Abrahamum, Davidem, Jobum, Tobiam. Unde S. Clemens lib. 2. Consist. c. 8. legit: *Vir reprobus non tentatur à Deo.* Ita Salmeron.

Quarto, alii ἀπείραστος, id est *intentator*, inquiunt, idem est quod dissuasor, revocator. Unde ante subdit: *Deus autem neminem tentat.* q. d. Deus à malis revocat, non autem ad ea impellit. Nam, ut ait Innocent. I. epist. ad Concil. Carthag. *Necesse est ut quo auxiliante vincimus, eo rursus non adjuvante vincamur.*

Secundus sensus est genuinus: ἀπείραστος enim sumitur active, æque ac ἀγέλαστος, uti vocatus est Cato, eo quod nunquam rideret, esto rideretur ab aliis. Denique plenior et nervosior erit sensus, si primum jungas secundo; ἀπείρατος enim tam passive, quam active sumitur: tam enim intentatum, quam intentatorem significat ἀπείραστος enim, vel ἀπείρατος dicitur, tam qui tentari nequit, quam qui non tentat, puta inexpertum, intentatum qui experientiam non habet. Deus ergo est ἀπείρατος κακῶν, quia nullum mali sensum vel experientiam in se habet, sed totus est bonus, ipsaque bonitas, ac proinde aliis mala ingerere, aut ad mala impellere nequit; perinde ac ignis nequit humectare, aut frigefacere; sol nequit obscurare: humilitas nequit superbire; bonitas, vel beneficentia nequit malefacere, sed tantum benefacere: hoc enim proprium est bonitati et Deo. Itaque Deus dicitur intentator malorum, quia nulla mala tentat, id est, experitur et sentit, vel in se, vel in aliis, quia nullam mali habet πεῖραν, id est tentationem, explorationem, experientiam, sed est ἀπειρόκακος, id est mali experientia carens, mali expers, malitiæ ignarus, simplex, rectus, bonus; ac proinde hanc mali experientiam in aliis non facit, nec eos tentat ad malum.

Ipse autem neminem tentat.] Pro *autem* Hugo, Dionys. et Cajet. legunt *enim*: utrumque enim significat Græcum καὶ ut tradunt lexica Græca. Verum alii passim Græci et Latini legunt *autem*: quod est asseverantis et confirmantis priorem sententiam. q. d. Deus intentator malorum est; ipse, inquam cum sit optimus, neminem tentat: vel *atque adeo* (hoc enim quoque significat καὶ ut patet ex Lexicis: *ipse neminem tentat*, juxta illud Eccl. 15. 12. *Non dicas: Ille* (Deus) *me implanavit*, (id est, fecit errare: hoc enim est πλανᾶν) *Non enim necessarii sunt ei homines impii: omne execramentum erroris odit Dominus.* Habacuc. 1. *Mundi sunt oculi tui ne videant malum.* Psalm. 144. 13. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.* Causa est quod Deus per essentiam sit bonus, ipsaque bonitas, cui repugnat omne malum, omnisque malitia. Bonum enim idem est quod perfectum; et bonitas rei, ejus est perfectio.

Porro in Deo triplex, est bonitas. Primo, naturalis; Secundo, moralis, puta virtus et sanctitas; Tertio, bonitas beneficentiæ, ut suum bonum aliis communicet. Bonitas naturalis in Deo, ut recte docet noster Lessius lib. 7. de Attributis Dei cap. 1. est excellentia naturæ divinæ per quam habet perfectionem omnem in toto genere entis, ideoque infinitam et immensam, cum creaturæ perfectionem accipiant à Deo limitatam ad certam speciem. v. g. angelus perfectus et in specie creaturarum spiritualium, leo in specie brutorum, homo in specie animalium rationalium: Deus vero omnium specierum et generum bonitatem et perfectionem continet perfectissime, vel formaliter, vel eminenter; unde hæc bonitas Dei complectitur sanctitatem et benignitatem, aliaque divina attributa, quatenus ad divinæ naturæ perfectionem spectant. Cogita infinitam lucem, infinitam sapientiam, infinitam pulchritudinem, infinitam dulcedinem, infinitum gaudium, infinitas opes, infinitam gloriam, infinitam majestatem, infinitam puritatem, infinitum amorem, infinitam sanctitatem: hæc omnia continet bonitas divina, tanquam infinitum bonorum omnium pelagus, à quo omnia bonum, quod habent, participant.

Ubi Nota Primo, Deum omnimodam hanc bonitatem habere modo eminentissimo, nimirum non accessoriam, per multas et diversas formas, vel qualitates; sed intimam et essentialem per unam simplicissimam et eminentissimam

formam, nempe per essentiam suam. Quocirca Deus sine quantitate magnus est, sine qualitate bonus, sine numero infinitus, sine figura formosus, sine tempore æternus, sine loco immensus, sine extensione diffusus, sine multiplicitate perfectus, sine situ altissimus, sine habitu sanctissimus. In ipso ergo est omnis amoris illicium, omnis desiderii consummatio, omnis sanctitatis apex, omnis motionis terminus, omnis appetitus satietas.

Secundo, ab hac Dei bonitate omnes angeli, homines et creaturæ suam omnes bonitatem emendicant et hauriunt, Deus enim, inquit sanctus Dionysius de Divinis nominibus c. 13. est ὑπερτελης, id est, *super perfectus :* quia scilicet ita plenus et superplenus est omnibus bonis, ut velut fons inexhaustus exhuberet et redundet perpetua et incessabili largitione donorum in omnes res creatas. *Exuberans*, ait S. Dionys. *una incessabili, et eadem, et superplena, et imminuabili largitione, per quam omnia perfecta perficit, et unumquodque congrua sibi perfectione adimplet.* Et paulo ante : *Pertingens ad omnia pariter, et super omnia indefectibilibus largitionibus, et nunquam finiendis operationibus.* Unde patet Deum dici bonum et perfectum, quia est auctor omnis perfectionis naturalis et supernaturalis in rebus omnibus, à summis et ipsi vicinissimis usque ad extremas, à prima substantia separata usque ad infimam materiam, et ipsius radium pertingere ad omnia, idque non semel tantum, sed assiduc et indesinenter.

Tu ergo ô Domine, es ipsa boni plenitudo et universitas, ac consequenter omnis mali expers. Si enim vel minimum mali haberes aut faceres, à bono deficeres, imperfectus esses, imo malus, quod horrendum est cogitare. Tu enim es omnis, et solius boni fontalis origo, cui omnia bonum quod habent, acceptum ferre debent. A te omnia lucida suam trahunt lucem, omnia sapientia suam sapientiam, omnia sancta suam sanctitatem, omnia pulchra suam pulchritudinem, omnia perfecta suam perfectionem. Tu enim omnis perfectionis non tantum es causa efficiens, sed et exemplar, ac mensura, ut tantum quilibet angelus vel homo perfectus sit, quantum suam mensuram, puta tuam perfectionem eminus refert et imitatur. Tua enim sanctitas, sanctaque voluntas est regula omnis rectitudinis, virtutis et sanctitatis. Tu omnis boni auctor, forma, finis et conservator, omnem terminans infinitatem, omnem transiliens finem, omnem definiens mensuram, omnem fingens speciem, omnem perficiens perfectionem, omnem sanctificans sanctitatem. Trahe nos post te, ut curramus in odorem unguentorum tuorum. Vilescant nobis omnes opes, omnes honores, omnes deliciæ, utpote vanæ et fallaces, quæ speciem habent boni, sed veritatem mali, ad quas nos allicit spurca caro, dæmon et mundus : quia tu es honor, opes, deliciæ, dulcedo, beatitudo nostra, bonum omne, mali omnis expers. Junge ergo nos tibi vinculo amoris insolubili, astringe nexu charitatis æterno. *Quid enim mihi in cœlo, et à te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.*

Viderunt idipsum lumine naturæ Gentiles, qui Deum optim. Maxim. cognominarunt, de quo Cicero lib. 2. de Natura deorum : *Jupiter*, ait, id est, *juvans pater, quem conversis casibus appellamus à juvando Jovem, à Poetis pater Deumque hominumque dicitur; à majoribus autem nostris, Optimus maximus, et quidem ante optimus, id est beneficentissimus, quam maximus : quia majus est, certeque gratius prodesse omnibus, quam opes magnas habere.*

Pari modo Socrates dicebat Deum esse optimum et felicissimum : ad ejus similitudinem quo quisque proprius accederet, hoc et meliorem esse et beatiorem. Socratem secutus est Plato discipulus, qui Deum bonorum dumtaxat causam esse asseverat : malorum ergo causam alibi quærendam, nec permittendum esse in civitate bonis legibus instituta, ut quis doceat aut dicat, Deum esse auctorem malorum. Ita ipse lib. 2. de Republ. Plutarch. libro de Stoicis contrarietat. exagitat illud Chrysippi dictum : *Deus operatur bella et malitias, homines incitando et pervertendo.* Hinc illa impii apud inferos excruciati vox Æneid. 6.

Discite justitiam moniti, et non temnere Divos.

Plura vide apud Theodor. l. 6. de Græcan. affect. et Euseb. lib. 6. Præparat. Evang. c. 7. ubi inter cæteros adducit Homerum, apud quem Jupiter conqueritur, quod homines diis impingant causam malorum. Et juste, nam, ut recte ait S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum : *Deus non est auctor eorum quorum est ultor.* Est autem ultor malorum, ergo eorumdem nequit esse auctor. Quin et ipse Calvinus lib. 1. Instit. c. 17. §. 5. *Sicut*, ait, *fœtor cadaveris à sole putrefacti et reserati, radiis solis excitatur, tamen eos non coinquinat, nec ipsi fœtent : sic et mala hominum opera à Deo sunt, tamen ipse peccatorum sordibus non fœdatur.* Ubi expresse fatetur Deum non peccare, auctorem tamen esse operis peccati : quæ duo sunt ασύγατα. Alia enim est ratio solis, utpote agentis naturalis; alia auctoris peccati, qui est agens liber; ac proinde manifeste peccat, et peccato suo sordidatur sorde morali.

NEMINEM TENTAT,] proprie, ut alliciat ad peccatum : sic enim tentat dæmon. Deus vero tentat justos, ut Abrahamum, Davidem, Jobum, etc. ut eorum virtutem orbi demonstret, perficiat ac coronet, uti dixi Gen. 22. 1. Hoc est quod ait S. August. l. 2. de Consensu Evang. c. 30. *Alia significatione intelligitur tentatio, de qua dictum est : Deus neminem tentat; et alia, de qua dictum est : Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum.* Deut. 13. *Illa seductionis est, hæc probationis.* Sic pater tentat filium, herus servum, vir uxorem, magister discipulum, ut ejus ingenium, et studium, et affectum partim explorat, partim acuat et accendat.

14. UNUSQUISQUE VERO TENTATUR A CONCUPISCENTIA SUA ABSTRACTUS ET ILLECTUS.] Pro *illectus* græce est δελεαζομενος, id est, inescatus, esca captus, illecebris delinitus et deceptus; sicut pisces et aves capiuntur esca, et sicut Esau illectus esca lentis vindidit primogenita sua Genes. 25. 30. atque sicut Eva et Adam illecti pulchritudine pomi, illud contra mandatum Dei comederunt, ideoque mortem incurrerunt. Porro una concupiscentia superata, succedit et tentat nos alia, ut semper contra eam vigilare et dimicare debeamus. Vere S. Cyprian. serm. de Opere et eleemos. *Obsessa mens hominis*, ait, *et undique Zabuli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si avaritia prostrata est,*

exurgit libido. Præclare S. Gregorius Nazianz. in Tetrastichis;

> Quid culpam in hostem semper ipsi vertimus,
> Cum nostra præstent robur ipsi crimina?
> Te criminare prorsus, aut certe magis.
> Ignis tuus nam; flamma vero dæmonis.

Nota. Tentat nos concupiscentia. Primo, sicut Eva tentavit Adamum, eumque à lege Dei abstraxit, et illexit ad comedendum pomum vetitum. Concupiscentia enim est quasi Eva, quam internam, intimeque nobis cohærentem in carne et anima gerimus. Unde sicut diabolus per Evam decepit et ad peccatum illexit Adamum; ita idem per concupiscentiam decipit et illicit nos, uti ait S. Aug. in Psal. 48.

Secundo, sicut febris tentat febri æstuantem, abstrahitque et illicit ad bibendam aquam sibi noxiam, et subinde lethiferam. Concupiscentia enim est quasi febris, et calor innaturalis æstuque animæ. Nam, ut ait S. Ambros. lib. 4. in Lucam c. 4. *Varii criminum febribus caro nostra languet, et diversarum cupiditatum immodicis æstuat ardoribus. Nec minorem febrem amoris esse dixerim, quam caloris. Itaque illa animum, hæc corpus inflammat. Febris enim nostra avaritia est, febris nostra libido est, eo quod ignitæ sint cupiditates. Febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est. Quæ licet corporis vitia sunt, ignem tamen ossibus implicant, mentem, animum, sensumque pertentant.*

Tertio, sicut vulpes colligata cani, cum tentat, secumque abstrahit et illicit ad invadendam et devorandam gallinam occurrentem. Concupiscentia enim est quasi vulpes, quæ rationem et voluntatem hominis specie boni delectabilis illicit et decipit, ut à bono honesto eam abstrahat, ad volendum et amandum bonum concupiscibile et illicitum.

Quarto, sicut lena virum tentat, abstrahitque ab uxore ad fornicandum secum; sic et concupiscentia animam à Deo sponso suo abstrahit, ut cum bonis creatis delicietur. Concupiscentia ergo est *lena vitiorum*, ait S. Ambros. loco jam citato: similis enim est mulieri lenocinanti, quam graphice describit Sapiens Proverb. 7. 6. et c. 9. 13. Unde in Vitis Patrum lib. 5. cap. de fornicatione numer. 23. legimus, carnalem concupiscentiam cuidam apparuisse in specie mulieris Æthiopissæ, adeo turpis et fœtidæ, ut ejus fœtorem ferre non posset.

Quinto, concupiscentia est ut scabies et prurigo, quam si scabas, titillationem, sed mox dolorem senties. Unde emblema

> Fœdare frictis unguibus cutem cave:
> Pro melle mox reponet urens tibi piper,
> Assiduus est pruriginis comes dolor.
> Cupido eamdem dulcamarus (γλυκυπικρὸς) vim tenet,
> Pro melle felleum propinanspoculum.

v. g. indulsisti gulæ et te inebriasti, mox senties in corpore dolores capitis, stomachi, nervorum, etc.; in anima vero vermem conscientiæ, Dei offensam, reatum gehennæ, ipsamque gehennam.

Nota Primo, Concupiscentia est causa intrinseca tentationis et peccati: extrinsecæ vero sunt dæmon et mundus, puta pravi socii, cognati, amici, etc. Sed hæ extrinsecæ tentant per intrinsecam, suscitando nimirum concupiscentiam propositione boni delectabilis, ut illa ad illud voluntatem secum abripiat. Unde à S. Ephrem tom. 2. Parænesi 50. *Concupiscentia vocatur germen diaboli, vulnus animæ, percussio cordis, arbor malitiæ, vipera.* Eadem à Gersone tractat. 2. de cognit. peccati, consid. 25. vocatur *nuncius diaboli* à nobis consensum requirentis. Nam sine concupiscentia nuncius hic imbecillis est et invalidus; sicut frustra quis folle flatum in lignis suscitat nisi subsit ignis, qui hoc flatu excitatus ligna accendat, ait Thomas Anglicus.

Porro peccatum varias habet causas nobis intrinsecas, nimirum voluntatem, intellectum, passionem, imaginationem, habitum pravum, ignorantiam, et actum alterius peccati. Primo enim voluntas est causa immediate eliciens actum peccati, eumque in se suscipiens. Secundo intellectus est causa peccati tanquam proponens, seu consulens voluntati, ut amplectatur bonum sensibile relicto honesto, atque tanquam non considerans regulam legis divinæ, quæ hoc bonum amari vetat. Tertio, imaginatio et passio est causa ejusdem tanquam repræsentans vivaciter voluntati pulchritudinem boni sensibilis. Quarto, habitus pravus est causa, tanquam immediate inclinans in actum peccati. Quinto, ignorantia est causa, ut occultans malitiam peccati. Sexto, actus alterius peccati quadrupliciter est causa peccati. Primo, auferendo gratiam, per quam homo peccato resistebat. Secundo, inclinando ad similes actus. Tertio, præbendo materiam alteri peccato: sic gula est causa libidinis, superbia rixarum, avaritia furtorum. Quarto, tanquam finis, ut cum quis ex intentione unius peccati eligit aliud peccatum, tanquam medium, sic ambitio est causa simoniæ, et comessatio est causa furtorum. Septimo, propria et potentissima causa tentationis et consequenter peccati, est concupiscentia. Hæc enim movet et sollicitat voluntatem, intellectum, imaginationem, ad secum consentiendum peccato: eadem parit passionem, habitum pravum, inconsiderationem, et ignorantiam, eaque malitiam peccati tegit et velat. Quocirca jure concupiscentia vocatur fomes, origo, seminarium peccati, et à Paulo Rom. 7. 23. lex membrorum repugnans legi mentis.

Nota Secundo, concupiscentiam non esse pravam aliquam substantiam productam à diabolo, quæ pravos appetitus sensitivi motus scilicet, et quasi exhalet, uti lacus exhalat putidos vapores; sicuti opinatus est Illyricus, sed stolide. Nulla enim substantia potest esse per se mala, nec produci à diabolo, nec esse peccatum; peccatum enim est accidens, puta actus liber voluntatis. Eadem fuit hæresis Manichæorum, qui teste S. Aug. lib. de Hæres. censebant in homine duas esse animas, unam bonam à bono Deo, alteram malam productam à diabolo, hancque esse concupiscentiam, fontem omnis mali in homine. Huc spectat vesanus error Paternianorum et Venustianorum hæreticorum, qui ut ait S. August. lib. 5. contra Julian. c. 5. *Dicunt à lumbis usque ad pedes diabolum fecisse corpus hominis, superiores vero partes Deum, velut supra basin aliquam collocasse: adduntque nihil ab hominis studio requiri, quam ut anima, quam in stomacho et capite habitare dicunt, munda servetur. Pubem vero si omnium flagitiorum sordibus oblinatur, aiunt ad suam non perti-*

nere curam. Ita semper, ut ipsi libidini turpiter serviant, titulum ei propriæ potestatis affigunt. Rursum concupiscentia non est ipsum peccatum originale : eo enim per baptismum condonato et abolito, ipsa tamen in homine justo remanet, uti patet quotidiana experientia. Denique concupiscentia non est prava qualitas progenita à peccato originali, quæ sit velut fornax perpetuo scintillas peccatorum exhalans, uti vult Calvinus lib. 2. Instit. c. 1. §. 8. 9. 10. 11. et favet Magister sentent. in 2. dist. 31. §. 2. et 3. ubi ait peccatum originale esse morbidam quamdam qualitatem in anima existentem, quæ perpetuo prava desideria excitet. Addit Gregor. Arimin. In 2. dist. 30. q. 1. qualitatem hanc in anima oriri ex alia quadam morbida qualitate, quæ sit in semine parentum. Semen enim per hanc qualitatem inficere corpus, et corpus inficere animam : porro semen infectum esse ex flatu serpentis. Verum hæc frivola sunt, ac veræ Philosophiæ et Theologiæ repugnantia. Unde

Nota Tertio, Concupiscentia in re non est aliud, quam ipse appetitus sensitivus, ejusque naturalis inclinatio ad bona sensibilia, quæ contraria sunt rationi et legi Dei, ideoque illicita et vetita, quatenus appetitus hic ob peccatum originale privatus est justitia originali. Nam si homo fuisset conditus in statu puræ naturæ, talis fuisset qualis modo est, similesque appetitus motus habuisset quales jam habet; sed illi motus tunc non vocati fuissent concupiscentiæ, eo quod naturales ei fuissent, nec pœna peccati : jam autem vocantur concupiscentiæ, quia sunt pœna peccati originalis. Deus enim noluit hominem condere in statu puræ naturæ, ne imperfectus esset et miser : sed condidit eum in statu naturæ integræ, nimirum addendo illi gratiam et justitiam originalem, quæ omnes motus appetitus compescebat et subdebat rectæ rationi, ita ut eam prævenire, illique reluctari non possent. Verum peccante Adamo Deus hanc gratiam et justitiam originalem illi, omnibusque posteris in pœnam peccati sustulit, ideoque eum quoad appetitus et potentias reliquit sibi in statu puræ naturæ : quo fit ut appetitus sensibilis feratur in bona sensibilia præter rationem, et rationis voluntatisque dictamen, ac utramque secum ad sua bona abripiat : itaque caro concupiscit adversus spiritum. Ergo nunc vocatur concupiscentia, quia orta est ex peccato originali. Quare concupiscentia non est aliud, quam ipsa naturalis inclinatio appetitus, quatenus per absentiam justitiæ originalis proxime disposita est, ut feratur præter, vel contra ordinem rationis in sua objecta delectabilia : unde dicit habitudinem ad peccatum, quasi ad causam suam.

Qua de causa S. Augustinus concupiscentiam vocat morbidum affectum, et affectionalem qualitatem : quia ipsa inclinatio appetitus est qualitas quædam carens debito ordine, ex privatione justitiæ originalis, non tamen quasi semini permista transfundatur, uti dicebat Arimin. Unde lib. 6. Contra Julian. cap. 7. dicit concupiscentiam esse sicut malam valetudinem : atqui mala valetudo humoribus nihil addit, nisi privationem debitæ commensurationis. Quod autem S. Augustin. non voluerit concupiscentiam esse aliquam qualitatem positivam superadditam potentiis animæ, videlicet appetitui inferiori et voluntati, sed ipsam inclinationem naturalem carentem ordine rationis, quem velut in habitu efficiebat justitia originalis, patet ex variis ejus locis, quibus non aliam reddit causam concupiscentiæ, quam absentiam justitiæ originalis, ut l. 1. de Peccato mort. cap. 16. l. 4. contra Julian. c. ult. lib. 13. de Civit. c. 13. Idem patet ex eo, quod S. August. lib. 4. contra Julian. c. 5. et lib. 2. de Peccato orig. c. 40. et alibi doceat id quod in homine est vitium, in belluis esse naturam, et loquitur de concupiscentia. Atqui concupiscentia in belluis non est aliquid distinctum superadditum appetitui naturali : ergo nec in homine. Ratio est, quia appetitus sensitivus natura sua pronus est ad ea, quæ sunt delectabilia carni : movetur enim ex apprehensione rei delectabilis. Unde non requiritur aliqua qualitas superaddita quæ eum ad hoc inclinet, sed solum requiritur absentia justitiæ originalis, quæ eum retinebat, rectum faciebat, et rationi velut in actu primo conformem. Ergo ipsa inclinatio appetitus privata ordine illo, et conformitate ad rationem rectam, quam conformitatem in ipsa efficiebat justitia originalis, dicitur qualitas morbida, tabes, languor, etc. ita Medina 1. 2. q. 82. a. 1. et 3. et fuse Bellarm. lib. 5. de amissione gratiæ. c. 15. Hinc

Quarto sequitur, concupiscentiam non esse à Deo, utpote qui naturam integram et perfectam condidit; sed à peccato et diabolo, qui peccati fuit auctor. Hoc est quod docet hic S. Jacobus, nimirum tentationem peccati non esse à Deo, sed à concupiscentia. Et hoc est quod ait Christus parabola hominis incidentis in latrones, quod ab iis vulneratus sit et spoliatus Luc. 10. 38. Nam, ut ait ibidem Glossa : *Adam peccans spoliatus est donis gratuitis, et vulneratus in naturalibus.* Dum enim privatus est justitia originali, necessario vulnus accepit in natura, utpote quam integrabat justitia originalis. Deus enim primitus potentias hominis condidit inclinatas ad suum objectum, ac consequenter appetitum sensitivum ad appetendum objecta sensibilia, quasi objecta sibi proportionata et commoda; atque insuper addidit gratiam, quæ subordinaret illum cæterasque potentias rectæ rationi : qua per peccatum spoliatus homo relapsus est in suam ataxiam et concupiscentiam.

Quinto, concupiscentia non tantum est in appetitu sensitivo, licet in eo magis appareat, sed et in intellectu ac voluntate quatenus in bona sensibilia et naturæ commoda feruntur et propendent, quæ bono honesto et rectæ rationi repugnant. Itaque intellectus et voluntas in homine virtualiter est quasi duplex. Est enim in ea pars superior, quæ honestum, Deum et cœlum intuetur; et pars inferior, quæ bona terrena et caduca spectat. Concupiscentia ergo intellectus est curiositas, vanitas, inflans superbia. Concupiscentia voluntatis est cupiditas honoris, gloriæ, opum, deliciarum. Quocirca voluntas hic secum luctatur et pugnat, dum, ut ait Apostolus; caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem. Hanc duplicem voluntatem in se sensit et expressit Christus orans in horto : *Pater si vis, transfer calicem istum à me; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat,* Lucæ 22. 42. Pars enim inferior voluntatis Christi appetebat vitam, horrebat mortem à Patre decretam : pars vero superior ejusdem plane erat conformis voluntati et decreto Patris, appetens et am-

biens mortem : unde secundum eam Christus est exauditus, eademque noluit exaudiri desiderium et appetitum partis inferioris mortem deprecantis, ut docte annotavit S. Athanas. tract. de Cruce et passione.

Ex dictis patet, concupiscentiam esse vim appetendi immoderatam tum in voluntate, tum magis in appetitu sensitivo. Homo enim est, quasi compositum conflatum ex angelo et bestia, et quasi utriusque participium, imo nexus et unio. Anima enim rationalis est infima in genere creaturarum spiritualium, ideoque animæ sensitivæ animalium vicinissima, in eamque quasi degenerat : jungit enim in se rationem, quam habent angeli, et sensum, quem habent bestiæ; sed ita ut magis propendeat in sensum, quam in rationem : unde plus habet bestiæ, quam angeli. Quocirca prudenter monet S. Bern. serm. 5. de ascens. *Ordinemus*, ait, *et custodiamus in nobis statum utriusque substantiæ, ne animam nobiliorem utique hominis portionem, Tartaro pars devolvat inferior, sed secum potius cœlo sanctificatum corpus acquirat.* Nam ut ait Clemens Alex. lib. 4. Strom. *homo videtur compositus ex Centauro* (adeoque esse Centaurus) *scilicet ex rationis participe et rationis experte, anima scilicet ex corpore : corpus tendit ad terram, anima ad Deum extollitur.* Poetæ enim finxerunt Centauros esse conflatos ex homine et equo, vel tauro, ut eques cum equo esset Centaurus, uti dixi Isaiæ 34. 14.

17. DEINDE CONCUPISCENTIA CUM CONCEPERIT, PARIT PECCATUM.] Cassian. collat. 5. c. 4. legit : *Concupiscentia cum fuerit concepta* (scilicet in voluntate) *parit peccatum.* Beda et Theologi passim ex hoc loco distinguunt tres gradus tentationis, nimirum suggestionem, delectationem, et consensum; suggestio enim est, cum concupiscentia in se et quasi in utero suo concipit, et excitat hosce pravos concupiscentiæ motus. Talis est titillatio gulæ, libidinis, iræ, superbiæ, etc., antequam eos ratio advertat : unde hi motus vocantur primo primi et indeliberati, in quibus proinde nullum est peccatum, sed conceptus tantum peccati materialis, qui parit peccatum formale, puta delectationem, qua ratio et voluntas illecebris concupiscentiæ et peccati incipit delectari : in quo si hæreat et plene advertens consentiat, erit consensus et consummatio peccati.

Dicit ergo S. Jacobus; Concupiscentia cum bona delectabilia, quasi malum semen per oculos, aures, aut phantasiam, sive à dæmone, sive aliunde suggestum haurit, ex eo concipit peccatum, dum scilicet ex libera voluntate, ceu patre, consensum aliquem, v. g. semiplenum, ceu prolem, ipsa quasi mater elicuerit efformarit. Unde S. Aug. hom. 42. inter 50. cap. 8. *Noli*, ait, *consentire concupiscentiæ tuæ. Non est unde concipiat, nisi de te? Consensisti? quasi concubuisti in corde tuo. Surrexit concupiscentia? nega te illi : noli eam sequi : concupiscentia cum conceperit, parit peccatum*, etc. *Ergone abstraharis à concupiscentia tua : nega te illi noli eam sequi, illicita est, lasciva est, turpis est, alienat te à Deo. Nihil dare consensionis amplexum, ne plangas partum : quia si consenseris, si amplexatus fueris, concipis.*

Nota. Conceptio peccati fit per fortem rei concupitæ imaginationem, quam excitat appetitus sensitivus, sive concupiscentia. Hæc enim imaginatio rem concupitam, ejusque pulchritudinem ad vivum rationi et voluntati repræsentat, eique ostendit quam sit suavis et delectabilis, ac facit eamdem iterum iterumque cogitari; inspici, animo volvi et revolvi : quæ cogitationum iteratio et revolutio parit rei delectationem, non tantum in ipso appetitu sensitivo, sed et in rationali, puta in voluntate : eo quod uterque in eadem sit anima : unde ratio et voluntas incipit iis affici, sed imperfecte, quia necdum plene advertit hoc esse grave malum, quod Deum graviter offendat. Peccat ergo venialiter ex inde liberatione : deinde pergens in hac rei concupitæ cogitatione et delectatione, plene advertens ejus malitiam, victa delectatione ei dat manus eique consentit, tuncque est peccatum consummatum et mortale. Conceptio autem hæc peccati, materialis tantum est, quamdiu hæret in sola imaginatione et appetitu sensitivo : mox vero ut ad se allicit rationem et voluntatem, est conceptio peccati formalis, saltem venialis.

Quocirca Joannes Alba Electorum cap. 95. Concupiscentia, inquit, peccatum concipit, cum illud cogitat : conceptus enim phantasiæ et mentis, est ipsa ejus cogitatio. Nam concupiscentia primo tentat suggerendo homini illecebras. Deinde homo sic tentatus concipit, id est, cogitat et versat animo id ad quod invitatur à concupiscentia, nunc cogitans illud amplecti, nunc cogitans illud refutare, itaque secum luctatur et animo fluctuat, peccatque semipleno consensu, ac tandem victus illecebrarum appetitu deliberate eis consentit, et pleno voluntatis consensu peccatum consummat.

Qui ergo vult tentationes concupiscentiæ vincere et evadere, imaginationem cohibeat, et à bonis concupiscibilibus violenter avertat, eamque rebus bonis sanctisque occupet, ac in primis lectioni et studio S. Scripturæ, Patrum, vitarum Sanctorum, historiarum, Theologiæ, Philosophiæ, etc. addicat. *Ama scientiam Scripturarum; et vitia carnis non amabis*, ait S. Hier. Quin et Seneca senior, qui fuit pater Senecæ Philosophi, præceptoris Neronis : patris enim esse hoc opus, patet ex titulo, et docet Lipsius, in Controv. *Sapiens* (Mela filius meus) *hoc unum*, inquit, *concupiscit, nihil concupiscere.*

Hinc patet Primo, motus concupiscentiæ qui rationem præveniunt, ideoque omnino sunt involuntarii, nulla esse peccata. Primo, quia S. Jacobus ponit progressum quo à tentatione venitur ad peccatum, nimirum Primo, ponit ipsam illecebram concupiscentiæ ante omne peccatum, quæ est ipsa tentatio, dum dicit : *Unusquisque vero tentatur à concupiscentia sua*, quam patet non esse peccatum : quia paulo ante dixit, eum qui suffert tentationem esse beatum, id est, qui eam patitur invitus, quia talis tentatio non est fomes peccati sed materia meriti. Deinde ponit partum, videlicet peccatum aliquod, verbi gratia, veniale; qualis est dilectatio præveniens plenam deliberationem. Tertio, ponit mortem, seu peccatum mortale, cum videlicet accedit plenus consensus.

Præclare S. Augustin. l. 5. contra Julianum, *Profecto*, ait, *in his verbis* (Jacobi) *partus à pariente discernitur. Pariens enim est concupiscentia, partus peccatum : sed concupiscentia non parit, nisi conceperit : non concipit, nisi illexerit, id est ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum.* Idem libro 1. contra duas epist.

Pelag. cap. 10. *Nulla ergo damnatio est iis qui sunt in Christo Jesu : non enim damnatur, nisi qui concupiscentiæ carnis consentit.*

Secundo, quia isti motus non sunt in nostra potestate, ut eos avertere aut evitare possimus : non enim in nostra potestate est, quibus visis tangamur. Peccatum autem est in nostra potestate, puta voluntarium, adeo ut, si non sit voluntarium, non sit peccatum, uti docet S. August. l. 1. Retract. c. 13. et l. 22. contra Faustum c. 27. Unde hi motus inveniuntur etiam in justificatis et sanctis, uti docet Apostolus Rom. 7. in quibus nihil est damnationis, ut idem ait caput 8. 1.

Tertio, quia Philosophi et Theologi, ipsaque experientia docet, tales actus non esse humanos, id est liberos, qui à ratione advertente et voluntate consentiente procedant ; sed esse actus imaginationis et appetitus sensitivi. Unde S. Paulus, licet sanctus, sentiens tamen in se hosce motus, aiebat Rom. 7. 20. *Si quod nolo illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* q. d. Si concupisco repugnante voluntate, non ego censeor hoc facere : *nam consentio legi Dei :* sed concupiscentia, quæ meam rationem et libertatem antevertit. Cum ergo hi actus non sint humani, homini ad culpam et pœnam imputari nequeunt.

Quarto, id docet Conc. Trident. sess. 5. *Manere*, ait, *in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc S. Synodus fatetur et sentit ; quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet ; quinimo qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam quam aliquando Apostolus peccatum appellat, S. Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.* Hinc S. Basil. de Constit. monast. c. 2. asserit omnes affectiones carnis esse naturales, neque in iis esse peccatum, nisi ex negligentia animæ procedant. Sicut si equus petulans, ait, dejiciat sessorem, culpa non est equi, utpote qui ratione non utitur, sed imperiti et incauti sessoris : ita si homo per concupiscentiam trahatur in peccatum, culpa non est carnis, sed spiritus. Et S. Chrysost. hom. 19. ad populum : *Concupiscere*, inquit, *naturale est, at male concupiscere jam voluntatis est.* Et S. Prosper. l. 2. de Vita contemplat. capite 3. agens de stimulis carnis : *Non has*, ait, *affectiones habendo, sed eis male utendo delinquimus.* Et lib 3. cap. 4. *Peccatum perpetrare non possum, nisi malæ dilectationi consentiam.* S. Gregor. l. 21. Mor. c. 3. *Mentem*, ait, *nequaquam cogitatio immunda inquinat, cum pulsat, sed cum hanc sibi per delectationem subjugat.* S. Cyril. l. 4. in Joan. c. 51. *Si voluptas quædam ante omne peccatum præcurrit, et fervens cupiditas ad dilecta solet illicere, quæ ante peccati actum insidet, et mentis consensum arripit, persuadens facile hac via veniendum nobis esse quo gliscimus. Quod discipulis Christi verum ostendit, dicens : Unusquisque à sua cupiditate distractus atque seductus tentatur.*

Ex dictis patet errare Cajetanum comm. in D. Thomam, loco mox citando, qui sensit motus concupiscentiæ in appetu sensitivo per se, et sine omni voluntatis consensu esse peccata venialia. Ratio ejus est, quod appetitus inferior habeat aliquam per se libertatem, uti indicat D. Thomas 1. 2. q. 74. a. 2. ad. 3. et art. 3. ad 1. Unde vulgo dicitur, *appetitum moveri politice à ratione, membra vero despotice.* Verum et hic est error. Omnis enim libertas est in voluntate, et à voluntate, uti docet Schola Philosophorum et Theologorum ; nec dissentit D. Thomas, uti patet ibidem art. 1. et 2. ad 1. ubi expresse ex sancto August. docet non nisi voluntate peccari. Quod ergo tribuit peccatum veniale appetitui, mortale voluntati, id facit per quamdam attributionem, seu appropriationem, quia enim peccatum veniale est imperfecte humanum et voluntarium, ac sensualitas est prima ejus origo ; idcirco illi tribuitur : mortale vero qui perfectam libertatem requirit, tribuitur voluntati.

Porro dicitur appetitus inferior moveri politice, non quod in se liber sit, sed quia potest aliquo modo resistere voluntati, ut civis magistratui, saltem motu inefficaci : repugnante enim voluntate et invita, non cessat appetere et concupiscere bona sensibilia et illicita.

Moral. S. Jacobus tacite hic docet Primo, resistendum esse concupiscentiæ, ait S. August. lib. 1. de Civit. 21. nimirum concupiscentiam esse malam et peccati illicem, ideoque non amandam et sequendam, sed summe odiendam, et assidua contra eam lucta mortificandam esse. Inde enim passim homines velut cæci et insani ruunt in peccata, quod velut bruta sequantur concupiscentias, sicut Adam secutus est suam Evam, juxta illud Ps. 48. 21. *Homo cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Concupiscentia enim in homine similis, imo eadem est, quæ in bestiis, v. g. in sue est concupiscentia gulæ, in leone superbiæ, in lupo rapinæ, in asino acediæ. In homine enim appetitus inferior est sensibilis et vehemens ; rationalis vero est spiritualis ; insensibilis et debilis : unde facile sinit se trahi ab appetitu inferiori, quasi à pondere graviori. Qui ergo sapit, suæque animæ et salutis curam gerit, sciat concupiscentiam, licet intime animæ infixam ; licet blandientem, licet suavem, esse sirenem exitialem, esse hostem capitalem ; ac proinde eam ut hostem insectetur, cum eaque gerat ἄσπονδον πόλεμον, *irreconciliabile bellum.* Ipsa enim est vipera, suo conceptu et partu matrem, id est rationem et voluntatem, enecans. Hinc *quocumque pergimus, nobiscum portamus inimicum* ait S. Hieron. ad Eustochium. Unde semper et ubique per omnem vitam, nobis cum eo colluctandum et acriter dimicandum est : quare semper in eum oculos defigere debemus, ne clanculum in animum se insinuet, nimirum ut quasi hostem observemus, repellamus et mortificemus.

Secundo, innuit primis concupiscentiæ motibus statim obsistendum esse, idque statim, ut ab illis ilico fidelis mentem avertat ad Deum, ejusque opem ad illos superandum imploret : concupiscentia enim blande irrepit, et instar serpentis quo caput infert, eodem totum reliquum inducit corpus, eoque totus illabitur. Quare hic verissimum est illud :

> Principiis obsta, sero medicina paratur,
> Cui mala per longas invaluere moras.

Et istud Senecæ epist. 117. *Non obtinetis ut desinant, si incipere permiseris : imbecillis est primo omnis affectus, deinde ipse se consistat, et vires*

dum procedit parat ; excluditur facilius, quam expellitur. Et Plutar. lib. de Profectu virtutum, hoc profectus signum evidens assignat ; *Si proficiens nullum jam peccatum exiguum putat, sed omnia studiose vitat et observat.* Et S. Chrysost. hom. 22. ad pop. *Cani*, inquit, *similis est voluptas : si pellas fugit ; si nutrias, permanet.* Idem serm. 3. in verba Isaiæ. *Vidi Dominum.* Sicut, inquit, cervus jaculo confixus in vitali corporis parte, etiamsi venatorum manus effugiat nihil inde fert lucri ; sic et anima accepto concupiscentiæ jaculo, si cum eo permittatur abire, ipsa per se corrumpitur, ac perit.

Præclare S. Hier. ep. ad Eustoch. de custodia virg. post initium : *Statim*, ait, *ut libido titillaverit sensum, aut blandum voluptatis incendium dulci nos calore perfuderit, erumpamus in vocem ; Dominus auxiliator meus, non timebo quid faciat mihi caro. Et cum paululum interior homo inter vitia atque virtutes cœperit fluctuare, dicito : Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me ? Spera in Deo, quia confitebor illi salutare vultus mei et Deus meus. Nolo sinas cogitationem crescere : nihil in te Babylonium, nihil confugionis adolescat. Dum parvus est hostis, interfice, nequitia, ne zizania crescant, elidatur in semine. Audi Psalmistam : Filia Babylonis misera*, etc. *beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram ; quia enim impossibile est in sensum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille laudatur, ille prædicatur beatus qui ut cœperit cogitare sordida, statim interficit cogitatus, et allidit ad petram, petra autem Christus est.* Subdit de se exemplum : *O quoties ego ipse in eremo putabam me Romanis interesse deliciis*, etc. *Itaque omni auxilio destitutus ad Jesu jacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, et repugnantem carnem hebdomadarum inedia subigebam. Memini me clamantem diem crebro junxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessasse verberibus, quam rediret Domino increpante tranquillitas. Post multas lacrymas, post cœlo inserentes oculos, nonnunquam videbar mihi agminibus interesse angelorum, et lætus gaudensque cantabam : Post te in odorem unguentorum tuorum curremus.*

Sane contra omnes concupiscentiæ motus et tentationes, nullum est præsentius et efficacius remedium, quam oratio, qua nostris diffisi viribus, Dei opem humiliter et ardenter imploramus, dicentes cum Psalte : *Deus in adjutorium meum intende : Domine ad adjuvandum me festina ;* uti docet Cassianus, imo Christus ipse, dicens : *Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem.* Matth. 26. 41. Quocirca dæmon id sciens, ut hæc arma tentatis eripiat, solet eis injicere alias cogitationes, ut ad humana auxilia respectent, ac Dei et orationis obliviscantur. Qui sapit ergo, ilico ut sentit concupiscentiæ stimulum, ad Deum mentem attollat, ejusque opem per Beatam Virginem supplex imploret ; et statim illam sibi adesse sentiet. Porro ordinem gradusque tentationis egregie describit noster Thomas Theodidactos l. 1. de Imit. Christi c. 13. *Primo*, ait, *occurrit menti simplex cogitatio : deinde fortis imaginatio : postea delectatio et motus pravus, et assensio, sicque paulatim ingreditur hostis malignus ex toto, dum illi non resistitur in principio. Et quanto diutius quis ad resistendum torpuerit, tanto in se quotidie debilior fit, et hostis contra eum potentior.*

Tertio, quisque seipsum norit, nimirum qua maxime concupiscentia laboret, et pulsetur : in his enim dominatur concupiscentia gulæ, in illis superbiæ, in aliis avaritiæ, in aliis acediæ. Dum ergo gulosus sentit cogitationem et concupiscentiam deliciarum, superbus honorum, avarus opum, acedus timoris et torporis, sciat hanc suam esse concupiscentiam, suam tentationem, suum vitium cui illico totis viribus resistere debeat. Magna pars victoriæ est, nosse id quod suggeritur, esse tentationem : si enim scrupulosi, acedi, timidi, melancolici scirent cogitationes, et motus timoris, angoris, tristitiæ, pusillamitatis, qui eis crebro suggeruntur, esse à scrupulo, acedia, timore, melancolia ; ilico eos aversarentur et repellerent : at dum metus et anxietas mentem percellunt et obnubilant, id non vident timentque ne quid veri dubii, timoris et peccati subsit aut lateat : ideo anguntur et cruciantur. Credant ergo suis confessariis, virisque prudentibus, credant suæ experientiæ, sibique dicant : Ego laboro nimio metu, angore, scrupulo, hic meus est morbus, hoc meum malum hoc meum vitium : crebro ejus motibus exagitor : hactenus re discussa expertus sum et didici, metus qui mihi suggeruntur inanes esse et vanos : in re nihil esse metuendum, hunc ergo pariter ut inanem et vanum contemnam. Sicut enim hydrophobi, qui metu et melancolia laborant, omnia tuta timent, ne v. g. domus in eos cadat, ne pavimentum eis dehiscat, ne tegula decidens eos feriat, ideoque eis dicunt medici : Erras, ista tibi suggerit humor melancolicus, domus non gyrat, firma consistit, non cadet, sed tuum cerebrum gyrat, laboras capitis vertigine et mania, ne ergo credas illis suggestionibus, quos tibi tuus timor et mania parit : vides enim cæteros illis non credere, imo ridere ut vanos et futiles. Ita prorsus accidit scrupulosis, meticulosis et tristibus, qui proinde suis apprehensionibus et angoribus totis viribus resistere debent, ac imitari Christum, qui orans in horto adeo valide timori et horrori mortis restitit, ut ex lucta et contentione sudarit sanguinem, Lucæ 22. 44. ideoque plane horrorem hunc vicit et prostravit. Si simili conatu timoribus nostris resisteremus, utique eos debellaremus.

Idem est in aliis concupiscentiis et tentationibus : nam, ut ait S. Amb. l. 4. in Luc. c. 4. *Honorum gratia, sublimitas potestatum, epularum suavitas, forma meretricis laqueus est diaboli, et quasi quidam nequitiæ spiritualis illecebrosus effectus, qui per carnis illecebram, quæ cito femina quadam lenitate mollitur, animum quoque de gradu dejicit : neque enim formam mulieris animus prius, quam corporis oculus concupiscit. Denique quod non videris non amabis : sed ubi caro concupierit, compatientis quoque animi constantia defatiscit, et mens consortio amoris inflectitur. Duo enim in carne una sunt ; atque ita mors irrepit sceleris effectu, tentante diabolo, carne suadente. Vehementior tamen est animi, quam corporis febris.* Dat exemplum : *Theotimus cum gravi oculorum incommodo laboraret, et amaret uxorem : interdicta sibi à medico facultate coeundi, cupiditatis impatiens, atque impetu libidinis raptus : Vale, ait amicum lumen, sic febre libido flagrantior est ; graviusque præcipitat et inflammat. Sed ubi quis respuerit à furore, tunc conscientiæ interioris aperitur visus factique pœnitentia succedit, et pudenda sui quisque facinoris erubescit.* Quocirca sapienter S. Methodius apud S. Epiph. hæ-

resi 64. *Vides*, ait, *quod cogitationes, propter inhabitans in nobis peccatum, forinsecus nobis instant velut canes rabiosi, aut feri, vel audentes latrones contra nos semper instigati à tyranno, ac principe iniquitatis, probantes nos an resistere ipsis possimus, et aciem contra instruere. Age igitur, ô anima, fortiter resiste ; ne forte remittens capiaris.* Sic concupiscentia iræ agit homines, cogitque insilire et rabie affici ut canes, pungere ut scorpiones, mordere ut serpentes. Porro concupiscentia nascitur nobiscum, uti docet S. August. lib. 1. Confess. c. 7. nec deserit ante mortem. Relicta est ergo nobis à Deo in pœnam peccati ad agonem, ut cum ea assidue colluctantes inertiam depellamus, vigilesque simus in Dei obsequio, ac crescamus in virtute, victoria et meritis, atque à terrenis mentem avocantes suspiremus ad cœlum, ingemiscentes cum Apostolo : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ?* Rom. 7.

Porro quam concupiscentia valida sit, effera, et indomita, liquet Primo, in adolescentibus, qui immenso libidinum incendio flagrant, ut pene ad insaniam redigantur. Secundo, in inventione novarum illecebrarum gulæ et obscœnitatis, quibus concupiscentia hominum longe superat concupiscentiam bestiarum, uti ostendit Plutarch. lib. Quod bruta ratione utantur. Tertio, quia Anachoretæ, Sanctique omnes ut concupiscentiam domarent, miris modis seipsos continuo afflixerunt jejuniis, vigiliis, ciliciis, humi cubationibus, spinaram aculeis, flagellis, etc. Lege vitas Patrum, et miraberis eorum austeritates, et mortificationes. Quarto, idem liquet ex lapsibus virorum sanctorum, sapientum. et fortium, quavis ætate, et quavis mundi plaga. Quis fortior Samsone ? quis sapientior Salomone ? quis sanctior Davide ? et tamen hos prostravit concupiscentia feminarum. Quin et Plato l. 3. de Rep. quem citat Clemens Alexand. l. 3. Strom. asserit corporis voluptatem sapientiæ repugnare, et esse dominam sævissimam, à qua felicissimum sit posse liberari. Et Sophocles, teste Cicerone l. de Senectute (ait) nullam capitaliorem pestem, quam voluptatem corporis hominibus à natura datam.

Hinc Poetæ ex concupiscentia formarunt Cupidinem quasi Deum, Veneris filium : cnique etenim Deus est sua dira Cupido. Pinxerunt eum quasi puerum, velatis oculis alatum, armatum arcu et sagittis, gestantem facem, et nudum.

Ex hisce disce concupiscentiæ conditiones, et mores. Concupiscentia enim Primo, amabilis videtur instar elegantis pueri, atque instar pueri mutabilis est, nunc hoc volens, nunc aliud, eaque de causa puer hic à nonnullis pingitur multiceps : multa enim capita multitudinem et varietatem alternantium cupiditatum repræsentant.

Secundo, eadem cæca est, quia imprudens nascitura ex se damna non prospicit, nec cavet. ait Socrates in symposio Xenoph. Et Plato : *Amor*, ait, *est cæcus, quia amantes in re amata cæcutiunt.* Et Theocriti interpres in decimo Idyllio ad aliud Theocriti : *Cæco non modo Paulus, verum etiam delirus Amor. Nota*, ait, *quod antiqui duos cæcos dicebant, Cupidinem et Plutum : nam qui amat, cæcus est : quid faciat non videt ullus amans ; nam deformem amat mulierem, quæ illi videtur esse pulcherrima ;* amor enim facit turpe videri pulchrum.

Tertio, eadem alata est, quia celerrime ad objecta concupita avolat ; imo involat instar accipitris aut vulturis.

Quarto, eadem pharetrata est, quia suarum illecebrarum cupiditate sauciat cor hominis, quod ferit et occupat.

Quinto, eadem πυροφόρος est, et facem accensam gestat, quia rerum cupitarum in animo æstus et incendia suscitat.

Sexto, eadem nuda est, quia seipsam manifestat et celare nequit :

—Quis enim celaverit ignem,
Lumine qui semper proditur ipse suo ?

ita Alexand. Aphrod. in Problem.

Septimo, fuit et in curia Octaviæ (uti scribit Plinius) Cupido fulmen tenens, idque fractum : quia fulmine potentior est amor et cupiditas. Unde Poeta :

Aligerum fulmen regit Deus aliger (*Cupido*) igne
Dum demonstrat uti est, fortior ignis Amor.

Hinc et Themistocles in scuto gestabat Cupidinem tenentem fulmen, teste Athen. l. 12. quia magis benevolentia, quam ferro omnes sibi subjugare satagebat.

Octavo, Cupido cognominatus est ὀμμάτιος, id est *oculeus*, vel *oculatus*, quod oculis feriat : aspectus enim rei pulchræ intuenti sui injicit amorem quasi sagittam. Unde Plotinus : ἔρως, inquit, id est, *amor*, dicitur quasi ὅρασις, id est, *aspectus* et *visio*. Nam, ut ait Propert.

Si nescis, oculi sunt in amore duces.

Nono, Cupido à Platone vocatur Tyrannus, quod in nobiles cœlestesque animos bacchetur, et tyrannidem exerceat, deprimens eas ad terrena et sordida ; unde Euripides :

Tuque ô Deum tyranne et hominum, Cupido.

Quin et Proclus in Platonis Sophista, Cupidinem vocat magum : quia incantat animos, ut magi, et non raro magicis artibus sui amorem excitat.

Decimo Harpys Deus, à rapacitate, vocatus est Amor. Tradunt et fabulæ Erinnyn furiam ab Amore amatam fuisse, ut impotentiam et impetum significarent insane ac perdite amantium.

Undecimo, Cupido appellatus est πανδαμάτωρ, id est, *omnium domitor*, unde hæc ejus est vox,

Perfringunt, penetrant, urunt mea spicula fulmen ;
Scilicet hinc nomen est mihi πανδαμάτωρ.

nam omnia vincit amor.

Duodecimo, Cupido hic et amor terrestris cœlesti superandus et enecandus est : nimirum per Anterota de quo Alciat. in Emblem.

Aligerum, aligeroque inimicum pinxit Amori,
Arcu arcum ; atque ignes igne domans Nemesis,
Utque aliis fecit, patiatur et hic puer olim.
Intrepidus gestans tela, miser lacrymat.
Ter spuit, inque sinus imos (res mira) crematur
Igne Ignis, furias odit Amoris Amor.

Hæc Giraldus de Diis Gentium Syntagmate 13. Hinc S. Basil. in constit. monast. c. 3. *Affectiones*, ait, *corporis tunc violentæ sunt, cum ratio cessat : easdem illa moderante et imperium suum exercente, facillime obtemperant.* Ratio ergo pervigil eas domat regitque, perinde ut auriga vigilans equos : si enim dormiat, equi ibunt in avia.

Idem ad Chilonem : Unam, ait, voluptatem expugnato; ne, si omnes simul, omnes agminatim in te irritatæ cooriantur, turbulentamque accersant menti tuæ tentationum imperiem. Corpus substerne laborum exercitio, animam tentationibus æquanimiter tolerandis assuefacito.

Denique ut Cupidinis et Amoris efficaciam, ictumque fulmineum significarent, pinxerunt emblema, in quo pro Jove tonante Cupido ornatus fulmen ejaculatur in mare, Neptuno interim posito tridente, et genibus nixo Amoris numen reverente ; sic enim canit:

Sol calet igne meo Neptunus flagrat in undis :
Quamvis liber erat, feci servire Tonantem.
Quamvis liber erat, Martem sine Marte subegi.

Et alius :

Amor Deum gubernat,
Amoris omne regnum est,
Amor de Deo triumphat.

ait S. Bern. Nimirum amor et φιλανθρωπία vicit vinxitque Deum, ut in carnem, mortem, et crucem pro hominibus adeo amatis descenderet. Hic est noster sanctus Cupido, ex cujus passionis fonte si hauriamus aquam, imo sanguinem, restinguet ille omnes impuri Cupidinis faces, perinde ac Mutianus apud Plinium l. 31. c. 2. scribit Cycici fontem Cupidinis esse et vocari, eo quod ex eo potantes amorem et cupidinem deponant. Vide S. August. lib. de Continentia, et serm. 45. de Temp. ubi inter alia docet concupiscentiam cedendo augeri, resistendo minui. *Pugnat*, inquit, *repugna : noli eam cedendo satiare, sed resistendo necare : si ei non consentias, minor et minor erit quotidie ; nam sint vires illius subjectio tua : si enim cesseris, das ei vires.* Et inferius, *Consuetudini ergo semper repugnandum est : quia ipsa concupiscentia cum qua nati sumus, finiri non potest quandiu vivimus. Quotidie minui potest, finiri non potest*, etc. *Et in isto bello est tota vita Sanctorum.* Quocirca sapienter S. Bern. serm. 56. in Cant. *Cura*, ait, *concupiscentiæ totis resistere viribus ; ut non pertrahat in consensum, et omnis deinceps malignitatis machina evanescit; nec est omnino, quod sponsum prohibeat appropinquare tibi, præter solum parietem corporis*, id fit per circumcisionem non carnis, sed cordis, de qua Jerem. c. 4. 4. *Circumcidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum viri Juda, et habitatores Jerusalem*, id est, visionis pacis, quam parit hæc circumcisio et mortificatio.

Porro vehementes concupiscentiæ et dæmonis insultus, cum phantasias illecebrosas ex visu, auditu, vel memoria rerum præteritarum, ad extricandum difficiles imaginationi, et per eam menti ingerit quasi jacula quædam ignita, vehementiori agilique imaginationis mentisque resultu, majore, inquam, contentione, et ab alia objecta animi applicatione elidere et eludere oportet, atque, ut ait S. Basil. in Consist. monast. cap. 18. *Peritorum athletarum imitanda est consuetudo, qui summa tum animi attentione, tum corporis agilitate celeritateque adversariorum suorum apprehensiones eludunt, et belli omnis evasio, et telorum declinatio orationi, ac divinæ opis implorationi committenda. Hoc enim Paulus nobis præcepit, dum dixit : In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Et mox : *Si vero per adversarii imprudentiam, flagitiosarum istiusmodi cogitationum vis vehementior etiam insurgat, ne sic quidem est succumbendus, aut deficiendus animus, neque susceptia certamina ex dimida parte confecta relinquenda : sed eo usque obfirmate perdurandum, quoad Deus perspecta nostra constantia, gratia Spiritus S. nobis affulgeat, nosque illustret, quæ et insidiatorem in fugam propellat, et mentem nobis purum efficiat, et divino lumine compleat, et rationi nostræ in pacatissima tranquillitate constitutæ otium ad Deum colendum suppeditet.* Id experti sunt S. Job, S. Antonius, S. Athanasius, S. Hilarion, cæterique Sancti, qui tentationibus cunctis constanter restiterunt, usque ad ultimum vitæ spiritum ; ac proinde cum Habacuc c. 3. 18. victores cecinerunt : *Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo. Deus Dominus fortitudo mea, et ponet pedes meos quasi cervorum: et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.* Cervi enim quantavis retia et laqueos, ingentibus saltibus continenter transiliunt, donec in tutum evadant: ita et nobis in tentatione omni est faciendum.

Idem S. Basil. l. de S. Virg. sapienter monet virginem ut caveat à consortio virorum, etiam spiritualium ; quia horum aspectu excitatur concupiscentia, ut tandem amor spiritalis degeneret in terrenum, et charitas fiat carnalitas. *Proxima enim*, ait, *et velut contigui januis Gentiles quoque aiunt vitia esse virtutibus. Quælibet denique virtutis janua simillimam in vitia ferentem utrimque speciem aperit, ut qui ad virtutem ingredi nititur, ejus primum januæ assistens, dum hac se pulsare arbitratur, aperta sibi hinc aut inde altera ex vitiorum januis, deceptus maxima similitudine, ingrediatur veluti virtutis domum, cunctis ejus errorem irridentibus.* Sic sæpe amoris divini januam pulsantibus, vicinum ei ostium aperit amor mundi ; ut ad amorem mundi divertat pulsans, putans se divertere ad amorem Dei. *Hoc modo eos qui audentes ad virtutem esse cuperent fallens, temerarios arguit : qui vero temeritatis probra metuerent, eos timidos ac pusillanimes prodidit. Et qui misericordes esse studerent, ad vitia male mollivit : qui vero misericordes esse renuerent, immittes immanesque declaravit : ita et qui charitatis pulchritudinem sequuntur, eos falso dilectionis nomine, vel ad voluptates corporis vitamque cunctis execrabilem dejicit, vel ejusce probra et opprobria pertimescentes, odisse fratres, et absque ullo boni sensu persistere facit. Itaque ne declines ad dexteram, seu ad sinistram, ne forte errore seductus in aliquam ex vitiorum portis devolvaris, sed mediam et regiam incedas virtutis viam.* Hæc S. Basilius.

PECCATUM VERO CUM CONSUMMATUM FUERIT, GENERAT MORTEM.] Hic enim, ut superius dixi, tentationis et peccati triplex est gradus et ordo. Primus est suggessio, seu cogitatio rei malæ, in qua nullum plerumque est peccatum, quia sæpe à dæmone immittitur et suscitatur sine nostra culpa. Secundus est, delectatio ; videlicet cum voluntas negligit illam reprimere, vel imperfecte consentit : et in hoc est peccatum veniale. Tertius est consensus deliberatus in quo est peccatum mortale, si materia sit gravis, et sub gravi obligatione vetita. Unde S. Isidorus lib. 2. Summo bono c. 23. *Istis*, ait, *fomitibus quasi quibusdam gradibus convalescit omne peccatum, suggestio operatur delectationem, delectatio consensum,*

consensus operationem, operatio consuetudinem, hæc necessitatem.

Ubi adverte, peccatum dupliciter consummari. Primo, cum voluntas ulterius deliberate et plene in illud consentit; hoc generat mortem animæ: quia per peccatum mortale anima privatur gratia, quasi vita sua, itaque spiritualiter moritur, fitque rea mortis æternæ. De hac morte hunc locum accepit, S. August. homil. 42. inter 50. Bellarminus et alii multi. Unde Nazianz. orat. 19. ait unam dumtaxat esse veram mortem, nimirum peccatum; quia ipsum est interitus animæ. Et S. August. 3. Civit. 11. *Mors*, ait, *animæ fit, cum eam deserit Deus; sicut corporis, cum id deserit anima.*

Secundo, cum in eo voluntas hæret et perdurat usque ad finem vitæ; tunc enim plene consummatur, generatque mortem æternam in gehenna, ad quam illico animam transmittit; licet enim ibi anima vivat, dicitur tamen mors, quia, ut ait S. Aug. 6. Civit. c. ult. *Si anima in pœnis æternis vivit, mors potius illa dicenda est, quam vita: nulla quippe major et pejor est mors, quam ubi non moritur mors.* Juxta illud Poetæ:

Immortale malum nulla delebile morte.

Huc quoque respexit S. Jacobus, quia mortem hanc peccantium, qui tentatione vincuntur, opponit coronæ vitæ quam patientes, qui tentationes vincunt, et in hac victoria constantes perdurant usque ad mortem, post eam illico adipiscuntur in cœlis, uti dixit vers. 12. Hæc est mors secunda et æterna, cujus illa prior est quasi conceptio et inchoatio. De hac accipit hunc locum Theodorus Studita serm. 113. S. Fulgent. l. 1. ad Monimum c. 5. Lorinus et alii.

Consummatur ergo peccatum, Primo per plenum et deliberatum in illud consensum internum. Secundo, et magis, dum consensum hunc opere externo consummat, v. g. dum homicidium mente designatum reipsa perpetrat. Tertio cum in eo se obfirmat, vel iterat, ut consuetudinem sibi inducat, et de hac S. Jacobum hic loqui censet Thomas Anglicus. Quarto, dum in eo moritur transitque ad mortem æternam: mors enim est vitæ rerumque omnium consummatio et finis. Unde et Christus pro peccato moriens in cruce, dixit: *Consummatum est.* q. d. Hac mei holocausti, lytri, obedientiæ et patientiæ consummatione et morte satisfacio, et aboleo peccatum, ejusque consummationem quæ in morte consistit. Opponit S. Jacobus concupiscentiam patientiæ in eo, quod, sicut patientia perfectum opus habet; sic et concupiscentiæ perfectio et consummatio sit ipsa mors.

GENERAT MORTEM.] Nota hic insignem metaphoram petitam à generatione humana, qua peccati generatio et prosapia describitur: nam mater peccati est concupiscentia: pater est libera voluntas; semen matris est suggestio, et titillatio, vel voluptas quam ingerit excitatque concupiscentia; semen patris est ipse consensus voluntatis, prout est in fieri. Proles est ipse consensus, prout consideratur in facto esse, hic enim est ipsummet peccatum. Proles autem hæc Primo, est imperfecta, velut embryo et fœtus incompletus; talis est consensus semiplenus, sive peccatum veniale ex indeliberatione. Secundo, est proles omnino formata et perfecta: talis est consensus plenus, sive peccatum mortale deliberatum. De peccatis enim quæ ex objecto et levitate materiæ tantum sunt venialia, hic directe non agit S. Jacobus. Nepos peccati est actus externus, v. g. ipsum homicidium. Pronepos est consuetudo peccandi. Abnepos est mors in peccato. Trinepos est mors æternæ gehennæ. Ecce quam mala et misera soboles à peccato, quasi à tritavo proseminata succrescit. Quocirca vere S. Aug. lib. 5. contra Julian. c. 3. *Concupiscentia carnis*, ait, *adversus quam bonus concupiscit spiritus, et peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; et pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis: et causa peccati est, defectione consentientis, vel contagione nascentis.*

Contraria est generatio et prosapia boni operis et virtutis. Ejus enim mater est voluntas, pater gratia Dei, semen sanctæ cogitationes et inspirationes. Harum enim dulcedine allecta voluntas per gratiam Dei parit bonum opus, v. g. pœnitentiam, et propositum efficax mutandæ vitæ, quasi prolem spiritualem, juxta illud Isaiæ 26. 18. *A timore tuo concepimus et peperimus spiritum salutis*, uti ex Septuag. legit S. August. serm. 20. de verbis Domini. Nepos est ipsa propositi executio, vitæque mutatio. Pronepos est perseverantia, et progressus in hoc bono proposito. Abnepos est mors in eo. Trinepos est corona vitæ, et gloria æterna. Hæc ergo est generatio Dei, et filiorum ejus quam diabolus quasi simia mediante concupiscentia imitari, imo evertere et occidere satagit, sicut occidit Adamum per Evam.

Sapienter S. August. hom. 42. inter 50. *Vel mortem*, ait, *time, si peccatum non times: peccatum enim cum consummatum fuerit, generat mortem. Nondum times peccatum: time quo perducit peccatum. Dulce est peccatum, sed amara est mors. Ipsa est infelicitas hominum; propter quod peccant morientes, hic dimittunt, et ipsum peccatum secum portant. Peccas propter pecuniam, villam, mulierem? hic dimittenda sunt, quando oculos in morte clauseris, et ipsum peccatum quod committis, tecum portas, ut te comburat in omnem æternitatem.* Concupiscentiæ enim sunt folles et fomenta gehennæ, juxta illud Isaiæ 50. 11. *Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis. De manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis.* Ita Israelitæ murmurantes et concupiscentes carnes, à Deo puniti sunt morte, et sepulti in sepulcris concupiscentiæ, Num. 11. 33. Plura et recentiora hujus rei exempla recenset B. Petrus Damiani lib. 7. epist. 19. ad Blancam Comitissam. *Vectigal ergo cupiditatis est calamitas*, ipsaque mors, juxta illud Isaiæ 14. 11. *Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes* Dum ergo tentaris concupiscentia, cogita mortem, cogita tineas, cogita vermes et bufones, qui carnem tuam depascentur; in eaque tanto magis deliciabuntur, quanto delicatius eam nutriveris et impinguaveris. Sed hæc exilia sunt, et præludia tantum mortis æternæ, ignisque gehennæ, de quo Isaias c. 33. 14. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitavit ex vobis cum ardoribus sempiternis?*

16. NOLITE ITAQUE ERRARE FRATRES,] εἰ πλανᾶσθε, id est, non sinatis vos deduci, et in errorem abduci à Simone Mago, hæreticis aut philosophis, ut scilicet cum tentamini, dicatis cum Simone, vos à Deo tentari: Deum enim auctorem esse omnium tam malorum, quam bonorum, aut ut dicatis

sapientiam et patientiam proprio ingenio et virtute comparandam esse, non autem postulandam à Deo, uti docui v. 5. tota enim disputatio Jacobi hucusque fuit de patientia et concupiscentia, nimirum docuit patientiam in qua sapientia Christiana consistit, flagitandam à Deo, ut concupiscentiam vincamus : Deum enim esse auctorem omnis boni et nullius mali, omnis virtutis et nullius concupiscentiæ. Unde errores hosce omnes una sententia et axiomate, quasi lethifero telo prosternens, subdit : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Patris enim erroris et impietatis est, vel cum Simone aliquid mali Deo adscribere, vel cum Philosophis et Pelagianis aliquid boni adimere. Impia enim et athea est illa Philosophi vox de Jove, sive Deo :

Det vitam, det opes, animum æquum mihi ipse parabo.

Ex adverso magna sapientia est sapere, et practice intelligere hanc veritatem, nos à nobis nil boni habere, nil sapientiæ, nil virtutis ; sed totum id Deo donanti cum humili agnitione et gratiarum actione acceptum ferre. Sapuit hoc S. Franciscus, cujus per noctes integras hæc una erat meditatio et oratio : *Quis ego Domine : quis tu? ego abyssus nihili, ignorantiæ, miseriæ, malitiæ : tu abyssus omnis essentiæ, sapientiæ, felicitatis et bonitatis. Abyssus ergo meæ inopiæ tuam abyssum copiæ invocat.* Sic et Christus S. Catharinæ Senensi hæc duo documenta dedit : *Cogita quæ tu, quis ego. Cogita de me, et ego cogitabo de te.*

Idipsum cœlesti illustratione didicit noster Petrus Canisius, Germaniæ Apostolus : nam, ut in ejus vita lib. 1. pag. 257. scribit P. Sacchinus cum Lauretum pergeret Deiparæ cellam veneraturus, *Anconæ in templo aperuit Deus oculos mentis, novumque de cœlo lumen infudit ingens, fidele, magnorum caput ac fontem laudem. Monstrabat id lumen interiori oculo verum firmumque fundamentum religiosæ vitæ : simulque docebat, quemadmodum consilia ei sua omnia imponere, et studia omnia ac facta deberet. Fundamentum autem erat suimet cognitio intima per quam penitus comprehenderet vilitatem inanitatemque suam, quam foret ipse nihil neque nosset, neque vellet per se, neque posset neque haberet ; cum omnium bonorum initia media, extrema in uno sita Deo, nec usquam alibi, præterquam in Deo ab ratione utentibus collocanda sint.* Hoc lumen novum et insolitum magna gratiarum actione celebravit Canisius, eique quasi fundamento omnes suas actiones superstruxit, soli Deo dans gloriam : sibi vero defectum, corruptionem, miseriam. Inde tanta moles ædificii, tanta gratiarum et animarum messis succrevit.

17. OMNE DATUM OPTIMUM,] ἀγαθὴ, id est *bonum;* idque Primo, simpliciter, q. d. Omne datum bonum est à Deo dante : omne vero datum malum non est à Deo ; sed vel à dæmone, vel à concupiscentia.

Secundo, *bonum* hic κατ' ἐξοχὴν insigne, et præstans, optimumque intelligitur ; nimirum *donum perfectum,* ut subdit, qualis est patientia, sapientia et victoria concupiscentiæ ; de quibus hucusque egit S. Jacobus, ac generatio et filiatio divina, de qua mox explicans subdit : *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium* ἀπαρχαί, id est *primitiæ, creaturæ ejus.* Hæc enim donum perfectum et datum optimum, uti ad illam respiciens recte et solerter vertit noster Interpres : ita datum hoc et donum ad sapientiam refert S. Cyrill. l. 4. in Joannem c. 25. et alii.

Hoc donum *desursum est,* quia descendit à Deo patre luminum, qui gloriæ suæ thronum sursum posuit in cœlis, de quo ait Moses Deuter. 53. 27. *Ascensor cœli auxiliator tuus ; habitaculum ejus sursum.* Vide ibi dicta.

Nota Primo. Pro *datum* græce est δόσις, id est, *donatio ; donum* vero græce vocatur δώρημα. q. d. Non tantum donum omne est à Deo, sed et ipsa doni δόσις, sive donatio. Multi enim donant dona non sua, sed aliena ; vel sua, sed alibunde accepta ; aut sua non tam dant quam vendunt : Deus autem doni omnis quod donat, et simul ipsius donationis gratuita et liberalis est auctor, imo creator. Verum Noster δόσις vertit *datum,* quia sæpe per metonymiam ipse actus significat objectum, puta datio significat datum, sive donum. Idem ergo est *datum optimum,* quod *donum perfectum ;* utitur enim exaggeratione S. Jacobus ut donum Dei amplificet. Sapienter Trismegistus in Asclepio : *Omnia Deus,* ait, *et ab eo omnia, et ejus voluntatis omnia : quod totum est bonum, decens, immutabile, prudens, ipsi soli sensibile et intelligibile : et sine hoc nec fuit aliquid, nec est, nec erit : omnia enim ab eo, et in ipso, et per ipsum.*

Nota Secundo, per *datum et donum* posse cum Didymo quodlibet accipi, sive illud sit naturæ, sive gratiæ, sive gloriæ : omnia enim dona et opera Dei optima et perfecta sunt, Genes. 1. 31. Deuter. 32. 4. Proprie tamen duo posteriora spectat S. Jacobus, alloquitur enim fideles qui donum fidei, gratiæ, sapientiæ et patientiæ à Deo acceperant, certaque spe expectabant donum gloriæ : unde Thomas Anglicus *datum* accommodat donis, quæ dantur in via, *donum* iis quæ in patria. Quocirca recte Primo, hunc locum contra Pelagianos, negantes gratiam ad bene vivendum à Deo postulandam esse, intorquet Conc. Arausic. can. ult. et sæpe S. August. quin et Theophylus in Concilio Ephesino per *donum* accipit Spiritum sanctum, ejusque dona, puta remissionem peccatorum, sanctitatem, sapientiam, etc. quæ Christus è cœlo in fideles duos demittit. Alii accipiunt ipsummet Christum, qui seipsum cum suis donis immenso amore nobis dedit, et indies dat. Hic enim est datum optimum et donum perfectum, idque multipliciter : nam, ut canit Ecclesia ex S. Thoma.

Se nascens dedit socium,
Convescens in edulium,
Se moriens in prætium,
Se regnans dat in præmium.

Secundo, recte quoque Auctor Imperfecti homil. 39. in Matth. donum perfectum adaptat ad potestatem regiam Principum et Prælatorum : hæc enim omnis à Deo descendit et datur, uti docet Apostolus Roman. 13. 1. quin et Titus Imp. apud Sueton. non timebat insidiatores, dicens *principatum fato dari.* Melius Agatho Pont. epist. ad Heraclium et Tiberium, per donum optimum accipit sapientiam principum, qua cognoscant et confiteantur se potestatem à Deo accepisse, nec eam posse sua prudentia et viribus recte administrare ; sed ad hoc egere directione Dei et sapientia ab eo infusa ; hoc enim esse donum Det optimum.

Tertio, S. Jacobus vult fideles poscere à Deo non quale quale datum et donum, sed optimum

et perfectum; tum quia Christianismus est status et professio vitæ optimæ et perfectæ : tum quia Christianos vult eniti ad omnem Christianismi perfectionem : uti revera enitebantur ejus ævo primi Christiani. Vult enim eos pollere eximia sapientia et patientia, ut summe gaudeant in tentationibus, persecutionibus et martyriis. Quocirca Cassianus lib. 12. Instit. cap. 10. per *donum perfectum* accipit perfectionem virtutum; et S. Fulgentius lib. 1. epist. 4. *A Deo*, inquit, *emanat totius bonæ voluntatis non tantum principium, sed et perfectio.* Id probat ex S. Jacobo dicente : *Omne datum optimum*, etc. *Deus enim est qui operatur in suis et velle, et perficere.* Et S. Hieron. lib. 1. contra Jovin. ac S. August. lib. 1. de virgin. cap. 4. per *donum optimum et perfectum* accipiunt virginitatem, quam virgo non sibi, sed Deo humiliter ascribere debeat : uti docet Apostolus 1. Corinth. 7. 7. Cyrillus vero l. 4. in Joannem c. 25. per *donum optimum et perfectum* accipit perfectam cognitionem Christi et veritatis; hanc enim esse summam gratiam, ideoque à solo Deo expectandam : cognitionem (inquam) non nudam et aridam, sed Dei amore informatam et ardentem. Summum enim Dei donum est charitas, 1. Cor. 13. 1. Glossa vero accipit gratiam robustam, et virtutem perfectam; qualis baptizatis datur in Sacramento Confirmationis. Alii idipsum adaptant vitæ religiosæ : hæc enim optima est et perfecta. Ita noster Alvares lib. 5. pag. 1. cap. 1. Alii per *donum optimum* accipiunt tribulationes, et cruces : has enim v. 2. vocavit omne gaudium. Alii accipiunt Eucharistiam. *Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?* Zach. 9. 17. Hæc partialia dona sunt, non *omne donum;* ut ait S. Jacobus.

Denique humilis et verax fidelis sapiat et confiteatur cum S. August. Soliloq. cap. 15. *Si quid boni est, parvi vel magni, donum tuum est Domine : et nostrum, non nisi malum est. Unde igitur gloriabitur omnis caro : Nunquid de malo? Hæc non est gloria sed miseria. Sed nunquid gloriabitur de bono? nunquid de alieno? Tuum Domine est bonum, tua est gloria : quia enim de bono tuo gloriam sibi quærit, et non tibi quærit, ille fur est et latro, et similis est diabolo, qui voluit furari gloriam tuam.*

Descendens a Patre luminum.] *Patrem luminum* vocat Deum et SS. Trinitatem. Primo, quia respicit ad sapientiam, quam dixit postulandam à Deo : sapientia autem est lumen mentis, cujus pater, id est auctor, est Deus.

Secundo, quia respicit ad solem, hic enim est pater omnis luminis in mundo. Nulla enim creatura corporea ita repræsentat Deum, sicut sol : Deus enim est sol quidam increatus, lucidissimus et beneficentissimus, qui omnia suæ beneficentiæ luce et radiis illuminat, vivificat et perficit. Unde S. Dionys. cap. 4. de Divin. nomin. *Clara* (ait) *expressaque divinitatis imago est magnus hic sol, totus lucens, ac semper splendidus, omnibus etiam quæ ejus lucem capere possunt, collucet, habetque lumen per omnia diffusum, sursum et deorsum. Ac si quia est quod de eo non participet, id ejus luminis tenuitati, aut parvitati non est tribuendum, sed iis, quæ quid apta non sunt ad capiendum lumen, ad id capiendum non explicantur. Itaque ipsius radius immensa splendoris magnitudine penetrat, ad vitam excitat, alit, auget, absolvit, purgat, renovat : ac lumen mensura est et numerus horarum, dierum, totiusque nostri temporis : colligit convertitque ad se omnia quæ videntur, quæ moriuntur, quæ illustrantur, quæ calescunt, et uno nomine ea quæ ab ejus splendore continentur : itaque ἥλιος, id est sol, dicitur, quod omnia ἀολλήποιεῖ, id est, congreget colligatque dispersa : eaque omnia cum expetunt, quæ sensu percipiuntur, aut quod cernere cupiant, aut sentire, illustrari, calescere, omninoque contineri à lumine.* Ecce hic est pater luminum, hic est sol lucidissimæ divinitatis. Perperam ergo Anastasius Sinaita lib. 4. Hexaem. censet ἥλιον, esse nomen Hebræum, idemque quod *Eli*, id est, *Deus meus*, ideoque Christum in cruce sole obscurato exclamasse : *Eli Eli lamma sabacthani?* Vide octodecim analogias solis et regis, ac magis Dei, qui est Rex regum, quas recensui Isaiæ 45. 1.

Tertio, Deus est *Pater luminum*, id est bonorum : omnis enim boni causa et symbolum est lumen. *Ex ipso enim bono lumen est, et bonitatis imago. Itaque lucis nomine ipsum bonum celebratur, quasi in imagine exemplar expressum. Divinitatis enim bonitas omnia illustrat, efficit, vivificat, continet, perficit; estque eorum quæ sunt et mensura, et æternitas, et numerus, et ordo, et complexus, et causa, et finis,* ait S. Dionys. de Divin. nomin. cap. 4. Hinc Ecclesia ad Primam, orans pro ope et directione Dei ad omne bonum toto die peragendum, ait : *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos.* Splendor enim et serenitas faciei signum est favoris et opis, benevolentiæ et beneficentiæ. Unde identidem orat Psaltes. *Illumina faciem tuam super servum tuum.* et Ps. 75. 4. *Illuminans,* ait, *tu mirabiliter à montibus æternis,* scilicet ut nos à tenebris obsidionis liberes, cædendo castra Sennacherib ex montibus Sion et Moria, ait Theod. et Euthym. ibidem.

Hinc Joannes Alba Electorum cap. 16. *Patrem luminum* interpretatur *auctorem omnium bonorum.* Lumen enim est primum mundi bonum, per quod fruimur cæteris. Unde et primo creatum est à Deo, dicente : *Fiat lux. Et facta est lux*, illicoque additur. *Et vidit Deus lucem, quod esset bona.* Genes. 1. 4. Hinc ex adverso Tobias Raphaeli apprecanti gaudium : *Quale,* ait, *gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo et lumen cœli non video?* Tob. 5. 12. et c. 10. 4. filium vocat *lumen oculorum* suorum, id est, omne suum bonum. Hinc sicut videre bona, Hebræis significat potiri bonis; ita et videre lumen, idem denotat, ut psalm. 35. *In lumine tuo videbimus lumen,* id est, in te summo bono fruemur omni bono. Sic ait Pacatus in Panegyr. Theodosii : *In ipsis statim Imperii auspiciis privatorum domos adibat et urbis angulos, qui nunquam imperatorium solem vidissent, pio lumine complebat.* Hic sensus symbolicus magis est, quam litteralis.

Quarto, quia S. Jacobus opponit Deum concupiscentiæ, quasi lucem tenebris : concupiscentia enim cæca est, hominemque excæcat : unde Deus, inquit, quasi Pater luminum invocandus est, ut sua luce omnes concupiscentiæ tenebras illuminet et dispellat.

Quæres, quot modis et rationibus Deus, et S. Trinitas dicitur, *Pater luminum?* Resp. sex. Primo, quia ad intra sive in essentia sua Deus est lux increata, originalis, et immensa. Vide S. Dionys. c. 4. de Divin. nomin. Unde et S. Paulus ait Deum habitare lucem inaccessibilem,

1. Tim. 6. 16. Rursum singulæ personæ SS. Trinitatis sunt lux immensa, sicut enim à luce procedit lumen; ita à Patre procedit Filius, juxta illud Symboli Nicæni : *Lumen de lumine;* sic et Spiritus sanctus à Patre et Filio procedit ut lumen. Unde Ecclesia in hymno Pentecostes eum invocans : *Veni*, inquit, *lumen cordium.* Quocirca S. Dionys. c. 2. de Divin. nomin. Tertull. Justin. Nazianz. et alii mysterium Trinitatis per lumen explicant, utpote in quo sunt tria distincta et coæva; quæ tamen unum quid videntur, nimirum lumen, splendor et calor. Rursum sicut lumen sine ulla sui imminutione producit secundum et tertium; ita Pater sine ulla sui jactura generat Filium, et spirat Spiritum sanctum eisque suam deitatem communicat. Audi Nazianz. orat. 40. *Lumen*, inquit, *hoc in Patre et Filio et Spiritu sancto consideratur, quorum opulentia naturæ identitas est, atque una eademque splendoris prosultatio.* Idem orat. 43. *Deus*, ait, *est lumen inaccessibile, ac successioni minime obnoxium, nec principium habens, nec finem habiturum, nec in dimensionem cadens, perpetuo fulgore rutilans, trino splendore micans, et tale, ut paucis, imo ne paucis quidem, perspicua sit ipsius magnitudo.* Unde rursum S. Dionys. ita orditur suam Hierarchiam cœlestem : *Omne datum optimum*, ait, *et omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum*, etc. *Itaque appellato Jesu, qui lux est Patris, quæ est, quæ vera est, quæ omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat, cujus benignitate nobis ad Patrem lucis auctorem aditus patuit, ad illustrationes sanctarum Scripturarum veniamus, cœlestiumque mentium atque naturarum hierarchias consideremus, lumenque illud primogenitum*, etc. *ac rursus nos ex eo ad simplicem ipsius radium splendoremque referamus.* Et S. Aug. serm. 122. de diversis cap. 15. *Ipsum Verbum*, ait, *Deus incommutabilis est, sicut Deus, apud quem est Deus. Nihil in illa persona cogites detrimenti, vel commutationis : Deus enim Pater luminum, apud quem non est commutatio, nec momenti obumbratio.* Denique ab Apostolo Hebræi 1. 3. filius Dei vocatur *splendor gloriæ, et figura substantiæ Patris.*

Secundo, quia Deus ad extra producit angelos, qui toti sunt intelligentes et lucidi, de quibus proinde ait Nazianz. orat. 2. de Pascha; *Secundi splendores procreati sunt, primi splendoris comministri; primario Dei fulgore collucentes. Ille ob splendorem Lucifer*, etc. item homines, qui pariter naturæ sunt intelligentes : unde et homo à Græcis φώς, id est *lumen*, vocatur, propter rationis usum, ait Nazianz. loco jam citato. Insuper Deus producit homines, aves, pisces, et animalia quæ pollent lumine oculorum, æque ac imaginationis et phantasiæ.

Tertio, quia Deus est pater auctorque solis, lunæ, stellarum, omniumque luminum, adeoque primo omnium lucem creavit, dicendo, *Fiat lux*, Genes. 1. ait Nazianz. orat. 43. Hoc est quod canit Baruch. cap. 3. 33. *Qui emittit lumen, et vadit : et vocavit illud, et obedit illi in tremore : stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, et lætatæ sunt. Vocatæ sunt, et dixerunt : Adsumus. Et luxerunt ei cum jucunditate qui fecit illas. Hic est Deus noster.* Rursum est auctor cujusvis lucis, id est vitæ, puta angelicæ, humanæ, animalis et vegetativæ. Denique omnes creaturæ suo lumine, id est, sua pulchritudine, ostendunt suum creatorem quasi patrem luminum. Nam, ut ait Sapiens cap. 13. 5. *A magnitudine speciei, et creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.*

Quarto, quia producit omnia lumina supernaturalia, puta fidem, sapientiam et patientiam, ceterasque virtutes; quæ non sunt aliud quam lumina mentis, à Patre luminum derivata; ut quidem Sanctorum dixit. Huc maxime respexit S. Jacobus : vult enim patientiam, sapientiam, cæterasque virtutes non nobis, sed Deo ascribi, ad eoque postulari. Unde et baptismus à S. Dionysio, aliisque Græcis Vocatur φωτισμὸς (quin et à S. Paulo Hebr. 6. 4.) id est *illuminatio*, quod per eum Deus fidelibus infundat fidem, sapientiam, gratiam, charitatem, omnesque virtutes Christianas, quæ sunt lumina quædam supernaturalia. Vult ergo S. Jacobus fideles à Patre luminum poscere lumen intelligentiæ, ut cognoscant et sapiant virtutes illas sublimes mundo paradoxas, quas paulo ante docuit; nimirum tribulationem esse gaudium, et felicitatem : patientiam habere opus perfectum : humili gloriandum esse in sua exaltatione, diviti autem in sua humilitate erubescendum; beatum esse qui suffert tentationem, etc. Hæc enim sunt axiomata quæ omne rationis et philosophiæ lumen et dictamen transcendunt, nec nisi lumine divino à Patre luminum infuso capiuntur. Unde Nazianz. orat. 40. docet Deum esse lumen quoddam. *Quo princeps animi nostri pars illustratur, ac nostri secundum Deum gressus diriguntur;* imo Christus : *Ego*, ait, *sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Joann. 8. 12.

Quinto, quia omne lumen propheticum descendit à Deo, quasi Patre et auctore luminum : Deus enim omnibus prophetis sua oracula inspiravit, et quasi lumina revelavit : de quo dixi initio Comment. in Prophetas. Unde S. Dionys. cap. 4. de Divin. nomin. ait bonum vocari lumen mentis, quod mentem spirituali luce impleat, eique sacrum lumen largiatur. *Lux ergo mentis*, ait, *dicitur bonum, quod lucem omnem superat, quod quasi radius fontis, lucisque manans effusio mentem omnem ex sua plenitudine illustrat, omnesque mentis facultates renovat, omnes complexu suo continet, congregat et colligit.* Idem cap. 7. docet modum intelligendi divina esse, *Si nos toti extra nos simus, totique Dei fiamus : præstat enim nos Dei esse, quam nostros. Ita enim demum nobis divina tradentur, si cum Deo simus.* Et inferius asserit, sapientiæ universæ, mentisque omnis, ac rationis et sensus omnis divinam sapientiam principium, esse causam procreatricem, perfectionem, custodem et finem.

Sexto, quia lumen gloriæ, quo angeli et Beati omnes vident Deum, eoque fruuntur et beantur promanat à Deo quasi patre luminum; de quo Psaltes Ps. 35. 10. *Quoniam*, ait, *apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.* Horum omnium auctor est Deus : merito ergo *Pater luminum* indigitatur; nimirum ut ait Poeta :

Ipse est verus fons lucis dans lumen inocciduum,

Porro hoc lumen gloriæ in electis Deus ex anima derivabit in corpus, illudque faciet splendidum et gloriosum per dotem claritatis in illud transfusam. Unde Christi facies in transfiguratione resplenduit sicut sol, Matth. 17. Et angeli in corpore assumpto repræsentantes gloriam corporis Christi resurgentis, apparuerunt fulgidi, imo

fulgurantes. *Erat*, inquit S. Matth. c. 28. 3. *aspectus ejus sicut fulgur.* Denique *justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum*, Matth. 13. Quocirca Ecclesia invocans Christum quasi Patrem luminum, in festo transfigurationis ad Laudes, ita jubilat :

Amor Jesu dulcissime,
Quando cor nostrum visitas,
Pellis mentis caliginem,
Et nos reples dulcedine.
Quam felix est quem satias,
Consors paternæ dexteræ!
Tu veræ lumen patriæ,
Quod omnem sensum superat.
Splendor paternæ gloriæ,
Incomprehensa bonitas,
Amoris tui copiam,
Da nobis per præsentiam,

APUD QUEM (græce παρ' ᾧ, id est, *in quo*, vel *à quo*, vel usitatius *apud quem* (NON EST TRANSMUTATIO, localis, qualis est solis dum mutat locum et ab Oriente movetur in Occidentem : NEC VICISSITUDINIS græce τροπῆς, quod OEcum. explicat, *conversionis*) OBUMBRATIO.

Dupliciter enim sol causat tenebras, et umbram. Primo, motu diurno, dum eo finito abit et occidit in vespera ; hæc est transmutatio localis. Secundo, quadam vicissitudine et vicaria sui conversione à tropico Cancri in tropicum Capricorni : hac enim varias apud varios generat umbras, quo enim magis accedit, eo minores ; quo magis recedit, eo majores pari umbras Deus vero nec mutationem, nec conversionem ullam subit : unde plane tenebrarum est expers, nullasque secum vehit umbras.

Secundo, Thomas Anglicus : Apud Deum, ait, non est transmutatio in natura, quia omnino immortalis est : nec vicissitudinis obumbratio in effectu, qui ab ipso semper procedit lux, nunquam tenebræ.

Tertio, alii : Apud Deum, inquiunt, non est mutatio accidentalis, ut quod prius voluit, postea nolit ; ut amet, quod prius oderat ; ut ira, metu, aliave passione agatur. Nam, ut ait S. August. Deum alloquens 1. Confess. 4. *Amas, nec æstuas : zelas, et securus es : pœnitet te, et non doles : irasceris, et tranquillus es : opera mutas, et non mutas consilium.*

Quarto, germanius alii. q. d. Apud Deum non est mutatio nec vicissitudo luminis gratiæ et umbræ peccati, ut scilicet nunc causet gratiam, nunc tentet ad peccatum : de quo enim egit S. Jacobus. Et Græcum παραλλαγὴ, sive παραλλαξις, idem est quod *alternatio*, id est, per vices commutatio, variatio, vicissitudo, differentia, diversitas, aberratio, præteritio, commutatio : uti serratores lignorum alternant mutantque vices, dum nunc serram elevant, nunc deprimunt. Unde S. Hilar. lib. 4. de Trinit. vertit, *apud quem non est demutatio*, S. Hier. l. 1. contra Jov. *Apud quem non est differentia ;* Vatab. *apud quem non est immutatio.* Alludit ad Astrologos qui observant stellarum, et præsertim cometarum, parallaxin, id est, variationem in motu, situ, aspectu : sol enim ad quem quasi patrem luminum hic alludit S. Jacobus, suam habet parallaxin, non in essentia, nec in luce sibi intrinseca, sed in motu, situ, et lumine quod diffundit.

Nota. Quintuplex est immutabilitas in Deo. Primo, naturæ, quia immortalis est ; Secundo, qualitatis, quia inalterabilis est ; Tertio, loci, quia immensus est, ideoque immobilis ; Quarto, voluntatis, quia constans est ; Quinto, operationis et ostensionis sui ; quia eodem tenore semper operatur, eundemque se semper ostendit, quatuor ultimæ ex prima promanant : quia enim Dei natura plane est immutabilis in se, hinc et talis est quoad qualitates, loca et volitiones : *Omnis enim mutatio quædam mortis imitatio est*, ait S. Bernard. serm. 81. in Cant. et S. Gregor. 12. Moral. 17. hunc locum sic explicat : *Quid*, ait, *mutabilitas, nisi mors quædam est? quæ dum rem quamlibet in aliud immutat, quasi occidit quod fuerat, ut incipiat esse quod non erat. Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio : ipsa enim mutabilitas umbra est, quæ quasi obscuraret lucem, si hanc per aliquas vicissitudines permutaret. Sed quia in Deo mutabilitas non venit, nulla ejus lumen umbra vicissitudinis intercidit.* Unde in Cant. cap. 4. 6. gemit sponsa *donec aspiret dies*, æternitas ; *et inclinentur umbræ*, mortalitatis et mutabilitatis. Itaque S. Jacobus non loquitur hic de quatuor primis Dei immutabilitatibus, sed de quinta quoad operationem ; q. d. Deus in operando non mutat, nec variat vices ; ut jam causet sapientiam et patientiam, jam concupiscentiam, impatientiam et peccatum : sed idem semper, sibique per omnia similis non nisi bona constanter producit, eaque omnia, mala vero nulla. Confert enim et præfert Deum soli, qui licet in essentia et qualitate sit immutabilis, mutatur tamen loco, aspectu et operatione, ut nunc diem, nunc noctem ; nunc calorem, nunc frigus ; nunc æstatem, nunc hiemem efficiat. Deus autem uti essentia et qualitate, ita et loco, aspectu et operatione immutabilis est, nimirum ut semper lucem, id est bonum producat, nunquam tenebras, id est malum. Unde Græcum παραλλαγὴ Proclus in Sphæra, pro solis conversione usurpat. Sensus ergo est, q. d. Deus est pater luminum, et sol increatus, sed non patitur ut sol noster, illam reciprocationem motus, illuminationis et operationis, ut nunc accedendo lucem gratiæ, nunc recedendo tenebras errorum et peccati inducat, sed perpetua est lux, constansque fons omnis luminis.

NEC VICISSITUDINIS OBUMBRATIO.] Græce τροπῆς ἀποσκίασμα. S. August. pro τροπῆς videtur legisse ῥοπῆς, nam lib. de S. Virgin. c. 7. vertit, *nec momenti*, id est, *momentanea obumbratio :* ῥοπὴ, enim significat *lancis in libra momentum*, hoc est, inclinationem, librationem, impulsum. Unde Sapiens c. 11. 23. *Tanquam ῥοπὴ*, id est, *momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, et sicut gutta roris antelucani.* Verum alii passim legunt τροπὴ, id est *conversio, vicissitudo, fuga, solstitium ;* explicat enim, quam vocarit mutationem, nimirum vicissitudinis obumbrationem, id est, vicissitudinem umbræ, hoc est, instar umbræ obumbrantem ; aut vice versa obumbrationem vicissitudinis, id est, vicariam et per vices succendentem luci et illuminationi, uti obumbratio nocti suo tempore et vice succedit luminationi diei. Est enim hypallage in utraque voce. S. Hieron. lib. 1. contra Jovin. legit, *nec conversionis umbraculum*, et l. 2. contra Pelag. c. 3. *Deus*, ait, *lux appellatur, et tenebræ in eo non sunt ullæ, quia omnium aliorum lumina aliqua sorde maculantur. Apostoli lux sunt mundi, sed tenebræ in eis sunt aliquæ, nam, ut ait Job c.* 25. 5.

Luna non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus.

Sensus ergo est, q. d. Noster sol, qui est pater luminum, patitur non in se, sed quoad nos, sæpe vicissitudinis obumbrationem : mutat enim vices, Primo, dici et noctis : ut nunc hemisphærium nostrum, nunc oppositum illuminet ; nunc in nostro, nunc in opposito, causet umbram et tenebras. Secundo, mutat vices, græce τροπήν, id est, *conversionem*, et à tropico Cancri in tropicum Capricorni reciprocationem : quare nunc habitantibus sub Cancro, nunc habitantibus sub Capricorno alternat, alternisque auget lucem et umbram, causatque hiemem et æstatem. Tertio, sol patitur Eclipsin per interpositionem lunæ inter eum et terram ; idemque lunam eclipsat, si inter utrumque interjectus sit globus terræ. Quarto, sol sæpe nubibus, ventis et procellis obducitur, obumbratur et obscuratur. Quinto, sol dum est in solstitio hiberno, causat brevissimos dies, in æstivo longissimos, in æquinoctio æquales noctibus. Rursum causat et alternat quatuor anni tempora, scilicet ver, æstatem, autumnum et hiemem. Hisce suis motibus, accessibus et recessibus varias et multiplices efficit umbras, imo quotidie in singula momenta umbra corporum omnium in terra, juxta motum solis mutatur : umbra enim sequitur suum corpus lucidum, puta solem, eique per omnia se accommodat : at Deus qui est sol fixus, immotus et immensus, nullas in illuminatione et operatione causat umbras, nullas tenebrarum et lucis habet vicissitudines, ut nunc bonum operetur, nunc malum, sed quantum est ex se, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Joan. 1. 9. nullam in operando, illuminando et benefaciendo patitur τροπήν, id est *conversionem*, variationem, fugam, solstitium, diminutionem, umbram, Eclipsin ; sed semper et ubique in omnes et omnia beneficentiæ suæ radios explicat et expandit, nunquam tenebrosus vel umbrosus est, id est, nunquam maleficus aut minus beneficus, imo nunquam consistens quasi in solstitio, et à benefaciendo cessans, sed jugiter operans, et benefaciens existit. Ita Beda. Vere S. Fulgent. epist. 4. cap. 5. *Ille*, ait, *nobis omnem boni sufficientiam subministrat, cujus non minuitur plenitudo cum donat.* Nam, ut ait Sapiens cap. 7. 20. de sapientia increata, quæ est Deus : *Inextinguibile est lumen illius.* Quantum ergo est ex parte luminis et solis hujus, ille per se omnibus præfulget, in omnes radios suos spargit : si quis sua duritie claudat fenestram cordis sui, tenebras suas sibi, non soli huic ascribat, uti superius dixi ex S. Dionys. Hæc dos soli Deo convenit, non angelis : nam, ut ait Gregor. l. 5. Moral. c. 27. *Natura angelica etsi contemplationi auctoris inhærendo, in statu suo immutabilis permanet, eo tamen ipso quo creatura est, in semetipsa vicissitudinem mutabilitatis habet.* Hinc Lucifer cum suis ex angelo factus est diabolus. Multo magis homo *fugit velut umbræ, et nunquam in eodem statu permanet*, Job 14. 2. Hinc Dei nomen est *Jehova*, sive *Ego sum qui sum*, Exodi 3. 14. Et, *Ego Deus, et non mutor*, Malach. 3. 6. Vide ibi dicta. Quocirca recte Ecclesia Patrem luminum invocans orat feria 3. ad Matut.

Consors paterni luminis,
Lux ipse lucis et dies,
Aufer tenebras mentium, etc.

Et ad laudes feriæ 2.

Splendor paternæ gloriæ,
De luce proferens,
Lux lucis et fons luminis,
Dies diem illuminans.
Verusque sol illabere,
Micans nitore perpeti,
Jubarque sancti Spiritus,
Infunde nostris sensibus.

Hac de causa Dei filius suscepit humanitatem factus homo, ut in ea posset umbras passionum, laborum, crucis et mortis suscipere, quarum incapax erat deitas, uti docet Anastasius Sinaita in ὁδηγῷ, id est, *viæ duce*, c. 13. Unde S. Dionys. visa Eclipsi solis miraculosa in morte Christi, rogans Apollophanem quidnam hoc sibi vellet, ab eo audivit : *Hæ sunt, ô bone Dionysi, divinarum vicissitudines rerum*, uti ipse refert ep. ad Apolloph.

Hinc secundo, Gnosticos et Manichæos docentes animam humanam esse divinæ particulam auræ, et de ipsa Dei substantia decidi, confutat S. Aug. l. de Hær. cap. 6. et 46. sic enim deitas mutaretur et minueretur. Creat ergo animam Deus, et creando infundit, unitque corpori humano debite organizato.

Tertio, Deus in Script. subinde dicitur obumbrare, non quod instar umbræ patiatur defectum, aut variationem luminis ; sed quod instar umbræ suos ab æstu tentationum et tribulationum protegat, juxta illud Psalm. 90. 4. *Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis.* Aut quod in umbra, id est, arcane et obscure quoad homines, hominumque intellectum sua mysteria operetur. Unde de Verbi incarnatione dixit Gabriel ad B. Virginem Deiparam : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, Lucæ 1. 35.

Quarto, hinc S. August. in Speculo c. 30. docet, SS. Trinitatem esse verum lumen, et τὸ ὄν, id est, ipsum ens immobile, immensum, subsistens et constans. *Unus*, ait, *à se* (Pater), *unus ab uno* (Filius), *unus ab ambobus* (Spiritus sanctus) : *ab uno omnia, per unum omnia, in uno omnia ; id est, à se Pater : ab altero, id est à Patre, Filius : ab utroque Spiritus S. ὄν à se : ὄν ab altero : ὄν ab utroque : omne autem ὄν semper in tribus, et omne ὄν æqualiter in singulis : verax genitor, veritas genitus, amor amborum Spiritus S. : una virtus, æqualis majestas, par gloria.* Unde eam invocans subdit : *Deus trine et une, Deus omnipotens, apud quem non est transmutatio, et ideo apud te cursus temporis, diei noctisque alternatio nequaquam variatur. Deus lux vera, qua sine accessu ea quæ eligis, illustras ; et sine recessu ea quæ respuis, deseris : et ideo in te nullus defectus, nulla mutabilitas venit. Deus qui in temetipso manendo immutabilis es, sic in se transitoria condidisti, ut apud te transire nequaquam possint ; et ideo in conspectu suo tempus non defluit, quod apud nos fine decurrit. Deus in cujus æternitate fixa manent ea, quæ non fixa exterius sæculorum volumina emanant ; et ideo æternitas tua dies est una, quæ nec fine claditur, nec initio operitur. Deus qui sine mutabilitate tui simul cuncta respicis, sine distensione comprehendis, et bona quæ juvas, et mala quæ judicas, et quæ juvans remuneras, et quæ judicans damnas, in his diverso disponis ordine diversus non es. Deus qui opera tua extra circumdas, et intra reples ; supra regis, et infra*

fers : et licet sis superior per potentiam, inferior tamen per sustentationem; exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem; causa superior et inferior es sine loco; amplus sine latitudine, subtilis sine extenuatione, et ideo per molem corporis nusquam es, sed per incircumscriptam substantiam et immensibilitatem incommutabilis naturæ nusquam dees. Deinde cap. 33. sic Deum alloquitur. *Deus supra quem nihil, extra quem nihil, sine quo nihil, ultra quem nihil, infra quem nihil. Deus sub quo totum, cum quo totum, in quo totum. Deus à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Deus cujus nos fides excitat, spes erigit, charitas jungit. Deus qui petere jubes, et invenire facis, et pulsantibus aperis. Deus à quo averti, cadere est; in quem converti, resurgere; in quo manere, consistere. Deus quem nemo amittit nisi deceptus, nemo quærit nisi admonitus, nemo invenit nisi purus, aut purgatus. Deus quem nescire, mori est; quem nosse, vivere est; quem spernere, perire est; cui servire regnare est. Deus cujus pietatis ope et bene servit subjectus, et dominatur prælatus; et ideo sine te nemo eorum recto incedit tramite, vel ordine. Deus invisibilis et immense, ineffabilis et æterne, incomprehensibilis, et corpore immortalis et perpetue, incommutabilis et incircumscripte, mirabilis et benedicte, indicibilis, cui esse est vivere, sapere et intelligere, scire et posse pulchrescere et clarescere; unum et idem es, quia simplex es, et dividi non potes. Tu es ipse Deus meus vivus, et verus, Deus pius, Rex nimis magnus.*

Denique hinc S. Greg. 12. Moral. c. 17. docet viam et rationem acquirendi mentis stabilitatem et constantiam esse, si eam in Deo stabili et immutabili defigamus : qui enim in creatura cor et spes suas ponit, cum labili fit labilis : qui vero in Deo, cum stabili fit stabilis, ut nulla rerum, temporum, personarum, occupationum, passionum, vicissitudine agitetur; sed idem semper, suique similis sit, eodem vultu et animo consistens in adversis et prosperis. *De sanctis,* inquit, S. Greg. *scriptum est : Cœli enarrant gloriam Dei; qui per naturam omnes in semetipsis propriam mutabilitatem habent, sed dum immatabili veritati studiose semper inhærere desiderant, inhærendo agunt ut immutabiles fiant. Cumque ad hanc toto affectu se tenent, quandoque accipiunt ut super semetipsos ducti vincant hoc, quod in semetipsis mutabiles extiterunt,* etc. *Ipse enim in semetipso solus immutabilis est, de quo per Jacobum dicitur : Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Sancti ergo de Deo dicunt cum Psalte Psalm. 4. in quavis occupatione et perplexitate : *In pace in idipsum dormiam et requiescam, Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Quæ fuerunt ultima vota et verba S. Gorgoniæ sororis S. Gregorii Nazianzeni, iisque immortua est, teste Nazianzeno orat. 11. quæ est funebris S. Gorgoniæ.

18. VOLUNTARIE ENIM GENUIT NOS.] Probat Deum non esse auctorem tenebrarum, id est tentationis et peccati, sed lucis, id est sapientiæ, patientiæ, omnisque dati optimi et doni perfecti; quia genuit nos fecitque filios suos, lucis, inquam, sicut ipse est pater luminum. Hæc enim generatio est datum optimum, omnemque donum perfectum ambit et amplectitur. Quid enim Deus neget filiis suis?

Nota τὸ *voluntarie* S. Bern. serm. 2. ad Fratres, super hoc, *Hæc est generatio quærentium Dominum,* refert ad voluntatem hominis, non Dei q. d. Deus genuit nos reformando voluntatem nostram, ut illa ex impia, fiat pia, ex carnali, justa et sancta. In baptismo enim regeneramur involuntarie, utpote infantes; adulti vero per pœnitentiam sponte assumptam regeneramur voluntarie. *Nunc demum,* ait, *voluntaria generatio voluntarium exhibet sacrificium : juxta illud.* Psalm. 53. 8. *Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est. Hæc est generatio quærentium Dominum. Quærentium, an habentium dicam? Habentium utique et quærentium; alioqui non possent quærere non habentes. Verbo geniti, verbum habent. Nam Deus erat Verbum.* Verum græce est βουληθεὶς, id est *volens;* ut vertit S. Hier. l. 1. contra Jovin. OEcumen. *destinata voluntate;* alii *quia voluit;* alii *gratuita benevolentia.* Vox ergo, *voluntarie.* Primo, secernit generationem nostram à generatione filii Dei : Deus enim ab æterno genuit Filium, non voluntarie, sed naturaliter et necessario : nos vero generat voluntarie et libere, ita S. Athanas. serm. 4. contra Arrian. et S. Fulgent. lib. 3. ad Monim. c. 8.

Secundo, τὸ *voluntarie* significat gratuitam Dei εὐδοκίαν, id est, *beneplacitum* et *benevolentiam,* qua sine meritis nostris, imo immerentes et indignos, clementer et liberaliter vocavit, elegit, justificavit, regeneravit, juxta illud Oseæ 14. 5. *Diligam eos spontanee.*

Tertio, *voluntarie* significat nos non casu, aut fortuita Dei voluntate, sed certo consilio, deliberatione, proposito et prædestinatione Dei ab eo esse genitos : hoc enim significat βουλή. Ita OEcum. Hoc est, quod ait Apostolus Ephes. 1. 9. *Ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo,* etc., *in quo etiam et nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ ejus.*

GENUIT NOS.] Ter geniti sumus à Deo. Primo naturaliter dum nati sumus : tunc enim genuit, id est creavit, et formavit nos Deus. Ita Dionys. Secundo, in baptismo, dum in eo renati sumus. Tertio, in pœnitentia, dum post baptismum in peccata relapsi per pœnitentiam renovati et regenerati sumus. Aliqui putant S. Jacobum ad tres hasce generationes respexisse. Verum verius est eum duas posteriores dumtaxat spectasse; has enim fecit Deus *verbo veritatis.* Hoc est quod ait S. Joan. c. 1. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus : qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.*

VERBO VERITATIS.] Primo q. d. Per verbum, id est per Filium suum incarnatum, eumque *veritatis,* id est verum, et veracem. Ita S. Athanas. serm. 4. contra Arrian. S. Bern. verbis jam citatis, et OEcumen. hic. Nam, ut ait S. Joan. c. 1. 17. *Lex per Moysen data est : gratia, et veritas per Jesum Christum facta est.* E contrario generatio diaboli fit verbo falsitatis : promittit enim suis bona, sed falsa et fallacia.

Secundo, alii *verbo,* id est, jussu suo veraci, fideli et efficaci; ut veritas hic idem sit quod fidelitas, qua Deus fideliter generationem hanc

spiritalem in Christo promissam præstitit et adimplevit.

Tertio, alii *verbo*, scilicet sacramentali, dicendo in baptismo: *Ego te baptizo:* et in sacramento pœnitentiæ: *Ego te absolvo.* Unde Apostolus ait: *Mundans eum lavacro aquæ, in verbo vitæ.* Ephes. 5. 19.

Quarto, simplicius et germanius, *verbo* (Vatabl. *sermone*) *veritatis*, id est per Evangelium et veram Evangelii prædicationem, tum externam, tum magis internam per inspirationem et gratiam Christi, ita passim Interpretes. Unde S. Hieron. lib. 1. contra Jovin. Christus, inquit, virgo virginitatem docuit verbo veritatis, quod successit umbræ ac speciei quæ præcessit in lege, dedicans in seipso virgine primitias virginum suarum. Rursum *verbo veritatis*, id est, per fidem veram: hæc enim est initium justificationis et regenerationis: diciturque *verbum* metonymice, quia ex verbo Evangelii prædicato et audito concipitur et efformatur. Peccator enim audiens verbum Dei, ex fide Christi mediatoris concipit timorem et spem veniæ, et ex ea dolorem de peccatis contritionem et amorem Dei, quibus disponitur ad justificationem, quasi ad generationem spiritualem Dei.

Denique Cajetan. τὸ *verbo* explicat *ad verbum.* q. d. Geniti sumus non ad fabulas, sed ad verbum veritatis vita et voce prædicandum, et celebrandum.

Moral. disce qualis quantaque sit hæc generatio et filiatio divina; utpote per quam simus divinæ consortes naturæ, filii et hæredes Dei, ac cohæredes Christi. In ea ergo pater est Deus: semen est gratia prævenions, per Christi passionem et merita aspirata: mater est voluntas nostra: semen ejus est consensus in gratiam et vocationem Dei: proles est homo novus vivens vita gratiæ, imo ipso Deo et Christo. Hic enim per justitiam, realiter et substantialiter mentem justi inhabitat, sanctificat, informat quasi anima, dirigitque et agit ad omne bonum; uti dixit Oseæ 1. v. 10. et 2. Petri 1. 4. Vere S. Bernardus ad Fratres de monte Dei: *Formatio hominis*, ait, *institutio est moralis: vita ejus, amor Dei. Hunc fides concipit, spes parturit, charitas format et vivificat. Amor enim Dei, vel amor Deus Spiritus sanctus amori hominis se infundens afficit eum sibi. Et amans semetipsum de homine Deus, secum unum efficit: et spiritum ejus, et amorem ejus. Amorem ergo Dei in homine ex gratia genitum lactat lectio, meditatio pascit, oratio confortat et illuminat.*

Quocirca Christus Dominus ut hanc generationem et filiationem nobis procuraret, adeoque ut ipse quasi pater, imo mater nos parturiret et pareret, immensos dolores et cruciatus tota vita, sed præsertim in cruce et passione sustinuit: adeo ut videretur esse abyssus et mare dolorum, ut merito dicere possit cum Paulo: *Filioli mei quos iterum parturio, donec ego Christus formetur in vobis.* Et hoc significat hic græcum ἀπεκύησεν, *id est progenuit, parturiit, peperit, in lucem emisit.* Unde S. Bernardus serm. 16. in Cantic. *Voluntarie, ait, genuit nos verbo veritatis, non stimulo carnalis cupiditatis excussit, quemadmodum genitor carnis meæ. Deinde etiam non pepercit unigenito pro sic genito. Ita ipse quidem partem se exhibuit mihi, sed non ego meilli vicissim filium. Quanam fronte attollo jam oculos ad vultum patris tam boni, tam malus filius? Pudet indigna gessisse genere meo, pudet tanto patri vixisse degenerem.* Idem in tr. de Diligendo Deo: *Si totum*, ait, *me debeo pro me facto, quid addam jam profecto, et refecto hoc modo? Nec enim tam faciler efectus, quam factus: nam qui semel et tantum dicendo fecit, in reficiendo profecto et dixit multa, et gessit mira, et pertulit dura; nec tantum dura, sed indigna. Quid Deo retribuam pro se? nam etiamsi me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum?* Deus enim, ut ait S. Aug. plus me dilexit quam se, quia vitam suam dedit pro mea. Quanti est ut humo valeat Deum? ut pretium mortis nostræ sit mors Dei? ut lytrum vitæ meæ sit vita Dei? *Video*, ait Eusebius Emissen. hom. 6. in Pascha, *ipsum transiisse in pretium meum, quandoquidem tam pretioso munere ipsa redemptio agitur ut homo Deum valere videatur.* Quocirca merito Petrus Chrysol. serm. 70. *Homo*, ait, *redi ad Deum sit amatus à Deo, et ad illius gloriam da totum te, qui se totum propter te ad suam deduxit injuriam: et voca patrem fidens, quem tanto amore tuum probas, sentis; intelligis esse genitorem.*

Ut simus initium aliquod creaturæ ejus.] Primo, q. d. Ut simus initium Christianismi, Ecclesiæ et fidelium. Aut ut initiemur, consecremur, et dedicemur Deo. Quare perperam et impie Lutherus censuit justitiam nostram vocari *initium*, quia inchoata est tantum, non completa, eo quod permista sit cum concupiscentia et peccato mortali: unde non tam esse justitiam, quam tegmen et pallium injustitiæ: non enim esse aliud quam justitiam Christi nobis injustis imputatam. Hæc enim non renovat mentem, nec regenerat, nec facit novam creaturam, ut ait S. Paulus Ephes 4. 24. et Jacob. hic. Vide Bellar. l. 5. de amiss. grat c. 11.

Secundo et germanius, pro *initium* græce est ἀπαρχή, id est *primitiæ;* ut vertit Syrus et S. Hier. l. 1. contra Jovin. *Ut simus*, inquit, *primitiæ creaturarum ejus;* aut ut Vatabl. *ut principatum obtineamus inter creaturas ejus;* et, ut Œcumen. *ut simus primi et honoratissimi;* et, ut Beda, *ut simus cæteris creaturis meliores*, nimirum ut simus ut primitiæ ex reliquo hominum acervo Deo selectæ, ac præcipua pars totius creaturæ ejus, cum angelica natura sortem et locum accipientes dignitatis gloriæ ejus, ut scilicet simus genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, utpote elevati ad filiationem divinam, et ad jus hereditatis æternæ; ut tanquam sacrificiorum primitiæ, quæ ex optimis rebus seligi solent, offeramur Deo, participes effecti gratiæ, charitatis, amicitiæ, imo naturæ divinæ. Ita Beda, Titelman, Gagneius et alii. Sic *behemot*, id est, *elephas*, vocatur *principium viarum Dei*, Job. 40. 14. quia sua magnitudine est animalium princeps et Rex: atque ut ait S. Basilius in Hexaem. *elephantes videntur esse quidam animati montes.* Sic Proverb. 8. 22. sapientia æterna vocatur *initium viarum Dei.* Sic Christus Coloss. 3. 15. vocatur *primogenitus omnis creaturæ.* et Psal. 109. 4. *Tecum principium* (hebr. נדבות *nedabot*, id est *principatus*) *in die virtutis tuæ.* Alludit Jacobus ad illud Jerem. 2. 3. *Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus.* Israelitas enim ex omnibus gentibus elegit Deus quasi primitias in gentem et Ecclesiam suam.

Per *creaturam*, vel, ut græce est, creaturas. Primo, accipe tum homines et animantia, tum

omnia creata : horum enim primus et princeps est homo justus. Christus ergo est quasi sol justitiæ eximie fulgens, omniaque collustrans : justi sunt sicut stellæ; sed ita radiis hujus solis aspersi, ut inter omnia lucida lucidius resplendeant; suoque splendore, licet participato : sed mirifice coruscante, solem ipsum quadamtenus referant. Nam, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 113. art. 9. ad 3. bonum gratiæ est majus bono naturæ totius universi. Imo S. Aug. lib. 2. ad Bonif. c. 6. *Gratia Dei*, ait, *non solum omnia sidera et omnes cœlos, verum etiam, omnes angelos supergreditur.* Sic sumitur *principium* pro principatu Apocal. 3. v. 14. *Qui est principium* (id est, præcipuus, et princeps) *creaturæ Dei*, et Proverb. 1. 7. et alibi dicitur : *Timor Domini principium sapientiæ*, hoc est, præcipuum quiddam, et in sapientia præstantissimum. Sic sapientia dicitur *principium viarum Domini*, Job 40. 14. et *Initium vitæ hominis aqua et panis*, Eccl. 29. 28. et *Brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus illius*, id est, obtinet primas partes in dulcedine, inter omnia dulcia dulcissimus est, Eccli. 11. v. 2. ita noster Augustinus Quiros hic. Alludit ad primatum et dominium Adæ datum in animalia, cæterasque creaturas, Gen. 1. 28. quod peccato perditum recuperant justi per Christum, inchoate in hac vita, perfecte in futura.

Secundo, pressius et nervosius per *creaturas* accipe fideles recreatos et regeneratos in baptismo. Hi enim per Christi gratiam fiunt novi homines, et novæ creaturæ ipsius, ut ait Apostolus Ephes. 2. 10. *Ipsius*, inquit, *sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*, etc. 4. v. 24. *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis.* Vide ibi dicta. Dicit ergo Jacobus, primos fideles à Christo genitos esse primitias creaturarum, id est filiorum ejus, puta fidelium deinceps futurorum; ideoque primitias Spiritus Christi accepisse, quas in posteros verbo et exemplo transfunderent, et proseminarent : uti reipsa fecerunt Apostoli, Martyres et Virgines, qui primo illo sæculo in omni sanctitate efflоruerunt, ac perfectæ virtutis illustre exemplar futuris omnibus dederunt. Ita S. Fulgentius contra objectiones Arrianorum c. 3. censet Apostolos hic vocari *initium creaturæ*, quia primo à Christo fuere vocati et regenerati, ac per eos ceteri fideles : Apostoli enim acceperunt primitias Spiritus Christi. Unde addit Jacobus τὸ *aliquod*, quo significat primitias has, tum esse paucas, quæ magna deinceps fidelium sobole propagandæ et multiplicandæ sint; tum è multis selectas esse et eximias ; tum earum gratiam et dona esse tantum inchoata, complenda enim esse per gloriam in cœlo. Sic Simon Magus dicebat se esse aliquem, magnum scilicet et eximium, Actor. 8. 9. Sicut ergo elephas creatus est princeps bestiarum, homo animalium, Lucifer angelorum et populorum, Christus, omnium creaturarum; uti paulo ante dixi; ita Apostoli et viri Apostolici à Deo electi et effecti sunt principes filiorum Dei, puta fidelium, totiusque Ecclesiæ, quæ est creatura, id est, nova progenies, familia et prosapia Dei, quos proinde Patris luminum mysticos esse montes, de quibus ait Psaltes Psal. 75. 3. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis*, censent ibid. S. Augustin. et S. Hieron.

Mystice OEcumen. per primitias accipit sacerdotes, quos Deus in Ecclesia voluit esse principes et honoratissimos : sic enim Deus ex duodecim tribubus Israel pro eorum primogenitis elegit et accepit Levitas ut sibi in tabernaculo deservirent, sacraque et sacrificia peragerent, Numer. 3. 12.

Hinc infert S. Athanas. tractat. de Passione eos qui denominati sunt quasi primitiæ, si quid ex se profanis usibus tribuant, id Deo suffurari. *Illud*, ait, *sciendum quod quæcumque promisimus Deo, jam nostra non sunt, sed in ære Dei sunt; adeo ut si quid inde subtraxerimus, haudquaquam id faciamus velut quæ nostra sunt usurpantes, sed ut quæ Dei sunt sacrilegio deprædantes.* Et S. Bernard. ad Fratres de monte Dei : *Nolite*, ait, *negligere, nolite tardare : grandis vobis restat via : non solum vovistis omnem sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem, et omnis consummationis finem : non est vestrum solum attendere quid præcipiat Deus, sed quid velit. Aliorum est Deo servire, vestrum adhærere.*

19. SCITIS.] Legit ἴστε, jam legunt ὥστε, id est *itaque*, vel *quapropter*. q.d. Quapropter fratres mei sit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum. Verum Latini passim legunt ἴστε, id est, *scitis*. Est clausula dictorum, q.d. Sat scitis, ô Christiani, ea quæ dixi esse vera, et à Christo Christianis tradita; ac proinde ea plane in cor vestrum demittite, et in praxim operando redigite.

SIT AUTEM OMNIS HOMO VELOX AD AUDIENDUM.] Transit hic S. Jacobus more epistolari ad alia dogmata de formanda lingua et ira. Occasionem autem commodam eo transeundi accipit ex iis quæ vers. 5. dixit de sapientia, ac modo tum eam comparandi, nimirum per orationem ; tum ea utendi, nimirum per patientiam in sufferendis tentationibus et persecutionibus. Hic enim tres alios modos eadem comparandi, eaque utendi subnectit; è quibus primus est velocem esse ad audiendum ; secundus tardum esse ad loquendum ; tertius tardum esse ad iram. Nam nihil ita impedit sapientiam, atque tria vitia virtutibus jam dictis opposita ; nimirum Primo, tardum esse ad audiendum : Secundo, velocem esse ad loquendum ; Tertio, velocem esse ad iram. Ira enim turbat mentem, ut rem plene et sedate considerare nequeat, sed impetu feratur in cogitationes indignabundas et vindicativas; ac proinde sapientiæ, quæ quietem mentis requirit, incapacem efficit. Porro respicit S. Jacobus ad cœtus et conventus fidelium in Ecclesia, in quibus promiscue doctiores, magisque ardentes docebant et exhortabantur, prout Spiritu sancto agebantur, ut patet 1. Cor. 14. 29. in quibus subinde aliqui audaculi dicendi et docendi locum aliis modestioribus præripiebant, ut suam ostenderent sapientiam et spiritum. Quare monet eos hic Jacobus, ut in illis cœtibus humilitatis potius quam doctrinæ dent specimen, malintque audire et discere, quam loqui et docere alios. Alioqui enim in audiendis nugis, obscœnis, detractionibus, erroribus, pravis consiliis, non oportet velocem esse ad audiendum, sed claudere aures, juxta illud Ecclesiastici 28. 28. *Sepi aures tuas spinis, et linguam nequam noli audire.*

Porro in velocitate audiendi S. Jacobus subintelligit velocitatem obediendi, et audita opere exequendi; ut ipse explicat v. 22. *Non enim*, ut ait S. Paulus Rom. 2. 13. *auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Ita

Œcum. et S. Bernard. serm. de virtute obedientiæ. *Tu ergo*, inquit, *cum voluntatem cordi, simplicitatem operi, hilaritatem vultui conjunxeris, adde velocitatem, ut sis juxta Jacobum Apostolum velox ad audiendum, et ad implendum velocior.* Vide Plutarch. l. de Officio auditoris. Alludit, imo citat Jacobus Eccli. 5. 13. *Esto mansuetus ad audiendum, ut intelligas, et cum sapientia proferas responsum verum.* Ubi Syrus et Græcus habent, *esto velox ad audiendum, et cum tarditate da responsum*, pro quo Jacobus ait: *Esto velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.*

TARDUS AUTEM AD LOQUENDUM.] Hoc etiam ad concionatores spectat, ut caveant nimiam verborum volubilitatem, quam nonnulli vanc consectantur, ut facundi appareant magis, quam ut populum moveant: licet enim subinde ad pathos incitanda sit vox et oratio, tamen reliquus sermo potius sit sedatus et solidus, qualis fuit S. Gregorii, Chrysostomi, Leonis, Augustini et aliorum Patrum in concionando. Carpit Seneca volubilitatem orationis in Serapione epist. 40. *Vis ista*, inquit, *dicendi rapida atque abundans aptior est circulanti, quam agenti rem magnam, ac seriam docenti. Movere vult turbam, et inconsultas aures impetu rapere. Quomodo autem regere potest oratio, quæ regi non potest? Quis medicus ægros in transitu curat? Remedia non prosunt, nisi immorentur. Habeat vires magnas oratio, moderatas tamen: perennis sit unda non torrens.* Senecæ consonat S. Ambrosius lib. 1. Officiorum cap. 3. legens enim cum Textu Græco Eccles. 28. v. 29. *Alliga sermonem tuum*, subdit: *Ne luxuriet, ne lasciviat: sit restrictior, et ripis suis coerceatur. Cito latum colligit amnis exundans.*

Quæres hic Primo, cur S. Jacobus ad sapientiam præ reliquis requirit velocitatem audiendi, et tarditatem loquendi? Resp. Primo, quia auditus est sensus disciplinæ, teste Aristotele: unde videbimus discipulos omnes audiendo doctrinam magistri, eam haurire, fierique sapientes, juxta illud Prov. 1. 5. *Audiens sapiens, sapientior erit.* Ita S. Thomas Aquinas attente et silenter audiebat Albertum Magnum, adeo ut à condiscipulis per scomma vocaretur *bos mutus;* sed defendit eum Albertus, dicens: *Bos mutus mox tantos edet mugitus, ut eos totus audiat mundus.* Ita factum vidimus, et etiamnum fieri videmus. Auditioni autem contraria est locutio: tum quia auditio sapientiam magistri recipit, infunditque in animum audientis; locutio autem eam non infundit; sed potius effundit: tum quia auditio, est discentis, locutio docentis: satius autem tutius et utilius cuique est discere, quam docere: quia qui discit, seipsum; qui docet, alios sapientia implet. Et hoc hic intendit S. Jacobus, nimirum docere Christianos, ut potius ambiant sapientiæ Christianæ esse discipuli audiendo, quam doctores loquendo. Diu enim multumque disci debet, quod doceatur. In quo multi præcipites errant qui docere volunt, quæ non didicerunt; prius magistri, quam discipuli. Itaque ordinem naturæ et disciplinæ invertunt. Monet ergo Christianos ordinis, humilitatis et modestiæ, ut potius cupiant audire docentes, quam docere audientes: sapientis enim est, non nisi post multam auditionem, meditationem et studium prosilire ad docendum, idque tarde, et non nisi rogatum, imo jussum. Unde Pythagoras à suis discipulis exigebat quinquennale silentium, ait Beda. Celebre est illud Publii Mimi:

Tacere quisquis nescit, hic nescit loqui.

Sublimius S. Aug. epist. 132. et in psal. 139. *Verbi Dei*, inquit, *inanis est forinsecus prædicator; qui non est intus auditor.*

Secundo, quia velocitas audiendi facit, ut homo multa audiendo hauriat et cognoscat: tarditas autem loquendi facit, ut pauca et bene præmeditata loquatur: quorum utrumque est actus et praxis sapientiæ; præsertim quia loquendo facile peccatur: *In multiloquio* (enim) *non deerit peccatum, qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est*, ait Sapiens Proverb. 10. 19. Nam ex volubilitate et lapsu linguæ innumera sequuntur mala et clades, uti audiemus c. 3. 5. Unde Cato:

Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.

Scitum est illud Epaminondæ: *Homo debet esse cupidus audiendi potius, quam loquendi; quia ex audiendo doctrina, ex loquacitate pœnitentia nascitur.* Rursum audita respui possunt; dicta revocari, et indicta esse nequeunt: nam *volat irrevocabile verbum.* Quocirca Sapienter S. Aug. in Quæstionibus ad Dulcitium tom. 4. quæst. 3. *Ego*, ait, *plus amo discere quam docere*, citansque hunc locum Jacobi: *Ut ergo discamus*, inquit, *invitare nos debet suavitas veritatis; ut autem doceamus, cogere necessitas charitatis. Ubi potius orandum est, ut transeat ista necessitas, qua hominem docet aliquid homo, et simus omnes docibiles Dei.*

Tertio, quia Deus, qui est sapientissimus, hunc modum sapientiæ non tantum verbo, sed et exemplo suo præscribit. Ipse enim per æterna sæcula in sua sapientia contemplanda et fruenda conquievit, et tarde, puta initio mundi et temporis, cœpit loqui, unicoque verbo *fiat*, creavit cœlum et terram, omniaque quæ eorum ambitu continentur. Rursus Deus per quinque annorum millia, quibus stetit mundus, paucissima locutus est, nimirum ea dumtaxat quæ in Bibliis continentur; adeo ut plerique homines plus loquantur uno anno, quam Deus locutus sit per tot annorum millia. Deum ergo imitantur qui multa audiunt, et pauca sed efficacia loquuntur; qui multa agunt, pauca dicunt. Insuper Verbum incarnatum eumdem sapientiæ modum reipsa nos docuit, dum Verbum hoc infans et elingue factum est; dum scilicet puer natus est in Bethlehem: dumque idem usque ad annum ætatis trigesimum multa audivit, pauca locutus est. Nam quasi faber vitam egit in silentio: anno vero trigesimo cœpit docere, sed quam pauca sunt ejus verba quæ Evangeliis continentur, si cum abysso sapientiæ, quam in se continebat, conferantur? Sic et B. Virgo pauciloqua fuit, adeoque paucissima ejus verba in totis Evangeliis invenies: audiendi vero fuit avida, præsertim Christum. Unde de ea ait Lucas c. 1. 51. *Mater ejus* (Jesu) *conservabat omnia verba hæc in corde suo.* Sic et S. Magdalena tota intenta erat audiendis Christi sermonibus in silentio, ideoque à Christo dicitur optimam partem elegisse, Lucæ 10. 42.

Quarto, quia angeli, qui proxime inter creaturas ad Dei sapientiam accedunt, multa audiunt à Deo, sed pauca loquuntur. Lege in Scriptura dicta et nuncia Gabrielis ad B. Virginem et ad Zachariam, Raphaelis ad Tobiam, Michaelis

ad Danielem : videbis verba eorum esse rara et perpauca, ac subinde nulla. Simili modo *regum et principum est multa audire, pauca loqui*, ait Philosophus. Rursum angeli dum invicem loquuntur, uno conceptu quasi una voce, et uno mentis in ictu id faciunt, ut docent Scholastici in tract. de locutione angelorum. Idem imitantur viri magni, et sapientes.

Quinto, quia natura hunc sapientiæ modum nobis insinuat. Primo enim animalia sapientiora parum vocalia effecit, ut elephantes, simias, leones : hi enim raras, sed efficaces dant voces. Rursum aves canoræ stato modicoque tempore canunt, ut philomelæ, merulæ, cycni; garrulæ vero et stridulæ, ut passeres et hirundines, perpetuo pipiunt et garriunt. Quocirca S. Gregor. Nazianz. epist. 1. ad Celeusium arguentem ejus taciturnitatem, respondet per apologum cycnorum et hirundinum, tritumque de eis proverbium : *Tunc cantabunt cycni, cum graculi tacuerint.* Sane una in morte cycnea cycni vox gratior est omnibus graculorum stridoribus.

Simili modo magna et præstantia corpora, uti orbes omnes cœlestes, motum omnem, qui maximus, continuus et velocissimus est, sine voce et strepitu in silentio peragunt. Atque hæc est silens harmonia, et harmonicum silentium cœlorum, quod celebrat Job dicens c. 38. 37. *Quis enarrabit cœlorum rationem et concentum cœli quis dormire faciet?* Rursum in Script. legimus cœlos subinde apertos, sed raro, et non nisi gravi de causa, ad Dei laudem et hominum salutem, ut cum cœli pluerunt manna Exaudi 16. cum Pater è cœlo vocem dedit in baptismo Christi : *Hic est Filius meus dilectus.* Matth. 3. 16. cum Stephanus obiens martyrium vidit cœlos apertos, ac Christum stantem à Dextris Dei, ad ei epitulandum, ad dandum ei victoriam et coronam. Mystici cœli sunt Apostoli et Sancti, juxta illud Psal. 18. 1. *Cœli enarrant gloriam Dei.* Sancti ergo cœlos imitentur, ut os non aperiant nisi ad laudem Dei et salutem proximorum, ut scilicet manna cœlestis sapientiæ et charitatis in eos effundant. Id de se jactabat Manes hæresiarcha, qui se propterea vocabat Manichæum, quasi mannæ effusorem; sed revera erat μανής, id est, *insanus;* et Manichæus, id est, id est *maniæ et insaniæ effusor :* sanctus vero sit Mannachæus, id est, *mannæ effusor.*

Sexto, quia fabrica hominis, puta organa audiendi et loquendi, idipsum hominem docent. Primo enim solus homo rationalis inter omnia animalia vim loquendi, vocemque articulatam efformandi accepit; ut disceret rationis comitem et pedissequam esse linguam; eamque nihil eloquid debere, nisi quod ratio prius loquendum dictarit et jusserit.

Secundo, Deus homini dedit aures apertas, ut multa audiret; linguam vero duobus claustris circumsepsit, nimirum dentibus et labris, ut esset tardiloquus.

Tertio, Deus homini dedit duas aures, et unicam linguam, ut innueret duplo plura illi audienda esse, quam proloquenda. Unde S. Basilius l. de Vera virginit. *Duas aures,* inquit, *unam linguam nobis effinxit, quasi et duplum disciplinæ causa audire debeamus, et ad ea quæ interrogamur sesquialtera proportione contractum referre sermonem. Castigata ergo locutione prudens virgo utetur, eumque tempestive oportuerit quempiam alloqui, multo audiet plura quam dicet.*

Quarto aurium officium unum est, scilicet audire : linguæ plura, videlicet loqui, cibum noxium à commodo discernere : sapere, comedere, et in stomachum trajicere. Unde Varro linguam à ligando cibo dictam putat. Ita Lactant. l. de Opificio Dei c. 10.

Denique loquaces et garruli sunt pueri et feminæ, in quibus minus est rationis, sapientiæ et cerebri : viri vero sapientiores, magisque cordati sunt pauciloqui. Garrulitas ergo signum est insipientiæ, aut minoris κρίσεως : silentium vero sapientiæ, et limati judicii. Unde et nonnulli fatuum derivant à fando, quod fari gestiat, et quidvis effutiat. Nam, ut ait Sapiens Proverb. 17. v. 27. *Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est, et pretiosi spiritus* (qui scilicet spiritum novit cohibere, ne in verba temerarius erumpat, seu cujus pretiosi, id est rari et maturi, sunt sermones) *vir eruditus : stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur,* et Proverb. 29. 20. *Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quam illius correptio,* et Eccli. 21. 29. *In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientum os illorum,* ut nos aperiant nisi corde consulto. Hinc qui pueros instituunt, docent eos multa audire, et pauca loqui, ait Plutarch. de Offic. audit. Qui et tractatum concludens : *Recte vivendi,* inquit, *tirocinium est bene audire.* Sic et Sapiens Proverb. 1. 8. *Audi,* inquit, *fili mi disciplinam patris tui,* etc., fructum subdit : *Ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo.* Porro res omnium difficillimæ sunt tacere et audire, ait Gellius l. 1. c. 9. Vere S. Bernard. de Interiori domo c. 50. *Multum loqui,* inquit, *stultitia est : lingua dicitur, quia lingit adulando, mordet detrahendo, occidit mentiendo. Ligat, et ligari non potest : labilis est, et teneri non potest, sed labitur et fallitur. Labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta : uno ictu multos percutit et interficit.*

Septimo, hunc sapientiæ modum docuerunt omnes prisci sapientes, tam Gentiles, quam Christiani. Accipe Gentiles paucos selectosque è multis.

Appollodorus dicebat, *optimos homines in dicendo brevissimos esse,* ait Stobæus serm. 34. Qui et addit. Zeno philosophus audiens adolescentem nimis garrulum : *Huic,* inquit, *aures in linguam diffluxere,* significans adolescentis esse multa audire, pauca loqui : ideoque cum unicum habere os, et binas aures. Idem alteri stultiloquo : *Nisi lingua,* inquit, *in mentem instincta disseueris, adhuc multo amplius dicendo delinques.* Idem dicebat è discipulis suis aliquo esse φιλολογους, id est, studiosos rationis et scientiæ, alios vero λογοφίλους, id est, loquendi dumtaxat cupidos.

Theocritus audiens Anaximenem, dixit : *Incipit verborum flumen, mentis gutta,* significans eum esse multiloquum, sed parum sapere.

Democrates avaritiam quamdam esse dicebat omnia velle dicere, et nihil audire. Hæc omnia refert Stobæus serm. 34.

Demosthenes in convivio cuidam multa loquenti : *Si tam multa,* inquit, *sapuisses, nunquam tam multa locutus fuisses.* Idem rogatus cur unam habeamus linguam, sed duas aures. *Quia,* inquit, *duplo plus audiendum, quam loquendum.* Ita Maximus serm. 47,

Isocrates à Careone loquaci discipulo *duplicem mercedem postulavit. Alteram,* inquit, *ut loqui discas, alteram ut tacere.* ibidem.

Nicostratus dicebat : *Si continenter multa et celeriter loqui sapiendi signum esset, hirundines dicerentur nobis multo sapientiores.* Ibidem.

Xenocrates in maledictis silens, rogatus causam, dixit : *Quia dixisse me aliquando pœnituit, tacuisse nunquam.* Idem de obscœnis interrogatus, cum taceret causam postulatus ait : *De talibus te rogare decet, me autem non respondere.* Ita maximus serm. 31.

Solon cuidam dicenti, ideo illum non loqui, quod insanus esset; respondet : *Stultus silere nequit.*

Plato Dionysio tyranno roganti, num Athenis de se loquerentur? *Philosophi*, inquit, *Athenis nunquam ita vacant, aut de tam vili materia tractant, ut loqui de Dionysio valeant;* libere sugillans ejus vitam et tyrannidem. Ita Fulgos. l. 6.

Lacedæmoniis propria erat verborum paucitas, unde breviloquentia vocatur Laconismus. Cum ergo Abderitarum legatus apud Agidem dicendi finem non faceret, ac responsum postularet. Agis, respondit : *Illud tuis venantia, quantum temporis tibi opus fuit ad dicendum, tantum me silentem audisse.* Ita ei loquacitatem exprobravit, teste Plutarch. in Lacon.

Idem Samiorum legatis multiloquis dixerunt: *Prima sumus obliti, postrema non intelleximus, quia prima non meminimus.* Idem ibidem.

Læbotus cuidam prolixo in sermone dixit : *Quid mihi de re pusilla longa texis præmia?* Lacon de luscinia dixit : *Vox es, præterea nihil.* Idem dicas garulo : et tamen lucinia dicitur philomela, eo quod lugens canat. Audi Martiale l. 14.

> Flet philomela nefas incesti Tereos; et quæ
> Muta puella fuit, garrula fertur avis.

Ibidem Charillus roganti, cur Lycurgus tam paucas leges dedisset Lacedæmoniis? *Quia*, inquit, *pauca loquentibus paucis etiam legibus est opus*, sensit nimirum pleraquemala ex multiloquio nasci. Ibidem.

Accipe fideles et Christianos, Sponsa Ecclesia à Christo sponso audit Psal. 44. 11. *Audi filia et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum; quoniam ipse est Dominus Deus tuus.* Deut. 27. 9. *Attende et audi Israel;* Sept. *Audi Israel et tace*, quod præceptum pulcherrimum vocat Philo libro. *Quis rerum divinarum heres.* S. Joannes Baptista Joan. 3. 29. se nuncupat amicum sponsi (Christi) *qui stat et audit eum, et gaudio gaudet propter vocem sponsi.*

S. Greg. Naz. epist. 98. ad Cledonium : *Sermone*, ait, *tacemus, ut quæ loqui opus sit discamus*, et epist. 102. ad Eulalium. *Tu solitudini et immodico jejunio das operam, et silentio.* S. Amb. l. 1. Offic. c. 2. *Lex dicit*, ait, *Audi Israel Dominum Deum tuum. Non dicit, Loquere, sed Audi. Ideo Eva lapsa est, quia locuta est viro, quæ non audierat à Domino Deo suo. Prima vox Dei dicit tibi : Audi, si audis, custodi vias tuas; et si lapsus es, cito corrige. Tace ergo prius et audi, et non delinques in lingua tua.*

S. Basilius in monasterio silentium coluit per tredecim annos, totus vacans lectioni sacræ Scripturæ et orationi : silentium enim est verbi nutrimentum, uti docet S. Greg. hom. 12. super Ezechielem, qui et l. 5. Mor. c. 8. *Silere*, ait, *est mentem à terrenorum desideriorum voce restringere, ut ad superna attollatur :* juxta illud Ps. 45. *Vacate, et Videte, quoniam ego sum Deus.* Tert. in stilo strictus est et concisus, ideoque nervosus et efficax, æque ac S. Hieron.

S. Aug. in Ps. 51. *Sicut*, inquit, *eligis quo vescaris, sic elige quod loquaris.*

Idem in Psal. 139. explicans illud, *Vir linguosus non dirigetur : Quales*, inquit, *esse debet servus Dei? ut magis optet audire, quam dicere; sicut scriptum est : Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Et si fieri potest hoc cupiat : non habere necessitatem loquendi et docendi; sed audire illum cui dicitur : Auditui meo dabis gaudium et lætitiam. Gaudium autem taciturnitatis intus habeat in voluntate, vocem doctrinæ in necessitate.* Et mox : *Quare vis loqui, audire non vis? semper foras exis, intus redire detrectas. Qui enim te docet, intus est : quando tu doces : tanquam foras exis ad eos qui foris sunt.* Unde concludit : *Non ergo amemus magis exteriora, sed interiora. De interioribus gaudeamus, in exterioribus autem necessitatem habeamus, non voluptatem.* Idem in Evangelio secundum Lucam serm. 32. *Prædestinati in vitam æternam*, inquit, *operibus loquantur, non vocibus*, et serm. 69. de Tempore : *Noe*, inquit, *etsi tacebat voce, opere loquebatur : silebat lingua, fabricatione clamabat*, scilicet imminere diluvium : ut hoc enim evaderet, fabricabat arcam.

S. Bern. serm. 18. in Cant. ait doctorem debere esse conchan audiendo et retinendo non canalem effundendo dumtaxat verba sapientiæ, instar Christi, *de cujus plenitudine omnes accepimus. Disce*, inquit, *et tu non nisi de pleno effundere nec. Deo largior esse velis. Concha imitetur fontem. Non manat ille in rivum, nec in lacum extenditur, donec suis sacietur aquis*, etc. *Implere prius, et sic curato effundere.* Idem in Octo punctis perfectionis : *Bis*, ait, *ad limam veniant verba, quam semel ad linguam. Plus diligas audire, quam audiri; ut interrogatio magis aperiat os tuum, quam ad non interrogata respondere.* De silentio plura dixi Threnor. 3. 26. Isaiæ 30. 15. et c. 32. 17. Mora itaque pensanda sunt verba, et ad rationis obrussam examinanda, ut non nisi clave mentis os pandamus. Ita S. Chrys. in Ps. 50. *Os nostrum*, ait, *perpetuo custodiamus, rationem ei tanquam clavem adhibentes.* Proverb. 29. 11. *Totum spiritum suum profert stultus, sapiens differt et reservat in posterum.* Quem locum illustrant Septu. *Totam iram suam profert insipiens : sapiens autem dispensat per partes.* Explicat Cassianus collat. 16. c. 27. quid sit per partes iram dispensare; *sapiens autem paulatim eam maturitate consilii ac moderationis extenuat et expellit.* Nec minus congrue Seneca l. 2. de Ira c. 28. *Maximum remedium est iræ mora : desinet, si expectat : nec universam illam tentaveris tollere : graves habet impetus primos. Tota vincetur, dum partibus carpitur.* Hæreant vero in animo ad hoc præstandum, luculenti illi versus Ovidii 3. Tristium eleg. 3.

> Quo quisque est major, magis est placabilis iræ :
> Et faciles motus mens generosa capit.

Ita Julius Cæsar omnes conjuratorum Epistolas simul exussit, quod tantopere celebrat Seneca lib. 2. de Ira c. 23. *Gratissimum enim putavit genus veniæ* (adde etiam tutissimum) *nescire quid quisque peccasset.*

ET TARDUS AD IRAM.] Ut ira velox et prædominans non præveniat, secumque in præceps trahat rationem et voluntatem; sed tarde eam

velut pedissequa sequatur, nec nisi jussa aculeum suum exerat, ubi opus arduum iram, quasi cotem virtutis exposcit. Jungit S. Jacobus tardum ad iram tardo ad loquendum. Primo, quasi suggerens remedium tardiloquentiæ. q. d. Vis esse tardus ad loquendum, esto tardus ad iram. Communiter enim præcipitatio linguæ oritur ex præcipitatione mentis, quam parit ira; et vicissim præcipitatio linguæ parit jurgia, iras et rixas: sicut ex adverso tardiloquentia facit hominem tardum ad iram. Secundo, quia, ut ait S. Gregor. 5. Mora. 30. *Per iram sapientia perditur, ut quid, quove ordine agendum sit omnino nesciatur: quia nimirum intelligentiæ lucem subtrahit, cum mentem permovendo confundit.* Idem docet Sapiens Eccles. 7. 10. *Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit.* Efficacissimum enim iræ remedium est, vindictæ, vel operis in ira concepti dilatio, ait Seneca l. 3. de Ira c. 1. Unde Athenodorus philosophus abiens ultimum hoc monitum dedit Augusto Cæsari: *Iratus nil dicas, aut facias, priusquam alphabetum integrum recitaveris*, teste Plutarcho in vita Augusti. Sapientius S. Ambros. Theodosio Imper. qui ira, licet ex parte justa, commotus Tessalonicenses jusserat necari, præcepit ut legem conderet, qua neci à se adjudicatos vetaret plecti ante trigesimum diem à lata sententia elapsum. Ita nimirum Deus laneos habet pedes, sed ferreas manus; quia tardo ad vindictam pede progreditur, sed cum accedit acriter punit, et tarditatem vindictæ gravitate compensat.

Præclare S. Gregor. l. 5. Moral. c. 30. damna iræ recensens: *Per iram*, inquit, *gratia vitæ socialis amittitur, concordia rumpitur, lux veritatis amittitur, Spiritus sancti splendor excluditur; iræ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit exasperantur oculi, et nequaquam recognoscuntur amici*, et Cassianus collat. 16. *c.* 27. *Hæc*, ait, *natura est iræ; ut dilata languescat et pereat, prolata vero magis magisque conflagret. Dilatanda ergo atque amplianda sunt pectora, ne angustiis pusillanimitatis arctata, iracundiæ turbulentis æstibus oppleantur*, et paulo ante docet, iram vincendam esse non fuga, sed amplexu ejus cui irascimur. *Nisi enim*, inquit, *iracundia proximi humili statim satisfactione vincatur, provocat eam fugiens potius, quam declinat.* Idem l. 8. de Instit. renunt. c. 6. docet iram nobis datam, ut irascamur vitiis, eaque perimamus. Unde Nazianz. in carmine de Ira: *Irascor*, inquit, *iræ dæmoni intus condito;* quia ira ex homine facit feram, puta leonem, tigridem, serpentem, imo diabolum; ut iratus et furens non videatur esse homo, sed dæmon incarnatus.

Remedia quibus vincenda est ira, assignavi Ephes. 4. 25. Plura vide apud S. Basil. Senecam, et Plutarchum tract. de Ira, Cassianum toto l. 8. de Instit. renunt. et S. Gregor. 5. Moral. 30. ad illud Job. 5. *Virum stultum interficit iracundia*, et S. Amb. lib. 1. Offic. c. 21. v. 21. inter alia ait: *Morum tranquillitas usu quodam affectionis proposito in naturam vertatur, ira ratione reprimatur, se præoccupaverit mentem, ne relinquas locum tuum. Locus tuus patientia est, locus tuus ratio est, locus tuus sedatio indignationis est. Si non potueris mitigare mentem, reprime linguam.* Et inferius: *Si irascimini, nolite peccare, sed vincite ratione iracundiam. Vel certe sic; Si irascimini, vobis irascimini, quia commoti estis, et non peccabitis. Qui enim sibi irascitur, quia cito commotus est, desinit irasci alteri: qui autem vult iram suam justam probare, plus inflammatur, et cito in culpam cadit. Melior est autem secundum Salomonem, qui iracundiam continet quam qui urbem capit: quia ira etiam fortes capit.* Ait enim Salomon Proverb. 16. 32. *Melior est patiens viro forti: et qui dominatur animo suo, fortior est expugnatore urbium.*

20. IRA ENIM VIRI JUSTITIAM DEI NON OPERATUR.] Deus enim sine ira cum tranquillitate judicat, Sapient. 12. 18. Unde S. Clemens l. 2. Constit. c. 37. *Ubi est ira*, inquit, *ibi non est Dominus, sed amica Satanæ.* Hinc Elias iratus cultoribus Baal, vidit Deum in specie non turbinis, sed auræ lenis, quæ symbolum est mansuetudinis, animique placidi et sereni. 3. Reg. 19. 12. Nominat *justitiam* præ aliis virtutibus, quia ira induit nomen et prætextum justitiæ: iratus enim putat asseritque se justam sceleris et injuriæ sibi irrogatæ ultionem deposcere. Ita ergo justitiæ specie se velat et palliat.

Jam varii varios hic dant sensus. Primo, Cajetan. q. d. Deus ad operandam et exercendam justitiam non constituit iram, sed judices: illi ergo justitiam justamque vindictam exerceant, non ira et iratus, esto possit, viresque habeat ad se ulciscendum.

Secundo, Nilus Abbas tract. de ira explicat, q. d. Ira non amat, sed odit justitiam, ac proinde adeo non operatur justitiam, ut injustitiam, sævitiam et crudelitatem operetur: est enim miosis: parum enim dicitur, sed plus significatur.

Tertio, S. Hieron. l. 2. contra Pelag. Ira, inquit, Dei justa est, et justitiam operatur; quia Dei ira quieta est, et ratione ducitur: nec enim in Deo aliud est ira quam apetitus justitiæ, justæque vindictæ: ira vero viri injusta est, quia de perturbata mente procedit.

Quarto, S. Gregor. l. 5. Moral. c. 30. *Ira viri*, inquit, *justitiam non operatur, quia dum perturbata mens judicium suæ rationis exasperat, omne quod furor suggerit rectum putat.* Ita ergo pro justitia substituit furorem, eumque censet esse justitiam: quia adeo cæca est, mentemque excæcat, ut unum contrariorum pro altero cernat; velut si quis turbato visu, id quod album est cerneret nigrum, et vice versa.

Quinto genuine et adæquate *justitia* hic generatim sumitur pro qualibet virtute. q. d. Ira operatur, id quod justum, æquum, rationi consonum et sanctum est, sed multa perpetrat contra mansuetudinem, charitatem, patientiam, prudentiam, æquitatem, cæterasque virtutes, quas exigit et complectitur justitia Christiana. Alludit S. Jacobus ad Ecclesiastici 1. 28. *Qui sine timore est*, grece ανηρ θυμώδης, id est, *vir animosus, audax et iracundus:* (audacia enim eique, affinis ita opponitur timori, ut docent Ethici) *non poterit justificari: iracundia enim animositatis illius, subversio illius est.* Ira ergo extinguit in animo irati omnem patientiam, humanitatem, charitatem, justitiam, etc.

Recte S. Thomas 3. p. q. 15. art. 9. ad 1. quærens an in Christo fuerit ira, cum S. Jacobus dicat iram non operari justitiam? respondet iram tunc proprie dici operari, cum prævenit rationem, eamque secum rapit ad operandum: secus est cum sequitur rationem, ejusque est instrumentum, uti fuit in Christo et sanctis. *Ira*, inquit, *dupliciter se habet in homine; quando-*

que enim prævenit rationem, et trahit eam secum ad operandum, et tunc proprie ira dicitur operari: nam operatio tribuitur principali agenti! Et secundum hoc intelligitur, quod ira viri justitiam Dei non operatur. Quandoque vero ira sequitur rationem est quasi instrumentum ipsius; et tunc operatio quæ est justitiæ, non attribuitur iræ, sed rationi, quæ ira utitur quasi cote animi ad opus arduum, v. g. justæ vindictæ. Accepit hoc S. Thomas à S. Gregorio, qui lib. 7. epist. 126. Recharedum Regem Gothorum, monens eum ne in regendo iram admisceat: *Curandum*, inquit, *est, ne ira surrepat. Ne fiat citius omne quod licet. Ira quippe cum delinquentium culpas exequitur, non debet quasi domina præire, sed post rationis tergum velut ancilla famulari, ut ad faciem jussa veniat; nam si semel mentem ceperit, justum esse deputat etiam quod crudeliter fecit. Hinc enim scriptum est: Ita viri justitiam Dei non operatur.* Ex adverso de S. Mose dicitur Ecclesiastici 45. v. 4. *In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne.* Ita S. Augustinus epistol. 75. ad Auxilium Episcopum juvenem, qui ex ira videbatur præcipitasse sententiam excommunicationis in Classianum; monet ut oret, et exclamat ad Deum: *Turbatus est præ ira oculus meus, miserere mei Domine, quoniam infirmus sum; ut porrigat dexteram suam, et comprimat iracundiam tuam, et tranquillet mentem tuam ad videndam faciendamque justitiam. Sicut enim scriptum est: ira viri justitiam Dei non operatur.* Ita S. Ambrosius l. 1. Offic. c. 21. laudat Architam philosophum, quod ad villicum suum dixerit: *O te infelicem quam te afflictarem nisi iratus essem! Sed etiam David armatam dexteram in indignatione compresserat: et bellatores aversus Nabal ad ultionem paratos, Abigali deprecatione revocaverat*, 1. Regum 25. Idem Ambros. de obitu Theodosii Imper. eum laudat à dominatu iræ, dicens: *Beneficum se putabat, et tunc propior erat veniæ, cum fuisset commotio major iracundiæ. Prærogativa ignoscendi erat indignatum fuisse, et optabatur in eo, quod in aliis timebatur, ut irasceretur.* Idem l. 2. Offic. c. 7. *David, inquit, fortis in prælio, mansuetus in imperio, patiens in convitio ferre injurias. Ideo tam charus erat omnibus, ut juvenis ad regnum etiam peteretur invitus, resistens cogeretur, senex ne prælio interesset à suis rogaretur, quod mallent omnes pro ipso periclitari, quam ipsum pro omnibus.*

21. PROPTER QUOD ABJICIENTES OMNEM IMMUNDITIAM, ET ABUNDANTIAM MALITIÆ, IN MANSUETUDINE SUSCIPITE INSITUM VERBUM.] Multi hæc referunt ad iram, de qua proxime sermo præcessit. q. d. Ut abjiciatis iram, abjicite immundas cupiditates: hæ enim dum amantur, excitant iras et rixas contra eos qui easdem ambiunt, et nobis eripere aut præripere satagunt. Alii. q. d. Cum ira non justitiam, sed injustitiam, omnemque iniquitatem operetur, hac de causa eam abjicite; quia ipsa animam facit immundam, eamque sordidat, excitando motus ambitionis, avaritiæ, invidiæ, luxuriæ, omniumque cupiditatum; sed præsertim malitiæ et malignitatis, puta odii, vindictæ, calumniæ, homicidii, etc.

Aptius hæc referemus ad omnia præcedentia, etiam remotiora, ac præsertim ad vers. 18. ubi dixit, *Voluntarie nos genuit verbo veritatis;* hoc enim vocat hic *insitum verbum quod potest salvare animas;* q. d. Cum regenerati simus verbo veritatis, effectisque filii Dei, sagatamus hanc regenerationem, novamque vitam et filiationem divinam tueri et conservare, ideoque abjiciamus omnem immunditiam et malitiam, quæ eam vel maculant, vel infirmant, vel interimunt. Porro in nomine *immunditiam* respicit ad concupiscentiam, à qua nos tentari, trahique ad mortem dixit, v. 14. et 15. in nomine vero *malitia* respicit ad iram, quam immediate ante cavendam monuerat: tam enim concupiscentia, quam ira filiationi divinæ, novæque Christianorum vitæ repugnat.

Pro *immunditiam* græce est ῥυπαρία, id est, spurcitia, sordes, fæx, retrimentum, situs, squalor, illuvies, pædor: cum vero transfertur ad animum, significat avaritiam, animum illiberalem, parcum et sordidum. Inde enim ῥυπαρὸς vocatur sordidus, spurcus, illiberalis, avarus. Proprie ergo S. Jacobus taxat hic avaritiam: hæc enim suscitat iras, lites et jurgia: hæcque erat prima tentatio Christianorum: dum enim ob fidem Christi à Judæis et Gentilibus patiebantur persecutionem et rapinam bonorum, tentabat eos avaritia, ut ea conservarent, non tantum ad impatientiam, sed et ad fidem, vel negandam vel certe dissimulandam. Tangit itaque tentationis, de qua initio fuse egit, fontem et radicem, ut ea succisa succidat tentationem. q. d. O Christiani patimini spoliationem bonorum propter Christum: ea spernite, omnemque eorum cupiditatem et avaritiam ex animo evellite: ita facile sustinebitis omnem hanc persecutionem; ita stabitis firmi et constantes in fide, gratia, novaque generatione Christi, quam ultro suscepistis, ῥυπαρία enim, et sordidi animi est, ut bona caduca retineas, perdere fidem, gratiam, animam, ipsumque Deum. Sic hodie ῥυπαροὶ sunt avari, qui ut aliquot obolos, denarios vel aureos lucrentur, fallunt, fraudant, pejerant, negligunt sacrum Missæ officium die festo, aliasque Dei leges violant. Hi enim obolo, vel denario instar Judæ vendunt Christum, id est, Christi legem, gratiam, amicitiam, suamque conscientiam et vitam æternam. Unde merito de ea dixit Apostolus 1. Timoth. v. 10. *Radix omnium malorum est cupiditas*, græce φιλαργυρία, id est, *cupido pecuniæ, sive avaritia.* Hoc sensu accipi potest *immunditia*, ut vertit Noster, pro sordibus avaritiæ; ut omnem immunditiem abjicere sit idem, quod omnes sordes avaritiæ abjicere. Porro hæc avaritia non in solis opibus, sed in qualibet alia re locum habet, uti mox pluribus dicam.

Secundo, tamen ῥυπαρία, id est, *spurcitia* potest significare luxuriam, gulam, omniaque vitia carnalia, quæ proprie vocantur *immunditia*, quia in se spurca sunt, et corpus animumque conspurcant, juxta illud Apostoli 1. Cor. 6. 18. *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suam peccat.* Ita per immunditiam vitia carnis accipit Beda, Thomas Anglicus, Salmeron, et alii passim. Præclare Clemens Alex. orat. ad Gentes. *Ego*, ait, *calcare terram didici, non adorare.*

ET ABUNDANTIAM MALITIÆ.] Perperam Beza vertit, *et excrementum malitiæ;* περισσεία enim abundantiam significat, non excrementum. Quæres: Quænam hæc malitia? Primo, aliqui accipiunt nimiam sollicitudinem rerum temporalium, quam ex animis fidelium volens evel-

lere Christus, dicit Matth. 6. 34. *sufficit diei malitia*, id est sollicitudo et afflictio *sua*. Hæc enim sollicitudo inflammat iram, impatientiam, aliarumque tentationum, de quibus egit S. Jacobus, est causa.

Secundo alii pro *malitiæ* vertunt timiditatis, ignaviæ, probri dedecoris, hæc enim significat Græcum κακία apud Thucydidem et Demosthenem. q. d. Abjicite nimiam timiditatem et ignaviam quasi ingens probrum et dedecus, hæc enim facit vos persecutioni cedere, patientiam perdere, fidem prodere. Ita Catharinus.

Tertii alii proprie *malitiam* accipiunt pro animo malo, pravo, fallaci, versuto, duplici, superbo, nocendi cupido. Ita Hugo per *abundantiam malitiæ* accipit abundantem pravitatem cordis, sed latentem; quæ proinde dicitur abundans, quia *simulato æquitas ex duplex iniquitas*. Sic et Glossa interlinearis: Abundantia malitiæ, inquit, est interior pravitas, peculiaris improbis qui abundant divitiis, præsertim cupido vindictæ, ait Lyran.

Quarto, κακία, id est, *malitia*, sumi potest pro κακωσει, id est *malignitate*, maledicentia et maleficentia, qua quis fit maledicus et calumniator, aliosque vexat et turbat. Sic Callimachus pictor dictus est κακιζότεχνος, quasi κακιζων τὴν τεχὴν, id est, *maledicens, improbans accusans suam artem et picturam*, de quo Plinius l. 34. c. 9. *Ex omnibus*, ait, *maxime insignis est Callimachus calumniator sui, nec finem habens diligentiæ: ob id* κακιζότεχνος *appelatus, memorabili exemplo adhibondi curæ modum*. Tales κακιζοτεχνοι, sunt multi, qui omnia censent, carpunt, improbant, spernunt: itaque omnibus molestias, sibi odia et rixas creant. Quocirca Hugo ait, immunditiem esse in cogitatione prava, malitiam in voluntate perversa, abundantiam malitiæ in operatione iniqua.

Quinto, Œcum. et Beda per *abundantiam malitiæ* accipiunt peccandi consuetudinem, habitum, pertinaciam et destinatum propositum.

Sexto, Cajetan. Serarius et Salmeron *malitiam* generaliter accipiunt pro quovis vitio quo voluntas ad malum accenditur; ideoque vocari *abundantiam malitiæ*, quia scilicet malitia abundet, imo exuberet in perniciem aliorum.

Septimo, alii censent per exaggerationem hic addi *abundantiam malitiæ*: idem enim esse quod immunditiem, sed eam aggravare et exaggerare: Gentes enim in immunditiem et luxuriam erant profusæ, ideoque abundantes in malitia.

Omnes hi sensus probabiles sunt, sunt probabiliores tamen, nostræque Latinæ versioni congruentiores videntur tertius et quartus. Ubi adverte, *abundantiam malitiæ* hic vetari à Jacobo, non quasi parcitas malitiæ permittatur; sed το *abundantia* significat proprietatem malitiæ. q. d. Abjicite malitiam, quia ipsa ex sua natura et indole ebullit, abundat et redundat in omne malum: sicut enim vinum recens ebullit, egeritque continuo spumas et fæces: sic malitia semper ebullit, eructat et suggerit quaslibet malas cogitationes, locutiones et actiones, omnesque fraudes et nocendi artes. Sic peccatum malitiæ opponitur peccato infirmitatis, vel fragilitatis: Theologi enim peccatum ex sua causâ in tres distinguunt species; aliud enim committitur ex ignorantia, aliud ex infirmitate, aliud ex malitia.

Denique Emmanuel Sà, et Maldonatus in Notis ad novum Testamentum, quas vidi legique in Collegio Romano, censent hic esse hebraismum, ut *abundantia malitiæ* idem sit, quod abundantia mala, id est, quidquid male abundat, omnis superfluitas. Hanc enim significat περισσεια κακίας; περισσεία enim est superfluitas, redundantia, exuberantia, et omne id quod modum excedit, puta excessus qui honesti et rationis limites transgreditur; sicque recte opponitur ei ῥυπαρία: hæc enim sunt duo extrema, ideoque vitiosa, nimirum ῥυπαρία et περισσεια, id est *avaritia et superfluitas*, parsimonia et prodigalitas, quæ cavenda monet S. Jacobus, ut teneatur medium in quo consistit virtus. q. d. Nolite esse parci nec prodigi; nolite esse sordidi et avari, nec superflui et profusi in vestris opibus, sumptibus, familiis, actibus et rebus quibuslibet; sed in omnibus auream mediocritatem servate, ac cor ab omni affectu æque ac defectu vitioso liberum, ut sit capax seminis divini, et facile suscipiat insitum verbum salutis. Hic sensus valde congruus, nervosus et connexus est. Ubi Nota, πὸ κακίας tam ad ῥυπαρίαν, quam ad περισσειαν referri posse, quasi dicat: Cavete omnem malam, tam avaritiam et tenacitatem, quam copiam et superfluitatem: est enim utrique adversa bona tam tenacitas, quam copia. v. g. Tenacitas veritatis bona est æque ac copia liberalitatis, sive eleemosynæ. Docet ergo S. Jacobus malitiam et vitium in extremis consistere, puta in excessu et defectu; bonitatem vero et virtutem in medio, puta in moderatione et mediocritate: ideoque omnes surculos et fibras malitiæ è corde nostro esse evellendas, ut nimirum semen verbi divini ei inseri, cohære, radices agere, et bonorum operum fruges germinare ac producere possit.

In mansuetudine.] *Mansuetudinem* opponit malitiæ: mansuetudo enim facit cor docile, capaxque seminis verbi divini, cujus incapax et indocile facit malitia, juxta illud Eccli. 5. v. 13. *Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas et cum sapientia proferas responsum verum*. Mansuetudo enim est mentis serenitas, tranquillitas, claritas, quæ facile capit sapientiam, cernitque omne verum: unde ipsa est quasi aqua limpida, vel speculum tersum, in quo rerum imagines clare perspiciuntur; ex adverso malitia et ira est mentis turbatio, tumultus, tempestas et obscuritas, unde similis est aquæ turbidæ, et speculo pulveribus obducto, in quo nihil recte videri potest, præsertim quia sicut malitiæ et iræ individua comes est superbia, ita mansuetudinis comes et socia est humilitas, quæ necessaria et optima ad sapientiam est dispositio, adeoque eam à Deo emendicando meretur accipere. Insuper mansuetudinem exigit S. Jacobus uti matrem patientiæ, quæ fidelibus illo ævo in tantis persecutionibus et tribulationibus erat necessaria; quam proinde eis v. 1. et deinceps impense commendavit.

Suscipite.] Id est, susceptum retinete; significatur enim actus non inchoatus, sed continuatus et perfectus. Loquitur enim fidelibus, qui jam verbum fidei susceperant, quos monet ut illud studiose conservent, augeant et promoveant.

Insitum verbum.] Male Œcum. λόγον vertit, rationem, quæ opponitur iræ: agitur enim hic de verbo non de ratione; unde Syrus vertit, *verbum quod est insitum in natura nostra* græce ἔμφυτον, quod Œcumen. et Vatab. vertunt, na-

turale, nativum, verum, non fictum, sicut Sap. 12. 10. ex adverso vocatur ἔμφυτος πονηρία, naturalis malitia obstinatorum. Melius alii passim hic ἔμφυτον vertunt, inditum, insertum, implantatum, sicut fit cum ramus unius arboris alteri inseritur, et, ut agricolæ loquuntur, inoculatur, vel implastratur, quam Græci et Latini vocant emphyteusin. Sic enim videmus pomo arbori inseri ramum piri, per eumque producere pira. Simili modo voluntati nostræ inseritur Dei verbum, fides et gratia quasi surculus et ramus divinus, per eumque voluntas nostra producit opera supernaturalia fidei, spei, charitatis, patientiæ, martyrii, cæterarumque virtutum. Ubi adverte, τὸ *insitum*, significare verbum Dei, fidem et gratiam non esse nobis connaturalia, sed aliunde, puta divinitus insita, ideoque gratuita, et supernaturalia. Secundo, opera fidei et gratiæ non tam esse tribuenda, voluntati, quam fidei et gratiæ: ex voluntate enim tantum accipiunt libertatem, scilicet quod sint opera vitalia, humana et libera: ex fide vero et gratia accipiunt suam dignitatem et speciem, scilicet quod sint opera supernaturalia fidei, charitatis et gratiæ: sicut arbor pomus enim cum per insertum ramum piri producit pira, esto succum suum ei communicet; tamen quod pira producat, non poma, ramo piri inserto acceptum ferre debet, non sibi. Alibi S. Paulus et Script. vice versa dicit nos inseri Christo, quasi Christus sit arbor, cui nos quasi rami, vel surculi inseramur, ut ab eo vitam, succum et vigorem gratiæ sugamus, juxta illud Romam. 6. 5. *Si complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus*, et 1. Joannis c. 4. 16. *Qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in eo.* Sic S. Paulus Roman. 11. 17. ait gentes infideles et impias, quasi oleastros, per fidem et gratiam insertos esse in bonam olivam, puta in Christum, ut dulces pinguesque charitatis et bonorum operum olivas producant.

Quæres, quodnam est hoc *insitum verbum*, quod à nobis suscipi jubet S. Jacobus? Respond. Primo, Concil. Viennense esse Christum, sive Verbum incarnatum: hoc enim si per fidem et gratiam suscipiamus, salvabit nos: ejus enim incarnatio simillima est insitioni, sive inoculationi arborum. Primo enim sicut arbori agrestiori aut steriliori inseri solet surculus arboris melioris et feracioris, ut per eum ponat suam agrestem sterilitatem, fructusque meliores et copiosiores producat: ita carni nostræ et humanitati infecundæ et sterili, in horto uteri beata Virginis, operante Spiritu sancto, insertum fuit verbum divinum, ut ex humanitate ei et divinitate fieret una hypostasis, unumque suppositum quasi una arbor, quod per ramum Verbi divini fructus divinos, dulcissimos et optimos produxit; vice versa dici potest, quod humanitas quasi ramus in Christo inserta sit Verbo et divinitati quasi arbori et trunco. Deitas enim et hypostasis divina sustentat humanitatem et humanam naturam in Christo, non autem vice versa hypostasis humana sustentat divinam, hic enim fuit error Nestorii.

Secundo, sicut ramus resecatur ab una arbore ut alteri inseratur; ita Christus descendens in carnem quasi ablatus fuit, et resectus à sinu Patris, ut è cœlesti paradiso transplantaretur in terrestrem.

Tertio, sicut arboris, cui insitio facienda est, ramus præscinditur, ut ei alterisque melior inserantur: ita ab humanitate Christi ablata et quasi præcisa est hypostasis humana et creata, humana et creata, ut ei hypostasis divina communicaretur, et quasi inseretur.

Quarto sicut ramus arbori insitus cum ea coalescit, fitque una arbor: ita humanitas Verbo insita cum ea coaluit in unam eademque personam.

Quinto, sicut ramus colligatur arbori ut coalescat: ita colligata est divinitas humanitati per vinculum unionis hypostaticæ. Præclare S. Bernard. serm. 3. de vigil. Nativit. *Nihil Deo sublimius*, inquit, *nihil vilius limo, et tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaque dignitate limus ascendit ad Deum, ut quidquid in eo Deus fecit, limus fecisse credatur; quidquid pertulit limus, Deus in illo pertulisse dicatur.*

Sexto, sicut in vere flante austro cum arbores sudant, ac in gemmas prorumpunt, facienda est ramorum insitio; ita incarnatio Verbi facta est in vere, puta 25. die Martii, quo conditus est mundus ut eum repararet et renovaret.

Hinc secundo, nonnulli per *insitum verbum* accipiunt Eucharistiam. In ea enim Christus nobis nostroque stomacho et menti realiter et substantialiter inseritur, et quasi inoculatur; sed ita ut nos potius convertat in se, quam ipse convertatur in nostram substantiam et qualitatem, uti ait S. Aug. Verum hoc mysticum est, litterale.

Alii per *verbum insitum* accipiunt Christum cruci affixum. Arbor enim crucis erat dignum silvestræ et sterile; juxta illud: *Maledictus omnis qui pendet in ligno*, Galat. 3. v. 13. Christus autem generosum et fœcundum fuit virgultum, juxta illud Isaiæ 4. 2. *In illa die erit germen Domini in magnificentia, et gloria, et fructus terræ sublimis.* Hoc igitur virgultum per clavos insitum et inexum fuit in crucem, tuncque crux uberrimos orbi protulit fructus, juxta illud Jerem. 33. 15. *Germinare faciam David germen justitiæ.* Verum hic sensus accommodatitius est et concionatorius, non genuinus.

Tertio, *verbum insitum* est Verbum Dei, puta S. Script. et Evangelium. Ita Beda, Glossa, Gagneius, Cathar. et Cajetan. Dicitur *insitum*, ut distinguatur à congenito, puta à lumine rationis nobis à natura ingenerato. Unde S. Thom. explicans illud Ephes. 6. 18. *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei. Prædicatio*, inquit, *dicitur gladius spiritus, quia non penetrat usque ad spiritum, nisi ducatur à Spiritu sancto.* Dicitur ergo *insitum*, quia per Apostolorum prædicationem et audientium fidem animis credentium à Spiritu sancto inseritur et inspiratur.

Ubi Nota appositas analogias inoculationis surculi in arborem, et insitionis verbi in animam. Multæ enim conditiones in insitione arborum servandæ sunt, quas recenset Columella l. 5. c. 11. Varro l. 1. de Re rust. Plinius lib. 17. c. 14. et alii. Prima est, sicut ramus per insitionem arbori inseritur; ita Christus per prædicationem et fidem menti inditur. Secunda, sicut ramus nativus præscinditur ut alter melior inseratur; ita in lege veteri circumcidebatur caro præputii, ut fideles insererentur Ecclesiæ et gratiæ Dei: in lege autem nova circumciditur anima resecando peccata ei vitia, ut Dei fides et

gratia menti inseri possit. Tertia ut ramus unius arboris commode alteri inseri possit, debet ei similis esse in cortice : ita Christus nobis inseritur, quia externa specie et quasi cortice, puta humanitate ; nobis est similis. Quarta, findendus est ramus usque ad medullam, ut ei alter surculus inseri et agglutinari possit; ita findenda est anima usque ad cor, et intimum ejus sinum per amorem Christi, ut ei ipse Christus inseri et inoculari, ac, ut ita dicam, incordiari intimeque uniri possit, sicut vicissim usque ad cor fissus et transfixus est in cruce, ut nostro cordi uniri posset. Unde Canticor. 4. v. 9. dicit: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa*, ubi pro *vulnerasti* hebr. est לבבתני *libbathani*, id est, abstulisti mihi cor, transfixisti mihi cor, excordiasti me: amans enim amato care debet cor, ut, sicut in oculatione rami, ejus medulla medullæ arbori ; ita cor amantis cordi amati uniatur et inseratur. Quinta, ramus insitus arbori, ei bubulo fimo et luto colligandus, et contra frigus æstumque muniendus est : ita meditatione nostri fimi et luti, id est, miseriæ humanæ mortis et novissimorum, anima Christo colliganda, et contra omnes acediæ, gulæ, luxuriæ, aliorumque vitiorum tentationes munienda est. Sexta, insitio arborea facienda est in vere, flante Austro : ita insitio spiritualis optime fit in juventute et ætate florida, afflante Spiritu sancto. Juventus enim flexilis est; omnemque insitionem recipit: senectus vero si in vitiis enutrita consenuit, difficile inolitos mores et vitia deponit, ac proinde perdifficile est virtutes oppositas ei inserere. Septima, surculi inserendi præscindendi sunt ex arbore nimirum triennali : item ex ramis novis, qui spectant Orientem, iidemque ramis alterius arboris Orientem pariter spectantibus inserendi sunt : ita verbum Dei animæ indendum, hauriendum est à sancta Trinitate, et à Christo, cujus nomen est Oriens, Zachar. 6. v. 12. ac vicissim animæ ad Orientem, hoc est, parti superiori, qua cœlum cœlestia spectat, vitamque novam et spiritualem desiderat, inserendum est. Octava, sicut arbor silvestris quæ prius nihil producebat, aut non nisi pruna agrestia, per inoculationem piri producit pira dulcia et sapida ; ita anima inculta et cupiditatibus luxurians, quæ prius nonnisi opera gulæ, luxuriæ, superbiæ, etc., producebat, per insitionem verbi et gratiæ Dei producit pira suavissima sobrietatis, castitatis, humilitatis, charitatis, etc., ita Clemens Alexandr. 6. Stromat. 6. ubi quatuor insitionis corporalis species recenset, easque mystice totidem speciebus insitionis spiritualis accommodat. Nona, ramus insertus ramum, arboremque cui inseritur quasi maritat, et arctissimo conjugii vinculo sibi copulat: ita Christus per verbum Dei despondet sibi animam fidelem, juxta illud 2. Corinth. 11. v. 2. *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Rursus ramus insertus ramum alterum cui inseritur quasi adoptat, juxta illud Ovidii lib. 1. de Remediis Amoris :

Venerat insitio, fac ramum ut ramus adoptet.

ita Christus per verbum, fidem et gratiam nos sibi in filios et heredes adoptat. Decima, sicut ramus insertus alteri cui inseritur, firme cohæret, adeoque unus cum eo fit idemque, ita Christus per fidem et gratiam firme animæ nostræ copulatur et unitur, ut nisi per hostilem voluntatem abjiciatur et resecetur, perpetuo animæ conjunctus, et quasi conjugatus maneat. Undecima, insitio arbori est instar culturæ : facit enim ut melior sit, melioremque ac magis digestum succum trahat, indeque meliorem fructum producat, ita insitio fidei et gratiæ animam animalem, excolit innovat, perpolit, ut succum cœlestem imbibat et induat, indeque cœlestes actiones producat. Hinc disce quam utile sit audire, legere, ruminare verbum Dei : sic enim illud menti inserendo, eam innovamus ; cœlestemque facimus, ut omnis ejus succus, id est, cogitatio, et affectio, et fructus, id est actio, sit spiritualis et cœlestis : sicut ex adverso legere, audire, ruminare verba vana, carnalia, lasciva, maledica, hominem facit vanum, carnalem, lascivum, maledicum. Unde S. Ambrosius lib. 9. in Lucam c. 20. *Ut tener surculus*, inquit, *veteri excisus ab arbore in alterius fœtu radicis inseritur : ita populus sanctus surculi veteris cicatricibus enodatis, in novo illo crucis ligno tanquam gremio piæ parentis fotus inolescit, Spiritusque sanctus in hoc carcereum corpus infusus velut in altus demissus terrarum scrobes, aquæ salutaris irriguo diluit quidquid est fœtidum membrorumque nostrorum habitus in cœlestem erigit disciplinam.*

Mystice hæc omnia facile adaptes verbo Dei inspirato, hoc est, inspirationi divinæ : hanc enim inserit menti Spiritus sanctus, adeoque verbum Dei frustra à concionatoribus prædicatur exterius, nisi illud interius prædicet, mentique inserat Spiritus sanctus, sive autem ipse illud per concionatorem exterius, sive per se solum interius menti inspiret et inserat, parum refert : idem enim utrobique est gustus et fructus. Transit enim in naturam nostram, facitque nos Deo fructificare, ut ait Thomas Anglicus.

Quod potest salvare (Syrus, *vivificare*) animas vestras,] nimirum eas regenerare, eisque tribuere novam nativitatem, eamque supernaturalem, hic per gratiam in futuro per gloriam. Respicit S. Jacobus ad id quod dixit ver. 18. *Voluntarie enim nos genuit verbo veritatis ;* verbum enim veritatis est verbum insitum animæ nostræ à Spiritu sancto, ad peragendam hanc divinam generationem, quæ fit per remissionem peccatorum, infusionem justitiæ et sanctificationem, quam indies innovare et augere possumus et debemus. Hoc est quod ait Paulus. Roman. 1. vers. 16. *Non enim erubesco Evangelium : virtus enim Dei est in salutem omni credenti,* et c. 10. v. 10. *Corde creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem.* Vide ibi dicta. Porro verbum Dei salvat animam, non per solam fidem ei credendo, ut volunt hæretici ; sed ei obediendo, illudque opere et vita complendo, ac præsertim multa pro fideles et Martyres. Illud ita esse docet S. Jacobus dum subdit:

22. Estote autem factores verbi, et non auditores tantum.] q. d. Quod dixi : *Suscipite insitum verbum*, intelligo sic, ut non tantum illud audiatis et credatis, sed et ut idem opere perficiatis. *Scienti enim bonum et non facienti, peccatum est illi,* ait S. Jacobus c. 4. 17. et Christus Lucæ 11. v. 28. *Beati,* inquit, *qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud,* adeoque *Jesus cœpit* primo *facere, et* deinde *docere,* Actor. 1. v. 1. Christo enim *scientia erat norma vivendi, vita dicendi.* Non enim præclarius scivit, quam sanctius vixit ;

nec docuit majora quam fecit. Christum ducem imitati sunt omnes Sancti. Ita S. Paulus : *Imitatores*, ait, *mei estote, sicut et ego Christi*, 1. Corinth. 11. S. Gregor. homil. 29. in Evang. dicenti: *Ego jam credidi, ergo salvus ero*, respondet: *Verum dicit, si fidem operibus tenet : vera etenim fides est, quæ in hoc quod vertis dicit, moribus non contradicit. Hinc enim est quod de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit*, ad Titum 5. *Qui confitentur nosse Deum, factis autem negant. Hinc Joannes ait* epist. 1. cap. 2. *Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est. Tunc enim veraciter fideles sumus, si, quod verbis promittimus, operibus complemus.* S. Augustinus serm. de blasphemia in Spiritum sanctum: *Scopus*, ait, *Christianæ religionis est, ut quæ ex doctrina veritatis didicimus, opere impleamus. Non enim auditores legis justi sunt apud Deum; sed factores legis justificabuntur.* Nervose Nazianz. orat. 27. *Opus*, inquit, *sermone fortius est.* Et S. Bernardus ad Eugenium Pontif. l. 2. de Consider, c. 7. *Audi*, ait, *canticum meum, et quidem minus suave, sed salutare. Monstruosa res gradus summus, et animus infimus : sedes prima, et vita ima : lingua magniloqua, et manus otiosa : sermo multus, et fructus nullus : vultus gravis, et actus levis : ingens auctoritas, et nutans stabilitas.* Vide dicta Actor. 1. 1.

FALLENTES VOSMETIPSOS,] παραλογιζομενοι ἑαυτῶν, id est, paralogismo et fallaci argumentatione decipientes, et in errorem seducentes vosmetipsos, uti faciunt Sophistæ. Hoc enim est sophismo diaboli et hæreticorum, scriptum est: Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: ergo bonis operibus non est opus, sed sola fides ad salutem sufficit. Rursum : Beatus est qui audit et suscipit verba Dei : valeant ergo opera et labores, abeant cruces in malam crucem. Sed respondendum est, neminem prudenter audire et credere, nisi auditis et creditis obediat, eaque in opus redigat. Porro *infelicius est decipere quam decipi*, ait S. Eucherius epist. ad Valerianum; sed infelicissimum est decipere seipsum, et decipi à seipso, præsertim ubi æterna salus agitur. Ita hodie plurimi seipsos fallunt; auditoribus enim verbi Dei plena sunt templa, sed factoribus vacua. Tot millia crebro audiunt conciones, et vix unus est qui vitam in melius commutet ; nimirum quia audiunt verbum Dei ut carmen musicum aures titillans; non mentem feriens, uti queritur Ezech. c. 33. 32.

23. QUIA SI QUIS AUDITOR EST VERBI, ET NON FACTOR, HIC COMPARABITUR VIRO CONSIDERANTI VULTUM NATIVITATIS SUÆ.] Id est, nativum cum quo natus est; non fictum, non pictum, non personatum. Nota τὸ *viro*, innuit viros non uti, sed abuti speculo : mulierum enim φιλοκοσμων, non virorum, est speculum et imago. Unde S. Paulinus Nolæ Episcopus, et eum imitatus nuper Cardinalis Bellarminus, rogantibus amicis ut permitteret se depingi, suique imaginem suis operibus præfigi, acute et religiose respondit : *Vel capitis depingere meum veterem hominem, vel novum ? Si veterem, ille deformis est; nec pictura, sed latebris dignus : si novum, ille necdum perfectus.*

IN SPECULO.] Nota, Sicut speculum dicitur in quod inspicimus, et speciem, id est imaginem, nostram contemplamur; sic hic verbum et lex Dei vocatur speculum, quia in eo nos inspicimus et speciem animæ contemplamur; ut videamus quantum à virtutis perfectione distemus, et maculas animæ intuentes eas abstergamus et eluamus. Verbum enim et lex Dei ostendit clare sine fuco et adulatione præcepta virtutum, et prohibitiones vitiorum omnium ; illis addens promissa et præmia, his minas et supplicia ; ut illas nobis imprimat, hæc è mente eradat. Unde S. Augustinus scripsit librum quem vocavit *Speculum*, quia in eo colligit sententias morales S. Scripturæ de Virtutibus et vitiis ; ut in eo *Credens*, inquit, *cui Deo obedire voluerit ; se inspiciat quantumque in bonis moribus operibusque profecerit, et quantum sibi desit attendat.* Idem in Psalm. 103. conc. 1. *Vide*, ait, *si hoc es, quod dixit* (Psaltes ;) *si nondum es, geme ut sis. Renuntiavit tibi speculum faciem tuam : sicut speculum non sentit adulatorem, sic nec te palpes.* Et S. Leo serm. 11. de Dundrag. *Artifex misericordia Dei*, inquit, *splendidissimum in mandatis suis condidit speculum, in quo homo suæ mentis faciem inspiceret ; et quam conformis imagini Dei, aut quam dissimilis esset, agnosceret.* Speculum enim ita pingit Virgilius in Epigramm.

Imago in unda.
Redditur effigies liquida spectantis in unda :
Qualem rejectat speculi nitidissimus orbis.
Effigies liquido respondet ab æquore fontis.
Qualis et à speculo simulatrix umbra resultat.

Pari modo ait S. Bernard. serm. 1. de septem panibus : *Evangelium speculum veritatis, neminblanditur nullum seducit, talem in eo se quisque reperiet, qualis fuerit, ut nec ibi timore trepidet ubi non est timor; nec lætetur cum male fecerit.* Et citato hoc loco S. Jacobi : *Nos autem fratres consideremus nosmetipsos in ea quam audivimus S. Evangelii lectione, ut proficiamus ex ea, et corrigamus, si qua in nobis deprehendimus corrigenda.*

Hujus rei symbolo jusserat Deus Exodi 30. 8. fieri labrum æneum ex speculis mulierum; ut in eo sacerdotes sacrificaturi se lavantes inspicerent, et si quid maculatum, vel incompositum invenirent, detegerent et componerent. Nam, ut ait S. Gregor, hom. 17. in Evangelia; *Specula mulierum sunt præcepta Dei, in quibus se sanctæ animæ semper aspiciunt, et si quæ in eis sunt fœditatis maculæ, deprehendunt. Cogitationum vitia corrigunt, et quasi renitentes vultus velut ex reddita imagine componunt : quia dum præceptis Dominicis solerter intendunt, in eis procul dubio quid in se cœlesti viro placeat, vel quid displiceat agnoscunt.*

Sicut ergo feminæ dum se comunt et ornant, studiose se in speculo intuentur, ut omne quod fœdum in facie viderint eluant, eamque pulchre per omnia componant : ita Christianus debet assidue intueri speculum verbi et legis divinæ, ac juxta eam se totum moresque omnes reformare et exornare, scribit Lud. Vives in S. August. lib. 18. Civit. c. 13. basiliscum sic occidi: circumdant venatores se undique speculis, in quæ cum ille se introspicit, venenati specierum visualium radii ex oculis egressi, vi speculi ad ipsummet reflectuntur, itaque eum inficiunt et enecant: ita peccator scelerum suorum radices in lege Dei intuens et ad se reflectens compunctus interimit illa peccata, quæ tam fœda et legi Dei repugnantia conspicit, novumque hominem induit. Hoc est quod ait S. Paulus 2. Cor. 3. 18. *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini spe-*

culantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini spiritu. Nam, ut ait S. Aug. 15. Trinit. c. 6. *Speculantes dixit per speculum videntes* (hoc enim est κατοπτριζόμενοι) *non de speculo prospicientes. Transformamur ergo, dicit, de forma in formam mutamur, atque transimus de forma obscura in formam lucidam;* ut scilicet simus imago Dei, eumque quasi exemplar ad quod creati sumus repræsentemus; dum conformamus nos verbo tum animato et incarnato, puta Christo; tum scripto, præcepto et audito: de eo enim ait Psaltes Psal. 112. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* Et Prov. 6. 23. *Mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ increpatio disciplinæ.* Præclare S. Leo serm. 1. de Quadrag. *Hæc*, ait, *nostri generis est dignitas, si in nobis quasi in quodam speculo divinitatis forma resplendeat.* Hinc utilissimum est crebro intueri, legere, vel audire vitam Christi et Sanctorum, quæ est quasi lex viva et speculum animatum, ut ex eo mores nostros corrigamus, vitæque Christi et Sanctorum conformemus. Efficacia enim sunt sanctitatis exempla; quia Sancti fuerunt homines debiles et infirmi, uti sumus nos, et quod illi per gratiam Dei potuerunt quoque possumus.

Nota τὸ *vultum nativitatis suæ*, id est, nativum et genuinum (hunc enim significat Græca vox γενέσεως) significat nos in speculo non intueri imaginem vultus nostri, ut vulgus putat, sed ipsummet vultum per speciem non directam, sed reflexam. Aliter ergo videmus rem in speculo, aliter in imagine; quia ad imaginem quasi objectum adæquatum terminatur visio, ex qua mens assurgit ad rem, cujus est imago, imaginandam et contemplandam: in speculo vero imago quæ videtur, non est imago, sed est ipsissima res objecta speculo, visa in eo per sui speciem, à speculo ad oculum videntis reflexam, ita ut visio proxime terminetur ad faciem propriam, illaque sit objectum visus (non imago speculi) in quod ipse immediate per speciem illam reflexam fertur: illa ergo imago visa in speculo non est imago, sed est ipsissima hominis facies, prout per speciem in speculo, et à speculo reflexam videtur. Quare delira fuit Acco anus, quæ in speculo seipsam quasi in imagine intuens, cum ea quasi cum alia muliere colloquebatur, arridebat, minabatur, etc., de qua Rhodiginus l. 17. c. 2. Ferunt et eos qui rapiunt catulum tigris, illi insequenti speculum è vitro objicere in quo ipsa se intuens, visa sui in speculo imagine, putans illam esse suum catulum, in eo contemplando hæret, reptoremque cum catulo abire permittit.

Sed audi hanc quæstionem utrimque ventilantem, et definientem nostrum Franc. Aguilonium l. 1. Opticorum proposit. 46. *An imago illa*, inquit, *quæ in speculo cernitur, species sit, an res ipsa? Alii aiunt, alii negant. Speciem esse his argumentis probari videtur. Primo, quia id quod in speculi profunditate oberrat, non tam verum aliquod corpus, quam phantasticum et imaginabile esse potest. Unde illud à S. Jacobo usurpatum cap. 1. Si quis auditor est verbi, et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo*, etc. *Deinde res vera minime ibi est, ubi idolum apparet. Est ergo hoc aliud à reipsa: at nihil aliud esse potest quam species; ergo quod in speculo cernitur species est, non res vera. Contra non speciem, sed rem ipsam in speculo videri, argumento est, quod phantasia in profunditate speculi imitersa appareat: si autem species esset, ea in speculi superficie ubi terminatur, necessario videretur. Non est ergo species; sed res ipsa quam in speculo cernimus. An quomodo res intra speculum videtur, cum ibi non sit? Resp. in omni specierum inflexione rem alio loco, quam revera sit, apparere. Idem est de imagine*, sive de virunculo (unde ab Hebræis vocatur אשון *iscon*) *quem in alterius pupilla cernimus. Est enim illa velut à convexo speculo repercussa intuentis simulacrum: cornea enim tunica propter lævorem formas rerum objectarum remittit, at rebus ipsis minores propter sphæricam convexitatem.* Sic mystice in verbo et lege Dei non imaginem aliquam, sed ipsissimam Dei voluntatem, Deumque ipsum quasi in speculo intuemur, amplectimur et reveremur.

CONSIDERAVIT ENIM SE, ET ABIIT, ET STATIM OBLITUS EST QUALIS FUERIT.] Hinc Romæ vir quidam solers mihi quæstionem proposuit, an speculum vim aliquam habeat inducendi oblivionem sui potius, quam alterius subjecti in eo visi; id enim videtur innuere hic S. Jacobus. Verum nil tale est, nec tale quid significat S. Jacobus: speculum enim eodem modo, eadem claritate et efficacitate repræsentat vultum proprium, atque alienum, ac proinde tam quis obliviscitur vultus alieni, quam proprii, si eum in speculo dumtaxat inspexerit: sed quia vultum alienum, quem in speculo inspexit, cominus in se sine speculo per speciem directam intueri potest, et sæpe intuetur; hinc magis menti et memoriæ imprimit imaginem ejus, quam proprii, quem in se directe intueri nequit, sed tantum reflexe in speculo. Reflexæ enim species refranguntur, ideoque debiliores sunt, et debilius feriunt oculum et mentem quam directæ: unde Apostolus 1. Corinth. 13. visionem per speculum vocat obscuram et ænigmaticam. *Videmus*, ait, *nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Ita Dionys. Carthus. *Imago*, inquit, *in speculo habet debile esse, et intentionale potius quam reale; ideo debilem facit impressionem: quia modus agendi sequitur modum essendi, ac propterea ex tali impressione sequitur labilis in mente cognitio, indeque facilis oblivio.* Idem docet Aguilonius l. 1. Optic. propos. 46. *Cur*, inquit, *adeo debilis figura in speculo ostenditur? Resp. quia repercussione languescit. Unde cum eadem ex uno speculo in aliud et aliud reflectitur, secunda reflexio obscurior est prima, et tertia quam secunda, atque eodem ordine cæteræ.*

Quapropter speculum divini verbi et legis identidem nobis inspiciendum est; ut ejus memoriam in mente renovemus, nutriamus, acuamus, adeoque vivaciter imprimamus, ut voluntatem feriat, compungat et ad opera bona adigat. Hoc significat S. Jacobus cum dicit: *Consideravit enim se, et abiit.* q. d. Obiter et in transitu contemplatus est se in speculo; ideoque abiens et in alia objecta incurrens, *statim oblitus est quasi fuerit*, id est, qualem se viderit in speculo: unde nec maculas eluere, nec incomposita componere curat. Simili enim modo qui obiter verbum Dei audit, et illico ad negotia terrena resque caducas animum transfert, statim obliviscitur et speculi et sui, id est, et legis divinæ et morum suorum, ut eos corrigere et legi

divinæ adæquare non curet, præsertim si speculum hoc legis divinæ intueatur non tam utilitatis, quam voluptatis et curiositatis causa, nimirum ut pascat oculos et aures, vana ejus cognitione et eloquentia; non autem ut illam in praxim redigat, vitamque illi conformet. Sic enim curiose multi, viri præsertim (unde solerter ait S. Jacobus, *similis est viro*, non mulieri : hæc enim se aspicit in speculo ut mundet, et ornet) intuentur se in speculo, ut videant an senes appareant, an juvenes; an pulchri, an deformes; an sereni, an morosi et rugosi; uti Claudian. l. 1. in Eutropium, de Laide se in speculo contemplante ait :

Seque reformidat speculo damnante senectus,

et Ovidius lib. Trist.

Flet quoque, ut in speculo rugas aspexit aniles
Tyndaris.

Videre ergo in speculo, est proverbium significans, videre superficialiter dumtaxat, ita ut penitus rem non perspicias, nec ejus intima penetres : unde 1. Cor. 13. 12. *Videmus*, inquit, *nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. q. d. Videmus nunc divina per fidem superficialiter, sed in cœlo et visione Dei per speciem intima eorum conspiciemus. Hinc et S. Jacobus visioni in speculo quasi superficiali opponit perfectionem, qua penitus res inspicitur et perspicitur : cum subdit : *Qui autem perspexit in lege*.

Quocirca apposite Petrus Blesensis serm. 51. ait, triplices esse verbi Dei auditores, pigros, activos, contemplativos : primos audire, et contemnere : secundos audire, et auditis obedire : tertios audire et in amplexu obdormire. Primos esse quos hic tangit S. Jacobus, qui nimirum audito verbo Dei cogitantes de morte, judicio et inferno compunguntur ; sed mox conversi ad terrenas curas et illecebras, ejus obliviscuntur. Eosdem noster Joannes David in imagin. duodecim speculorum comparat cum iride, quæ solis quoddam est speculum, ut ait Seneca l. 1. Natur. quæst. c. 4. sed in perfectum et evanidum, quia partes aliquæ nubis sunt crassiores quam ut solem transmittant, aliæ tenuiores quam ut excludant : quo fit ut in iride sit color igneus à sole, cæruleus à nube, cæteri ab utriusque mixtura.

Memorabile est quod scribit Theodor. in Historia SS. Patrum cap. 4. de Eusebio Anachoreta spectante arantes in agro. *Cum*, inquit, *divinus Ammianus, legisset locum Evangelicum, sciscitaretur autem interpretationem, jussit magnus Eusebius ut repeteret lectionem. Cum is autem dixisset : Illis qui arant forte delectatus, minime exaudisti; suis deinceps oculis legem tulit, ut neque campum illum unquam contemplarentur, neque cœlesti pulchritudine et chori astrorum aspectu fruerentur : sed angustissima utens semita, cujus mensuram aiunt fuisse unius palmi, ferente ad oratorium, extra eam deinceps egredi non est passus. Dicunt autem eum plusquam quadraginta annis vixisse post hanc legem. Quin et cum lumbos zona ferrea alligasset, et gravissimum collare collo imposuisset, alio ferro conjunxit zonam collari, quod erat collo impositum, ut hoc modo inclinatus cogeretur assidue in terram despicere.* Has ipse de se exegit pœnas neglectæ auditionis Evangelii.

Moraliter ex speculo et speculante se in eo, disce quale sit verbum Dei, ejusque auditor. Primo enim, sicut in speculo videtur, non imago rei, sed res ipsa per speciem non directam, sed rellexam : ita in verbo Dei videtur ipsa Dei voluntas, ipseque Deus, uti verbum mentis cernitur in verbo oris; quasi in speculo. Hinc tritum est ænigma speculi apud Symposium :

Nulla mihi certa est, nulla est peregrina figura :
Fulgor inest intus radianti luce coruscus;
Qui nihil ostendit, nisi quidquid viderit ante.

Secundo, specula plana imagines exhibent ipsis rebus æquales, convexa vero minores : utraque quo longius absunt, eo minora reddunt idola, uti docet Aguilonius l. 5. Opticor. propos. 56. et seq.

Unde et Plinius lib. 33. c. 9. *Eadem*, inquit, *vi in speculis usu polita crassitudine, paulumque propulsa dilatatur in immensum magnitudo imaginum. Tantum interest, repercussum illum respuat, an accipiat*, etc. *Plurimumque refert concava sint et poculi modo, an depressa, an elata, an aversa, an obliqua, supina, an recta, qualitate excipientis figuræ torquente venientes umbras. Nec enim est aliud illa imago, quam digesta claritas materiæ excipientis umbram.*

Pari modo verbum Dei plane, aperte et candide auditum, lectum et ruminatum, Dei voluntatem omnino nobis exhibet, et quasi adæquat. At vero si verbum Dei timore quodam sapientiæ et eloquentiæ humanæ exornatum fucatumque audias vel legas, minus in eo Deum Deique voluntatem cernes, minusque pios erga eam mentis et voluntatis motus persentices. Quocirca præcones verbi Dei debent esse sinceri, liberi, nec curare auditorum querelas, juxta illud S. Hieron. ad Nepotian. de vita Clericorum : *Neminem specialiter meus sermo pulsavit, generalis de vitiis disputatio est : qui mihi irasci voluerit; ipse de se quod talis sit confitebitur*. Nam, ut ait Clemens Alex. l. 1. Pædag. c. 9. *Sicut speculum non est malum deformi, quod ipsum ostendat, qualis sit : et sicut medicus non est ægroto malus, quod ei febrim annuńciet : non enim medicus est causa febris, sed ipse febrim arguit : ita nec is qui reprehendit, ei male vult, qui laborat animo, neque ei delicta adjungit; sed ea quæ adsunt peccata ostendit, ad hoc ut avertat ab hujusmodi studiis.*

Tertio, uti virgines nubiles pulchritudinis et ornatus studiosæ, diu multumque seipsas speculantur in speculo, omnesque nævos et maculas, etiam minimas, quas in eo vident, emaculant et extergunt, ac totam faciem, vestes, gestus et motus ad speculum formant et componunt : ita fidelis qui salutis et pulchritudinis animæ suæ studiosus est, has virgines æmulari, imo superare debet, ut assidue se in verbo Dei intueatur, moresque et vitam omnem cum lege et voluntate Dei conferat et componat, idque in dies melius semper et melius.

Quarto, *Specula concava adversa solis radiis facilius accenduntur, quam ullus alius ignis*, ait Plin. l. 2. c. 107. adeo ut stupas, chartam, manum, aliaque opposita adurant et inflamment : ita si humili corde humilem Dei legem, ideoque radios divini ardoris excipientem, diutius et penitius intueamur, ab eodem amore divino accendentur. Nam, ut ait Psaltes Psalm. 11. 7. *Eloquia Domini eloquia casta* (sicut) *argentum igne examinatum*, et psal. 118. 140. *Ignitum elo-*

quium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud.

Quinto, speculorum acies et fulgor menstruis mulieris hebetatur, ait Plinius l. 7. c. 15. ita luxuria et vitiis carnalibus in anima offuscatur et quasi hebetatur verbum Dei, ut à luxurioso et carnali vix cerni et cognosci queat. Unde idem Plinius l. 11. c. 37. *Hominum dentibus*, ait, *quoddam inest virus. Namque et speculi nitorem ex adverso hebetant, et columborum fœtus implumes necant.* Dentes enim symbolum sunt, gulæ, æque ac dicacitatis, calumniæ et detractionis, quibus quasi nubibus verbum Dei obvelatur, ut ægre perspici queat. Porro idem Plin. l. 28. c. 7. remedium assignat, aitque hebetata aspectu specula recipere nitorem, si nullum piscem secum habeant, qui, ut idem l. 9. c. 18. durus est, ut nunquam percoqui possit, nisi ferula verberatus; ita duritie et asperitate vitæ superatur gula et libido, ac verbum Dei intuenti pristinus ejus fulgor redditur.

Sexto, multum interest quod situ, qualibusve oculis speculum intuearis: aliter enim videbis rem in speculo si ad lævam, vel ad dextram; aliter si directe et æqua distantia illud inspexeris, rursum aliter videbis si obliquis, limis, aversis, etc., oculis illud intuearis, planeque qualiter speculum inspexeris, taliter illud vicissim se, imo te, tuique imaginem tibi exhibebit. Si accedis, accedit; si recedis, recedit; si transis, transit; si procumbis, procumbit; si irrides, irridet; si irasceris, irascitur; si percutis, repercutit. Ita qualem te Deo Deique verbo exhibes, talem vicissim ille se tibi exhibebit, uxta illud psal. 17. 26. *Cum sancto sanctus eris*, etc. *et cum perverso perverteris.* Intuere ergo hoc speculum; puta Dei verbum, in eoque Deum ipsum directis, fixis et benignis oculis; et ille iisdem vicissim te aspiciet.

Septimo, Plinius l. 33. c. 9. *Specula*, inquit, *optima apud majores fuerunt Brundusina, stanno et ære mixtis: prælata sunt argentea. Primus fecit Praxiteles Magni Pompeii ætate; nuperque credi cœptum certiorem imaginem reddi auro opposito aversis.* Ita optima virtutum et vitiorum specula sunt leges et sententiæ illæ S. Script., quæ instar argenti clare, et instar æris ac stanni fortiter et constanter intonant minas et supplicia, legum violatoribus, à Deo decreta. Hisce enim acies mentis repercussa in se reflectitur, humiliatur, compungitur, cum Deo, Deique lege in gratiam redit.

Ita in oraculo et minis Jonæ, quasi in speculo Ninivitæ intuiti sua scelera, pœnituerunt in sacco et cinere, vitam mutarunt, excidium à Jona comminatum evaserunt, Jonæ 3. Idem fecit David in oraculo Nathan. 2. Reg. 12. 13. et Nabuchodonosor in oraculo Danielis cap. 2. 46. et Cornelius ad prædicationem S. Petri Actor. 10. 25. Ita Babylas mimus et magus, habensque duas concubinas, adiens Ecclesiam audiensque Evangelium, dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*, Matth. 3. omnibus sese abdicavit, factusque est monachus, ac concubinis ut idem facerent persuasit, teste Joanne Moscho in Prato spirit. c. 32.

Memorabile est quod scribit Sozomen l. 2 c. 4. et ex eo Bron. Anno, inquit, Domini 350. Miles fuit in Persia civitatis cujusdam Episcopus, cumque in ea prædicando nihil proficeret, civitatem execratus inde discessit; quare Sapores urbem obsedit, evertit, et in agrum convertit: ita ultus est Deus neglectum verbi sui et legis Evangelicæ. Simile extat in vita S. Laurentii Justiani Venetiarum Patriarchæ.

In Vitis Patr. lib. 2. cap. 90. refertur quod, cum quidam apud Arsenium quereretur, se verba S. Script. audire sed non capere, nec ex ea fructum percipere, responderit Arsenius: *Fili mi, necesse est ut magno ardore meditationi divinæ doctrinæ insistas: audivi enim à Patribus, quod serpentum incantatores verba quibus serpentes effascinant, non intelligant; serpentes autem audientes verba, ea intelligant, eorum vim percipiant, eique obediant. Idem et nobis faciendum est: etiamsi virtutem et efficaciam sacrarum litterarum plane non intelligamus, attamen virtutem verborum diaboli percipiunt, et fugantur.*

Ita S. Chrysantus assidue legens sacros libros in iisque sese intuens, et fidelis et sanctus et Martyr effectus est, uti habet ejus vita apud Surium die 25. Octob. c. 2.

Ita S. Antonius audiens in Ecclesia: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo:* atque hoc speculum jugiter intuens, ad illud totam vitam conformavit teste S. Athanas. Idem de S. Francisco scribit S. Bonaventura. Nam, ut ait S. Paulus 2. Timoth. 3. 16. *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.*

Denique in hoc verbi Dei speculo assidue et ardenter speculantes et excolentes se S. Laurentius, Vincentius, Cæcilia (quæ assidue Evangelium gestabat in pectore) Agnes, Augustinus, Basilius, Gregorius, Chrysostomus, omnesque sancti Doctores, Martyres, Virgines, Confessores ad heroica martyrii, virginitatis, religionis, contemptus mundi, ceterarumque virtutum opera sese extimulantes, tanti evaserunt, quantos eos legimus et suspicimus. De hisce respectu nostri vere dixeris illud Plauti in Mostell. *Quid opus speculo tibi, quæ tutæ speculo speculum es maximum*, eis enim speculo legis non erat opus, qui nobis ejusdem viva facti sunt specula.

25. QUI AUTEM PERSPEXERIT,] intus, usque ad medullas, ait Hugo, Tigurina, *Qui autem perspexerit.* Græce enim est παρακύψας, id est, qui fixis intentisque oculis incumbens penitus introspexerit: opponit hunc ei, qui obiter et leviter se consideravit in speculo, et abiit, ideoque oblitus est qualis fuerit, et quid in se corrigere debeat, παρακύπτειν enim est inclinato capite, et collo curvato, pronoque corpore, intento vultu et oculis in obliquum aspicere, uti faciunt, qui per fenestram proni et procumbentes transversis oculis venientes euntesque curiose observant. Unde proverbium: περὶ ὄνου παρακύψεως, de asino qui cum ab agasone neglectim ageretur, in transitu caput in tabernam vel officinam inseruit, et vasa evertit. Ita Budæus in Comment. linguæ Græcæ. Sensus ergo est, q. d. Qui non obiter, sed studiose; non negligenter, sed attente; non confuse, sed accurate quasi totus incumbens in speculum legis Christi, in illudque oculos obliquans et retorquens, illud introspexerit, explorarit, vimque ejus et efficaciam penetrarit, hic id quod vidit in opus conferet, facietque quod lex docet et jubet; itaque in facto suo beatus erit. Quocirca minus recte

Œcum. παρακύψας, vertit *qui transpexerit, et quasi in transitu aspexerit :* licet enim Græcum παρά aliquando significet *trans, obiter, cursim*, tamen hic non transitum, sed fixam contemplationem significat; opponitur enim obiter consideranti, et abeunti. Significat ergo *transpicere*, id est, ad fundum usque inspicere; sicut faciunt qui toti incumbunt speculo, vel alteri rei inspiciendæ.

In legem perfectam,] in legem Evangelicam : hæc enim perfecta est, cum Mosaica fuerit imperfecta : quia perfecta vitæ et virtutis dat non tantum documenta et præcepta, sed et auxilia gratiæ, eaque copiosa et efficacia. Vide 2. Cor. 3. Unde Christus ait Matth. 5. 17. *Non veni legem solvere, sed adimplere.* Quin et Cicero graviter incusat Clodium orat. Pro domo sua, quod in sua domo, quam libertati consecraverat, libertatem effigians effigiasset simulacrum meretricis. Qui enim meretrici et voluptatibus indulget, non liber est, sed servus : maximis enim hostibus, et impotentissimis dominis servit. Aliqui legunt *in legem perfectæ libertatis;* verum Græca legunt τελειον et Romana *perfectam;* sic et Syrus.

Libertatis.] q. d. Lex Evangelica et perfecta, est lex libertatis, nec servitutis, ut fuit vetus, Galat. 4. 24. Porro libertas hæc non est à lege, quasi Evangelium faciat Christianos liberos ab observatione mandatorum ut nulla lege teneantur, sed perpetrare possint quidquid lubet, uti docent Lutherus et Libertini : si enim in Evangelio est lex, eaque perfecta; ergo et subjectos obligat, et à Christianis servanda est, uti docet Christus Matth. 5. Nam Christus venit in mundum, non tantum ut ejus esset redemptor, sed etiam ut esset legislator novæ legis, uti contra Lutherum definit Concil. Trident. sess. 6. can. 19. 20. et 22.

Libertas ergo hæc legis Evangelicæ quam attulit Christus, Primo, est à lege veteri puta à præceptis judicialibus, et cæremonialibus Pentateuchi : illis enim exolvit et liberavit nos Christus, non autem lege Decalogi : hæc enim obligat Christianos, non quatenus lata est per Mosen : sed quatenus est lex naturæ sancita à Deo, et renovata per Christum, Matth. 5. Secundo, est libertas à peccato, et à potestate dæmonis, et inferni, Rom. 6. 20. *Sola* (enim) *apud Deum libertas est, non servire peccatis,* ait S. Hieron. ad Celantiam.

Tertio, est libertas à coactione et metu, ut legem impleamus non ex timore vindictæ, sed ex amore justitiæ, juxta illud 2. Corinth. 3. 17. *Ubi spiritus Domini, ibi libertas,* et 1. Tim. 1. 9. *Lex juxto non est posita.* Christiani enim non sunt servi, uti Judæi, sed filii; non sub spiritu servitutis in timore, sed sub spiritu adoptionis in amore. Galat. 4. 5. Sic olim Stoici, et Cicero Paradoxo 5. censuerunt, *solum sapientem esse liberum, et omnem stultum servum;* quia sapiens sequens rationem, legem facit facile, libere et libenter; cæteri vero difficulter invite et coacte. Ita Seneca de Vita beata c. 15. *In regno,* ait, *nati sumus : Deo parere libertas est.* Et Ovidius l. 1. Metam. auream mundi ætatem ita pingit :

——— Quæ vindice nullo
Sponte sua, sine lege fidem rectumque colebat.

Divinus S. August. libr. de Continentia c. 3. *Non sumus,* ait, *sub lege bonum quidem jubente, non tamen dante; sed sumus sub gratia, quæ id quod lex jubet faciens nos amare, potest liberis imperare.* Idem tract. 91. in Joannem : *Noli libertate abuti ad libere peccandum, sed utere ad non peccandum : erit enim voluntas tua libera si fuerit pia : eris liber, si fueris servus, liber peccati, servus justitiæ.*

Quarto, in resurrectione erit libertas à morte, omnique miseria. Vide dicta Rom. 6. 20. ubi ex S. Bernardo triplicem assignavi libertatem, scilicet naturæ, gratiæ et gloriæ. Præclare S. Agatha tyranno exprobranti : *Nonne te pudet nobili genere natam, humilem et servilem Christianorum vitam agere?* respondit : *Multo præstantior est Christiana humilitas et servitus, regum opibus ac superbia.* Nam, ut ait S. Aug. l. de Quantitate animæ c. 34. *Ille ab omnibus liberat, cui servire omnibus utilissimum est, et in cujus servitio, placere perfecte, sola libertas est.* Ille est Christus.

Ex adverso infideles et carnales non ingenui sunt, sed suarum cupiditatum servi, imo mancipia. Ita libertas libertate perit, adeoque summa libertas summa est servitus, sicut summum jus summa est injuria, et summa sapientia summa est insipientia : quia in ea tot servitur tyrannis, quot cupidinibus.

Et permanserit in ea,] eam assidue contemplando, meditando et opere exercendo. Hoc enim in Scriptura significat *manere* in lege, in Deo, in Christo, nimirum jugiter meditari et facere ea quæ lex, Deus et Christus jubent; uti explicat Moses Deuter. 6. 7. Sic ait Christus Joannis 16. 7. *Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis.* Et Moses Deut. 27. 26. *Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit.* Et S. Joannes epist. 1. c. 2. 5. *Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare.* Lex enim est quasi anima, quæ hominem, in quo manet, quasi informat, et animat, agitque ad omne bonum quod lex præscribit, opere perficiendum. Unde subdit S. Jacobus.

Non auditor obliviosus.] Græce ἐπιλησμονῆς, id est *oblivionis*, qui scilicet ea quæ audivit, tradat oblivioni. Syrus, *non est auditor, qui audiat, et obliviscatur;* sicut lupi cognominati cervarii, prædæ oblatæ obliviscuntur, aliamque quærunt, teste Solino in Polyhist. c. 18. *Et lynces tergum respicientes non meminerunt priorum, et mens perdit quod oculi videre desierint,* ait S. Hier. epist. 44. ad Chrysogonum.

Hic beatus in facto (ἐν ποιήσει, id est, *in factione et operatione*) suo erit.] q. d. Beatus erit non in contemplatione, sed in facto, praxis et exercitio legis; *beatus,* inquam, beatitudine viæ, quæ recta ducit et perducit ad beatitudinem patriæ. Hinc liquet beatitudinem nostram in hac vita consistere in facienda et adimplenda lege Dei : hæc enim est justitia nostra, ex adverso miserum et infelicem esse peccatorem, qui violat legem Dei, adeoque infelicitatem hujus vitæ consistere in transgressione legis Dei; quia parit offensam Dei, quæ ducit ad æternam damnationem, ubi est omnis miseria et infelicitas.

Ad hoc factum et factorum legis spectat quod legimus in vita (apud Surium die 23. Aprilis) Si Ægidii (qui fuit socius S. Francisci) viri raræ sanctitatis et valde illuminati à Deo. Nam S. Ægidius audiens dominum vineæ vinitores suos

objurgantem, iisque dicentem Italice *fate fate, et non parlate : Audite*, inquit, *concionatores quid iste vir dicat : facessant verba, et manus operi admovete. Concionamini opere potius, quam verbo. Si enim totam terram possideres, nec tamen eam coleres, quid fructus ex ea perciperes? Certe nihil. Ex adverso si parvum haberes agellum, eumque diligenter excoleres; multum inde fructus pro te cuisque perciperes. Sic pariter scientia legis divinæ et cujuslibet rei, licet eximia, nihil tibi conferet si eam per opera non excolas*, sin illa exigua sit, sed operibus excolatur, magnam meritorum et gloriæ messem producet.

26. SI QUIS AUTEM PUTAT SE RELIGIOSUM ESSE (Syrus *servire Deo :* Græcum θρῆσκος et religiosum et generosum, nobilemque significat) NON REFRÆNANS LINGUAM SUAM, SED SEDUCENS COR SUUM, HUJUS VANA EST RELIGIO.] Etsi non sit necesse omnes epistolæ sententias inter se connectere : sæpe enim sunt disparatæ, et more Hebræo disparata dant monita; tamen hac sententia respicit S. Jacobus et confirmat id quod dixit v. 19. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum.* Rursum immediate ante dixerat factorem operis beatum esse : factori autem repugnat loquax, qui non refrænat linguam suam. Hujus enim anima occupatur in lingua, et defluit in verba, ut manum deserat, et opera negligat : sicut videmus loquaces parum operari. Alios vero, inquit Œcumen. videmus de factis suis gloriari, et vane se jactare, qui laudem operis hac jactantia perdunt, eo quod non refrænant linguam : alios vero etiam probos, et in bonis operibus assiduos sentimus subinde garrulos, et pronos ad censendum, detrahendum, maledicendum, ait Beda. Hos monet hic Jacobus, ut linguam refrænent. Denique commendarat Jacobus factorem legis : nunc ostendit quis sit factor legis, nimirum religiosus, qui refrænat linguam. *Religio* enim juxta nonnullos, a lege puta à *relegenda lege*, dicitur : sita enim est in observatione legis divinæ. Ostendit ergo Jacobus Dei legem, cultum et religionem in omnibus quidem mandatis, sed præsertim in tribus cerni, nimirum primo, in moderanda lingua : secundo, in visitatione pupillorum et viduarum; tertio, in custodiendo se immaculatum ab hoc sæculo.

Nota. *Religiosum* nonnulli accipiunt stricte pro eo qui studens perfectioni, arcte per vota se Deo religavit et obstrinxit : hunc enim hodie vulgus religiosum vocat; hujus enim proprium est silentium, non colloquium, ait Gillebertus Abbas sermone 7. in Cantic. qui extat inter opera S. Bernardi. Ita explicant Actor. sermonum ad Fratres in eremo (qui falso tribuuntur S. Augustino) serm. 3. Hugo, Thomas Anglicus, Dionysius, Catharinus, et alii. Sane religiosorum horum præ cæteris est frænare linguam, adeoque irreligiosus videtur, qui eam frænare nescit. Verum S. Jacobus generalius accipit nomen religiosi pro quovis fideli, qui Deum colit : ac primævi Christiani inter Gentes videbantur religiosi; imo vere erant religiosi, uti ostendi Actor. 5. 2. Quare plene decebat eos pauca, prudenter pieque loqui, ut et Christianos et Gentes ædificarent, ac ad fidem Christi allicerent. Unde S. Cyrillus l. 3. in Joan. cap. 26. pro *religiosus* legit *fidelis*. Ait enim : *Si quis in vobis fidelis videtur, qui non refrænat linguam*, etc.

NON REFRÆNANS LINGUAM.] Significat Jacobus linguam esse quasi equum indomitum et effrænem, qui nisi frænore frænerctur à sessore, puta à ratione, eum agat in præceps ut ruat in exitium, juxta illud Theophrasti apud Laertium lib. 5. *Magis credendum infræni æquo, quam verbo incomposito.* Quocirca sapienter monet Eccles. cap. 28. 29. *Aurum tuum*, inquit, *et argentum tuum confla, et verbis tuis facito stateram, et frænos ori tuo rectos, et attende ne forte labaris in lingua, et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, et sit casus tuus insanabilis in mortem.* Vide S. Thom. in serm. Dominicæ 4. post Pascha, ubi hanc Jacobi sententiam egregie pertractat, ostendens quæ damna ex effræni, quæ commoda ex frænata lingua consequantur. Porro frænum linguæ est mens et ratio, cujus proinde hoc est ænigma apud Symposium :

> Lex bona dicendi, lex sum quoque dura tacendi,
> Vis avidæ linguæ finis, sine fine loquendi.
> Ipsa fluens, dum verba fluunt, ut lingua quiescat.

SED SEDUCENS COR SUUM.] Syrus, מטעא *mate*, id est, *errare faciens sibi cor suum.* Aliqui vertunt, *fornicans;* alii, *idololatrans*, quasi loquax et garrulus fornicetur cum lingua sua, eamque colat quasi idolum : sicut gulosus palatum colit quasi idolum, libidinosus ventrem, superbus sui æstimationem, avarus pecuniam. Radix enim טעא vel טעת *taa* chaldaice, syriace et arabice significat *errare*, et per metaphoram *fornicari;* inde per aliam metaphoram *idola colere;* summus enim error in carnalibus est fornicatio, in spiritualibus idololatria. Verum primus sensus est genuinus : nam Græcum ἀπατῶν, et Latinum *seducens*, proprie idem est quod errare faciens, decipiens, seducens; quia garrulus non tam alium decipit quam seipsum : nam per loquacitatem seipsum à vera salutis, virtutis et quietis pacisque via avertit, ac inducit in multas lites, rixas, pericula corporis et animæ, mortemque præsentem et æternam.

Secundo, *seducens cor suum*, id est, ex φιλαυτίᾳ et nimio sui amore sibi persuadens se religiosum esse, licet petulans sit, garrulus et maledicus. Intendit S. Jacobus digitum ad fontem, unde fluit petulantia linguæ, nempe ad cor seductum. Qui enim aberrare sinit cor suum, ut vertit hic Tigurina, hujus linguæ nunquam rationis frænum injicitur : *Ex abundantia enim cordis os loquitur*, Matth. 12. 34. Quare si verba non expenduntur aberrante corde ruent cæco impetu sine fræno. Sapienter enim scribit Gellius l. 1. cap. 15. garrulorum orationem in ore nasci, non in pectore. Contra Homerus Ulyssem virum sapienti facundia præditum, vocem mittere ait non ex ore, sed ex pectore. Quæ Gellii sententia valde illustrat illud Eccli. 21. 18. *Labia imprudentium stultanarrabunt : verba autem prudentium statera ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum.* Prudentes nimirum de corde suo proferent eloquia, Job. 8. 10. *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum*, Lucæ 6. 45. Stulti contra impræmeditata effundunt verba : psal. 51. 2. *Tota die injustitiam cogitavit lingua tua.* Recte Origenes apud Angellium ibi; *Cor fatuorum*, ait, *in superficie situm est, non in profundo : ad labia exilit.*

HUJUS VANA EST RELIGIO.] Syrus, *hujus vanum est obsequium*, vel *vana servitus. Religio* ergo hic

significat tum virtutem religionis, qua Deo debitum cultum deferimus, quæ prima est inter mortales virtutes, sicut caritas prima est inter theologicas, tum professionem christianismi : hæc enim vocatur religio Christiana, quia Deum vera religione, veroque sacrorum cultu colit. Nam ut ait Lactant. l. 4. Divin. institut c. 28. *Hac conditione gignimur ut generanti Deo justa et debita obsequia præbeamus, hunc solum noverimus : hunc sequamur : hoc vinculo pietatis obstricti Deo et religati sumus. Unde ipsa religio nomen accepit. Et ad id dicimus, nomen religionis à vinculo pietatis esse deductum, quod homines sibi Deus religaverit, et pietate constrinxerit : quia nos servire ei, ut domino, obsequi, ut parenti necesse est.* Idem asserit S. August. libr. de Vera religione cap. 55. Sensus ergo Jacobi est, q. d. Loquax frustra se Christianum esse profitetur : frustra se religiosum, id est, Deum timentem et colentem, jactitat; inanis est ejus professio, inane religionis Christianæ nomen præ se fert, cum totam virtutum structuram dejiciat garrulitas, et vana injustaque loquela : nihil enim ita Christianos et Christianam religionem apud Gentiles commendabat atque moderatio pietasque verborum. Unde S. Hier. ad Marcellam de Asella ait : *Habebat silentium loquens*, quasi silendo magis suam sanctitatem, quam loquendo explicaret.

Causam dat S. Gregor. 7. Moral. 7. citans explicansque hunc Jacobi locum : inquit, *se habet humana mens. Sicut enim detenta aqua sursum elevatur, sic humana mens circumclusa ad superiora colligitur, et relaxata deperit; quia se per infima inutiliter spargit. Quot enim supervacuis verbis à silentii sui censura dissipatur, quasi tot rivis extra se ducitur; unde et redire interius ad sui cognitionem non sufficit, quia per multiloquium exterius expansa, vim intime considerationis amittit; unde scriptum est Proverb. 25. Sicut urbs patens absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Quia enim murum silentii non habet, patet inimici jaculis civitas mentis, et enim se per verba extra semetipsam ejicit, apertam in adversário exhibet : quam tanto ille sine labore superat, quanto et hæc eadem quæ vincitur contra semetipsam per multiloquium pugnat.* Hoc est quod ait Isaias cap. 32. 17. *Et erit cultus justitiæ silentium.* Vide ibi dicta. Et Cantic. 2. laudatur sponsa à taciturnitate. *Labia*, inquit, *tua sicut vitta coccinea*, scilicet non loquendo disjuncta et divisa sunt, sed silendo conjuncta et unita instar vittæ. Præclare id in sacerdote præ cæteris requirens Nazianzen. orat. de silentio Quadrag. *Providendum est*, inquit, *ne quem sonum edamus, qui à Dei laude discrepet. Equidem ipse puris sacrificiis, quibus magnum illum regem mortalibus concilio, puram linguam servabo : neque enim committam, ut ab aliena lingua, fœda atque obscœna mente; vivificum illud sacrificium purissimum Deo mittam.*

Nota *Religio* proprie idem est, quod cultus Dei. *Religio*, ait S. August. lib. 83. quæst. 31. *est quæ superioris cujusdam naturæ quam divinam vocant, curam ceremoniamque affert.* Vide eumdem lib. 10. de Civit. 1. Religio enim est virtus qua Deum ut creatorem, dominum et patrem rite colimus, eique debitum honorem deferimus, tum interius per adorationem, invocationem, reverentiam, etc. tum exterius per vota, sacrificia, genuflexiones, hymnos, etc. Religionis initium et fundamentum est fides, quia enim fide cognoscimus verum Deum, hinc eum ut talem religione colimus. Unde S. Cyrillus lib. 3. in Joan. cap. 26. legit : *Hujus inanis est fides.* Nam, ut ait Trismegistus : *Religio est notitia Dei.* Et D. Thom. Opusc. 19. c. 1. ait primum vinculum quo Deo ligatur homo, esse fidem. Et Lactant. lib. 4. de Vera sapientia c. 4. *Sapientia*, inquit, *præcedit, religio sequitur, quia prius est Deum scire, consequenter colere.* Unde religio subinde vocatur pietas, et religiosi vocantur εὐσεβεῖς, id est *pii*, ut patet Actor. 2. 5. et c. 10. v. 2. Huc spectat religionis etymon, ut dicatur à religando, sicut jam dixi : per eam enim nos redigamus et obstringimus Deo, ut auctori omnis tum naturæ, tum gratiæ et gloriæ.

Hinc Secundo, religio extendit se ad legem Dei, et religiosi vocantur, qui studiose Dei leges omnes observant : religio enim includit Dei timorem et reverentiam. Timor imperat, et cogit nos servare ejus leges et præcepta. Unde in Scriptura viri religiosi vocantur timentes Deum, juxta illud : *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis*, Psal. 111. 1. Qui enim Deum honorat et reveretur, utique satagit ut ejus voluntatem et legem impleat. Hinc de personis religiosis, Zacharia et Elisabeth, dicitur, quod erant *incedentes in omnibus mandatis Domini sine querela.* Lucæ 1. 6. Huc spectat etymon religionis quod affert Cicero l. 2. de Natura deorum, ut dicatur à relegendo, quia religiosus assidue legit et relegit leges Dei. Hoc est quod ait Sapiens Eccles. 12. 13. *Deum time, et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo.* Ita dicimus *religionem injicere*, id est, scrupulum conscientiæ; *aliquid esse religioni*, id est, debito conscientiæ, ac curæ ne Deum offendat. Sic officium ad quod tenemur, vocatur religio. Unde Cicero actione 4. in Verrem : *Ego*, inquit, *quos adhuc magistratus mihi populus Romanus mandavit, ita accepi, ut me omnium officiorum religione obstringi arbitrarer.* Ita Francisc. Suarez lib. 1. de Religione cap. 1.

Hinc tertio, *religio* vocatur ipsa professio fidei, legis et cultus Dei : unde religio Christi vocatur christianismus, et professio Christiana. Nam, ut ait S. August. lib. 8. Civit. cap. 17. *Religionis summa est imitari quam colis.* Et S. Hieron. in cap. 9. Amos, ait religionem homines quasi in unum colligare gregem; ac propterea justorum, seu electorum fasciculum appellari, quia una Domini religione constrictus est. Unde et ipsa religio à religando, et in fascem Domini vinciendo nomen accepit.

Quarto, *religio* vocatur excellentia religionis, qua quis totum se Deo alligat et obstringit, uti faciunt Religiosi per tria vota. Hi enim dicti sunt Religiosi à religendo, et ab eligendo eligentes, et à diligendi diligentes, et intelligendo intelligentes, ut ait Cicero l. 2. de Natura deorum. Et Isidorus. Religio, inquit, dicitur à religendo, id est : eligendo, ut religio dicatur quasi eligio, religiosi ergo dicuntur ab eligendo, quasi reeligentes Deum fontem beatitudinis omnisque boni, quem per peccatum amiseramus negligentes, ait S. August. lib. 10. Civit. c. 4. Hinc rursum Gellius lib. 4. cap. 9. religionem dici censet à relinquendo; ut religiosum sit id quod propter sanctitatem relictum, et remotum et sepositum est, uti sunt religiosi, et claustrales. Verius tamen etymon est, ut religio dicatur à religando, quia nos religat Deo, unde Religiosi vocantur

quasi Deo religati. Ita S. Augustinus, Lactant. et alii, ac S. Thomas opusc. 19. Contra Impugn. Relig. cap. 1.

Loquacis ergo qui linguam non refrænat, vana est religio quadruplex jam recensita.

Prima, quia ostendit se Deum non colere, nec magnifacere : tum quia in ejus præsentia, et ab eo audire se sciens non veretur, nec verecundatur loqui ea, quæ Deo displicent : tum quia ore, quod Deus et dedit ad sui cultum et laudem, abutitur ad vana, turpia, maledica, etc. *Lingua* enim nobis à Deo data est *quasi organum religionis*, ut sit *cithara et plectrum laudis divinæ.*

Secunda, quia loquax religionem, id est, legem Dei, crebro multisque modis violat, mentiendo, detrahendo, irritando, jurando, etc. Rursum religionem, id est, studiosam et anxiam curam servandæ legis divinæ habere nequit, qui religiose, id est studiose linguam non frænat, ne leges divinas violet, Deumque offendat.

Tertia, quia loquax sua garulitate dedecorat et infamat religionem Christianam, ut infideles dicant : Impossibile est hunc Christianum (et consequenter cæteros) esse religiosum, Deique cultorem modestum, et mente compositum, qui in verbis tam est effusus et incompositus. Unde S. Petrus Damiani serm. de spiritu sancto scribit vaniloquio non tantum animam sauciari, sed et ipsam honestæ vitæ rationem, quæ hominem Deo junxit, evacuari. Quin et S. Petrus apud Clementem epist. 1. ad Jacobum hunc nostrum, asserit S. Petrum crebro prædicasse Christianis, ut studiose os et linguam custodirent et moderarentur. Ex lingua enim quasi ex porta conspicimus quis in domo, puta in mente, habitet, an sanctitas vel vanitas, an Deus vel diabolus. Sicut enim modestia corporis, præsertim linguæ, arguit et indicat modestiam animi, ex qua illa quasi ex fonte promanat et resultat : ita ex adverso immodestia et intemperantia linguæ index est et effectus immodestiæ, et intemperantiæ animi.

Quarta, quia loquacitas signum est animi vagi, dissoluti, improvidi, irreligiosi : qui enim linguam non frænat, quomodo frænabit iram, curiositatem, gulam, superbiam, aliaque potentissima vitia? Quamobrem S. Hieron. (vel quisquis est auctor, certe non est S. Hieron.) in Regula jubet monachos crebro relegere hanc S. Jacobi sententiam : religionem enim sanctam non posse esse in loquacibus, qui linguæ moderari nequeunt, nam *mors et vita in manu linguæ.* Proverb. 18. 21. Quocirca S. Bernard. serm. 1. de mutatione aquæ, silentium vocat custodem religionis, in eoque sitam esse fortitudinem Religiosorum, sicut Samsonis fortitudo sita erat in capillis. Hinc et in Ordinibus pene omnibus arcte, et sub gravibus pœnis præcipitur silentium : et qui monasteria reformare volunt, primum curant restitui silentium. Sane S. P. N. Ignatius fundator Societatis nostræ, dictitabat : Vis nosse, an in aliquo Ordine vigeat religiosa disciplina? aspice an in eo rite hæc tria serventur, nimirum silentium, clausura et mundities. Si enim hæc tria repereris, scito vigere in eo disciplinam : si non, scito eam languere.

Vere S. Bernardus (vel quisquis est auctor) tract. de Passione Domini, c. 27. *Religa*, ait, *linguam tuam si vis esse religiosus : quia sine linguæ religatione religio vana est.* Et mox : *Sciunt homines spirituales, qui hoc experti sunt, quantum auferat devotionis, quantum afferat dissolutionis intrinsecus, frequens linguæ resolutio. Nam sicut fornax, cujus os semper apertum est, non potest in se retinere fervorem : sic nec cor devotionis in se gratiam poterit conservare, cujus os non fuerit janua silentii reclusum. Claudamus igitur os nostrum, ut cum devotionis fervore Christum devotionis largitorem in ferventi affectu possimus conservare,* et Paulo post : *O quam bonum et jucundum est tecum ô dulcissime Jesu, habitare in unum ; tecum colloqui, tibi revelare causam animæ nostræ, tuæque consolationis responso perfrui.*

27. Religio munda.] Alludit S. Jacobus tum ad Judæos quorum ipse erat Episcopus, qui suam religionem et munditiem collocabant in ceremoniis et purificationibus legalibus, tum ad Gentiles qui religiosos se putabant, si colerent multitudinem deorum nefandis sacrificiis et ritibus. Opponit ergo religionem mundam Christianorum vanæ et immundæ religioni Judæorum, æque ac impie superstitioni Paganorum, Saracenorum et hæreticorum : videtur enim Jacobus in spiritu prævidisse, et taxasse impuras religiones et ritus Gnosticorum et Carpocratianorum, qui in suis cœtibus incestu, infandoque concubitu sese inquinabant teste Eusebio lib. 4. c. 7. et Ophitarum, qui Eucharistiam suam consecrabant contactu serpentis : hunc enim credebant esse Christum, teste S. August. hæres. 6. et 17. Sic hodie Lutheri et Calvini impura est religio, qua damnant Ecclesiæ jejunia, leges et vota; ac monachos incitant, imo cogunt ad sacrilegas nuptias. Sensus ergo est, q. d. Judæi suæ religionis munditiem collocant in multis lustrationibus ; Pagani in multis multorum deorum victimis; hæretici in impuris sui cerebri figmentis et turpitudinibus ; Saraceni nunc in cultu Luciferi, postea Mahometi, etc. At vero munda et immaculata religio et pietas Christi et Christianorum maxime cernitur et consistit in misericordia, et charitate: nimirum in visitando pupillos et viduas, ac immaculatum se conservando ab hoc sæculo. Munda enim est visitatio pupillorum : quia hoc est opus puræ misericordiæ et charitatis, cum à pupillis nihil lucri, gratiæ, honoris aut mercedis speretur, unde et Deus et angeli et homines hoc opus pietatis ut purum et mundum, dilaudant et celebrant.

Nota Primo. *Religio* hic quatuor modis paulo ante dictis accipi potest. q. d. Et cultus Dei, et lex charitatis et professio Christiana, et excellens religio consistit maxime in visitandis pupillis, ac in immaculata conscientia. Proprie tamen religio significat cultum Dei : hic enim græce vocatur θρησκεία (heb. עבודה *aboda*, id est servitus, cultura, opus, ministerium) à Thracibus quod hi cæteris religiosiores cœperint certo sacroque ritu, institutore Orpheo, colere Deum. Ita Suidas. Θρησκεια, inquit, *est latria, idemque cultus et Dei obsequium, et deorum veneratio. Narrant enim Orpheum Thracem primum arte quadam mysteria Græcorum tradidisse, et cultum deorum* θρησκειαν *nominasse, quod Thracum esset inventum.*

Posset denique *religio* hic sumi pro pietate. Sic enim viros pios vocamus religiosos ; pietas autem est pius affectus non tantum erga Deum, sed et erga homines, præsertim miseros et afflictos, unde Hebr. חסד *chesed* pietatem et misericordiam significat, ac חסד *chasid* vocatur

vir pius et misericors. Hæc enim duo conjuncta sunt : qui enim pius est in Deum, pius quoque est et misericors in proximum : sicut qui amat Deum ; amat et proximum propter Deum.

Nota Secundo. Virtutis religionis actus proprius et elicitus est colere et honorare Deum, tum interna mentis submissione et reverentia, tum externa, puta adoratione, victimis, hymnis ; votis, juramentis, etc. Actus vero à religionis virtute imperatus est, visitare pauperes, jejunare, mortificare carnem, etc., in honorem Dei et Sanctorum. Poterat ergo S. Jacobus dicere : Religio munda est, orare, psallere, vovere, peregrinari Hierosolymam, Romam, Compostellam, etc. ; hi enim sunt actus religionis eliciti. Poterat quoque dicere Religio munda est abstinere carne, vino, gestare cilicium, jejunare, etc. Sed maluit dicere : Religio munda est visitare pupillos et viduas, quia hoc opus maxime tunc, ut mox ostendam, necessarium erat, Deoque gratissimum, et summæ ædificationis apud infideles ; adeo ut multi propter Christianorum charitatem et misericordiam ad Christi fidem se converterent : alioqui visitare pupillos proprie est actus misericordiæ ; ab ea enim elicitur, sed à religione, ut dixi, imperatur. Perperam ergo hæretici hunc locum intorquent contra monachos solitarios, qui pupillos non visitant : religio enim est multiplex, multasque species complectitur, adeoque religio monachorum est vera, et proprie dicta. Ipsi enim toti sunt in Deo adorando, meditando, laudando, sequunturque sortem Magdalenæ, quam Christus laudevit, et prætulit Marthæ, Lucæ 10. 42. unde suis meritis et precibus sustentant Ecclesiam, iisque magis prosunt viduis, quam divites suis eleemosynis : ut merito de iis dixerit Ruffinus præfat. in Vitas Patr. *Quis dubitet stare mundum precibus Sanctorum?*

Munda,] scilicet parit hos effectus, visitare pupillos, et immaculatum se conservare ab hoc sæculo. Aut q. d. Religio munda est si visitet pupillos, et immaculatum se custodiat.

Apud Deum et Patrem.] Syrus, *apud Deum Patrem.* Idem enim est *Deus* et *Pater* : Deus enim est *pater*, id est creator gubernator, conservator, et provisor omnium, q. d. Apud Deum qui et pater noster est. Aliqui tamen, ut Dyonis. Carthus. hæc distinguunt, et per *Deum* accipiunt vel S. Trinitatem, vel Deum Filium, et per *Patrem* Deum Patrem. q. d. Apud S. Trinitatem et Deum Filium, qui ut Verbum omnia videt, et apud Deum Patrem, qui ut Pater omnibus, etiam miseris, quasi filiis suis consulit, religio munda censetur, magni fit, et honoratur, visitare pupillos, etc.

Visitare pupillos.] Visitare per metalepsim significat visitando consolari, consulere, juvare, pascere : hæc enim omnia significat Hebr. פקד *pacad*, id est *visitare* : Hebræus enim S. Jacobus hebraizat : imo pauper qui pascere nequit, visitando solatur pupillum, juxta vetus proverbium : *Farre litet qui thure non potest.* Græce est ἐπισκέπτεσθαι, id est, *providere*, prospicere ; Syrus *curare*, et pro virili sublevare. Inde apud Gentiles *Episcopi* vocabantur magistratus, quibus incumbebat reipubl. providere de frumento et annona, uti dixi Actor. 1. 20.

Nominat præ cæteris pauperibus et miseris pupillos et viduas, quia in prima illa Judæorum et Gentilium persecutione multi viri Christiani partim occidebantur, partim in exilium aut carceres tradebantur : ac plerique omnes bonis privabantur uti dixi Actor. 8. 1. Hi ergo filios relinquebant pupillos, et uxores viduas. Horum derelictorum curam suscepit S. Jacobus quasi eorum Episcopus, ideoque eos Christianorum charitati commendat, quasi Martyrum vel Confessorum filios, sed pupillos ; aut uxores, sed jam viduas. Jam enim cessarat illa communio et distributio bonorum Ecclesiæ, de qua dixi Actor 6. et 3. Creverat enim numerus Christianorum ad plurima millia, inter quæ impossibilis erat hæc vita communis. Adde, bonorum communio tantum Hierosolymæ fuit recepta in primo paucorum Christianorum fervore, non vero in cæteris Ecclesiis et urbibus, uti dixi Actor. 5. 2. Quare cum pupilli et viduæ nullos adhuc haberent curatores, tutelam eorum hic suscipit et Christianis commendat S. Jacobus. Ita S. Lucia, ut habet ejus vita, cum opes suas in pauperes, viduas et pupillos distribuisset, easque sponsus per Paschasium præfectum reposceret, respondit : *Sacrificium vivum et immaculatum apud Deum et Patrem hoc est, visitare viduas et orphanos in tribulatione eorum : et quia nihil superest, offero meipsam in sacrificium Deo hostiam viventem*, nimirum per martyrium, quod ipsa paulo post heroice subiit.

Ultimus hisce sæculis in hac virtute eminuit S. Ivo, quem proinde ejus merito Clemens IV. Pont. retulit in Sanctorum numerum anno Domini 1347. die 19. Maii. De eo enim sic inter alia scribit auctor gravis Vitæ ejus apud Surium die 29. Maii. *Pupillos et orphanos egregie tuebatur, et eorum causa diversis in locis adibat judicia, patronum se illis exhibens, neque tamen id spe alicujus muneris aut premii, sed pietate et justitia permotus, imo vero suis impendiis illorum causas defendebat apud judices, ut posset à Domino audire : Quod uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti. Inde factum est, ut in illa regione merito appellatus sit, Advocatus pauperum,* et anterius : *Orphani, afflicti, calamitosi homines ejus fovebantur humanitate et patrociniis ; inter discordes conciliabat pacem et amicitiam ; eos qui carceribus destinebantur hortabatur ad patientiam : et cum proferenda ab ipso esset in judicio sententia, sine lacrymis id non faciebat, in misericordia opera totum se impendebat, toto pectore quæ sunt hujus mundi despiciens, et cœlestibus semper que mansuris bonis inhians.* Et inferius : *Alienigenas, pauperes, item egenos, mala affectos valetudine, deformes, haud secus ac fratres suos humaniter excepit, ad mensam sibi assidere voluit, de cibis suis apposuit, lectos apparavit, propriis manibus illorum pedes abluit.* Unde et per miraculum panes in pauperes erogando sibi multiplicari, ac Christum ipsum, aut certe angelum Christi vicarium, specie pauperis mensæ socium habere meruit.

Pupillos et viduas.] Hæ enim personæ ab omnibus derelictæ, cæteris afflictis miserabiliores sunt, sed sub his à pari vel simili, quoslibet miseros, puta pauperes, ægrotos, nudos, incarceratos, famelicos, sitibundos, peregrinos, vexatos, oppressos, tentatos, etc., accipe. Ita Dionysius. Horum enim omnium idea et specimen sunt pupilli et viduæ, qui proinde mystice repræsentant peccatorem, qui per peccatum Deo, quasi patre et sponso orbatus factusque pupillus et viduus præda fit dæmonibus.

Plurima enim sunt viduarum et viduitatis incommoda, ait Nyssenus tract. de Virgin. c. 3. nimirum viduitas, ærumna, solitudo, caligo, tenebræ, luctus, lamentabiles ploratus, oppressio, etc. Unde Deus eas sibi asciscens, vocatur *pater orphanorum, et judex viduarum,* psal. 67. 6. et Exodi 22. 22. *Viduæ et pupillo non nocebitis · si læseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum.* Vere S. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 11. *Nihil,* ait, *tam commendat Christianam animam, quam misericordia, nec quisquam magis beatus, quam qui intelligit super pauperum necessitatem.* Id præstitit Job; unde ait c. 31. 16. *Si oculos viduæ exspectare feci.*

Porro hæc vocatur religio, quia religio versatur circa Deum: ut ei debitum honorem præstet. Ad Deum autem quasi ad patrem et tutorem pertinent pupilli et viduæ; qui ergo eos lædit, Deum lædit: qui eos et pascit et curat, Deum pascit et curat. Quocirca Heliodorus cœlitus flagellatus fuit, quod ex ærario templi bona viduarum diripere destinasset, 2. Machab. 3. Hinc et Plato lib. 12. de Legibus, ait miserorum causas proprias esse Dei, ac proinde neminem debere pupillos aut viduas affligere, ne Deum ultorem et hostem sentiat. Hac de causa S. Ignatius in epist. ad Tarsenses, *viduas* appellat *altare Dei*, quia scilicet sicut in altari offeruntur sacrificia: ita et eleemosynis in viduas collatis maxime placatur Deus. Quocirca Sapiens Proverb. 23. 20. *Agrum,* inquit, *pupillorum ne introeas: propinquus* (Hebr. גואל *goel*, id est redemptor, vindex, qualis in lege veteri erat propinquus et cognatus) *enim illorum fortis est, et ipse contra te judicabit causam illorum.* Idcirco S. Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, Gregorius, etc. se exhibuerunt patres viduarum et pupillorum. Et S. Paulus Hebr. 13. 16. *Beneficentiæ,* ait, *et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.*

Si beneficentia est hostia, ergo eadem est actus religionis, isque nobilissimus, puta sacrificium. Unde hanc hostiam cæteris præferens Deus: *Misericordiam,* inquit, *volo, et non sacrificium,* Osee 6. 6. Eleemosynarius ergo visitans pupillos ut viduas, est quasi sacerdos, victima est eleemosyna, sacrificium est ipsa ejus donatio, altare est pupillus et vidua. Unde Apostolus in carcere recipiens eleemosynam à Philippensibus: *Repletus sum,* inquit, *acceptis ab Epaphrodito quæ misistis odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo,* Philipp. 4. 18. Sicut enim sacrificium est quasi cibus et potus Dei, ut dixi Levit. 2. sic est et eleemosyna: in ea enim Deus comedit et bibit per ora pauperum, pupillorum et viduarum. Ipse enim dicit dicetque in die judicii: *Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere,* etc. *Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis,* Matth. 25. 40.

Ita S. Gregorius prandio inter alios pauperes excepit angelum, ipsumque Christum in mensa, quæ etiamnum Romæ in ejus domo, nunc Ecclesia, ostenditur, et religiose visitur. Sic sanctus Martyrius leprosum suscipiens, Christum suscepit teste eodem S. Gregorio homil. 39. in Evang.

Jam vero qui viduæ et pupillo consulit, sibi consulit. Nam, ut ait S. Ambros. de obitu Theodosii: *Bonum est misericors homo, qui dum aliis subvenit, sibi consulit, et in alieno remedio vulnera sua curat.* Et S. Basilius hom. 6. in ditescentes: *Benefactorum gratiæ,* inquit, *ad dantes revertuntur: dedisti esurienti, tibi consuluisti: quod enim dedisti, cum auctuario revertetur.*

Eleemosyna enim est velut semen sparsum in agrum, quod in messe magnum dat fœnus spargenti; ad eumque ingenti cum fœnore redit, uti ex S. Paulo dixi 2. Cor. 9. 10. Quocirca Clemens Alexand. lib. 1. Pædagog. eleemosynam comparat ludo pilæ, in quo pila projecta per reverberationem redit ad eum qui projecerat. Et sanctus S. Chrysost. hom. 84. in Joan. *Eleemosyna,* inquit, *est vestis quæ cum mortuo resurget. His vestibus fulgebunt, qui tunc audient: Esurientem me vidistis: et dedistis mihi manducare: hæ insignes faciunt, conspicuos, hæ securos.* Idem homiliæ 33. ad pop. hunc dat titulum: *Quod eleemosyna est ars omnium quæstuosissima,* in qua inter alia hæc ei dat elogia: *Melius est scire eleemosynam, quam esse regem et diademate coronari: domos ædificat in cœlis, sed permansuras. Hæc te docet quomodo possis Deo similis fieri.* Idem hom. 7. de Pœnitentia: *Eleemosyna,* ait, *artifex est optimaque illorum propugnatrix et tutela, qui eam exercent: etenim Deo amica est, et cominus ei semper assistit: quos amaverit; his facillime gratiam impetraverit, modo non patiatur à nobis injuriam. Quomodo vero patitur? cum eam fecerimus ex rapina.* Idem hom. 16. in 2. ad Corinth. *Magnum,* inquit, *et pretiosum quid vir misericors. Ista major est gratia quam mortuos excitare: nam hic quidem tu Christo benefacis, illic autem ipse tibi. Illic debitor efficeris Dei, hic eleemosyna Deum debitorem constituis.*

Mystice S. Chrysost. in psalm. 95. enumerat decem religionis et sacrificii species. Primum, inquit sacrificium est proprie dictum, de quo Apost. Ephes. 5. *Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo, in odorem suavitatis.* Secundum, est martyrium, juxta illud ad Romanos 12. *Obsecro vos fratres, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam Deo placentem.* Tertium, est deprecatio, juxta illud psalm. 140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum, sacrificium vespertinum.* Quartum, est laudis et hymnodiæ, juxta illud Psalm. 49. 14. *immola Deo sacrificium laudis.* Quintum est justitiæ psalm. 50. *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ.* Sextum, est misericordiæ et eleemosynæ Jacobi 1. *Sacrificium* (sic enim legit Chrysost.) *mundum et immaculatum est, visitare pauperes et orphanos in afflictione ipsorum.* Septimum est jubili, psalm. 26. *Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis;* Chrysost. legit *jubilationis.* Octavum, compunctionis, psalm. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Nonum, humilitatis, ibidem: *Cor contritum et humiliatum non despicies.* Decimum prædicationis, Rom. 15. 16. *Sacrificans* (græce ἱερουργοῦν, id est, *sacris operans*, sacrificans) *Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta et sanctificata in Spiritu sancto.*

ET IMMACULATUM SE CUSTODIRE AB HOC SÆCULO,] ἀπο τοῦ κοσμου, id est, *è mundo. Mundus* sive sæculum metonymice sumitur pro sæcularibus, puta pro sæculari, animali et carnali vita, qualis est hominum mundanorum qui se opibus, deliciis et honoribus hujus mundi ambiendis et fruendis dedunt, ac proinde conscientias suas sæpe maculant avaritia, gula, libidine, ambitione, etc. Hinc in baptismo abrenuntiamus

omnibus mundi pompis, ideoque induimur veste candida, monemurque eam candidam servare, referre, et sistere Christo judici in ultimo mundi die. Hinc et de Sanctis Agnum sequentibus dicitur Apocal. 14. 5. *Sine macula enim sunt ante thronum Dei.* Insinuat S. Jacobus Christianos, cum sint in sæculo, debere cum sæcularibus conversari, et facile hac conversatione inquinari, ut eorum vitia ipsis affricentur. Nam, ut ait S. Leo serm. 4. de Quadrag. *Necesse de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere;* quin et visitando pupillos et viduas periculum esse à vanitate, avaritia, luxuria. Ergo sapienter monet ut inter eos, cæterosque omnes ita versentur, ut immaculatos se servent.

Difficile enim est in mundo versari, et ab eo non inquinari: qui enim tangit picem, inquinatur ab ea. Dificile esse versari in igne et non aduri: mundus enim immundus est, plenusque sordibus, ut significat hic S. Jacobus: inquinat enim pice vanitatum, adurit æstu cupiditatum. Unde ait Thomas Anglicus:

> Mundus non mundus, quia mundos polluit: ergo,
> Qui manet in mundo quomodo mundus erit?

Quæres, cur religio munda sit servare se immaculatum ab hoc sæculo, sive cur Deus maxime colatur puritate conscientiæ et vitæ! Respond. Primo, quia Deus est spiritus purissimus, et à fæce terræ remotissimus: decet ergo eum victima purissima puta mundissima conscientia, talique honoratur et gaudet, juxta illud principium Ethicæ Catonis:

> Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
> Hic tibi præcipue pura sit mente colendus,

Hinc angeli; qui sunt purissimi spiritus purissime et perfectissime colunt Deum, adeoque toti sunt in eo amando, fruendo et laudando, ac jugiter ei accinendo, Sanctus, sanctus, sanctus, Isaiæ 6. 3.

Secundo, quia Deus est ipse per essentiam sanctitas; decet ergo eum victima sancta. Sancta autem est ea quæ illibata est et pura. Unde Origen. ἅγιον, id est *sanctum,* derivat ab α privativo, et γῆ, id est *terra.* q. d. Sine terra semotus à terra, terræque inquinamentis. Et S. Dionysius de Divinis nominibus cap. 12. *Sanctitas,* inquit, *est, ab omni immunditia libera, et perfecta, et omnino immaculata munditia.* Hoc est quod suis ministris jubet sancitque Deus: *Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, et separavi vos à cæteris populis, ut essetis mei.* Levit. 20. 26. vide ibi dicta, et c. 21. ac 22. ubi Deus tam victimas, quam sacerdotes requirit puros, omnique macula carentes.

Tertio, quia religio Christiana, ac consequenter Deus, quem illa profitetur et colit, primo illo Ecclesiæ ævo valde honorabatur et celebrabatur apud Gentiles et Judæos toto orbe per innocentiam et puritatem vitæ Christianorum, ut patet Tertulliano, Justino, Athenagora in Apologet. Dicebant enim Gentiles. Quam sanctus est Deus, qui tam pure et sancte à Christianis colitur, imo qui eos facit tam puros et sanctos? Id etiamnum fit.

Quarto, quia qui abstrahit se à sæculo, unit se Deo, et quo minus servit sæculo, eo plus servit Deo, adeoque sæpe totum se Deo Deique cultui mancipat. Hinc vicissim Deus in puris corporibus et mentibus, quasi in domo et templo inhabitat. *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, et non estis vestri?* ait Apospostolus 1. Corinth. 6. 19. Denique: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt,* Matthæi 5. 8.

Porro modi et media conservandi se immaculatum in sæculo et à sæculo, sunt multa. Primum est, timor Dei, ejusque judicii et vindictæ, juxta illud psalm. 118. 120. *Confige timore tuo carnes meas: à judiciis enim tuis timui.* Vere S. August. in S. Joannem serm. 40. *Spes,* ait, *nostra non est de hoc sæculo; non amemus sæculum. Ab amore sæculi hujus vocati sumus, ut aliud sæculum speremus et diliganus.* Idem serm. 13. de verbis Domini secundum Matth. *Attendite,* ait, *sæculum quasi mare, ventus validus et magna tempestas. Unicuique sua cupiditas tempestas est. Amas Deum ambulas super mare, sub pedibus tuis est timor sæculi. Amas sæculum absorbebit te. Amatotores suos vocare novit, non portare. Sed cum fluctuat cupiditate cor tuum, in vincas tuam cupiditatem, et invoca Christi divinitatem.* Et mox: *Magnæ virtutis est cum felicitate luctari, magnæ felicitatis est à felicitate non vinci: si titubas, si mergi incipis, dic; Domino pereo, libera me; dic, Domine pereo, ne pereas.*

Secundum, mortificatio appetitum et sensuum. Immunditia enim et macula non est in sæculo, id est sæcularibus opibus, deliciis et honoribus, sed in appetitu nostro, qui nimis ea amat et ambit, relicto et spreto sæpe Deo. Appetitum ergo mortifica et rectifica, ita à sæculo non maculaberis. Unde S. August. l. 10. Confess. c. 31. *Non ego immunditiem obsonii timeo,* inquit, *sed immunditiam cupiditatis.* Item consideratio vanitatis et brevitatis vitæ, omniumque bonorum temporalium; ac ex adverso veritatis et æternitatis gloriæ cœlestis, ac gehennæ et inferni. Hoc enim est sal, quo condiendæ et mortificandæ sunt voluptates sæculi, juxta illud Eccli. 7. 40. *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* Quid amas sæculum, hoc est, senium? A senio enim dicitur *sæculum,* quod non est aliud, quam *ætas senescendorum hominum,* ait Varro, rerumque omnium. Alii sæculum et sequendo derivant, eo quod sequatur se, et in se revolvatur. Vere S. August. in psal. 30. conc. 1. David ait: *Accelera, ut hoc totum, quod nobis videtur, quamdiu volvitur sæculum intelligas punctum esse. Non est diu quod habet extremum: si adhuc viveret Adam, et hodie moreretur, quid ei prodesset tamdiu vixisse? Ergo celeritas hæc quare? quia transeunt tempora, et quod tibi tardum est, in oculis Dei breve est.* Cur ergo amas voluptatem et honorem? dum oritur, senescit et occidit: *Filii hominum ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* Mentitur voluptas: non voluptas est, sed dolor et angor. Mentitur rerum copia: non copia est, sed inopia verarum opum quæ in cœlis sunt. Mentitur honor: non honor est, sed onus et sæculi ludibrium.

Tertium, est constans resolutio et fortitudo ad resistendum sociis, illecebris, omnibusque mundi invitamentis, quibus nos allicit illicitque ad peccatum et maculandam conscientiam. Ita de Fabricio consule Romano vulgi erat sermo: *Facilius est solem à suo cursu, quam Fabricium à suo proposito avertere.* Testis est Plutarch. in Apoph. Similis fuit Cato, de quo ait Valer. Maxim. lib. 4. cap. 3. *Ex eodem naturæ utero et continen-*

tia nata est et Cato. Et C. Piso, de quo idem Valer. lib. 3. c. 8. *Multa,* ait, *et terribilia Piso contempsit, dum speciosum mentis suæ flecti non vult rigorem.* Et C. Mævius centurio Augusti, qui captus ab Antonio, rogatusque quid de eo statui deberet: *Jugulari me,* inquit, *jube: quia non salutis beneficio, aut mortis supplicio adduci possum ut aut Cæsaris miles desinam, aut tuus esse incipiam.* Ita Valer. ibidem. Multo magis tentanti sæculo dicit fidelis illud S. Pauli: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames?* etc. *Certus sum quia neque mors, neque vita,* etc. Roman. 8. 35.

Quartum, est sæculum quam minimum tangere: hinc cor habemus pyramidale: cujus orificium spectat cœlum, conus terram; ut per hoc significet Deus, non corde, id est amore et affectu tantum in puncto debere terram et terrena tangore. Id sapiunt et faciunt Religiosi, qui totum affectum et conversationem à mundo abstrahunt, ut omnem spem et amorem in Deo collocent, et cum Psalte psal. 72. dicant: *Mihi autem adhærere Deo bonum est,* et: *Quid mihi est in cœlo, et à te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum?* Ita Abbas Olympius apud Sophronium (vel potius Joannem Moschum) c. 12. hoc salutis monitum alteri dedit; *Contine linguam, et ventrem; ac ubicumque sederis dic assidue: Perigrinus sum.* Ita S. Gregor. Nazianzen. epist. 51. alias 17. Cæsarium fratrem objurgat, quod honorum cupidine delinitus, se in Juliani Apostatæ familiam contulerat, publicique ærarii curam susceperat; urget eum ut ab illa recedat. *Hanc enim esse veram gloriam, securitatem et opes, nimirum fortiter et strenue adversus tempus stare, et quam longissime se ab scelere et piaculo removere. Alioqui,* inquit, *honores expetens, in rebus majoris momenti detrimentum capies, fumique saltem, si non ignis, fies particeps.* q. d. Julianus idololatriæ si non culpam, certe famam et suspicionem tibi asperget.

Vis ergo immaculatus esse à sæculo? esto peregrinus in sæculo, et civis ac domesticus in cœlo. Peregrinus hospitio cor suum non affigit, non inhæret, non fruitur: quia scit se quasi peregrinum per illud transire, ac post horam in eo non fore: omnibus ergo utitur velut in transitu. Fac similiter et tu: edis, bibis, etc. ede, bibe, etc. necessitatis causa: iis utere, non fruere. Si voluptas se misceat, illa cum comestione et bibitione transeat. Noli cibo et potui affici, inhærere, addicere cor tuum: noli de iis extra prandium cogitare, ea desiderare, eorum appetitu te oblectare et pascere: ita non maculabunt te. Idem dictum æstima de φιλαυτία, id est, *amore sui,* et φιλοδοξία, id est, *amore favoris,* benevolentiæ, laudis et gloriæ humanæ; quæ aliud non est, quam evanida aura popularis, meraque vanitas. Cogita illud Psal. 118. 96. *Omnis consummationis vidi finem,* et finem celerem, *latum mandatum tuum nimis.* Id cogitabat S. Agatha, cui proinde angeli hoc epitaphium posuerunt: *Mentem sanctam spontaneam Deo honorem, et patriæ liberationem.* Vixerat enim in corpore quasi carens corpore, quasi angelus in corpore assumptor. Et S. Barlaam, qui Josaphat regi munditiem mentis, quasi ingentis pretii thesaurum commendat apud Damascenum in Historia cap. 39.

Denique S. August. in psalm. 68. *Quis,* ait, *non contemnat dulcedinem sæculi, inhians dulcedini vitæ æternæ?* nam, ut idem ait in psalm. 123. *Dulcedo hujus sæculi ad tempus fauces indulcat, sed in magnam amaritudinem postea convertetur. Dulcedo autem vitæ æternæ constans est;* ideoque expers omnis tam amaritudinis quam finis, mentem implet et satiat. Quocirca S. Gregor. Nazianz. in Distichis: *Perpetuum,* inquit, *tibi sit hoc studium, ut mentem tuam templum Deo extruas: sic enim eum pro spirituali statua in intimo corde habebis.* Et nonnullis interjectis; *Age vero deserto universo hoc mundo, mundique sarcinis excussis ad vitam cœlestem vela pande: præsertim tibi Trinitas curæ sit. Alii aurum, alii argentum, alii mensas delicatas, id est, vitæ ludibria in pretio habeant; ego vero Christum amplissimarum opum instar duco: quem utinam aliquando mihi contingat pura mente intueri; cætera autem mundus habeat.* Causam dedit paulo ante: *Patris verbum est homo noster, ut hujusmodi mixtione Deum hominibus misceat: unus utrimque Deus est, hactenus homo effectus, ut me ex mortali Deum efficiat.* Et S. Eucherius epist. ad Valerianum: *Vera,* ait, *beatitudo est sæculi beatitudinem spernere, neglectisque terrenis in divina flagrare.* Rursum Nazianzenus epist. 57. alias 63. exhortans Eudoxium ut Rhetorica et mundo relicto, se det vitæ puræ ac perfectæ. *Migremus,* ait, *hinc, viri efficiamur, somnia projiciamus, umbras prætereamus: alios occupatos teneant, jactent, ludificentur invidia, et tempus et fortuna. Valeant throni, principatus, opes, splendores, vilis hæc et despicabilis gloriola, ac denique magnæ hujus scenæ ludicra, nugæque theatricæ. Nos verbum arctissime complectamur; ac pro omnibus rebus Deum habere optemus: solum, inquam, perenne illud bonum, et nostrum; quia virtutis præmium est, Deum fieri. Ad hæc contende et volita. Nusquam spes tuas siste, quoadusque ad illud summe expetendum et beatum bonum perveneris.*

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

TRANSIT A RELIGIONE AD FIDEM, QUÆ RELIGIONIS EST PRINCIPIUM, ET FUNDAMENTUM. DE FIDE ERGO TRIA DOCET. PRIMUM, FIDEM NON ADMITTERE ACCEPTIONEM PERSONARUM, UT DIVITEM PRÆFERAT PAUPERI, NOBILEM IGNOBILI: HOC ENIM RECTE COHÆRET EI, QUOD PAULO ANTE DIXERAT. RELIGIO MUNDA, ETC., EST VISITARE PUPILLOS ET VIDUAS IN TRIBULATIONE IPSORUM, ET IMMACULATUM SE CUSTODIRE AB HOC SÆCULO. SÆCULUM ENIM PRÆFERT DIVITEM PAUPERI, NOBILEM IGNOBILI, HOCQUE EST EJUS VITIUM, ET MACULA. SECUNDO, V. 10. ASSERIT FIDEM DOCERE, EUM QUI VIOLAT UNUM LEGIS PRÆCEPTUM, FIERI OMNIUM REUM. TERTIO, V. 14. USQUE AD FINEM MULTIS ARGUMENTIS ET EXEMPLIS DOCET, FIDEM SINE OPERIBUS ESSE INANEM ET MORTUAM, INSTAR CADAVERIS.

1. FRATRES mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ, 2. etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem et pauper in sordido habitu, 3. et intendatis in eum, qui indutus est veste præclara, et dixeritis ei: Tu sede hic bene: pauperi autem dicatis: Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum: 4. nonne judicatis apud vosmetipsos, et facti estis judices cogitationum iniquarum? 5. Audite fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo divites in fide, et heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? 6. Vos autem exhonorastis pauperem. Nonne divites per potentiam opprimunt vos, et ipsi trahunt vos ad judicia? 7. Nonne ipsi blasphemant bonum nomen quod invocatum est super vos? 8. Si tamen legem perficitis regalem secundum Scripturas: Diliges proximum tuum sicut teipsum: bene facitis: 9. si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege quasi transgressores. 10. Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. 11. Qui enim dixit, Non mœchaberis: dixit et, Non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis. 12. Sic loquimini, et sic facite, sicut per legem libertatis incipientes judicari. 13. Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam: superexaltat autem misericordia judicium. 14. Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? 15. Si autem frater, et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano, 16. Dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini et saturamini: non dederitis autem eis, quæ necessaria sint corpori, quid proderit. 17. Sic et fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa. 18. Sed dicet quis? Tu fidem habes, et ego opera habeo, ostende mihi fidem tuam sine operibus: et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. 19. Tu credis quoniam unus est Deus: Bene facis; et dæmones credunt, et contremiscunt. 20. Vis autem scire ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? 21. Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? 22. Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius: et ex operibus fides consummata est. 23. Et suppleta est Scriptura, dicens: Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei appellatus est. 24. Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum. 25. Similiter et Rahab meretrix, nonne ex operibus justificata est, suscipiens nuncios, et alia via ejiciens? 26. Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.

1. FRATRES MEI NOLITE IN (id est, *cum*: potest tamen *in* proprie accipi, ut dicam inferius) PERSONARUM ACCEPTIONE HABERE FIDEM.] *Acceptio personarum* est vitium oppositum justitiæ distributivæ, quo quis in distribuendis officiis, dignitatibus, beneficiis, muneribus, locis, etc., non respicit meritum, nec dignitatem, sed qualitatem personæ ad rem non pertinentem ut meliora et majora det consanguineis, amicis, divitibus, nobilibus; pejora et minora exteris, inimicis, pauperibus, ignobilibus. Aliquando etiam opponitur justitiæ commutativæ, ut cum judex litem adjudicat amico, quæ ex justitia adjudicanda erat inimico; et tunc inducit obligationem restitutionis.

S. Augustinus epist. 28. hanc sententiam Ja-

cobi refert ad eos, qui ad Episcopatum aliosque Ordines et beneficia promovent consanguineos, amicos, aut divites, postpositis exteris et pauperibus, licet dignioribus : quibus proinde fit injuria, æque ac Ecclesiæ, quæ jure majus decus, majusque auxilium à dignioribus expectabat. Quare hoc est peccatum mortale, uti docet noster Lessius de Justitia et jure cap. 32. dub. 1. Benedictus Justitianus hic, et alii; unde graviter vetatur à Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. de reformat. Verum S. Jacobi sententia generalis est et omnes perstringit, qui quocumque modo divites præferunt pauperibus; hoc solo nomine quod divites sint, sive id fiat dando eis honoratiorem locum in templo, mensa, consessu publico, sive in judiciis favendo plus amicis, quam exteris; sive in vectigalibus aliisque oneribus, gravando magis pauperes, quam divites; sive in distribuendis officiis et beneficiis, dando illa cognatis licet indignioribus, etc. Maxime autem S. Jacobus spectat hic honorem quem multi divitibus deferebant, neglectis vel spretis pauperibus in communibus, ut ipse ait v. 2. consessibus et conviviis, præsertim sacris, puta in agape, in qua divites post Eucharistiam inter se splendide epulabantur, non expectatis vel exclusis pauperibus. Unde idem hoc eorum vitium taxat S. Paulus 1. Cor. 11. 21. dicens, *Unusquisque suam cœnam præsumit ad manducandum: et alius quidem esurit, alius autem ebrius est*, vide ibi dicta. Hoc est enim quod v. 3. subdit Jacobus eos dixisse diviti; *Tu sede hic bene;* pauperi autem : *Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum.*

Memorabile fuit exemplum S. Martini, qui, ut inquit Severus Sulpit. lib. 1. Dialog. cap. 23. à Maximo tyranno feroce et victoris insolenti ad convivium invitatus, cum minister regi pateram obtulisset, ille eam S. Martino dari jussit, expectans et ambiens ut ab illius dextera eamdem reciperet; sed vir sanctus ubi ebibit pateram presbytero suo pariter pauperi tradidi, nullum scilicet existimans digniorem qui post se biberet : nec integrum sibi fore, si aut regem ipsum, aut eos qui à rege erant proximi presbytero prætulisset. Quod factum rex omnesque qui aderant ita admirati sunt, ut hoc ipsum eis, in quo contempti erant, placeret, perque totum palatium celebraretur fecisse Martinum in regis prandio, quod in infimorum judicum conviviis Episcoporum nemo fecisset.

Idem viderunt Gentiles, Lycurgus intelligens æqualitatem et ad frugalitatem et ad concordiam in primis conducere; Spartæ novam fecit agrorum partitionem, et in singulos cives æquam portionem distribuit, ut tota Lacedæmon videretur multorum esse fratrum qui inter se diviserunt hereditatem. Eadem de causa instituit syssitia, id est, convivia publica, in quibus inter omnes, potus ac cibi æqua erat portio : quin et in vasis, et alia re quacumque statuit, ut dives non plus haberet, quam pauper. Ita Plutarch. in Lacon.

Curius cum devictis Sabinis, ei à senatu plus agri offerretur, recusavit, et regalium portione contentus fuit, dicens, esse malum civem, cui non esset satis id quod cæteris erat satis. Ita Plinius Junior in Viris illustr. c. 33.

Epaminondas Simonidi aliud iniquum postulanti respondit : *Neque tu bonus poeta esses, si numeros carminis negligeres, neque ego bonus prætor, si gratiam cujuspiam legibus anteponerem.*

Socratis (qui oraculo Apollinis sapientissimus mortalium est judicatus) opes erant mina argenti, ait Plato in Apolog. Socratis, hoc est, decem aurei coronati. Mina enim Græcis est libra, continens centum drachmas, hoc est, centum denarios Romanos, seu quadringentos sestertios, qui faciunt decem coronatos. Ita Budæus de Asse.

Themistocles admonitus audiit à viro sapiente, *Bene principatum geres, si cunctis æqualis et communis esse voles.* Ita Plutarch. in Apophth.

HABERE FIDEM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.] Varii varie hæc exponunt, sed pauci rem acu tangunt. Primo, aliqui *fidem* hic sumunt pro opinione et existimatione. q. d. Nolite opinari et existimare de Domino nostro Jesu Christo, quod in ipso sit acceptio personarum, ita ut ad fidem et salutem vocaverit divites, non pauperes. Ipse enim est Dominus gloriæ; ac proinde nullius ipse, sed omnes ipsius favore et gratia indigent. Ita Hugo.

Secundo, idem *fidem* proprie accipit, hunc que dat sensum : Nolite fidem Christi ponere in personis acceptis, puta in divitibus, ut illos quasi deos, aut numina quædam præ aliis omnibus colatis.

Tertio, Dionys. Carthus. τὸ *fidem* refert ad *gloriæ*. q. d. Nolite habere fidem gloriæ Christi, hoc est, nolite credere quod gloriam æternam à Christo siti accepturi, si accipiatis personas.

Quarto, alii accipiunt *fidem* pro spe et fiducia. q. d. Ne speretis gratiam Christi, si accipiendo personas ostendatis vos spem collocare in hominibus, puta in divitibus. Ita Beda.

Quinto et genuine. q. d. Nolite fidem Christi conjungere cum acceptione personarum, ut putetis hanc cum illa posse consistere. Fides enim Christi docet jubetque justitiam, æquitatem, amorem, curamque pauperum, quibus omnibus repugnat acceptio personarum, quæ divites præfert, pauperes spernit. Unde Vatabl. sic exponit *Cum sitis Christiani, ne habeatis personarum delectum;* alii. q. d. *Nolite putare vos vere Christianos, si accipiatis personas.* Præpositio enim *in* sæpe apud Hebræos sumitur pro *cum : in acceptione* ergo, id est cum acceptione, *personarum.* q. d. Professio Christiana non patitur acceptionem personarum, eamque non admittit christianismus; sed vetat, culpat et damnat. Potius tamen ait *in*, quam *cum*, ut vitii gravitatem exaggeret, q. d. Nolite in eodem corde vestro ponere fidem et vitium acceptionis personarum, imo nolite fidem ponere in vitio hoc, id est, in corde vitio hoc imbuto et pleno : nolite balsamum nobilissimum fidei in vase tam impuro et sordido collocare et inquinare. Hoc enim injurium est fidei, ipsique Christo, qui pauper pauperes vocavit et elegit eosque beatos prædicavit. Simile est quod ait Paulus 2. Cor. 6. 15. *Quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem consensus templo Dei cum idolis?* Idipsum recte cuivis vitio adaptes : nec enim in eodem corde poni potest virtus et vitium, fides et infidelitas, Christus et diabolus.

Quocirca aliqui nervosius sic exponunt, q. d. Nolite fidem Christi ponere in acceptione personarum : id est, in acceptis personis (per metonymiam, vel hypallagen) ut scilicet fidem et

fiduciam vestram collocetis in personis divitibus et potentibus, quas colitis et honoratis, æque, vel magis, quam in Christo. Nolite transformare fidem et spem Christi in fidem et spem hominum ut plus eis credatis et fidatis quam Christo : multi enim fidem, æque ac cor, magis habent in ære, quam in æthere; quia pluris faciunt æs, id est pecuniam, quam opem cœli et Dei, plusque fidunt æri quam ætheri. Tales sunt de quibus ait Psaltes. *Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere, divitiæ si affluant, nolite cor apponere*, Psalm. 61. 11. Et hæc videtur esse mens Hugonis juxta secundam expositionem.

Denique planissimus erit sensus, si per facilem metathesin verba ita connectas : Nolite fidem habere gloriæ Christi in acceptione personarum. q. d. Nolite credere quod Christi gloria consistat in acceptione personarum, quem sensum mox plenius explicabo.

Hoc est quod ait S. Hier. ad Celantiam : *Nescit religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum : servum et nobilem de moribus pronunciat. Sola apud Deum libertas est, non servire peccatis. Summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutis.* Et S. Bernardus lib. 2. de Consider. c. 6. *Argenti et auri*, inquit, *usus bonus, abusio mala, sollicitudo major, quæstus turpior.* Unde S. Petrus dixit : *Argentum et aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc ibi do*, Act. 3. Quin et Apuleius : *Laudas*, inquit, *aliquem quia generosus est, parentem ejus laudas : si vero quia dives, fortunæ hoc debetur; si eum laudas quia bonis moribus sit, tunc ipsum virum laudas, non aliena.* Libere vero S. Bernardus l. 2. de Considerat. ad Eugenium Pontificem c. 14. *Non sit*, inquit, *in te acceptio personarum : non parvi te reum peccati existimes, si facies peccatorum, et non prius causas judicas meritorum.* Acceptio ergo personarum justitiam pervertit, charitatem lædit scindit unitatem christianismi. Cum enim fides et lex Christi sit lex charitatis, omnes et æquo debet comprehendere, et in se unire; ac consequenter nec divitem ob divitias honorare et extollere : nec pauperem ob inopiam despicere. Contraria ergo opinio, et acceptio personarum contraria est Christo et indigna christianismo. Vere Clemens Alexand. 3. Pædag. cap. 6. *Solus Christianus*, inquit, *est dives; quia veræ divitiæ sunt in anima, puta fides, gratia et virtutes, quibus pollet Christianus.*

GLORIÆ.] Græce τῆς δόξης, quod Erasmus et Tigurina vertunt, *ex opinione*, scilicet non Christi, sed vulgi, quod divitias et divites colit, paupertatem et pauperes spernit. Verum hi addunt τὸ ex multaque supplent, quæ non sunt in textu Græco. Quare alii passim vertunt, *gloriæ* illudque referunt vel remotius ad *fidem*, q. d. Fidem gloriæ, hoc est, gloriosam, quæque ducit ad gloriam æternam. Vel proximius et concinnius ad *Christi* : Christus enim vocatur *gloriæ*, scilicet rex et dominus, hoc est, gloriosissimus in se, suisque electis et Beatis. q. d. Accipiendo personas in fide Christi, facitis injuriam Christo gloriosissimo; quasi scilicet ipse pendeat à divitibus et non potius divites ab ipso aut quasi ipse vos juvare, tutari et promovere nonpossit, ut divitum favorem et gratiam captare debeatis : quorum utrumque injurium est gloriæ Christi, Christoque gloriosissimo. Simili modo Christus vocatur spes gloriæ, Coloss. 1. v. 27. Et Christi gratia vocatur gloriæ, id est gloriosa, Ephes. 18. Sic Dei proprium est esse, et dici regem gloriæ, Psalm. 23. 10. Unde Cyrillus lib. 12. Thesauri cap. 13. probat Christum esse Deum ex eo, quod hic vocetur *Dominus gloriæ*. Denique Joannes Alba Electorum cap. 96. τὸ *gloriæ* exponit secundum, vel juxta gloriam. q. d. Nolite æstimare Christi fidem et fideles juxta gloriam, id est, juxta opes, honorem et potentiam eorum, ita ut accipiatis personas, divites et potentes colendo, pauperes vero spernendo.

Verum, ut ingenue dicam quod sentio, hæ omnes expositiones remotæ, duræ et hiulcæ videntur. Quare planissime sic exponemus, q. d. Nolite fidem habere gloriæ Christi; id est, nolite credere quod Christi gloria sita sit in acceptione personarum, nimirum quod glorietur vel glorificetur Christus, cum ad agapes et cœtus vestros admittitis solos divites, nobiles et gloriosos, spretis vel exclusis pauperibus et squalidis, quasi gloria Christi et christianismi consistat in gloria vestium aurearum et purpurearum; in splendore aulicorum et famulorum, in pompa equorum et curruum. Hæc enim est gloria mundi, non Christi; Judæorum, non Christianorum; gentilismi, non christianismi, ita Thomas Anglicus. Notent hoc confessarii, concionatores, doctores, præsides congregationum, qui gloriantur dum habent pœnitentes, auditores, discipulos, asseclas nobiles, divites, splendide vestitos, plebeios vero et squalidos ægre vident, ægre audiunt et admittunt. Sciant hunc esse sensum vanitatis, non veritatis, mundi, non Christi sæpe sub vestibus sericis magnæ latent sordes.

Posthume non bene olet, qui bene semper olet.

Hunc ergo vilem affectum exuant, et contrarium Christi discipulo dignum induant.

2. ETENIM SI INTROIERIT IN CONVENTUM VESTRUM,] tum privatum, tum publicum; tum civilem, tum sacrum, puta in concionem, Liturgiam, S. Synaxin (quæ Græco συναγωγή, id est *conventus*, cœtus, congregatio, Ecclesia, uti etymo, ita significatione apte respondet : Synaxis enim fiebat in synagoga, id est, conventu et Ecclesia) et agapen uti superius dixi, docetque hic Thomas Anglicus, Salmeron, Serarius et Gagneius. Declarat acceptionem personarum exemplo illorum, qui divites in conventu et consessu honorant; pauperes vilipendunt : quod commune olim fuit, et etiamnum est vitium; juxta illud Ovidii 1. Fastor.

In pretio pretium nunc est, dat census honores,
Census amicitias : pauper ubique jacet.

Et Euripides : *In paupertate ignobilitas est, et timiditas, et ignominia vitæ.* Vere sapiens Eccles. 10. 19. *Pecuniæ*, ait, *obediunt omnia;* Septuag. *humiliantur omnia;* alii, *cantant*, id est adulantur, et applaudunt, *omnia;* alii, *testificantur omnia;* alii, *respondent omnia*, sicut famuli respondent dominæ vocanti et mandanti, hæc enim omnia significat Hebr. ענה *laane*. Hunc vulgi mundique sensum, hunc paganismum corrigit Christus et christianismus, qui in fide, gratia et gloria paupertatem divitiis, et pauperes divitibus æquat; imo anteponit; *Quod plerique pauperes dicimur, non est*, inquit Minutius in Octavio, *infamia nostra, sed gloria : nec pauper est qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo dives est.* S. Salvianus lib. 2. de Eccles. Cathol. *De illis*, ait,

qui expediti omnibus, aut pene omnibus sarcinis Salvatoris viam sequuntur, et Dominum Jesum Christum non sanctitate solum, sed etiam paupertate imitantur, nihil est quod dici possit, nisi illud tantum quod etiam Propheta dixit : Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus. Hos enim ego omnes non aliter quam imitatores Christi honoro, non aliter quam Christi imagines colo, non aliter quam Christi membra suscipio. Eosdem l. 3. vocat nummularios Christi : Christiani enim qui opes cœlestes ambiunt, terrenas contemnunt; imo illas emunt harum contemptu. Unde Christi præceptum est : *Dimitte terrena, et accipies cœlestia*, ait S. Aug. serm. 233. de Temp. *Est enim paupertas regni cœlestis pretium*, ait idem sermone 28. de verbis Apostoli. Et S. Gregor. homil. 18. in Ezech. *Volant*, ait, *qui terram quasi non tangunt, quia in ipsa nihil appetunt.* S. Prosper libr. 2. de Vita contempl cap. 26. *Qui vult*, inquit, *Deum possidere, renunciet mundo, ut sit illi Deus beata possessio.*

AUREUM ANNULUM HABENS.] Baronius anno Christi 34. et Pineda de Rebus Salomonis lib. 6. c. 5. censent annulum hunc fuisse in veste, nimirum fibulam auream (hæc enim circulo aureo quasi annulo inseritur, et constringitur) quam gestabant regum et principum affines, vel singulares amici in veste, ut patet ex Josepho 14. Antiq. 16. Sic Alexander rex dedit auream fibulam Jonathæ in summæ benevolentiæ æque ac honoris indicium, 1. Mach. 10. 88. uti apud Romanos erat latus clavus. Formam hujus fibulæ fuisse instar fibulæ auratæ et gemmatæ Pluvialis Abbatum et Episcoporum, qua unum latus alteri ad pectus connectitur, censet noster Raderus in lib. 5. Martial. epigram. 42. unde et Virgil. Æneid. 4.

Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Verum Græcum δακτύλιος non fibulam, sed annulum digitalem significat : δάκτυλος enim græce est *digitus*, unde fructus palmæ vocantur dactyli, quia prælonga gracilitate curvati, humanis digitis similes sunt, teste Dioscoride lib. 1. c. 67. Inde δακτύλιος vocatur annulus, qui digito inseritur. Ergo χρυσοδακτύλιος ad verbum idem est quod auroannuleus, vel aurodigitalis, qui scilicet aureum annulum in digito gerit. Ab olim enim divites et potentes solent annulum aureum gestare, tum ab obsignandum epistolas, tum ad ornamentum, tum ad cordis hilaritatem : unde eum gestabant in digito penultimo manus sinistræ, qui auricularis dicitur, eo quod ab illo nervus, vel arteria ad cor tendat, teste Gellio lib. 10. cap. 10. aurum enim, ac præsertim hyacinthi, carbunculi, smaragdi, similesque gemmæ, quæ annuli palo inseruntur, cor æque ac oculos exhilarant et confortant. Episcopi tamen gestant annullum in digito medio manus dexteræ, qui Index dicitur, quia silentium indicat, ut docet Apuleius lib. 1. Causam dat ipsa formula donationis annuli in consecratione Episcopi, quæ sic habet : *Accipe annulum discretionis, et honoris fidei signum, ut quæ signanda sunt signes, et quæ aperienda sunt pandas : quæ liganda sunt liges, quæ solvenda sunt solvas.* Vide Alexandrum ab Alexandro l. 2. Genial. c. 19. et Pierium Hierogl. 41.

Porro annulos divitum vani esse splendoris, docet S. Augustinus 3. Civitat. 19. ex facto Hannibalis in victoria Canensi, ex qua *tres modios annulorum aureorum Carthaginem misit : quo intelligerent tantam, in illo prælio dignitatem cecidisse Romanam, ut facilius eam caperet mensura, quam numerus.* Et mox : *Tum etiam stipendiis sufficiendis cum defecisset ærarium, in usus publicos opes venere privatæ, adeo unoquoque id quod habuit conferente, ut præter singulos annulos aureos, singulasque bullas miserabilia dignitatis insignia, nihil sibi auri senatus ipse quanto magis cæteri ordines tribusque relinquerent.* Olim enim apud Romanos soli senatores et equites annulis utebantur teste Dione l. 48. Quocirca Clemens Alexand. libr. 3. Pædag. annulum Christianis tantum permittit ad hoc, ut eo res suas obsignent. *Alii autem*, ait, *abjiciendi sunt annulli, ut vult Scriptura. Aureus prudenti mundus, est disciplina.* Et mox : *Sed neque est à viris annulus in articulo ferendus (hoc enim est muliebre) sed in parvo digito, atque adeo in extrema ejus parte : ita enim erit manus maxime ad operandum expedita : neque facile excidet sigillum, quod majori articuli ligamento custoditur.*

IN VESTE.] Id est, cum veste; nam, ut jam dixi, annulus non erat in veste, sed in digito : tam enim vestis candida, quam annulus erat dignitatis insigne.

CANDIDA,] λαμπρᾷ, id est, *splendida*, qualis erat *candida*. Candor enim præ cæteris coloribus splendet, estque ipse splendor; ita splendet candor cycni, nivis, fulguris solis. Hinc Romæ olim candida erat vestis ambientium magistratus, qui inde Candidati dicebantur : candidati enim descendebant in campum Martium, ubi populi comitia agebantur. Sic et principes candida æque ac pureura utebantur. Unde Herodes illusit Christum induens eum veste alba, græce λαμπρᾷ, id est splendida, quo tacite insimulabat eum, quod fatue affectasset regnum Judææ, Luc. 23. 11. Hinc et Christus et Apostoli Apoc. 6. 2. repræsentatur per equum album. *Ecce*, inquit, *equus albus, et qui sedebat super illum habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret.* Albus enim color est pulcher, lætus, lucens et splendens, unde vestis candida est festiva, læta, splendida, magnifica. Audi Prudentium contra Symmachum :

Exultare patres videas, pulcherrima mundi
Lumina conciliumque senum gestire Catonum
Candidiore toga, niveum pietatis amictum
Sumere.

Et Martial. 8. epist. 28. candidissimam præstantissimamque togam, sibi à Parthenio cubiculi Domitiani præfecto donatam, ita dilaudat :

Lilia tu vincis, nec adhuc dilapsa ligustra,
Et Tiburtino monte quod albet ebur :
Spartanus tibi cedet olor, Paphiæque columbæ,
Cedet Erythræis eruta gemma vadis :

Quocirca S. Joanni in cœlo visi sunt Sancti ac Beati amicti stolis, albis, Apoc. 7. 9. nam colores alibi maxime decent deos, ait Plato l. 11. de Legibus. Denique Christus triumphator gloriosus post se exercitum ducit albatorum, Apocal. 19. 14. *Exercitus*, inquit, *qui sunt in cœlo sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo et mundo.* Vide ibi dicta. Candor ergo vestium est divinæ gloriæ quædam æmulatio : nam candidus fulgor est divinitatis ornamentum, Daniel 7. 9.

Porro quam vanum sit gloriari, aut honorare

vestes splendidas, et vestitos splendide, patet Primo, ex eo, quod vestis sit pœna et tegmen peccati. Adam enim innocens creatus est nudus, sed mox à peccato erubescens suam concupiscentiam, texit se vestibus consutis ex foliis ficus. Sicut ergo Rex conjectus in vincula compedes gestans aureas, iis non honoraretur, sed magis vilipenderetur : licet enim sunt aureæ, compedes tamen sunt; quodque sint aureæ, refricant ei pristinum regni decus, ex quo in compedes decidit, quasi è summo honoris fastigio in imum dedecoris dejectus : sic pariter erubescere debet dives in vestibus splendidis; quia illæ non sunt aliud nisi stigma peccati, velamen concupiscentiæ, tegmen pudoris. Secundo, quia primæ vestes quibus Deus vestivit Adamum, fuerunt simplices et nativæ, puta crudæ pelles animalium. Genes. 3. 21. ut doceret eum ac posteros, vestem homini datam tantum ad necessitatem, esseque symbolum pœnitentiæ et mortalitatis, cui per peccatum obnoxii effecti sumus, uti dixi Genes. 3. 21. Non magis ergo dives in veste byssina extolli debet, quam fur in laqueo byssino. Tertio, quia simplex et rudis fuit vestitus Eliæ, Elisæi, Prophetarum, S. Joannis Baptistæ, Christi Domini, Apostolorum, Essenorum et primorum fidelium. Unde habitum Christiani describens Lucianus in Philopatro : *Pallium putre*, inquit, *sine calceis et tegmine, capite nudo incedens, detonsa coma.* Quarto, quia femineus est vestium ornatus, feminasque indicat, non viros : horum enim ornatus est interior in judicio, sapientia et virtute. Nam quid est aurum et argentum, nisi terra alba, et rubra? Quid est byssus, nisi vermium, puta bombycum, putredo; Quid uniones, nisi concharum excrementa? Quid lanæ prætiosæ, nisi ovium vellera?

Audi S. Bernard. serm. 4. de Adventu; *Aurum et argentum nonne terra est rubra et alba, quam solus hominum error facit (aut magis reputat) pretiosam? Veræ ergo divitiæ non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat.* Et S. Cyril. l. 4. in Joan. c. 4. *Sancti considerandi sunt non carne, sed intrinseca gloria.*

Ita Sisinnius Novatianorum Episcopus, homo mollis reprehensus fuit à fidelibus, quod quotidie bis lavaretur et veste candida indueretur abutens illo Eccl. 9. 8. *Omni tempore sint vestimenta tua candida.* Ita Socrates l. 6. c. 22.

S. Asellam laudat S. Hier. epist. 15. ad Marcellam : *Sermo*, ait, *silens, et silentium loquens : nec citus nec tardus incessus, idem semper habitus, neglecta mundities, et inculta veste cultus ipse sine cultu.*

Aristoteles videns adolescentem sumptuosiori toga indutum : *Adolescens*, ait, *num aliquando à cultu isto immodico temperabis, ovium virtute parte?* Plato dixit Aristippo : *Tibi uni et chlamydem et pannum ferre datum est.* Chlamys vestis erat principum, pannus pauperum. Unde Horatius : *Omnis Aristippum decuit color.* Testis Laertius, l. 2. 8.

Diogenes divitem indoctum, sed splendide vestitum χρυσομηλον, id est *ovem auream*, vel, ut alii legunt χρυσόμαλλον, id est *vellus aureum*, appellabat. Testis Laert. l. 6.

Demonax cuidam purpura vestito insolescenti in aurem dixit : *Heus tu, hoc ante gestabat ovis, et ovis erat;* significans illum æque stupidum esse in purpura atque ante, nec purpuram ei ingenium addidisse. Tritum est illud : *Simia in purpura.* Et, *Simia est simia, etiamsi aurea gestet insignia.* Artaxerxes Teribazo vestibus insolescenti ait : *Tibi ut mulieri aurum, ut insano regium amictum gestandi jus concedo.* Augusti Cæsaris axioma fuit : *Vestitus insignis ac mollis superbiæ vexillum est nidusque luxuriæ.* Testis Sueton. in ejus vita.

Alexander Severus Imp. humili vestitu incedens, cum ob id ab aulicis reprehenderetur, ait: *Imperatoria majestas constat virtute, non corporis cultu.*

Simile fecit et dixit Alfonsus Aragonum Rex : *Malo*, inquit, *moribus et auctoritate meos excellere, quam diademate et purpura.* Ita Panorm. l. 1. de gestis Alfons. Plura dixi Isaiæ cap. 3. in fine.

Denique Clemens Alexand. l. 2. Pædag. c. 10. narrat Cæum sophistam improbitatem repræsentasse candida veste velatam, virtutem vero sola verecundia vestitam : perinde ac pictor ille, qui cum Helenam elegantem pingere non posset, pinxit eam veste aurea gemmeaque non tam decoratam, quam sepultam,

Nota, vestis præclara sæpe signum est magistratus, dignitatis aut nobilitatis : tuncque non ei, sed dignitati et officio deferendus est honor, sed eam ab hisce abstrahit hic S. Jacobus, tantumque considerat, ut indicem divitiarum, æque ac deliciarum, lautæque vitæ. Solebant enim olim in festivis epulis, ludis, sacrificiis, etc. indui veste candida quasi indice lætitiæ, uti docet Valer. Max. l. 1. c. 1. et indicat Ecclesiastes c. 9. 8.

Quocirca S. Jacobus per vestitum candida, intelligit hic non tantum divitem, sed et voluptuarium, qui festis, ludis, epulisque vitam transigit cum despectu pauperum : qualis fui dives Epulo qui bysso inducbatur, et epulabatur splendide, ac Lazarum spernebat, eique micas mensæ suæ negabat. Sicut ergo Christus Luc. 16. taxat hunc divitem spernentem Lazarum, ita Jacobus taxat eos, qui divites et deliciosos honorant cum contemptu et injuria pauperum et egenorum.

INTROIERIT AUTEM ET PAUPER IN SORDIDO HABITU.] Græce ῥυπαρίᾳ, id est, squalido, detrito, sordido, de ῥυπαρίᾳ dixi c. 1. 21. Plerique fidelium in primitiva Ecclesia erant pauperes vel conditione, vel exspoliatione bonorum quam patiebantur à Judæis, vel voluntate et spiritu. Audi S. Justinum ep. ad Diogenetum, mores Christianorum sui ævi describentem : *Omni peregrina regio*, ait, *patria eorum est, et omnis patria est peregrina. In carne sunt, sed non secundum carnem vivunt : in terra degunt, sed in cœlo conversantur, pauperes sunt et multos ditant : omnibus indigent, et omnibus abundant.*

3. PRÆCLARA,] λαμπρὰν, id est, *splendidam*, puta candidam de qua paulo ante dixi. Præclare Seneca epist. 37. *Quemadmodum*, ait. *stultus est qui equum empturus non ipsum inspicit, sed stratum ejus ac frænos : sic et stultissimus est qui hominem ex conditione, quæ vestis modo nobis circumdata est, æstimat. Servus est? sed fortasse libero animo. Servus est? hoc illi nocebit, aliis non nocebit.* Parvi ergo judicii est, qui hominem non ex seipso, sed ex veste æstimat, uti faciunt stulti et pueri. S. Chrysost. homil. 47. ad popul. *Vestes*, ait, *et aurum et argentum sunt vermium pensa : virtutem autem indutus talem habet vestem,*

quam non tantum tinea, sed et mors ipsa lædere nequit. Et merito : non enim hæ animæ virtutes ex terra originem trahunt, sed sunt fructus spiritus.

Et dixeritis ei : Tu sede hic bene.] Græce καλῶς Syrus שפיר *scappir*, id est *pulchre*, scilicet loco non tantum commodo et honorato, sed et eleganti, puta in sede primaria vel altiore, pulvinari byssino instrata, aulæis in conopæo redimita. Sedebant Judæi in Synagogis : magistri quidem altius, auditores autem et discipuli demissius, uti tradit S. Ambros. in 1. Cor. 14. 30. et insinuat ibidem Apostolus. Philo quoque Essenos sedisse tradit lib. de Vita contempl. Idem de Christianis Romanis tradit S. Clemens lib. 2. Constit. c. 57. Nam in Africa non licuisse laicis in Ecclesia sedere, testatur Optatus Milevit. l. 4. sicut etiam iisdem in templo sedere non licet in Æthiopia, sive Abyssia, ne senibus quidem et infirmis : his enim solum scipioni innitti conceditur, uti Romæ ab Abyssinis accepi.

Memorabile est quod de Constantino Magno in Vita ejus scribit Euseb. lib. 4. cap. 33. ipsum in Ecclesia concionem audivisse stantem, ac noluisse sedere, licet ab Episcopo ad id invitaretur, imo juberetur; quod diceret, res divinas erectis animis, auribus et pedibus audire oportere.

Apud Romanos in Theatro suus cuique pro dignitate erat locus : unde inter equites nemini considere licebat, nisi equestrem haberet censum, nimirum sestertia quadringenta; hoc est, decem millia aureorum. Audi Martialem lib. 5. epigr. 26.

> Quadringenta tibi non sunt Chæreslrate, surge,
> Lectius (locorum censor) ecce venit : sta, fuge, curre, late.

Simili modo apud S. Clementem lib. 2. Constit. c. 57. et 58. Apostoli sanciunt, quos operæ pretium est audire, ut ex iis ordinem synaxeos et sessionis in ea discamus. *Cum Ecclesiam Dei,* inquiunt, *convocas* (ô Episcope) *tanquam magnæ navis gubernator jube cum omni prudentia congregari, præcipiens Diaconis veluti nautis, ut loca fratribus tanquam navigantibus valde accurate et honeste disponant. Ac primum quidem sit ædes oblonga ad Orientem versus navi similis, utrimque pastophoria in Orientem. Sit solium Episcopi in medio positum, et ex utraque ejus latere sedeat Presbyteri, et astent Diaconi succincti et expediti sine multa veste : sunt enim illi similes nautis, hi illis qui per foros navis cursitant. Sit autem horum cura, ut laici in altera parte, ordine, et decore et quiete sedeant : item ut sedeant mulieres separatim, ac cum silentio.* Et paulo post : *Si quis autem repertus fuerit qui sedeat loco non decenti, increpetur à Diacono, tanquam à proreta; traducaturque in locum qui eum deceat. Est enim Ecclesia non solum similis navi, sed gregi; nam ut Pastores singulas pecudes, capras dico et oves pro generis et ætatis ratione locant, et quodque eorum simile cum simili congregatur : sic in Ecclesia adolescentes quidem seorsum sedeant, si locus sit : sin autem non sit, stent; ætate vero provecti ordine sedeant : pueros autem stantes, patres et matres eorum suscipiant : rursus adolescentulæ seorsum, si fuerit locus; si vero non fuerit, post mulieres locentur. Nuptæ jam et matresfamilias item seorsum : virgines autem, et viduæ, et anus primæ omnium stent, aut sedeant. Locis vero occupandis præsit Diaconus, ut quisque eorum qui ingrediuntur, in locum suum se conferat, et nemo præter decorum sedeat : similiter Diaconus populum speculetur, ne quis murmure obstrepat, dormitet, aut nutus faciat. Oportet enim stare in Ecclesia sapienter, sobrie, et vigilanter, auribus ad verbum Domini intentis. Deinde cuncti pariter consurgentes, et in Orientem spectantes, egressis catechumenis et pœnitentibus, precentur Deum, qui ascendit super cœlum cœli, idque ad Orientem.* Et inferius : *Si autem cum jam sedetur, alius quispiam adveniat honestus et nobilis, sive externus sive ejus regionis,* etc. *Diaconus juniorem loco moveat prudenter tamen, et non irate, et illum sessum recipiat : æquum enim est ut qui est in fratres benevolus, sponte sua hoc faciat : quod si recusaverit, move eum cogendo, et in extremum locum rejice, ut discant cæteri cedere loco honoratioribus. Si autem pauper, aut ignobilis, aut peregrinus quispiam senex vel adolescens advenerit, neque sit locus vacuus, his quoque Diaconus ex toto animo locum faciat, ut non fiat adversus hominem acceptio personæ, sed fiat ministerium Deo acceptum : cum mulieres, sive pauperes, sive divites advenerint, utrumque horum faciat Diaconissa.*

Addit S. Clemens Christianos sedisse duntaxat in concione et lectione, in oratione vero et liturgia stetisse, aut certe genu flexisse. Posterius hoc diserte docet Tertull. lib. de Orat. cap. 12. *Irreverens est,* ait, *assidere sub conspectu, contraque conspectum ejus, quem maxime reverearis ac venereris, quanto magis sub conspectu Dei vivi, angelo adhuc orationis astante, factum istud irreligiosissimum est? Nisi exprobramus Deo, quod nos oratio fatigaverit. Atqui cum modestia et humilitate adorantes, magis commendamus Deo preces nostras.* Vide dicta Act. 20. 36.

Pauperi autem dicatis : Tu sta illic, aut sede sub (Tigur. *subter;* alii, *juxta;* Syrus, *ante*) scabello pedum meorum.] Significatur contemptus pauperis. q. d. Sede non in scabello, sed sub scabello pedum meorum : adeo enim vilis es, ut non sis dignus qui pedes meos, imo nec eorum scabellum tangas. Ibi ergo sede, aut quasi alter Alexius sta in angulo, aut cum Lazaro quasi canis procumbe ad januam divitis Epulonis : qui contemptus sane est gravis, ideoque peccatum lethiferum. Inde sequebatur pauperum oppressio, quod est peccatum clamans in cœlum, de quo v. 6. ait S. Jacobus : *Nonne divites per potentiam opprimunt vos?*

Nota Primo, Honor est bonum commune, æque ac officia et beneficia. Nam in mensa, judicio, concilio, aliove cofessu publico cuique suus debetur honor et locus, qui si non detur, fit ei injuria, estque peccatum acceptionis personarum. Secundo, honor debetur creaturæ rationali ob excellentiam, quæ consistit in sapientia, virtute, officio, dignitate et potentia. Divitiæ ergo per se non sunt honorandæ, quia per se non faciunt hominem sapientiorem, magis virtuosum, digniorem et excellentiorem cæteris : tantum ergo honorantur divites per receptam consuetudinem, vel quia divitiæ comitantur dignitatem et principatum. Quare si quis ex interiori reverentia erga divitias, divitem hoc solo nomine quod dives est, præferat pauperi fideli, peccat vitio acceptionis personarum : fierique potest ut pecce tmortaliter, nimirum si fiat cum notabili pauperis contemptu, vel injuria et oppressione, ut dicitur v. 6. alioqui peccat tantum

venialiter. Ita noster Lessius de Justitia et jure c. 32. dub. 1.

4. NONNE (græce, id est *non*, de more ponitur pro οὐχί, id est *nonne*) JUDICATIS,] διακρίτητε, id est, *dijudicastis*, id est, delectum personarum habuistis extollendo summe divitem, deprimendo in imum pauperem. Ita Vatabl. Unde Syrus vertit, אתפלגתון *etpalgetun*, id est, *divisistis*, discrimen fecistis, discrevistis inique inter pauperem et divitem, quod Noster vertit, *judicatis;* quia judicis est inter partes æquitatem dividere, ut cuique jus suum tribuat, non vero unum alteri inique præferat, eique totum per fas et nefas attribuat : nec enim pauper ob paupertatem suo jure est spoliandus, ut illud per injuriam detur diviti ob solas ejus divitias. Secundo, Tigur., Erasmus et alii διακρίθητε, accipiunt passive, vertuntque assertive, non interrogative : *et non dijudicati estis apud vosmetipsos.* q. d. Non sensistis conscientiæ judicium et remorsum, quod scilicet in hac personarum acceptione Deum offenderetis. Unde Cajet. *Non estis*, ait, *judicati in vobis ipsis*, sed estis judicati in vestibus, dum divites ob vestes splendidas honoratis, pauperes ob squalidas spernitis. Alii vertentes interrogative sic explicant. q. d. Nonne vestro judicio judicati, convicti et damnati estis? q. d. Nonne recta ratio et judicium vos condemnat, arguitque quod inique faciatis; ita Beda. Verum vertendum esse active *judicatis*, patet ex eo, quod explicando subdit S. Jacobus. *Et facti estis judices cogitationum iniquarum;* judicis enim est judicare, non judicari : unde suspicatur Gagneius Nostrum Interpretem legisse διακρίνετε, in Indicativo, id est, *judicatis:* sed *judicatis* idem est quod judicare soletis, id est, judicastis : quod significat Græcum διακρίθητε.

Urget Hugo et Dionys. τὸ *apud vosmetipsos*, quasi dicat, à vobis, vestraque prava phantasia judicium hoc perversum sumitis, non à Deo : Deus enim jubet tam pauperibus, quam divitibus suum jus et locum tribui. Sapienter Plato in Protagora : *Ne prius*, ait, *in alio tribunali judicaveris, quam ipse coram justitia* (coram Deo) *judicatus fueris.* Et Seneca ep. 37. *Si vis tibi omnia subjicere, subjice te rationi* (et consequenter Deo) *Multos reges, si ratio te rexerit : ab illa disces quid, et quemadmodum aggredi debeas.* Et Socrates apud Stobæum serm. 48. *Optimus*, ait, *Rex est, qui suis affectibus imperare potest.*

ET FACTI ESTIS JUDICES COGITATIONUM INIQUARUM,] מפרשנא *mepharsane*, id est, *separatores*, discretores pauperis et divitis. Pro *cogitationum*, græce est διαλογισμῶν, id est, *ratiocinationum*, disputationum, disceptationum, consultationum, reputationum, sermocinationum. q. d. Facti estis judices iniqui perversarum ratiocinationum, id est, judices perverse ratiocinantes et concludentes pauperem contemnendum esse, quia pauper est; divitem honorandum, quia dives est. Ergo facti estis judices judiciorum iniquorum, quia inique judicatis iniqua cogitando, ratiocinando, concludendo, sermocinando, eaque opere exequendo; dum scilicet pauperem præ divite spernitis, plusque splendori vestium, quam fidei et virtuti tribuitis, honorando impios divites, et despiciendo sanctos pauperes, ait S. Hier. in c. 5. Isaiæ. Hoc ipso enim tacite judicatis, *quod dives tanto paupere sit melior, quanto est ditior*, ait S. Aug. ep. 29. ad S. Hier. quod utique falsum et perversum est judicium, instarque monstri. Incongruus enim sermo est, ait Epictetus, si dicas : *Ego sum ditior te; ergo te melior. Ego sapientior, ergo melior. Hi vero sunt congrui : Ego te ditior; mea igitur possessio melior est tua. Ego sapientior : mea igitur oratio melior est tua. Tu autem neque possessio es, neque oratio.* Ita ipse Enchirid. c. 59.

Seneca l. 10. ep. 77. *Gladium*, ait, *bonum dices, non cui deauratus est baltheus, nec cui vagina gemmis distinguitur; sed cui est ad secandam subtilis acies. Regula, non quam formosa, sed quam recta sit quæritur. Ergo in homine nihil ad rem pertinet quantum aret, quantum fæneret, à quam multis salutetur, quam pretioso incumbat lecto, sed quam bonus sit. Nemo istorum quos divitiæ honoresque in alta fastigio ponunt, magnus est. Quare ergo magnus videtur? cum basi sua illum metiris. Parvus pumilio, licet in monte constiterit. Colossus magnitudinem suam servabit, etiamsi steterit in puteo. Hoc laboramus errore, quod neminem æstimamus eo quod est, sed abjicimus illi et ea quibus ornatus est, imo ex illis ipsum æstimamus et metimur.*

Porro ait S. Jacobus *cogitationum*, non cogitationis græce διαλογισμῶν, id est, *ratiocinationum*, consultationum, conclusionum : quia hæc una, qua divitiæ præferuntur paupertati, multas includit, et ex hac una quasi principio multæ aliæ educuntur, v. g. qui divitias præfert paupertati secum ita ratiocinabitur. Primo, divitiæ sunt commodiores, magisque in hominum pretio; ergo divites præferendi pauperibus. Secundo, dives me juvare, commendare, promovere, ditare potest, non pauper : divites ergo colendi, non pauperes. Tertio, dives sui contemptum ulcisci potest, non pauper : illius ergo offensa curanda est, non hujus. Quarto, à paupere nihil expecto : ergo mihi negligendus est. Quinto, pauper mihi est dedecori et oneri, quia à me petit et emendicat eleemosynam, itaque opes meas minuit : dives vero mihi est honori et commodo : ergo hic sequendus, ille fugiendus est.

Hæ sunt ratiocinationes iniquæ et falsæ, puta paralogismi mundi et mundanorum. Ex adverso Deus contra hos, ait Philo lib. 1. de Monarchia sancit Exodi 20. *Non facietis vobis deos argenteos et aureos, in sensu mystico : Hi enim*, ait, *adoraturi mane ad ædes divitum quasi ad sanctissima templa cursitant, bona petituri ab illis quasi numibus :* cum tamen verissimum sit illud August. 5. Civit. 6. *Remota justitia quid sunt omnes homines, nisi homines?* Ergo contra hos primo argumentatur Christus, dicens : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*, Luc. 16. 19.

Secundo, S. August. serm. 55. de Temp. *Iste mundum*, ait, *aut ridet nos, aut ridetur à nobis. Melius est ut calces mundum, et calcato eo gradum tibi facias per quem in sublime conscendas.*

Tertio, Seneca lib. de Vita beata c. 26. *Divitiæ apud sapientem virum in servitute sunt, apud stultum in imperio. Sapiens divitiis nihil permittit, vobis divitiæ omnia.* Unde et Alexandr. Magnus, teste Plutarch. orat. 1. de Fortuna Alexandri, dixit : *Si Alexander non essem, Diogenes esse vellem.*

Quarto, Auctor imperfecti apud S. Chrysost. hom. 22. *Si divitem honoras*, ait, *propter personam ipsius, honoras eum : si autem pauperem honoras, propter personam Christi honoras.*

Quinto, S. Ambros. lib. 2. Offic. 25. docet multis rationibus favores et beneficia pauperi-

bus potius exhibenda esse, quam divitibus. Primo, quia Christus, ait, docet *ad epulas non eos qui divites sunt, sed pauperes invitandos*, Lucæ 14. Secundo, *divites enim rogari videntur, ut ipsi quoque nobis reddant : pauperes quia non habent quod restituant, cum acceperint remuneratorem nobis faciunt Dominum, qui se pro paupere obligandum obtulit.* Tertio, *quia dives dedignatur beneficium, et pudet eum debitorem esse gratiæ. Quin etiam id quod collatum est sibi, meritis suis arrogat.* Quarto, *quia in accipiendo beneficio eo ipso quod acceperint, divites dedisse se magis quam accepisse existimant : pauper vero etsi non habet unde reddat pecuniam, refert gratiam : in quo certum est, quod plus reddat, quam acceperit. Pecunia enim nummo solvitur, gratia nunquam exinanitur.* Quinto, *quod dives refugit, pauper fatetur quod sit obligatus debito, sibique subventum, non honori suo delatum putat : donatos sibi arbitratur filios, vitam redditam, servatam familiam.* Idem ibid. c. 1. *Tantus*, ait, *splendor honestatis est, ut vitam beatam efficiant tranquillitas conscientiæ, et securitas innocentiæ. Et ideo sicut exortus sol, lunæ globum et cætera stellarum abscondit lumina, ita fulgor honestatis; ubi vero et incorrupto vibrat decore, cætera quæ putantur bona secundum voluptatem corporis, aut secundum sæculum clara et illustria obumbrat.* Et c. 4. loquens de Elia, cui pauperi corvus deferebat panem 3. Reg. 17. *Nunquid ideo*, ait, *minus beatus quia pauper erat sibi? Minime, imo eo magis beatus, quia Deo dives. Aliis enim quam sibi divitem esse præstat, ut iste erat, qui tempore famis cibum à vidua petebat, largiturus ei, ut hydria farinæ per triennium et sex menses non deficeret, et per quotidianos usus olei vas viduæ inopi sufficeret ac ministraret.*

Sexto, in paupere honoramus Christum quasi exemplar in sua imagine. Unde Chrysost. s. 14. explicans illud Psalm. 140. *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem.* Non dicit, ait, Qui videt, sed *qui intelligit.* Arcana enim res est, et occultum mundo paupertatis pretium. *Oremus fratres ut ipse nobis intelligere intelligenda concedat, qui se intelligi in paupere sic demonstrat, quod ipse qui cœlum tegit, sit nudus in paupere; quod in esuriente esuriat satietas rerum; quod sitiat in sitiente fons fontium. Beatus proinde ille censendus est, qui hoc intelligit, ut super pauperes intelligat eorum necessitatibus occurrendo, eosque à necessitatibus eruendo.*

Septimo, S. Bern. serm. 1. de vigilia Nativitat. *Paupertas*, ait, *non inveniebatur in cœlis, porro in terris abundabat hæc species, et nesciebat homo pretium ejus. Hanc itaque Dei Filius concupiscens descendit ut eam eligat sibi, et nobis quoque sua æstimatione faciat pretiosam.* Hoc est quod ait Christus Isaiæ 61. et Lucæ 4. 18. *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me.* Plura de bono paupertatis dixi Act. c. 4. et 5.

5. NONNE DEUS ELEGIT PAUPERES IN HOC MUNDO.] Syrus, *pauperes mundi.* Probat non esse accipiendas personas ut divites honoremus, pauperes aspernemur, exemplo Dei, quod nobis debet esse instar normæ et præcepti. Deus enim elegit pauperes ære, eosque divites effecit fide; inopes censu, eosque opulentos fecit rerum divinarum sensu. Unde S. Leo serm. 10. de Quadr. *Quos viles*, ait, *facit carnalis sapientia, nescimus quam pretiosos spiritualis sit factura gratia.*

DIVITES IN FIDE,] ut scilicet fierent divites, ipseque faceret eos divites in fide. Nam simil, modo addit. *Et heredes regni.* Clarum autem esti Deum neminem elegisse qui jam erat heres regni, sed eligendo hæredem regni fecisse. q. d. Pauperes non sunt spernendi, quia Deus non sprevit, sed elegit pauperes, eosque eligendo ditavit fide, fecitque heredes regni. Nihil ergo hic habent Pelagiani, quo probent fidem esse ex nobis, non ex gratia Dei, quasi ob fidem viribus naturæ elicitam Deus fidelem eligat, infidelem respuat. Fides enim est primum Dei donum, quo pauperes Apostolos primosque fideles ditavit Deus, ita S. Augustinus lib. 1. de Prædest. sanct. cap. 17. Agit ergo Jacobus de electione tam ad fidem et gratiam, quam ad regnum et gloriam. Quos enim Deus elegit ad gratiam, eos consequenter destinavit ad gloriam, ut fiant heredes regni cœlestis. Hic sensus est genuinus. Secundo, tamen Gabriel Vasquez 1. part. disp. 89. cap. 2. sic explicat, quasi dicat, Deus Apostolos paupere res censu, sed divites fide et virtute, elegit ad gloriam, puta ad hereditatem regni cœlestis, et ad vitam æternam ex meritis; quia scilicet prævidit quod ipsi bene utendo et strenue cooperando fidei, et gratiæ sibi à Deo datæ, per bona opera mererentur regnum cœleste. Unde sequitur : *Quod repromisit Deus diligentibus se.* Censet ergo hic agi de electione ad gloriam duntaxat, eamque fieri ex meritis probare ex hoc loco contendit; gloria enim est hæreditas, quia datur filiis eadem est et corona justitiæ, ac merces, quia datur merentibus et vincentibus. Hinc et Jacobus prius ait, quod Deus elegerit divites in fide, deinde quod *heredes regni*, quia per divitias fidei destinavit nos ad regnum in prima electione, quàm fecit ab æterno.

Moral. docet hic S. Jacobus veras divitias non esse aurum, argentum, vestes splendidas; sed fidem et fidei virtutes : sicut ex adverso paupertatem et pauperes non facit egestas, sed cupiditas et impietas. Unde S. August. hom. de centum ovibus : *Deus*, ait, *omnibus æqualiter adest, sed apud Deum plus habet loci, qui plus attulerit, non argenti, sed fidei.* Et S. Gregor. hom. 15. in Evang. *Solæ*, ait. *divitiæ sunt, quæ nos divites virtutibus faciunt.* Et Clemens Alexandr. lib. 6. Stromat. *Veræ*, ait, *divitiæ est abundantia in iis quæ sunt ex virtute actionibus : paupertas autem est inopia in moderatis actionibus.* S. Ambrosius l. 3. ep. 10. *Solum illum Deus divitem novit, qui sit dives æternitati.*

Præclare vero S. Prosper lib. 2. de Vita contemplativa c. 13. *Illæ*, ait, *nobis sunt ambiendæ divitiæ, quæ nos ornare pariter possint, et munire, quas nec acquirere possumus inviti, nec perdere, quæ nos contra hostiles impetus armant, à mundo disterminant, Deo commendant, ditant animas nostras atque nobilitant, nobiscum sunt, intra nos sunt. Divitiæ nostræ credendæ sunt pudicitia, quæ nos pudicos; justitia, quæ justos; pietas, quæ pios; humilitas, quæ humiles; mansuetudo, quæ mansuetos; innocentia, quæ innocentes; puritas, quæ puros; prudentia, quæ prudentes; temperantia, quæ temperantes; et charitas quæ nos facit Deo et hominibus charos; virtutum potentes, sæculi contemptores, ac bonorum omnium sectatores. Hæc non sunt omnium, sed Sanctorum sanctæ virtutes, non divitum superborum, sed humilium pauperum facultates, patrimonium cordium divitiæ incorruptibiles morum, quibus non abun-*

dant, nisi ille qui illi carnalibus ex corde renuntiant. Et inferius : *Propter hoc igitur eis qui militant Deo, fugienda sunt ex toto corde divitiæ : quas qui habere volunt, sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine anxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt. Apostolus autem Christi militibus dicit : Volo vos sine sollicitudine esse.* Et : *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide, et inseruerunt se doloribus multis, ac sic census iste terrenus eis à quibus vitiose diligitur, non est voluptatum materia, sed dolorum.*

Breviter, sed nervose S. Greg. l. 6. epist. 190. ad Andream : *Non ergo,* ait, *honores aut divitiæ quærendæ sunt, quæ dimittuntur, sed si bona quærimus, illa diligamus, quæ sine fine habebimus. Si autem mala pertimescimus, timeamus quæ à reprobis sine fine tolerantur.* Idem hom. 18. in Ezech. *Ille,* ait, *pauper est, qui eget eo quod non habet. Nam et qui non habens habere non appetit, dives est. Paupertas quippe in inopia mentis est non in quantitate possessionis : nam cui cum paupertate bene convenit, non est pauper.*

Heredes regni.] Id est, destinatos ad regnum cœleste; illudque certo adepturos, si in fide operibusque fidei ad finem usque vitæ constanter perseverent. Præclare S. Ambros. serm. 10. *Cum regnum Dei,* ait, *pauperum sit, quid locupletius esse potest.* Vide hic miram harmoniam Jacobi et Pauli. Idem enim eodem ævo intonuit Paulus scribens 1. Corinth. cap. 2. 26. *Videte,* ait, *vocationem vestram fratres,* etc., *quæ stulta sunt mundi, et ignobilia, et contemptibilia elegit Deus.* Porro regnum Dei est ipse Deus cum omni sua felicitate et gloria. Vide S. August. serm. 119. de Temp. et in Psalm. 136. et 149. ubi ait : *Heredes Dei sic sunt, ut ipse Deus sit hereditas nostra. Hæc hereditas non minuitur copia possessorum, non fit angustior numerositate coheredum; sed tanta est multis, quanta paucis; tanta singulis, quanta omnibus : non talis te fecit heredem cui mortuo succedas, sed cum quo in æternum vivas.* Et S. Ambrosium in Psalm. 118. *Omnes possident, nec minuitur heredi; manet emolumentum integrum, et eo magis singulis crescit, quo pluribus fuerit acquisitum.* Charitas enim perfecta in cœlis facit omnia communia : unde quisque beatus de aliorum singulorum gloria ita gaudet, ac si sua esset. Quare non semel, sed millies, et millesies millies est beatus et gloriosus. S. Bern. de Triplici genere bonorum : *Quæ est,* ait, *copia ubi nihil quod nolis sit, et totum sit quod velis?* Idem serm. de fallacia præsentis sæculi : *In remuneratione,* ait, *torrens est voluptatis, et fluminis impetus. Flumen plane est, sed quod affluat, non quod fluat, vel effluat; flumen vocatur, non quod transeat, vel pertranseat, sed quod abundet.* Rursum S. Aug. lib. 3. de Liber. arbitr. sub finem : *Tanta,* ait, *est jucunditas lucis æternæ, ut etiamsi non liceret amplius in ea manere, quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis, et circumfluentia temporalium bonorum recte meritoque contemnerentur.* Idem in Manuali cap. 14. *O anima mea, si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, aut Christum in gloria sua videre possemus et Sanctis ejus sociari, nonne dignum esset pati omne quod triste est, ut tanti boni tantæque gloriæ participes haberemur? Insidiantur ergo dæmones, parent suas tentationes, frangant corpus jejunia; premant carnem vestimenta, labores gravent, vigiliæ exsiccent, clamet in me iste, inquietet me ille vel ille, frigus incurvet, conscientia murmuret, calor urat, caput doleat, pectus ardeat, infletur stomachus, pallescat vultus, infirmetur totum corpus, deficiat in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus, ingrediatur putredo in ossibus meis et subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis, et ascendam ad populum accinctum nostrum. Quæ enim erit justorum gloria, quam grandis Sanctorum lætitia, cum unaquæque facies fulgebit ut sol? cum ordinibus distinctis populum suum Dominus in regno patris sui cœperit recensere et meritis atque operibus singulorum promissa præmia restituet, pro terrenis cœlestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna? Revera cumulus felicitatis erit cum Dominus adducet Sanctos suos in visionem paternæ gloriæ, et faciet in cœlestibus considere, ut sit omnia in omnibus. O felix jucunditas, et jucunda felicitas : Sanctos videre, cum Sanctis esse et sanctum, Deum videre, et Deum habere in æternum et ultra!*

Porro causæ cur Deus ad fidem et regnum elegerit pauperes potius, quam divites, sunt variæ, æque congruæ. Prima, quia id requirit apta distributio donorum, ut qui carent terrestribus, abundent cœlestibus, et vice versa. Unde S. Hieron. epist. 34. ad Julianum : *Difficile,* ait, *imo impossibile est, ut præsentibus quis et futuris fruatur bonis; ut hic ventrem, et ibi mentem expleat : ut de deliciis transeat ad delicias : ut in utroque sæculo primus sit : ut in cœlo et terra appareat gloriosus.* Et S. Chrysost homil. 2. ad populum docet S. Paulum, cum nominat divites hujus sæculi 1. Tim. 6. 17. hoc ipso significare alios esse divites futuri sæculi, nimirum pauperes hujus sæculi. Sic dives hujus sæculi fuit Epulo, futuri vero Lazarus, Lucæ 16. v. 24. sic Nazianz. orat. 16. religiosos vocat *propter humilitatem exaltatos, et propter paupertatem locupletatos.* Quocirca Patres pauperes Evangelicos vocant divites, eosque veros et solos. Ita S. Nazianz. orat. 20. de S. Basilio; *Divitiæ,* ait, *illi erant, nihil habere.* Et S. Leo serm. 4. de Quadrages. *Christiana paupertas dives est : quia plus est quod habet, quam quod non habet : nec pavet in isto mundo indigentia laborare cui donatum in omnium rerum Domino omnia possidere.* Et S. Ambr. lib. 4. ep. 24. ad Simplic. *Vere,* ait, *dives est, qui in conspectu Dei potest dives videri, in cujus conspectu terra exigua, mundus ipse angustus est; sed solum illum Deus divitem novit, qui sit dives æternitatis, qui non opera, sed virtutum fructus recondat.* Vide totam Epistolam, in qua demonstrat, hoc paradoxum : *Quod solus sapiens, licet pauper, sit dives.*

Secunda, quia divitiæ sunt fomites et illecebræ ambitionis, avaritiæ, gulæ, luxuriæ, omniumque vitiorum, quibus itur in gehennam : paupertas vero suggerit materiam humilitatis, continentiæ, modestiæ, sobrietatis, castitatis, omniumque virtutum, quibus tenditur ad gloriam. Unde Christus Matth. 19. 24. *Facilius,* ait, *est camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cœlorum.* Sicut ergo non nisi per miraculum camelus transire potest per foramen acus; ita et dives non nisi per miraculum intrare potest in regnum cœlorum. Vide ea quæ de pernicie divitiarum dixi Isaiæ 5. 9. Paupertas ergo opibus vicinior est cœlo. *Magna quædam*

penna paupertatis est, qua tam cito volatur in regnum cœlorum, ait S. Bern. s. 4. de Adventu.

Tertia, Deus ut ostenderet divitias bonitatis, misericordiæ et magnificentiæ suæ, elegit pauperes potius quam divites utque pauperes exstimularet ad magnam humilitatem, gratitudinem, honorem et amorem Dei. Vide dicta 1. Cor. 1. 26. et seq.

Quarta, quia pauperes contemptu mundi emunt à Deo cœlum. Deus ergo eis fit debitor : cum enim omnia propter Deum reliquerint, par est ut Deus iis suum regnum rependat. Unde Nazianz. in Carm. de Beatit. *Felix*, ait, *qui Christum fortunis omnibus emit.* Et orat. 18. *Hæc*, ait, *negotiatio præstantissima, qua brevia et fragilia bona cum sempertina gloria commutantur.* Et S. Aug. serm. ult. de diversi : *Quid*, ait, *gloriosius homini quam sua vendere, et Christum emere?* Vide Matth. c. 19. 18.

Quinta, quia Deus vacuum requirit cor, ut totum illud possideat; pauperum autem corda sunt vacua; divitum vero plena divitiis æque ac vitiis : illa ergo capacia sunt fidei, gloriæ et gratiæ, hæc vero incapacia. Dives itaque qui cor habet in ære, ineptus est ad capiendas res æthereas : pauper vero cum cor nequeat habere in ære quo caret, transfert illud in æthera quem sperat : liberum ergo amplumque, et Dei capax habet cor. Vide S. Chrysost. hom. 2. ad popul. Vidit idipsum per umbram Seneca ep. 8. *Nemo alius*, ait, *est Deo dignus, nisi qui opes contempsit; et ideo olim Flamini Diali non modo tangere hederam criminosum erat, verum etiam nominare :* Nam hedera symbolum erat tenacitatis, et adhæsionis ad terrena, teste Pierio Hierog. 51.

Præclare S. August, l. de 12. grad. abusionum gradu 8. *Recta*, ait, *dispensatione misericors judex regnum cœlorum illis committit, quibus regni terrarum participationem inter mortales abstulit, ut ipse dives in cœli sede appareat, qui in terra nihil penitus procurat.* Et mox : *Nobilis ergo inopia, est mentis humilitas, et ineptæ divitiæ sunt animorum enormitas.* Idem (si tamen ipse est auctor) l. de Contemptu mundi c. 6. *Regnum cœlorum non divitum, sed pauperum est. Dicit namque pauperibus : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Si est regnum cœlorum pauperum; restat ut infernus sit divitum;* idque probat exemplo divitis Epulonis, qui sepultus est in inferno, Luc. 16. 24. et seq.

QUOD REPROMISIT DEUS DILIGENTIBUS SE,] ideoque suæ legi obtemperantibus. Qui enim diligit Deum, debet ea diligere, quæ Deus diligit; et ea odire, quæ Deus odit, ait S. August. imo Christus Joan. 4. 15. *Si diligitis*, ait, *me, mandata mea servate.* Hinc disce Primo, non soli fidei et credentibus, ut volunt hæretici, sed dilectioni et diligentibus, id est, opera charitatis erga Deum et proximum exercentibus, promissum esse regnum Dei : ac proinde volenti illud assequi necessaria esse charitatis opera. Secundo, regnum cœlorum promitti et dari quasi mercedem pro merito operum charitatis. Tertio, sanctum esse hæc obire intuitu hujus mercedis et præmii, ut fecit David Ps. 118. 112. dicens : *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.*

Alludit ad Isaiæ c. 64. 4. quem sub idem tempus quo Jacobus hæc scripsit, S. Paulus scribens Corinthiis ep. 1. c. 2. 9. ex Sept. ita citat : *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* Ultima enim hæc Isaiæ et Pauli verba antistropha sunt verbis hisce Jacobi, nimirum quia idem Spiritus S. per ora trium horum testium, imo Prophetarum suorum, loquebatur.

Moral. Disce quam facili pretio Deus vendat regnum cœlorum, nimirum amore : amor ejus est pretium. Ama Deum, et Deum Deique regnum mereberis, emes et obtinebis. Ama Deum et regna, tum in cœlo, tum in terra, uti Israeli promittit Moses Deut. 11. 24.

Porro quis non amet Deum summe amabilem summumque bonum suum, qui est gaudium omnium angelorum et hominum : in quo sunt omnes deliciæ, omnes opes, omnes honores, omnis sapientia, omnis gloria, omnia bona in gradu immenso et infinito? Quis non amet Deum qui prius tam impense amavit nos, ut nos ex nihilo crearet, perditos per filium suum recrearet et redimeret, aversos revocaret, ruentes in gehennam retraheret ad cœlum? Quis non amet Deum, qui suum amorem, se totum, suaque charitatis viscera in nos largissime effudit? qui nos indies, imo singulis momentis animat, vegetat, pascit, sua gratia donisque innumeris cumulat? Quis non amet Deum, qui à nobis amari optat, imo jubet, ac amanti promittit cœlum, non amanti minatur infernum? Quare inexcusabiles sunt peccatores et reprobi, imo stulti sunt et insani, qui, ut creatura exigua, puta vili voluptate, vel honore fruantur, eamque diligant, Creatorem oderunt; qui terram paradiso, homines et bruta angelis, regnum dæmonis regno Dei, infernum cœlo anteponunt. Quid dementius? quid insanius?

Præclare S. August. hom. 9. de verbis Apostoli docet pauperem sola bona voluntate, id est dilectione, emere cœlum : *Quia quod valde necessarium est*, inquit, *habet : pauper est in arca, sed dives in conscientia; pauper est in domo, sed dives in animo*, etc. *Quam parvo constat regnum cœlorum, quam vili pretio tanta possessio proponitur? Proponitur in terra, quod possideas in cœlo : proponitur in tempore, quod possideas in æternum.* Et mox : *Duobus minutis emit quædam vidua regnum cœlorum, quæ misit in gazophylacium duos nummos, Marci 12. Misit illos in domum Dei, et emit regnum cœlorum. En duobus nummis valet. Plus addo, valet et vilius : vilior est calix aquæ frigidæ, vilior est sola bona voluntas. Audi clamantes angelos : In terra pax hominibus bonæ voluntatis. Bona enim voluntas ipsa dicitur charitas. Totum ergo habet, qui bonam voluntatem habet.* Idem hom. 13. *Regnum cœlorum venale proposuit, et pretium ejus calicem aquæ frigidæ esse voluit*, Matth. 10. 42. Quocirca idem in Manuali c. 10. suspirans ad Deum : *Amo*, ait, *te Deus meus, amo te, et magis atque magis amare volo. Da mihi Domine Deus meus, speciose præ filiis hominum, ut desiderem te, ut amen te quantum volo et quantum debeo : immensus, et sine mensura debes amari, præsertim à nobis, quos sic amasti, sic salvasti, pro quibus tanta ae talia fecisti. O amor qui semper ardes, et nunquam extingueris, dulcis Christe, bone Jesu, charitas Deus meus, accende me toto igne tuo, amore tuo, dulcedine tua, dilectione tua, desiderio tuo, charitate tua, jucunditate et exultatione tua, pietate et suavitate tua, voluptate et concupiscentia tua, quæ sancta est et bona, quæ casta est et munda, ut totus dulcedine amoris tui plenus, totus in flamma*

tuæ charitatis vaporatus, diligam te Dominum meum dulcissimum et pulcherrimum ex toto corde meo, et tota anima mea, ex totis viribus meis, et ex omni intentione mea, cum multa cordis contritione et lachrymarum fonte, cum multa reverentia et tremore, habens te in corde, in ore, et præ oculis meis semper et ubique, ita ut nullus in me adulterinis amoribus pateat locus. Et cap. 12. *O dulcedo amoris, et amor dulcedinis, comedat te venter meus, et nectare tui amoris repleantur viscera mea, et eructet mens mea verbum bonum. Charitas Deus meus, mel dulce, lac niveum, cibus es grandium; fac me crescere in te, ut sano palato possis manducari à me. Tu es vita mea cui vivo, spes cui inhæreo, gloria quam adipisci desidero. Tu mihi cor tene, mentem rege, intellectum dirige, amorem erige, animum suspende, et in superna fluenta os sitientis te spiritus trahe. Taceat quæso tumultus carnis. Conticescant phantasiæ terrarum et aquarum, aeris et poli, taceant somnia et imaginariæ revelationes, omnis lingua, omne signum, et quidquid transeundo fit. Sileat sibi et ipsa anima, et transeat se, non cogitando se, sed te Deus meus, quoniam tu es revera tota spes et fiducia mea.*

6. Vos autem exhonorastis pauperem,] ἠτιμάσατε, id est, *inhonorastis;* contempsistis sprevistis. Ita Syrus ac consequenter inhonorastis Deum, qui auctor est paupertatis, paterque pauperum, juxta illud Eccl. 11. 14. *Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas* (id est opulentia) *à Deo sunt.* Et Proverb. 22. 2. *Dives et pauper obviaverunt sibi, utriusque operator est Dominus.* Unde infert idem c. 14. 31. *Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus; honorat autem eum, qui miseretur pauperis.* Quare merito exclamat Damasc. parallel. 3. c. 37. *O quanta est dignitas paupertatis! Dei velut larva efficitur: delitescit enim sub paupertate Deus: ac pauper quidem supplicem manum extendit, Deus autem est qui accipit.*

Porro S. Jacobus mutat personam tertiam in secundam, dicens : *Vos autem exhonorastis,* ut acrius corripiat, pungatque divites superbos, et in pauperes injurios.

Denique aliqui per pauperem accipiunt Christum qui pauperum fuit pauper (id est, pauperrimus) ideoque eorum pater. Verum hoc arctius est et mysticum : ad litteram enim quosvis pauperes intelligit, ut patet ex toto sermonis discursu.

Nonne divites per potentiam opprimunt vos?] ô pauperes. Compellavit divites oppressores, nunc compellat pauperes oppressos. Græce, καταδυναστευσιν ὑμῶν, id est, *dominantur in vos,* tyrannice vobis imperant, violenter opprimunt vos oneribus, rapinis, injuriis, vectigalibus iniquis : dum ut ait Salvianus l. 4. de Provid. *decernunt potentes, quod solvant pauperes; decernit gratia divitum, quod perdit turba miserorum.* Vere Eccl. 13. 23. *Venatio leonis, onager in eremo; sic et pascua divitum sunt pauperes.* q. d. Sicut leo venatur et prædatur onagrum; sic et divites pauperem. Divitiæ enim inflant animum divitis, ut putet sibi omnia licere, se posse cæteris dominari, sibi oportere pauperes subjici et parere, sibi omnia deberi; ac proinde pauperes esse quasi servos et mancipia, quibus suas opes et pompas adaugeat : denique eorum opes devorant, sicut piscis major devorat minorem. Quocirca Sallustius in Catilina : *Divitiæ et imperia,* ait, *bella atque certamina inter mortales excitant.* Et, *O urbem venalem et mature perituram, si emptorem invenerit!* Et Juvenal. satyra 6.

> Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem,
> Nullum crimen abest facinusque libidinis, ex quo
> Paupertas Romana perit.

Trahunt vos ad judicia,] ad tribunalia, etiam Gentilium et infidelium judicum, quos vel consanguineos et amicos habent, vel muneribus corrumpunt. Hoc enim illo ævo à Christianis factitatum fuisse docet, et graviter culpat S. Paulus 1. Cor. 6. 1. vide ibi dicta. Hoc est quod monet Sapiens Eccl. 5. 7. *Si videris calumnias egenorum et violenta judicia, et subverti justitiam in provincia; non mireris super hoc negotio, quia excelso excelsior est alius, et super hos quoque eminentiores sunt alii, et insuper universæ terræ Rex imperat servienti.*

7. Nonne ipsi blasphemant bonum nomen.] *Blasphemant,* id est blasphemari faciunt, sunt causa ut blasphemetur. Est hebraismus, *cal* ponitur pro *hiphil.* Sensus est. q. d. Divites Christiani suo fastu, avaritia, tyrannide, oppressione pauperum faciunt, ut Gentes hæc eorum scelera videntes blasphement nomen Christi et Christianismi, ipsamque fidem et religionem Christi; quasi illa talia doceat, aut certe permittat, nec castiget vel puniat. Nota. Pro *bonum* græce est καλὸν, quod non tantum bonum, sed et præclarum significat. q. d. Blasphemant nomen Jesu, quod præclarum est et divinum, æque ac bonum, mellifluum et salutiferum. Nomen enim *Jesu est mel in ore, melos in aure, jubilus in corde,* ait S. Bern. serm. 15. in Cant.

Nomen quod invocatum est super vos,] id est, nomen quo vos vocamini, quodque invocare soletis, puta nomen Christi et Christiani : à Christo enim vocamur Christiani, quasi asseclæ, discipuli et filii Christi. Est hebraismus creber in scriptur. uti sæpius monui. Alludit ad Isaiæ 62. 2. *Et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit.* Vere S. Amb. serm. 12. in Psal. 118. *Respondendum,* ait, *est tam glorioso nomini : Christianum dum dico, perfectum dico : in Christo enim plenitudo dignitatis est, cujus nomen usurpas : qui vocabulum geris, interpretationem vocabuli perfectionemque cur refugis?*

8. Si tamen (εἰ μέντοι, id est, *si quidem, si tamen, verumtamen si, equidem si*) legem perficitis regalem.] Occurrit tacitæ objectioni : ergone divites odio habendi et contemnendi sunt? Respondet minime. q. d. Verumtamen non veto, quin lege communi charitatis et divites diligatis : si enim hoc facitis, bene facitis, dummodo personas non accipiatis : nec pauperes aspernemini; præsertim quia ut ait S. Amb. in Luc. c. 16. *Neque omnis sancta paupertas, aut divitiæ criminosæ, sed ut luxuria infamat divitias, ita paupertatem commendat sanctitas.* Et Eccl. c. 13. 30. *Bona est substantia cui non est peccatum in conscientia* (est enim instrumentum eleemosynæ et beneficentiæ) *et nequissima paupertas in ore impii.*

Secundo, εἰ μέντοι exponi potest *igitur si,* vel *porro si, certe si, sane si.* q. d. Porro si perficitis legem regalem quæ dicit : *Diliges proximum tuum sicut teipsum,* bene facitis. Sic enim vitabitis acceptionem personarum, hanc enim ex-

cludit dilectio, quæ proximos omnes eodem charitatis sinu complectitur, tamque pauperes quam divites amore et honore debito prosequitur. Videtur enim hic assignare remedium acceptionis personarum, nimirum charitatem. Ubi enim est charitas, ibi exulat cupiditas, ac consequenter personarum acceptio.

Quæres, quænam lex hic vocetur *regalis*, et cur? Primo, aliqui, ut Cajet. censent legem regalem vocari eam qua reges jubent suos præfectos, nuncios, amicos à subditis honorari: juxta illud Assueri regis de Mardochæo edictum: *Hoc honore condignus est, quemcumque Rex voluerit honorare*, Esther 6. 11. q. d. Jacobus, dum veto acceptionem personarum ne divites honoretis, pauperes spernatis, non veto honorem deferri regibus et magistratibus, qui divites sunt, hic enim eis debitus, ac lege naturæ, divina et humana præceptus est. Verum nulla regum hic præcessit aut sequitur mentio.

Secundo, alii legem quamlibet censent vocari *regalem*, quia præcipit et sancit id quod justum est. Justitia enim est virtus regalis, basisque regni et reipub. Unde Orpheus in hymno νόμου νόμον, id est *legem*, vocat *deorum hominumque reginam*. Et Cicero Philip. 1. legem definit *rectam, et à numine deorum rationem*. Et Aristot. 3. Polit. c. ult. ait quod lex imperat, hoc imperare Deum. Omnis enim lex est derivatio et radius legis æternæ, quæ est in Deo. Quocirca Archidamus roganti: *Quinam essent Spartanæ civitatis præfecti? Leges*, ait, *et legitimi magistratus*. Demaratus vero percunctanti: *Cur exularet Sparta, cum esset Rex: Quoniam*, inquit, *leges in ea sunt potentiores;* regales ergo sunt leges, quia regibus imperant.

Tertio, alii censent legem *regalem* vocari, quia ad regnum cœleste et æternum nos ducit, lataque est à Deo, qui est Rex regum et Dominus dominantium; unde Syrus pro *legem regalem* vertit, *legem Dei*.

Quarto, Hugo, Thomas Anglicus et Glossa: Lex regalis, inquiunt, est lex gratiæ, puta lex Evangelica: hæc enim lege naturæ et Mosaica eminet quasi regina, facitque nos reges, Apoc. 5. 10.

Quinto genuine, lex *regalis* vocatur lex charitatis et dilectionis mutuæ: de ea enim explicat Jacobus dum illico subdit: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*.

Proximi ergo dilectio est lex regalis; idque Primo, quia charitas est omnium virtutum regina et princeps. Lex ergo charitatis est regia et regalis, hoc est, eximia, splendida, magnifica, omniumque præstantissima: sic dicitur animus regius, virtus regia, munus regium, id est, magnificum et excellens: tale enim decet regem.

Secundo, quia hæc virtus decet et ornat omnes homines, præsertim potentes principes et reges: hi enim uti cæteris virtutibus, ita charitate maxime eminere debent, utpote quam subditis omnibus exhibeant oportet. Hinc Christus constituturus S. Petrum principem Ecclesiæ, hanc unam charitatis virtutem quasi conditionem necessariam ab eo postulavit, dicens? *Simon Joannis diligis me plus his?* eoque respondente, *Etiam Domine: tu scis quia amo te;* subjunxit: *Pasce agnos meos*, Joan. 21. 15.

Tertio, quia hæc est præcipua lex Christi Regis regum, quam impense et creberrime commendavit, ut Joan. 15. 17. *Hæc mando vobis ut invicem diligatis*. Et c. 13. 34. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*. Rom. 13. 8. *Omne mandatum in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio malum non operatur: plenitudo ergo legis est dilectio*. Lex ergo charitatis regalis est, quia cæteras in se complectitur.

Quarto, lex charitatis est *regalis*, id est, communis et universalis, quia omnes obligat, atque ad omnes omnino homines, etiam inimicos, barbaros, pauperes, se extendit. Sicut ergo dicitur via regia, id est, publica, communis, qua omnes incedunt, non avia, vel devia: sic lex charitatis incedit via regia, quia nil habet obliquitatis, nec declinat ad dexteram, vel ad sinistram. Ita Hugo et Dionys. Unde per eam omnes justi et sancti incedunt, tenduntque ad cœlum.

Quinto, quia regibus omnibus et tyrannis eorumque minis et suppliciis est superior. Hinc Christiani olim sese pro Confessoribus captis et damnatis offerebant morti et martyrio. Unde exclamat S. Nilus hom. 2. de Christi ascensione: *O religionem omnibus regibus potentiorem, magisque regiam! quæ enim reges armis excitabant, hæc absque armis dissolvebat: quæ isti mactando prohibebat, hæc dum mactaretur excitabat, et suorum cædibus trophæa contra mactantes erigebat*.

Sexto, est *regalis*, id est inviolabilis, ait Vatabl. leges enim regum sunt inviolabiles, nam qui legem charitatis violat, culpam luet gehenna, et incendiis æternis.

Septimo, Mosis lex fuit timoris, ideoque servilis; Christi vero est amoris, ideoque regalis. Amorem enim veteres pinxere undique coronis aureis cinctum, quasi totum regalem.

Octavo, denique lex charitatis est *regalis*: quia, ut ait S. Bern. serm. 83. in Cant. *Amor ubi venerit, omnes in se traducit et captivat affectus, quasi Rex omnibus affectibus imperans*. Et mox: *Solus est amor ex omnibus animæ sensibus, motibus atque affectibus in quo potest creatura, et si non ex æquo, respondere auctori, vel de simili mutuum reddere vicem*, etc. *Nam cum amat Deus, non aliud vult quam amari: quippe non ad aliud amat, nisi ut ametur, sciens ipso amore beatos qui se amaverint*.

Moraliter, lex regalis charitatis et Christi, significat omnes Christianos Christi subditos, eaque præditos esse reges, ac habere animum regium, hoc est, amplum, præstantem, beneficum et munificum in omnes, ut singulos tam pauperes, quam divites; tam exteros, quam cives; tam malevolos, quam benevolos amare, juvare, protegere, promovere gestiant: arctum enim, strictum et frigidum cor est privatorum, qui sua dumtaxat quærunt commoda, ideoque injuriis, maleficiis, calumniis sese contrahit, et ab injuriantibus avertit: regum vero et principum cor est latum, liberale, excelsum, æstuans instar solis, qui in omnes sive amicos, sive inimicos radios suæ beneficentiæ spargit, uti dixi Isaiæ 45. 1. Hoc est quod ait S. Petrus, S. Jacobo concinens: *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta*, epist. 1. c. 2. 9. Quocirca Saul videns charitatem Davidis, qua sub inimico, quem in potestate habebat, pepercerat, eam accepit ut certum regni omen. *Nunc scio*, ait, *quod certissime regnaturus sis, et habiturus*

in manu tua regnum Israel, 1. Reg. 24. 21. Simili modo dicitur Deus dedisse Salomini regi latitudinem cordis, 3. Reg. 4. 29. hoc est, animi magnitudinem et magnificentiam, ut inter Judæos et homines esset et emineret animo, sapientia, consilio, judicio, æquitate, charitate, providentia, regimine quasi angelus; essetque quasi pater inter pueros, quasi magister inter discipulos, quasi pastor inter oves, quasi dux inter milites; ita ex Abul. Lyran. Cajet. et aliis noster Pineda lib. 6. de Rebus Salomonis c. 9. Præclare Plinius in Panegyrico Trajani : *Ut felicitatis est,* inquit, *quantum velis posse; sic magnitudinis, velle quantum possis.*

Porro hæc magnitudo animi inducit ejusdem rectitudinem, æquitatem, tranquillitatem in omnibus et per omnia; ut nullis blanditiis, muneribus, viribus, nullis conviciis, injuriis, ingratitudine, etc., à rectitudine æque ac à beneficentia dimoveatur. *Honestum,* ait Polyb. serm. 6. *deorum est, aut eorum qui diis proximi censentur.* Ex adverso, *Tyrannis servire præstat, quam affectibus,* ait Pythagoras. Quocirca præclare Jamblichus epist. ad Agrippam : *Oportet,* ait, *legibus præfectum summe purgatum esse, juxta summam legum rectitudinem; ac neque seductione, neque fraude falli per ignorantiam, neque vim inferioribus inferre, nec ulla occasione injusta allici : nam servatorem et custodem legum tam incorruptum oportet esse, quam summe fieri potest in humana natura.* Quamobrem lex regalis eadem est quæ perfectæ libertatis, uti eamdem appellavit S. Jacobus c. 1. 25. Liber enim à metu, amore, omnique alia cupiditate, quæ sibi obsequentes servituti suæ mancipat, facitque servos, regalem habet animum et regalia opera, ac proinde regaliter legem adimplet. Lex autem charitatis, quia enecat cupiditatem, parit hanc libertatem, ideoque est lex perfectæ libertatis, adeoque regalis.

Secundo, lex charitatis et Christi est regalis et aurea, non tantum quia objectum ejus est regale, aureum et excellens, sed quia modus ejus pariter est regalis, aureus et eximius. Voluit enim Christus nos eam implere liberaliter ex amore justitiæ, non serviliter ex timore vindictæ. Insuper Christus, juxta illud Osee 11. 4. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis,* legem regalem charitatis quam nobis imposuit, ipse exemplo suo præivit, quando pro nobis ingratis et peccatoribus ex immenso amore omnem suam vitam, corpus et sanguinem expendit, ut nos idem ejus amore et exemplo faceremus.

Tertio, charitas est regalis, quia nunquam velut serva laborem sentit, sed ut domina voluptatem habet etiam in morte et tormentis. Unde S. Aug. tr. 65. in Joan. *Quam mirandi generis mors est,* ait, *cui non satis fuit non esse in pœnis, nisi esset insuper in deliciis?* Id adumbratum est in Samsone Judic. 14. 8. qui ad dilectam suam Philistæam profectus leonem occidit, ac remeans in ore leonis reperit favum mellis; quia amor quæcumque difficillima sunt, dulcia facit et mellea. Ita Martyres ibant gaudentes ad cruces et ignes; quia urgebat eos lex, urebat, inquam, charitas regalis.

Quarto, denique charitas regalis est, quia amantes facit reges, eisque coronas et diademata regni in cœlis imponit. Maxime vero amor inimicorum facit animum excelsum et regium. Unde Didymus, Chrysost. et Euthym. in Psal. 4. asserunt Davidem ibid. cum ait v. 1. *in tribulatione dilatasti mihi,* postulare dilatationem cordis et magnanimitatis donum, ac latitudinem charitatis, qua etiam inimicos diligeret. Charitas ergo regalis est, quia omne bonum, omnem dignitatem, omnem eminentiam complectitur. *Porus Rex captus ab Alexandro rogatusque quomodo se tractari vellet? Regio more, resp. Rursumque interrogatus, an aliquid aliud vellet? resp. Nihil; nam in regio more insunt omnia,* inquit Plutarch. orat. 1. de Fortuna Alexandri. Multo magis in regali charitatis lege, et amore insunt omnia. Quocirca si qua ingruit in nobis vel cum proximis pugna cupiditatum, litium, bellorum, illam dirimat, vincat et triumphet charitas quasi Rex, lex et Judex omnium, juxta illud Colos. 3. 15. *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis; et pax Christi exultet in cordibus vestris.* Vide ibi dicta.

Secundum Scripturas.] q. d. Lex regalis quam perficiendam monui, est ea quam dictant et sanciunt S. Scripturæ tam veteris quam novi Testamenti, nimirum : *Diliges proximum tuum sicut teipsum :* hæc enim lex scripta et sancita est Levit. 19. 18. ubi dicitur : *Diliges amicum tuum sicut teipsum.* Amicus enim est quivis proximus, qui nobis natura conjunctus est, ut ibi dixi; et Matth. 5. 43. ac Rom. 13. 9. S. Jacobus enim hanc Epistolam scripsit post Epistolam Pauli ad Romanos, ut ostendi in proœmio, ac consequenter post Evangelium S. Matthæi. Hoc enim scripsit S. Matthæus anno Christi 41. ut tradit Eusebius et S. Hieron. Epistolam vero ad Romanos scripsit Paulus anno Christi 58. uti ibidem ex Baronio docui.

Diliges proximum tuum sicut teipsum.] Proximus est quivis homo : hic enim compos est ejusdem naturæ nobiscum; ideoque factus est ad imaginem Dei, atque à Deo ad eamdem destinatus est gratiam, gloriam et felicitatem æternam. Vide dicta Levit. 19. 18. et Rom. 13. 9. Sensus est. q. d. Lex regalis charitatis, quæ jubet dicitque : *Diliges proximum tuum sicut teipsum,* non accipit nec excipit personas, sed omnes tam pauperes quam divites; tam amicos, quam inimicos; tam exteros, quam domesticos, eodem charitatis gremio complectitur. Hanc ergo ubique exercete, ita non peccabitis acceptione personarum, vel alio peccato. Omne enim peccatum violat legem charitatis.

Benefacitis,] si nimirum legem perficitis, ut præcessit. Unde evidens est nos posse cum gratia Dei legem perficere. Perperam ergo hoc inficiantur hæretici.

Redarguti a lege.] Lex enim vetat acceptionem personarum Levit. 19. 15. Deut. 1. 17. et alibi. Alii, *à lege,* scilicet naturæ, quæ scripta et sculpta est in conscientia. Conscientia enim dictat acceptionem personarum esse peccatum : unde de ea dixit Menander : *Mortalibus omnibus conscientia est Deus.*

10. Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.] Occurrit objectioni. Ne quis enim dicat : Ego reliquam legem servo, esto accipiam personas divitum; ergo sum justus, ergo salvabor. Fuit enim hic error Pharisæorum, et postea R. Mosis, et R. Salomonis in Deut. tit. 1. de pœnitent. nimirum salvandum fore qui majorem

partem legis servaret, etsi non totam : eo quod majorem habeat acervum operum bonorum, quam malorum. Respondet S. Jacobus, eum qui unam legem violat, omnes violare, ilerique omnium reum ; ac proinde esse injustum, et reum gehennæ. Ita Beda et S. Aug. epist. 29.

Quæres, quomodo hoc sit verum ? Multi enim unam legem tantum violant, cæteras observant. Ergo unius tantum fiunt rei, non autem cæterarum omnium. Primo, Auctor apud S. August. lib. de Vera et falsa pœnit. c. 14. respondet fieri omnium reum, quia omnia peccata dimissa quodammodo per ingratitudinem redeunt, et imputantur. Secundo, Dionys. et Richard. Victor. lib. de Incarnat. Verbi part. 1. cap. 14. dicunt fieri omnium reum, quia omnia merita amittit, ac si totam legem violasset, juxta illud Ezech. 18. *Omnes justitiæ ejus non recordabuntur.* Tertio, alii censent fieri omnium reum, id est, lædere omnes virtutes acquisitas, quia destruit earum statum perfectum, generando scilicet debitum vitiosum, qui earum operationes impediat. Verum hæ responsiones ad rem non faciunt. Cum enim ait Jacobus omnium fieri reum, *omnium* intellige præceptorum, non peccatorum, meritorum, aut virtutum acquisitarum. Quarto, verisimilius Glossa, Lyranus et alii aiunt, fieri omnium reum, quia eamdem pœnam damni incurrit, scilicet privationem gratiæ, charitatis, virtutum moralium infusarum, meritorum, ac ipsius gloriæ et cœli ; perinde ac si omnia præcepta violaret. Verum nec hoc punctum attingit, tum quia non explicat quomodo omnium mandatorum fiat reus, cum omnia non violet : tum quia reatus proprie culpam significat, non pœnam, esto ex culpa sequatur obligatio ad pœnam ipsaque pœna.

Pro responsione. Nota quod paulo ante de Pharisæis innui ex Burgensi et aliis, nimirum illo tempore fuisse errorem et hæresim Pharisæorum, qui uti in explicandis præceptis decalogi multis modis errabant, uti ostendit Christus Matth. 5. ita pariter censebant unum aut alterum legis præceptum transgredi non esse grave peccatum, quo Deus offenderetur, nisi quis omnia præcepta aut potiorem eorum partem transgrederetur : à potiore enim parte quam servat censendum esse justum potius, quam ab una violata injustum : nec omne peccatum esse iniquitatem : nec ullum esse crimen si quis charitatis officium proximo denegaret, dummodo amorem erga Deum retineret. Contra hos asserit his Jacobus eum qui in uno offendit, fieri omnium reum, Deique offensam et iram incurrere, utpote qui tam unum quam alterum præceperit : qui enim universam legem condidit, singula quoque ejus præcepta condidit. Contra eosdem scribit S. Joan. ep. 1. c. 3. aitque : *Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit : et peccatum est iniquitas.* Rursum : *qui non diligit fratrem suum, in tenebris est, et manet in morte : qui odit fratrem suum, homicida est,* lege c. 3. quod totum est de hac re.

Similis fuit error nonnullorum Christianorum tempore S. Aug. uti ipse refert Enchir. 75. qui putabant se sanctos et salvos fore si facerent eleemosynam, etiamsi cætera præcepta violarent et flagitiose viverent, ex eo, quod Christus dixerit Luc. 11. 41. *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Sicut nunc hæretici docent se et suos sanctificari et salvari per solam fidem, etiamsi legem Dei violent, et multa peccata committant. Contra hos omnes docet hic S. Jacobus impium et injustum esse, ac damnationis reum, qui vel unam legem Dei violet, et ut radicem erroris refringat, ait eum omnium fieri reum, tantum abest ut ea servasse, indeque justus denominari aut dici possit. Bonum enim, ait S. Dion. de Divin. nomin. c. 4. est ex integra causa, malum ex singulis defectibus. Ut enim opus sit bonum, debet omnes conditiones requisitas habere : quod si vel una desit malum erit, non bonum. Simili modo ut quis dicatur bonus et justus, debet totam legem servare. Si enim vel unam violet, erit malus et injustus, omniumque reus.

At qua ratione omnium, cum unam dumtaxat violarit ? Resp. τὸ *omnium* intellige conjunctim, sive copulatim sumptorum, non copulative. Omnes enim leges et præcepta integrant et conflant unam totalem legem, sicut decem præcepta integrant et conflant decalogum. q. d. Qui unam legem violat, totam legis universitatem, quæ ex singulis legibus integratur, violat, spernendo legislatoris, puta Dei, majestatem et potestatem ; ut sequitur. Violat ergo omnia, non singula, quatenus omnia conflant unum totum : toto enim violato, violantur omnes partes quæ illud integrant, quætenus illud integrant. Est ergo enallage totius universalis pro toto integro ; nimirum *omnium*, id est *totius legis.* q. d. Violat omnem, id est totam, legem, violat integritatem legis : totum enim deperit desinitque esse totum, si una dumtaxat pars ex eo dematur ; esto cæteræ in eo remaneant. Sic qui fornicatur, totum decalogum, qui denominatur à denario mandatorum, ex iisque instar unius compositi coalescit, transgreditur. Esto enim cætera omnia servet, non tamen potest dici servasse et implesse decalogum. Simili enallage dixit Jacobus c. 1. 2. *Omne*, id est totum plenumque, *gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis.* Ita Beda, *Qui*, inquit, *offendit in uno, fit omnium reus ; non quod omnia legis præcepta violarit, sed quod legis auctorem contempserit, eoque præmio merito careat, quod legis cultoribus propositum est.* Hunc esse sensum patet manifeste ex ratione quam subdit Jacobus : *Qui enim dixit : Non mœchaberis, dixit, et, Non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis*, quæ scilicet quasi totum quoddam quantum integratur ex singulis legibus, quasi sui partibus. Simili modo in musica unica vox dissona totam musicam et harmoniam corrumpit. Sensus ergo Jacobi est : quasi dicat. Justitia consistit in observatione totius legis : quare ut quis justus sit et dicatur, debet totam legem observare ; adeo ut, si vel in uno, puta in personarum acceptione offendat, sit et dicatur injustus, legisque prævaricator ; ideoque iræ divinæ reus, et condemnationi obnoxius. Lex enim et justitia legis est quasi una corona, una vestis, una cyclas aurea vestiens ornansque totum hominem ; quæ tota violatur si vel unam ex ea partem demas aut violes : sic enim tollitur ejus integritas, species et decor.

Hinc Secundo, S. Aug. ep. 29. (quæ tota est de hac Jacobi sententia) *Qui in uno*, ait, *offendit, fit omnium reus*, quia contra charitatem facit ; unde tota lex pendet. *Reus itaque fit omnium, faciendo contra eam, in qua pendet omnia*, utpote

in qua connexa sunt, fiuntque quasi unum integrum charitatis mandatum : charitas enim est forma legum et virtutum omnium. Sic et OEcum. et S. Greg. hom. 27. in Evangel. *Omnia*, ait, *præcepta unum sunt in radice charitatis.* Sicut ergo hæreticus, qui non credit unum articulum fidei, perdit totam fidem non tantum illius articuli, sed et cæterorum omnium : esto enim eos dicat se credere, tamen non credit eos fide divina, sed humana : sic qui violat unam legem, perdit charitatem ; non tantum *illius legis, sed cæterarum omnium : ut licet eas* observet et faciat; tamen nullam observet et faciat ex charitate.

Hinc Tertio, Dionys. Fit, inquit omnium reus, quia avertit se à summo bono, in quo omnia habent quamdam connexionem : omnia enim ab eo manant, et eodem tendunt; ita ut si unum negligas summum bonum non sis adepturus.

Hinc Quarto, fit omnium reus, quia perdit Dei amicitiam, gratiam et vitam spiritualem, atque incurrit mortem spiritualem animæ et reatum gehennæ; perinde ac qui toto corpore armatus excepta una parte, in illa lethalem plagam accipit, quæ illum occidit æque, ac si in cæteris omnibus plagam lethalem accepisset. Sicut ergo plaga unius membri, vitam adimit et cæteris ; ita unum peccatum, v. g. ebrietatis, non tantum adimit vitam sobrietatis, contrariæ, sed et cæteris omnibus virtutibus, ita Auctor imperfecti apud Chrysost. hom. 35.

Hinc Quinto, Hugo. q. d. Fit omnium reus, id est, perinde damnabitur quasi hostis Dei, ac si esset omnium reus, licet non tam graviter tantaque pœna : sicut qui unam portam hosti aperit, omnes, totamque urbem aperit : hostis enim per unam ingreditur, urbemque occupat et vastat. Sic una scintilla ignis totam domum comburit : sic unum foramen in aggere facit eluvionem totius fluminis, ut omnes agros inundet : sic modicum fermentum totam massam corrumpit, ait Apostol. 1. Cor. 5. 5.

Omnes ergo hi sensus connexi sunt, et ex primo quem proprie intendit S. Jacobus, quasi rivuli è fonte et quasi conclusiones è suo principio deducuntur. Omnes enim eliduut errorem Pharisæorum et rabbinorum paulo ante citatum, et nonnullorum rudium Christianorum, qui censent salvandos fore eos, qui plura habuerint opera bona quam mala. Et ad hoc probandum abutuntur dicto Christi : *Date eleemosynam et ecce omnia munda sunt vobis*, Lucæ 11. 41. Quos refellit S. Aug. Enchir. cap. 75. uti jam dixi. Longe enim alia est mens Christi, nimirum avaros Pharisæos hortari ad Eleemosynam, illam enim eluere peccata, non baptismos et lustrationes legales, uti Pharisæi putabant. q. d. Omnia interna et externa, quæ vos ô Pharisæi putatis elui aqua vestra lustrali, non illa, sed potius eleemosyna eluuntur. Eleemosyna enim si à peccatore fiat uti debet, nimirum præmissa contritione peccatorum et proposito restituendi bona male parta, abstergit culpam omnem, aut certe eo hominem disponit, illique ad pœnitendum Dei gratiam et misericordiam conciliat et impetrat.

Nota. Agit S. Jacobus de offensa gravi et perfecta, puta, quæ fit peccatum mortale. Hoc enim est perfecta legis violatio, facitque omnium reum : tale vero non est peccatum veniale. Unde recte ex hoc loco colligunt Doctores distinctionem peccati venialis à mortali. Secundo, ex hoc dicto Jacobi non sequitur dogma Stoicorum et Lutherarum, nimirum omnia peccata esse paria, aut connexa ; imo Jacobus supponit posse fieri, ut quis servet totam legem, et tantum offendat in uno. Ita D. Thom. 1. 2. p. 73. a. 1.

Mystice et moral. in uno offendens fit omnium reus, quia violatio unius legis sensim allicit et trahit ad violationem alterius et alterius, tandemque omnium : v. g. nimius amor pecuniæ trahit ad fraudes, illicitos contractus, lites, pugnas, verbera, cædes ; rursum ad fastum, gulam, libidinem : tandem ad blasphemiam, hæresim et atheismum : peccata enim sunt colligata quasi funes, quia impium constringunt, juxta illud : *Funibus peccatorum suorum constringitur*, Prov. 5. 22. et : *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum* Isaiæ 5. 18. Vide ibi dicta hoc est quod ait Auctor lib. de Vera et falsa pœnitentia tom. 4. operum S. Aug. c. 14. *Offendens*, ait, *in uno fit omnium reus, quia omnis virtus patitur detrimentum ab uno vitio : nam si quis cadit in avaritiam, largitatem destruit, et etiam castitatem minoravit : amore enim pecuniæ vel violaret castitatem, vel saltem minus amaret.* Hinc rursum unum peccatum remitti nequit nisi remittantur cætera omnia quia unum remitti nequit nisi infundatur gratia et charitas, quæ tam cæteris omnibus, quam uni soli repugnat. Hinc disce quanta cura et studio quodlibet peccatum evitare, totisque animis virtuti et charitati studere debeamus. Quia, ut ait Nazianz. in Carm. ad Virgines :

—— Qui parvis obvius ibit,
Is nunquam præceps scelera in graviora feretur.

Nam licet una virtus imperfecta possit esse sine alia, tamen una perfecta cæteras omnes plerumque adducit : virtutes enim in statu perfecto sunt connexæ, ut docet D. Thom. 1. 2. qu. 73. a. 1. ad 1. Similiter ex adverso unum vitium perfectum adducit cætera : unde S. August. ep. 29. *Quanto*, ait, *quisque gravius leviusque peccarit, tanto in peccato committendo major, quanto in diligendo Deo et proximo minor. Tanto itaque plenior iniquitatis, quanto inanior charitatis. Et tunc perfecti sumus in charitate, quando mihi restat ex infirmitate.* Et anterius ex sententia Stoicorum ita virtutum et vitiorum concatenationem ostendit : *Certe hinc persuadent qui unam virtutem habuerit, habere omnes : et omnes deesse cui una defuerit : quod prudentia, nec ignava, nec injusta, nec intemperans potest esse : nam si aliquid horum defuerit, prudentia non erit. Porro si prudentia tunc erit, si et fortis et justa et temperans sit, profecto ubi fuerit, secum habet cæteras. Sic et fortitudo imprudens intemperens esse non potest, vel injusta : sic temperantia necesse ut prudens, fortis et justa sit : sic justitia non est nisi prudens, fortis et temperans. Ita ubi est una vera aliqua earum, et aliæ similiter sunt. Ubi autem aliæ desunt, vera illa una non est, etiam si aliquo modo similis esse videatur*, etc. *Si enim virtus esset, à cæteris virtutibus tanquam inseparabilibus comitibus nunquam relinqueretur.* S. Amb. l. 5. in Luc. ad illud : *Beati pauperes*, etc. *Connexæ*, ait, *sibi sunt concatenatæque virtutes, ut qui unam habeat, plures habere videatur : et Sanctis una competit virtus, sed ejus quæ fuerit uberior, uberius est premium.*

Seneca epist. 67. *Nihil invenies rectius recto, non magis quam verius vero, quam temperato*

temperatius, omnis in modo est virtus; modus certa mensura est. Constantia non habet quo procedat, non magis quam fiducia, aut veritas, aut fides. Quid accedere perfecto potest? nihil. Aut perfectum non erat cui accessit. Ergo ne virtuti quidem, aut si quid adjici potest, defuit. Crescere posse imperfectæ rei signum est: bonum omne in easdem cadit leges: juncta est privata et publica utilitas. Idem ep. 68. *Cum aliquis tormenta fortiter patitur, omnibus virtutibus utitur, fortasse cum una in promptu sit et maxime appareat patientia. Cæterum illic est fortitudo, cujus patientia et perpessio et tolerantia rami sunt. Illic est prudentia, sine qua nullum initur consilium, quæ suadet quod effugere non possis, quam fortissime ferre. Illic est constantia quæ dejici loco non potest, et pro positum nulla vi extorquente dimittit. Illic est individuus ille comitatus virtutum. Quidquid honeste fit, una virtus facit, sed ex consilii sententia. Quod autem ab omnibus virtutibus comprobatur, etiamsi ab una fieri videatur, optabile est.*

Plutarch. orat. 1. Fortuna Alex. Magni, *Alex.* ait, *confirmavit Stoicorum illud decretum: Quidquid agit sapiens, omnibus cum virtutibus agere, unamque virtutem aliquam primas obire partes, reliquas autem socias sibi perficiendæ rei adsciscere. Ita in Alexandro videre licet bellicam virtutem humanitate temperatam, mansuetudinem fortem, liberalitatem in donando rei familiaris rationibus accommodatam, iram placatu facilem, amorem temperantem, remissionem non otiosam, tolerantiam laborum non vacantem solatio. Quis miscuit bello festivitates, quis comessationibus expeditiones, quis obsidionibus et rebus difficillimis gerendis nuptias et hymenæos? Quis peccantibus se magis infensum, adversas res passis humaniorem præbuit? Quis pugnantibus gravior, veniam petentibus benignior fuit?*

Simili modo peccatum unum nisi illico per pœnitentiam deleatur, illico suo pondere ad aliud et aliud trahit, ac tandem cætera inducit. Est enim uti virtutum, ita et vitiorum catena ac nexus. S. Greg, 31. Mor. cap. 31. alias 17. ait: *Ipsa vitiorum regina superbia, cum devictum plene cor ceperit, mox ipsum septem principalibus vitiis quasi quibusdam ducibus suis devastandum tradit, quos videlicet duces exercitus sequitur, quia ex eis procul dubio importunæ vitiorum multitudines oriuntur.* Et inferius: *Radix quippe cuncti mali superbia est, de qua Eccl. 10. dicitur. Initium omnis peccati superbia. Primæ autem ejus soboles, nimirum septem principalia vitia, de hac virulenta radice proferuntur.* Vide eumdem lib. 7. Moral. c. 12. in illud Job 6. 18. *Involutæ sunt semitæ gressuum eorum.*

11. Qui enim dixit, Non moechaberis; dixit et, Non occides.] Probat et ostendit eum qui in uno offendit, fieri omnium reum, ex eo quod omnia præcepta sancita sint ab eodem legislatore Deo, cujus proinde auctoritas contemnitur et offenditur, si vel unum transgredieris, perinde ac si omnia transgredereris. In legislatore ergo uno leges omnes coeunt, suamque habent unitatem, ut si unam violes, omnes violare censearis, eo quod enim integritatem violes, eo modo quo paulo ante exposui.

12. Sic loquimini, et sic facite.] Concludit Jacobus hortando ut jam dicta faciant, nec personas divitum accipiant, sed legem regalem dilectionis proximorum tam pauperum, quam divitum impleant, memores judicii divini, in quo gravius damnabuntur Christiani qui eam violarunt; eo quod ipsi à Christo legem libertatis acceperint, eaque ingrate abusi, imo eam transgressi sint. Sensus ergo est, Primo, q. d. Quæ hucusque docui, præsertim de acceptione personarum vitanda, et ei opposita delectione omnium consectanda, nimirum, acceptionem personarum repugnare fidei et religioni Christianæ; ac proinde non licere fideli spernere pauperes, et divites extollere: sed tam circa illos, quam hos implendam esse legem, quæ sancit. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Hæc inquam, accipite ut dicta non mea, sed Christi, itaque credite, ac sic loquimini cum de iis sermo incidit, et sic facite fidem et sermonem in opus conferendo, cum res poscit opus. Ad quod stimulum vobis suggero, nimirum memoriam et metum divini judicii, in quo Deus exactam à vobis tam de verbis, quam de factis singulis rationem reposcet; eoque majorem, quo vobis dedit legem Evangelicam, quæ regalis est, et perfectæ libertatis, uti jam dixi: hoc enim modo vicissim à Deo diligemini, et misericordiam in ejus judicio consequemini. Ita Beda.

Secundo, Thomas Anglicus hæc restringit ad præceptum dilectionis proximi, quod præcessit, quasi dicat: Loquimini proximis tam benigne, tam affabiliter, tam amanter, ac opera talia dilectionis eis exhibete et facite, ut ipsi sentiant se à vobis diligi, vosque implere dilectionis divinæ mandatum.

Tertio, Fevardentius. q. d. Loquimini honesta, Christiana, religiosa, uti decet discipulos Christi; non inhonesta, Gentilitia, mundana: talia enim congruunt carnalibus, Gentilibus et mundanis.

Quarto, generalius Dion, et noster Lorinus, q. d. In verbis et factis omnibus tam prudenter, honeste et ardenter vos gerite, quasi mox sitis judicandi per legem libertatis, id est Evangelicam, quæ à suis tanta libertate donatis, majorem exigit perfectionem. Unde concinens Jacobo S. Petrus ep. 1. cap. 4. 11. *Si quis loquitur*, inquit, *quasi sermones Dei* (quod Jacobus ait, *sic loquimini*) *si quis ministrat tanquam ex virtute quam administrat Deus* (quod Jacobus ait, *et sic facite*) *ut in omnibus honorificetur Deus.* Primus sensus magis genuinus, magisque textui adæquatus videtur.

Sicut per legem libertatis (Evangelicam, de qua cap. 1. 25.) incipientes judicari.] Græce μέλλοντες κρίνεσθαι, id est *futuri judicari*, hoc est, judicandi. Verum μέλλω in Script. Sæpe idem est quod incipio, ut patet Apoc. 3. 16. Actor. 3. 3. et cap. 18. 14. Joan. 4. 47. et alibi, eaque significatio hic est aptior et efficacior, q. d. Instat judicium illudque mox inchoandum est: ad illud ergo vos assidue comparate: quare sic facite, et sic loquimini, quasi memores vos brevi judicandos, omniumque dictorum et factorum rationem Christo judici reddituros. Lex enim Evangelica cum sit lex libertatis, non tantum exactam, sed et liberam ac liberalem exigi mandatorum Christi observantiam. Incipit ergo Deus nos judicare illico in hac vita per judicium conscientiæ, quod suum quasi tribunal in mente hominis constituit, ac sæpe per plagas externas, et internas minas quas peccatoribus infligit; proprie vero per judicium particulare, quod anima subit in morte: perficiet vero illud in extremo mundi die, in quo nos judicabit secun

dum legem libertatis, id est Evangelicam, non Mosaicam.

Moral. docet Jacobus nos in omnibus dictis et factis recordari judicis Christi, et judicii divini : illud enim vicinum esse, imo ex nunc incipere. Inspirationes enim et minæ à Deo interius menti immissæ, ac monitiones et reprehensiones Concionatorum, Confessariorum, Superiorum; item adversitates et plagæ à Deo inflictæ, sunt quasi inchoatio judicii extremi mox secuturi. Adde, vita hæc brevis non est aliud quam cursus ad mortem, mortisque inchoatio et continua persecutio : in morte autem fit judicium animæ particulare, quod est inchoatio, imo compendium, et præjudicium certum judicii universalis et extremi. Hoc est quo ait Jacobus cap. 5. 9. *Ecce judex ante januam assistit.* Et S. Paulus Areopagitas impellit ad pœnitentiam metu diei judicii, Actor. 17. 30. æque ac Felicem Præsidem, Actor. 24. 25. Idem Heb. 9. 27. *Statutum est*, ait, *hominibus semel mori, post hoc autem judicium.* Rursum judicium hoc inculcat Romanis cap. 2. 5. et Corinthiis indigne communicantibus, 1. Cor. 11. 49. et Thessalonicensibus epist. 2. cap. 1. 5. et S. Joan. Epistol. 1. cap. 4. 17. *Ut fiduciam habeamus*, ait, *in die judicii.* S. Judas v. 13. ex Henoch Propheta? *Ecce*, ait, *venit Dominus in sanctis millibus suis facere judicium contra omnes.* S. Petrus Ep. 2. c. 3. 10. *Adveniet*, ait, *dies Domini, ut fur, in quo cœli magno impetu transient*, etc. *Igitur quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, expectantes et properantes in adventum diei Domini.*

S. Clemens Epist. 1. Narrat S. Petrum dicere solitum; *Quis peccare poterit, si semper ante oculos suos judicium Dei ponat?* Præclare Climachus gradu 20. *Sicut*, ait, *qui esurit, recordatur panis : sic qui salvari cupit, non potest recordari extremum judicium.* Unde illud observans jugiter menti S. Augustini ante convertionem, ardorem concupiscentiæ in eo si non extinguebat, certe refrænebat ne tot tantaque peccaret, ut ipse refert lib. Confess. c. ult. Et S. Hier. Epist. ad Florentium : *Ego*, ait, *cunctis peccatorum sordibus inquinatus diebus ac tractibus operior cum tremore reddere novissimum quadrantem.* S. Ephrem assidue mente versabat Dei judicium, ideoque in continuo erat timore; compunctione et lacrymis, quibus pleni sunt ejus libri et tractatus omnes. Sapiens ergo est qui hosce sapientes, ac nominatim S. Jacobum hic secutus, sic loquitur, sic facit omnia sua, sicut in die judicii de iis Deo judici respondere, et exigenti rationem reddere cogitat et destinat, uti sapienter monet S. Greg. hom. 1. in Evang. *Illum ergo diem*, ait, *fratres charissimi, tota intentione cogitate, vitam corrigite, mores mutate, mala tentantia resistendo vincite, pertrata autem fletibus punite : adventum namque æterni judicis tanto secutiores quantoque videbitis, quanto nunc districtionem ejus timendo prævenitis.*

13. JUDICIUM ENIM SINE MISERICORDIA (supple, erit) ILLI QUI NON FECIT MISERICORDIAM.] Hæc apte præcedentibus cohærent. Dixerat enim Jacobus sic nos loqui, sic nos facere debere omnia, ut semper memores judicii divini illud nobis conciliemus, itaque benignum et propitium experiamur. Jam docet modum illud conciliandi, esse misericordiam juxta promissum Christi : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Matt. 5. 7. Ex adverso enim qui non facit misericordiam, experietur illud rigidum, *et sine misericordia*, id est immisericors. Sub judicio intellige metonymice ipsam damnationem, quæ judicio divino impiis et immisericordibus infligetur. Matt. 25. 42. Idem docet Christus parabola illa servi immisericordis, cui herus omne debitum decem millium talentorum jam condonatum revocavit, eo quod conservo suo noluisset condonare centum denarios, Matt. 18. 34. Græce est elegans paronomasia : ἡ γὰρ ἀνιλεὸς τῷ μὴ ποιῆσαν τι ἵλεος, q. d. Immisericors et crudele judicium subibit crudelis et immisericors. Causam dat S. Greg. hom. 13. in Evang. *Pensate*, ait, *fratres quia conclusit pietas Dei duritiam nostram : non est jam quid homo excusationis inveniat. Deus despicitur, et expectat : contemni se videt, et revocat : injuriam de contemptu suo suscipit, et tamen quandoque revertentibus etiam præmia promittit : ideoque postquam Jacobus dixit misericordiam superexaltare judicium, recte addidit, judicium districtum subiturum eum, qui hanc ineffabilem misericordiam non fuerit imitatus.* Qui ergo non facit misericordiam in egenos, excludit à se Dei misericordiam, ait Œcumen.

SUPEREXALTAT AUTEM MISERICORDIA JUDICIUM.] Potest accipi hic misericordia, vel divina, vel humana. De Divina multi cum S. Gregorio jam citato accipiunt, q. d. Misecordia Dei superat Dei justitiam et judicium; quia Dei proprium est misereri et parcere. Unde lapso genere humano peccante Adamo, cum judicium vellet omnes punire et damnare, accurrit victque misericordia, decernens ut homo redimeretur per Verbi incarnationem et passionem. Licet enim in Deo omnia attributa sint æqualia, ac tanta sit justitia, quanta misericordia; tamen magis ipse utitur et exercet misericordiam, quam justitiam. Nam ut ait Psaltes Psal. 144. 9. *Miserationes ejus* (Dei) *super omnia opera ejus.* Unde et misericordia Dei impios punit citra condignum, et pios præmiat ultra condignum, ut habet communis Scholasticorum sententia.

Hinc aliqui apud Bedam sic exponunt, q. d. Plures per Dei misericordiam salvantur, nimirum qui fecerunt misericordiam, quam per judicium damnentur; plures sunt electi quam reprobi. Hoc in angelis verum est : plures enim steterunt, quam ceciderint; unde Apoc. 12. 4. dicitur draco traxisse tantum tertiam partem stellarum id est angelorum, mystice : nam alius litteralis ejus loci est sensus, uti ibidem dicam.

In hominibus falsum est. Certum enim est longe majorem hominum partem damnari, si omnes omnino etiam Gentiles, Saracenos et hæreticos comprehendas. At, si tribus hisce exclusis solos Catholicos accipias, censent nonnulli plures ex eis salvari, non modo parvulos (hi enim omnes pene salvantur, cum omnes pene baptizantur) sed et adultos; eo quod plerique omnes in fine vitæ suscipiant sancta Sacramenta, quibus peccata omnia expiant, itaque expiati in statu gratiæ et salutis decedunt. Favet parabola nuptiarum regni cœlestis, à quibus unus solus ex invitatis exclusus fuit, eo quod non haberet vestem nuptialem, Matth. 22. 12. ubi unus ille repræsentat totam multitudinem reproborum. Ita ex Sylvestro Franciscus Suarez de Deo trino et uno l. 6. cap. 3.

Verum ex adverso plures ex Christianis adultis

damnari quam salvari, suadere videtur ratio et auctoritas. Ratio prima : quia longe plures fuere damnati tam in statu legis naturæ, utpote in quo omnes perierunt per diluvium, ex quo solus Noe justus cum suis filiis eorumque uxoribus evasit : quam in statu legis Mosaicæ, utpote in quo omnes egressi ex Ægypto, puta sexcenta hominum millia et amplius, ob murmur et peccata perierunt in deserto, tantumque duo, puta Josue et Caleb, ingressi sunt terram promissam ; filii autem percuntium qui ingressi sunt eamdem, non fuere meliores parentibus : multi etiam Christiani iis non sunt meliores. Secunda quia longe major pars Christianorum vivit in statu peccati mortalis : juxta regulam autem S. August. sicut qui vixit, ita et moritur, ut raro qui male vixit, bene moriatur, et vice versa. Dices, omnes suscipiunt S. Sacramenta in fine vitæ. Resp. non omnes : nam multi in prœliis, navibus, montibus, pagis, etc., moriuntur sine Sacramentis. Rursum ex iis, qui ea suscipiunt, multi ea male suscipiunt, ac proinde peccata non expiant : multi enim laborant ignorantia crassa articulorum fidei, quos explicite scire et credere tenentur, æque ac Sacramentorum ; ac præsertim ignorant efficax propositum abstinendi à peccatis requiri ut quis sit capax absolutionis, et nesciunt quam fortis et constans resolutio animi requiratur, ut propositum censeatur esse absolutum et efficax. Alii esto sciant necessaria salutis, tamen vivunt incurii suæ salutis, toti intenti colligendis divitiis et dignitatibus, fabricandis domibus, hortis, vineis, etc., ut raro, vel nunquam de Deo et vita æterna, deque conscientia sua cogitent nisi in Paschate, idque idcirco tantum quia coguntur præcepto Ecclesiæ confiteri et communicare; peracto Paschate illico ad res terrenas redeunt, iisque se immergunt, imo obruunt. Alii irretiti sunt usuris, simoniis, bonis injustis quæ restituere nolunt. Alii habent pellices, vel obscœnis amoribus sunt impliciti, ut iis se expedire nequeant, quia serio se expedire nolunt. Alii fovent lites, rixas et odia immortalia. Denique multi esto sciant propositum efficax requiri ad absolutionem, tamen illud procurare et habere non satahunt, sed habere se simulant, imo sibi ipsis falso persuadent. Est enim propositum hoc serium res ardua, sublimis et difficilis : multi autem nolunt vim sibi adhibere, et ad rem tam ardua totis viribus conîti præsertim in morbo et articulo mortis, cum ratio, judicium, sensus et vires homini debilitantur et sopiuntur : unde ex habitu tot annorum in morte formant tale quale solent in Paschate, scilicet superficiale, verbale et ineffi-cax.

Hac enim justa animadversione punitur peccator, ut qui vivens oblitus est Dei, moriens obliviscatur sui, ait S. Gregor. et S. Aug. lib. 3. de Libero arbitrio. Illa est pœna peccati justissima, ut qui rectum facere cum posset, nolit, amittat posse cum velit. Porro multos carere hoc serio proposito colligitur ex variis indiciis. Primum est, quia hoc propositum obiter semel eliciant in Paschate ad hoc ut confiteantur ; quia ad hoc à Pastoribus coguntur : unde hoc propositum magis extortum est et coactum, quam liberum et spontaneum : hinc mox à Paschate et confessione ad suas cupiditates, vitia et scelera redeunt, uti multi redeunt ad eadem post Confessionem in periculo mortis peractam, si periculum hoc evadant et revalescant : qui ridilus signum est illud propositum fuisse coactum, et metu mortis extortum, non sincerum et serium.

Secundum quia multi malos habent habitus inebriandi se, fornicandi, etc., rixandi, pejerandi, maledicendi, quos deponere nolunt; aut si volunt, non adhibent remedia ad rem tam inolitam defricandam necessaria. Porro præ reliquis vitiis passim in hominibus dominatur luxuria et superbia : hæc duo potentissima sunt implentque infernum.

Tertium, quia multi habent principia politica, aut vitiosa, proposito huic directe contraria, in quibus à puero enutriuntur, adolescunt et vivunt, v. g. injuriam tibi et tuis factam talione esse vindicandam : inglorium, vilem et infamem esse qui id non faciat : duellum si offeratur esse acceptandum, ne honor perdatur : in conviviis cuilibet ad æquales haustus propinanti esse respondendum, ideoque inebriandum : ante omnia consulendum esse statui, prolibus, familiæ, ut statum, honoremque retineas vel augeas, omni modo enitendum, nec curandas leges Ecclesiæ, vel Dei, si obsistant : vitam et fortunas tuendas esse præ omnibus, etiam cum dispendio legis Dei : non esse tolerandas ignominias, calumnias, verbera, sed par pari referendum. Hæc autem dictamina et principia data occasione sæpius actu cogitant, destinant, confirmant, ac nunqnam deponunt, ne in confessione quidem, adeo ut, si à Confessario de iis præcise rogentur, respondeant, se in iis perstituros : quia ubi agitur de honore, lucro aut commodo, non curant conscientiam nec Deum, nec infernum. Porro hæc proposita habitualiter, imo virtualiter semper in iis manentia, ex diametro repugnant proposito serio cavendi omnia peccata, Deique legibus per omnia obediendi : atque Concionatores sæpe hæc non docent, non explicant, non inculcant, sed communem tramitem explicandi Evangelia sequuntur, peccatoribus commendant passionem Christi misericordiam Dei, largitionem Eleemosynarum, et cultum B. Virginis, quod illa sui cultores non sinat perire, nec descendunt ad vitia huic illive loco propria, ut contra ea tonent et fulminent, eaque extirpent : unde urbes et populi manent in iisdem malis legibus consuetudinibus, propositis, vitiis, nec ullum, vel exiguum ex concionibus omnibus fructum referunt. Mutent ergo modum concionandi, si Deo, conscientiæ, Ecclesiæ et auditoribus consulere satagunt ut conscientias feriant, ex iisque omne malum semen, quod in tali loco grassari sciunt, stirpitus evellant.

Quartum, esto aliqui morte confitentes concipiant verum propositum, tamen post confessionem, si pluribus diebus, ut fit, decumbant, recurrit memoria pristinarum cupiditatum, quæ animum iis se pascere solitum, ad consensunt flectum, ut pravam cogitationem et delectationem morosam præteritæ et solitæ voluptatis illicitæ consentiat; præsertim quia dæmon tunc eamdem menti objicere et refricare solet, gravissimeque hominem tentare in ultimo illeo duello, adeoque in ipso agone, quo anima è corpore migrat : permittit enim in dæmoni Deus justo judicio in pœnam scelerum et negligentiæ, qua sani et vegeti cupiditates illas mortificare non curarunt, sed eis indulserunt quasi equus et mulus, quare tunc multi succumbunt et pereunt, cujus rei plura funesta exstant exem-

pla. Vere enim dixit noster R. P. Franc. Villanova, uti refert P. Sacchinus to. S. Hist. Societ. lib. 1. n. 131. *Passio et vitium quod in vita mortificare neglexisti, acriter tentabit te ingruente morte.*

Quintum, virtus, salus et gloria cœlestis est res sublimis et ardua, superans omnes naturæ vires : ex altera parte hominis natura per peccatum corrupta, et plane ad res terrenas depressa est, tamque vivi in ea sunt affectus terreni, et cupiditatis opum, honorum, commoditatum, deliciarum : ut vix apprehendat aut capiat res cœlestes, multo minus ad eas se erigat, et totis viribus connitendo assurgat : Esto enim gratia Dei prævenialur, tamen illa perinde se habet in homine lapso, ac medicina in homine infirmo et prostrato, ut illum vix erigere queat; et, si erigat, facile rursum collabatur et corruat. Quare in hac generali naturæ corruptione, facile est cuilibet inter tot occasiones et tentationes carnis, mundi et dæmonis, labi in aliquod peccatum mortale : ex eo autem resurgere per pœnitentiam et propositum efficax, arduum est et perdifficile. Atque hæ sunt duæ causæ, et quasi duo poli, in quibus vertitur hujus quæstionis cardo, puta damnandorum multitudo, et salvandorum paucitas. Vera est enim gnome S. Justini apud Damasc. lib. 2. Paral. cap. 87. *Animus ad ea bona quibus excidit, ægre revocari potest, ac rursus ab iis quibus assuevit malis, non facili extrahi potest.* Sane harum rationum momenta et experimenta coegerunt viros sapientes, ac inter eos nostrum Benedictum Jutinianum mutare sententiam, ut, cum prius sensisset plures è Christianis salvari, hoc loco sententiam revocet, censeatque plures damnari. Romæ plures audivi idem sentientes, ac inter eos nuper celebris quidam doctor et concionator passim prædicabat, confessiones eorum qui imminente morte confitentur, cum male vixerint, cæteris antea tota vita factis esse deteriores. Quin et S. August. serm. 57. de Tempore : *Nec illud servet*, inquit, *ut in extremo vitæ suæ tempore, tunc pœnitentiam petat, quando eam agere non possit. Inutilis est enim dilectissimi ista persuasio.* Et mox : *Ideo pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma est. Pœnitentia quæ à moriente tantum petitur, timeo ne ipsa moriatur. Et ideo dilectissimi quicumque invenire vult misericordiam Dei, sanus agat pœnitentiam in hoc sæculo, ut sanus esse valeat in futuro.* Idem hom. 41. inter 50. *Agens*, inquit, *pœnitentiam, et reconciliatus si securus hinc exit, ego non sum securus.* Causam subdit : *Si vis agere pœnitentiam tunc quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa*, etc. *Ergo tene certum, dimitte incertum.* Idem de Verbis Domini secundum Lucam ser. 24. *Vivite bene, ne male moriamini.* Eædem rationes idem mihi persuadent; ut, licet in nonnullis oppidis, locis, populis bonæ indolis et educationis, ubi scilicet insignes sunt magistri pastores, confessarii senatores, gubernatores, qui assidue à puero populum in fide et pietate erudiunt, nutriunt et fovent, plures salvari credam; tamen in multis aliis, ubi hæc desunt ubi scilicet magna est ignorantia et incuria salutis, atque ubi indoles gentis perversa, prava educatione aut societate nutritur et roboratur, plures damnari quam salvari opiner, aut metuam.

Accedit auctoritas. Primo, S. Script. *Hoc sæculum fecit Deus propter multos, futurum autem propter paucos : sicut terra dat multam materiam ex qua fiant fictilia, paucam vero ex qua fiat aurum et argentum. Multi quidem creati sunt, sed pauci salvantur*, ait l. 4. Esdræ. c. 8. 1. 2. 3. qui liber etsi non sit canonicus, tamen suam habet auctoritatem. Rursum : *Multi sunt vocati pauci vero electi*, Matth. 20. 16. ubi passim interpretes docent plures Christianos damnari, paucos salvari. Ita Orig. Euthim. Beda, Haymo, S. Thomas, Lyranus, Abulens. Dyonis. Arias Mont. et alii, ac Maldon. in c. 21. S. Matt. 4. v. 14. Ludov. Molina. 1. p. q. 23. a. 7. Unus Cajet. explicans parabolam quinque virginum fatuarum et quinque prudentium. Matt. 25. 3. opinatur numerum salvandorum et damnandorum esse æqualem, totque salvari quot damnari. Insuper clara sunt verba Christi : *Intrate per angustam portam : quia lata porta et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam augusta porta et arcta via est quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam.* Matt. 7. 13. scilicet ut ait Isaias c. 24. 13. *Quomodo si paucæ olivæ quæ remanserunt, excutiantur ex olea, et racemi cum fuerit finita vindemia.* Et Michæas c. 7. 1. *Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ.* S. Anselmus iter faciens incidit in venatores et canes persequentes leporem, qui cum jam pene esset in ore canum, accurrit ad pedes Sancti totus tremens et sudans. Manu eum excepit S. Anselmus, dixitque sociis : *Talis est anima in extremo periculo vitæ, quam canes infernales persequuntur, et devorare contendunt.* Ita habet ejus Vita.

Deinde favit huic sententiæ auctoritas Patrum, S. Aug. l. 3. contra Crescon. c. 66. *Ipsi*, ait, *boni verique Christiani qui per scipsos multi sunt, comparatione malorum, falsorumque itidem pauci sunt. Sic multa grana quibus horrea multa complentur, pauca dicimus ni comparatione palearum.* S. Chrys. ho. 46. ad pop. *Multo sunt plures gehennam ingredientes, sed majus est regnum cœlorum.* Idem clarius hom. 40. *Quot*, inquit, *putatis esse in hac civitate nostra* (Antiochia) *qui salvi fiant : infestum est quod dicturus sum dicam tamen : Non possunt inveniri in tot millibus centum qui salventur, quin et de his dubito. Quanta enim in juvenibus malitia? quantus in senibus torpor*, etc.

S. Gregor. hom. 19. in Evang. *Ad fidem plures veniunt, sed ad cœlestia regna pauci reducuntur.* Idem fuse probat Alfonsus Mendoza q. 1. positiva, *An numerus prædestinatorum superet numerum reproborum?* conclus 4. qui inter cætera depravatos sæculi nostri mores recensens : Adi, inquit, aulas, tribunalia, officinas, nundinas, militiam, fora, naves, currus, etc. Et ibi puerorum, adolescentium, virorum, senumque corruptissimos mores intuere, perjuria, invidias, detractiones, fraudes, convicia, rixas, abscœnitates, corrupta desideria, superbiam, avaritiam, edacitatem, vinolentiam, etc., profecto mecum senties dicesque, Nemo, aut unus alterve horum est, qui salutis suæ memor ad Deum aliquando revertatur juxta illud Psal. 13. 1. *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* et Michææ 7. 2. *Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est.* Hæ rationes et hæc sententia magnum cuique de salute injiciunt metum sanctumque timorem; ut juxta Apostolum cum timore et tremore eam operetur; ac

proinde conscientiam suam serio indaget : et si quæ in ea principia et dictamina saluti contraria inveniat, prorsus abnegat et evellat, ore et voluntatem à nimio opum et honorum amore abstrahat, cupiditatibus generose resistat, totumque se Domino, Deique legi affigat, malens omnia pati, omnium jacturam facere, et millies mori potius, quam eum offendere, aut ejus gratiam et amicitiam perdere. Cum enim tam multi etiam Christiani damnentur, tam pauci salventur, quis non timeat ? quis non inter paucos esse satagat? quis non pericula salutis studiose devitet? quis non eam omni modo assecuret? Unam enim habemus animam, non plures : una perdita, omnes perdimus, idque irrevocabiliter in omnem æternitatem, ut per eam futura sit miserrima urendaque æternis incendiis. Ex adverso si unam salvas omnes salvasti, ac in æternum eris felicissimus et gloriosissimus. Hoc cogita, quisquis hæc legis. Vive Deo, vive æternitati.

Secundo, alii, ut Damas. 2. Parallel. c. 16. Catharinus et Salmeron hic accipiunt hæc de misericordia humana, ut sit antithesis cum hemistichio præcedenti. q. d. Judicium rigidum et sine misericordia erit ei qui non fecit misericordiam : qui autem facit misericordiam, habebit judicium mixtum magna misericordia, adeoque misesicordia superabit judicium, severitatem flectet et molliet. Unde Vatablus vertit, *misericordia non reformidat judicium ;* Syrus clare, *exaltati estis per misericordias super judicium.* Misericordes enim impetrant per misericordiam et Eleemosynam remissionem, vel mitigationem pœnæ peccatis suis debitæ, et in judicio Dei eis infligendæ, atque si in peccato lethali sint, per Eleemosynam disponunt se ad misericordiam, gratiam et justitiam à Deo recipiendam, eamque de congruo merentur et à Deo impetrant : quo fit, ut in judicio ob hoc peccatum non damnandi, sed absolvendi sint. Misericordia ergo superat et elidit rigorem judicii, atque è manu judicis quasi virgam et flagellum extorquet, ut reus os flagellandus immunis et liber abeat.

Hoc est quod ait sapiens Proverb. 14. 21. *Misericordia et veritas præparant bona.* Et Ps. 40. 1. *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberavit eum Dominus,* et, *Beati misericordes quoniam ipsi consequentur.* Matt. 5. 7. Denique Christus in die judicii electos omnes, ob exercita opera misericordiæ adjudicabit cœlo. reprobos vero ob ea neglecta inferno, Matth. 25. 34.

Tertio, plenus et adæquatus erit sensus, si primum cum secundo jam dato jungas, et misericordiam hic accipias tam humanam quam divinam. q. d. Misericordia hominis misericordis provocat misericordiam Dei, eamque sibi advocatam et patronam adsciscit : utraque autem tam potens et efficax est apud Deum, ut ejus judicio, et justitiæ resistat, eamque vincat et elidat. Est prosopopœia. Judicium enim et misericordia finguntur quasi duæ personæ, litigantes apud Deum de homine peccatore et reo : judicium quasi actor eum accusat reumque damnationis agit, defendit et excusat misericordia : impetratque et facit ut absolvatur, liberque abeat.

Sic visa est S. Joanni Eleemosynario misericordia quasi virgo pulcherrima, splendide vestita et oleagina corona in capite redimita, incitans eum ad eleemosynam, dicendo se esse filiam summi regis, eique familiarissimam et gratiosissimam, omniaque quæ vellet ab eo obtinere; uti refert Leontius in ejus Vita. Excitans, ait Joannem à somno, eumque subridenti et læto vultu hilariter intuens, dixit : *Sum prima ex filiabus magni regis. Si tu me tibi amicam paraveris, potero te ei officere familiarem. Nulli major est apud eum quam mihi fiducia, quoniam ei ut cœlo descenderet in terram, et carnem acciperet humanam ego persuasi.* Quocirca Joannes deinceps in pauperes fuit liberalissimus, eosque vocabat dominos suos ; causamque dabat; *Nam illi solis,* ait, *mihi possunt opem ferre, ut à Christi regno non excidam.* Ita explicat S. Aug. in Ps. 143. dicens : *Superponitur misericordia judicio, in quo inventum fuerit opus misericordiæ, et si habuerit aliquid forte in judicio quo puniatur, tanquam unda misericordiæ peccati ignis extinguitur.* Et S. Hier. ad Nepotianum : *Non memini me legere,* ait, *mala morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit : habet enim multos intercessores, et impossibile est multorum preces non exaudiri;* ut impetrent ei contritionem et pœnitentiam, si sit in peccato mortali ne in eo decedat et damnetur, juxta illud Tobiæ 4. 11. *Eleemosyna ab omni peccato et à morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras.* Ubi vide Serarium et Bellar. l. 3. de bonis oper. c. 3.

Jam verba ipsa præcise expendamus et explicemus. *Superexaltat autem misericordia judicium,* hoc est, misericordia exaltat se supra judicium, superat et vincit judicium, ejusque rigidam damnationis sententiam, cui peccator obnoxius est, infringit et abolet dum facit ut misericordes secundum misericordiam salventur, et non per judicii rigorem et severitatem damnentur. Interpres Noster legisse videtur κατανχᾶται (et sic habent aliqui codices Græci) id est cervicem erigit, collum attollit contra judicium : αὐχὴν enim est *cervix* vel *collum :* græcis unde ὑπαυχᾶ, idem est quod *cervicem atollo, superbio :* et μεγαλαυχει, quod Noster vertit, *magna exaltat,* cap. 3. 5. *Superexaltat* ergo *misericordia judicium,* id est, exaltat se contra judicium, super judicium cervicem attolit. q. d. Misericordia est judicii victrix, et quasi judex illud discernit et judicat : habet enim altius tribunal, ut judicii sententiam irritare aut mutare possit, sicut rex et Pontifex irritant aut mutant sententias Cardinalium vel principum. Sicut ergo à Cardinalibus ad Papam, ita à judicio ad misericordiam à misericordibus fit appellatio ; adeoque qui in judicio ob peccata stabant capite demisso et pavidi ; quasi damnandi, in tribunali misicordiæ ob misericordiam, quam fecerunt, caput erigunt, certamque absolutionis gratiæ et gloriæ sententiam expectant. Unde Noster Mariana sic explicat, q. d. *Misericordia judicio superior est.* Et Emmanuel Sa : *Misericordia,* ait, *superaxaltat, scilicet hominem, id est, collocat eum super judidium, hoc est, facit evadere condemnationem. Aliqui legunt superexaltat judicio, id est prævalet judicio scilicet liberans hominem à condemnatione.* Et S. Thom. Anglicus: *Misericordia,* ait, *exaltat judicium, quia major est veluti curia misericordiæ quam justitiæ : sicut licet à minore curia appellare ad majorem, ita à curia justitiæ ad curiam misericordiæ.* Sicut Romæ multi causam quam perdiderunt in signatura justitiæ, impetrant in signatura gratiæ. Quocirca suadet Paulus Heb. 4. 16. dicens : *Adea-*

mus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Unde S. Cyrillus, vel potius Clictovæus (hic enim medios octo Cyrilli libros deperditos supplevit) lib. 5. in Joan. c. 14. *Supra judicium*, ait, *exaltatur misericordia, sicut oleum super aquam*, sicut ergo oleum æque supernatat, ita misericordia superat judicium.

Porro Græca nunc habent non κατακαυχᾶται, sed κατακαυχᾶται, quod respondet Hebræo מתחלל *mithallel*, id est *gloriatur misericordia contra judicium*, quasi illud superans et in causa triumphans : sicut qui litem vincit, solet gloriari de victoria contra partem adversam. *Gloriatur* ergo, id est vincit, expugnat, obtundit, hebetat judicium. ait OEcumen. ; κατακαυχᾶται, enim ponitur pro νικᾷ, per catachresin quia victoriam comitari solet gloriatio. Rursum gloriatur contra judicium, id est damnationem, hoc est damnationi quasi superior et victrix insultat. Huic lectioni et sensui aliqui adaptant nostrum *superexaltat*, subaudiendo Græcum, κατα id est *contra*. q. d. *Superexaltat misericordia judicio*, vel *contra judicium*, id est, ipsa se effert et gloriatur adversus judicium, gloriose se extollit ac superiorem facit judicio. Verum Latinis insolens est subaudire τὸ *contra*. Quocirca Erasmus, Gagneius et alii suspicantur, pro *superexaltat*, legendum esse *superexultat*. Sic enim S. Aug. Ep. 29. legit *superexultat judicium*, et Ep. 89. *superexultat judicio*, ac Beda hic dum sic explicat : *Sicut in judicio dolebit qui non fecit misericordiam, ita qui fecit, remuneratus exultabit atque gaudebit.* Qui enim litem vincit, gloriatur et exultat super judicium, quasi qui illud vicerit. q. d. Sicut qui non faciunt misericordiam, damnabuntur à Dei judicio, et ab ipsa ejus misericordia, ita ex adverso qui faciunt misericordiam, non reformidabunt Dei judicium et damnationem, sed ipsi judicio, id est damnationi, morti, gehennæ, peccato et diabolo quasi victores insultabunt, dicentes cum Christo eorum triumphatore suoque salvatore : *Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus?* 1. Corinth. 15. 55. et illud Rom. 8. 31. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* et v. 33. *Quis accusabit adversus electos* (misericordes) *Dei? Deus, qui justificat, quis est qui condemnet?*

Hunc sensum poscit antithesis cum hemistichio præcedenti : *Judicium enim sine misericordia ei qui non facit misericordiam ;* huic enim opponit : *Superexaltat autem misericordia judicium.* q. d. Immisericors judicabitur rigide à judicio, cum non habeat patronam misericordiam quæ eum defendat : misericors autem judicabitur misericorditer et miseridordiam consequetur, quia defendet eum misericordia, causamque ejus in judicio aget et peraget, ut vincat et triumphet. Eumdem sensum poscit connexio cum vers. præcedenti : ejus enim dat rationem, ut patet ex vocula rationali *enim :* versu autem præcedenti dixit, *Sic loquimini et sic facite, sicut incipientes per legem libertatis indicari.* q. d. Sic loquimini et sic facite, ut locutionis et factorum vestrorum Deo in judicio exactam rationem vos reddituros meminerit is. Subdit deinde rationem, dicens : *Judicium enim sine misericordia ei qui non facit misericordiam.* q. d. Qui accipit personas divitum, pauperes vero aspernatur, in eosque immisericors est : ac proinde violat legem charitatis, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, quam paulo ante commendavi ; hic pariter subidit judicium rigidum sine misericordia : qui vero non accipit personas, sed omnes tam pauperes, quam divites diligit, in eosque misericors est, hic pariter experietur judicium Dei misericors adeoque misericordia omnem judicii vim, metumque superabit et auferet, ac faciet, ut misericors non tantum damnationem evadat, sed et præmio gloriaque cœlesti donetur. Hic sensus est verus et genuinus : ex quo discimus quanta sit vis misericordiæ, et quam illa Deo sit grata, quamquam illam amplecti et exercere debeamus, si salvari vêlimus, cum in ea salus nostra consistat.

Tanta enim est vis misericordiæ, ut in judicio exaltare valeat misericordes per pauperes, qui eos recepturi sunt in æterna tabernacula ait S. Aug. l. 21. Civit. c. 27. qui et idipsum adumbratum fuisse in arca et propitiatorio scribi. qu. 105. in Exod. *In arca*, ait, *jussa sunt poni lex, et manna, et virga* Aaron ; *in lege præcepta sunt, virga potestatem significat, manna gratiam, quia nisi cum gratia non est potestas præcepta faciendi. Veruntamen quia lex à quovis proficiente non ex omni parte completur, propitiatorium est desuper. Ad hoc enim opus est ut propitius sit Deus, et ideo desuper ponitur, quia superexaltat misericordia judicio. Duo vero Cherubini pennis suis obumbrant propitiatorium, id est, honorant velando. Et vultus eorum sunt in propitiatorium, quia misericordiam Domini in quo una spes est, valde commendant.* Pulchre OEcumen. ex vocum analogia quæ est inter ἔλαιον, id est *oleum*, et ἔλεος, id est *misericordiam*, utriusque vim et usum declarat. *Sicut*, ait, *oleum athletis illitum dat eis elabi, ne ab adversariis teneantur, sic et in universali judicio misericordia nostra erga egenos dabit effugere impetus ac pericula quæ à dæmonibus accusatoribus nostris imminebunt.* Sicut ergo Sardius lapis pretiosus, sed rubeus et cruentus, ideoque symbolum judicii et vindictæ, hebetatur oleo, teste Plinio l. 37. c. 7. sic judicium Dei habetatur et refrangitur per misericordiam. Rursum S. August. hom. 39. inter 50. *Ante foras gehennæ*, inquit, *stat misericordia, et neminem permittit in carcerem mitti.* Est ergo ipsa domina cœli terræ et inferni, omniumque claves habet. S. Chrysost. hom. 33. ad popul. *Eleemosyna*, inquit, *astat tribunali non tantum patrocinans, sed ipsi judici persuadens, ut reo patrocinium præstet, et pro eo sententium ferat.* Petrus Chrysol. serm. 42. *Manducat*, ait, *Deus panem in cœlo, quem percoperit pauper in terra. Da ergo panem si Deum debitorem, non judicem vis habere. Misericordiam nescit divinus ignis exurere.* Vide S. Leonem. serm. 5. de jejunio, u i inter alia præclare ait : *Æquatur plerumque merito, quod distat impendio : quia potest esse par animus ubi impar est census.* Idem serm. 10. de Quadrag. *Ubi Deus curam misericordiæ invenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit*, Nazianz. orat. 16. de cura pauperum : *Esto*, inquit, *calamitoso Deus.* Idem in Monosticis ; *Eris si beneficus, imitaberis Deum. Fac sis benignus, ut benignum habeas Deum.* Denique *misericordia secundum se est maxima virtutum*, ait D. Tho. 2. 2. q. 30. art. 4. *Unde et misereri ponitur proprium Deo et in hoc maxime dicitur ejus omnipotentia manifestari.* Et mox : *Inter omnes virtutes quæ ad proximum pertinent, potissima est misericordia. Nam supplere defectum alterius, est superioris et melioris.* Et S. Amb. in illud 1. Timoth. 4. *Pietas ad omnia utilis est ; Omnis*, ait, *summa disciplinæ*

Christianæ in misericordia et pietate est. Et S. Matt. c. 12. 7. *Misericordiam*, ait, *volo et non sacrificium.*

Porro Hugo Cardin. quatuor alios affert sensus in se veros, sed huic loco incongruos et impertinentes. Primus est, q. d. Misericordia superponitur rationi et judicio hominis, ipsumque illuminat sicut lucerna candelabrum. Secundus, q. d. Dei misericordia plus super condignum præmiabit in judicio bonos et misericordes, quam malis et immisericordibus de pœna relaxet et remittat. Tertius, q. d. Plures salvantur per misericordiam quam per judicium, plures enim decedunt in peccatis venialibus, quæ per misericordiam Dei remittenda sunt; pauciores moriuntur ita puri, ut statim evolent in cœlum. Quartus, q. d. Misericordia faciet altius gravisque judicium ejus, qui magnam misericordiam consecutus est à Deo, si fuerit immisericors. Quintus est, Dionys. Carthus. q. d. Plus placet Deo, charitativa miseratio quam judicialis districtio. Unde oportet ut jura sint in misericordiam prona, et stent magis juramento accusati quam accusantis, ac in dubiis casibus ad misericordiæ partem inclinent. Sextus Cajetani, q. d. Sicut instatera una lanx pondere aliquo depressa elevat alteram et adversam, ita misericordia elevat judicium. q. d. Apud Deum plus ponderis et momenti habet misericordia quam judicium, adeoque ipsa judicii vim extenuat et elevat.

Hi omnes sensus partim detorti sunt, partim accomodatitii, partim symbolici: quare litterales et genuini esse nequeunt.

Mystice, Primo, Elias Cretens. in orat. 10. Naz. n. 23. *Misericordia superexaltat judicium;* quia misericordiæ opera, ait ascendunt ad Deum, et exaltant misericordem; quæ vero in voluptates effunduntur, abscedunt et ad cruciatus transmittunt puta in gehennam, ubi est sedes judicii et damnationis. Et Dion. Carthus. Misericordia, ait, est atior judicio, quia relucet in beatis in cœlo, judicium vero jacet in damnatis in tartaro.

Secundo, S. Thom. 1. p. q. 21. a. 3. ad 2. *Misericordia superexaltat judicium.* Quia, *Deus*, ait, *misericorditer agit, non contra justitiam suam faciendo, sed aliquid super justitiam operando: sicut si aliqui, cui debentur centum denarii aliquis ducentos det de suo, non facit contra justitiam, sed liberaliter vel misericorditer operatur. Et similiter si aliquis offensam in se commissam remittat: eam enim donat et condonat. Ex quo patet, quod misericordia non tollit justitiam, sed est quædam justitiæ plenitudo, unde dicitur Jacobi* 2. *quod misericordia superexaltat judicium;* sicut opera supererogationis superant mandata, ac consilia Evangelica transcendunt præcepta: misericordia enim sæpe est consilii, judicium vero præcepti apud homines, sed non apud Deum.

Tertio, Petrus Blesens. l. de Pœnit. et satisfact. hanc sententiam applicat correctioni fraternæ, q. d. Qui alium corripit id faciat potius per misericordiam, ostendendo lenitatem, quam per judicium dure increpando; ne et ipsum eadem invadat tentatio, uti docet Apostolus Galat. 6. 1. vide ibi dicta.

Anagog. mire exaltabuntur, ideoque mire exultabunt misericordes in judicio, cum à Christo judice cyeneam hanc vocem audient: *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare*, etc. Matt. 25. 34, Hoc est quod dixit Jacobus c. 1. *Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua.* Et Petrus ep. c. 5. 6. *Ut vos exaltet in tempore visitationis*, Et Ps. 74. 11. *Exaltabuntur cornua justi.* Et: *Cornu ejus exaltabitur in gloria.* Ps. 88. 25. et *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Et: *Exaltationes Dei in gutture eorum.* Ps. 149. 5. Et: *Transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, in voce exultationis et confessionis, sonus epulantis*, Ps. 41. 5. Et: *Vox exultationis et salutis in tabernaculis justorum*, Ps. 117. 15. Et: *Lætabuntur coram te sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando dividunt spolia.* Isaiæ 9. 3.

14. QUID PRODERIT, FRATRES MEI, SI FIDEM QUIS DICAT SE HABERE, OPERA AUTEM NON HABEAT.] Hæc est tertia pars capitis, in qua contra hæresim tunc exorientem docet, ad salutem non sufficere fidem, sed et requiri opera bona. Ad ea ergo transit S. Jacobus occasione operum misericordiæ, quæ paulo ante commendavit, dicens: *Misericordia autem superexaltat judicium.* Ab iis ergo assurgit quasi à specie ad genus ad quorumlibet bonorum operum necessitatem, simul explicat illud quod dixit cap. 1. 22. *Estote autem factores verbi, et non auditores tantum*, nimirum docendo fidem verbi non sufficere, sed requiri ut verbum in opera conferatur: et illud hoc c. v. 8. *Si tamen legem perficitis regalem secundum Scripturas, Diliges proximum tuum sicut teipsum, bene facitis;* nimirum docendo hanc legem impleri non per nudam fidem, sed per opera charitatis. Insuper explicat *legem libertatis*, quam nominavit v. 12. puta Evangelicam, nimirum illam non ita Christianos facere liberos, ut omni lege soluti libere facere possint, quidquid lubet, quasi sufficiat fides qua credant in Christum Salvatorem. Hoc enim docebat illo ævo Simon Magus, teste Irenæo l. 1. cap. 20. et Theodor. lib. Hæretic. fabul. et post enim Valentinus Basilides, Eunomius, Aetius, teste S. Irenæo et Theodoreto locis jam citatis, ac S. Aug. lib. de Heres. c. 54. et S. Hieron. lib. 2. contra Jovinian. Simonem, ejusque asseclas jam dictos sequuntur nostri hæretici quasi dignum patella operculum, cui docent ad salutem sufficere fidem, qua credas Christum pro te esse mortuum, pro tuis peccatis satisfecisse, tibique meruisse gratiam et gloriam; quare ad salutem non requiri opera bona. Probabat id Simon, uti etiamnum probant nostri hæretici, ex Epist. S. Pauli ad Rom. in qua Paulus contra Judæos gloriantes in Mose et operibus legis, ac fidem Christi despicientes, deprimit opera legis, ac fidem Christi extollit. Ut ergo hunc errorem eliderent S. Petrus, S. Jacobus. S. Joan., scripserunt Epistolas Canonicas, in quibus Pauli mentem explicant, ac impense commendant et exigunt studium bonorum operum, uti diserte affirmat S. Aug. lib. de Fide et operibus c. 14. et 15.

Unde liquet Paulum, dum ait Rom. 3. 28. nos justificari ex fide sine operibus legis, non adversari Petro, Jacobo et Joanni, qui dicunt nos justificari non ex fide sola, sed et operibus. Paulus enim intelligit opera legis, facta viribus naturæ sine fide et gratia Christi, qualia jactabant Judæi. Petrus vero, Jacobus et Joannes intelligunt opera fidei, puta facta ex fide et gratia Christi, quæ Paulus nomine fidei comprehendit

et intellexit. Ita S. Aug. lib. 4. v. 3. q. 76. Paulus, inquit, intelligit opera quæ fidem præcedunt; Jacobus opera quæ fidem sequuntur. Porro duplex est justificatio: Prima, qua homo ex injusto fit justus. Secunda, qua ex justo fit justior et sanctior; quæ proinde non est aliud quam augmentum justitiæ. Jam opera fidei conferunt primam justitiam dispositive, secundam vero meritorie: justus enim per opera bona meretur augmentum justitiæ; injustus vero per opera spei, timoris, pœnitentiæ disponit se ad primam justitiam, non vero eam meretur de condigno, sed tantum de congruo. Vide Concil. Trident. sess. 6.

Nota Primo. Per fidem S. Jacobus intelligit veram fidem, non umbram fidei, puta inanem cognitionem articulorum fidei, uti exponit et eludit Calvinus: fides enim fidem veram, non umbram fidei significat; et talem habuit Abraham, quem hic citat et urget S. Jacobus v. 21. Ita contra Calvinum fidem veram hic intelligit S. Augustinus loco jam citato. Naz. orat. 27. Chrysost. hom. 2. in Gen. Cyrill. l. 10. in Joan. c. 18. S. Hieron. in c. 5. ad Galatas sub finem, et alii passim. Hinc patet fidem veram posse esse sine operibus quod negant hæretici, sed perperam. Quod enim sunt Christiani, qui vere credunt in Christum et tamen carent operibus bonis, imo abundant malis?

Nota Secundo, Calvinus cum suis coactus hoc loco et similibus, fatetur opera requiri ad salutem, verum non tanquam causas et merita salutis, sed tantum ut vera fidei veræ signa et indicia. Verum hoc quoque elidit S. Jacobus, dicens v. 21. *Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium super altare?* et: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum. Similiter et Rahab meretrix nonne ex operibus justificata est*, etc. Quid clarius? Vide Bellar. l. 4. de Justific. c. 18. et seq.

Nota Tertio. Opera requiri ut fides prosit, probat S. Jacobus sex argumentis. Primum est v. 16. Sicut pauper non vestitur, nec saturatur verbo, sed opere Eleemosynæ, dando scilicet ei panem et vestem; ita pariter animæ nuditas et inopia meritorum non vestitur, nec saturatur fide, sed bonorum operum exercitio. Secundum v. 17. Fides sine charitate et opere est, sicut corpus sine anima, puta mortua: ergo non tantum inutilis, sed et fœda quasi cadaver. Tertium v. 18. Fides non nisi per opera se ostendere et communicare potest: ergo si demas opera, est invisibilis, insensibilis, ac consequenter nulli utilis. Quartum v. 19. Fides sine operibus est demoniaca: nam et dæmones credunt et contremiscunt. Quintum v. 21. Abraham fuit justificatus non ex fide sola, sed et ex operibus, offerendo scilicet filium suum super altare. Atqui Abraham fuit pater credentium et norma justificandorum et salvandorum. Ergo et hi quasi Abrahæ filii, *justitiam et salutem sperare debent ex operibus, non ex nuda fide.* Sextum v. 25. Idipsum patet ex Rahab, quæ ex operibus justificata est, excipiens et protegens exploratores missos à Josue c. 2. 10.

NUMQUID POTERIT FIDES (sola sine operibus) SALVARE EUM?] q. d. Minime. *Salvare*, id est, justificare et beatificare: justitia enim est salus inchoata, beatitudo et gloria est salus consummata. Justitia enim salvat et liberat nos à peccato et diabolo; beatitudo vero à morte, miseriis, et inferno.

Præclare S. Gregorius lib. 3. in 1. Regum c. 3. Arca, inquit, vacua esse non debet, hoc est, scientia sine bona operatione: ficulnea enim in qua sunt sola folia sine fructu à Christo maledicitur, Matth. 21. 19. ac servus piger, otiosus et deses damnatur à Christo, Matth. 25. 26. S. Fulgentius lib. 2. de Remiss. peccat. c. 1. *Vita*, ait, *bona non veraciter dicitur, quæ perversæ crudelitatis vitio depravatur; neque sufficit ad salutem fides recte credentis, si conversatio moribus atque operibus turpatur obscœnis.* S. Bern. serm. 51. in Cantica, explicans illud: *Fulcite me floribus, stipate me malis;* fidem assimilat flori, opera fructui et pomo. Sicut enim inutilis est flos, qui non excrescit in fructum; ita inutilis est fides, quæ fructum bonorum operum non producit. Diserte vero S. Gregorius hom. 29. in Evang. *Fortasse*, ait, *unusquisque apud semetipsum dicat: Ego jam credidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet. Vera etenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc est enim quod de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit: Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Hinc Joannes ait: Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est. Quod cum ita sit, fidei nostræ veritatem in vitæ nostræ consideratione debemus agnoscere. Tunc enim veraciter fideles sumus, si quod verbis promittimus, operibus compleamus.* Diadocus de perfectione spirituali cap. 20. et 21. *Fides*, inquit, *in actione per charitatem posita, magnitudo virtutum est.* S. Isidorus lib. de Different. spirit. in 30. Fides, ait, sine operibus non prodest, *quia non potest per fidem Deo placere, qui Deum contemnit in opere.*

15. SI AUTEM FRATER, ET (id est *aut*, et sic habent nonnulli codices: hoc enim significat Græcum) SOROR NUDI SINT.] *Frater*, id est Christianus; *soror*, id est Christiana. Hic enim est frater et soror cognatione, non naturæ et sanguinis, sed Ecclesiæ et fidei, ut dixi Actor. 1. 15. Est hoc primum argumentum pro necessitate operum, petitum à simili, imo ab exemplo, q. d. Sicut si quis dives esurienti diceret, Saturare; nudo, Vestire et calefias; non vero daret panem quo se saturaret, nec vestem qua se vestiret, nihil conferet, nihil prodesset pauperi. Nam, ut ait Valerianus Cameliensis hom. 7. *Non pascunt esurientem blanda colloquia, nec vestiunt alienam nuditatem infructuosa consilia;* ita et fides quæ dicit, Credo in Deum et Christum, adeoque credo bona opera facere ad salutem si eadem non operaretur, nec reipsa exerceret; nihil conferret, nihil prodesset ad assequendam salutem: Dixi *Dives*, qui potest succurrere: nam pauper pauperi magnam dat Eleemosynam, si ei commiserationis non effectum, sed affectum ostendat, eique bene precetur. Unde S. Aug. in Ps. 125. *Si corde misereris*, inquit, *etiamsi non habeas quod porrigas manu, acceptat Deus Eleemosynam tuam.* Et S. Job. c. 30. 25. *Flebam*, inquit, *super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi.* In quem locum S. Greg. 20. Moral. 26. *Vir sanctus*, ait, *apud omnipotentem Deum, aliquando majus datum noverat mentis esse quam muneris. Exteriora enim largiens, rem extra semetipsam præbuit. Qui autem fletum et compassionem proximo tribuit, ei aliquid etiam de semetipso dedit. Idcirco autem*

plus compassionem, quam datum dicimus, quia rem quamlibet plerumque dat et qui non compatitur; nunquam autem qui vere compatitur, quod necessarium proximo conspicit negat.

16. QUÆ NECESSARIA SUNT CORPORI.] Quia corpus eget victu ad sustentationem, veste ad tegendam nuditatem: innuit S. Jacobus Christianos in hac vita tantum quærere debere necessaria vitæ, non vero ambire delicias, luxumque vestium. Idem docuit S. Paulus: *Est*, ait, *quæstus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium quod nec auferre quid possumus. Habentes alimenta et quibus tegamur his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et in desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas*, græce φιλαργυρία, id est, *cupido argenti et pecuniæ*, 1. Timot. 6. 6. Hinc severe S. Basil. orat. in illud, *Destruam horrea mea*, sub finem, *At tu*, ait, *nonne spoliator es, qui quæ dispensanda accepisti, propria reputas? Est panis famelici, quem tu tenes, nudi tunica, quam in conclavi conservas discalceasti calceus, qui apud te marescit; indigentis argentum; quod possides inhumatum. Quocirca injuriam tot pauperibus facis, quot dare valeres.*

17. SIC ET FIDES SI NON HABEAT OPERA MORTUA EST.] *Quasi non habens animam, ipsam dilectionem; qua vegetetur et moveatur ad opera*, ait S. Bern. Epist. 42. Talis ergo fides est quasi cadaver exanime, ut ait idem sermone 24. in Cantica, et corpus mortuum, quod tamen verum est corpus, sicut fides sine operibus vera est fides, quod falso negat alvinus, sed clumbis, exanguis, deses, inanis otiosa et quasi mortua: sic radix dicitur mortua è qua non germinant frondes, flores et fructus: sic aqua non germinant frondes, flores et fructus: sic aqua stagnans, quia stat, nec fluit, dicitur mortua, quia caret motu qui in viventibus est index et effectus vitæ. Sic virtutes dicuntur mortuæ, si desit charitas: hæc enim earum est quasi forma et vita non physica, sed moralis, quia sua præsentia tribuit eis dignitatem et statum virtutis, ac vim merendi, ut homo coram Deo senseatur virtute præditus, justus, amicus, filius, cujus opera digna sint et meritoria vitæ æternæ, alioqui charitatem non esse propriam fidei et virtutum formam nec essentialem, nec accidentalem, sed extrinsecam dumtaxat et moralem, patet ex eo, quod fides sit in intellectu, charitas vero et virtutes sint in voluntate: rursum, quod fides in suo genere sit species perfecta, æque ac charitas: charitas tamen fidem aliasque virtutes dirigit ad Deum quasi ad summum bonum, ultimumque finem, ideoque eis dignitatem statumque virtutis tribuit. Vide Gregorium de Valentia 2. 2. disp. 1. quæst. 4. puncto 3. ac disp. 3. q. 1. puncto 3. Præclare S. Chrys. in 1. Tim. 5. *Viventes*, ait, *non eo tantum à mortuis differunt, quod solem et aerem vident, sed eo quod boni aliquid faciunt: nisi enim id adsit viventibus, nihilo defunctis meliores sunt.* Est hoc secundum argumentum, quo probat Jacobus ad fidem, ut salvet, requiri opera.

Ex hoc loco S. Jacobi colligit S. Cyrill. in Concilio Ephesino p. 3. cap. 43. Sicut fides absque operibus mortua est. Ita vicissim, opera mortua sunt, si desit vera fides. Rursum: ergo fides habens opera viva est.

Denique multi Patres asserunt fidem carentem operibus non esse veram fidem, quia scilicet non est fides viva, ardens, perfecta et charitate formata, quæ per dilectionem operatur, ut ait Apostolus Galat. 5. 6. sed informis et mortua; et quia fidelis deses ad bona opera, facile labitur in peccata, adeo gravia, ut tandem ipsam fidem amittat fiatque infidelis. Tertio, quia fides docet et jubet facere opera bona. Si ergo ea non faciat, fallax videtur et mendax. Ita Didymus hic *Fides*, ait, *mortua non est fides, sicut homo mortuus non est homo.* S. Bern. serm. 24. in Cant. *Munus*, ait, *mortuum offers Deo*, etc., *bene honoras Deum munere fœtido? bene placas tuæ fidei interfector?* Cyrill. Alex. in c. 4. Malach. n. 43. *Si quis*, ait, *post justificationem recidat in peccata, fidem in seipso quasi occidit.* S. Hier. in c. 5. ad Galat. *Cum dilectio procul abfuerit, fides pariter abscedit.* Cyrill. Hierosol. *Fides*, ait, *sine operibus est quasi lampas sine oleo.* Sicut ergo hæc hiscere nequit, ita nec illa salvare: hoc enim solum potest fides dilectione ardens. Quare fides bonis operibus alenda est, alioqui emoritur, uti lampas ardens deficiente oleo. Unde S. Hier. in Ezech. cap. 3. ait hæreticos propter impuros mores et opera fidem amisisse. Idem Christianis impie viventibus non raro accidere docet S. Greg. 25. Moral. 10. Symbolice quoque fides otiosa fides non est, quia *fides* dicitur, eo quod fiat quod dicitur. Si ergo non fiat quod dicitur, fides non est, si fidei etymon spectes, inquit Thomas Anglicus. Unde et S. Greg. *Probatio*, ait, *dilectionis* (consequenter et fidei) *exhibitio est operis.* Simili phrasi dicimus homines feros et barbaros non esse homines, sed Belluas, hæreticos non esse homines, sed lupos tyrannos esse tigrides et leones.

MORTUA EST IN SEMETIPSA,] καθ' ἑαυτήν, id est, *secundum seipsa*, hoc est per se sola ac solitaria, quia remota à charitate, ejus que operibus: licet enim fides actusque fidei in se sit vivus: tum naturaliter, quia scilicet est actus à vitali potentia; puta intellectu et voluntate vitaliter procedens, tum supernaturaliter, quia scilicet est actus fidei, quæ est virtus supernaturalis et gratia inchoata; gratia enim dat vitam supernaturalem animæ: quatenus tamen charitate, quæ plenam et perfectam vitam supernaturalem tam fidei quam homini tribuit, destituitur, catenus mortuus dicitur; sicut brachium stupefactum mortuum dicitur quod ab anima vegetationem et nutritionem, non vero motum et sensationem recipit: mortuum enim est quoad animam sensitivam, vivit vero quoad vegetativam.

Præclare S. Bern. serm. 24. in Cant. *Mors fidei*, inquit, *est separatio charitatis. Credis in Christum? fac Christi opera, ut vivat fides tua. Fidem tuam dilectio animet, probet actio. Non incurvet terrenum opus, quod fides cœlestium erigit. Qui te dicis in Christo manere, debes sicut ipse ambulavit, et tu ambulare. Quod si propriam gloriam quæris, florenti invides, absenti detrahis, reponis lædenti te: hoc Christus non fecit. Confiteris te nosse Deum, factis autem negas. Non recte plane, sed impie linguam Christo, animam dedisti diabolo.* Vita ergo, linguaque fidei sunt opera: opera enim loquuntur ait S. Augustinus tr. 3. et 6. in Epist. S. Joannis, Loquuntur, inquam, veram et probam esse fidem, quæ tam proba parit opera. Nam, ut ait Naz. orat. in plagam grandinis, *Præstantior est sapientia quæ factis indicatur, quam quæ verbis splendescit. Intellectus enim*

bonus (inquit ille) omnibus facientibus eum, non item prædicantibus.

Fides ergo ἀπράγμων et carens operum praxi, mortua est, quia quando debet operari et idipsum renuit, signum est eam non esse vivam, nec habere animam et vitam charitatis : charitas enim operatur, si est, sin renuit operari, charitas non est ait S. Gregor. tum quia vita animæ, puta justitia, charitas et gratia operibus bonis ali, conservari et augeri debet; sicut vita corporis cibo alenda et conservanda est : si enim is desit, fame contabescet et morietur. Ita Trid. sess. 6. c. 10. Simili phrasi homo dicitur vivere ex respiratione et halitu, adeoque carens halitu esse mortuus, quia halitus ita comitatur fovetque animam, ut hæc sine illa consistere nequeat; nam refrigerando cor, conservat corpus, animam et vitam. Intellige hæc de adultis, scilicet eos diu non posse vivere vita gratiæ, si bene operari negligant. Nam in parvulis et adultis justificatis, si statim à baptismo, vel justificatione moriantur, patet eos salvari sine operibus. Cum ergo ait Jacobus, fidem sine operibus esse mortuam, intellige fidem quæ renuit operari; cum lex charitatis aut alia, opus aliquod jubet et poscit. Ita Cajet. Quotidie enim lex divina vel humana non unum, sed plura opera fieri præcipiunt, quæ si quis facere contemnat aut negligat, peccat, itaque amittit Dei gratiam, quæ vita est animæ : quo fit ut fides in eo jam non sit viva, sed mortua. Hoc est quod ait S. August. l. de Cognit. veræ vitæ cap. 37. *Hæc fides spe nutritur, sicut corpus cibo reficitur; dilectione animatur, sicut corpus anima vivificatur.* Idem de Spiritu et lit. c. 32. *Charitas quæ est vita fidei, ipsam non præcedit sed sequitur.* S. Bern. Ep. 42. *Mortua fides est quæ non operatur ex dilectione, quasi non habens animam ipsam dilectionem, qua vegetetur et moveatur ad opera.*

18. Sed dicet quis.] Erasmus puta esse occupationem, quasi Jacobus, ut ostendat nec fidem absque operibus, nec opera sine fide valere, inducat hic duos colloquentes, quorum alter fretus fide negligit opera. Huic dicitur. Tu fidem habes, sit hoc tibi satis. Rursus alter fidens operibus neglecta fide, respondet illi : Et ego opera habeo, mihi satis est. Jacobus autem utriusque sermonem refellit, dicens : Imo neutrum quod alterutter habet, sufficit ad salutem. Sed tu qui fidem tuam jactas, doce factis ipsis tibi fidem esse, quæ certe res otiosa non est : et ego factis ipsis declaraho mihi neutrum deesse. Verum hoc intricatius est, nec trium personarum colloquium hoc in textu reperiri potest. Nam pronomen *ego*, cum ait, *Ego opera habeo* est idem ejusdem (non alterius) personæ loquentis, ac mox dicentis : *Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam;* ac consequenter tres personæ, triaque eorum dicta hic inveniri nequeunt.

Secundo, Glossa, Hugo et Thomas Anglicus censent hæc irridendo et improperando dici; quasi is qui fidem et opera habet, irrideat eum qui de sola fide se jactat, ex eaque salutem sperat, ut significet talem esse risu et probro dignum, ideoque explodendum. Verum, ut alia taceam, hæc irrisio indigna videtur gravitate Apostolica et modestia S. Jacobi.

Tertio ergo et genuine, est hæc tota sententia et objectio S. Jacobi, qua novo, puta tertio argumento, vel nova argumenti jam allati confirmatione retundit jactantiam ejus, qui sola fide gloriatur : τὸ enim ἀλλά, id est *sed*, est particula non adversantis, sed confirmantis, vel exaggerantis suum dictum, ut sit idem quod *sed sane*, verumtamen, certe, insuper, præterea; vel quippe, quare, quamobrem, vel quinimo, imo, vero : hæc enim omnia significat ἀλλά, et hæc omnia huic loco congruunt. q. d. Sed sane, verumtamen, vel præterea, vel quippe, vel quinimo dicet, id est, jure dicere et recte objicere poterit quis ei, jactitat et opera negligit (aitque nudis et famelicis : Ite in pace, calefacimini, saturamini.) Tu fidem habes et jactas, at ego fidei adjuncta habeo opera. Ostende ergo mihi fidem tuam sine operibus : certe eam nudam iisque destitutam nunquam mihi ostendes. At ego ex operibus clare ibi ostendam fidem meam, itaque simul ostendam tibi me esse vere fidelem, et è cœtu Ecclesiæ verorumque fidelium, ac pariter ostendam fidem meam non mihi soli, sed et tibi aliisque prodesse vel ad auxilium, vel ad exemplum. Ostensio enim fidei per opera ad hæc duo requiritur in Ecclesia, scilicet, Primo, ut iis fideles sibi mutuo ostendant suam fidem, itaque coeant et conflent unum cœtum fidelium eumque visibilem. Fideles enim quia homines sunt, non angeli, fidem mentis videre nequeunt : operibus ergo illam ostendere, aliisque spectandam exhibere debent ad hoc, ut se invicem nosse, et ab infidelibus distinguere, ac in unum cœtum convenire et coalescere possint. Quocirca Salvianus l. 3. de providentia, tractans hunc Jacobi locum, ait : *Bonos actus esse testes fidei Christianæ.* Secundo, ut fides unius non illi soli, sed et ceteris fidelibus prosit, vel bonorum morum et virtutum exemplum præbendo. Idcirco enim in Ecclesia, ut habet symbolum, est Sanctorum communio, puta bonorum mutua communicatio, ut in ea singuli aliis sua communicare, eisque prodesse satagant. Jam quid mihi prodest fides quam in corde gerere dicis, si eam in operibus non videam, non sentiam, nec ullum ex ea emolumentum percipiam?

Atque utrumque significat τὸ *ostende*. Ostendere enim in Scriptura significat non tantum rem spectandam proponere, sed et reipsam exhibere, dare, donare, largiri; ut cum dicimus Deo : *Ostende nobis Domine misericordiam tuam. Ostende*, id est, exhibe et elargire; ut scilicet tua dona, beneficia et opera misericordiæ nobis impertias. Cum ergo ait Jacobus : *Ostende mihi fidem*, exigit non tantum ut illa oculis videnda subjiciatur, sed et reipsa mihi communicetur, mihique commodum et utilitatem aliquam conferat, vel Eleemosynas impertiendo, vel adjuvando, vel consulendo vel aliis quibusque modis. Rursum q. d. Ostende mihi fidem tuam esse vivam, et charitate animatam vivere, non autem esse mortuam et cadaver; vita enim ostenditur ex habitu et motu. Si enim animal se moveat et respiret, vivit; si sit immobile, est mortuum : ita pariter fides ostendit se vivere, si se moveat et agat ad bona opera; sin ab iis quiescat et sit immota, ostendit se esse mortuam.

Ostende mihi fidem tuam sine operibus.] Jam contrarie legunt Græca ἐκ τῶν ἔργων, id est, *ex operibus :* sed pro ἐκ legendum ἐκτὸς, id est *sine :* sic enim legit Noster, Syrus et multi Græci : idque exigit antithesis : *Ostende mihi fidem tuam sine operibus, et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* q. d. Tu fidem sine operibus mihi

ostendere non poteris, ego vero ex operibus plane tibi ostendam fidem meam. Ita Apostoli, Martyres et Virgines contemnentes opes, honores, delicias, ipsamque vitam, ostendebant se credere vitam futuram, opes, honores et delicias cœlestes. Ideo enim hic paupertatem amplexi sunt, humilitati afflicti, ut in cœlo ditarentur, exaltarentur, et gaudiis æternis affluerent.

Censet Salmeron alludere S. Jacobum ad Proverb. 12. 17. ubi pro eo quod Noster vertit, *qui quod novit loquitur, index justitiæ est;* Sept. vertunt, ἐπιδεικνυμένην πιςιν ἀπαγγελλει δίκαιος, id est, *demonstratam fidem annunciat justus*, quasi *demonstratam*, idem sit quod operibus demonstrabilem, Symmachus, ἐκφαινων πίςιν ἀπαγγελλει δικαιοσυνην, id est, *qui patefacit fidem*, puta per opera, *annunciat justitiam.* Verum fides ibi sumitur pro veritate et fidelitate. q. d. Justus patefacit veraciter et fideliter ipsam fidem, id est, rei veritatem sibi patefactam et demonstratam. Hoc est enim quod Noster vertit, *qui quod novit loquitur, index justitiæ est*, id est, indicat id quod verum et justum est: cui per antithesin de more Sapiens mox opponit: *Qui autem mentitur, testis est fraudulentus.* Si ergo eo alludit S. Jacobus, verbotenus tantum alludit, aut certe mystice et symbolice dumtaxat.

Symbolice hæc adaptes hæreticis, eisque dicas: Ostende mihi fidem tuam novam, imo perfidam, sine operibus divinis, id est miraculis: ego ex iis ostendam tibi fidem meam et orthodoxam. Miracula enim fidei orthodoxæ sunt, ex mortuis suscitare vivos, ex cæcis facere videntes, ex surdis audientes, hæreticæ vero fidei miracula sunt, ex vivis facere mortuos, ex videntibus cœcos, ex audientibus surdos.

Ita Calvinus volens suscitare vivum fingentem se mortuum, eum vere mortuum effecit, uti narrat Bolsecus ejus discipulus in ipsius Vita c. 13. Idem fecisse Cirolam Episcopum Arrianum, docet Gregor. Turonensis l. 2. Hist. Franc. c. 3.

Sic S. Macarium disputantem cum Eunomiano hæretico provocasse ad miraculum, ut ex operibus quisque ostenderet fidem suam, ideoque mortuum suscitasse; cum Eunomianus diffidens suæ fidei, imo perfidiæ, se subduxisset, narrat Cassianus coll. 15. c. 3.

Efficacius arguit eosdem Georgius Dux Saxoniæ: cum enim à Luthero invitaretur ad suam hæresim, respondit; opera Lutheri et Lutheranorum ostendere ipsius fidem non esse à Deo, sed ex diabolo: opera enim quæ fides Lutheri docet et suadet, sunt, violare vota, jejunia, festa, profanare templa et altaria, imagines Sanctorum confringere, S. Sacramenta conculcare, blasphemare. B. Virginem, omnesque Sanctos, imo Deum ipsum, quem omnis operis mali auctorem facit. Quando unquam inquit, facta sunt tot sacrilegia sacerdotum. Religiosorum et Virginum Deo dicatarum, quot sub tuo, ô Luthere Evangelio? Quando crebiores in principes extitere rebelliones. Quando tot sacrarum ædium expilationes, tot furta et rapinæ visæ sunt? Quando tot maritis ablatæ sunt uxores aliisque traditæ? Quando tot fornicationes, adulteria, incestus, etc.

19. TU CREDIS QUONIAM UNUS EST DEUS: BENE FACIS: ET DÆMONES CREDUNT ET CONTREMISCUNT.] Est hoc, quartum argumentum probans ad fidem justificantem requiri bona opera, quod fides operum expers sit dæmonum, non fidelium et sanctorum. Objicit Calvinus, S. Jacobum per fidem accipere umbram fidei, quia dæmones non habent fidem veram et divinam, sed humanam. Resp. Multi probabiliter censent in dœmonibus et damnatis remanere habitum et actum fidei divinæ; quia ipsi, exceptis hæreticis, nunquam habuerunt actum infidelitatis, qui ut contrarius fidei, eam expellit, et quia in damnatis remanet character baptismi, qui est quasi nota fidei et fidelium. Ita censent Durand. in 3. dist. 23. q. 9. a. 2. Alensis 3. p. q. 64. memb. 7. Catharinus et Salmeron hic, Magister sent. in 3. dist. 23. § *Aliud est*, ubi id probat ex Augustino in Psal. 77. Idem probabile esse censet Gregor. de Valentia 2. 2. q. 5. a. 2. puncto 2. ac magis Justinianus hic, qui idem asscribit S. Augustino Enchir. 3. et S. Thomæ 2. 2. q. 18. a. 3. ad 2.

Verum verius est in dæmonibus et damnatis non remanere fidem, quia Deus eam, uti et cæteras virtutes supernaturales, ab illis aufert; eo quod hæ virtutes hominem ordinent et dirigant ad salutem et vitam æternam, qua indigni et incapaces sunt damnati. Ita censent S. Thomas 2. 2. q. 5. art. 2. quem Thomas Anglicus, Gregorius de Valentia et passim Scholastici sequuntur. Favet S. Dionysius de Divin. nom. c. 4. ubi ait naturalia in dæmonibus mansisse integra, periisse vero gratuita: fides enim est unum è gratuitis.

Dico ergo, argumentum Jacobi non peti ab eadem specie et fide, sed peti à pari vel simili. q. d. Non est quod jactes te credere Deum cæterosque fidei articulos; quia etiam dæmones eorum evidentia (unde Plato in Cratylo, ait dæmones dici δαημονας, id est *scientes*) coacti eosdem credunt, sive id faciant fide divina, sive humana: et tamen hæc eorum credulitas nil eis prodest, nisi ad majus tormentum. Pari ergo modo fides tua, etsi divinitus indita, tibi non proderit, nisi ad majorem damnationem, si secundum eam non vixeris, nec bona opera quæ fides facienda dictat exercueris, sed cum dæmonibus erit uti fides, ita et sors ac gehenna tua, infra dæmones subsidebis, cum dæmonibus flammaberis: æque enim tua, ac dæmonum fides non est aliud nisi inanis cognitio, imo iners ac socors credulitas, qua credis Deum jussisse, ut hæc et illa facias, quæ tamen facere et operari non vis. Quocirca S. August. Enchirid. 8. fidem sine operibus vocat dæmoniacam, eamque opponit fidei, quæ per dilectionem operatur. Et S. Anselmus in c. 5. ad Galat. fidem operibus destitutam vocat dæmonum, non Christianorum.

ET CONTREMISCUNT,] φρίσσουσι, id est *exhorrescunt*, quia videlicet tantam Dei judicis et vindicis majestatem, potentiam, severitatem non tantum credunt, sed et reipsa experiuntur ac sentiunt.

VIS AUTEM SCIRE, O HOMO INANIS.] Instat acrius S. Jacobus, quintumque argumentum affert, quo rem conficit, nimirum proponendo Abraham patrem fidei et justitiæ, qui ex operibus non ex fide sola justificatus est. Inanem vocat hominem, qui inanem jactat fidem, utpote fructuum, id est operum expertem, ideoque inanis et expers est prudentiæ, sanæque mentis.

MORTUA EST.] Ita Romana, Græca et Syra: minus ergo recte aliqui legunt *otiosa est.*

21. ABRAHAM PATER NOSTER,] tum secundum carnem, tum secundum fidem et spiritum. Ja-

cobus enim Judæus loquitur præcipue Judæis, quasi eorum Episcopus. Producit Abrahamum, tum quia ipse fuit pater credentium, et exemplar justorum; tum quia Paulus Rom. 4. 3. produxerat Abrahamum, dixeratque eum per fidem justificatum esse; unde inferebat Simon Magus, eum sine operibus justificatum esse. Explicat ergo hic Jacobus Paulum, nimirum fidem Abrahæ non fuisse otiosam, sed bonis operibus cumulatam. Ita quoque seipsum explicat Paulus Heb. 11. 8. et 17. ubi heroica fidei Abrahæ opera recenset et celebrat.

Offerens Isaac.] *Offerens*, id est offerre parans, nimirum eum ligans, imponens altari, et stringens in eum gladium; sed ab Angelo prohibitus; eum reipsa non obtulit, nec immolavit. *Offerens*, ergo in actu destinato et inchoato, non perfecto et consummato. Fuit hic Abrahæ heroicus fidei, fortitudinis, obedientiæ, charitatis et religionis actus, quo Deo jubenti immolare filium, eumque unicum, illico paruit. Unde Sapiens c. 10. 5. vocat Abraham *in filii misericordia fortem*, quia fortitudine vicit misericordiam. Quare actus Abrahæ immolantis fidelium longe excellentior fuit actus Jephte Agamemnonis, Codri Iphigeniæ, Harmonii, Aristogitonis, Leonidæ, Epaminondæ, L. Bruti, Deciorum, Creontis, Idomenei, et similium, de quibus Cicero Tusc. 1, et Serarius noster in Judic. 11. q. 17. qui se, vel filius, vel filias immolarunt, aut morti devoverunt, quia id fecerunt vel coacti, ad tuendam patriæ salutem, vel cupidine famæ et gloriæ. Abraham autem libere id fecit, sola Deo obediendi voluntate et zelo impulsus. Adde Abraham immolavit filium, ex quo Deus promiserat illi posteritatem maximam, ipsumque Christum; credidit ergo, quod Deus filium à se immolatum resuscitaret. Unde Apostolus ait, quod *contra spem* naturæ, *in spem* gratiæ et resurrectionis à Deo promissæ crediderit Rom. 4. 18. *Arbitrans quia et à mortuis suscitare potens est Deus*, Heb. 11. 19. Vide dicta Gen. 12. et 22.

Nota Primo, cum Beda, Jacobum producere hoc exemplum Abrahæ, ut eo fideles animet ad illud imitandum, ut scilicet in persecutione ingruente suam et suorum vitam Deo in martyrium offerant, multo magis ut eidem in pauperibus bona sua elargiantur, itaque opera charitatis aliarumque virtutum exerceant, et cum fide conjungant.

Nota Secundo, Abraham jam erat justus: jam enim dictum erat de eo Gen. 15. 6. *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam.* Quod ergo postea Gen. 22. 10. offerens filium, dicitur, hic justificatus, intellige magis, quia scilicet valde in accepta justitia per actum tam heroicum obedientiæ, religionis et charitatis profecit et crevit, ut patet ex eo, quod in præmium tanti actus Deus eum sua benedictione cumulavit, promittendo ei filium Messiam, sive Christum. Ait enim Gen. 22. 16. *Per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, et non peperci filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum. Et benedicentur in semine tuo omnes Gentes terræ, quia obedisti voci meæ.*

Ex quibus refelluntur Calvinus et Beza (quod Calvinistæ Bibliis Vatabl. inseruerunt) qui censent S. Jacob. præter fidem opera requirere, non ut causam justificationis sed ut ejus effectum; quasi opera sint signum dumtaxat et ostensio fidei justificantis, quæ, inquiunt, à charitate separari nequit. Ergo τὸ *justificatus est*, interpretantur *justus declaratus est.* Sed perperam, quia hæ benedictiones et hæc præmia ex Genesi jam recensita, à Deo non sunt data Abrahæ ob justitiæ declarationem, sed ob insignem ejus virtutem et justitiam, qua offerendo filium eximie Deo placuit, eximiamque ejus gratiam et justitiam consecutus est. Quis enim neget Abraham, cum tanta fide, charitate et obedientia filium suum voluit immolare magis Deo gratum, ac proinde magis justificatum fuisse? Secundo, idem patet ex eo quod subdit Jacobus, Abraham justificatum esse ex operibus, non tantum ex fide. Atqui ex fide non tantum justus declaratus, sed vere justificatus dicitur, ut fatentur hæretici: ergo et ex operibus non tantum justus declaratus, sed et vere justificatus est. Tertio, quia subdit Jacobus ex operibus fidem Abrahæ esse consummatam: quia scilicet vere iis consummata est, non autem quia ex eis consummata declarata est: ergo opera afferunt fidei perfectionem et consummationem; quia scilicet merentur augmentum et perfectionem justitiæ. Quarto, quia v. 25 ait Rahab meretricem ex operibus justificatam, neque enim meretrix declarari potuit justa, sed vere justificata, id est, ex infideli fidelis, et ex meretrice casta justaque facta est. Quinto, ita explicat Conc. Trid. sess. 6. c. 8. et 10. ac S. Aug. l. de Fide et operibus c. 14. et ad Dulcitium q. 1. et alibi sæpe ac passim Patres, omnesque Doctores orthodoxi.

Moral S. Amb. l. 1. de Abraham c. 8. docet, Deum ad hunc tentationis et perfectionis gradum, ut filium suum immolaret, sensim provexisse Abrahamum per multas prævias probationes et experimenta, sicut duces solent milites per velitationes instruere et formare ad prælium et victoriam. *Et sanctum*, ait, *Abraham probavit ante et sic tentavit; ne si ante tentaret quam probasset, gravaret. Probavit eum, cum exire de Chara jussit, et obedientem reperit, probavit eum fidei titulo fretus liberavit nepotem, cum de præda nihil attigit, cum promisit seni filium; et cum esset centum annorum, quamvis Saræ genitalia consideravit emortua, tamen credidit, nec fide hæsitavit; probavit eum sedulitate hospitii. Probatum igitur quasi fortiorem tentandum putavit majoribus, et quibusdam imperiis durioribus*, jubendo immolare filium unigenitum.

Discant Prælati et Superiores à Deo, non subito tentare subditos, nec onerare gravibus præceptis, sed sensim à minoribus eos provehere ad majora. Subdit aliud morale documentum S. Ambr. *Et hoc quidem exemplo docemur, quia veris probatur quis, tentatur autem compositis et fictis. Nec enim volebat Deus immolari à patre filium, sed tentabat affectum patris, si Dei præcepta præferret filio, si paternæ pietatis contemplatione vim devotionis inflecteret.* In magnis ergo voluisse sat est, sufficitque Deo affectus. Idem imittentur Prælati.

22. Vides quoniam (quod) fides cooperabatur (Syrus *auxiliata est*) operibus illius.] Sicut radix cooperatur ramis, instillando eis succum ad producendum fructus: quod enim radix est in arbore, hoc est fides in serie virtutum et bonorum operum: fides enim est quasi fax ostendens et suadens quid faciendum, quid fugien-

dum sit ; ut gehennam vitemus, et cœlum adipiscamur, ac eo ipso ad bona opera capessenda, mala declinanda impellit. *Nam fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*, Heb. 11. 1. Vide ibi dicta.

Et ex operibus fides consummata est.] Græce τελειωθη, id est, Primo, perfecta est; Secundo finem suum nacta est: Tertio, victoriam consecuta ; Quarto, coronata et coronam adepta ; Quinto, consecrata est, vide dicta c. 1. 4. Opera ergo tribuunt fidei perfectionem et consummationem, quia tribuunt ei meritum vitæ æternæ. item augmentum et perfectionem charitatis, cæterarumque virtutum. Ex earum actibus iteratis seseque intendentibus, intenditur perficiturque earumdem habitus. Huc facit quod mystice notat Orig. homil. 10. in Gen. famulum scilicet Abrahæ, dum jussu domini sui sponsam Isaaco elegit Rebeccam, statim obtulisse ei inaures et armillas, ut aures manusque simul ornatas haberet. Idque mystice explicans : Vult enim, ait, Christus sponsus animam. Sponsam suam aurea in auribus suscipere fidei verba, et aureos actus in manibus habere.

23. Et supleta est scriptura.] Hugo et Thomas Anglicus legunt, *impleta est :* utrumque significat Græcum επληρωθη. Sensus est. q. d. Ne putaremus ex sola fide Abraham et fideles justificari, eo quod de eo Scriptura Gen. 15. 6. dicat: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam ;* ecce tibi alia Scriptura idipsum supplet et implet, addens ad fidem requiri opera, nimirum cum dicit Abraham obtulisse filium, multaque alia heroica virtutum opera edidisse, quibus magis magisque sibi Dei gratiam, justitiam et amicitiam conciliavit. Alii legentes *impleta est* simpliciter sic explicant. q. d. Atque hac ratione impleta est Scriptura, quæ dicit Abraham per idem justificatum esse : per opera enim impleta et perfecta est fides, et consequenter justitia Abrahæ. Verum τὸ *suppleta* exposcit priorem sensum, præsertim quia Jacobus hic urget justificationem fieri ex operibus, non ex fide dumtaxat, hic enim est scopus ipsius.

Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.] Hæc verba explicui Gen. 15. 6. Moral. Philol. Quis rer. divin. sit heres, ait, *difficile esse credere soli Deo, propter cognationem quam habemus cum rebus mortalibus, quæ nobis persuadent ut credamus fidamusque gloriæ principatui, amicis, sanitati, robori*, etc. *Has persuasiones eluere, et diffidere creaturæ per se infidissimæ, ac soli Deo fidere, qui solus vere fidus est, res est animi magni cœlestisque non inescati utlis rebus nostratibus.* Idem l. de præm. et pœn. *Quisquis*, ait, *Deo credit ex animo, in nulla re creata corruptibilique collocat fiduciam, ne in his quidem quibus sibi maxime placet.* Idem l. de Abraham : *Solum igitur*, ait, *certum firmumque bonum est fides qua Deo creditur, vitæ solatium, bonæ spei supplementum depulsivum calamitatum, felicitatum conciliativum, superstitionis abnegatio, pietatis assertio, prosperitatis hæreditas, profectus in bonis omnibus fultus universorum auctore, qui potest omnia, vult tantum optima.*

Et amicus Dei appellatus est.] 2. Paral. 20. 7. et Judith. 8. 22. *Memores*, ait, *esse debent, quomodo pater noster Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est*, et Isaiæ 41. 8. *Et tu Israel, serve meus Jacob, quem elegi semen Abraham amici mei*, ac Daniel 3. 35. *Neque auferat à nobis misericordiam tuam propter Abraham dilectum tuum, et Isaac servum tuum, et Israel sanctum tuum.*

Nota. Licet omnes justi sint et vocentur amici Dei, proprie tamen et quasi antonomastice hic titulus et epithetum datur Abrahæ, ut ait Epiphan. hæres. 78. quia mira Dei cum Abraham fuit familiaritas et amicitia, ut patet in Gen. à c. 12. usque ad 25. Hinc et ei quasi singulari suo amico secreta sua revelavit Deus, uti excidium Sodomæ et Pentapolis. *Numquid*, ait, *celare potero Abraham* (Septu. addunt, *amicum meum*) *quæ gesturus sum.* Gen. 18. 17. Vere Philo l. in illud, *Resipuit Noe : Cuicumque*, ait, *hæc sors contigerit ut amicus Dei sit, is humanæ felicitatis terminos transcendit.*

Ratio hujus amicitiæ fuit, Prima, quod Abraham Deum mire amans et colens eum vocantem secutus, ex patria exierit in Chanaan, ibique quasi peregrinus, sed civis cœli et domesticus Dei vixerit. Secunda, quod Dei voluntati in omnibus se conformarit. Ita S. Aug. serm. 46. de Temp. c. 4. Vera enim amicitia est idem velle et idem nolle, ait Aristot. Tertia, quod ardua et heroica virtutum opera ediderit, et in tentatione valida fidelis Deo et constans permanserit, ut ait Judith verbis paulo ante citatis. Nam, uti ait Seneca l. 1. de Provid. *Bonum virum Deus in deliciis non habet ;* sed miris modis probat, purgat et exagitat. Quarta, quod Deo fuerit similis : sicut enim Deus immolavit Filium pro salute mundi, sic et Abraham immolavit Isaac, qui typus erat Christi, uti Abraham Dei Patris. Similitudo autem est illex amoris et amicitiæ teste Aristot. Quinta, quia Abraham in omnes fuit beneficus et liberalis. Id autem mire Deo placet, eique nos facit persimiles : Deus enim in omnes beneficentissimus est. Titus Imp. cum vesperi recordaretur, se eo die nulli beneficium contulisse, exclamavit, *Amici, diem perdidi.* Quod recitans S. Hier. in c. 6. ad Galat. *Et nos*, ait, *non putamus perire nobis horam, diem, momentum, tempus, ætatem; cum otiosum verbum loquimur pro quo reddituri sumus rationem in die judicii?* Sexta, quia conversatio ejus erat in cœlis cum Deo et angelis ; unde mente, lingua et moribus non tam terrestris erat, quam cœlestis et divinus. Septima, quia Dei fidem, cultum et gloriam docendo orando, sacrificando, ideoque ædificando altaria per totam Chananæam propagavit. Rursus, eadem imbuit totam suam familiam et posteritatem amplissimam, quæ Abrahami patriarchæ disciplinam secuta in Dei Religione constans et firma stetit per annos bis mille usque ad Christum. Octava, quia insigni fuit in rebus omnibus et eventibus animi moderatione et æquitate ; qua uti præcellit Deus, ita ea præditos quasi amicos diligit. Hanc in Scipione Africano celebrat Seneca Ep. 87. *Animam ejus*, ait, *in cœlum, ex quo erat, rediisse mihi persuadeo, non quia magnos exercitus duxit, hoc enim et Cambyses furiosus et furore feliciter usus habuit, sed ob egregiam ejus moderationem.*

Iisdem de Causis S. Johannes, quasi alter Abraham novæ legis, vocatur *discipulus ille quem diligebat Jesus.* Johan. 13. 23. Quin et Apostoli omnes à Christo amici vocantur. *Vos autem*, ait, *dixi amicos ; quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Johan. 15. 15. Sic et cæteri Christiani non tantum amici, sed filii Dei nuncupantur, de quibus S. Johannes quasi ad-

mirans ait epis. 1. c. 3. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.* Eosdem prævidens in spiritus Psaltes exultans canebat : *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Psal. 138. 17. et sponsa Cant. 5. 10. *Dilectus*, ait, *candidus et rubicundus, electus ex millibus*, et v. 16. *Totus desiderabilis : talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus.* Porro hominum, etiam principum, amicitia infida, est, fragilis, caduca, inutilis, et sæpe noxia, non tantum corpori ; sed et animæ extremam perniciem affert : Dei vero amicitia fida est, stabilis, secura, utilis, salutemque et corpori et animæ, tam præsentem quam æternam conciliat. Quocirca sapienter Aulicus iste apud S. August. 8. Confess. cap. 6. lecta victa S. Antonii, ad socium conversus : *Dic quæso te*, ait, *omnibus laboribus nostris quo ambimus pervenire? qui quærimus? cujus rei causa militamus? Majorne esse poterit spes nostra in palatio, quam ut amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile plenumque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? Et quandiu istud erit? Amicus autem Dei si voluero, ecce nunc fio.* Voluit, et factus est. Porro inter Deum et justum non est amicitia rigida, quæ solum est inter æquales : Deus enim in immensum superat omnes homines, angelos et creaturas ; sed qualis esse potest et solet inter principem et subditum, inter patrem et filium, inter creatorem et creaturam, quæ tota summa dignatione et benevolentia Creatoris nititur, in eaque fundatur et consistit. Et hoc sensu accipe illud S. Hier. in c. 7. Michææ : *Amicitia pares aut accipit, aut facit ;* pares scilicet in officiis amicitiæ.

25. RAHAB MERETRIX.] Chald. Lyran. Abul. Pagninus, Arias pro *meretrix* vertunt, *cauponam*, vel *hospiam*. Heb. enim זונה *zona* et cauponam et meretricem significat : utrumque hic congruit, quia non raro hospitæ dum marito carent, tam se quam sua prostituunt. Porro Rahab meretricem fuisse ex Clemente Romano, Origene, Irenæo, Nazianzeno, Ephrem, Chrysost. Theodor. Ambros. August. Hieron. et aliis docet noster Serarius in Josue cap. 2. q. 3. et seq. Unde exemplo Rahab conversæ ad fidem et castitatem, æque ac S. Magdalenæ, S. Ephrem tomo 1. serm. 2. de Pœnit. invitat peccatores omnes ad pœnitentiam. Idem facit S. Chrysost. hom. 5. de Pœnitentia, ubi de Rahab ait : *Erat in fornice velut in volutabro confusa margarita, aurum in luto abjectum, flos spinis confossus, religiosa anima reclusa impietatis loco*, quia scilicet talis erat non actu, sed in Dei præscientia et prædestinatione. Unde et Rahab hebr. idem est quod *robur*, vel *latitudo*. Origen. hom. 3. in Josue eam vocat Prophetidem. Cyril. Hierosol. catech. 2. ait eam salvatam ; quin et S. Paulus Heb. 11. 31. eam in Catalogo Sanctorum veteris testamenti collocat, et ab insigni fide commendat, *Fide*, ait, *Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.* q. d. Cum omnes cives Jerichuntis increduli persisterent, nollentque se dedere Hebræis, quibus Deus urbem totamque Chananæam dono dederat, perierunt et ab Hebræis occisi sunt ; sola Raha credens, et Hebræis dedens se et patriam, salvata est.

Mor. S. Amb. l. 3. epist. 25. sub finem : *Hospitalitatem*, ait, *diligite, per quam S. Abraham invenit gratiam, Christum hospitio suscepit, filium Sara meruit effœta jam senectute, Lot quoque Sodomitani excidii evasit ignem : et tu potes suscipere angelos, si advenientibus hospitium tuum offeras. Quid de Rahab dicam, quæ hoc munere invenit salutem?*

NONNE EX OPERIBUS JUSTIFICATA EST?] Opera fidei Rahab fuere illustria. Primo, insignis fuit ejus hospitalitas, quæ exteros et ignotos exploratores Jerichuntis, patriæ licet hostes ; hospitio excepit, abscondit, servavit ; eo quod divino instinctu intellexisset Deum velle civitatem Hebræis tradi. Quare fallitur Abulens. in Josue 1. q. 40. et 41. ubi ait Rahab sine peccato potuisse exploratores prodere, vel occidere ; Deo enim, ejusque voluntati cognitæ repugnare non poterat. Secundo, fuit in ea amor ingens Dei, quo vicit amorem patriæ, adeoque illo patriam Hebræis prodidit et perdidit : amor autem patriæ in cive vehemens est, amorique patris et matris præponitur, ait Plato in Critone. Ita pro patria morti se devoverunt Codrus Rex Athenarum, Curtius, Decii, Brutus, Thrasybulus, Themistocles et alii, quos mire celebrat Valer. Max. lib. 5. c. 6. et Cicero Tuscul. 1. Tertio, enituit in ea fortitudo ingens, qua se suasque fortunas, totam familiam extremo discrimini objecit pro Deo ejusque populo. Nam, ut ait S. Amb. in Psal. 37. *Animam suam non solum contemptu omnium quæ habebat, sed etiam vitæ periculis putavit esse redimendam, quæ exploratores Jesu Nave civibus suis quærentibus denegavit, et hostes patriæ, legatos tamen fidei, maluit occultare quam prodere. Non eam minæ civium, non bellorum pericula, non incendia patriæ, non suorum discrimina terruerunt. Disce vir, disce Christiane, quomodo verum Jesum sequi debeas ; quando femina contempsit omnia sua, et Jesum in figura propter similitudinem nominis est secuta.*

Quocirca R. Simeon et R. Johai apud Masium in Josue 2. pag. 16. asserunt tantam fuisse fidem Rahab, adeoque Deo acceptam, ut etiamsi ducentos habuisset consanguineos, et ducentas exteras familias eis affinitate conjunctas, omnes illæ ob Rahab salvandæ fuissent.

Hinc Nota Primo, Rahab justificatam esse asserit hic S. Jacobus et S. Paulus Hebr. 11. 31. ex communi Synagogæ et Judæorum consensu, atque ex fide ejus tam generosa, qua et vitam, suaque omnia pro populo Dei evidenti exposuit periculo ac ex idolatra et Chananæa facta est fidelis et proselyta, adeoque in veram Dei religionem, Ecclesiam et judaismum transiit : unde et nupsit Salomon principi tribus Juda, ex quo descendit Christus. Salmon enim ex Rahab genuit Boos, hic Obed, hic Jesse, hic Davidem, Matth. 1. 5. Quare meruit esse genitrix et avia Davidis, Salomonis, ipsiusque Christi. Addunt Rabbini (penes quos sit fides) Rahab sua fide promeruisse ut ex ejus stirpe procrearentur Prophetæ et sacerdotes, Jeremias, Helcias, Sarias ; Maasias, Barachias, Hanameel, Sellum, Ezechiel et Huldam.

Nota Secundo, Rahab ante adventum exploratorum audiens prodigia, quæ Deus pro Hebræis fecerat in Ægypto, et in transitu maris rubri, Dei instinctu in eum credidit, dicens : *Dominus Deus vester ipse est Deus, in cœlo sursum et in terra deorsum* Josue 2. 11. Sed problema est, an antequam exciperet exploratores, fidem contritione et charitate perfectam habuerit, ideoque justificata sit ; an vero post eorum adventum et

colloquium eam conceperit, ita ut eos excipiendo non sit primo justificata, sed jam justa facta sit justior et sanctior. Utrumlibet est probabile et graves habet auctores; fuisset justificatam ante eorum adventum videtur indicare narratio historica Josue 2. Non fuisse justificatam, suadet quod hic, et à S. Paulo Hebr. 11. 31. vocetur meretrix, quæ, ait Ambr. in Psal. 40. *Perfidiæ et intemperantiæ se alebat stipendiis, tamen ubi exploratores vidit quos miserat Jesus Nave, fidem induit, et periculo imminente justitia servavit.* Secundo, quia non potuit velle mutare gentilismum in veram religionem et judaismum, nisi visis et auditis exploribus Judæis, ab eisque de judaismo edocta, Atqui debuit mutare gentilismum in cultum et religionem viri Dei Hebræorum, antequam justificari posset: ergo debuit prius eos audire et ab eis edoceri. Quare multa inter eam et exploratores colloquia de Deo, et Hebræorum religione eorumque portentis intercessisse non est dubium, licet ea silentur Josue cap. 2. Hoc si verum est, sequitur Rahab post et per adventum exploratorum fuisse plene ad Deum conversam, primoque justificatam, quam justitiam deinde auxit abscondendo et dimittendo exploratores. Quocirca S. Jacobus agit tam de prima, quam secunda ejus justificatione, puta de augmento justitiæ.

SUSCIPIENS NUNTIO,] duos exploratores in Jerico missos à Josue. Hebræi nonnulli tradunt hos duos fuisse Caleb, et Phinees filium Eleazari, quem aliqui censent fuisse angelum, vel instar angeli, qui cum vellet videretur, cum nollet absconderetur; ac proinde cum Rahab eum vellet abscondere, respondisse: Ego sacerdos sum; sacerdotes vero, quippe angelorum similes, si volunt, aspectabiles sunt; si nolunt, non cernuntur: itaque Rahab abscondisse tantum Caleb, non Phinees. Sed hoc Rabbinicam olet fabulam, et repugnat versioni Latinæ Josue 2. 4. ubi uterque à Rahab absconditus dicitur.

26. SICUT ENIM CORPUS SINE SPIRITU (id est halitu vitali, qui index et fomes est animæ, ac vitæ indicium) MORTUUM EST, ITA ET FIDES SINE OPERIBUS MORTUA EST.] Hinc patet errare eos, qui virtutem in verbis non rebus ponunt, de quibus Plutarch. l. de Superstitione, et Horat. *Virtutem*, inquit, *verba putas, ut lucem ligna.* Ex adverso enim Paulus 1. Cor. 4. 20. *Non in sermone*, ait, *est regnum Dei, sed in virtute.* Philo lib. de Migrat. Abraham: *Verba*, inquit, *Dei, opera sunt sapientis: quod enim Deus loquitur, hoc sapiens operatur.* S. Amb. in Psal. 43. *Virtus*, ait, *non verbis et in voce; aut simulatione, sed in re ac in manibus et operibus consistit.* S. Ephrem lib. de Vita spirituali: *Considera*, ait, *utrum habeas opera fidei congruentia. Nam si dicendi tantum et audiendi studiosus es, illud in te jacietur: Fides sine operibus mortua est.*

Hinc Christus ut necessitatem operum nobis commendaret: *In vita passiva habuit actionem, et in morte passionem activam sustinuit, dum salutem operatur in medio terræ.* ait S. Bernard. serm. feriæ 4. Hebd. pœnosæ; quia, ut idem inquit serm. de obedientia, patientia et sapientia, Christus dum operabatur simul patiebatur, et dum patiebatur, simul operabatur; ut utrumque nos ambire et jungere doceret. Idem serm. de resurr. *Fidem*, ait, *veram opera testantur. Sicut enim corporis hujus vitam in motu suo dignoscimus, ita et fidei vitam ex operibus bonis. Itaque vita quidem corporis est anima, per quam movetur et sentit: vita vero fidei charitas, quia per illam operatur; unde et refrigescente charitate fides moritur, sicut corpus, anima recedente. Tu ergo si videris hominem in bonis operibus strenuum vivere, in eo fidem esse non dubites, tenens fidei illius argumenta.* Hoc est quod ait Paulus Ephes. 2. 10. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis*, id est, ad opera bona peragenda et accumulanda, *quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* q. d. Idcirco Christus nos fecit Christianos tantaque gratia donavit, ut ea non sit iners et otiosa, sed operosa, ac in opera bona studiose conferatur.

Moral. Thomas Anglicus: *Notat*, inquit, *quod oportet nos habere fidem veram, non fictam*, 1. Tim. 1. *Finis præcepti*, ait, *est charitas de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta. Certam, non dubiam*, c. 1. 6. *Postulet in fide nihil hæsitans*, Matth. 14. 31. *Modicæ fidei quare dubitasti? Unam, non divisam*, Ephes. 4. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Vivam, non mortuam*, Habac. 2. 4. *Justus autem in fide sua vivet. Magnam, non parvam*, Matth. 15. 28. *O mulier magna est fides tua. Fervidam, non tepidam*, Matth. 17. 19. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis. Operosam, non otiosam, ut hic, fides sine operibus otiosa est. Firmam, non infirmam*, Coloss. 2. 5. *Videns vestrum ordinem, et firmamentum ejus quæ Christi est fidei vestræ. Animosam non timidam.* Ephes. 6. *In omnibus sumentes scutum fidei. Perpetuam, non transitoriam;* Tob. 2. 18. *Filii sanctorum sumus et vitam illam exspectamus quam Deus daturus est, iis, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.*

Ex dictis liquet quomodo conciliandus sit S. Jacobus, dicens nos fide et operibus justificari, cum S. Paulo, qui asserit nos ex fide, non ex operibus justificari. Nam Jacobus per opera intelligit opera fidei; Paulus vero opera legis et naturæ, seclusa fide et gratia Christi, ex quibus nos non justificari manifestum est. Porro Paulus sub fide comprehendit opera fidei, ex iisque nos justificari non negat, imo asserit, æque ac Jacobus. Ut alia taceam, idipsum plurimis exemplis confirmat toto cap. 11. ad Hebræos, ubi heroica fidei patrum facta enarrat, per quæ ipsi Dei hominumque gratiam et gloriam meruerunt. Unde per anadiplosin concludens v. 33. *Gedeon*, inquit, *Barac, Samson, Jephte, David, Samuel*, etc., *per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii*, etc. *lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terræ.* Ita S. August. de Fide et oper. c. 14. qui et l. 83. q. 9. 76. ait Paulum intelligere opera quæ fidem præcedunt: Jacobum vero opera quæ fidem sequuntur.

Addunt aliqui Paulum loqui de prima justificatione, qua quis ex injusto fit justus; Jacobum de secunda, qua quis ex justo fit justior: sed Rom. 4. v. 3. ostendi tam Paulum quam Jacobum loqui de utraque. Verum tamen est, Jacobum magis loqui de secunda, puta de augmento justitiæ: conatur enim fideles et justos excitare ad studium bonorum operum, Paulum vero magis loqui de prima, qua quis ex impio fit jus-

tus. Id liquet ex c. 3. ad Rom. v. 23. ubi sic ait: *Omnes peccaverunt et egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius*, etc., *propter remissionem præcedentium delictorum.* et c. 4. 3. *Credenti*, ait, *in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.* Idque probat ex psal. 31. 1. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.*

Denique Paulus per opera proprie intelligit legalia. Cum enim Judæi censerent se justificari ex circumcisione, et cæremoniis lege Mosaica præscriptis, Paulus idipsum confutat, docetque hæc omnia sine fide et gratia Christi esse inefficacia, et inutilia ad justitiam et salutem. Idipsum patet Rom. 3. 28. ubi diserte ait: *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis*, ac subdit: *An Judæorum Deus tantum?* uti Judæi putabant, *nonne et Gentium? imo et Gentium.* Idem liquet ex eo, quod Rom. c. 2. c. 3. c. 4. et epit. ad Galat. cum nominat opera legis, semper affert exemplum circumcisionis, quæ fuit præcipuum opus legale veteris legis. Jacobus vero per opera intelligit Evangelica et Christiana, quæ fiunt ex fide et gratia Christi, ex quibus nos justificari tam Paulus quam fides docet.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc capite S. Jacobus a fide transit ad fidei doctrinam, puta ad magisterium; ac contentioni et ambitioni opponit sapientiam humilem et mansuetam. Primo, ergo taxat eos qui officium docendi ambiebant, quorum occasione in linguæ vitia excurrit, aitque linguam esse indomabilem, ignem omnia comburentem, adeoque universitatem iniquitatis. Denique v. 13. docet veram sapientiam discendi et docendi non consistere in contentione et zelo, sed in mansuetudine et pace.

1. Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniam majus judicium sumitis. 2. In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, potest etiam fræno circumducere totum corpus. 3. Si autem equis fræna in ora mittimus ad consentiendum nobis, et omne corpus illorum circumferimus. 4. Ecce et naves cum magnæ sint, et à ventis validis minentur, circumferuntur à modico gubernaculo ubi impetus dirigentis voluerit. 5. Ita et lingua modicum quidem membrum est, et magna exaltat. Ecce quantus ignis quam magnam silvam incendit. 6. Et lingua ignis est, universitatis iniquitas. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus et inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata à gehenna. 7. Omnis enim natura bestiarum, et volucrum, et serpentium, et cæterorum domantur, et domita sunt à natura humana. 8. Linguam autem nullus hominum domare potest: inquietum malum: plena veneno mortifero. 9. In ipsa benedicimus Deum et Patrem: et in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. 10. Ex ipso ore procedit benedictio et maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri. 11. Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram àquam? 12. Nunquid potest, fratres mei, ficus uvas facere, ut vitis ficus? Sic neque salsa dulcem potest facere aquam. 13. Quis sapiens, et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. 14. Quod si zelum amarum habetis, et contentiones sint in cordibus vestris: nolite gloriari, et mendaces esse adversus veritatem. 15. Non est enim ista sapientia desursum descendens: sed terrena, animalis, diabolica. 16. Ubi enim zelus et contentio: ibi inconstantia, et omne opus pravum. 17. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, non judicans sine simulatione. 18. Fructus autem justitiæ, in pace seminatur, facientibus pacem.

1. Nolite plures fieri Magistri.] Græce, *ne multi doctores fiatis. Magister* Latinis appellatur quilibet præfectus, unde vocatur magister morum, magister equitum, magister navis, magister populi, id est dictator, magister pecoris, id est pastor. Hinc magistrare est regere, indeque nomen magistratus, ait Festus. Unde Primo aliqui per Magistros accipiunt Episcopos: Episcopus enim est doctor populi, ut ait Apostolus 1. Timoth. 3. 2. q. d. Nolite plures fieri Episcopi ejusdem loci et urbis: una enim urbs unum poscit Episcopum, et unus Episcopus unam urbem; sicut sponsus unam sponsam, et sponsa unum sponsum. Inde enim natæ sunt hæreses et schismata, ait S. Cyprianus lib. 1. epist. 3. ad Cornelium, quod plures voluerunt esse Episco-

pi et Pontifices, ac consequenter *quod uni sacerdoti Dei non obtemperatur nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos judex vice Christi cogitatur : cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversus sacerdotum collegium quidquam moveret.* Et Lactantius l. 4. c. ult : *Hæresiarchæ*, ait, *augendis opibus et honoribus studentes, affectabant magnum sacerdotium, et à potioribus victi secedere cum suffragatoribus suis maluerunt, quam eos ferre præpositos, quibus concupierant ipsi ante præponi.* Huc accedit Thomas Anglicus, qui sic exponit. q. d. Nemo in pluribus Ecclesiis velit esse magister, pluraque beneficia consequi.

Secundo, planius et plenius, q. d. Nolite plures ambire cathedram doctoralem, scilicet, nolite singuli è pluribus ambire magisterium, fierique magistri fidelium : Per plures enim intelligit singulos è pluribus, per syllepsin, qua uti pro multis ponitur unus, ut Æneid. 2.

Armato milite complent,

id est armatis militibus ; ita vicissim pro uno ponuntur multi, ut Æneid. 9,

Vos ô Calliope precor aspirate canenti.

Sed dicit *plures* non singulos, quia plures concurrebant et ambiebant magisterium, uti etiamnum concurrunt et ambiunt, q. d. Solent plures aspirare ad magisterium, illudque ambire : veto id fieri ; quia pauci ad id à Prælatis Ecclesiæ destinati et auctoritati sufficiunt : plures vero si fiant, paucos impediunt, idque Primo, quia in pluritate semper est confusio. Secundo, quia inter plures facile irrepunt indocti, indiscreti, perversi, scandalosi. Rursum inter plures levi de causa oritur ambitio et contentio, dum unus alium excellere vel supprimere satagit. Tertio, quia plures plura et diversa habent judicia ; unde facile diversa et contraria docebunt, ex quo orientur lites et scandala. Quarto, quia inter plures facile inserit se aliquis heterocliti et superbi cerebri, qui solus sapere, ac discipulos post se trahere sataget, ut novæ scholæ, sententiæ, et sectæ auctor et princeps habeatur ; itaque hæresim introducet, fietque hæresiarcha. Hæc enim ambitio impulit Simonem, Arrium, Pelagium, Calvinum, Lutherum, cæterosque Novatores, ad comminiscendum suas hæreses, uti docet Tertull. lib de Præscript. hæret. c. 41. et S. Justinus. q. 4. ad Orthod. Unde S. August. in prologo. lib. 1. Retract. *Magistri*, inquit, *tunc plures fieri dicuntur, cum diversa et inter se adversa sentiunt : cum vero idipsum dicunt omnes, et verum dicunt, ab unius viri magistri magisterio non recedunt. Offendunt autem, non cum illi multa dicunt : sed cum addunt sua : sic quippe incidunt ex multiloquio in falsiloquium.*

Occasio id scribent Jacobo fuit ea quam dat Beda : *Multi*, ait, *fuere temporibus Apostolorum qui descendentes de Judæa Antiochiam, non bene eruditi in lege fidei, docebant credenter ex Gentibus debere circumcidi, et alios errores inducebant, de quibus in Actis Apostolicis loquitur Lucas.* Tales fuere Ebion, Cherinthus, Simon, et similes, uti dixi Act. 15. Hosce ergo vitandos docet S. Jacobus, æque ac S. Paulus Act. 20. 29. *Ego scio*, ait, *quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se*, ut scilicet eorum vocentur magistri.

Alludit S. Jacobus ad illud Christi Matth. 23. 6, ubi taxans arrogantiam Pharisæorum : *Amant*, inquit, *primas cathedras in Synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi : vos autem nolite vocari Rabbi. Unus est enim magister verter* (Christus) *omnes autem vos fratres estis.* q. d. N. arrogetis vobis honorem et titulum Rabbi præ Christo, imo excluso Christo, ut faciunt Pharisæi, sed potius quasi discipuli unum magistrum Christum sectamini et nuncupate, ejusque, non vestra dogmata prædicate, non tam quasi magistri, quam quasi christi discipuli et præcones. Scripsit S. August. lib de Magistro, in quo docet non alium esse magistrum qui docet hominem scientiam, quam Deum, homines enim exterius tantum admonere, Christum vero interius docere veritatem. Dum enim loquimur et docemus nos loquendo asserit *nihil aliud agere, quam commonere ; cum memoria, cui verba inhærent, ea revolvendo facit venire in mentem res ipsas, quarum signa sunt verba.* Unde sic concludit : *Ego vero didici admonitione verborum tuorum, nihil aliud verbis quam admoneri hominem, ut discat, et perparum esse quod per locutionem aliquanta cogitatio loquentis apparet. Utrum autem vera dicantur eum doceret solum, qui se intus habitare, cum foris loqueretur, admonuit. Quem jam faventes Ipso tanto ardentius diligam, quanto ero in discendo provictior.* Idem serm. 122. de diversis c. 2. *Totius est ergo ut et nos qui loquimur, et vos qui auditis, sub uno magistro condiscipulos nos esse noverimus : omnino totius est et hoc expedit, ut nos non tanquam magistros, sed tanquam condiscipulos vestros audiatis.* Hinc hæretici volentes esse magistri, ab uno magistro Christo desciverunt. *Cum enim Phryges aut Novatiani, aut Valentiani, aut Marcionistæ, aut Anthropiani ; seu quilibet alii nominantur, Christiani esse desierunt qui Christi nomine amisso, humana aut externa vocabula induerunt*, ait Lactant. l. 4. c. ult. Tales fuere qui se superbe Gnosticos, id est, scientes omnia, indigitarunt, teste Clemente Alex. lib 1. Pædag. cap. 6. Itaque Jacobus hic tantum vetat docendi ambitionem, præsertim juvenum et indoctorum, qui prius docere volunt quam discere, et ut sint doctores dedignantur esse discipuli : in quos invehitur S. Hieron. epist. ad Paulinum, simulque docet totius esse discere quam docere, juxta illud Psal. 50. 15. *Auditui meo dabis gaudium et lætitiam.* Vide quæ contra ambitionem dixi 1. Timoth. 3. 1.

Quare inepte hanc Jacobi sententiam hæretici torquent contra Academias, eorumque gradus, quasi Jacobus vetet creari Baccalaureos, Lincentiatos, eos enim non plus prodesse Ecclesiæ quam diabolum, asseruit Wiclef, teste Prateolo, et Andreas Carolstadius ex Doctore factus pistor, cathedræ Wittenborgicæ, in qua doctorandi stabant, inscripsit : *Nolite vocari magistri*, quod legens Lutherus dixit, hac Christi et Jacobi sententiæ non aliud sanciri, quam ne quis novum dogma excogitet et doceat, uti refert Cochlæus in gestis Lutheri. Inepte, inquam. Nam Paulus fuit doctor Gentium, aitque Deum in Ecclesia posuisse doctores Ephes. 4. 11 et tales in Schola Alexand. fuerunt Clemens, Origenes, Heraclas, Pantenus, Dionysius, Theonas, Achillas, etc., ac similes Pharisiis Carolus Magnus ins-

tituit, quos secuti sunt Albertus Magnus, Alexander Alensis, S. Thomas, S. Bonaventura, qui et doctoratus insignia susceperunt. Vide Middendorpium lib. de Academiis, et decreta de magistris in Synodo Viennensi, Basileensi, Lateranensi et Tridentina. Denique Nazianz. orat. 1. in Julian. S. August. l. 18. de Civit. c. 5. et passim veteres taxant Julianum Apostatam, quod vetuerit Christianos docere, ut arma iis eriperet, quibus gentilismum suum destruebant.

Mystice S. August. in Psal. 144. *Breve*, ait, *magisterium est : ut semper laudes Deum, veroque corde non falso dicas : Benedicam Dominum in omni tempore : semper laus ejus in ore meo. Breve mysterium* (alias magisterium) *est, scilicet ut noveris eum misericorditer dare cum dat, misericorditer auferre cum tollit : nec te credas à misericordia ejus derelinqui, qui tibi aut blanditur dando ne deficias, aut corripit exultantem ne pereas. Sive ergo in ejus donis, sive in ejus flagellis, lauda eum. Laus flagellantis medicina est vulneris.*

Scientes quoniam gravius judicium sumitis.] Græce ληψόμεθα, id est *sumemus*, scilicet nos magistri, q. d. Magisterium est λῆμμα, id est, *onus* et pondus, quod quis imprudenter in humeros assumit nisi, à superiore imponatur. Dat causam cur magisterium potius fugiendum sit, quam ambiendum? quia scilicet magistri apud Christum judicem gravius et severius judium et condemnationem subibunt, quam discipuli, si arrogantes gloriam captent, aliosque contemnant, aut si mala doceant, vel male vivant : magistri enim discipulis prælucere debent non tantum verbo, sed et exemplo. Unde caute mon et S. August. lib. de Pastoribus c. 10. *Ne lacereris à spinis, id est, ne facta imiteris malorum ; lege uvam inter spinas pendentem, sed de vite nascentem. Ad te perveniat botri alimentum, spinis servatur ignis tormentum.* Idem tract. 46. in Johann. *Botrum carpe, spinam cave : doctrina vera per malos, palmes in spe : botrum inter spinas caute lege, ne dum quæris fructum, laceres manum, et cum audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem.* Auctor imperfecti apud S. Chrysost. hom. 43. *Nunquid*, inquit, *propter terram vilem pretiosum aurum contemnitur? Non : sicut aurum eligitur, et terra relinquitur, sic et vos doctrinam accipite, et mores relinquite.* Et nonnullis interjectis : *Apes*, ait, *flores colligunt, herbas relinquunt : sic et vos flores doctrinæ colligite, et conversationem relinquite.*

Porro magnum, inquit Hugo, est judicium, si magister sit illiteratus : majus, immorigeratus : maximum, si deficiens in utroque, quod Sapiens c. 6. 6. durissimum asserit fore ei qui præest. Quocirca formidabile est quod scribit S. Chrysost. hom. 3. in Acta : *Non temere dico ; sed ut affectus sum ac sentio. Non arbitror inter sacerdotes multos esse qui salvi fiant, sed multo plures qui pereant. Quod alii peccant, sacerdoti imputatur, Si vel unus tantum decedat non initiatus, nonne totam ipsius subvertit salutem? Etenim si unius animæ salus tanti est, ut ob hanc Filius Dei fieret homo, tantaque pateretur, perditio cogita quantam conciliabit pœnam? Quod si quis ob hominem in hac vita perditum morte dignus est, quanto magis ille?*

Recte itaque monet Imperator lib. *Si quemquam*, C. de Episcopis et Clericis : *Tantum ab ambitu debet esse sepositus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat. Profecto enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus.*

2. In multis enim offendimus (græce πταίομεν, id est, *cadimus*) omnes,] tum verbo, cum alios docere volumus, de quo proprie hic agitur, tum exemplo. q. d. Cum quisque, etiam sibi soli et Deo vivens, in multis offendat, sane imprudenter ambiet quis aliorum magisterium, cum in eo in longe pluribus sit offensurus, de quibus in Dei judicio exactam rationem est redditurus. Audi S. August. serm. 122. de Diversis c. 2. *Videte, quia sollicitudo nobis imposita est, ubi dicitur : Nolite plures fieri magistri, in multis enim offendimus omnes. Quis non contremiscat cum Apostolus dicat, omnes?* etc. *Oportet ergo vos esse non solum loquentium auditores, sed timentium miseratores ; ut in eo quod verum dicimus, quoniam verum à veritate est, non nos, sed ipsum* (verum et veritatem quæ est ipse Deus) *laudetis : ubi autem sicut homines offendimus, eumdem ipsum pro nobis oretis.* Hoc est quod ait Ecclesiastes c. 7. 21. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet,* Et Proverb. 24. 16. *Septies enim cadet justus, et resurget.* Unde Clemens Alex. 1. Pædag. c. 2. *Nil omnino peccare*, inquit, *proprium est Dei.* Clare vero S. Joannes epist. 1. c. 1. 8. *Si dixerimus*, ait, *quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est,* et S. Paulus 1. Cor. 4. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Unde S. Gregorius 24. Moral. c. 7. vel 18. *Quid ergo*, ait, *facient tabulæ, si tremunt columnæ? Aut quomodo vir culta immobilia stabunt, si hujus pavoris turbine etiam cœli quatiuntur?* Quocirca singulariter ex præcepto Christi quotidie oramus : *Dimitte nobis debita nostra ;* idque vere, non ex ficta humilitate, ac in persona propria, non aliena, ut contra Pelagium definit Concilium Milevitan. can. 6.

Itaque de fide est, hominem justum non posse, etiam cum auxilio speciali, quod ordinarie confertur, sine singulari privilegio omnia peccata venialia ad longum tempus evitare. Ita definit Concil. Trident. sesse. 6. can. 23. *Si quis*, ait, *hominem semel justificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.* Ubi Nota Primo. posse hominem justum carere omni omnino peccato ad tempus ; v. g. cum baptizatur, cum de omnibus ex toto corde conteritur et confitetur cum indulgentiam plenariam consequitur, etc. Sed non potest per omnem vitam, ut volebant Pelagiani, imo nec ad longum tempus se continere ab omni peccato veniali.

Ratio est, quia auxilium omne gratiæ quod Deus ordinarie confert, non tollit concupiscentiam, ut patet in S. Paulo. Rom. 7. et 2. Cor. 12. 9. Ac proinde non impedit omnes motus rationem prævenientes quibus rapimur in illicita. Motus autem hi concupiscentiæ varii sunt, et pene innumeri, ac dum unum superamus, exurgit et quasi ebullit alius et alius quasi continue. Ubicumque autem sunt tales tantique motus ad peccatum illices, fieri moraliter nequit, ut spectata humana infirmitate aliquando non peccetur venialiter. Nam si vel parum quis negligens in uno fuerit, illico est peccatum veniale : non est autem humanæ industriæ, istam extremam diligentiam et vigilantiam in omnibus animi motibus præstare. Ergo moraliter fieri

nequit ut per auxilium speciale ordinarium, quod etiam sanctissimis confertur, homo evitet in tota vita, imo ad unum annum omne peccatum veniale. Minima enim negligentia sufficit ad peccatum veniale; quia non requirit perfectam deliberationem, aut advertentiam. Sic impossibile est, ut quis opus aliquod magnum conscribat vel imprimat, aut navim, domum, templum ædificet; et nullum, ne minimum quidem errorem committat; quia impossibile est ut mens humana ad omnia etiam minima vigil excubet, vigilque consistat. Unde illud: *Quandoque bonus dormitat Homerus.* Sicut ergo facile in cithara chorda aliqua per longum tempus laxatur, facitque dissonantiam, ita et in homine contentio animi diu durare nequit, quin se remittat et in aliquo hallucinetur. Rursum sicut qui in Alpibus per montes asperos et saxa multis diebus incedunt, impossibile est ita semper esse cautos, ut aliquando in aliquod saxum non impingant et offendant: sic homini inter tot lapsum occasiones et scandala, aliquando non impingere et offendere moraliter est impossibile. Licet enim singuli actus et lapsus sint liberi, ideoque in hominis potestate sit eos evitare, tamen omnes simul sumpti non ita sunt in hominis potestate, ut omnes vitare possit. Libertas ergo est singulorum, necessitas vero peccandi aliquando, est omnium copulatim et simul sumptorum. Denique peccatum veniale non tollit justitiam, aut gratiam Dei, sed cum ea consistit, estque quasi nævus in facie pulchra: unde pariter non impedit, quo minus justus censeatur implere legem juxta possibilitatem hujus vitæ. Prætor enim, et multo magis Deus, non curat errata minima, ut ob ea graviter indignetur, hominem odio prosequatur et morte puniat.

Dices, si homo tantummodo moraliter hanc à lapsu veniali immunem integritatem præstare non potest, physice tamen potest, ergo non est ei absolute id impossibile; ac proinde fieri poterit, ut aliquis in toto genere humano, per auxilium Dei commune vitet omne peccatum veniale. Respond. Cum dicimus hominem moraliter hoc non posse, non sic intelligimus, quasi aliquo modo, raro tamen, aut non nisi cum summa difficultate fieri possit, ut homo omne omnino peccatum caveat; sed quia non caret potestate intrinseca, puta libertate et voluntate physica, quæ secundum se cum Dei gratia sufficiens est ad hoc præstandum: hæc tamen tot difficultatibus et mutationibus est obvallata; ut spectata humanæ fragilitatis conditione nunquam possit reduci in actum: et ideo dicimus moraliter hoc esse impossibile, physice tamen possibile; uti recte docet Andr. Vega. l. 14. in Concil. Trident. cap. 25.

Si quæras, an justus cum auxilio speciali non possit vitare saltem omnia peccata venialia ex genere, quæ plena deliberatione committuntur? Respondet Durand. in 2. dist. 28. q. 3. n. 8. id fieri posse: idque non est improbabile, si de aliquo viro sanctissimo loquamur, ut de S. Joanne Baptista, qui nunquam videtur dixisse verbum otiosum. Unde de eo canit Ecclesia, quod à puero iverit in desertum, *ne levi saltem maculare vitam famine posset:* Idem forte dici posset de S. Paulo primo Eremita et Antonio, eos ad aliquot annos hæc vitare potuisse: licet de tota vitâ non ausim id affirmare: facillime enim tanto tempore contengit aliquis linguæ vel phantasiæ et mentis lapsus, uti docet hic S. Jacobus. Ita olim sensit docuitque noster Lessius in tract. de Gratia.

Moral. hæc peccandi necessitas est materia profundæ humilitatis, acuitque hominis vigilantiam, studium et luctam, ut quam minime peccet, atque ideo eam in justo permittit Deus, uti S. Paulus ait, sibi stimulum carnis relictum, ne magnitudo revelationum eum extolleret, et virtus divina in ejus infirmitate perficeretur, 2. Cor. 12. 9. Hic ergo Jebusæus in carne nostra habitans, subjugari potest, extirpari non potest, sicut olim idem relictus fuit à Deo Hebræis, ut in eo experiretur Israelem, Judic. 2. 22. Hic rursum monet nos misereri aliorum, eisque qui nos offenderunt facile dare veniam, utpote conscios fragilitatis tam nostræ quam alienæ, ac pariter peccantes corripere in spiritu lenitatis, Galat. 6. 1. Unde S. Aug. l. 2. de serm. Domini in monte cap. 20. hunc corripiendi modum præscribit, ut corripiens consideret an aliquando idem vitium habuerit, an non: *Si non habuit, cogitet se hominem esse, habereque potuisse; si habuit et non habet; tangat memoriam communis fragilitas, ut objurgationem non odium sed misericordia præcedat. Si est in eodem vitio non reprehendat, vel objurget, sed congemiscat et ad pariter cavendum invitet.* Hinc de S. Francisco multisque aliis Sanctis legimus, quod assidue se vocarint peccatores, et quidem maximos, adeoque noster Franc. Borgia suis epistolis non aliud subscribebat, quam *Franciscus peccator*, uti refert Ribaden. in ejus Vita. De aliis legimus eos optasse liberari hoc exilio, et transire ad Christum, ut hanc cum offendendi miserabilem necessitatem evaderent.

Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.] Didymus id accepit de verbo interno cordis, non externo oris; qui enim, inquit, habet veritatem sensus de rebus quæ sunt; is inoffensibile habebit verbum: atque perfectio consistit in moderatione et fræno non tam verborum, quam cogitationum et passionum. Verum hoc symbolicum est. Agit enim Jacobus de usu et vitio linguæ, ut patet ex sequent. perpetua enim linguæ moderatio effectus et signum certum est moderationis cogitationum et passionum Qualis enim est vitalis est loquela. Unde Hugo Victorin. annot. in c. 13. epist. ad Roman. docet in moderatione linguæ non tam consistere perfectionem, quam cumulum perfectionis: sicut senem vocamus, qui centesimum annum agit: etsi enim solus centesimus non inducat senium: tamen id facit, si jungatur cæteris præcedentibus. Talem virum quasi vix inveniendum requirebat Eccles. c. 19. 17. *Quis est qui non deliquerit in lingua sua:* Ratio est, Prima, quia inter vitia corruptæ naturæ humanæ unum non minimum est innata loquacitas, ut quod cupit et concipit, hoc proloqui gestiat; uti videre est in pueris et mulieribus: hanc autem, quia innata et quasi naturalis est propensio, compescere et egere est difficillimum. *Ex abundantia enim cordis os loquitur,* Matth. 12. 34

Secunda, quia lingua vicina est cerebro, os phantiasiæ ut quod illa cogitat mox derivet in os, et in verba effluat: quare nisi phantasiam regas (quod est perdifficile) linguam non rexeris; verbum enim oris est partus verbi mentis: sermo est fructus cogitationis, imago cordis, index

sensorum animi. Hinc Socrates dicebat : *Loquere adolescens, ut te videam.* Unde Psaltes Psal. 38. 1. *Dixi*, ait, *Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.*

Tertia, quia magna rerum et circumstantiarum omnium circumspectione opus est in loquendo, ut dicas accommodate loco, tempori, personis audientibus, ne quem offendas. Hæc autem circumspectio actus est magnæ prudentiæ et perfectionis ac viribus naturæ in omni sermone longo tempore præstari nequit, sed ad id gratia Dei singulari opus est. Quocirca vere S. August. epist. 7. ad Marcellinum : *Quamvis*, ait, *Tullius* (*ut scribitur*) *nullum verbum unquam emiserit, quod revocare vellet, hæc tamen laus credibilior est de nimium fatuo, quam de sapiente perfecto.*

Quarta, quia homo pronus est ad se laudandum et aliis detrahendum : item ad adulandum, simulandum, fallendum, mentiendum : rursum ad loquendum, curiosa, fabulosa, otiosa, et superflua, cum tamen Christus edicat Matth. 12. 26. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.*

Hoc est quod pronuntiat Sapiens Proverb. 16. 1. *Hominis est, præparare animam ; et Domini, gubernare linguam.* Hoc orat Psaltes Psal. 140. 3. *Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis, ut non declinem in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.* Quocirca unus è Seraphim calculo ignito adussit labia Isaiæ, ut expurgata discerent recta et ignita loqui, Isaiæ 6. idem viderunt Gentiles. interrogatus Aristoteles apud Stobæum serm. 33. quæ res homini esset difficillima? respondit, *Silere tacenda.* Longius progressus est idem Aristot. apud Antonium in Melissa 1. p. serm. 73. tom. 1. Bibliothecæ SS. Patrum, cum enim ex eo quæreretur, quisnam posset arcanum sibi creditum continere : *Qui carbonem*, ait, *ignitum lingua retine potest.* Consentanee refert Cicero. l. 2. de Orat. Ennium dicere solitum flammam à sapiente facilius ore inardente opprimi, quam bona dicta teneat.

Atque hæc Philosophorum apophthegmata illustrant illud Eccl. 19. v. 12. *Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti*, id est, qualis impressa fugax taurus bipenne, vulnus et telum ferens (ut loquitur Seneca in Hercule Furente Actor. 3.) acerbissime saucius cœlum horrido mugitu complet, donec adactum ac penitus infixum venabulum exentiat : sic stultus, quoad verbum sibi creditum effutiat parturientis, aut hosto veneno nauseantis (quas etiam similitudines usurpat ibi Spiritus sanctus) nulla capit intervalla requietis. Ergo tam impotenti belluæ frænum rationis injiciendum est Eccl. 28. 30. *Facito frænos ori tuo rectos, et attende ne forte labaris in lingua.* Psal. 88. 2. *Posui ori meo custodiam*, hebraice *frænum.*

Porro ratio et modus dirigendi linguam ne offendat, est silentium. Vis discere loqui? sile et in silentio cogita quid et quomodo sit loquendum. Hac de causa in omnibus Religionibus tanta est disciplina et cura silentii, quod id ad cavendum offensas et ad cordis puritatem ac innocentiam sit utilissimum, imo necessarium. Itali prudenter suis hoc proverbium occinunt : *Odi, vedi et taci, se voi vivere in pace* : hoc est, *Audi, vide* et *tace, si vis degere in pace :*

Lege vitas Patrum, et innumeris exemplis id ita esse deprehendes, inter alios eximius fuit Abbas Pambo, qui suo silentio eo perfectionis pervenit, ut in morte protestatus sit, nullum sibi verbum unquam excidisse, cujus se pæniteret. Rudis enim cum esset, ait Socrates lib. 4. cap. 18. magistrum adiit, à quo audiens primum versum Psal. 138. *Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea ;* secundum audire noluit, sed discedens dixit : *Unus hic versus satis est, si modo eum reipsa et opere discere potuero.* Cumque post sex menses rogaretur à magistro, cur ad se tanto tempore non redisset? respondit se versum Psalmi nondum reipsa didicisse. Post plures annos rogatus an eum didicisset? ait, se decem et novem annis integris vix didicisse eum opere explere. Quocirca moriens, inquit, Palladius in Lausiaca c. 10. dixit : *Non memini me ab aliquo panem gratis datum comedisse, nec me in hanc horam pœnitet alicujus sermonis quem dixerim ; et sic ad Deum recedo, ut qui nec pius quidem, nec religiosus esse cœperim.* Subdit Palladius : *quod nunquam de sacra Scriptura, vel de re aliqua interrogatus statim responderit, sed dixerit : Nondum inveni quod respondeam. Præteribant tres menses, et non debat responsum, dicens : Nondum comprehendi. Tam considerate ex Deo dabat responsa, ut à Deo cum omni metu omnes acciperent : dicebatur enim hanc virtutem supra magnum Antonium et super omnes Sanctos exercuisse, nempe ut esset in loquendo accuratus et perfectus.*

Similis fuit Arsenius, olim præceptor Arcadii et Honorii Imp. qui eorum iram declinans abiit in eremum, audiitque ab angelo : *Arseni fuge, tace, quiesce, hæc sunt principia salutis* : quæ in praxin redigens, vir miræ sanctitatis evasit. Similis fuit Evagrius, qui à quodam sene dogma salutis poscens dicensque. *Dic mihi Abba sermonem quo salvus fiam*, ab eo audit : *Si vis salvari, quando ad aliquem vadis, non prius loquaris ante quam te ille inquirat.* Ita habetur in Vitis Patr. lib. 5. cap. 10. de discretione num. 19.

S. Antonii monitum salutis fuit : *Contine linguam et ventrem.* Alius senior in Vitis Patr. eos qui linguam non continent, vocabat *stabulum sine janua : quia quodcumque eis ascendit in cor, id ore loquuntur.* Ibidem Abbas Sisois ait : *Triginta annos non deprecor Deum propter peccata, sed orans hoc dico : Domine Jesu Christi protege me à lingua mea : Et usque nunc per singulos dies corruo per ipsam et delinquo.* Ibidem Abbas Hyperichius ait : *Monachus qui non retinet linguam in tempore furoris, neque passionum corporalium retentor erit aliquando.* Et Abbas Lucius cuidam volenti peregrinari ait : *Si non tenueris linguam tuam, ubicumque perrexeris, non eris peregrinus ; sed refræna hic linguam tuam, et eris etiam hic peregrinus.*

Abbas Agatho per triennium lapidem ore gestavit, ut coactus disceret silere ; idque ita didicit, ut postea, cum vellet loqui, vix posset.

Idem viderunt Gentiles. Hesiodus apud Plutarch. in Lacon.

> Optimus, ait est homini linguæ thesaurus et ingens
> Gratia quæ parcis mensurat singula verbis.

Anacharsis rogatus quid in homine esse optimum et pessimum? respondit, *Lingua*, teste Laertio l. 1. c. 9. Ægyptii sacrificantes Harpocrati

Deo silentii clamabant : *Lingua fortuna, lingua dæmon*, teste Plutarch. lib. de Iside.

In multiloquio enim non deest peccatum. Quocirca S. August. proœmio, in lib. Retract. testatur se libros retractationum scribere, ut multa locutus male dicta castigaret. *Neque enim*, inquit, *ea reprehendere deberem, si dicere debuissem : sed qui primas non potuit habere sapientiæ, secundas habeat partes modestiæ : ut qui non valuit omnia impœnitenda dicere, saltem pœniteat quæ cognoverit dicenda non fuisse.* Ex mox : *In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Ego mihi hanc perfectionem nec nunc arrogo, cum jam sim senex, quanto minus cum juvenis cœpi scribere, vel ad populos dicere : tantumque mihi tributum est, ut ubicumque me præsente loqui opus esset ad populum, rarissimæ tacere, atque alios audire permitterer, et esse velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum,*

POTEST ETIAM FRÆNO CIRCUMDUCERE (Syrus *subjicere et in servitem redigere*) TOTUM CORPUS.] Græce δυνατὸς, id est *potens ;* sed eodem redit sensus, q. d. Sicut qui frænat os equi, per illud frænat, regit et circumducit quocumque vult totum corpus equi, totumque equum : ita qui frænat os et linguam, potest frænare, regere, et quocumque libuerit gyrare et circumducere totum corpus. Aliqui per *corpus* accipiunt corpus peccati, puta congeriem vitiorum, quæ qua si totum quoddam corpus ex variis speciebus et actibus peccatorum, quasi partibus et membris conflatur et integratur, uti docet Cassian. collat. 12. c. 1. et 2. Alii per *corpus* accipiunt congeriem passionum, quæ ex ira, odio, spe, metu, aliisque passionibus integratur : passiones enim sunt quasi equi indomiti, qui frænis domandi et circumducendi sunt. Ita Origen. hom. 15. in Josue. Tertio, alii accipiunt corpus actionum omnium. q. d. Qui frænat regitque linguam, potest pariter frænare et regere passiones motusque animi, atque actiones omnes. Nam, ut ait S. August. serm. 17. de verbis Apostoli : *Ream linguam non facit nisi mens rea.* Quarto, genuine et proprie. q. d. Qui frænare novit linguam, hic perfectus est vir, ideoque frænare potest cætera corporis membra, omnesque actiones et motus moderari et componere ad leges modestiæ et virtutis. Causam cur perfectus sit paulo ante dedi.

3. SI AUTEM.] Legit Interpres cum nonnullis εἰ καὶ jam plures legunt ἴδε, vel ἰδοὺ, id est, *ecce vidi :* illud enim mox repetit Jacobus in altera navium similitudine, dicens : *Ecce* (ἰδοὺ) *et naves*, etc. Aliqui pro *si* legunt *sicut.* Est anantapodoton, deest enim altera pars comparationis, quam ita supplet et explet Beda, q. d. Si equum fræno in os misso regimus : ergo multo magis decet hominem frænando os et linguam, totum corpus, omnesque actiones suas regere et moderari. Aut, ut Gagneius : si autem in ora equorum frænos mittimus, omne illorum corpus circumferimus; ita qui linguæ fræna imponit, quoquo vult eam agit, nec sinit præcipitem ferri. Verum hæc suppletio nimia est, nimisque multa subaudit et supplet. Quare tam hujus, quam sequentis de navi similitudinis redditionem et comparationem explet Jacobus, cum post utramque subdit : *Ita et lingua modicum membrum est, et magna exaltat.* Id ita esse patet ex Textu Græco. Jacobus enim duplici similitudine declarat quanti momenti sit frænare linguam : prior petitur ab equis, posterior à navibus. q. d. Sicut equos licet generosos, fortes et indomitos fræno in os missos domamus, gyramus et flectimus quo volumus : rursum sicut clavo modico navim vastissimam dirigimus quo volumus : ita pariter si linguæ, quæ modicum est membrum, frænum injicias, frænabis et reges totum corpus animumque hominis. Aut certe dicendum est τὸ *autem* poni pro *enim*, ut et alibi fit. Unde Syrus vertit, *ecce enim :* et Hugo, *quia si* ; ut det causam ejus quod dixit : *Potest etiam fræno circumducere totum corpus ;* quia scilicet simili modo si in equorum ora mittamus frænum, totum corpus eorum circumducimus. Ita Franc. Lucas in Notationibus ad hunc locum. Hinc illa Theophrasti gnome apud Laert. lib. 5. cap. 2. *Fidendum est magis equo effræni, quam verbo incomposito.* q. d. Ab hoc plus periculi est, plusque noxæ, quam ab equo effræni. Perstat Jacobus in similitudine equi fræno recti, quam quia paulo ante verbo innuerat, hic fuse et clare explicat et pertractat, docetque non tantum linguam esse frænandam, sed et ipsammet esse frænum, quod frænantur omnia membra totumque corpus, q. d. Quod frænum est equis, hoc est hominibus lingua : sed fræno reguntur, diriguntur et circumflectuntur equi ad sessoris arbitrium : igitur et lingua Dei timoris et amoris proximi legibus coercita et temperata, omnes facultates et actiones humanas, tam corporis quam animi, in suum finem moderabitur, diriget et perducet.

AD CONSENTIENDUM (πρὸς τὸ πειθεσθαι, id est *ad obediendum*, hoc est, ad obedire faciendum, est hebraismus : ponitur *cal* pro *hiphil ;* scilicet verbum neutrum pro activo) ILLOS NOBIS.] q. d. Fræno facimus equos indociles, dociles, indomitos domitos, inflexiles flexiles et ductiles, ut nobis per omnia obediant, juxta illud Ovidii 4. Tristium eleg. 6.

> Tempore paret equus lentis animosus habenis,
> Et placido duros accipit ore lupos.

Hinc Cassiodorus in Psal. 31. *frænum*, censet dici à *fero* (id est, equo) *retinendo : ferum quippe antiqui caballum dixerunt*, licet alii à frangendo dictum putent, quod equorum ora frangat.

ET OMNE CORPUS ILLORUM CIRCUMFERIMUS,] μεταγομεν, id est, *circumagimus.* Ratio est, quia dum sessor fræno regit os equi, regit pariter totum equi caput, ejusque phantasiam : hæc autem regit totum equi corpus, omnesque ejus affectus, motus et gressus : equus enim per omnia phantasiam suam sequitur : eoque fertur, quo illa eum ducit. Simili modo frænando linguam per continentiam, frænamus pariter caput nostrum, ejusque phantasiam, mentem et voluntatem, quæ refrænat pariter totum corpus, omnesque ejus motus et actus : tum quia omnium idem est frænum, scilicet continentia, quæ si partem frænet difficillimam, puta linguam refrænet, facile cætera membra minus rebellia et difficilia frænabit : tum quia lingua frænari nequit, nisi prius frænetur pronitas et aviditas loquendi quæ est in phantasia et appetitu ; frænata autem phantasia et appetitu, frænantur omnes actiones et motus qui ab iis manant : tum denique quia lingua vicina est cerebro, in quo residet uti phantasia et appetitus, sic et vis motiva totius corporis per nervos, musculos

et spiritus quos ex se in reliqua membra derivat et transmittit. Refrænata ergo lingua, refrænatur pariter cerebrum; ejusque phantasia, appetitus et vis motiva, omnesque nervi, musculi et spiritus motivi.

Mystice, equus est corpus hominis : sessor est Christus qui illud sua gratia frænat et regit. Ita S. Joan. Apoc. 6. 2. *Ecce*, ait, *equus albus, et qui sedebat super illum habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret.* Hic equus sunt Apostoli, sessor est Christus, qui per eum vicit et subegit totum orbem. Equus ergo notat Apostolorum erga Christum Primo, obedientiam; Secundo, patientiam laborum; Tertio, alacritatem; Quarto, ferociam contra dæmones, infidelitatem et peccata; Quinto, velocitatem in evangelizando; Sexto, quod Christum Christique nomen et regnum per totum orbem portarint. Vide ibi dicta. Hinc S. Chrysost. hom. 52. in Matth. linguam nostram vocat regium equum, quem si frænes, gradarium efficies, dignumque cui insideat et inequitet Christus. S. Ambrosius lib. 9. in cap. 19. S. Lucæ v. 30. quærens cur Christus asina in die Palmarum vehi, itaque Hierosolymam ingredi voluerit, respondet. *Non*, inquit, *mundi Dominum forensi specie gestari dorso asinæ delectavit, sed ut latente mysterio, penetralia nostræ mentis insterneret, et in secretis animorum interiore confessu mysticus vector insideret, quasi quodam corpore divinitatis infusus, regens mentis vestigia, tasciviam carnis infrænans ut ductu pietatis assuetum populi Gentilis edomaret affectum. Felices illos, qui talem internis renibus recepere vectorem. Felices plane illos, quorum ora multiloquio solverentur, verbi cœlestis habena restrinxit. Quæ est istu habena, fratres? Quis me doceat quemadmodum ora hominum aut restringat aut solvat? Monstravit mihi habenam illam qui dixit : Ut detur mihi sermo in apertione oris mei. Sermo ergo habena est, sermo stimulus est, et ideo durum est tibi adversus stimulum calces mittere. Docuit igitur hic nos aperire ora, stimulum perpeti, jugum ducere. Doceat et alius linguæ retinacula pati. Rarior enim tacendi virtus est, quam loquendi. Doceat plane ille, qui velut mutus adversus dolum non aperuit os suum paratus in flagella, et verbera non recusans, ut esset pia sessio Dei.*

Nota hic Primo. Sicut fræno domantur equi, cameli, ursi, aliaqui animalia fera et indomita, juxta illud Martial. l. 1. epigram. 105.

> Picto quod juga delicata collo
> Pardus sustinet, improbæque tigres
> Indulgent patientiam flagello :
> Mordent aurea quod lupata cervi,
> Quod frænis Lybici domantur ursi,
> Et quantum Calydon tulisse fertur.
> Paret purpureis aper capistris :
> Turpes esseda quod trahunt bisontes,

ita nulla est lingua, phantasia et cupiditas tam sæva et vehemens, quæ non Christi gratia et continentia dometur, cicuretur, jugumque rationis et spiritus divini subeat. Hoc est quod monet Eccl. c. 28. 29. dicens : *Aurum tuum et argentum tuum confla et verbis tuis facito stateram, et frænos ori tuo rectos.* Quæ verba explicans S. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 3. *Possessio tua*, ait, *mens tua est : aurum tuum, cor tuum est; argentum tuum, eloquium tuum est*, etc. *jugum sit verbis tuis et statera, hoc est, humilitas, atque mensura, ut lingua tua menti subdita sit. Restringatur habenæ vinculis : frænos habeat suos, quibus revocari possit. Ad mensuram sermones proferat, libra examinatos justitiæ, ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus. Hæc si custodiat aliquis, fit mitis, mansuetus, modestus.*

Porro Philo, lib. Quis divin. rerum heres, sub initium, frænum linguæ asserit esse meditationem rerum divinarum. Idem alibi. *Qui*, ait, *narrant quæ non decent, non eloquentiam ostentant, sed silendi impotentiam.*

Nota Secundo. Sicut equus frænatur et fræno inhibetur cum dolore, ideoque frænum à frangendo ore dicitur, uti jam indicavi; ita et linguæ vis inferenda est per silentium et continentiam, cum dolore. Unde Seneca lib. 4. de Benef. cap. 36. *Ecce*, inquit, *ut doleas, ut postea consideratius loquaris quod dicere solemus, linguarium;* id est, linguæ vinculum et retinaculum, v. g. capistrum (quo equorum mordacium os et labra claudi et constringi solent) *dabo.* Voluptas enim, aviditas et quasi pruritus loquendi quæ videmus, audivimus aut scimus, adeo nobis innata est, ut sine dolore inhiberi nequeat. Multis enim prurit lingua ad loquendum magis, quam mens ad cogitandum, aut manus ad operandum. Quocirca sapienter S. Gregor. lib. 5. Moral. cap. 11. alias 12. *Boni viri*, inquit, *fræno consilii retinent præcipitationem verbi, et cautè considerant, ne relaxantes linguæ lasciviam, auditorum conscientiam incauta locutione transfigant. Unde bene per Salomonem dicitur : Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum. Aqua quippe dimittitur, cum linguæ fluxus effrænatur : sed dimissor aquæ, caput jurgiorum efficitur, quia per linguæ incontinentiam discordiæ origo propinatur. Igitur sicut pravi in sensu leves sunt, ita in locutione præcipites, et reticere pertractando negligunt quæ loquantur; sed quod levis concupiscentia concipit, levior protinus lingua prodit.*

Nota Tertio. Sicut sessor laxando frænum et calcaribus stimulando equum incitat ad cursum, ita pariter Christus jubet incitatque suos præcones, et fideles, ut tempore congruo loquantur, ac fidenter et animose prædicent, moneant, carpant vitia hominum. Quocirca rogandus est ut mittat in nos Spiritum sanctum, qui linguas igneas et Seraphicas nobis indat, quibus tum ejus magnalia celebremus, omnesque ejus amore accendamus : tum Deum fidenter et audacter invocemus, ac pia quadam libertate et vi quasi cogamus ut postulata concedat; uti fecit Moses Exodi 32. 32. Quia, ut ait Philo loco citato : *Libertas loquendi cognata est amicitiæ : nam arrogantis est temeritas, amici vero fiducia.* Quocirca S. Bernard. de passione Domini, c. 26. *Ostium*, ait, *non semper patet, nec semper clauditur; sed in domo sapientis patet sapientibus, clauditur vero stultis : sic et os nostrum quod est ostium cordis nostri, per quod verba quasi quædam nuncia egrediuntur, nunciantia quid interius agatur in corde, quod verbis prudentibus et utilibus, est in tempore reserandum, pravis vero verbis quæ de malis moribus cordis surgunt, jugiter est claudendum. Tempus enim loquendi et tempus tacendi, nec minus peccat is qui subtrahit verbum in tempore opportuno, quam qui prava loquendo alios scandalizat.* Idem docet S. Gregor. lib. 7. Moral. in fine. Huc spectat. illud Theophrasti ad quemdam.

qui in convivio perpetuo silebat : *Si indoctus, et imprudens es*, ait, *prudenter facis ; sin doctus, imprudenter.* Ita Laert. lib. 5. c. 2. Plutarchus vero sic dixisse scribit : *Si stultus es, rem facis sapientem : sin sapiens, stultam. Est enim sapientiæ pars non levis tegere silentio stultitiam.*

4. ECCE ET NAVES.] Est secunda similitudo petita à navium gubernaculo, ideoque similis primæ petitæ ab equorum fræno. Nam navis in mari est id quod in terra equus et currus ; ac sicut equus regitur fræno, sic navis gubernaculo : unde navis à Plauto in Rudente actu 1. vocatur equus ligneus. Et Homerus Odyssea 4. *Celeres*, ait, *in mari naves equorum loco sunt.* Hinc et nautæ à Varrone apud Nonium vocantur equisones, ac Seneca in Medea actu 1. rati sive navi dat frænum, quo instar equi frænanda sit. Et Pindarus Pythior. ode 3. ait anchoram esse frænum navis : quin et Horatius lib. 4. Carm. ode 4. ait Eurum *Siculas equitare per undas.* Pulchre vero Catullus in carm. de nuptiis Pelei, navim vocat *volitantem flamine currum*, quia flatu ventorum agitur.

> Ipsa, *ait*, levi fecit volitantem flamine currum,
> Pinea conjungens, inflexæ texta carinæ.

Vice versa Martianus l. 2. remigium navis vocat solis equos.

CUM MAGNÆ SINT,] τηλικαῦτα ὄντα, id est, *cum tantæ sint*, puta tam magnæ et vastæ.

ET A VENTIS VALIDIS,] σκληρῶν. Vatabl. *sævis ;* Pagnin. *duris*, alii, *asperis, rigidis.*

MINENTUR,] ἐλαυνόμενα, id est, *agantur ;* Pagnin. *vehantur ;* alii proprie *impellantur.*

CIRCUMFERUNTUR A MODICO (ἐλαχίστου, id est, *minimo*) GUBERNACULO.] puta clavo ; quod enim in equo est frænum, in curru temo, hoc in navi est clavus. Unde proverbia, ad clavum sedere, clavum tenere reipubl. præsidere, eamque gubernare et regere. Ita Cicero ad Papirium l. 9. epist. 15. *Sedebamus in puppi clavumque tenebamus ; nunc autem vix est in sentina locus.*

UBI IMPETUS DIRIGENTIS VOLUERIT.] *Impetus*, id est, voluntas, sed dicit ὁρμὴ, id est, *impetus*, quia gubernator volens recta dirigere navim, debet sæpe obniti ventis et undis ; ideoque vi et impetu clavum iis opponere, aut certe illis eum totamque navim ita aptare et accommodare, ut, si non rectum, certe lateralem cursum teneat, feraturque in locum à se destinatum. Adde, ὁρμὴ accipi posse pro impetu, id est, impulsu, studio et conatu voluntatis : in nauclero enim ad clavum sedenti ut eum recte gubernet, magis opus est animi attentione et dexteritate, quam brachiorum impetu viriumque impulsu. Vere Plato ep. ad Axiochum : *Frænis*, inquit *ac flagello equos dirigimus : et navigamus aliquando velis navim expandentes, aliquando anchoris frænantes retinemus, seu degravamus : sic gubernanda lingua, Axioche, modo ut verbis armemus, modo ut silentio reprimamus.*

5. ITA ET LINGUA MODICUM QUIDEM MEMBRUM EST.] Vere Nazianz. in car. de Silentio inter alia ait : *Lingua quidem parva est, at viribus omnia vincit*, præsertim in sacerdote, *cujus lingua*, ait, *est musicum instrumentum.* S. Bern. serm. de custodia linguæ, manus et cordis : *Lingua*, ait, *modicum est membrum, sed nisi caveas, magnum malum.* Idem de Interiori domo c. 50. linguam à lingendo, vel ligando deducit : *Quia*, ait, *lingit adulando, mordet detrahendo, occidit mentiendo*, etc. *ligat, et ligari non potest ; labilis est, et teneri potest : sed labitur et fallitur : labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta : tollit amicos, multiplicat inimicos ; movet rixas, seminat discordias, uno ictu multos percutit et interficit ; blanda est et subdola, lata et parata ad exhaurienda bona, et miscenda mala.*

ET MAGNA EXALTAT.] Est hic apodosis, sive redditio utriusque similitudinis, scilicet fræni regentis equum, et gubernaculi regentis navim, quibus linguam comparavit. Pro *magna exaltat*, græce est μεγαναυχεῖ, quod primo, multi juxta propriam verbi significationem usu communi receptam vertunt, magnifice gloriatur ; Syrus, *se extollit*, nimirum, ut ait Poeta :

> Projicit ampullas et sesquipedalia verba.

q. d. Pusillum membrum est lingua, sed jactabundum, quod verborum suorum quasi totidem verberum jactu, impetu et pondere tota regna, totosque populos inter se committit ; ac proinde maxime curanda est ejus directio et moderatio. Hinc Beda et alii pro *exaltat* legunt *exultat* (perperam Auctor. cum in Psal. 119. apud S. Hieron. legit *exultat*) id est, impotenter gestit, gloriatur, et jactantia sua quasi in altum exilit, ferocit et sævit, ut contineri non possit, nisi frænum rationis et continentiæ adhibeas. Sic Cicero 4. de Repub. dixit : *Omni crudelitate exultare*, quod Nonius interpretatur *sævire.* Rursum Cicero lib. de Senectute : *Fabius*, inquit, *Annibalem juveniliter exultantem*, id est, ferocientem et sævientem, *patientia sua emollivit.*

Itaque S. Jacobus μεγαλαυχεῖ hic non sumit pro inani jactantia, ostentatione et gloriatione ; hæc enim parum boni vel mali efficit, sed pro jactantia impetuosa et efficaci, qua lingua multos, adeoque integros sæpe populos ad magna vel bona, vel mala impellit et concitat. Hinc per metalepsia μεγαλαυχεῖ idem est quod *magna exaltat*, ut vertit Noster, id est, magna erigit, efficit, operatur. Unde Pagnin. et Vatabl. vertunt, *magna jactat*, videlicet verba et verbera ; OEcumen. *magna operatur, bona videlicet et mala*, sic et Mariana et alii. Emmanuel Sa, *magnas turbas excitat.* Alludit μεγαλαυχεῖ ad αὐχήν, id est, *cervix, collum.* q. d. μεγαλα αὐχεῖ, id est, *magna in cervicem attollit*, magna in altum erigit, magna exaltat : unde eodem allusit in voce καταυχᾶται, id est, *superexaltat*, uti dixi cap. 2. vers. 13. Rursum αὐχὴν est pars clavi, sive gubernaculi, in quam gubernator incumbit, ait Pollux, idem pene quod πηδάλιον nominatum hic à S. Jacobo, ait μεγαλαυχεῖ sit idem quod *magnæ navis clavum gerit et regit.* Sensus ergo est, q. d. Sicut frænum cervicem equi totumque equum agit, et in altum erigit ; et sicut clavus se totamque navim regit et erigit supra aquas et undas, ut iis non obruatur et mergatur, sed iis superferatur et inequitet ; ita quoque lingua non tantum hominem totum sua jactantia in altum sustollit, sed et cœtus ac respubl. integras in altum erigit, agitque quo vult, ac proinde magna vel bona, vel mala exaltat, id est, erigit, efficit, producit ; perinde ac aurigæ currus in profundo limi defixos modico instrumento ferreo, quod instar vertebræ gyrando sese exerit, sensimque assurgit, facile elevant et educunt. Simili vertebra et rota exigua vidi in Belgio, à puero uno maximos pontes et naves in altum attolli. Itidem facit et lingua ; licet enim minimum sit membrum, magna tamen potest et operatur.

Dicit ergo Jacobus : Sicut sessor peritus equitandi fræno regit equum, et eo vehatur quocumque libuerit ; imperitus vero sessor aut negligens frænum, facit tam se quam equum et currum, omnesque qui eo vehuntur periclitari ut cursu præcipiti allidantur, excutiantur, aut ruant in præceps. Rursum sicut nauclerus peritus clavo regit navim et omnes qui ea vehuntur, ut superatis fluctibus et ventis salvi perducantur in portum ; imperitus vero aut negligens clavum, se, et navim, ac omnes qui ea vehuntur, certo periculo naufragii exponit, ut in scopulos illisa dissiliat, aut ventis, fluctibus, et vorticibus hauriatur : ita pariter vir prudens, qui linguam rite moderatur, se multosque alios ad magna bona attollit ; imprudens vero qui eam regere nescit, sibi aliisque pluribus magna mala invehit et accersit : linguæ enim effrænis petulantia excitat lites, jurgia, odia, bella, excidia familiarum, urbium et gentium ; lingua vero frænata et moderata salutem sibi domui, urbi, totique genti conciliat. Sicut ergo directum frænum et clavus saluti est quo, navi et vectoribus, neglectum vero utrumque, periculum et perniciem utrisque affert : ita pariter et lingua à prudenti prudenter directa, pacem et omne bonum ; ab imprudenti vero imprudenter directa, bellum et omne malum sibi multisque aliis conciliabit. Comparat enim linguam fræno et clavo ; virum sessori et nauclero ; domum, urbem et rempubl. equo et currui, ac navi et vectoribus. Hæc omnia intelligit, unoque verbo *magna exaltat*, brevitatis studio complectitur S. Jacobus. Unde OEcumen. *Non est adeo*, inquit, *explicatus sermo, quoniam abbreviati Verbi discipulus est is qui hoc scribit.*

Mystice Beda, Hugo, Lyran. et Thom. Anglicus. *Lingua magna exaltat*, inquiunt, id est, magna præmia, vel magnas pœnas affert.

Exempla bonæ linguæ magna bona conciliantis sunt apud Valer. Max lib. 8. cap. 9. Primum de Valerio, qui cum plebs a senatu pestifera seditione divisa in montem sacrum secessisset, eamdem sua oratione et blandiloquentia *ad saniora consilia revocatam senatui subjicit, id est, urbem urbi junxit. Verbis ergo facundis ira, consternatio, arma cesserunt.*

Secundum de Hegesia Cyrenaico Philosopho, *qui sic mala vitæ* sua eloquentia *repræsentabat, ut eorum miseranda imagine audientium pectoribus inserta, multis voluntariæ mortis appetendæ cupiditatem ingeneraret : ideoque à rege Ptolomæo alterius hac de re disserere prohibitus est.*

Tertius sit Amphion, qui sua oratione saxa ad struendos muros Thebanos traxisse dicitur. Unde Horatius de Arte poetica :

> Dictus et Amphion Thebanæ conditor urbis,
> Saxa movere sono testudinis, et prece blanda
> Ducere quo vellet.

Idem lib. 3. de Carm. ode 11.

> Movit Amphion lapides canendo.

Et Statius lib. 8. Theb.

> Et duras animantem Amphiona caules.

Sic Orpheus et Arion perhibentur suo carmine et suaviloquentia movisse arbores, silvas et feras : non quod vere id fecerint, sed quod homines duros, stupidos et barbaros instar ferarum in silvis viventes, sua oratione pellexerint ad vitam civilem, humanam et socialem, ac ad urbes ea de causa construendas et incolendas.

Quartus sit Cicero, qui Romæ omnia poterat, et Romanis persuadebat quæcumque volebat, Catilinam, Antonium, aliosque tyrannidem ambientes urbe expulit. Audi Plutarch. in ejus vita : *Nempe hic vir quantum afferat honesto condimentum eloquentia ostendit populo Romano : atque invincibile esse, quod justum est, si recte dicatur : debereque eum qui sedulo tractare Remp. intendit, semper quidem in rebus agendis honestum blandienti anteferre, sed in dicendo acerbum eximere conducibili.* Et inferius : *Fuit Ciceronis ea tempestate potentia Romæ maxima : et cum omnia efficeret quæ vellet, Antonium factione oppressit*, etc. Subdit Augustum, postea Cæsarem, per Ciceronem postulasse et impetrasse consulatum, quo viam sibi stravit ad triumviratum, deinde ad monarchiam.

Similis Ciceroni in suavitate dicendi, sed in efficacia dicendi superior fuit Athenis Demosthenes : de eo enim sic scribit Plutarch. in ejus vita : *Hujus oratoris vis quæ excitabat animos et incendebat ad gloriam, obstruxit omnibus reliquis, ut quasi lymphati ab ejus oratione rapti ad honestum, metum, rationem, gratiam abjicerent, ut legatos mitteret Philippus ad pacem petendam ; omnis Græcia erigeret se ; accommodarent se vero Demostheni non modo prætores Athenienses dicto ei audientes, sed et Bœotarchæ concionibus illic præesset omnibus, Thebanorum æque ac Atheniensium.*

Verum hos omnes superarunt oratores Christiani, ac in immensum Christus ipse, qui turbas flectebat quo volebat, ut missi à Pharisæis ad capiendum stupefacti redirent dicerentque : *Numquam sic locutus est homo sicut hic homo*, quia scilicet erat verbum in carne loquens lingua cœlesti et divina, Joan. 7. 46. et Petrus : *Domine, ad quem ibimus* (nisi ad te) ? *verba vitæ æternæ habes.* Joan. 6. 69. Hinc Apostolis linguas dedit igneas, ac præsertim S. Paulo qui reges et principes, oratores et philosophos Judæos et Græcos, adeoque gentes totius orbis pertraxit ad Christi fidem et cultum. Ejus discipulus fuit S. Joannes Patriarcha Constantin. qui ab aureo ore et lingua persuadendi quidlibet cognominatus est Chrysostomus. Tales posterioribus sæculis fuere S. Antonius de Padua, S. Vincentius Ferrerius, S. Bernardinus, qui suis concionibus saxea hominum corda ad pœnitentiam et sanctimoniam inflexerunt ; adeo ut eorum linguæ essent plectra et organa Spiritus Sancti.

Exempla malæ linguæ magna mala conciliantis recenset Valerius loco citato. *Pisistratus*, inquit, *tantum dicendo valuisse traditus est, ut ei Athenienses regium imperium oratione capti permitterent, cum præsertim ex contraria parte amantissimus patriæ Solon niteretur ; sed alterius salubriores erant conciones, alterius disertiores. Pericles liberis Athenarum cervicibus jugum servitutis imposuit : egit enim et versavit illam urbem arbitrio suo, eamque adversus voluntatem populi loqueretur, jucunda nihilominus et popularis ejus vox erat ; unde fatebantur in labris hominis melle dulciorem leporem habitare. Quocirca senex quidam exclamavit, caveri illum civem oportere, quod Pisistrati simillima ejus foret oratio. Nec hominem aut æstimatio eloquii, aut morum augurium fefellit. Quid enim inter Pisistratum et*

Periclem interfuit? nisi quod ille armatus, hic sine armis tyrannidem gessit.

C. Gracchus sua eloquentia perturbavit remp. ait Valer. lib. 8. cap. 11. Inter fideles quid Eva et Adamo totoque genere humano miserabilius: Quid illud in has miserias conjecit ? lingua serpentis. Genes. 3. Quid exitialius lingua Judæ ? quæ prodidit et perdidit Christum, unicum hominum et angelorum bonum et gaudium. Quid stolida lingua Roboam vesanius? quæ sua sævitia totum Israelis regnum à se, à Juda, à templo et Deo avertit. 3. Reg. 12. Quid hodie bella inter regna et reges Christianos, quæ utrisque innumeras calamitates et clades afferunt, suscitat ? linguæ pestiferæ invidorum et inquietorum, qui suam quietem æstimant bellum commune, qui sua lucra æstimant damna aliena ,qui rapinas et spolia aucupantur. Vide hic quot incendia, quot stupra, quot furta, quot exitia, quot funera cumulet, attollat et exaltet, parva, sed nocentissima lingua. Vere Sapiens Proverb. 18. 21. *Mors et vita,* ait, *in manibus linguæ.*

Ecce.] In Græco est hoc tertium ἰδού, id est, *vide, ecce.* Est enim hæc tertia similitudo, qua docet quanto studio moderanda sit lingua: Primo, enim assimilavit linguam ori equi frænato, sive fræno equi. Secundo, gubernaculo navis. Tertio, hic assimilat eam modico igni, sive scintillæ, quæ totam domum, silvam et urbem incendit.

Quantus.] Id est, quantulus, quam exiguus: græce enim est ὀλίγον, id est, *modicus, parvus;* videtur interpres legisse, ἡλίκον, id est, *quantus,* sic enim habet Textus Græcus Veronensis, teste Gagneio, qui et explicans addit: *Et hoc modo ironice legendum: Videte quanto et quam magno igni opus est ad incendendam silvam. q. d. Non multo opus est,* sed modico, imo una scintilla dumtaxat. Ita, ut ait S. Hier. in c. 3. ad Gal. *Arius in Alexandria parva scintilla fuit, sed quia non statim oppressus est, totum orbem flamma ejus est populata.* Ita Faustus Manichæus sua eloquentia, ait S. Aug. l. 5. Confess. c. 3. *magnus erat laqueus diaboli: et multi implicabantur in eo per illecebram suaviloquentiæ.*

Ita Lutheri lingua quasi ignis scintilla, quia illico non repressa, proserpens incendit totam Germaniam, Calvini Galliam, Wiclef Bohemiam, etc. Annon hæ faces orbis ?

6. Et lingua ignis est.] *Et,* id est, *sic;* simili modo, pariter. Incipit enim hic apodosis sive redditio similitudinis. q. d. Sicut modicus ignis totam silvam accendit, simili modo ignis est lingua, silva est universitas iniquitatis, quam lingua accendit: dum domos, urbes, resp. et regna implet rixis, litibus, bellis, aliisque sceleribus : juxta illud Proverb. 16. 27. *Vir impius fodit malum, et in labiis ejus ignis ardescit.* Et Eccl. 28. 11. *Homo iracundus incendit litem,* etc. *Secundum enim ligna silvæ, sic ignis exardescit.* Eo alludit hic Jacobus. Sic in Proverbiis passim Hebr. ו *vau,* id est, *et* sumitur pro *sic,* ut patet intuenti.

Comparat linguam igni. Primo, ob formam et speciem : utrumque enim formam habet pyramidalem. Secundo, ob similem colorem; utrumque enim rubicundum est. Tertio, ob velocitatem, volubilitatem et agilitatem similem. Quarto, ob parem efficaciam : verbum enim mordax urit et cruciat proximum instar ignis. Quinto, ob similem agendi modum: unde flamma æque ac lingua dicitur lambere rem quam accendit, juxta illud Claud. de 1. Rap.

Lambit continuas innoxia flamma pruinas.

Sexto, quia lingua se prodit internus ignis, id est, amor, vel impurus et carnalis, vel purus et divinus, qui proinde Apostolis indidit linguas igneas. Quocirca sapienter et pie S. Aug. lib. 10. Confess. c. 37. *Quotidiana fornax nostra,* ait, *est humana lingua, imperas nobis et in hoc genere continentiam : da quod jubes et jube quod vis. Tu nosti de hac re ad te gemitum cordis mei, et flumina oculorum meorum. Neque enim facile colligo quam sim ab hac peste mundatior; et multum timeo occulta mea quæ norunt oculi tui, mei autem non. Est enim qualiscumque in aliis generibus tentationum mihi facultas explorandi me, in hoc pene nulla est.* Et inferius : *Confiteor me delectari laudibus, sed amplius ipsa veritate, quam laudibus.* Denique uti ignis, ita linguæ damnum sæpe est irreparabile. Fama enim semel perdita recuperari nequit. Proverb. 25. 8.

Moral. Sicut lingua et loquacitas ignem et incendium immane excitat, ita silentium et linguæ moderatio idem sopit et extinguit. Unde Sapiens Proverb. 26. 20. *Cum defecerint ligna,* inquit, *extinguetur ignis:* (sic) *et susurrone subtracto jurgia conquiescent.* Et Eccles. c. 8. 4. *Non litiges cum homine linguato, et non strues in ignem illius ligna.* Quocirca S. Basilius graviter deceptus et offensus ab Eustachio hæretico, quem simulantem conversionem ad communionem admiserat, per triennium siluit, et ne vel litterulam ad eum scripsit, ne potius ex dolore quam ex ratione cum eo expostulare videretur, neve novas rixas suscitaret. Ita habet ejus Vita. S. Basilium quasi socium et fratrem imitatus est S. Gregor. Nazianzen. Cum enim nonnulli probra in eum jacerent, ut ignem, id est iram, elicerent, ille se siluisse narrat orat. de serm. suis. *Negant,* inquit, *ut pyritem* (qui lapis est internum habens ignem, quem percussus exerit, ait Nicetas,) *sic me convitiis tundere desituros, donec ex parva scintilla ingentem sermonum flammam excitarint.*

Hujus rei symbolo, Deus incendium voce silentis extinxit. Erat is Radulphus, ob silentium continuum cognominatus Tacens : per sedecim enim annos nullum verbum ex ore emiserat. Habitabat ipse in monasterio Affligemiensi, quod Bruxellæ adjacens Belgis notum est et celebre. In eo casu exortum est incendium, quod cum nulla vi restingui posset, Radulphus silentium solvens fidenter edixit: *Stes ignis, flamma penitus conquiescas;* illico stetit ignis, ut stetit sol ad imperium Josue. Ita Thom. Cantip. lib. 2. de Apibus, cap. 13. § 4. Quocirca S. Ephrem de Passion. animi, sic nos antequam loquamur pro lingua moderanda Deum orare docet : *Digitus gratiæ tuæ, Domine, semper moveat linguam meam, tanquam nervum citharæ ad gloriam tuam. Concede mihi, Salvator, petitionem cordis mei, fiatque lingua mea velut cithara ad resonandum jugiter laudes tuas.* Et Esther c. 14. 13. *Tribue sermonem compositum in ore meo.* Et Psaltes Psal. 50. 17. *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.* Et Psal. 70. 8. *Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam.*

Universitas iniquitatis.] *Universitas,* id est,

cumulus, congeries, simili proverbio vocamus malorum oceanum, malorum iliadem. Græce ὁ κοσμος της ἀδικίας, id est, *mundus injustitiæ*, scilicet est lingua, aut potius silva, quam lingua quasi ignis incendit. Sicut enim linguam comparat igni, ita mundum iniquum comparat silvæ, in quam agit ignis linguæ; alioqui quid igni cum universitate iniquitatis? Jam κοσμὸς, id est *mundus*. Primo, cum Nostro interprete accipi potest pro universo, sive universitate. q. d. Uti mundus omnium rerum varietatem et universitatem complectitur; ita lingua omnem iniquitatem parit et continet: aut potius. q. d. Lingua totum hunc mundum, qui non est aliud quàm silva quædam iniquitatis et injustitiæ, velut ignis infernalis accendit. Rursum q. d. Lingua implet totum Universum iniquitate. Nulla enim est regio, nulla civitas, nulla platea, imo sæpe nulla domus quam maledica lingua non impleat detractionibus, calumniis, litibus, tumultibus, bellis, concupiscentiis, libidinibus. Ad hæc mundus iniquitatis accipi potest ipsa congeries injuriarum et scelerum: hujus enim follis et causa est lingua; adeo ut ipsa tribunalia, quæ sunt asyla justitiæ, impleat falsis testibus, injustis advocatis, procuratoribus,, judicibus. Ita lingua impia et hæretica Deum, blasphemat, Sanctos omnes probris afficit, Verbum Domini corrumpit, auditorum mentes excæcat, voluntates ad quidvis audendum accendit, fidem exterminat, spem in præsumptionem vertit, charitatem extinguit, humanitatem tollit, seditionem bellorumque faces accendit; facit superbos, invidos, rixosos, avaros, gulosos, luxuriosos, corpora commaculat, et animas in tartarum demergit. An non ergo ipsa est universitas iniquitatis? omnes enim iniquitates et scelera per linguam aut perficiuntur, aut persuadentur, aut defenduntur, aut excusantur: *Lingua* (enim) *est lena et conciliatrix peccatorum*, ait S. Basil. in Psal. 33. Denique lingua est mundus et universitas iniquitatis, quia maculat totum corpus, totamque vitam hominis cujusque, uti subdit et explicat. S. Jacobus. Addunt aliqui: lingua est *universitas*, id est academia, *iniquitatis*; quia sicut in academiis docentur omnes artes et scientiæ; sic lingua docet omnia genera iniquitatum. Sed κοσμὸς, non significat academiam.

Secundo, κοσμὸς, id est *mundus*, verti potest ornatus et ornamentum; sic enim mundus muliebris vocatur mulierum ornatus. q. d. Lingua est velamentum et ornamentum iniquitatum. Sicut enim meretrix sua dedecora et sordes tegit vestibus sericis et aureis; sic multi sua scelera velant, excusant, imo exornant sua garrulitate et falsiloquentia. Ita Œcumen. et Isidor. Pelus. l. 4. epist. 10. Hinc toties in Script. lingua dicitur concinnare, id est, comere et adornare, mendacium vel dolos, ut Psal. 49. 19. Job. 6. 26. Proverb. 12. 19. Verum prior sensus aptior est et nervosior, ac plane genuinus.

Symbolice Primo, Thomas Anglicus: Lingua, inquit, totum Universum, puta cœlum, terram et infernum, implet iniquitate. In cœlo enim Lucifer, dicens: *In cœlum conscendam, super astra exaltabo solium meum*, etc. *similis ero Altissimo*, Isaiæ c. 14. 13. suisque asseclis idipsum suadens et persuadens, cœlum implevit seditione et apostasia. Sic et impii *posuerunt os cœlum in suum*, Psal. 72. 9. maledicendo Deum et cœlites. Rursum: *Lingua eorum transivit in terra*, quia terram implent rixis, bellis, perjuriis, etc. Damnati vero infernum implent suis blasphemiis, jurgiis, sannis, maledictionibus. Secundo, lingua impetit Deum blasphemando, proximum calumniando, seipsum jactando. Tertio, noster Salmeron et Paes hoc loco per litteras alphabeti ostendunt linguam esse alphabetum et congeriem omnium vitiorum: ex lingua enim oritur adulatio, blasphemia, calumnia, detractio, excusatio in peccatis, gloriatio, hæresis, hypocrisis, irrisio, lamentatio, mendacium, nugæ, otiosa verba, perjurium, querimonia, rixa, susurratio, secreti revelatio, scandalum, taciturnitas noxia, vituperatio, zelus amarus. Scribit Joannes Pellecyus è Societate nostra librum hoc titulo, *Universitas iniquitatis*, in quo quot quantaque sint vitia linguæ ostendit.

Lingua constituitur in membris.] Græca addunt οὕτως, id est, *sic*. Hic enim finitur apodosis: explet enim hic Jacobus cœptam similitudinem ignis et silvæ cum lingua et universitate iniquitatis. Verum quia concisus est multa subaudit, ut superius annotavi ex Œcum. Quare tota hæc ejus sententia ita reddenda et connectenda videtur: Ecce quantulus ignis quantam silvam accendit: una enim scintilla potest accendere totam silvam Herciniam, cujus, ut ait Cæsar lib. 6. Comment. latitudo ad novem diætas, longitudo ultra sexaginta diætas extenditur. Pari modo et lingua ignis est, universitas iniquitatis est silva, in quam lingua instar ignis agit: sicut ergo modicus ignis in silva constitutus eam totam accendit: sic lingua quasi modica corporis particula instar scintillæ in membris constituitur, quæ totum corpus putida sua exhalatione et adustione commaculat, totamque vitæ seriem malitiæ flammis succendit. Hunc esse sensum patet ex Græco, eumque exigit hujus versus cum præcedenti cohærentia et connexio, nec alia idonea causa afferri potest, cur Jacobus dicat linguam constitui in membris nostris.

Nota. Lingua à Deo posita est in ore hominis et animalium quatuor de causis. Prima est, ut sit interpres animi, ejusque cogitationes et affectus enunciet. Nam, ut ait S. August. præfat. in Psal. 93. *Quid velit cor, lingua testatur*. Et Aristoteles libro Periherm. docet voces esse signa conceptuum et passionum animæ.

Secunda, ut serviat cibo et comestioni: lingua enim contritos et commolitos dentibus cibos colligit, et collectos vi sua deprimit et transmittit ad ventrem. Quocirca Varro censet linguam dici à ligando, quod liget cibum: licet alii à lingendo dictam velint.

Tertia, lingua sapores sentimus et discernimus ut cibos commodos ab incommodis et noxiis secernamus, lingua ergo est quasi prælibator et prægustator stomachi.

Quarta, lingua bestias in potu adjuvat: ille enim extenta cavataque lingua hauriunt aquam, eamque comprehensam linguæ sinu, ne tarditate ac mora defluat, ad palatum celeri necessitate complodunt, itaque in ventrem trajiciunt.

Verum homo corruptus et vitiatus his omnibus abutitur, eaque in vitium et scelus vertit, primum scilicet in mendacia, perjuria, detractiones, rixas, etc. secundum, tertium et quartum in gulam et crapulam.

Quæ maculat.] Persistit in metaphora ignis.

Ignis enim dum rem adurit, eam atro colore, æque ac odore inficit et maculat : ita lingua dum adurit totum hominem, eumdem tetro libidinum, rixarum, vulnerum, omnisque vitii, æque ac infamiæ colore et odore fœdat et maculat. Ita Œcum. Probat mundum sive universitatem iniquitatis esse silvam, quam lingua instar ignis accendit, ex eo quod lingua totum corpus totamque vitam, omnesque actiones hominis cujusque commaculet et succendat : ex omnibus enim hominibus conflatur mundus, et ex iniqua vita cujusque hominis conflatur universitas iniquitatis.

Totum corpus.] Per hoc aliqui accipiunt omnes hominis potentias, habitus, passiones, quæ sibi invicem subordinatæ unum quasi corpus constituunt. Alii totum actionum humanarum congeriem, ac corpus. Verum hoc corpus mysticum est potius, quam litterale. Alii, q. d. Lingua vitia animi profert in lucem, itaque totum quasi corpus hominis publice dehonestat. Ego propriam maculam et hominis corpus hic intelligo, quod suis membris constat et integratur : in his enim dixit constitutam esse linguam. q. d. Lingua exigua in membris hominis constituta est, non tam quasi membrum, quam quasi particula et pæne punctum membrorum. Quod enim in circulo est centrum, in rota modiolus, hoc in capita est lingua. Sicut ergo moto centro movetur totus circulus, et centro vitiato vitiatur circulus ; ita mota et maculata lingua movetur et maculatur totum caput, totumque corpus hominis. Porro per corpus synecdochice animam, totumque hominem, intellige. q. d. Lingua maculat corpus et animam, id est totum hominem, omnesque ejus actiones : nam, ut explicat sanctus Chrys. hom. 22. ad popul. maculato corpore necesse est maculari animam, juxta illud : *Corrumpunt bonos mores colloquia prava*, 1. Cor. 15. 33. lingua enim inficit aures, et per aures phantasiam, caput, mentem et voluntatem pravis desideriis, cupiditatibus, odiis, inimicitiis, erroribus, etc., ex quibus sequuntur crapulæ, fornicationes, adulteria, pugnæ, verbera, cædes, etc., quæ corpus commaculant. Rursum lingua inficit tres appetitus hominis, et per eos totum hominem : inficit enim appetitum concupiscibilem concupiscentiis ; irascibilem ira et rixa : rationabilem errore, odio, hæresi, etc. In hujus rei signum et symbolum Deus Mariam sororem Mosis lingua abutentem, et murmurantem contra Mosen percussit lepra in toto corpore. Num. 12. 1. Simili enim modo lingua impudica, rixosa, blasphema, etc. totam mentem, et totum corpus, id est, totum hominem commaculat, et quasi lepra inficit.

Et inflammat rotam nativitatis nostræ.] Pro γηνέτεως, id est *generationis, nativitatis*, nonnulli apud Œcum. legerunt γενέννης, id est gehennæ. q. d. *Lingua incendit et excitat in nos gehennam veluti grassari faciens adversus nos ignem. Sed et ipsa incenditur à gehenna, ut manifestum est ex divite, qui lingua cruciabatur.* Luc. 16. ait Œcumen. Huc spectat illud Christi Matth. 5. 22. *Qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Verum alii passim legunt γενέσεως quod Primo, Syrus vertit, *genealogiam. Inflammat*, inquit, *series genealogiarum nostrarum, quæ currunt in modum rotarum;* lingua enim serens odia inter familias, urbes et regna, eadem transmittit in posteros per multas generationes et sæcula, ut perpetuæ inter eos, immortales, et irreconciliabiles lites et inimicitiæ esse videantur.

Secundo, alii per τρόχον γενέσεως accipiunt universum orbem conditum, ut τρόχος ponatur pro κυκλοῦ, id est, *circulo* et orbe, λενέσεως, pro συστάσεως, id est *creatione* et conditione : respicit enim et explicat id quod dixit, linguam esse ignem à quo accenditur κοσμὸς ἀδικίας, id est, *mundus* vel *universitas iniquitatis.* q. d. Lingua totum orbem tartareo igne inflammat.

Tertio, Vatabl. per *rotam nativitatis*, id est rotam natam et genitam, non arte à fabro factam, accipit totum corpus, quod est vehiculum animæ. q. d. Lingua adducit in discrimen totum corpus et animam, id est, totum hominem, si inconsulte moveatur : sicut molæ molendinorum totum molendinum incendunt, ubi nimio motu ignem conceperint.

Quarto et genuine, *rotam nativitatis* nostræ vocat Jacobus universum vitæ nostræ cursum, qui à lingua inflammatur ira, libidine, superbia, aliisque sceleribus, atque uritur multis ærumnis, morbis, molestiis et malis, ait Vatab. Hic cursus dicitur rota ; quia instar rotæ à nativitate usque ad mortem semper volvitur cum ratione cœli, cui subjacet, et à qua regitur et rotatur. Græcum enim τρόχον, si accentum gravem ponas in ultima, significat tam rotationem quam rotam : sin vero per accentum in penultima legas scribasque τροχόν, significat currum. Unde Beda : *Cursum*, inquit, *humanæ vitæ lingua contaminat, quo ad mortem usque veluti currenti rota agimur.* Ita Œcum. *Rota*, inquit, *dicitur vita, quia in se ipsam revoluta.* Et Isidor. Pelus. l. 1. epist. 158. Tempus, inquit, vitæ nostræ rotæ speciem imitatur ; utpote quod in se torqueatur et convolvatur. Dies enim succedit diei, mensis mensi, annus anno, ut uno finiente alter incipiat, itaque ad sui principium dies, mensis et annus quasi redeant et in se perpetuo revolvantur, ut choream jugem agere videantur. Sic et Lyran. Glossa. Hugo, Thomas Anglicus, Cajetanus, Salmeron, Cathar. Vatabl. et alii passim.

Ætas ergo vitaque nostra vocatur rota. Primo, quia nunquam consistit, sed semper instar rotæ circumvolvitur. Audi S. Greg. Nazianz. in Sentent. *Rota*, ait, *est incerte fixa, brevis hæc et multiplex vita. Sursum movetur, ac deorsum trahitur : neque enim stabilis est quantumvis ita videatur : fugiens tenetur, et manens effugit : saltat plerumque, nec tamen fugere potest : stationem suam motu trahit ac retrahit. Quocirca ipsius inanitas nullo modo rectius describi potest, quam si vel fumus, vel insomnium, vel herbæ flos appelletur. Atque olim quidem avarus quispiam his verbis usus esse fertur : Fortunæ guttam malo, quam mentis dolium. Sed ei præclare sapiens quidam hoc opposuit : Mentis guttam pluris facio quam fortunæ dolium.*

Alludit S. Jacobus ad rotas currunm et ad laminas ferreas quæ ignitæ circumcirca rotis à fabris affiguntur, ut rotæ sint fortiores, et lapidibus, dum per eos rotantur? diutius resistant. Hisce enim laminis ignitis comparat linguam. q. d. Quod lamina ignita est in rota, hoc lingua est in rota vitæ : sicut enim lamina hæc ignitur in fornace ; ita lingua ignitur in fornace gehennæ : et sicut lamina ignita à fabris dum applicatur clavisque affigitur rotæ, undique vomit flammas,

videturque totam rotam igneam circumcirca inflammare; ita pariter lingua inflammat totam rotam vitæ nostræ. Ita ne lingua laudante dixit S. Aug. lib. 20. Confess. c. 37. *Quotidiana fornax nostra lingua humana.* Quid de petulanti, impudica, maledica, invida, rixosa dixisset?

Secundo, sicut rota in puncto tantum terram attingit; ita hominum vita res terrenas leviter tantum degustat : illæ enim mox rotantur et abeunt.

Tertio, sicut rota major rapit minorem sibi subditam et subalternam; ita rotatio cœli secum rapit et rotat rotam vitæ nostræ, ait Cajetan.

Quarto, quia instar rotæ velocissime ad metam et mortem decurrit. Vocatur autem *rota nativitatis*, quia ab ipsa nativitate ad mortem properamus, et instar rotæ currimus. Unde ex Isidor. Pelus. OEcum. Lingua, inquit, inflammat rotam nativitatis, contaminat vitam, dum temere ac petulanter movetur; unde ἐκταραχύνεται, id est *exacerbatur*, exasperatur, atque innumeris rerum varietatibus et ærumnis succumbit; vel, ut alii legunt, ἐκταχύνεται, id est, acceleratur vita nostra, sive tempus et finis vitæ nostræ. Simili metaphora Eccles. cap. 12. 6. dicit in morte conteri hydriam super fontem, et confringi rotam super cisternam. Ubi interpretes per *hydriam* accipiunt venas aut fel, per *fontem* jecur : aut per *hydriam* corpus, per *fontem* elementa, in quæ moriens homo abit et resolvitur : per *rotam* caput, per *cisternam* cor, ex quo caput haurit omnes spiritus vitales. Corde enim extincto, etiam cerebrum deficit et extinguitur. Hinc noster Serarius hic : *Rota*, ait, *est nativa quælibet perturbatio, qua tanquam rota, huc illuc rotamur et agitamur.*

Quinto, sicut rota rotando redit ad sui principium; sic vita nostra tum agendo, tum moriendo redit ad sui principia. Dum enim una actio finitur, incipit alia : sic labor laborem parit, et sæpe dum credimus eum finire, de novo idem inchoandus est, juxta Eccli. 18. v. 6. *Cum consummaverit homo, tunc incipiet.* Ita Lyran. Hinc veteres pinxerunt annum quasi serpentem actum in gyrum, qui gaudam ore mordet : quia ubi cauda et finis unius anni desinit, ibi os et principium alterius incipit.

Sexto, sicut in rota dum una pars deprimitur, adversa erigitur, sic in hac vita, dum hi deprimuntur, adversa erigitur, illi exaltantur; et vice versa. Hæc est rota fortunæ. Rotam hanc quisque continuo subit, ut nunc humilietur, nunc exaltetur, nunc rursum humilietur.

In hujus rei symbolum Archiepiscopus Moguntinus pro stemmate gerit rotam : cujus origo et auctor fuit Willigisus, qui cum ex carpentario et fabro rotarum creatus esset Archiepiscopus Moguntinus, rotam pro insigni sumpsit, ut perpetuo prioris suæ tenuis fortunæ memor, in humilitate se contineret, quod deinde successores ejus retinuerunt, uti narrat noster Serarius in Moguntia l. 4. pag. 723.

Simile est quod Glycas refert. lib. 4. Annal. de Sultano capto à rege Francorum, qui cum in vinculis nunquam risisset, visa rotatione currus in risum se effudit, rogatus causam, dixit rotationem hanc ei repræsentasse suam et rerum humanarum vicissitudinem; qua nunc hi, nunc illi, imo quisque nunc erigitur, nunc deprimitur : quocirca vinculis liberatus in Consiliariorum numerum à rege coaptatus est. Hoc est quod Boetius in seipso expertus, de rota fortunæ ait l. 2. de Consol. prosa 1. *Hac nostra vis est, hunc continuo ludum ludimus : rotam volubili orbe versamus, infima summis, summa infimis mutare gaudemus. Ascende si placet : sed ea lege ne utique, cum ludicri mei ratio poscet, descendere injuriam putes.*

Sic et Theodorus prisci medicus apud Nicephor. l. 18. 29. recitat quemdam regem, Sesostris regis junctum currui, rotarum ejus continuas volutiones spectantem, et his vitam nostram comparantem, se suosque in libertatem asseruisse. Sesostris enim quatuor reges devictos instar equorum currum suum trahere jusserat; sed hac unius sapienti oratione flexus illos hoc jugo exolvit. Vere Pythagoras apud Diogenem Laertium l. 8. ait vitam humanam similem esse foro et nundinis, ad quas dum alii veniunt, alii revertuntur, alii venditurі, alii empturi, alii spectaturi.

Porro cætera vitia certa m ætatis et vitæ partem occupant, ut gula puericiam, libido juventutem, ambitio virilem ætatem, etc. omniaque fere cum homine senescunt et emoriuntur : solum linguæ vitium omnem vitam occupat, ut ait hic S. Jacobus, et in senio perdurat. Senum enim propria est loquacitas, qua narrant omnia per totam vitam à se gesta, visa et audita, quare putant se sapere suumque esse loqui, esse juvenum vero tacere, audire aut discere. Inter omnia autem linguæ vitia nocentissimum, ac perpetuum, et quasi per omnem vitam perennans est detractio. Hæc inflammat totam rotam et cursum ætatis nostræ, ac denigrat et maculat alienæ. Hæc est quæ turbat domos, urbes et regna : hæc est quæ concitat odia, lites, rixas immortales, et bella internecina. Hæc est quæ ubique grassatur et dominatur : unde quidam eam comparat lingulæ chalybeæ sclopeti, quæ collisione ad rotulam ignem elicit, qui sulphureum pulverem inflammans glandem plumbeam ejaculatur, qua instar fulminis illico quemlibet percutit et occidit, sed perperam censet S. Jacobum de ea loqui : hæc enim non est rota nativitatis, nec cognita ætate S. Jacobi, sed nuperrimum inventum Germani anonymi, qui illud primo ostendit Venetis in bello contra Genuenses anno Domini 1330. uti narrat Polydor. Virgil. lib. 2. de Inventor. rerum cap. 11.

Hanc Ecclesiasticus cap. 28. 16. vocat *linguam tertiam*, quia discordiam serit inter duos, et quia detrahit tertio absenti. Alii *tertiam*, exponunt trisulcam, quia instar tridentis et gladii tricipitis, ac fulminis trisulci tres uno ictu serit et conficit, nimirum detrahentem, audientem et absentem cui detrahitur, uti notat S. Bernard. sermon. de Triplici custodia, manus, linguæ et cordis. Sed audiamus utrumque : *Lingua tertia*, ait Ecclesiast. *multos commovit, et dispersit illos de gente in gentem : civitates muratas divitum destruxit, et domos magnatorum effodit : virtutes populorum concidit, et gentes sortes dissolvit : lingua tertia mulieres viratas* (græce ἀνδρείας, id est, *viriles, viragines*) *ejecit, et privavit illas laboribus suis. Qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum in quo requiescat. Flagelli plaga livorem facit : plaga autem linguæ comminuet ossa. Multi ceciderunt in ore gladii, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam. Beatus qui tectus est à lingua ne-*

quam, qui in iracundiam illius non transivit, et qui non attraxit jugum illius, et in vinculis ejus non est ligatus, jugum enim illius, jugum ferreum est; et vinculum illius, vinculum æreum est. Mors illius, mors nequissima: et utilis potius infernus, quam illa. q. d. Satius est mori et ire ad inferos statumque defunctorum, puta ad limbum quam pati vexationes linguæ tertiæ, puta detractoris.

S. Bernardi verba sunt: *Numquid non vipera est lingua ista? Ferocissima plane, nimirum quæ tam lethaliter tres inficiat flatu uno. Numquid non lancea est ista lingua? Profecto, et acutissima, quæ tres penetrat ictu uno. Lingua,* inquit Psaltes, *eorum gladius acutus. Gladius equidem anceps, imo triceps est lingua detractoris. Nec vero ejusmodi linguam ipso etiam mucrone, quo Dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoque Christi corpus, et membrum de membro, ne jam exanime fodit: sed facit exanime fodiendo: ipsis quoque nocentior est spinis, quas illo tam sublimi capiti furor militaris imposuit: sex etiam clavis ferreis, quos sanctissimis manibus illis et pedibus consummatio judaicæ iniquitatis infixit. Nisi enim hujus quod nunc pungitur et transfodituris corporis sui vitam illius vitæ corporis prætulisset, nunquam illud pro isto mortis injuriæ, crucis ignominiæ tradidisset. Et dicimus: Levis res sermo, tenera, mollis et exigua caro, lingua hominis: quis sapiens magni pendat? levi quidem res sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat leviter transit, sed graviter urit; leviter penetrat animum, sed non leviter exit: profertur leviter, sed non leviter revocatur: facile volat, atque ideo facile violat charitatem. Vilis res est musca moriens, sed exterminat oleum suavitatis. Tenerum membrum lingua, attamen vix teneri potest substantia quidem infirmum atque exiguum; sed usu magnum et validum invenitur. Modicum membrum est; sed nisi caveas, magnum malum.* Denique noster Augustin. Quiros hic nove, sed ingeniose et apposite hanc rotam explicat. Arbitror, inquit, hic rotam sumi metaphorice pro acerbissimo illo antiquissimoque cruciatu, quem trochon Græci, rotam Latini nominarunt: cujus supplicii mentio fit Proverbior. c. 20. 26. *Et incurvat super eos fornicem:* ubi in Hebraico textu et in editione Septuag. legimus: *Et immittet illis rotam,* græce Trochon: observatque ibi Vatablus, genus fuisse supplicii usitatum apud Hebræos. Et vero in eo supplicio non solum distentis laxatisque membris homines atrocissime excarnificabantur, sed urebantur etiam admotis flammis, ut aperte constat ex Josepho in lib. de Machabæis, cujus hæc sunt verba: *Ut erat affixus rotæ, igni in catasta objicitur: atque ita tendentibus corpus radiis, et contrahentibus flammis, et costis deinde patentibus, laterum vitalia rumpuntur.* Et ex Apuleio lib. 3. de Asino aureo: *Nec mora, ignis et rota: tum omne flagrorum genus inferuntur.* Ab hoc supplicii genere vocitatos affirmat Christianos per irrisionem sarmentitios. Tertullianus in Apologetico capite 50. *Quia ad stipitem,* inquit, *dimidii axis revincti, sarmentorum ambitu exurimur.* Tractant de hoc supplicio Baronius in martyrologio die 23. Aprilis, Pontanus in lib. Æneidos col. 1. 1485. Turnebus lib. 7. Adversarior. cap. 16. Omnium vero ut novissime, ita accuratissime noster Cerda in l. 6. Æneid. vers. 616. num. 10. Bisciola tom. 2. Horarum subcisivarum lib. 12. cap. 9. *Rotam* itaque *nativitatis* explico per metaphoram, supplicium naturæ nostræ: nam etiam Plautus metaphorice usus est et vocabulo et supplicio Rotæ, in Cistellaria Actu 2. scena 1. *factor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rota miser.* Eodem gignendi casu usus est Jacobus cap. 1. v. 23. cum faciem nativam appellavit *vultum nativitatis.* Quod autem supplicium atrocius, quis carnifex naturæ nostræ truculentior excogitari potest, quam impotentes animi perturbationes? Eæ nativæ cum sint, id est, ipsa ab natura ingenitæ, ubi modum intemperanter excedunt, hominem miserrime et acerbissime torquent: ut merito rota nativitatis, hoc est nativus cruciatus, nominentur. Subolluit hæc explicatio sagacissimo ingenio Serarii nostri, dum ait in Commentario hujus loci: *Vel rota est nativa quælibet perturbatio, qua tanquam rota huc illuc rotamur et agitamur.* Hæc ipse.

Vita ergo nostra est rota, non quælibet, sed torquens et discrucians, adeoque ipsa est tormentum rotæ, quia non est aliud, quam continua rotatio laborum, morborum, dolorum, anxietatum, perturbationum; curarum, timorum, cupiditatum, miseriarum et malorum omnium, quæ hominem continue, sed varie rotant, lacerant, discerpunt, excerebrant: huic vero tormento rotæ aliud, ignis scilicet, addit lingua petulans, dum hominum tot malis rotatum instar ignis urit, cruciat, consumit: perinde ac tormentum rotæ erat; quo corpus ut rotæ aptaretur, debebat necessario frangi, exossari, exvertebrari. Deinde corpus sic rotæ illigatum et pendens rotabatur in gyrum, idque velocissime et conversim, ut jam in unam partem versaretur, jam in contrariam mutato motu: quo fiebat, ut viscera et membra omnia miserum in modum jactarentur et divelleren tur, juxta illud Senecæ in Hercule Furente:

Rapitur volucri tortus Ixion rota.

Et Statius 8. Theb.

Ixione frango
Vorticibus.

Denique non raro homini sic rotæ affixo subjiciebatur ignis, uti factum esse Machabæis testatur Josephus in eorum vita. Talis est ei rota vitæ nostræ, ab igne linguæ succensa.

INFLAMMATA A GEHENNA.] Cajet. vertit active *inflammat sub gehenna.* q. d. Lingua inflammat rotam nativitatis nostræ, id est, vitam præsentem quoad culpam, sed futuram, quoad pœnam: in gehenna enim et sub gehenna, puta supposita et subjecta igni gehennæ, rota ardens et sulphurea inflammabit hominem, qui lingua tota vita abusus est, per omnem æternitatem. Sic dives Epulo in gehenna cruciabatur in lingua, qua delicate vivens spreverat Lazarum: unde petebat eum ad se mitti, ut injecta frigida mitigaret incendia linguæ, Lucæ 16.

Verum passive vertendum est *inflammata,* uti vertit noster et alii passim: passivum enim est est Græcum φλογιζομένη, appositum activo φλογιζούσα, quod dixit de rota nativitatis. q. d. Lingua adeo est exitialis, adeo omnia adurit, adeo inflammat rotam totius vitæ nostræ, ut videatur conflata in fornace gehennæ, ibique igne tartareo inflammata inflammare rotam et cursum totius vitæ cujusque, ac consequenter totius Universi: sicuti Poetæ finxerunt furias accensis ex Erebo facibus totum mundum inflammare, est cata-

chresis : non enim vere et proprie lingua maledica inflammatur à gehenna, sed per similitudinem; quia scilicet tam maledica et tam pestilens urensque est, ut videatur non terreno, sed infernali igne succensa. In inferno enim damnati ex desperatione lingua ignita et furibunda maledicunt Deo, Sanctis, ac creaturis omnibus. Simili tropo dicimus : Hæc tyranni superbia, hæc ira, hæc invidia tanta est, ut non videatur humana, sed infernalis et diabolica.

Adde, linguam dici inflammari à gehenna per metonymiam, quia scilicet inflammatur à diabolo, qui est rex et præses gehennæ. Sicut ergo Sancti, præsertim doctores et prædicatores, loquuntur lingua angelorum, imo evangeli per linguam loquuntur : ita ex adverso perversi, præsertim doctores, ut hæretici, schismatici, susurrones, seminantes rixas et bella, docentes obscœna, famam alienam mordentes, etc., loquuntur lingua dæmonum, imo dæmones per eorum ora et linguas loquuntur. Unde hæresiarchas omnes suas hæreses didicisse à doctore diabolo docet S. Aug. l. 2. de Genesi contra Manich. c. 25. et 26. Irenæus lib. 5. c. 23. S. Athanas. orat contra Arrianos. Imo ipsos habuisse dæmones paredros, id est assessores et familiares, tradit Irenæus lib. 1. c. 9. et lib. 2. c. 57. Eosdem habuisse Berengarium, Lutherum, Calvinum, Zuinglium, ostendi 1. Timoth. 4. 1. Hoc est quod ait Job. c. 41. 12. de Behemot, id est elephante, qui est typus diaboli : *Halitus ejus prunas ardere facit, et flamma de ore ejus egreditur.* Et S. Joan. Apoc. c. 9. 17. *Vidi equos in visione, et qui sedebant super eos habebant loricas igneas, et hyacinthinas, et sulphureas, et capita equorum erant tanquam capita leonum, et de ore eorum procedit ignis, et fumus, et sulphur.* Vide ibi dicta. Concludat S. Chrysost. homil. ad baptizandos, tomo 5. *Undique*, ait, *nobis insidias dæmon præparare consuevit; sed facilius lingua et ore peccante : nullum enim æque congruum illi organum in ministerium est interitus atque peccati.*

Denique gehenna est proprius locus ignis et incendiorum, eorumque quasi fons, imo oceanus et barathrum : ardent enim damnati ut omni culpa et scelere; ita et omni pœna et igne: quocirca sicut Ætna, Vesuvius, Hecla, similesque montes qui ignes evomunt, dicuntur à multis inflammari ab igne inferni, ejusque esse quasi os, camini et spiracula : ita et lingua quæ ardores litium, bellorum, incendiorum, omniumque scelerum et malorum tam culpæ quam pœnæ suscitat, dicitur inflammari à gehenna, quasi illa in vicinam sibi superpositam terram eos exhalet, per catachresim, qua res quasque suis assignamus locis, quibus abundant. Sic flumina omnia dicuntur oriri à mari, Eccles. 1. 7. quia mare aquis abundat. Igitur sicut faber lignarius, vel carpentarius contundendis cædendisque lignis et lapidibus præparans malleum, eumdem prius ad ignitam mittit incudem, ut ibi aptetur et exacuatur: ita maledicus homo, impetu furens, odiisque armatus ad incudem inferni, ad cacodæmones gehennæ malleatores suam mittit linguam, ut furiali quodam splendescat acumine, quod deinde mores hominum confundat, honorem, famam, vitamque prorsus comminuat, discindat, lacerat; quin et cædes, rapinas, incendia domorum, urbium et regnorum suscitet, acuat, inflammet.

Gehenna.] Ita per crasin dicitur hebraice *geben ennom*, id est, *vallis filii Ennom*, quæ erat juxta Jerusalem, in qua parentes cremabant filios idolo Moloch, et ne eos ejulantes audirent, pulsabant *toph*, id est, *tympanum;* unde locus dictus est Tophet. Ibidem cæsa sunt ab angelo occulto ardore et igne 185. millia militum Sennacherib : unde ob similem crudelitatem, stragem et incendia infernus dictus est Gehenna et Tophet, uti dixi Isaiæ 32. 33. et Jerem. cap. 7. 31. et cap. 19. 2.

Denique totam hanc Jacobi sententiam egregie pertractat Gilbertus Abbas in Appendice ad Cantic. sancti Bernardi serm. 24. dicitque : *Jacobus ait: Lingua modicum membrum inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata et ipsa à gehenna. Quomodo potest bene inflammare lingua tam pessime inflammata? vitiatæ nativitatis mobilis corruptela per se nimis rotatur ad malum, et volubilitate propria fertur in præceps. Et quid necesse est inflammari rotam hanc, quæ firmari non potest, sed per se fertur in malum? Denique diligenter appositum est cor hominis in malum ab adolescentia sua. A prima nativitate impulsa nescit cursum inflectere, et tu illam lingua prava impellis amplius et inflammas? lingua prava iracundiæ et indignationis occasiones requirit, injurias vel falsas simulat, vel veras exaggerat, quas debuerat dissimulare : ad offensam officia etiam interpretatur, et venenati sermonis scintillas adhibet ad commovendum cor suum. Quid lingua nequam cordi tuo talem adhibes flammam? sufficiat illi flamma sua, sufficiat illi concupiscentiæ ardor carnalis, et levitatis calor innatæ, quibus cor tuum ac si volubilis rota impellitur. Deinde ejus originem et terminum recenset. Hanc tibi flammam nativitas prima ingenuit, sed renascendi gratia restringit. Noli ignem igni adhibere, et concupiscentiæ addere malitiam : ignem hunc quem evomis, hauris de gehenna : inde incipit, et illo rapit : Lingua*, inquit, *inflammata à gehenna. Lingua hæc mala coccinea est, sed vitta non est. Non enim ligat, sed dissipat. Male succendit, quia succidit unita, quia dissidii verba scintillat, et flamma talis de inferis est : nam flamma, quæ desursum est, pudica est, pacificata est, bonis consentiens, et bonos faciens. Verbum enim dulce et multiplicat amicos, et mitigat inimicos. Quasi flammam flamma consumit, inferiorem superior, infernalem cœlestis; dum sapiens et suave verbum vincit malignum, et dulce durum emollit, et ideo dicit: Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce. Non enim decent sponsam nisi verba dulcia, verba amoris, verba quæ delicati funiculi vice, fungantur, verba quæ sponsum irretiant, et trahant vinculis charitatis. Felix anima, quæ hujus novit dulcium verborum nectere retia; quibus Jesum illaqueet, alliget Verbum Patris, animi affectibus vel affatibus Christum includat, amatorio deliniat sermone et delectet, ut ejus eloquium dulce sit ei qui habet verba vitæ æternæ, et est Verbum æternum, quod cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

7. Omnis enim natura bestiarum.] S. Jacobus, ut ostendat quantam vim et efficaciam habeat lingua, ac proinde quanta ei sit adhibenda cura, primo comparavit eam fræno equi, secundo gubernaculo navis, tertio igni modico silvam incendenti. Unde Quarto, hic comparat eamdem bestiis ferocissimis, atque iis magis efferam et indomitam : idque apposite ad etymon linguæ in Hebræo : lingua enim hebraice dicitur לשון

lascon, quod videtur esse diminutivum à לוש *lais*, id est, *leo* : (sicut ab איש *is*, id est *vir*, dicitur אישון *iscon*, id est, *viunculus* et *pupilla oculi* : in ea enim apparet *viunculus*.) Unde *lascon*, id est *lingua*, idem est quod leunculus, parvus leo; quia sicut leo sævus est et fortissimus animalium, ac bestiarum omnium Rex; ita et lingua sævissima, et fortissima est, omniumque princeps et domina. Rursum sicut leo latet in spelunca, ex eaque in prædam à se visam improvisus insilit; ita lingua latet in ore quasi in insidiis, ex eoque obvios quosque et ignaros invadit. Porro *lais*, id est *leo*, dicitur à לוש *las*, id est *subegit*, eo quod prædam subigat, omnesque feras sibi subjiciat. Unde alii *lascon*, id est *linguam*, derivant per metathesin à נשל *nascal*, id est *detraxit, dejecit* : utrobique enim eædem prorsus sunt litteræ, sed transpositæ : *lascon* enim *nascal*, id est, *lingua* omnia detrahit, dejicit, subigit et sternit quasi leo. Porro ab Hebræo *lascon* nonnulli deducunt Græcum γλῶσσα, id est *lingua*, addito γ et à γλωσσα deducunt Latinum *gloria*, quasi *glosia* : lingua enim est quæ gloriatur, ipsaque unicum gloriationis et jactantiæ est instrumentum. Simili modo nonnulli linguam Latine dictam volunt à ligando, quod ipsa quasi indomita fera et leo, dentium et labiorum septis, tanquam muris vallata ac ligata sit. Hinc de lingua maledica ait Eccles. cap. 28. vers. 27. *immittetur in illos* (injustos et impios) *quasi leo, quasi pardus lædet illos.* Ipsa est ergo quasi leopardus, sævior leone et pardo, utpote qui utriusque sævitiam exsuxit, et in se conjunxit. Hinc et illud Proverb. 20. 2. *Sicut rugitus leonis, ita et terror*, puta lingua, et terrifica, *regis : qui provocat eam, peccat in animam suam.* q. d. Animæ, id est vitæ suæ, creat periculum. Et Isaiæ 5. 29. de Nabuchodonosor : *Rugitus ejus ut leonis, rugiet ut catuli leonum.* Simile est Ezech. 19. v. 7. Zachar. 11. 3.

Nota. In statu innocentiæ, et integræ naturæ, in quali conditus fuit Adam, positusque in paradiso, omnia animalia, etiam feræ, homini obediebant ad nutum. Unde singula venerunt ad Adam, quasi servi ad dominum, ab eoque singula nomen acceperunt. Genes, 2. 19. Id fiebat per instinctum obediendi homini, quem eis indebat Deus per angelos : per talem enim instinctum canes, equi, asini, muli et boves parent homini, et catuli ferarum parent matribus feris. Hunc instinctum perdiderunt bestiæ, peccante Adamo, qui proinde jus herile et dominium in eas per peccatum amisit. Sancti tamen eminentes, qui proxime accesserunt ad primævam innocentiam, hoc dominium recuperarunt, ut S. Paulus, S. Antonius, S. Franciscus. Cæteri homines longo usu, arte et industria similem instinctum feris indunt, itaque eas aliquo modo domant et cicurant.

Primo, ergo feras quaslibet domari ab homine, multis docetur exemplis. Experientia constat, et docet Plinius lib. 8. c. 16. hac arte domari et vinci leones, etiam furentes et irruentes, si quis in caput eorum pallium aut vestem objiciat, qua oculi eorum velentur : *quia omnis vis et feritas consistit in oculis.* Addit Plinius : *Jugo subdidit eos, primusque Romæ ad currum junxit M. Antonius, et quidem civili bello, cum dimicatum esset in Pharsalicis campis. Primus autem hominum leonem manu tractare ausus, et ostendere mansuefactum Hanno è clarissimis Pœnorum traditur, damnatusque illo argumento, quoniam nihil non persuasurus vir tam artificis ingenii videbatur; et male credi libertas ei, cui in tantum cessisset etiam feritas. Mentor Syracusanus in Syria leone obvio suppliciter volutante, attonitus pavore, cum refugienti undique fera opponeret sese, et vestigia lamberet adulanti similis, animadvertit in pede ejus tumorem vulnusque, et extracto surculo liberavit cruciatu.*

Simile est, quod de leone obediente Androdo, ob spinam è pede sibi ab eo exemptam, recitavi Isaiæ 1. 3. Et tale subdit Plinius de Elpide Samio, ac cap. 17. de Democrito Physico, qui pantheræ blandienti catulos è fovea eximens, *ab ea læta et gestiente usque ultra solitudines deductus est, ut facile appareret gratiam referre.* Subdit de infantibus ferarum lacte nutritis, cum essent expositi, uti Romulus et Remus à lupa. Ælianus lib. 15. cap. 14. narrat Indos suo regi offerre cicures tigrides, pardos et oryges quadricornes. Paulus Venetus in Historia Tartarorum narrat magnum eorum Cham cicuratos habere leones, tigrides, pardos, ursus, etc., quibus in venatione se oblectet, veneturque ejusdem speciei feras. Rhinocerotes cicuratos Domitiano Imper. Romam advectos narrant Sueton. et alii. De elephantum docilitate stupenda, quæ fidem videntur excedere, ex Æliano, Plinio Oppiano, Aristotele, et aliis recenset Lipsius centuria 1. epist. 50. Denique bestiarii, sive præfecti bestiarum Romæ alebant et regebant leones, tigrides, pardos, ursos, omnesque feras, quas è caveis in amphitheatrum ad pugnas et spectacula educebant et reducebant.

Jacobus ergo comparans linguam cum bestiis, innuit in ea quid esse irrationale, stultum et bestiale, ideoque indomitum. Ita Philosophi censent loquacitatem signum esse parvi cerebri, et judicii, adeoque stultitiæ. Unde Solon cuidam dicenti, illum ideo non loqui, quia insanus esset : *Nullus*, inquit, *stultus tacere potest.* Theocritus audiens initium orationis Anaximenis : *Incipit*, inquit, *verborum flumen, mentis gutta;* significans illum esse multiloquum, sed parum sapientem. Ita Stobæus serm. 34. Alfonsus, Aragonum Rex, teste Panormitano in ejus Gestis lib. 4. homines ad loquendum turgidos et quasi distentos vocabat utres et vesicas : turgent enim, donec ea eructent. Quare prudenter Æneas Silvius lib. 1. de Gestis ejusdem Alfonsi ait : *Sapientius esse agere quam fari* : numquam enim, nisi cum necessitas postulat, sapiens loquitur : neque vana, sed ponderata profert. Stulto autem nullum est tempus sermoni clausum; sed quovis loco et tempore quidquid in buccam venerit, effutit.

Secundo, volucres quaslibet ab homine domari, puta falcones, aquilas, accipitres, merulas, graculos, luscinias, etc., patet experientia : quin et multæ earum humanum sermonem addiscunt tam Græcum, quam Latinum : uti de sturno et lusciniis Cæsarum narrat Plinius lib. 10. cap. 42. Idem de perdice affirmat Plutarch. in Symposiis. De psittacis res clara est. Idem de picis certi generis asserit Plinius loco citato. *Adamant*, inquit, *verba quæ loquantur; nec discunt tantum; sed diligunt, meditantesque intra semet cura atque cogitatione intentionem non occultant. Constat emori victas difficultate verbi, ac nisi subinde eadem audiant, memoria fallit quærentes; mirum in modum hilarari, si interim audierint id verbum.*

Lepida sunt quæ narrat Macrobius lib. 2. Saturn. cap. 10. in fine, de corvis Augustum salutantibus: *Ave, Cæsar, victor, imperator*, quos viginti millibus nummorum emit. Simile lucrum aucupans, sutor *corvum instituit ad parem salutationem. Hac audita dum transit Augustus, respondit : Satis domi salutatorum talium habeo. Superfuit corvo memoria, ut et illa quibus quærentem dominum solebat audire, subtexeret : Opera et impensa periit. Ad quod Cæsar risit, emique avem jussit, quanti nullam adhuc emerat.* Subdit de graculo, qui Cæsari solebat porrigere honorificum epigramma, ac simile submissum à Cæsare legendo laudavit, admirans tam voce quam vultu, et Cæsari paucos denarios dedit, adjecto hoc sermone : *Non secundum fortunam tuam, Auguste; si plus haberem, plus darem.* Quare August. sestertia centum millia graculo numerari jussit. Verum pro graculo legendum est Græculo, puta homine Græco, ut patet ex narrationis serie, et ex emendatis Macrobii codicibus.

Tertio, serpentes domari patet ex Plinio lib. 8. cap. 7. qui *thoantem in Arcadia servatum à dracone narrat. Eum nutrierat puer, dilectum admodum, pavensque serpentis naturam et magnitudinem metuens in solitudines tulerat; in quibus circumvento latronum insidiis, agnitoque voce, subvenit.* Idem lib. 10. c. 74. narrat de aspide rem miram : *Ipsam* (enim) *cum ad mensam cujusdam in Ægypto veniens aleretur assidue, enixam catulos; quorum ab uno filium hospitis interemptum; illam reversam ad consuetudinem cibi intellexisse culpam, et necem intulisse catulo, nec postea in tectum id reversam.* Psyllos et Marsos domare serpentes tradit Plinius, et alii, licet nonnulli viri sapientes censeant eos esse incantatores. Crocodilos mansuescere tradit Ælianus lib. 8. cap. 4. addunt alii Tondyritas eis inequitare, qui et addit murenam piscem agnovisse vocem Crassi Romani, et ab eo alitam et dilectam adeo, ut in ejus morte luxerit. De delphini in homines amore et obsequio mira narrat Plinius lib 9. c. 8. nimirum quod ipse puerum à quo alebatur, in dorsum receptum, *Puteolos per magnum æquor in ludum ferebat : simili modo revehens pluribus annis, donec morbo extincto puero, subinde ad consuetum locum ventitans tristis et mœrenti similis ipse quoque desiderio expiravit.* Et infra : *Quæ faciunt ut credatur, Arionem quoque citharœdicæ artis interficere nautis in mari parantibus, ad intercipiendos ejus quæstus, ebtanditum, ut prius caneret cithara; congregatis canta delphinis cum se jecisset in mare, exceptum ab uno Tænarum in littus pervectum.* Subdit delphinos evocatos à piscatoribus accurrere, et cogere mugiles in eorum retia. Quid ad hæc homines indociles, loquaces et indomiti? utique eis dociliores sunt delphini et bestiæ, magisque domari et regi se sinunt.

Et cæterorum] animalium. Ita Romana : legit Interpres τῶν ἀλλων, id est *aliorum;* vel ἐναλλων, id est *variorum :* jam legunt ἐναλίων, id est *marinorum :* ita Syrus. Unde nonnulli pro *cæterorum* censent legendum *cetorum.* Ita Cajetanus, Clarius, Salmeron, Gagneius, Cathar. et alii. Cetorum enim variæ sunt species, quas recenset Rondeletius et Aldrovand. lib. de Piscibus. Maxima est balæna, quam domat, imo regit pisciculus, cui nomen musculus. Hic eam ducit et præit, ejusque est quasi oculus, dux et monitor, indicans vada et pericula quæ cavere debeat, cibum ostentans, ceteraque omnia præsentiens et præmonens : unde eo moriente moritur pariter balæna, teste Ælian lib. 2. cap. 13. et aliis. Verum τὸ *cetorum* non respondet Græco ἐναλίων, id est *marinorum :* innumera enim sunt genera animalium marinorum, è quibus unum duntaxat est cetus.

Domantur,] non ait, Cicurantur, quia aliquæ bestiæ adeo feræ sunt, ut plane cicurari nequeant; sed *domantur*, ut scilicet eorum feritas compescatur et refrænetur. Domantur autem multæ pastu; illi enim à quo pascuntur, obsequuntur : aliæ frænis et capistris; aliæ flagellis et verberibus; aliæ per res quas metuunt, ut leones terrentur flammis, rotis et voce galli gallinacei; aliæ fame et inedia. Unde illud : *Quis docuit psittacum suum χαίρε? fames.* Aliæ per animalia sibi inimica. Sic inquit Plinius lib. 10. c. 74. *Dissident olores et aquilæ, corvus et milvus, cornices et noctuæ, mustela et corniæ, turtur et pyralis, anates et graviæ, sorices et ardeolæ, ægithus minima avis cum asino, vulpes et Nili angues, mustelæ et sues: dissident thoes et leones, et minima æque ac maxima.*

8. Linguam autem nullus hominum domare potest.] Œcum. legit interrogative, q. d. Feræ domantur, cur lingua ab homine domari non possit? omnino potest : humanior enim et docilior est, quam feræ. Abutebantur hac lectione et expositione Pelagiani, ut probarent gratiam Dei non esse necessariam, sed hominem suis et naturæ viribus posse refrænare omnes tam linguæ, quam animæ passiones et concupiscentias. Verum perperam : nam cæteri Græci et Latini legunt assertive, non interrogative. Sequitur enim, *Inquietum malum, plena veneno mortifero.* Ita S. Augustin. de Nat. et gratia c. 15. Idem serm. 4. de verbis Domini secundum Mat. *Homo*, ait, *domat feram, non domat linguam; domat leonem, et non refrænat sermonem; domat ipse, et non domat seipsum; domat quod timebat, et ut se domet, non timet quod timere debebat.* Et mox : *Ergo intelligamus, charissimi, quia si linguam nullus hominum domare potest, ad Deum confugiendum est, qui domet linguam nostram. Si enim tu eam domare volueris, non potes, quia homo es : linguam nullus hominum domare potest.* Sic Christus Matt. 19. 24. ait tam impossibile esse divitem salvari, quam impossibile est camelum transire per foramen acus. Mirantibus discipulis ac dicentibus : *Quis ergo poterit salvus esse?* respondit seque explicavit Christus, dicens : *Apud hominem hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* q. d. Non hominis, sed Dei virtute ac gratia potest dives salvari, æque ac camelus per foramen acus transire. Pergit S. August. *Attendite similitudinem ab ipsis bestiis quas domamus. Equus non se domat, camelus non se domat, aspis non se domat, leo non se domat, et sic homo non se domat. Sed ut dometur equus, bos, camelus, elephantus, leo, aspis, quæritur homo. Ergo Deus quæratur ut dometur homo : ergo, Domine, refugium tu factus es nobis,* etc. *Quid ergo, fratres mei, dubitare debemus, quia mansuetos nos faciet Dominus, si nos domandos ei præbeamus? Domuisti leonem quem non fecisti, non domat te qui fecit te?* etc. *Imago Dei domat feram, et non domat Deus imaginem suam.*

Subdit modum domandi Dei, scilicet tribulationes. *In illo*, ait, *spem nostram ponamus, et donec domemur et perdomemur, id est perficiamur, domitorem feramus. Plerumque enim profert do-*

mitor noster etiam flagella. Si enim tu ad domanda jumenta (id est, adjumenta infirmitatis tuæ) tua, profers virgam, profers flagellum; Deus non profert ad domanda jumenta sua, quod sumus nos, qui de jumentis suis faciet filios suos? Et paulo post dat stimulum præmii: *Domito tibi Deus hereditatem servat, quod est ipse Deus: et constituet te cum angelis in æternum, ubi jam non indigeas domari, sed tantummodo à piissimo possideri. Erit enim tunc Deus omnia in omnibus: nec erit ulla infelicitas qua nos exerceat, sed felicitas sola quæ pascat.* Subdit exemplum filii quem castigat et erudit pater, ut eum bonorum omnium relinquat heredem: *Deus autem tuus redemptor tuus, castigator tuus, pater tuus erudit te. Quo? ut accipias hereditatem, ubi non efferas patrem, sed hereditatem habeas ipsum patrem. Ad hanc spem eruditis et murmuras, et si quid triste acciderit, fortasse blasphemas? Nonne melius est, ut flagellet te et recipiat te, quam parcat tibi et deserat te?* Unde concludit: *Dicamus ergo: A te non recedemus, cum liberaveris nos ab omnibus malis nostris, et impleveris nos bonis tuis. Bona das, blandiris, ne fatigemur in via. Corripis, cædis, percutis, dirigis ne aberremus à via: sive ergo blandiris, ne fatigemur in via: sive castiges, ne aberremus à via, Domine, refugium tu factus es nobis.* Hoc est quod ait Sapiens Proverb. 16. vers. 1. *Hominis est animam præparare, et Domini gubernare linguam.* Nam, ut ait Ecclesiast. cap. 19. vers. 17. *Quis est qui non deliquerit in lingua sua?* adeo ut et S. Job. ita laudatus à Deo dicat cap. 42. 3. *Insipienter locutus sum, et quæ ultra modum excederunt scientiam meam.* Tanta enim est linguæ cupido et pruritus ad loquendum, quanta est ejus qui hausit venenum ut illud evomat; quanta est musti bullientis et diffringentis lagenas; quanta est mulieris gravidæ ad pariendum; quanta est vulnerati ut sagitta eximatur. Audi Ecclesiast. cap. 19. 10. *Audisti,* ait, *verbum adversus proximum tuum? commoriatur in te, fidens quoniam non te disrumpet. A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis. Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti.* Unde Eliæ Job. 32. 18. *Plenus sum,* inquit, *sermonibus, et coarctat me spiritus uteri mei. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit.* Hinc lingua à Nazianzeno tractatu de silentio vocatur ἀδάμαστος, id est *indomabilis*, ἀχάλινος; id est *effrænis;* ἀθέσμος, id est *exlex*, quia scilicet frænari non potest à natura, sed à gratia; non ab homine, sed à Deo. Rursum quia cum gratia communi et ordinaria nemo, id est, pauci et vix ullus, ita eam frænare potest, quin aliquando exorbitet, et frænum excutiens instar effrænis equi huc illucque discurrat, et in aliorum noxam grassetur. Unde Nazianzenus loco citato, ait se jejuniis, vigiliis, ciliciis, humi cubatione domuisse gulam, libidinem, iram, etc., sed non linguam.

> Namque mihi, *ait*, effrænis lingua est et garrula : per quam
> Livor me innumeris afficit usque malis.

Verum loqui videtur de lingua non sua, sed invidorum sibi detrahentium, seque exagitantium.

Præclare hanc Jacobi sententiam pertractat B. Petrus Damiani lib. 2. epistol. 18. ad Cardinal. additque Religiosis per cætera fere securis à sola lingua esse periculum damnationis (quod et alii viri sapientes olim asseruerunt, et etiamnum asserunt.) *Fateor,* ait, *fratres mei, nihil fere in monasteriis agitur, unde mens mea terribilius super monachos imminere Dei judicium suspicetur: nam continuo meatus impulsu, quasi torrens per decliva devexa procedens eorum lingua decurrit: et cum tintinnabulum sonat, sic illis est, tanquam si de repentino protinus ictu eorum caput illidat. Quod tamen de quibusdam, absit autem ut de omnibus dicam,* etc. *Omnibus horis laborandi, ac legendi, studium quidam postponentes, abuntur in fabulis, et quidquid laboribus ac lectionibus debent, totum vaniloquis sermonibus exhibent.* Et mox citato Proverb. 18. *Mors et vita in manu linguæ: Quam inhonestum est,* ait, *ut in hoc munere, quo creaturis omnibus homo præponitur, ipse largitor ab homine frequentius offendatur! Et cum naturis reliquis homo præsideat, easque suæ ditionis legibus subdat, quanti pudoris est, ut carunculam tenuem quam intra fauces includit, edomare non possit! Unde et Jacobus dicit: Omnis natura bestiarum et volucrum domabilis est, linguam autem nullus hominum domare potest. Nullius quippe fræna doctoris coercere valent linguam se cohibere nolentis,* (est hæc ejus nova et tertia hujus loci S. Jacobi expositio) *alioqui si pulsat et nititur, quod optat procul dubio consequetur.* Et inferius: *Serpentes sunt de quibus dictum est: Venenum aspidum sub labiis eorum. Ubi, ergo supervacuis vacatur ineptiis, et quasi symbola congeruntur verbis otiosis, apud intrinsecus auscultantem non sermones hominum, sed quasi multigena decernitur vociferatio bestiarum. Ipse nimirum est, de quo in Canticis cap. 2. dicitur: Dilectus meus respicit per fenestram, respicit per cancellos. Et ipse per Prophetam* (Jerem. 8.) *Attendi,* ait, *et auscultavi; nemo quod bonum est loquitur. Sed ut noster sermo ab ea quam semel cœpit materia non recedat, et loquentium vitia per non loquentium animalium prosequatur exempla, nunquam fauces hydrus ingreditur, nisi cum crocodilus oscitans invenitur: nam si clausum os teneat, insidiantis impetum non formidat. Authalopus cum exclamat, ad suum ignarus interitum, gladios venatoris invitat; qui donec obticuit, persequentis industriam fugacis cursus opinione delusit. Atque ut hoc inferam, quod cancer ostreo, facit plerumque diabolus monacho,* etc. *Solerter explorat, si quando ostreum se contra solis radios aperiat: tunc ergo calculum clandestinus incursator immittit, sicque hiantia claustra reperiens, viscera ostrei interna decerpit. Ostreum significat monachum qui nimirum vivit, dum sub silentii censura concluditur: perit autem cum ad loquendum immoderatius aperitur. Quid enim designat calculus qui ostreo ne recludatur injicitur, nisi duritia consuetudinis, qua quisque ne sese ad pœnitentiam emolliat, induratur. Nam quasi quidam lapillus pravæ consuetudinis obstat, ne is qui fabularum vacat ineptiis, à sua se vanitate recludat. Cancer qui post se naturaliter graditur, est Apostata spiritus, qui postquam semel à conditore recessit, in posterior relabi nunquam desiit.*

INQUIETUM MALUM.] ἀκατάσχωτόν, id est, ut Pagninus et Vatablus, *incoercibile;* S. Hieronymus l. 2. contra Pelagium, *incontinens,* scilicet passive, quod contineri et cohiberi nequit; alii, *incohibile;* Syrus, *inimpedibile, irremorabile;* alii, *intolerabile.*

Nonnulli legunt ἀκατάστατον, id est *inconstans*, instabile, consistere non potens; sicut cor et

pulmo, quibus lingua respondet, et quoad formam assimilatur, consistere nequeunt, sed perpetuo agitantur : cor, ut spiritus vitales toti corpori subministret; pulmo, ut cor refrigeret. Unde Poeta :

Cor sapit, et pulmo loquitur, fel commovet iram,
Splen ridere facit, cogit amare jecur.

Item ἀκατάςαρον est seditiosum et tumultuosum : nam ἀκαταςασια est *seditio*, inconstantia, tumultus, confusio, turbatus rerum ordo. Hinc et sequitur, *Plena veneno mortifero.* Porro cur lingua sit inquieta, causam dat S. August. serm. 31. de verbis Apost. *Lingua*, inquit, *facilitatem habet motus, in udo posita est, facile in lubrico labitur. Quanto illà citius et facilius movetur, tanto tu adversus illam fixus esto. Domabis, si vigilabis; vigilabis, si timebis; timebis, si Christianum te esse cogitaveris.*

PLENA VENENO MORTIFERO.] quo proximi famam, suam et audientis animam, ac sæpe multorum corpora occidit per odia, rixas et bella quæ suscitat : unde Psal. 139. 4. *Acuerunt*, ait, *linguas suas sicut serpentis : venenum aspidum sub labiis eorum.* Et Psal. 5. 11. *Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, judica illos Deus.* Sepulchrum est, Primo, quia lethiferum est guttur maledicum, et quos tetigerit occidit, et in sepulcrum infert, juxta illud Jerem. 5. 16. *Pharetra ejus quasi sepulchrum patens.* q. d. Nabuchodonosoris sagittæ sunt lethiferæ, et omnes quos confixerit, occidet et sepeliet.

Secundo, quia instar sepulcri tetrum et lethalem halitum ac virulentiam calumniarum, dolorum et impiarum machinationum exhalat.

Tertio, qui obscœna loquuntur : ait ibidem S. Chrys. ora habent quasi sepulchra, quia fœtor ille spiritalis, qui ex animæ putrefactione oritur, fœtore sensibili major et gravior est.

Lingua ergo similis est hydrargyro, sive argento vivo, quod consistere nequit, sed perpetuo agitatur : ac si tangatur, in mille et minutissimas partes dissilit; estque venenum exitiale, ut si vel minimum quid ex eo hauriatur, illico interimat : ut olim Lovanii juvenem curiositatis causa illud delibantem, illico interimi conspexi. Porro alludit Jacobus ad linguam aspidum et serpentum, quæ venenata est, et venenum morsu effundit. Nam animalia quæ veneno nocent, venenum in vesica sub lingua inclusum habent; quæ, cum mordent, rumpitur, et morsu venenum effundunt, ait Mercurial. De Venen. juxta illud Job. 20. 12. *Cum enim dulce fuerit in ore ejus malum, abscondet illud sub lingua sua.*

9. IN IPSA (id est ipsa, per ipsam) BENEDICIMUS DEUM,] tum psallendo, tum docendo, tum concionando, etc. Hic enim est finis linguæ ob quem nobis à Deo est indita, scilicet ut illa Deum glorificemus, aliosque glorificare doceamus. Ita fecit S. Antonius de Padua, qui ardenti corde et lingua concionando innumeros ad Deum convertit. Unde 32. anno à morte ejus, lingua ejus incorrupta, recens et rubicunda inventa est à S. Bonaventura, qui lachrymando eam deosculans : *O lingua benedicta*, inquit, *quæ Dominum semper benedixisti, aliosque benedicere docuisti, nunc liquet quam grata ei fueris, quantique apud eum meriti.* Ita habet ejus Vita et Chronica Ordin. S. Francisci : quæ et addunt ipsius S. Bonaventuræ linguam, 160. annis post mortem, puta anno Domini 1434, integram et recentem esse repertam, æque ac cor et caput, in translatione ejusdem. Ita Psaltes Ps. 33. 1. *Benedicam*, inquit, *Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Ita Sancti in cœlis non aliud lingua concinunt quam Dei laudes et magnalia. Apoc. 4. 8. et c. 5. 8. et c. 7. 12. vide ibi dicta. Quocirca S. Paulus quasi angelus terrestris, satagens fideles efficere cœlites et angelos : *Implemini*, inquit, *Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri.* Ephes. 5. 18. Ita S. Nazianz. in carm. de Silentio de lingua canit :

Sum lyra supremi regis, modulisque canoris
Hunc cano, qui tremulo cuncta pavore quatit.

Ita S. August. totis tredecim libris Confessionum assidue benedicit, laudatque Dominum : unde ita orditur : *Magnus es, Domine, et laudabilis valde; magna virtus tua, et sapientiæ tuæ non est numerus. Et laudare te vult homo, aliqua portio creaturæ tuæ, et homo circumferens mortalitatem suam, circumferens testimonium peccati sui, quia superbis resistis : et tamen laudare te vult homo aliqua portio creaturæ tuæ. Tu enim excitas ut laudare te delectet : quia fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Et l. 9. c. 1. *Laudet te cor meum et lingua mea, et omnia mea dicant : Quis similis tibi?* Quocirca impius Nestorius lingua abutens, et maledicens Christo, ejusque matri, dicensque et docens Christum non esse Deum, ac consequenter ejus matrem non esse Deiparam, sed Christiparam, in eadem à Deo mulctatus est : lingua enim ejus à vermibus corrosa et exesa est, teste Cedreno et Evagrio l. 1. c. 7. Ex adverso Martyres plures, quibus ob fidei confessionem exsectæ erant linguæ, Deum laudarunt perinde ac si illæ exsectæ non fuissent, uti fecerunt Martyres Africani, teste Victore Uticensi in Persecutione Wandalica. Tota ergo vita fidelium, præsertim Clericorum, Religiosorum, et Prædicatorum, non aliud esse debet, quam continua Dei laus et prædicatio.

Dicit hoc Jacobus, ut ostendat proprium finem et usum linguæ, qui est benedicere et laudare Deum, ut ex illo ostendat gravitatem abusus, quo homines passim eadem impie et quasi sacrilege abutuntur ad maledicendum. Nam, ut ait S. Chrys. hom. 14. in ep. ad Ephes. *Os habes*, inquit, *spiritale obsignatum Spiritu sancto : cogita quæ sit oris tui dignitas. Patrem vocas Deum, et fratrem mox vituperas? Cogita qua mensa dignatum sit os tuum, quæ contingat, quæ degustet, quo cibo fruatur. Perpende cum quibus tempore mysteriorum astes, nempe cum Cherubim ac Seraphim. Seraphini neminem vituperant, sed unus et idem usus ora illorum adimplet, nempe benedicendi et glorificandi Deum. Quomodo ergo potes cum illis dicere : Sanctus, sanctus, sanctus, qui ore tuo ad vituperium abuteris?* Portentum ergo est qui lingua prædicat Dei bonitatem, eamdem vero exacuit in consortes et proximos suos. Indignus est hominis titulo qui pacem habet in ore, opere autem serit lites et bella : qui semen cœlestis doctrinæ pollicetur, et merum seminat aconitum. Idem Chrysost. Homil. 21. in epist ad. Rom. *Quomodo*, inquit, *sacram oblationem sumes, qui lin-*

quam humano sanguine cruentasti? Quomodo pacem das ore, bellis adeo referto?

DEUM ET PATREM.] Deum qui est pater omnium. Vide dicta c. 1. 27.

ET IN IPSA MALEDICIMUS HOMINES,] καταρώμεθα, id est *exccramur*, mala imprecamur, diris devovemus; rursum, calumniamur, conviciamur, irridemus, subsannamus, etc.: hæc enim omnia significat τὸ *maledicimus* per catachresin. Viderunt idipsum per umbram Gentiles: Anacharsis rogatus quid in homine esset optimum, quid pessimum, respondit: Lingua; testis est Laertius lib. 1. c. 9. Bias Amasi regi Ægypti poscenti optimum et pessimum ex victima, linguam remisit, sentiens linguam, si ratione regatur, esse optimum hominis membrum; sin ira, aliave passione instigetur, esse pessimum. Ita refert Plutarch. lib. de Garrulitate. Vide Pierium l. 33. titul. de lingua.

QUI AD SIMILITUDINEM (id est imaginem. Vide dicta Genes. 1. 26.) DEI FACTI SUNT.] q. d. Maledicendo homines, maledicimus Deum: quia homines sunt opus, creatura et imago Dei. Præclare S. Ambrosius lib. de Dignitate humanæ condit. c. 3. *Quis major*, inquit, *honor homini potuit esse quam ut ad similitudinem sui factoris conderetur?* Et S. Leo serm. 1. de jejunio X. mensis: *Si fideliter atque sapienter creationis nostræ intelligamus exordium, inveniemus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset auctoris, et hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis in quodam speculo, divinæ benignitatis forma resplendeat.* Explicat venenum mortiferum linguæ, taxatque proprie eos qui pii videntur, Deumque benedicunt psallendo, orando, prædicando, et interim proni in maledicentiam assidue eadem lingua petulanter maledicunt proximis, eo utique nocentius, quo ex pietatis specie, quam præ se ferunt, juste et pie id facere videntur. Tales sunt non pauci qui frequentes sunt in officiis divinis, et domum reversi eam implent rixis, jurgiis, calumniis, maledictis, ut in templo videantur esse angeli, in domo dæmones. Contra quos magna patientia certandum est, et cogitandum illud Senecæ de Remediis fortuitis; *Bene nesciunt loqui: faciunt non quod mereor, sed quod solent: quibusdam enim canibus sic innatum est, ut non pro feritate, sed pro consuetudine latrent.*

Sensus ergo est. q. d. En lingua adeo plena est veneno mortifero, ut etiam tunc cum Deum laudat, non cesset à maledictis in proximos, itaque in Deum sit injuria, adeoque Deum simul maledicat et benedicat. Qui enim imaginem, imo amicum et filium regis violat, aut maledicit, regem violat aut maledicit; multo magis qui Dei. Unde Œcum. hæc legit interrogative: *In ipsa benedicimus Deum, et in ipsa maledicimus homines?* q. d. Fierine potest, ut eodem ore et lingua laudemus Deum et vituperemus homines, qui sunt peculium et imago Dei? Fierine potest ut simul laudes et vituperes Deum? laudes in se, vituperes in sua imagine? Unde subdit Jacobus: *Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri;* sed si laudas Deum, lauda et hominem, qui est magna Dei portio. Hoc est quod ait Sapiens Prov. 14. v. 31. *Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus; honorat autem eum qui miseretur pauperis.* Et Psaltes Psal. 49. 16. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?* etc. *Os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos, sedens adversus fratrem tuum loquebaris.* Tales similes sunt pantheræ, quæ cum homini nocere nequit, imaginem ejus dilacerat, teste S. Basilio orat. 10. de invidia: ita et hi cum Deo nocere nequeant in seipso, nocent ei in sua imagine, puta in homine.

Nota. Etsi homo quoad naturam inferior sit angelo, itaque minor imago Dei, tamen quoad quædam angelum superat, magisque quam ille est imago Dei. Primo, quia mundus hic visibilis creatus est propter hominem, non propter angelum; utpote qui spiritus est invisibilis. Homo ergo in mundo est quasi princeps, Rex et Deus quidam terrestris, in eo ergo magis refert Deum quam angelum. Secundo, quia omnes bestiæ, aves, pisces, elementa, sidera, cœli, quin et angeli serviunt homini perinde ac serviunt Deo. Tertio quia homo per tot rerum inventiones, per tot fabricas et machinas, per tot fructuum sationem et productionem, per tot artes mechanicas quibus nihil non efficit, videtur imitari Dei omnipotentiam, omniscientiam, rerumque omnium creationem. Quarto, quia hominis productio refert S. Trinitatem, Adam scilicet ingenitus repræsentat Patrem ingenitum, Eva producta ex Adamo Filium genitum, Seth Spiritum sanctum procedentem ex utroque, uti innuit Nazianz. orat. 39. Quinto, quia sicut in Deo sunt omnes rerum species et gradus vel formaliter, vel eminenter: ita sunt et in homine. Homo enim habet esse commune cum inanimis, vivere cum plantis, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis. Denique homo est affinis, consanguineus et frater Dei per Verbum incarnatum, non angeli: Christus enim nascens non *angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* Hebr. 2. v. 16. Noli ergo, ô homo, te abjicere, et tanti generis esse degener, sed divinæ consors naturæ despice hæc vilia et exilia, suspice illa magna et divina, Deum tuum imitare. *Esto quidam quasi in terris obambulans Deus, et sanctus in carne angelus.*

Vidit hæc per umbram Trismegistus; unde scribens ad Asclepium exclamat: *O Asclepi, magnum miraculum est homo, animal adorandum. Hic enim in naturam Dei transit, quasi ipse sit Deus. Hic humanæ naturæ partem in seipso despicit, alterius partis divinitate confisus: diis cognata divinitate conjunctus, partem sui qua terrenus est despicit: cætera omnia quibus se necessarium esse cœlesti dispositione cognoscit, nexu secum charitatis ustringit sicque suspicit cœlum. Sic ergo feliciore loco medietatis est positus, ut quæ infra se sunt diligat, ipse à superioribus diligatur. Elementis velocitate miscetur. Acumine mentis in maris profunda descendit: omnia illi lucent. Non cœlum videtur altissimum; quasi enim proxima sagacitate animi intuetur. Intentionem animi ejus caligo aeris non confundit, non aquæ altitudo aspectum ejus obtundit: omnia idem est, et ubique idem est.* Nam, ut aiunt Theologi: *Factus est homo ut Deum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, possidendo frueretur.*

19. EX IPSO ORE PROCEDIT BENEDICTIO ET MALEDICTIO.] Exaggerat mali indignitatem, illudque insistendo et repetendo perurget. q. d. Ex eodem ergo procedit benedictio et maledictio; quod in se tam iniquum et indignum esse liquet, ut aliis verbis magis exaggerari non egeat, imo nequeat: unde Œcum. rursum hæc legit et intelligit inter-

rogative : *An justum est ut ex eodem ore et benedictio et detestatio egrediatur? non profecto.* Hinc et leni piaque, sed efficaci correptione idipsum studiose cavendum monet S. Jacobus, dicens : *Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri;* sed ore ad benedicendum tantum (ad hoc enim nobis à Deo inditum est), non ad maledicendum ut nos convenit. S. Maximus serm. 43. et alii hanc Jacobi sententiam apposite exponunt de adulatoribus qui palam laudant, occulte vituperant, et ex eodem ore calidum et frigidum, ut vulgo dicitur, efflant. Verum prior sensus videtur genuinus : loquitur enim de eadem benedictione et maledictione, de qua locutus est immediate ante.

Disce hic mansuetudinem in corripiendo à S. Jacobo, quam ipse didicit à Christo, cui per omnia similis erat, ideoque vocabatur Frater Domini : unde et subditos vocat *fratres.* Præclare S. Chrysost. hom. 52. ad popul. ait linguam nostram fieri linguam Christi, si in loquendo, docendo et corripiendo imitemur mansuetudinem Christi. Ita David de se : *Memento,* inquit, *Domine David, et omnis mansuetudinis ejus.* Psal. 131. 1. Et Paulus 2. Cor. 10. 1. *Ipse ego Paulus,* inquit, *obsecro vos per mansuetudinem et modestiam Christi.* Et Ephes. 4. 1. *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine.* Et 1. Timoth. 6. 11. *Tu vero, ô homo Dei, hæc fuge, sectare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem.* Et ad Titum 3. 2. *Omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.* Aurea est Sapientis vox : *Fili in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris.* Eccles. 3. 19.

11. NUMQUID FONS DE EODEM FORAMINE EMANAT DULCEM ET AMARAM AQUAM] q. d. Non. Ergo nec homo ex eodem ore debet proferre benedictionem, quæ est quasi aqua dulcis; et maledictionem, quæ est quasi aqua amara amaricans Deum et homines; sed solum benedictionem. Rursum, sicut aqua amara immixta dulci eam efficit amaram; ita dulcedinem benedictionis maledictionis amaritudo in eodem ore consumit, ait Beda; sicut modicum fermentum totam massam corrumpit, 1. Corinth. 5. 6. Huic tamen non obstat quin Concionator populo nunc blandiri, nunc minari et objurgare; nunc dulcia Dei promissa, nunc amaras ejus minas et pœnas proponere debeat : quia hæc omnia inducunt populum ad Deo serviendum et benedicendum; ideoque sunt Dei benedictio, non maledictio.

Nota. Quidam fontes dulcem et amaram fundunt aquam, sed diverso tempore, vel loco. Audi Plinium l. 2. c. 103. *In Troglodytis fons Solis appellatur dulcis, et circa meridiem maxime frigidus; mox paulatim tepescens; ad noctis media fervore et amaritudine infestatur.* Et mox : *Lyncestis aqua quæ vocatur Acidula, vini modo temulentos facit. In Andro insula templo Liberi patris fontem Nonis Januarii semper vini sapore fluere Mutianus credit.* Addunt nostri Conimbricenses tract. 9. in Meteora c. 9. *in Troglodytis lacum esse qui ter die fit amarus salsusque ac deinde dulcis, totiesque etiam noctu.* Similes in Ardenna non longe à Leodio sunt fontes Spadani acidulí, qui ferri, nitri, sulphuris et vitrioli saporem referunt; eo quod eorum aqua per venas ferri, nitri, sulphuris et vitrioli perlabatur, eorumque vim et saporem imbibat, uti è triennali experientia eos frequentando didici : quocirca invicem vicini fontes diversos habent sapores, ob diversas venas quas pertranseunt : imo idem fons si per aliam venam labatur, saporem mutabit.

Talis quoque est Arethusa fons et flumen Syracusæ, qui diversis in locis fertur diversum habere saporem, eo quod alii fontes in eum influant; et quia sub mari labitur, si ex eo quid hauriat, marinam et salsam dulci immixtam emanabit, de quo Virgilius ecloga 10.

> Extremum hunc Arethusa mihi concede laborem.
> Sic tibi, cum fluctus subter labere Sicanos,
> Doris amara suam non intermisceat undam.

Sed audi Thomam Fazellum oculatum testem, qui de Arethusa, ita scribit. l. 4. de Reb. Siculis p. 89. *Crassas salsioresque et ad potum injucundas habet aquas; quarum usum, cum duræ et incoctiles sint, incolumitati humanæ minus conferre lib. 2. docet Athenæus. Non procul ab Arethusa in mediis maris fluctibus fons aquæ dulcis mire exundat, caputque inter aquas salsas attollit, oculus Ciliciæ vulgo appellatus.* Et mox : *Quod si ex Arethusæ fontibus hic non est unus, ex aliquo certe vicino monte gigni, et ex pelagi vadis, expellente eum interiori vento, sursum emergere necesse est.* Et anterius causam aperit, scilicet quod aqua Arethusæ non oriatur in Sicilia, sed in Achaia et Peloponneso. Siquidem Alphæum, ait, Achaiæ regionis fluvium terra absorptum, subter mare in Siciliam per passuum millia fere quingenta fluere, atque ex hoc fonte Arethusæ rursum emergere primum Pindarus, deinde Timæus, quos Græci et Latini secuti sunt, tradiderunt. Sic de Ascanio lacu et fontibus Chalcidis scribit Plinius l. 31. c. 10. eorum superficiem dulcem esse et potabilem, inferiores vero partes nitrosas et amaras.

Verum S. Jacobus loquitur de fontibus communibus et ordinariis : hi enim simul aquam dulcem et amaram non reddunt, pauci jam nominati extraordinarii sunt, et quasi portenta et monstra naturæ, ideoque sunt typi et symbola linguæ, quæ simul fundit maledictionem et benedictionem, ideoque ipsa pariter ostentum est et monstrum naturæ. Adde, licet in jam dictis fontibus, exterior fons, puta fontis orificium sit idem, quod emanat aquam dulcem et amaram; tamen interior fons, hoc est, ipsa prima vena et scaturigo, quæ est quasi cor aut hepar fontis, est diversa, ut patet ex dictis de fonte Arethusæ, cui nomen *oculus Ciliciæ.* In homine autem secus se res habet. Sicut enim in eo unus est fons exterior, puta unum os, os proferens bona et mala; sic et unus est fons interior, puta unum cor et una anima, ex quo utraque manant. Hoc ergo instar portenti est et prodigii, quod scilicet idem cor per eamdem linguam injuriam et laudem, pietatem et impietatem, mortem et vitam, veritatem et mendacium depromat.

12. NUMQUID POTEST, FRATRES MEI, FICUS UVAS FACERE.] Græca et Syrus pro *uvas* legunt ἐλαίας, id est *olivas,* et tunc major est antithesis : ficus enim sunt dulces; olivæ vero amaræ, sed sequentia indicant de uvis agi. Subdit enim : *Aut vitis ficus?* q. d. Nullo modo : nec enim vitis per se aliud quam uvas profert, nec ficus viti

inseri potest, ut in ea producat ficus, uti pirus inseritur pruno, atque in pruno profert pira.

SIC NEQUE SALSA DULCEM POTEST FACERE AQUAM.] *Salsa*, id est, fons salsus : unde græce est, *sic nullus fons salsus salsam ac dulcem potest edere aquam.* Ita Tigurin. Pagnin. et alii. Probat enim priorem similitudinem, scilicet quod ex eodem fonte non manet aqua dulcis et amara (ex qua probat et concludit, moraliter non posse, id est non debere, ex eodem ore prodire benedictionem et maledictionem) alia similitudine vitis et ficus, quarum illa non ficus, sed uvas dumtaxat, hæc non uvas, sed ficus dumtaxat profert. Burgensis tamen censet hic esse aliam, puta tertiam similitudinem : primam enim peti à fonte, secundam à vite et ficu, tertiam hic ex aqua salsa, quæ ex se non potest dulcem diffundere. Verum se diffundit, ergo fons est et fontis rationem habet : quare eadem est hæc similitudo cum prima. Ex hisce similitudinibus ostendit Jacobus innaturale esse et præter rerum ordinem, ac quasi cum ipsa natura pugnare ut ex ore à Deo et natura destinato ad benedicendum procedat maledictio : sicut cum natura pugnat, ut ex fonte dulci procedat aqua amara, ex vite ficus, ex ficu uva; ideoque idipsum fieri nequit. Rursum sicut aqua amara immista dulci eam facit amaram, ita maledictionem mistam benedictioni in eodem ore eam vitiare, ac quasi convertere in maledictionem; quia scilicet maledictum est os, quod cum sit soli benedictioni destinatum, ex se emittit maledictionem : bonum enim est ex integra causa, malum ex singulis defectibus, ut ait S. Dionysius. Insuper sicut ficus non profert uvas, nec vitis ficus; sic maledicum, licet aliquid boni ad tempus loqui videatur, fructum benedictionis habere nullatenus posse. Ita Beda. Porro octo differentias et quasi species malæ linguæ assignat Thomas Anglicus, nimirum lingua tertia, inquit, de qua Eccli. 18. 16. est detractorum, solumque detrahit, falsa est adulatorum Eccli. 20. 18. magniloqua superborum Psal. 11. 4. viperea hæreticorum Job 20. 16. blasphema maledicorum Job 15. 5. dolosa hypocritarum Ps. 119. v. 2. coinquinata luxuriosorum Eccli. 51. 3. iniqua advocatorum Prov. 17. 4.

Nota. S. Jacobus noxam et damna linguæ demonstrat ex duodecim partim argumentis, partim attributis. Primum est v. 3. quod instar equi sit effrænis; Secundum v. 1. quod modica licet, magna tamen exaltet; Tertium ibidem, quod sit instar scintillæ quæ totam silvam comburit; Quartum v. 6. quod sit universitas iniquitatis; Quintum ibidem, quod maculet totum corpus; Sextum, quod inflammet totam rotam nativitatis et vitæ nostræ; Septimum, quod inflammetur à gehenna; Octavum, quod magis indomita sit quam omnes feræ, ideoque à nemine domari possit; Nonum, quod sit inquietum malum; Decimum, quod sit plena veneno mortifero; Undecimum, quod cum sit data et dicata benedictioni Dei, simul tamen maledicat proximis; Duodecimum, quod sit quasi fons monstrosus, eructans simul aquam dulcem et amaram.

13. QUI SAPIENS (σοφος , id est eruditus, scilicet rerum divinarum) ET DISCIPLINATUS,] ἐπιστήμων , id est, sciens ea quæ ad praxim et mores pertinent, non tantum speculative, sed et practice, hoc est, disciplinæ studiosus.

Porro idem est *sapiens et disciplinatus;* sed hic illi additur, ut significetur sapientem non speculativum dumtaxat, sed et practicum esse debere, puta disciplinatum et bene institutum : unde vers. ultimo diserte asserit sapientiam esse pudicam, pacificam, modestam, suadibilem, etc. *Disciplina* enim *est morum ordinata correctio, et regularum à majoribus traditarum studiosa observatio.* Ita Cicero Tuscul. 4. *Sapiens*, ait, *est qui rerum divinarum et humanarum* (ad quas pertinet morum disciplinâ) *scientia est præditus.*

OSTENDAT EX BONA CONVERSATIONE OPERATIONEM SUAM IN MANSUETUDINE SAPIENTIÆ.] Syrus, *ostendat opera sua in conversationibus bonis.* Redit S. Jacobus ad doctores et magistros, de quibus egit v. 1. quorum occasione hucusque digressus est ad vitia linguæ. Eis ergo impense commendat mansuetudinem et modestiam, ut plus doceant exemplo quam verbo; plus modesta et miti conversatione, quam magna ostentatione sapientiæ. Magis enim docent et movent opera quam sermones, magis vita quam vox. Ita Christus prius cœpit facere, deinde docere Actor. 2. 1. Christum imitatus S. Petrus pastoribus hanc legem præfigit epist. 1. c. 5. 3. *Forma*, inquit, *facti gregis ex animo*, præmiumque assignat : *Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* Et S. Paulus Philipp. 3. 17. *Imitatores mei estote, fratres, et observate eos qui ita ambulant sicut habetis formam nostram.* Hinc pontifex Aaronicus in Rationali ad pectus gestabat *urim et tummim*, id est, *doctrina et veritas*, ut significaret in Pontifice requiri tam veritatem, id est, integritatem vitæ et exempli, quam doctrinam legis et Scripturæ. Exodi 28. 30.

Insignis in hac re fuit Origenes, de quo scribit Euseb. lib. 6. histor. c. 3. *quod qualis ejus erat sermo, tales et mores; et quales mores, talis sermo*, ideoque habitus est Ecclesiæ oraculum, orbisque miraculum, ac plurimos ad fidem et sanctimoniam convertit. Ex adverso probro fuit ille qui audivit : *Verba tua sunt verba Dei, sed facta tua sunt facta diaboli.*

Illustrior fuit S. Lucianus Martyr, qui adeo moribus erat compositus, pius, hilaris et sanctus, ut angelus videretur, omnesque ad suî et Christi amorem alliceret : quocirca Maximianus Imper. non nisi eminus et per velum eum aspicere et alloqui est ausus, timens ne et ipse ab eo virtutis quasi philtro dementaretur, velletque fieri Christianus. Vide dicta Philip. 4. 5.

Similis fuit S. Bonaventura, in cujus funere perorans in Concilio Lugdunensi anno Domini 1274. Petrus Tarantasius Cardinalis ex Ordine S. Dominici, qui postea creatus Pontifex dictus est Innocentius V. inter alias ejus laudes dixit : Quotquot aspiciebant vel audiebant S. Bonaventuram, ejus amore capiebantur, illi cedebant, illius sententiam et consilium amplectebantur; eo quod esset benignus, affabilis, humilis, charus omnibus, pius, prudens, castus, pacificus, omnique virtute ornatissimus.

Sapienter S. Hieron. epist. 3. Heliodoro Episcopo hunc vivendi canonem præfigit : *In te*, inquit, *oculi omnium diriguntur : domus tua et conversatio tua quasi in specula constituta, magistra est publicæ disciplinæ. Quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant. Cave ne committas quod aut qui reprehendere volunt, digne lacerasse videantur; aut qui imitari, cogantur delinquere.* Talis

fuit Gregorius senior Episcopus Nazianzeni, pater S. Gregorii Nazianzeni. Nam, ut hic de eo ait orat. 19. *Ferinos hominum mores haud magno negotio mitigavit, tum pastoralis artis sermonibus, tum etiam quod velut spiritualem quamdam statuam ad optimæ cujusque actionis pulchritudinem expolitam ad imitandum proponeret.* Idem in laudibus S. Basilii : *Oratio Basilii erat tonitru, quia vita ejus erat fulgur.* Ex adverso S. Bernard. lib. 2. de Consid. ad Eugen. Pont. *Monstrosa res,* inquit, *est locus summus, et animus infimus; sedes prima, et vita ima; lingua magniloqua, et manus otiosa; sermo multus, et fructus nullus.*

Idem eminus viderunt Gentium Philosophi. Aristides apud Platonem in Theag. profitetur se ex alloquio Socratis nihil didicisse, ex conversatione et moribus plurimum. Agesilaus rogatus qua ratione quis maxime apud homines probaretur : *Si dicat,* inquit, *optima, et faciat honestissima.* Præclare Seneca l. 1. ep. 6. *Plus,* inquit, *tibi et viva vox, et convictus, quam oratio proderit. In rem præsentem venias oportet. Primum, quia homines amplius oculis, quam auribus credunt. Deinde, quia longum iter est per præcepta, breve et efficax per exempla. Zenonem Cleanthes non expressisset, si eum tantummodo audisset, vitæ ejus interfuit, secreta perspexit, observavit illum an ex formula sua viveret. Plato et Aristoteles, et omnis in diversum itura sapientium turba, plus ex moribus quam ex verbis Socratis traxit. Metrodorum, et Erymachum, et Polyænum, magnos viros non schola Epicuri, sed contubernium fecit.* Idem alibi : *Eum, ait, doctorem elige quem magis admireris cum videris, quam cum audieris.* Scitum est illud Democriti apud Laertium lib. 9. cap. 7. λογος ἔργου σκιή, id est, *oratio operis est umbra.* Sicut ergo se habet umbra ad corpus, ita oratio ad opus : opus ergo est quasi corpus solidum, oratio et sermo quasi umbraticum et evanidum, puta corporis virtutisque umbra, non corpus et solida virtus.

In mansuetudine sapientiæ.] In mansueta sapientia, quæ mansuete audit, respondet, monet, corripit et docet. Talis enim est Christi et discipulorum ejus, juxta illud ejusdem : *Discite à me, quia mitis sum et humilis corde.* Matth. 11. Est hebraismus. Sic charitas fraternitatis vocatur charitas fraterna, filius dilectionis vocatur filius dilectus, filii inobedientiæ et diffidentiæ vocantur filii inobedientes et diffidentes.

Nota. Veræ sapientiæ propria dos et quasi flos est mansuetudo. Vide dicta c. 1. 21.

Quærit Petrus Damiani libro de Contemptu sæculi c. 28. cur 4. Regum 4. 31. Elisæus nequiverit puerum suscitare per baculum illi applicitum, sed per seipsum incumbendo illi eum revocarit ad vitam? ac respondet : *Is quem terroris virga suscitare non poterat, per amoris spiritum ad vitam redit, dumque se parvulo accommodavit et composuit, facile erexit et suscitavit.* Sic subditi sæpe magis moventur amore Prælati, quam terrore, si leniter se eis accommodat, moresque attemperet et benigne componat. S. August. serm. 6. de verbis Dom. durum Prælatum vocat tentatorem subditorum. Vide S. Dionysium ep. 8. ad Demophilum, et S. Bernard. serm. de S. Magdalena.

14. Quod si zelum amarum habetis.] *Zelus amarus* est invidia, zelus dulcis est fervens charitas, à qua Simon Chananæus cognominatus est Zelotes. Opponit mansuetudini sapientiæ zelum amarum, id est, amarulentam æmulationem et invidiam, quæ nata ex superbia et amore excellentiæ parit contentiones et schismata, ideoque abit in errores, hæreses et mendacia, ex quibus gloriosum, sed vanum doctoris nomen aucupatur, ut scilicet inaniter de nova secta à se inventa, de nova schola, novisque discipulis glorietur et se jactitet.

Notat Isidorus Pelus. l. 2. ep. 90. plures fuisse et esse sectas, contentiones, schismata et hæreses in christianismo, quam fuerint in judaismo et gentilismo, eo quod diabolus, sectarum auctor, invidens et indignans utilitati et excellentiæ Christi et christianismi, ut eum evertat, illa magis nunc serat et succendat quam ante, præsertim quia gentilismus totus erat diaboli; Judæorum etiam longe major pars. Accedit, Primo, quod inter Christianos major sit sapientia majusque sapientiæ studium : inter studiosos autem sapientiæ oriri solent variæ sententiæ et sectæ. Secundo, quod in christianismo omnes errores se tegant sanctissimo nomine Christi, prætextu veræ fidei et pietatis, quem diabolus magistris superbis et novarum opinionum avidis obtendit, itaque eos excæcat, ut vere, recte et pie se agere putent.

Adverte *to amara :* nam invidia est amarulenta, et iis quibus invidet, et magis sibi. Invidus enim mire cruciatur cruciatu invidiæ suæ, quo torquet et affligit se de excellentia alterius, quem dolet sibi præferri vel æquari in sapientia, virtute et gloria : tunc enim, ut ait Statius 2. Theb. *crucem secretus coquit invidiam.* Hinc Nota conditiones invidiæ. Prima est, invidia signum est animi parvi et abjecti : invidendo enim agnoscit alium esse se superiorem, vel parem. Et qui invident, fere sunt inertes, pusillanimes, depressi, juxta illud Ovidii l. 5. de Ponto :

> Livor iners vitium mores non exit in altos,
> Utque latens ima vipera serpit humo.

Unde Plinius l. 6. epist. 17. *Disertior es?* inquit. *tanto magis ne invideris. Nam qui invidet, minor est.*

Secunda, id quod excellit et eminet, ferit oculos invidia, estque objectum invidiæ. Unde Ovid. l. 1. de Remedio amoris :

> Summa petit livor, perflant altissima venti :
> Summa petunt dextra fulmina missa Jovis.

Quocirca Themistocles juvenis dolebat sibi non invideri : hoc enim signum est, inquit, me nihil adhuc præclari gessisse. *Sicut enim cantharides rosæ, sic invidia virtuti innascitur.* Ita Antonius in Melissa sermone 62. ubi et addit Aristotelem rogatum quid esset invidia, respondisse, esse antagonistam fortunatorum.

Tertia, invidia sæpe res maximas impedit et evertit, uti in urbibus, bellis, congregationibus etiam bonorum subinde experimur. Trita est Belisarii Ducis Justiniani Imper. tot victoriis inclyti, sed per æmulos ad extrema redacti mendica et miseranda vox : *Da obolum Belisario, quem extulit virtus, cæcavit invidia.* Ita multi : licet nonnulli viri docti ex Zonara et aliis id refutent, asserantque Belisarium honoratum semper vixisse et obiisse. Vere Silius l. 1.

> O dirum exitium mortalibus, ô nihil umquam
> Crescere, nec magnas patiens exurgere laudes,
> Invidia!

lta duos primos fratres Cainum et Abelem una domus, imo totus mundus capere non potuit.

Quarta, invidiam liquet esse amaram et felleam : commovet enim fel et bilem utramque, scilicet tam flavam quam atram, hoc est, tam choleram quam melancholiam ; adeo ut invidus in vultu atrum, felleum lividumque colorem præ se ferat. Unde Martial. l. 1.

Ecce iterum nigros corrodit lividus ungues.
Omnibus invideas, livide, nemo tibi.

Et Silius lib. 11.

——— Atra veneno
Invidiæ, nigroque undantia pectora felle.

Quinta, duo sunt actus invidiæ, videlicet : *Insultare malis, rebusque ægrescere lætis,* ait Statius l. 2.

Sexta, invidia summum est tormentum invidi, eumque lenta longaque tabe exedit et consumit, indeque invidia vocatur edax. Unde Claudian. lib. 3. de Raptu Proserp.

Invidus alterius rebus macrescit opimis.

Et Horat. lib. 1. epist.

Invidia Siculi non invenere tyranni
Majus tormentum.

Hinc Socrates dixit invidiam esse ulcus, imo serram animæ, teste Stobæo sermone 36. et Antonio in Melissa serm. 62. et Martial. lib. 9.

Rumpitur invidia quod amamur, quodque probamur,
Rumpatur quisquis rumpitur invidia.

Et Ovid. 2. Metamorph. graphice eam depingit ;

——— Lentaque miserrima tabe
Liquitur, ut glacies incerto saucia sole,
Felicisque bonis non lenius uritur Herses,
Quam cum spinosis ignis supponitur herbis.
Quæ neque dant flammas, lenique tepore cremantur.

Hinc Poetæ finxerunt invidos apud inferos serpentibus vesci, et hydris recreari. Quin et Cassianus collat. 18. c. 17. illud Jerem. 8. *Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, et mordebunt vos,* mystice accipit de invidia. Vide eum. Agis, rex Lacedæmonum, audiens sibi ab æmulis invideri : *Geminam* igitur, inquit, *habebunt molestiam : nam ipsos et sua ipsorum mala discruciabunt, ac insuper meis et meorum bonis torquebuntur.* Magnifica vox, significans eos quos tenet invidia, magis esse misericordia dignos quam ira ; ac invidum satis dare pœnarum, etiamsi alius ejus ultor non existat. Ita Plutarc. in Lacon. nam, ut ait Antisthenes apud Laertium l. 6. c. 1. *sicut ferrum consumit rubigo ex ipsomet nata, ita invidus suo ipsius vitio contabescit.* Elegantius vero Chrysologus serm. 172. *Invidia suorum carnifex semper extitit : extendit sensus, torquet animos, discruciat mentes, corda corrumpit. Quid plura? Hanc qui receperit, sua sustinet sine fine supplicia : quia in se domesticum semper diliget habere tortorem. Quis ibi malorum finis, ubi alterius bonum pœna est? ubi cruciatus est aliena felicitas?* Propterea acute dixit Nazianz. or. 27. *Solus ex omnibus affectibus, iniquissimus simul et æquissimus est invidia : iniquissimus, quia bonis omnibus adversus est ; æquissimus, quia dominos suos exest et conficit.*

Septima, remedium invidiæ est humilitas, modestia et gloriæ contemptus. Hinc Cato dicebat eos qui moderate sobrieque fortuna uterentur, minime peti invidia. Non enim, inquit, nobis, sed bonis quæ nos circumstant, invident homines. Externa bona extra hominem sunt ; at insolenter utenti vitium intra hominem est, qui eo sibi conflat invidiam, sequé facit invidiosum et exosum. Ita Plutarch. in Apoph. Roman. Diogeni Cynico, utpote omnium contemptori, nemo invidebat. Crates Thebanus dicebat sé pro patria habere gloriæ contemptum et paupertatem, in quæ nullum jus exerceret fortuna. Aiebat item se Diogenis esse discipulum, qui nullis invidiæ patebat insidiis. Opes enim et honores plerumque conciliant invidiam, præsertim subiti, si sortem statumque valde excedant. Ita Laert. l. 6. c. 5. Præclare S. Ambr. l. 2. de Abraham. c. 4. *Grande,* ait, *virtutis mysterium, cui cito invidetur. Et ideo ut invidiam reprimat, humiliorem se præstare debet. Non sibi principatum super omnes vindicet ; non sibi soli sapientiam præcipuam arroget.* Idem in conflictu vitiorum et virtutum. *Invidia,* ait, *dicit : In quo illo vel isto minor es? Cur ergo eis vel æqualis, vel superior non es? Quanta vales quæ ipsi non valent? Non ergo tibi aut superiores, aut etiam æquales esse debent. Verum dilectio fraterna respondet : Si ceteros, ô homo, virtutibus antecellere te existimas, tutius in infimo quam in summo loco temetipsum servabis. Semper enim de alto pejor fit ruina. Quod si tibi, ut asseris, quidem superiores, alii æquales sunt, quid te lædet? quid te nocet? Cave prorsus ne, dum aliis locum celsitudinis invides, illum imiteris de quo scriptum est : Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum. Imitantur autem illum qui ex parte ejus sunt.*

Octava, denique invidia solet morte ejus cui invidetur finiri, et in commiserationem quin et admirationem verti.

Pascitur in vivis livor, post fata quiescit.

Et : *Virtutem incolumem odimus, sublatam ex oculis quærimus invidi.* Ita Julius Cæsar audiens tragicam necem Pompeii sui æmuli, illachrymavit.

Et contentiones sint in cordibus.] Contentiones solent esse in ore et linguis, non in cordibus : per *contentiones* ergo hic accipe studia et proposita contendendi : unde græce est ἐριθεια, id est, *contentio* in singulari, hoc est voluntas et cupido contendendi, quam parit zelus amarus, id est invidia. Qui enim fel invidiæ gerit in mentis stomacho, ille gestit illud ore exhalare, omnibusque contradicere, et cum omnibus contendere. Præclare Sapiens Proverb. 20. 3. *Honor est homini qui separat se à contentionibus : omnes autem stulti miscentur contumeliis,* id est contentionibus, quæ pariunt jactantque vicissim contumelias : *Puerilis* enim *animositatis est contendere,* ait S. Augustin. ep. 174. et studere ut alter alterum vincat, cum apud Christianos vincere debeat veritas, pax et humilitas. Et Seneca lib. 2. de Ira cap. 34. *Cum pari contendere,* inquit, *anceps est, cum superiore furiosum, cum inferiore sordidum ; pusilli hominis et miseri est repetere mordentem. Imbecilla se lædi putant, si tangantur, ut mures et formicæ ; quas si manu amoveris, ora convertunt.*

Quid quæris, ô Christiane, dum contra Christi leges cum fratre contendis? utique scientiæ ostentationem et victoriæ laudem apud tui similes, superbos et stolidos. Egregiam sane

laudem nancisceris, ut audias contentiosus, arrogans, ostentator, sophista : quanto gloriosius tibi foret abstinere jurgio, ut apud cordatos audire sapiens, pacificus, religiosus, mentis linguæque compos et dominus? Sapienter Papias S. Joannis Apostoli discipulus et S. Polycarpi sodalis audiens multorum clamoribus Dei veritatem lacerari : *Non multa dicentibus,* inquit, *sed vera tradentibus auscultandum est.* Ita Euseb. l. 3. c. 59. Religiose S. Ignatius, fundator Societatis nostræ, hoc suis documentum dabat :

Nulli vel minimo quavis ratione repugnes :
Cedere te potius, quam superare juvet.

Et S. Bern. l. de Modo bene vivendi c. 17. *Viri mites,* ait, *semper despiciunt lites.* Et mox : *Si detractio et jurgia sunt in claustro, ubi est taciturnitas regularis, ubi sanctitas religionis, ubi silentium Ordinis, ubi religiositas monasterii, ubi vinculum charitatis, ubi pax unitatis, ubi concordia fraternitatis, ubi amor socialis? Heu proh dolor! periit taciturnitas regularis, ablata est sanctitas religionis, defecit silentium Ordinis, ad nihilum devenit religiositas monasterii, annullata charitas fraternitatis : sed si illi qui in pace debent vivere, incipiunt contendere, litigare, detrahere, ubi est vita tranquilla, ubi vita quieta, ubi vita pacifica, ubi vita honesta, ubi vita modesta, ubi vita casta, ubi vita contemplativa, ubi vita angelica?* Et inferius : *Contentio lites parit : contentio pacem cordis extinguit : contentio rixas gignit : contentio jurgia seminat : contentio faces odiorum accendit : contentio concordiam rumpit ; contentio conturbat oculum mentis.* Modum eam excludendi subdit, si quis ubique eligat viliora, ac concludens ait : *In nulla causa decertare studeas, nisi ut soli Deo placeas.*

NOLITE GLORIARI ET MENDACES ESSE ADVERSUS VERITATEM.] q. d. Si sentitis in mente ardorem contendendi, nolite illum sequi, eumque per os verbaque egerere et exerere, ut gloriose et mendaciter oppugnetis veritatem; sed potius ardorem hunc silentio reprimite, et ratione compescite. Unde Græca habent, *ne gloriemini, et mentiamini contra veritatem;* Syrus, *ne intumescatis adversus veritatem, et mentiamini.* Qui enim libidine contendendi agitur ex studio contradicendi, ut scilicet videatur esse prudentior, vel doctior cæteris omnibus, tam veris quam falsis contradicit omnesque et omnia impugnat; ac proinde necessum est ut sæpe inaniter glorietur et mentiatur contra veritatem; uti clare videre est in sophistis et hæreticis, qui agnitam veritatem impugnant. Significat Jacobus zelum, sive invidiam matrem et fontem esse contentionis, jactantiæ et mendaciorum. Porro sicut summum decus est tueri veritatem, ita summum dedecus est eam impugnare et propugnare falsitatem : quod faciunt invidi et contentiosi. Quocirca cum quæreretur quidnam esset fortissimum, unusque responderet esse regem, alius esse vinum aut mulieres, Zorobabel rem acu tangens respondit esse veritatem, de qua perorans coram Dario rege, impetravit ab eo toti genti suæ plenam solutionem captivitatis Babylonicæ et templi reædificationem. Vide 3. Esdræ 3. v. 12. et seq. usque ad v. 47. c. 4.

Præclare S. August. epist. 9. ad S. Hieron. *Incomparabiliter,* ait, *pulchrior est veritas Christianorum, quam Helena Græcorum : pro ista enim fortius nostri Martyres adversus hanc Sodomam, quam pro illa illi heroes adversus Trojam dimicaverunt.* Idem epist. 7. ad Marcellinum : *Nimis,* ait, *perverse seipsum amat, qui et alios vult errare, ut error suus lateat.* Demosthenes rogatus, *quid Deo simile haberent homines,* respondit : *Benigne facere, et veritatem amare.* Ita Maximus serm. 8. Pythagoras asserebat hæc duo divinitus hominibus data esse longe pulcherrima, veritatem amplecti et beneficiis operam dare : utrumque enim cum deorum immortalium operibus comparari posse. Ita Ælianus lib. 12. Variæ historiæ.

Denique veritas et charitas sorores sunt, adeoque Deus per essentiam tam est veritas quam charitas : qui ergo veritatem oppugnat, oppugnat pariter charitatem, ipsumque Deum, qui est prima veritas et increata charitas. Remedium igitur contentionis et clypeus veritatis est charitas. Nam, ut ait Apostol. 1. Corinth. 13. 4. *Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Et S. Bernardus tract. de duodecim Gradibus humilitatis : *Bona,* inquit, *est via humilitatis, qua veritas inquiritur, charitas acquiritur, generationes sapientiæ participantur. Denique sicut finis legis Christus, sic perfectio humilitatis cognitio veritatis. Christus cum venit, attulit gratiam : veritas quibus innotuit, dat charitatem ; innotescit autem humilibus : humilibus ergo dat gratiam.* Tres igitur sociæ et comites inseparabiles, ac quasi tres Christianæ Charites sunt humilitas, veritas et charitas.

Idem paulo post tres veritatis gradus assignat Primum, quo Deum et Christum ac nos ipsos agnoscimus, ideoque eum summe reveremur, et nos sub eo summe humiliamus. Secundum, quo proximorum culpas et miserias pervidemus, eisque compatimur. Tertium, quo Deum contemplamur, partim hic in ænigmate, partim in cœlo facie ad faciem per visionem beatificam, juxta illud : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Ad primum,* inquit, *ascendimus per laborem humilitatis, ad secundum per affectum compassionis, ad tertium per excessum contemplationis. In primo veritas reperitur severa, in secundo pia, in tertio pura. Ad primum ratio ducit, qua nos discutimus ; ad secundum affectus perducit, quo aliis miseremur ; ad tertium puritas rapit, qua ad invisibilia sublevamur.*

Tropolog. Beda explicat, q. d. Jacobus : Nolite, ô Christiani, mentiri Deo, cui in baptismo promisistis vos abrenuntiare Satanæ et pompis ejus : hisce enim non abrenuntiatis si bona vestra insolentius jactetis, et gloriosius supra, imo contra veritatem mendaciter prædicetis. Magis ad mentem S. Jacobi dicas eos Deo mentiri, qui cum ejus cultores se profiteantur, proximis tamen, quos Deus ut seipsos diligere jubet, irascuntur, indignantur, invident, cum eisque contendunt et rixantur, in eoque quasi re præclare et animose gesta gloriantur.

15. NON ENIM EST ISTA SAPIENTIA (zelum amarum habentis et contentiosi, qui gloriam aucupatur, ideoque veritatem mendaciter oppugnat, ut videatur cæteris sapientior) DESURSUM DESCENDENS, (cœlitus à Deo Patre luminum, ut dixit c. 1. v. 17. infusa) SED TERRENA, ob avaritiam, qua quærit opes terrenas : ANIMALIS, ob

gulam et luxuriam, qua concupiscit voluptates sensibiles ventris et veneris, ideoque illius Deus venter est, ut ait Apost. Philip. 3. v. 19. DIABOLICE,] ob superbiam, qua ambit præ cæteris excellere et honorari : atque ad id subtiles modos, dolos et astus adinvenit, quorum auctor et antesignanus est diabolus. Ex adverso sapientia vera viri et doctoris humilis, pacifici et sancti est cœlestis, spiritalis, divina. Antistropha huic Jacobi sententiæ est illa S. Joan. epist. 1. cap. 2. 16. qui mundo tribuens id quod Jacobus sapientiæ terrenæ et mundanæ ait : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt*, etc. *Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est*, puta gula et luxuria, et *concupiscentia oculorum*, avaritia; *et superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo.* Antistropha quoque, et magis est illa S. Pauli 1. Cor. 3. v. 3. *Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis et secundum hominem ambulatis?* ubi Theod. *Carnalis*, ait, *est, qui contentus est propriis cogitationibus, et spiritus doctrinam non admittit.* Ambrosiaster vero : *Qui pecoribus similis*, ait, *sensum suum in terram deprimit : ideoque non assequitur nisi ea quæ videt, nec putat aliquid posse fieri nisi quod scit; ideo quidquid aliud audit quam norit, stultum judicat.* Talis est hæresis et hæreticus, qui non capit nisi terrena, non capit nisi quæ sentit sensibusque tangit, non sapit nisi ventrem et venerem, non ambit nisi primas cathedras, ideoque plenus est invidia, odio, contentione, fastu, ostentatione, falsitate.

Nota. Primo, *Animalis*, græce ψυχικὸς, est is qui non cupit nec capit et sapit aliud, quam id quod familiare et gratum et animæ et animali, puta sensui, gustui et tactui, instar bestiæ, quales sunt gulosi et libidinosi : et, ut ait S. Bernardus, vel quisquis est auctor, lib. de Solitar. vita, qui corporis sensibus et animæ sensitivæ desideriis servit, et pascit ac nutrit sensualitatem suam, adeoque nescit nisi corporeas voluptates imaginando cogitare : ubi et addit tres esse gradus fidelium, nimirum primum incipientium; secundum, proficientium; tertium, perfectorum : primum esse animalem, secundum rationalem, tertium spiritualem. Sic Tertul. jam factus Montanista, orthodoxos per scomma vocabat *psychicos* (male Rhenanus legit *Physicos*) id est animales, se vero Montanistas spirituales, eo quod tres Quadragesimas jejunarent, damnarent secundas nuptias, etc., quas admittebant orthodoxi. Unde scripsit librum de Jejuniis contra Psychicos. Rursum animales sunt hæretici, qui nil credunt nisi quod vident et intelligunt. Nam, ut ait S. August. serm. 151. de Temp. *in homine carnali tota regula intelligendi est consuetudo cernendi.*

Secundo, hæc mundi sapientia vocatur *diabolica*, tum quia diabolum imitatur. Primus enim diabolus in cœlo invidit Deo suum thronum gloriæ, eamque voluit invidere, ac contra eum, ejusque angelos contendit et dimicavit, sed victus dejectus est in tartara. Tum quia à diabolo suggeritur et aspiratur, unde *invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Sap. 2. 24. *Ipseque Princeps est super omnes filios superbiæ* Job. 41. 25. Insuper est mendax et mendacii pater. Joan. 8. v. 44. Sic Paulus Elymam sibi et Christo resistentem vocavit *filium diaboli.* Actorum. 13. 10. S. Polycarpus Marcionem vocavit *primogenitum Satanæ*, teste Eusebio lib. 4. hist. c. 14. Iren. lib. 3. c. 3. eumdem vocat *os diaboli.* Porro alludit Jacobus ad etymon dæmonum : dæmones enim dicuntur quasi δαήμονες, id est *scientes;* et his antiqui tribuebant scientiarum et artium humanarum inventionem; sed proprie ipsi primi auctores et inventores sunt sapientiæ mundanæ, quæ docet se suaque extollere, alios deprimere, ideoque miscere lites, contentiones et bella.

Igitur sapientia cœlestis est *theodora*, id est, Dei donum; terrena vere est *dæmonodora*, id est, diaboli donum. Ita Theodora uxor sapiens Justiniani Imper. facta dictaque est dæmonodora, cum Justinianum ad hæresin Eutychianam inflexit, Concilium Chalcedonense proscripsit, Sylverium Pontificem cœpit morique coegit, aliaque nefanda perpetravit. Ita Theophilus in vita Justiniani. Quocirca cœlitus icta misere periit. Audi Victorem Tunensem in Africa Episcopum in Chronico : *Theodora Augusta*, inquit, *Chalcedonensis Synodi inimica, canceris plaga toto corpore perfusa, vitam prodigiose finivit.*

16. UBI ENIM ZELUS ET CONTENTIO.] *Contendere*, ait S. Aug. l. 4. de Doctr. Christ. c. 28. *est non curare quomodo error veritate vincatur, sed quomodo tua dictio dictioni præferatur alterius.*

IBI INCONSTANTIA.] Græce ἀκαταστασία, id est *inconstantia*, inquietudo, inordinatio, turbulentia, perturbatio, agitatio, tumultus, seditio, ut dixi v. 8. Probat Jacobus superbam invidorum et contentiosorum sapientiam esse terrenam, animalem, ac præcipue diabolicam, ex eo quod sit inconstans et turbulenta, cieatque tumultus et seditiones : id quod in hæresi et hæreticis omni sæculo visum est, qui internecina bella et seditiones ubique suscitarunt. Unde hic verum est illud Tertul. lib. de Pallio cap. 5. *Plus togæ læsere Rempubl. quam loricæ;* plus scilicet in pace hæresiarchæ læserunt Ecclesiam, quam in persecutione tyranni : nam hinc Martyres extitere invicti et gloriosi, inde perfidi et seditiosi apostatæ qui Rempubl. et Ecclesiam discideruut.

Porro quam hæretici in hæresi sint inconstantes, patet ex eo, quod indies nova cudant dogmata prioribus contraria. Unde S. Hilarius libro ad Constantium et Constantem Imper. asserit, *Arrianis annuas et menstruas esse fides :* circumferuntur enim omni vento doctrinæ, ut ait Apostol. Ephes. 4. v. 14. Id in Luthero clare ostendit Cochlæus in lib. cui titulus : *Lutherus septiceps.* Ratio est prima, quia hæretici aguntur spiritu vertiginis. Secunda, quia hæresis est mendax, omne autem mendacium debiles habet pedes; mox enim ejus falsitas deprehenditur, tumque aliam adinvenit, qua se obvelet et sustentet. Tertia, quia diabolus ejus auctor mendax est et pater mendacii, atque suos ad nova semper et majora scelera, ac blasphemias impellit ex odio immani quo flagrat in Deum, et invidia qua uritur in homines, ne in thronos cœlestes quibus ipse excidit, succedant.

ET OMNE OPUS PRAVUM.] Ex invidia enim et contentione oriuntur rixæ, contumeliæ, blasphemiæ, pugnæ, cædes, rapinæ, schismata, hæreses, sacrilegia, omniaque scelera : nam, ut ait S. Cyprianus serm. de zelo et livore, *Mala cætera habent terminum, et quodcumque delinquitur, delicti consummatione finitur : invidia terminum non habet permanens jugiter malum, et sine*

fine peccatum. Vide quanta scelera et clades secuta sint ex hæresi Donatistarum apud Optatum contra Parmen. et Arrianorum apud Athanas. Apolog. 2. et Victorem Uticens. in Wandalica. Quale incendium Galliæ, Germaniæ, Angliæ, etc., intulerint Lutherus et Calvinus, nuper spectavimus, atque adhuc spectamus et lugemus.

17. QUÆ AUTEM DESURSUM EST SAPIENTIA PRIMUM QUIDEM PUDICA EST.] Opponit falsæ invidorum, superborum et contentiosorum sapientiæ, quæ terrena est, animalis et diabolica, veram et sanctam fidelium et doctorum humilitati, paci, charitati et ædificationi studentium, ejusque novem, partim signa, partim effectus et dotes assignat. Sapientiam intelligit cognitionem sapidam (puta cum affectu, amore et praxi conjunctam) rerum divinarum, quæ fideles ad salutem et beatitudinem perducunt. Sapientia ergo hæc complectitur omnia mysteria fidei, totam doctrinam Christianam, Theologiam, S. Scripturam, Ethicam, cæteraque quæ ad christiane sancteque vivendum conducunt. Hæc *desursum est*, quia à Christo tradita, quia hac de causa è cœlis descendit, ut eam nos doceret. Rursum, quia sine supernaturali Dei lumine gratia intelligi et capi nequit, requirit tamen ipsa hominis cooperationem et studium : licet enim Apostoli eam infusam acceperint, tamen posteri eorum proprio studio et labore eam acquirere et augere debent : unde qui plus ei vacant, sapientiores evadunt iis qui minus ei student : uti videre est in Theologia et Theologis. Hi enim lumen et dogmata fidei sequentes, ex iis speculando alias veritates scrutantur, et quasi conclusiones theologicas ex suis principiis eliciunt et colligunt. Denique *desursum est*, quia earum sapor et amor ac praxis sine gratia Dei haberi nequit.

Porro conferre libet hasce novem antitheses veræ et falsæ sapientiæ, quasi hic assignat S. Jacobus, easque in sinopsi lectori spectandas proponere. Prima est, sapientia vera est pudica : falsa est animalis et impudica. Secunda, vera est pacifica : falsa, contentiosa. Tertia, vera est modesta : falsa, petulans et superba. Quarta, vera est suadibilis : falsa est impersuadibilis, quia nec à vera quidquam sibi suaderi sinit, nec seipsam cordatis persuadere potest. Quinta, vera est bonis consentiens : falsa est invidens, adversans et rixora. Sexta, vera est plena misericordia : falsa, immisericors, crudelis et impia. Septima, vera est plena fructibus et operibus bonis : falsa, plena operibus malis cunctisque sceleribus. Octava, vera neminem temere judicat : falsa judicium præcipitat, quia omnia censurat et carpit. Nona, vera est sincera : falsa est simulata et hypocrita. Simili modo ait Apost. 1. Cor. 13. *Charitas* (quam includit sapientia hæc practica) *patiens est, benigna est, non æmulatur, congaudet veritati*, etc. *Jam si sapientia pudica est, pacifica, modesta, suadibilis, etc.* ergo et sapiens pudicus est, pacificus, modestus, suadibilis, etc. Est argumentum à conjugatis : sapiens, inquam, tum discipulus, tum doctor : doctorum etiam et magistrorum causa hæc dicit Jacobus, ut patet v. 1.

PUDICA EST,] ἁγνὴ, id est *pura*, casta, intemerata est instar agni, tum à libidine, tum à quavis impuritate pravæ doctrinæ, sceleris et vitii, ut possit pingi specie S. Agnetis, quæ pudicitiæ æque ac sapientiæ Christianæ fuit exemplar et viva effigies, ut jure vocetur sitque Agnes. Nulla enim religio aut secta docet jubetque tantam puritatem tam castitatis et morum, quam veritatis et dogmatum, atque Christiana. Hæc enim de Deo docet omnia augusta, divina, eoque digna. Hæc sancit omne quod honestum est. Hæc jubet conjuges caste in conjugio vivere, sibi servare fidem, nec eo uti ad voluptatem, sed ad suscipiendam educandamque Deo prolem. Hæc consulit virginitatem, cælibatum et continentiam, eamque omnibus sacerdotibus et Religiosis severe præcipit et indicit.

Quocirca hæc puritas doctrinæ, castitatis et vitæ est una è notis veræ fidei, et religionis et Ecclesiæ. Ab ea enim longe aberrarunt et aberrant Gentiles, Mahometani, hæretici : docent enim cælibatum et continentiam homini esse impossibilem : fornicationem esse licitam censuerunt Gentiles, ut colligitur Actor. 15. v. 29. Mahometanis tot in Alcorano permittuntur concubinæ, quot possunt alere. Idem de Deo et Christo multa docent insulsa, ridicula, blasphema, et æque ac Judæi in Thalmud. Hæresiarchas omnes suas habuisse amasias, docet. S. Hier. epist. ad Ctesiphontem : scilicet Simon Magus, inquit, habuit Helenam meretricem : Nicolaus Antiochenus choros duxit femineos : Apelles habuit Philumenem; Montanus, Priscam et Maximillam; Elpidius, Agapen; Priscillianus, Gallam, etc. Gnostici docebant frequentandam esse fornicationem quasi palmarie vitium, conceptum vero impediendum esse per abortum, fœtumque enecandum, teste Epiphan. hæres. 26. qui et hæresi 27. tradit Carpocratianos docuisse quemque satagere debere ut ante mortem omnibus sceleribus se commaculet, alioqui toties revocandum ad vitam, donec id perfecerit et perpetrarit. Quam impia et impura doceant Lutherus et Calvinus, omnibus liquet, ut Deum esse auctorem operum tam malorum quam bonorum : Christum in cruce perpessum esse pœnas gehennæ, ideoque desperasse : Religiosis et sacerdotibus violanda esse vota castitatis : non esse liberum arbitrium; sed electos à Deo in cœlum; reprobatos in tartara unius Dei decreto, quasi fato agi et impelli; si uxor nolit rem uxoriam, vocandam ancillam, omnia opera fidelium, etiam pia et sancta, esse peccata : nulla esse eorum merita; sola fide quemque salvari; quemque fidelem certum esse de sua fide gratia et salute, ac credere debere fide divina se iturum in cœlum ad gloriam æternam.

Denique Dionys. Carth. ait veram sapientiam, puta fidem et professionem Christianam, esse pudicam, eo quod perspiciat quanta cujusque peccati sit fœditas, ideoque illud cane pejus et angue fugiat et execretur; ac eo quod summæ veritatis, ac primæ lucis pulchritudinem, puritatemque contemplans, pariat in mente castum pudorem et timorem, quo homo timet et erubescit se in divinæ Majestatis præsentia et aspectu viliter turpiterque gerere, aut aliquid cogitare, dicere, agere, quod Dei oculos offendat. Insuper quia de præteritis culpis salubrem injicit pudorem, ut eas contritione et lachrymis deleat. Tertio, quia facit ut ad contemplationem Dei reverenter, pure et verecunde quis accedat, non præsumptuose, impudenter ac temerarie ingerens se ad divinorum ac incomprehensibilium perscrutationem.

Moral. Disce hic comitem individuam et quasi sororem sapientiæ esse pudicitiam. Hinc ambæ

apparuerunt in somnis S. Gregorio Nazianzeno, eumque complectentes dixerunt : *Ne moleste accipias, juvenis; notæ tibi et familiares sumus : altera enim ex nobis sapientia, altera castitas dicitur; et missæ sumus à Domino tecum habitare; quia jucundum nobis et mundum in tuo corde habitaculum præparasti.* Uti refert Ruffinus in prologo Apolog.

S. Joannes Apostolus, quia virgo, meruit ex pectore æternæ sapientiæ Christi Domini haurire arcana cœlestia. Unde quasi aquila libravit se ad thronum S. Trinitatis, Verbique æterni generationem enarravit. Ibi quoque didicit Apocalypsim, quæ tot habet sacramenta ; quot verba inde unus ipse Apostolorum cognominatus est Theologus. Similis ei fuit Joannes Baptista æque ac Elias uterque virgo, uterque Propheta : nam, ut ait Clemens Alexand. 3. Pædag. c. 2. *Domi, foris, semper comes est sapientis pudicitia.*

S. Thomas Aquinas Doctor Angelicus, angelicam habuit tam castitatem quam sapientiam, adeoque ab angelis in ecstasi singulo castitatis (quod Vercellis in templo P. Dominicanorum religiose asservatur) accinctus, omni deinceps libidinis sensu caruit.

Illustre est quod legimus in vita S. Laurentii Justiniani : hic enim cum annum ageret decimum nonum, qui ætatis flexus lubricus esse solet, apparuit ei Sapientia, puta Christus Dominus specie virginis, cujus splendor solis splendorem superabat, cique dixit : *Cur, adolescens, cor tuum effundis, et pacem sectando teipsum per multa spargis? Ego, si me sponsam accipere decreveris, pacem hanc certissime polliceor.* Ille tam magnifica specie et promisso delectatus, quæsivit quod ei nomen, quod genus esset? Tum illa : *Ego sum Dei sapientia, quæ ad homines reformandos humanam formam assumpsi.* Quare cum Laurentius se vero eam libentissime accipere respondisset, illa dato osculo læta et gaudens abscessit : ipse autem non multo post in monasterium ad oblatas nuptias sapientiæ et castitatis se contulit, in quibus abunde id expertus est, quod promisso acceperat.

Simili visu et schemate sapientia despondit sibi Henricum Susonem qui proinde inter alia scripsit officium de æterna Sapientia, omnibus ejus studiosis et discipulis quotidie recitandum, indeque vocatus est *Minister æternæ Sapientiæ,* ut habet Vita ejus c. 4.

Simili, sed reali et visibili specie, Sapientia incarnata, puta Christus Jesus, despondit S. Catharinam Senensem virginem castissimam, quæ licet litterarum rudis, inde facta est sapientissima; quin et prophetiæ spiritum accepit. Annulus hujus ejus desponsationis Romæ in monte, qui vulgo dicitur Magnanapoli, religiose asservatur, ubi mihi ostensus est.

Causa est, quod sapientia sit cœlestis et purissimæ sapientiæ Dei participatio, Deique filia, ut aiebat Alfonsus Arragonum rex apud Panorm. lib. 3. Requirit ergo cor purum et cœleste, non spurcum et libidinosum : hoc enim in cœno luxuriæ demersum, cœlestem hanc lucem intueri nequit. Unde Sapiens pingens sapientiam c. 7. 25. *Vapor est,* inquit, *virtutis Dei, et emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera, et ideo nihil inquinatum in eam incurrit; candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius.* Ex adverso Osee c. 4. 11. ait : *Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferunt cor.* Ita Bersabee dementavit Davidem virum secundum cor Dei : et mulieres dementarunt Salomonem mortalium sapientissimum, cæcitas enim mentis est proles luxuriæ, ait S. Gregor. l. 31. Moral. Nimirum *cum in aliquem supercecidit ignis concupiscentiæ, videri ab eo nequit sol intelligentiæ,* ut docet S. Aug. in psalm. 57. v. 9. Ita Dalila excæcavit Samsonem. Judic. 16. et libido Sodomitas. Gen. 19. 11.

Idem viderunt Gentilium Philosophi. Seneca, præfat. ad Controversias, asserit nil tam mortiferum esse ingeniis, quam luxuriam. Plato semper fuit continens ob sapientiæ studium, ait S. Aug. lib. de vera relig. Idem Academia locum morbidum, ideoque aptum libidini reprimendæ, ad scholam elegit. Hinc Platonis ad Musas monitum fuit teste Laertio : *Venerem exhorrescite, Nymphæ;* Cui Musæ : *Aliger huc ad nos non volat ille puer.* Hinc et Musas vocarunt Camœnas, quasi castæ mentis. Sybillæ sapientissimæ fuere virgines, imo ob virginitatem adeptæ sunt donum prophetiæ, ait S. Hieron. contra Jovin. et Lactant. l. 1. Divin. institut. Averroes l. 7. Physic. ait castitatem et alias virtutes, quibus concupiscentia carnis comprimitur, plurimum valere ad acquirendas scientias speculativas. Hippocrates copulam carnalem vocabat parvam epilepsiam : quia in ea homo ita à turpi voluptate abripitur, ut videatur esse epilepticus, et rationis mentisque impos : libido enim, ait Nyssenus lib. de Virg. cap. 4. et seq. facit homines quasi porcos, quorum oculi in cœnum demersi cœlum et cœlestia aspicere nequeunt. Cicero in Hortensio, asserit luxuriæ motum uti maximus est, ita inimicissimum esse sapientiæ. Hinc Venus, juxta nonnullos, dicta est à *ve* quæ est particula privativa, significans *sine,* et νοῦς, id est, *mens,* quasi *sine mente,* amens; aut potius, ut Varro, à *viendo,* id est, ligando et vinciendo, quia ligat rationem, mentem et voluntatem amantis. Venus enim ex homine facit brutum; ex adverso castitas ex homine facit angelum.

PACIFICA,] εἰρηνική, id est, *pacis amans,* pacem colens in se, et consequenter eamdem aliis communicans et concilians; Syrus, *plena pace.* Ex adverso falsa sapientia, ut hæresis ἐριστική, id est *contentiosa,* est amans litium, rixarum et bellorum; uti omni ævo, sed præsertim nostro in Gallia, Scotia, Germania, Hollandia, etc. vidimus. Causæ sunt. Prima, quia vera sapientia est donum Spiritus sancti, qui concordiæ et pacis est auctor; falsa est enim donum diaboli, qui discordiæ, belli et seditionum est princeps. Secunda, quia sapientia hæc fide et charitate nititur, quæ una eademque est in omnibus fidelibus : unde *multitudinis credentium erat cor unum, et anima una,* ait S. Lucas Actor. 4. 32. Ita sapientissimus mortalium fuit rex Salomon, id est pacificus. Hinc Christus Marci 9. v. ult. *Habete,* inquit, *in vobis sal, et pacem habete inter vos.* Sal est symbolum sapientiæ, hujus comes est pax : *Sal quippe sine pace non est virtutis donum, sed damnationis augmentum,* ait S. Gregorius. Unde et sal priscis erat symbolum amicitiæ, ideoque hospitibus ante alios cibos apponi solebat, teste Pierio Hieroglyph. 13. Unde proverbium : *Non oportet transgredi salem et mensam,* id est, jus amicitiæ. Sed audi S. Gregorium 2. parte Pastor. c. 4. *Per sal,* inquit, *sapientia designatur. Qui loqui igitur sapienter nititur, magnopere me-*

tuat ne ejus eloquio audientium unitas confundatur. Hinc Paulus ait: Non plus sapere quam oportet; sed sapere ad sobrietatem. Hinc in sacerdotis veste juxta divinam vocem tintinnabulis mala punica conjunguntur. Quid enim per mala punica, nisi fidei unitas designatur? nam sicut in malo punico uno exterius cortice multa interius grana muniuntur; sic innumeros Ecclesiæ populos unitas fidei contegit, quos intus diversitas meritorum tenet. Tertia, quia pax non est aliud quam tranquillitas ordinis : ordinare autem est sapientis, ait Aristot. l. 1. Metaphysic. Quarta, quia Sapientia increata, à qua nostra creata derivatur, est Christus, qui est pax nostra Ephes. 2. 14. et princeps pacis. Isaiæ 9. v. 6. Unde suis valedicens Joan. 14. 27. *Pacem*, inquit, *relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Hinc de Cherubinis, (qui creatæ sapientiæ primum vivumque sunt exemplar) dicitur Ezech. 1. v. 9. *Junctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum*, in signum pacis et concordiæ. Quinta, quia sapientia est humilis; humilitas autem est mater pacis: unde humiles jugiter sunt in pace; cum inter superbos semper sint jurgia. Sexta, quia sapiens scit omnia bona pace constare, omnia vero mala dissensione, lite et bello conflari; omni ergo conatu pacem sectatur, lites fugit. Hinc apostolus Philip. 4. 7. *Et pax Dei*, inquit, *quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras.* Vide ibi dicta. Et S. August. 19. Civit. c. 13. *Pax corporis*, inquit, *est ordinata temperatura partium. Pax animæ rationalis, ordinata requies appetitionum. Pax animæ rationalis, ordinata cognitionis actionisque consensio. Pax corporis et animæ, ordinata vita et salus animantis. Pax hominis mortalis et Dei immortalis, ordinata in fide sub æterna lege obedientia. Pax hominum, ordinata concordia. Pax domus, ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium. Pax civitatis, ordinata imperandi atque obediendi concordia civium. Pax cœlestis civitatis, ordinatissima et concordissima societas fruendi Deo et invicem in Deo. Pax omnium rerum, tranquillitas ordinis. Ordo est pariurn dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio.*

Modesta,] ἐπιεικής; Syrus, *mansueta, dimissa, humilis;* Tigurina, *æqua;* Vatabl. et Pagnin. *morigera;* alii, *moderata, humana, facilis, civilis;* nam mundi sapientia facit superciliosos, morosos, difficiles : alii, *moderata, sedata, honesta, laudabilis;* hæc enim omnia significat τὸ ἐπιεικές. Modestiæ mater est humilitas, filia verecundia, soror patientia, magistro exercenda : nam, ut ait Cicero pro Roscio, Comœdo, quo quisque est solertior et ingeniosior, hoc docet iracundius et laboriosius; et quod ipse celeriter arripuit, tanquam tarde à discipulis percipi videns, discruciatur. Porro modestia in schola et disputatione est necessaria, ut refrænet juvenum petulantiam et audaciam, unde modestia ab oratoribus vocatur *Flos et decus adolescentum :* ab Euripide, *donum pulcherrimum deorum :* à S. Ambrosio, *purpura virtutum.* Ejus hæc est sanctio : *Sic habitum, vocem, vultum, gressum compone, ut deceat Deum, ut te ornet, ut proximum ædificet; alioqui decus latet in animo, dedecus patet in voce, vultu, habitu.* Vide dicta Philipp. 4. 5. et S. Nazianz. orat. 26. quæ est de moderatione in disputatione servanda. Vere S. Bernardus serm. 36. in Cantic, *Multa scientia*, inquit, *ingesta stomacho animæ, si charitate decocta non fuerit, convertitur in pravos noxiosque humores, atque inflationes mentisque tormina facit.*

Suadibilis.] id est, persuasu facilis. Græce εὐπειθής; Syrus, *obediens*, obsequens; Pagnin. *morigera;* Tigur. *tractabilis;* alii, *facile cedens et credens.* Ex adverso falsa sapientia, ut hæresis est ἀπειθής, id est, *impersuasibilis*, intractabilis, cerebrosa, dura, cervicosa, pertinax, obstinata in sua sententia et errore. Sapientis ergo est rationi cedere, veritati cor pandere, errorem agnoscere, sententiam mutare. Unde Apostolus Episcopum, qui est doctor populi, vult esse docibilem. 2. Tim. 2. 24. Et Salomon postulans à Deo sapientiam, petiit *cor docile*, Hebr. *audiens*, 3. Reg. c. 3. Docilitas enim est pars prudentiæ, ait Plato apud Macrob. lib. 1. in Somnium Scipionis. Quia, ut ait S. Cyprian. epist ad Stephan. Episcopum, et doctorem, *oportet non tantum docere; sed etiam discere : quia idem melius docet qui quotidie proficit, et crescit discendo meliora.* Ita S. Aug. S. Damasus, aliique doctores consuluerunt. S. Hieron. in difficultatibus S. Script. Vide S. August, in epistolis, quas plures de eis dedit ad eumdem. Idem Augustin. ad Dulcitium quæst. 3. *Ego*, inquit, *plus amo discere, quàm docere.*

Porro τὸ *suadibilis* dupliciter accipi potest. Primo, passive, ut sit idem quod quæ *facile sibi persuaderi* sinit. Secundo, active, *quæ facile persuadetur aliis*, quia ipsa facile seipsam iis persuadet : sapientia enim tantam veri et honesti habet speciem, ut illico audienti se suaque persuadeat. Ita religio Christiana nil docet absurdi, nil turpe, nil inopinabile; sed omnia naturæ et rectæ rationi conformia; uti contra Gentiles docent Euseb. in lib. de Demonstr. August. in lib. de Civit. et alii.

Ex adverso Philosophi et hæretici plurima docent absurda, turpia, incredibilia. Lycurgus dabat impunitatem adulteriis. Persæ cum sororibus et fratribus inibant conjugia. Plato, qui à suis nuncupatur sidus sapientiæ, uxores voluit esse communes, et præposteram libidinem commendat lib. 3. de Republ. In solo fere Timæo hæc habet paradoxa, imo contraria. Primum, mundum creatum esse non ex nihilo, sed ex atomis. Secundum, mundum facit animal intelligens æternum, eo quod pulcherrima creatura, qualis est mundus, non possit esse sine intellectu. Tertium, hoc animal à Deo creatum esse ad ideam alterius animalis. Fingit enim ipse animal aliud universale, æternum, separabile et ideale, cujus exemplum Deus secutus sit in creando. Rursum, Deum esse animam mundi. Quartum, ignem et terram censet primo fabricata, deinde aere et aqua quasi vinculis fuisse colligata. Quintum, terram antiquissimam deorum cœlo contentorum facit. Sextum, mundum ait ali senio et consumptione sui ipsius, et tamen æternum esse. Septimum, mundum appellat Deum beatum. Octavum, animam mundi ponit in ejus medio, abjectissima scilicet parte. Nonum, stellas censet animalia esse, imo deos. Decimum, solem in secundo à terræ circulo statim à luna positum, quod Astronomi et ratio ipsa confutat. Undecimum, astra ex igne esse fabricata, ideoque ignea. Duodecimum, terram esse circa polum suspensam, antiquissimam et primam deorum (id est stellarum) qui intra cœlum sint geniti. Decimum tertium, fabulosam

dæmonum generationem ex terra et cœlo, et prosapiam per Oceanum et Thetidem productam, fidelem esse. Idem in Apolog. *Dæmones*, ait, *sunt deorum filii spurii*, unde deos facit adulteros. Decimum quartum, omnem animam statuit æternam et ingenitam. Decimum quintum, iniquos transmutari in ortu secundo in mulieres, aves et bestias pro cujusque delicto. Decimum sextum, delicta expiari per ignem et reliqua elementa. Decimum septimum, deos juniores fecisse hominis corpus ex quatuor elementis secundum atomos. Decimum octavum mundi generationem ait ex necessitatis et mentis cœtu mistam, quasi Deus coactus fuisset mundum generare, aut facere. Huc spectat quod de necessitatis filiabus, scilicet Parcis, scribit lib. 10. de Republ. et quod alibi habet de fortuna pariter gubernante mundum : et quod Deus necessitati non repugnet. Unde Marsilius Platonis interpres, duplicem Platonicorum sententiam affert. Primam Procli, mundum factum esse ; secundam, mundum non esse factum, sed semper fuisse et fluxisse à Deo, quasi fiat semper et fluat. Decimum nonum, ante mundum elementa in suis fuisse sedibus inordinate mota; Deum ordinem attulisse et ornatum. Vigesimum, mundum esse Deum seipso sufficientem. Vigesimum primum homini dat plures animas, unam à Deo factam, alias duas mortales, perturbationi et libidini obnoxias, factas à Dei filiis, id est, stellis et dæmonibus, quarum unam jecori, alteram cordi indiderint. Vigesimum secundum, in jecore, ait, dii vaticinia expleri statuerunt, membro scilicet rationis experte, ne quis sit sapiens simul et vates. Quare nemo dum sanæ est mentis vaticinatur, sed cum vis prudentiæ somno, vel morbo oppressa aut divino aliquo raptu è suo statu est dimota; vaticinia enim esse pronuntiata furentis ingenii. Vigesimum tertium, hominem acquirere immortalitatem ex veritatis intentissimo intuitu : unde colligas animam per se non esse immortalem. Vigesimum quartum, anima, ait, cum semper divinum colat, ipsumque familiarem dæmonem in se habeat ornatissimum, fit beata. Hoc familiari dæmone valde gaudent Platonici, ob id magiæ suspecti, ut et Socrates. Vigesimum quintum, idem alibi docet animam ante corpus extitisse, ideoque cognitionem nostram non esse scientiam, aut potius discentiam, ut ita dicam, sed reminiscentiam, etc. Vigesimum sextum, ponit παλιγγενεσιαν, sive reditum rerum omnium, nimirum post duodecim millia annorum (quod spatium ipse magnum annum nuncupat : hic enim præcise continet annos 12554. ait Cicero l. 2. de Natur. deor.) omnia præterita in integrum revocanda esse, ut iterum fiant eo modo quo facta sunt.

Aristotelis, qui à S. Hieron. et aliis vocatur miraculum naturæ et ingenii, paradoxa sunt. Primum, mundum fuisse ab æterno. Secundum, primum motorem Orienti affigit. Tertium, asserit eum moveri fato et naturali necessitate. Quartum, futurorum contingentium non esse determinatam veritatem, nec Deum ea determinate scire. Quintum, de animæ mortalitate ita subinde loquitur, ut nonnulli asserant eum putasse animam esse mortalem : licet alii verius contrarium opinentur. Sextum, censet licere partum abigere, et liberis necem parare. Septimum, docet Dei providentiam non se extendere ad singularia. Octavum, lib. de Bonor. fortun. negat Deum curam gerere fortunitorum. Nonum negavit Dei providentiam se extendere infra lunam, Deumque curare sublunaria, si credimus Clem. lib. 5. Stromat. Nazianz. orat. 1. de Theolog. Ambros. 1. Offic. cap. 13. Decimum, motum et tempus censuit esse perpetuum, ideoque infinitum. Undecimum, ex nihilo nihil fieri : unde inferunt Deum non creasse mundum, sed omnia fecisse ex præjacente materia. Plura vide apud S. Justinum lib. de Error. Aristotelis. Stoicorum et Epicureorum absurda dogmata recensui Actor. 17. 18.

Vere Psaltes Psal. 118. 85. *Narraverunt*, inquit, *mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua :* nam in vera sapientia tum increata, tum creata et derivata, est *Spiritus intelligentiæ, sanctus*, ait Sapiens c. 7. 22. *unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, humanus, benignus, stabilis, securus*, etc., *intelligibilis, mundus, subtilis : omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia, attingit autem ubique propter suam munditiam.*

Bonis consentiens.] Hoc epithetum non est in Græco et Syro, illudque expungit Prosper de lib. Arbitr. Dion. Cajetan. Cathar. Gagneius et alii : legunt tamen Romani codices. Videtur ergo additum ad explicandum et determinandum *suadibilis*, nimirum quod sapientia sibi bona persuaderi sinat, non mala, ut bonis tam rebus quàm hominibus sit consentiens, non malis, nimirum eis credendo, eorum bona consilia et opera probando, imitando, diligendo et promovendo, nulli invidendo aut resistendo, neminem vituperando, et à sancto opere impediendo. Ex adverso hæreses et hæretici bonis dissentiunt, malis consentiunt. Ita Lutherus in Colloquiis mensalibus respuit Chrysostomum ut loquacem, Basilium ut abjectum, Cyprianum ut infirmum Theologum, Hieronymum ut errantem et de hæresi suspectum, ac omnibus præfert Apologiam sui Melanchthonis : qui et alibi satanico fastu intonat, nihil se curare, si mille Cypriani, mille Augustini, mille Ecclesiæ contra se starent.

Mortaliter S. Aug. serm. 12. de Verbis Apost. *Nihil*, ait, *in te alteri resistit ? vide ne forte ideo non sit bellum, quia pax perversa est, forte in totum carni consentiens, et nulla rixa est.*

Plena misericordia.] Syrus רחמי *rachame*, id est, miserationibus ex intimis visceribus manantibus. Sapientia enim novit, didicitque illud Christi : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Matth, 5. 7. Ita S. Cyprianus serm. de lapsis : *Doleo*, ait, *fratres, vobiscum. Cum singulis copulo pectus meum, cum jacentibus jacere me credo, cum prostratis fratribus et me prostravit affectus.* Talis quoque fuit S. Job, ut patet c. 31. et S. Paulus 2. Corinth. 11. 29. *Quis*, ait *infirmatur, et ego non infirmor ? Quis scandalizatur, et ego non uror ?* et S. Leo serm. 10. de Quadragesima : *Pulchrum valde est et divinæ benevolentiæ comparandum, sui quemque in altero meminisse.* Porro Plinius l. 2. cap. 7. omnem divinitatem ponit in beneficentia : nam quasi atheus dubitat de Deo et numine, deos vero censet ab hominibus factos, fuisse non alios quam viros fortes et beneficos. *Deus*, ait, *est mortali juvare mortalem : et hæc ad æternam gloriam via. Hac proceres iere Romani : hac nunc cæ-*

festi passu cum liberis suis vadit maximus omnis ævi rector Vespasianus Augustus fessis rebus subveniens. Hic est vetustissimus referendi benemeritis gratiam mos, ut tales numinibus ascribantur. Quippe et aliorum omnium nomina deorum, et quæ supra retuli siderum et hominum, nata sunt meritis.

Misericors ergo et beneficus suis clientibus est Apollo, Æsculapius et Jupiter, id est, juvans pater. Idem de beneficis in deos relatis censet Cicero lib. 2. de legibus, et ex eo Lactantius l. 1. Inst.

ET FRUCTIBUS BONIS,] puta bonis operibus; hæc enim sunt effectus, partus et fructus sapientiæ.

NON JUDICANS.] Multi codices et interpretes delent τὸ *non* : et τὸ *judicans* nectunt sequenti, leguntque *judicans sine simulatione*, q. d. quasi Judicans sincere, non ficte et simulate; verum codices Romani, Lovanienses, Lugdunenses, Regii et cæteri, æque ac Syrus et Græcus legunt, *non judicans;* Pagnin. et Tigur. *nihil dijudicans*, scilicet temere, non usurpans sibi munus judicandi, non faciens se judicem aliorum eos carpendo, censurando, spernendo, juxta illud Christi : *Nolite judicare, ut non judicemini.* Matth. 7. 1. q. d. Nolite in aliorum facta et mores curiose inquirere, carpere, censurare, damnare : ita fiet, Deo juste disponente, ut vicissim ab aliis non judicemini, censuremini et damnemini.

Secundo Græcum ἀδιάκριτος quasi passivum noster Turrianus l. 4. de Dogmat. charact. vertit passive, *quæ non judicatur,* quia scilicet certa et indubitata est, ut ipsa potius de aliis judicare debeat, quam judicari; quomodo Apostolus ait spiritualem à nemine judicari. 1. Corinth. 2. 15. Hinc S. Augustin. lib. de Gratia et lib. Arbitr. ad Valent. c. ultim. ἀδιάκριτος vertit, *inæstimabilis*, q. d. Sapientia adeo sublimis et pretiosa est, ut superet omne hominum judicium et æstimationem, de qua re vide Baruch. c. 3. 16. et sequent. et Job 28. v. 13. et seq. Tertio, aliqui ἀδιάκριτος vertunt, *nihil hæsitans*, non dubitans, non nutans, sed resoluta certa et secura de veritate.

SINE SIMULATIONE,] ἀνυπόκριτος, *sine hypocrisi;* Pagnin. *nihil simulans.* Ex adverso falsa sapientia, ut hæresis et hæretici simulant veritatem, sinceritatem, castitatem, pacem, sanctitatem, cum moliuntur, docentque falsitatem, hypocrisin, libidinem, bellum, omneque scelus : sunt ergo lupi vestiti pelle ovina, ut ait Christus Matth. 7. 17. Vere Sap. c. 1. 5. *Spiritus sanctus,* ait, *disciplinæ effugiet fictum, et auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu,* et cap. 7. 13. *Quam sine fictione didici, et sine invidia communico, et honestatem illius non abscondo.*

Vide actus et mores hypocritarum graphice depingentem S. Greg. 10. Moral 16. alias 27.

18. FRUCTUS AUTEM JUSTITIÆ, IN PACE SEMINATUR, FACIENTIBUS PACEM.] Syrus *iis qui sunt pacifici. Justitiæ*, id est sapientiæ; sapientia enim practica, de qua hic agitur, est justitia, id est, complexio omnium virtutum. Concludit Jacobus totius capitis de sapientia et magistris discursum hoc quasi epiphonemate, quo sapientiæ usumfructum et præmium assignat et complectitur, q. d. Dixi sapientiam plenam esse misericordia et fructibus bonis, quia sapientia et sapiens certo scit hos justitiæ, id est virtutis bonorumque operum, fructus esse quasi semen æternæ felicitatis et gloriæ, quam quasi copiosam segetem, ac præmium metet in cœlo : scit pariter se hoc semen serere debere in pace, pacem et mutuam concordiam studiose colendo, et inter dissidentes conciliando; cum seges hæc et merces solis pacis cultoribus proposita et promissa sit, non superbis, non contentiosis, non facientibus schismata, non se, et sua dogmata factaque jactantibus, qui alios contemnunt ut soli sapere videantur : hos enim toto capite taxavit S. Jacobus. Nam, ut ait Origen. hom. 13. in Levit. Deo grata opera nostra, quantumlibet in se bona, esse nequeunt, nisi in pace peragantur, adeo ut et sacrificium ejus qui à fratre dissidet, ei non placeat, juxta illud Christi Matth. 5. 23. *Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, vade prius reconciliari fratri tuo; et tunc veniens offeres munus tuum.* Antistropha huic Jacobi sententia est illa S. Pauli, sub idem tempus ad eosdem edita Hebr. 12. 11. cum de disciplina ait : *Quod fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ;* et : *Quæ seminaverit homo, hæc et metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Galat. 6. v. 8. et illud Psaltis de Apostolis et doctoribus. *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua : venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Psal. 125. 6.

Nota τὸ *facientibus pacem*, id est opera pacis, quæ scilicet ad pacem conciliandam et augendam faciunt, qui scilicet et sibi et aliis pacifici sunt, ut vertit Syrus : sic enim in Script. jubemur facere misericordiam, justitiam, judicium, pietatem, etc., id est, opera misericordiæ, justitiæ, judicii, pietatis, etc.

Moral. Nota quanta sint commoda pacis. Primum, quod Deo sit gratissima, unde ipse vocatur Deus pacis et dilectionis. 2. Cor. 13. 11. Secundum, quod pax sit via ad cœlum, adeoque inchoatio vitæ cœlestis. In cœlo enim unum è summis Sanctorum gaudiis est summa æternaque omnium pax. Tertium, quod pax sit ipsa Dei et SS. Trinitatis similitudo : in Deo enim cum sint tres personæ, una tamen voluntas est, unus amor, unus omnium sensus et consensus. Audi Nazianz. orat. 2. de pace. *Non minus*, ait, *quam ipsa secum, divinitas (nisi hoc nimis magnifice dictum videatur) inter nos consentimus, concordesque sumus, labiumque unum et vox una existimus : contrario tamen modo atque illi qui turrim olim extruebat; animo atque ore Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum celebramus, idque de nobis prædicatur quod vere in nobis sit Deus, eos, à quibus unitur, uniens.* Quartum, quod Christus ideo è cœlo descendit, ut pacem hominibus cum Deo et secum afferret. Unde S. Chrysost. hom. 18. in 1. ad Corinth. *Ut in Christo*, ait, *uniamur, multa movere nos debent, quia ipse est caput; nos corpus : ipse fundamentum, nos ædificium : ipse vitis, nos palmites : ipse pastor, nos oves*, etc. Quintum, quod pax vitam suavissimam efficit. Vide S. Bern. serm. 5. de Assumpt. B. Virg. *Unitas*, ait, *Sanctorum alia est quæ justificat, alia quæ glorificat; una meritum, altera præmium : unitas quæ in hac vita habetur, est decus suavitatis, de qua scriptum est : Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Cum enim descripsisset Propheta pulchritudinem,*

non tacuit utilitatem: quoniam illic mandavit Dominus benedictionem et vitam; hic benedictionem, illic vitam æternam. Plura de pace dixi Isaiæ 2. 4. et Philip. 1. et seq. Ephes. 4. 3. Coloss. 3. 15.

Porro ut hæc pax cum Deo, nobiscum et cum proximis habeatur; nobis, id est nostris concupiscentiis, inferendum est bellum. Unde S. August. serm. 6. de verbis Apostol. *Et si spiritus*. ait, *concupiscit adversus carnem, et si modo rixa est in ista domo; maritus litigans, non perniciem, sed concordiam quærit.*

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

CAP. PRÆCEDENTI INSECTATUS EST FIDELIUM, PRÆSERTIM MAGISTRORUM, CONTENTIONES, ÆMULATIONES ET LITES; HIC MALI RADICEM INDICAT ET AMPUTAT, NIMIRUM CONCUPISCENTIAS, AMOREMQUE MUNDI ET COMMODORUM PRÆSENTIS VITÆ, CUI OPPONIT AMOREM ET ACCESSUM AD DEUM. IGITUR VERS. 1. CONCUPISCENTIAS QUASI LITIUM ET BELLORUM FOMITES PERSTRINGIT. INDE VERS. 4. DOCET AMICITIAM MUNDI ESSE INIMICAM DEO. AD DEUM AUTEM, QUI SUPERBIS RESISTIT, PER HUMILITATEM ET MUNDITIEM CORDIS ACCEDENDUM ESSE, UT IPSE NOS EXALTET. TERTIO, V. 11. INVEHITUR IN DETRACTORES. QUARTO, V. 13. OSTENDIT VANITATEM CONCUPISCENTIARUM EX VANITATE VITÆ, CUI ET INHÆRENT ET ADHÆRENT. SUMMA ERGO CAPITIS EST: CONCUPISCENTIAM HONORIS ET EXCELLENTIÆ, SIVE AMBITIONEM, QUÆ MATER EST INVIDIÆ, LITIUM, BELLORUM ET DETRACTIONUM, SANARE ET EXTINGUERE PER STUDIUM HUMILITATIS ET MODESTIÆ.

1. UNDE bella et lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? 2. Concupiscitis, et non habetis: occiditis, et zelatis: et non potestis adipisci: litigatis, et belligeratis, et non habetis propter quod non postulatis. 3. Petitis, et non accipitis: eo quod male petatis: ut in concupiscentiis vestris insumatis. 4. Adulteri nescitis, quia amicitia hujus mundi, inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. 5. An putatis quia inaniter Scriptura dicat: Ad invidiam concupiscit spiritus, qui habitat in vobis? 6. Majorem autem dat gratiam. Propter quod dicit: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 7. Subditi ergo estote Deo, resistite autem diabolo, et fugiet à vobis. 8. Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis. Emundate manus, peccatores: et purificate corda, duplices animo. 9. Miseri estote, et lugete, et plorate: risus vester in luctum convertatur, et gaudium in mœrorem. 10. Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos. 11. Nolite detrahere alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, et judicat legem. Si autem judicas legem: non es factor legis, et judex. 12. Unus est legislator, et judex, qui potest perdere, et liberare. 13. Tu autem quis es, qui judicas proximum? Ecce nunc qui dicitis: Hodie aut crastino ibimus in illam civitatem, et faciemus ibi quidem annum, et mercabimur, et lucrum faciemus. 14. Qui ignoratis quid erit in crastino. 15. Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur: pro eo ut dicatis: Si Dominus voluerit. Et: Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud. 16. Nunc autem exultatis in superbiis vestris. Omnis exultatio talis, maligna est. 17. Scienti igitur bonum facere, et non facienti, peccatum est illi.

1. UNDE BELLA ET LITES IN VOBIS?] Primi Christiani nulla gesserunt bella, nec gerere poterant, utpote pauci et Gentilibus subditi: *bella* ergo vocat lites, rixas et pugnas; ut τὸ *et* sit explicativum, q. d. *Bella*, id est *lites*. Ita Lyran. Secundo, *lites* accipi possunt verborum, *bella* verberum; unde Thomas Anglicus, *lites*, inquit, pertinent ad litigantes coram judice, dum volunt obtinere causam per calumniam, prætextu justitiæ: *bella* pertinent ad violentes, qui rem per violentam injuriam sibi vindicare conantur. Tertio, per *bella* accipe pugnas et duella: duellum enim est duorum bellum. Denique prævidebat Jacobus inter Christianos post Constantinum fore bella, eaque hic tollere satagit. Sensus ergo est, q. d. Capite præced. culpavi invidiam et contentiones, quæ suscitant bella et lites; ac suasi studium modestiæ, concordiæ et pacis: nunc profundius radicem eorum digito commonstrabo, ut ea à vobis amputata, amputentur pariter hi mali ejus rami. Unde ergo et ex qua radice oriuntur bella et lites in vobis? utique ex concupiscentiis vestris: dum enim plures eamdem rem concupiscitis, eamque simul omnes obtinere non potestis, quisque pro ea obtinenda, sibique vindicanda contendit, litigat

et pugnat. Cupis proferre limites agri et dominii tui, aspiras ad dignitatem, ambis officium : resistitur tibi ab aliis qui eadem retinere, vel obtinere satagunt ; incitaris ergo ut cum eis litiges, eosque pessumdes, itaque rem concupitam assequaris. Omnes ergo lites et bella oriuntur propter meum et tuum : tolle hæc duo pronomina è mundo, aut saltem è mentibus hominum, nullæ erunt lites, nulla bella, inquit S. Chrysost. Hinc, ut ait Virgil. 12. Æneid.

Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.

Sane priscos principes et tyrannos non alia causa incitavit ad bella, quam ambitio proferendi imperii et cupiditas opum externarum. Id significat Hebræum ריב *rib*, id est *lis* : derivatur enim vel alludit ad רחב *rahabs* id est *superbivit* ; et ad רחב *rahab*, id est *multiplicavit*. Ex superbia enim et cupiditate excellendi, ac multiplicandi opes et honores oriuntur omnes lites et bella. Audi Sallustium in Conjur. Catil. *Una*, ait, *et ea vetus causa bellandi, profunda cupido imperii et divitiarum* ; et Tacitum in lib. 4. Histor. *Aurum et opes præcipuæ bellorum causæ* ; et Lucanum in lib. 3. Pharsal.

At pars vilissima rerum
Certamen movistis opes ;

et Ovid. 1. Metamorph.

Jamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
Prodierat, prodit bellum quod pugnat utroque.

Porro sapienter S. Aug. l. 4. de Civit. 6. *Inferre*, ait, *bella finitimis, et inde in cætera procedere, ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate conterere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum est ?* Talia fuere olim bella Alexandri, Nabuchodonosoris, Cæsaris, et passim regum Assyriorum, Babyloniorum, Persarum, Medorum, Græcorum et Romanorum. Unde licet Priscianus bellum dictum putat per antiphrasim, quasi minime bellum, id est pulchrum ; Festus vero quasi belluinum et ferinum ; alii tamen censent dictum à Belo, qui primus Assyriorum rex cœpit bello vicinos appetere et subjugare. Porro Belus proprio nomine vocatus est Nemrod, cujus tyrannis describitur Genes. 10. Appellative vero vocatus est hebraice *Baal, Bal, Bel* et *Belus*, id est dominus, quia omnibus dominari satagebat. Vide dicta Genes. 10. 10. Ita Cassiodorus lib. 1. Variarum epist. 30. *Non erant*, inquit, *prius armata certamina, sed pugnis se quamlibet fervida lacessebat intentio ; unde et pugna nomen accepit. Postea Belus ferreum gladium primus produxit ; à quo et bellum placuit nominari. Consilium atrox, crudele præsidium, ferina certatio. Crimini applicandum est, quod inde posteritas potuit interire.* Intellige post diluvium ; nam ante diluvium gigantes bellis et cædibus fuere infames teste Josepho 1. Antiqu. cap. 13. Ubi et primum qui militarem artem exercuit, censet fuisse Tubal Cain, qui invenit artem fabrilem in cuncta opera æris et ferri Genes. 4. 22. Josephum sequitur Glossa.

Nonne hinc,] scilicet ex concupiscentiis ; ut sequitur.

Ex concupiscentiis (græce ἡδονῶν, id est *voluptatibus*) vestris ;] quas scilicet concupiscitis, hoc est, ex concupiscentiis opum, scilicet honorum et deliciarum : quia licet ira sit in appetitu irascibili ; oritur tamen ex appetitu concupiscibili. Ex eo enim quod obtinere nequit rem concupitam, irascitur, lites et bella movet. Porro pax dedit materiam concupiscentiæ, concupiscentia bello : unde tempore persecutionum nulla inter Christianos fuerunt bella usque ad Constantinum, sed pace ab eo data Ecclesiæ, illico in eo lites et bella movere cœperunt Arriani Episcopi et principes ; ac mox cæteri. Unde vere S. Leo serm. 6. in Epiphan. *Terrores*, ait, *proscriptionum diabolus in avaritiæ mutat incendium, et quos damnis non fregit, cupiditate corrumpit ; inflammat concupiscentiis, quos non potest vexare tormentis.* et Tertullian. *Magis togæ læsere remp. quam loricæ.* Licet enim lis et bellum justum debito modo susceptum, etiam Christianis licitum sit et sanctum, ut contra Erasmum et Anabaptistas docet S. Augustinus Enchirid. 78. tamen vix caret peccatis, saltem venialibus : fere enim suscipitur ex nimio amore rerum terrenarum. Insuper facile se interserit cupido vindictæ, invidiæ, malevolentiæ, superbiæ, gloriæ, etc.

Quæ militant in membris vestris.] Licet enim passiones et concupiscentiæ sint in anima et appetitu, vel concupiscibili, vel irascibili ; tamen quia hi appetitus sedem habent, et quasi castra sua figunt in membris, per eaque se exerunt ; hinc pariter concupiscentiæ in membris suam habent sedem, ut ira in felle, libido in membris generationi destinatis, tristitia in liene, amor in jecore, etc. Hinc concupiscentia ab Apostolo vocatur lex membrorum. Rom. 7. 23. Porro concupiscentiæ militant adversus mentem et spiritum. Nam, ut ait Apostolus Galat. 5. v. 17. *Caro*, id est concupiscentia, *concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem.* Hi ergo sunt quasi duo milites, aut potius duo belli duces, qui assidue inter se confligunt, suosque milites in aciem educunt, nimirum concupiscentia educit omnes passiones, sensationes, imaginationes et membra : spiritus educit fidem, spem, charitatem, omnesque virtutes morales, quæ cum concupiscentiis singulis decertant, uti graphice describit Prudentius in Psychomachia, id est animæ pugna.

Denique concupiscentiæ hæ in membris ita militant, ut dominentur quoad actus subitos et indeliberatos, qui rationem et libertatem præveniunt ; quoad actus vero humanos, liberos et deliberatos non dominantur : sed tam ipsæ quam membra subsunt voluntati et libero arbitrio, à quo reguntur non despotice, uti brutum regitur ab homine ; sed politice, uti civis regitur à magistratu, cui contradicere et reluctari potest. Unde Apostolus hortatur fideles jam baptizatos et justificatos Rom. 6. 12. dicens : *Non ergo regnet peccatum* (peccati fomes, puta concupiscentia) *in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato ; sed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo : peccatum enim vobis non dominabitur.* Vide ibi dicta. Hinc vere et sapienter ait Laurent. Justinian. l. de interiori Conflictu c. 8. *Omnis disciplina Christianæ professionis non in miraculis faciendis, non in futura prædicendo, non in eloquio composito scripturarumque explanatione, sed in resecandis concupiscentiis commendatur. Quantum Christum quis diligat, in hoc spirituali certamine recognoscat.* Et S. August. l. de Agone Christiano c. 2. *Ibi ergo*, inquit, *vincantur*

inimicæ nobis visibiles potestates, ubi vincuntur visibiles cupiditates. Et ideo qui in nobis vincimus temporalium rerum cupiditates, necesse est ut in nobis ipsis vincamus et illum, qui per ipsas cupiditates regnat in homine. Quando enim dictum est diabolo : Terram manducabis, dictum est peccatori : Terra es, et in terram ibis. Datus est ergo in cibum diabolo peccator. Non simus terra, si nolumus manducari à serpente.

2. CONCUPISCITIS, ET NON HABETIS.] Docet concupiscentiam, quæ ciet lites et bella, inquietum esse malum, quod animam jugi rerum concupitarum desiderio et siti cruciat, ac nunquam explet et satiat. Rursum concupiscentiam concitare lites et bella, ut rem concupitam sibi vindicet, at frustra : res enim concupita non armis paranda, sed à Deo rerum omnium auctore et datore postulanda est. Concupiscentia ergo non nisi tumultus irarum et litium in animo suscitat, eosque inanes et evanidos; utpote quibus re desiderata potiri nequit, magisque angores, metus et dolores sibi asciscit.

Concupiscitis ergo *et non habetis.* Τὸ *et* potest Primo, accipi more Hebræo pro *quia*, q. d. Concupiscitis, quia non habetis id quod concupiscitis : concupiscendo ergo significatis vos esse egentes et miseros.

Secundo, *et* simpliciter accipi potest ut vox copulativa, q. d. *Concupiscitis*, et tamen *non habetis*, non obtinetis quod concupiscitis, idque Primo, quia sæpe aliena et illicita concupiscitis, quæ per jus et fas, et sæpe per injuriam et nefas acquirere non potestis. Secundo, quia concupiscentia est insatiabilis; nam habito eo quod concupivit, illico aliud et aliud in immensum concupiscet. Id videmus in mercatoribus, qui cum centum lucrati sunt, appetunt mille, inde decem millia, inde centum millia, inde millionem, etc., juxta illud,

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ;

et in ambitiosis : nam qui ambit esse senator, ubi id obtinuit, ambit esse gubernator, inde Comes, inde Dux, inde Princeps, inde Rex, inde Imperator.

Tertio, quia concupiscentia est instabilis : nam ubi rem concupitam obtinuit, fastidit, et aliam concupiscit : ita finis concupiscentiæ unius, est initium alterius, juxta illud Thren. 1. 8. *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est*, ubi multas hujus instabilitatis causas attuli. Idem vidit Seneca lib. de Vita beata c. 7. *Voluptas*, ait, *tunc cum maxime delectat, extinguitur. Nec multum loci habet : itaque cito implet et tædio est, et post primum impetum marcet. Nec id unquam certum est, cujus in motu natura est. Ita non potest quidem ulla ejus esse substantia quod venit transitve celerrime, in ipso usu suî periturum. Eo enim pervenit, ubi desinit; et dum incipit, spectat ad finem.* Idem. l. 3. de Benefic. c. 3. *Novis*, ait, *semper cupiditatibus occupati non quid habeamus, sed qui dpetimus inspicimus : non in id quod est, sed in quod appetitur intenti. Quidquid enim domi est, vile est.* Ergo *non habetis*, quia licet habeatis, habere vos non existimatis; et quia aliud concupiscitis, quod revera non habetis. Concupiscens itaque est quasi chamæleon, qui vivit vento sui desiderii, et re desiderata non fruitur : estque, ut ille ait, vir desideriorum, sed alio sensu quam Daniel c. 9. 23.

Quarto, quia concupiscens non tam habet rem concupitam, quam ab ea habetur et possidetur quasi ab hero, imo tyranno. Audi Senecam de Vita beata c. 14. *Cæterum non ipsi voluptatem, sed ipsos voluptas habet, cujus aut inopia torquentur, aut copia strangulantur. Miseri, si deseruntur ab illa; miseriores, si obruuntur. Sicut deprehensi mari Sirtico, modo in sicco relinquuntur, modo torrente unda fluctuantur.* Et mox : *Ut feras cum labore periculoque venamur, et captarum quoque illarum sollicita possessio est; sæpe enim laniant dominos : ita habentes magnas voluptates, in magnum malum evasere, captæque cepere, quæ quo plures majoresque sunt, eo ille minor ac pluribus servus est, quem vulgus felicem appellat*, etc.; *nec voluptates sibi emit, sed se voluptatibus vendit.*

Quinto, quia cupidorum vita in rerum cupitarum prosecutione sæpe tota pene consumitur. *Quosdam*, ait Seneca de Brevit. vitæ c. 19. *cum in summum ambitionis enitierentur, inter prima luctantes ætas relinquit. Quosdam cum in consummationem dignitatis per mille indignationes* (alii legunt *indignitates*) *erupissent, misera subit cogitatio ipsos laborasse in titulum sepulchri. Quorumdam ultima senectus dum in novas spes, ut juventa, disponitur, inter conatus magnos et improbos invalida defecit.* De hac concupiscentia ambitionis maxime hic agit Jacobus : hæc enim innumeros suscitat sibi tumultus, aliis lites et bella.

Sexto, quia sæpe cupidus re cupita uti fruique non audet; ita avarus opes congerit, et sordide vivit, nec eas expendere audet, ne minuat. Opes ergo quas habet, vere non habet, sed aliis habendas custodit. Hoc est quod ait Sapiens Prov. 13. 7. *Est quasi dives, cum nihil habeat; et est quasi pauper, cum in multis divitiis sit.* Unde Democritus teste Hippocrate ep. 2. ad Damagetum, ridebat hominum insaniam, quod dum non habent opes, expetant; dum habent, occultant : quod omnia pervertant ad propriam cupiditatem; quod ex omnibus affectionibus ægrotent; quod concupiscant ea quæ tristitiam et noxam inferunt; ideoque feris sint deteriores et stolidiores, utpote quæ intra sufficientiam se continent. Denique Sapiens Prov. 30. 15. *Sanguisugæ*, ait, *duæ filiæ, dicentes : Affer, affer.* Sanguisuga est hirudo, quæ ab hærendo dicitur, juxta illud :

Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.

Duæ ergo filiæ sunt duo ora, quibus hirudo sanguinem sugit. Symbolice sanguisuga est concupiscentia, præsertim avaritia in pauperes, de qua immediate ante egerat Sapiens, quæ quasi hirudo pauperum sanguinem sugit. Hæc dicit : *Affer* munera, ut vendam justitiam : *affer* dona, ut vendam gratiam, ait Cajetan. Beda vero : Sanguisuga, ait, est diabolus, cujus duæ filiæ dicentes : *Affer, affer*, sunt luxuria et avaritia. S. Bernard. autem in declamat. sub initium : *Propriæ voluntatis*, ait, *sanguisugæ duæ sunt insatiabiles filiæ, clamantes : Affer, affer. Siquidem nec animus vanitate, nec voluptate corpus aliquando satiatur.* Fuge sanguisugam hanc, et omnia reliquisti. Vere Seneca lib. 8. de Benef. c. 26. *Aspice*, ait, *quemadmodum immensæ hominum cupiditates hient semper, et poscant. Non miraberis ibi neminem reddere, ubi nemo satis accipit.*

OCCIDITIS.] Legit interpres cum Syro, Complut. et Regiis φονεῖτε, vel φονευετε. Alii legunt, φθονεῖτε, id est *invidetis*. Ita Cajet. Clarius, Vatabl.

non enim videntur fideles adeo invidisse æmulis, ut eos occiderent. Sed resp. in tanto numero fideles aliquos in cædes erupisse, uti eruperunt in hæreses et schismata; quorum licet paucorum scelus hic Jacobus exaggerat et quasi indignum omnibus execrandum proponit. Rursum *occiditis*, in actu non perfecto, sed inchoato, id est, occidere cogitatis, cædem machinamini. Invidia enim et ira semper crescunt, ac tandem in cædes erumpunt. Unde vicina sunt, uti nomine, ita et re ac operatione φόνος καὶ φθόνος, id est, *invidia et occisio*. Solent Oratores, cum vitium insectantur, extrema et gravissima ejus damna, licet rara, recensere et exaggerare, ut auditores magis ad vitii odium impellant: ita facit hic Jacobus, præsertim quia scribit etiam posteris, quos prævidebat ex ira et invidia patraturos homicidia, uti sæpe nunc fieri videmus.

Et zelatis.] Primo, *et*, id est *quia*, ut paulo ante dixi. q. d. Quia invidetis, ideo occiditis; alioqui enim decresceret oratio; minus enim mali est invidere quam occidere. Secundo proprie, q. d. Postquam occidistis, pergitis aliis invidere, imo zelari. zelus enim non qualem qualem, sed vehementem et acrem invidiam significat, qualis fuit in Cain fratricida. Quocirca Euseb. l. 11. de Præpar. c. 4. *Cain* ex Hebræo interpretatur *invidiam* et *zelum* à rad. קנא *kana*, id est *zelari* (unde Simon Apostolus dictus est Chananæus, id est *zelotes*), licet mater Eva eum vocaverit *Cain*, id est *possessionem*, à rad. קנא *kana*, id est *possedit*, dicens: *Possedi hominem per Deum.* Gen. 4. 1. Nimirum portendit, quod amor possidendi in Cain causaret invidiam, invidia cædem, imo parricidium.

Et non potestis adipisci,] id quod concupiscitis et ob quod zelatis et occiditis. Causas dedi paulo ante.

Litigatis et belligeratis.] An, et quantum distet lis à bello, dixi initio capitis.

Propter quod (propterea quod; græce enim est διὰ τὸ μὴ αἰτεῖσθαι, id est *quia*) non postulatis.] Significat causam, cur rem concupitam non obtineant, esse quod eam litibus et armis per injuriam occupare satagant, non vero postulent à Deo, qui solus est dator omnium.

3. Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis (græce ἡδοναῖς, id est *voluptatibus*) vestris insumatis.] Syrus, *ut eas alatis*, cibetis, pascatis et nutriatis. Est occupatio: occurrit enim objectioni concupiscentium ac dicentium: Ecce nos petiimus sæpe à Deo res quas concupiscimus, et non impetravimus: frustra ergo nos mones petere eas à Deo non per lites et bella occupare. Resp. S. Jacobus: Petitis quidem, sed non accipitis: eo quod male petatis, ut iis abutamini contra Deum ad vestram libidinem. Audi Bedam: *Male petit à Deo*, ait, *Primo, qui jussa Domini contemnens, à Domino beneficia superna desiderat. Secundo, qui amisso amore supernorum, infima tantum quærit bona percipere. Tertio, et hæc non ad sustentationem humanæ fragilitatis, sed ad redundantiam liberæ voluptatis; quod est velle insumere in concupiscentiis.* Modus recte petendi est, quem docet Christus Matth. 6. 33. dicens: *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis*, quæ scilicet necessaria sunt ad vitam, non ad concupiscentiam: Deus enim dat tantum bona et salutaria, non mala et noxia, qualia sunt ea quibus expletur concupiscentia

Eis ergo qui talia petunt, Deus aures plane obstruit. Illa enim odit, quia turpia, ac proinde ea largiri nequit; nec dulcedinis fons amarum aliquid scaturire potest, ait Cyrill. l. 9. in Joan. c. 43. et S. Aug. tract. 73. in Joannem, et ex eo S. Bernard. serm. contra vitium ingratit. Misericordiæ, ait, est aliquando subtrahere misericordiam, quemadmodum iræ et indignationis misericordiam exhibere, uti fuit Hebræis in murmure petentibus carnes, eas dare: mox enim ira et ultio Dei ascendit super eos. Ps. 77. 30.

Quocirca Cassian. collat. 9. c. 23. docet à Deo non esse postulandas opes, honores, delicias, potentiam, robur, etc. *Nihil enim caducum*, ait, *vult à se, nihil temporale æternitatum conditor implorari. Itaque magnificentiæ ejus, ac omnificentiæ maximam irrogabit injuriam, quisquis sempiternis petitionibus prætermissis transitorium aliquid et caducum ab eo maluerit postulare, et offensas potius quam propitiationem judicis sui, vilitate orationis incurret.* Eleganter S. Gregor. hom. 27. in Evang. explicans illud Christi, Joan. 14. *Si quid petieritis in nomine meo. Nomen*, inquit, *Filii Jesus est: Jesus autem Salvator, vel etiam Salutaris dicitur: ille ergo in nomine Salvatoris petit qui illud petit quod ad veram salutem pertinet*, etc. *Pensate, quæso, petitiones vestras, videte si in nomine Jesu petitis, id est, si gaudia salutis æternæ postulatis. In domo enim Jesu Jesum non quæritis, si in æternitatis templo importuni pro temporalibus oratis. Ecce alius in oratione quærit uxorem, alius petit villam, alius postulat vestem, alius dari sibi deprecatur alimentum. Et quidem cum hæc desunt, ab omnipotenti Deo petenda sunt; sed meminisse debemus quod ex mandato ejusdem nostri Redemptoris accipimus: Quærite primum regnum Dei.* Subdit aliquos orare prohibita à Deo, ut vindictam et mortem inimici, aitque: *Quisquis itaque sic orat, in ipsis suis precibus contra Deum pugnat; unde et sub Judæ specie dicitur: Fiat oratio ejus in peccatum. Oratio autem in peccatum est illa petere quæ prohibet ipse qui petitur.* Chrysologus serm. 132. *Qui mala à Deo postulat*, inquit, *Deum mali judicat et sentit auctorem.*

Sanxerunt idipsum Gentiles. Seneca epist. 10. ex Athenodoro: *Tunc*, ait, *scito esse te omnibus cupiditatibus solutum, cum eo perveneris, ut nihil Deum roges, nisi quod rogare possis palam. Nunc enim quanta est dementia hominum! turpissima vota diis insusurrant; si quis admoverit aurem, conticescent; et quod scire hominem nolunt, Deo narrant.* Et mox: *Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat: sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.* Et Juvenal. satyra 10.

> Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano;
> Fortem posce animum, mortis errore carentem,
> Qui spatium vitæ extremum inter munera ponat
> Naturæ; qui ferre queat quoscumque labores,
> Nesciat irasci, cupiat nihil.

Platonis oratio erat: *Jupiter, da nobis bona, sive ea petamus, sive non: arce vero mala, etiamsi ea ex errore petamus.* Secus enim videmur velle Deo legem sapiendi et dandi præscribere. Sed audi de Socrate Valer. Max. l. 7. c. 2. *Socrates humanæ sapientiæ quasi quoddam terrestre oraculum, nihil ultra petendum à diis immortalibus arbitrabatur, quam ut bona tribuerent: quia il demum scirent, quid unicuique esset utile: nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetrasse melius foret. Etenim densissimis tenebris involuta*

mortalium mens, in quam late patentem errorem cæcas precationes tuas spargis? divitias appetis, quæ multis exitio fuerunt : honores concupiscis, qui complures pessumdederunt : regna tecum ipsa volvis, quorum exitus sæpenumero miserabiles cernuntur : splendidis conjugiis injicis manus; at hæc ut aliquando illustrant, ita nonnunquam funditus domos evertunt. Desine igitur stulta futuris malorum tuorum causis, quasi felicissimis rebus inhiare, teque totum cœlestium arbitrio permitte : quia qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissima possunt.

Quocirca misericordiam suam ostendit Deus, cum noxia quæ petimus, negat; iram vero, cum ea tribuit et concedit. *Multos Deus non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad salutem*, ait Isidorus l. 3. de Summo bono c. 7. et S. August. ep. 34. ad Paulinum : *Bonus Dominus qui non tribuit sæpe quod volumus, ut quod mallemus attribuat.* S. Bern. serm. contra vitium ingratitudinis : *Misericordiæ res est, hac in parte subtrahere Deum misericordiam.* Denique S. Gregor. 15. Moral. 12. *Majoris iracundiæ est*, inquit, *cum hoc tribuitur, quod male desideratur; atque inde repentina ultio sequitur : nam quanto citius malum votum impleri permittitur, tanto celerius punitur;* sicut punivit Deus Judæos concupiscentes carnes, dum eas illi dando, illico plagam mortis in pœnam eis immisit. Numer. 11. 33. ideoque loco datum est nomen, *Sepulchra concupiscentiæ.*

4. ADULTERI.] Græca addunt, καὶ μοιχαλίδες, id est, *et adulteria :* tam enim feminas, quam viros objurgat. Dices : Vocare aliquem adulterum, est grave convicium. Resp. Convicium est, cum in aliquem torquetur ut probrum, ad eum infamandum vel dehonestandum ; cum vero jacitur in aliquem ad eum corripiendum et objurgandum, ut ille se emendet, correctio est et disciplina, quæ ex amore, non ex odio et ira proficiscitur. Talis est hæc Jacobi æque, ac illa Joannis Baptistæ Matth. 3. 7. *Progenies viperarum;* et illa Christi Lucæ ult. v. 25. *O stulti et tardi corde ad credendum;* et illa Pauli Galat. 3. 10. *O insensati Galatæ;* et Actor. 13. 10. ad Elymam Magum : *O plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli.* Duri enim dure sunt increpandi, uti jubet Apostoli. Tito c. 1. 13. Sicut enim longi et et pertinaces morbi non nisi ustione, sectione et cauterio curantur; sic et amor mundi, puta concupiscentia omnibus innata, quam homines quasi bruta sequuntur, non nisi acri objurgatione, longaque mortificatione quasi perfricatione et sectione curari potest. Porro si parentibus et magistris licet filios et discipulos flagellare virgis et verberibus, multo magis licet eosdem verbis acrioribus castigare : imo, ut ait S. Chrysost. homil. 7. ad popul. *Tunc maxime patres sunt, cum filios mensa prohibens, flagella infligunt, afficiunt ignominia.*

Quæres, quo sensu et qua veritate vocat eos *adulteros?* Resp. Eo quo idololatræ à Prophetis vocantur adulteri; quia scilicet relicto Deo animæ suæ sponso adhærent idolis, quasi adulteris; ita hi relicto Deo sponso adhærebant mundo, quasi adultero. Nam, ut ait Apostol. 2. Cor. 11. 2. *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Aut, quod eodem redit, adulteri dicuntur, quia ad amplexus mundanæ sapientiæ turpiter deflectebant, spreta cœlesti, quam paulo ante S. Jacobus celebravit : de qua etiam ait Sapiens c. 8. 2. *Quæsivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formæ illius.*

Moraliter hic disce, quam mundum odisse et fugere debeamus, nimirum quasi adulterum : amor ergo mundi est adulterium spiritale et mysticum, quod tanto gravius est carnali et litterali, quanto Deus, qui hic contemnitur, nobilior est homine, cui uxor se despondit. Amans ergo mundum vere coram Deo est adulter, et ut adulter plectetur. Omnes enim ejus amores sunt adulterini, qui casto Dei amori et charitati, quæ per Spiritum sanctum diffusa est in cordibus nostris, è diametro repugnant. Hoc est quod Synagogam idololatrantem increpans Jeremias intonat cap. 3. 2. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis.* Et Osee c. 2. 2. *Judicate matrem vestram, judicate : quoniam ipsa non uxor mea, et ego non vir ejus. Auferat fornicationes suas à facie mea, et adulteria sua de medio uberum suorum.*) Eo alludit hic Jacobus; concupiscentiæ enim, de quibus hic agit, sunt mysticæ fornicationes et adulteria animæ : unde qui eis obediunt contra Dei legem, potius diaboli quem imitantur et sequuntur, filii dicendi sunt quam Dei, ait S. Iren. l. 4. c. 79. Ita S. Nazianz. in Iambicis carm. 3. divitias vocat *meretricem :* quia ut meretrix nunc huic amasio blanditur, nunc illi, nunc alteri, omnesque ludit et decipit; sic et divitiæ.

Secundo, alii sic explicant : *Adulteri*, id est spurii, degeneres et adulterini filii videmini; quia non Deum patrem vestrum, sed mundum adulterum amatis et colitis. Sic ait Paulus Heb. 12. 8. *Quod si extra disciplinam estis*, etc. *ergo adulteri* græce νοθοι, id est *adulterini et spurii, et non filii estis.* Verum prior sensus est genuinus : quia græce est μοιχαλοι, id est *adulteri*, non νοθοι, id est *adulterini* et *spurii*,

NESCITIS.] Hoc verbum emphasim habet acriterque pungit. q. d. Itane ignoratis, aut non consideratis juratum vestrum hostem, puta mundum, imo eum amicum putatis, qui vos Dei vestri inimicos constituit? Et sane mira est hominum ignorantia, inconsideratio et dementia, quod mundum cum Dei et bonorum cœlestium æterno dispendio sequantur et diligant.

QUIA AMICITIA HUJUS MUNDI INIMICA EST DEI.] Aliqui efficacius legunt, *inimicitia est Dei*, si enim ἔχθρα legas cum Syro accentu penacuto, significat inimicitiam : sin cum aliis passim legat accentu gravi ἐχθρὰ, significat inimicam.

Quæres, quænam est *amicitia mundi?* Primo, aliqui active accipiunt eam qua mundus improbos amat, fovet, exaltat; probos vero odit, deprimit, persequitur. Joan. 15. 18.

Secundo, alii melius *amicitiam mundi* accipiunt passive, qua scilicet mundus à mundanis amatur et colitur præ Deo, imo spreta Dei lege. Unde apposite subdit Jacobus : *Quicumque ergo voluerit esse amicus sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.* Amicitia ergo mundi est, qua quis amat mundi bona, puta opes, honores, delicias ; ita ut propter illa Dei legem violet, aut violare, eumque mortaliter offendere sit paratus. Item ea qua quis amat et colit homines mundanos, puta superbos, divites, potentes, ut ad eorum gratiam captandam, aut retinendam præcepta Dei et Ecclesiæ transgrediatur. Id ita esse patet, eo quod quas paulo ante vocavit concupiscentias, easdem hic vocet mundum. Unde hunc Jacobi locum antistropha

sententia explicans S. Joannes epist. 1. c. 2. 15. *Nolite*, inquit, *diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo.* Vere Seneca ep. 85. *Relinque*, ait, *ista ad quæ discurritur; relinque divitias periculum possidentium, aut onus; relinque corporis atque animi voluptates; molliunt et enervant: relinque ambitum; tumida res est, vana, ventosa, nullam habet terminum: tam sollicita est, ne quem ante videat, quam ne alium post se: laborat invidia, et quidem duplici: vides autem quam miser sit, si is, cui invidetur et invidet. Confragosa in fastigium dignitatis via est.*

Quocirca, christiane et sapienter Tertull. *In hoc mundo*, ait, *nihil nostra interest, nisi ut quamprimum ex eo excedamus.* Et S. Cyprian. l. de Habitu virg. c. 2. *Sciant Christiani bona illa esse quæ sunt spiritualia, divina, cœlestia, quæ nos ad Dominum ducunt, quæ nobiscum apud Deum perpetua possessione permaneant. Cæterum quæcumque terrena sunt, in sæculo accepta et hic cum sæculo remansura, tam contemni debent, quam mundus ipse contemnitur, cujus pompis et deliciis jam tunc renuntiamus, cum meliore transgressu ad Dominum venimus.* Idem tractat. de Mortalitate: *Porro*, ait, *cum mundus oderit Christianum; quid amas eum qui te odit, et non magis sequeris Christum qui te redemit et diligit? Mundus ecce nutat et labitur, et ruinam suî non senectute rerum, sed fine testatur*, etc. *Considerandum est et identidem cogitandum renuntiasse nos mundo, et tanquam hospites et peregrinos hic interim degere.* Vide S. Ambros. toto libro de Fuga sæculi, qui et de Virginis forma vivendi c. 1. hisce Jacobi verbis urget virginem Deo addictam, ut plane fugiat sæcularium consortia. Et S. Greg. homil. 28. in Evang. *Ecce*, ait, *mundus qui diligitur, fugit; Sancti isti* (Nereus et Archilleus) *ad quorum tumbam consistimus, florentem mundum mentis despectu calcaverunt. Erat tunc vita longa, salus continua, opulentia in rebus, fœcunditas in propagine, tranquillitas in pace: et tamen cum in seipso floreret, jam in eorum cordibus mundus aruerat. Ecce jam mundus in seipso aruit, et adhuc in cordibus nostris floret. Ubique mors, ubique luctus, ubique desolatio; undique percutimur, undique amaritudinibus replemur, et tamen cæca mente carnalis concupiscentiæ; ipsas ejus amaritudines sequimur, fugientem sequimur, labanti inhæremus. Et quia labentem retinere non possumus, cum ipso labimur quem cadentem tenemus.*

QUICUMQUE ERGO VOLUERIT AMICUS ESSE SÆCULI (mundi) HUJUS, INIMICUS DEI CONSTITUITUR.] Ergo contrarii et antagonistæ sunt, hostesque internecini Deus et mundus, amor Dei et amor mundi. Ita Didymus hic: *Sicut*, ait, *impossibile est servire Deo et mammonæ, ita amicum Dei esse simul et mundi.* Et S. August. 14. Civit. 28. *Fecerunt*, ait, *civitates duas amores duo: civitatem Jerusalem amor Dei, usque ad contemptum sui; civitatem Babylonem amor sui usque ad contemptum Dei.* Hinc ad amorem Christi classicum canens Apostolus: *Mihi*, inquit, *absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Vide ibi dicta, quem quasi magistrum secutus S. Ignatius ep. ad Rom. *Amor meus*, inquit, *crucifixus est.* Sapienter Richard. Victorin. de Gradib. charit. cap. 3. *Columbinus*, inquit, *vere pii oculus amor est, qui in rebus humano usui concessis nulla libidine figitur, sed in transitoriis contemplatur æternum.* Vere enim Beda hic: *Omnes*, inquit, *amatores mundi, omnes inquisitores nugarum.* S. Aug. (vel quisquis est auctor) lib. de Duodecim abusionib. gradu 7. *Mundi amor*, inquit, *et Dei, pariter in uno corde cohabitare non possunt, quemadmodum iidem oculi cœlum pariter et terram nequaquam aspiciunt.* S. Cyprian. ep. ad Donat. *Arridet mundus*, inquit, *ut sæviat; blanditur, ut fallat; illicit, ut occidat; extollit, ut deprimat; fœnore quodam nocendi, quam fuerit amplior summa dignitatis et honorum, tam major exigitur et usura pœnarum.* Denique mundi typus fuit Sodoma, plena omnibus et infandis sceleribus quæ proinde cœlitus siderata conflagravit. Sicut ergo Lot Sodomæ incendium angelum sequens effugit; ita nos gratiam Dei sequentes mundi pericula et incendia fugiamus.

Nota. Pro *constituitur* Græce est καθίστατε, id est, plane et firmiter constituitur, puta semper et in omnes æternitates, ni Deus infinita sua clementia amatorem mundi in gehennam ruentem excipiat, et ad se cœlumque revocet.

5. *An putatis.*] Græce ἢ, id est *aut*, et sic legunt nonnulli Codices. Verum ἢ, id est *aut*, sæpe idem est quod *an*, ut multis exemplis docet Thesaurus linguæ Græcæ.

Quia inaniter (frustra, sine causa) *Scriptura dicat.*] Quid? Respondent aliqui, id quod proxime præcessit; scilicet ut mundi amicitiam, leges et consortia fugiamus, ac Dei gratiam et amicitiam ambiamus: hoc enim passim concionantur prophetæ et alii libri S. Script. ita Beda. Alii cum OEcum. referunt ad id quod paulo post sequitur: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Verum alii passim referunt ad id quod proxime sequitur: *Ad invidiam concupiscit spiritus qui habitat in vobis.* q. d. Deus est zelotes, et quasi zelotypus animæ vestræ, velut sponsæ suæ: unde non patitur rivalem, mundum scilicet: nam ad invidiam concupiscere idem est, quod esse zelotypum. Qui enim zelotypus est, ita rem amatam concupiscit, ut eamdem rivali cuilibet invideat, cupiatque ea solus potiri, nec quemquam in amoris partem admitti patiatur: Deum autem esse zelotem, scriptum est Exodi 20. 5. Nahum 1. 2. et alibi. Si velis plus velle S. Jacobum, nimirum hanc sententiam ab eo recitatam, in Script. præcise et in terminis scriptam esse, fateor ubi ea scripta sit me latere, nec quisquam hactenus idipsum indicare potuit. Quare nova et contorta videtur OEcumenii dispunctio, versio et expositio. Ipse enim sic dispungit, vertit et explicat: *An putatis quia inaniter Script. dicat aut ad invidiam?* q. d. An putatis quod Script. difficilia nobis præcepta et vires excedentia de odio mundi et concupiscentiæ tradat, eo quod illa nobis invideat? Erratis: non enim id facit inaniter aut ex invidia, sed quia *concupiscit* πνεῦμα in accusativo, id est *spiritum*, scilicet rectum, id est, bonum propositum, bonamque voluntatem sua exhortatione in vobis excitare et habitare; quam ubi per spiritualem modestiam invenerit operantem in nobis, majorem dat gratiam. Cæteri enim omnes aliter dispungunt et vertunt, excepto Francisco Luca Arnot. 594. qui OEcumen. sequitur.

Ad invidiam concupiscit spiritus qui habitat in vobis.] Ita per interrogationem hæc legunt Co-

dices Romani et alii plerique : nonnulli tamen interrogationem tollunt et legunt assertive. Rursum alii interrogationem referunt ad τὸ *putatis*, alii ad τὸ *concupiscit spiritus*. Jam nonnulli per spiritum accipiunt humanum, sed vario sensu. Primo, aliqui, q.d. Spiritus hominis mundo deditus et concupiscens ea quæ sunt mundi, sibi suæque saluti nocet et quasi invidet ; sed Deus copiosius impertit gratiam, quam ipsi cupiamus. Secundo, q. d. Spiritus humanus et mundanus impellit nos ad aliena concupiscenda, et ad aliis ea invidendum. Ita Lyra. Hugo et Thomas Anglicus. Tertio, Emmanuel Sa, q. d. Spiritus hominis ad invidiam, id est per invidiam, concupiscit bona proximi. Quarto, alii, q. d. Spiritus zeli et fervoris habitans in nobis adeo concupiscit, id est, concupiscere nos facit virtutem et sanctimoniam, ut sanctam in nobis excitet invidiam æquandi, imo superandi eos, qui nos in studio virtutis præcurrunt.

Verum alii passim accipiunt hic Spiritum divinum et Spiritum S. idque melius. Illi enim soli competit id quod sequitur : *majorem autem dat gratiam*. Primo ergo Beda inter alias expositiones hanc affert, q. d. Putatisne quod Spiritus divinus nos excitet ad concupiscentiam et invidiam ? Erratis, si id putatis : ipse enim est spiritus continentiæ, charitatis et concordiæ, ac *majorem dat gratiam*, quam sunt bona et gratia mundi, quam concupiscitis : ergo malus sit spiritus oportet, qui ad concupiscendum et invidendum vos concitat. Secundo Glossa, q. d. Spiritus Dei cupit et concupiscit ut invideamus mundo eumque odio prosequamur. Tertio Hugo, q. d. Spiritus concupiscit ad invidiam, id est contra invidiam, ut scilicet ea quasi opus diaboli tollatur è mundo. Quarto noster Justinianus, q. d. Spiritus S. quo in Baptismo imbuti estis ad invidiam concupiscit, hoc est, ita afficitur erga vos suî cultores et amicos, tantisque donis vos cumulat, ut mundi amatores merito vobis invidere queant, juxta illud Isaiæ 65. 13. *Ecce servi mei comedent, et vos esurietis. Ecce servi mei bibent, et vos sitietis*, etc. Hoc sensu invidia datur mundanis, non Deo, ut fit in aliis expositionibus ; quæ proinde duriusculæ videntur. Nusquam enim alibi in Script. invidia tribuitur Deo, sed nec proprie tribui potest. Quinto, apposite alii interrogationem referentes ad τὸ *Spiritus concupiscit*, exponunt, q. d. An putatis Spiritum S. vos inhabitantem et regentem vestrî esse zelotypum, vobisque mundi amicitiam, quæ è re vestra sit, invidere, ut ipse solus corde vestro potiatur et fruatur, quasi ex hoc illi ingens bonum accedat ? q. d. Absit : imo vero majorem dat gratiam quam vel accipi, vel sperari possit à mundo ; quam tamen ipse mundi amatoribus, utpote tam sibi, quam propriæ saluti contrariis, negat. Propter quod scriptum est : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Ita Franc. Titelmannus et Franc. Lucas Notat. 593. Sexto, Gagneius, Cajet. Catharinus, Salmeron, Mariana, et Lorinus interrogationem referentes ad τὸ *putatis*, censent significantius et nervosius hic anthropopathos Spiritui Dei tribui invidiam, id est zelotypiam, quæ Deo tribuitur à Prophetis et Apostolis 2. Corinth. 11. 2. Exodi 20. 5. Jerem. c. 2. et aliis locis mox citandis. Invidia enim subinde in bonam partem capitur, ut cum duorum virtutis æmulationem, et in antegressu contentionem vocamus sanctam invidiam. Talis quoque est ea quæ vitiis et vitiosis invidet opes et honores, quibus ipsi contra Deum ad scelera abutuntur. Talis quoque est illa Plinii lib. 2. epist. ult. *Quid invidetis bonam mortem, cui dare vitam bonam non potestis ?* Sic Deus invidet mundo, quod animas à Deo ad se pelliciat et perdat, quæ utique est sancta invidia. Sensus ergo est, q. d. Putatisne, ô Christiani, frustra in Script. Deum vocari zelotypum vestrî, ac osorem mundi, illique quasi invidentem possessionem cordis vestri, eamque *ad invidiam*, id est cum invidia mundi, sive ita ut eam invideat mundo, concupiscere ? non sane frustra ita vocatur. Reipsa enim est zelotes, consortis impatiens : non patitur ut alios amemus præter ipsum, non fert nos diligere mundum quasi adulteros. Deus ergo concupiscit cor nostrum instar zelotypi, magnoque zelo illud affectat, ideoque dolet et quasi invidet mundo, quod animas Deo desponsatas per illecebras ad se pelliciat. Probat Jacobus id quod dixit, scilicet amicitiam mundi esse inimicitiam Dei, ex eo quod ita nos amat Spiritus Dei, ut solus velit amari, nec patiatur rivalem. Amat enim nos tanquam sponsas suas charissimas. Unde si alium, puta mundum, amemus, nobis quasi adulteris irascitur. Ardet ergo nostrî amore : si quando igitur aliquid nobis postulantibus neget, non id facit quod nobis invideat, utpote qui usque ad invidiam amat nos, sed ne id nobis obsit, nosque ab amore suo ad amorem mundi avertat.

Ubi moraliter nota quantus sit amor Spiritus divini in nos : nimirum ardenti zelo amat nos, et eodem vult amari à nobis ; ac si non ametur, indignatur et sævit tanquam ursa raptis catulis raptori occurrens. Osee 13. 8. Præclare sanctus August. hunc zelum ex Script. in Deo ponit, et defendit lib. contra Adimantum c. 13. *Tolle*, inquit, *de zelo errorem et dolorem, quid remanebit aliud nisi voluntas custodiens castitatem, et corruptionem vindicans conjugalem ? Quo igitur verbo nisi zelo Dei melius posset insinuari ? quo vocamur ad conjugium Dei, et non vult nos turpi amore corrumpi ; et punit impudicitiam nostram, et diligit castitatem. Non enim frustra etiam vulgo dici solet : Qui non zelat, non amat.* Hic ergo Dei zelus sanctus est, hæc sancta invidia. Simili schemate et figura Deo tribuitur indignatio, ultio, furor in peccatores, qui mundum Deo anteponunt : rege enim furorem ratione, uti Deus regit, eumque pro justitia exere, sanctus erit ; nec tam vindictæ furor, quam justitiæ rigor. Sic et S. Hier. in Sophon. 1. *Nisi Deus*, inquit, *amaret animam humanam, nunquam zelaretur eam, et in similitudinem mariti peccatum ulcisceretur amoris.* Quin et S. Paulus 2. ad Corinthios 11. 2. *Æmulor*, inquit, *vos Dei æmulatione : despondi enim vos uni viro virginem castam exhîbere Christo.* Quocirca decet nos simili, cum pari non possimus, passu, huic Dei amori occurrere, vicemque vici et zelum zelo rependere, ut totum cor, totumque amorem à creaturis mundi avocantes, in eum unum tota animi contentione et ardore conferamus.

Ita fecit S. Agnes, quæ Christo sponso totam se addixit, ideoque juvenem nobilissimum nuptias ejus ambientem, ac omnia promittentem dantemque quasi diaboli satellitem cum suis muneribus indignabunda repulit : *Discede*, inquit, *à me fomes peccati, nutrimentum facinoris,*

pabulum mortis. Discede à me, quia jam ab alio amatore præventa sum, qui mihi satis meliora te obtulit ornamenta, et annulo fidei suæ subarrhavit me, longe te nobilior et genere et dignitate. Cujus est generositas celsior, possibilitas fortior, aspectus pulchrior, amor suavior, et omni gratia elegantior: cujus Mater Virgo est, cujus Pater feminam nescit, cujus pulchritudinem Sol et Luna mirantur, cujus odore reviviscunt mortui. Illi soli servo fidem, illi me tota devotione committo. Quem cum amavero casta sum, cum tetigero munda sum; cum tetigero virgo sum, uti refert sanctus Ambrosius lib. 4. epist. 34. Idem nobis dicendum mundo, carni et diabolo, cum nos tentant, et à Christo ad se pellicere satagunt. Quocirca S. Agnes post mortem apparens parentibus cum choro Virginum, cycladibus aureis et ingenti lumine radiantium, consistens juxta Agnum nive candidiorem, iis dixit : *Congaudete mihi et congratulemini, quia cum his omnibus lucidas sedes accepi: illi sum juncta in cœlis, quem in terris posita tota animi intentione dilexi.* Ita S. Ambrosius. Similis est sponsa in Canticis, quæ ubique non nisi amoris ardorem, languorem, delicias, et zelum spirat : *Fulcite,* inquit, *me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, lampades ejus lampades ignis atque flammarum.* Cantic. 8. 6. etc. Et Psaltes in Epithalamio Christi et Ecclesiæ, sive animæ sanctæ: *Astitit,* inquit, *Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui: et concupiscet Rex decorem tuum.*

Porro Christus usque ad agoniam et sanguineum sudorem zelatus est nos. Patiens enim et orans pro nobis in horto, sanguinem copiosum sudavit ex angore non tam doloris, quam amoris nostri, quodque plus amans nos parum ametur à nobis, imo à multis odio habeatur. Hunc suum in nos zelum passim in Prophetis explicat, ut Isaiæ 9. *Parvulus,* inquit, *natus est nobis,* etc. *Zelus Domini exercituum faciet hoc,* etc. c. 59. 17. *Opertus est quasi pallio zeli.* Zachar. 8. 2. *Zelatus sum Sion zelo magno, et indignatione magna zelatus sum eam.* Ezech. 36. 6. *Ecce ego in zelo meo et furore meo locutus sum, eo quod confusionem gentium sustinueritis.* et vers. 5. *In igne zeli mei locutus sum de reliquis gentibus.* Psalm. 78. 5. *accendetur velut ignis zelus tuus.* Sap. 1. 10. *Auris zeli audit omnia.* Ezech. 23. 25. *Ponam zelum meum in te.* Sophon. 3. 8. *In igne zeli mei devorabitur omnis terra.* Ad hæc loca alludit hic S. Jacobus. Hunc zelum pro Deo et vice Dei ostendit Angelus custos S. Ceciliæ. De eo enim ipso sic ait ad Valerianum sponsum: *Volo te scire me Angelum Dei habere amicum, qui summo zelo corpus meum custodit. Is si vel minimum fuerit suspicatus, quod tu incesto me amore contingat, iram suam protinus in te accendet, et juventutis tuæ florem perdet; sin autem cognoverit quod tu simplici et immaculato mei amore tenearis, et virginitatem meam integram et impollutam custodias, te sicut me diliget, et ostendet tibi suam gratiam,* uti reipsa præstitit, dum visibiliter ipsi apparens eum Christianum, virginem et martyrem effecit.

Porro pie et pulchre Chrysologus explicat ardentissimum zelum cœlestis sponsi Christi pendentis in cruce, et adulteras animas benigne ad se vocantis serm. 108. *Distendit membra, dilatat viscera, pectus porrigit, offert sinum. Nonne dicit: Vide in me corpus vestrum? et si quod Dei est, timetis, quare vel quod vestrum est non amatis? si Dominum fugitis, quare non recurritis ad Parentem? Sed forte vos passionis meæ, quam fecistis, magnitudo confundit? Nolite. Clavi isti non mihi infigunt dolorem, sed vestram mihi infigunt altius charitatem. Sanguis meus non mihi deperit, sed vestrum prorogatur in pretium.* Nec minus eleganter Bernard. tum Spiritus sancti, tum Christi charitatem extollit epist 107. *O geminum ipsumque firmissimum Dei erga nos amoris argumentum! Christus moritur, et meretur amari; Spiritus afficit, et facit amari: ille facit cur ametur; iste ut ametur: ille suam multam dilectionem nobis commendat; iste et dat: in illo cernimus quod amemus; ab isto sumimus unde amemus: charitatis igitur ab illo occasio, ab illo affectio.*

Qui habitat.] Græce κατῴκησεν, id est *habitavit,* q. d. Olim in baptismo habitavit Spiritus Dei in vobis; at jam in multis vestrûm non habitat, quia ab eo descivistis et mundum diligitis : in cæteris tamen, qui in gratia baptismi perseverant, etiamnum habitat.

6. Majorem autem dat gratiam.] Syrus, *præstantiorem autem dat gratiam datus nobis Dominus noster;* puta Spiritus sanctus ostendit Spiritum Dei ad invidiam, id est, ardentissime et quasi zelotype nos amare et concupiscere, ex eo quod longe majorem det gratiam, dona et bona, quam mundus, et quam mereamur, ut nos à mundi, æmuli sui, amore avellat, et ad suî amorem invitet, et pene cogat. Invidet ergo mundo, quod pauca donans, multum ametur : se vero infinita donantem parum et vix à nobis amari. Rursum occurrit objectioni mundanorum dicentium : Amor mundi ita nobis innatus est, ut eum abjicere nequeamus. Respondet enim : Deus majorem dat gratiam, quam sit amor mundi, ut per eam amorem mundi facile vincere et ex animo ejicere possitis, si gratiæ Dei vos subdere et strenue cooperari velitis. Nam, ut ait Apostolus Philip. 4. 13. *Omnia possum in eo qui me confortat;* et : *Potens est Deus omnia facere superabundanter, quam petimus aut intelligimus.* Ephes. 3. 20. Alludit Jacobus ad illud Exodi 20. 6. *Faciens misericordiam in millia his qui diligunt me;* sicut in τῷ, *Ad invidiam concupiscit spiritus,* allusit ad τὸ, *Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes.* Ibid. v. 5.

Propter quod dicit. Hic versus in nonnullis Græcis deest; unde eum omittit Tigur. et Pagn. Verum Romani aliique plures Græci et Latini eum legunt. Probat Spiritum Dei majorem dare gratiam iis qui ipsum amant, reverentur, invocant, ipsique totos se subdunt, ex eo quod dicit Script. et Spiritus sanctus: Deus superbis, qui spreto Deo mundum mundique honores et pompas sectantur, resistit; vel, ut Cassian. legit l. 12. Instit. c. 6. *adversatur;* vel, ut Cypr. ep. ad Novatianum, *contrasistit;* Syrus, *deprimit, conterit :* humilibus autem, qui spretis mundi pompis et fastu, humiliter se Spiritui Dei subdunt et per omnia obediunt, ab eoque se in omnibus duci regique sinunt, dat gratiam.] Porro id dicit Spiritus sanctus Prov. 3. 34. ubi enim nos legimus : *Illusores ipse deludet, et mansuetis dabit gratiam.* Septuag. quos more suo citat et sequitur S. Jacobus, et S. Petrus epist. c. 5. vertunt : *Deus superbis resistit, humilibus*

autem dat gratiam. Illusores enim sunt superbi, et mansueti sunt humiles.

Antistrophas huic Jacobi gnomas habent omnes auctores hagiographi, ut hoc dogma verissimum, sed in praxi obscurum et difficile, tot consonis testibus nobis persuadeant. Prima est, Davidis Psalm. 17. 28. *Populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis.* Secunda, Salomonis Proverb. 29. vers. 2. et 3. *Superbum sequitur humilitas, et humilem spiritu suscipiet gloria.* Tertia, Isaiæ c. 2. 12. *Dies Domini super omnem arrogantem et superbum.* Et c. 66. 1. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu, et trementem sermones meos?* Quarta, Annæ Matris Samuelis: *Arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore. Suscitat de pulvere egenum, et de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat.* Quinta, Judith. c. 9. 16. *Nec superbi ab initio placuerunt tibi, sed humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Sexta, Virginis Deiparæ: *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.* Lucæ 1. 51. Accedat septimus, unus ex Septuag. sacræ Script. interpretibus, qui rogatus à Ptolemæo Philadelpho rege Ægypti, qua ratione quis posset cavere superbiam, respondit: *Si cogitet quod Deus superbos deprimit, mansuetos autem et humiles exaltat.* Denique omnes divinorum voluminum paginæ hanc ubique sententiam spirant, ait S. August. 3. Doct. Christ. cap. 23. Quocirca apposite Isidor. Pelus. lib. 1. ep. 164. monet Martyrium, dicens: *Superbis Deus resistit: nam etiam ipsorum principi ab initio sese opposuit. Considera igitur quantum est, et Deum hostem atque adversarium habere, et veterem hostem socium.*

Causæ sunt multæ. Prima, quia uti radix omnis peccati et mali est superbia, Eccli. 10. 15. ita radix et fons omni boni et virtutis est humilitas.

Secunda, quia superbus est vas tumidum et vento arrogantiæ plenum, ideoque gratiæ incapax: humilis vero est vas demissum et vacuum, ideoque gratiæ et liquoris divini capax. Sicut ergo pluvia à collibus descendit in valles; ita gratia è cœlo depluit in humiles.

Tertia, quia Deus est zelotes gloriæ suæ: unde superbos eam ambientes deprimit et sternit in gehennam, humiles vero eam adorantes exaltat ad gratiam et gloriam. Rursum humilitas meretur ditari et sublimari, superbia spoliari et deprimi. Sicut ergo umbra sequentem fugit, fugientem sequitur; ita Deus, gratia, honor, superbos qui eum ambitiose sequuntur, fugit; humiles qui eum fugiunt, sequitur.

Quarta, quia gratia est gratia et gratuito datur nec nisi gratis, quales sunt humiles, qui de ea gratias agunt; non superbi, qui eam suis viribus et meritis attribuunt.

Quinta, quia regum, et præsertim Dei, sublimitas et magnificentia poscit illud. Virgin. Æneid. 6.

> Parcere subjectis, et debellare superbos.

Denique humilitas est virtus propria Christi et christianismi, juxta illud Matth. 11. 29. *Discite à me, quia mitis sum et humilis corde;* ita S. Bernard. tract. de Grad. humil. Unde humilitas tam potens est, ut resistat Deo, juxta illud: *Dixit ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus.* Confractio enim cordis est humilitas, virtutum regina, quæ Deum vincit pro sua reverentia, ait Rupert. lib. 4. in Exod. c. 26.

Quocirca S. Chrysost. hom. 20. in ep. ad Roman. ait superbiam esse summam stultitiam et insaniam, nec superbo quidquam esse insanius. Quid enim insanius quam Deo resistere, et cum Deo instar gigantum velle bellum gerere? Quid insanius quam se Dei, à quo omnia pendent, favore, gratia et ope sponte privare et spoliare? Quid insanius quam non hominem, non angelum, non dæmonem, sed Deum habere antagonistam et hostem, eumque qui in superbos tonat et fulminat, ad duellum provocare? unde S. Hieron. epist. 65. *Quale,* ait, *malum sit oportet, quod adversarium habet Deum?* Superbus enim suo fastu quasi Deum lacessit, et ad singulare certamen provocat. Unde Deus zelotes illud acceptat, aitque: Meus est hic antagonista, meum hoc duellum: hic exerendæ meæ vires, hic proterendus novus Lucifer. Ita Cassian. l. 12. de instit. renunc. c. 7.

Unde S. Ambros. serm. 7. in psalm. 118. de superbia locutus: *Quid,* inquit, *hoc peccato potest esse deterius, quod à Dei cœpit injuria? ideoque Scriptura dicit: Deus superbis resistit.* Jacob. 4. 6. *Tanquam suæ contumeliæ propulsator, veluti quoddam suscepit adversus superbiam speciale certamen; tanquam dicat: Meus iste adversarius est, qui me lacessit; mihi debetur ista congressio.*

Sapienter ergo S. Fulgent. epist. 6. c. 9. *Crescat,* inquit, *in te humilitas animi, quæ vera est et integra sublimitas Christiani: et tanto magis in te cognosces gratiam Dei crescere, quanto magis tibi humilitatem cordis videris abundare.* Et S. August. serm. 16. de Martyribus: *Altitudinem,* inquit, *quæritis? per vallem pervenitur ad montem. Sedem quæritis claritatis: prius bibite calicem humilitatis.* Idem serm. 3. de verbis Domini: *Comprehensus est Christus, cæsus, crucifixus et occisus. Ista est via. Ambula per humilitatem, ut pervenias ad æternitatem. Deus Christus patria est quo imus: homo Christus via est qua imus. Ad illum imus, per illum imus, quid timemus ne erremus? non recessit à Patre, et venit ad nos: ubera sugebat, et mundum continebat: in præsepi manebat, et angelos pascebat Deus homo. Idem homo qui Deus: idem Deus qui homo.* Idem, serm. 8. de Epiphania: *Tota,* inquit, *Christianæ sapientiæ disciplina non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis et gloriæ, sed in vera et voluntaria humilitate consistit, quam Dominus Jesus Christus ab utero matris usque ad supplicium crucis, pro omni fortitudine elegit et docuit.* Idem epist. 65. ad Dioscorum docet non esse aliam viam ad veritatem, quam humilitatem: et sicut Demosthenes dixit, omnem vim eloquentiæ consistere in pronuntiatione, sic omnem vim christianismi consistere in humilitate.

Idem viderunt Gentiles. Æsopus rogatus à Chilone; *quidnam ageret Deus,* respondit: Τὰ ταπεινὰ ὑψοῖ, τὰ ὑψηλὰ ταπεινοῖ, id est *humilia exaltat, alta humiliat;* ita habet ejus Vita. Artabanus, ut Xerxi dissuadeat expeditionem in Græcos, ait Deum altas arbores, turres et montes fulminare, humiles vero servare et tueri; magna et superba castra parvis copiis sternere, nec sinere alium

præter se altum sapere. Ita Herod. l. 7. Vere Tragicus : *Sequitur superbos ultor à tergo Deus.*

Porro hæc signa et effectus humilitatis assignat S. Basilius orat. 17. de humilitate : *Qui*, inquit, *summa modestia est præditus, et qui dum conviciis afficitur, fatetur se longe esse inferiorem, quam dicatur; ejus animum nulla unquam convicia percellent et perturbabunt : sed si appellabitur inops, novit se inopem esse, et omnibus rebus indigentem, ac quotidiana Domini suppeditatione opus habere. Quod si acceperit ignobilem et obscuro loco natum se dici, jam animo multo ante percepit fictum se esse ex limo.* Et mox : *Consequitur autem humilem animum visus subtristis et in terram demissus, habitus neglectus, capillus passus, vestis sordida, ita tamen ut videantur hæc casu ac fortuito fieri, quæ lugentes de industria faciunt.*

7. SUBDITI ERGO ESTOTE DEO,] ὑποτάγητε, id est *subordinamini;* Syrus, *servi estote :* rectus enim naturæ ordo postulat, ut creatura subordinetur et serviat suo creatori : *Deo ergo servite,* ut Dei gratiam et amicitiam obtineatis. Nam, ut dixi, *Deus humilibus dat gratiam.* Quocirca Psaltes Psalm. 62. 2. *Nonne Deo,* inquit, *subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. Nam et ipse Deus meus, et salutaris meus, susceptor meus, non movebar amplius.*

RESISTITE, ἀντίστητε, id est, *contra state,* opponite vos, adversamini : Syrus, *insurgite in eum;* DIABOLO,] qui quasi rex super universos filios superbiæ, ut ait Job cap. 41. 25. vos sollicitat ad superbiam, pompasque mundi ambiendas. Resistere autem non possumus acriori et longiori tentationi, sine novo gratiæ Dei auxilio, uti ex S. August. docent Doctores. Ergo ante omnia invocanda est assidue Dei gratia, ac parta victoria illam non nostris, sed Dei viribus acceptam ferre debemus. *Nam utique ut diabolo resistamus et fugiat à nobis, ideo precantes dicimus, ne nos inducas in tentationem,* ait S. Aug. de Natur. et Gratia c. 58.

ET FUGIET A VOBIS.] Si homini te invadenti resistas, non idcirco illum fugas et vincis : at si diabolo resistas, illum fugas et vincis. In tua ergo potestate, tibique facilis est de eo victoria : quia, ut ait S. August. hom. 12. inter 50. *Suadere diabolus et sollicitare potest, cogere omnino non potest : et ideo cum per Dei adjutorium in tua potestate sit, utrum consentias diabolo, quare non magis Deo quam ipsi obtemperare deliberas?*

Porro diabolus *nostris ipsorum desideriis nos oppugnat,* ait S. Basil. hom. 23. Et ut ait S. Amb. lib. 1. de Cain et Abel c. 5. *Oculos delectat, aures demulcet, sed mentem inquinat; multa mentitur, falsa adjungit, vera subducit : spondet pecuniam, aurum offert, sed aufert disciplinam.* Ad hæc illa est calliditas diaboli, ut ea parte qua infirmiores sumus nos oppugnet; sicut dux oppugnat arcem ea parte qua debilior est, ait S. Gregorius 31. Mor. 17. alias 30. qui et addit : *Dolosus adversarius simul ferire nititur, et aperte sæviens et in insidiis latens,* etc. *Sæpe enim tentationem proponit de libidine, et subito fraudulentius cessans elationem suggerit de servata castitate. Et sunt nonnulli, qui dum multos ex castitatis arce in foveam elationis cecidisse conspiciunt, vitæ suæ castitatem negligentes in immunditia libidinis demerguntur. Sunt vero è diverso nonnulli, qui dum libidinis immunditiam fugiunt, per castitatis culmen in voraginem elationis ruunt.* Quocirca semper vigilare debemus, semperque parati ad dimicandum, ac nascenti tentationi illico resistere : nam, ut idem ait 21. Mor. 7. *Si tentationi in corde nascenti festine non resistitur, hæc eadem qua nutritur, mora roboratur : et existens foris in operibus vinci vix prævalet, quia ipsam intus membrorum dominum mentem captivam tenet.* Rursum dæmon semel victus et fugatus, iterum iterumque redit ad nos tentandum, uti rediit ad Christum Matth. 4. v. 5. et 8. Si tamen fortiter et constanter repellatur, non tam facile et cito redit ad tentandum nos saltem eodem tentationis genere, ne iterum vincatur et pudefiat. Unde S. Ambros. in cap. 4. Lucæ : *Cedere,* ait, *solet veræ virtuti, etsi invidere non desinat, tamen instare formidat : quia frequentius refugit triumphari.*

Quocirca S. P. N. Ignatius in Exercit. spirit. diabolum comparat Primo, feminæ procaci, quæ viro timido impotenter dominatur et insultat, audacem vero veretur, eique silens se submittit. Secundo, S. Gregor. lib. 5. Moral. c. 17. ac Olympiod. et alii exponentes illud Job 4. v. 11. *Tigris periit, eo quod non haberet prædam;* ubi pro *tigris,* Septuag. vertunt, *myrmycoleon,* id est *formicaleo :* Diabolus, inquiunt, est myrmycoleon, qui coram piis et constantibus qui ei resistunt, timi dissimus est ut formica; impiis vero et inconstantibus qui ei cedunt, terribilis instat ut leo. Sic et Theodorus Studita ep. 68. *Timidus,* ait, *est diabolus, rejiculus, imbellis, ideoque animositate quadam longe abigendus, ut idcirco germanus Dei clamet Jacobus : Resistite diabolo, et fugiet à vobis.* Tertio, S. Chrysost. conc. 3. de Lazaro, diabolum comparat cani, qui mensæ assistit quamdiu quid inde ei projicitur; sin nil ei projiciatur, quin et baculo fortiter abigatur, fugit, nec temere redit. Idem homil. 22. ad pop. *Cani,* inquit, *similis est voluptas : si pellas, fugit : si nutrias, permanet.* Quarto, diabolus est similis militi qui acrius sequitur fugientes, ut ignavos et imbelles; ita S. Bernard. epist. 1. ad Robertum, qui Cistertio fugerat Cluniacum : *An,* inquit, *quia fugisti ex acie, putas te manus hostium evasisse? libentius te insequitur adversarius fugientem, quam sustineat repugnantem; et audacius insistit à tergo, quam resistat in faciem.* Quocirca sapienter S. Cyprian. serm. de zelo et livore : *Tam paratus,* inquit, *ad repugnandum semper animus debet esse, quam ad impugnandum semper inimicus.*

Moral. Notat S. Gregor. 3. Mor. c. 8. diabolum quo valentius vincitur, eo ardentius ad insidias instigari, ut qui viribus victus est, insidiis et dolis vincat. Unde Cassianus lib. 5. Instit. c. 19. monet athletam Christi, ut quanto magis triumphorum successibus crevit, tanto colluctationum robustiorem ordinem successurum expectet. Hinc sicut vulpes procumbunt, quasi mortuæ, ut gallinas quasi securas alliciant et devorent : sic et dæmon subinde se quasi victum fugere simulat, ut hominem quasi de victoria securum, ex improviso invadat et prosternat : perinde ac Horatius unus è tribus superstes, fugiens, tres Curiatios vicissim occidit, itaque Romanis dominium in Albanos consignavit. Et Antigones cedens hostibus, dicebat se non fugere; sed commodum suum à tergo persequi, teste Plutarch. in Apophth. Denique sanctiores magis infestat diabolus, iisque magis insidiatur; utpote quos sibi dissimiliores, ac Deo similiores videt et invidet : peccatores enim quasi sibi similes negligit, quia eos possidet.

8. APPROPINQUATE DEO (non corporis, sed cordis mentisque passibus, id est affectibus), ET APPROPINQUABIT VOBIS.] Quæres qua via appropinquemus Deo? Respondeo Primo, recedendo à diabolo eique resistendo, ut præcessit : Deus enim et diabolus sunt duo extrema summe contraria, duosque hostes sibi infensissimi : unde quo magis ab uno recedis, eo magis accedis ad alium oppositum; ita Origen. l. 4. in epist. ad Roman. c. 5. Bellum, inquit, contra diabolum, pacem parat ad Deum; tumque huic appropinquamus, cum illi resistimus.

Secundo, humiliando nos : Deus enim humilibus dat gratiam, ut præcessit; ita S. August. serm. 2. de Ascensione : *Videte, fratres*, ait, *magnum miraculum. Altus est Deus : erigis te, et fugit à te : humilias te, et descendit ad te. Quare? quia excelsus est et humilia respicit, et alta, id est superba, de longe cognoscit, ut deprimat;* ita Hugo : Per humilitatem, ait, et bona opera appropinquare debemus Deo, *ut ad misericordiam, ut nudi ad divitem, ut famelici ad panem, ut infirmi ad medicum, ut servi ad dominum, ut discipuli ad magistrum, ut cæci ad lumen, ut frigidi ad ignem.*

Tertio, purificando nos à peccatis per pœnitentiam. Unde quasi explicans subdit S. Jacobus : *Emundate manus peccatoris, et purificate corda;* quo enim magis à peccato et impuritate recedimus, eo magis ad virtutem, puritatem et Deum accedimus; juxta illud Psalm. 33. 15. *Declina à malo et fac bonum.* Ita Concil. Trident. sess. 6. cap. 6. docet peccatorem accedere ad Deum per actus fidei, timoris, spei, dilectionis, contritionis et propositi novæ vitæ; juxta illud Zachariæ 1. 3. *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* Ita Magdalena pœnitens accessit ad pedes Jesu rigans eos lachrymis, osculans et ungens. Lucæ 7.

Quarto, amando Deum et opera charitatis exercendo. Amor enim jungit amantem amato, imo eum in illum transformat. Unde S. Joannes epist. 1. cap. 4. 16. *Deus*, inquit, *charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo;* et Sapiens Proverb. 8. 17. *Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me, invenient me;* et Apostolus Rom. 8. 35. *Quis nos separabit à charitate Christi? An tribulatio? an angustia?* etc. Nimirum magnes amoris est amor : amor trahit amorem, uti magnes ferrum.

Quinto, per orationem ac per studium perfectionis; ita Origen. hom. 1. in Genes. Sicut, inquit, non æqualiter illuminantur oculi corporis à sole, sed tanto magis, quanto altius quis in altiora loca conscenderit : ita mens quanto excelsius appropinquat Christo, tanto clarius ejus lumine radiatur; juxta illud Psalm. 33. 6. *Accedite ad eum et illuminamini.* Proprie vero appropinquamus Deo, cum quasi obsequentes servi, amici et filii nos nostraque omnia offerimus Deo tanquam summo omnium domino, amico et patri; dicimusque cum Psalte : *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Psalm. 72. 28. Ex adverso enim queritur Deus de nonnullis, dicens Isaiæ 29. 13. *Appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me; cor autem ejus longe est à me;* et Jerem. 2. 12. *Prope es tu ori eorum, et longe à renibus eorum.* Vidit id per umbram Plotinus Platonicus Philosophus Enneade 6. l. 7. c. 7. cum ait : *Oportet nos animam ab omnibus rebus externis separare tanquam à sarcinis et obstaculis, ut possit à Deo illustrari. Sicut enim oportet materiam primam omnibus formis esse vacuam, ut ita figuras omnium rerum possit recipere; ita oportet animam hominis esse informem, ut à Deo informari commode possit.*

Porro appropinquamus Deo non puris naturæ et liberi arbitrii viribus, quasi iis nos præparemus ad Dei gratiam recipiendam : uti contendebant Semipelagiani facientes gratiam pedissequam liberi arbitrii; sed præventi et excitati à Dei gratia. Hæc enim nostræ conversionis et accessus ad Deum est, et dux, et principium, uti definit Concilium Trident. sess. 6. c. 5. Et Christus ipse Apocal. 3. 20. *Ego sto ad ostium et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum.* Et Psaltes Psal. 58. 11. *Misericordia ejus prævenit me.* Diserte vero Christus asserit Joannes 6. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Vere S. Hieronym. in cap. 2. ad Ephes. *Absque cruore* (id est, merito cruoris) *Domini Jesu, nemo appropinquat Deo.*

ET APPROPINQUABIT VOBIS.] Deus cum sit ubique, non longe est ab unoquoque nostrûm. In ipso enim vivimus, movemur et sumus, ut ait Apostolus Act. 17. 28. Localiter ergo et substantialiter nulli appropinquat, sed accidentaliter per gratiam, et causaliter per operationem virtutum. Sicut enim peccator per peccatum recedit à Deo et appropinquat diabolo, morti et inferno; sic idem per pœnitentiam et bona opera accedit ad Deum. Ita Cain post occisum fratrem vagus et profugus exulavit à Deo. Genes. 4. 12. Et filius prodigus abiit in regionem longinquam. Lucæ 15. 13. Sed, ut recte notat S. August. l. 4. Confess. c. 9. *Qui amittens dimittit Deum, fugit ab ipso placato ad ipsum iratum.* E contrario ad Christum accesserunt Apostoli, dicente Petro : *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Joannis 6. 69.

Porro non tantum peccatores per peccatum mortale, sed et justi per peccata venialia elongant se aliquatenus à Deo, præsertim per tepiditatem et torporem, cum in bonis operibus et studio proficiendi intepescunt : appropinquant vero Deo, cum defectus suos lachrymis abluunt, fervorem resumunt, bonis operibus sedulo intendunt, perfectioni student. Jam quia multiplex nobis quotidie obrepit negligentia, hinc jugi ejus expurgatione mentisque excitatione nobis opus est, uti docet S. Leo serm. 5. et 11. de Quad.

Nota. Appropinquat Deus pœnitentibus et justis ferventibus per multiplicem operationem et effectum, quem quadruplicem assignat Thomas Anglicus. Primus, inquit, est illuminatio mentis respectu cognoscendorum, ut cum cæcus illuminatus est à Jesu. Lucæ 18. 40. Secundus est, instructio respectu operandorum, juxta illud Deuter. 33. 3. *Omnes Sancti in manu illius sunt : et qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.* Tertius est, recuperatio divinæ gratiæ, puta justitiæ, vel primæ, vel augmenti illius. Quartus est, delectatio internæ lætitiæ, qui dicitur hymnus omnibus Sanctis Dei, populo appropinquanti sibi, Psalm. 148. 14. *Bonus es, Domine, animæ quærenti te, quid ergo invenienti? Vis ergo inveniri ut quæraris, quæri ut inveniaris*, ait S. Bern. de Diligendo Deo. Et Psaltes Ps. 83. *Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum, in loco quem posuit.*

EMUNDATE MANUS] ab omni rapina, pugna, libidine, gula, omnique peccato. Per *manus* enim intelligit metonymice omne opus externum : hoc enim manibus fit et perpetratur; sicut per corda intelligit opus internum. *Manus* ergo significant externas actiones, cor internas affectiones. q. d. Purificate corda ab omni prava cogitatione, machinatione, delectatione, ac vicissim, et manus ab omni pravo opere, ut nec mali quidquam agatis, vel velitis. Alludit ad Psalm. 23. 3. *Quis ascendet in montem Domini? Innocens manibus et mundo corde.* Sic Paulus jubet orantes levare ad Deum puras manus. 1. Timoth. 2. v. 8. vide ibi dicta. Hujus rei symbolo sacerdotes et fideles ante sacram communionem lavant manus, ut protestentur se pœnitere de culpis per manus commissis ; nam, ut ait Beda : *Hoc est veraciter nos appropinquare Domino, operis videlicet munditiem et cordis simplicitatem habere.*

ET PURIFICATE (Syrus, *sanctificate*) CORDA,] mentes et animos. Dicit hoc Primo, contra Judæos, qui omnem purificationem ponebant in cæremoniis externis, cum Christus et Christianismus præcipuam sanctitatem ponant in puritate cordis et mentis. Secundo, ut doceat quomodo debeant emundare manus, id est opera, nimirum purificando eorum fontem et radicem, puta cor. Nam, ut Christus ait : *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia : hæc sunt quæ coinquinant hominem.* Matth. 15. 19.

Sicut ergo Medici curant externos membrorum morbos, expurgando internos viscerum pravos humores qui eos causant : ita fideli expurganda est mens, ut sordes manuum, id est operum, inde manantes expurgentur. Quocirca S. Paulus 1. Timoth. 1. 5. *Finis*, ait, *præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.*

DUPLICES ANIMO,] in Psalmis vocantur *duplici corde*, qui aliud quasi cor in visceribus abscondunt, aliud in manibus et operibus ostendunt. Græce δίψυχοι, id est *bianimes*, inconstantes, qui nunc hoc, nunc aliud cupiunt et volunt : unde Syrus vertit *divisi* vel *dubii mente;* vide dicta c. 1. 8. Præclare Nyssenus : *Simplicem mentem*, ait, *et unius modi voco, eam quæ in solo bono animadvertitur, et nullius mali communione permixta est.* Et Cicero lib. de Senect. *Animus*, ait, *omni admixtione corporis liberatus, purus et integer esse cupit.*

9. MISERI ESTOTE,] ταλαιπωρησατε, id est *affligite vos*, vel affligimini, tum per internum dolorem, mentisque compunctionem; tum per externas corporis afflictiones, ut jejunia, orationes, humicubationes. Syrus, *humiles efficiamini.* Docet modum emundandi manus et corda, itaque appropinquandi Deo, esse pœnitentiam, compunctionem, afflictionem, qua miserias animæ nostræ non tantum cognoscamus et confiteamur, sed et deploremus, puniamus, castigemus, extirpemus per pœnas et miserias partim hujus vitæ patienter toleratas, partim voluntarias et sponte assumptas.

Miseri estote ergo, Primo, miseriam vestram humiliter agnoscendo. Secundo, miseriam culpæ et peccati deplorando et castigando. Tertio, miserias hujus vitæ patienter tolerando. Quarto, miserias et tormenta æterna gehennæ per modicas et breves pœnitentias redimendo. Quinto, tentationes et persecutiones fortiter cum Christo sustinendo. Sexto, alienis calamitatibus compatiendo. Septimo, per labores præsentis vitæ alacriter ad æterna gaudia transeundo. Octavo, a miseriis hujus peregrinationis et exilii ad Christum et cœlum suspirando. Unde Thomas Anglicus octo hujus vitæ recenset miserias, nimirum culpæ originalis, peccati actualis, innatæ fragilitatis, mundanæ paupertatis, humanæ persecutionis, diabolicæ tentationis, æternæ calamitatis, pœnitentiæ salutaris. Sumus ergo hic in valle lachrymarum et miseriarum, ideoque nos ipsos miserari, gemere et deplorare debemus, juxta illud Eccles. 7. 5. *Cor sapientum, ubi tristitia est : et cor stultorum, ubi lætitia.* Quin et Seneca in Consol. ad Polyb. *Larga*, ait, *ubique flendi est et assidua materia. Lachrymæ nobis deerunt antequam causa dolendi.* Quocirca Heraclitus semper flebat suam hominumque miseriam ; Democritus vero eorumdem ineptam stolidamque in tantis ærumnis lætitiam et risum perpetim ridendo deridebat.

Solerter colligit S. Bernard. serm. 3. de Nativitate ex Christi exemplo : *Ipse est promissus olim per Isaiam parvulus, sciens reprobare malum et eligere bonum : malum ergo voluptas corporis; bonum afflictio est : siquidem et hanc eligit, et illam reprobat.* Jam quod ad promerendam peccatorum veniam attinet asseveranter affirmat Naz. orat. 18. pag. 490. *Neque enim Deus ulla re, perinde atque corporis ærumna conciliatur.* Et B. Virgo Maria affirmavit S. Elisabethæ apud Bonav. in Vita Christi c. 3. *Pro certo habeas quod nulla gratia descendit in animam, nisi per orationem et corporis afflictionem.*

ET LUGETE ET PLORATE.]Syrus, אתאבלו *et abbelu*, id est, *lugete instar Abelis*, qui persecutionem passus, et occisus à Cain fratre typum gerit lugentium, sicut Cain gaudentium : unde Abel, Hebr. הבל *Habel*, significat *vanitatem*, vel *luctum* (à rad. אבל *aval*, id est *luxit*. Sæpe enim Hebræi א cum ה commutant), inquit Orig. tr. 26. in Matth. et S. August. 18. Civ. 15. Causæ luctus sunt octo miseriæ jam recensitæ. Unde Beda sic explicat, q. d. *Nolite locupletari et gaudere in hoc seculo, sed memores scelerum quæ fecistis, hoc potius procurate, ut per breves vitæ hujus miserias, paupertatem, ac lamentationem transitoriam ad sempiterna gaudia cœlestis regni pertingatis.* Et S. Aug. in hunc Jacobi locum : *Utique, regio ista scandalorum est, et tentationum, et omnium malorum, ut gemamus hic, et mereamur gaudere ibi; hic tribulari, et consolari ibi, et dicere : Quoniam exemisti oculos meos à lachrymis, pedes meos à ruina, quoniam placebo Domino in regione vivorum : in regione mortuorum labor, dolor, timor, tribulatio, gemitus, suspirium.* Christianos ergo in hac vita decet luctus et dolor, non risus et gaudium; sed illud in cœlo expectant. Ex adverso infideles et impii hic gaudent ad modicum, sed in gehenna æternum ejulabunt, juxta illud Christi : *Væ vobis qui ridetis, quia flebitis.* Lucæ 6. 25. et : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Matth. 5. Sanctus ergo hic luctus opponitur risui et ridentibus, ac gaudio, omnique felicitate affluentibus, quibus mundus ut beatis applaudit; Christus væ intentat; lugentes vero beatos pronuntiat. Ubi nota tres hujus beatitudinis gradus : Beati enim sunt, qui adversitates lugubres à Deo immissas aut permissas patienter tolerant, ait S. August.

lib. 1. de serm. Dom. in Monte. Beatiores sunt, qui sua aut aliena peccata lugent et deflent. Ita S. Chrysost. Ambr. Hilar. et Hieron. in Matth. 5. Beatissimi sunt, qui præ dolore luctæ quam habent cum carne, mundo et diabolo, ac præ desiderio cœlestis patriæ, et amoris Dei et Christi, lugent suum hoc in corpore exilium. Ita Nyssenus orat. 3. de beatitud. Talis lugens fuit Paulus, dicens : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Rom. 7. 24. et : *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo.* Philip. 1. 23. vide ibi dicta. Talis quoque fuit David, dicens : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus?* Psalm. 6. 7. Et Jeremias totis Threnis, ac præsertim cap. 2. 18. *Deduc*, ait, *quasi torrentem lachrymas per diem et noctem : non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.* Tales fuere veteres Anachoretæ, quorum luctum recenset Climachus gradu 7. ubi luctum sanctum ita definit : *Luctus secundum Deum est mœror animæ, afflicti cordis affectus, semper id quod sitit ardentissime inquirens; quo non potitur, summo id eum labore persequitur, atque post ipsum mœrens ululat.* Deinde hæc luctus assignat partim signa, partim effectus. *Proprium illorum est qui in beato luctu proficiunt continentia, labiorumque silentium. Eorum vero qui jam profecerunt, non irasci, injuriarumque omnino oblivisci. Eorum vero qui perfecti et consummati sunt, profunda animi humilitas, ignominiæ sitis vexatio vexationumque invitis advenientium spontanea esuries, peccantium non condemnatio, sed ultra vires miseratio.* Et mox praxin luctus tradit : *Sta in orationis prece tremens, nec aliter quam judici assistens, ut et interiori et exteriori habitu favorem justi judicis concilies*, etc.

Inter priscos lugentes excelluit S. Ephrem, qui totus est in compunctione et luctu, ut patet ex omnibus ejus operibus, ac præsertim tractatu de Compunctione : *O lachrymarum virtutem*, inquit, *quæ medicinalis officina es peccatorum, per te peccatores efficiuntur beati;* et : *Luctus animam lachrymis tergit, mundamque reddit, voluptates excindit et virtutes perficit.* Et S. Bernardus serm. 16. in Cant. *Paveo*, inquit, *gehennam; contremisco à dentibus bestiæ infernalis, ac ventre inferi, à rugientibus præparatis ad escam; horreo vermem rodentem et ignem torrentem, fumum et vaporem, et sulphur et spiritum procellarum; horreo tenebras exteriores. Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lachrymarum, ut præveniam fletibus fletum et stridorem dentium?* Pathetice vero S. Augustinus in Meditat. c. 36. *Da mihi*, inquit, *Domine, irriguum superius et irriguum inferius; ut sint mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Præsta mihi hanc gratiam propter te, ut quoties de te cogito, de te loquor, de te scribo, quoties tui reminiscor, tibi assisto, laudes, preces et sacrificium offero, totus obortis lachrymis in conspectu tuo copiose et dulciter fleam, ita ut efficiantur mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte*, etc. Et S. Laurentius Justin. in Ligno vitæ cap. 9. *O lachryma humilis!* inquit, *tua est potentia, tuum regnum; tribunal judicis non vereris, amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis. Quid plura? Vincis invincibilem, ligas omnipotentem, inclinas filium Virginis, aperis cœlum, fugas diabolum.*

Risus vester (quo risistis in gentilismo gaudentes epulis, jocis, stultiloquio, scurrilitate, omnique voluptati turpi indulgentes) *in luctum convertatur* pœnitentiæ, ac gravioris et severioris vitæ Christianæ; juxta illud Christi : *Mundus gaudebit, vos vero contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium*, etc. , *et gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Joannis 16. 20. et illud Apocal. 7. 17. *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* Et illud Psalm. 125. 5. *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua : venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Et illud Ps. 136. 1. *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur Sion.* Ubi sparsim S. August. *Flumina*, ait, *Babylonis sunt omnia quæ hic amantur et transeunt.* Amas honores, opes, delicias? amas flumina Babylonis, id est confusionis, quæ celerrime instar fluminum pertranseunt. *Alii ergo cives sanctæ Jerusalem intelligentes captivitatem suam, attendunt humana vota, et diversas hominum cupiditates hac atque illac rapientes, trahentes, impellentes in mare. Vident hæc, et non se mittunt in flumina Babylonis, sed sedent super flumina Babylonis. O sancta Sion, ubi totum stat, et nihil fluit! quis nos in ista præcipitavit? Quare dimisimus conditorem tuum, et societatem tuam? Ecce inter fluentia et labentia constituti, vix quisquam raptus à flumine, si tenere lignum potuerit, evadet*, etc. *Sede super flumina, noli in flumine, noli sub flumine, sed tamen sede humilis. Inde oportet fleas recordando Sion. Multi enim flent fletu Babylonico, quia et gaudent gaudio Babylonis : quia gaudent lucris, et flent damnis : utrumque de Babylonia est. Flere debes, sed recordando Sion. O pax illa, quam videbimus apud Deum! ô pax illa, et sancta æqualitas Angelorum! ô illa visio et spectaculum pulchrum! Ecce in Babylonia pulchræ sunt quæ tenent, non te teneant, non decipiant. Aliud est solatium captivorum, aliud gaudium liberorum.* Nimirum illud ad quod suspirat Psaltes Psalm. 83. 1. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.*

Et gaudium in moerorem.] Syrus *in angustiam.*

Humiliamini in conspectu Domini.] Tigurina clare, *Humiliate vos.* Syrus , *Humiles vos reddite coram Domino.* Redit ad dicta vers. 6. et 7. de humilitate; et quia humilitas est filia veri luctus, de quo egit versu præcedenti. *Qui enim flet, non superbit; qui luget, humiliatur*, ait S. Ambrosius lib. 5. in Lucam. Sunt enim nonnulli qui falso et ficte lugent, nimirum qui dum lamentantur, contra proximum vel Deum superbiunt et murmurant, ait S. Gregor. 9. moral. 19. alias 28.

Alludit Jacobus , imo citat illud Christi Lucæ 14. 11. *Omnis qui se exaltat humiliabitur; et qui se humiliat exaltabitur :* sicut Christus humilians se infra omnia, exaltatus est super omnia. Philip. 2. 8. Nam, ut ait S. Aug. tract. 104. in Joan. *Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium.*

Nota. *In conspectu Domini.* q. d. Primo, humiliamini non ficte, non exterius, sed sincere et interius ex toto corde coram Domino, qui cor intuetur. Secundo, q. d. studete profundæ et intimæ humilitati; hæc enim ante districti judicis oculos cæteris virtutibus præeminet, ait S. Gregorius loco jam citato. Tertio, q. d. humiliamini non tantum coram hominibus vos prosternendo, peccatores profitendo, pedes os-

culando, sed et coram Deo fastum mentis deprimendo, ac calcando, de qua re vide Cassianum collat. 19. cap. 11. Et S. Bernard. sermone 42. in Cantic. *Humilitas*, inquit, *justificat nos, non humiliatio. Quanti humiliantur et humiles non sunt? Alii cum rancore humiliantur; alii patienter, et alii libenter. Primi rei sunt, sequentes innoxii, ultimi justi : quanquam et innocentia portio justitiæ est; sed consummatio ejus apud humilem. Qui autem dicere potest : Bonum mihi quia humiliasti me, is vere humilis est.* Quarto, quia humilitas vera nihil aliud est, quam vera et practica cognitio sui et Dei; nimirum ut homo cognoscat suum nihil, et immensitatem Dei. Verus ergo humilis non homines, sed Deum respicit : seipsum enim in oculis Dei considerans, vidensque se esse abyssum nihili, ignorantiæ, peccatorum et vitiorum, profundissime coram Deo se dejicit : et si quid boni habet, ab eo sibi gratis datum agnoscit, eique totum acceptum refert. Ita sanctus Franciscus noctes integras non aliud dicebat, non aliud meditabatur quam : *Quis tu, Domine? Quis ego? Tu abyssus omnis boni; ego abyssus omnis mali et nihili.* Denique humilis cum Deum cognoscat et revereatur, semper Dei præsentiam cogitat, omniaque ita humiliter agit et loquitur, ut Dei se intuentis oculos nusquam offendat, sed placet et oblectet.

Et EXALTABIT VOS] in cœlo, et etiam in hac vita per gratiam, et sæpe per famam et gloriam apud homines, præsertim post mortem. q. d. ne vereamini studere humilitati, quasi illa vobis depressioni et dedecori sit futura. Hic enim est exploratus error, qui multos hominum occupat : nam illa sola vos exaltabit et decorabit, idque ea proportione et mensura, ut quantum descendendo vos humiliaveritis, tantum ascendendo exaltemini : uti Christus super omnes cœlos ascendit, quia moriens descendit ad imos inferos. Hoc enim suis ipse promisit, qui est æterna veritas et immutabilis fidelitas. Luc. 14. 11. Ratio est prima, quia congruum humiliationis præmium est exaltatio. Secunda, quia humiles summe honorant Deum : merentur ergo vicissim ab eo honorari. Unde sapienter Ecclesiasticus c. 3. 21. *Quantum magnus es*, inquit, *humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam : quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur.* Humilis enim sicut coram Deo suam summam vilitatem, sic et Dei summam majestatem videt et agnoscit. Tertio, quia gloriosa res est humilitas, qua ipsa quoque superbia palliare se appetit, ne vilescat, ait S. Bernardus de Gradibus humil. in nono. Plures rationes dedi v. 6. et 7.

Antistropha huic Jacobi sententiæ est illa S. Petri 1. cap. 5. 6. *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis;* et illa Sapientis : *Humilem spiritu suscipiet gloria.* Proverbiorum 29. 23. et Job 22. 29. Ita Virgo Deipara merito humilitatis facta est mater Dei, et exaltata super omnes Angelorum choros. S. Joannes factus est Baptista Christi, quia indignum se putabat, qui solveret corrigiam calceamenti ejus. S. Petrus se quasi peccatorem indignum judicans hospitio Christi, factus est Christi Vicarius, et primus Apostolorum, caputque Ecclesiæ. S. Paulus sentiens se abortivum et novissimum Apostolorum, uti seipsum postea vocavit, factus est vas electionis. Quocirca merito S. Cyprianus ait libro de Zelo et Livore : *Exaltationis apud nos non potest esse contentio : de humilitate ad summa crescimus; didicimus unde placeamus.* Hanc viam munierat nobis cœlestis Magister. Marci 9. 34. *Si quis vult primus esse, erit* (id est, sit vel fiat) *omnium novissimus.* Eamdem munit Augustinus serm. 213. de Tempore. *Esto parvulus in oculis tuis, ut sis magnus in oculis Dei.* Et S. Bernardus serm. 2. de Ascensione : *Sola est humilitas quæ exaltat; sola quæ ducit ad vitam : hæc est via, et non est alia præter eam.*

Nota. Hæc Jacobi sententia et sequentes aliquot ad verbum citantur à S. Clemente epist. 2. ad Jacobum fratrem Domini; ac ab eo tribuuntur S. Petro, non Jacobo : unde Epistolæ illæ Clementis non carent scrupulo; ut advertit Bellarmin. de Script. Ecclesiast. in Clemente, præsertim quia Epist. 1. dicit jam mortuum esse S. Petrum; cum constet Jacobum ad quem scribit, occisum esse ante S. Petrum : quare videtur auctor illarum Epistolarum censuisse Jacobum fratrem Domini, et primum Episcopum Hierosolymæ ad quem scribit, diversum esse à Jacobo Apostolo auctore hujus Epistolæ; uti dixi in Proœmio. Idem Epistola quinta citat Platonem dicentem amicorum omnia debere esse communia, etiam uxores; nec idipsum refutat, quanquam in exemplari Vaticano id non invenitur : unde videtur à sciolo aliquo insertum, et huc translatum ex lib. 10. Recogn. ubi Clemens idem citat et refutat.

11. NOLITE DETRAHERE ALTERUTRUM.] Transit ab humilitate ad detractionem, quasi ad vitium oppositum. Humilis enim se omnibus inferiorem et priorem æstimat; unde nulli detrahit, nisi sibi : superbus autem aliis detrahit, ut iis major et melior appareat, itaque concitat odia, lites et bella, quæ taxavit Jacobus v. 1. Porro hoc detractionis vitium adeo proclive et commune est, ut omnes pene domos et fideles, etiam pios, occupet, adeoque vix sit colloquium aliquod longius, cui sese non immisceat, *tantaque hujus mali libido mentes hominum invasit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen quasi in extremum diaboli laqueum incidant*, ait S. Hieronym. epist. ad Celantiam.

Fit autem quintupliciter. Primo, falsum crimen alteri impingendo. Secundo, verum nimis exaggerando. Tertio, occultum prodendo. Quarto, benefactum male interpretando, vel extenuando, vel frigide laudando. Quinto, reticendo virtutes et laudes, cum eas deberet pandere et recitare. Grave est hoc crimen, quia proximo adimit famam, quæ melior est opibus et bonis fortunæ : unde majus est furto, et proximum homicidio : imo ipsum manans ex odio est spiritale homicidium, ait S. Petrus apud Clementem epist. 1. ad Jacobum; quia scilicet occidit animam tam dicentis, quam audientis, si consentiat : quin et ejus cui detrahitur, si eum vicissim ad odium et detrahendum concitet.

Hinc detractor dicitur odibilis et abominabilis Deo. Prov. 6. v. 16. et 17. Rom. 1. 30. Ratio est triplex. Prima, quia lædit non tantum charitatem, sed et justitiam, quam debemus proximo : aufert enim illi famam; quæ ingens est ejus bonum. Secunda, quia Dei legem id vetantem contemnit. Lex enim Christi est : *Nolite judicare, et non judicabimini.* Matth. 7. v. 1. et Mosis Levit. 19. 16. *Non erit criminator, nec su-*

surro in populo; et Sapientis Proverbiorum 4. 24. *Remove à te os pravum, et detrahentia labia sint procul à te.* Rursum detractor et iniquus censor inique usurpat judicium Dei, cujus solius est de factis et intentionibus hominum, præsertim occultis, judicare. Tertia, quia nemo est sine peccato. Dum ergo quis peccatum alterius censet et judicat, hoc ipsum suum ipse condemnat, et simili censura dignum judicat. Adde, detractor ordinem pervertit : deberet enim prius sua vitia carpere et emendare, antequam carpat alterius : subit ergo illam sententiam Christi contra Pharisæos dictatam : *Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat.* Joan. c. 8. v. 7.

Merito ergo queritur S. August. serm. 202. de Temp. *Maxima,* ait, *pars generis humani indiscreto judicio ad reprehendendum prompta et parata esse probatur, cum tamen non ita se velit ab aliis judicari, quomodo vult alios judicare.* Violat ergo illud naturæ et Christi præceptum : *Prout vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter.* Lucæ v. 6. 31. Et S. Hieronymus epist. ad Rustic. *Nulli detrahas, nec in eo te sanctum putes, si cæteros laceres. Accusamus sæpe quod facimus, et contra nos ipsos diserti in nostra vitia invehimur, multi de eloquentibus judicantes.* Idem ad Celantiam : *Est sane hoc vitium quod vel in primis extingui debeat, et ab eis qui se sancte instituere volunt, prorsus excludi. Nihil enim tam inquietat animum, nihil est quod ita mobilem mentem ac levem faciat, quam facile totum credere, et obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi. Hinc enim crebræ dissensiones, hinc odia injusta nascuntur. Hoc est quodsæpe de amicissimis etiam inimicos facit, dum concordes quidem, sed credulas animas maliloqua lingua dissociat.* S. Bernardus serm. de simplici cust. *linguam detractoris* vocat *viperam et lanceum, quæ tres penetrat ictu uno. Gladius equidem anceps,* ait; *imo triceps est lingua detractoris.* Vide eumdem serm. 24. in Cantic. S. Chrysostomus hom. 3. ad pop. ait vitandum esse detractorem, perinde ac vitamus stercora commoventes, quæ nil nisi fœtores excitant; juxta illud Sapientis : *Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire.* Ecclesiast. 28. v. 28.

S. Franciscus, ait S. Bonavent. in ejus Vita l. 1. cap. 8. *Detractionis vitium inimicum fonti pietatis et gratiæ, tanquam serpentinum abhorrebat morsum et atrocissimam pestem : et piissimo Deo abominabile fore firmabat, pro eo quod detractor animarum sanguine pascitur, quos gladio linguæ necat. Tanto major est aiebat, detractorum impietas, quam latronum ; quanto lex Christi quæ in observantia pietatis impletur, magis animarum quam corporum, nos astringit optare salutem.*

QUI DETRAHIT FRATRI, AUT QUI JUDICAT FRATREM SUUM DETRAHIT LEGI, ET JUDICAT LEGEM,] et consequenter ipsum legislatorem Deum judicat, id est, arguit et condemnat ; ita Œcumen. Sed quo sensu? Primo, aliqui sic exponunt. q. d. Detractor condemnat legem, quia quos peccantes lex sustinet ut pœniteant, ipsi illico ut puniendos judicant, et supplicio dignos clamitant. Secundo, S. Thomas 2. 2. qu. 75. art. 1. ad 3. Detractor, inquit, detrahit legi, id est, eam contemnit. Sicut enim is qui servat legem, eam honorat ; ita qui transgreditur, quasi detrahit et infamat eam. Tertio, et genuine. q. d. Detractor judicat legem in actu, non signato, sed exercito : quia non verbo, sed facto dicit legem non recte sanxisse, ne cui detrahamus, aut ne quempiam judicemus. Judicat ergo legem non judicio formali et explicito, sed virtuali et tacito ; quia reipsa et practice judicat sibi hic et nunc esse faciendum id quod lex vetat, scilicet esse detrahendum. Unde videtur legem divinam maculare, carpere et reprehensibilem reddere, quasi impossibilia vel incongrua præceperit ; ita Dionys. Cajetan. Cathar. Salmeron. hic, et Cassian. collat. 16. cap. 16. Lex enim dicit : Tibi non est judicandus frater. E contrario detractor sciens hanc legem, reipsa dicit : Imo vero mihi hic et nunc judicandus est frater. Judicando ergo fratrem, judicat legem hoc fratris judicium vetantem, illamque tacite arguit et condemnat, quasi ipse perperam hoc vetarit. Simili modo qui furatur, tacite judicat legem quæ dicit : Non furaberis ; sed magis proprie is qui judicat fratrem, judicat legem id vetantem ; qui formal sibi formale judicium de fratre, de eoque contra legem formaliter judicat : quod non facit fur, qui neminem judicat. Denique detractor in terminis judicat legem, cum alicui detrahit ob opera virtutis lege Evangelii sancita aut consulta, eaque in probrum et irrisionem vertit : quod tunc frequens erat, uti et nunc est ; ut dum fratrem pietati studentem vocat hypocritam ; dum patienter probra tolerantem vocat ignavum ; dum silentem vocat vecordem ; dum modestum vocat idiotam et simplicem ; dum sua omnia dantem pauperibus vocat prodigum, et secedentem in monasterium vocat insanum. Hoc ipso enim opera virtutis et sanctitatis quæ lex commendat, condemnat, facitque vitia : novam ergo legem sancit Dei legi contrariam, sed ipsius lex est lex vitiorum : Dei lex est lex virtutis. Ita Œcum. Lyran. Hugo et Gagneius.

Quocirca sapienter monet S. Bern. serm. 40. in Cantic. *Cave,* ait, *alienæ conversationis curiosus esse explorator, aut temerarius judex, etiamsi perperam actum quid deprehendas : nec sic judices proximum, sed magis excusa. Excusa intentionem, si opus non potes ; puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Qui si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, et dicito apud teipsum : Vehemens fuit nimis tentatio. Quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem?*

12. UNUS EST LEGISLATOR ET JUDEX,] puta Deus et Christus, sive Deus homo : illi ergo judicium relinque, nec tibi arroga. q. d. Dum fratrem judicas, legem et legislatorem judicas, in eumque peccas dupliciter. Primo, quia tacite ejus legem redarguis. Secundo, quia ejus judicium tibi arrogas et usurpas ; cum ipse solus sit tam legislator quam judex omnium, scilicet primus et summus, à quo Moses, Abraham, Salomon, cæterique reges et legislatores, quasi ejus ministri, suam vim et potestatem leges condendi acceperunt, juxta illud Proverb. 8. 15. *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt : per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam.*

QUI POTEST PERDERE ET LIBERARE.] Græce, σῶσαι καὶ ἀπολέσαι, id est *salvare et perdere ;* scilicet tam in præsenti vita, quam in futura et æterna. Sic et Syrus. Addit hoc Jacobus, ut doceat hominum non esse judicare fratres, sed Dei, qui suos, suæque legi obedientes (qui scilicet non

detrahunt, nec judicant fratres suos) salvabit et beabit in æternum; inobedientes vero, scilicet qui detrahunt et judicant fratres, ideoque tacite judicant legem, et in ipsum legislatorem injurii sunt, perdet et damnabit ad gehennam, ut omnes hac spe et metu à detractione et judicio temerario avocet. Rursum occurrit objectioni detrahentis ac dicentis : Si ergo non castigo peccatum et injuriam fratris, illa manebit impunita. Respondet enim non fore impunitam, sed puniendam à Deo. q. d. Cum ergo frater peccans suum habeat judicem et vindicem acerrimum, is tibi sufficiat; tu noli eum judicare : sin is velit ejus misereri, eumque convertere et salvare; tu velle non debes, nec potes eum perdere. Ita Hugo. *Non eadem est sententia tribunalis Christi : et anguli susurronum*, ait S. Hier. ep. 39. et S. Ephrem Paræn. *Non judicemus quemquam*, inquit, *quia non novimus ejus pœnitentiam : in testaceis vasis aurum sæpe reconditur.* Antistropha huic Jacobi sententiæ est illa Pauli ad Rom. 14. 4. *Tu quis es qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit.* Et v. 10. *Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? omnes enim stabimus ante tribunal Christi.*

13. TU AUTEM QUIS ES QUI JUDICAS PROXIMUM?] *Quis*, id est qualis, quam temerarius et audax es, qui cum sis vilis homuncio, similibusque et sæpe iisdem peccatis obnoxius, audeas tamen de iis fratrem judicare, et Dei de eo judicium usurpare. Sic ait David : *Quis est hic Philisthæus incircumcisus, qui exprobravit acies Dei viventis?* 1. Reg. 17. 26.

Moraliter nota hic quam vitanda sit detractio et judicium temerarium proximi. Quocirca in Vitis Patrum libello 4. § 1. Abbas Moyses : *Debet*, inquit, *homo quasi mortuus esse socio suo, hoc est, mori amico suo, ut non dijudicet eum in aliqua causa.*

Et S. Antonius : *Nolite*, ait, *ante tempus judicare : debent enim omnes Christi, cui soli occulta patent, reservari judicio. Aliud enim hominum, aliud Dei est judicium. Quisque seipsum inspiciat et judicet.* Ita S. Athanasius in ejus Vita.

Abbati Isaac, qui quemdam peccantem judicaverat, occurrit angelus dicens : *Ubi jubes ut mittam fratrem illum culpabilem, quem addixisti?* Mox Isaac : *Peccavi*, inquit, *ignosce mihi.* Cui angelus : *Surge, ignoscit tibi Deus; sed vide ne de cætero adjudices quemquam priusquam Deus adjudicet eum.* Ita in Vitis Patr. l. 5. libel. 9.

Ibidem alius dicit : *Peccata mea sunt post me currentia, et non video ea; et veni ego hodie judicare peccata aliena.* Et alius : *Quacumque hora tegimus peccatum fratris nostri, teget et Deus nostrum; et quacumque hora prodiderimus culpas fratrum, et Deus nostras similiter prodet.* Alius : *Ne judices fornicatorem, si castus es : quoniam similiter legem prævaricaris. Etenim qui dixit : Non forniceris, dixit : Ne judices.* Alius vidit gratiam, quæ visibiliter in celebratione Eucharistiæ solebat in virum sanctum descendere, ab eo recessisse; qua de re eum admonens, cum ille detractionis culpam agnosceret et pœniteret, visa est gratia ad eum reverti. Verum maxime omnes à temere judicando absterrere debet illa augusta Christi sententia et promissio Matth. 7. 1. *Nolite judicare, et non judicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini.*

Memorabile est exemplum quod scribit S. Anastasius Sinaita, Episcopus Antiochenus tempore S. Gregorii (cujus Pastorale ex latino in Græcum convertit) orat. de S. Synaxi, et ex eo Baron. tom. 7. anno Christi 599. *Quidam*, ait, *monachus qui negligentissime per summum otium vixerat, cum ad mortem infirmaretur, eam non perhorrescens, summa voluptate magnaque cum gratiarum actione exolutus vinculis excedebat. Ad quem assidentium Patrum unus : Frater*, inquit, *scimus te summa negligentia hucusque vixisse : unde ergo tibi hæc tanta securitas? Cui ille : Ita est, negligentissime vixi : sed angeli Dei hac ipsa hora peccatorum meorum ad me chirographum attulerunt; cumque ea quæ fecissem postquam sæculo renuntiassem, peccata legissent, numquid agnoscerem, rogaverunt. Quibus ego : Maxime vere, inquam, agnosco : sed id ex quo renuntiavi sæculo vitamque instituimonasticam, nec judicavi quemquam, nec ab ullo mihi factum injuriam meminisse volui. Igitur Domini verba ad me quoque pertinere opto et oro, qui dixit : Nolite judicare, et non judicabimini. Et : Dimittite, et dimittetur vobis. Quæ postquam angelis dixi, chirographum peccatorum meorum consideruntur; et inde nunc summa cum lætitia et securitate proficiscor ad Dominum. Hoc ubi frater ille narravit Patribus, Domino in pace spiritum reddidit.* Plura recensui Jerem. c. 37. v. 17.

ECCE,] ἄγε. Quæ vox transitionis est nota, novumque sermonem et materiam inchoat. q. d. Agite, videte vestram prudentiam, superbiam et stultitiam, quam vobis demonstro. Unde v. 16. concludens, ait : *Omnis exultatio talis maligna est.*

QUI DICITIS : HODIE, AUT CRASTINO IBIMUS IN ILLAM CIVITATEM.] Disparata videtur hæc sententia à præcedente : veteres enim sua dogmata ethica docebant per gnomas disparatas, ut patet in Proverbiis et Ecclesiastico. Romani tamen codices eodem versu cum præcedenti hæc connectunt, quasi ad judicium temerarium hæc spectent. q. d. Tu quis es qui judicas fratrem tuum? nimirum es homo liber, præceps, inconsideratus, qui longam tibi liberamque vitam polliceris; nec cogitas tibi imminere mortem, in qua judicii temerarii, omniumque peccatorum exactam judici Deo redditurus es rationem. Verum esto ita connectamus, generalis tamen hæc est sententia, ut notat Beda, qua Jacobus taxat multorum stoliditatem, qui toti lucris mundique negotiis intenti diu se victuros æstimant, ideoque pro arbitratu futura disponunt, quasi liberi, vitæque et temporis domini; nec cogitant hæc omnia pendere à Dei nutu, qui singulis celerem finem vitæ certumque diem mortis præstituit, qui omnes has dispositiones et spes succidet; de quibus celebratur festivus iste Apologus rustici, qui lactis amphoram portans ad forum tacite secum cogitabat : Tanti vendam lac meum, ex pretio emam gallinam, illa mihi generabit pullos : illos alam, et grandiores effectos vendam, ex pretio emam porcellum, quem impinguatum vendam; emamque vitulum, illum saginabo et vendam. Quid tanto pretio faciam? emam equulum cui filius meus inequitet, ac gestiens subsultare cœpit, ac exprimere speciem filii in equo exultantis. Subsiliens amphoram è capite excussit, et lac omne in terram effudit, ac cum lacte pariter omnes suas spes, conceptus et gaudia effudit. Ita hodie multi magna moliuntur, magna sibi pollicentur, aura

aulæ velut chamæleontes vivunt, spes altissimas sibi efformant, sed chimericas; quas vel morbus, vel mors, vel sinister aliquis casus evertit, et in ipso sæpe exortu succidit. Nimirum,

Nescia mens hominum fati sortisque futuræ.

Exemplum divitis exstat Luc. 12. v. 17. qui sibi applaudens dicensque : *Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit : Hoc faciam, destruam horrea mea et majora faciam; et illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi et bona mea, et dicam animæ meæ : Anima, habes multa bona posita in annos plurimos ; requiesce, bibe, epulare.* Sed eadem die audiit à Deo : *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te : quæ autem parasti cujus erunt?* utique immemoris, ingrati et sæpe ignoti incertique hæredis.

Nota. Hæc futura : *ibimus, faciemus, mercabimur, lucrum faciemus,* accipi possunt pro optativis : camus, faciamus, mercemur, lucrum faciamus, ut vertunt Pagnin. et Tigurin. significant enim non tantum suam de futuris dispositionem, sed et (idque magis) suam lucrandi cupiditatem ; scilicet se non Deum, non cœlum, sed lucrum dumtaxat cogitare et ambire ; quos merito miserans S. Ambr. lib. de Naboth c. 12. *Servitis,* inquit, *divites, ac miseram quidem servitutem, qui servitis errori, cupiditati, avaritiæ, quæ expleri non potest. Captiva est opulentia, pauperlas libera.* Et cap. 14. *Desideriorum suorum æstu volvuntur? et quodam sale fluctuant.* Nam, ut ait S. Chrysost. hom. 39. in Genes. *Mare fluctibus non ita intumescit, ut talem animam à cogitationibus et affectionibus infestari videmus.* Et S. Gregor. vocat hanc plagam muscarum Ægypto à Mose inflictam : *Musca enim,* inquit, *nimis insolens et inquietum animal est, in qua quid aliud quam insolentes curæ desideriorum carnalium designantur?* Unde hos culpans Sapiens c. 15. 12. *Æstimaverunt,* inquit, *lusum esse vitam nostram, et conversationem vitæ compositam ad lucrum, et oportere undecumque etiam ex malo acquirere :* cum tamen mala lucra semper damnum afferant, ut ait Hesiodorus et Menander.

FACIEMUS IBI QUIDEM ANNUM.] S. Ignatius, fundator Societatis nostræ, cuidam dicenti se post aliquot menses quippiam facturum : *Bone Deus,* inquit, *tamdiu te victurum putas?* cui mors certa, sed die incerto imminet, et æternitas. Quid enim est annus vitæ tuæ, nisi annulus qui semper in orbem rotatur, donec ad numerum sibi à Deo præfixum decurrat? Audi Servium : Annus, inquit, dicitur quasi anus, id est annulus, quia in se redit:

Atque in se sua per vestigia volvitur annus.

Vel ἀπὸ τοῦ ἀνανεοῦσθαι, id est, *ab innovatione,* quod scilicet assidue innovetur et alter fiat.

14. QUI IGNORATIS QUID ERIT IN CRASTINO.] Magna hominum est fidentia, qui de crastino ita secure disponunt, atque si crastinum in sua haberent manu et dominio, cum nesciant an crastino sint victuri, res suas habituri, libertate et sanitate usuri. Sapienter ergo monet Sapiens : *Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superventura* (ἐπιοῦσα, id est *crastina*) *pariat dies.* Prov. 27. 1. et Psaltes : *Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ,* hebr. *tempora mea.* Psal. 30. 15. Et Christus Matth. 25. 13. *Vigilate, quia nescitis diem neque horam.*

Quocirca sapienter monet S. Gregor. l. 4. Dial. cap. 49. diabolum illaqueare homines promittendo longam vitam, datque exemplum de quodam. *Qui dum somnia,* inquit, *vehementer attenderet, ei per somnum longa spatia hujus vitæ promissa sunt. Cumque multas pecunias pro longioris vitæ stipendiis collegisset, ita repente defunctus est, ut intactas omnes relinqueret, et ipse secum nihil ex bono opere portaret.* Ita multos decipi videmus à Mathematicis, qui dum falso promittunt amplos honores, metum mortis adimunt : quo fit ut eis creduli ad mortem se non parent, quia promissos ab eis honores expectant; ac ingruente morte non tantum honoribus, sed et vita priventur præsenti, ac sæpe æterna.

Vere Pindarus in Nemeis ode 8. *Vanæ spes,* inquit, *exitus habent futiles.* Idem in Isthmiis ode 3. *Tempus, dum volvuntur dies, alias aliam affert rerum vicissitudinem; sed tamen invulnerabiles sunt filii deorum;* et ode 5. *Mortalia mortales decent ;* et ode 7. *Vetus beneficium dormit : immemoresque sunt mortales ejus rei, quæ non pervenerit ad florem summum sapientiæ.*

Egregie Seneca lib. 17. epist. 102. narrata subita morte Senecionis Cornelii, qui totus divitiis imminens, in ipso procurrentis pecuniæ impetu raptus est, subdit :

Insere nunc, Melibœe, piros, pone ordine vites.

Quam stultum est ætatem disponere! nec crastino quidem dominamur. O quanta dementia est spes longas inchoantium! Emam, ædificabo, credam, exigam; honores geram, tum demum lassam et plenam senectutem in otium referam! Omnia, mihi crede, etiam felicibus, dubia sunt. Nihil sibi quisquam de futuro debet promittere, id quoque quod tenetur per manus exit : et ipsam quam premimus horam, casus incidit. Volvitur tempus rata quidem lege, sed per obscurum. Quid autem ad me, an naturæ certum sit, quod mihi incertum est? Navigationes longas, et pererratis littoribus alienis, seros in patriam reditus proponimus, militiam, et castrensium laborum tarda manu pretia, procurationes, officiorumque per officia processus; cum interim ad latus mors est, quæ quoniam nunquam cogitatur, nisi aliena subinde nobis ingerantur mortalitatis exempla, non diutius quam dum mirantur, hæsura. Et mox : *Stat quidem terminus nobis, ubi illum inexorabilis fatorum necessitas fixit; sed nemo scit nostrûm quam prope versetur terminus : sic itaque formemus animum, tanquam ad extrema ventum sit : nihil differamus; quotidie cum vita paria faciamus. Maximum vitæ vitium est, quod imperfecta semper est, quod in aliud ex alio differtur. Qui quotidie vitæ suæ summam manum imposuit, non indiget tempore. Ex hac autem indigentia, timor nascitur, et cupiditas futuri excedens animum. Nihil est miserius dubitatione volutantium quorsum evadant, quantum sit illud quod restat, aut quale.* Quærit deinde : *Quomodo effugiemus hanc volutationem? Uno, si vita nostra non prominebit, si in se colligetur. Ille enim ex futuro suspenditur, cui irritum est præsens. Ubi vero, quidquid mihi debui redditum est; ubi stabilia mens scit, nihil interesse inter diem et sæculum, quidquid deinceps dieram rerumque venturum est ex alto prospicit, et cum multo risu seriem temporum cogitat. Quid enim varietas mobilitasque casuum perturbabit, si certus sit adversus incerta? Ideo, mi Lucili, propera vivere, et singulos dies singulas vitas puta. Qui hoc modo se aptabit, cui vita sua quotidie fuit tota, securus est. In spe*

viventibus, proximum quodque tempus elabitur, subitque aviditas temporis, et miserrimus, atque miserrima omnia efficiens metus mortis. Inde illud Mæcenatis turpissimum votum, quod et debilitatem non recusat et deformitatem, et novissime acutam crucem, dummodo inter hæc mala spiritus prorogetur.

Quocirca Plutarch. lib. de Tranquill. docet sapientem ita moderari vitam per prospera et adversa, ut iis non insolescat, his non dejiciatur: sicut musicus chordas et fistulas, quarum aliæ acutum, aliæ gravem, aliæ medium sonum edunt, ita contemperat, ut suavem harmoniam efficiant.

15. QUÆ EST ENIM VITA VESTRA,] ut audeatis de ea in crastinum et futurum certo disponere? *Quæ*, id est, qualis et quantula, puta quam instabilis, brevis, caduca et misera est. *Tanquam semper victuri vivitis; nunquam vobis fragilitas vestra succurrit*, ait Seneca de Brevit. vitæ c. 4. *Omnia tanquam mortales timetis. Omnia tanquam immortales concupiscitis.* Idem ep. 121. *Nihil*, ait, *imprudentius aut stultius fingi potest, quam si putre corpus sortiti, æterna tamen proponamus, et in quantum potest ætas humana protendi, tantum spe occupemus.* Et mox: *Ideo magnus animus sibi conscius melioris vitæ dat quidem operam, ut in hac statione qua positus est, honeste se atque industrie gerat: cæterum nihil horum quæ circa ipsum sunt, suum judicat; sed ut commodatis utitur peregrinus et properans.*

VAPOR EST, id est, quasi vapor, vapori similis, AD MODICUM PARENS, ET DEINCEPS EXTERMINABITUR.] Græcum ἀτμὶς, significat Primo, vaporem; Secundo, flatum; Tertio, fumum; Quarto, halitum; Quinto, auram tenuem; ab ἀτμίζω, id est *evaporo, exhalo, expiro.* Alludit ad illud axioma et epiphonema Eccl. c. 1. 1. *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas*, pro quo Aquila, Symmachus, Theodosion, cæterique omnes, exceptis Septuag. ut ait ibidem S. Hieronymus, vertunt, *vapor vaporum, et omnia vapor.* Quid enim vanius vapore, qui illico tenus vanescit in auras? Porro vapor, ait Aristot. Meteorol. cap. 1. fit cum humidum quod circa terram est, à radiis, et ab alia quæ desuper est caliditate evaporans fertur sursum, ubi infrigidatus vel in rorem et pluviam resolvitur, vel constrictus in nivem, pluviam, glaciem et grandinem densatur, et coalescit. Unde hunc vocat quasi fluvium perennem, qui circulariter fluat sursum cum fit vapor; et deorsum, cum resolvitur in pluviam, quæ in terram, è qua vapor ascendit, depluit.

Talis vapor est vita nostra. Primo enim ut vapor calore cogitur, ascendit et consistit, sed modico; ita et vita nostra calore consistit, sed modico, estque quasi scintilla ignis, ut ait Sapiens c. 2. 2.

Secundo, sicut vapor statim in auras dispergitur et evanescit; sic et vita nostra. Et hoc proprie hic intendit S. Jacobus.

Tertio, sicut vapor adeo exilis, tenuis, et pene invisibilis est, ut non tam res, quam rei videatur umbra et simulacrum; sic et vita nostra, adeoque omnis res creata respectu entis increati et æterni, puta Dei, est tantum umbra, unde Dei nomen est, *Ego sum qui sum*, ut dixi Exodi 3. 14.

Quarto, sicut vapor adeo debilis est, ut omni vento etiam minimo huc illucque feratur; sic et vita nostra minima re impellitur et mutatur. Unde S. Greg. in Prologo Psal. 6. Pœnit. *Laboriosa*, ait, *est vita temporalis, levior fabulis, velocior cursore, instabilitate fluctuans, imbecillitate nutans; cui nulla est fortitudo, nulla propositi constantia, nulla à turbationibus requies, nulla a laboribus reclinatio. Quis denique est, quem non excruciet dolor, sollicitudo non urgeat, non subruat timor? Risus fletum sequitur, gaudium tristitia comitatur: esuriei succedit saturitas, saturitatem iterum excludit esuries: in nocte dies optatur, in die nox quæritur, in algore calor, in æstu refrigerium: ante cibum suspiria, post cibum tribulatio, iræ, indignationes exagitant, et innumerabiles miseros homines motus perturbant.*

Quinto, sicut vapor obscurus est et coalescit in nubem, sic et vita nostra plena est ignorantia, errore, imprudentia. Unde S. Gregorius 23. Moral. c. 12. Isaiam citans c. 26. *Propheta*, inquit, *ad videndum Dominum quadam se premi caligine sentiebat, dicens: Anima mea desideravit te in nocte. q. d. In hac obscuritate vitæ præsentis, videre te appeto; sed adhuc infirmitatis nubilo circumscribor. David quoque hujus noctis caliginem videns, claritatem veri luminis præstolatus ait: Mane astabo tibi et videbo.*

Sexto, sicut vapor confusus est, ita et confusa et perturbata est vita nostra; idque pio Dei consilio, ait S. Gregorius 25. Moral. cap. 15. *ne viam pro patria diligamus; ne, dum viator delectatur in via, obliviscatur quod desiderabat in patria.* Idem. l. 31. c. 17. *Justus*, ait, *vitam suam bonis malisque permixtam conspicit, et cogitationes suas aliquo modo spe et timore confundit.*

Septimo, sicut vapor resolutus in pluviam descendit, reditque in terram ex qua exhalando ascendit; ita et vita nostra ac corpus, per morbum et mortem resolutum, redit in terram, ex qua sumptum est; unde Salomon concionem suam de vanitate mundi, quam præ cæteris expertus erat, ita concludit Eccles. 12. 1. *Memento creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis*, etc. *Et revertatur pluvia in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, et omnia vanitas.* Alii, ut dixi, vertunt: *Vapor vaporum, et omnia vapor.*

Octavo sicut vapor terrenus putrescit, et vocatur situs, ait Arist. lib. 5. de Gener. animalium, c. 4. *Situs*, inquit, *caries vaporis terreni est: nam si vapor se efferens concrescit, fit pruina. sin putrescit, situs. Sic comædi senectutis situm pruinam nominant.* Unde infert: *Recte dixeris morbum esse adventitiam senectutem, senectutem autem esse morbum naturalem.* Sic et vita nostra vaporibus, tum corporalibus in catarrhos, phlegmata et flatus resolutis: tum spiritualibus, puta concupiscentiis carnalibus, quas quasi vapores exhalat, corrumpitur et putrescit. Unde Avicenna et Medici docent in montibus puriorem esse aerem, ideoque ibi homines diutius, sanius et robustius vivere: in vallibus vero aerem esse impuriorem, ob continuos vapores ex ea ascendentes, ideoque hominum in vallibus habitantium vitam minus esse longævam, sanam et robustam. Pari modo in hac lachrymarum valle brevis, ægra et infirma est vita nostra ob vapores corporales, quibus corpus; et spiritales, quibus anima inficitur. In cœlis vero quasi in montibus æternis ab omni vapore et exhalatione liberis, vita est æterna, sanissima, fortissima et gloriosissima.

Porro S. Script. ut brevitatem, instabilitatem, exilitatem et miseriam vitæ nostræ nobis repræ-

sentet, variis utitur similitudinibus. Primo, comparat eam momento, id est, inclinationi stateræ, cujus lances continuo ascendunt et descendunt. Isaiæ 40. 15. Secundo, guttæ roris antelucani, quæ illico à sole oriente sorbetur; uti vita à febri aliove morbo. Sap. 9. 13. Tertio, fumo. Sap. 2. 2. *Fumus flatus est in naribus nostris, et sermo scintilla ad commovendum cor nostrum, qua extincta cinis erit corpus nostrum, et spiritus diffundetur tanquam mollis aer, et transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, et sicut nebula dissolvetur quæ fugata est à radiis solis.* Quarto, umbræ: *umbræ enim transitus est tempus nostrum.* Ibidem. Quinto, flori illico marcescenti, et fœno arido. Isaiæ 40. 6. *Omnis caro fœnum et omnis gloria ejus quasi flos agri.* Vide ibi dicta. Job 14. 1. *Homo natus de muliere brevi vivens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet.* Sexto, stillæ et pulveri. Isaiæ 40. 15. *Ecce gentes quasi stilla situlæ,* etc. *Ecce insulæ quasi pulvis exiguus.* Septimo, nihilo. Ibid. v. 17. *Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei.* Octavo, palmo, id est, mensuræ quatuor digitorum transversorum. Psal. 38. 6. *Mensurabiles posuisti dies meos;* heb. מטחות *tepachot*, Sept. παλαιστὰς, id est *palmares.* Symmachus, *palmum posuisti dies meos.* Nono, araneæ. Ps. 89. 10. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* Græcum ἀράχνη potius telam quam araneam significat: sicut ergo tela araneæ scopa everritur; sic vita nostra telo, aut morbo. Heb. est הגות *hege*, id est meditatio, vel sermo loquentis, ut vertit S. Hier. Sed Septuag. vertunt, *aranea;* quia ipsa est animal cogitabundum, et quasi meditabundum. Subdit Psaltes: *Dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni: si autem in potentatibus, octoginta anni, et amplius eorum labor et dolor.* Decimo, imagini et vanitati. Ps. 38. 7. *Universa vanitas omnis homo vivens: verumtamen in imagine pertransit homo, sed et frustra conturbatur.* Undecimo, vento. Job 7. vers. 7. *Memento quia ventus est vita mea.* Duodecimo, pluviæ aut flumini. 2. Regum 14. v. 14. *Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* Decimo tertio, nuntio percurrenti, navi sulcanti mare, avi per aerem transvolanti, et sagittæ emissæ. Sapient. 5. v. 9. et seq.

Ite nunc, mortales, erigite familias, titulos, palatia, arces: æternos vos credite, cras morituri. Mors ultimum vitæ vestræ actum claudet: cum ad mortalitatis finem veneritis, finis pariter erit honorum et opum: discedet ambitio, nullus erit avaritiæ locus. omnis cupiditas in æternum conticescet. Utquid ergo caduca ambitis, quæ mors adimet, imo extinguet?

O curas hominum! ô quantum est in rebus inane!
O quam angusti sunt mortalium termini!
O quam angusti mortalium animi!

Æternitati creati estis; cur tempori tam modico vivitis? Cœlo destinati, cur terræ quasi talpæ incumbitis? Deum possessuri, cur mundi possessioni inhiatis?

Quid mentem traxisse polo, quid profuit altum
Erexisse caput, pecudum si more pererrant
Avia, si frangunt communia pabula, glandes?

ait Claudian. 3. de Raptu Proser. Glandes sunt deliciæ, opes, honores, pompæ: has porcis et pecudibus relinquite; escam angelorum quærite; Christi nectar et ambrosiam ambite.

Idem uno ore clamitant Gentiles. Manilius l. 4,

Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.

Martial. lib. 1,

Si sapis, utaris totis, Coline, diebus,
Extremumque tibi semper adesse putes.

Seneca in Hercule Furente;

Vivite læti, properat cursu
Vita citato, volucrique die
Rota præcipitis vertitur anni, *etc.*
Certo veniunt ordine Parcæ.
Nulli jusso cessare licet,
Nulli scriptum proferre diem,
Recipit populos urna citatos.

Menander: *Umbræ somnium est homo. Homo,* ait Philosophus, *est fortunæ lusus, temporis spolium, inconstantiæ imago, imbecillitatis exemplum, invidiæ et calamitatis trutina, reliquum pituita et bilis.* Rursum: *Homo bulla.* Sicut ergo pueri conchas sapone et aqua plenas inflant, bullasque tremulas excitant, quæ mox tenues difflantur in auras; sic et omnis vitæ nostræ decor et honor bulla est, quæ mox in auras evanescit. Ambis ergo sponsam? bullam ambis. Ambis delicias ventris et veneris? bullam ambis. Ambis Canonicatum, Episcopatum, etc.? bullam ambis. Horat. lib. 4. Carm. ode 7.

Pulvis et umbra sumus.

Horemus apud Plutarch. in Orat. consol. *Quale est foliorum genus, tale est hominum;* sicut enim illa vento, ita homines levi adversitate decutiuntur. Zeno: *Dei ludibrium est homo. Quotidie,* ait Seneca epistol. 24. *morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, et tunc quoque cum crescimus, vita decrescit, infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam: usque ad hesternum quidquid transiit temporis, periit: hunc ipsum quem agimus diem, cum morte dividimus.* Idem lib. 6. Natur. quæst. cap. 32. *Fluit tempus,* ait, *et avidissimos sui deserit: nec quod futurum est, meum est, nec quod fuit: in puncto fugientis temporis hæreo.* Et epist. 99. *Nihil firmum infirmo, nihil fragili æternum et invictum est; tam necesse est perire quam perdere.* Idem epist. 59. docet vitam nostram non consistere, sed jugiter fluere. *Nemo nostrûm,* ait, *idem est in senectute, qui fuit juvenis: nemo est mane, qui fuit pridie: corpora nostra rapiuntur fluminum more. Quidquid vides currit cum tempore: nihil ex iis quæ videmus, manet. Ego ipse dum loquor mutari ista, mutatus sum. Hoc est quod ait Heraclitus: In idem flumen bis non descendimus.* Plura recensui hac de re Ezech. 2, 1.

Ad modicum parens.] Modico tempore apparens: græce φαινομένη. q. d. Vita hæc est vapor, qui nullam habet soliditatem, nullam quasi substantiam et consistentiam, sed tantum apparentiam modicam et modici temporis; perinde ac spectra quæ in aere, et personæ ac larvæ quæ in comœdiis repræsentantur, nullam pene habent subsistentiam: sed sunt res dumtaxat apparentes et fictæ, quæ proinde à Philosophis vocantur φαινόμενα, quales sunt parelii, sive tres soles apparentes, aeris hiatus, halones, colores iridis, etc., de quibus Proclus in sphæra, Aristot. in Meteorol. et Aratus in Phænomenis: hæc enim fiunt ex radiis solis in vapore et nube variè receptis, transparentibus et reflexis. Sic Au-

gustus Cæsar moriens, omnem suæ vitæ pompam dixit esse comœdiam jam transactam. Audi Suetonium in ejus Vita cap. 99. *Amicos admissos percunctatus : ecquid his videretur, mimum vitæ commode transegisse?* adjecit et clausulam : Δοτε κροτου, και παντες ὑμεῖς κατα χαρᾶς κτυτήσατε, id est *date plausum, et omnes vos cum gaudio plaudite.* Finita enim comœdia, valedicendo spectatoribus dicunt actores : *Valete et plaudite.*

Et deinceps exterminabitur.] in Græco est elegans et emphatica paronomasia inter φαινομενη, id est *parens*, et ἀφανιζομένη, id est *evanescens;* quasi diceret : Vita hæc est quasi vapor apparens, et subito disparens, ita ut nullum ejus vestigium cernatur, sed prorsus evanescat et exterminetur; hoc enim est ἀφανίζειν; unde Syrus vertit, qui *cito apparet et dejicitur ac evanescit.* Sapienter S. Antonius apud S. Athanas. *Ad inertiam*, inquit, *calcandam Apostoli præcepta replicemus, quibus se mori quotidie testabatur : similiter et nos humanæ conditionis vitam ancipitem retractantes non peccabimus. Cum enim excitati à somno, ad vesperam nos pervenire dubitemus; et quieti corpora concedentes, de lucis non confidamus adventu, et ubique naturæ ac vitæ incertæ memores, Dei nos intelligamus providentia gubernari. Hoc modo non delinquemus, aut aliqua fragili cupiditate raptabimur; sed nec irascemur quidem adversus aliquem, nec terrenos congregare thesauros ambiemus : quin potius metu quotidiani recessus, et sejungendi corporis jugi meditatione, omnia caduca calcabimus.* Vis exempla !

Scribunt Plinius lib. 7. cap. 7. et Valer. Max. lib. 9. cap. 12. Anacreontem Poetam acino uvæ passæ pertinacius in faucibus hærente, Fabium vero senatorem unico pilo in lactis haustu gutturi transverso, strangulatos. Chilon Spartanus dum victorem Olympiæ filium amplectitur, præ gaudio inter filii amplexus animam efflavit, ait Plinius lib. 7. cap. 32. Sophocles in certamine tragœdiæ victor renuntiatus, præ lætitia expiravit, ait Valer. lib. 9. cap. 12. Clidemus dum victor auro coronaretur, repente obiit, ait Tertull. de Anima cap. 52. Diagoras cum tres filios eodem Olympiæ die vincere coronarique videret, illique coronas sibi detractas capiti patris imponerent, animam exhalavit, ait Gellius l. 3. cap. 15. Ite nunc, mortales, qui tam fragilem ordimini texitisque vitæ telam, et Nestoris annos vobis promittite, cras morituri. Sapienter Tertull. de Anima cap. 52. *Vis est et illa navigiis*, inquit, *cum longe à saxis, nullis depugnata turbinibus, nullis quassata decumanis, adulante flatu, labente cursu, lætante comitatu, intestino repente perculsu, cum tota securitate desidunt. Non secus naufragia sunt vitæ etiam tranquillæ mortis eventus.*

Pro eo ut dicatis (Refert hæc superius ad vers. 13. *Ecce nunc qui dicitis : Hodie aut crastino ibimus in illam civitatem*, etc. q. d. Vos vestras actiones et lucra ita disponitis, quasi à nullo pendeatis; ideoque dicitis : Ibimus, mercabimur, lucrum faciemus, cum cogitare deberetis vitam, omnesque actus vestros pendere à nutu Dei, ideoque addere et dicere :) Si Dominus voluerit ;] ut hoc dicto Dei providentiam confiteamini, revereamini, invocetis, illique vos, vestraque omnia humili, totoque corde subdatis et committatis. Ipse enim est vester Elohim, id est Dominus, creator, provisor, gubernator, conservator, protector, judex et vindex. Ita suis decretis et propositis addere solent : *Si Deus voluerit*, non tantum Christiani, sed et Judæi, Gentiles, et Saraceni. Christiani ex doc. trina S. Jacobi hic. Unde S. August. in psal. 32. conc. 1. *Discite*, ait, *habere in corde, quod habet omnis homo in lingua : quod vult Deus. Ipsa lingua popularis plerumque est doctrina salutaris,* Ita S. Paulus 1. Corint. 4. 19. *Veniam*, inquit. *ad vos cito, si Dominus voluerit ;* et cap. 16. 7. *Spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit.* Philip. 2. 19. *Spero in Domino Jesu Timotheum me cito mittere ad vos.* Hæc ergo Christiana, hæc Paulina est vox : Faciam hoc Deo volente, si Dominus voluerit, permiserit, cum Dei ope, per gratiam Dei, etc.

Judæi. Ut Judas Machabæus initurus prælium ait : *Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.* 1. Mach. 3. 60. Eadem est praxis et phrasis cæterorum Judæorum, ut aliquid facturi dicant : Si Deus voluerit; cujus originem ex Ben Syra narrat hic noster Serarius. Quidam, inquit, dicens : Cras inibo nuptias, monitus fuit ab amico, ut adderet : Si Deus voluerit. At ille : Sive, inquit, Deus velit, sive nolit, ego cras cum sponsa sedebo in thalamo meo : seditque cum ea tota die; nocte vero mortui sunt ambo. Quos cum mortuos invenissent, dixerunt : Vere dixit Ben Syra : Sponsa ascendit ad thalamum, neque novit quid acciderit sibi. Quicumque ergo cupit aliquid facere feliciter, dicat prius : Volente Deo ; vel : Si Deus voluerit, Diserte Jeremias cap. 10. 23. *Scio*, ait, *Domine, quia non est hominis via ejus : nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos ;* et cap. 17. 8. *Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus;* et v. 14. *Sana me, Domine, et sanabor : salvum me fac, et salvus ero : quoniam laus mea tu es.*

Gentiles. Socrates suum Alcibiadem docuit ante opus dicere : *Si Deus voluerit*, ait Plato in Alcibiade. Vide Brisson. in Form. lib. 1. pag. 57. ubi ostendit has voces fuisse familiares Augusto, Ciceroni, Catoni, Ennio, etc. : Si Dii volent, Diis volentibus. Seneca epist. 41. *Prope*, inquit, *est à te Deus, tecum est, intus est. Ita dico, Lucili, sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator et custos : hic prout à nobis tractatus est ita nos tractat : bonus vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adjutus, exurgere? Ille dat consilia magnifica et recta.* Et inferius : *Animum excellentem, moderatum, omnia tanquam minora transeuntem, quidquid timemus optamusque ridentem, cœlestis potentia agitat : non potest res tanta sine adminiculo numinis stare.* Idem lib. 4. de Beneficiis cap. 6. *Unde tibi istum quem trahis spiritum? Unde istam, per quam actus vitæ tuæ disponis atque ordinas, lucem? Unde sanguinem, cujus cursu vitalis continetur calor? Unde ista palatum tuum saporibus exquisitis ultra satietatem lacessentia? Unde hæc irritamenta jam lassæ voluptatis? Unde ista quies in qua putrescis ac marces? Nonne si gratus es, dices :*

—— Deus nobis hæc otia fecit.
Namque erit ille mihi semper Deus : illius aram
Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus :
Ille meas errare boves (ut cernis) et ipsum,
Ludere quæ vellem calamo permisit agresti.

Saraceni et Turcæ toti à Dei voluntate quasi à fato pendent; ideoque in prælia et pericula præcipites cæcique ruunt. Agunt enim hoc dilemmate? Aut Deus statuit me hoc prælio mori,

hoc periculo obrui, aut non : Si statuit, non possum evadere : si non statuit, ergo non moriar, non obruar. Nullum enim bonum, vel malum cuiquam evenire potest, nisi volente et immittente Deo. Sed paralogizant : Deus enim multa non statuit, nisi prævisa hominum libera dispositione, merito, vel demerito. Sic non statuit ut moriaris in prælio, nisi illi te ingresseris : non statuit ut periculo obruaris, nisi te sponte in illud conjeceris. Sed hanc argutiam Turcæ non capiunt. Quocirca Solymanus Imp. cum filium haberet refractarium et regimen turbantem, ac quidam è principibus consuleret, ut illum quasi perniciosum reipubl. è medio tolleret, illico illi caput coram se præcidi jussit, eo quod non addidisset : *Si ita Deo placuerit;* nam postea ejus consilium secutus, filium interfecit. Ita refert P. Salmeron hic.

Et si vixemmus.] Agit contra superbos, sibique præfidentes, nec Deo innitentes. His jubet addi : *Et si vixerimus;* ut memores fragilitatis suæ et mortalitatis, cristas ponant, ac à Deo se suaque pendere profiteantur. Nam alioqui fideles in omni sua deliberatione et proposito idipsum tacite subintelligunt : qui vero religiosiores sunt et modestiores, idipsum expresse addunt exemplo angeli qui ad Abraham ait : *Revertens veniam ad te tempore isto, vita comite.* Genes. 18. 10.

Idipsum monere et repræsentare voluerunt Gentiles, quando tres Parcas vitæ necisque nostræ præsides excogitarunt : quarum una colum gestabat lana obvolutum, altera fila sensim è lana deducebat, coloque agglomerabat : tertia denique cum fato præstitutum aderat temporis momentum, repente stamina secabat, vitamque præcidebat, juxta illud Poetæ :

Clotho colum retinet, Lachesis net, et Atropos occat.

Cicero lib. 3. de Natura Deorum, Parcas Erebi et Noctis filias facit, et easdem fata esse existimat. Unde est illud Cleantis : *Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.* Et Virgil.

Concordes stabili fatorum nomine Parcæ.

Huc subinde alludit Script. ut Ezechias Isaiæ 38. 12. *Præcisa est velut à texente vita mea : dum adhuc ordirer, succidit me.* Ezech. 37. 11. *Periit fides nostra, et abscissi sumus.* Ubi nonnulli vertunt, *periit glomus noster, et succisi sumus.* Hinc prima dicta est Clotho? à circumvolvendi officio, eo quod contorta et coordinata omnia teneat : κλώθω enim Græcis idem est quod *circumvolvo, glomero, contorqueo.* Secunda dicta est Lachesis, id est sortitio, à λαγχάνειν, id est *sortiri,* quasi sortito vitæ spatia hominibus obtingant; hæc enim est quæ fila ducit. Martialis lib. 1. epigram. 89.

Cum mihi supremos Lachesis perneverit annos.

Hujus item nominis vestigium in sacris monumentis reperimus. Nam ubi legitur in Hebraico Textu psal. 30. 16. *In manibus tuis tempora mea,* reddiderunt Septuag. *in manibus tuis sortes meæ.* Voluerunt nimirum sapientissimi viri (ut docte ibi observat Agellius) Parcarum fabulas corrigere, ad veramque sententiam traducere. Asserebant Poetæ, spatia vitæ cuique, vel fato obtingere, aut sorte sua temere evenire; unde Parcarum unam Lachesim, hoc est sortitionem, appellabant. Hoc mendacium refutarunt Septuag. et sortitionem omnem in Dei manu esse dixerunt; ab eo vitæ spatia mortalibus tribui, ab eo propagari, ab eo denique pro æterno suo consilio arbitratuque finiri, licet sortito et quasi temere hominibus hæc accidere videantur; quia latentes in abdito deitatis pectore tantæ varietatis causas investigare non possumus. Tertia demum Parca vocabatur Atropos : ad verbum reddas *invertibilis,* aut, si Latinius mavis, *inexorabilis,* implacabilis, inflexibilis; quia fatalis illa moriendi necessitas, ubi adest instans præstitutum, nullo modo flecti aut immutari potest. Unde Martialis lib. 3.

Lanificas nulli tres exorare puellas
Contigit, observant quem statuere diem.

Quocirca sapienter Seneca epist. 61. *Id ago,* inquit, *ut mihi instar totius vitæ sit dies : sic illam aspicio, tanquam esse vel ultimus possit.* Sapientius S. Gregorius hom. 12. in Evang. *Qui pœnitenti,* ait, *veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit : semper ergo extremum diem debemus metuere, quem nunquam possumus prævidere,* juxta illud :

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Præmonuit omnes Christus, dicens : *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* Mat. 25. 13.

16. Nunc autem exultatis in superbiis vestris.] Græce ἀλαζονείαις, id est, *jactantiis* et arrogantiis vestris, quibus jactatis vos hoc illove die hæc et ista facturos, tantas merces et lucra captaturos. Secundo, Glossa et Thomas Anglicus : *In superbiis,* inquiunt, id est, in divitiis quæ faciunt superbos, et in quibus superbitis. *Vermis* enim *divitiarum est superbia,* ait S. Aug. Ἀλαζονεία enim est hominum plura quam præstare possint pollicentium, ait Ulpianus in Demosthenem. Hinc pro *exultatis,* græce est καυχᾶσθε, vel, ut alii legunt, κατακαυχᾶσθε, id est *gloriamini* contra alium, puta Deum, quasi vestro marte tot vobis opes paretis. Facete Socrates irrisit Alcibiadem sua prædia jactantem, cum ei objecit tabulam cosmographicam Atticæ, petiitque illa sibi in ea ostendi : cum enim ea ostendere non posset : *Vide,* inquit, *quantula ea sunt, quæ in tantilla tabula ostendi nequeunt.* Ita lib. 3. Variæ histor.

Omnis exultatio talis (græce καύχησις, id est *gloriatio*) maligna est.] Suggesta à maligno spiritu, græce πονηρὰ, id est *mala, improba est.*

17. Scienti igitur bonum facere, et non facienti, peccatum est illi.] Tacite significat S. Jacobus fideles hæc sua monita scire. q. d. Credo vos hæc scire; quare moneo ut ea opere perficiatis. Sciens enim bonum quod Deus et lex præcipit, si illud non faciat, peccat, et aut reus à Deo punietur. Recte S. Ephrem ex hac sententia colligit ser. de pœnitent. Si scienti bonum ei non facienti peccatum est illi; multo magis malum scienti et illud facienti, peccatum erit. S. Bernard. serm. 36. in Cant. *Scienti,* ait, *bonum et non facienti, peccatum est illi; ac si per similitudinem dicat : Sumenti cibum et non digerenti, perniciosum est ei. Cibus siquidem indigestus malos generat humores, et corrumpit corpus, non nutrit : ita et multa scientia ingesta stomacho animæ, quæ est memoria, si decocta igne charitatis non fuerit, et per quosdam artus animæ, mores scilicet atque actus, transfusa atque digesta,* etc., *reputabitur in peccatum tanquam cibus conversus in noxios pravosque humores. Annon inflationes et torsiones in conscientia sustinebit, qui hujusmodi est, sciens videlicet bonum et non faciens?*

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PERGIT PERSTRINGERE DIVITUM IN PAUPERES SÆVITIAM, INSOLENTIAM ET LUXUM. INDE V. 7. PAUPERES ET AFFLICTOS HORTATUR AD PATIENTIAM, EXEMPLO JOB ET PROPHETARUM. MOX V. 12. VETAT JURARE, TRISTES JUBET ORARE, LÆTOS PSALLERE, ÆGROS UNGI OLEO, PECCATORES PECCATA SUA CONFITERI. DENIQUE V. 16. COMMENDAT STUDIUM ORATIONIS ET SALUTIS PROXIMORUM.

1. AGITE nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. 2. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt: et vestimenta vestra à tineis comesta sunt. 3. Aurum et argentum vestrum æruginavit: et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus. 4. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: et clamor eorum in aures Domini sabaoth introivit. 5. Epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis corda vestra in die occisionis. 6. Adduxistis, et occidistis justum, et non restitit vobis. 7. Patientes igitur estote fratres usque ad adventum Domini. Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum, et serotinum. 8. Patientes igitur estote et vos, et confirmate corda vestra: quoniam adventus Domini appropinquavit. 9. Nolite ingemiscere fratres in alterutrum, ut non judicemini. Ecce judex ante januam assistit. 10. Exemplum accipite fratres, exitus mali laboris et patientiæ, Prophetas qui locuti sunt in nomine Domini. 11. Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, et miserator. 12. Ante omnia autem fratres mei nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester, Est, est: Non, non: ut non sub judicio decidatis. 13. Tristatur aliquis vestrûm? oret. Æquo animo est? psallet. 14. Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. 15. Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et, si in peccatis sit, remittentur ei. 16. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua. 17. Elias homo erat similis nobis passibilis: et oratione oravit ut non plueret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex. 18. Et rursum oravit: et cœlum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum. 19. Fratres mei, si quis ex vobis erraverit à veritate, et converterit quis eum: 20. scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, et operiet multitudinem peccatorum.

AGITE NUNC DIVITES, PLORATE.] S. Jacobus in fine cap. præced. taxavit divitum culpam, puta avaritiam et insolentem exultationem: hic eamdem reprimit assignando pœnam, puta miserias eis obventuras: unde quod cap. præced. vers. 3. hortatus est eos ad luctum et ploratum, hic perurget. Sicut enim faber insistit tonsioni ferri, donec illud ad arbitrium suum flectat et formet: ita et concionator diu multumque tundere debet dura et vitiosa hominum corda, ut ea ad pœnitentiam, novamque vitam inflectat. Per divites accipe philodivites, id est, divitiarum cupidos et tenaces; sicut per sophos intelliguntur philosophi, id est, amatores sapientiæ. Qui enim cor non habent divitiis affixum, sed cœlo, ii divites licet sint censu, pauperes tamen sunt spiritu. Vocat tamen divites, quia divites solent esse philodivites: divitiæ enim sunt viscosæ, sibique cor possedentis illigant, ut sæpe eas cupiat per fas et nefas. Unde illud: *Divos, aut iniquus, aut iniqui hæres.* Hinc Thomas Anglicus divites explicat, in pecunia æque ac in peccatis. Nam, ut ait Eccles. 11. 11. *Si dives fueris, non eris immundus à peccato.* Et Christus Lucæ 6. 24. *Væ*, ait, *vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram.* Ubi ponderanda est particula causalis *quia*, juxta illud Epuloni dictum: *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Nam, ut ait S. Hieron. epist. 34. *difficile, imo impossibile est, ut præsentibus quis et futuris fruatur bonis; et hic ventrem, et ibi mentem expleat, ut de deliciis transeat ad delicias.*

Porro *væ* illud ploratum ciens, à Christo et Script. divitibus intentatum, non tantum est futuræ, sed et præsentis vitæ; quod explicans S. Cypr. l. 2. epist. 2. ait: *Hos inter divitias suas trepidos cogitationis incertæ sollicitudo discruciat: non cibus securo, somnusve contingit: suspirat ille in convivio, bibat licet gemma, et cum epulis mar-*

cidum corpus torus mollior alto sinu condiderit, vigilat in pluma : nec intelligit miser speciosa sibi esse supplicia, auro se alligatum teneri, et possideri magis quam possidere divitias. Consentanee Ambros. lib. de Nabuthe cap. 14. *Bene*, inquit, *viros divitiarum appellavit David.* Psalm. 75. 6. *non divitias virorum, ut ostendat eos non possessores divitiarum esse, sed à suis divitiis possideri.* Recte item omnino Seneca epist. 119. *Sic divitias habent quomodo habere dicimur febrim, cum illa nos habeat. E contrario dicere debemus : Febris illum tenet. Eodem quomodo dicendum est : Divitiæ illum tenent, imo et torquent.* Acute observat S. Gregor. expendens verba illius divitis Lucæ c. 12. v. 17. *Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? O angustia,* inquit Gregorius lib. 15. Moralium c. 11. *ex satietate nata! de ubertate agri angustiatur animus avari.*

Concludat S. Augustinus tract. 9. in Joannem : *O homo, qui laboras, amando avaritiam, cum labore amatur quod amas : sine labore amatur Deus. Avaritia jussura est labores, pericula, tristitias, tribulationes; et obtemperatus es. Quo fine? ut habeas quo impleas arcam, et perdas securitatem. Securior forte eras antequam haberes, quam cum habere cœpisti. Ecce quid tibi jussit avaritia. Implesti domum, timentur latrones : acquisivisti aurum, perdidisti somnum. Deus sine labore cum amatur, acquiritur et tenetur.* Legendus omnino etiam ejusdem sermo vigesimus secundus de verbis Apostoli, ubi et de somno, quem capere tales nequeunt, plura ingerit.

PLORATE ULULANTES.] Syrus, *plorate et ululate.* Ululare proprie est luporum et canum cum rabida fame cruciantur : inde transfertur ad summas in extrema clade complorationes et ejulatus, quales solent esse feminarum cum hostis urbem capit, omniaque ferro et flamma vastat. q. d. O divites crudeles, more luporum fame rabidorum ululate; quia cum Titus vastabit Judæam, et magis cum Deus detrudet vos in tartara, extrema inopia, dolore et quasi lupina ac canina fame et siti cruciabimini, adeo in ardentissimis flammis cum divite Epulone postulantes vel guttam aquæ ad refrigerandam linguam, non sitis obtenturi, eo quod pauperibus fame et siti afflictis panem et potum postulantibus negaveritis, imo mercedem operæ et labori ipsorum promissam debitamque fraudaveritis. Ita Hugo. Ita poetæ fingunt Tantalum quasi schema avari et avaritiæ, apud inferos siti torqueri et fame. *Mento summam aquam attingens siti enectus Tantalus*, ait Cicero 4. Tuscul. et Virgil. 6. Æneid. de Tantalo :

> Epulæque ante ora paratæ
> Regifico luxu ; furiarum maxima juxta
> Accubat, et manibus prohibet contingere mensas.

Hinc Plato in Cratylo Tantalum dictum censet quasi ταλαύτατον, id est *infelicissimum.* Secundo, *ululate, ô divites*, in tanta clade, sicut pueri et mulieres ululant in communi domus urbisve ruina, quia vixistis ut mulieres habentes cor affixum rebus vilissimis, puta terræ et luto. Unde S. Chrysost. homil. 25. in Matth. *Nihil*, ait, *mulierosius quam vinci ab avaritia.* Quocirca Beda censet hic moneri divites, ut fletibus et eleemosynis inferorum supplicia redimant : *Divites enim qui pietatis et misericordiæ opera neglexerint*, inquit, *non modo visibilis gehennæ ignis cruciabit, sed etiam memoria inanium divitiarum, quibus suas culpas redimere potuerunt; et ante judicium animas eorum, et post resurrectionem etiam carnes exuret, cum sibi irasci cœperint, quare culpas eleemosynis non redemerint; unde dicitur diviti : Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua.*

IN MISERIIS (ἐπὶ, id est *super*, propter miserias) QUÆ ADVENIENT VOBIS] à vindice Deo, tum in hoc sæculo, tum in futuro. Miser dicitur qui omnem felicitatem amiserit, ait Isidor. l. 10. Etymol. Unde OEcumen. censet hic prædici excidium Hierosolymæ et Judææ quo divites omnes tam Christiani quam Judæi bonis, libertate et vita spoliati sunt. Sic Prophetæ divitibus insolentibus sui ævi intentant cladem et captivitatem Babylonycam ; ut Amos c. 6. 1. *Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel.* Et Isaias c. 5. 8. *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis*, etc. *Nunquid habitabitis vos soli in medio terræ?* Et Christus Lucæ 6. 24. *Væ vobis divitibus qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis.* Pathetice auctor serm. ad Fratres in eremo tom. 10. S. August. serm. 62. *Cogitate*, ait, *fratres charissimi, ubi sint reges, ubi potentes, ubi amici, ubi parentes. Ecce quomodo de tanta potentia vel lætitia tanta provenit miseria et angustia : de tantis divitiis tot inopiæ : de tantis satietatibus tanta fames : de tam levi delectatione tam longa infirmitas : de tam brevi luce tam longæ tenebræ : de tam parva suavitate odoris, vel luxuriæ tanti dolores, ac fœtores damnationis perpetuæ : et de vestimentorum abundantia tanta nuditas.* Istas catastrophas sæpe Deus justus scelerum vindex facit in hac vita, uti oculis cernimus, et semper faciet in futura.

Symbolice Hugo : Recte, ait, dicitur, *quæ advenient; quia miseria pœnæ veniet ad miseriam culpæ, ut simul conjungantur, et quamdiu durat culpa, duret et pœna, quia vero in inferno culpa perennis erit, sic etiam pœna.*

2. DIVITIÆ VESTRÆ PUTREFACTÆ SUNT.] Hæc est justa causa luctus et ploratus. Syrus, *opes vestræ corruptæ sunt, et fœterunt;* ex corruptione enim oritur putredo, ex putredine fœtor. Divites avari malunt sua frumenta, vina, panes, carnes, pisces, ova, etc., in arcis putrescere, quam ea dare pauperibus, iisque emere cœlestes et æternas opes, quæ sane ingens est soliditas, æque ac crudelitas. S. August. (vel quisquis est Auctor) lib. de Duodecim abusionibus tom. 9. inter duodecim hanc ponit quartam. Prima abusio, inquit, est sapiens, et prædicator sine bonis operibus ; Secunda, senex sine religione ; Tertia, adolescens sine obedientia ; Quarta, dives sine eleemosyna ; Quinta, femina sine pudicitia ; Sexta, dominus sine virtute ; Septima, Christianus contentiosus; Octava, pauper superbus ; Nona, Rex iniquus ; Decima, Episcopus negligens ; Undecima, plebs sine disciplina : Duodecima, populus sine lege. Hinc Seneca avaros vocat opum arcas, lib. de Remed. fortuit. *Magnam*, inquit, *pecuniam habet, hominem illum judicas? arca est. Quis ærario, quis plenis loculis invidet? Et iste, quem dominum pecuniæ æstimas, pecuniæ loculus est. Multum habet : utrum avarus, an prodigus est? Si avarus, non habet; si prodigus, non habebit. Iste quem beatum credis, sæpe dolet, sæpe suspirat; multi illum comitantur : mel muscæ sequuntur, cadavera lupi, frumenta formicæ : prædam sequitur ista turba, non hominem.*

Nam, ut ait Isocrates in Æginetico : *Multi pecuniæ, non hominis cognati sunt.*

Notat S. Chrys. orat. de divit. et pauper. pecunias græce dici χρήματα à χρήσθαι, id est *uti*, quod iis utendum sit, illæque expendendæ in nostram et aliorum utilitatem : servi esse, asservare eas quasi in custodia; domini, eas expendere. Avaris ergo quasi servis, χρήματα non sunt χρήματα, sed κτήματα ἀχρήσιμα, id est, *possessiones inutiles*, imo χρια, id est, *formicarum domicilium*. Quocirca idem Chrys. homil. 15. in Joannem, prudenter monet, ut opes fugaces per manus pauperum in cœlum, quasi in asylum transmittamus, eas ibi post mortem reperturi. Et S. Aug. serm. 50. de Tempore : *Quid*, ait, *sunt pauperes, nisi laturarii nostri, id est bajuli? Das laturario tuo, ad cœlum portat quod das.* Et mox : *Perdes quod dedisti, sed sequeris quo misisti. Non sine thesauro remanebis, sed quos habebas in terra sollicitus, habebis in cœlo securus.* Et S. Ambros. lib. de Nabuthe c. 14. *Custos*, inquit, *es, non dominus facultatum, qui aurum terræ infodis : minister utique ejus, non arbiter. Vende potius aurum, et eme salutem; vende lapidem, et eme regnum Dei; vende agrum, et eme tibi vitam æternam.* Et mox : *Nescis, ô homo, struere divitias : si vis dives esse, esto pauper sæculo, ut sis dives Deo. Dives fidei, dives est Deo. Qui dives est in misericordia, hic dives est Deo. Dives in simplicitate, dives est Deo. Dives sapientiæ et scientiæ, dives est Deo.* Et c. 15. *Quicumque igitur patrimonio suo tanquam possessione non utitur, qui largiri pauperi, et dispensare non novit, is suarum servulus est, non dominus facultatum : quia aliena custodit ut famulus, non tanquam dominus suis utitur. In hujusmodi ergo affectu dicimus, quod vir divitiarum sit, non divitiæ viri.*

ET VESTIMENTA VESTRA A TINEIS COMESTA SUNT] σητοβρωτα γέγονεν, id est, facta sunt tineosa, sive tineis obnoxia, puta talia ut à tineis rodantur, quibus pauperes nudos vestire debeatis, qui proinde in die judicii sceleratam vestram avaritiam accusabunt et damnabunt. Unde OEcum. hæc referens ad sequentia : *Divitiæ*, ait, *vestræ quas sicut ignem thesaurizastis, comedent carnes vestras : putredo autem divitiarum, et corrosio indumentorum à tineis, et ærugo auri et argenti contra vos testificabuntur, et avaritiam vestram arguent, quod nemini eas distribuere volueritis. Idcirco*, inquit, *in extremis diebus, adventus scilicet Domini, divitias vestras sicut ignem, in perniciem vestram reconditas et thesaurizatas reperietis.* Hinc avaris istis et tineosis Deus minatur se fore tineam, eos corrodentem. *Et ego*, inquit, *quasi tinea Ephraim, et quasi putredo domui Juda.* Osee 5. 12. Nota physice ex Plinio lib. 11. c. 53. *Pulvis*, inquit, *in lanis et veste tineas creat, præcipue si araneus una includatur : sitit enim, ut omnem humorem absorbens, ariditatem ampliat.* Hinc Horatius lib. 2. satyra 3.

Cui stragula vestis,
Blattarum ac tinearum epulæ, putrescat in arca.

Quæ stultitia, quæ sævitia, dare vestes comedendas tineis, quibus in pauperes distributis, emisses cœlum? in quibus conciliasses tibi gratiam non tantum pauperum, sed et Dei cœlitumque omnium? Vere enim dicat fidelis illud M. Antonii : *Hoc habeo, quodcumque dedi*, teste Seneca lib. 6. de Benef. c. 3.

Porro tineas à vestibus arcent herbæ odoriferæ iis oppositæ, ut lavandula, rosmarinus, mentha : aut amaræ, ut absinthium, teste Plinio l. 27. c. 7. aut si olei amurca decocta cistam perlinas teste Catone lib. de Re Rustica c. 98. Ita mysticam tineam et cariem, id est, corruptionem animæ, quæ fit per otium et avaritiam, arcent odorata virtutum opera, et amara carnis mortificatio, et oleata charitatis et misericordiæ exercitia.

Moraliter Nota. Sicut eleemosyna eleemosynarios efficit divites, uti patet ex Vita S. Joannis Eleemosynarii, et ex S. Chrysost. homil. 33. ad populum, cujus hic est titulus : *Quod eleemosyna sit ars omnium quæstuosissima;* ita ex adverso immisericordia et avaritia avarum, licet divitem, depauperat, adeo ut opes ejus seipsas instar tineæ consumant : sicut feruntur pennæ aquilæ, si pennis aliarum avium misceantur, eas vorare et consumere. Solet enim Deus segetes, fruges et opes avarorum immissis locustis, tineis, aurugine, hostibus disperdere, juxta illud Prov. 11. 26. *Qui abscondit frumenta maledicetur; benedictio autem super caput vendentium.*

Ita Joannes Moschus in Prato Spir. c. 85. narrat in monasterio Abbatis Theodosii triticum omne fuisse corruptum, eo quod monachi consuetam et statutam à Theodosio eleemosynam, ob annonæ caritatem pauperibus subtraxissent, ac pro quingentis modiis, quos de more daturi erant pauperibus, quinque millia modiorum perdidisse. Unde Abbas eos arguens : *Quantum*, inquit, *nobis ipsis nocuimus? Duo profecto mala egimus, unum, quia mandatum Patris nostri prætervimus : alterum, quia spem in Deum non habuimus, sed in horreo nostro. Vel ex hoc discamus, fratres, quia Deus est qui disponit omne genus humanum; quodque S. Theodosius invisibiliter pro nobis filiis suis curam sollicite geril.* Noster Delrio tom. 2. Magic. lib. 3. p. 1. q. 7. ex Petro Bisaio narrat Suevum quemdam opulentum, instante annonæ caritate coemisse omne frumentum, ut caro venderet : cumque pauperi illud solito pretio nollet vendere, pauperem ei diras imprecatum, atque illico visos fuisse nigros boves (utique dæmones erant specie boum) in horreo, qui omne frumentum absumpserunt. Idem de multis monasteriis legimus, imo vidimus, scilicet ea fuisse opulenta quamdiu liberales dederunt eleemosynas; at ubi eas restrinxerunt, Deum pariter restrinxisse suam manum, ac proventus annuos minuisse. Festive quidam cuidam hujus depauperationis causam perquirenti, hanc dedit : *Date*, inquit, *et dabitur vobis*, sunt sorores jugiter sibi associatæ à Christo, Lucæ 6. v. 38. vos unam expulistis, ni mirum *date*, sororem ergo expulsam secuta est soror altera ni mirum *dabitur vobis.*

S. Paulinus Nolæ Episcopus integram in mari perdidit navim frumento onustam, eo quod uxor ejus jussa dare pauperi panem qui unus domi erat reliquus, eum non dedisset; uti habet ejus Vita.

Memorabilius est quod scribit Sigebertus, et ex eo Baron. anno Domini 605. omnia edulia navis cujusdam fuisse conversa in saxa, eo quod nauclerus pauperi petenti eleemosynam dixisset se in navi nil nisi lapides habere, ac pauperi diras ei imprecatus, optasset omnia verti in lapides.

Aliis prodigiis idipsum sæpe declaravit Deus, quibus opes et bona à se huic illive provinciæ

data subtraxit, eo quod aliqui sibi solis tyrannice ea vindicarent, aut tributis ea onerarent. Audi tria talia recensentem Athenæum lib. 3. Primum : *Philarchus*, inquit, *scribit cum antea et nunquam et nusquam Ægyptia faba serereturr, aut sata cresceret, præterquam in Ægypto, Alexandro tamen Pyrrhi filio regnante in Epiri palude quadam enatam casu fuisse, ac toto biennio abunde fructus peperisse. Cum vero præsidium Alexander ibi collocasset, quo arcerentur, non ii tantum qui decerpere vellent, sed illi etiam qui eo commearent videndi gratia, exsiccatam fuisse paludem, et in posterum non solum ejus fabæ non genuisse plantas, sed nec jam inde aquam in ea fuisse conspectam.*

Secundum : *Accidit et in Epiro per miraculum. Nam procul à cæteris aquis rivulus mari vicinus, gelidam aquam fundens emicuit, cujus potus ægris plurimum auxiliabatur, ideo confluentibus illo multis etiam è locis remotioribus, ut aquam biberent; Antigoni vero duces cum res principis administrare diligentius cuperent, et bibituros vectigalis nomine pendere quippiam jussissent, evanuit illa scatebra.*

Tertium : *In Troade cum antea cuivis permitteretur salem Tragasæum auferre gratis, mox ut Lysimachus inde salarium tributum exigi mandavit, illic postea nihil salis visum est. Admiratus id Lysimachus tributum remisit, continuoque sal rursum extitit.* Hæc Athenæus. Similia plura extant in historiis. Avaritia ergo dona Dei aufert, et fontem divinæ liberalitatis exsiccat : quia non patitur Deus ut quæ ipse omnibus liberaliter erogat, à paucis usurpentur, onerentur aut restringantur.

3. AURUM ET ARGENTUM VESTRUM ÆRUGINAVIT.] Custoditum in arca situm et æruginem, vel potius auruginem contraxit. Sicut enim æris vitium et corruptio dicitur ærugo, ac ferri ferrugo ; sic auri dicitur aurugo. Verum sicut æs significat quamvis pecuniam, etiam auream et argenteam, quia prima veterum pecunia fuit ærea, teste Plinio lib. 33. c. 3. unde et ærarium vocatur gazophilacium ; sic pariter ejus vitium vocatur ærugo. *Ferrum et æs*, ait Philo lib. de Mundi opificio, *aliasque hujuscemodi naturas compertum habemus sua ipsa sponte exolescere, cum videlicet rubigo gliscens eas absumit instar morbi serpentis.* Sensus est, q. d. Vos, avari, aurum et argentum in arcis asservatis ut corrumpatur et æruginet ; quare illud quasi idolum vestrum colitis, ac Deum verum spernitis ; quia non vultis communicare ea quæ ipse voluit esse communia ; sed pecuniam quasi numen quoddam custoditis et conditis in arca, adeo ut illam tangere et expendere non audeatis. Unde Apostolus avaritiam vocat *idolorum servitutem.* Gal. 5. 20. et Ephes. 5. 7. vide ibi dicta. Hic veteres pecuniam fecere deam, ac deos fecere Æsculanum et Argentinum, teste S. Aug. 4. Civit. 21. Unde Proper. lib. 3. eleg. 13.

Aurum omnes victa jam pietate colunt.

Hinc S. Basil. hom. 7. contra divites avaros, eos comparat gryphis et draconibus, qui generantur in locis ubi gignitur aurum, ut illud custodiant ; uti narrant, vel potius fabulantur Poetæ.

Nota aurum et argentum vere æruginem contrahere. Id enim docet S. Jacobus hic, et Baruch cap. 6. v. 3. et 23. ac Sapiens Prov. 25. 4. Item experientia et ratio ; quia sicut alia metalla, sic et aurum vetustate vitiatur, minuitur, consumitur : quod vitium vocat Jacobus æruginem : proprie tamen æruginem et rubiginem, id est, situm coloris icterici, sive viridis et humidi, contrahit æs et ferrum, non aurum et argentum, uti docet Plato apud Rhodiginum lib. 13. 21. et Sappho ita de auro canit : *Quia Jove prognatum aurum, ipsum neque tinea, neque cossus rodit :* et Plinius l. 33. 3. *Super cætera*, inquit, *non rubigo ulla, non ærugo, non aliud ex ipso, quod consumat bonitatem, minuatve pondus*, scilicet tam facile et cito, ac fit in aliis metallis : ægre tamen et tarde consumitur quoque bonitas auri et pondus minuitur. Rursum Nota τὸ *ex ipso*, quia cætera metalla sensim ex se ejiciunt sordes et quasi fæces uti oleum ejicit amurcam, quæ causant æruginem : aurum vero si purum sit, nihil sordium ejicit ; aliunde tamen, puta ex terra locoque humido, viscoso, mucido, situm et mucorem æque ac quævis alia res contrahit ; atque ex calce, vitriolo, aqua forti corrosionem et vitium quasi æruginem patitur, ut experientia constat. Denique aurum sæpe non est purum, sed aurichalco, aliaque re mistum, et tunc æruginem contrahere omnes consentiunt : imo qui cudunt monetam auream, auro miscent æs ut illud colliget ; idque ea proportione, ut undecim partes sint auri, duodecima sit æris. Hinc Festus censet aurum dici à custodiendo, quod scilicet se custodiat, aut custodiatur ab avaris : græce enim ὠρέειν, *custodire*, dicitur ; unde et thesauri nomen. Alii aurum dici censent, quod mentes hominum avertat. Hippocrates ab inventore, quem vocatum dicit Auryon, putat dici aurum. Alii ab aurora, quod illi colore sit simile. Præclare Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 146. et 223. ostendit divitem dies noctesque tam dire cruciari ut inferorum supplicium jam perpeti videatur. Jugi enim terrore agitatur dum latrones timet, potentiores veretur, famulis non credit ; et aliquando à filiis non solum mortui sed et vivi spoliantur.

ET ÆRUGO EORUM IN TESTIMONIUM VOBIS (Syrus, *contra vos*) ERIT.] q. d. Ærugo in Dei tribunali testis erit vestræ crudelitatis et avaritiæ, taciteque vos accusabit et damnationis reos peraget, quod aurum vestrum malueritis corrumpi et perire potius, quam in pauperes expendere. Ita Cæsarius Arelat. homil. 2. agens de eleemosyna, ait se terreri hac Jacobi sententia : *Quia forte aliquoties*, inquit, *evenit, ut per negligentiam vestimenta mea, quæ debuerunt accipere pauperes, devorarentur à tineis : et timeo ne mihi ipsi panni ad testimonium proferantur in die judicii, secundum illud quod Jacobus Apostolus terribiliter increpat, dicens : Agite nunc, divites, plorate et ululate,* etc.

Præclare Seneca lib. 3. de Ira c. 33. *Avaritia*, inquit, *iterum sub terras refert quæ male egesserat.* Præclarius S. Basilius hom. 7. in divites avaros : *Grandis profecto insania est*, inquit, *primum, in metallis aurum latitans omni diligentia in lucem proferre, ac ex humo recludere : deinde semel effusum rursus in terra occultare. Nam quicumque hoc facis, profecto et cor simul fodere videris ; dicitur enim Matth. 6. 21. Ubi thesaurus tuus, ibi et cor tuum.* Congruenter S. Ambros. lib. 2. de Jacob et Vita beata c. 7. *Multi defosso auro incubant : aurum eorum sub terra, et cor eorum sub terra : cave ergo ne et tu cor tuum*

terræ vivus infodias. Depingit hic S. Jacobus avarorum ingenium : quo plures corroserunt opes, eo illas amant ardentius, eo difficilius erogant in egenos, adeoque sibi putrescere malunt, quam aliis prodesse. Verissimum est illud S. Hier. ad Paulinum : *Avaro tam deest quod habet, quam quod non habet.* Et illud Senecæ epist. 108.

Desunt inopiæ multa, avaritiæ omnia :
In nullum avarus bonus est, in se pessimus.

Et illud P. Mimi : *Avarus nisi cum moritur, nihil recte facit;* moriens enim opes aliis iis usuris relinquit. Vere Horatius lib. 2. Carm. ode 2.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit.

Quia nimirum, ut ait Ovid. 1. Fastorum :

Creverunt et opes, et opum furiosa cupido :
Et cum possideant plurima, plura petunt.

Sapienter itaque Seneca lib. 2. de Beneficiis c. 27. *Eo majora cupimus, quo majora venerunt : multoque concitator est avaritia in magnarum opum congestu collocata : ut flammæ infinito acrior vis est, quo ex majore incendio emicuit.*

MANDUCABIT CARNES VESTRAS SICUT IGNIS.] q. d. Quia vos ex avaritia permisistis æruginem manducare aurum ; hinc pariter ærugo manducabit carnes vestras in gehenna : nam per quæ quis peccat, per hæc et torquetur. Sapient. 11. 17. Manducabit, inquam, non physice, sed moraliter ; quia ejus demerito, ac propter illam ardebitis in igne gehennæ, ita tamen ut eo non consumamini, sed vivi semper ardeatis in æternum, uti ardet dives Epulo Lucæ 16. v. 24. Ærugo enim erit causa cur ignis gehennæ manducet, id est, urat et cruciet, carnes vestras. Hoc est quod ait Isaias c. 50. 11. *Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis.*

Ita S. Gregor Turon. de Gloria Martyr. c. 106. narrat ex sepulchro cujusdam feminæ avaræ audita lamenta, et vocem dicentem se in igne aureo torqueri, eoque aperto Parochum vidisse aurum liquefactum cum sulfure in os defunctæ infundi.

Et Jacobus de Vitriaco Card. in Spec. exemp. dist. 9. c. 216. narrat quod aperto sepulcro cujusdam usurarii, visi sunt bufones aureos ardentes per os ejus projicere, et de ventre iterum extrahere. Alii dicunt dæmones pecuniam in sartagine liquefecisse, et in os defuncti infudisse, dicentes cum clamore horribili : *Aurum sitisti, aurum bibe.* Notent hæc avari. Causa est, quod juste et congrue ignis avaritiæ punitur igne gehennæ, et ignis cupiditatis igne conflagrationis. *Avaritia* enim, ait sanctus Basilius hom. 15. de avaritia, *malum est quod stare nescit aut quiescere ; sed ignis naturæ simile.* Et mox : *Igne vehementior est, omnia continuando finibus suis occupat ; ea quæ sunt vicini sibi aufert : mox ubi aliam sortitur vicinum, et quæ illius sunt, ad se rapit.* Et S. Greg. l. 15. Moral. c. 12. alias 10. *Avaritia*, ait, *desideratis rebus non extinguitur, sed augetur : nam mora ignis cum ligna quæ consumit acceperit, accrescit ; et unde videtur ad momentum flamma comprimi, inde paulo post cernitur dilatari.*

Triplici ergo igne ardet avarus. Primo cupiditatis ; Secundo, curarum et sollicitudinum ardentium ad opes comparandas et augendas ; Tertio, gehennæ. Alludit S. Jacobus ad illud Michææ 6. 10. *Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, et mensura minor iræ plena.* Vide ibi dicta. Hinc et Syrus τὸ *sicut ignis* refert ad sequens, *thesaurizastis ;* vertit enim, *ignem coacervasti vobis in dies extremos.* Quod Œcum. sic explicat, q. d. Opes vestræ quas sicut ignem thesaurizastis, comedent carnes vestras, et in novissimis diebus, adventus scilicet Domini, reperietis opes vestras sicut ignem, in perniciem vestram reconditas et thesaurizatas.

Huc spectant exempla avarorum, qui auro suo puniti vel occisi sunt. Parthi cæso Crasso aurum in os occisi infuderunt, æque ac Tomyris regina Scytharum in os Cyri cæsi, dicens : *Aurum sitisti, aurum bibe.* Idem fecit Mithridates Aquilio Romano duci. Eodem supplicio avorum memoria Sigismundus Imp. mulctavit Philippum Florentinum, ducem suum contra Venetos, quod in Hungariam re infecta auro corruptus revertisset. Ita Sabell. Enneade 9. lib. 9.

Memorabile est quod scribit Haitonus Armenus in Historia de Tartaria caput 26. Anno Christi 1258. inquit, Caliphas Babylonis Rex turrim habebat refertam auro, argento et variis lapidibus pretiosis : atque obsidione cinctus, ne thesauros attingeret suos, contempsit milites evocare. Verum expugnata demum urbe captus, et vinculis constrictus, in illam ipsam turrim, omni prorsus subducto cibo inclusus est : ea insuper objurgatione increpitus : *I nunc et famem depelle thesauris istis, quos tam avide sitisti.* Paulo post fame enectus, inter aurum et gemmas miserandum in modum expiravit.

THESAURIZATIS VOBIS (ad vestram damnationem) IRAM IN NOVISSIMIS DIEBUS.] q. d. Voluistis studiose coacervare aurum verum : at coacervastis non aurum, sed thesaurum iræ, et consequenter vindictæ Dei, puta thesaurum ignis inferni, ad quem ille vos damnabit in die judicii, ut eo ardeatis per omnem æternitatem. Thesaurus notat tria : Primo, ingentem copiam iræ et ignis. Secundo, quod ea impiis reservetur in locis reconditis, puta in inferno, æque ac in mente et decreto Dei. Tertio, quod ab olitano tempore, puta ab æterno, illa ipsis reservata et præparata sit : nam, ut ait Paulus Jurisconsult. *de acquirendo rerum dominio L. nunquam : Thesaurus vocatur vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat :* thesaurus enim vox est Græca ; dicitur enim quasi θεμενος εἰς αὔριον, id est, *repositus in crastinum*, id est, in futurum. Verum S. Bernard. serm. de tripl. miseric. *Tibi*, inquit, (peccatorem alloquitur) *thesauros iræ thesaurizas pro prorogatis thesauris misericordiæ, quos contemnis, et evacuas in misericordiam Dei*, imo vero pro denegatis thesauris misericordiæ, et exhibitis immisericordiæ, quibus pauperes vacuos à te abegisti. Denique vox thesauri significat avaros quotidie cum, contento et indefesso studio, per modicas additiones accumulare et augere, ita ut tandem in ingentem cumulum accrescat : *Tu minutatim imponis, sed postea cumulum invenies ; attendere minuta peccata quotidiana : de minutissimis enim guttis flumina implentur*, ait S. Aug. contra advers. legis et Prophet. c. 1. Idem in Psalm. 49. docet justos omnia sua misericordiæ opera mittere in thesaurum cœlestem ; impium vero opera mala, ut immisericordiæ.

mittere in thesaurum gehennalem, qui eum post mortem expectat.

Ita ex adverso Tiberius Imper. effusus erat in pauperes, ac Sophiæ Augustæ objicienti hac profusione minui fiscum, respondit : *Hic est magnus thesaurus, dicente Domino : Thesaurizate vobis thesauros in cœlo. Ergo de quo Deus dedit, congregemus per pauperes in cœlo, ut Dominus nobis augere dignetur in sæculo.* Ita factum : nam mox ingentem sub cruce defossum reperit thesaurum, uti narrat Gregor. Turon. lib. 5. Histor. c. 19.

Alludit Jacobus partim ad illud Deuter. 32. *De vinea Sodomorum vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ*, etc. *fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile. Nonne hæc condita sunt apud me et signata in thesauris meis?* Partim ad illud Rom. 2. 5. *Secundum duritiam tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram, in die iræ et revelationis justi judicii Dei.* Illa enim Epistola ante hanc scripta est, imo hujus scribendæ fuit occasio, ut dixi in Proœmio. Sapientior fuit Job, qui libens pro Deo omnia sua perdidit, dixitque : *Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc.* Quæ verba profunde expendens Origen. lib. 1. in Job : *Non ridebit*, inquit, *de me diabolus. Nudus exivi de utero matris meæ, nudus ibo sub terram. Nihil habui cum venissem, nihil requiro cum iero. Nihil attuli natus, nihil hinc auferam sublatus. Nudus ibo, nudus peculio, sed et peccato : nudus divitiis, sed et impietatibus : nudus substantia, sed et injustitia : hæc enim substantiam consequitur. Non comitantur mecum neque malignitas, neque iracundia, neque superbia, neque cupiditas : nudus ero. Non sum ut illi de quibus dicitur : Quia non habuerunt tegumentum, inferno vestiti sunt : nudus matis omnibus ibo, bonis vero omnibus indutus, justitia vestitus, sanctitate circumdatus, charitate ornatus, misericordia et bonis operibus coronatus. Beati sunt, et beati erunt, ô gloriose Job, qui te imitati fuerint, omnes qui post te cum fiducia potuerint dicere : Nudus exivi de utero, nudus et ibo in terram. Væ autem illis qui nudi venerunt, innumeris autem injustitiis et impietatibus prægravati ibunt in terram : tales vestientur calamitate et miseria, in die justi et personam non accipientis judicii Dei.*

4. ECCE MERCES OPERARIORUM, QUI MESSUERUNT REGIONES VESTRAS, QUÆ FRAUDATA EST A VOBIS, CLAMAT] in cœlum poscens vindictam à Deo tam atrocis injuriæ : operarii enim pauperes sunt, et laborando per æstus et frigora exhauriunt suum succum et sanguinem : nec habent unde ea restaurent : Victitant enim ex mercede diurna : quare si ea illis negetur, fame, siti et nuditate perire debent tam ipsi, quam eorum conjuges et filii. Unde hoc peccatum comparatur homicidio Eccli. 34. 27. *Qui effundit sanguinem*, inquit, *et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.* Et c. 7. 22. *Ne lædas servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam.* Quocirca Deus Judæis præceperat, ut ante vesperam operariis egentibus debitam mercedem solverent : *Non negabis*, inquit, *mercedem indigentis et pauperis fratris tui, sive advenæ qui tecum moratur in terra, et intra portas tuas est ; sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum ; quia pauper est, et ex eo sustentat animam suam, ne clamet contra te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum.*

Idem refricat jubetque filio suo Tobias c. 4. 15. quin et Christus in parabola operatiorum Matthæi 20. 8. jubet singulis vespere dari denarium diurnum.

Porro in voce *clamat* est catachresis et prosopopœia. Fingitur enim fraudatio mercedis esse persona tam crudelis, adeoque crudeliter in pauperes sæviens, ut ejus tyrannis et sævitia non tantum hominibus sit exosa, sed et Deo, atque fraudantes apud eum accuset, et contra illos ab eo postulet vindictam. Clamor ergo hic non est aliud quam enormitas et atrocitas sceleris, ut excusari, vel occultari nequeat, quæ Dei aures et oculos verberat, eumque ad iram et vindictam impellit, adeo ut vincatur pietas Dei, ac punire cogatur, nec possit pœnam differre, ait Salvianus lib. 1. de Provid. cap. 1. et 2. Sic terra oppressa dicitur clamare Job 31. v. 38. *Si adversum me terra mea clamat* (petens vindictam pro justo suo Domino, quasi inique à me possessa, aut quasi non solverim operas mercenariis, justamque mercedem colonis) *et cum ipsa sulci ejus deflent* hanc meam tyrannidem, qua colonis lachrymas fletumque excivi : *Si fructus ejus comedi absque pecunia, et animam agricolarum ejus afflixi, pro frumento oriatur mihi tribulus, et pro hordeo spina.* Notent hoc principes, qui suos colonos vel subditos cogunt laborare gratis ; item ministri principum qui militibus non solvunt stipendia, itaque eos cogunt vel fame et ærumnis mori, vel furari et opprimere agricolas, vel rebellare, unde oritur periculum, et exitium reip. uti in Belgio sæpius oculis meis ingenti dolore conspexi.

Porro quatuor sunt enormia peccata, quæ in Scriptura dicuntur clamare in cœlum. Primum est homicidium voluntarium. Genes. 4. v. 10. *Vox sanguinis fratris tui* (Abel, quem occidisti, ô Cain) *clamat ad me de terra.* Secundum, peccatum Sodomiticum. Gen. 18. 20. *Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est*, etc. Tertium, merces operariorum defraudata, ut patet hoc loco. Quartum, oppressio pauperum. Exodi 2. 23. *Ingemiscentes filii Israel propter opera vociferati sunt, ascenditque clamor eorum ad Deum ab operibus.* Et Eccles. 53. 18. *Nonne lachrymæ viduæ ad maxillam descendunt, et exclamatio ejus super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt usque ad cœlum.* Sic Jeremias minatur Judæis captivitatem Babylonicam, eo quod servos suos oppresserint. cap. 34. 11. et Amos cap. 6. 6.

QUÆ FRAUDATA EST A VOBIS,] ἀπεστερημένος, id est, quæ ablata et erepta est à vobis sive per fraudem, sive per vim, sive per calumniam : quicumque enim damnum alteri injuste infert, quomodocumque id faciat, dicitur eum sua re defraudare. Syrus ; *quam perverse denegastis.*

ET CLAMOR (græce αἱ βοαὶ, id est, *clamores*) EORUM (qui messuerunt : hoc enim est Græcum θερισαντων) IN AURES DOMINI SABAOTH INTROIVIT.] q. d. Clamor eorum exauditus est à Deo, qui etiam eorum faciet vindictam. *Ingressio orationis acceptatio ejus est*, ait S. August. in Psal. 87. Ex adverso : *Excommunicatur ab Ecclesia cœli oratio ejus qui ad pauperis clamorem obturat aurem*, ait Hugo Cardin. ibidem. Porro τὸ *sabaoth* habet emphasim : Deus enim dicitur *sabaoth*, id est exercituum, puta angelorum, fulminum, grandinum, leonum, luporum, febrium, pestilentiarum, omniumque creaturarum : hæ enim militant Deo, ut ad ejus nutum insiliant in ejus

hostes, puta peccatores, eosque quasi carnifices plectant. Ita Deus sideravit Pharaonem et Ægyptios fulminibus et tonitruis in mari Rubro, eorumque opes et spolia dedit Hebræis, ut penderet mercedem operum et laborum eis debitam, et injuste ab Ægyptiis negatam, juxta illud Sapient. 10. 17. *Reddidit Deus justis mercedem laborum suorum*, etc.; *inimicos autem illorum demersit in mare, et ab altitudine inferorum eduxit eos. Ideo justi tulerunt spolia impiorum, et decantaverunt, Domine, nomen sanctum tuum, et victricem manum tuam laudaverunt pariter.* Vide dicta Exodi 11. 2. et c. 12. 35.

5. EPULATI ESTIS,] ἐτρυφήσατε, id est, *deliciati estis.* Epulæ significant tum delicias, et copiam ciborum, vinorum, odorum, florum, unguentorum; tum splendorem mensarum, lancium, scyphorum aureorum, argenteorum, etc., quibus irritatur gula, libido, ira, rixa omnisque cupiditas: unde epulas dictas volunt quasi edipulas, ab *ed ndo*; vel epulas quasi epulentias vel opulentias, quod non nisi opulentorum sint, ut patet in divite Epulone. Lucæ 16. 19. Ita Isidor. lib. 2. Etymol. cap. 1. Idipsum significat Græcum τρυφή, scilicet luxum et delicias. Unde Sapient. 19. 11. *Postulaverunt*, ait, *escas epulationis*, græce πρυφῆς, id est, cibos lautos, delicatos et exquisitos, quales habebat ille dives Lucæ 12. 19. dicens animæ suæ: *Requiesce, comede, bibe, epulare.* In quæ verba scribens S. Basil. exclamat: *O verba stultissima! ô dementiam singularem! Nam si porcinam habuisses animam, quid aliud enuntiare potuisses? Itane pecuinus es, ita bonorum animæ ignarus, ut eam exceptes carnalibus epulis?* Porro epulones sibi lauti et liberales, aliis parci et crudeles sunt, iisque non tantum eleemosynas, sed et mercedem labori debitam negant, ut corrogent opes quibus epulas instruant: unde apposite mercedi operariis negatæ Jacobus subjicit epulas, quasi causam et finem: comites ergo individuæ sunt epulatio et immisericordia, crapula et crudelitas. Audi Ezech. c. 16. 49. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ; superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius et filiarum ejus: et manum egeno et pauperi non porrigebant.* Et Jerem. c. 22. 13. de Joakim rege Juda: *Væ*, ait, *qui ædificat domum suam in injustitia, et cœnacula sua non in judicio: amicum suum opprimet frustra, et mercedem ejus non reddet ei.* Et Amos 6. 6. *Bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti, et nihil patiebantur super contritione Joseph.*

Porro damna epulorum sunt: Primum, hebetudo mentis: mens enim in epulis et ventre quasi sepelitur, unde ejus virtus et vigor enervatur. Quocirca Christus Lucæ 21. 34. *Attendite*, ait, *vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate.* Et Osee c. 4. 11. *Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferunt cor.* Vide ibi dicta. Secundum, quod capitis stomachique dolores, febres, paralyses, apoplexias, et innumeros morbos concilient, vitamque abbrevient. Unde illud vulgo tritum: *Plures occidit crapula, quam gladius.* Quocirca Antisthenes quodam prædicante lautitias: *Hostium*, inquit, *filiis contingat in deliciis vivere.* Ita Laert. lib. 6. cap. 1. Crates videns quemdam epulis impinguari: *O miser*, inquit, *desine adversus temetipsum carcerem munire.* Ita Maximus serm. 27. Rursum deliciæ gulam longa irritatione cruciant. Unde Cyrus Persa avo suo Astyagi lautam cœnam instruenti, rogantique *annon cœna ista Medica melior esset Persica*, respondit: *Nequaquam, ave; sed est multo simplicior et directior apud nos via ad satietatem, quam apud vos. Nam ad hanc nos deducit panis et caro: at vos eodem quidem quo nos, tenditis; sed per multas ambages sursum deorsum vagantes, vix tandem eo pertingitis, quo nos jam dudum perveneramus.* Ita Xenophon lib. 1. Huc spectat illud Dionysii Siciliæ tyranni apud Eusebium lib. 8. Præpar. c. 5. *Illis animalibus similes sumus quibus comedendi bibendique non ad aliud, quam ad perniciem suam copia solet offerri.* Ardenter vero intonat S. Chrysostomus hom. 54. ad populum Antiochen. *Tempus est belli, tempus certaminis; tu vero sedes in deliciis? Stat stridens dentibus adversarius, tu autem mensis vacas? Christus fame tabescit, et tu voracitate temetipsum distendis? Numquid mactandi sumus, quoniam nos ipsos saginamus?* et Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagogi cap. 1. circa medium: *Est autem valde à ratione alienum, et inutile, et nequaquam humanum, pecudum more pinguefactum morti nutriri.*

Tertium, quod epulonem ad paupertatem redigat. Hinc monet Sapiens Prov. 23. 20. *Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt: quia vacantes potibus, et dantes symbola, consumentur; et vestietur pannis dormitatio.* Heliogabalus, postea Imperator, cum deliciose viveret, reprehensus à quodam qui dicebat: *An non times ne post delicias pauper fias?* respondit: *Quid melius, quam ut ipse mihi hæres sim, et uxori meæ?* Ex epulis ergo oritur paupertas, ex paupertate furta, proditiones et eversiones urbium et rerumpub. Quocirca Lycurgus ex Sparta sustulit delicias omnemque luxum, teste Plutarcho in Lacon.

Quartum, quod animi harmoniam dissolvat, faciatque protervum, procacem, litigiosum, rixosum, pugnacem. *Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino et student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet.* Proverb. 23. 29. Quocirca vere S. Basil. hom. de Paradiso: *Corpus*, inquit, *abunde saginatum, et anima illi immersa, et ad peccandum proclivis facta, compendium quoddam est ad lasciviam et procacitatem, ac simul omnia ea quæ vetita sunt.* Ita Diogenes cognomento Cynicus, id est canis, vel caninus, roganti *qualis ipse esset canis*, respondit: *Esuriens, sum melitæus: satur, sum molossus:* eo quod esuriens blandiretur, satur morderet, omnesque carperet. Ita Laert. lib. 6.

Quintum, quod hominem faciat ineptum ad vigilandum, laborandum, pugnandum, studendum, orandum, eumque reddat quasi bestiam et porcum, imo cadaver vivum, ut ait Sophocles in Antigono; unde epulones et ebriosi incapaces sunt disciplinæ, monitionis, gratiæ divinæ, Sacramentorum et rerum salutis æternæ; ut pene eorum salus sit desperata. Tota enim eorum mens, totus sensus est in palato et ore, non in corde. Deliciæ ergo non sunt aliud quam perditio sanitatis, temporis, honoris, castitatis, corporis et mentis. Deliciosi enim plus sapiunt palato quam cerebro, juxta illud:

Sunt quibus in solo est sapientia tota palato.

Quocirca Clemens Alexand. lib. 2. Strom. cap. 1. *Iis*, inquit, *qui ad luxum mensarum propensi sunt, et suos sibi morbos enutriunt, præest dæmon helluo maximus, quem ego non verebor appellare ventridæmonem, dæmonum autem pessimum et perniciosissimum.* Et inferius citat Platonem dicentem : *Mihi autem cum venissem, quæ illic beata vita dicitur, Italicis et Syracusanis mensis plena, nullo modo placuit, bis die saturum vivere*, etc. *Ex his enim nullus homo ex iis qui sunt sub cœlo potest esse prudens*, utpote *qui mentem in ventre infoderit, similis pisci qui ὄνος, id est asinus, dicitur, quem dicit Aristoteles solum ex animalibus habere cor in ventre. Tales sunt ii qui in ventrem crediderunt, quorum Deus venter est, finis interitus*, ut ait Apostolus Philip. 3.

Et in luxuriis enutristis corda vestra.] *Luxuria* hic significat luxum epularum, vestium, omniumque deliciarum : hisce enim enutriuntur et saginantur corda et corpora epulonum, atque incitantur ad libidinem. Hoc enim significat vox Græca ἐσπαλατήσατε ; Syrus vertit, *sannas egistis*, per metalepsin ; quia scilicet epulones ubi mero incaluerunt, solent lascivire, protervire, et in dicteria, scommata et sannas erumpere.

In die occisionis.] Græce addunt ὡς, id est *sicut*, q. d. Continue epulati estis adeo splendide, quasi quotidie ageretis epulum solemne et diem festum, in quo solent Deo offerri et occidi victimæ, ex iisque convivium instrui, perinde ac si omnes dies essent festi et epulis destinati. Secundo, tollendo τὸ ὡς, id est *sicut*, uti tollit Noster, sensus est, q. d. Crebro instruxistis splendidissima convivia, in iisque vacastis ventri et veneri : ut taxet non tantum frequentiam, sed et nimium luxum conviviorum : dies enim occisionis est dies solemnis sacrificii et epuli, quo multæ mactantur pecudes, aves et pisces ad instruendum magnificum convivium. Tales dies apud Gentiles erant Calendæ, Hilaria, Saturnalia, Charistia, Sponsalia, Repotia, Natalitia, ludi, triumphi, aliique læti et celebres, quibus instruebant epulas sumptuosissimas.

Sic hodie nonnullis in locis ii qui de Magistratu sunt, perpetua quasi agitant convivia, eaque splendida, idque ex ærario non suo, sed communi populi, quod taxat hic Jacobus ; tum quia excedunt in frequentia et splendore ferculorum ; tum quia extruuntur ex labore et sudore pauperum ; tum quia eos faciunt ineptos ad agitandum consilia et judicia, quæ illis ex officio incumbunt ad recte administrandam rempubl. tum quia dant scandalum subditis, quibus prælucere debent exemplo modestiæ et sobrietatis. Sic alii privati festa Paschæ, Pentecostes Nativitatis Christi celebrant pompa vestium et conviviorum ad eaque se præparant multis diebus ; ita ut negligant sacram confessionem, communionem et devotionem, etc., quia caro suffocat spiritum, in quos invehitur S. Bernard. serm. 3. de Adventu.

Mystice, q. d. Epulamini et saginatis corpora vestra quasi hostias ad mortem, ut paretis epulum lumbricis et bufonibus, æque ac dæmonibus et gehennæ. Similes ergo estis porcis, qui saginantur ad mactationem, ait Theodorus Studita serm. 37. Unde Syrus vertit : *In deliciis vixistis super terram, et sannas egistis, ac nutrivistis corpora vestra tanquam ad diem mactationis.* Sic ait Jerem. c. 12. 3. *Sanctifica eos in die occisionis*, id est, destina et præpara eos ad occisionem, ut scilicet impii Judæi mactentur à Chaldæis : unde vers. 9. invitans bestias ad cadavera eorum devoranda quasi ad epulum solemne : *Venite*, inquit, *congregamini omnes bestiæ terræ, properate ad devorandum.* Et Ps. 43. 22. *Æstimati sumus sicut oves occisionis.* Et Ezech. 32. 4. de Pharaone : *Projiciam*, inquit, *te in terram, super faciem agri abjiciam te, et habitare faciam super te omnia volatilia cœli, et saturabo de te bestias universæ terræ.* Et cap. 39. 3. de Gog et Magog : *Super montes Israel cades tu, et omnia agmina tua, et populi qui sunt tecum : feris, avibus, omnique volatili et bestiis terræ dedi te ad devorandum.*

Alii permulti, τὸ *in die occisionis* referentes ad sequentia, explicant de Christo et Christianis, q. d. *In die occisionis*, id est Paschatis, quo occidere soletis agnum Paschalem, *addixistis et occidistis justum*, puta Christum verum agnum qui tollit peccata mundi. Ita OEcumen. Beda, Hugo, Dionys. Gagneius, Cathar. Serarius, Salmeron et alii. Rursum simplicius : *Justum*, id est, justos Christianos, occidistis in die publico et solemni, quem occisioni eorum destinatis, inquit Lyran. ac denique me Jacobum cognomento Justum simili die mox occidetis.

6. Addixistis,] morti : græce enim est κατεδικάσατε, id est *condemnastis*. Ita Syrus, unde sequitur *et occidistis*. Sic S. Gregor. hom. 17. in Evangel. *Ne apud justum judicem*, ait, *nostra nos taciturnitas addicat*, id est condemnet. Quin et Cicero in Pisonem : *Hujus ipsius domum evertisti*, ait, *cujus sanguinem addixeras*, effusioni scilicet, et morti. Perperam ergo Beda, Lyran. Hugo, Dion. et alii pro *addixistis* legunt *adduxistis*. Judæi enim ad Christum conversi (quibus directe hæc scribit Jacobus, ut patet c. 11. et seq.) per orbem sparsi multis in locis erant potentes, ut pecuniis testes et judices corrumpere possent ad condemnandos innocentes et justos, quin et ipsi in nonnullis urbibus suos habebant judices et magistratus.

Et occidistis justum,] tum Christum, ut paulo ante dixi : unde græce est τὸν δίκαιον, q. d. illum justum, eximium scilicet, et antonomastice, qui est princeps et parens justorum omnium. Ita OEcumen. Hugo et alii. Vel *justum*, scilicet S. Stephanum, qui fuit plenus fide et Spiritu sancto, ac Diaconus S. Jacobi, vel potius justum quemlibet. Est climax sive gradatio : crescit enim oratio, q. d. Vos, ô divites, non tantum mercedem operariis negastis, sed et occidistis innocentes et justos per calumnias, falsos testes, corruptos judices, ut eorum bona invaderetis. Loquitur enim directe Christianis divitibus et avaris, ut patet ex præcedentibus, non Judæis Christicidis ; nisi quis cum Beda dicat ad eos quoque indirecte extendi sermonem. Jacobus enim ita fideles instruit, ut infideles non negligat ; sed eos satagat ad Christum convertere. Esto enim pontifices Hierosolymis agentes proprie occiderint Christum ; tamen id fecerunt per plebem coram Pilato clamantem : *Crucifige, crucifige eum :* plebs autem hæc collecta erat ex Judæis toto orbe dispersis, ad quos scribit : hi enim convenerant Hierosolymam, ut ibi de more celebrarent Pascha.

Denique nonnulli pro *occidistis* exponunt *expoliastis, deprædati estis*, ut ex ejus opibus et præda epulas vestras (de his enim egit paulo ante)

instrueretis. Tam dira enim bonorum deprædatio, quæ pauperes sæpe fame et miseriis emori cogit, in Script. vocatur occisio, ut Eccl. 34. 25. *Panis egentium vita pauperum est : qui defraudat illum, homo sanguinis est; qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum.* Et Jerem. 2. 34. *In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum*, ubi de pauperum prædonibus loquitur. Similis locus est Prov. 22. 22.

Et non restitit vobis,] exemplo Christi, de quo ait Isaias c. 53. *Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.* Ita fecere Sancti patientes et Martyres. Unde Tertull. l. de Patientia c. 14. patientis os in adversis tacens, ait taciturnitatis honore signatum. Alludit Jacobus ad illud Isaiæ 57. 1. *Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo.* Ita olim Jezabel per falsos testes occidit Naboth, ut ejus vineam occuparet. 3. Regum 21. Græce est ἀντιτάσσεται, in præsenti. q. d. Christus adhuc tacet, et non resistit vobis, ô Judæi; sed post paucos annos resistet, rugietque ut leo, quando per Titum Hierosolymam et Judæam exscindet.

Christum ergo secuti sunt patientes et Martyres, qui tyrannis non restiterunt, etiam cum possent; imo ad rationem et lauream martyrii requiritur, ut non resistat, sed mortem pro Christo sponte acceptet, itaque voluntaria morte testimonium perhibeat fidei, eamque suo sanguine quasi obsignet, uti docet noster Lessius l. 3. de Justitia c. 1. dub. 3. Hinc Theologorum est axioma : *Martyr non pugnat.* Milites ergo qui pro fide pugnantes occumbunt, agunt ut milites, et militum locum et coronam sortiuntur, non Martyrum. Hoc est quod de Martyribus canit Ecclesia.

> Cæduntur gladiis more bidentium,
> Non murmur resonat, non querimonia;
> Sed corde tacito mens bene conscia
> Conservat patientiam.

Quocirca Thebæa legio duce Mauritio, cum posset resistere Maximiano Imper. noluit, sed depositis armis, ac positis genibus, jugulum ei præbuit. Idem fecerunt decem millia militum duce Zenone, ab eodem mactati Romæ ad Aquas Salvias : hi enim militibus non resistendo facti sunt Martyres.

7. Patientes igitur estote.] Græce μακροθυμήσατε, id est, *longanimes estote.* Convertit sermonem à divitibus affligentibus ad pauperes afflictos. q. d. Tolerate, ô Christiani, cum videtis vos à divitibus avaris et superbis etiam Christianis, opprimi, ac tam injusta et dira pati : licet enim diu videatur persistere eorum tyrannis et gloria æque ac vestra oppressio et ærumna, durate tamen, quia brevi adveniet Christus justus judex, qui illorum tyrannidem acriter puniet, et vestram patientiam large remunerabitur.

Usque ad adventum Domini.] q. d. Patientes estote per totam vitam usque ad mortem et judicium, tum particulare, tum universale : hoc enim alibi passim vocatur *adventus Domini.* Quare minus recte Œcumen. *adventum Domini* dici censet, quo Christus venit ad excidium Hierosolymæ per Titum et Vespasianum. Græce ἕως τῆς παρουσίας, id est, *usque ad præsentiam Domini.* q. d. Adveniet Dominus sequo præsentem vobis sistet, ac sua præsentia vos plane consolabitur.

Ecce agricola.] Exemplo agricolæ docet, quam debeant esse longanimes, simulque docet eos hac in re debere imitari agricolas, eorumque spe se solari. q. d. Sicut agricolæ multos magnosque subeunt labores arandi, serendi, sarriendi, occandi, etc., ob spem messis et fructuum, licet remotam et distantem, quampatienter et longanimiter exspectant, ideoque durant in continuis laboribus : ita et vos, ô fideles, sustinete fortiter et longanimiter omnia adversa, præsertim quæ à divitibus et potentibus tot tantaque injuste patimini, spe mercedis et coronæ cœlestis quam dabit vobis Christus judex, ac licet ea differatur aliquantum, durate tamen in vestra tolerantia, quia veniens veniet, et non tardabit multum. Habacuc 2. 3. juxta illud Christi promissum : *Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique juxta opera sua.* Ap. 22. 12. Vere Eurip. apud Stobæum serm. 55.

> Agricolarum vita voluptatem capit,
> Dum tristitiam spe futurorum solatur.

Et Tibullus eleg. 6. l. 2.

> Spes fovet agricolas, spes sulcis credit aratis
> Semina, quæ magno fœnore reddat ager.

Præclare S. Ambr. in Psalm. 72. quem inscribit : *De interpellatione David*, ad illud v. 1. *Quam bonus Israel Deus*, etc. *Bonus*, ait, *huic semper est Deus qui novit, quo tempore metat : et ideo quasi bonus agricola, hic arat agrum suum quasi quodam rigidiore abstinentiæ vomere; hic stirpat quadam falce virtutum amputatrice vitiorum; hic stercorat humiliando se usque ad terram, sciens quia Deus de terra suscitat inopem, et de stercore erigit pauperem : hic custodit fructus suos, ut illic securius recondat.* Nec minus eleganter Chrysol. serm. 103. *Credamus quod crux nostri corporis sit aratrum; fides, semen; sulcus, sepulchrum; resolutio, germen; expectatio, tempus : ut cum ver Dominici adventus arriserit, corporum nostrorum matura tunc viriditas vitalem resurgat in messem, nesciturum jam finem.* Quanta erit tunc et quam beata horum spiritualium agricolarum lætitia? O felices, inquient, labores, qui tam uberes nobis fructus protulerunt! Isaiæ 9. 3. *Lætabuntur coram te sicut qui lætantur in messe.* Psal. 125. 5. *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent*, etc. Stat nimirum fixa Apostoli sententia ad Galat. 6. 8. *Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet.* Et 2. Cor. 9. 6. *Qui parce seminat, parce et metet : et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.*

Pretiosum fructum terræ.] *Pretiosum.* Primo, quia fructus hic agricolis magni laboris et operarum stat pretio. Secundo, quia in se pretiosus est, utpote vitam hominis sustentans, roborans et recreans. Tertio, quia magno pretio venditur.

Notat Clemens Rom. 2. Const. cap. ult. S. Jacobum et fratrem ejus Judam fuisse agricolas, ideoque sæpius exempla et similitudines mutuari ab agricultura. Sed hujus rei penes auctorem sit fides.

Patienter ferens,] μακροθυμῶν, id est *longanimiter agens*, longanimiter laborans, longanimiter expectans. Ita Tigur. Pagnin. et alii; unde codices Græci addunt ἐπ' αὐτου, id est *in ipso*, id est, ipsum scilicet fructum expectans; Syrus, *super ipsos*, scilicet fructus.

Donec accipiat temporaneum et serotinum.]

Græce addunt ὑετὸν, id est *imbrem* et pluviam. Ita Syrus. Imber temporaneus, id est præproperus, est qui tempestive, puta in Octobri, depluit jacta semente, ut eam faciat germinare : serotinus, sive sero, puta in Aprili vel Maio, ad maturandas fruges. Vide dicta Jerem. 5. 24. et Osee 6. 4. Segetes enim suum habent diem, cujus quasi aurora et mane sunt germina, serum et vespera est messis. Porro omnis spes frugum omneque bonum agricolæ consistit in pluvia, semente et messe opportuna, ut, cum hanc habet, videatur messem habere in manu. Unde Moses : *Aperiet*, inquit, *Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, ut tribuat pluviam terræ in tempore suo.* Deuter. 28. 12. Quocirca nonnulli per temporaneum et serotinum accipiunt fructum de quo præcessit; ac per fructum temporaneum accipiunt præcocem et primum, per serotinum tardum et posteriorem. Sic sunt ficus præcoces in Julio et seræ in Septembri. Sic in eadem arbore alia poma, pira, cerasa et pruna primo maturescunt, alia sero et tarde. Idem est in agris et segetibus. Ita Hugo, Thomas Anglicus, Salmeron, Fevardentius, et alii.

Unde mystice Beda hæc applicans patienti : Fructus, inquit, justi et patientis temporaneus est gloria animæ; hæc enim statim datur post mortem : fructus vero serotinus est gloria corporis; hæc enim dabitur sero, puta in fine mundi in die judicii. Rursus, temporaneus est augmentum gratiæ et justitiæ, quod illico datur in hac vita; serotinus, est corona cœlestis, quæ datur post vitam. Denique apposite ad priorem sensum de imbre : Imber temporaneus est gratia prævenions, serotinus est gratia subsequens, ait Hugo. Unde orat Ecclesia : *Tua nos, quæsumus, Domine, gratia prævenial et sequatur, ac bonis operibus jugiter faciat esse intentos.* Idem in tentatione, ariditate et desolatione orandum insinuat hic S. Jacobus.

Rursum, imber temporaneus est initium fidei et virtutis, puta inchoatio vitæ sanctæ; serotinus est ejusdem profectus et perfectio. Alleg. S. Hieron. in Jerem. 5. et Cyril. in Zachar. 10. per *temporaneum* imbrem accipiunt vetus Testamentum, quia prius datum : per *serotinum*, novum Testamentum, quia serius datum, et quia nos ad perfectionem gratiæ et gloriæ perducit.

8. PATIENTER IGITUR ESTOTE ET VOS,] μακροθυμήσατε, id est, *longanimes estote* in patiendo injurias divitum et potentum; q. d. *Si agricolæ hæc patienter ferunt pro temporalibus fructibus, quanto magis vos pro æternis patientes esse debetis! Estote ergo patientes et confirmate corda vestra, ut adveniente judice Christo læti et probati esse valeatis,* ait Anacletus Papa epist. 1. Simili comparatione athletæ, pugilis et stadiodromi Paulus incitat fideles ad constantiam in patiendo et certando : *Omnis*, inquit, *qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* 1. Cor. 9. 25. Sane si quis attente consideret dolores et labores quos subeunt agricolæ, athletæ, milites, opifices pro modico lucro, erubescet quod pro Deo et cœlo tam modica, tam frigide et ægre patiatur et agat.

ET CONFIRMATE CORDA VESTRA,] ut firmiter duretis in vestra tolerantia. Sic ait Apostolus : *Confortamini in Domino, et in potentia virtutis Dei. Induite armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Ephes. 6. 10. vide ibi dicta. Et David : *Expecta Dominum, viriliter age; et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.* Psalm. 26. 14. Antistropha huic Jacobi sententiæ est illa eodem ævo, iisdem fidelibus à S. Petro scripta ep. 1. c. 5. 10. *Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit solidabitque.* Quæ sane miræ est consolationis; simulque docet Primo, hanc confirmationem magis esse gratiæ Dei, quam nostrarum virium gratiæ Dei cooperantium; Secundo Deum post modicam tolerantiam, copiosam immittere consolationem et robur, quo nos in patientia et virtute perficit, confirmat et solidat, ut proinde, in qualibet tribulatione et tentatione debeamus esse patientes et generosi, certo scientes, si id fecerimus, Deum illico affore, et omnem vim tribulationis elisurum, uti quilibet in seipso experitur.

QUONIAM ADVENTUS (παρουσια, id est *præsentia*) DOMINI APPROPINQUAVIT,] ut post brevem hanc vitam judicet et præmiet nostram patientiam. Sic Apostolus : *Ego*, inquit, *jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex, non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus.* 2. Timoth. 4. 6.

9. NOLITE INGEMISCERE, FRATRES, IN ALTERUTRUM, UT NON JUDICEMINI.] q. d. In injuriis et pressuris nolite nimis dolere et flere, impatientiam ostendere, murmurare, et irasci vobis mutuo, ne propter impatientiam à Domino condemnemini : hoc enim significat græcum καταχριθῆτε, licet aliqui legant κριθήτε, id est *judicemini*, et ita legit Noster : sed *judicare* in Script. sæpe idem est quod condemnare per metalepsin.

Nota τὸ *in alterutrum.* Solent enim pauperes et afflicti, cum cor plenum habent dolore, erumpere in gemitus, ac queri nunc de divitum et fortunatorum nimia felicitate, potentia et tyrannide; nunc de sua injuria et afflictione; nunc de proximorum meliori sorte et conditione. Ingemiscendo ergo divitibus obmurmurant, sibi sunt impatientes, proximis invident, itaque tandem de Deo queruntur, ejusque providentiam accusant, quod alios fortunet, se vero miseros efficiat et injuste opprimi sinat : quin et subinde injuriam passi ab uno, alteri innocenti similem inferunt iniqua talione, ut vel injuriam suam sarciant, aut socium in pœna sibi asciscant, itaque suum dolorem levigent; solatium enim est miseris in pœna habere socium, sed hoc manifesta est injustitia. Denique afflicti utrimque stimulante dolore subinde ingemiscunt, suasque injurias exponunt Deo, et apud eum se invicem accusant, postulantque vindictam : Deus autem non raro utrosque exaudit et punit. Hic ergo gemitus oritur ex impatientia : ejus auctor et choragus est diabolus. Nam, ut ait Tertull. lib. de Patientia c. 5. *natales impatientiæ in ipso diabolo deprehendo jam tunc, cum Dominum Deum universa opera sua homini subjecisse impatienter tulit. Decepit homines, quia inviderat; inviderat autem, quia doluerat; doluerat, quia patienter utique non tulerat.* Ejus remedium assignat Apostolus Galat. 6. 2. *Alter alterius onera portate : et sic adimplebitis legem Christi.*

Porro gemitus signum est et effectus animi debilis, infirmi et feminei : *Omne enim invalidum natura est querulum*, ait Seneca. Viri enim fortes et generosi, quales fuere Martyres, in adversis et tormentis quibusque non gemunt, sed stant quasi incudes, imo exultant, triumphant, et tyrannos irrident, uti fecerunt Machabæi 2. Machab. 7. Præclare S. Chrysost. hom. 5. ad pop. docet gemitum et tristitiam omnem esse inutilem, excepta ea quæ suscipitur propter peccatum : hujus enim ipsa proprium est remedium. *Pecunia*, ait, *quis mulctatus est, doluit, non emendavit. Filium amisit; doluit, non resuscitavit mortuum. Contumeliis affectus est; doluit, non revocavit contumeliam. Infirmatur; dolet, morbum non aufert, imo auget. At peccavit quis; tristatus est, peccata delevit : nam quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Ergo tristitia tantum facta est propter peccatum, à quo nata est; ideo ut tinea ipsum corrodit et absumit.*

ECCE JUDEX ANTE JANUAM ASSISTIT.] q. d. Christus judex è cœlo omnia vestra cominus intuetur, perinde ac si ante januam vestram apertam consistens, intueretur omnia quæ in domo vestra geruntur; nolite ergo ingemiscere in alterutrum, quia ipse uti videt vestras afflictiones et injurias, ut eas ulciscatur; ita pariter videt vestros gemitus et impatientiam, ut eam castiget. Sic dicimus litigantibus et pugnantibus : Quiescite; nam prætor est ante ostium, qui vos comprehendet et in carcerem conjiciet. Hoc est quod ait Psaltes Psalm. 101. 20. *Dominus de cœlo in terram prospexit, ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum.*

Secundo, Christus *ante januam assistit* : id est imminet, brevique veniet ad judicium tum particulare, tum universale, quo vestram patientiam laudabit et coronabit : persequentium vero tyrannidem damnabit et puniet. Nam ex judicio particulari, quod cito adveniet, pendet sententia cujusque in judicio universali. Quidquid enim de me statuetur in morte, idipsum publice confirmabit Christus in die judicii, ut ratum et fixum sit per omnem æternitatem. Atque hac ratione verissimum est judicii diem prope esse respectu singulorum, adeoque illum cuilibet imminere. Ita S. August. epist. 8. ad Hesichium : *In quo*, ait, *quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies : quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo judicabitur.* Unde concludit : *Vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum inveniat eum Domini adventus : imparatum autem inveniet ille dies, quem imparatum invenerit suæ vitæ hujus ultimus dies.*

Moral. Cum tentamur à concupiscentia ad peccatum, cogitemus : Ecce judex ante januam assistit : Judex, inquam, qui acerrimus peccati est vindex. *Nobis magna est indita necessitas juste recteque vivendi, qui cuncta facimus ante oculos judicis, cuncta cernentis*, ait S. Aug. in Soliloq. c. 14. et Boetius de consol. l. 5. prosa 6. Addit S. Aug. *Sic gressus meos semitasque consideras, et die noctuque super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter notans speculator perpetuus, velut si totius creaturæ tuæ cœli et terræ oblitus, tantum me solum consideres, et nihil sit tibi curæ de aliis : quia sicut unum totum simul perfecte consideras, sic singula quælibet : sic igitur super custodiam meam stas, sicut si omnium oblitus sis, et mihi soli intendere velis.*

10. EXEMPLUM ACCIPITE, FRATRES, EXITUS MALI LABORIS ET PATIENTIÆ.] *Exitum malum* vocat asperam Sanctorum mortem, ait Gagneius. Sic Sapient. 3. 2. dicitur de Sanctis patientibus et Martyribus : *Visi sunt oculis insipientium mori, et æstimata est afflictio exitus illorum, et quod à nobis est iter exterminium, illi autem sunt in pace.* Sic Gentiles olim Christianos et Martyres vocabant βιοθανατους *biothanatos*, id est violenta morte morientes. Græce est κακοπαθεια, id est *malorum passio*, afflictio, dolorum perpessio, quæ summa est in violenta morte et martyrio, quod in veteri Testamento fortiter subierunt Abel, Isaias, Jeremias, Ezechiel, Zacharias, etc.; in novo Joannes Baptista, S. Stephanus, S. Jacobus Zebedæi, etc. Hortatur fideles ad patientiam et constantiam exemplo Martyrum tum veteris, tum novi Testamenti, ut illud velut speculum intueantur, et ad illud vitam suam conforment.

Ita Alexandr. Magnus ad magna se incitabat legendo et considerando heroica facta Achillis : Alexandri Scipio, Scipionis et Alexandri Julius Cæsar, teste Plutarch. in Apoph. Rom. et lib. de Profectu virtut. Hoc est quod ait Paulus Heb. 13. 7. *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis imitamini fidem.* Et c. 12. 1. *Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum, curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta.*

Quocirca recte ait S. August. serm. 47. de Sanctis : *Solemnitas Martyrum exhortationes martyriorum sunt, ut imitari non pigeat quod celebrare delectat.* Ita S. Justinus Apolog. 1. et 2. testatur se fortitudine Martyrum conversum esse ad Christum. Vita enim et mors Sanctorum est quasi lex viva, quæ suis factis et moribus edicit quid facto opus, quid lex, quid religio velit. *In Sanctorum vita cognoscimus quid in Script. legere debeamus*, ait S. Gregor. hom. 10. in Ezech. Hinc Philo lib. de Abraham, ait leges scriptas esse commentarios vitæ Sanctorum. Vice versa S. August. lib. de Mendacio cap. 15. docet vitam Sanctorum esse interpretationem Scripturarum.

Rursum S. Gregor. 25. Mor. cap. 7. ait ignem olim jussum in altari ali lignis, ut significetur ignem charitatis nobis alendum per exempla Sanctorum. *Ignis enim iste*, ait, *in altari Domini, id est, in corde nostro citius extinguitur, nisi solerter adhibitis exemplis patrum et Dominicis testimoniis roberetur.* Et l. 27. cap. 5. vel 6. explicans illud Ps. 75. 5. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis : Ex æternis*, ait, *montibus Deus nos illuminat, quia per admiratam vitam patrum præcedentium radio nos suæ claritatis illustrat.* Viderunt idipsum Gentiles : unde Æneas ad Ascanium filium 12. Æneid.

Te pater Æneas, et avunculus excitet Hector.

Et alius :

Tunc bene fortis equus reserato carcere curris;
Cum quos prætereat, quosque sequatur, habet.

Nunquam Theseus nec Saronem, nec Procesten,

nec Creontem tyrannum, nec bicorporem Minotaurum interfecisset, nisi sibi Herculis exemplum proposuisset, ejusque facinora factis exprimere decrevisset.

LABORIS.] Jam hæc vox non est in Græco, sed comprehenditur in præcedenti κακοπαθεία, id est *malorum passione.*

ET PATIENTIÆ,] μακροθυμίας, id est *longanimitatis.*

QUI LOCUTI SUNT IN NOMINE DOMINI,] dicentes: *Hæc dicit Dominus. Nomen* ergo significat personam, auctoritatem, jussum, voluntatem, instinctum Domini. Prophetæ enim inspirati à Deo promebant oracula et mandata Dei, non sua.

11. ECCE.] Hæc vox Primo est nota admirationis, æque ac lætitiæ ingentis, quod per tantam miseriam perventum sit ad tantam gloriam, ait Thomas Anglicus. Secundo, est adhortantis ad imitandum Sanctorum patientiam; ut per eam eamdem cum illis coronam adipisci mereamur.

BEATIFICAMUS (beatos prædicamus; Syrus, *damus illis* טוּבָא *tuba*, id est *bonum*, puta summum, hoc est beatitudinem) EOS QUI SUSTINUERUNT] exemplo Christi qui ait: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Matth. 5.

PRO *qui sustinuerunt*, græce est ὑπομένοντας, id est, *qui sustinent.* Ita Pagn. Tigur. et alii; sed interpres legit ὑπομείναντας, in aoristo, id est, *qui sustinuerant:* non enim quis in vita, sed duntaxat post mortem dicendus est beatus, uti aiebat Solon ad Crœsum. Hinc Ecclesia in Canone Missæ nullos Sanctos recolit et celebrat, nisi eos qui multa sustinuerunt Martyresque obierunt, ut S. Petrum, Paulum, Jacobum, Andream, Laurentium, Cæciliam, etc. Jam enim patefacto per Christum cœlo, illico Martyres omnes è terra evolant in cœlum, ibique visione et gloria Dei beantur; uti contra Calvinum, qui ait eos usque ad diem judicii dormire sub altari, docet Ecclesia catholica.

Martyres ergo fuere *feliciter infelices*, ait S. August. in Ps. 127. *quibus in passione martyrii tanquam vasculis fractis* (ad instar militum Gedeonis Judic. 7. 20.) *major eorum gloriæ fulgor emicuit, quæ impios Evangelicæ prædicationis inimicos, inopinata illis Christi claritate superavit.* Ait idem August. qu. in l. Judicum. c. 20. Idem l. 13. de Civit. c. 6. *Mors*, inquit, *cum sit pœna nascentis, si pro justitia pietateque pendatur, fit gloria renascentis.* Idem serm. 26. de Sanctis: *Reddere*, ait, *debemus Martyribus honorificentiam, qui nobis salutem effusione sui sanguinis pepererunt, qui tam sacratam hostiam pro nostra propitiatione Domino se obtulerunt, præsertim cum dicat ad Sanctos suos omnipotens Deus: Qui vos honorat, me honorat: et qui vos spernit, me spernit. Quisquis ergo honorat Martyres, honorat Christum; et qui spernit Sanctos, spernit Christum Dominum nostrum.*

SUFFERENTIAM JOB AUDISTIS,] ὑπομονήν, id est *tolerantiam*, sustinentiam, patientiam. Producit è multis patientibus unum Job, quia ipse fuit speculum et exemplar singulare patientiæ, ut ait S. Hieron. epist. 103. quod Deus toti mundo omnibusque sæculis speculandum et imitandum proponere voluit. Unde Suidas, verbo *Job*, eum vocat *firmissimam columnam et incudem:* S. Cyprian. tr. de Bono patientiæ, *ad summum fastigium laudis patientiæ virtute provectum;* S. Basil. hom. 4. de gratiarum actione, *adamantini cordis hominem, et ut scopulum in mari eminentem, et exemplum fortitudinis;* S. Hilar. in Ps. 68. et 118. *universarum passionum humanarum gloriosum et beatum victorem;* Tertull. l. de Patient. c. 14. *qui omnem patientiæ speciem adversus omnem diaboli vim expunxerit*, id est expresserit; *in quo Deus feretrum de diabolo extruxerit, vexillum de inimico gloriæ suæ extulerit;* S. Chrysost. ho. 25. ad pop. *Martyrem, imo multis Martyribus majorem.* Merito ergo beatificamus Job, qui tam multa generose et invicte sustinuit. S. Amb. l. 2. et interpel. Job. c. 2. 5. *Job*, ait, *quasi athleta fortis in stercore sedens, in tantis vibicibus et sævis doloribus vulneris, totum corpus diris perfusus ulceribus, mysteria loquebatur: nec acquirendis propriæ remediis ægritudinis, sed sacris vacabat sermonibus. Fortiores itaque sermones ægri hominis, quam illorum qui non ægrotabant.* Et mox: *Et quid dicam fortiorem inventum cæteris? fortior seipso inventus est. Fortior æger, quam cum sanus fuerat, secundum quod scriptum est: Virtus in infirmitate consummatur. Ergo et Job cum infirmaretur, tunc validior erat. Non enim ægrotabat animo, etsi doleret corpore: quia non erat in carne ejus anima, cujus passionibus non adhærebat; sed in spiritu cujus virtute se texerat. Ideo ergo non carnis gemitus et corporis infirmitates, sed voces spiritus loquebatur, quibus urgeret, non quibus cederet.*

Quocirca exclamat S. August. serm. 105, de Temp. *O virum putrem, et integrum! ô fœdum, et pulchrum! ô vulneratum, et sanum! ô in stercore sedentem, et in cœlo regnantem!* Et S. Fulgent. epist. 2. c. 9. *Beatus*, inquit, *fuit Job, cum in divitiis juste viveret; sed beatior, cum in paupertate justior extitisset. Beatus fuit, cum decem circumdaretur filiis; sed beatior, cum una cunctorum simul orbitate percussus, in Dei dilectione permansit immobilis. Beatus fuit in corporis sospitate, sed beatior factus est in vulnere: beatior etiam in acervo squaloribus pleno, quam in palatio marmoribus adornato.*

Allegor. Job fuit expressus typus Christi patientis. Sicut enim Christus passus fuit in omnibus bonis corporis et animi, et à quovis hominum genere; ita et Job. Primo enim Job perdidit oves, boves, domum, omnemque substantiam; Christus in passione bonis omnibus, quin et vestibus spoliatus nudus pependit in cruce. Secundo, Job septem filios perdidit: Christus omnes Apostolos et discipulos: hi enim eo comprehenso fugerunt. Tertio, Job percussus fuit ulcere à capite ad talos; Christus toto corpore, et in singulis membris acerbissimos dolores sustinuit. Quarto, Job ab amicis gravia probra sustinuit, vocatusque est impius, hypocrita, tyrannus, leo, tigris: Christus in cruce irrisus est quasi blasphemus, seditiosus, percussus à Deo. Quinto, Job ab uxore passus est maledicta. Christus passus est à matre non maledicta, sed compassionis tormenta. Sexto, Job passus est in animo mœrores, timores scrupulos, anxietates: Christus in horto cœpit pavere, tædere, contristari et mœstus esse, adeoque in cruce exclamavit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth. 27. 46. Septimo in Job vexando et affligendo dæmon omnes suas vires exeruit: multo magis eas exeruit in Christum. Octavo, Job ab omnibus fuit derelictus; ita et Christus.

Nono, Job hæc omnia sustinuit mira humilitate et constantia cum esset princeps, imo Rex Idumææ, uti docent Isidor. Philippus Beda et alii passim Præfat. in Job.; et satis colligitur ex eo quod amici ejus fuerint reges, ut patet Tobiæ 2. v. 15. Christus tanta passus est cum esset Rex regum, et Dominus dominantium. Decimo, Job omnes pene morborum et dolorum species sustinuit: ita et Christus vir fuit dolorum, quia vir amorum. Job enim laborasse plusquam triginta morbis, puta podagra, chiragra, ischiade, arthritide, dysenteria, incubo, marasmo, angina, fame canina, igne sacro, cancro, erysipelis, asthmate, phthinasi, febri hectica, lepra, apostemate, tonsillis, pleuritide, gonorrhæa, satyriasmo, vigilia, dolore renum, vermibus, plagis Ægyptiacis, dolore costarum, visceribus putidis, ulcere pulmonum, scabie, lue venerea, animi deliquio, etc. (ex quibus nonnulli fuerunt desperati et mortiferi) ex ipsis Jobi verbis toto libro sparsis colligit noster Pineda in cap. 2. Job v. 7. sed de his ibidem tractandum erit.

Quocirca apposite vocatus est איוב *Jiob*, latine et græce *Job*, id est dolens, gemens, ululans, ejulans à rad. יבב *iabab*, quod Noster Judic. 5. v. 27. vertit, *ejulare*, ut prima littera Aleph non sit radicalis, sed hœmantica, id est, ascititia et formativa nominis, uti solet esse in nominibus Hebraicis, Syriis et Arabicis (de quo vide nostrum Serarium in Tobiæ cap. 2.). Ita S. Greg. Chrysost. Hier. Philippus Presbyter et alii in Job. cap. 1. 1. Rursum, *Job*, id est exosus, inimicitias patiens, à radice אהב *ahab*, id est inimicatus est, hostis fuit, adversatus est, quia scilicet tela omnia inimici, puta diaboli, in se excepit. Ita Origen. hom. 14. in c. 11. Josue, et ex eo Pineda. Tertio, S. Cyprian. contra Judæos ait Job esse nomen Cyprium, et significare *charissimum Dei:* quia ejus amore constanter tanta sustinuit. Sic et hebraice אהב *ahab*, quod alludit איוב *Jiob*, significat *amare*, *diligere*. Quarto, alii deducunt à radice אוב *ob*, id est *pytho*, divinus: quia scilicet Job erat Propheta et oraculum Dei, ut littera *iod* sit inserta ex nomine tetragrammato *Jehova*, significans ipsius prophetiam esse ex Deo, non diabolo. Sic Abrahæ à Deo addita est littera *he* ex nomine tetragrammato, ac pro Abram vocatus est Abraham, ut significaretur Abrahæ cum Deo singularis conjunctio et amor, teste S. Hier. in qu. Heb. Quinto איוב *Job* per metathesin dicitur quasi אב *ab*, id est *pater*, prior, antiquus, doctor, inventor; יונה *ionai*, id est *oppressionis*, passionis et patientiæ! Rursum alludit ad אביון *ebion*, id est *pauper*, à radice אבה *aba*, id est *voluit*, concupivit, desideravit; quia pauper, cum omnibus careat, omnia desiderat: à culmine enim opum et felicitatis, Job dejectus est ad imam paupertatem et miseriam.

Porro tacite innuit hic S. Jacobus, afflictis et patientibus legendum esse librum Job, ut ex eo discant patientiam. Similis Jobo fuit Tobias cæcitate percussus, *ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus*, sicut et S. Job, Tob. 2. 12. Præclare Prosper 1. parte Præd. c. 22. *Ex semine*, ait, *Esau Idumæa gens, in qua inter cæteros duces Job ille fortissimus athleta Dei enituit, in exemplum omnis patientiæ productus, ut agonistico certamine principem totius militiæ diabolum superaret, fultus auxilio Dei.*

Finem Domini vidistis.] Syrus, *finem quem præstitit ei Dominus, vidistis. Finis* ergo hic est merces patientiæ, puta felicitas in quam desiit afflictio Jobi, dum paupertas transiit in opulentiam, infirmitas in sanitatem, ignominia in gloriam: reddidit enim Deus ei omnia duplicia, ac celebrem et gloriosum effecit toto orbe sæculisque omnibus, ut fontes suæ misericordiæ et liberalitatis in eum effudisse videatur. Ita Dionysius Cajetanus, Catharinus, Salmeron, Serarius, Stevartius, Fevard. et passim recentiores.

Id significat Job nominibus filiarum trium, quas sibi suisque restitutus genuit. Primam enim vocavit *Jemima*, id est diem: secundam, *Ketsia*, id est casiam: tertiam *Kerenhapuch*, id est cornu stibii: q. d. Hæc omnia iis indo in monumentum utriusque fortunæ meæ, prosperæ et adversæ: quasi jam ex nocte et tenebris infelicitatis ad diem et lucem felicitatis, ex fœtore sterquilinii ad fragrantiam casiæ, ex sordibus ad nitorem et elegantiam quasi stibio depictus rediisset. Ita Olympiodorus, Vatab. et alii in Job cap. 42. Unde pro *cornu stibii*, R. Abraham vertit, *cornu*, vel *robur immutatum* (hoc enim Heb. significat *Kerenhapuch*), scilicet ex infirmitate et adversitate commutatum in hanc fortitudinem et prosperitatem, pristina majorem. Sept. vero vertunt *cornu Amaltheæ*, id est cornu copiæ; fingunt enim Poetæ Amaltheam capram fuisse nutricem Jovis, è cujus proinde cornu Jupiter omnia bona in homines effunderet. Quare vere Prosper. 1. part. de Promis. c. 22. *Job*, inquit, *dupla præmia victor accepit. Pugnantibus vero suis et sua gratia juvante vincentibus, centupla hic se daturum Dominus pollicetur, et vitam æternam in futuro sæculo largiturum. Quod in Valentiano Valentis fratre vidimus impletum: qui dum pro Christo militiam tribunatus sprevit, hujus mundi regnum adeptus est, et verus Christi confessor vitam acquisivit æternam.*

Secundo, alii per *finem Domini* accipiunt mortem Christi in cruce, sive patientiam Christi usque ad mortem, et in morte perfectam consummatamque: quasi Jacobus jungat typum cum antitypo, puta Job cum Christo, duoque fidelibus afflictis contemplanda et imitanda proponat exemplaria patientiæ, Jobum et Christum: Christi enim patientia longe superavit patientiam Jobi: ut enim alia omittam, duravit usque ad finem vitæ ipsamque mortem, cum Jobi afflicti duraverit tantum septem annos, si credimus Olympiodoro, et Auctori Catenæ Græcorum in Job cap. 42. 19. (nam noster Pineda valde probabiliter censet, longe brevius fuisse calamitatis Jobi tempus. Vide eum cap. 2. 7. et 8. sect 12. num. 4.) post eam enim successit felicitas usque ad mortem per annos 140. quibus fuit superstes. Job 42. 16. Unde Guerricus Abbas serm. 3. de Dominica Palmar. *Sufferentia namque Job*, inquit, *fuit usque ad reditum substantiæ; sufferentia Domini usque ad exitum vitæ.* Ita S. Aug. lib. de Symbolo ad Catechum. c. 3. et ep. 120. c. 10. *Ut*, ait, *non talem remunerationem* (qualem accepit Job) *speraremus, quando mala temporalia pateremur; non ait: Sustinentiam et finem Job vidistis, sed ait: Sustinentiam Job audistis, et finem Domini vidistis; tanquam diceret: Mala temporalia sicut Job sustinete, sed pro hac sustinentia non temporalia bona sperate, quæ illi aucta*

redierunt, sed æterna potius quæ in Domino præcesserunt.

Probat S. August. hanc expositionem ex verbo *vidistis;* finem enim Christi multi illo ævo viderant; finem vero Jobi nemo. Sed ad hoc responderi potest, *videre* in Script. sæpe sumi pro cognoscere, sive id fiat visu, sive auditu, sive quo alio sensu, ut alibi ostendi. S. August. de more sequitur Beda, Glossa, Hugo et alii. Hic sensus sublimis est, sed symbolicus: prior ergo litteralis videtur et genuinus, quem confirmat id quod sequitur: *Quoniam Dominus misericors est et miserator*, scilicet in Jobum, dum illi finem felicem tribulationum dedit. Idem enim est dum dicitur: *Finem Domini vidistis*, cum eo quod quasi causam reddens sui dicti, illico subdit: *Quoniam Dominus misericors est et miserator.*

Anagogice *finis Domini* est Christi resurrectio, ascensio, missio Spiritus sancti, nominis exaltatio, gloria et cultus apud omnes gentes. Ita S. August. verbis jam citatis, Serarius et alii. Rursum *finis Domini* est merces et corona gloriæ æternæ, quam Deus post mortem dedit Jobo, datque omnibus patientibus., de qua S. Cyprian. l. de Mortalitate: *Ad immortalitatem*, ait, *morte transgredimur, nec potest vita æterna succedere, nisi hinc contigerit emigrare: non est exitus iste, sed transitus.*

QUONIAM MISERICORS DOMINUS EST ET MISERATOR.] *Misericors* per habitum, *miserator* per actum quo continuo miseretur, adeo ut viscera misericordiæ suæ in Jobum et afflictos ad eos consolandos effundere videatur: unde pro *misericors* græce est πολύσπλαγχνος, id est *multum visceralis*, ex intimis visceribus commiserans, quem Heb. vocant רחום *rachum*: σπλαγχνὰ enim sunt *viscera.*

Hæc verba significant de Jobo ad litteram hic agi non de Christo, uti dixi, præsertim quia Christo homini ratione unionis hypostaticæ, et merito passionis debita fuit resurrectio et gloria; licet misericorditer illi data dici possit hactenus, quod naturæ humanæ in Christo præcise spectatæ (seclusa scilicet unione cum Verbo) debita non esset, sed gratuito collata à Deo, æque ac ipsa unio hypostatica.

12. ANTE OMNIA AUTEM, FRATRES MEI, NOLITE JURARE,] q. d. Præ omnibus curate, ne temere juretis. Videntur enim multi fideles tunc æque ac nunc proclives fuisse ad juramenta, ac sibi induxisse habitum jurandi. Quare ut hanc proclivitatem et lapsum linguæ, ex vitiosa consuetudine contractum emendet et corrigat Jacobus, monet ut majorem curam et custodiam adhibeant linguæ ne jurent, quam ulli alteri vitio: qui enim uni vitio valde addictus est, illi præ cæteris invigilare debet, si illud corrigere velit, ac circa illud facere examen particulare.

Minus ergo genuine explicat Lyran. q. d. Ante omnia nolite jurare, hoc est, omnibus dictis vestris nolite, ut soletis, præponere juramentum; sunt enim nonnulli ita faciles ad jurandum, ut ante tertium quodlibet verbum jurent.

Alludit Jacobus, imo citat illud Christi Matthæi 5. 34. *Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque cœlum*, etc. Ex quibus verbis perperam colligunt et docent Anabaptistæ, Wiclef (cujus hac de re error damnatus est in Conc. Constantiensi sess. 8.) et olim Waldenses, ac Pelagiani, teste S. August. ep. 8. q. 5. (ubi ridet eos, quod putarent se tantum jurare si dicerent: *Per Deum*, non autem dicendo: *Testis est mihi Deus*) nullum juramentum Christianis esse licitum. Favere videtur S. Chrysost. et Theoph. in Matth. 5. et OEcum. hic, qui dicunt juramentum omne Christianis vetari à Christo; Judæis vero ut imperfectis fuisse permissum, æque ac libellum repudii. Sed hi Patres benigne exponendi sunt, ut tantum velint dicere, Christianis à Christo severius prohiberi juramentum quam Judæis: illos enim ob consuetudinem jurandi non tam acriter fuisse castigatos et punitos à Deo, ut castigantur Christiani à Christo.

De fide ergo est, licere quandoque Christianis jurare. Sic enim juravit Paulus 2. Corinth. 1. 23. *Testem Deum invoco in animam meam.* Philip. 1. v. 8. *Testis est mihi Deus.* Ac angelus Apoc. 10. 6. jurat per viventem in sæcula sæculorum. Quin et Deus juxta illud Psal. 109. 4. *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum.* Ratio est, quia juramento honoratur Deus tanquam prima et infallibilis veritas, quæ in testem vocatur. Est ergo juramentum actus religionis et latriæ, si, ut docet Jeremias c. 4. 2. fiat *in veritate*, scilicet ne juretur falsum: *in justitia*, ne juretur injustum et malum: *in judicio*, ne juretur temere et sine magna utilitate, aut necessitate; *judicio enim caret juramentum incautum, veritate juramentum mendax, justitia juramentum iniquum*, ait S. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 3.

Dices: Quomodo ergo Christus sancit: *Ego autem dico vobis non jurare omnino?* Respondet S. Bernard. serm. 65. in Cantic. non jurare omnino esse consilium, non præceptum. Alii fatentur esse præceptum, sed vetans tantum ne juretur per creaturas, idque ne decus primæ veritatis iis detur, et Deo adimatur, id innuit S. Hieron. in c. 5. S. Matth. Alii per jurare intelligunt pejerare. Verum hæc omnia aliena, aut contorta videntur, et refelluntur ex verbis quæ subdit Christus Matth. 5.

Pro responsione ergo nota duplicem à Christo perstringi errorem Pharisæorum. Prior erat Exod. 20. 7. ubi dicitur: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, tantum prohiberi perjurium, non juramentum leve et vanum: Hebræa enim vox שוא *scau*, quam Noster vertit *vanum*, significat etiam *mendacium:* mendacium autem in juramento est perjurium. Imo Rabbini censent ibi tantum vetari, ne quis pronuntiet nomen *Jehova*, præter summum pontificem; quod sane ridiculum est. Posterior, licitum esse per creaturas temere jurare et pejerare. Id enim Pharisæos sensisse patet Matth. 23. 17. Christus utique errori opponit vocem *omnino*. q. d. Ego autem dico, vetoque non tantum jurari falsum, sed et verum, sive id fiat dicendo per Deum, sive per templum, sive per aliam creaturam: intellige ad mentem Pharisæorum *leviter et temere*, uti fit in communi hominum sermone. Vult enim Christus docere, teste S. August. et Chrysost. malam esse propensionem ad jurandum; et juramentum, licet in se bonum sit, oriri tamen à malo (puta ex incredulitate hominum, qui non credunt nisi juretur) nec esse per se appetendum. Itaque non jurandum omnino, nisi malum hoc cogat, idque Primo, ne ex assuetudine jurandi labamur in perju-

rium, uti monet Ecclesiasticus c. 23. v. 9. et 12. Ita S. August, epist. 154. *Nolite*, ait, *jurare omnino, propterea mihi dictum videtur, non quia verum jurare peccatum est, sed quia pejerare immane peccatum est, à quo nos longe esse voluit qui omnino ne juremus admonuit.* Secundo, quia reverentia nominis divini hoc postulat. Tertio, quia ea deberet esse fides et veritas Christianorum, ut injuratis credi posset, et de facto crederetur, inquit Clemens Alex. l. 7. Strom. Sic apud Romanos Flamini Diali jurare non licebat, quod indignum videretur ei non credi, cui credita essent divina, ait Plutarch. in Problem. Roman. in 43. ubi et addit: *Juramentum homini libero pro tormento est.* Romani enim à servis veritatem per tormenta extorquebant, à cive per juramentum, à sacerdote per solum verbum.

S. Jacobus ergo exemplo Christi vetat *quodcumque juramentum.* Primo quia, ut ait S. Aug. serm. 28. de verb. Apost. *Falsa juratio exitiosa est, vera juratio periculosa est, nulla juratio secura est.* Secundo, quia vult ut, quantum in te est, non affectes, non ames, nec quasi bonum cum aliqua delectatione appetat jusjurandum, ait S. August. c. 15. de Mendacio. Tertio, quia jurare in se est quasi malum morale ad irreverentiam erga Deum spectans, sed necessarium in hoc statu naturæ lapsæ et corruptæ; uti malum in se est hominem occidere, sed sicut hoc (occidere) subinde ubi adsunt debitæ circumstantiæ licet, imo est laudabile, sic et jurare, si fiat cum veritate, justitia et judicio, nimirum ut non fiat libenter et leviter, sed tantum quia illud extorquet alterius incredula diffidentia. Unde S. Thom. Opusc. 4. ait *juramentum non aliter ac medicamentum, non nisi cogente necessitate usurpandum.* In paradiso ergo non licebat jurare, uti nec licet in cœlo. Tanta enim est majestas nominis Dei, ut illud in testem vocandum non sit, nisi cogat necessitas. Quare id facere ultro ob res parvas et viles, vile est, irreverens et injurium Deo, perinde ac injurium esset regi, si quis eum pro uno aureo citaret et vocaret in testem. Unde Aristot. 1. Metaph. c. 3. ait *juramentum esse summo honore dignum.*

NEQUE PER CŒLUM.] Nam, ut jam dixi, Scribæ, Pharisæi et similes censebant juramentum per creaturas non esse juramentum, nec obligare. Audi Christum Matth. 23. 16. increpantem Pharisæos: *Væ vobis, duces cæci, qui dicitis: Quicumque juraverit per templum, nihil est.* Sed iidem avaritia excæcati, excipiebant ea quæ oblata Deo, ipsorum loculos implebant, quasi hæc sola sanctissima haberentur, ideoque si quis per ea jurasset, juramento suo obligaretur. Unde subdit Christus: *Qui autem juraverit in auro templi, debet. Stulti et cæci, quid enim majus est, aurum, an templum quod sanctificat aurum? Et quicumque juraverit in altari nihil est: quicumque autem juraverit in dono quod est super illud, debet. Cæci, quid enim majus est, donum, an altare quod sanctificat donum?* Rationem deinde dat à priori, quod nimirum qui jurat per creaturam, tacite ex communi hominum sensu juret per creatorem, qui est auctor et conservator creaturæ. *Qui ergo*, ait, *jurat in altari, jurat in eo, et in omnibus quæ super illud sunt? Et quicumque juraverit in templo, jurat in illo, et in eo qui habitat in ipso. Et qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei, et in eo qui sedet super eum*, ac proinde vere et proprie jurat Deumque in testem vocat, atque juramento suo obligatur, perinde ac si per Deum immediate jurasset. Et Matth. 5. 34, *Ego autem dico vobis non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Hierosolymam, quia civitas est regis magni; neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum.* q. d. Ne putes licere jurare per caput tuum quasi illud sit tuum, tibique pleno dominio ad quemvis usum subditum; quia tuum non est, sed Dei: si ergo per caput tuum juras, juras per Deum qui illud tibi dedit. Alioqui enim qui per se caputque suum proprie juraret, nec intenderet jurare per Deum, sed per se solum, esset idololatra; quia seipsum faceret primam et infallibilem veritatem, et consequenter Deum.

SIT AUTEM SERMO VESTER: EST, EST (græce, ναί, ναί, id est *certe, certe.* Pagnin. *etiam, etiam*), NON, NON.] q. d. Sermo vester sit simplex affirmatio aut negatio sine juramento; ut quod est, dicatis simpliciter esse; quod non est, non esse. Ita Œcum. Aut. q. d. Pro juramento utimini constanti et gemina asseveratione dicendo: *Est, est*, aut constanti et gemina negatione dicendo: *Non, non.* Vide de hac phrasi dicta 2. Cor. 1. 17.

Sane ea deberet esse hominum, præsertim fidelium sinceritas, probitas et fides, ut eorum simplici assertioni aut negationi crederetur. Ita Isocrates ad Dæmonicum: *Decet*, ait, *bonos viros fidetiores exhibere se juramento, tantumque jurandum est ut te crimine, vel amicum gravi periculo liberes; non autem ob pecuniam.*

Solon tantam aiebat hominibus inesse debere probitatem, ut non opus esset ligare eos juramento, teste Maximo serm. 33. Socrates dicebat *bonos viros decere eos mores ostendere, qui essent juramento firmiores,* teste Antonio in Melissa p. 2. serm. 63.

Ita Clinias, familiaris Pythagoræ, maluit tria talenta pro mulcta solvere, quam jurando mulctam evadere, uti refert S. Basil. serm. de Utilit. ex l. Gentil. capienda. *Esseni* (qui fuere primi è Judæis Christiani) *omne quod dicunt, juramento fortius habent*, ait Josephus l. 2. Belli c. 7.

Ita S. Greg. Naz. legem sibi indixit nunquam jurare, idque usque ad mortem servavit, uti ipse refert in Carm. de vita sua.

Vere Clemens Alex. 7. Strom. *Ubinam*, ait, *ergo est amplius opus juramento ei, qui ita vivit, ut qui pervenerit ad summum veritatis?* Et S. Aug. l. 1. de serm. Domini in monte. *Christianus*, ait, *verum loquatur, neque jurationibus crebris, sed morum probitate commendet veritatem.* Quin et Philo l. 1. de speciali leg. *Quidquid*, ait, *vir bonus asseverat perinde ac jurato credi debet, cum verbum ejus firmum sit ac rigidum, nullo mendacio flexibile, veritate in qua fundatur subnixum.* S. Chrysost. vero hom. 26. ad pop. *Hoc*, ait, *interdum à nonnullis audivi: Nisi juravero, non credit. Tu es horum causa, qui facile juras: quia si id non faceres, sed omnibus constaret quod non jures, mihi crede dicenti, quod iis qui mille devorant juramenta, majorem ipse fidem solo nutu invenires.* Vide eumdem hom. 17. ubi varia media assignat quibus facile corrigi potest jurandi

consuetudo. Ita Carbone pollicente quippiam et jurante, populus Rom. vicissim juravit se illi non credere, nimirum probis viris etiam injuratis habenda est fides : levibus, ne juratis quidem : Nam, ut ait Menander, *suadet loquentis vita, non oratio.*

UT NON SUB JUDICIO DECIDATIS.] Sic et Syrus. q. d. Ut non incidatis in condemnationem, dum ex frequentia jurandi inciditis in perjurium jurando falsum. Græca jam habent ὑπόκρισιν, hoc est, ut non incidatis in *simulationem*, uti vertit Pagnin. Tigur. Cajet. Clarius. q. d. Ne ficte et simulate juretis, ore jurantes, non corde, ac dicentes : *Juravi lingua, mentem injuratam gero :* qua ratione Lysander tyrannus dicebat pueros tesseris, viros juramentis oportere circumvenire, teste Plutarch. in Lacon. Idem dicunt, imo faciunt, politici et athei, quibus cum nullum sit numen, nulla conscientia, nulla etiam est religio et fides juramenti, quod sane plusquam ethnicum est, fraudulentum, sacrilegum et barbarum. Verum alii codices habent κατάκρισιν, id est *judicium* et condemnationem : quin et OEcum. legens ὑπόκρισιν, exponunt κατακρισιν.

13. TRISTATUR (κακροπαθεῖ, id est *patitur*, vexatur, affligitur) ALIQUIS VESTRUM, ORET.] Ita Christus in horto tristis usque ad mortem, oravit : quia oratio impetrat à Deo auxilium, lætitiam et robur ad vincendam tristitiam : adeoque ipsum orare et colloqui cum Deo, orantem exhilarat et lætificat. Patet hæc disparata esse præcepta vel monita. Quid enim tristitia cum juramento, de quo præcessit ? Porro fructus orationis patet in Anna matre Samuelis, quæ cum esset amaro animo, et orasset, *vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati.* 1. Reg. 1. 18. et in Christo qui agoniam oratione superavit, ac, post eam intrepide procedens obviam Judæis, tradidit se in mortem. Dum ergo tristaris, noli captare solatia ab amicis, ab epulis, à musicis, à fabulis ; sed ab oratione et colloquio cum Deo. Porro omni diabolica actione potentior ad nocendum est mœroris spiritus ; dæmon enim quoscumque fere superat, per mœrorem superat : eum si auferas, nemo à dæmone lædi poterit, ait S. Chrysost. serm. 2. et 3. de Provid.

ÆQUO ANIMO EST ? PSALLAT.] Syrus, *si lætatur, psallat.* Aliqui contrarie legunt ἀτυμεῖ, id est, *ægro est animo*, ut idem dicatur, et inculcetur id quod præcessit. q. d. Dum tristis es, ora et psalle, ut tristitiam discutias. Verum legendum est εὐτυμεῖ, uti passim alii legunt, id est æquo, pacato, tranquillo, securo, læto. alacri est animo : licet enim utile sit tristi psallere, tamen id difficile est juxta illud : *Musica in luctu importuna narratio.* Eccl. 22. 6. Lætus vero et alacer gestit ad canendum et psallendum. Psalmodia ergo conservat augetque lætitiam, excitatque jubilum Deo.

Hac de causa inducta est in Ecclesiam psalmodia. Primo, ut ea fideles ad Dei amorem excitentur. Secundo, ut, sicut variæ voces in unam harmoniam consentiunt, ita in unum fidelium animi conspirent, ait S. Athanas. de Interpret. Psalm. Tertio, ut suavitate cantus demulceantur animi, ut divinorum oraculorum vim et efficacitatem avidius excipiant, ait S. Basil. præf. in Ps. Quarto, ut angelos æmulemur et Seraphinos, qui perpetuo Deo laudes canunt, concinuntque : Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth. Is. 6. 3. Ita Cyrillus catechesi 13. Vide dicta Ephes. 5. 19. *Psalmus*, ait S. August. præfat. in Psalmos, *est signifer pacis, spirituale thymiama, exercitium cœlestium : luxum reprimit, sobrietatem suggerit, lachrymas movet.* Et S. Basil. proœmio in Psalmos : *Psalmus*, ait, *est animarum tranquillitas, pacis arbiter, turbas et fluctus cogitationum compescens, iracundiam mollit. Psalmus amicitiæ conciliator, dissidentium conjunctio, inimicorum reconciliatio. Quis enim inimicum existimabit eum, cum quo unam ad Deum vocem emittit ?* Et inferius : *Psalmus dæmones fugat, auxiliares angelos advocat, in nocturnis terroribus securitas, in diurnis laboribus requies est : infantibus tutela, junioribus decor, senioribus solatium, mulieribus honestissimus ornatus, solitudines celebres facit : elementum incipientibus, incrementum proficientibus, consummatio perfectorum. Psalmus est vox Ecclesiæ, ac dies festos agit. Psalmus est angelorum opus, cœlestis reip. spirituale ornamentum.* S. Chrysost. in Psal. 14. *Psalmus*, ait, *est animæ sanctificatio, est pulcher animi concentus, acutissimum telum contra dæmones ; nec cervi ita tela fugiunt, ut Psalmos David dæmones. Sumpsit David citharam et pulsavit et à Saule recessit malus spiritus, et recedens dæmon cecidit, ut cervus sagitta percussus et in jecore sauciatus.*

Unde in Vitis Patrum legimus dæmonem nullam orationem æque horrere ac psalmodiam. Causam dat Sophronius in Prato spirit. cap. 152. quod *in Psalmis partim nobis ipsis, Deum laudando oramus et invocamus, partim maledictis insectamur dæmones.* Rursum S. Chrysost. in Ps. 134. *Psalmus*, ait, *habet voluptatem cum utilitate. Principale ejus lucrum est ad Deum hymnos dicere, animam expurgare, cogitationem in altum extollere, vera et accurata dogmata discere, de præsentibus et futuris philosophari.* Et mox : *Nam licet millies petulans sit is qui canit, dum psalmum reveretur, sopit tyrannidem suæ petulantiæ : licet oppressus sit malis innumeris, et ab ægritudine animi occupetur, dum demulcetur à voluptate, levat animum, extollit cogitationem, et mentem in sublime evehit.*

14. INFIRMATUR QUIS IN VOBIS.] Catholici hunc locum accipiunt de Sacramento Extremæ Unctionis. Hoc Sacramentum negarunt olim Armeni, Waldenses, Albigenses, Wiclef, et hoc sæculo Lutherus et Calvinus. Cajetan. vero licet Sacramentum esse concedat, negat tamen de eo hic agi, sed de unctione miraculosa ad sananduni ægrotos, ad quam Christus discipulos, qui tum necdum erant sacerdotes, ac proinde ministri Sacramenti esse non poterant, misit. Marci 6. 13.

Verum de fide est tam Extremam Unctionem esse Sacramentum, quam de ea hic agere Jacobum. Ita sentit Ecclesia, quæ in administratione hujus Sacramenti, ita precatur : *Deus, qui per Apostolum tuum Jacobum locutus es, dicens : Infirmatur quis in vobis*, etc. Idem definivit Conc. Florent. in Decreto unionis, et diserte Trident. sess. 14. ubi hunc Jacobi locum fuse explicat. Ait ergo can. 1. de Extrem. Unct. *Si quis dixerit Extremam Unctionem non esse vere et proprie Sacramentum, à Christo Domino nostro institutum, et à B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.* Et can. 2. *Si quis dixerit sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam,*

nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit. Explicatius vero c. 1. *Instituta est*, ait, *sacra hæc unctio infirmorum, tanquam vere et proprie Sacramentum novi Testamenti, à Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum. Infirmatur, ait, quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et, si in peccatis sit, dimittentur ei. Quibus verbis, ut ex Apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum et effectum hujus salutaris Sacramenti. Intellexit enim Ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo benedictum; nam unctio aptissime Spiritus S. gratiam, qua invisibiliter anima ægrotantis ungitur, repræsentat; formam deinde esse illa verba: Per istam unctionem*, etc.

Errat ergo Calvinus, dum ait Innocentium I. instituisse Sacramentum Extremæ Unctionis, idque asserere Sigebertum in Chronico. Magis errat Kemnitius, dum id tribuit Felici IV. sub annum Domini 528. qui Innocentio centum annis fuit posterior; nil enim tale habet Sigebertus, vel quis alius Historicus. Idem docent et definiunt Pontifices Fabianus et Innocent. I. et III. Calistus I. ac Concilia Meldense, Grangrense, Senonense, Cabilonense, Moguntinum, Wormatiense, Coloniense, Aquisgranense. Vide Bellarm. tom. 4. de Extrem. Unct. Ratio est Primo, quia gratia curationum non fuit res permanens, sed tantum ad tempus à Christo data et demandata discipulis: Jacobus autem loquitur de hac unctione tanquam de re permanente, ordinaria et habente effectum infallibilem. Hæc enim epistola scripta est diu post mortem Christi, quando gratia curationum cessabat. Secundo, gratiam curationum habebant Apost. et discipuli Christi, non autem omnes Presbyteri. Ergo cum Presbyteros induci jubet, significat eos esse ministros Sacramenti Extremæ Unctionis. Tertio, quia ait: *Et si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Unde liquet hanc non fuisse gratiam curationum; illa enim sanabat corpus à morbis, non animam à peccatis. Rursum hanc unctionem esse Sacramentum: quia Sacramentum non est aliud quam signum visibile, talis autem est Extrema Unctio; remissio enim peccatorum non fit nisi per infusionem gratiæ. Quarto, quia Jacobus hic omnia recenset ad Sacramentum necessaria, scilicet pro materia assignat oleum, pro forma orationem fidei, pro ministro Presbyterum, pro effectu remissionem peccatorum.

Nota. Quod ait *infirmatur*, intellige graviter et periculose ad mortem; hic enim ἀσθενεῖ, id est, viribus et robore plane destituitur, quem proinde mox vocat τῶν κάμνοντα, id est *periculose laborantem*. Rursum talem ait, ἐγερεῖ, id est, *excitabit* quasi à morte ad vitam Dominus: alioqui enim in levibus morbis advocari jussisset non Presbyteros sed medicos, qui per pharmaca ægrum sanassent. Ita explicat Conc. Trident. sess. 14. cap. 3. de Extrem. Unct. *Declaratur etiam*, ait, *esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur: unde et Sacramentum exeuntium nuncupatur, æque ac Extrema Unctio.* Extrema enim est earum quæ homini fideli in vita adhibentur: fidelis enim Primo ungitur in baptismo, sed in vertice. Secundo, in Confirmatione, sed in fronte. Tertio, in Ordine, sed in manibus: extreme vero ungitur hac unctione æger extreme laborans, ad extremam luctam cum dæmone, mundo et carne fortiter ineundam et superandam. Unde Conc. Trid. sess. 13. ait eam esse pœnitentiæ et totius vitæ consummatricem, ac Christum voluisse ea finem vitæ quasi firmissimo præsidio munire contra diabolum, qui tunc omnes nervos suæ versutiæ intendit ad nos perdendos, et à fiducia divinæ misericordiæ deturbandos. Quare quod legimus in Vita S. Hedwigis, eam imminente morbo, cum adhuc sana esset, petiisse inungi, ut devotius Sacramentum susciperet, ac fuisse inunctam, instinctu divino dispensatorie factum est, nec imitandum, uti monet Auctor Vitæ.

Nota Secundo. Τὸ *infirmatur* significat hanc unctionem non esse adhibendam sanis vitæ discrimen adeuntibus in prælio, naufragio, extremo capitis supplicio, etc., sed tantum iis qui ex morbo ita infirmantur, ut periclitentur de vita.

Nota Tertio. Τὸ *infirmatur* significat hanc unctionem non esse adhibendam mortuis, uti fecerunt olim Valentiniani et Archontici hæretici, invocando nomina Principatuum, ut mortui fierent incomprehensibiles, et redimerentur à potestate principatuum. Vide Theodor. lib. 1. Hæretic. fabul. Iren. lib. 1. cap. 18. S. Augustin. hæresi 16.

Inducat.] Hoc verbum significat hanc unctionem non esse adhibendam, nisi ei qui compos est rationis et mentis, vel certe aliquando fuit: hic enim solus potest inducere, id est, evocare et jubere ut inducantur Presbyteri: græce enim est προσκαλεσασθαι, id est *advocet*. Quare ejus incapaces sunt amentes perpetuo, et pueri, etiamsi desperate ægrotent. Perperam ergo Nicolaus Cusanus ep. 3. scribit infantibus olim datam fuisse Extremam Unctionem. Rursum τὸ *inducat*, non tantum consilium, sed et præceptum significat, scilicet eum qui commode potest, debere hoc Sacramentum suscipere, ut suæ saluti æternæ in tanto periculo, et ultimo vitæ articulo securius consulat; quia non raro fit ut per Extremam Unctionem salvetur, qui sine ea periisset, fuissetque damnatus, v. g. si æger confiteri et absolvi nequeat, et tamen sit in peccato mortali, ungendus est, ac unctio delebit peccatum, et primam gratiam ac justitiam illi conferet.

Quocirca legimus in Vita S. Malachiæ apud S. Bernard. eum cum evocatus esset ad inungendam quamdam mulierem, et nonnihil tardans, invenisset eam mortuam sine hoc Sacramento, ita indoluisse, ut diu cum suis orans mortuam suscitarit et inunxerit. Quare ubi alia Sacramenta adhiberi ægro non possunt, adhiberi debet Extrema Unctio, idque videtur esse præcepti; nemo enim tuto in tali articulo confidere potest suæ contritioni: ita docet Magister in 4. dist. 22. Bonavent. et Major ibidem, ac Cajet. in Summula. Si vero alia Sacramenta adhiberi possint, non videtur Extrema Unctio esse præcepti, sed consilii, quod tamen imprudenter negligitur, uti docet D. Thom. in 4. dist. 23. q. 1. a. 1. quæstiunc. c. 5. Palud. et Soto ibidem, Sylvester verbo *Extrema Unctio*, dub. 9. Navar. Ench. c. 22. n. 16.

Presbyteros, non seniores laicos, præsertim

medicos, uti fingit Aretius, Calvinus, Lutherus ; sed sacerdotes, uti habet sensus et praxis totius Ecclesiæ. Audi Conc. Trident. sess. 14. can. 4. *Si quis dixerit Presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ Unctionis ministrum non esse solum sacerdotem, anathèma sit.*

Perperam ergo Thomas Waldensis part. 2. de Sacram. c. 136. censet in extrema necessitate à laico posse conferri Extremam Unctionem : nimirum deceptus fuit verbis Innocentii, quæmox citabo.

Porro *Presbyteros*, id est, unum è Presbyteris Ecclesiæ ; sed olim solebant eum comitari alii Presbyteri, ut orarent pro infirmo. Addit ex Ruardo Suarez 3. part. tom. 4. disp. 43. sect. 1. a pluribus valide confici hoc Sacramentum si unus ungat aures, alius oculos, alius pedes, etc. ; sed tamen id fieri non debere. Denique fuit olim nonnullis in locis consuetudo, ut infirmum septem sacerdotes adirent, ac totidem dies pro eo oraretur, ait Gabriel in 4. dist. 23.

Dices : Innoc. 1. epist. 1. ad Decentium c. 8. et ex eo Concil. Wormatiense cap. 72. ait oleo sancto uti posse non solum sacerdotes, sed etiam laicos in suis et suorum necessitatibus. Respondet D. Soto in 4. dist. 23. art. 1. Innocentium loqui de usu olei extra Sacramentum ad curandos infirmos : verum tunc non utuntur oleo sancto ab Episcopo benedicto, sed proprio à se benedicto, uti fecerunt Eremitæ. Dico ergo Innocentium loqui de recipiente, non de ministro. q. d. Licet omnibus Christianis uti oleo sancto in suis et suorum necessitatibus, nimirum advocando Presbyteros, et ab eis accipiendo Extremam Unctionem, non autem eam aliis ministrando. Ita Bell. de Extr. Unct. c. 9.

Et orent super eum,] oratione tum communi tum sacramentali, puta forma Extremæ Unctionis, quæ est deprecatoria, dicendo ; *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum*, etc. Nota *super eum ;* hinc enim olim manus imponebatur infirmo, uti etiamnum imponitur ; idque ordinat Rituale Romanum nuper jussu Pauli V. recognitum et editum : quin et imponitur manus organis sensuum, dum illa unguntur. Idque apposite, quia infirmus agonizans patitur extremos tum in corpore dolores, infirmitates, defectus, deliquia ; tum in animo tentationes, scrupulos, anxietates, quin et horribiles dæmonis visiones : quare oratur pro eo, manusque ei imponitur, ut Deus eum solari et roborare dignetur. Quocirca licet Mediolanensis Ecclesia ex rituali S. Ambrosii utatur forma, non deprecatoria, sed absoluta, dicendo : *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, tamen ex adjunctis deprecationem innuit et involvit. Unde Suarez 3. part. tom. 4. disp. 40. sect. 3. censet invalidum esse Sacramentum, nisi aliquid addatur quo significetur deprecatio.

Ungentes eum oleo] olivarum (hoc enim proprie vocatur *oleum*) ab Episcopo benedicto, uti definit Innocent. 1. epist. ad Decentium cap. 8. Conc. Trident. et Florent. Benedictio hæc est tacita oratio qua Episcopus nomine Ecclesiæ orat, ut Deus hoc oleum faciat salutare infirmis. Hinc praxis Ecclesiæ habet, ut Episcopus feria 5. Hebdomadæ sanctæ, puta in cœna Domini (quo die videtur Christus hoc Sacramentum instituisse), consecret oleum tum infirmorum, tum catechumenorum, tum confirmandorum, puta chrisma in quo oleo miscetur balsamum. Unde Suarez loco citato asserit validum esse Sacramentum, si infirmus ungatur chrismate. Hinc liquet materiam hujus Sacramenti esse oleum, idque accommode et congrue. Primo, quia oleum morbos lenit, et subinde sanat. Secundo, quia dat pabulum lumini, ut significetur ægrum qui in tenebris et in umbra mortis versatur, vi hujus Sacramenti illuminari et consolari à Deo. Tertio, quia oleo unguntur athletæ, ait S. Hier. in Osee c. 14. ad agonem ; æger autem hic subit agonem mortis : oleo ergo hoc inungitur, ut à Deo ad luctam ultimam corroboretur. Quocirca hac unctione dæmonum vires et iras, quas alioqui totas in ultimo hoc articulo expromerent, infringi et frænari docent S. Gregor. hom. 39. in Evang. Climachus gradu 7. Emissenus hom. 1. ad monachos. Quarto, quia oleum exhilarat et lætificat : lætitia autem eget æger morbo et mœrore oppressus. Vere Theoph. in cap. 6. Marci, oleo sanatos infirmos tradit, *cum oleum ad labores utile sit, lucis fomentum et hilaritatis effectivum, significetque misericordiam Dei et gratiam spiritus, per quam à labore liberamur, et lucem, ac gaudium hilaritatemque spiritualem accipimus.* Hinc in Vitis Patrum legimus S. Hilarionem, S. Martinum, S. Macarium, aliosque Anachoretas sanctos curasse morbos oleo à se benedicto.

In nomine Domini.] Syrus, *Domini nostri*, puta *Jesu Christi*, ut habet S. Aug. de Visit. infirm. c. 4. Porro τὸ *in nomine Domini* significat, ait Beda, *oleum consecratum in nomine Domini* (ab Episcopo), *vel certe quia etiam cum ungunt infirmum, nomen Domini super eum invocare debent,*

Addunt aliqui *in nomine Domini*, id est, vice Domini : Deus enim per Sacramenta quasi instrumenta operatur et sanat.

Symbolice, τὸ *in nomine Domini* significat ægros, præsertim moribundos, totos se debere commendare ac dare Domino, cum perpetuo habere in mente et invocare, ut, sicut ab eo vitam hauserunt, ita eamdem illi reddant : atque sicut à puero mox ut ratione uti cœperunt, ad Deum conversi sunt, imo illud in primo usus rationis instanti faciendum censet S. Thom. 1. 2. q. 89. art. 6. ita pariter deficientes eidem immoriantur, dicentes : *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* Hoc est quod monet Apostolus Rom. 14. 8. *Sive vivimus, Domino vivimus : sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.*

Laudat Xenophon lib. 8. Cyri pæd. Cyrum, quod imperium à Deo inierit, et cum eo finierit : nam, ut idem ait l. 1. Cyrus creatus Imperator primus omnium rem divinam fecit, et litatis sacris orsus est regere et negotia regni tractare. l. 8. vero ita mortem Cyri describit : *Videbatur ascendere ad ipsum* (Cyrum) *quidam specie humana augustior, et dicere : Vasa colligito, ô Cyre : statim enim ad Deos abiturus es. Statim ergo captis hostiis rem divinam fecit Jovi patrio et soli, dicens : Jupiter patriæ et sol, Deique omnes, magnas ago gratias, quod vestram de me curam intellexi, quodque nunquam rebus secundis super conditionem humanam animus elatus est*, etc.

Præclarius Nazianz. Philagrium infirmum ad

fortiter ferendos dolores cohortans epist. 58. *Hoc*, ait, *Philagrium meum decebat, nempe non emolliri, nec doloribus frangi, sed lutum contemnere, ac corpus quidem sincre ea pati quæ ipsius natura fert, naturæ lege omnino, vel nunc, vel postea dilapsurum* (*interibit enim vel morbo, vel senectute confectum*), *sursum autem animam habere, ac per cogitationes cum Deo conjungi.* Epist. vero 60. ejus in doloribus constantiam laudat : *Nam manus*, ait, *in cœlum tendens, Orientem versus oculos habens clamare cœpisti : Gratias ago tibi, Pater, tuorumque hominum conditor, quod nos invitos et reluctantes beneficio afficis, ac per externum hominem internum purgas, et per contraria nos ad beatum finem, pro iis quas nosti rationibus ducis.* Et epist. 64. *Hortor te*, inquit, *dolori resistere, vinculisque superiorem præbere, ac morbum nihil aliud esse ducere, quam utilem quamdam disciplinam huc videlicet tendentem, ut et corpora omnia, et quidquid fluxum ac turbulentum est, interituique obnoxium, contemnens ac pro nihilo putans, totum te cœlesti parti addicas, nec præsenti tempori, sed futuro ævo vivas. Denique tam veneranda est viva crux Christi, qualis est morbus, quam mortua, puta picta aut ficta*, ut quidam Sanctorum ait.

Salvianus epist. ad Catturam sororem infirmam : *Corporis*, ait, *fortitudo semper menti inimica est, ut te jure nunc tanto fortiorem spiritu putem, quanto imbecillior carne esse cœpisti. Caro enim*, inquit Apostolus, *concupiscit adversus spitum, spiritus adversus carnem : hæc enim invicem sibi adversantur, ut non quæ vultis illa faciatis. Ergo si repugnante corpore quæ volumus facere non possumus, infirmandum carne est ut optata faciamus. Et verum est : imbecillitas enim carnis mentis vigorem excacuit, et affectis artubus vires corporum in virtutes transferuntur animorum ; ut mihi genus quoddam sanitatis esse videatur, hominem interdum non esse sanum.* Causam protinus subjicit : *Nulla enim admodum tum spiritui cum corpore, id est, nulla divinæ indoli cum terreno hoste luctatio est : non turpibus flammis medullæ æstuant, non malesanam mentem latentia incentiva succendunt, non vagi sensus per varia oblectamenta lasciviunt, sed sola exultat anima læta corpore affecto, quasi adversario subjugato. Gaude ergo, alumna Christi, semper quidem simplicis et quietæ, sed nunc magis defæcatæ tuæ mentis et liberæ ostium aperi, et attrahe, ut legis, Spiritum sanctum. Nunquam, ut puto, habitatore Deo dignior exstitisti ; quanto imbecillior corpore, tanto purior sensu : vincentibus carnem tuam morbis, mente vicisti. Felix si hanc semper corporis mortem in vitam spiritus conservaveris, extinctis in te forsitan cunctis humanarum tentationum incentivis.*

15. ORATIO FIDEI SALVABIT INFIRMUM,] τὴν κάμνοντα id est, *graviter laborantem*, delicientem et morientem, unde mortui ab Homero, Platone et Aristotele vocantur κάμνοντες. *Oratio fidei* accipi potest tum communis, tum sacramentalis. Communis, qua sacerdos et astantes precantur pro salute infirmi. Hæc dicitur, *fidei ;* quia ex fide vim suam et efficaciam habet : quo enim major est fides et spes orantis, eo plus oratione sua impetrat à Deo; juxta illud Matth. 9. 29. *Secundum fidem vestram fiat vobis ;* et c. 17. 19. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc illuc ; et transibit.*

Secundo et potius, *oratio fidei* vocatur forma Sacramenti Extremæ Unctionis : hæc enim habet speciem orationis et deprecationis. Dicitur *fidei*. Primo, quia fides metonymice significat omnia charismata et Sacramenta quæ fide nituntur, et ex ea profluunt quasi ramus ex arbore. Sic Apostolus Rom. 3. 28. ait nos justificari per fidem : ubi sub fide comprehendit spem, pœnitentiam, charitatem, cæterasque virtutes quæ ex fide quasi radice profluunt : sine his enim nemo justificatur. Sic Rom. 12. 3. ait : *Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei*, id est, charismatum spiritualium, quæ Deus inter fideles distribuit.

Secundo dicitur, *fidei :* quia vis et efficacia Sacramenti consistit, non in physica vi materiæ, v. g. olei, sed in fide, id est, vi spirituali verborum, quæ fide comprehenditur. Hinc, ait S. Aug. tract. 80. in Joan. *accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum ; non quia dicitur, sed quia creditur ;* id est, non ratione externi soni qui transit, sed ratione internæ virtutis quæ sola fide percipitur. Unde subdit : *Nam in ipso sono aliud est sonus transiens, aliud virtus manens*, quæ scilicet virtus est quasi anima Sacramenti, nec sensibus percipitur, sed fide creditur. Dicitur ergo hæc oratio *fidei*, quia à fide dictata est, et fide intelligitur.

Tertio, dicitur oratio *fidei*, quia requirit fidem in suscipiente Sacramentum, et sine hac fide invalida est et inefficax. Rursum, qui Sacramentum suscipit, hoc ipso publice profitetur se credere et amplecti doctrinam Christi, et vim hujus Sacramenti ab eo instituti.

Quarto, oratio *fidei*, id est fidelis, id est certa et indubitata, q. d. Hæc oratio, puta forma deprecatoria Sacramenti Extremæ Unctionis, non est dubiæ et incertæ virtutis, sed fidelis et certa, quia certo impetrat quod orat, operatur enim per modum Sacramenti ex opere operato, non ex opere operantis, puta orantis. Sic Apostolus sæpe ait : *Fidelis sermo*, id est certus, indubitatus, verissimus sermo. 1. Tim. 1. v. 15. et c. 3. 1. ad Titum 3. 8.

Quinto, *fidei*, id est fidelium et Ecclesiæ : quia sacerdos inungens, nomine totius Ecclesiæ inungit et orat pro infirmo. Agit enim tanquam minister Ecclesiæ; unde debet habere intentionem faciendi id quod Ecclesia intendit, puta conferre infirmo Sacramentum Extremæ Unctionis.

SALVABIT.] Primo, Syrus, *sanabit corporaliter*. Secundo Dionys. *sanabit spiritualiter*, id est, cooperabitur ad ejus salutem æternam, nimirum ut Fevardent. conferendo ei gratiam et robur, quo mortis horrori et dæmonis tentationi resistat. Tertio, plenius Hugo, Thomas Anglicus, et alii, salutem utramque accipiunt, scilicet tam corporis quam animæ, ut generalis sit hæc salus, quæ deinde explicetur aliquo modo particulatim, nimirum salus corporis per verbum *alleviabit ;* salus animæ per τὸ *et si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Pro *salvabit* enim græce est σώσει, id est *servabit*, quod est verbum generale, tamque animæ quam corporis salutem complectitur.

Sensus ergo est, q. d. *Oratio fidei*, id est Sacramentum et forma sacramentalis Extremæ Unctionis, *salvabit infirmum*, hoc est, conferet ei gratiam qua salvetur anima : gratiam, inquam, vel primam, si æger sit in peccato mortali ; vel secundam, hoc est augmentum gratiæ, si æger jam erat in gratia. Ita per salutem intelligit gratiam Conc. Florent. dum effectum

hujus Sacramenti ait esse animi sanationem; et Conc. Trident. sess. 14. c. 2. ait enim : *Res porro et effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur : Et oratio fidei salvabit infirmum*, etc. *Res etenim hæc est gratia Spiritus sancti.* Alioqui Jacobus hic omisisset primarium et proprium effectum Sacramenti, qui est conferre vel augere gratiam justificantem, itaque facere justum vel justiorem. Rursum *salvabit*, vel, ut græce est, σώσει, id est, servabit eum, hoc est, conferet ei sanitatem corporalem, si ita saluti animæ expediat, ait Conc. Trident. loco citato. Posset insuper sic exponi *Oratio fidei salvabit infirmum*, scilicet dando gratiam quæ ægrum, vel per mortem transmittat ad salutem æternam, vel eumdem ad vitam revocet, eique salutem, et sanitatem corporalem restituat. Sic enim σώσει, id est, servabit eum in vita vel præsenti vel æterna. Proprius enim effectus Extremæ Unctionis est, ut quasi viaticum aut potius pharmacum immortalitatis morientem conducat et transmittat ad alteram vitam meliorem et æternam.

Porro hinc patet falsum et præposterum esse metum nonnullorum, qui putant se certo morituros, si hoc Sacramentum suscipiant, ideoque illud differunt usque ad ultimum vitæ halitum, imo subinde sine eo moriuntur : cum è contrario proprius effectus hujus Sacramenti sit reddere sanitatem, si id animæ saluti expediat, ut ait Trident. cujus rei multa legimus et vidimus, ac indies videmus exempla.

ET ALLEVIABIT EUM DOMINUS.] S. August. tr. de Restit. Cathol. convers. et Cassianus collat. 20. c. 8. legunt *allevabit;* græce ἐγερεῖ, Syrus et Heb. יקימנו *iekimennu*, id est *excitabit*, eriget suscitabit, alleviabit eum, non tantum corporaliter alleviando morbum, sed etiam et magis spiritualiter conferendo ei robur, alacritatem et lætitiam, quo metus et scrupulos ob præterita peccata, ac tentationes dæmonis (præsertim diffidentiæ, desperationis, mœroris) et morbi dolores, tædia, torporem, atque mortis pavorem, anxietatemque ob instans judicium fortiter et alacriter superet, ut allevietur, id est, corpore et animo erigatur, exhilaretur et corroboretur. Ita Conc. Trident. sess. 14. c. 3. *Ægroti animam*, inquit, *alleviat et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit.*

Præclare Joan. Eckius debellator Lutheri serm. 57. de Sacrament. assignat sex olei proprietates, quibus significentur sex dona et effectus hujus Sacramenti, scilicet, Primus, sanatio sanitasque spiritalis. Secundus, nitor conscientiæ. Tertius, robur facultatum animæ. Quartus, pax et quies in misericordia Dei. Quintus, consecratio quædam quasi pugilis et athletæ Christi. Sextus, gaudium et lætitia. Hinc Rituale S. Ambrosii, quo utitur Ecclesia Mediolanensis, jubet ungi caput, in quo hæc sex dona excipiuntur. Hinc et Episcopus benedicens hoc oleum orat, ut sit omni hoc unguento cœlestis medicinæ peruncto tutamen mentis et corporis, ad evacuandos omnes dolores, omnes infirmitates, omnemque ægritudinem mentis et corporis.

Vis exempla ? Accipe illustria. *Sancta Maria Oigniacensis, cum Beata Virgine præmonente Extremam Unctionem susciperet, Apostoli omnes adfuere, et B. Petrus claves ostendens, polliceba-tur se illi cœli januam patefacturum. Porro Christus signum crucis, vexillum victoriæ suæ, ad pedes ejus fixit. Cumque in diversis locis ungeretur, in ipsa Sacramenti ejus perceptione S. Spiritus operationem cum ingenti singulorum locorum illustratione persensit. Quidam etiam amici et noti ejus, qui jam pridem obierant, ejus consolandæ causa ad eam missi sunt*, ait Jacobus à Vitriaco Card. l. 2. Vitæ ejus c. 12. Idem c. 4. *Cum præsente Maria Oigniacensi*, ait, *Unctionis Extremæ Sacramentum ægroti perciperent, illa Christum cum Sanctorum multitudine adesse sentiebat, ægrotumque illum misericorditer corroborantem, dæmones expellentem, animam purgantem, sequedum membra ejus ungerentur, quasi in lumine per totum ejus corpus diffundentem.*

Reginaldus, unus è S. Dominici discipulis, cum moneretur ut Extrema Unctione se ad luctam cum dæmone præpararet: Ego, ait, hanc luctam minime reformido; quin potius lætus expecto. Jam enim dudum Mater misericordiæ me inunxit, in qua plurimum confido, et ad quam cupide proficiscor. Quod autem se prius ab ea inunctum dicebat, id ita habuerat. Cum ante annos multos gravissime ægrotaret, vigilanti de nocte apparuit Regina cœli cum aliis duabus virginibus, ipsaque ad eum accedens, jacentis oculos, aures, os et manus unguento quod attulerat, propriis manibus linivit, denique et pedes in præparationem Evangelii, ut ipsamet quasi ex formula orans adjunxit. Ita habet Vita S. Dominici l. 2. c. 2.

S. Lyduvina à Christo Domino, præsente beata Virgine, omnibus Apostolis, multisque Angelis et Sanctis, fuit inuncta in omnibus membris quæ morituris inungi solent. Rogavit illa ut se tot doloribus oneraret, quot opus esset ad redimendum Purgatorium. Cui Christus : *Ita fiet, filia, ut petis : post biduum cantabis Alleluia cum aliis virginibus in regno Patris mei.* Ita habet Vita ejus apud Surium 7. Aprilis p. 3. c. 11.

ET SI IN PECCATIS SIT, REMITTENTUR EI.] *Peccatis*, non tantum venialibus; hæc enim omnes habent; sed et mortalibus, si quæ sint. Unde caute ait *si.* Sic et Conc. Trident. sess. 14. c. 3. *Unctio*, ait, *Spiritus sancti* (quam significat et confert Extrema Unctio), *delicta si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.* Hinc unguntur quinque sensus, quia illi sunt quasi quinque ostia, per quæ peccata in animam intrant. Porro peccati reliquiæ sunt Primo, peccata venialia. Secundo, pœnæ peccatis, etiam mortalibus jam remissis, debitæ. Tertio, infirmitas et languor virium animæ ad peccato et tentationibus, quibus moribundi à dæmone oppugnari solent, resistendum. Quarto, peccata mortalia, in quæ æger post confessionem incidit, et ignorat se iis teneri. Rursum cum confessio ob aliquem defectum, quem æger bona fide ignorat, fuit invalida, si ipse de peccatis omnibus in genere doleat, uti par est, Extrema Unctio omnia omnino remittit et abolet. Idem faciunt alia Sacramenta, sed per accidens; et Extrema Unctio id facit per se et proprie; quia ad hoc peculiariter est instituta, et parata in finem vitæ ut amoveat omnia impedimenta, quæ animam evolantem è corpore ab ingressu cœli remorari possunt. Quocirca nulli est negligenda, quia multi per eam salvantur, qui alioqui damnarentur : multi recta in cœlum evolant, aut breviter in Purgatorio expiantur, alioqui

diu in eo expiandi. Ita passim Interpretes et Bellarm. de extrema Unct. c. 8. cujus rei exempla suppetunt.

Hinc nonnulli inferunt, B. Virginem in fine vitæ non suscepisse Extremam Unctionem, nec ejus fuisse capacem; quia nullum in ea fuit peccatum, aut peccatorum reliquiæ. Unde in ea falsa fuisset forma, dicendo: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum*, etc. Rursum ipsa non eguit confortatione in morbo et morte, imo sine morbo, ex amore et desiderio fruendi Christo suo filio creditur animam exhalasse. Ita Gabriel, Paludanus, Victoria et Eckius.

Verum contrarium, scilicet eam fuisse inunctam, docent Albertus, Sylvester, Canisius, quos citat et sequitur Suarez 3. part. tom. 2. disp. 18. sect. Ratio est, quia proprius effectus Extremæ Unctionis est confortare hominem in ultima lucta contra insidias inimici; non vero peccatorum remissio, nisi sub hac conditione, si quæ habeat æger, ut ait Jacobus. Decuit ergo B. virginem hoc Sacramentum uti et cætera (excepto Ordine, Pœnitentia, et Matrimonio) suscipere: ut fidelibus præberet exemplum humilitatis, et vitæ Christianæ. Ad argumentum resp. Suarez, formam intelligi conditionate, scilicet, *Si quid deliquisti per visum*, etc. Melius respondemus, illam alia forma, v. g. Ambrosiana (quam superius recitavi) fuisse inunctam, quæ peccatorum non facit mentionem. Porro quod Albertus ait, eam usurpasse Sacramentum Pœnitentiæ et confessam S. Joanni, passim alii redarguunt: propria enim materia pœnitentiæ sunt peccata propria, qualia nulla habuit sanctissima Virgo, idque ipsa optime sciebat, utpote lumine divino, æque ac gratia, plenissima.

Denique falsum est quod scribit Guilielmus Durand. l. 1. Rational. divin. offic. c. 8. n. 25. et Eckius hom. 56 et 58. de Sacrament. scilicet quod infirmus debeat semel tantum in anno, licet sæpius ægrotet, ungi, aut non nisi post plures menses: nec enim Extrema unctio imprimit characterem. Repeti ergo potest quoties is qui è morbo convaluit, in eum, vel alium rursus incidit, ac periculose ægrotat. Ex dictis patet S. Jacobum tres assignare effectus Extremæ unctionis. Primus est, salus animæ et subinde corporis: secundus, alleviatio infirmi; tertius, peccatorum, si quæ sint reliqua, remissio.

16. CONFITEMINI ERGO ALTERUTRUM PECCATA VESTRA.] Pro *ergo* Syrus habet דן *den*, id est *autem*, Græci nonnulli (nam plures non habent) οὖν, id est *igitur*. Vocula *ergo*, vel *autem* connectit hæc præcedentibus, q. d. Dixi de Extrema unctione: *Si in peccatis sit, remittentur eis*, scilicet si is qui ungitur ea ignoret, aut eorum sit oblitus: nam si eorum sit conscius, debet ea ante Extremam unctionem confiteri, ut docet Innoc. I. Epist. 1. ad Decentium c. 8. Ut ergo eam rite suscipiatis, *Confitemini alterutrum peccata vestra*, id est, confitemini homines hominibus vobis similibus, puta illis, quibus à Christo demandata est absolvendi cura et potestas, scilicet sacerdotibus, juxta illud 1. Petri 4. *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes.* Sic vulgo dicimus: Docete invicem, curate invicem, sustentate invicem, sacrificate pro invicem; nimirum ut qui docti sunt, doceant indoctos; qui medici sunt, curent ægrotos; qui divites sunt, sustentent pauperes; qui sacerdotes sunt, sacrificent pro laicis: illa enim verba exponenda sunt apposite ad subjectam materiam, gratiam et officium cujusque. Ita exponit Beda, S. Bernard. in lib. Medit. c. 9. Hugo Victor l. 2. de Sacram. part. 14. c. 1. Alcuinus Epist. 26. apud Henricum Canisium tom. 1. Antiquit. lect. Et Concil. Senonense decret. 10. ac S. August. lib. 2. de visit. infirmorum c. 4. (licet Doctores Lovan. dubitent an hic liber sit S. August. et Erasmus neget.) Accedunt S. Bonavent. et Alexander Alensis mox citandi. Hinc patet agi hic de confessione sacramentali; quod perperam negat Erasmizans Cajetanus.

Dices, Cur ergo ait S. Jacobus: *Confitemini alterutrum?* Cur non expresse dicit: Confitemini sacerdotibus? Resp. Primo, ad leniendum confessionis onus et verecundiam. q. d. Confiteri debetis, at non angelis coram quibus, utpote purissimis et sanctissimis, nimis erubescerctis peccata vestra præsertim carnalia denudare; sed hominibus, puta sacerdotibus, qui iisdem tentationibus et peccatis obnoxii sunt, vel fuerunt, aut esse possunt. *Alterutrum* ergo, id est, homo homini, similis simili, frater fratri confitemini, puta sacerdoti, qui licet officio sit superior, natura tamen est par, infirmitate similis, obligatione confitendi æqualis.

Secundo, ut significet sacerdotes æque ac laicos sua peccata confiteri debere. Noluit ergo dicere: Confitemini presbyteris, ne presbyteri putarent se onere confitendi eximi, eo quod ipsorum sit laicorum confessiones excipere, eosque absolvere quasi judices; sed judicum personam debere deponere, seque facere reos cum peccata sua confitentur: quasi dicat, Confitemini alterutrum, presbyteris scilicet, ita ut, cum ipsi peccant, similiter aliis presbyteris confiteantur. Ita Serarius hic, et Tnrrianus in lib. 2. Constit. S. Clement. cap. 18.

Tertio, ut innuat Jacobus consilii esse, non præcepti, non tantum sacerdotibus, sed etiam laicis peccata confiteri, sive reconciliationis mutuæ causa, sive humilitatis studio, sive ad petendum consilium et auxilium, sive ad majus charitatis vinculum, præsertim imminente discessu et morte. Unde multos Sanctos id fecisse legimus, ut S. Gregorium toto cap. ultimo Moralium. Et in Religionibus viri religiosiores idipsum facere solent, ac offensarum suarum et scandali quod sua tepiditate, vel impatientia, aut cholera sociis dederunt, ab eis veniam petere. Idipsum significat et monet hic S. Jacobus. Unde Beda: In hac, ait, Jacobi sententia debet esse discretio, ut quotidiana leviaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur, ut orent pro nobis: sed gravia juxta legem sacerdoti pandamus, ut ille ab eis nos absolvat, quod laici facere nequeunt. Et Simeon Thessalonicensis lib. de Divino templo, ait hæc Jacobi verba ab Episcopo, dum preces populi prono capite postulat, et se peccatorem confitetur (uti facit sacerdos in introitu Missæ) impleri. Et S. Ephrem tom. 2. part. 72. in reprehens. sui et confess. implorans fratrum erga se commiserationem, citat hunc Jacobi locum.

Quarto, ex hoc Jacobi loco nonnulli censuerunt, absente sacerdote confitendum esse laico: unde Alcuinus Epist. 26. Scotis id persuadere volens: Jubetur, inquit, ut confiteamur alteru-

trum, id est, homo homini, reus judici, ægrotus medico. Idem suis sancit S. Franciscus in Regula c. 20. citans hunc Jacobi locum. Idipsum fecit Baptista catechumeni ; qui, teste S. Augustino, uti refertur de consecrat. dist. 4. cap. *sanctum est*, in navi orta tempestate à laico baptizatus est : ille enim ab hoc jam baptizato absolutionem petiit, et impetravit. Idem liquet ex Concilio Triburiensi, quod citatur in decretal. c. *furcs, de furtis.* Dicitque fures et latrones, si comprehensi aut vulnerati Presbytero vel Diacono confessi fuerint, communionem eis non esse negandam. Unde putarunt aliqui in articulo mortis deficiente sacerdote, laico faciendam esse confessionem, idque à Jacobo hic præcipi, ac proinde laicum tunc posse confitentem absolvere. Id videtur innuere S. Thomas in Supplem. q. 8. a. 2. ad. 1. et Abulensis in Levit. c. 16. q. 24. Quin et S. Franciscus in Regula c. 20. suis Religiosis ita præscribit : *Si sacerdotem habere non poterunt, confiteantur fratri suo, sicut dicit apostolus Jacobus : Confitemini alterutrum peccata vestra.* Sed ilico subdit : *Non tamen ob hoc dimittant recurrere ad sacerdotes, quia potestas ligandi atque solvendi solis sacerdotibus esse concessa.*

Verum dico, confessio facta laico nullo modo est Sacramentalis, neque unquam fuit necessasia. Prior pars patet ; quia laicus non habet potestatem clavium, confessio autem Sacramentalis fit propter absolutionem. Secunda pars patet, quia nullum est præceptum, nec divinum, nec Ecclesiasticum, nisi de Confessione facienda sacerdoti, deinde quia necessitas confessionis nascitur ex necessitate absolutionis, quam laicus non potest dare.

Dices, Cyprian. lib. 3. Epist. 17. contendit, ut lapsi in persecutione possint in articulo mortis, si sacerdos non adfuerit, apud Diaconum exomologesin facere, et manus impositionem in pœnitentiam accipere; auctor lib. de Vera et falsa pœnitentia c. 10. *Tanta vis*, ait, *est confessionis, ut, si deest sacerdos, confiteatur laico.* Sic et Beda Verbis paulo ante recitatis. Similia habet Glossa in cap. *pastoralis*, de officio judicis ordin. (tamen in quibusdam exemplaribus correctioribus sunt ista jam deleta.) Respond. Cyprian. loquitur de confessione, quæ ab agentibus pœnitentiam publicam fieri solet in eum finem, ut absolvantur ab excommunicatione, et reconcilientur ab Ecclesia : quæ confessio potest fieri Diacono habenti jurisdictionem absolvendi ab excommunicatione : Conjectura autem D. Pammelii, qua dicit forte absente Episcopo, et presbyteris carceribus inclusis, ex privilegio quodam in necessitate Diaconis permissam et concessam fuisse pœnitentium reconciliationem sicuti à S. Gregorio presbyteris concessam legimus Sacramenti Confirmationis administrationem, nullo modo est probabilis, tum quia nemo hoc unquam dixit, tum quia Diaconus non habet sacerdotalem characterem, et longe major est distantia inter Diaconum et presbyterum, quam presbyterum et Episcopum : tum denique quia Episcopus nullo modo potest concedere administrationem Sacramenti Confirmationis, sed soli Christi vicarii hoc concedunt : ergo multo minus potes' concedere Diacono administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, sicut nec potest ei concedere consecrationem corporis Domini. Auctor vero lib. de Pœnit. et Beda commendant hanc Confessionem non tamquam necessariam, sed tamquam utilem ; tum quia homo excitat in se facilius dolorem peccatorum, dum ea alteri confitetur : tum etiam quia per illam verecundiam ex parte satisfacit pro peccatis : tum denique quia consilium et consolationem ab altero accipere potest. Unde etiam Magister sentent. et Doctores in 4. q. 17. laudant hanc Confessionem in extrema necessitate laico factam, quod intellige, quando abest scandalum, et omne aliud periculum quod ex tali Confessione posset provenire. Quod autem D. Thom. in Supplem. q. 8. a. 2. ad 1. ait necessitate pœnitentem debere confiteri cui potest, non est præceptum, sed consilium, ut intelligit Sotus : quod tempore D. Thomæ frequentius erat in usu quam modo. Quod autem addit defectum sacerdotis à summo sacerdote tunc suppleri intellige, suppleri quoad consecutionem remissionis peccatorum, si alter est contritus, non autem si tantum est attritus, quia nulla extat hujus rei promissio : unde illa suppletio esset omnino præter legem ordinariam. Porro laicus audiens Confessionem, non potest confitentem absolvere : sic enim usurparet officium sacerdotis, faceretque sacrilegium. Sed fieretne irregularis ? Affirmat D. Soto : quia, inquit, cap. *si quis* de Clerico non ordinato, imponitur pœna irregularitàtis solemniter baptizanti, aut aliquod divinum officium exercenti sine Ordine : nomine autem officii divini continentur omnia Sacramenta. Verum melius alii negant ; quia nomine officii divini ex usu Canonum intelligitur solum sacrificium Missæ et solemnis decantatio Evangelii, aut Epistolæ. Ita Sylvester v. *Confessor*, 1. Ledesma in 4. p. 2. q. 7. a. 3. et alii.

Denique errat Thom. Anglicus hic dum institutionem Confessionis tribuit Ecclesiæ, Jacobo promulgationem, Christo tantum insinuationem, cum scilicet B. Petro dedit claves : imo Canon *Quidam Deo*, tit. de Pœnit. dist. 1. cum Glossa, videtur institutionem Confessionis tribuere S. Jacobo : sed per institutionem intellige expressam denunciationem, quam præ S. Petro, Paulo, Joanne et Juda facit hic S. Jacobus. De fide enim est hoc Sacramentum, æque ac cætera, à Christo Domino immediate esse institutu, uti definit Conc. Trid. sess. 14. c. 1. de Extrema Unct. Unde S. Bonavent. in 4. dist. 17. a. 1. qu. 3. et Alensis ibid. n. 3. a. 2. docent Confessionem à Christo institutam, sed à Jacobo hic promulgatam.

Porro quam peccatori necessaria sit Confessio ad salutem, patet exemplo Severi, qui mortuum sine Confessione defunctum, ideoque raptum ad tartara suscitavit, ut confiteri posset : ut narrat S. Greg. I. Dialog. c. ult. De ejus utilitate plura dixi Actor. 19. 18. Eamdem sæpe Deus declaravit miraculis ; quæ recenset Beda l. 5. hist. c. 14. Petrus Cluniacensis l. 1. de Mirac. c. 3. 4. 5. 6. Auctor vitæ S. Bern. l. 1. c. 9. S. Bonav. in Vita S. Francisci c. 10. Alanus Copus l. 2. Dial. c. ult.

Præclare S. Bern. Epist. 113. explicans illud Ps. 95. *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus. Revera*, ait, *ubi Confessio, ibi pulchritudo, ibi decor : si peccata sunt, in Confessione lavantur : si bona opera, mundantur. Cum mala tua confiteris, sacrificium est Deo spiritus contribulatus : cum Dei beneficia immolas Deo sacrificium laudis. Ama Confessionem, si affectas decorem. Bonum*

anima ornamentum Confessio, quæ peccatorem purgat, et justum reddit purgatiorem : absque Confessione justus judicatur ingratus, et peccator mortuus reputatur. Confessio igitur peccatoris est vita, et justi gloria.

Denique mira est vis Confessionis, ut uno verbo impetret à Deo omnium peccatorum, etiam gravissimorum, indulgentiam, Deique reconciliationem, uti impetravit David; dicendo enim, *Peccavi Domino*, illico audivit à Nathan : *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris*, 2. Reg. 12. 13. Memorabilis est Glossa Hebræorum in illud Cantic. 5. 2. *Aperi mihi soror mea*, edita à Galatino l. 8. c. 8. *Filii mei*, ait, *aperite mihi aperturam unam pœnitentiæ, sicut est formam acus ; et ego aperiam vobis aperturas misericordiæ, per quas intrabunt quadrigæ et currus.*

ORATE PRO INVICEM.] Tum laici pro laicis, tum sacerdotes pro sacerdotibus, et laicis præsertim infirmis quando eos inungunt, de illis enim hucusque egit, et sacerdotes à Deo et Ecclesia ordinati et deputati sunt, ut nomine Ecclesiæ orent pro fidelibus omnibus, sintque quasi publici legati et mediatores inter Deum et populum; unde et sequitur : *Ut salvemini*, græce, ἰαθῆτε, id est *ut sanemini*, scilicet ab infirmitate quæ vos detinet. Respicit ad v. 15. *Oratio fidei salvabit infirmum.* Hinc ex usu Ecclesiæ pro infirmis inunctis leguntur Litaniæ quasi communes omnium preces, ad implorandam iis in ultimo agone opem Sanctorum, contra dæmonum phalanges. Generalis tamen hæc sententia ad omnes, etiam laicos, extendenda est : charitas enim dictat et instigat, ut pro invicem oremus, ut sanemur, id est, salvemur tam animo, quam corpore : pluris enim est sanitas animæ quam corporis. Idipsum confirmat exemplum Eliæ, quod subdit Jacobus. Nota. Jacobus præmisit monitum de Confessione, quia post eam validior est oratio, utpote quæ ab anima pura et sancta, Deique amica et filia ad Deum patrem emittitur, qui voluntatem timentium se facit, Ps. 144. 19. sic Job jussu Dei orans pro amicis, eis veniam impetravit c. ult. v. 8. Judith postulans preces civium, Holofernem occidit c. 8. Jeremias pro populo orabat, Deoque irato quasi manus ligabat, c. 14. 11. Unde et post mortem visus est pro eodem supplicare, 2. Machab. 15. 14. Pro S. Petro incarcerato oravit tota Ecclesia, eique libertatem impetravit Act. 12. 5. Paulus pro aliis oravit, et aliorum preces pro se postulavit, Rom. 1. 9. et c. 15. 30. Coloss. 4. 3. 1. Joan. pro omnibus orat. Epist. 3. c. 2. Denique Christus orat. pro Apostolis omnibusque fidelibus, Joan. 17. 11.

Porro utilius est oranti orare pro aliis, quam pro se solo. Primo, quia libentius sacrificium orationis accipitur, cum in conspectu misericordis judicis proximi dilectione conditur, *quare communibus et alternis plus agimus orationibus, quam singularibus aut privatis*, ait S. Aug. epist. 97. Secundo, *quia dum singuli orant pro omnibus, etiam omnes orant pro singulis*, ait S. Amb. l. de Abel c. 7. qui et addit : *Ita magna remuneratio est, ut orationibus singulorum acquirantur singulis totius plebis suffragia.* S. Chrysostom. 5. serm. *ne desperemus*, asserit optimum esse participem fieri orationum, quas fundunt sancti, adeoque Deum sæpe iis tribuere, quod nostris, quia indigni sumus, non tribuit. S. Greg. l. 1. epist. 24. creatus jam Pontifex postulat pro se orari, *Ne suscepta me pondera*, ait, *ultra vires premant. Memor vero quod scriptum est : Orate pro invicem ut salvemini ; etiam impendo quod peto, sed recipiam quod impendo : dum enim nos vobis per orationis opem conjungimus, quasi ambulantes per lubricum, vicissim nobis manum tenemus, fitque ex magna provisione charitatis, ut eo singulorum robustius charitas perfigatur, quo in alterutrum alter innititur.* Vere S. Aug. *Nisi Stephanus, orasset*, ait, *Ecclesia Paulum non haberet.* Rursum S. Greg. l. 5. Registri Ep. 119. *Preces etenim nostræ*, inquit, *tanto celerius in Dominicæ pietatis aurem sublevantur, quanto eas vicissim pro nobis fusas charitatis ardor exacuit.*

MULTUM ENIM VALET DEPRECATIO (δέησις, id est *precatio*, quæ in indigentia et afflictione supplicitur fit ad eam levandam ; δέεσθαι enim est *indigere*) JUSTI ASSIDUA.] Ἐνεργουμένη, id est *elaborata*, strenua, efficax, vivida ; Pagnin. *intenta*, quæ scilicet tota animi contentione ex fundo pectoris ardenti spiritu, certaque fide et spe formatur et emittitur. Hæc enim quasi cogit Deum dare quod petitur. *Assidua* ergo, id est, intenta et instans, ut assequatur quod petit. *Assiduus* enim latine proprie idem est quod jugis, continuus, et quasi assidens rei cui incumbit. Ita Festus. Inde Secundo, *assiduus*, idem est quod intentus, diligens, sollicitus. Sic Cicero l. 1. de Orat. Scripturam diligentem et elaboratam vocat assiduam. Et l. de Senect. *Semper*, ait, *boni assiduique, domini referta cella vinaria, olearia, et penuaria est, villaque tota locuples est.* Tertio *assiduus* per metalepsin idem est quod locuples et probatissimus. Ita à Gellio l. 18. vocatur *classicus assiduusque scriptor non proletarius.* Simili modo oratio assidua. Primo, est intenta, elaborata, sollicita. Secundo, continua donec obtineat quod tam sollicite petit. Tertio, probata et locuples, quia totam se dat Deo, omnesque corporis et animæ vires in oratione impendens Deo tradit : locuples ergo est in Deum, dum ei se suaque liberaliter offert, ut eum vicissim sibi obliget, et liberalem in dando id, quod petitur, esse suadeat, et pene compellat. Sic Græcum ἐνεργός, idem est quod ἐν ἔργῳ ὤν, id est in opere existens, operi intentus, sollicitus, strenuus, acer, continuus, donec opus suum conficiat. Talis ergo energia, efficacia, intentio et contentio requiritur in oratione, qualem in opere, v. g. in studio adhibet studiosus, in fabrica architectus, in prælio miles et dux ut victoriam obtineat : ut scilicet ab efficaci principio, puta ab animo et spiritu ardenti et vehementi incitata, et quasi animata ardens sit et vehemens, ac ardentia suspiria, quasi pilas è tormento bellico ignitas, in cœlum ejaculetur, quibus Deum feriat et quasi sauciet, cogatque dare quod flagitat. Talis erat oratio S. Catharinæ Senensis, quæ obsecrans dicebat : *Domine non discedam, non te dimittam, donec mihi hanc illamve rem, puta animam dones.*

Hinc Secundo, oratio justi multum valet, si sit ἐνεργουμένη, id est *agens*, operans, non desidiosa et torpens, sed bonis operibus intenta iisque comitata, alata, et armata : opera enim tum orantis, tum ejus pro quo oratur, puta pœnitentia, vitæ emendatio, observatio mandatorum, et exercitium charitatis, patientiæ, humilitatis, aliarumque virtutum faciunt orationem efficacem et quasi omnipotentem, ait Maximus centuria 3. c. 8. et 84. et ex eo Theodorus Studita serm. 107. Sic Paulus Galat. 5. 6. ait mul-

tum valere fidem quæ per dilectionem operatur, græce ἐνεργουμένη. Hoc est quod angelus docet Tobiam c. 12. 8. *Bona est oratio cum jejunio Eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere.*

Jejunium ergo, id est, afflictio corporis et spiritus, ac præsertim animi contritio, gemitus et lacrymæ dant orationi vim Deumque quasi cogunt ut afflicto succurrat. Unde, *Quando orabas cum lachrymis*, ait Raphael Tobiæ c. 12. 12. *exauditus es:* et Judith c. 8. 14. *Indulgentiam ejus*, inquit, *fusis lachrymis postulemus*, et Magdalena veniam impetravit, cum *lachrymis cœpit rigare pedes ejus*, Lucæ 7. 38. Unde recte ait S. Nazianz. orat. 1. contra Julianum: *Piorum lachrymæ peccati diluvium sunt, et mundi expiamentum.* Et Climach. gradu 7. *Major ac potentior baptismate, post baptisma est fons lachrymarum*, S. Maxim. hom. de pœnit. S. Petri: *Utiliores*, ait, *lachrymarum preces sunt, quam sermonum: quia sermo in precando forte fallit, lachryma omnino non fallit; sermo enim interdum non totum profert negotium, lachryma semper totum prodit affectum.* Chrys. hom. 30. in Genes. *Quidnam dic, oro, oculis illis formosius, perpetuo lachrymarum imbre, et quasi margaritarum decore ornatis?* S. Gregorius Nyssen. orat. funebri de Placilla: *Vulnerum animi*, inquit, *tamquam sanguis lachryma sunt.* S. Leo serm. 9. de passione: *Felices*, inquit, *S. Apostole, tuæ lachrymæ, quæ ad diluendam culpam negationis virtutem sacri habuere baptismatis.* Unde Petrus Cellensis l. de panibus c. 12. *Diabolus*, ait, *tolerabilius sustinet flammam, quam lachrymam nostram.*

Expostulavit graviter Antipater cum Alexandro magno per litteras de Olympia Alexandri ipsius matre, enixeque contendit à rege, ut illatæ sibi per summam insolentiam injuriæ quam primum resarcirentur. Legit sedate querelas Alexander, et nobili illo apophthegmate respondit: *Ignorare videtur Antipater, quod una matris lachryma multas delebit Epistolas.* Una pariter peccatoris lachryma igne eliquata contritionis, multas, easque gravissimas illatas Deo delebit injurias. Petrus Chrysologus serm. 93. *O quanta*, ait, *vis est in lachrymis peccatorum! rigant cœlum, terram diluunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam divinam promulgatione sententiam.* Anselmus Laudunensis sive Glossa interlinearis in illud Tob. 3. 11. *In oratione persistens cum lachrymis deprecabatur Deum: Oratio Deum*, ait, *lenit, lachryma cogit, hæc ungit, illa pungit.* S. Bernardus serm. 30. in Cantic. *Lachrymæ pœnitentium*, inquit, *vinum sunt angelorum*, imo Dei ipsius, quo ipse se oblectat et quasi sitim suam sedat, juxta illud Ps. 55. 9. *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* Ubi Tigur. vertit, *lachrymas meas repono in lunguculam tuam.* Merito ergo exclamat Justinianus l. de Ligno vitæ c. 9. *O lachryma humilis, tua est potentia, tuum est regnum. Tribunal judicis non vereris, amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis, non est qui te ad Deum accedere vetet; si sola intres, vacua non redibis. Quid plura! vincis invincibilem, ligas omnipotentem, aperis cœlum, fugas diabolum.*

Nota τὸ *justi*, intellige cujuslibet, sed præsertim ejus qui est minister Ecclesiæ et presbyter, quem decet omnino esse justum, maxime cum Extremam Unctionem aliaque Sacramenta administrat. Rursum justi oratio debet esse ἐνεργουμένη, id est, *intenta*, operosa, efficax, assidua, qualis fuit S. Jacobi nostri, cognomento Justi; cujus genua ex continua oratione callum obduxerant: uti dixi in Proœmio. Talis pariter fuit S. Benedicti, S. Francisci, S. Dominici, S. Thomæ Aquinatis, qui proinde asserebant se nihil petiisse umquam, præsertim per B. Virginem, à Deo, quod protinus non impetrassent. Sanctorum enim mentes sunt quasi altare thymiamatis, quod juge orationum et suspiriorum thymiama, Deo odoratissimum et gratissimum exhalat. Talis fuit Abrahæ orantis, et impetrantis ut parceretur Sodomæ, si in ea invenirentur decem justi Gen. 18. 32. Justus ergo unus pluris est apud Deum, quam omnes peccatores, quam cœlum et terra. *Sanctorum deprecatio est commune omnium morborum remedium*, ait Theodor. in Hist. relig. c. 16. Quid mirum? Augustus Cæsar capta Alexandria, licet illi ob injurias sibi illatas indignans, pepercit in gratiam Arii philosophi Alexandrini, amici sui. At Deus longe clementior est Augusto, longe liberalior. Quocirca Deus per Jerem. c. 5. 1. vociferatur: *Circuite vias Jerusalem, et aspicite, et considerate, et quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium et quærentem fidem, et propitius ero ei.* Justi ergo sunt bases, fulcra et columnæ urbium, provinciarum et regnorum. *Quis dubitet mundum precibus stare Sanctorum:* ait Ruffin. præfat. in Vitis Patrum. Peccatoris vero oratio parum valet, nisi is pœniteat et opem à Deo convertendi se petat: uti fecit S. Magdalena, Publicanus, S. Petrus, S. Paulus. Talis præ omnibus fuit oratio Mosis Exodi 32. 10. Nam, ut ait S. Basil. orat. 2. quæ est de precatione: *magni ponderis corum auxilium est, qui possunt precibus flectere Deum; et supplicationes mutuæ cum ex hac vita salutares sunt, tum cum ex hac vita decidimus, copiosum nobis viaticum ad vitam futuram suppeditabunt.*

Nota Secundo, Cassianus collat. 8. c. 33. multos modos et causas assignat, quibus oratio redditur efficax. *Habes*, ait, *in duorum consensione fructum exauditionis Dominica voce signatum, secundum illud: Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est. Habes aliam in fidei plenitudine, quæ grano sinapis comparatur; Si enim, ait, habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis. Habet in assiduitate orationum quam propter indefessam petitionum perseverantiam, importunitatem sermo Dominicus nominavit: Amen enim dico vobis, quia si non propter amicitiam vel propter importunitatem ejus surget, et dabit ei quantum opus habuerit. Habes in Eleemosynarum fructu: Conclude*, ait, *Eleemosynam in corde pauperis, et ipsa orabit pro te in tempore tribulationis. Habes in emendatione vitæ, et operibus misericordiæ, secundum illud: Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes.* Et post pauca, quibus infructuosa jejunii sterilitas castigatur. *Tunc*, ait, *invocabis, et Dominus exaudiet te; clamabis, et dicet: Ecce adsum: Nonnunquam sane exaudiri etiam tribulationum nimietas facit, secundum illud: ad Dominum, cum tribularer, clamavi, et exaudivit me, et iterum: Ne afflixeris advenam, quia si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum.*

Nota Tertio, S. Thomas serm. in Rogationibus

ostendit quantum oratio justi valeat, ex sex ejus effectibus. Primo, enim, ait, iram Dei mitigat, ei sese opponens ut scutum Sapient. 18. 21. impetrat omnia, Matth. 21. 21. inclinat Deum, ut homini obediat, Josue 10. 14. Secundo, angeli assistunt oranti, Daniel 9. 21. orationes iidem offerunt Deo, referuntque exauditionem, Job 12. 12. Tertio, oratio justi hominem liberat à malis, et veniam impetrat, salutem præsentem, et æternam, corporalem et spiritualem confert, hic v. 15. Quarto, Dæmones fugat è corde, et corpore. Matth. ult. v. 17. eosdem obedientes facit, etiam ut in mare se præcipitent, Matth. 21. 21. Quinto, omnibus elementis et creaturis dominatur, solem sistit, Josue 10. 14. ignem cœlo evocat, 4. Reg. 1. 10. cœlum claudit, ut patet versu seq. mare et aquas dividit Exodi 14. 15. et 21. Josue 3. 16. mortuos è Purgatorio educit, Eccli. 48. 5. bestias ferocissimas ejicurat, curat lepram, febrim, pestem omnesque morbos, sedat tempestates, incendia, eluviones; omnes virtutes et gratias è cœlo accersit, adeoque Deum omnipotentem vincit, et quasi ligat. Denique Origenes hom. 9. in Num. docet, Deum oranti plus concedere, quam postulet. Unde et orat Ecclesia : *Deus qui abundantia pietatis tuæ, et merita supplicum excedis, et vota, effunde super nos misericordiam tuam, ut dimittas quæ conscientia metuit, et adjicias quod oratio non præsumit.*

Egregie auctor serm. ad Fratres in eremo apud S. Aug. serm. 22. orationis efficaciam ostendit. *Orans Jeremias*, inquit, *confortatur in carcere, Daniel inter leones exultat, tres pueri in fornace tripudiant, Job in sterquilinio triumphat de diabolo, latro de cruce paradisum invenit, Susanna à senibus defenditur, Stephanus de torrente in cœlum suscipitur, non est igitur locus, in quo orare non debeamus. Orate igitur semper, et in omni loco, et pro invicem, ut salvemini. Oratio sancta est columna virtutum, deitalis scala, viduarum maritus, angelorum cognata, fundamentum fidei, monachorum corona, conjugatorum levamen.*

17. ELIAS HOMO ERAT SIMILIS NOBIS PASSIBILIS.] Glossa ; *simili mentis et carnis fragilitate ;* Græce ὁμοιοπαθής, similibus affectionibus et passionibus obnoxius, quibus nos; et tamen ejus oratio fuit reseratio cœli, illud ad libitum aperiens, et claudens; terram humectans, et siccans; fœcundans, et arefaciens. Probat orationem justi multum valere exemplo Eliæ, cujus justitia et sanctitas, æque ac orationis efficacia in patrandis miraculis, et portentis, apud Judæos erat celeberrima. Elias enim erat homo similis nobis. Id dicit Primo, quia Elias jam raptus in cœlum nobis est dissimilis, et impassibilis. Secundo, quia vitæ fuit tam sublimis, adeoque thaumaturgus, ut angelus potius videri posset, quam homo. Unde et curru igneo raptus est in cœlum ; ut Elias, ait S. Chrysost. serm. de ascensione Eliæ, videatur fuisse ἥλιος, id est *sol*, è terra in cœlum conscendens. Sic enim Judæi Malachiam, Aggæum, et Joannem Baptistam putarunt esse angelos incarnatos. Hinc et Elias dicitur quasi אֵלִיָּהוּ *Eliia*, id est, *Dominus meus Deus*, teste Pagnino in Nomin. Hebr. vel *fortis meus Deus.* Unde S. Athanas. Apolog. de fuga sua, ait Eliam nominatum esse Deum. Quocirca Ecclesiast. c. 48. 1. *Surrexit*, inquit, *Elias Propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat*, totus enim ardebat zelo Dei, idque prodigio significatum esse asserit Epiphan. lib. de vita Prophet. in Elia. Ait enim, *Quem cum enixeretur parens ejus talis sol ac patri visio apparuit : viri niveum quemdam præ se ferentes habitum pusionem salutabant, matrisque uberibus in ignem evellebant, quin et flammam ignis loco cibi ministrabant. Profectus est itaque genitor in Jerusalem, visaque ad sacerdotes retulit. Respondit autem illi chrematismus (id est, oraculum, sive responsor) : Cave manifestum facias : erit quippe lumen filii hujus domicilium, sermoque ejus demonstratio atque sententia brevis, et judicabit Israel cum in igne, tum rhompæa. Hic est ille Elias qui ter ignem è cœlo deduxit, quique imbrem sua lingua gestavit, mortuos item suscitavit, et in cœlum denique nimbo, seu turbine ignis assumptus est.*

Tertio, quia Hebræi tradunt Eliam eumdem esse Phinees filio Eleazari pontif. qui ob zelum meruerit immortalitatem, vivere scilicet usque ad finem mundi. Quem errorem secutus est Petrus Damiani epist. 11. ad Nicolaum Pontificem. Id tacite hic confutat Jacobus, dicens eum passibilem et mortalem. Hunc errorem pariter confutavi Num. 25. 13. Sensus ergo est, q. d. Si Elias vir justus et sanctus tanta orando impetravit à Deo : ergo similiter oratio aliorum justorum magna impetrabit à Deo : Elias enim non fuit angelus, nec alterius naturæ quam nos; quin et per omnia nobis fuit similis; sed habuit magnam in orando fiduciam, eaque impetravit quæ naturaliter erant impossibilia; eamdem per Dei gratiam induamus et nos, ac similia impetrabimus.

Moraliter S. Gregor. lib. 19. Moral. c. 5. notat Deum Eliæ et Sanctis per quos tanta operatur, relinquere innatam fragilitatem, ne ex Dei operibus superbiant, eaque sibi arrogent. *Cum*, ait, *Elias tot virtutibus in alta profecisset, tamen mulierculam* (Jesabel) *fugit, de manu Dei mortem petit, nec accipit*, etc. *In illis virtutibus Elias, quid de Deo acceperat, in istis infirmitatibus, quid de se esse poterat, agnoscebat : illa potentia virtus fuit, ista infirmitas custos virtutis : in illis virtutibus ostendebat quid acceperat; in istis infirmitatibus hoc quod acceperat, custodiebat. In miraculis monstrabatur Elias; in infirmitatibus servabatur.*

ET ORATIONE ORAVIT (id est, ferventer oravit : hanc enim vim habet geminatio) UT NON PLUERET SUPER TERRAM, ET NON PLUIT ANNOS TRES.] Lib. 3. Reg. 17. 1. dicitur tantum, quod Elias hanc siccitatem prædixerit. Jacobus addit ipsum eamdem suis precibus conciliasse et impetrasse, idque ex ingenti honoris divini zelo, ut scilicet ostenderet se verum et efficacem Dei veri esse Prophetam ; utque Achab et Jesabel eorumque impios subditos, qui colebant Baal, hac pœna castigaret, et ad veri Dei hanc plagam immittentis cultum reduceret. Quocirca jure S. Chrysostomus hom. 16. ex variis Matthæi locis : *Eliæ*, inquit, *lingua fuit quasi cœli clavis : factus est enim velut arbiter, cujus nutu et cohiberentur, et defluerent imbres : ejus enim oratio*, inquit Tertull. lib. advers. Psychicos c. 6. *jejunio atque abstinentia roborata vim habuit impetrandi*, idque ad hoc *ut cœlum impiis clauderetur qui terrena polluerant*, ait S. Ambrosius lib. de Elia c. 2. Fuit hic ingens Eliæ zelus ; non tamen nimius, uti videtur dicere S. Chrysostomus, qui

serm. 1. de Elia in fine, causam raptus Eliæ in cœlum dat nimium ejus zelum, ne eo orbis perderetur et periret. *Nam si diu tibi manendum in terris*, ait, *propediem humanum genus quod à te plectitur, absolveretur. Transi ergo in cœlos, ô Elia : non potes ignis cohabitare calamo. Impeccabiles contubernales post hæc habiturus es, inter angelorum choros habitare te faciam.*

Idem serm. de Elia et Petro, nominat Eliam terrestrem angelum, cœlestem hominem, qui per humum ingrediens cœlum clauderet, aquarum custos esset, ejus enim lingua thesaurus erat aquarum, qui cœli nubes lingua contineret, non precans nec obsecrans; sed statim ut verbum veritatis emisit, cœlum clausit, imo fecit quasi æneum : cujus sermo in terræ viscera quasi febris incubuit, et illico arefacta sunt omnia; unde communis ejulatus et comploratio puerorum et matrum, ac summa desperatio, emortuæ pecudes, jumenta, feræ, volucres, viri, fontes, flumina, lacus, et omnia in eis interierunt : universale naufragium terras obtinuit ex aquarum, non copia, sed inopia factum. Et tamen, inquit, nihil horum curæ erat Eliæ. Unde censet, eum idcirco diu non fuisse exauditum à Deo, cum ejus opem imploraret fugiens Jesabelem per quadraginta dies, ut aliis compati et misereri disceret. Verum zelus Eliam excusat : *zelus purgat facinus*, inquit ille. Quocirca oratione sua obtinuit tot prodigia quibus idololatras plecteret, et unius Dei veri cultum stabiliret. Unde illis pœnitentibus illico prodigia stitit, et plagas revocavit. Hinc et ascendens in cœlum merito audiit ab Elisæo: *Pater mi, currus Israel et auriga ejus.* q. d. Tu, ô Elia, eras totum robur Israelis, qui magis juvabas Israelem tua oratione et zelo, quam magna curruum et equitum multitudo. Ita Chald. Procopius, Vatabl. Cajetan. et alii ibidem. Tropol. *Doctor* populi mores corrigens, qualis erat Elias, *currus est, quia mores populi tolerando portat : idem auriga est, quia eumdem exhortando agitat*, ait S. Greg. l. 2. in Ezech. hom. 21.

18. Et rursum oravit] pœnitente Achab et populo postulante pluviam, cujus clavem solus habet Deus, ut aiunt Hebræi. Elias typus fuit sacerdotis, qui cœlum peccatori aperit, pluviamque gratiæ ei conciliat, dum eum absolvit et peccata remittit. Ita noster Turrianus c. 4. de Dogm. charact. Porro Elias orans, *pronus in terram posuit faciem inter genua sua*, 3. Reg. 18. v. 42. ut hac difficili, attenta, humili, verecunda, fidenti corporis compositione et situ, Deum quasi cogeret ad dandum.

Rursum septies oravit Elias ad impetrandam pluviam : septies enim misit puerum ut videret, num cœlum nubibus obduceretur et parturiret pluviam, cumque ille nihil se videre diceret, Elias rediit ad orationem et intensius oravit donec septima vice contentissime orans pluviam impetravit, 3. Reg. 18. 44. ita Beda. Sic sæpe Deus initio orationis non concedit quod petimus, ut contentius et constantius oremus : quare tunc desperandum non est, sed spes excitanda et augenda, ac fidentius orandum. Qui id sciunt, et advertunt, numquam cadunt animo, sed semper animosius orationi instant, itaque votis suis potiuntur, aut certe melius quid obtinent.

Et cœlum dedit pluviam.] Historia narratur 3. Reg. c. 18. v. 1. et 41. Sic orans S. Hilarion suis pluviam impetravit, de quo in ejus Vita ita scribit S. Hier. *Porro jam triennium erat* (à morte S. Antonii) *quod clausum cœlum illas terras arefecerat, ut vulgo dicerent, Antonii mortem etiam elementa lugere. Accolæ ergo pluvias à servo Christi* (S. Hilarione) *id est, à B. Antonii successore deprecabantur : quos ille cernens, mire doluit, elevatisque in cœlum oculis, et utrasque in sublime erigens palmas, statim impetravit quod rogaverant.*

Sic nostro Eliæ homonymus Elias Episcopus Hierosolymæ, sua sede inique pulsus ab impio Severo Patriarcha Antiocheno, siccitatem, locustas et famem Palæstinæ induxit, ut habet Vita S. Sabæ.

Sic S. Wilfridus Anglo-Saxones suscepto Baptismo et à triennali siccitate liberavit, ait Beda l. 4. hist. Angl. c. 13.

Idem in Hispania fecit S. Audoenus, teste Volaterrano l. 21. ac in Bohemia S. Adalbertus, ut habet ejus Vita.

Oratio ergo est clavis cœli. Audi S. Augustin. serm. 226. de Tempore : *Oratio justi clavis est cœli : ascendit precatio, et descendit Dei miseratio.* Ipsa ergo clavis est cœli. Primo, quia per illam Elias cœlum clausit et aperuit, quinimo Josue c. 10. 13. cœlum totamque cœlestium orbium machinam vi orationis stitit : Ezechias etiam reflexit et retroegit per decem gradus, Isaiæ 38. v. 9. Secundo, quia fortissimos Angelos cœlorum præsides oratio cœlo deducit, et in opem elicit. Nam *cum orasset Elisæus*, etc. *ecce mons plenus equorum et curruum igneorum in circuitu Elisæi*, 4. Reg. 6. 17. Tertio, quia quod mirabilius est, Deum oratio alligat, ut quasi devinctum è cœlo ad justos trahit, aut potius justos è terra in cœlum trahit, Deoque illigat, ut nulla res eis nocere possit. Docet id pulchre S. Dion. c. 3. de Divin. nomin. duobus exemplis, catenæ scilicet cœlitus dimissæ, ibique fortiter affixæ; et funis scopulo alligati dum navis jactatur fluctibus, quæ qui manibus ad se traheret, potius ipse ab illis traheretur. Vincitur ergo quasi ab orante Deus, sed hoc arctissimo orationis modo magis ille trahitur ad Deum, quam Deus trahatur ad ipsum. Huc spectat illud Dei populo irati ad Mosen orantem : *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos.* Exodi 32. 10. *Cui enim dicitur, Dimitte me, ostenditur, quod tenendi abeat facultatem*, ait S. Hier. in c. 13. Ezechiel.

Alleg. S. Aug. serm. 201. de Temp. Elias, ait, fuit typus Christi : *Sicut ergo orante Elia post tres annos et sex menses pluvia de cœlo descendit, ita et in adventu Salvatoris tribus annis et sex mensibus, quibus prædicare dignatus est, pluvia verbi Dei totum mundum feliciter irrigavit, et sicut tunc in adventu Eliæ omnes sacerdotes idolorum interfecti sunt et deleti; ita adventu veri Eliæ, id est, Domini nostri Jesu Christi, observatio sacrilega Paganorum destructa est.*

Et terra dedit fructum suum.] Hinc terra à Gentilibus culta quasi dea, dicta est *Ceres*, quasi *Geres* à gerendis fructibus, sicut à Græcis dicta est δημήτηρ, quasi γημήτηρ, ait Cicero lib. 2. de Natura deorum. Eadem dicta est et *Pandora*, quasi omne bonum donumque afferens et germinans. Hinc fabulati sunt Poetæ Pandoram fuisse mulierem speciosissimam et gratiosissimam cui singuli Dei sua dona dederunt, scilicet Pallas sapientiam, Venus decorem, Apollo musicam, Mercurius eloquentiam. Unde dicitur græce

Pandora, quasi omnium donum, vel ab omnibus donata, vel omnibus bonis dotata. Vera S. Trinitatis, angelorum et hominum Pandora, est B. Virgo. Ipsa scilicet est paradisus voluptatis, et terra viventium. Vere enim Poeta Christum alloquens de ea ita cecinit :

Nec genitrice tua fœcundior ulla parentum,
Tot bona per partum quæ dedit una suum.

Verius Propheta, ad ejus ortum suspirans : *Rorate*, ait, *cœli desuper, et nubes pluant justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem*, Isaiæ 45.

19. FRATRIS MEI.] Disparata et præcedentibus est hæc gnome, iis tamen connecti potest. Respicit enim id quod dictum est v. 16. *Confitemini ergo invicem peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini.* Huic enim apte hic Jacobus subnectit docetque quanti momenti sit procurare peccatorum conversionem et salutem sive pro iis orando, sive eos monendo, exhortando, etc. Magis enim convertuntur peccatores oratione impetrando eis gratiam Dei efficacem, quam concionando.

SI QUIS EX VOBIS ERRAVERIT A VERITATE.] Duplex est veritas, speculativa et practica, sive fidei et morum. Veritas fidei est credere id quod fides orthodoxa docet; veritas morum est facere quod fides, lex et virtus faciendum dictant. Sicut enim veritas mentis est adæquatio, et conformitas conceptus ad ipsum objectum, puta rem conceptam; dum scilicet mens ita concipit rem sicut in se est; et veritas oris est conformitas sermonis cum conceptu mentis, dum scilicet os loquitur id quod mens sentit : ita veritas fidei est conformitas actis fidei cum objecto, puta re credenda, dum scilicet credit id quod vere credendum est; ac veritas morum et vitæ est eorumdem conformitas cum sua regula, puta cum fide et lege Dei.

Pari modo duplex est error, nimirum fidei et morum. Error in fide est hæresis, vel infidelitas; error in moribus, est peccatum et scelus. Utraque veritas et uterque error hic accipi potest. Nam, ut ait Sapiens Proverb. 21. 16. *Vir qui erraverit à via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur : gigantum*, id est damnatorum : nam gigantes crudeles et superbi olim diluvio mersi, damnati ad inferos descenderunt; et dæmones inferni incolæ, mystici gigantes sunt, imo gigantum et superborum parentes. Hinc Script. infernum vocat locum gigantum Sapient. 14. 6. Isaiæ 26. 14. Job 26. 5. Quin et Gentiles, teste Macrobio 1. Satur. 20. censent gigantes et Titanes significare impiam gentem deos contemnentem et negantem, ideoque Poetas draconum pedes eis affinxisse, ut significarent nihil eos rectum cogitasse, totius vitæ eorum gressu atque processu in inferna vergente.

20. QUI CONVERTI FECERIT PECCATOREM AB ERRORE VIÆ SUÆ.] *Via* significat vitam, mores, actiones, modum vivendi. Convertit autem quis peccatorem orando, docendo, corripiendo, incitando, sanctæ vitæ exempla dando, Eleemosynas largiendo, benefaciendo, laudando, etc. Primum, ergo convertentis animas instrumentum sit oratio. Secundum, charitas qua se omnibus accommodet, ad omnia se demittat, et cum Paulo omnibus omnia fiat. Rationem dat Chrys. hom. 33. in 1. ad Cor. *Magnus*, inquit, *doctor est charitas, satis idoneus qui et tollat errores, et mores formet, et ad Philosophiam manu ducat, et è lapidibus homines reddat. Is proinde qui charitate præeminet*, aliis succurrere debet, et omnes quantumvis perditos lucrifacere. Tertium, mansuetudo, de qua S. Bernard. serm. de S. Magdalena : *O quam leni*, ait, *et dulcissimo spiritu imbutus est spiritus illius, qui novit in spiritu lenitatis peccatum instruere, suspendere vindictam, et affectuosis visceribus inviscerare sibi peccatorem donec vitæ reddatur.* Quartum, prudentia, *ut quibus verbum suadens et admonens non medetur, minæ medeantur ; quibus autem minæ non medentur, virga medeatur ; quibus vero virga non medetur, eos ignis depascet*, ait Clemens I. Pedag. c. 7. Unde et sponsa, licet pulchra, nigram ommen se suis exhibuit, ut remissis et fugitantibus disciplinam non candorem serenitatis, sed obscurum severitatis zelum exhibeat, ait S. Bern. serm. 28. in Cant.

SALVABIT ANIMAM EJUS A MORTE] præsenti, et æterna : in præsenti enim vita animæ per peccatum moritur, quia per illud privatur gratia Dei. Sicut enim vita corporis est anima, ita vita animæ est Deus, Deique gratia, ait S. Aug. In futura vero moritur in gehenna, quia patitur æternos dolores et agonias mortis, semperque moritur, et numquam est mortua. Quanti ergo est convertere peccatorem? Tanti, quanti est animam salvare; liberare à peccato et gehenna, eique restituere gratiam et gloriam æternam.

Præclare S. Chrys. hom. de habenda cura salutis proximi tom. 1. *Nautæ*, ait, *licet navis secundo vento feratur, cum tamen vident alios vel à longe naufragium facere, non ad proprium spectantes utilitatem, illorum contemnunt calamitatem; sed sistunt navem, detrahunt vela, ejiciunt anchoram, proferunt funes, projiciunt tabulas, ut ille qui à fluctibus mergitur, forte aliquo illorum arrepto emergat. Imitare et tu nautas, cum videris navigantium aliquem natare in fluctibus, et jam submergi : relictis negotiis tuis statim illius provide saluti.* Idem hom. 3. in 1. ad Cor. *Nullius*, ait, *rei pretium est cum anima conferendum : ne totus quidem mundus. Quare etiamsi divitias innumeras dederis pauperibus, nihil tale efficies, quale is qui convertit animam.* Merito ergo luget S. Bern. lib. 4. de Consid. *Cadit*, ait, *asina, et est qui sublevet eam : perit anima, et nemo est qui reputet.* Ita jacitur alea, ita luditur tot animarum salus, et salus æterna. Quot millia animarum indies ad tartara descendunt, quæ salvarentur si haberent zelosum sui curatorem! O si earum cruciatus videres, si gemitus audires, querelas de suis confessariis, pastoribus, sacerdotibus cognosceres, quam te earum conversioni et saluti addiceres et impenderes! semel periisse, æternum est : semel esse damnatum, irrevocabile est.

Si videres puerum ruere in ignem, accurreres, omnique conatu extraheres : vides ruentes animas in ignem æternum, in incendia gehennæ, et vix pedem moves ut eas eripias. O torpor! ô stupor! virgo Israel *projecta est in terram suam, non est qui suscitet eam*, clamat Deus per Amos c. 5. 2.

Nota. *Τὸ ejus*, puta αὐτοῦ, jam non est in Græco : olim tamen fuit : unde aliqui legentes per spiritum asperum αὗτοῦ, vertunt *suam*. Ita Joan-

nes VIII. Pont. Epist. 38. Beda, Glossa, Hugo, Dion. et alii. q. d. Qui salvat animam alienam, salvabit et suam, quia si justus est, de condigno promerebitur opere tam pio gloriam cœlestem. Si injustus, de congruo merebitur gratiam et justitiam, uti mox ostendam. Rursum qui saluti alterius invigilat, saluti suæ consulit: quia mortem animæ incurreret, si salutem illius sibi creditam negligeret, juxta illud Pauli 1. Tim. 4. 16. *Attende tibi et doctrinæ: insta in illis; hoc enim faciens et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt.*

Moral. Disce hic, eos qui student conversioni hominum, post Christum, esse eorum salvatores. Hoc est quod ait Abdias v. 21. *Et ascendent salvatores in montem Sion judicare montem Esau: et erit Domino regnum.* Ubi S. Hieron. *Ipse*, ait, *Salvator Apostolos suos mundi esse voluit salvatores.* Quod quam gloriosum sit. Primo, liquet ex pretio animæ: anima enim pluris valet quam totus mundus: animæ enim est Dei imago, summaque Dei participatio. Unde S. Ignatius fundator Societatis nostræ ostensa sibi à Deo pulchritudine animæ sanguine Christi ablutæ, ita zelo animarum exarsit, ut totam vitam per immensos labores et dolores illi addixerit; quin et Societatem ad hoc instituerit, cum diceret tantam esse pulchritudinem animæ, ut omne pretium, omnemque laborem superet. Ita Ribaden. in ejus Vita l. 5. c. 2.

Secundo ex exemplo Christi, qui ad hoc è cœlis descendit ut animas salvaret, ideoque tota vita laboravit, sudavit, et acerbissimos dolores, ipsamque crucem sponte subivit. Vis ergo scire quam pretiosa sit anima: æstima ex pretio quo empta est, puta è sanguine Christi: pretium ergo animæ est vita Christi, ipseque Christus. Quocirca qui student proximorum saluti, sunt de familia et societate Jesu. Si aurifex peritissimus adamantem emeret mille aureis, omnes lapillum magno æstimaremus. Christus sanguinem suum fudit, ut animam redimeret: quanti illa igitur æstimanda est! *Magna res anima, quæ Christi sanguine redempta est*, exclamat S. Bern. Epist. 54.

Tertio, ex illo S. Dionysii Cœlest. Hier. c. 3. ubi docet hoc esse opus non tantum angelorum horum enim est purgare, et illuminare et perficere) sed Dei ipsius: quare omnium divinorum operum divinissimum esse, Deo cooperari in conversionem impiorum ad eum. *Dei* enim *adjutores sumus*, ait Paulus 1. Cor. 3. 9. et Deus ad Jerem. c. 16. 19. *Si separaveris*, inquit, *pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Vide ibi dicta. Hi scilicet sunt angeli et legati Dei: angeli enim *sunt administratorii spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis.* Heb. 1. 14. Rursum *nullum Deo tale sacrificium, quale zelus animarum*, ait S. Greg. 34. Mor. c. 7.

Quarto, ex sensu Sanctorum. Animabus enim convertendis totum se impendit sanctus Paulus, tantaque passus est, quanta ipse recenset 2. Corinth. c. 11. Idem fecerunt Apostoli omnes. Qui ergo lucro animarum student, obeunt munus Apostolicum, suntque viri Apostolici; quales fuere S. Athanasius, Basilius, Chrys. Greg. August. Ambros. Bern. Dominicus, Franciscus, etc. Vere S. Leo serm. de S. Laurentio, *Nullus bonus*, inquit, *sibi soli bonus est, nec, cujusquam sapientis sibi tantum amica est sapientia; et hæc verarum natura virtutum est, ut multos à tenebroso abducant errore.*

Quinto, quod in hoc opere consistat charitatis et virtutis perfectio, uti docet S. Cyrill. Sophon. 2. n. 14. et S. Aug. in Epist. 1. S. Joan. hom. 6. *Hæc est*, ait, *perfectio charitatis, et major omnino inveniri non potest, quam pro fratribus animam ponere.* Idem citatus hic à Dionys. Carth. asserit illum in charitate Dei esse perfectionem, qui plures ad ejus amorem convertit: et sicut Christus graviorem pati nequit persecutionem, quam ut quis verbo aut exemplo animas suo sanguine redemptas ab ipso avertat; sic ampliorem honorem ei impendere nos non valere, quam animas deviantes convertendo ad ipsum.

Sexto, ex premio et aureola illustri. *Qui docti fuerint, fulgebunt ut splendor firmamenti: et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates*, ait Dan. 12. 3. et Christus: *Qui autem fecerit et docuit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Matth. 5. 17. Odo Cluniacensis serm. de S. Benedicto, asserit fidelem esse opinionem, quod quilibet resurget cum illis quos Domino acquisivit. Cum igitur, ait, universi hujusce ejus instituti oves sequaces in unum coacti fuerint, quale signum apostolatus S. Benedicto tunc copiosus ille exercitus exhibebit: Sic Apostolus fideles à se conversos vocat suam coronam, suam gloriam et gaudium in die Domini, Philipp. 4. 1. et 1. Thessal. 2. 19. Sic S. Amandus gloriosus apparuit S. Aldegundi, stipatus iis omnibus quos converterat, ut habet Vita S. Aldegundis. Et S. Greg. hom. 17. in Evang. *Ibi*, ait, *Petrus cum Judæa conversa, quam post se traxit, apparebit: Ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducens: Ibi Andreas post se Achaiam, ibi Joannes Asiam, Thomas Indiam in conspectum sui judicis conversam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt.*

Porro qui animas convertere satagit, suam primus ipse convertat, seque in virtute consolidet et perficiat oportet, tum quia sanctitas plus valet ad convertendum peccatores, quam concio; tum ne sibi periculum creet: sunt enim qui naufragos è periculo eripere volunt, nisi ipsi in tuto sint, idem sæpe periculum adeunt ac cum illis merguntur; ita nonnulli fragiles dum peccatores convertere moliuntur, ab iis pervertuntur, et in eamdem cum eis peccati et gehennæ charybdim involvuntur. Unde sapienter monet Christus: *Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Matth. 16. 26.

Et operiet (aliqui legunt, *operit*) multitudinem peccatorum,] tum ejus quem convertit, tum suorum. Alludit S. Jacobus ad illud Prov. 10. 12. *Universa delicta operit charitas.* Primo, ergo charitas est quasi pallium, calyptra, velum et tegmen, quo peccator conversus et pœnitens operit, id est, abolet omnia peccata præterita (unde græce est καλύψει, id est *obducet*, teget, operiet) sicuti lux tegit tenebras, eas abolendo; sicut pallium tegit nuditatem, eam tollendo, sicut fossa tegitur injecta terra dum ea impletur, sicut color niger inductus albo eum tegit non abscondendo, sed abolendo; sicut aqua operit ignem dum eam obruit et extinguit. Hoc est quod do Magdalena dicit Christus: *Dimissa*

sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum, Luc. 7. 47.

Secundo, emendatio morum vitaque nova et sancta tegit peccata et probra vitæ præcedentis, ac pro illis se supponit et opponit oculis Dei, ut illa quasi tecta et abscondita amplius non videat : juxta illud Ps. 31. 1. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.*

Tertio, *operiet*, id est, restinguet grassans diluvium vel incendium peccatorum. Error enim in fide, puta hæresis, est fons et origo blasphemiæ, contentionis, superbiæ, gulæ, libidinis, fraudis, omniumque peccatorum. Qui ergo errantem, puta hæreticum, convertit, hic omnia hæc peccata quæ facturus erat, operit et extinguit. Similiter peccator ex uno peccato trahitur ad aliud et aliud. Peccatum enim est quasi lues, pestis, gangræna et cancer, qui semper proserpit, donec totum corpus inficiat et peccatis impleat. Hæc omnia operit et incidit, qui peccatorem convertit.

Quarto, qui peccatorem convertit, operit omnia scandala et peccata aliorum, quæ scilicet alii ipsam exemplo perpetraturi essent. Sic sæpe unius viri potentis error et scelus, totam urbem et rempubl. sua contagione inficit et sceleribus contaminat. Qui ergo talem convertit, hæc omnia operit et tollit, ut non unum, sed millena peccata ac innumeras Dei opt. max. offensas et injurias inhibeat et avertat. Annon hoc ingens est bonum ac insignis Dei honor et gloria ?

Quinto, et magis genuine, *operiet* peccata non tantum aliena, sed et sua, uti communiter exponunt Interpretes, Beda, Thomas Anglicus, Dionys. Tithelm. Fevardent. et alii. (citant aliqui Syrum, quasi verterit, *peccatorum suorum* · sed frustra, affixum enim Hebræum et Syrum *au*, tam *ejus*, quam *suorum* verti potest : Hebræis enim et Syris idem est pronomen reciprocum quod absolutum) si enim justus est, ut sæpe fit, operiet tam pio opere charitatis culpas veniales, et magnam partem pœnæ restantis è peccatis mortalibus jam remissis; sin adhuc injustus est et in statu peccati mortalis, hoc ejus studium, sollicitudo et ardor convertendi proximum elicit et provocat, ac quasi de congruo emeretur Dei misericordiam, ut gratiam efficacem ei largiatur, qua excitatur et ipse pristina peccata detestetur, vitam mutet, ac justus, sanctusque evadat : Nam, ut ait S. Greg. 19. Mor. c. 12. alias 16. *Benedictio perituri super eum venit, cum peccatoris interitum prævenit, et cum sanctis exhortationibus à culpæ fovea reducit.* Hic ergo ejus zelus est quasi pallium, quo velat sua peccata coram oculis Dei ut in iis gratiam inveniat : zelus enim adeo gratus est Deo, ut ejus sit decus : ipseque eo quasi pallio vestiatur et ornetur, juxta illud Isaiæ 59. 17. *Opertus est quasi pallio zeli.* Denique si justus est, meretur in justitia conservari et roborari contra peccata futura, ut pericula et occasiones peccatorum sibi instantes vel evadat, vel superet, in quibus alioqui fuisset lapsurus. Hanc enim Dei gratiam et protectionem meretur, qui alios à peccato liberare et protegere satagit : quod valde ponderandum est, ut hoc premio ad zelum animarum incitemur. Dum enim alienam salutem curamus, nostram curamus, et tantum nostram, quantum alienam. Scriptum est enim : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, Matth. 5. 7. Unde Damascen. l. 1. Parall. 48. ex his Jacobi verbis docet modum abolendi peccata propria, esse studium abolendi aliena.

Ita hunc locum explicat Zacharias Pontifex Epist. 1. ad Bonifac. *Elabora*, ait, *sanctissime frater, in eis ; quia scriptum cognoscis : Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, et suorum operit multitudinem peccatorum ;* idem habet Joannes VIII. Pontif. Epist. 38. et Orig. hom. 2. in Levit. et Cassian. collat. 20. 8. Ratio est, quia anima quam convertis, est quasi hostia pro peccato quam offers Deo, longè ei gratior quam hircus, aries, bos, quæ olim quasi hostias pro peccato sibi jussit offerri. Hic enim quasi ex lege talionis, Deo das animam proximi pro anima tua : tantumdem ergo das, quantum debes, animæ enim tuæ pretium quasi adæquatum est anima aliena : anima enim valet animam, sicut bos valet bovem, aureus aureum.

Quocirca sapienter S. Greg. l. 6. ep. 27. Dominicam monasterii Præpositam monet, *ut quantas volet animas in creatoris sui servitium colligat, ut earum mentes per verbum ejus gratiam compunctionis accipiant, et tanto celerius ipsa ab omnibus peccatis suis absoluta sit, quanto per ejus vitam et linguam etiam aliarum animæ peccatorum suorum nexibus eruperint*, etc. ; *ut ergo dominæ suæ, id est, æternæ sapientiæ perfecte satisfaciat, quæ sola fugit, cum multis redeat. Aversionis enim suæ culpa nulli imputabitur, quæ revertens lucrum reportat.* Idem lib. 19. Mor. cap. 6. *Si enim*, ait, *magnæ mercedis est, à morte eripere carnem quandoque morituram, quanti meriti erit, à morte animam liberare, in cœlesti patria sine fine victuram !*

COMMENTARIUS

IN PRIMAM

SANCTI PETRI

EPISTOLAM.

PROŒMIUM.

RIA hic de more præmittenda sunt. Primum de auctoritate et dignitate hujus Epistolæ : secundum de ejus argumento : tertium de Auctore.

Quoad primum. Hæc Epistola est legitima S. Petri, ac Scrip. Canonica, Confessione omnium Catholicorum, nullusque unquam de eo dubitavit, teste Eusebio lib. 5. cap. 3. quocirca concilia, Pontifices, et Patres qui catalogum librorum Canonicorum contexunt, in eo indubitate collocant hanc Epistolam. Citat eos exacte et fuse Judocus Coccius in Thesauro Cathol. tom. 1. lib. 6. pag. 720.

Scripta est Romæ (hanc enim tecte Babylonem vocat cap. 5. 13.) missa per Silam, sive Silvanum cap. 5. 12. sub annum, ut videtur, à nativitate Christi 45. quo anno Petrus Romam appulit, eoque ex Antiochia Cathedram Pontificiam transtulit. Id patet ex eo, quod in fine Epistolæ inducit S. Marcum salutantem fideles. S. Marcus autem Roma discessit missus à S. Petro Alexandriam an. Christi 45. cum prius Romæ suum scripsisset Evangelium, uti dixi in Chronotaxi. Hic annus Christi 45. fuit Claudii Imp. tertius, Pauli à conversione decimus. Quare scripta est hæc epistola ante omnes Pauli Epistolas. Ita Baron. qui et addit videri ex S. Hieron. eam à S. Petro scriptam esse hebraice, sed conversam in Latinum à S. Marco : verum S. Hier. tantum dicit S. Petrum variasse stylum : stylum enim secundæ Epistolæ diversum esse à stylo primæ, quod verum est, etiamsi dicamus utramque eadem lingua Latina, vel Græca ab eo fuisse conscriptam. Passim Interpretes censent græce esse scriptam, utpote ad Græcos, scilicet Cappadoces, Asianos, Bithynios, Ponticos : unde et in dubiis ad textum Græcum, quasi originalem recurrunt.

Porro scripta est primario ad Christianos è Judæis ad Christum conversos, qui dispersi erant per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam et Bithyniam, ut patet ex titulo epistolæ et cap. 3. 6. ita S. Athanas. in Synopsi, Euseb. lib. 3. histor. cap. 4. S. Hieron. de Script. Eccl. in Petro, Didymus, OEcum. Beda, Cajet. et Titelman. hic, et faciet cap. 1. vers. 4. 8. 9. et epist. 2. cap. 3. vers. 15. et 16. Hi enim fuere primi Christiani, quos paulo ante prædicando converterat S. Petrus ; quorum proinde peculiarem ipse curam egit, ut patet Galat. Secundario tamen et consequenter scripta est quoque ad Christianos è gentilismo conversos. Horum enim, æque ac illorum Pastor, Episcopus, et Pontifex universalis à Christo creatus erat S. Petrus, Joannis 22. 15. Unde cap. 2. 10. Gentium vocationem ex Osee cap. 2. 10. confirmat et celebrat. Idipsum insinuat cap. 1. 18. et cap. 4. 3. epist. 2. cap. 1. vers. 1. ita S. August. lib. 22. contra Faustum cap. 86. S. Thom. Beda, Glossa, Lyran. hic, Ribera in Osee 2. n. 4. et alii. S. Bonifacius primus Moguntiæ Episcopus, et Germaniæ Apostolus, qui Martyr in Frisia occubuit, tanti fecit S. Petri Epistolas, ut eas petierit aureis litteris sibi describi ab Eadburga Abbatissa, uti patet ex epistola ejus apud Baron. t. 9. pag. 39. Olim circumferebantur quinque libri S. Petri, scilicet Acta, Prædicatio, Evangelium, Apocalypsis, et Judicium, sed suspectæ fidei et adulterini, teste S. Hieron. lib. de Script. Eccles. in Petro : et Ruffino in expositione Symboli. Sic et Itinerarium S. Petri nomine S. Clementis editum, Gelasius inter Apocrypha retulit cap. *Sancta Romana*, dist. 15.

Quoad secundum. Argumentum epistolæ est duplex. Primum ad fidem spectat, secundum ad mores. Primo enim confirmat et celebrat admirabile Dei consilium et beneficium de Verbi incarnatione, passione, redemptione, Judæorum et Gentium ad Christi gratiam, salutem, et gloriam æternam. Hanc enim esse orthodoxam doctrinam à Prophetis prædictam, ab Apostolis jussu Dei prædicatam : quam proinde constanter sequi et retinere debeant, ac pro ea tuenda dura omnia, ipsamque mortem et martyrium fortiter obire. Quocirca omnes Christi exemplo ad persecutionum tolerantiam, et in fide constantiam exhortatur.

Secundo, à fide transit ad mores, eosque ad Christi normam et disciplinam efformat. Docet ergo Christianos debere obedire regibus, principibus et magistratibus, ethnicis; licet servos dominis, uxores maritis, adolescentes senioribus, fideles pastoribus et doctoribus, ac vicissim quid viri uxoribus, pastores subditis debeant, edocet. Exhortatur ad prudentiam, vigilantiam in orationibus, charitatem mutuam, hospitalitem, patientiam, humilitatem et temperantiam. Præ cæteris autem patientiam, et Christi patientis exemplum refricat et inculcat, idque singulis capitibus, eo quod Christiani tunc novi, ob novam Christi religionem ubique multa à Judæis et Gentibus paterentur, non tantum verba et proba, sed et spolia, carceres, verbera, mortem et martyrium. Scripta est majestate et spiritu Apostolico, sublimi et exultanti. Profunde enim scrutatur et admiratur bona in Christo, Christique cruce et redemptione latentia, cœlitus nobis impertita.

Nota. Eædem subinde sententiæ reperiuntur apud S. Petrum, S. Paulum, S. Jacobum, et Joannem : cujus ratio est. Prima, quod omnes Apostoli eodem agebantur Spiritu sancto, qui easdem veritates et sententias eis suggerebat, idque ad testimonium tum veritatis, tum concordiæ. Secunda, quod omnes eosdem de virtutibus Christianis haberent sensus et dictamina : ubi autem idem est conceptus et sensus, facile idem sequitur sermo et sententia : verbum enim oris respondet verbo mentis ; ab eo enim gignitur et producitur. Tertia, quod, sicut ante separationem ediderunt commune Symbolum Fidei, sic et verisimile sit eos in communi sermone, æque ac doctrina et concionibus usurpasse plures easdem gnomas et axiomata Christiana, ad formandos mores fidelium, quæ deinde scriptis mandarunt. Talia sunt : Christiano gaudendum esse in tribulatione : beatos esse qui persecutionem patiuntur : exultandum esse in adoptione filiorum Dei facta per Christum : sperandam esse immarcescibilem gloriæ coronam : Deum superbis resistere, humilibus autem dare gratiam : charitatem esse legis plenitudinem ; charitatem operire multitudinem peccatorum : thesaurizandum esse in cœlis, non in terra : conversationem nostram debere esse in cœlis : semper orandum esse, vincendum in bono malum : gloriandum in spe vitæ æternæ : studendum esse Eleemosynæ et saluti animarum.

Quoad tertium. Auctor Epistolæ est S. Petrus Apostolorum Princeps, qui Bethsaidæ in Galilæa natus, piscatuque victitans, à Christo vocatus, factus est ejus in terris vicarius, totiusque Ecclesiæ Pastor et Pontifex : de cujus admirabili sapientia, pœnitentia, austeritate, charitate, zelo, propagatione Fidei per totum orbem (in quem ipse discipulos suos evangelizatum misit) passione, martyrio, privilegiis, miraculis, veneratione, fama et gloria, vide Baronium, aliosque Historicos. Sane Dionys. Areopag. de Divin. nomin. cap. 3. S. Petrum vocat supremam gloriam, ornamentum cœleste, summum capitis verticem, basin et columnam Theologorum fortissimam et antiquissimam. Petrus enim Ecclesiæ non tantum est monarcha, sed et post Christum petra fundamentalis. Ideo enim Christus vocavit eum Petrum, cum prius vocaretur Simon, ut significaret eum fore petram Fidei et Ecclesiæ, quam nec tyranni, nec Philosophi, nec hæretici, nec scelerati, non dico evertere, sed nec concutere possent. Hoc est quod ei promisit Christus, qui est æterna Veritas, dicens : *Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi : quia tu es Petrus, et super hanc petram* (super te scilicet, quem voco facioque Cepham, id est, petram Ecclesiæ) *ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum : et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis*, Matth. 16. 17. Rursum uni inter omnes Apostolos Petro dixit, jussitque tertio Christus : *Pasce oves meas.* Joan. 22. Et iturus ad crucem et mortem : *Simon*, ait, *ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, Lucæ 22. 32.

E quibus Christi promissis et donis collige, summam S. Petri auctoritatem, ac privilegia amplissima. Privilegia enim duodecim uni S. Petro respectu totius Ecclesiæ (privata enim omitto, vide ea apud Bellarm. lib. 1. de Rom. Pont. cap. 17. et seq.) à Christo concessa sunt hæc. Primum, quod à Christo creatus sit petra et fundamentum Ecclesiæ. *Cum ego* (Christus) *sim inviolabilis petra*, etc., *tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint mihi tecum participatione communia*, ait S. Leo serm. 3. de annivers. sui Pontif. Cephas ergo est Cepha, Petrus est Petra, nimirum *Cephalon, et Capituli immobile saxum.*

Secundum, quod Petrus fuerit caput, superior, rector, et judex omnium Apostolorum. Quocirca S. Hieron. in Ep. 89. ad S. Aug. *Tantæ*, ait, *Petrus auctoritatis fuit, ut Paulus in Epistola sua scripserit : Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum.* Theod. epist. ad Leonem : *Paulus*, ait, *præco veritatis, tuba sanctissimi Spiritus, ad magnum Petrum cucurrit, ut iis qui Antiochiæ de legalibus institutis contendebant, ab ipso afferret solutionem.* Hinc et S. Evodius successor S. Petri in sede Antiochena, Epist. quæ dicitur τὸ φῶς docet Christum ex mulieribus solam baptizasse Virginem matrem suam, ex viris solum Petrum : à Petro vero baptizatos fuisse Andream, Jacobum et Joannem, et ab iis cæteros. Et S. Epiph. hær. 15. *Petrum*, ait, *elegit, ut dux esset discipulorum.*

Tertium, quod S. Petrus fuerit hierarcha, quodque ab eo omnis ordo hierarchicus, puta omnium Episcoporum, sacerdotum, cæterorumque Ecclesiæ ministrorum ordinatio, æque ac jurisdictio descendat. Unde Innoc. ep. ad Conc. Carthag. quæ est 91. inter Epist. S. Aug. *A quo* (Petro) inquit, *ipse episcopatus, et tota auctoritas nominis hujus emersit.* Julius I. Epist. 6. ad Orientales : *B. Apostoli Petri sedes*, ait, *nobis sacerdotalis mater est dignitatis.* S. Leo serm. 3. de Assumpt. sua ad Pont. *Si quid*, ait, *cum eo* (Petro) *commune cæteris voluit esse principibus, nunquam, nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit.* Idem Ep. 89. *Hujus*, ait, *muneris Sacramentum, ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret ; ut ab ipso quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet.*

Quartum, quod Christus S. Petro ejusque successoribus promiserit, et dederit assistentiam Spiritus sancti ad regendam Ecclesiam, et ad docendam veram fidem, ut in ea errare non possit, sed quod ille hæreseos damnat, tota Ecclesia pariter ut hæreticum damnet. Unde Innocent. I. Ep. ad Concil. Milevit. quæ est 93. apud S. Aug. *Quoties*, ait, *fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres et Coepiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est, sui nominis et honoris auctorem, deferre debere.* Id patet ex usu et praxi omnium sæculorum. Pontifices enim Romani omnia in fide dubia declararunt et resolverunt, omnesque hæreses condemnarunt.

Quintum, quod Petrus et Pontifex quilibet Christi personam et auctoritatem repræsentet ; sicut prorex repræsentat regem. Hinc et Petrus Christo in vita, zelo, propagatione fidei, morte et martyrio fuit persimilis et conjunctissimus. Unde S. Greg. in psalm. 4. Pœnit. *Petro*, inquit, *ait Christus, Venio Romam iterum crucifigi. Qui enim in seipso jam pridem crucifixus fuerat, in*

Petro iterum se crucifigendum dicebat. Et Tertull. lib. de Præscript. *Habes*, ait, *Romam unde nobis quoque auctoritas præsto est. Felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur.* Et S. Maximus serm. 5. de Natali S. Apost. *Petrus*, ait, *et Paulus martyrium pertulerunt in urbe Roma, quæ principatum et caput obtinet nationum, ut scilicet ubi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis.* Et S. Paulinus Natali 3. S. Felicis :

> Ipsaque cœlestum sacris procerum monumentis
> Roma Petro Pauloque potens.

Sextum, quod S. Petrus ejusque successores Romani Pontifices, toti Ecclesiæ præsint quasi Monarchæ ; ideoque Ecclesiam faciant unam, unumque Christi regnum et Monarchiam. Sicut enim unum est imperium quod unum habet imperatorem : unum regnum quod ab uno regitur rege . unum universum quod unus condidit et moderatur Deus : unum cœlum quod unus illuminat sol, ita pariter Ecclesia non posset esse unum visibile Christi regnum, nisi haberet unum visibile caput, cui tota subesset, et à quo regeretur ; quod aliud esse nequit quam S. Petrus ejusque successores : perinde ac corpus humanum sine capite uno consistere nequit ; alioqui enim esset acephalum, carens ratione, regimine et rectore. Unde S. Ambros. serm. 11. *Hanc*, ait, *solam Ecclesiæ navim ascendit Dominus, in qua Petrus magister est constitutus, dicente Domino : Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Sicut enim Noe arca naufragante mundo, cunctos quos susceperat illæsos reservavit ; ita et Petri Ecclesia conflagrante sæculo, omnes quos amplectitur repræsentabit illæsos : et sicut tunc transacto diluvio ad arcam Noe columba signum pacis detulit : ita et transacto judicio ad Ecclesiam Petri Christus gaudium pacis referet.* Et S. Aug. serm. 124. de Tempore, agens de pœnitentia S. Petri : *Totius*, ait, *corporis morbum in ipso capite curat Ecclesiæ, in ipso vertice componit membrorum omnium sanitatem.* Et S. Leo, serm. 3. de assumpt. sua ad Pont. *De tanto mundo*, ait, *unius eligitur Petrus, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur : ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus.* Sicut ergo membrum corporis esse nequit quod à capite est divisum, quodque capitis vi et influxu non vegetatur et regitur ; ita pariter membrum Ecclesiæ esse nequit, qui à Petro et Pontifice Rom. schismate vel hæresi est divisus ; nec ad ovile Christi pertinet, qui ad gregem Petri non spectat ; quos enim Christus curat et regit, per Petrum Pastorem suum curat et regit. Unde S. Hieronymus epist. 1. ad Damasum de nomine hypostasis : *Super illam*, ait, *petram* (cathedræ Petri) *ædificatam Ecclesiam scio : quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est : si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.* Et infra : *Quicumque tecum* (ô Damasce Pont.) *non colligit, spargit : hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.* S. Cyprianus lib. 1. epist. 8. ad plebem : *Deus*, ait, *unus est et Christus unus, et una Ecclesia, et cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut sacerdotium novum fieri præter unum altare, et unum sacerdotium non potest : Quisquis alibi collegerit, spargit.* Idem epist. 3. ad Cornel. lib. 1. *Neque enim*, ait, *aliunde ortæ sunt hæreses, aut nata sunt schismata, quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tempus judex vice Christi cogitatur, cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversus collegium sacerdotum quidquam moveret.*

Septimum, quod jus et imperium Petri non tantum sublimius, sed et amplius sit quam quorumvis Regum et Imperatorum : tum quia ad fideles per totum orbem dispersos se extendit ; tum quia pertinet quoque ad infideles, ut eos Christo et Ecclesiæ aggregari curet ; tum quia exserit se ad Anthropophagos, Indos, et Barbaros, qui vivunt sine rege, sine lege, sine Deo. Unde S. Prosper in Carm. de ingratis :

> Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
> Facta caput mundo, quidquid non possidet armis
> Religione tenet.

S. Cyrill. in Thesauro : *Petro*, ait, *omnes jure divino caput inclinant, et primates mundi tanquam ipsi Domino Jesu obediunt.* Et rursum : *Debemus nos, ut qui membra sumus, capiti nostro Romano Pontifici, et Apostolicæ sedi adhærere.* Quocirca veteres in litteris Canonicis (quas *Formatas* vocabant) ut latorem earum testarentur esse orthodoxæ fidei et communionis Catholicæ inscribebant nomen Petri. In Formatis enim ex Decreto Concil. Nicæni, hæc nomina quasi veræ fidei tesseram, per primas eorum litteras inscribebant, *Pater, Filius, Spiritus sanctus ; Petrus Amen*, ut significarent earum latorem habere communionem cum cathedra et successore S. Petri, Romano Pontifice, ideoque esse Catholicum. Unde Optatus Milevit. lib. 2. ut se probet Catholicum, Donatistas vero esse schismaticos, enumerans Pontifices qui sederunt in cathedra Petri usque ad Siricium, addit : *Hic noster est socius, cum quo nobis totus orbis, commercio Formatarum, in unam communionis societatem concordat.* De Donatistis vero subjicit, eos procul abesse ut Formatis communicent cum cathedra S. Petri. Vide Baron. anno Christi 325.

Octavum, S. Petri jus et imperium non tantum in terram, sed et ad inferos et superos pertinet. Nam non tantum hominibus terrigenis, sed et animabus in Purgatorio cœlum pandit. Est enim ipse claviger cœli ; ejus enim claves à Christo accepit Matth. 16. Unde Arator in fine Actor. Apostol.

> Dignaque materies Petri Paulique coronæ
> Cæsareas superare minas, et in arce tyranni
> Pandere jura poli, summumque in agone tribunal
> Vincere, ne titulos parvus contingeret hostis.

S. Bernard. lib. 2. de Consid. ad Eugen. *Tu*, ait, *Episcopo cœlum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponeres, etiam et tradere Satanæ potes.* Et Optatus Milevit. lib. 7. contra Parmen. *Bono unitatis*, inquit, *B. Petrus præferri omnibus Apostolis meruit, et claves regni cœlorum communicandas cæteris, solus accepit*, etc. *stant tot innocentes, et peccator accipit claves : ut unitatis negotium formaretur, provisum est, ut peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores, et quæ necessaria est unitas, esse non posset.*

Et Petrus Chrysol. serm. 107. *Petrus*, ait, *est custos fidei, petra Ecclesiæ janitorque cœlorum.*

Nonum, S. Petri potestas propagatur in posteros, et cæteris Patriarchis deficientibus, inconcussa perdurat hucusque per annos 1600. et durabit usque ad finem mundi. Unde S. Cyprian. l. 1. epist. 3. ad Cornelium Pont. *Navigare audent*, inquit, *ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis et profanis litteras ferre : nec cogitare eos esse Romanos, ad quos perfidia habere non possit accessum.* Et S. Hieronymus epist. 1. ad Damasum de nomine hypostasis : *Cum successore*, inquit, *piscatoris et discipulo crucis loquor. Ego beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior.* Hinc in Concilio Ephesino I. tom. 2. cap. 16. Cœlestinus Romanus Pontifex vocatur *ordinarius successor, et Vicarius B. Petri Apostolorum Principis.* Et in Conc. Chalcedon. act. 2. lecta Epistola Leonis Pont. omnes acclamarunt, *Petrus per Leonem locutus est*, et in ep. ad Leonem, totum Concilium dicit : *Leonem vocis Petri interpretem fuisse*, id est, Petrum per Leonem esse locutum. Petrus Episcopus Ravennæ epist. ad Eutychen, quæ habetur ante Concil. Chalced. *Hortamur*, ait, *te frater, ut his quæ à B. Papa Romanæ civitatis scripta sunt, obedienter attendas. Quoniam B. Petrus qui in propria sede, et vivit et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.* S. Siricius Pont. epist. ad Himericum Episc. Taracon. *Portamus*, ait, *onera omnium qui gravantur. Quinimo hæc portat in nobis B. Apostolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suæ protegit et tuetur hæredes.*

Decimum, S. Petri potestas et dignitas superat potestatem Abrahæ, Mosis, Aaronis, Melchisedec, omniumque veterum Pontificum, Patriarcharum et Prophetarum, iisque omnibus adumbrata et præfigurata fuit. Audi S. Bernard. ad Eugen. Pont. lib. 2. de Consider. *Quis es? sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu princeps Episcoporum, tu heres Apostolorum. Tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Auron, auctoritate Moses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt*, etc. *nec modo ovium, sed et Pastorum tu unus omnium pastor.*

Undecimum, S. Petrus per discipulos à se missos fundavit per totum orbem Ecclesias. Ita habuit à S. Petro institutos Episcopos, Sicilia Pancratium, Marcianum, Beryllum : Capua Priscum, Neapolis Aspren, Tarracina Epaphroditum Equicolæ populi Marcum, Ptolemæum Nepe, Romulum Fesuli, Paulinum Luca, Ravenna Apollinarem, Verona Eupreprium, Patavium Prosdocimum, Ticinum Syrum, Aquileia Hermagoram : in Galliis Lemovicenses, Burdigalenses et Tholosani Martialem; Tungrenses, Colonienses et Trevirenses Maternum; Rhemenses Sixtum, Arelatenses Trophimum, Senonenses Sabinianum, Cenomanenses Julianum, Vienna et Moguntia Crescentem, Catalaunum Menimium, Bituricenses Ursinum, Arvernenses Austremonium, Sanctonenses Eutropium; Germania Eucharium, Egistum, Marcianum; Hispania Torquatum, Ctesiphontem, Secundum, Indalesium, Cæcilium, Hesychium, etc. ut patet ex Martyrol. S. Petrum Bizantinis quoque primum dedisse Episcopum docet Agapetus Pontifex in litteris, quæ recitantur in Synodo V. act. 2. Si Metaphrastæ credimus 29. Junii, Petrus Roma pulsus à Claudio anno imperii ejus 9. navigavit in Africam et Carthaginensem rexit Ecclesiam, eique præfecit Crescentem discipulum : inde Alexandriam concessit, erectaque Ecclesia Alexandria, ibique Marco instituto Episcopo, ac Thebis Rufo, Hierosolymam profectus est.

Tradunt Historici rerum Angliæ, S. Petrum misisse in Angliam evangelizandi causa Josephum ab Arimathia : alii ipsummet S. Petrum in Angliam profectum, Anglos convertisse. Sane ab olim mira fuit S. Petri erga Anglos pastoralis cura et vicissim Anglorum erga S. Petrum devotio. Ut alia omittam, memorabile est quod scribit Alredus Abbas Cisterciensis, qui floruit anno Domini 1164. in vita S. Eduardi regis Anglorum, nimirum, *cum Anglia à Danis vastata, regia stirpe extincta, proxima esset ruinæ et exitio, Episcopum quemdam ardenter pro ea cum suspiriis et gemitibus ad Deum preces effudisse, ac mox apparuisse ei S. Petrum, et dixisse, nasciturum S. Eduardum, eumque fore regem justum, sanctum et fortem, qui omnibus hisce Angliæ malis mederetur. Regnum enim Anglorum esse regnum Christi, et suum. Ita factum : oraculi veritatem exitus comprobavit. Hac de causa S. Eduardus mire devotus fuit S. Petro, et S. Petrus vicissim in eum beneficus*, uti ostendi Actor. 7. v. 3. Audiant et legant hæc Angli, ut videant à quanto pastore desciverint, ac postliminio ad eum redeant, eumque in successore Romano Pontifice venerentur. Ita pristinam ejus curam et opem sentient. Audi Innocentium I. Pont. epist. 1. *Manifestum*, ait, *in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam et Siciliam, insulasque interjacentes nullum hominum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerunt sacerdotes.*

Denique S. Chrysost. homil. 32. in epistol. ad Rom. *Non ita*, ait, *cœlum splendescit, quando radios suos sol ex se demittit, sicut Romanorum urbs duas illas lampades ubique terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Considerate et horrete quale spectaculum visura sit Roma, Paulum videlicet et theca illa repente cum Petro resurgentem in occursum Domini sursum ferri.* Et Elpis uxor Boetii hymno de Apostolis :

> O felix Roma, quæ tantorum principum
> Es purpurata pretioso sanguine!
> Non laude tua, sed ipsorum meritis,
> Excellis omnem mundi pulchritudinem.

Et S. Leo serm. 2. de Natali Apostol. *Non minuitur*, ait, *persecutionibus Ecclesia, sed augetur, et semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur. Unde duo ista præclara divini germina seminis in quantam sobolem germinarent, beatorum millia Martyrum protestantur, qui Apostolicorum æmuli triumphorum urbem nostram purpurarunt, et longe lateque rutilantibus populis ambierunt, et quasi ex multarum honore gemmarum consorto uno diademate coronarunt.*

Porro effigiem S. Petri ex antiquis imaginibus ita pingit Nicephor. lib. 2. c. 27. *Petrus quidem haud crassa corporis statura fuit, sed quæ aliquanto esset erectior, facie subpallida et alba admodum : capilli et capitis et barbæ crispi et densi, sed non admodum prominentes fuere : oculi quasi sanguine* (quia assidue plorasse fertur) *respersi nigri : supercilia prope evulsa : nasus autem longior ille*

quidem, non tamen in acumen desinens ; sed pressus simusque magis. Uxorem S. Petri martyrio laureatam tradit Clemens Alexand. lib. 7. Stromatum. *Aiunt*, inquit, *B. Petrum cum vidisset uxorem duci ad mortem, lætatum quidem esse propter vocationem, et quod domum reverteretur, valde tamen exhortando et compellando eam proprio nomine dixisse: Heus! tu memento Domini. Tale erat bonorum matrimonium.* Traditur ex ea genuisse S. Petronillam, quæ ob speciem appetita in matrimonium à Flacco, mortem precibus à Deo impetravit, ne virginitatis decus perderet : cujus reliquias Romæ in basilica S. Petri veneramur.

S. Petrus cum S. Paulo gloriosum Romæ obiit martyrium, eo quod Simonem Magum (qui Neroni ob magicas artes erat in deliciis) prostravisset, crucifixus capite deorsum, pedibus sursum, uti petierat (ne Christo Domino æquaretur) in Vaticano anno Domini 69. Neronis 13. et penultimo, die 29. Junii, cum Romæ sedisset annos 24. menses 5. dies 11. Unde Tertull. lib. de script. c. 36. *Romæ*, inquit, *Petrus passioni Dominicæ adæquatur*, quia crucifixus est uti Christus. Et in Scorpiaco c. 14. *Orientem fidem Romæ primus Nero cruentavit : tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci astringitur.* Et S. Chrysost. hom. in Princ. Apost. *Gaudeas*, inquit, *Petre, qui ligno crucis fructus es, et ad magistri similitudinem recta quidem figura, sicut Dominus noster crucifigi noluisti, sed magis inverso capite, velut à terra ad cœlum iter parans. O clavos illos beatos, qui membra illa sanctissima pertransierunt!* Sepultus est pariter in Vaticano juxta viam triumphalem : locum sepulturæ Constantinus Magnus Imp. magnifica basilica exornavit, quam hoc sæculo Pontifices de novo à fundamentis, sed longe majorem per centum annos exædificarunt, adeo augustam et magnificam, ut urbis et orbis miraculum esse videatur. Solent Christiani ab omni ævo ex toto orbe eam religionis ergo visitare, ac ad ipsa ejus limina pronos se prosternere ; sanctumque Petrum venerari et ejus opem suppliciter implorare. Audi S. Aug. serm. 28. de Sanctis : *Nunc ad memoriam Piscatoris flectuntur genua Imperatoris : ibi radiant gemmæ diadematis, ubi fulgent beneficia Piscatoris.* Et Epist. 42. ad Madaur. *Videtis*, ait, *imperii nobilissimi eminentissimum culmen, ad sepulchrum piscatoris Petri submisso diademate supplicare.* Et S. Chrys. hom. *quod Christus sit Deus : Relictis omnibus ad sepulchra piscatoris et pellionis* (Pauli qui è pellibus faciebat tabernacula) *currunt et reges et præsides et milites : et Constantinopoli reges nostri magnam gratiam putant, si non prope Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula corpora sua sepeliantur, fiantque piscatorum ostiarii reges.* Romæ ergo ubi Petrus martyr occubuit, ibi et victor resurrexit, ac supplantato Nerone, Imperatoribus et idololatria, urbem orbemque triumphator occupat : è Vaticano Romam, fidemque et Ecclesiam Romanam, quasi omnium Ecclesiarum matrem, magistram et dominam tuetur, dirigit et propugnat; ut hucusque hæresis et perfidia eam convellere non potuerint, nec umquam convulsuræ sint; quia scilicet supra firmam petram ædificata est, ut portæ inferi contra eam prævalere nequeant. Aspice nos ex alto S. Petre, et tuos cives, imo clientes et filios protege, ac per vitæ hujus turbines dirige in viam salutis æternæ, ut peracto peregrinationis hujus cursu, cœli ostia te pandente ingredi, ac tecum Christo Jesu Domino nostro frui in æternum mereamur. Amen.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRIOR HUJUS CAPITIS PARS A VERS. 1. USQUE AD 13. EST DOGMATICA, POSTERIOR A V. 13. USQUE AD FINEM EST ETHICA. INITIO ENIM PRÆMISSA SALUTATIONE DEUM BENEDICIT, QUOD FIDELES PER CHRISTUM REGENERARIT ET DESTINARIT AD HEREDITATEM ÆTERNAM : IN CUJUS SPE DOCET CHRISTIANO EXULTANDUM ESSE IN QUIBUSVIS TRIBULATIONIBUS ; ATQUE HÆC OMNIA PRÆDICTA ESSE A PROPHETIS. INDE V. 13. INCITAT EOS AD VITAM PURAM ET SANCTAM QUA CHRISTUM IMITENTUR, EJUSQUE HEREDITATEM ET GLORIAM ASSEQUANTUR.

1. PETRUS Apostolus Jesu Christi, electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, et Bithyniæ, 2. secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam, et aspersionem sanguinis Jesu Christi : Gratia vobis, et pax multiplicetur. 3. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, 4. in hereditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cœlis in vobis, 5. qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo. 6. In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus : 7. ut probatio vestræ fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, et gloriam, et honorem in revelatione Jesu Christi. 8. Quem cum non videritis, diligitis : in quem nunc quoque non videntes creditis : credentes autem exultabitis

lætitia inenarrabili, et glorificata : 9. reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum. 10. De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt, 11. scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, et posteriores glorias, 12. quibus revelatum est, quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea, quæ nunc nuntiata sunt vobis per eos, qui evangelizaverunt vobis, Spiritu sancto misso de cœlo, in quem desiderant angeli prospicere. 13. Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfecte sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in revelationem Jesu Christi : 14. quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis : 15. sed secundum eum, qui vocavit vos, Sanctum : et ipsi in omni conversatione sancti sitis. 16. Quoniam scriptum est : Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. 17. Et si patrem invocatis eum, qui sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini. 18. Scientes quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis : 19. sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati : 20. præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem novissimis temporibus propter vos ; 21. qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitavit eum à mortuis, et dedit ei gloriam, ut fides vestra et spes esset in Deo. 22. Animas vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius : 23. renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi, et permanentis in æternum. 24. Quia omnis caro ut fœnum, et omnis gloria ejus tanquam flos fœni : exaruit fœnum et flos ejus decidit. 25. Verbum autem Domini manet in æternum : hoc est autem verbum, quod evangelizatum est in vos.

1. Petrus Apostolus Jesu Christi.] Syrus, *Epistola Petri Apostoli Simonis Cephæ*, quia scilicet Syrus vertit ex Græco, in quo Cephas vocatur Petrus, unde Petri nomen ad Syros aliasque gentes et linguas transiit, quia usitatissimum erat in Ecclesiis Græcis et Latinis. Nota. Petrus Primo, vocatus est *Simon Bar Jona*, id est filius Jonæ, pater enim Petri vocabatur Joannes, hebraice Joanan, et per crasin *Jonan* et *Jona*. Unde Christus ait ei Joann. 21. v. 25. *Simon Joannis* (scilicet fili) *diligis me plus his?* Deinde à Christo syriace vocatus est *Kepha*, (hebraice *Keph*) id est, ut Græci et Latini pronuntiant, *Cephas*, hoc est petra, vel Petrus : Πέτρος enim idem est quod petra : nam si esset diversum, et derivatum tantum à petra, Petreus dicendus erat, non Petrus, uti retractans advertit S. Aug. 1. Retract. 29. et serm. 16. et 29. de Sanctis. Porro nomen Cephas, id est Petrus Simoni indidit Christus, quia destinabat eum facere suum in Ecclesia Vicarium, ideoque ei suum nomen (Christus enim vocatur petra et lapis angularis Ecclesiæ, juxta illud 1. Corinth. 10. 4. *Petra autem erat Christus*) indidit, et juxta nomen fidei animique sui firmitatem et constantiam communicavit. Unde ejus typus fuit Joseph, qui Genes. 49. v. 24. vocatur *pastor et lapis Israel*, quia, ut explicat Eccli. cap. 49. 17. *princeps fuit fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, et stabilimentum populi.*

Petrus ergo idem est quod petra et fundamentum Ecclesiæ. *Petra enim dicitur, eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, et tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molemque contineat. Petra ergo pro devotione Petrus dicitur, et petra pro virtute Dominus nuncupatur. Recte consortium meretur nominis, qui consortium meretur et operis*, inquit S. Aug. s. de cathedra Petri, et S. Ambr. s. 47. sic et S. Hilar. can. 16. in Matth. *O*, inquit, *in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, qua inferni leges et tartari portas, et omnia mortis claustra dissolveret.* Et S. Chrysost. in psalm. 50. *Petrus*, inquit, *appellatus, qui saxea fide præditus.* S. Leo epist. 89. c. 1. *Tu*, inquit, *es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam ut æterni ædificatio templi mirabili munere gratiæ Dei, in Petri soliditate consisteret.* S. Gregor. lib. 6. Registri epist. 37. *Quis nesciat*, inquit, *S. Ecclesium in Apostolorum Principis soliditate firmatam? quia firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus à petra vocaretur.* S. Germanus Constant. in Theoria vers. Eccles. *Vertex*, inquit, *ornatus et corona duodecim lapillorum Apostoli sunt : petra vero sanctissimus Apostolus, primus Hierarcharum Christi.* Idem docent Tertullian. Origen. S. Athanasius, S. Basil. S. Epiphan. S. Nazianz. S. Paulinus et alii, quos citat Bellarm. lib. 1. de Roman. Pont. c. 10. et 11.

Hinc apte Syrum *Kepha* alludit et consentit cum Græco κεφαλὴς, id est *caput* : quia Petrus est caput Ecclesiæ. Sic Hebræum Pascha consentit cum Græco πάσχειν : quia in Paschate passus est Christus. Et Hebræum Jesus cum Græco ἴασις, id est *medela*, sanitas : quia Jesus est medicus et sanator omnium infirmitatum. Unde Kepham κεφαλὴν interpretantur sanctus Anacletus epist. 3. et Optatus milevit. lib. 2. contra Parmen. etsi hoc ejus non sit genuinum etymon, ut patet. Forte Christus indens Simoni nomen Cephas respexit ad scopulosum collem prætaltum vicinum Hierosolymæ, ex quo tota urbs cerni poterat, qui vocabatur *Kepha*, et postea variata dialecto *Kipho*, de quo Josippus Gorionides lib. 2. Belli Judaici cap. 25. Quod enim hic collis est Hierosol., hoc Petrus est Ecclesiæ.

Apostolus,] κατ' ἐξοχήν, quia Apostolorum princeps; sed hoc ex modestia et humilitate subticet Petrus : unde Pontifex Romanus S. Petro succedens vocatur *Apostolicus*, ejusque cathedra sedes Apostolica. Porro Apostolus idem est quod legatus Christi. Audi Clement. lib. 2. Recogn. *Nos*, inquit, *Apostoli illius qui nos misit*,

verba exponere missi sumus : proprium vero aliquid dicere non habemus in mandatis, sed verborum illius, ut dixi aperire veritatem.

ELECTIS,] supple scribit hanc epistolam, precaturque omne bonum dicens : *Gratia vobis et pax multiplicetur. Electos* accipe ad fidem et gratiam, non ad gloriam : non enim voluit S. Petrus dicere omnes fideles efficaciter electos esse ad gloriam ; multo minus voluit eos omnes de hac sui electione certos et securos facere; cum multi defecerint non tantum à gratia ; sed et à fide, factique sint hæretici asseclæ Simonis Magi, Menandri, Cerinthi, etc. Id ita esse patet ex eo quod subdit S. Petrus, *In sanctificationem Spiritus*, q. d. Scribo electis non immediate ad gloriam, sed ad sanctitatem et gratiam, et epist. 2. cap. 2. v. 12. *Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis fratres dilecti à Deo, quod elegerit vos Deus primitias in salutem, in sanctificatione Spiritus, et in fide veritatis.* Antistroph. S. Petro est illud Pauli Ephes. 1. 4. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate.* Vide ibi dicta.

Magna est hæc electio, quia ad magnum bonum, puta ad fidem et gratiam, quæ est semen gloriæ et felicitatis æternæ. Unde cap. 2. 9. *Vos*, inquit, *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum*, etc.

ADVENIS.] Primo Lyran. *advenis*, inquit, hoc est proselytis, qui scilicet ex gentilismo conversi erant ad judaismum, et inde ad Christianismum. Verum græce non est προσελυτοις, sed παρεπεδήμοις. Secundo, Maldon. in c. 7. S. Joan. v. 35. per *advenas* accipit Gentiles; hi enim quia toto orbe erant sparsi, vocabantur dispersio, et dispersi, juxta illud S. Joannis ibidem : *Numquid in dispersionem Gentium iturus est, et docturus Gentes?* cum Judæi in Judæa viverent collecti et uniti. Tertio, S. Hieron. lib. de Script. Eccles. in Petro. S. Athan. in Synopsi, Didymus ; OEcum. Cathar. Cajetan. et alii hic per *advenas* accipiunt Judæos ad Christum advenientes et conversos. Quarto et genuine, *advenæ dispersionis Ponti, Galatiæ*, etc. vocantur Judæi Christiani, qui tum alias, tum recenter ob persecutionem à nece Stephani à Judæis excitatam Actor. 8. 1. è Judæa dispersi fugerant in Pontum, Galatiam, etc. ibique proinde erant hospites et advenæ non incolæ et inquilini, esto ibi sedem et domum fixissent. Unde S. Jacobus iisdem scribens ait c. 1. 1. *Duodecim Tribubus quæ sunt in dispersione salutem.* Hi enim vocantur græce παρεπιδημει, id est *incolæ*, qui advenæ sunt, et domicilium habent in aliena terra : παρεπιδημέω enim idem est quod *peregre eo*, advenio, hospes sum.

Mystice, tacite monet et innuit S. Petrus fideles in hoc mundo ubivis gentium sint, æstimare debere se esse hospites et peregrinos, ut nulli loco vel rei cor affigant; sed quasi advenæ pertranseant ad patriam cœlestem, dicantque cum David : *Advena ego sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei*, Psal. 38. 13. cogitentque illud Pauli : *Fratres jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives Sanctorum et domestici Dei.* Ephes. 2. 19. Christiani ergo sunt cives cœli, hospites et advenæ terræ. Vere S. Augustinus quæst. 91. in Levit. *Omnis homo*, inquit, *advena est nascendo, quoniam compellitur migrare moriendo.* Vide eumdem sermonem 32. de verbis Domini.

Ex dictis liquet hos advenas gente et genere fuisse Judæos, fide et religione Christianos ; è Judæa enim erant exules et profugi : sed sub his omnes fideles Ponti, etiam cives et inquilinos è gentilismo ad Christum conversos intelligit, tum quia primi qui Christi fidem in Pontum, etc. invexerunt, fuerunt advenæ Judæi : hi enim Judæos et Gentiles in Ponto degentes converterunt. Jure ergo advenarum quasi parentum suorum in Christo, nomine censentur, præsertim quia S. Petro peculiaris cura Judæorum incumbebat, sicut Paulo Gentium, Galat. 2. 7. tum quia pauci Ponti cives hoc tempore ad Christum conversi erant. Scripta enim est hæc Epistola paulo post apertum per Cornelium fidei ostium Gentibus, anno Christi 45. Major ergo pars Christianorum in Ponto erat advenarum : quare omnes S. Petrus vocat *advenas* per synecdochen.

ADVENIS DISPERSIONIS PONTI.] Hoc est, advenis Ponti ex dispersione : proscriptio enim peperit dispersionem, dispersio fecit exules et advenas Ponti : vel, q. d. Advenis dispersis per Pontum ; sæpe enim Hebræi abstracta usurpant pro concretis.

PONTI.] *Pontus* regio est Asiæ Minoris vicina Ponto Euxino : unde ab eo nomen accepit. Ponti Rex fuit Mithridates. Ex Ponto oriundus fuit Marcion hæresiarcha ; unde à Tertullian. l. 1. contra eum cap. 1. *vocatur mus Ponticus qui Evangelia corrosit.* Ponticus quoque fuit Aquila priscus Script. interpres. Ponitur Pontus hic primo loco. Unde Tertull. Cyprian. Hieron. Cassiod. citantes hanc Epistolam, vocant Epistolam ad Ponticos, sicut primam S. Joannis vocant Epistolam ad Parthos. Porro S. Leo serm. 1. de S. Petro et Paulo asserit S. Petrum Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, Bithyniam, legibus Evangelicæ prædicationis implevisse. Prædicavit ergo in Ponto Petrus, Ponticosque ad finem convertit. Ubi Nota efficaciam Evangelii de prædicationis S. Petri, utpote qui homines feros et barbaros ad legem et sanctimoniam Christianam traduxerit.

Quam enim Pontici fuerint barbari, docet Tertull. lib. 1. contra Marc. cap. 1. *Pontus*, inquit, *qui Euxinus natura negatur, nomine alludidur. Cæterum hospitalem Pontum nec de situ æstimes; ita ab humanioribus fretis nostris, quasi quodam barbariæ suo pudore secessit ; gentes ferocissimæ inhabitant, si tamen habitatur in plaustro. Sedes incerta, vita cruda, libido promiscua et plurimum nuda, etiam cum abscondunt, suspensis de jugo pharetris indicibus, ne temere quis intercedat. Ita nec armis suis erubescunt, Parentum cadavera cum pecudibus cæsa, convivio convorant. Qui non ita decesserint, ut escatiles fuerint, maledicta mors est. Nec feminæ sexu mitigantur secundum pudorem, ubera excludunt, pensum securibus faciunt, malunt militare quam nubere. Duritia de cœlo quoque dies numquam patens : sol numquam liber : unus aer, nebula : totus annus, hibernum : omne quod flaverit, Aquilo est. Liquores ignibus redeunt, omnes glacie negantur, montes pruina exaggerantur. Omnia torpent, omnia rigent ; nihil illic nisi feritas calet ; illa scilicet quæ fabulas scenis dedit, de sacrificiis Taurorum, et amoribus Colchorum, et crucibus Caucasorum. Sed nihil tam barbarum ac triste apud Pontum*

quam quod illic Marcion natus est, Scytha tetrior, Hamaxobio instabilior, Massageta inhumanior, Amazonia audacior, nubilo obscurior, hieme frigidior, gelu fragilior, Istro fallacior, Caucaso abruptior. Rursum in Ponto Pluto et Proserpina inferorum dii, humanis hostiis placabantur: ibi quoque antrum erat extracti Cerberi et Herculis descensus ad inferos, urbsque ipsa Cerberion vocabatur, ac regno Pontico sive Bosphorano inferni nomen inditum. Accolæ vocabantur Tauri Cimmerii (unde Cimmeriæ tenebræ) sive Cimbri, seu Cerberei, Heniochi, Colchi, Cappadoces, Paphlagones. Nonne infernus erat Cimmeria regio diis inferorum sacra, ubi striges, ubi Acherontis palus, ubi Cerberus? Vide Suidam, Strabonem et alios Cosmographos.

2. Secundum præscientiam Dei patris.] *Præscientia* significat providentiam et prædestinationem Dei, qua Ponticos elegit ad fidem et gratiam Christi et Christianismi, prôvidendo eis prædicatores aliaque opportuna media, quibus præsciebat eos auscultaturos et obedituros, ac oblatam Christi fidem et gratiam libere amplexuros. Unde præscientia hæc partim inchoata est et conditionata; partim perfecta, et absoluta. Inchoata est, quatenus per eam præscit Deus quid quilibet homo hac vel illa conditione, v. g. vocatione et gratia, sit facturus et libere electurus. Perfecta est, quatenus posita per Dei prædestinationem et decretum conditione, puta tali vel tali vocatione, videt Deus absolute voluntatem hominis libere ei consentire, credere et obedire. Prior præscientia à Theologis vocatur simplicis intelligentiæ; posterior visionis: hinc et electorum electio juxta priorem est inchoata tantum et conditionata, juxta posteriorem vero perfecta et absoluta. Prior significatur per τὸ *in sanctificationem*, uti legunt Latina; posterior per τὸ *in sanctificatione*, uti legunt Græca, de quo mox.

Porro maluit Petrus dicere *præscientiam*, quam prædestinationem, quia præscientia latius patet et plura innuit: nimirum Primo prædestinationem hanc fidelium ad fidem et gratiam factam esse sapientissime, utpote ab æterna Dei omniscii præscientia et providentia. Secundo: eam esse arcanam et inscrutabilem, utpote factam arcano divinæ mentis consilio et præscientia. Tertio, eam esse suavem æque, ac efficacem et infallibilem. Suavem, quia liberum arbitrium non coegit, sed suaviter allexit ad fidem, providendo illa media quibus præsciebat et prævidebat liberum arbitrium libere consensurum, et usurum ad suam salutem efficacem et infallibilem: quia providentia Dei cum omnia prospiciat et prævideat, quibus rationibus movenda sit voluntas hominis, dum eas illi suggerit, efficaciter et infallibiliter eam movet, flectitque ad libere consentiendum. Hoc est quod de æterna Dei Sapientia ait Sapiens c. 8. v. 1. *Attingit à fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* Quarto, eam prævenire nostra opera et merita, ac proinde esse liberalem et gratuitam, dignamque omni laude et gratiarum actione. Hoc enim significat τὸ *præ* et *pro* in præscientia et providentia. Quinto hanc Dei in suos electos quasi filios providentiam esse paternam, summam et divinam: illam enim significat τὸ *Dei patris*. Sexto, præscientiam hanc Dei non tantum esse speculativam, sed et practicam: includit enim Dei voluntatem, amorem, et decretum dandi gratiam, qua ad fidem, justitiam et salutem perducamur.

Porro S. Cyrill. lib. de Recta fide ad Reginas, et OEcum. hic, *præscientiam* referunt ad Petrum, Petrique apostolatum; quasi ille ipsi collatus sit per Dei præscientiam, id est providentiam: et proinde non dignitate, sed tempore dumtaxat inferior sit Jeremia, qui cap. 1. à Deo audivit: *Priusquam formarem te in utero, novi te.* Melius alii passim *præscientiam* referunt ad τὸ *electis*. q. d. Scribo electis, qui ad fidem à Deo electi et directi sunt per suavem ejus præscientiam et providentiam. Antistrophon Petri est illud Pauli: *Non repulit Deus plebem quam præscivit.* Rom. 11. 2. et: *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui*, Rom. 8. 29. et: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?* Rom. 11. 34. vide ibi dicta.

Dei Patris.] *Pater* hic accipi potest tum notionaliter, ut significet primam personam S. Trinitatis, quæ genuit Filium, tum essentialiter, ut significet Deum, qui tribus personis est communis. Hic enim est pater respectu hominum, angelorum et creaturarum omnium.

In sanctificationem Spiritus.] OEcum. hæc refert ad τὸ *Apostolus*. Unde omnia hæc sic contexit et explicat: *Petrus ex præcognitione Dei Patris missus Apostolus ad segregandos ipsi in Spiritu, et obedientes reddendos eos, qui aspersionem sanguinis Jesu expiatricem admiserant, vobis electis peregrinis ex dispersione Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, et Bithyniæ, gratia et pax multiplicetur.* Alii melius referunt ad τὸ *electis*. q. d. Electi estis à Deo ad sanctificationem Spiritus tum activam, ut scilicet Spiritus sanctus vos per gratiam infusam sanctificet; tum consequenter passivam, ut scilicet anima et spiritus vester à Deo, misso in vos Spiritu sancto sanctificetur; τὸ ergo *Spiritus* significat Primo, hanc sanctificationem esse proprium opus Spiritus sancti, ita tamen ut reliquæ duæ personæ S. Trinitatis non excludantur, sed potius in eo per divinam περιχώρησιν, id est *circumcisionem*, ut ait Damas. includantur. Unde mysterium sanctæ Trinitatis tresque ejus personas nominat hic sanctus Petrus: scilicet primam, dicens *Dei Patris;* secundam, dicens *Jesu Christi*, tertiam, dicens *Spiritus*. Rursum apposite Patri tribuit electionem, præscientiam et prædestinationem; Spiritui sancto sanctificationem; Filio aspersionem sanguinis: eo enim nos redemit et abluit à peccatis nostris. Secundo τὸ *Spiritus* significat hanc sanctificationem non esse carnis, uti erat illa legis veteris, sed spiritus. Tertio, in sanctificatione nobis infundi spiritum, puta habitum gratiæ, charitatis, cæterarumque virtutum, quibus imbuta mens nostra fiat spiritalis, imo spiritus; ut instar spirituum angelicorum, spirituali et angelica puritate et sanctitate placeat et serviat Deo. Porro hunc spiritum haurimus et participamus à Deo et Spiritu sancto, per illumque ei similes efficimur, juxta illud: *Qui adhæret Domino unus spiritus est*, 1. Cor. 6. 17.

Nota. Pro *in sanctificatione* græce est ἐν ἁγιασμῷ, id est *in sanctificatione*, vel etiam *in sanctificationem:* sæpe enim ἐν ponitur pro εἰς: utrumque verum, et huic loco congruum. Inchoate enim elegit nos Deus in sanctificationem, quando nos

ab æterno destinavit, et in tempore vocavit ad sanctitatem : perfecte vero elegit nos in sanctitate, quando jam libere credentes baptizatos et sanctificatos amat, et elegit ad suam gratiam, amicitiam, filiationem et hæreditatem. Idem dicit Paulus Ephes. 1. 4. et 1. Thess. 5. 23. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, et anima, et corpus, sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.* Vide ibi dicta. Moral. discant hic Christiani quanti facienda sit sanctitas; utpote ad quam ab æterno à Deo electi sint, qui ad hoc misit Christum in mundum, ut scilicet *serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris,* ut canit Zachar. Lucæ 1. v. 75. *Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra,* ait Paulus 1. Thessalon. 4. 3. Christiani ergo sibi à Deo et Christo dici putent illud Dei per Mosen : *Eritis mihi sancti; quia sanctus sum ego Dominus, et separavi vos à cæteris populis, ut essetis mei.* Levit. 20. 26. et c. 22. 32. *Ego Dominus qui sanctifico vos.* Orent ergo assidue cum Davide : *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me à facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, et Spiritu principali confirma me.*

In obedientiam et aspersionem sanguinis Jesu Christi.] Præpositio *in* potest Primo, significare causam meritoriam : ut sit idem, quod *per.* q. d. Electi sumus ad sanctitatem per obedientiam Christi usque ad mortem et per sanguinem ejus in cruce effusum, quo in baptismo aspersi et lustrati sumus. Ita Lyran. et Cajetan. Hebræum enim ב id est *in*, sumitur pro *per, propter, ex*, adeoque omne genus causæ significat, ut ostendi can. 25. in S. Paulum.

Secundo, Τὸ *in* significat causam finalem. q. d. Fideles electi sunt à Deo ad sanctitatem, hoc fructu et fine, ut ejus jussis obediant, et indies fructum majorem (Hebr. enim ב, id est *in*, cum accusativo significat augmentum) effusionis sanguinis Christi, puta perseverantiam et vitam æternam, consequantur in cœlo : hoc enim aspersionem sanguinis Christi nobis reseratur, ut ait Paulus Hebr. 9. 11. Per metonymiam ergo et metalepsin ponitur sanguis Christi pro reseratione cœli et cœlesti gloria, sicut causa ponitur pro effectu, meritum pro mercede : ut S. Petrus tres effectus prædestinationis divinæ assignet, scilicet electionem, obedientiam et vitam æternam per merita sanguinis Christi, sicut S. Paulus eosdem assignat, dum eos nominat vocationem, justificationem et glorificationem, Rom. 8. 30.

Tertio, *in* significare potest causam materialem. q. d. Electi sunt à Deo qui Christo obedientes se præstiterunt, et sanguinem Christi pro se effusum per fidem amplexi, eo se asperserunt et purificarunt. Ita sanctus Cyrillus de Fide ad Reginas, et OEcum.

Secundus sensus profundus est, sed obscurus et novus : nusquam enim ita accipitur aspersio sanguinis. Primus ergo planus est et usitatus, si quis tamen secundum cum multis sequi malit, dicat aspersionem sanguinis Christi metonymice poni pro fructu aspersionis sanguinis Christi, hoc sensu, q. d. Vocati estis ad sanctitatem, hoc fine ut Christo obediendo, ejusque sancta præcepta et monita sequendo, ejusque redemptionem, sanguinem et mortem indies commemorando, magis magisque ejus fructum percipiatis; ut scilicet indies in omni virtute et sanctitate crescatis et proficiatis, usque ad finem vitæ, itaque cœlestis gloriæ thesauros consequamini.

Nota. Sanguinem Christi hic fidelibus proponit S. Petrus, quasi balneum quoddam pretiosissimum ad sanctificationem, hoc est, ad sanandos omnes animi morbos, omnesque virtutes (quæ non aliud sunt quam sanitates animæ) conciliandas et augendas efficacissimum, quod proinde crebro omnique die et hora usurpare debeamus. Alludit ad aspersionem sanguinis victimarum veteris testamenti, in qua omnis illius ævi purificatio et sanctimonia consistebat, uti ostendi Levit. 1. maxime vero alludit ad aspersionem leprosi mundandi : hic enim die octavo aspergebatur sanguine victimæ, eoque mundabatur ab immunditia legali, quæ arcebat eum quasi irregularem à templo hominumque convictu, qua hucusque ob lepram irretitus fuerat, Levit. 14. Leprosus enim typice figurabat peccatorem, qui à lepra peccati mundatur per aspersionem, id est, applicationem sanguinis Christi, quæ fit per baptismum aliaque Sacramenta, item per fidem, contritionem et bona opera. Hoc est quod prædixit Isaias c. 52. 15. *Iste asperget gentes multas.* q. d. Christus suo sanguine per aquam baptismi multos abluet à peccatis, justificabit et sanctificabit. Hoc est quod orat David Psalm. 50. *Asperges me Domine hyssopo, et mundabor.* q. d. Sicut olim leprosus typice mundabatur per aspersionem hyssopi sanguine victimæ tincti, ita aspersione sanguinis Christi, qui vere est hyssopus sanguineus Agni immaculati mundans peccata, elue et emunda meum reatum homicidii et adulterii. Orat enim per sanguinem et merita Christi venturi, per hyssopum, sanguinem et agnum præfigurati, sibi remitti peccata, ita S. Ambros. de Apolog. David cap. 12. Sic Apostolus Hebr. 10. 22. *Aspersi*, ait, *corda à conscientia mala*, id est, in cordibus sanguine Christi per baptismum lustrati et purgati à peccatis. Unde explicans subdit : *Et abluti corpus aqua munda* baptismi. Aspersio ergo sanguinis, idem est quod lustratio et purificatio è peccatis, quæ fit per sanguinem Christi. Vide dicta Hebr. 9. 13.

Porro hæc aspersio, id est, applicatio sanguinis Christi, adhibetur animæ, Primo, per baptismum, aliaque Sacramenta, præsertim Eucharistiæ : in ea enim realiter comedimus corpus, et bibimus sanguinem Christi. Secundo, per fidem et orationem ; obsecrando scilicet ut Deus per merita sanguinis Christi nobis peccata remittat, gratiam donet, virtutes largiatur et augeat. Sic Ecclesia omnes orationes et collectas concludere solet dicendo : *Per Dominum nostrum Jesum Christum,* etc. Tertio, per rememorationem et meditationem passionis Christi ; hac enim gratos nos exhibemus Christo, ejusque pretiosam redemptionem celebramus, ac per eam beneficia speramus, poscimus et impetramus. Atque hac de causa Christus sacrificium Missæ et Eucharistiæ instituit, ut in eo jugiter tantam passionis ejus dignationem recoleremus, et cum omni gratiarum actione celebraremus, juxta illud : *Hoc facite in meam commemorationem.* Et : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat,* 1. Corinth. 11. 26. Quarto, uniendo operationes et passiones nostras actionibus et pas-

sionibus Christi : hoc enim Christo perhonorificum, Patri gratissimum, nobis utilissimum est : dum enim nostra exilia opera unita operibus divinis Christi, iisque quasi vestita et inaurata, ejusque sanguine purpurata Deo Patri offerimus ; conciliamus ejus oculos (ut respiciat in faciem Christi sui) et gratiam, ac impetramus quod obsecramus. Unde viri pii et sapientes idipsum studiose factitant. Hoc est quod ait Paulus Hebr. 12. 24. *Accessistis*, etc. *ad testamenti novi mediatorem, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel*, quia sanguis Abel clamat vindictam, Christi misericordiam.

Gratia vobis et pax multiplicetur.] Gratiam intellige tum increatam in Deo, tum creatam in nobis. Increata est, benevolentia, amor, favor, quo suos prosequitur : creata, est gratia, donaque quæ Deus ex amore gratis in animam infundit. Gratiæ effectus et comes est pax triplex, scilicet pax cum Deo, nobiscum, et cum proximis. Itaque S. Petrus tam pacem quam gratiam in fidelibus augeri et perfici precatur, exemplo Christi, qui discipulos post resurrectionem salutans ait, *Pax vobis*, præsertim quia ipse eam non tantum promisit, sed et dedit, dicens *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, Joan. c. 20. unde S. Cyril. lib. 12. in Joan. c. 53. et 54. et l. 10. c. 7. Lex, ait, quædam Ecclesiæ tradita est : in sanctis enim congregationibus hæc sæpius ad invicem dicimus. Pacem enim et ad nos, et ad Deum habere, fons et origo omnium bonorum est. Quare Paulus quoque omne bonum fidelibus optans dicit : *Gratia vobis et pax.* Porro Cyrillus, pacem quam Christus optabat et relinquebat Apostolis, censet esse Spiritum sanctum, quia scilicet ipse est pax causalis ; causat enim pacem. Sic Christus dicitur esse pax nostra, Ephes. 2. 14. id est, pacificator noster qui pacem inter nos et Deum conciliavit.

3. Benedictus Deus.] Orditur à benedictione, gratiarum actione et laude Dei, quia celebrat ingens beneficium redemptionis Christi, nostræque per eum vocationis ad gratiam et gloriam æternam. Idem facit Paulus toto c. 1. ad Ephesios, quo mire hoc Dei beneficium extollit, scrutatur et admiratur. Quin et Gentiles nonnulli suas epistolas et libros à Deo inchoant. Ita Aratus sua Phænomena orditur : *A Jove principium*, etc. uti recensui Actor. 17. v. 28. Porro hæc Dei laus et benedictio est vox angelica, et inchoatio vitæ beatæ. Beati enim in cœlis absorpti in mare divinitatis non nisi Deum laudant et glorificant, Apoc. 4. 8. et 10. vide ibi dicta.

Moral. Nota, corda et ora Sanctorum esse quasi altare thymiamatis, quod jugiter thymiama divinæ laudis exhalat et quasi apiarium, imo favos, qui perenniter doxologiæ mella stillant, ut cum S. Job, tam in prosperis quam in adversis dicant : *Sit nomen Domini benedictum*, et cum Psalte psal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore*, et cum tribus pueris in camino ignis : *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate et superexaltate eum in sæcula*, Daniel. 3. et cum Zacharia : *Benedictus Dominus Deus Israel : quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ*, Lucæ 1. et cum B. Virg. *Magnificat anima mea Dominum.* Ita Paulus omnes pene suas Epistolas orditur à gratiarum actione, vel benedictione Dei.

Pater Domini nostri Jesu Christi,] tum quoad divinitatem, per generationem ei communicatam ab æterno ; tum potius quoad humanitatem, quam per operationem Spiritus sancti in tempore ipsi efformavit in utero B. Virginis, qua ratione tota S. Trinitas dicitur Pater Christi et Christianorum : nomen enim *Jesus* est nomen humanitatis Christi, non divinitatis. Passim quippe Apostoli celebrant mysterium incarnationis Christi ; tum quia novum, tum quia per illud peracta est redemptio nostra : quia non nisi per ejus fidem et merita justificamur et salvamur.

Qui secundum misericordiam suam magnam.] Causam cur Deum benedicat, dat magnam ejus misericordiam nobis per Christum exhibitam. Alludit ad illud Psalm. 50. 1. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Et Psalm. 144. 9. *Miserationes ejus super omnia opera ejus.* Et Psal. 107. 5. *Magna est super cœlos misericordia tua.* S. Petro succinit Paulus 2. Cor. 1. 3. *Benedictus Deus*, etc. *pater misericordiarum, et Deus totius consolationis.* Et Eph. 2. 4. *Deus autem, qui dives est in misericordia, per nimiam suam charitatem qua dilexit nos.*

Porro misericordia Dei magna, id est maxima et immensa est, Primo, ex causa efficiente, quia promanat à Deo, ejusque amore in nos immenso : tanta ergo est quanta est deitas cum qua unum est idemque. Secundo, ex objecto, quia scilicet donavit nobis filium suum unigenitum, ut in eo viscera sua in nos effudisse videatur, juxta illud Zachariæ : *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus nos visitavit oriens ex alto.* Lucæ 1. Magna ergo est quia Deus immensus se exinanivit usque ad mortem, mortem autem crucis, ut hominis sibi inimicissimi misereretur, eumque ab æterna miseria liberaret. Tertio, ex subjecto, quia nos homines, quasi vermes vilissimos plenos peccatis, omnique miseria ad se evocavit, et evexit ad suam gratiam et gloriam juxta illud : *Abyssus* humanæ miseriæ *abyssum* divinæ misericordiæ *invocat*, Psalm. 41. 8. Quarto, ex copia donorum, quia innumera beneficia, gratias et dona nobis contulit, et conferre non cessat. Unde S. August. conc. 2. in Psal. 58. *Totum*, ait, *quidquid sum, Domine, de misericordia tua est : ut enim essem, quid feci ? ut essem qui te invocarem, quid egi? quia ergo nemo te in misericordia largior, à quo accepi ut essem, ab illo accepi ut bonus essem, Deus meus misericordia mea.* Quinto, magna est loco et tempore, quia ad omnes homines omnium locorum, temporum et sæculorum se extendit, juxta illud Psalm. 32. 5. *Misericordia Domini plena est terra.* Rursum in Sanctis durat in æternum. Sexto, ex fine, quia ducit nos ad magnum suum regnum, suæque hereditatis et gloriæ immensæ nos participes facit et consortes, juxta illud Psaltis : *Clamavi ad te Domine; dixi : Tu es spes mea, portio mea in terra viventium*, Psal. 141. 6. Magna ergo est, Primo, quia à magno manat Deo ; Secundo, quia per magnum datur Christum ; Tertio, quia magnam levat miseriam ; Quarto, quia magna dat dona ; Quinto, quia magnas ambit gentes, loca et tempora ; Sexto, quia magno nos beat Cœlo et Deo.

Regeneravit nos in spem vivam.] Regeneratio est duplex : Prima est justificatio et sanctificatio, qua à morte peccati suscitamur et revocamur ad vitam gratiæ perditam in lapsu Adami : hæc dicitur regeneratio, id est, iterata et se-

cunda generatio : quia prima generatio fuit in Adamo, qua Deus Adamum, et in eo posteros omnes creavit in gratia ; per eamque filios suos effecit ; ideoque in spiritu genuit : secunda generatio, hoc est regeneratio, est qua lapsi et mortui per Christum revocamur ad primævam vitam et gratiam quam habuimus in Adamo, ante lapsum. Regeneratio secunda est resurrectio : per illam enim à morte suscitamur, et in novam vitam quasi regeneramur, puta cœlestem, beatam et æternam ; hæc dicitur regeneratio respectu primæ generationis, qua à parentibus nostris geniti sumus in vitam hanc naturalem et mortalem. Utroque modo hic accipi potest.

Juxta primam enim sensus erit, q. d. Deus per Christum, Christique baptismum et gratiam nos regeneravit, id est justificavit, et ad vitam gratiæ revocavit, *in spem vivam*, id est, hoc fine et fructu, ut scilicet per gratiam speremus consequi gloriam et vitam æternam.

Juxta secundam sensus erit, q. d. Christus nos suo sanguine aspergens, purificans, sanctificans et vivificans regeneravit, id est, resuscitavit nos ad gloriam et vitam beatam, *in*, id est, per spem vivam. *Spe* enim *salvi facti sumus :* hæc enim spes ex parte Dei promittentis ita est viva, certa et efficax, ac si rem speratam, puta vitam beatam, nobis reipsa daret, et in manus consignaret. Quo sensu ait Paulus : *Habemus per fidem accessum in gratiam istam, in qua stamus et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei,* Rom. 5. v. 2. et : *Conresuscitavit et consedere fecit in cœlestibus,* Ephes. 2. 6. q. d. Christus resurgendo et ascendendo in cœlum nos secum evexit, sibique assidere fecit in cœlo : adeo enim certi sumus, si Christo inhæreamus, nos illi assessuros in cœlo, ac si jam ei assideremus : *quo enim præcessit gloria capitis, eo spes vocatur et corporis,* ait S. Leo. Unde S. Aug. in Medit. cap. 15. *Hæc tota,* ait, *mihi est spes, omnisque fiducia est in ipso Jesu Christo, qui uniuscujusque nostrum portio est, caro et sanguis. Ubi ergo portio mea regnat, ibi me regnare credo : ubi caro mea glorificatur, ibi me gloriosum esse recognosco : ubi sanguis meus dominatur, ibi me dominari sentio.* Unde

Tertio, sic exponi potest, ut spes viva vocetur ipsa regeneratio, q. d. Regeneravit, id est rursum generavit et vivificavit nos, dando nobis non rem, puta gloriam, sed ejus spem vivam : hæc enim spes viva est, quasi anima et vita Christiani, qua vivit vigetque in laboribus et tribulationibus pro Christo ; quia scilicet sperat ab eo vitam æternam : illam enim vitam per spem præcipit, ut videatur jam illam possidere, illaque vivere, ac proinde per spem jam videtur regeneratus et resuscitatus. Inde enim spem vocat *vivam*, quia scilicet fideles remunerat et vivificat, de quo mox plura. Ubi adverte τὸ *in*, phrasi Hebræa significare augmentum spei vivæ. q. d. Regenerat nos Deus, indiesque magis in Christianismo vividos et vegetos facit per spem, quam indies majorem magisque vivam in nobis suscitat, per nova auxilia et robora gratiæ per continuam opem, directionem et protectionem, per varias consolationes, quas in mediis tribulationibus et desolationibus majores et copiosiores quotidie nobis suggerit et aspirat.

In spem vivam.] Dicitur *spes viva.* Primo, quia sperat vitam æternam. Unde S. Hieron. lib. 1. contra Jovin. legit *in spem vitæ.* Alii apud S. August. l. 1. de Peccat. merit. c. 27. legunt *in spem vitæ æternæ.* Metonymice ergo *spes viva* ponitur pro vita sperata, sive pro re viva obtinenda per spem. Significanter vero ait, *vivam*, ut indicet vitam præsentem esse mortalem et mortuam, magisque esse mortem quam vitam. Nam, ut ait S. Gregor. homil. 37. in Evangel. *Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda, quam vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud, quam quædam prolixitas mortis ?*

Secundo, quia spes hæc non est fallax et dubia, qualis est mundanorum sperantium opes et honores, sed verax et certa, ut, nisi per nos steterit, certo gloriam speratam simus adepturi, ait Beda. Tertio, quia hæc spes nunquam moritur, nec interit, sed semper vivit, donec ad rem speratam nos perducat. Quarto : spes dicitur *viva*, quia fidelium vitam sustentat, ut in mediis tribulationibus vivant læti, in viva spe gloriæ : spes ergo dat eis vitam et animos, facitque eos vivere et vigere in quibusvis adversitatibus. Unde Philo lib. *quod deterius potiori insidiatur : Quid enim,* ait, *homini magis potest esse proprium quam spes et exspectatio possessionis bonorum accipiendorum à solo munificentissimo Deo ? Quod genus hominum, si vera fateri volumus, proprie hominum est ; tanquam hi qui non sperant in Deum, extra naturam rationalem censeantur.* Ita Paulus : *Quod autem nunc vivo in carne,* inquit, *in fide* (et spe : hanc enim parit et includit fides) *vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me,* Galat. 2. v. 20. Homo enim desperans languet instar mortui, sperans vero vivit et valet, juxta illud Tibull. lib. 2.

——Credula vitam
Spes fovet, et melius cras fore semper ait.
Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis
Semina.
Spes etiam valida solatur compede vinctum.

Vide S. Bernard. serm. 7. in Psalm. *Qui habitat : In spe,* ait, *vivimus, frater, nec discimus in tribulatione, quod in exspectatione simus ineffabilium gaudiorum. Neque enim vana nobis hæc exspectatio, aut dubia spes videtur innixa æternæ promissionibus veritatis. Deinde etiam ex perceptione præsentium munerum, firma est exspectatio futurorum ; et præsentis gratiæ virtus nimis credibiliter attestatur felicitatem promissæ gloriæ sine dubio secuturam. Nempe Dominus virtutum ipse et est Rex gloriæ, gratiam et gloriam dabit Dominus. Viriliter ergo sustineat in hoc sæculo pietas colluctationem, et persecutionem quamlibet æquanimiter patiatur.*

Quinto, spes dicitur *viva*, id est, vegeta et virens. Sicut enim Ezechiel c. 37. 4. Judæorum in Babylone desperationem de liberatione et reditu in Jerusalem repræsentat per ossa arida, ita eorumdem spem excitat et vivificat per visionem, qua vidit hæc ossa reviviscere. Unde S. Gregor. 31. Moral. c. 34. vel 18. *Arentia,* ait, *corda sunt hominum, quæ in hujus sæculi spe perituræ plantata, æternitatis fiduciam non habent : virent autem, quæ illi hereditati inhærent. Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me,* Psal. 4. 10. et : *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum,* Psal. 30. 1.

Sexto, sicut aquæ stantes et stagnantes dicuntur mortuæ, fontanæ vero et fluentes dicuntur

viva, quia vita, id est, vitalis operatio, consistit in actione et motu ; ita *spes viva* dicitur, quæ hominem excitat ad vivas et heroicas actiones virtutum, quibus gloriam speratam adipiscatur. Hinc ait Paulus : *Sancti per fidem* (utique et spem) *vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum, acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos : alii autem distenti sunt non suspicientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem*, etc. *Lapidati sunt, secti sunt, tentati, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt in melotis*, etc.

Denique Clemens Alexandr. 1. Pædagog. c. 6. spem censet vocari *vivam*, eo quod spes fidei det vitam, ejusque quasi sit anima. *Ecclesia*, inquit, *constat corpore scilicet fide ; anima vero spe, uti Christus constat carne et sanguine* (sanguinem enim veteres putarunt esse substantiam animæ.) *Revera enim sanguis fidei est spes, in qua continetur, sicut fides ab anima. Cum autem spes expiraverit, perinde ac si sanguis effluxerit, vitalis fidei facultas dissolvitur.*

Hac spe viva excelluit S. Martinus, cum Juliano Apostatæ metum exprobranti respondit : *Ego signo crucis non clypeo protectus aut galea, hostium cuneos penetrabo securus*, et cum à latronibus captus dixit se nihil prorsus timere : *Scio enim*, inquit, *Deum in majoribus periculis magis adesse suis in se confidentibus.* Et cum in morte diabolo dixit : *Quid hic astas cruenta bestia? nihil in me funeste reperies*, et suis : *Sinite me cœlum potius quam terram aspicere, ut suo jam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur.* Plura recensui Jeremiæ c. 1. 18. et c. 17. 8.

Per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis.] Refert hæc Primo, ad τὸ *in spem vivam*, q. d. Spes nostra est viva, sperans vitam æternam, quia in hanc præcessit Christus caput nostrum per resurrectionem ; ut nos secum quasi membra in eamdem induceret. Spes enim viva dicit : Spero me resurrecturum, quia Christus redemptor meus resurrexit, non tantum pro se, sed et pro me, ut scilicet me à morte ad vitam et gloriam suscitaret. Secundo, refer ad τὸ *regeneravit*. q. d. Deus nos regeneravit, id est, suscitavit tam à peccato ad gratiam, quam à morte ad vitam æternam per resurrectionem Christi : hæc enim fuit causa non tantum exemplaris, sed et efficiens nostræ resurrectionis, idque Primo, quia Christus sua passione et morte, cujus finis et terminus fuit resurrectio, meruit nobis utramque suscitationem.

Secundo, quia Christus resurgens mortem plane devicit eamque non tantum in se, sed et in nobis quasi ejus domitor et triumphator profligavit. Unde ait Paulus Roman. 4. 25. *Qui traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter justificationem nostram.* Vide ibi dicta et c. 6. v. 4. *Ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus : si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus.*

Tertio, quia Christus qui resurrexit in die judicii, partim per se, partim per angelos, nos resuscitabit, juxta illud Philip. 3. 20. *Nostra autem conversatio in cœlis est ; unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.*

Præclare S. Hieron. ad Heliodorum in Epitaphio Nepotiani : *Qui*, inquit, *per Osee quondam tibi rigidus minabatur : Ero mors tua, ó mors, ero morsus tuus, inferne ; illius morte, tu mortua es ; illius morte nos vivimus : devorasti, et devorata es : dumque assumpti corporis sollicitaris illecebra, et avidis faucibus prædam putas, interiora tua adunco dente confossa sunt. Gratias tibi, Christe Salvator, tua agimus creatura, quod tam potentem adversarium nostrum, dum occideris, occidisti.*

Spes ergo nostra, æque ac amor et jubilus cordis nostri, est Christus. Audi S. Bernard. serm. 9. in Psalm. *Qui habitat : Quoniam tu es Domine spes mea. Quidquid igitur agendum sit, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum, tu es Domine spes mea. Hæc una mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis. Prætendat alter meritum, sustinere se jactet pondus diei et æstus, jejunare bis in sabbato dicat, se non esse sicut cæteros hominum glorietur : mihi adhærere Deo bonum, ponere in Domino spem meam. Sperent in aliis alii forte hic in scientia litterarum, hic in astutia sæculi, ille in nobilitate, ille in dignitate : ille in alia qualibet vanitate confidat : propter te omnia detrimenta feci, et ut stercora arbitror, quoniam tu es Domine spes mea. Si mihi præmia promittuntur, per te obtinenda sperabo. Si insurgant adversum me prælia, si sæviat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro adversus spiritum concupiscat, in te ego sperabo. Fratres, hoc sapere, ex fide vivere est ; nec alius ex sententia dicere potest : Quoniam tu es Domine spes mea*, etc. *Et quid enim si hæc sapimus, ut quid cunctamur abjicere omnes spes miseras, vanas, inutiles, seductorias, et huic uni tam solidæ, tam perfectæ, tam beatæ spei tota devotione animi, toto fervore spiritus inhærere?*

Ex mortuis,] ex numero, statu et loco mortuorum, puta ex sepulcro et inferno.

4. In hereditatem.] Refer ad *regeneravit*. q. d. Regeneravit nos Deus in baptismo, suosque filios effecit, ut hereditatis suæ faceret participes et heredes. Ideo enim parentes generant filios, ut eos habebant heredes. Posset quoque referri ad τὸ *spem vivam*. q. d. Regeneravit nos in spem vivam, quæ sperando tendit in hereditatem, sive quæ est spes hereditatis incorruptibilis. Hebræi enim sæpe per ב, id est *in*, cum accusativo, significant regimen genitivi.

Porro hereditas hæc, quam Deus filiis suis dilectis et electis dabit, est regnum cœlorum, ipseque Deus totus quantus quantus est. Beati enim videndo et contemplando Deum, eo fruuntur, gaudent, et beantur in æternum. Ita sanctus August. serm. 19. de Temp. *Unam*, ait, *cum sanctis angelis civitatem habemus, à Domino possidebimur, hereditas nostra erit ; quoniam et modo dicimus : Dominus pars hereditatis meæ. Et de nobis dictum est : Postula à me, et dabo tibi Gentes hereditatem tuam.*

Incorruptibilem,] natura et substantia. Opponit hoc epithetum hereditati. Primo, Judæorum, quorum hereditas in terra promissa lacte et melle manante, puta in Chanaan, fuit corruptibilis, quia caduca et modici temporis. Secundo hereditati Chiliastarum, sive Millenariorum, qui dicebant Sanctos mille annos duntaxat reg-

naturos in hac vita, quorum auctor fuit Cherintus S. Petro coævus et antagonista : de quo plura Apocal. 20. 4. Tertio, errori Origenis, qui ex Platone docebat, post annum magnum, puta post duodecim, vel, ut alii, 36. annorum millia, omnia revolvenda, et reditura ad pristinum vel primævum statum ; ideoque Beatos in cœlo ad præsentem vitam redituros. Ita Didymus. Quarto hæreditati terrenæ, quam parentes filiis corruptibilibus corruptibilem relinquunt ; Christiana enim hæreditas est immortalis, incorruptibilis, æterna, quæ nec morte, nec senio, nec tempore ullo mutatur, aut corrumpitur ; quia hæc hæreditas est cœlum empyreum, quod est incorruptibile, imo est ipse Deus immortalis, ut paulo ante dixi. Animæ enim immortali immortalis hæreditas et felicitas uti debetur, ita et adæquatur. Vere S. August. in Psal. 149. Deus, ait, erit hæreditas nostra, *quæ nec minuitur copia possessorum, non fit angustior numerositate cohæredum : sed tanta est multis, quanta paucis ; tanta singulis, quanta omnibus ; cum in creata hæreditate longe aliud eveniat. Tunc pariter corpus hoc corruptibile induet incorruptionem, et mortale hoc immortalitatem*, ut ait Apost. 1. Corinth. 15. 53.

Et incontaminatam.] Opponit id errori Judæorum, Chiliastarum, Mahometi et Saracenorum, quia paradisum expectant, in quo omni voluptate carnis fruantur, omnique luxu et libidine se contaminent. Rursum errori Origenis, qui dicebat animas Beatorum post annum magnum è cœlis et consortio angelorum redituras ad carnem hanc miseram et contaminatam. Contra hos ait Petrus cœlestem hæreditatem fore uti incorruptibilem, ita pariter puram semper, et incontaminatam ab omni non solum culpa, sed et à qualibet sorde, vitio et nævo. Quocirca Apocal. 21. 27. de ea dicitur : *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum.* Et Psal. 23. 3. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam.*

Pro *incontaminatam*, græce est ἀμίαντον, id est *impollutam*, defæcatam, incontaminatam, immaculatam, puram. Unde Amiantus lapis vocatur, qui in Cypro nascitur, scissili alumini similis, quo utpote lento, tales conficiunt, quæ in ignem conjectæ accenduntur quidem, aguntque flammam, sed nulla amissa parte nitidiores evadunt, teste Dioscor. lib. 5. c. 113. et Plinio l. 36. c. 19. qui ait : *Amiantus alumini similis, nihil igni deperdit.* Unde idem l. 19. c. 1. eumdem linum vivum appellat, sed fallitur, dum censet vere esse linum, quod in India nascatur, cum sit lapis, vel alumen. Quare amiantus, divinitatis, utpote purissimæ, est imago et symbolum, qua de causa Brachmanes ex amianto vestes sibi conficiebant, ut divinitatis de se specimen ederent : ex eo quoque funebres regum vestes texebantur, ut illis tecti corporum in rogum injectorum cineres à cinere lignorum secerni possent, ait Mathiol. in Diosc. l. 1. c. 113. et Plin. l. 19. c. 1.

Nota Secundo, *incontaminatam*, id est *incontaminabilem*, ut vertit Pagnin. et Tigurin. ; hoc enim significat Græcum ἀμίαντον, æque ac ἀμάραντον significat *immarcescibilem*, potius quam *non marcescentem.* Hæreditas enim cœlestis non tantum actu est pura et incontaminata, sed et habitu ac potentia, quia contaminari nequit, nec ulla illius rei labe infici potest. Sic Aggæi 2. dicitur : *Veniet desideratus*, id est desiderabilis, *cunctis gentibus.* Hebræi enim sæpe participia passiva usurpant pro verbalibus in *bilis*, quibus carent, ut Sophon. 2. 1. *Gens non amabilis*, Hebr. *non amata.* 2. Reg. 1. *Saul et Jonathas amabiles ;* Hebr. *amati.* Psal. 136. *Mirabilia opera tua ;* hebr. *mirata.* Idem imitantur Græci et Latini, ut Gal. 2. *Quoniam reprehensibilis erat*, græce κατεγνωσμένος, id est *reprehensus erat.* Virg. 7. Æneid.

> Dives inaccessos ubi Solis filia lucos ;

inaccessos, id est inaccessibiles. Idem. l. 8. *Hæret inexpletum lachrymans*, id est inexplebiliter.

Significat ergo τὸ *incontaminatam*, hæreditatem cœlestem fore plane puram : primo, ab omni peccato etiam levissimo, imo ab omni potestate peccandi ; secundo, ab omni sorde sordisque periculo ; tertio, ab omni carnali voluptate, imo ab omni concupiscentia, juxta illud Christi : *In resurrectione neque nubent, neque nubentur ; sed erunt sicut angeli Dei.* Matt. 22. 30.

Fidelium enim hæreditas et beatitudo in cœlis erit spiritualis, angelica, divina : quam proinde S. Joan. Apoc. 21. 19. vidit per aurum, smaragdum, beryllum, jaspidem, aliasque gemmas purissimas, æque ac pretiosissimas repræsentari. Unde S. August. in Medit. paradisum cœlestem describens :

> Solis gemmis, ait, hæc structura nectitur ;
> Auro mundo tanquam vitro urbis via sternitur,
> Abest limus, deest fimus, lues nulla cernitur.

Tropol. Beda, fideles, ait, ut assequantur hæreditatem cœlestem in hac vita faciunt hæreditatem Dei *incorruptibilem, ne ullo lethali crimine corrumpantur ; incontaminatam, ne mediocribus culpis inquinentur ; immarcescibilem, ne levissimis et quotidianis culpis marcescant ; denique conservatam in cœlis, quia hac sanctitate prædíti Beatorum cœtui, citra ullam dubitationem, si perseveraverint usque in finem, aggregabuntur.*

Hanc incontaminatam et immortalem hæreditatem ambiebat S. Casimirus Casimiri Poloniæ regis filius, qui in morbum incidens cum à Medicis audiret, se eo levari non posse nisi uxorem duceret, ac parentes ad id eum urgerent, respondit generose : *Nullam aliam novi vitam, nisi cœlestem illam incontaminatam immortalitatem, ob quam eligo virgo mori*, instar Armelini, qui luteo aggere circumdatus eum transire et fugere non vult, ne luto se inquinet, sed sinit se à venatoribus capi, itaque tacite ait : *Malo mori quam fœdari.* Virgo ergo, et virginitatis victima occubuit anno ætatis 24. Christi 1484. jure cœlo, et cœliti Virginum Martyrumque mysticorum choro ascriptus. Ita habet ejus Vita.

Immarcescibilem, ἀμάραντον, id est quæ nequit μαράνεσθαι, id est *marcescere.* Unde S. August. lib. 1. Peccat. merit. cap. 27. legit *florentem.* Est enim metaphora à floribus, foliis et fructibus, qui mox ut plane efflоruerunt et maturuerunt, illico marcescunt, flaccescunt, putrescunt. Unde iis adversus *amarantus* flos nomen habet ab immortalitate, quoniam non marcescit : de quo Plinius l. 21. c. 8. *Amaranto*, inquit, *non dubie vincimur. Est autem spica purpurea verius quam flos aliquis, et ipse sine odore : mirumque in eo gaudere decerpi, et lætius renasci. Provenit Augusto mense, durat in autumnum. Alexandrino palma, qui decerptus asservatur. Mi-*

rumque postquam defecere cuncti flores, madefactus aqua reviviscit, et hibernas coronas facit. Verum Clemens Alex. lib. 2. c. 8. docet plenum amarantum in cœlo dumtaxat reperiri : *Pulchra*, inquit, *amaranti corona illi reposita est, qui recte se gesserit : hunc florem terra ferre non potest, cœlum solummodo cum ferre potest.* Juxta quod sensus B. Petri erit, q. d. In cœlo tandem amaranti coronam assequi licebit : nec enim tellus florem aliquem immarcescibilem parit. Sanctorum ergo hæreditas et corona erit amarantina et immarcescibilis, quia non tantum quoad substantiam erit incorruptibilis, sed et quoad qualitatem, speciem et voluptatem, semper in eodem flore, vigore et decore permanebit. Secus est in marmoribus et gemmis, quæ licet sint incorruptibiles, politæ tamen tantum ad tempus vigent et splendent; nam cum tempore splendorem illum et speciem deperdunt, fuscantur et quasi senescunt. Ex adverso in cœlis Sanctorum gloria et felicitas semper erit recens, semper florens, semper virens : unde post centum annorum millia tam suavis, tam jucunda erit, tamque mentem Beatorum delectabit, quam oblectabat primo die, quo illum perceperunt. Cujus rei causa est, quod hæc gloria et delectatio quaquaversum sit constans, immutabilis, sui semper similis, immarcescibilis et infinita, quasi mare quoddam gaudiorum. Hoc est quod de ea canit S. August. in Medit.

> Hiems horrens, æstas torrens illic nunquam sæviunt.
> Flos perpetuus rosarum ver agit perpetuum.
> Candent lilia, rubescit crocus, sudat balsamum :
> Virent prata, vernant sata, rivi mellis influunt,
> Pigmentorum spirat odor, liquor et aromatum,
> Pendent poma floridorum non lapsura nemorum.

Secus est in gaudiis terrenis, quæ omnia licet maxima videantur, longo tamen usu fastidiunt et nauseam pariunt, imo quo magis gustantur, eo minus sapiunt : in iis ergo sapere parit desipere, uti notat S. Gregor. homil. 36. in Evangel. Hoc est quod ait Sapiens Eccli. 24. v. 29. *Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient.* Et S. Petrus c. 2. 12. *In quem desiderant angeli prospicere.*

Beati ergo visione Dei ita satiantur, ut tamen æque semper ad eam anhelent, eumque jugiter intueri desiderent. In nullo ergo minuitur eorum felicitas, sive quoad rem possessam, sive quoad ejus speciem et pulchritudinem, sive quoad ejus sensum, gustum et voluptatem, Tanto enim sui sensu, gustu et voluptate afficit Beatos post mille annos, atque affecit primo die. Immarcescibilis ergo est. Primo, quia ætate non senescit. Secundo, quia tempore non deflorescit. Tertio, quia specie non flaccescit. Quarto, quia sapore non marcescit. Quinto, quia maturitate non putrescit. Sexto, quia rugositate non decrescit. Septimo, quia æstimatione non vilescit. Ex adverso omnis hujus vitæ voluptas, ait Seneca lib. de Vita beata c. 6. *tunc cum maxime delectat extinguitur, nec multum loci habet : itaque cito implet, et tædio est, et post primum impetum marcet : nec id unquam certum est, cujus in motu natura est : ita non potest quidem ulla esse substantia, quod venit transitive, celerrime in ipso usu sui periturum : eo enim pervenit, ubi desinit; et dum incipit, spectat ad finem.*

CONSERVATAM IN CŒLIS IN VOBIS,]εἰς ὑμᾶς, id est *in vos*, id est *vobis*. Unde Syrus : *quæ parata est vobis*. S. Hieron. lib. 1. contra Jovin. *quæ servatur in cœlis in vobis*, id est *vobis*. Hinc Paulus ait eam *absconditam in Deo*. Coloss. 3. v. 3. Hinc et Christus electis dicet in die judicii : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Matt. 25. 34. Hæc ergo hæreditas nobis quasi filiis à Deo certo paratur et servatur, ut de ea dubitare non debeamus, si tamen ejus filiationem, gratiam et amicitiam constanter usque ad mortem retineamus; idque significari putat Glossa voce *conservatam :* quasi ea significetur cooperatio nostra, nostrique liberi arbitrii. Verum minus recte : nam græce est τετηρημένην, id est *servatam.*

Nota. Hæreditatem cœlestem explicat S. Petrus per quatuor prædicamenta, Substantiæ, Qualitatis, Quando, et Ubi, sive temporis et loci. Substantia enim ait eam esse incorruptibilem; qualitate incontaminatam; tempore immarcescibilem; situ et loco cœlestem : in cœlis enim eam nobis asservari. Porro inter hæc quatuor est apta connexio et ordo : nam ex primo cætera ordine consequuntur. Quia enim hæreditas est ἄφθαρτος, id est *incorruptibilis*, natura sua, hinc qualitate est ἀμίαντος, id est *incontaminata :* quæ enim per essentiam sunt incorruptibilia, illa pariter sunt immista, incomposita; ideoque pura, simplicia et incontaminata; ut Deus, cœlum, angeli, anima rationalis : quæ vero sunt corruptibilia, eadem pariter sunt mista, composita, ideoque impura et contaminata; uti sunt omnia corpora ex elementis conflata. Rursum, quia hæc hæreditas est ἀμίαντος et incontaminata, idcirco est et ἀμάραντος et immarcescibilis : quæ enim marcescunt, aliquid in se labis, fæcis, sordis et impuritatis habent, quod dum sensim egerunt et quasi evomunt, marcoris est causa : quæ vero plane sunt pura, hæc nihil in se habent, quod marcorem egerere aut ebullire possit. Denique quia ipsa est ἀμάραντος et immarcescibilis, ideo et ἀγοῖος καὶ οὐράνιος, id est, *expers terræ, et cœlestis :* terra enim et terrena, quia fœculenta marcescunt; cœlum vero, quia purum et nitidum est immarcescibile, ac consequenter talia pariter sunt cœlestia omnia.

Merito ergo S. August. serm. 2. de omnib. Sanctis : *Tanta*, ait, *est pulchritudo justitiæ, tanta jucunditas lucis æternæ, hoc est, incommutabilis veritatis atque sapientiæ, ut, etiamsi non liceret in ea amplius manere quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis et circumfluentia temporalium bonorum, recte meritoque contemnerentur.* Vere enim dixit Psaltes : *Quoniam melior est dies una in atriis tuis super millia.* Psal. 83. 11. At vero jam non uno die, sed millenis, imo infinitis; adeoque in æternum, in ea manebimus ejusque deliciis perfruemur. Quam ergo illa ambienda, cæteraque omnia despicienda sunt! Quam ad illam anhelandum, dicendumque cum nostro S. Ignatio : *Quomodo sordet mihi terra, cum cœlum aspicio!*

5. QUI IN VIRTUTE DEI (græce δυνάμει, id est *potentia*, robore) CUSTODIMINI PER FIDEM IN SALUTEM.] Sensus est, q. d. Quibusnam Deus opt. max. hæreditatem illam immarcescibilem conservat? vobis, quos quasi filios, velut pater non tantum genuit, sed et robusta potentique mani contra omnes infidelium, dæmonis, mundi et carnis insultus custodit, educat, ducitque per fidem ad salutem æternam, quæ est hæreditas illa immacescibilis. Unde pro *custodimini* græce

est φρουρουμένους, quæ vox proprie ad castrenses excubias, et arcium urbiumque custodias pertinet : has enim suis præstat Deus, uti præstitit Ezechiæ et Hierosolymæ obsessæ à Sennacherib, juxta promissum Isaiæ cap. 38. v. 6. *De manu regis Assyriorum eruam te et civitatem istam, et protegam eam.* Et Zachar. 2. v. 5. *Ego ero ei* (Hierosolymæ), *ait Dominus, murus ignis in circuitu, et in gloria ero in medio ejus.* Et Psal. 26. 1. *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? consurgant adversum me castra, non timebit cor meum.* Et Psal. 33. *Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos. Immittet,* scilicet se et suum præsidium, suas acies et castra, suas angelorum sibi subditorum legiones, sua tela et fulmina. Unde Hebr. est חונה *chone*, id est *castrametabitur ;* S. Hieron. *circumdat ;* Chald. *immoratur.* Ubi recte notat S. Basil. angelum ob magnitudinem comparari integro exercitui, ob robur et fortitudinem muro, qui in circuitu nos tuetur et protegit. Talia fuere castra angelorum tutelarium Jacobi Patriarchæ, qui proinde locum ubi illa sibi apparuerunt, vocavit *Mahanaim*, id est gemina castra. Gen. 32. 2. Talis fuit *mons plenus equorum et curruum igneorum in circuitu Elisæi,* angelorum utique, ut Elisæum contra Syrorum acies defenderent. 4. Reg. 6. 17. Similes excubias et custodias Deus benignissimus cæteris suis fidelibus et sanctis exhibet, ut merito de iis cecinerit Psaltes : *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.* Psalm. 33. 21. Unde et easdem sibi precatur : *A resistentibus dexteræ tuæ,* ait, *custodi me ut pupillam oculi.* Psalm. 16. 8. Custodit ergo suos Deus tum per se, tum per suos angelos. Unde discimus neminem sibi suæque custodiæ debere confidere, sed eam tribuere Deo. Ipse enim est custos Ecclesiæ et gregis sui. *Nisi* enim *Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Psal. 126. 1. Hoc est quod ait Dominus per Isaiam 43. v. 2. *Si transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te : cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te.* Et Psal. 90. *Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano.* Et mox : *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum.*

Per fidem.] Fides ergo est fidelium custodia ; fides, inquam, non nuda et mortua, sed viva et gratia ac charitate animata, uti dixi Jacobi 2. 14. Unde S. Chrysost. et Beda per fidem accipiunt Christianam religionem, Christique gratiam, quæ nos justificat. Fides ergo et gratia est instrumentum, et quasi custodia militaris, qua Deus fideles custodit, tum ne in pristinum gentilismum et errores relabantur ; tum ut tentationibus carnis et diaboli resistant ; tum ut persecutiones pro Christo et veritate fortiter sustineant ; tum ut Christiana et heroica fidei et virtutum opera edant ; qualia recenset Paulus à priscis fidei heroibus patrata. Hebr. 11. Fides enim qua quis credit se, si Deo serviat, pro eoque laboret et patiatur, ab eo æternis maximisque præmiis donandum, excitat fidelem ad omnia audendum et tolerandum. Fideles ergo per fidem resistunt diabolo, 1. Petri 5. 9. ejusque ignea tela extinguunt scuto fidei. Ephes. 6. 16. Unde : *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra,* ait S. Joan. 1. et epist. 5. 4. Quo simul monet novellos fideles ut fidem gratiamque Christi nuper receptam, integram et illibatam constanter teneant, in eaque perseverent, si hos fidei fructus, si Dei opem et salutem, et cœlestem hæreditatem assequi cupiant. Ita OEcumen. Christus enim fideles in fide sua constantes protegit è cœlo, uti pro eisdem oravit vivens in terra : *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi ut sint unum sicut et nos.* Et mox : *Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo : quos dedisti mihi, custodivi, et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* Joan. 17. 11.

In salutem.] Salus est æterna vita et gloria Beatorum ; vox *in* significat finem, fructum et præmium fidei, quasi dicat : Fides tendit et ducit ad salutem, salusque est fidei terminus, fructus et præmium. Fides enim et gratia est salus inchoata, gloria vero est salus consummata.

Paratam revelari (quæ parata est ut reveletur. Ita Pagnin.) in tempore novissimo.] Salus hæc animæ cujusque fidelis plene expiata statim à morte revelatur, secreto in judicio particulari ; sed in tempore novissimo, puta in die judicii, publice coram toto mundo revelabitur, non solum in anima, sed et in corpore cujusque beati : tunc enim corpus cum anima resurget ad gloriam immortalem. Nimirum hæc salus est hæreditas incorruptibilis, incontaminata et immarcescibilis, ad quam Deus Sanctos ab æterno destinavit et elegit, quamque eis paravit et conservat in cœlis.

Nota τὸ *revelari* significat salutem et gloriam cœlestem nobis obscuram esse, et per fidem quasi per umbram et ænigma tantum à nobis conspici ; in die vero judicii fore revelandam, cum fides vertetur in speciem, spes in rem, promissio in donationem, expectatio in possessionem. Hoc est quod ait S. Joannes epist. 1. cap. 3. 2. *Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus : scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus.* Et ex Isaia S. Paul. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* 1. Corinth. 2. 9.

6. In quo exultabitis.] Pronomen *quo* nonnulli censent referre tempus novissimum, quod proxime præcessit. q. d. In tempore novissimo, puta in die judicii, exultabitis, dum videbitis vos pro modica tentatione, quam in hac vita sustinetis, beari et donari gloria æterna. Unde Syrus vertit, *lætabimini in æternum.*

Melius alii τὸ *in quo* censent referre omnia præcedentia. q. d. *In quo,* id est, qua in re, si videlicet recogitetis, quod Deus vos regeneravit in spem vivam hæreditatis æternæ, revelandæ in tempore novissimo, utique exultabitis in hac regeneratione, et spe viva hæreditatis cœlestis, etiam in mediis tentationibus ; quia hæ cum sint modicæ et breves hæreditatem illam merentur, eoque recto tramite vos ducunt. Ita OEcumen. Potest quoque futurum *exultabitis* more Hebræo accipi pro imperativo *exultate*, aut pro indicativo *exultare debetis*, aut pro conjunctivo *æquum est ut exultetis.* Unde græce est ἀγαλλιᾶσθε quod partim est indicativi modi, significans *exultatis*, ut vertit Pagnin. et Tigurin. partim imperativi, significans *exultate.* Ita Christus *proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Hebr. 12. 2. Sic et S. Agatha et Martyres ibant ad ignes, eculeos et tormenta,

quasi ad epulas, nuptias et triumphos. Christiani ergo est gaudere in omni tribulatione, tentatione et tristitia. Licet enim tribulatio affligat corpus, sensum, et portionem inferiorem animæ, in eaque causet dolorem et tristitiam; tamen eadem causat lætitiam, eamque ingentem in portione superiore animæ, puta in ratione, mente et spiritu, dum cogitat tribulationem sibi parituram coronam æternam. In spe ergo et merito hujus coronæ gaudet, dum est in tribulatione et tristitia : atque hæc spes tristitiam commutat in lætitiam, uti Christus in Cana commutavit aquam in vinum, adeo ut in ea præ gaudio exiliat et exultet, nolitque ea carere, imo durare et augeri eam optat. Græcum ἀγαλλιᾶσθαι, id est *exultare*, dicitur quasi ἄγαν ἅλλεσθαι, id est, *valde saltare;* sicut S. Joannes Baptista præ gaudio ob Christum incarnatum, exiliit in utero matris. Lucæ 1.

Consonat S. Petro S. Paulus, dicens 2. Corinth. 7. 4. *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Et S. Jacobus c. 1. v. 1. *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in varias tentationes incideritis;* ubi multas hujus gaudii causas recensui.

MODICUM NUNC SI OPORTET CONTRISTARI.] Pagnin. *nunc ad breve tempus afflicti, si opus sit.* q. d. Exultabitis nunc modico tempore afflicti et contristati, si necesse sit, si videlicet afflictio et tristitia ingruat et irruat, uti in hac vita omnibus, præsertim fidelibus, sæpe contingit. Vita enim nostra circumsessa est molestiis, persecutionibus et tentationibus, quæ necessario pariunt tristitiam, ideoque in ea contristari est unum *oportet*, ut vulgo dicitur, quod evitari nequit, sed ferendum est, juxta illud:

Quidquid id est, superanda omnis fortuna ferendo est. Alludit ad id, quod Christus abiturus suos præmonuit, dicens : *Modicum, et non videbitis me, et iterum modicum, et videbitis me. Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos vero contristabimini : sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Joan. 16. 19. Omnes enim dolores et mœrores æque ac gaudia hujus vitæ, sunt modicum nunc, id est, exiguum quid, tum quantitate, tum durationc, instar puncti et momenti, juxta illud Pauli : *Id quod in præsenti momentaneum est et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Corinth. 4. 17.

Nota Primo. Singula verba habent emphasin, novamque rationem tolerantiæ et exultationis suggerunt. q. d. Exultate in tentationibus. Primo, quia illæ modicæ sunt respectu immensæ gloriæ et coronæ, quam eis in cœlo adornat Christus, juxta illud Sapient. 3. 5. *In paucis vexati, in multis bene disponentur.* Secundo, quia breves; durant enim unum nunc, id est momentum. Hæc enim *vita est momentum unde pendet æternitas.* Tertio, quia oportet et necesse est eas tolerari. Quis non subdat se necessitati? quis contra fatum pugnet? Quarto, addit *si*, dicens *si oportet.* q. d. Tribulationes non semper, nec omnibus, sed aliquando nunc his, nunc illis ingruunt : sponte ergo capessite vestram aleam, vestram vicem et sortem. Ita Œcumen. Quinto, quia sunt tentationes, id est exercitationes et explorationes, quibus Deus exercet et explorat vestram patientiam et virtutem.

Nota Secundo το *si* quadrupliciter posse accipi. Primo, proprie, ut notet conditionem, q. d. Non dico absolute vos oportere contristari, sed conditionate, ut si oporteat vos contristari, idipsum patienter toleretis. Secundo, causaliter, ut idem sit quod *quia.* q. d. Quia oportet vos in vita hac tot ærumnis vallata sæpe contristari, idcirco idipsum tolerate, et ex necessitate facite virtutem. Tertio, comitanter, ut sit idem quod *cum.* q. d. Non dico oportere vos semper contristari, sed si, id est, *cum oportet*, cum scilicet illa ingruit. Quarto, per concessionem pro *esto.* q. d. Exultabitis in spe gloriæ, esto modicum nunc oporteat vos contristari.

Moral. modicum hoc passionum, cui debetur æternum præmiorum, excitare nos debet ad præstandam in iis omnem animi alacritatem, fortitudinem et constantiam. Nam, ut ait S. Eucherius ad Valer. *Nihil est magnum re, quod parvum tempore : nec longis dilatatur gaudiis, quidquid arcto fine concluditur.* S. Basil. de leg. lib. Gentil. laudat Biantem dicentem se studere virtuti, ut illam quasi viaticum senectutis possideret. At tu, inquit, ô Christiane, ad futuri sæculi, cujus non est finis, possessionem, compara viaticum, puta virtutes : illi enim comparata omnia tempora, nihil sunt.

S. August. in Psal. 36. *Pro æterna*, ait, *requie æternus labor subeundus erat. Æternam felicitatem accepturus, æternas passiones sustinere deberes : nam etsi mille annorum esset, appende mille annos contra æternitatem, quid appendis cum infinito quantumcumque finitum? Decemmillia annorum, decies centena millia, et millia millium, quæ finem habent, cum æternitate comparari non possunt. Paucorum dierum est tota vita hominis : etiamsi læta duris non miscerentur, quæ plura et longiora sunt certe, quam dura; et ideo breviora et pauciora sunt dura, ut durare possimus. Si ergo per totam vitam suam homo in laboribus et in ærumnis esset, in doloribus et in tormentis, in carcere et in plagis, in fame et in siti, omnibus diebus, horis omnibus per totam vitam suam usque ad ætatem senectutis, pauci dies sunt tota vita hominis : quo labore transacto veniet regnum æternum, veniet sine fine felicitas, veniet æqualitas angelorum, veniet hæreditas Christi, veniet cohæres Christus : pro quanto labore quantam mercedem accipimus? Veterani homines qui laborant in militia, et versantur inter vulnera tot annos, incipiunt militare à juventute, exeunt senes : ut habeant paucos dies quietos senectutis suæ, quando eos jam ipsa ætas incipit gravare : quos bella non gravant, quanta dura tolerant, quæ itinera, quæ frigora, quos soles, quantas necessitates, quæ vulnera, quæ pericula? et non attendunt patientes hæc omnia, nisi paucos dies quietos illos senectutis, ad quos utrum perveniant nesciunt.* Et S. Chrysost. hom. de Lazaro : *Si quis*, ait, *in centum annis vidisset per unam noctem suave somnium, multisque deliciis per somnium fruitus centum deinde annis cruciaretur, num is vellet unam noctem quam somniavit, centum annis æquiparare? Hoc de futura vita cogita. Nam quod est somnium unum ad centum annos, hoc est præsens vita ad futuram, imo multo minus : quod est exigua gutta ad pelagus immensum, hoc sunt mille anni ad futuram illam fruitionem; quantumque interest inter somnia et res veras, tantum interest inter hujus vitæ statum et illius.*

Ita brevitatis passionum, et æternitatis præmiorum cogitationem, quasi stimulum acrem

ad profectum suis discipulis commendabat S. Antonius. Audi eum apud S. Athanas. *Hoc si primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem augere semper debere quod cœperit, præsertim cum humanæ vitæ spatia æternitati comparata brevissima sint.* Et mox : *Promissio vitæ sempiternæ vili pretio comparatur. Scriptum est enim : Dies vitæ nostræ septuaginta anni : si autem in potentatibus, octoginta. Quando ergo octoginta aut centum annos laborantes in Dei opere vixerimus, non pari tempore regnaturi sumus in futuro, sed pro annis prædictis omnium nobis sæculorum regna tribuentur. Non terram hæreditabimus, sed cœlum; corpus quoque corruptum relinquentes, idipsum cum incorruptione recipiemus. Ergo, filioli, non vos aut tædium defatiget, aut vanæ gloriæ delectet ambitio. Nemo cum aspexerit mundum, reliquisse se arbitretur ingentia : quia omnis terra ad infinitatem comparata cœlorum, brevis ac parva est.* Et rursum subdens opes omniaque hujus vitæ bona necessario esse relinquenda in morte : *Cur ergo,* inquit, *non facimus de necessitate virtutem? Cur non ad lucrandum regna cœlestia ultro relinquimus, quod lucis istius fine perdendum est?* Et infra : *Ad inertiam calcandam Apostoli præcepta replicemus, quibus se mori quotidie testabatur. Cum enim excitati à somno, ad vesperam nos pervenire dubitemus, et quieti corpora concedentes, de lucis non confidamus adventu, non delinquemus, aut aliqua fragili cupiditate raptabimur : sed nec irascemur quidem adversus aliquem, nec terrenos congregare thesauros ambiemus : quin potius metu quotidiani recessus, et sejungendi corporis jugi meditatione omnia caduca calcabimus.*

CONTRISTARI.] Gagneius et Hesselius censent legendum *contristari :* græce enim est λυπηθέντες, id est *afflicti,* contristati : sed eodem redit sensus, et clarius molliusque vertas, si cum Nostro sententiam sic evolvas et revolvas : *si oportet contristari.* q. d. Non dico absolute, nec jubeo semper vos contristari, sed si oportet vos contristari, patienter fertote. Rursum q. d. Exultabitis in spe gloriæ, si (esto) oporteat vos modicum nunc contristari : quo insinuat non accersendam, nec quærendam esse persecutionem et tribulationem, sed potius infirmis declinandam et fugiendam : si tamen ingruat, patienter et fortiter esse sustinendam. *Quid necesse est,* ait Seneca epist. 24. *mala accersere, et satis cito patienda cum venerint, præsumere, ac præsens tempus futuri metu perdere? Est sine dubio stultum, quia quanquam futurus sis miser, esse jam miserum.*

IN VARIIS TENTATIONIBUS.] πειρασμοῖς, id est *tentationibus* et *experimentis,* ut vertit Tigurin. q. d. Tribulationes variæ, quibus quis nunc morbo, nunc paupertate, nunc calumnia, nunc persecutione, nunc cupiditate appetitur, cum iisque conflictatur, sunt tentationes et experimenta, quibus Deus explorat quanta in nobis sit virtus et constantia, eamque excitat, acuit, roborat et indurat : omnes ergo generose sustinere oportet. Sapiens, inquit Seneca, præbet se fato, sicut silex ferienti. *Duritia silicis,* inquit ipse de Vita beata c. 27. *nulli magis quam ferientibus nota est. Præbeo me non aliter quam rupes aliqua in vadosa mari destituta, quam fluctus non desinunt, undecumque moti sunt, verberare, nec ideo aut loco eam movent, aut per tot ætates crebro incursu suo consumunt.*

7. UT PROBATIO VESTRÆ FIDEI MULTO PRETIOSIOR AURO.] Vox *ut* explicat τὸ *oportet :* dat enim causam cur oporteat nos affligi et contristari in variis tentationibus. Causa enim est ut fides et constantia nostra probetur, roboretur, celebretur et coronetur. Unde pro *probatio* græce est δοκίμιον, id est *exploramentum,* experimentum, proba fidei, hoc est fides probata et explorata : hæc enim laudatur, non ipsa probatio fidei, quæ fit à dæmone et tyranno, ac multos sæpe in lapsum et ruinam adigit. Rursum hæc est pretiosior auro per ignem probato, et à scoriis defæcato. Sicut enim aurum non tantum tactu lydii lapidis, sed multo magis et certius probatur per ignem in fornace, ignis enim aurum purum separat à scoria : ita Christiani fides probatur igne tribulationis, qui fideles et constantes separat ab infidelibus et inconstantibus : rursum fideles à suis nævis et cupidinibus avellit, purosque Deo exhibet. Porro hæc fides non est sola et nuda, ut patet, sed charitate formata, et constantia armata : quia enim charitate et solida Deum et Christum amat, hinc constanter ejus amore tentationem sustinet, alioqui enim illi succumberet. Hæc autem charitas fidelis et constans longe est pretiosior auro; Græca addunt ἀπολλυμένου, id est *pereunte* et *perdente;* si enim aurum quod perit multosque perdit (multis enim est perniciosum, causaque mortis animæ et corporis, præsentis et æternæ) per ignem probatur : multo magis fides charitate formata, quæ in omne ævum perennabit, ac fideles servabit et salvabit in æternum, tribulatione probanda et exploranda est. Quod ergo ignis est auro, hoc tribulatio est justo : ignis aurum non perdit, sed servat, purumque et splendidum efficit; sic et tribulatio justum non perdit, sed roborat et illustrat.

Audi Plinium auri dotes recensentem lib. 33. c. 3. *Nec pondere,* ait, *aut facilitate materiæ prælatum est cæteris metallis, cum cedat per utrumque plumbo : sed quia rerum uni nihil igne deperit, tuto etiam in incendiis rogisque durante materia. Quinimo quo sæpius arsit, proficit ad bonitatem. Aurique experimento ignis est, ut simili colore rubeat quo ignis. Atque ipsum obrysum vocant. Primum autem bonitatis argumentum est quam difficillime accendi.* Secundo : *Mirum,* ait, *prunæ violentissimæ igni indomitum, palea citissime ardescere : atque ut purgetur, cum plumbo coqui.* Tertio, *altera causa pretii major, quod quam minimum usus deterit; cum argento, ære, plumbo, lineæ producantur manusque sordescant decidua materia.* Quarto, *nec aliud laxius dilatatur, aut numerosius dividitur, utpote cujus unciæ in septuagenas et quinquagenas, pluresque bracteas, quaternum utroque digitorum spargantur.* Quinto, *super cætera non rubigo ulla, non ærugo, non aliud ex ipso quod consumat bonitatem, minuatve pondus.* Sexto, *contra salis et aceti succos domitores rerum constantia.* Septimo, *super omnia netur ac texitur lanæ modo, et sine lana. Tunica aurea triumphasse Tarquinium Priscum Verrius tradit. Attalicis vero jam pridem intexitur invento regum Asiæ.*

Hæc facile est applicare justo : nam Primo, igne, id est tribulatione, nihil virtutis in eo deperit, sed potius accrescit. Secundo, mirum est quod justus igni tribulationis resistat, et palea humanæ miseriæ per commiserationem inardescat. Tertio, nihil virtutis ex eo conversatio cum sæcularibus deterit, sed suam ipse

vim et spiritum in eos affricando exerit. Quarto, dilatat sua Charitatis viscera in omnes latissime et minutissime. Quinto, nulla ex eo prodit invidiæ aut tristitiæ ærugo, quæ ejus bonitatem minuat. Sexto, constanter resistit sali et aceto, id est iræ et mordacitati. Septimo, flexilis est, sinitque se quibusvis rebus, licet vilibus et molestis inseri, ut aliis prosit eosque ornet. Ita S. Job c. 25. v. 10. *Ipse* (Deus) inquit, *scit viam meam, et probavit me quasi aurum quod per ignem transit.* Et David Rex : *Probasti nos Deus, igne nos examinasti : sicut examinatur argentum*, etc. *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium*, Ps. 65. 10. Ita S. Laurentius assatus in craticula : *Probasti*, ait, *cor meum, et visitasti nocte : igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas*, puta infidelitas, quia in medio igne fideliter et constanter tibi adhæsi, Psalm. 16. 3. Ita de Martyribus et patientibus dicitur Sapient. 3. 6. *Tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos.* Et Eccli. 27. 6. *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis.* Sic tres pueri Danielis socii probati sunt an essent fideles Deo suo, in igne fornacis Babylonicæ, Daniel. 3. Ita Machabæi ab Antiocho in sartagine frixi probarunt suam fidem Deo, 2. Machab. 7. Ita Sancti in fine mundi affligentur igne acerrimæ persecutionis ab Antichristo, *ut conflentur et eligantur et dealbentur.* Daniel. 11. 36. Dura itaque est hæc probatio, durum examen, durum tentamen; sed modicum et breve respectu æternæ coronæ, quam eis in cœlo adornat Deus. Ita S. Sebastianus, S. Marcum et Marcellianum acriter tentatos et afflictos, ut à Christi fide deficerent, hac ratione animavit, et ad martyrium confirmavit. *Tormenta*, inquit, *vel levia sunt, vel gravia et acria. Si levia, tolerabilia sunt : si acria, non durant, sed patientem ad mortem adigunt, et per mortem ad immortalitatem transmittunt. Tolerate ergo tam acria quam levia, quia illa brevia, hæc modica sunt : illa cito extinguent, hæc brevi extinguentur.* Ut fias Laurentius, ignem subeas oportet : ut Vincentius, eculeum hilariter patiare necesse est : Jobum finxit omnigena calamitas ; Tobiam formavit cæcitas; Josephum calumnia ; Davidem persecutio ; Danielem leones ; Machabæos sartagines.

INVENIATUR IN LAUDEM, ET GLORIAM, ET HONOREM IN REVELATIONE JESU CHRISTI.] *Inveniatur* scilicet fuisse et cessisse vobis in laudem, etc. quia scilicet vestra fides tot tentationibus probata vos laudabiles et gloriosos effecit in cœlo et terra. Spectarunt enim eam angeli, et laudarunt : viderunt et audierunt homines, eamque celebrarunt et admirati sunt. Secundo, *inveniatur*, id est *sit*, vel *cedat*. q. d. Ut fides vestra ita probata, sit vobis laudi, cedatque vobis in gloriam et honorem in die judicii, quando Christus judex eam toti mundo declarabit, laudabit et corona æterna donabit. *Inveniri* enim sæpe per metalepsin ponitur pro *esse* ; quia quod est, inveniri potest; quod non est, inveniri nequit. Sic de angelis è cœlo cum Lucifero ruentibus dicitur Apoc. 12. 8. *Neque locus inventus est eorum amplius in cœlo*, id est, nullus fuit eis amplius locus in cœlo, sed in tartaro. Sic Eccli. 31. dicitur : *Beatus vir qui inventus est sine macula ; inventus est*, id est, fuit immaculatus, ut talis inveniri posset. Unde explicans subdit : *Qui post aurum non abiit*, etc.

Nota. Christus in die judicii laudabit fidem et virtutem justorum : quæ sane laus erit maxima, tum quia fiet coram omnibus angelis et hominibus, qui unquam fuerunt, sunt, vel erunt ; tum quia fiet à Christo, qui est æterna veritas ac majestas. Ipse enim est Rex regum et Dominus dominantium? tum quia hæc lex durabit per omnem æternitatem in præmio et laure: æterna, quam pro meritis cuique dabit Christus. *Dicet ergo : Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare*, etc. *Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in gaudium Domini tui.* Matth. 25. 21. Veni Petre, qui Romanam Ecclesiam tuo labore et sanguine fundasti : accipe coronam tui laboris et sudoris. Veni Paule, qui omnes gentes docuisti : accipe coronam tui doctoratus et apostolatus. Veni Stephane, qui lapides mei amore excepisti, et dulces æstimasti : accipe coronam martyrio tuo debitam. Veni Francisce, qui summe te humiliasti : accipe summum gloriæ thronum. Veni Thecla, quæ tot tantaque supplicia pro me tam generose sustinuisti. Veni Agnes, quæ pro castitate supra annos et vires decertasti. Veni Cæcilia, veni Agatha, veni Catharina, quæ hæc et illa sigillatim tam heroice egistis et tolerastis : accipite singulæ lauream castitatis, laurcam martyrii, quisque suam, suoque agoni et victoriæ, adæquatam. Tunc itaque fiet illud Jerem. 39. 19. *Egredietur de eis laus, voxque ludentium ; et multiplicabo eos, et non minuentur ; et glorificabo eos, et non attenuabuntur.* Laudem enim Christi communi voce et acclamatione approbabunt et celebrabunt omnes angeli et Sancti. Et illud Isaiæ 61. 3. *Reddet eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris : et vocabuntur in ea sortes justitiæ, plantatio Domini ad glorificandum.* Id repræsentatum est per laudem Davidis, quia triginta viros sui exercitus fortissimos sibi selegit, laudavit et juxta se gloriose collocavit in domo fortium, 2. Reg. 23. 8. Similiter enim Christus suos fortes laudabit et glorificabit in cœlo, quod est civitas fortium.

Porro hæc Christi laus non tantum pro meritis præmium cuique dabit, sed et honorem, juxta illud Joan. 12. 26. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*, vocando eum suum fidelem servum, amicum, filium, heredem, exaltando illum è terra in cœlum, dando ei sedem honoratam et sublimem juxta se, secundum id quod promisit Apostolis et viris Apostolicis : *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Israel.* Matth. 19. 28.

Rursum hæc laus dabit gloriam non tantum beatificam, quæ in visione Dei consistit, sed et eam quæ in claritate nominis et famæ sita est, facitque homines celebres et gloriosos, ut scilicet omnes angeli et homines gloriosa cujusque sancti facinora deprædicent et glorificent. *Gloria*, inquit Quintil. *est consentiens laus bonorum.* Et Cicero pro Marcel. *Gloria*, ait, *est illustris ac pervagata multorum et magnorum vel in suos cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum.* Quid majus, quid numerosius angelis

et Beatis, qui sanctos quoslibet, eorumque virtutes celebrabunt. Hic ergo discamus illud Statii lib. 1.

> Tu sola animum mentemque peruris
> Gloria.

et illud Mutii Scævolæ manum urentis : *Tam vile est corpus gloriam spectantibus.* Rursum hæc gloria non tantum verbalis erit, sed et realis; quia consistet et perdurabit in regno glorioso, quod eis dabit Christus : juxta illud Sapient. 5. 16. *Accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini.* Honorabit ergo et glorificabit electos Christus, cum eos creabit reges, donabitque regno cœlesti et æterno, juxta illud Apocal. 5. 10. *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram.* O quam gloriosum est regnum, in quo cum Christo regnant omnes Sancti hic afflicti et abjecti ! amicti stolis albis sequuntur Agnum quocumque ierit.

In revelatione Jesu Christi] puta in die judicii : hæc enim vocatur dies revelationis, tum quia in eo revelabitur Christus, qui jam nobis est absconditus et invisibilis ; tum quia in eo revelabuntur cujusque opera et merita; quæ hic absconduntur, imo sæpe à malevolis per calumniam denigrantur, obscurantur et infamantur. Impii enim pios hic traducunt quasi hypocritas, quod pietatem simulent, ejusque inanem umbram, et laudem hominum captent. Christus ergo justus judex eorum pietatem, virtutem, integritatem et sinceritatem revelabit, totique mundo patefaciet et celebrabit.

8. Quem cum non videritis diligitis.] Esto enim aliqui proficiscentes in Judæam, poterant ibi Christum vidisse, multi tamen domi manentes eum non viderant : hi ergo credebant in Christum non visum, sed auditum, eumque summe diligebant. Hæc scilicet est natura fidei, et dilectionis eam consequentis. *Quid est enim fides, nisi credere quod non vides?* ait S. Augustinus tract. 40. in Joan. *Fidei* autem *opus est dilectio*, ait idem in Ps. 31. Œcumen. censet hæc referri ad excitandam fidelium spem et robur in adversis. *Si enim*, ait, *oculis carnis ipsum non intuitu, ex sola auditione amatis, considerate quantum amorem ubi eum videritis, præ vobis feretis, præsertim cum in gloria vobis revelabitur. Si enim passio ejus ita vos attraxit, quando vobis in splendore insuperabili apparebit, quem in modum animum vestrum affecturus est :* Unde S. Aug. lib. 1. de Pec. Merit. 27. sic legit : *Quem ignorabitis, in quem modo non videntes creditis, quem cum videritis exultabitis gaudio inenarrabili.*

Porro mira fuit primorum fidelium erga Christum affectus et dilectio, ut pro eo gauderent non tantum bonis spoliari, probris affici verberari, fustigari, sed et morte mulctari. Unde illud Ignatii epist. ad Rom. *Amor meus crucifixus est.* Et quis cogitans Jesum, id est, Deum pro se incarnatum, passum, crucifixum, non eum totis visceribus diligat? Quis non amet amorem? quis non diligat dilectionem? Jesus enim Primo, qua Deus est summa bonitas, summa sapientia, summa potentia, summa clementia, summa majestas ; ergo summe diligibilis juxta illud Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua.* Secundo, qua homo plenus est gratia, veritate et virtute, adeoque in eo omnes thesauri sapientiæ et gratiæ sunt reconditi, atque ex eo quasi capite in nos velut membra derivantur. Ergo ipsum ut caput nostrum, omnisque boni fontem et parentem diligere debemus. Tertio, per humanitatem nostram à se assumptam, nos sibi et Deo arctissime copulavit, nosque sibi cognatos et fratres effecit: descendendo enim ad nostram naturam, eamdem ad Deitatis thronum ascendere fecit. Præclare B. Petrus Chrys. serm. 150. *Christus*, ait, *venit suscipere infirmitates nostras, et suas nobis conferre virtutes ; humana quærere, præstare divina ; accipere injurias, reddere dignitates ; ferre tædia, referre sanitates; quia medicus qui non fert infirmitates, curare nescit; et qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem.* Quis talem tantumque medicum infirmus non diligat? Quarto, summis beneficiis nos sibi devinxit quando ut redemptor, salvator, doctor et legislator noster annuntiavit nobis voluntatem Dei Patris, ejus fidem edocuit, spem confirmavit, miraculis probavit, accendit charitatem sanctissimæ vitæ exemplis mores formavit, sanguine suo peccata nostra eluit et expiavit, tormentis suis plurimis et acerbissimis pro nobis Patri satisfecit, propria morte mortem nostram superavit, resurrectione denique et ascensione sua in cœlos æternæ vitæ aditum nobis reseravit. Quinto, his adde particularia beneficia, gratias et dona, quæ cuique fideli elargitus est et in dies singulis multa et magna elargitur. Quis hæc mente revolvens, æstuans et ponderans amore Jesu non accendatur, liquefiat et diffluat ? Ut cum sponsa dicat in Cant. *Dilectus meus mihi et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies et inclinentur umbræ. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur : omnia poma dilecte mi, nova et vetera servavi tibi. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Quocirca Clemens Alex. l. 4. Strom. c. 7. docet virum perfectum maximo repleri gaudio, cum pro Christo suo, quem non videt, multa patitur.

In quem nunc quoque non videntes creditis : credentes autem exultabitis.] Τὸ *creditis* non est in Græco, sed includitur in τῷ *credentes*, q. d. *Quem cum videatis, creditis tamen.* Noster Turrian. tract. 2. de Eucharist. c. 16. et seq. atque ex eo Salmeron. hæc ad litteram accipiunt de Eucharistia. q. d. In Eucharistia, quam post baptismum sumitis, non videtis Christum ; creditis tamen eum realiter esse præsentem, idcoque eum manducantes exultatis lætitia inenarrabili, uti in sacra ejus communione exultavit S. Monica, dicens : *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum*, ac S. Franciscus, S. Catharina Senensis, aliique Sancti, juxta illud Psal. 33. 9. *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.* Unde et sequitur : *In quem desiderant angeli prospicere.* Et : *propter quod succincti lumbos mentis vestræ*, etc. Hisce enim verbis videtur alludere ad agnum typicum, quem comedebant succincti ad iter in terram promissam, qui erat typus Eucharistiæ, quæ est cibus et viaticum proficiscentium in cœlum. Eidem hæc adaptat S. Thom. opusc. 58. de Sacram. Altar. c. 15. Verum hic sensus potius accommodatitius est aut mysticus, quam litteralis. Loquitur enim Petrus absolute de fide in Christum, quem oculis non vidimus, sed fide credimus esse nostrum Redemptorem. Nam, ut ait S. Gregor. hom. 26. in Evang. *Fides non habet*

peritum, cui humana ratio præbet experimentum.

EXULTABITIS] non tantum in futura beata vita, sed etiam in præsenti, plena molestiis et tribulationibus. Unde Græca habent ἀγαλλιᾶσθε, id est *exultatis*, juxta illud Pauli Petro concinentis : *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete*, Philip. 4. 4. vide dicta ibidem, et Jacobi 1. 1. Porro perperam hinc infert Catharinus, Sanctos certos esse se esse in statu gratiæ : exultatio enim Sanctorum in hac vita non est limpida, sed mixta cum timore et tremore, Psal. 2. 11.

LÆTITIA INENARRABILI,] tum ob spem futuræ gloriæ fidelibus à Christo promissæ, quæ est inenarrabilis. Juxta illud Ps. 35. 9. *inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos ; torrente,* non vitro, non calice, non poculo : *torrente*, quo eos inebriabis, imo obrues et sepelies, quasi in Oceano gaudiorum : talis enim est divinitas, cujus visione et fruitione beabimur. Ita S. Ephrem lib. 1. de Resurrect. et jud. c. 2. *Has*, inquit, *promissiones habentes ineffabiles, exultemus exultatione inenarrabili et gloriosa.* Tantum enim in cœlis est Beatorum gaudium, ut de eo suis dicat Christus Matth. 25. 23. *Intra in gaudium Domini tui.* q. d. Gaudium hoc tantum est, ut corde tuo capi nequeat, ac proinde non illud in te, sed tu in illud intraturus es : tum quia per fidem et gratiam possidemus Christum, cujus suavitas est inenarrabilis : tum quia Christus cordi suorum consolationes et gaudia ineffabilia, quasi prægustum quemdam cœlestis beatitudinis suggerit et instillat, ut cum S. Xaverio dicant : *Satis est Domine, satis est. Nec enim vasculi cordis mei angustia tanta capit gaudia.* Et cum Psalte : *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*, psal. 121. 1. Et cum S. Francisco : *Tanta est gloria quæ me expectat, quod omnis pœna me delectat.* Rursum : *In sola cruce est perfecta lætitia.* Porro idem sui Ordinis fratribus dicebat : *Quod si Dei servus studeat lætitiam spiritalem interius exteriusque semper conservare, quæ ex cordis munditia oritur, ac per devotionis exercitia fovetur, nihil ei dæmones nocere poterunt, imo confusi dicent : Siquidem homo iste tam in adversis, quam prosperis lætitia vallatur, non inveniemus aditum ad ipsum. Tunc autem exultant dæmones, quando lætitiam hanc spiritalem extinguere vel impedire possunt.* Rursum : *Beatus ille religiosus qui non haurit jucunditatem et lætitiam, nisi in sanctis eloquiis et operibus Domini ; et per hæc ipsa alios provocat ad amorem Dei cum gaudio et lætitia. Væ autem religioso, qui delectatur verbis inanibus et otiosis alios ad risum provocantibus. Ex lætitia ergo externa percipiebat fervorem, et sollicitudinem, dispositionem quoque et promptitudinem animi ad bonum libenter amplectendum*, ait Auctor speculi vitæ ejus part. 1. c. 62. et 63. Denique hoc est *manna absconditum, quod nemo scit nisi qui accipit. Non illud eruditio, sed unctio docet : nec scientia sed conscientia comprehendit : sapientia est cujus pretium nescit homo : de occultis trahitur, nec in terra suaviter viventium invenitur ista suavitas. Nimirum suavitas Domini est*, ait S. Bernardus de Convers. ad Cleric. c. 21.

GLORIFICATA,] id est gloriosa, tum ob rem tum ob spem gloriæ cœlestis. Hinc dicitur *glorificata.* q. d. Lætitia hæc vestra vestita et perfusa est gloria, quia ob gloriam cœlestem, quam speratis, lætamini, adeoque hæc lætitia est prægustus illius gloriæ. Unde Cajetan. *glorificata*, inquit, dicitur, tum ex parte materiæ, quia est de glorificato Jesu, quem diligitis, et in quem creditis : tum ex parte formæ, quia participatio quædam est gloriosæ lætitiæ Beatorum. Aliter Hugo : *Glorificata*, inquit, id est, gloriosa reputata à Christo aut ab eo nobis gloriose data. Et Thomas Anglicus : *Glorificata*, inquit, id est, à Deo laudata. q. d. Impii rident lætitiam fidelium ob spem futuræ gloriæ, at vero Deus in judicio eam laudabit et glorificabit.

9. REPORTANTES FINEM (puta mercedem) FIDEI VESTRÆ SALUTEM ANIMARUM VESTRARUM.] *Reportantes* tum in præsenti, tum potius in futuro, id est reportaturi, cum scilicet exultabitis in cœlo, uti præcessit : in præsenti enim reportamus salutem animarum inchoatam per gratiam et justitiam ; in futuro reportabimus salutem plenam ; per felicitatem et gloriam. q. d. Ex fide qua creditis in Christum quem non videtis, eumque summe diligitis, partim consecuti estis, partim consequemini finem fidei, qui est salus animarum vestrarum : salutem enim inchoatam consecuti estis per gratiam, quæ vos effecit filios et heredes Dei, ideoque certam dat spem, imo jus ad beatitudinem, regnumque cœleste ; salutem vero consummatam per gloriam consequemini post mortem in cœlis. State ergo in fide, pro eaque adversa quælibet constanter tolerate, scientes quia fides et tolerantia vestra non erit inanis in Domino, sed ad finem optatissimum et beatissimum felicitatis æternæ vos perducet. Merito ergo S. Augustinus lib. 1. Confess. cap. 1. *Fecisti*, inquit, *nos Deus ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Et in Soliloq. cap. 13. *Omnis copia quæ Deus meus non est, egestas est.* Nam, ut c. 30. *Nihil est quod animam impleat, nisi* idem ait *tu Deus, ad cujus imaginem est creata.* Et lib. 13. Confess. c. 8. *Satis ostendis quam magnam creaturam rationabilem feceris, cui nullo modo sufficit ad beatam requiem quidquid te minus est, ac per hoc non ipsa sibi.*

10. DE QUA SALUTE EXQUISIERUNT ATQUE SCRUTATI SUNT.] Ἐξεζήτησαν καὶ ἐξηρεύνησαν, id est accurate, diligenter, sollicite, magna contentione et studio perquisiverunt, et perscrutati sunt. Probat fidem et gratiam Christi et Christianismi non esse nuperum hominis inventum, sed priscum Dei decretum Prophetis omnibus revelatum, qui studiose illud indagarunt, serio prædixerunt et avidissime expectarunt, ut Jacob Genes. 49. 18. *Salutare* (Salvatorem Jesum) *tuum expectabo, Domine :* et mox vocat eum *desiderium collium æternorum.* Moses Exod. 4. 13. *Obsecro Domine, mitte quem missurus es.* Isaiæ c. 45. 8. *Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum.* Habac. c. 2. 1. *Super custodiam meam stabo, ut videam quid dicatur mihi*, Daniel. toto c. 9. etc. Hinc Irenæus lib. 4. c. 13. Euseb. l. 1. Histor. c. 4. et fuse S. Augustinus l. 12. 13. et 19. contra Faustum c. 13. 16. 17. docent omnes Patriarchas, Prophetas, veteresque Sanctos ab Adamo usque ad Christum fuisse Christianos, non nomine, sed fide et professione, quia credebant in Christum venturum, uti nos credimus in præteritum, scilicet natum jam et crucifixum, hacque fide justificati et salvati sunt, ideoque magna spe et amore ad eum anhelabant, juxta illud Christi : *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum : vidit et gavisus est.* Joan. 8. 50. Ubi recte notat S. Th. quo quisque Sanctorum, sive ante, sive

post Christum, illi fuit vicinior et proximior, eo magis ab illo radiis fidei et gratiæ fuisse collustratum : unde Apostoli et primi fideles à Christo primitias spiritus accepisse dicuntur, Roman. 8. 23. Sic ante Christum B. Virgo, Joannes Baptista, Zacharias, Anna, Simeon, Joachim et Anna parentes B. Virginis, etc. Christi fide, gratia et sanctitate cæteris remotioribus præcelluerunt : quo enim quis vicinior est soli et igni, eo magis eo illustratur et calefit. Loquor ordinarie et communiter. Nam aliquos, ut Abrahamum, Mosen, Davidem, Isaiam multis vicinioribus Christo ejus fide et spiritu magis afflatos fuisse ex Genesi, Psalmis, et vaticiniis eorum liquet.

11. SCRUTANTES IN QUOD VEL QUALE TEMPUS SIGNIFICARET (ἐδήλου, id est declararet, demonstraret venturam istam gratiam Christi et Christianismi) IN EIS SPIRITUS CHRISTI τὸ ἐν αὐτοῖς πνεῦμα Χριστοῦ, id est *Spiritus Christi qui erat in eis*, tum inhærendo per gratiam, tum inspirando per prophetiam. Nam *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*, ait S. Petrus epist. 2. c. 1. 21. Ita Daniel c. 9. intellexit in medio 70. hebdomadæ, id est, anno 487. occidendum esse Christum; Jacob, post ablatum sceptrum à Juda, Gen. 49. 10. Malachias c. 3. 1. mox post adventum et prædicationem S. Joannis Baptistæ.

PRÆNUNTIANS EAS QUÆ IN CHRISTO SUNT PASSIONES.] Græce τὰ εἰς Χριστὸν παθήματα, id est *in Christum*, vel *Christo obventuras et infligendas passiones* et plagas. Unde quidam Latini codices legunt : *quæ in Christo futuræ erant.*

Pro *prænuntians*, græce significantius est προμαρτυρόμενον, id est *prætestificans*, sive testificans antequam eveniret. q. d. Deus Christo testes dedit Prophetas, et ne quis eos ab eo subornatos diceret, præmisit ante Christum, ut suis oraculis quasi testimoniis divinis Christo venturo viam sternerent, fidemque certam conciliarent.

ET POSTERIORES GLORIAS.] *Posteriores*, id est quæ post passionem secuturæ erant quasi passionum merces et præmium, quales fuerunt resurrectio, ascensio in cœlum, missio Spiritus sancti, conversio Gentium : Christus enim *propter passionem mortis gloria et honore coronatus est*, Hebr. 2. 9. Dicit hoc Petrus, ut scandalum crucis tollat : multi enim tunc ridebant, quin et nunc Pagani et Turcæ rident Christianos, quod credant in Deum crucifixum. Hisce respondet Petrus dupliciter : Primo, passiones has crucis à Deo decretas in lytrum scelerum nostrorum, et ne cui scandalo essent, per Prophetas ab olim fuisse prænuntiatas. Secundo, has passiones Christi desiisse et compensatas fuisse ingenti et æterna gloria, tum in cœlis apud Deum et angelos, tum in terris apud omnes gentes, quæ Christum crucifixum crediderunt, susceperunt et adorarunt. Hoc est quod ait Christus discipulis incredulis : *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Lucæ 24. 26. Hoc est quod plena voce buccinat Paulus : *Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt : nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam*, 1. Corinth. 1. 23. Pulchre hanc Christi gloriam explicat S. Cyrill. de Fide ad Reginas : *Humilitas*, ait, *passionis meritum est exaltationis.* Et S. Augustinus tr. 104. in Joannem : *Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium.* Christianus ergo cum Christo patiatur et humilietur, ut cum eodem glorificetur et exaltetur. *Si enim compatimur, et conglorificabimur*, Rom. 8. 17. Christus *favos post fella gustavit*, ait Tertull. l. 2. de Corona milit. cap. 14. Sic et Christiani cogitent se post fella gustaturos mella; impii vero post guttam mellis oceanum fellis in gehenna se potaturos.

12. QUIBUS REVELATUM EST, QUIA NON SIBIMETIPSIS, VOBIS AUTEM MINISTRABANT EA.] q. d. Prophetæ non sibi prophetarunt, sed posteris; puta non Judæis, sed Christianis : prædixerunt enim Christi adventum, vocationem, gratiam et salutem obventuram Christianis, non Judæis. Unde Syrus vertit, *nostra nobis vaticinabantur*, hoc est quod ait Paulus : *Hæc autem omnia in figura contingebant illis : scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quo fines sæculorum devenerunt*, 1. Corinth. 10. 11. q. d. Ergo par est, ut ea quasi ingentia Dei beneficia nobis ab olim collata, cum ingenti gratiarum actione et devotione complectamur, utque vos, ô Judæi, credatis et obediatis Apostolis, sicut credidistis et obedivistis Prophetis : utrique enim idem eodem spiritu de Christo prædicant, et quod Apostoli annuntiarunt, Prophetæ prænuntiarunt. Ita OEcumen. Prævidit S. Petrus Marcionem hæresiarcham, qui doceret alium fuisse Deum auctorem veteris testamenti, alium novi, cumque perstringit (æque ac postea Tertull. libris quinque contra Marcionem scriptis) q. d. ait Beda : *Idem spiritus Christi erat in Prophetis prius, qui postmodum in Apostolis; ideoque eamdem fidem utrique populis prædicaverunt, illi Christum adhuc venturum, isti jam venisse; ac per hoc unam Ecclesiam, cujus pars carnalem Domini adventum præcesserit, pars altera sit secuta.*

MINISTRABANT EA.] Hesselius τὸ *ministrabant* neutraliter accipit. q. d. Vobis serviebant, vobis commodabant, vestræ utilitati ministrabant ea quæ de Christo prædixere Prophetæ. Verum melius alii active accipiunt. q. d. Prophetæ subministrarunt vobis sua oracula. Unde ipsi tum Apostolorum, tum Christianorum fuere quasi ministri et diaconi : hoc enim significat Græcum διηκόνουν, *ministrabant* ergo idem et quod prophetabant : prophetia enim sua ministrarunt nobis. Diaconi ergo Christi et Christianorum fuere Prophetæ, Apostoli vero eorumdem sunt Evangelistæ, quia eis evangelizarunt Evangelium, id est, lætissimum nuntium de Messiæ adventu, redemptione et salute. Vide 2. Corinth. 3. ubi Apostolus Mosen et Prophetas vocat ministros mortis et damnationis, quia promulgarunt legem veterem, quæ prævaricatores Judæos mortis reos efficiebat et condemnabat; Apostolos vero vocat ministros vitæ, gratiæ et gloriæ : hanc enim attulere per Christi Evangelium.

PER EOS QUI EVANGELIZAVERUNT,] puta Apostolos, quorum unus, imo princeps sum ego. Quare minus recte putant aliqui S. Petrum hic se excludere, nec evangelizasse Ponticis, Galatis, Cappadocibus, etc. cum potius modeste cæteris se jungat et includat.

SPIRITU SANCTO MISSO DE CŒLO.] Refer ad *evangelizaverunt*. q. d. Sicut Prophetæ per spiritum Christi de quo v. 11. prædixerunt Christum venturum, ita Apostoli evangelizaverunt vobis eumdem jam præsentem, inspiratione Spiritus sancti, quem receperunt in Pentecoste specie lingua-

rum ignearum, ut ipse per eorum linguas ardentes sermones, quasi sagittas ignitas emitteret, quibus corda audientium Dei et Christi cognitione et amore accenderet. Ita OEcum.

In quem desiderant angeli prospicere.] Pro *in quem*, græce est εἰς ἅ, id est *in quæ*, scilicet mysteria Christi, præsertim salutis et gloriæ beatificæ desiderant angeli prospicere, ut scilicet ea videant perfecta et completa. Ita Syrus, Didymus OEcumen. Gagneius, Cajetan. Catharin. Vatabl. hic et Iren. lib. 4. c. 67. et lib. 2. c. 29. S. Ephrem tract. de Armat. spiritali c. 1. Cyrill. lib. de Incarn. Unigen. c. 28. Ubi adverte, Pronomen ἅ proprie refert Christi παθηματα, id est *passiones*, et posteriores glorias, quæ proxime præcesserunt. Unde colligas, angelos mire delectari visione humanitatis Christi, ejusque plagarum et stigmatum sacrorum, ac gloriarum corporis, tum animi, qua longe angelos omnes transcendit. Unde Sophronius Part. Constant. orat. 1. de natura Christi quæ exstat, tom. 2. Biblioth. SS. Patrum, per *in quæ* accipit Christi nativitatem, Bethlehem et præsepe, in quæ desiderant angeli prospicere. Unde et Christo nato *ex abundanti gaudio cecinerunt : Gloria in altissimis Deo*, ait OEcumen. Simili modo incredibiliter delectantur angeli aventque spectare martyrium, agones et fidelium passiones quaslibet, dum eas generose Christi amore sustinent eorumque coronam et gloriam, ut sedes ex quibus ruerunt dæmones inter angelos impleant. Unde Apostolus : *Spectaculum*, ait, *facti sumus mundo et angelis et hominibus*, 1. Corinth. 4. 9. Et S. Cyprian. ep. ad Tibaritanos : *Prœliantes*, ait, *nos et fidei congressione pugnantes spectat Deus, spectant angeli, spectat et Christus. Quanta est gloriæ dignitas ; quanta felicitas præsente Deo congredi, et Christo judice coronari?* Ita Catharinus et Salmeron το *in quæ* referunt ad omnia gerenda in Ecclesia Christi militante, præsertim certamina et victorias Martyrum, aliorumque fidelium in tribulatione et persecutione ; Didymus et Cajetan. ad statum Ecclesiæ qui erat in fine mundi.

Verum noster Interpres legit εἰς ὅ, feliciter πνεῦμα, id est *spiritum*, qui proxime ; vel εἰς ὅν, scilicet Christum, qui remotius præcessit. Primo, ergo ad Spiritum sanctum hæc referunt S. Thomas 1. p. q. 58. art. 1. ad 2. Isidor. l. 1. Sentent. c. 12. sent. 22. 22. Petrus Damiani serm. 11. qui est de Annuntiatione, quin et S. Basil. et Didymus l. de Spiritu sancto, et Athanas. Epiphan. et Cyrillus Alex. mox citandi.

Secundo, ad Christum hæc referunt Beda, Glossa, Auctor libri de Spiritu et anima apud S. Augustinum tom. 3. c. 59. S. Bernard. serm. 1. et 4. de omnibus Sanctis, ubi Christum vocat angelorum delicias, Hugo, Thomas Anglicus, Titelmannus. Videtur enim S. Petrus alludere ad Cherubim Mosis, qui jugiter intuebantur propitiatorium, quod repræsentabat propitiatorem Christum, Exodi 25. v. 20. Porro angelos mire desiderasse Christum natum, patientem et resurgentem videre, patet Isaiæ 23. Psalm. 23. et alibi. Christus enim qua homo est caput non tantum hominum, sed et angelorum Coloss. 1. v. 16. Unde nonnulli Theologi cum Clem. Alex. l. 7. Strom. et Origen. homil. 4. et 2. in Levit. censent non tantum homines, sed et angelos suam gratiam et gloriam Christo Christique meritis acceptam ferre. Hinc S. Bernard. serm. 22. in Cantic. *Qui erexit*, inquit, *hominem lapsum, dedit angelo stanti ne caderet, sic illum de captivitate eruens, sicut hunc de captivitate defendens ; et hac ratione fuit utrique redemptio, solvens illum, et servans istum.*

Porro nova est expositio Philippi Solitarii l. 3. Dioptræ cap. 3. quæ talis est : angeli desiderant Christum videre, non tantum humanatum, sed, ut ita dicam, angelizatum : desiderant enim ut Christus assumat naturam angelicam, sicut assumpsit humanam per unionem hypostaticam, ut ipsorum natura perinde ac nostra adoretur in Christo, et glorificetur in throno Cherubico sedens ad dexteram Patris, ac proinde ut ipsi quoque haberent claves cœlorum, sintque judices cum Christo judicantes duodecim Tribus Israel, æque ac futuri sunt Apostoli et Sancti, Matth. 19. v. 28. Verum hoc desiderium efficax et absolutum esse nequit ; sciunt enim angeli unionem suæ naturæ cum Verbo ex Dei ordinatione non esse possibilem, nec unquam futuram ; unde eam efficaciter desiderare nequeunt voluntate absoluta, sed tantum conditionata, si videlicet id Deo placeret, quæ velleitas tantum est, ostendens quanti faciant assumptionem humanæ naturæ factam à Verbo.

Prior expositio de Spiritu sancto videtur verisimilior ; tum quia ille proxime præcessit, tum quia facilis fuit lapsus ex ὅ, scilicet πνεῦμα, in ἅ, quomodo legunt Græci et Græca. Porro desiderant angeli prospicere, Primo, in ipsum Spiritum sanctum : eum enim videndo, vident pariter Patrem et Filium, omnium enim una est essentia, hacque visione beantur. Secundo, in opera et dona Spiritus sancti, quibus fideles et Ecclesiam ornat ; hæc enim deferunt, procurant, promovent et dirigunt angeli, utpote administratorii Spiritus sancti circa regimen Ecclesiæ et salutem fidelium. Ita Cyrill. Alex. serm. *quod Verbum Dei factum sit homo*, S. Basil. et Didymus lib. de Spiritu sancto, S. Athanas. epist. ad Serapionem, S. Ambr. lib. de Isaac c. 5. S. Epiph. hæres. 74. et alii, qui ex hoc loco contra Macedonium probant divinitatem Spiritus sancti. Hinc patet beatitudinem angelorum, æque ac hominum, consistere in visione Dei et Spiritus sancti : hæc enim omne eorum desiderium satiat et explet. Unde hereditatem incorruptibilem ad quam nos per Christum vocatos dixit S. Petrus v. 3. hic explicat, asseritque sitam esse in prospectione et visione Spiritus sancti, id est Dei. Poterat dicere S. Petrus, Angeli desiderant prospicere in Deum, sed maluit dicere, in Spiritum sanctum, eo quod paulo ante dixisset Spiritum sanctum prænuntiasse per Prophetas, et annuntiasse per Apostolos Christi passiones et glorias ; et quia totum hoc opus œconomiæ Christi, nostræque redemptionis, vocationis, sanctificationis et salutis, quod hic celebrat Petrus, fuit opus summæ gratiæ et amoris divini, qui appropriatur Spiritui sancto. Addit hoc S. Petrus, ut acuat desiderium fidelium ad avide audienda et amplectenda Christi mysteria, utpote quæ prædicta et evangelizata sunt per Spiritum sanctum, in quem desiderant angeli prospicere, ut hæc mysteria in ipso, quasi in sui fonte intueantur. Si enim angeli ea videre desiderant in Spiritu sancto quasi omnis bonitatis auctore, multo magis homines, quorum saluti destinata sunt, magnum desiderium eadem videndi et complectendi in se acuere et excitare

debent. Quare sive legas *in quæ*, sive *in quem*, et sive intelligas Spiritum sanctum, sive Christum, eodem omnia redeunt. Sensus enim est, quod angeli in Spiritu sancto intueri desiderent Christum Christique redemptionem et mysteria. Hoc est quod ait Paulus : *Manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria*, 1. Timoth. 3. 16.

Porro angeli in Spiritum sanctum prospicere desiderant, id est, desideranter et cupide prospiciunt, desiderando satiantur, et satiando desiderant. Audi S. Gregor. 18. Moral. cap. 28. *Deum*, ait, *angeli vident, et videre desiderant, et sitiunt intueri, et intuentur. Ne autem sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur : et ne sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Et desiderant sine labore, quia desiderium satietas comitatur : et satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur.* Et Beda : *Contemplatio divinæ præsentiæ ita angelos beatificat, ut ejus semper visa gloria satientur, et semper ejus dulcedinem quasi novam insatiabiliter esuriant.* Id significat Græcum παρακύψαι, id est inclinato pronoque capite studiose et exacte prospicere et introspicere. Beati enim totos mentis oculos, totam aciem, totam mentem in Deo contemplando defigunt, adeoque quasi extra se exeunt, ut toti in Deum abeant et transeant. Causam hujus desiderii dedi v. 4. explicans τὸ *immarcescibilem*.

Mystice noster Turrianus tract. 2. de Eucharistia cap. 16. 17. et 18. et ex eo Salmeron (imo ipsi censent hunc esse sensum litteralem) *in quem*, scilicet Christum in Eucharistia, inquiunt. In ea enim non videmus Christum, sed tamen realiter præsentem credimus, atque in eum ibidem desiderant angeli παρακύπτειν, id est studiose, accurate, sollicite, fixis oculis introspicere, tum ut ipsum, tum ut modum essendi (qui est angelicus, ut totum Christi corpus sit in quolibet hostiæ puncto totum et integrum), tum ut ejus dignationem et gratiam, quam astantibus et communicantibus copiose elargitur, introspiciant. Huc respexit S. Marcus in Liturgia, dicens : *Post consecrationem in animo beneficia confers, et eis qui in te fiduciam collocant illa tribuis, quæ in se angeli prospicere desiderant.* Quocirca angelorum chori sacerdoti celebranti assistunt, ut tanta mysteria venerabundi aspiciant, honorent et verentur. *Quis enim fidelium*, ait S. Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 58. *habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari: terrena cœlestibus jungi, unum quoque ex visibilibus atque invisibilibus fieri?* Et S. Ambros. in cap. 1. Luc. *Non dubites*, ait, *assistere angelum quando Christus assistit, quando Christus immolatur.* Quin et S. Jacobus in Liturgia : *Taceant*, ait, *mortales, et stent cum metu et tremore nihil terrenum cogitantes. Rex enim regum Christus Dominus Deus noster exit ut mactetur, et detur in cibum fidelibus, eum vero chori angelorum antecedunt.* Quare exclamat S. Chrysost. homil. de sacra et divina mensa : *O miraculum, mensa tam magnifice instructa, in qua Agnus Dei pro te mactatur, ad quam assistunt Cherubini, descendunt Seraphini, qui senis præditi alis vultus demittunt, ubi omnes angeli cum sacerdote pro te legationem obeunt!*

13. PROPTER QUOD SUCCINCTI LUMBOS.] Est hic altera capitis pars, ethica scilicet (prior enim fuit dogmatica) qua fidelium mores, ut Christo et Christiano sint digni, efformat. Vox *propter quod*, hæc præcedentibus connectit et ex iis quasi principiis congruam conclusionem educit. q. d. Cum hereditas incorruptibilis, et cœlestia bona à me et Apostolis prædicata, per Christum vobis, ô Christiani, parata sint, eaque tanta sint, ut non tantum Prophetæ, sed et angeli ea videre desiderent, quid restat, nisi ut terrenis cogitationibus calcatis, quasi succincti lumbos mentis totis animi affectibus, quasi plenis passibus tendatis ad cœlum? Sectentur avari quasi talpæ opes terrenas, ambiant superbi quasi chamæleontes auram honoris, gulosi quasi porci inhient escis; vos vero cives, imo reges cœli à Deo scripti et destinati, longe ardentiori studio quærite, et accincti, id est expediti, contendite ad regnum æternum, ut contemptis omnibus mundi illecebris, opibus, minis, odiis, persecutionibus speretis et assequamini gratiam, id est, gloriam istam revelandam in die judicii.

Nota Primo. Lumbos succingimus ad quatuor usus. Primo, ad iter; Secundo, ad opus; Tertio, ad bellum ; Quarto, ad ministerium. Unde August. in psalm. 92. *Succingi*, inquit, *est iter aggressuri; cingi, operis quippiam facturi; accingi, prœliaturi; præcingi, ministraturi.* Christianis hæc omnia competunt; nam Primo, quasi peregrini iter faciunt in cœlum ; Secundo, quasi operarii opus Dei peragunt; Tertio, quasi milites Christi prœliantur cum mundo, carne et dæmone; Quarto, quasi famuli ministrant Christo: debent ergo esse succincti lumbos mentis, id est, debent esse mente et animo non impedito, sed prompto, libero et expedito ad quatuor jam dicta. Est Primo, catechresis : lumborum enim succinctio facit hominem expeditum, ideoque eum significat. Secundo, est metaphora, eaque duplex, prior sumpta ex vestitu Judæorum et veterum : hi enim prælongis vestibus et tunicis utebantur; unde opus, vel iter facturi eas succingebant. Hinc fidelibus in morte sibi occursuris, ait Christus Lucæ 12. *Sint lumbi vestri præcincti. Qui enim discinctus est*, ait Haymo, *ipsis suis vestimentis impeditur, ne libere ambulet; qui vero præcinctus est, quaquaversus discurrere potest.* Posterior, quod lumbos menti tribuit, quo significat Christianos mentem, sublatis omnibus impedimentis, debere exhibere paratam, alacrem et acrem ad opus et iter hoc ingrediendum. Succingit ergo lumbos mentis, qui è mente errores, præsertim prava principia practica, ac noxias cogitationes et cupiditates pellit. Ita OEcumen. Gagneius et Thomas Anglicus, qui pulchre ait hominem interiorem, id est animam, suo modo exteriori homini proportionari. Dicitur enim habere pedem, id est affectionem : oculum, id est rationem : manum, id est operationem : narem, id est discretionem : lumbos et renes, id est delectationes. Sic Lucæ 16. animarum Lazari et Epulonis spiritales operationes per oculos, digitos, linguam et membra corporea significantur.

S. Petrus ergo per lumbos mentis, mentis vires, facultates, affectiones, amores et cupiditates intelligit, easque cingi et restringi jubet, ne libere fluant, et propositum in cœlum ad Deum cursum remorentur. Secundo, ut expediti Deo ad evangelizandum, multa cum eo patiendum, et quidlibet aliud vocanti respondere

possint : *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum,* psalm. 56. 8. Tertio, ut mens suis lumbis, id est, viribus et affectibus imperet, eosque ad libitum evagari non sinat, sed regat et dirigat tum ad suam salutem, tum ad Dei obsequium et gloriam. Mens enim sibi suisque affectibus imperans, est regina plene lateque dominans, magis quam Rex vel Imperator orbis, juxta illud Horatii :

> Latius regnes avidum domando
> Spiritum, quam si Libyam remotis
> Gadibus jungas, et uterque Pœnus
> Serviat uni.

Talis ergo succingit lumbos mentis, quia omnibus mentis affectibus, amoribus et timoribus dominatur, ut eos stringere et laxare ad libitum possit, velut venator canem, auceps accipitrem.

Nota Secundo, Cingulum Primo, symbolum et causa est fortitudinis et constantiæ : quocirca Gentiles cingulum dicabant Marti. Et Cicero oratori hoc dat præceptum : *Arctiori cingulo latera cingat, ut ea ad dicendum sint firmiora et fortiora.* Sic Proverb. 31. 17. de muliere forti dicitur : *Accinxit fortitudine lumbos suos, roboravit brachium suum.* Et Deus dicitur *accinctus potentia.* Psalm. 64. 7. aliosque præcingere. Unde David ait : *Præcinxisti me virtute ad bellum,* Psalm. 17. 13. Significat ergo Petrus Christianis non seguiter agendum, sed eos debere intendere animum, ac fortiter et constanter incumbere Christo, Christianismo, ac saluti et gloriæ æternæ, ad quam à Christo vocantur. Ita Œcumen. Hinc apud Græcos εὔζωνος, id est, *bene cinctus,* idem est, ac fortis et strenuus. Contra vero discinctus apud Latinos sonat dissolutum et imbellem : quia summo ducebatur probro, si militem ignavum juberet Imperator diem transigere discinctum, ait Sueton. in Augusto c. 24. Huc facit illud 3. Reg. 20. 11. *Ne glorietur accinctus æque ut discinctus :* id est pugnaturus, æque ac jam à pugna quiescens, parta scilicet victoria.

Secundo, cingulum symbolum est castitatis, tum quia ipsum restringit lumbos, ac consequenter libidinem, quæ in lumbis habet originem ; tum quia castitatem tueri est actus magnæ fortitudinis. Hinc illud Christi : *Sint lumbi vestri præcincti,* multi exponunt sic, q. d. Mortificate luxuriam, studete castitati. Ita S. Aug. hom. 23. in Evang. S. Basil. in cap. 15. Isaiæ, S. Hieron. l. 1. contra Jovin. et alii. Sic et S. Petri verba hic exponunt nonnulli. Unde et sequitur : *Sobrii perfecte sperate,* sobrietas enim est comes, imo mater castitatis. Ita Beda : *Succingit,* inquit, *lumbos mentis, qui hanc ab impura cogitatione restringit. Et qui mente et corpore castus Domini adventum exspectat, merito quando revelatur sperat.* Et S. Gregor. 32. Mor. c. 2. *Lumbos carnis,* inquit, *succingere, est luxuriam ab effectu refrænare, lumbos vero mentis succingere, est hanc etiam à cogitatione restringere.* Et Petrus Chrysologus : *Cincti,* inquit, *castitatis balteo, quod est insigne militiæ Christianæ, fluxæ carnis detruncemus ignaviam,* etc. *Dominus lumbos nostros astringi jubet balteo castitatis, et totum carnis nostræ pendulum, fluidum, resolutum, constringi mandat continua zona virtutis, ut carne succincta ad Domini occursum liber, velox, expeditus nostræ mentis reddatur incessus.*

Tertio, cingulum signum est animi honesti, modesti et compositi ; qualis enim est homo exterior, puta vestis et vestitus, talis est et interior. Unde Sylla fuit notatus, quod male præcinctus incederet, quasi id signum esset animi incompositi et intemperantis. Sic et de Julio Cæsare adhuc puero omen fuit, *Syllæ optimates admonentis, ut male præcinctum puerum caverent. Eum enim optimatum partibus exitio futurum : nam Cæsari multos Marios inesse,* ait Sueton. in vita Julii Cæs. c. 1. et 45.

Quarto, cingulum signum est fidelitatis : conjuges enim cinguntur cingulo conjugali, ut moneantur mutuo servare fidem conjugalem.

Quinto, continentiæ et mortificationis appetituum erga res sæculares et fluxas. Ita S. August. serm. 39. de Verbis Domini, et S. Gregor. 34. Moral. cap. 35. Lumbos et mammillas, inquit, succingit, *qui cunctos mutabilium cogitationum motus, per solius amoris vincula restringit,* ut dicat cum Psalte : *Quid enim mihi est in cœlo, et à te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum,* Psalm. 72. 25.

Quæres, quo cingulo cingendi sunt lumbi mentis? Resp. veritate. Hoc enim veritatis cingulum assignat Paulus Ephes. 6. 14. Vide ibi dicta : quibus adde expositionem S. Gregorii Nazianz. orat. 42. *Quæro,* inquit, *quid lumbis, cum veritate commune sit, et quæ Pauli mens fuerit cum diceret, State igitur succincti lumbos vestros in veritate : Non forte quod speculatio concupiscentiam coerceat, nec aliorsum ferri sinat? Nec enim fieri potest, ut qui cujuspiam rei amore flagrat, parem ad alias voluptates vim habeat :* hoc est, ut explicat Nicetas, *Christi contemplatio lumbum nostrum et concupiscentiam constringit, eamque totam ad rerum divinarum amorem transfusam et derivatam diffundi ac dispergi non sinit.* Christus enim est veritas, 1. Joan. 5. 6. Oratio ergo et contemplatio Christi, rerumque cœlestium minuit et infringit concupiscentiam omnem quæ in lumbis residet. Quocirca oratio est mater mortificationis, continentiæ, castitatis. Et vicissim mortificatio orationem purificat et accendit. Idem Nazianz. orat. 40. *Quid lumbi,* inquit, *quid renes? sint lumbi vestri succincti, ac per continentiam restricti, sicut Israeli olim ex legis præscripto pascha comedenti : nemo enim pure ac perfecte ex Ægypto excedit, nec exterminationem fugit, nisi hæc domuerit ac frænaverit. Renes autem laudabilem immutationem sentiant, vim totam cupiditatis ad Deum transferentes, ut dicere queamus : Domine, ante te omne desiderium meum, et : Diem hominis non concupivi. Viros enim spirituàlium desideriorum nos esse convenit. Nam ita demum draconem illum, cujus vires maximæ in umbilico et lumbis sitæ sunt, oppresserimus, extincta videlicet eversaque ea potentia, quam in his partibus obtinet.* Ratio est, quia anima in homine est una et eadem ; quare cum illa sit limitatæ virtutis, si ipsa vim suam totam exerat et expendat in speculatione et amore rerum cœlestium, non habet ultra quidquam quod expendat in amore et speculatione rerum carnalium. Unde videmus homines meditationi et orationi addictos, vix sentire stimulos carnis.

Ita noster B. Aloysius Gonzaga adeo orationi et meditationi perpetim erat intentus, ut nullam in ea mentis evagationem, vel distractionem sentiret, ac miraretur quod homo colloquens cum Deo in præsentia tantæ majestatis distrahi.

aliove mentem flectere posset; indeque eximium castitatis donum est assecutus, ut instar sancti Thomæ Aquinatis nullos impuros carnis animive motus sentiret, et ad eos videretur insensibilis, quasi angelus foret, non natura, sed virtute.

SOBRII.] Primo, q. d. Non ebrii, nec indulgentes vino, gulæ et ventri. Nam *vina parant animos veneri*, et vice versa : *sine Cerere et Bacho friget Venus.* Unde S. Hieron. epist. 83. ad Oceanum : *Vinolentia*, ait, *scurrarum est et comessatorum, venterque mero æstuans facile despumat in libidinem.* Vide dicta Ephes. 5. v. 18. ad illud : *Nolite inebriari vino in quo est luxuria.* Sicut enim ebrietas, venterque satur et plenus ineptus est ad iter, ad opus ad prælium, ad obsequium; ita ad hæc omnia paratus est sobrius, paratque sobrietas. Vere Orig. hom. 3. in Levit. *Sobrietas*, inquit, *omnium virtutum mater est, sicut è contrario ebrietas omnium vitiorum.* Et mox : *In ebrietatis ægritudine corpus simul et anima corrumpitur, spiritus pariter cum carne vitiatur, omnia membra debilitat, pedem, manum, linguam resolvit, oculos tenebrat, mentem velut oblivio; ita ut hominem se esse nesciat, nec sentiat.* Et S. Basil. homil. 14. *Ebriorum animæ vino submersæ sunt.* Et mox : *Mentis lumine per ebrietatem te privas, inter bestias ratione carentes annumerari potes.* Et S. Chrysost. hom. 58. in Matth. *diabolo*, ait, *nemo magis amicus est, quam qui deliciis et ebrietate maculatur*, etc. Mox ebrium comparat possesso à dæmone : ebrius enim non videtur esse homo; sed dæmon incarnatus, ita furit, rixatur, pugnat, insanit. *Deliciis vacans*, ait, *nullo discrimine à dæmoniaco separatur : impudens enim et furiosus pariter est, et dæmoniacum omnes miseremur : hunc vero aversamur : quia sponte furorem sibi attrahit; et os, oculos, nares et cætera sensuum instrumenta amarissimas voluptatis facit cloacas.*

Secundo, OEcumen. et Syrus τὸ *sobrii* nectunt cum *perfecte;* quasi S. Petrus non semiplenam, qualis fuit Judæorum, sed plenam et perfectam sobrietatem à Christianis requirat, quæ mentem eorum faciat succinctam et paratam ad iter cœleste : plena autem sobrietas est abstinentia non tantum carnis, sed et mentis, puta continentia animique moderatio, qua cupiditatibus omnibus dominatur. De qua Seneca ep. 39. *Magni animi*, inquit, *est magna contemnere, ac mediocria malle quam nimia : illa enim utilia vitaliaque sunt, at hæc eo quæ superfluunt nocent. Sic segetem nimia sternit ubertas, sic rami onere franguntur, sic ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas. Idem animis quoque evenit, quos nimia felicitas rumpit.* Et Plutarch. de Virtut. mor. *Temperatus animus*, ait, *est æqualis et pacatus, inferiore animæ nostræ portione cum superiore consentiente admirabili quiete, ornatus et compositus, in quem intuens dicas :*

> Conciderant venti jam, et tranquillus sine vento
> Pontus erat, namque ipse Deus sedaverat undas,

vehementes, insanos rabidosque motus cupiditatum restinguente ratione, et quibus natura indiget eos sibi consentientes obedientesque reddente, ut nec rationem præcurrant, nec terga vertant, nec ordinem turbent, nec dicto non sint audientes; sed ut omnis motus quocumque velit ratio ducere, paratus sequi, seu lactens pullus cum equa simul currat. Verum hæc mystica est sobrietas : atque τὸ *perfecte* aptius referas ad sequens *sperate.*

Tertio, Græcum νήφοντες verti potest *vigilantes*, uti vertit Vatabl. et S. Hieron. lib. 1. contra Jovin. unde et Syrus vertit, *excitamini perfecte.* Sobrietas enim est mater vigilantiæ, æque ac ebrietas somni et ignaviæ. Quocirca S. Petrus hæc duo quasi individuos comites jungit c. 5. 8. dicens : *Sobrii estote et vigilate.* Vita enim fidelium est vigilia : excubare enim debent inter tot hostes, quibus undique cinguntur. Rursum Christi doctrina sublimis, æque ac gratia et gloria, poscit mentem vigilantem, attentam, acrem, studiosam, operosam.

PERFECTE (Glossa, Hugo, Dion. et alii legunt *perfecti*, sed Græca habent τελείως, id est *perfecte.* Ita et Romana) SPERATE IN EAM, QUÆ VOBIS OFFERTUR, GRATIAM.] Requirit S. Petrus à fidelibus non qualem qualem, sed perfectam spem, eamque innuit parari sobrietate : abstinentia enim à voluptatibus carnalibus facit nos sperare cœlestes, ad easque capiendas et prælibandas mentem habilem, acrem et alacrem facit. Pro *offertur* græce est φερομένην, quod S. Hier. et alii vertunt, *defertur :* quia scilicet Deus hanc gratiam non tantum promittit, sed et offert, defert, et quasi in manum sinumque dat; ita tamen ut non cogat, sed liberum relinquat voluntati eam acceptare, vel respuere, uti definit Conc. Trident. sess. 6. c. 5.

Pro *gratiam*, græce χάριν, alii legunt χαράν, id est *gaudium.* Ita Syrus, gratia enim hic licet proprie accipi possit. q. d. Sperate in fidem et gratiam, quod illa vos perducet ad salutem : melius tamen *gratiam* accipias pro gloria, hanc enim fideles et justi sperant; et hæc plenum affert gaudium, juxta illud Christi : *Intra in gaudium Domini tui*, Matth. 25. 26. Hæc etiam est gratia, quia licet ipsa sit merces bonorum operum, tamen hæc ortum habent à gratia. Unde Rom. 6. 23. dicitur : *Gratia Dei vita æterna.*

Hæc plena spes adegit et excitavit S. Petrum : S. Andream, Philippum et Simonem, ad exultanter conscendendum crucem, Jacobum et Paulum ad gladios et secures complectendum, S. Laurentium ad calcandam craticulam, Sebastianum ad sagittas, Stephanum ad lapides, Ignatium ad leonem, Clementem ad naufragium, Polycarpum ad ignem, Theclam ad serpentes, tauros, eculeos, omniaque genera tormentorum fortiter et alacriter superanda. Vere Tertull. lib. de Resurrect. carnis : *Fiducia Christianorum*, inquit, *resurrectio est mortuorum.*

Nota Primo. Spes, cum sit virtus Theologica, pro objecto habet Deum, uti et fides et charitas : sperat ergo primario in Deum, non in creaturam qualis est gratia; secundario tamen sperat quoque media quibus Deus nos ad se, quasi finem ultimum et beatum ducit, qualia sunt gratia, fides, charitas, cæteræque virtutes. Sic fides credit multa de Christo, rebusque creatis, quatenus ea à Deo revelata sunt. Sic charitas amat non tantum Deum, sed et proximum propter Deum.

Nota Secundo hebraismum : *sperare in gratiam*, id est, sperare gratiam, hoc est gloriam; hæc enim est gratia consummata : sic credere in Deum, est credere Deum, et credere Deo.

Mystice, Turrianus noster 3. Dogmat. charact. per *gratiam* accipit Eucharistiam, quæ idem græce sonat quod bona gratia : quia ipsa gratia-

rum est summa, et gratia οὐσιώδης, id est *substantialis*, in ea enim Christus se et suam substantiam, puta totam deitatem et humanitatem, quasi eximium donum et gratiam nobis impertit, ac proinde proprie speramus in hanc gratiam, quia speramus in Christum, qui realiter præsens est in Eucharistia, imo est ipsamet Eucharistia et gratiarum gratia.

In revelationem.] Ita Romana. q. d. Sperate hanc gratiam, id est gloriam, usque in diem revelationis Christi, donec scilicet veniat dies judicii : tunc enim à Christo judice illa, quasi merces laborum et patientiæ vobis dabitur. Aut sperate in revelationem Jesu Christi, id est, in Jesum Christum, quod in revelatione suæ gloriæ et potestatis judiciariæ, puta in die judicii, hanc gratiam, id est gloriam, vobis consignabit. Aut sperate in diem revelationis Christi; quia ille dies vobis hanc gratiam afferet. Græca habent ἐν ἀποκαλύψει, id est, *in revelatione*. q. d. Sperate in hanc gratiam nunc, quando ea per meam et Apostolorum prædicationem vobis revelatur. Aut potius, q. d. Sperate hanc gratiam vobis datum iri in revelatione Christi, puta in die judicii.

Nota : τὸ *revelationem* significat nos hanc vitam agere in fide, id est, in ænigmate et obscuritate, qua res à nobis creditæ et speratæ non apparent, non cernuntur; sed quasi arcanæ et absconditæ sunt apud Deum: nam hæ omnes earumque dignitas et majestas revelabitur in die judicii; ut tunc facie ad faciem eas contemplemur, iisque fruamur. Sic Paulus ait : *Mortui estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum illo in gloria*, Coloss. 3. 3. vide ibi dicta.

14. Quasi filii obedientiæ.] Hæc pendent à præcedentibus. q. d. State succincti lumbos, id est, expediti et constantes, ac sobrii sperate futuram gloriam, uti decet filios obedientiæ, id est, obedientes præceptis Christi, meis et Apostolorum, quales vos estis. Decet enim filios obedire parentibus. S. Petrus ergo requirit à fidelibus obedientiam, non qualem qualem, sed filialem ex filiali amore et reverentia. Rursum *filii obedientiæ*, vocantur dediti et plane addicti obedientiæ, ut ex ea quasi matre progeniti, planeque obedientiæ indolem et naturam hausisse et imbibisse videantur. Insuper *filii obedientiæ*, quasi devoti et consecrati obedientiæ; quomodo Religiosi vocantur filii obedientiæ, quia ei se devoverunt, ejusque votum Deo nuncuparunt. Et tales fuere primi Christiani, nimirum obedientissimi Christo et Apostolis, adeoque votum vel professionem obedientiæ Apostolis ediderunt, uti ostendi Actor. 5. 1. Sic vocantur filii perditionis, incredulitatis, diffidentiæ, id est, plane perditi, increduli, diffidentes. Item filii iræ mortis, gehennæ, id est, addicti vindictæ, morti et gehennæ.

Moral. significat S. Petrus Christianos debere esse obedientissimos quasi filios obedientiæ, filios Christi et primorum Christianorum, qui fuerunt obedientissimi. Christus enim factus *est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, Philipp. 2. 8. Item quasi fratres angelorum : angeli enim sunt *potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus*, Psalm. 102. 20. Hinc alati pinguntur et igniei, quia celerrime et efficacissime Dei jussa exequuntur, juxta illud : *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis*, Ps. 103. 4.

Non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis.] Ostendit qualem obedientiam à fidelibus quasi filiis requirat, scilicet non fidei tantum, ut credant in Christum, ut volunt hæretici; sed operum quoque, ut non sectentur pristina desideria et cupiditates, quæ sectati sunt in gentilismo, sed studeant sanctitati, ut in omni conversatione sancti sint. Unde Syrus vertit, *non communicetis amplius concupiscentiis primis, quibus concupiscebatis sine scientia*. Nota *configurati*, id est conformati; qui enim sequitur cupiditates, iis se conformat et configurat, ut earum formam et figuram induere videatur. Vides ebrium? vides formam, mores et gestus ebrietatis. Vides gulosum? vides figuram, hiatum et voracitatem gulæ et veneris. Vides ambitiosum? vides figuram, tumorem et gestus ambitionis. Ex adverso qui se configurant et conformant Christo ejusque virtutibus, ipsius formam, mores et actus induunt. Sicut enim charta prælo appressa, et configurata laminæ in qua incisa et sculpta est effigies Christi, illi configuratur, ejusque imaginem induit, ut referat et exprimat Christi formam et habitum; ita prorsus qui Christo quasi normæ, regulæ et exemplari mentem et voluntatem plane applicat, ei se configurat, ejusque formam, mores et virtutes in se exprimit. Hoc est quod jubet Paulus Ephes. 4. 22. *Deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris*. Pro quo S. Petrus ait, *ignorantiæ*, ut significet eos in gentilismo fuisse in profunda caligine et nocte infidelitatis, gulæ, libidinis, superbiæ, etc. quæ honesta, recta et pulchra putabant Gentiles, adeoque iis gloriabantur : jam vero per Christianismum traductos esse ad claram diem et lucem fidei, cognitionis Dei, sobrietatis, castitatis, omnisque virtutis. Subdit Paulus : *Renovamini autem spiritu mentis vestræ; et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis*. Vide ibi dicta.

15. Sed secundum eum qui vocavit vos (ad fidem, gratiam et salutem) Sanctum (Deum et Christum, qui est *Sanctus sanctorum et justitia sempiterna*. Daniel. 9. 24.) et ipsi in omni conversatione sancti sitis.] Vetus unius septem Sapientum dictum fuit : *Sequere Deum;* vetustius Dei per Mosen, *Sancti eritis, quia ego sanctus sum*, Levit. 11. 45. Recentius, sed plenius est Christi : *Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est*, Matthæi 5. 48. et Pauli Ephes. 5. 1. *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi*.

Porro sanctitatem opponit desideriis, id est concupiscentiis; quo significat sanctitatem consistere in puritate, quæ acquiritur fugiendo et mortificando carnales et terrenas cupiditates, ut sicut Deus sanctus, id est, segregatus est à terra terræque fœcibus, ita pariter sit et fidelis sanctus. Unde Origen. hom. 11. in Levit. *Sanctus*, inquit, *græce dicitur ἅγιος, quod eum quasi extra terram esse significat, quicumque enim se conse craverit Deo, merito extra terram et extra mundum esse videbitur*. Clare vero S. Dionys. cap. 12. de Divin. nomin. *Sanctitas*, ait, *est ab omni scelere libera, perfectaque ac omni ex parte incontaminata puritas : quæ ita in Deo eminet, ut merito Sanctus sanctorum nuncupetur, et celeberrimo*

illo hymno trisagio à beatis mentibus in cœlo celebretur. Et S. Basil. de Spiritu sancto cap. 9. *Anima,* inquit, *purgata à probro quod eam per malitiam contaminarat; et ad nativam pulchritudinem reversa, ac veluti imagine regia veterem formam puritate reddens, hoc uno demum modo potest ad Paracletum appropinquare. Ille vero veluti sol purum nactus oculum, ostendet tibi in seipso imaginem illius, qui videri non potest.* Et mox : *Hic* (Paracletus) *eis qui à tumultu cupiditatum purgati sunt illucescens, per communionem, quam cum ipso habent spiritales reddit. Et sicut corpora illustria perluciduque contacta radio solis, fiunt et ipsa supra modum splendida, et alium fulgorem ex sese profundunt; sic et animæ spiritu afflatæ, ac spiritu illustratæ fiunt et ipsæ spiritales, et in alios gratiam emittunt.*

Porro S. Petrus plenam et universalem à fidelibus sanctitatem requirit; ait enim : *In omni conversatione sancti sitis.* Aliqui enim in templo videntur angeli, sed in domo sunt diaboli. Requirit ergo continuum exercitium non unius, sed omnium virtutum, utque earum habitus solidos et intensos sibi comparent. Habitus enim virtuti dat non solum facilitatem, sed et constantiam, ut ea præditus contra quaslibet tentationes sibi similis, fortis firmusque consistat, ac virtutem in omni conversatione exerat, ex eaque omnia agenda agat. Sensus ergo est, q. d. Omnis conversatio vestra, ô Christiani, in gentilismo fuit impura, maculata, et sæpe bestialis. Multi enim vestrum in templo fuere superstitiosi, in curia contentiosi, in foro ambitiosi, in platea contumeliosi, in officina fraudulenti, in agro rapaces, in domo rixosi; multi in mensa fuere lupi, in cubiculo vulpes, in opere asini, domi pavones, foris accipitres, in lecto porci, in tribunali tigrides, in circulis canes, in plateis leones. At nunc in Christianismo oportet, ut omnis conversatio vestra in agendo, loquendo, ambulando, comedendo, studendo, disputando, dormiendo, operando, regendo, etc. sit pura, Christiana, sancta, angelica; ut in templo sitis ardentes in oratione ut Seraphini; in schola et cubiculo speculantes ut Cherubini; in judicio placidi et æqui ut Throni; in cupiditatibus frænandis excelsi ut Dominationes; in regimine prudentes ut Principatus; in tentatione mundi calcandi generosi ut Potestates; in luctu cum dæmone fortes ut Virtutes; in officio et opere publico fideles ut Archangeli; in mensa, platea, foro, lecto, etc. honesti, pudici, compositi, sancti ut Angeli. Vide S. Bernardum tract. de Modo bene vivendi ad sororem, ubi ostendit qualis debeat ejus esse conversatio in templo, cubiculo, mensa, colloquio, lectione, somno, etc.

Id præstiterunt primi Christiani, qui proinde proprio nomine vulgo vocabantur Sancti, uti passim eos vocat S. Paulus. Audi S. Justinum Philosophum et martyrem, Christianorum sui ævi, id est, anno Christi 150. vitam et mores graphice depingentem epist. ad Diogenetum I. *Patrias,* inquit, *habitant proprias, sed tanquam inquilini. Omnium participes sunt, ut cives : et omnia patiuntur, ut peregrini. Omnis peregrina regia patria eorum est, et omnis patria est peregrina. Uxores dicunt ut alii omnes; et liberos procreant, sed non abjiciunt fœtus. Mensam communem apponunt, sed non impuris communem. In carne sunt : sed non secundum carnem vivunt. In terra degunt; sed in cœlo conversantur. Sanctis obsequuntur legibus, et suo vitæ genere leges superant. Amant omnes, et ab omnibus infestantur. Ignorantur et condemnantur. Morte afficiuntur, et vivificantur. Pauperes sunt, et multos ditant. Omnibus indigent, et omnibus abundant. Ignominia afficiuntur, et ignominiis celebrantur. Blasphemantur, et justificantur. Maledicuntur, et benedicunt. Contumeliis lacessuntur, et honorant. Benefaciunt, et tanquam improbi puniuntur. Puniti gaudent, tanquam vivificati. A Judæis tanquam alienigenæ oppugnantur, et ab infidelibus persecutionem patiuntur : nec possunt tamen qui eos oderunt ullam odii causam adferre.*

Tales fuere Essæi, primi scilicet Christiani Alexandriæ sub S. Marco, qui Essæi dicti sunt quasi ὅσιοι, id est *sancti*, aut potius quasi חסיד *chaside*, id est, *pii.* Quam enim Essæi in omni conversatione fuerint sancti, ex Porphyrio jurato licet Christi et Christianorum hoste et obtrectatore disce, mirare et imitare. Sic enim ipse eos depingit apud Eusebium l. 9. de Præparat. Evangel. cap. 1. *Essæi Judæi genere sunt : hi alter alterum magis diligunt quam cæteri homines faciant : et voluptatem omnem quasi vitiosam aspernantur, continentiam et integritatem animi ab omni perturbatione remotam, præcipuam putantes virtutem. Uxores non ducunt ; alienos autem liberos teneros adhuc, et ad omnem aptos doctrinam adoptantes, pro suis educare, ac moribus suis stabilire solent, quod faciunt, non quia matrimonium abominentur, sed quia mulierum mores cavendos putant. Divitias omnes adeo spernunt, ut mirabilis quædam in eis communitas sit. Nullus eorum præter cæteros aliquid possidet, omnia eis communia sunt. Nemo alio ditior aut pauperior. Una omnibus quasi fratribus facultas est. Ungi oleo non patiuntur : quod si quis forte oleo tactus fuerit, diligenter quasi à magna macula corpus illi abstergitur : non enim molles, sed aridi atque duri esse corpore cupiunt : alba semper induuntur : electione communi quæstores et gubernatores sibi creant, et indivisæ in omnibus res sunt. Non habitant urbem unam, sed hinc illo facile migrant, semperque ad sequentes heresim* (id est, sectam, puta religionem) *suam proficiscuntur; à quibus ita suscipiuntur, ut una eos semper vixisse diceres : unde sit ut proficiscentes nihil impensæ secum ferant. Vestem et calceos antequam omnino tempore dirumpantur non mutant; nec emunt aliquid, nec vendunt; sed commutatione rerum utuntur, cum egeant. Nam inter eos communia quæcumque volunt, etiam nihil afferentes.*

Deinde eorum preces, opera et prandia ita describit : *Erga Deum maxima pietate utuntur. Nam antequam sol oriatur nihil eis profanum dicitur, sed patria oratione utuntur, qua solem oriri precuntur, deinde à præfectis singuli ad artes operaque sua mittuntur : et posteaquam horis quinque laboraverint, ad unum rursus locum congregantur : et aqua frigida perloti, in domum veniunt, quo nemini nisi ejusdem sectæ introire licet. Ita mundi quasi in templum ad cœnaculum veniunt, ubi magna tranquillitate sedentibus ordine omnibus panis apponitur, et ferculum unum unicuique. Primus autem omnium sacerdos facta oratione comedere incipit : nefasque omnino putant ante orationem quidquam gustare. Cumque pransi fuerint, multo diligentius orant. Ita incipientes et desinentes laudes Dei diligenter concinunt. Post hæc vestibus, quibus prudentes quasi sacris utuntur, depositis, ad opera rursus exeunt : nocturnoque*

reversi crepusculo similiter cœnant, hospitibus etiam confidentibus, si qui forte affuerint : clamor aut tumultus nunquam apud eos auditur, sed ordine ita colloquuntur, ut tanta eos inter se uti ordine atque silentio mirabile videatur, cujus causa perpetua continentia est. Cibus et potus vitæ necessitate mensuratur.

Deinde recensito eorum juramento quo jurant se modestiam, justitiam, veritatem, pietatem et secretum culturos subdit: *Tanta vero tenuitate paucitateque utuntur rerum, ut raro plus quam semel in septem diebus alvi purgatione indigeant. Qua quidem ex continentia in tantum perveniunt patientiam, animique robur, ut nec aculeo, nec igne, nec alio quæstionum genere impelli possint, ut aut verbis legislatorem vituperent, aut illicitum quidquam comedant, quod maxime in bello, quod sibi à Romanis illatum fuit, ostenderunt : nulla enim adulatione ad torquentes unquam sunt usi, nullas lacrymas torti emiserunt; sed suaviter in doloribus ridentes, et eis illudentes à quibus torquebantur, sic expirabant jucundissime, ut ad patriam redire viderentur. Firma enim hæc opinio apud eos est, corpora quidem morti esse subjecta, animas vero tanquam immortales semper vivere : cumque à subtilissimo æthere dimittantur, naturali quodam delatos impetu corporis conjungi : cum vero à vinculis corporum quasi à longa servitute liberati sint, tunc summo cum gaudio altiora petere. Qua quidem vita et pietate facile fit, ut multi apud eos futura provideant, præcipue qui à sacris voluminibus et varia carnis castigatione, et Prophetarum dictis exercentur. Hæc Porphyrius de pietate ac Philosophia Essæorum testatus est.* Hucusque Euseb.

In hoc speculo intuere te tuosque mores ô Christiane, et si te ab eis longe abesse deprehenderis, conare eos insequi et assequi ; ne illud Salviani lib. 4. de Providentia in te tuique similes quadret : *Frustra nobis de prærogativa et nomine christianitatis blandimur, qui ita agimus ac vivimus, ut hoc ipsum quod Christianus populus esse dicimur, opprobrium Christi esse videatur.* Et mox : *Ubi est lex Catholica, quam credunt? Ubi sunt pietatis et castitatis præcepta, quæ discunt? Evangelia legunt, et impudici sunt ; Apostolos audiunt, et inebriantur. Christum sequuntur, et rapiunt. Vitam improbam agunt, et probatam legem habere se dicunt*, etc. *In nobis Christus patitur opprobrium, in nobis patitur lex Christiana maledictum, dum dicitur : Ecce quales sunt qui Christum colunt : falsum plane est quod aiunt se bona discere. Si enim bona discerent, boni essent. Talis profecto facta est, quales et sectatores : hoc sunt absque dubio quod docentur : sancta à Christianis fierent, si Christus sancta docuisset. Æstimari itaque de cultoribus suis potest ille qui colitur. Quomodo enim bonus magister est, cujus tam malos videmus esse discipulos? Ex ipso enim Christiani sunt, ipsum audiunt, ipsum legunt.*

16. QUONIAM SCRIPTUM EST : SANCTI ERITIS, QUONIAM EGO SANCTUS SUM.] Id scriptum est Levit. 20. 26. vide ibi dicta et Levit. 27. 28. Sensus est, ait Didymus, q. d. *Sicut ego fons sanctitatis sum per substantiam sanctus existens, ita vos studete participare sanctitatem quos diligo, ut sitis, sicut et ego.* Quare præclare Nazianz. Iambico 15. *Quid*, ait, *est sanctitas? Cum Deo consuescere.* Sic Noe et Henoch ambulantes cum Deo sancti effecti sunt, Genes. 5. 24 et c. 6. 9.

17. ET SI PATREM INVOCATIS EUM, QUI SINE ACCEPTIONE PERSONARUM JUDICAT SECUNDUM UNIUSCUJUSQUE OPUS, IN TIMORE INCOLATUS VESTRI TEMPORE CONVERSAMINI.] Pergit S. Petrus urgere fideles, ut in omni conversatione sancti sint, ac jugiter in sancto timore Dei conversentur, variis rationibus et stimulis. Prima est hoc versu, scilicet quod ille ipse Sanctus, qui eos vocavit, sit ipsorum Deus, pater et judex quem adorant et invocant. q. d. Ergo eum ut Deum sancte colite ; ut patri velut morigeri filii, sancte obedite; ut judicem, sancte timete : ipse enim judicat sine personarum acceptione, nec respicit divitem præ paupere, herum præ servo, nobilem præ ignobili, sed quemque pro meritis secundum opera cujusque judicat. Quapropter dum hanc vitam, carnem et terram quasi advenæ et peregrini incolitis, in sancto timore conversamini, ac Deum quasi patrem filiali amore, vel certe ut judicem servili timore timete et reveremini, ut omnes ejus offensas et peccata declinetis, faciatisque omne quod ei placitum, ab eoque jussum et lege sancitum est, itaque gehennam evitetis, et æternam in cœlis hereditatem ab eo, velut timorati servi, et morigeri filii nanciscamini. Hoc est quod ait Malach. c. 1. 6. *Filius honorat patrem, et servus dominum suum. Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? Et si dominus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dominus exercituum.*

Nota. *Patrem* vocat Deum, qui communis est tribus personis, Patri, Filio et Spiritui sancto. Hic enim est pater, id est, creator, conservator, provisor, gubernator angelorum, hominum, omniumque creaturarum. Sic Christus in oratione Dominica nos ita orare et ordiri jussit : *Pater noster qui es in cœlis*, Matth. 6. 9. Ex quo loco perperam contendit Calvinus et Calvinistæ, Deum à nobis invocandum esse dumtaxat nomine Patris, non vero S. Trinitatis, dicendo : *S. Trinitas unus Deus miserere nobis.* Unde ipsi nomen S. Trinitatis è suis Calendariis, precibus, litaniis expunxerunt. Perperam, inquam : nam Christus jussit nos baptizare invocando S. Trinitatem, dicendo : *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Hinc S. Trinitatem invocat S. Dionys. de Mystica Theolog. c. 1. S. August. l. ult. de Trinit. c. ult. et alii passim ; imo tota Ecclesia in Festo S. Trinitatis, et alias sæpe. Vide Fevardent. dialog. 1. contra Calvin. Non sine causa viri sapientes Calvinum insimularunt arianismi et judaismi, ut Hunnius scripserit librum hoc titulo, *Calvinus judaizans.* Si enim non licet invocare Filium, Spiritum sanctum, S. Trinitatem ; ergo Filius non est Deus, nec Spiritus sanctus, nec S. Trinitas. Quicumque enim est verus Deus, hunc uti adorare, ita et invocare non tantum possumus, sed et debemus.

Nota Secundo. Solus filius, qua homo, erit personalis judex judicans omnes homines; Pater tamen et Spiritus sanctus erunt quoque judices, quia judicabunt per Christum hominem, sicut rex judicat per suum prætorem. Ita S. August. tract. 21. in Joannem. Vide Franc. Suarez 3. p. q. 57. art. 1.

Magnus stimulus ad conversationem sanctam est timor Dei omnia cernentis, judicantis et vindicantis. Unde Apostoli jugiter eum inculcarunt, et prædicatores crebro inculcare debent. Refert S. Clemens S. Petrum dictitasse : *Quis peccare poterit, si semper ante oculos suos Dei*

iudicium ponat? S. Paulus vehementer idipsum timuit: *Ne forte*, inquit, *cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*, 1. Corinth. 5. 10. et: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini*, Philipp. 1. 12. et: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum*, 2. Corinth. 5. 10. etc. *Serviamus placentes Deo cum metu et reverentia: etenim Deus noster ignis consumens est*, Hebr. 12. 28. Vide ibi dicta, et Joel. 3. 2. et Apocal. 6. in fine, et cap. 22. 12. ubi Christus ait: *Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.* Merito ergo regius Propheta: *Servite*, ait, *Domino in timore, et exultate ei cum tremore*, Psalm. 2. 11. Quis non tremat coram Deo, coram summo judice, coram rigido vindice, qui potest animam et corpus perdere in gehennam, in cujus manibus sunt sortes nostræ, vita et mors, cœlum et infernus, æterna nostra salus et damnatio? *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti*, ait S. Job cap. 9. 28. Hieron. epistol. 5. *Ego*, ait, *peccatorum sordibus inquinatus diebus ac noctibus operor cum timore reddere novissimum quadrantem, et quod mihi dicatur, Hieronyme veni foras.* Et ad Eustochium recensens suas in eremo lachrymas, jejunia et pœnitentias, *Ego*, inquit, *ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaveram*, idem ad suam eremum invitans Heliodorum, ait, eum omnes remoras superaturum, *si amor Dei, et gehennæ timor animum occupet.*

Nota Tertio, Per *incolatum* intelligit peregrinationem hujus vitæ. Unde græce est παροικίας χρόνον, id est, *tempore modico*, quo in hac vita et terra quasi hospites et advenæ peregrinamur. q. d. In terra estis peregrini, et per eam quasi hospites transitis ad cœlum, nolite ergo terræ illecebris capi et inhærere, sed iis contemptis ad patriam pergite, et pertransite. Hinc parœci dicti sunt incolæ, parœcia incolarum vicinia, sive cœtus fidelium, qui ad unum idemque templum pertinent; et Parochus dictus est, qui iis præest, vel qui iis Sacramenta et panem Eucharistiæ administrat. Parochus enim Romanis erat, qui hospitibus panem ceteraque ad victum necessaria suppeditabat, teste Cicerone l. 3. ad Atticum epist. 2.

Sic incolatus sui semper erat memor David; dicens psal. 119. 5. *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus cædar, multum incola fuit anima mea.* Sic Abraham, Isaac, Jacob, omnesque Patriarchæ et Prophetæ in terra promissionis morati sunt tanquam in aliena, *confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram.* Hebr. 11. v. 9. et 11. vide ibi dicta. *Quotidie*, ait S. Hieron. ad Heliodor. *morimur, quotidie commutamur, et tamen æternos nos esse credimus.* Seneca l. 6. Natur. quæst. cap. 32. *Fluit tempus*, inquit, *et avidissimos sui deserit, nec quod futurum est meum est, nec cum fuit; in puncto fugientis temporis pendeo, et magni est modicum fuisse. Eleganter ille Lælius sapiens dicenti cuidam, Sexaginta annos habeo: Hos, inquit, dices sexaginta, quos non habes.*

18. SCIENTES QUOD NON CORRUPTIBILIBUS.] Secundum hic stimulum Petrus adhibet fidelibus, ut in omni conversatione sancti sint, scilicet quod ad eam empti, redempti et à vana et impura in gentilismo conversatione traducti sint pretio inæstimabili, scilicet sanguine et morte Christi, filii Dei unigeniti. Videant ergo ut in ea permaneant, ne, si ad pristina vitia redeant, sanguinem Christi proculcent, illius iram et vindictam provocent, qui hunc sui sanguinis contemptum et injuriam acerrime puniet et ulciscetur. Ita Beda: *Quanto majus*, inquit, *est pretium quo redempti estis à corruptione vitæ carnalis, tanto amplius timere debetis, ne revertendo ad corruptelam vitiorum, animum vestri redemptoris offendatis.*

DE VANA VESTRA CONVERSATIONE PATERNÆ TRADITIONIS.] Græce πατροπαραδότου, id est *à patribus tradita*, scilicet de conversatione in lege Mosis, item in gentilismo: Judæis enim æque ac Gentibus ad Christum conversis loquitur. Judaismi traditio et conversatio vana erat, quia purificationem et sanctitatem ponebat in victimis et lustrationibus corporalibus; et quia excludebat Christi fidem et gratiam, qui sanctitatem in interna virtute constituit; et quia promulgata jam lege Christi inutilis erat, imo mortifera. Ita Cajet. et Cagn. Gentilium traditio vana erat, quia adorabant idola lignea et lapidea, ab eisque salutem et bonum omne postulabant et expectabant; et quia sectabantur vanas et impuras carnis mundique illecebras.

19. SED PRETIOSO SANGUINE QUASI AGNI IMMACULATI CHRISTI.] Sanguinis Christi, ut pote Dei prétium est infinitum, infinito ergo pretio redempti sumus. *Empti estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro*, ait Paulus 1. Corinth. 6. 20. vide eumdem Hebr. 9. 13. Hoc pretium magnum est *ipse Christus, totus nobis datus, totus in nostros usus expensus*, ait S. Bernard. serm. 3. de circumcis. Porro Christum vocat *quasi agnum*, id est, similem agno in puritate, innocentia, castitate, mansuetudine, obedientia: qua quasi agnus immolatus est pro peccatis nostris. Alludit ad agnum à Judæis immolari solitum in Pascate, qui erat typus Christi immolandi pariter in Paschate. Hic enim debebat esse ἄμωμος, id est, *irreprehensibilis* et immaculatus, Exodi 12. 5. Agni hujus Paschalis lana designat exemplum, lac doctrinam, caro Eucharistiam, sanguis redemptionem, ait Thomas Anglicus. Præclare S. Paulinus epist. ad Florentium: *Idem*, inquit, *agnus et pastor reget nos in sæcula, qui nos de lupis oves fecit, eumque nunc ovium pastor est ad custodiam, pro quibus fuit agnus in victimam.* Rursum alludit ad Isaiæ 53. 7. *Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.* Et Jerem. 11. 19. *Et ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam, et non cognovi.* Proximius vero alludit ad testimonium Joannis Baptistæ de Christo: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*, Joan. 1. 29. Hac voce Agni gaudet alter S. Joannes Apostolus, itaque passim vocat Christum Apocal. cap. 5. et sequent. quibus omnibus significat, à Christo Agno Christianos omnes debere esse agnos, et agninos mores imitari, uti fecit et re et nomine S. Agnes: Agnes enim dicitur quasi agna, ait S. August. serm. 101. de diversis. Vere S. Ambros. lib. 7. in Lucæ cap. 12. *Bene pretiosus*, inquit, *dicitur sanguis Christi quia immaculati corporis sanguis est, quia sanguis est filii Dei, qui non solum de maledicto legis, sed etiam de impietatis morte perpetua nos redemit.*

Redemit autem non tantum solvens lytrum

pro peccatis commissis, sed et à vitiis, statuque pravæ vitæ nos transferendo ad virtutes statumque vitæ sanctæ, mutando mentem, eamque imbuendo sua gratia, quæ nos agat et impellat ad omne bonum. Hoc est quod ait Paulus Galat. 3. 13. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Et 1. Cor. 1. 30. Christus *factus est nobis sapientia à Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.* Unde eleganter pieque S. Ambros. lib. 3. de fide cap. 3. ostendens quantum Christiani Christo debeant: *Sapientia mea*, inquit, *crux Domini est: redemptio mea mors Domini est: sanguine enim pretioso redempti sumus, ut Apostolus Petrus dixit, sanguine suo quasi homo Dominus nos redemit, idemque quasi Deus peccata donavit.* Præclare S. Leo serm. 3. de pass. *Inter omnia*, ait, *opera misericordiæ Dei nihil est mirabilius, nihilque sublimius, quam quod pro mundo crucifixus est Christus.*

Hinc docent Theologi, sanguinem Christi in passione effusum non fuisse separatum à divinitate, uti censuit Franc. Mayronis in 4. dist. 43. q. 1. sed hanc mansisse cum eo, æque ac cum corpore hypostatice conjunctum; sanguis enim Christi fuit pretium justum et sufficiens peccatorum nostrorum, eo quod esset sanguis personæ divinæ, puta Verbi, quod est infinitæ dignitatis. Mansit ergo sanguis Verbi; ergo Verbo hypostatice mansit conjunctus. Si enim ab ea per effusionem fuisset separatus, desiisset esse per pretium condignum pro peccatis nostris: jam enim fuisset sanguis puræ creaturæ, ideoque limitatæ et exiguæ dignitatis, ac proinde insufficiens ad satisfaciendum pro peccatis, quæ immensam immensi Dei continent offensam. Huc facit axioma Theologorum ex Damasceno lib. 3. cap. 27. *Quod Deus assumpsit, nunquam dimisit.* Ergo sanguinem semel assumptum non dimisit. Adde, si in triduo mortis Christi S. Petrus consecrasset calicem Eucharistiæ, fuisset in eo sub speciebus vini ex vi verborum consecrationis sanguis Christi: ergo fuisset in eo divinitas per concomitantiam; quia sicut caro Christi non est in Eucharistia nisi caro ut vivifica, atque adeo ut caro Verbi (ut ait Concil. Ephesinum epist. ad Nestorium) ita pariter sanguis ille est vivificus, atque ideo divinus et unitus Verbo. Denique idipsum definivisse Clemens VI. dicitur in Inquisitorio 2. p. q. 10. et Pius II. uti refert Sylvester in Rosa aurea q. 30. Plura vide apud Suarez 3. p. tom. 2. disput. 47. sect. 3.

Moraliter S. Ambros. libr. de Isaac cap. 3. pulchre docet quantam servitutem Christo emptori et hero nostro debeamus. *Nescis*, inquit, *quod redemerit te Christus, non emerit auro, non argento, sed pretioso sanguine agni. Ergo redemptus à Domino es, servus es qui creatus es; servus es qui redemptus es: et quasi domino servitutem debes, et quasi redemptori.* Fuit enim non qualis qualis, sed copiosa Christi redemptio, psal. 129. 7. Unde Urbanus VI. in Extravag. *Unigenitus*, agens de pretio et thesauro sanguinis Christi, ex quo hauriuntur Indulgentiæ et Jubilea, sic ait: *Agni immaculati pretioso sanguine nos redemit, qui in ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum, pro redemptione totius generis humani suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse.* Erat enim Christi sanguis, sanguis personæ divinæ, puta Verbi, hanc carnem et sanguinem hypostatice sustentantis. Toti ergo sumus et esse debemus Christi, non tantum titulo creationis, sed multo magis redemptionis. Itaque *nos nostri juris non sumus, sed Christi, qui nos emit et servavit*, ait Cyrill. l. 4. in cap. 45. Isaiæ. Ipse enim *nos emit non ære, sed sanguine*, ait S. Ambros. lib. 7. in cap. 12. Lucæ. Sicut ergo Lusitani emunt mancipia Æthiopica, Itali Turcica, illaque tota sunt heri, ac quidquid agunt et operantur, id totum cedit hero, sic Christus nos emit non auro, sed sanguine suo, ideoque sumus mancipia Christi, et quidquid habemus et possumus, id omne ejus est ejusque obsequio impendendum. *Christus se totum tibi, tu te totum da Christo.* Christus omnes suas opes, vires, labores, spiritus pro te expendit; tu eadem tua pro illo expende: *Felix qui Christum fortunis omnibus emit*, ait Nazianz. in carm. Ita S. Paulus passim se vocat servum Christi. Ita S. Magdalena totam se Christo mancipavit, ita S. Franciscus totus in Christo crucifixo habitabat, et Christus in eo. Ita S. Elzearius uxori eum requirenti per litteras rescripsit: *Habito*, inquit, *in latere Christi crucifixi, ibi me reperies, frustra alibi quæsitura.*

Rursum disce hic, quam anima sit pretiosa, ejus enim pretium est sanguis, anima et vita Christi filii Dei; illo enim quasi pretio eam emit; quam ergo animarum, quasi gemmarum præstantissimarum, quas tanti Christus appretiavit, piscationi et saluti studere debemus? utpote pro quibus Christus è cœlo descendit, laboravit, sudavit, per 34. annos, mortuus et crucifixus est; pro quibus corpus, animam, labores omnes et seipsum totum impendit. Vis videre quanti pretii sit anima tua, et cujusvis hominis etiam mendici, Indi, Æthiopis? Christum valet, Deum valet: vita enim Christi, quasi in pretio, in bilance divinæ justitiæ appretiata et appensa est. Nec enim Angelus, nec Archangelus, nec Seraphini, nec Cherubini, nec ipsa B. Virgo potuit pro hoc animæ tuæ debito satisfacere, sed solus Christus; solius enim Christi sanguis sufficiens fuit lytrum, et condignum pretium ad solvenda nostra debita et peccata. Ite nunc stolidi mortales, ite infelices, animam vestram tam pretiosam vendite dæmoni pro scutella pultis, instar profani Esau, pro vento honoris, pro venere unius horæ, pro gutta voluptatis, dicite cum Theotimo (ut refert sanctus Ambros. l. 4. in Lucam) qui maluit privari oculis perpetuo, quam momentanea venere: Vale amicum lumen, vale anima, vale cœlum, vale Deus, valete angeli, in æternum vobis valedico; in æternum dæmoni me associo, gehennæ me trado, ut gutta mellis ad momentum fruar.

Sanius et sapientius S. Chrysos. homil. 11. in 2. ad Corinth. *Cum*, inquit, *per Jesum Christum mortuum vivamus, ei utique ob quem vivimus, vivere debemus.* Et S. Ambros. de Elia et jejunio cap. 20. *Dicito, si forte vides pugnare adversum te diaboli tentamenta: Quid mihi et tibi est Belial? Ego Christi servus sum, illius redemptus sanguine, illi me totum mancipavi. Quid mihi et tibi est? Non novi opera tua: nihil tuum quæro, nihil tuum possideo, nihil tuum desidero.* Et S. Bernard. tractat. de Diligendo Deo: *Si totum*, inquit, *me debeo pro me facto, quid addam jam pro me refecto, et refecto hoc modo? Nec enim tam facile refectus quam factus. Nam qui me semel et tantum*

dicendo fecit, in reficiendo profecto et dixit multa, et gessit mira, et pertulit dura, nec tantum dura, sed et indigna. Quid retribuam Deo pro se? Nam etiamsi me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum? Idem serm. de quadruplici debito: *O si cognovisses et tu quam multa, et quam multis debeas: videres quam nihil sit quod facis, quam nec inter minima numerandum ad comparationem debitorum tuorum. Vis scire quæ et quibus debeas? Primo, Christo Jesu debes omnem vitam tuam, quia ipse vitam suam posuit pro vita tua: et cruciatus amaros sustinuit, ne tu perpetuos sustineres. Quid tibi dirum, vel durum esse poterit, cum recordatus fueris, quia ille in forma Dei in die æternitatis suæ, in splendoribus Sanctorum ante luciferum genitus splendor et figura substantiæ Dei, venit ad carcerem tuum, ad limum tuum, infixus (ut dicitur) usque ad cubitos in limo profundi. Quid non suave tibi, cum tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui, et rememoraberis primum quidem illarum infantilium necessitatum: deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo; tentationum in jejunando, vigiliarum in orando; lachrymarum in compatiendo; insidiarum in colloquendo; postremo periculorum in falsis fratribus, convitiorum, sputorum, colaphorum, flagellorum, irrisionum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similium: quæ in salutem nostri generis triginta et tribus annis operatus et passus est in medio terræ? O quam indebita miseratio, quam gratuita et sic probata dilectio, quam inopinata dignatio! quam stupenda dulcedo, quam invicta mansuetudo, regem gloriæ, pro despicatissimo vernaculo, imo vermiculo crucifigi! Quis autem unquam tale, aut quis vidit huic simile?* Et paulo inferius: *Sicut nihil ad aliquid nullam habet comparationem; ita et vita nostra nullam habet ad vitam illius proportionem; cum illa dignior, ista miserior esse non possit. Nec me putes rem exaggerare sermonibus: quia hic deficit omnis lingua, nec sufficit oculus vel ad intuendum tantæ dignationis arcanum. Cum ergo ei donavero quidquid sum, quidquid possum: nonne istud sic est sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum? Non habeo nisi minuta duo, imo minutissima, corpus et animam; vel potius unum minutum, voluntatem meam: et non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum tantis beneficiis prævenit, qui toto se totum me comparavit? Alioquin si illam retinuero, qua fronte, quibus oculis, qua mente, qua conscientia vado ad viscera misericordiæ Dei nostri, et audeo perfodere illud fortissimum propugnaculum quod custodit Israel, et istius sanguinis non guttas, sed undas à quinque partibus corporis in meum pretium detorquere? O generatio perversa, et infideles filii, quid facietis in die calamitatis de longe venientis? ad cujus fugietis auxilium?*

Agni immaculati.] Respicit ad agnum paschalem, qui debebat esse sine macula, non coloris, sed vitii, puta esse integer et perfectus, non claudus, non cæcus, non mancus, non mutilus, ut significaret Christum quaquaversum in sapientia et virtute fore integrum et perfectum, sine ullo erroris defectu, aut peccati labe et macula: hanc enim significat Hebr. מוּם *mum*: unde Græcum ἄμωμος, id est, *immaculatus*, innocens, inviolatus, inculpatus, irreprehensus, omni reprehensione major.

Et incontaminati.] Aliqui censent Christum dici *immaculatum*, quia purus fuit à macula peccati originalis; *incontaminatum*, quia purus ab omni labe peccati actualis. Verum hæc duo synonyma esse videntur, quæ conglomerat S. Petrus ad auxesin, ut ostendat Christum plane et per omnia fuisse immaculatum et purum. Si tamen ea distinguere quis velit, dicat Christum *immaculatum* fuisse in se et actibus internis; *incontaminatum* vero in habitu, conversatione et vestibus externis. Macula enim qua carere debebat agnus Paschalis, consistebat in vitio interno corporis, uti jam dixi: σπίλος vero, unde dicitur ἄσπιλος, id est, *incontaminatus*, proprie est macula coloris in veste è vino aut unguine. Unde Marcel. in Dioscor. l. 1. c. 39. σπίλοι, ait, *sunt notæ quæ in vestibus hærentes eas discolorant, quarum similitudine aliquando in humano vultu et reliquo corpore maculæ oriuntur; nullo aut exiguo vitio summam tantum cutem variantes:* quas Plinius videtur vocare furunculos. Quocirca Christus longe purior fuit agno Paschali: hic enim erat ἄμωμος, at non ἄσπιλος, poterat enim habere maculas coloris albi, nigri, rufi; Christus vero fuit tam ἄσπιλος, quam ἄμωμος, id est, *plane purus*, carens omni macula tam coloris, quam corporis; tam externa, quam interna; tam morum, quam mentis; tam actionum, quam cogitationum.

20. Præcogniti quidem ante mundi constitutionem.] *Præcogniti*, id est, *prædestinati*, ut vertit Syrus et Tigurina. Cognitio enim Dei hic, uti et apud S. Paulum, sæpe intelligitur practica, scilicet conjuncta cum Dei voluntate, decreto et prædestinatione. Dicit hoc Petrus, tum ut sternat supercilium Judæorum, qui, ut inquit S. Cyrill. lib. 11. in Joannem c. 28. *Legi Mosis semper inhærent, et virtutem nostri mysterii recenti Patris concilio excogitatam arbitrantur:* tum ut declaret antiquitatem et magnitudinem amoris Dei in homines, q. d. Deus Pater non ab heri, non ab initio mundi, sed ante ejus creationem ab omni æternitate cogitavit de nobis, dilexit nos, voluit nos beare, ideoque prædestinavit Christi incarnationem et mortem, ut per eam nos sibi reconciliaret et salvaret.

Aliqui hæc Petri verba extendunt ad illam Scoti, et ejus asseclarum sententiam, quæ censet Christum incarnandum fuisse, etiamsi Adam non peccasset, ut scilicet Deus divitias bonitatis, sapientiæ et potentiæ suæ per Christum, angelis et hominibus ostenderet; sed Christum tunc futurum fuisse impassibilem: crux enim et mors Christi decreta fuit à Deo post prævisum Adæ peccatum, ad ejus remedium. Ratio eorum est, quia alioqui, inquiunt, si Christus præcise propter nos prædestinatus et incarnatus esset, deberet utique nobis agere gratias, nosque essemus priores Christo apud Deum in ejus mente et prædestinatione, ac consequenter Christus esset gloria nostra, sicut mulier est gloria viri, uti argumentatur S. Cyrillus libr. 3. Thesauri cap. 2. Verum hæc hoc loco parerga videntur. S. Petrus enim tantum ait Christum prædestinatum esse, ante mundi constitutionem, non autem ante prævisionem peccati Adæ, vel ante prævisionem et prædestinationem constitutionis sive creationis mundi, quia hoc falsum est. Deus enim prædestinavit Christum ad ornatum universi, non ergo prius prædestinavit Christum, quam universum, sed posterius, aut

potius simul cum mutua quadam contradependentia : decrevit enim Deus creare mundum talem, in quo labente Adamo nasceretur Christus qui eum erigeret, itaque Dei gloriam toto mundo celebraret; ita ut noluisset creare mundum, nisi cum Christo et propter Christum, ac vicissim noluisset incarnari Christum nisi cum mundo et in mundo. Ubi enim incarnatus fuisset Christus nisi in mundo? ubi suam gloriam per Christum patefecisset, nisi in mundo, angelis et hominibus? S. Petro succinit S. Joannes; qui Apocal. 13. 8. Christum vocat agnum *qui occisus est ab origine mundi.* Et S. Paulus, qui hoc Christi mysterium vocat temporibus æternis tacitum, et prædestinatum ante tempora sæcularia, *quod nunc patefactum est per scripturas Prophetarum, secundum præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei*, Roman. 16. 26. et ad Titum 1. 2.

MANIFESTATI AUTEM,] per Christi incarnationem, crucifixionem, resurrectionem, ascensionem in cœlum, missionem Spiritus sancti, et prædicationem Apostolorum.

NOVISSIMIS TEMPORIBUS,] puta post quatuor fere annorum millia elapsa à creatione mundi. Causæ hujus Christi tarditatis fuere variæ. Prima est, dignitas et majestas Christi, quam præire et præfigurare debebant Abraham, Moses omnesque Patriarchæ, Prophetæ, ac legis ceremoniæ. Secunda, ut quo tardius, eo avidius exciperetur. Tertia, ut per tot annorum millia morbus et corruptio humanæ naturæ omne peccatorum virus evomeret, itaque liqueret quanta esset Christi necessitas, qui omne hoc malum curaret. Vide Barradium lib. 5. Harmon. c. 31. unde S. Paulus ait Christum venisse in plenitudine temporum, id est, cum tempora ejus incarnationi à Deo præfinita, essent evoluta et adimpleta Galat. 4. 4.

PROPTER VOS,] propter omnes prædestinatus et natus est Christus, sed primo, ob primitivos fideles : hi enim primi Christi fructum et gratiam participarunt. Pungit S. Petrus fideles sui ævi, ut Deum et Christum adeo se amantem, sibique vicinum ardenter redament : ipse enim ex tot sæculis, et ex centenis millibus illius sæculi paucos Judæos et Gentiles credentes elegit, quibus hoc novum et recens Christi Salvatoris beneficium, puta gratiam et salutem, contulit. Unde Paulus delicias amoris sui in Christum exprimens Galat. 2. 20. *In fide*, inquit, *vivo filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Perinde ac si pro solo Paulo traditus et crucifixus fuisset Christus. Tantum enim Paulo profuit mors Christi, quantum profuisset si pro eo solo mortuus esset. Pie et vere S. Augustinus l. 3. Confessionum 11. *O tu bone*, ait, *Omnipotens, qui sic curas unumquemque nostrum tanquam solum cures, et sic omnes tanquam singulos.*

21. QUI PER IPSUM (agnum immaculatum Christum, puta per Christi passionem, merita, vocationem, prædicationem et gratiam) FIDELES ESTIS IN DEO.] Græcum πιστεύοντας εἰς θεὸν, *creditis in Deum* (ita Syrus), vivum scilicet et verum, cum antea credidissetis in deos falsos Gentium, puta in idola et dæmones (unde S. Prosper. l. 1. de Vocat. Gent. c. 23. legit : *Qui per ipsum fideles estis in Deum*, id est, fide creditis in Deum :) declarat quod dixit *propter vos*, scilicet manifestatus est Christus, quia nimirum vos fecit fideles et cultores veri Dei. Hinc patet fidem non esse ex nobis nostrique ingenii et naturæ viribus, sed esse opus et donum gratiæ Christi : uti post Concil. Arausicanum et Milevit. definit Trid. sess. 6. can. 3. Christus enim est auctor et parens totius œconomiæ gratiæ, quæ complectitur fidem quasi principium, spem, charitatem, cæterasque virtutes, ac omnia dona quibus perducimur ad salutem et gloriam æternam, quasi ad finem et terminum redemptionis Christi.

QUI SUSCITAVIT EUM A MORTUIS.] q. d. Ne quis Christum respuat quasi suspensum, occisum et crucifixum pro peccatis nostris, ecce ipse mox à Deo suscitatus est ad gloriam, factusque dominus cœli et terræ, angelorum et hominum, imo per eum Deus omnes ejus fideles ad eamdem gloriam suscitabit. Hoc est quod ait Paulus : *Propter quod* (quia humiliavit se usque ad mortem crucis) *et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum*, Philip. 2. 9.

Hoc est quod iturus ad passionem Christus oravit Patrem, et impetravit : *Clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te.* Joan. 17. 5.

UT FIDES VESTRA ET SPES ESSET IN DEO.] q. d. Deus hoc fructu et fine suscitavit Christum ad gloriam, ut vos videntes et audientes eum quasi caput vestrum resurrexisse, mortem superasse suisque iter à morte ad vitam præivisse, fide firma crederetis, et certa spe speraretis vos quoque quasi membra Christi, per ipsum eamdem gloriam adepturos, et ad eam resurrecturos, ideoque per eamdem gratiam, dona, omniaque media ad gloriam necessaria vel opportuna consecuturos. Vere S. Leo serm. 8. de passione : *Crux tua*, ait, *omnium fons est benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.* Et nonnullis interjectis : *Cum ergo Dominus lignum portaret crucis, quod in sceptrum sibi converteret potestatis, erat quidem hoc apud impiorum oculos grande ludibrium, sed manifestabatur fidelibus grande mysterium : quia gloriosissimus diaboli victor, et inimicarum virtutum potentissimus debellator, pulchra specie triumphi sui portabat trophæum, et invictæ patientiæ humeris signum salutis adorandum regnis omnibus inferebat.* Et serm. 1. de resurrect. *Ex hoc initium nobis factum est resurrectionis in Christo, ex quo in eo qui pro omnibus mortuus est, totius spei nostræ formæ præcessit*, præsertim quia Christus vi divinitatis suæ seipsum suscitavit : *Quoniam deitas*, ait idem ibidem, *quæ ab utraque suscepti hominis substantia non recessit, quod potestate divisit, potestate conjunxit.* Et S. Athanas. de Incarn. Verbi : *Revixit*, ait, *per suam quæ in ipso erat vitam.*

22. ANIMAS VESTRAS CASTIFICANTES IN OBEDIENTIA CHARITATIS, IN FRATERNITATIS AMORE SIMPLICI EX CORDE INVICEM DILIGITE ATTENTIUS.] Omnibus hisce verbis non aliud dicit, quam, casto, id est puro, amore fraterno invicem impense diligite, servite et obedite : sed hujus dilectionis puritatem multis verbis exaggerat et repræsentat. Singula ergo pondus habent, quare singula expendamus. Suppono omnia hæc pendere ab illo *propter quod*, v. 13. ibi enim incipit altera capitis pars, scilicet ethica, quæ hucusque, imo ad finem capitis protenditur, qua S. Petrus de

more varia dat virtutum præcepta, vel monita. q. d. *Propter quod*, vel itaque ut hæreditatem incorruptibilem, de qua disserui, assequamini, succingite lumbos mentis; et animas vestras castificantes invicem diligite, etc.

Primo, *castificantes*, græce ἁγνικότες, quod alludit ad vocem agni, q. d. A Christo agno immaculato progeniti, estote agni immaculati, et agnizate, id est, castificate et purificate animas vestras. Hinc Christus ait S. Petro: *Pasce agnos meos*, Joan. 22. 15. Rursum ἁγνικότες est præteritum, q. d. *Cum castificaveritis.* Sed Hebræi sæpe commutant tempora, vel ampliant: sub *castificaveritis* ergo intellige castificetis, vel castificate, q. d. In baptismo cœpistis vos castificare et purificare; at pergite, et continuo magis et magis per obedientiam charitatis vos castificate et purificate. Porro castitas hæc à multis proprie capitur pro virtute castitatis, quæ comprimit luxuriam. Hinc sanctimoniales ob professionem castitatis vocantur *Castimoniales* à S. Augustino in psal. 73. Secundo, et genuine, castificatio hæc est purificatio affectionum animæ, præsertim amoris, quæ fit per charitatem, sive amorem divinum. Castitas ergo hic vocatur puritas affectionis, intentionis et amoris, ut patet ex sequentibus, q. d. Castificate, id est, castigate et purificate vestrum amorem et affectum ab omni impuritate, facite ut amor vester purus sit et sincerus, non quærens sua, sed Dei et proximi commoda. Hoc est quod ait Joannes epistolæ 1. c. 3. 3. *Omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se sicut et ille sanctus est;* ubi græce idem est verbum quod hic scilicet ἁγνίζει. Unde S. August. tract. 5. in epistol. S. Joannis vertit, *castificat semetipsum, sicut et ipse castus est.*

Secundo, *obedientia charitatis*, græce ἀληθείας, id est *veritatis.* Primo, accipi potest fides et obedientia qua credimus et obedimus Evangelio quasi lege veritatis et charitatis. Unde Vatabl. vertit; *qui animas vestras purificastis obediendo veritati;* et Syrus, *cum sanctificaveritis animas vestras per obedientiam veritatis, et fueritis pleni charitate.* Sic Paulus ait Galat. 3. 1. *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati?*

Secundo, *obedientia charitatis* est obedientia filialis ex amore, non servilis ex timore: *hæc enim est necessitatis illa, charitatis*, ait S. Bern. tract. de Præcepto et dispens. c. 9. *quæ non certis astricta limitibus*, voti et professionis, fertur largiori voluntate in latitudinem charitatis, et ad omne quod injungitur spontaneo vigore liberalis alacrisque animi, modum non considerans, in infinitam libertatem extenditur. Idem serm. de S. Andrea: *Sola est charitas*, inquit, *quæ obedientiam gratam facit, et acceptabilem Deo commendat.* Porro hæc obedientia castificat animam; quia dum anima per humilem obedientiam subdit se Deo et legi, meretur, ut ei vicissim subdatur corpus. Ita S. August. in psal. 143. *Tu Deo*, inquit, *tibi caro. Quid justius? quid pulchrius? Tu majori, minor tibi: servi tu ei qui fecit te, ut tibi serviat quod factum est propter te: si autem contemnis tu Deum, nunquid subjicietur tibi caro? Qui non obtemperas Domino, torqueris à servo.* Ita Ascetæ docent, efficax medium ad conservandam castitatem esse humilitatem et obedientiam, qua quis suo superiori plene obediat. Sic enim pro congrua mercede accipiet à Deo obedientiam carnis, ut illa pariter subjiciatur menti et spiritui, obedientia ergo carnis, puta castitas et filia obedientiæ mentis.

Tertio, *obedientia charitatis* magis proprie et pertinenter ad propositum S. Petri, est obedientia et subjectio quas fidelis in omnibus subdit se legi, dictamini et impulsui charitatis, ut quidquid facit faciat ex dicto et ductu charitatis, ac præsertim qua quis per fraternam charitatem fratri se subjicit, ei se accommodat, ei consulere satagit, ejus nutus sequitur, ejus commoda captat, ut idem sit, Obedire charitati, quod, *per charitatem spiritus servire invicem*, Galat. 5. 13. et: *Subjecti invicem in timore Christi.* Ephes. 5. 21. Ita se explicat S. Petrus c. 2. 13. dicens: *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum:* Huic enim legi charitatis, utpote legi Christi, subdidit se quivis Christianus in baptismo, dum amplexus est christianismum: hic enim est lex et professio charitatis. Quare si quis roget, Quid est religio Christiana? recte respondebis: Est religio et obedientia charitatis, in qua omnes profitentur se studere et obedire charitati. Huc ergo spectat tota sententia S. Petri, nimirum ut inculcet fidelibus charitatem fraternam, qua alter alteri serviat, se objiciat et obediat, ut ejus commodis et saluti consulat.

Hinc patet quod charitas sit castratio puta castificatio omnium amorum et appetituum, veraque et plena castitas animæ: charitas enim castrat et resecat amorem proprium, et amorem carnis et mundi, puta amorem proprii honoris, lucri, voluptatis, quæ est animæ impuritas, quia eam multis vitiis maculat et conspurcat. Rursum charitas omnia metitur amore Dei, omnia ordinat et operatur ex amore Dei: quare omnis ejus actio pura est, sancta, spiritalis et deiformis; utpote manans ex amore Dei, eoque directa et regulata. Quocirca Græca addunt διὰ πνεύματος, id est, *per Spiritum*, quia charitas diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum facit hominem spiritalem et purum, omniaque ejus opera spiritualia et pura. q. d. Jubeo vos castificare animas vestras; at, ne putetis vos vestris viribus id posse præstare, addo *per Spiritum*, ut doceam vos nihil vobis arrogare, sed omnia Spiritui sancto tribuere, ejusque opem implorare. Aliqui *spiritum* jungentes *fraternitati*, quæ sequitur, vertunt *per spiritum fraternitatis*: quia spiritus amoris fraterni castificat et purificat omnia nostra opera circa proximum, omniumque cum eo conversationem. Merito ergo S. Leo serm. 8. de Quadrag. *Charitas*, inquit, *robur, est fidei, fides fortitudo est charitatis;* fides enim roborat charitatem, et charitas fidem, una alteri jungi debet, nec separari.

Denique S. Basil. in regul. brevior. interrogatione 115. *Quomodo*, inquit, *alii aliis obedientiam inter nos præstabimus?* Resp. *Tanquam servi adversus dominos, convenienter illi præcepto Domini. Qui vult in vobis esse magnus, sit omnium ultimus, et servus omnium*, Marci 10. *Quibus verbis adjungit, quod nos efficacius etiam possit permovere. Sicut filius hominis non venit ut ministretur ei, sed ut ministraret.*

Tertio, *in fraternitatis amore*, græce ἐν φιλαδελφίᾳ, id est, *in charitate fraterna*, quia Christiani sese invicem quasi filios Christi et fratres inter sese fraterno amore diligere debent, et olim diligebant, adeo ut se merito passim vocarent fratres, hanc φιλαδελφίαν suis reliquit Christus Joan. 13. 34. Unde eam impense fidelibus com-

mendant S. Petrus, S. Paulus, S. Joannes, S. Jacobus. Græce est εἰς φιλαδελφίαν ἀνυπόκριτον, id est, *in honorem fraternum non hypocriticum;* non fictum et simulatum, sed à simulatione alienum, simplicem, verum et sincerum. Sensus est q. d. Cum castificaveritis, id est purificaveritis animas vestras, obediendo charitate per sincerum amorem fraternum. Hic enim sincerus amor defricabit ab anima omnem hypocrisin, omnem simulationem, omnem avaritiam, omnem amorem proprium, omnem cupiditatem, omnium ambitionem, ac pure quæret id quod placitum est Deo, et proximo utile ac salutare.

Ubi Nota. To *in fraternitatis amore* potest referri tam ad *castificantes* (et eo videntur referre Græca, q. d. Castificantes animas per fraternitatis amorem, quasi per sal et nitrum animarum. ita Vatabl.) quam ad *invicem diligite*, q. d. Diligite invicem φιλαδελφίᾳ, id est amore fraternitatis, id est fraterne, diligite invicem quasi fratres et filios Christi. Vere Isidorus: *Qui à fraterna*, inquit, *dilectione secernitur, à divina participatione privatur.* Et S. Ambros. (vel potius S. Maximius) serm. 9. *Major*, ait, *est fraternitas Christi, quam sanguinis: sanguinis enim fraternitas similitudinem tantummodo corporis refert, Christi autem fraternitas unanimitatem cordis animæque demonstrat, sicut scriptum est: Erat credentium cor unum et anima una. Vere ergo frater ille est, qui tam corpore, quam unanimitate germanus est. Verus, inquam, frater est, cujus idem spiritus, et voluntas in fratre est. Melior est igitur fraternitate sanguinis fraternitas Christi, quoniam interdum illa sibi inimica est; Christi autem fraternitas sine intermissione pacifica est. Illa inter se communia cum æmulatione dividit, hæc etiam cum gratulatione communicat. Illa in consortio sæpe despicit germanum, hæc assumit frequenter alienum.* Hic ergo fraternitatis amor est centrum, basis, columen Ecclesiæ, et quasi anima christianismi, ejus vero odium et invidia, et utriusque clades et ruina. Quocirca vere Christoph. Varsevicius scripsit hoc paradoxon: *Christianorum de Christianis parta cadit victoria victa*, in quo ostendit Turcam ad tantum imperium excrevisse non alia ratione, quam per Christianorum dissidia, idque per ætates et regna singula ex historiis ad oculum demonstrat.

Quarto, *simplici*, multi τὸ *simplici*, referunt ad *corde*, ut respondeat Græco καθαρᾶς, id est *puro;* unde sic vertunt, *ex corde invicem diligite.* Verum ex Græco liquet referendum esse ad τὸ *in amore fraternitatis.* Itaque sententia tota sic dispungenda est, *animas castificantes*, etc. *in fraternitatis amore simplici, ex corde invicem diligite:* τὸ enim *simplici* respondet Græco ἀνυπόκριτον, id est, *non ficto*, non fucato, sed simplici et sincero amore, ac consequenter ex corde imo et toto (Unde Græca addunt καθαρᾶς, id est *puro*) invicem diligite. Simplici ergo amore diligit. Primo, is qui diligit sine hypocrisi, non ficte, sed vere, et ex corde. Simplex enim dicitur quod caret compositione, partitione et mixtione. *Simplex* ergo *cor* est, quod amorem quem lingua præfert, corde gerit et refert; qui enim verbis amorem ostentat, corde odium fovet, complicatum et quasi duplex habet cor, unum in ore, alterum et contrarium in pectore. Secundo, qui non accipit personas. Ita Syrus; qui scilicet non præfert divitem pauperi, familiarem extraneo, nobilem ignobili, sed æqualiter diligit omnes, juxta legem tamen et ordinem charitatis. Tertio, qui non suum, sed fratris commodum quærit: simplex enim amor recta tendit in amatum, nec reflectitur aut retorquetur in seipsum. Id enim facere *negotiatio est, non amicitia;* ait Seneca ep. 9. Quarto, qui candidus est et apertus, non fucatus, ut si quid in fratre displiceat aperte dicat, et candide eum moneat. Quinto, qui fratrem diligit ad bonum, et in bono, non in malo, qui scilicet non favet, nec fovet illius vitia, sed virtutes: qui non adulatur ejus cupidinibus, sed eas redarguit, eisque resistit, ac strenue proximi salutem et perfectionem in omnibus procurat, puta qui diligit fratrem in spiritu, non in carne, in Domino, non in dæmone, in charitate, non in voluptate. Sexto, qui quod verbis dicit, rebus exhibet, juxta illud S. Joannis 1. c. 3. v. 18. *Filioli non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate.* Veritas enim simplex est, mendacium duplex. Septimo, qui non tantum caret invidia, sed omnia sua liberaliter communicat, juxta illud Pauli: *Qui tribuit in simplicitate*, Rom. 12. v. 8. Et: *Ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem.* 2. Corinth. 9. 11. vide ibi dicta. Nam, ut ait S. Leo serm. 10. de Quadrag. *Incremento ditescunt proprio, qui profectu lætantur alieno.* Simplici ergo amore præditus in bonis proximi gaudet et hilarescit, quasi in suis; non dolet, non tristatur, non rugat frontem, sed exporrigit, eaque augeri optat, et promovere satagit.

Audi S. Bern. simplicitatem varie definientem tract. de Vita solitaria: *Animalitas ad Deum conversa*, inquit, *sit sancta simplicitas, hoc est eadem semper circa idem voluntas, sicut fuit in Job, qui dictus est simplex et rectus, ac timens Deum. Proprie enim simplicitas est perfecte ad Deum conversa voluntas, unam petens à Domino, hanc requirens, non ambiens multiplicari in sæculo. Vel est simplicitas in conversatione, vera humilitas, scilicet virtutis magis conscientiam amplectens, quam famam, cum non refugit vir simplex videri stultus in sæculo, ut sit sapiens in Deo. Vel simplicitas est sola ad Deum conversa voluntas, sed nondum ratione formata, ut amor sit, id est, formata voluntas, nondum illuminata, ut sit charitas, hoc est, amoris jucunditas. Simplicitas ergo initium aliquod in seipsa habens creaturæ Dei, hoc est, voluntatem simplicem et bonam, quasi futuri, boni hominis informem materiam, in primordio conversionis suæ offert auctori suo eam formandam*, etc. *Jam timore Dei incipientes operari in eo omnem virtutum plenitudinem, dum per justitiam defert majori, per prudentiam non credit se sibi, per temperantiam refugit discernere, per fortitudinem totum se obedientiæ subjicit, non discernendæ, sed adimplendæ.*

Quinto, *diligite attentius;* græce ἐκτενῶς; Vatabl. *impense.* Clarius, *intense*, alii *continenter*, alii cum Syro, *vehementer*, quod Hebræi dicunt במאד *bimod.* Turrianus libr. 4. de Dogmat. Character. *extense*, inquit, scilicet ut dilectio nostra se extendat ad aliud sæculum, puta ad animas in Purgatorio, ut eas suffragiis juvemus. Rursum ut extendat se ad quamvis hominum conditionem et sortem, utque tam diligat proximum in rebus adversis, quam prosperis; imo magis ei tunc opituletur, cum magis ope indiget ἐκτενῶς, græce valde significans est: idem enim valet quod ὑλοψύχως, προθύμως, id est, *omnibus viribus*, impense, vehementer, toto

animo, prolixe, liberaliter, profuse. Talem ergo charitatem erga fratres poscit S. Petrus.

Vere S. Leo serm. 1. de jejunio 10. mensis: *Dedit*, ait, *nobis majores diligendi proximum causas Christianæ gratiæ latitudo, quæ se per omnes partes totius orbis extendens neminem despectat, dum docet neminem negligendum*, etc. *sive illi hostes sint, sive socii, sive liberi, sive servi. Unus enim nos conditor finxit, unus nos creator animavit, eodem cuncti cœlo et aere, iisdem utimur diebus et noctibus.* Ratio est, quia cor simplex et purum Christiana charitate dotatum, in proximo unum Deum, Deique imaginem, spectat, eumque diligit quasi aliquid Dei, quasi Dei opus et peculium, quasi Dei filium et heredem ad cernendam cœlestem ejus hereditatem secum ab æterno prædestinatum, et in tempore vocatum, electum et adoptatum.

Diligite ergo invicem *attentius*, id est, intensius et impensius, hoc est, intente et impense. Latini enim sæpe sumunt comparativum pro positivo, ut significent auxesin. Sic Latine dicitur attentus ad rem, qui diligens est, sedulus, sollicitus ut opes suas servet et augeat. Ita Cicero act. 3. in Verrem: *Qui in re*, inquit, *adventitia atque hereditaria tam diligens, tam attentus esset.* Et Horat. 2. Serm. satyr. 1.

Verba per attentam (*intentam*) non ibunt Cæsaris aurem.

Quintil. l. 5. c. 14. *Erit judex circa jus nostrum spe modestiæ attentior. Attendo* enim idem est quod mente in rem tendo, eique intendo. Terent. Heaut. 1. *Ita attente illorum officio fungere.* Denique *attenta vita* à Cicerone pro Roscio Amer. vocatur vita diligens, curiosa, operosa. Vide ergo quam interpres Noster non tantum sit fidelis, sed et Latinus, imo elegans. Perperam itaque nonnulli eum barbariei insimulant.

Sensus ergo totius hujus versus est, q. d. *Castificantes*, id est, partim castificastis, hoc est purificastis, animas vestras in baptismo, partim indies eas magis castificare debetis obediendo charitati; ejusque legi, dictamini et impulsui per amorem fraternum. eumque simplicem, id est, purum et sincerum, non simulatum et fictum, atque ita ex vero imoque corde invicem diligite impense, intense et extense.

23. RENATI NON EX SEMINE CORRUPTIBILI.] Dat Causam cur Christiani debeant fraterno amore invicem diligere, uti dixi vers. præcedenti, quia scilicet omnes fratres sunt, renati ex eodem semine verbi Dei et Evangelii Christi, ac consequenter quasi filii Christi omnes hereditatem ejus incorruptibilem, de qua dixit initio capitis, sperant, ad eamque aspirant; ac reipsa assequentur, si filiationem hanc et amorem fraternitatis conservent. q. d. Mementote ô Christiani vos in baptismo Christi regeneratos, ac per novam mysticam et spiritualem nativitatem renatos esse factosque filios Dei: ergo vivite digne tanta nativitate et filiatione divina, ac impense invicem velut fratres in Christo, fide, Ecclesia, gratia et gloria diligite. Renati itaque estis non ex semine humano et corruptibili, *sed* divino et *incorruptibili*, puta *per Verbum Dei vivi.*

Semen ergo hoc incorruptibile est Verbum Dei, puta Evangelium, ejusque prædicatio, aut magis præcise, semen hoc est inspiratio divina, sive gratia præveniens, qua Deus mentem, dum per aurem verbum Dei audit, excitat ad fidem, pœnitentiam et novam vitam: hisce enim actibus quasi dispositionibus in anima positis illico Deus infundit gratiam sanctificantem, qua regeneramur, fimusque filii Dei, sicut positis in embryone dispositionibus requisitis, illico Deus infundit animam rationalem; qua generatur et nascitur homo. Sic Matth. 13. Christus multis parabolis docet verbum Dei esse semen. Porro verbum Dei est incorruptibile, tum respectu causæ efficientis, puta loquentis, quia Deus et Christus qui illud proloquitur, est incorruptiblis: tum ratione subjecti, quia scilicet hominem quem regenerat facit incorruptibilem, ut scilicet quasi filius Dei adeat hereditatem ejus incorruptibilem, juxta illud Christi Joan. 3. 5. *Quod natum est ex carne, caro est: quod natum est ex spiritu spiritus est.* Significat ergo Christus, æque ac Petrus hic, duplicem esse hominis nativitatem, unam ex carne carneam et corruptibilem, alteram ex Spiritus spirtualem et incorruptibilem.

Secundo, nonnulli per *verbum Dei vivi*, accipiunt verbum, sive formam Sacramenti baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, et aliorum Sacramentorum. In baptismo enim aqua est materia quasi mater, verbum est forma qua pater quæ regenerant baptizatum in filium Dei. Unde baptismus vocatur *lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti*, ad Titum 3. 5. et Ephes. 5. 26. *Lavacrum aquæ in verbo vitæ*, id est per verbum, puta formam baptismi vivificantem, vitamque gratiæ baptizato aspirantem. Et S. Dionys. Eccles. hier. cap. 3. baptisterium vocat μητέρα υἱοθεσίας, id est, *matrem adoptionis et filiationis.* Hoc est quod ait Christus Joan. 3. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Unde S. Chrysost. hom. 25. in Joannem: *Quod matrix*, ait, *est embryoni, hoc fideli est aqua: siquidem in aqua fingitur et formatur.* Et hom. 6. ad Coloss. *in baptismo*, ait, *homo à Spiritu sancto fingitur et componitur, sicut Christus in utero Virginis.* Præclare vero S. Leo serm. 5. de Nativit. *Factus est homo*, inquit, *nostri generis, ut nos divinæ naturæ possemus esse consortes. Originem quam sumpsit in utero Virginis, posuit in forte baptismatis. Dedit aquæ quod dedit matri: virtus enim Altissimi et obumbratio Spiritus sancti quæ fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit ut regeneret unda credentem.* Verum prior sensus germanior est. Nam verbum Dei absolute positum significat Evangelium; verbum vero lavacri vel baptismi, significat formam baptismi, juxta illud S. August. tract. 80. in Joannem: *Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum; non quia dicitur, sed quia creditur.*

Tertio, nonnulli, per *verbum Dei* accipiunt Christum, qui est Verbum Patris permanens in æternum, per Christum enim Christique gratiam et baptismum regeneramur in filios Dei: sed hæc regeneratio fit mediante prædicatione et fide. Quare hic sensus in primo includitur, estque genuinus et sublimis, præsertim quia in generatione et adoptione hac cœlesti non tantum datur nobis gratia Christi; sed et personaliter ipse Christus æque ac Pater et Spiritus sanctus, ut vere simus *divinæ consortes naturæ* per ipsam deitatem, quæ nobis communicatur, et in anima nostra quasi in templo inhabitat, de quo plura 2. Petri 1. 4.

Moraliter Nota quanta sit dignitas hujus regenerationis qua renascimur filii Dei. Audi Chris-

tum Joan. 1. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Audi S. Chrys. in c. 6. ad Galat. *Natura nostra quæ senio peccati inveteraverat, repente baptismi lavacro renovata est, non aliter quam si denuo esset condita.* Audi S. Cyrillum Alex. l. 2. in Joan. cap. 43. *Natum ex Spiritu spiritum hominis dicimus, non quia ex eo secundum naturam est, sed quia per ipsum ad Deum reformati ac proprio ejus charactere insigniti, ad suam, ut sic dixerim, qualitatem animo transformamur.* Audi S. Basil. homil. de baptismo : *Sicut quod secundum carnem natum est ex aliquo, tale est quale id ex quo natum est; ita et nos ex Spiritu nati spiritus simus.*

Quocirca Christiani jam baptismo renati et filii Dei affecti, cogitent se mortuos peccatis, vivere debere Deo secundum spiritum instar angelorum. *Per baptismi operationem*, ait S. Ambros. in cap. 23. Num. *moriuntur homines culpæ veteri, et iniquorum operibus, ut in novitatem viæ in consortio justorum transfigurati, in eorum mores resurgant.* Et Optatus Milevit. lib. 5. contra Parmen. *Est*, ait, *baptismus virtutum vita, criminum mors, nativitas immortalis, cœlestis regni comparatio, innocentiæ portus, peccatorum naufragium.* S. Cyprian. lib. 2. epist. ad Donatum : *Postquam*, ait, *undæ genitalis auxilio superioris ævi labe detersa, in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit, postquam cœlitus spiritu hausto in novum me hominem nativitas secunda reparavit, nimirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa; facultatem dare, quod prius difficile videbatur; geri posse, quod impossibile putabatur ut esset; agnoscere terrenum fuisse, quod prius carnaliter natum delictis obnoxium viveret; Dei esse cœpisse, quod jam Spiritus sanctus animaret. Scis ipse quid detraxerit nobis, quidve contulerit ista mors criminum, vita virtutum*, etc., *ut quis expiatius, et prius nulla incusantis inimici labe captatur; ut in omnem grassantis adversarii exercitum imperioso jure dominetur.* Et sub finem : *Una igitur placida et fida tranquillitas, una solida et firma securitas, si quis ab iniquitatis sæculi turbinibus extractus, salutaris portus statione fundatus ad cœlum oculos tollat à terris, et ad Domini munus admissus, ac Deo suo jam mente proximus, quidquid apud cæteros in rebus humanis sublime ac magnum videtur, infra suam jacere conscientiam glorietur. Nihil appetere de sæculo potest, qui sæculo major est.*

ET PERMANENTIS IN ÆTERNUM.] q. d. Sicut Deus est æternus, et permanet in æternum, ita et verbum Dei, ex eoque nostra regeneratio, adoptio et filiatio est æterna, permanetque in æternum. Unde S. Paulinus Natali 2. S. Felicis, Christum alloquens ait :

In te compositæ mihi fixa sit anchora vitæ.

Et Nazianz. in Distichis :

Ut statua in medio tibi pectore corporis expers
Sit Deus, huic templum construe mente tua.

24. QUIA OMNIS CARO UT FŒNUM, etc., VERBUM AUTEM DOMINI MANET IN ÆTERNUM.] Probat id quod dixit, scilicet verbum Dei esse incorruptibile et permanere cum Deo et in Deo in æternum, ex Isaia, qui cap. 40. 6. ait, omnem carnem omnemque hominem instar fœni exarescere et mori, verbum autem Domini manere in æternum. Locum hunc explicui in Isaia, quare ibi dicta hic non repetam, nec actum agam. Dicit hoc Petrus, ut fideles avocet ab amore carnis et mundi, omniumque rerum terrenarum, itaque traducat ad simplicem amorem Dei et proximi. Stimulus ejus est, quod res terrenæ perpetuo fluant, illicoque transeant, juxta illud psal. 101. 12. *Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut fœnum arui; tu autem Domine in æternum permanes.* Vere S. August. tract. 7. in Joan. ait : *Lætitia sæculi vanitas est, cum magna expectatione speratur ut veniat, et non potest teneri cum venerit. Iste dies qui lætus est, cras utique non erit. Transeunt omnia, evolant omnia, et sicut fumus evanescunt. Væ qui amant talia. Omnis quippe caro fœnum, et omnis gloria ejus ut flos fœni. Filii ergo hominum, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium.* Vidit hoc per umbram, sed tenuem et obscuram, Plinius Secundus, qui lib. 2. epist. 1. deflens mortem Virginii Rufi consulis. *Si tamen*, ait, *fas est aut flere, aut mortem vocare, qua tanti viri mortalitas magis finita, quam vita est. Vivit enim, vivetque semper in memoria hominum :* utinam Dei, si salutis sit capax.

25. HOC EST VERBUM QUOD EVANGELIZATUM EST IN VOS,] id est, *vobis.* Ita Syrus, q. d. Hoc Isaiæ verbum est verbum Evangelii de Christo, ejusque redemptione, vocatione, fide, gratia, salute et gloria quam vobis attulit. Vere de hujus verbi fide crediti efficacia S. Leo serm. 2. de Ascens. *Hanc*, ait, *Domini ascensione auctam, et Spiritus sancti munere roboratam, non vincula, non carceres, non exilia, non fames, non ignis, non laniatus ferarum, non exquisita persequentium crudelitatibus supplicia terruerunt. Pro hac fide per universum mundum non solum viri, sed etiam feminæ, nec tantum impuberes pueri, sed etiam teneræ virgines, usque ad effusionem sui sanguinis decertarunt. Hæc fides dæmonia ejecit, ægritudines depulit, mortuos suscitavit.*

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

POST CATECHESIN DOGMATICAM MYSTERIORUM ET DOCTRINÆ CHRISTI, PERGIT AD ETHICAM VIRTUTUM ET MORUM CHRISTIANORUM, INSTRUENDO FIDELES JAM PER BAPTISMUM RENATOS, QUIBUS VIRTUTIBUS QUASI CIBIS ALI ET CRESCERE DEBEANT IN VIRUM PERFECTUM IN CHRISTO; MIMIRUM PRIMO, UT SICUT MODO GENITI INFANTES RATIONABILE, SINE DOLO LAC CONCUPISCANT. SECUNDO, UT MAGNITUDINEM VOCATIONIS SUÆ ÆSTIMENT, ET JUXTA EAM CONDIGNE VIVANT, OFFERENDO DEO SPIRITALES HOSTIAS, QUASI GENUS ELECTUM, REGALE SACERDOTIUM, GENS SANCTA: V. 4. ET SEQUENT. TERTIO, V. 11. UT QUASI PEREGRINI ABSTINEANT A CARNALIBUS DESIDERIIS. QUARTO, V. 13. UT SUIS PRINCIPIBUS ET HERIS, LICET ETHNICIS ET DISCOLIS, OBEDIENTIAM DEBITAM EXHIBEANT. QUINTO, V. 19. UT PATIENTER SUSTINEANT PERSECUTIONES ET AFFLICTIONES QUASLIBET EXEMPLO CHRISTI, QUI QUASI AGNUS TRADIDIT SE JUDÆIS AD CRUCEM ET MORTEM.

1. DEPONENTES igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones. 2. Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite: ut in eo crescatis in salutem. 3. Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus. 4. Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, et honorificatum: 5. et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum. 6. Propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem summum angularem: electum, pretiosum: et qui crediderit in eum, non confundetur. 7. Vobis igitur honor credentibus, non credentibus autem lapis, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, 8. et lapis offensionis et petra scandali his, qui offendunt verbo, nec credunt in quo et positi sunt. 9. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. 10. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti. 11. Charissimi, obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. 12. Conversationem vestram inter Gentes habentes bonam: ut in eo, quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis. 13. Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive regi quasi præcellenti: 14. sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: 15. quia sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: 16. quasi liberi, et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei. 17. Omnes honorate: fraternitatem diligite, Deum timete: Regem honorificate. 18. Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis. 19. Hæc enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste. 20. Quæ enim est gloria, si peccantes, et colaphyzati suffertis? Sed si benefacientes patienter sustinetis: hæc est gratia apud Deum. 21. In hoc enim vocati estis: quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus. 22. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus: 23. qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem judicanti se injuste. 24. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: ut peccatis mortui, justitiæ vivamus: cujus livore sanati estis. 25. Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.

1. DEPONENTES IGITUR.] Vox *igitur* connectit hæc præcedentibus, ex iisque quasi principiis conclusionem elicit. q. d. Dixi cap. præced. v. 23. vos renatos esse in baptismo ex semine incorruptibili per verbum Dei vivi, ita ut jam novi homines esse cœperitis, puta fideles, Christiani;

et sancti in Christo : igitur studiose satagite, ut depositis gentilismi moribus et vitiis, infantiam et innocentiam Christianam, quam in cœlesti hac regeneratione et nativitate inchoastis, constanter retineatis, in eaque quotidie adolescatis et crescatis, ut nihil nisi Deum et Christum quem induisti sapiatis, gustetis, spiretis. Pro *deponentes* græce est ἀποθεμενοι in aoristo, id est, *cum deposueritis :* quia scilicet in baptismo jam deposuerant omne peccatum et culpam, at non omne vitium, quia remanebant in eis pristini mali habitus. Jubet ergo Petrus, ut, sicut jam deposuerunt omne peccatum, ita et satagant omnes ejus radices, et habitus pravos exuere et deponere : nec enim posse contraria virtute simplicitatis et innocentiæ potiri, nisi prius omnem malitiam exuerint. Unde Noster apte vertit, *deponentes ;* Syrus, *cessare facite.* q. d. Cum deposueritis culpam, deponite pariter et extirpate omnem ad eam inclinationem et habitum ; prius enim hic deponendus est, quam contraria virtutis vestis plene assumi induique possit. Unde et Pagnin. et Tigurina vertunt, *deposita igitur omni malitia*, etc., *rationabile sine dolo lac concupiscite.* Quocirca antistropha huic Petri sententiæ est illa Pauli Ephes. 4. 22. *Deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris ; renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis*, etc. Et S. Jacobi c. 1. 21. *Propter quod abjicientes immunditiam et abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum* (quasi rationabile lac) *quod potest salvare animas vestras.* Vide utrobique dicta. Præclare sanctus Cyprianus de Zelo et livore, citans illud 1. Corinth. c. 15. v. 47. *Sicut portavimus imaginem terreni* (Adæ) *portemus et imaginem cœlestis* (Christi). *Imaginem*, ait, *cœlestem portare non possumus, nisi in eo quod esse nunc cœpimus, Christi similitudinem præbeamus. Hoc est enim mutasse quod fueras, et cœpisse quod non eras, ut in te divina nativitas luceat . ut ... patrem Deum deifica disciplina respondeat, ut honore et laude vivendi Deus in homine clarescat.*

Malitiam.] *Malitia*, græce κακια. Primo, est *malignitas*, quæ in tergiversatione et calliditate sentitur, ait S. Hieron. in cap. 4. ad Ephes. Secundo, *est nocendi amor*, et *cum quis malo delectatur alieno*, ait S. Augustin. hom. 20. inter 50. A quo famosus ille latro apud Poetas dictus est Cacus. Nam, ut ait S. August. 19. Civit. 12. *Cacus tam erat malitiæ singularis, ut ex hac ei nomen inventum sit, nam* malus *græce* κακος *dicitur, quod ille vocabatur, et propter insatiabilem feritatem semihominem quam hominem dicere maluerunt.* Tertio, *malitia* est interna perversitas, ex qua quis data opera male agit : ex malitia enim oritur maleficentia, sicut ex bonitate beneficentia. Malitia ergo est animi pravitas, odium, invidia, machinatio doli, fraudis, omnisque mali. Quarto, κακία sumi potest pro κακώσει, id est, *malitia*, pro maledicentia et maleficentia, puta pro obtrectatione, criminatione, noxa : κακιζω enim idem est quod *aggravo*, improbo, accuso, maledico. Inde Callimachus pictor dictus est *cakizoteclmos*, quia sui operis et picturæ jugis erat calumniator, ait Plinius lib. 34. cap. 9. Sic ex adverso bonitas subinde vocatur ipsa benignitas et beneficentia, ut cum dicimus bonus Deus, bonus pater, bonus dominus, id est, benignus et clemens. Justitiam enim dividunt in duas partes : justitiam, quæ est severitas, et benignitatem seu beneficentiam. Quinto, *malitia* est omne vitium et peccatum, ait Aristot. lib. 7. Ethicor. sicut è contrario bonitas vocatur quælibet virtus et honestas, etiam justitiæ, ut cum dicimus, bonus vir, bonus judex, bonus servus, id est, justus et exequens officii sui debitum. Omnibus his modis accipi potest, aptius tamen secundo. Agit enim S. Petrus de malitia quæ opponitur charitati fraternitatis, de qua proxime sermo præcessit, quæque generat dolum, simulationes, invidias, detractiones, ut sequitur : hæc autem est improba adversus proximum cogitatio, eique nocendi amor.

Et omnem dolum.] *Dolus* est machinatio fraudis ad circumveniendum aliquem, quæ proinde hominum societatem evertit. Quocirca Donatus censet dolum dici à dolando, id est, lædendo et minuendo : nam et græce δόλος *læsio* dicitur. Verum dolus fraudem potius, fucum et simulationem significat quam læsionem. Unde et tinctores, cum lanæ alium colorem inducunt, dicuntur δολοῦς, et δόλωνες vocantur pugiones et sicæ, quibus quis alium ferit fraudulenter et dolose. Hinc etiam vocatur *dolus malus*, cui opponitur bona fides. Est enim dolus bonus, quo usus est Paulus, dicens : *Cum essem astutus dolo vos cepi*, 2. Corinth. 12. 16. Audi Ulpianum l. 1. ff. de dolo malo : *Dolum malum Servius ita definit, machinationem alterius decipiendi causa, cum aliud agitur et aliud simulatur.* Et inferius : *Labeo sic definit, Dolum esse omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam. Labeonis definitio vera est : malum dolum adjecit : veteres enim bonum dolum dicebant, et pro solertia hoc nomen accipiebant ; maxime si adversus hostem latronemve quis machinetur.* Sic et Cicero lib. 3. Offic. *Cum ex eo* (Aquilio) inquit, *quærerem quid esset dolus malus? respondebat, cum esset aliud simulatum, aliud actum.* Et lib. 3. de Natura deorum : *Inde everriculum malitiarum omnium, judicium de dolo malo, quod Aquilius protulit : quem dolum idem Aquilius familiaris noster tum teneri putat, cum aliud sit simulatum, aliud actum.* Quare dolosus videtur habere *duplex cor*, *unum in quo videas veritatem, alterum in quo conspicias mendacium*, ait S. Augustin. tract. 7. in Joan. Hinc Nathanaelem laudat Christus, dicens : *Ecce vere Israelita in quo dolus non est.* Joan. 1. 47.

Tales sint Christiani, ut idem de iis dicat Christus. Deus enim est *Deus veritatis*, Galat. 2. 11. Diabolus vero est *pater mendacii*, et consequenter doli, Joannis 8. 44.

Et simultationes.] Græce ὑποκρίσεις, Christiana enim veritas, sinceritas et simplicitas est columbina, ovina, et agnina, quæque abominatur omnem hypocrisim et simulationem : ait Œcum. Et ut ait S. August. in psalm. 63. *Simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas.* Veritas enim est virtus, *qua quis et vita et sermone talem se demonstrat, qualis revera est*, ait Arist. 4. Ethic. c. 7. Unde et Plato apud Plutarch. l. *num inter pocula philosophandum sit?* ait summæ perversitatis esse, cum quis malus et perversus ad hoc conatur ut videatur esse bonus. Hinc Diogenes Cynicus videns quemdam mollem leonis exuviis amictum, quasi alterum Herculem incedere : *Non tu desines*, inquit, *virtutis stragula pudefa-*

cere. Ita Laert. lib. 6. cap. 2. Quocirca sapienter Alfonsus Aragonum rex dicebat, propterea Deum tantopere in hypocritas sævire, quod dum homines decipiunt, interponant Deum ipsum tanquam sceleris mediatorem; ideoque ut plurimum viventes adhuc plecti in oculis hominum quos Dei nomine fefellissent, ut intelligant homines, à talibus monstris maxime cavendum esse. Ita Panorm. et Æneas Sylvius in gestis et dictis Alfonsi. Hoc est quod dicitur, Job. 36. 13. *Simulatores et callidi provocant iram Dei.* S. August. hom. 2. inter 50. ὑποκρίσεις, vertit *adulationes*, scilicet pro genere ponens speciem maxime insignem; adulatores enim sunt summi et nocentissimi hypocritæ.

INVIDIAS.] *Invidia proprium est diaboli peccatum*, ait S. Basilius hom. de ira, invidia et avaritia, et August. lib. de Discipl. Christi cap. 1. Diabolus enim in cœlo invidit humanitati Christi unionem hypostaticam sibi à Deo revelatam, in terra vero invidit Adæ et posteris gloriam cœlestem, è qua ipse per peccatum exciderat. Unde *invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur autem illum omnes qui sunt ex parte illius*, Sap. 2. 25. Rursum S. August. serm. 18. de Temp. invidiæ damna recensens. *Hæc*, ait, *est quæ angelum de cœlo projecit, hominem de paradiso exulavit; Abelem occidit, contra Joseph fratres armavit, Danielem in lacum leonum misit, caput nostrum cruci affixit, et Judam suspendio sustulit. Fratres mei super tecta prædicate, quod invidia est illa fera pessima quæ fidem tollit, concordiam dissipat, justitiam disperdit, et omnia mala generat. Hæc muros Jerusalem evertit, Romam depopulavit, Carthaginem destruxit, Trojam devastavit.* Invidiam paucis ita describit Pindarus in Nemeis ode 8. *Opsonium invidis sunt sermones: attingit vero probos semper invidia, et cum deterioribus non contendit.*

Sed eamdem egregie pingit sanctus Basilius Admonit. ad filium spiritualem, cum hasce invidi et pacifici antitheses assignat. *Prima, qui amplectitur pacem in mentis suæ hospitio, mansionem præparat Christo, quia Christus pax est, et in pace requiescere cupit: vir autem invidus omnibus modis execratur. Secunda, vir pacificus in tranquillitate est semper cor ejus: invidus autem similis navi cum jactatur à fluctibus maris. Tertia homo pacificus securam possidet mentem: invidus autem in perturbatione est semper: qui autem sectatur pacem, tutus est semper undique ac munitus. Nam invidus, ut lupus rapax insanit inaniter. Quarta, pacificus est ut vinea honesta abundans fructu copioso: invidi autem opus indigentia ac miseria detinetur: et quantum pacificus gaudens in Domino delectatur, tantum invidus tabescens ad nihilum redigitur. Quinta, ex abundantia lætitiæ pacificus homo dignoscitur: ex vultu marcido et furore pleno invidus demonstratur. Sexta, pacificus homo consortium angelorum merebitur: invidus homo particeps dæmoniorum efficitur. Septima, sicut pax secreta mentis illuminat: ita invidia occulta cordis obcæcat. Octava, pax effugat et perturbat omnem discordiam; invidia autem iracundiam cumulat: à splendore autem pacis effugatur omnis caligo; et ubi obsederit invidia, ibi obscuritas et exteriores tenebræ. Sectare ergo, fili, desiderabile nomen pacis, ut fructus pacis possis acquirere, et execrare invidiam, ne malorum fructibus replearis.*

Idem homil. de invidia ejus indolem, habitum et mores per hæc epitheta et similitudines describit: *Fugiemus*, ait, *fratres, intolerabile malum. Serpentis, id est præceptum, diaboli inventum, inimici satio punitionis arrhabo, pietatis impedimentum, via ad gehennam, regni cœlorum privatio. Nam et ipso fatentur ore hoc vitium invidi: aspectus illis est aridus et obscurus, gena subtristis, supercilium demissum, anima ipsa morbo suffusa, prudentiam in dignoscenda veritate ac rebus agendis minime habens. Apud eos enim nec actio secundum virtutem ulla est, nec vis orationis gravitate ornata, non gratia comitata, non denique aliquid aliud honestum aut circumspectum conspicitur. Sicut autem vultures per multa quidem prata, multa etiam amœna et odorata loca circumvolantes, ad tabida, et fœculenta loca feruntur: muscæ quoque salubre, si quod offendunt, prætereunt, ad ulcera vero properant: sic et invidi vitæ splendorem, ac rerum bene gestarum magnitudinem minime quidem respiciunt; manca vero et fragilia, et si quid erratum (ut quandoque rebus accidit humanis) tantum observant, hæc divulgant, et per hoc tantum homines cognosci volunt. Quemadmodum maligni pictores, qui hominis imaginem, vel ex contoria nare, vel tubere, aut membri cujuspiam mutilatione, natura seu casu insita, corpori effingunt, notabilemque reddunt. Iniquum profecto, id quod laudabile potissimum fuerit, alicujus pejoris gratia manifeste occultare et virtutem ex vicinitate vitii (si quod forte reperitur) calumniari. Fortitudinem, audaciam potius appellat: modestum vero, sine sensu hominem: justum, immitem et nimium severum: prudentem, astutum: magnificum, vastum: liberalem, ut prodigum taxant: domestice frugalem, avarum dicunt. Denique omnes virtutis species in vicina vitiorum nomina convertunt, nusquam calumnia rebus laudatis deficiente.* Additque, *invidiæ remedium esse, nil æstimare magnum in rebus humanis*, non gloriam, non opes, sed cogitare ad sempiternorum et verorum bonorum participationem se esse vocatum.

Præclare S. Athanas. (vel quisquis est Auctor: stylus enim arguit fuisse Latinum, non Græcum) Exhort. ad Monach. *Esto*, inquit, *ab aliquibus frater tuus propensius honoretur, nec illos quasi minus amicos habeas, nec hunc quasi æmulum prælatæ venerationis attendas. Quinimo judica circa te augmentum illius honoris accrescere, sciens scriptum: Si enim gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra: Vos autem estis corpus Christi, et membra. Nam quicumque aliquem vestrum diligit, omnem dignitatem Deo, in quo vos coitis, adscribit.* Plura de invidia dixi Genes. c. 37. 3.

ET OMNES DETRACTIONES.] Multiplex enim et pene infinitum est detractionum genus quod omnem fraternam charitatem, quam impense hic commendat S. Petrus, lædit et interimit. Vide dicta Jacobi 3. 6. Audi S. August. hom. 20. inter 50. hæc omnia paucis enucleantem: *Quid*, ait, *est malitia, nisi nocendi amor? Quid dolus, nisi aliud agere, aliud simulare? Quid adulatio, nisi fallaci laude seductio? Quid invidia, nisi odium felicitatis alienæ? Quid detractio, nisi mordacior, quam veracior reprehensio? Malitia malo delectatur alieno. Dolus duplicat cor, adulatio linguam, detractio vulnerat famam.*

2. SICUT MODO GENITI INFANTES.] Syrus, *estote sicut infantes simplices.* Commendat fidelibus jam renatis in Christo, etiam veteranis et canis,

ut infantium innocentiam, puritatem, humilitatem, obedientiam, docilitatem, facilitatem, simplicitatem et sinceritatem imitentur : esto enim hæ in infantibus, utpote ratione carentibus, non sint virtutes, sed virtutum dumtaxat imagines; in baptizatis tamen sunt veræ virtutes : quia per baptismum eis induntur. Unde Lactant. in Carm. de Resurrect. Domini de iis ita canit :

Rex sacer ecce tui radiat pars magna trochæi,
Cum puras animas sacra lavacra beant.
Candidus egreditur nitidis exercitus undis,
Atque vetus vitium purgat in amne novo.

Et S. Paulinus :

Inde parens sacro ducit de fonte sacerdos
Infantes niveos corpore, corde, habitu.

Baptizati enim vestiuntur candida, ut illa internum candorem baptismo receptum repræsentent : idque factitatum à tempore Apostolorum, ut patet ex S. Dionysio Cœlest. Hier. cap. 2. et 5. Hinc Clemens Alexandr. scripsit librum Pædagogi, in quo cap. 5. et 6. docet omnes Christianos in Scriptur. vocari pueros, puellos et pullos, eo quod debeant æmulari puerilem sinceritatem, humilitatem et puritatem. Christus enim edixit : *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum*, Matth. 18. v. 3. Sic Paulus : *Facti*, ait, *sumus sicut parvuli in medio vestri, tanquam si nutrix foveat filios suos*, 1. Thessal. 2. 7. Rursum, in hac vita omnes fideles in gratia et sanctitate sunt infantes in futura vero resurrectione erunt viri. Hinc cucullis (quæ est vestis infantium tegens eorum capita) ab olim utuntur monachi, ut habitu profiteantur infantilem simplicitatem et innocentiam. Audi Cassianum lib. 1. de Habitu monachi cap. 4. *Cucullis namque perparvis usque ad cervicis humerorumque demissis confinia, quibus tantum capita contegant, indesinenter diebus utuntur ac noctibus, scilicet ut innocentiam et simplicitatem parvulorum jugiter custodire, etiam imitatione ipsius velaminis commoneantur, qui reversi ad infantiam Christi, cunctis horis cum affectu et virtute decantant : Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei ; neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me. Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam : sicut ablactatus est super matrem suam.* Denique in Dominica in albis, quando baptizati olim deponebant vestes albas in baptismo acceptas, solent legi hæc verba loco epistolæ, ut iis moneantur fideles candorem vestium mutare et conservare in candore animorum. Atque in hujus rei symbolum et mnemosynon dabatur eis agni effigies ; hæcque est origo cerearum imaginum, quas vulgo Agnos Dei vocant, uti demonstrant Josephus Vicecomes in Observ. Eccles. lib. 5. cap. 51. de ritibus Baptismi.

Rationabile.] Ita Romana : græce enim est λογικὸν. Perperam ergo nonnulli legunt, *rationsbiles*. Jubet itaque S. Petrus concupisci lac *rationabile*. Primo, q. d. Humanum, non materiale, sed rationabile, quod ex rectæ rationis dictamine, quasi mentis ubere manat. Secundo *rationabile*, q. d. Prudens, moderatum, discretum ; sic enim jubet Paulus rationabile esse obsequium nostrum. Rom. 12. 1. Tertio, Clem. Alexandr. 1. Pædag. c. 6. Vatabl. et alii λογικὸν vertunt, *verbale* : verbum enim doctrinæ et oris manat ex mente, ejusque verbo, quasi lac ex ubere. Quarto, Syrus λογικὸν vertit, רוּחָנָא *rachana*, id est *spiritale*, q. d. Lac hoc non est carnale, sed spiritale, pascit mentem, non ventrem ; esca est spiritus, non corporis; impinguat rationem et spiritum, non adipem et carnem.

Sine dolo.] ἄδολον, id est *sincerum*, ut vertit Syrus, S. Aug. hom. 20. inter 50. legit, *lac innocens*. Hæretici enim *gypsum lacte miscent*, id est, venenum erroris doctrinæ orthodoxæ inspergunt, ut ait Irenæus, l. 3. cap. 19. Solet enim, uti vino, ita et lacti misceri ac propinari venenum ; unde et *lactare à lacio*, id est illicio, significat fallere et in fraudem inducere.

Lac concupiscite.] Quæres, quodnam hoc lac? Respond. Primo, est doctrina Evangelica, de qua paulo ante dixit : *Hoc est verbum quod evangelizatum est in vos :* illaque tam rudior quæ rudibus, quam sublimior quæ provectioribus traditur. Hæc vocatur *lac*. Primo, ob ejus suavitatem et dulcedinem, cum lex vetus fuerit severa instar austeri vini, vel aceti, juxta illud Cant. 1. 1. *Meliora sunt ubera* (dantia lac) *tua vino ;* sic psal. 18. 11, eloquia Dei dicuntur *dulciora super mel et favum*. Secundo, quod animam nutriat, uti lac corpus ; nec tantum nutriat, sed et impinguet (lacti enim inest pinguedo butyri et casei) delectet, ac miris consolationibus mulceat; lac enim non tantum est cibus, sed et potus infantium, ita Clemens loco citato. Tertio, quod animam faciat nitidam, speciosam et fulgidam instar lactis. Unde de Nazareis dicitur Thren. 4. 7. *Nitidiores lacte*. Quarto, quia pura est et sincera, sicut in lacte nihil est mixtum, nihil alienum, nihil fucatum, imo lac nullam rei objectæ recipit refertque speciem, uti referunt vinum, oleum, aqua, quæ rerum objectarum sunt specula. Hinc Cantic. 5. 12. oculi sponsæ vocantur columbini, loti lacte; quia nullis falsis deduntur imaginibus, ut explicat ibidem Nyssenus. Quinto, quia sicut lac est puerorum deliciæ, eisque somnium conciliat, ac aliarum rerum sensum aufert; sic et doctrina Christi mentem dulcorat, sopit, tranquillat, inebriat. Hinc Pindarus hymnorum suavitatem et elegantiam per lac melle mixtum significat, cum ode 3. in Nemesis ait : *Ego tibi hoc mitto mel mixtum cum albo lacte*. Jubet ergo S. Petrus, ut fideles hoc lac doctrinæ Evangelicæ assidue hauriant ab uberibus matris Ecclesiæ, eoque se saginent, adolescant et crescant, juxta illam vivendo, illamque in actus et mores conferendo et convertendo, uti infantes concoquendo et convertendo lac in suam substantiam, crescunt et adolescunt. Et hoc significat, *concupiscite :* fames enim et concupiscentia lactis facit illud optime concoqui, et converti in sanguinem purum.

Secundo, lac symbolum est candoris, sinceritatis, benevolentiæ. Hoc enim lac opponit Petrus dolo, simulationi, invidiæ. Per illud ergo significat se velle, ut Christiani in sua conversatione non sint acidi, asperi et fellei, sed mellei et lactei, id est candidi, amabiles, suaves, benigni, benefici, fraterne invicem diligentes, juvantes et promoventes. Hinc et Homerus, ait Clemens, viros justos vocat γαλακτοφάγους, id est, *lacte vescentes*. Alludit S. Petrus ad illud Cant. 5. v. 1. *Comedi favum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo : comedite amici et bibite, et inebriamini charissimi*. Rursum alludit ad escam

quam Emmanueli, id est, puero Jesu assignat Isaias c. 7. 15. dicens : *Butyrum et mel comedet;* ac Christianis c. 55. 1. *Venite, emite,* etc. *vinum et lac,* vide utrobique dicta. Hujus rei symbolo olim recens baptizatis dabatur lac et mel (quin et etiamnum iisdem dant Æthiopes, ut patet ex eorum Rituali tom. 4. Biblioth. SS. Patrum) ut significaretur, Primo, eorum infantia in Christo. Secundo, vitæ Christianæ suavitas. Tertio, humilitas et mansuetudo infantilis. Unde Tertull. lib. 1. contra Marc. c. 14. *Mellis*, inquit, *et lactis societate suos infantat Deus.* Et lib. de Corona militis cap. 3. *Inde suscepti lactis et mellis concordiam prægustamus.* Hoc est quod aiebat S. Agnes : *Mel et lac suscepi ex ore ejus.* Plura de hoc prisco ritu vide apud Josephum Vicecomitem in Observat. Eccles. lib. 5. de Baptismo c. 41. et 42.

Tertio, Clem. Alex. 1. Pædag. c. 6. *per lac verbale* (sic enim ipse vertit) accipit Verbum incarnatum, puta Christum, de quo explicans subdit : *Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus*, idque Primo, quia, sicut lac ab ubere manat, ita Christus qua Deus, à Patre, qua homo, à matre procedit tanquam puer lacteus et lactens. Secundo, quia per Christum quasi lac ad mammillam Patris confugimus, ut ex ea gratiam, omneque bonum sugamus. Tertio, quia verba Christi erant lactea, id est, suavia et gratiosa. Quarto, lacte notatur Christi humilitas. Unde S. Aug. tract. 3. in ep. 1. S. Joannis : *Lac nostrum*, ait, *Christus humilis est.* Quinto, quia Christus est lac, id est alimentum parvulorum et humilium, ait Clemens loco citato : imo ipse omnium fidelium est lac, mel et vinum, id est deliciæ, dulcedo, exultatio et gaudium, uti docet Richard. de S. Vict. l. 2. de Emman. c. 21, Sexto, quia Christus sanguine constat : sanguis autem concoctus fit lac. Audi Aristot. l. 4. de Generat. animal. c. 8. *Eadem materia est quæ alit, et ex qua generationem natura constituit : eaque sanguineus humor in sanguinem habentibus est. Lac enim sanguis concoctus est, non corruptus.* Unde Empedoclem reprehendit quod lac vocaverit pus album : pus enim putredo est. Hinc Ægypti uti carne et sanguine, ita et ovis ac lacte abstinebant, quod dicerent ova esse carnes liquidas, lac esse sanguinem colore tantum mutato, ait Pier. Hier. 57.

Quarto, per *lac rationale* nonnulli accipiunt Eucharistiam, quæ olim baptizatis, etiam infantibus, dabatur mox à baptismo, idque ex Apostolica traditione, uti docet S. Dionys. Eccles. hierarch. cap. 5. unde et Græci etiamnum pueris dant Eucharistiam. Ita Salmeron hic, Turrian. lib. 2. de Eucharistia cap. 20. et 21. et innuit Clem. Alex. 1. Pædag. c. 6.

Sic S. Petrus, cum in carcere Mamertino Romæ convertisset, et baptizasset S. Processum et Martinianum cum familia, *participes eos fecit corporis et sanguinis Domini.* Idem factitatum S. Getulio, Cereali, Amantio, Primitivo, et Procopio, aliisque Martyribus recens baptizatis, tradunt eorum acta. Porro pueros sub una scilicet vini dumtaxat specie, adultos vero sub utraque Eucharistiam sumpsisse, docet Hugo Victor. l. 1. de Sacram. cap. 20. et ex eo Josephus Vicecomes in Observ. Eccles. lib. 5. c. 36. Pueri enim, præsertim infantes recens, nati facilius sumunt speciem vini, quam panis : illaque apposite vocatur lac, quia sicut vinum, dicitur esse lac senum, sic vice versa lac dicitur esse vinum puerorum.

Per *lac* ergo Eucharistiam hic accipi probant. Primo, quia lac hoc non est mortuum, nec brutum, sed vivum et rationale, puta homo rationalis, scilicet Christus in Eucharistia. Secundo, quia Eucharistia quoad species habet lactis colorem, videtur enim hostia lactea : quoad saporem dulcissima est, ut lac : quoad vim nutriendi, summe animas pascit et roborat. Unde subdit Petrus : *Ut in eo crescatis in salutem*, quo alludens S. Dionysius. Eccles. Hierarc. cap. 5. *Tribuit*, ait, *sacerdos Sacramentum infanti ut in eo nutriatur et crescat sacris augmentis.* Tertio, quia ante Eucharistiam debemus deponere omnem dolum, simulationem, invidiam ; imo reconciliari fratri si eum offendimus, non vero ante auditionem doctrinæ Evangelicæ, imo ex ejus auditu illa deponimus. Quarto, quia lac est sanguis Christi, quo nutrimur in Eucharistia : lac enim non est aliud quam sanguis plane concoctus, ideoque albus. *Si enim*, ait Clemens, *in Christo regenerati sumus, qui nos regeneravit, proprio lacte nutrit, nempe verbo. Quidquid generavit, ei quod generatur protinus alimentum præbere est consentaneum. Omni ergo ratione nos in omnibus Christo conjungimur, et familiares reddimur, et in cognitione per sanguinem ejus quo redimimur, et in consensione per nutritionem quæ ex verbo efficitur, et in incorruptione per ejus ipsius institutionem et vitæ agendæ rationem.* Quinto, quia Eucharistiæ competit τὸ *concupiscite :* ipsa enim quasi cibus et vita mentium summa aviditate sumi debet, tanta scilicet quanta infantes papillas matris sugunt, imo majori, ait S. Chrysost. homil. 60. ad pop. Sexto, quia subdit S. Petrus : *Si tamen gustatis, quoniam dulcis est Dominus;* quæ verba sumpta sunt ex psal. 33. v. 9. *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.* q. d. Gustate suavitatem carnis Christi in Eucharistia, inquit S. Basil. et August. unde et Psalmus ille inscribitur : *Davidi, cum immutavit vultum suum coram Achimelech, et dimisit eum et abiit*, cum scilicet finxit se missum alio à Saule, ut impetraret ab Achimelech panes propositionis, qui erant typus Eucharistiæ. Quocirca idem psalmus allegorice tribuitur Eucharistiæ à S. Jacobo in Liturgia, S. Dionys. lib. de Ecclesiast. Hier. cap. de communione, et S. Cyrill. Alex. hom. de Cœna Domini, atque ab Apostolis apud S. Clementem. l. 8. Constit. cap. 20. mandatur legi in Missa cum fit S. Synaxis.

Hic sensus appositus videtur (renatorum enim in Christo lac, id est esca, est Eucharistia) sed partialis. Per *lac* ergo adæquate accipe omnem cibum spiritualem, quem suis fidelibus præstat Christus, nimirum doctrinam, gratiam, virtutes (præcipue candoris, sinceritatis et charitatis) Sacramenta, præsertim Eucharistiam. Hisce enim eos alit in vitam æternam, facitque crescere in virum perfectum, Ephes. 4. 13.

Tropol. lac hoc doctrinæ vitæque Christianæ comedunt fideles, ut idem aliis communicent in eosque transfundant, itaque lac passivum fit activum. Unde in feminis lac signum est fœcunditatis et maternitatis. Quocirca S. Pauli doctoris Gentium caput recisum pro sanguine dedit lac, ac triplici saltu ternos fontes dulces et quasi lacteos è terra elicuit, ut hoc miraculo doctrinæ suæ puritatem et copiam repræsentaret.

Hinc et S. Basilius homil. in S. Julittam Mar-

tyrum, docet eamdem euntem ad martyrium hac suis propinasse, tum spirituale exhortationis, qua omnes etiam feminas hortabatur ad martyrium; tum corporale, quo aquarum copiam, indeque fœcunditatem illi loco in quo sepulta est conciliavit. Sed audi S. Basilium : *Ad destinatam sibi flammam concita perrexit facie, habitu, ipsis quæ depromebat verbis, alacritate insuper efflorescente, palam indicans quod in animo delitescebat, profusissimum gaudium. Mulieres quotquot astabant proxime obsecrabat, nec ad tolerandos pro tuenda Christiana religione labores animos sinerent remollescere : neu causificarentur, aut prætexerent infirmam feminæ naturæ conditionem : Eadem quippe massa qua et viri et ipsæ constamus, dicebat : Ad imaginem Dei perinde ac isti, et nos conditæ sumus : est sane mulier ab opifice creata peræque ac vir, capax virtutis. Quid enim miri est? An non consanguineæ et ipsæ sumus viris per omnia? Non enim ad constituendam mulierem sola est assumpta caro, sed et os ex ossibus : quo fit ut et ipsæ Domino nihil minus ac viri, redhibere debeamus firmitatem fidei atque constantiam, nec non in adversis patientiam. His dictis in lignorum struem accensam insiliit, quæ perinde ac thalamus splendore coruscus, corpus S. Julittæ circumplexa, animam quidem in cœlestem illam destinavit regionem, et quæ illius meritis congruebat requiem; corpus autem honore præcipuo venerabile asservavit affinibus, et cognatis incolume, nec ulla sui parte læsum, quod sane in ornatissimo primarii templi urbis totius vestibulo conditum, loco quidem adfert venerabilem sanctimoniam, nec minus qui eo loci conveniunt efficit sanctiores. Terra porro istius beatæ adventu aquam emisit; quæ suapte natura nulli non nostrum gratiosissima esse debeat. Adeo ut Martyr hæc imaginem pientissimæ referat matris, dum nutricis in morem totius incolas urbis alit suaviter, perinde ac lacte quopiam in communes usus affatim scaturiente. Hanc ipsam in nos benigne contulit Martyr gratiam, quam olim suis Jerichuntinus Elisæus impartivit, dum salsilaginem naturæ communis aquarum loci istius circumquaque finitimi, benedictione permutavit in saporem dulcem plane deliciosum et perquam suavem.*

Ut in eo (scilicet lacte Evangelii) crescatis.] adolescatis et proficiatis in virtute et perfectione Christiana. Alludit ad lactis usum et fructum : lac enim non tantum nutrit pueros, sed et facit eos crescere in justam staturam. Significat ergo *lac*, fideles per doctrinam et gratiam Christi debere quotidie proficere et crescere in sanctitate : juxta illud Christi : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam.* Vide S. Greg. 22. Mor. c. 20. et S. Bernardum epist. 253. ad Guarinum, ubi inter alia ait : *Vera virtus finem nescit, tempore non clauditur*, etc. *Nunquam justus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit, Satis est; sed semper esurit sititque justitiam : ita ut si semper viveret, semper quantum in se est justior esse contenderet, semper se bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum, vel ad tempus instar mercenarii, sed in æternum divino se mancipat famulatui. Audi vocem justi : in æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me.* Et inferius : *O monache non vis proficere? Non. Vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? Sic, inquis, mihi vivere volo et manere in quo perveni : nec pejor fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non potes. Quid enim stat in hoc sæculo?* Illustrat id exemplo Christi, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes, Act. 10. et Jacob, qui in scala vidit angelos, vel descendentes vel ascendentes, nullos subsistentes, ut significaretur *inter profectum et defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil medium inveniri, sed quomodo ipsum corpus nostrum continue aut crescere constat, aut decrescere; sic necesse sit et spiritum aut proficere semper aut deficere.*

S. August. serm. 15. de verbis Apostoli hunc modum crescendi assignat dicens : *Semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti : Si autem dixeris Sufficit, et peristi. Semper adde, semper ambula, semper profice; noli in vi remanere, noli retro redire, noli deviare. Remanet, qui non proficit : retro redit, qui ad ea revolvitur unde jam abscesserat : deviat, qui apostatat. Melius it claudus in via, quam cursor præter viam.* Alium assignat in psal. 60. sub initium, dicens : *Vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine tentatione, quia profectus noster per tentationem nostram fit, nec sibi quisquam innotescit nisi tentatus, nec potest coronari nisi vicerit, nec potest vincere nisi certaverit, nec potest certare nisi inimicum et tentationes habuerit.* Signum vero profectus idem assignat in Proœm. psalm. 119. *Cum*, inquit. *homo cœperit disponere ascensum, hoc dico apertius, cum cœperit homo Christianus cogitare proficere, incipit pati linguas adversantium. Quicumque illas nondum passus est, nondum proficit : quicumque illas non patitur, nec conatur proficere.*

In salutem.] Syrus *ad vitam.* Vita enim gratiæ actu crescit per operum merita, vita vero gloriæ per eamdem crescit in spe et jure : majora enim merita majus dant jus ad gloriam, eamque majorem. Indicat S. Petrus Christianos in virtutibus crescere debere tota vita usque ad mortem, per quam ibunt ad salutem et vitam æternam : sicut puer crescit usque ad virilem ætatem. Unde Paulus jubet nos tota vita crescere in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, Ephes. 4. 13. Virtus enim et vita Christiana non patitur senium, sed semper vivida et vegeta perdurat, imo crescit semper et intenditur. Nam, ut ait Sapiens : *Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem*, Prov. 4. 18.

Præclare Fernandus Diaconus, qui S. Fulgentio Ruspensi Episcopo coævus et familiaris, magna sanctitate vixit anno Christi 480. Regino Comiti poscenti regulam recte vitæ ad salutem, hanc dat septem legibus comprehensam. Extat in Appendice Biblioth. SS. Patrum. Prima, *Gratiæ Dei adjutorium tibi necessarium per actus singulos crede, dicens cum Apostolo : Gratia Dei sum id quod sum.* Secunda, *Vita tua speculum sit, ubi milites tui videant, quid agere debeant.* Tertia, *Non præesse appetas, sed prodesse.* Quarta, *Dilige rempub. sicut teipsum.* Quinta, *Humanis divina præpone.* Sexta, *Noli esse multum justus.* Septima et ultima, *Memento te esse Christianum.* Quæ deinde singula fuse explicat et pertractat.

3. Si tamen.] Græce εἴπερ, id est, *siquidem;* potest quoque εἴπερ accipi pro ἐπειδήπερ, id est *quandoquidem*, ut sit causale, tumque sententia erit efficacior.

Gustastis (aliqui codices habent *gustatis* : certe sub *gustastis* intelligit *gustatis* more He-

bræo. S. Hier. in c. 40. Ezech. pro *gustastis* legit, *credidistis*, qua gustus hic fit per fidem; plus tamen significat *gustastis*, scilicet effectum, fructum et gustum deliciarum et consolationum ex fide manantium, quas fidelibus infundit Deus) QUONIAM (quod) DULCIS EST DOMINUS.] Christus; unde pro *dulcis* græce est χρηστὸς, id est, ut S. Hieron. in c. 18. Ezech. *suavis;* Pagnin. et Vatabl. *benignus;* clarius, *bonus;* alii, *utilis*, probus, humanus, fructuosus, facilis ad gratificandum, indulgens, commodus, clemens. Hæc enim omnia significat χρηστὸς, et talis fuit Christus, talesque fuerunt primi Christiani, ac debent esse eorum sequaces et posteri, ait S. Justinus Apolog. 2. Χριστος ergo, id est *Christus*, per *iota*, id est *unctus*, fuit χρηστὸς, per *ita*, id est, *benignus, suavis, officiosus omnibus.* Unde Gentiles olim Christum vocabant Chrestum, et Christianos Chrestianos, teste Lactantio lib. 4. cap. 7. et Tertull. Apol. 3. Alludit S. Petrus, imo citat psalm. 33. v. 9. *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.*

Porro hanc Domini dulcedinem gustarunt, et etiamnum gustant fideles, cum doctrina Christiana quasi lacte divino imbuuntur, ac baptismo et vita Christiana initiantur, in eaque constantes progrediuntur. Dulcedinem hanc parit puritas et securitas conscientiæ, fiducia in Deum, spes gloriæ, ac consolationes spiritales, quas novitiis in fide et religione infundere solet Deus, iisque quasi lacte eos ad se allicere et alere. Cujus rei figura fuit manna, quo Hebræos ex Ægypto in desertum Deum sequentes aluit. Manna, inquam, *quod in se habebat omne delectamentum, et omnem saporis suavitatem.* Sapient. 16. 20.

Hanc Dei dulcedinem gustarat S. Petrus, cum visa humanitatis Christi gloria in monte Thabor quasi ebrius exclamavit: *Domine bonum est nos hic esse: faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Mosi unum, et Eliæ unum*, Matth. 17. 4. et Psaltes: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te!* Psal. 30. v. 20. et sponsa: *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Cantic. 2. v. 5 ubi vide S. Bernardum, et S. Paulus: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*, 2. Corinth. 1. v. 3. vide dicta Actor. 5. v. 41. et Sapiens c. 12. 1. *O quam bonus et suavis est Dominus spiritus tuus!* et Isaias c. 66. v. 11. *Ut sugatis et repleamini ab ubere consolationis ejus, ut mulgeatis et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus*, et S. Hier. epist. ad Ctesiphontem: *Omne*, ait, *quod habemus bonum, gustus est Domini: quanto plus plus bibo, tanto sitio fontem vitæ.* Vide S. Aug. in Soliloquiis, c. 21. et 22.

AD QUEM (Dominum, puta Christum) ACCEDENTES LAPIDEM VIVUM.] S. Petrus à metaphora novæ nativitatis et lactis spiritalis, quod fidelibus assignavit, transit ad aliam apud Hebræos similem, fabricæ scilicet, et lapidum ejus. Hebræi enim filios vocant בנים *banim*, quasi אבנים *abanim*, id est *lapides*, ex quibus Christus בנה *bana*, id est *ædificat*, suum בנין *binian*, id est, *fabricam* et donum, puta Ecclesiam. Sic ait Poeta, ϛυλοι οἰκων πιτνες εἰσιν ἄρσενες, id est, *columnæ domorum*, (familiarum) *filii sunt masculi*, sicut enim ex lapidibus ædificantur domus, sic ex filiis masculis familiæ.

Porro ad Christum accedimus non ambulando, sed per fidem, spem et charitatem ei credendo, in eum sperando, eum amando; Deus autem tam benignus est, ut quandocumque etiam media nocte ad eum accedimus, aures et manus nobis præbeat, nosque amantissime excipiat. Vide S. Chrysost. in psal. 4. ita S. Augustin. in psal. 86. *Erigeris:* ait, *in hanc fabricam affectu pio, religione sincera, fide, spe, charitate: et ipsum ædificare ambulare est.*

Nota Primo, Petrus quia petra, delectatur nomine et metaphora petræ et lapidis, simulque modeste significat se factum esse petram precario et gratis à Christo, qui est vera et prima Ecclesiæ petra, à quo Petrus et cæteri fideles fiunt petræ; Christus ergo est primus Petrus, id est, petra et lapis. Primo, quia ipse est lapis angularis et fundamentalis Ecclesiæ. Secundo, quia uti lapis suo pondere ex alto ruit in præceps, ita Christus amoris sui erga nos pondere de cœlis descendit in terram. Tertio, quia fortis est et constans, ut petra, lapis ergo significat fortitudinem, humilitatem et charitatem Christi. Quarto, quia uti lapis Davidis percussit et occidit Goliath, ita Christus percussit et enervavit dæmonem. Quinto, quia Christus est petra refugii fidelibus in se sperantibus juxta illud Psal. 103. *Petra refugium herinaciis.* Hinc David jubilans ait: *In petra exaltavit me.* Et: *Statuit super petram pedes meos*, psalm. 39. 3. et psalm. 26. 5.

Hisce de causis Christus multoties in Script. adumbratus est per lapidem. Primo, Zach. 3. cum ait: *Super lapidem unum septem oculi sunt: ecce ego cælabo sculpturam ejus, ait Dominus, et auferam iniquitatem terræ in die una.* Secundo, per lapidem super quo dormiens Jacob vidit scalam in cœlos porrectam, per quam ascendebant et descendebant angeli, Gen. 28. ut ibi dixi. Tertio per lapidem super quo orans et lassa brachia sustentans Moses, victoriam impetravit Josue et Hebræis contra Amalec, Exodi 17. Quarto, per lapidem qui percussus à Mose dedit aquam populo sitienti, Num. 20. Quinto, per lapidem speluncæ, in quo positus Moses vidit gloriam Dei transeuntis, Exodi 34. Sexto, per lapidem, quo David interemit Goliath, 1. Regum 17. Septimo, per lapidem tabularum, cui Deus digito suo Decalogum inscripsit, Deuter. 27. 2. Octavo per lapidem, quem Josue in testimonium erexit. Josue 24. 26. Nono, per lapidem cui imposita est arca testamenti, 1. Regum 6. 25. Decimo, per lapidem adjutorii, 1. Regum 7. 12. Hæc omnia congessit S. Cyprian. lib. 2. contra Judæos cap. 16. Porro Christus est lapis non qualis qualis, sed pretiosus, uti dicitur v. 6. puta marmoreus, gemmeus, adamantinus: unde eidem inædificata sunt duodecim fundamenta gemmea, puta duodecim Apostoli. Tota enim fabrica cœlestis Jerusalem, id est Ecclesiæ, est aurea et gemmea. Apocal. 21. 19.

Nota. Secundo, S. Petrus Christum vocat lapidem non inanimem: sed animatum et vivum, græce ζῶντα, id est *viventem*, quia ipse est Deus et homo vivus. Nam Primo, qua Deus, est vivus, imo ipsa vita essentialis et increata, ac vita causalis omnium viventium, puta angelorum, hominum et animalium: est enim ipse causa

vitæ, Primo, naturalis, puta vegetativæ, sensitivæ et rationalis. Secundo, est causa vitæ spiritalis animæ per gratiam. Tertio, est causa vitæ beatæ per gloriam. Hoc est quod ait S. Joan. Evangel. c. 1. 4. *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum*, et epist. 1. S. Joan. 1. v. 2. *Vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis.* Secundo, Christus qua homo, est vivus, quia à morte resurrexit ad vitam immortalem et gloriosam. Tertio, Christus est vivus, id est, vivificans omnes per sua merita et mortem, scilicet animas per gratiam, corpora per resurrectionem, juxta illud Joannis 6. 58. *Sicut misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me et ipse vivet propter me:* et Joan. 5. 25. *Venit hora, et nunc est quando mortui audient vocem filii Dei, et qui audierint vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso.* Super Christum ergo quasi lapidem vivum ædificatur Ecclesia, quasi corpus Christi vivum ab eo vivificatum.

Porro grammatice ad litteram *lapis vivus* vocatur, qui in sua rupe aut vena nascitur, indeque exciditur aut eruitur (unde Christus vocatur lapis excisus de monte, Daniel. 2. 24.) Sicut enim sunt venæ argenti, auri, ferri, æris, etc. sic sunt et venæ lapidum ac gemmarum, uti docet Anselmus Boethius lib. de Gemmis. Unde Plinius l. 36. cap. 18. *Theophrastus*, inquit, *et Mutianus esse aliquos lapides qui pariant, credunt.* Idem l. 35. c. 13. asserit *terræ pulverem in Puteolanis collibus opponi maris fluctibus, mersumque protinus fieri lapidem unum inexpugnabilem undis, et fortiorem quotidie.* Additque pari modo terram Cyzicenam lapidescere, æque ac Cnidiam: *Quin et ab Orapo*, inquit, *Eulidem usque quidquid terræ attingitur mari, mutatur in saxa.*

Simili modo aqua viva dicitur quæ è sua scaturigine aut vena (uti sanguis ab hepare) ebullit, et quasi vitaliter scaturit ac fluit, ex adverso aqua mortua est stagnans, quæ in lacubus et paludibus immota consistit.

Rursum *lapis vivus* est magnes, quia ferrum movet et trahit. Vitam enim habent quæ se movent; anima enim est principium motus. Item pyrites, qui plurimum habet ignis, vivus appellatur, ait Plinius l. 36. cap. 19. Huc pertinet lapis fugitivus, ita dictus à fuga, de quo Plinius lib. 36. 15. *Eodem*, ait, *in oppido* (Cyzico) *est lapis fugitivus appellatus. Argonautæ eo pro anchora usi, ibi reliquerunt. Hunc è Prytaneo sæpe profugum fixere plumbo.* Idem lapis in statua Memnonis, *quem quotidiano solis ortu contactum crepare dicunt*, ait Plinius l. 36. cap. 7. quorum penes Plinium sit fides. Hæc omnia facile est adaptare Christo.

AB HOMINIBUS QUIDEM REPROBATUM.] Judæi enim, Scribæ, Pharisæi et Pontifices spreverunt Christum, eumque quasi lapidem inutilem, imo noxium reprobarunt et rejecerunt à fabrica suæ Synagogæ.

A DEO AUTEM ELECTUM.] In fundamentum Ecclesiæ, per resurrectionem; ascensionem in cœlum, missionem Spiritus sancti, et nominis celebritatem in toto orbe illi subjecto. Græcum ἔντιμον et *pretiosum*, ut vertit Tigurin. et *honorabilem* significat.

5. ET IPSI TAMQUAM LAPIDES VIVI SUPERÆDIFICAMINI.] Id est, superædificate vos Christo per charitatem, ejusque opera quæ fidem vivificant. Beda ait quosdam legere *sursum ædificamini*, ut scilicet tendatis in cœlum, ibique sit mens, cogitatio et conversatio vestra. Lapides vivos vocat *viros robore firmatos*, ait S. Ambros. in cap. 3. S. Lucæ.

Nota analogias lapidis in fabrica, et fidelis in Ecclesia. Primo enim, sicut lapis poliri et quadrari debet ut sit aptus ad fabricam, ita et fidelis poliri et quadrari debet per tribulationes et tentationes, ut sit actus ad fabricam Christi; juxta illud S. Ambrosii, et Officii divini in dedicatione Ecclesiæ: *Tunsionibus, pressuris expoliti lapides suis coaptantur locis, per manus artificis disponuntur permansuri sacris ædificiis.*

Secundo, sicut lapis et fabrica suas habet dimensiones, sic et fidelis, quas dimetitur Spiritus sanctus quasi perpendiculum. Audi S. Ignat. epistola ad Ephesios: *Jesus Christus*, inquit, *fundavit vos super petram ut lapides electos, aptos ad divinum ædificium Patris, sublatos in altum per Christum, qui pro nobis crucifixus est, perpendiculo usos Spiritu sancto, fide vero subductos, et charitate elevatos à terra in cœlum.* Plura de virtutis dimensionibus dixi Ephes. 3. 18.

Tertio, lapis ut collocetur in domo, debet esse durus et fortis, ut et molem sibi incumbentem, et insultus tempestatum ac hostium sustineat: ita fortis pariter et constans debet esse fidelis: hanc autem fortitudinem haurit à Christo, quasi à petra cui incumbit. Ita S. Bernard. serm. 61. in Cant. *In petra*, ait, *exaltatus, in petra securus, in petra firmiter sto, securus ab hoste, tutus à casu; tremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur, non cado: fundatus enim sum supra firmam petram.* Et inferius: *Stat Martyr tripudians et triumphans toto licet lacero corpore, et rimante latera ferro, non modo fortiter, sed et alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem. Ubi ergo tunc anima Martyris? nempe in tuto; nempe in petra, nempe in visceribus Jesu, vulneribus nimirum patentibus ad introcundum. Si in suis esset visceribus, scrutans ea ferrum profecto sentiret, dolorem non ferret, succumberet et negaret, nunc autem in petra habitans, quid mirum si in modum petræ duruerit? sed neque hoc mirum; sed exul à corpore, dolores non sentiat corporis: neque hoc facit stupor, sed amor: submittitur enim sensus, non amittitur: nec deest dolor, sed superatur, sed contemnitur.*

Quarto, lapis inferior portat superiorem, et hic inferiorem, ac collateralem: ita *in S. Ecclesia unusquisque et portat alterum, et portatur ab altero*, ait S. Gregor. homil. 13. in Ezech. juxta monitum S. Pauli Galat. 6. 2. *Alter alterius onera portate.* Rursum faber murarius ad perpendiculum ædificat lapides, ut si quis extet, eum introrsum retrudat; si quis nimis sit retrusus, foras educat. Ita et Superiores humiles educunt, superbos recondunt: nimis amantes solitudinis, exercent in operibus Marthæ: nimis amantes externam conversationem, addicunt cellæ et silentio.

Quinto, lapis unus alteri calce conglutinatur, itaque se et socium, totamque fabricam firmat: sic et fidelis unus alteri charitate compaginatur, qua se et proximum, totamque Ecclesiam firmat et corroborat. Plures analogias recensui in fine Comment. in Aggæum.

Antistropha huic S. Petri sententiæ est illa

Pauli Ephes. 2. 19. *Ergo jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei superædificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino: in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.* Vide ibi dicta. Alludit S. Petrus, æque ac S. Paulus, ad Isaiæ 54. 11. *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris, et ponam jaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles, universos filios tuos doctos à Domino.* Et ad illud Christi: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, Matth. 16. 18.

Domus spiritualis.] S. August. in psal. 86. et alii legunt, *in domum spiritualem*, q. d. Super Christum ædificamini, ut sitis domus Dei, non materialis, lignea scilicet, vel lapidea; sed mystica et spiritalis per fidem, spem, charitatem, religionem Dei et Christi. Porro hæc domus sive templum spirituale Dei, partim est universale, puta Ecclesia, partim particulare et singulare, puta anima cujusque fidelis et sancti, de utroque hic accipi potest. Singuli enim fideles, quasi lapides vivi coagmentant fabricam Ecclesiæ quasi unius domus et templi universalis: unde nonnulli teste Beda legunt, *sursum ædificamini in domum spiritualem.* Idem in hac fabrica Ecclesiæ quasi templi ampli, sunt quasi templa particularia, puta sacella et cameræ Dei, juxta illud 1. Corinth. 3. 16. *Nescitis quia templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis:* et 2. Cor. 6. 16. *Vos enim estis templum Dei vivi*, etc. Unde sanctus Hieron. in cap. 28. Ezech. 3. Leo serm. 3. in Assumpt. et S. Ambros. in cap. 3. et 12. Lucæ legunt *domos spiritales*, in plurali, cum scilicet *libidinum volutabrum commutatur in Dei templum, diversoriumque vitiorum sacrarium incipit esse virtutum*, ait S. Ambros. ibid. c. 12.

Hoc sensu et Syrus vertit, *estote templa spiritalia.* Sed prior sensus ut scilicet *domus spiritualis*, intelligatur Ecclesia, est congruentior, tum quia domus singularis est numeri, non pluralis, unam ergo significat, non multas: unde et Græca in singulari habent οἶκος πνευματικός, tum quia S. Petrus fideles vocat lapides; lapides autem non sunt ipsa domus, sed partes ex quibus assurgit et conflatur domus, tum quia eadem phrasi S. Paulus Ephes. 2. 19. ait fideles ædificare unam domum, puta Ecclesiam.

Objiciunt hæretici: Ecclesia est domus Dei spiritalis; ergo non est visibilis, sed invisibilis. Resp. negando consequentiam: domus spiritalis enim hic opponitur domui materiali, quæ ex lignis et lapidibus constat, non visibili. Id patet: nam homines Christianos vocat lapides conflantes hanc domum: homines autem Christiani sunt visibiles, non invisibiles. Rursum *spiritualis* vocatur, quia spirituali fide, religione et cultu colit Deum: ille autem spiritualis cultus licet sit invisibilis, quatenus internus est, et in anima absconditus: idem tamen visibilis est, quatenus se prodit et videndum exhibet per externam fidei et cultus sui professionem, qua fideles in eadem Ecclesia, concione, Eucharistia, Sacramentis, precibus, etc. visibiliter communicant, suamque fidem et religionem manifestant.

Sacerdotium sanctum.] S. Hieron. et Ambr. locis jam citatis legunt, *in sacerdotium sanctum*, q. d. Super Christum ædificamini, ut sitis sacerdotium, non impurum, profanum et sacrilegum, quale est idololatrarum et hæreticorum; sed purum, sacrum et sanctum. Jam *sacerdotium* hic dupliciter accipi potest; Primo, proprie. Ecclesia enim sicut est regnum quod regit, et in quo regnat Christus, sic est et sacerdotium, in quo, et per quod Christus sacrificat et sacrificia offert Deo Patri. Ecclesia enim per veros sacerdotes vera et propria offert sacrificia Deo, per singulos vero fideles offert sacrificia impropria et mystica laudum, precum et bonorum operum. Secundo, metonymice, idque dupliciter; Primo, ut sacerdotium sit idem quod cœtus sacerdotum, quo modo cœtus clericorum vocatur clerus, quia ipse est sors, pars et hæreditas Domini. Secundo, ut abstractum more Hebræo ponatur pro concreto, *sacerdotium* pro sacerdotibus. Unde Syrus vertit, *estote sacerdotes sancti.* Sic rursum clerus vocantur clerici. Porro in Ecclesia proprii sacerdotes sunt Apostoli, et ab eis ordinati: improprii et mystici, sunt laici. Unde S. Ambrosius lib. 4. de Sacrament. cap. 1. *unusquisque*, inquit, *ungitur* (in Baptismo et confirmatione) *in sacerdotium, ungitur in regnum*, ut sit mysticus sacerdos, sicut mysticus est Rex. Unde subdit: *Sed spirituale regnum est, et sacerdotium spirituale.* Sic et Origen. homil. 9. in Levit. ait laicos fieri sacerdotes per Sacramentum Confirmationis: in illo enim unguntur in fronte quasi athletæ, ut pro fide usque ad mortem decertent, et si opus sit, seipsos per martyrium Deo in sacrificium offerant.

Fidelis ergo laicus dicitur estque sacerdos, sed mysticus, Primo, quia membrum est Ecclesiæ, quæ veros habet sacerdotes; et Christi, qui est summus Sacerdos; ita S. Didymus et S. Augustinus 20. Civit. 10. et alii. Secundo, quia per veros sacerdotes eis assistendo, serviendo, alendo, cooperando, verum in Missa Deo offert sacrificium. Tertio, quia offert Deo vitulos labiorum, puta hostia laudis, pœnitentiæ, mortificationis, charitatis, aliarumque virtutum. Ita explicant S. Athanas. hom. de semente, S. Hilar. in psal. 118. Clemens Alexandr. orat. ad Gentes, S. Ambros. in psal. 118. octon. 6. vide Origenem homil. 9. in Levit. Hoc sensu S. August. 10. Civit. c. 6. ait, *Sacrificium verum* (id est insigne, dignum, præstans et Deo gratum, non autem proprie dictum) *est omne opus quod agitur, ut sancta societate inhæreatur Deo, relatum ad illum finem, quo beati esse possimus.* Unde S. Leo serm. 3. in die anniversario assumptionis suæ ad pontificatum: *Omnes*, inquit, *in Christo regeneratos, crucis signum efficit reges: sancti vero Spiritus unctio consecrat sacerdotes.* Et statim declarat, qua in re hoc regnum et sacerdotium consistat. *Quid enim*, inquit, *tam regium, quam subditum Deo animum, corporis sui esse rectorem? Et quia tam sacerdotale, quam vovere Domino conscientiam puram, et immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerre:* Quarto, quia offert Deo passionem et mortem Christi, qui vivam in cruce se fecit victimam Deo, præsertim dum sumit S. Synaxin. Tunc enim reipsa repræsentat et annuntiat mortem Domini, ut ait Christus Lucæ 22. 19. et Paulus 1. Cor. 11. 16. Quinto, quia in cœlo seipsum totum ad perpetuam Dei laudem quasi in sacrificium offeret,

Apocal. 5. 10. Sexto, quia fideles sancti Deo sunt conjunctissimi, quasi ejus amici, domestici, filii et heredes. Sic enim principes Davidi regi conjunctissimi, vocantur sacerdotes. 2. Regum v. 8. ult.

Hæc tamen non probant laicos esse veros et proprie dictos sacerdotes, aut in Ecclesia non esse sacerdotes proprie dictos : hos enim habuit omnis respub. omnis lex, omnis gens, uti efficaciter demonstrat Bellarm. lib. 1. de Missa c. 2. et 15. Vide et S. Basil. lib. 2. de Baptismo c. 8. imo idipsum ex hoc loco colligitur. Proprie enim loquitur S. Petrus, non de quovis fideli, sed de toto fidelium cœtu, sive Ecclesia, ut patet ex eo quod ait : *Vos genus electum, gens sancta, populus acquisitionis.* Loquitur ergo toti genti et populo fidelium : ille autem cœtus et populus verum habet sacerdotium, verosque sacerdotes ad id deputatos, ut pro populo sacrificia proprie dicta Deo offerant, uti habuerunt et habent omnes aliæ gentes et populi, alioqui respubl. christiana manca esset et mutila, longeque inferior aliis omnibus rebus publicis imo profana et laica. Deesset enim ei nobilissima dos et munus, quod rempublicam Deo conjungit et subordinat : tale enim est sacerdotium.

Offerre (ad offerendum, ut offeratis) spirituales hostias Deo.] In spirituali domo et templo, puta in Ecclesia. Τὸ *spirituales* partim opponitur carnalibus hostiis sacerdotum Aaronicorum : Christiani enim sacerdotes non offerunt hostias carnales eas mactando ; excoriando, cremando, etc. sed hostiam mysticam puta Eucharistiam, in qua Christi caro sub speciebus panis et vini absconditur : ac integra offertur, immolatur et sumitur : partim opponitur hostiis veris, ut *spirituales* idem sit quod impropriæ et figuratæ, quales offerunt fideles laici, uti jam dixi : de qualibus ait Paulus Rom. 12. 1. *Obsecro vos, fratres,* etc.' *ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem,* et Lactant. l. 6. Instit. c. 24. et 25. *Quisquis,* inquit, *omnibus præceptis cœlestibus obtemperat, hic est vere Dei cultor, cujus sacrificia sunt mansuetudo animi, et vita innocens, et actus boni : quæ omnia qui exhibet, toties sacrificat, quoties bonum aliquid et pium fecerit ;* præsertim si id Deo in sacrificium mysticum offerat : eoque magis quo opus in se est difficilius, et majoris mortificationis, patientiæ, obedientiæ, martyrii, etc.

Acceptabiles Deo per Jesum Christum.] Ipse enim est redemptor et mediator noster à Deo constitutus, per quem omnia nostra Patri offerre debemus, ut ei accepta, grata, meritoria et impetratoria sint. Quocirca Ecclesia omnes orationes terminat, dicendo : *Per Dominum nostrum Jesum Christum,* etc. Hoc est quod ait Apostolus Rom. 5. 2. *Per ipsum habemus accessum per fidem.* Et ad Hebr. 7. 25. ait Christum semper Deo assistere, *ad interpellandum pro nobis.*

6. Propter quod continet Scriptura.] Isaiæ 28. 16. ubi æque ac Ephes. 2. 20. hunc versum explicui : quare ibi dicta hic non repetam.

7. Vobis igitur honor credentibus.] q. d. Vos credentes in Christum, non confundemini, sed honorabimini à Christo in die judicii, quando ab eo accipietis gloriam et coronam regni cœlestis juxta illud Psal. 138. 17. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.*

Non credentibus.] Legit interpres ἀπιστοῦσι ; jam legunt ἀπειθοῦσι, id est *inobedientibus,* qui scilicet noluerunt Christo obedire, sive ut in eum crederent, sive ut legi ejus parerent.

Factus est in caput anguli.] Factus est lapis capitalis, angularis, primarius et fundamentalis domus Dei, puta Ecclesiæ.

6. Et lapis offensionis et petra scandali.] Citat Isaiæ 8. 14. vide ibi dicta. Hoc est quod canit Simeon : *Positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel ;* Lucæ 2. 34.

His qui offendunt verbo.] Multi explicant, q. d. Qui peccant per verbum, puta verbis suis contradicendo et resistendo Christo, eumque blasphemando. Ita Hugo, Lyran. Thomas Anglicus et Dionys. Verum græce est προσκόπτουσι τῷ λόγῳ, id est, *qui impingunt in verbum,* qui scilicet ad verbum Evangelii offenduntur et scandalizantur. Unde Syrus vertit, *qui offendunt ad petram, eo quod non acquiescant sermoni.* Hinc explicans subdit Petrus, *Nec credunt in quo et positi sunt,* Judæis enim prædicatio, Christi crucifixi erat scandalum, gentibus stultitia, 1. Corinth. 1. 23.

Nec credunt in quo positi sunt.] Primo, Beza ex hoc loco contendit, reprobos ante prævisionem operum et peccatorum à Deo positos, id est, destinatos esse ad inobedientiam et rebellionem, sicut electi à Deo solo ante prævisionem meritorum destinati sunt ad fidem, obedientiam et salutem. Additque : Hoc enim, ait hic S. Petrus, scilicet eos positos esse, utique à Deo, ad hoc, ut non credant. Dices : Ergo crudelis est Deus. Respondet Beza, Imo misericors, qui vel unam salvet. Ad hæc inter decretum Dei, et decreti executionem intercedit causa damnationis, eorum scilicet improbitas, ita ut nullos nisi seipsos possint accusare. Hæc ille, sed impie et imperite : nam Primo, si Deus destinat illos ad inobedientiam et rebellionem, Ergo primus ipse peccati, puta inobedientiæ et rebellionis est auctor, quod est blasphemum. Secundo, ergo destinati ad hoc à Deo non peccant rebellando, tum quia parent ejus decreto et destinationi : tum quia 'illi, utpote divino' et inevitabili, resistere nequeunt. Quis enim hominum resistere queat Deo ? *voluntati enim ejus quis resistit ?* Rom. 9. 19. Tertio, si Deus decernit inobedientiam ; ergo eamdem exequitur et operatur : decretum enim Dei est efficax, et quod decernit hoc efficit. Quare improbitas inobedientium non aliunde manabit, quam à Deo, Deique decreto, eique erit adscribenda, non ipsis, hominibus improbis et inobedientibus, utpote qui ad inobedientiam à Deo efficaciter aguntur et impelluntur, imo determinantur juxta Calvinum et Bezam, qui negant liberum hominis arbitrium, omniaque in homine censent fieri agique à Deo, quæ omnia sunt stolida, æque ac blasphema.

Secundo, Catholici nonnulli sic explicant, q. d. Infideles positi, id est, destinati sunt ad non credendum à se, suaque voluntate et malitia deinde à Deo positi sunt in ordine reproborum. Rursum et potius, infideles ob priora sua scelera merentur relinqui à Deo, excæcari et obdurari, ut non credant Evangelio, esto gratiam sufficientem eis non deneget, ita Didymus, Œcum. Gagneius, Salmeron, et alii.

Tertio, Erasmus, Vatablus, Cajetanus et Titelman., sic explicant, q. d. *Nec credunt,* scilicet in fundamentum, vel lapidem angularem, in quo positi et collocati fuerant.

puta in Christum : judaismus enim et Synagoga tamquam vera Dei Ecclesia in Christo posita et fundata erat, ejusque meritis innitebatur.

Quarto et genuine : pro *in quo* græce est εἰς ὅ, id est, *in quod*, *ad quod*, scilicet ad credendum, sive ut credant Christo et Evangelio. q. d. Positi sunt ad credendum in Christum, nec tamen credunt, quia credere nolunt. Omnes enim homines, et maxime Judæi, positi, id est, creati sunt et ordinati per legem et Prophetas ad hoc, ut in Christum lege et Prophetis præsignatum credant. Ita Beda et Lyran. Deus enim creavit et ordinavit homines ad bonum, puta ad credendum ut salutem assequantur, non autem ad malum, puta ad non credendum et rebellandum, ut eant in gehennam. Hoc enim tyrannicum et plusquam tyrannicum est : nemo enim tyrannorum hoc fecit, aut facere voluit, et potuit.

9. Vos autem.] Pronomen *vos* Primo, potest accipi collective, q. d. Vos ô fideles in unum cœtum collecti, vos ô congregatio Christianorum; vos ô Ecclesia Christi estis regale sacerdotium, gens sancta, etc. Secundo, distributive, q. d. Vos ô singuli fideles estis genus electum, etc. quos scilicet Deus sibi elegit, et qui vicissim Deum elegistis, electioni et vocationi ejus consentiendo et cooperando, uti docet Moses Deuter. 26. v. 17. et 18. Sicut ergo Deus olim Judæos, ita nunc Christianos elegit in suum populum et Ecclesiam, ac per eos toti mundo benedicit et benefacit. Unde pulchre S. Justinus epist. ad Diogenetum, docet Christianos esse in mundo quasi animam in corpore : *Sparsa est anima*, inquit, *per omnia corporis membra, et Christiani per omnes mundi urbes. Habitat quidem in corpore anima; non est tamen de corpore : et Christiani in mundo habitant, non sunt tamen è mundo. Inaspectabilis anima in corpore aspectabili tanquam in præsidio collocata est : et Christiani in mundo manere cognoscuntur, sed eorum pietas manet inaspectabilis. Odit oppugnatque animam caro nihil læsa propterea quod frui voluptatibus prohibetur : odit et Christianos mundus nulla in re violatus, quia voluptatibus resistunt. Infensam sibi carnem et membra amat anima, et Christiani odio ipsos prosequentes amant. Anima corpore inclusa est, et ipsa corpus conservat : et Christiani continentur in mundo tanquam in custodia, et ipsi conservant mundum. Immortalis anima in mortali tabernaculo habitat : et Christiani caduca ut inquilini incolunt, immortalitatem in cœlis præstantes. Anima dum cibis et potionibus male tractatur fit melior : et Christiani dum quotidie suppliciis mulctantur, magis multiplicantur.*

Moraliter hinc docet S. Hilar. in psal. 118. et Clemens Alex. orat. ad Gentes, Christianos debere fugere omnem umbram luxuriæ, superbiæ, etc. quia omnes summus genus electum, imo reges et sacerdotes, in quibus eligendis summa adhibetur ratio et discretio.

Regale sacerdotium.] Citat Exodi 19. 6. ubi Moses Synagogam Judæorum vocat *regnum sacerdotale*, vel, ut hebr. est, *regnum sacerdotum* : simili enim modo Petrus et Septuag. Verba Mosis eleganter et prudenter invertens, vocat *regale sacerdotium*. Causam hujus inversionis dedi Exodi 29. 6. quia scilicet in Synagoga Judæorum regnum eminebat sacerdotio, in Ecclesia vero Christi sacerdotium eminet regno, et regnum refertur ad sacerdotium quasi temporale ad spiritale. Unde Syrus vertit, *vos estis sacerdotium ad regnum*. Ecclesia ergo est regnum Christi, non temporale, laicum et profanum, sed cœleste, sacerdotale et sacrum. Eadem, vice versa et potius, est Christi sacerdotium non legale, non gentilitium, non plebeium, sed regale, eximium, illustre, magnificum, cœleste et divinum : idque Primo, quia primus ejus sacerdos et conditor, puta Christus, fuit summus Pontifex et Rex, imo Deus et Dei filius. Unde ejus typus fuit Melchisedech Rex et Pontifex, ad quem hic alludit S. Petrus, Heb. 7. 1. Secundo, quia victima ejus est regalis, eximia et divina, puta Christus, qui in ara crucis quasi regalem hostiam pro nobis obtulit se, atque indies in Altari Eucharistiæ per sacerdotes se offert Deo, uti docet Concil. Trid. sess. 23. cap. 2. Tertio, quia modus offerendi est regalis, tum quia non mactando et laniando, uti faciebat Aaron et cæteri, sublimi et arcana operatione Spiritus S. consecrando et transsubstantiando panem in corpus Christi, peragitur : tum quia regali, liberali, munifico animo, plenoque amore et cultu, quasi regium donum regi Deo offertur, est ergo hoc βασιλικὸν δῶρον. Simili de causa S. Jacobus legem charitatis vocat regalem : ut dixi c. 2. 8. Quarto, quia fructus ejus est regalis : nam peccata abolet, Deum placat, gratias et virtutes omnes conciliat, denique meretur et ducit ad regnum cœlorum, tamque sacerdotes quam fideles pro quibus offertur reges, cœli efficit. Meminerint ergo sacerdotes cum celebrant, se obire regale sacerdotium, illudque regali animo, amore et religione Deo offerant. Hoc est quod ait Paulus Hebr. 9. 11. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum*, etc. *neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.* Hinc sacerdotes gestant in capite coronam, tum alias ob causas, tum ob regale sacerdotium novi Testamenti, quod omnium rerum est perfectio, cujus index est circulus et corona.

Secundo, non solum Ecclesia, sed et singuli fideles sunt sacerdotales regnum, et regale sacerdotium, sive, ut vertit Chald. Exodi 19. 6. *Reges et sacerdotes :* Reges, tum quia regunt suos sensus, membra, potentias, passiones, iisque dominantur. Ita S. Gregor. 26. Moral. 26. tum quia familiares, imo filii sunt Jesu Christi, Regis regum, et Domini dominantium, qui in nobis regnat cum Patre et Spiritu sancto, ait S. Ambros. in Apocal. c. 1. 6. et c. 5. 10. Unde aliqui exponunt, *sacerdotium regale*, id est, præstans et proprium regis Dei, tum quia vocati sunt ad regnum cœleste. Hinc baptizatorum capiti olim imponebatur corona, quasi reges essent ad Dei familiam et rerum omnium perfectionem evecti : perinde ac fascia, qua frontes fidelium chrismate unctæ in Sacramento Confirmationis religantur, diadema regium repræsentat. Id ita esse diserte docet Severus Alex. lib. de Bapt. *Elevant*, inquit, *baptizatos ad Altare, eisque dant mysteria, Eucharistiam, et sertis eos coronat sacerdos.* Et paulo post : *Fratres mei psallite hymnum filio dominatoris omnium, qui regum corona vos coronavit, peroptate eam, immutate vestimenta vestra, et candidi estote in mundum nivis, ac in similitudine angelorum splendores vestros illuminate.* Et in precatione : *Deus dignos vos efficiat cœlesti*

regno suo, ac pro hac dissolubili corona, coronet vos coronis justitiæ et operibus bonis. Et S. Chrysost. hom. ad baptizat. *Memento mei*, ait, *quando coronam solis radiis splendidiorem sentietis in capite.* Et Cyrillus Hierosol. in sua pro catech. *Jam*, ait, *spirituales colligitis flores ad plectendas cælestes coronas : jam circa porticum regalis palatii fuistis : utinam vero et ab ipso rege introducamini*, S. Gregor. Nazianz. orat. 23. invitans Heronem Philosophum ad cito suscipiendum baptisma : *Ades dum*, ait, *coronis nostris de te vinciam, ac clara voce, non in media Olympia, nec in exiguo Græciæ theatro, sed coram Deo et angelis, atque universo Ecclesiæ cœtu, victorem proclamabo.* Idem orat. 40. *baptismo consignare : hic tibi et vitam et verba moderetur, omnia membra, omnes animi motus, omnes sensus; honore eum complectere, ut te ornet, capitique tuo gratiarum coronam nectat, et corona deliciarum te protegat.* Porro solebat corona hæc ab Episcopo benedici. Benedictionis forma extat in Ritu baptismi Æthiopum apud Severum lib. de Baptismo, estque hæc : *Domine Pater bone et sancte, qui coronasti Sanctos tuos corona quæ non corrumpitur, benedic eis, qui dignos nos fecisti, qui eas imponeremus capitibus famulorum tuorum, ut sint eis coronæ honoris et gloriæ, coronæ benedictionis et salutis.* Amen. Rursum hoc regnum et sacerdotium repræsentat unctio, qua fideles unguntur in Baptismo et confirmatione. Audi Clementem 3. Constit. Apost. c. 15. *Episcopus*, ait, *in baptismo caput ejus unget, sicut prius ungebantur reges et sacerdotes; non quidem quod qui nunc baptizantur, etiam sacerdotes ordinentur; sed quod fiant à Christo Christiani, regale sacerdotium, gens sancta, Ecclesia Dei columna et firmamentum præsentis luminis, qui aliquando non populus, nunc autem dilecti et electi, super quos invocatum est novum nomen ejus, ut testatur Isaias dicens : Et vocabunt populum novo ejus nomine, quo Dominus nominabit eum.* Idem significat Prudent. Cum ita canit in Psychomach.

> Post inscripta oleo frontis signacula, per quæ
> Unguentum regale datur, et Chrisma perenne.

Pari modo fideles sunt sacerdotes, quia Dei cultui addicti, mysticas et metaphoricas laudum et virtutum hostias illi offerunt, uti dixi v. 5. Perperam ergo hæretici hinc colligunt, omnes Christianos esse proprie sacerdotes : nam tales sunt sacerdotes, quales et reges (utrumque enim ait S. Petrus). Atqui reges sunt mystici et metaphorici, non veri et proprii. Ergo et tales sunt sacerdotes. Adde Judæos omnes, quibus primitus hos titulos regum et sacerdotum dedit Moses Exodi 19. 6. non fuisse veros sacerdotes (sed solos posteros Aaronis) ne quidem in Paschate : tunc enim soli primogeniti familiarum erant ex prisco jure sacerdotes, immolabantque agnum paschalem, quisque pro tota sua familia, uti dixi Exodi 12. 3. Ergo multo magis idem dicendum est de Christianis.

Alludit tam Petrus quam Moses ad priscam gentium consuetudinem, qua sacerdotium junctum erat regno, uti fuit in Machabæis qui simul fuerunt pontifices et principes. Primogeniti enim familiarum earumdem erant sacerdotes, æque ac principes et reges : si illæ magnæ essent et amplæ. Vide Pinèdam in c. 1. Job 5. n. 18. Addunt Tertio, Cajetan. Cathar. et Salmeron, Christianorum sacerdotium esse regale, quia reges dirigit, iisque imperat; Pontifices enim esse reges spirituales, ac regibus præesse, quia eorum potestatem temporalem dirigunt ad finem spiritalem. Et hac ratione potestate laica subjici debet potestati sacerdotali. Itaque sacerdotale regnum Ecclesiæ imprimis cernitur in Episcopis et episcopatu. Hoc enim *sacerdotium summa est omnium bonorum quæ in hominibus consistunt*, ait S. Ignatius epist. ad Smyrn. Idem epist. ad Philadelph. ait : *Cæsares in episcopo pereant.* Fuse idipsum ostendit S. Chrysost. libris sex quos de sacerdotio conscripsit. Maxime vero idipsum cernitur in Summo Pontifice et Pontificatu, cujus summa et amplissima quaquaversum est potestas per totum orbem sese extendens, qua etiam regibus imperat (unde et reges se ei supplices prosternunt, suaque sceptra substernunt) ac reges Ecclesiæ rebelles regno privari potest, uti sæpe privavit. Hujus regni sacerdotalis insigne est cidaris, sive tiara, quam triplici corona redimitam capite gestat (unde vulgus *regnum* vocat); hæc enim significat regnum Christi plenum et summum, quod Pontifex quasi Christi vicarius administrat. Triplex ergo corona significat eum triplici dominatu, id est summa potestate, præditum. Rursum hac triade indicatur omnis potestatis consummatio, plenaque Ecclesiastici muneris perfectio, ut jure hic illud Prudentii *περὶ στεφάνων* exclamare liceat.

> O triplex honor ! ô triforme culmen !
> Quo nostri caput excitatur orbis,
> Orbis Christiani decus perenne.

Hæc est illa majestas, sublimitas, efficacitas triverticis, trini, inquam, illius et incomparabilis diadematis, de quo plura Carolus Paschalius l. 9. de Coronis cap. 14. Non ergo mirentur hæretici si Pontifex regalem habeat, diadema, satellitium, opes, honorem, adorationem, habet enim regale sacerdotium. Hinc regalis illa Pontificum libertas et auctoritas, qua regum scelera imperterrite castigarunt. Regalis utique fuit S. Vigilii vox, cum à Justiano Imp. sollicitatus ad Eutychianam hæresim, intrepide ei in faciem restitit, dixitque : *Ego ad Justinianum Christianissimum Imperatorem venire optavi, sed Diocletianum inveni.* Similis fuit S. Martini ad Constantem Imp. Monothelitam, cum ab eo captus : *Potius*, ait, *sinam me discerpi in mille partes, quam tuæ hæresi vel in puncto subscribam. Dixit et fecit, nam in Chersonam relegatus frigore, fame et pædore consumptus gloriosum obiit martyrium.* Ita acta ejusdem. Similis fuit S. Athanasii, qui Apolog. ad Constantium Imp. eum vocat Antiochum Herodem, imo Antichristum. Porro in tanto fastigio servat Pontifex decus humilitatis, vocans se servum servorum, singulisque reipsa ubi opus est serviens et commodis tam animæ, quam corporis cujusque consulens. Quare prodigii est instar illud : *Servus servorum, dominans dominis dominantium.*

Denique Ecclesia sive cœtus fidelium (illi enim proprie hos titulos assignat Petrus) est regale sacerdotium, quia uti habet veros reges, ita habet et veros sacerdotes, et illis his conjuncti et subordinati sunt : et quia ipse est regnum Dei sacrum in quo scilicet Deus per gratiam regnat, regnaturus deinde per gloriam, cum illam regni sui cœlestis participem et heredem efficiet. Quamobrem ipsa in Evangelii sæpe vocantur regnum Dei et regnum cœlorum. Unde

S. Epiph. hæresi 29. *Thronus David*, ait, *et regia sedes est sacerdotium in S. Ecclesia quam dignitatem regiam simulque pontificiam conjunctim largitus est Dominus sanctæ Ecclesiæ suæ, translato in ipsam throno David non deficiente in æternum.*

Hinc colligant reges, quales debeat eorum esse regnum, scilicet non Ethnicum, non profanum, sed sacerdotale et sacrum, quod Ecclesiæ subserviat, et fideles dirigat ad salutem æternam. Rursum sacerdotes colligant, quale debeat esse eorum sacerdotium, scilicet non commune et plebeium, sed eximium et regale. Audi Decretum distinct. 40. c. fin. ex Auctore Imperfecti hom. 43. in Matth. *Multi sacerdotes*, inquit, *pauci sacerdotes; multi in nomine et pauci in opere. Videte ergo fratres, quomodo sedeatis super cathedram: quia non cathedra facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram: non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Non omnis sacerdos sanctus, sed omnis sanctus est sacerdos. Qui bene sederit super cathedram, honorem accipit cathedræ: qui male sederit, injuriam facit cathedræ. Ideoque malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem: in judicio enim tuo sedes. Si quidem bene vixeris, et bene docueris, populum instruis: si bene docueris, et male vixeris, tui solius comdemnator eris*, etc. *quia Deum instruis quomodo te debeat condemnare*, et distinct. 93. c. *Sacerdotes*, ex S. Clement. *Sacerdotes*, inquit, *docebat B. Petrus sal terræ, et mundi lumen: docens eos in splendore bonorum operum glorificare Deum Patrem.*

Moraliter contemplentur hic fideles dignitatem suæ vocationis ad regnum et sacerdotium Christi, eique condigne vivant, omnia faciendo et ordinando ad gloriam Dei, ut ipsi soli placeant, ipsum colant, honorent, et toto orbe glorificent, itaque regnum Dei cœleste consequantur. *Omnes*, ait S. Ambros. *filii Ecclesiæ sacerdotes sunt: ungimur enim in sacerdotium sanctum, offerentes nosmetipsos Deo hostias spiritales.* S. Augustinus autem: *Immolamus*, ait, *hostiam jubilationis, hostiam lætitiæ, hostiam gratulationis, hostiam gratiarum actionis in sancta Ecclesia*, et alibi: *Sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes sacerdotes, quoniam sunt membra unius sacerdotis.* Elegantissime vero Leo: *Omnes enim*, inquit, *in Christo regeneratos crucis signum efficit reges, sancti vero Spiritus unctio consecrat sacerdotes, ut præter istam specialem nostri mysterii servitutem, universi spiritales et rationales Christiani agnoscant se regii generis, et sacerdotali officii esse consortes. Quid enim tam regium, quam subditum Deo animum corporis sui esse rectorem? Et quid tam sacerdotale, quam vovere Domino conscientiam puram, et immaculatas pietatis hostias de Altari cordis offerre?* Simili modo ait Seneca epist. 37. *Si vis tibi omnia subjicere, subjice te rationi: multos reges, si ratio te rexerit.* Et Claudian.

> Si metuis, si prava cupis, si duceris ira,
> Servitii patiere jugum, tolerabis iniquas
> Interius leges: tunc omnia jure tenebis,
> Cum poteris Rex esse tui.

Audi Origen. hom. 9. in Num. *Ego*, ait, *si renuntiem omnibus quæ possideo, et tollam crucem meam, et sequar Christum, holocaustum, obtuli ad Altare Dei: aut, si tradidero corpus meum ut ardeam, habens caritatem, et gloriam martyrii consequar, holocaustum meipsum obtuli ad Altare Dei: si diligam fratres meos, ita ut animam meam ponam pro fratribus meis; si pro justitia, pro veritate usque ad mortem certavero, holocaustum obtuli ad Altare Dei: si membra mea ab omni concupiscentia carnis mortificavero, si mundus mihi crucifixus sit, et ego mundo, holocaustum obtuli ad Altare Dei, et ipse meæ hostiæ sacerdos efficior, hoc ergo modo sacrificium geritur.*

Præ reliquis autem martyrium est regale sacerdotium, quia Martyr regali animo, ardenti charitate se suaque omnia, vitam et mortem Deo in holocaustum offert. Dicebat Heliogabalus, teste Lampridio et aliis in ejus vita: *Imperatori et regi basilice*, id est regaliter, *esse moriendum*, æque ac vivendum. Dixit, at non fecit: Martyres et dicunt et faciunt. Rursum Religio est regale sacerdotium, quia in ea Religiosi se totos quasi victimas spontaneas, imo quasi holocausta, Deo offerunt. *Ipse homo Dei nomine consecratus ac devotus, in quantum mundo moritur ut Deo vivat, sacrificium est*, ait S. August. 10. Civit. c. 6. et S. Greg. l. 9. Mor. 31. *Nos quippe ipsos*, inquit, *sacrificium Deo offerimus, cum vitam nostram divino cultui dedicamus.* Idem hom. 12. in Ezech. *Qui*, ait, *sic operantur ea quæ Dei sunt, ut tamen et quædam quæ sunt sæculi non relinquant, nimirum sacrificium et non holocaustum offerunt. Qui autem cuncta quæ mundi sunt deserunt, et totam mentem igne divini amoris incendunt, hi nimirum omnipotenti Domini sacrificium et holocaustum fiunt.* Sic et D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 7. docet Religiosos esse holocausta, quia omnia sua Deo tradunt, nimirum opes per votum paupertatis, corpus per votum castitatis, voluntatem et judicium per votum obedientiæ. Plura vide apud Hieronymum Platum lib. 2. de Bono status Religiosi cap. 15.

GENS SANCTA.] Primo, quia uti Synagoga Judæorum olim, ita nunc Ecclesia Christianorum ex omnibus gentibus Deo est segregata, dicata et sanctificata. Secundo, quia plurimos habuit et habet Sanctos, Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines. Sunt viri eruditi qui numerum Martyrum accurate ineunt, asseruntque facile esse undecim milliones, ita ut cuique diei per annum assignari queant triginta millia Martyrum, uti ostendam Apoc. 7. 9. Tertio, quia omnes ad sanctitatem vocati sunt juxta illud Hebr. 12. 22. *Accessisti ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, et judicem omnium, Deum, et spiritu justorum, perfectorum, et Testamenti novi mediatorem Jesum.* Quarto, quia sancta est Christianorum religio, fides, doctrina, Sacramenta, sacrificia. Quinto, quia ejus auctor Christus est Sanctus sanctorum, Daniel. 9. 24. ejusque rector est Spiritus sanctus. Sexto, quia nullibi nisi in Ecclesia invenitur vera sanctitas. Septimo, quia eorum lex, et vita legi conformis est sancta.

Audi S. Basil. in Moralibus regula 80. c. 21. *Quid proprium*, ait, *Christiani? Fides quæ per charitatem operatur. Quid proprium ejus quæ in proximum est charitatis? utilitatem propriam non quærere, sed utilitatem ejus qui diligitur cum animæ, tum corporis. Quid proprium Christiani? ut per baptismum denuo ex aqua et spiritu generetur, ut unus fiat spiritus cum Christo, ut quemadmodum Christus peccato semel mortuus est, ita etiam ipse mortuus*

sit, et ad omne peccatum immobilis, sicut scriptum est, Rom. 6. Quicamque in Christum Jesum baptizati sumus, in mortem illius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, hoc scientes quod vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato. Quid proprium Christiani? mundari ab omni inquinamento carnis et spiritus, et perficere sanctitatem in timore Dei et charitate Christi, et nullam habere maculam, neque rugam. Quid proprium Christiani? providere Dominum in conspectu suo semper. Quid proprium Christiani? quotidie ac singulis horis vigilare, et assidue paratum esse ad eam perfectionem per quam placeat Deo, illud scientem, venturum esse Dominum hora illa qua non sperat.

Populus acquisitionis,] id est, acquisitus. Syrus, *congregatio redempta*, quam scilicet Christus suo sanguine acquisivit, redemit et emit. Minus recte Vatablus et Erasmus vertunt, *qui Christo in lucrum accessit.* Esto enim id verum sit, tamen id præcise non significat περιποίησις, sed acquisitionem et emptionem, ex qua non tam Christo quam ipsismet emptis ingens lucrum gratiæ, gloriæ et hereditatis cœlestis accessit. Hinc Paulus fideles ait positis in acquisitionem salutis per Christum, ipsosque vocat filios fidei in acquisitionem animæ, Hebr. 10. 59. et 1. Thessal. 5. 9. Christo tamen ex eadem accessit ingens gloria. Nam, ut ait S. Bernardus in Sententiis : *Hæc pars Christi quam tulit de manu Amorrhæi* (qui amarum ac rebellem significat, puta diabolum) *in gladio prædicationis et arcu incarnationis.* Idcirco Christus nos summe amat, quia caro ei constitimus : emit enim nos sanguine suo.

S. Augustinus 1. de Peccat. mor. c. 27. et S. Ambrosius in psal. 118. octon. 6. legunt *populus in adoptione*, rem reddentes, non verba : περιποίησις enim non significat adoptionem sed vindicias, sive vendicationem in libertatem, acquisitionem, possessionem, conservationem, salutem : περιποιεῖσθαι enim est asserere in libertatem, acquirere, servare ; περιποίησις, respondet Hebr. סגלה *segulla*, id est, pars eximia, selecta et dilecta, uti est thesaurus et gemmæ pretiosæ. Vide dicta Exodi 19. 6. Sensus est, q. d. Christiani sunt populus peculiaris, hoc est possessio, peculium et cymelium Dei. Unde et OEcum. Acquisitionem interpretatur possessionem et hereditatem. *Omnes* enim, ait, κτίσμα, *id est creatura Dei sunt :* κτῆμα *vero, id est possessio, soli illi qui per bonam suam operationem dignati ea re fuerint. Propterea, inquit, electi fuistis, ut per obedientiam et bona opera vestra, prænones virtutis ejus qui nos vocavit dicamini.* Pulchre S. August. de Verbis Dom. secund. Lucam serm. 35. in fine. *Magna res*, inquit, *fratres, et hereditas ipsius sumus, et hereditas nostra est; quia et colimus eum, et colit nos. Nulla est injuria illi qui colit nos. Quia si nos colimus illum ut Deum nostrum, ille colit nos ut agrum suum. Ego sum, inquit Christus, vitis, vos estis palmites, pater meus agricola est, Joan. c. 15. Ergo colit nos ; sed, si fructum reddamus, parat horreum.*

Hinc S. Basil. in Moralibus regula 80. cap. 1. et sequent. docet fideles esse oves, palmites, sponsas, templa, victimas, filios Christi, ideoque debere ita vivere ut sint lux mundi, et sal terræ. *Cujusmodi Christianos esse*, inquit, *ratio vult?* Primo, *tanquam discipulos Christi, qui ad ea se tantummodo conforment quæ videant in ipso, vel quæ audiant ab ipso. Tollite jugum meum super vos, et discite à me. Vos vocatis me magister et Domine, et bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus et magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.*

Secundo, *tanquam oves Christi, qui solam audiant vocem Pastoris sui, et ipsum sequantur. Oves meæ vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me. Alienum autem non sequentur, sed fugient ab eo.*

Tertio, *tanquam palmites Christi in ipso radicatos, et ipsi fructum ferentes et omnia quæ illo digna sunt, et ipsius voluntati consentanea facientes, et habentes. Ego sum vitis et vos palmites.*

Quarto, *tanquam membra Christi in omni executione mandatorum Domini, aut donorum Spiritus sancti absolute perfectos, dignitatem capitis ipsorum, qui est Christus. Nescitis quod corpora vestra membra sunt Christi? veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram unicujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.*

Quinto, *tanquam sponsam Christi servantem castitatem, in eo quod in solis sponsi sui voluntatibus ambulet. Qui habet sponsam sponsus est : despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.*

Sexto, *tanquam templum Dei sanctos ac mundos, et iis repletos solum quæ ad Dei cultum pertineant. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus : Inhabitabo in illis, et ambulabo inter eos, et ero illorum Deus.*

Septimo, *tanquam victimam immaculatam, omnibusque suis membris et partibus absolutam, veræ in Deum pietatis integritatem conservantes. Obsecro itaque vos fratres per miserationes Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.*

Octavo, *tanquam filios Dei formatos ad imaginem Dei, secundum mensuram quæ donata est hominibus. Filioli adhuc modicum vobiscum sum, filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.*

Nono, *tanquam lucem in mundo : ut et ipsi videlicet puri sint ab omni vitio, et eos qui ad ipsos accedunt illuminent ad agnitionem veritatis, ut vel tales fiant quales convenit, vel declarent quid sint. Vos estis lux mundi. Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.*

Decimo, *tanquam sal in terra : ut videlicet qui communionem cum ipsis habuerint, spiritu renoventur ad incorruptionem. Vos estis sal terræ.*

Ut virtutes annuntietis ejus.] Quas virtutes : Primo. q. d. Ut vos quasi regales sacerdotes Christi narretis, prædicetis et celebretis immensam ejus in nos clementiam, sapientiam, patientiam, humilitatem, charitatem, justitiam, cæterasque virtutes, quas in vita et morte pro nobis redimendis exhibuit Christus. Alludit ad Hebræos, qui transito mari Rubro Deo gratias agentes, celebrarunt ejus magnalia, dicentes :

Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem projecit in mare. Exod. 15. 1.

Secundo, ἀρετὴ id est *virtus*, significat industriam (unde ab ἀρετὴ deductum est nomen artis, ait ex Donato S. August. 4. de Civit. 21.) Christus enim magna industria assumpsit carnem passibilem, in eaque crucifixus est, ut diabolum falleret, et per lignum quo cecideramus nos redimeret. Hinc canit Ecclesia in Hymno Dominicæ passionis : *De parentis protoplasti fraude facta condolens ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret. Hoc opus nostræ salutis ordo depoposcerat, multiformis proditoris ars ut artem falleret, et medelam ferret inde hostis unde læserat.*

Tertio, ἀρετὴ significat virtutem et fortitudinem bellicam ; deducitur enim ab ἄρης, id est *Mars*. Sic virtutes, id est, heroica prælia et victoriæ Judæ et fratrum Machabæorum celebrantur in libris Machab. Christus enim ingenti fortitudine vicit diabolum, mundum, carnem, omnesque tyrannos et Gentes non ferro, sed ligno ; non feriendo, sed moriendo. Unde Petrus Damiani serm. 10. de Cœna Domini, pro *virtutes* legit *virtutem* in singulari.

Quarto *virtus* significat opus eximium et magnificum, quod insignem parit laudem et decus : unde Syrus vertit תשבחתה *tesbechate*, id est, laudem et gloriam ejus. Sic vice versa *laus* sumitur pro virtute per metonymiam, qua effectus pro causa ponitur ; ut cum Poeta ait : *Sunt sua præmia laudi*, id est virtuti : virtutis enim individua comes est laus et gloria, nimirum,

Ardua per præceps gloria vadit iter.

Hinc Romani templum honoris ædificarunt contiguum templo virtutis, cujus vestigia etiamnum Romæ cernimus.

Quinto, *virtutes* Christi accipi possunt non passive, sed active, quas scilicet ipse agit et operatur in nobis, scilicet miram, imo divinam humilitatem, charitatem, patientiam, castitatem, constantiam, etc. nobis aspirando, quæ longe superant virtutes omnium Pharisæorum et Judæorum, uti ostendit Christus Matth. 5. toto capite. Hæ enim nostræ virtutes mire commendant gloriam Christi, quia ab ipso nobis sunt inditæ. Alludit ad oraculum Davidis Psalm. 21. v. 32. *Annuntiabitur Domino generatio ventura, et annuntiabunt cœli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus.* Et illud Isaiæ cap. 43. 21. *Populum istum formavi mihi; laudem meam narrabis.* Huic expositioni favet id quod subdit S. Petrus.

Qui de tenebris infidelitatis, ignorantiæ Dei et salutis, errorum et peccatorum, vos vocavit in admirabile lumen suum,] fidei scilicet, cognitionis Dei, prudentiæ et virtutum : quibus verbis S. Petrus alludit ad Isaiæ 9. v. 2. *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis;* et cap. 60. 1. *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos : super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo; et reges in splendore ortus tui.*

Hac sententia tacite monet fideles S. Petrus, ut lumen hoc et solem justitiæ qui eis cœlitus affulsit, sequantur, in ejusque luce ambulent et vivant, juxta illud Pauli Ephes. 5. v. 8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate, fructus enim lucis est in omni bonitate et justitia et veritate probantes quid sit beneplacitum Deo.* Et Rom. 13. 12. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis.* Et Philipp. 2. 15. *Ut sitis sine querela, et simplices filii Dei sine reprehensione in medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis* (Syrus *spectamini*) *sicut luminaria in mundo.*

Porro hoc lumen vocat *admirabile*, tum quia mira de Deo, de S. Trinitate, de Christo, de prædestinatione, de vocatione Gentium, etc. mysteria revelat et ostendit : tum quia mira docet de virtutum officiis, de perfectione castitatis, patientiæ, charitatis, obedientiæ, religionis, contemptus mundi, aliorumque virtutum, ex quibus omnibus clarescit gloria Christi : tum quia Sancti per illud heroica et mira virtutum opera patrarunt, uti ostendit Paulus Hebr. 11. Ita mirus fuit amor Christi in S. Petro, mirus amor crucis in Andrea, mira vis prædicandi in S. Paulo, mira puritas in S. Joanne, mira fortitudo in S. Stephano, mira constantia in S. Athanasio, mira pœnitentia in S. Magdalena, mira contemplatio in S. Antonio, mira religio in sancto Basilio, mira humilitas in S. Francisco, mirus fervor in S. Dominico, mirus candor in S. Bernardo, mirus ardor in S. Laurentio, etc. Hæc omnia ostendunt et prædicant virtutes, et gloriam Christi : nam ab eo quasi capite et fonte dimanarunt in Sanctos : unde necesse est ea omnia longe perfectiora fuisse in Christo. Ut ergo metiaris virtutes Christi, metire et considera vitas et virtutes Sanctorum singulorum. Hæ enim à Christo quasi radii à sole profluxerunt. Idque patebit in die judicii, *cum venerit glorificari in Sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt*, ait Paulus 2. Thessal. 1. v. 10.

Jam vero quantum hoc lumen et virtutes Christi, et ex eo Christianorum, superent omne lumen omnesque virtutes Philosophorum, præter alios pulchre docet S. Eucherius Epist. ad Valerianum, ubi multa Christi et Christianorum axiomata recenset, quæ Philosophis videntur paradoxa : *In illis namque eorum præceptis*, inquit, *vel adumbrata virtus, vel falsa sapientia : in his vero consummata justitia, solida virtus continetur, etc. Ibi* (in schola et Philosophia Christi) *tibi istud insinuabitur : Si amas te, proximum dilige ; quia nihil magis commodis tuis dabis, quam quod contuleris alienis. Ibi tibi præcipietur. Nullam esse causam tam dignam putes, qua tibi justa fiat mors hominis. Illic adversus illicita moneberis: Libidini resiste tanquam hosti acerbissimo, qui insultare victis etiam contumelia corporis gaudeat. Illic, ne concupiscas, istud edoceberis : Melius est nolle quæ non habeas, quam habere quæ velis. Illic, ne irascaris, hoc ingeretur : Qui provocatus irascitur, tunc solum irascitur, cum non provocatur. Ibi etiam de inimicis audies : Amato non amantem : quia amantem vix ullus non amat. Illic sæpius id tibi iterabitur : Thesaurum is bene recondit, qui indigentibus dividit. Perdere enim jam non poterit, quod largiendo collocavit. Illic etiam felicior suadeberis, cum dicetur : Fidelium conjugiorum fructus est continentia. Ibi tu dicernenda cognosces, cum audies : Mala sæculi hujus justis injustisque communia sunt. Ibi tibi istud audien-*

dum offeretur : Major ægritudo est languere animam vitiis, quam corpus morbis. Ibi tibi ad commendandam pacem istud pronuntiabitur : Impatientibus similitudo morum causa discordiæ. Ibi ne sequaris malos, istud audies : Prudentem et sapiens informat, et stultus : ille quid imitandum sit docet, iste quid vitandum. Illic et ista proferentur: Multa prosunt nescientibus : ideo non minor est Dei in operto quam in aperto benignitas. Illic admoneberis : Gratias Deo non magis in prosperis agas, quam in adversis : et cum prospera sint, te non meruisse fatearis. Illic tibi etiam remotiora patefient, cum istu prædicabuntur : Fatum non esse, interrogent gentes vel leges suas, quæ utique non puniunt nisi factorum voluntatem. Illic audies ad custodiendam puritatem, et ista præcipi : Si vis esse verax, non eris suspicax : non enim suspicamur, nisi quid nescimus. Et istud : Deo mente defixus, à passionibus cum titillatur, à cœlo in terram devolvitur. Illic tibi suggeretur : Etiam in secretis tuis, quod velis homines nescire, ne feceris : quod Deum, ne cogitaveris. Et illud contra fraudem : Infelicius est decipere quam decipi. Et istud contra jactantiam: Vanitatem tanto magis fuge, quanto melior efficeris : cætera enim vitia crescunt vitiis, vanitas virtutibus. Ac tandem concludens ait : *Proinde omnia dicta factaque tua ad Deum, vel propter Deum dirige. Unus hic portus est, in quem nos ab omni fluctuantis sæculi jactatione referamur : hic statio fidelissima, et quies certa; hic blanda tranquillitas serenum renidet. Huc cum fueris delatus, tuto navis tua post inanes labores hic ad crucis anchoram fundata retinebitur.* Annon hæ virtutes, hæc Christi dictamina et lumina, hæc Christianæ legis dogmata sunt admirabilia et mundo paradoxa?

10. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei.] Citat Osee 1. 6. Vide ibi dicta.

11. Charissimi,] ἀγαπητοὶ, id est *diligibiles*, amabiles, digni dilectione, chari, dilecti. Hinc Agapetæ, id est charæ olim vocabantur virgines et feminæ devotionis speciem præ se ferentes, quæ viris Ecclesiasticis, aut laicis in speciem spiritalibus adhærebant, cum iisque commorabantur, ut eis vel servirent, vel ab eis instruerentur, sed sub hoc pallio latebant sordes, et charitas fiebat carnalitas, *ut quæ venerat Penelope, abiret Helene ;* quod de Lævina scribit Martial. l. 1. epigr. 63. unde in eas et earum amasios præsertim Ecclesiasticos, acriter invehitur Nazianz. S. Hier. S. Basil. l. de Virg. S. Cyprian. lib. de Singularitate Clericorum, et alii veteres passim.

Obsecro,] παρακαλῶ, id est *hortor*, vel obsecro. Nota modestiam S. Petri summi Pontificis, dum subditis non præcipit, sed *obsecrat*. Hoc subinde imitandum Prælatis, uti docet S. Bonav. tr. de Sex alis Seraphim.

Tanquam advenas (S. Cyprian. lib. 1. Epist. 5. legit *hospites*) et peregrinos.] Anima enim nostra cœlestis et à Deo creata venit in terram, et corpus hoc mortale, ibique est advena, indeque quasi peregrina tendit et cupit redire ad cœlum. Rursum Jerusalem cœlestis, cujus conscripti sumus cives, descendit de cœlo, ut inde fideles suos secum rapiat ascendens in cœlum. Apoc. 21. 1. Insuper positi fuimus à Deo in paradiso quasi ejus inquilini, inde ob peccatum expulsi, exules et peregrini vagamur in terra. Ita S. August. in Ps. 118. conc. 8. sub initium. Quocirca Christus ut nos ab hoc exilio revocaret in patriam paradisi, descendens in terram, natus est in diversorio, vixit in hospitio, mortuus est in patibulo. Quid est ergo Christianus ? est instar Christi peregrinus terræ et civis cœli. Porro, *peregrini officium est*, aiebat S. Franciscus, *colligi sub alieno tecto, pacifice pertransire et anhelare ad patriam.* Unde S. Basilius in Ascetic. *Oculos*, ait, *habeto ad terram dejectos, animum ad cœlum erectum.*

Prima ergo conditio, dos et virtus peregrini est, ut sciat se esse peregrinum. Multi enim peregrini deliciis viarum inescati, iis inhærent et obliviscuntur patriæ : quia hospitium, imo stabulum pro domo et patria adamant, ait S. Greg. qui sane imprudenter agunt et stolide. Quot quantique mortales hic domos, prædia, hortos, palatia construunt; aurum, argentum et census sine fine coacervant; servos, equos, officia, beneficia accumulant, quasi hic perpetuo mansuri, iisque fruituri ? Cogitantne illi se esse advenas et peregrinos ? Vere vilem eorum sortem et mentem miserans Poeta exclamat : *O curvæ in terras animæ et cœlestium inanes?* Et Seneca epistola 99. tales ridens : *Cæterum*, ait, *tam improbi sunt, tamque obliti quo eant, ut mirentur aliquid ipsos amittere, amissuri uno die omnia. Quidquid est cui dominus inscriberis, apud te est, tuum non. Nihil firmum infirmo, nihil fragili æternum, invictum est.* Idem l. 2. Natur. qu. capite 59. *Omnes*, ait, *reservamur ad mortem : totum hunc quem vides populum quousque cogitas esse? cito natura revocabit et condet, nec de re, sed de die quæritur : eodem citiusve tardiusve veniendum est.*

Brevius vero, clarius et acutius S. Aug. qu. 91. in Levit. *Omnis homo*, ait, *advena est nascendo, quoniam compellitur migrare moriendo.*

Secundo, peregrinus omnia quasi peregre videt, à se aliena et peregrina æstimat : unde eis cor non affigit, sed et obiter ea quasi ad se non pertinentia aspicit et pertransit. Ita et Christianus omnia in hoc mundo æstimat sibi peregrino esse aliena et peregrina. *Peregrini enim sumus coram te et advenæ, sicut omnes patres nostri : dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora*, ait David. 1. Paralip. 29. 15. Præclare S. Eucherius Epist. ad Valerianum : *Vera*, ait, *beatitudo est sæculi beatitudinem spernere, neglectisque terrenis ad divina flagrare. Abrumpatur illa interminabilis sæcularium negotiorum cura, nihil est magnum re, quod parvum est tempore ; nec longis dilatatur gaudiis, quidquid arcto fine concluditur.*

Tertio, hospes una nocte versatus in hospitio abit, illudque aliis hospitibus venturis relinquit: ita facit et homo. Audi S. Aug. serm. 32. de Verbis Domini : *Unusquisque*, ait, *hic et in domo sua hospes est ; si non est hospes, non inde transeat ; si transiturus est, velit, nolit, hospes est. Nam dimittit illam filiis suis, hospes hospitibus : cessit tibi locum pater tuus, cessurus es locum filiis tuis : nec mansurus manes, nec mansurus relinquis.* Quocirca S. Greg. Naz. in Carm. de hominis vilitate ita eam pingit :

Quæ vita hæc ? tumulum à tumulo (à ventre matris
peto rursus, et ignis
Post tumulum rursus me tumulabit edax.
Idque ipsum est quod vivo velut rapidissimus amnis,
Qui sursum exoriens semper ad ima fluit, etc.
Ast ego complectar mansura in sæcula Christum,
Cum fuerint vitæ vincula rupta meæ.

Quarto, S. Bern. serm. 7. de Quadrag. Peregrinus, ait, recta pergit per viam, contentus victu ac vestitu, sine sarcinis supervacaneis; unum iter suum curat, non aliena negotia. Ita faciat et Christianus. Vere ait S. Aug. de Consolat. mortuor. serm. 1. *Peregrinatio est omne quod vivimus. Nam sicut peregrini in sæculo sedes habemus incertas, laboramus, desudamus vias ambulantes difficiles, periculis plenas; undique insidiæ à corporalibus, à spiritualibus inimicis; ubique errorum calliculi sunt præparati. Et cum tantis periculis urgeamur, non solum ipsi non cupimus liberari, sed etiam liberatos tanquam pereuntes lugemus et plangimus.* Idem de Verbis Apost. serm. 26. *Nos*, ait, *irridetis, quia speramus æterna, quæ cum venerint non transibunt, sed semper manent: nos autem ad illa veniemus, cum per viam Dominicam ista quæ transeunt transierimus. A vobis vero temporalia nec sperari aliquando desinunt, et tamen crebro sperata vos fallunt: nec cessant vos inflammare ventura, corrumpere venientia, torquere transeuntia. Nonne ipsa sunt quæ concupita inardescunt, adepta vilescunt, amissa vanescunt? utimur eis et nos secundum peregrinationis nostræ necessitatem, sed non in eis gaudia nostra figimus, ne illis labentibus subruamur. Utimur autem hoc mundo tanquam non utentes, ut veniamus ad eum qui fecit hunc mundum, et in eo maneamus ejus æternitate perfruentes.*

Quinto peregrinus anhelat ad patriam. Idem faciat Christianus. Audi S. Cyprian. tract. de Mortal. *Patriam nostram paradisum computamus: magnus nos illic charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum copiosa turba desiderat, jam de sua incolumitate secura, et adhuc de nostra salute sollicita. Quid igitur non properamus, ut patriam nostram videre, et parentes salutare possimus? Ad hos properemus, ut cum his citò esse, ut citò ad Christum venire contingat, optemus.* Et S. Aug. in Ps. 148. *Qui*, ait, *non gemit peregrinus, non gaudebit civis; quia desiderium non est in illo.* Idem in Ps. 145. initio: *Fideli homini*, ait, *et peregrino in sæculo nulla est jucundior recordatio, quam civitatis illius unde peregrinatur. Sed recordatio civitatis in peregrinatione non est sine dolore atque suspirio; spes tamen reditus nostri certe etiam peregrinando tristes consolatur et exhortatur.*

Sexto peregrinus fortiter et constanter fert labores itineris, æstus, frigora, famem, sitim, omniaque viarum et hospitiorum incommoda. Ita Christianus fortiter ferat omnes hujus vitæ et peregrinationis ærumnas, cogitando illas esse breves et modicas, ac per eas perveniri ad quietem et gloriam cœlestem. Talis fuit Abel primus mundi peregrinus, sed civis cœli, quem occidit Cain primus mundi civis et cœli exul. Unde ab Abel cœpit civitas Dei, à Cain civitas mundi et diaboli, ait S. Aug. 15. Civitat. 1. *Prior*, ait, *est natus civis hujus sæculi* (Cain), *posterior autem isto peregrinus in sæculo* (Abel) *et pertinens ad civitatem Dei, gratia prædestinatus, gratia electus, gratia peregrinus deorsum, gratia civis sursum.* Idem in Ps. 137. *Vita ista*, ait, *parva tribulatio est: si non est tribulatio, non est peregrinatio. Si autem peregrinatio est, aut parum patriam diligis, aut sine dubio tributaris. Quis enim non tributetur, non se esse cum eo quod desideret?*

Septimo, peregrinus decore, honeste et juste se gerit, nulli est injurius, caute se habet in omnibus, cavetque ne quod periculum incurrat, vel ad judices et tribunalia trahatur. Quocirca S. Paulus, cujus verba S. Petri antistropha sunt: *Apparuit*, ait, *gratia Dei et Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæculari adesideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Unde Poeta hominem Christianum quasi peregrinum ita pingit:

Beatus ille qui procul negotiis,
In Christo opes ponit suas:
A sæculo rebusque sæculi omnibus,
Ipsique mortuus sibi,
Uni Deo jam deditus, soli Deo,
Suoque vivit proximo;
Quidam quasi in terris obambulans Deus,
Et sanctus in carne angelus,
In regeneratione similis futurus Dei filio,
Suaque mensura Deus.

Octavo, peregrinus homines quoslibet sive indigenas, sive obvios quos videt et audit, quasi peregrinos æstimat: cor ejus est in patria, mens cum parentibus, filiis et cognatis. Ita Christianus homines et feminas omnes hujus sæculi peregrinos æstimat, cor habet apud Deum, angelos et Sanctos. Unde sanctus Basilius, admonitione ad filium spiritalem: *Aviditate cœlesti anima flagrans*, ait, *Christi amori copulatur cum in terris agens de cœlestibus jugiter meditatur: calcat sæculi voluptates, nec ulla sæculi cura eam segregat ab amore Christi; sed ut figura* (nota hoc) *quædam inter homines versari videtur, et tota conversatio ejus in cœlis est. Mors illi præsens, tanquam vita ipsa est dulcis: cupit dissolvi et esse cum Christo, quem in carne vivens intra suum portaverit templum.* Idem Regul. fusius disp. inter 5. quærit. *Quomodo cohibenda sit mentis ad futiles cogitationes evagatio?* ac respondet: *Qui vere Deum sequi destinat, is à vinculis affectionum hujus vitæ solutus sit: id quod facile assequimur, si et à superioris vitæ nos consuetudine penitus abducimus, eamque oblivioni funditus mandamus. Nisi enim ab ea quæ ex sanguinis necessitudine nobiscum intercedit conjunctione nos alienaverimus, et familiari congressu sæcularium, ac mentis habitu in alium veluti mundum commigraverimus, juxta illud Apostoli: Nostra conversatio in cœlis est; nullo modo scopum attingemus, Deo videlicet ut placeamus; cum præcise Dominus dixerit: Sic omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Addit deinde: *Hæc autem ubi præstiterimus, omni custodia custodiendum fuerit cor nostrum, neque patiendum, ut assidua de Deo cogitatio ex animis nostris elabatur, neve eorum quæ mirabiliter ab eo facta sunt, memoria contaminetur per futiles et evanidas cogitationes: contraque illud agendum assidue, ut ex assidua et purissima recordatione impressam in animis nostris piam de Deo cogitationem, velut indelebile aliquod signum circumferamus. Si quidem hæc est ratio per quam erga Deum acquiri charitas consuevit.* Hinc S. Bern. de Modo bene vivendi c. 7. *Omnia*, ait, *quæ in hoc mundo sunt, servis Dei contraria sunt, ut dum ista adversa sentiunt, ad cœleste regnum cum summo desiderio suspirent. Magna apud Deum refulget gratia, qui*

huic mundo contemptibilis est. Nam revera necesse est, ut quæ mundus odit, diligantur à Deo. Sancti viri peregrini sunt et hospites in sæculo : unde reprehenditur Petrus, quod tabernaculum in monte fieri voluerit ; quia sanctis in hoc mundo tabernaculum non est, quibus in cœlo patria et domus est. Cuncta temporalia quasi herbæ marcentes siccantur et transeunt ; sancti viri qui perfecte sæculum contemnunt, ita huic mundo moriuntur, ut soli Deo vivere delectentur. Et quanto se à conversatione hujus sæculi subtrahunt, tanto magis oculus mentis præsentiam Dei et angelicæ societatis frequentiam contemplantur.

Nono, peregrinus parat et munit se ad iter per calceos, pallium et vestes ceratas, quæ pluviam arceant, baculum cui innitatur, etc. ita fidelis contra omnes difficultates et tentationes se muniat solida humilitate, patientia, oratione, ac præsertim Christo, ejusque cruce et morte. Hinc agrum qui emptus est pretio sanguinis Christi in sepulturam peregrinorum, ita mystice interpretatur S. Aug. serm. 128. de Tempore. *Quibus*, ait, *non est in mundo possessio, his in Christo fit sepultura. Istos peregrinos quos esse dicimus, nisi devotissimos Christianos, qui renuntiantes sæculo, et nihil possidentes in mundo, in Christi sanguine requiescunt ? Christianus enim qui mundum non possidet, hic totum possidet Salvatorem. Ideo autem peregrinis sepultura Christi promittitur, ut qui se à carnalibus viis tanquam peregrinum et alienum custodierit, is Christi requiem mereatur. Sepultura enim Christi quid est aliud nisi requies Christiani ? Nos ergo peregrini in hoc mundo sumus, et tanquam hospites in hac luce versamur, sicut Apostolus ait : Etenim dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino : peregrini, inquam, sumus, et nobis Salvatoris empta est sepultura. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem.* Rursum peregrinus viaticum sibi parat ad iter necessarium : ita fidelis S. Eucharistia pro viatico utitur. Præclare S. Basil. de Leg. Gentil. *Ad futuri sæculi*, inquit, *cujus non est finis, possessionem viaticum tibi para*, puta S. Sacramenta, virtutes et merita, ex quibus vivas in æternum.

Decimo, peregrinus ridetur ab indigenis, præsertim pueris, quasi barbarus ob novum habitum, loquelam, gestum ; sed contemnit et pertransit, ac ridentes ipse pariter ridet. Ita et Christianus ridetur à mundo et mundanis ; sed pariter eos ridet, aitque cum Apostolo : *Tanquam purgamenta hujus mundi æstimati sumus : omnium peripsema usque adhuc.* 1. Cor. 4. 13. et illud : *Jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei.* Ephes. 2. 19. et illud Cor. 4. 3. *Mihi pro minimo est, ut à vobis judicer aut ab humano die.* Prima ergo *virtus Christiani est, contemnere et contemni*, ait S. Hieron.

Ita Sancti æstimarunt se peregrinos. Eorum exempla et gnomas recensui Heb. 11. 13. Denique præclare S. Greg. Nazianzen. in Præceptis ad virgin.

> Quocirca, inquit, nec te præsentis commoda vitæ
> Immodice oblectent, nec rursus tristia frangant :
> Tristia quippe tibi simul et jucunda necesse est
> Linquere cuncta brevi.
> Hospes es in misera peregrinus et incola terra ;
> Post vero ad patriam divina potentia sedem
> Te vehet, in fragili postquam certaveris ævo :
> Præmia sunt porro longe majora labore.

Hæc est ergo vocatio Christiani, ut quasi peregrinus, cor avocet à cognatis, deliciis, opibus, totusque quasi à mundo abstractus ad cœlum contendat per aspera quæque, uti fecit S. Cæcilia, S. Agnes, S. Catharina, omnesque Martyres.

PEREGRINOS ABSTINERE A CARNALIBUS DESIDERIIS.] Primo, quia peregrinus iis abstinet ; non enim se gravat et opplet cibo et potu, sed leviter et moderate cum sumit, ut sit expeditus et agilis ad iter. Peregrinis enim congruit illa Epictet ignome : *Sustine et abstine.* Secundo, quia fidelis sibi peregrinam esse æstimat non tantum terram, sed multo magis carnalem concupiscentiam, quia concupiscit delicias spirituales et æternas. Tertio, quia concupiscentia carnalis ei non tantum est impedimento ad viam, sed et veneno ad vitam : occidit enim animam peregrinantis in cœlum truditque eam in tartara.

Porro *carnalia desideria* intellige non tantum gulæ et libidinis, sed et iræ, invidiæ, superbiæ, etc. Hæc enim omnia sunt opera carnis, id est, concupiscentiæ, quæ non tantum in carne, sed et in anima ac mente residet, uti docet Apostolus Galat. 5. 19. Vide ibi dicta.

Per *abstinere* ergo intellige continere et continentiam. Hæc enim omnem concupiscentiam domat et refrænat : atque hæc Gentilibus erat amori et venerationi, ideoque fideles continentes eis faciebat amabiles et admirabiles, longe magis quam suum Catonem, quem illi miris laudibus in cœlum evehebant, et tantum non ut numen colebant, dictantes Catonem et continentiam ex eodem utero prognatos videri ; aut Anacharsin, qui suis imaginibus inscribi jussit : *Linguæ, ventri et Veneri temperandum ;* quod lingua petulans causa sit gravium malorum, et luxu nihil turpius, et libido ex homine faciat pecudem. Ita Laert. l. 2. cap. 9. et Alexandrum Magnum, qui Darii filias in prælio captas videre noluit, dicens *turpe fore si qui viros vicerat, à mulieribus vinceretur.* Et : *Indignum est ut, qui aliorum incontinentiam castigamus, ipsi incontinentiæ servire ab exteris deprehendamur.* Ita S. Basil. de Legend. l. Gentil. et Maxim. serm. 3. et Menedemum, qui dicenti : *Magnum est quæ concupiscas assequi : Multo majus est*, ait, *nihil eorum quæ non decent concupiscere.* Ibidem et Archidamum, qui promittenti vinum suavissimum : *Quorsum*, ait, *opus est ? quia quo melius est, eo plus absumetur, et quæ fortes viros decent, ea reddet inutiliora.* Ita Plutarch. in Lacon.

Eminuerunt prisci Christiani in continentia. Nota est continentia S. Jacobi Alphæi, qui vino, carne, balneis, cæterisque deliciis abstinens, austeram egit vitam, uti fusius dixi in Proœmio Epistolæ ipsius. Similis fuit S. Petri, S. Pauli et cæterorum Apostolorum.

Joannes Eremita, qui Theodosio Imp. victoriam de Eugenio tyranno prædixit et præstitit, tantæ fuit continentiæ, uti per 40. annos feminam non viderit, adeoque cum Tribuni uxor eum devotionis causa videre percuperet, eam non admiserit, sed per visionem absenti apparens ejus voto satisfecerit, admonens ne deinceps faciem corporalem servorum Dei aspicere desideraret, sed gesta eorum et actus per spiritum contemplaretur. Ita Ruffinus, Palladius, et alii in ejus Vita.

S. Antonius Abbati Pambo poscenti monitum salutis et perfectionis, hoc dedit: *Noli esse in tua justitia confidens, nec pœniteat te rei transactæ, ac continens esto linguæ tuæ et ventris.* Ita Vitaspat. l. 5. cap. 4.

Eusebius, teste Theodoreto in Philotheo cap. 4. ita continens fuit oculorum, ut ferreum collare cervici imposuerit, ut hoc pondere inclinatus, cogeretur assidue in terram despicere.

S. Arsenius mulieri quæ clam ad eum irrepserat poscenti ejus preces, ut in iis suî recordaretur respondit: *Oro Deum meum ut deleat tuam ex corde meo memoriam.* Ita Vitaspat. l. 3. n. 65.

Celebris est gnome Abbatis Pastoris ibidem l. 5. c. 4. de continentia n. 29. *Nisi Nabuzardan archimagirus venisset, non concrementum esset templum Domini igne: ita et nisi quies, gulæ et ventris venerit in animam, nequaquam mens corruit pugnans contra inimicum.*

Et n. 45. Abbatis Hyperichii: *Sicut leo terribilis est onagris, sic monachus probatus cogitationibus concupiscentiæ. Jejunium frænum est adversus peccatum. Qui autem abjicit jejunium, velut equus fervens desiderio feminæ rapitur. Siccatum jejunio corpus animam de profundo elevat, et siccat fistulas delectationum.*

Et n. 60. celebratur continentia Religiosi, qui matrem jam senem per torrentem translaturus manus suas pallio involvit, ne eam contingeret. Rogatus à matre cur id faceret, respondit: *Quia corpus mulieris ignis est, et ex eo ipso quo te contingebam, veniebat mihi commemoratio aliarum feminarum in animo.*

Porro prudenter monet S. Greg. 30. Mor. 14. *Sic*, ait, *necesse est ut artem quisque continentiæ teneat, quatenus non carnem, sed vitia occidat. Nam plerumque dum plus justo caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur, ut ad orationem quoque vel prædicationem non sufficiat, dum incentiva vitiorum in se funditus suffocare festinat.*

Plura de concupiscentia, continentia, voluptatum fuga, dixi Jacobi 1. 14. Jerem. 2. 24. Daniel. 1. 17.

QUÆ MILITANT ADVERSUS ANIMAM.] Caro enim *concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem.* Galat. 5. 17. unde: *Militia est vita hominis super terram,* ait Job c. 14. 4. Hanc militiam et luctam egregie in seipso depingit S. August. l. 8. Confess. 8. et serm. 105. de Temp. et l. de Conflictu virtutum et vitiorum, ac S. Ephrem l. de Armatura spirituali, et S. Bern, tribus serm. de Pugna spirituali, et Prudentius in Psychomachia, ubi graphice describit duellum humilitatis et superbiæ, patientiæ et impatientiæ, castitatis et libidinis, etc. Nervose Tertull. ad Martyr. c. 3. *Stat*, ait, *conflictus et victoriæ suorum Aganothetes Deus vivus: Xystarches, Spiritus sanctus: Epistates, Christus Jesus: corona, æternitatis: bravium, angelicæ in cœlis substantiæ politia: gloria, in sæcula sæculorum.* Et S. Hilarius in Psal. 118. littera *nun: Aliæ*, ait, *sunt sæculi leges, alia Dei munera. Diabolus cum Deum tentare ausus est, suum esse sæculum gloriatur: Dominus vero mori nos sæculo jubet, ut vivamus ipsi. Cum Domino opum contemptus, opulentia est. Cum Domino terreni honoris despectus, cœlorum regnum est. Cum Domino humilitas cordis, generosæ et regiæ nativitatis ornatus est.*

CONVERSATIONEM VESTRAM INTER GENTES (Syrus, *coram omnibus filiis hominum*) HABENTES BONAM.] *Spectaculum enim facti sumus mundo, angelis et hominibus.* 1. Cor. 4. 9. Et: *Proximo famam, Deo debemus et providemus conscientiam,* ait S. Bern. serm. 71. in Cant. Notent hic Christiani se ita conversari debere, ut et fideles et infideles, ac hæreticos sua sancta conversatione ad Deum, fidem et sanctitatem traducant. Major enim est vis exempli quam verbi, vitæ quam vocis, morum quam verborum. Quocirca S. Paulus coram Agrippa rege: *In hoc*, inquit, *et ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, et ad homines semper.* Actor. 24. 16. Et Job 1. 1. Laudatur quod inter infideles et impios fuerit vir simplex et rectus. Quin et Cicero apud Lactant. lib. 3. cap. 15. et 16. *Malè*, ait, *mecum agitur si me oratio magis quam vita purgat.* Et Aristippus rogatus quid in hoc orbe esset admirandum, respondit: *Vir probus et moderatus: quia licet inter multos impios degat, non tamen pervertitur.* Ita Stobæus serm. 35. Præclare S. Chrysost. orat. de S. Babyla: *Convincunt*, ait, *magis opera virtutis, quam miracula; hæc namque vel ficte fieri possunt, vel si verè, etiam ab improbis per gratiam gratis datam.* Vide Lactantium l. 3. c. 15. ubi inter multa ait eos qui docent et non faciunt, præceptis suis detrahere pondus, ac verbo veritatem, opere mendacium exhibere.

UT IN EO QUOD DETRECTANT (detrahunt, obtrectant, calumniantur) DE VOBIS TANQUAM DE MALEFACTORIBUS.] Dicebant enim Christianos esse contemptores principum, numinis et deorum, voluptarios, usurpare promiscuos concubitus (quia id faciebant Gnostici hæretici, ex Christianis prognati), vesci carnibus humanis (scilicet carne Christi in Eucharistia, cujus rumorem inaudierant Gentiles, sed modum et mysterium non intellexerant, etc.), adeo ut omnes orbis plagas et clades tribuerent impietati Christianorum, ideoque per trecentos annos eos atrocissime persecuti sunt omnes pene Imperatores usque ad Constantinum. *Si Tiberis*, ait Tertul. Apolog. 40. *ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si terra movet, si fames, si lues, statim Christianos ad leonem.* Quocirca pro innocentia Christianorum graves et doctas Apologias scripserunt S. Justinus, Athenagoras, Clemens Alex. Cyprian. Tertull. Arnobius et alii.

ET BONIS OPERIBUS VOS CONSIDERANTES (ἐποπτεύοντες, id est *introspicientes*, plane et penitus inspicientes; Clemens Alex. 2. Pædag. 11. *suspicientes;* Vatabl. *æstimantes*) GLORIFICENT DEUM.] S. Blandina atrociter torta, ut Christianis objecta crimina jam dicta confiteretur, constanter et alacriter proclamando: *Christiana sum, et nihil apud nos mali geritur,* obstupefecit tortores. Eadem revocata ad tormenta, et in mortis confinio posita: *Multum*, ait, *erratis, ô viri! quod putatis infantium visceribus vesci eos, qui ne multorum quidem animalium carnibus utuntur.* Et sanctus Diaconus de iisdem in tormentis interrogatus, nihil aliud respondit quam: *Aliud nihil sum quam Christianus. Hoc mihi nomen, hoc genus, hoc patria est. Cumque ei laminas candentes æris et ferri adhiberent, ita ut carnes ejus adustæ igni defluerent, ipse permanebat immobilis, inconcussus, intrepidus, cœlestibus æternisque fontibus, qui procedunt de ventre Jesu, humanas in se temperans flammas. Verumtamen membris omnibus*

Martyr erat, et toto corpore unum vulnus hærebat. Perit in eo humanæ formæ agnitio, et non solum quis esset et quid esset, tormentorum crudelitas, ne agnosci posset abstulerat. Christus tamen in eo solus per martyrii gloriam recognoscebatur, qui per ejus patientiam destruebat adversarias potestates, et suos milites per tolerantiæ roborabat exemplum, ostendens omnibus quia nihil terribile est, ubi diligitur pater; nihil doloris est, ubi fides Christi, aiunt Lugdunenses Christiani apud Euseb. lib. 4. Histor. cap. 1. in epist. encyclica. Quocirca Plinius Secundus, Proconsul Asiæ, inquisitione facta de vita Christianorum, scripsit ad Trajanum l. 10. Ep. 97. nihil se in eis criminis deprehendisse, nisi quod hymnos antelucanos Christo canerent, rogans quid et eis fieri juberet : cui Trajanus rescripsit, inquirendos quidem non esse, oblatos vero puniri oportere. Unde exclamat Tertull. Apolog. 2. *O sententiam necessitate confusam ! negat inquirendos ut innocentes, et mandat puniendos ut nocentes.* Antonius vero Imp. Trajani filius adoptivus et successor in epist. quam recitat Euseb. l. 3. Hist. cap. 12. Christianos palam laudat et propugnat, aitque Gentiles suis tormentis magis confirmare eorum Religionem : *Illis enim*, ait, *magis in optatis est, ut in crimen adducti mortem pro Deo suo oppetant, quam ut vita fruantur : unde vita ipsorum hoc pacto prodita multo majorem clarioremque reportant victoriam, quam si imperata quæ vos ab ipsis fieri postulatis, obirent.* Unde concludens decernit : *Quod si quispiam igitur cuiquam Christiano, quia Christianus sit, pergat molestiæ quidquam aut criminis inferre, ille cui crimen illatum fuerit, etiamsi reipsa Christianus deprehensus sit, absolvatur; qui autem illum accusaverit, justum debitumque supplicium subeat.*

Hac sanctitate Christianorum perspecta conversus est Justinus Philosophus et Martyr, ut ipse narrat Dialog. contra Tryph. Multi quoque judices et tortores conversi fuere, ut patet ex vita S. Jacobi, Alexandri, Luciani, Tryphonis, aliorumque Martyrum. Eadem victus Porphyrius, licet juratus Christi hostis, scripsit librum de Essæis, in quo eorum mores angelicos describit et dilaudat. Tam potens est virtus, ut ab hostibus non tantum testimonium, sed et elogium, ac præconium extorqueat. Quamobrem Jacobus Lainez primus à S. Ignatio Societatis Jesu Præpositus Generalis, et ex eo P. Canisius (teste P. Sacchinio l. 2. Vitæ ejus) censebant *optimam rationem refutandi maledicta esse, illustrem recte factorum constantiam.*

In die visitationis.] Primo, per *visitationem*, Œcum. et Arias accipiunt vestigationem et inquisitionem. q. d. Ut cum Plinius, aliique Præsides et Gentiles de vobis inquirunt, vestraque visitant, videntes vestra omnia esse sancta, glorificent Deum. Unde Tertull. Apolog. ult. *Cruciate*, ait, *torquete, damnate, atterite nos : probatio est enim innocentiæ nostræ iniquitas vestra : exquisitior quæque iniquitas vestra illecebra est magis sectæ. Plures efficimur, quoties metimur à vobis. Semen est sanguis Christianorum.*

Secundo, alii *visitationem*, græce ἐπισκοπὴν, id est *inspectionem*, curam, correctionem accipiunt mysticam per illuminationem et gratiam. q. d. Ut Gentiles glorificent Deum, tunc quando Deus eos visitavit lumine gratiæ suæ, ut videant veritatem et sanctitatem Christi et Christianismi, eamque amplectantur. q. d. Vestra bona conversatio acer erit eis stimulus ad conversionem et fidem. Ita Glossa, Dionys. Gagneius, Catharinus. Vatab. Salmeron, et alii.

Tertio, Hugo et Thomas Anglicus accipiunt de visitatione, qua Deus visitat et flagellat fideles, ut ex eorum patientia extorqueat laudem ab infidelibus eis detrahentibus : quo fideles monet S. Petrus, ut cum persecutionem aliamve quamvis tribulationem patiuntur, sciant eam non casu accidere, nec tam ab hominibus, quam à Deo proficisci, ad purgandam, explorandam et perficiendam eorum virtutem. Hac enim de causa instituuntur visitatores et visitationes in Ecclesiis et monasteriis.

Quarto, Beda per *diem visitationis* accipit diem judicii. Tunc enim improbi, præsertim judices et persecutores, videntes gloriam Martyrum et Sanctorum Deum glorificabunt, dicentes : *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum*, etc. *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors aliorum est*, Sap. 5.

Verum hæc tarda nimis et sera, ac alterius sæculi est visitatio : ideoque invita infidelium glorificatio. Quare secundus et tertius sensus magis genuini sunt.

13. Subjecti igitur estote.] Vox *igitur* hanc quasi conclusionem educit ex iis quæ dixit de bona conversatione. q. d. Jussi vobis bonam conversationem, ergo pariter jubeo subjectionem et obedientiam : in hac enim illa vel maxime consistit et cernitur, præsertim primo illo Ecclesiæ et S. Petri ævo. Male enim audiebat apud nonnullos Christiana religio, quasi doceret Christianos utpote Christi filios, et designatos heredes regni cœlorum, non debere subjici principibus, præsertim Ethnicis et infidelibus, inquit Œcumen. Accedebat, quod primi Christiani origine erant Judæi, qui sub hoc tempus rebellare cœperunt Romanis, imo Apostoli erant Galilæi : tunc autem orta fuit secta Galilæorum à Juda Galilæo ; qui docebat Judæos, utpote populum Dei, liberos esse debere à vectigalibus, nec subjicere se Imperatori Romano, utpote Gentili et infideli. Quocirca hujus erroris insimulati sunt Apostoli et Christiani, ideoque studiose contrarium scribunt et jubent, uti dixi Act. 5. 37. Sic etiamnum Anabaptistæ ex adverso dicunt, omnes Christianos esse pares, et liberos, ac proinde unum Christianum alteri non debere dominari, ac consequenter nullos inter eos debere esse magistratus, nulla tribunalia, nulla judicia, nullum jus plectendi fontes. Contra hos omnes scribit Paulus cap. 13. ad Roman. ubi multis rationibus ostendit Christianos debere non tantum in foro externo, sed et interno, puta in conscientia, obedire suis magistratibus. Illas ibidem ordine recensui. Vere S. Basil. serm. de abdicatione rerum. *Animi*, inquit, *in virtute progressus est, in humilitate progressus est, contraque in postremis relinqui, non aliunde quam ex elatione progignitur. Pietatis enim cognitio, humilitatis et mansuetudinis cognitio est, quando se animo scire submittere, Christum est scire imitari, contra autem arrogantia efferri, est diabolo se similem facere.*

Omni humanæ creaturæ.] Primo, Syrus vertit, *omnibus filiis hominum*, quasi Petrus velit Christianos summe esse humiles, ita ut se cuivis homini substernant. Primus enim gradus humilitatis est, subjicere se superiori ; Secundus, æquali ; Tertius, inferiori : juxta illud Pauli

Galat. 5. 13. *Per charitatem spiritus servite invicem*, et Philipp. 2. 3. *In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.* Ita Dion. Carth. Verum hoc consilii est et perfectionis, non præcepti.

Secundo, et genuine, *omnem humanam creaturam* vocat Petrus omnem hominem, scilicet superiorem, cui subjectio debetur. Dicit *omnem*, ne quis infideles et impios excipiat. q. d. Qualis qualis sit, etiamsi infidelis, impius, imprudens, raptor, etc. si superior est, hoc solo nomine ei subjecti estote. *Creaturam* ergo *humanam* vocat principes et magistratus ab hominibus creatos, puta reges et duces, uti explicans subdit. Ita OEcumen. Græcum enim κτίσις, id est *creatura*, ponitur pro τάξει καὶ πολιτείᾳ, id est, pro ordinatione, politia et civilis gubernationis dispositione. Sic Latinum *creare* subinde capitur pro ordinare; et creatura vel creatio pro ordinatione, gubernatione, potestate, puta pro magistratu potestate prædito. Sic dicimus creari Pontificem, Cardinales, reges, principes, consules, cum scilicet per suffragia tales eliguntur et constituuntur : imo Cardinales vocantur creaturæ Pontificis, quia ab eo creantur principes Ecclesiæ. Sicut enim in creatione Deus ex non esse facit rem esse pulchram et magnam : ita principes, præsertim qui ex imo ad summum, puta è plebe ad principatum, evehuntur, recte dicuntur creari; quia ingens novum esse morale accipiunt, quod eos facit spectabiles et illustres apud homines. Porro hi dicuntur *humana creatura*, vel quia creati ab hominibus, vel potius quia ipsi sunt humanæ creaturæ, id est, homines creati principes à Deo; sunt ergo creaturæ Dei, quia ex hominibus ad hanc dignitatem à Deo electi et evecti sunt : et quia præ cæteris ipsi sunt viva imago creatoris Dei, in quibus scilicet Deus suam majestatem, jus et imperium repræsentat.

Loquitur directe S. Petrus de principibus civilibus, iisque jubet subjici fideles, ne per Christum se ab eorum dominio exemptos putent; argumento tamen à pari vel minori, idem de principibus Ecclesiasticis, puta Episcopis et Prælatis, scilicet iis subjici debere laicos quoslibet in rebus spiritualibus, ex hoc loco concludit S. Basil. Const. monast. c. 23. imo Christus Matth. 19. 40. *Qui vos audit*, inquit, *me audit : qui vos spernit me spernit.* Et S. Paul. Hebr. 13. 17. *Obedite Præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes.* Et S. Pauli discipulus S. Ignatius Epist. 9. ad Philadelph. *Principes*, ait, *obediant Cæsari, milites principibus, Diaconi Presbyteris sacrorum præfectis : Presbyteri, Diaconi et reliquus Clerus una cum populo universo, militibus, principibus, et Cæsares* (alii legunt, *sed et Cæsares*) *ipsi Episcopo pareant, Episcopus Christo, ut Christus Patri obedivit, et hac ratione per omnia conservabitur unitas.* Idem epist. ad Smyrnenses : *Honora*, inquit, *fili, Deum et regem. Ego autem dico : Honorate quidem Deum ut auctorem omnium et dominum, Episcopum autem tanquam principem sacerdotum imaginem Dei ferentem : principatum quidem secundum Deum : sacerdotium vero secundum Christum : et post hunc honorare oportet etiam regem. Nemo enim potior est Deo, neque similis ei, neque Episcopo honorabilior in Ecclesia sacerdotium Dei gerente pro salute mundi*, etc. *sacerdotium enim summa est omnium honorum, quæ in hominibus consistunt.*

Quocirca apposite S. Bernardus Epist. 183. ad Conradum Imper. *Legi*, ait, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, quam sententiam cupio vos custodire in exhibenda reverentia Petri vicario, sicut ipsam vobis vultis ab universi servari Imperio.* Et Innocent. III. Pont. cap. *solitæ de major. et obedient.* Imperatorem Constantinop. qui ex hisce Petri verbis mandabat Patriarchæ Constantin. sedere ad pedes suos, confutat, dicens : *Sequeretur quod etiam servus quilibet in sacerdotes imperium accepisset, cum dicatur, Omni humanæ creaturæ.* Aptius quis inferat, principes debere subesse Episcopis in rebus Ecclesiasticis, quia Episcopi sunt creaturæ Dei, id est, Prælati à Deo dati toti Ecclesiæ, non solum plebeiis, sed et principibus. Sunt enim Episcopi tam regum, quam plebeiorum. Vide Bellarm. toto l. 3. de Laicis.

Politice hic disce, signum et effectum veræ fidei esse humilitatem, subjectionem, obedientiam subditorum erga magistratus; infidelitatis vero et hæresis effectum esse superbiam, inobedientiam, rebellionem, uti vidimus et videmus factitari à Lutheranis, et magis à Calvinistis in Scotia, Anglia, Germania, etc. Sane Lutherus horum omnium parens sua rebellione et hæresi per suos discipulos centum millia rusticorum armavit contra principes, bellumque rusticanum excitavit, quod tantas Germaniæ clades edidit. Hæreticorum enim axioma, imo primum principium est, suam sectam et hæresin omnibus modis et artibus, ac præsertim armis, tuendam et propagandam esse, ac consequenter principi orthodoxo, si obsistat, omnibus viribus obsistendum. Ex adverso Catholici per primos trecentos annos obediverunt Imperatoribus Ethnicis, etiam persecutoribus in omnibus, excepta fide et religione, nec quisquam necem aut rebellionem contra eos machinatus est fidei prætextu, etiamsi sæpe id facere potuissent si voluissent. Sane potuisset tota legio Thebæorum fortissima duce S. Mauritio Maximo resistere, armisque fidem et vitam tueri, aut certe non inulta, occumbere; sed noluit, totaque positis armis, genibus nixa fidei causa obtruncari se permisit. Pluribus idipsum demonstrat Thomas Bozius in Signis Ecclesiæ, signo 53. et 90.

Id etiamnum experiuntur et sentiunt multi principes Ethnici apud Indos, Japones et Sinas, qui Christianos et Christianam religionem amant et fovent, eo quod videant Christianos magis sibi obedire quam Ethnicos. Sane ante annos triginta cum degerem Lovanii, Alexander Farnesius Dux Parmensis, Belgii gubernator, qui invicta sua fortitudine et prudentia longe majorem Belgii partem ad Regis sui Philippi II. obedientiam revocavit; cum Rex juberet in urbibus à se captis arces exstrui, quæ cives in officio continerent, ne quis rebellionem novam ordiretur; rescripsit Regi Alexander, arces munitissimas et securissimas fore Collegia Societatis nostræ. Illa ergo loco arcium curaret in urbibus majoribus, et periculosioribus extrui. Rationem dabat : Religiosi Societatis per scholas, conciones, et alia ministeria docebunt cives, eisque instillabunt veram fidem, obedientiam et amorem, quem debent non tantum Deo, sed et suo principi, quem Deus eis præfecit, suumque vi-

carium constituit, ut eum quasi talem colant et ament. Validior autem obedientiæ et principatus custos est amor, quam timor, qui cum sit violentus, diu durare nequit, sed data occasione erumpit, jugumque excutit, et arces sibi impositas (quas Græci dicebant esse *tyrannorum nidos*) evertit. Persuasit hæc ratio Regi, qui consilium Ducis secutus, mandavit ei ut locis oportunis Collegia Societatis fundaret; quod ipse accurate præstitit, magno et Belgarum et Regis bono.

Orthodoxa ergo fides est columen reip. æque ac Ecclesiæ, cujus pestis est infidelitas et hæresis. Columen enim reipubl. est obedientia civium quam præstat fides, negat hæresis. Unde Solon legislator Atheniensium rogatus, *qua ratione consistere possit civitas?* resp. *Si cives obtemperent suis magistratibus; magistratus autem legibus.* Ita Stobæus serm. 41. Laconum eruditio erat *parere magistratibus, patientem esse laborum, et in prælio vincere aut mori*, ait Plutarch. in Lac. Scipio cum in Africa bellum gereret, ostendit milites suos, et turrim excelsam in mari, aitque : *Nullus horum est, qui non conscensa turri semet in mare præcipitaturus sit, si ego jussero.* Ita Plutarch. in Scipione.

Propter Deum.] Primo, quia Deus sanxit magistratus jussitque eis obediri. *Non est enim potestas nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt*, Rom. 13. 1. Unde hanc causam illico subdit S. Petrus, dicens : *Quia sic est voluntas Dei.* Hac de causa Numa, Lycurgus et alii legislatores finxerunt se cum diis colloqui, ab iisque leges accipere, ut iis auctoritatem adderent, teste Platone in Minoe. Legislatores autem fidelium, ut Christus, Moses, Petrus et Paulus cum Deo et Christo collocuti sunt, ab eoque suas leges acceperunt.

Secundo, quia Rex et princeps est viva Dei in terris imago, estque quasi vicarius Dei, imo Deus quidam terrestris. Quocirca qui eum violat, Deum violat. *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*, ait Paulus Rom. 13. 2. Hinc Plutarchus in Themistocle regem vocat εἰκόνα ἔμψυχον Θεοῦ πάντα σώζοντος, id est, *imaginem vivam Dei cuncta servantis.*

Tertio, quia Deus singulos reges et principes vel per se ut Saulem, Davidem, vel per suos constituit, juxta illud Prov. 8. 15. *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.* Unde Tertull. ad Scapulam cap. 2. *Christianus*, ait, *nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens à Deo suo constitui necesse est ut et ipsum diligat, et revereatur, et honoret, et salvum velit cum toto Romano Imperio quousque sæculum stabit, tamdiu enim stabit.*

Quarto, Didymus et OEcumen. *propter Deum*, inquiunt, id est, eo modo quo Deus præcipit, nimirum ut eis obediatur, quando nihil contra Deum Deique legem præcipiunt : si enim id faciant dicendum est cum S. Petro : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*, Act. 4. 19. et cum Machabæo : *Non obedio præcepto regis, sed præcepto legis.* 2. Machab. 7. 30. Nam et Rex ipse Deo subditus est, ejusque legi parere debet : *Reges in ipsos Imperium est Jovis*, ait Horat. l. 3. ode 1. Hoc est quod sanxit Christus : *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo*, Matth. 13. 7. Ubi S. Chrys. h. 71. in Matth. *Tu*, ait, *cum audis reddenda esse Cæsari quæ sua sunt; illa solum dici non dubita, quæ pietati ac religioni nihil officiunt : nam quod fidei aut virtuti obest, non Cæsaris, sed diaboli tributum ac vectigal est.*

Quinto, *propter Deum*, id est, ex Dei amore et reverentia subjecti estote magistratibus. q. d. Obedite iis non quasi coacti metu gladii et vindictæ ipsorum, sed propter Deum, id est sponte et liberaliter ex Dei amore, ne scilicet eum offendatis (quod Paulus ait *propter conscientiam*, Rom. 13. 5. sed eum in suis vicariis honoretis et revereamini. Hoc est quod servis (et cuilibet subdito) præcipit Paulus Ephes. 6. 7. dicens : *Servi obedite dominis carnalibus cum timore et tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum servientes quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes sicut Domino, et non hominibus, scientes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino.*

Sexto, *propter Deum*, ut scilicet Gentiles videntes vestram obedientiam Deum vestrum glorificent, ut dixit vers. 12. ac Dei fidem et cultum alliciantur. Ita Iberos Hispaniæ populos obedientia, patientia, devotione et virtute captivæ cujusdam Christianæ ad Christum esse conversos fuse narrat Euseb. l. 10. cap. 10. et Ruffinus l. 1. Hist. c. 10.

Septimo, *propter Deum*, ut reges et principes meminerint se Deo esse subditos, ac propter ipsum imperare et præcipere. Sapienter S. Fulg. l. de Prædest. et gratia Christi. *Clementissimus Imperator*, ait, *non ideo est vas præparatum in gloriam, quia apicem terreni principatus accepit, sed si in imperiali culmine recta fide vivat, et vera cordis humilitate præditus, culmen regiæ dignitatis sanctæ religioni subjiciat*, etc. *si præ omnibus ita se sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ meminerit filium, ut ejus pauci atque tranquillitati per universum mundum prodesse suum faciat principatum.* Talis fuit Constantinus, Theodosius, Carolus Magnus, S. Ludovicus in Gallia, S. Stephanus in Hungaria, S. Leopoldus in Austria, S. Wenceslaus in Boemia, S. Hermenigildus in Hispania, S. Henricus in Germania, S. Casimirus in Polonia, qui impense Ecclesiam et Pontificem Romanum coluerunt ac propugnarunt, ejusque filii esse et nominari ambierunt, ac id ipsum filiis suis testamento reliquerunt.

Sive regi quasi præcellenti.] Syrus, *regibus propter imperium ipsorum.* Præcellentia ergo regis est ejus imperium et potestas regia : quare sub rege accipe Imperatorem, qualis tunc erat Romæ, duces et principes absolutos, qui nulli subsunt. Rex enim dignitate et potestate subditis longe præcellit, iisdemque sapientia, beneficentia et virtute præcellere debet. Ipse enim est quasi sol in regno, uti multis analogiis ostendi Isaiæ 45. 1. Id animadvertit Athalaricus Gothorum Rex, qui apud Cassiodorum l. 8. Epist. 24. ita loquitur : *Tanto divinitati plura debemus, quanto à cæteris mortalibus majora suscepimus; nam quid simile rependat Deo, qui potitur imperio, sed licet pro tanto munere nihil compensari possit idonee, ipsi tamen gratia redditur, dum inservientibus honoratur.*

14. Sive ducibus.] Tigur. *sive præsidibus;* Syrus, *judicibus.* Græce enim ἡγεμόνες vocantur præfecti, præsides, cæterisque magistratus, qui à majori pendent, ejusque quasi sunt vicarii.

Ad vindictam malefactorrm (Tigur. *nocen-*

tium) LAUDEM VERO BONORUM,] ἀγαθοποιῶν, id est, *recte agentium*. Hic enim est finis potestatis regalis et magistratus cujusque, nimirum ut improbos puniendo, probos tueantur, itaque civilem hominum societatem conservent, quod fit per justitiam, qua bonis præmium, malis pœna irrogatur. Unde Socrates aiebat : *Optime gubernari civitates cum injusti dant pœnas*, ait Plato l. 2. de Philos. Cicero ad Brutum laudat sententiam Solonis, qui rogatus : *Qua ratione optime gubernaretur Respubl.* respondit : *Si boni præmiis invitentur, mali pœnis coerceantur.* Theophrastus interrogatus : *Quidnam vitam humanam conservaret?* respondit : *beneficentia, honor et pœna.* Ita Stobæus serm. 41. Lycurgus censuit rempub. duabus rebus contineri præmio et pœna, et Pythagoras *civitatem optimam esse* dixit : *quæ posteaquam malos pœnis coerceret, viros tantum bonos admitteret.* Ita Stobæus ibid. Cato dicebat : *injuriam, etiamsi facienti nihil inferat periculi, universis tamen periculosam esse. Quocirca magistratus qui maleficos non coercent, lapidibus esse obruendos, ne pœna neglectus salutem reipub. labefactaret.* Ita Plutarch. in Apophth. Rom. Hinc Architas philos. lib. 3. Rhet. dixit magistratus esse instar aræ, ad quam injuria affecti confugiant. Porro recte apud Ægyptios Pontifex publice pro rege orans, hoc ei inter alia precabatur : *Ut leviores pœnas infligeret quam delicta merentur, et majores gratias rependeret quam beneficia exposcerent.* Ita Diodor. lib. 1. Bibliothecus.

15. QUIA SIC EST VOLUNTAS DEI, UT BENEFACIENTES (ἀγαθοποιοῦντες, quod paulo ante Noster vertit, *bonos*, dicens : *Laudem vero bonorum*, id est, bene agentium. Idem Secundo, verti potest *beneficiis afficientes*) OBMUTESCERE FACIATIS φιμοῦν, id est *obturetis*, obstruatis, oppiletis, IMPRUDENTIUM, ἀφρόνων, id est, *insipientium* (nam, ut ait S. Hieron. in Epitaph. Nepotiani *sine notitia Creatoris omnis homo pecus est*) HOMINUM IGNORANTIAM.] Syrus, *ut per bona vestra obturetis os stultorum illorum, qui non norunt Deum. Cum enim*, ait Œcum. *de nobis quasi arrogantes, insolentes et inobedientes simus, obloquantur, si et humiles et obedientes in quibus oportet nos esse videant, magis erubescunt et obmutescunt.*

Pro ἀγνωσίαν, id est *ignorantiam*, Clem. Alex. l. 3. Strom. cap. 6. legit ἐργασίαν, quod inter alia, teste Budæo, significat *sycophantiam*, id est calumniam, fraudulentiam, qua scilicet subdolis artibus et verbis vestram innocentiam traducere, calumniari et in odium adducere satagunt. Sycophanta enim est mendax et cavillator subdolus, ita dictus à servo, qui furtum ficorum à se commissum in socium innocentem artificiose conjecit : sycophanta enim dicitur à σύκα φαίνειν, id est, ab judicando eum qui ficos comederat. Sapienter monet S. Athanas. (vel quisquis est auctor.) Exhort. ad Monach. *Sic omne quod fingi potest, tanquam possit et credi, caveamus : ne in ullo famæ nostræ vulnere serpat nata ab occasione suspicio. Ipsa famæ semina priusquam linguis nutriantur, intereant. Non tantum nobis fides facti, sed possibilitas etiam releganda mendacii. Beata enim vita est præclara de qua nihil licet falsitati.* Et inferius : *Utatur mundus natura, dum nihil in nostra inveniat disciplina. Falsitas ex more jactetur, dum nec verisimile quidem possit esse quod dicitur.*

16. QUASI LIBERI, ET NON QUASI VELAMEN HABENTES MALITIÆ LIBERTATEM.] Vox *quasi* non est assimilantis, sed asseverantis. q. d. Obedite principibus libere et liberaliter quasi liberi et ingenui Christi et obedientiæ filii. Est occupatio : occurrit enim objectioni : Christus nos fecit liberos : ergo nulli principi subjici et servire debemus. Rursum, ergo licet nobis facere quidquid lubet. Ita olim Gnostici (et nunc Libertini) hæc libertate Christiana abutebantur ad omne dedecus et nefas. Respondet S. Petrus : Facti estis liberi à Christo, sed à peccato, non à lege Dei, nec ab obedientia principum : nolite ergo inobedientiæ, turpitudini et malitiæ vestræ prætexere libertatem Christi : hæc enim non est libertas, sed nequitiæ servitus. Idem monuit S. Paulus Galatas c. 5. 13. dicens : *Vos in libertatem vocati estis, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis.* Nam, ut idem ait 2. Corinth. 3. 17. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Vide ibi dicta. Porro, ut ait Œcumen. *Si peccamus, libertate perdita servi efficimur inobedientiæ* et peccati, et S. August. lib. de Quantitate animæ cap. 34. *Ille* (Deus) *ab omnibus liberat, cui servire omnibus utilissimum est, et in cujus servitio placere perfecte sola libertas est.* Idem tract. 21. in Joan. *Hæc*, ait, *spes nostra est, fratres, ut à libero liberemur, et liberando servos nos faciat. Servi enim eramus cupiditatis, liberati servi efficimur charitatis.* Scripsit de libertate Christiana libros quindecim Joannes Lensæus Belliolanus, Doctor Lovan. et breviter Bellarm. l. 4. de Justificatione cap. 5. et 6.

Vox *velamen*, alludit ad velum sive vestem candidam, quam baptizati accipiebant in baptismo, tum ut memores essent candorem animæ baptismo acceptum, usque ad extremum vitæ spiritum sibi esse servandum ; tum ut lætitiam spiritalem, ac spem resurrectionis et vitæ beatæ habitu ostenderent ; tum ad indicandam libertatem per Christum adeptam, *ut anima libertate novæ vitæ induta, adversus diabolum cum adjutorio divino valeat fortiter dimicare*, ait S. Augustinus lib. 4. de Symb. ad catechum. c. 9. et Tertull. lib. 5. contra Marc. *Ipsum quod ait, qua libertate Christus nos manumisit, nonne eum constituet manumissorem qui fuit Dominus? alienos enim servos nec Alba manumisit :* servis enim, cum manumittebantur et libertate donabantur, dabatur vestis alba. Hac de causa olim fideles statim à baptismo calceabantur calceis albis, eosque deferebant per septem dies, æque ac vestem candidam ; idque Primo, ut significaretur eos libertate Christiana donari : servi enim incedebant nudipedes, liberi, calceati. Secundo, ut calcei signum essent eos in Ecclesiæ et filiorum Dei possessionem mitti. Tertio, ut memores essent mortis Christi : calcei enim de mortuis animalibus fiunt. Ita Rupert. lib. 7. c. 1. Quarto, ut memores essent *vestigia à peccati vulnere custodire*, ait S. Greg. hom. 22. in Evang. Quinto, ut veterum patrem, qui impollutum incontaminatumque spiritum Deo reddiderunt, mores et instituta sequerentur, itaque tenderent ad cœlum. Huc alludit Paulus Ephes. 6. 15. dicens : *Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis.* Ita Anselm. ibidem. Vide Josephum Vicecomitem de Ritibus baptismi I. 5. cap. 18. Vide pariter dicta Ezech. 16. 10. ad illud *Calceavi te ianthino.*

SED SICUT SERVI DEI,] qui libere et liberaliter serviunt et obediunt non tantum Deo. sed et

omnibus magistratibus, quos Deus sibi vicarios nostrosque superiores ordinavit : servire enim Deo regnare est.

17. OMNES HONORATE,] juxta statum cujusque, et honorem ei debitum. Hoc est quod ait Paulus Roman. 12. 10. *Honore invicem prævenientes.* Secundo, *honorate*, id est, charitatis officiis et beneficiis omnes prosequimini. Honor enim non tantum reverentiam, et obedientiam, sed et amorem, alimoniam omnemque opitulationem includit, ut cum dicitur, *Honora patrem et matrem.* Exod. 20. 12.

FRATERNITATEM, id est fratres, puta Christianos : vel potius *fraternitatem*, hoc est fratrum, id est Christianorum, cœtum et conjunctionem DILIGITE.] Jubet enim non tantum ut unionem, sed et cœtum fidelium ac conventum ad communes preces, conciones, Synaxes diligant et frequentent, juxta illud Pauli Hebr. 10. 25. *Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam.*

DEUM TIMETE,] non servili, sed filiali timore, quo filii ex amore timent offendere patrem, caventque sedulo ne quid faciant quod ei displiceat. Deo ergo proprium quasi tributum et debitum est hic timor, juxta illud Ps. 2. 11. *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.* Et Malach. 1. 6. *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Et Psalm. 33. 10. *Timete Dominum omnes Sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum.* Accedit quod, ut ait Poeta : *Primus in orbe deos fecit timor.* Hinc Clemens Rom. ep. 1. Θεὸς, inquit dicitur, quasi δεὸς, id est *timor*, quia summe timendus, colendus et amandus; licet alii alia dent etyma. Sic Jacob Deum vocat timorem patris sui Isaac, id est quem timuit et coluit Isaac, Gen. 31. 42.

REGEM HONORIFICATE,] honore eo qui regi, id est summæ potestati civili, debetur. Honor hic includit obedientiam et orationem, ut scilicet subditi pro regibus orent, uti jubet S. Paulus 1. Timoth. 2. utilissimum enim est orare pro principibus, tum civilibus quam Ecclesiasticis; ab illis enim pendet salus reipubl. ab his Ecclesiæ. Qui ergo pro iis orat, orat pro tota republ. et Ecclesia. Prudenter Tertull. in Scorpiaco c. 14. *Honorandus*, ait, *est Rex cum suis rebus insistit, cum à divinis honoribus longe est*, cum scilicet eos aversatur quos multi reges ambierunt.

18. SERVI SUBDITI ESTOTE IN OMNI TIMORE DOMINIS.] Primo, Lyran. et Hugo *omni*, id est inquiunt, toto, pleno et perfecto timore, qui includit amorem. Secundo, *omni*, quia multiplex est timor, scilicet Primo, pœnæ, ne ab heris, si inobedientes sint, puniantur. Secundo, culpæ, ne Deum per inobedientiam offendant. Ita OEcumen. Tertio, scandali, ne sua inobedientia provocent heros ad odium fidei, *sed in omnibus bonam fidem ostendentes, ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus*, ait Paulus ad Tit. c. 2. 9. Idem servis præcipit Paulus fuse Ephes. c. 6. 5. vide ibi dicta. Idque congrue : vulgo enim jactabatur, et etiamnum jactatur subinde hoc proverbium, *totidem nobis hostes esse quot servos :* et Plato l. 6. de Legibus ait : *Jovem dimidium mentis servis ademisse.*

NON TANTUM BONIS EE MODESTIS (ἐπιεικέσι, id est *æquis*, modestis, benignis, probis, clementibus) SED ETIAM DYSCOLIS, id est fastidiosis, græce σκολιοῖς, id est *pravis*, obliquis, tortuosis, asperis, morosis, difficilibus, severis et sævis. Augustinus Marloratus apostata et hæreticus hoc loco falso asserit, Sorbonicos et Catholicos per *dyscolos* accipere dissolutos, atque hinc docere Papæ et cornutis ejus bestiis (sic nebulo vocat Cardinales et Episcopos) obediendum esse etiam cum tyrannidem exercent; tyrannidem ipse vocat disciplinam Ecclesiasticam, hæc enim hæreticis tyrannis est, sed viperæ suæ linguæ meritas pœnas dedit, cum ob seditiones in Gallia suscitatas à Parlamento ad laqueum damnatus, infelicem animam exhalavit.

Perperam Hugo et Glossa, dyscolos, inquiunt, vocatur agrestis, rudis, indoctus, ita dictus quasi alienus à schola et studiis, quæ homines reddunt civiles, politos, benignos : δύσκολος enim græce dicitur, non δύσχολος, ac significat morosum et difficilem, qui tibi et aliis tædium et fastidium creat.

Moral. docet hic S. Petrus, obedientiam se extendere debere ad patientiam, eamque complecti; sicut Christus eam extendit, factus obediens usque ab mortem, mortem autem crucis; perfectio ergo obedientiæ est patientia, si videlicet patiatur humiliter et hilariter Superiorum suorum asperitatem, reprehensiones, jurgia, quin et minas ac verbera. Patientia enim et humilitas, humilisque obedientia sunt duæ alæ, quibus evolatur in cœlum, ut ait quidam Sanctorum.

Cassianus Collat. 19. c. 1. celebrat obedientiam et patientiam cujusdam religiosi, qui in conventu fratrum publice ab Abbate Paulo palma percussus, ita ut sonitus longius etiam in considentium auribus resultaret, nullum dedit signum commotionis, multo minus murmuris, sed os habens taciturnitate signatum, eamdem vultus modestiam et tranquillitatem ostendit, ita ut ne colorem quidem vel in minimo mutaret.

S. Stephanus, ait S. Gregor. hom. 35. in Evang. ad tantam patientiam excreverat, *ut eum amicum diceret, qui sibi aliquid molestiæ irrogasset. Reddebat contumeliis gratias, damnum sibi illatum maximum lucrum putabat, omnes suos adversarios nihil aliud quam adjutores æstimabat.*

Idem l. 1. Dial. c. 2. laudat Libertinum, qui à suo Abbate irato, scabello in vultum impacto cum gerebat tumentum et lividum, dicebatque id suæ esse culpæ, non illius sævitiæ : itaque Abbatem ad magnam mansuetudinem produxit, et *humilitas discipuli magistra facta est magistri.*

Similis fuit obedientia et patientia S. Joannis Damasceni, qui ob carmen à se compositum rejectus à suo seniore, jussusque cloacas et latrinas purgare, hilariter id præstitit.

Sic S. Monica ab ancilla vocata meribibula, omnem vini cupidinem à se abdicavit, et *ancillæ injuria facta est dominæ medicina*, ait S. Aug. 9. Confess. c. 8.

Catharina Aragonia uxor Henrici VIII. regis Anglorum ab eo repudiato, constanter repudium tulit, dicens, malle se fortunam tristissimam, quam blandissimam : quod in illa non desit consolatio, hæc fortunatis mentem eripiat. Ita Sanderus l. 1. de Schismate Angliæ.

Thomas Cantipr. l. 1. Apum c. 24. p. 5. narrat captivum quemdam dixisse hero Gentili : *Ego stigmata Christi in corde meo porto.* Iratus herus eum occidit Martyremque fecit, ac in corde ejus Christi crucifixi imaginem reperit, quare compunctus cum omnibus suis in Christum credidit.

19. Hæc est enim gratia.] q. d. Hic est gratiæ divinæ effectus illustris, vel hoc valde gratum est Deo. Unde Syrus vertit, *illis enim est gratia apud Deum.* Aut Tertio, et nervosius, q. d. Hæc est gratia, id est, gloria vestra. Unde explicans subdit: *Quæ est enim gloria.* Sic Paulus gloriam suam esse ait, non evangelizare, ad hoc enim necessitas præcepti Dei eum obligabat; sed evangelizare sine sumptu, id est gratis: hoc enim erat opus liberale et illustre supererogationis et consilii, non præcepti, 1. Corinth. 9. 16. Sensus ergo est, q. d. Hæc est gratia, id est hæc est gloria Christiani, in hoc consistit eximia virtus et perfectio Christiana: hoc est illustre discipulorum Christi officium, laus et decus, si propter Deum multa tristia patiantur.

Si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias.] Quare, quænam est Dei conscientia? Resp. Primo, est conscientia secundum Deum, qua quis uni Deo placere studet et satagit, etiam cum offensa hominum, ideoque ut Deo placeat, patienter sustinet asperos heri mores ejusque duris imperiis obedit. Id enim facit, ut suæ conscientiæ et Deo satisfaciat: conscientia enim dictat talibus esse obediendum propter Deum, qui præcepit ut subditi suis dominis obsecundent. Hæc conscientia vocatur Dei, tum quia Deo maxime probatur et placet; tum quia propter Deum, ut ei placeat, suscipitur: loquitur enim S. Petrus de servis, quos jussit parere heris, etiam *dyscolis.* Ita Catharin. et Salmeron.

Secundo, Gagneius: *propter Dei conscientiam*, ait, id est, propter Deum qui tuæ patientiæ, et herorum sævitiæ ac nequitiæ est conscius, ac utriusque erit judex et vindex, ut tuam obedientiam et patientiam præmiis cœlestibus coronet, heri sævitiam flammis gehennæ puniat. Conscientia ergo Dei est, quæ uni Deo patet, *cui*, ut ait Seneca Ep. 8. *nihil clausum est. Interest enim animis nostris, et cogitationibus mediis intervenit.* Conscientia ergo Dei est innocentia coram Deo, ut Christi exemplo explicat S. Petrus vers. 22. quæ in duris est murus aheneus, quando scilicet servi innocentes, qui nihil peccarunt, puniuntur ab heris perversis. Hi enim cum non puniantur propter culpam quam non admiserunt, utique puniuntur propter innocentiam: in innocente enim innocentiam punitur, non culpa, puta factum aliquod innocens, et sæpe pium ac sanctum. Ita Œcum. Summum enim solatium et gloria est, testimonium bonæ conscientiæ, ait Apostolus 2. Corinth. 1. 8. et seq.

Tertio, *Dei conscientia* est, quæ unius Dei honorem et gloriam spectat. Rursum, quæ omni culpa vacans, totam sese Deo addicit et mancipat. Servi ergo qui dies festos cessando à laboribus observant, omnesque Ecclesiæ et Dei leges studiose custodiunt, ideoque ab heris avaris et perversis male tractantur aut vapulant, patiuntur propter Dei conscientiam, sive, ut Christus ait, *Propter justitiam: Beati*, ait, *qui patiuntur propter justitiam.* Matth. 5. 10. Unde et subdit S. Petrus: *patiens injuste.* Hinc et Syrus vertit: *illi gratiam habent coram Deo, qui propter bonam conscientiam perferunt.*

Quarto, et perfectissime: multi olim servi facti Christiani, ab heris infidelibus in odium Christi et fidei multabantur verberibus, plagis, vinculis, fame, et sæpe morte ac martyrio: hi plane et plene patiebantur propter Dei conscientiam, id est, propter Deum, Deique fidem et cultum, quem in conscientia gerebant, ideoque erant Confessores, vel Martyres.

Sustinet tristitias,] id est tristitia, acerba: Græce λύπας, id est *molestias*, dolores, tristitias, mœrores; omnis enim molestia et dolor parit tristitiam. Tristitia enim est ægritudo et contractio animi ob præsens malum, in quo scilicet demitti contrahique animo rectum esse videatur. Unde Chrysippus λυπὴν, quasi νόσον, id est, solutionem totius hominis appellatam putat, ait Cicero 3. et 4. Tusculan. Nihil enim ita animos viresque hominis dissolvit et labefactat, ac tristitia. Occasione servorum à duris heris afflictorum, hæc dicit S. Petrus, sed sermo ejus generalis est, ideoque ad omnes qui quomodolibet innocentes patiuntur pertinet, eosque ad fortiter tolerandum animat et consolatur.

Patiens injuste,] quia est innocens, et multo magis si patiatur pro justitia.

20. Quæ est enim gloria?] ποῖον κλέος, id est, *quale decus*, qualis laus, quid illustre, quid magnum Tertull. in Scorpiac. c. 12. *Quanta est gloria?* q. d. Exigua, vel nulla est gloria sufferre colaphos et plagas pro scelere; at magna est, eos sufferre pro innocentia et justitia.

Colaphizati.] Hæc propria est pœna servorum: hisce enim heri alapas sive colaphos vel in faciem, vel in dorsum impingunt. Unde ille apud Terentium in Adelph. *Homini misero*, ait, *plus quingentos colaphos infregit mihi.* Hinc Martyribus, etiam, nobilibus, v. g. S. Symphorosæ, S. Torpeti aulico Neronis, S. Marcellino et aliis colaphi impacti sunt, tum ad pœnam, tum magis ad contumeliam, ut quasi servi servili pœna castigarentur.

Sed si benefacientes.] Græca addunt, καὶ πάσχοντες, id est, *et patientes*, quod noster Interpres per adverbium, sed eodem sensu, reddidit, vertens, *patienter sustinetis. Hæc est gratia apud Deum*, Syrus, *tunc crescit gloria vestra apud Deum.* Vide dicta v. 13. initio.

21. In hoc enim vocati estis.] *In hoc*, ad hoc. q. d. Christianorum vocatio est ad crucem et patientiam, juxta illud Thren. 3. 12. *Posuit me quasi signum ad sagittam, misit in renibus meis filias pharetræ suæ.* Ubi ostendi Christianum quemlibet esse quasi alterum sanctum Sebastianum, positum scilicet in scopum sagittariorum, in quem omnes suæ maledicentiæ et maleficentiæ tela colliment et jaculentur.

Quia et Christus passus est pro nobis.] Est ratio ab exemplo Christi. q. d. Non miremini, ô Christiani, vos vocatos ad crucem: nam et Christus dux et antesignanus vester ad eamdem vocatus, illam propriis humeris bajulavit, in eaque suspensus et enecatus est. Agite ergo, Christum ducem sequimini alacriter et intrepide: per crucem enim cum eo intrabitis in gloriam.

Vobis,] ô servi. Loquitur directe servis, sed per hos quibuslibet aliis. Christum ergo servis in ducem proponit, quia Christus formam servi assumpsit, et quasi servus ac vile mancipium ad furcam damnatus est. *Inspice et fac secundum exemplar quod tibi in monte* Calvariæ à Christo *monstratum est.* Exodi 25. 40. Præclare S. Cyprian. tr. de Passione: *Christus*, ait, *postposito timore quasi utens potentiori auctoritate, inter sputamenta et colaphos, et reliqua ludibria, pa-*

tientia et mansuetudine vesanas persecutorum mentes conturbat, et in eo quod inter injurias et convicia se malitia Judaica sentit contemptum, vehementius exacerbatur : et de impietate et malitia suavitas pietasque Christi triumphat; et inferius : *Ascendisti Domine palmam : quia illud crucis tuæ lignum portendebat triumphum de diabolo, vel de principatibus et potestatibus et nequitiis spiritualibus victoriam : erantque in manibus tuis duo cornua, in quibus erant fortitudo tua abscondita, et imperium tuum super humerum tuum : tu ipse patibuli tui bajulus hærebas ligno quod tuleras, evectionis et passionis anxietates sustinens et labores. Consideravi opera tua et expavi,* et paulo post : *Considero opera tua, et admiror te cruci inter damnatos affixum, jam nec tristem, nec pavidum; sed suppliciorum victorem elevatis manibus triumphantem de Amalec, et quasi sanctificantem de excelso plebem, et elevatum in sublimi, et quasi cœlo proximum superioribus inferentem consummati agonis vexillum, et inferibus erexisse scalam in Patris occursum.* Et mox : *In tantum infirmis compateris, ut nec crucifigi, nec mori, dum illi vivant, et te patrocinante non pereant, nec erubescas, nec formides, altitudinem tuam derelinquens, ad tempus gloriæ tuæ majestatem evacuans, ut redeant dispersi et respirent derelicti. Hæc est causa quare derelictus sis, ut colligeret et revocaret inanitio tua eos qui fuerunt derelicti, et qui sine Deo fuerant dum dominaretur eis peccatum reducti ad justitiam conformes Christi, et Christi efficerentur et dii. Unde scriptum est : Ego dixi, Dii estis. Considera, Domine, te in illo patibulo ubi videbaris sine adjutorio, quomodo imperatoria potestate latronem præmittis ad regnum : et in cujus assumptione jam manifeste constat quantum apud derelictos profeceris, quorum primus iste gloria et honore coronatus, ipsa die paradisi civis et domesticus curiæ cœlestis efficitur.*

Relinquens exemplum.] Christus enim tribus de causis venit in mundum. Primo, ut sua morte nos redimeret. Secundo, ut sua prædicatione doceret. Tertio, ut sua vita sanctæ vitæ daret exemplum, imo exemplar perfectissimum. Hoc nimirum est principis et superioris, vitam suam subditis proponere quasi pictam virtutis tabulam, quam imitando sequantur et exprimant, uti Josephum fecisse ait Philo lib. de eo. Hinc S. Basilius Constitut. Monast. cap. 2. et 5. Christum vocat nostrum exemplar, typum, archetypum et programma : quod quo magis intuemur, vitaque et moribus exprimimus, eo Christo similiores, sanctiores Deoque gratiores evadimus.

Præclare S. Aug. de verbis Apostoli serm. 26. *Docuit,* ait, *nos exemplo passionis, cum quanta patientia in illo ambulemus, et firmavit nos exemplo suæ resurrectionis, quid ab illa patienter sperare debeamus. Si enim quod non videmus speramus, per patientiam speramus, per patientiam exspectamus. Quod non videmus quidem speramus, sed corpus sumus illius capitis, in quo jam perfectum est quod speramus.* Sapienter quoque sanctus Athanasius (vel quisquis est auctor) Exhort. ad Monach. *Vita nostra,* ait, *jubeat, lingua persuadeat, quia plus auctoritatis gestat exemplum, et ingerit appetentiam sui morum lenis formatio.*

Pathetice vero S. Cyprian. tr. de Passione in fine : *Tu, Domine,* ait, *sacerdos sancte, qui in tempore iracundiæ factus es reconciliatio, sancti hujus sanguinis permanentem plenitudinem reliquisti, et beneficium hujus sancti liquoris in perpetuum tradidisti et constituisti nobis inconsumptibiliter potum vivificum, crucis signum, et mortificationis exemplum. Tu consummatis omnibus vade ad Patrem, et trahe nos post te : da nobis in vita præsenti, ut simus sine angaria bajuli crucis tuæ, et comprehendamus cum omnibus sanctis, quid latitudo, quid longitudo, quid sublimitas, quid profundum hujus ligni significet : quo conspecto non noceat nobis, neque mordeat coluber solitudinis, sed incolumes per omnia sequamur te, tecum parvuli simus, tecum circumcidamur, tecum baptizemur, tecum jejunemus, tecum lotis pedibus panem angelorum edamus, tecum crucifixi mundo vivamus, tecum Spiritu S. repleti, et corpore et spiritu in æternum maneamus : Qui vivis, et non ultra morieris in sæcula sæculorum.* Et S. Leo serm. 2. de Passione : *Amplectamur,* ait, *salutaris paschæ mirabile Sacramentum et ad ejus imaginem, qui deformitati nostræ conformis factus est, renovemur. Erigamur ad eum, qui pulverem objectionis nostræ, corpus fecit gloriæ suæ, et ut resurrectionis ejus mereamur esse consortes, humilitati et patientiæ ipsius per omnia congruamus.*

Ut sequamini (Tertull. Scorpiaci cap. 12. legit *obsequamini*) vestigia ejus] sanguine ejus signata, ideoque inventu facilia, obvia et certa. Sic S. Stephanus secutus est Christi vestigia patiendo et pro lapidantibus orando, ait S. Aug. serm. 2. de S. Stephano.

Notent hoc molles hæretici, qui fidem Christi sequi volunt, non passionis vestigia, dicentes solam fidem in Christum sufficere, ad salutem, Christum enim pro nobis plane satisfecisse : quare nulla esse bonorum operum nostrorum merita, satisfactiones nullas. Audiant hi quod intonat hic S. Petrus, et ex eo S. Greg. in 1. Reg. 9. 24. *Remansit,* ait, *quia non omnia nostra Christus explevit : per crucem quidem suam omnes redemit; sed remansit, ut qui redimi et regnare cum eo nititur crucifigatur. Hoc profecto residuum viderat, qui dicebat : Si compatimur, et conregnabimus,* 2. Timoth. 2. 12. et : *Adimpleo ea quæ desunt Passionum Christi in carne mea,* Coloss. 1. 24. Esto enim Christus patiendo solverit plenum redemptionis nostræ pretium, vult tamen nos quoque pati : tum quia Deus vult hos Christum ducem nostrum à se datum sequi, tum quia non decet sub capite spinis coronato membra esse delicata, ait S. Hieronymus, sed potius decet membra capiti configurari, *ut conformes simus imagini Filii Dei,* ait Paulus ad Romanos 8. 29. tum quia ipse sanxit ut hoc passionis suæ pretium per passiones nostras nobis applicemus : non enim otiosis et desidibus, sed laboriosis et studiosis hoc offert : sicut ergo sol et homo generant hominem : et sicut Deus non solus, sed cum creaturis operatur, sic et Christus non solus, sed nobiscum salutem nostram operatur : tum quia ad cœlum non alia est via quam crucis à Deo statuta.

Scripsit S. Chrys. tom. 3. homiliam hoc titulo : Ut *benedicamus maledicentibus Christi et Sanctorum exemplo :* in qua inter cætera ait : *Velle alios male agendo superare, non divinæ id legis esse, quin dæmoniacæ constat. Siquidem in Olympicis certaminibus inferis dedicatis hoc pacto victoria comparatur : sed in Christi stadio vincendi modus est longe diversus. Sancitum namque est percussorem, corona donari oportere.* Additque : *Hic non solum ipsa victoria, sed et vincendi modus admirationis habet plurimum : siquidem qui succubuisse*

videntur, palmam retulisse creduntur : hæc est potentia Dei, tale cœleste studium, hoc angelorum spectaculum. Et mox : *Nam si mansuetudinem ac benignitatem prætuleritis, inoffensi omnium manus estis evasuri.* Confirmat exemplo Abelis, qui occisus à Cain in tranquillissimum cœli portum recessit. Cain vero toto orbe factus est vagus et profugus : ac Josephi, qui invidiam fratrum sustinens, per eam factus est princeps Ægypti.

Hoc est quod de se et suis profitetur Christus Joan. 14. 6. *Ego sum vita, et veritas, et vita;* ubi S. Cyrillus : *Christus*, ait, *nobis est via per vitæ actionem, veritas per fidei rectitudinem, vita per sanctificationem.* S. Leo serm. 2. de Resurrect. *Christus*, ait, *est via sanctæ conversationis, veritas doctrinæ divinæ, vita beatitudinis sempiternæ.* S. Cyprianus lib. de Bono patientiæ : *Si ipse*, ait, *est salutis nostræ via, qui Christum vestigiis salutaribus sequimur, per Christi exempla gradiamur.* S. Bernardus serm. 2. de Ascensione : *Sequamur*, ait, *Domine, te per te ad te, quia tu es via, veritas et vita : via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio.*

Denique tuba hic intonat S. Paulus Heb. 12. 1. *Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate enim eum qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes : nondum enim usque ad sanguinem restitistis.* Quocirca S. Athanasius lib. de Virg. Christianum hisce virtutibus quasi coloribus pingit et ornat : *Mansuetus et quietus sit et tolerans malorum, nulli malum pro malo reddens; sicut ipse* (Christus) *à Judæis contumeliis affectus est et sustinuit, verbera et torturas ferat.* Et S. Aug. in Ps. 36. *Christianus*, ait, *est qui non aspernatur viam Christi, sed vult viam Christi sequi per passiones ipsius. Noli per aliam viam velle ire quam per illam qua ipse ivit. Dura videtur, sed ipsa est tuta via. Alia forte delicias habet, sed latronibus plena est.* Et paulo anterius. *Per dura ambulavit, sed magna promisit. Sequere. Noli tantum attendere qua iturus es, sed et quo venturus sis. Tolerabis dura temporalia, sed ad lætitiam pervenies sempiternam.*

22. QUI PECCATUM NON FECIT] eo quod humanitas ejus hypostatice conjuncta Verbo, ab eo ita custodiebatur et dirigebatur, ut peccare non posset. Ejus enim custodia commissa erat Verbo, quasi hypostasi. Si enim hic homo (puta Christus) peccasset, peccasset et Verbum, quod erat ejus hypostasis, et suppositum. Actione enim sunt suppositorum, et originaliter à suppositis procedunt. Ita Theologi et ex iis Suarez 3. p. q. 15. a. 1.

Quare horrenda est blasphemia Calvini dicentis, Christum fuisse vere peccatorem et damnationis reum, ex metu passionis calicem fugisse, ac in cruce desperasse. Quam multis confutavi Heb. 5. 7. Longe aliter Paulus Christum vocat : *Pontificem innocentem, impollutum, segregatum à peccatoribus*, Heb. 7. 26. et, *Eum*, ait, *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*, 2. Cor. 5. 21.

Hic declarat S. Petrus, quid vocarit, v. 19. pati propter Dei conscientiam, nimirum pati propter innocentiam, pati scilicet propter causam falso æstimatam et imputatam, quæ non est culpa, sed innocentia, hoc est, pati innocentem. Sic enim Christus qui peccatum non fecit, innocens passus est, quia scilicet dicebat se esse filium Dei, quæ non erat falsitas nec culpa blasphemiæ, sed Confessio veritatis et innocentiæ.

NEC INVENTUS EST DOLUS IN ORE EJUS] etiam à Scribis et Pharisæis, qui satagebant eum capere in sermone, ut accusare et occidere possent, Matth. 22. 15. Citat S. Petrus Isaiam cap. 53. 8. quod totum caput est de Christi passione, agnina patientia, obedientia, et innocentia. *Sicut ovis*, ait, *ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.* Vide ibi dicta.

23. QUI CUM MALEDICERETUR (vocaretur potator vini, Samaritanus, possessus à diabolo, seditiosus, hostis Cæsaris, subversor gentis, etc.) NON MALEDICEBAT,] οὐκ ἀντιλοιδόρει, *non remaledicebat*, uti legit S. Hieronym. lib. 2. contra Jovin. Augustinus tract. 21. in Joannem, Ambros. in Psalm. 37. et alii, q. d. Christus non reddebat talionem, maledictum non pensabat maledicto, maledicentibus vicissim non maledicebat, sed altissimum servabat silentium, ita ut Pilatus miraretur. Quod signum erat animi non tantum innocentis, sed et excelsi. Imo sanxit discipulis suis : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Benedicite maledicentibus vobis, et orate pro calumniantibus vos.* Et : *Qui te percutit in maxillam, præbe et alteram.* Luc 6. 28. Quanta hic in Christo innocentia, patientia, charitas, animi celsitudo : Græca addunt : *Cum percuteretur non repercutiebat, cam malediceretur non remaledicebat, cum pateretur non comminabatur :* et ita legit Canon 28. Apostol. S. Prosper ad Demetriadem legit, *percutienti se non comminabatur.* Licet enim Judæis et Scribis sæpe væ maledictionis æternæ, Deique judicium tam in vita quam in morte intentarit, ut Matth. 23. toto capite, et c. 26. 64. tamen id non fecit propter se, nec ex impatientia vel appetitu vindictæ, ut scilicet se de iis vindicaret, sed propter ipsos et ex charitate, ut scilicet denuntiando sceleratis iras divinas et ignes æternos, eos avocaret à scelere et gehenna.

Hinc apte S. Ambrosius Christianum ita pingit in Psal. 37. *Ad ejus* (Christi) *similitudinem, atque imaginem justus suæ vitæ cupiens instituta formare, accusatus tacet, læsus remittit, dissimulat lacessitus, et non aperit os suum, ut illum imitemur, qui sicut agnus ad victimam ductus non aperuit os suum; ut cum possit habere quod referat, magis vult silere quam dicere.* Illustre hujus virtutis nuper dedit exemplum Illustrissimus Cardinalis Bellarminus, qui cum à quodam æmulo in omnibus pene sententiis suis carperetur et refutaretur, idque assidue, continuo tacebat; mirantibus aliis ac rogantibus, cur se suaque dicta et honorem Cardinalium non tueretur, respondit : *Melior est uncia charitatis et pacis libra victoriæ.*

TRADEBAT AUTEM JUDICANTI (Pilato, aliqui apud Franc. Lucam legunt *judicari*, id est, ut judicaretur) SE INJUSTE,] tum quia innocens ab eo condemnatus est, hancque innocentiam agnovit Pilatus; cum lavans manus dixit : *Innocens ego sum à sanguine justi hujus, vos videritis*, Matth. 27. 24. Itaque ut placeret Judæis sceleratus judex, Christum innocentem injuste ad crucem condemnavit. Unde S. Leo serm. 3. de passione :

Lotis manibus, ait, *et ore polluto; iisdem labiis Jesum misit ad crucem quibus cum pronunciavit innocentem.* Tum quia Christus etiam qua homo, utpote hypostatice unitus Verbo, nec Pilato, nec ulli principi vel judici suberat, sed ipse omnium erat judex et princeps. Porro idipsum facile scire poterat Pilatus inquirendo in vitam, acta et miracula Christi. Ex iis enim cognovisset ipsum non esse purum hominem, sed hominem Deum, ac proinde sibi non subditum, sed superiorem. Ita S. Athanas. serm. de passione et cruce. Græci codices contrarie legunt; nimirum: *Tradidit autem judicanti juste.* Unde Syrus, *tradebat judicium suum judici justitiæ*, scilicet *Deo Verbo inhabitanti in semetipso*, ait Œcumen. aut potius Deo Patri. Ita Didymus et S. August. tr. 21. in Joan. idque vario sensu. Primo, q. d. Christus suam causam et injuriam non vindicavit, sed ejus vindictam reliquit Deo Patri, juxta illud: *Mihi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus.* Rom. 12. 19. unde Græcum παρεδίδου, non tantum significat *tradidit*, sed et *commisit* ac commendavit. Secundo, q. d. Christus suos persecutores, tortores, et carnifices commendavit Deo Patri, pro eis orando ac dicendo: *Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* Lucæ 23. 34. ita Didymus. Tertio, et magis apposite ac genuine, q. d. Christus quasi agnus ultro et liberaliter tradidit se Deo Patri ad mortem et crucem, ut ei obediret, utque obediendo, patiendo et moriendo satisfaceret pro peccatis omnium hominum, eosque illi reconciliaret: itaque nobis exemplum dedit, ut cum ab hominibus injuste affligimur, non ad eorum injustitiam respiciamus, illisque irascamur, sed de manu Dei juste judicantis illa accipiamus, dicentes cum S. Job: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* Verum nostra Latina lectio est verior magisque apposita, quam et è Græcis habet vetus auctor Clemens Alexand. in Comment. Unde verisimile est pro δικαίως, id est *juste*, olim lectum fuisse ἀδίκως, id est, *injuste.* Hoc est quod ait Christus Jerem. 11. 19. *Et ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam, et non cognovit; quia cogitaverunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium.* Et Isaiæ 50. 6. *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus.* Vide utrobique dicta. Sic S. Eusebius Vercellensis epist. ad Eccles. Vercellens. scribit se corpus suum Arrianis dedisse in prædam. Hinc patet Christum in se suaque passione dedisse et proposuisse singulis imitandum perfectissimum exemplar patientiæ, innocentiæ, humilitatis, charitatis, fortitudinis, omniumque virtutum. Harum enim omnium ipse fuit prodigium et portentum, ut ipse ait Isaiæ 8. 18. *Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum et in portentum Israel;* ubi multa hac de re dixi.

Quocirca ad tolerandas quaslibet injurias, calumnias, probra, irrisiones, contradictiones, vilipensiones, molestias, dolores, ærumnas efficacissimum est remedium, *et singulare refugium*, inquit S. Bernardus serm. 22. in Cantic. Christi passio, si illa attente ruminetur et invocetur. Ita faciebat S. Elzearius Comes Arriani. Rogatus enim quomodo ad tantam animi mansuetudinem et patientiam pervenisset respondit: Per meditationem passionis Christi. *Quoties*, ait, *aliquam animi commotionem ad iram vel impatientiam sentio, cogito de Christi passione et patientia, nec ab ea cogitanda et ruminanda cesso, donec per eam detumescat et subsidat omnis animi æstus et commotio.* Quocirca idem degens in Monte Pessulano, cum Delphina ejus uxor, sed virgo (vivebant enim in conjugio continentes et cœlibes) ad eum misisset famulum cum litteris, scire cupiens ubi et quid ageret, respondit: *Sanus sum corpore et sospes. Quod si me videre cupis, quære in vulnere lateris Christi: illic enim habito, et ibi me poteris invenire, frustra alibi quæsitura.* Ita habet Vita ejus c. 30.

Hac de causa S. Franciscus Xaverius quotidie per dimidiam horam ad minimum meditabatur de passione Christi, idemque nostris omnibus cæterisque ut facerent consulebat, uti legimus in ejus Vita. Abbas Stephanus in Prato spirit. c. 64. *Ego*, ait, *die noctuque nihil aliud aspicio, nisi Dominum nostrum Jesum Christum in ligno pendentem.* Idem fecit S. August. Sic enim in Manuali (quod ex eo quispiam collegit) ait cap. 21. *Tuta et firma requies est infirmis et peccatoribus in vulneribus Salvatoris; securus illic habito, patent mihi viscera per vulnera. Quidquid ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini mei, quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ affluant. Per has rimas licet mihi gustare quam suavis est Dominus Deus meus. Copiosa redemptio data est nobis in vulneribus Jesu Christi Salvatoris nostri, magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ et perfectio virtutum. Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo. Cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei, et recedit à me: in omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium, quam vulnera Christi; in illis dormio securus, et requiesco intrepidus: Christus mortuus est pro nobis. Nihil tam ad mortem amaram, quod morte Christi non sanetur. Tota spes mea est in morte Domini mei. Mors ejus meritum meum, refugium meum, salus, vita et resurrectio mea. Quanto ille potentior est ad salvandum, tanto ego sum securior.*

S. Leo serm. 8. de Quadragesima c. 4. *Pia*, ait, *vita sanctorum nunquam aliena est crucis Christi, dum continentiæ clavis desideria carnis configit, et corporeas cupiditates virtute spiritus in se habitantis interficit.* Idem sermone 2. de Resurrectione. *Sive ergo*, ait, *contra ambitionem sæculi, sive contra concupiscentias carnis, sive contra hæreticorum jacula dimicemus, Dominica cruce semper armemur.* Et S. Bernardus serm. 43. in Cantica, agens de doloribus et vulneribus Christi, ait se ex iis haurire omnem gratiam et virtutem. *Hæc*, inquit, *meditari dixi sapientiam, in his justitiæ mihi perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiæ, in his divitias salutis, in his copias meritorum. Ex his mihi interdum potus salutaris amaritudinis, ex his rursum suavis unctio consolationis: hæc me erigunt in adversis, in prosperis reprimunt, et inter læta tristiaque vitæ præsentis, via regia incedenti tutum præbent utrobique ducatum, hinc inde mala imminentia propulsando. Hæc mihi conciliant mundi judicem, dum tremendum potestatibus, mitem humilemque figurant; dum non solum placabilem, sed et imitabilem præsentant eum qui inaccessibilis est principatibus, terribilis apud reges terræ.*

24. QUI PECCATA NOSTRA IPSE PERTULIT IN CORPORE SUO SUPER LIGNUM] crucis, quasi hircus

emissarius, cui Hebræi omnia peccata sua imponebant. Levit. 16. 21. Syrus, *bajulavit omnia peccata nostra, eaque sustulit in corpore suo ad crucem.* Athanasius orat. 4. contra Arrian. *efferens peccata nostra in crucem una cum corpore suo.* Alludit ad Isaiæ 53. 4. *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit,* ubi Septuag. vertunt : *Peccata nostra portat, et pro nobis dolet;* Chaldæus : *Deprecabitur pro peccatis nostris, et delicta nostra propter eum dimittentur.*

PECCATA NOSTRA] id est, pœnas peccatis nostris debitas : est metonymia. Culpa enim ponitur pro pœna culpæ debita; velut merces pro merito. Hoc est quod ait Paulus Colossens. 2. 14. *Delens quod adversus nos erat chirographum decreti,* etc., *affigens illud cruci. Hoc enim chirographum,* inquit Origen. hom. 13. in Genesim, *peccatorum nostrorum cautio fuit. Unusquisque enim nostrum in his quæ delinquit debitor efficitur, et peccati sui litteras scribit.* Rursum significat hic S. Petrus, Christum peccata nostra secum affixisse cruci et crucifixisse, ut iis mortui justitiæ vivamus. Unde Clemens Alex. 3. Pædagogi cap. 12. *Limitem,* ait, (peccati et quasi peccandi terminum) *habemus crucem Domini, cui crucifigimur, et à prioribus peccatis reprimimur.* Et Origen. hom. 8. in Josue : *Visibiliter quidem,* ait, *Filius Dei in carne crucifixus est, invisibiliter vero in ea cruce diabolus cum principatibus suis et potestatibus affixus est cruci,* etc. *Crux illa trophæum diaboli fuit, in quo et crucifixus est et triumphatus.* In cruce enim Christus *expolians principatus et potestates,* ut ait Paulus Coloss. 2. 14. *traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.* Origen. hom. 8. in Josue legit, *in cruce,* quia pro αὐτων legit per spiritum lenem αὐτου, id est, *in ipsa,* scilicet σαυρῷ, id est *cruce,* ut præcessit.

Hinc tertio, *à ligno regnavit Deus.* Psal. 95. 10. juxta Septuag. ut citat S. Justin. contra Tryph. Victoriam enim et regnum totius mundi peperit sibi Christus per Crucem. *Factus* enim *est principatus super humerum ejus.* Isaiæ 9. 6. *Nam principatus Domini et regnum ejus est crux,* ait Theoph. in Lucæ 23. Crux ergo fuit currus triumphalis Christi : unde admirans S. August. tr. 117. in Joann. *Grande,* ait, *spectaculum, sed si spectet impietas, grande ludibrium; si spectet pietas, grande mysterium. Si spectet impietas, videt regem pro virga regni lignum sui portare supplicii; si pietas spectet, videt regem bajulantem lignum, quod fixurus erat etiam in frontibus regum : in eo spernendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda Sanctorum.* Quia, ut ait S. Leo serm. 8. de passione, *gloriosissimus diaboli victor pulchra specie triumphi sui portabat trophæum, et invictæ patientiæ humeris signum salutis adorandum regnis omnibus inferebat.*

JUSTITIÆ VIVAMUS.] Quocirca exclamat S. Ambros. *O divinum crucis illius sacramentum, in qua hæret infirmitas, virtus libera est, affiguntur vitia, eriguntur trophæa!* unde concludit : *Ergo et tu crucifige peccatum, ut moriare peccato. Qui enim peccato moritur, Deo vivit. Vivamus ei, qui Filio proprio non pepercit, ut in illius corpore nostras crucifigeret passiones. Pro nobis enim mortuus est Christus, ut nos in illius corpore redivivo viveremus. Mortua est ergo in illo non vita nostra, sed culpa.* Et S. Bern. epist. 105. ad Romanum : *Moritur,* inquit, *justus, sed secure : quippe cujus mors ut præsentis est exitus vitæ, ita introitus melioris. Bona mors si moriaris peccato, ut justitiæ vivas. Hæc mors necesse est ut præcurrat, ut sequatur illa secura. Dum vivis in carne, morere mundo, ut post mortem carnis Deo vivere incipias.*

CUJUS LIVORE] græce μώλωπι, id est, *vulnere,* vibice, plaga (hoc enim apud Isaiam est heb. חבורה *chabbera,* id est *livor,* sic dictus à sanguine, qui in eo aggregatur : radix enim חבר *chabar* significat *conjungere.* ita Pagnin.) SANATI ESTIS.] Christi enim corpus in passione ita flagellis et plagis fuit contusum, conscissum et lividum, ut totum videretur esse livor, imo lepra, ut ait Isaias cap. 53. Porro S. Petrus citat Isaiæ 53. 5. vide ibi dicta. Pie S. Ambrosius citans hunc locum l. de Spiritu sancto c. 8. *Plaga,* ait, *Christi nostra medicina est.* Idem in cap. 21. Lucæ : *Doles ergo, Domine, non tua, sed mea vulnera; non tuam mortem, sed nostram infirmitatem; et nos æstimavimus te esse in doloribus, cum tu non pro te, sed pro me dolores,* etc., *et livore tuo vulnera nostra sanares.* Sicut ergo avis dicta icterus ictericos sanat, quia morbum in se trahit, eoque emoritur. *Avis icterus,* ait Plinius l. 30. 11. *vocatur à colore, quæ si spectetur sanari id malum* (icteri sive morbi regii) *traduntque, et avem mori. Hanc puto latine vocari galgulum.* Sic Christus morbos animæ nostræ in se trahens iis enectus est, et nos vivificati sumus.

Ita S. Elisabeth Hungarorum regis filia intensius intuens in imaginem Christi crucifixi, ita compuncta fuit, ut in lachrymas prorumpens sibi diceret : *En creator et redemptor meus nudo corpore, mea causa ignominiosam in cruce oppetit mortem : ego vero misera gemmis, auro, bysso et purpura contecta, vitam cœlestibus indignam beneficiis perdo magis quam ago. Illud caput spinea corona dispunxit, Judæorum vallarunt opprobria : me numerosa circumdatam familia, aurea corona redimitam cuncti mirantur, suspiciunt, honorant. Me miseram, me infelicem! Sic illius obedio præceptis, beneficia revolvo, vestigia sequor, qui me cum non essem creavit, perditamque suo sanguine redemit?* Quare vehementia compunctionis quasi exanimis in terram concidit : ad se reversa, totum vitæ statum mutavit, totamque se dedit pietati, simplicitati, humilitati, sui contemptui, obedientiæ, charitati, et obsequio pauperum; ita habet ejus Vita cap. 7.

S. Clara exemplo sui magistri S. Francisci, assidue intuebatur oculis mentis Christum crucifixum, itaque ad mundi contemptum, desiderium crucis, paupertatem, amorem divinum, omnemque perfectionem incendebatur. Docebat novitias plangere Christum crucifixum. Inter horas diei sexta et nona (quibus in cruce pependit Christus) majori compunctione afficiebatur, ut cum immolato Domino immolaretur. Chordam tredecim nodorum ad carnem cingebat in memoriam vulnerum Christi; ita habet Vita ejus cap. 20.

Notum est quod scribit S. Bonaventura de stigmatibus S. Francisci, ei de Christi passione meditanti à Christo impressis.

S. Coleta adeo frequens et intenta erat in meditatione passionis Christi, ut extra se raperetur; et in Deum transformaretur ardentissimo desiderio et amore, præsertim feriis sextis, quibus sæpe præ doloris vehementia in manibus, pedibus et latere sibi revera videbatur clavis et lancea configi. Quare apparuit ei Christus, modumque quo passus esset, et ut singulis

membris singulares nostri amore pertulisset cruciatus, revelavit. Quamobrem ipsa incidebat in deliquium, nil nisi Christum sentiens, et in ipsum transformata; ita habet Vita ejus apud Surium tomo 2.

Similis fuit Lyduvina, quæ versans assidue in viridario passionis, imo ex corde trahebat suspiria, ex oculis lachrymarum fundebat imbres, ac per triginta tres annos continuis morbis et doloribus acribus afflicta, summa patientia se Christo patienti conformavit; ita habet Vita ejus c. 7.

Ludovicus Blosius, Abbas Lætiensis, vir doctus et sanctus, cap. 2. Monilis spirit. narrat Christum sæpe revelasse charissimis suis sponsis Brigittæ, Gertrudi, Mechtildi, Catharinæ mire sibi gratum esse devote recolere passionem, et amorem nobis in ea ostensum. Quare eas illam tam profunde visceribus animarum suarum infixisse, et tam ardenti suavique affectu ruminasse, ut illa eis esset mel in ore, melos in aure, jubilus in corde. Harum omnium dux et antesignana fuit S. Magdalena, quæ Christo patienti sola pene cæteris metu diffugientibus inter carnifices, Scribas et Pharisæos constanter adstitit usque ad mortem, imo usque ad resurrectionem. Pathetice et graphice animi ejus amorisque sensa exprimit Orig. de S. Magd. ubi inter cætera ait enim sibi dixisse : *Stabo et hic moriar, ut saltem juxta sepulchrum Domini mei sepeliar. O quam beatum corpus meum, si fuerit sepultum prope magistrum meum. Vivens juxta illud manebo, moriens illi adhærebo, nec viva nec mortua ab eo separabor.* Et inferius : *Joseph posuit corpus tuum* (ô Christe) *in monumento. Maria sepelivit ibi pariter spiritum suum, et ita indissolubiliter junxit et quodammodo univit cum corpore tuo, ut facilius posset separare animam se vivificantem à vivificato corpore suo, quam spiritum suum te diligentem à defuncto corpore tuo. Spiritus enim Mariæ magis erat in corpore tuo quam in corpore suo, cumque requirebat corpus tuum, requirebat pariter spiritum suum : et ubi perdidit corpus tuum, perdidit cum eo spiritum suum. Quid mirum ergo si sensum non habebat* (ut Christum videns non videret, sed hortulanum putaret) *quæ spiritum amiserat? quid mirum si te nesciebat, quæ non habebat spiritum quo scire debebat? Redde ei itaque spiritum suum quem habet in se corpus tuum, et mox recuperabit sensum suum, et relinquet errorem suum,* etc.

25. ERATIS ENIM SICUT OVES ERRANTES.] Excitat fideles ad humilitatem et gratitudinem, ut scilicet cogitent se fuisse oves à Deo, virtute, salute et cœlo aberrantes, ac diabolum, scelera, damnationem et gehennam ruentes, sed à Christo pastore revocatas, reductas, et in recta ad salutem via positas. Immensas ergo agant gratias Christo suo pastori. Alludit ad Isaiæ 53. 6. *Omnes quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit.* Et Ps. 118. v. ult. *Erravi sicut ovis quæ periit : quære servum tuum, Domine.* Et ad parabolam pastoris, qui relictis nonagintanovem ovibus centesimam aberrantem requisivit, et inventam imposuit in humeros, ac ad ovile reduxit. Luc. 15. 4. Hinc Romæ in basilica Lateranensi (quæ antiquissima est, et prima in toto orbe à Constantino Magno fabricata) et aliis Ecclesiis crebro pingitur Christus quasi pastor inter oves, qui ovem perditam humeris impositam gestat et reducit ad caulam. Unde S. Leo serm. 18. de passione. Adamo, oponens Christum : *Ille*, ait, *per superbiæ cupiditatem iter fecit ad miseriam, hic per humilitatis fortitudinem viam paravit ad gloriam.*

Nota. Apte homines peccantes comparantur ovibus errantibus : primo, quia ovis est animal simplex et mansuetum, sic et homo. Unde oves nonnullis in locis, uti in Chalcide Eubolica, prorsus carent felle, uti et homines nonnulli, inquit Aristoteles lib 4. de Partibus animal. c. 2. Secundo, idem alibi scribit oves infestari tot morbis, quot homines. Tertio, oves ruminant et somniant æque ut homines, teste Aristot. lib. 4. de Historia animal. c. 10. Quarto, ovis sociale est animal tam ovibus quam hominibus ; sic et homo. Quinto, oves brevi tempore vivunt; sic et homines sunt brevis ævi. *Vita capris ad octonos cumplurimum annos, ovibus ad denos, sed magna ex parte ad pauciores : duces pecoris tamen vel ad quindenos protrahunt vitam*, ait Aristot. 6. Hist. animal. c. 19. Sexto, idem ibidem : *Singulis*, ait, *ovilibus singuli duces constituuntur, qui quoties suo nomine à pastore vocantur, antecedunt : quod ab ineunte ætate facere assuescunt;* sic singulæ Respublicæ, urbes et cœtus hominum suos habent rectores. *Capris* autem *nullum ducem Pastores constituunt, quia earum natura non stabilis, sed lubrica est et mobilis.* Septimo, ovis est animal gregale, sic et homo. *Docent Pastores suas oves gregari facto strepitu. Nam si cum tonuerit, aliqua relinquatur quæ non concurrerit, abortum, si est gravida, facit. Unde fit ut si quem domi strepitum commoveris, omnes concurrant propter consuetudinem*, inquit Aristot. lib. 9. Hist. animal. cap. 3. Octavo, ovis facile deviat et aberrat; sic et homo. Rationem dat Aristoteles loco jam citato. *Genus ovile*, inquit, *amens, et moribus, uti dici solet, stultissimis est; quippe quod omnium quadrupedum ineptissimum sit : repit in deserta sine causa : hieme obstante ipsum sæpe egreditur stabulo : occupatum à nive, nisi Pastor compulerit, abire non vult; sed perit desistens, nisi marcs à Pastore ducantur, ita enim reliquus grex consequitur.* Nono, ovis sæpe parit monstrum; sic et homo. Causam dat Aristot. lib. 4. de Gener. animal. c. 4. *Homini locis quibus mulieres perfœcundæ sunt magis id* (generare monstrum) *evenit, ut in terra Ægypti; capris vero et ovibus magis, ut fœcundioribus accidit, atque etiam magis multifidis : multipara enim id genus animalia sunt, nec partum perficiunt.* Oves pariunt monstra agnorum; homines edunt monstra amorum, morum et vitiorum. Decimo, ovis erraus præda fit lupo; ita homo peccans diabolo : lupum arcent canes ; ita diabolum concionatores.

SED CONVERSI ESTIS NUNC] non à vobis, sed à Christo per gratiam suam vocante et trahente ad se, juxta illud Joan. 6. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum*, et illud Pauli : *Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere.* Philip. 2. 13. et illud Psaltis Psal. 58. 11. *Misericordia ejus præveniet me*, et illud : *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.* Thren. 5. 21. et illud Jerem. 31. 18. *Castigasti me, et eruditus sum quasi juvenculus indomitus : converte me et convertar, quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam.*

AD PASTOREM ET EPISCOPUM ANIMARUM VESTRARUM.] Christum scilicet, juxta illud Christi : *Ego*

sum pastor bonus. Joan. 10. 11. et illud Isaiæ 40. 11. *Sicut Pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit.* et Ezech. 34. 23. *Suscitabo super eos Pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David : ipse pascet eas, et ipse erit eis in Pastorem,* etc. totum enim hoc Ezech. caput est de Pastoribus. Vide ibi dicta, et dotes veri Pastoris quas assignavi ibidem, et Zachar. 11. 7. Nonnulli per *Pastorem* accipiunt regem. Sic enim ab Homero Agamemnon rex vocatur Pastor populorum, et David ab Ezechiele vocatur Pastor: quod enim est Pastor in grege, hoc debet esse rex in plebe. Christus ergo est Pastor, id est rex animarum, quia in eis regnat per fidem et gratiam, easque regit et dirigit ad gloriam et regnum æternum, juxta illud Psal. 22. 1. *Dominus regit me* (heb. *Dominus Pastor meus*, vel, *pascit me*) *et*, id est idcirco, *nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit.* Sic Christus Apocal. 19. 16. vocatur *Rex regum, Dominus dominantium.* Hinc Christus veniens in mundum, primo ad suum præsepe per angelos vocavit Pastores ovium, et Magos reges qui erant Pastores populorum per stellam. Hinc et in Echinadis insulis audita est vox Christo moriente, *Pana magnum mortuum.* Pan enim erat Deus Pastorum. Talis autem erat Christus; ita Euseb. l. 5. de præpar. c. 9.

Et episcopum animarum vestrarum.] Est ipse episcopus et corporum, quatenus salus corporum dirigitur ad salutem animarum : alioqui enim salus corporum per se spectat ad medicum, non ad episcopum. Christus ergo est episcopus, speculator, superintendens, regens, custodiens, dirigens animas quasi oves suas in vitam æternam. Unde discant Episcopi, suum munus esse non suis commodis et honoribus, sed animarum saluti incumbere, ut docet S. Bern. l. 2. ad Eugen. c. 6. *Blanditur*, ait, *cathedra? specula est: inde denique superintendis, sonante tibi Episcopi nomine non dominum, sed officium.* Præclare S. Epiphanius hæresi 55. ostendit Christum esse Pastorem et Episcopum. *Qui*, ait, *pro toto mundo obtulit se, ipse victima, ipse sacrificium, ipse sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse rex, ipse pontifex, ipse ovis, ipse agnus omnia in omnibus pro nobis factus, ut nobis vita omnibus modis fierct, et sacerdotii sui immutabile firmamentum in sæcula efficeret.* Nimirum ipse ita est Pastor, ut nos oves suas propria carne pascat, et proprio sanguine potet in Eucharistia. Quare merito S. Eucherius epist. ad Valerianum: *Imprudentissimum est*, ait, *cum pro nobis tam multa fecerit Deus, nihil nosmetipsos fecisse pro nobis.*

Ei ergo quasi Pastori animæ nostræ amantissimo, vigilantissimo, potentissimo canamus jugiter cum S. Thoma totaque Ecclesia in festo Corporis Christi :

Bone Pāstor, panis vere,
Jesu, nostrì miserere :
Tu nos pasce, nos tuere,
Tu nos bona fac videre,
In terra viventium.
Tu qui cuncta scis et vales,
Qui nos pascis hic mortales,
Tuos ibi commensales,
Cohæredes et sodales
Fac sanctorum civium.

Jesu bone, animam meam unicam, quasi oviculam tuam ex toto corde tibi committo : tua est, quia tuo sanguine empta : tu eam rege et custodi : tu eam rectis itineribus, quæ peccati non habeant scandalum, dirige ad portum salutis æternæ. Dico cum S. Naz. carm. 9. *Soli tibi solus ego sum, Christe, relictus. In te mihi robur omne situm est; in te fiducia tota salutis.*

Christum ergo quasi principem Pastorum jugiter intueantur Episcopi et Pastores, in eo et ex eo cognoscant quantam animarum curam gerere debeant, ut Christo assimilentur : illius enim onus et officium, quasi ejus vicarii in se susceperunt. Ita suorum curam gessit S. Gregorius Thaumaturgus Episcopus Neocæsareensis, qui omnes pene suos cives ab infidelitate ad fidem Christi traduxit. Unde moriens cum quæsisset quot in civitate reliqui essent infideles, responsumque esset, tantum superesse septemdecim, Deo gratias agens : *Totidem*, inquit, *erant fideles cum cepi episcopatum.* Idem singulos erudiebat ad virtutem suo statui congruam : juvenes hortabatur ad modestiam, senes ad patientiam; servos ad obedientiam, ut erga dominos fideles et morigeri essent; dominos ad clementiam, ut erga subditos se humanos exhiberent; pauperes ad contemptum opum, ut veras divitias censerent esse virtutes; divites ad beneficentiam, ut eleemosynas egenis facerent, cogitantes se opum non esse dominos, sed dispensatores; mulieribus pudicitiam, pueris obedientiam, parentibus disciplinam inculcabat : mœrentibus consolationem, dubiis consilium, afflictis opem afferebat, omnibus omnia factus, ait Nyssenus in ejus Vita. Similis et homonymus illi fuit S. Gregorius Magnus pontifex, in quo quantus fuerit animarum zelus, liquet ex tot tamque assiduis ejus epistolis, homiliis, curis et gestis. Unde ipse lib. 2. ep. 25. ad Joannem Episcopum Squilatinum : *Admonemus*, ait, *fraternitatem tuam, ut in commissis sibi animabus solerter invigilet, et animarum magis lucris, quam commodis vitæ præsentis intendat. In continendis aut disponendis rebus Ecclesiæ diligens insistat, ut omni ex parte susceptum digne te gessisse Pastoris officium venturus judex cum ad judicandum venerit, debeat approbare.*

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

JUBET UXORES FIDELES SUBESSE VIRIS, ETIAM INFIDELIBUS, EAQUE OCCASIONE UXORIS ÆQUE AC VIRI UTRIMQUE OFFICIA PERSEQUITUR. SECUNDO, V. 8. FIDELES OMNES HORTATUR AD CONCORDIAM, CHARITATEM, MODESTIAM, HUMILITATEM, PATIENTIAM. TERTIA, V. 18. PROPONIT EIS EXEMPLUM CHRISTI, CUI PER BAPTISMUM INCORPORATI SUNT, UT EJUS PURITATEM ET MORES IMITANTES CUM EO CONSCENDANT IN COELUM, VITAQUE ÆTERNA DONENTUR.

1. SIMILITER et mulieres subditæ sint viris suis: ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, 2. considerantes in timore castam conversationem vestram. 3. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: 4. sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. 5. Sic enim aliquando et sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se subjectæ propriis viris. 6. Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans: cujus estis filiæ benefacientes, et non pertinentes ullam perturbationem. 7. Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam et coheredibus gratiæ vitæ: ut non impediantur orationes vestræ. 8. In fide autem omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles: 9. non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes: quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hereditate possideatis. 10. Qui enim vult vitam diligere, et dies videre bonos, coerceat linguam suam à malo, et labia ejus ne loquantur dolum. 11. Declinet à malo, et faciat bonum: inquirat pacem et sequatur eam: 12. quia oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum: vultus autem Domini super facientes mala. 13. Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? 14. Sed et si quid patimini propter justitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, et non conturbemini. 15. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe. 16. Sed cum modestia et timore, conscientiam habentes bonam: ut in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem. 17. Melius est enim benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quam malefacientes. 18. Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. 19. In quo et his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit: 20. qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam. 21. Quod et vos nunc similis formæ salvos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi, 22. qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vitæ æternæ heredes efficeremur: profectis in cœlum subjectis sibi angelis, et potestatibus, et virtutibus.

1. SIMILITER ET MULIERES SUBDITÆ SINT VIRIS SUIS.] Vox *similiter* respicit subditos et servos, de quibus egit capite præcedenti v. 13. et 18. q. d. Jussi subditos subesse principibus, servos heris, tunc similiter jubeo uxores subesse maritis; hoc enim jubet lex naturæ, divina et humana, tam Gentilis quam Christiana. Sancit hoc S. Petrus tam diserte eo quod per Gentiles spargeretur rumor, sed falsus, Christianos quasi Christi filios velle se eximere ab omni servitute et subjectione, ac præsertim uxores à consortio conjugum; idque partim ex eo, quod luxuriosi Gentiles uxoribus præpostere contra naturam abutebantur: hoc autem uxoribus ne permitterent vetabant Apostoli, ideoque nonnullæ à maritis, quibus legitimum conjugii usum persuadere non poterant, faciebant divortium, uti faciebat matrona illa, de qua Euseb. lib. 4. Histor. 17. et aliæ de quibus S. Linus in passione S. Petri: partim ex eo, quod multæ Virgines à parentibus desponsatæ viris infidelibus, ante consummatum matrimonium à sponsalibus et sponsis resilirent ob amorem vel votum virginitatis, quam adeo ab Apostolis celebrari audiebant. Sic enim

S. Flavia Domitilla desponsata Aureliano, ante connubium conversa à suis eunuchis, Nereo et Achilleo, velum virginitatis à S. Clemente Papa accipiens, nuptias sponsumque respuit: eaque de causa tam ipsa, quam S. Clemens, Nereus et Achileus martyrium subierunt. Sic S. Thecla conversa à S. Paulo, resiliit à nuptiis Tamyridis cui desponsata erat, eaque de causa multa et atrocia sustinuit. Sic S. Iphigenia hortatu S. Matthæi refutavit connubium Hyrtaci regis: qui ea de causa S. Matthæum morte et martyrio affecit. Sic et Susanna neptis Diocletiani Imperatoris respuit nuptias Maximiani Imp. qui proinde eam occidit, Martyremque effecit. Sic S. Agnes, S. Felicula, et pleræque aliæ virgines, eo quod nuptias et sponsos rejicerent, martyrio coronatæ sunt. Inde ergo calumnia conflata est in Christum et christianismum quasi nuptiis contrarium et sponsorum jura evertentem, adeo ut mariti vetarent uxores fieri Christianas, ne jus et imperium in illas perderent. Huic calumniæ ut occurrat Petrus, jubet uxoribus ut subsint viris in iis scilicet quæ conjugale jus exigit, aut permittit. Causam dat S. Aug. in q. super Gen. c. 153. *Est ordo*, inquit, *naturalis in hominibus, ut serviant feminæ viris: quia et illic justitia est hæc, ut infirmior ratio serviat fortiori: et hæc in dominationibus et servitutibus clara justitia est, ut qui excellunt ratione, excellant dominatione.* Unde Euripides in Iphigenia:

Prestat, *ait*, unicus vir, estque lucis hujus munere
Dignior, quam multa sane feminarum millia.

Hinc Christus assumpsit humanam naturam in sexu virili, qui dignior est, perfectior et honorabilior, ait S. August. l. 83. quæst. et ex eo S. Bonavent. in 3. dist. 12. a. 3. q. 1. Excellit enim, inquit, sexus virilis muliebrem, Primo, quantum ad dignitatem in principiando; quia omnes tam viri quam mulieres ex uno viro Adamo prodierunt. Secundo, quantum ad virtutem in agendo, vir enim magis robustus et industrius est quam femina. Tertio, quantum ad auctoritatem in præsidendo. Quin et Pythagoras asseruit marem in omni genere animalium esse naturæ et virtutis principium. Et Ælianus lib. 11. c. 26. *Sexus*, ait, *masculus etiam inter bruta videtur à natura præferri: siquidem draco mas insignis est crista et barba hirsutus: gallinaceus et ipse cristatus: paleas insuper velut barbam gerit: cervus cornutus, leo jubatus, cicada mas canorus est.*

Simili modo S. Paulus multis docet uxores debere subesse viris, et in signum hujus subjectionis gestare in capite velamen. 1. Cor. 11. 10. vide ibi dicta. Citat Clemens Alex. lib. 4. Strom. hanc Euripidis sententiam: *Quævis pudica mulier est viri serva: quæ autem non est pudica, eum qui una versatur superat amentia.*

Nam melius nec præstantius ullum est,
Concordes quam ut cum in tecto versantur eodem
Vir simul et mulier.

Quocirca monstrum est uxor viro imperans, et vir uxoris imperium patiens. Judæis, id summo probro vertit Isaias c. 3. 4. dicens: *Effeminati dominabuntur eis;* et Aristot. 2. Polit. 3. taxat Spartanas viris imperantes. Nam, ut ait Philo apud Antonium in Melissa tom. 2. serm. 34. *A muliere dominari summum est viro dedecus.* Quocirca Assuerus uxorem volentem dominari, regisque jussa respuentem repudiavit. Esther 2. 20. Vere S. August. de Catech. rud. *Cum femina*, ait, *dominatur in virum, perversa et misera domus est.* Plutarch. in Præcept. connub. cap. 5. asserit uxores quæ malunt stolidis viris imperare quam parere sapientibus, similes esse illis quæ ducere potius volunt cæcos, quam intelligentia visuque præditos sequi. Viros vero effeminatos ridet Jerem. c. 51. 30. dicens: *Devoratum est robur eorum, facti sunt quasi mulieres;* et Homerus Illiad. 2. *O imbelles, mala vituperia, Achivæ, neque amplius Achivi;* et Homerum secutus Virgil. 9. Æneid.

O vera Phrygiæ, neque enim Phryges.

Et Turnus Æneid. 12. per contemptum Æneam vocat semivirum Phrygem.

UT ET SI QUI (mariti) NON CREDUNT VERBO (Christi et Evangelii, puta prædicationi Evangelicæ) PER MULIERUM CONVERSATIONEM SINE VERBO, sine sermone (Syrus *per bonos mores absque labore*) LUCRIFIANT] ut earum anima et salus quasi ingens lucrum acquiratur, et accedat Christo et Ecclesiæ. Hinc jubet Paulus 1. Cor. 7. 13. mulieres conversas ad fidem non facere divortium à maritis infidelibus, sed eis cohabitare, ut sua sancta conversatione tam eos quam filios ad Christum traducant, uti traduxit S. Natalia S. Adrianum, Clotildis Clodovæum, S. Cæcilia S. Valerianum, S. Martha S. Marium, S. Monica Patricium et S. Augustinum, S. Gorgonia Vitalianum. Mulier enim cum sit gratiosa, et ametur à viro, eique jugiter adsit, in ejus animum sicut aqua in spongiam sensim sine sensu illabitur, illumque occupat et flectit quo vult, inquit S. Chrysost. hom. 60. in Joannem, præsertim cum accedit pia et sancta conversatio. Nam, ut ait S. Chrysost. hom. 19. in epist. ad Hebr. *Facere majorem vim habet ad docendum, quam docere.*

2. CONSIDERANTES scilicet viri, non mulieres, ut vult Hugo et Lyran. (ἐποπτεύσαντες enim cum sit masculinum, viros respicit) IN TIMORE CASTAM CONVERSATIONEM VESTRAM.] *Timor* hic idem est quod reverentia qua mulieres Christum, et amore viceque Christi maritum, reverentur, caventque studiose ne eum etiam in re minima offendant, ac præsertim ut integram et omnimodam ei fidem et castitatem conjugalem servent. Posset vicissim accipi timor maritorum, quo scilicet mariti considerantes castam conversationem uxoris, eam reverentur et amant: indeque ad eam æmulandam et ad christianismum alliciuntur.

Notat hic S. Petrus primam uxoris dotem esse fidem et castitatem: femina enim et natura, et fragilitate, et complexione (utpote calida et humida) in venerem valde est propensa. Propria feminarum passio est libido, ait S. Chrysost. hom. 40. in Matth. ejusque causam dat otium quo abundat: amor enim est animi cura vacantis passio. Hinc illud Ovidii l. 1. de Remedio amoris:

Otia, si tollas periere Cupidinis arcus.
Quæritur, Ægistus quare sit factus adulter?
In promptu causa est, desidiosus erat.

Idipsum docet Salomon Proverb. 30. 15. ubi inter quatuor insaturabilia secundum ponit os vulvæ. Et Eccles. cap. 36. 23. *Omnem*, inquit,

masculum excipiet mulier. Et Aristot. l. 4. Problem. c. 27. scribit mulieres in venere esse insatiabiles. Nota est Messalinæ Claudii Imp. uxoris portentosa libido. Narrat Diodorus l. 2. et Herod. l. 2. quod cum Pheron Sesostris filius rex Ægypti, captus oculis fuisset, ideoque deorum opem per varia sacra implorasset, responsum et remedium acceperit, ut placato Deo qui in Heliopoli coleretur, faciem mulieris inspiceret, quæ nullum nisi sibi proprium virum novisset, ab uxore propria incipiens multas expertus est, nullam tamen reperit incorruptam præter hortulani cujusdam, quam restituto visu uxorem accepit; reliquas omnes vivas combussit. Æschines Satyricus omnes feminas ionicas μοιχάδας, id est *adulteras*, appellare est ausus. Josephus lib. 2. Belli c. 7. scribit Essæos non ducere uxorem, eo quod nullam uni viro fidem servare credant: licet alia potior fuerit ratio, nimirum studium pietatis et contemplationis. Porro inter Christianos scimus multas mulieres fuisse et esse castissimas, imo virgines: habet enim Ecclesia innumera sanctarum virginum agmina, in eoque insignis elucet gratia Christi et christianismi, quæ naturam fragilem ita corrigit, consolidat, evehit et perficit. Plutarch. in Problem. ait olim novæ nuptæ præferri solitum ignem et aquam, ut significaretur eam castam et puram esse debere: ignis enim purgat, aqua lustrat.

3. QUARUM NON SIT EXTRINSECUS CAPILLATURA.] S. Fulgent. lib. 2. cap. 11. *capillorum implicatio;* Tigur. *quarum ornatus sit non externus, qui situs est in plicatura capillorum;* Syrus, *in cincinnis capillorum.* S. Ambros. Exhort. ad Virg. *in plicatu capillorum*, græce enim aliqui legunt ἐμπλοκῆς τριχῶν, id est, *implicationis capillorum.* Alii per diastolen, ἐν πλοκῇ τριχῶν, id est *in plicatura capillorum.* Sed eodem redit sensus. Intelligit enim capillorum πλέγματα quælibet, sive ea fiant eos crispando, sive retorquendo, sive innodando, sive in cirrhos et cornua calamistris discriminando, sive alienos accersendo. Hoc est quod ait Paulus 1. Tim. 2. 9. *Ornantes se non in tortis crinibus.* Solent enim feminæ studere compositioni et ornatui capillorum: unde Terent. in Heaut. act. 2. *Dum poliuntur et comuntur annus est. Imo alienis capillis verticem struunt*, ait S. Hieron. ad Marcell. ut videantur in fronte erigere crinium fastigia et turres; quas incusans Juven. satyr. 6. ait,

—— Tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput.

Et Tertul. de Cultu femin. cap. 7. *Quid*, ait, *tanta ornandi capitis onerositas salutem subministrat?* Et S. Hieron. ad Lætam de instit. filiæ: *Nec caput*, ait, *gemmis oneres, nec capillum irrufes, et ei aliquid de gehennæ ignibus auspiceris;* solebant enim crines et vultum cærussa, stibio, aliisque pigmentis colorare: et qui hæc parabant à cinere fucorum vocabantur Cinerarii et Ciniflones, ait Tiraquell. leg. 2. Connub. n. 27. Præclare Esther cap. 14. 16. Deum alloquens: *Tu scis*, ait, *necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ et gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, et detester illud quasi pannum menstruatæ, et non portem in diebus silentii mei.* Si id culpabile in feminis, multo magis in viris, qui se effeminant *apertam professi mulierositatem*, ait Tertull. de Veland. virg. Jure S. Greg. hom. 6. in Evang. *Pensate*, ait, *quæ culpa sit hoc etiam viros appetere, quo curavit Pastor Ecclesiæ et feminas prohibere.* S. Tiburtius asseruit Torquatum Christiani nomen mentiri, eo quod capillos crisparet; ita habet ejus vita.

Porro totus hic versus græce sic clare habet: *Quarum cultus* (ornatus) *sit non exterius implicationis capillorum, aut circumpositionis auri, aut amictus vestimentorum, sed absconditus est cordis homo* (qui consistit) *in incorruptione mansueti et quieti spiritus*, q. d. Cultus feminarum sit non externus, sed internus, puta interior homo spiritalis, nimirum incorruptus animi placidi et quieti spiritus. Secunda est hæc dos et virtus, mulieris, nimirum modestus et honestus corporis cultus: prima enim est castitas, ut dixi.

AUT CIRCUMDATIO AURI.] Tigur. *aut in circumpositione auri*, quomodocumque ea fiat, sive aureas gestando vestes, catenas, bullas, sive capillos aureis filis vittisque colligando; sive vestes limbis et fimbriis aureis distinguendo. Porro non vetat S. Petrus omnem capillaturæ et auri usum, sed tantum immodicum, et qui statum superet. Hoc responsum sit Cajetano, qui censet hæc ad fideles ævi S. Petri sanctissimos pertinere, non ad matronas nostri sæculi. Quis autem modus sit adhibendus, docet S. Basilius in Isaiæ cap. 3. Quare merito S. Hieron. lib. 1. contra Pelagium, Pelagium refellit, quod diceret omnem omnino ornatum à S. Petro prohibere.

AUT INDUMENTI VESTIMENTORUM CULTUS.] Tigur. *aut in amictu palliorum.* Solent enim tot induere vestes, totque tunicis, peplis, velis, palliis, etc., iisque sericis et pretiosis se amicere et ornare mulieres cultus studiosæ, ut Isaias eas enumerando multos versus impleat cap. 3. 18. et Tiraquellus in Connub. lege 3. n. 27. et seq. multa alphabeta, multasque paginas. Imo nonnullæ in vestitu suo omnes viri opes exhauriunt, juxta illud Propertii:

Matrona incedit census induta nepotum,

quod detestans Ovidius lib. 3. de Arte amat. exclamat:

Quis pudor est census corpore ferre suos?

Et Seneca lib. 7. de Benefic. cap. 9. ait insanis quibusdam bina ex auribus pendere gemmarum patrimonia.

4. SED QUI ABSCONDITUS EST CORDIS HOMO, hoc est, mens et animus, supple et repete, hic sit mulierum cultus et ornatus; ut præcessit: hic autem situs est IN INCORRUPTIBILITATE QUIETI ET MODESTI SPIRITUS.] q. d. *Absconditus* cordis est incorruptus animi mansueti et modesti spiritus: hicque verus et unicus est feminarum cultus. De duplici homine, interiore scilicet et exteriore, vide S. Augustinum lib. 1. de Nuptiis et concup. c. 30. et S. Ambros. de Instit. virg. c. 2. et ea quæ dixi Rom. 2. 29. et Ephes. 4. 24. Philosophice Cajet. absconditum hominem censet vocari animam immortalem in corpore absconditam, cujus cor est voluntas. Melius S. Ambros. epist. 27. *Exterior homo*, ait, *plurima in se membra habet? interior autem cordis homo totus sapientiæ est, plenus gratiæ, plenus decoris.* Dicitur cordis, non quod in corde resideat (anima enim potius residet in capite) sed quia cordi, id est appetitui, præest, eumque regit et moderatur. Tigurina vertit, *sed occultus sit ornatus, qui est in corde*

homo, si is careat omni corruptela, ita ut spiritus placidus sic ac quietus. q. d. Optimus ornatus mulieris est mansuetudo, modestia et pax animi; hæc enim omnes animi potentias, passiones et motus componit, ornat, ditat. Hic enim est *decor occultus et tecta venustas*, ait Nazianz. in Præcept. ad virg. et Psaltes ps. 44. 14. *Omnis*, ait, *gloria filiæ regis ab intus.* Tritum est illud : *Mulieri ornamentum mores, et non aurum.* Ornamentum, ait, Crates, est quod ornat : ornat autem quod honestiorem mulierem facit : talem vero præstat non aurum, non smaragdus, non coccus, sed gravitas, moderatio, pudor; ita Plutarch. in Lacon. Plinius in Panegyr. Trajani. Laudat ejus uxorem, quod in cultu esset modesta. Pythagoras Crotoniensibus matronis persuasit ut auratas vestes, aliaque ornamenta velut instrumenta luxuriæ deponerent, eaque omnia in Junonis æde deæ consecrarent : vera enim ornamenta matronæ esse pudicitiam, non vestes, uti refert Justin. lib. 20. Sic et Aristot. in Œconom. ait ornatum mulieris non esse cultum, sed modestiam, ac studium honeste et decore vivendi. Clemens Alex. lib. 2. Pædagog. c. 12. docet verum mulieris ornamentum esse verecundiam; et eas quæ se auro ornant imitari barbaros, qui maleficos auro vinciunt. *An non enim*, ait, *colli vinculum est torques aureus, moniliaque et quæ catenarum locum obtinent? hinc et ἁλύσεις, id est catenæ, appellantur. Unde Philemon pellucidas vestes vocat compedem auream.*

Ac recensitis plurimis mulierum ornamentis : Minor, ait, eas non enecari, dum tantum onus bajulant, vide eumdem l. 3. cap. et 2. S. Chrys. hom. 21. ad popul. *Vis*, ait, *ornare faciem? orna non margaritis, sed modestia et honestate : sicque vir gratiorem cernet aspectum. Ille nempe ornatus et zelotypiæ suspicionem injicere sæpe solet, et inimicitias, et contentiones, et pugnas*, etc.; *modestia autem ornatus omnem quidem improbam suspicionem expellit : omni autem vinculo firmius conjugium conciliat. Non enim tam decorum facit formæ natura fieri aspectum, quam eam spectantis affectus. Affectum vero nihil sic ut modestia et honestas inducere solet*, etc. *Circa margaritarum cultum insania, est pompa satanica. Aurum enim cepisti non ut corpus vincias, sed ut pauperes salves et enutrias.* Idem hom. 41. in Genes. *A cultu*, ait, *corporis innumera fiunt mala, arrogantia quæ intrinsecus nascitur, despectus proximi, factus spiritus, animæ corruptio, voluptatum illicitarum fomes;* etc. S. Greg. Naz. scripsit orationem contra mulieres ambitiosius se ornantes, in qua sic orditur : *Cavete ô mulieres, nec caput vestrum notis et adulterinis crinibus : tanquam turribus quibusdam muniatis, mollia colla è scapulis delicate ostentantes : neu Dei formas fœdis coloribus inungatis, sic ut jam non facies, sed larvas gestetis.* Et post nonnulla : *Verendum est, ne Deus iratus sic te alloquatur : Dic, age, ô aliena mulier; ecquis tandem, et undenam est tuus fictor et procreator? Non te depinxi canis : sed imaginem mei finxi. Qui fit igitur, ut pro chara imagine idolum habeam?* Additque externi cultus studiosa internum negligere, ideoque interne Hecubam, externe Helenam repræsentare. S. Cyprianus de habitu Virgin. affirmat deteriorem esse ornatum superfluum ipso adulterio : quia, ut ait S. August. lib. 1. de serm. Domini in monte, *ibi pudicitia, hic natura adulteratur.* Idem ep. 73. ad Possidon. *Verus*, ait, *ornatus Christianorum et Christianarum, non tantum nullus fucus mendax, verum ne auri quidem vestisque pompa, sed mores boni sunt.* Eleganter Proper. lib. 1. elegant. 1.

> Quid juvat ornato procedere vitta capillo?
> Teque peregrinis vendere muneribus?
> Naturæque decus mercato perdere cultu?
> Nec sinere in propriis membra nitere bonis?

Salse, sed vere S. Cyprian. de Habitu virg. *Ornamentorum*, ait, *et vestium insignia, et lenocinia formarum, non nisi prostitutis et impudicis feminis congruunt : et nullarum fere pretiosior cultus est, quam quarum pudor vilis est*, etc. *Sericum et purpuram indutæ Christum induere non possunt : auro et margaritis et monilibus adornatæ ornamenta cordis ac pectori perdiderunt.* Plura citavi Isaiæ 3. 18.

In incorruptibilitate quieti et modesti spiritus.] S. Hieron. lib. 1. contra Jovin. *in incorruptione mitis et silentis spiritus.* Declarat quis sit absconditus; id est, interior homo cordis, id est, mentis et animi, ac in quo consistat, aitque consistere, *in incorruptibilitate*, græce ἐν ἀφθάρτῳ, id est, *in incorruptione*, hoc est, in integritate, *quieti;* græce πραέος, id est *mitis*, mansueti, placidi, *et modesti* (mansuetudinis enim comes, imo filia est tranquillitas et modestia) *spiritus.* Incorruptionem *quieti spiritus* vocat Primo, castitatem et puritatem spiritus, eamque opponit corruptioni corporis, quam uxores passæ sunt in conjugio. q. d. S. Hier. l. 1. contra Jovin. *Quoniam exterior vester homo* (corpus) *corruptus est, et beatitudinem incorruptionis quæ proprie virginum est, habere desiistis : imitamini incorruptionem spiritus, saltem per seram abstinentiam, et quod corpore non potestis, mente præstate. Has enim Christus divitias, et hos vestræ conjunctionis quærit ornatus.* Sic et alii per incorruptionem accipiunt castitatem conjugalem. Ubi nota, mansuetudinem, humilitatem et modestiam parere incorruptionem, id est castitatem, uti Rom. 1. 24. ostendi : idque docet S. Greg. 26. Moral. 12. vel 13. et S. Bernardus serm. 1. in festo omnium Sanctorum, ita explicat illud Christi Matth. 5. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*, id est, inquit, carnem suam. *Incorruptio autem facit proximum esse Deo*, Sap. 9. 20. Casti ergo, humiles et modesti sunt, quasi dii quidam terrestres, juxta illud : *Ego dixi, Dii estis, et Filii Excelsi omnes;* Psal. 81. 6. Hinc et Poetæ, ait Clem. Alex. lib. 4. Strom. in fine, *electos appellarunt* θεοειδέας, *id est deiformes; et* θεοῦς, *id est divos, et* ἀντιθέους, *id est, diis æquales; et* Διι μῆτιν ἀταλάντους, *id est consilio Jovis pares; et* νεοῖς ἐναλίγκια μήδ' ἔχοντες, *id est prudentia divis similes, et* θεοεικέλους, *id est, Deo similes. Euripides itaque : In meo*, inquit, *tergo sunt pennæ aureæ, et aptantur grata Sirenum talaria, iboque in immensum sublatus æthera, Jovem conventurus. Ego autem Christi spiritum optaverim, ut me in meam sustollat Jerusalem.* S. Hilarius scripsit epistolam ad Abram filiam suam, in qua promittit ei margaritam pretiosissimam, si margaritas vulgares contemnat. *Margarita hæc*, ait, *virtutis ejus est, ut, si quis eam induitur non ægrotet, non senescat, non moriatur.* Rursum, *ut eam habere non possit, si quis margaritam aliam habuerit, nam speciosa est, pretiosa, incomparabilis et cœlestis, præstans salutem et æternitatem, nec dignatur ibi esse, ubi aliæ sunt :*

nimirum margarita hæc est virginitatis status, quam S. Hilarius filiæ optavit et persuasit. Sic et S. Agnes dixit se à Christo ornatam esse inæstimabilibus margaritis.

Secundo, incorruptio spiritus est integritas animi mansueti et tranquilli, qui nullis exagitatur cupiditatum procellis, nullis passionum ægritudinibus, nulla ira, superbia, invidia, etc., corrumpitur, sed illæsus, integer et incorruptus consistit. Hanc enim parit mansuetudo et modestia : hisce ergo ornari vult mulieres; ac mansuetudinem quidem opponit invidiæ, iracundiæ, superbiæ : modestiam vero levitati, petulantiæ, inconstantiæ, garrulitati, murmurationi, in quæ vitia naturaliter propendent mulieres ornatum externum sectantes, internum negligentes, ait S. Chrysost. hom. 74. in Matth. *Nam si*, inquit, *conscientia singulorum cernere possemus, multos ibi vermes, multam saniem et incomparabilem reperirem fœtorem : cupiditates dico improbat, quæ vermes spurcitia mirum in modum excedunt, impii enim quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus ejus in conculcationem et lutum*, Isaiæ, 57. 20.

Tertia hæc est virtus mulieris, nimirum mansuetudo, pax et modestia, cujus fructus est incorruptio, ut scilicet faciat hominem à vitiis omnibus incorruptum, integrum, imperturbabilem.

Modesti (græce ἡσυχίου, id est, tranquilli, silentis, pacifici, et consequenter modesti) Spiritus.] S. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 18. *Modestia*, ait, *quam à modo scientiæ quid deceret appellatam arbitror*, etc. S. August. lib. de Vita beata, sub finem : *Modestia utique dicta est*, inquit, *à modo; et à temporis temperantia. Ubi autem modus est atque temperies, nec plus est quicquam, nec minus.* Addit S. Ambr. *Oremus in incorruptione quieti et modesti spiritus, qui est ante Deum locuples*, ut ait Petrus 1. ep. c. 3. 4. *Magna igitur modestia, quæ cum sit etiam juris sui remissior nihil sibi usurpans, nihil vindicans, et quodammodo intra vires suas contractior, dives est apud Deum, apud quem nemo dives. Dives est modestia, quia portio Dei est.* Deus enim est ipsa increata et essentialis modestia tam ad intra, quam ad extra; adeo ut in toto mundo intelligi, at non sentiri possit. *Habitus enim mentis in corporis statu cernitur.* Sic et S. Maria audita angeli salutatione, *præ verecundia non resalutavit, nec illum responsum retulit, nisi ubi de suscipienda Domini generatione cognovit, ut qualitatem affectus disceret, non ut sermonem refelleret*, ait idem l. 1. in lucam. Et lib. 2. de Virg. eam ita pingit : *Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actus inverecundum, non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis.*

Narrat Dion. Carth. in cap. 3. de Divin. nom. S. Dion. Areop. S. Dionysium cum è Græcia in Judæam venisset, et B. Virginem convenisset, tanta charitate fulgentem ejus vultum conspexisse, ut præ nimio stupore deficiens in terram ceciderit, dixeritque, nisi ratione naturali et fide cognovisset aliam esse divinitatem, se hanc ipsam Virginem loco Deæ habiturum fuisse. Sed audi ipsum S. Dionysium hæc de se narrantem epistola ad S. Paulum (licet Bellarm. de Script. Eccles. et alii negent illam esse S. Dionysii) quam recitat noster Christoph. à Castro in Historia Deiparæ cap. 19. num. 10. *Fateor*, inquit, *coram omnipotentia Dei, et clementia Salvatoris, et gloria majestatis Virginis matris ejus, quoniam cum à Joanne*, etc., *ductus sui ad deiformem præsentiam altissimæ Virginis, tantus me divinus splendor circumfulsit exterius, et plenius irradiavit interius : tanta etiam in me omnium odoramentorum superab undavit fragrantia, ut nec corpus infelix, neque spiritus posset totius ac tantæ æternæ felicitatis insignia sustinere. Defecit cor meum, defecit et spiritus tantæ gloria majestatis oppressus. Testor qui aderat in Virgine Deum, si tua divina concepta mente non me docuissent, hanc ego verum Deum esse credidissem.* Unde non mirum quod B. Virgo solo aspectu et præsentia, *Iis quos viseret integritatis insigne conferret*, uti ait S. Ambros. de Institut. Virg. cap. 7. S. Hieron. in cap. 9. Matthæi dans causam, cur Matthæus Christum vocantem illico sit secutus : *Certe*, inquit, *fulgor ipse et majestas divinitatis occultæ; quæ etiam in humana Christi facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu.* Et in cap. 21. dans causam, cur Christo per flagellum exigente nummularios è templo, mensasque subvertente, etc., quæ magnus non fecisset exercitus, nemo restiterit : *Igneum enim*, ait, *atque sidereum radiabat ex oculis ejus, et divinitatis majestas lucebat in facie.* Unde Nazianz. epist. 193. ad Dioclem. *Unum*, ait, *bonorum est, ut Christus nuptiis intersit* (*Porro ubi Christus est, modestia quoque est*) *operæ pretium est, ut, sicut cætera omnia, sic et Christia norum matrimonia modesta et composita sint. Modestia porro in gravitate sita est.* Idem in Carm. de vita sua, ait se propter æmulos sponte renuntiasse patriarchatui Constant. duabus de causis : *Hinc namque redibat*, ait, *commodum duplex mihi, modestus ipsos dum traho ad modestiam, simulque amorem colligo et clarum decus.*

Laudat Nebridium S. Hieron. epist. ad Salvinam ejus uxorem jam viduam, *quod de sorore generatus Augustæ, et in materteræ nutritus sinu, in palatio, contubernalis et condiscipulus Augustorum, quorum mensæ ministrat orbis, et terræ ac maria serviunt, inter rerum omnium abundantiam, in primo ætatis flore tantæ verecundiæ fuit, ut virginalem pudorem vinceret, et ne levem quidem obscœni rumoris in se fabulam daret. Deinde purpuratorum propinquus, socius, consobrinus, non est inflatus superbia, sed cunctis amabilis, ipsos principes amabat ut fratres, venerabatur ut dominos: ministros autem et universum ordinem palatii, quo regalis frequentatur ambitio, sic sibi charitate sociarat, ut qui merito inferiores essent, officiis se pares arbitrarentur. Difficile factu est gloriam virtute superare, et ab his diligi quos præcedas.* S. Gregorius 4. Dialog. 17. narrat Musam puellam jussu B. Virg. mores leviores commutasse in modestos, itaque ab eadem evocatam in cœlum.

Spiritus.] S. Athanasius epist. ad Serap. accipit Spiritum S. hic enim dives est apud Deum, quia divinitatis consors est et particeps. q. d. Qui se puros et incorruptos custodiunt, in se excipiunt Spiritum S. quietus et modestus, eos facit pariter quietos et modestos. Modestia enim est fructus Spiritus S. Galat. 5. 22.

Verum ad litteram hic spiritum humanum accipe cum S. Ambros. 1. Officiorum cap. 18. hic enim modestus et quietus, est vestis et ornatus mulierum : manat tamen à Spiritu sancto, estque ejus donum.

Qui (spiritus incorruptus, quietus et modes-

tus) EST IN CONSPECTU DEI LOCUPLES.] Quia super terrena omnia se elevans Deum possidet, heresque est cœli et regni æterni. Nam, ut ait Seneca epist. 67. *ratio nihil est aliud, quam in corpus humanum pars divini Spiritus mersa.* Audi S. Ambros. lib. 4. epist. 27. *Vere dives, qui in conspectu Dei potest dives videri, in cujus conspectu terra exigua, mundus ipse angustus est. Sed solum illum Deus divitem novit, qui sit dives æternitati, qui non opum, sed virtutum fructus recondat. Quis autem ante Deum dives, nisi quietus et modestus spiritus qui nunquam corrumpitur? Nonne tibi videtur dives, qui habet pacem animi, tranquillitatem quietis, ut nihil concupiscat, nullis exagitetur cupiditatum procellis, nec vetera fastidias et nova quæras, et semper desiderando fiat in summis divitiis inops? Ea est pax vere dives, quæ superat omnem mentem. Dives pax, dives modestia, dives fides (fideli enim totus mundus possessio est), dives simplicitas : sunt enim et divitiæ simplicitatis, quæ nihil discutit, nihil contractum, nihil suspectum aut fraudulentum putat, sed puro se fundit affectu. Dives bonitas : quam si quis servaverit, pascitur in divitiis cœlestis hereditatis. Merito justus semper fœnerat, iniquus indiget. Ille justitias fœnerat mandato Dei pauperibus et egenis : at vero insipiens et quod putat se habere nequaquam possidet. An putas illum possidere, qui thesauro suo die ac nocte incubans avara et misera torquetur sollicitudine. Ille vero eget, etsi alii dives videtur : sibi pauper est, qui non utitur eo quod habet, qui adhuc alia rapit, alia desiderat. Ubi enim nullus cupiditati modus, qui fructus divitiarum? nemo est dives, qui quod habet secum auferre non potest. Quod enim hic relinquitur, non nostrum, sed alienum est.* Subdit exempla : *Dives Henoch, qui quod habuit secum transtulit, et omnem illum bonitatis suæ sensum cœlestibus intulit receptaculis : qui ideo raptus est, ne cor ejus malitia mutaret. Dives Elias, qui virtutum suarum thesauros curru igneo sublimis sedibus æthereis invexit. Et tamen iste non mediocres divitias heredi reliquit, quas ipse non amitteret. Quis hunc pauperem vel tunc dixerit, cum victus quotidiani indigens alimonia mitteretur ad viduam, ut pasceretur ab ea quando ad ejus vocem cœlum claudebatur et aperiebatur; quando ad ejus verbum hydria farinæ, et vas olei non deficiebat per triennium, sed abundabat, nec minuebatur usu sed replebatur? Quis illum pauperem dixerit, ad cujus voluntatem descedebat ignis, quem invia flumina non concludebant, sed in suum fontem recurrebant, ut sicco Propheta transiret pede? Duos finitimos vetus historia describit, regem Achab et pauperem Nabuthen : quem horum pauperiorem, quem ditiorem credimus? Alter regali fulcro divitiarum præditus, inexplebilis insatiabilisque opibus suis exiguam pauperis vineam desideravit. Aliter despiciens animo* βασιλέων τας πολυχρύσους τύχας, *imperialesque gazas suo erat contentus palmite. Nonne videtur hic magis dives, hic magis rex, qui sibi abundabat, suas regebat cupiditates, ut nihil alienum concupisceret? Ille autem egentissimus, cui aurum suum vile alienus palmes pretiossimus æstimabatur?* Deinde idipsum hoc sorite demonstrat. *Quid est divitem esse, nisi abundare? Quis autem abundat, qui sit animo contractior? Quis autem animo contractior, utique angustior? Quæ igitur in angustiis abundantia? Non ergo dives, qui non abundat?* Unde pulchre David : *Divites*, ait, *eguerunt et esurierunt. Nihil ergo affectu sapientis ditius, nihil insipientis egentius; ibi abundantia ubi satietas : ubi autem fames cupiditatum, ubi inexplebilis appetentia, ibi utique paupertas*, etc. *Secundum hæc Petrus Apostolus definivit, non in auro et argento et indumentis feminarum esse ornamentum, sed in occulto cordis homine atque abscondito : unde nulla se exuat cultum pietatis ornatum gratiæ, vitæ æternæ hereditatem.* Idem per umbram vidit Socrates, cujus hæc vox et oratio extat apud Clement. Alex. lib. 5. Strom. *O Pan et dii alii date mihi, ut intus sim pulcher et honestus : siquidem est pulcherrimum id quod est sapientissimum. Dicebat enim virtutem esse animæ pulchritudinem, contra autem vitium animæ turpitudinem.*

5. SIC ENIM ALIQUANDO ET SANCTÆ MULIERES SPERANTES IN DEO, et consequenter credentes et amantes Deum, ORNABANT SE.] Τὸ *sperantes in Deo*, partim refert ad *sancta*. q. d. Quia sanctæ ideo sperabant in Deo, sancti enim cor per spem quasi anchoram defixerunt in Deo. Partim ad *ornabant se*. q. d. Quia sperabant in Deo, ideo modeste ornabant se, non capillatura, auro et vestibus pretiosis, sed obedientia, subdendo se maritis, castitate, ac spiritu quieto et modesto. Nota *sperantes*, id est timentes, amantes, colentes q. d. Deum colebant, ideo ornabant se obedientia, castitate, modestia; quia scilicet sciebant hunc ornatum Deo placere, ab eoque præcipi, ac per eum sperabant se in matrimonio à Deo omni fructu et gratia benedicendas et cumulandas. Spes enim hic per synecdochen omnem Dei cultum complectitur, æque ac ei conjunctus timor omnem Dei cultum comprehendit, ut cum dicitur : *Timete Dominum omnes Sancti ejus : timete*, id est reveremini, et colite. *Nihil deest timentibus eum. Timor Domini plenitudo sapientiæ*, etc. Qui enim Deum timet et sperat, per hunc timorem et spem impellitur, et quasi cogitur ad ei obediendum et serviendum. Ita de Josaphat rege veri Dei cultore dicitur 2. Paral. 17. 3. *Non speravit in Baalim, sed in Deo Patris sui*, id est non coluit Baalim, sed Deum patris sui. Unde subdit : *Et perrexit in præceptis illius et non juxta peccata Israel*, qui coluit Baalim, id est idola. Ps. 4. *Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino*, id est sacrificate et colite Dominum, Ps. 33. 9. *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus :* hinc, *Beatus vir qui sperat in eo*, id est eum colit et amat, itaque ejus dulcedinem gustat. Unde subdit, *Timete*, id est colite, *Dominum omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum.* Ps. 36. 3. *Spera in Domino, et fac bonitatem.* Similia sunt Psal. 83. 13. Psal. 113. 9. Thren. 3. 25. Ita Rebecca viso Isaac sponso suo modeste pallio se velavit, ac ex camelo desiliens ei honorem, reverentiam, submissionem et obsequium obtulit, atque tota vita præstitit, Genes. 24. 64. Rebeccam socrum secutæ sunt nurus Rachel et Lia, ex eisque progenitæ Noemi, Anna, Abigail, Esther, Judith et Ruth Moabitis. Sic mulieris fortis ornatum pingens, Sapiens Proverb. cap. 31. 21. *Fortitudo*, ait, *et decor indumentum ejus.*

Ita S. Gorgoniam sororem suam laudat S. Gregor. Nazian. orat. 11. *Non illam*, ait, *aurum ornavit, non flavæ comæ, crinium nodi et imposituræ, pretiosum caput summa cum insania scenam efficientium, non circumfluæ et pellucidæ vestis magnificentia, non lapidum splendores propinquum aerem colorantes, non pictorum artes et præsti-*

giæ, terrenusque fictor in contrarium fabricans, insidiosisque coloribus Dei figmentum obducens, et per honorem infamiam inurens, ac divinam formam meretricum procacibus oculis idolum proponens, ut adulterina pulchritudo naturale imaginem, quæ Deo futuro ævo servatur, surripiat. Verum cum externos multos et varios mulierum cum ornatus cognitos haberet; nullum tamen moribus suis, atque intus condito splendore præstantiorem agnoscebat. Unus illi rubor placebat, quem pudor affert: unus candor, quem parit abstinentia. Nam pigmenta et fucos, hac fluxam formæ venustatem, scenicis et trivialibus relinquebat, quibusque probrum ac dedecus est erubescere. Unde post plura mortificationis ejus, austeritatis, pietatis et devotionis heroica opera recensita exclamat : *O femineam naturam; quæ propter omne salutis certamen virilem naturam superasti; atque illud conspicuum fecisti, masculum et feminam, corporis, non item animæ discrimen esse! O ingentem post baptismum castitatem, et sponsam Christi animam in puro corporis thalamo! O Christi exinanitionem, et servi formam, et passiones ipsius mortificatione honoratas?*

6. SICUT SARA OBEDIEBAT ABRAHÆ,] adeo ut eum ex patria Chaldæa abeuntem relictis parentibus et cognatis secuta sit, et cum eo continuo peregrinata per Chananæam, ibique periculis etiam castitatis pro eo se objecerit. Vide dicta Gen. 12. 13. et seq.

DOMINUM EUM VOCANS,] dicens Gen. 18. 12. *Postquam consenui, et dominus meus* (maritus meus Abraham) *vetulus est, voluptati operam dabo?* Sara proprio nomine vocabatur *Jescha*, uti dixi Genes. 11. in fine, postea dicta est *Sarai*, id est, domina vel princeps mea, idque ut videtur, ab Abraham, qui videns se ab ea honorari, vocarique dominum, vicissim eam honorare voluit, ideoque vocavit eam *Sarai;* ita noster Lorinus. Cujus rei magnum indicium est, quod primitus vocata sit Sarai, id est domina mea, quomodo à nullo alio congrue vocari potuit quam ab Abraham marito. Deinde à Deo promittente ei filium Isaac, ex quo nasciturus erat Christus, vocata est absolute *Sara*, id est domina : quia per Christum filium suum dominatura erat toti orbi, Genes. 17. 15. Discant ergo uxores à Sara honorare maritos, sic vicissim ab eis honorabuntur ; discant eis parere, quia parendo imperabunt, et obtinebunt ab eis quidquid volent. Ita hodie videmus viros graves uxores suas vocare dominas. Nimirum, verum est illud Senecæ : *Casta ad virum matrona parendo imperat.* Unde mystice Origen. hom. 6. in Gen. *Sara*, ait, *quæ interpretatur princeps, vel principatum agens, formam tenet ἀρετῆς, quod est animi virtus. Hæc ergo virtus conjuncta est et cohæret sapienti et fideli viro, sicut et ille sapiens qui dicebat de sapientia : Hanc quæsivi adducere sponsam mihi : ideo ergo dicitur ad Abraham : Omnia quæcumque dixerit tibi Sara, audi vocem ejus. Si quis ergo ascivit sibi in conjugio virtutem, audivi vocem ejus in omnibus. Et postquam eam habuerit uxorem perfectus, effectus faciat et sororem, ut eamdem aliis communicet*, uti Abraham dixit Saram esse suam sororem. Porro S. Nazianz. orat. 11. de S. Gorgonia sorore sua, asserit Saram hac obedientia et honore quem detulit marito, promeritam esse non tantum justitiæ laudem, sed et ut ex eo conciperet et pareret filium sanctum et illustrem Patriarcham, scilicet Isaac. Vide S. Chrys. hom. 32. in Gen. ubi mire Saræ obedientiam et amorem erga maritum celebrat.

S. Ignatius epist. 12. ad Antioch. monet uxores ita revereri viros, ut illos ne quidem ex nomine compellare audeant.

Clemens Alex. l. 4. Strom. *Mulierem*, inquit, *quæ cum honestate amat maritum, describit Euripides sic monens.*

> Bonisque verbis prosequi oportet, si quid conjux dixerit :
> Si haud dixerit ; laborare ut ad gratiam dicat mariti.
> Dulce est conjugem, mali si quid evenerit,
> Cum viro tristarier, doloris et gaudii esse participem.

Sic morum mansuetudinem ostendens, et benevolentiam, vel in calamitatibus. Deinde subjungit uxoris dignam esse vocem :

> Ægrotus et si sis, ægra simul feram,
> Tuaque patiar mala ; et certe mihi
> Non quidquam acerbi ? una cum amicis nam decet
> Fieri beatos quid nisi hoc amicitia est ?

Idem Clemens l. 3. Pædagogi cap. 11. *Res*, ait, *est pulcherrima mulier domus custos, quæ et se et maritum propriis ornamentis induit, per quæ omnes exultant : filii quidem propter matrem, maritus propter uxorem, ipsa propter eos, omnes autem propter Deum. Ut paucis igitur dicam virtutis penus est fortis mulier.* S. Amb. in c. 31. Proverb. c. 3. *Bona*, ait, *conjux virum suum dominum vocat, sicut Sara obediebat Abrahæ, dicebat Petrus Apostolus, dominum eum vocans. Bona, inquam, conjux non solum vocat virum dominum suum, sed hoc sapit, hoc sonat, hoc gestat corde, hoc profitetur ore, tabulas matrimoniales instrumenta emptionis suæ deputat ;* solebat enim olim uxor à maritis coemi, et per coemptionem duci) *Est ergo ancilla dans (opera ancillis.* Sic S. Natalia maritum suum Adrianum vocabat dominum. Sic S. Monica Patricio viro suo serviebat quasi domino, ait S. August. 9. Confess. 9. Vide sex præcepta quæ uxori ex Aristotele dedi Ephes. 5. 22. et v. ult. in fine capitis. Vide et exempla honoris et amoris conjugum, quæ recensui Gen. 2. 24.

Denique S. Hier. scribens ad Celantiam hoc ei uxoribus præceptum dat : *Præcipue in conjugio venerabili et immaculato Apostolicæ regulæ ordo teneatur : servetur in primis viro auctoritas sua, totaque à te discat domus quantum illi honoris debeat: tu dominum illum obsequio tuo, tu magnum illum tua humilitate demonstra : tanto ipsa honoratior futura, quanto illum amplius honoraveris. Caput enim (ut ait Apostolus) mulieris est vir: nec aliunde magis reliquum corpus ornatur, quam ex capitis dignitate.* Uxor enim transit in domum, stirpem et familiam mariti, ab eoque omne suum decus, nobilitatem et dignitatem accipit. Porro hac de causa ducendam esse uxorem in statu parem, non superiorem, ne marito superbe præesse velit, monent sapientes Chilon et Pittacus. Audi Ausonium de septem Sapient. in Solone : *Par, pari*, inquit, *jugato conjux : quod impar est, dissidet.* Et Ovidius in ep. Dejaniræ ad Herculem :

> Si qua voles apte nubere, nube pari.

Unde illud vulgo tritum : *Tu tibi sume parem.*

CUJUS ESTIS FILIÆ.] Hinc liquet S. Petrum proprie et directe hæc scribere Judæis : hi enim

erant filii et filiæ Saræ ad litteram : consequenter tamen scribit et Gentibus : hi enim erant filii et filiæ Saræ et Abrahæ secundum spiritum, quia ejus fidem, pietatem et opera sancta imitabantur. Rom. 9. 8. ita Didym. Unde subdit Petrus *benefacientes ;* Syrus *in operibus bonis*, scilicet imitando Saræ eleemosynas et beneficentiam. Hanc enim significat græcum ἀγαθοποιοῦντες, licet idem verbum ad honoreem et benevolentiam marito exhibendam, ac quævis alia bona opera extendi possit. Porro uxoris officia et opera bona egregie depingit Sapiens Proverbiorum 31. et Tobias cap. 10. 13. et S. Paulus ad Titum 2. 4. et 5.

NON PERTIMENTES ULLAM PERTURBATIONEM,] quasi, si vos subdatis maritis, eisque benevolæ, beneficæ et obsequentes sitis, imperiosius ab iis tractandæ sitis, quin potius obsequium vestrum conciliabit vobis maritorum amorem, pacem, honorem : magnes enim amoris est amor ; ita OEcum. Rursum, q. d. Nolite timere perturbationes, id est, molestias conjugii : si enim benefaciatis, digneque conjugio vivatis, Deus sua gratia eas vobis faciet faciles. Hæc enim gratia est effectus Sacramenti matrimonii, conjugibus à Deo præparata, ut matrimonii onera fortiter sustineant, sibique bene consciæ nihil timeant. Tertio et nervose, q. d. Si qua domi oriatur perturbatio, uti sæpe fit ; si maritus irascatur, si proles litigent, si inter ancillas, famulos, cognatos, vicinos oriatur lis et contentio, nolite timere, nolite percelli ; sed fortiter omnia quasi viragines sustinete, ac vestra prudentia et gratia sopite et conciliate. Estote imperturbabiles ; ita omnes domus perturbationes sedabitis, facietisque ut tota familia instar vestri sit tranquilla et pacifica.

Minus caste aliqui *pertubationem* accipiunt libidinis (hanc enim significat Græcum, πτοησις, apud Aristot. de Gener. animal. c. 5.) q. d. Ne timeatis per obsequia erga maritum inflammandam in vobis libidinem, quia illa charitatem pariunt, non cupiditatem.

7. VIRI SIMILITER COHABITANTES,] mulieri, ut sequitur. *Cohabitantes*, id est cohabitent, scilicet ut utantur eodem tecto et lecto, ne ab uxoribus faciant divortium vel domus, vel thori, neve ad alias divertant aut foris pernoctent. Est hebraismus. Hebræi enim utuntur participio pro indicativo, quo carent ; cujus rei multa sunt exempla Rom. 12. 10. et seq.

SECUNDUM SCIENTIAM.] *Scientia* hic significat prudentiam et discretionem, quæ dictat viro, ut infirmitati uxoris se accommodet, eique honorem deferat, ut eam tractet quasi sociam, non quasi ancillam ; ita Lyran. Dion. et alii. Est enim vir in domo id quod rex in regno, ait Aristot. in OEconom. Sicut ergo rex debet esse præditus prudentia politica, qua regnum regat congrue pro subditorum capacitate et dispositione, ita vir præditus sit oportet prudentia œconomica, qua uxorem, filios et familiam ita regat, ut inter omnes constet unio, pax et amor. Rursum ut omnes doceat Dei legem et voluntatem, quid scilicet in quavis re agere vel cavere debeant ut Deo placeant, ejusdem gratiam et gloriam consequamur. Est enim vir in domo quasi oculus, lucerna et sol totam domum docens et illuminans ; ita Beda.

QUASI INFIRMIORI VASCULO MULIEBRI (S. Ambr. de Paradiso c. 4. legit ; *tanquam infirmiori vasi mulieri*) IMPERTIENTES HONOREM.] Infirmæ sunt mulieres tum sexu et complexione, tum animo et judicio ; tum arte, industria et sapientia ad res gerendas ; unde viri est externa, mulieris domestica curare. Hæc infirmitas facit eam pronam, ut facile æstimet se despici et contemni : jubet ergo S. Petrus ei occurri, eamque sublevari per honorem, ut uxores videntes se honorari à maritis, suo statu contentæ vivant, maritumque ament, et cum eo pacifice vivant quasi una caro, id est, una persona civilis et œconomica, Genes. 2. 24.

Per *honorem* S. Hier. l. 1. contra Jovin. et Hesselius accipiunt abstinentiam ab usu matrimonii, ut statis temporibus vacent orationi, ut sequitur : *Si abstinemus nos*, ait, *à coitu, honorem tribuimus uxoribus : si non abstinemus, perspicuum est honori contrariam esse contumeliam ;* quo indicat usum matrimonii esse contumeliam, id est, esse vile quid, carnale et pudendum, qua de causa hic actus turpis vulgo vocatur, et à Script. ignominiæ et turpitudinis revelatio, Levit. 18. 7.

Secundo, OEcumen. per *honorem* accipit lenitatem, ut ait, viri leniter quod quadam reverentia persuadeant uxoribus in voluptatem pronis, ut abstinentiam à conjugio tempore orationis admittant. Tertio alii ex adverso per *honorem* accipiunt debitum conjugale, quasi jubeat illud uxoribus reddi ; sed honeste, non petulanter et inhoneste instar equi et asini. Hoc est quod ait Paulus 1. Thessal. 4. 3. *Ut abstineatis à fornicatione, ut sciat unusquisque vas suum* (uxorem suam) *possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut et Gentes quæ Deum ignorant ;* ita ex Turriano noster Lorinus. Quarto, melius et plenius OEcumen. rursum, *honorem* generaliter et proprie ut sonat accipit, ac præsertim ut mitem, inquit, se vir uxori et placibilem exhibeat, neque domesticarum rerum quæ ipsius fidei creditæ sunt, nimis severam aut accuratam ab ea rationem exigat. Rursum ut honorifice eam tractet et compellet, dicendo, v. g. cum Abraham, Sarai, id est domina mea quid cupis, quid à me postulas : Mulier enim natura sua est timida, verecunda et pusillanimis : timoris hujus, pudoris et pusillanimitatis pharmacum est honor, si videat scilicet se à marito honorari. Sic Claudius Imper. Messalinam uxorem, licet impuram, vocabat *dominam*. Nestor apud Homerum Odyss. 3. conjugem vocat *dominam :* sic quoque S. Adrianus compellavit suam S. Nataliam. Hinc Itali, Hispani et Galli permulti uxores vocant *damas*, Græci δέσποινας, id est *dominas*. Huc spectat illud Martial. l. 11. in Paulam epigram. 8.

Hærebit dominæ vir comes ipse suæ.

Et Virgil. Æneid. 6.

Hi dominum Ditis thalamo deducere adorti,

Et Catull. in Epithal. Juliæ,

Ad domum dominam voca.

Præclare S. Basil. hom. 7. Hexaem. *Vos*, ait, *ô viri, conjuges vestras diligite, etiamsi locis longinquis in conjugii societatem convenistis, naturæ vinculum legibus ac benedictione obstrictum, unio ac jugum distantium esto.* Et inferius, cum exemplo viperæ et murenæ docuisset, uxori mores viri asperos ferendos esse subdit, *Audiat et ipse vir accommodatam sequæ decentem admonitionem:*

vipera virus ob nuptiarum venerationem evomit, tu duritiam animi, tu feritatem, tu crudelitatem ob unionis reverentiam non deponis?

Et S. Chrys. hom. 26. in 1. ad Cor. *Considera mulierem debile vas esse. Tu autem vir, propterea princeps factus et capitis loco datus, ut subditæ feras imbecillitatem: velis igitur tuum illustrare principatum; quod facies, si subditæ non insultaveris: et quemadmodum rex tanto clarior apparet, quanto præfectum suum clariorem ostendit, quem si inhonoraret, et contumelia illius dignitatis magnitudinem afficeret, non parvam gloriæ suæ partem auferret: itidem et tu si illam quæ secundum post te locum obtinet, contumelia afficis, non parum tui principatus honori derogas. Quotiescumque aliquid molesti domi contigerit, si quid uxor peccaverit, consolare, et noli mœrorem augere. Licet enim omnia projicias, nihil molestius continget, quam non habere benevolam domi uxorem: licet quodcumque dixeris peccatum, nullum magis dolendum inveneris, quam cum uxore seditionem habere. Itaque propterea omnium maximo in honore habenda est hujusmodi dilectio. Quod si invicem onera ferenda sunt, multo magis uxoris, et si pauper sit, noli exprobrare; et si stulta, noli ei insultare, sed esto modestior: etenim tuum membrum est, et caro una facti estis. Sed stulta est, ebria, iracunda. Igitur dolendum est, non irascendum: et Deo supplicandum est, et ipsa admonenda et adjuvanda consilio, et omni conatu adnitendum ut illis liberetur affectibus. Quod si verberaveris, exasperabis morbum: asperitas enim mansuetudine, non alia asperitate dissolvitur.* Subdit exemplum Socratis, qui rogatus quomodo mores uxoris pravæ et temulentæ toleraret, respondit, *ut gymnasium, palestram philosophiæ* (patientiæ) *domi habeam. Ero enim, inquit, cum aliis mansuetus, cum in ea quotidie toleranda eruditar.*

TANQUAM COHÆREDIBUS GRATIÆ VITÆ.] Dat causam cur viri honorare debeant uxores, quia scilicet, esto natura et sexu sint infirmæ et impares, tamen gratia et vocatione viris sunt pares; vocatæ enim sunt ad eamdem cum viris gratiam et gloriam. Honorent ergo illas, quasi sibi coheredes in Ecclesia tam militante, quam triumphante. Nota. Gratia vocatur *vitæ*, id est, Primo, vitalis quia scilicet gratia dat animæ vitam spiritualem, ut vivat spiritu Dei. Secundo, quia gratia ducit ad vitam æternam: gratia enim est semen gloriæ, quocircirca à Christo vocatur fons aquæ salientis in vitam æternam, Johan. 4. v. 14. Unde pro ζωης, id est *vitæ*, Græca Regia habent ζωσης, id est *vivæ*, vivificantis, et vitam æternam conferentis. S. Hieron. l. 1. contra Jovin. legit, *tanquam cohæredibus multiplicis gratiæ.* Gratia enim Christi et Christianismi multiplex est, multasque virtutes et dona complectitur. Porro τοῖς *cohæredibus*, scilicet mulieribus: has enim intellexit *in vasculo muliebri.* Sic enim Hebræi sæpe per enallagen commutant numeros, atque ac personas et genera, præsertim cum in uno alterum includitur, ut hic fit. Græca habent συγκληρονόμοι, id est *cohæredes*, in nominativo, ut referatur ad viros. Sed eodem redit sensus. Si enim vir est cohæres uxori, ergo et uxor viro: cohæres enim cohæredis est coheres: hæc enim sunt correlativa.

UT NON IMPEDIANTUR ORATIONES VESTRÆ.] Græce ἐγκόπτεσθαι, id est, *refringantur*, intercipiantur, abrogentur, extirpentur. Tigurina, *ne interrumpantur preces vestræ*, ut significet assidue, id est crebro esse orandum etiam conjugibus. Sensus est. q. d. Si vir uxori honorem non deferat; sed illam viliter, dure et indigne tractet, si illi irascatur, indignetur, objurget, verberet; illa vicissim viro indignabitur, cum eo jurgabitur et rixabitur, ac plaustra conviciorum et maledictorum in illum regeret. Itaque impedietur utriusque pietas et oratio: huic enim nil tam contrarium, quam ira et rixa; animusque turbatus, impatiens et vindictæ avidus. Unde Christus jubet nos reconciliari fratri, antequam munus nostrum Deo offeramus, Matth. 5. v. 23. Ita Hugo, Lyran. Dionys. et alii. Secundo, alii. q. d. Impertite honorem, id est, debitum conjugale uxori, ita tamen ut non impediantur orationes vestræ, sed cum sumenda est Eucharistia, aut alias orationi vacandum, ab usu conjugii abstineatis, uti monet Paulus 1. Corinth. 7. v. 5. Unde S. Hieron. Glossa et Beda per *honorem* accipiunt abstinentiam à conjugio, uti paulo ante dixi. Verum hæc expositio supplet τὸ *ita tamen*, quod non est in Græco, imo à Græco excluditur, habet enim sic: εἰς τὸ μὴ ἐγκόπτεσθαι τὰς προσευχὰς ὑμῶν, id est, *ad non infringendum orationes vestræ*, quod ad omnia præcedentia, quæ dicta sunt tam de mulieris officiis erga virum, quam de viri erga mulierem, referendum est. q. d. Vos, ô mulieres, subjectæ estote viris, eis obedite, ac tollite omnem perturbationem. Vos similiter, ô viri, mulieribus impertite honorem, ne interrumpantur preces vestræ, ut vel vir offensus à muliere, vel mulier offensa à viro, vel uterque amarum ergo alterum gestans cor pie, tranquille et fructuose orare non possit, sed uterque alteri obsequens concordans et quasi concinens, concordem cum altero Deo offerat orationem. Hanc enim concordiam mire amat poscitque Deus, præsertim à conjugibus et confœderatis, juxta illud Eccli. 25. 1. *In tribus placitum est spiritui meo, quæ probata coram Deo et hominibus: concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes.* Quare oratio viri et mulieris concordium est alata duabus alis, quibus facile evolat ad Deum, ibique suavem edit harmoniam et concentum. Oratio vero discordium, si videlicet unus ab altero discordet, vel una, vel utraque caret ala (ala enim est concordia) ac proinde ad Deum evolare nequit, estque velut harmonia hiulca et dissonans; vim enim orationis unius impedit et elidit alter consors et conjux, qui offensus tacite et sæpe actu et explicite petit vindictam, ut Deus vocem, consortis non audiat. Et hoc significat Græcum ἐγκόπτεσθαι. q. d. Ne incidatur, vel excidatur et enervetur vis orationis vestræ. Inciditur enim et eliditur per dissidium et discordiam: coalescit vero et corroboratur per concordiam, juxta illud Christi: *Dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo.* Matth. 18. v. 19.

8. IN FINE.] Perperam Beda, Lyran. Glossa et Hugo legunt *in fide.* Græce enim est τὸ δὲ τέλος, hoc est ut Syrus, *finis vero.* q. d. Finaliter, postremo, ad extremum; Tigur. *in summa;* quod ex Seneca ep. 40. dicimus, *summa summarum*, dum rem vel orationem concludere volumus. Vide Franc. Lucam. Sanctus Petrus enim postquam dedit præcepta propria servis, uxoribus, maritis, concludit dando præcepta fidelibus

omnibus communia, ne prolixe et cum tædio singula singulis hominum statibus assignare cogatur.

Omnes unanimes.] Pingit hic S. Petrus Christianum perfectum, et virtutibus quasi dotibus suis omnibus adornatum. Requirit ergo ab eo novem virtutes. Primo unanimitatem; Secundo, compassionem; Tertio fraternum amorem; Quarto, misericordiam; Quinto, modestiam; Sexto, humilitatem; Septimo, charitatem, qua bonum pro malo reddat: Octavo, patientiam et constantiam in persecutionibus; Nono, sanctimoniam, ut Christum in corde sanctificet: hæ sunt novem virtutes Christianorum, quasi novem chori angelorum, adeoque ad eos fideles transmittunt et sicut omnes chori angelorum inter se connexi et consociati sunt, ita et hæ virtutes. Una enim alterius, imo cæterarum omnium individua est comes, ut soror esse videatur, imo sæpe vel mater, vel filia. Unanimitas enim parit compassionem, compassio fraternum amorem, amor misericordiam, misericordia modestiam, modestia humilitatem, humilitas charitatem, charitas patientiam, patientia sanctimoniam.

Pro *unanimes* græce est ομοφρονες, id est ejusdem mentis et animi, idem sentientes, consentientes. Jubet Petrus ut fideles mente et voluntate sibi invicem consentiant. ut quod unus vult velit et alter; quod S. Paulus clare et crebro suis inculcat, dicens: *Idipsum invicem sentientes.* Rom. 12. 16. Et: *Implete gaudium meum ut idem sapiatis, eamdem habentes charitatem, unanimes idipsum sentientes.* Philipp. 2. 2. Et: *Deus autem patientiæ et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi.* Aliqui addunt, *unanimes in oratione;* sed hoc est glossema ipsorum quod textum Script. explicat, at non plane nec adæquate: Petrus enim exigit ut fideles sint unanimes non tantum in oratione, sed et in rebus omnibus.

Porro S. Petrus primam fidelium et Ecclesiæ virtutem assignat unanimitatem, quia ipsa est vinculum indissolubile eorumdem, quod eos contra omnes hostes facit invictos et insuperabiles. Est hæc communis Philosophorum, omniumque gentium vox et sententia. Antisthenes, inquit Laertius l. 6. c. 1. *Dixit fratrum inter se concordiam quovis muro firmius esse munimentum.* Agisilaus rex Lacedæmonum rogatus cur Lacedæmon mœnibus non cingeretur? ostendens cives armatos et unanimes: *Hi*, inquit, *sunt Spartæ mœnia*, significans unanimitatem civium, quibusvis mœnibus esse fortiorem, juxta illud Homeri:

Scutum hæsit scuto, galeæ galea, atque viro vir.

Civibus ergo quos jungit concordia, nullus potest esse murus inexpugnabilior. Ita Plutarch. in Lacon. qui et addit: Lycurgus rediens Lacedæmonem, videns civium manipulorum acervos in messe ordine positos, ridens dixit: *Ut tota Lacedæmon videretur multorum esse fratrum, qui inter se diviserunt hæreditatem.* Idem rogatus à civibus, quo pacto contra hostes tuti esse possent? respondit: *Si pauperes manseritis, et contentiones mutuas deponetis*, significans immodicas opes et discordiam duas esse urbis exitiales pestes.

Scipio Africanus capta Numantia Tyresium principem rogavit, qua ratione Numantia prius invicta jam manus hosti dedisset? cui ille: *Concordia victoriam, discordia exitium præbuit.*

Micipsa apud Salust. in Jugurth. jam moriturus filios suos ad concordiam exhortans, aureum de ea edidit gnomen: *Concordia enim res parvæ crescunt, discordia autem maxime dilabuntur.*

Severus Rom. Imper. moriens vocavit M. Antonium et Getam filios, aitque: *Facite ut conveniat inter vos, locupletate milites, cæteros omnes contemnite.* Ita Dion. et Xiphilinus in vita Severi.

Scilurus octoginta habens filios moriturus fasciculum telorum singulis porrexit jussitque rumpere. Id cum singuli recusassent quasi impossibile, ipse singula exemit, itaque sigillatim facile confregit omnia; addiditque: *Si concordes fueritis, validi invictique manebitis: contra, si dissidiis et seditione distrahamini, imbecilles eritis, et expugnatu faciles.* Ita Plutarch. in Apoph. regum.

Clarius et particularius idipsum docet Eccles. c. 4. 9. *Melius est*, ait, *duos esse simul quam unum: habent enim emolumentum societatis suæ. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cum ceciderit non habet sublevantem se, et si dormierint duo fovebuntur mutuo: unus quomodo calefiet? Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistent ei: funiculus triplex difficile rumpitur.*

Ratio à priori hujus rei est, quod origo concordiæ sit ipsa SS. Trinitas: hæc enim est prima essentialis et increata concordia, eaque tanta, ut tribus personis divinis non tantum sit una eademque mens et voluntas, sed una eademque singularis et individua essentia, quæ proinde creaturis quo magis sibi vicinæ sunt, eo majorem ex se impertit concordiam. Quocirca inter tot milliones angelorum summa est concordia, æque ac in orbibus omnibus cœlestibus, astris et stellis, licet plurimos et contrarios motus habentibus. Unde illud Job 25. 2. *Qui facit concordiam in sublimibus.* Et c. 38. 37. *Concentum cœli quis dormire faciet?*

Ex adverso in inferno summa est discordia. Quocirca homines in terra concordes æmulantur vitam cœlitum et angelorum: discordes vero sequuntur vitam infernalium et dæmonum, inter quos perpetua est lis et rixa. Rursum Christus ut concordiam inter homines et angelos, inter cœlum et terram, inter Deum et Adami posteros sanciret, descendit in terram, carnemque assumpsit, ut existens Deus homo in se uniret Deum et homines. Insuper et Spiritus sanctus est personalis amor et concordia Patris et Filii: qui ergo concordes sunt, templum sunt Spiritus sancti æque ac Christi, juxta illud ipsius promissum: *Ubicumque sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Matth. 18. 20.

Hac de causa primitivi Christiani obtemperantes huic præcepto S. Petri, impense studuerunt unanimitati, ut patet ex Apologiis Tertulliani, Justini, Athenagoræ, et aliorum, imo ex S. Luca Actor. 4. 32. *Multitudinis*, ait, *credentium erat cor unum, et anima una.* Celebrat S. Cyprian. ep. 1. ad Cornelium, concordiam populi Romani, quod omnes unanimiter cum suo Pontifice Cornelio obtulerint se martyrio: *Virtus*,

inquit, *illic Episcopi præcedentis publice comprobata est, adunatio sequentis fraternitatis offensa est, dum apud vos unus animus et una vox est, Ecclesia omnis Romana, confessa est*, etc. *Docuistis graviter Deum timere, Christo firmiter adhærere, plebem sacerdotibus in periculo jungi, in persecutione fratres à fratribus non separari, concordiam simul junctam vinci omnino non posse; quidquid simul petitur à cunctis, Deum pacis pacificis exhibere.* Et mox: *Quale fuit illud sub oculis Dei spectaculum gloriosum? quale in conspectu Christi ejus: Ecclesiæ suæ gaudium, ad pugnam quam tentaverat hostis inferre, non singulos milites, sed tota simul castra prodisse?*

Memorabile est quod in Vita S. Macarii legimus, nimirum ipsi revelatum esse, quod omni sua oratione, jejunio et studio virtutum necdum pervenisset ad mensuram meriti duarum mulierum, quæ cum maritis in eadem domo per quindecim annos vixerant in pace et concordia, adeo ut numquam una alteri verbum asperius dixerit.

Præclare S. Antiochus homil. 80. de Concordia: *Quemadmodum*, inquit, *examen apud favum sibi conficit mellis, ita fratrum congregatio regnum repræsentat Dei: sicut tubarum clangor bellantium promovet et excitat alacritatem, ita et practicæ virtutis doctrina studia discipulorum mire exacuit.* Et S. Maximus serm. 6. de fraterna dilect. *Nihil*, inquit, *est concordiæ comparandum, per illam enim unus multiplicatur et fit decuplex, inveniesque in decem unum, et in uno decem. Quod si hostes illi aliqui sint, qui in unum impetum fecerit, is quasi in decem irruerit, sic capitur. Eget unus, at non premitur egestate, nam majore parte et numero inopia obumbratur: illorum unusquisque vigenti habet manus, ac viginti oculos, totidem pedes, animas item decem: non enim suis tantum, sed illorum etiam membris quisque utitur in omnibus ac si centum forent.*

Compatientes.] Syrus *patientes cum iis qui patiuntur.* Græcum συμπαθεις valde est significans. Tigurina vertit, *similiter affecti;* Vatabl. *mutuo affectu tangamini;* Pagnin. *iisdem afflictionibus affecti:* συμπαθεια enim est naturalis consensus et convenientia, ac quasi concentus membrorum, vel rerum similium, qua passionem unius membri sentit et patitur aliud membrum, quasi illi commembrum. Unde à Plinio vocatur consensus membrorum, et collegium naturæ, cui antipathiam sive naturæ repugnantiam opposuit. Jubet ergo S. Petrus ut fideles invicem compatiantur, mutuasque afflictiones sentiant, et sentiendo ac condolendo sublevent, perinde ac anima per naturalem unionem et sympathiam sentit molestias corporis, eique condolet: vel perinde ac caput per sympathiam sentit dolores stomachi, et cujuslibet membri, eique condolet et succurrit. Hoc est quod ait Paulus Roman. 12. v. 4. *Gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus.* Et 1. Corinth. 12. v. 26. *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Sympathia enim hæc membrorum tam est in bono, quam in malo: in bono enim congaudent, in malo condolent. Et Galat. 6. 2. *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Vide ibi dicta.

Præclare S. Maximus de charitate l. 3. n. 78. *Ille*, ait, *germanus est amicus, ingruente infortunio tribulationes, et difficultates, et calamitates in tempore tentationis una cum proximo perinde ut suas, sine animi consternatione et perturbatione tolerat.*

Et S. Chrysost. apud Antonium in Meliss. parte 2. cap. 55. *Quanto fortior fueris, tanto æquius est te imbecilliorem ferre. Non enim sibi soli fortis esse debet qui robore præditus est, sed etiam aliis. Quod si dicis te fortem esse, et illius imbecillitatem contemnis, duplicem dabis pœnam: nam quisque de salute proximi sollicitus esse debet.*

Fraternitatis amatores.] Tigurina, *fraterna præditi charitate.* Hæc est philadelphia fidelium, qua invicem, id est, totum fidelium cœtum amant ut fratres, ut sicut frater impense amat totam suam fraternitatem, id est, totum cœtum fratrum, puta omnes et singulos fratres; ita fidelis fraterne amet omnes et singulos fideles, totamque eorum congregationem et Ecclesiam. Vide dicta cap. 1. 22. et c. 2. 17.

Misericordes,] ex intimis animi visceribus; hoc enim significat ευσπλαγχνοι. Misericordia, ait S. August. lib. 9. Civit. 5. *est alienæ miseriæ quædam in corde nostro compassio, qua utique, si possumus, subvenire compellimur. Servit enim motus iste rationi, quando ita præbetur misericordia, ut justitia conservetur, sive cum indigenti tribuitur, sive cum ignoscitur pœnitenti. Hanc Cicero locutor egregius non dubitavit appellare virtutem. Sic enim ille Cæsarem alloquens* (oratione pro Q. Ligario) ait: *Nulla de virtutibus tuis, nec admirabilior, nec gratior misericordia est.* Errant ergo Seneca et Stoici censentes misericordiam esse vitium, puta passionem et ægritudinem animi mollis et commiserantis, uti dixi Actor. 17. 18.

Modesti, humiles.] Modestiæ comes et soror est humilitas: *Mansuetudo et humilitas, sunt velut sorores collactaneæ*, ait S. Bernard. serm. in illud Apocal. 12. *Signum magnum.* Unde græce pro his duobus est una vox φιλοφρονες: quod Tigur. et Pagnin. vertunt, *affabiles;* alii, *quibus benigna et benevola est mens:* φρην enim est mens. Budæus in epist. poster. *benevoli, amicabiles, humani, faciles, commodi, comes, festivi, blandi, benigni,* φιλοφροσυνη enim est comitas, benignitas, affabilitas, benevolentia, hilaritas, benigna exceptio, hospitalitas, familiaritas, liberalitas, quæ omnia promanant à modestia et humilitate, adeoque præcipua et gratissima, modestiæ pars est comitas et benevolentia. Adde, videri in Græcis unam vocem deesse, id colligo tum ex eo, quod aliqui Codices habeant φιλοφρονες, id est *modesti,* comes, benigni, etc. alii φιλοταπεινοφρονες, id est, *amantes humilitatis;* et ita legit Œcumen. Videtur ergo olim utraque vox fuisse in Græco; sed scioli aliqui putantes unam superfluere, eam vel expunxerunt, vel ad marginem rejecerunt: tum ex eo quod Noster duabus vocibus vertit, *modesti, humiles;* ergo videtur ipse in Græco pariter legisse duas voces eis respondentes. Jubet itaque S. Petrus fidelibus ut sint modesti, id est humani, placidi, cunctis affabiles, et in vita communi faciles, ut omnes sibi et Christo concilient, ideoque neminem licet vilem et pauperem fastidiant, nullum offendant verbis, aut moribus asperis. Sunt enim aliqui instar Timonis misanthropi tam morosi, difficiles et agrestes, ut cum illis vix possis agere, aut loqui, quia assidue grunniunt, murmurant, detrahunt, irascuntur, rixantur. Porro modesti et comes vocantur φιλοφρονες, quasi omnia sapientes, vel quasi amantes sapientiæ et pru-

dentiæ. φρονειν enim est *sapere*, et φρονημα *prudentia;* quia vera sapientia et prudentia est modestia: hæc enim Dei et hominum oculos animosque ad se allicit, omnia impetrat, omnia persuadet. Ex adverso arrogantia, immodestia, asperitas omnibus exosa est, omnia turbat, omnia evertit. Hinc et modestia, æque ac temperantia, vocatur σωφροσυνη, quasi σωζουσα τυν φρονησιν, id est, *conservans mentem et sapientiam*, ait Aristot. l. 6. Ethic. c. 5. et, ut Socrates apud Platonem, quasi σωτηρια της φρονησεος, , id est, *salus mentis et sapientiæ.*

Quæres, quæ et qualis virtus sit modestia? quæ ejus officia? quomodo acquirenda? Dico Primo: Modestia totum hominem exteriorem honeste et decenter componit; sicut interiorem componunt aliæ virtutes. Modestia ergo est compositio membrorum, sensuum, vestium, incessus, sermonis, aspectus, vultus, omniumque motuum et actuum externorum. Quocirca ipsa est virtutum purpura, ut ait S. Ambrosius nec ita purpura ornat Reges et Cardinales, sicut modestia decorat fideles, itaque ipsa est cyclas aurea et gemmea ornans Christianum, juxta illud Cant. 1. 11. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Et *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* Et: *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus*, Psal. 44. v. 10. et 14. Quare modestia Primo, est ornamentum et vestis regia hominis, quæ mire ipsum speciosum reddit. Sicut enim corpus pulchrum ornat animam, et vestis pulchra ornat corpus; ita modestia exornat et vestem et corpus et animam. Modestia enim dicitur à modo et moderatione, quia omnibus hominis actibus et gestibus modum ponit, eosque decore moderatur. Unde S. August. in Regula: *In omnibus*, inquit, *motibus vestris nihil fiat quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram doceat sanctitatem.* Religiosi nonnulli ab aliis non discriminantur veste, ut modestia quasi vestis eos discriminet. Hinc Secundo, modestia mire placet Deo, ejusque et angelorum oculos valde recreat, æque ac eosdem offendit immodestia et inverecundia. Sicut enim homines delectat videre reginas cyclade regia ornatas, ita angelos delectat videre homines vestitos et ornatos modestia. Unde sponsus ait Cant. 7. 1. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis?* Et S. Paulus: *Spectaculum facti sumus mundo et angelis et hominibus*, 1. Corinth. 4.

Tertio, modestia valde ædificat proximos: illi enim internam virtutem cernere nequeunt, nisi per externam modestiam. Modestus ergo est quasi statua virtutis. Tales fuerunt Essæi, qui adeo fuere modesti, ut in cœtu nullus spueret, nemo vel minimum ederet sibilum aut strepitum, ut angeli viderentur. Vide de iis Philonem, Josephum, et ex iis Eusebium.

Dico Secundo, modestia est effectus et actus externus virtutis et compositionis internæ, ideoque impossibile est ut quis continuo et in omnibus actibus sit modestus et compositus, nisi prius mores, affectus et passiones internas edomuerit et composuerit. Compositio enim exterior manat ab interna, et, ut ait Hugo Victorin. *Habitus mentis in statu corporis agnoscitur.* Quocirca angeli ut docerent nos modestiam, sæpe apparuerunt in corpore assumpto, ut in eo angelicos mores et modestiam exprimerent: quin et Verbum divinum ideo incarnatum est, ut in carne divinos mores exprimeret. Repræsenta ergo tibi angelorum et Christi in carne conversationem et modestiam, in eoque quasi speculo te intuere, et ad illud mores tuos reforma et conforma. *Age quasi quidam obambulans in terra Deus, et sanctus in carne angelus.*

Dico Tertio, S. Thomas 2. 2. q. 160. art. 2. ponit quatuor species modestiæ. Prima, inquit, est humilitas, quæ moderatur appetitum excellentiæ. Secunda est studiositas, quæ moderatur curiositatem sciendi. Tertia est modestia, quæ moderatur sensus et actus hominis. Quarta est modestia vestitus. Verum large sumit modestiam: proprie enim modestia est compositio hominis exterioris, cujus actus sunt varii. Primus, modeste componere singula membra. Secundus, componere habitum et vestitum. Tertius, componere incessum et conversationem. Quartus, componere sensus, præsertim oculos, ne sint vagi, sed modesti et demissi: aures, ne pateant vanis, curiosis, detractoriis: linguam, ne proferat otiosa, nociva, maledica, iracunda, superba, etc. Modestiæ enim opponitur immodestia, petulantia, levitas.

Porro, modestia componit mores ubique, puta in cubiculo, in oratorio, in schola, in templo, in mensa. Sæculares maxime notant sacerdotes et Religiosos in mensa, quia facile in ea exceditur cibo, potu, garrulitate. Caveant ergo sibi Religiosi, ac modestiam servent, præsertim quando in sæcularium mensis versantur, si suum decus, nomen et famam tueri volunt. Quocirca si sapis, sic oculos, vultum, vocem, habitum, gressum, motusque omnes compone, ut deceant Deum, ut te ornent, ut proximum ædificent: alioqui enim decus latet in animo, dedecus patet in voce, vultu, habitu: sciat Religiosus, cogitet sacerdos, se sui gradus, Ordinis et monasterii decus et dignitatem suo habitu circumferre. Sæculares enim ex uno æstimant judicantque cæteros, ac dicunt: Vidi unum Religiosum talis Ordinis, vel unum sacerdotem talis Ecclesiæ tam modestum, pium, devotum; vel tam immodestum, dissolutum, irreligiosum: ergo cæteri sunt tales. Utinam hoc singuli cogitarent, eoque quasi fræno se cohiberent; sane magnam de se suoque cœtu opinionem concitarent.

Dico Quarto: Modestia maxime spectatur in verbis, præsertim in correptione et castigatione. Ea ergo sit humilis, lenis, modesta, suavis. Sic Christus corripuit Samaritanam, dicendo: *Voca virum tuum.* Joan. 4. Non dixit: Tu es meretrix; sed suaviter per ambages induxit illam, ut ipsa id sponte fateretur. Rursum plus monuit vita, quam verbo: sicut et S. Basilius, *cujus oratio erat tonitru, quia vita erat fulgur*, ait Nazianz. in ejus Encomio.

Sic S. Bonaventura adeo erat modestus, humilis, suavis, devotus, ut quotquot eum audirent vel viderent, illico ejus amore caperentur.

S. Mechtildis, ita colebat silentium ut muta videretur: sin cum ea quis colloqueretur, angelum se audire putabat. Ita habet ejus Vita.

Eximius in modestia fuit S. Lucianus, quem Maximianus Imper. cominus intueri non est ausus, sed per velum, ne ab eo dementaretur et Christianus volens nolens efficeretur. Vide dicta Philip. 4. v. 5.

Dico Quinto : Modi et media acquirendi modestiam sunt varii. Primus, cogitare se versari in præsentia Dei, angelorum et hominum, ab eisque ubique videri, audiri, notari. Spectaculum enim facti sumus Deo, angelis et hominibus. Ita noster Edmundus Campianus Angliæ Martyr. *Ubicumque*, inquit, *fuero, meminero me in orbis theatro versari.* Si enim modesti et circumspecti sumus dum scimus nos in oculis Pontificis, Episcopi, Regis, imo Rectoris, aut viri gravis versari, quid faciemus scientes nos stare coram Deo, illumque nos nostraque omnia penitissime intueri et contemplari, ut ea judicet et puniat vel præmiet? Rursum instar Henoch. Noe et Eliæ ambulare cum Deo, cum eoque crebro agere et colloqui; item cum sanctissimis angelis, sic enim eorum mores inducemus. Cogita si angelus è cœlo lapsus nobiscum ageret, qua gravitate, decore, honestate ageret: cogita te, tuamque animam esse quasi angelum è cœlo lapsum. Insuper ora Deum ut te tuumque cor, os et linguam, totumque corpus et mentem possideat, componat, dirigat ad suam laudem, ut in omnibus tuis motibus et moribus ipse honoretur et glorificetur, adeoque non tam tu, quam Deus per te agat, videat, loquatur, operetur.

Secundus est modestia, interna et pax animæ; ex ea enim naturaliter sequitur modestia externa, sicut ex cithara per chordas rite in se composita sequitur sonus harmonicus. Quare mortificandæ et componendæ sunt passiones animæ, præsertim ambitio, ira, tristitia. Sicut enim in mari est tranquillitas, si nullus in eo sit ventus; fluctus autem et tempestas oritur ex spiritu et vento in eo incluso, qui illud agitat et collidit: sic et morum compositio vel perturbatio externa oritur ex interna. Laudat S. Gregorius Nazianzen. orat. 11. sororem suam Gorgoniam à mortificatione, pudore, modestia, contemptu mundi, adeo ut cuperet dissolvi et esse cum Christo. Quare Deus illi diem obitus revelavit: et quia in plena animi pace vixerat, eidem immortua est, dicendo: *In pace in idipsum dormiam et requiescam.*

Tertius est habere monitores qui mores nostros notent, nosque sicubi minus compositi sint, moneant. Ita S. Carolus Borromæus duos sacerdotes ad hoc alebat, ut in actiones suas omnes invigilarent, seque si quid indecore faceret libere monerent. Hinc tota ejus vita adeo fuit composita, concinna et sancta. Scitum est illud Zenonis apud Laertium lib. 7.

Optimus ille quidem qui paret recta monenti ;

oculatius enim nos intuentur alii, quam nos ipsi.

Quartus, reflectere crebro in actiones singulas, an quid immodeste et indecenter faciamus in Missa, mensa, incessu, colloquio, etc. idque corrigere, ac constanter et fortiter correctioni incumbere per assiduam reflexionem, præmeditationem, orationem, donec illud plane emendaverimus : ut assequamur illud S. Ambros. l. 1. Offic. c. 22. *Disceptatio sine ira, suavitas sine amaritudine sit, monitio sine asperitate, hortatio sine offensione.* Et mox : *Oratio sit pura, simplex, dilucida atque manifesta, plena gravitatis et ponderis, non affectata elegantia, sed non intermissa gratia.*

Quintus, considerare mores Christi dum viveret, prædicaret, circumcursaret vicos et castella, ac præsertim in passione et cruce : qui, ut ait S. Petrus c. 2. *Peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur : tradebat autem judicanti se injuste.* Sane portentosa, jucunda, et quæ valde commoveat, est consideratio humanitatis Christi, quod in ea Deus dignatus sit nobiscum agere, vesci, docere, proficisci, pati contradictiones, irrisiones, blasphemias, summa animi æquitate et pace, ut pudeat hominem irasci, esse impatientem, immodestum, cum videt Christum se exhibuisse tam mansuetum, patientem et modestum, ut nos eadem imitari doceret. Ita S. Bernardus serm. 15. in Cantic. *Cum nomino*, ait, *Jesum, hominem mihi propono mitem et humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, et omni denique honestate ac sanctitate conspicuum, eumdemque ipsum Deum omnipotentem, qui suo me et exemplo sanet, et roboret adjutorio. Sumo ergo mihi exempla de homine, et auxilium à potente*, etc. *Semper tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in Jesum et sensus dirigantur et actus. Denique et invitaris : Pone me*, inquit, *signaculum in corde tuo, signaculum in brachio tuo.*

Sextus est, versari cum modestis. Versare cum Catonibus et Scipionibus, ait Seneca. Modestus enim facit alios modestos, sicut Deus tranquillus tranquillat omnia; sic qui aspicit quietum et modestum, se componit ad quietem et modestiam. Exemplum dat S. Ambrosius in Psalm. 118. serm. 10. in ave dicta Icterus, quod icteros sanet, eorumque morbum in se attrahat, teste Plinio l. 30. c. 11. ait ergo de ea S. Ambr. *Si est tanta vis in naturalibus, ut animal ipsum prosit ictericis, ita ut mortui quoque corpus prodesse dicatur, si fuerit demonstratum iis, qui in hujusmodi inciderint passionem, dubitare possumus quod justi sanet aspectus? Nonne vel ipsi oculorum radii virtutem quamdam videntur infundere iis, qui fideliter eum videre desiderant? Sed quemadmodum justus lætificat cor innocentium cum videtur, ita et improbi justorum cognitione torquentur, quia vel tacitis Sanctorum moribus arguuntur. Torquet castitas incontinentiam, avaritiam liberalitas, impietatem fides.* Affert exemplum basilisci, qui si prior viderit hominem, eum enecat; sin ab ipso prius fuerit visus, enecatur, ex eoque concludit : *Ergo si tanta virtus vel in oculis serpentis, vel in oculis est hominis, ut si alter alterum prior viderit possit occidere, non est virtus in oculis justi, qui repletus virtutis est gratia, cum præsertim tantum operetur fides, ut et illa quæ fimbriam Domini tetigit sanaretur*, Matth. 9. *et ille cui intendit Dominus Jesus, statim ex ejus oculis gratiam sanitatis hauriret?* Lucæ 9. *Sed qui videt justum, debet scire quid videat, non illum videt in corpore, non in vestimento, non in patrimonio, non in vultu, sed intus videt*, etc. *Sane in eo qui foris est, illum qui intus est frequenter aspicimus.*

Talis fuit S. Cyprianus, de quo ait Pontius Diaconus in ejus Vita : *Tantum sanctitatis et gratiæ ex ore lucebat, ut confunderet intuentium mentes gravis vultus et lætus : nec severitas tristis, nec comitas nimia, admixta utrimque temperies, ut esset ambigere, vereri an diligi mereretur, nisi quod et vereri et diligi merebatur.* S. Franciscus suos mittebat ambulatum per urbem, dicens :

Ite concionatum, vestro scilicet modesto et religioso incessu, eoque plus animos civium commoverunt, quam si eis concionati fuissent. Morum enim concio est viva, verborum mortua. Pontifex cum suis Prælatis visitans S. Bernardum in Claravalle, ipsius et monachorum modestia adeo commotus et compunctus est, ut plerique eorum præ devotione uberes funderent lacrymas. Ita habet Vita S. Bernardi. Plura recensui vers. 4.

Humiles.] *Humilitas est virtus qua quis ex verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit*, ait S. Bernard. de Grad. humil. Aurea est S. Nili gnome apud S. Antonium in Melissa serm. 73. de modestis : *Beatus cujus est vita excelsa, spiritus autem humilis.* Et S. Chrysostomus : *Nihil est tam Deo gratum, quam seipsum cum postremis numerare.* Et S. Basilius : *Simus vita elati, sed spiritu humiles; et virtute quidem inaccessibiles, conversatione autem facillimus sit ad nos aditus.* Et Evagrii : *Armatura tutissima animi modestia*, ibidem. Porro S. Antiochus serm. 70. de humilitate : *Verissimæ*, ait, *humilitatis insigne hoc est, nullas in quempiam intorquere contumelias, sed ab aliis in te contortas generose et infracto ferre animo. Ut enim arborum ramos exuberans copia fructuum deorsum versus inflectit, ita et accessio dives virtutum sensum hominis se possidentis demittit atque humiliat.*

Quocirca S. Ephrem serm. 1. de evers. superb. humilitatem indigitat principium et finem bonorum omnium. Dorotheus doctrina 14. absolutam omnium virtutum perfectionem, imo earum calcem et cæmentum, quod omnes inter se conglutinat. S. Augustinus epist. 56. primas, secundas, tertias, etc. in sapientia Christiana assignat humilitati : sicut Demosthenes primas, secundas, tertias, etc. in oratore assignavit pronuntiationi et actioni. Idem serm. 10. de verbis Domini : *Cogitas*, ait, *magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis.* Et mox : *Hoc in te fode fundamentum humilitatis, et pervenies ad fastigium charitatis.* Et serm. 27, *Confluit aqua ad humilitatem vallis, denatat de tumoribus collis.* Et serm. 157. de Temp. *Videte magnum miraculum. Altus est Deus; erigis te et fugit à te : humilias te, et descendit ad te. Quare hoc? quia excelsus Dominus, et humilia respicit, ut attollat; alta, id est superba, de longe cognoscit, ut deprimat.* S. Basilius Admon. ad filium spirit. *Fili*, inquit, *præ omnibus humilitati stude; quod est omni virtute sublimius, ut ad perfectionis fastigium possis conscendere; cum justæ institutiones non aliter nisi per humilitatem impleantur, et multorum temporum labores per superbiam in nihilum deputentur. Vir humilis Deo est similis, et in templo pectoris sui gestat eum. Superbus autem cum sit Deo odibilis, diabolo similis est. Humilis vero licet in habitu videatur vilissimus, gloriosus est in virtutibus; superbus autem homo, etsi decorus videatur aspectu et clarus, sed tamen inutilem eum manifestant opera ipsius, et per hos incessus et motus dignoscitur ejus superbia, et ex verbis ejus publicabitur levitas ipsius. Cupit semper laudari ab hominibus, et virtutibus, quibus alienus, se prædicare gestit. Non se patitur cuiquam esse subjectum, sed semper primatum cupit, et ad majorem gradum se conatur immergere. Et quod ex meritis obtinere non potest, ambiendo festinat. Ambulat semper tumens ut uter vacuus et inanis. Et sicut navis absque gubernatore cum jactatur à fluctibus, ita et is circumfertur inter omnes actus suos. Humilis è contrario despuit omnem honorem terrenum, et ultimum se esse judicat omnibus hominibus. Nam etsi mediocris appareat in vultu, eminens apud Dominum intuetur, cum consummaverit omnia mandata Domini, nihil se fecisse testatur, et omnes virtutes animæ suæ celare festinat : sed divulgat Dominus omnia opera ipsius, et profert in medium, et mirificat gesta ipsius et exaltabit, et clarum faciet eum, et in tempore precum suarum quod postulat impetrabit.*

9. Non reddentes malum pro malo,] non retaliantes injuriam injuria, convitium convitio. Non vetat hic Petrus justum judicium et justam vindictam, sed eam quæ vel privata exercetur auctoritate, vel non amore justitiæ, sed libidine ulciscendi, aut odio infligitur. Ita Hesselius. S. Petro succinit S. Paulus : *Non vosmetipsos*, inquit, *defendentes charissimi, sed date locum iræ*, etc. Vide ibi dicta. Præclare S. Chrysostom, homil. 18. in Matth. *Nihil*, ait, *ita læd ntes coercet, ut patientia modestiaque læsorum*, etc. *Non extinguitur ignis igne, sed aqua : sic injuria et ira non extinguitur iræ talione, sed mansuetudine, humilitate, beneficiis.* Chrysostomum magistrum secutus Isidor. Pelus. ejus discipulus l. 3. epist. 21. ad Eustath. *Inimicitia*, ait, *scribenda est in aqua, ut statim è mente et memoria effluat : amicitia vero incidenda in æs, ut jugiter menti inhæreat.* Inculcat hoc Petrus fidelibus, quia hic est apex virtutis : in injuriarum enim tolerantia et inimicorum amore consistit vitæ Christianæ perfectio. Unde S. Basil. formulam vitæ perfectæ Religiosis et Anachoretis præscribens Admonit. ad Juniores, id pene solum inculcat : *Quisquis*, ait, *solitariam vitam semel es complexus, ô homo fidelis, et idem pietatis cultor, fac condiscas ac docearis Evangelicæ conversationis formulam, corpus in primis ut sanctæ servituti mancipes; animum erudito, nihil de se sublime sapere; cogitationes instruito; puræ ut sint, iræ impetum exinanito. Vim tibi injecit aliquis? in Domini unius gratiam huic præterquam vult addito. Re quapiam spoliatus es? spoliatorem in jus ne vocato, neu lite decernito. Odio haberis? osorem amato. Persecutione percelleris? sustineto. Execratione te devovit aliquis, aut maledicentia? hunc tu ad irrogatæ contumeliæ cognitionem adhortator, aut certe pro ejusmodi intercedito. Peccatis in posterum designandis mortuus esto, Cruci Christi configitor. Omnem animi tui sollicitudinem in ipsum transcribito Dominum, ut inveniri tandem promerearis ubi angelorum myriades, cœtus primogenitorum, per quam festivi Apostolorum throni, primariæ auctoritatis subsellia Prophetarum, Patriarcharum sceptra, coronæ Martyrum, justorum præconia. Inter justos olim istos, ut allegi possis, et annumerari toto pectore concupiscito. In Christo Jesu Domino nostro. Ipsi gloria in sæcula. Amen.*

Sed e contrario benedicentes, q. d. Male precantibus bene precamini, maledicta benedictionibus, vituperia laudibus, asperos sermones blandis; quin et maleficia beneficiis compensate, uti jubet Christus Matt. 5. 44. Rationem dat S. Basilius in Reg. brev. resp. 176. quia maledici et malefici nobis sunt occasio et causa heroicæ patientiæ, ideoque nos faciunt beatos, juxta illud Christi Matth. 5. 11. *Beati eritis cum maledixerint vobis homines.*

Hoc sapiebat Religiosus ille, de quo in Apophth. Patrum nu. 76. qui quo majori afficiebatur injuria et irrisione, eo magis gaudebat, dicens: *Isti sunt qui nobis occasionem præbent ad profectum nostrum: qui autem beatificant nos, conturbant animas nostras. Scriptum est enim: Quoniam hi qui beatificant vos, ipsi decipiunt vos.*

Et S. Franciscus, qui jubebat suis ut ipsum conviciis et probris afficerent, iisque auditis dicebat: *Benedicat tibi Deus, quia talia filium Petri Bernardonis audire decet.* Ita S. Bonavent. in ejus Vita. Laudat et Seneca lib. 2. de Ira c. 33. dictum aulici, *qui rogatus quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset senectutem? Injurias,* inquit, *accipiendo et gratias agendo.*

Præclare Nazianz. apud Antonium in Melissa parte 1. serm. 55. *Concedamus,* ait, *aliquid exiguum ut majus impetremus, nempe concordiam: patiamur nos vinci, ut vincamus. Videte athletarum consuetudinem, et luctatorum certamina, qui sæpe hoc ipso quod suppositi sunt adversarios sibi incumbentes vincunt. Bonum est mansuetudine audaciam vincere, et meliores efficere eos qui injuriam faciunt, quæ toleramus patiendo. Unusquisque nostrum multum Christo debet. Veniam demus, ut impetremus; remittamus, ut nobis remittatur.*

In Vitis Patr. in vita S. Apollonii narratur, quod, cum ipse à Philemone choraula multis afficeretur injuriis, ac vocaretur impius, seductor, scelestus, responderit: *Misereatur tibi Dominus, fili mi, et nihil horum quæ locutus es reputet ad peccatum.* Hac benedictione compunctus Philemon ad Christum se convertit, adeoque gloriosum pro eo cum Apollonio obiit martyrium. Hoc est quod suis præcipit Christus Matth. 5. 43. *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.* Nam, ut ibidem ait S. Chrysost. *tempus orationis est tempus mansuetudinis, ideo Deum à se expellit, qui illum à proximo avertit.* Imo ut ait S. August. serm. 4. de Sanctis: *Facit Deo injuriam qui seipsum judicem constituit, et Deum tortorem,* cum ex adverso subjungat Christus: *Ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.*

QUIA IN HOC VOCATI ESTIS UT BENEDICTIONEM HÆREDITATE (S. Fulgent. l. 1. ad Thrasimundum, legit *hæreditatis*) POSSIDEATIS] q. d. Ad hoc vocati estis ut per injuriarum tolerantiam, nimirum benedicendo maledicentibus, benedictionem Dei tum præsentem, tum æternam, puta beatitudinem et gloriam æternam hæreditetis. Quæres, cur cœlestem hæreditatem et felicitatem vocat *benedictionem?* Resp. Primo, quia ipsa summa est Dei benedictio, id est, summum donum: Dei enim benedicere est efficax, idemque quod benefacere. Secundo, quia electi cœlo adjudicandi à Christo in die judicii benedicentur, dum audient: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Matth. 25. v. 34. quo alludit hic Petrus. Tertio, quia alludit pariter ad Deuter. 27. v. 13. ubi sex nobiliores tribus benedicunt servantibus legem Mosi, ignobiliores maledicunt eam violantibus: quo schemate repræsentata est benedictio æterna electis, et maledictio reprobis à Christo irroganda in die judicii. Quarto, quia benedictionis mercedem congrue significat nomine benedictionis: congruum enim est ut qui injuriantibus benedicit benedicatur et beetur à Christo: imo id ab eo promissum est, ideoque debitum. Ait enim Matth. 5. 11. *Beati estis cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me: gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Quinto, quia Sanctorum felicitas magna ex parte consistit in benedictione, id est, in continua laude et jubilo Dei: Laus enim Dei est negotiosum Beatorum otium, et otiosum negotium.

Nota, præter alias virtutes, amorem inimicorum et injuriarum tolerantiam dare nobis jus ad cœlum, illudque nobis pandere: sicut ex adverso injuriarum memoria, ira et amaritudo, etiam levis, illud nobis occludit, de qua re audi exemplum memorabile.

S. Anno Archiepisc. Coloniensis, paulo ante mortem per visionem raptus in cœlum, vidit consessum illustrem sanctorum Episcoporum Germaniæ et Galliæ sui ævi, atque inter eos sedem splendidam sibi paratam, ad quam cum pergeret prohibitus est ab Arnulpho Wormatiensi Episcopo, quod diceret prius illi eluendam esse maculam unam, quam in veste ad pectus habebat. Experrectus intellexit maculam hanc esse injuriæ memoriam, et animi acerbitatem in cives Colonienses, eo quod ipsum expulissent. Quare illico cum iis in gratiam rediit, itaque maculam detersit, ac paulo post plane immaculatus in cœlum migravit. Ita narrat Lambert. Schafnaburg. in descript. Annon. ad annum Domini 1075.

Denique ad hanc S. Petri sententiam facit illud Clem. Alex. l. 4. Strom. *Admiror,* ait, *Epicharmum qui aperte dicit: Si fueris mente pius, nihil mali patieris mortuus. Superius manet in cœlo spiritus.* Et Poetam Lyricum canentem: *Impiorum autem animæ sub cœlo volant in cruentis doloribus, sub malorum jugis inevitabilibus; piorum autem mentes in cœlis habitabunt, cantibus beatum magnum canentes in hymnis.*

10. QUI ENIM VULT VITAM DILIGERE.] Id est, qui optat et diligit vitam, hic longævam et prosperam, ac in cœlo æternam et beatam. q. d. Qui vult beate vivere, tum in hac vita, tum potius in futura. Unde Clemens Alex. explicat sic: *Qui vult æternus et incorruptibilis fieri.* Probat. S. Petrus id quod dixit nimirum maledicentibus esse benedicendum, ut benedictionem hæreditate possideamus, ex Psalm. 33. 13. ubi dicitur: *Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* (pro quo S. Petrus verbis dumtaxat parum immutatis ait: *Qui enim vult vitam diligere, et dies videre bonos.*) *Prohibe linguam tuam à malo,* etc.

ET DIES VIDERE BONOS.] *Videre,* id est sentire gaudere, frui. Videre enim et visus in Script. pro quolibet sensu et gustu capitur per catachresin.

Dies boni vocantur commodi, læti, felices, tum hujus, tum potius futuræ vitæ, puta dies gratiæ et gloriæ. Unde Clemens Alexandr. *dies bonos* explicat sanctos. Nam ut ait S. August. in psal. 33. *Semper dies mali in sæculo, semper dies boni in Deo.* Et S. Basilius ibidem: *Dies hujus sæculi mali sunt, quoniam et hoc sæculum cum sit mensura mundi, de quo dictum est, quod mundus totus in maligno sit positus, naturæ assimilatus mundi, quem dimittetur: partes hujus temporis*

sunt dies ipsi : Idcirco dicit Apostolus : Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Jacob autem; Dies, inquit, annorum meorum pauci admodum et mali (id est miseri et ærumnosi) *sunt. Dies* ergo *boni,* inquit S. Basilius, sunt non hujus, sed futuri sæculi, *et quos sol hic sensibilis peragit, decidui sunt et dispereunt.* De futuris autem dicitur : *Melior est dies unus in atriis tuis super millia,* psal. 83. v. 11.

COERCEAT LINGUAM SUAM A MALO,] lingua enim non coercita, sed effrænis linguaci conciliat dies malos, id est miseros et calamitosos : vide dicta Jacobi 3. v. 2. et seq.

ET LABIA EJUS NE LOQUANTUR DOLUM.] *Dolum* Græci definiunt, maleficium occultum cum præscriptione bona. *Cortex bonus macula subjacente,* ait Eugubinus in psalm. 33. Vide dicta v. 1.

11. DECLINET A MALO, ET FACIAT BONUM.] Hisce duobus præceptis concluditur omnis justitiæ lex, omnis virtutis norma et præscriptio.

INQUIRAT PACEM] cum Deo, secum, et cum proximis. Hanc pacem Christus è cœlo quasi donum divinum in terras detulit. Unde eo nato cecinerunt angeli : *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Lucæ 2. 14. Hinc eam impense celebravit et prædixit Isaias c. 2. 4. et c. 11. 6. et seq.

ET SEQUATUR EAM.] Διωξατω, id est, *persequatur* eam fixis oculis, toto corde et conatu, sicut venator persequitur leporem. Ita S. Hier. ad Rusticum. Hæc enim pax eruperat omnem sensum. Philip. 4. 7. Hæc quasi regina sedet in animæ throno, ejusque potentias, sensus et membra tranquille et hilariter regit, juxta illud : *Pax Christi exultet in cordibus vestris.* Coloss. 3. 15. Vide ibi dicta. Vere S. Augustin. de Continent. c. 7. *Pax perfecta,* ait, *tunc erit nobis, quando natura nostra creatori suo inseparabiliter cohærente, nihil nobis repugnabit ex nobis.*

12. QUIA OCULI DOMINI SUPER JUSTOS.] q. d. Dominus benignis, paternis et beneficis oculis respiciet justos, qui præcepta jam dicta servarint.

ET AURES EJUS IN PRECES EORUM] ut eas audiat, et exaudiat, iisque annuat et postulata concedat.

VULTUS AUTEM DOMINI SUPER FACIENTES MALA.] *Vultus,* scilicet iratus, trux et minax, ut mala et malos indignans videat et plectat. Hinc Aben Esdra et Eugubinus in Psal 33. pro *vultus,* vertunt, *excandescentia,* unde et sequitur : *Ut perdat de terra memoriam ipsorum.* Sic Latini vultuosum vocant tetricum, morosum et asperum. Ingens est hic stimulus ad declinandum à malo, et faciendum bonum, nimirum cogitare quod Deus quasi agonotheta bonos et bona intueatur vultu amœno, ut præmiet, malos et mala austero et minaci, ut puniat acerrime. *Nihil,* ait Tertull. lib. de Pœnit. c. 6. *occultum quod non reveletur : quantascumque tenebras factis tuis superstruxeris, Deus lumen est, et illius oculi lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et corda hominum intuentes in absconditas partes.* Porro Deus cum sit incorporeus non habet oculos et vultum, sed oculi vocantur ipsa mentis ejus acies lucidissima, qua omnia intuetur ; vultus vocatur ipse ejusdem intuitus, qui quam impiis sit terribilis colligere licet ex eo, quod Christi hominis et judicis vultus in die judicii tam erit reprobis formidabilis, ut ipsi optaturi sint manere in inferno, nec inde egredi in vallem Josaphat, ne eum aspicere, eoque percelli cogantur. Unde *reges et principes,* inquit S. Joannes Apocal. 6. 16. *dicent montibus et petris : Cadite super nos, et abscondite nos à facie sedentis super thronum, et ab ira Agni : quoniam veniet dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare?* Hunc vultum cogita quando te tentat dæmon, quando in secreto concupiscentia te ad peccatum sollicitat. Vere Boetius : *Magna,* inquit, *nobis incumbit necessitas bene agendi, quando in conspectu judicis cuncta cernentis omnia agimus.* Et Clemens Alex. l. 5. Strom. *Non est,* ait, *aliquis adeo magnus ut superet justitiam, neque adeo parvus ut lateat.* Et S. Bern. in Medit. cap. 6. *Illum,* inquit, *semper ante oculos habere debemus, per quem sumus, vivimus et sapimus.* In vita S. Dosithei legimus, illum à B. Dorotheo magistro hoc accepisse vitæ documentum : *Nunquam corde tuo Deus excidat. Cogita semper Deum tibi præsentem, et te coram illo stare,* illumque id assidue ruminantem à vita militari et dissoluta se convertisse ad religiosam et sanctam. S. Ephrem tract. de Patientia : *Semper,* ait, *Dei memineris, et cœlum mens tua evadet.* S. Hieron. in Ezech. c. 5. *Memoria Dei excludit omnia flagitia.* Clemens Alexand. 3. Pædag. 5. *Hac sola ratione fit ut quis numquam labatur, si Deum sibi ipsi semper adesse existimet.*

13. ET QUIS EST QUI VOBIS NOCEAT SI BONI ÆMULATORES FUERITIS.] *Boni,* id est *bonitatis,* ut vertit Syrus et Vatab. Græce enim est του αγαθου μιμηται, id est *boni* (in genitivo) *imitatores.* Per *bonum* accipe vel Deum et Christum cum S. Aug. serm. 107. de diversis c. 6. et 7. Vel potius ipsum bonum honestum, puta virtutem, de quo paulo ante dixit : *Declinet à malo et faciat bonum;* eo enim respicit. Ita Lyran. Hugo, Cajet. et Thomas Anglicus. Bonum enim honestum est quasi idea et norma virtutis, quæ omnibus ad imitandum proponitur, ut eam moribus exprimant, et in seipsis depingant. Sic S. Joannes ait ep. 3. 11. *Charissime, noli imitari malum, sed quod bonum est.* Vere S. Prosper epigram. 1.

> Perfecte, *ait,* bonus est et vere dicitur insons,
> Nec sibi, nec cuiquam quod noceat, faciens.
> Nam quicumque alium molitur lædere, primum
> Ipsum se jaculo percutiet proprio.

Vox *æmulatores* significat vehemens studium ardorem boni, sive virtutis, illamque ardentius amandam et prosequendam esse, quam sponsus amat et prosequitur sponsam dilectissimam. Huc spectat illud : *Qui non zelat, non amat,* et illud S. Ambros. de Instit. virg. c. 11. *Cur,* inquit, *sæculo potius laboramus, et fraudamus animam nostram tantæ bonitatis dispendio, qui nulli alii nisi huic Domino servire deberemus?* Sic enim nihil et nemo nobis nocebit. Vere enim S. Aug. loco paulo ante citato : Impius, ait, sibi nocet, non alteri, cui nocere cupit. Et S. Chrysost. scripsit ultimum opus ad Olympiadem, in quo hanc cygnæam vocem canit, multisque confirmat : *Quod nemo lædatur nisi à seipso :* extat tomo operum ejus 5.

Occurrit S. Petrus objectioni. Dicet enim quis, Si declinemus à malo et sectemur bonum ; si mala toleramus nec vindicemus, patebimus omnium injuriis et rapinis. Resp. S. Petrus, Nemo vobis nocere, græce κακωσαι, id est *affligere,* poterit, si bonum patientiæ et virtutis

sectemini; tum quia virtus omnia mala superat; tum quia Deus virtutis eique studentium est tutor et protector. Quocirca *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Roman. 8. 28. Hoc est quod orans profitetur Ecclesia : *Nulla nobis nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas.* Sic Valerianus sua ignea craticula non nocuit S. Laurentio sed profuit, quia ejus charitatem magis accendit. Sic adversa omnia quasi agmine uno irruentia in S. Jobi non nocuerunt; sed robur animi ejus toti orbi ostenderunt. Sic Ariani persequentes assidue S. Athanasium terra marique, ejus virtutem auxerunt et illustrarunt. Sic Decii, Aureliani, Nerones, Domitiani, Diocletiani, suis tormentis non nocuerunt S. Vincentio, S. Sebastiano, S. Mauritio, S. Tiburtio, S. Georgio, cæterisque Martyribus, sed eis laureas martyrii adornarunt, nec eis aliud extiterunt quam fabri et aurifices coronarum cœlestium.

Præclare Origen. hom. 23. in Num. *Ita,* ait, *in hoc mundo sunt disposita, ut nihil prorsus, otiosum sit apud Deum, etiamsi malum illud sit. Malitiam Deus non facit, tamen cum ab aliis inventam possit prohibere, non prohibet, sed cum ipsis à quibus habetur, utitur ea ad necessarias causas. Per ipsos enim in quibus est malitia, claros et probatos efficit eos, qui ad virtutum gloriam tendunt. Nam si perimeretur malitia, non esset utique qui contrairet virtutibus. Virtus autem non habens aliquid contrarium non claresceret, nec splendidior et examinatior fieret. Non probata vero nec examinata virtus, nec virtus est.* Dat exemplum in Josepho : *Tolle malitiam fratrum ejus, tolle invidiam, tolle illud omne parricidale commentum quo sævierunt in fratrem, usque quo venderent eum. Si hæc auferas, vide quantum peremeris dispensationem Dei. Simul enim abscindes cuncta illa quæ apud Ægyptum non tantum per Joseph, sed et per Mosen pro salute omnium gesta sunt : periisset Ægyptus, periissent et finitimæ regiones fame, interiisset ipse Israel. Nusquam plagæ in Ægyptios, nec virtutes illæ quas fecit Deus per Mosen et Aaron. Nemo per mare rubrum siccis vestigiis incessisset, nemo terram promissam intrasset, cibum mannæ mortalis vita nescisset. Nulla de sequenti petra aquarum fluenta prorupissent. Lex à Deo hominibus data non fuisset.* Et inferius : *Si auferas malitiam et proditionem Judæ, abstuleris pariter crucem et passionem Christi : et si non sit crux, non exuuntur principatus et potestates, nec triumphantur in ligno crucis. Si non fuisset mors Christi, utique nec resurrectio fuisset, nec extitisset aliquis primogenitus ex mortuis, nec spes nobis resurrectionis fuisset. Aufer peccatum et malitiam diaboli, simul auferes nobis certamen adversus ejus insidias, nec expectabitur corona victoriæ ei qui legitime certaverit. Si non haberemus qui adversum nos obsisterent, agones non essent, nec victoribus munera ponerentur, nec regnum cœlorum vincentibus pararetur : neque momentaneum hoc et leve tribulationis nostræ, supra modum pondus gloriæ operaretur nobis in futuro. Et hoc valde mirabile est, quod malis vasis utitur Deus ad opus bonum.* Docuit id Origenes non tantum verbo, sed et exemplo. Ardebat enim desiderio martyrii, adeoque puer eo procurrisset, nisi parentes vestes ejus abscondissent, teste Eusebio.

14. SED ET SI QUID PATIMINI PROPTER JUSTITIAM, BEATI.] Alludit, imo citat illud Christi Matth. 5. 10. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum,* pro quo Clemens l. 4. Strom. 3. legit : *Beati qui persecutionem patiuntur pro justitia, et propter me, quoniam habebunt locum ubi non patientur persecutionem.*

Nota Primo, τὸ *sed et si quid patimini.* q. d. Leve et quasi nihil est quidquid patimini : *non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

Nota Secundo, *propter justitiam,* id est, quia justi, quia Christiani, quia *justitiam,* id est virtutem, sequuntur, v. g. quia servant Dei legem, castitatem, temperantiam, statuta Ecclesiæ vel Ordinis, quia tuentur res pupillorum, fidem, agros et res Ecclesiæ, quia student reformationi Ecclesiæ, Cleri vel monasterii. Licet enim Philosophi propter justitiam, ut Socrates propter doctrinam unius Dei, videantur passi; tamen ubi vera fides non est, nec charitas, ibi nec vera est justitia, inquit S. August. epist. 50. et contra Donatistas post Collat. cap 17. Justitia ergo hic non proprie et stricte accipitur, pro virtute quæ cuique reddit jus quod illi debet, sed generatim pro quavis virtute. Martyr enim est qui patitur mortem, non pro sola justitia; sed et qui pro fide, castitate, aut qualibet alia virtute, uti passim docent Theologi. Sic S. Agnes, S. Felicula, aliæque virgines occisæ pro castitate sunt Martyres. Sic Machabæi occisi pro lege Mosis, ac nominatim pro temperantia, quia scilicet nolebant vesci carne porcina lege vetita, sunt Martyres. Sic S. Thomas Cantuariensis, S. Stanislaus, et alii occisi pro libertate Ecclesiastica, sunt Martyres. Porro recte S. August. l. 3. contra Crescent. c. 48. *Martyrem,* inquit, *facit non pœna, sed causa.*

Nota Tertio. Patientes propter justitiam sunt beati, beatitudine tum rei, tum spei. Rei qua possident bonum patientiæ quod opus perfectum habet, Jacob 1. ideoque beat et beatum facit : beatitudo enim hujus vitæ consistit in patientia et charitate. Spei, quia certo sperat regnum cœlorum patientibus promissum, uti subdit et explicat Christus Matth. 5. v. 12. Adde, Deum patientibus adesse, eisque augere robur, spem, charitatem, etc. eosque miris consolationibus mulcere, juxta illud S. Pauli : *sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra,* 2 Cor. 1. 5. Quocirca S. Cyprian. lib. 4. epist. 6. ad Tibaritan. *Exultare,* ait, *nos voluit in persecutionibus Dominus, quia quando persecutiones fiunt, dantur coronæ fidei, tunc probantur milites Dei, tunc Martyribus patent cæli.* Idem exhortat. ad martyr. *Hoc* (martyrium) ait, *est baptisma in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius : baptisma, in quo baptizant angeli : baptisma, post quod nemo jam peccat. Baptisma, quod fidei nostræ incrementa consummat : baptisma, quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat. In aquæ baptismo accipitur remissio peccatorum, in sanguinis, corona virtutum.*

TIMOREM AUTEM EORUM (qui vos affligunt, faciuntque pati propter justitiam) NE TIMUERITIS.] *Timorem,* id est terrorem, minas et plagas : alioqui enim timor timet, non timetur : timet autem non timorem, sed rem timendam. Est ergo metonymia. Timor enim ponitur pro timoris non actu, sed objecto, puta pro terriculamentis, quæ timorem

incutiunt, uti sunt minæ, eculei, gladii, ignes, crux, mors; unde Syrus vertit, *neque formidetis eos qui vobis terrorem incutiunt.* Fideles itaque nihil horum timere debent, tum quia in se breves sunt et leves, tum quia gratia Christi his omnibus eos superiores efficit, tum quia per hæc transeunt ad coronam et regnum æternum. *Mors enim pœna nascentis, si pro justitia pietateque pendatur, fit gloria renascentis,* ait S. Aug. 6. Civit. 13. Quocirca S. Ambr. in Psal. 118. octon. 21. *Nullis ergo,* ait, *justus frangatur injuriis, nullis moveatur periculis, nullis tentetur procellis, sive mors ingruat sive vita, sive angeli cœlorum, neque dejiciatur adversis, nec extollatur secundis, nusquam sit ejus infirmus affectus.* Et post multa: *Ubi pax et multa pax, ibi crux Christi non opprobrio, sed salutis est. Non fuit opprobrio Petro crux Christi, quia tantum ejus gloriæ dedit, ut inversis Christum honoraret vestigiis, metuens ne si ea specie crucifixus esset qua Dominus, affectasse Domini gloriam videretur. Crux ergo opprobrium perfido, fideli autem gratia, fideli redemptio, fideli resurrectio est, quia pro nobis passus est Dominus, quia illa nos redemit sanguine, illa ad paradisum resurrectione revocavit.*

Ita S. Ignatius non timebat leones; sed ambiebat: unde epist. ad Rom. *Ignis*, ait, *crux, bestiæ, confractio ossium, membrorumque divisio, et totius corporis contritio, et tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruar. Cumque jam damnatus esset,* ait S. Hieronymus de Script. Eccles. in Ignatio, *ad bestias, et ardore patiendi rugientes leones audiret, dixit: Frumentum Christi sum dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar,* justus enim confidit ut leo, in Dei enim defixus ait:

> Si fractus illabatur orbis,
> Impavidum ferient ruinæ.

Ita Confessores et Martyres coram judicibus et Imperatoribus stabant imperterriti, imo illos sua constantia et animositate terrebant et percellebant. Sic S. Andreas perculit Ægeam vocando eum filium diaboli, eique minando æterna gehennæ incendia. Idem fecere Machabæi Antiocho regi et tyranno. 2. Machab. 7.

Ut alios taceam, hac in re excelluit S. Hilarius, qui Constantino Imp. Arriano sævienti in Orthodoxos, eisque extremam perniciem minitanti animo interrito et leonino restitit, ejusque furorem repressit, in faciem ei omnia scelera et sacrilegia exprobrando, eumque Antichristum nuncupando. Audi in Apolog. ad Constantium liberas, igneas et adamantinas ejus voces, Episcopo et Martyre, imo Hilario dignas: *Atque utinam illud potius omnipotens Deus et universorum Creator, sed unius Domini nostri Jesu Christi pater, ætati meæ et tempori præstitisses, ut hoc confessionis meæ in te, atque in Unigenitum tuum ministerium Neronianis Decianisve temporibus explessem. Nec ego per misericordiam Domini Dei filii tui Jesu Christi, calens eculeum metuissem, qui desectum Isaiam scissem: nec ignes timuissem, inter quos Hebræos pueros cantasse meminissem: nec crucem et fragmenta crurum meorum vitassem, postquam in paradisum translatum latronem recordarer: nec profundum maris, et Pontici æstus absorbentem rheumam trepidassem, cum per Jonam et Paulum docuisses fidelibus esse in mari vitam. Adversus enim absolutos hostes felix mihi illud certamen fuisset. At nunc pugnamus contra persecutorem fallentem, contra hostem blandientem, contra Constantinum Antichristum, qui non dorsa cædit, sed ventrem palpat: non proscribit ad vitam, sed ditat in mortem: non trudit carcere ad libertatem, sed intra palatium honorat ad servitutem: non latera vexat, sed cor occupat: non caput gladio desecat, sed animam auro occidit: non ignes publice minatur, sed gehennam privatam accendit: non contendit ne vincatur, sed adulatur ut dominetur: Christum confitetur, ut neget: unitatem procurat, ne pax sit: hæreses comprimit, ne Christiani sint: sacerdotes honorat, ne Episcopi sint; Ecclesiæ tecta struit, ut fidem destruat. Te in verbis, te in ore circumfert, et omnia omnino agit, ne tu ut Deus, ita pater esse credaris.* Et paucis interjectis: *Proclamo tibi Constanti, quod Neroni locuturus fuissem, quod ex me Decius, et Maximianus audirent: contra Deum pugnas, contra Ecclesiam sævis, Sanctos persequeris, prædicatores Christi odis, religionem tollis, tyrannus non jam humanorum, sed divinorum. Hæc tibi à me atque illis socia atque communia sunt; at vero nunc propria tua accipe, Christianum te mentiris, Christi novus hostis es; Antichristum prævenis, et arcanorum mysteria ejus operaris. Condis fidem, contra fidem vivens: doctor profanorum es, indoctus piorum: Episcopatus tuis donas, bonos malis demutas; sacerdotes custodiæ mandas, exercitus tuos ad terrorem Ecclesiæ disponis. Synodos contrahis, et occidentalium fidem ad impietatem compellis: conclusos urbe una minis terres, fame debilitas, hieme conficis, dissimulatione depravas. Orientales autem dissensiones artifex nutris, blandos elicis, fautores instigas, veterum turbator es, profanus novorum es. Omnia sævissima, sine invidia gloriosarum mortium peragis. Novo inauditoque ingenii triumpho de diabolo vincis, et sine martyrio persequeris. Plus crudelitati vestræ Nero, Deci, Maximiane debemus; diabolum enim per vos vicimus. Sanctus ubique beatorum Martyrum sanguis exceptus est, dum in his dæmones mugiunt, dum ægritudines depelluntur, dum admirationum opera cernuntur; elevari sine laqueis corpora, et suspensis pede fœminis vestes non defluere in faciem, uri sine ignibus spiritus, confiteri sine interrogantis incremento fidei. Et tu omnium crudelitatum crudelissime, damno majore in nos, et venia minore desævis. Subrepis nomine blandienti, occidis specie religionis, impietatem peragis, Christi fidem Christi mendax prædicator extinguis. Non relinquis saltem miseris excusationes, ut æterno judici suo pœnas, et aliquas laniatorum corporum præferant cicatrices, ut infirmitas defendat necessitatem. Scelestissime mortalium omnia persecutionis mala ita temperas, ut excludas et in peccato veniam, et in confessione martyrium. Sed hæc ille pater tuus artifex humanarum mortium docuit, vincere sine contumacia, jugulare sine gladio, persequi sine infamia, odire sine suspicione, mentiri sine intelligentia, profiteri sine fide, blandiri sine bonitate, agere quod velis, nec manifestare quæ velis.*

Et non conturbemini.] Justus enim subinde timet, at non conturbatur. Isaias habet, *ne paveatis*, totus enim hic locus à S. Petro citatur ex Isaia c. 8. 12. ubi sic legimus, *Timorem ejus ne timeatis neque paveatis. Dominum exercituum ipsum sanctificate* (id est, ut sanctum celebrate, colite, glorificate) *ipse pavor vester, et ipse terror vester et erit vobis in sanctificationem.* Vide ibi

dicta, ne hic cogar repetere. Nota hic: nil ita timorem discutit, hominemque facit ad omnia interritum, atque sanctitas et sanctificatio, id est spes, amor et laus Dei. Qui enim timet, id est reveretur, sperat et amat Deum, non timet homines, nec hominibus placere cupit, aut displicere metuit, sed soli Deo. Nam, ut ait S. Hilarius in Psal. 52. *Placere tantum hominibus velle, Deo est displicere.* Placere autem hominibus ut salventur, *hoc non est hominibus, sed Deo placere, cum per id quod Deo placetur, et hominibus sit placendum. Ex causa enim placendi Deo causa etiam hominibus probabilis fit placendi.*

15. PARATI SEMPER AD SATISFACTIONEM (Græce ἀπολογίαν, id est *defensionem*) OMNI POSCENTI VOS RATIONEM DE EA, QUÆ IN VOBIS EST, SPE.] Syrus *de spe fidei*, id est, de spe quam gignit acuitque fides, juxta illud Hebr. 11. 1. *Fides est substantia rerum sperandarum.* Unde S. Fulg. l. 1. ad Thrasimund. legit, *de fide et spe.* Quia enim infideles urgebant primos credentes in Christum rogabantque, cur creditis in hominem crucifixum et occisum? Cur tam rigidam legem Christi capessitis? Cur tot et tanta, adeoque tormenta et martyria pro ea toleratis? Hinc eis jubet S. Petrus, ut in promptu habeant id quod eis respondeant, nimirum se credere in Christum crucifixum, non ob sua sed ob nostra scelera, ut ea expiaret, ideoque ipsum tertio die à morte ad vitam gloriosam resurrexisse, quare se credere in ipsum ut redemptorem mundi, ac peccati, mortis et inferni debellatorem et triumphatorem. Rursum se cum eo et pro eo tanta pati, quia certa fide et spe credant et sperent se per eum et cum eo ituros in cœlum, ac in fine mundi una cum corpore resurrecturos in vitam beatam et æternam, præ qua omnes hujus mundi deliciæ, omnesque minæ et pœnæ nihil aliud sunt, quam ludicra puerorum. Id enim respondisse Martyres infidelibus passim ingenti libertate, ardore et spiritu in eorum Actis legimus, ac nominatim in Actis S. Cæciliæ, quæ ab infidelibus rogata cur ætatem, nobilitatem, opes et vitam pro Christo prodigeret? tanta alacritate et ardore respondit, se id facere ut Christo pro se mortuo vicem reddat; ideoque libentissime pro eo mori, certamque esse se pro hoc vitæ contemptu accepturam vitam meliorem, imo beatam et æternam, ut quadringentos ad Christum converterit.

Quare perperam hæretici ex hisce S. Petri verbis urgent laicos indoctos, ut secum de fide disputent: hoc enim ad sacerdotes et doctores pertinet. Responsionem exigit S. Petrus; non disputationem, eamque dandam infidelibus in origine Ecclesiæ; non hæreticis, confirmata jam fide omnium sæculorum consensu. Laici ergo rogati ab hæreticis, cur credant, v. g. Christum esse præsentem in Eucharistia? respondeant. Quia id credit et credidit Ecclesia omni sæculo, quæ est columna et firmamentum veritatis, utpote sponsa Christi gubernata et protecta à Spiritu S. quare stolidum esse hoc post tot sæcula in dubium revocare. Ita Tertull. l. de Præscript. adversus hæret. c. 17. ubi et addit rationem: *Quoniam*, ait, *nihil proficiet congressio Scripturæ, nisi plane ut aut stomachi quis ineat eversionem aut cerebri.*

Audi Bedam: *Duobus modis*, ait, *de spe et fide nostra rationem poscentibus reddere debemus. Primo, ut et justas spei ac fidei nostræ causas omnibus intimemus sive fideliter sive infideliter quærentibus. Secundo, ut ipsam fidei ac spei nostræ possessionem illibatam semper teneamus, etiam inter pressuras adversantium ostendentes per patientiam, quam rationabiliter eam servandam didicerimus, pro cujus amore nec adversa pati, nec mortem subire formidemus.*

Excelluit hac laude Origen. qui rationem fidei et spei suæ et nostræ assidue cunctis reddidit, ideoque indefesse docens, legens et scribens, fidelium præceptor, infidelium catechista, Martyrum pater extitit, ut illud Horatii de Græcis jure illi accommodetur:

> Origeni ingenium, Origeni dedit ore rotundo
> Πνευμα loqui, præter Christum nullius avaro.

Hinc cognominatus est Adamantius. Adamas enim indomiti nomen obtinuit, quod, cum sit lucidissimus, nec chalybis quidem duritiæ, nec malleorum ictibus ignibusque cedat. Origenis autem animus fuit adamantinus, utpote quem nec vitæ austeritas, nec perpetui labores, nec dura paupertas, nec æmulorum improbitas, nec suppliciorum timor, nec ulla mortis facies à sancto instituto vel tantillum dimovere potuit. Phrasis ejus vivida, distincta, dilucida, ipsa brevitate vitat fastidium. Amabat quæ loquebatur, et de amatis cum voluptate loquimur: idcirco fervet. Cum de martyrio agit, sentias enthusiasmum quemdam. Quocirca adamatus ille adamantius multos Episcopos, Doctores et Martyres quasi adamantes Christo genuit, ut S. Gregorium Thaumaturgum, Athenagoram, Theodorum, Ambrosium, Firmilianum, Clementem Alexandrinum, et alios plures. Utinam senior et honoratior non dedisset maculam in gloriam suam!

Denique caute ait S. Petrus *parati* non *dantes* quia semper paratos nos esse oportet, at non semper actu dare rationem fidei et spei nostræ, v. g. cum irrisores poscunt rationem ut irrideant, cum incapaces sunt, cum per hoc rogantibus, vel aliis damnum aut periculum creatur, juxta illud Christi: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*, Matth. 6. 7.

16. SED CUM MODESTIA ET TIMORE.] q. d. Date rationem spei vestræ et fidei poscentibus, at non arroganter et impudenter, sed modeste et timide ac reverenter. Sic enim loquendum esse de Deo et rebus divinis docet Nazianzen. orat. 26. de moderatione in disputat. servanda. Pro *cum modestia*, græce est μετα πραυτητος, id est, *cum mansuetudine*: Syrus, *cum humilitate*: mansuetudinis enim et humilitatis comes et index certus, est modestia.

Præclare S. Athanas. vel quisquis est auctor, Exhortat. ad Monach. *Magis*, ait, *benignitatis adhortatione, et illiciente blandimento via veritatis ostensa, nubem erroris aperit, ut non trahi incipiat unusquisque sed sequi præcedentem. semper duriora flectenda sunt, ne viribus inclinata curvatio, priusquam in circulum veniat fatiscens fragmen effundat.*

CONSCIENTIAM HABENTES BONAM.] Tuta enim est, nihilque timet bona conscientia, ac vim et efficaciam dat sermoni et apologiæ, præsertim cum per puram sanctamque conversationem (ut solet) hominibus se spectandam exhibet. Ita Œcum. S. Petrus, ait *consulit ut responsiones à vita etiam nostra comprobentur, id quod conscientiam*

vocat, et mox : *Ita ut actiones quoque bonas præ vobis feratis. Nam si humane et mansuete feceritis, et conscientiam vestram bonam esse, id est, conscios vos bonorum esse, et non malorum, ut dicunt qui vos calumniantur, probabitis.* Præclare Cicero in Tuscul. *Nullum theatrum virtuti*, ait, *majus conscientia est;* et Juven. satyr. 13.

Hæc est summa boni, mens quæ sibi conscia recti est.

Præclarius S. Bern. serm. 71. in Cantic. explicans illud. *Ego flos campi et lilium convallium: Habent*, ait, *mores colores suos, habent et odores, odorem in fama, colorem in conscientia. Colorem operi tuo dat ejus bonitas, et cordis intentio; odorem modestiæ et virtutis exemplum. Justus lilium est in se candidum, sed proximo odoratum : proximo enim famam, nobis debemus et providemus conscientiam.*

Ut, in eo quod detrahunt vobis, confundantur.] Cum enim sancta conversatione valide confutatis eorum detractiones et calumnias, erubescunt de falsitate et calumnia sua. Hoc est quod dixit c. præced. v. 12. *Conversationem vestram inter Gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.* Huc facit illud Origen. hom. 7. in Judic. *Patientia Christianorum vincat impudentiam persequentium :* calumniam incestus vincat angelica castitas; superbiæ, profunda humilitas; crapulæ, sancta sobrietas; avaritiæ, eleemosynarum largitas, etc. Id studiose fecisse primos Christianos tempore S. Petri et deinceps, patet ex epistola Plinii ad Trajanum, et ex Apologiis Justini, Athenagoræ, Tertul. Arnobii et cæterorum, adeo ut Justinus in Apologia ad Antoninum asserat Gentiles plures exemplo sanctitatis Christianorum mutasse mores, et ex crudelibus ac truculentis factos humanos et mites, dum *patientiam injurias tolerantium* (Christianorum) *perspicerent, aut fidem eorum in contractibus experirentur.*

17. Melius est enim benefacientes (si voluntas Dei velit) pati,] scilicet si velit Deus nos pati, si afflictiones nobis immittat, aut immitti permittat. Hoc addit ad consolationem fidelium, ut sciant, nihil acerbi ibi accidere nisi ex nutu et ordinatione Dei, qui omnia ordinat ad suam gloriam et ipsorum salutem. Resignent se ergo in manus Dei Patris, et divinæ ejus de se providentiæ, nec dubitent quin Deus eis daturus sit vires ad patiendum; ac deinde patientiæ lauream. Ita Œcum. Perstringit, ait Beda, quosdam qui si pro culpa patiantur, patienter fuerunt : sin inculpati patiantur, murmurant, itaque bonum innocentiæ perdunt per culpam impatientiæ, cum potius illud augere et ornare deberent merito patientiæ. Ita Socrates damnatus ad mortem Apollodore comploranti dicentique : *Innocens morieris. Quid*, inquit, *non me nocentem mori malles?* Ea igitur mors libentius subeunda est, in qua criminis innocentia excusatur. Ita Xenophon. in Apolog. Socrat.

Aliter legit S. August. de Bono persever. c. 2. scilicet, *si spiritus Dei velit*, sicque explicat. q. d. Si spiritus Dei dederit, vobisque afflaverit donum patientiæ, quo fortiter dura pro Deo et Christo patiamini.

Quam male facientes,] q. d. Bonum est pati nocentem, at melius est pati innocentem. Unde colligas, bonum esse malefacientes pati et puniri; hic enim est actus justitiæ vindicativæ, qua et vindicatur scelus præteritum, et satisfit reipubl. ejusque læsioni et scandalo : quare fures et latrones dum puniuntur et patienter pœnam sustinent, faciunt actum virtutis, non unius, sed plurium, puta pœnitentiæ, patientiæ, justitiæ, qua pro injuria illata Deo, proximo et reipubl. satis patiendo satisfaciunt et facinorosis statuuntur in exemplum, quo timore similis supplicii à scelere se contineant. Sicut ergo summum peccatorum malum est impunitas; ita summum eorum bonum est punitio. Præclare Beda hic : *Si mihi detur optio*, inquit, *malim cum S. Tobia sive divinis, sive humanis subjacere justis verberibus, quam ab injustitia verberum vi ad justitiæ studia trahi. Rursumque malim à culpis flagello retrahi (ut Saulus) quam pro insanabili pondere peccatorum æternæ ultioni subjici, ut Elymas.* Sane signum reprobationis æternæ est, cum fures et scelerati sinuntur à Deo impune grassari, et in suis sceleribus triumphare et mori. Signum divinæ electionis est, si eos tradat in manus justitiæ : tum enim per Confessarios inducuntur ad contritionem, et animi mutationem seque disponunt ad pie moriendum. Sane vir sapiens non temere dixit, *proportionaliter plures è patibulo quam è lecto ad cœlum ascendere.*

Idem per umbram viderunt Gentiles. Cato Censorinus dictitabat, *se malle pro collato beneficio nullam reportare gratiam, quam pro maleficio perpetrato non dare pœnam*, significans nihil esse periculosius impunitate, quæ semper ad deteriora invitat. Idem dicebat : *Magistratus qui maleficos impunitate donarent, lapidibus obruendos esse quasi reipub. perniciosissimos.* Idem dicebat *se omnibus peccantibus ignoscere præterquam sibi.*

Multum dissimilis illi Mevio, qui carpens alios, sibi condonabat omnia. Sibi ignoscit, quem non pœnitet admissi; non ignoscit, qui de se pœnas sumit, aut à judice irrogatas libens subit. Ita Plutarch. in Apopht. Roman.

Agesipolis Cleombroti filius, cum quispiam ei dixisset, ipsum cum æqualibus obsidem fuisse : *Merito*, inquit, *decet enim nostra peccata nostrasque culpas nos ferre.*

Socrates censuit urbes optime gubernari, cum impii dant pœnas, teste Platone. Solon rogatus *in quos salus reipubl. consisteret? Si boni*, ait, *præmiis invitentur, mali pœnis coerceantur*, teste Cicerone ad Brutum. Ubi addit idem dixisse Lycurgum; qui fuit legislator Lacedæmoniorum, sicut Solon Atheniensium.

Bias damnaturus reum ad mortem, lachrymatus est, et cum dixisset quidam : *Quid est quod fleas, cum penes te sit vel absolvere, vel condemnare hominem?* respondit : *Quia necessarium est naturæ quidem condolere, legi autem suffragari.* Ita Maximus serm. 6.

Junius Brutus Et Manlius Torquatus proprios filios delinquentes damnarunt ad mortem, ut publicam legum disciplinam suorum sanguine sancirent, ne quis eam violans impunitatem sibi polliceretur.

18. Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est (ita Græci legunt ἀπέθανε : alii tamen legunt ἔπαθε, id est, *passus est*) justus pro injustis.] Probat fideles, licet innocentes, debere pati exemplo Christi, qui innocens et justus passus est pro injustis, puta pro peccatoribus totius mundi, quorum peccata in se luenda suscepit. Illud ergo velut ducis sui exemplum

eis jugiter intuendum et imitandum proponit, uti, et fecit c. præced. v. 21. et c. seq. 13. Idem facit Jeremias Thren. 4. 20. dicens : *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus : In umbra tua vivemus in gentibus.* Patiamur ergo pro Christo, quia ipse pro nobis passus est : ille erat innocens, nos nocentes ; dicamus cum S. Francisco : *Da Domine, amore amoris tui mori, qui amore amoris mei dignatus es mori.* Præclare S. Paulinus epist. 4. ad Severum sub finem : *Quid ergo*, ait, *illi retribuemus pro omnibus quæ retribuit nobis? Retribuit enim, sed ut bonus Dominus, bona pro malis, cui nos mala pro bonis ingresseramus. Benedicebat, et maledicebamus. Ille sanabat, et nos blasphemabamus : justificabat impios, et cum iniquis deputabatur. Quid ergo illi pro malis meis quæ pertulit, quid pro bonis suis quæ contulit referam? Quid pro suscepta carne? quid pro alapis, pro opprobriis? quid pro flagellis, pro cruce, obitu, sepultura rependam? Esto reddamus crucem pro cruce, funus pro funere : numquid poterimus reddere quod ex ipso, et per ipsum, et in ipso habemus omnia, et ipsi qui habemus sumus? Ipse enim fecit nos, et non ipsi nos, et anima nostra semper in manibus ejus. Reddamus ergo amorem pro debito, charitatem pro munere : gratiam pro pecunia.*

Nota τὸ *semel*. q. d. Primo, Christus simul et semel omnia cruciatuum genera subiit, totumque passionum mare absorpsit, ut nos doceret guttas breves, exiguas et dispertitas passionis cibere. Secundo, *semel*, q. d. Christus unico heroico patientiæ actu omnem passionum vim expunxit, omniumque factus est victor et triumphator : ergo et vos una heroica resolutione decernite quælibet adversa, Christi exemplo libenter pati : ita omni passioni evadetis superiores, cunctisque adversis et cruciatibus dominabimini. Tertio, q. d. Unica Christi passio et patientia tanta fuit, ut ea redemerit totum mundum, imo mille mundos si existerent, ac proinde nihil ei patiendum restat aut restare potest. *Una enim oblatione consummavit in æternum sanctificatos*, Hebr. 10. 14. Ita et vos plane et plene offerte vitam et mortem vestram Christo, ac nihil amplius ad offerendum et patiendum reliquum erit : sed ut Christus post unicam mortem illico transivit ad vitam et gloriam æternam, sic et vos post modicam passionem et mortem ad eamdem transibitis. S. Petro antistrophe succinit S. Paulus Rom. 6. 9. *Scientes quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo.* Apposite Beda, *Qui ergo*, inquit, *justus patitur Christum immitatur; qui in flagellis corrigitur, latronem, qui in cruce cognovit Christum, et à cruce cum Christo paradisum intravit : qui nec inter flagella desistit à culpis, sinistrum imitatur latronem, qui propter peccata ascendit in crucem, et post crucem ruit in tartarum.* Hinc refellitur error aliquorum dicentium Christum iterum passurum, ut dæmones redimat. Ita putatur opinatus esse Origenes, uti est in Concil. V. Œcum. et narrat Niceph. lib. 17. 27. Unde S. Epiph. ep. ad Johannem Hierosol. Origen. ait, censuit *diabolum rursum futurum esse quod fuerat* (angelum sanctum) *et ad eamdem rediturum dignitatem, et conscensurum regna cælorum.* Rursum *quod animæ* hominum *fuerint angeli in cælis, et postquam peccaverint dejectas esse in istum mundum, et quasi in tumulos et sepulchra, sic in corpora ista relegatas, pœnas antiquorum luere peccatorum, et corpora credentium non templa Christi esse, sed carceres damnatorum. Indeque* ψυχας *dici* απο τῳ ψυχεσθαι, *id est refrigerare, quia de cœlestibus ad inferiora venientes calorem pristinum amiserunt : ac* σωμα, *id est corpus, dici quasi* σημα, *id est monumentum; eo quod ita animam in se clausam habeat, sicut sepulchra et tumuli cadavera mortuorum.* Probat ex Ps. 118. *Priusquam humiliarer ego deliqui*, et Psal. 141. *Revertere anima mea in requiem tuam*, et Psal. 114. *Educ de carcere animam meam*, et alio loco : *Confitebor Domino in regione vivorum.*

Verum hæc Origenis dogmata confutata sunt à S. Epiph. S. Hier. epist. ad Avitum. S. August. et aliis ac damnata ab Ecclesia. Porro Hier. ibidem clare errorem jam dictum assignat Origeni. Ait enim de eo : *Ad extremum intulit* (*quod et cogitasse sacrilegum est*) *pro salute dæmonum Christum etiam in aere et in supernis locis esse passurum. Et licet ille non dixerit, tamen quod consequens sit intelligitur, sicut pro hominibus homo factus est ut homines liberaret, sic et pro salute dæmonum Deum futurum quod sunt ii, ad quos venturus est liberandos.* q. d. Ex sententia Origenis colligas Christum fore dæmonem, sicut factus est homo.

Ut nos (jam à se redemptos, purificatos et sanctificatos, quasi filios et coheredes suos) offeret Deo, mortificatos quidem carne, vivificatos autem spiritu.] Ita legunt Complut. Glossa, Lyran. aliique veteres Latini, et ex modernis Gagneius, Catharinus, Arias, et Suarez 3. p. tom. 2. disp. 43. sect. 3. atque opposite explicans, q. d. Christus sua gratia facit nos mortificare carnem, eamque subjicere spiritui, ut illo vivamus ; mentemque erigamus ad bona spiritualia et cœlestia. Vel ut Glossa. Christus nos obtulit Patri velut victimam per mortificationem carnis nostræ, et absolutos carne in æternum regnum introducet, ut ibi agamus vitam spiritualem, beatam et divinam. Id probat ex iis qui mersi sunt diluvio ; hos enim mortificatos carne, Christus vivificavit spiritu, cum ad inferos descendens eis prædicavit. Verum vera lectio est, quod Christus sit *mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.* Ita enim legunt Romana, Græca, Syrus, S. August. ep. 99. S. Cyprianus, vel potius Ruffinus in Expos. Symboli, Cyrillus de Fide ad Reginas, Petrus Alex. in Concil. Ephes. tom. 2. 7. ipse enim ex hisce Petri verbis probat Christi divinitatem; S. Hier. in c. 54. Isaiæ, qui legit *Occisus ;* Œcum. Vatabl. Cajet. Hesselius et alii hic. Sensus est, q. d. Christus secundum carnem est morte affectus et occisus, sed vivificatus spiritu.

Quæres : Quo spiritu, et quomodo? Resp. Primo, S. Athanas. lib. de Spiritu S. per *spiritum* accipit Spiritum sanctum, q. d. Christus resurrexit à mortuis, vi et virtute Spiritus S. Vel, ut S. August. ep. 99. et Œcumen. vi et potentia divinitatis, quæ est spiritus purissimus, juxta illud 2. Cor. 13. 4. *Et si crucifixus est Christus ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Secundo, Clemens Alexand. lib. 6. Strom. accipit spiritum fidelium, q. d. Christus mentem et spiritum fidelium vivificat, in eoque vivit per fidem et gratiam. Tertio, et genuine per *spiritum* accipe animam : hanc enim opponit carni Christi, et hæc

prædicavit inferis, ut sequitur, q. d. Christus mortificatus et occisus est secundum carnem, at vivificatus secundum animam, idque tripliciter. Primo, q. d. Carne Christi moriente anima ejus non est mortua, sed vivificata, id est, remansit viva et gloriosa. Sic enim Hebræi subinde vivificare sumunt pro vivum relinquere aut remanere, ut cum 1. Reg. 8. 2. dicitur de Davide : *Mensus est duos funiculos, unum ad occidendum, et unum ad vivificandum*, q. d. David Moabitas hostes à se victos partim occidit, partim in vita servavit, et 1. Reg. 27. 11. *Virum et mulierem non vivificabat* (id est, vivum non relinquebat, sed occidebat) *David.* Similia sunt Actor. 7. 19. Psal. 137. 7. et alibi. Verba enim activa apud Hebræos significant actum nunc inchoatum, nunc continuatum (ut hic) nunc consummatum. Ita Hesselius. Secundo, Christi anima post mortem carnis fuit vivificata, id est, plane viva, beata et gloriosa effecta, adeo ut triumphatrix dominaretur dæmonibus et inferno, uti sequitur; qui vivificationis actus accessit Christo quando mortuus est carne, ait Cajet.

Tertio, plane et plene Christus vivificatus est spiritu, quando virtute spiritus, id est animæ suæ, à mortuis resurrexit. Tunc enim anima quasi instrumentum divinitatis ejus carnem ingressa, eam rursum animavit et vivificavit, novamque vitam immortalem et gloriosam ei communicavit. Ita Vatabl. et alii passim. Dicit hoc Petrus, ut Christi resurgentis exemplo excitet Christianos ad patientiam, utpote qui certo sperare debeant se per Christum resurrecturos, ut per mortificationem carnis transeant ad vivificationem spiritus, ideoque in ærumnis animare se dicendo : Licet multa patiamur in corpore, tamen cum Christo et per Christum salvamur in spiritu. Simili phrasi et sensu S. Paulus 1. Cor. 15. 45. *Factus est*, ait, *primus homo Adam in animam viventem* (id est animal et homo vivens) *novissimus Adam* (Christus) *in spiritum vivificantem*, ut scilicet anima Christi gloriosa vivificaret corpus, illudque redderet immortale et gloriosum, corpus, inquam, tum suum, tum nostrum. Unde Tropol. subdit : *Primus homo de terra terrenus : secundus homo de cœlo cœlestis. Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis*, per temperantiam, patientiam, aliasque cœlestes virtutes.

Quamobrem Clemens Alex. adhort. ad Gentes, docet Christum sua incarnatione et adventu in orbem, terram, (quin et infernum, cum post mortem eo descendit) in cœlum commutasse, ideoque illi cum hymno acclamandum esse : *Salve lux, quoniam lux nobis è cœlo exorta est, qui defossi eramus in tenebris, et inclusi in umbra mortis. Lux, inquam, sole purior, et vita quæ hac est jucundior. Illa lux est æterna, et vivunt, quæcumque eam participant. Fiunt omnia lux quæ sopiri non potest, et occasus cedit orienti, hoc nova voluit creatura. Qui enim omnia obequitat sol justitiæ, æque obit humanitatem, imitans Patrem, qui æque super omnes facit oriri solem suum, et rorem instillat veritatis. Is occasum traduxit in orientem, et mortem in vitam cruci affixit : ab exitio autem abreptum hominem in æthere suspendit, transplantans interitum et corruptionem in interritus et corruptionis vacuitatem : et terram mutat in cœlum Dei agricola*, etc. *Veram vitam in memoriam redigens, et vere magnam et divinam, et quæ auferri non potest, nobis hæreditatem largiens, cœlesti doctrina hominem Deum faciens*, et mox : *Pro modica fide dat tibi tantam terram quam colas, aquam, ut bibas; et aliam ut naviges : aerem, ut respires : ignem, ut operis : mundum, ut inhabites. Hinc tibi concessit in cœlos mittere coloniam;* et inferius : *Christus*, ait, *est Verbum veritatis, Verbum incorruptionis qui hominem regenerat, ipsum reducens ad veritatem stimulus salutis qui abigit interitum, qui mortem persequitur, qui ædificavit templum in hominibus, ut in hominibus Deum collocet. Fac ut templum sit castum ac mundum, et voluptates ac delicias, tanquam caducum et brevem florem relinque vento et igne;* et sub finem : *Curramus, tollamus jugum ejus, subeamus incorruptionem. Pulchrum aurigam hominum Christum diligamus. Pullum cum veteri duxit sub idem jugum, et juncta hominum biga currum dirigit ad immortalitatem, contendens ad Deum, ut evidenter impleat quod tacite significaverat : prius quidem in Jerusalem, nunc autem agens in cœlos.*

19. In quo,] scilicet spiritu, puta anima Christi viva et gloriosa. Probat Christum licet carne mortificatum, vivificatum tamen fuisse spiritu, ex eo quod spiritu, id est quoad animam, venerit in carcerem inferni, ibique spiritibus prædicarit. Unde OEcum. εν ῳ, id est, *in quo*, interpretatur causaliter *ob quod, idcirco, quamobrem.* q. d. Quia Christus mortuus est pro injustis, non tantum sui ævi et sequentis, sed et pro iis qui ejus incarnationem præcesserunt, puta qui fuerunt tempore Noe, idcirco descendit ad eos in infernum, ut eos inde liberaret, eisque suæ mortis fructum; puta beatitudinem et visionem Dei impertiret.

Et iis qui in carcere erant.] Græce εν φυλακῃ, id est, *in custodia;* Syrus בשׁוֹל *basciul*, id est, *in inferno :* male enim Syri interpres vertit, *in sepulchro : scheol*, enim Hebræis et Syris proprie infernum significat, non sepulchrum. Perperam Beza pro *erant* vertit *sunt.* Ipse enim cum Calvino negat Christum quoad animam personaliter descendisse ad inferos, sed tantum quoad vim et operationem liberando scilicet patres è limbo. Unde hunc S. Petri locum, ex quo clare probatur Christi realis descensus ad inferos, ita detorquet et explicat, q. d. Christus in spiritu, id est vi divinitatis suæ, per Noe veniens, prædicavit incredulis tempore diluvii, qui ob incredulitatem tunc damnati, nunc sunt in carcere, puta in inferno. Perperam, inquam : nam Primo, S. Petrus per spiritum accipit animam Christi, hanc enim opponit carni, non divinitatem. Secundo, quia divinitas Christi non venit, aut, ut græce, πορευθεὶς, id est, *profecta est* in carcerem, quia semper ibi et ubique præsens fuit; venit ergo quoad animam. Tertio, quia veteres vertunt, *erant*, non *sunt.* Unde et Syrus : *prædicavit*, inquit, *animabus illis quæ detinebantur in inferno.*

Spiritibus,] Syrus, *animabus :* græce enim est πνευμασι. Male ergo quidam legunt πνευματι, id est *spiritu*, quasi Christus non personaliter, sed in spiritu, id est, per vim et efficaciam, venerit in carcerem. Unde Johannes Benedictus vertit legitque *spiritualiter.* Sic habent et Biblia vetusta manuscripta Collegii Romani, sed perperam. Græci enim et Latini codices, æque ac Syrus et interpretes, constanter legunt πνευμασι, id est *spiritibus.*

Quæres primo: Quis hic carcer, qui spiritus, quæ Christi ad eos prædicatio?

Primo, Arias Montanus per *carcerem* accipit arcam Noe, per spiritus animas octo, puta Noe, filiorum et uxorum, quæ salvæ factæ sunt per arcam, his enim prædicasse Christum per Noe, ut in arcam se reciperent, et finito diluvio ut egrederentur, et terram incolerent. Verum hæc expositio solius est Ariæ, et ab aliis passim merito exploditur, ob rationes paulo ante contra Bezam allatas; et quia arca fuit asylum, ad salutem, non carcer ad pœnam; atque octo animæ homines erant, non spiritus.

Secundo, alii censent hic sermonem esse de vocatione Gentium, ideoque *carcerem* vocari tenebras gentilismi, puta infidelitatem, *spiritus* esse animas Gentilium: his prædicasse Christum per Apostolos, cum eos convertit, fecitque Christianos: hos enim esse injustos, pro quibus passum esse Christum paulo ante dixit S. Petrus. Sic Isaias c. 9. 2. et c. 42. 49. Gentiles vocat sedentes in tenebris et umbra mortis, ac vinctos. Ita Hesselius. q. d. Christus per Apostolos prædicans Gentilibus in gentilismo quasi carcere constitutis eduxit eos ad lucem et libertatem Evangelicam. Verum nemo non videt hoc esse symbolicum et mysticum, non litterale et germanum, præsertim quia Apostoli non prædicarunt incredulis, qui fuerunt tempore Noe (Noe enim præcessit Apostolos fere per tria annorum millia) quod tamen ait S. Petrus.

Tertio, S. August. ep. 99. et ex eo Beda, Hugo Dionys. et S. Thom. 3. part. q. 52. a. 1. ad 3. per *carcerem* accipiunt corpus, quod est quasi carcer animæ, per *spiritus* animas corpori inclusas tempore Noe: his enim prædicavit Christus per Noe fabricantem arcam, ut pœnitendo imminens diluvium evaderent. Verum hic carcer magis symbolicus et mysticus est, quam præcedens. Porro perperam Thomas Anglicus pro *in carcere* legit in *carne*.

Quarto, ergo et genuine per *carcerem* hunc cæteri Patres Græci, et latini, æque ac Doctores et Interpretes, quin et Beza accipiunt infernum, uti clare vertit Syrus, idque ita esse patebit ex sequentibus. Ita S. Athanas. epist. ad Epictet. S. Cyril. de Fide ad Regin. S. Epiphan. hæres. 77. Clemens Alexand. 6. Strom. S. Justin. contra Tryphon. S. Iren. lib. 3. c. 23. S. Hieron. in c. 54. Isaiæ, Ambrosiaster in c. 4. ad Ephes. S. Hilarius in Psal. 118. 82. Unde ex hoc loco probant Christum realiter descendisse ad inferos. Vide Bellarm. l. 4. de anima Christi c. 13. qui et refutat Calvinum; in psychopannychia, id est, animarum dormitione, dicentem has animas fuisse ἐν φυλακῇ, id est *in spelunca*, puta in cœlo, ut ipse censet, exspectantes Christi adventum et mortem: his Christum prædicasse non personaliter, sed causaliter, liberando eos è sua spelunca et exspectatione, ac donando eas beatitudine et gloria æterna. Hoc enim constanter confutant Script. et Patres, docentque Christum patefecisse cœlum eousque clausum, primumque in illud ingressum in Ascensione: animas ergo justorum ante Christum non ascendisse in cœlum, sed descendisse in infernum, puta in limbum patrum, ideoque Christum post mortem eodem descendisse, ut eos inde liberaret et educeret. Hoc enim est quod ait Psaltes et ex eo Petrus Act. 2. 27. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno*, et Zachar. c. 9. 11. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua*, et Sapiens Eccli. 24. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino*, et Christus Matth. 12. 40. *Erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, et tribus noctibus.* Idem diserte docet S. Hier. ep. ad Heliodorum: *Abraham*, ait, *erat in inferis*, S. Greg. l. 12. Moral. c. 6. S. Chrysost. hom. 4. in Marcum: *Antequam*, ait, *Christus aperiret paradisi januam, cum latrone omnes Sanctorum animæ ad inferos deducebantur. Dicit enim Jacob. Genes. 37. Lugens descendam ad inferos. Evangelium quoque Abraham et Lazarum in inferis collocat.* Idem docet D. Thom. et Scholastici 3. p. q. 52.

Quæres secundo: Quibus spiritibus prædicavit Christus in inferno? et quid quave ratione? Primo, aliqui censent eum prædicasse damnatis, eosque convertisse et liberasse ex inferno, saltem aliquos eorum, qui minus fuerant mali et increduli. Id dicere videtur ex Hermete sive Pastore Clemens Alex. l. 6. Strom. Aug. lib. 12. de Genesi ad lit. cap. 33. ubi ait Christum solvisse dolores inferni, liberando peccatores à tormentis, quibus in eo cruciabantur, S. Epiph. hæresi 46. et Ambrosiaster in c. 4. ad Ephes.

Dubitasse videtur Nazianz. orat. 42. sub finem, ubi Nicetas ejus interpres Platonicus, hanc de Platonis (idem à pari dicas de Trismegisto, Seneca, Socrate et similibus) in Christum fide et salute historiam narrat. *Tale quiddam*, ait, *de Ethnico Platone in Patrum Historiis circumfertur. Nam cum diu antea vita functus à quodam Christiano maledictis, ut improbus et impius laceratus esset, noctu ad conviciatorem suum venit, hominemque accusavit, ut inique ipsum maledictis insectantem. Ego enim, ait, me peccatorem esse haud quaquam inficias ivero. Verum cum Christus in infernum descendit, nemo ante me, ad fidem accessit.* Citatur et S. Hilar. in Psalm. 118. littera *Caph*, ubi ait: *Descendente in inferna Domino, etiam his qui in carcere erant, et increduli quondam fuerant in diebus Noe, exhortationem prædicatam fuisse.* Sed perperam: nam per *exhortationem* intelligit *consolationem* sanctorum patrum, de quibus immediate ante dixit: *Scit exhortationem hanc Sanctos quiescentes in inferno desiderare.* Idipsum vero diserte asseruit Marcion hæresiarcha. Docuit enim, ut ait S. Epiph. hæresi 42. *Christum ex supernis ab invisibili innominato Patre descendisse propter animarum salutem, et ad redarguendum Deum Judæorum et legem ac Prophetas, et in infernum descendisse ut salvaret Cain, et Core, et Datan, et Abiron, et Esau, et omnes gentes quæ non noverunt Deum Judæorum. Abel autem, et Henoch, et Noe, et Abraham, et Isaac, et Jacob, Mosen item, Davidque et Salomonem ibidem reliquisse, propterea quod cognoverunt Deum Judæorum, et non Deo invisibili seipsos addixerunt.*

Verum hic est error, ac fabula, et hæresis confutata à S. August. lib. de Hæres. cap. 79. et Philast. lib. de Hæres. et S. Gregor. 6. Regist. epist. 15. vel alio computu 179. in inferno enim nulla est redemptio. Quapropter Christus *descendens ad inferos*, ait S. Gregor. *solos per suam gratiam liberavit, qui eum et venturum esse crediderunt, et præcepta ejus vivendo tenuerunt.* Quare Patres qui contrarium videntur indicare, com-

modo et benigne exponendi sunt, uti in sequentibus exponam.

Secundo, alii censent Christum prædicasse damnatis, sed arguendo, irridendo, exprobrando eorum incredulitatem et scelera, eorumque damnationem confirmando. Ita Angelus Paz. l. 7. de Symbolo c. 20. Verum hoc non est prædicare.

Tertio, noster Turrianus l. 4. Pro ep. Roman. Pontif. c. 12. et alii (nec aliud videtur voluisse S. Aug. 12. de Gen. ad litt. 33.) censent Christum prædicasse animabus in Purgatorio detentis, eisque evangelizasse primum sui jubileum, ac contulisse eis indulgentiam plenariam, liberando omnes è pœnis. Idque Christum fecisse valde est probabile uti dixi Act. 2. 24. quamquam parum videtur credibile animas quæ tempore diluvii iverant ad Purgatorium, in eo luisse pœnas usque ad Christum, per annos 2928. tot enim præcise fluxerunt à diluvio usque ad mortem Christi; quod si tamen aliquibus id contigit, certe hi longum habuere purgatorium. Extat revelatio de Prælato quodam celebri futuro in Purgatorio usque ad diem judicii.

Quarto et magis proprie ac genuine, Christus prædicavit animabus patrum in limbo detentis avidissime exspectantibus Christi adventum, et sui liberationem. His enim propric prædicavit, non ut tunc primum eos converteret, ut vult Beza; nam antequam è vita excederent, fuerunt conversi, et egerunt pœnitentiam. Sed prædicavit Primo, quia arguit olitanam eorum incredulitatem. q. d. Petrus, Oportet ergo et nos credere et sperare in Christum, ac propter hanc spem pati adversa quælibet, ne pari modo arguamur aliquando ab eo, sicut illi qui increduli fuerunt tempore Noe, arguti et increpiti sunt ab eo in limbo. Secundo, *prædicavit*, græce εκηρυξεν, id est præconizavit, præconem egit, quia scilicet eis evangelizavit, et attulit lætissimum nuncium redemptionis, liberationis et beatitudinis, communicando eis visionem beatificam. Quocirca tunc ostendit se vivificatum spiritu, cum spiritus, id est animas, patrum in limbo vivificavit, id est, vita gloriæ, donavit, quin et multis etiam vitam corporis restituit, illud resuscitando ut ait Matth. c. 27. 51. ita OEcum. Dionys. Lyran. Cathar. Bellarm. Suarez et alii passim.

Porro hæc prædicatio fuit locutio mentalis, qua Christus mentaliter locutus est animabus patrum eisque evangelizavit redemptionem, salutem et gloriam: sicut Deus loquitur angelis, et angeli sibi invicem.

Dices: Spiritus hi fuerunt increduli Noe prædicanti diluvium, ideoque omnes eo mersi sunt, ac proinde omnes videntur damnati: damnatis autem Christus non prædicavit, nec attulit salutem. Resp. primo multos ex iis qui prius Noe minitanti diluvium non credebant, postea cum reipsa illud inchoari cernerent, credidisse, quia illud oculis suis cernebant, ac proinde cum viderent de vita sua actum, antequam mergerentur pœnituisse, ut animam salvarent, uti in naufragio omnes etiam obstinati peccatores compunguntur et pœnitent; ita S. Hieron. et alii quos citavi Gen. 6. 5. Secundo, esto daremus omnes qui diluvio mersi sunt fuisse impœnitentes, ideoque damnatos, tamen multi ante diluvium per spatium centum annorum, quibus Noe fabricavit arcam, mortui sunt pœnitentes, ideoque salvati; iis ergo prædicavit Christus descendens ad limbum. Nam ut alios taceam Mathusalem avus Noe mortuus est eodem anno quo factum est diluvium: hic autem videtur obiisse justus ideoque salvatus, nam sancte fuit educatus à sancto patre, puta Henoch, qui ob sanctitatem raptus est in paradisum. Gen. 5. 24. Similiter Lamech pater Noe mortuus est sex annis ante diluvium, uti ostendi Gen. 5. 27. Lamech autem videtur fuisse justus, ideoque salvatus; tum quia filius fuit Mathusalem et nepos Henoch, utique à piis pie educatus; tum quia videtur fuisse Propheta. De filio enim Noe cum nasceretur, dixit et prædixit: *Iste consolabitur nos ab operibus et laboribus manuum nostrarum*, ideoque vocavit eum Noe, id est consolatorem Gen. 6. 29.

Porro prædicavit Christus animabus in inferno, non tantum sermone, sed magis, *opere*, ait OEcumen. *his qui secundum carnem vixerant, ad judicium* (judicando et condemnando illos) *illis vero qui secundum spiritum, ad gloriam et salutem*, salvando et glorificando illos; unde Origen. hom. 15. in Gen. *Quod Christus*, ait, *dixit latroni: Hodie mecum eris in paradiso; non illi soli dictum, sed omnibus Sanctis dictum intellige, pro quibus in infernum descendit.*

Putant aliqui Christum brevissimo tempore, et vix una hora fuisse in inferno, ibique prædicasse: statim enim inde secum animas eduxisse. Ita S. Anselm. in Elucidario sub medium: *Tamdiu*, ait, *fuit Christus in inferno ac devastavit, quamdiu ad judicium veniens actus cujusque examinabit, in momento, in ictu oculi, id est, quam cito potes oculum movere.* Sic et Nicephor. l. 3. cap. 31. ait Christum eadem hora qua ad inferos descendit, rediisse instar fulgetri. Idem Insinuant Justin. qu. 76. ad Orthod. et Euthymius in cap. 23. Lucæ. Sed verius est Christum tanto tempore quoad animam fuisse in limbo, quanto quoad corpus fuit in sepulchro, scilicet triduo non pleno, sed inchoato, nimirum à parasceve usque ad Dominicam Paschæ. Tunc enim anima rediens è limbo ad sepulchrum corpus resumpsit. Id enim insinuat Christus, dicens Matthæi 12. 40. *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus*, ubi per cor terræ infernum intelligunt S. Hieron. Theophyl. et Gregor. Nyssenus orat. 1. de resurrect. Tertullianus l. de Anima cap. 31. et 55. Irenæus lib. 5. cap. 31. et Ambrosiaster in c. 4. ad Ephes. S. Thom. ejusque asseclæ 3. p. q. 52. a. 4.

Dices: Christus moriens ait latroni: *Hodie mecum eris in paradiso.* Ergo eadem die ex inferno transiit ad paradisum. Resp. paradisum esse, ubi Christus se suamque divinitatem et beatitudinem suis communicat. q. d. Hodie mecum eris in æterna felicitate et gloria, quam descendens ad limbum patribus communicabo. Tunc ergo infernus fuit paradisus. Ita S. Aug. ep. 57.

Denique S. Justin. contra Tryph. citat verba quædam Isaiæ, et Iren. lib. 3. c. 23. eadem tribuit Jeremiæ, quæ jam in neutro inveniuntur, simillima hisce Petri, ut verisimile sit inde ea Petrum accepisse. Verba sunt ista: *Commemoratus est Dominus Israel mortuorum suorum, qui dormierant in terra sepultionis, et descendit ad eos evangelizare salutem quæ est ab eo, ut salvaret eos.*

Causas cur Christus descenderit ad inferos, recensui Ephes. 4. 10. ad illud : *Ut impleret omnia.* Similes recenset S. Thom. 3. p. q. 52. a. 1. nimirum Primam, ut plene subiret et lueret pœnas peccatorum nostrorum, inter quas una est mors, et post mortem descensus ad inferos. Secundam, ut victo diabolo per passionem vinctos ejus eriperet, qui detinebantur in inferno. Tertiam, ut, sicut potestatem suam ostenderat in terra vivendo et moriendo, ita etiam potestatem suam ostenderet in inferno, illum visitando et illuminando, juxta illud Psalm. 23. *Attollite portas principes vestras,* id est, ut Glossa, principes inferni auferte potestatem vestram, qua usque nunc homines in inferno detinebatis : et sic in nomine Jesu omne genu flectatur, non solum cœlestium, sed et infernorum, ut dicitur Philipp. 2. Tropolog. Vide et mirare hic divitias bonitatis, et viscera misericordiæ Dei nostri, quibus dignatus est descendere in ima terræ, locumque damnatorum, ut sanctos, qui ibidem detenti fuerant per tria et quatuor annorum millia, ipsumque avidissime exspectabant, liberaret. Christus ergo est quasi sol quidam divinus, qui non tantum radios beneficentiæ suæ, sed et seipsum sparsit per omnes orbis partes, summas, medias, imas, puta per cœlum, terram et infernum, ut omnes sua luce et præsentia illustraret, lætificaret, vivificaret, gratia et gloria sempiterna donaret.

20. Qui incredduli fuerant aliquando.] S. Epiph. hæres. 46. *incredulos* interpretatur, qui veram Dei fidem habuerunt, sed illi alios habuerunt errores admixtos : hosce enim Christum ab errore liberasse, et per indulgentiam salvasse. Errores intellige invincibiles, vel inculpatos, aut certe veniales. Qui enim in errore et peccato mortali decesserunt, damnati fuere sine ulla spe veniæ.

Secundo, S. Athanasius tract. de Incarnat. et S. Hieron. in cap. 9. Zachariæ, per *incredulos* accipiunt inobedientes (hoc enim significat Græcum απειθησασι) qui scilicet in Adamo violarunt Dei præceptum de non comedendo pomo vetito, quales sunt omnes homines; omnes enim peccarunt in Adamo. Verum S. Petrus ait hos incredulos fuisse in diebus Noe, non Adami.

Tertio, alii censent *incredulos* vocari infideles, quales erant pene omnes tempore Noe. Unde Hebræi in Berescit Rabba tradunt, tempore Enos homines abjurasse fidem unius Dei, fuisseque idololatras, ideoque Enos cœpisse publice invocare nomen Domini. Gen. 4. 17. Quarto, noster Salmeron *incredulos* interpretatur homines ævi Noe; qui multa de Deo ignorabant, nec habebant fidem explicitam de Christi ortu et morte, sed tantum implicitam. Quinto, Arias per *incredulos,* accipit filios Noe, qui initio patri Noe prædicenti diluvium non crediderunt, sed post plura ejus argumenta et signa fidem ei adhibuerunt; ideoque cum eo ingressi sunt in arcam. Sed hoc superius refutavi.

Sexto et genuine *increduli* hi intelliguntur qui non credebant Noe culpanti peccata, et peccatoribus minitanti diluvium, qui aliquando, id est initio ei non crediderunt, postea tamen crediderunt, præsertim cum reipsa viderunt diluvium à Noe prædictum, tuncque compuncti et pœnitentes mentem vitamque correxerunt, quia exspectabant Dei patientiam, ut sequitur.

Nota. Christus omnes justos ex inferno liberavit : S. Petrus tamen meminit tantum eorum qui fuerunt tempore Noe et diluvii, tum quia de eorum salute major erat ratio dubitandi : cum enim à Deo vindice mersi essent aquis, videri poterant et animæ eorum relegatæ in gehennam. Ita Bellarm. lib. 4. de anima Christi cap. 15. tum quia vult hortari fideles per insigne exemplum ad adversitatum tolerantiam, ex earum utilitate, utpote quæ etiam impiis in diluvio fuerit causa pœnitentiæ et salutis. Ita Suarez 3. p. tom. 2. disp. 45. sect. 3. tum quia diluvium et arca fuit typus baptismi, de quo proxime agere intendebat.

Quando exspectabant Dei patientiam.] Hesselius et alii censent legendum, *quando expectabat Dei patientiam.* Sic enim legit S. Aug. ep. 99. S. Hieron. in cap. 54. Isaiæ. Idacius contra Varimondum, Beda et Dionys. hic. Idem significant Græca οτε απεξεδεχετο (perperam Beda et Tigur. legunt απαξ εξεδεχετο, id est, *semel, et simul exspectabant*) η του θεου μακροθυμια ; et Syrus, *cum longanimitas Dei præcipit ut fieret arca ob spem pœnitentiæ eorum.* Hæc lectio est plana et apposita : Dei enim patientiam commendat, quod incredulos et impios tempore Noe patienter exspectarit per centum annos ad pœnitentiam. Cum enim potuisset juste eis statim immittere diluvium, per Noe comminatum, noluit, sed distulit ad centum annos, jubens Noe interim fabricare arcam, ut hæc fabrica assidue feriret eorum oculos et mentem, cogeretque ad credendum Noe minitanti diluvium : unde non videtur dubitandum, quin nonnulli tam constanti comminatione Noe et fabricatione arcæ territi ei crediderint, et pœnitentiam egerint. Ad hanc enim eos exspectabat, et occulte agebat Dei patientia.

Verum quia græcum απεξεδεχετο est verbum medium, significans tam *exspectabatur,* quam *exspectabat;* hinc alii vertunt, *quando exspectabatur Dei patientia.* Ita Pagnin. Tigur. Vatabl. et Rupert. lib. 4. in Gen. cap. 17. Hoc autem idem est cum eo quod legimus in vulgata versione : *quando exspectabant Dei patientiam*, idem enim est homines exspectare patientiam Dei, quod patientiam Dei exspectari ab hominibus. Et hæc lectio apte cohæret cum præcedentibus : dat enim rationem cur fuerint *increduli,* quia scilicet exspectabant Dei patientiam, hoc est, quia sibi nimium promittentes de Dei patientia, non putabant fore diluvium, sed Deum patienter laturum eorum mores et scelera, uti antea per sexcentos annos ab Enos usque ad Noe tulerat. Secundo, per Dei patientiam potest accipi ipsum diluvium, cujus immissionem Deus patienter et longanimiter prorogabat, exspectans peccatorum pœnitentiam, ut sit catachresis et metonymia. Peccatores enim videntes differri diluvium irridendo rogabant Noe : Cur non venit diluvium à te comminatum? Ecquando veniet? respondebat Noe : Deus suo tempore illud immittet, sed differt et patienter vos exspectat ut pœnitentiam agatis, itaque avertatis diluvium. Hinc illi responsum Noe irridentes diluvium vocabant Dei patientiam, dicentes : Ecquando veniet tua illa, quam prædicas, Dei tui patientia? longa et sera est, vellemus videre illam et natare in tuo diluvio. Cum venerit, credemus tibi, tuisque de eo minis, non ante. Simili modo Judæi irridentes oracula Isaiæ, dicentis : *Hæc*

mandat Dominus, dicebant : *Manda, remanda; exspecta, reexspecta, modicum ibi, modicum ibi*, Isaiæ 28. 10. q. d. Tu Isaia minaris nobis excidium, dicisque illud Deum tibi mandasse, ac per tot annos nihil illius vidimus, nec umbram adhuc videmus. Falsæ ergo et illusoriæ sunt tuæ minæ.

Moral. Vide hic quanta patientia sit Dei, qui peccatores tamdiu exspectat ad pœnitentiam. Sic exspectavit Judæos per multos centenos annos, donec illi complerent mensuram peccatorum suorum, eaque completa tandem punivit eos per Titum et Vespasianum, Matth. 23. 32. Sic exspectavit Chananæos et Amorrhæos à Cham patre eorum, qui fuit tempore diluvii, usque ad Josue, qui eos excidit, per annos octingentos. Si exspectavit alias gentes usque ad Nabuchodonosorem, per quem eas evertit. Sed tum indignans suam patientiam contemni, tarditatem supplicii gravitate compensat juxta illud veterum : *Dii laneos habent pedes, sed ferreas manus.* Quocirca omnes totius mundi homines, excepto Noe cum filiis et nuribus, mersit diluvio. Sic exspectat quemlibet peccatorem per plures menses et annos : quin et viros justos et religiosos diu exspectat, ut serio à se abdicent vanitates omnes, totosque dent se Deo et perfectioni.

Vide ex adverso quanta sit hominum pervicacia et ingratitudo, qua Dei patientiam eludunt, imo cum ea certant, nec à protervia sua desistunt donec ab eo obruantur et conterantur. Sapientiores fuerunt Ninivitæ, qui comminante Jona excidium, illico pœnitentiam egerunt, ac per eam Deo se reconciliantes illud evaserunt.

Porro aliqui cum Hesselio hæc aliter dispungunt, ac novam sententiam inchoant, ibi : *In diebus Noe*, tuncque hunc dant sensum : Dei patientia ne perderet gentes incredulas diu exspectavit donec veniret Christus, qui eorum peccata tolleret. Reos quoque et propter sua scelera condemnatos, qui in extremis suis convertuntur, diu patienter, cum impie agerent, exspectabat Deus. Vicissim Sancti veteris Testamenti exspectabant Dei patientiam, id est Christi adventum, propter quem Deus patiens erat super hominum malitia, ideoque patientiam suam usque ad ejus adventum prorogavit, in eoque illam terminavit.

Cum fabricaretur (græce κατασκευαζομενης, id est, *cum pararetur*) arca,] per centum annos, uti jam dixi. Vide quæ de fabrica arcæ dixi Genes. 6. 14. et seq.

In qua pauci, id est octo animæ,] puta octo homines, scilicet Noe cum sua uxore, ac tres ejus filii cum totidem uxoribus, quos Deus reservabat in seminarium novæ soboli, ne periret totum genus humanum. Est synecdoche. Superstes quoque fuit nonus Henoch, abavus Noe qui ex Paradiso, vel potius ex æthere (Paradisus enim cum fuerit in terra, videtur obrutus diluvio) spectabat diluvium.

Per aquam.] Aquæ enim diluvii elevabant arcam, et consequenter octo animas in ea degentes, ne humi manentes aquis obruerentur, sed eis per arcam superiores evaderent.

Disce hinc quanta fuerit corruptio illius ævi, tanta scilicet tamque universalis, ut solus Noe cum suis fuerit justus, ideoque dignus qui evaderet diluvium. Rursum quanta sit paucitas sanctorum et salvandorum : hujus enim typus fuit unus Noe in tanto hominum numero, æque ac unus Lot in conflagratione Sodomæ; ac Josue et Caleb, qui ex tot Hebræorum millibus soli ingressi sunt terram promissam.

Tropol. Noe est Christus et Apostoli, qui septiformem Spiritus S. accipiunt gratiam, ait Rupertus.

Anagogice, Octonarius animarum electarum symbolum est octavæ resurrectionis et felicitatis æternæ, ac Ecclesiæ triumphantis, æque ac militantis. Ita S. Hieron. Dialog. contra Lucifer. sub finem : *Octo animæ hominum*, ait, *in arca Noe servata sunt, et nos Ecclesiastes jubet dare partes septem, dare partes octo, id est, credere utrique testamento : ideo quidam Psalmi pro octava inscribuntur, et per octonos versus, qui singulis litteris subjecti sunt, in* 118. *Psalmo justus eruditur. Beatitudines quoque, quas Dominus discipulis in monte pronuntians Ecclesiam delineavit, octo sunt. Et Ezechiel in ædificationem templi octonarium numerum assumit.* Subdit deinde alias analogias arcæ et Ecclesiæ. Primo, *in arca*, ait, *erunt animalia munda et immunda : in Ecclesia sunt justi et peccatores.* Secundo, *emittitur de arca corvus et non redit, et postea pacem terræ columba nunciat : ita et in baptismate Ecclesiæ, teterrimo alite expulso, id est diabolo, pacem terræ nostræ columba Spiritus sancti nuntiat.* Tertio, *à triginta cubitis incipiens usque ad unum cubitum, paulatim decrescens arca construitur : similiter et Ecclesia multis gradibus consistens ad extremum Diaconis, Presbyteris, Episcopisque finitur.* Quarto, *periclitata est arca in diluvio : periclitatur Ecclesia in mundo.* Quinto, *egressus Noe vineam plantavit, et bibens de ea inebriatus est, natus quoque in carne Christus Ecclesiam plantavit, et passus est.* Sexto, *nudatum patrem irrisit major filius, et minor texit : et Deum crucifixum illuserunt Judæi, et honoraverunt Gentiles.*

21. Quod et vos nunc similis formæ salvos facit baptisma.] *Quod*, id est, *quomodo;* aut potius est hebraismus, quo relativum præponitur antecedenti, qui latine sic convertitur : Et tunc salvos nos facit baptisma, quod est αντιτυπον, id est similis formæ, ac typica similitudine respondet, subaudi, aquis diluvii, tanquam veritas typo. q. d. Sicut Noe cum suis in arca sublata aquis servatus est, sic et nos per baptismum. Ita Vatabl. Aliter legunt Complut. et Regia nimirum ᾧ, id est *cui*, scilicet arcæ et diluvio, antitype respondet baptisma. Ita Gagneius et Cajetan. Sed alii Græci et Latini legunt ὅ, id est *quod.*

Similis formæ.] S. August. lib. de Baptism. c. ult. legit, *simili forma*, id est, simili typo et analogia; Syrus *simili exemplo;* S. Cyprian. ep. 74. *similiter;* græce αντιτυπον, q. d. Cui nunc antitypus, id est, ut typo res figurata respondet baptismus; arca fuit typus, arcæ antitypus est baptismus, quia per arcam ut typum fuit præfiguratus, eique apta proportione et convenientia respondet ceu antitypum typo, exemplar imagini, corpus umbræ. Typus enim est antitypi typus, et antitypum est typi antitypum.

Sensus est, q. d. Sicut arca olim servavit octo animas in vita corporali, ita nunc baptismus salvat animas in vita spirituali. Arca ergo fuit typus et figura baptismi; diluvium enim significat peccatum et mortem inundantem per totum genus humanum; Noe est Christus victor peccati et mortis, arca est Ecclesia, cujus ostium

est baptismus; octo animæ sunt omnes fideles baptizati ad hoc, ut ad octavam resurrectionis et gloriæ æternæ pertingant.

Simili ratione Eucharistia à S. Basilio in Liturgia, aliisque Græcis Patribus vocatur antitypa, tum passive, qui scilicet per typos agni paschalis, manna et panum propositionis fuit præfigurata, eisque congrua analogia respondet : tum active, qui ipsa est typus et repræsentatio Christi patientis, morientis, et in cœlo regnantis. Inde tamen non sequitur, Christum in ea realiter non esse præsentem, sed tantum non esse ibi visibilem, patientem, morientem, et in cœlo regnantem, atque speciebus sacramentalibus panis et vini quasi typis velari et repræsentari. Unde à Theodor. 1. Corinth. 2. vocatur typorum archetypus. Antitypum ergo idem est quod sacramentum, et antitype idem est quod sacramentaliter. Sacramentum autem est signum rei non absentis, sed præsentis, licet occultæ, v. g. corporis Christi in Eucharistia. Vide Bellarm. l. 2. de Euchar. cap. 16. et lib. 4. c. 14.

Non carnis depositio sordium.] q. d. Baptisma nos salvos facit, non quatenus est ablutio carnis, ut ex ea sordes elevat et deponat, uti faciebant Judæorum baptismata et lavacra ; sed quatenus est ablutio animæ et conscientiæ, eamque bonam, id est, puram et sanctam efficit.

Sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.] *Interrogatio*, id est, probatio et exploratio. q. d. Baptismus nos salvos facit, quia facit ut probatam coram Deo habeamus conscientiam bonam scilicet, puram et mundam, juxta illud Heb. c. 10. v. 22. *Aspersi corda à conscientia mala, et abluti corpus aqua munda.* Interrogare enim sæpe in Script. significat probare et explorare, quia per interrogationem facti, noxæ, vel innocentiæ veritas à reo indagatur et exploratur, est metalepsis. Sic Psalm. 10. 4. dicitur : *Palpebræ ejus interrogant filios hominum*, id est, oculi Dei explorant et lustrant omnes homines, et vers. 5. *Dominus interrogat*, id est explorat justum et impium, et Psalm. 138. 23. *Interroga et cognosce semitas meas*, id est, ut paulo ante dixit : *Proba me Deus, et scito cor meum*, in Psalmis enim sæpe una pars versiculi est explicatio et confirmatio alterius.

Hinc Secundo, eadem metalepsi *interrogatio*, id est responsio, tum quia interrogationi correlative respondet responsio, eamque poscit et elicit, adeo ut ex interrogatione sæpe intelligatur responsio, sicut unum simile ex alio simili cognoscitur. Unde Eccli. 33. 4. dicitur : *Qui interrogationem manifestat, parabit verbum*, id est, qui interrogationi manifeste et recte respondere cupit, hic prius cogitabit et studebit quomodo respondere debeat. Tum quia Hebræi cum quid certo respondere et asserere cupiunt, idipsum interrogationis forma enunciant. Vehementius enim movent acres interrogationes quam simplices assertiones, ut Gen. 13. 8. dicit Abraham ad Lot : *Ecce, universa terra coram te est?* Hebr. *nunquid non terra tota coram te est?* In libris Regum identidem dicitur : *Nunquid non hæc scripta sunt in libro dierum regum Juda?* q. d. Omnino scripta sunt in chronicis regum, omnes sciunt ibidem scripta extare : frustra ergo ea hic ego repetam. Ezech. 22. 2. *Et tu, fili hominis, nonne judicas civitatem sanguinum?* q. d. Omnino tuum est judicare eam, *ut ostendas ei omnes abominationes suas.* Sensus ergo est. q. d. Baptismus facit bonam conscientiam, adeo ut ipsa audeat interrogari à Deo, ejusque tribunali in judicio confidenter se sistat, non metuens se damnatum iri, sed interrogata intrepide coram Deo omnium conscio respondeat se esse bonam, et omni labe depuratam. Hunc sensum poscit antithesis, quæ talis est : Baptismus est ablutio, depositio et submersio omnium sordium, non carnis, sed animæ, puta omnium peccatorum ; ideoque bonam et puram efficit conscientiam, adeo ut ipsa cuivis, etiam Deo, interroganti libere et vere respondere possit se esse talem. Alludit ad ritum Ecclesiæ, quo baptizandus ab ea per sacerdotem rogatur, an velit baptizari, et an renuntiet Satanæ, et omnibus ejus pompis? Cui ille respondet : Volo baptizari; abrenuntio Satanæ et pompis ejus, teste S. Dionys. Eccles. Hier. paulo ante finem, et Cyrill. l. 12. in Joan. c. 64. et S. Aug. epist. 23.

Hinc tertio, baptismus dat conscientiæ bonæ interrogationem non tantum passivam, sed et activam quia scilicet facit illam securam de puritate, ut confidenter audeat interrogare, postulare et interpellare Deum, dicendo : Abba Pater, nunquid non ego sum filius tuus? Numquid non tu es pater meus? ergo pasce, cura, rege, protege me ut filium tuum, dirige me ad te in viam salutis æternæ, da ut tibi totus placeam, totus serviam, totus uniar. Hoc est quod orare nos docuit Christus : *Pater noster qui es in cœlis; adveniat regnum tuum. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* Ita Arias. Unde Syrus vertit, *sed gratias agentes Deo cum pura conscientia.* Hoc est pariter quod ait Paulus : *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Ipse enim spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* Rom. 8. 15. et S. Joan. ep. 1. c. 3. 21. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus, accipiemus ab eo.* Hinc fidelis quasi filius in omnibus dubiis, difficultatibus, tentationibus, etc. recurrit ad Deum, quasi infans ad matrem, eumque interrogat, invocat et consulit. Sic Thucidides ait : επερωτω τον θεον, id est, *consulo Deum.*

Alii Græcum επερωτημα, id est *interrogatio*, aliter vertunt. Primo, Cajet. vertit *inquisitio.* q. d. Baptismus facit hominem inquirere, seu procurare bonam conscientiam apud Deum, et OEcum. Baptismus, ait, est velut arrhabo quidam, et pignus bonæ erga Deum conscientiæ. Qui enim bene sibi conscii sunt, id est, qui inculpatam amplectuntur vitam, et illam penitus inquirunt, ac velut interrogant, hi etiam ad sacrum accurrunt baptisma; unde Glossa, Gagneius et Suarez 3. p. q. 62. disp. 7. sect. 1. censent hic tantum significari, qua dispositione accedendum sit ad baptismum, scilicet ut rogemus et cupiamus per baptismum mundari non corpus, sed conscientiam.

Accedunt S. Aug. tract. 8. in Joan. et S. Amb. de his qui mysteriis init. c. 3. et 4. qui hæc accipiunt de interrogatione et examine quo baptizandus examinatur, an bona conscientia, id est, bona fide et dispositione, puta non ficte, sed sincere, non impœnitens, sed pœnitens et contritus, vel certe attritus, nimirum an cum vera fide et spe ac detestatione peccatorum, eumque

serio proposito novæ vitæ accedat ad baptismum : intellige hæc de adultis, quales erant pene omnes accedentes ad baptismum primo illo Ecclesiæ ævo. Quare perperam ex hisce Petri verbis contendunt Anabaptistæ, non esse baptizandos infantes, sed tantum adultos, qui interrogati respondere queant se velle baptizari. Pejus Erasmus præfat. in S. Matth. censet infantes baptizatos, cum adoleverint rogandos esse, an rata habeant pacta et promissa in baptismo ; et si negent, suæ libertati dimittendos.

Secundo, Gagneius alii et ἐπερωτημα vertunt *stipulatio, pactum, contractus*, q. d. Baptismus nos salvos facit, quatenus est stipulatio et pactum inter Deum et baptizatum. Deus enim paciscitur in baptismo cum baptizato, eique ex pacto dat bonam conscientiam, puta remissionem peccatorum, gratiam, justitiam et promissionem vitæ æternæ. Insuper promittit se ei fore Deum, patrem, provisorem et protectorem : vice versa promittit baptizatus se Deo fore fidelem famulum et filium, et novam vitam initurum, bonam conscientiam ab eo acceptam conservaturum usque ad extremum vitæ spiritum, ejusque legi et mandatis in omnibus obediturum. Hac de causa olim in baptismo fidem Christianam professuri publice in cœlum suspiciebant, ac manus dextras in altum erigebant adhibito jurejurando coram testibus ; ac jusjurandum manu baptizati subscriptum, ejusque annulo obsignatum in tabulas referebatur, uti ex Patribus docet Josephus Vicecomes l. 2. de Ritibus baptismi cap. 27. Rursum aliqui ἐπερωτημα εις θεον vertunt *stipulatio in Deum*, q. d. Baptismus salvos nos facit non ex virtute aquæ qua corpus abluit, sed quia ex pacto et promissione divina assistentem et inoperantem habet Spiritum sanctum, qui conscientiam emundat et sanctificat. Ita S. Basil. l. de Spiritu sancto c. 15. *Itaque*, inquit, *si qua est gratia in aqua, non est ex ipsius aquæ natura, sed ex spiritus præsentia. Non enim est baptismus depositio sordium corporis, sed bonæ conscientiæ interrogatio apud Deum.* Et mox : *Per Spiritum sanctum datur in paradisum restitutio, in regnum cœlorum reditus, in adoptionem filiorum reversio, datur fiducia Deum appellandi patrem suum, consortem fieri gratiæ Christi, filium lucis appellari, æternæ gratiæ participem esse, et, ut semel omnia dicam, esse in omni benedictionis plenitudine, tum in præsenti hoc sæculo tum in futuro.*

Quocirca Patres sæpe fideles monent, ut suæ stipulationis et promissionis memores, eam opere præstent. Ita S. Ambr. l. de iis qui myst. init. c. 2. *Repete*, ait, *quid interrogatus sis, recognosce quid spoponderis, renunciasti diabolo et operibus ejus, mundo et luxuriæ ejus ac voluptatibus : tenetur vox tua non in tumulo mortuorum, sed in libro viventium.* S. Aug. l. 4. de Symbol. ad catech. c. 1. *Diabolo*, ait, *vos renunciare professi estis, in qua professione non hominibus, sed Deo et angelis ejus conscribentibus dixistis, Renuntio.* S. Gregor. Nazianz. orat. 40. Baptismum definit, *secundæ vitæ ac purioris vivendi rationis pactum cum Deo initum*, indeque concludit : *Ac proinde vel maximo in metu omnes esse, atque omni custodia animas nostras servare debemus, ne hoc pactum violasse comperiamur.*

Tertio, Lutherus ejusque asseclæ perperam ἐπερωτημα vertunt *testimonium, sigillum, obsignatio*, q. d. Baptismus salvos nos facit, non vi sua (est enim merum signum), sed quia est testimonium bonæ, id est fidelis, conscientiæ, cujusque fidem obsignat et sigillat. Censent enim hæretici fidem solam justificare, Sacramenta vero tantum esse signa, protestationes et obsignationes fidei justificantis : intruserunt ipsi hoc suum dogma in scholia Vatabli, quæ ἐπερωτημα explicant *declarationem recti et fidelis animi erga Deum.* Verum hæc est hæresis damnata à Concilio Trident. totaque Ecclesia, ac refutata hic à S. Petro. Ait enim : *Quod et similis formæ salvos nos facit baptisma*, q. d. Sicut aquæ diluvii elevantes arcam, et cum ea Noe cum suis, eum à morte non salvum declararunt, sed reipsa salvarunt, sic et baptisma reipsa nos salvos, id est, justos sanctosque facit, non autem justos dumtaxat declarat.

Ex hoc loco patet, quanta sit baptismi vis et dignitas ; quocirca eamdem Patres variis elogiis et titulis repræsentant. A materia enim, puta ab aqua et ablutione, vocant eum lavacrum vitale, aquam salutarem, fontem et fluvium aquæ vitalis, undæ genitalis lavacrum. Ita vocatur à S. Cypriano ep. 2. 73. et 76. et Tertull. l. de Bapt. Clement. Alex. 1. Pædag. 6. et Damasc. 4. de Fide 10. A forma vocatur sigillum fidei, Sacramentum fidei, fidei confessio, S. Trinitatis sacramentum. Ita S. Basil. l. 3. contra Eunom. et S. Ambr. l. 1. de Spiritu sancto c. 3. Ab effectu vocatur Sacramentum illuminationis et regenerationis, Sacramentum Christianorum, tessera militis Christiani, diluvium peccatorum, flumen gratiæ, uterus Ecclesiæ, mors peccatorum et vita virtutum. Audi S. Greg. Nazianz. orat. 4. in S. Baptisma : *Baptismus*, inquit, *splendor est animarum, vitæ in melius mutatio, conscientiæ ad Deum interrogatio. Baptismus infirmitatis nostræ adjumentum. Baptismus carnis est abjectio, spiritus affectatio, verbi participatio, figmenti correctio, peccati diluvium, lucis communicatio, tenebrarum oppressio. Baptismus vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Christo, fidei adminiculum, mentis perfectio ; cœlestis regni clavis, vitæ commutatio, servitutis depulsio, vinculorum solutio, compositionis in meliorem statum conversio. Quid pluru commemorare attinet? Baptismus omnium Dei beneficiorum præclarissimum est et præstantissimum. Ut enim quædam Sancta sanctorum vocantur, et Cantica canticorum, quod scilicet latius pateant, ac plura complectantur, præcipuamque dignitatem habeant : eodem modo baptismus quoque illuminatio dicitur, quod omnes alias illuminationes sanctitate superet.* Et mox eumdem vocat, *donum, gratiam, unctionem, illuminationem, incorruptionis indumentum, regenerationis lavacrum, sigillum, ac denique excellentissimo quovis nomine appellandum. Donum dicitur, quia iis, qui nihil prius contulerunt datur. Gratia, quia etiam debentibus. Baptismus, quia peccatum in aqua sepelitur. Unctio, quia sacer et regius : hujusmodi enim ea erant quæ ungebantur. Illuminatio porro, quia splendor et claritas. Indumentum, quia ignominiæ nostræ velamen est. Lavacrum, quia abluit. Sigillum, quia conservatio est ac dominationis significatio. Huic gratulantur cœli : hunc angeli propter splendoris cognationem celebrant : hic beatitudinis illius simulacrum gerit : hunc laudibus quidem et hymnis celebrare volumus; verum pro rei dignitate non possumus.*

Per resurrectionem Jesu Christi.] Primo, q. d. Hanc vim, conscientiam scilicet, bonam sanctamque efficiendi, habet baptismus ex merito

passionis Christi, cujus terminus et complementum fuit resurrectio ejusdem, juxta illud: *Mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram*, Rom. 4. 25. Vide ibi dicta.

Secundo, per *resurrectionem*, quia per eam Christus vicit et deglutivit mortem, tum suam, tum consequenter et nostram, aditumque in cœlum nobis aperuit, qui est secundus baptismi effectus, ut scilicet sicut dat nobis vitam gratiæ, ita pariter post eam det vitam gloriæ, faciatque heredes vitæ æternæ. Ita Beda et Lyran. Tertio, quia Christi resurrectio est causa exemplaris et finalis nostræ sanctitatis et novæ vitæ, quam baptismo accipimus et inimus. Ita Glossa, Hugo et Thomas Anglicus. Accedit S. Basil. l. de Spiritu S. c. 15. *Dominus*, ait, *ad vitam ex resurrectione nos præparans totam Evangelicam conversationem proponit, ut non irascamur, ut malorum tolerantes simus, et à voluptatum amore puri, ut à studio pecuniæ mores sint liberi*, etc. *Proinde si quis definiens dicat, Evangelium esse formam vitæ quæ est ex resurrectione, mihi nequaquam videretur à vero aberrare.* Hoc est quod ait Paulus ad Rom. 6. 4. *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus.*

Denique solent Paulus et Apostoli tribuere resurrectioni nostram justificationem et salutem, quia ille quasi clausula et sigillum omnia Christi dogmata et sacramenta obsignavit. *Si enim Christus non resurrexit, inanis est fides et spes nostra*, 1. Cor. 15. 15.

Moraliter, nota summum bonum baptismi et Christianismi esse bonam conscientiam, ideoque eamdem esse geminam tesseram veri Christiani. Hanc enim nobis Deus dedit in baptismo, hanc jussit tueri et augere per omnem vitam, de hac nos interrogabit in hora mortis, hanc à nobis reposcet in die judicii. Tunc enim examinabit nos non de opulentia, sapientia aut scientia, sed de bona conscientia. Tunc *non quæretur de nobis quid legimus, sed quid fecimus: nec quam bene viximus, sed quam religiose viximus*, ait noster Thomas Theodidactus lib. de Imit. Christi c. 3. Quocirca de ea adeo sollicitus erat Paulus: *Gratias*, ait, *ago Deo, cui servio à progenitoribus in conscientia pura*, 2. Timoth. 1. 3. et Act. 24. 16. *Studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum; et ad homines semper.* Eademque impense Christianis commendat: *Gloria nostra hæc est*, ait, *testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo*, 2. Cor. 1. 12. *Finis præcepti est charitas de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta*, 1. Timoth. 1. 5. et 19. *Milites in illis bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt*, et c. 3. 9. *Habentes mysterium fidei in conscientia pura*, et c. 4. 2. ait hæreticos habere cauteriatam conscientiam. Ad Tit. 1. 15. *Infidelibus*, ait, *nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum et mens et conscientia.* Heb. 13. 19. *Orate pro nobis: confidimus enim quia bonam conscientiam habemus, in omnibus bene volentes conversari.*

Præclare Naz. orat. 40. *Si diabolus*, ait, *per avaritiam te oppugnet, regna omnia velut ad se attinentia ostendens, atque adorationem à te exigens, ut pauperem contemne, dic, signaculo fretus: Ipse quoque Dei imago sum, nondum ut tu à superna gloria propter superbiam dejectus sum; Christo indutus sum, in Christo transmutatus sum: tu me ipse adora.*

22. QUI EST IN DEXTERA DEI.] q. d. Christus patiendo et descendendo in imum ascendit ad summum, puta ad dexteram Dei; ita et vobis ô Christiani, eveniet: tolerate ergo fortiter quævis dura et vilia. Quomodo Christus sedeat in dextera Dei, dixi Colos. 3. 1.

DEGLUTIENS MORTEM.] Hæc jam desunt in Græco. Sensus est q. d. Christus moriens et resurgens mortem suam et nostram abolevit, et quasi absorpsit, juxta illud Osee 13. 14: *Ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero, inferne.* Et: *Absorpta est mors in victoria.* 1. Cor. 15. 54. Vide ibi dicta. Animat fideles ad patiendum et moriendum spe resurrectionis et immortalis ac beatæ vitæ, eis à Christo patefactæ et promissæ.

PROFECTUS IN CŒLUM.] Syrus, *evectus*, non ab angelis, sed suapte vi, non tantum divinitatis, sed et humanitatis gloriosæ, nimirum per dotem agilitatis ascendens super omnes cœlos, uti dixi Actor. 1. 9.

SUBJECTIS SIBI ANGELIS.] Christus enim non tantum qua Deus, sed et qua homo, ex vi et dignitate unionis hypostaticæ, et primogenitus omnis creaturæ, Colos. 1. 15. hoc est, princeps omnium creaturarum, ac dominus universi, ideoque caput et Rex omnium angelorum, æque ac hominum, uti ait Paulus Coloss. 1. 18. et c. 2. 10. et Ephes. 1. 22. Vide ibi dicta. Christus enim est caput totius Ecclesiæ tam militantis, quam triumphantis, quæ cum sit una, conflatur ex angelis æque ac hominibus. Unde graves Theologi probabiliter censent, angelos quoque ex meritis Christi gratiam et gloriam consecutos esse; hoc enim pertinuisse ad dignitatem Christi, et ad majorem consociationem Ecclesiæ, quæ constat angelis perinde ac hominibus. Vide Gregor. de Valentia 3. p. disp. 1. quæst. 8. puncto 3. et Suarez 3. p. t. 1. disp. 42. Sect. 1. et 2.

Quare merito S. Leo serm. 1. de Ascensione: *Revera*, ait, *magna et ineffabilis erat causa gaudendi, cum in conspectu sanctæ multitudinis super omnium cœlestium creaturarum dignitatem humani generis natura conscenderet, supergressura angelicos ordines, et ultra Archangelorum altitudinem elevanda, nec ullis sublimitatibus modum suæ provectionis habitura, nisi æterni Patris recepta concessu, illius gloriæ sociaretur in throno, cujus naturæ copulabatur in Filio.*

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

HORTATUR FIDELES UT PRISTINAS GENTILISMI LUXURIAS ET CUPIDITATES ABDICANTES, CHRISTO PASSO SE CONFORMENT, SOLIQUE DEO VIVANT: UNDE V. 7. HORTATUR EOS AD STUDIUM ORATIONIS, MUTUÆ DILECTIONIS, HOSPITALITATIS ET GLORIÆ DEI PROMOVENDÆ. DENIQUE A VERS. 12. USQUE AD FINEM HORTATUR EOS AD TOLERANTIAM ET MAGNANIMITATEM, UT CUM CHRISTO, ET PRO CHRISTO QUASLIBET PERSECUTIONES ET AFFLICTIONES CONSTANTI FORTIQUE ANIMO SUSTINEANT.

1. CHRISTO igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desiit à peccatis: 2. ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis. 3. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam his, qui ambulaverunt in luxuriis, et desideriis, vinolentiis, commessationibus, potationibus, et illicitis idolorum cultibus. 4. In quo admirantur non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem, blasphemantes. 5. Qui reddent rationem ei, qui paratus est judicare vivos et mortuos. 6. Propter hoc enim et mortuis evangelizatum est: ut judicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum in spiritu. 7. Omnium autem finis appropinquavit. Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus: 8. Ante omnia autem, mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum. 9. Hospitales invicem sine murmuratione. 10. Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. 11. Si quis loquitur, quasi sermones Dei: si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus: ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum: cui est gloria, et imperium in sæcula sæculorum: Amen. 12. Charissimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat: 13. sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes, 14. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ et virtutis Dei, et qui est ejus Spiritus, super vos requiescit. 15. Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. 16. Si autem ut Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine. 17. Quoniam tempus est, ut incipiet judicium à domo Dei. Si autem primum à nobis: quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio? 18. Et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? 19. Itaque et hi, qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis.

1. CHRISTO IGITUR PASSO IN CARNE, ET VOS EADEM COGITATIONE ARMAMINI.] Vox *igitur* significat hæc inferri et concludi ex eo quod dixit capite præcedenti v. 12. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est; justus pro injustis, ut nos offerret Deo.* Inde enim recte concludit; igitur et vos Christo pro vobis passo conformamini, et eadem cogitatione armamini, ut cum Christo crucifixo vitia vestra pariter crucifigatis, justitiam ab eo acceptam conservetis: nec ad pristinam injustitiam redeatis, sed justos sanctosque vos sistatis et offeratis Deo, ne ejus passionem et labores evacuetis, neve ipse gratis et frustra pro vobis mortuus sit.

Præclare S. Bern. serm. 3. in Natali Domini, *Ludebam ego*, ait, *foris in platea, et in secreto regalis cubiculi super me ferebatur judicium mortis. Audivit hoc Unigenitus ejus, exiit, posito diademate, sacco vestitus, aspersus sinere caput, nudus pedes flens et ejulans quod morte damnatus esset servulus ejus. Intueor illum subito procedentem, stupeo novitatem, causam percunctor et audio: Quid facturus sum? Adhuc ne ludam, et deludam lachrymas ejus? plane si insanus sum, et mentis inops non sequar eum, nec simul cum lugente lugebo*, et mox: *Agnosce, ô homo, quam gravia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari; si non essent hæc ad mortem, et mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei filius moreretur.* Suo ergo sanguine Christus vitia abolevit, et virtutes nobis emit, ut eas omni studio, labore et conatu conservemus, augeamus et perficiamus.

Nota. Τὸ *in carne* significat primo Christum passum tantum in hac vita dum esset in carne mortali, non vero post mortem cum descendit ad inferos, uti blasphemat Calvinus dicens Christum damnatorum pœnas pertulisse, ut nos-

tram damnationem in se susciperet et lueret. Secundo plerosque ejus dolores, ut verberum, flagellorum, sputorum, spinarum, clavorum, fuisse in carne. Tertio, sub *carne* per synecdochen intelligit animam passibilem et dolorum capacem, eisque obnoxiam. Alludit enim ad illud Christi in horto passionem inchoantis à tristitia : *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Matth. 26. 41. Carnem ergo opponens spiritui, sub ea et per eam intelligit animam tum sensitivam ; hæc enim dolores in carne sentiebat, non ipsa caro. Unde S. Augustinus lib. de Fide et operib. c. 10. legit : *Christo passo per carnem ;* tum rationalem, nimirum appetitum ejus inferiorem qui spectat bonum et commodum naturæ, sive personæ, sentitque et dolet de ejus incommodis, molestiis, doloribus. Unde de ea ait Apostolus : *Caro,* id est, carnalis anima et appetitus *concupiscit adversus spiritum.* Galat. 5. 17. potiores enim Christi dolores fuerunt in anima sensitiva, potissimi in anima et appetitu rationali. In hac enim concipiebat ingentem dolorem de peccatis singulorum hominum, eo quod summe Deum offendant, ut hoc doloris et contritionis actu Deo pro iis satisfaceret : in hac quoque dolebat impense hominum malitiam et ingratitudinem, quod tam multi suam passionem et gratiam essent aspernaturi, et ultro ruituri in tartara. Unde quarto, per carnem synecdochice accipe totam humanitatem : hanc enim opponit divinitati, nam divinitatem Christi esse passam, æque ac humanitatem, docuere nonnulli hæretici, ut Eutyches cum suis. Ita S. Fulgentius lib. 3. ad Thrasim. c. 9. *Propterea,* inquit, *Christum fatetur passum in carne, cujus divinitatem noverat prorsus impassibilem permanere.* Sic Joannis 1. v. 14. dicitur : *Verbum caro factum est : caro,* id est, homo constans carne et anima. Unde ex hoc loco Patres docent primo, contra Nestorium in Christo non fuisse duas personas, sed unam, puta Verbi ; secundo, contra Eutychetem, in Christo fuisse duas naturas, divinam scilicet, et humanam, easque plane inconfusas et impermixtas, distinctas et divisas, eo quod una fuerit impassibilis, altera passibilis. Ita Concil. Hispal. c. 13. Theod. Dialog. 3. Irenæus lib. 3. cap. 20. Gelasius lib. de Duabus naturis et alii.

Nota secundo, pro *eadem cogitatione armamini,* S. Hieron. lib. 1. contra Jovin. legit, vel potius explicat, *eadem conversatione armamini.* Græce est την αυτην εννοιαν οπλισασθε, hoc est, *eamdem cogitationem armamini,* id est, velut arma induite, eaque vos armate. Œcumen. Pagnin. et Tigurin. subaudientes κατα vertunt, *juxta eamdem cogitationem armamini.* Per *cogitationem* accipe Primo, considerationem, æstimationem, ratiocinationem. q. d. Cum Christus tanta passus sit pro vobis, cogitate, æstimate et concludite quanta pro eo imo pro vobis ipsis, puta pro fuga peccati et sequela virtutis, quam vobis sua passione conciliavit, agere et pati debeatis. Hoc est quod monet Paulus : *Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictionem ; ut ne fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis adversus peccatum repugnantes,* Heb. 12. 2.

Secundo, *eadem cogitatione,* id est, simili resolutione, decreto animi, proposito armate vos, ita Vatabl. Sic S. Paulus hortans Philippenses c. 2. 3. ad humilitatem et amorem mutuum eodem utitur stimulo. *Hoc enim,* ait, *sentite in vobis quod et in Christo Jesu,* id est hunc animi sensum, hoc propositum induite, quod cernitis in Christo, *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens in similitudinem hominum, et habitu inventus ut homo.* Sensus est, q. d. Cum Christus tam resolute et generose pro vobis passus sit et crucifixus, ut peccata et vitia vestra crucifigeret, vos similiter ea in vobis simili animi resolutione et efficaci proposito crucifigite, etiamsi id fiat cum passione et dolore. Rursum Christi exemplo omnia adversa et acerba, quæ in hac vita plurima occurrunt, fortiter et generose tolerate. Sic Paulus ait Rom. 6. 6. *Vetus noster homo simul* (cum Christo crucifixo) *crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato,* Et Galat. 2. 19. *Ego enim per legem legi mortuus sum, ut Deo vivam, Christo confixus sum cruci. Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo filii Dei qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.*

Docent ergo S. Petrus et Paulus non tantum Religiosos, uti pulchre ostendit Cassianus lib. 4. Instit. c. 34. et 35. sed et Christianos omnes cum Christo crucifixo debere esse crucifixos mundo, ejusque pompis et vitiis, adeo ut Christianismus sit imago crucis, et tota veri Christiani vita eam præferat figuram et speciem, quam habuit Christus cruci affixus. Primo enim, sicut qui in cruce suspensus est, non potest pro libito manus et membra movere, sed ea affixa habet ligno ; ita Christianus non potest ad libitum se suaque membra movere, sed ea debet conformare et quasi affigere legi Dei et Christi. Secundo, sicut cruci affixus assidue sua cruce cruciatur ; sic lex Christi assidue sensum et carnem cruciat, utpote ejus desideriis et concupiscentiis repugnans, easque mortificare et resecare jubens. Tertio, sicut suspensus non curat homines transeuntes, spectacula, pompas, delicias ; sic Christianus eadem curare non debet, nec iis cor affigere. Quarto, suspensus de crastino non est sollicitus, nullaque pecuniæ, aut possessionum cupiditate tenetur ; idem faciat Christianus. Quinto, suspensus licet in corpore spirans, cura tamen et cogitatione rebus omnibus est mortuus, ea vero tantum cogitat ad quæ paulo post migraturum se sperat : sic et Christianus non solum vitiis et concupiscentiis, sed et ipsis mundi elementis rebusque omnibus affectu sit mortuus oportet, totumque cor convertat ad Deum et cœlum, quo singulis momentis sperat se perventurum : unde fiet ut mundi actibus et desideriis defunctus, jam non vivat ipse, sed vivat in eo Christus, qui crucifixus est pro eo.

Nota Tertio, τὸ *armamini.* Primo, generatim potest accipi pro *induite,* instruite : sic enim subinde vestes et quævis instrumenta vocantur arma. Secundo, tamen, proprie et nervosius, τὸ *armamini* accipe pro *armate vos,* armis vos instruite. Hæc vox innuit Primo, vitam hominis, præsertim Christiani, non esse aliud quam militiam, ut ait Job c. 14. 1. in qua continuo contra dæmonem, carnem et mundum luctandum et decertandum est. Secundo, panopliam, id est, plenam armaturam Christi fuisse passionem et crucem : hæc enim debellavit peccatum, mortem, infernum et diabolum. Unde

symbolice Thomas Anglicus notat Christum in cruce fuisse instar equitis armati : coronam enim spineam illi fuisse pro galea, carnem pro lorica, clavos pro gladio, crucem pro equo. Tertio, panopliam pariter cujusque Christiani esse passionem et crucem Christi, ejusque cogitationem, memoriam, considerationem, et invocationem : iisdem enim armis uti et pugnare debet Christianus, quibus usus est et pugnavit Christus. Quocirca nullum efficacius telum aut clypeus est ad resistendum tentationi dæmonis, carnis et mundi, quam cogitatio Christi crucifixi, uti docui c. 2. 21. et c. 3. 18. Vide et panopliam Christiani à capite ad talos, quam ex Apostolo descripsi Ephes. 6. 13.

Hujus rei symbolo in Confirmationis Sacramento ab Episcopo in fronte signamur, eoque quasi milites et pugiles Christi auctoramur, et roboramur ad certandum pro fide Christi usque ad mortem et martyrium. Ita Constantinus Magnus in edict. sui ipsius Confirmationem referens : *Levatoque*, ait, *me de fonte, induto vestibus candidis, septiformis gratiæ Spiritus S. Consignationem adhibuit beati Chrismatis unctione, et vexillum crucis in mea fronte linivit*, et Prudent. in Psychomach.

> Post inscripta oleo frontis signacula, per quæ
> Unguentum regale datum est, et chrisma perenne.

Hinc in Ordine Romano die Jovis sancto, forma crucis vocatur, *signum frontis et sacri titulus bellatoris, ut signati Chrismate sancto, signiferi esse mereamur cælestes.* Quocirca veteres non tantum frontem, in qua residet pudor, in Confirmatione ungebant et signabant cruce, ad intrepide profitendam fidem et crucem, sed etiam alia membra. Id etiamnum servant Græci, qui, ut ait Jeremias Patr. Constant. in Profess. fidei, ungunt frontem, oculos et dorsum in formam crucis. Æthiopes vero, ut habet eorum Rituale, sive ordo baptismi, ungunt non tantum oculos, frontem et dorsum in formam crucis, sed et nares, labia, pectus, stomachum, tibias, genua et pedes, ut significent cruce obsignanda esse omnia membra, omnes sensus, omnes actiones Christiani.

Hinc rursum militiæ Christianæ tessera et vexillum est crux. Primus enim Constantinus Magnus aquilas, quas Romani in vexillis præferebant mutavit in labarum crucis, quod ei cœlitus ostensum erat cum hoc lemmate : *In hoc signo vinces;* eoque illustres victorias de Maxentio aliisque tyrannis obtinuit, uti narrat Euseb. in Vita Constant. Id secuti sunt Christiani in bello sacro : quotquot enim nomen dabant militiæ ad recuperandam Terram sanctam, cruce signabantur. Vide Gretserum de Cruce.

QUIA QUI PASSUS EST IN CARNE, DESIIT A PECCATIS.] Multi per *passum in carne* accipiunt Christum; de Christo enim paulo ante dixit : *Christo igitur passo in carne*, etc. sicque explicant, q. d. Christus passus in carne per passionem enervavit et abolevit peccata, dum nos per suam gratiam ab iis facit desinere et cessare : ut sit hebraismus quo Cal ponitur pro Hiphil, puta *desiit*, pro desinere fecit. Aut, ut alii, *desiit à peccato*, ut habent Græca, id est, desiit esse hostia pro peccato. *Una enim oblatione consummavit in æternum sanctificatos*, Heb. 10. 14.

Verum hæc violenta aut contorta videntur. Quare Œcum. et alii genuine per *passum in carne*, puta crucifixum, accipiunt Christianum, hic enim, ut jam dixi, in baptismo concrucifixus, commortuus et consepultus est Christo, ut ait Paulus Rom. 6. 4. Rursum hic passus est in carne, quia carnem suam cum ejus concupiscentiis affligit, mortificat et crucifigit. Ad Christianum enim, non vero ad Christum pertinent ea quæ sequuntur : *Ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis.* Sensus ergo est, q. d. Christianus qui instar Christi crucifixi crucifixus est, carnem suam crucifigendo cum vitiis et concupiscentiis, hic jam desiit, valedixit et renuntiavit peccatis, ut deinceps in carne non vivat carni, sed Deo, perinde ac si angelus esset in carne, eam spiritui subdens, spiritalem efficiens, et pene in spiritum transmutans : quocirca non vivat *desideriis*, id est, secundum desideria hominum Gentilium et carnalium in luxuriis, vinolentiis, comessationibus, uti mox explicat : sed *voluntati* id est, juxta voluntatem *Dei*, ut eam in omnibus sibi regulam vivendi statuat, eamque agatur et impellatur ad omne bonum Deo placitum, quod scilicet ipse jubet aut considit. Unde S. Hier. lib. 1. contra Jovin. legit. *In Dei voluntate reliquum in carne tempus exigat.* Pie et sapienter S. August. in Manuali : *Perdit*, ait, *quod vivit, qui te Deum non diligit; qui curat vivere non propter te, Domine, nihil est, et pro nihilo est : qui tibi vivere recusat, mortuus est : qui tibi non sapit, desipit,* Et mox : *Anima quæ te non quærit nec diligit, mundum diligit, peccatis servit, et vitiis subjecta est, nunquam quieta, nunquam secura est. Famuletur tibi semper anima mea, suspiret tibi semper peregrinatio mea, ardeat in amore tuo cor meum, requiescat in te. Deus meus, anima mea contempletur te in mentis excessu, cantet laudes tuas in jubilatione, et hoc sit in hoc exilio meo consolatio mea.* Significat ergo S. Petrus Christianos debere redimere tempus præteritum male impensum carni et veneri, ut à baptismo omnem deinceps vitam consecrent Christo, tantoque impensius studeant virtuti, quanto insolentius olim studuerunt voluptati, uti et monet S. Paulus Rom. 6. 19. Si enim redeant ad priores cupiditates, irritabunt Deum, graviusque ab eo punientur. Nam, ut ait S. Petrus epist. 2. c. 2. 21. *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo quod illis traditum est sancto mandato. Contigit enim eis illud veri proverbii : Canis reversus ad suum vomitum et sus lota in volutabro luti.*

3. SUFFICIT ENIM PRÆTERITUM TEMPUS (græca addunt βιου, id est *vitæ*) AD VOLUNTATEM GENTIUM CONSUMMANDAM] hoc est, *voluntates*, id est desideria, Gentium *consummasse*, ut legit S. Aug. hom. 20. inter 50. Clare Pagnin. et Tigur. *Sat enim est nobis quod anteactæ vitæ tempore voluntatem Gentium patraverimus, cum versaremur in lasciviis, concupiscentiis, vinolentiis.* Ex modestia, et, ut lenior sit increpatio, S. Petrus se Gentibus annumerat, cum ipse Gentilis non fuerit, multo minus gentiliter vixerit. Explicat τὸ *reliquum in carne*, q. d. Magnam et meliorem ætatis partem in gentilismo transegistis carni et vitiis : parva vitæ pars vobis superest; ejus ergo reliquum, quod modicum est, declinans et senescens date Deo et virtuti. Ergo sat veneri ventrique datum, nunc vivite Christo. Sic Udo Archie-

pisc. Magdeburgensis turpiter vivens cœlitus monitus est hac voce : *Udo, Udo, cessa à ludo, lusum satis Udo.* Sed quia finem ludendi non fecit, capite plexus est à S. Mauritio in publico urbis templo, ubi etiamnum cruoris ejus vestigia in marmore cernuntur, uti narrat Nauclerus vol. 3. generat. 43. Fulgos. l. 9. c. 12. et alii. Sic ait Ezechiel c. 44. 6. *Sufficiant vobis domus Israel omnia scelera vestra;* et c. 45. 9. *Sufficiat vobis principes Israel, iniquitatem et rapinas intermittite, et judicium et justitiam facite.* Hoc est quod fideles monet S. Paulus Rom. 13. 11. *Hora est jam nos de somno surgere*, etc. *nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus : non comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudiciis, non in contentione et æmulatione, sed induimini Dominum Jesum Christum : et carnis curam ne feceritis.* Vide ut S. Petro S. Paulus quasi chorda chordæ concordet et succinat.

His qui ambulaverunt,] volutantes se de vitio in vitium : tres enim sunt gradus peccatorum, primus aggredi peccatum, secundus in illo ambulare et stare, tertius in illo sedere et conquiescere, illique se totum debere et affigere, quos expressit Psaltes initio Psalmorum, dicens : *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit.* Impii ergo ambulant de peccato in peccatum. Ex adverso de justis dicitur Psalm. 83. 8. *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion*, quod S. Furseus apud Bedam lib. 3. Histor. c. 19. audivit angelos sibi occinentes.

In luxuriis.] Græcum ασελγεια significat lasciviam, insolentiam, petulantiam, procacitatem, proterviam, tum in impudicis verbis, gestibus, tactibus, tum in dicteriis, irrisionibus, molestiis, quibus vexatur et molestatur proximus.

Desideriis,] επιθυμιαις, id est *concupiscentiis.* Impiorum enim cor iis æstuat, et instar clibani ardentis assidue ejaculatur scintillas, puta ardentia desideria nunc libidinis, nunc gulæ, nunc avaritiæ, nunc iræ, nunc vindictæ, etc. Nam, ut ait Seneca : Immensæ sunt hominum cupiditates semperque hiant et poscunt. *Altera ex fine alterius nascitur : qualem dicimus esse seriem causarum, ex quibus nominatur fatum, talem dicimus esse cupiditatum.* Ita ipse epist. 19. Vere sapiens Eccl. 18. 30. *Si prestes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.*

Vinolentiis.] Perperam aliqui legunt *violentiis* : græce enim est οινοφλυγιαις, id est *temulentiis*, vinolentiis, crapulis, quales sunt ebriosorum, qui mero pleni non nisi vinum olent et eructant, adeoque in vino corpus, sensus, animam, mentem, totosque se obruunt et sepeliunt, mortuis quam vivis similiores, unde Syrus vertit, *in crapula et ebrietate et protervia cantu.*

Comessationibus.] De his dixi, in Comment. in Epist. S. Pauli. Rom. 13. 13.

Potationibus.] Hæc vox distinguitur à vinolentiis, quasi causa ab effectu, potatio enim causat vinolentiam. Rursum quasi genus à specie; potatio enim fit non tantum vino, sed et mulso, cerevisia, aliisque potibus.

Et illicitis idolorum cultibus.] *Illicitis*, id est, abominandis et execrandis, est miosis. Unde S. Aug. hom. 20. inter 50. legit, *nefandis idolorum servitutibus.* Gentiles enim non tantum colebant Cererem quasi deam dantem fruges, et Bacchum quasi deum dantem vinum : sed et aliis suis desideriis et cupidinibus quibusque præficiebant deos, quos invocabant ut res concupitas sibi concederent, sicut *Volupiam, quæ à voluptate appellata est, et Libentinam cui nomen est à libidine,* ait S. Aug. l. 4. de Civit. cap. 8. Taceo deam Virginensem, Premam, Partundam, Venerem, Priapum et alios obscœniores, quos nominare pudor non sinit, adeo ut S. Augut. eos referens l. 6. c. 9. erubescat et perhorrescat.

Hinc patet hanc epistolam, licet primario scripta sit ad Judæos, secundario tamen scriptam quoque ad Gentiles ad Christum conversos : hi enim in gentilismo vacarunt idololatriæ, luxuriæ et gulæ : Judæi vero post reditum è Babylone amplius non coluerunt idola.

4. In quo admirantur.] Ξενιζονται, id est *peregrinantur,* hoc est, peregrini sibi videntur, et quasi esse in alio mundo, videntes rem tam inopinatam, vitam scilicet vestram tam sanctam et admirandam quam quasi rem peregrinam, novam, et insolitam admirantur et obstupescunt, nimirum ingens miraculum est videre Gentilem factum Christianum subito mores in contrarium mutare, ut fiat novus homo, ex ebrio sobrius, ex incesto castus, ex superbo humilis, ex animali spiritualis. Ea ergo est vis legis Evangelicæ et gratiæ Christi, de qua Psaltes Psal. 18. 8. *Lex Domini,* ait, *immaculata converteus animas.* Et Isaias c. 8. 18. *Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum et in portentum.* Unde OEcum. *ipsi,* ait, *Gentiles demirantur vos, quod cum ipsis in similem impietatis αναχυσιν, id est refusionem, hoc est confusionem, non concurratis.* Tum quia mirantur vestram mutationem, tum quia mirantur se à vobis desertos, tum quia mirantur vos concupiscentias vincere, quibus ipsi indulgentes seque mancipantes putant esse impossibile posse carere.

Nota. Pro *confusione* græce est αναχυσιν, quod primo significat *refusionem*, qua scilicet interrogationi turpi vel actui, turpis responsio vel actus regeritur et refunditur; secundo, *redundantiam.* Libido enim instar maris redundat et exæstuat in omnes obscœnitates. Unde Syrus vertit, *ecce nunc admirantur, vosque maledictis proscindunt, eo quod libidine non pruritis cum eis in illa priore ingluvie;* tertio, *mollitiem et lasciviam;* quarto, *confusionem,* ut vertit OEcumen. eamque duplicem, scilicet primo, pudorem et erubescentiam ; secundo, commixtionem qua viri vel feminæ turpiter, infande, et subinde contra naturam inter se commiscentur : libido enim est portentosa et insatiabilis, unde novos semper turpitudinis modos excogitat.

Blasphemantes.] q. d. Ita vestram mutationem admirantur, ut simul eam non laudent, sed blasphement, id est, vituperent, rideant, execrentur, utpote suis moribus contrariam, ac tacitam eorumdem reprehensionem : vestris enim virtutibus reipsa taxatis et damnatis eorum vitia. Sic hodie videmus viros Religiosos ab improbis blasphemari; quia eorum virtutis et religionis splendor improborum quasi noctuarum oculos perstringit et pungit, cum videant sua vitia ab iis reipsa traduci et damnari. Quare qui id facit, ostendit se improbum, sæpeque deprehensum est occultam aliquam libidinem aut vi-

tium talibus dominari, etiamsi illud celare, et externa morum honestate velare conentur. Vere S. Prosper epigrammat. 32.

Impia, *ait*, pars mundi parti est infesta piorum,
Nec tolerare potest dissimiles animos.
Ridens nolentes opibus præsentibus uti,
Sperantesque sibi credita posse dari.

5. QUI REDDENT RATIONEM EI QUI PARATUS EST JUDICARE VIVOS ET MORTUOS.] *Qui paratus est.* Primo, idem est quod qui destinatus est judex. Secundo, qui ex zelo justitiæ et vindictæ inhiat judicio, avideque diem judicii expectat. Tertio, qui brevi et proxime judicaturus est, id est, qui in promptu habet tum scientiam et testes, puta angelos, dæmones, ipsamque hominis conscientiam, quibus reos convincat et damnet, tum virtutem et potentiam, qua damnatos à se etiam reges et principes trudat in abyssum gehennæ, ut nemo ejus oculos, os et manus evadere possit.

Quocirca tunc sero agnoscent suum errorem dicentque attoniti : *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est.* De se vero ululantes plangent : *Ergo erravimus à via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis Lassati sumus in via iniquitatis, et perditionis, et ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuntius percurrens, et tanquam navis quæ pertransit fluctuantem aquam, cujus, cum pertransierit, non est vestigium invenire*, etc. Sap. 5. v. 3. et seq.

Sapienter S. Aug. Soliloq. c. 14. *Cum hoc*, ait, *diligenter considero, Domine Deus meus terribilis, et fortis, timore pariter et ingenti rubore confundor, quoniam nobis magna est indita necessitas juste recteque vivendi, qui cuncta facimus ante oculos Judicis cuncta cernentis.*

6. PROPTER HOC ENIM ET MORTUIS EVANGELIZATUM EST : UT JUDICENTUR QUIDEM SECUNDUM HOMINES IN CARNE, VIVANT AUTEM SECUNDUM DEUM IN SPIRITU.] Probat Christum judicaturum vivos et mortuos, ex eo quod descendens ad inferos judicarit mortuos carne, sed vivos spiritu. Plane enim alludit ad id quod de eisdem dixit c. præced. c. 18. *Christus enim pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu : in quo et his qui carcere erant spiritibus veniens prædicavit :* solet enim S. Petrus idem repetere et inculcare. Unde toties repetit et inculcat passionem Christi, patientiam, amorem fraternitatis, aliasque virtutes Christianas. Hoc enim est officium boni Pastoris, doctoris et prædicatoris : nec enim auditores ea quæ dicuntur illico capiunt, aut faciunt, sed identidem eadem illis repeti et imprimi debent : qua de causa S. Chrysost. in homiliis ad populum, sæpe et pene ad nauseam insectatur jurandi consuetudinem, quæ tunc Antiochiæ vigebat, ac palam profitetur se non destiturum ab hac iteratione et increpatione, donec auditores eam correxerint. Jam varii varie hunc locum explicant.

Primo, Pererius lib. 9. in Genes. disp. 30. n. 91. et Salmeron hic, per *mortuos* accipiunt morituros, q. d. Hominibus morituris dum in hac vita vivunt, serio et vere prædicatur futurum judicium post mortem : ergo mortui vere judicandi sunt à Christo.

Secundo, Arias *mortuos* accipit mystice, nimirum mortuos peccato. q. d. Iis qui in Christo mortui sunt mundo et peccatis, hoc Evangelium id est : lætum nunitum allatum est, quod licet secundum hominem et carnem, id est, quoad externam speciem, reliquis hominibus similes esse judicentur, vivant tamen secundum Deum in spiritu, id est, spiritu, mente et vita Christum Dei filium ejusque gloriam referant et repræsentent. Sic fere et Dionys. explicat, q. d. Mortui in Christo judicantur et damnantur ab hominibus hujus sæculi, vivunt tamen coram Deo in spiritu, utpote Dei gratia et charitate prædíti. Huc accedit Alcazar in Apoc. 21. 20. annot. 18. qui mortuos intelligit peccato et amori proprio, q. d. Christus judicaturus est vivos et mortuos mystice. Sic enim ab Apostolis evangelizatum est mortuis, id est, fidelibus, qui peccato et mundo mortui sunt, idque ad hoc ut patienter ferant se carne judicari, id est, damnari, cruciari et occidi, propter Christum, scientes in Dei tribunali sibi adjudicandam causam; sequc donandos præmio vitæ spiritalis, gloriosæ et æternæ, ut scilicet apud Deum vivant spiritu immortali, lætissimo et beatissimo.

Tertio, alii, q. d. Mortui in Christo judicant, id est, damnant scelera quæ fere in ipsa hominis carne resident, ideoque se Deo spiritu excolendos et vivificandos subjiciunt. Verum hi omnes τὸ *mortuis* non proprie ad litteram, sed mystice et spiritualiter accipiunt, cum proprie ut sonat videatur accipiendum. Sic enim immediate ante accipit S. Petrus cum dicit Christum judicaturum vivos et mortuos, idque hic probare contendit.

Quarto, ergo OEcumen. proprie *mortuos* accipiens sic explicat, q. d. Christus descendens ad inferos judicavit, id est damnavit mortuos ibi degentes, eos scilicet, qui dum in vivis agerent more hominum carnalium turpiter in carne vixerant : vivificavit vero et salvavit eos, qui secundum Deum in spiritu, id est, pie et spiritualiter vitam traduxerant. Verum hic duos ponit ordines, unum salvandorum, alium damnandorum, ac consequenter alios facit judicatos à vivificatis, cum S. Petrus videatur facere eosdem. Hoc enim significant illæ particulæ *quidem* et *autem*, quæ sibi invicem in eadem re et in eodem subjecto opponi solent.

Quinto, alii explicant. q. d. Christus descendens ad patres mortuos in limbo detentos, eis evangelizavit et nuntiavit quod judicentur, græce κριθῶσι, in futuro, id est, judicandi sint quidem in die judicii, *secundum homines*, id est, quatenus homines non redivivi rursum existent *in carne* in ea enim resurrecturi sunt et ituri ad judicium, sed pariter eis nuntiavit quod adjudicandi cœlo vivificandi sint *spiritu* gratiæ et gloriæ sempiternæ. Verum hæc expositio non satis explicat antithesim, quæ est in *judicari carne*, et *vivificari spiritu* : rursum, inter *secundum homines*, et *secundum Deum;* sed homines Deo, carnem spiritui, et judicium vivificationi substernit et subordinat.

Sexto, alii : Probat, inquiunt, S. Petrus Christum venturum ut judicet non tantum vivos, sed

et mortuos, ex eo quod, ut dixit c. præced. v. 19. Christus descenderit ad inferos, ut iis qui olim mortui eo descenderant evangelizaret et prædicaret, ad hoc non ut mortuos in peccato converteret, sed ut quasi judex eos judicaret, non solum porcellendo et condemnando dæmones et reprobos jam in gehennam damnatos sed etiam judicando justos olim incredulos Noe minitanti diluvium, postea vero credentes et pœnitentes: hos enim judicavit, hancque in eos sententiam protulit, dicendo : Ego vos ob incredulitatem et peccata damnavi *secundum hominem*, id est, exterius *carne*, ut scilicet exterior vester homo, puta corpus et caro moreretur et mergeretur diluvio; vel *secundum homines*, id est, ut more hominum, qui corpus possunt interficere, non animam, punianimi et morianimi in carne; sed quia ante mortem pœnituistis, idcirco secundum Deum, id est, interius et secreto coram Deo animam vestram adjudico vitæ, ut scilicet per eam mortem et redemptionem vivatis mecum spiritu, ideoque communico spiritui vestro visionem meæ divinitatis, eaque vos beo et glorifico, faciamque pariter ut tertio die mecum is resurgat in corpore ad vitam plenam, gloriosam et æternam. Ita Suarez 3. p. tom. 2. disp. 43. sect. 3. et Gregor. de Valentia 3. p. 2. q. 4. puncto 2.

Dices : Pro *judicentur* et *vivant*, græce sunt futura κριθωσι et ζωσι. Ergo hoc judicium adhuc futurum est, illud vero Christi jam dictum peractum est cum ipse descendit ad inferos. Ergo de eo non loquitur hic S. Petrus. Respond. Primo, hæc futura non referuntur ad tempus præsens nobis, sed Christo, puta ad tempus Christi descendentis ad inferos : tunc enim erat adhuc futurum, non factum. q. d. Christus descendit ad inferos evangelizatum mortuis, ad hoc ut eos judicaret carne, et vivificaret spiritu : necdum enim erant ab eo judicati et vivificati, sed adhuc judicandi et vivificandi.

Secundo, Christus tunc inchoavit judicium, consummabit vero illud in fine mundi. Tunc ergo peraget plenum et universale judicium, quod sane adhuc futurum est : tunc enim judicium illud in limbo secreto peractum celebrabit coram toto mundo, sententiamque suam confirmabit, et publicabit ut duret per omnem æternitatem. q. d. Christus descendit ad inferos ut mortuos patres judicet carne, et vivificet spiritu, illudque in hoc descensu fecit inchoate, plene vero et perfecte idipsum faciet in die judicii.

Tertio, Christus judicavit mortuos in limbo carne, id est, puniet eos in futurum, quia eis hanc pœnitentiam exterius irrogavit, ut publicam apud homines subirent notam et ignominiam, ut scilicet homines non tantum præteriti, sed et futuri judicent, æstimentque eos quoad carnem diluvio mersos et suffocatos juste ob eorum incredulitatem et peccata, imo judicent eos quoad animam damnatos, esto secreto coram Deo vivificati sint spiritu. Sic enim etiamnum viri docti, uti dixi cap. præced. v. 19. et 20. censent omnes diluvio mersos fuisse damnatos. Christus ergo suo judicio hanc eis notam apud homines irrogavit, voluitque ut hoc hominum judicium paterentur ob suam culpam, quia scilicet sua incredulitate et peccatis, ejusque justa punitione et morte qua mersi sunt diluvio, hominibus justam hoc suspicandi occasionem dederunt verum quia S. Petrus ait : *Ut judicentur secundum homines*, non *hominem*, hinc videtur potius loqui de judicio hominum, quam de judicio Christi, alioquin dixisset ut judicet eos Christus, vel ut judicentur à Christo. Potius ergo videtur loqui de mortuis, qui in pietate et carnalibus egisse vitam miseram, superstitiosam et stultam, non autem de mortuis in peccato, et mersis in diluvio. Unde ait his evangelizatum, id est, lætum nuntium de mercede et præmio vitæ beatæ allatum fuisse.

Quare septimo, hic videtur genuinus totius hujus loci esse contextus et sensus, ne quis miretur id quod dixit S. Petrus Christum judicaturum mortuos, idipsum probat, dicens : *Propter hoc enim et mortuis evangelizatum est.* Loquitur enim contra Gentiles et Epicuræos viventes in luxuriis, vinolentiis, commessationibus, dicentes :

Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.

quasi omnis felicitas in iis et in hac vita consistat; censebant enim animam interire cum corpore ac proinde stultum esse voluptatibus hujus vitæ abstinere et carnem mortificare spe futuræ vitæ, utpote quæ nulla sit, ac proinde nullum in ea de gestis præsentis vitæ sit exspectandum judicium nulla merces et retributio, mortuos enim nihil sentire, nihil scire, nihil pati, imo plane non esse. Evertit hoc S. Petrus docens Christum judicaturum tam mortuos, quam vivos, eisque pro meritis præmia redditurum : mortuos ergo vivere quoad animam, ac proinde Christianos debere pristinis cupiditatibus renuntiare, vitiis carnis abstinere; ac Christo passo et crucifixo se conformare, crucifigendo carnis appetitus : *Ut jam*, inquit, vers. 2. *non desideriis hominum, sed voluntati Dei quod reliquum est in carne vivat temporis*, ut nimirum in altera vita cum Christo resurgatis ad gloriam. Probat hæc omnia ex eo quod Christus, ut ostenderet se judicaturum mortuos æque ac vivos, descenderit ad mortuos patres in limbo degentes, qui in hac vita vixerunt pie, caste, sancte secundum spiritum, non secundum carnem, iisque evangelizarit, id est, attulerit lætum nuncium beatitudinis, nimirum adjudicando eos cœlo et vitæ beatæ, eamque quasi judex reipsa illis largiendo, ita ut licet illi judicentur et æstimentur *secundum homines*, id est ab hominibus mundanis esse mortui (τὸ enim *mortui* hic repetendum esse patet ex antithesi quæ sequitur, *Vivant autem*, etc.) id est plane, interiisse *in carne*, ideoque fuisse miseri et superstitiosi vel fatui, quod, dum viverent, carnis voluptates spreverint, eamque cum vitiis et concupiscentiis mortificarint et crucifixerint, ut sese assimilarent Christo postea passo et crucifixo, iisdem tamen *vivant secundum Deum*, id est, coram Deo, et dono Dei in spiritu gratiæ et gloriæ cœlestis. Τὸ enim *ut licet judicentur secundum homines*, respicit id quod dixit v. 4. *In quo admirantur non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem, blasphemantes.* Nam, ut ait S. Paulus 1. Cor. 15. 19. *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.*

Tales mortui fuere Prophetæ, Machabæi et similes, quos recenset Apostolus Hebr. 11. qui austeram vitam egerunt in carnis mortificatione, et in spiritu puro sanctoque serviverunt Deo, pro eoque dura, adeoque mortem ipsam passi sunt. Tales quoque fuere multi mersi diluvio,

qui prius increduli Noe illud minitanti, uti dixit c. præced. v. 20. (eo enim alludit) vacabant luxuriis, potationibus, comessationibus ; postea tamen territi constantia minarum Noe et fabricationis arcæ pœnituerunt, seque dederunt abstinentiæ, continentiæ et pœnitentiæ. Hos enim homines carnales judicabant plane mortuos, et carne mersos in diluvio, cum tamen per Christum vivant spiritu. Horum enim exemplum Christianis proponit ut eos imitentur, ac pristinas carnis illecebras abdicent, spirituque gratiæ vivant, ut mox cum Christo resuscitari, felicitate donari, et spiritu gloriæ æternæ vivere et beari mereantur. Hic enim versus pendet à v. 1. et seq.

Porro ex horum piorum gloria et præmio colligendas relinquit S. Petrus impiorum pœnas et supplicia quæ scilicet tormenta eos maneant, qui carnis voluptatibus indulgentes, totos se tradiderunt luxuriæ et crapulæ, ut hos devitent fideles, et pios in mortificatione carnis videntes et mortuos sequuntur. Unde et subdit : *Omnium autem finis appropinquavit.*

Nota primo, τὸ *secundum homines*, idem est quod ab hominibus, qui humana, id est exteriora et sensibilia æstimant, qui tantum judicant, amant et sectantur ea quæ vident, sentiunt et sapiunt *in carne*, et carnalibus voluptatibus, ac proinde judicant eos qui in carne vixerunt et vivunt abstinentes et continentes, esse miseros, superstitiosos et fatuos.

Huic opponitur, τὸ *secundum Deum*, id est, apud Deum, coram Deo, à Deo, dono et præmio Dei, qui est Dominus spirituum, piam mentem inspicit, eamque judicat secreto, interius et invisibiliter conferendo ei vitam spiritus, puta vitam spiritalem, cœlestem, angelicam, beatam et divinam.

Nota secundo, alludit S. Petrus ad Christum, quem c. præced. v. 18. dixit passum pro nobis, *ut nos offerret Deo mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.* q. d. Sicut Christus pro nostris patrumque culpis hoc judicium subiit, ut moreretur, carne, sed tertio die resurgens vivificaretur spiritu, ita pariter idem judicium patribus, qui secundum spiritum, non secundum carnem vixerunt, irrogavit, hanc in eos sententiam pronuntians. Quia carnis concupiscentias mortificastis, dono vos vita spiritus, et licet ab hominibus carnalibus judicemini plane esse mortui, ideoque vixisse misere in carne ; tamen apud Deum vivatis felices in spiritu, nimirum immortales, beati et gloriosi in anima, ac suo tempore cum Christo vobiscum passo et crucifixo resurgatis in corpore immortali, beato et glorioso. Hoc significat τὸ *propter, hoc et mortuis evangelizatum est*, fuit enim hoc judicium Christi evangelium, id est, lætissimum nuncium, quod patribus toties et tamdiu carne mortificatis attulit de sua morte et redemptione jam paracta, ideoque eorum liberatione, felicitate et gloria.

Unde Tropol. hoc judicium Christi et patrum necesse est ut subeat quilibet Christianus, nimirum ut judicetur et mortificetur carne tum ab aliis, tum à seipso, indeque vivificetur spiritu tum per gratiam, tum per gloriam. Huc referri potest expositio moralis potius quam litteralis S. Aug. ep. 99. qui per mortuos accipiens non inferos, sed infideles et iniquos, sic explicat : *Propterea*, inquit, *in hac vita et mortuis evangelizatum est, id est, infidelibus et iniquis ; ut cum crediderint judicentur quidem secundum homines in carne, hoc est in diversis tribulationibus, et in ipsa morte carnis : unde idem Apostolus alio in loco dicit tempus esse ut judicium incipiat à domo Domini ; vivant autem secundum spiritum, quia et in ipso fuerant mortificati, cum morte infidelitatis et impietatis detinerentur.* Et ita OEcum. *Dicunt*, ait, *eos qui ita Christo mortui sunt, ut morti Christi conformentur, et mundo, id est, mundanis concupiscentiis mortui sunt, et soli Christo vivunt, ob anteactam ignave ac negligenter vitam seipsos in carne condemnare, atque id nihil aliud esse quam spiritu, id est, ex Christi institutione, vitam traducere : quippe cum priorum vitæ actionum damnatio alacriores ac promptiores ad ea quæ præmanibus habent exercenda ipsos efficiat.* Sic et Hugo, Vatabl. et alii.

7. OMNIUM AUTEM FINIS APPROPINQUAVIT.] Τὸ *autem* non respicit proxime præcedentia de judicio mortuorum, sed id quod superius dixit de abstinendo à luxuriis, comessationibus et pristinis vitiis, hujus enim abstinentiæ causam reddit, quod voluptatum æque ac rerum omnium finis appropinquet, proprie vero respicit τὸ *paratus est judicare.* q. d. Instat nobis Christus judex, quia instat finis omnium : ergo par est sobrie et caste vivere, ac Christo passo conformari, ut coram eo judice securi et læti comparare, et vitæ sanctæ transactæ rationem reddere possimus. Hoc est quod monet Christus Lucæ 21. 34. *Attendite ne graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ, et superveniat in vos repentina dies illa.*

Porro, *finis* hic primo accipi potest vitæ, q. d. Brevis est vita nostra, jamque multi 30. 40. 50. ejus annos vixerunt : parum ergo eis restat : imminet ergo vitæ finis, mors et judicium particulare.

Secundo, et potius, *finis* hic intelligitur mundi et sæculi : hoc enim innuit τὸ *omnium*, q. d. Mundus jam stetit per quatuor annorum millia, vergitque ad senium et occasum : mundus sex vitæ suæ ætates transegit, agit jam septimam et ultimam ; ergo ejus finis appropinquat. Prima enim mundi ætas fuit ab Adam ad Noe et diluvium. Secunda à Noe ad Abraham. Tertia ab Abraham ad Mosen. Quarta à Mose ad Davidem. Quinta à Davide ad captivitatem Babylonicam. Sexta à captivitate Babylonica ad Christum. Septima jam agitur à Christo usque ad finem mundi. Hinc S. Joan. epist. 1. c. 1. 18. ait, *Filioli, novissima hora est*, et S. Paulus 1. Corinth. 10. 11. *Hæc*, inquit, *scripta sunt ad correctionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt.* Hinc ait in præterito *appropinquavit*, quia major sæculorum pars et numerus jam præteriit.

Mystice OEcum. *Finis*, inquit, *omnium*, scilicet Prophetarum, *est Christus.* q. d. *Quoniam omnium perfectio, qui est Christus, accessit, vos quoque debetis huic conformari, in omnibus absolutos ac perfectos vos reddere in temperantia, in sobrietate orationum.*

ESTOTE ITAQUE PRUDENTES, ET VIGILATE IN ORATIONIBUS.] Τὸ *itaque* significat hæc educi et concludi ex jam dictis, q. d. Quia finis omnium appropinquat, par est, ut ad eum vos comparetis, prudenter in omnibus agendo et vigilando in orationibus, juxta illud vulgo tritum :

Quidquid agas, prudenter agas, et respice finem.

Alludit, imo refricat illud Christi : *Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit;* et Matth. c. 25. 13. *Vigilate, itaque, quia nescitis diem neque horam,* et c. 26. 41. *Vigilate et orate ut non intretis in tentationem.*

Pro *estote prudentes*, græce est σωφρονησατε, quod OEcum. Pagnin. Vatabl. Isidor. Gagneius, et alii vertunt, *sobrii estote : quippe*, ait OEcum. *cum sobriorum sit oratio et precum effusio, id est, vigilantium, et non eorum qui mundanorum rerum ebrietate sopiti opprimuntur.* Hinc sobrietas dicitur σωφροσυνη, eo quod σωζει την φρονησιν, id est, servet prudentiam et mentis sanitatem. Syrus vertit, *estote casti :* sobrietatis enim comes et filia est castitas. Noster generalius et planius vertit, *prudentes estote.* Prudentia enim omnium virtutum est dux et auriga, ut aiebat S. Antonius, quæ singulas hominis actiones ordinat et moderatur, itaque hominem componit et disponit, ut secure finem omnium expectet, et fidenter coram tribunali Christi rationem vitæ suæ redditurus se sistat.

Nota, quoad etymon *prudens dicitur quasi porro videns*, ait Isidor. lib. 20. Etymol. c. 15. *Perspicax enim est, et incertorum casus videt.* Prudentia ergo dicitur quasi porro videntia, vel providentia. Definitio ejus hæc traditur à S. August. l. 1. de Lib. arbit. c. 13. *Prudentia est rerum appetendarum et fugiendarum scientia.* Ab Aristot. 6. Ethic. c. 5. *Prudentia est recta ratio agendorum.* Ab aliis plane et plene sic definitur: *Prudentia est virtus intellectus, quia in quovis negotio occurrente novimus quid honestum sit, quid turpe; quid faciendum, quid fugiendum.* Partes integrantes prudentiæ à nonnullis traduntur sex. Prima est *providentia*, quæ est consideratio futurorum eventuum, qui possunt sequi ex opere. Secunda est *ratio*, puta promptitudo ratiocinandi et colligendi unum ex alio. Tertia est *docilitas*, sive promptitudo ad discendum. Quarta est *solertia*, sive sagacitas, quæ est medii inventio tempore brevissimo, ait Aristot. Quinta est *circumspectio*, puta consideratio circumstantiarum ne qua desit in opere. Sexta est *cautio*, puta cura ut vitentur pericula et incommoda operi conjuncta. Officia et actus prudentiæ præcipui sunt quatuor : *concilium*, ex bona deliberatione : *judicium*, ut melior res et medium aptius ad finem eligatur : *constantia*, in retinendo eo quod recte judicatum est : *diligentia*, in exequendo. Illisce totidem vitia et actus imprudentiæ opponuntur, nimirum *præcipitatio*, quæ militat contra consilium ; *inconsideratio* contra judicium ; *inconstantia* contra constantiam et judicii firmitatem : *negligentia* contra diligentiam et vigilantiam rationis in exequendo. Prudentia ergo est mensura et regula virtutum omnium quæ sunt in voluntate, à qua ratio honesti et virtutis in singulas derivatur et descendit. Illud enim est opus virtutis, quod conforme est judicio et dictamini prudentiæ. Prudentiæ enim officium est, præscribere modum virtutibus, quidnam scilicet in singulis functionibus sit rationi commensum, non exorbitans per excessum vel defectum. Quocirca perfecta prudentia tantum est in viris probis, qui affectus habent domitos : in aliis enim affectus sæpe mutant et pervertunt judicium rationis et prudentiæ, ait D. Thom. 2. 2. q. 49. Denique prudentia circa particularia versatur, ut singula fiant convenienti loco, et tempore et modo.

Moral. disce hic primam et principem virtutum omnium esse prudentiam. Præclare Nazianz. in Iambico de fortuna et prudentia : *Malim*, inquit, *prudentiæ guttam, quam integrum secundioris fortunæ pelagus.* S. Basil. in Constit. Monast. c. 15. *In omni*, ait, *quæ suscipitur actione antecedere prudentia debet. Nam prudentia remota, nihil cujusvis generis est, quod licet bonum videatur, non in vitium recedat, si aut alieno tempore, aut non adhibita moderatione fiat.* Idem orat. 21. de felicitate et prudentia : *Vera*, inquit, *prudentia nihil aliud est quam rerum faciendarum omittendarumque cognitio, quam qui sequitur, nullo tempore à virtutis operibus deflectet, nec unquam pravitatis spiculo configetur.* S. August. conc. 1. in Ps. 37. *Prudens*, ait, *dictus est porro videns, ergo fide videt.* Idem in epist. ad Rom. propos. 49. *Prudentia est spiritus, quando neque in bonis temporalibus spes nostra est, neque in malis timor.* Idem l. 6. Musicæ : *Prudentia est affectio animæ vel motus quo intelligit æterna superiora esse et inferiora esse temporalia*, ideoque illa præ his appetenda.

Idem censere Gentiles, qui hæc prudentiæ partim dant elogia, partim præcepta. Socrates rogatus, *quid esset prudentia : Animæ*, inquit, *concinnitas.* Ita Stobæus serm. de prudentia. Idem : *Ut navis vacua*, inquit, *instrumentis convenientibus, sic vita prudentiæ affectibus instruenda est et munienda. Nec equo sine fræno, nec divitiis sine prudentia tuto quis uti poterit.* Idem discipulos docebat tria. Primo, *ut in animo haberent prudentiam.* Secundo, *in lingua silentium.* Tertio, *in vultu verecundiam.* Ita Maxim. serm. 41. Philo l. 1. Alleg. *Quod*, inquit, *inter metalla est aurum, hoc inter virtutes est prudentia.* Plutarch. *Ut Cyclops ixoculatus*, ait, *quoquoversus manus porrigat, nullo certo innititur scopo; ita magnus Rex cui desit prudentia, quidquid aggreditur ingenti rerum tumultu, sed nullo judicio.*

Prudentiæ præcepta, hæc assignat. Primum est Biantis apud Laertium : *Considera et posteà rem aggredere.*

Item : *Aggredere tardus agenda, aggressus age constans.*

Secundum est Periandri apud Laertium : *Ea facito quorum te non pœniteat.* Idem rogatus quid in minimo esset maximum? Respondit, *Prudentes cogitationes animæ in corpore humano.*

Tertium : *Prudentia perfecta nihil in rebus humanis admiratur.* Ita Democritus apud Stobæum sermon. 3.

Quartum : *Prudentia virtutibus omnibus utitur, atque earum modum, ordinem et occasionem quasi oculus quidam mentis undequaque lucidissimus ostendit, ideoque prudentia sui possessores efficit Deo similes.* Ita Jambl. apud Stobæum serm. de Prud.

Quintum : *Prudens vir ad vitam quasi ad viam quamdam, non pretiosius viaticum, sed quod magis necessarium est comparat.* Ita Criton ibid.

Sextum : *Prudentiæ sunt tria munia. Primo, præteritorum meminisse. Secundo, agere præsentia. Tertio, futura cavere.* Ita Isocrates apud Stobæum serm. 1.

Septimum : *In prælio soli cordati milites sunt causa victoriæ.* Ita Agesilaus apud Plutarch. in Lacon. unde de Scipione juniore dixit Cato illud Homeri de Tiresia Odyss. 2.

Ille sapit solus, volitant alii velut umbræ.

Ita Plutarch. in Apophth.

Celebre est illud Euripidis : *Unum consilium rectum magnam militum manum vincit.* In bello ergo æque, ac cæteris rebus plus valet prudentia, quam arma et vires.

Octavum : *Sicut exercitum ducit Imperator, gubernator navigia, mundum Deus, animam ipsa mens; sic ipsam felicitatem præsentis vitæ temperat regitque prudentia.* Ita Architas apud Stobæum serm. 11. de virtute, quæ est in ordine prima.

Nonum : *Prudentia te docet ut in cunctis semper idem sis, tam in prosperis, quam in adversis, sicut manus eadem est sive in palmum extendatur, sive in pugnum contrahatur.* Ita S. Auctor serm. ad Fratres in eremo serm. de prudentia t. 10. S. August.

Decimum : *Uti cicatrix admonet cavendum esse vulnus, ita memoria præteritorum malorum reddit cautiores.* Ita Plutarch.

Undecimum : Fibri *Pontici genitalia sibi amputant in venatu, quod ob hæc se peti intelligant : ita prudentis est rem abjicere ob quam periclitatur.* Ita Plutarch. Sic Christus jubet erui oculum, manum, pedem, si ea ipsi sunt scandalo et ruinæ, Matth. 18. 8. Prudentia ergo docet postponere bona famæ, famam vitæ, vitam conscientiæ.

Omnia si perdes famam servare memento.

Duodecimum : *Eum osculta cui quatuor sunt aures,* hoc est, audi eum qui diuturno complurium rerum usu præ ceteris sapit, uti fere sunt senes, qui res privatas et publicas diu tractarunt.

Decimum tertium : *In bellicis difficultatibus providendum est ut potius in nocendo aliquid omittatur, quam cum aliquo detrimento militum noceatur.* Ita Cæsar. l. 6. de Bello Gallico.

Decimumquartum : *Loco sapientiæ est alienam stultitiam aperiri, et quiete intueri hostem imprudentia ruentem.* Ita Tacit. l. 2. Histor.

Decimum quintum : *Prudentium et Deum cotentium est, pullulantis belli causas, præsertim cum amicis protinus incidere; Imprudentium vero et Deum sibi iratum quærentium est, tumultus occasionem excitare.* Ita Procop. lib. 2. Belli Persici.

Decimum sextum : *Prudentium est, amicis inimicitias condonare : stultorum et barbarorum est, amicos cum inimicis tollere.* Ita Dionys. Halicarn. lib. 5. Idem l. 11. *Prudentes,* ait, *publica commoda privatis simultatibus potiora ducunt.*

Decimum septimum : *Ex malis minimum elige, ex bonis maximum. Quæ divinitus accidunt, necessario; quæ ab hostibus fortiter ferto.* Ita Thucid. lib. 2. *Ne temere cuilibet credas, nec propter rerum successum insolescas : sed cuncta expecta quæ hominibus accidere possunt.* Ita Polyp. l. 8.

Decimum octavum : *Nemo bonus vir imperii cupiditate tenetur, sibive gravium negotiorum curam exoptat, et in hujusmodi re expedit munus impositum considerate subire, ut tuto idipsum liceat exequi.* Ita Dionys. l. 36. Ergo vita privata, est vita beata.

Decimum nonum : *Prævenienda sunt hostium consilia, antequam cum damno crescant.* Ita Dionys. l. 38.

Vigesimum : *Qui suæ incolumitatis curam gerit, duo observet : Unum, ut negotio præfectus difficultatem ejus à se removeat; alterum, ut rei bene gestæ nomen servet.* Ita idem lib. 49.

Vigesimum primum : *Priusquam incipias consulta, et ubi consulueris mature facto opus est.* Ita Sallust. in Catil.

Vigesimum secundum : *Præsentibus bonis uti præstat, quam fugientia quærere.* Ita Procop. l. 1. Belli Persici. Sic secura periculosis, certa dubiis, perpetua temporariis, multa paucis, facilia difficilibus, publica privatis, divina humanis, cœlestia terrenis anteponenda sunt; hæc enim dictat prudentia.

Vigesimum tertium : *Plurimum juvat in rebus obeundis temporis uti opportunitate.* Ita Procop. l. 1. Belli Wandal.

Vigesimum quartum : *Insignis est prudentia quod non facere non possis, id facere ut libenter fecisse videaris.* Ita Pachym. l. 9.

Vigesimum quintum : *Super arduis rebus diu multumque et graviter deliberandum, ut quod honestissimum est et æquissimum amplectamur, sed imprimis interpellandus est Deus, ut quod optimum est nobis suggerat.* Ita Cominæus l. 2.

Vigesimum sextum : *Satius est sua tueri, quam aliena cum periculo appetere.*

Rursum : Prudentis est sua non ostentare, consilia celare, rumoribus non terreri, in alieno malo fugienda intueri : juxta illud,

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Vigesimum septimum : *Accommodes te tempori, nec te in aliquibus mutes, sed potius aptes :* ait Seneca de Quatuor virt.

Vigesimum octavum : Aristoteles ad Alexandrum : *Annales,* ait, *patrum discute, inde poteris bona exempla extrahere, quia acta præterita dant certum documentum de futuris.*

Vigesimum nonum : *In prudentia duo vitia vitanda sunt. Unum, ne incognita pro cognitis habeamus, hisque temere assentiamus. Alterum, ne nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras atque difficiles, easdemque non necessarias conferamur.* Ita Cicero l. 1. Offic.

Trigesimum : *Prudentia est virtus intelligentiæ et rationis, per quam in consulendo delectus haberi potest bonorum et malorum, quæ pertinent ad felicitatem,* ait Aristot. l. 1. Rhet. c. 9.

Trigesimum primum : *Prudentiæ est futuram injuriam præcavere : indolentiæ vero quod factum est non ulcisci,* ait Democritus.

Denique septem Græciæ Sapientum hæ fuere gnomæ et præcepta sapientiæ. Bias inquit : *Veritas odium parit.* Chilon : *Nosce teipsum.* Cleobolus : *Ne quid nimis.* Thales : *Sponde, noxa præsto est.* Pittacus : *Occasione utere.* Periander : *Moderare iram.* Solon : *Nemo ante mortem beatus.*

VIGILATE IN ORATIONIBUS.] Νηψατε, significat Primo, *sobrii estote;* Secundo, *vigilate,* tam enim vigilia quam sobrietas requiritur ad orationem. Meminerat S. Petrus sui lapsus ex eo quod Christo orante in horto, ac monente, *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem,* ipse somno et mœrore victus dormitasset, nec orasset : unde contigit eum in tentatione negare Christum; suo ergo malo doctus monet alios, ut hunc scopulum in quem ipse impegerat caveant, ac tam noctu quam diu in oratione sint assidui, acres et vigiles. Nimirum : *vita mortalium præsertim fidelium, est vigilia;* tum quia ipsi hostibus undique cinguntur, contra quos jugitur excubare oportet; tum quia diem Domini certo expectant, et nesciunt quando is venturus sit. Unde S. Hilar. in c. 24. S. Matth. *Paratos,* inquit, *nos esse convenit, quia diei igno-*

ratio intentam sollicitudinem suspensæ exspectationis exagitat. Et S. Ambr. l. 5. de Fide c. 8. hanc vigiliæ causam assignat : *Ut dum certa*, inquit, *futuri judicii momenta nescimus, semper tanquam in excubiis constituti, et in quadam virtutis specula collocati, peccandi consuetudinem declinemus, ne nos inter vitia dies Domini deprehendat.* Plura de vigilia ejusque causis, vide apud S. Chrysost. hom. 62. ad pop. et S. Aug. in illud Ps. 62. *Deus, Deus, meus ad te de luce vigilo.*

Porro S. Petrus vult nos vigilare, id est, assiduos, acres et alacres esse in orationibus, tum quia orationes sunt arma efficacissima contra omnes tentationes et hostes ; tum quia orando præparare nos convenit ad diem Domini, ut scilicet eum assidue cogitando, amando, laudando, invocando exspectemus. Unde S. Bas. hom. in S. Julittam, *Accumbens mensæ*, ait, *ora : edens panem, largitori gratias rependito. Tunicam indueris? gratias age benigno datori. Amiciris pallio? fac in te augescat interior erga Deum charitas, qui integumenta largitus est.* Et sane si cuilibet beneficium aliquod, licet exiguum, in nos conferenti ilico gratias agimus, multo magis Deo identidem et singulis horis nova dona tum corpori, tum animæ nostræ largienti, crebro et quasi continue gratias agere debemus, juxta illud S. Aug. Soliloq. c. 18. *Sicut nulla est hora vel punctum in omni vita mea quo tuo beneficio non utar : sic nullum debet esse momentum quo te non habeam ante oculos, in mea memoria, et te non diligam ex omni fortitudine mea ;* et paulo ante : *Tuum igitur sit totum id quod vivo, et totus totum me tibi offero. Totus spiritus, totum cor, totum corpus, tota vita mea vivat tibi, vita mea dulcis, quoniam totum me liberasti, ut totum me possideres.* Idem ep. 77. ad Aurelium : *Quid melius aliud*, ait, *et animo geramus, et ore promamus, et calamo exprimamus, quam Deo gratias? Hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest.*

8. ANTE OMNIA, MUTUAM IN VOBISMETIPSIS, (græce εις εαυτους, id est, *in vos, inter vos.* Ita Pagnin. Vatabl. et alii, puta *mutuam* in invicem, ut dixit : agit enim de charitate proximi, non Dei, ut patet ex seqq.) CHARITATEM CONTINUAM HABENTES.] Græce εκτενη, quod primo significat extensam, continuam, perseverantem : secundo, vehementem et celerem. Ita Pagnin. et Vatabl. tertio, liberalem, profusam ; quarto, cordialem et ex imo totoque corde manantem, εκτενως, enim idem est quod *impense*, omnibus viribus, vehementer prolixe, liberaliter, toto animo. Talem enim charitatem habuit erga nos habetque Christus, atque ex ea sanguinem, spiritum, vitamque pro nobis effudit, imo nobis in cibum dedit. Unde S. Bernard. *Consanguinei*, inquit, *sumus in sanguine Christi.* Vide ergo quantopere invicem diligere debeamus, scilicet ut sanguinem et consanguineos tam nostros, quam Christi. Talem charitatem habuit S. Paulus : de quo S. Chrysost. hom. 13. in 2. ad Corinth. *Cor Pauli*, ait, *dilatavit charitas : nihil latius corde Pauli, quod totum orbem complexum est.* Vide dicta initio Actorum in effigie Pauli, et 1. Corinth. 13. et Coloss. 3. v. 14. ubi Paulus S. Petro succinens : *Super omnia autem hæc*, inquit, *charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Hoc est quod dicitur Cant. 8. 6. *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Lampades ejus lampades ignis atque flammarum : aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam.*

Porro modum charitatis mutuæ præscribit S. Basilius serm. de institut. monach. nimirum eum debere imitari Deum et solem. *Sicut igitur*, inquit, *Deus* (et sol) *promiscue omnibus lucem impertitur, sic imitatores Dei, charitatis ipsorum radium æqualiter communicare omnibus debent, quia ubi deliquium patitur charitas, eo prorsus ejus loco odium succedit.* Idem in Regulis brevior. interrog. 162. interrogat. *Cujusmodi mutuam inter nos alii ergo alios charitatem habere debeamus?* ac respondet, qualem Dominus ostendit et docuit cum dixit : *Diligite invicem sicut dilexi vos. Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis ; quod si ponenda est anima, qui non multo magis in iis quæ minoris sunt pretii, necessario adhibenda est animi promptitudo : non ea re ut humanis officiis faciamus satis, sed eo consilio ut Deo placeamus, et utilitati cujusque consulamus.* Idem orat. de amore in Deum et proximum : *Eam*, ait, *inter nos charitatem habere convenit, qualem homo natura ipsa duce erga unum membrorum suorum gerit, æqualem universo corpori sanitatem optando, eo quod etiam dolor uniuscujusque membri parem corpori molestiam exhibeat.* Et paulo anterius : *Commoneat te mutuus amor vespertilionum, qui longa quadam veluti catena constricti inter se cohærent : ne unquam separationem ac vitam solitariam societate atque communione præstantiorem esse existimes.*

QUIA CHARITAS OPERIT (καλυπτει, id est *operiet*, hoc est, operire potest et solet) MULTITUDINEM, id est universitatem, PECCATORUM.] Sic dicitur Christus passus pro multis, id est pro omnibus, Matth. 26. 30. et quod multi, id est omnes, resurgent in die judicii, Daniel 12. 2. Quæres primo, quænam hic intelligatur charitas? Resp. primo, S. Bernardus serm. 23. in Cant. intelligit charitatem Dei, quæ prædestinatorum suorum ante mortem peccata operit. *Stat*, inquit, *propositum Dei, stat sententia pacis super timentes eum, ipsorum et dissimulans mala, et remunerans bona : ut miro modo eis non modo bona ; sed et mala cooperentur in bonum.* Et mox : *Hos ergo adverti quasi nunquam peccasse, quoniam et si quæ deliquisse videntur in tempore, non apparent in æternitate, quia charitas Patris operit multitudinem peccatorum.*

Secundo Clemens Alex. lib. 2. Strom. c. 6. intelligit charitatem Christi, hæc enim electorum suorum operit peccata, dum eis applicans suam passionem impertit gratiam, quæ omnia eorum peccata abstergit. Verum uterque hic sensus accommodatitius potius est quam genuinus. Agit enim S. Petrus de charitate mutua, quia scilicet fideles invicem se diligunt, non de charitate Dei, aut Christi. Unde

Tertio, et genuine, intellige charitatem fidelium. Ita Tertull. Ambros. August. Clem. Prosper, et alii mox citandi. Jam cum duplex sit eorum charitas, una qua diligunt Deum, alia qua diligunt proximum, aliqui intelligunt hic charitatem qua diligunt Deum. Hæc enim operit, id est, tegit et abolet peccatum, per actum contritionis, contritio enim est dolor de peccatis, manans ex amore Dei super omnia, ideoque abolet omnia peccata mortalia, juxta illud Christi de Magdalena, *Remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum*, Lucæ 7. 48. tum per actum mar-

tyrii, de quo hunc locum accipit Tertul. in Scorpiaco c. 6. *Sic*, inquit, *dilectio operit multitudinem delictorum, qua Deum scilicet diligens ex totis viribus suis, quibus in martyrio decertat; ex tota anima sua, quam pro Deo ponit hominem Martyrem excudit.* Simili modo actus dilectionis Dei super omnia extrudit omne peccatum mortale et peccatorum justificat etiam si de iis propter oblivionem actualem dolorem et contritionem non eliciat, juxta illud Prov. 8. 17. *Ego diligentes me diligo*, uti passim docent Theologi, actus enim charitatis nequit consistere cum statu peccati: vide Francis. Suarez 3. p. tom. 4. disp. 9. q. 1. concl. 2. Verum alii magis proprie accipiunt hic charitatem non Dei, sed proximi, et fraternam, tum quia alludit, imo citat Prov. 10. 12. ubi dicitur: *Odium suscitat rixas, et universa delicta operit charitas*, pro quo Septuag. vertunt, *omnes autem non contendentes operit amicitia.*

Quæres secundo, quæ et cujus delicta operit charitas? an propria, an aliena? Resp. utraque imo universa, ut ait Salomon, et ex eo S. Petrus Primo ergo, charitas proximi operit peccata propria, hominemque Deo reconciliat, quia charitas proximi oritur ex charitate Dei quæ omnia peccata abolet, hominemque sanctificat, amat enim proximum ex amore Dei, tanquam vivam ejus imaginem (et *participium*, ait Origen. prologo in Cantic.) creatam ad ejus amicitiam, filiationem, hæreditatem et gloriam. *Charitas*, inquit S. Aug. in Ps. 33. *duos habet pedes: noli esse claudus. Qui sunt duo pedes; duo præcepta dilectionis Dei et proximi, istis pedibus curre ad Deum.* Et sic intelligi potest illud Prov. 10. 12. quod hic citat S. Petrus; *Odium suscitat rixas et universa delicta operit charitas*, q. d. Sicut odium iras hominum Deique suscitat; ita charitas Dei hominumque amicitiam conciliat, omniaque peccata tegit et operit: odium offendit Deum et homines, charitas nos Deo et hominibus exosos, vel offensos et infensos reconciliat: sic enim constat antithesis inter prius et posterius hemistichium. Ita charitatem propria peccata operire docent Tertull. in Scorpiaco c. 6. D. August. tract. 1. et 5. in epist. S. Joannis, Clem. 2. Strom c. 6. Ambros. de Fuga sæculi c. 2. Ephrem tract. de Pœnit. Prosper ad Demetriad. et alii multi, qui charitatem hic tam Dei quam proximi accipiunt. Licet enim Salomon Prov. 10. 12. videatur potius loqui de charitate proximi: tamen S. Petrus ejus sententiam generalem extendit ad charitatem Dei, quia hæc illi connexa est, imo ex hac illa oritur. Sic eamdem extendit S. Jacobus, dicens, c. 5. 20. *Qui converti fecerit peccatorem*, etc., *operiet multitudinem peccatorum.* Charitas ergo tegit et abolet peccata coram Deo tripliciter: primo, dispositive, quia actus contritionis est ultima dispositio ad gratiam et justitiam: contritio enim est actus charitatis; secundo formaliter, quia habitus charitatis et gratiæ formaliter justificant hominem; tertio, meritorie: justificati enim actibus contritionis et charitatis merentur remissionem peccatorum venialium.

Porro charitas operit peccata propria, non tantum quoad culpam sed etiam quoad pœnam, quia ejus remissionem à Deo impetrat. Atque inde videtur orta hæc phrasis ut peccatum cum condonatur dicatur tegi, quod scilicet antequam condonetur, continuo verberet oculos Dei et hominum, eosque irritet ad ulciscendum. Proprie vero videtur orta ex homicidio quod quia summum est scelus, hinc exemplum est et speculum cæterorum. Unde *sanguis*, id est, effusio sanguinis, in Script. significat omne peccatum. In homicidio enim sanguis effusus ferit oculos cognatorum, amicorum et judicum præsertim Dei ad ejus ultionem: unde cum illud condonatur, dicitur sanguis tegi; cum non condonatur, dicitur apparere et clamare vindictam. Hoc est quod ait Deus Ezech. 24. 6. 7. 8. *Væ civitati sanguinum*, etc. *Sanguis enim ejus in medio ejus est, super limpidissimam petram effudit illum: non effudit illum super terram, ut possit operiri pulvere: ut superinducerem indignationem meam, et vindicta ulciscerer, dedi sanguinem ejus super petram limpidissimam, ne operiretur. Propterea hæc dicit Dominus: Væ civitati sanguinum, cujus grandem faciam pyram*, ut grandi incendio comburatur Jerusalem à Chaldæis. Ex adverso Joel c. 3. 21. ait: *Mundabo sanguinem eorum quem antea non mundaveram*, id est tegam et condonabo peccata per merita Christi: sic Nehemias loquens de Sanaballat et hostibus Judæorum, orat Deum: *Ne operias iniquitatem eorum, et peccatum eorum coram facie tua non deleatur:* sed jugiter illud aspice, ut punias et vindices; et Ps. 84. 3. ait David: *Remisisti iniquitatem plebis tuæ; operuisti omnia peccata eorum: operuisti*, id est, remisisti; prior enim versus de more explicat posteriorem.

Secundo, charitas operit peccata proximorum, scilicet injurias (has enim significat Hebr. פשעים *pescaim*, id est *prævaricationes*, Proverb. 10. 12.) et offensas, quibus alii alios offendunt, et ad iram provocant. Has enim operit charitas, tum in animo ejus qui offensus est, obliterando injurias, sicut apud Athenienses erat lex αμνηστιας, id est, *oblivionis injuriarum:* tum in animo ejus qui offendit, operit animositatem, incitando eum ad redamationem ut culpam agnoscat, seque offenso reconciliet: offensi enim charitas allicit charitatem offendentis, et vice versa: magnes enim amoris est amor. Sensus ergo genuinus hujus loci est, q. d. Mutuam charitatem colite. Hæc enim ubi animum occupavit, operit mutuas offensas, quibus crebro alii alios dictis aut factis lacessimus et offendimus, itaque parit pacem et concordiam. Hunc esse sensum patet primo ex antecedentibus et sequentibus, quæ omnia spectant charitatem mutuam: secundo, ex Proverb. 10. 12. quem locum hic citat S. Petrus. Ibi enim odium dicitur suscitare rixas, charitas autem peccata, id est, rixas jam suscitatas, vel suscitandas operire, ubi Scholiastes clare vertit, *omnes injuriam facientes operit amor.* Jam ex hoc sensu generali varii educuntur particulares: nam, ut ait Clemens Alexand. 2. Strom. *Multis modis intelligitur charitas, per mansuetudinem, per benignitatem, per tolerantiam, per invidiæ et æmulationis vanitatem, per odii remotionem, per injuriæ oblivionem.* Primus est, q. d. Si suas proximo remiseris injurias, ille tuo hoc amore provocatus tuas pariter tibi remittet, sicque utrisque Deus suas quoque remittet, juxta illud Christi Matth. 6. 14. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater cœlestis delicta vestra.* Unde et nos orare jubet: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Qui enim offensas proximis remittit, meretur de congruo, si peccator sit, ut peccata mortalia; et de condigno,

si justus sit, ut venialia sibi à Deo condonentur.

Secundus, odium per rixam manifestat delicta; charitas vero silentio vel prudentia sua eadem operit; id est, celat vel excusat nisi quantum fraterna correctio ea argui et corripi requirit. Ita Œcumen. et Lyran. hic, et S. Chrysost. hom. 4. in Acta: *Charitas*, inquit, *multitudinem peccatorum tegit: inimicitiæ autem etiam ea quæ non sunt, suspicantur.* Sic et S. Bern, ep. 17. Unde S. Aug. explicans illud Matth. 18. 15. *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Ipsa charitas*, inquit, *postulat, ut secreto corrigantur quæ peccantur secretius: ubi contingit malum, ibi moriatur: nam si solus nosti, et vis coram omnibus arguere, non es corrector, sed proditor.* Charitas ergo proximi peccatum non evulgat, ne illud exulceret, sed tegit vel privatim corripit, ut sanet. Vere Abbas Pastor in Vitis Patrum lib. 5. libello 9. num. 6. *Quacumque*, ait, *hora tegimus peccatum fratris nostri, teget etiam Deus nostrum; et quacumque hora prodiderimus culpas fratrum, et Deus nostras similiter prodet.* Qua enim mensura mensi fueritis, remetietur vobis: ita Constantinus Magnus in Concilio Nicæno oblatos sibi libellos famosos, quibus Episcopi se invicem de criminibus accusabant, noluit legere, sed in ignem conjecit, dicens se, si crimen aliquod Episcopi videret, illud pallio suo operturum, ne in populi oculos incurreret: eaque ratione omnes eorum lites et querelas discussit, uti refert Theod. l. 1. Histor. c. 11.

Tertius, odium, id est, correptio profecta ex odio non corrigit mores, sed irritat, ut peccans se in peccato obfirmet, illudque impudenter propugnet et jactet: charitas vero, id est, correptio facta ex charitate et amore, omnia peccata, omnesque contentiones et rixas lenit, et sopit, et sedat, juxta illud S. Aug. in c. 1. ad Galat. *Quidquid lacerato animo ingeritur, punientis est impetus, non charitas diligentis: dilige, et dic quidquid voles.*

Quartus, si injurias proximi ex charitate silenter et patienter tuleris, eas velut ignem aqua operies et restingues, ac vinces in bono malum, et carbones ignis congeres super caput ejus, quibus eum ad redamandum accendes. Unde Sept. Prov. 10. 12. vertunt, omnes *autem non contendentes, operiet* φιλία, id est *amicitia.*

Quintus, si proximorum inter se inimicitias, lites, injurias, scandala, et delicta quælibet tollere cupis, charitatem erga eos ostende: charitate enim eos expugnabis, tibique devincies, ac omnia conteges et abolebis.

Quæres tertio quomodo charitas tegat peccata? Respond. Primo, charitas tegit, id est, abolet peccata; sicut aqua tegit ignem, dum eum obruit et exstinguit: sic Deus dicitur tegere peccata, cum ea non aspicit ut puniat, sed condonando à conspectu suo; et consequenter ex rerum natura (quod enim in ea est, à Deo necessario videtur) amovet, aufert et abolet, uti dixi Rom. 4. v. 7.

Secundo, charitas tegit, id est involvit, pallat, et leniendo ac palliando excusat injurias et peccata proximi. Sapiens enim Proverb. 10. v. 11. et 12. opponit hæc duo: *Os impiorum operit iniquitatem*, et: *Universa delicta operit charitas.* q. d. Impius et impietas palliat, et pallio sanctitatis tegit suam iniquitatem; charitas vero proximorum offensas pallio amoris velat et obtegit. Ita Dionys. Carthus. in Proverb. c. 10. v. 12. Charitas ergo est quasi cyclas aurea, quæ omnes nævos et defectus contegit ut non videantur. Sic matrem suam S. Monicam laudat S. August. 9. Confess. 9. *quod inter dissidentes atque discordes quaslibet animas, ubi poterat, tam se præbebat pacificam, ut cum ab utraque multa de invicem audiret amarissima, qualia solet eructare turgens atque tumens discordia, quando præsenti amicæ de absente inimica per acida colloquia crudelitas exhalatur odiorum; nihil tamen alteri de altera proderet, nisi quod ad eas reconciliandas valeret.*

Modum tegendi et excusandi peccata docet S. Bern. serm. 40. in Cant. *Excusa*, inquit, *intentionem si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi; et dicito: Vehemens fuit nimis tentatio, quid de me illa fecisset, si in me accepisset similiter potestatem.* Et Seneca lib. 2. de Ira c. 30. *Naturam*, inquit, *excutiemus voluntatemque facientium. Puer est? ætati donetur, nescit an peccet. Pater est? aut tantum profuit ut illius jam injuria jus sit, aut fortassis ipsum hoc meritum ejus est quo offendimur. Mulier est? errat. Jussus est? necessitati quis nisi iniquus succenset. Læsus est? non injuria pati quod prior feceris. Judex est? plus illius credas sententiæ, quam tuæ. Rex est? si nocentem punit, cede justitiæ: si innocentem, cede fortunæ. Mutum animal est, aut simile muto? imitaris illud si irasceris. Morbus est, aut calamitas? levius transiliet sustinentem. Deus est? tam perdis cum illi irasceris, quam cum illum alteri precaris iratum. Bonus vir est qui injuriam fecit? noli credere. Malus? noli mirari. Dabit pœnas alteri, quas debet tibi, et jam sibi dedit qui peccavit.*

Docet ergo Salomon, et ex eo sanctus Petrus, veram rationem conciliandi et conservandi charitatem inter homines esse, si ea quasi tegmine tegantur, pallientur et obliterentur omnes sermones, gestus, actus displicentes, qui litigandi occasionem præbere possunt.

Tertio et aptius, charitas tegit injurias et peccata, sicut emplastrum tegit plagas et vulnera eis medendo, easque curando. Tegere ergo peccata, est ea involvere, alligare, ungere, cataplasmare ad sanandum, qui ergo diligit est quasi chirurgus alligans, et sanans emplastro amoris et amantis correptionis omnes offensas, lites animæque plagas. Sic Deum tegere peccata quasi emplastro ut ea sanet et curet, docet S. August. in Psal. 31. concione 2. *Deus*, inquit, *tegat vulnera tua: medicus tegat et curet; emplastro enim teget: sub tegmento medici sanatur vulnus.* Idem docet Nazianz. orat. de baptismo.

Quarto, charitas non sanat tantum vulnus et plagam animæ, v. g. lites et inimicitias, sed et eamdem prorsus tegit, ita ut nullum post se hiatum, livorem vel cicatricem relinquat, puta nullum rancorem, nullum dolorem, nullam memoriam, juxta illud præceptum S. Clementis, imo Apostolorum lib. 2. Constit. c. 45. *Tu ut clemens medicus peccatores omnes cura, utens accommodatis ad salutem medicamentis, non modo urendo, secando, novaculam adhibendo, sed etiam alligando, exsiccando, injiciendo medicamenta lenia cicatricem obducentia, emolliendo sermonibus consolatoriis.*

Tropol. teguntur peccata primo, cum vitam emendamus: tunc enim opera mala priora pos-

terioribus bonis obtegimus et velamus *assumendo honestæ vitæ tegmen, ut præteritorum criminum ante oculos Dei turpitudo celetur*, ait B. Petrus Damiani serm. 3. de S. Georgio. Sic et S. Ambr. lib. 2. de Pœnitent. c. 5. et S. Gregor. 32. Moral. c. 2. Secundo, cum eorum reliquias, puta inclinationes, cogitationes et habitus pravos mortificamus et extirpamus. Ita S. Nazianz. orat. de baptismo.

Anagog. teguntur peccata præterita justorum, quia licet in die judicii publice indicanda et toti mundo manifestanda sint, uti contra Magistrum in 4. distin. 43. littera D. passim docent Theologi, tamen id cedet ad Sanctorum non confusionem, sed gloriam : gloria enim S. Magdalenæ erit, quod è peccatis emerserit, et ad tantam sanctitatem evaserit.

Moraliter disce hic quanta sit vis charitatis. Illa enim abolet omnes offensas, non tantum præteritas, uti jam dixi, sed et præsentes ac futuras. Præsentes, tum quia abolet præsentes offensas, lites, rixas, inimicitias; tum quia tegit et excusat imperfectiones, imprudentias, indiscretiones, etc., quæ in opere charitatis committuntur, juxta illud : *Zelus purgat facinus.* Sic zelus purgat homicidium Mosis, Phinees, Mathatiæ à scelere; quia id commiserunt ex ardenti charitate in Deum et suam gentem, ut illam ab idololatria cohiberent, ab eaque Dei iram et vindictam averterent.

Futuras quoque tegit, quia eas impedit efficitque ne committantur. Ita S. Ambrosius in Psal. 118. serm. 16. ad illud : *Propterea ad omnia mandata tua corrigebar. Merito*, ait, *corrigebatur, quoniam diligebat. Charitas enim operit multitudinem peccatorum. Vide quanta operiat, quanta corrigat. Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur*, etc. *Ergo si lex immaculatum facit, recte charitas operit multitudinem peccatorum, quia plenitudo legis est dilectio.* Sic charitas sapiens inimicitias et inimicos concilians, impedit eorum lites, rixas, pugnas et cædes, quæ alioqui ex iis certo emanaturæ essent. Et hoc significat Salomon dicens Proverb. 10. 12. *Odium suscitat rixas; et universa delicta operit charitas.* q. d. Ubi est odium inter homines, vel levissima de causa oriuntur lites et jurgia : ubi est amor, etiam magnæ offensæ teguntur, vel potius non cognoscuntur. Candor enim amici omnia candide interpretatur, imo celat amici commissa, et crimen pro crimine non habet. E contrario, odium in pejorem partem rapit omnia, et subinde crimen fingit ubi nullum est, aut ex parvo magnum efficit, ex musca faciens elephantum. Sicut enim per vitrum nigrum omnia apparent nigra : per album vero lucidum et aureum omnia videntur alba, lucida et aurea; sic per odium omnes actiones ejus quem odimus videntur tetræ et odiosæ; per charitatem vero, omnes actiones ejus quem amamus videntur lucidæ, gratæ et aureæ, quia earum malitiam et vitium tegit amor, et in iis non videt nisi id quod pulchrum est. Rursum charitas est mel dulcorans omne verborum et verberum fel : ipsa est victrix injuriarum, quia amans, imo amens est amor.

Quocirca vere Clemens Alex. l. 4. Strom. *Hæc*, ait, *est charitas diligere Deum et proximum, ea extollit altitudinem quæ non potest explicari : charitas operit multitudinem peccatorum, charitas nos Deo conglutinat, omnia facit in concordia : in charitate consummati sunt omnes electi Dei. Absque charitate nihil est gratum Deo; ejus perfectionis non est explicatio;* et S. Aug. in Psal. 21. conc. 2. *Tunica*, inquit, *Christi inconsutilis est charitas et unitas Ecclesiæ, desuper texta, id est, de cœlo à Patre et Spiritu sancto. In ipsa sors mittitur, nemo illam dividit;* et lib. 6. contra Julian. *Quisquis*, ait, *tenuerit veritatem et charitatem nec errans, nec invidus erit. Nam et error veritate, et livor charitate pellendus est.* Idem alibi asserit quod compago membrorum Ecclesiæ et Christi sit charitas. Idem serm. 7. de S. Stephano : *Charitas*, inquit, *in Stephano superavit sævitiam Judæorum. Charitas in Paulo cooperuit multitudinem peccatorum. Charitas est igitur omnium fons et origo bonorum, munimen egregium, et via quæ ducit ad cœlum. In charitate qui ambulat, nec errare poterit, nec timere. Ipsa dirigit et protegit, et ipsa perducit.* Charitas ergo est pallium peccatorum omnium æque ac virtutum omnium, *imo charitas est pallium Dei et divinæ majestatis*, uti scite quidam Sanctorum dixit, juxta illud Isaiæ 59. 17. *Opertus est quasi pallio zeli.*

9. HOSPITALES INVICEM SINE MURMURATIONE.] Græce *sine murmurationibus.* Charitati subnectat hospitalitatem quasi sociam, imo filiam, ab eaque excludit murmurationem. Solent enim hospites tenaces et arcti animi queri de advenarum multitudine, sumptu, diuturnitati, edacitate, loquacitate, libertate, aliisque vitiis. Tales erant incolæ Ponti ad quos scribit S. Petrus, nimirum duri et inhospitales, ut patet ex verbis Tertull. quæ citavi initio epistolæ. Unde Pontus ab accolarum feritate, dictus est ἄξενος, id est *inhospitalis :* sed per fideles S. Petri discipulos factus est εὔξενος, Euxinus, inquam, et hospitalis. Pontus enim ob rigida frigora, aeremque caliginosum et nubilum, rigidos durosque progignit homines. *Pontus*, inquit Plinius, *antea ab inhospitali feritate Axenos appellatus est.* Ammianus l. 2. *Achæi*, ait, *intendente sævitiam licentia diuturna, indidere mari nomen inhospitali; et à contrario per cavillationem Pontus Euxinus appellatur.* Ovidius de Ponto :

Quem tenet Euxini mendax cognomine Pontus.

Quare merito S. Petrus Ponticis jam conversis ad Christum commendat hospitalitatem candidam in *invicem*, puta erga Christianos præsertim Apostolos, virosque apostolicos, qui Evangelii causa, vel ob persecutiones tunc crebro mutabant hospitia et regiones, ideoque plurium hospitum hospitalitate indigebant. Apud Judæos aliosque plures advenis suæ gentis jus est hospitii ad tres dies, iis exactis expirat, dicuntque illud :

Post tres sæpe dies piscis vilescit et hospes.

Quanta fuerit primorum Christianorum hospitalitas, patet ex Luciano in Peregrino, et ex vita S. Pachomii, qui per eam conversus fuit ad Christianismum, ac ex vita S. Praxedis et S. Prudentianæ, quæ omnes Christianos hospitio excipiebant : unde domus earum vocabatur Thermæ Novati : ubi postmodum hospitatus est S. Justinus Martyr, aliique Christiani, adeo ut hoc commune et celebre fuerit eorum hospitium.

Præclare S. Aug. de Verbis Domini secun-

dum Lucam. serm. 32. *Agnoscite*, ait, *hospitalitatem, per quam perventum est ad Dominum. Suscipite hospitem, cujus et tu es comes in via, quia omnes peregrini sumus. Ipse est Christianus, qui et in domo sua, et in patria sua peregrinum se esse cognoscit. Patria nostra sursum est, ibi hospites non erimus.* Idem, serm. 68 de Temp. *Offert*, ait, *Abraham peregrinis hospitium, qui non habebat tectum,* hinc tres angelos repræsentantes S. Trinitatem hospitio recipere meruit. *Ecce ad humanam mensam cœlestis sublimitas recumbebat, cibus capitur, pransitatur, et conturbernali colloquio inter hominem et Deum familiaria verba miscentur. Et quia apud Deum infructuosa hospitalitas esse non potest, statim pretium mercedis accepit. Datur filius* (Isaac) *seni, datur posteritas desperanti.* Et serm. 70. *Videte, fratres, quam ferventi animo hospites excipere debeatis. Ecce ipse Abraham currit, uxor festinat, puer accelerat, nullus est piger in domo sapientis;* et mox: *Lot quia hoc quod potuit benigno animo obtulit, de perditione Sodomorum liberari promeruit. Attendite, fratres, quia etiam Lot dum hospites non repellit, angelos excipere meruit. Ecce hospitalem domum angeli ingrediuntur, clausæ hospitibus domus* (Sodomitarum) *flammis sulphureis concremantur.*

Idem l. 2. de Quæst. Evang. quæst. 51. *Tene hospitalitatem, si vis agnoscere Salvatorem: quod tulerat discipulis infidelitas, reddidit hospitalitas.* Idem de Visitat. infirm. serm. 1. *Hospitem Deum habes, hospitium acceptum fac hospiti tuo, et tunc securus dices hospiti tuo, ut in eundo deducat te, et in conducendo perducat te, et in perducendo hospitetur te. Dico tibi si gratum sibi exhibueris hospitium tuum, gratum et gratius exhibebit tibi suum. O quam beatus eris si hospes Dei fueris, si in civitate illa cœlesti, scilicet Jerusalem, mansionem acceperis, si Deus inde aliquas tibi gratias agens dixerit: Hospes fui, et collegisti me, et quamdiu uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti. Veni, benedicte Patris mei, percipe regnum. Non promittit tibi Deus hospitium, promittit tibi regnum. Regnabis cum Christo, eris hæres Dei, cohæres autem Christi.* Vide S. Gregor. hom. 23. in Evang. ubi ait: *Peregrini ad hospitium non solum invitandi, sed etiam trahendi sunt*, idque citatis hisce S. Petri verbis confirmat exemplo viri valde hospitalis, cui quasi peregrinum se obtulit Christus. S. Nazianz. iambico 15. *Quis*, inquit, *hospitalis? hospitem qui se putat.*

10. UNUSQUISQUE SICUT ACCEPIT GRATIAM, IN ALTERUTRUM ILLAM ADMINISTRANTES.] Est hoc secundum charitatis officium: primum enim fuit hospitalitas. *Gratiam* hic non tam gratum facientem, quam gratis datam intellige, hanc enim significat Græcum χαρισμα, id est *donum*. Jubet ergo ut dona et talenta nobis à Deo data, in proximorum utilitatem expendamus: ad hoc enim nobis ea dedit Deus; eorum enim nos fecit ministros, dispensatores et œconomos, ut habent Græca non dominos, ac proinde hujus dispensationis exactam à quolibet exiget rationem, dicendo: *Redde rationem villicationis tuæ.* Lucæ 16. 2. Præclare Philo l. de Cherubim: *Sat puto*, inquit, *liquere non alienis uti possessionibus, nec gloriam possidendo, nec divitias, nec honores, nec imperia, nec aliud quidquam vel corpori vel animæ proprium, imo ne vitam quidem, usumfructum habemus solum.* Sic S. Urbanus Pont. et Martyr, doctor S. Cæciliæ, ejusque sponsi S. Valeriani, dixit bona Ecclesiæ esse vota fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum, ideoque in eos, non in cognatos, esse expendenda, seque et Pontifices eorum tantum esse dispensatores. Ita habet ejus Vita.

S. Petro succinit S. Paulus 1. Cor. 12. 7. *Unicuique*, ait, *datur manifestatio spiritus ad utilitatem.* Et Rom. 12. 6. ubi multiformem, vel, ut Syrus vertit *divisam et distinctam*, Christi gratiam explicat, dicens: *Habentes autem donationes secundum gratiam quæ data est nobis, differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei, , sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate.* Vide ibi dicta.

Nota. To *sicut accepit* significat ea gratis, candide, humiliter, liberaliter ad commodum aliorum, non proprium (sic enim ea à Deo accepit) esse expendenda; ita S. Gregor. 28 Moral. c. 6. vel. 11. *Tunc*, ait, *bene multiformis Dei gratia dispensatur, quando acceptum donum ejus qui non habet, creditur; quando propter eum qui impeditur, sibi datum putatur. Tunc nos charitas à jugo culpæ liberos reddit, cum vicissim nos nostro per amorem servitio subjicit: cum et aliena bona nostra credimus, et nostra aliis quasi sua offerentes exhibemus.* Idem hom. 7. in Ezech. *Humiliter*, ait, *impendite bonum proximis, quia scitis vobis, non à vobis esse quæ habetis.*

11. SI QUIS LOQUITUR, loquatur QUASI SERMONES DEI.] Explicat hic multiformem gratiam, eamque generatim dividit in duas species genericas, quæ plures alias sub se continent, nimirum in locutionem, id est prædicationem et doctrinam: ac ministerium, quale est distribuere eleemosynas, servire ægris, recipere hospites, etc. Vide dicta Roman. 12. 6. ubi S. Paulus duas species indigitat, prophetiam et diaconiam, quæ in re idem sunt quod doctrina et ministerium. Jubet ergo ut doctor et prædicator loquatur sermones non suos, sed Dei, id est, doceat vera, sancta et Deo digna, scilicet ea quæ Christus docuit in Evangelio, quæque Deus illi inspirat, non quæ spiritus humanus aut mundanus suggerit. In primitiva enim Ecclesia Spiritus sanctus in cœtu fidelium inspirabat uni exhortationem, alteri hymnum, alteri prophetiam, ut quisque ea ad præsentium ædificationem depromeret et eloqueretur, uti docet S. Paulus 1. Cor. 14. 26. Huc facit illud Pindari in Nemeis ode 8. *Crescit virtus exaltata per sapientes, sicut arbor fœcundata per rorem.*

Secundo, ut eos loquatur non superbe, sed humiliter: *Qui enim verba quæ proferunt ex propriis non habent, cur quasi de propriis tument?* ait sanctus Gregorius 3. par. Past. c. 25. Rursum ut eos loquatur non frigide, sed ardenter: tales enim sunt sermones Dei et Spiritus sancti, qui proinde linguas ardentes primis doctoribus, puta Apostolis, dedit in Pentecoste, ut iisdem suos sermones ardenter eloquerentur; iisque accenderent corda audientium, juxta illud: *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Psal. 118. vers. 140. Præclare Climachus gradu 26. *Sicut*, inquit, *is qui fert aromata, etiamsi nolit ex odore proditur: ita et qui spiritum Dei habet ex verbis suis agnoscitur.* Quocirca S. Aug. lib. 4. de Doctrina Christiana instruit doctorem et concionatorem, ut ante lectionem et concionem Deum ardenter oret, ut is non tantum ea

quæ dicenda sunt, sed et modum ac ardorem quo dicenda sunt ad feriendum hominum corda, suggerat, itaque non tam doctor quam Deus per os doctoris loqui videatur. *Ut intelligenter*, inquit, *ut libenter*, *ut obedienter audiatur*, *pietate magis orationum*, *quam oratorum facultate agi non dubitet*, *ut orando pro se ac pro illis quos est allocuturus*, *sit orator antequam doctor. Ipsa hora jam ut dicat accidens*, *priusquam exerat proferentem linguam*, *ad Deum levet animam sitientem*, *ut eructet quod biberit*, *vel quod impleverit fundat.* Ita S. Paulus primus Eremita visitatus à S. Antonio, cum eo non nisi sermones Dei loquebatur : sic enim de eo scribit S. Hieron. *Dum in mutuos miscentur amplexus*, *propriis se salutavere nominibus*, *gratiæ Domino in commune referuntur. Et post sanctum osculum Paulus cum Antonio ita exorsus est. En quem tanto labore quæsisti*, *putridis senectute membris operit inculta canities. En vides hominem pulverem mox futurum. Verum quia charitas omnia sustinet*, *narra mihi*, *quæso*, *quomodo se habet humanum genus : an in antiquis urbibus nova tecta consurgant : quo mundus regatur imperio : an supersint aliqui qui dæmonum errore rapiantur.* Mox corvo afferente panem : *Eia*, inquit Paulus, *Dominus nobis prandium misit vere pius*, *vere misericors : sexaginta jam anni sunt quod accipio dimidii semper panis fragmentum : verum ob adventum tuum militibus suis Christus duplicavit annonam*, etc. *De hinc paululum aquæ in fonte prono ore libaverunt : et immolantes Deo sacrificium laudis noctem transegere vigiliis.* Orto mane S. Paulus ad Antonium sic locutus est : *Olim te*, *frater*, *in istis regionibus habitare sciebam : olim te conservum meum mihi promiserat Deus. Sed quia jam dormitionis meæ tempus advenit*, *et quod semper cupiebam dissolvi et esse cum Christo*, *peracto cursu superest mihi corona justitiæ; tu missus es à Domino qui humo corpusculum meum tegas*, *imo terræ terram reddas. His Antonius auditis flens et gemens ne se desereret*, *atque ut comitem talis itineris acciperet*, *precabatur;* et ille : *Non debes*, inquit, *quærere quæ tua sunt*, *sed quæ aliena. Expedit quidem tibi sarcina carnis abjecta Agnum sequi; sed et cæteris expedit fratribus*, *ut tuo adhuc instituantur exemplo*, etc. Tales sint Religiosorum sermones, talia servorum Dei colloquia, tales fidelium visitationes.

Ita S. Dominicus jugiter aut cum Deo, aut de Deo loquebatur, idemque suis inculcabat : unde idipsum præstitit D. Thomas Aquinas, aliosque docuit, dicens : *Viro Religioso non nisi cum Deo*, *aut de Deo loquendum esse.* Ita David Anachoreta privatus loquela, à Deo obtinuit ut de rebus divinis loqui posset, ut habet Joannes Moschus in Prato spirit. cap. 143. Tales fuere nostri primores S. Ignatius, S. Xaverius, P. Faber, P. Canisius, qui in hospitiis, plateis, et aulis principum non nisi religiosa loquebantur, ubique cœlestia divinarum laudum rerumque mella manantes, ideoque innumeras Deo animas pepererunt. Hoc est quod ait Malachias c. 2. 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam*, *et legem requirent ex ore ejus*, *quia angelus Domini exercituum est.* Ubi Notat S. Hieron. non dici *proferent*, sed *custodient*, ut scilicet loquantur opportune, dentque conservis cibum in tempore suo : ita ut os sacerdotis sit arca quædam salutaris doctrinæ, unde omnes necessaria depromant, quæ ibi Deus ad communem utilitatem et doctrinam recondidit. Auctor imperfecti hom. 38. Sicut stomachus, ait, accipiens cibum coquit, sic et sacerdotes accipiunt scientiam sermonis per Script. ex Deo, et excoquunt eam in se, id est tractantes et meditantes apud se, universo populo subministrant. Et S. Ambrosius serm. 13. sacerdotes comparat apibus. Sicut apes, inquit, de divinarum Scripturarum flosculis suavia mella conficiunt, et quidquid ad medicinam pertinet animarum, oris sui arte componunt. Porro non sufficit sacerdoti Dei sermones loqui voce, nisi eosdem loquatur et vita : vita enim dat voci efficaciam. Nam, ut ait S. Ambrosius epist. 6. *separavit Deus sacerdotes à populo*, *præcepit Moysi ut montem cum sacerdotibus ascenderet*, *populus autem deorsum staret. Vides divisiones? nihil in sacerdotibus plebeium requiri*, *nihil populare*, *nihil commune cum studio*, *usu et moribus inconditæ multitudinis; sobriam à turbis gravitatem*, *seriam vitam*, *singulare pondus dignitas sibi vindicat sacerdotalis. Quomodo enim potest observari à populo*, *qui nihil habet secretum à populo*, *et dispar à multitudine? Quid in te miretur si in te sua recognoscat? si nihil in te aspiciat quod ultra se inveniat? Supergrediamur igitur plebeias opiniones*, *et strata quædam gregalis conversationis.* Hinc Deus Levit. 10. *Sanctificabor*, ait, *in iis qui appropinquant mihi.* Ubi aliqui vertunt, *agnoscar sanctus ex munditia et sanctitate ministrorum*, puta sacerdotum. Theodor. q. 3. in Levit. quærit quare victima pro sacerdote oblata tota cremaretur, ac respondet : ut integritatem sacerdotis demonstraret, qui non aliquatenus, sed se totum plane Deo dedicavit.

S. Basilius in Moral. regula 80. cap. 10. quærit quales esse debeant prædicatores Evangelii? ac respondet primo debere esse tanquam Apostolos; secundo, tanquam præcones cœli; tertio, tanquam regulam pietatis; quarto, tanquam oculum in corpore : quæ sigillatim probat ex Scriptura verbisque Christi.

Tanquam Apostolos, ait, *et ministros Christi*, *et dispensatores fideles mysteriorum Dei*, *sola ea quæ à Domino præcepta sunt integerrime et re et verbo implentes. Ecce mitto vos sicut oves in medio luporum. Euntes docete omnes gentes : sic nos existimet homo tanquam ministros Christi*, *et dispensatores mysteriorum Dei. Quod autem superest*, *quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur.*

Tanquam præcones regni cœlorum, *ad destructionem ejus qui habet imperium mortis in peccato. Euntes autem prædicate*, *dicentes : Appropinquavit regnum cœlorum. Testificor ego coram Deo et Domino Jesu Christo qui judicaturus est vivos et mortuos*, *per adventum ipsius prædica verbum Dei.*

Tanquam formam aut regulam pietatis, *ut per eos ad rectitudinem omnem dirigantur illi qui Dominum sequuntur*, *et illorum perversitas detegatur qui in quavis re illius imperium detrectent. Quæ quidem retro sunt obliviscens*, *ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum*, *juxta destinatum persequor ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Quicumque ergo perfecti sumus hoc sentiamus : et si quid aliter sapitis*, *et hoc vobis Deus revelabit. Verum tamen ad quod pervenimus ut idem sapiamus*, *in eadem permaneamus regula. Exemplum esto fidelium in verbo*, *in conversatione*, *in charitate*, *in fide*, *in castitate. Sollicite autem cura teipsum probatum exhibere Deo*, *operarium inconfusibilem rite tractantem verbum veritatis.*

Tanquam oculum in corpore, ut videlicet habere delectum et bonorum et malorum sciant, atque ut Christi membra ad singula quibusque accommodata officia dirigant. Lucerna corporis est oculus. Si ergo oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.

S. Greg. Nazianz. orat. 1. Apolog. *Hæc summa est,* inquit, *ut virtute tales existant, ut (uno verbo dicam) cœlestes sint : ac possint purgari primum, deinde purgare; sapientia instrui, atque ita alios sapientes reddere; lumen fieri, et alios collustrare; accedere ad Deum, et alios adducere; sanctificari, et aliis sanctitatem afferre.* Doctores ergo et sacerdotes eam præstent morum integritatem, quæ cæterorum censura sit et disciplina : quod efficient, *si loquantur ut oracula, vivant ut numina.* Idem faciant Religiosi : horum enim est loqui sermones Dei, ut eorum vox sit vox Dei, non mundi, ut suum Patriarcham imitentur Joannem Baptistam, qui ait : *Ego vox clamantis in deserto: Parate viam Domini. Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum.* Matth. 3. v. 2. et 3.

Si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat, χορηγει, id est *subministrat*, suggerit, suppeditat, Deus,] ita Syrus. Hoc est alterum genus chrismatis, scilicet diaconia, sive ministerium, puta administratio sanctorum Sacramentorum, eleemosynarum, et quarumlibet aliarum rerum. Dicit ergo, ut cui aliquod tale ministerium et munus in Ecclesia à Deo obtigit, is illud administret et exerceat, non sua, sed Dei virtute, quam scilicet illi Deus suggerit et suppeditat : quo innuit primo, eos suum debere munus agere, non alienum invadere : ac nihil sibi posse arrogare, sed totam suam virtutem, facultatem et efficaciam Deo, cujus est tribuere. Ita Œcum. Secundo eos debere ministrare in virtute, id est, non tantum recte et fideliter, non accipiendo personas; sed et valenter, strenue, generose vincendo omnes difficultates, nullius potentiam vel invidiam timendo, scientes se Dei esse ministros, ab eoque agi, regi et protegi; hoc enim significat Græcum ισχυς, id est *virtus*, robur, fortitudo. Sic Christus in virtute spiritus regressus est in Galilæam. Lucæ 4. 14. Idem imitentur Christiani, ut quidquid inchoant et agunt, inchoent et agant in virtute spiritus, ut videantur eo agi et impelli divina vi Spiritus sancti, uti agebatur Samson ad opera sua fortia et heroica. Tertio, in dando et erogando esse liberales, memores se non dare sua, sed Dei, qui in dando est liberalissimus, ac vult ut ministri hanc suam liberalitatem imitentur, ideoque quo liberalius erogant, eo plura liberalius eis impertit. Nam, ut ait Auctor imperfecti hom. 43. in Matth. *Ubi paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus est, ut quid sacerdos ejus austerus? vis apparere sanctus? circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus.* Quarto, ut non quærant sua lucra, sed animarum ad Dei gloriam : *ut in omnibus*, inquit, *honorificetur*, græce δοξαζηται, id est, *glorificetur, Deus per Jesum Christum*, quia per merita Christi mediatoris hæc dona suis ministris elargitur Deus. Quocirca vere S. August. Soliloq. cap. 15. *Qui de bono tuo, ô Domine*, inquit, *gloriam sibi quærit, et non tibi, hic fur est et latro, et similis est diabolo qui voluit furari gloriam tuam.* Et S. Bernard. serm. contra ingratit. *Felix est*, inquit, *qui ad singula dona gratiæ redit ad eum in quo est plenitudo omnium gratiarum;* et serm. 13. in Cant. *Ad locum*, inquit, *unde exeunt revertuntur flumina gratiarum, ut iterum fluant; remittatur ad suum principium cœleste profluvium, quo uberius terræ refundatur.*

Cui (tam Christo, quam Deo) est gloria et imperium.] Syrus, *gloria et honor.* Solent viri sancti et cœlestes rerum et orationum omnium exordia et fines ad Deum referre, juxta illud : *A te principium, tibi desinet;* ideoque in ejus doxologiam erumpere instar beatorum mentium, quarum vitam ipsi prælibant et inchoant. Beati enim in cœlis jugiter Deo accinunt. *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est.* Apocal. 4. 8. *Sedenti in throno et agno benedictio, et honor, et gloria, et potestas, in sæcula sæculorum*, Apocal. 3. 13. et c. 7. 12. Vide ibi dicta.

12. Charissimi.] *Ex ipso nomine*, ait Œcum. *significat non quia odio habeantur, sed quia valde chari sint*, nimirum Deo, *vehementerque amentur, afflictiones ipsis contingere.*

Nolite peregrinari.] Transit à charitate ad patientiam, fidelibus tunc ob persecutiones maxime necessariam : græce est μη ξενιζεσθε, id est, nolite admirari et æstimare rem peregrinam, quod multa adversa vobis quasi Dei servis obtingant et ingruant. Nolite, ait Œcum. hoc ab amicis Dei extraneum ducere, cum hoc eis proprium et gloriosum sit, quod ut aurum igne tribulationis probentur, purgentur et illustrentur, quodque Christo patienti conformentur, ut eidem resurgenti configurentur. Unde Beda, Hugo et alii sic explicant, q. d. Nolite vos peregrinos æstimare à Deo et Christo, quasi ab eo projectos, ideoque afflictos. Lyran. vero, q. d. Nolite ob afflictiones peregrinari, id est, alienare vos à fide et amore Christi aut fugere in alienas oras. Verum primus sensus quem dedi proprius est et genuinus.

Quare insulsi sunt hæretici, qui vel ignorantes, vel malitiose hæc torquent contra peregrinationes ad limina SS. Apostolorum, Compostellam ad S. Jacobum, Hierosolymam ad loca sancta, etc. quasi eo peregrinari vetet hic S. Petrus. Nil enim tale significat το ξενιζεσθε, sed id quod dixi. Unde Syrus, S. Cyprian. epist. 56. et S. Hieron. in c. 4. Amos vertunt, *nolite mirari;* Tertull. in Scorp. c. 12. *ne expavescatis ustionem;* S. Fulgent. ad Thrasim. *nolite expavescere ferrorem tanquam novi aliquid.* Et sic mox explicat S. Petrus, dicens : *Quasi novi* (græce ενου, id est *peregrini*) *aliquid vobis contingat.* Quocirca incongruus pariter est sensus Aureoli in Compl. S. Script. q. d. Ne leviter discurratis abrepti fervore quodam voluntatis, imaginantes vos alibi novi aliquid reperturos. Et ille Hugonis q. d. Nolite in fervore devotionis vovere aut astringere vos ad impossibilia, vel nimis ardua, quæ postea præstare non valeatis, aut velitis. ξενιζειν enim opponitur τω εθιζειν : unde sicut εθιζειν significat *consuescere* et agere rem consuetam more consueto, sic ex adverso ξενιζειν significat *agere rem peregrinam*, stupere rem novam et insolitam, rei insolentia et novitate terreri et percelli. Sic S. Basilius ep. ad Melesium. Sciebam, inquit, ξενισαι την ακοην, id est, rem inauditam tibi futuram, noveram quod hujusmodi criminatio in stuporem te adduceret propter rei novitatem. Sic Constantinus Cæsar lib. 9. Agric. c. 5. docet plantam debere inseri in terra sibi

congrua et connaturali, nè, inquit, ξενιζηται, id est, ob novitatem abalienetur, atque solum sibi peregrinum aversetur. Apte ergo hic vertas cum Salviano loco citato et aliis : Ne commoveamini, ne turbemini, ne percellamini in afflictionibus, quasi re nova, insolenti et peregrina. Eadem significatione sumitur à Latinis vox *peregrinus* et *peregrinor* : peregrinus enim dicitur qui in sua civitate non est, sed in peregrina. Unde Cicero pro Rabirio : *Adeone*, ait, *ignarus es disciplinæ consuetudinisque nostræ, ut peregrinari in aliena civitate, non in tua magistratum gerere videare?* et 5. Tuscul. *Ille*, ait, *omnem infinitatem peregrinabatur, ut nulla in extremitate consisteret.* Sic dicuntur peregrinari aures et oculi, cum rem peregrinam et novam audiunt, vident et stupent. Sic Horat. l. 1. ep. 12. *Animus*, inquit, *peregre est.* Sic Isaiæ 28. 21. dicitur opus à Deo alienum et peregrinum esse, punire et affligere, quia ejus proprium est misereri, parcere et benefacere. Et forte ad hunc Isaiæ locum alludit hic S. Petrus.

In fervore,] non amoris et dilectionis, sed afflictionis et tentationis. Græce enim est εν πυρωσει, id est, *in ustione*, ut legit Tertull. Scorp. 12. *in ardore*, ut S. Cyprian. ep. 56. Pagnin. *ne miremini de vestra per ignem examinatione :* Œcumen. et Tigur. *dum per ignem probamini et exploramini ;* πυρωσις enim est probatio et exploratio per ignem ; minus recte aliqui vertunt *uredinem*, puta icterum sive rubiginem, quæ segetes urendo arefacit instar morbi regii, ideoque Heb. שדפון *schiddaphon* vocatur.

Alludit ad illud Eccl. 27. 6. *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis ;* et ad illud : *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.* Ps. 65. 12. Afflictio enim est quasi fornax ardens, urens et crucians afflictum. Est ergo ipsa πυρωσις, id est *incendium*, ustio, concoctio, sed in qua, et ex qua fit πυρωπος, id est *pyropus* gemma instar ignis effulgens et effulgurans, juxta illud : *Tanquam aurum in fornace probavit eos, et quasi holocausti hostiam accepit illos.* Sap. 3. 6. Ubi prudenter notat S. Ephrem serm. de patientia, quod sicut figulus, vel aurifaber fornacem attemperat vasi fictili, vel auro quod coquit, ne illud nimis urat, vel nimis parum ; ita et Deus tentationem accommodat viribus hominis, et gratiæ quam ei dat, nec patitur hominem supra vires tentari, ut ait S. Paulus 1. Cor. 10. 13. Rursum accommodat eam vitiis hominis, quæ per hunc tribulationis ignem decoquere et exurere cupit et destinat. Sensus ergo est : Nolite peregrinari in fervore, hoc est, nolite admirari ut rem peregrinam, fervorem, id est ardorem, tentationis et afflictionis, qui vobis obtingit. Est catachresis : peregrinari enim ponitur pro *rem peregrinam admirari*, est hebraismus, *in fervore*, id est *fervorem :* Hebræi enim verba contractus, sive realis, sive mentalis, quale est admirari, construunt cum *bet*, id est *in*. Mirabantur enim nonnulli primi Christiani (uti jam mirantur ii qui à peccatis ad Deum convertuntur) se mox à conversione ad Christum, undique persecutionibus, tentationibus et ærumnis exagitari. Hisce respondet S. Petrus, id non esse mirandum, cum ex rei natura id sequatur. Fides enim et pietas odium infidelium et impiorum contra se excitat, quia eis bellum indixit. Cordate Salvian. lib. 3. de Providentia : *Quid*, ait, *mirum est si mala cuncta perferimus, qui ad tolerranda universa militamus?* Hac de causa Christus crucifixus post resurrectionem duobus discipulis euntibus in Emmaus apparuit quasi peregrinus in Israel, ut repræsentaret ipsosmet esse peregrinos. Eorum enim affectum et habitum in se sumpsit, ut illos doceret : quia scilicet novis discipulis, novisque Christianis novum et peregrinum videbatur, quod Christus, qui promissus erat fore Rex Israel et Salvator orbis, moreretur et crucifigeretur. Verum ipse hunc eorum errorem correxit, ostendens ex lege et Prophetis oportuisse Christum (et consequenter Christianum quemque) pati, et ita intrare in gloriam suam, Luc. 24. 26. Quare sapienter S. Chrysost. hom. 8. in 2. ad Timoth. *Nefas*, ait, *est pugilem Dei vacare deliciis, non licet epulari luctantem. Luctamen enim sunt præsentia omnia, certamen, bellum, stadium : aliud est quietis tempus, hoc ærumnis deputatum est atque sudoribus. Nullus ubi ad certamen se exuit unctusque est, requiem quærit.* Et S. Leo serm. 1. de Quadrag. *Intelligamus*, ait, *quanto studiosiores pro nostra salute fuerimus, tanto nos vehementius ab adversario impetendos.* Causam dat S. Hilarius in Matth. 4. dicens : *In sanctificatis nobis maxime diaboli tentamenta grassantur : victoria ei est magis exoptata de sanctis*, et S. Hieron. ep. ad Eustoch. de custod. virg. *Non quærit diabolus homines infideles, de Ecclesia Christi rapere festinat : escæ ejus secundum Habacuc electæ sunt; Job subvertere cupit, et devorato Juda ad cribrandos Apostolos expetit potestatem.* Et S. Gregorius in illud Job 40. *Absorbebit fluvium. Illos*, ait, *magnopere rapere nititur, quos despectis terrenis studiis jungi jam cœlestibus contemplatur.* Et Origen. hom. 9. in l. Judic. *Venisti*, ait, *ad aquam baptismi, istud est certaminis et pugnæ spiritualis initium, hinc tibi adversus Zabulum nascitur pugnæ principium.* Quare sicut Christus mox à baptismo abiit in desertum, ibique tentatus est à diabolo ; ita fidelis quisque regeneratus, et ad virtutis apicem cœlumque aspirans, habeat hoc præmeditatum, sibi acriter cum hoste esse luctandum, imo se omnes dæmones totumque infernum ad duellum et singulare certamen reipsa provocasse. *Fili*, inquit Eccles. cap. 2. 1. *accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem.* Id expertus S. Antonius, teste S. Athanasio, alios docebat et monebat dicens diabolum acerrime infestare et vexare monachos, et virgines quæ se Deo dicaverunt; tum quod ipsorum heroica virtus dedecori sit dæmoni, qui ad eam aspirare noluit, ideoque ipsa sudes sit in oculis ejus, assidue eum pungens et crucians ; tum quod ægre ferat Deum, quem pro hoste et tortore habet, ita ab iis coli et honorari, tum quod eorum virtuti et gloriæ invideat.

Qui ad tentationem vobis fit.] Alludit πειρασμος, id est *tentatio*, ad πυρωσιν, id est *fervorem*, tentatio enim est quasi ignis, fervor et ardor, qui hominis animum, virtutem et constantiam tentat, id est explorat, purgat, perficit, juxta illud Daniel. 11. 35. *Et de eruditis ruent, ut conflentur, et eligantur, et dealbentur.* Vide ibi dicta.

Quasi novi aliquid vobis contingat.] q. d. Non est novum et peregrinum fideles et pios tentari et tribulari ut vos, ô novelli Christiani, putatis, sed vetus et proprium, imo ab initio mundi hucusque semper factitatum. Sic enim pium

Abel persecutus est impius Cain, filios Dei persscuti sunt filii hominum et Nemrod, Abrahamum Chananæi, Lot Sodomitæ, Josephum fratres, Jacobum Laban, Isaacum Philistini, Mosen Pharao, Hebræos Ægyptii, Davidem Saul, Isaiam Manasses, Jeremiam, Ezechielem, Amos, cæterosque Prophetas Judæi, juxta illud Heb. 11. 37. *Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terræ.*

Quare idipsum suos sæpe præmonuit Christus, ut ad id se compararent : *In mundo pressuram habebitis.* Joan. 16. 32. *Tradet frater fratrem in mortem, et pater filium, et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient, et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Matth. 10. 21.

13. Sed communicantes Christi passionibus gaudete.] Duas affert causas cur in afflictione non tristari, sed gaudere debeant; prior, quod in tribulatione communicent Christi passioni. Unde S. Fulgent. lib. 3. ad Thrasim legit, *sed ut communicantes*, quod summum est decus et gloria, æque ac commodum et meritum : non patientes per passionem suam passioni Christi quasi inseruntur et inoculantur, uti ramus arbori, itaque ab eo omnem vigoris et gratiæ succum, vimque tolerandi, merendi, et perseverandi exsugunt. Posterior, quod cum Christo passo resurrecturi sint ad gloriam immensam : Græca habent αλλα καθο νοι νωνειτε, id est, *sed in eo quod communicatis :* vel, ut Tertull. Scorp. 12. *Etenim secundum quod communicatis;* quæ lectio significat tantum gaudendum esse, quantum patiendo communicamus passionibus Christi, ut quo magis crescit passio, eo magis crescat et gaudium : adeoque mensura gaudii sit mensura tribulationum, juxta illud 2. Corinth. 1. 5. *Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra;* et illud Psalm. 93. 19. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Hinc S. Cyprian. ep. 56. legit, *sed quotiescumque communicatis, passionibus Christi gaudete.* Hinc patientes dicuntur. Primo, pati non tam suam crucem quam Christi, juxta illud : *Exeamus igitur ad eum extra castra improperium ejus portantes.* Hebr. 13. 13. Ita *Moses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* Hebr. 11. 24. Ita Paulus cum suis ait : *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.* 2. Corinth. 4. 10. *Etsi compatimur ut et conglorificemur.* Rom. 8. 17. *Ego stigmata Jesu in corpore meo porto.* Galat. 6. 17.

Secundo, Christus vicissim dicitur pati in fidelibus quasi caput in suis membris. Hinc Christus ait Saulo : *Quid me persequeris?* Act. 9. 4. non ait: Quid meos fideles, sed : *quid me persequeris?* quia ipsi mea sunt membra, mecumque unum corpus Ecclesiæ mysticum efficiunt : ipsos ergo persequendo, me persequeris, quia qui membra persequitur, caput ipsum petit et persequitur. Ita S. Paulin. ep. ad Aprum : *Ab initio sæculorum*, ait, *Christus in omnibus suis patitur. Ipse est enim initium et finis, qui in lege velatur, in Evangelio revelatur, mirabilis semper et patiens et triumphans in sanctis suis Dominus. In Abel occisus à fratre, in Noe irrisus à filio, in Abraham peregrinatus, in Isaac oblatus, in Jacob famulatus, in Joseph venditus, in Mose expositus et fugatus, in Prophetis lapidatus et sectus, in Apostolis terra mariqueje ctatus, et multis ac variis beatorum Martyrum cruciatibus frequenter occisus. Ipse igitur etiam nunc infirmitates nostras et ægritudinem portans, quia ipse est homo semper pro nobis in plaga positus, et sciens ferre infirmitates, quas nos sine ipso nec possumus ferre, nec novimus. Ipse, inquam, nunc pro nobis et in nobis sustinens mundum : ut perferendo destruat, et virtutem in infirmitate perficiat. Ipse et in te patitur opprobria, et ipsum in te odit hic mundus; sed gratias ipsi, quia vincit cum judicatur, et triumphat in nobis.*

Tertio, patientes dicuntur Christo incorporari, adeoque unum effici et esse cum Christo. Sic enim Apostolus nos vocat commortuos, complantatos, concrucifixos Christo. Rom. 6. 5. et 2. Timoth. 5. 11. unde idem ait : *Christo confixus sum cruci; vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.* Galat. 2. 20. et S. Ignatius ep. ad Roman. *Amor meus crucifixus est.* Quocirca in afflictionum tolerantia, et persequentium dilectione consistit vitæ Christianæ apex et summa. Unde S. Basil. formulam vitæ perfectæ viris Religiosis et Anachoretis præscribens admonitione ad juniores, idipsum pene solum inculcat.

Gaudete.] S. Cyprian. legit *per omnia gaudete*, juxta illud S. Jacobi 1. 2. *Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis.* Ubi multas hujus gaudii causas recensui : *Finis passionum Christi resurrectio*, ait Origen. in c. 1. ad Rom. Sic et finis passionis Christianorum est resurrectio et gloria æterna, merito ergo in passione gaudeant.

Ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes,] αγαλλιώμενοι, id est, *exilientes præ gaudio.* Unde S. Cyprian. ep. 56. legit, *gaudentes exultatis.* Exultare enim est super modum exilire, ait Nonius. Tanta enim erit beatitudinis et gloriæ cœlestis magnitudo, ut cor humanum illam capere nequeat, sed extra et supra se quasi exiliat, imo præ gaudio finderetur et rumperetur, ni Deus illud omnipotenti sua manu contineret et stringeret. Ita Psaltes adhuc in hoc exilio positus ex spe futuræ gloriæ : *Cor meum*, ait, *et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Psalm. 83. 3. et : *Jubilate Deo, omnis terra, cantate, et exultate, et psallite.* Psalm. 97. 4. et : *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Psalm. 125. 6. et Malac. c. 4. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ et sanitas in pennis ejus, et egrediemini, et salietis sicut vituli de armento :* ubi plura de hoc saltu dixi, et Sophron. c. 3. 14. *Lauda, filia Sion; jubila, Israel; lætare et exulta in omni corde, filia Jerusalem.* Vide Baruch, c. 5.

Ita in Vita S. Evergisli Archiepiscopi Colonien-sis legimus, quod, cum de more ingressus templum S. Gereonis, in quo corpora ipsius sociorumque Martyrum requiescunt, illud Psalmi recitaret : *Exultabunt Sancti in gloria :* responderint ipsi è sepulchris : *Lætabuntur in cubilibus suis.* Psal. 149. 5.

14. Si exprobramini.] Græce, ονειδιζεσθε, id est,

nt Tertull. Scorp. 12. legit, *si dedecoramini ;* S. Cyprianus, epist. 56. *si exprobratur vobis :* Gentilibus enim nomen Christi et Christiani erat probrum et probrosum; unde illud quasi infame exprobrabant fidelibus,

In nomine Christi.] Id est ob nomen Christi, scilicet quia estis Christiani, quia Christi nomen colitis et invocatis. Syrus, *pro nomine Christi*, vel *quia pertinentis ad Christum*, quasi existentes de domo, familia et Ecclesia Christi. Ita Nero, qui primus persecutus est Christianos, Christianos fecit probrum, cum probrosum hoc in eos tulit edictum : *Quisquis Christianum se esse confitetur, is tanquam generis humani convictus hostis, sine ulteriori sui defensione capite plectitor.* Acute et argute Tertull. Apolog. 3. perstringit Gentiles quod odissent nomen *Christi*, cum Christus græce idem sit quod unctus, aut, ut Gentiles pronuntiabant, *Chresti*, cum χρησος idem sit quod *suavis*, commodus, utilis. *Oditur ergo*, inquit, *in hominibus innocuis etiam nomen innocuum*, imo nomen sanctum, amabile, angelicum, divinum, tale enim est *Jesus Christus.*

Beati eritis.] Græce μακαριοι, id est *beati*, supple *eritis* in cœlo, et *estis* in terra, ob decus nominis Christi, et ob spem certam gloriæ, utpote ab eo patientibus pro se promissæ.

Quoniam quod est honoris, gloriæ et virtutis Dei, et qui est ejus spiritus, super vos requiescit,] q. d. Gloria, virtus et spiritus Dei super vos requiescit, agitque ad omne arduum, puta ad heroicam patientiam. Syrus vertit, *Spiritus gloriosus Dei super vos requiescit.* Græca jam habent : οτι το της δοξης και το του θεου πνευμα εφ' υμας αναπαυεται, id est, *quoniam spiritus gloriæ et spiritus Dei* (id est, spiritus gloriosus Dei, est hendiadis) *super vos requiescit.* S. Cyprianus epistola 56. pro πνευμα legit ονομα, vertit enim *quia majestatis et virtutis Domini nomen in vobis requiescit;* Tertull. Scorp. 12. *quoniam gloria et spiritus Dei requiescit in vobis.*

In eo ergo qui patitur pro Christo requiescit Dei, primo, honor; secundo, gloria; tertio, virtus, græce δυναμις, id est, *potentia* et robur; quarto, spiritus, qui gloriæ, honoris, virtutis omnis est auctor, in patiente, quasi in templo et thalamo suo mira cum voluptate requiescit; quia patiente delectatur, et in eo deliciatur. Significat, inquit Dionysius, quod Deus reputet honorabile quid gloriosum, virtuosum, sive triumphale invictam patientiam in adversis. Ita spiritus fortitudinis requievit in Christo. Isaiæ 11. 2. Hisce verbis significat quanta dignitas et decus sit pro Christo pati; scilicet quod in eo situs sit omnis honor, gloria, virtus et majestas Dei, adeo ut nihil dignius, honorificentius, divinius, Deoque gratius et gloriosius excogitari possit, imo ipsa S. Spiritus persona et majestas in eo qui patitur requiescat. Ipse enim quasi dux eum qui pro Christo patitur, quasi suum militem auctorat, animat, roborat, protegit, perficit ut vincat, eumque ad triumphum et coronam æternam perducit. Summa enim et nobilissima fortitudo est, pati pro Christo, pro orthodoxa fide, pro vera religione, pro cultu Dei ipsoque Deo : pati, inquam, verba et verbera, calumnias, probra, tormenta, ipsamque mortem. Unde S. Augustinus serm. de S. Victoria. *Ibi*, ait, *est corona gloriosior, ubi Christus infirmior : quia profecto virilis animus in feminis majus aliquid fecit, quando sub tanto pondere, fragilitas feminea non defecit*, etc. *Ille in eis apparuit invictus, qui pro eis factus est infirmus. Ille eas ut vinceret fortitudine implevit, qui ut eas fortes efficeret, semetipsum exinanivit. Ille eas ad hos honores laudesque perduxit, qui pro eis opprobria et crimina audivit. Ille fecit feminas viriliter et fortiter mori, qui pro eis dignatus est de femina misericorditer nasci.* Rursum idem S. August. serm. 78. de Temp. illud Gen. 25. *Major serviet minori*, puta Esau Jacobo, mystice sic exponit ; impii servient piis, persecutores patientibus, tortores Martyribus, quia torquendo non aliud faciunt quam fabricare eis lauream martyrii. *Quomodo*, ait, *mali serviunt bonis? non obsequendo, sed persequendo : quomodo persecutores Martyribus, quomodo limæ vel mallæi auro, quomodo molæ serviunt tritico, quomodo panibus coquendis furnalia, ut illi coquantur, illa consumantur ; quomodo in fornace aurificis pulea servit auro, ubi sine dubio palea consumitur, aurum probatur.*

Græci Codices addunt : *Qui* (Spiritus) *quidem apud illos blasphematur, apud vos autem glorificatur*, quo significat hæc infidelium probra in Christianos in ipsum Spiritum sanctum recidere, ac proinde fideles patientes in passione socium habere Spiritum sanctum, qui tum hæc probra excipiat et repellat, tum fideles in illis excipiendis et refutandis animet, dirigat et roboret. Rursum Spiritum sanctum tantum à patientibus honorari et glorificari, quantum à persequentibus inhonoratur, vilipenditur et blasphematur. Quocirca Tertullianus ad Martyres c. 3. *Bonum*, ait, *agonem subiturœ estis, in quo agonothetes Deus vivus, est, xystarches Spiritus S. corona æternitatis bravium, angelicæ substantiæ politia in sæcula sæculorum. Itaque epistates vester Christus Jesus, qui vos spiritu unxit, et ad hoc scamma produxit.*

Porro causas cur pati pro Christo sit summa dignitas, varias hic insinuat S. Petrus. Prima est, quia hic est actus summus Christianæ patientiæ, fortitudinis, charitatis. Secunda, quia passiones sunt vestes regales; puta purpura, paludamentum, stemmata insignia, et, ut Apostolus vocat Galat. 6. 17. stigmata Christi.

Quocirca Theodorus Studita ob defensionem sanctarum Christi imaginum jussus à Leone Armeno flagellari sponte statim zonam solvit, positaque veste corpus nudum obtulit ad verbera ; *Voluptati enim*, inquit, *mihi est corpusculi hujus flagellatio, atque ista demum ejus suprema depositio, quo citius nuda anima evolem ad eum quem desidero.* Ita Michael Studita in ejus Vita. Unde Theodorus ipse scribens ad Naucratium exultans post verbera : *Annon*, ait, *diadema gestantium gloria mirabilior, stigmata ferre Christi, vivificus ejus passiones seu coronas?*

Tertia, quia Christus crucem et passiones in corpore suo sublimavit, et quasi deificavit : sicut enim humanitatem assumens ad verbum, eam quasi deificavit, uniendo eam Deo, adeoque hominem faciendo Verbum, ut scilicet vere et proprie hic homo esset Deus : ita pariter crucem et passiones in corpore et anima suscipiens, eas cum corpore et anima Verbo univit, itaque quasi deificavit. Unde sicut vere dicitur Deus incarnatus et factus homo, ita et vere dicitur Deus passus, crucifixus, mortuus : Christus ergo in se suaque humanitate dedicavit et sacravit passiones et patientiam, æque ac pau-

pertatem, ut ait S. Bernard. humilitatem, obedientiam, sui mundique contemptum.

Quarta, quod Christus, Spiritus sanctus, totaque SS. Trinitas patientibus quasi sacrificiis et holocaustis, non brutis, sed humanis et rationalibus summe honoretur, uti ait hic sanctus Petrus.

Quinta, quod iis à Deo promissa et parata sit summa merces et corona in cœlo, puta laurea martyrii, utque summe conformes sint Christo glorioso, qui conformes fuerunt eidem patienti et crucifixo.

Sexta, quod crux contactu corporis Christi sanctificata adoretur, nec tantum illa quæ tetigit corpus Christi, sed et quælibet alia, quæ illius est repræsentatio et imago, ut videmus publice in Ecclesia eam adorari in Parasceve, juxta illud Lactant.

Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora.

Unde de ea canit tunc Ecclesia :

Arbor decora et fulgida
Ornata regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.
Beata cujus brachiis
Sæcli pependit pretium :
Statera facta corporis
Prædamque tulit tartari.
O crux, ave, spes unica,
Hoc passionis tempore,
Auge piis justiam,
Reisque dona veniam.

Passiones ergo nos uniunt et assimilant Christo et Deo, imo faciunt socios Christi Deique crucifixi, in eumque nos quasi transformant. Quid nobilius quam similem et socium esse Christi ? *Martyrio velut socio Christi cruore decoratis*, ait S. Cyprian. de Laude martyrii.

Septima, quod passiones Martyrum mire illustrent Ecclesiam ; nulla enim secta est quæ tot habeat Martyres, qui pro sua fide, aut potius perfidia velint non tantum opes, sed et vitam profundere, quot habet religio Christiana. Rursum Martyr illustre dat virtutis exemplum cæteris fidelibus, ut et ipsi pro Deo pati ac mori gestiant. Unde Tertullianus in Apolog. *Sanguis Martyrum*, inquit, *est semen Christianorum*. Et Prudentius Peristephan.

Martyrum semper numerus sub omni
Grandine crevit.

Quocirca S. Greg. Nazianz. oratione 18. quæ est de S. Cypriano, Martyribus hæc dat cognomina et elogia, quod sint *holocausta ratione prædita, victimæ perfectæ oblationis Deo gratæ et acceptæ, veritatis præconia, mendacii professiones, legis quæ spirituali modo intelligitur expletio, erroris oppressio, vitii insectatio, peccati diluvium, mundi lustratio*. Quare tua, ô S. Cypriane Martyr, *virtute majorem in modum afficior, memoria recreor, ac præ gaudio quasi lymphatus feror, quodamque modo in eodem tuo martyrio versor, dimicationisque socius et particeps sum, ac totus ad te transeo*. Hucusque Nazianzenus, qui et paulo ante asserit se contemptis omnibus terrenis ad cœlestia anhelare. *Hujus rei*, inquit, *inexplebili quadam aviditate teneor, nec ab ea unquam divelli possum. Martyrum honoribus oblector, pugillum cruoribus exulto, atque aliorum quidem certamina et victoriæ sunt, coronæ autem meæ, usque eo gloriam hanc præcipio, et eorum egregia facinora mea esse duco*. S. Chrysost. nobilis longi martyrii Martyr Constantinopoli expulsus, ut itinerum molestiis et militum sævitia conficeretur, uti reipsa confectus fuit, ad Cyriacum pariter exulantem ita scribit : *Equidem cum urbe Constantinopolitana exigerer, nihil horum curavi, sed ita mecum ipse locutus sum : Si Imperatrix me proscribere volet, proscribat : Domini est terra et plenitudo ejus. Si serra discindere volet, discindat : Isaiam habeo exemplum. Si me in mare vult projicere, Jonæ reminiscar. Si in caminum vult conjicere, tres illos juvenes habeo, qui id pertulerunt. Si me bestiis vult objicere, Danielis meminero in lacum leonum conjecti. Si lapidare me vult, Stephanum habeo protomartyrem. Si caput mihi vult auferre, Joannem habeo Baptistam. Sin substantiam vult adimere, adimat sane : nudus egressus sum de ventre matris meæ, nudus revertar illuc. Exhortatur me Apostolus : Personam hominis Deus non recipit. Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Et me David ipse armat, dicens : Loquebar in conspectu regum, et non confundebar.*

Tertullianus ad Martyres cap. 4. eis inter alia fortitudinis Gentilium exempla et decora proponit flagellationem Laconum. *Nam quæ hodie*, ait, *apud Lacedæmonas solemnitas maxima est* διαμαστιγωτις, *id est flagellatio, non latet. In quo sacro ante aram nobiles quique adolescentes flagellis afficiuntur, astantibus parentibus et propinquis, et uti perseverent adhortantibus. Ornamentum enim et gloria deputabitur majore quidem titulo, si anima potius cesserit* (excesserit è corpore et vita hac) *quam corpus. Igitur si tantum terrenæ gloriæ licet de corporis et animi vigore, ut gladium, ignem, crucem, bestias, tormenta contemnant sub præmio laudis humanæ, possum dicere : Modicæ sunt istæ passiones ad consecutionem gloriæ cœlesti, et divinæ mercedis. Tanti vitreum ? quanti verum margaritum ? Quis ergo non libentissime tantum pro vero habeat erogare, quantum alii pro falso ?*

S. Cyprianus de Laude et Exhort. martyrii hosce vel titulos vel stimulos dat martyrio. Primum, *impavidos animos dat dolori*. Secundum, *mens crescit in pugna, pulsata licet crebrius hæret immobilis virtus, ut rupes pulsata fluctibus*. Tertium, *morte vitam condemnat ut vitam morte custodiat*. Quartum, *miles triumphalibus de hoste spoliis onustus vulneribus suis gaudet*. Quintum, *nec timendum, quorum spes æternitatis et vita cœlestis est, ac salus de promissa immortalitate lætatur*. Sextum, *quorum animo despectus hic mundus, et alienata sæculi facies, cui semper hic mundus loco carceris : nec poteris amare martyrium, nisi ante oderis sæculum*.

15. NEMO AUTEM VESTRUM PATIATUR UT HOMICIDA,] sed ut Christianus, ideoque Martyr Christi. Quare quod S. Cyprianus epist. 73. et S. Hieronymus epist. 58. dicunt *Christum latroni* (qui à dextris Christi crucifixus est) fecisse homicidii pœnam martyrium, intellige testimonium, puta protestationem fidei in Christum. q. d. Christus fecit ut latro pro sceleribus crucifixus, in ipsa cruce crederet in Christum, ejusque fidem publice protestaretur, itaque fieret Martyr, id est testis Christi, ac præmium gloriæ tali testimonio debitum consequeretur,

eaque ratione ipsi pœnam homicidii convertit in triumphum hujusce martyrii.

AUT FUR AUT MALEDICUS (græce κακοποιος, id est *malorum patrator*. Ita Syrus: Tertull. Scorp. 12. *ut maleficus*) AUT ALIENORUM APPETITOR] *Martyrem* enim *non facit pœna, sed causa*, ait S. August. epist. 107. ad Festum : nec scelus facit Martyrem, sed scelestum. Unde S. Cyprian. l. 3. Testimon. c. 37. citatis hisce S. Petri verbis: *Fidem*, ait, *non oportet, ob alia delicta, nisi ob nomen solum puniri.* Pulchre S. Augustinus sermone de decem plagis : *Nemo*, ait, *habet injustum lucrum sine justo damno. Qui furatur acquirit vestem, sed perdit fidem : ubi lucrum, ibi damnum : lucrum in arca, damnum in conscientia.* Idem de Vita Christiana pingens ideam Christiani: *Ille vere*, ait, *Christianus est, qui omnibus misericordiam facit, qui nulla omnino movetur injuria; qui alienum dolorem tanquam proprium sentit; cujus mensam nullus pauper ignorat; qui coram hominibus inglorius habetur, ut coram Deo et angelis glorietur; qui terrena contemnit, ut possit habere cœlestia; qui opprimi pauperem se præsente non patitur; qui miseris subvenit; qui ad fletum flentibus provocatur alienis.*

Pro *alienorum appetitor*, græce est αλλοτριοεπισκοπος, id est, *alienarum rerum curiosus inspector*, et consequenter appetitor : species enim et visio rei appetibilis, ciet appetitum. Unde curiosus inspector rebus inspectis inhiat. Tertullian. *alieni speculator;* S. Cyprianus l. 3. ad Quirin. c. 37. *curas alienas agens.* Scitum est illud Plauti : *Curiosus nemo est, qui non sit malevolus.* Præclare S. Greg. *Grave*, ait, *curiositatis est vitium, quæ dum cujuslibet mentem ad investigandam vitam proximi exterius ducit, semper ei intima sua abscondit, ut aliena sciens, se nesciens sit, et curiosus animus quanto peritus fuerit alieni, tanto fiat ignarus sui.* S. Bernard. de Modo bene viv. c. 54. *Stulti homines*, ait, *dum alienos errores volunt reprehendere, demonstrant suos. Tamdiu homo ignorat peccata sua quæ debuerat flere, quamdiu aliena vitia exquirit curiose: sed cum homo ad semetipsum revertitur, et sese bene considerat, non exquirit quod in aliis reprehendat, quia in semetipso multa reperit quæ lugeat.* Unde B. Greg. *Nos tanto minus debemus aliena corda reprehendere, quando scimus visu nostro non posse alienæ cogitationis tenebras illustrare;* et mox : *Curiositas damnosa peritia est, ad hæresim provocat, in fabulas sacrilegas præcipitat mentem, in causis obscuris reddit audaces, in rebus ignaris facit homines præcipites.*

16. SI AUTEM UT CHRISTIANUS, NON ERUBESCAT (uti erubescunt homicidæ cum plectuntur pro crimine, quia christianismus non est crimen, sed religio et sanctitas) GLORIFICET AUTEM DEUM IN ISTO NOMINE,] quia gloriosum est nomen Christi, ac consequenter et Christiani; à Christo enim vocatur Christianus quasi Christi assecla, discipulus, cultor, filius et hæres. Vide dicta Act. 11. 26. Porro patitur ut Christianus non tantum qui pro fide, sed et qui pro virtute aliqua Christiana, ut castitate, justitia, religione, etc., patitur : omnem enim virtutem dictat et docet fides Christi. Quare qui pro qualibet virtute Christiana occiditur et moritur, est Martyr. Nam Martyr est, qui pro qualibet veritate, quæ ad pietatem pertinet, moritur, imo qui moritur pro veritate qualibet ut evitet mendacium; talis enim moritur pro virtute veracitatis, quæ opponitur vitio mendacii, uti diserte docet D. Thom. 2. 2. q. 124. a. 5. Secus est de eo qui moritur pro tuenda aliqua veritate mathematica, physica, logica. Hic enim non est Martyr, quia non moritur pro veritate ad pietatem pertinente, uti ibidem asserit D. Thomas.

Mor. disce hic quantum sit pati ut Christianum tantum scilicet quantum est martyrium : hoc autem summum est decus et gloria. *Quid enim gloriosius*, aiunt generosi Martyres ad S. Cyprian. l. 5. ep. 12. *quidve felicius ulli hominum poterit ex divina dignatione contingere, quam inter ipsos carnifices interitum confiteri Dominum Deum? quam inter sævientia sæcularis potestatis varia et exquisita tormenta, etiam extorto, et excruciato, et excarnificato corpore, Christum Dei Filium, etsi recedente, sed tamen libero spiritu confiteri? quam relicto mundo cœlum petiisse? quam desertis hominibus inter angelos stare? quam impedimentis omnibus sæcularibus ruptis in conspectu Dei jam se liberum sistere? quam cœleste regnum sine ulla cunctatione retinere? quam collegam passionis cum Christo in Christi nomine factum fuisse? quam judicis sui divina dignatione judicem factum fuisse? quam immaculatam conscientiam de confessione nominis reportasse? quam humanis et sacrilegis legibus contra fidem non obediisse? quam veritatem voce publica contestatum fuisse? quam ipsam, quæ ab omnibus metuatur, moriendo mortem subegisse? quam per ipsam mortem immortalitatem consecutum fuisse? quam omnibus sævitiæ instrumentis excarnificatum et extortum, ipsis tormentis tormenta superasse? quam omnibus dilaniati corporis doloribus robore animi reluctatum fuisse? quam sanguinem suum profluentem non horruisse? quam supplicia sua post fidem amare cœpisse? quam detrimentum vitæ suæ putare non exiisse?* Deinde hæc omnia confirmant verbis Christi, quibus animos exacuunt. *Ad hoc enim prælium quasi quædam tuba Evangelii sui nos excitat Dominus dicendo : Qui plus diligit patrem aut matrem, quam me, non est me dignus;* et : *Qui plus diligit animam suam quam me, non est me dignus;* et : *Qui non tollit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus;* et iterum : *Beati qui persecutionem passi fuerint propter justitiam; ipsorum enim est regnum cœlorum. Beati eritis cum vos persecuti fuerint et oderint; gaudete et exultate : sic enim et Prophetas persecuti sunt, qui ante vos fuerunt, patres eorum;* et iterum : *Quoniam ante reges et potestates stabitis, et tradet frater fratrem ad mortem, et pater filium; et qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit;* et : *Vincenti dabo sedere super thronum meum, sicut et ego vici, et sedi super thronum patris mei.* Sed et apostolus : *Quis nos separabit à charitate Christi? pressura, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? sicut scriptum est : Quia propter te interficimur tota die, æstimati sumus velut oves victimæ; sed in iis omnibus supervincimus, pro eo qui nos dilexit. Hæc et hujusmodi cum in Evangelio collata perlegimus, et quasi faces quosdam ad inflammandam fidem Dominicis vocibus, suppositas nobis sentiamus, hostes veritatis jam non tantum non perhorrescimus, sed provocamus; et inimicos Dei jam hoc ipso quod non cessimus, vicimus; et nefarias contra veritatem leges subegimus; etsi nondum nostrum sanguinem fudimus, sed fudisse parati sumus. Nemo hanc dilationis nostræ moram, clementiam judicet, quæ nobis officit; quæ impedimentum glo-*

riæ facit, quæ cœlum differt, quæ gloriosum Dei conspectum inhibet : in hujusmodi enim certamine, et in hujusmodi ubi decertat fides prælio, mora Martyres non distulisse, vera clementia est. Et l. 4. ep. 6. ad Tibarit. de Exhort. martyrii : *Ad agonem sæcularem exercentur homines, et parantur, et magnam gloriam computant honoris sui, si illis spectante populo et Imperatore præsente contigerit coronari. Ecce agon sublimis et magnus, et coronæ cœlestis præmio gloriosus, ut spectet nos certantes Deus, et super eos quos filios facere dignatus est, oculos suos pandens, certaminis nostri spectaculo perfruatur. Prœliantes nos et fidei congressione pugnantes spectat Deus, spectant angeli ejus, spectat et Christus. Quanta est gloriæ dignitas, quanta felicitas præside Deo congredi, et Christo judice coronari! Armemur, fratres dilectissimi, viribus totis, et paremur ad agonem mente incorrupta, fide integra, virtute devota. Ad aciem quæ nobis indicitur, Dei castra procedant. Armentur integri, ne perdat integer quod nuper stetit. Armentur et lapsi, ut et lapsus recipiat quod amisit. Integros honor, lapsos dolor ad prælium provocet.* Et inferius exclamans ait : *O dies ille qualis et quantus adveniet, fratres dilectissimi, cum cœperit populum suum Dominus recensere, et divinæ cognitionis examine singulorum merita recognoscere, mittere in gehennam nocentes, et persecutores nostros flammæ pœnalis perpetuo ardore damnare, nobis vero mercedem fidei et devotionis exsolvere! Quæ erit gloria, et quanta lætitia admitti, ut Deum videas; honorari, ut cum Christo Domino Deo tuo salutis ac lucis æternæ gaudium capias! Abraham, et Isaac, et Jacob, et Patriarchas omnes, et Prophetas, et Apostolos, et Martyres salutare; cum justis et Dei amicis in regno cœlorum datæ immortalitatis voluptate gaudere; sumere illic quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit!*

S. Basilius hom. 20. de 40. Martyr. ait eos hisce vocibus Deum celebrasse, ac sese invicem ad martyrium in gelido stagno obeundum animasse. *Gratias agimus tibi, Domine, quod cum isto amictu simul et peccatum exuere licet, quoniam ob serpentem eum induimus, ob Christum vero exuimus. Quas Domino qui pro nobis est spoliatus, dignas gratias reddemus! Quid magnum servo, si ea quæ passus est Dominus subeat? Durum profecto frigus, sed dulcis paradisus. Affligens glacies, sed delectabilis requies. Brevi tempore durantes, sinus Abrahæ nos perpetuo fovebit. Unam noctem cum ævo sempiterno commutabimus. Incendatur frigore pes ut cum angelis continuo saltet. Torpescat frigore manus, ut facultatem habeat in Deum attollendi. Quot enim commilitones nostri ceciderunt fidem mortali regi servantes! Nos pro fide in verum Deum servanda hanc vitam non projiciemus? Quando semel mori oportet, moriamur ut vivamus. Fiat sacrificium nostrum coram te, Domine, et velut hostiæ viventes tibi placentes, nosmet hoc sævo gelu immolantes abs te recipiamur.* Unde sub finem de iis exclamat : *O sanctum chorum! ô sacrum ordinem! ô cuneum inexpugnabilem! ô communes humani generis custodes, optimi curarum socii, precum ac votorum invicem suffragatores, legati apud Deum potentissimi, astra mundi, flores Ecclesiarum : vos non terra contexit, sed cœlum excepit. Apertæ sunt vobis paradisi portæ : dignum profecto exercitibus angelorum, Patriarchis, Prophetis, et justis omnibus spectaculum,* etc. *In ipso vitæ flore temporariam hanc vitam contempserunt, ut in membris suis Deum reciperent, mœstos erexerunt, dubios in fide confirmaverunt, piis desiderium auxere, unum omnino pro pietate omnes trophæum erigentes, una justitiæ corona ornati fuere.*

S. August. in Psal. 118. serm. 30. *Purpurata est*, ait, *universa terra sanguine Martyrum, floret cœlum coronis Martyrum, ornatæ sunt Ecclesiæ memoriis Martyrum, insignita sunt tempora natalibus Martyrum, crebrescunt sanitates meritis Martyrum.* Idem serm. 11. de S. Cypriano : *Illi*, inquit, *laus, illi gloria, qui dignatus est illum Martyrem prædestinare inter sanctos suos ante tempora, creare inter omnes opportuno tempore, vocare errantem, mundare sordidum, formare credentem, docere obedientem, regere docentem, adjuvare pugnantem, coronare vincentem.*

Porro Martyres hisce elogiis celebrat Ecclesia in hymno plurium Martyrum :

Sanctorum meritis inclyta gaudia
Pangamus, socii, gestaque fortia ;
Non gliscit animus promere cantibus
Victorum genus optimum, etc.
Hi pro te furias, atque ferocia
Calcarunt hominum sævaque verbera,
Cessit his lacerans fortiter ungula,
Nec carpsit penetralia,
Cæduntur gladiis more bidentium,
Non murmur resonat, non querimonia ;
Sed corde tacito mens bene conscia
Conservat patientiam.
Quæ vox, quæ poterit lingua retexere
Quæ tu Martyribus munera præparas ?
Rubri nam fluido sanguine laureis
Dicantur bene fulgidis.

17. QUONIAM TEMPUS EST (græce καιρος, id est *opportunitas* occasio, tempus commodum et opportunum : tale enim est tum præsens vita, tum christianismus, novaque ejus religio ; tum moderna Judæorum et infidelium contra eum odia) UT JUDICIUM INCIPIAT A DOMO DEI.] Par enim est ut judex prius suam domum examinet, quam alienam. *Judicium*, ait OEcum, et Didymus hic, non condemnationem, sed examinationem et explorationem significat ; adde, et punitionem aliquam, ac castigationem, puta tribulationem, quæ non temere, sed cum judicio et congrua mensura à Deo peccatori immittitur, ideoque vocatur *judicium*. Deus enim suam domum et familiam, puta Ecclesiam, et fideles domesticos suos per tribulationes justi judicii libramine examinat, à peccatis levioribus expurgat, erudit et perficit. Nihil enim relinquit indiscussum, nihil impunitum. *Natura comparatum est*, ait S. Basil. apud OEcum. *contra eos qui familiarissimi nobis sunt, cum in nos peccant, indignemur : familiarissimi autem Deo non sunt alii quam fideles, qui domum Dei, id est Ecclesiam, complent et construunt.* Ita Isaias ait cap. 29. 1. *Væ Ariel! Ariel*, id est, væ Hierosolymæ, templo et altari, quod est *Ariel*, id est, quasi leo Dei. Vide ibidem dicta, et Jerem. c. 35. 18. *Castigasti me, et eruditus sum, quasi juvenculus indomitus.* Et sapiens Proverb. 3. 11. *Disciplinam Domini, fili mi, non abjicias, nec deficias cum ab eo corriperis : quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi in filio complacet sibi ;* et Apocal. 3. 19. *Ego quos amo arguo et castigo.* Alludit S. Petrus ad illud Ezech. 9. 6. *A sanctuario meo incipite* percutere et interficere peccatores. Quare perperam Aureolus ro

à domo exponit, q. d. Judicium Dei in homines prodit ex domo et throno Dei, puta ex cœlo. S. August. in Psal. 93. 20. legit: *Tempus est inchoationis judicii ex domo Domini;* sicque explicat: *Tempus est ut modo judicentur qui pertinent ad domum Domini.* S. Justinus quæst. 79. ad Orthodoxos dat exemplum Josiæ regis Juda, qui licet pius, cæsus est in prælio, ut lueret levia sua peccata. Probat S. Petrus Christianos debere pati ex eo, quod nævi, peccata et vitia quædam singulis adhæreant, quæ Deus per tribulationem vult punire et resecare. Non ergo novum et peregrinum eis debere videri, quod præ infidelibus exerceantur et affligantur, eo quod Deus velit domum suam perpurgare, et efficere purissimam, ideoque judicium suum ab ea inchoet; extensurus illud deinde in reliquos homines, quos acrius examinabit et puniet, quia eos gehennæ adjudicabit.

Unde sapienter S. Chrysost. hom. de Lazaro: *Ubi,* ait, *videris improbam vitam agentem, nec quidquam acerbi hic patientem, ne putaveris illum beatum, sed defle potius ac deplora, velut illic* (in gehenna) *omnia tristia perpessurum, sicut dives fecit. Rursus ubi quem videris virtutis studiosum innumeris affligi molestiis, beatum existima, ut qui et hic omnia sua peccata diluerit, et illic multam habet paratam mercedem, sicut Lazaro evenit.* Ingens ergo Dei beneficium est, quod suos puniat in hac vita, *ne, cum judicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat.* 2. Machab. c. 13. et Amos. 3. 2. *Tantummodo vos,* ait, *cognovi ex omnibus cognationibus terræ, idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras;* et Malach. 3. 2. *Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum, et sedebit conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum.*

SI AUTEM PRIMUM A NOBIS, QUIS FINIS EORUM QUI NON CREDUNT DEI EVANGELIO?] quasi dicat: Si Deus suos fideles et sanctos ita judicat, id est examinat, explorat, exercet et affligit, quid exspectent ab eo infideles qui vitiis et deliciis diffluunt? quis finis eos manet? quæ pœna? quæ gehenna? Hoc Dei in impios judicium graphice depingit Sapiens c. 5. 18. *Accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum;* et quæ sequuntur. Præclare Salvianus l. 4. ad Ecclesiam Catholicam: *Si quis vult,* ait, *ex peccatoribus scire, quam graviter censenda à Deo sint magna crimina, discat qualiter in semetipsis puniant sancti etiam levia peccata, conscii scilicet jam ex ipsius Dei dictis futuri examinis, ac per Domini sui verba, etiam judicia rimantes, et ideo semper in Dei opere, semper in compunctione, semper in cruce positi: beati qui cum omnium misereantur, sibi nunquam penitus ignoscant, in nullo sibi parcentes, si totos se admodum Deo impendentes, et ideo in futuro judicio digni præmio, quia hic apud se jugiter in reatu.*

18. ET SI JUSTUS VIX SALVABITUR, IMPIUS ET PECCATOR UBI PAREBUNT?] Citat Proverb. 11. 31. *Si justus in terra recipit, quanto magis impius et peccator!* ubi Septuaginta ita vertunt, uti hic S. Petrus eos de more secutus, sed eodem redit utraque versio. Pro *salvabitur* græce est σωζεται, id est *salvatur*, hoc est, ad salutem pertingit, multas pœnas quasi pœnitentias patiendo, et ex variis tribulationum fluctibus ægre eluctando. Noster tamen vertit *salvabitur,* scilicet, inquit, in die judicii, non quasi ibi dubius sit futurus et incertus de salute justus, qui in Dei gratia decessit, sed quia ibi recognoscetur et recensebitur tota vita hominis, ejusque anfractus et pericula, ac ex iis demonstrabitur quomodo vix salvatus sit. Levicula est expositio et anagramma Hugonis: Justus, ait, vix salvatur, quia vi crucis quæ exprimitur littera X, vel per quinque plagas, et per Jesum Christum eo quod in dictione *vix* prima littera V, est nota quinarii, secunda I, Jesu, tertia X, Christi: sed alia est littera *x,* ultima in *vix,* aliud χ. græcum, quod est prima littera in voce Χριστος. *Impius,* græce ασεβης, id est, *alienus à cultu Dei,* est infidelis; *peccator* est fidelis, puta Christianus, sed in legem Dei peccans, ait OEcumen. Sensus est, inquit Beda, quasi dicat: *Si tanta est fragilitas humanæ vitæ, ut nec justi quidem in cœlo coronandi sine tribulationibus, propter innumerabilem vitiatæ naturæ labem, transeant; quanto magis hi qui cœlestis gloriæ sunt extorres, certum damnationis suæ exitum exspectant!* Rursum, pro *salvabitur,* heb. est ישלם *iescullam,* id est, *retribuetur ei;* Cajet. *emendabitur;* Rabbini, *pacem habebit,* שלם *salam* enim duo significat. Primo retribuere; secundo, esse pacificum. Unde *Salomon,* id est pacificus. Chald. מדחסו *mitchasen,* id est *roborabitur,* vel potius, ut alii, *patiens est,* et vitia patitur; hoc enim consentit cum Hebræo, Græco et Latino interprete, ut mox patebit.

Quæres quomodo justus vix salvabitur? si enim est justus, moriturque justus, certo salvabitur. Interpretes τὸ *salvabitur* tripliciter exponunt. Triplex est enim salus. Prima corporis; secunda, animæ, dum convertitur à peccato ad justitiam, et gratiam Dei; tertia, animæ cum æternam salutem adipiscitur. Primo ergo aliqui ex S. Ambrosio, lib. 2. Apolog. David cap. 3. sic exponunt: Justus vix tandem salvabitur, id est, ægre hujus vitæ miseriis et ærumnis eripitur, quibus Deus leviores ejus culpas punit: quas ergo impii peccatorum gravissimorum pœnas in æternum dabunt? Huic sensui favet textus Hebraicus, et Latina versio Prov. 11. v. 11. et quod S. Petrus agat de pœnis quibus Deus justos hic punit et expiat. Ita S. August. lib. 20. contra Faustum 14. *Quid enim justius,* ait, *unico, cui tamen Deus non pepercit, et quid evidentius, quod nec justis parcat, emendans eos varietate tribulationum, cum de hac re aperte sit dictum: Et si justus vix salvus erit.* Secundo, idem S. August. in Psal. 6. exponit de secunda salute, puta de conversione peccatoris, qui difficulter convertitur, eo quod difficile sit relinquere voluptates et pœnitere, q. d. Si justus multo labore et angore vix salvatur, id est, resipiscit et convertitur, quot et quanti dolores, angores et supplicia manebunt peccatores ob culpam lethalem, quæ nunquam delebitur? Tertio, alii passim accipiunt de tertia salute, q. d. Justus vix salvatur, id est, vix damnationi eripitur, et salutem æternam adipiscitur: quid ergo exspectandum peccatori? utique non incerta salus, sed certa damnatio. Ita Didymus, OEcumen. Beda et alii, ait S. Hier. dialog. 2. contra Pelag.

Dices, Justus certo salvabitur, quomodo ergo ait *vix salvabitur?* Respond. pro *vix* græce est μολις, id est, cum labore et molestia, per multas tribulationes, afflictiones, persecutiones, pœnitentias pro peccatis venialibus, ideoque *vix,* id est, græce, et difficulter salvatur justus. Adde et tentationes, licet de his proprie non loquatur

S. Petrus, et Sapiens Proverb. 11. ait enim : *Si justus in terra recipit*, scilicet pro delictis castigationem et pœnas peccatorum, *quanto magis impius et peccator?* supple, recipiet merita supplicia, non in terra, sed in inferno.

Secundo, S. Hier. lib. 2. contra Pelag. ex hoc loco contra Pelagianos probat justos esse obnoxios peccatis venialibus. *Justus*, ait, *in die judicii vix salvatur; salvaretur autem facile, si nihil in se haberet maculæ : ergo justus est in eo quod floret multis virtutibus, et vix salvatur in eo quod in quibusdam Dei indiget misericordia;* additque, ideo Ecclesiam dici impleri spiritu timoris Domini. Et mox aliam, puta tertiam, dans causam et explicationem. *Nam licet*, ait, *nihil pravi sibi sit conscius, verumtamen sciens quoniam non in hoc justificatur, donec eum justificet judex, æstuat et decertat.*

Quarta causa est, quia per lapsum Adæ fragiles facti sumus, et proclives in vitia : et hæc fragilitas manet in justis. Ita S. Amb. l. 2. Apolog. David. c. 3. *Si David*, ait, *infirmus, tu fortis? si Salomon lapsus est, tu immobilis? si Paulus primus peccatorum, tu potes primus esse sanctorum?* Et in Psalm. 43. *Quis est tam fortis ut nequaquam in tentatione moveatur, nisi Dominus adjutor ei assistat?*

Quinta, quia virtus est in arduo, et cœlum in summo. Ita Simonides apud Clem. Alexand. l. 4, Strom. *Fertur*, ait, *virtus habitare in rupibus aditu difficilibus;* et Beda : *Justitia*, ait, *laboriosa est nisi amantibus;* et Virg. 6. Æneid.

> Facilis descensus Averni ;
> Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
> Hoc opus, hic labor est.

Sextam dat S. Greg. 24. Mor. c. 16. nimirum inconstantiam humanarum cogitationum, indeque desideriorum et appetituum, quæ jugiter post lapsum in peccatum ex corde, velut ex fornace instar scintillarum exhalant et alternant. *Quis*, ait, *considerare valeat quanta mala per momenta temporum ipsis inconstantibus cogitationum motibus perpetramus?* et mox : *Humana anima semel æternitatis statum deserens, ad fluxum temporalium delapsa, hanc mutabilitatem alternantium motionum, quam dum caderet volens appetiit, dum conatur surgere, cogitur invita tolerare. Inde quippe punita est, unde delectata : quia inde conversa habet laborem certaminis, unde perversa appetiit gaudium voluptatis.* Subdit c. 17. electos hac de causa trepidare eo magis, quo ad finem appropinquant, et hujus eorum pavoris speciem in se expressisse Christum in horto, quando vicinus morti factus in agonia sudavit aquam et sanguinem. Unde c. 18. subdit : *Consideramus quippe quod viam vitæ præsentis nequaquam sine culpa transire potuimus, et quia nec hoc quidem sine aliquo reatu nostro est, quod laudabiliter vixinus, si remota pietate judicetur. Quid ergo facient tabulæ, si tremunt columnæ? Aut quomodo virgulta immobilia stabunt, si hujus pavoris turbine etiam cedri quatiuntur? Solutioni ergo carnis appropinquans, nonnunquam terrore vindictæ etiam justi anima turbatur.* Et mox : *Sed quia justorum animæ à levibus quibusque contagiis ipso sæpe mortis pavore purgantur, et æternæ retributionis gaudia jam ab ipsa carnis solutione percipiunt, plerumque vero contemplatione quadam retributionis æternæ, etiam priusquam carne exspoliantur, hilarescunt, recte dicitur. Videbit faciem ejus in jubilo.*

Septimam dat S. Aug. 9. Confess. 13. nimirum profundum et abyssum inscrutabilem tum cordis humani, tum judiciorum Dei. Orans enim pro anima matris suæ S. Monicæ : *Væ*, ait, *etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam. Quid vero non exquiris delicta vehementer, fiducialiter speramus aliquem apud te locum invenire indulgentiæ.* Notum est exemplum Doctoris Parisiensis qui è feretro exclamavit : *Justo Dei Judicio accusatus, judicatus, condemnatus sum;* et tamen videbatur juste et sancte vixisse : quo spectaculo S. Bruno commotus secessit in Carthusiam, ejusque Ordinem instituit. Quin et sanctus Paulus : *Castigo*, ait, *corpus meum*, etc. *ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* 1. Cor. c. 9. 27.

Denique Thomas Anglicus cur justus vix salvetur, septem dat causas jam dictis non absimiles. Prima quod non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam. Secunda, quod caro concupiscat adversus spiritum. Tertia, quod caro sua corruptione aggravet animam. Quarta, quod non nisi violenti rapiant cœlum. Quinta, quod arcta sit via quæ ducit ad vitam; quodque virtutum ardua duraque sint opera. Sexta, quod incertum sit an simus justi. Septima, quod judicium Dei sit subtile et rigidum.

Impius et peccator ubi parebunt ?] ubi apparebunt? quo ibunt? quis eos locus excipiet? quæ sors? q. d. Impii in judicio coram facie Christi apparere expavescent, dicentque montibus : *Cadite super nos; et collibus : Operite nos.* Apoc. 6. 16. Inde ibunt in infernum, apparebunt inter damnatos, gehenna eos excipiet, et æterna incendia. Unde Chald. Prover. 11. 13. vertit, *impii in fine perdentur.* Alludit ad Jerem. c. 25. 29. *Ecce in civitate in qua invocatum est nomen meum, ego incipiam affligere, et vos quasi innocentes et immunes eritis? non eritis immunes;* et c. 49. 12. *Ecce quibus non erat judicium ut biberent calicem* (furoris Domini) *bibentes bibent : et tu quasi innocens relinqueris? Non eris innocens, sed bibens bibes.* q. d. Si Deus ita punit suos ob levia peccata, quomodo puniet alienos ob plurima et maxima crimina : S. Greg. 26. Mor. 18. putat alludi ad motum naturalem corporis in centrum, qui in fine velocior est quam in principio. q. d. Si Dei justitia et ira cum primum movetur et concitatur, tantas calamitates justo irrogat, qua tandem vi et impetu in fine motus sui contra impios rapietur et desævìet? *Peccata*, ait, *nequaquam divina severitas inulta remanere permittet, sed iram judicii à nostra* (justorum scilicet) *hic correptione incipit, ut in reproborum damnatione tanquam in fine motus conquiescat. Eant ergo jam reprobi, et voluptatum suarum desideria multa iniquitate consumant, atque eo temporalia flagella non sentiant, quo æterna eos supplicia exspectant.* S. August. in Psal. 93. 20. censet alludi ad servum, qui dum videt filium à patre acriter flagellari, trepidat, et longe gravius supplicium expectat. *Si flagellantur*, inquit, *filii, quid debent sperare servi nequissimi? quomodo ergo erunt tecum iniqui, quando nec tuis fidelibus parcis, ut exerceas et erudias eos?*

Itaque et hi qui patiuntur.] Est epilogus dictorum. q. d. Cum justus vix salvetur, et non nisi per multas tribulationes ; par est ut qui patiuntur,

commendent se Deo, tum ut vires patiendi suggerat, tum ut ultimum arctumque vitæ agonem sine salutis periculo obeant, et securi ad palmam futuræ vitæ pertingant; ideoque preces cumulent benefactis, ut certam faciant suam electionem et salutem; *benefacta* intellige opera bona, tum patientiæ et fortitudinis, tum eleemosynæ, tum charitatis; præsertim erga persecutores et tortores, quos olim Martyres sua charitate convertere solebant, et ad Christum traducere.

Secundum voluntatem Dei,] quia voluntas Dei est ut patiamur pro Christo, fide et justitia, non ob peccata et scelera, utque huic Dei voluntati nos conformantes toleremus fortiter et alacriter quælibet adversa, quasi ab illo immissa, vel permissa ad nostrum bonum et decus. Hac ergo cogitatione solentur se afflicti, quod scilicet nihil eis mali obveniet, nisi à Deo sigillatim prævisum et provisum, qui omnem mali speciem, modum, durationem præfinivit et attemperavit, ita ut non amplius, nec diutius, nec aliter quid pati possim, quam à Deo fuerit præordinatum, scilicet quam vires meæ ferre queant, et quam meæ purgationi, perfectioni et saluti expediat. Deus ergo utitur mala voluntate impiorum et hostium ad puniendos et exercendos suos fideles, sed eam frænat, reprimit et regit, sicut sessor equum, ut non tantum mali inferat, quantum vellet, nec aliud aut aliter noceat, quam Deus permittit. Porro Deus vult ita nos pati, ut tamen velit nos prudentes esse, nec patiendi occasiones dare imo fugere et amoliri, uti Christus jussit Apostolis Matt. 10. 23. ut in persecutione fugerent ex una civitate in aliam. Stolidum ergo fuit dogma Lutheri non esse resistendum Turcæ, eo quod ille sit flagellum Dei, eoque Deus uti velit ad nos castigandos.

Ita de Aureliano Imp. an. 6. imperii sui capto à Sapore rege Persarum an. Domini 278. scribit Euseb. l. 7. Hist. 25. quod, cum persecutionem contra Dei Ecclesias meditaretur, *dictatis jam litteris et scriptis, cum superesset sola subscriptio, divina dextera interveniens subscriptionem nefandæ dexteræ deturbaverit. Morte subita condemnatur qui de piorum morte censebat: ut ostenderet Deus, quia non, cum voluerit tyrannus, cruciamur, sed cum probaverit ipse, corripimur.* Dicant ergo afflicti cum S. Job: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Job. 1. 21. Dicant cum Juda Machabæo: *Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.* 1. Machab. 3. 60. Dicant cum Christo in agonia: *Fiat voluntas tua.* Matth. 26. quia *Hæc vox capitis,* ait S. Leo serm. 7. de Passione, *salus est totius corporis: hæc vox omnes fideles instruxit, omnes Confessores accendit, omnes Martyres coronavit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis posset persecutorum superare terrores, nisi Christus in omnibus patiens Patri diceret: Fiat voluntas tua?*

Fideli Creatori commendent,] vel Christo, ut vult S. Hilarius 12. de Trinit. et S. Cyrillus 9. Thesauri c. 1. vel simplicius Deo, prout communis est toti S. Trinitati; hic enim est creator. Datur hic duplex ratio cur afflicti se commendare debeant Deo. Prima, quia Deus est creator, qui creaturas suas, præsertim animas rationales, amat. Secunda, quia est et fidelis, qui in se sperantes, seque ei commendantes acceptet, exaudiat, fideliter assistat, ità ut nunquam eos deserat, sed adsit, corroboret, liberet, tueatur et protegat, vel ut passionem evadant, vel ut in ea fortiter perdurent, vitamque ponant, uti fecere et faciunt Martyres: quare et morientes animas suas commendare solent (unde Syrus vertit, *commendant* in indicativo), Deo dicentes cum Psalte et Christo moriente: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Lucæ 23. v. 56. et cum S. Stephano: *Domine Jesu, suscipe spiritum meum.* Act. 7. 58. et cum S. Paulo: *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare.* 1. Timoth. 1. 18. et cum S. Agatha: *Domine, qui me custodisti ab infantia, qui abstulisti à me amorem sæculi, qui me carnificum tormentis superiorem præstitisti, accipe animam meam;* et cum S. Agnete: *Omnipotens, adorande, colende, tremende Pater Domini nostri Jesu Christi, benedico te, quia per Filium tuum unigenitum evasi manus hominum impiorum, et spurcitias diaboli impolluto calle transivi. Ecce jam quod credidi video, quod speravi jam teneo, quod concupivi complector. Te confiteor labiis et corde, te totis visceribus concupisco. Ecce ad te venio vivum et verum Deum, qui cum Domino nostro Jesu Christo filio tuo, et cum Spiritu sancto vivis et regnas in cuncta sæcula sæculorum. Amen.* Ita S. Amb. l. 4. epist. 34. Denique omnes Martyres in Martyrio diffisi suis viribus se Deo commendarunt, itaque vires patiendi, et secure moriendi impetrarunt: qui vero suis fisi viribus orare neglexerunt, humiliati ceciderunt fidemque negarunt, itaque superbiæ et injuriæ suæ pœnas dederunt, nobisque statuti sunt in exemplum.

Animas suas.] Unicam singuli habent animam spiritalem et immortalem, eam ergo quasi oviculam custodiant, ut in æternum felix et beata sit: Deo ergo beandam commendent et offerant. Nam, ut ait Deus Ezech. 18. 4. *omnes animæ meæ sunt;* et Sapiens, c. 11. 27. *Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas:* græce significantibus, δεσποτα φιλοψυχε, id est, *Domine philanime et philanthrope.* Porro cum anima cætera omnia Deo commendanda sunt. Unde Tertullian. lib. de Patientia, de injuriis propter Deum ferendis: *Si apud Deum,* inquit, *deposueris injuriam, ipse est ultor: si damnum est, restitutor: si dolorem, medicus est: si mortem, resuscitator.* Nominat *animas,* quia anima patientis et martyris, eodem instanti quo obit et abit è solo et salo, cœlum adit; dumque denascitur luci caducæ, renascitur luci gloriæ æternæ. Mors ergo ipsi est Occidens mortis, et Oriens vitæ: martyrium est ei Occasus pœnarum, et Oriens palmarum. Unde Ecclesia diem mortis Martyrum vocat nativitatem; quia ille ipsis est natalis vitæ melioris et beatæ. Felix mors quæ est introitus et janua vitæ. *Non est exitus ille, sed transitus,* ait S. Cyprianus de Mortalit. *Regnum Dei cœpit esse in proximo, præmium vitæ, et gaudium salutis æternæ, et perpetua lætitia, et possessio paradisi,* etc. *jam terrenis cœlestia, et magna parvis, et caducis æterna succedunt.*

In benefactis.] εν αγαθοποια, Syrus, *in operibus bonis;* Pagnin. et Tigurin. *in beneficentia,* ut scilicet benefaciamus etiam persecutoribus et tortoribus: hæc enim vicissim provocabit beneficentiam Dei in nos, ut animam sibi commendatam tueatur, excipiat, et æternis bonis beet. Ita S. Jacobus frater S. Joan. ductus ad mortem, suum traditorem complexus, osculoque salu-

tans, Christianum et Martyrem effecit, uti narrat Euseb. lib. 2. Histor. cap. 8. Sic S. Polycarpum iis qui se ad capiendum venerant, *mensam apponi jussisse, deinde orasse ut cibum large et affatim sumerent; unamque horam qua libere orationi vacaret postulasse.* Scribit Euseb. lib. 4. 14. S. Cyprian. speculatori qui sibi caput erat amputaturus, jussit dari 25. aureos, teste Pontio in ejus Vita. Hoc est quod jubet Christus : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos :* Matt. 5. 44. Additque causam : *Ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est.* Nam, ut ait S. Leo serm. de omnibus Sanctis : *Misericordem te misericordia, justum vult te esse justitia, ut in creatura sua creator appareat, et in speculo cordis humani per lineas imitationis expressa Dei imago resplendeat.*

Rursum pro *benefacta* accipe cum Syro, quælibet bona opera et virtutum exercitia. Unde Œcum. accipit humilitatem. *Quo pacto,* inquit, *commendare seipsum Deo quispiam debet? In benefaciendo videlicet; id est, in humilitate, ut non glorietur et efferat se ob ea quæ patiatur, sed quanto majora videtur pati, tanto inutiliorem se existimet, et semper illud subjungat ac dicat : Justus es in omnibus quæ fecisti nobis.*

Docet ergo S. Petrus Christianum debere benefacere, non tantum in vita, sed et in morte, ut tota vita Christiani usque ad mortem inclusive sit continua actio, et bonorum operum exercitium, ut tamdiu bene operetur, quamdiu sperat et spirat. Dicebat Vespasianus Imper. stando moriens : *Imperatorem decet stantem mori;* at Christianum decet patientem et laborantem mori; nimirum militibus Christi non ante vitam stipendia finiuntur : cum consummaverint tunc incipient; sola mors missionem dat eis : unica sedes emeritorum est cœlum.

Rursum Christiano non sufficit in tribulatione pati et exercere patientiam, sed eam ornare et cumulare debet beneficentia, aliisque virtutibus, ut ex spinis tribulationum, et rosis bonorum operum alternando coronam suam plectat, ac sibi cycladem cœlestem ex argento patientiæ, et auro charitatis contexat, atque Christum imitetur qui crucifixus et moriens vestes suas tradidit tortoribus, latronem paradiso, Joannem matri, animas patrum cœlo, omnes homines Deo. Tota ergo vita Christi fuit continua malorum passio, et bonorum actio. Talis sit et Christiani. Dicebat ille : *Romanum est fortia agere;* at *Christianum est fortia tam agere quam pati.*

Insuper sicut inter spinas vigent et efflorescunt rosæ, à spinis vero seperatæ et collectæ emoriuntur : ita fidelis inter cruces viget et efflorescit bonis operibus, à crucibus vero separatus et liber marcescit, torpescit, emoritur. Ita sanctus Petrus post Christum Christiani agminis ductor, in carcere Mamertino, vicinus morti S. Processum et Martinianum cum aliis quadraginta quinque ad Christum convertit et baptizavit.

Ita S. Stephanus non cessavit concionari et convincere Judæos, donec lapidibus oppilatum est os ejus sacrum et angelicum.

Ita S. Paulus ductus ad martyrium suos milites et tortores convertit : et in carcere non cessavit fidem Christi prædicando voce, et manu scribendo epistolas propagare, donec illi caput abscissum est.

Ita S. Andreas affixus cruci, in eaque biduum vivus pendens, Christi fidem prædicare nunquam intermisit, donec ad eum migravit, cujus mortis similitudinem concupierat, inquiunt presbyteri Achaiæ oculati testes in ejus Actis.

Ita S. Cyprianus jam à præside captus mortique vicinus, totus erat in suorum exhortatione, doctrina, corroboratione, adeoque singulis propria dabat vitæ documenta, idque usque ad ultimum spiritum. Videlicet, ait Pontius in ejus Vita, *tanta illi fuit cupido sermonis, ut optaret sic sibi passionis vota contingere, ut, dum de Deo loquitur, in ipso sermonis opere necaretur, et hi erant quotidiani actus destinati ad placentem Deo hostiam;* et S. Aug. serm. de S. Cypriano: *Vicina,* ait, *corporis morte non moriebatur in animo pastoris vigilantia pastoralis, et cura tuendi gregis usque ad extremum vitæ hujus diem mente sobria tenebatur. Nec excutiebat ab animo diligentiam fidelissimi dispensatoris manus jam proxima cruenti carnifici. Ita se Martyrem cogitabat futurum, ut esse non oblivisceretur Episcopum. Amabat quippe eum qui Petro dixerat : Amas me? pasce oves meas. Et pascebat oves ejus, pro quibus sanguinem fundere illum imitans properabat. Custodiri puellas præcepit, sciens se non solum habere simplicem dominum, sed et versipellem adversarium. Itaque adversus leonem aperte frementem in confessione virile pectus armabat; adversus insidiantem lupum in gregem, sexum femineum muniebat. Utinam idem mihi idem Deus largiatur!*

Ita S. Ambrosius commentationi Ps. 43. immortuus est. Audi Paulinum in ejus Vita quam scripsit ad S. Aug. *Ante paucos dies quam lectulo detineretur, cum quadragesimum tertium psalmum dictaret, me et excipiente et vidente, subito in modum scuti brevis, ignis* (index Spiritus sancti) *caput ejus cooperuit, atque paulatim per os ipsius tanquam in domum habitator ingressus est : et facta est facies ejus velut nix, postea vero reversus est ad speciem suam. Quod cum fieret stupore perculsus obrigui, nec potui scribere quæ ab illo dicebantur, nisi postquam visio transivit. Nam scribendi vel dictandi illo die finem fecit, siquidem ipsum psalmum explere non potuit.*

Ita S. Hier. quanquam varie morbis doloribusque tentaretur tamen corporis incommoda piis laboribus et perpetua lectione ac scriptione superabat.

Ita Ven. Beda ne in morbo quidem à docendo et scribendo cessabat, quin vero ultima infirmitate in Evangelio S. Joannis laboravit, et pene animam agens, ut absolveret accito scriba : *Accipe,* ait, *calamum, et scribe festinanter.* Et tandem : *Bene,* inquit, *consummatum est, et cycneum canens, Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* spiritum Deo commendatum emisit et resignavit pro fidei labore Dei visione beandum anno Domini 731.

Cruces ergo et labores fidelium non finiuntur nisi cum vita. Cogitant enim illud Eccles. 9. 10. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos quo tu properas.* Hæc cogitans S. Thomas Aquinas lethali morbo decumbens, Cantica Canticorum explicavit Cisterciensibus Fossæ novæ, itaque cycni instar cycneum canens spiritum Deo reddidit, docendo moriens, et moriendo docens. Similiter novi viros religiosos, qui postularunt à Deo ut non in lecto, sed in labore morerentur, ac impetrarunt; nam concionando mortui sunt; nimirum

fideles cum Nazianzeno vivunt et thesaurizant æternitati, eoque magis quo magis ad eam accedunt, adeoque cum agunt animam, ut benefactis animas suas fideli creatori commendent et resignent. Nulla enim major est commendatio animæ apud Deum, quam quæ fit benefaciendo, et virtutum opera exercendo. Moribundis ergo hoc detur consilium, ut crebro actus efficaces et intensos fidei, spei, pœnitentiæ, charitatis, religionis eliciant, ut eleemosynas copiosas elargiantur, ut legata pia instituant, ut afflictis rudibus, egentibus consulant, ut domesticos, præsertim filios, ad concordiam, et ad Dei timorem et obsequium exhortentur, ut si quem læserunt, veniam postulent, si à quopiam læsi sunt condonent, omnemque injuriam remittant, ut Ecclesiæ ejusque ministris alimoniæ partem assignent, ac anniversarias vel menstruas et hebdomadarias pro se preces, sacra et psalmodiam sanciant, etc.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

A FIDELIBUS TRANSIT AD PASTORES ECCLESIÆ, EISQUE COMMENDAT UT GREGEM CHRISTI PASCANT NON TURPIS LUCRI GRATIA, NEQUE UT DOMINANTES IN CLERIS, SED FORMA FACTI GREGIS EX ANIMO. SECUNDO, V. 5. ADOLESCENTIBUS COMMENDAT SUBJECTIONEM, OMNIBUS HUMILITATEM, UTQUE SOLLICITUDINEM OMNEM RESIGNENT IN DEI PROVIDENTIAM. ITEM SOBRIETATEM ET VIGILANTIAM, UT RESISTANT DIABOLO, QUI CIRCUIT QUASI LEO RUGIENS QUÆRENS QUEM DEVORET. TERTIO, V. 10. ANIMANDO EOS QUOD DEUS MODICUM PASSOS IPSE PERFICIET, SALUTATIONE ET GRATIÆ APPRECATIONE CLAUDIT EPISTOLAM.

1. SENIORES ergo qui in vobis sunt, obsecro, consenior et testis Christi passionum; qui et ejus, quæ in futuro revelanda est, gloriæ communicator: 2. pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie. 3. Neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. 4. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. 5. Similiter adolescentes subditi estote senioribus. Omnes autem invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 6. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis: 7. omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. 8. Sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: 9. cui resistite fortes in fide: scientes eamdem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri. 10. Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit solidabitque. 11. Ipsi gloria, et imperium in sæcula sæculorum. Amen. 12. Per Silvanum fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breviter scripsi, obsecrans et contestans, hanc esse veram gratiam Dei in qua statis. 13. Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone coelecta, et Marcus filius meus. 14. Salutate invicem in osculo sancto. Gratia vobis omnibus, qui estis in Christo Jesu. Amen.

1. SENIORES ERGO] tum ætate, tum dignitate et sacerdotio, sive id minus sit et vulgare, sive majus, puta episcopatus. Unde S. Hier. ep. 85. vertit *presbyteros*. Compellat enim sacerdotes et Episcopos quasi Ecclesiæ pastores, eisque jubet ut strenue pascant gregem fidelium à Deo sibi commissum, quibus proinde ideam vitæ pastoralis paucis, sed nervose præscribit. Unde apud Syros hæc epistolæ pars legi solet in electione et ordinatione Episcoporum, uti notat hic Syrus. Hinc et mox pro *providentes*, græce est επισκοπουντες; ita S. Hieron. Œcumen. et alii passim.

ERGO.] Syrus *autem*. To *ergo* refer tum ad omnia præcedentia, quæ licet ad omnes fideles spectent, maxime tamen ad pastores, qui ea fidelibus inculcare debent; tum proprie ad v. 11. et præced. *Si quis loquitur quasi sermones Dei, si quis ministrat tanquam ex virtute quam administrat Deus*. Hæc enim maxime spectant ad presbyteros qui pascunt gregem tum prædicando, tum ministrando S. Sacramenta. Item ad illud c. 4. 17. *Quoniam tempus est ut incipiat judicium à domo Dei*. q. d. Quoniam Deus incipit judicium à domo et familia sua, utique illud incipiet ab ejus præpositis, ab eisque exiget rationem tum suæ animæ et officii, tum gregis eis commissi. Illum ergo debite et strenue pascant, ut Deo judici reposcenti rationem reddere possint.

OBSECRO] παρακαλω tria significat, scilicet *hortor, consolor, obsecro*: hic tamen magis significat *obsecro*, modestiæ enim causa Petrus, licet summus Pontifex, non tam jubet quam precatur et obsecrat.

CONSENIOR (συμπρεσβυτερος, id est, ut S. Hier. ep. 85. *compresbyter*; Syrus, *ego presbyter socius*

vester. Rursum modestiæ causa vocat se non Pontificem, sed compresbyterum quem secuti Summi Pontifices in suis Epistolis et Bullis, Episcopos vocant *fratres et coepiscopos;* hi enim ipsis in episcopatu, puta in potestate Ordinis, sunt pares, licet jurisdictione impares. Quare S. Gregorius Romanus Pontifex noluit appellari universalis Episcopus, ne cæteris Episcopis videretur ejus episcopatus derogare aut minuere, quasi ipse solus revera esset Episcopus, cæteri tantum nomine tenus ejusque duntaxat Vicarii, aut Suffraganei. Id fecit ad retundendam insolentiam Joannis Archiepiscopi Constantinopolitani, qui nomen universalis Patriarchæ sibi arrogabat, contra quem S. Greg. lib. 7. ep. 69. ad Euseb. *Si unus*, ait, *universalis est, restat ut vos Episcopi non sitis.* Et lib. 4. ep. 36. ad Eulog. *Si unus Patriarcha universaliter dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* Alioqui de jure hoc nomen Rom. Pontifici convenit. Sic enim Conc. Chal. S. Leonem vocat universalem Archiepiscopum, id est, Episcopum Episcoporum, Episcopum totius Ecclesiæ, cui cæteri Episcopi sint subjecti et subordinati. Quocirca notat OEcum. S. Petrum hic Episcopos docere modestiam. q. d. *Si ego qui talium miraculorum spectator fui, atque eorum vobis præceptor sum, non dedignor compresbyterum et socium vestrum me ipsum vocare, neque vos supra illos efferri, qui vobis subsunt, debetis. Quippe cum etiam Christus hujus magister cum humilitatem doceret, dixerit : Si ego dominus et magister vester lavi vobis pedes, et vos alter alterius pedes lavare debetis.* Joan. 13.

Testis Christi passionum.] Interfuerat enim S. Petrus Christi passioni, imo ejus pars non parva fuerat; unde et in horto cum Jacobo et Joanne Christo sudanti sanguinem affuit, ac Christum defendere volens strinxit gladium, Malchoque insolenti aurem amputavit, denique Christum secutus in atrium, terrore percitus Christum negavit; sed Christo respiciente pœnitens flevit amare.

Secundo, Petrus fuit *testis*, græce martyr, *Christi passionum*, quia ut iis vicem redderet, carceribus, flagellis, morti et martyrio pro Christo ultro se exposuit, ut patet Act. 5. 41. et c. 12. 3. et deinceps.

Tertio, addunt aliqui : *testis passionum Christi*, earum scilicet, quas Christus in suis Christianis patitur, quasque vicissim Christiani pro Christo patiuntur : has enim Petrus, quasi fidelium patientium pater et pastor, compatiendo adeo sentiebat, ac si ipsimet inflictæ fuissent.

Meminit passionum Christi, tum quia eas in intimis animæ medullis gerebat, iisque excitabatur ad ardentem Christi amorem, ad labores et dolores quoslibet pro eo tolerandos; tum ut iisdem excitaret pastores Ecclesiæ ad eorum imitationem, ut Christi amore dura quælibet paterentur et agerent, ad oves ejus pascendas, pro eisque sanguinem spiritus et vitam exhaurirent, uti exhausit Christus. Simili modo S. Joannes inchoans Apocalypsin, ut fideles animet ad instantium persecutionum tolerantiam et constantiam : *Ego Joannes*, inquit c. 1. 9. *frater vester et particeps in tribulatione, et regno, et patientia in Christo Jesu; fui in insula, quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei et testimonium Jesu.*

Hac de causa Episcopi gestant crucem in pectore, eamque adamantinam gestat Pontifex, ut meminerit jugiter crucis et passionum Christi; ac pro Christo cruces quaslibet fortiter adeat et subeat, adeoque in morte et martyrio consistat immobilis in fide et amore ejusdem quasi adamas.

Qui et ejus quæ in futuro revelanda est, gloriæ communicator.] Græce κοινωνος, id est, ut S. Hier. epist. 85. *particeps;* Syrus, *consors et participator*, scilicet fui, tum in monte Thabor, ubi Christum in gloria transfiguratum cum Joanne et Jacobo conspexi. Ita Lyran. et Cajet. tum in Christi resurrectione, ascensione et missione Spiritus sancti : hæc enim oculis meis intuitus sum, indeque miram hausi spiritus dulcedinem æque ac gratiam. Ita Glossa, Hugo, Dionys. et alii.

Secundo, ejusdem gloriæ communicator et particeps ero mox post hanc vitam meumque martyrium : hoc enim firma spe, et, ut Cajet. censet, certa revelatione sciebat et exspectabat S. Petrus. Dixerat enim ei Christus : *Sequere me*, scilicet ad crucem et martyrium; unde addit S. Joann. c. 22. 19. *Significans qua morte clarificaturus esset Deum.* Habuit ergo, ait Cajet. S. Petrus revelationem, non tantum suæ prædestinationis, sed et laureæ martyrii, quin et temporis ejusdem, juxta illud quod ait epist. 2. c. 1. 14. *Certus sum quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod Dominus revelavit mihi.* Simili modo S. Pius, S. Polycarpus, S. Cyprianus, aliique Pontifices habuere revelationem suæ mortis et martyrii.

Tertio, Lyran. et Carthus. *communicator* exponunt active. q. d. Ego prædicando fidem et spem gloriæ in cœlo revelandæ fidelibus trado et communico. Verum κοινωνος, à Græcis vocatur *communicator* passivus, non activus.

Gloriæ cœlestis meminit Petrus, tum quia mente versabatur in cœlis, et ad gloriam cœlestem anhelabat; tum ut Pastorum et fidelium animos ad cœlestia raperet, eorumque spe animaret ad omnes labores et agones pro Christo fortiter subeundos; *ut cum apparuerit Princeps pastorum percipiant immarcescibilem gloriæ coronam.* v. 4. Idcirco ait eam in futuro revelandam. q. d. In præsenti vita laborandum est, usque ad extremum halitum; ita in futuro nobis revelabitur et dabitur gloria et corona cœlestis : præsens enim vita est laboris et meriti, futura erit quietis et mercedis, juxta illud Christi : *Merces vestra copiosa est in cœlis.* Matth. 5. et : *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Joann. 16. et illud Pauli : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* 2. Timoth. 4.

2. Pascite qui in vobis est gregem Dei.] Audierat Petrus à Christo : *Petre, amas me?* ac respondens : *Domine, tu scis quia amo te*, exceperat *Pasce oves meas;* idque tertio à Christo repetitum. Idem jam aliis inculcat, et resignat. q. d. Ego à Christo institutus summus Ecclesiæ pastor, ejus gregem pavi et pasco cum omni cura, amore et sollicitudine : vos ergo mediati pastores mihi subordinati et subditi idem præstate. Hæc enim est lex et voluntas Christi, quam mihi indicavit, ut eamdem vobis insinuem. Porro Christus alludit ad Davidem suum abavum : David enim fuit pastor ovium, et inde à Deo factus est rex, id est, pastor populorum, juxta illud Ps. 77. 70. *Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium : de post fetantes accepit eum, Pas-*

cere Jacob servum suum : et Israel hæreditatem suam. Et pavit eos in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum deduxit eos. David enim fuit typus, æque ac pater Christi, qui est rex et Pastor Pastorum Ecclesiæ, et totius orbis, juxta illud Matth. 2. 6. *Ex te exiet dux qui regat*, græce ποιμανεῖ, id est *pascet*, instar Davidis pariter Bethlehemitæ, *populum meum Israel.* Sic Moses à pascendis gregibus, à Deo vocatus est ad pascendum et regendum Hebræos : pascendo enim oves Jethro, quasi in gymnasio et præludio didicit quomodo pascere deberet homines et gregem Domini, uti dixi Exodi 3. *Pascite* ergo idem est quod *regite*, ut legit S. Hier. epist. 85. rex enim et Prælatus ea prudentia, charitate, cura, diligentia, patientia debet regere populum, qua Pastor regit oves ut eas pascat et impinguet. Sic enim Deus regit homines quasi oves suas, juxta illud Psal. 22. 1. *Dominus regit me;* Hebr. et Septuag. *Dominus pascit me;* S. Hier. *Dominus Pastor meus.* Unde subdit : *Et nihil deerit*, quia *in loco pascuæ ibi me collocavit;* Heb. *In loco virenti;* Aquila et Symmach. εν ωραιοτητι ποας, id est, *in venustate herbæ*, puta in Ecclesia Christi, quæ optima habet pascua S. Script. et verbi Dei, ac gratiæ et gloriæ futuræ.

Nota. Primo, S. Petrus quasi Pastor totius Ecclesiæ pascit hic Pastores, id est Episcopos instruit et dirigit ad bene obeundum suum munus Pastorale. Nam, ut ait S. Leo serm. 3. de suo anniversario : *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis, cunctisque Patribus præponatur; ut, quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus.* Unde quod Christus dixit Petro : *Pasce oves meas*, idem per Petrum sibi dictum censuit S. Gregorius Nazianz. Episcopus Constant. Apolog. pro fuga sua. Idemque Basilio Episcopo dictum asserit S. Chrys. l. 2. de Sacerd. Porro, ut ait Nazianzen. Apol. 1. *ars artium est, et scientia scientiarum regere hominem, animal omnium maxime varium et multiplex.* Et ex eo S. Gregor. initio Pastor. *Ars artium*, ait, *et scientia scientiarum est regimen animarum.* Hoc autem recte obimus, si, ut ait idem l. 2. Epist. 39. *vivendo et loquendo proximorum animas lucramur; si infirmos in superno amore roboramus; si protervos et tumidos gehennæ supplicia terribiliter insonando flectimus; si nulli contra veritatem parcimus; si supernis amicitiis dediti, humanas inimicitias non timemus.* Memorabilis est sententia S. Petri, qua ut scribit Onuphrius de Vitis Pontificum in S. Petro, pontificatum in S. Clementem resignavit : *Anno*, ait, *Christi* 68. *sanctus Pontifex Petrus paulo ante obitum suum, cum martyrii tempus appropinquare, Domino revelante, cognovisset; beatum Clementem S. R. E. veterem Presbyterum Episcopum Romanum designatum, in successorem suum per manuum impositionem consecravit, eique cathedram Episcopalem et Romanam Ecclesiam post se ab eo regendam commendans : Ego, ait, eamdem tibi potestatem ligandi atque solvendi trado, quam mihi Dominus meus Jesus Christus reliquit, in qua spretis ac contemptis rebus omnibus, tum corporis, tum fortunæ, oratione et prædicatione saluti hominum, ut bonum Pastorem decet, consule.* S. Basilius in Mor. regula 80. c. 15. quærit quales debeant esse prædicatores Evangelii, ac respondet, primo, tanquam Pastores; secundo, tanquam medicos; tertio, tanquam parentes et nutrices; quarto, tanquam Dei adjutores; quinto, tanquam plantatores palmitum Dei; sexto, tanquam ædificatores templi Dei : quæ omnia probat ex verbis Christi et Pauli. *Tanquam Pastores*, ait, *ovium Christi, qui, quandocumque tempus postulet, ne animam quidem ponere pro illis dubitent, ut Evangelium illis impertiant. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

Tanquam medicos : qui magna adhibita animi lenitate scienter secundum doctrinam Domini, animarum morbos curent in acquisitionem ejus, quæ est in Christo sanitatis et perseverantiæ. Non est opus valentibus medico, sed male habentibus. Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum portare.

Tanquam parentes, et nutrices filiorum, qui ex magnitudine ejus quæ est in Christo charitatis, parati sint libenti animo communicare illis non solum Evangelium Dei, sed suam etiam ipsorum vitam. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui. Tanquam si nutrix foveat filios suos, ita desiderantes vos cupide, volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras, quia charissimi nobis facti estis.

Tanquam Dei adjutores, qui solis Deo dignis operibus totos se mancipent pro Ecclesia Dei. Dei enim sumus cooperarii : Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.

Tanquam plantatores palmitum Dei, qui in vite quæ est Christus, nihil alienum aut infructuosum relinquant : et ea quæ convenientia sunt atque fœcunda, meliora efficere studeant omni diligentia adhibita. Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum; et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructus plus afferat. Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit.

Tanquam ædificatores templi Dei, qui uniuscujusque animam ita continent, ut fundamento Apostolorum et Prophetarum apte congruat. Secundum gratiam Dei quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat. Unusquisque autem videat quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Ergo jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Jesu Christo, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto.

Nota. Secundo, S. Bernardus serm. 2. de Resurrectione Christi, ter à Christo repeti dicique sancto Petro : *Pasce oves meas*, ut significet eas pascendas esse tripliciter, scilicet mente, lingua, manu. *Pasce*, ait, *mente, pasce ore, pasce opere : pasce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione.* Idem epist. 201. *Pasce*, ait, *verbo, pasce exemplo, pasce sanctarum fructu orationum.* Idem Ep. 42. ad Henricum Episcopum Senonens. *Nec præceps*, inquit, *eris in sententia, nec vehemens in vindicta : non in corrigendis remissior, non severior in parcendis : non pusillanimus in exspectandis : non superfluus in victu, nec notabilis in vestitu : non citus ad promittendum, non ad red-*

dendum tardus, nec prodigus dator. Idem serm. 66. in Cantic. *Pudeat*, inquit, *successores Apostolorum lucem non esse mundi, sed modii, mundi autem tenebras. Dicamus eis: Vos estis tenebræ mundi.*

Nota. Tertio, Christus dixit Petro, et per eum aliis Episcopis et Pastoribus : *Pasce oves et agnos meos*, non tuos ; ut magis suos fideles eis commendaret. Vox enim *oves* significat Christum earum esse Pastorem : vox vero *agnos* significat Christum earum esse patrem, imo matrem, utpote quas baptismo regeneravit, et in filios sibi adoptavit. Quocirca vere et apte S. Bern. in Sententiis sub initium : *Quantum*, ait, *distat inter Pastorem et gregem, tantum debet distare inter Episcopum et plebem. Stat ille sublimis et rectus, curvat iste caput solo depressus.* Unde Poeta :

> Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
> Os homini sublime dedit, cœlumque tueri.

Ille regit, iste regitur : iste pascit, iste pascitur ; ut ex ipsa forma et habitu uterque discernatur : habet ille in manu virgam, qua feriat, vel potius ducat et reducat ovem. Quid est autem habere in manu virgam, nisi in opere disciplinam, ut subjectos suos exemplo magis instruat quam verbo? Erubescunt enim superbi esse discipuli, si eos in humilitate præcesserint magistri. Unde et de Domino scriptum est : Cœpit Jesus facere et docere. Habet etiam baculum, quo feriat lupum ; virga, ovem ; baculo, lupum ; hoc est, mites et obedientes debet lenius corripere, duros vero corde et improbos acrius arguere. Tenet canem in fune, zelum scilicet in discretione ; habet etiam panem in pera, hoc est, Dei verbum in memoria. Et post plura planius : *Pastorum*, ait, *est vigilare super gregem, propter tria necessaria, videlicet ad disciplinam, ad custodiam, ad preces. Ad disciplinam, propter morum correctionem, ne grex commissus propria molestia deficiat. Ad custodiam, propter diabolicam suggestionem, ne hostili seducatur calliditate. Ad preces, propter tentationum instantiam, ne vincatur à pusillanimitate. In disciplina rigor justitiæ, in custodia spiritus consilii, in prece affectus compassionis.* Vide eumdem S. Bernard. libris quinque de Consid. ad Eugenium Pontificem, qui vere aurei sunt, et exacte Pontificem quomodo fideles regere debeat, in omnibus instruunt. Vide et dicta Ezech. 3. *h.* denique S. Greg. in Pastorali.

Qui in vobis est.] Græce εν υμιν, quod Fevarden. vertit. q. d. *Quod in vobis est*, hoc est, quantum potestis, quantum valetis. Verum melius transtulit Noster, *qui in vobis est*, id est, qui vobis subditus et commissus est. Unde Syrus vertit, *qui traditus est vobis.* Sicut enim juridice regnum est in rege ; sic Ecclesia, id est populus fidelis, est in suo Pastore et Episcopo, quasi suo rectore, capite et gubernatore. Rursum το *qui in vobis est*, significat distributas esse Diœceses et Parœcias, ac cuique datum suum Pastorem et Episcopum, qui unam duntaxat sibi commissam regere debeat, nec possit invadere alienam ; cum S. Petrus ejusque successor Pontifex Romanus, sit Episcopus et Pastor omnium omnino fidelium per totum orbem dispersorum. Unde S. Cypr. lib. de Unitate Ecclesiæ ait *unum Episcopatum esse, cujus à singulis in solidum pars teneatur.* Excipio Apostolos : illi enim à Christo potestatem acceperunt in totum orbem ; ideoque totius orbis fuere Episcopi et Pastores, sed ita ut subjecti essent S. Petro. Hoc voluisse videtur S. Clemens Epist. 1. ubi S. Jacobum vocat Episcopum Episcoporum, et regentem omnes Ecclesias. Quare inepte Calvin. l. 4. Instit. c. 7. ex eo quod S. Petrus alios hortetur ut pascant gregem suum, colligit ad Petrum non pertinuisse eum pascere : pari enim modo colligeret : Rex jubet suo proregi, v. g. Siciliæ, ut Siculos quos ei regendos commisit, juste regat : ergo Siculi à rege non reguntur, nec ad eum pertinent quasi subditi ; cum potius contrarium colligendum sit, hoc modo : Rex regit Siculos per proregem : ergo Siculi regi sunt subditi.

Gregem Dei] non suum. Hinc S. Bernardus Epist. 237. hisce Petri verbis monet Eugenium Pontificem, ut Petri hæres Petrum audiat, nec vocet Ecclesiam Sarai, id est, *domina mea*, sed *Sara*, id est, *domina* absolute, quia domina et uxor est Christi, qui verus est Ecclesiæ Patriarcha et Abraham. Quocirca S. Aug. tract. 230. in Joann. *Qui*, ait, *hoc animo pascunt oves Christi, ut suas esse velint, non Christi, se convincuntur amare, non Christum ; vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate ; non obediendi, et subveniendi, et Deo placendi charitate.*

Providentes,] επισκοπουντες, id est, *superspeculantes*, superintendentes, supervigilantes ; Syrus, Pagninus et Tigurina, *curam illius agentes.* Inde nomen et officium Episcopi, id est, *superinspectoris*, uti interpretatur S. Ambros. l. 1. de Dignit. sacerd. c. 6. et *superintendentis*, uti vertit S. Hier. Epist. 85. ad Evagrium. Episcopi enim est superintendere gregi, teste sancto Augustino 19. Civit. 19. Hinc in Ecclesia altiori solio consident, ut omnes circumlustrare, regere et corrigere possit, ac vicissim ab omnibus videri et audiri.

Explicat το *pascite*, ejusque varia dat munia et modos. Primus est, ut accurate gregem suum inspiciant et lustrent, eique quoad omnia provideant : quocirca apud eum residere, eumque crebro obire et visitare debent. Hinc residentia Episcopis et Pastoribus præcepta est jure humano et divino, uti graviter docet et sancit Concilium Trident. sess. 23. c. 1. de Reform. Absente enim aut dormiente Pastore dormiunt oves, eo evigilante et sibilante evigilant. Hinc Ægyptii Deum rectorem universi pingebant quasi oculum baculo insistentem, oculo providentiam, baculo potentiam et regimen repræsentantes. Ita vigilabat et gregi intendebat Jacob (quem ut schema Pastoribus et Episcopis proponit sancta Scriptura, ait S. Gregorius) Gen. 31. 39. *Nec captum à bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam : quidquid furto peribat à me exigebas : die noctuque æstu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* Sic et Pastoribus gregi in vigilantibus angelus apparuit, nuntians Christi Pastoris Pastorum nativitatem, de quo S. Ambrosius l. 2. in Lucæ c. 2. *Bene*, ait, *pastores vigilant, quos bonus pastor informat.* Ita nuper noster P. Canisius, uti refert noster Sacchinus l. 3. Vitæ ejus, ad Ottonem Cardin. et Episcopum Augustanum, Romæ ob negotia agentem scripsit, ursitque ut illico ad suas oves rediret. *Mallem te*, ait, *absque hoc Episcopatu vivere, quam solo Episcopatus titulo gaudere, et oves tam negligenter pascere quarum lana victitas. Alii spectent emolumenta et honores : ego futurum cito judicium, et reddendam acceptæ villicationis rationem, et paratas pœnas malo dispensatori considero ac valde timeo.*

Non coacte, sed spontanee.] Primo, passive quoad ipsos Pastores. q. d. Vos, ô Pastores, Pastoris officium subite, et obite, non coacti penuria rerum temporalium, ut ex redditibus pastoratus vivatis; sed spontanee, ultro scilicet ut animas juvetis et dirigatis ad Deum, ab eo sperantes æternam in cœlis mercedem. Ita Beda. Rursum et potius. q. d. Non invite et ægre, sed spontanee, liberaliter, alacriter et strenue pascite, instar Pauli dicentis: *Si volens hoc ago, mercedem habeo: si autem invitus, dispensatio mihi concredita est.* Hinc S. Greg. 1. part. Past. c. 7. et Naz. in Apolog. Isaiam offerentem se Deo: *Ecce ego, mitte me*, præferunt Moysi detractanti missionem Dei Exodi 4. 10. Additque S. Ambr. in Ps. 118. octon. 14. Idcirco Isaiam, *quasi voluntarium organum, uberiore Spiritus gratia esse impletum.* Id maxime locum habebat in ortu Ecclesiæ, cum Episcopatus erat onus potius quam honos, cumque Episcopi passim raperentur ad oculeos et tormenta. Unde S. Greg. lib. 4. Epist. 35. ait se neminem ad Episcopatum suscipiendum cogere velle. Vide dicta 1. Tim. 3. 1. Hic sensus videtur genuinus, præsertim quia pro *coacte* Græce est ἀναγκαζως, id est, *ex necessitate*, q. d. Pascite non quasi coacti necessitate pascendi, ex officio Pastoris vobis ab Apostolis imposito, sed sponte ex amore Dei et zelo animarum; et hoc significat τὸ *secundum Deum.*

Secundo, tamen potest accipi active quoad oves. q. d. Pascite gregem non tam vi eas cogendo, quam persuasione alliciendo: non tam virga agentes quam invitantes exemplo; ut grex non coacte, sed spontanee vos sequatur et pascatur in pascuis Christi. Ita explicat S. Greg. Nazianz. Apol. 1. qui et causam addit: *Nam quod necessitate*, ait, *extorquetur, præterquam quod tyrannicum est, ne firmum quidem et stabile est. Quidquid enim violenter cogitur, non secus ac planta per vim manibus inflexa et distracta simul ac missa facta est, rursus ad se redire consuevit: quod autem à libera voluntate proficiscitur, æquissimum simul et certissimum esse solet, utpote benevolentiæ vinculis astrictum et confirmatum.* Et S. Ambros. in Ps. 118. octon. 14. *Dominus*, ait, *operationes servulorum suorum spontaneas probat potius quam coactus: ideo ex servis liberos facit, ut magis voluntatum nostrarum munera, quam necessitatum obsequia conferamus.* Probat id multis exemplis Pauli, Jeremiæ, Mosis, Jonæ et Isaiæ, quæ apud eum vide. Induat ergo Pastor viscera charitatis, ut monet Paulus. Charitas enim, ut ait S. Bern. Epist. 2. *bona mater est in Pastore: cum arguit, mitis est: cum blanditur, simplex est, pie solet sævire, sine dolo mulcere, patienter irasci, humiliter indignari.*

Secunda est hæc pascendi et Pastoris lex et conditio, ut scilicet non coacte, sed sponte pascat; utque non vi cogat, sed amore agat ad officium, quod intellige quando oves tales sunt quæ amore aguntur: aliquæ enim sunt ejus indolis, ut timore adigi, non amore agi velint, quales sunt pigri et refractarii, ut hæretici: quibus convenit illud Christi Lucæ 14. 23. *Compelle eos intrare.* q. d. *Foris inveniatur necessitas, nascetur intus voluntas*, ait S. Aug. serm. 33. de Verbis Domini.

Secundum Deum.] Jam hæc desunt in Græco, sed olim fuere: nam citantur à S. Ephrem. t. 2. parænesi 47. S. Hier. epist. 2. et aliis. Est hæc tertia pascendi et Pastoris conditio, ut spontanee secundum Deum pascat gregem, ut scilicet alacriter munus pastorale obeat, secundum voluntatem Dei, qui illud ei imposuit; ideoque pascendo non spectet homines, sed Deum, illi uni placere et satisfacere intendens, illius unius gloriam spectans, ad illum oves omnes dirigere, et ex illius mente, voluntate et præcepto ejus regere satagens, ut scilicet curet eas pariter non coacte, sed spontanee servire Deo. In primitiva enim Ecclesia, cum nullæ essent opes et honores Ecclesiæ, sed tantum labores, pericula et martyrium, multi refugiebant Episcopatus et Pastoratus, eosque sibi ab Apostolis impositos obibant quasi coacti eorum imperio, ideoque ægre et tarde, non spontanee, libenter et expedite. Hos corrigit hic S. Petrus, monetque ut spontanee id obeant, cogitantes hoc onus sibi à Deo esse impositum; Deum ergo eis adfore, ac proinde Dei amore et reverentia sponte et alacriter illud capessant et obeant. Itaque τὸ *secundum Deum*, idem est cum illo *in Domino*, quod crebro usurpat Paulus, ac quadrupliciter exponi potest. Primo q. d. Sciant Pastores se in pascendo Domini grege, Domino servire, se Domini negotium agere, non hominis. Secundo, non pretio, non metu, non cupiditate, non ut hominibus placeant, sed *in Domino*, id est, unius Dei amore et reverentia ejus gregem pascant. Tertio, ut servi in oculis Domini, ita ipsi coram Domino serio gregem ejus pascant, juxta illud: *Oculus domini pascit et saginat equum.* Servi enim videntes oculum domini intentum in equum suum, eum sedulo curant et pascunt. Quarto finem spectent, non suam, sed unius Domini gloriam. Vide canon. 25. quem præfixi Comment. in Epist. S. Pauli. Addunt aliqui τὸ *secundum Deum* significare Pastoris esse dare gregi pascua spiritualia et divina, corporalia vero duntaxat in ordine ad spiritualia, ut pascendo corpus ovium facilius et melius pascam animas earumdem. Ita S. Greg. 2. p. Past. c. 7. ex hoc loco colligit Pastorem in curandis corporalibus debere esse moderatum, non nimium, ne ad externa diffluat, et ne se mucrone ambitionis occidat. Rursum hinc colligé zelum Pastoris debere esse secundum Deum, id est, verum et discretum, non fictum et indiscretum. Vere Poeta:

> Sæpe scelus cœlum zeli velamine texit.
> Cui zelus cœlum est, non facit ille scelus.

Neque turpis lucri gratia.] Est hæc quarta pascendi et Pastorum conditio, ne lucro inhient, quod in eis, utpote personis Deo et cœlo dicatis, est vile, turpe et sordidum. Queritur S. Hieron. Epist. ad Nepotianum, aitque: *Nonnulli sunt ditiores monachi, quam fuerint sæculares; et Clerici qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete ac fallace diabolo non habuerant, ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit ante mendicos.* Loquitur de avaris qui opes sibi suisque corrogabant: alioqui sancti Episcopi, ut S. Paulinus, S. Hilarius, et alii, ait S. Prosper l. 1. de Vita contempl. cap. 9. et 10. qui sua in pauperes erogabant bona, fidelium oblata Ecclesiæ recipiebant, *scientes nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum. Et ideo habentes dicebantur eas contemnere, quia non sibi, sed aliis possidebant; nec suscipiebant eas habendi cupiditate, sed*

subveniendi pietate. Sapienter Simon de Cassia l. 9. c. 18. *Audacter*, ait, *dixerim, neque in miraculis Apostoli sæculo ita mirabiles apparuerunt, sicut in contemptu rerum; neque in efficacia verbi tam homines commoverunt ad novitatem vitæ prædicando, quam bona externa spernendo.*

Præclare S. Bern. Epist. 42. ad Henric. Senon. Archiep. *Exemplo Apostoli*, ait, *honorificabitis ministerium vestrum, ministerium, inquam, non dominium. Ipsum itaque honorificabitis, non vos: nam qui quærit quæ sua sunt, se cupit honorari, non ministerium. Honorificabitis autem non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis ædificiis; sed ornatis moribus, studiis spiritualibus, operibus bonis. Quam multi aliter! Cernitur in nonnullis sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum autem nullus, aut exiguus;* et inferius : *Decetne Pastorem more pecorum sensibus incubare corporeis, hærere infimis, inhiare terrenis : et non potius erectum stare ut hominem, cœlum mente suspicere, quæ sursum sunt et quærere et sapere, non quæ super terram*, etc.? *Dicite, Pontifices, non quidem in sancto, sed fœno quid facit aurum? Numquid aurum à fœno repellit frigus sive esuriem? Nobis frigore et fame laborantibus, quid conferunt tot mutatoria vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? Nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis. Et nos etiam Dei plasmatio, et nos sanguine Christi redempti sumus. Nos ergo fratres vestri. Videte quale sit de fraterna portione pascere oculos vestros. Vita nostra cedit vobis in superfluas copias. Nostris necessitatibus detrahitur, quidquid accedit vanitatibus vestris*, etc. *quasi dixeritis : Hæreditate possideamus sanctuarium Dei;* et inferius : *In omnibus actis suis vel dictis, nil suum quærat Episcopus, sed tantum aut Dei honorem, aut salutem proximorum, aut utrumque. Hoc enim agens implebit non solum officium Pontificis; sed et etymologiam nominis, pontem utique seipsum faciens inter Deum et proximum. Pertingit pons iste usque ad Deum ex fiducia, qua non suam, sed illius gloriam quærit. Pertingit usque ad proximum illa pietate, qua et ipsi non sibi prodesse desiderat. Offert Dei bonus mediator, preces et vota populorum, reportans illis à Deo benedictionem et gratiam.* Idem Epistola 23. ad Attonem Trecensem Episcop. *Melior est*, inquit, *incomparabiliter justitia quam pecunia, quod illa ditet et repleat arcam, hæc animam. Denique sacerdotes Dei induuntur justitia, et multo utique decentius et ditius quam auro vel serico.* Idem epist. 24. ad Gilbertum London. Episcop. *Vera illa et indubitata sapientia est quæ turpia lucra contemnit, et indignum sibi judicat eodem cum idolorum servitute contubernio frui. Non magnum fuit M. Gilbertum Episcopum fieri, sed Episcopum Londoniensem pauperem vivere, id plane magnificum. Nec enim tanto nomini quidquam augere gloriæ potuit sublimitas dignitatis, auxit autem plurimum humilitas pauperatis, pauperiem æquo animo ferre virtus patientiæ est, sponte appetere sapientiæ laus est.* Huc facit dictum Alcamenis, qui rogatus *quo pacto quis optime regnum servare posset*, respondit : *Si lucrum non magni fecerit.* Ita Plutarchus in Lacon.

Sed voluntarie] πυροθμως, id est, ut Pagnin. *prompte;* Tigur. *propenso animo;* Syrus, *ex toto corde,* ut scilicet liber ab avaritia et turpi lucro, non suis, sed ovium commodis totum se impendat. Vox enim *sed* significat το *voluntarie* opponi τῷ *non turpis lucri gratia.* q. d. Pascite non avare, spe lucri : sed liberaliter, liberali animo vos totos impendentes obsequio Dei et saluti animarum. Sapienter Cicero l. 1. Officior. *Omnino*, ait, *qui Reipubl. præfuturi sunt, duo Platonis præcepta teneant, unum ut utilitatem civium sic tueantur, ut quidquid agunt ad eam referant, obliti commodorum suorum. Alterum, ut totum corpus Reip. curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquos deserant.* Vide gnomas Isocratis, ubi multis idipsum confirmat.

3. Neque ut dominantes in cleris.] Græce κατακυριευοντες των κληρων, id est, *dominantes in cleros*, vel *contra cleros*, uti faciunt arrogantes et tyranni, qui impotenter aliis imperare et dominari satagunt. Est hæc quinta Episcopi et Pastoris conditio, ut scilicet non sit imperiosus, nec imperiose vexet Ecclesiam, quæ est clerus, id est, sors et hæreditas Domini. Sic olim Israel dicebatur נחלה *nachala*, id est, *sors et hæreditas Domini :* juxta illud Deuter. 32. vers. 9. *Pars autem Domini populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus.*

Per *cleros* ergo primo accipi potest populus fidelis, qui in varios cleros, id est, sortes, parœcias, Ecclesias et congregationes, est distributus : de illo enim subdit : *sed ut forma facti gregis*, id est, populi fidelis. Ita S. Cyrill. l. 1. in Isaiam orat. 3. *Non dominentur*, ait, *clero, id est populo, qui sors Domini est :* sic et Syrus, Œcum. et alii. Ita Paulus Samosatenus olim culpatus est, quod in Episcopatu sæcularium honorum gradus affectaret, in iisque dominari satageret, adeo ut populum expilaret, ac magno fastu et pompa incedens angelus dici vellet, atque Psalmos de se, non de Christo, cani præciperet, teste Eusebio l. 7. c. 26.

Præclare S. Aug. in Regula : *Ipse*, ait, *qui vobis præest, æstimet se non dominante cupiditate, sed charitate serviente felicem;* et Auctor Imperfecti explicans illud Matth. 20. 25. *Principes gentium dominantur eorum*, etc. *non ita erit inter vos; sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister*, sic ait : *Principes Ecclesiæ fiunt, ut serviant minoribus suis, ut ministrent eis sicut acceperunt à Christo, et suas utilitates negligant, et aliorum procurent, ut, si opus fuerit, neque mori recusent pro salute inferiorum suorum, sicut Apostolus : Ego, ait, impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris.* 2. Cor. 12. 15.

Secundo, per *cleros* accipi possunt Clerici, qui proprie sunt clerus, id est, sors Domini, et in varios particulares cleros, id est sortes, ordines et gradus sunt distributi. Alii enim sunt Lectores, alii Exorcistæ, alii Ostiarii, alii Diaconi, alii Subdiaconi, etc. Rursum alius clerus erat Antiochiæ, alius Tyri, alius Ponti, alius Bithyniæ; quot enim erant Ecclesiæ, tot erant et cleri. *Clericus*, ait S. Hieron. ad Nepotian. *interpretetur nomen suum, et nominis definitione prolata nitatur esse quod dicitur. Si enim κληρος græce, latine sors appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus est sors, id est pars, Clericorum.* Idem Ep. 2. *Illud dico*, ait, *quod Episcopi sacerdotes se esse noverint, non dominos : honorent Clericos quasi Clericos, ut et ipsis à Clericis honor quasi Episcopis deferatur. Scitum est illud oratoris Domitii : Cur ego te, ait, habeam ut principem, cum tu me non habeas ut senatorem?* Et Epist. 3. *Rex nolentibus præest, Episcopus volentibus : ille*

corpora custodit ad mortem, hic animas servat ad vitam. Jubet ergo S. Petrus Episcopis et Pastoribus, ne inferioribus Clericis imperiose dominari velint, itaque inter eos simultates, dissidia et rixæ oriantur, quæ charitatem fraternam lædant, et plebem scandalizent, sed ut eis modeste præsidentes ab eis amentur, colantur et adjuventur. Quocirca S. Basilius reg. 43. inter fusius disputatas : *Morum mansuetudo*, ait, *et humilitas cordis, hæc præcipua Antistitis insignia sunto. Talis enim fuit Christus qui dixit : Discite à me, quia mitis sum, et humilis corde.*

Hic secundus sensus, ut per *cleros* accipiamus Clericos, eorumque varios gradus et ordines, est valde congruus. Primo, quia pronum est ut Episcopi aliqui elatioris animi velint dominari in clerum : hic enim eis magis subditus est quam sint laici, idque significat vox *clerus ;* imo aliqui censent vocem *cleri* Clericis attributam ex electione S. Matthiæ, qui per clerum, id est sortem, fuit electus ad apostolatum, uti dixi Actor. 1. 26. Unde videas quam antiquum sit nomen cleri et Clerici, ejusque distinctio à laico, quod perperam negant hæretici. Secundo, quia in clero proprie sunt cleri, id est, variæ Clericorum sortes et gradus, uti jam dixi. Tertio, quia Episcopi et Pontifices multas leges, canones, ritus et cæremonias præscripserunt Diaconis, Subdiaconis, aliisque Clericis, uti patet ex Jure Canonico. Privatim etiam nonnulli plura ab eis exigunt, nunc hoc, nunc illud mandando, eisque quasi domini imperitant, juxta illud Christi de veteribus Pontificibus : *Alligant onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.* Matth. 23. 4. Quarto, quia multi pro *in cleris* legunt *in clera*, et de Clericis exponunt. Ita VII. Synodus generalis can. 4. ubi ex hisce Petri verbis colligit Episcopum nihil debere exigere à Clericis sibi subjectis, S. Hieronymus epist. 2. S. Ephrem opusc. de Pœnit. injung. S. Bern. Epist. 237. et alii. Quinto, quia S. Petrus alludit ad Levitas, qui in veteri Testamento erant Domini clerus, id est sors et hæreditas, quia primitias, decimas, vota Deo oblata ipsi quasi domestici et ministri Dei recipiebant. Num. 18. 20. Deut. 18. 2. Episcopos ergo modestiæ hic admonet S. Petrus, ut modeste suis Clericis imperent, scilicet magis exemplo quam præcepto, nimirum ut fiant forma gregis, puta tum Clericorum, tum consequenter et laicorum : clerum enim sequi solet populus.

S. Petrum secutus S. Dionys. Epist. 8. *Hoc*, ait, *eximiæ in se dilectionis divinus ac summus Pontifex Christus argumentum capit, si oves ejus modestissima gubernatione pascamus.* Sic Moses Pontifex et princeps Synagogæ, erat mitissimus omnium hominum illius ævi. Num. 12. 3. Sic et de Davide dicitur Ps. 131. 1. *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus.* Sic Probus mittens S. Ambrosium Mediolanum ad sedandum populi tumultum : *Vade*, inquit, *age non ut judex, sed ut Episcopus.* Omen hoc fuit et quasi oraculum. Egit enim ut Episcopus, ideoque voce populi acclamatus et creatus est Episcopus, qui proinde l. 3. epist. 9. hujus de se ominis memor : *Magis*, inquit, *optamus et cupimus contumelias singulorum clementi patientia vincere, quam sacerdotali licentia vindicare;* et S. Leo Epist. 84. cap. 1. *Licet nonnunquam*, ait, *accidant in sacerdotalibus reprehendenda personis, plus tamen in corrigendos agat benevolentia quam severitas, et hortatio quam commotio, charitas quam potestas. Sed ab his qui quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi, facile ab hac lege disceditur : et dum dominari magis, quam consulere subditis quærunt, placet honor, inflat superbia, et quod provisum est ad concordiam tendit ad noxam.* Hinc Episcopi et Pastores vocantur Patres, ut sciant se ut patres filiis præesse, non ut reges vel tyrannos servis imperare. Hinc Papa est Pater Patrum, imo Servus servorum Dei. Unde S. Isidorus : *Agnoscat*, ait, *Episcopus se servum esse, non dominum ; talem subditis se præstet, ut non solum auctoritate, verum et humilitate claresca t.*

Sapienter S. Bern. lib. 4. de Consid. ad Eugenium, docet eum et Prælatos quo pacto gravitatem cum lenitate miscere debeant, ne vel ob illam, si nimia sit, sint fastidio et odio, vel ob hanc contemptui. *Esto*, ait, *gravis, sed non austerus, non dissolutus, neque servus; sed inter ea mediocritatem tene, ut neque de severitate sis oneri, neque de familiaritate contemptui. Austeritas fugat infirmiores, gravitas reprimit leviores ; in Palatio Papam, domi te patremfamilias exhibe ; ament te domestici. Si non, fac ut te timeant. Utilis est semper custodia oris, quæ tamen familiaritatis gratiam non excludat : ille convenientior habitus si actu severus, vultu serenus, verbo serius.* Imo S. August. S. Paulum Galat. 3. 19. (ubi ait : *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis*) secutus, se subditorum matrem facit : *Me*, ait, *putate matrem animarum vestrarum esse, et ita vos velle componere, ut in vobis nec macula, nec ruga possit ante tribunal æterni judicis apparere. Animabus enim vestris non solum ornamenta, sed etiam medicamenta desiderans providere, studeo dissuta consuere, conscissa sarcire, vulnerata curare, abluere sordida, reparare perdita, et ea quæ sunt integra spiritualibus margaritis ornare.*

Idem lumine naturæ viderunt Gentiles, uti insinuat Christus, dicens : *Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur.* Luc. 22. 25. *Benefici*, græce *evergetæ*, uti vocatus est Ptolemæus Evergetes, ob beneficia in subditos collata : ex adverso, tyrannus est qui suo bono et honori, non subditorum in regendo consulit. Veri ergo principes magis ministri sunt reipubl. quam domini. Ita Antigonus Macedonum Rex conspiciens filium insolentius subditos regentem : *An ignoras*, ait, *ô fili, regnum nostrum esse splendidam servitutem?* ita Ælianus lib. 2. Vari Historiæ. Primus Lacedæmonum Rex dictus est *Agis* (et ab eo multi deinceps dicti sunt *Agis*) id est ductor, ab ἄγω, id est *duco;* quia clementer imperabat, ducens potius quam dominans, uti aries præit ducitque gregem. Unde Plistarchus Leonidæ filius rogatus cur Lacedæmonum reges non à pricis regibus cognomen sortirentur? *Quia*, ait, *illi ducere quam regnare maluerunt, posteriores illis nequaquam.* Allusit ad nomen *Agis*, id est ductor ; *Plistarchus* autem idem est quod pluribus imperans. Ita Plut. in Lacon.

Pastor ergo sit actor, sit Agis, non Plistarchus, non imperiosus, ducendo et agendo suos suaviter regat, ac verborum suavitate magis quam verberum asperitate agat ad bonum.

Cicero Philipp. 1. damnat illud Rectorum insolentium de subditis : *Oderint, dum metuant*, quia, inquit, *præstat diligi quam metui.*

Agesilaus Rex Spartæ rogatus *quas res regem habere oporteat*, dixit : *Adversus hostes audaciam, erga subditos benevolentiam, in opportunitate vero rationem et consilium.* Ita Stobæus serm. 52.

Cyrus Rex Persarum bellicosissimus dicebat neminem debere suscipere principatum, nisi esset melior his in quos susciperet imperium. Ita Plutarch. in Apophth. regum.

Antonius Pius Imp. cum initio Imperii quosdam reos absolvens reprehenderetur, respondit : *Principatum non à suppliciis, sed à mansuetudine auspicandum esse.* Ita Xiphilinus in ejus vita.

M. Antonius Verus censuit Imperatorem non tueri agmina satellitum, sed beneficentiam et benevolentiam civium. Ita Herodian. lib. 1.

Pastor itaque cogitet se non esse dominum subditorum, sed pædagogum, ut eos quasi magni regis filios instruat bonis moribus, dirigatque et deducat in vitam æternam, ut quidam Sanctorum dixit, ac proinde ita agat cum eis, ut ipsi ei se fidere, conscientias, tentationes et necessitates aperire, ad eum in omnibus quasi ad patrem, imo matrem recurrere audeant et gaudeant.

SED FORMA FACTI GREGIS EX ANIMO.] Est hæc sexta Pastoris lex, dos et conditio, ut scilicet sit forma, id est, exemplar vitæ gregi suo ; formam hanc opponit dominationi. q. d. Non dominentur imperio, sed exemplo, ut formam vitæ sanctæ sancte vivendo fidelibus præscribant. S. Petro succinit S. Paulus hanc Timotheo Ephesi Episcopo dictans regulam Epist. 1. cap. 4. 12. *Exemplum*, ait, *esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide et castitate*; et Tito Cretæ Episcopo c. 2. 7. *In omnibus præbe teipsum exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate :* ubi in Græco pro *exemplum* eadem est vox τυπος, quam interpres hoc loco vertit *forma*, quia, ut explicat S. Hieron. ad Titum 2. optat Paulus, *ut Timotheus, aut quicumque Prælatus, sit instar archetypi, sive primariæ formæ, ex qua viva virtutum simulacra lineamentis vitæ honestæ in se translatis exprimuntur ;* et S. Chrys. ibid. *Sit omnibus*, ait, *doctrina exemplarque tuæ virtutis, speculum vitæ, quod omnibus ad imitandum proponitur, veluti primaria quædam imago, omnia in se habens quæ bona et honesta sunt ;* et Primasius ibidem : *Ne exemplo*, inquit, *destruas verbum.* Formam ergo, id est, exemplar recte vivendi, da, ô Prælate, tuis subditis. Non satis sit tibi quod facie et loco præcas populo, sed stude pariter præire virtute et pietatis operibus, ut sic populus sponte te etiam non cogitantem æmuletur. *Vita jubeat, lingua persuadeat*, ait S. Athanas. ad Monach. Sic in curru Cherubico Ezech. 1. 19. qui typus est Ecclesiæ, motum Cherubinorum sequuntur rotæ, hoc est, motum actumque Prælatorum (hi enim mystice sunt Cherubini Dei) sequuntur fideles. Sicut enim pueri dum discunt scribere et pingere, exemplar sibi à magistro effigiatum inspiciunt, et exprimere conantur : sic Prælati mores, ait Isidor. Pelus. l. 3. epist. 359. inspicit et imitatur populus : hic enim coram Prælatis est, agitque et agitur instar pueri. Ita Paulus se præbuit fidelibus formam et normam vivendi. *Imitatores*, ait, *mei estote, fratres, et observate eos qui ita ambulant sicut habetis formam nostram*, græce τυπον, id est, *typum* et exemplar nostrum. Philip. 3. 17. et Thessalonicenses Epist. 1. cap. 16. laudat à virtute : *Ita ut facti sitis*, ait, *forma omnibus credentibus in Macedonia.*

Præclare S. Hieron. ad Nepotianum Epist. 2. *Non confundat*, ait, *opera tua sermonem tuum, ne cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat : Cur ergo hæc quæ dicis ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat. Accusare avaritiam et latro potest. Sacerdotis Christi os, mens manusque concordent.* Et in eamdem sententiam S. Greg. in cap. 28. Job sub finem : *Lex*, ait, *est prædicatoribus posita, ut impleant quod loquendo suadere festinant. Nam loquendi auctoritas perditur, quando vox opere non adjuvatur ; illa vox cor audientis penetrat, quæ hoc quod sonuerit opere confirmat.* Eodem spectant quæ Theodorici regis nomine scribit Cassiod. lib. 5. Var. Ep. 22. *Est enim quoddam speculum morum agentis oratio, nec majus potest esse mentis testimonium, quam qualitas inspecta verborum.* Et Epist. 21. *Age, ne tua tibi objiciatur oratio, quia pondus est pudoris gravissimi propria voce convinci.* Rursum lib. 11. Epist. 8. *Non enim potest auctoritatem habere sermo, qui non juvatur exemplo, dum iniquum sit bona præcipere, et talia non fecisse.* Monet itaque David Psal. 131. 9. sacerdotes quos Ecclesiæ magistros esse oportet, *ut induant justitiam.* Quo loco sic scribit S. Gregorius : *Vestimenta sacerdotis quid aliud quam recta opera debemus accipere, Propheta attestante qui ait : Sacerdotes tui induant justitiam.* Tum alludens ad pontificis Aaronici vestem, ex qua suspensa aurea tintinnabula pendebant, subdit : *Vestimentis itaque illius tintinnabula inhærent, ut vitæ viam cum linguæ sonitu, ipsa quoque bona opera clament sacerdotis.*

Meminerint ergo Principes et Prælati se in alto versari culmine, ubi ab omnibus videantur, omnium in se conjectos esse oculos, omnia ipsorum facta dictaque à multis subditorum oculis conspici, et notari, non enim potest abscondi civitas supra montem posita, ut ait Christus. Vere Seneca l. de Clementia c. 8. alloquens principem : *Tibi*, ait, *non magis quam soli latere contingit ; multa contra te lux est : omnium in istam conversi oculi sunt.* Et apud Cassiodorum lib. 3. ad Argol. Theodoricus : *Non patitur claritas illa* (loquitur de præfecto urbis) *committere, quod possit mobilis turba nescire, locatus in medio ad se cunctorum trahit aspectum, et totius vitæ judicium promulgat fama populorum.* Et lib. 11. Epist. 6. *Latere non potest, quod intra cancellos egeris : tenes quippe lucidas fores, claustra patientia : et quamvis studiose claudas, necesse est ut te cunctis aperias : nam si foris steteris, meis emendaris obtutibus ; si intus ingrediaris, observantium non potes declinare conspectus. Vide quo te antiquitas voluerit collocari, undique conspiceris, qui in illa claritate versaris*

Nec prætereunda sunt quæ scribit Plutarch. in Politic. *Vitam*, ait, *sibi quisque et mores excolere debet quo prorsus omni nota vituperationeque careat, quando præsertim eorum qui Reipublicæ præsunt, non modo singula verba, et res tantum publicitus gestæ animadverti notarique solent, sed virtus quoque, joci simul et seria, quæque domus, ipsa familia, uxor, cubile curiosius inquiruntur.* Et eleganter Claudianus :

> Hoc te præterea crebro sermone monebo,
> Ut te totius medio telluris in orbe

Vivere cognoscas, cunctis tua gentibus esse
Facta palam, nec posse dari regalibus unquam
Secretum vitiis; nam lux altissima fati
Occultum nihil esse sinit, latebrasque per omnes
Intrat, etc.

Quocirca *nihil turpius est quam excellentem esse culmine, et despicabilem vilitate*, ait Salvianus lib. 2. ad Eccl. Princeps enim est regula animata, et viva lex populi. Breviter, sed acute et nervose S. Bern. l. 2. de Consid. ad Eugen. c. 6. *Monstrosa res*, inquit, *gradus summus, et animus infimus: sedes prima, et vita ima: lingua magniloqua, et manus otiosa: sermo multus, et fructus nullus: vultus gravis, et actus levis: ingens auctoritas, et nutans stabilitas.* Quocirca S. Ambros. Ep. 6. ad Irenæum. *Sit nostra*, inquit, *via angustior, virtus exuberantior, trames pressior, fides sublimior, callis arctior, vigor mentis exundans, semitæ rectæ, sit egressus ad superiora.* S. Chrysost. lib. 2. de Sacerd. *Prodeant*, inquit, (ad functionem pastoralem, ad Episcopatum) *qui longe omnibus præstant, quique virtute animi tantum reliquos excellunt, quantum corporis magnitudine Saul Hebræorum gentem excelluit: seu potius multo etiam magis.* Auctor imperfecti hom. 43. *Audiant*, inquit, *te homines parva mandantem, et grandia videant facientem.* S. Gregorius 1. p. Pastor. c. 3. *Sit Pastor*, ait, *operatione præcipuus, ut vitæ viam subditis vivendo denuntiet: et grex qui Pastoris vocem moresque sequitur, per exempla melius quam per verba gradiatur. Illa vox libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat: et optima ovium pascua sunt exempla Pastoris.* Talis fuit S. Malachias Archiepisc. Hiberniæ, qui S. Bernardo teste, dicere solebat suis: *Non recuso mori, ut vos vitæ meæ teneatis exemplum. Erat enim ipse*, inquit S. Bernardus, *regula Fratrum: legebant in vita ejus, quomodo conversarentur. Sibi pauper, sed dives erat pauperibus: pater erat orphanorum, maritus viduarum, pius ad compatiendum, ad corrigendum liber.*

Idem Bernard. lib. 4. de Consid. cap. 1. et 2. Eugenium Pontificem monet, ut præ cæteris reformet aulam suam et Ecclesiam Romanam, eamque toti Ecclesiæ in formam et exemplum statuat. *Circa te sunt*, ait, *clerus et populus tuus, cui specialiter episcoparis, ac per hoc specialis curæ teneris debitor. Hi quoque qui tibi quotidie assistunt seniores populi, orbis judices*, etc. *Et primo quidem clerum illum ordinatissimum esse decet, ex quo præcipue in omnem Ecclesiam cleri forma processit. Deinde omne quod perperam agitur te præsente, tibi turpius. Interest gloriæ sanctitatis tuæ, ut quos præ oculis habes, ita ordinati, ita sint informati, quatenus totius honestatis et ordinis ipsi speculum, ipsi sint forma. Inveniantur præ cæteris oportet expediti ad officia, idonei ad Sacramenta, ad plebes erudiendas solliciti; circumspecti ad sese custodiendos in omni castitate;* et cap. 4. *Sint compositi ad mores, probati ad sanctimoniam, parati ad obedientiam, mansueti ad patientiam, subjecti ad disciplinam, rigidi ad censuram, Catholici ad fidem, fideles ad dispensationem, concordes ad pacem, conformes ad unitatem. Qui sint in judicio recti, in consilio providi, in jubendo discreti, in disponendo industrii, in agendo strenui, in loquendo modesti, in adversitate securi, in prosperitate devoti, in ze o sobrii, in misericordia non remissi, in otio non otiosi, in hospitio non dissoluti, in convivio non effusi, in cura rei familiaris non anxii, alienæ non cupidi, suæ non prodigi, ubique et in omnibus circumspecti*, etc., *qui missi post aurum non eant, sed Christum sequantur; qui regibus Joannem exhibeant, Ægyptiis Mosen, fornicantibus Phinees, Eliam idololatris, Elisæum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus, negotiantibus Christum*, etc. *Qui non de dote viduæ et patrimonio crucifixi, se vel suos ditare festinent, gratis dantes quod gratis acceperunt.*

Ex ANIMO] q. d. Non ex composito, non ad externam speciem, non effectate, non ficte et hypocritice, sed vere, realiter, sincere, ex animo et toto corde satagite esse fidelibus forma et norma vitæ sanctæ et Christianæ. Multi enim induunt vultum devotum et religiosum, sed animum habent irreligiosum, vel certe vanum et vagum. Tales erant Scribæ et Pharisæi, quos proinde Christus culpat, vocatque sepulcra dealbata. Matth. 23. vers. 27. Hos struthioni comparat S. Gregor. quia *sanctitatis vitam quasi volatus pennam per speciem retinent, sed opera non exercent*, ait ipse. 35. Moral. cap. 5. alias 6. struthio enim pennas habet, sed non volat.

4. ET CUM APPARUERIT PRINCEPS PASTORUM] Christus Dominus, qui ait: *Ego sum Pastor bonus: bonus Pastor animam dat pro ovibus suis*, etc. Joan. 10. 11.

PERCIPIETIS IMMARCESCIBILEM (de hoc epitheto vide dicta c. 1. v. 4.) GLORIÆ CORONAM.] Scholastici præter coronam et gloriam essentialem communem omnibus beatis, dant Doctoribus (quales sunt Episcopi et Pastores) quoque accidentalem, quam aureolam vocant; tres enim constituunt aureolas: primam, Martyrum; secundam, Virginum; tertiam, Doctorum, quas repræsentarunt tres coronæ tabernaculi, scilicet corona altaris thymiamatis repræsentavit aureolam Martyrum. Exodi 30. 3. corona arcæ repræsentavit aureolam Virginum. Exodi 25. vers. 21. corona mensæ panum propositionis repræsentavit aureolam Doctorum. Exodi 25. 25. Doctor enim dat animæ doctrinam quasi panem suum. Vide S. Thomam et Scholast. in 4. dist. 49.

Porro utraque corona Doctorum et Pastorum, ingens erit et eximia. Primo, quia respondebit ingenti eorum charitati, qua non solum suam, sed et plurimorum aliorum animas salvare et perficere satagerunt.

Secundo, quia respondebit zelo quo regnum et gloriam Dei propagarunt: cujus ergo major fuerit zelus et labor, ejus pariter major erit gloria et laurea.

Tertio, quia gloria subditorum erit gloria Pastorum: tot ergo Pastores sancti habebunt coronas, quot erunt coronæ subditorum quos ad salutem perduxerunt, juxta illud sancti Pauli 1. Thess. 2. 19. *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum estis in adventu ejus? vos enim estis gloria nostra et gaudium.* Sic in die judicii S. Thomas trahet post se Indiam, Andreas Achaiam, Joannes Asiam, Paulus universum mundum, ait S. Gregor. hom. 17. in Evang. quæ sane ingens erit gloria et corona. Sic in vita sanctæ Aldegundis legimus, eidem apparuisse S. Amandum stipatum magna multitudine Sanctorum à se conversorum, inter quos ipse quasi gigas eminebat et statura et gloria; omnes vero in eum quasi magistrum et paren-

tem respiciebant, eique suas coronas acceptas ferebant.

Quocirca vocatur hæc corona gloriæ: *corona*, quia datur quasi præmium pascenti, bravium certanti, merces laboranti : *gloriæ :* primo, id est gloriosa. Secundo, *gloriæ*, quia non ex rosis, vel gemmis, sed ex variis gloriæ cœlestis dotibus contexitur. Tertio, *gloriæ*, id est magnificentiæ, majestatis, splendoris divini : q. d. Corona hæc erit magnifica, majestate et splendore divino plena ; quia faciet ea coronatos filios, et hæredes regni cœlestis, ideoque reges et sacerdotes Dei, juxta illud Apocal. 5. 10. *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram;* et Sapient. 6. 17. *Accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini.* Unde per hypallagen *corona gloriæ* accipi potest pro *gloria coronæ*, id est, gloria regni, vel *gloria coronæ*, id est, undique coronans, ambiens, ornans, et beans sanctum Pastorem. Quarto, *gloriæ*, quia est et corona *gratiæ* in hac vita, cui in futura ex æquo respondebit corona gloriæ, juxta illud Psal. 20. 4. *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso*, in quæ verba S. Bernard. serm. 39. inter parvos : *Triplex*, ait, *nobis necessaria est benedictio, præveniens, adjuvans et consummans : prima misericordiæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ. Prævenit misericordia conversionem, adjuvat gratia conversationem, perficit gloria consummationem;* et S. Dionys. Eccl. Hieron. cap. 2. *Dominus*, ait, *certantibus præmia proponit ut Deus ; leges autem certaminis tulit ut sapiens, præmiaque vincentibus decora constituit et pulcherrima : ac quod est profecto divinius, ipse ut est summe clemens et bonus, in suis bellatoribus vincit, dum in illis habitans pro illorum salute et victoria adversus mortis et corruptionis imperium pugnat.*

5. SIMILITER ADOLESCENTES SUBDITI ESTOTE SENIORIBUS.] Per *adolescentes* græce νεωτεροι, id est *juniores*, accipe per catachresin quoslibet inferiores et subditos. Quia enim senes ob sapientiam præesse et regere solent, juniores vero subdi et regi : hinc senes vocantur superiores, juniores subditi. Unde à senibus senatus appellatus est. Præcipue vero per *adolescentes* accipe Clericos inferiorum Ordinum, ut Diaconos, Lectores, Exorcistas : hos enim decet præ omnibus subdi senioribus, græce πρεσβυτεροις, id est *sacerdotibus*. Sicut enim paulo ante jussit Presbyteros non dominari in cleros, id est Clericos minores et juniores : sic vicissim hos monet ne contra Presbyteros insolescant, sed iis se subdant. Ita Cajetan. Salmeron, Arias et alii. Hoc enim exigit debita subordinatio, ordoque hierarchicus. Idem paulo post S. Petrum monuit S. Ignat. Ep. 7. ad Tarsenses: *Presbyteri*, ait, *subjecti estote Episcopo, Diaconi Presbyteris, populus Presbyteris et Diaconis. Qui hoc ordinis decorum servaverint, pro earum animabus ego libens meam commutavero.* Et ad Smyrnens. Ep. 10. *Omnia igitur vestra decenti ordine perficiantur ; laici Diaconis subjiciantur, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, ut ipse Patri.*

Denique par est ut quilibet adolescentes revereantur seniores, et ab eis dirigi se sinant. Canities enim venerabilis est, tum ob experientiam et sapientiam, tum ob moderationem passionum, quæ in juvenibus ob copiam sanguinis et caloris ebulliunt et vigent, juxta illud Eccl. 6. 35. *In multitudine Presbyterorum prudentium sta, et sapientiæ illorum ex corde conjunge ut omnem narrationem Dei possis audire.* Unde S. Ambros. l. de Viduis : *Vicina est lapsibus adolescentia*, ait, *quia variarum æstus cupiditatum fervorem calentis inflammat ætatis.* Quocirca idem lib. 1. Offic. 17. *Bonorum*, ait, *adolescentium est Dei timorem habere, deferre parentibus honorem, habere senioribus reverentiam, castitatem tueri, non aspernari humilitatem, diligere clementiam ac verecundiam, quæ ornamenta sunt minoris ætatis. Ut enim in senibus gravitas, in juvenibus alacritas, ita in adolescentibus verecundia, velut quadam dote commendatur naturæ.* Idem viderunt et sanxerunt Philosophi. Diogenes adolescenti erubescenti ideoque turbato : *Bono*, ait, *esto animo, ô fili, istiusmodi est tinctura virtutis.* Ita Laert. in ejus Vita. Demetrius Phalereus admonebat adolescentes, *ut domi parentes, in via obvios, in solitudine revererentur seipsos.* Ita Laert. l. 5. c. 5. Socrates hortabatur juvenes ut hæc tria haberent, *in animo prudentiam, in lingua silentium, in vultu verecundiam*, ait Maxim. serm. 41.

OMNES AUTEM INVICEM (Græca addunt υποτασσομενοι, id est *subordinati*, eo scilicet ordine quo jam dixit : *Adolescentes subditi estote senioribus*) HUMILITATEM INSINUATE.] Videtur legisse interpres εγκολπωγασθε, id est *insinuate ;* κολπος enim est *sinus. Insinuate* ergo, id est, *in sinu habete*, puta in animo et corde promptam ac paratam, ut illico aliis eam offeratis et exhibeatis. Ita Glossa et Hugo. Secundo, et potius, humilitatem invicem *insinuate*, id est, in sinum alterius mutuo ingerite ut alterius animi sinum subeat et penetret, eumque vobis et Christo conciliet, ac ad rependendam humilitatem et charitatem provocet. Sic enim oratores in exordio utuntur insinuatione, qua sese in auditorum animos insinuant, eosque sibi conciliant, ut avide et cupide ea quæ dicturi sunt audiant et excipiant. *Insinuatio*, ait Cicero lib. 1. de Invent. *est oratio quadam dissimulatione et circuitione obscure subiens auditoris animum;* et, ut Servius in 11. Æneid. *est callidus et subtilis aditus ad persuadendum.* Talis insinuatio Christianis est humilitas, quæ omnes sibi demeretur et devincit. Sic Lucretius lib. 6. ait : *Sol æstum insinuat per septa domorum.* Sic Propert. l. 3. eleg. 9. ait Cæsarem opes insinuare, id est, in sinum immittere. Sic mare per sinum terræ sese insinuat. Sic assentator insinuat se in animum principis.

Verum Græca passim habent εγκομβωσασθε, (pro quo Regia legunt εγκομποσασθε, eodem sensu) quod primo verti potest, innodate et arcte ceu nodis illigatam tenete. Hesychius enim in Lexico vertit δεθεις, id est *innodatus*, illigatus. Ita Vatabl. Hessel. et alii : unde Tigurin. vertit, *humilitatem animi vobis infixam habete;* Pagninus, *illigatam habete. Non enim in veste aut colli depressione, aut vocis submissione, sed in animi constantia humilitas sita est*, ait Naz. orat. 13. Secundo, verti potest, *amplectimini, induite, involvite, ornate vos.* Nam et Hesychius vertit, ϛολισασθε. Ita Œcum. *Humilitatem*, ait, *omni ex parte complectimini, ut ea undique amiciri et involvi videamini.* Quod Noster acute et opposite vertit, *insinuate*, à sinu non pectoris, sed vestium. Sic enim vocatur vestis sinuosa, quæ multas habet plicas et sinus, de quibus Ovidius 2. Metamorph.

.....Tremulæ sinuantur flamine vestes,

id est formantur, rugantur, vel in sinus colligantur. Et Statius lib. 10. Thebaid. ait *chlamydem insinuatam implere re aliqua.* Hinc et sinus vocatur velum navis, quod ventis flantibus curvatur et sinum facit. Unde Ovid.

Plenaque curvato pandere vela sinu.

Et Virgil. 5. Æneid. *Obliquatque sinus in ventum.*

Dicit ergo S. Petrus : *Humilitatem invicem* ἐγκομβώσασθε, id est, *involvite et insinuate*, ut sicut in veste plica una et sinus unus insinuat sese alteri, et hic alteri et alteri continuo, itaque pulchre vestem sinuosam, et per sinus eleganter deductam et compositam efficit; ita pariter faciant et Christiani, unus alteri per humilitatem quasi sinum, in sinum alterius se insinuet, et hic alteri et alteri continuo; ita omnes unam quasi Ecclesiæ vestem sinuosam, connexam, ordinatam, compositam, elegantem efficient, quæ et fidelium animos recreabit, et infidelium animos alliciet, ut eidem sese inserere et Christiani fieri cupiant. Unde Syrus vertit : *Circumamicti estote mansuetudine animi, unus erga alium.* Dixerat enim S. Petrus Presbyteros non debere dominari in cleros, id est, Clericos æque ac laicos, hos vero quasi adolescentes et minores debere se subdere Presbyteris. Jam modum id præstandi utrisque præscribit, scilicet humilitatem, si illam tam Presbyteri junioribus ad eos se dimittendo, quam juniores Presbyteris se subdendo exhibeant et insinuent. Sic enim utrique conflabunt unam quasi Ecclesiæ vestem, unumque syrma ex variis plicis et sinibus eleganter compositum. Sicut enim plica exstans sive exterior, plicæ depressiori vel interiori se apposite accommodat et insinuat, ac vice versa interior exteriori : sic pariter humilitas facit, ut superior inferiori se accommodet et insinuet, et vicissim inferior superiori; itaque omnes conflent unam elegantem concordiæ, pacis et charitatis cycladem. S. Petro succinit S. Paul. Philip. 2. 2. *Implete*, ait, *gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores, sibi invicem arbitrantes.* Humilitas enim superiores coordinat inferioribus, et hos subordinat superioribus.

Humilitas ergo est parens ordinis, concordiæ, pacis, charitatis, etc. *Humilitas*, ait Cassian. collat. 15. c. 7. *est omnium magistra virtutum, ipsa est cœlestis ædificii firmissimum fundamentum : ipsa est donum proprium atque magnificum Salvatoris ;* et S. Basil. in Constit. monast. c. 17. *Humilitas*, ait, *est tutissimus virtutum omnium thesaurus.* Idem serm. de abdic. rerum : *Humilitas*, ait, *est sagena quæ omnes virtutes complectitur.* S. Hilarius in Psalm. 118. littera *Res*, docet in humilitate mandatorum caput et summum omnium consistere. *In humilitate*, ait, *docuit* (Christus) *omnia fidei nomina et præmia contineri.* Idem in Psalm. 130. *Tenendus*, ait, *humilitatis et altitudinis modus est, ut corde humiles, sensu vero et anima simus excelsi.* S. Leo serm. 7. de Epiph. nervose : *Tota*, ait, *Christianæ sapientiæ disciplina non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis et gloriæ, sed in vera et voluntaria humilitate consistit, quam Dominus Jesus Christus ab utero matris usque ad supplicium crucis pro omni fortitudine et elegit et docuit.* Et paulo ante : *Tota victoria Salvatoris quæ et diabolum superavit et mundum, humilitate est concepta, humilitate confecta.* S. Gregor. 34. Moral. cap. 18. vel juxta aliam editionem 23. *Evidentissimum*, ait, *reproborum signum est superbia, electorum vero humilitas.* Et S. Athanasius de Virg. *Humilitas*, ait, *in Christo, est superbia in diabolo.* Quocirca S. Gregorius, Bernardus, Cassianus et alii docent humilitatem esse fundamentum virtutum, præsertim pacis et charitatis, cujus rei illustre narrat exemplum Joannes Moschus in Prato spirit. c. 210. Duo, inquit, Episcopi, erant in simultate, unus eorum venit cum clero, prociditque ad pedes alterius, dicens : *Ignosce, domine, servi tui sumus.* Ille hac humilitate victus : *Tu*, ait, *meus et dominus et pater es.* Unde infert : *Et vos cum habetis inimicum, ita facite, et vincetis. Majorem ergo gloriam habet humilis quam Rex, quia ab omnibus laudatur.* Similia recenset cap. 218. et 219.

Quia Deus superbis resistit.] *Quoniam excelsus est Dominus, et humilia respicit, et alta à longe cognoscit.* Psalm. 137. 6. Vide dicta Jacobi 4. 6. ubi eamdem habet sententiam. Notat S. Chrysost. hom. 3. de verbis Isaiæ : non dicit: Deus superbos dimittit, suam ab eis opem gratiamque subducens, sed ἀντιτάσσεται, id est *adversatur*, et positive resistit, non quod instructa acie aut pugna Deo sit opus, cum superbo nihil sit infirmius, sed quod solo nutu ei resistat, eum afflet, perdat, annihilet, si velit. Unde S. Ambrosius in Ps. 118. octonar. 7. *Quid igitur*, ait, *hoc peccato potest esse deterius, quod à Deo cœpit injuria? ideoque Scriptura dicit : Dominus superbis resistit; tanquam suæ contumeliæ propulsator, veluti quoddam suscepit adversus superbiam speciale certamen.*

6. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei.] S. Jacobus habet, *in conspectu Dei*, est efficax ratio persuadens humilitatem. Quis enim homo, imo miser homuncio, non se humiliet sub majestate et potentia Dei, qui non tantum sibi, sed et superioribus ac proximis vult nos subdi et humiliari, ut si eis te humilies Deo te humilies : si contra vel super eos te efferas, et insolescas, contra et super Deum te efferas? *Humilitas* enim, ut ait S. Bernard. de Grad. humil. *est virtus qua quis ex verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit*, ut coram Deo inspiciens suam abyssum nihili, peccatorum et miseriarum, dicat cum S. Francisco : *Quis tu, Domine, quis ego? Tu abyssus omnis boni, ego abyssus omnis mali.* Idem serm. 16. in Cant. *Verus humilis*, ait, *vilis vult reputari, non humilis prædicari; gaudet sui contemptu, hoc solo sane superbus, quod laudes contemnat.* Quis sub potenti manu Dei usque ad infernum non se humiliet, cogitans Deum tribus digitis appendere molem terræ; cogitans se in manu Dei esse instar pulicis aut culicis, quem talitro occidat; cogitans se manu Dei ambiri et contineri, ut eam non possit evadere, eam, inquam, qua alta dejicit, celsa siderat, superbos fulminat, sternitque in tartara, uti fulminavit Luciferum cum tot angelorum millibus, imo millionibus : eam rursum, quæ depressa attollit, humiles extollit ad sidera, imo supra sidera; unde subdit : *Ut vos exaltet*, etc. Quocirca noster Sebast. Barradius vir et Concionator Apostolicus, cujus egregii exstant Commentarii in Evangel. moriturus et sacro oleo inunctus, rogante P. Rectore, ut quando, teste S. Aug. serm. 6. lib. 17. homil *pro magno haberi solent verba novissima parentis ituri ad sepulchrum*,

ultimum suis monitum valedicens, daret, ait : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore tribulationis. Nihil aliud superest consilii. Simus omnes impense humiles, Christum Dominum, Deumque nostrum imitati, qui tota vita unam à se disci voluit humilitatem,* et moriens inclinato capite emisit spiritum, ut sicut in vita, ita et in morte Christum imitaretur. Ita nostri Conimbric. in ejus Vita quam ultimo ejus operi, scilicet Itinerario filiorum Israel, præfixerunt.

Porro Cassian. l. 4. Instit. cap. 39. decem dat signa veræ et germanæ humilitatis. *Humilitas,* ait, *his indiciis comprobatur : primo, si mortificatas in se habeat omnes voluntates ; secundo, si non solum actuum suorum, verum etiam cogitationum, nihil suum celaverit seniorem ; tertio, si nihil suæ discretioni, sed judicio ejus universa committat, ac monita ejus sitiens libenter auscultet ; quarto, si in omnibus servet obedientiam, mansuetudinem et patientiæ constantiam ; quinto, si non solum injuriam inferat nulli, sed ne ab alio quidem sibimet irrogatam doleat atque tristetur ; sexto, si nihil agat, nihil præsumat quod non vel communis regula, vel majorum cohortentur exempla ; septimo, si omni vilitate contentus sit, et ad omnia se quæ sibi præbentur, velut operarium malum, judicarit indignum ; octavo, si semetipsum cunctis inferiorem, non superficie pronuntiet labiorum, sed intimo cordis credat affectu ; nono, si linguam cohibeat, vel non sit clamosus in voce ; Decimo, si non sit facilis ac promptus in risu.*

Ut vos exaltet,] juxta illud Proverb. 29. 23. *Superbum sequitur humilitas, et humilem spiritu suscipiet gloria ;* et illud Psalm. 17. 28. *Populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis ;* et Job c. 5. 11. *Qui ponit humiles in sublimi ;* et illud Christi : *Omnis qui se humiliat exaltabitur.* Lucæ 14. 11. Unde Nazianz. orat. 48. *Christus,* ait, *suo exemplo docuit extimum ad sublimitatem iter esse humilitatem.* Idem docuit beata Virgo, quæ se vocans ancillam, facta est mater Dei. Lucæ 1. 38. Hinc Saul audivit à Samuele : *Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es?* in quæ verba S. Gregor. l. 18. Moral. 20. alias 22. *Magnus,* ait, *mihi fuisti, quia despectus tibi : sed nunc quia magnus tibi es, factus est despectus mihi.* Humilitas ergo est scala Jacob, quæ homines è terra in cœlum exaltat.

In tempore visitationis,] quo scilicet Deus vos visitabit, ut vestram humilitatem remuneretur, vosque exaltet sive in hac vita, sive in futura, το *visitationis* non est in Græco, sed intelligitur : καιρος enim significat occasionem, opportunitatem, tempus commodum, quod est tempus visitationis. Unde Syrus vertit, *in tempore congruo ;* Tigurin. *cum erit opportunum ;* Pagnin. *in tempore opportuno,* juxta illud Ps. 9. 10. *Adjutor* (Deus) *in opportunitatibus, in tribulatione ;* et Psalm. 30. 16. *In manibus tuis sortes meæ ;* Hebr. *tempora mea ;* Chald. *tempora redemptionis meæ.* Vide de hac visitatione dicta c. 2. 12.

7. Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum,] id est projicite : Hebræi enim utuntur participiis loco indicativi, quia eo carent. Aut potius *projicientes* refer ad *humiliamini.* q. d. Humiliamini sub potenti manu Dei humiliter projiciendo in eum omnem sollicitudinem. Sic enim ostendetis vos humiliter de vobis sentire, et sublimiter de Deo, si vobis diffisi, fisique Deo, in ipsum omnes curas, angores et sollicitudines resignetis. Ita enim ipso facto testabimini, vos tam esse infirmos, ut iis providere non possitis ; Deum vero tam esse potentem, providum et benignum, ut iis omnibus quasi pater illico provisurus sit. Sic Christus vetat Christianos esse sollicitos de victu, vestitu, etc. Matth. 6. ubi S. Hieron. *A cura,* ait, *non penitus liberamur* (*quæ solet* πονδη, *id est, honestum studium appellari*), *sed præcipitur ne solliciti simus.* Non ergo vetat σωφρονην, id est, moderatam curam, uti volunt Anabaptistæ, qui desides à Deo solo sibi omnia in os ingerenda putant, sed μεριμναν, id est, *anxiam et nimiam sollicitudinem ;* μεριμνα enim dicitur απο του μεριζειν τον νουν, quod mentem dividat, discruciet et quasi dissecet. Ita Psaltes Psalm. 39. 18. *Dominus,* ait, *sollicitus est mei,* ubi S. August. legit. *Dominus curam habebit mei : Qui habuit,* ait, *tui curam antequam esses, quomodo non habebit curam, cum jam hoc es quod voluit ut esses? Jam enim fidelis es, jam ambulas in via justitiæ,* etc. ; *nusquam tibi deest, tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse ;* et Paulus Philipp. 4. 6. *Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione,* etc. ; *petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Et Abraham Isaaco roganti ubi esset victima, respondit : *Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi.* Gen. 22. 9. Unde mons in quo immolandus erat Isaac, vocatus est Moria, id est visionis, providentiæ et provisionis Dei : sicut ergo infantes non sunt soliciti, sed omnem sollicitudinem rejiciunt in sinum matris, in quo recumbunt et quiescunt ; ita faciat et fidelis cum Deo, qui nobis pater est et mater. Nam quod Josue dictum est à Deo c. 1. 5. *Non te deseram, neque derelinquam,* cuivis fideli et justo dictum est. Dicat ergo fidelis in quavis tribulatione, egestate, angustia, Deo : *De ventre matris meæ Deus meus es tu ; in te projectus sum ex utero.* Ps. 22. 10. Et illud Ps. 122. 2. *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Nam, ut ait S. Ephrem. serm. de fide tom. 1. *Deus qui curat morbos animi, etiam corporis curabit.*

Alludit S. Petrus, imo citat Ps. 54. 23. *Jacta cogitatum tuum in Domino ;* ubi Sept. vertunt, Επιρριψον επι τον κυριον την μεριμναν σου, quæ verba hic in Græco usurpat S. Petrus : μεριμνα enim est *cura,* sollicitudo, anxietas. Heb. est יהבך *iehabcha,* quod Chald. vertit, *jacta in Domino spem tuam ;* S. Hier. *charitatem tuam,* quasi זבה *iahab,* positum sit pro אהב *ahab,* id est *dilexit,* charum habuit : Pagninus, *donum tuum,* vel, *quod dedit tibi ;* Vatabl. ex significatione Syra vel Arabica, *sarcinam tuam,* vel *pondus tuum,* onme scilicet quod te premit et gravat, vel angit et cruciat. Alii *onus tuum,* scilicet negotia tua, sollicitudines, ærumnas, eventus, pericula : de his enim proprie agit Psaltes. Radix הב, *iahab* significat affectum postulantis. Unde Pagninus in Lexico vertit, *eia.* q. d. Projice in Deum omne tuum *eia,* id est, quidquid tibi sollicitudinem, aviditatem et precem anxiam movet et elicit. Quocirca Sept. et S. Petrus vertunt μεριμναν, id est *curam* et sollicitudinem.

Quia ipsi est cura de vobis.] Psaltes Ps. 54. 23. habet, *et ipse te enutriet ;* Heb. יכלכלך *iekalkelecha,* id est *sustentabit,* perficiet, curabit te. Notat S. Bernard. serm. 68. in Cant. Non dicit, ait S. Petrus : *Ut sit ipsi cura de vobis ;* sed : *Quia ipsi est cura de vobis ; aperte monstrans, Ecclesia*

Sanctorum non modo quoniam dilecta, sed quod prius dilecta fuerit. q. d. Intendite illi, quia ipse intendit vobis. Unde idem ait in Ps. 90. serm. 9. *Ut quid si hæc sapimus, ut quid cunctamur abjicere omnino spes miseras, vanas, inutiles, seductorias, et huic uni tam solidæ, tam perfectæ, tam beatæ spei tota devotione animi, toto fervore spiritus inhærere?*

Ratio est prima, quia Deus uti est creator, ita est et conservator, ac provisor et curator suarum creaturarum, præsertim fidelium et justorum. Illius ergo est eorum res, onera, molestias et curas regere, curare, moderari, iisque providere. Hoc enim exigit suavis et efficax ejus providentia. Unde S. August. 3. Confess. 11. *O tu bone*, ait, *Omnipotens, qui sic curas unumquemque nostrûm, tanquam solum cures, et sic omnes tanquam singulos.*

Secunda, quia id meretur fides, spes et confidentia, qua fidelis in Deo omnia sua reponit in ejusque sinu recumbit et requiescit, sicut pulli sub alis gallinæ. Hæc enim confidentia valde honorat Deum : magnam enim de ejus potentia, fidelitate et ope habet opinionem, quam Deus frustrari non patitur, tum ut suum honorem tueatur, tum ut in se speranti non desit, sed adsit, faciatque eum spei et voti sui compotem, juxta illud Psalm. 33. 16. *Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum ;* et vers. 18. *Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos; et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos:* et v. 20. *Multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus. Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.* Ita sanctus Chrysost. hom. 56. ad pop. et 69. in Matth. *Ne cures*, ait, *tua, sed ea Deo permitte; nam si satagis, tanquam homo satages : si vero dimittas, Deus providebit*, etc. *Ut igitur eorum magnam gerat providentiam, ipsi soli omnia committe. Si vero et ipse spiritualibus omissis ea tractaveris, non multam eorum ipse curam geret. Ut ergo et hæc tibi bene disponantur, et omni cura libereris, contemne sæcularia : sic enim et cum cœlis terram habebis, et futura consequeris bona.* Hinc ex adverso de sollicitis dicitur Proverb. 11. 7. *Exspectatio sollicitorum peribit.*

Tertia, quia fidelis fideliter servit Deo : unde Deus qui fidelitate et liberalitate se vinci non patitur, fideliter res ejus omnes curat et dirigit. Deus ergo à nobis tantum poscit sollicitudinem obsequii sui, ac pro mercede cæteras omnes sollicitudines in se suscipit, juxta illud Michææ c. 6. 8. *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat à te; utique facere judicium et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo ;* et illud Deut. 33. 3. *Dilexit populos: omnes Sancti in manu ejus sunt;* et Eccli. 34. 17. 18. 19. 20. *Timentis Dominum beata est anima ejus. Ad quem respicit, et quis est fortitudo ejus? Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, et umbraculum meridiani, deprecatio offensionis, et adjutorium casus, exaltans animam, et illuminans oculos, dans sanitatem, et vitam, et benedictionem ;* et David. Psalm. 26. 1. *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Et Ps. 90. 1. *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.* Ubi vide S. Bernard.

Porro id non tantum in temporalibus, sed multo magis in spiritualibus, puta in victoria tentationum, in virtutum profectu et perseverantia, locum habet. Unde Apostolus : *Omnia*, inquit, *possum in eo qui me confortat.* Philip. c. 4. 13. et : *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet in diem Christi Jesu.* Philip. 1. 6. Si enim Deus capillorum singulorum curam geret, multo majorem geret morum, ait S. August. serm. 6. de Verb. Domini, qui et addit : *Quid times hominem, homo in sinu Dei positus? Tu de illius sinu noli cadere : quidquid ibi passus fueris, ad salutem valebit, non ad perniciem;* et Orig. hom. 8. in Levit. *Discipulorum Domini*, ait, *etiam capilli capitis numerati esse dicuntur, hoc est, omnes actus, omnes sermones, omnes cogitationes eorum servantur apud Dominum, quia justæ, quia sanctæ sunt.* Vide S. Bern. serm. 68. in Cantic.

Ita S. Clemens initio Recogn. scribit hoc fuisse dogma S. Petri : *Nos Christiani de nulla re vel eventu solliciti sumus, sed in Dei providentia plane conquiescimus; scientes nos illi curæ esse, ab eo per omnia dirigi, ut cuncta nobis cedant in bonum.*

S. Athanasius, tract. de Pass. et cruce, docet Christum in agonia pavidum et anxium sudasse aquam et sanguinem, ac spineam coronam gestasse, ut omnes nostras sollicitudines, curas et angores sanaret et tolleret; Christiano ergo non esse quod sollicitus sit, cum Christus eum omni sollicitudine levarit, eamque in se susceperit : *Christus*, ait, *spineam coronam gestavit, ut vitæ nostræ curas* (quasi spinas in se suscipiens) *aboleret.*

S. Joannes Silentiarius Alamundaro invadente monasterium noluit exire et fugere, magnaque spe se Deo resignans : *Si Deus*, inquit, *meî curam non gerit, utquid vivo?* Nec eum spes aut Deus fefellit : misit enim Deus leonem horribilem, qui Joannem custodiret et tutaretur. Ita Cyrillus in ejus Vita. In arctis enim maxime suis quasi è machina adest et succurrit Deus, et, ut ille ait : *Tum præcipuus votorum locus est, cum spei nullus est.* Ita S. Saba ingressus speluncam, ibique respiciens, reperiens leonem cum catulis fidenter ei dixit : *Si vis, mane mecum ; est enim locus utrique : sin autem, egredere. Te enim mihi locum cedere decet, non me tibi.* Quocirca S. Catharina Senensis hoc dogma accepit à Christo : *Filia, cogita de me, et ego cogitabo de te*, illudque exacte servans sine cura cuncta peregit, curatore ejus Christo curante omnia. Similia de S. Mechtilde et S. Gertrude refert Lud. Blosius in Monili spirit. cap. 11. ubi refert Christum Dominum dixisse S. Gertrudi : *Confidentia ista secura, qua fidelis se et sua reponit in me, credendo quod possim, sciam et velim fideliter ipsi opitulari in re qualibet, mihi cor transfigit tantamque vim infert pietati meæ, ut non possim non tali favere, meque impendere, idque ad hoc ut satisfaciam ei quod sum, et amori quo eum prosequor.*

8. SOBRII ESTOTE ET VIGILATE.] Jungit hæc duo, quia sobrietas mater est vigiliæ et vigilantiæ, sicut gula et crapula somni et dormitionis. Rursum sicut sobrietas mater est sanitatis, sapientiæ et sanctitatis, præsertim castitatis, mentemque vigilem et acrem facit ad orandum et speculandum, ideoque Deo et angelis est amica : ita ex adverso crapula est mater infirmitatis, insipientiæ, libidinis, cæterorumque vitiorum, mentemque sopit et ineptam facit ad meditandum, ideoque diabolo est amica. Ita S. Chrysost. hom. 58. in Matth. *Diabolo*, ait, *nemo magis ami-*

cus est, quam qui deliciis et ebrietate maculatur : hic enim fons, hæc mater est et origo vitiorum omnium. Sues ex hominibus facit : deliciis vacans nullo discrimine à dæmoniaco separatur : impudens enim et furiosus pariter est : et dæmoniacum omnes miseramur, hunc vero omnes aversamur, quia sponte furorem sibi attrahit; et os, oculos, nares et cætera sensuum instrumenta, amarissimas voluptatis conficit cloacas. Quocirca diabolus solet sub vesperam excitare homines ad gulam, indeque ad dormitionem, ut noctu semisomnes, torpidos, et pene sopitos tentet per libidinem, aliosque pravos motus, eosque varios et multiplices velut apum examen, ait S. Basil. hom. 14. Hac de causa Ecclesia Completorium ab hisce S. Petri verbis inchoat, iisque monet fideles, ut sobrii sint et vigiles ad orandum et resistendum diabolo, ut sic oculi somnum capiant, ut cor ad Deum semper vigilet, ideoque ituri cubitum Angelo Custodi et Sanctis tutelaribus serio se commendent, ac sanctis cogitationibus indormiant. Vide quæ de sobrietate dixi Daniel. 1. Hinc senex ille in Vitis Patr. l. 5. libello 11. num. 46. dicebat tres esse prodromos diaboli, oblivionem, negligentiam et concupiscentiam. *Etenim*, ait, *si oblivio venerit, generat negligentiam : de negligentia vero concupiscentia nascitur; de concupiscentia vero corruit homo. Si enim ita est sobria mens, ut oblivionem respuat, ad negligentiam non venit : et si non neglexerit, concupiscentiam non recipit : si vero concupiscentiam non recipit, nunquam cadet opitulante gratia Christi.* Sic Paulus scribit Timoth. Ep. 2. cap. 4. 5. *Tu vero, vigila;* et Christus Episcopo Sardensi: *Esto vigilans et confirma cætera.* Apoc. 3. 2. Hinc Ecclesia olim usurpavit nocturnas vigilias, ad orandum in pervigiliis Sanctorum, et easdem etiamnum usurpant Cœnobitæ in psalmodia nocturna, qui, ut ait S. Hier. in Daniel. 4. 10. imitantur angelorum semper vigilantium, Deumque laudantium officia. Exstitit olim in Oriente monasterium Acœmetarum, id est non dormientium, quia totas pene noctes pervigilabant in oratione et psalmodia.

Vere S. Cyril. Catechesi 4. *Opus est*, ait, *cum divina gratia, sobria mente et vigilantibus oculis, ut zizania vitemus pro tritico, pro ove lupum, diabolum pro angelo bono.* Diabolus enim semper vigilat, et ubique intentus est ut noceat et supplantet. Vigiles ergo cum vigili luctare debemus, et quasi Argi mille oculis eum observare ac cavere. Unde S. Hieron. ad Heliod. Ep. 1. *Insidiatur*, ait, *leo hic in spelunca sua, insidiatur ut rapiat pauperem, et tu frondosæ arboris tectus umbraculo molles somnos, futurus præda, carpis? Inde me persequitur luxuria, inde avaritia conatur irrumpere, inde venter meus vult mihi Deus esse pro Christo, compellit libido, ut habitantem in me Spiritum S. fugem, ut templum ejus violem; persequitur, inquam, me hostis cui nomina mille, mille nocendi artes, et ego infelix victorem me putabo dum capior?* Post multa vero : *Nolite*, ait, *credere, nolite esse securi; licet in modum stagni fusum æquor arrideat; licet vix summa jacentis elementi spiritu terga crispentur, magnus hic campus montes habet, intus inclusum est periculum intus est hostis. Expedite rudentes, vela suspendite, crux antennæ figatur in frontibus, tranquillitas ista tempestas est;* et sancti Bern. serm. 11. in Psalm. 90. *Sicut*, ait, *ipse* (Deus) *sollicitus est nostri, et ipsi cura est de nobis; sic ille* (diabolus) *sollicitus est, ut nos mactet, et perdat, et una ei cura, ne forte qui aversus est revertatur.* Apte ergo S. Petrus curæ Dei de nobis, per antithesin subjicit odium et invidiam diaboli ad nos perdendos. Ad hæc vigilandum est, quia, ut ait Christus Matth. 24. 42. *Nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.* Ubi S. Greg. hom. 13. in Evang. *Horam ultimam*, ait, *Dominus noster idcirco voluit nobis esse incognitam, ut semper possit esse suspecta, ut dum illam prævidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur;* et S. Hilar. can. 24. in S. Matth. *Paratos nos esse convenit, quia diei ignoratio intentam sollicitudinem suspensæ exspectationis exagitat.* Porro, *vigilat*, ait S. Greg. loco citato, *qui ad aspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet; vigilat, qui à se torporis et negligentiæ tenebras pellit.* Mystice, dormiunt amatores sæculi : *Somnia enim sunt magistratus, opes, potentia, fastus, voluptatum impostura, gloriæ cupiditas, vita, delicata, ambitio*, etc. ait Nyssen. homil. 11. in Cant. Hisce somniis opponenda est vigilia virtutum. Unde S. August. de Verbis Domini serm. 23. cap. 10. *Corde*, inquit, *vigila, fide vigila, spe vigila, charitate vigila, operibus vigila.*

Quia adversarius.] Hebr. vocatur *Satan*, græce ἀντίδικος, id est, in causa et lite adversarius, litigator, actor, accusator, qui scilicet omnes rationes et modos quærit quibus nobis litem intentet, ut in tribunali Dei nos accuset, et reos damnationis peragat. Magnus ergo, hic est adversarius, magna ejus lis et causa : agit enim contra animam nostram, contra salutem, contra æternitatem : agit ut nos socios habeat damnationis, et ignis inferni : idque primo, ex odio Dei quo ardet, ne scilicet Deus à nobis honoretur; secundo, ex invidia, ne sedes ejus in cœlis occupemus; tertio, ex superbia, qua omnes sibi similes reddere, omnibusque dominari ambit. Hoc est quod ait Paulus Ephes. 6. 2. *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates : adversus mundi rectores, tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, ac deinceps contra eos fideli quasi militi dat panopliam.*

Diabolus,] id est *calumniator*, à διαβάλλω, id est *calumnior*, quare ridicule Thomas Anglicus : Diabolus, ait, dicitur quasi duobus bolis devorans hominem, scilicet animam et corpus. Id condonandum est sæculo illi linguarum rudi et aglosso. Vere S. Gregorius 2. Mor. c. 5. alias 9. *Antiquus adversarius*, ait, *cum quæ accuset mala non invenit, ipsa ad malum inflectere bona quærit : cumque de operibus vincitur, ad accusandum verba nostra perscrutatur; cum nec in verbis accusationem reperit, intentionem cordis fuscare contendit, tanquam bona facta bono animo non fiant, et idcirco perpendi à judice bono non debeant.* Causam invidiæ dat S. Ambros. lib. 7. in Luc. cap. 12. *Serit*, ait, *illecebras delictorum, ut habeat in supplicio participes, quos habuit in errore consortes : atque ideo socios quærit ad culpam, ut obnoxios perdat ad pœnam.* Porro *diabolus* antonomastice vocatur, Lucifer dæmonum princeps, Matth. 4. 1. Lucifer ergo non tam per se (religatus enim est in inferno, Apoc. 20. v. 2.) quam per suos asseclas circuit : horum enim quisque vocatur, et est *diabolus*. Unde SS. Patres docent hunc aerem dæmonibus esse plenum, qui ignem et pœnam suam secum portantes, tentant homines, tenta-

buntque usque ad diem judicii : tunc enim omnes relegabuntur in infernum. *Diabolus*, ait S. Augustinus ad Julian. *doctor mendacii, ipse est adversarius effectus generis nostri, inventor mortis, superbiæ institutor, radix malitiæ, scelerum caput, princeps omnium vitiorum, persuasor turpium voluptatum. Hinc ergo cum primum hominem à Deo factum, Adam patrem omnium nostrûm intueretur, pudicitia, temperantia, charitate, immortalitate vestitum, æmulus atque invidus tantam beatitudinem hominem terrenum accepisse, quam ipse dum esset angelus, per superbiam agnoscitur amisisse ; invidit statim insatiabilis homicida, Adam exspoliavit et nos interemit.*

Hæc est secunda causa iræ diaboli in homines, scilicet invidia (prima enim, ut dixi, est odium Dei, illum damnantis et punientis in gehenna) de qua S. Basil. *Pardalis*, ait, *animal est homini inimicissimum, adeo ut quandoque in stadiis hominis oculos præ ira invadat : qui autem feræ furorem deludere quærunt, hominis imaginem ei ex charta ostendunt : illa statim furibunda eam concerpit et dilacerat, hoc argumento satis ostendens quanta sit ejus adversus hominem inimicitia. Sic item diabolus in imagine hominem apparentem insectatur, quando Deum ipsum attingere nequit ; hinc ipsi bellum tam acre contra nos.* Ita S. Basilius hom. in aliquot Scripturæ locos.

Tertia causa, scilicet superbia, manifesta est : diabolus enim tumet superbia et ambitione. Addit Origen. hom. 33. in Lucam, Nyssenus de Vita Mosis ante medium, Auctor. serm. ad Fratres in eremo serm. 68. Magister sentent. in 2. dist. 11. quemque hominum habere dæmonem antagonistam, ad tentationem deputatum à Lucifero, sicut habet angelum bonum ad custodiam deputatum à Deo. Cassianus vero collat. 7. c. 17. docet certos dæmones deputatos esse qui tentent ad iram, alios qui ad luxuriam, alios qui ad alia vitia ; singula enim habere suos præsides et dæmones. Unde in Script. vocatur spiritus iræ, luxuriæ, blasphemiæ, etc. hæc alibi discutienda sunt.

TANQUAM LEO RUGIENS.] In Script. nunc diabolus, nunc Christus vocatur *leo de tribu Juda ;* Apoc. c. 5. 5. ob contrarias leonis proprietates. Nam, ut ait S. August. serm. 46. de Divers. c. 2. *Christus vocatur leo propter fortitudinem ; diabolus ob feritatem : ille leo ad vincendum, iste leo ad nocendum.*

Diabolus ergo vocatur *leo*, primo, quia vigil : leo enim apertis oculis dormit, imo, ut Ælian. et alii docent, dormiendo vigilat, caudamque movet. Unde aliqui putant leonem nunquam dormire, aiuntque eum solum inter animantia apertis oculis nasci : habet enim oculos ingentes, palpebras vero exiles, ut totos oculos tegere nequeant, ideoque dictus leo à λαω, id est *video*, quia ὀξυδερκεστατος, id est, *acutissimi visus est.* Hinc leo symbolum est vigilantiæ, ideoque affigi solet ad ostia basilicarum, uti Romæ factum conspicimus. Similiter diabolus pervigil est ut homini noceat. Quocirca S. Basil. in illud : *Attende tibi : Ut strenuus pugil*, ait, *habeto animæ oculum nusquam evariantem, sed attentum et pervigilem ; præmuni, ac tuere passis manibus partes, quarum plaga lethalis sit : in adversarium immotum oculum intendito fixius.* Rursum leo, ait Epiphan. hær. 78. *est animal voracissimum, specie fulvum, robore solidissimum, et, ut ita dicam, regalissimum super alia animalia.* Sic et diabolus caninam habet famem, imo rabiem devorandi animas ; specie fulvus, puta cruentus ; robore solidissimus, et rex super omnes filios superbiæ. Job 41. 25.

Secundo, quia diabolus sævus est ut leo, qui nunquam cicuratur, fitque domesticus ; quin et diabolus plurimis animabus pastus non saturatur, sed sævit magis, *cum leones satiati innoxii sint*, ut ait Plinius l. 8. 16. Leo habet os ingens, dentes robustos, aduncos et validos ungues : ita diabolus rapacissimus est et voracissimus.

Tertio, quia diabolus instar leonis rugit, id est voce, sonitu et terrore percellit, juxta illud Amos 3. 8. *Leo rugit, quis non timebit ?* Hinc Eusebius l. 4. Præpar. c. 3. Dæmon, inquit, dicitur à δειμαινειν, id est *timere*, quia timorem incutit : licet verius δαιμων dicatur, quasi δαημον, id est *sciens.* Dæmonibus enim antiquitas humanarum artium inventionem tribuebat. Unde Plato universi moderatorem μεγιστον δαιμονα appellat. Dæmon ergo tibi nocere nequit, nisi eum timeas, nisi timendo sponte illi cedas et consentias, quemadmodum qui ante conflictum non telo, sed tuba prosternitur, ait S. Bernard. serm. 13. in Psal. 90. ubi docet leonem magis terrere rugitu quam ferire morsu, adeoque animalia quæ morsui resistunt, imo leonem subinde superant, non sustinere ejus rugitum : *Ut rugientis ejus sonitu velut quadam vi attonita atque icta capiantur*, ait S. Ambros. 6. Hexaem. cap. 3. Sic diabolus magis nocet suis minis et terroribus, quam robore et verbere. Audi S. Bernard. *Adversarius vester tanquam leo rugiens, ait Petrus. Gratias magno illi leoni de tribu Juda : rugire iste potest, ferire non potest. Rugiat quantum vult, tantum non fugiat ovis Christi. Quanta minatur, quanta exaggerat, quanta intentat ? Non simus bestiæ ut nos prosternat vacuus ille rugitus. Sic enim perhibent qui talia curiosius vestigaverunt, ad rugitum leonis nullam bestiam stare posse, ne eam quidem quæ adversus ictum ejus tota animositate repugnat : et plerumque superat ferientem, quæ non sustinet rugientem. Vere bestia, vere rationis expers, qui tam pusillanimis est, ut solo timore cedat ; qui sola futuri exaggeratione laboris victus, ante conflictum non telo, sed tuba prosternitur. Nondum restitistis usque ad sanguinem, ait strenuus ille dux, qui leonis hujus noverat vanum esse rugitum. Et alius quidam : Resistite* (inquit) *diabolo, et fugiet à vobis.*

Hinc dæmon est myrmicoleon, id est formicaleo, quia timidis dominatur ut leo, audaces metuit ut formica, uti docet S. Greg. Olymp. et alii in Job 4. 11. *Tigris* (pro quo Sept. vertunt, *myrmicoleon*) *periit.*

Quarto, leo ex ira et famis rabie prædam devorat, ideoque priusquam captam prædam devoret, rugit, ait S. Cyrillus in Amos 3. Sic et rex ira animas vorat diabolus. Rursum leo prædæ suæ reliquias fastidit, ait Nazianz. in carmine de Externi hominis vilitate, dum ita canit :

> Ac leo cum præda ventrem exsaturavit, ut aiunt,
> Cœnæ reliquias horret adire suæ.

Ita diabolus fastidit et dedignatur eos quos pervertit et occidit, eosque tractat quasi mancipia, imo cadavera, ut patet in sagis et veneficis, quas quasi bestias flagellat, verberat et torquet, tanquam lanio et carnifex. Rursum *leonum ossa adeo dura sunt, ut ex iis percussis ignis quasi ex*

silice eliciatur, ait Aristot. lib. 2. de Part. animalium cap. 9. Ossa hæc repræsentant obstinationem et pertinaciam diaboli, tum in peccato, tum in studio hominibus nocendi: hinc et leonis, æque ac diaboli, collum est hirtum, rigidum et inflexibile, teste Aristotel. l. 4. c. 10.

Quinto, tradunt Epiphan. in Physiol. cap. 1. Ælian. lib. 11. cap. 30. Plutarch. de Animalium comparat. Isidor. lib. 1. Origen. et alii leonem propria vestigia cauda, ea verrendo obterere, obscurare et delere, ne scilicet venatores vestigiis ejus insistentes lustrum inveniant, eumque cum catulis comprehendant. Addunt Ælianus et Plutarchus leonem contortis pedibus incedere, ut in iis quasi in vagina abscondat ungues suos, præsertim tempore nivis, ne in ea vestigia ejus appareant. Ita pariter diabolus malum specie honesti obtegit, ac celando finem et scopum suum, dolos suos abscondit, ne illi pateant, indeque ipse agnoscatur et repellatur. Insuper leo, ait Arist. in Physiog. cap. 8. habet os vastum, frontem quadratam, supercilium ingens, humeros fortes, robustas costas et dorsum, crura nervosa, gressum juvenilem: sic et dæmon.

Sexto, leo quia igneæ est naturæ, ardet libidine et ira: sic et diabolus. Audi Plinium l. 8. cap. 16. Aristot. l. 9. Hist. animal. c. 44. tradit *leænam primo fœtu parere quinque catulos, ac per annos singulos uno minus, ab uno sterilescere: informesque minimasque carnes magnitudine mustelarum, esse initio: sex mestres vix ingredi posse, nec nisi bimestrem moveri.* Hinc Aristot. l. 6. Hist. animal. c. 23. ait leones Syriæ quinquies in vita parere.

Septimo, fœtet leo ob voracitatem et ingluviem: sic et diabolus; unde hebraice vocatur שעיר *sair*, id est *hircus*, quia in specie hirci apparet et adoratur à sagis, fœtetque ut hircus; vel *sair*, id est *pilosus*, hirsutus, horribilis, horripilans, quia horribili specie apparens percellit, et pilorum erectionem horroremque inducit. Sic Plinius loco citato ait, leones habere *gravem odorem, nec minus halitum: raros in potu, vesci alternis diebus: à saturitate interim triduo cibis carere. Quæ possint, in mandendo solida devorare; nec capiente alvo, conjectis in fauces unguibus extrahere, ut si fugiendum sit, non in satietatem abeant. Polybius in senecta hominem appeti ab iis refert, quoniam ad persequendas feras vires non superant. Tunc obsidere Africæ urbes, eaque de causa crucifixos vidisse se cum Scipione, quia cæteri metu pœnæ similis absterrerentur eadem noxa.* Sic homines et animas petit sititque dæmon. *Devorat diabolus, et veluti sibi per mortalem culpam peccatorum incorporat*, ait Lyran. E contra fidelis et sanctus est cibus Christi: unde aiebat S. Ignatius audiens leones rugientes: *Frumentum Christi sum dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.*

Octavo: *Leonum*, ait Plinius, *index animi cauda, sicut et equorum aures. Immota ergo, placidus, clemens, blandientique similis, quod rarum est: crebrior enim iracundia ejus. In principio terra verberatur: incremento terga ceu quodam incitamento flagellantur. Vis summa in pectore. Ex omni vulnere sive ungue impresso, sive dente, ater profluit sanguis.* Ita diabolus non nisi in cauda, id est, in fine tentationis, malitiam et iram suam patefacit; tum sanguinem atrum ostentat, se scilicet non sitire nisi mortes et cædes hominum. Rursum in pectus et cor hominis irrepit, et se insinuat; eo enim occupato, totam animam totumque hominem occupat. Unde S. Cyprian. tract. de Zelo et Livore: *Dominus*, ait, *prudentes nos esse jussit, et cauta sollicitudine vigilare præcepit, ne adversarius vigilans semper, et semper insidians ubi in pectus obrepsit, de scintillis conflet incendia, de parvis maxima exaggeret: et dum remissis et incautis leniore aura et flatu molliore blanditur, procellis ac turbinibus excitatis ruinas fidei et salutis, ac vitæ naufragia moliatur. Excubandum est itaque, fratres dilectissimi, atque omnibus viribus elaborandum, ut inimico sævienti, et jacula sua in omnes corporis partes, quibus percuti et vulnerari possumus, dirigenti, sollicita et plena vigilantia repugnemus, secundum quod Petrus Apostolus in epistola sua prænonet et docet, dicens: Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens, et aliquid devorare quærens, circuit.*

Nono, pergit Plinius: *Cum pro catulis fœta dimicat, oculorum aciem traditur defigere in terram, ne venabula expavescat: nec limis intuentur oculis, aspicique simili modo nolunt. Creditum est à moriente humum morderi, lachrymamque letho dari.* Ita diabolus non cœlum, sed terram intuetur, suosque pariter intueri facit, ne venabula peccatorum et gehennæ expavescant. Rursum dæmon sævitia est leo, astutia vulpes, quia quos vi non potest, dolo superare contendit. Facit ergo illud Lysandri: *Ubi leonina pellis non sufficit, addenda est vulpina.* Et illud Pindari in Isthmiis ode 4. de Melisso: *Ille animositate similis audaciæ graviter frementium leonum ad venandum cum labore, solertia autem est vulpes, quæ supina cohibet impetum aquilæ; oportet autem quidlibet faciendo, labefactare adversarium.*

Decimo: *Hoc tale*, ait Plinius, *tam sævum animal, rotarum orbes circumacti, currusque inanes, et gallinaceorum cristæ, cantusque etiam magis terrent, sed maxime ignes.* Ita diabolus terretur et fugatur rebus in speciem exilibus, scilicet crista crucis, lætitia, psalmodia et cantu hymnorum, orbe et cœtu monachorum et clericorum, sed maxime igne et zelo amoris Christi. Unde S. Antonius apud S. Athanasium: *Credite*, ait, *mihi experto, pertimescit Satanas recte viventium vigilias, orationes, jejunia, mansuetudinem, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contemptum, humilitatem, misericordiam, iræ dominatum, et præcipue cor purum erga Christi amorem. Novit deterrimus coluber, ex præcepto Domini sub justorum se jacere vestigiis, qui ait: Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici.* Unde S. Chrys. hom. 22. in epist. ad Ephes. *Conculcabimus diaboli potentiam*, ait, *si peccata conculcaverimus, omnia dico temporalia, fastum, concupiscentiam, superbiam, omnes animi passiones. Ansam enim dant diabolo divitiæ, pecunia, et vanæ gloriæ studium.*

Undecimo: Leo, ait Aristot. in Physiog. c. 8. *habet gressum juvenilem et totum corpus articulatum et nervosum: ambulans autem tarde, et magnifice incedens, et se in humeris cum ambulat quatiens, amans victoriæ.* Idem lib. 9. Histor. animal. cap. 44. *In venatu dum cernitur, nunquam fugit, aut metuit; sed etiamsi venantium multitudine cedere cogitur, sensim pedatimque discedit, crebro subsistens atque respectans: nactus vero opaca, fuga, qua maxime potest veloci, se subtrahit, donec in aperta deveniat: tum rursus lente*

incedit. Ita dæmon fortitudinem simulat, metum dissimulat, ut suam fortitudinem et superbiam ostentet, videaturque vincere, etiam dum vincitur.

Duodecimo, leo grandia et fortia animalia aggreditur, parva et vilia aspernatur. Rursum non comedit nisi quod vivum ceperit. Ita Ælian. l. 2. c. 3. Sic et diaboli cibus est electus Habac. 1. 16. meliores, sanctiores, fortioresque aggreditur; timidos, carnalesque quasi suos contemnit. Rursum leo læsus acrius in lædentem insurgit: ita dæmon magis sævit cum læditur, puta cum homines vacant pietati, ut tempore Quadragesimæ, uti docet Cassian. collat. 21. 28.

Circuit,] scilicet assidue et continuo. Unde S. Fulgentius ad Thrasim. lib. 1. cap. 5. indefessum vocat ejus circuitum. Græce περιπατει id est, ut Tigur. *obambulat;* Pagnin. *undique ambulat;* alii, *circumambulat;* S. Hieron. 55. Isaiæ, *circumiens quærit.* Sic ait ipse diabolus: *Circuivi terram, et perambulavi eam.* Job 1. 7. Et Christus de eo: *Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa*, etc. Luc. 11. 24. Hinc et patris sui exemplo, *in circuitu impii ambulant,* Psal. 11. 9. hoc est, circumquaque oberrant vagi et instabiles, ut piis noceant. Ita ibidem Theod. Athanas. Chrysost. Unde Chald. vertit, *in circuitu impii ambulant tanquam sanguisuga, quæ sugit sanguinem filiorum hominum.* Sic Judæi, ac pariter hæretici, Ps. 58. 15. dicuntur circuire civitatem, id est Ecclesiam, quia vagi quærent undique modos eam oppugnandi, nec tamen eam ingredi volunt: unde ab uno errore et hæresi labuntur in aliam. Rursum Eusebius: Circulus, inquit, rectæ lineæ contrarius est, hinc impii in orbem, id est, oblique ad extrema, pii vero recta secundum rationem ad medium virtutis pergunt. Tropol. S. Aug. Impii ambulant in circuitu, id est, ait, in temporalium rerum cupiditate, quæ septem dierum repetito circuitu quasi rota volvitur, et ideo non perveniunt ad octavum, id est, ad diem æternum, pro quo iste psalmus intitulatur: hinc et multiplicantur, quia recedunt ab unitate Dei.

Circuitus ergo iste et perambulatio diaboli significat, primo, eum vagum esse et instabilem, quia deserendo Deum per peccatum, stabilitatem mentis (hæc enim est in solo Deo) perdidit, qua de re plura dixi ad illud Thren. 1. 8. *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est.*

Secundo, ejus iram et nocendi cupiditatem; circuit enim diabolus perinde ac duellator, qui in duello antagonistam circumcirca observat et circuit, ut eum dejiciat, idque assidue et jugiter. Solus enim circularis motus potest esse perpetuus, eo quod circulus fine et principio careat, cæteri non, ut docet Arist. 8. Physiog. text. 75. et 76. ubi probat motum circularem esse primum, et mensuram cæterorum, esseque continuum; quia semper fertur circa medium, non ad extremum, uti fertur motus rectus, ideoque cœlos moveri motu circulari. Circulationem ergo hanc didicit diabolus in cœlo, cum ibidem versatus est, quasi angelus; sed eum ex bono convertit in malum, cum lapsus est factusque diabolus.

Tertio, ejus versutiam, fraudes et dolos, qua ut serpens gyrat et regyrat, ut homines suis artibus, scrupulis, perplexitatibus, etc., intricet, circumveniat, implicet, irretiat, decipiat, capiat, juxta illud Job c. 40. 12. de Behemot, id est elephante, qui typus est diaboli: *Nervi testiculorum ejus perplexi sunt.* Ubi vide S. Gregor. Et S. Leo serm. 7. de Nativit. *Novit* (dæmon) inquit, *cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ; novit quem errore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat.*

Quarto, perambulat quasi princeps mundi; perambulare enim in Script. significat dominium et imperium: sic enim herus perambulat in agro suo, rex in regno, dux in regionibus bello subactis, uti pluribus ostendi Zachar. 1. 11. unde ait, Job c. 41. 24. *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei qui factus est ut nullum timeret.*

Quinto circuit, sicut venator circuit cervos; piscator pisces, exercitus urbem, ut omnes concludat, capiat vel occidat, juxta illud Job 40. 18. *Ecce absorbebit fluvium, et non mirabitur: et habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus.* Unde Thomas Anglicus: Perversitas, inquit, diaboli significatur per nomen adversarii, robur per nomen leonis, crudelitas cum rugiens vocatur, sollicitudo cum circumire quærendo dicitur. Hinc à nobis exigitur contra primum, ut resistamus: contra secundum, ut simus fortes: contra tertium, ut fidei mansuetudinem habeamus: contra quartum, ut vigilemus.

Sexto, circuitio hæc significat sagacitatem diaboli, qua cujusque desideria, vitia, infirmitates, occasiones, habitus explorat, ut ea parte quemque aggrediatur et tentet, qua debilior est: sicut dux qui obsidet urbem, circuit ut videat qua parte minus munita sit, ut per eam irrumpat. Qui ergo diabolo resistere cupit, omnia sua circumlustret, omnes sensus acri custodia muniat, omnia vitia mortificet, præsertim ea in quæ pronior est; ubi infirmior est, ibi magis se obfirmet, totusque excubet, et sese obarmet per orationes, propositum efficax, pœnitentias, consilia seniorum, etc. Audi S. Cyprian. tract. de Zelo: *Circuit ille nos singulos, et tanquam hostis clausos obsidens, muros explorat, et tentat an sit pars aliqua membrorum minus stabilis et minus fida, cujus aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illices et faciles voluptates, ut visu destruat castitatem. Aures per canoram musicam tentat, ut soni dulcioris auditu solvat et molliat Christianum vigorem. Linguam convicio provocat, manum injuriis lacessentibus ad petulantiam cædis instigat, ut fraudatorem faciat: lucra opponit injusta, ut animam pecunia capiat: ingerit perniciosa compendia, honores terrenos promittit, ut cœlestes adimat: ostentat falsa, ut vera subripiat: et cum latenter non potest fallere, exerte atque aperte minatur, terrorem turbidæ persecutionis intentans ad debellandos Dei servos; inquietus semper et semper infestus; in pace subdolus, in persecutione violentus. Quamobrem, fratres dilectissimi, contra omnes diaboli vel fallaces insidias, vel apertas minas stare debet instructus animus et armatus, tam paratus semper ad repugnandum, quam est ad impugnandum semper paratus inimicus. Et quoniam frequentiora sunt tela ejus quæ latenter obrepunt, magisque, occulta et clandestina jaculatio, quo minus perspicitur, hoc et gravius et crebrius in vulnera nostra gras-*

satur ; ad hæc quoque intelligenda et depellenda vigilemus, ex quibus est zeli et livoris malum.

Et S. Antonius apud S. Athanas. monet Christianos, ne per inertiam vires dæmonibus præbeant : *nam quales*, ait, *nos et nostras repererint cogitationes, tales se nobis præstare consueverunt : et si quod in pectoribus male mentis et pavoris semen invenerint, quasi latrones qui deserta loca obtinent, cæptos cumulant timores, et crudeliter imminentes infelicem puniunt animam ;* et S. Leo serm. 7. de Nativit. *Omnium*, ait, *discutit* (dæmon) *consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, et ibi causas quærit nocendi, ubicumque viderit studiosius occupari.*

Septimo, circuit ut homines in circulum agat (ceu turbo paleas), puta in mentis vertiginem, ut quasi dementati, ac cerebro et ratione destituti, raptentur in orbem suarum machinationum, puta concupiscentiarum, ruantque de uno peccato in aliud et aliud, donec totum circulum peccatorum omnium absolvant et compleant.

QUEM DEVORET.] Leo devorat non glutiendo, sed dentibus validis prædam comminuendo, juxta illud Isaiæ 38. 13. *Quasi leo sic contrivit omnia ossa mea ;* et illud S. Ignatii : *Dentibus bestiarum molar ;* sic et dæmon odio et rabie, quo furit in Deum et homines, eos plane conterere satagit. Unde S. Chrysost. hom. 22. ad pop. *Circuit*, ait, *quærens non quem mordeat, vel frangat, sed quem devoret.* Est catachresis : dæmon enim proprie non devorat homines, vel animas ; sed eas lacerat, perdit et cruciat, eaque re mire quasi esca suavissima pascitur et delectatur ; et hoc significat τὸ *devoret.*

9. CUI RESISTITE (S. Hieron. in c. 55. Isaiæ legit, *adversus quem resistite ;* Syrus, *insurgite*) FORTES IN FIDE.] Tria hic S. Petrus fideli dat arma ad vincendum diabolum. Primum est ei resistere : resistentia est enim victoria, quia diabolus non vi cogendo extorquet, sed suadendo et blandiendo postulat à nobis consensum ; quod si illum negemus, vincimus. Secundum, fortitudo. Tertium, fides ; resistentia enim cum vincit, fortitudo subjugat, fides enervat. Fides enim futura præmia et pœnas menti ad vivum repræsentans excitat hominem, ut pro iis generose decertet, utque Dei opem ad fortiter præliandum imploret. Unde per fidem Christus inhabitat in cordibus nostris. Ephes. 3. 17. *Fides enim est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* Hebr. 11. v. 1. et sequent. Ubi Paulus docet Sanctos omnes vicisse per fidem. Idem Ephes. 6. 16. militem Christianum contra diabolum à capite ad talos obarmans, dat ei pro scuto fidem, pro galea spem, pro lorica justitiam, pro gladio verbum Dei, pro ocreis promptitudinem Evangelii, pro balteo veritatem. Unde Isidorus lib. 3. de summo Bono c. 5. *Ab incredulis*, inquit, *diabolus timetur ut leo, à fortibus in fide ut vermis contemnitur ;* et S. Joannes epist. 1. cap. 5. v. 4. *Hæc est*, ait, *victoria quæ vincit mundum, fides nostra ;* et S. Antonius apud S. Athanasium : *Signum*, ait, *crucis et fides ad Dominum inexpugnabilis nobis murus est ;* et rursum : *Si alacres fuerimus in Domino, et futurorum bonorum cupido nos succenderit, si semper omnia manibus Dei committamus ; nullus dæmonum ad expugnandum valebit accedere : magis enim cum munita in Christo corda conspexerint, confusi revertentur. Ita et Job firmatum in Domino diabolus refugit, et infelicissimum Judam exspoliatum fide vinculis captivitatis innexuit. Una est ergo ratio vincendi inimicum, lætitia spiritualis, et animæ Dominum semper cogitantis jugis recordatio, quæ dæmonum ludos quasi fumum expellens, persequetur adversarios potius quam timebit.* Idem monuit S. Jacobus cap. 4. vers. 7. *Resistite diabolo, et fugiet à vobis.* Vide ibi dicta.

FORTES IN FIDE.] Græce στερεοὶ quod S. Hieron. in c. 55. Isaiæ vertit, *confortati fide ;* Syrus, *obfirmati ;* Pagnin. et Tigur. *solidi ;* alii, *rigidi, duri, firmi.* Hæc enim omnia significat τὸ στερεοὶ.

Nota. Non qualis qualis, puta exilis et languida fides, sed viva, firma, fortis et generosa vincit diabolum ; quia jacula ejus sunt ignita. Ephes. 6. 16. Suscitat enim tentationes et concupiscentias ardentes, juxta illud Job 40. v. 12. *Halitus ejus prunas ardere facit.* Hæc autem non nisi vehementi fide exstingui possunt. Quare sub fide quasi radice intellige spem, orationem, charitatem ; fides enim spe roborata, oratione armata, charitate ignita, vincit diabolum. Illa enim succensi, in qualibet tentatione dicimus cum S. Paulo : *Quis nos separabit à charitate Christi ? Tribulatio ? an angustia ? an fames ? an nuditas ? an periculum ? an persecutio ? an gladius ?* etc. *Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est est in Christo Jesu Domino nostro.* Roman. 8. vers. 35.

Quocirca diabolus hanc fidei firmitatem et fortitudinem nobis eripere conatur, ut fide destituti quasi cæci oberremus, et impingamus in ejus laqueos ; fides enim est oculus animæ. Hujus rei symbolo Naas rex Ammon incolis Jabes oculum dextrum expungere voluit, 1. Reg. 11. 2. idque tum in opprobrium, tum ut rebellare non possent, faciendo eos bello inutiles et cæcos : sinistrum enim oculum scuto tegunt milites ; exempto ergo dextro fuissent prorsus in prælio cæci. Ita Joseph. 6. Antiq. 5. Tropol. S. Greg. ibidem : Dexter oculus, inquit, est intuitus æternæ claritatis, qui fit per fidem ; sinister est concupiscentia carnalis et intuitus terrenorum. Ergo Naas, id est hebraice *serpens*, puta diabolus, dextros oculos suorum eruit, quando æternorum intuitum adimit, facitque ut homines carnalia solum cogitent et cupiant, ac cœlestia, quæ solebant amare, non attendant. Sic et Angelomus ibidem. Hic verum est illud Senecæ in Hercule Fur.

> Quemcumque fortem videris, miserum neges.
> Nunquam stygias fertur ad undas
> Inclyta virtus : vivite fortes.

Et illud Plinii : *Ut palma impositio onere enititur ; ita viri fortis animus, quo plus negotiis premitur, quoque magis sævit fortuna, hoc est erectior.*

Talis fuit Agamemnon, qui constanti fortitudine, Trojam invictam decennali obsidione premens debellavit et occupavit, indeque dictus est Agamemnon, quasi ἀγαστὸς τὴν μονὴν, id est, *admirabilis in perseverantia et mora*, ait Plato in Cratylo. Agamemnon ergo idem est quod Parmeno. Nimirum *obsidio urbis quam capere cupis, constanter urgenda et premenda est*, ait Vegetius.

Pari modo qui diabolo resistere, qui vitium aliquod debellare cupit, sit Agamemnon, sit Parmeno, decennali obsidione et pugna illud oppugnet et expugnet. Talem fugit dæmon dicitque suis : *Sinamus hunc : nam Agamemnon est, à sua Troja non recedet, donec eam occupet.*

SCIENTES EAMDEM PASSIONEM (τα αυτα των παθηματων, id est, *easdem passiones*) EI QUÆ IN MUNDO EST, VESTRÆ FRATERNITATI FIERI.] Consolatur et roborat afflictos fideles Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, etc., ad quos scribit, exemplo fratrum, id est Christianorum, per totum mundum sparsorum, qui similia patiebantur. q. d. State fortes, ô fideles Pontici, etc., in omni tentatione et passione, quam contra vos suscitat diabolus, cogitando hanc passionem non esse vobis propriam, sed omnibus fidelibus communem; illos ergo omnes in passione, æque ac in fide, habetis fratres et socios. Hac itaque communione et societate vos solamini et corroborate; tum quia jucundum est in pœna habere socium, adeoque socius est pœnæ levamen; tum quia furor diaboli divisus et sparsus per omnes fideles, minor est in particulares et singulos, longe enim major esset, si singulis totus incumberet; tum quia hæc vis est societatis, ut in ea unus cæterorum conjunctione firmetur et roboretur, juxta illud Eccl. 4. 12. *Funiculus triplex difficile rumpitur;* tum quia passioni vestræ compatiuntur cæteri fideles universi, utpote fratres vestri; fratris autem compassio levat passionis onus et pondus. Ita Œcumen. Vatabl. et alii.

Nota primo, τὸ *quæ in mundo est*, aliqui referunt *ad passionem* quæ præcessit. q. d. Agite, durate, quia passio hæc quæ *vestræ fraternitati*, id est vobis, ô fratres, fit, tantum est hujus mundi : modico ergo tempore durabit, quia futurum sæculum, quod vos manet, non erit passionis, sed coronæ et gloriæ. Ita Arias. Aut, q. d. Ne miremini, ô fideles, vos tanta pati; nam etiam infideles et mundani, adeoque omnes qui in mundo sunt, similia patiuntur; mundus enim hic est forum passionum, et stadium ærumnarum.

Secundo, et genuine, τὸ *quod in mundo*, refer ad *fraternitati*, quod sequitur. q. d. Fraternitas vestra quæ est in mundo, id est, fratres vestri qui toto mundo sunt dispersi, similes tentationes, passiones et persecutiones ab hostibus fidei suscitante diabolo patiuntur, atque vos patimini. Idque exigit τὸ *ei*, et Græca quæ habent τῇ εν κοσμῳ αδελοτητι, id est, *fraternitati quæ est in mundo.* Unde Syrus vertit, *scitote etiam quod contra fratres vestros, qui in mundo sunt, ipsæ illæ passiones obveniunt.*

Nota secundo. Abstractum ponitur pro concreto : *fraternitatem* enim vocat fratres, id est fideles, non ad quos scribit, sed eorum in fide socios, qui in reliquo erant orbe, ut patet ex Græco jam citato. Cur fideles vocentur fratres, dixi c. 1. 22. et Jacobi 2. 15. Recte Clemens Alexandrinus l. 5. Strom. Gentiles arguentes fideles quod vocarent se fratres, ita redarguit : *Fratres nos esse, utpote unius Dei et unius magistri, alicubi etiam Plato videtur dicere hoc modo : Qui in civitate estis, omnino fratres estis;* et Minutius Felix in Octavio : *Fratres vocamur, ut unius Dei parentis homines, ut consortes fidei, ut spei cohæredes.* Origo hujus appellationis prodiit à Judæis, qui se invicem vocabant fratres, non tantum fide et religione, sed et sanguine. Omnes enim prognati sunt ex duodecim Patriarchis, quasi capitibus duodecim tribuum, qui omnes fuere fratres, utpote filii Jacob, nepotes Abrahæ; à Judæis enim prognatus est Christus et Christiani : et Synagoga Judæorum fuit matrix Ecclesiæ Christianorum, quæ proinde quasi filia et hæres matri morienti et desinenti successit, cum Synagoga in Ecclesiam transiit. Hinc pariter fratrum nomenclatura ab illa in hanc transit.

Nota tertio. Pro *fieri* græce est επιτελεισθαι quod primo vertit Noster, *fieri;* Syrus, *obvenire.* Secundo, Pagnin. et Cajetan. *perfici;* Tigur. *consummari;* Gagneius, *apparari et exhiberi;* alii, *suppleri*, juxta illud Pauli : *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus quod est Ecclesia.* Coloss. 1. 24. Perficitur enim cyclas passionum et patientiæ Ecclesiæ, ex passionibus et patientia singulorum fidelium, ejus filiorum et membrorum; ac proinde quisque fidelis ad passionem animare se debet, cogitando se non tantum suam, sed et totius Ecclesiæ coronam adimplere et perficere. Unde Cajet. τὸ *perfici* sic explicat. q. d. Passiones non sunt fugiendæ, sed ambiendæ; quia per eas in patientia perficimur, adeoque illæ in virtute nos solidant, faciuntque perfectos, juxta illud quod de Christo ait Paulus : *Decebat*, etc., *auctorem salutis eorum per passionem consummare.* Heb. 1. 10. Et cap. 5. 8. *Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis quæ passus est obedientiam, et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Græcum επιτελεω hæc omnia et plura significat, scilicet *perficere*, præstare, supplere, absolvere, consummare, solvere, obire, perfungi, exsequi.

10. DEUS AUTEM OMNIS GRATIÆ, scilicet auctor, conservator, promotor, perfector, remunerator et coronator. Unde subdit : QUI VOCAVIT NOS IN ÆTERNAM SUAM GLORIAM IN CHRISTO JESU, id est per Christum Jesum, MODICUM PASSOS IPSE PERFICIET, CONFIRMABIT SOLIDABITQUE.] Causam dat S. Dionysius, Eccl. hierarch. cap. 2. *Dominus enim*, ait, *ut est summe clemens et bonus, in suis bellatoribus vincit, dum in illis habitans, pro illorum salute et victoria adversus mortis et corruptionis imperium pugnat.* Est hic ultimus ad certandum et patiendum stimulus, quod Deus certantes adjuvet, perficiat et coronet. Ipse enim est Deus *omnis gratiæ :* ergo et patientiæ, perseverantiæ, ac gloriæ æternæ. Hæc enim ultima et maxima est gratiarum. Vere S. August. serm. 67. de Temp. *Quod si semper*, ait, *beneficia Dei nostri, quæ nobis nullis præcedentibus meritis nostris collata sunt, assidue cogitamus, peccata nostra nobis non dominantur; aut si forte surrepserint, cito per pœnitentiam corriguntur. Quis enim vel mente concipere, non dicam verbis possit exponere, quanta circa nos sint Dei nostri beneficia? Fecit enim nos cum non essemus, reparavit nos postea cum periissemus. Mortem suscepit, pretioso nos sanguine liberavit, ad inferna descendit, de faucibus nos æternæ mortis eripuit, cœlorum etiam regna promisit, etc.* Ecce ut Deus est Deus omnis gratiæ.

Nota primo. To *omnis gratiæ*, licet quamlibet virtutem et gratiam significet, maxime tamen patientiam et fortitudinem, ad sustinendum passiones et tentationes, quas diabolus nobis per se vel per suos suscitat. q. d. *Omnis gratiæ*, id est, omnis patientiæ : *patientia enim opus perfectum habet.* Jacob. 1. 4. Perfectio autem includit om-

nes virtutes; ergo et patientiam. Quare quod de charitate dixit Apostolus 1. Cor. 13. 4. idem dicas de patientia : *Patientia benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum; non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati : omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Unde Hugo, Catharinus et Salmeron omnem gratiam interpretantur totam integram et perfectam gratiam, ut sit enallage quantitatis, qua totum universale ponitur pro toto quanto, puta omne pro integro.

Nota secundo, τὸ *qui vocavit nos in æternam suam gloriam*, dat finem et causam tum præcedentium, tum sequentium. q. d. Quia Deus nos vocavit in æternam suam gloriam, hinc idem est auctor *omnis gratiæ:* hæc enim respondet gloriæ quasi semen fructui, meritum mercedi, labor præmio; hinc rursum idem ipse *modicum passos perficiet, confirmabit, solidabitque.* Vere Abbas Hyperichius in Vitis Patrum l. 5. libello 11. n. 35. *Cogitatio tua*, ait, *sit in regno cœlorum, et cito in hæreditatem accipies illud.* Unde addit S. Petrus : *In Christo Jesu*, id est, per Christum Jesum, puta primo, per merita Christi; secundo, per prædicationem Christi; tertio, per vocationem et gratiam Christi : per hæc enim vocamur ad æternam gloriam. Secundo, *in Christo*, ut scilicet nos patientes simus in Christo passo, quasi membra, cum eoque efficiamus unum corpus Ecclesiæ tunc militantis per gratiam, postea triumphantis per gloriam. Ita Thomas Anglicus et Glossa. Tertio Lyranus et Dionys. *in Christo*, id est, propter Christum, vel pro Christo, modicum passos. Quarto, *in Christo* id est, instar Christi, qui nobis est speculum, æque ac præmium patientiæ. Ita S. Bernardus serm. 74. in Cantic. docet Christum tam pugnantis formam esse quam gloriam triumphantis. *Utrumque*, ait, *est mihi, Domine Jesu, et speculum patiendi, et præmium patientis : utrumque fortiter provocat, et vehementer accendit. Tu doces manus meas ad prælium exemplo virtutis tuæ, tu caput meum post victoriam tuæ coronas præsentia majestatis, sive quia pugnantem te specto, sive quia te expecto non solum coronantem, sed et coronam.*

Porro S. Petrus uti epistolam cœpit à beneficio vocationis ad fidem et Christianismum, ita in eodem finit, ut ostendat quantum hoc sit quantique æstimandum, ideoque fideles jugiter illud præ oculis habere debere, pro eoque gratias agere, ac perseverantiam postulare, denique vitam illo dignam agere.

Nota tertio, τὸ *modicum passos;* Tigur. *parumper afflictos, ipse perficiet*, magnam patientibus affert consolationem et stimulum ad alacriter et constanter patiendum; cogitando scilicet quod modica sit passio, quodque Deus modicum tentatos et passos perficiet. Unde Tertull. ad Martyr. cap. 3. *Epistates vester*, ait, *Christus Jesus, qui vos spiritu unxit, et ad hoc scamma produxit*, etc., *ut vires corroborarentur in vobis, quia virtus duritia extruitur, mollitia vero destruitur.* Ita S. Antonius luctans cum dæmone : *Cum elevaret oculos*, ait sanctus Athanasius, *vidit desuper culmen aperiri, et deductis tenebris radium ad se lucis influere. Post cujus splendoris adventum nec dæmonum aliquis apparuit, et corporis dolor extemplo deletus est. Ædificium quoque quod paulo ante dissolutum fuerat, instauratum est. Illico præsentiam intellexit Domini Antonius, et ex intimo pectore trahens longa suspiria, ad visionem quæ ei apparuerat loquebatur, dicens : Ubi eras, bone Jesu? ubi eras? Quare non à principio adfuisti, ut sanares vulnera mea? Et vox ad eum facta est, dicens : Antoni, hic eram; sed expectabam videre certamen tuum. Nunc autem quia dimicando viriliter non cessisti, semper auxiliabor tibi, et faciam te in omni orbe nominari. His auditis exurgens in tantum roboratus orabat, ut intelligeret se plus recepisse tunc virium quam ante perdiderat.* Ita Theodosius Abbas apud Joannem Moschum in Prato spirit. c. 66. cum vidisset diabolum instar Æthiopis et gigantis enormis, qui à terra porrigebatur usque in cœlum, et caput inter nubila condebat, audiretque : *Theodosi, cum hoc oportet te luctari;* ac pavidus diceret : *Quis ego sum, ut homuncio cum tanto gigante lucter?* audivit : *Ingredere cum omni alacritate et fiducia; mox enim ut tu illum adorsus fueris, ego adjutor adero, tibique victoriæ coronam imponam.* Ita factum. Idem sæpe experimur in nobis, cum quid arduum aggredimur, ut ante aggressum horreamus, putemusque rem confectu impossibilem. At ubi eam aggredimur, et opus incipimus, illico minuuntur et cedunt difficultates, remque ipsam parvo labore conficimus, ut verum sit quod ait ille : *Res in se non esse difficiles, sed difficiles apprehendi; ideoque non res, sed opiniones rerum nos turbare et percellere,* et illud Nazianzeni in Sentent. : *Ut foliorum strepitus lepores exterrent, ita rerum umbræ timidos et ignavos.* Quæ ergo dura videntur, magnis animis, et quasi clausis (ut facit leo) ad difficultatem, cæcisque oculis aggredienda sunt, itaque illico vincetur difficultatis horror, resque factu facilis videbitur. Legimus nonnullos Martyres, ac nominatim SS. Marcum et Marcellianum initio martyrii trepidasse, et ingentes habuisse dolores ac luctas; at ubi constanti animo se ad Dei gloriam in prædam tortoribus dederunt, Deique opem ardenter efflagitarunt, pavorem et horrorem omnem vicisse, lætosque et alacres omnia tormenta tolerasse; tum quia animus hic generosus superabat dolores, ut eos parvos vel nullos duceret; tum quia Deus magnis animis adest et succurrit, vel doloris sensum minuendo, vel sua consolatione et gratia ita animum roborando, ut tormenta omnia levia æstimet. Sicut enim pondus leve per contrapondus majus attollitur, et quasi alleviatur; ita dolorem omnem mitigat magnus amor et animus : *Pondus* enim *meum est amor meus*, ait S. Augustinus.

Nota quarto, τὸ *ipse perficiet*, græce est καταρτίσαι, quod Tigurina vertit, *instauret*, ut si quid per afflictiones in potentia et mente, vitio impatientiæ et pusillanimitatis sit luxatum, læsum, divisum, fractum, hiulcum, distortum, debilitatum, instauret, confirmet, uniat, æquet. Alii vertunt *compaginet*, vel integret, ut omnibus patientiæ et virtutum partibus quasi artibus compacti, sitis integri, exacti, absoluti et perfecti.

CONFIRMABIT SOLIDABITQUE.] Pagn. *fulciat et roboret.* Hæc omnia idem, vel quasi idem sunt, tantumque per auxesin significant hanc perfectionem esse firmam et solidam, ac consistere in firmitate et soliditate patientiæ et virtutis. Unde Græca addunt θεμελιώσει, id est, *fundabit;* Tigur. et Pagnin. *stabiliet.* Hinc Syrus vertit : *Ut, cum sustinuerimus has oppressiones exiguas, roboremur, et confirmemur, ac perstemus in eo*

(Jesu Christo) *in æternum.* Hinc rursum aliqui hæc legunt per nomina et ablativos : καταρτισαι ςηριξει, σθενωσει, θεμελιωσει, id est, *perficiet confirmatione, consolidatione, fundatione.* Verum melius Noster et alii tria ultima accipiunt non ut nomina, sed ut verba futuri temporis, ideoque pariter pro primo καταρτισαι, id est *perficiat*, in optativo, legunt in futuro καταρτισει, id est, *perficiet.* Jam græca omnia legunt in optativo καταρτισαι, στηριξαι, σθενωσαι, θεμελιωσαι, id est *perficiat, confirmet, roboret, fundet.*

Alii tamen hæc distinguunt, sed varie. Primo, Salmeron : *Perficiet*, ait, *per charitatem, confirmabit per spem vivam, solidabit per fidem efficacem.* Rursum idem addit Christum perficere fideles quos emit et redemit, Patrem confirmare eosdem quos condidit, Spiritum Sanctum solidare suæ gratiæ et fortitudinis spiritu. Secundo, Titelmanus : *Perficiet*, inquit, *per patientiam, confirmabit et solidabit per perseverantiam.* Unde et Prosper l. 1. de Vocat. Gentium c. 24. ex hoc loco docet perseverantiam esse donum Dei ; tertio Carthus. hæc adaptat tribus animæ potentiis: *Perficiet*, inquit, *intellectum purificatæ mentis intelligentia, confirmabit voluntatem fervore charitatis, solidabit memoriam ut in Deo figatur fixaque consistat.* Vel, ut Thomas Anglicus : *Perficiet rationem cognitione veritatis, confirmabit appetitum concupiscibilem in amore bonitatis, solidabit irascibilem ut nullis terroribus vel difficultatibus cedat.* Quarto, Hugo hæc applicat et opponit tribus hominis hostibus : *Perficiet*, inquit, *contra mundum, confirmabit contra carnem, solidabit contra dæmonem.* Quinto, alii q. d. *Perficiet nos largiendo voluntatem perfecte et constanter valendi, confirmabit dando voluntatem rem volitam exequendi, solidabit dando robur ipsumque actum exequendi.*

Porro hæc omnia inchoate facit Deus in hac vita per gratiam et patientiam, perfecte vero eadem faciet in futura per gloriam. Hac enim perficiet intellectum lumine gloriæ, ut Deum quasi summum bonum videat et contempletur : confirmabit voluntatem, ut ipsum totis viribus amet : solidabit eamdem, ut à tanto bono avelli nequeat, sed illi tota inhæreat, nec ulla re aut ratione ab eo separari possit. Ita fere Hugo, Primaticcius, et alii, ac favet Syrus dum vertit, *roboremur, et confirmemur, et perstemus in eo in æternum.* Hoc est quod ait Paulus : *Momentaneum, et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4. 17. *Hic scopus, hic finis*, hæc meta, hæc corona, hoc epiniceum Christiani à quo uti inchoavit epistolam S. Petrus, ita et in eodem definit.

Præclare Lactantius l. 7. c. 6. Christianos et totam Christianismi rationem hac circumscriptione depingit. *Idcirco*, ait, *mundus est factus, ut nascamur : ideo nascimur, ut agnoscamus factorem mundi ac nostri Deum : ideo agnoscimus, ut colamus : ideo colimus ut immortalitatem pro laborum mercede capiamus, quoniam maximis laboribus cultus Dei constat : ideo præmio immortalitatis afficimur, ut similes angelis effecti, summo Patri ac Domino in perpetuum serviamus et simus æternum Deo regnum. Hæc summa rerum est, hoc arcanum Dei, hoc mysterium mundi.* Unde S. Gregor. Nazianz. de Christo patiente ait, eum non sibi, sed nobis natum et passum.

Factus sum, *inquit*, Christi corporis, ille mei;
Me gessit moriens, me victa morte resurgens ;
Et secum ad Patrem me super astra tulit.

Et Prudentius de Resurrect. carnis :

Pellite corde metum, mea membra, et credite vosmet
Cum Christo reditura Deo : nam vos gerit ille ;
Et secum revocat, morbos ridete minaces,
Inflictos casus contemnite, tetra sepulchra
Despicite, et surgens Christus quo provocat ite.

Et Tertullianus lib. de Resurrect. resurrectionis symbolum dat phœnicem avem Arabiæ revivescentem, eique comparat Christianos patientes, morientes et resurgentes. De phœnice enim sic canit Lactantius :

Ipsa sibi proles, suus est pater, et suus hæres,
Nutrix ipsa sui, semper alumna sui.
Ipsa quidem, sed non eadem : quia et ipsa, nec ipsa est
Æternam vitam mortis adepta bono.

Ravennæ extat emblema ad picturam phœnicis :

Securus moritur qui scit se morte renasci,
Mors ea non dici, sed nova vita potest.

Illustrissima Bona Joannis Galeatii Mediolanensis ducis mater, mortuo marito, curavit in numismate cudi phœnicem hoc lemmate :

Sola facta solum Deum sequor.

Denique S. Cæcilia tumulo S. Maximi Martyris curavit insculpi phœnicem ; et Romæ in cryptis Martyrum plurium sarcophagis phœnix incisus visitur.

Hæc cogitantes, sperantes et ambientes Sancti ambiebant passiones, quærebant cruces, sitiebant martyria. Eminuit inter eos S. Vincentius, qui tam avarus et avidus fuit suppliciorum, quam Dacianus tyrannus eorumdem in ipsum prodigus, equuleum habebat in deliciis, ungulas pro epulis, catastam pro molli culcitra, ac, quod mirum est, iis crescentibus crescebat ejus animi corporisque vigor, ut excarnificatus et pene enectus iis reviviscere, redintegrari et roborari videretur ; adeoque in lecto et rosis animam afflavit, cui tormenta vitam dederant : nimirum rosæ et deliciæ ei erant tormenta, tormenta vero et pœnæ pro Christo ejus erant deliciæ. Ita Deus modicum passum perfecit, confirmavit, solidavitque ut homine celsior, instar angeli incorporei in pœnis corporis luderet, et eluderet tyranno, ut suis vulneribus magis vulneraret et cruciaret tyrannum, quam ipse eis vulneraretur. Similis fuit S. Agatha Quintiano insultans. Modicum enim passa adeo corroborata est, ut Aphrodisiæ lenæ se tentanti dixerit : *Operam perdis : ego enim ita firmata sum in fide, castitate, et amore Dei, ut per ejus gratiam citius sol perditurus sit suum lumen, ignis calorem, nix albedinem, quam ego mutem propositum. Præparet Quintianus leones, acuat gladios, ignes succendat, portas inferni aperiat, omnesque in me dæmones concitet, Dei ope vivam et moriar Christiana æque ac virgo ; intentissime enim amo et desidero Christum, cui me totam devovi et despondi.*

11. IPSI GLORIA ET IMPERIUM.] Syrus, *ipsi gloria, potentia et honor.* S. Prosper. 1. de Vocatione Gentium cap. 24. *cui virtus et honor.* Græcum κρατος, significat potentiam, robur, vim, imperium, principatum, victoriam, quæ omnia huic loco congruunt. q. d. Deus modicum pas-

sos perficiet, eisque per patientiam perfectam dabit victoriam, illi ergo omnis victoriæ laus tribuatur, non nobis, juxta illud Pauli 1. Cor. 15. 57. *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.* et 2. Cor. 2. 14. *Deo gratias qui semper triumphat,* id est, triumphare facit *nos in Christo Jesu.* S. Petrus uti cœpit per Doxologiam Dei, dicendo: *Benedictus Deus;* ita in eamdem desinit, dicens: *Ipsi gloria,* etc., ut doceat Deum Deique laudem debere esse principium, medium et finem nostrarum actionum; ideoque crebro corde et ore usurpandam, uti usurpat S. Paulus Rom. 11. 36. et cap. 16. 27. Ephes. 3. 21. Philip. 4. 20. Heb. 13. 21. Galat. 1. 5. et alibi, de quo plura Apoc. 4. 11. et c. 5. 12. et c. 7. 12.

12. Per Silvanum.] Hic est Silas, qui hasce S. Petri litteras Roma deferens in Orientem, ibi incidit in sanctum Paulum, illique comes prædicationis adhæsit, 2. Thessal. 1. 1. ita S. Hier. epist. 143. Syrus, OEcum. et alii plerique.

Perperam ergo Dorotheus in Synopsi, et Menologium Græcorum 1. Aug. *Silvanum* à Sila distinguunt. Censent aliqui *Silvanum* vel Silam non tantum detulisse, sed et scripsisse hanc epistolam dictatam à S. Petro. Ait enim: *Per Silvanum,* etc., *breviter scripsit.* Nominat latorem, ut fideles certi sint epistolam ab eo delatam esse Petri germanam non fictam, non suppositam.

Ut arbitror.] Refert ad *fidelem verbis.* q. d. Scripsi per Silvanum, quia ipse vobis est fidelis, *ut arbitror.* Alii referunt ad *breviter scripsi.* q. d. Arbitror me fuisse brevem in scribendo. Aliquando enim scribens vel loquens videtur sibi brevis qui audientibus vel legentibus videtur prolixus: ita Syrus et Cajet.

Obsecrans.] Ut fidem Christi et præcepta virtutum, quæ hac epistola perscripsi, constanter retineatis, et opere expleatis: *contestor* enim in his sitam esse *veram gratiam Dei in qua statis,* id est constanter perseveratis. In Græco est εστηκατε, id est *stetistis;* sed videtur legendum εστητε, id est *statis,* aut certe præteritum accipitur pro præsenti, more Hebræo: præsens enim passim omnes explicant. Nonnulli tamen legunt στητε, id est *stetis,* idque apte respondet Græco παρακαλων, id est *obsecrans* vel *exhortans* vos, ut stetis et perseveretis in fide Christi et gratia christianismi. Perperam enim Syrus pro παρακαλων vertit, *persuasum habens.* Ita Paulus ait Philip. 4. 1. *Sic state in Domino charissimi.* et Galat. 5. 1. *State et nolite iterum jugo servitutis contineri.* Nota fidem et legem novam vocari gratiam, quia summum Dei est donum, immeritis et indignis gratis datum, ut eos sibi gratos, cæloque dignos efficiat, juxta illud Joan. 1. *Lex per Mosen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Vetus enim lex erat rigoris et justitiæ, nova est gratiæ et clementiæ.

13. Salutat vos Ecclesia (vox *Ecclesia* non est in Græco, sed intelligitur. Unde Interpres recte eam expressit, æque ac Syrus) quæ est in Babylone coelecta.] Hæretici, ut Beza, Viretus, Sadulius, Velenus et alii, ut tueantur falsum suum dogma, scilicet S. Petrum Romæ non fuisse, ac proinde Romanum Pontificem non esse successorem S. Petri et caput Ecclesiæ, *Babylonem* proprie accipiunt, urbem scilicet vel Assyriæ, vel Ægypti. Duplex enim fuit Babylon, una in Chaldæa, altera in Ægypto, quæ nunc Cayrus dicitur.

Verum errant. Primo, quia Judæi, qualis erat S. Petrus, à Caio Cæsare expulsi erant Babylone et Assyria, uti docet Josephus 18. Antiq. c. ult. Babylon autem Ægyptia nunc erat locus obscurus et castellum, ait Strabo lib. 17. Secundo, quia S. Joannes Apocal. 17. 9. dicit Babylonem insidere septem montibus, sive collibus; nulla autem alia urbs est septicollis, quam Roma. Unde hæretici coacti confitentur in Apocalypsi per *Babylonem,* intelligi Romam. (Hinc Lutherus scripsit librum de Babylonica captivitate, id est, de Romana, puta Papæ et Papatus, ut ipse explicat.) Si in Apocal. cur non et hic? S. Joannes enim fuit synchronos S. Petro; unde eadem utrique fuit Roma et Babylon. Tertio, quia id unanimiter asserunt Patres et Doctores orthodoxi, nimirum Papias discipulus S. Joannis apud Eusebium lib. 2. Hist. cap. 14. alias 15. S. Hier. in Isaiæ cap. 24. et 47. et lib. 2. contra Jovin. sub finem: *Ad te,* ait, *loquor, quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti.* Tertull. lib. 3. contra Marc. c. 13. Beda, OEcum. et alii hic, Andreas Cæsar. Aretas, Ribera, Alcazar, Viegas, Pererius et alii Apoc. 17. et 18.

Quæres qua ratione Roma vocetur *Babylon?* Respond. Primo, quia Roma Babyloni in imperio successit quasi filia matri, vel potius neptis aviæ, ideoque Babylonicum imperium transiit et desiit in Romanum, sicut Synagoga transiit in Ecclesiam, Jerusalem Judaica in Christianam: unde idcirco ipsa Ecclesia vocatur Synagoga Sion et Jerusalem. Ita S. August. 8. Civit. 2. *Babylonem* vocat primam Romam, et Romam secundam Babylonem: *Duo,* inquit, *regna cernimus longe cæteris provenisse clariora, Assyriorum* (sub quibus et Babylonios accipit) *primum, deinde Romanorum, ut temporibus, ita locis inter se ordinata atque distincta. Nam quomodo illud prius, hoc posterius; eo modo illud in Oriente, hoc in Occidente surrexit. Denique in illius fine hujus initium confestim fuit,* et c. 22. *Altissima tunc condita est civitas Roma velut altera Babylon, et velut prioris filia Babylonis, per quam Deo placuit orbem debellare terrarum, et in unam societatem reipub. legumque perductum, longe lateque pacare.*

Secundo, quia Roma similis fuit Babyloni in amplitudine et magnificentia imperii. Ita OEcumen. Unde Babylon fuit Romæ typus et præludium, idque multis parallelis et analogiis quas recenset Orosius lib. 2. cap. 2 et 3. Nam Primo, inquit, *Nini et Babylonis regnum eo anno in Medos derivatum est, quo anno apud Latinos Procas Amulii et Numitoris pater, avus autem Rheæ Sylviæ, quæ mater Romuli fuit, regna e cœpit.* Secundo, *sic à primo anno imperii Nini usquequo Babylon à Semiramide instaurari cœpta est, interveniunt anni sexaginta quatuor, ita à primo anno Procæ cum regnare cœpit, usque ad conditionem Urbis factam à Romulo, intersunt anni sexaginta quatuor.* Tertio, *Babylon eo anno sub Arbato dehonorata est, quo Roma sub Proca rege seminata est.* Quarto, *Babylon novissime eo tempore à Cyro rege subversa, quo primum Roma à Tarquiniorum regum dominatione liberata est. Siquidem sub una eademque convenientia temporum illa cecidit, ista surrexit: illa tunc primum alienigenarum perpessa dominatum, hæc tunc primum etiam suorum aspernata fastidium: illa tunc quasi moriens dimisit hæreditatem; hæc*

vero pubescens tunc se agnovit hæredem : tunc Orientis occidit imperium, exortum est Occidentis. Quinto, *Babylon stetit annis* 1164, *usque ad Arbatum, qui eam spoliavit imperio; et Roma post totidem annos, hoc est* 1164, *à Gothis et Alarico rege eorum opibus spoliata, non regno, manet adhuc et regnat incolumis.* Sexto, *similis Babyloniæ ortus, et Romæ, similis potentia : similis magnitudo, similia tempora, similia bona, similia mala; tametsi non similis exitus similisve defectus. Illa enim regnum amisit, hæc retinet : Illa interfectione regis orbata, hæc incolumi imperatore secura est. Et quare hoc? Quoniam ibi in rege libidinum turpitudo punita, hic Christianæ religionis continentissima æquitas in rege servata est; ibi absque religionis reverentia aviditatem voluptatis licentia furoris implevit, hic et Christiani fuere qui parcerent; et Christiani propter quorum memoriam, et in quorum memoria parceretur.* Hucusque Orosius.

Denique tempore S. Petri Roma erat Babylon, id est, confusio idolorum, vitiorum et spoliorum totius orbis. Unde Tertull. lib. 3. contra Marc. cap. 13. *Sic et Babylon*, ait, *etiam apud Joannem nostrum Romanæ urbis figura est, proinde magnæ, et regno superbæ, et Sanctorum Dei debellatricis.* Ubi nota. Babel sive Babylon Hebr. idem est quod græce συγχυσις, ut vertunt Septuag. Genesis 11. 9. latine *confusio*, sive commixtio : *quoniam ibi confusum est labium universæ terræ*, hoc est, quia ibi commixtæ et divisæ sunt hominum linguæ, cum prius omnes una eademque, puta Hebræa, loquerentur. Radix ergo Babel est בלל *balal*, et per crasin *bal*, id est *confundere*, commiscere : inde enim addita littera b, fit Babel. Porro additur littera b, dicturque *Babel* pro *bal* aut *bel*, vel quia *bet* Hebr. significat *in*, ut *Babel* idem sit quod *in confusione*, ut vult Pagnin. in Interpret. nom. Hebr. vel b, ponitur pro בא *ba*, id est *venit*, ut *Babel* idem sit quod *venit confusio;* ut vult Aben Esra ; vel potius per onomatopœiam geminatur *bal* vel *bel*, ut *babel* sit idem quod *balbel.* Sic enim Hebræi geminant subinde suas radices, et ex trilitteris faciunt quadrilitteras, ut ex *kalal* geminando faciunt *kilkel;* ex *galal*, id est *volvere*, faciunt *gilgel :* unde *galgala*, et *gulgolet*, sive *gulgolta*, id est, *cranium* sive calvaria, à convolutione et rotunditate. Jam sicut pro *gulgolta*, euphoniæ causa elidendo l medium, dicunt *golgota;* sic pro *balbel* dicunt *babel*, elidendo l medium. Ob similem ergo vitiorum confusionem, S. Petrus Romam vocavit Babylonem. Noluit Romam nominare, ne Romanos Christianos adduceret in periculum. Si enim hæ litteræ incidissent in manus Gentilium, detulissent ad Imp. Romæ magnam esse multitudinem, adeoque Ecclesiam Christianorum, qui illico in eos persecutionem movisset. Addit Baron. S. Petrum Hierosolymis è carcere fuga lapsum, voluisse latere, ne Herodes intelligens eum Romæ agere ad Cæsarem scriberet, eumque rursum comprehendi faceret.

Tropolog. Impii et mundani sunt cives Babylonis, quia in confusione negotiorum, desideriorum, tumultuum, turbationum et casuum hujus mundi assidue versantur et jactantur; Sancti vero sunt cives Jerusalem, id est visionis pacis, quia in pace conscientiæ uni Deo serviunt et adhærent, dicuntque : *In pace in idipsum dormiam et requiescam.* S. Aug. in Sentent. sent. 221. *Duas*, ait, *in toto mundo civitates faciunt duo amores; Jerusalem facit amor Dei, Babyloniam facit amor seculi. Interroget ergo se quisque et inveniet unde sit civis.* Et S. Gregor. 18. Moral. cap. 25. Cives, ait, Jerusalem sunt qui solam cœlestem patriam diligunt; cives Babyloniæ sunt qui terrenæ patriæ curis subjacent. *Cum igitur conflet plerumque etiam bonos non terreno studio terrenis curis implicari* (uti Daniel, ait, à rege præpositus fuit Babyloni) *patenter agnoscimus quia sic nonnunquam cives Jerusalem angarias solvunt Babyloniæ, sicut sæpe cives Babyloniæ impendunt angarias Jerusalem.* De Babylone hac plura dicam Apoc. 17. et 18.

Alludit S. Petrus primo, ad Abraham parentem Synagogæ, fidei et fidelium, sicut enim Deus Abrahamum elegit in Babylonia, eumque de Ur Chaldæorum eduxit in terram promissam : ita S. Petrus Romæ convertit S. Clementem, S. Prudentem, S. Linum, S. Cletum aliosque clarissimos viros, qui fuerunt primores et proceres Ecclesiæ. Secundo alludit ad captivitatem Babylonicam : tunc enim Dei populus et Synagoga Judæorum in Babylone degebat captiva, multosque Babylonios ad Dei veri fidem convertebat; unde erat tunc in Babylone Ecclesia Dei electa. Simili modo Romæ S. Petrus è gentilismo plurimos convertit, adeoque ibi arcem et caput Ecclesiæ Christianæ constituit. Erat ergo Romæ Ecclesia à Deo coelecta, id est, electa æque ac olim Synagoga Judæorum.

Coelecta.] Perperam interpretes nonnulli legunt *collecta.* Græce enim est συνεκλεκτη, id est, *coelecta*, id est, simul vobisbum electa, consors vestræ electionis ad fidem, gratiam et salutem. Electus fuit primitus à Deo, æque ac à Christo, Judæorum populus, cujus peculiariter pastor et curator erat S. Petrus, Galat. 2. 8. cuique primario hanc scribit epist. cap. 1. 1. Coelectus fuit populus Gentium à Christo, qui Gentes cum Judæis in unam coagmentavit Ecclesiam ; idque hac voce Judæis insinuat hic S. Petrus (Gentium enim caput erat Roma) ut Judæi more solito Gentes non aversentur, sed eas ut fratres in Christo ament, eisque se associent. Rursum hac voce confirmat fideles Orientis in fide per fidem urbis et Ecclesiæ principis, puta Romanæ, quod illa eis consentiat tum in fide, tum in spe vocationis, tum in charitate. Rursum Ecclesia electa est, Ecclesia electorum ad fidem et gratiam, et si in ea perseverent ad gloriam.

Prima enim, eaque singularis et eximia fuit electio fidelium Romanorum, et primitivæ Ecclesiæ Romanæ, utpote quæ primitias spiritus à Christo per SS. Petrum et Paulum hauriens, floruit heroica fide, sublimi spe, ardenti charitate, ideoque tot centena millia Martyrum per trecentos persecutionis annos continuo progerminavit. Quocirca multi principes, reges et reginæ devotionis ergo Romam magnis itineribus et impendiis profecti sunt, ut loca sancta religiose viserent; quin et non pauci ibidem vivere et mori, ac inter Sanctos sepeliri elegerunt, quorum exempla recensui Isaiæ 66. 23. Imo Christus Dominus apparens S. Brigidæ (ut habet ejus Vita apud Surium 23. Julii) jussit ei peregrinari Romam, dicens : *Proficiscere Romam ; illic enim plateæ sunt auro instratæ, et Sanctorum sanguine rubreatæ : ibi propter condonationes sive indulgentias quas promeruere Sancti, compendio venitur ad cœlum.* Paruit ipsa ac Romam profecta,

ibi eam sanctitatem adepta est, ut ibidem moriens anno Domini 1373, catalogo Beatorum solemni ritu adscribi meruerit, adeoque domus ejus in templum conversa, religiose ab inquilinis et peregrinis invisatur.

Merito ergo Tertull. lib. Præscript. *Felix*, ait, *Ecclesia* (Romana) *cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.* S. August. ep. 162. ait in Ecclesia Romana semper Apostolicæ cathedræ viguisse principatum. S. Hieron lib. 2. contra Jovin. *Scito*, ait, *Romanam fidem Apostolica voce laudatam, istiusmodi præstigias non recipere, etiamsi angelus aliter annuntiet; quam semel prædicatum est, Pauli auctoritate munitam non posse mutari.* S. Irænеus lib. 3. cap. 3. docet integram fidem in Romana Ecclesia servari, ad eamque omnes confugere debere. Idem docet Optat. l. 2. contra Parm. S. Cypr. l. 1. epist. 3. S. Ambros. orat. de obitu Satyri fratris, et alii.

Et Marcus filius meus.] Hic *Marcus* non fuit Joannes cognomento Marcus, consobrinus Barnabæ, de quo Actor. 12. 12. sed S. Marcus Evangelista : hunc S. Petrus vocat filium suum, non secundum carnem, sed secundum fidem et spiritum; quia cum sua fide, doctrina et spiritu imbuerat, adeo ut scriberet Evangelium : unde eumdem habuit adjutorem et interpretem, ideoque charissimum : eaque de causa mox eum misit Alexandriam, ubi erexit Ecclesiam tanta continentia et sanctitate florentem, ut ejus discipuli Essæi, id est sancti et pii, sint cognominati, de quibus dixi Actor. 5. 1. Hinc liquet S. Marcum non fuisse è 72 Christi discipulis, ut vult Epiphan. Hæresi 51. sed post Christum conversum fuisse à S. Petro; ideo enim eum filium vocat, quod eum in Christo genuerit. Ita Papias apud Euseb. lib. 3. cap. ult. S. Hieron. de Script Eccl. in Marco, Beda Præfat. in Matth. et alii. Addunt aliqui vocari *filium*, quod hujus epistolæ fuerit interpres, quod est probabile. Hinc colligit Beda et alii, hanc epistolam S. Petri esse antiquissimam, primamque omnium epistolarum, scriptamque anno Christi 45. Eodem enim anno (qui fuit Claudii imper. tertius) S. Marcus scripto Romæ Evangelio, à S. Petro discedens profectus est Alexandriam, ubi quasi Episcopus sedit per annos 19, scilicet usque ad annum Christi 64, Neronis 8, quo coronatus est martyrio, teste Eusebio lib. 1. hist. 14. et lib. 3. cap. ult. et aliis.

14. Salutate invicem in osculo sancto.] Puta Christiano, pudico, candido; non infideli, impudico, ficto, quod est pars adulterii, criminis ostium, mortis initium, ait S. Basil. de Virg. Unde osculo sancto in protestationem charitatis osculabantur se invicem Christiani ante S. Synaxin, clamante Diacono : *Complectimini et osculamini vos invicem*, teste Cyrillo catechesi 5. Osculum enim est signum primo, reconciliationis; secundo, pacis; tertio, charitatis; quarto, lætitiæ; quinto, Catholicæ communicationis, uti docet Auctor l. de Amicitia apud S. August. tom. 1. unde Græca et Œcumen. pro *osculo sancto* legunt *osculo charitatis*, non carnalitatis. Osculum enim significat tam animum animo, quam os ori puro amore conjungi. Tertull. vero, l. de Oratione, osculum vocat signaculum orationis. Nam, ut ait S. August. serm. 83. de diversis : *Post orationem Dominicam dicitur Pax vobiscum, et osculantur sese invicem Christiani in osculo sancto, quod est signaculum pacis, si quod ostendunt labia, fiat in conscientia, id est, quomodo labia tua et labia fratris tui accedunt, si cor tuum à corde illius non recedat.* Vide dicta de osculo sancto 2. Cor. 13. 12.

Gratia vobis omnibus.] Græce εἰρήνη, id est *pax*, ita Syrus. Pax Hebræis significat gratiam, omneque bonum, forte etiam Noster pro εἰρήνη legit χάρις, id est *gratia.* Nam S. Paulus S. Petri socius et assecla, ubique in epistola fidelibus gratiam apprecatur, adeoque apprecatio gratiæ et pacis est verum Apostolicæ epistolæ sigillum. Unde eam usurpant S. Ignatius, Polycarpus, et alii viri Apostolici illius ævi in suis epistolis.

Qui estis in Christo Jesu.] Qui Christo estis incorporati per fidem, spem, charitatem, mox incorporandi per æternam felicitatem et gloriam, uti dixit vers. 10. præclare Eusebius Emissenus, vel potius S. Eucherius Lugdun. hom. de S. Maximo : *O*, inquit, *fragilitas humana! exiguum est quidquid agis propter spem æternorum.* Nam, ut ait Cicero Tuscul. 4. *Quid videatur ei magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusque mundi nota sit magnitudo?* Sublimius et divinius S. August. lib. 12. Confess. 11. *O beata* (creatura), ait, *inhærendo beatitudini tuæ, beata sempiterno inhabitatore te, atque illustratore suo. Nec invenio quid libentius appellandum existimem, cœlum cœli Domino, quam domum tuam contemplantem delectationem tuam sine ullo defectu egrediendi in aliud, mentem puram concordissime unam stabilimento pacis sanctorum spirituum, civium civitatis tuæ in cœlestibus super ista cœlestia. Unde intelligat anima cujus peregrinatio longinqua facta est, si jam sitit tibi : si jam factæ sunt ei lachrymæ suæ panis, dum dicitur ei per singulos dies : Ubi est Deus tuus? jam petit à te unam, et hanc requirit, ut inhabitet in domo tua per omnes dies vitæ suæ. Et quæ vita ejus nisi tu? Et quæ dies tui nisi æternitas tua, sicut anni tui qui non deficiunt, quia idem ipse es? Hinc ergo intelligat, anima mea, quæ potest, quam longe super omnia tempora sis æternus, quando tua domus quæ peregrinata non est, quamvis non sit tibi coæterna, tamen indesinenter tibi cohærendo, nullam patitur vicissitudinem temporum.*

COMMENTARIUS

IN SECUNDAM

SANCTI PETRI

EPISTOLAM.

ARGUMENTUM.

NONNULLI olim de auctore et auctoritate hujus epistolæ dubitarunt, teste Eusebio l. 3. hist. c. 25. et nostro sæculo Lutherus, Erasmus, Kemnitius in Exam. Conc. Trident. sess. 4. ac Centuriatores cent. 1. l. 2. c. 4. Ratio est, quia hæc epistola stylo valde dissidet à prima. Accedit quod Syriace non extet: unde Syri videntur eam non habuisse pro canonica.

Verum jam de fide est hanc epistolam esse S. Petri, esseque canonicam Scripturam. Hic enim est sensus totius Ecclesiæ, adeoque idipsum definivit Concil. Carthag. III. cap. 47. Concil. Florent. et Trident. sess. 4. unde Didymus in eam commentatus est: Et S. Hieron. ep. 150. q. 11. ac S. Greg. hom. 18. in Ezech. testantur eam esse germanam S. Petri. Idem satis insinuat S. Judas qui in sua epistola passim ad hanc alludit, imo multa ex ea deprompsit. Denique S. Athanas. in Synopsi, Nazianz. in Carm. de Scrip. sacr. Cyrillus catech. 4. Origen. Epiph. Justin. Chrys. Amb. Aug. cæterique Patres citant eam quasi canonicam.

Ad rationem hæreticorum respondet S. Hieron. stylum esse dissimilem, eo quod S. Petrus in hac usus sit alio interprete, qui sensa S. Petri sua phrasi et stylo conscripserit. Primæ enim epistolæ interpres fuisse videtur vel Silas, vel potius Marcus, ut patet cap. 5. 11. et 13. hujus secundæ Glaucias: hunc enim S. Petri fuisse interpretem docet Clemens Alex. l. 7. Strom. sub finem. Adde eumdem auctorem subinde mutare stylum, alioque et alio uti pro dispositione personarum, locorum et temporum. Quin et ætas ipsa mutat stylum: juvenes enim juvenilem et floridum habent stylum, viri virilem, senes senilem et gravem. Sic sanctus Paulus alio utitur stylo in epistola ad Hebræos; unde illa multum differt à cæteris ejus epistolis. Denique stylus hujus epistolæ non multum dissidet à stylo primæ, si quis penitus utrumque inspiciat, idque fatentur Centuriatores.

Quoad Syros, constat ex Maronitis qui Romæ sunt, eos hanc Epistolam habere pro canonica. Unde et S. Ephrem et Damascenus, quorum uterque fuit Syrus, sæpe ex hac epistola citant sententias quasi canonicas Script. Denique syriace eam extare, et ex Syriaco in Latinum conversam esse à nostro Balthazare Etzelio, testatur Possevinus in Apparatu.

Auctorem esse S. Petrum constat tum ex traditione et definitione Ecclesiæ jam dicta, tum ex ipso ejus initio: *Simon Petrus, servus et Apostolus Jesu Christi.* Unde et v. 18. ait se interfuisse transfigurationi Christi cum S. Jacobo et Joanne: hinc et epistolas Pauli quasi socii sui citat. c. 3. 15.

Porro S. Petrus contra hæreticos, puta Simonem Magum ejusque sequaces, vel jam natos, vel proxime nascituros, quales fuere Menander, Carpocras, Basilides, Valentinus et Gnostici, scripsit hanc epistolam sub finem vitæ quasi pastor valedicens Ecclesiæ et mundo, fidemque et doctrinam suam in ea contestatam relinquens, et futuris omnibus sæculis quasi pignus pastoralis amoris et curæ resignans, puta sub annum Christi 69. quo et martyrio laureatus est, unde c. 1. 14. ait: *Certus quod velox est depositio tabernaculi mei.* Scripsit ergo eam 24 annis circiter post primam: primam enim scripsit anno Christi 45. Quocirca S. Petrus quasi brevi moriturus cycneam hic edit vocem, totusque spirat ardorem, zelum, martyrium, omniaque cœlestia divina. Hinc liquet scriptam esse Romæ è carcere, ut videtur, Mamertino: in eo enim fuit per novem menses ultimos vitæ; uti habent Acta SS. Processi et Martiniani, ibique habebat otium scribendi, suosque confirmandi per litteras, quos voce confirmare non poterat. Unde et S. Paulus epistolas ad Philipp. Ephesios, Colossenses, Hebræos, Philemonem, et secundam ad Timotheum scripsit in carcere Romano.

Argumentum epistolæ est triplex juxta tria ejus capita.

Primo enim c. 1. admirans Christi gratiam et œconomiam, docet Deum per eum nobis maxima et pretiosa promissa donasse, ut per hoc efficiamur divinæ consortes naturæ, ideoque par esse ut non terrenam et carnalem, sed cœlestem et divinam vitam vivamus in constanti fide, virtute, scientia, abstinentia, patientia, pietate et fraternitatis amore: quæ omnia confirmat tum visione gloriæ Christi in monte Thabor, cum vocem Patris de eo audivit: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipsum audite;* tum firmiore prophetico sermone puta sacræ Scripturæ, scilicet Mosis et Prophetarum, qui hæc ipsa de Christo prophetarunt et promiserunt.

Secundo c. 2. monet ut caveant hæreticos, quorum proinde luxuriam, avaritiam, mores et fraudes graphice depingit, æque ac exitium quod subibunt cum dæmonibus, sodomitis cæterisque diluvio mersis.

Tertio, c. 3. inculcat et depingit finem mundi

diemque judicii (quem hæretici fabulosum nunquamque futurum dicebant), ejusque certitudine , vicinitate et terrore incitat fideles ut fidem illibatam conservent, eaque dignam vitam agant in omni sanctitate. Primo ergo capite constantiam in fide Christi Christianis commendat; secundo, hæreticos eam impugnantes confutat; tertio utrisque dat stimulum acrem, scilicet instans judicium. Denique scriptam esse ad eosdem ad quos prima scripta est liquet ex illis ejus verb. c. 3. 1. quibus ait : *Hanc ecce vobis, charissimi, secundam scribo epistolam.*

CAPUT PRIMUM.

Hujus capitis argumentum jam assignavi.

1. Simon Petrus, Servus et Apostolus Jesu Christi, iis qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem in justitia Dei nostri, et Salvatoris Jesu Christi. 2. Gratia vobis et pax adimpleatur in cognitione Dei et Christi Jesu Domini nostri. 3. Quomodo omnia nobis divinæ virtutis suæ, quæ ad vitam et pietatem donata sunt, per cognitionem ejus, qui vocavit nos propria gloria et virtute , 4. per quem maxima, et pretiosa nobis promissa donavit : ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. 5. Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, 6. in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem. 7. In pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. 8. Hæc enim si vobiscum adsint, et superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione. 9. Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, et manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. 10. Quapropter, fratres, magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis : hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. 11. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri, et Salvatoris Jesu Christi. 12. Propter quod incipiam vos semper commonere de his, et quidem scientes et confirmatos vos in præsenti veritate. 13. Justum autem arbitror, quandiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione : 14. certus quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod et Dominus noster Jesus Christus significavit mihi. 18. Dabo autem operam et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis. 16. Non enim doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis. 17. Accipiens enim à Deo Patre honorem et gloriam, voce delapsa ad eum hujusmodi à magnifica gloria : Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. 18. Et hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto. 19. Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris : 20. hoc primum intelligentes quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. 21. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia ; sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.

1. Simon Petrus,] qui in circumcisione à parentibus vocatus est Simon, hic in Apostolatu à Christo vocatus est Petrus, Simon, vel Simeon (idem enim est nomen) ut alibi dixi. Minus recte ergo Œcum. *Simon* ait, *Simeonis est diminutivum, sicut Metrodori Metras, Menodori Menas, Theodosii Theodas :* Hebr. enim שמעון si legas per sceva mobile, est *Simeon;* si per sceva quiescens, est *Simon*, quod idem est quod audiens et obediens, uti Petrus audivit et obedivit Christo, ideoque hic se vocat *Simonem*, ut indicet se hæc scribere non ex se, sed jussu Christi, cui obedire oporteat. *Petrus*, heb. *Cephas*, idem est quod petra, vel saxum ; quia super eum quasi petram Christus ædificavit Ecclesiam suam, Matth. 16. 18.

Addit τὸ *Petrus*, tum ad distinctionem : multi enim alii erant Simones, adeoque inter Apostolos erat alter Simon cognomento Chananæus; tum ad auctoritatem, ut fideles hanc epistolam quasi à Petro, id est Summo Pontifice ipsaque petra Ecclesiæ scriptam, avide et reverenter excipiant. Petro enim Christus totius orbis curam demandavit, ait S. Chrys. in c. 21. S. Joannis ; et S. Leo serm. 3. de sua assump. *De toto mundo*, ait, *unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique Pastores omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus.*

Servus et Apostolus.] Vide de his titulis dicta

Rom. 1. 1. et Jacobi 1. 1. nimirum *servire Deo regnare est.* Tropol. S. August. 19. Civit. 21. *Serviens Deo animus*, inquit, *recte imperat corpori, inque ipso animo ratio Deo subdita recte imperat libidini, cæterisque vitiis: quapropter ubi homo Deo non servit, quid in eo putandum est esse justitiæ? quandoquidem Deo non serviens nullo modo potest juste animus, aut humana ratio vitiis cæteris imperare.*

Iis qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem.] Pro *coæqualem* græce est ἰσότιμον, id est, ejusdem pretii et præmii, æque æstimandam, æquivalentem, ejusdem ordinis, æqualem; tum quia eodem pretio, puta sanguine Christi, est comparata; tum quia fides ubique æque est pretiosa; tum quia ipsa est pretium quo emitur regnum cœlorum: hoc enim est fidei, quasi pretii, merces et præmium. Unde Pagnin. et Tigurina vertunt, *æque pretiosam*, hoc est eamdem; significantius tamen dicit, *æque pretiosam*, ut ejusdem fidelium fidei ingens pretium et dignitatem insinuet. Hac ergo voce indicat S. Petrus omnium fidelium, sive Romæ, sive in Bithynia, sive in Ponto, etc. sint, unam eamdemque esse magni pretii fidem, legem, religionem, institutum et vitam, quin et charitatem, animorumque unionem: hæc enim omnia continet fides, sicut radix continet omnes ramos totamque arborem. Ita Prosper l. 1. de Vocat. Gent. c. 23. Rursum omnes sive Judæos, sive Gentiles, sive Bithynios, sive Ponticos, sive Romanos in fide et gratia Christi esse æquales: Deum enim non dedisse majorem fidem aut gratiam Judæis quam Gentibus, Romanis quam Ponticis. Esto enim Apostolis et viris Apostolicis eximiisque Sanctis major data sit et detur gratia et fides intensive, vel extensive, ut plura sciant et credant quam cæteri fideles; objective tamen et essentialiter non datur major, sed in omnibus est eadem et æqualis; quia omnes habent eamdem specie fidem et gratiam, per quam idem eadem ratione credunt de Deo et Christo, idemque ab eo fidei suæ præmium exspectant. Rursum discrimen intensionis vel extensionis fidei est in particularibus personis, non in totis gentibus: nec enim Judæi quia Judæi, intensiorem aut extensiorem accepere fidem, aut gratiam, quam Gentes. Nota, dicit *coæqualem fidem*, non gradum et ordinem: Petrus enim ordine Episcopus, et gradu Pontifex, superior erat omnium fidelium, non æqualis, uti perperam ex hoc loco probare contendunt hæretici.

Sortiti sunt.] Id est, sorte acceperunt: fides enim et gratia respectu accipientium quibus non est debita, datur sorte, id est, casu et gratis; licet ex parte Dei non sit sors, sed destinata voluntas et benevolentia. Unde Paulus Ephes. 1. 11. ait: *In quo etiam et nos sorte vocati sumus prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.*

In justitia.] Id est, per justitiam. Ita Pagnin. Tigurin. Clarius, Gagneius, Vatabl. et alii hic, ac Prosper l. 1. de Vocat. Gent. c. 23. *Justitiam* primo accipe passionem et merita Christi: his enim Christus juste satisfecit pro nostris peccatis, nobisque meruit fidem, gratiam et salutem. Unde Christus à Paulo dicitur *factus nobis justitia, sanctificatio et redemptio.* 1. Corinth. 1. 30. et Isaias c. 53. 13. *Justificabit*, ait, *ipse justus servus meus multos.* Quare cavendus est hic commentarius Adami Sasbout, dum hunc sensum refellit ex eo quod fides, inquit, nobis obtingat non ex merito Christi, sed ex gratia Dei: hoc enim falsum est; Deus enim nullam homini dat gratiam nisi per merita Christi: Christus enim meruit nobis omnem gratiam; ergo et fidem, juxta illud Ephes. 1. 3. *Benedictus Deus*, etc., *qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo*, de quo vide Conc. Trident. sess. 6. cap. 5. et 6. S. August. de Prædestin. sanct. cap. 15. et Franc. Suarez 3. p. tom. 1. disp. 41. Ita Cajetanus, Catharinus, Salmeron et alii.

Secundo, per *justitiam* accipe sanctitatem Christi. q. d. Christi justitia et sanctitas est causa tum efficiens, tum exemplaris, tum finalis nostræ fidei, justitiæ et sanctitatis, hujus enim initium et basis est fides. Hinc Daniel c. 9. 24. Christum vocat Sanctum sanctorum et justitiam sempiternam, et S. Dionys. c. 4. Ecclesiast. Hierarch. part. 3. Christum vocat sanctitatis fontem, qui nos repleat sanctitate, et S. Cyril. l. 4. Thesauri c. 1. *Filius*, ait, *non sic, sed ut sanctitatis fons ex propria potestate discipulos sanctificat.* Idem l. 4. in Joan. c. 2. 8. *Tabernaculo*, ait, *præcedente Hebræi sequebantur, stante castra metabantur, ut nos discamus nullum alium datum nobis ducem ad salutem, quam Verbum Dei hominem factum.*

Tertio, per *justitiam* accipi potest misericordia, juxta illud: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia*, id est misericordia et eleemosina, *ejus manet in sæculum sæculi.* 1. Corinth. 9. 9. q. d. Per misericordiam Christi nobis à Prophetis promissam accepimus fidem. Unde S. Ambrosius lib. 3. de Virgin. sub finem ait Christum esse omnibus quærendum, Christum esse omnia omnibus, ac stillare rorem gratiæ in omnes.

Quarto, *justitia* accipi potest pro justificatione q. d. Per justificationem Christi, quia scilicet ipse nos justificat, accepimus fidem: justificationis enim initium est fides. Cum ergo Christus dedit nobis fidem, tunc cœpit nos justificare, et orsus est nostram justificationem. Huc accedit Adamus, qui *in justitia* exponit *cum justitia.* q. d. Christus non tantum dedit nobis fidem, sed et justitiam, quasi fidei terminum et complementum. Christus enim nobis factus est omnia, quia dedit omnia dona quibus ad salutem dirigimur. Unde Nyssen. l. de vita Mosis: *Omnem*, inquit, *bonorum spem in Christo firmiter esse credimus: qui bonum aliquod adeptus est, is in Christo est, qui omne bonum continet.* Origen. l. 5. in epist. ad Roman. ait *Christum esse omnia bona; diabolum vero omnia mala.* Quare sapienter Nazianz. in Sententiis: *Ego*, ait, *Christum amplissimarum opum instar duco, quem utinam aliquando mihi pura mente intueri contingat, cætera autem mundus habeat.* Idem in Carm. 9.

> At soli tibi solus ego sum, Christe, relictus,
> Imperio qui cuncta tenes: in te mihi robur
> Omne situm est, in te fiducia tota salutis.

et S. Paulinus, natali 2. S. Felicis Christum alloquens, ait:

> In te compositæ mihi fixa sit anchora vitæ.

Dei nostri et Salvatoris Jesu Christi.] Hoc est Jesu Christi qui est Deus et Salvator noster: utrumque enim ad Christum pertinere colligitur ex Græco, qui utrumque uno articulo comprehendit του θεου ημων και σωτηρος ιησου χριστου.

Unde patet Christum esse Deum. Hoc enim in primis Ecclesiæ et fidei initiis, fidelibus inculcare volebat et debebat S. Petrus et Apostoli, nimirum Christum non esse merum hominem, uti docebat Ebion sub idem tempus, sed verum Deum et verum hominem. Præclare S. Hilarius l. 7. de Trinit. *Deum*, inquit, *Dominum nostrum Jesum Christum his quinque modis novimus, nomine, nativitate, natura, potestate, professione :* quæ deinde sigillatim explicat et confirmat. Secundo tamen recte multi τὸ *Dei nostri* referunt ad Deum Patrem, τὸ vero *Salvatoris* ad Christum. Nam v. sequenti S. Petrus videtur Deum distinguere à Christo, ac consequenter per Deum intelligere Patrem, per Salvatorem Filium Jesum Christum : unde eum vocat Dominum cum articulo, dicens του κυριου. Nam, ut ait Christus Joannis 17. 3. *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum ;* utrumque enim ad salutem requiritur, scilicet cognitio tam Dei veri, quam Filii ejus Jesu Christi pro nobis incarnati.

2. Gratia vobis et pax adimpleatur,] πληθυνθειη, id est *multiplicetur*, ut in multitudine (sub qua et magnitudinem, per enallagen quantitatis discretæ pro continua, intellige) gratiæ et pacis assidue crescentes ad utriusque plenitudinem tandem pertingatis. Innuit Christianos assidue in gratia et virtute debere proficere ; quia, ut ait S. August. in Psalm. 68. *Nemo fidelis dicit, Sufficit ; ubi dixisti, Sufficit, ibi defecisti.* Et S. Leo serm. 2. de Quadrag. *Hæc est perfectorum vera justitia, ut nunquam præsumant se esse perfectos, ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes, ibi incidant deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerint appetitum.* Et Nazianz. in Sentent. *Cave*, ait, *ut unquam in via virtutis subsistas : tibi enim qui à vitiosa vita excessisti, perinde esse puto consistere, ac si in imum vitii gurgitem labereris.*

Pacem jungit gratiæ : quia, ut ait S. Leo serm. 6. Nativ. *Ubi fuerit veritas pacis, nihil potest deesse virtutis. Quid est autem, dilectissimi, habere pacem ad Deum, nisi velle quod jubet, et nolle quod prohibet ? Si enim humanæ amicitiæ pares animos et similes expetunt voluntates, nec unquam diversitas morum ad firmam potest pervenire concordiam ; quomodo divinæ particeps erit pacis, cui ea placent, quæ Deo displicent, et iis appetit delectari, quibus illum novit offendi ?*

Adimpleatur in cognitione Dei et Christi,] crescente enim et impleta cognitione Dei et Christi crescit pariter et impletur gratia et pax : quia quo magis bonitas Dei et Christi cognoscitur, non solum speculative, sed et practice, eo magis amatur et colitur.

Pro *cognitione*, græce est επιγνωσει, quod sanctus Ambros. epist. 33. ad Demetr. in edit. Roman. S. August. in Expos. epist. ad Rom. et Prosper contra Collat. vertunt *recognitione*, id est, memoris et grati animi cognitione ; Pagnin. *agnitione ;* alii, *super cognitione :* επι enim est *super*, γνωσις *cognitio.* Videtur enim S. Petrus optare fidelibus augmentum fidei, cognitionis et illustrationis divinæ, ut prima Dei cognitio et fides quam acceperant, cum à gentilismo conversi sunt ad Christum, vocetur γνωσις ; profectus vero cognitionis et fidei vocetur επιγνωσις, quasi γνωσιν superans. Minus recte aliqui γνωσιν dant Gentilibus, επιγνωσιν Christianis, quod cognitio Dei quam habent Christiani, superet cognitionem Dei quam habent Gentiles, tantum quantum fides superat rationem et lumen naturale.

Optat ergo, et optando hortatur S. Petrus, ut fideles orando, meditando, audiendo, legendo, et studendo proficiant in cognitione, et consequenter in amore Dei ut audeant se opponere hæreticis, qui sub idem tempus exorti vocati sunt Gnostici, quod cognitionem Dei perfectam sibi arrogarent.

3. Quomodo.] Pendet à præcedentibus. Explicat enim cognitionem Dei et Christi. q. d. Opto et precor vobis, ut *gratia et pax adimpleatur in cognitione Dei et Christi ;* ut scilicet plenius et profundius cognoscatis, *quomodo omnia nobis divinæ virtutis suæ, quæ ad vitam et pietatem pertinent, donata sunt per cognitionem ejus.* Aut simplicius. q. d. *Gratia et pax vobis adimpleatur in cognitione Dei et Christi*, quomodo id est perinde, vel sicut per hanc Dei et Christi cognitionem omnia divina dona, quæ ad vitam et pietatem pertinent, nobis donata sunt ; ut το *quomodo*, græce ως, sit exegeticum respondens Hebræo כאשר *caascer ;* explicetque præstantiam cognitionis Dei et Christi, nimirum quod per eam omnia gratiarum dona à Deo acceperimus. q. d. Ideo opto vos crescere in cognitione Dei et Christi, quia per eam crescetis pariter in reliquis donis Dei : hæc enim omnia per eam uti primitus donata sunt, ita in dies magis donantur et augentur à Deo. Ita Adam. Gagn. et alii.

Secundo, Arias et Vatabl. Græcum ως, id est *quomodo*, accipiunt ut notam admirationis. q.d. O quam abunde divina virtus largita est nobis omnia quæ ad vitam et pietatem pertinent ! quasi S. Petrus ordiatur epistolam ab exclamatione, et admiratione divinæ in Christianos munificentiæ, per quam adeo nos ditavit et exaltavit, ut fecerit nos divinæ consortes naturæ. Hæc expositio pathetica est, eique aptari potest vulgata versio, quæ habet *quomodo ;* simili enim modo Jeremias admirans cladem Hierosolymæ, orditur Threnos, dicens : *Quomodo sedet sola civitas ?* Simili modo admirans Dei in suos beneficentiam ! exclamat Psaltes Psalm. 72. 1. *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde !* et Psalm. 30. 20. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te !* S. Petro consonat S. Joannes, qui pari modo ab admiratione beneficii Incarnationis Verbi epistolam orditur, dicens : *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, etc.* Idem facit S. Paul. Ephes. 1. 3. et seq. Rom. 1. v. 2. 3. 4. 5. et Hebr. 1. v. 1. et seq. Est enim hoc magnum pietatis sacramentum omni admiratione et acceptione dignum, ut ait idem 1. Timoth. 1. 15. et c. 3. 16. Prior tamen sensus uti simplicior, ita et germanior est. Alii aliter hæc explicant, sed varie et obscure.

Omnia divinæ virtutis suæ,] δυναμεως, id est *potentiæ*, q. d. Deus per fidem Christi effudit in nos omne suum robur, omnem potentiam, æque ac misericordiam. Unde canit Deipara : *Fecit potentiam in brachio suo.* Lucæ 1. 51. quia scilicet per Christum Christique fidem accepimus remissionem peccatorum, gratiam, justitiam, virtutes omnes, ac præsertim robur divi-

num ad superanda omnia adversa, ad martyrium, ad convertendum totum mundum; denique jus et pignus felicitatis et gloriæ cœlestis, regnique æterni et divini. Annon hæc potentia sunt Dei opera et dona? Adde, per fidem donatur nobis ipse Christus qui est Verbum, brachium, robur et potentia Patris æterni.

QUÆ AD VITAM ET PIETATEM (supple pertinent: ita Tigur. et Pagnin.) DONATA SUNT,] ita Romana et Græca nonnulla, quæ habent δεδωρημενα, idque exigit sensus plenus, qui alioqui est hiulcus et pendens, si scilicet legas cum Græcis aliquibus δεδωρημενης, id est *donata*, scilicet divinæ virtutis, hoc est, ut legit Cajet. *quæ*, scilicet divina virtus, *ad vitam et pietatem donata est.* Pendet enim *quomodo omnia divinæ virtutis suæ*, nisi addas et expleas, *donata sunt.* Per *vitam* antonomastice intellige supernaturalem, cœlestem, divinam et æternam, puta vitam gratiæ et gloriæ: hæc enim sola, vera et perfecta est vita.

Ex hoc loco patet de fide esse, nihil ad pietatem et salutem pertinens posse effici ab homine puris naturæ viribus, uti volebat Pelagius; sed tantum dono gratiæ Dei. Ita Prosper contra Collat. cap. 29. ac proinde *nihil magis fugiendum est*, ait S. Ambr. epist. 33. ad Demetriad. *quam appetitus hujus concupiscentiæ, quæ virtutem negat divini operis amore propriæ dignitatis; et cum aliæ cupiditates ea tantum bona quibus adversantur imminuant, hæc dum omnia ad se trahit, simul universa corrumpit.*

QUI, Christus, ut patet ex v. sequenti, VOCAVIT NOS PROPRIA GLORIA ET VIRTUTE.] Legit interpres ιδια, id est *propria;* jam Græci legunt δια, id est *per* gloriam et virtutem; quod eodem redit. Perperam Beza vertit, *propter gloriam suam*, quasi δια accipiatur pro εις: hoc enim novum est et insolens. Jam *gloria*, id est, gloriosa gratia: *gloria* enim metonymice capitur pro gratia, quia gratia est index et effectus gloriæ et gloriosæ misericordiæ Dei: Deus enim suam gloriam, id est gloriosam potentiam, sapientiam et misericordiam maxime ostendit per gratiam, dum per eam nos peccatores, viles, miseros et indignos vocavit ad suam amicitiam, hæreditatem, regnum et gloriam. Sic ait S. Paulus: *Omnes peccaverunt, et egent gloria,* id est gratia, *Dei*, Rom. 3. 23. Et sæpe alibi Christi gratiam, utpote magnificam, et gloriosam vocat *gloriam*, ut 2. Cor. 3. v. 8. 9. 10. 11. 18. et Rom. 9. 23. eamdem vocat *divitias gloriæ.*

Eamdem misericordiam et gratiam vocat *virtutem*, græce αρετην, quia maxime illustris apud homines Dei virtus est ejus clementia, beneficentia, et gratia. Sensus ergo est, q. d. Vocavit nos Deus non ob nostram, sed ob suam gloriosam gratiam et virtutem, id est misericordiam. Unde Prosper loco citato legit: *Vocavit nos propria gloriæ virtute*, ut sit hendiadis, *gloria et virtute*, id est, gloriosa virtute, puta gloriosa misericordia. Secundo, per *gloriam* accipe gloriosam humanitatem et opera Verbi incarnati, de quibus S. Joannes cap. 1. 14. *Vidimus*, ait, *gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre.* Unde Cajetan. ait Christum nos vocasse *propria virtute* bene vivendo, ut et ipsi bene vivamus; et propria *gloria* patrando miracula et ostendendo subinde dotes gloriosi corporis. Hinc Tertio, Thomas Anglicus per *gloriam* accipit gloriam corporis, quam Christus in Transfiguratione ostendit SS. Petro, Jacobo et Joanni: per *virtutem* vero accipit miracula, quæ Christus coram iisdem plura fecit quam coram cæteris Apostolis: hisce enim tam ipse, quam socii ejus Apostoli vocati sunt à Christo. Hic sensus appositus est, ad eumque respexit S. Petrus; sed inadæquatus videtur et arctior: adæquate enim significat gloriam, id est, gratiam Christi qua vocavit omnes fideles.

4. PER QUEM MAXIMA ET PRETIOSA NOBIS PROMISSA DONAVIT.] Est hic triplex lectio. Prima δι ων, id est, *per quæ*, scilicet omnia divinæ virtutis dona, quæ ad vitam et pietatem pertinent, uti præcessit. Ita Œcumen. et S. Ambr. ep. 33. ad Demetriad. Hugo et Thomas Anglicus. Secunda *per quam*, scilicet vocationem, ita S. Ambros. l. 10. epist. 84. et Beda, vel cognitionem, ita Adamus; vel gloriam et virtutem. Tertia et genuina δι ον, id est, *per quem*, scilicet Christum. Ita Romana S. Athanas. orat. 2. contra Arrian. Glossa, Dion. Gagneius et alii.

PROMISSA.] Intellige res promissas à Deo gratis et liberaliter (hæc enim sunt επαγγελματα) metonymice. q. d. Pretiosa illa dona, quæ Deus per Mosen et Prophetas promisit se daturum per Christum, jam per ipsum dedit et exhibuit, puta remissionem peccatorum, gratiam, sanctitatem, virtutes omnes tam Theologicas quam morales, jus et pignus gloriæ, etc. quin et Spiritum sanctum ipsamque deitatem, ut mox patebit, quæ paulo ante vocavit: *Omnia divinæ virtutis quæ ad vitam et pietatem pertinent;* his enim convenit id quod sequitur: *Ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Adde Spiritum sanctum, datum in Pentecoste cum domino linguarum, sapientiæ, prophetiæ, sanitatum, miraculorum, et cæteris ad convertendas gentes; ipsamque conversionem gentium toto orbe diffusarum.

Pretium et dignitatem harum rerum promissarum, quæ per Christum Deus fidelibus donavit et donat symbolicis similitudinibus et figuris repræsentat S. Agnes apud S. Ambros. lib. 4. epist. 34. *Ornavit*, inquit, *inæstimabili dextrocherio dexteram meam, et collum meum cinxit lapidibus pretiosis. Tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas, et circumdedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis; posuit signum in facie mea, ut nullum præter ipsam amatorem admittam. Induit me cyclade auro texta, et immensis monilibus ornavit me. Ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos mihi daturum, si ei perseveravero, repromisit*, etc.

Aperte Tertull. lib. de Resurrect. cap. 8. *Caro abluitur*, inquit, *ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur.*

UT PER HÆC EFFICIAMINI DIVINÆ CONSORTES NATURÆ.] Ex hoc loco multi accepere occasionem errandi. Primo, Osiandes censuit nos ita uniri divinitati, ut realiter justificemur per ipsammet Dei justitiam et sanctitatem, quod alii hæretici videntes esse impossibile, dixerunt nos justificari per merita et justitiam Christi nobis imputatam, vide Bellarm. l. 2. de Justific. c. 5.

Secundo, Michael Servetus, quem Calvinus quasi hæreticum Genevæ morte et incendio mulctari curavit, censuit deitatem reipsa in justos transfundi, sicut transfunditur anima in

corpus dum illud animatur et vivificatur, de quo lieza hic : Ridiculi, ait, sunt, qui hinc essentiæ divinæ in nos transfusionem imaginantur, ut impius ille Servetus præfracte ad mortem usque defendit; et tamen sunt qui magnam bono viro scilicet injuriam factam putent. Hæc ille.

Tertio, nonnulli nimis contemplativi tempore Gersonis, et etiam hoc nostro, imaginati sunt se per contemplationem ita uniri Deo, ut reipsa ipsorum natura in abyssali profundo divinitatis submergatur, puta humanitas annihiletur, et tota transeat in divinitatem : qui fuit error Almarici, cujus insimulatus fuit Ruisbrochius à Gersone, ut patet ex Epistola ejus ad Bartholomæum Carthusiensem, quam scripsit contra defensionem Ruisbrochii factam à Joanne de Schonhovia. Sic Eutychiani nonnulli dicebant Christi humanitatem à deitate fuisse consumptam, sicut consumitur argentum vivum ab auro cum liquatur, ita ut in Christo una fuerit tantum natura, scilicet divina, non duæ. Unde Apollinaris censuit in Christo non fuisse mentem humanam, sed tantum divinam. Et Monothelitæ censuerunt in Christo unam fuisse duntaxat voluntatem, scilicet divinam. Omissis hisce fanaticorum et Enthusiastarum somniis ac deliriis, S. Ambrosius epist. 38. et OEcumen. hic censent nos fieri divinæ consortes naturæ per Christum : in Christo enim nostra humana natura facta est consors divinæ, quia eidem juncta est arctissime in eadem hypostasi Verbi.

Verum hæc unio jam erat facta, et per eam omnes homines facti sunt consortes divinæ naturæ; S. Petrus autem solis fidelibus ait : *Ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ*, utique non in Christo, sed in vobis ipsis.

Dico ergo, solus Deus essentialiter habet divinam naturam; deitas enim essentialiter solum est in Deo Patre, Filio et Spiritu sancto. Unde solus Filius (æque ac Spiritus sanctus) est ὁμοούσιος, id est, *consubstantialis* Patri. Quocirca S. Ambr. l. de Incarn. c. 8. docet unam tantum esse naturam divinam, ex eo quod sanctus Petrus ait, *naturæ*, non naturarum, eamque esse in Filio, utpote qui eam nobis communicet, ac proinde Filium vere et proprie esse Deum. Rursum personaliter, puta per unionem hypostaticam, solus Christus homo est consors divinæ naturæ; quia cum ea subsistit in eadem persona divina Verbi.

Fideles ergo et justi sunt consortes divinæ naturæ, non essentialiter, nec personaliter, sed partim accidentaliter, partim substantialiter. Accidentaliter, per donum gratiæ sanctificantis, quod est accidens à Deo animæ infusum, per quod proxime et summe participamus divinam naturam. Gratia enim est res adeo nobilis et sublimis, ut omnium angelorum et hominum naturam superet, eisque sit supernaturalis, adeoque nulla creata substantia dari possit, cui gratia sit connaturalis, ut Theologi docent, eo quod ipsa quasi in summo participet divinitatem in eo apice, quo ipsa transcendit omnes res creatas omnemque naturam. Atque ex hoc fonte promanant septem nobilissimi effectus et dignitates, quos gratia confert animæ. Primo enim gratia expellit omne peccatum mortale.

Secundo, facit hominem gratum Deo, ejusque amicum, ut vera intercedat amicitia inter Deum et hominem justum, uti docet S. Thomas 2. 2. q. 23. a. 1. ubi Suarez, Valentia et alii ostendunt omnes amicitiæ conditiones inveniri in charitate, qua homo fit amicus Dei.

Tertio, gratia facit hominem rectum et sanctum, ut voluntas, mens, omnesque potentiæ sancte subdantur Deo ac legi Dei, ideoque hominem justum facit similem Deo, qualis creatus est Adam in statu innocentiæ, juxta illud Ephes. 4. 24. *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.*

Quarto, gratia facit justum Dei filium et hæredem, juxta illud Coloss. 1. 12. *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine : qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ.*

Quinto, secum adducit omnes virtutes Theologicas, et morales supernaturales, puta prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam, etc. ac septem dona Spiritus sancti, quæ primitus in Christo requievisse ait Isaias c. 11. 2. dicens : *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.* Ita docet D. Thomas 1. 2. qu. 63. a. 3. et qu. 68. a. 1. ac passim Theologi.

Sexto, gratia est semen gloriæ : sicut ergo ex semine nascitur arbor et fructus, sic ex gratia nascitur felicitas et gloria æterna.

Septimo, gratia est principium et causa tum satisfaciendi pro præteritis culpis, tum merendi augmentum gratiæ et gloriæ. Ita Conc. Trident. sess. 6. c. 16. et S. Thom. 1. 2. q. 114. Per gratiam ergo homo elevatur et fit ordinis non angelici, sed divini; adeoque consors, socius et particeps divinitatis : hujus enim major participatio esse nequit, quam per gratiam.

Considerent hæc peccatores, ut videant quantum gratiæ bonum ob vilem voluptatem amiserint, omnibusque viribus illud recuperare conentur; justi vero illud retinere, confirmare, augere et perficere satagant. Considerent id quod ait S. Joannes epist. 1. cap. 3. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus*, et c. 3. 2. *Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus : scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus.*

Dico Secundo, justi fiunt consortes divinæ naturæ non tantum accidentaliter per gratiam sanctificantem, sed et substantialiter per ipsam naturam divinam eis communicatam, qua adoptantur à Deo in filios, hæredes, et quasi deificantur. Pro quo nota primo : Formalis justificatio et adoptio nostra totaliter consistit in charitate et gratia nobis indita et inhærente, quæ in se complectitur, secumque affert Spiritum sanctum, qui charitatis et gratiæ est auctor : nec enim gratia adoptans à Spiritu sancto, nec Spiritus sancti adoptio à gratia divelli potest; sicut radius à sole, et sol à radio divelli nequit, uti nec ejus lux à calore, aut calor à luce separari potest. *Hæc scilicet est charitas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*, ut ait Apost. Rom. 5. Spiritus sanctus enim per charitatem et gratiam nos formaliter justificat, inhabitat, vivificat et adoptat. Justitia enim inhærens, sive gratia justificans, non est una simplex qualitas, sed multa complectitur, scilicet remissionem peccatorum, fidem, spem, charitatem, gratiam, aliaque dona, ac ipsum Spiritum sanctum donorum auctorem. Hæc enim

omnia in justificatione infusa accipit homo, ut ait Conc. Trid. sess. 6. c. 7.

Hinc nota secundo. In justificatione et adoptione non tantum donatur homini charitas et gratia, vel ipse Spiritus sanctus quoad dona sua duntaxat, ut nonnulli censuerunt; sed etiam datur ipsissima persona Spiritus sancti, ac consequenter datur ipsa Deitas totaque S. Trinitas; ita ut ipsa non tantum objective, sed et realiter et personaliter in anima justi cum donis, et per dona sua novo modo fiat præsens, in eaque quasi in templo suo substantialiter inhabitet, eamque sibi uniat et quasi deificet, ac consequenter adoptet : quod sane magnæ est dignationis divinæ, æque ac dignitatis et consolationis nostræ. Potuisset enim nos Deus et Spiritus sanctus ita justificare, ut solum faceret justos, non tamen adoptaret in filios. Rursum potuisset nos adoptare in filios per solam gratiam inhærentem; sed his non contentus ulterius voluit suam personam quasi annectere suis donis, eamque cum iis nobis donare, itaque per seipsum nos adoptare. Idipsum diserte docet S. Bonavent. in 1. sent. dist. 14. art. 2. q. 1. qua tota ostendit Spiritum sanctum, non tantum in effectu, sed etiam in propria persona quasi donum increatum justis dari; ut sit eorum perfecta possessio. Idem docet Magister sentent. lib. 1. d. 14. et 15. ex S. August. et aliis, et Scotus, Gabriel, Marsilius ibidem. Idem clare asseverat S. Thomas 1. p. q. 43. art. 3. et 6. et q. 38. art. 8. ubi ostendit Spiritus sancti nomen proprium esse donum, quia ipse donatur omnibus justis. S. Thomam sequuntur ejus discipuli, ac nostri Patres Vasquez, Valentia, et maxime Suarez l. 12. de Deo trino et uno c. 5. num. 11. et 12. qui inde infert, quod Spiritus sanctus novo modo secundum substantiam suam incipiat præsens esse in anima justi, quo ante non erat, citatque pro hac sententia S. Leonem, S. Augustinum, S. Ambrosium, adeoque cum S. Thoma eam ita certam esse asserit, ut contrarium dicere censeat esse errorem. Probatque ex S. Script. 1. Cor. 6. *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti, quem habetis à Deo.* Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* 1. Joan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Joan. 14. *Mittet Pater in nomine meo, et apud vos manebit, et in nobis erit. Et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*, et Joan. 16. *Si abiero, mittam eum ad vos.* Rationem dat Suarez num. 12. *Quia*, inquit, *dona gratiæ vi sua et quasi connaturali jure postulant realem ac personalem præsentiam Dei in anima per talia dona sanctificata; quia si per impossibile fingamus Spiritum sanctum non esse alias realiter præsentem intra animam, eo ipso quod anima talibus donis afficeretur, ipsemet Spiritus sanctus veniret ad eum per præsentiam personalem, et maneret quandiu gratia in illa duraret.* Simili modo, inquit, Verbum præsens est humanitati Christi; ut si per impossibile antea non fuisset illi præsens, jam per unionem hypostaticam illi fieret personaliter et intime præsens. Addit deinde rationem moralem; quod scilicet per gratiam fiat perfectissima amicitia inter Deum et hominem, quæ postulat præsentiam amici, puta Spiritus sancti, qui manet in anima amici sui, ut illi intime uniatur, in eaque tanquam in templo suo resideat, colatur, ametur et adoretur.

Ex hac communicatione ipsiusmet personæ Spiritus sancti et divinitatis, sequitur animæ summa cum eo elevatio et quasi deificatio, ac consequenter adoptio perfectissima et divinissima, scilicet non tantum per gratiam, sed et per substantiam divinam. Unde S. Basil. hom. de Spiritu sancto ait Sanctos propter inhabitantem Spiritum sanctum esse deos; dictum enim est illis à Deo : *Ego dixi, dii estis, et filii excelsi omnes.* Indeque probat Spiritum sanctum esse Deum : *Necesse est enim*, inquit, *divinum esse spiritum, et ex Deo esse, qui diis divinitatis est causa.* Jam sicut prioris adoptionis quæ fit per gratiam, causa formalis est ipsa gratia : ita hujus secundæ adoptionis quæ fit per communicationem ipsius Spiritus sancti, causa formalis est ipse Spiritus sanctus animam justi inhabitans; medium vero, dispositio et vinculum est ipsa gratia : sicut unio hypostatica est medium et vinculum quo humanitas unitur Verbo; sed cum hac dissimilitudine, quod hoc vinculum in Christo non sit aliqua qualitas, sed modus duntaxat substantialis; hic vero in adoptione nostra sit qualitas et forma realis perfectaque, puta charitas et gratia, quæ natura sua poscit hanc personalem Spiritus sancti communicationem, eamque secum affert condescendente ipso Spiritu sancto, quod sane mire ejus in homines φιλανθρωπιαν, familiaritatem et benevolentiam demonstrat, ideoque jugi laude, meditatione et gratiarum actione est celebrandum.

Quocirca gratia justificans est quasi causa formalis hujus communicationis Spiritus sancti, qui eam poscit, illique indivulse conjungitur : sicut calor in igne est quasi causa formalis splendoris, qui ex eo resultat, et lux in sole est causa quasi formalis virtutis calefactivæ, quam in se habet sol. Et sic gratia justificans est causa formalis uti justificationis nostræ, ita et adoptionis tam secundæ quam primæ, omniaque hæc complectitur et secum adducit. Nec aliud videtur velle Concil. Trident. sess. 6. cap. 4. et 7. cum contra modernos hæreticos statuentes justitiam externam vel imputativam, docet in justificatione nos transferri in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei; et justificationis causam formalem esse justitiam Dei, *non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, justitiam in nobis recipientes, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult*, etc. *Dum sanctissimæ passionis Christi merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis inhæret : unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur per fidem, spem et charitatem : nam fides, nisi ad eam spes accedat et charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit.* Porro charitas secum adducit ipsam personam Spiritus sancti, ut paulo ante ostendi : justificatio ergo et adoptio prima est accidentalis, quia fit per gratiam et charitatem, quæ sunt accidentia; secunda ex prima profluens est substantialis, ideoque divinior, quia fit per communicationem ipsius Spiritus sancti, ac naturæ divinæ, ideoque quasi substantialiter nos facit filios Dei, ut ejusdem quasi naturæ et essentiæ cum Deo Patre nostro simus.

Hinc Origen. hom. 4. in Levit. docet, quod societas nobis sit cum Patre, Filio et Spiritu sancto, juxta illud 1. Joan. 1. 3. *ut societas nos-*

tra sit cum Patre, et cum filio ejus Jesu Christo, ac consequenter, inquit, cum Sanctis et cum angelis. Hanc societatem dirumpit et abnegat, quicumque malis actibus suis, malisque sensibus ab eorum conjunctione separatur. Hæc Origenes.

Symbolice, fimus divinæ consortes naturæ per Eucharistiam. Ita S. Cyrillus catechesi 4. *Sic*, inquit, *efficimur Christiferi* (*ac concorporei et consanguinei Christi*, ut paulo ante dixerat) *hoc est, Christum in corporibus nostris ferentes, cum corpus ejus et sanguinem in membra nostra recipimus; sic secundum B. Petrum divinæ naturæ consortes reddimur.*

Tropol. Nyssenus initio operis epistol. ad Harmonium quærit : Quid sit Christianismus? ac respondet : *Christianismus est imitatio divinæ naturæ*, ut cogitationes et actiones nostræ actionibus Dei similes sint, ab omni malitia et vitio alienæ, puræ, sanctæ; ut cœlestia sapianus, cœlestibus afficiamur. Christianismus est conjunctio cum Christo, et professio vitæ Christi. Fieri enim non potest quin Christus sit et justitia, et puritas, et veritas, atque cujusvis mali vitatio : neque Christianus esse potest, qui non illorum nominum quoque communionem et societatem in sese ostendat; alioqui nomen et figuram Christiani habet, non veritatem et rem. Affert exemplum simiæ; quæ à circulatore docta saltare et gestus humanos imitari, ac ad quæstum in theatrum producta, cum spectatores ei applauderent, censerentque simiam humana veste et gestu præditam hominem esse; quidam ex eis callidior socio dixit : Ostendam tibi simiam esse simiam non hominem : quare in theatrum simiæ objecit amygdala, quibus illa visis, oblita suî omnisque doctrinæ et decori, relicto circulatore magistro et præceptore suo, ad sua amygdala cucurrit, eaque enucleavit et comedit; itaque se simiam et bestiam, quæ non ratione, sed sensu et concupiscentia ageretur, ostendit. Ita Christiani multi habitum speciemque externam Christiani præ se ferunt, sed oblatis suis cupediis quasi nucibus, Christianismi obliti in eas quasi pecora ruunt, itaque se non Christianos veros sed fucatos; non homines ratione et fide viventes, sed hominum simias esse ostendunt. Baptismus enim et Christianismus est *mors criminum, et vita virtutum*, ait, S. Cyprianus l. 2. epist 2. ad Donatum; et Optatus Milevit. l. 5. contra Parmen. Idem Nyssenus laudans fratrem suum S. Basilium : *Genus illi*, inquit, *familiaritas et necessitudo erat cum Deo; patria vero, virtus.*

Quocirca graviter S. Leo serm. 1. de Nativitate: *Agnosce*, ait, *ô Christiane, dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ, noli in veterum vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cujus capitis et cujus corporis membrum. Reminiscere quia eruitus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen et regnum. Per baptismatis sacramentum Spiritus sancti, factus es templum. Noli tantum habitatorem pravis de te actibus effugare, et diaboli te iterum subjicere servituti; quia pretium tuum sanguis est Christi, qui in veritate te judicabit, qui misericordia te redemit, qui cum Patre et Spiritu sancto regnat in sæcula sæculorum, amen.* S. Macarius hom. 45. docet Deum universa potiri creatura; at societatem contraxisse cum solo homine, in eoque conquiescere : *Vides*, ait, *cognationem Dei cum homine, et hominis cum Deo? Quapropter sagax et prudens anima cunctas percurrens creaturas sibi quietem ipsa non reperit, nisi in Domino solo : nec Domino complacuit in illo, præterquam in solo homine. Si explices oculos ad solem, circulum ejus reperies in cœlo; lumen autem et radios in terram vergere, et ad terram tendere vim omnem lucis et splendorem. Sic etiam Dominus sedet à dextris Patris : oculum autem suum extensum habet in corda hominum in terra degentium, ut auxilium ejus excipientes illic, ubi ipse est, extollat : Quoniam*, inquit, *ubi ego sum, illic et minister meus erit.*

Porro licet gratia faciens nos divinæ consortes naturæ adducat, et includat omnes virtutes; tamen S. Hieronymus lib. 1. contra Jovin. idipsum appropriat virginitati : *Grandia nobis*, inquit, *et pretiosa virginitatis promissa donavit, ut per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ.* Quo facit id quod sequitur : *Fugientes eam quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem*, et illud Sapient. 6. 20. *Incorruptio facit proximum esse Deo.* Alii melius idipsum appropriant charitati, quæ, ut ait S. Bernard. serm. de diversis affectionibus animæ, ex affectu clamat : *Quid mihi est in cœlo, et à te quid volui super terram? Defecit caro mea et cor meum, Deus cordis mei et pars mea Deus in æternum. Neque enim suum aliquid, non felicitatem, non gloriam, non aliud quidquam tanquam privato suî ipsius amore desiderat anima quæ ejusmodi est; sed tota pergit in Deum, unicumque ei ac perfectum desiderium est, ut introducat eam Rex in cubiculum suum, ut ipsi adhæreat, ipso fruatur. Unde et jugiter revelata facie quoad potest cœlestis sponsi gloriam speculando, in eamdem imaginem transformatur de claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu. Ex hoc plane audire meretur : Tota pulchra es, amica mea. Audet et ipsa loqui : Dilectus meus mihi, et ego illi. Atque in hujusmodi felicissima et jucundissima confabulatione delectatur gloriosa cum sponso.*

S. Ambrosius lib. 6. epist. 38. *Quid illud attexam*, inquit, *quod hominem Deus divinæ fecit consortem naturæ, sicut in Epistola Petri legimus? Unde non immerito quidam ait : Cujus et genus sumus. Dedit enim nobis de cognatione sua, rationabilis scilicet naturæ, ut quæramus illud divinum, quod non longe est ab unoquoque nostrûm, in quo et vivimus, et sumus, et movemur.*

Anagog. quod tamen accipi potest ut sensus litteralis, ac prioris jam dati pars ultima et complementum (gloria enim est consummatio gratiæ) erimus divinæ consortes naturæ plene et perfecti, cum divinæ gloriæ, felicitatis et regni Deus nos faciet participes in cœlo. Nam, ut ait S. Joannes epist. 1. cap. 3. 2. *Cum apparuerit, similes ei erimus*, et S. August. tract. 51. in Joannem : *Quem majorem honorem accipere poterit adoptatus, quam ut sit ubi est unicus, non æqualis factus divinitati, sed consociatus æternitati?* Idipsum innuit Petrus, dicens : *Ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ*, puta divinæ gloriæ participes. Deus enim per lumen gloriæ ostendens se clare Beatis, eosque seipso implens et beans, ita se in eo transfundit, ut eos sibi similes efficiat, puta beatos, gloriosos, divinos et quasi deos : nec enim altius assurgere potest homo, aut magis Deo uniri, in eumque transire. Unde S. Athanas. serm. 4. contra Arrian. *Ut enim Dominus*, ait, *induto corpore fac-*

tus est homo : ita et nos homines ex Verbo Dei deificamur (θεοποιούμεθα, id est, *fimus dei*) *eo quod illud receptum sit in carne, et jam inde vitam æternam adipiscamur.* Et Nazianz. orat. 42. ait hominem divinitatem consequi, ut Dei claritatem videat; ubi Nicetas : *Deificatio*, ait, *omnis actionis et contemplationis est terminus. Deificatio*, id est Dei visio et contemplatio : per hanc enim Beati Deum ita possident, ut cum eo quasi deificare et in Deum transire videantur, perinde ac ferrum plane ignitum in ignem converti videtur.

Hoc sensu particula *ut*, cum dicitur : *Ut efficiamini divinæ consortes naturæ*, proprie significat causam efficientem et finalem : gratia enim efficit gloriam, quæ nos facit consortes divinæ naturæ et beatitudinis, atque gloria est finis gratiæ. Nam in priori sensu litterali *ut*, significat causam formalem : gratia enim formaliter nos facit consortes divinæ naturæ, id est, gratos Deo, amicos, filios et hæredes Dei, homines divinos et deiformes.

Denique ex hoc loco Henricus à Gandavo quodlib. 13. qu. 12. censuit beatitudinem et visionem Dei fieri per illapsum divinitatis, ita scilicet ut Beatus videat Deum, hacque visione beetur non producendo, nec active eliciendo hanc visionem, sed mere passive se habendo : Deum enim solum suo illapsu illam efficere et producere primum in anima, deinde in animæ potentiis. Primo ergo, inquit, ipsa animæ essentia illuminante increata luce, scilicet ipsa deitate per illapsum lucet, et inflammata ardore charitatis ita ardet, ut in ipsa appareat nihil nisi Deus; sicut in ferro candente nihil apparet nisi ignis, deinde derivatur in potentias, nempe in intellectum, purgando ipsum ut clarius videat; et voluntatem, ut ardentius amet, itaque tota anima sit igne divinitatis accensa. Sic Henrici sententiam de formali beatitudine, quæ est ipsa visio et amor Dei visi, explicant et refellunt D. Soto in 4. dist. 49. qu. 1. art. 3. et Scotus dist. 49. q. 2. Noster tamen Vasquez 1. 2. disp. 8. cap. 1. melius censet Henricum loqui de beatitudine et illapsu divinitats objectivo, non formali : deitas enim est nostra beatitudo non formalis, sed objectiva : quia scilicet ipsa est objectum quod sui visione nos beat.

FUGIENTES (αποφυγοντες in aoristo, id est, *cum aufugeritis;* Pagnin. et Tigur. *si refugeritis*) EJUS QUÆ IN MUNDO EST CONCUPISCENTIÆ CORRUPTIONEM] της εν κοσμω εν επιθυμια φθορας, id est, *corruptionem quæ est in concupiscentia in mundo;* Pagnin. et Tigur. *si refugeritis à corruptione quæ est in mundo per concupiscentiam :* concupiscentia enim cum sit carnalis et sordida, plane repugnat divinæ naturæ, quæ purissimus et sanctissimus est spiritus. Rursum ipsa corrumpit tam corpus, quam animam : unde Cæsarius Arel. hom. 11. *Incomparabiliter*, ait, *graviorem putorem reddunt cogitationes luxuriosæ, quam cloacæ.* Si ergo divinæ naturæ consortes effici cupimus, necesse est ut concupiscentiæ renuntiemus et bellum indicamus.

Unde S. Leo serm. 1. de Nativit. *Deponamus ergo*, inquit, *veterem hominem cum actibus suis, et adepti participationem generationis Christi, carnis renuntiemus operibus.* Idem serm. 2. de Ascens. *Sursum vocatos animos*, ait, *terrena desideria non deprimant, ad æterna prælectos peritura non occupent, viam veritatis ingressos fallaces illecebræ non retardent, et ita à fidelibus hæc temporalia decurrantur, ut peregrinari se in hac valle mundi cognoscant, in qua etiamsi quædam commoda blandiantur; non amplectenda nequiter, sed transeunda sunt fortiter.* Et mox : *Cui autem nisi diabolo carnales militant voluptates, qui animas ad superna tendentes corruptibilium bonorum delectationibus obligare, et ab illis sedibus de quibus ille excidit gaudet abducere.* sanctus Hilarius in Psal. 118. littera *heth : Patens*, inquit, *Deo est fidelis pectoris et ampla possessio, ut inhabitet et inambulet. Sed qui inhabitat, qui inambulat, quid tertium addidit? Et ego ero illorum Deus. Ecce promissam nobis ab eo portionem, ut simus Dei inhabitatio. Et dum in nobis ambulat, fit nobis ipse possessio, si sæculum relinquamus, si possessioni terrenæ labili renuntiemus, si hæreditatem caducorum respuamus, si viventes de sæculo exeamus.* Qui enim semel se in divinitatem mersit animus, non nisi Deo et divinis pascitur; cætera ut exilia et vilia fastidit.

5. VOS AUTEM CURAM OMNEM SUBINFERENTES.] Græca addunt, και αυτο και τουτο, id est, *et hoc ipsum*, scilicet facite, ut fugiatis concupiscentiam, sicut jam dixi, ad id *omne studium conferentes.* Ita Clarius, Cajet. Vatabl. Transit S. Petrus à Deo ejusque donis ad fidem, ejusque officium, ut scilicet donis Dei jam dictis digne utatur, obsequatur, cooperetur, nec otiosa ea esse sinat; sed ea operando adaugeat et perficiat, ut quasi servus fidelis Deo reposcenti rationem talentorum dicere possit : *Domine, mna tua decem mnas acquisivit*, Lucæ 19. 16. ideoque ab eo audiat : *Euge serve bone, quia in modico fuisti, fidelis eris potestatem habens super decem civitates.*

Nota. Pro *subinferentes* græce est παρεισενεγκαντες, quod ex duabus præpositionibus componitur, scilicet εις, id est *in*, et παρα, id est *sub;* præter, prope, obiter. Hæc ergo vox significat, primo, gratiam per se solam non sufficere ad salutem, sed requiri cooperationem liberi arbitrii, *ut subinferatur adnitendo etiam nostræ voluntatis efficacia. Adjutor enim noster Deus dicitur, nec adjuvari potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur; quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis quorum natura rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur nobis*, ait S. Augustinus lib. 2. de Peccat. mer. cap. 5. Idem serm. 43. de verbis Domini : *Agis*, inquit, *si agaris : et bene agis, si à bono agaris.*

Secundo, το παρα, id est *sub*, significat in operibus gratiæ et salutis præire gratiam quasi dominam, obsequi vero voluntatem quasi pedissequam et ancillam. Unde ait : *Ministrate*, quasi ministri gratiæ; gratia enim excitat voluntatem, ut assurgat ad opus cœleste et divinum, uti docet Conc. Trident. sess. 6. cap. 5. Erravit ergo Pelagius, qui gratiam fecit pedissequam naturæ et liberi arbitrii : *Deus est enim qui operatur in nobis et velle et perficere*, ait Paulus Philip. 2. 13. utique per gratiam. Gratia ergo excitans et operans prævenit voluntatem : voluntas deinde gratiæ cooperatur; itaque gratia ex operante fit cooperans. Natura enim et voluntas ad opera salutis est infirma, impotens et per peccatum mortua : per gratiam ergo quasi animata et vivificata à somno et morte excitatur, roboratur et fit potens ad pœnitendum, sperandum, amandumque Deum, juxta illud :

Surge qui dormis, et exurge à mortuis, et illuminabit te Christus, Ephes. 5. 14.

Tertio, τὸ παρα, id est, *sub*, *præter*, significat præter voluntatis et naturæ meritum et ordinem esse, quod illa ad hæc dona salutis et gloriæ, quæ supra sunt et superioris ordinis, ordinetur; nimirum quod debeat voluntas à gratia supra naturam elevari et quasi fieri supernaturalis, ut supernaturalia opera fidei, spei, charitatis, etc., operari possit quibus perveniat ad salutem : in hisce enim operibus voluntas nil per se potest, sed debet elevari à gratia : unde à gratia habet opus omnem dignitatem et meritum : à gratia enim quod sit opus charitatis, cœleste, supernaturale, divinum, meritorium vitæ æternæ ; à voluntate vero habet quod sit opus humanum, voluntarium, liberum. Τὸ ergo παρα significat voluntatem quasi præter ordinem, per gratiam elevatam irrepere et insinuare sese in hos actus supernaturales, nec suis viribus quidquam posse operari in hisce actibus, sed omnes vires ad eos operandos accipere à gratia : sicut ergo ferrum per se non potest calefaccere; sed si igni uniatur fiatque ignitum, ab igne accepit vim calefaciendi et urendi : sic pariter et voluntas gratia accipit vim credendi, sperandi, amandi Deum, etc.

Quarto, το εις, id est *in*, significat voluntatem tantum Dei donum debere studiose complecti, omnesque suas vires conferre et inferre in opera hæc divina. Unde ait : *Omnem curam*, græce σπουδην, id est *studium*, diligentiam, sollicitudinem, nisum, conatum, *subinferentes, ministrate*, επιχορηγησατε, id est *suggerite*, suppeditate, præstate, subministrate, adjicite, adjungite.

In fide.] Aliqui legunt τη πιστει, id est *fidei*, q. d. subministrate fidei vestræ vigorem et virtutem, item scientiam, abstinentiam, patientiam, pietatem, etc. Facite scilicet ut fides vestra non sit otiosa, sed harum virtutum operatrix, et negotiosa.

Verum alii passim legunt εν τη πιστει, *in fide*, id est, cum fide, vel per fidem : fides enim viva excitat virtutem, patientiam, pietatem, etc. Ubi nota. Vox *in* significat primo, connexionem virtutum, scilicet eas inter se esse connexas, q. d. Fidei annectite virtutem, virtuti scientiam, etc. ; secundo, unam ab alia roborari et vigorem accipere, q. d. Fidei inserite virtutem, virtuti scientiam, quasi medullam ossi, vigorem membris, spiritum corpori : enervis enim et infirma est fides nisi virtute suffulciatur ; et virtus scientia dirigatur, etc. ; tertio, earum medium et ordinem, q. d. in Fidei, id est, *per fidem excitate*, in vobis virtutem, per virtutem scientiam, per scientiam abstinentiam, etc. ; quarto, earum coronam et coronidem : sicut enim annulus aureus insertus alteri et hic alteri et alteri, efficit catenam et quasi coronam auream ; ita fides inserta virtuti, virtus scientiæ, scientia patientiæ, patientia pietati, etc., efficit orbem et coronam virtutum, quæ, instar monilis, aut cycladis aureæ, mire vestit, ornat et perficit animam.

Virtutem.] την αρετην, id est *virtutem*, proprie dictam, non δυναμιν, id est *potentiam*, q. d. Fidei jungite virtutum opera, cognitioni addite praxim. Ita Œcumen. Secundo et aptius, per *virtutem*, accipe virtutis vigorem, robur et fortitudinem ; nam αρετη dicitur quod habeat aliquid Αρεος, id est *Martis*, puta quod martialis sit, bellicosa, mascula, robusta, generosa, heroica. Si enim quamlibet virtutem acciperet, non subjungeret patientiam, pietatem, etc., utpote quæ sub generico virtutis nomine quasi species comprehenduntur. Sensus ergo est, q. d. Commendo vobis, ô fideles, uti fidei robur, ita vigorem virtutis, puta fortitudinem ad omnia ardua heroice superanda, quam aliis elogiis vobis non commendo, quia ipsa se sua specie et pulchritudine sat superque commendat : nimirum non eget honestamento virtus ; ipsa suum decus est, sicut vitium et mollities animi non eget vituperio ; ipsa enim sibi dedecus est : *virtus* enim à viro dicta est ; unde proprie significat fortitudinem, quod ea viro congruat. Ita Cicero Tuscul. 2. *Appellata est*, ait, *ex viro virtus. Viri autem propria maxime est fortitudo, cujus munera duo maxima sunt, mortis dolorisque contemptio. Utendum est igitur his si virtutis compotes, vel potius si viri volumus esse; quoniam à viris virtus nomen est mutuata.* Virtus ergo est perferendorum malorum fortis atque invicta patientia. Idem Philipp. 4. *Omnia alia*, ait, *falsa, incerta sunt, caduca, mobilia ; virtus est una altissimis defixa radicibus, quæ nunquam ulla vi labefactari potest, nunquam dimoveri loco.* Virtus ergo poscit robur Socraticum, et Virgil. 5. Æneid.

> Tunc pudor incendit vires et conscia virtus.

Hinc rursum Cicero ad Plancium lib. 10. docet virtutem omnia quantumvis ardua transcendere, omnia occupare : *Omnia summa*, ait, *consecutus es virtute duce, comite fortuna.* Et pro Plancio : *Is gloria maxime excellit, qui virtute plurimum præstat.* Pindarus vero in Isthmiis ode 6. *Si quis hominum*, ait, *sumptu delectatus et labore, exercet à Deo structas virtutes, simul Deus illi amabilem gloriam serit, jam ad ultimos fines felicitatis appellens anchoram jecit, divinitus honoratus existens.* Clemens Alexandr. lib. 4. Stromatum citat illud Simonidis : *Fertur virtus habitare in rupibus aditu difficilibus*, et Hesiodum, qui dicit sudorem ante virtutem esse positum :

> —— Via longa est atque acclivis ad ipsam.
> Ardua namque prius, sed cum ad fastigia ventum,
> Fit facilis.

Exigit ergo S. Petrus, ut fideles in fide et vita Christiana sint non segnes et debiles, sed alacres et valentes, uti fuit S. Valentinus Martyr, qui suo fidei verbique vigore et valore pene Claudium II. imper. ad Christum convertit, ut habent ejus acta 14 Februarii. Tales fecit S. Petrus suos cives et subditos, ut Romani essent, id est Valentini : Roma enim primitus dicta est Valentia, teste Solino Polyhist. c. 2. et Dionys. Halicarn. lib. 1. Antiqu. Roman. unde etiam græce dicitur ρωμη, id est, *robur.*

Hinc illa virtus Martyrum Romanorum, in continuis persecutionibus et tormentis à S. Petro usque ad Sylvestrum, puta à Nerone usque ad Constantinum per 300. annos : quibus proinde recte accinas illud Psal. 67. vers. 36. *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel, ipse dabit*, imo dedit, *virtutem et fortitudinem plebi suæ ; benedictus Deus*, qui facit Martyres fortes, quasi novos Israeles dominantes tyrannis ipsique Deo.

IN VIRTUTE AUTEM SCIENTIAM.] Primo, per *scientiam* OEcumen. accipit perfectam mysteriorum Christi et Dei cognitionem, quæ, inquit, *non cuilibet advenit, sed ei tantum, qui ex operibus præstantioribus per habitum exercitatos sensus sibi comparavit.* Secundo, S. August. 14. de Trin. cap. 1. *Sapientia,* ait, *est rerum divinarum cognitio; scientia vero rerum humanarum.* Tertio, Arias per *scientiam* accipit intellectum S. Script. Quarto, Gregor. de Valentia 1. p. disp. 1. qu. 1. puncto 3. §. 1. et alii Scholastici per *scientiam* accipiunt Theologiam, quæ ex principiis fidei conclusiones theologicas educit, quam ex hoc loco probant esse scientiam. Quinto et genuine, per *scientiam* accipe practicam, puta prudentiam Christianam et divinam, quæ docet quid Christiano, quolibet loco, tempore, cæterisque circumstantiis agere aut non agere conveniat: quam S. Antonius dicebat esse principem, S. Bernard. serm. 49. in Cantic. aurigam virtutum cæterarum. Vide Cassian. collat. 2. cap. 2.

Unde S. Petrus ait hanc scientiam parere abstinentiam, patientiam, pietatem, amorem fraternitatis, et charitatem. Rursum eam nasci ex virtute, id est fortitudine: fortis enim et masculus animus rectus est, recteque de agendis judicat; mollis vero et effeminatus, quia in suas cupiditates nimis propendet, hinc pravus est, et perverse de agendis judicat. Vide S. Bernard. serm. 3. in Vigil. Nativ. uti damnat eam doctrinam, quæ operibus bonis destituitur, solamque veram esse scientiam docet eam, quæ vitam componit et mores emendat. Idem serm. 36. in Cantic. *Sunt*, ait, *qui scire volunt ut sciant, et turpis curiositas est; et sunt qui scire volunt ut sciantur et ipsi, et turpis vanitas est; et sunt qui scire volunt ut scientiam suam vendant, et turpis quæstus est. Sed sunt quoque qui scire volunt ut ædificent; et charitas est: et item scire volunt ut ædificentur; et prudentia est. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiæ: quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut bene faciant.* Idem l. de Conscientia cap. 2. *Multi*, ait, *scientiam quærunt, pauci conscientiam.* Vera ergo scientia dirigit, rectamque et sanctam facit conscientiam. Unde S. Aug. epist. 119. c. 21. *Sic*, inquit, *adhibeatur scientia tanquam machina quædam, per quam structura charitatis assurgat.*

6. IN SCIENTIA (id est, cum scientia, et per scientiam) AUTEM ABSTINENTIAM.] Scientia enim, sive ethica Christiana, primo docet abstinentiam, sive temperantiam in cibo et potu, cæterisque carnis voluptatibus, ne per eas magnitudinem donorum Dei afficiamus contumelia, ait Clarius: nisi enim hæ primo refrænentur, aut alias virtutes progressus fieri nequit, præsertim quia ex intemperantia et gula omnia vitia oriuntur, ut docet S. Gregor. 3. parte Pastor. admonit. 20. Adde scientiam et abstinentiam esse comites et quasi sorores, ut una sine alia reperiri nequeat: unde Daniel cum sociis cap. 1. per abstinentiam adeptus est rerum omnium scientiam; et Salomon: *Cogitavi*, ait, *in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam.* Eccles. 2. 3. Rursum abstinentia connexa est virtuti et fortitudini; nam, ut ait S. Bernard. serm. 1. de omnibus Sanctis: *Quid mirabilius, aut quod martyrium gravius est, quam inter epulas esurire, inter vestes multas et pretiosas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster iste appetitus?* Pro *abstinentiam* græce est ἐγκράτειαν, id est *temperantiam*, vel *continentiam*, quæ generalis est virtus modum ponens superbiæ, iræ, gulæ, libidini, avaritiæ, accidiæ, vitiisque omnibus, omnesque actiones hominis moderans et componens. Unde OEcumen. per continentiam accipit modestiam quæ scientiam moderetur, ne superbiat, mentemque inflet. Alii accipiunt castitatem: hæc enim est comes et soror sapientiæ. Unde utraque specie matrone in visione apparens S. Gregorio Nazianz. dixit: *Notæ tibi sumus et familiares. Altera enim ex nobis sapientia, altera castitas dicitur; et missæ sumus à Domino tecum habitare, quia jucundum nobis et mundum in tuo corde habitaculum præparasti.* Ita Ruffin. in Prologo Apost. et Aldhelmus de Laudib. virg. c. 13.

IN ABSTINENTIA AUTEM PATIENTIAM.) Quia, ut ait S. Greg. 3. part. 3. Pastor. admon. 20. *mentes abstinentium plerumque impatientia à sinu tranquillitatis excutit, hinc S. Petrus eis ut adesset admonuit;* quod intellige de rigida et nimia abstinentia ac jejunio: hæc enim corpus debilitat et exsiccat, ideoque bilem acuit, indeque iram et impatientiam. Moderata enim abstinentia et sobrietas uti corpus, ita et animum componit, facitque moderatum, patientem et hilarem; idque significat hic S. Petrus: *In abstinentia* enim, id est, per abstinentiam, ait, *ministrate patientiam:* patientia enim major altiorque est virtus quam sit abstinentia. Unde Sapiens Proverb. 16. 32. *Melior est*, inquit, *patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium;* quia, ut explicat S. Gregor. hom. 25. ab hoc urbes *quæ extra sunt vincuntur, per patientiam vero ipse à se animus superatur, et semetipsum sibimetipsi subjicit, quando eum patientia in humilitate tolerantiæ sternit.* Pro *patientiam*, græce est ὑπομονήν, id est, *tolerantiam, sustinentiam*, per quam aliqui accipiunt perseverantiam in abstinentia, ut scilicet abstinentia non sit unius diei aut mensis, sed continua per omnem vitam, utque omnibus voluptatibus et tentationibus fortiter et constanter resistat (non raro enim fit ut quem tormenta non vincunt, vincat voluptas) uti de adolescente illo, qui à muliere tentatus præmordens linguam, illam in eam expuit, refert S. Hieron. in Vita S. Pauli Eremitæ, itaque voluptatem vincentem vicit.

IN PATIENTIA (per patientiam) AUTEM PIETATEM.] Εὐσέβειαν, id est, *Dei cultum*, ut homo patiens in Deum pius evadat: afflictiones enim cum dejiciunt faciuntque humilem, ac cogunt ut invocet Deum pro ope. *Patientia*, ait OEcumen. *subintrans rem omnem absolvit, et perfectiorem erga Deum obedientiam reddens, pietatem nobis conciliat.* Porro pietas, quia Deum respicit et colit, altior est gradus, majorque virtus quam sit patientia. Est ergo hic catena, simulque climax et gradatio virtutum. Unde Beda et Dionys. octo hasce S. Petri virtutes assimilant octo gradibus, quibus ascendebatur ad templum Salomonis. Insuper jungit Petrus patientiam pietati, ut doceat fideles qui tam multa et dura patiebantur, ea omnia referre per pietatem ad Dei cultum, ut illius amore et honore omnia generose sustineant, uti fecere Martyres. Pietas ergo est condimentum et perfec-

tio patientiæ, sicut patientia est occasio et illex pietatis.

Aliqui per *pietatem* accipiunt benignitatem, quasi requirat S. Petrus ut patiens erga eos, qui se affligunt sit pius, id est benignus, beneficus et misericors, unde S. August. 10. Civit. 1. ait, ευσεβειαν, id est *pietatem*, licet proprie congruat Deo, tamen sæpe in operibus misericordiæ frequentari; quia hæc mire placent Deo, iisque quasi sacrificiis ipse placatur. Verum hæc opera includuntur in amore fraternitatis, de quo subdit S. Petrus.

7. IN PIETATE AUTEM AMOREM FRATERNITATIS,] quia Deo non placet pietas nisi amore fraterno condiatur, si scilicet sit expers beneficentiæ juxta illud: *Misericordiam volo et non sacrificium*, Matth. 9. 13. ubi significat Deus se magis coli et honorari amore fratrum, quam sacrificio. Vult ergo ipse pietatem fidelium non esse aridam et otiosam, sed ad fratrum amorem, id est, proximorum commoda et salutem dirigi. Contra hoc peccant nonnulli fideles ita suis devotionibus addicti, ut fratrum et pauperum obliviscantur, quin et avare sua recondant, nec quidquam in egentes conferre velint.

IN AMORE AUTEM FRATERNITATIS CHARITATEM.] Charitas enim est summa et culmen virtutum, quæ earum orbem et circulum jam recensitum perficit et coronat: estque quasi gemma in annulo.

Vult ergo S. Petrus amorem fraternum non mere esse fraternum, id est, manare ex nudo amore proximi, sed condiri et animari vera charitate Dei, ut scilicet ex amore Dei amemus proximum, quasi imaginem et participium Dei, adeoque in proximo amemus Deum, illique subveniamus propter Deum, ideoque non distinguamus in proximo qualitates et conditiones, ut v. g. amemus cives, non exteros; cognatos, non è cognatione remotos; amicos, non inimicos: Deus enim inter hos non distinguit; sed omnibus se Deum exhibet pluendo super bonos et malos, benefaciendo justis et injustis, ideoque charitas Dei neminem excludit, sed omnes suis visceribus complectitur. *Amicos diligere omnium est, inimicos autem solorum Christianorum*, ait Tertull. ad Scapullam cap. 1.

Hæc est ergo catena octo virtutum S. Petri perfecte ornans Christianum, si nimirum fidei jungatur virtus, virtuti scientia, scientiæ abstinentia, abstinentiæ patientia, patientiæ pietas, pietati amor fraternus, amori fraterno charitas. In his consistit summa et perfectio vitæ Christianæ: hæc sanctum, absolutum et perfectum efficiunt Christianum: fides enim, pietas et charitas reddunt officium debitum Deo; scientia, abstinentia et patientia reddunt debitum sibi: amor fraternus reddit debitum proximo.

8. HÆC ENIM SI VOBISCUM ADSINT.] Græca habent; ταυτα γαρ υμιν υπαρχοντα, quæ vel conditionate verti possunt, uti vertit Noster, vel absolute: *Hæc enim cum vobis adsint.* Ita Pagnin. et Tigurin. aptius tamen conditionate; exhortatur enim S. Petrus fideles ad studium virtutum ex earum fructu, dicens: *Hæc enim si vobiscum adsint*, ET SUPERENT, id est abundent, exuperent: hoc enim significat τὸ πλεονάζοντα (perperam ergo Beda, Glossa, Hugo et Thomas Anglicus *si superent*, inquiunt, hoc est, si vincant vitia contraria) NON VACUOS, græce αργους, id est *otiosos*, NEC SINE FRUCTU. bonorum operum: unde pro ακαρπους, id est, *sine fructu*, aliqui legunt απρακτους, id est, *sine opere*, VOS CONSTITUENT IN DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI COGNITIONE.] q. d. Si adsint vobis virtutes, quas jam recensui, efficient ut vestra fides et cognitio Christi non sit inanis, otiosa, infrugifera et expers meriti, sed in opera virtutum jam dictarum se se exerat, itaque sit plena, negotiosa, frugifera et ingenti meritorum numero dives et locuples. Ita Adamus, Arias, Salmeron. Titelman. et alii. Dicit hoc S. Petrus contra Simonem et Gnosticos, qui docebant nos sola fide justificari, uti docent moderni Huguenoti, quos recte Hugnosticos voces. Unde contra eosdem S. Jacobus cap. 2. multis probat fidem sine operibus esse vanam et mortuam. Secundo, Lyranus, Hugo, Dionys. *per cognitionem Christi* accipiunt, visionem beatificam. q. d. Hæ virtutes parient vobis cognitionem Christi perfectam, scilicet visionem beatificam. Addit Cajet. q. d. Hæ virtutes facient ut in hac vita crescatis in cognitione et amore Christi. Favent Græca quæ habent εις την επιγνωσιν, id est, *in cognitionem*, scilicet majorem et pleniorem, juxta illud cap. 3. 18. *Crescite in gratia et cognitione Dei nostri.*

Denique OEcum. Hugo, Glossa, et Cathar. per *cognitionem Christi*, accipiunt diem judicii; quo scilicet Christus cogniturus est, examinaturus et judicaturus de singulorum virtutibus et vitiis. Verum prima expositio uti planior, ita et germanior est, præsertim quia S. Petrus επιγνωσιν, vocat cognitionem quam in hac vita habemus de Christo, ut patet v. 2. et 3. diem autem judicii et beatificæ visionis, vocat diem revelationis Christi, ut patet epist. 1. c. 1. v. 5. 7. 13.

Nota. Pro *constituent* græce est καθιστησιν, id est *ponent*, statuent, collocabunt, q. d. Hæ virtutes vos deducent ad veram et plenam cognitionem et scientiam, in eaque quasi in luce clarissima et jucundissima fixe firmiterque collocabunt, adeoque à cognitione viæ deducent ad cognitionem et visionem patriæ, in qua videbitis facie ad faciem Deum deorum in cœlesti Sion. Significat S. Petrus veram et plenam cognitionem Dei et Christi esse summum bonum, et beatitudinem tam hujus vitæ per fidem, quam futuræ per speciem et visionem, juxta illud Christi: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum*, Joannis 17. Opponit enim S. Petrus virtutibus præditos et virtutibus destitutos, quod iis præditi collocentur in plena cognitione Dei et Christi quasi in luce paradisi; iis vero destituti quasi cæci versentur in tenebris abyssi; unde de iis subdit: *Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est et manu tentans*, virtutes enim sunt lumina practica quæ animam mire ornant et illuminant, ac in Dei cognitione quasi luce clara collocant et confirmant; sicut fructus arborem stabiliunt: faciunt enim ut illa profundiores in terra radices agat, quibus succum, quem fructibus suggerat, hauriant. Hinc Clemens Alexandr. 1. Pædag. cap. 6. et 4. Strom. cap. 2. ac Damascen. Paralipomen. 1. cap. 65. γνωστικον, id est *scientem*, et cognitione præditum, vocat virum perfectum, qui scientiam virtuti et praxi jungit, ac alios quoque docet et perficit.

9. CUI ENIM NON PRÆSTO SUNT HÆC, cui desunt octo

virtutes jam recensitæ, CÆCUS EST.] practice scilicet, quia non habet practicos practicæ fidei et cognitionis oculos : hi enim sunt virtutes jam dictæ. Hinc Christus de Pharisæis, qui habebant fidem praxi virtutum carentem : *Sinite illos* inquit, *cæci sunt et duces cæcorum*, Matth. 15. v. 14. et ante Christum prævidens eos Isaias c. 59. v. 10. depingit : *Palpavimus sicut cæci parietem, et quasi oculis attrectavimus, impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui.* Et Sophon. c. 1. 17. *Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt.* Et Job c. 5. v. 14. *Per diem incurrent tenebras, et quasi in nocte sic palpabunt in meridie.* Significat S. Petrus eos qui virtutibus carent, quasi cæcos in tenebris ignorantiæ versari, quia carent prudentia et scientia practica, quæ est lux et dux virtutum. Anag. OEcumen. Id refert ad adventum Christi ad judicium, qui erit instar solis fulgidus et gloriosus : *nam tunc improbis cæcitas orietur, quia et justi ad tantum lumen quamdam veluti sentient imbecillitatem.*

ET MANU TENTANS.] Puta viam prætentans : cæci enim quia oculis carent, manu viam prætentant et quasi palpant, necubi labantur vel impingant. Græce μυωπαζων, quod primo verti potest, *clausis oculis existens et incedens :* μυω enim est, *claudo*, ωπας vocant *oculos.* Secundo, μυωπαζων, id est, *muris habens oculos*, μυς enim est *mus*, murem accipe subterraneum, puta talpam. q. d. Qui virtutibus caret, cæcutit ut talpa, quæ manibus palpat et terram subruit.

Ubi nota eos qui non virtuti, sed carni et mundo student, recte comparari talpis. Primo, quia sicuti talpæ habent oculos, quos reipsa curiose intuitus sum, sed pellicula obductos, ne à terra dum eam subruunt lædantur, ideoque eorum usu puta visu destituuntur : sic et isti mentem habent, sed cupiditatibus velatam et cæcatam ; ideoque ea non utuntur, quia sensibus aguntur velut talpæ terræ incumbentes. Quare in aggerendis opibus rebusque terrenis discernendis sunt lynces, in cœlestibus talpæ. Id de talpa docet Aristot. l. 1. de Hist. anim. c. 9. *Habent*, inquit, *oculos animalia, quæ animal generant, omnia præter talpam, quam modo quodam habere dixerim, cum tamen omnino habere negem quippe cum omnino quidem nec videat, nec perspicuos habeat oculos : verum si quis prætentam membranam detrahit, locus oculorum apparet et pars nigra eorumdem.* Unde illud Virg. *Talpæ oculis capti*, et Plinius lib. 3. cap. 3. ait *talpas à natura damnatas cæcitate perpetua.* Idem l. 11. cap. 37. *Talpis*, ait, *visus non est, oculorum effigies inest, si quis prætentam detrahit membranam.* Secundo, talpæ quia non vident, hinc acutius audiunt, natura pensante visum auditu, ibique vim alibi occlusam fortius exerente. Ita Plinius lib. 10. cap. 69. docet hominem superare cætera animalia tactu et gustu, at reliquis sensibus superari ab iisdem : nam *aquilæ*, inquit, *clarius cernunt, vultures sagacius odorantur, liquidius audiunt talpæ obruta terra tam denso atque surdo naturæ elemento. Præterea voce omnium in sublime tendente, sermonem exaudiunt*, sed fabulosum est quod addit : *Si de iis loquare, intelligere etiam dicuntur et profugere.* Ita mundani auditu pollent, totique sunt auriti, ut audiant nova, curiosa, secreta, præsertim quæ proximi famam lædunt, etiam absentis et toto orbe semoti, atque apud Antipodes degentis. Tertio, talpæ ita terræ inhiant, ut defossæ videantur sepultisque similes, ait Plinius lib. 11. cap. 37. Ita carnales in carne, mundani in mundo se defodiunt et sepeliunt. Quarto, talpæ sua antra habent sub terra, lucifugæ sunt, solemque fugiunt : in sua antra germina et radices pro annona coacervant : ita avari non nisi coacervandis opibus, gulosi deliciis, superbi honoribus student. Quinto, talpæ insano labore pedibus quasi manibus terram assidue suffodiunt, adeo ut integras subinde urbes subruant. Ita Plinius lib. 8. c. 29. *M. Varro*, ait, *auctor est à cuniculis suffossum in Hispania oppidum, à talpis in Thessalia, à ranis civitatem in Gallia pulsam, ab locustis in Africa, ex Gyaro Cycladum insula incolas à muribus fugatos.* Ita mundani qui insano cupiditatis alicujus œstro agitantur, ut ea potiantur, omnia concitant, omnia miscent et turbant, adeoque integras sæpe urbes et regna convellunt, bellis cædibusque conficiunt.

Tertio, μυωπάζων, verti potest, *connivens* vel *nictans oculis :* unde ab Aristot. sect. 31. Problem. myopes vocantur qui proxima vident, remota non vident. Et Hesychius in lexico μυωπαζειν, ait, λεγονται οι εκ γενετης τα κατα εγγυς βλεποντες τα δε εξαποσασεως ουχ ορωντες ; Gellius vero lib. 4. cap. 2. myops, inquit, est lusciosus, et OEcumen. hic, *lusciosum esse*, ait, *id est* μυωπαζειν, *nihil aliud significat, quam cæcutire ;* et clare Budæus : *Myopes*, ait, *dicuntur, qui inde ab initio ortus sui nisi admota oculis contueri nequeunt ;* cujusmodi multos videmus qui res intuendas oculis prope contingunt, et limis etiam semiclusisque oculis aspiciunt, quos lusciosos vocamus, Græci νυκταλωπας nuncupant. Sic ergo S. Petrus myopes vocat eos, qui terrena sapiunt, utpote qui non cernant cœlestia, longius scilicet quasi extra mundum posita, sed terrestria tantum, quæ proxima sunt, quanquam hoc non satis congruit cum τω *cæcus est*, nisi per cæcum accipias cæcutientem. Vere S. Gregor. 25. Moral. cap. 9. *Qui*, inquit, *errant in Dei cognitione, juste traduntur ut errent pariter in agendis ;* imo S. Paulus Roman. 1. vers. 28. loquens de philosophis, qui cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt : *Et sicut*, inquit, *non probaverunt Deum habere in notitia : tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, etc.* Sicut ergo fides mater est omnis virtutis, ita infidelitas omnis vitii.

Hinc tales sunt similes vespertilioni (μυοπαζων enim per ρ deduci potest ab οπη, id est *vespertilio*) qui conflatus est ex mure et ave ; videturque talpa alatus, ideoque parum videt ; unde solem fugit, et noctu volat, de quo plura dixi Isaiæ. 2. v. 20. De his ait Christus : *Modicum lumen in vobis est ; ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant ; et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.* Joannis 12. 35.

OBLIVIONEM ACCIPIENS PURGATIONIS VETERUM SUORUM DELICTORUM.] q. d. Fidelis qui virtutes abdicat et in vitia relabitur, obliviscitur baptismi, et Christianismi quo accepit remissionem peccatorum in Gentilismo vel Judaismo perpetratorum, quoque spopondit se Christiane et sancte victurum. Rogatus enim : *Abrenuntias Satanæ et omnibus ejus pompis ?* respondit : *Abrenuntio.* Ita OEcum. Vere S. Aug. l. 1. contra duas

epist. Pelag. c. 13. *Dicimus*, ait, *baptisma dare indulgentiam omnium peccatorum, et auferre crimina, non radere.* Vide Concil. Trident. sess. 5. in Decreto de peccato origin. et sess. 6. c. 11.

10. QUAPROPTER, FRATRES, MAGIS SATAGITE.] Τὸ *magis* potest referri vel ad *quapropter*, uti referunt Græca; et tum idem est quod *potius*, continuatque antithesin cum eo quod præcessit, q. d. Nolite oblivisci purgationis delictorum, sed potius satagite ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis; vel ad *satagite*, q. d. Magis magisque in dies satagite, etc. Pro *satagite* græce est σπουδάσατε, id est *studete*, date operam, satagite. Satagere enim est satis angi, vel satis, id est multum agere quasi sollicitum. Unde Quintil. l. 6. c. 4. *Afer*, ait, *venuste Mantium Suram multum in agendo discursantem, salientem, manus jactantem, togam dejicientem, et imponentem non agere dixit, sed satagere.* Melius S. Martha satagebat circa frequens Christi ministerium, Lucæ 10. 40.

UT PER BONA OPERA.] Hæc verba desunt in Græcis plerisque codicibus; in nonullis tamen reperiuntur. Certum est ea vel legenda vel subaudienda esse: vocationem enim nostram certam facere non possumus, nisi per virtutes quas paulo ante nominavit S. Petrus, earumque bona opera: hæc enim sunt semina beatæ æternitatis et gloriosæ felicitatis. *Quæ enim seminaverit homo* in terris, *hæc et metet* in cœlis. Galat. 6. v. 8. ubi et additur: *Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam*, et Psaltes Psalm. 125. 6. *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Vide dicta Jacobi 2. 26.

Perstringit Petrus Simonem Magum, qui oblitus sui baptismi et purgationis peccatorum, quasi cæcus docebat opera non requiri ad salutem, sed sufficere fidem: Si quis enim, inquit, in me credat, salvus erit. Vide dicta Actor. 8. 20. et seq.

CERTAM VESTRAM VOCATIONEM ET ELECTIONEM FACIATIS.] Duplex est electio, æque ac vocatio (hæc enim est electionis executio) una ad fidem et gratiam, altera ad felicitatem et gloriam. Rursum utraque est duplex: una enim est absoluta, et efficax, qualis est justorum et beatorum; altera inabsoluta et conditionata, qualis est omnium hominum: omnes enim à Deo vocantur ad gratiam, si velint in Christum credere eique obedire: omnes vero credentes et justi vocantur ad gloriam, eam certo assecuturi, si in fide et justitia usque ad mortem perseverent. Quare vocatio ad gratiam est implicita vocatio ad gloriam, sed inchoata duntaxat et conditionata.

Jam aliqui accipiunt hic electionem ad gloriam eamque absolutam et efficacem, unde ex hoc loco contendunt probare prædestinatos efficaciter à Deo ad gloriam esse electos ante prævisa opera, ex mero ejus beneplacito, ideoque S. Petrum monere, ut hanc Dei electionem ab æterno factam per bona opera certam faciant.

Verum alii melius censent S. Petrum loqui de electione ad fidem et gratiam, consequenter tamen loqui de electione ad gloriam, non antecedenti et absoluta, sed consequenti et conditionata. q. d. Satagite, ô Christiani, ut electionem vestram ad gratiam et Christianismum per bona opera stabiliatis, ne ab ea excidatis, sed in ea constanter perseveretis: sic enim pariter stabilietis et certam facietis electionem vestram ad gloriam: omnes enim ad gloriam electi et destinati estis hoc ipso, quo baptizati estis, factique fideles et justi, non absolute, sed sub conditione, si videlicet in gratia accepta usque ad finem vitæ persistatis.

Id ita esse probatur primo, quia parum probabile, imo incredibile videtur, omnes omnino fideles Ponti, Asiæ, Cappadociæ, Bithyniæ, ad quos scribit S. Petrus, fuisse efficaciter prædestinatos et electos ad gloriam. Rursum id S. Petro revelatum fuisse magis incredibile est, S. Petrum idipsum fidelibus omnibus revelare voluisse, omnesque certos facere de sua salute.

Secundo, quia talis intelligitur hic electio, qualis vocatio: atqui vocatio intelligitur ad fidem et gratiam: ergo et electio. Minor patet, quia qui vocantur à Deo in hac vita, absolute tantum vocantur ad gratiam; qui enim absolute vocantur ad gloriam, sunt mortui et defuncti in gratia.

Tertio, idipsum patet ex præcedentibus, ex quibus hanc conclusionem colligit S. Petrus: in præcedentibus enim suasit fidelibus virtutes Christianas, ut per illas non vacui, sed frugiferi appareant et constituantur in cognitione Christi. Quare cum ait: *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis:* idem dicit, et explicat id quod dixit v. 8. *Hæc enim si vobiscum adsint et superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione.*

Quarto, idipsum patet ex immediate sequentibus: *Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri.* q. d. Per bona opera eligemini ad gloriam, et introibitis in æternum Dei regnum.

Quinto, quia S. Paulus S. Petri assecla fideles vocat prædestinatos, electos, vocatos non immediate ad gloriam; sed ad gratiam, uti ostendi Ephes. 1. et can. 13. in S. Paulum.

Sexto, quia electio hæc Dei est incerta; unde jubet S. Petrus ut eam certam faciamus: ergo non loquitur de electione Dei absoluta et efficaci ad gloriam; hæc enim est certissima et plane infallibilis; sed de electione absoluta ad gratiam, et conditionata ad gloriam.

Dices, hæc electio Dei in se est certissima, sed nobis et aliis est incerta: jubet ergo S. Petrus, ut nobis et aliis eam per bona opera certam faciamus. Ita Beda, Glossa, Hugo et Dionys.

Respond. id congrue dici non posse; pro *certam* enim græce est βεβαίαν, id est *firmam*, fixam, stabilem, scilicet in se, non nobis, vel aliis certam et compertam. q. d. Vocatio et electio vestra ad gratiam, et consequenter ad gloriam, non est in se firma et stabilis, quia ab ea excidere potestis: confirmate ergo eam et stabilite per bona opera crebra et continua. Ita Œcumen. *Studete*, ait, *ut stabilem et immutabilem vocationem vestram et electionem reddatis.*

Dices secundo: bona opera firmam faciunt electionem Dei, quia ipsam ponunt in executione; opera enim sunt media, quibus gloriam ad quam electi à Deo sumus, assequitur: sic enim dicimus in moralibus, intentionem efficacem finis confirmari ab electione efficaci mediorum.

Respond. nec hoc satisfacit. Primo, quia in

hominibus id verum est, non in Deo : homines enim sunt mutabiles et inconstantes, ideoque possunt mutare intentionem ; unde eam confirmant per electionem mediorum : Deus autem est plane constans et immutabilis ; unde intentionem quam semel fecit, mutare nequit, ut, quos efficaciter semel elegit ad gloriam, postea rejiciat, aut ab ea excidere sinat.

Secundo, quia Deus eis quos efficaciter elegit ad gloriam, efficaces destinat gratias, quibus efficaciter et certo bona opera, quasi media quibus ad destinatam à se gloriam perveniant, operentur. Quare dicere potuissent fideles S. Petro : Ut quid nobis dicis, *Satagite ut per bona opera certam vestram electionem faciatis :* Deo enim id curæ est. Deus enim qui nos elegit efficaciter ad gloriam, efficacia quoque nobis dabit media, puta bona opera, quibus hanc gloriam assequamur. Si vero nos non prædestinavit, sed reprobavit, statuitque ponere in serie reproborum multo minus satagendum nobis est ut bonis operibus reprobationem hanc Dei evadamus : hoc enim nobis tam impossibile est quam impossibile est Dei decretum refigere et evertere, aut eum cogere ut pro gratia incongrua et inefficaci det nobis congruam et efficacem ; quæ sola electos à Deo perducit ad salutem.

Tertio, quia executio respondet intentioni, et vicissim intentio adæquatur executioni : sicut enim Deus rem facere intendit, ita et eamdem exequitur ; qualis ergo est executio, talis est et intentio : atqui in executione Deus non dat gloriam nisi post, per, et propter opera bona prævisa, ut Script. docent, et omnes fatentur. Ergo idem facit in intentione et prædestinatione, ut scilicet non intendat dare gloriam, nec ad eam prædestinet, nisi illum, quem præviderit bene operantem, et bonis operibus immorientem ; quia non intendit dare gloriam, nisi tanquam mercedem pro merito operum, Matth. 20. v. 8. ac tanquam bravium pro victoria certanti promissum, Apocal. 3. v. 5. 12. 21. et 2. Timoth. 4. 8. Quocirca cum dat talem gratiam, cum qua prævidet eum bene operaturum et meriturum gloriam, dicitur eum stricte prædestinare ; quia per merita destinat eum ad gloriam, juxta illud S. Augustini lib. de Bono perseverantiæ c. 14. *Prædestinatio est præscientia et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur.* Cum vero alicui dat gratiam, cum qua prævidet eum male operaturum, ideoque damnandum, non eum reprobat, nec damnat nisi post et ob prævisa demerita : Deus enim ex se cupit et optat ut salvetur, ideoque dat ei gratiam sufficientem, imo copiosam ; serio desiderans ut ei cooperetur et salvetur : non enim seligit Deus illi gratiam incongruam hoc fine, quod intendat eum reprobare et damnare, sed prævidet fore incongruam ex eo, quod homo faciet eam incongruam nolendo ei cooperari. Quare physice æqualis, et subinde major datur gratia damnando, quam detur salvando : moraliter tamen salvando gratia majus est beneficium, quia prævidetur fore efficax, ac persuasura homini consensum, eumque certo perductura ad salutem, ideoque est gratia prædestinationis proprie dictæ. Potuisset enim Deus illi dare aliam gratiam cum qua prævidebat eum non cooperaturum, ideoque damnandum ; sed noluit, quod sane ingens est beneficium et donum, quia per hoc homo infallibiliter assequitur felicitatem æternam, et evadit mortem æternam.

Ex hisce S. Petri verbis colligimus contra Calvinum et hæreticos, primo, hominem esse liberi arbitrii ; secundo, fideles et justos non esse certos de sua perseverantia et salute, sed posse à fide, gratia et salute excidere ; uti multi exciderunt, et in dies excidunt : ita definit Concil. Trident. sess. 6. can. 23.

Tertio, Gabriel Vasquez, Valentia, Ludovicus Molina et alii 1. disp. qu. 23. hinc inferunt electionem ad gloriam à Deo fieri ex prævisis cujusque meritis ; ac proinde ex usu liberi arbitrii electorum, vel potius eligendorum, in unam aut alteram partem pro eorum libertate futuro pendere, quod certa sit aut non sit eorum electio et vocatio ; atque adeo ut in Deo ab æterno exstiterit præscientia, quod per hunc arbitrii usum electionem suam certam facerent, et vitam æternam consequerentur, fuerintque ex æternitate prædestinati, juxta illud S. August. *Qui creavit te sine te, non justificabit, nec salvabit te sine te ;* et Theoph. in Matth. 22. *Dei,* ait, *est vocare, electos autem fieri aut non fieri, nostrum.* Et S. Ambrosius lib. 5. de Fide c. 5. *Non,* inquit, *ante prædestinavit quam præsciret : sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.* S. Cyril. l. 10. Thesauri c. 6. *Non est meum,* ait, *dare supremum honorem vobis petentibus, qui reservatus est in præscientia Patris illis quos excessus certaminis commendaverit.* S. Chrys. hom. 35. in Matth. asserit *dignitatem præparatam esse ut coronam vincentibus, et pro ratione certaminis.*

Quarto, ex hisce S. Petri verbis colligunt Doctores, non tantum electionem ad gloriam, sed et ipsam prædestinationem ad gratiam pendere à cooperatione liberi arbitrii, etiamsi hæc illius non sit causa. Ita Gregor. de Valentia 1. p. qu. 23. disp. 1. puncto 4. sub finem, ubi et apposite solvit hoc dilemma quod plebeios cruciat : Vel sum prædestinatus, vel non sum ; si sum, certissimo salvabor ; si non sum, certissimo damnabor quidquid egero : indulgebo ergo voluptatibus, quia eis postea frui non licebit. Respondet enim : si es prædestinatus, bene tibi operandum est ; prævisus es enim bene operaturus : quod si nolis operari, signum est te non esse prædestinatum. Ut ergo certam tuam prædestinationem facias, bene operare ; et hoc vult S. Petrus cum ait : *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Si non es prædestinatus et ad gehennam destinatus, causa hujus erit, quia male operaberis. Ne igitur verum sit te non esse prædestinatum, omni tempore tibi pie vivendum est, ne finaliter obstrictus peccatis è vita decedas, id quod potest evenire omni hora : neque enim poteris male vitam finire et damnari, si semper pie vixeris. Perpetuo ergo quisque hunc discursum sibi proponere deberet, eoque se excitare ad studium bonorum operum, quo certam faceret suam electionem. Omnis ille prædestinatus est, qui divinæ gratiæ cooperans, finaliter erit expers peccati mortalis ; neque est, aliquis non prædestinatus, nisi qui finaliter deprehendetur in peccato mortali. Cum igitur omni hora sim incertus, utrum futurus sit tunc finis vitæ meæ ; et longe adhuc incertior, utrum, si tunc peccem, gratiam postea per veram pœnitentiam ante mortem recuperaturus sim, abstinebo, sicut cum divina gratia possum, à peccato mortali omni hora, ut, si id fecero semper,

possim probabilius existimare me esse potius ex prædestinatorum, quam ex non prædestinatorum numero; nunquam enim mors me inveniet in peccato mortali, si semper à peccato abstinuero. Quod vero penitus mihi certum non sit, qualis tandem in fine vitæ futurus sim, vereorque ne in peccato vitam sim finiturus; merito me quoque vehementer incitare debet, ut quod incertum mihi est, et ex me tamen cum divina gratia pendet, id ego recte semper vivendo certum eventu ipso efficiam: certissimum enim est nunquam me vitam male finiturum, ac consequenter esse prædestinatum, si semper recte vixero. Et hoc vult S. Petrus, dicens: *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis*, hæc Valentia. Hac ergo ratione in cujusque fidelis potestate et arbitrio est, facere ut sit prædestinatus, vel ut non sit. Si enim velit cooperari gratiæ à Deo sibi ad salutem sincere datæ usque ad mortem, uti potest et debet, est et erit prædestinatus: si nolit, non erit: quos enim Deus prævidit sic gratiæ cooperaturos, hos prædestinavit; quos vero prævidit non cooperaturos, illos reprobavit. Pendet ergo tam reprobatio, quam prædestinatio ex prævisione cooperationis nostræ futuræ: cooperatio vero pendet ex arbitrio et libertate cujusque: nec enim Deus ex proposito seligit gratias, facitque ut prædestinatis sint congruæ et efficaces, reprobis incongruæ et inefficaces; sed tam his, quam illis dat gratiam, cum qua possint bene operari et salvari si velint; imo vult, jubet et optat ex animo ut omnes cooperentur et salventur. Quisque ergo gratiæ sibi à Deo ad salutem datæ strenue et constanter cooperetur, atque hac ratione gratiam sibi datam faciet congruam et efficacem, quod Deus vult et optat; ac consequenter erit prædestinatus, non reprobus, quod sane est magnæ dignationis divinæ, æque ac dignitatis et consolationis humanæ.

Ita sanctus ille, sive vir, sive angelus, qui D. Taulerum viam cœli et perfectionis edocuit, rogatus ab eo: *Quid faceres si te Deus damnare vellet?* respondit: *Duobus brachiis, humilitate scilicet et amore, eum complecterer, cogeremque eum mecum descendere ad infernum, et sic infernus mihi esset paradisus*, uti recensui Rom. 12. 2. Cæsarius lib. 1. Histor. c. 27. narrat Ludovicum Lantgravium, dum corriperetur à viris probis, respondisse: *Si prædestinatus sum, nulla peccata poterunt mihi regnum cœlorum auferre; si vero præscitus, nulla bona mihi illud valebunt conferre*, atque ideo cuivis flagitio se immersit. Incidit in morbum, et vocavit medicum ut se curaret; cui medicus, ut animæ potius quam corporis morbum sanaret: *Domine*, inquit, *si venit dies mortis tuæ, non te poterit cura mea morti subtrahere; si vero moriturus non es, superflua erit medicina mea*, et ille: *Quomodo sic respondes? si mihi non fuerit adhibita cura, potero ante tempus mori.* Tum medicus: *Domine*, inquit, *si credis vitam tuam posse protelari virtute medicinæ, quare hoc credere renuis de pœnitentia et operibus justitiæ, quæ sunt antidota animæ? sine his anima moritur, sine his ad sanitatem quæ est in futura vita, nemo pervenit.* Cui Lantgravius convictus: *De cætero*, ait, *medicus esto animæ meæ; quia per linguam tuam medicinalem Deus me liberavit à maximo errore.*

Simile est quod refert Ludolphus de Vita Christ. p. 2. c. 50. de quodam monacho, cujus socius cum sibi revelatum diceret ipsum esse de numero damnandorum, respondit: *Benedictus Deus, nec tamen sic desperabo, sed pœnitentiam quam per ingressum Religionis assumpsi, de cætero duplicabo et triplicabo donec gratiam et misericordiam apud Deum altissimum, qui pius est, inveniam*, et post multos dies iterum socio ejus divinitus revelatum est, ipsum esse de numero salvandorum.

Huc facit illud nostri Thomæ Theodidacti l. 1. de Imitat. Christi cap. 25. *Cum*, inquit, *quidam anxius inter metum et spem frequenter fluctuaret, et quadam vice mœrore confectus, in Ecclesia ante quoddam altare se in oratione prostravisset, hæc intra se evolvit, dicens: O si scirem quod adhuc perseveraturus essem! statimque audivit intus divinum responsum: Quid si hoc scires, facere velles? Fac nunc quod tunc facere velles, et bene securus eris; moxque consolatus et confortatus, divinæ se commisit voluntati*, etc.

Similia legimus in Vitis Patrum, S. Francisci, S. Ægidii aliorumque Sanctorum.

Moral. Hinc disce quam studendum sit sanctitati et bonis operibus. Certum enim signum (imo et causa) quod quis à Deo sit prædestinatus et electus ad gloriam est, si assidue vacet operibus humilitatis, charitatis, pœnitentiæ, patientiæ, pietatis, obedientiæ, religionis, etc. hoc est quod succinens S. Petro ait S. Paulus: *Firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc: Cognovit Dominus qui sunt ejus, et discedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini*, 2. Timoth. 2. 19. Nemo enim potest recedere à peccatis, nisi accedat ad virtutes, et earum opera exerceat.

Unde S. Bern. hom. 2. in Octava Paschæ tria dat signa prædestinationis, significata à S. Joan. epist. 1. c. 5. 8. cum ait: *Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua et sanguis*, nimirum bonam operationem, pœnitentiam et continentiam; ac tandem summatim concludens: *Jam*, inquit, *ut breviter repetam, à sanguine, aqua et spiritu habere testimonium est, si contines à peccatis, si dignos agis pœnitentiæ fructus, si facis opera vitæ.* Quocirca veri Religiosi qui toti hisce vacant, certum habent signum suæ prædestinationis, juxta illud Christi: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit*, Matth. 19. 29. Vide Hieron. Platum de bono status relig. lib. 1. c. 32. Ruffinus in Vitis Patr. l. 3. n. 108. narrat S. Antonium hæc tria salutis media dedisse. Primum: *Quocumque vadis, Deum semper præ oculis habe.* Secundum: *In his quæ agis adhibe testificationem S. Script.* Tertium: *In quocumque loco sederis non cito movearis. Hæc tria custodi et salvus eris.* Rursum in vitis Patr. legimus Abbatem Joseph dixisse: *Ordinem Deo gratum esse, quando aliquis omnia opera sua facit munda coram Deo, nihil habens humanum.* Ibidem Abbas Joannes hoc salutis dat præceptum: *Per singulos dies surgens mane de omni virtute sume principium, et mandatum Dei custodi in magna patientia, longanimitate, charitate: neque teipsum exalta, sed esto subditus et humilior omni creaturæ.*

Præclare S. Aug. serm. 112. de Temp. *Beata*, ait, *vita est cognitio divinitatis; cognitio divinitatis virtus boni operis est; virtus boni operis fructus est æternæ beatitudinis.* Deinde docet huc

conferre lectionem S. Script. *Qui vult*, ait, *cum Deo semper esse, frequenter debet orare et legere; nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur : cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur*, etc.; *sed ille beatissimus est, qui divinas Scripturas vertit in opera.* Id significat parabola operariorum, quos Deus mittens in vineam, vespere dedit eis denarium vitæ æternæ, quasi operis mercedem, Matth. 20. Et Matth. c. 25. v. 34. Christus judex bene operantibus assignat gloriam, male operantibus gehennam. *Venite*, inquit, *benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare*, etc. Quocirca Abbas Athanasius cupiens videre fructum laborantium et certantium, in visione vidit locum plenum luminis et gloriæ, audivitque multitudinem innumerabilem laudantium Deum; cumque pulsaret velletque ingredi, audivit : *Non huc ingredietur quispiam in negligentia degens; sed si intrare vultis, abite, certate, nihil æstimantes vanitates sæculi.* Ita Joannes Moschus in Prato spir. c. 130. S. Theresia hæc tria habebat in votis, eaque assidue postulabat à Deo, dicens : *Domine, da mihi te amare, pro te operari et pati, aut mori.* Causa est quam dat S. Bern. de Convers. ad Cler. c. 15. *nec enim*, inquit, *opera nostra transeunt, ut videntur, sed temporalia quæque velut æternitatis semina jaciuntur. Stupebit insipiens cum ex hoc modico semine copiosam viderit exurgere messem, seu bonam, seu malam, pro diversa qualitate sementis.* Idem serm. 1. de Annunciat. *De bonis*, ait, *operibus argumentum efficax mihi est resurrectio ejus* (Christi) *quia resurrexit propter justificationem nostram. Porro de spe præmiorum testimonium ejus est ascensio; quia ascendit propter glorificationem nostram.*

Denique hæc orthodoxa veritas adeo consonat cum hominis libertate rerumque natura, ut eamdem viderint, licet per umbram, Philosophi et Poetæ, quorum illa est gnome : *Cum Minerva quoque manum move;* orta vel ab agasone, cujus asinus cum luto infixus hæreret, deberetque illi succurrere, otiosus Herculem implorabat. Huic respondit Deus : *Admove manum asino laboranti, ita demum numen tibi aderit.* Vel à palæstrita, qui in palæstra luctaturus Minervam consuluit num futurus esset victor, audiitque fore. Verum cum ille ingressus in theatrum in certamine manibus staret otiosis, percussum ab adversario victum fuisse. Huc facit illud Arist. lib. 5. Moral Eudem. *Fortunam ut ars, ita fortuna artem amat invicem*, et illud Suidæ : *Fac interim aliquid ipse, dein Deos voca.* Celebre est illud Græcorum : *Dii bona laboribus vendunt.* Et illud Virgil. in Georg.

Labor omnia vincit
Improbus.

et illud Horatii :

Perrupit Acheronta Herculeus labor.

et illud Antiphanis : *Domat atque subigit cuncta diligentia*, et illud Senecæ lib. 2. de Ira : *Nihil est tam difficile et arduum, quod non humana mens vincat;* nimirum : *Exercitatio potest omnia.* Id videre est in S. Antonio, Machario, Onuphrio, Simeone Stilite, cæterisque Ascetis, quos recenset Theodor. in Philotheo, Palladius in Lausiaca, Evagrius in Vitis Patrum, qui assidua sua exercitatione non tantum sibi, sed et cibo, potui, somno, aeri, totique mundo, ac Deo ipsi dominati sunt.

HÆC ENIM FACIENTES NON PECCABITIS ALIQUANDO.] Hic est syllogismus S. Petri : Quicumque non peccat, seque purum à peccato conservat, hic certam facit suam vocationem et electionem, tum ad gratiam, tum consequenter ad gloriam : atqui qui satagit studetque bonis operibus, hic non peccat : ergo qui satagit studetque bonis operibus, certam facit suam vocationem et electionem. Hoc autem tanti est, ut S. Ægidius socius S. Francisci dixerit : *Si unus tantum homo damnandus esset; cæteriquc omnes salvandi, ego totis viribus anniterer ne essem ille solus.* Quam ergo nunc annitendum est, ubi tot damnandi sunt, et tam pauci salvandi.

Pro *non peccabitis*, græce est μη πταισητε, id est *non cadetis*, scilicet in peccatum, Pagnin. et Tigurin. *nequaquam labemini;* S. Amb. l. 3. de Fide c. 6. *non errabitis*, peccando scilicet. Peccatum enim est error practicus, puta error vitæ et morum, juxta illud Proverb. 14. 21. *Errant qui operantur malum;* indicant enim eligendam sibi esse cupiditatem, v. g. gulæ, libidinis, ambitionis præ Deo et cœlo, qui sane ingens est error ingensque imprudentia. Hinc Antiphanes apud S. Iren. l. 2. c. 19. ait Cupidinem genitum esse de chao et nocte, puta de confusione et ignorantia. Peccatum hic intellige perfectum, puta mortale, quod hominem à Dei gratia et salute divellit. Certum enim est prædestinatos et justos aliquando peccare venialiter.

11. SIC ENIM ABUNDANTER MINISTRABITUR επιχορηγηθησεται, id est *suppeditabitur*, dabitur, præstabitur) VOBIS INTROITUS IN ÆTERNUM REGNUM DOMINI NOSTRI.] Explicat hic vocationem et electionem fidelium, ejusque finem et præmium, q. d. Per bona opera et virtutes jam dictas dabitur vobis ingens et amplus aditus in cœlum, ad felicitatem et gloriam æternam : ergo per eadem certam facietis vocationem et electionem vestram; hæc enim non alio tendit, quam ad cœlestem felicitatem et gloriam.

Nota. Voce *abundanter*, græce πλουσιως, id est *diviter, opulenter*, perstringit primo Simonem Magum, qui docebat non sufficere Christum eo quod ab angelis impediri possit ingressus in cœlum : nam ex adverso *sanguis Christi est clavis paradisi*, ait S. Hieron. ad Dardanum ep. 129. et crux Christi sustulit flammeum et versatilem gladium appositum paradiso, ut ait Cosmas Hierosolim. ode 5. Secundo, insinuat fideles debere abundare bonis operibus; sic enim abundaturos pariter gratia in hac vita, et gloria in cœlo : *introitus enim in regnum cœlorum*, metonymice significat ipsum regnum cœlorum, puta ipsam felicitatem et gloriam cœlestem : ad eam enim fit introitus Beatorum. Hoc est quod ait Paulus 2. Corinth. 9. 6. *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.* et v. 8. *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est : Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi*, etc. Tertio, S. Ambros. lib. 3. de Fide c. 6. legit, *abundantius* quo significatur Deum nostra opera abundantius et magis remunerari, quam ipsa in se mereantur : Deus enim punit citra condignum, sed præmiat ultra condignum, ut aiunt Theologi.

Præclare S. Aug. serm. 18. de verbis Domini c. 17. *Regnum Dei*, ait, *crescente possessorum*

numero, non minuitur, quia non dividitur; unicuique integrum est, quod concorditer habetur à multis. Auctor Manualis apud S. August. c. 8. *Regnum*, ait, *cœlorum regnum felicissimum, regnum carens morte, et vacans fine, cui nulla tempora succedunt per ævum, ubi continuus sine nocte dies nescit habere tempus, ubi victor miles donis ineffabilibus coronatur.*

12. PROPTER QUOD INCIPIAM.] Græce ουκ αμελησω, id est *non negligam*, non desinam, non cessabo; alii legunt, ου μελλησω, id est, *non cunctabor*, non procrastinabo, non differam in futurum, sed nunc *incipiam*, ut vertit Noster. Unde μελλημα vocatur *cunctatio*, mora, dilatio, procrastinatio. Ubi nota fervorem S. Petri, qui jam senex et morti vicinus, ait se incipere et inchoare munus pastorale. Sic Psaltes ait: *Dixi, nunc cœpi;* et S. Antonius apud S. Athanasium suos docebat ut quotidie cogitarent: *Hodie incipiam Deo servire, forte hodie et finiam;* et S. Franciscus sub mortem: *Fratres*, ait, *incipiamus Deo servire: hucusque enim nihil fecimus.* Ita S. Bonavent. in ejus Vita. Abbas Pambo moriturus post multos magnosque virtutum labores et agones, adeo ut nunquam dixerit verbum cujus eum pœniteret: *Ego*, inquit, *sic vado ad Dominum, quasi qui necdum initium fecerim serviendi Deo.* Ita Vitæ SS. Patrum.

VOS SEMPER COMMONERE,] υπομιμνησκειν, id est *commonefacere*, in memoriam revocare. Pastoris, prædicatoris et superioris est subditis sæpe in mentem revocare leges Dei, ad vocationem suam obligationes et vota, ac stimulos ad ea servanda: frequenter enim oportet reminisci, quod mundus iste cogit oblivisci: partim enim infirmitas memoriæ, partim varietas occupationum, partim species et illecebræ mundi faciunt hominem oblivisci suæ salutis, obligationis et virtutis. Superior ergo hæc illis crebro refricare et suggerere debet, tum ad memoriam, tum potius ad voluntatem torpentem excitandam et acuendam: ideoque fervida oratione et spiritu hæc eis inculcet oportet, ut eos ad eorum praxin accendat et inflammet, juxta illud Isaiæ 58. 1. *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuncia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum*, et c. 62. 6. *Super muros tuos Jerusalem constituti custodes, tota die, et tota nocte in perpetuum non tacebunt. Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, et ne detis silentium ei, donec stabiliat, et donec ponat Jerusalem laudem in terra;* et S. Paulus ita præcepit Timoth. epist. 2. c. 4. 2. *Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.*

Præclare S. Gregor. lib. 2. Registri epist. 39. *Episcopi*, ait, *est de prædicationis ministerio semper cogitare, intentissimo timore considerans, quod recessurus ad percipiendum regnum Dominus, et talenta servis distribuens dicat: Negotiamini dum venio. Quod profecto negotium tunc vere nos agimus, si vivendo et loquendo proximorum animas lucramur, si infirmos in superno amore roboramus, si protervos et tumidos gehennæ supplicia terribiliter intonando flectimus, si nulli contra veritatem parcimus, si supernis amicitiis dediti humanas inimicitias non timemus.* Idem rursum: *Lingua Episcopi fomentum sit bonis, aculeus malis; tumidos retundat, iratos mitiget, pigros ac desides exacuat ac succendat, asperis blandiatur, desperatos consoletur.* Talis fuit Isaias, cujus proinde labia Seraphinus unus purgavit et accendit calculo ignito, ut alios deinde ignirent, isaiæ 6; et S. Bernardus 33. in Cant. *Oportet plane*, ait, *hoc vino zeli æstuet, qui aliis præsidet, quemadmodum doctor Gentium æstuabat, quando dicebat: Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? Alioquin improbe satis præesse affectas, quibus prodesse non curas, et quorum non zelas salutem, subjectionem nimis ambitiose vindicas tibi.*

DE HIS] ut scilicet virtutibus jam recensitis incumbatis, *atque per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.*

ET QUIDEM SCIENTES ET CONFIRMATOS.] Clare Pagnin. et Tigurin. *tametsi sciatis et confirmati sitis in præsenti veritate.* Dormit enim in fideli sæpe fides, et scientia Dei et salutis; sed vox Pastoris et concionatoris eam à somno excitat, acuit et quasi vivificat, facitque ut non sit otiosa et speculativa, sed practica, operosa et negotiosa.

13. JUSTUM AUTEM (enim) ARBITROR.] Rationem dat cur velit eos commonefacere, quia scilicet id justum, id est, æquum est, imo debitum: id enim exigit munus pascendi fideles omnes, sibi à Christo commissum et demandatum, Joannis 21. 16. Ita Petrus Damiani lib. 3. epist. 8. ad Archiepisc. Bisuntinum citatis hisce S. Petri verbis: *In verbis plane suis*, inquit, *bonus pastor ostendit, quia non sibi, sed discipulis suis vivere volebat et mori:* usque ad mortem enim, imo moriendo oves suas pavit et docuit, æque ac Joannes, S. Cyprianus, aliique pastores Apostolici.

QUANDIU SUM IN HOC TABERNACULO.] Corpus vocat tabernaculum, non quod anima illi duntaxat assistat, uti navarchus assistit navi, illudque inhabitet, ut voluit Plato: constat enim animam esse formam corporis, illudque informando unum compositum; puta hominem constituere; sed primo, quod brevis, sit hæc vita: sicut enim in tabernaculo solet esse brevis mora, sic et brevis est mora animæ in hoc corpore.

Secundo, quia sicut in domo homo quiescit, in tabernaculo degens proficiscitur: sic et anima in corpore hoc non quiescit, sed assidue movetur, et tendit, imo currit ad mortem, et per mortem ad immortalitatem. *Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*, Hebr. 13. v. 14.

Tertio, vox tabernaculi refricat nobis, quod in hoc corpore et vita non simus inquilini, sed peregrini: sumus enim cives cœli et sanctorum, ac domestici Dei, Ephes. 2. v. 19. Sic de Christo è cœlis in corpus descendente ait S. Joan. c. 1. 14. *verbum caro factum est, et habitavit* εσκηνωσε, id est, *tabernaculum fixit, in nobis.* Quin et Seneca epist. 71. *Vis*, ait, *adversus hoc corpus liber esse? tanquam migraturus habita, propone tibi quandoque hoc contubernio carendum; sortior eris ad necessitatem exeundi.* Idem epist. 72. *Ante senectutem*, ait, *curavi ut bene viverem, in senectute ut bene moriar, bene autem mori est libenter mori; ut satis vixerimus, nec anni nec dies faciunt, sed animus.* Idem alibi docet mortem non esse aliud quam malorum carentiam; quid ergo dixisset, si beatam vitam Christianis promissam cognovisset?

Quarto, sicut miles degit in tabernaculo, ita et fidelis in corpore: assidua enim ei pugna est cum carne, mundo et diabolo.

Præclare Tertull. ad Martyres c. 3. *Vocati sumus*, ait, *ad militiam Dei vivi jam tunc, cum in sacramenti verba respondimus. Nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, sed de papilionibus expeditis et substrictis; ubi omnis duritia, et imbonitas, et insuavitas constitit. Etiam in pace, labore et incommodis bellum pati jam ediscunt, in armis deambulando, campum decurrendo, fossam moliendo, testudinem desiccando. Sudore omnia constant, ne corpora atque animi expavescant : de umbra ad solem, de sole ad cœlum, de tunica ad loricam, de silentio ad clamorem, de quiete ad tumultum. Proinde vos benedictæ quodcumque hoc durum ad execrationem, virtutem animi et corporis deputate.*

Quinto, sicut degens in tabernaculo multas patitur angustias, incommoda, necessitates, defectus lecti, sedis, foci, cibi, potus, etc. sic et in hoc corpore plurimos patimur defectus, ærumnas et incommoda. Rursum sicut tabernaculum pluvia, ventis aliisque aeris vel hostis injuriis frangitur, aut putrefit et corrumpitur, sic et corpus.

Sexto, sicut degens in tabernaculo aspirat ad domum; ita fidelis in hoc corpore suspirat ad cœlum, juxta illud S. Pauli Philipp. 1. 11. *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum;* et v. 13. *Cupio dissolvi et esse cum Christo;* et 2. Corinth. 5. 4. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis : nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram quæ de cœlo est, superindui cupientes. Nam et qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus gravati, eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est à vita.* Ita B. Aloysius Gonzaga moriturus, de morte loquebatur quasi de migratione ex uno cubiculo in aliud, sed melius et diturnius. Idem cum S. Petro dicat fidelis quisque. Præclare S. Cyprian. tract. de Mortal. *Patriam nostram*, inquit, *paradisum computamus : parentes Patriarchas jam habere cœpimus; quid non properamus et currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus?* Idem epist. 56. *Si mortem*, ait, *possemus evadere, merito mortem timeremus : porro autem cum mortalem mori necesse sit, amplectamur occasionem de divina promissione et dignatione venientem, et fungamur exitu mortis cum præmio immortalitatis.*

Septimo, quia corpus instar tabernaculi pelle compingitur, nervis quasi funibus tenditur, ossibus quasi palis solidatur, pedibus quasi clavis figitur. Anima vero corpore quasi tabernaculo vestitur, et tegitur, perque illud prospicit, audit, sentit, agit et operatur, donec illud reformetur, perficiatur et beetur in resurrectione.

Alludit ad tabernacula Hebræorum, quibus ipsi usi sunt in deserto tendentes in terram promissam, in quorum memoriam posteri celebrarunt festum tabernaculorum. Hæc enim significabant nos hic velut peregrinos agere in corpore quasi in tabernaculo, et tendere ad patriam, puta in cœlum. In hac ergo vita et corpore agimus juge festum Tabernaculorum, in cœlo acturi perenne Pascha. Vide dicta Levit. 23. 34.

Suscitare (torpentes et quasi dormientes excitare et accendere) vos in commonitione] mea admonitione, græce ὑπομνήσει, id est, *recordatione*, et in memoriam revocatione, uti paulo ante dixit.

14. Certus] εἰδὼς, *sciens certo*, scilicet per Dei revelationem, ut sequitur.

Quod velox est depositio tabernaculi mei] quod brevi moriar et crucifigar, ac è morte et cruce evolabo in cœlum ad meum Jesum. Hæc ergo sunt ultima monita, et quasi cycneæ voces S. Petri, ideoque ardentes et efficaces. Sic Christus, Jacob, Moses, David, Tobias morituri ultima suis dederunt monita.

Secundum quod et Dominus noster Jesus Christus significavit mihi] ἐδήλωσε, *manifestavit*. Hinc patet Christum S. Petro sub mortem et martyrium apparuisse, eique illud præsignificasse. Extat juxta Romam via Appia sacellum, in quo fertur Christus Petro è carcere rogatu fidelium fugienti apparuisse, ac roganti : *Domine, quò vadis?* respondisse : *Vado Romam ut iterum crucifigar.* Unde intellexisse S. Petrum se à Christo vocari ad crucem, ideoque in carcerem rediisse, ac paulo post crucifixum esse. Idem narrant et testantur S. Ambrosius epist. 33. S. Gregorius in psalm. 4. Pœnit. Acta S. Processi et Martin. Hegesippus lib. 3. de Excidio Jesusalem c. 2. Addit Metaphrastes apud Surium die 29. Junii, S. Petrum, cum diu egisset in Britannia, audiisse ab angelo : *Petre, instat tempus tuæ resolutionis, et oportet te ire Romam; in qua cum mortem per crucem sustinueris, recipies mercedem justitiæ.* Sed hujus auctoris dubia est fides; præsertim quia ibidem asserit S. Linum ante Petrum esse defunctum, quod constat esse falsum : Linus enim successit S. Petro in Pontificatu. Sive ergo illa apparitione, sive alia anteriori (illa enim in via Appia sub mortem S. Petri, ideoque post scriptam hanc epistolam contigisse videtur) id factum sit, certum est Christum idipsum revelasse S. Petro. Videtur enim ei, utpote vicario suo sæpius apparuisse, uti sæpius apparuit S. Paulo, ut patet Actor. 9. 5. Actor. 18. 9. Actor. 22. 17. Actor. 23. 11.

Simili modo Christus S. Pio I. Pontifici, S. Polycarpo, S. Cypriano, aliisque Pontificibus illo ævo revelavit instantem mortem et martyrium, ut ad eam se compararent.

Moral. S. Petrus dat exemplum Pontificibus et Principibus, cogitandi et desiderandi velocem mortem et transitum ad Deum; nimirum : *Omnis potentatus brevis vita*, Eccles. 11. Id verissimum esse in Pontificibus experientia perpetua docuit; nam nemo eorum à Christo hucusque æquavit annos S. Petri; nemo, inquam, sedit in Pontificatu annos 24. completos, uti sedit S. Petrus. Proxime ad eos accessit Adrianus I. qui sedit annos 23. deinde Alexander III. qui 21. mox S. Sylvester et S. Leo : uterque enim sedit annos 20. Plurimi non sederunt nisi annos sex vel septem, imo permulti ad paucos tantum menses vel dies. A trecentis annis nullus Pontificum ante Paulum V. sedit annos sedecim, nisi unus Eugenius IV. Denique cum à Christo usque ad annum hunc jubilæum 1625, sederint Romæ Pontifices 239, si in eos partiaris annos à Christo elapsos 1625, cuique vix obtingent sex anni cum dimidio. Annon ergo velox fuit depositio tabernaculi Pontificum omnium? imo multo magis quam ipsius S. Petri? Ite nunc mortales, ambite tiaras, quærite infulas, eas cum vita post paucos annos et forte dies posituri, de iisque exactam Deo rationem reddituri. *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.*

15. DABO AUTEM OPERAM ET FREQUENTER.] Græcum σπουδάσω tripliciter verti potest. Primo, *frequenter;* secundo, *semper* et quotidie. q. d. καθ' ἑκάστην ἡμέραν, id est, *per singulas dies.* Ita Vatabl. Tertio, *sigillatim.* Ita Pagnin. q. d. Singulorum vestrûm quasi ovium mearum curam geram, non solum in vita, sed et post mortem.

HABERE VOS POST OBITUM MEUM.] *Habere*, scilicet in mente et memoria mea, ut crebro vestrî sim memor apud Deum, eumque pro vobis orem, ut horum monitorum meorum memoriam vobis refricet. Ita OEcumen. Salmeron. Catharin. Gagneius, et alii hic, Petrus Damiani l. 3. ep. 8. Suarez 3. p. tom. 2. disp. 23. Bellarm. lib. 1. de Sanctis c. 18. Unde S. Chrysost. orat. in princ. Apost. sancti Petri opem invocans, citans hæc ejus verba ita legit: *Succlamus enim, B. Petre, sic dicens: Studebo post meum obitum vestrî memoriam facere.* Huc facit quod S. Clemens epist. 1. ait S. Petrum sibi dixisse: *Certus esto quod necesse est te suscipere omne periculum, quia nec ego pro salute omnium obsecrando cessabo.* Sic Græci dicunt ἔχω μνήμης, id est, *habeo in memoria*, hoc est, reminiscor.

Secundo, Erasmus, Vatabl. Clarius, Adamus et Cajetan. Græcum ἔχειν, id est *habere*, vertunt *posse*, ut hæc sit sententia: *Dabo operam frequenter posse vos post exitum meum horum mentionem facere*, sive orando Deum pro vobis; sive mandando hæc ipsa litteris, quas crebro relegatis; sive commendando S. Lino, Cleto et Clementi successoribus meis, ut horum memoriam crebro refricent. Sic Græci dicunt ἔχω δεικνύειν, id est, *possum ostendere;* ἔχω προσέχειν, *possum considerare*, vel considerandum mihi est. Et Plato lib. 2. de Republ. οὐκ ἔχω ὅπως βοηθῶ, id est, *non possum succurrere.* Sic Latini dicunt: Habeo dicere, id est, possum dicere, teste Gellio lib. 17. cap. 20. Habeo polliceri, id est, possum polliceri. Sic hic *habere vos*, id est, posse vos horum memoriam facere, aut planius habere, scilicet סִבָּה *sibba*, id est, *occasionem*, et *monumentum* vel *monitores.* q. d. Dabo operam ut post obitum meum relinquam vobis monumentum, puta hanc epistolam similemve, ac monitores, puta S. Linum, Clementem, aliosque, ac præsertim Deum ejusque sanctas inspirationes (quas precibus meis vobis accersam) qui horum memoriam vobis frequenter renovent. Hic sensus valde planus, facilis et obvius est. Hoc est quod ait Psaltes Psalm. 44. 17. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii*, quod explicans S. August. ibidem: *Pro Apostolis*, ait, *constituti sunt Episcopi. Non ergo te putes desertam, ô Ecclesia, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos per quos nata es: de prole tua tibi crevit paternitas. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.*

Tertio, ἔχειν potest verti, *impellere*, agere, dirigere, incitare. q. d. Agam, dirigam et impellam vos ut horum reminiscamini. Sic Homerus Iliad. 3. ait: ἔχον ὠκέας ἵππους, id est, *agitavit et impulit veloces equos.* Hic sensus huic loco congruus et appositus est. S. Petrus enim est auriga Ecclesiæ, fideles agens et agitans ad bonum, etiam cum in cœlis Deo fruitur, ut illi potius quam Eliæ dicere possis istud Elisei: *Pater mi*, tu es *currus Israel et auriga ejus*, 4. Regum 2. 12. Idem significat Latinum *habere*, ut cum dicimus: habet illum arcte et duriter, id est, tractat et regit illum arcte et duriter. Sic Plautus in Menæch. *Nimium*, ait, *habui te delicatum.* Terentius in Hecyra: *Nunquam secus habui illam, ac si ex me esset nata.* Cato: *Villica villam conversam mundamque habeat, focum purum conversum quotidie prius quam cubitum eat, habeat*, id est, sollicite servet et curet. Hinc patet S. Petrum et Sanctos vita functos curare res mortalium, ideoque esse invocandos.

Nota hic amorem, curam et sollicitudinem S. Petri circa fideles totamque Ecclesiam, utpote quam etiam post mortem semper conservaturum se promittit; et uti promisit, ita reipsa præstat: inde enim manat constantia Romanæ Ecclesiæ in fide et pietate orthodoxa, ac præsertim continua in eadem successio Romanorum Pontificum per annos 1625. Eaque inter tot persecutores, hæreses et hostes inviolata, firma et inconcussa. Hoc sane post Christum debet S. Petro, utpote primo suo Pastori et Pontifici: ut merito ab eo sperare et postulare possit deinceps continuationem hujus ejus patrocinii, ejusque clientelæ se totam committere, certa quod tanto duce et protectore, utpote super ipsum quasi super petram solidissimam à Christo fundata, durabit in perpetuum, nec unquam portæ inferi illi prævalebunt, Matth. 16. 18.

16. NON ENIM.] Τὸ *enim* dat causam, q. d. Si fabulas vobis tradidissem, mors mihi imminens moneret et cogeret me ad pœnitendum, et eas retractandum; sed vera sunt, non fabulosa quæ tradidi: quare non cessabo, ne post mortem quidem, ea vobis inculcare.

DOCTAS FABULAS SECUTI.] Leda, Lyran. Cajet. Adamus et alii pro *doctas* legunt *indoctas.* Verum Biblia Romana legunt *doctas:* græce σεσοφισμένους, id est, *sapienter instructas*, ingeniose conflictas, ad persuadendum compositas, captiosas, sophisticas. Unde Pagninus vertit, *fallaces;* Tigurin. *arte compositas;* Vatabl. *argutas et ad fallendum conflictas.*

Taxat Gentilium, Judæorum et hæreticorum fabulas. Gentilium, quia Philosophi et Poetæ multa finxerunt de Jove, Marte, Diana, eorumque generatione, apparitione, dictis et factis; itaque eorum cultum et idololatriam populo persuaserunt: maxime vero perstringit Jovis et deorum metamorphoses sive transformationes in taurum, aves et bestias, quibus eorum obscœnitatem velabant, imo repræsentabant; itaque ad eumdem populum alliciebant: quas fuse describit Ovidius in Metamorph. et confutant Athenagoras, Justinus, Tertull. Lactantius scribentes pro Christianis contra Gentiles.

Judæorum, quia Judæi pleni sunt fabulis, ut patet ex Thalmud et Rabbinis. Hæreticorum, quia tunc Simon Magus, quia Magus, se in varias formas transformabat, docebatque se in Judæa apparuisse ut Dei filium, in Samaria ut Patrem, in reliquis Gentibus ut Spiritum sanctum, teste Irenæo lib. 1. vide dicta Actor. 8. 20. Magis fabulosi fuere Valentiniani paulo post S. Petrum exorti, qui triginta Æonum somnia et portenta ediderunt: quos confutarunt Irenæus, Tertull. Epiphan. et alii. Similes fuere ii qui se Gnosticos, id est, scientes et doctos, appellabant, quibus similes sunt moderni hæretici, politici et athei, qui se sapientes quasi novos Gnosticos jactitant. Omnis enim error et hæresis cum sit superba, suam ignorantiam tegit jactantia et arrogantia

sapientiæ, cum non nisi fabulas venditet. Unde Theodor. earum catalogum inscribit : *Compendium hæreticarum fabularum.* S. Athanas. orat. 1. contra Arrianos, *hæreticos* vocat *bestias lucifugas :* Irenæus lib. 1. cap. 33. *fungos :* S. Augustinus lib. de Hæres. sub finem, *fabulones*, quibus vere competit illud Apostoli Rom. 1. 22. *Dicentes se esse sapientes*, et gnosticos, id est, scientes et doctos, *stulti facti sunt.* Quocirca Irenæus lib. 1. c. 35. *Victoria est*, inquit, *sententiæ vestræ manifestatio.* Et S. Hieronymus ad Ctesiphontem : *Sententias vestras prodidisse superasse est.* Vere Psaltes : *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.* Psal. 118. 85.

NOTAM FECIMUS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI VIRTUTEM] δυναμιν, id est *vim*, potentiam, efficaciam, tum expiandi peccata, tum mores corrigendi, tum miracula patrandi, tum salvandi et beandi, tum orbem convertendi. Hæc vis eo major apparet, quod orbem domuerit non ferro, sed ligno; non pugnando, sed patiendo. *Crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Ait Paulus 2. Corinth. 13. 4. de quo pulchre disserit S. Leo serm. 8. de Quadrages. Perstringit Simonem Magum qui se pro Christo venditabat, seque vocabat virtutem Dei, Actor. 8. 20. q. d. Nos prædicamus Christum esse Dei virtutem et sapientiam, non Simonem Magum. Sic Paulus ait 1. Corinth. 1. 23. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.*

ET PRÆSENTIAM.] Ita Rom. idque significat Græcum παρουσιαν ; Pagnin. et Tigurin. vertunt, *adventum.* Male ergo aliqui legunt *præscientiam.* Sensus est, q. d. Christus Dei filius ad nos non tantum descendit per virtutem et operationem, sed per præsentiam ac substantiam : hanc enim nobis spectandam exhibuit, cum *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Adamus παρουσιαν explicat περιουσιαν, id est *copiam*, opulentiam, præstantiam, sed hoc novum videtur et insolens. Alii intelligunt adventum Christi ad judicium : hic enim erit cum majestate, ejusque typus fuit Christi transfiguratio, de qua sequitur.

SED SPECULATORES] επόπται, id est *inspectores*, indagatores exacti, oculati testes. Rursum επόπται vocantur mystæ et sacerdotes seniores et primarii, quibus sacra et mysteria inspicere et intueri licebat; quæ populo tantum velata quasi credenda proponebantur. Ita ex Suida Budæus in Comment. linguæ Græcæ pag. 338. Sic enim mystes et επόπτης, hoc est *inspector*, gloriæ Christi fuit S. Petrus in ejus Transfiguratione. Sic S. Gregorius Nazianz. orat. 19. et 34. Isaiam, Ezechielem et similes Prophetas vocat Seraphinorum, Cherubinorum et investigabilium Dei judiciorum επόπτας και θεωρους. Et Plato in Sympos. sacra amoris vocat επόπτικα, id est *sacratiora*, magis arcana, et paucis iisque eximiis perspecta. Unde Pagnin. et Tigurin. hoc loco vertunt. *Sed qui oculis nostris aspeximus illius majestatem*, juxta illud 1. Joann. 1. 1. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, quod manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ ; et vita manifestata est, et vidimus et testamur*, etc. Sensus est. q. d. Mihi credite, quia non sum fabulo, sed επόπτης, id est, *ocularis inspector ;* narro visa, non audita : pluris enim est oculatus testis unus quam auriti decem.

ILLIUS (Christi) MAGNITUDINIS] μεγαλειοτητος, id est, *magnitudinis*, *majestatis*, ut vertit Pagnin. magnificentiæ, gloriæ et claritatis ; quia *resplenduit facies ejus sicut sol*, Matth. 17. v. 2. Licet enim aliqui dicere videantur S. Petrum, Joannem et Jacobum in transfiguratione Christi vidisse divinam essentiam, ut Tertull. contra Praxeam cap. 15. S. Chrysost. epist. 5. S. Leo et Damascenus orat. de Transfiguratione; tamen communiter contrarium docent Patres et Doctores, idque satis insinuant Evangelistæ. Quare Tertull. S. Leo, S. Chrysost. et Damasc. exponendi sunt, quod hi tres Apostoli viderint divinam essentiam non in se, sed in effectu, puta in gloria et claritate corporis Christi ; hæc enim manabat à gloria animæ Christi, ejusque divinitatis erat et effectus, idea et index. Hoc est quod ait Damasc. *Terrenum Christi corpus erat divinum splendorem emittens, mortale corpus deitatis gloriam fontis instar fundens*, etc. *Ac solis instar facies ipsius lucet : etenim loci materiæ carenti personaliter unitur, eoque justitia sol efficitur.* Et auctor de Mirabilibus S. Script. l. 3. cap. 10. qui extat tom. 3. S. August. *Divinitas latens in corpore*, inquit, *luminis sui portiunculam conspiciendam foris videntibus, quantam poterant, concessit.* Et Euthym. in Matth. 17. *Christum transfiguratum*, ait, *splendore divino faciem ejus illustrante, speciemque illius ad majorem Dei similitudinem commutante.*

17. ACCIPIENS EN IM.] *Accipit enim.* Est enallage Hebraica : Hebræi enim participiis utuntur pro verbis, uti sæpius ostendi. Ita Œcumenius et Vatabl.

HONOREM ET GLORIAM.] Primo, quia facies Christi resplenduit sicut sol, et vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix. Secundo, quia Moses et Elias apparuerunt cum eo loquentes, eumque quasi Messiam qui in cruce redempturus esset mundum, ac de peccato, morte et inferno triumphaturus, celebrantes. Tertio, quia Pater è nube super eum intonuit dixitque : *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite*, quo protestatus est Christum vere esse suum filium, ideoque Deum, ac jussit omnes ei quasi novæ legis legislatori et principi obedire, ideoque ei transfigurationis claritatem et gloriam dedit, quasi primitias et specimen resurrectionis, felicitatis et gloriæ dandæ iis qui ei crederent et obedirent. Gloria ergo Christi constitit, proprie in splendore vultus et vestium ; honor in voce Patris ad ipsum delapsa : *Hic est filius meus*, etc.

VOCE DELAPSA A MAGNIFICA GLORIA,] puta è nube lucida et corusca, quæ index erat gloriæ divinæ, scilicet Dei Patris qui per eam loquebatur. Unde S. August. tract. 35. in Joann. *De magnifica*, ait, *potestate vocem formavit Trinitas tota, sed illa Patrem indicabat solum ;* licet enim hæc vox formata sit angelorum ministerio, tamen erat Dei Patris, qui per angelos quasi suos ministros loquebatur : sicut rex loquitur per suum legatum, vel oratorem. Vox hæc fuit clara, augusta, intensa et sonora instar tonitrui, utpote quæ è cœlo ad Apostolos deferebatur, eosque sacro horrore percellebat.

HIC EST FILIUS MEUS] quem scilicet repromisi psal. 2. 7. dicens : *Filius meus es tu;* et uti olim promisi, ita nunc exhibeo, sisto, ostendo et clarifico, ait Tertull. lib. 4. contra Marc. c. 22. quasi qui decedenti Mosi et Eliæ, id est, Legi et Prophetis, novus legislator succedat.

DILECTUS] αγαπητος, id est, *dignus amore*, dilectus, charissimus ; S. Hieron. in epist. ad Philipp. vertit *diligibilis* : ηγαπημενος, id est, *dilectus*, inquit, esse potest qui non sit αγαπητος, id est, *dignus qui diligatur;* S. Cyprianus epist. 63. cap. 6. vertit, *dilectissimus*, idque primo, quia filius meus est naturalis; secundo, quia mihi ομουσιος et consubstantialis, non adoptivus per gratiam, uti sunt cæteri Sancti. Unde Hilar. lib. 3. de Trinit. *Est*, inquit, *filius origine, veritate, nativitate, non adoptione, nuncupatione, creatione.* Tertio, quia unicus et unigenitus. Ita S. Athanasius orat. 1 contra Arrian. Sic Græci, αγαπητον υιον, vocant *filium unicum;* unicus enim unice diligitur. Et apud Hesiodum αγαπητη θυγατηρ, id est, *dilecta filia*, est μονογενης, id est, *unigenita* et unica.

Præclare S. Leo, serm. de Transfigur. *Hic est*, ait, *filius meus dilectus, quem à me non separat deitas, non dividit potestas, non discernit æternitas. Hic est filius meus non adoptionis, sed proprius; non aliunde creatus, sed ex me genitus : nec de alia natura mihi factus comparabilis, sed de mea essentia mihi natus æqualis. Hic est filius meus per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil; quia omnia quæ facio similiter facit et quidquid operor, inseparabiliter mecum atque indifferenter operatur.* Et S. Cyprianus vel quisquis est auctor, serm. de Baptismo : *Duo*, ait, *grata vocabula filius et dilectus, ipso Deo dictante nostris sensibus imprimuntur, ut communio nominum nos associet collegio munerum, et tantæ dulcedinis nomina nostrum emolliant animum, accendantque devotionis affectum.* Et Damascenus orat. de Transfigur. *Hic*, ait, *qui nunc homo cernitur filius meus dilectus est : hic qui nuper homo factus est, qui humiliter et abjecte vobiscum versatur, cujusque nunc facies resplenduit; hic, inquam, filius meus dilectus est sæculis omnibus antiquior, solus ex solo, unigenitus sine tempore, et sempiterne ex me Patre progressus; quique et ex me, et in me, et mecum semper est, nec existentiæ ratione me posterior.* Et inferius : *Hic est filius meus, ille, inquam, gloriæ meæ splendor, ille substantiæ meæ character, per quem angelos etiam feci, per quem cœlum fundatum est, ac stabilita terra*, etc. *Hic est non servus, aut legatus, aut angelus, sed filius meus dilectus.*

Alludit ad psal. 28. v. 4. et 6. *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia*, etc. *et dilectus quemadmodum filius unicornium.* Pro *dilectus* hebr. est שרון *sarion*, vel, ut jam puncta suffigunt, *sirion*. Pro quo Septuag. per metathesin poeticam legerunt ישרון *jescurun*, id est *rectus*, directus, missus, dilectus. Alludit *jescurun* ad *Israel*, imo Genebr. censet *jescurun* esse diminutivum Israel. q. d. Israelulus, rectulus, dilectulus, blanditiæ causa. Vide Isaiæ 44. 2. Israel ergo est *jescurun*, id est *rectus*, ideoque mihi dilectus. Israel autem fuit parens et typus Christi : Christus enim vere est Israel, id est, vir dominans Deo.

Jam Christus Patris dilectus comparatur filio unicornium, id est unicorni. Primo, quia unius Dei unicus est filius, sive quia filius est Dei, qui est unicornis, id est, unicus in essentia, idemque est cornu fortissimum in potentia : Christus enim est Patri ομουσιος, et consubstantialis. Secundo, quia unicornis præ aliis animalibus mire diligit suos fœtus, mori malens quam eos vivos amittere. Simili modo Pater unice diligit Filium, ait Richardus in psal. 28. quia unico et singulari modo genuit eum absque matre, sicut in terra eumdem, ut homo est, genuit sine patre, ait Euthym. ibidem. Rursum Christus quasi unicornis fœtus suos, puta fideles, ita dilexit, ut pro eis mori et crucifigi voluerit. Tertio, Christus fuit filius unicornium, quia fuit filius crucis, et cornua fuerunt in manibus ejus, ubi abscondit fortitudinem suam, ait S. Ambros. serm. 2. de Baptism. Christi. Unicornis enim habet cornu bifurcum instar crucis, ait S. Justinus. Quarto, quia sicut unicornis cornu tangens aquas venenatas, ab eis venenum excutit, teste Plinio l. 8. c. 21. Ita Christus tactu corporis sui aquas venenatas tribulationum et mortis nobis sanas, potabiles et suaves effecit. Quinto, quia Christus est invictus et insuperabilis per cornu deitatis, unionis hypostaticæ et gratiæ singularis, quod dedit ei Pater, juxta illud : *Erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui*, Lucæ 1. et : *Cornua rhinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terræ*, Deuter. 33. 17. Vide ibi dicta. Sexto, sicut monoceros, sive unicornis capi nequit nisi sinu virginis; ita Christus non nisi sinu B. Virginis capi potuit; sed eo captus, factus homo. Vide dicta Numer. 23. v. 22. Septimo, quia, ut canit ibidem Psaltes, Christus apparuit mundo post dissectas cedros, id est, superbam impietatem errores Judaismi et gentilismi per vim tonitrui, id est prædicationis Evangelii. Octavo, cornu unicornis non tantum est validum, sed et medicum, ait S. Justinus; ita validum et medicum est robur ac gratia Christi, utpote quæ omnes animæ et corporis infirmitates sanet et corroboret, adeoque Virgines Martyres efficiat. Nono, unicornis tactu cornu purgat aquas à veneno serpentum; sic Christus tactu Jordanis, dum in eo baptisatus est, aquas ejus cæteras que omnes fecit purgatrices, et expiatrices peccati in Sacramento Baptismi. Decimo, pulli sive hinnuli unicornium sunt pulchri, elegantes, amabiles et gratiosi : talis est et Christus. Tropol. vox Christi prædicantis comminuit cedros, id est, idola et superbiam sæculi. Tunc Apostoli et fideles invicti exsilierunt et dominati sunt quasi filii unicornium, id est, sanctorum Patriarcharum, qui suum cornu et robur collocarunt in unicorni, id est, in uno Deo, æque ac totum cor et amorem, ideoque pro eo fortiter sanguinem et vitam posuerunt.

IN QUO MIHI COMPLACUI.] Græca significantius εις ον εγω ευδοκησα, id est, *in quem ego complacui*, in quem omnem meam ευδοκιαν, id est *beneplacitum*, propositum et voluntatem propensam, effudi; Tigurin. *in quo mihi complacitum est.* Vatabl. *in quo placatus sum et mundo reconciliatus.* Alii valde apposite, *quem placabilem et gratissimam hostiam constitui, ut homines mihi reconciliem mihi.* Budæus in Comment. linguæ Græcæ pag. 364. *in quo animo meo obsecutus sum, in quo opus meum probavi, in quo mihi placui, in quo acquievit animus meus, in quem, cum intueor, omnem iram et offensionem pono;* S. Chrysost. et Euthym. in c. 17. Matth. *in quo delector;* S. August. l. 2. de Consensu Evangel. c. 14. *placitum meum in te constitui, per te decrevi implere quod mihi placet, ut deinceps non dicam : Pœnitet me fecisse hominem; per te placui hominibus.* Idem serm. 63. de verbis Domini, et tract. 35. in Joannem, *erga*

quem bene affectus sum, cui bene volo, aut *de quo bene sentio;* Tertull. contra Praxeam. cap. 23. Cyprian. l. 1. contra Judic. c. 10. et Iren. lib. 3. c. 11. *in quo bene sensi.*

Deus ergo in Christo sibi complacuit; primo, quia eum Verbo hypostatice unitum, ut filium suum infinito amore diligit, in eoque totus complacendo conquiescit.

Secundo, quia per eum solum placuit illi homines redimere, novamque legem et Ecclesiam instituere.

Tertio, quia in summa ejus obedientia, humilitate, sanctitate mire sibi complacuit, per eum placatus fuit toti humano generi, ac cum eo in gratiam rediit, et innumera scelera ei condonavit: nam, ut ait Christus Joannis 8. 29. *Quæ placita sunt ei, facio semper.* Ita sanctus Bernardus serm. 1. de Epiphan.

Quarto, quia per eum omnes in eum credentes diligit, sanctificat, filios et hæredes suos destinat. Nemo enim placet Deo Patri nisi per Christum, et omnes qui Christo placent, placent et ipsi. Denique omnis virtus, sapientia, sanctitas, adeoque quidquid Deo placet, per Christum placet.

Alludit hisce verbis, imo explet Deus illud Isaiæ c. 42. 1. de Christo: *Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in eo anima mea.* Et ad hymnum angelorum Christo nato occinentium: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, erga quos scilicet Deus per Christum suam εὐδοκίαν, id est, *beneplacitum* summumque amorem exhibere decrevit, donando eis suam gratiam, amicitiam, gloriam, hæreditatem et felicitatem æternam. Unde Syrus, Nyssenus, Theophyl. et Euthymius pro εὐδοκίας, id est, *bonæ voluntatis*, legunt εὐδοκία, id est, *bona voluntas*, hymnumque faciunt trimembrem, hoc modo: *Gloria in altissimis Deo, in terra pax, hominibus sit bona voluntas*, id est, benevolentia Dei, ut scilicet per Christum jam natum eos salvet et in filios sibi adoptet. Sic Ephes. 1. 9. et alibi homines bonæ voluntatis vocantur filii dilectionis, id est, filii voliti, electi et dilecti à Deo.

Nota. Historiam transfigurationis varie narrant S. Matthæus, Marcus et Lucas; sed hæc fuit rei gestæ series et ordo, qui Evangelistas omnes inter se conciliat. Primo, Christus oravit; interim discipulis ex labore conscensi montis, et ex prolixitate orationis Christi somno gravatis ac dormientibus transfiguratus est Christus. Secundo, accesserunt Moses et Elias loquentes cum Christo de excessu (morte crucis) quem completurus erat in Jerusalem. Tertio, Apostoli è somno hoc fulgore et colloquio excitati viderunt gloriam Christi, cum eoque colloquentes Mosen et Eliam. Quarto, finito hoc colloquio cum signum darent abitus, S. Petrus hac voluptate quasi ebrius, dolens eos parare abitum, petiit fieri tria tabernacula, unum Christo, secundum Mosi, tertium Eliæ. Quinto, supervenit nubes subducens Mosen et Eliam, cum voce ad Christum: *Hic est filius meus dilectus*, etc. quibus territi S. Petrus, Jacobus et Joannes ceciderunt in terram; sed mox à Christo confortati et erecti, levantes oculos suos solum viderunt Jesum. Interim Moses ad limbum, Elias ad suum locum per angelum uti adductus, ita et reductus est,

Ipsum audite,] ipsi et in ipsum credite, ipsi obedite: *Ipsum*, inquam, *audite;* non Mosen, qui umbras legis docet; non Eliam, qui cœlum claudit, indeque ignem evocat quo perdit peccatores; sed ipsum qui verus Evangelii doctor, legis novæ legislator, dux cœli, idea sanctitatis, voluntatis meæ internuncius, adeoque figura et character substantiæ meæ. Qui ergo ipsum audit, me audit; qui ipsum spernit, me spernit. Ita Damascenus orat. de Transfigurat. Præclare S. Leo serm. de Transfiguratione: *Hunc ergo*, ait, *in quo per omnia mihi bene complaceo, et cujus prædicatione manifestor, cujus humilitate clarificor, incunctanter audite: quia ipse est veritas et vita, ipse virtus mea atque sapientia. Ipsum audite, quem legis mysteria prænuntiaverunt, quem Prophetarum ora cecinerunt. Ipsum audite, qui sanguine suo mundum redimit, qui diabolum ligat et vasa ejus rapit, qui peccati chirographum et prævaricationis pacta dirumpit. Ipsum audite, qui viam aperit ad cœlum, et per crucis supplicium gradus vobis ascensionis parat ad regnum.*

Alludit ad illud Mosis de Christo oraculum: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies*, etc. *Ponam verba mea in ore ejus, loquetur-que omnia quæ præcepero illi: qui autem verba ejus quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam*, Deuter. 18. v. 16. et 18. Et illud Isaiæ 55. 4. *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus.* Et illud Joann. 1. 17. *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est: Deum nemo vidit unquam; unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis.*

Nota. Primo, hæc vox Patris ad Christum facta est, non ante, ut volunt aliqui, sed post discessum Eliæ et Mosis; cum scilicet intrarunt in nubem, ut ait Lucas c. 9. v. 34. et 35. unde v. 36. ait: *Et dum fieret vox, inventus est Jesus solus;* nimirum ut clarissimum esset hanc vocem ad solum Christum referri, non ad Mosen vel Eliam. Ita S. Chrys. Ambros. et alii in Matth. 17. vel Lucæ 9. Secundo, hic repræsentata fuit SS. Trinitas, sicut et in baptismo Christi; scilicet Pater in voce, Filius in divina gloria, Spiritus sanctus in nube. Tertio, hac voce, ait Tertull. l. 4. contra Marcion. c. 22. significatur abrogatio legis veteris et novæ institutio, passio Christi in excessu, de quo cum Christo loquebantur Elias et Moses; resurrectio in transfiguratione, infernus et limbus in Mose: eò enim reducta fuit, uti inde abducta fuerat anima Mosis.

18. Hanc vocem nos (ego, Jacobus et Joannes) audivimus de coelo, de nube et aere celsiore, allatam,] ἐνεχθεῖσαν, id est *delatam*, delapsam, uti paulo ante vertit Interpres.

Cum essemus cum ipso in monte sancto.] Faber Stabulensis in cap. 9. Marci opinatur hunc montem fuisse Libanum; tum quia de eo prædixit Isaias c. 25. 2. *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron: ipsi viderunt gloriam Domini et decorem Dei nostri.* Sed alius est Isaiæ sensus, ut ibi dixi: tum quia Christus tunc erat in finibus Cæsareæ Philippi, quæ adjacet Libano. Verum id falsum est; nam, sex dies jam abierant à concione habita Cæsareæ, quibus Christus accessit ad Thabor; unde et mox à transfiguratione descendit Capharnaum, quæ urbs vicina est monti Thabor. Vide Matth. 17. vers. 1. et 23.

Communis ergo sententia est montem hunc

fuisse Thabor, quem Septuag. et Josephus vocant Itsabyrium : de cujus situ, altitudine, amœnitate, fertilitate dixi Osee 5. 1. Thabor hebraice idem est quod venit lumen, vel puritas, vel electio, quod apte convenit transfigurationi Christi : nam in eo Christus refulsit lumine solari, primam Evangelii legem sanxit, quæ electos perducit ad cœlum ; quocirca Christiani postmodum in hoc monte tres Ecclesias extruxerunt ac ingens monasterium, teste Beda c. 17. de Locis sanctis, soletque hic mons à peregrinis magna religione visitari. Merito ergo mons hic vocatur *sanctus*. Fabulantur Judæi ex Isaiæ c. 2. 2. et Micheæ 4. 1. tempore Messiæ Thabor jungendum Carmelo, ac utrique imponendam Jerusalem, quæ tribus leucis in altum attollatur ; uti ex Galatino et aliis recensui Isaiæ 2. 2. Verius Damasc. orat. de Transfigur. explicans illud psal. 88. *Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt.* Thabor, ait, exultavit, cum in eos transfiguratus est Christus ; Hermon, cum juxta eum baptizatus.

Causam cur in monte transfiguratus sit Christus dat Tertull. lib. 4. contra Marc. c. 22. ut scilicet lex nova ab eo sanciretur in monte, sicut lex vetus sancita erat à Mose in monte Sina : *Oportebat*, inquit, *in eo suggestu consignari novum Testamentum, in quo conscriptum vetus fuerat.* Rursum in hoc eodem monte Thabor, Barac et Debora cœlestem consecuti sunt victoriam contra Sisaram, Judic. 4. 6. nam, ut c. 5. 20. ipsi canunt : *De cœlo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine et cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt ;* quia scilicet angeli è cœlo jaculati sunt fulgetra, ignem, grandinem, stellas cadentes in aciem Sisaræ, inquit Lyran. et Abulens. addit Josephus lib. 5. c. 6. imbrem et ventos, idque apposite significat nomen ducis : *Barac* enim hebr. est *fulgur : Debora* est *apis*, hæc fuit *uxor Lapidoth :* Hebræi et Arias vertunt, *mulier lychnaria*, quæ scilicet concinnabat clychnia tabernaculi, vel, ut Arias, *mulier lampadarum*, id est, divinis illuminata et imbuta splendoribus : fuit enim prophetissa; nam Heb. לפדים *lappadim* vocantur *lampades*, indeque græcum et latinum nomen *lampas* derivatum est, ait Arias. Sicut ergo Barac et Debora cum suis fuerunt quasi legio fulminatrix Dei (uti fuit postea legio Christiana sub Antonio Imp. quæ suis precibus pluviam à Deo impetravit, æque ac fulmina in hostes) qui fulguribus hostes prostraverunt, Israelem vero suis oraculis et victoriis illustrarunt in monte Thabor : ita pariter Christus in eodem monte transfiguratus suo fulgore illuminavit Apostolos, et perculit diabolos. Ibi ergo ipse fuit Debora, id est, apis fundens mel Evangelii fidelibus, aculeum vero vindictæ servavit infidelibus. Unde S. Hieron. ad Furiam de viduit. Docet Deboram esse apem ; quia *Debora*, ait, *dicere poterat : Quam dulcia gutturi meo eloquia illa, super mel et favum ori meo! Apis nomen accepit Script. floribus pasta spiritus sancti odore perfusa, et dulces ambrosiæ succos prophetali ore componens.*

Tropolog. mons est locus semotus à turbis et strepitu, ideoque appositus ad audiendam Dei vocem : hinc sua altitudine mons typus est cœli, monetque in eo degentes mentem ad cœlum attollere, ideoque ad ardua virtutum opera et perfectionis culmen conniti et conscendere. Qua de causa Christus sermonem primum habuit in monte, quo docuit Evangelicæ vitæ summam et perfectionis Christianæ culmen, Matth. c. 5. c. 6. c. 7. In monte quoque pernoctavit in oratione, Lucæ 6. 12. Item panes multiplicavit ad alendam turbam, Matth. 15. 29. Eucharistiam instituit in monte Sion : crucifixus est in monte Calvariæ : resurgens discipulis in monte apparuit, Matt. 28. 16. ex monte Oliveti ascendit in cœlum, spiritum sanctum misit in cœnaculum montis Sion, Actor. 1. v. 12.

Christum imitati sunt viri eximii ; ut Elias, Eliseus, filii Prophetarum, S. Antonius, S. Benedictus, S. Franciscus, qui in montibus cum Deo versari, orare et cœlestem vitam agere elegerunt ; unde ibidem cœlestibus visionibus, gratiis, donis, stigmatibus à Deo illustrati et ornati fuerunt.

19. ET HABEMUS FIRMIOREM PROPHETICUM SERMONEM.] Probavit S. Petrus Evangelii Christique fidem à se prædicatam esse veram et divinam, ex oculari visione gloriæ Christi in transfiguratione et auditione vocis Dei Patris : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.* Nunc ne ea sola niti videatur, neve quis eam velut privatam de illusione vel adulatione suspectam reddat ; eamdem confirmat publico certissimoque Prophetarum testimonio : propheticum enim sermonem vocat oracula Prophetarum, sive ea quæ Prophetæ prophetarunt de Christo ejusque divinitate, incarnatione, morte, redemptione, etc. quale est illud Psal. 2. huic loco maxime consentiens : *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Porro hic propheticus sermo non verior, non melior, ait S. Augustinus serm. 27. de verbis Apostoli cap. 4. sed firmior est oculari visione et auditione sancti Petri ; quia, licet claritas illa et gloria Christi, æque ac vox ad eum de cœlo delapsa esset revera divina et manans à Deo Patre, tamen poterant Judæi similesque calumniatores tam vocem, quam claritatem magicis tribuere præstigiis, aut certe fabulis ; uti vocem similem Patris ad Christum tribuerunt tonitruo, Joann. 12. 29. Hoc autem de Prophetis et sermone propheticō, concesso quod esset propheticus, uti concedebant, dicere non poterant, præsertim quia Prophetæ multis sæculis Christum præcesserant. *Nondum*, inquit Augustinus, *erat homo Christus, quando misit Prophetas. Si ergo magicis artibus fecit ut coleretur et mortuus, numquid magus erat antequam natus?* Hac ergo de causa Deus misit tot Prophetas per singula sæcula, ut omnes prophetarent ea quæ agenda et toleranda erant à Christo, hoc fine, ut, cum ea ab ipso impleri cernerent tam Judæi quam Gentiles, certo scirent ipsum esse Christum ab omnibus Prophetis prædictum et promissum, *quod neque Apollonio, neque Apuleio, neque cuiquam magorum potuit aut potest aliquando contingere*, ait Lactant. lib. 5. cap. 3. Hoc est quod canit Zacharias Lucæ 1. 10. *Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum ejus.* Et S. Petrus : *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent*, Actor. 10. 43. Unde S. Justinus Martyr. dialog. contra Triphon. narrat se lectione Prophetarum ad Christum esse conversum. Ita S. Augustinus, Beda, Hugo, Lyran. Dionys. et alii passim.

Adde, fides et lumen fidei, quod ostendit oracula Prophetarum esse divina et à Deo profecta, firmius et certius est omni scientia, demonstra-

tione et visione sensitiva, ac quovis testimonio oculari et aurito. Et sic hic sermo propheticus non tantum aliis, sed et ipsi S. Petro firmior erat visione et auditione sua. Unde recte Gagneius et alii τὸ *firmiorem*, exponunt, firmissimum. Sic Paulus ait, *major*, id est maxima, *horum est charitas*, 1. Corinth. 13. 13. Quare improbabilis est expositio Erasmi, qui per propheticum sermonem accipit ipsam vocem Dei Patris ad Christum in transfiguratione, quasi ipse Pater fuerit Christi Propheta et præco, prædicens sibi placitura esse quæ doceret et ageret Christus. Æque improbabilis et impertinens est alia ejusdem expositio, quæ placuit Clario et Titelmanno, scilicet propheticum sermonem, id est, Prophetarum oracula facta esse firmiora per vocem hanc Patris ad Christum. *Hic est filius meus*, etc. nec enim sanctus Petrus agit hic de confirmatione oraculorum propheticorum, sed suæ visionis, quam confirmat per hæc oracula. Hinc sequitur falsam esse lectionem illam quam habent nonnulli Græci codices, ut pro τον προφητικον λογον per ο, legant των προφητικων λογον per ω, ex qua sic vertunt, *habemus* βεβαιοτερον, id est *firmiorem*, scilicet visionem et vocem Patris jam dictam, *propheticis sermonibus*. Alia enim, imo contraria, est mens et vox S. Petri.

Dices: Vox Patris de Christo quam audivit sanctus Petrus, scilicet, *Hic est filius meus*, etc., tam certa et firma erat, quam vox ejusdem de eodem quam audiverunt Prophetæ, v. g. David psal. 2. 7. *Filius meus es tu.* Ergo sermo propheticus non fuit firmior visione et auditione sancti Petri. Resp. nego consequentiam. Licet enim vox Patris objective, puta in se, esset verissima et certissima, æque ac oracula Prophetarum; tamen subjective, quatenus scilicet in auribus S. Petri sensibiliter recipiebatur et resonabat, non erat tam certa et firma, quam visiones Prophetarum: auditus enim omnisque sensus falli potest; visio vero prophetica falli nequit, quia fit per lumen supernaturale et divinum quo Deus Prophetæ attestatur rem ipsi revelatam esse veram certamque, ac non alium quam Deum eam revelare: quocirca Prophetæ fide divina credere tenebantur ea quæ videbant et audiebant esse vera, esseque à Deo.

Instabis: Etiam S. Petrus fide divina tenebatur credere hanc visionem et vocem esse veram, esseque à Deo. Resp. Id quoque verum est, at non quatenus eam oculis et auribus percipiebat, sed quatenus habebat certa signa credibilitatis, quibus convincebatur eam esse veram fideque credendam. Signa hæc erant vita et miracula Christi, quibus certus erat ipsum esse Christum Dei Filium, ac proinde omnia quæ ageret et ostenderet esse vera et à Deo. Rursum testimonium Eliæ et Mosis, splendor divinus Christi, nubes lucida, etc., hæc enim omnia convincebant Petrum; ut crederet hanc visionem et vocem non esse fictam, sed veram et divinam: sicut iisdem et similibus convictus fuit S. Thomas, ut videns, audiens, et palpans vulnera carnemque redivivam Christo, Deo mentem ejus illustrante, fide divina crederet eum vere resurrexisse; unde exclamavit: *Dominus meus et Deus meus*, et Christus ad eum: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti*, Joan, 20. 29. Sicut enim timor est seta, ut ait S. August. per quam in animam inducitur filium amoris divini, ita visio hæc fuit seta per quam inducta est fides. Simili modo Prophetæ credebant suas visiones et voces quas audiebant, esse veras et à Deo, eo quod Deus certa hujus rei eis signa daret, ut de ea dubitare non possent; sed idipsum fide divina credere tenerentur. Pari modo fideles credere tenentur hanc visionem sancti Petri fuisse cœlestem et divinam, tum quia idipsum in Scriptura sacra hoc loco à sancto Petro expressum est, tum quia consequenter Ecclesia idipsum fidelibus quasi fide credendum proponit, et ad id eos obligat: nam, ut ait S. Augustinus libr. contra epistolam Fundamenti cap. 4. *Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas.* Ecclesia enim est quæ docet et assecurat quodnam sit verum Evangelium, quod falsum et suppositilium, uti fuit Evangelium Nicodemi, Thomæ, Nazaræorum, etc. Idem censendum est de epistolis sancti Petri et qualibet alia S. Scriptura.

Cui benefacitis attendentes.] Προσεχοντες, id est *intendentes*, uti legit S. August. tract. 23. in Joannem. Sic Christus: *Scrutamini*, ait, *Scripturas, quia*, etc. *Illæ testimonium perhibent de me*, Joan. 5. 39.

Quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.] Prophetia omnisque Script. est quasi lucerna lucens in nocte, et tenebris hujus sæculi et vitæ, eas illuminans, sed modice et obscure instar lucernæ ut Christum quasi solem justitiæ nobis ostendat, ad eumque deducat. *Omnis enim prophetia una magna ad Christum lucerna est*, ait S. Augustinus tract. 23. in Joan. et serm. 237. de Tempor. *In die*, ait, *ambulamus comparatione infidelium; comparatione vero illius diei quando resurgent mortui, adhuc nox sumus.* Hoc est quod ait Salomon Proverb. 6. v. 23. *Mandatum lucerna est, et lex lux.* Et David psal. 118. 104. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* et v. 130. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.*

Perperam ergo hæretici ex voce *lucerna* contendunt S. Script. esse facilem et claram, ut à quovis plebeio intelligi et explicari possit.

Nam primo lucerna significat lumen nocturnum, ideoque obscurum.

Secundo, S. Petrus proprie lucernam vocat prophetiam; hanc autem constat esse obscuram.

Tertio, quia ait lucernam hanc lucere in caliginoso loco; ergo à loco repercussa et hebetata fit et ipsa caliginosa, ut non nisi proinqua illuminet, eaque modice et subobscure.

Quarto, quia S. Scriptura est lucerna, *sed super candelabrum publicæ ac infallibilis auctoritatis Ecclesiæ, non sub modio hominis privati*, ait S. Ambros. lib. 7. in Lucam c. 52. lucerna enim hæc non lucet, nisi ejus lux pandatur à Doctoribus Ecclesiæ, ac fidelibus ostendatur. Apostoli enim et Doctores sunt accensores lucernæ, quam ponunt super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt, ait S. August. tract. 23. in Joan. Causam dat S. August. lib. 2. de Doctr. Christ. c. 6. *Ita*, ait, *obscure quædam dicta sunt, ut densissimam caliginem obducant, quod totum divinitus provisum esse non dubito, ad edomandam labore superbiam, et intellectum à fastidio revocandum, cui facile investigata plerumque vilescunt.* Et S. Gregor. In Præfat. in Job c. 4. *Divinus sermo*, ait, *sicut mysteriis prudentes exercet, sic plerumque superficie simplices re-*

fovet ; habet in publico, unde parvulos nutriat; servat in secreto, unde mentes sublimium in admiratione suspendat. Quasi quidam quippe est fluvius planus et altus, in quo et agnus ambulet et elephas natet. Unde Origen. init. Levit. divinitatem in Script. latere ait, non aliter atque olim divina ejus persona in humana natura occultabatur. Rursum S. Aug. in ps. 140. *Sunt*, ait, *in Script. sanctis profunda mysteria, quæ ad hoc absconduntur, ut vilescant; ad hoc quæruntur, ut exerceant; ad hoc aperiuntur, ut pascant.*

Denique sicut lucernæ crebro suggeri debet oleum ut luceat; ita S. Script. crebro à Doctoribus inseri debet explicatio docta et pia, ut auditoribus lucem doctrinæ et calorem devotionis aspiret. Romæ et in Italia utimur lucernis grandioribus et turritis quæ multum olei continent, idque arte physica, ad impediendum scilicet vacuum, quasi in alta turricula suspensum, quod sensim in os et elychnium lucernæ delabens, illius lucem ardoremque continuo diuque fovet, lucernas has fertur adinvenisse Hieron. Cardanus physicus et medicus, ac à forma campanarias nuncupavit, quod campanæ turritæ speciem gerant. Talis lucerna campanaria est S. Script. utpote plena copioso sapientiæ oleo, sublimis instar turris, sonora instar campanæ.

IN CALIGINOSO LOCO.] Ἐν αυχμηρῳ τοπῳ, id est, *in loco squalido*, obsito, obscuro, tenebroso, sordido, horrido ; talis enim est hic mundus et hæc vita. Hujus rei symbolo Deus jussit Mosi fabricare tabernaculum undique clausum, et carens fenestra ; ideoque obscurum et tenebrosum, sed ad illud illuminandum fieri candelabrum septiceps, habens scilicet septem lucernas, quæ illud illuminarent : tabernaculum enim obscurum repræsentat sæculum hoc plenum ignorantia ; candelabrum repræsentat Script. et fidem, quæ illud illuminat : vide dicta Exodi 26. 1. et seq. Sic veteres præter lucernas simplices uno elychnio lucentes, quas cubicularias vocabant, in locis amplis habebant dimyxos ad duo elychnia ferenda, aut trimyxos ad tria, aut heptimyxos ad septem, aut polymyxos ad plura ; de quibus Martial. lib. 14.

> Illustrem cum tota meis convivia flammis,
> Totque geram myxos, una lucerna vocor.

Vide quæ de lucernis et candelabro, Ecclesiam ejusque fidem et doctrinam repræsentante dixi Zachar. c. 5.

DONEC DIES ELUCESCAT, ET LUCIFER ORIATUR IN CORDIBUS VESTRIS.] Idem est diem lucescere quod luciferum oriri : eo enim orto fit aurora et elucescit, sive emicat dies. Quæres quis hic dies, quis lucifer ; primo, Œcum. respondet esse plenam cognitionem fidei et Evang. *Cum*, inquit, *dies adveniet, id est, rerum ipsarum præsentia, habebitis orientem luciferum in cordibus vestris, hoc est Christi cognitionem et adventum ejus à Prophetis prænuntiatum, qui tanquam lux vera corda vestra illustrabit;* ut prophetia sit nox, Evangelium sit aurora et lucifer, visio beatifica sit clara dies et meridies. Unde S. Cyrillus lib. 1. de Trinit. sub initium docet, quod Christus sit jubar, dies et lucifer, qui mentibus fidelium per spiritum irradiat, easque illuminat clarius quam Prophetæ omnes ; sicut lucifer clarius rutilat quam cæteræ stellæ. Et quia, sicut lux luciferi gignitur à sole ; sic Christus gignitur à Patre quasi lumen de lumine, Deus de Deo. Unde Christus ipse de se ait : *Ego sum stella splendida et matutina*, puta lucifer, Apocal. 22. 16. Sensus ergo est, q. d. Intendite lectioni et studio Prophetarum, ut ex eis confirmemini in fide Christi, donec ex hoc studio et illustratione Dei dies et lucifer, id est certior et clarior planeque explicita Evangelii fideique cognitio, nocti, id est, obscuriori Judæorum et Prophetarum cognitioni succedens vobis illucescat, ut plane in ea confirmati per eam deducamini ad clarum meridiem æternitatis, et visionis Dei. Sicut enim se habet lucifer sive lux auroræ ad lucem meridiei ; sic se habet hæc fidei doctrina ad visionem beatificam. Rursum sicut lucifer se habet ad noctem, quasi medium quid inter noctem et diem, et diei lucisque initium ; sic se habet hæc Christi doctrina clara ad doctrinam obscuram Prophetarum : hæc ergo fuit quasi lucerna ; Christi vero fuit lumen, Joan. 1. 9. Hinc idem Joannes epist. 1. c. 2. 27. ait, *Non necesse habetis ut aliquis doceat vos ; sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus.* Et Jerem. c. 31. v. 31. *Non docebit ultra vir proximum suum*, etc., *omnes enim cognoscent me;* et ut ait Isaias cap. 54. 13. *Erunt omnes docibiles Dei.* Ita Adamus, Arias, Gagneius et alii.

Secundo, apposite dies hic et lucifer accipi potest beatitudo, puta gloria cœlestis, et visio beatifica : vita enim in miseriis et tenebris hujus sæculi est quasi nox ; futura ergo in gloria erit quasi dies et lucifer. Lucifer enim sive stella Veneris, quia adducit auroram, sive initium diei, hinc idem est quod dies, juxta illud Martialis :

> Phosphore (*id est lucifer*) redde diem.

Et illud Boetii lib 3. de Consol. *Lucifer ut tenebras pepulerit, pulchra dies roseos agit equos.* Porro lucifer est symbolum visionis beatificæ. Primo, quia ea fit per lumen gloriæ, juxta illud psal. 35. 10. *in lumine tuo videbimus lumen.* Apte ergo vocatur lucifer. Secundo, quia lucifer sive aurora est initium diei : significat ergo initium beatitudinis, cum scilicet anima sola statim à morte Dei visione beatur, cujus complementum et quasi meridies erit in resurrectione, quando corpus totusque homo beabitur, et gloria collustrabitur per omnem æternitatem. Tertio, quia lucifer, utpote vehens diem et lucem, symbolum est prosperitatis et felicitatis, uti dixi Isaiæ 14. 21. Quarto, quia Beati fulgebunt in cœlo quasi stellæ et luciferi, juxta illud Apocal. 2. 28. *Quis vicerit*, etc., *dabo illi stellam matutinam.* Et Daniel 12. 3. *Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Vide utrobique dicta. Quinto, sicut lux luciferi et auroræ manat à sole, uti mox dicam ; sic gloria Sanctorum manat à gloria Christi : et sicut lucifer et stellæ comitantur, stipant et cingunt solem ; sic et Sancti Christum. Sexto, quia φωσφορος, id est *lucifer*, solem quoque significat, ait Suidas, quia φωσφορειν est *illucere* et diem inferre, sic et Cicero lib. 2. de Natura deorum, lunam vocat luciferam ; unde Syrus hic pro *lucifer* vertit *sol.*

Ad hunc diem suspirabat sponsa Cantic. 2. 6. pascens in liliis *donec aspiret dies* beatæ æternitatis *et inclinentur umbræ* miseræ mortalitatis, ait S. Gregorius, et S. Joannes Apocal. 21. 23. ait quod Jerusalem cœlestis *non eget sole neque*

luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam, et lucernæ ejus est Agnus; et cap. 22. 5. *Et nox ultra non erit, et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos.* Ita S. Augustinus in psalm. 51. *Quandiu*, ait, *ad lucernam ambulamus, necesse est ut cum timore vivamus; cum autem venerit dies noster, id est, manifestatio Christi, de qua Apostolus, cum Christus apparuerit vita nostra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.* Idem in Psalm. 89. *Ergo*, ait, *in his velut nocturnis doloribus et laboribus, prophetia nobis accensa est sicut lucerna in caliginoso et obscuro loco, donec lucescat dies, et Lucifer oriatur in cordibus nostris. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Huic expositioni favet τὸ *donec*; egemus enim prophetia et Script. per totam hanc vitam, donec perveniamus ad visionem in patria cœlesti. Favet etiam quod Luciferi cursus soli sit coævus, firmus et perpetuus, ideoque post longam noctem ejus aspectus sit jucundissimus, quasi lucis, solis et diei origo : unde Sophar ad Job cap. 11. v. 17. *Quasi meridianus fulgor*, ait, *consurget tibi ad vesperam*, hoc est, *cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer;* et Virgilius, 2. Æneid.

——— Ducit diem Lucifer.

Statius Theb. 3.

Purpureo vehit ore diem.

et Ovid. 6 Fastor.

Et vigil Eois Lucifer exit aquis.

Idem Metamorph. lib. 8.

Retegens diem noctisque, fugans tempora Lucifer.

et lib. 11.

Undecimus Lucifer stellarum coegerat agmen.

et lib 15.

————Cumque albo Lucifer exit
Clarus equo.

Et Statius Thebaid. 2.

Tertius auroram pulsabat Lucifer.

Hinc Poetæ Luciferum, puta auroram, vocabant Titanis, id est Solis filiam, eo quod ex sole oriente procedat illa claritas cœli quam auroram dicimus. ita Varro lib. 6. *Aurora*, ait, *dicitur ante solis ortum ab eo, quod ab igne, solis tum aureo aer aurescit;* et Virgil. 4. Æneid. de aurora ita canit :

Postea Phœbea lustrabat lampade terras,

et lib. 7.

Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.

et Tibul. lib. 3.

Auroram Phaetontis (*id est Solis*), equi jam luce vehebant,

Hinc *aurora* dicitur quasi *aurea hora*, vel potius quasi *aura rorans.*

Prior sensus planior et simplicior est, ideoque magis litteralis et genuinus : posterior plenior est magisque anagogicus. Sicut enim Lucifer est diei solisque præcursor et prænuntius; sic fides Christi præcurrit et prænuntiat visionem beatificam. Hic ergo Lucifer fidei oritur in cordibus nostris; in cœlo vero meridies claritatis divinæ in mentibus nostris resplendebit.

Tropol. Hugo : Dies, ait, est dilectionis fervor, quem præire debet Lucifer, id est, cognitio Dei et virtutis, ut crescat ad meridiem perfectionis, juxta illud Proverb. 4. 18. *Justorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectam diem.* Unde Thomas Anglicus pro *elucescat* legens, *illucescat*, id est, inquit, *intus luceat*, et usque ad intimum animæ. Porro sicut omnis claritas Luciferi et auroræ oritur à sole oriente et subsequente; sic omnis gratia et gloria Sanctorum oritur à Christo, qui est sol justitiæ, gratiæ et gloriæ. Hoc est quod de Ecclesia et anima fideli dicitur Cantic. 6. 9. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?* Quod explicans S. Gregorius 16. Moral. 25. *Aurora*, ait, *mens justi est, quæ peccati sui tenebras deserens ad lucem jam erumpit æternitatis.* Eadem est pulchra ut luna, quia, ut ait Philo Carpathius in Cantic. c. 6. accipit gratiam à Christo, sicut luna accipit lumen à sole; et quia aliquando in prosperis lucet, aliquando in tenebris adversitatum relinquitur; et quia crescit in virtute, uti nova luna crescit usque ad plenilunium. Eadem est electa ut sol, quia Christum imitatur solem justitiæ, à quo et lucem sumit et calorem. S. Bernardus vero serm. 60. ex parvis, per auroram accipit humilitatem, à qua incipit virtus et vita sancta : *Bene*, inquit, *dicitur aurora consurgens, ut virtutum structura surgens, ab humilitate tanquam fundamento proprio erigatur.* Per lunam vero quæ splendorem sumit à sole, designatur castitas : *Quæque enim fidelis anima, si veri solis obtutibus offeratur intuenda, ex visione illius protinus admittit in se decus pulchritudinis et venustatem castitatis : unde fit ut ex ejus lumine crescens et proficiens, etiam ad perfectionem provehatur, ut recte dicatur de illa : Electa ut sol.* Per solem vero designatur charitas, ideoque sponsa dicitur electa ut sol, quia induta est veste nuptiali charitatis, qua virtute qui indutus splendebit, erit procul dubio terribilis hostibus suis ut castrorum acies ordinata. Hæc S. Bernardus, Ambrosius vero et S. August. epist. 80. Ecclesia, aiunt, justorum est aurora consurgens; quia à tenebris peccatorum ad sanctitatis lucem proficit : deinde de virtute in virtutem crescit instar lunæ; denique in die judicii relicta caligine et putredine peccatorum ac mortalitate carnis, immortalitatis lumine et æterna charitate vestita solem ipsum repræsentabit. Denique S. Gregorius in Cant. 6. ait Ecclesiam in incipientibus progredi ut auroram; quippe qui è tenebris peccatorum luce sanctæ operationis splendere incipiunt, in proficientibus esse pulchram ut lunam; quippe qui dum peccantibus bona exempla præbent, quasi luna lucent in nocte, denique in perfectis esse electam ut solem, dum non tantum peccantibus, sed etiam bonis ac sanctis per eos exempla imitationis præbet. *Profecto enim jam luna*, inquit, *sol efficitur; quia quæ in nocte errantibus nunc lucebat, modo in die ambulantibus lumen veritatis manifestat.* Hinc refert Ven. Beda lib. 3. Histor. Angl. cap. 19. S. Furseum raptum in ecstasin audivisse angelos justis concinentes : *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* Talis ergo fulget, progreditur et cæteris eminet

quasi Lucifer, de quo canit Ovidius Metamorph. 2.

> Ecce vigil nitido patefacit ab ortu
> Purpureas aurora fores, et plena rosarum
> Atria, diffugiunt stellæ, quarum agmina cogit
> Lucifer, et cœli statione novissimus exit.

Rursum, sicut stella Veneris, semper comitatur solem, et mane quidem eum orientem anteit, vocaturque Lucifer; vespere vero eum occidentem sequitur, vocaturque Hesperus, de quo Poeta :

> Hespere qui cœlo lucis jucundior ignis.

Id est jucundissima stella : veteres enim censebant stellas esse igneas. Sic qui assidue in virtute proficit, comitatur Christum, qui est sol justitiæ; et, ut ait S. Joannes Apocal. 14. 4. *Sequitur Agnum quocumque ierit.* Quocirca Abbas ille in Vitis Patrum lib. 7. c. 44. num. 6. hac ratione se jugiter excitabat ad progressum in virtutibus : *Ego*, inquit, *per singulos dies statui verba mea audiri à Domino, putans mihi dici : Laborate propter me, et ego quiescere faciam vos. Adhuc modicum decertate, et videbitis salutare meum et gloriam meam. Si diligitis me, si filii mei estis, ad Patrem rogantes revertimini. Si fratres mei estis, erubescite pro me, quemadmodum propter vos multa perpessus sum. Si oves meæ estis, Dominicam passionem sequimini.* Et alius num. 9. *Ego*, ait, *quotidie Ecclesiam intellectualium virtutum expecto, Dominum gloriæ in medio earum video super omnes splendentem. Quando autem abscedam ab eo, ascendo in cœlum, expectans admirandas pulchritudines angelorum, et quos emittunt hymnos incessabiliter Deo,* etc. *Et omnia quæ super terram sunt, sicut cinerem et stercora opinor.* De S. Josaphat rege scribit Damascen. in Histor. c. 38. quod relicto regno in eremum ad S. Barlaam secesserit, ut totum se daret mortificationi vitiorum, abstinentiæ, vigiliis, orationibus. *Quod quidem*, inquit, *generosus ille et expeditus cœlestis itineris cursor egregie præstitit, atque animi sui ardorem ab initio ad extremum usque perpetuo conservavit, ascensiones in corde semper disponens, ac de virtute ad virtutem sublimiorem transiliens, desideriumque desiderio ac studium studio indesinenter adjungens ; quoad tandem ad speratam et expetitam beatitudinem pervenit.* In monasterio S. Antonii et cæterorum olim ardens inter omnes de virtute et profectu erat certamen : dictitabant enim virtutes esse gradus et scalas inter se cohærentes, atque alias ab aliis suffultas, quæ animum in cœlum subvehunt, ait Damasc. in Histor. c. 11. qui proinde merito eosdem angelos terrestres appellat.

20. Hoc PRIMUM INTELLIGENTES QUOD OMNIS PROPHETIA SCRIPTURÆ (sacræ) PROPRIA INTERPRETATIONE NON FIT.] *Prophetia Scripturæ* est prophetia scripturalis, sive per hypallagen prophetica Scriptura. Probat propheticum sermonem esse firmiorem, eique studiose nos debere intendere ex eo quod prophetia non sit sermo Prophetæ, sed Dei, qui est prima et infallibilis veritas, hoc est quod ait: *Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit*, id est, non fit propria inventione, qua Propheta res arcanas et futuras per se suoque ingenio et acumine eruat in lucem, interpretetur et explicet : nam, ut ait Philo libro de Præm. et pœn. *Propheta est interpres Dei dictantis oraculo.* Hunc esse sensum patet ex ratione quam explicando subdit sanctus Petrus : *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Ubi nota omnem sacram Scripturam hic vocari *prophetiam*, tum per synecdochen, quia major Scripturæ, quæ tunc extabat pars, erant Prophetæ : totum enim vetus Testamentum est prophetia et figura novi Testamenti ; tum proprie, quia omnis revelatio divina, sive quidquid à Deo revelatur, etiamsi futurum non sit, sed præsens aut præteritum, recte vocatur prophetia, quia est revelatio rei arcanæ sive in se, sive quatenus a Deo revelatur : multæ enim res naturaliter certæ et claræ, uti præcepta Decalogi, revelatæ sunt à Deo, quæ tamen dicuntur prophetia ob revelationem arcanam, quia scilicet revelata à Deo, sunt oracula Dei revelantis, uti ex S. Gregorio hom 1. in Ezechiel. et S. Thoma 2. 2. quæst. 171. art. 3. ostendi Proœmio in Prophetas.

Secundo, *Prophetia Scripturæ* potest accipi ipsa interpretatio Scripturæ. Sic enim prophetare subinde idem est quod docere et interpretari, ut cum Aaron dicitur Propheta, id est, interpres Mosis, Exodi 7. 1. Et Antiochiæ dicuntur fuisse plures Prophetæ et Doctores, Actor. 13. 1. ac sæpe alibi doctores vocantur Prophetæ. Pluribus idipsum ostendi 1. Corinth. 14. initio capitis. Tunc sensus erat, q. d. Prophetia, id est interpretatio et explicatio S. Scripturæ, non fit, id est, fieri non debet, nec potest, propria interpretatione, id est, proprio acumine et ingenio, proprio sensu, propria explicatione et doctrina. Idque probat S. Petrus ex eo quod ipsa prophetia et Script. non sit opus et doctrina hominis, sed Dei. q. d. Ipsa Scriptura non est inventum humani ingenii, non est opus mentis humanæ, sed divinæ ; ergo ejus explicatio et interpretatio pariter non ab homine, sed à Deo requirenda est. Et hoc proprie significat Græcum ἐπιλυσις, id est, *dissolutio*, explicatio, interpretatio.

Videtur S. Petrus perstringere Simonianos et Gnosticos, qui ad libitum S. Script. exponebant, et ad suas phantasias ac errores detorquebant.

Ex quo refutatur error nostrorum Gnosticorum et Illuminatorum, qui dicunt spiritu proprio et privato cuilibet interpretandam esse Scripturam ; quemque, etiam cerdonem et sutorem, habere spiritum Dei internum, qui ei pandat Scripturas. Inde enim ortæ sunt omnes hæreses, eæque tot tamque variæ, imo inter se ex diametro pugnantes et contrariæ ; quia scilicet quilibet S. Scripturam ex sua phantasia interpretatur, uti vidimus et in dies videmus. Ad hoc ergo posuit Deus in Ecclesia Doctores, ut scilicet Scripturam interpretentur ; et interpretatio sermonum est unum è charismatibus Spiritus sancti, uti docet Paulus 1. Corinth. 12. 10. et c. 14. 26. S. Scriptura enim non est privatum, sed publicum dogma toti Ecclesiæ à Deo traditum ; non ergo privato cujusque, sed communi et publico Ecclesiæ et Spiritus sancti illi assistentis spiritu explicanda est. Hinc spiritum à Deo et Ecclesia acceperunt sancti Patres, qui S. Scripturam toti Ecclesiæ interpretati sunt ; *Ecclesiæ ergo est judicare de vero sensu et interpretatione S. Scripturæ*, ut ait Concil. Trident sess. 4. Per Ecclesiam intellige Præsides Ecclesiæ, puta Episcopos, ac præsertim summum Pontificem.

21. NON ENIM VOLUNTATE HUMANA ALLATA EST ALIQUANDO PROPHETIA.] q. d. Non volentibus hominibus, non ad voluntatem et libitum hominum, sed Dei, allata est prophetia. *Prophetia* proprie est actus et cognitio intellectus; hic tamen non intellectum, sed voluntatem humanam nominat S. Petrus, quia clarum est intellectum hominis non extendere se ad futura contingentia suapte acumine prævidenda et prænuntianda; sed eo se extendere potest voluntas et præsumptio hominis superbi, puta pseudoprophetæ, ut velit prædicere id quod nescit et ignorat; at vera prophetia verique Prophetæ uti non suo intellectu, ita nec sua voluntate, sed Dei, futura præviderunt et enuntiarunt; ita Cajetan. Hoc est quod ait Isaias. c. 41. 23. *Quæ ventura sunt annuntiate nobis, et sciemus quia Dii estis vos.* Nam, ut ait Tertull. Apologet. 20. *Testimonium divinitatis est veritas divinationis;* solus enim Deus per suam omniscientiam præscit futura contingentia.

Secundo, *voluntas* sumi potest pro opere, q. d. *Non enim voluntate,* id est, opere humano allata est prophetia: voluntas enim est causa operis, movetque intellectum ad intelligendum, cæterasque potentias et membra ad operandum, ac proinde ea sub se complectitur, eaque significat. Est metonymia. Sic Joannis 1. 13. dicitur: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri* (id est opere et generatione carnali et virili), *sed ex Deo nati sunt.* Hinc vulgo dicitur: *Voluntas pro opere et facto computatur.*

SED SPIRITU SANCTO INSPIRATI φερομενοι, id est, *acti;* Pagnin. et Tigurin. *impulsi;* Vatablus *rapti et agitati.* Sic Plato in Memnone Prophetas vocat *fatidicos, divina re inspiratos et à Deo possessos. Mens enim Prophetæ vi cœlestis numinis agitur,* ait S. Gregorius 2. Dialog. c. 3; sed ità ut suî sit compos, non autem velut lymphatica aberret et insaniat, uti fecere Bacchæ Gentiles, quæ quasi ebriæ et furore agitatæ, ac arreptitiæ ignorabant quid dicerent, vel agerent: tales quoque fuere Priscillianistarum et Montanistarum Prophetæ et Prophetides.

LOCUTI SUNT SANCTI DEI HOMINES;] puta Prophetæ cæterique Scriptores S. Script. Licet enim nonnulla ex iis quæ scribunt scirent naturaliter, puta quia ea viderant vel audierant, ut cum scribunt Historias sui temporis, uti facit Auctor Machab. lib. 2. c. 2. v. 24. et 27. tamen in illis ipsis incitabantur à Spiritu sancto ad ea scribendum, idque eo modo et ratione quo volebat Spiritus sanctus, qui proinde illis assistebat ut ne vel in puncto errarent; nam ut ait S. August. epist. 8. ad S. Hieron. *Titubabit fides, si divinarum Scripturarum vacillet auctoritas.* Unde Psaltes Psal. 44. 2. *Lingua mea,* ait, *calamus scribæ* (Spiritus sancti) *velociter scribentis.* Hinc et Prophetæ suis oraculis hoc elogium præferunt: *Verbum Domini quod vidit* vel audivit *Isaias, Amos,* etc. *Os Domini locutum est,* etc. *Spiritus sanctus* ergo *erat scriba, Prophetæ erant ejus calami quibus Spiritus sanctus scribenda dictabat,* ait S. Cyprian. serm. de eleemosyn. et S. Augustinus 18. Civit. 38. et S. Gregorius Præfat. Moral. 1. Quocirca *S. Scripturam esse Epistolam è cœlo ad homines missam,* aiebat S. Antonius, teste sancto Athan. et S. August. conc. 2. in Psal. 90. et S. Chrysostomus homil. 3. in 2. ad Thessal. ac proinde nihil in ea est otiosum, sed omnia etiam minima plena sunt sensu, mysterio et spiritu, teste S. Basil. hom. 6. Hexaemeron, et S. Hieron. in c. 5. S. Matth. vide Bellarminum lib. 3. de verbo Dei.

SANCTI DEI HOMINES.] Licet enim prophetia sit gratia gratis data, non gratum faciens, ideoque subinde detur improbis, teste Christo Matth. 7. 22. uti data fuit Balaam Num. 24. v. 17. et Caiphæ Joan. 11. 51, tamen Prophetæ et Scriptores hagiographi plerique omnes fuere sancti, excepto Salomone, de quo multi dubitant. Fuere enim ipsi familiares, interpretes, legati, nuncii, angeli Dei, ut patet Aggæi 1. 13. et 1. Reg. 2. v. 27. 3. Reg. 12. 22. et alibi; unde Philo lib. de Gigant. ante finem: *Dei homines,* inquit, *sacerdotes et Prophetæ sunt, quorum major est dignitas, quam ut se misceant humanæ reipubl. et mundi cives sint; sed sublimiores omnibus rebus sensibilibus migrarunt in mundum intelligibilem, ibi sortiti domicilium, ascripti reipublicæ idearum incorporearum et incorruptibilium;* et S. Aug. tract. 1. in Joan. explicans illud Psal. 71. *Suscipiant montes pacem populi, et colles justitiam: Montes,* ait, *sunt magni sancti, colles plebeii, justitia est fides. Nam non acciperent minores animæ fidem, nisi majores animæ quæ montes dictæ sunt, ab ipsa sapientia illustrarentur, ut possent parvulis trajicere quod possent parvuli capere.*

Moral. Hinc discant Doctores et Interpretes ac studiosi S. Scripturæ; primo, ut eam non interpretentur suopte ingenio et sensu, sed ex mente Ecclesiæ et Patrum, ut sancit Concil. Trident. sess. 4. Quare fugiant Rabbinorum commenta, quasi humana, indocta, fabulosa, Christo adversa, utpote quæ pleraque de Christo oracula ad Davidem, vel Salomonem detorquent. Secundò, ut cum studio jungant vitæ puritatem, sanctitatem et preces, quibus à Deo lumen impetrent ad eas intelligendas et explicandas. Ita fecere S. Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, Basilius, Nazianzenus, S. Thomas Aquinas, qui in locis difficilioribus orationi addere solebat jejunium, palamque dictitabat suam scientiam magis illustratione Dei, quàm labore et studio esse comparatam. Quin et regius Psaltes: *Revela,* ait, *oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.* Psal. 118. v. 18. Præclare S. Athanasius lib. de Incarnat. Verbi prope finem: *Ad Scripturæ indaginem,* ait, *verumque intellectum opus est vita proba, animo puro et virtute quæ secundum Christum est, ut mens per ejus tramitem decurrens, ea quæ expetit adipisci possit, quatenus fas est humanam naturam divina intelligere: nam sine pura mente et Sanctorum imitatione nemo comprehendit Sanctorum verba.* Et S. Bernard. ad Fratres de Monte Dei: *Quo spiritu,* ait, *Scripturæ factæ sunt, eo spiritu legi desiderant, ipso etiam intelligendæ sunt.* Et Procopius Gazæus præfat. in Genes.: *Si quis,* ait, *locus se offert obscurior, quam ut ingenii tui vires assequi valeant, aut Patres tibi consulendi sunt, aut scientiarum Deus precibus fatigandus est.* Abbas Theodorus apud Cassianum collat. 5. c. 34. docet intelligentiam Script. quærendam non tam volvendo Commentarios Interpretum, quam mundando cor per emundationem vitiorum carnalium: *Quibus expulsis,* inquit, *confestim cordis oculi sublato velamine passionum, sacramenta Scripturarum velut naturaliter incipiunt contemplari.* Vide eumdem collat. 14. c. 10. et 11.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

CAP. PRÆCEDENTI S. PETRUS HORTATUS EST FIDELES AD FIDEM CHRISTI CONSTANTER RETINENDAM, ET AUGENDAM PER BONA OPERA ET PER LECTIONEM PROPHETARUM, NUNC HOC CAPITE EOSDEM MONET UT CAVEANT PSEUDOPROPHETAS PROPHETIS CONTRARIOS, PUTA HÆRETICOS, QUORUM PRIMO MALIGNITATEM, MOX PUNITIONEM DESCRIBIT; QUOD SCILICET PUNIENDI SINT INSTAR LUCIFERI, ET DÆMONUM; AC INSTAR MUNDANORUM, QUI MERSI SUNT DILUVIO; ATQUE SODOMÆ ET GOMORRHÆ, QUÆ COELESTI IGNE CONFLAGRARUNT. DEINDE V. 10. EORUM PRAVOS MORES, PRÆSERTIM LUXURIAM, SUPERBIAM, REBELLIONEM, AUDACIAM, PHILAUTIAM, BLASPHEMIAM, ADULATIONEM, AVARITIAM DESCRIBIT. TERTIO, V. 16. EOS COMPARAT CUM BALAAM, CUJUS MALITIAM REDARGUIT ASINA, EO QUOD ILLIUS INSTAR PELLICIANT HOMINES IN ERRORES, DOCENDO LUXURIAM ET LIBERTATEM CARNIS; QUÆ MERA ET FOEDA EST SERVITUS. QUARE FACTA SUNT EIS, INQUIT, POSTERIORA DETERIORA PRIORIBUS, JUXTA PROVERBIUM : CANIS REVERSUS AD SUUM VOMITUM, ET SUS LOTA IN VOLUTABRO LUTI.

1. FUERUNT vero et pseudoprophetæ in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum, qui emit eos, Dominum negant; superducentes sibi celerem perditionem. 2. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur. 3. Et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur : quibus judicium jam olim non cessat; et perditio eorum non dormitat. 4. Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari. 5. Et originali mundo non pepercit, sed octavum Noe justitiæ præconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens. 6. Et civitates Sodomorum et Gomorrhæorum in cinerem redigens, eversione damnavit : exemplum eorum, qui impie acturi sunt, ponens; 7. et justum Lot oppressum à nefandorum injuria, ac luxuriosa conversatione eripuit : 8. aspectu enim et auditu justus erat; habitans apud eos, qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant. 9. Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos; 10. magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes : 11. ubi angeli fortitudine et virtute cum sint majores, non portant adversum se execrabile judicium. 12. Hi vero velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem, et in perniciem in his quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua peribunt. 13. Percipientes mercedem injustitiæ, voluptatem existimantes diei delicias : coinquinationes et maculæ deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes vobiscum; 14. oculos habentes plenos adulterii, et incessabilis delicti; pellicientes animas instabiles, cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filii : 15. derelinquentes rectam viam erraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit. 16. Correptionem vero habuit suæ vesaniæ, subjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam. 17. Hi sunt fontes sine aqua, et nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reservatur. 18. Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur : 19. libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sunt corruptionis : à quo enim qui superatus est, hujus et servus est. 20. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, et Salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur : facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. 21. Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. 22. Contigit enim eis illud proverbii : Canis reversus ad suum vomitum et Sus lota in volutabro luti.

1. FUERUNT VERO ET PSEUDO-PROPHETÆ,] puta falsi vates et doctores, qui populum à Deo ad idola et vitia avocabant, promittentes eis pacem et abundantiam bonorum temporalium, et oracula ac minas verorum Prophetarum irridentes. Hos enim omni ævo suscitavit dæmon, qui est simia Dei, ut sicut Deus suos habebat Prophetas, ita et ipse suos haberet, sed falsos, qui Deum et veros oppugnarent, inquinando veram fidem et religionem falsis opinionibus et superstitionibus, uti notavit Tertul. lib. de Præscript. contra hæret. Justin. contra Tryphon. S. Irenæus, Cyprianus, August. et alii. Tales fuere Prophetæ Baal qui se opposuerunt Eliæ, ut pro Deo substituerent Baal, 3. Reg. 18. 19. Sedecias, Hananias, et alii, quos perstringit Jeremias c. 28. Isaias c. 9. 15. Moses Deuter. 13. 1. et alii.

IN POPULO] Hæbræorum, qui erat populus et Ecclesia Dei veri.

SICUT ET IN VOBIS ERUNT.] Est anastrophe : hæc enim verba præponenda sunt hoc modo, sicut olim fuerunt pseudoprophetæ inter Judæos, sic et in vobis, ô Christiani, erunt magistri mendaces. Deinceps enim de Christianis eorumque pseudoprophetis agit ; sed meminit veterum, tum ne novum et insolens id putent Christiani, tum ut novorum mores ex veterum moribus repræsentent. Tales tempore S. Petri erant Simon Magus primus hæresiarcha, cui successit Menander discipulus, deinde Saturninus, Basilides, Ebion, Cherinthus, Nicolaitæ ; mox vero futuri erant Gnostici, Valentiniani, Montanistæ, Marcionitæ, etc. ; quos Tertull. lib. de Præscript. cap. 4. vocat pseudoprophetas, id est, falsos prædicatores et pseudoapostolos, id est, adulteros evangelizatores, ut ipse interpretatur.

Eosdem in Ecclesia mox futuros prædixit S. Paulus Actor. 20. 30. et S. Joan. ep. 1. c. 2. 2. Sic Manichæos sui ævi pingit S. Augustin. lib. 3. Confess. c. 6. ab eisque se captum commemorat: *Incidi*, inquit, *in homines superbe delirantes, et carnales nimis et loquaces, in quorum ore laquei diaboli, et viscus confectum commixtione syllabarum nominis tui, et Domini Jesu Christi, et paracleti consolatoris nostri, Spiritus sancti. Hæc enim omnia non recedebant de ore eorum, sed sono tenus et strepitu linguæ : cæterum cor inane veri. Et dicebant : veritas et veritas, et multi eam dicebant mihi, et nusquam erat in eis, sed falsa loquebantur, non de te tantum, qui vere veritas es, sed etiam de istis elementis hujus mundi creaturis tuis, de quibus etiam vera dicentes philosophos transgredi debui præ amore tuo, mi Pater summe bone, pulchritudo pulchrorum omnium.*

QUI INTRODUCENT,] παρεισαξουσιν, id est furtim, clam et subdole introducent, speciem et larvam pietatis, ac reformationis suæ hæresi prætendentes ; uti faciunt nostri Calvinistæ, qui se vocant Ecclesiam reformatam, cum sit plane deformis et deformata, imo omnia sacra et sancta deformans ; nimirum hi sunt lupi rapaces, qui se ovium vellere abscondunt et fucant, uti ait Christus Matth. 7. v. 15. Iidem sunt vulpes, quæ demoliuntur vineam Domini, Cantic. 2. v. 15. quos S. Cyprianus epist. 73. recte nuncupat simias homines imitantes ; S. Ignatius ad Tralian. cicutam mulso temperantes, caupones vino venenum miscentes.

Hinc S. Cyprianus epist. 52. S. August. epist. 165. Irenæus lib. 3. cap. 2. et alii jugulant hæresin et hæreticos, eam arguendo et convincendo injustitiæ et rapinæ, quod scilicet invadant S. Script. et Ecclesiæ limites, eosque quasi injusti possessores occupent, legitimis Episcopis et magistris expulsis.

Præclare Tertullian. de Præscript. c. 21. hanc fidei normam sancit : *Id tenendum*, ait, *quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit : reliquam vero omnem doctrinam docet de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, et Apostolorum, et Christi, et Dei ;* et c. 31. idipsum ostendit ex parabola seminis et zizaniorum, Matth. 13. *quæ bonum semen frumenti*, inquit, *à Domino seminatum primo constituit, avenarum autem sterilis fœni adulterium ab inimico diabolo postea superducit. Ita ex ipso ordine manifestatur, id esse Dominicum et verum quod sit prius traditum : id autem extraneum et falsum, quod sit posterius immissum ;* et c. 35. quod fides nostra orthodoxa sit : *Prior*, inquit, *hoc erit testimonium veritatis ubicumque occupantis principatum. Quod ab Apostolis non damnatur, sed defenditur, hoc erit indicium proprietatis ;* et c. 37. urgens præscriptionem ; Hæreticis, inquit, dicendum est : *Qui estis? quando et unde venistis? Quid in meo agitis non mei? quo denique, Marcion, jure silvam meam cædis? qua licentia, Valentine, fontes meos transvertis? qua potestate, Apelles, limites meos commoves? Mea est possessio : Quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis et pascitis? Mea est possessio : olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum. Sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo : vos certe exhæredaverunt semper, et abdicaverunt ut extraneos, ut inimicos.* Vide Vincentium Lyrinens. in aureo libello contra profanas hæresium novitates.

SECTAS PERDITIONIS.] Græcè αιρεσεις απωλειας, id est, *hæreses perditionis*, hoc est, perditas et perniciosas, quæ ducunt in exitium tum præsens, tum æternum. Hæresis enim non tantùm perdit animas in gehenna, sed sæpe et corpora, opes, et imperia in præsenti vita, uti hoc et præcedenti sæculo vidimus Hungariam, aliasque provincias per hæresim et hæreticos occupatas à Turcis ; prælia et cædes maximas commissas ab Huguenotis in Gallia, à Puritanis in Anglia et Scotia, à Lutheranis in Germania. Hinc eorum dux, choragus et incentor est angelus abyssi, puta diabolus, *cui nomen hebraice Abaddon, græce Apollyon, latine Exterminans*, Apocal. 9. 11. Porro Tertull. de Præscript. cap. 6. *Hæresis*, ait, *dicta Græca voce ex interpretatione electionis, qua quis sive ad instituendas, sive ad suscipiendas eas utitur. Ideo et sibi damnatum dixit hæreticum, quia et in quo damnatur, sibi elegit : nobis vero nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio quod inducerent elegerunt, sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignaverunt. Itaque etiamsi angelus de cœlis aliter evangelizaret, anathema diceretur nobis.* Hæreticus ergo est qui eligit quod credat, ideoque non credit quod credendum docent Doctores et Ecclesia. Hæresis enim græce idem est, quod electio ; secta vero à secando dicta est, eo quod sit factio ab aliis

resecta et separata, juxta illud Judæ v. 19. *Hi sunt qui segregant semetipsos.*

Et eum qui emit eos, negant.] Græce ἀρνούμενοι, id est *negantes*, tum in præsenti, tum in futuro, id est, negant et negabunt; quia hic est eorum genius et spiritus, scilicet negare Christum. q. d. Hæretici negant Christum qui eos suo sanguine redemit: quod summæ est ingratitudinis æque ac dementiæ; negant enim suum Salvatorem et salutem. Porro id faciunt, tum quia pleræque hæreses negarunt Christi vel divinitatem, vel humanitatem, vel animam, vel voluntatem, vel redemptionem, vel gratiam: aut Christo indigna et blasphema ascribunt, ut ignorantiam, blasphemiam, desperationem, damnationem; uti facit Calvinus: qui enim hæc asserit, negat Christum esse redemptorem, non verbo, sed reipsa; tum quia Christi Sacramenta, fidem, doctrinam et Ecclesiam impugnant. Hoc est quod ait S. Petri assecla S. Judas vers. 4. *Solum Dominatorem et Dominum nostrum Jesum Christum negantes*, tum quia Simon Magus negabat Christum, dicebatque se esse Dei virtutem et Christum; uti hoc sæculo fecit David Georgius, Joannes Leidanus, et similes fanatici. Denique omnis hæresis tandem desinit in atheismum, ac primo negat Christum, deinde numen et providentiam, tandem Deum; uti jam videmus hæreticos docere, quemlibet etiam Turcam et Paganum, in sua fide posse salvari; ac proinde non esse necessarium Christum et Christianismum, quæ secta jam valde invalescit, cui obniti totis viribus debent Prælati et Principes.

Superducentes sibi celerem perditionem,] quia post mortem, quæ in hac vita adeo brevi eis accelerat et instat, accersunt sibi ignem æternum. Plerique etiam hæresiarchæ infelici, celeri et infami morte sublati sunt. Simon Magus arte magica volans, per preces S. Petri dejectus è Capitolio, in præceps ruens crura fregit, ac paulo post ex dolore expiravit, teste S. Arnobio lib. 2. contra Gentes, S. Maximo hom. 5. de nativit. SS. Petri et Pauli, et Hegesippo l. 3. de Excid. Hierosol. c. 2. Manes, qui se Manichæum quasi effusorem mannæ nuncupavit, à rege Persarum excoriatus est, eo quod ejus filium quem curaturum se promiserat, occidisset, teste Epiphan. hæresi 66. Montanus cum suis Prophetissis laqueo se præfocavit, ait Eusebius lib. 5. c. 16. Donatistæ Eucharistiam canibus projicientes, aheis discerpti sunt ait, Optatus lib. 2. contra Parmen. Arrius vadens ad Ecclesiam, eam occupaturus, dolore alvi correptus, in latrinis intestina cum anima effudit, teste Ruffino l. 10. Histor. cap. 13. Julianus Apostata pugnans contra Persas cœlesti telo ictus interiit, ait S. Gregor. Nazianz. orat. 1. in Julianum. Priscillianus à Maximo tyranno capite plexus est. Leo Armenus iconoclasta in ipsa Ecclesia necatus est. Heraclitus Imperator factus Monothelita subitam fœdamque mortem obiit, cùm non nisi in vultum proprium mingere posset, ait Zonaras in Annal. Theodorici regis Gothorum Arriani horribilem necem et damnationem narrat S. Gregor. 4. Dialog. c. 30. Valens Arrianus à Gothis victus fugiens in casam, in ea ab iisdem concrematus est, ait S. Hieron. in Chron. Nestorii linguam blasphemam excederunt vermes, ait Evagrius l. 1. Hist. cap. 7. Hunericus Arrianus persecutor fidelium à vermibus consumptus est, ait Victor l. 3. Wandal. Anastasius imper. Eutychianus fulmine ictus occubuit, ait Zonaras, et Paulus Diaconus in ejus Vita. Lutherus post lautam cœnam nocte suffocatus interiit, teste Cochlæo in Vita Lutheri. Zuinglius in bello Helvetico promittens se omnia Catholicorum tela excepturum, ab iisdem interemptus est. And. Carolstadius à dæmone abreptus non comparuit. Calvinus instar Herodis à vermibus consumptus, blasphemans et pejerans infelicem animam exhalavit, teste Bolseco in ejus Vita.

2. Et multi sequentur eorum luxurias.] Græce ἀπωλείαις, id est, *perditiones* et exitia. Sed Regia et Complut. et alia legunt ἀσελγείαις, id est *petulantias*, luxurias, intemperantias.

Hoc est quod ait Judas v. 4. hæreticos gratiam Dei nostri transtulisse in luxuriam. Et Paulus eos vocat voluptatum amatores magis, quam Dei, 2. Timoth. 3. 4. S. Hier. in c. 3. Jerem. diserte ait, quod *nulla hæresis nisi propter gulam ventremque construitur, ut seducat mulierculas oneratas peccatis*, et in c. 9. Osee: *Difficile*, ait, *est invenire hæreticum qui diligat castitatem.* Nota sunt sacrilegia et libidines portentosæ Calvini, Lutheri, Bezæ et cæterorum. Quocirca Thomas Morus argute cuidam objicienti, plurimos ad Lutheri sectam se conferre, ideoque eam videri veram, respondit: *Non plus miraculi est homines ad Lutherum currere, quam saxa ex alto ruere deorsum;* plerique enim currunt et ruunt ad gulam, venerem et libertatem carnis, quasi porci ad volutabrum, quam permittit, imo docet Lutherus.

3. Per quos via Dei blasphemabitur.] Heb. דרך *derech*, id est *via*, significat institutum, vivendi normam et rationem. *Via* ergo *Dei* est vera religio et Christianismus sanctus à Deo; hic blasphematur ab hæreticis tum facto et vita; quia impuris moribus eum contaminant, ac Turcis et Paganis cum ridendum et blasphemandum exponunt; tum lingua et calamo, quia multos blasphemos errores docent, multaque convicia et blasphemias jactant in Christum, B. Virginem, Sanctos, Religiosos, Monachos, vota, jejunia, cœlibatum, Sacramenta, præsertim Eucharistiam.

Et in avaritia fictis verbis.] Alludit ad mercatores qui verbis fictis et arte compositis, supra veritatem laudant et extollunt suas merces, ut facilius eas extrudant, et carius vendant. Sic enim hæretici ut suam hæresim divendant et spargant eam blandis et elegantibus verbis adornant, et quasi meretricem sermonis lenocinio fucant, ut videatur pulchra et elegans instar Helenæ. Unde pro *fictis* græce est πλαστοῖς, id est, ut Pagnin. et Tigur. *factitiis*, aut potius *fictitiis;* quia more plastis ac figuli multa confingunt, ut hæresis suæ idolum velent, vestiant et ornent. Hoc est quod ait Paulus Rom. 16. 18. *Per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentum;* et S. Gregorius 5. Moral. c. 11. alias 12. *Plane semper blanda sunt*, inquit, *quæ proponunt, sed aspera quæ prosequendo subinferunt;* et S. Hieron. epist. ad Ocean. et Pammach. *Sic*, ait, *verba temperant, sic ordinem vertunt, et ambigua quoque concinnant, ut et nostram et adversariorum confessionem teneant, ut aliter hæreticus, aliter Catholicus audiat:* sicut Arriani, ut ὁμούσιον, id est *consubstantialem*, tollerent, dixerunt Christum esse ὁμοιούσιον, id est, *in substantia similem* Patri, ut viderentur

idem dicere quod orthodoxi ; sed unicum iota adjicientes ὁμοούσιον, sive ὁμοιούσιον evertebant, teste S. Cyrillo Dial. de Trinit. lib. 1.

Præclare S. August. lib. de Convenientia Decalogi cum decem plagis Ægypti : Qui, inquit, Christianæ veritati contradicunt, *et in sua vanitate decepti decipiunt, ranæ sunt, tædium quidem afferentes auribus, nullos autem præbentes cibos mentibus;* Sed ranæ hæ ad lucem Ecclesiæ et veritatis obmutescunt juxta illud Poetæ :

Lumine perculsæ cessant maledicere ranæ,
Et victus veri luce sophista tacet.

Idem serm. 87. de Temp. comparat eos cyniphibus, quos volantes non vides, sed sentis stimulantes. Hæreticus enim *minutis et subtilibus verborum stimulis animas terebrat, et tanta calliditate circumvenit, ut deceptus quisque nec videat, nec intelligat unde decipitur.* Idem l. 5. Confess. c. 3. de Fausto Manichæo : *Faustus*, ait, *magnus laqueus diaboli et multi implicabantur in eo per illecebram suaviloquentiæ;* etc. 6. *Expertus sum hominem gratum et jucundum verbis, et ea ipsa, quæ illi* (Manichæi) *dicere solent multo suavius garrientem ;* sed subdit suam sapientiæ veræ sitim ab eo non potuisse expleri, præsertim ubi *apparuit imperitus earum artium*, inquit, *quibus eum excellere putaveram*, etc. *Libri quippe eorum pleni sunt longissimis fabulis de cœlo, et sideribus, et sole et luna.* Unde S. August. fatetur eo relicto, se alio transtulisse ad vestigandam sapientiam.

De vobis negociabuntur,] ἐμπορεύσονται, id est *mercabuntur ;* Vatab. *vos cauponabuntur, de vobis ad quæstum abutentur ;* tum quia emungent erumenas vestras ; tum quia vos vendent diabolo. Hæreticorum ergo proprium vitium est avaritia. Apostolorum vero et Doctorum orthodoxorum opum contemptus. Unde Paulus gratis evangelizavit, 1. Corinth. 9. 15. et 1. Thessal. 2. 5. Hoc est quod ait Paulus ad Titum 1. 10. *Qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia ;* et Judas v. 16. *Mirantes personas quæstus causa.* Unde graphice eos pingens sanctus Ignatius epist. 3. *Quorum Deus*, inquit, *venter est, qui terrena sapiunt, amatores voluptatum et non Dei; speciem quidem pietatis præ se ferentes, virtutem autem ejus abnegantes;* χριςεμποροι, id est, *Christum mercantes, verbum Dei in tabernis prædicantes, et Dominum nostrum Jesum Christum vendentes, mulierum corruptores, aliena concupiscentes, et pecuniarum amatores.*

Quibus judicium jam olim non cessat.] q. d. *Judicium*, id est pœna et damnatio justo Dei judicio ab olim, puta ab æterno ; eis decreta non tardat, sed instat et imminet, licet ipsi hic triumphent quasi securi, beati et felices. Græce οὐκ ἀργεῖ, id est, *non oriatur*, hoc est, ut OEcum. non erit otiosa nec irrita, non desidet, non torpescit, sed strenue progreditur et accelerat. Unde explicans subdit : *Et perditio eorum non dormitat.* Hoc est quod peccatoribus intonat Isaias c. 30. 33. *Præparata est ab heri Tophet, à rege præparata, profunda, et dilatata. Nutrimenta ejus ignis et ligna multa : flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam*, vide ibi dicta.

4. Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit.] Subaudi, multo magis hominibus vilibus, puta hæreticis, non parcet, uti explicat Petrus v. 9. et 11. ita Cassian. l. 12. Instit. c. 4. et Damasc. 1. Parallp. c. 6. *Peccantibus*, intellige et in peccato suo usque ad finem persistentibus : *nam quod in homine est mors, hoc in angelis est casus seu lapsus*, puta, viæ, pœnitentiæ et meritorum terminus, ait Nyssen. vel potius Nemesius lib. 1. de Homine c. 3. et ex eo Damasc. l. 2. cap. 4. Sicut ergo homo est viator usque ad mortem, potestque pœnitere et salvari : sic et angeli habuerunt aliquod spatium, licet breve, quo fuerunt viatores usque ad lapsum è cœlo, in quo pœnitere potuissent, ait Nyssenus, si voluissent; sed noluerunt, ideoque omnes ceciderunt et damnati sunt, uti passim docent Patres et Doctores. Nec aliud voluisse videtur S. Thom. 1. p. q. 63. et 64. cum ait angeli naturam secundum voluntatem esse inflexibilem, ut in eo quod semel deliberate elegit, constanter persistat, uti de facto in sua electione perstiterunt omnes tam boni quam mali : inflexibilem enim intellexit, quia ægre flectitur, eo quod prius omnia exacte consideret et perspiciat antequam eligat, quod homo sæpe non facit, ideoque facilius flectitur mutatque propositum. Alioqui enim angelus cum sit liberrimus, absolute flexibilis est, potestque mutare electionem, uti evincit Scotus in 2. dist. 6. q. 2. et Gabriel ibidem q. 1. a. 2. Credibile tamen est Deum eis non dedisse gratiam excitantem ad pœnitendum necessariam, eo quod liberrime peccarint, et in peccato se obfirmarint, uti docet S. Gregorius 2. Moral. c. 3. vel 4. Cassian. collat. 4. c. 13. et 14. Prosper l. 1. de Vita contemplativa c. 3. Fulgentius de Fide c. 3. Isidorus lib. 1. de Summo bono c. 12. sentent. 11. S. Anselmus liber 1. *Cur Deus homo*, cap. 16.

Et hac de causa nonnulli Doctores censent dæmones mox ut lapsi sunt in peccatum, fuisse in viæ suæ termino, ideoque non potuisse resurgere per pœnitentiam et salvari; sententia tamen damnationis in omnes prolata non fuit à Deo, nisi consummata eorum in peccato perseverantia et obstinatione : qua prolata, illico è cœlo in tartara præcipitati sunt. Vide Gabriel. Vasquez 1. part. q. 64. art. 2. disp. 239. c. 7. ubi et ex Patribus quinque causas recenset, cur Deus pepercerit homini peccanti, non angelo. Prima est, quia homo fragilis per imbecillitatem carnis peccavit, ideoque misericordiam est consecutus : angelus vero purus vegetusque est spiritus, ait S. Gregor. 4. Moral. c. 9. alias 10. et Damascenus lib. 2. de Fide cap. 3. Secunda, quia angelus nullo suadente peccavit, homo autem suadente diabolo ; ita S. Gregor. loco citato. Tertia, quia in angelis non est lapsa tota natura, sed pars illius ; in homine vero tota natura lapsa est : posteri ergo Adæ eo peccante digni fuere venia, quia ejus peccati non fuere conscii ; ita S. August. Enchir. c. 29. Quarta, quia angelus ob summam mentis perspicacitatem plena voluntate peccavit ; ita Cassian. collat. 4. cap. 3. Quinta, quia angelus creatus fuit in summo honoris ordine, quem in via habere poterat, et tantum per contemplationem sui creatoris confirmandus erat ; ideo inde lapsus, non fuit revocatus per pœnitentiam : homo vero in terra positus destinatus generationi, ut inde ad meliorem vitam sine morte transiret, in statu magis remoto à beatitudine constitutus est; et ideo magis spatium constitutum est homini quam angelo, et pœnitentia homini concessa, non angelo ; ita Auctor de Mirabil. S. Script. apud S. August. l. 1. c. 2.

Porro peccatum Luciferi et angelorum fuit superbia, quia instigante Lucifero rebellarunt Deo; sed in quo ea sita fuerit variant Doctores. Primo, Gabriel Biel et Scotus in 2. dist. 5. censent in eo sitam fuisse, quod sibi in sua pulchritudine et excellentia nimis complacuerint. Secundo, alii in eo quod noluerint pendere à Deo, sed sibi vivere et sufficere. Tertio, alii in eo quod voluerint beatitudinem sibi arrogare, suisque assequi viribus, non Dei; ita Alexander, Albertus, S. Thomas, S. Bonavent. in 2. dist. 5. et 6. Quarto, alii in eo, quod voluerint cæteris præferri et nulli subesse; ita S. Augustinus l. 14. Civit. 11. et S. Gregorius 34. Moral. cap. 17. alias 14. *Jus*, inquit, *libertatis appetiit ut præesset cæteris, et nulli subesset.* Quinto probabiliter Franciscus Suarez lib. 7. de Angelis c. 18. n. 13. censet eos ambivisse unionem hypostaticam Verbi, ut scilicet illa uni ex angelorum ordine, puta Lucifero suo principi, conferretur, non homini alicui, puta Christo. Hanc enim unionem videtur appetiisse Lucifer, eamque invidisse Christo, ideoque alios ad sibi consentiendum sollicitasse. Idipsum innuit Apostolus Hebr. 1. v. 6. dicens: *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei.* Eamdem sententiam tenet Catharinus hic, eamque innuit Tertullianus lib. de Patientia, S. Basilius homil. de invidia, S. Cyprianus tract. de Zelo et livore, S. Bernardus serm. 1. de Adventu, Rupertus in c. 8. 5. Joannis et alii.

Sed rudentibus (perperam aliqui apud Bedam legunt, *rugientibus*) inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.] *Rudentibus*, id est catenis infernalibus, scilicet igni et inferno eos alligando, ut nulla potestate aut vi ea excutere, aut ab iis se liberare valeant. Græce est σειραις ζοφου, id est *catenis caliginis*, vel noctis. Per *rudentes inferni*, S. Petrus significat potestatem, jus et vim quam habuit et exercuit infernus, quasi minister et lictor Dei, in angelos in cœlo mox ut peccarunt, et à Deo damnati sunt, ut scilicet illos deturbante Michaele cum sociis angelis bonis, sua quasi vi supernaturali, quatenus scilicet erat instrumentum divinæ vindictæ, è cœlis ad se attraheret, sibique ut tortori et tormento indivulse et inseparabiliter alligaret; sicut idem ille ignis inferni dæmones quocumque terrarum vagantes ita detinet, ut activitatem ejus nusquam effugere possint. Sicut ergo ignis vehemens suum quærit pabulum, adeoque si paleas aut stipulas vel eminus odoretur, illico eas invadit, corripit et incendit; sic et ignis inferni suum pabulum odoratus in cœlo, puta dæmones, illico eos ad se rapuit, detraxit et flammavit, fecitque folles et fomenta gehennæ. Ubi Nota paradoxon: nam tunc infernus habuit jus in cœlum, id est, in angelos in cœlo, ideoque cœlum fuit quasi infernus, imo inferno subditum. Nec id mirum: quia magis mirum est peccatum angelorum fuisse in cœlo, quam pœnam peccati. Ubi vide et collige ex pœna hac, quanta sit gravitas peccati et superbiæ, quæ cœlum quasi in infernum, angelos in dæmones commutarit.

Possunt tamen facilius in Græco, rudentes inferni referri non ad vocem *detractos*, sed ad vocem *tradidit*. q. d. Tradidit Deus angelos peccantes ac mancipavit carceri et igni infernali, illique eos in perpetuum devinxit, et quasi quibusdam rudentibus, vel, ut Græca habent, catenis caliginis alligavit et firmissime astrinxit, ut eum nunquam excutere aut evadere possint. Hæ ergo catenæ et rudentes non sunt aliud, quam claustra inferni. Unde S. Augustinus l. 11. de Civit. c. 33. et S. Gregorius 8. Moral. c. 11. sic legunt: *Sed carceribus caliginis inferni retrudens, tradidit in judicio puniendos*, vel *cruciandos reservari.*

Hos rudentes graphice depingit S. Cyprianus de Laudibus martyrii: *Sævians*, inquit, *locus cui gehenna nomen est, magno plangentium murmure et gemitu, et cruciantibus flammis per horrendum spissæ caliginis noctem, sæva semper incendia camini fumantis expirat, globus ignium arctatus obstruitur, et in varios pœnæ exitus relaxatur. Tunc sæviendi plurima genera, tum in se ipse convolvit, quidquid ardoris emissi edax flamma cruciarit. Hos quibus recusata vox Domini, et imperia fuere contempta, disparibus coercet exitiis, proque merito salutis exactæ vires suas suggerit, dum pars sceleris discrimen imponit.* Atque hæc quidem universim omnino vere.

Mox vero singula pœnarum genera distinguens: *Et alios quidem*, ait, *moles intolerabilis curvat; alios per abruptum clivosi tramitis collem vis sæva præcipitat, et catenarum stridentium nexum grave pondus inclinat. Sunt et quos agens strictim rota et indefessa vertigo, et quos tenaci inter se densitate constrictos adhærens corpori corpus includat; ut et absumat incendium, et gravet ferrum, et excruciet turba multorum.* Quæ sane, nisi metaphorice et improprie accipias, fabulosa et Poetarum figmentis similia videntur: licet enim certum sit in inferno damnatos variis pœnis et modis torqueri, tamen in dæmonibus, qui corpus non habent, hæc locum habere nequeunt, nisi quis dicat dæmones in inferno assumere corpora horribilia, ut homines damnatos magis crucient, magisque crucientur et ipsi. quod insinuat Isaias 34. 14. ut ibi dixi.

Porro ex eo quod habet Græcus, *catenis caliginis*, multi per caliginem accipiunt non infernum, sed aerem hunc crassum: indeque docent aerem hunc plenum esse dæmonibus: partem enim dæmonum detrusam esse in infernum, partem vero hic vagari ad tentandum omnes, quæ in die judicii relegabitur in tartara; ita S. Hieron. in cap. 6. ad Ephes. v. 12. S. Chrys. homil. 11. in epist. 1. ad Thessal. Tertull. Apolog. cap. 22. Theodor. lib. 4. de Græcor. Affect. S. Antonius apud S. Athanas. S. August. de Natura boni cap. 33. et 8. de Civit. 22. et tract. 95. in Joann. et alibi; qui et addit aerem hunc imum posse vocari infernum. Hæc sententia vera est, sed non congruit nostræ versioni, quæ habet *rudentibus inferni;* hi enim non sunt in aere; nec etiam congruit Græco ταρταρωσας, id est, *in tartarum præcipitans.* Quare caligo hæc accipi debet in inferno, uti explicat Judas v. 6. dicens: *Vinculis æternis sub caligine reservavit;* in inferno enim sunt vincula dæmonum æterna, non in aere.

Nota. Τὸ *non pepercit*, continet miosin: parum enim dicit, sed longe plus significat q. d. *Non pepercit*, sed irrevocabilem in eos protulit damnationis sententiam, juxta illud 1. Regum 15. v. 29. *Triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur: neque enim homo est, ut agat pœnitentiam.* Quare error Origenis jam olim damnatus est, dæmones aliquando à Deo revocandos et salvandos fore. Quo accedit Am-

brosiaster in c. 3. ad Ephes. asserens aliquos ex dæmonibus per Paulum liberatos ab errore, peccato, et Luciferi tyrannide. Huc aliqui referunt illud Severi Sulpitii, quo ipse ascribit S. Martino in Vita ejus c. 24. ubi narrat S. Martinum diabolo energumenum possidenti dixisse : *Si pœnitere et converti vis, Deus tui miserebitur.* Verum si id dixit S. Martinus, non absolute dixit Deum miserturum diaboli, sed conditionate, scilicet si pœnitere vellet : atqui conditio hæc est impossibilis; dæmon enim obstinatus est in malo prorsusque impœnitens pœnitere nec vult nec potest : ergo pariter impossibile est secundum legem ordinariam ut Deus ejus misereatur. Quare verissime S. August. lib. 21. Civit. 23. *Teneatur*, ait, *fixum et immobile, nullum regressum ad justitiam vitamque sanctorum diabolum et angelos ejus habituros; quia Scriptura quæ neminem fallit, dicit eis, Deum non pepercisse, et sic ab illo esse inter impios prædamnatos, ut carceribus caliginis inferni retrusi traderentur servandi, atque ultimo judicio punienti, quando eos æternus ignis excipiet ubi cruciabuntur in sæcula sæculorum.*

Detractos in tartarum.] Græce significantius est ταρταρωσας, q. d. *Tartarizans*, siderans, fulminans, adigensque in tartara. Porro *tartarus*, et in plurali *tartara* dicuntur απο του ταραοσειν, id est *turbare;* aut potius απο τουν ταρταριζειν, id est *à tartareo tremore frigoris;* tartarus ergo significat locum frigoris maximi; ita ex Hesiodo Plutarch. opusc. de primo frigido. Sicut ergo infernus dicitur gehenna ab igne et ardore, ita idem dicitur *tartarus* à frigore et gelu, juxta illud Job 24. v. 19. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium*, quod de inferno explicat Philippus Presbyter, Beda, Lyran. S. Thom. Stunica et alii. Idem significat stridor dentium, de quo Christus Matth. 25. 30. et 41. Stridor enim hic oritur ex frigore. Unde Beda lib. 5. Histor. Angl. refert S. Diethelmum vidisse animas in Purgatorio salire ab ignibus ad nives. Tartarus ergo est locus inferorum profundus et imus, ait Servius et Suidas. Unde Virgil. 6. Æneid.

> Tum tartarus ipse
> Bis patet in præceps tantum, tendi tque sub umbras,
> Quantus ad æthereum cœli suspectus Olympum.

Idem ibidem :

> Hinc via tartarei quæ fert Acherontis ad undas,
> Turbidus hic cœno vastaque voragine gurges
> Æstuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.
> Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis
> Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa.

Et Lucretius lib. 3.

> Tartarus horrificos eructans faucibus æstus.

Quæres ex quo loco detracti sunt dæmones, et consequenter ubi fuere creati? Resp. primo, S. August. lib. 3. de Genesi ad litter. c. 10. et Rupert. in Genes. l. 1. c. 11. eos conditos fuisse in aere superiore, qui cœlo vicinus est, indeque detractos. Idem censuit Eugubinus l. 7. Peren. Phil. c. 38. sed falso nixus fundamento, scilicet quod angeli sint corporei, et quoad corpus ex aere creati. Secundo, S. Hieron. (quem sequitur noster Lorinus et Ascanius Martinengus in Genes. c. 1. et Franc. Suarez tract. de Angelis l. 1. cap. 4.) lib. 6. in Isaiæ. c. 14. 13. explicans illud Luciferi : *In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum*, censet Luciferum et dæmones creatos esse in firmamento, sive sphæra octava, in quo sunt stellæ et astra, indeque voluisse conscendere in cœlum empyreum. Tertio S. August. 11. de Genes. ad litter. c. 17. et 19. censet dæmones creatos in mundo isto inferiori, angelos vero bonos in cœlo. Quarto, S. Thomas 1. part. quæst. 61. quæstiunc. 4. ad 2. insinuat angelos inferiores, qui præsunt creaturis, ut cœlis, elementis, in illis ipsis esse creatos, cæteros vero in cœlo empyreo.

Quinto, alii passim censent omnes angelos tam bonos quam malos creatos esse in cœlo empyreo; indeque malos à Michaele et sociis præcipitatos in tartara; ita Glossa, Beda hom. 2. Hexaem. quod opus alii Junilio ascribunt, Magister sentent. in 2. dist. 2. S. Thomas et Scholastici 1. part. quæst. 61. a. 4. Ratio est prima, quia angeli sunt nobilissimæ creaturæ et purissimi spiritus : ergo eis debebatur nobilissimus et purissimus locus; talis autem est cœlum empyreum. Secundo, quia angeli creati sunt primo die mundi scilicet cum ipso mundo. Primo autem die tantum creatum est cœlum empyreum, terra et abyssus aquarum : cæteri enim cœli creati sunt quarto die mundi, uti ostendi Genes. 1. v. 1. et seq. Ergo necessum fuit angelos omnes creari in cœlo non alio, quam empyreo. Tertio, cœlum empyreum est immobile; cæteri enim cœli moventur et raptantur motu primi mobilis, angeli autem sunt quieti et stabiles, nec decet eos raptari instar cœlorum; aut locum domumque eorum raptari ipsis immotis, ut sua eis sedes et locus eripiatur : ergo creati sunt in cœlo immobili, puta empyreo. Quarto, quia in empyreo est sedes et thronus gloriæ Dei; illius autem stipatores sunt angeli : ergo, etc.

Porro Isaiæ locus non concludit Luciferum creatum esse in firmamento; alius enim est sensus Isaiæ, ut ibidem dixi : alioqui ex eodem loco concludendum esset Luciferum creatum esse in infima aeris regione; ait enim : *Ascendam super altitudinem nubilum;* imo, *sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis*, hoc est, in monte et templo Sion. Loquitur ergo Isaias de homine terreno, puta de rege Babylonis, ut ipse ait v. 4. non de diabolo.

Dices, Adam creatus est extra Paradisum et translatus est à Deo in Paradisum : ergo pariter decuit angelos non creari in loco gloriæ, qui est cœlum empyreum, sed ad illum per merita transferri. Respond. nego consequentiam; et ad antecedens dico Adamum conditum fuisse extra Paradisum, quia ipse erat terrenus et terræ totius dominus ac posteri ejus spargendi erant per omnes terræ regiones. Adde idem pene esse creari in Paradiso, et mox à creatione gratuito collocari in Paradiso, uti contigit Adamo; unde et Eva condita est in Paradiso : angelis vero ob naturæ excellentiam nullus alius erat conveniens locus, quam cœlum empyreum. Porro si Adam Paradisum contaminavit peccando, quid mirum, si Lucifer cœlum quoque empyreum contaminarit peccando? nec enim locus, sed persona peccans proprie peccato contaminatur.

Nota. S. Petrus comparat et adæquat hic hæresiarchas Lucifero, hæreticos dæmonibus, hæresim eorum peccato, tam in culpa, quam in pœna. Primo, quia Lucifer peccavit intoleranda superbia, ita et hæresiarcha. Secundo, quia Lu-

cifer et dæmones rebellarunt Deo et Ecclesiæ cœlesti : sic et hæretici rebellant Deo et Ecclesiæ terrestri. Tertio, Lucifer cum dæmonibus commisit crimen læsæ majestatis divinæ; ejus enim thronum voluit invadere cum dixit : *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo*, Isaiæ 14. 13. Sic et hæretici committunt crimen læsæ majestatis divinæ ; quia ejus veritatem, fidem, religionem, cultum, Ecclesiam, Sacramenta impugnant : ac proinde novum quasi Deum, novam fidem, religionem, Ecclesiam inducere satagunt in qua hæresiarcha præsideat quasi terrestris Lucifer, assistant ei hæretici qui ei credunt quasi angeli et dæmones. Quarto, Lucifer satagit omnes tam angelos quam homines secum trahere in ruinam : sic hæresiarcha plurimos seducit, secumque trahit in perniciem et gehennam. Quinto, quia Lucifer auctor est omnis hæresis, adeoque multi hæresiarchæ habuerunt dæmones paredros et familiares, uti ostendi 1. Timoth. 4. 1. Unde Cassianus Collat. 7. c. 32. affirmat se dæmonem audisse confitentem, se per Arrium et Eunomium impietatem sacrilegi dogmatis edidisse. Sane Lutherus lib. de Missa angulari, et ad Electorem Saxoniæ fatetur se cum diabolo plusquam modium salis comedisse, ab eoque argumenta accepisse quibus Missam impugnaret. Calvinus Bucero objicienti sibi studium conviciandi et maledicendi respondet epist. ad eumdem, *hunc esse morbum sui non tam ingenii, quam genii*, utique mali; se enim à genio quodam impelli, ut sive scribat, sive concionetur, assidue maledicat et convicietur. Zuinglius lib. de Supplem. Eucharist. profitetur se noctu edoctum modum detorquendi verba consecrationis : *Hoc est corpus meum*, nimirum explicando corpus per figuram corporis ; additque nescire se an genius hic albus, an ater fuerit. Carolstadium a dæmone abreptum publica est fama. Hosius lib. de Hæresibus, scribit nonnullos decies per diem diabolum adorasse, indeque vocatos Dæmoniacos. Huc facit quod Tertull. lib. de Præscript. c. 43. et seq. scribit hæreticos commercia habere cum Magis ; imo primum hæresiarcham Simonem, ejusque discipulum Menandrum fuisse magos. Hoc sæculo est secta Diabolistarum, qui gloriantur se sortiarios esse, et diaboli charactere insignitos, quem ubi vino incaluere, nudata carne ostendere non verentur. Auditum est ex ipsorum confessione, quod numerus eorum usque ad sexaginta millia in Galliis excreverit. Dicunt se aliquid credere, ubi id expedit : nihil vicissim credere, ubi sic expedit ; ita ex libro Parisiensi Rescius in Centuria sectarum. Caveat sibi quisque ab eis quasi à diabolo, præsertim principes ; nam in eorum aulas et animos, ut eorum sint consiliarii, sese insinuare satagunt simulatione sapientiæ. Vide nostrum Delrio præfat. in Disquis. magic. ubi quinque causas recenset, cur hæresim comitetur magia : unde Apocal. 9. 3. locustæ repræsentantes hæreticos exeunt de puteo abyssi. Hinc et Antichristus, qui erit caput et princeps hæreticorum, ita possidebitur à diabolo, ut videatur esse dæmon incarnatus. Unde de eo Apostolus ait 2. Thessal. 2. 9. *Cujus est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute, et signis et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis.*

Sexto, sicut Lucifer est imus in inferno, sic et heresiarchæ sunt profundissimi in inferno, quasi assessores Luciferi. Quocirca S. Chrysost. contra Arrianos ita concludit : *Arrianus est, ergo diabolus est.* S. Athanas. vero serm. 2. contra Arrian. Arrium vocat atheum. S. August. 21. Civit. 25. docet hæreticum esse pejorem Pagano. Rationem dat : *Cum pejor utique sit desertor fidei, et ex desertore oppugnator ejus effectus, quam ille qui non deseruit quod nunquam tenuit.* Et Tertull. lib. de Patientia : *Ethnici*, ait, *non credendo credunt* multa de Deo naturali lumine cognita : *at hæretici credendo non credunt ;* quia dicunt se credere verbo Dei, cum revera non credant.

TRADIDIT CRUCIANDOS IN JUDICIUM RESERVARI.] Loquitur S. Petrus de dæmonibus, quasi de reis jam damnatis ad extremum supplicium : hi enim post damnationis sententiam traduntur commentariensi, ut eos in carcere asservet et vinciat donec educantur ad supplicium. Simili enim modo Deus dæmones mancipavit inferno usque ad diem judicii et supplicii. Licet enim τὸ *cruciandos* non sit in Græco, tamen intelligitur. Suspicatur Gagneius nostrum interpretem pro τηρουμένους, id est, eos qui servantur ; aut τετηρημένους, id est *servatos*, hoc est *servandos*, legisse τειρμένους, id est *afflictos*, *vexatos*, ac pro eo vertisse *cruciandos :* quin et codices nonnulli habent κολαζομένους, id est, eos qui puniuntur et cruciantur.

Aliqui ex hoc loco et similibus, ut Matth. 8. 29. ubi dæmones rogant Christum ne eos mittat in abyssum, putarunt dæmones necdum cruciari igne gehennæ, sed eo cruciandos post diem judicii ; ita videtur loqui S. Justin. contra Tryphon. Irenæus lib. 5. cap. 33. S. Hilar. can. 8. in Matth. Euseb. 4. hist. c. 17. vel 18. Lactant. l. 7. c. 26. Sed certum est dæmones omnes, etiam qui in hoc aere vagantur cruciari igne gehennæ, sive quod ignis ille agat in distans, sive quod ignem illum invisibiliter secum ferant, illique sint alligati : ideo enim Deus detraxit eos in tartarum, ut ibi jugiter crucientur et ardeant. Quare Patres jam citati explicandi sunt de pœna accidentali : hæc enim dæmonibus accrescet in die judicii. Primo, quia in judicio universali coram omnibus angelis et hominibus, publicam accipient damnationis sententiam à Christo judice, cujus facies et ira adeo erit horribilis, ut dæmones et damnati mallent manere in inferno ibique cruciari, quam inde exire in vallem Josaphat ad judicium, juxta illud Apocal. 6. 16. *Dicunt montibus et petris : Cadite super nos et abscondite nos à facie sedentis super thronum, et ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare?*

Secundo, quia in judicio auferetur eis omnis libertas vagandi per terram, et tentandi perdendique homines, ac in infernum quasi in carcerem perpetuum nunquam inde exituri recludentur ; quod valde eos cruciabit : unde dæmones rogarunt Christum, ne eos mitteret in abyssum, Matth. 8.

Tertio, quia in judicio omnes Angeli et Beati cum Christo eos condemnabunt et increpabunt. 1. Corinth. 6. 3. Sapient. 5. 1. Rursum dæmones in judicio videbunt Angelorum et Sanctorum gloriam, eosque in thronos et sedes sibi olim destinatas succedere et evehi, se vero in gehennam deprimi, quod eos valde cruciabit.

Quarto, quia tunc simul omnes damnati et dæmones trudentur in gehennam, ubi quisque cæterorum omnium tormenta videns, iisdem

cruciabitur, præsertim quia unus alteri ibidem maledicit eumque execratur, affligit et torquet, præsertim eos qui ipsum tentarunt ad peccatum; ideoque damnationis ejus fuerunt causa, uti fuere dæmones. Hoc est quod ait S. Joannes Apoc. 20. 9. *Diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.* In inferno ergo omnes se invicem cruciant, ringunt, et laniant quasi canes rabidi. Hoc est quod S. Clemens 7. Const. 33. ait Christum venturum ad judicandum diabolum mundi deceptorem. Et Lactant. lib. 7. 26. in die judicii ait: *Dominus illorum* (impiorum, puta Satanas) *cum ministris suis comprehendetur, ad pœnamque damnabitur; cum quo pariter omnis turba impiorum pro suis facinoribus in conspectu angelorum atque justorum perpetuo igni cremabitur in æternum.* Denique S. Bonavent. in 4. dist. 47. art. 1. quæst. 4. insinuat essentialis etiam pœnæ dæmonum partem in diem judicii differri; verum hoc aliis passim non probatur.

5. ET ORIGINALI MUNDO NON PEPERCIT.] Græce ἀρχηκοσμου, quod Pagnin. et Vatabl. vertunt, *prisco mundo;* Clarius *antiquo;* Gagneius, *rudi et imperito*, scilicet in cognitione Dei et rerum salutis. *Originalem* ergo mundum vocat priscum et primævum, qui fuit ante diluvium: tunc enim fuit origo mundi et hominum in Adamo, à quo decimus fuit Noe sub quo Deus totum istum mundum punivit diluvio; eo quod ingratus, et recentis originis ac creationis et creatoris sui immemor, ad carnem et scelera deflexisset; præsertim cum posteri Seth connubia junxerunt cum posteris Cain, uti narratur Genes. 6. Post exemplum punitionis dæmonum proponit S. Petrus exemplum diluvii, quo Deus omnes peccatores mersit totumque mundum perdidit, ut quisque impius, præsertim hæreticus, secum cogitet: Si Deus toti mundo non pepercit, ergo nec mihi qui unus et solus sum, parcet.

Nota. Sicut paulo ante hæreticos et hæresiarchas comparavit S. Petrus Lucifero et diabolis, ita hic eosdem comparat gigantibus; hi enim fuerunt causa diluvii. Primo ergo, sicut gigantes nati sunt ex luxuria filiorum Dei, puta posterorum Seth, cum filiabus hominum, puta Caini, Genes. 6. v. 4. Ita luxuria multos monachos et apostatas adigit ad hæresim, ut fiant hæreticorum ministri.

Secundo, quia gigantes fuerunt superbi et θεομαχοι; sic et hæretici sunt Titanes superbissimi, qui contra Christum et Deum pugnant, tandemque fiunt athei et atheismum inducunt.

Tertio, sicut gigantes fuerunt tyranni et oppressores hominum; sic et hæretici.

Quarto, sicut Nemrod et gigantes ædificarunt turrim Babel quasi contra cœlum et Deum pugnaturi; sic et hæretici ædificant Ecclesiam schismatis et confusionis, quam significat Babel, ut Ecclesiam tam cœlestem, quam terrestrem oppugnent.

Quinto, sicut Deus gigantes mersit diluvio et præcipitavit in tartara; sic et hæreticos præcipitat: vide dicta de gigantibus Genes. 6.

SED OCTAVUM NOE JUSTITIÆ PRÆCONEM CUSTODIVIT.] Titelmannus censet Noe fuisse octavum ab Adamo; sed fallitur: fuit enim ab eo decimus. Dicitur ergo octavus, scilicet eorum qui per arcam salvati sunt: alludit enim S. Petrus ad id quod dixit epist. 1. 3. 20. *Octo animæ*, id est homines, *salvæ factæ sunt per aquam;* eorum ergo octavus fuit Noe. Alii ex Josepho l. 1. Antiq. c. 4. et 5. censent Noe fuisse octavum præconem justitiæ, quia secutus est septem generationes, quibus posteri Seth coluerunt justitiam et sanctitatem. Alii *octavum* dici censent, quia natus est anno octingentesimo, non à creatione mundi; ab ea enim natus est anno 1056, sed ab inchoata impietate et corruptione mundi, quæ ante Noe duraverat per septingentos annos. Alii septem alios præcones justitiæ illo ævo comminiscuntur, quos Scriptura non exprimat, quorum octavus fuerit Noe. Sed primus sensus est genuinus. Porro Philo libro *de congressu quærendæ eruditionis gratia*, notat Noe qui primus in Scriptura nominatur justus, fuisse decimum ab Adamo: *Ut*, inquit, *aperte doceat, quod sicut denarius numerorum, qui deinceps unitatem sequitur, est perfectissimus; ita justitia in anima revera finis est vitæ actionum.*

Nota. Noe vocatur, *justitiæ præco.* Primo, quia prænuntiavit justam scelerum vindictam mundo imminentem per instans diluvium. Secundo, quia ipse fuit cultor justitiæ et sanctitatis, eamque verbo et exemplo deprædicavit. Tertio, quia fuit Propheta et prænuntiavit adventum justi, puta Christi, quod scilicet ipse carnem assumeret; ac proinde indignum esse carnem maculare gula et venere, quam Filius Dei ad divinitatem esset evecturus. Hinc Josephus lib. 1. Antiq. c. 4. *Noe*, inquit, *facta eorum* (hominum sui ævi) *moleste et indigne ferens suadebat, ut in melius mentem ac opera sua transmutarent. Verum cum videret illos sibi non parere, totosque vitiorum dulcedini succumbere, veritus ne et se et familiam suam interimerent, secedens cum suis in aliam regionem migravit. Et Deus viri justitia delectatus, non aliorum solum malitiam damnavit, sed cum decrevisset universum humanum genus extinguere, aliudque novum et à vitiis purum instaurare; primum vitam eorum breviore spatio circumscripsit, et abrogata longævitate intra centum et viginti annos coercuit; dein continentem terram in pelagi faciem transmutavit, atque ita genus illud abolevit universum.*

Quocirca S. Paulus ita celebrat Noe ejusque fidem et justitiam c. 11. ad Hebr. 7. *Fide Noe responso accepto de iis, quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, per quam damnavit mundum, et justitiæ quæ per fidem est, hæres est institutus.* Et S. Ambros. lib. 1. de Noe c. 1. *Noe*, ait: *Dominus Deus ad renovandum semen hominum reservavit, ut esset justitiæ seminarium*, etc., *ut dum Noe sanctum majore intentione consideramus, reficiamur et nos, sicut omne genus in illo requievit ab operibus suis atque tristitia. Unde et Noe dicitur latine justus, vel requies.* Et mox subdit: *Justitiam solam esse quæ aliis potius nata, quam sibi, non quod utile sibi est, quærat, sed quod omnibus. Hæc nos requiescere facit ab operibus iniquitatis, hæc revocat à tristitia; quia dum ea quæ justa sunt gerimus, nihil timemus puræ conscientiæ securitate.* Et c. 20. docet ob justitiam Noe factam esse humani generis instaurationem, *ne totum corpus generis humani vel abolitum videretur in terris, vel à Dei abscissum gratia relinqueretur*, etc. *Et ideo justus quem non videbat Dominum, requirebat corruptelæ exsors, cupidus æternitatis.* Idem S. Ambros. in Psalm. 118. octon. 7. asserit *quod Enoch propter devotionem raptus ad cœlum, terrenæ malitiæ*

viras evaserit; quod Noe propter justitiam diluvii victor, generis factus humani superstes sit; quod Abraham propter fidem, seminarium posteritatis suæ toto orbe diffuderit; quod Israel propter laborum tolerantiam, populum credentium proprii nominis signaculo consecraverit; quod David propter mansuetudinem regali honore donatus, senioribus fratribus antelatus sit; quod Elias propter zelum Dei curru elatus in aerem cœlestis sedis hospitium novi generis acquisierit incolatu; vide S. August. serm. 46. de Temp. ubi Noe charitatem sanctitatemque demonstrat et celebrat.

Custodivit] tum in justitia, tum in vita, ne periret diluvio, sed esset conservator et restaurator generis humani, ac pater et patriarcha novi post diluvium sæculi.

Diluvium mundo impiorum inducens.] *Mundum impiorum* vocat non solos impios, sed totum mundum impiis plenum: totus enim mundus propter impios, cum ipsis, diluvio mersus est. De Noe et diluvio, vide dicta Genes. 6.

6. Et civitates Sodomorum et Gomorrhæorum in cinerem redigens.] Impiis, puta hæreticis, proposuit S. Petrus primo, punitionem dæmonum; secundo, vindictam diluvii hic. Tertio, proponit conflagrationem Sodomæ et Gomorrhæ ob infanda scelera et præposteras libidines. Quocirca merito Justinianus imper. Constit. *Novella* 77. vetans eas, nuncupat illicitas, impias et diabolicas luxurias, ob quas Deus orbi graves clades immittat. Atque Valentinianus, Theodosius et Arcadius imper. eas flammis puniendas, ac pæderastas exurendos sanxerunt, sicut Deus exussit Sodomitas, imo totam Pentapolim, licet amœnissimam et fertilissimam, in cineres redegit, ne vel reliquiæ tanti tamque enormis et infamis sceleris in terra extarent. Sic et hæresiarchæ ignibus traduntur quasi piacula et catharmata terræ ne eam inquinent, sed expient; ipsi enim non raro corporales, sed semper mystici sunt Sodomitæ; quia fidem adulterant, et præposteram inducunt; qua de causa eos hic Sodomitis comparat S. Petrus.

Exemplum eorum qui impie acturi sunt, ponens,] scilicet hoc exemplo ostendens omnes impios similiter ac Sodomitas puniendos esse, et perenniter arsuros in gehenna: cujus rei ὑποδειγμα, id est *exemplum*, imago specimen, paradigma, exemplar, similitudo et typus fuit incendium Sodomæ: quod tantum fuit, ut etiamnum terra illa tota sit caliginosa et fumigans, plena bituminis, nil vivum alens; quin et frondes, flores et fructus mox ut carpuntur in cineres et favillas vertuntur, quasi ignis pristinus ibidem adhuc latens perduret, itaque ignem perennem inferni repræsentet. Unde Josephi l. 5. Belli c. 5. *Huic* (Arabiæ) inquit, *vicina est Sodomitea terra olim quidem tam fructibus quam divitiis civitatum fortunata, nunc autem omnis exusta, ut quæ habitatorum impietatis fulminibus conflagrasse memoratur; denique adhuc in ea divini ignis reliquias, et oppidorum quinque videre licet imagines et renascentes in fructibus cineres: qui colore quidem sunt edulibus similes, carpentium vero manibus in fumum dissolvuntur et cinerem.* Et Philo lib. de Abraham: *Fulmineus ignis* (Sodomæ) ait, *nunquam extinguitur; aut serpit, aut vaporat, quod oculis ipsis cernitur: extant etiam argumento cladis veteris fumus exhalans perpetuo; et sulphur quod ibi foditur.* Adde plane videri omnes Sodomitas et Pentapolitas post incendium terrestre, damnatos fuisse ad incendium infernale, uti docet S. Cyprian. serm. de Passione. Hoc est quod S. Petro consonans clare asserit S. Judas v. 7. *Sicut Sodoma et Gomorrha, et finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, et abeuntes post carnem alteram factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.*

7. Et justum Lot oppressum a nefandorum (Sodomitarum) injuria ac luxuriosa conversatione eripuit,] per angelos æque ac Noe eripuit ab impiis et diluvio; vide Historiam Lot Genes. 19.

8. Aspectu enim et auditu justus erat.] q. d. Lot ereptus fuit ab incendio Sodomæ, quia sanctis et castis erat oculis et auribus, cum utriusque incesti et obscœni essent Sodomitæ: unde ipse tantis eorum obscœnitatibus, quas invitus ægerrime videbat et audiebat, discruciabatur.

Cruciabant.] Legit interpres ἐβασανιζον, id est *excruciabant*, in plurali: jam legunt in singulari ἐβασανιζεν, id est *cruciabat*, scilicet seipsum et animam suam Lot; sed eodem redit sensus: tam enim Sodomitæ suis infandis sceleribus excruciabant Lot, quam Lot iisdem se discruciabat et discruciabatur, dicens illud S. Polycarpi de hæreticis: *Deus bone, in quæ tempora me reservasti, ut hæc audiam?* teste Eusebio lib. 5. Histor. c. 20. Nam, ut ait S. Greg. 1. Moral. c. 7. *Iniquorum vita non delectando justi aures atque, oculos sed feriendo tangebat;* illam enim detestabatur et execrabatur. Nota hic, Sanctorum excruciari sceleribus et offensis contra Deum et proximum admissis in sua congregatione urbe, provincia et regno; ita David Ps. 118. v. 139. *Tabescere,* ait, *me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Et v. 158. *Vidi prævaricantes, et tabescebam.* Quia enim summe amant Deum, ejusque honorem zelant, æque ac proximorum salutem, hinc summe dolent et cruciantur de Dei contemptu ac proximorum perditione.

9. Novit Dominus pios (Noe, Lot, eorumque asseclas) de tentatione eripere.] Novit non tantum speculative, sed et practice: *novit* ergo, id est scit, potest, vult et solet (et metalepsis) pios eripere juxta illud quod promisit per Isaiam cap. 43. 2. *Cum transieris per aquas tecum ero, et flumina non operient te; et cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te.* Noe enim ab aquis, Lot ab igne liberatus est. Sic Deus liberavit Abraham de Ur, id est igne Chaldæorum Genes. 11. 31. Jacob de manu Esau, Joseph de manu fratrum et carcere, Mosen et Hebræos de manu Pharaonis, David de manu Saul, Susannam de manu senum, Danielem de lacu leonum, tres pueros de fornace, Mardochæum de manu Aman, Judith de manu Holofernis, Tobiam de manu Asmodæi, Machabæos de manu Antiochi, Eliam de manu Jezabelis. Vere Psaltes: *Multæ,* ait, *sunt tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus,* Psal. 33. 20. Et Psalm. 49. 15. *Invoca me in die tribulationis: eruam te, et honorificabis me.* Et Psal. 90. 15. *cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum.*

Dicant ergo Sancti in tribulatione cum Paulo: *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur; humiliamur, sed non confundimur; dejicimur, sed non*

perimus, 2. Corinth. 4. 8. Et : *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis; sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos*, Roman. 8. 73. Quo ergo major est tribulatio et angustia, eo magis sperandum, spesque fortius et securius figenda est in Deo, quia magis tribulatis magis vicinus est Deus. Acute Plinius lib. 8. 16. *Tum*, ait, *præcipuus votorum locus est, cum spei nullus est.* Hoc est, quod ait Nahum id est consolator c. 1. v. 7. *Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis.* Tunc enim mira Dei benignitas elucet, cum justos videt ita oppressos, ut humanitus periculis eripi, et salvari non possint. Unde Tigurina vertit. *Præsidium temporibus difficillimis;* alii, *robur in die angustiæ*, hebr. est מעוז *maoz*, pro quo Septuag. vertere solent *hyperaspistes;* Vulgatus, *protector*, juxta illud Sapient. 5. 17. *Dextera sua teget eos, et brachio sancto suo defendet illos;* græce υπερασπιει ; hoc est, tanquam satelles et stipato clypeo suo proteget eos. Sic Deus dixit Abrahæ Genes. 15. 1. *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum;* hebr. *ego scutum tibi;* Septuag. εγω υπερασπιζω, hoc est, *ego protego te*, objecto hostibus et opposito validissimo clypeo. Hinc à Davide de Psalm. 59. 9. Deus vocatur *fortitudo capitis mei;* hebr. *maos;* Septu g. κραταιωσις, id est *firmitas*, securitas, munimentum. Et Psalm. 9. 10. *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.* Prov. 10. 29. *Fortitudo simplicis, via Domini;* hebr. *maos;* Septuag. οχυρωμα, id est *munitio*, arx, propugnaculum. Cant. 1. 8. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te*, hoc est, sicut populo meo, cum à fronte mare rubrum objectum fugam retardaret, à tergo furens Pharao cum copiis validissimis insequeretur, à lateribus rupes transitum negarent, in tantas angustias redacto, et omni humana ope destituto, opportune subveni; sic et subveniam tibi, ô sponsa mea, in quantavis angustia.

INIQUOS VERO IN DIEM JUDICII RESERVARE CRUCIANDOS.] Est hic antapodoton, sive redditio et expletio similitudinis inchoatæ v. 4. Illa enim sententia : *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit;* inabsoluta pendet, et pendula suspendit lectorem hucusque : hic enim expletur. Imo Hyginius Papa epist. 2. citatis præcedentibus S. Petri de angelis, Noe et Sodoma verbis, statim subdit : *Quid putatis iniquis et impiis perseverantibus in nequitia eorum erit?* sive hæc ipse olim in epist. S. Petri legerit, sive non lecta, sed intellecta suppleverit. Sensus ergo est. q. d. *Si Deus angelis non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari*, etc. Ergo idem ipse novit, id est scit, potest et vult homines iniquos, ut Sodomitas et mersos diluvio, cæterosque *in diem judicii reservare cruciandos.* Hinc aliqui censuerunt damnatos non cruciari igne gehennæ ante diem judicii. Quam sententiam Græcis tribuit Guido Carmelita; sed hic est error damnatus in Conc. Florent. imo à Christo Lucæ 16. 19, ubi narrat animam divitis Epulonis cruciari igne gehennæ. Sicut ergo animæ Sanctorum post Christi mortem si plene sint expiatæ, illico evolant in cœlum, ibique visione Dei beantur; sic animæ reproborum illico rapiuntur in tartara, ut igne exurantur, ait S. Gregor. Dialog. c. 20. Quod ergo hic dicitur eos reservari in diem judicii cruciandos, intellige quia tunc non tantum in anima, uti nunc, sed et in corpore quo resurgent, cruciabuntur, aliasque pœnas accidentales subibunt' æque ac dæmones, uti dixi v. 4.

10. MAGIS (Græce μαλιστα, id est *maxime;* S. Hier. lib. 1. contra Jovin. *præcipue ;*) AUTEM EOS, supple et repete id quod præcessit, scilicet : *Novit Dominus iniquos in diem judicii reservare cruciandos ;* huic enim apte cohæret, *Magis autem eos ;* QUI POST CARNEM IN CONCUPISCENTIA IMMUNDITIÆ AMBULANT.] q. d. Deus in die judicii puniet omnes impios, sed maxime hæreticos luxuriosos, qui dominationem contemnunt, etc.; horum enim uti majus est scelus, ita pariter majus erit judicium et supplicium. Lyranus ex τῳ *magis*, vel, ut græcè est, *maxime*, colligit peccatum hæresis præsertim in hæresiarcha, esse gravius peccato Sodomitarum, et eorum qui mersi sunt diluvio ; quin et dæmonum, ideoque gravius puniendum in gehenna. Quod intellige non de omnibus, sed de multis : peccatum enim Luciferi excitantis cæteros ad rebellandum Deo, fuit gravius. Adde hæresim inducere cætera omnia peccata, ac præsertim libidinem etiam præposteram : uti pæderastas fuisse Calvinum et Bezam docet eorum vita et carmina. Hoc est quod ait Judas v. 7. eos sicut Sodomam ex fornicatos abire post carnem alteram.

QUI POST CARNEM, (id est, sequentes carnem, ejusque appetitus carnales,) IN CONCUPISCENTIA IMMUNDITIÆ, (græce μασμου, id est, *contaminationis*, et pollutionis,) AMBULANT.) Unde sanctus Hieron. lib. 1. contra Jovin. sic legit : *Qui post carnem ambulant in desideriis pollutionis*, id est pollutis, quibus corpus, æque ac animam, contaminant et polluunt. Taxat S. Petrus hæreticorum sui ævi, puta Simonianorum, Nicolaitarum, Gnosticorum, libidines et spurcitias, ait Œcumen. Idem fuit genius aliorum hæreticorum, præsertim hujus ævi, uti norunt viri prudentes et experti. Hinc de eisdem Paulus Ephes. 5. 12. *Quæ ab eis*, ait, *occulte fiunt, turpe est dicere.*

DOMINATIONEMQUE CONTEMNUNT.] Primo, q. d. Contemnunt Magistratus, Episcopos, Præpositos tam Sæculares, quam Ecclesiasticos, qui in Ecclesia, vel Republica dominantur. Ita Vatabl. unde S. Hieron. lib. 1. contra Jovin. legit in plurali, *et dominationes despiciunt.* Eodem modo legunt Biblia Regia et Complut. Quam hoc sit verum omnes historiæ loquuntur, imo oculis nostris vidimus in bellis, quæ hæretici rebelles in Francia, Germania, Anglia, Belgio suscitarunt. Sane Lutherus lib. de Potestate sæculari : *Scire*, inquit, *debetis, quod ab initio mundi rara admodum avis est princeps prudens, adhuc multo rarior princeps probus : sunt communiter maxime fatui, ac pessimi nebulones super terram ; et ipsi sunt lictores et carnifices Dei.* Et in Præfat. contra duo Cæsaris mandata : *Turca*, ait, *decies et prudentior et probior est principibus nostris.* Et in Rusticos libello, eos vocat tyrannos, et Evangelii persecutores. *Scriptura*, ait, *vocat eos bestias, id est, animalia fera, ut sunt lupi, apri, ursi, leones. Neque igitur ego ex iis homines faciam ; ferendi tamen sunt, si Deus per eos plagis nos vult afficere. Utrumque sane timui, si prævalerent rustici, diabolus foret Abbas ; si vero prævalerent ejusmodi tyranni, mater ejus foret Abbatissa.* Idem in Bulla contra Ordinem Ecclesiasticum, Episcopos vocat larvas diaboli, additque : *Quicumque opem ferunt, corpus, bona et famam*

in hoc impendunt, ut Episcopatus devastentur, et Episcoporum regimen extinguatur, hi sunt dilecti filii Dei, et veri Christiani, observantes præcepta Dei, et repugnantes ordinationibus diaboli : aut si hoc non possunt, illud saltem contemnant. Contra vero qui manu tenent Episcoporum regimen, eisque obediunt, hi sunt diaboli ministri. Et rursum : *Evangelium quocumque venit, oportet ut tumultuetur ; nisi id faciat, non est verum.*

Anno 1560 habitum est Genevæ consilium de rege Francorum, regina uxore, regina matre, ejus liberis, proceribus et Catholicis magistratibus ad certum diem trucidandis, Beza principe, Calvino auctore, Ottomano subsignatore, Spifamio suasore, omnibus Galliæ prædonibus et lanistis consciis. Hujus consilii et conspirationis inventa est et impressa epistola Calvini ad Viretum Lausannæ, uti narrat Bolsecus in Vita Calvini cap. 21. Calvinus in cap. 4. Danielis : *Hodie*, ait, *ut reges fere omnes fatui sunt et bruti, ita etiam sunt quasi equi et asini brutorum animalium.* Zuinglius Martis et Bellonæ sacerdos lib. 4. Epistolarum fol. 186. *Romanum*, inquit, *imperium, imo quodcumque imperium, ubi sinceram religionem opprimere cœperit, si nos illud negligenter patimur, non minus contemptæ religionis rei erimus, quam ipsi oppressores.* Ederus in 2. Evang. Inquisit. parte, inter Flaccianorum dogmata et axiomata hæc recenset : *Papa est verus Antichristus, draco venenatus, diaboli administrator, homo peccati, filius perditionis. Cæsar et reges quando sunt à Papa vel ejus Episcopis consecrati, tunc accipiunt Antichristi signum : omnes in Papatu proprie sunt regnum diaboli, populus dæmonis, horrendæ et immitis bestiæ et archinebulones.* Plura vide apud Stanislaum Rescium l. 1. de Atheismis Evangelicorum c. 7. Quin et Aurifaber Lutheri discipulus in Symposiacis tit. de sectariis : *Certum est*, inquit, *quod quilibet hæreticus aut sectarius est seditiosus : nam posteaquam mendacia docuit et sparsit, ea deinde homicidiis obsignat.* Et iterum folio 367. *Seditiones et homicidia hæreticorum, imo diaboli velut sigillum quoddam sunt.* Inde tot scelera Lutheri sectatorum, adeo ut Lutherus ipse ad tot tantaque obstupescens dixerit homines deteriores esse in lutheranismo quam in Papatu. Aurifaber enim in Convivalibus Lutheri sermonibus scribit, sæpe dixisse Lutherum cum suspiriis : *Post revelatum Evangelium* (per Lutherum,) *virtus est occisa, justitia oppressa, temperantia ligata, veritas à canibus lacerata, fides clauda, nequitia quotidiana, devotio pulsa, hæresis relicta.* Celebre est illud de Titelmanno Heshusio Lutherano Heidelberga, aliisque quinque urbibus ejecto :

Quæritur, Heshusius cur sexta pulsus ab urbe est ?
In promptu causa est, seditiosus erat.

Secundo et pressius, q. d. Dominium Dei contemnunt, negant Deum esse rerum suarum, et humanarum gubernatorem ac dominum, negant Dei providentiam. Ita explicat S. Judas v. 4. dicens : *Dominatorem et Dominum nostrum Jesum Christum negantes.* Nicolaitæ enim et Gnostici, ait Irenæus lib. 1. c. 1. *Salvatorem dicunt : nec enim Dominum eum nominare volunt ;* juxta id quod dixit Petrus v. 1. *Et eum qui emit eos Dominum negant.* q. d. Spoliant Christum redemptorem suum summo dominio, id est divinitate, uti postea fecerunt Arriani : Dei enim proprium nomen est Dominus, ob plenum ejus dominium in omnia. Unde S. Thomas profitens Christi divinitatem : *Dominus meus*, ait, *et Deus meus*, Joan. 20. 28. Causam dat Œcumenius : *Deinde*, inquit, *per hæc à mundi opificio et providentia dominationibus expulsis, in omnem carnalem immunditiem profusi sunt.* Sic enim hæretici et athei negant numen et Dei providentiam, ut sine remorsu judicis et vindicis suis cupidinibus fræna laxent, iisque toti velut equi et sues indulgeant.

Per κυριοτητα ergo S. Petrus significat divinitatem, qua dominantem omnibus, puta summum ejus imperium, dominium, jus, potestatem, arbitrium, auctoritatem, gubernationem, et providentiam in res omnes, quam Christo adimebat, sibique arrogabat Simon Magus cum suis. *Dominationem* ergo, id est Dominum, ut explicat S. Judas, ejusque dominium et providentiam pro qua paulo post Valentinus triginta Æonum suorum nomina et portenta, quasi numina substituit, ut patet ex Tertull. Irenæo, S. Aug. Epiphan. in ejus hæresi. Unde contra eos hoc dominium Christi asserit S. Joannes Apocal. 19. *Habet*, ait, *in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum et Dominus dominantium.* Et Paulus Ephes. 1. 21. *Constituens*, ait, *Christum ad dexteram suam in cœlestibus super omnem principatum, et potestatem, et virtutem, dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro.*

Vere Tertull. lib. de Præscript. cap. 43. *De genere conversationis*, ait, *qualitas fidei æstimari potest, doctrinæ index disciplina est. Negant Deum timendum. Itaque libera sunt illis omnia et soluta : ubi autem Deus non timetur, nisi ubi non est ? ubi Deus non est, nec veritas ulla est : ubi veritas nulla est, merito et talis disciplina est. At ubi Deus, ibi metus in Deum, qui est initium sapientiæ. Ubi metus in Deum, ibi gravitas honesta, et diligentia attonita, et cura sollicita, et adlectio explorata, et communicatio deliberata, et promotio emerita, et subjectio religiosa, et apparitio devota, et processio molesta, et Ecclesia unita, et Dei omnia.* Ita Lutherus lib. contra cœlestes Prophetas scribit de Andrea Carolstadio discipulo suo, quod adeo fuerit impius, ut non crediderit vel in terris, vel in cœlis ullum Deum existere. Calvin. l. 2. Inst. scribit Servetum, qui se summum orbis Prophetam nominabat, impie blasphemasse Deum illum, qui dicitur Jehova, in ligno lignum, in lapide lapidem, in arbore arborem esse ; eo quod formam et substantiam ligni, lapidis et arboris vere habeat. Heshusius lib. contra Illyricum, scribit ex doctrina Illyrici elici, quod animam hominis non Deus, sed diabolus crearit. Bernardinus Ochinus in penultimo Dialogo suo, se religionis expertem professus, docet Deum primum esse motorem, non tamen esse adorandum, nec ab eo quidquam præsidii expectandum. Beza negat Deum omnia posse. Lutherus, Melanchthon et Calvinus faciunt eum auctorem operum tam malorum, quàm bonorum, puta peccatorum. Jure ergo Cardinalis Hosius atheismum vocat Lutheranæ et Zuinglianæ perfidiæ perfectionem, alibi centrum, alibi scalæ summitatem. Quarum ludimagistri, Epicuri de grege porci (inter quos Joannes Vetus Bezam nominat) illud, teste Vireto, suis occinere solebant : beatum esse, qui, ut ait Poeta :

—— Metus omnes et inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari.

Denique Molinæus apud Genebr. in Chronol. Calvinum facit Atheorum principem.

AUDACES.] Quid enim non audeant qui Dei hominumque dominium contemnunt ? Ita OEcumen. Lutherus Sedi Apostolicæ hoc xenium pro novo anno misit : *Martinus Lutherus S. Sedi Romanæ meam gratiam et salutem. Sanctissima sedes crepa.* Idem lib. contra Regem Angliæ : *Quis est iste Henricus? novus Thomista, discipulus duntaxat tam ignavi monstri ;* et mox : *Hic sto, hic maneo, hic glorior, hic insulto Papistis, Henricistis, Sophistis, omnibus portis inferi : divina Majestas mecum facit ut nihil curem, si mille Augustini, mille Cypriani, mille Henricianæ Ecclesiæ contra me starent ; dogmata mea stabunt, et Papa cum Henricistis cadet, invitis omnibus potestatibus inferis, et potestatibus aeris, terræ et maris.* Audisti Thrasonem, audisti Luciferum.

SIBI PLACENTES,] αυταδεις, id est *procaces.* Ita S. Hieron. lib. 1. contra Jovin. Catharinus, *protervi*, Gagneius, *pertinaces ;* Clarius, *impudentes ;* Tigurina, *præfecti ;* Vatab. *sui sensus et capitis ;* Pagnin. *contumaces.* Sic et OEcumen. *Contumaces*, ait, *hoc est, qui quod sibi placet sequi omnino ac tueri volunt ;* alii, *intractabiles, insolentes, arrogantes, contemptores aliorum :* hæresis enim consistit in pertinacia sui sensus et erroris. Nam αυθαδεια idem est quod *morositas*, amor sui, contumacia, temeritas, duritia, pertinacia, procacitas, superbia, fastidium, arrogantia. Noster ad verbum vertit, *sibi placentes*, quia αδω est *placeo*, ut αυθαδης sit quasi αδων εαυτω, id est *placens sibi ;* vel, ut Hesych. quasi αυτος εν εαυτῳ, id est, *idem in seipso ;* vel, ut alii, quasi αυτος αφ'εαυτου, id est, *idem ex seipso.* Ita Erasmus à Luthero appellatus diabolus incarnatus, in Apolog. contra eum, Lutherum vocat Oreste insaniorem, odio lymphatum, philautia temulentum, ideoque præbibendum ei esse veratrum, ut saniora scribat. Quin et Wittembergenses Lutherum, licet magistrum suum, vocarunt philauton, philonicum et eristicum, id est rixosum, hyperbolicum qui ex culice faciat camelum, polypragmonicum qui se petulanter et procaciter negotiis omnibus immisceat, ingenii ostentatorem, stoicum, durum, capitosum, somniatorem, quod nocturnas visiones in ebrio capite natas pro puro puto Dei verbo vindicaret, uti refert Joannes Spangenbergius in libro cui titulus : *Verax narratio beneficiorum per D. Martinum Lutherum*, etc.

SECTAS NON METUUNT INTRODUCERE.] Τὸ *introducere* non est in Græco, sic enim habet : δοξας ου τρεμουσι βλασφημουντες, quod primo verti potest, *glorias non verentur blasphemare et conviciari*, ut per δοξας intelligantur in gloria celebres et majestate præditi. Ita Gagneius, Pagnin. Tigurin. Catharin. Clarius, Salmeron et alii. Quocirca S. Judas v. 8. huc alludens ait : *Dominationem autem spernunt, majestatem* (græce δοξας) *autem blasphemant.* Unde et hic Biblia Gothica legunt : *Majestatem*, vel, *majestates non metuunt.* Quare per δοξας aliqui intelligunt angelos Dei administros, Ecclesiæ orbisque præsides et gubernatores. Ita Turrian. lib. de Hierarch. Ord. cap. 9. qui δοξας vertit glorias, vel splendores. Alii intelligunt Magistratus, Reges, Principes, Episcopos. Ita OEcumen. *Nam qui ex contemptu*, inquit, *dominationem ullam non timent, quid mirum si omnem gloriam et excellentiam etiam spernant ?* δοξα enim Græcis idem est quod *majestas*, splendor, gloria, dignitas, existimatio, item sententia, opinio.

Verum Noster melius subaudiens επαγειν vertit, *sectas non metuunt introducere*, hoc enim est proprium hæreticorum ; et Græcum δοξα opiniones et sectas significat ; ut idem hic dicat S. Petrus quod dixit v. 1. *Qui introducent sectas perditionis.* Porro non mirum Interpretem δοξας hic vertere, *sectas*, in epist. vero S. Judæ vertere *majestatem ;* quia alia est sententia S. Judæ, alia S. Petri, S. Judas enim ait : *Dominationem autem spernunt, majestatem* (δοξας) *autem blasphemant ;* ubi δοξας verti nequit *sectas :* nec enim hæretici sectas blasphemant, sed ambiunt. S. Petrus vero alia interserit, aitque : *Dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas* (δοξας) *non metuunt introducere blasphemantes.* Ubi τὸ *sectas* explicat τὸ *audaces, sibi placentes.* q. d. Quàm sint audaces et sibi placentes, liquet ex eo quod contra communem Ecclesiæ Patrumque doctrinam et consensum, audeant novas opiniones ex suo cerebro confictas inducere, itaque sectas facere. Adde Nostrum interpretem æque ac Syrum in S. Juda legisse δοξαν in singulari, quod *majestatem* significat, non *sectas ;* in S. Petro vero legisse δοξας in plurali, quod *sectas* significat, non *majestatem.*

Nota. Τὸ *sectas* significat primo, errores et hæreses ; secundo, schismata et dissidia quibus Ecclesiæ unionem scindunt, seque ab ea resecant, ut propriam Ecclesiam scholamque constituant, cujus ipsi habeantur auctores, ac sequaces ex se denominent ; sicut à Simone vocantur Simoniani, ab Arrio Arriani, à Nestorio Nestoriani, etc. Tertio, Τὸ *sectas* significat non tantum hæreticos inter se esse dissectos, sed unam eamdemque hæresin illico secari in varias sectas et schismata : hæretici enim cum agantur superbia et fastu, nec Deo, aut homini, sed suo cerebro credant, nolunt aliorum esse discipuli, sed doctores. Unde plerique novas opiniones et errores comminiscuntur, ut eorum habeantur auctores, et discipulos post se trahant, eisque suum nomen indant. S. Augustinus lib. de Hæres. enumerat nonaginta hæreses à Christo usque ad sua tempora, à S. Augustino usque ad Lutherum totidem numerantur : ita ut per 1500 annos non plures quam 180 hæreses collegerit Sanderus. At vero à Luthero, puta ab anno Christi 1517 usque ad annum Christi 1595, ducentas et septuaginta hæreses enumerant Staphylus, Hosius, Lindanus, Prateolus, Ederus, et ex iis Stanislaus Rescius lib. 1. de Atheismis c. 9. Ita *fœcundus est error*, ait ille, *errans, nec scit quid velit, nec scit quid nolit.* Nec mirum Lutheri discipulos à Luthero magistro descivisse, et tot sectas invexisse : nam et ipse Lutherus à seipso descivit, et sæpe dogmata hæresesque mutavit, uti ostendit Cochlæus in libro cui titulus : *Lutherus septiceps.* Veritas enim constans est eademque semper ; falsitas vero inconstans semper evariat.

Sapienter Trismegistus tract. de Veritate docet falsitatem nosci ex mutatione, veritatem ex immutabilitate. *Nihil enim*, inquit, *quod non manet in seipso, verum est : omne quippe quod alteratur falsitas est, non manens in quo est.* Idem tract. de Pietate et Philosophia : *Quod semper fit*, inquit, *semper etiam corrumpitur : quod semel factum est nunquam corrumpitur*, hic est ergo fons, origo et mater hæresis, mirum superbia et ambitio.

Hinc omnium sæculorum experientia docuit hæresiarchas pene omnes ab Ecclesia descivisse, suasque hæreses adinvenisse, eo quod in Ecclesia ambientes primas Cathedras, Episcopatus et Doctoratus, ab iis repulsi, eas extra Ecclesiam statuerint, ut ibi obtinerent principatum, quem in Ecclesia obtinere nequiverant. Vere S. August. lib. de Pastoribus cap. 8. *Diversis*, ait, *locis sunt diversæ* (hæreses), *sed una mater superbia omnes genuit, sicut una mater nostra Catholica omnes Christianos fideles toto orbe diffusos.* Ita Euseb. lib. 4. histor. c. 22. *Theobutes*, inquit, *quia repulsam meruit Episcopatus, cœpit initio perturbare omnia et corrumpere*, et Tertull. lib. contra Valentinianos post initium : *Speraverat*, inquit, *Episcopatum Valentinus, quia et ingenio poterat et eloquio ; sed alium ex martyrii prærogativa loci potitum indignatus, de Ecclesia authenticæ regulæ abrupit, ut solent animi pro prioratu exciti præsumptione ultionis accendi.* De Marcione idem testatur Epiphan. hæres. 42. sub initium : *Æmulatione*, ait, *elatus Marcion, ubi non accepit præsidentiam, excogitat sibi ipse consilium*, et infra : *Æmulatione igitur commotus, et ad magnam indignationem et superbiam elatus fissuram efficit, sibi ipsi hæresin erigens, ac dicens : Ego fundam Ecclesiam vestram, et mittam fissuram in ipsam in æternum. Et revera fissuram immisit non parvam, sed non Ecclesiam fidit, verum seipsum et eos qui ipsi obediunt.* De Montano testatur Theodoretus lib. 3. Hæret. fabul. *Is*, inquit, *ambitione et primum locum obtinendi cupiditate motus, seipsum Paracletum vocavit.* Novatianus quia in pontificatu prælatus ei fuit S. Cornelius, schisma fecit et hæresim induxit, imo se Papam, puta Antipapam, constituit, teste Eusebio lib. 2. Histor. cap. 33. et S. Cypriano epist. 49. 52. 64. 68. Arius ambiens Episcopatum Alexandriæ, cum ab eo per Alexandrum sibi antepositum exclusum se videret, in eum et Ecclesiam linguam armavit, et Arrianismum induxit, teste Theodor. lib. 4. Hæret. fabular. Idem de Aetio, cum in Episcopatu ei prælatus esset Eustathius, scribit Epiphan. hæresi 75. Joannem Wiclef, quod Episcopatu excidisset, hæresiarcham esse factum, asserit Thomas Waldens. l. 2. Doctrinæ fidei, c. 60.

Lutherus omnium hujus ævi hæresum choragus et antesignanus, hæresim orsus est concionando contra Indulgentias, eo quod earum promulgatio à se, suoque Ordine Augustiniano ad Fratres Prædicatores translata esset, uti narrat Cochlæus in actis Lutheri anno 1517. Porro Lutheri tantus fuit fastus, ut libro contra Regem Angliæ asserat, Reges, Principes, Pontifices non esse dignos qui solvant suorum calceamentorum corrigiam, et se pro sancto haberi velle invitis omnibus, ac se parvi facere mille Cyprianos et mille Augustinos, ejus enim gnome erat :

Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.

Et :

Pestis eram vivens, moriens tua mors ero Papa.

Sed falsus est et fefellit pseudopropheta : mortuus est enim Lutherus, sed vivit vigetque Papa et papatus. Idem reges vocat lendes capitis sui, Parisiensem academiam Sodomam, Lovaniensem Gomorrham, Episcopos et sacerdotes capita rasa ac oleata, S. Thomam unum de septem phialis iræ Dei.

Blasphemantes,] quia convicia jactant non tantum in Deum sancta et sanctos, sed et in se mutuo, eaque atrocissima, sed sæpe vera. Ita hoc sæculo Bucerus contra Calvinum, eum vocat idolum, impie audacem, rapidum, fratricidam. Calvinus Valentinum Gentilem vocat Tritheitam, hæreticum, canem, proditorem, phreneticum, Satanam impudentia superantem, Luciferum convicia evomentem, etc. Vicissim Gentilis Calvinum vocat Quadritheitam, infensum veritati, crudelem, mordacem, execrabili errore fascinatum, uti refert Aretius lib. de supplicio Gentilis. Smidelinus fatetur se à Saxonicis vocari chamæleontem, polypum, mendacem, falsarium, præstigiatorem, socium furum, sophistam, hypocritam, effrontem, conscientiæ expertem, neque oculis neque corde præditum, mentis impotem. Prodiit libellus anonymus Lutherani cujusdam anno Domini 1586. lenæ impressus, cujus hic est titulus : *Quod Calvinistæ non sunt Christiani, sed tantum Judæi et Mahometani baptizati.* Theomotus Calvinista in libro suo recenset novem turpissimas maculas, à suæ sectæ hominibus Calvino inustas ; prima, quod esset hæreticus quovis hæretico pejor ; secunda, quod ambitiosus et tyrannidis cupidissimus ; tertia, quod usurarius insignis ; quarta, quod nummularius insignis, sive trapezita ; quinta, quod avarissimus ; sexta, quod aleator ; septima, quod scortator libidinosissimus, isque manifestus ; octava, quod immoderate biliosus et iracundus ; nona, quod vindictæ appetentissimus, sævus et sanguinarius. Sturmius in Palinodia ad Lucam Osiandrum, eum vocat Caligulam, Ulyssis nepotem, omnium horarum aulicum. Postellus scribit Calvinistas nihil hominis præter formam hominis habere, Catholicæ fidei nuncium remisisse, belluarum in ritu vivere. Zuingliani scriptum ediderunt anno Domini 1527. in quo Lutherum vocant Cervisiarium Papam, Antichristi nepotem, lunaticum, sophistam, crassum rusticum, seductorem, pseudoprophetam, Antichristi proximum consanguineum, carnificem Christi, violatorem sacrarum Litterarum. Zuinglius ipse in Respons. ad Lutheri lib. de Sacramento, Lutherum vocat pseudoprophetam, impudenter asserentem quidquid in buccam venit, cinædum, scurram, incorrigibilem, hæreticum, impostorem, Christi negatorem, veritatis oppressorem, Antichristum. Plura vide apud Stanislaum Rescium in Ministromachia, ubi citat Lutheranos, qui Calvinistas vocant blasphemos, capitales hostes filii Dei, imperitos, insanos, Doctores à Satana missos, Suermeros, canes molossos, sues, larvas diaboli, seductores, scurras, progeniem viperarum, Turcis deteriores, latrones corporis et animæ, fanaticos, moriones, truncones, diabolorum capita, animicidas, calumniatores, infernales lupos, fœtorem Satanæ, doctrinam eorum ex secretissima infernalis aulæ abysso prodiisse, etc.

Vere Plato lib. de Amicitia : *Solus bonus*, ait, *soli bono est amicus ; malus autem nec bono, nec malo unquam revera est amicus.* Verius S. Augustinus contra Litteras Petiliani : *Dissensio vos et divisio facit hæreticos ; pax vero et unitas facit Catholicos*, et Tertullianus lib. contra Hermogen. c. 1. *Tales* (hæretici), inquit, *loquacitatem facundiam existimant, impudentiam constantiam de-*

putant, et maledicere singulis officium conscientiæ judicant.

Porro blasphemiæ proprie dictæ in Deum et Sanctos, apud hæreticos sunt plurimæ. Lutherus contra Jac. Latromum ausus est scribere : *anima mea odit hoc verbum*, ὁμούσιος. Idem è Litaniis sustulit illam precandi formulam, qua semper usa est Ecclesia : *Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.*

Eamdem precationem Calvinus vocavit barbariem, uti testantur Ministri Genevenses epistol. de blasphemia Valentini Gentilis. Sic enim ait Calvinus in epist. ad proceres Poloniæ folio 63. *Precatio vulgo trita, S. Trinitas unus Deus miserere nostri, mihi non placet, ac omnino barbariem sapit.* Idem Deum Patrem comparabat Grammaticæ, Filium Dialecticæ, Spiritum sanctum Rhetoricæ. Ita refert Manlius in Locis communibus tit. de Deo. Valentinus Gentilis uti tres personas, ita et voluit tres esse naturas in deitate, puta tres deos.

Novi Arriani negant Filium esse Deum, et Symbolum Athanasii vocant Symbolum Satanasii. Testatur Lindanus in Christomachia, quod Calvinistæ in plurimis Galliæ locis versiculum illum : *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto*, ex hymnodiis suis expunxerunt.

Beza lib. contra Brentium, duas docet esse in Christo hypostaticas uniones, unam carnis cum anima, alteram Dei cum homine.

Transylvani Ministri, ut Georgius Blandrata, justo Dei judicio postmodum à nepote suo suffocatus, Paulus Alciatus, Lælius Zosimus, Franciscus David in Collat. Transylvan. (horreo dum scribo) sanctam Trinitatem vocant Cerberum tricipitem, tricorporem Gerionem, novum idolum, turrim Babel, Deum fictitium ac sophisticum, idolum Sabinense. Rident igitur hæc nomina in divinis : Essentia, Persona, Relatio, Proprietas ; nec ullam agnoscunt in Deo personarum distinctionem l. 2. Disp. Albanæ c. 4. Alii docuerunt Christum fuisse merum hominem Josephi filium, qui se à pœnis liberare non potuerit, ac proinde non esse invocandum, multo minus esse redemptorem mundi, etc.

Narrat Staphylus fuisse in Moravia Lucam Sterbergium, *qui primus omnium in illis partibus docuit omnes eos qui SS. Trinitatis nomen confitentur et colunt, tres deos falso comminisci ; cum sit Trinitas nomen supervacaneum et inane, nec nisi unus Deus sit in cœlo ; voluit itaque ut loco illius, ô veneranda Trinitas, caneretur, ô veneranda Dei bonitas. Optat etiam impius ille (horret animus scribere) ut dæmones omnes Trinitatem abducant et asportent : nescire se inquiens utrum femina vel masculus sit ; sed potius habere se persuasum Trinitatem illam quamdam feminam fuisse, quæ tres maritos habuisset. Docuit præterea Christum non fuisse verum Deum, sed hominem duntaxat instar aliorum mortalium, Mariæ et Josephi fabri lignarii filium, non propria virtute divina, sed virtute omnipotentis surrexisse à mortuis, tum demum adoptatum fuisse in filium, cum Joanne baptizante vox è cœlo audita est : Hic est filius meus dilectus. Ridet Spiritum sanctum, dicens, nihil aliud esse quam columbam : Dei genitricem negat perpetuam virginem extitisse ; sabbatum sanctificandum docet, non Dominicam, baptismum vocat Satanæ institutionem.* De blasphemiis Calvini vide Fevardentium in *Theomachia Calvinistica*, et Guilielmum Reginaldum in *Calvinoturcismo*.

Conradus Vorstius Calvinista lib. de Deo et Attributis divinis, hos habet atheismos : primo, Deus non est infinitus ; secundo, Deus secundum substantiam suam non est ubique præsens in hoc mundo, sed tantum in cœlo ; tertio, in Deo sunt vera accidentia realiter distincta à substantia Dei ; quarto, decreta Dei, quale est decretum prædestinationis, aut reprobationis, non sunt ab æterno ; quinto, æternitas Dei non est indivisibilis, et tota simul, sed successiva. Vide nostrum Martin. Becanum in titulis Calvinist. tit. 4. Denique vers. 18. ostendam Calvinum ejusque asseclas non colere Deum verum, sed diabolum.

11. UBI ANGELI FORTITUDINE ET VIRTUTE (græce δυνάμει, id est, *potentia et robore*) CUM SINT MAJORES, NON PORTANT ADVERSUM SE EXECRABILE JUDICIUM.] Multi censent hic esse sermonem de angelis malis, id est dæmonibus, quasi eis comparet hæreticos, qui, ut paulo ante dixit, *dominationem contemnunt*, eosque dæmonibus pejores esse, ideoque gravius puniendos significet q. d. Uti ingens est audacia et impudentia hæreticorum, *qui dominationem contemnunt, et sectas non metuunt, introducere blasphemantes ;* ita ingens eorum erit et pœna. Si enim angeli mali, id est dæmones, qui fortitudine et robore sunt majores, non portant adversum se *execrabile judicium*, græce blasphemum judicium, id est, execrabilem condemnationem et maledictionem æternam, quomodo hi eamdem ferent ; cum sint homines corpore et anima infirmi et imbecilles ? Sane ipsi *in miseriis* gehennæ non subsistent, Psal. 139. vers. 11. et 12. ita Genebrardus ibidem. Aut brevius et planius q. d. Quomodo hæretici audaces non metuunt sectas introducere et blasphemare, cum sciant dæmones qui longe sunt potentiores, ob schisma et rebellionem ita esse punitos, ut non ferant execrabile judicium, id est, horrendam condemnationem à Deo contra se latam, et gehennæ supplicium ?

Hæc expositio valde congruit versioni Latinæ, et Græco μαλιστα, id est *maxime*, vers. 10. q. d. Deus maxime, puta immanibus et intolerandis suppliciis, cruciabit hæreticos luxuriosos et refractarios, ut patet ex dæmonibus, qui cum eis in scelere sint pares, in natura superiores et fortiores, non ferunt tamen execrabile judicium, id est condemnationem, et supplicium gehennæ. Ita Glossa, Lyran. Thomas Anglicus, Hugo, Dionys. Cathar. Titelman. et alii.

Secundo, alii, q. d. Dæmones non audent execrari et blasphemare Præpositos Ecclesiæ, licet sibi adversos, imo in exorcismis eis se subdunt, licet coacti, quomodo ergo hæretici audent eos blasphemare et conviciis incessere ? Ita Gagneius.

Tertio, Clarius, q. d. Dæmones, licet fortiores sint ad perferendas inferni pœnas, tamen non audent Deum earum auctorem blasphemare, ne gravius ab eo puniantur ; quomodo ergo eum blasphemare audent hæretici ? Huc accedit Arias, q. d. Dæmones licet Dei hostes, tamen non audent primas Dei veritatis practicas, puta prima virtutis ac pietatis principia et præcepta negare aut convellere ; quomodo ergo ea negant et convellunt hæretici ?

Quarto, alii, q. d. Dæmones sibi invicem non maledicunt, nec se mutuo blasphemant ; quomodo ergo homines, puta hæretici, audent sibi invicem maledicere et blasphemare ?

Verum alii passim angelos hic proprie accipiunt, ideoque bonos. Hi ergo *non portant adversum se execrabile judicium*, græce ου φερουσι κατ'αυτων παρα κυριω βλασφημον κρισιν, id est, *non ferunt, non inferunt contra se à Domino blasphemum judicium*, hoc est, non intorquent hostibus suis execrandam sententiam, ut scilicet diabolo à Deo imprecentur mala, meritaque supplicia, quæ sunt horrenda et execranda. Idem enim videtur hic dicere S. Petrus cum eo quod ait S. Judas vers. 9. scilicet Michaelem altercantem cum diabolo de corpore Mosis, non esse ausum *judicium inferre blasphemiæ*, id est blasphemare, maledicere et conviciari diabolum, eique justam blasphemiæ pœnam irrogare, dicendo : Tace, maledicte diabole ; vade, blaspheme, in gehennam, in ea cruciet te Deus, uti mereris tu et tua blasphemia, sed dixisse : *Imperet tibi Dominus ;* sequentia enim S. Judæ verba pene sunt eadem cum sequentibus S. Petri, ut patet conferenti utrimque Textum Græcum.

12. Idem liquet ex eo quod adaptans subdit S. Petrus : Hi VERO VELUT IRRATIONABILIA PECORA, etc., IN HIS QUÆ IGNORANT BLASPHEMANTES.] q. d. Angeli non audent blasphemare, id est, maledicere dæmoni et impiis : hæretici vero blasphemant Deum et Sanctos. Ubi nota judicium blasphemum vocari maledictum, maledicentiam, execrationem, puta imprecationem magni et execrandi mali, justo Dei judicio impiis et blasphemis irrogandi : quod S. Judas v. 9. vocat *judicium blasphemiæ*. Est catachresis, unde Erasmus βλασφημον exponit δυσφημον, id est *infaustum*, infelix, abominandum, pessimi nominis et ominis. Respicit τὸ *blasphemum* τὸ blasphemantes vers. 10. q. d. Quomodo hæretici audent blasphemare et maledicere, id est, conviciari Deum, Sanctos et homines, præsertim Prælatos et principes, cum angeli id non audeant facere diabolo, licet blasphemo et execratione dignissimo? Βλασφημια enim non tantum blasphemiam proprie dictam, id est convicium in Deum vel Sanctos significat, sed et quamlibet execrationem, maledicentiam, imprecationem, contumeliam, probrum, obtrectationem, vituperationem, ut sit idem quod δυσφημια, cui opponitur ευφημια, id est *laus*, gloria, commendatio, bonum omen, fausta precatio, benedictio. Unde et S. August. lib. de Morib. Manich. cap. 2. blasphemiam definit, *cum aliqua mala dicuntur de bonis.*

Rursum τὸ κατ' αυτων potest verti, primo *adversus ipsas*, scilicet δοξας, id est *glorias*, hoc est potentes, uti sunt dæmones ; secundo, *adversum se*, ut vertit Noster q. d. Angeli cum sint purissimi et sanctissimi, non audent vel nominare aliquid quo aliquo modo sonet blasphemiam, id est maledicentiam, ne vel per umbram videantur angelicum suum os contaminare ; et quia maxime execrantur blasphemiam et blasphemos.

Denique τὸ *à Domino*, quo est in Græco, significat *à Domino*, qui est scelerum vindex, mala optari. Ita OEcumen. *S. Petrus ait*, inquit, *hos miseros nulla habita ratione glorias maledicere, cum tamen neque qui potentia et viribus majores sunt istis flagitiosis hominibus, non ferant, id est, non inferant contra ipsas videlicet glorias maledicum judicium apud Dominum.* Deinde citato exemplo Michaelis quod refert S. Judas vers. 9. subjicit : *Et est à majori argumentatio in hunc modum : Si diabolus qui dignior est ut maledicatur, quia tamen gloriæ cujusdam particeps est, à Michaele Archangelo coram Domino id non est consecutus ; illi sane non sapiunt qui ita temere gloriam omnem maledictis prosequuntur, cum tamen multo post angelorum dignitatem sint constituti.*

OEcumenium sequentur Adamus, Gagneius, Clarius, Salmeron et alii. Huc accedit Fevardentius, qui sic explicat. q. d. Quomodo hæretici audent dominationibus, id est, magistratibus et principibus orthodoxis, licet sibi adversantibus, obloqui, maledicere et resistere, cum angeli boni magistratus et principes Ethnicos, licet fidei et populo Dei infestos, non execrentur, sed honorent et revereantur, uti liquet in angelis Persarum et Græcorum pro Persis et Græcis contra angelum Hebræorum, populumque Dei decertantibus, Daniel 10. 5. et sequ. *Hi vero* (*magistri mendaces*, puta hæresiarchiæ, de quibus vers. 1.) *velut irrationabilia pecora ;* Pagnin. *velut bruta animantia naturaliter*, scilicet tendunt et ruunt, *in captionem et perniciem ;* græce φυσικα γεγεννημενα εις αλωσιν και φθοραν, id est, *natura genita in captionem et perniciem ;* ait Pagnin. *Naturale est*, ait Beda, *irrationabilibus animalibus causa pabuli sæpius in captionem et perniciem ignoranter incidere ;* ita hæretici ob suam gulam suosque effrenos appetitus explendos, incidunt in laqueos diaboli et perniciem æternam. Ex adverso Arias hæc explicat active, q. d. Hæretici sunt velut feræ, puta ursi, leones et lupi, qui naturaliter feruntur in captionem et perniciem, puta in prædam et cædem aliorum animalium. Utrumque verum, hæretici enim et passive ruunt in exitium, et alios suis laqueis irretitos secum in idem active trahunt. Est hyperbole : nec enim natura hæreticorum est prava, nataque in captionem et perniciem : sed sensus est q. d. Hæretici toti sunt pravi, toti corrupti, ut videantur nati et facti ad malum ; quia corruptionem et concupiscentiam naturæ suæ sequuntur. Rursum hæresis ita naturam eorum afficit et inficit, ut eam totam devergat et trahat ad malum. Sic dicimur natura filii iræ Ephes 2. 3. pessimorum hominum vocatur naturalis malitia, Sapient. 12. 10. quia cæco naturæ impetu eo feruntur, quo eos libidinis ardor, vel honorum opumque cupido, vel iræ et ambitionis furor rapit.

Comparavit S. Petrus hæresiarchas sui ævi, puta Simonianos et Gnosticos, ob superbiam, avaritiam et libidinem ; primo, dæmonibus ; secundo, hominibus impiis mersis diluvio, ac Sodomitis, nunc ; tertio, eos comparat feris et bestiis, quæ non ratione, sed naturæ ferinæ ardore vel furore aguntur, ideoque incidunt, imo ruunt, aliosque secum trahunt in laqueos venatorum, ut capiantur et occidantur. Idem iisdem pene verbis dicit S. Judas vers. 10. *Hi autem quæcumque quidem ignorant blasphemant ; quæcumque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.* Et S. Ignatius utrique coævus epist. ad Antiochen. *Videte*, ait, *canes rabidos, et serpentes super pectus repentes, dracones squamosos, et aspides, basiliscos, scorpiones : hi sunt thoes* (genus est luporum) *vulpes et simiæ humana imitantes.* Nam, ut ait Clemens Alexandr. Adhort. ad Gentes, *homines vocantur serpentes, qui sunt deceptores leones, qui*

sunt animosi et ad iram concitati ; sues, qui sunt voluptati dediti ; lupi, qui sunt rapaces.

IN HIS QUÆ IGNORANT BLASPHEMANTES.] Id est, ut S. Judas ait : *Quæcumque ignorant blasphemant ;* Tigurina, *in his quæ non intelligunt maledicentes.* Est hebraismus : Hebræi enim verba contactus sive realis, sive mentalis, sive verbalis, qualis est blasphemare, constituunt cum ablativo mediante præpositione *in*, ut percutere in facie dicunt pro percutere faciem, credo in Deo, pro credo Deo. Sic hic : *In his quæ ignorant*, id est, hæc quæ ignorant, *blasphemant.* Taxat eos qui se Gnosticos, id est scientes, appellabant, cum essent ignorantes, ideoque orthodoxa, quæ ignorabant, aut scire et credere nolebant superbe et proterve respuebant, ac blasphemabant : de qualibus jure ait S. Paulus Rom. 1. 22. *Dicentes se esse sapientes stulti facti sunt.* Huc facit hæreticorum (Manichæorum) *privilegium diabolicum*, uti vocat S. August. 22. contra Faustum cap. 15. *Ut quidquid est in Evangelio quo adjuvari hæresim suam putent, id à Christo dictum teneant ; quidquid autem ex eisdem codicibus adversus eos sonuerit, immissum à falsatoribus ore impudenti ac sacrilego non dubitent dicere.* Idem lib. 13. c. 12. comparat eos perdici : *Perdix enim*, ait, *nimis contentiosum animal notum est, quanta aviditate ipsius contentionis curat in laqueum.*

IN CORRUPTIONE SUA PERIBUNT.] Græce est elegans paronomasia : εν τη φθορᾳ αυτων καταφθαρησονται, id est, *corruptione sua corrumpentur ;* hic est enim fœdæ voluptatis finis et merces. Nam, ut ait S. Paulus : *Qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem*, Galat. 6. vers. 8. et Philip. 2. vers. 19. hosce hæreticos notans : *Quorum Deus*, ait, *venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Sane Lutherum, cum vespere laute cœnasset, noctu desperatione et furiis dæmonis actum, sibi injecto laqueo necem intulisse asseruit ejus famulus postea ad orthodoxam fidem conversus, uti refert Thomas Bozius de Signis Ecclesiæ tom. 2. lib. 23. c. 3. Ubi et addit, Carolstadium, Bucerum, OEcolampadium à Satana suffocatos interiisse, Calvinum pediculari aliisque novem dirissimis morbis per quatuor annos excruciatum, turpissime obiisse, testatur Bolsecus ejus discipulus in Calvini Vita. Sic Dionysius tyrannus, suî et tyrannorum infelicitatem professus aiebat : *Illis certe similes animalibus tyranni sumus, quæ saginantur, quibus comedendi bibendique non ad aliud, quam ad perniciem suam copia solet offerri,* uti refert Euseb. 8. Præpar. c. 5.

Vere S. Chrysost. hom. 45. in Matt. agens de hæreticis : *Super ventrem repunt*, inquit, *quia quidquid faciunt, propter ventrem faciunt, et propter vanam gloriam pectoris sui. Terram manducant, quia neminem lucrantur nisi illos qui in terra sunt, id est homines carnales.* Et S. Leo serm. 1. de Ascensione : *Cui*, ait, *diabolo carnales militant voluptates, qui animas ad superna tendentes corruptibilium bonorum delectationibus obligare, et ab illis sedibus, de quibus ipse excidit, gaudent abducere?* Idem serm. 5. de Epiph. *Fugiantur*, ait, *noxiæ voluptates, inimica gaudia, et desideria jam jamque peritura : quis fructus est, quæve utilitas ea indesinenter cupere, quæ etiamsi non deserant deserenda sunt?* Et S. Basil. homil. de legend. libris Gentil. *Corpus*, ait, *castigandum est, ac instar feræ cohibendum, et ab ipso adversus animam tumultus orientes ratione velut flagello compescendi ; ne frenum voluptati omnino laxando, mens velut auriga ab equis contumacibus, ac minime obtemperantibus feratur ac rapiatur.* Citat Platonem, qui Athenis Academiam loco pestilenti elegit, ut corporis luxuriem amputaret ; et Pythagoram, qui cuidam se saginanti dixit : *Heus miser, non desinis duriorem tibi carcerem præparare.* Et S. Salvianus lib. 1. ad Ecclesiam Cathol. *In barathro*, ait, *libidinum commorantes, in ipsis se sepeliunt ruinis suis.*

13. PERCIPIENTES MERCEDEM INJUSTITIÆ.] Non tantum in futura, sed et in præsenti vita, ut scilicet dedant se fœdis et præposteris voluptatibus Veneris et ventris, quibus tam corpus quam animam corrumpant, polluant et perdant ; hæc est enim corruptio de qua paulo ante, quam scilicet sponte sibi compararunt, ait OEcum. Unde S. Hier. lib. 1. contra Jovin. legit : *Recipientque mercedem iniquitatis luxuriam ;* uti recepere Philosophi qui, cum Deum cognitum non coluissent, traditi sunt in reprobum sensum et libidines sodomiticas, de quibus Paulus Rom. 1. 24. Hinc et mercedem hanc explicans S. Petrus subdit.

VOLUPTATEM EXISTIMANTES DIEI DELICIAS.] Græce την εν ημερα τρυφην. Tigur. *pro voluptate ducentes si in diem deliciis*, vel ut Vatabl. *diurnis deliciis fruantur ;* Pagnin. *voluptates putantes eas sunt quæ in diem delicias.* Diei ergo delicias, vocat diurnas, quæ ad diem, id est, modicum tempus durant, cum veræ deliciæ sint solidæ, constantes et æternæ. Ita Arias, Titelman. Adamus, Gagneius et Salmeron ; vel, ut OEcum. *diei*, id est, per dies singulos, quotidianas. *Voluptatem*, ait OEcum. *quotidianum luxum existimantes, hoc est veram et amabilem lætitiam et voluptatem in quotidiana gulæ fruitione constituentes.*

Præclare S. Hier. lib. 2. contra Jovin. sub finem : *Quod multi*, ait, *acquiescunt sententiæ tuæ* (Jovinianum alloquitur) *indicium voluptatis est ; et pro magna sapientia deputas, si plures porci post te currant, quos gehennæ succidiæ nutrias?* et post nonnulla : *Basilides magister luxuriæ et turpissimorum complexuum, post tot annos in Jovinianum, quasi in Euphorbum, transformatus est, ut Latina quoque lingua haberet hæresim suam.* Rursum post pauca : *Vexillum crucis et prædicationis auctoritas idolorum templa destruxerat ; è regione luxuria ventris et gutturis subvertere nititur fortitudinem crucis. Denique semper pseudoprophetæ dulcia pollicentur, et ad modicum placent : amara est veritas, et qui eam prædicant replentur amaritudine ; in azymis enim veritatis et sinceritatis Domini Pascha celebratur, et cum amaritudinibus comeditur.* Et S. Ambros. epist. ad Ecclesiam Vercellensem : *Audio*, inquit, *homines qui dicunt nullum esse abstinentiæ meritum ; delirare eos qui castigant carnem suam, ut menti subditam faciant ; quod nunquam scripsisset, neque fecisset Paulus, si deliramentum putasset. Gloriatur autem, dicens : Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus inveniar : ergo qui non castigant corpus suum, et volunt prædicare aliis, ipsi reprobi habentur.* Mox vero perstringens eos qui in hac parte Gnosticos imitarentur : *Quæ istos*, inquit, *Epicuros nova schola misit, qui voluptatem prædicent, delicias suadeant? Dominus Jesus volens nos adversus diaboli tentamenta fortiores reddere certaturus jejunavit, u*

sciremus quia aliter illecebras mali non possemus vincere. Qua causa Christus jejunarit hi astruant, nisi ut nobis exemplo esset ejus jejunium? Et S. Basil. in Regulis fusius disp. reg. 17. *Uti*, inquit, *optimus corporis habitus et coloris bonitas pugilem à cæteris distinguit ; sic Christianum à cæteris discernit macilentia corporis, pallorque delorescens, qui continentiæ velut adjunctus est comes : indicio est enim Christi mandatorum vere pugilem esse, qui in firmitate corporis adversarium suum in lucta prosternit, et quam potens sit in pietatis certaminibus declarat convenienter verbis illis : Cum infirmor, tunc potens sum.*

COINQUINATIONES ET MACULÆ.] Σπιλοι και μωμοι. Pagnin. *sordes et maculæ;* Vatabl. *inquinamenta et maculæ.* Σπιλοι enim, teste Gellio, sunt maculæ è vino vel inguine vestibus inhærentes, quæ eas discolorant, sic dictæ à σπαν νλειν, id est, *à trahendo cœno.* Ita vocat hæresiarchas, q. d. Inquinatissimi sunt et maculatissimi. Simili tropo hominem scelestum vocamus scelus. Porro tales sunt, tum quia voluptatibus suis sunt corruptissimi ; tum quia iisdem alios corrumpunt ; tum quia labem fœdam inurunt Ecclesiæ et nomini Christiano, ut Gentiles ab illo avertantur illudque blasphement. *Quippe*, ut explicat OEcumen. *qui nihil in se habeant puritatis, sed quasi sordes in indumento mundo, id est, in pura et sincera vita inhærentes, et omnia maculantes, ubi averterint aliquos à sanctitate, et flagitiosos reddere secum versantes vel viros vel mulieres potuerint, id delicias sibi esse existiment.* Hinc sunt μωροι, id est, *probra* et dedecora, vituperium, ignominia et infamia Christi et Christianismi, idque ex dolo Satanæ : nam ut sapienter advertit S. Epiphan. hæresi 27. *Sunt à Satana subornati ac producti in opprobrium et scandalum Ecclesiæ Dei. Indiderunt enim sibiipsis cognomen Christianorum ad hoc, ut Gentes per ipsos offendantur, et sanctæ Ecclesiæ Dei utilitatem, et veram prædicationem propter illorum nefaria facta, et incomparabilem improbitatem aversentur. Et ut Gentes, ipsorum nefaria opera considerantes, putent sanctas Dei Ecclesias tales esse, et avertant aures à Dei et veritatis doctrina.* Porro S. Judas maculas has ait fuisse in conviviis eorum, quæ plena erant ebrietate, crapula, vomitu, lascivia et luxuria : ait enim vers. 12. *Hi sunt in epulis suis maculæ convivantes sine timore.* De iis etiam accipit S. Petrus ; unde subdit :

DELICIIS AFFLUENTES IN CONVIVIIS SUIS.] Sapienter Gorgias Sophista, cum annum ageret centesimum octavum, dixit se ad tam longævam ætatem pervenisse, eo quod nunquam ad aliena convivia vitasset, uti refert Lucian. in Macrob. Ex adverso S. Hier. l. 1. contra Jovinianum abstinentiæ et continentiæ hostem, eum ita pingit : *Cum se monachum esse jactitet, et post sordidam tunicam, et nudos pedes, et cibarium panem, et aquæ potum ad candidam vestem, et nitidam cutem, ad mulsum et elaboratas carnes, ad balneas et popinas se conferat, manifestum est quod terram cœlo, vitia virtutibus, ventrem præferat Christo, et purpuram coloris ejus putet regna cœlorum. Iste formosus monachus, crassus, nitidus, dealbatus, et quasi sponsus semper incedens.* Videtur S. Hieron. præsentes hæreticorum Ministros pingere.

Nota. Pro *in conviviis suis*, legit Interpres in Græco, εν αγαπαις : olim enim convivia, sive mensæ communes Christianorum post S. Synaxin vocabantur Agapæ, qui erant symbolum amoris communis et charitatis fraternæ fidelium. Jam legunt εν απαταις, id est *convivantes in erroribus*, vel fraudibus et deceptionibus suis. Ita OEcumen. Pagnin. Vatabl. et alii. q. d. Hæresiarchæ ex suo errore et hæresi non aliud quærunt, quam epulari et deliciari. Unde S. Hier. lib. 1. contra Jovinian. legit : *Nihil aliud nisi de voluptatibus cogitantes.*

Audi jam maculas et obscœnitatem conviviorum apud Gnosticos, describentem Minutium Felicem in Octavio : *Ad epulas solemni die coeunt cum omnibus liberis, sororibus, matribus, sexus omnis homines et omnis ætatis. Illis post multas epulas ubi convivium caluit, et incestæ libidinis fervor exarsit, canis qui candelabro nexus est, jactu offulæ ultra spatium lineæ, qua vinctus est, ad impetum et saltum provocatur. Sic everso atque extincto conscio lumine, impudentibus tenebris nexus nefandæ cupiditatis involvunt.*

Idem de Carpocratianis scribit Clemens Alexandr. lib. 3. Strom. ubi et addit illos ad hanc promiscuam et infandam libidinem sacrilege abusos illo dicto Christi : *Omni autem petenti te tribue*, Lucæ 6. vers. 30. Idem de iisdem testatur Philastrius et Treod. libro de Hæres. et Tertull. Apolog. cap. 7. Hisce similes sunt hodie nonnulli Anabaptistæ et Adamitæ, quorum parens et choragus fuit Lutherus, qui totos dies in conviviis, compotationibus et cubilibus exigebat, ibique cudebat suas hæreses ; idque ad hoc, ut remorsum conscientiæ oblatrantis, sibique jugiter apostasiam objectantis, in vinc sepeliret ; quod et suis ut facerent suadebat. Quare merito in eum hoc scripsit noster Frusius :

> Biblia quæ tua sunt, sunt pocula Bacchica, Luther ;
> Est apotheca tua bibliotheca tua.

Delicias, asotias et veneres Calvini qui scire cupit, legat Bolsecum in ejus Vita. Heshusius in Antidoto contra Illyricum rigidum Lutheranum scribit, eum ipsissimum epicureismum secum trahere, et universam religionem à fundamentis evertere. Smidelinus de suis Lutheranis ita queritur concione 4. in cap. 21. S. Luc. *Ut totus mundus agnoscat eos non esse Papistas, nec bonis operibus quidquam fidere, illorum operum nullum exercent penitus. Jejunii loco comessationibus et perpotationibus nocte dieque vacant : ubi pauperibus benigne facere oportebat, eos deglubunt et excoriant : precationes vertunt in juramenta, blasphemias et divini nominis execrationes, idque tam perdite, ut ne ab ipsis quidem Turcis hodie tantopere blasphemetur. Demum pro humilitate regnat passim superbia, fastus, elatio ; atque hoc universum vitæ genus ab illis Evangelicum vocatur institutum.* Erasmus ep. ad Vulturium anno Domini 1529. *Circumspice*, ait, *populum istum Evangelicum, et observa num minus illic indulgeatur luxui, libidini et pecuniæ, quam faciant ii quos detestamini. Profer mihi quem istud Evangelium ex comessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores.* Qui et Lutherus ipse (uti refert Aurifaber ejus discipulus in Convival. Luther. serm. pag. 244.) asseruit *scholæ suæ discipulos magna ex parte Epicurcos esse, metiri conciones ex suo cerebro, et hoc solum quærere, ut bonos dies habeant : in papatu talia nebulonum portenta*

non inveniri; vocari Evangelicos reformatos, cum reipsa potius incarnati dæmones esse videantur, ut si cui libeat cœtum aliquem nebulonum, dissolutorum, rebellium et fraudulentorum hominum intueri, civitatem aliquam Evangelicam ingredi debeat; vix inter Paganos, Judæos, Turcas reperiri adeo contumaces, apud quos omnis honestus et quidquid est virtutum penitus interierit, neque ullius peccati ratio habeatur. Quis non credat Luthero hic, utpote magistro de suis discipulis testificanti?

LUXURIANTES VOBISCUM.] Græce συνευωχουμενοι ομιν, id est, *coepulantes vobiscum*, uti legit Œcumen. et S. Augustinus lib. de Fide et oper. cap. 25. et S. Judas vers. 12. *Convivantes sine timore*, græce συνευωχουμενοι αφοβως. Sic et Clemens Alexand. 2. Pædag. 1. ευδοχια, ait, id est plenum, publicum et perenne convivium agitur in cœlis; itaque dicitur à bona sessione: δειπνον vero, id est *prandium*, in terris, quia post hoc δειπονειν, id est, *oportet laborare.* Et eodem sensu accipi posset nostrum *luxuriantes;* luxuria enim subinde significat luxum ciborum et conviviorum, ut Ephes. 5. 18. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*, græce ασωτια, id est *luxus*, lascivia, ebrietas, crapula. Verum quia venter mero æstuans despumat in libidines, ut ait S. Hieron. et quia Gnostici epulas suas et convivia dirigebant ad explendas suas libidines, Noster interpres hæc omnia complecti volens, solerter vertit *luxuriantes.* Vidit enim id pertinere ad id quod sequitur: *Oculos habentes plenos adulterii.* Optime id explicat Œcumen. *Quin etiam*, inquit, *dum vobiscum coepulantur, non ob charitatem id faciunt, sed ut occasionem ad decipiendas mulieres nanciscantur. Ii enim cum oculos habeant, non aliud quam adulteras inspiciunt, atque in hoc sine ullo fine peccantes, tanquam execrationis filii animas instabiles inescant.* Significat ergo S. Petrus Gnosticos se in agapas, id est, *convivia fidelium* post Eucharistiam, insinuasse, ibique petulantibus aspectibus et tactibus fideles ad suas libidines pellexisse. Ita S. August. de Fide et oper. cap. 25. *Mixti sunt enim bonis*, inquit, *in epulis Sacramentorum et delectionibus plebium.* Forte et Interpres pro συνευωχουμενοι, legit συνοχευομενον, id est *luxuriantes:* οχευω enim significat *luxuriari*, concumbere, venerea agere. *Luxuriantes ergo vobiscum*, id est, inter vos et de vobis q. d. Insidiantur vestræ castitati; et secum de vobis mente, oculis et tactu exercent suas libidines, ut ad easdem pleno opere complendas vos alliciant. Cavete ergo illos quasi leones, imo prædones castitatis. Quare mirum est Erasmum, Vatablum, Pagninum vertere, *insultare. In erroribus suis*, inquiunt, id est, *per deceptiones suas, quibus scilicet paraverunt sibi divitias, insultant vobis, ac male precantur;* nil enim tale vox Græca significat.

14. OCULOS HABENTES PLENOS ADULTERII.] Μεστους μοιχαλιδος, id est, *plenos adulteræ*, hoc est, plenos *libidinosis et adulterinis aspectibus adulterarum.* q. d. Mulieres quas ambiunt et satagunt facere adulteras, jugiter aspiciunt, eas in oculis, animo, vultu gestant, nil nisi illas aspiciunt et cogitant, ut ad adulterium pelliciant. Ita Œcum. Unde S. Cyprian. lib. de Singul. Cleric. legit *plenos mœchationibus;* nimirum:

Oculi sunt in amore duces,

ut ait Propertius in libro secundo Elegiarum, 15. et alius:

Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.

Unde Jerem. Thren. 3. 51. *Oculus meus depræda-tus est animam meam*, et ut ait ibidem S. Hieron. *per oculum corporis pertulit prædam cordis.* Nam, ut ait Christus: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*, Matt. 5. 18. Quare merito oculis summa adhibenda est custodia, quia *mors intrat per fenestras*, Jerem. 9. 21. Ita Job c. 31. 1. *Pepigi*, ait, *fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Ne*, ut ait S. Hieron. in Thren. 3. vers. 51. *prius incaute aspiceret, quod postmodum invitus amaret; namque semel species formæ cordi per oculos alligata, vix magni luctaminis manu solvitur: ut enim munda mens in cogitatione servetur, à lascivia voluptatis suæ deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam*, et David Psal. 118. 7. *Averte*, ait, *oculos meos ne videant vanitatem.*

Sic senes illi insidiantes Susannæ, habebant oculos plenos adulterii, ideoque *everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum*, Daniel, 13. 9.

Recte S. Ambros. lib. de Joseph. cap. 3. *Prima*, ait, *adulteræ oculorum tela sunt, secunda verborum, sed qui non capitur oculis, potest verbis resistere;* oculi enim sunt fenestræ mentium nostrarum, ait Salvian. lib. 3. de Provid. qui et addit *omnes improbas cupiditates in cor per oculos, quasi per naturales uniculos introire.* Quocirca jure Zeleucus Locrensium legislator lege sanxit, ut adulteris oculi eruerentur, quasi primi in homine adulteri, uti refert Ælian. lib. 13. Variæ histor. cap. 24. vide S. Gregor. 21. Moral c. 2. et S. Basil. lib. de Virginit. et Augustin. in Reg. Monach. et epistol. 109. ubi inter alia ait: *Nec dicatis vos habere animos pudicos, si oculos habetis impudicos; quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius, et cum invicem sibimet etiam tacente lingua conspectu mutuo corda nunciant impudica, et secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus fugit castitas de moribus.*

ET INCESSABILIS DELICTI.] Id est perpetui delicti. q. d. Gnostici perpetuo libidinosi oculis procaciter aspiciunt mulieres, ut eas faciant adulteras; hinc perpetuo cum iis peccant et delinquunt, ut ne ad momentum à peccato cessent quia jugiter eas animo versant et concupiscunt: nunquam cessant à delicto, quia nunquam cessant à turpi aspectu, cogitatione, et concupiscentia adulterii. Legit Interpres ακαταπαυστου, id est, *incessabilis*, jam legunt ακαταπαυστους αμαρτιας, id est, *incessabiles*, scilicet oculos, qui scilicet nunquam cessant à delicto. Ita Pagnin. Vatabl. et alii S. Hier. lib. 1. contra Jovin. legit. *insatiabili libidine.*

Audi S. Cyprian. de Singular. Cleric. præclarè hunc locum pertractantem. *Insaniunt prorsus*, inquit, *ardent desiderio feminarum, et obscœnitatibus hinnientes malunt mori, quam contenti sint à lateribus mulierum aliqua disjunctione divelli, ut ad explendam suæ aviditatis ingluviem puncto temporis non sint sine feminæ voluptate; et hunc habent in mulieribus fructum, ut in illis semper defixa intentione, desideria satient oculo-*

rum. Sic inter eos integritas emoritur, ubi omnis commemoratio, sive convivendo, sive communendo corruptis affectionibus inquinatur. Quos S. Petrus Apostolus designavit, dicens : In conviviis suis luxuriantes, oculos habentes plenos mœchationibus et incessabilibus delictis, capientes animas infirmas. Ita hoc sæculo Lutherus, cum esset sacerdos et monachus castitatem voto solemni professus, scribit tom 5. serm. Wittemberg. fol. 119. *Quam non est in meis viribus situm ut vir sim, tam non est mei juris ut absque muliere sim; et feminæ sociari tam est necessarium, quam edere et bibere.* Zuinglius in litteris ad omnes Helveticæ reipubl. civitates, de seipso loquens testatur, *se æstu libidinis et carnis cupiditatibus sic fuisse accensum, ut carnis libidinosæ studia animo suo versaretur, in his solis omnes cogitationes suas insumpserit, hoc meditatus sit totusque in eo fuerit ut carnis furori satisfaceret.* Wigandus de Bonis et malis German. apud Surium in histor. pag. 664. et seqq. asserit *scortationes et ebrietates multo magis quam unquam in Germania invalescere ; Quia*, inquit, *majorem quam alias unquam crescendi habent libertatem, et luxuria jam omnes verecundiæ fines perrupit atque excessit;* et, ut ait Lutherus in 1. Corinth. 15. *Sicut credunt, ita vivunt ; sunt et manent sues, credunt sicut sues, et sicut sues moriuntur.* Ita modernos hæreticorum Ministros comptulos quasi sponsos Penelopes, in ipso etiam verbi Dei pulpito oculos circumferre plenos adulterii, testatur Archib. Hamilton. in Calvin. confus. demonstr. lib. 2. c. 29. uti asserit in Scotia *Ministrorum fere neminem esse, qui ab aliorum vel uxoribus, vel ancillis sibi temperet.* Idem fuse de aliarum gentium Ministris ostendit Stanislas Rescius in eorum Atheismis de Sacramento Ordinis, ubi inter alia describit Cenotaphium Bezæ ex Gabriele Fabricio in responsione ad Bezam : *Extat*, inquit, *Genevæ in mausoleo suo statua Bezæ quatuor columnis suffulta. In prima artificiose opere cælato exculpta Candida cum suo pharetrato Cupidine, multis incestis amoribus non polluta, sed constuprata. In secunda Harpya multis non rapinis, sed sacrilegiis, tanquam opimis Galliæ spoliis onusta. In tertia Bellona parricidiis cincta, multorumque civium sanguine tincta. In quarta Chimæra multiplici impostura fucata. Et hæ sunt quatuor Bezæ virtutes cardinales, Venus, Harpya, Bellona, Chimæra.*

Moral. Nota hic luxuriæ epithetum esse *incessabile dilectum ;* quia cujus animum semel occupavit amor venereus, ita eo velut igne succenditur, ut eum restinguere, aut ab eo cessare nequeat, nimirum nunquam dicit luxuria : Sufficit, Prov. 30. 16. Ita Theotimus oculos perdere maluit, uti medicus ei prædixerat, quam ab uxore abstinere; unde exclamavit : *Vale, amicum lumen*, uti refert S. Ambros. lib. 4. in Lucam c. 4. Idem videre est in bestiis, ut equis, tauris, vaccis, quæ dum amore aguntur, furere videntur, nec ab ullo compesci possunt. Illustre exemplum fuit in Henrico VIII. Angliæ rege, qui ut insanæ libidini suæ cum Anna Bolena satisfaceret, et opes, et fidem, et conscientiam, et famam, et regnum prodegit. Unde Poeta in exequiis reginæ Scotiæ Parisiis anno 1587. Ita de eo cecinit :

Juno Jovis soror atque uxor, verum Anna Bolena
Et spuria Henrici filia et uxor erat.

Pellicientes animas instabiles,] δελεαζοντας ψυχας ασταρικτους, id est, *inescantes animas imbecilles*, non bene in fide et castitate firmatas et solidatas ; S. Cyprian. de Singul. Cleric. *capientes animas infirmas*, S. Hier. lib. 1. contra Jovin. *decipientes animas nondum Christi charitate robustas.* Quocirca sapienter monet Eccles. cap. 5. 12. *Esto firmus in via Domini, et in veritate sensus tui.* Sicut ergo aucupes capiunt aves objiciendo eis escam : sic hæretici sunt aucupes animarum debilium et inconstantium, quales sunt mulierculæ : eas enim inescant objiciendo eis escam voluptatis et libidinis ; per procaces oculos et intuitus. Hinc negant Dei judicium, vindictam, infernum, animæ immortalitatem, resurrectionem, etc. Sane Calvinus infernum censet non esse ignem, sed apprehensionem qua se cruciant damnati dum cogitant quod offenderint Deum, eumque habeant sibi iratum et offensum. Joannes Sturmius in Antiproœmio scribit Pappum et Osiandrum ad hunc colophonem pervenisse, ut omnem fidem ludibrium putent. Ait enim : *Cœlum cœli somnium illis est, infernus phantasma ; cœlum et Dei et diaboli habitaculum est.* Rursum docent Calvinistæ neminem debere resistere cupiditati aut libidini, quia nimirum est a Deo, qui est auctor omnium motuum et actionum tam malarum, quam bonarum, cui semper et in omnibus est obsequendum, idque sine pudore vel scrupulo ; quia motionum divinarum neminem pudere debet, de quo v. 18.

Cor exercitatum (perperam aliqui legunt *excæcatum*) avaritia habentes.] Pagnin. et Tigurin. *Cor habentes exercitatum rapinis.* Consonat S. Paulus 1. Timoth. 6. 10. *Radix*, ait, *omnium malorum est cupiditas*, græce φιλαργυρια, *quam quidam appetentes erraverunt à fide.* Ita hoc sæculo Lutherani et Calvinistæ diripuerunt plurima templa et monasteria in Germania, Gallia, adeoque de sola Anglia vere apud Sanderum de Schism. Anglic. cecinit Poeta :

Millia dena unus templorum sustulit annus,
Quam timeo in pœnas vix satis unus erit.

Rursum hæretici sunt usurarii, docentque usuras esse licitas, uti docuit Molinæus tract. de Usuris.

Præclare S. Prosper l. 2. de Vita contempl. c. 13. *Eis*, ait, *qui militant Deo fugiendæ sunt divitiæ, quas qui habere volunt, sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine anxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt.*

Maledictionis filii.] Καταρας τεκνα. Tigur. *execrationis filii*, id est, primo, execrabiles et execrandi. Secundo, digni execratione et maledictione æterna, ut scilicet audiant à Christo in die judicii : *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus*, Matth. 25. 41. Nomen enim *filius* apud Hebræos quando jungitur genitivo pœnæ vel præmii, idem est quod dignus, ut filius mortis et gehennæ, id est, reus mortis, dignus gehenna : filii regni, id est, digni regno cœlorum. Thomas Anglicus per *maledictionem* accipit diabolum ; hic enim primo maledictus est à Deo Genes. 3. 1. q. d. Hæretici sunt filii diaboli. *Hæreticus si non frater diaboli, certe adjutor et filius est*, ait S. Augustin. lib. de Pastoribus cap. 12. Sed hoc symbolicum est, non litterale. Sane Guilielmus Rosseus

lib. *Quod calvinismus sit paganismo et turcismo longe detestabilior*, conferendo utriusque dogmata et mores, clare idipsum ex eorum libris evincit. Unde et addit Calvinistas in Polonia parum abfuisse à Christo publice rejiciendo, et profitendo Alcorano Mahometis; causam esse, quod Calvinistæ à Satana possideantur, ita ut per eos quasi tubos et canales loquatur agatque Satanas, suumque in Christi Ecclesiam virus evomat, ideoque eos enthusiasmo et quasi furore agi: quare Vigilantium hæresiarcham Calvino, ejusque deliria Calvinistarum furoribus tanto esse inferiora, quanto nanus minor est Hercule, verruca monte, festuca trabe, et culex elephanto.

15. DERELINQUENTES VIAM RECTAM, veritatis, fidei et sanctitatis, ERRAVERUNT, SECUTI VIAM, id est normam, institutum, mores, actiones, BALAAM EX BOSOR.] id est, oriundi ex Bosra urbe Moab. Ita Beda, Glossa, Dionys. Thomas Anglic. Verum Balaam non fuit oriundus ex Moab, sed ex Mesopotamia, ut patet Deuter. 23. 4. In ea ergo fuit urbs Bosor, quam Hebræa, Chald. et Septuag. quos solet sequi S. Petrus, vocant, *Petor*, vel *Petora*, Num. 22. 5. Alii, q. d. Nati ex patre Bosor, ut *Bosor* sit idem quod *Beor*: hic enim fuit pater Balaam, Num 22. 5. Unde S. August. quæst. 48. in Num. legit, *filii Beor*. Ita Pagnin. Tigurin. Gagneius, Cajetan. Adamus, Salmeron et alii, idque innuit Græcum του Βοσορ: articulus enim του solet notare filium, non locum.

QUI MERCEDEM INIQUITATIS AMAVIT,] nimirum munera Balac regis Moab, quæ adamans Balaam voluit maledicere Hebræis, puta populo Dei, uti dixi Num. 22. et 23. Docet S. Petrus hæresiarchas studere avaritiæ, sicut studuit Balaam, ideoque fingere errores gratos populos.

Rursum sicut Balaam dedit consilium Balac regi, ut speciosas puellas submitteret in castra Hebræorum, quæ eos ad libidinem, indeque ad idololatriam cultumque Beelphegor pellicerent, Num. 25. 1. Ita hæretici prædicant libertatem carnis, ut hac esca homines pelliciant in suam hæresim.

16. CORREPTIONEM VERO HABUIT SUÆ VESANIÆ.] Græce ελεγξιν δε εχεν ιδιας παρανομιας, id est, redargutionem habuit propriæ iniquitatis, sive prævaricationis. Noster pro παρανομιας videtur legisse παραφρονιας, id est *vesaniæ*, insipientiæ, dementiæ; illud enim mox subdit S. Petrus, dicens: *Prohibuit prophetæ insipientiam*. Porro correptio hæc facta est per asinam, de qua subdit:

SUBJUGALE MUTUM ANIMAL, puta asina jugum et sessorem ferre assueta, muta et bruta HOMINIS VOCE LOQUENS] per angelum, qui formabat voces articulatas in ore asinæ, dicendo: *Quid feci tibi? Cur percutis me ecce jam tertio? Nonne animal tuum sum, cui semper insidere consuevisti? dic quid simile unquam fecerim tibi.* Num. 22. 23. Censent Origenes et Glossa angelum hunc fuisse eum qui præsidet speciei asinorum, omnibusque asinis: singulas enim rerum species suum habere angelum præsidem. Verius Theodor. Procop. et Abul. censent fuisse S. Michaelem, olim præsidem Synagogæ et Hebræorum, nunc præsidem Ecclesiæ et Christianorum. Porro vesanus et vecors fuit Balaam, quod cum asina contenderet, velletque eam trucidare, nec cogitaret angelum per os ejus loqui; sed nimirum ira et furor eum agebant et excæcabant: forte etiam ipse, utpote magus cum dæmone loqui assuetus, censebat dæmonem per os asinæ loqui, velleque sibi imponere ac iter impedire, lucrumque suum quod expectabat à Balac intervertere. Unde Dion. Carthus. Num. 22. censet eum cum asina contendisse hoc fine, ut dæmon per eum loquens intelligeret suam contra eum indignationem, itaque cum eo indirecte contenderet indignando contra illum, et in illius dedecus asinam verberando, eamque volendo jugulare. Quare angelus se ei ostendens cum fulgenti gladio, minansque necem, hunc ei errorem, stuporem et arrogantiam exemit. Balaam tamen mox avaritia excæcatus perrexit ad Balac, cumque Hebræis, ut volebat, maledicere non posset, dedit Balac pessimum consilium de puellis, quod paulo ante recensui, ideoque ab Hebræis in bello contra Madianitas trucidatus est, Num. 31. 7. et 8. Cujus rei præsagium fuisse gladium fulgentem quem ei intentavit angelus, docet Anast. Nicænus q. 32. in Script.

Mystice Beda: Sicut, inquit, asina redarguit Balaam, sic sæpe Pagani redarguunt et confutant hæreticos, laici Clericos, subditi Prælatos, indocti doctos, mulieres viros; plebeii sapientes. De Balaam et asina vide dicta Num. 22. et 23. et Apoc. 2. 14.

17. HI SUNT FONTES SINE AQUA.] Quia vitalis aquæ, id est doctrinæ sanæ, expertes. q. d. Gnostici jactant et promittunt magnam sapientiam, sed eam reipsa non exhibent. Ita S. Hier. l. 2. contra Jovin. et Œcumen. *Vitæ aquam*, inquit, *id est puram prædicationis et dulcem aquam amiserunt*; cum ex adverso suis promittat et præstet Christus: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*, Joann. 7. 38. Hæretici ergo philologi sunt, non philosophi; folia dant, non fructus; verba, non scientiam; sophismata, non solida argumenta jactant, crepantque S. Script. sed eam non intelligunt, imo pervertunt. Secundo, S. Aug. lib. de Fide et oper. c. 25. *Ideo S. Petrus*, inquit, *etiam fontes siccos appellat: fontes videlicet, quod acceperint agnitionem Domini Christi; siccos autem quia non congruenter vivunt* (destituuntur enim aqua gratiæ et bonorum operum.) *Quod enim Petrus*, ait, *fontes siccos; hoc Judas, nubes sine aqua; hoc Jacobus, fides mortua.* Rursum Glossa: *Ubi*, inquit, *fons sine aqua, ibi lutum est erroris et peccati, nec lavat, sed coinquinat.*

Alludit S. Petrus ad illud Jerem. 15. 18. *Facta est mihi manus tua quasi mendacium aquarum infideliam*; aquæ enim infideles sunt fontes, qui promittunt aquam, eamque non præstant, sed siccantur in æstate, cum homines ea maximè ad potum, refrigerium et irrigationem frugum indigent. Sic S. Judas v. 12. hæreticos comparat nubibus sine aqua, id est, sterilibus et infœcundis, ideoque mendacibus et fallacibus: *Hi*, ait, *sunt nubes sine aqua quæ à ventis circumferuntur.*

ET NEBULÆ.] *Nebula* est nubes sterilis et infœcunda, puta residuum nubis et vaporum: hinc nebula quasi nubes videtur promittere pluviam et humorem; sed vel nullum præstat, vel frugibus noxium: sic hæreticorum doctrina est fucata, fallax, sophistica, pestifera.

TURBINIBUS EXAGITATÆ.] Comparat hæresiarchas nebulis, quæ à turbinibus, id est, ventis in gyrum rotantibus, aut ventis contrariis inter

se confligentibus quaquaversum agitantur et raptantur ; itaque dispelluntur et evanescunt. Sic enim hæretici à dæmone spiritu virginis, et quasi turbine errorum aguntur, ut inter se contraria doceant et acerrime confligant, juxta illud Isaiæ 19. v. 2. *Concurrere faciam Ægyptios adversus Ægyptios*, imo unus idemque crebro errores mutet, et nunc hunc, nunc alium, et sæpe contrarium doceat, ideoque ejus doctrina sui falsitatem ostendat, intereat et evanescat. Hunc hæreticorum sui ævi genium notarunt S. Iren. lib. 1. cap. 5. S. Justinus quæst. 4. ad Orthod. Tertull. de Præscript. cap. 42. et Novatianus lib. 7. de Trinit. ubi ait: *Fidem nostram, dum sibi adversantur, affirmant, et illa inconstantia ostendunt omnia incerta et vana esse apud se, et bellum illorum pax est Ecclesiæ.* Causam dat S. August. 18. Civit. 52. *Cupivit*, ait, *per hæreticos diabolus efficere, ut in Ecclesia essent liberæ dissensiones, quomodo erant in Academiis Philosophorum, ut, sicut illæ per multas divisiones tandem intereunt, et ab invicem consumantur, ita fieret in Ecclesia.* Sed falsus est et fallitur. Ecclesia enim velut super firmam Petri petram à Christo fundata in fide semper sibi constat adeoque sectæ quas diabolus inducit ad ejus obscurationem, eam magis indicant et illustrant. Idem in hæreticis notavit S. Paulus Ephes. 4. 14. dicens : *Ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Vide ibi dicta.

Quibus caligo tenebrarum reservatur.] Græca addunt εις αιωνα, id est, *in æternum caligo tenebrarum*, id est, densissimæ tenebræ et caliginosi ignes inferni. S. Judas v. 13. *Quibus procella tenebrarum servata est in æternum.*

Symbolice Hugo, Glossa et Thomas Anglic. Caligo servatur hæreticis ; quia in ea quotidie crescunt, ut qui cæci sunt, fiant cæciores, et plures seducant, juxta illud Apoc. 22. 11. *Qui nocet noceat adhuc, et qui in sordibus est sordescat adhuc.*

18. Superba enim vanitatis loquentes.] Dat causam cur hæresiarchas vocarit *fontes sine aqua et nebulas turbinibus agitatas*, scilicet quia instar fontium et nebularum vane attolluntur et superbiunt. *Superba enim vanitatis*, id est, superbam vanitatem, sive inanem superbiam, tumorem et fastum quo turgent, puta fastuosa, vana et superba loquuntur et eructant; hinc vocant se Gnosticos, id est scientes, cum omnium sint inscii. Vere Tertull. de Præscript. c. 41. *Omnes*, ait, *tument, omnes scientiam pollicentur ; ante sunt perfecti catechumeni quam edocti. Ipsæ mulierculæ hæretice quam procaces? quæ audeant docere, contendere, exorcismis agere, curationes repromittere forsitan et tinguere.*

Nota. Pro *superba* (male aliqui legunt *superbia*) græce est υπερογκα, id est *prætumida*, excelsa, ingentia, superba, turgida, immodica, immensa, intolerabilia ; Tigur. *vehementer fastuosa*, de qualibus ait Horat. de Arte Poet.

Projicit ampullas et sesquipedalia verba.

S. Hieron. l. 1. contra Jovin. vertit, *loquuntur verba tumentia. Descripsit*, inquit, *sermo Apostolicus Jovinianum loquentem buccis tumentibus, et inflata verba trutinantem.* S. Judas v. 16. *Os eorum loquitur superba.* Alludit ad nebulas, quibus paulo ante hæresiarchas comparavit : sicut enim nebulæ instar nubium densescunt, tument et turgent, sed intus vanæ sunt, inanes et vacuæ, carentes humore, rore et imbre; sic et hæretici tument fastu, jactantque suam sapientiam ore, sed in corde ea vacui sunt et inanes ; unde sunt sicut æs sonans et cymbalum tinniens. Et hoc significat το φθεγγομενοι, quod Noster vertit, *loquentes ;* φθεγγομαι enim idem est quod *resono*, clamo, vociferor, uti faciunt hæretici, qui cum ratione vincantur, contentione et clamore orthodoxos vincere satagunt.

Pelliciunt.] Δελεαζουσι, id est *inescant*, objecta esca capiunt, uti aucupes capiunt aves, piscatores pisces.

In desideriis (per desideria quasi per escam) carnis luxuriæ.] Id est, carnis luxuriosæ, vel carnalis luxuriæ, legit Interpres ασελγειας, id est, *luxuriæ* in genitivo singulari, uti et legit S. Augustinus lib. de Fide et oper. cap. 24. *Illiciunt*, inquit, *in concupiscentiis carnis impudicitiæ*, id est impudicæ, vel impudicis. Jam legunt ασελγειαις in dativo plurali. Unde Vatabl. vertit, *inescant homines per concupiscentias carnis voluptatibus.* Porro ασελγεια, generalis est, significatque luxum, petulantiam, libidinem, lasciviam, qualis est in impudicis tactibus et aspectibus, de quibus v. 14. Hoc est quod ait S. Judas vers. 4. *Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam.*

Porro esca ad luxuriam, et consequenter ad hæresim, ab hæreticis multiplex datur. Primo, Lutherus hanc dedit; quod castitas sit impossibilis, luxuria vero homini tam necessaria sit, quam edere et bibere. Verum dixit impostor : sed de se et suis duntaxat, eis enim impossibilis est castitas ; tum quia id sibi ipsi persuadent : impossibile enim est ut maneat castus, quid id sibi puta esse impossibile : affectus enim sequitur lumen et judicium rationis ; tum quia fidem et gratiam Dei respuunt, sine qua impossibilis est castitas, Sap. 8. 21. tum quia negant liberum arbitrium, censentque hominem necessario agi rapique à suo appetitu et phantasia instar bestiæ; tum quia velut porci sponte se totos addixerunt carni, Veneri et ventri.

Secunda est communis hæreticorum, scilicet curanda esse præsentia bona certa, non futura incerta. Unde vel palam, vel tacite negant animæ immortalitatem, resurrectionem et gehennam. Audi Brentium in S. Lucæ c. 20. hom. 35. *Et si*, ait, *nulla apud nos sit publica professio, quod anima simul cum corpore intereat, et quod non sit mortuorum resurrectio, tamen impurissima et profanissima illa vita, quam maxima pars hominum sectatur, perspicue indicat quod non sentiant esse vitam post hanc. Nonnullis etiam tales voces tam ebriis inter pocula, quam sobriis in familiaribus colloquiis excidunt.* Hoc est quod de suis dixit Lutherus : *Credunt ut sues, vivunt ut sues, moriuntur ut sues.*

Tertia est Calvini, quod Deus sit auctor omnium motuum et actionum, tam malarum, quam bonarum. Ex hoc enim ejus principio ejus discipuli, Libertini duas eliciunt regulas, quas ipse Calvinus recenset Instruct. contra Libertin. c. 13. Prima est : *Cum omnia sint opera Dei, licet hominibus velut laxis habenis quidquid in mentem venerit agere, non solum quia sumus extra periculum peccandi, sed etiam quia desiderium aliquod cohibere est impedire Deum. Ita scortationes et rapinæ Deo probabuntur, cujus sunt opera : ita non est curandum ut rapta restituan-*

tur, quia non est conveniens ut Deus corrigatur. Altera : *Ne quis ullius rei conscientia moveatur. Nec hoc solum ex superius positis consequitur, sed idipsum illi confitentur : atque adeo id præcipue sibi proponunt, ut sopiant conscientias, quo omni sollicitudine vacui homines perpetrent quidquid sese offerat, quidquid appetierint.*

Posito enim hoc principio, Deum esse auctorem omnium concupiscentiarum, libidinum, voluptatum, rapinarum, cædium, etc. Dicet quilibet : Ego Deo repugnare nec possum, nec debeo ; illi ergo obsequar, illi cooperabor ; indulgebo concupiscentiis, libidini, voluptati sine scrupulo, imo cum laude, eo quod Deum sequar.

Hinc epicureismus ita invaluit, et in dies magis invalescit, ut Calvinus ipse admiretur in sola Gallia tot esse examina Doctorum, qui illi seminando sedulam navant operam, ac discipulorum infinitam multitudinem.

Quocirca Sebastianus Castalio l. *de novo Deo Calvini*, asserit Calvinum Deum transformare in diabolum ; hic enim est auctor omnis mali, ac proinde Calvinum cum suis pro Deo colere et adorare diabolum. *Duo*, inquit, *sunt dii, alter verus Christianorum, alter falsus Calvinistarum : falsus Deus est tardus ad misericordiam, propensus ad iram, quia maximam mundi partem creavit ad perniciem, eosque, non solum ad damnationem, sed etiam ad causam damnationis prædestinavit. Itaque decrevit ab æterno, et vult efficitque ut peccent necessario, ita ut nec furta, nec homicidia, nec adulteria committantur nisi ejus voluntate atque impulsu ; suggerit enim hominibus pravos affectus atque inhonestos, non solum permissive, sed efficaciter, eosque indurat ita, ut dum impie agunt, potius opus Dei quam suum faciant. Satanam ergo eum facit esse mendacem, ita ut non jam Satan, sed Deus Calvini sit pater mendacii ; quippe qui sæpe aliud in ore, aliud in pectore gerat. At Deus ille quem sacræ Litteræ docent, est huic plane contrarius. Vult is omnes salvos fieri*, etc. *Et hic Deus venit ut destrueret illius Calviniani Dei opera.* Porro isti duo dii contrarii, suos cultores contrariis moribus imbuunt et informant. Nam, ut subdit Castalio : *Verus Deus venit ut destrueret illius Calviniani Dei opera, et hi duo dii, ut sunt natura inter se contrarii, sic gignunt filios etiam inter se contrarios : videlicet Calvinianus Deus immisericordes, superbos immites, invidos, sanguinarios, calumniatores, fictos, aliud in corde, aliud in ore gerentes, impatientes, malitiosos, seditiosos, contentiosos, ambitiosos, avaros, voluptatis magis quam Dei amantes, omnibus pravis et inhonestis affectibus plenos, quos eis ipsorum pater suggerit. At alter Deus misericordes gignit, humiles, mansuetos*, etc.

Atque ut videas hunc non unius Castalionis, sed communem aliorum esse sensum ; Smidelinus contra Grynæum : *Spiritus Calvinisticus*, inquit, *mendax est, homicida, ater, pessimus, fugitivus, lubricus, diabolicus falsus, furiosus, verbosus, crassus, cæcus. Calvinismus, Arrianismus, et Mahometismus, fratres sunt et sorores : tres caligæ ejusdem panni. Camarina, in quam multæ hæreses confluxerunt ; ultima Satanæ ira.* Lutherus apud Gretserum l. 1. contra Goldastum c. 12. *Calvinistæ*, ait, *sunt fanatici, progenies viperina, animicidæ, impii, blasphemi, deceptores, sanguinarii infernales molossi, Germanici Turcæ à Satana missi et obsessi, Mahometani baptizati, perdiabolati, trans diabolati, superdiabolati.* Godefridus à Valle Parisiis an. 1572. publice concrematus librum scripsit : *De arte nihil credendi*, in quo docet *oportere prius Calvinistam fieri qui atheus esse volet.* Guilielmus Reginaldus in Calvinoturcismo demonstrat calvinismum parum distare à turcismo vel atheismo, et qui vere Calvinista est vix abesse quin Turca vel atheus sit. Denique Serenissimus rex Angliæ Jacobus in Basilico doro, asserit suos in Anglia Puritanos, id est puros Calvinistas, esse *spiritus sanaticos, perjurios, perfidos, nihil nisi seditionem et calumniam spirare, sine ratione maledicta ingerere, se plus fidei reperisse in efferis latronibus, quam in Puritanis : se non solum à nativitate continuo vexatum fuisse à Puritanis, sed etiam in utero materno propemodum ab iisdem extinctum.*

Eos, refer ad *pelliciunt*, q. d. Hæretici in suas hæreses per escam luxuriæ pelliciunt *eos*, QUI PAULULUM EFFUGIUNT illos, QUI IN ERRORE CONVERSANTUR.] Puta eos qui paulum effugiunt Gentiles et Judæos, qui in errore gentilismi et judaismi conversantur. q. d. Hæretici pelliciunt ad se novitios, vel claudicantes et debiles in fide, scilicet recenter, vel languide à judaismo vel gentilismo ad Christum conversos : hi enim cum in fide sint teneri, infirmi et rudes, facile seduci se sinunt. Pro *paulum* legit Interpres ολιγως. Alii legunt ουτως, id est *sic*, hoc est, utcumque paulum alii οτως, id est *revera*. Rursum Interpres legit in præsenti αποφευγοντες, id est, *qui effugiunt :* jam in aoristo legunt αποφυγοντες, id est, *qui effugerant*. Sic enim tota hæc sententia græce legitur : τους ολιγως αποφυγοντας τους εν πλανη αναστρεφομενους, quam plane et clare sic reddas : *pelliciunt eos qui paulum effugerant eos, qui in errore conversantur*, puta Judæos, Gentiles, vel potius Gnosticos hæreticos, q. d. Gnostici eos qui nuper à sua hæresi conversi fuerant ad orthodoxam fidem, rursum ad suam hæresim pelliciunt, refricando et obtrudendo illis escam priscarum voluptatum et libidinum, quibus in hæresi indulserant ; quare ex earum memoria, habitu et consuetudine facile in hæresim relabuntur, cum ab ea sint recenter conversi, ideoque teneri et imbecilles in fide orthodoxa. Huic sensui valde favent sequentia. et S. Aug. de Fide et operib. c. 24. cum sic legit : *Illiciunt in concupiscentiis carnis impudicitiæ eos, qui paulum effugerunt in errore conversati ;* et S. Hieron. l. 2. contra Jovin. dum sic vertit, *pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paulum effugerunt et ad errorem reversi sunt.* Græcum enim αναστρεφειν et *reverti* et *conversari* significat.

Summa, significat S. Petrus hæreticos seducere non eos qui in fide sunt fortes et veterani, sed qui in ea sunt novitii, debiles, ideoque facile nutant, et seducuntur objecta esca voluptatis cui antea assueverant, totosque se addixerant. Unde S. Aug. tract. de Utilitate credendi, tom. 9. *Frumentum*, ait, *de area aut non recedit, aut redit : aliquid palearum aufert* (hostis) *vento tentationis, unde nobis faciat non viam perditionis, sed opus exercitationis.* Ibidem docet diabolum pro idololatria induxisse hæreses. Sicut enim pisces et aves è reti elapsæ, si juxta illud volent vel natent, escæ retis inhiantes, facile in illud recidunt et irretiuntur : sic et qui ab errore conversi sunt, si ejus doctores audiant, et ad voluptates eorum auscultent, facile in eumdem

relabuntur : ut ergo tuti sint, debent prorsus ex toto corde errori renunciare, et longissime ab eo ejusque doctoribus recedere, planeque aures claudere, ne quid de eo vel eminus audiant.

19. LIBERTATEM ILLIS PROMITTENTES, tum à peccato, tum à lege, tum à subjectione dominorum et principum, ut libere agant quidquid lubet; luxuriam enim dicunt non esse peccatum, sed opus Dei et naturæ : CUM IPSI SERVI SINT CORRUPTIONIS,] puta libidinis et voluptatis, quæ animum et corpus corrumpit. Sicut enim castitas est integritas mentis et corporis, sic luxuria utriusque est corruptio : ejus ergo servos se faciunt. *Omnis enim qui facit peccatum servus est peccati,* Joan. 8. 34. Scripsit Cicero Paradoxon : *Quod solus sapiens sit liber ;* et Philo : *Quod solus probus sit liber ; improbum enim, licet neget, servum esse tot dominorum, quot vitiorum.* Diogenes aiebat inter servos et dominos malos nil interesse præter nomen, nisi quod servi servirent dominis, domini cupiditatibus, iisque brutis et exilibus. Seneca de Vita beata c. 5. *In regno nati,* inquit, *Deo parere libertas est.* Merito miratur S. Ephrem Adhort. ad pietatem tom. 1. vel unum posse reperiri, qui malit servire creaturæ quam Creatori. Animus enim liber est, qui serviens uni Deo, vitiis et creaturis omnibus totique mundo dominatur, ideoque felix est et beatus. Audi S. Salvian. de Provid. l. 1. *Nemo,* ait, *aliorum sensu miser est, sed suo, et ideo non possunt esse falso judicio miseri, quo sunt vere sua conscientia beati,* etc. *Nulli, ut opinor, beatiores sunt, quam qui ex scientia sua atque voto agunt. Humiles sunt Religiosi, hoc volunt : pauperes sunt, pauperie delectantur : sine ambitione sunt, ambitum respuunt : inhonorati sunt, honorem rejiciunt : lugent, lugere gestiunt : infirmi sunt, infirmitate lætantur. Cum infirmor, inquit Apostolus, tunc potens sum. Itaque quidquid acciderit iis quicumque vere Religiosi sunt, beati esse dicendi sunt ; quia inter quantumlibet aspera nulli lætiores sunt, quam qui hoc sunt quod volunt.* Vide dicta epist. 1. c. 2. 16.

Porro hoc sæculo viget secta Libertinorum, ita dicta à libertate Evangelica, quam primus proclamavit Lutherus. Hanc ita describit Stanislaus Rescius in Sectarum Centuriis : *Fanaticum hominum genus, in quo jure credas revixisse Gnosticos et Valentinitas, quibus nihil æque displicet ac simplex, proprius ac germanus Scripturæ sensus. Illis Christus est Satanas, vitium virtus, et virtus vitium. Nihil enim ex eorum sententia peccatum est, nisi eorum opinione qui sese peccare putant. Verus Dei timor, et eo imbuta conscientia pro inferno illis habetur : pro paradiso autem conscientia divini judicii: contemptrix, secura, stupida et consopita. Docent homini omnia esse licita sine ulla exceptione, omneque genus vivendi probant : lenonem suo volunt fungi munere, fures audacter furari jubent, matrimonia dissolvi volunt, cum uxor mariti sui tædium ceperit : unde promiscuos laudant concubitus, idque vocant spirituale matrimonium; communionem Sanctorum vocant communionem bonorum temporalium, ideoque quantum quisque potest, ut rapiat, suadent. Resurrectionem jam factam esse dicunt, neque aliud exspectandum judicium. Jam Christianos omnes resurrexisse affirmant, quando animam humanam sciant jam factam esse illum Dei spiritum immortalem, imo in Dei essentiam rediisse, unde, inquiunt, exiit, eique ita jungi, ut unicus spiritus maneat.*

Denique hæretici nostri in Gallia, Belgio, Anglia, etc. initio hæreseos arma sumpserunt contra orthodoxos principes, titulumque belli prætulerunt libertatem conscientiæ. At ubi rerum potiti sunt eamdem, pro qua tot annis pugnarunt tantumque sanguinis effuderunt, everterunt; quin, et seipsos eadem privarunt. Nec enim permittunt sibi, vel aliis libertatem religionis et fidei, sed omnes cogunt esse Protestantes, vel Calvinistas, magisque orthodoxos persequuntur ad necem usque, ad tormenta inaudita, quam Turcas et Saracenos, imo quam Turcæ Christianos. Hæccine est libertas tot cædibus quæsita et promissa, imo jurata ? Eleganter has humani generis pestes, Ecclesiæ furias, regnorum faces, vel potius ardentes inferorum tedas depingit noster Perpinianus testis oculatus orat. 8.

A QUO ENIM QUIS SUPERATUS EST, HUJUS ET SERVUS EST.] Græce δεδουλωται, id est, *servitio,* vel in servitutem *addictus est.* Hinc mancipium dictum est quasi manu captum in bello, et servus quasi servatus ab hoste, ait S. Aug. 19. Civit. 15. Jure enim gentium sic inducta est servitus, dum victores hostibus bello captis quos occidere poterant, vitam condonarunt, necemque in servitutem commutarunt, ut docet Justin. in Instit. de jure person. l. 4. § 1. Unde idem August. hunc locum sic legit : *à quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est ;* et S. Hier. lib. 1. contra Jovin. *Unusquisque enim ei subjacet passioni, à qua vincitur.*

Quanta iniquitas (exclamat S. Aug. l. de Honest. mulierum c. 30.) *ut animam quam Christus suo sanguine redemit, luxuriosus pro unius horæ delectatione diabolo vendat ac tradat ?* Atque hujus venditionis syngraphum propria subscriptione munitam, tradit diabolo peccator. Sic explicat Origen. hom. 23. in Gen. illud ad Coloss. 2. n. 14. *Delens quod adversus nos erat chirographum. Istud chirographum,* ait, *peccatorum nostrorum cautio fuit : unusquisque etenim nostrûm in iis quæ delinquit, efficitur debitor, et peccati sui litteras scribit.* Idem viderunt suo more Gentiles. *Diogenes vocabat se Imperatorem, Alexandrum magnum vero servum servorum suorum, quod ille serviret suis cupiditatibus, quibus ipse imperabat.* Ita Manutius in Apopht. Diogenis lib. 3. centur. 1. n. 47. Eidem Alexandro scripsit. Brachmanes : *Nihil prodesse orbis dominum fieri, infimæ autem vilique rei servire : subvertere inimicos externos, ut foveat ac sustentet internos.*

20. SI ENIM REFUGIENTES COINQUINATIONES MUNDI, hoc est, errores et peccata, puta gentilismi superstitiones et idololatrias, indeque consequentem voluptatum et libidinum licentiam. Sensus est, q. d. Talibus qui scilicet fugientes inquinamenta, voluptates et libidines mundi contulerunt se ad cognitionem, id est, ad fidem et cultum Christi, si ab eo apostatantes ad gentilismum, vel potius hæresin Gnosticorum, rursus iis inquinamentis IMPLICATI SUPERANTUR, *quæ ante superaverunt.* Uti legit S. Hieronym. l. 1. contra Jovin. FACTA SUNT EIS POSTERIORA DETERIORA PRIORIBUS,] tum quia gravius est malum recidivi; tum quia magis et profundius se vitiis pristinis immergunt; habitumque validiorem induunt; tum quia ingrati gratiæ Dei ab ea deseruntur. Alludit, imo citat illud Christi : *Fiant novissima hominis illius pejora prioribus,* Mat-

thæi 12. 45. et Jerem. 2. 36. *Quam vilis facta es nimis iterans vias tuas?* S. Basil. regula 289. ex brevior. acute notat, cum quis relabitur in peccatum, signum esse, primitus eum à peccato non plane recessisse, nec ejus radicem extirpasse, sed adhuc occulte in animo ejus residere peccati appetitum et concupiscentiam. Unde infert Guiliel. Paris. l. de Sacram. Pœnit. cap. 5. talem non habuisse validam et efficacem contritionem. Comparat S. Petrus Gnosticos cum idololatris; ut qui ex idololatris facti sint Christiani, si è Christianis fiant Gnostici, videantur relabi in idololatriam; quia Gnostici in multis nefarium cultum infidelium imitabantur; et quia par utrorumque erat impietas, eadem libido, idem parens. Unde Tertul. l. de Præscript. c. 40. docet *neque ab idololatria distare hæreses, cum et auctoris et operis ejusdem sint, cujus et idololatria: Deum autem fingunt alium adversus Creatorem, aut si unicum Creatorem confitentur, aliter eum disserunt quam in vero est. Itaque omne mendacium quod de Deo dicunt, quodammodo genus est idololatriæ.* Nam, ut ait S. August. q. 29. in Josue: *Quisquis talem Deum cogitat qualis non est Deus, alterum Deum utique et falsum in cogitatione portat.*

Moral. Nota hic quod sicut ægri convalescentis relapsus in morbum, gravior et periculosior est priore morbo; ita et est relapsus justificati in peccatum. Audi Paulum Hebr. 6. 4. *Impossibile*, inquit, *est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt rursus, renovari ad pœnitentiam.* Et alibi: *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio judicii et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios;* et S. Chrysost. homil. de lapsu prim. hominis: *Noli*, ait, *peccare post veniam, noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam: cogita, ô homo, graviorem esse culpam post veniam, renovatum vulnus pejus dolere post curam, molestius hominem sordidari post gratiam. Quare indulgentiæ ingratus est qui post veniam peccat; sanitate indignus est, qui semetipsum postquam curatus est vulnerat; nec mundari meretur, qui semetipsum post gratiam sordidat.* Et paucis interjectis: *Grave est hominem instructum delinquere, gravius absolutum peccare: servo pejor est, qui patronum post datam libertatem offendit: beneficiis ingratus est, qui datorem tumoris arrogantia despicit.* Vide nostrum Joannem Busæum in Arca Medica verb. *Recidivum*, ubi quinque adversus recidivam peccati remedia suggerit, eaque testimoniis sanctæ Script. et Patrum confirmat.

21. MELIUS,] non positive, quasi majus sit bonum, cum nec sit bonum; sed negative, quia minus malum, hoc est, minor est infidelis ignorantis, quam fidelis cognoscentis culpa, ideoque minor erit et pœna. *Ille enim nondum accessit; iste retro respexit*, ait S. August. in Psalm. 83. Idem S. August. conc. 2. in Psalm. 30. *Cum dicit*, inquit, *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, nonne judicavit meliores esse inimicos foris positos, quam intus male viventes, quibus premitur et gravatur Ecclesia?* Et Salvianus lib. 4. de Provident. *Nunc, ait, quia jam Christum agnovisti, qui susceptus es quasi intra os Dei per fidei agnitionem, projicieris per teporem; quod etiam B. Petrus exposuit, dicens de vitiosis et tepidis: Melius erat illis*, etc.

NON COGNOSCERE,] μη επιγνωκεναι, id est, *non cognovisse.*

VIAM JUSTITIÆ.] Id est, institutum et religionem Christianam, sive christianismum: hic enim est via nos ducens ad veram virtutem et justitiam coram Deo, in qua proinde nemini sistere licet, sed quemque semper in ea progredi et proficere oportet, donec ad metam, puta cœlestem patriam et gloriam perveniat. Aliqui pro *justitiæ* legunt αληθειας, id est *veritatis*, id est, veræ doctrinæ et fidei, puta Evangelii.

RETRORSUM CONVERTI A SANCTO MANDATO.] S. Aug. de Fide et oper. c. 24. legit, *reflecti à tradito;* S. Hieron. liv. 1. contra Jovin. *retrorsum converti, et relinquere sanctum mandatum, quod eis traditum est.*

Sanctum mandatum vocat legem Evangelicam. Primo, quia ejus auctor est Christus et Spiritus sanctus.

Secundo, quia lex Evangelica docet jubetque omnem puritatem et sanctimoniam ac vetat omnem coinquinationem et impuritatem.

Tertio, quia omnes sibi obedientes sanctificat per doctrinam, gratiam et sacramenta quæ suggerit.

Quarto, quia sancte servari debet: ejus enim modus, æque ac finis, est sanctitas, juxta illud: *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris.* Lucæ 1. 78.

Quinto, quia multa in ea sine gratia sanctificante observari nequeunt, inter quæ prima est lex charitatis, susceptio Eucharistiæ, administratio S. Sacramentorum, etc.

Sexto, quia pro objecto habet Deum, qui est ipsa sanctitas: hunc enim colit fide, spe, charitate, religione, cæterisque virtutibus Christianis.

Septimo, mandatum Evangelii sanctum est; quia à Deo sancitum et firmatum, ut duret per omnia sæcula, perque totam æternitatem, utque à Sanctis in cœlo plene et perfecte adimpleatur. Præclare enim Salvianus lib. 4. ad Eccles. Cathol. in fine: *Cuncti*, inquit, *qui oderunt mandatum sacrum, causam odii in seipsis habent. Omne fastidium non in præceptis legis, sed in moribus suis. Lex quippe bona est, sed mores mali, ac per hoc mutent homines propositum, et affectum. Si enim mores suos probabiles esse fecerint, nihil eis ex eo quod lex bona præcipit, displicebit: quando enim bonus qui esse cœperit, non potest non diligere legem Dei; quia hoc intra se habet lex Dei sancta, quod sancti homines in moribus.* Loquitur S. Petrus de apostasia, et apostatantibus à sancta Christi fide et lege ad impuram Gnosticorum sectam. Ejus tamen sententiam recte adaptes Sacerdotibus et Religiosis, qui à sacerdotio et Religione apostatant, redeuntque ad sæculum, aut ducunt uxores, vel potius concubinas, quod quantum sit nefas, vide apud S. Basilium Regul. fusior. reg. 14. Cæsarium homil. 3. ad Monachos, Auctorem serm. ad Fratres in eremo apud S. Aug. tom. 10. serm. 8. et 34. ac nostrum Hieron. Platum. l. 3. de Bono status religiosi cap. 37. Maxime vero taxat Agapetarum sectam, quæ orta paulo ante tempora S. Hieron. valde sese dilatavit, ideoque plerique Patres, ut S. Hieron. August. Chrysost. Nazianz. Basil. lib. de Virgin. in eam acriter invehuntur. Vocaban-

tur græce ἀγαπῆται, id est *dilectæ* (item sorores adoptivæ, ut ait Chrysostomus) eo quod prætextu dilectionis viris spiritualibus cohabitarent, quasi ab iis instruendæ et formandæ in pietate et virtute, sed sub hoc prætextu turpiter vivebant, uti etiamnum nonnullis in locis fit. Quocirca Patres jam citati docent virgines et mulieres devotas plane debere à viris, etiam spiritualibus, separari. Audi S. Hieron. ad Eustochium de custod. virgin. *Pudet*, ait, *dicere (proh nefas!) triste, sed verum est. Unde in Ecclesias Agapetarum pestis introiit? unde sine nuptiis aliud nomen uxorum? imo unde novum concubinarum genus? Plus inferam : Unde meretrices univiræ? eadem domo, uno cubiculo; sæpe uno tenentur et lectulo, et suspiciosos nos vocant, si hinc aliquid existimamus. Frater sororem virginem deserit; cælibem spernit virgo germanum, fratrem quærit extraneum. Et cum in eodem proposito esse se simulant quærunt alienorum spirituale solatium, ut domi habeant carnale commercium. Hujusmodi homines Salomon in Proverbiis spernit, dicens: Alligabit quis in sinu ignem, et vestimenta ejus non comburentur? Aut ambulabit super carbones ignis, et pedes illius non ardebunt?* Rursum idem Hieron. paulo supra ibidem: *Hæ sunt*, inquit, *quæ solent dicere : Omnia munda mundis. Sufficit mihi conscientia mea. Cor mundum Deus solum desiderat. Cur me abstineam à cibis quos Deus creavit ad utendum? Et si quando volunt festive et lepide vivere, ubi se mero ingurgitaverint, ebrietati sacrilegium copulantes aiunt : Absit, ut ego me à Christi sanguine abstineam. Et quam viderint pallentem atque tristem, miseram atque Manichæam vocant. Et consequenter : tali proposito jejunium, hæresis est. Hæ sunt quæ per publicum notabiliter incedunt, et furtivis oculorum nutibus adolescentium greges post se trahunt, quæ semper audiunt per Prophetam : Facies meretricis facta est tibi, impudorata es tu. Purpura tantum in veste tenuis, et laxius, ut crines decidant, ligatum caput : soccus vilior, et per humeros hyacinthina læna mavorte volitans; succinctæ manicæ brachiis adhærentes, et solutis genibus fractus incessus : Hæc apud illas tota virginitas.*

22. Canis reversus ad vomitum.] Comparat Gentiles à christianismo relapsos in hæresin Gnosticorum, canibus. Primo, quia tales sicut canes revertuntur ad vomitum, id est ad errores, gulas et libidines quas in christianismo evomuerant et abjecerant. Porro vomitum resorbere est fœdum et abominabile. Unde S. Aug. conc. in psalm. 30. *Vide*, ait, *quam horribili rei eos comparaverit. Horribilis profecto res est proprium resorbere vomitum, nec in summa quidem fame à quoquam usurpatum.* Secundo, quia impudici et impudentes sunt ut canes, qui in publico commiscentur. Unde impurus Diogenes ob caninam obscœnitatem et inverecundiam vocatus est Cynicus, id est, caninus et canis, teste Laert. Rursum τὸ *canis* notat Gnosticorum vagas et promiscuas libidines, ac adulteria : talia enim sunt canum; unde proverbium: *Canis masculi infinita cubilia.* Tertio, quia hæretici veritati, veræque fidei oblatrant, ac orthodoxos verbo et scripto insectantur quasi canes latrantes : ita S. Chrysost. hom. de cruce Dom. *Canes*, ait, *sunt omnes hæretici, qui contra creatorem suum blasphemiarum extendunt eloquia.* Quarto, quia canis vile fœdumque est animal et legaliter immundum, ut patet Deuter. 23. v. 18. tales quoque sunt hæretici. Unde Eccli. cap. 13. 22. *Quæ communicatio*, ait, *sancto homini ad canem?* et Isaias cap. ult. 3. *Qui mactat pecus quasi qui excerebrat canem;* et Christus Matth. 7. 6. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Huc alludens sanctus Petrus utramque Christi similitudinem, puta canum et porcorum, usurpat. Quinto, quia, ut ait S. Hieron. ad Rusticum : *Pomparum ferculis procedunt in publicum ut caninam exerceant facundiam*, scilicet compositam duntaxat ad maledicendum et rixandum, quæ canina dicta est, à rixa et oblatratu canum. Porro hæc maledicentia arguit hæreticorum timiditatem, falsitatem, et diffidentiam. Sicut enim canes timidissimi maxime latrant, quia mordere non audent, vel nequeunt : canes vero muti mordent, nec latrant : sic hæretici quia timent et diffidunt causæ suæ, utpote falsæ et erroneæ, hinc clamoribus et maledictis eam tegere, iisque victoriam obtinere satagunt, quam sciunt se argumentis et rationibus obtinere non posse. Sexto, canes sunt mendici : mendicant enim astando mensæ heri, in eumque intenti, offam et ossa expectant. Unde proverbium : *Canis mendicos auxilians.* Canes enim infesti sunt mendicis quasi ὁμοτέχνοις, qui scilicet eamdem secum artem exerceant, panemque præripiant : unde mendici objiciendo canibus frustum eos sibi conciliare solent. Ita mendicant hæretici, mensisque et bursis divitum inhiant, et quasi canes circa macellum et intestina oberrant. Est enim *odora canum vis*, et ubicumque odoratur escam, eo se insinuat. Septimo, canis pronus est in vindictam, sed stolide lapidem in se jactum remordet; jacientem vero dimittit, quasi eum non audeat attingere, ait Plato l. 5. de Republ. Ita hæretici proclives sunt in vindictam, cumque veritatem et eruditos se impetentes impetere et ulcisci nequeant, plebem indoctam invadunt. Octavo, canes vivunt otiose et secure ex alieno, juxta illud: *Canis vivens è magdalia*, id est, è furfure, adipe, cæterisque manuum purgamentis, etc.: *Canis tanquam Delum navigans*, jaci solitum in supinum, otiosum, securum, ac voluptuariam vitam agentem : nam Athenis facilis ac tuta in Delum erat navigatio. Eamdem vitam vivunt hæretici. Unde Paulus : *Videte*, ait, *canes, videte malos operarios, videte concisionem*, Philip. 3. 2. Nono, canes acriter in venatione persequuntur feram, eamque cingunt donec comprehendant et lanient; *est enim genus acre luporum atque canum*, ait Virgil. 3. Georg.

Et canibus leporem, canibus venabere damas.

idem et Ovidius in Ibin :

Scindent avidi perfida corda canes.

Ita hæretici venantur animas quasi lepores, nec desistunt donec eas capiant et occidant.

Decimo, canes horribiliter ululant, quod *baubare* vocat Lucret. Hinc apud inferos dicunt Poetæ esse tricipitem canem, puta Cerberum, instar horrendi monstri, qui damnatos mordeat et cruciet. Similis est ululatus, morsus, horror et cruciatus hæreticorum, præsertim in gehenna. Hinc Cerberus dictus est quasi κρεοβόρος, id est *carnem vorans*, de quo Virgil. 6. Æneid.

Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Personat, adverso recubans immanis in antro:

et mox :

Ille fame rabida tria guttura pandens
Corripit objectam, atque immania terga resolvit.

Moral. S. Greg. 3. p. Pastor. admon. 31. hanc S. Petri sententiam applicat quibusvis ad peccata dimissa redeuntibus. Alludit enim S. Petrus ad illud Prov. 26. v. 11. *Sicut canis qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens qui iterat stultitiam suam. Admonendi sunt enim*, inquit S. Gregor. *qui admissa plangunt, nec tamen deserunt; atque aliter qui deserunt, nec tamen plangunt. Admonendi sunt enim qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, ut considerare sollicite sciant, quia flendo inaniter se mundant, qui vivendo nequiter inquinant, cum idcirco se lachrymis lavant, ut mundi ad sordes redeant. Hinc enim scriptum est : Canis reversus ad suum vomitum, et sus lota in volutabro luti. Canis quippe cum vomit, perfecto cibum qui pectus deprimebat, projicit; sed cum ad vomitum revertitur, unde levigatus fuerat, rursum oneratur. Et qui admissa plangunt, profecto nequitiam de qua male satiati fuerant, et quæ mentis intima deprimebat, confitendo projiciunt, quam post confessionem dum repetunt, resumunt. Sus vero in volutabro luti cum lavatur, sordidior redditur. Et qui admissum plangit, nec tamen deserit, pœnæ gravioris culpæ se subjicit, quia et ipsam quam flendo potuit impetrare veniam contemnit, et quasi in lutosa aqua semetipsum volvit, quia dum fletibus suis vitæ munditia subtrahit, ante Dei oculos sordidas ipsas etiam lachrymas facit;* et paulo inferius : *Hinc per quemdam sapientem* (Eccli. 34.) *dicitur qui baptizatur à mortuo, et iterum tangit illum, quid proficit lavatio ejus? Baptizatur quippe à mortuo, qui mundatur fletibus à peccato : sed post baptisma mortuum tangit, qui culpam post lachrymas repetit.*

Guiliel. Pariensis l. de Pœnitentia c. 12. apte pieque docet in confessione evomi peccata, ideoque detestabiles esse qui postmodum ad peccata redeunt, ac opera virulenta quæ semel evomuerunt resorbent. Vide S. Aug. in psal. 83. post initium, ubi urget exemplum uxoris Lot, quæ retro respiciens versus Sodomam, versa est in statuam salis, citansque hunc locum S. Petri : *Canis*, inquit, *reversus ad suum vomitum. Premebat enim pectus conscientia peccatorum, accepta indulgentia quasi vomuisset, relevatum est pectus tuum. Facta est bona conscientia. ex mala conscientia. Quid rursus converteris ad vomitum tuum? Si canis hoc faciens horret oculis tuis, tu quid eris oculis Dei?*

Sus lota, rediens, rursumque se volutans in volutabro luti.] Unde Græca clarius habent : *Sus lota ad volutabrum luti*, scilicet reversa. Volutabrum est locus cœnosus ubi sues volutantur, de quo Virgil. l. Georgic.

Sæpe volutabris pulsos silvestribus apros
Latratu turbabis agens.

et Horat. l. 1. epist. 2.

Et amica luto sus.

Notat Gnosticos, tum quia porcus, ait Horus, et ex eo Pierius Hierolog. 9. symbolum est hominum veritatem spernentium, profanorum, perniciosorum, et eorum qui à Deo penitus sunt aversi quales erant Gnostici; tum quia Gnostici dicti sunt Borboritæ, id est cœnosi, vel lutosi, à βορβορω, id est *luto*, sive *cœno. Hi enim*, ut ait Philastr. de Hæresib. *in cœnum euntes, et inde obliti de cœno facies et membra sua deformantes gerebant;* et S. August. hæresi 6. *Nonnulli*, ait, *eos* (Gnosticos) *Borboritas vocant quasi cœnosos, propter nimiam turpitudinem quam in suis mysteriis exercere dicuntur.* Similes novi Gnostici cœnosi, nuper ex Anabaptistis orti sunt in Hollandia, quorum secta vocatur *currus stercorum;* quia sentinam putidissimorum errorum et blasphemiarum vehit, omnemque religionis curam abjicit, ait ex Vlambergio Rescius in Sectarum centuriis : ubi et ex Hosio aliam sectam recenset eorum qui vocantur *Suistæ;* eo quod sui capitis somnia sequantur. *Rusticus*, inquiunt, *fuit Lutherus, monachus Bucerus, stigmaticus Calvinus, carnifex Sudrovius, sui spiritus ergo cuique sequenda sunt consilia : suo spiritu ex inspiratione Spiritus sancti quisque interpretetur S. Script. sibique sapiat et consulat.* Vere Suisticum, imo suinum est hoc eorum dictum.

Moral. Origen. hom. 1. in psal. 37. recte peccatores comparat suibus. Primo, quia uti sues res sordidas et putidas adamant, habentque pro deliciis, decore et odore suavissimo, ita et peccatores : *Porcis*, inquit, *similes dicuntur ii qui peccatorum fœtoribus delectantur sicut porci, qui fœtorem omnem tanquam odorem suavissimum expetunt. Considera ergo peccatorem qui peccatis suis delectatur, et lætus est in malis suis, quoniam et ipse in stercore fœtido volutatur, et nullum fœtoris ejus qui ex peccati stercore oritur percipit sensum, ac velut in summis voluptatibus et gratissimis deliciis delectatur.* Quin et Cicero de Arusp. resp. *Velut sus quædam luto*, inquit, *ita stupris delectatur;* et Horat.

Epicuri de grege porcus.

Secundo, quia peccator in se spurcus et fœdus est uti porcus, præsertim sus, quæ est animal calidum, obscœnum et fœdum. Unde nonnulli censent dictum esse *fœdus*, eo quod in illo feriendo mactabatur animal *fœdum*, id est porca, juxta illud Virgil. 8. Æneid.

Stabant et cæsa jungebant fœdera porca.

Inde manarunt phrases *ferire, icere, percutere fœdus*, quia scilicet feriebatur porca ad sanciendum fœdus. Hinc diabolus adamat porcos, et sæpe in specie porci apparet, ac porci vel corpus, vel formam induit, ut patet ex Vita S. Antonii : quin et à Christo petiit facultatem ingrediendi in porcos. Matth. 8. 3. præsertim quia porci omnes in Italia, locisque vicinis sunt nigri (unde Alba urbs vicina Romæ, ejusque parens et æmula, ita dicta est à prodigio albæ suis, quæ illi præter morem enixa est triginta nefrendes); diabolus autem aterrimus est, non coloribus, sed moribus et gehennæ ardoribus.

Tertio, quia sus pascitur rebus sordidis, ita et gulosus; unde proverbium : *Sus comessatur.* Rursum sus saginatur ut mactetur : ita peccator saginat se ut mactetur, epulumque præbeat diabolo in gehenna.

Quarto, porcus in ventrem pronus non nisi terram aspicit, terræ incubat, nec aliud est quam moles carnea, terrestris et ponderosa : sic et peccator terrenis inhiat, ventri et carni incubat. Hinc Lutherus suos Lutheranos in ventrem projectos vocabat sues, ut superius dixi. Audi Lactant. lib. 4. c. 17. qui dans causam cur Judæis

esus suillæ interdictus fuerit, sic ait : *Est enim lutulentum hoc animal, et immundum, nec unquam cœlum aspicit, sed in terram toto et corpore et ore projectum ventri semper et pabulo servit, nec ullum alium dum vivit præstare usum potest, sicut cæteræ animantes, quæ vel sedendi vehiculum præbent, vel in cultibus agrorum juvant, vel plaustra collo trahant, vel onera tergo gestant, vel indumentum exuviis suis exhibent, vel copia lactis exuberant, vel custodiendis domibus invigilant. Interdixit ergo ne porcina carne uterentur, id est, ne vitam porcorum imitarentur, qui ad solam mortem nutriuntur; ne ventri ac voluptatibus servientes, ad faciendam justitiam inutiles essent, ac morte afficerentur. Item ne se fœdis libidinibus immergerent, sicut sus quæ se ingurgitat cœno, vel ne terrenis serviant simulacris, ac se luto inquinent; luto enim se oblinunt, qui Deos, id est, qui lutum terramque venerantur.*

Quinto, quia sus inverecunda est, nec dominum cum vorat agnoscit; quin et subinde efferata dum fœtus lactat, pueros invadit, necat, devorat. Audi Arist. l. 6. Histor. anim. c. 18. *Sues cum libidine excitantur, quod subare dicitur, vel homines aggrediuntur.* Ita peccator inverecundus, ingratus et infamis est, quia Deum creatorem suum non agnoscit, non curat, non metuit. Vide dicta de sue et porco Levit. 11. 7.

Sexto, esus continuus suillæ lepram, aliosque graves morbos creat : ita voluptates peccatori creant morbos corporis, et tormenta animæ. Denique de sue Plinius lib. 8. c. 51. *Animal*, ait, *hoc maxime brutum, animamque ei pro sale datam non illepide existimatur.* Sic peccator brutus est, et ex homine nil hominis habet præter animam, quæ instar salis corpus à putredine et corruptione conservat.

Septimo, aprorum et suum silvestrium ingens est feritas, adeo, ut plantas arboresque suffodiant, quin et conficiant et discerpant : ita libido omneque peccatum hominem efferat, facitque sævum et crudelem. Audi Aristot. l. 1. de Histor. anim. cap. 1. *Animantes aliæ*, inquit, *animosæ, pervicaces, brutæ omnino, ut sues silvestres.* Denique hebetudo et soliditas suis patet ex hirta seta, suillo vultu, oculis, rostro, grunnitu, etc. Hinc proverbium apud Suidam : *Asinus lyram, sus audiit stolidas tubam;* dictum in eos qui res egregias audiunt, sed eas neque intelligunt, neque mirantur, et illud : *Sus Minervam*, cum quis stupidus docere vult sapientem, et illud : *Sus fustem*, cum quis se stolide in præsens periculum et perniciem præcipitat, et illud : *Sus per rosas*, dictum in agrestes et intractabiles, nec enim sus per rosas duci potest, quin eas fœdet, et illud :

Acinos sus improba pendes,

id est, pusillum commodi magno lues malo. Hæc omnia facile est peccatori adaptare, qui stolidissime se in omne malum præcipitat ob micam vel guttam voluptatis.

Hæc est ergo idea hæretici, quam toto hoc capite graphice hisce moribus, quasi coloribus ad vivum pinxit S. Petrus. Primo, v. 1. Hæretici, inquit, sunt pseudoprophetæ, et magistri mendaces. Secundo, introducunt sectas perditionis. Tertio, eum qui emit eos Dominum negant. Quarto, v. 2. multi sequuntur eorum luxurias. Quinto, per eos via veritatis blasphematur. Sexto, v. 3. in avaritia de fidelium corpore et anima cum dæmone negotiantur. Septimo, sunt hypocritæ et adulatores : utuntur enim verbis fictis et blandiloquiis, et ad seducendum compositis. Octavo, perditio eorum accelerat. Nono, v. 8. similes sunt Lucifero et dæmonibus. Decimo, v. 5. similes sunt carnalibus mersis diluvio ac Sodomitis. Undecimo, v. 10. post carnem in concupiscentiæ immunditia ambulant. Duodecimo, dominationem contemnunt. Decimo tertio, sunt audaces; Decimo quarto, sibi placentes. Decimo quinto, blasphemi. Decimo sexto, v. 12. sunt velut irrationabilia pecora nata in captionem et perditionem. Decimo septimo, quæ non intelligunt blasphemant. Decimo octavo, v. 13. sunt voluptuarii, coinquinationes et maculæ, deliciis affluentes. Decimo nono, in conviviis luxuriantes, oculos habentes plenos adulterii et incessabilis delicti. Vigesimo v. 14. pelliciunt animas instabiles. Vigesimo primo, cor habent avaritia exercitatum. Vigesimo secundo, sunt maledictionis filii. Vigesimo tertio, v. 15. derelinquentes viam rectam errant. Vigesimo quarto, sequuntur viam Balaam, qui mercedem iniquitatis amavit, ideoque periit. Vigesimo quinto, v. 17. sunt fontes sine aqua. Vigesimo sexto, sunt nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reservatur. Vigesimo septimo, v. 18. superba vanitatis loquuntur. Vigesimo octavo, pelliciuntur per escam voluptatum et luxuriæ noviter ab ea conversos. Vigesimo nono, v. 19. promittunt libertatem, cum ipsi sint servi corruptionis. Trigesimo, v. 20. fiunt eis posteriora deteriora prioribus. Trigesimo primo, v. 22. sunt velut canes reversi ad vomitum, et velut sues lotæ reversæ ad volutabrum luti.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

INTER ALIA QUÆ DOCEBANT GNOSTICI ALIIQUE HÆRETICI, ERAT HOC, NULLUM FORE JUDICIUM, UT HOMINES SINE METU JUDICIS ET VINDICIS CHRISTI SUIS CONCUPISCENTIIS ET HÆRESIBUS LIBERE INDULGERENT. REFELLIT HOC S. PETRUS AC HORROREM JUDICII IMPROVISI, ET IGNIS HORRENDI QUO CONFLAGRABIT MUNDUS; ATQUE NOVOS COELOS, NOVAMQUE TERRAM GRAPHICE DEPINGIT; INDEQUE CONCLUDIT: PROPTER QUOD CHARISSIMI HÆC EXPECTANTES, SATAGITE IMMACULATI ET INVIOLATI EI INVENIRI IN PACE. SECUNDO, NE MIRENTUR JUDICIUM DIFFERRI, AIT EJUS MORAM FORE BREVEM, EAMQUE A DEO HOMINIBUS CONCEDI AD HOC, UT POENITEANT ET SUÆ SALUTI CONSULANT, UTI MONUIT S. PAULUS IN SUIS EPISTOLIS, QUAS ASSERIT ESSE DIFFICILES INTELLECTU, ET AB HÆRETICIS DEPRAVARI. DENIQUE V. 17. MONET UT IN FIDE ET GRATIA CHRISTI FIRMI PERSISTANT ET CRESCANT.

1. HANC ecce vobis, charissimi, secundam scribo epistolam, in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem: 2. ut memores sitis eorum, quæ prædixi verborum à sanctis Prophetis, et Apostolorum vestrorum, præceptorum Domini et Salvatoris. 3. Hoc primum scientes, quod venient in novissimis diebus in deceptione illusores juxta proprias concupiscentias ambulantes. 4. Dicentes: Ubi est promissio, aut adventus ejus? ex quo enim partes dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ. 5. Latet enim eos hoc volentes, quod cœli erant prius, et terra, de aqua, et per aquam consistens Dei verbo: 6. per quæ, ille tunc mundus aqua inundatus periit. 7. Cœli autem, qui nunc sunt, et terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii, et perditionis impiorum hominum. 8. Unum vero hoc non lateat vos, charissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus. 9. Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant; sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. 10. Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quæ in ipsa sunt opera, exurentur. 11. Cum igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus, et pietatibus, 12. exspectantes, et properantes in adventum diei Domini, per quem cœli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent? 13. Novos vero cœlos, et novam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat. 14. Propter quod charissimi hæc expectantes, satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace. 15. Et Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini: sicut et charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis. 16. Sicut et in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem. 17. Vos igitur, fratres, præscientes custodite, ne insipientium errore traducti excidatis à propria firmitate. 18. Crescite vero in gratia, et in cognitione Domini nostri, et salvatoris Jesu Christi. Ipsi gloria et nunc, et in diem æternitatis. Amen.

1. HANC ECCE VOBIS,] ô Christiani dispersi per Asiam, Bithyniam, Cappadociam, etc. ut dixit epist. 1. cap. 1. vers. 1. significat enim hic se iisdem scribere hanc secundam, quibus olim scripserat primam epistolam.

IN QUIBUS,] scilicet epistolis duabus, puta prima et secunda jam dictis.

VESTRAM EXCITO IN COMMONITIONE SINCERAM MENTEM.] *Excito*, scilicet quasi à somno torporis, teporis et oblivionis: hoc enim innuit Græcum διεγειρω. Pagnin. *extimulo per commonitionem vestram sinceram mentem*. Græce εν υπομνησει (perperam Erasmus legit, εν επιγνωσει id est, *in cognitione*) hoc est, in commonitione, in recordatione, in revocatione ad memoriam, juxta id quod dixit epist. 1. c. 1. v. 12. *Propter quod incipiam vos semper commonere de his.* Discat hic Pastor eamdem sæpe refricare et inculcare suis subditis, donec ea plane perdiscant et in mores transferant. Ita Chrysost. hom. 19. in Acta, suis quærentibus eadem ab ipso dici et repeti, respondet: *Hoc vos maxime perdit. Id vero convincit, quia nec satiantur eadem sæpius in theatro spectantes.* Additque *eorum reprehensionem esse, quod non corrigantur toties audientes.*

Nota. *Mentem* fidelium *sinceram* vocat, primo

integram ; secundo, incorruptam ; tertio, puram et simplicem. *Sincerum* enim tria significat : Primo, *sincerum*, id est integrum. Sic Ovidius 12. Metamorph. vocat *corpus sincerum*, id est, integrum ; unde explicans addit, *sine vulnere*, et Lucret. l. 3. membra *sincera*, id est integra. *Sincerum* enim conflatum videtur ex σαν (unde *syncerum* per y, scribunt nonnulli) id est, *simul*, et cera, q. d. Simul cum cera, ita dictum ab iis qui fructum alvearium cum socio dividunt : hi enim mel simul cum cera dividunt ; quod si mel solum sine cera dent, socium fraudant, nec agunt sincere, id est integre.

Secundo, sincerum idem est quod incorruptum, immaculatum, sic Horat. l. 1. c. 2.

Sincerum est nisi vas quodcumque infundis acescit.

Sincerum, id est incorruptum ; et Cicero pro Quintio : *Nihil est tam sanctum atque sincerum civitate.* Unde nonnulli *sincerum* derivant à carie, q. d. Sine carie, id est corruptione.

Tertio et optime : Sincerus, inquit Donatus, est purus, sine fuco et simplex, ut mel sincerum, id est sine cera. Sic vinum sincerum vocatur merum, non mistum : frumentum sincerum vocatur purum, carens leguminibus et paleis : oleum sincerum et purum, carens aqua et fæcibus. Et hoc significat Græcum εἰλικρινὴς, id est *sincerus*, verus, non fictus, perspicuus, purus, manifestus, quasi ad εἰληλιγμένος, id est, *ad solis splendorem examinatus, et judicatus.*

Talis debet esse Christianorum mens, et talis fuit primorum ævo S. Petri ; ita scilicet pura et sincera, ut auderet comparere et examinari à Deo sole justitiæ. Nihil enim fictum, nihil fucatum, nihil simulatum, nihil vitiosum corde occultabat, sed aperta omnia, candida, fidelia, casta, virtuosa exhibebat : quod sapiebat corde, hoc ore proferebat. Sincerus et *simplex*, ait S. Gregor. 10. Moral. c. 17. vel juxta aliam editionem 29. *mentem semper ad patientiam præparat, et erectus pro justitia de præceptis contumeliis exultat, afflictis ex corde compatitur de bonorum prosperitatibus quasi de propriis lætatur, sacri verbi pabula in mente sollicitus ruminat, et inquisitus quidlibet eloqui dupliciter ignorat.* Idem sinceritatis exemplum dat Isaac patriarcham. *Morum*, ait hom. 15. in Ezech. *simplicitas placet ? Isaac ad mentem veniat, quem in omnipotentis Dei oculis vitæ suæ tranquillitas ornavit ?* Et S. Ambros. lib. de Joseph. cap. 1. docet nos discere *in Abraham impigram fidei devotionem, in Isaac, sinceræ mentis puritatem, in Jacob singularem animi laborumque patientiam : Joseph vero propositum esse tanquam speculum castitatis.* Idem S. Ambros. l. 10. in c. 23. Lucæ docet sinceritatem perditam ab Adamo, restitutam esse per Christum, ideoque Christum in cruce bibisse acetum, ut vitium corruptæ naturæ de corpore aboleretur humano. *Nos ergo*, inquit, *vitia nostra per incuriam mentis corporisque concreta transfundamus in Christum per pœnitentiam, ut ab illo nobis vini sanguinisque cœlestis incorrupta sinceritas refundatur.*

S. Bern. serm. 3. de Circumcis. *Primo omnium*, ait, *Christus appareat puer cum virgine matre, ut simplicitatem et verecundiam ante omnia quærendam nobis doceat esse. Nam et pueris simplicitas naturalis, et cognata virginibus verecundia est. Omnibus ergo nobis in conversionis nostræ initio nulla magis virtus necessaria est, quam simplicitas humilis, et gravitas verecunda.* Idem ad sororem de Modo bene vivendi cap. 9. *Sit in ingressu tuo simplicitas : in incessu honestas. Nihil dedecoris, nihil lasciviæ, nihil petulantiæ, nihil insolentiæ, nihil levitatis in incessu tuo appareat. Animus enim in gestu corporis apparet, gestus signum est mentis.* Idem epist. 334. ad Rolandum Cardinal. *Pro te faciat columbina simplicitas, et adversus maligni et antiqui serpentis astutias militet prudentia serpentina.*

Ita Paulus gloriatur in sinceritate eamque vocat gloriam conscientiæ. 2. Corinth. 1. 12. *Gloria nostra*, inquit, *hæc est testimonium conscientiæ nostræ ; quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo.* Et ad eamdem exhortans Corinthios omnesque fideles epist. 1. cap. 5. 7. *Pascha nostrum*, inquit, *immolatus est Christus. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis, sinceritatis et veritatis.* Panis enim azymus est purus et sincerus ; fermentatus vero est impurus et mixtus.

2. Ut memores sitis eorum quæ prædixi verborum a sanctis Prophetis.] q. d. Ut memores sitis verborum, quæ prædixi in oraculis Prohetarum. Unde Græca clare habent : μνησθῆναι των ρηματων προειρημενων υπο των αγιων προφητων, id est, *ut memores sitis verborum prædictorum à sanctis Prophetis.* Ita OEcum. Pagnin. Vatabl. et alii. Noster interpres τὸ προειρημένων, id est *prædictorum*, sagaciter retulit, tam ad S. Petrum, quam ad Prophetas, quia vidit S. Petrum refricare hic fidelibus oracula Prophetarum, non omnia (illa enim plurima et multis incognita sunt, nec huc pertinent), sed ea duntaxat quæ spectant Christum et Christianam fidem, ac legem quam à Prophetis prænuntiatam fuisse dixit c. 1. v. 19. fidem enim Christi ex oraculis Prophetarum confirmare intendit. Unde Dionys. Carthus. et alii legunt : *Ut memores sitis verborum Prophetarum et Apostolorum sanctorum.* q. d. Verba Apostolorum succinunt et concinunt verbis Prophetarum. Quod enim Apostoli prædicarunt factum per Christum, hoc Prophetæ futurum per eumdem prædixerunt. Hoc est quod ait Paulus, nos superædificatos esse super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, Ephes. 2. 20.

Et Apostolorum vestrorum præceptorum Domini et Salvatoris,] quia præcepta Apostolorum sunt præcepta Christi Salvatoris. q. d. Ut memores sitis præceptorum Christi Domini et Salvatoris, quæ ejus jussu vobis promulgarunt Apostoli vestri ; illi enim non sua, sed Christi præcepta vobis tradiderunt. Sic ait S. Paulus : *Scitis quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jesum*, 1. Thes. 4. v. 2. Unde infert v. 8. *Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum ;* et 1. Cor. 14. 37. *Si quis*, ait, *videtur Propheta esse aut spiritualis, cognoscat quod scribo vobis, quia Domini sunt mandata.*

Alii per hyperbaton τὸ *Domini Salvatoris*, referunt non ad *præceptorum*, sed ad *Apostolorum*, q. d. Memores estote præceptorum Apostolorum, quia illi sunt Apostoli Domini Salvatoris. Ita S. Judas v. 17. *Memores*, ait, *estote verborum quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi.* Illis nonnihil favent nonnulla Græca, quæ pro υμων, id est, *vestrorum*, uti legunt Complut. Regii et Latinus Vulgatus, legunt ημων, id est *nostrorum*, q. d. Apostolorum qui sumus nos.

Unde Vatablus totum hunc locum sic vertit, *ut memores sitis verborum quæ prædicta sunt à sanctis Prophetis, et mandati nostri qui sumus Apostoli Domini et Servatoris.*

3. Hoc primum scientes.] q. d. Ante omnia hoc velut maximi momenti scitote et advertite, quasi ab eo pendeat æterna salus, vel damnatio vestra : quo significat fideles, si salvi esse velint, summe cavere debere seductores et hæreticos : hi enim suos asseclas secum abducunt in gehennam.

Venient in novissimis diebus,] sub finem mundi tempore Antichristi, inquit S. August. 20. Civit. 18. et alii. Hoc verum sed arctius : S. Petrus enim monet fideles tum viventes et deinceps victuros, ut caveant hosce seductores. Unde nota εχατα, id est, *novissima tempora*, in Script. vocari υστερα, id est *posteriora;* utraque enim significat hebr. אחרית *acharit :* quo modo Prophetæ solent vocare Messiæ tempus novissimum, id est posterius, ac sequens legem tum naturæ, tum Mosis. Ita illud vocat Isaias c. 2. 1. Michæas c. 4. 1. Joel c. 2. 28. et S. Joannes ep. 1. c. 2. 18. Significat ergo S. Petrus omnibus futuris temporibus, et maxime sub finem mundi, venturos varios seductores, omnesque studiose esse cavendos. Idem monuit S. Paulus 1. Timoth. 4. 1. et Actor. 20. 29. Vide ibi dicta. Notat præcipue Gnosticos, qui illo ævo docebant libere vacandum cupidinibus, et libidinibus, et fideles minantes diem judicii irridebant, quasi qui inani umbra et terriculamento rei falsæ, sibi adimerent usum et fructum jucundæ et voluptuaris vitæ.

In deceptione illusores.] S. August. 20. Civit. 18. legit, *illusione illudentes*, S. Hieron. lib. 1. contra Jovinian. *illusores seducentes.* Tales erant Gnostici, qui irridebant omnia divina et humana, ac præsertim metum numinis, judicii et vindictæ divinæ : hunc enim adimentes hominibus persuadebant eis impune vacare Veneri et ventri. Atque hæc erat, et etiamnum est hæreticorum doctrina, seductio et deceptio. Idem faciunt moderni Gnostici, qui cum sint sine Deo (utpote athei) solos se sapere putant, atque sapientes indigitant.

Juxta proprias concupiscentias ambulantes,] indulgentes gulæ, libidini, cæterisque concupiscentiis, idque assidue et continue : το enim *ambulantes* significat continuationem, consuetudinem, propositum et statum vitæ voluptuariæ.

4. Dicentes (irrisorie, ut illi eorum prodromi apud Jerem. dicentem cap. 17. v. 15. *Ecce ipsi dicunt ad me : Ubi est verbum Domini? veniat.*) ubi est promissio aut adventus ejus.] Græce jam legitur που εστιν η επαγγελια της παρουσιας αυτου, id est, *Ubi est promissio præsentiæ* (vel adventus) *ipsius*, uti legit S. Augustinus 20. Civit. 18. *Ipsius*, intellige Christi, qui, ut omnibus fidelibus constat, promisit se rursum venturum in terram, ut sua præsentia visitet et judicet mundum, bonos glorificando in cœlis, malos damnanda ad tartara. Hebræi enim suppositum sæpe subticent, et illud quasi vulgatum et notum cuique subaudiendum relinquunt. Sensus est. q. d. Venient seductores, qui ut concupiscentias suas sine remorsu et metu numinis vindicis, impudenter instar brutorum expleant, negabunt Christum rediturum ad judicium, pœnasque exacturum de iis qui concupiscentiis indulserint.

Tales fuere primo, Sadducæi negantes carnis resurrectionem, omnemque spiritum, ac consequenter animæ immortalitatem, gehennam et vitam æternam, Actorum 23. 8. Secundo, idem docuerunt Dositheani, orti à Dositheo Judæo, tempore Neronis et sancti Petri sub annum Domini 52. teste Hegesippo et S. Hier. contra Lucifer. Tertio, Hymenæus et Philetus dicentes resurrectionem jam esse factam, quos S. Paulus tradidit Satanæ 2. Timoth. 2. Quarto, Gnostici, negantes judicium, teste Philastrio. Horum parens fuit vel Basilides, ut vult S. Hier. de Viris illustr. vel Nicolaus unus è septem primis Diaconis, ut vult S. August. lib. de Hæresibus, vel potius Carpocrates, ut vult S. Irenæus l. 1. c. 24. qui illo ævo vixit, et auctorem pene videre potuit. Quinto, Floriani, dicentes resurrectionem non esse aliam, quam filiorum procreationem ; in hac enim pater quasi resurgit et perdurat in filio : quorum auctor fuit Florinus sub Commodo Imp. et Sotere Pontif. sub annum Christi 182, teste Eusebio 5. histor. c. 15. Sexto, futurum judicium et carnis resurrectionem negabant Symmachiani sub annum Domini 273. Septimo, Proclianitæ, qui et Prodianitæ et Harmiotitæ à Philastrio nominantur, ortique sunt tempore Valentis Imperatoris, et Damasi Pontificis sub annum Domini 382. Octavo, Albanenses anno Domini 796. Nono, sub annum Domini 1001, cum multi diem finis mundi prædixissent, eorumque prædictio deprehensa esset falsa, nata est hæresis dicentium mundum esse incorruptibilem, quæ se hoc S. Petri loco tueri conabatur, uti ex Abbone Abbate Floriacensi refert Baron. anno jam dicto. Decimo, nostro ævo, judicium futurum negarunt Davidgeorgiani anno Christi 1525. Rursum Libertini ut quasi equi effrænes concupiscentiis adhinniant et indulgeant, negant judicium, resurrectionem, omneque numen. Idem faciunt multi alii, pluresque facient in fine mundi, ac in primis ipse Antichristus, qui erit atheus et luxuriosissimus, ac atheismum et epicurismum publice docebit ; volet enim ipse solus coli ut Deus, uti docet Daniel c. 11. 37. et Paulus 2. Thessal. 2. 4.

Ex quo enim patres (scilicet primi et prisci, à quibus genus hominum proseminatum est) dormierunt (mortui sunt) omnia sic perseverant ab initio creaturæ.] Græce κτισεως, id est *creationis.* Unde Tigur. vertit, *omnia sic permanent sicut ab initio creationis erant.* q. d. Omnia sic permanent, sicut ab initio condita et creata sunt.

Ex mundi diuturnitate, et rerum omnium constantia colligunt ejus æternitatem, quod scilicet talis semper perdurabit, ut de ejus occasu et secundo Christi adventu nemo debeat esse sollicitus. Sic Aristot. l. 1. de Cœlo, cœlum esse incorruptibile colligit ex eo, quod nulla unquam in eo visa sit mutatio. Sed paralogizant et errant; tum quia crebræ, imo perpetuæ, sunt in mundo rerum vicissitudines, motus, generationes, corruptiones, alterationes, etc. uti subdit S. Petrus ; tum quia numen, id est Deus gubernator, judex et vindex, maxime demonstratur ex mundi hujus inconstanti constantia, et constanti inconstantia. Quis enim res tam inconstantes, imo inter se pugnantes et contrarias, uti sunt ignis et aqua, calor et frigus, Auster et Aquilo, humor et siccitas, grando et pluvia, sterilitas et fœcunditas, fruges et fructus tam varii et contrarii, etc.,

facit adeo esse constantes, ut tam constanter statis temporibus per tot annorum millia nascantur et proveniant, nisi unum idemque constans Numen? Vide Theodor. decem libris de Providentia, et nostrum Lessium de Numine. Tum denique, quia creaturæ sicut à Deo creatæ initium acceperunt, ita et ab eodem finem præstitutum accipient. Qui enim ea facit oriri, idem faciet ea occidere : in ejus enim manu et arbitrio uti est rerum ortus, ita est occasus, uti clamant omnes Prophetæ totaque Scriptura. Id adeo verum est et evidens, ut Cicero lib. 2. de Natura deorum, ex Aristotele id ostendat esse luce clarius; sic enim ait : *Præclare Aristoteles. Si essent*, inquit, *qui sub terra semper habitavissent bonis et illustribus domiciliis, quæ essent ornata signis atque picturis, instructaque rebus iis omnibus quibus abundant iis qui beati putantur, nec tamen exissent unquam supra terram, accepissent autem fama et auditione esse quoddam numen, et vim Deorum; deinde aliquo tempore patefactis terræ faucibus, ex illis abditis sedibus evadere in hæc loca quæ nos incolimus, atque exire potuissent; cum repente terram et maria cœlumque vidissent, nubium magnitudinem, ventorumque vim cognovissent; aspexissentque solem ejusque tam magnitudinem pulchritudinemque, tum etiam efficientiam cognovissent, quod is diem efficeret toto cœlo luce diffusa : cum autem terras nox occupasset, tum cœlum totum cernerent astris distinctum et ornatum, lunæque luminum varietatem, tum crescentis, tum senescentis, eorumque omnium ortus et occasus, atque in omni æternitate ratos immutabilesque cursus hæc cum viderent, profecto et esse Deos, et hæc tanta opera Deorum esse arbitrarentur.* Et inferius : *Quis enim hunc hominem dixerit, qui, cum tam certos cœli motus, tam varios astrorum ordines, tamque omnia inter se connexa et apta viderit, neget in his nullam inesse rationem eaque casu fieri dicat, quæ quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus? An cum machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut sphæram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus quin illa opera sint rationis; cum autem impetum cœli admirabili cum celeritate moveri vertique videamus, constantissime conficientem vicissitudines anniversarias, cum summa salute et conservatione rerum omnium, dubitamus quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti quadam divinaque ratione?* Deinde discurrendo per singula elementa, astra, solem, lunam, herbas, flores, bestias, ac membra hominis, ostendit omnia et singula non nisi à divina mente tam affabre esse composita, ac ab eadem conservari, regi et dirigi, ut omnia tacita voce clament esse Numen, esse Deum judicem et vindicem malorum æque ac bonorum.

5. LATET ENIM EOS HOC VOLENTES.] q. d. Volentes et ultro hoc nesciunt, quia scire nolunt. Hæc est ignorantia affectata propria illusorum, seductorum et hæreticorum. Probat omnia non sic perseverare uti fuerunt ab initio creaturæ, uti dicebant illusores et Gnostici, ex eo quod Deus tempore Noe totum mundum ob scelera perdidit diluvio, ac simili modo eum perditurus sit per ignem, eoque illi finem cum merita pœna cuique allaturus. Ita OEcumen. *Sicut*, ait, *cœlo et terra ex aqua constitutis diluvium inopinato supervenit, ita et nunc statutum est ut per ignem fiat universi corruptio, cum quo impii peribunt.*

QUOD COELI ERANT PRIUS, ET TERRA, DE AQUA ET PER AQUAM CONSISTENS VERBO DEI.] Est syllepsis : τὸ enim *consistens* non tantum terram sed et cœlos respicit, et in se quasi concipit; proxime tamen refertur ad terram, ideoque dicitur *consistens* in singulari; sed tamen ad cœlos quoque per syllepsin hebraicam (hebræi enim adjectivum concordant cum substantivo proximiori, licet ad remotius quoque referatur. Vide Bellarminum in Syntaxi hebraica) extenditur, ut *consistens*, idem sit quod *consistentes*, ut legit Clarius, Catharinus, Salmeron et Cajet. Imo S. Augustinus 20. de Civit. cap. 18. sic legit : *Cœli erant olim et terra de aqua et per aquam constituta;* ac Beda et OEcumen. hic, et Rupert. lib. 1. in Gen. c. 50. sic legunt : *Cœli erant olim de aqua et per aquam constituti.* Ex qua lectione liquet cœlos formatos esse ex aqua, ideoque hebr. vocari *scamaim*, id est, *ibi aqua*, uti ostendi Genes. 1. v. 2. et 6. asserit, OEcumen. hic : unde *aqua* ita dicta est, quasi *à qua omnia.* Hinc Thales Milesius dixit aquam esse rerum omnium principium. Sensus est, q. d. Latet eos quod cœli et terra consistant Dei verbo, ac proinde quod eodem Dei verbo occidere et aboleri possint. Sicut enim Deus dicendo, *fiat lux*, cœli, sol, etc. ea creavit fecitque ut essent et consisterent, ita pariter dicendo : Non sint amplius, vel desinant esse, illico illa non erunt et esse desinent : imo si Deus duntaxat suum verbum manumque subducat, ita ut amplius non dicat, *fiat lux*, cœli, sol, etc. hoc ipso omnia esse desinent. Res enim omnes ita à Deo ab initio creatæ sunt, ut continuo ab eo conservari, suumque esse accipere, ac velut continuo creari debeant : pendent enim à Deo, uti radii pendent à sole. Quare conservatio rerum in Deo non est aliud, quam continuatio creationis, sive continua rerum creatio. Porro cœlos et terram proprie accipe, non autem materiam primam, uti videtur velle S. August. l. 1. de Gen. contra Manich. c. 7. nec enim materia prima creata est informis, sed cum forma cœlorum et terræ. Rursum cœli non solum aerem, ut vult Beda et alii, sed et veros cœlos significant.

TERRA DE AQUA ET PER AQUAM CONSISTENS.] Quæres quomodo hoc sit verum? Resp. primo, OEcum. *Duo*, inquit, *sunt elementa* (per quæ Deus perdidit et perdet impios cum mundo) *quæ universi machinam maxime continent, et cohærentem conservant aqua et ignis, ex quibus reliqua duo etiam existunt. Nam aer ex aquarum exhalatione, terra ex earum concretione consistit.* Verum terra initio mundi per se creata est, non ex aqua, ut patet Genes. 1. v. 1.

Quare secundo, melius idem OEcum. terra, ait, dicitur ex aqua et per aquam consistere, *quia aqua continet terram velut gluten quoddam quod ipsi adest, quod nisi ipsi contingeret, necesse esset illam dissolvi et ferri in aerem.* Aqua ergo terram quasi gluten compingit et conglutinat, ut una ejus pars alteri velut compacta cohæreat. Ita Philo lib. de Mundi opificio, qui ait aquam misceri terræ, tum ut eam conglutinet, tum ut eam fertilem et animantium usui aptam reddat. Unde nonnulli hæc referunt ad fontes et flumina, quibus quasi venis terra irrigatur, ne redigatur in pulverem. Tertio alii aiunt terram esse de aqua, quia ab aqua ita dirempta est, ut separatum ab eo globum efficiat. Verum hoc doctiores Mathematici ex eclipsibus aliisque experimentis confutant, probantque ex aqua et terra

unum globum conflari, ut unum sit totius mundi centrum. Vide nostrum Clavium in Sphæra. Quarto, et genuine, terra *de aqua*, græce ἐξ ὕδατος, id est *ex aqua*, consistit, quia scilicet primo die mundi terra tota operiebatur aquis, ita ut non appareret, et nusquam esse videretur : tertio vero die mundi Deus aquas à terra separavit, et in unum locum congregavit, Gen. 1. v. 2. et 9. tunc ergo terra ex aqua quasi enatans et emergens apparuit, seque esse et existere propalam demonstravit. Neque aliud vult Script. psal. 23. 2. cum ait, quod Deus *super maria fundavit eam*, scilicet terram. Sensus enim est, q. d. Deus fecit terram eminere et apparere ex aquis et mari. Rursum *de aqua*, quia Deus fecit ut terra quoad littora aliquatenus altior esse extremitatibus maris vicini, ut ex iis, quasi eclsior extare et caput attollere videatur.

Dices, quomodo S. Petrus ait terram non tantum ex aqua, sed et *per aquam* consistere? Resp. *per aquam*, id est, in aqua media, aut inter aquas medias jam segregatas, et varias partes terræ undequaque ambientes, terra ipsa consistit, quod Galli dicunt *en l'eau, parmi l'eau;* τὸ ergo *per aquam* explicat illud τὸ *de aqua*, et cum eo pene unum idemque est. Nam τὸ *de aqua*, significat terram ex aqua extare et eminere : τὸ vero *per aquam*, significat eam non ita eminere ut sit ab aqua separata; sed potius aquam ei esse immixtam, insparsam et insertam, sicut homini pituita et sanguis per venas immixtus et insertus est. Secundo, *per aquam*, quia terra per se arida et diffluens, per aquam quasi viscum et gluten conglutinatur, et compaginatur, ut in unum globum cum ea coalescat, uti paulo ante dixi. Licet enim terra elementorum et corporum sit infirma, tamen Deus ita digessit aquas, ut terra iis circumposita et imposita videatur. Oceano enim circumsepta, et tot fluminibus passim scaturientibus irrigua, per aquas quasi constringi, humectari, coalescere, fœcundari et vivificari videtur. Meminit aquarum S. Petrus, propter diluvium ex aquis natum, de quo sermonem subdit. Denique noster Lessius de Attrib. divin. lib. 13. c. 20. τὸ *de aqua* refert ad cœlos, τὸ vero *per aquam* ad terram, explicatque de divisione aquarum superarum ab inferis, Genes. 1. 6. q. d. *Cœli constituti sunt ex aquis*, quia Deus initio mundi constituit, fecitque firmamentum (puta cœlum) quod medium consisteret, divideretque aquas superas ab inferis, itaque ex utrisque extaret, et ab utrisque separatim consisteret : *terra vero constituta fuit per aquam*, quando aquas quæ erant sub firmamento congregavit in unum locum, et per medium aquarum apparuit arida. Similis trajectio hebr. est psal. 67. 9. et psal. 112. v. 5. et 6. et alibi. Eadem est huic loco apposita, ac significat cœlos ex aquis non tantum extare, sed et esse factos, uti explicat S. Clem. lib. 1. Recogn. qui asserit id se accepisse ex ore S. Petri. Quare hæc expositio videtur plane esse ex mente S. Petri, ac genuina, ut τὸ *de aqua* referendo ad cœlos, τὸ vero *per aquam* referendo ad terram, sic exponas, q. d. Cœli primitus ex aqua à Deo creati verbo Dei consistunt, terra vero per aquam ei immixtam eodem Dei verbo firma consistit. Sic Cant. 1. 5. cum dicit sponsa : *Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis;* ita hæc per trajectionem respective combinenda et explicanda sunt, q. d. *Nigra sum sicut tabernacula Cedar, sed formosa sicut pelles Salomonis.*

Consistens Dei verbo] dicente : *Fiat lux, fiant luminaria*, etc. Genes. 1. 3. Hoc est quod ait Psaltes : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, psal. 32. 6.

6. Per quæ] cœlos et terram, dantes aquas diluvii, qui antiquas suas sedes repeterent (occupando scilicet, et operiendo rursum totam terram) quibus Domini imperio cesserant, Gen. 1. 9. repeterent eas, inquam, novo miraculo, ad ulciscendum impiorum terrigenarum scelera. Respondet enim illusorum objectioni, dicentium v. 4. omnia perseverare sic sicut initio creata sunt, ac proinde nullum esse, vel fore sceleruni judicem et vindicem. Hoc confutat, dicens fuisse Deum impiorum vindicem, cum omnes aquis diluvii mersit et perdidit : sed hoc, inquit, latet eos, quia id nesciunt, vel scire nolunt.

Aqua inundatus perit.] Pro *inundatus* Thomas Anglicus per paragramma legit *mundatus*, hoc verum, sed mendosum.

7. Cœli autem qui nunc sunt, et terra, eodem verbo repositi sunt, igni reservati.] Est antithesis explens vim argumenti : opponit enim terræ et cœlis qui erant prius, græce ἐκπαλαι id est *priscis*, olitanis, antiquis; terram et cœlos qui nunc sunt, puta modernos; quod sicut illi pereunte mundo perierunt communi diluvio aquarum, ita hi peribunt diluvio ignis conflagratione mundi ulciscente Deo hominum scelera per ignem, sicut olim ea ultus fuit per aquam, ac proinde expectandum esse singulis, ac metuendum hoc ejus judicium et vindictæ supplicium. Porro cœli qui prius erant perierunt diluvio, non toti, sed quoad partem imam et citimam terræ, puta quoad aerem tam infimæ quam mediæ regionis. Aqua enim diluvii excessit omnes montes (ac proinde et mediam aeris regionem) quindecim cubitis, Gen. 7. 20.

Eugubinus tamen et Oleaster, quos citavi Genes. 7. 11. atque alii, cœlos hic totos et universim tam pro cœlis proprie dictis quam pro aere accipiunt : sic enim accipiuntur in sequentibus. Hi enim Auctores censent, tempore Noe aquas quæ supra cœlos et supra firmamentum sunt, depluisse, ut terræ inducerent diluvium : ad hoc enim tam amplum, utpote montes omnes transcendens ad quindecim cubitos, nec aer, nec centum maria sufficissent. Ergo aquis, quas supra cœlos vastissimas Deus in hunc finem reposuerat, fuit opus. Et hoc videtur hic exigere plena et perfecta antithesis S. Petri. q. d. Cœli priores, puta qui erant ante diluvium, eo fissi et obruti quasi perierunt; quia aquæ quæ supra cœlos sunt depluentes ad diluvium, eos fiderunt, obruerunt et immutarunt : simili modo cœli post diluvium à Deo restaurati qui nunc extant, in fine mundi igne conflagrationis ardebunt, solventur et peribunt; ac novi cœli et nova terra à Deo formabuntur; quæ cum Beatis gloriosa perennent in æternum. Nam diserte v. 12. cœlos ab elementis distinguit, dicens : *Cœli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent.* Si cœli posteriores igne tabescent : ergo pariter priores; quia qui erant ante diluvium, aquis ejusdem quasi contabuerunt. Ita ipsi, de quo dixi Genes. 7. 11.

Eodem verbo, scilicet eodem Dei imperio et jussu quo olim aquis diluvii obruti sunt, repositi sunt,] τεθησαυρισμενοι εισι, id est, quasi in the-

sanrum divinæ providentiæ, justitiæ et vindictæ reconditi sunt, scilicet *igni reservati*, ut sequitur. Male ergo Hugo et Dionys. τὸ *repositi sunt*, interpretantur *iterum positi sunt, et in pristinum statum restituti.* Sicut ergo peccator thesaurizat sibi culpam, ita Deus thesaurizat ei pœnam. Habet enim in thesauris suæ omnipotentiæ et providentiæ infinita suppliciorum genera, quibus culpas hominum pro meritis plectat et puniat Unde S. Paulus ait quod peccator *thesaurizat sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei*, Rom. 2. v. 4. et seq. et Jacobus c. 5. 3. *Thesaurizastis*, ait, *vobis iram in novissimis diebus.*

IGNI RESERVATI.] De quo Psaltes psalm. 96. 9. *Ignis ante ipsum præcedet*, et Paulus 2. Thess. 1. 8. *In revelatione Domini Jesu de cœlo, cum angelis virtutis ejus, in flamma ignis dantis vindictam iis qui non noverunt eum.* Quin et Sybilla l. 2. Oracul. de hoc igne conflagrationis ita canit :

Tunc ardens fluvius cœlo manabit ab alto
Igneus, atque locos consumet funditus omnes,
Terramque Oceanum ingentem, et cærula ponti
Stagna, lacus, fluvios, fontes, Ditemque severum ;
Cœlestemque polum, cœli quoque lumina in unum
Fluxa fluent, forma delcta prorsus eorum :
Astra cadent etenim de cœlo cuncta revulsa.

Et in eamdem sententiam Ovidius hæc scribit :

Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, quo rectaque regia cœli
Ardeat, et mundi moles operosa laboret.

Hinc disce quanta sit gravitas scelerum, quantaque eorum erit pœna et vindicta : ob illa enim totus hic mundus conflagrabit, sicut olim ob eadem conflagravit Sodoma totaque Pentapolis.

IN DIEM JUDICII ET PERDITIONIS IMPIORUM HOMINUM.] Quæres primo, an ignis hic præcedet judicium, an vero sequetur ? S. August. 20. Civit. c. 16. et 30. censet secuturum. Accedunt Prosper, Anselmus et alii, quos citat et sequitur Suarez. 3. p. tom. 2. disp. 57. sect. 1. qui censent conflagrationem mundi futuram post judicium ad hoc, ut per illam plane expietur mundus ab omnibus omnino sceleribus, etiam maledictis et blasphemiis à reprobis in judicio committendis. Verum communior sententia Doctorum est, hunc ignem præcessurum Christum judicem, ejusque judicium. Rationes sunt. Primo, quia id clare dici videtur psal. 90. 3. *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus. Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra. Annuntiaverunt cœli justitiam ejus, et viderunt omnes populi gloriam ejus.* Quibus verbis plane significatur, quod ignis hic præcedet, omniaque exuret, deinde sequetur Christus judex ac peraget judicium; secundo, quia homines qui in fine mundi vivi reperientur, hoc igne examinabuntur, et à levibus culpis purgabuntur, juxta illud 1. Corinth. 3. v. 13. *Uniuscujusque opus quale sit ignis probabit*, etc. : *Salvus erit, sic tamen quasi per ignem ;* ibi enim loqui Apostolum de die judicii (hunc enim vocat diem Domini), et igne conflagrationis mundi, ibidem ostendi. Homines autem purgabuntur non post resurrectionem et judicium (licet id de nonnullis censuerit Cæsarius Arelat. hom. 1. in illud 1. Corint. 3. *Salvus erit, sic tamen quasi per ignem*), sed ante, ut plane purgati possint cum aliis rapi obviam Christo in aera ; statimque à Christo beari, glorificari, et cum illo in cœlum conscendere. Tertio, quia decet Christum gloriosum non descendere in orbem, nisi jam per ignem purgatum et expiatum ; quarto, quia hic ignis quasi lictor assistet Christo judici, ut reprobos percellat et puniat, utque prolata à Christo in eos damnationis sententia, illico eos abripiat, secumque convolvat in tartara. Hoc enim significat hic S. Petrus, cum ait hunc ignem reservari in diem judicii et perditionis impiorum, et Ecclesia dum canit in Officio defunctor. *Libera me, Domine, de morte æterna in die illa tremenda, quando cœli movendi sunt et terra, dum veneris judicare sæculum per ignem.* Et Tertull. vel potius Novatian. l. de Trinit. c. 8. *Ad igneum*, inquit, *judicii diem mundus iste festinat*, quibus verbis ad hæc S. Petri alludit. Et S. Aug. libr. 50. homil. hom. 16. ubi ex S. Paulo docet uniuscujusque opus igne probandum.

Hic ergo videtur futurus ordo et series conflagrationis et consummationis mundi. Primo, Deus per angelos excitabit ignem, quo conflagrabit mundus : eodem occidentur omnes homines, sed cruciabuntur et purgabuntur ii duntaxat, qui culpas habent et purgatione indigent, quisque magis vel minus pro meritis cujusque ; secundo, Archangelo tuba insonante : *Surgite, mortui, venite ad judicium ;* omnes è morte et cinere resurgent, et ab angelis rapientur in vallem Josaphat, ut ibi à Christo judicentur ; tertio, judicium omnium et singulorum peraget Christus, moxque ignis hic reprobos ab eo judicatos et damnatos secum rapiet in tartara. Quocirca videtur ignis hic fore similis et ejusdem naturæ cum igne gehennæ : illi enim associabitur, in eamque desinet. Atque hac ratione tunc ignis hic expiabit mundum à maledictis et blasphemiis reproborum commissis in die judicii, quia ipsos abripiet in tartara, ut non sit opus alia expiatione aut combustione mundi. Hinc de eo canit Sibylla Erythræa :

Decidet è cœlo ignisque et sulphuris amnis ;

ut sit similis igni inferni, qui est sulphureus, ut patet Isaiæ 30. 33. Apoc. 20. 9. et alibi.

Quæres secundo, quos effectus operabitur hic ignis ? Resp. primo, serviet Christo ut ejus majestatem tum divinam, tum regalem et judiciariam in ejus humanitate repræsentet et condecoret. Ignis enim est index divinitatis : unde passim in Script. Deus apparuit et repræsentatus fuit per ignem, uti ostendi Exodi 3. 2. et 19. v. 18. Rursum regibus præferebatur ignis, quasi symbolum potentiæ et vindictæ, uti dixi Jerem. 1. 13. Ignis ergo hic prævius ostendet, et quasi muta voce clamabit Christum esse Deum, et qua hominem esse Regem et judicem universorum.

Secundo, ignis hic dissolvet omnia corpora mixta in elementa : cum enim illa ad usum temporalis vitæ hominum condita sint, cessante illa vita nulli erunt usui, ac proinde resolvenda sunt in sua principia, ex quibus sunt compacta, et suis elementis restituenda. Ita noster Lessius l. 13. de Divin. attrib. cap. 20. qui idipsum de omnibus omnino mixtis affirmat : licet nonnulli id negent, censeantque quædam reservanda, ac nominatim paradisum terrestrem in usum parvulorum qui defuncti sunt sine baptismo in peccato originali ; hos enim censent victuros in hoc mundo per totam æternitatem, de quo plura v. 10. et 13. Verum omnia exurenda esse disertis verbis asserit S. Petrus in fine v. 10.

Tertio, ignis hic purgabit justos tunc viventes qui aliquid culpæ, vel pœnæ luendum et expiandum habebunt, uti docet S. Paulus 1. Cor. 3. 13. justos vero plene purgatos vel non attinget; vel potius attinget quidem, sed non affliget, nisi quantum mors naturalis naturaliter morientem affligere solet: igne enim hoc morientur omnes etiam justi, nisi dicas Deum justos non igne, sed alia faciliore morte affecturum. Certe igne omnes morituros docet S. Bonavent. in 4. dist. 47. qu. ult. et insinuat S. August. homil. 16. inter 50. *Hi*, ait, *qui temporalibus pœnis digna gesserunt (de quibus Apostolus dicit, si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem) per fluvium igneum, de quo Propheticus sermo memorat. (Et fluvius igneus currebat ante eum) per fluvium, inquam, igneum, et vada ferventibus globis horrenda transibunt: quanta fuerit peccati materia, tanta erit et transeundi mora: quantum exegerit culpa, tantum sibi ex homine vindicabit quædam flammæ rationalis disciplina; et quantum stulta iniquitas suggesserit, tantum sapiens pœna desæviet. Ubi notandum*, ait Lessius loco jam citato, *hunc ignem quasi ratione præditum, singulos cruciaturum plus vel minus, pro culpæ vel reatus quantitate; quia eget ut instrumentum divinæ justitiæ, manu potentiæ illius applicitum, ut etiam docet S. Thomas in 4. dist. 47. versus finem, ubi dicit omnes quidem tam bonos, quam malos hoc igne perimendos, et in cinerem vertendos, sed bonos in quibus nihil purgandum, nullum dolorem sensuros; malos graviter cruciandos; bonos vero in quibus aliquid purgandum, sensuros cruciatum ex illo igne plus, vel minus pro meritorum diversitate. Idem modo servatur in igne Purgatorii: sævit enim ignis ille in eos qui purgantur, pro delictorum gravitate et reatus magnitudine.*

Quartus effectus erit mundi expiatio; est enim hic mundus veluti templum divinitatis, quod Deus ad suum cultum et honorem condidit et sanctificavit. Hoc templum per infinita hominum et dæmonum peccata, per spurcitias carnales et spiritales multis sæculis fuit inquinatum: unde priusquam renovetur ad statum gloriæ, expiandum erit; quæ expiatio sicut olim facta est per aquam, ita nunc fiet per ignem, qui aptissimus est ad hunc effectum.

Mystice, ignis hic repræsentabit igneum, id est, sincerum, clarum, exactum, acre et efficax fore hoc Christi judicium, juxta illud Daniel. 7. v. 10. *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur à facie ejus;* et Apocal. 1. 14. *Oculi ejus tanquam flamma ignis, et pedes ejus similes aurichalco*, etc. et: *De ore ejus gladius utraque parte acutus exibat;* et: *Facies ejus sicut sol lucet in virtute sua.*

Ex hoc igne, ejusque fide et doctrina Gentiles Christianis factionis et seditionis crimen objiciebant, quod scilicet toti orbi minarentur incendium, eique ruinam molirentur, inquit Minutius in Octavio; quin et Martinus Polonus in Chron. narrat Neronem Christianos omnes jussisse cremari, Paulum vero eorum magistrum capite plecti, eo quod prædicaret mundum igne periturum: licet alii alias persecutionis Nerolianæ causas, easque probabiliores afferant.

8. UNUM VERO HOC NON LATEAT VOS, CHARISSIMI, QUIA UNUS DIES APUD DOMINUM SICUT MILLE ANNI, ET MILLE ANNI SICUT DIES UNUS.] Est occupatio; occurrit enim objectioni: Si Christus venturus est ad judicium, cur tandiu tardat, cur tandiu scelera tolerat, cur tandiu suos ab impiis affligi sinit? Respondet primo: omne hoc tempus, licet nobis longum videatur, tamen esse breve coram Deo, imo esse quasi diem unum si cum Dei æternitate conferatur. *Æternitas enim Dei est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio.* ait Boet. 3. de Consolat. et S. Cæsarius frater S. Gregor. Nazianz. dial. 3. *Apud Deum*, ait, *vespere carens et unicus dies est tota æternitas.* Quare æternitas est quasi unum indivisibile nunc, durans semper et constans, ideoque in ea mille anni nostrates sunt quasi dies unus, et dies unus in ea est sicut mille anni nostrates: quia in ea nulla est successio; nil præterit, nil advenit; sed ipsa est quasi una dies perpetua et constans, coexistens omnibus sæculis, circa quam stantem et immotum volvuntur, labuntur et prætereunt omnia tempora. Ita OEcum. *Apud Deum*, inquit, *qui infinitus est, et essentiæ pelagus incircumscriptum, nihil protenditur, sed mille anni perinde atque unus dies sunt apud ipsum; aut potius, juxta David, neque diei multiplicatio est, ait enim: Mille anni in oculis tuis, Domine tanquam dies hesterna quæ præteriit.* q. d. Mille anni apud te sunt quasi una dies, imo unum nunc æternitatis.

Secundo et melius Gagneius, q. d. Apud Deum mille anni sunt quasi dies una, et vicissim dies una quasi mille anni; quia apud Deum nulla, vel exigua est distantia inter diem unum et mille annos: mille enim anni apud eum, utpote immensum et æternum adeo sunt exigui, ut videantur esse quasi dies una; nam mille anni distant ab æternitate Dei quasi tantum, quantum distat dies una, puta in infinitum: æque ergo quasi ab ea distant, ac proinde inter se æqua et æqualia videntur; perinde ac qui in alto monte consistens, si eminus videat puerum cum viro, non secernit puerum à viro; sed videt eos quasi quid unum et æquale. Sic qui in cœlo consistunt, non distinguunt in terra homines ab arboribus; sed vident utrosque modicos, exiles et quasi æquales, uti nos videmus stellas parvas et magnas quasi æquales, nec inter eas distinguimus, ut magnitudinis differentiam, quæ maxima est, discernamus. Unde Irenæus sub finem lib. 5. ait quosdam putasse idcirco intentatum fuisse Adamo: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*, Genes. 2. 17. quia sic revera accidit. Post esum enim pomi vetiti Adam vivendo non explevit diem unum, quia ad millesimum annum (qui coram Deo est quasi dies unus) non pervenit.

Tertio, magis apposite, q. d. Deo objective, præsens est tam unus quam mille anni; Dei oculi et obtutus conspiciunt tam diem unum quam mille annos. Deus enim omnia etiam minima cernit, pervidet, providet, disponit, ut unus dies alteri, unus annus alteri succedat, et existat tempore à se definito. Quare ne dubitetis quin et diem judicii præsentem habeat, intueatur, et tempore à se definito exhibebit, facietque apparere et existere. Æque enim omnia tempora, tam longa quam brevia, Deo et ejus æternitati sunt præsentia, ut æquo interstitio omnia et singula disponat; quare non tardat Dominus promissionem suam de die judicii, de præmiis bonorum et pœnis malorum, quia eam congruo tempore à se disposito est exhibiturus. Citat. S. Petrus ps. 89. 4. ubi Psaltes graphice

depingit brevitatem vitæ nostræ, aitque : *Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præteriit ; et* (tanquam) *custodia in nocte ; et tanquam ea quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt. Mane sicut herba transeat, mane floreat, et transeat, vespere decidat, indurat et arescat.* q. d. Mille anni vitæ nostræ, quanti pene fuere Mathusalem (vixit enim ipse 969 annis) sunt apud Deum quasi dies hesterna, imo sunt quasi una vigilia noctis quæ tribus tantum horis constat, imo anni hominum sunt quasi ea quæ pro nihilo habentur.

Quare vita hominum est quasi herba quæ mane viret et floret, vespere arescit et decidit. Audi S. Hieron. in psalm. 89. *Videte quid dicat, ô brevis æternitas ! Adam ille propagator noster, qui vixit nongentis et triginta annis ; etiam ille Mathusalem, qui vixit nongentis et sexaginta quinque annis. Fac quod vixerit mille : ad comparationem æternitatis tuæ, quod grande fuerit, breve est. Quid enim prodest grande esse quod finem habet ? Mille anni nostri, antequam offenderemus, una dies apud te erat. Quid dico una dies ? una vigilia noctis.* Et inferius : *Quoniam omnes dies nostri defecerunt. Cucurrit ætas, et dum ignoramus, graviter perimus. Et hoc ipsum quod loquimur, de morte est, et non intelligimus. Anni nostri sicut aranea meditabuntur. Videte quid dicat. Quomodo aranea quæ mittit fila, et huc illucque discurrit, et texit tota die, et labor quidem grandis est, sed effectus nullus est : sic et vita hominum huc illucque discurrit. Possessiones quærimus, divitias apparamus, procreamus filios, laboramus, in regna sustollemur, et omnia facimus, et non intelligimus quia araneæ telam teximus. Dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni. Ubi sunt mille anni ? In septuaginta annis contracti sumus. Si autem multum, octoginta. Si autem plus vixerimus, jam non est vita, sed mors. Si autem in potentatibus, octoginta anni. Quem enim invenies octogenarium esse et sanum ? Dicit et Græca sententia : Senectus ipsa morbus est. Et amplius eorum labor et dolor. Quidquid plus fuerit, non est vita, sed dolor.*

Huc faciunt S. Basil. ac Theodor. in psalm. 89. qui sic explicant. q. d. *Exigua et calamitosa est hæc nostra vita ; apud te vero qui æternus et sempiternus es, etiam mille annorum numerus uni diei similis est.* Et Cassiodorus ibidem : *Non*, inquit, *vel ipsi uni diei præsenti, sed præterito comparatur tam longissimus ordo sæculorum.* Et Eugubinus ibidem : *Est sermo*, ait, *Dei ad homines.* q. d. *Quid struis, qua fretus spe vivis ? Quid si vel mille annos, id est, plusquam primus genitor, qui nongentos et triginta annos trajecit, ipse viveres, omnis hæc ætas, quia moriendum tandem est, erit tibi velut una dies hesterna elapsa. Quod si humana vita est particula temporis, tempus brevissima pars æternitatis, quid erit, quidquid unusquisque hominum vivit ante oculos Dei ? Nam, ut ait Plato et Arist. nec dies est, nec annus, nec mensis apud Deum, qui est supra solem temporis genitorem, nec tempore potest intercipi.*

Egregie Plinius lib. 21. cap. 1. *Flores natura in diem gignit, magna hominum admonitione, quæ spectatissime floreant, celerrime marcescere.* Lege poema Virgilii de Rosa :

> Quam longa una dies, ætas tam longa rosarum.

Sapientissime itaque Nazianz. orat. in laudem Cæsarii : *Insomnium sumus instabile, spectrum quod vestigium non habet, pulvis, vapor, ros matutinus, flos pro tempore nascens atque marcescens.*

Neque sunt meliore conditione, vel Imperatores, vel Reges ; quippe et ipsi homines nati : Ecclesiast. 10. v. 12. *Sic et rex hodie est, et cras morietur.* Cui accinit Senecæ chorus in Thyeste post Actum 3.

> Ima permutat brevis hora summis.
> Ille qui donat diadema fronti,
> Quem genu nixæ tremuere gentes,
> Quem dies vidit veniens superbum,
> Hunc dies vidit fugiens jacentem.

Perpende quam momentanea sit regalis felicitas. Unde merito celebratur versus ille Euripidis, quem recitat Plutarchus in libello consolatorio ad Apollonium : *Non est stabilis felicitas, sed in diem durans.* Quo in loco Demetrius Phalereus Poetam alioqui laudatum reprehendisse legitur, qui non unum diem, sed temporis punctum dicere debuerit. Causam acute reddit Seneca l. 7. Naturalium quæst. c. 32. *Fluit tempus, et avidissimos sui deserit. Nec quid futurum est meum est, nec quod fuit : in puncto fugientis temporis pendeo.*

Denique Alcazar in Apocal. c. 1. 3. aliter explicat urgetque τὸ *apud Dominum*, quasi sermo sit de Beatis : hi enim cum fruantur beata æternitate, mille annos æstimant quasi unum diem. Itaque *mille anni apud Dominum sicut dies unus*, scilicet, quia unicuique appropinquat mors : post mortem autem fideles et sancti fruuntur Dei beatitudine, quæ mensuratur ævo, vel æternitate, non tempore ; tumque parum aut nihil curant, quod dies judicii mille annos differatur ; quia *mille anni apud Dominum* (puta in vita beata) *sicut dies unus.* Agit ergo Petrus de iis qui sunt apud Dominum : alioquin enim si ageret de iis qui vivunt in hoc tempore, illudque compararet cum æternitate. q. d. Expecta paulisper tu quicumque tribularis, quia cito visitaberis, scilicet post mille annos (hi enim apud Deum sunt dies una ;) videretur potius esse irrisio, quam consolatio humanæ infirmitatis. Ita ipse satis apposite et connexe.

Symbolice multi sic explicant. q. d. Mundus stabit per sex millia annorum, quia sex diebus creatus est ; dies autem unus pro mille annis apud Deum computatur : sex dies ergo nostri faciunt apud Deum sex millia annorum. Audi S. Hier. epist. ad Cyprian. *Ego arbitror ex hoc loco mille annos pro una die solitos appellari, ut scilicet quia mundus in sex diebus fabricatus est, sex millibus tantum annorum credatur subsistere, et postea venire ad septenarium numerum et octonarium, in quo verus exercetur sabbatismus, et circumcisionis puritas redditur : unde et octo beatitudinibus bonorum operum præmia promittuntur.*

Hæc opinio alia solidiora habet fundamenta, ideoque multorum est Patrum et Doctorum : unde probabilis est, nec temeritatis argui potest, uti ostendam Apocal. 20. 5. ac plane diversa est à Chiliastarum sententia, quam Beda de ratione temp. c. 66. hæreticam appellat.

Rursum Joannes Ferdinandus in Thesauro. Script. verb. *Dies*, num. 40. citat S. August. sic explicantem : Dies una apud Dominum est sicut mille anni, id est, dies una pœnæ in Purgatorio adeo acerba est, ut æquiparetur pœnæ mille annorum hujus vitæ. Testis est ille miles, qui cum horam tantum unicam fuisset in Purgatorio, putavit se ibi fuisse annos plurimos, de

quo S. Antoninus. 4. part. tit. 14. cap. 10. §. 4. Tempus enim breve in gravissimis doloribus videtur esse longissimum.

Denique nonnulli olim sic explicuerunt S. Petrum. q. d. Dies judicii, ut exactum de singulis fiat examen, durabit per mille annos; quare Sancti qui habebunt aliquas culpas leves, per mille annos igne purgabuntur, ut eas expient. Verum hos recte refellit Beda: *Sed hi*, ait, *non vident quantæ sit impudentiæ credere; quod tantus perfectorum et justorum cœtus receptis in ictu oculi corporibus beatis et immortalibus, per mille annorum spatia debeat in aere, vel in terra finem expectare judicii, et tunc demum præparatis ad integrum sociis, diu expectatam audire sententiam: Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum.* Simile fuit de annorum judicii centuriis delirium Mahometi, quod refert et confutat Dionys. Carthus. lib. 3. Confut. Alcorani c. 15. et seq.

Tropolog. Hinc concipe, æstima et pondera quanta sit brevitas temporis humani, et quam longa Dei et Sanctorum æternitas: nam, ut ait S. Ephrem tom. 1. serm. adhort. ad pietat. *Mille anni hujus sæculi in æterno et incorruptibili illo mundo tantam habent comparationem, quantam minima arena maris cum tota arena ejusdem.* Speculum Exemplorum dist. 9. c. 65. narrat monachum quemdam in choro canentem versum jam dictum: *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præteriit*, mirantem quomodo id verum esset, meditabundum egressum in nemus, ibi audiisse aviculam suavissime canentem, quæ eum demulsit et detinuit per trecentos annos sine cibo, potu, somno: avolavit illa deinde, ac ipse rediens ad se, reversus ad monasterium et chorum quasi Tertiam ejusdem diei cantaturus (putabat enim adhuc eumdem diem, quo è choro exierat, perdurare), vidit alios monachos, alium chorum, omniaque alia. Abbas sciscitatus nomen monachi, reperit in chronicis monasterii cum ante trecentos annos vixisse, et choro exiisse, nec amplius comparuisse; sumpsit deinde monachus S. Synaxin, et illico expiravit, et ad gloriam cœlestem, cujus melodiam et gaudia prælibarat, evolavit. R. P. Franciscus Costerus historiam hanc diligenter investigavit, comperitque revera accidisse in monasterio Affligimensi Ordinis S. Benedicti, quod in Belgio situm est inter Bruxellas et Alostum, uti ipse mihi olim in Belgio affirmavit. Sicut ergo S. Benedictus elevatus in Deum Deique immensitatem, vidit sub ea totum mundum instar globi collectum; ita qui elevatur in æternitatem Dei, sub ea videt omnia tempora collecta esse instar unius diei, imo instar puncti. Causam dat S. Greg. 2. Dialog. c. 35. *Quia videnti Deum*, inquit, *angusta est omnis creatura. Quamlibet enim parum de luce creatoris aspexerit, breve ei fit omne quod creatum est. Lux enim interior quæ videntis animum ad superiora rapuit, ei quam angusta essent omnia inferiora monstravit.*

Hæc ruminemus, hæc profunde meditemur, ut à vanitate ad veritatem, à brevitate ad æternitatem, non miseram, sed beatam transire mereamur. Ita ea ruminabat Thomas Morus Angliæ Cancellarius et Martyr, qui ab Henrico VIII rege Angliæ omnibus machinis oppugnatus, ac tandem per uxorem, suam sortem miseram lamentantem, et promittentem aliam lautissimam, si regis votis se accommodaret, respondit: *Et quanto tempore illa forte lauta, ô uxor, fruemur?* cumque illa diceret: *Adhuc facile ad viginti annos*, respondit: *Certe stulta es, mercatrix. Quid enim sunt viginti anni ad æternitatem? vis ut viginti annis deliciarum prodigam æternitatem gaudiorum cœlestium, mihique accersam æternitatem dolorum infernalium?* Ita refert Thomas Stapleton. in ejus Vita. Nihil ergo magnum, nisi æternum: nullum verum bonum, nisi æternum: nullum vere malum, nisi æternum, ut quidam sanctorum dixit. Nam, ut ait S. August. 12. Civit. 12. *Considerent nihil esse diuturnum, in quo aliquid est extremum; et omnia spatia sæculorum definita, si æternitati interminæ comparentur, non exigua existimanda esse, sed nulla.*

Quocirca nervose Esdras, vel quisquis est auctor. l. 4. Esdræ c. 2. 34. *Expectate*, ait, *pastorem vestrum, requiem æternitatis dabit vobis; quoniam in proximo est ille, qui in fine sæculi adveniet. Parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis. Fugite umbram sæculi hujus, accipite jucunditatem gloriæ vestræ*, etc. Fluvius enim est tota hæc vita, isque currens, rapidus, præceps, rapiens omnia secum. Nam, ut ait Poeta:

Omnia prætereunt more fluentis aquæ.

Et Heraclitus: *Vita hominum*, ait, *non aliud est quam flumen*, imo, *homo bulla.* Et Pythagoras rogatus quid esset humana vita? ingressus cubiculum, subito egressus est, innuens vitam introitum esse et simul exitum, adventum et discessum. Deus vero est ipsa immortalitas et æternitas, ideoque nostræ mortalitatis refugium, ait S. Augustinus. Unde vocatur *Jehova*, sive, *qui est*, sive, *ego sum qui sum*, Exodi 3. 14. Deus enim est ipsum esse constans, ipsa unitas, omniumque rerum simplicissima et incorruptibilis perfectio. Quod si mille annis, ô homo, vixisses in omnibus divitiis, deliciis, honoribus et pompis mundi, quid inde jam haberes? omnia præteriissent instar fluminis: idem erit de reliqua tua vita, quæ modica tibi restat: qua exacta morieris, et citaberis ad Dei tribunal, omniumque dictorum et factorum exacta tibi reddenda erit ratio, ut vel cœlo, vel gehennæ addicaris. Idem est de mille annis in pœnitentia, labore et martyrio transactis: transit enim dolor, manet præmium. Vita ergo tua est quasi momentum unde pendet æternitas. Vive ergo, si sapis, æternitati. Audi S. August. in psal. 89. *Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præteriit: ideo debemus ad refugium tuum, ubi sine ulla mutabilitate tu es, ab his prætereuntibus labentibusque converti; quoniam quantumlibet huic vitæ longum tempus optetur, mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesternus est qui præteriit; non saltem tanquam dies crastinus qui venturus est: ita omnia quæ temporis fine clauduntur, pro transactis habenda sunt*, etc.

Vita ergo nostra quantumvis longæva, æternitati comparata est tantum una dies hesterna, ait S. Petrus, et unum hodie, ait S. Paulus Hebr. 3. v. 13. ita ut ephemeri, vel hemerobii vocari possimus, similes animalculis una tantum die viventibus, de quibus Aristot. l. 1. Histor. animalium c. 5. et Cicero Tuscul. 1. *Confer.*, ait, *nostram longissimam ætatem cum æternitate, in eadem propemodum brevitate qua illæ bestiolæ reperiemur.* Spernamus ergo nugas nugarum et vanitates vanitatum, ait S. August. 8. Confess.

c. 11. cœlo et æternis inhiemus, cruces omnes diurnas velut momentaneas fortiter toleremus, utpote per quas ad æterna bona transimus : nil nisi æternam pœnam et ignem, æque ac culpam, serio formidemus : cætera sive læta, sive tristia flocci æstimemus, ac per utraque tendamus alacriter et constanter ad beatam æternitatem. Hoc est enim omnis homo.

NON TARDAT DOMINUS PROMISSIONEM.] Græce ὁ κυριος της επαγγελιας, id est, *Dominus promissionis*, scilicet auctor, sive qui promisit, *non tardat*, inquam, præstare promissionem, hoc est, id quod promisit, puta diem judicii, ad præmiandum bonos, et puniendum malos ; sed tempore à se statuto, quod ipsi breve est, licet nobis longum videatur, cum exhibebit.

9. SED PATIENTER AGIT, (græcè μακροθυμει, id est, *longanimiter agit.*) PROPTER VOS.] Legit Interpres υμας, id est *vos ;* alii legunt, ημας, id est *nos.* q. d. Ideo differt Deus diem judicii à se promissum, non quia tardus est, sed ut det vobis vestrisque amicis et sociis spatium pœnitendi, *nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Causa ergo cur Deus prolonget diem judicii, est Dei longanimitas et amor erga homines peccatores, quia nimirum eos expectat ut resipiscant et salventur. Unde Tigurin. clare vertit, *haud tardat Dominus, qui promisit quemadmodum nonnulli tarditatem existimant : verum longanimis est erga nos, dum non vult ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam recipere, aut complecti, vel venire.* Hæc enim omnia significat Græcum χωρησαι.

Alludit ad illud Isaiæ 30. 18. *Expectat Dominus ut misereatur vestrî, et ideo exaltabitur parcens vobis, quia Deus judicii Dominus.* Ubi S. Hieron. *Grandi*, ait, *misericordia Dei, ut expectet nostram pœnitentiam*, et ideo major hominis ingratitudo et impœnitentia, si Deo tanta patientia et desiderio expectanti per pœnitentiam non occurat : idcirco *quo magis lento ad vindictam gradu divina procedit ira, tanto tarditatem supplicii majore gravitate compensavit*, ait Valerius Maximus lib. 1. cap. 1. Rursum S. Hieron. in c. 2. ad Roman. (vel quisquis est auctor : nam non videtur esse S. Hieron. ut ibidem ostendi.) *Ideo*, inquit, *hominibus videtur Deus diu expectare peccantes, quia nos cum parvi temporis simus, annos centum æternitatem putamus. Ille autem apud quem mille anni pro uno sunt die, centum annos unius horæ suæ spatio non coæquat. Quapropter hoc parum est apud eum : cum etiam homines soleant multo tempore correptionem sperare peccantium.*

Hinc patet Deum velle omnium salutem, et nolle alicujus damnationem, ac consequenter neminem reprobare ante prævisa ejus demerita et mortem in peccato, quæ voluntas in Deo non tantum est signi, ut quidam censuerunt, sed etiam beneplaciti, uti solide ostendit Gabr. Vasquez 1. p. q. 19. disp. 83. c. 2. Prophetæ enim passim clamant Deum nolle, imo dolere et irasci peccatoribus, quod se perditum erant. Hoc est quod clamant Paulus : *Deus vult omnes salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*, 1. Timoth. 2. 4. Et Christus : *Non est voluntas*, ait, *ante Patrem nostrum, ut pereat unus ex pusillis istis*, Matth. 18. 14. Et S. August. *Nefas*, ait, *est Deo adscribere causas peccatorum et ruinarum omnium.* Vide eum l. de Artic. sibi falso impos. c. 10. et 13. et Prosperum ad Object. Gallorum. Pluribus idipsum confirmavi Osee 11. 8.

Facessat ergo impia Calvini vox in c. 9. ad Roman. v. 17. et 28. *Deus impios destinavit creare ut damnaret.* Audiat ipse, ut alios taceam. S. Clementem, l. 2. Constitut. c. 55. *Audivimus*, ait, *ex ore Domini nostri Jesu Christi, et optime edocti dicimus, quænam sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta, quæ nobis per Jesum Christum declarata, est scilicet ne ullus pereat, sed potius omnes homines, cum ei uno consensu credideriut, laudibus eumdem uno animo et ore celebrantes, iidem in sempiternum vivant.* Nam, ut recte notat S. Ambr. in 1. Timoth. 2. *Vult Deus omnes salvos fieri, sed si accedant ad eum : non enim sic vult, nolentes salventur ; sed vult illos salvari, si et ipsi velint.* Hinc pariter liquet error eorum, qui censebant Christum non pro omnibus esse passum, sed tantum pro prædestinatis. Ita senserunt olim Prædestinatiani, Arnob. in psal. 146. Faustus l. 2. de Lib. arbitr. c. 14. et 16. Remigius Lugd. l. contra tres epistolas trium Episcoporum, et moderni nonnulli. Verum contrarium docet S. Petrus hic, S. Paulus, et passim S. Script. et Patres omnes.

10. ADVENIET AUTEM DIES DOMINI, UT FUR.] *In nocte*, addunt Græca nonnulla, et S. Paulus 1. Thessal. 5. 2. Nota. Proprie non ipse Christus (hoc enim incongruum et inconcinnum videtur), sed dies Domini, id est, dies judicii, iræ et vindictæ, comparatur furi. Ita Theophyl. in Mart. 24. 43. *Furem*, ait, *mundi consummationem nominat, et uniuscujusque mortem. Porro insinuat Dominus noctu adventum suum futurum. Sicut igitur fur clam venit, ita et meus adventus, ut negligentes non sitis.* Quare quod Dominus dicit Apocal. 3. v. 3. *Veniam ad te tanquam fur, et nescies qua hora veniam ad te ;* et c. 16. v. 15. *Ecce venio sicut fur*, metonymice accipe, ut judex ponatur pro judicio, dieque vindictæ. q. d. Adventus meus, sive judicium et dies vindictæ, erit improvisus tibique inexpectatus, opprimet te in peccatis stertentem, sicut fur opprimit dormientem. Aut proprie, non quod ipse Christus sit quasi fur, sed quod peccatoribus tam erit improvisus et noxius, quam est adventus furis : unde ipsi eum æstimabunt et comparabunt furi : justi vero cum expectantes et desiderantes, eum æstimabunt et comparabunt amico et hospiti amantissimo. Loquitur ergo ex sensu impiorum, qui Christi adventum horrebunt quasi adventum furis : nam, ut ait Christus Matth. 24. 37. *Sicut in diebus Noe, ita erit et adventus filii hominis, sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes usque ad eum diem quo intravit Noe in arcam ; et non cognoverunt donec venit diluvium et tulit omnes : ita erit et adventus filii hominis.*

Secundo, multi censent diem Domini comparari furi nocte domum invadenti, eo quod noctu hic dies futurus et inchoandus sit. Unde Matth. 25. 6. *Media*, ait, *nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exite obviam ei.* Ita S. Chrysost. Theophyl. Euthym. ibidem, imo S. Hieron. ait hanc esse Apostolicam traditionem, ut ideo in paschate populum dimittere non liceat ante mediam noctem, quod eo tempore venturus sit Christus, quo typice percussit primogenita Ægyptiorum, Exodi 12. 29. Judæi quoque suum Messiam media nocte venturum expectant.

Alii tamen censent judicium Christi extremum

fore mane : decet enim ut Christus non in tenebris, sed in clara luce clarissime judicet. Ita S. Thomas 3. p. in Supplem. q. 77. a. 3. Abulens. in Matth. 25. Suarez 3. p. tom. 2. disp. 57. et alii.

Utrumque verum esse potest, et forte verum erit, scilicet ut ipsum judicium à Christo proprio peragatur mane, juxta illud hymni Ecclesiæ : *Et mane illud ultimum, quod præstolamur cernui.* Consummatio tamen mundi incipiet noctu ad majorem impiorum terrorem, nimirum noctu velociore impetu magnoque stridore agitabuntur cœli, excitabuntque ignem quo conflagrabit mundus : quo igne splendente noctu tanta erit claritas, ut videatur esse mane et dies. Rursum cœli tanta velocitate agitabuntur, ut illico mane adducant, noctemque in diem vertant, præsertim accedente claritate Christi et Sanctorum : *fulgebunt* enim *justi sicut sol*, Matth. 13. 43. Hoc est quod diserte ait Sibylla, et ex ea Lactant. l. 7. c. 19.

> ——— Cum venerit ille,
> Ignis erit mediaque horrenda in nocte tenebræ.

Tunc aperietur cœlum medium intempesta et tenebrosa nocte, ut in toto orbe lumen descendentis Dei tanquam fulgur appareat. Hæc est nox quæ nobis propter adventum regis ac Dei nostri prævigilio celebratur.

Moral. Cassiodor. in psal. 118. 62. ad illud : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi,* docet fidelibus cum Ecclesia noctu esse orandum et psallendum, quod noctu venturus sit Christus ad judicium. *Scit,* inquit, *ea tempestate Petri, Pauli et Silæ in carcere positorum vincula resoluta, scit quoque sponsum media nocte esse venturum : ideoque eodem tempore surgit ad laudes, ne inter fatuas virgines janua clausa remaneat.* Et S. August. epist. 120. cap. 34. et serm. 22. de verbis Domini secundum Matth. *Media nocte,* ait, *veniet, cum valde obscurum, id est occultum est an veniat, et quando non speratur.* Unde infert : *Ergo vigila nocte, ne furem patiaris.*

IN QUO COELI MAGNO IMPETU (græce ῥοιζηδόν, id est *impetuose*, stridenter, et cum sibilo, qualis ab igne flagranti edi solet, inquit OEcumen. vel à procella ac ventis validis. Unde Tigurin. vertit, *cœli in morem procellæ* stridentis) TRANSIENT.] Græce παρελεύσονται, id est, *præteribunt*, dissolventur; S. August. 20. Civit. 24. legit, *transcurrent.*

Quæres primo, quinam hi cœli? Multi accipiunt cœlos præcise et proprie dictos, puta sidereos : distinguuntur enim hic ab elementis, ac consequenter ab aere, ut aereos intelligere non liceat; hos enim cœlos censent factos esse ex aquis, ideoque non esse solidos, sed fluidos instar aeris, ac proprie esse ætherum, qui mutationis et corruptionis sit capax; quia *omne alterabile est corruptibile*, ait Aristoteles lib. 1. de Generat. Sic enim Mathematici in sole, luna et stellis per dioptram deprehenderunt, mihique ostenderunt maculas, non tantum stabiles, sed et mobiles, euntes et redeuntes. Quin et iidem ultimum cometem, qui ingens apparuit anno Domini 1628, instar trabis, splendoris tenuissimi, gladii figuram referens, cujus mucro die 18. Novembr. sub cratere apparebat, ima vero pars oblique ad Centauri humeros pertingebat : mox vero die 30. Novemb. mucro per 12. et 13. ad hydræ cor dirigebatur; pars verò inferior sub 22. ejusdem hydræ conspiciebatur. Hunc, inquam, cometem judicarunt Mathematici insignes non fuisse in aere; sed longe super aerem in ipsis cœlis sideris, imo super omnes cœlos inferiores, idque demonstrarunt ex ingenti ejus parallaxi, quæ non nisi in cœlis sublimibus et vastissimis fieri potuisse videtur : errasse ergo Aristotelem, qui censuit mundos esse æternos et incorruptibiles,

Probant id ex hoc loco S. Petri et psal. 101. 27. *Ipsi (cœli) peribunt.* Isaiæ 34. 4. *Complicabuntur sicut liber cœli.* Et cap. 30. 26. *Erit lux lunæ sicut lux solis.* Apocal. 6. v. 14. *Cœlum recessit sicut liber involutus.* Matth. 24. 29. *Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum : et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur.* Rursum cœlum empyreum, inquiunt, constat æthere : nec enim Beati in eo, quasi in muro solido et duro compingentur, sed in eo naturaliter moveri, ambulare et loqui poterunt, uti nos in aere hoc. Si in cœlo empyreo est æther, sed incorruptibilis : ergo æther divisibilis quoque est in cœlis inferioribus et sidereis. Mars enim, Venus, Mercurius (qui duo ultimi modo supra solem, modo infra apparent) cæterique planetæ motus habent tam miros et varios, tot gyros, flexus et reflexus, ut moveri videantur in æthere divisibili, sicut pisces in aqua, uti censuit S. Basil. S. Ambros. et alii : unde Mathematici ut hos eorum motus repræsentarent, tot epicyclos, excentricos, concentricos, etc. commenti sunt. Ita diserte sentit, et S. Petrum explicat ejus discipulus et successor S. Clemens lib. 2. Recognit. ubi narrat S. Petrum disputantem cum Simone Mago distinxisse duplex cœlum : unum nobis invisibile in quo habitant Beati, quod ait esse æternum et immutabile; alterum visibile et stellis distinctum, illudque esse corruptibile et corrumpendum, cum scilicet homines in terra esse desierint, quorum causa creatum est. Idem lib. 3. ex ore S. Petri ait, quod sicut pullus ex ovo prodit effracta testa alter et diversus ab ovo, ita dissoluta hac cœli et mundi machina orietur et pandetur Beatus novus cœlorum status. Verba ejus sunt : *Sicut testa ovorum quamvis pulchre facta, necesse est tamen eam frangi et resolvi, ut inde pullus procedat, et illud pro quo totius ovi forma expressa videtur, appareat : ita ergo et hujus mundi necesse est transire statum, ut status ille sublimior regni cœlestis effulgeat.* Et S. Basil. l. 3. Hexaem. asserit interitum mundi futurum ab igne, qui cum cœlo et aquis inspersus sit plurimus, ac nunc quidem aquarum superne atque inferne circumstantium incredibili copia temperetur, in fine tamen sæculi aquis absumptis cuncta sit communi incendio devoraturus. Videtur ergo S. Basilius cœlum ex parte facere igneum et igneæ naturæ cum Stoicis : ita enim Zeno, Cleanthes, Chrysippus, teste Eusebio de Præpar. Evangel. tradiderunt æthereo igne omnia tandem interitura. Idem de cœlis sidereis interituris igneque comburendis senserunt S. Justinus, S. Hieron. Theodor. S. Ambr. Nyssenus, Hilarius, OEcum. et ex modernis Catharin. Salmeron, et Serarius nervose id probans hic, Hieron. Magius, Franc. Valesius, Lud. Molina et alii, quos citavi Isaiæ 34. 4. ubi plura hac de re dixi.

Idem cecinere Sibyllæ, ac ex eis Virg. Æneid. 6. et 10. Lucret. et Manilius l. 1. Plinius l. 2. c. 9. Ptolomæus in Quadrip. et alii, qui censuerunt

sidera ali vaporibus, quibus in fine mundi sublatis et exustis, illa interitura. Hinc et Lucanus lib. 1. Pharsal. de fine mundi ita canit:

> Sidera sideribus concurrent, ignea pontum
> Astra petent, tellus extendere littora nolet,
> Excutietque fretum, fratri contraria Phœbe
> Ibit, et obliquum bigas agitare per orbem
> Indignata diem poscet sibi, totaque discors.
> Machina divulsi turbabit fœdera mundi.

Si objicias illud Job 37. 18. *Tu forsitan fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt.* Respondent, *solidissimi* id est firmissimi, perinde ac si ære fusi essent. Hebræa enim sic ad verbum habent: *Numquid extendisti cum illo cœlos fortes, qui sunt velut aspectus rei fusæ:* Ita Vatabl. vel, ut Pagnin. *qui sunt fortes sicut speculum fusum.* Unde Cajetan. Pineda, Tigurin. et alii ibi per cœlos intelligunt aerem, vel ætherem, quem Deus supra nos extendit et extenuavit, sed simul ita confirmavit et consolidavit, ut sit res stabilis, constans, fortis, valida: est enim aeris agitati et impulsi vis incredibilis, ut patet in ventis validis qui arbores, domos, turres, arces dejiciunt et sternunt.

Verum alii passim veteres et moderni cœlos hic accipiunt aereos, non sidereos. Cœlum enim in Script. significat omne quod super nos expansum est, sive aer sit, sive proprie cœlum; unde vocantur volucres cœli, id est aeris: et sic paulo ante dixit S. Petrus, cœlos, id est, partem imam cœlorum, puta aerem, dedisse aquas diluvii. Per elementa vero accipiunt aquam, et aerem infimæ regionis terræque vicinum: ex his enim quasi elementis facta sunt, et conflata omnia corpora mista. Ita diserte S. August. 20. Civit. 14. 16. 18. et 24. S. Epiphan. hæres. 64. Damasc. l. 2. de Fide c. 6. S. Greg. 17. Mor. c. 5.

Ratio est: Prima, quia cœli sunt incorruptibiles, non tantum ex Aristot. et Philosophorum, sed etiam ut videtur, ex S. Script. sententia, ut Job 37. v. 18. juxta versionem Latinam jam citatam; et Psaltis 4, qui loquens de cœlestibus corporibus: *Statuit*, ait, *ea in æternum et in sæculum sæculi*, psal. 148. 5.

Secunda, quia ignis non potest agere in cœlos: unde nec ad eos pertinget, sicut ad eos non pertigit aqua diluvii; sed quousque hæc pertigit, eodem pertinget et ignis, scilicet ut quindecim cubitis excedat omnes montes, ait S. Augustinus 20. Civit. 24. et ex eo Scholastici in 4. distinct. 47. et 48.

Tertia, quia in cœlo nullæ sunt sordes, vel peccata hoc igne purganda et expianda. Hinc iidem censent cœlos hos aereos corrumpendos, non quoad substantiam, sed quoad qualitates, ut videlicet manente eadem forma et materia, à vaporibus aliisque fœcibus et sordibus expurgentur, ac mutentur in melius; nimirum majorem subtilitatem et lucem accipiant. Ita S. Augustinus, Gregor. Epiphan. locis citatis, S. Hieron. in Isaiæ c. 65. Scholastici in 4. dist. 48. et 1. p. q. 67. et 68. Sicut enim homo idem resurget, sic et eadem elementa quæ homini servierunt cum eo resurgent, illudque quasi erit præmium laboris et passionis eorum, uti insinuat S. Paulus Roman. 8. 20. Audi S. Cyrill. l. 4. in Isaiæ c. 51. *Isaias*, ait, *mortem elementorum proprie nominat, et apte mutationem in melius, ut etiam Paulus inquit, Creatura liberabitur à servitute corruptionis; quo autem modo liberaliter ostendit Christi discipulus, dicens: Veniet dies Domini ut fur; in qua cœli procellæ in mortem transibunt, elementa ardentia dissolventur. Igitur creatura renovationem velut ex mortuis resurrectionem, sicut in humanis corporibus, fore ait.* Et S. Hieronymus in Isaiæ cap. 30. *Erit*, ait, *lumen lunæ sicut lumen solis, quando dederit Dominus cœlum novum et terram novam, et transierit habitus mundi hujus, ut luna et sol laboris et cursus sui præmia consequantur. Etenim expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei præstolatur.*

Mihi media sententia placet, scilicet per cœlos hic intelligi tam sidereos quam aereos: utrique enim magno impetu transibunt, alibi enim S. Scriptura docet cœlos proprie dictos esse immutandos, adeoque solem et lunam majori lumine esse decoranda. Hinc Christus Matth. 24. 29. *Virtutes*, inquit, *cœlorum commovebuntur.* Et Ecclesia in Officio defunctorum: *Quando cœli movendi sunt et terra.* Ita Cajetan. hic, Viegas in Apoc. c. 21. Suarez 3. p. tom. 2. disp. 58. sect. 3. ubi ait probabile esse in die judicii cœlos sidereos velocius esse agitandos, ut secum cœlos aereos rapiant, et ad ignis accensionem, mundique conflagrationem tum suo illo velociore motu, tum etiam influentia et actione concurrant.

Transibunt ergo cœli primo, quia velocius raptabuntur. Secundo, quia mox eorum motus cessabit, uti docet S. Ambrosius l. 5. epist. 21. et passim Doctores. Sol ergo in uno hemisphærio, luna in opposito in æternum consistet, ut quisque suum illuminet; non enim est necesse ut omnes cœli suum cursum absolvant: sic enim cœlum stellarum ut suum cursum ob ortu in occasum absolveret, deberet moveri per 36 millia annorum, uti censet Ptolomæus; mundus autem tandiu non stabit. Satis ergo est ut moveantur quandiu homines quibus serviunt, in terra degunt. Hominibus abolitis incidetur cœlorum cursus; ac consequenter sublunarium omnium. *Cessante enim motu cœli cessat motus inferiorum*, ait Aristot. lib. 2. de Cœlo.

Tertio, transibunt, id est dissolventur, quoad inferiorem sui partem, scilicet quoad cœlos aereos, unde explicans de iis subdit v. 1. *Cœli ardentes solventur;* quoad superiorem vero sui partem scilicet quoad sidereos immutabuntur et in alium statum, majoremque lucem et gloriam transibunt. Sic Christus ait Matth. 24. 35. *Cœlum et terra transibunt*, scilicet à statu præsente corruptibili in futurum incorruptibilem. Et psal. 101. v. 27. *Omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos*, puta quasi vestem inversam. Sicut enim vestis exterius detrita invertitur, ut interior pars integra fiat exterior, itaque nova videatur esse vestis: sic vetus cœlorum forma et status mutabitur in novum magis lucidum et gloriosum, itaque videbuntur esse cœli alii et novi.

Quarto, transibunt, quia tonitruis, fulgetris, nubibus, cometis, stellis cadentibus, aliisque meteoris, procellis et tempestatibus, ita aer perturbabitur, ut cœli transire et è mundi cardinibus convelli, subrui et evanescere videantur, juxta illud Job 9. v. 6. *Qui commovet terram de loco suo et columnæ ejus concutiuntur.* Et cap. 26. vers. 11. *Columnæ cœli contremiscunt et pavent ad nutum ejus.* Ubi Didymus in Catena Præcor. ait illo terræ motu qui in passione Christi

contigit, ipsam terram totam fuisse conquassatam et è suo centro convulsam. Quod si verum est, utique idem fiet in die judicii, quando summus erit terror, omniumque rerum commotio, finis et terminus, juxta illud Ecclesiæ paulo ante citatum : *Quando cæli movendi sunt et terra.* Vide dicta Apocal. 6. in fine.

Denique nonnulli viri eruditi, ut priores duas sententias concilient, et S. Script. locis omnibus satisfaciant, ingeniose novam opinionem adinvenerunt, dicendo cœlos qui jam sunt solidi, in fine mundi redigendos et redituros in materiam fluidam, è qua quasi chao et abysso primum formati sunt, Genes. 1.

Verum et sententia suas quoque patitur difficultates : nam primo, remanet quæstio, quomodo ignis conflagrationis aget in cœlos solidos et incorruptibiles, ut eos redigat in materiam fluidam.

Secundo, cœli post diem judicii videntur fore solidiores quam modo sint, quia duraturi in æternum.

Tertio, cœli cum Beatis quibus servierunt in hac vita, in die judicii quasi resurgent in perfectiorem statum et formam : ergo erunt perfectiores, ac perfectiores et solidiores habebunt formas et dotes quam habeant modo. Nam Apostolus Roman. 8. 20. docet omnem creaturam vanitati, id est mutationi et corruptioni, jam esse subjectam, expectare vero resurrectionem ut per eam in libertatem gloriæ filiorum Dei asseratur. Et Isaias, ac ex eo S. Petrus hic, cœlos novos creandos promittit. Rursum Isaias cap. 30. 26. ait lucem lunæ fore instar solis; solis vero septuplo fore majorem, quæ omnia arguunt cœlos in fine mundi non redituros in suum chaos suamque primævam materiam; sed longe elegantiores, formosiores et præstantiores fore quam sint modo.

Quocirca alii insignes Philosophi et Theologi, ut plane verbis S. Script. ac præsertim S. Petri hoc loco satisfaciant, utque cum iis concilient Philosophiam et Aristotelem, qui potius S. Scripturam sequi quam præire debet, dicunt. Primo, cœlos esse incorruptibiles hoc modo, quod naturaliter nec à se, nec à corporibus sibi subjectis, puta ab elementis, corrumpi possint : eosdem tamen corrumpi posse à virtute superiori et potentiori, ideoque à Deo corrumpendos esse sub diem judicii per ignem conflagrationis mundi, qui à Deo de novo excitabitur ad hoc eritque nostro igni elementari superior, efficacior et ardentior. Sunt enim rerum incorruptibilium varii gradus et ordines, alii aliis perfectiores. Angeli enim magis sunt incorruptibiles quam cœli : carent enim materia, suntque substantiæ plane simplices, incorporeæ et spiritales, ideoque plane incorruptibiles. Quare cœli respectu angelorum sunt corruptibiles, incorruptibiles vero respectu corporum inferiorum et elementorum.

Secundo, asserunt cœlos per ignem conflagrationis arsuros et liquandos, utpote ex aqua compactos, constrictos, et quasi conglutinatos, ut ab omni sorde et fæce purgentur, fiantque puriores et subtiliores. Id enim diserte ait hic S. Petrus, et Isaias cap. 34. 4. et cap. 51. 6. ac inter recentiores fuse noster Adamus Tannerus dissertatione de cœlis q. 11. Audi Isaiam c. 34. *Et tabescet* (id est, liquescet instar ceræ) *omnis militia cœlorum et complicabuntur sicut liber cœli, et omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea et de ficu*, hoc est, ut explicat Christus Matth. 24. 29. *Stellæ cadent de cœlo ;* militia enim, id est, milites cœlorum non sunt alii, quam stellæ et sidera. Cœli ergo et stellæ liquabuntur et solventur, ita tamen ut idem quoad substantiam maneant, eamdemque numero materiam et formam substantialem retineant; sed ea ratione, ut utraque perficiatur, novamque unionem dotesque et qualitates illustriores recipiat, adeo ut videantur effici novi cœli, nova terra, novus mundus, ut ait Isaias Apocal. 21. 5. *Ecce nova facio omnia ;* nam cum lux ex substantia solis et cœlorum naturaliter quasi profluat, cum tunc perfectior futura sit lux, videtur perfectior quoque futura substantia solis et cœlorum. In resurrectione enim universali erit resurrectio, renovatio et glorificatio non solius hominis, sed cœlorum; terræ et totius mundi, qui hominibus electis servivit et compassus est. Quare in præmium hujus passionis et servitutis, cum homine resurgente resurget ad gloriam. Sicut ergo homo moriens post mortem resurget idem numero quoad substantiam, sed jam perfectam et gloria donatam, ideoque immortalem et incorruptibilem : Sic pariter cœli per conflagrationem liquati et purgati, manente eadem numero, forma et substantia, quasi resurgent ad suam gloriam cum majori luce, subtilitate, unione, indeque incorruptione et æternitate donabuntur. Quare sicut homo idem resurget, non alius, ne unus patiatur et mereatur, et alter qui nec passus nec meritus est, resurgat; sic iidem prorsus cœli qui homini patiendo servierunt, resurgent, non alii, ne illi qui homini servierunt intereant, et alii pro eis præmientur. Exemplum est in metallis, ut ferro, ære, auro, argento. Sicut enim aurum igne liquatur, ut ex eo fiat pulcher scyphus aureus, ita ut manente eadem forma et substantia auri, illa ipsa tamen per ignem arte et figura perficiatur et illustretur : sic quoque cœli et elementa igne conflagrationis solventur et liquabuntur instar glacici et ceræ, sed ita, ut eadem manente forma et substantia, ad novam perfectionem et gloriam reformentur et resurgant. Eosdem enim numero quoad substantiam mansuros cœlos et elementa, colligitur ex illo Eccles. 1. 4. *Generatio præterit, et generatio advenit ; terra autem in æternum stat.* Et cap. 13. 14. *Didici quod omnia opera quæ fecit Deus, perseverant in perpetuum.* Et psal. 148. 6. *Statuit ea in æternum et in sæculum sæculi : præceptum posuit, et non præteribit.* Hoc est quod diserte ait Apostolus Rom. 8. 20. *Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit eam in ipso ; quia et ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis.* Eadem ergo creatura quæ nunc vanitati, id est passioni et corruptioni, subjecta servit homini, speratque ab ea liberari, cum homine resurgente liberabitur, et resurget ad gloriam, non alia : alioqui enim non esset resurrectio, sed alterius creaturæ creatio. Et Isaias cap. 30. 26. *Erit*, ait, *lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum.* Manebit ergo eadem luna, idem sol, sed septuplo clarior; erit enim tunc novum gloriæ, felicitatis et æternitatis sæculum, cujus auctor erit Christus, qui proinde vocatur *pater futuri sæculi*, Isaiæ 9. 6.

Quare tunc cœli, sol, luna et stellæ non redibunt ad primævam abyssum fluidam, quæ creata est initio mundi, Gen. 1. 1. Sic enim redirent ad suum rude et informe chaos, et miseriora essent quam modo sint; sed longe speciosiora, quam ex abysso formata sunt, resurgent, et conformentur hominibus sanctis resurgentibus ad gloriam, eosque sua specie oblectent et beent. Hac ratione nihil detrahitur, sed potius additur Aristoteli. Ille enim solum naturam spectavit juxta quam dixit cœlos esse incorruptibiles; quod verum est. Sed S. Script. præter naturam tradit Dei decretum, ac gratiam et gloriam, qua Deus supernaturaliter homines, et propter homines cœlos, totumque orbem reformabit et beabit: reformari autem nequit, nisi quod prius periit, id est, dissolutum aut liquatum est. Fides ergo hic corrigit, imo elevat naturam, ac S. Script. Philosophiam, ac Paulus Aristotelem informat et perficit. Denique liquari non est corrumpi: aurum enim liquando non corrumpitur, sed perficitur: sic cœli, licet incorruptibiles, liquabuntur, ut magis solidentur. Confirmantur hæc omnia per maculas et faculas, quas recentiores Mathematici per tubum opticum conspexerunt in sole et planetis, ipseque ego conspexi. Item per Mercurium, Venerem et Martem, qui circa solem assidue gyrare per eumdem tubum sunt deprehensi. Rursum per novas duas stellas quæ circa Saturnum, et quatuor alias quæ circa Jovem per eumdem sunt visæ. Ad hæc per cometas qui supra lunam apparuerunt, qualis fuit nuperus anno Domini 1618. Quem supra lunam extitisse Mathematici ex ingenti ejus parallaxi, sive ex nulla aspectus mutatione in qualibet intuentium distantia asseverarunt. Insuper per novas stellas quæ in cœlo sidereo subinde apparuerunt et rursus disparuerunt, qualis apparuit in Cassiopœia anno Domini 1572. Omitto Josue c. 10. 12. stetisse solem, eumque retroactum sub Ezechia, 4. Reg. 20 11. ac eclipsim inusitatam passum patiente Christo. Matth. 27. 45. Quæ omnia significant cœlos non omnino esse immutabiles et incorruptibiles, sed Deum ut suam in eis ostendat potentiam, ac herile jus et dominium, pro libito illos alterare et immutare, ac disponere et præparare ad ultimam plenamque immutationem, qua eos plane incorruptibiles ac immutabiles, imo gloriosos efficiet in omnem æternitatem; quare tunc perfectiores et solidiores quam modo, sint oportet. Hæc omnia videntur exigere verba Script. toties et tam clare de cœlis immutandis, imo perituris, novisque faciendis iterata ab Isaia, S. Petro, S. Paulo, S. Joanne, Davide et aliis: illaque ad illorum explicationem et expletionem videntur sufficere, ut patet ea inter se conferenti. Vide S. Augustin. libr. 21. de Civit. 8. ubi narrat Dei nutu stellam Veneris miro portento mutasse colorem, magnitudinem, figuram, cursum ad stuporem Astrologorum. Idem libr. de Urbis excidio refert prodigium, quo ardente cœlo terraque tremente, Constantinopolitanæ urbi excidium Deus comminari videbatur anno Domini 396. Denique si ignis agit Dei virtute in spiritus, puta in dæmones et animas damnatas, cur idem non agat eadem virtute in cœlos corporeos?

Ex dictis colligunt nonnulli (licet alii id negent) in fine mundi à Deo cœlos innovandos esse non tantum accidentaliter, sed et substantialiter. Hoc enim significat illud Isaiæ 65. v. 17. *Ecce creo cœlos novos et terram novam.* Et Apocal. 21. 1. *Vidi cœlum novum, et terram novam. Primum enim cœlum et prima terra abiit.* Sicut enim in resurrectione licet idem numero homo resurrecturus sit, tamen is, ut videtur, substantialiter perfectior erit quam fuerit prius. Accipiet enim novam substantialem perfectionem et unionem, qua anima intimius, arctius, perfectius, nobilius unietur corpori, quam ante fuerit unita, ita ut homo novus resurgat quasi homo cœlestis, gloriosus, impassibilis, immortalis; tam enim arcta erit unio animæ cum corpore, ut amplius solvi non possit, ita ut ex ea homo fiat immutabilis et incorruptibilis, qui antea erat mutabilis, mortalis, miser et corruptibilis; quare tunc perfectius esse accipiet, quod semper subsistere et durare possit, imo corrumpi aut alterari nequeat. Idem proportionaliter fiet in cœlis. Ita inter alios docet D. Thomas, et ex eo D. Soto in 4. dist. 49. q. 4. art. 5. ubi impassibilitatis et immortalitatis corporum beatorum causam intrinsecam dat, eorumdem perfectam cum anima unionem. Dos, inquit, impassibilitatis non est qualitas; sed ipsa animæ informatio perfecta et indissolubilis, quæ dat corpori esse perpetuum. Anima enim beata potens est corpus resurgens indissolubiliter informare, ad eum modum quo forma cœli suam informat materiam. Ita enim arcte alligat sibi potentiam materiæ, ut non sit amplius ulli alterationi aut passioni pervia, quæ à sua natura corpus distrahat. Adde quod anima tunc informans corpus id ad quemdam spiritualitatis gradum elevabit, ut sibi ad nutum subdatur et serviat, juxta illud 1. Corinth. 15. 44. *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*, uti explicat S. August. l. 13. Civit. c. 20. Hæc D. Soto. Idem docet noster Salmeron in hunc S. Petri locum, Delrio in c. 1. Genes. et multi alii initio citati, quorum dicta lectori expendenda et dijudicanda relinquo.

ELEMENTA VERO CALORE (græce καυτούμενα, id est *æstuantia*, hoc est, præ æstu et ardore, ut ait v. 12.) SOLVENTUR.] Per *elementa* accipe aerem inferiorem et aquam: nam de terra mox subdit eam esse exurendam. Ignis vero vel purgatione non eget, vel si in crassiore et fumosa sit materia, eam urendo et consumendo seipsum purgat et clarificat. *Elementa* ergo hic accipe media inter cœlum et terram, puta mare et aerem nobis vicinum, ex quibus omnia mixta conflantur et constant.

Porro τὸ *solventur* sic aliqui explicant. q. d. Corrumpentur, peribunt et evanescent. Ita Beda hic censet in die judicii peritura plane duo elementa, scilicet ignem et aquam, duo vero renovanda, scilicet aerem et terram. De aqua idem docent Andr. Cæsariensis, Aretas, Anselmus, Haymo et Rupertus in Apocal. 21. 1. ubi dicitur: *Et mare jam non est.* Verum alius illius loci est sensus. Quare longe verius est, elementa alteranda tantum esse ut mutentur in melius, non vero corrumpenda: pertinent enim omnia ad integritatem universi. *Solventur* ergo, id est, vi ignis extenuabuntur, ut et quasi liquabuntur, ut ab iis separentur vapores, fœces, exhalationes, aliæque res crassæ et impuræ eis permistæ; sicut in conflatorio solvitur aurum, dum vi ignis liquatur ut ab eo separetur scoria, æs, omnisque alia impuritas ei com-

mista, ut purum putum restet et effulgeat aurum. Ita S. Thom. Titelman. Cajetan. hic, et Doctores Scholastici in 4. dist. 48.

TERRA AUTEM, ET QUÆ IN IPSA SUNT OPERA (tum à natura, tum arte ab hominibus facta, puta mixta omnia) EXURENTUR.] Hinc patet mixta omnia esse exurenda, ac in cinerem terramque convertenda, ut in primigenium sui elementum remeent et redeant. *Cum enim*, ut docte ait noster Lessius loco jam citato, *omnia illa ad usum temporalis vitæ hominum condita sint, cessante illa vita nulli erunt usui, ac proinde resolvenda sunt in sua principia ex quibus compacta; et suis elementis restituenda. Itaque exuretur terra profundissime et omnia opera quæ in ea sunt; exurentur montes et montium fundamenta : dissolventur omnia saxa et metalla, et rupes instar cereæ liquescent : exuretur mare, ita ut consumatur quidquid in eo est terrenum vel concretum : denique exuretur quidquid in aere est materiæ inflammabili.* Et paulo inferius : *De mari exurendo non habemus locum expressum; colligitur tamen ex verbis S. Petri, cum dicit, Elementa ignis calore solvenda. Est enim quid valde mixtum et impurum; unde debet dissolvi et purgari, facile erit Deo per ignem accendere et dissolvere quidquid in mari est inflammabile. Hinc Apocal.* 21. *facta renovatione mundi dicit Joannes : Et mare jam non est; non quod elementum aquæ sit abolendum (cum ad constitutionem mundi pertineat tanquam una ex principalibus ejus partibus), sed quia hoc mixtum quod proprie mare dicitur, non amplius erit; nec aqua, quæ est portio istius mixti, alveo eodem continebitur, ita ut speciem maris præbeat; sed erit limpida instar crystalli, terramque undique operiet, sicut tempore diluvii, ut multi volunt, vel si non totam operiat, alia ejus erit dispositio et forma quam modo sit, cum navigationi, et aliis usibus nostræ mortalitatis inservit. Hippolytus oratione de Consummatione sæculi : Fluvius igneus,* inquit, *egrediens cum furore instar maris sævi exuret montes et colles, et mare delebit, et æthera inflammatione dissolvet. Delebit mare, intellige non consumendo aquarum naturam, sed purgando, sicut dictum est; aget enim hic ignis non solum vi naturæ, sed ut instrumentum divinæ potentiæ; sicut ventus quo siccatæ sunt aquæ diluvii, Genes.* 8. *Itaque non mirum si possit brevi tempore terram profundissime exurere, montes, saxa et metalla dissolvere, et in ipsis aquis quidquid admistum est absumere. Fient hæc omnia incredibili fragore et strepitu, saxis ignitis et cinere in aerem altissime ejectis flamma fumo permixta in cœlum exeunte, torrentibus sulphuris, et liquatorum vi ardoris saxorum, passim decurrentibus. Si enim hæc omnia interdum in uno monte ardente fiunt, idque cum tanta elementorum perturbatione, ut mundus periturus videatur; quid fiet cum tot montes et tota terra ab imo ardebit?*

Ex dictis patet improbabile esse quod censet Moses Barcepha lib. de Parad. c. 18. nimirum paradisum terrestrem ab igne conflagrationis mundi fore immunem, quamvis vacuum et nulli usui futurum; nam paradisus aquis diluvii obrutus interiit. Minus male dicunt alii paradisum servandum esse parvulis, ut post judicium in eo degant per omnem æternitatem. Sed et hi errant; tota enim terra et omnia quæ in ea sunt exurentur, uti significat hic S. Petrus.

Porro lignum crucis Christi ab hoc igne fore immune, illudque quasi triumphale Christi trophæum cœlis esse inferendum canit Sibylla l. 6. carm. dicens :

> O lignum felix in quo Deus ipse pependit :
> Nec te terra capit, sed cœli signa videbis,
> Cum renovata Dei facies ignita micabit.

Idem innuit Christus Matth. 24. 13. *Tunc parebit signum filii hominis*, quod licet Abulens. et Jansenius, ac Anselm. in Elucid. accipiant de signo crucis in aere picto, tamen de ipsissima Christi cruce exponit S. Chrysost. homil. de cruce et latrone, Waldens. tom. 3. de Sacram. tit. 20. cap. 158. Idque innuit S. Cyrillus Catech. 13. S. Ephrem serm. de Vera pœnit. cap. 4. Ac probabile esse censent Gretserus, lib. 1. de Cruce cap. 92. et Suarez 3. p. tom. 2. disp. 57. sect. 2.

Moral. hinc disce nulli rei terrenæ cor tuum affigere; quia omnis illa exurenda est in die judicii, igne enim conflagrationis exurentur omnes flores, omnes gemmæ, omne aurum, omnia metalla, omnes equi, omnia jumenta, omnia animalia, omnes plantæ, omnes arbores, omnes horti, omnia palatia, omnes picturæ, omnes agri, omnes libri, etiam S. Aug. S. Ambr. S. Basil. quin et S. Script. omnes bibliothecæ. Et si ita ardebunt res inanimæ et insensibiles quæ culpa carent, quomodo ardebit cupiditas et voluntas hominis tot culpis inquinata et scatens? Ite nunc, mortales, ædificate palatia, hortos adornate, aurum sine fine congerite, deliciis affluite. Hæc omnia vobiscum brevi exuret ignis ille divinus. *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.*

11. CUM IGITUR HÆC OMNIA DISSOLVENDA SINT, QUALES OPORTET VOS ESSE IN SANCTIS CONVERSATIONIBUS ET PIETATIBUS.] Est conclusio, qua acrem adhibet fidelibus stimulum ad Christianam vitam ac pietatem, omnemque virtutem et studium bonorum operum.

12. EXPECTANTES ET PROPERANTES IN ADVENTUM DIEI DOMINI.] S. August. de Fide et operibus c. 14. *Legit, ad præsentiam diei Domini*, quasi hunc unum spectantes, hoc unum agentes. *Qui enim unum quid mature transigit, is properat; qui multa simul incipit neque perficit, is festinat*, ait Agellius. Hoc est enim unum illud, quod necessarium asserit Christus Marthæ Lucæ 10. 42. Nam hoc uno adepto omnia adipiscimur; uno hoc perdito, omnia perdimus. Ita ad diem Domini properabat S. Joannes, utpote sibi bene conscius et avidissimus ut suo Jesu frueretur : *Veni*, inquit, *Domine Jesu*, Apocal. ult. Hoc est quod quotidie ex præscripto Christi oramus : *Adveniat regnum tuum.* Causam dat S. Augustinus in psalm. 66. *Gaudere judicandum, qui timuerit judicaturum.* Idem exemplum dat seipsum ante conversionem lib. 6. Confess. cap. ult. *Nec me revocabat*, inquit, *à profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis et futuri judicii, qui per varias quidem opiniones, nunquam tamen recessit de pectore meo. Et disputabam cum amicis meis Alipio et Nebridio de finibus bonorum et malorum, Epicurum accepturum fuisse palmam in animo meo, nisi ego credidissem post mortem restare animæ vitam et tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit.* Nam, ut ait Paulus 2. Timoth. 4. 8. *Justitiæ corona reposita est iis, qui diligunt adventum ejus.* Quo loco Anselmus : *Adventum judicis*, inquit, *non diligunt, nisi qui*

in causa sua habere se justitiæ meritum sciunt. Et Theodoretus : *Amat Domini adventum, qui illius leges sequitur, et ex illis vitam instituit.*

Quærit autem Chrysost. quonam modo quis diligat adventum Christi? et respondet : *Si de ejus præsentia gaudet; qui vero in ejus gaudet præsentia, digna gaudio facit; opes omnes, si opus sit, atque ipsam animam ponet ut bonis fruatur æternis, ut secundum ipsius adventum congruo habitu mereatur aspicere cum fiducia, cum gloria, cum claritate : hoc est diligere adventum ejus. Qui illius adventum diligit omnia faciet ut ante universalem illum, singularis fiat ad eum quidam Salvatoris adventus. Quis vero iste est? audi dicentem ipsum Dominum nostrum. Qui diligit me, mandata mea servabit, et veniemus ego et Pater, et mansionem apud eum faciemus.*

Quin et Seneca ad Martiam c. 23. *Sapientis,* ait, *animus totus in mortem prominet : hoc vult, hoc meditatur, hac semper cupidine fertur in exteriora tendens.* Et Plato in Gorgia, quem citat Theodoret. lib. 11. de Curand. Græcor. affect. *Rhadamanthus* (quem Gentiles credebant esse judicem mortuorum) inquit, *nihil sane aliud hominis novit, neque quis sit ille, neque ex quibus parentibus ortus, sed solum curat malus ne ille sit : quod ubi comperit, ad Tartarum eum demittit, animam vero conspicatus quæ sancte vitam peregit, idiotæque aut alterius qui veritatem coluerit, Philosophi præsertim, animam nactus, qui soli sibi vocaverit, neque multarum præterea rerum in vita sollicitus fuerit, amanter illam excipit, atque ad beatorum insulas mittit.* Unde refert Plato : *Mihi quidem, ô Callicles, his rationibus persuasum plane jam est, idque unum maxime aspicio, ut quam sanissimam animam judici Rhadamantho ostendam. Missas igitur faciens quas multi appetunt dignitates, veritatique incumbens curabo, ut quantum in me sit, quam optimus homo vivam; cumque mihi moriendum sit, mori homo quam optimus.* Et mox quemlibet ad idem studium adhortans : *Neque enim,* ait, *tibi ipsi ullas afferre poteris suppetias, cum tibi causa ibi fuerit, statueturque judicium; sed cum veneris in conspectum judicis hiabis attonitus, tenebrasque et vertiginem patieris,* etc. Si hæc Plato, quid faciet Christianus ?

Hæc profunde meditans regius Propheta psalmo 76. 6. *Cogitavi,* inquit, *dies antiquos, et annos æternos in mente habui. Et meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum.* Alii legunt *scopabam,* id est, variis cogitationibus et meditationibus quasi verrebam, versabam, excutiebam : vel à scopo. q. d. Ad scopum suum dirigebam. Ita Genebr. Hebræa; unde Symmachus vertit, *rimabar;* S. August. et Theodor. *scrutabar*, Romanum Psalterium *ventilabam;* S. Hieron. ad Suniam, *sarriebam*, uti sarculo ex agro eruuntur herbæ inutiles et noxiæ; idem S. Hieron. in Psalterio vertit, *fodiebam tanquam agrum ut ibi mitterem semen doctrinarum Domini;* Aquila, *scalpebam;* Chald. *pervestigabam,* alii, *vexabam spiritum meum.* Hæc omnia significant exactum, profundum et frequentem retractatum, discussionem et examen cogitationum et operum quod faciebat regius Propheta, et quilibet justus parans se ad mortem et diem Domini quotidie facere debet.

Quocirca S. Basil. in psal. 33. *Si quando,* ait, *senseris te ad peccatum incitari, ad mentem revoca formidabile illud, nec ulli mortalium tolerabile Christi judicium in quo quidem judex præsidet in alto throno, astabit autem omnis creatura pertrepida et intremiscens; eo singuli quoque sistentur, de his examinandi quæ quisque gessit in vivis. Deinde eos qui mala perpetrarunt, horrendi, quidem et tristes circumstabunt ignem spirantes, vultum præ se ferentes nocti assimilem præ mœrore et hominum odio. Subin conspicient barathrum in imum patens, tenebras impermeabiles, ignemque obscurum urendi quidem vim habentem, luce autem destitutum.*

Per quem cœli ardentes solventur.] *Cœlos* intellige inferiores, puta aereos. Superior enim aeris pars pingui vapore et halitu inflammabili plena est, ait S. August. 20. Civit. 18. Addunt alii cœlos etiam superiores, puta sidereos (hi enim proprie vocantur cœli, præsertim cum ab elementis distinguuntur; uti hic fit) quos æthereos et ætherem esse, ideoque inflammari posse et debere arbitrantur, ut superius dixi. Ita Serarius hic nervose contendit igne exurendos esse. Primo, cœlos sidereos; secundo, aerem; tertio, aquam; quarto, terram, ita ut hæc quatuor quoad substantiam, puta formam, intereant, solaque supersit eorum materia cum igne devorante et cœlo empyreo. Vide dicta v. 10.

Et elementa ignis ardore (καυσούμενα, id est, æstuantia) tabescent,] τήκεται, id est, liquescent instar metalli in fornace liquati, ut dixi v. 10. S. August. loco citato legit : *Ardore ignis decoquentur.* Sicut enim aurum in conflatorio tabescit, id est liquatur et extenuatur, ut ab eo omnis fœx et materia extranea abradatur, illudque purius et splendidius evadat; ita et tabescet, id est extenuabitur aer et æther, ut omnes exhalationes et fœces abradantur, illeque purior et splendidior initescat. Nam sicut per resurrectionem corpora hominum non mutabuntur in aliam substantiam aut corpus, sed quasi per fornacem colabuntur et ab omni corruptione purgabuntur, itaque quasi coquentur ut sint æterna; ita plane fiet toti mundo per ignem conflagrationis. Scriptura enim mundum dicit fore æternum. psal. 92. v. 2. et psal. 118. 89. atque ita explicat et conciliat. Hæc loca Psaltes psalmo 101. v. 27. et 28. unde et hic v. 13. S. Petrus ait cœlos innovandos, id est, non substantia, sed qualitate tantum et perfectione fore immutandos. Idem docet S. Paulus, Rom. 8. v. 21. Atque eodem modo paulo ante v. 6. dixit S. Petrus mundum diluvio periisse, cum tamen substantia mundi diluvio non perierit, sed tantum ejus species et decor. Ita S. August. 20. Civit. 16. et 18. S. Hier. in c. 18. Isaiæ et alii. Per *elementa* accipe terram, aquam, et aerem eis vicinum; superior enim aeris regio cœlis vicina cœlorum nomine comprehendi videtur, uti dixi v. 7.

13. Novos vero cœlos] tum sidereos, tum aereos : *novos,* ut Sanctorum novitatem et gloriam repræsentent, ait Œcumen. *novos,* inquam, vel quoad substantiam, uti multi volunt citati v. 10. vel potius secundum qualitatem : *Quia lux lunæ erit sicut lux solis, et lux solis septempliciter sicut lux septem dierum,* ait Isaias c. 30. 26. Idem proportionaliter accidet cæteris stellis ipsisque cœlis. Ita S. Gregor. 17. Moral. c. 3. *Utraque hæc* (cœlum et terra) inquit, *per eam quam nunc habent imaginem transeunt, sed tamen per essentiam sine fine subsistunt.* Figura enim mundi, id est imago, transibit, non substantia, ait S. August. vel potius Gennad. de Eccles. dogmat. c. 70.

Dicit ergo S. Petrus ad consolandos animandosque fideles tot ærumnis et mortibus exagitatos, ut cogitantes revirescentes veteris mundi in novis cœlis exuvias, meminerint Sanctis pariter damna fugientis vitæ in immortalitatis lucra converti, ac cum novis cœlis novum expectent corpus beatum et gloriosum.

Quocirca hos cœlos novos continuo suspexerunt, et ad eos aspirarunt omnes Sancti. Celebris fuit Simeon Stylites, qui stetit in columna usque ad extremum senium, eique pedem ferrea catena astrinxit. Causam dat Theodor. oculatus testis in ejus Vita, puta in Philotheo c. 20. *In ea*, ait, *degit cœlum assidue visione apprehendens, et ut ea quæ sunt super cœlos contemplaretur sibi vim afferens; mentis enim volatum non impediebat ferri vinculum.* Et inferius : ut se magis ab hominum consortio et contactu abduceret : *Primum*, inquit, *jussit ædificari columnam sex cubitorum, deinde duodecim, postea autem viginti, nunc autem sex et triginta; cupit enim in cœlum evolare, et ab hac terrena conversatione liberari.* Et sub finem : *Accepit etiam doctrinæ donum, et bis quotidie facit admonitiones, jubens in cœlum suspicere et evolare, et à terra discedere, et regnum quod exspectatur visione apprehendere, et gehennæ minas timere, et terrena contemnere, et futura exspectare.*

Mirum est quod de S. Mechtilde scribit Lud. Blosius in append. de quatuor sanctis feminis : *S. virgo Mechtildis*, inquit, *cum feria quarta post diem Paschæ in Missa inchoaretur : Venite, benedicti Patris mei; ipsa ingenti et insolita lætitia repleta dixit ad Dominum : O si una essem ex illis benedictis, qui hanc dulcissimam tuam vocem audituri sunt! Et Dominus ad eam; Certo scias, te unam ex illis esse, et ut nihil dubites, ecce ego do tibi cor meum in pignus amoris, et in domum refugii, ut semper maximeque in hora mortis tuæ consolationem et requiem in eo invenias. Ab eo tempore cœpit mira devotione erga cor Jesu affici. Unde et frequenter dicebat : Si scribi deberent omnia bona quæ à benignissimo corde Domini mei accepi, nullo quamlibet grandi volumine scribi possent. Instante autem hora mortis Dominus Jesus eam lumine divinitatis suæ totam illustrans, blanda voce invitavit his verbis : Veni, benedicta Patris mei, posside paratum tibi regnum à constitutione mundi. Igitur beata illa anima expirans in cœlum ad suavissimum Jesu cor evolavit.*

Quocirca viri timorati et sancti quotidie crescunt et proficiunt in abdicatione rerum temporalium, et studio cœlestium, ut hac quasi scala Jacob (Genes. 28. 12.) in cœlum conscendant, juxta illud Davidis psal. 83. 5. *Beati qui habitant in domo tua, Domine : sæcula sæculorum laudabunt te. Beatus vir cujus est auxilium abs te : ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum in loco quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator; ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus deorum in Sion.* Id fecit magnus ille Polychronius, de quo Theodor. in Philotheo cap. 24. *Est*, inquit, *divino incensus desiderio, et est terrenis omnibus superior, et corpori alligatus mentem habet alatam, et quæ fertur in sublime, aeremque trajicit et ætherem, et cœlis fit sublimior, et perpetuo divinam visione apprehendit contemplationem; nec potest illinc unquam mentem detrahere; quin etiam cum iis qui adveniunt colloquens, superna mente peragat.*

ET NOVAM TERRAM,] novo decore, puritate et fulgore splendentem, ut cum Sanctis, quibus servivit, quasi glorificetur, eorumque oculos mentesque oblectet. Paludan. in 4. dist. 48. q. 1. censet quod hic fulgor terram pervadet, et pertinget usque ad limbum puerorum, eorumque oculos et corpora postquam resurrexerint illuminabit et recreabit; alioqui enim ipsi velut cæci in perpetuis degerent tenebris. Alii, ut Catharin. et Salmeron, hic censent pueros hosce futuros in terra quasi in quodam paradiso terrestri, ideoque perficiendos in cognitione naturali, ut Philosophos omnes superent, contemplaturos Deum in suis creaturis, eumque amaturos et laudaturos, quin et visitatione ac revelationibus angelorum gavisuros. Sed falluntur, dum eos censent fore beatos beatitudine naturali; cum enim damnandi sint pœna damni (licet non sensus) puta carentia visionis beatificæ, ad quam creati erant, uti contra Pelag. docet S. August. hær. 88. epist. 106. lib. 1. de Peccat. merit. c. 23. et alibi; damnati dicendi sunt potius quam beati. Cæteroqui probabile est eos in terra vitam commodam acturos. Nam limbus puerorum eorum corpora, quæ resument in die judicii, non capiet : erunt enim facile mille milliones parvulorum, qui toto orbe per tot sæcula sine baptismo mortui erunt in peccato originali. Adde tot corpora ibi naturaliter esse non posse sine mœrore et pœna sensus (quam tamen parvulis communiter adimunt Theologi); hanc enim causaret loci obscuritas, conclusio, depressio, squalor, angustiæ, etc. Recte enim ait Thobias 5. 12. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video?* Vide Lessium de Attribut. divin. l. 13. c. 23. ubi ex S. Thoma, Scoto, Marsilio, D. Soto, aliisque Scholasticis docet parvulos hosce comparituros in judicio universali, excepturos pœnam damni, sed perficiendos in intellectu, voluntate, aliisque naturæ facultatibus (erit enim tunc communis totius naturæ renovatio et instauratio) ut contenti et læti in omnem æternitatem concorditer et amice vivant, ac Deum amentet laudent, quod se à peccato actuali et gehenna præservarit, tantisque naturæ donis ornarit, ut res creatas, ac præsertim animæ suæ excellentiam, æque ac angelorum contemplari valeant, indeque Creatorem admirari et glorificare; alioqui enim essent otiosi per omnem æternitatem. Nec enim credendum est Deum tot milliones animarum velle esse semper in otio, et quasi frustra in orbe. Si enim, ut passim docent Doctores in 2. dist. 33. quos citat et sequitur Gabr. Vasquez 1. 2. disp. 134. cap. 3. parvuli, Deo ita providente, non sentient mœrorem ob amissionem regni cœlestis, eo quod illud sua culpa non amiserint; cur non credamus eos in communi totius orbis instauratione pariter perficiendos in ordine bonorum naturalium, ut Deum cognoscere, amare et laudare valeant; itaque vitam quietam et jucundam agant? Hæc Lessius, eaque multis rationibus confirmat. Quæ si vera sunt, quis locus parvulis hisce aptior erit quam terra? utpote in qua solem, cœlos, astra, mare, cæteraque creata intueri et contemplari poterunt, ex iisque Deum amare et laudare.

Dices, Job 26. 10. dicitur : *Terminum circumdedit aquis, usque dum finiantur lux et tenebræ*, id est, vicissitudo diei et noctis; ergo ea cessante, uti cessabit in die judicii, aquæ excedent

suos terminos, rursumque operient terram, uti operuerunt in mundi primordio; itaque futurum censent probabiliter S. Bonavent. D. Soto in 4. dist. 47. q. 2. art. 4. et alii. Sed responderi potest. Primo, τὸ *usque dum finiantur lux et tenebræ*, esse proverbium, significans idem quod semper et perpetuo. Sic enim explicat Jerem. cap. 5. 22. dicens : *Qui posuit arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit;* alioqui enim terra aquis operta, esset invisibilis, et ad primum chaos rediret; ex quo à Deo fuit deducta die tertia mundi, cum discooperta fuit et ab aquis separata, Genes. 1. 9. tuncque suam formam et decorem accepit. Secundo, dici potest quod mare in fine mundi multas rursum terras operiet, at non omnes; saltem parvulis locum vacuum relinquet. Ut est, Deo facile erit parvulis resurgentibus locum congruum sive in terra, sive sub terra, sive ubi ei libuerit, instruere et aptare.

Porro Guiliel. Parisiensis apud Dionys. Carth. in 4. dist. 47. asserit viros sapientissimos censere, quod post diem judicii et conflagrationem mundi terra rursum floribus, gemmis, arboribus, fontibus, aliisque similibus ornamentis sit vestienda, tum ad ejus mundique decorem, tum ad Sanctorum oblectationem, tum ad parvulorum sine baptismo defunctorum, qui in ea degent, recreationem. Idem censent Catharin. hic, Picus Mirandul. in Heptaplo, Abulens. in c. 25. S. Matthæi q. 542. 548. ac Serarius in Judith. c. 16. q. 2. Audi Anselmum in Elucidario : *Terra*, inquit, *quæ in gremio suo corpus Domini confovit, tota erit ut paradisus; et quia Sanctorum sanguine est irrigata, odoriferis floribus, rosis, violis immarcessibiliter erit perpetuo decorata.* Alii tamen, ut OEcumen. idipsum negant.

SECUNDUM PROMISSA EJUS EXPECTAMUS.] Novos enim cœlos novamque terram promisit Deus Isaiæ 63. 17. et c. 66. 22. et c. 64. 4. *Oculus*, inquit, *non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te*, quo alludit S. Petrus, ideoque ait, *Expectamus*. Rursum Christus sæpe suis promittit regnum cœlorum; hoc autem erit in cœlis novis. Denique S. Joannes Apocal. 21. 1. promittit cœlos novos et terram novam, sed post S. Petrum; post hanc enim epistolam scripta est à S. Joanne Apocalypsis. *Grandis audaciæ puræque conscientiæ est regnum Dei postulare, et judicium Dei non timere*, ait, S. Hier. in cap. 6. Matth.

IN QUIBUS JUSTITIA HABITAT.] Quænam justitia? omisso errore Origenis 1. Periarchon. c. 7. qui Platonem secutus cœlis animam et mentem, ac consequenter peccatum, justitiam et sanctitatem tribuit; primo, Philippus Solitarius lib. 3. Dioptræ cap. 6. per *justitiam* accipit Deum; hic enim quasi sol justitiæ in cœlis novis habitabit.

Secundo et melius. q. d. In cœlis hisce nostris habitat misericordia tolerans peccatores, in cœlis vero novis habitabit justitia, quæ non admittet quidquam coinquinatum in illas ingredi. Apocal. 21. 27. Rursum justitia divina cuique vel in cœlis novis, vel in terra nova assignabit pro meritis locum ad præmium, vel pœnam, eumque constantem et perpetuum absque ulla mutationis spe vel metu; nam Sanctis assignabit cœlum, impiis infernum, pueris in peccato originali decedentibus terram. Hoc est quod Cyrillus l. 3. in Genes. ait Christum omni maledictione terram liberaturum, cum dabit cœlos novos et terram novam, et, ut ait S. Ambrosius libr. 5. epist. 21. tunc omnia creata quæ prius fuerunt instrumenta flagitiorum, iis extinctis, quantum in ipsis est, pietatem et justitiam colent, quæ idcirco dicitur in iis habitare. Hinc aliqui per catachresin per *justitiam* accipiunt mundi innovationem, splendorem et decorem. Ilic enim congruit justitiæ ac mundo jam à peccatis et peccatoribus expiatio, ideoque quasi justo et sancto. Ita S. Ambrosius loco citato.

Tertio, simpliciter et plane, *justitia*, id est sanctitas, puta justi et sancti. q. d. Mundus hic vetus instaurationem expectans omnium scelerum est officina et sentina : at mundus per Christum judicem innovatus, exclusis et in tartara relegatis sceleribus et sceleratis, erit duntaxat locus et sedes justitiæ ac justorum et sanctorum; hi enim erunt incolæ et domini novi cœli et novæ terræ : tunc enim Deus erit omnia in omnibus, 1. Corinth. 15. 28.

Mystice, cœli novi et terra nova, sed animata, sunt Sancti; in his enim habitat justitia, omnisque virtus et sanctitas, juxta illud : *Cœli enarrant gloriam Dei. In omnem terram exivit sonus eorum*, psal. 18. v. 1. et 5. quod de Apostolis mystice explicat S. Paulus Rom. 10. 18.

14. PROPTER QUOD CHARISSIMI HÆC EXPECTANTES, SATAGITE, σπουδάσατε, id est, omni studio, omni cura, omnibus viribus et nervis contendite, IMMACULATI, ἄσπιλοι, id est, *sine macula* scilicet graviori et mortali : nam omnes veniales in hac vita cavere est impossibile : ET INVIOLATI ἀμώμητοι, id est, *irreprehensibiles*) INVENIRI EI.] Nam, ut ait S. Paulus Ephes. 1. 4. *Elegit nos in ipso* (Christo) *ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate.* Et Coloss. 1. v. 22. *Reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem exhibere nos sanctos, et immaculatos, et irreprehensibiles coram ipso.* Præclare S. Bernardus de Triplici jud. *Debet*, ait, *quisque quantum potest se irreprehensibilem exhibere, primum quidem coram Deo, sed deinde etiam coram hominibus.* Tum allatis S. Petri verbis subjicit : *Tribus siquidem modis providemus bona coram hominibus, id est habitu, actione, sermone. Habitu ne sit notabilis, actione ne sit reprehensibilis, sermone ne sit contemptibilis. Tribus etiam modis coram Deo, cogitatione, affectione et intentione; nam et cogitatio debet esse sancta. Unde scriptum est : Cogitatio sancta servabit te; et affectio pura et intentio recta. Sunt autem tria ista, id est cogitatio, affectio, intentio in anima; sed in ea quoque propriis singula locis distincta videntur. Nam cogitatio in memoria est, affectio in voluntate, intentio in ratione.*

Nota τὸ *ei*, cum ait, *inveniri ei.* q. d. Primo, *ei*, id est, ab ipso quem nihil latet. Secundo, *ei*, id est in judicio ipsius, quod falli nequit, quodque nemo potest evadere. Tertio, *ei*, id est, in conspectu ejus qui omnia præsens intuetur. Quarto, *ei*, id est, ad honorem et gloriam illius, ut illi placeatis, non hominibus; ut illius honorem promoveatis, non vestrum; ut ab illo præmium et gloriam recipiatis, non à mundi principibus. Ita Deus Abrahæ perfectionis ideam præscribens : *Ambula*, ait, *coram me, et esto perfectus;* Septuag. *place in conspectu meo, et esto inculpabilis*, seu irreprehensibilis. S. Augustinus lib. 16. de

Civit. c. 26. legit absolute : *Place, et esto sine querela.* Cum simile Thaletis Milesii monitum recitasset Tullius l. 3. de Legibus, nimirum assidue volutandum animo esse, non solum facta atque dicta, verum etiam cogitata divinis oculis patere; præclare adjecit : *Omnem virtutis Philosophiam hoc uno verbo Thales complexus est.* Addit explicatius Valer. Maximus l. 7. c. 2. §. 7. *Ut non solum manus, sed etiam mentes puras habere vellemus, cum secretis cogitationibus nostris cœleste numen adesse credidissemus.* Ita Jacob patriarcha moriturus benedicens filiis Joseph, ait: *Deus in cujus conspectu ambulaverunt patres mei;* Septuag. *Deus, cui placuerunt patres mei in conspectu ejus.* Ita David psal. 114. 9. *Placebo,* ait, *Domino in regione vivorum;* hebr. *Ambulabo coram Domino in terra viventium.* Ita Abel *in omnibus quæcumque gerebat, Deum putabat esse præsentem,* ait Joseph. 1. Antiq. 4. Ita Henoch *ambulavit cum Deo;* Septuag. *beneplacuit Deo,* Gen. 5. 24. Quidni placeat Deo, qui ita vivit, ut cogitet semper Deum sibi esse præsentem? Ita *Noe vir justus atque perfectus cum Deo ambulavit;* Septuag. *placuit Deo,* Genes. 6. 9. Ita Abraham : *Dominus,* ait, *in cujus conspectu ambulo;* Septuag. *Dominus Deus, cui placui ante ipsum.* Seneca Gentili Lucilo hoc vitæ honestæ dat consilium epist. 25. *Sic vive, tanquam sub alicujus boni viri, ac semper præsentis oculis.* Pientius S. August. Soliloq. c. 14. Christianis hunc sanctæ vitæ dat stimulum : *Magna nobis est indita necessitas juste recteque vivendi, qui cuncta facimus ante oculos Judicis cuncta cernentis.*

Addit S. Petrus τὸ *in pace,* ut scilicet existentes immaculati et inviolati. Primo, pacem habeatis cum Deo, cum proximo et cum propria conscientia : magnum enim bonum est pax conscientiæ, qua anima domitis passionibus tranquilla est, suique regina et domina. Unde hæc pax exuperat omnem sensum, et custodit corda et intelligentias nostras, ait S. Paulus Philipp. 4. 7. Vide ibi dicta. Secundo, ut adventum Domini, mortem scilicet et judicium, vobis bene conscii expectetis animo pacato, sereno, hilari et fidenti; hæc ergo pax est effectus et præmium immaculatæ et inviolatæ mentis.

Antistropha huic S. Petri sententia est illa S. Pauli monentis Titum c. 2. 12. *Ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei.* Et illa 2. Corinth. 7. 1. *Has ergo habentes promissiones charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei,* etc. Uterque vero eam accepit et didicit à Christo dicente et docente, Lucæ 12. 35. *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris, et vos similes hominibus expectantibus dominum suum.* Ubi vide S. Gregor. S. Aug. et S. Ambros. Anterius idem monuerat Eccles. cap. 18. 19. dicens : *Ante judicium interroga teipsum, et in conspectu Dei invenies propitiationem.* Et : *Ne verearis usque ad mortem justificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Quin et Salomon : *In omnibus viis tuis,* ait, *cogita illum, et ipse diriget gressus tuos.* Proverb. 3. 6. Et Tobias ad filium c. 4. 6. *Omnibus,* ait, *diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum.* Et David psal. 17. 13. *Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo, et justitias ejus non repuli à me; et ero immaculatus cum eo, et observabo me ab iniquitate mea.* Et Michæas cap. 6. 8. *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat à te, utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo;* S. Ignatius quoque ad Heronem : *Memento,* ait, *Dei, et non peccabis.* Et Clemens Alexand. 3. Pædag. cap. 5. *Hac solum ratione fit ut quis nunquam labatur, si Deum semper sibi adesse existimat.*

15. Et Domini nostri longanimitatem salutem arbitramini.] q. d. Hortatus sum vos, ut sancte vivendo expectetis et desideretis adventum Domini; interim tamen nolo vos queri de ejus tarditate, ac dicere : *Tardat Dominus promissionem suam,* v. 9. Sed potius arbitrari, sentire et existimare quod hæc ejus longanimitas protendatur, nobisque exhibeatur ad salutem, tum nostram, tum malorum aliorum, ut scilicet omnes à peccatis resipiscant, aut certe virtutes et merita bonorum operum accumulent, quorum coronas et præmia æterna à Christo judice accipient : sicut de facto hæc Dei longanimitas multis est saluti, qui alioqui periissent, adeoque per eam completur omnis Sanctorum et electorum numerus.

Sicut et charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis,] commendans tum Dei longanimitatem peccatores expectantem ad pœnitentiam, tum puritatem vitæ, fidem, spem, etc., quæ hac epistola vobis commendavi. Id facit Paulus, tum epist. ad Rom. c. 2. 4. *An ignoras,* ait, *quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Ita OEcumen. tum epist. 1. ad Corinth. c. 3. et 12. sed præsertim epist. ad Hebr. c. 3. 6. et 10. v. 36. ubi Dei longanimitatem nobis debere esse saluti hisce verbis significat : *Patientia,* ait, *vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis repromissionem. Adhuc enim modicum aliquantulum qui venturus est veniet, et non tardabit; justus autem meus ex fide vivit.* Cum enim ait Petrus : *Scripsit vobis,* videtur denotare Hebræos; ad Hebræos enim præcipue scripta est hæc sancti Petri epistola, utpote quorum ipse quasi Christi successor et vicarius, propriam sibi curam assumpserat. Ita Catharin. Salmeron et alii hic, ac Baron. anno Christi 60. et Bellarm. lib. 1. de Verbo Dei cap. 17. Nota hic charitatem et unionem S. Petri cum S. Paulo, cui tam luculentum sapientiæ divinæ dat elogium et testimonium; ex quo sane S. Paulo ejusque epistolis magna accessit auctoritas. S. Petri enim et summorum Pontificum ejus successorum est, Canonicas Scripturas à non Canonicis secernere, probare et definire. S. Petri judicium secutus S. Dionys. Areopag. c. 2. et 7. de Divin. nomin. S. Paulum vocat solem, perfectorem, ducem et sapientiæ abyssum, ab eoque se suam Cœlestem et Ecclesiasticam Hierarchiam accepisse testatur. Et S. Hieron. epist. 61. ad Pammach. S. Paulum, ejusque vocem vocat *vas electionis, tubam Evangelii, rugitum leonis nostri, flumen eloquentiæ Christianæ.* S. Augustinus in psalm. 147. *Nihil,* ait, *nobis isto viro notius, nihil suavius, nihil in Scriptura familiarius est.* Nazianz. orat. 33. Paulum vocat discipulum piscatorum (Apostolorum) simul et magistrum. Vide dicta in Proœmio in S. Paulum, ubi sapientiam aliasque dotes S. Pauli multis demonstravi.

Moral. Mirare hic et imitare candorem, humilitatem, integritatem et charitatem S. Petri, qui divini honoris studiosus, sui negligens, adeo di-

laudat, imo canonizat epistolas S. Pauli, cum tamen sciret in iis se taxari, suumque errorem et lapsum toti orbi propalari. Nam Galat. 2. 11. de eo sic scribit S. Paulus : *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat*, etc. Notent hoc Doctores et Scriptores, qui aliorum dicta et scripta suis contraria vituperant, impugnant, lacerant. Notent et discipuli qui suos antagonistas supplantare satagunt, qua in re magis se quam suos æmulos infamant; produnt enim suam superbiam, invidiam, odium, immodestiam, insipientiam. Quanto satius acerbius contra se dicta dissimularent, et silentio premerent? sic enim se sapientes, magnanimos, Christianos, religiosos ostenderent, horum enim decus in unica virtute consistit.

16. In quibus sunt quædam difficilia intellectu.] Græcum ἐν οἷς, est masculinum; unde non potest referre epistolas, utpote generis feminini sed ipsa dicta et scripta, sive ea quæ scripsit Paulus, in quibus sunt multa difficilia. Unde liquet contra Calvinum et Lutherum, Scripturas non esse faciles, et cuique etiam idiotæ perspicuas. Respondet Calvinus, ejusque hyperaspistes Beza, τὸ ἐν οἷς referri ad τούτων, quod præcessit puta ad res de quibus scripsit Paulus : hæ enim cum sint de Deo trino et uno, Christo crucifixo, similibusque fidei arcanis, sunt intellectu difficiles. *Ne quis ergo*, ait Beza, *hinc putet errorem stabiliri; impius enim et blasphemus est qui nuper scripsit, verbum Dei ita esse obscurum, ut quocumque modo illud accipias, controversiis religionis decidendis non sufficiat.* Hæc ille, sibi Lucifer, aliis tenebrio, imo erro et impostor. Subdit S. Petrus : *Quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Script.* Ubi nota τὸ *cæteras*; hæc enim vox denotat ipsas S. Pauli Epistolas; hæ enim numerantur inter cæteras Script. Canonicas. q. d. Depravant Epistolas S. Pauli, sicut et cæteras Prophetarum et Apostolorum Scripturas, quas, quia difficiles sunt intellectu, in alienos sensus detorquent. Adde difficultatem Epistolarum S. Pauli sat convinci ex tot et tantorum Patrum et Doctorum in eas Commentariis, qui tamen sensa mentemque Pauli non adæquant, multoque minus exhauriunt. Item ex perpetuo hæreticorum de earum intellectu tum inter se, tum cum Catholicis litigio et dissidio. Denique ex ipso earum intuitu et lectione. Legat quilibet Epistolam ad Hebræos et mille in ea inveniet difficultates.

Depravant,] στρεβλοῦσιν, id est, *detorquent* S. Scripturas, quæ sunt *originalia instrumenta Christi*, ait Tertull. cap. 2. de Carne Christi. Idem de Præscript. cap. 17. *Tantum*, ait, *veritati obstrepit adulter sensus; quantum corruptor stylus.* Nam, ut ait S. August. tract. 18. in Joan. non aliunde *natæ sunt hæreses, nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non bene, et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur.* Vide Vincentium Lirinens. contra hæreses. Sic etiamnum hodie nostri hæretici depravant Epistolas S. Pauli, eisque suas hæreses tuentur, adeo ut Calvinus clamet pro se, puta pro suo prædestinationis et reprobationis fato, pro fide sola justificante, pro servo arbitrio, etc., stare Paulum et Augustinum. Lutherus vero inter alia ausus fuit depravare verba illa Pauli Roman. 3. 23. *Arbitramur justificari hominem per fidem*, addendo *solam.*

Moral. Notent hic concionatores, qui nimis licenter S. Script. ad suos conceptus, volentes nolentes trahunt et torquent, se id faciendo illam depravare. Qui enim in alienos sensus eam detorquent, hi eam depravant : vis enim et mens S. Scripturæ non in verbis, sed in sensu consistit, qua de re plura dixi in Proœmio in Min. Prophet. Quin imo S. Greg. lib. 6. epist. 7. reprehendit eos, qui in Cyriaci Episcopi ordinatione præ gaudio clamaverant : *Hæc dies quam fecit Dominus :* eo quod hæc verba proprie dicta sint de Christo, Psal. 117. *In creaturæ autem laudem*, inquit, *vox illa dari non debuit, quæ soli convenit Creatori.*

Ad suam ipsorum perditionem.] Quia ipsa Dei verba, oracula et diplomata violant et depravant. Si enim qui litteras regis falsificat, reus est læsæ majestatis humanæ, utique qui litteras Dei falsificat, reus est læsæ majestatis divinæ, ideoque perditioni et gehennæ obnoxius.

17. Vos igitur fratres præscientes, puta præmoniti à me de periculo, custodite, id est, ut vertunt Tigurina, Pagninus et S. August. de Fide et oper. cap. 14. *cavete*, ne insipientium græce ἀθεσμων, id est, *impiorum*, nefariorum exlegum, puta hæreticorum qui depravant Epistolas S. Pauli aliasque Script. errore traducti; Tigurina, *abducti;* græce συναπαχθέντες, id est, *simul cum aliis abducti*, excidatis a propria firmitate.] Fidei, pietatis, gratiæ et virtutis Christianæ. Unde ait Paulus : *Optimum est gratia stabilire cor.* Hebr. 13. 9. Pro *errore* græce est πλανῆ : unde stellæ erraticæ vocantur planetæ, quo innuit hæreticos esse planetas et errones, qui nusquam fixi consistant; sed per varias hæreses oberrent, et ab una in aliam et aliam, ac tandem in atheismum dilabantur.

18. Crescite vero in gratia, et in cognitione Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi :] Idem precatur et hortatur Paulus : *Non cessamus*, inquit, *pro vobis orantes, ut impleamini agnitione voluntatis Dei, in omni bono opere fructificantes, et crescentes in omni scientia Dei, in omni virtute confortati.* Coloss. 1. 10. Nam, ut ait S. Leo Serm. 8. de Passione : *Omnes de die in diem proficiendo per pietatis augmenta renoventur : quantumlibet enim quisque justificatus sit, habet tamen dum in hac vita est quo probatior esse possit et melior : qui autem non proficit, deficit; et qui nihil acquirit, non nihil perdit.* Gratiam præponit cognitioni; quia crescere in gratia utilius est et magis necessarium, quam crescere in cognitione; multi enim plebeii et rudes crescunt in gratia, et non in cognitione, hique superabunt multos doctos et litteratos in gloria cœlesti. Crescere autem in cognitione Jesu Christi Salvatoris, est crescere in cognitione divinitatis, humanitatis, redemptionis, resurrectionis, gratiæ, gloriæ, omnibusque mysteriis et beneficiis Jesu Christi; unde sequitur incrementum charitatis et amoris ejusdem. Sane quisque Christianus quotidie deberet crescere in cognitione, meditatione et amore Jesu Christi Salvatoris sui ita cresceret pariter in meritis, et in corona ac gloria cœlesti. Dicit hoc Petrus contra hæreticos qui se *Gnosticos*, id est scientes et in cognitione perfectos, vocabant et jactitabant, cum essent ignorantes et errantes. Veri enim Gnostici sunt fideles qui suam ignorantiam fatentur, ac student crescere in cognitione rerum salutis, ideoque assidue

orant cum Psalte : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.*

IPSI GLORIA ET NUNC, ET IN DIEM ÆTERNITATIS. AMEN.] Puta in omnem æternitatem, quandiu durat dies æternitatis : Æternitas enim est quasi una dies, unumque hodie constans semper et perennans, ut dixi v. 8. Vel *in diem*, id est in tempus æternitatis, puta æternum quod imaginamur æternitati Dei coexistere, ut illam animo concipere et aliquo modo apprehendere possimus, *dies* enim sæpe pro tempore capitur : imaginamur enim millia et milliones annorum semper sibi succedentium, idque sine fine, ut æternitatem mente concipiamus. Sic David ait Psal. 76. 6. *Annos æternos in mente habui.* Significat hic S. Petrus fideles debere perpetuo vita et voce glorificare Deum, ipsique operari gloriam non præsentem et hodiernam duntaxat, sed perennem et æternam, ac jugiter cum Ecclesia canere : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto; sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum.* Hoc enim faciunt canuntque perpetim Beati in cœlo, quorum vitam, laudem et felicitatem nos in hac vita inchoare decet, ideoque mentem abstrahere à rebus terrenis, caducis et momentaneis, eamque figere in cœlestibus, stabilibus et æternis. Præclare S. Leo serm. 2. de Passione in fine : *Magni nominis militiam*, inquit, *magnæ professionis suscipimus disciplinam. Sectatores Christi discedere à regia non licet via, sed dignum est temporalibus non occupari ad æterna tendentes.* Idem serm. 1. de Resurrect. *Ex qualitate*, ait, *temporalium actionum, differentiæ retributionum pendent æternarum.* Et inferius : *Pro transactis habeantur quæ ex maxima parte jam non sunt; et mens intenta mansuris ibi desiderium suum figat, ubi quod offertur æternum est.* Quocirca Ecclesia nos docet Deum orare, *ut eo rectore et duce sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna;* transeundum enim est per temporalia et transitoria, hærendum infixis et æternis. Et S. Basil. in Psal. 48. agens de divitiarum contemptu : *Ne esto*, inquit, *circa præsentia hæc pusillo aut dejectiori animo, quin potius vitam illam expectato beatam prorsus, nec ullo fine claudendam.* Pathetice vero B. Petr. Chrysologus serm. 124. *Quid stupemus? ubi sumus? Quis est iste qui nos eludit somnus? Quæ est ista quæ nos tenet oblivio lethalis? Quare non cœlo mutamus terram? Quare non caducis emimus æterna? Quare non perituris manentia comparamus?* Næ ille alte stertit qui ad hæc vehementia tonitrua, fulminaque verborum non expergiscitur. Nec minus ardenter in sæculi asseclas intonat Nazianzenus orat. 16. *Quis prætereuntia præteribit? Instabilibus et æternis mentem adjunget? Quis de præsentibus rebus tanquam de abeuntibus cogitabit? Quis picturam à veritate; quis umbram à vita sempiterna discernet?* Congruenter et Seneca epist. 110. *Quid miraris? Quid stupes? Pompa est. Ostenduntur istæ res, non possidentur; et dum placent, transeunt : ad veras potius te converte divitias.* Denique S. Bernard. in Meditat. c. 2. clare et nervose : *Dic mihi*, ait, *ubi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum erant? Nihil ex eis remansit, nisi cineres et vermes. Attende diligenter quid sunt, vel quid fuerunt. Homines fuerunt sicut tu : comederunt, et biberunt residerunt, duxerunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descenderunt.* Unde concludit idem in Sententiis : *Infelix proinde qui in hujus vitæ lubrico fidens, perituram insumit operam; nec advertit quoniam vapor est, et ad modicum parens; et vanitas vanitatum.* Si sapis ergo optasque esse felix :

VIVE VERITATI,
VIVE IMMORTALITATI,
VIVE ÆTERNITATI.

Hæc sollicitissima meditatio debet esse sapientis, ut quoniam brevis dies istius vitæ, et incerta sunt spatia, nunquam sit mors morituro improvisa, nec inordinatum incidat finem, qui se novit esse mortalem. S. Leo serm. 5. de jejunio 7. Mensis.

COMMENTARIUS

IN PRIMAM

SANCTI JOANNIS

EPISTOLAM.

PROŒMIUM.

TRIA hic ex more præmitto. Primum de Epistolæ auctoritate; secundum de auctore; tertium de argumento.

Quoad primum. De fide est hanc Epistolam esse Script. Canonicam. Hic est sensus communis totius Ecclesiæ, expressus tum alibi, tum in Concil. Trident. sess. 4.

Ubi nota duplices esse libros Canonicos S. Scripturæ. Primi vocantur Protocanonici, quasi primi canonis, eo quod omni ævo apud omnes habiti sint Canonici, ita ut de eorum auctoritate nullus unquam orthodoxus dubitarit.

Secundi vocantur Deuterocanonici, quasi secundi canonis, eo quod aliquando Ecclesia aut Patres de eorum auctoritate dubitarint, posteriori tamen ævo ab omnibus in canonem sunt recepti. Tales sunt liber Esther, Baruch, Danielis pars, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, duo Machabæorum, partes quædam Evang. S. Marci, Lucæ et Joannis, Epistola ad Hebræos, Epistola Jacobi, secunda Petri, secunda et tertia Joannis, Epistola Judæ, Apocalypsis. Cæteri omnes sunt Protocanonici : ergo inter eos est et Epistola hæc S. Joannis : excepta una ejus particula, de qua suo loco. Vide Bellarm. lib. 1. de Verbo Dei cap. 4. Hoc est quod de ea ait Euseb. lib. 3. Hist. 24. *Inter ea quæ Joannes scripsit post Evangelium, etiam prior illius Epistola cum à recentioribus, tum à veteribus absque ulla hæsitatione recipitur*, quin et ab hæreticis priscis æque ac modernis. Et S. August. tract. 7. in epist. 1. Joannis : *Canonica*, ait, *est ista Epistola, per omnes gentes recitatur, orbis terræ auctoritate retinetur, orbem terrarum ipsa ædificavit.* Et Dionys. Alexand. apud Euseb. l. 7. Histor. c. 20. *Evangelium*, ait, *et prima Joannis Epistola non solum vitio carent, sed etiam summa cum verborum elegantia maximo sententiarum pondere, et concinna elocutionis dispositione præscripta sunt : tantum abest ut vox aliqua barbara, aut solœcismus, aut imperitus, rudis sermo in iis reperiatur.*

Quoad secundum. Consentiunt pariter Orthodoxi auctorem Epistolæ esse S. Joannem Apostolum, uti habet ejus inscriptio. Idipsum satis indicat stylus Epistolæ per omnia consentiens Evangelio S. Joannis, utpote candidus, et charitate melleus, plane indicans suum fontem, puta pectus S. Joannis candidum et charitate melleum. Ad hæc, eadem in hac Epistola quæ in Evangelio inculcat, ut solerter advertit Euseb. lib. 7. hist. cap. 25. *Qui attente legit*, inquit, *inveniet utrimque frequenter vitam, lucem, dehortationem à tenebris, creberrime veritatem, gratiam, gaudium, carnem ac sanguinem Domini, judicium, peccatorum remissionem, delectionem Dei erga nos, præceptum nos invicem diligendi; servanda esse cuncta præcepta, redargutionem mundi, diaboli et Antichristi, promissionem Spiritus sancti, adoptionem Dei, fidem ubique à vobis expetitam, ubique Patrem et Filium; et si per omnia character utri usque notetur, prorsus unus et idem Evangelii et Epistolæ color reperietur.*

Quis, qualis et quantus fuerit S. Joannes colligitur : primo, ex ejus stirpe et cognatione. Ipse enim præ Apostolis, cæterisque viris omnibus sanguine proxime attigit Christum, ejusque fuit consanguineus in secundo vel tertio gradu. Fuit enim S. Joannes filius Zebedæi et Salomes, quam multi putant fuisse filiam S. Annæ, æque ac fuit B. Virgo. Unde S. Chrysost. Actor. 1. 5. Joannem vocat fratrem Domini. Et S. Brigida lib. 1. Revel. cap. 10. S. Joannem vocat sororium Christi, quod natus sit ex matris Christi sorore, ac consequenter B. Virginis fuerit nepos et Christi consobrinus. Idem sentiunt Beda præfat. in S. Joan. S. Bernard. de Lament. Virg. Hugo de S. Victor. et Glossa in cap. 1. ad Galat. Albert Magn. in cap. 19. Joan. Abulensis in c. 20 Matt. 4. q. 54. § 3. S. Antoninus, Gerson et alii multi, adeo ut Joannes Eckius serm. 2. de S. Anna, asserat eos qui negant S. Joannem fuisse Christi consobrinum, repugnare SS. Patribus et Ecclesiæ, ipsique Scripturæ. Verum hoc aliis minus placet, qui censent S. Annam non nisi unam habuisse prolem, scilicet B. Virginem, id enim magis videtur decuisse et gravitatem S. Annæ, et dignitatem B. Virginis ac Christi, ut docent Euthym. Theophyl. S. Thom. Jansen. Canisius, Baron. Canus, quos citat et sequitur Franc. Suarez 3. p. tom. 2. disp. 5. sect. 4. Idem tamen sentiunt S. Joannem fuisse consanguineum Christi.

Porro L. Dexter, ejusque continuator Helecas Episcopus Cæsaraugustanus in Chronico, quod nuper in Hispania prodiit, tradunt Zebedeum fuisse fratrem S. Barnabæ, ac habuisse duos filios, Jacobum et Joannem Apostolos, ac duas filias, quarum una nupta fuerit S. Petro, altera S. Andreæ. Additque Helecas : *Zebedæus qui et Aristobulus, pater Joannis et Jacobi Apostolorum, fuit è septuag. duobus discipulis. Hic cum S. Petro Romam venit : inde missus in Angliam Episcopus. Martyr occubuit anno secundo Neronis. Salome*

uxor Zebedæi, mater SS. Joannis et Jacobi anno ætatis 90. *Christi* 42. *die* 24. *Maii sanctissime decessit Verulis in Italia, quæ prius cum Jacobo filio peragravit Germaniam, Angliam et Italiam prædicando.* Verum horum fides sit penes Dextrum et Helecam. Nam, ut alia taceam, Verulis quiescit Maria Jacobi, ut habet Martyrol. Rom. 25. Maii. Hæc autem passim censetur fuisse mater Jacobi minoris, non majoris, qui fuit frater S. Joannis; nam Marci 15. 40. expresse Maria hæc vocatur mater *Jacobi minoris et Joseph*, ac distinguitur à Salome. Unde et Mariæ Salome, quæ fuit mater SS. Joannis et Jacobi majoris, transitus in Martyrol. Rom. consignatur alio die, puta 22. Octobr. ubi et Hierosolymis diem obiisse dicitur. Quare viri eruditi suspicantur hæc et similia non esse genuina L. Dextri (cui S. Hieron dedicavit lib. de Script. Eccles.), sed sinistri alicujus tenebrionis, qui Dextri sibi nomen arrogarit, ut eo se suique cerebri sensa tegeret et honestaret.

Ex quo colligitur S. Joannis sapientia et sanctitas. Sicut enim sol radiis suis ea magis illustrat, quæ magis ipsi sunt vicina, ita ut quo aliquid soli est vicinius, eo magis ab ipso illustretur; sic pariter Christus quasi sol justitiæ oriens ex alto per incarnationem, radios suæ gratiæ magis diffudit in eos quos carne conjunctos habuit, et ex quorum carne carnem assumpsit. Ita B. Virginem summis gratiæ donis præ omnibus hominibus et angelis dotavit, quia illam matrem elegit: pari modo S. Josephum præ cæteris illius ævi viris sanctificavit, quia cum in nutricium et quasi in patrem elegit. Idem fecit S. Annæ quasi aviæ suæ, S. Joachimo quasi avo, S. Jacobo majori et minori, S. Judæ, S. Simoni Thadæo, quos sibi cognatos creavit Apostolos; ac Joanni Baptistæ, quem sibi cognatum, ut patet Lucæ 1. vers. 36. suum fecit paranymphum, ideoque inter natos mulierum eo non surrexit major, Matth. 11. v. 11.

Secundo, quantus fuerit S. Joannes colligitur ex eo quod inter Apostolos fuerit præcipuus, et post Petrum quasi primus, imo Petri socius, ut patet Actor. 1. 13. et cap. 3. 1. et cap. 8. 14. Unde Paulus Galat. 2. 9. *Jacobus*, ait, *Cephas et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi et Barnabæ societatis.*

Tertio, ex eo quod inter quatuor Cherubinos repræsentantes quatuor Evangelistas Ezech. 1. 10. Apoc. 4. 1. S. Joannes comparetur aquilæ, eo quod mentis acie et volatu omnes transcendens, ad ipsum Dei sinum penetrarit, indeque intonarit mysterium generationis Verbi, dicens: *In principio erat Verbum*, etc. Aquila enim dicta est ab acute videndo, quasi acuta ab acumine, licet nonnulli ab aquilo colore vocem ducant: est enim aquilus color fuscus et subniger ab aqua denominatus, ait Pierius Hierog. 29. cap. 21. Unde S. Hieron. de Script. Eccles. in Joanne et Papia: *Clangat*, ait, *tuba Evangelica filius tonitrui, quem Jesus amavit plurimum, qui è pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit.* Origen. hom. 2. in diversos, loquens de S. Joanne: *Vox*, ait, *spiritualis aquilæ auditum pulsat Ecclesiæ, vox altivoli non volatilis aerem corporeum, vel æthera, vel totius mundi sensibilis ambitum supervolitantis, sed omnem theoriam ultra omnia quæ sunt et quæ non sunt, citivolis intimæ Theologiæ pennis clarissimæ supernæque contemplationis obtutibus transcendentis. Supervolat itaque B. Joannes Theologus non solum quæ intelligi ac dici possunt, verum etiam quæ superant omnem intellectum et significationem supervehitur, extraque omnia ineffabili mentis volatu in arcana unius omnium principii exaltatur.* Et mox: *O beate Joannes, non immerito vocaris Joannes, id est, cui donatum est. Cui enim Theologorum donatum est, quod tibi donatum est, abdita videlicet penetrare mysteria?* Deinde cum dixisset Petrum typum gerere actionis, Joannem vero contemplationis subdit: *Spiritale igitur petaurum, citivolum, deivolum, Joannem dico Theologum, omnem visibilem et invisibilem creaturam superat, omnem intellectum penetrat, et deificatus in Deum intrat se deificantem*, etc.; *non enim aliter potuit ascendere in Deum, nisi prius fieret Deus.* Additque Paulum raptum in tertium cœlum et Paradisum, Joannem vero plusquam hominem raptum supra omnes cœlos in paradiso paradisorum, hoc est, in causa omnium audisse unum verbum, per quod facta sunt omnia; ideoque in Deum quasi transmutatum fuisse. Hinc S. Dionis. Areop. Epist. ad S. Joannem eum vocat *solem Evangelii.*

Rursum quod S. Joannes à Christo nuncupatus sit Boanerges, id est, filius tonitrui, Marci 3. 17. hoc est, fulmen. Fuit ergo ipse Ceraunius, id est, fulmineus, tonans et fulminans: *ejus enim oratio erat tonitru, quia vita ejus erat fulmen;* quod de S. Basil. ait Nazianz. in ejus Elogio. Unde S. Epiphan. hær. 73. *Joannes*, ait, *revera tonitrui filius per propriam suam grandiloquentiam, velut ex quibusdam nubibus à sapientiæ ænigmatibus, piam nobis de Filio intelligentiam persuasit.*

Quarto, quod unus ipse omnes Sanctorum gradus et laureas meruit, eosque heroicos et primos Joannes enim primo, ob excellentem animi puritatem fuit terrestris angelus, angelos superans, non natura, sed virtute, illibatæ virginitatis; secundo, idem fuit Patriarcha, quia solus ipse cæteris Apostolis diutissime superstes fuit, communis omnium fidelium pater, basis et columen. Unde S. Hieron. de Script. Eccles. in Joanne: *Totas*, ait, *Asiæ fundavit rexitque Ecclesias;* tertio, idem fuit Apostolus, Episcopus, Hierarcha, Doctor, Evangelista, Propheta in Apocalypsi; Martyr, tum quia Christo in Cruce assistens, omnes ejus dolores et mortis agones per compassionem et amorem intimum sustinuit: tum quia Romæ à Domitiano in dolium ferventis olei fuit immissus, esto per miraculum illæsus exiverit. Unde Polycrates apud Eusebium lib. 5. hist. cap. 23. scribens ad Victorem Roman. Pontif. *His accedit*, ait, *Joannes, qui super pectus Domini recubuit, qui sacerdos fuit, qui laminam auream gestavit, qui Martyr et Doctor extitit, qui tandem Ephesi morte consopitus occubuit.* De lamina aurea, quam in fronte gestavit S. Joannes, quasi coronam, Episcopatus insigne, astipulatur S. Hieron. de Script. Eccles, in Polycrate, et Niceph. lib. 2. cap. 44. Idem de S. Jacobo dixi in Epistolæ ejus Proœmio. Quocirca apte vocatus est *Joannes*, Heb. *Jehochanan*, et crasi *Jochanan*, id est, *gratia Dei*, vel potius *misertus est Deus*, aut *gratiosus Deo;* perinde ac Baptista ille coævus eadem de causa ab angelo vocatus est Joannes, Lucæ 1. 13. Joannis enim Baptistæ gratias ac dotes habuit Joannes Evangelista, et insuper alias majores, quas jam recensui et recensebo, adeo

ut Christus inter duos hos Joannes fuerit quasi sol inter Jovem et Lucinam ; Baptista enim fuit præcursor, Evangelista pedissequus Christi. Fuit ergo Joannes, quasi filius Charitum, filius gratiarum, in quo scilicet ornando et decorando omnes Charites, omnes gratiæ conspirasse videantur, adeoque tres Christianorum Charites sunt Christus et uterque Joannes.

Quinto, quia Joannes Christo præ cæteris Apost. fuit familiaris, et quasi à secretis : unde ipse passim se vocat discipulum quem diligebat Jesus. Hinc et transfigurationi ejus ac orationi in horto, secretisque ejus miraculis interfuit : unus ipse in ultima cœna super pectus Christi recubuit, quod summum mutui et reciproci amoris fuit indicium, æque ac fomentum et augmentum : è Christi enim pectore arcana divinæ sapientiæ, et gratiarum altiora præ cæteris fluenta potavit, ut ait S. August. tract. 18. in Joannem ; atque supra templum Verbi recumbens, aulam divinæ plenitudinis scrutatus est, ait S. Ambros. in psal. 118. Octon. 2. et S. Hier. in Ezech. c. 2. *Joannes*, ait, *recubuit in pectore ejus, ut hauriret fluenta sapientiæ, ut posset dicere : In principio erat Verbum ; quia enim in pectore Christi sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, merito super pectus ejus recumbit, quem majore cæteris sapientiæ et scientiæ singularis munere donat*, ait Beda homil. de S. Joanne ; et Laurent. Justinian. libro de Agone Christi cap. 5. *Sapientiæ*, ait, *arcana contemplando rimaris, curris per angelos, discurris per Archangelos, cæterasque spirituum legiones considerationis penna percurrendo rimaris : tibi nunc panduntur indicibiles sapientiæ thesauri, tibi reserantur revelationum sacra mysteria, divinitatis altitudo, æterna Verbi generatio, et cœlestis gloriæ triumphale regnum.* Quin et Plutarch. lib. 1. Conviv. q. 3. *Locus*, inquit, *infra dominum uxoris et liberorum est, qui in sinu esse dicebantur.* Fuit ergo Joannes filius Christi, ideoque in sinu ejus, quasi Benjamin recubuit.

Porro, quanta ex eo charitatis zelique incendia hauserit, patet ex gestis ejus, non tantum in fundandis Ecclesiis quaquaversum, sed etiam in curanda singulorum, etiam perditorum, salute. Ex uno exemplo disce cætera. Narrat Euseb. ex Clem. Alex. lib. 3. Hist. 23. S. Joannem Episcopo cuidam commendasse adolescentem quemdam, qui seductus à sociis tandem factus sit princeps latronum. Reversus S. Joan. ad Episcopum : *Age*, inquit, *ô Episcope, depositum repræsenta, quod tibi ego plane et Christus commendavimus, Ecclesia teste quam regis. Juvenem illum repeto à te et animam fratris.* Cumque ille suspirans diceret eum mortuum esse, Deo scilicet, factumque principem latronum. *His auditis Apostolus vestem continuo qua erat indutus, scidit, et cum ingenti gemitu feriens caput suum, bonum te, inquit, custodem fratris animæ dereliqui. Sed jam nunc mihi equus paretur, et dux itineris. Et confestim ab ipsa Ecclesia ascendens concitus properabat. Cumque pervenisset ad locum, attinetur ab his latronibus qui custodias observabant. At ille neque effugere, neque prorsus declinare usquam nitens ; ingenti tantum voce proclamabat : Quia ad hoc ipsum veni, adducite mihi principem vestrum. Qui cum veniret armatus, eminus agnita Joanne Apostolo, pudore actus in fugam vertitur. Ille equo post eum admisso, confestim insequitur fugitantem, etiam ætatis oblitus, simul et clamans : Quid fugis, ô fili, patrem tuum? Quid fugis inermem senem? Miser, hære, noli timere, habes adhuc spem vitæ. Ego Christo rationem reddam pro te certe et mortem libenter pro te excipiam, sicut et Dominus excepit pro nobis, et pro tua anima dabo animam meam. Sta tantum, et crede mihi, quia Christus me misit. At ille audiens restitit, ac vultum demisit in terram ; post hoc arma projecit, tum deinde tremefactus flebat amarissime, et accedentis ad se senis genibus provolvitur, gemitibus et ululatibus quibus poterat satisfaciens ; et uberrimis lacrymarum suarum fontibus iterum baptizabatur, occultans solam dexteram suam. Apostolus vero jurisjurandi sacramenta se ei Salvatore impetraturum veniam pollicens, simulque genibus ejus provolutus, atque ipsam dexteram, ex cujus cædis conscientia torquebatur, tanquam jam per pœnitentiam purgatam deosculans, ad Ecclesiam revocat, et indesinenter pro eo orationes profundens, et cum ipso pariter, ducens crebra jejunia, indulgentiam à Deo quam ei pollicitus fuerat, expetebat. Sed et variis sermonum consolationibus, velut quibusdam præcantationibus efferos et exterritus ejus animos mitigabat. Nec prius abstitit, quam eum in omnibus emendatum etiam Ecclesiæ præficeret.*

Ex quo Joannis exemplo discant Episcopi, Pastores, Præfecti, Magistri, quantum cujusque fidelis, etiam juvenis et perditi, suæ curæ crediti curam gerere debeant, ac rursum si perditus sit modum cum revocandi esse cum quem hic usurpavit S. Joannes, nimirum summam commiserationem, humilitatem, dilectionem. Unde S. Chrysost. Theodoro lapso hoc S. Joannis factum proponens, hortansque ad pœnitentiam, commendat *S. Joannis condescensum et mansuetudinem, et suavitatem illicem, quoniam prior cruentam dexteram exosculatus est, hærens in amplexu adolescentis, et ea via reduxit ad amissam virtutem.*

Porro hoc summi amoris et honoris privilegium recumbendi in sinu Christi, Joanni soli præ omnibus Apostolis concessum fuit quatuor de causis.

Prima : ut ipse ejus incarnationis et secretorum esset testis omni exceptione major, utpote qui proximus illi et familiarissimus extitisset, adeoque in sinu ejus recubuisset. Unde Rupert. explicans illud Joan. 13. 23. *Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus*, ait hoc dicere Joannem, ut suo Evangelio fidem astruat : *Hic* enim, inquit, *præcipue dignus fide testis est, qui adeo veritati quam narrat præsens cognitor interfuit, ut recumberet in sinu ejus familiaris ac dilectus, et illi Verbo præ cunctis mortalibus prope admissus, quod eructatum de corde Patris, et caro factum, altius personare decreverat per linguam et calamum ejus.* Unde S. Joannes eodem quasi sigillo obsignans Evangelii sui fidem cap. ult. cum v. 20. dixisset de se : *Qui et recubuit in cœna super pectus ejus*, subjungit vers. 24. *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his et scripsit hæc, et scimus quia verum est testimonium ejus*, et initio epistolæ : *Quod fuit ab initio*, ait, *quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, quod manus nostræ contrectaverunt, de Verbo vitæ, etc. testamur et annuntiamus vobis.*

Secunda : ad commendandum decus virginitatis : ob hanc enim meruit à Christo præ cæteris diligi et in sinu ejus recumbere. Ita ibidem. Ru-

pert. ait in S. Joanne completum illud Sapientis dictum Prov. 22. 11. *Qui diligit cordis munditiem, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem; Quia videlicet propter excellentem castitatis decorem dignus fuit de ipso sacro Dominici pectoris fonte divinitatem ejusdem Verbi, et æterni potare secreta principii.*

Unde S. Cyrill. l. 9. in Joan. c. 15. ait S. Joan. *nos hortari ad bene vivendum; si volumus divinarum rerum cognitionem adipisci. Exemplo enim seipsum nobis proponit, qui sic diligebatur à Christo, ut in sinu ejus sederet. Illi enim summopere Deo propinquant, qui mundo corde sunt, quibus præcipuum à Salvatore munus attribuitur. Beati enim sunt, inquit, homines mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Nempe ista beatificatio vera extitit in Joanne. Vidit enim gloriam Christi, ut ipse testatur, gloriam quasi unigeniti à Patre. Nullus enim Patrem vidit, nisi qui à Deo est, id est, Filius Dei: qui vero procul se à turpitudine removent, et inanibus hujus vitæ curis mente non agitantur, illi supra quam animus per se hominis ferre potest, gloriam suam Christus revelare solet.* Hinc et ipse Joannes Apoc. 14. 1. vidit virgines proximas agno, ipsum per omnia sequi, ac cantare canticum novum, quod nemo alius cantare potest.

Tertia: recubuit Joannes in sinu Christi, ut inde secretiora et sublimiora Evangelii et Apocalypseos mysteria hauriret quæ mundo panderet. Unde Ecclesia in officio S. Joannis Respons. lectionis 8. canit: *Iste est Joannes, qui super pectus Domini in cœna recubuit. Beatus Apostolus cui revelata sunt secreta cœlestia: fluenta Evangelii de ipso Dominici pectoris fonte potavit.* Ideoque, ut ait Beda, Evangelium S. Joannis cætera omnia sublimitate transcendit; et S. Aug. tract. 18. in Joannem: *Joannes Evangelista,* ait, *inter consortes et comparticipes suos alios Evangelistas, hoc præcipuum et proprium donum accepit à Domino, super cujus pectus in convivio discumbebat, ut per hoc significaret, quia secreta altiora de intimo pectore ejus potabat, ut ea diceret de Filio Dei, quæ parvulorum mentes fortassis intentas excitare possint, implere autem nondum capaces non possint.* S. Chrysost. præfatione in S. Joan. ait angelos multa didicisse à S. Joanne, ac proinde ipsos etiam Cherubinos et Seraphinos avide eum suum Evangelium et Apocalypsin intonantem audiisse.

Quarta: ut ex pectore Christi sugeret delicias amoris ejusdem, juxta illud Cantic. 2. 5. *Fulcite me floribus, stinate me malis, quia amore langueo.* Causam subdit: *Læva ejus sub capite meo, et dextra illius amplexabitur me;* et S. Joan. Evang. c. 1. dans causam cur per Christum solum gratia et veritas facta sit, subdit: *Deum nemo vidit unquam, unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis.* q. d. Christus in sinu Patris hausit omnem Patris gratiam, amorem et sapientiam, eaque nobis communicavit, sic et Joannes eadem hausit è sinu Christi, ac nobis communicavit. Ferunt aquilam (quod est stemma et insigne S. Joannis) illum pullum præ cæteris adamare, cui corde suo incubavit: ita Christus plus adamavit Joannem, cui pectore et corde incubuit. Unde S. Bernard. serm. 23. in Cantic. cum dixisset Magdalenam devotionis suæ fructum invenisse apud pedes Christi, subdit: *Porro Thomas in latere, Joannes in pectore, Petrus in sinu Patris, Paulus in tertio cœlo secreti hujus gratiam sunt assecuti,* etc. *Prior mulier* (Magdalena) *stravit sibi in tuto humilitatis et spei, Thomas in solido fidei, Joannes in lato charitatis, Paulus in intimo sapientiæ, Petrus in luce veritatis.* Idem, vel quisquis est auctor, serm. 3. de cœna Domini: *Jesus,* ait, *valde eum diligebat, quem tanto honore sublimabat. O quam bene quiescebat, qui super pectus Christi quiescebat! O beate Apostole Dei discipule Jesu Christi, Joannes beate, utinam mererer illius dulcissimos pedes osculando lachrymis rigare, in cujus pectore tu meruisti dormire! Utinam faciem illius à longe saltem possem contemplari, in cujus pectore tam dulciter dormire meruisti. Per sinum sive pectus significabatur illud secretum, de quo bibit divinitatis sacramentum. Hinc diligebat Joannem non plus omnibus, sed familiarius, ut per pacem exiret de vita, non per passionem.*

Quinta: Christus collocans Joannem in sinu et pectore, eum quasi in filium adoptavit. Solent enim parentes filios quasi pignora clarissima ad pectus et ubera admovere, iisque complecti. Hinc Christus moriens in cruce eum matri quasi filium pro se substituit dicens: *Mulier, ecce filius tuus;* et Joanni: *Ecce mater tua.* Solent enim nepotes moriente filio, avis et aviis in jus proximum filiationis et hæreditatis succedere. *O commutationem!* exclamat S. Bern. serm. in illud Apoc. *Signum magnum apparuit in cœlo: Joannes tibi pro Jesu traditur, servus pro domino, discipulus pro magistro, filius Zebedæi pro Filio Dei, homo purus pro Deo vero.* Fuit ergo S. Joannes Benjamin B. Virginis, imo Benjamin Christi, et quasi Benjaminus, id est, minimus natu Apostolorum, et præ omnibus gratiosus ac tenere dilectus, in sinu Christi requievit. Officium ergo S. Gabrielis Archangeli sortitus est, ut esset præco Christi, et custos B. Virginis, ideoque nonnulli censent S. Joannem, cum vellet adorare angelum, ab eo prohibitum cum diceret: *Vide ne feceris: conservus tuus sum,* Apoc. 19. 10.

Sexto, S. Joannes Christo in cruce toto tempore passionis usque ad mortem astitit, ubi sane Christum se immolantem, et immolatum pro salute generis humani jugiter aspiciens, miros ab eo rerum divinarum sensus, ac virtutum omnium ardores accepit. Idem primus post Christi resurrectionem cum Petro ad monumentum cucurrit, imo Petro præcucurrit. Idem Christo apparente piscantibus primus eum agnovit, dicens: *Dominus est;* quod S. Hieron. l. 1. contra Jovin. virginitatis merito adscribit: *Solus,* inquit, *virgo virginem agnoscit,* et alibi: *Prior virginitas virginale corpus agnoscit;* et Cyrillus: *Joannes,* inquit, *propter mentis puritatem, et cordis oculorum acumen ad intelligendum erat aptissimus; unde solus signum statim intellexit, et Christum adesse cognovit, et aliis nihil dubitans significavit.* Chrysost. vero Joannem cum Petro comparat: *Proprios,* inquit, *mores referunt Petrus et Joannes; ille fervention, hic altior erat: ille vehementior, hic perspicacior; ideo Joannes prior novit Jesum. Petrus prior ad eum properavit;* et Origenes: *Petrus,* inquit, *in forma actionis ac fidei ponitur, Joannes autem contemplationis et scientiæ typum imitatur: unus siquidem recumbebat super pectus Dominicum, quod est contemplationis sacramentum, alter sæpe titubabat, quasi trepidæ actionis symbolum*

Hinc patet S. Joannem præ cæteris Apostolis à Christo fuisse dilectum, uti expresse ait S. Aug.

tract. 16. et 124. in Joannem, et S. Chrysostomus homil. 71. in Joannem, Theoph. et Euthym. in Joan. 13. ac consequenter S. Joannem vicissim præ cæteris maxime dilexisse Christum. Ille enim magis diligitur à Christo, qui magis eum diligit, majoremque habet charitatem, Joannis 14. 21. et Proverb. 8. 17. ait Sapientia : *Ego diligentes me diligo.* Porro S. Hieron. l. 1. contra Jovin. Joannem à Christo plus dilectum censet, eo quod esset virgo, et minimus natu Apostolorum. Sic et Euthym. in cap. 23. Joannis, asserit Joannem *tantam à puero curam habuisse puritatis, ut ne turpem quidem cogitationem unquam in cor suum ascendere permiserit.* S. Chrysost. addit alteram amoris causam excellentem animi humilitatem ac mansuetudinem, quas adeptus erat postquam de præeminentia correptus fuerat. Tertiam indicat Theophyl. *Joannes*, ait, *innocentissimus, simplicissimus, mansuetissimus omnium erat, et ideo diligebatur.* D. Thomas enumerat inter amoris causas sapientiam singularem, et amoris Dei vehementiam. Alibi juventutem ait majora sibi benevolentiæ ac familiaritatis indicia vindicasse.

Septimo, quod Christus in cruce moriens Joannem quasi fratrem sibi substituit, assignans eum pro se quasi filium B. Virgini : *Mulier*, inquit, *ecce filius tuus;* ac vicissim Joanni eam assignans quasi matrem : *Ecce*, inquit, *mater tua.* Unde et Joannes quasi filius Virginis curam tota vita egit, ejusque fuit custos, tutor et provisor, ac cum ea Ephesi habitavit, ex cujus continua familiaritate et colloquiis quanta cœlestium arcanorum lumina, quantos charitatis ignes, quanta virtutum omnium documenta et incitamenta hauserit, cuilibet facile est conjicere. Hoc est quod citatis Christi verbis subdit Joannes Evang. cap. 19. 27. *Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua* (alii legunt *in suam*, scilicet matrem), græce εἰς ἰδία, id est *in propria*, scilicet bona, inquit S. Ambros. Enchir. ad Virg. non temporalia, quæ jam Christi amore reliquerat, sed spiritualia. *Accipite*, inquit, *Spiritum sanctum; neque enim mater Domini nisi ad possessionem gratiæ demigraret, ubi Christus habebat habitaculum;* et S. Aug. tract. 119. in Joan. *Suscepit*, ait, *eam discipulus in sua non prædia, quæ nulla propria possidebat, sed officia, quæ propria dispensatione exequenda curabat;* et S. Cyrillus in c. 19. S. Joan. *Commendavit*, ait, *Christus matrem discipulo, ut officium filii in eam servaret. Matrem similiter admonuit, ut parentis in discipulum auctoritatem haberet : amore videlicet atque charitate non minus illos conjungi voluit, quam si naturæ maxima propinquitate conjuncti essent;* et S. Cypr. tract. de Passione : *Passus est*, ait, *æquanimiter Joseph sibi Joannem in hoc servitio præponi, quem digniorem se judicabat, et ideo maxime, quia magistri electio sic negotium ordinabat.*

In revelationibus S. Brigidæ, quas defendit Cardin. Turrecremata, probantque non solum eruditi Theologi ut Michael Medina, Alfonsus Mendoza, Petrus Canisius, Martinus Delrio, etc. sed et Bonifacius IX. et Martinus V. Pontifices in Canonizatione ejusdem, hæc de sancto Joanne habentur : S. Joannes apparens S. Brigidæ monensque eam contemnere omnia mundi bona, eaque respectu æternorum non plurisfacere quam siliquas porcorum, ac sequi viam crucifixi Dei, quæ in principio est arcta, sed in fine gaudiosa : *Ego*, inquit, *sum ille qui scripturam auream plenius agnovi, et agnoscendo augmentavi. Ego fui nudatus ignominiose, sed quia patienter sustinui, Deus vestivit animam meam veste immortali. Ego etiam fui intinctus oleo; ideo nunc gaudeo oleo lætitiæ sempiternæ. Ego insuper post Matrem Dei levissima morte de mundo transivi, quia custos Matris Dei factus fui, et corpus meum est in loco quietissimo et securissimo.* Ita refert S. Brigida lib. 4. Revelat. c. 1. et c. 23. narrat se audisse B. Virginem dicentem S. Joanni : *Tu inter Apostolos vicinius mihi appropinquasti, majoraque signa dilectionis expertus es præ aliis, et amarior tibi passio Filii mei facta est, quem præ cæteris clarius aspexisti; et quia præ cæteris fratribus tuis longius vixisti, et quasi in ipsorum omnium Martyr fuisti* (planius legit Codex Farnesianus; *et inter eos quasi Martyr fuisti*) *ideo placuit Deo te vocare de mundo morte levissima post me, quia Virgo virgini fuit commendata, ideo fiet quod petisti, et non prolongabitur.*

Denique sanctum Joannem adhuc vivere cum Elia et Henoch in Paradiso terrestri, ac cum eis venturum in fine mundi, ut contra Antichristum decertet, censuit Hippolytus tractat de Consummat. sæculi, et alii plures, teste Theophil. et Euthym. in c. 21. Joan. Verum certum est sanctum Joannem esse mortuum : nam Ecclesia ejus quasi post mortem jam beati, et cum Christo in cœlo regnantis festum celebrat die 27. Decembris. Audi S. Hier. de Script. Eccles. in Joanne : *Confectus senio*, ait, *sexagesimo octavo post passionem Domini anno* (qui fuit annus Christi 101.) *mortuus juxta eamdem urbem sepultus est.* Idem docent Tertullian. S. August. Chrysost. Euthym. et alii, quos citat et sequitur Cardin. Baron. initio tom. 2. Annal. Plura de S. Joan. dicam Præf. in Apocalypsin.

Quoad tertium; argumentum Epistolæ est, primo, docere veram fidem, spem, et charitatem. Fidem, tum de sancta Trinitate, tum de Verbo incarnato : quod sane nullus uberius præstitit S. Joan. in Evangelio æque ac in hac Epistola, eaque de causa à S. Dionysio epist. ad S. Joan. Athanas. in Synopsi, Cyril. catechesi 12. Chrysost. Epiphanio et aliis, passim Joan. cognominatur Theologus. Inde spem excitat commemorans præstantiam status evangelici, ac charitem Patris, qui secrevit nos à filiis diaboli, deditque nobis ut filii Dei nominemus et simus, ideoque Filium suum misit in carnem, ut passione et morte sua peccata tolleret, et dissolveret opera diaboli. Denique præ cæteris inculcat charitatem, ut non diligamus mundum, sed Deum qui prior dilexit nos, et Christum, qui nostri amore mortuus est, ac proximum, quem Deus et Christus jubent diligi. Pene ergo tota Epistola charitatis ardorem et vehementiam spirat. Unde S. August. in Præfat. hujus Epistolæ : *Maxime*, ait, *commendatur charitas; locuturus est enim multa et prope omnia de charitate. Qui habet in se unde audiat, necesse est gaudeat ad quod audit. Sic enim erit illi lectio ista tanquam oleum in flamma.* Refert S. Hieron. in cap. ult. ad Galat. S. Joan. senio gravem in Collectis non aliud prædicasse, quam : *Filioli, diligite invicem.* Cumque audientes tædio afficerentur quod semper idem audirent, causamque rogarent, dixisse : *Quia præceptum Domini est, et si solum fiat, sufficit.*

Secundo, hæresim duplicem tum subnascentem confutat. Prior erat Cherinti, Ebionis et as-

seclarum, qui negabant Christi divinitatem. Secunda Basilidis cum suis, qui negabat veram Christi carnem et humanitatem, dicebatque eam tantum apparentem et phantasticam fuisse, ut et omnia Christi gesta, ideoque Christi causa non esse subeundum martyrium.

Utramque evertit S. Joannes tum in Evangelio, tum in hac Epistola, docetque Christum fuisse verum hominem, et verum Dei Filium, et qui id negant esse Antichristos. Unde hortatur ut concupiscentiæ et peccati, quasi operum diaboli turpitudinem fugientes, Christum mediatorem quasi lucem et ducem salutis sequamur per veram fidem, spem, sive fiduciam, et charitatem. ita S. Ignatius epist. ad Philadelph. Tertull. lib. de Præscript. Epiphanius hæresi 27. 28. et 30. S. Hieron. de Viris illustrib. in Joanne Eusebius lib. 3. histor. 27. et S. Aug. tractat. 122. in Joan., qui et addit lib. de Fide et oper. c. 14. S. Petrum, Joannem, Jacobum et Judam maxime confutasse errorem Simonis Magi, et asseclarum docentium solam fidem sufficere ad salutem, et ad hoc abutentium Epistola S. Pauli ad Roman. ideoque eos diserte contrarium docere, scilicet præter fidem requiri bona opera ad salutem. Quocirca S. Joannes cuique ætati, puta pueris, adolescentibus, senibus operum vitæque Christianæ præcepta præscribit.

Porro, Epistola hæc est Catholica, id est circularis et universalis, scripta ad omnes fideles ubivis degentes, uti et Epistolæ S. Petri, Jacobi et Judæ. Veteres tamen nonnulli hanc Joannis scriptam aiunt nominatim ad Parthos. Ita Hyginius Pont. epist. 1. Joannes Pontif. II. epist. 1. ad Valer. S. August. lib. 2. quæst. Evang. cap. 39. Idacius lib. de Trinit. et alii. Suspicatur noster Serarius hic pro *Parthos* legendum *Patmios;* in Patmos enim insulam à Domitiano relegatus Joannes, incolas ad Christum convertit. Junius Calvinista scribens contra Bellarm. lib. 2. de Verbo Dei c. 15. n. 22. per Parthos intelligit non incolas Parthiæ, sed pios exules dispersos extra natale solum. Nam sermone Scythico olim exules dicebantur Parthi, teste Justino lib. 41. ab Hebræo פּוּר *pur*, id est *dividere*. Idem ergo est *ad Parthos* quod *tribubus quæ sunt in dispersione*, ut ait Jacobus initio Epistolæ, et quod *electis advenis* dispersionis, ut ait S. Petrus initio Epistolæ. Verum à Scythis exules tam impii quam pii vocati sunt Parthi, non à Græcis vel Hebræis, qualis fuit S. Joannes: alioqui enim S. Petrus et Jacobus qui ad dispersos scribunt, pariter et ad Parthos scripsissent, vide Serarium. Proprie ergo hic Parthos accipio, quorum tunc imperium æque ac nomen erat amplum, ut Orientis nationes plures complecteretur, etiam Persas, teste Tertulliano lib. de Pallio c. 2. Justino lib. 41 et 42. Solino et Plinio lib. 6. cap. 25. In Parthia autem multos fuisse Judæos æque ac Christianos, partim è Judæis, partim è Gentilibus ad quos omnes scribit hic S. Joannes, colligitur Actor. 2. v. 9. et ex Tertulliano lib. contra Judæos, ac Josepho 14. Antiq. 12. et l. 16. c. 10. et lib. 18. c. 12.

Scripsit ergo ad Parthos S. Joannes sive quod eos antea adierat, et fide Christi imbuerat, uti censet Baron. aliique plures, sive quod Ephesii et Asiani quibus prædicavit S. Joannes, permulti ab eo ad Christum conversi ex Asia migrarunt in vicinam Parthiam et Persidem; sive quod fideles à Simone Chananæo, Bartholomæo et Thoma (hos enim prædicasse Parthis et Persis tradit Sophronius de Viris illustribus, et alii) in Perside et Parthia conversi; iis morte et martyrio functis, petierint à S. Joanne grandævo monumentum aliquod Ecclesiæ, quo in fide et vita Christiana confirmarentur, aut ultro id eis ingesserit S. Joannes, utpote conversionis Gentium et propagandi Evangelii sitientissimus. Apostoli enim cum ubique præsentes adesse, et evangelizare non possent, id absentes præstabant per Epistolas; ἀποστολὲς ergo, id est apostolatus, vice fungebatur ἐπιστολὴ, ipsaque Epistola erat quasi apostola. Sane Antonius Quadrius Provincialis Societatis Jesu in India Orientali, et Michael Barulus in Epistolis Goa datis anno Christi 1555, scribunt etiamnum nonnullos è Persis fidem Christianam profiteri, eamque S. Joanni acceptam ferre.

Græce scriptam esse Epistolam, æque ac cæteras SS. Petri, Jacobi et Judæ consentiunt Interpretes : Græcus enim sermo à tempore Alexandri Magni plurimas gentes pervasit.

Porro quod Joannes initio Epistolæ nomen suum subticuerit, quid mirum. Idem fecit sanctus Paulus epist. ad Hebræos. Idem facimus hodie plerique omnes, qui Epistolis nomen non præfigimus, sed subscribimus, præsertim cum Epistolæ hujus auctor fuerit Spiritus sanctus potius quam S. Joannes. Auctor ergo *valde supervacue* quæritur, ait S. Gregorius præfat. in Job cap. 1. *Cum auctor libri Spiritus sancti fideliter credatur. Ipse igitur hæc scripsit, qui hæc scribenda dictavit. Si magni cujusdam viri susceptis Epistolis legeremus verba, eaque quo calamo fuissent scripta quæreremus, ridiculum profecto esset*, etc.

Videtur S. Joan. jam senex et omnium quasi terrenorum oblitus ac anhelans ad Christum, hic æque ac in Evangelio, magnitudine mysterii, et charitatis Christi absorptus, omisso nomine æque ac salutatione, ab ipso mysterio tam sublimi ordiri, ut eo secum rapiat lectorem, itaque insinuet se Epistolæ hujus, æque ac Evangelii esse auctorem. Ita Thomas Anglicus. Idipsum satis indicant primæ Epistolæ verba, quibus cum Christo incarnato mire deliciatur et dissuaviatur.

Denique S. Joannem in senio has Epistolas scripsisse, patet ex ipsis ejus verbis, quibus se seniorem vocat, fideles vero filiolos, ac quasi senex non aliud pene quam charitatem inculcat. Quo anno precise scripserit, incertum est. Videtur sub idem tempus quo scripsit Evangelium, eas scripsisse; magna enim earum cum Evangelio est consonantia. Unde Baronius tam illud quam has consignat anno Christi 99, qui fuit Clementis Pontifici septimus, Nervæ imperatoris primus.

Claudat argumentum aurea S. Gregorii sententia hom. 15. in Ezech. *Succendi*, ait, *cor nostrum igne charitatis quærimus? Joannis verba pensemus, cujus omne quod loquitur, charitatis igne vaporatur.* Non enim aliud spirat, repetit et inculcat quam amorem Dei, Christi, et proximi: perinde ac senes et amantes non aliud cogitant et loquuntur, quam illud quod amant, et tota vita amaverunt.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRÆDICAT VERBUM INCARNATUM A SE VISUM, AUDITUM, ET MANIBUS CONTRECTATUM, UT CUM ILLO ET PER ILLUD SOCIETATEM HABEAMUS CUM DEO PATRE. INDE VERS. 5. DOCET DEUM ESSE LUCEM EXPERTEM PLANE TENEBRARUM, AC PROINDE CHRISTIANOS IN LUCE VITÆ CHRISTI DEBERE AMBULARE. TERTIO, V. 8. DOCET NEMINEM A PECCATO ESSE IMMUNEM, AC PROINDE QUEMLIBET DEBERE CONFITERI SE ESSE PECCATOREM: QUOD SI FACIAT, SANGUIS CHRISTI EMUNDABIT EUM AB OMNI PECCATO.

1. QUOD fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ: 2. et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis: 3. quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo. 4. Et hæc scribimus vobis ut gaudeatis, et gaudium vestrum sit plenum. 5. Et hæc est annuntiatio, quam audivimus ab eo, et annuntiamus vobis: Quoniam Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ. 6. Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus, mentimur, et veritatem non facimus. 7. Si autem in luce ambulamus, sicut et ipse est in luce, societatem habemus ad invicem: et sanguis Jesu Christi, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato. 8. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. 9. Si confiteamur peccata nostra: fidelis est, et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. 10. Si dixerimus quoniam non peccavimus: mendacem facimus eum, et verbum ejus non est in nobis.

1. QUOD FUIT AB INITIO.] Junge cum eo quod sequitur *De verbo vitæ;* hoc est, ipsum Verbum vitæ, quod fuit ab initio, annuntiamus vobis, dicit tamen *de Verbo*, non Verbum, quia τὸ *de Verbo* proxime pendet ab eo quod immediate præcedit: *Manus nostræ contrectaverunt*, de quo mox. Ita Lyran. Hugo, Cathar. Gagneius. Unde Syrus vertit: *evangelizamus vobis illud quod erat ab initio.* Initium Epistolæ antistrophon est Evangelii S. Joannis: *In principio erat Verbum.* Et rursum: *Quod vidimus oculis nostris, et manus nostræ contrectaverunt;* antistrophon est Evangelii cap. 1. v. 14. *Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis; et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre.* Primo ergo sanctus Joannes hic, uti et in Evangelio, astruit æternitatem et divinitatem Christi, deinde ejus incarnationem; quæ sunt duo præcipua mysteria, et quasi duo cardines, duoque poli in quibus vertitur tota summa gyrusque fidei Christianæ.

Nota. Pro *fuit*, græce est ἦν, id est, *erat*, unde initio Evangelii ita vertit Interpres: *In principio erat* (græce ἦν) *Verbum;* vox enim, *Erat, ducit nos ad æternitatem*, ait S. Basilius ibidem; *ut intelligeremus omnia tempora prævenisse coæternum Patri Verbum*, ait Beda; quodcumque enim tempus assignes, vel imagineris anticipando, semper verum est dicere: Jam tunc erat Verbum. Nam in principio mundi erat Verbum, mille annis ante mundum erat Verbum, mille millionibus annorum ante mundum erat Verbum, ac quotcumque annos antevertendo anticipes, semper vere dicam, jam tunc erat Verbum; quia omnes annos imaginabiles Verbum prævenit, fuitque ab æterno.

Porro τὸ *erat* non significat Verbum antecessisse illud principium de quo dicitur: *In principio erat Verbum:* ita ut per *principium* accipi debeat principium temporis et mundi, ante quod fuit Verbum, sed quod in principio durationis, vel æternitatis (ita enim nos primordia æternitatis mente imaginamur, cum à parte rei nulla ejus fuerint primordia, nullum ejus principium) quo prius et anterius non fuit Verbum, nisi ratione tantum, hoc est, quod jam olim ab omni æternitate erat Verbum. Ubi nota potius dici *erat verbum*, quam *fuit Verbum;* quia *fuit* significat rem præteriisse, *erat* etiamnum esse, sive esse perennem. Ita S. Chrysost. Cyrill. Theophyl. et alii in c. 1. Evangel. S. Joannis. Posuit τὸ *erat*, S. Joannes contra Arrianos futuros quorum hæc fuit vox: *Erat quando non erat*, hoc est, erat tempus quando non erat Verbum, quia antequam nasceretur non erat: negant enim Verbum esse æternum. Unde hanc eorum vocem damnat Concilium Nicænum, æque ac S. Joannes initio Evangelii, ubi proinde quater repetit τὸ *erat, erat, erat, erat.* q. d. Quodcumque cogites tempus, jam in eo erat Verbum; quodcumque ævum, jam erat Verbum; quidquid anticipes, jam erat Verbum, ita S. Basilius lib. 2. contra Eunom. *Quantumcumque*, ait, *volueris mentis inquisitione retrocurrere, pertransire tamen quod erat, et ultra illud ferri cogitationibus non poteris.*

Secundo, *erat* significat generationem æternam Verbi. Nam *in principio erat Verbum*, idem

est quod ab æterno genitum est Verbum : hæc enim generatio in ratione Verbi divini includitur, uti mox dicam.

Tertio, Elias Cretensis in Nazianz. orat. 4. Theolog. notat verbum substantivum *sum, est, erat*, proprium esse Dei. Deus enim substantiæ, sive essendi est plenitudo et immensitas, puta pelagus essentiæ immensum, et oceanus entis : indeque hebr. vocatur *Jehova*, id est, *qui est*, græce ὁ ὤν. Exodi c. 3. 14. et cap. 6. 3. unde Didymus, hic, et Cyril. lib. 1. in Joannem c. 1. et Ambros. 1. de Fide c. 5. solerter observant de singulis creaturis dici tantum quod sint aliquid; de solo Deo autem dici absolute *quod est.*

Quarto, τὸ *erat* significat ita fuisse Verbum, ut tamen etiamnum maneat et perseveret; hæc enim perseverantia significatur verbo imperfecto, ut docet S. Thomas in cap. 1. S. Joannis : quin et Plinius Præfat. Natur. histor. *Erat* ergo idem est quod *fuit*, *est* et *erit*. q. d. Verbum semper fuit, semper est, semper erit, estque prorsus æternum. Audi S. Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 6. *Cum dixit Joannes : In principio erat Verbum, duabus vocibus cogitationem intra præscriptos terminos reclusit. Hæc enim vox,* erat, *nullum cogitationi præbet exitum ; quemadmodum hæc* principium, *non dat transitum humanæ mentis cogitationi ; quantumvis enim cogitatione curras ad anteriora, non excedis* erat; *et quantumvis institeris videre quæ sint ultra Filium, non poteris tamen superare* principium. Quanquam si proprie de Deo loquamur, nullo tempore ejus æternitas circumscribi potest : nam, ut ait S. Gregorius Nazianz. *Deus et semper erat, et est, et erit ; vel ut rectius loquar, semper est : nam erat et erit hujus notri temporis, fluxæque et caducæ naturæ segmenta sunt, ille autem semper est ; atque hoc modo se ipsum nominat, cum Mosi oraculum dedit.* Quod approbans S. August. *Mentis quippe*, ait, *aspectu omnem mutabilitatem ab æternitate sejungo, et in ipsa æternitate nulla spatia temporis cerno, quia spatia temporis præteritis et futuris motibus constant nihil autem præterit in æterno, et nihil futurum est, quia et quod præterit, esse desinit, et quod futurum est, nondum esse cœpit; æternitas autem tantummodo est, nec fuit quasi non sit, nec erit quasi adhuc non sit.* Atque ita Plato : *erat*, inquit, *et erit : quæ nati temporis species sunt, non recte æternæ substantiæ assignamus; dicimus enim de illa : Est, erat et erit; sed illi revera solum esse competit : fuisse vero et fore deinceps ad generationem tempore procedentem referre debemus. Motus enim quidam duo illa sunt ; æterna autem substantia cum eadem semper et immobilis perseveret, neque senior seipsa fit unquam, neque junior, neque fuit hactenus, nec erit in posterum, neque recipit eorum quidquam quibus res corporeæ mobilesque ex ipsa generationis conditione subjiciuntur.*

Dices. Cur ergo interpres Latinus τὸ ἦν, id est, *erat*, hoc loco vertit, *fuit ?* Resp. quia præteritum *fuit* poscunt cætera præterita quæ subdit Joannes, scilicet *quod vidimus, quod audivimus, quod perspeximus;* ut sit apta verborum ejusdem temporis connexio. Secundo, quia τὸ *fuit* clarius significat Verbum nunquam incepisse, ut volebat Ebion, sed fuisse ab æterno. Tertio, *fuit* sæpe capitur pro *erat*, et erat pro *fuit*, unde S. Ambros. lib. 1. de Fide cap. 5. hic æque ac in Evangel. vertit : *Quod erat in principio.* Denique Script. Deo et Verbo nunc tribuit verbum *est*, nunc *erat*, nunc *fuit*, nunc *erit*, quia Dei æternitas omnia tempora ambit et complectitur. Audi S. Augustin. tractat. 99. in Joan. *Quanquam natura Dei immutabilis et ineffabilis non recipiat* fuit, *et* erit, *sed tantum* est : *ipsa enim veraciter est, quia mutari non potest : tamen propter mutabilitatem temporum in quibus versatur nostra mortalitas et mutabilitas, non mendaciter dicimus, et fuit, et erit, et est ;* fuit, quia nunquam defuit : erit, quia nunquam deerit; est, quia semper est.

Ab initio.] Ἀπ' ἀρχῆς. In Evangelio Joannes ait ἐν ἀρχῇ, id est, *in principio.* Alludit ad Genes. 1. v. 1. Sicut enim Moses genesin et primordia mundi enarraturus ita orditur : *In principio creavit Deus cœlum et terram ;* sic Joannes enarraturus genesin et quasi primordia Verbi, ita orditur : *In principio erat Verbum*, ubi vides discrimen inter *creavit* et *erat :* mundum enim Deus creavit in principio temporis, Filium autem genuit in principio æternitatis ; idque significat τὸ *erat*. Recte Tertull. contra Hermog. asserit Evangelium esse supplementum veteris Testamenti. Sic enim Joannes supplet exordium Mosis, dum prævenit ejus principium creationis mundi per principium Verbi, quo post multa sæcula creatus est mundus.

Quæres quid significet hic initium sive principium ? Resp. primo, S. Cyril. et Orig. in Evang. S. Joannis cap. 1. per *principium* accipiunt Deum Patrem. q. d. In principio, id est, in Patre, ejusque sinu æterno, erat Verbum.

Secundo, simplicius S. August. et Beda ibidem, et Hilar. lib. 2. de Trinit. accipiunt principium mundi vel temporis omnis, etiam ejus quod ante mundum imaginamur coextitisse æternitati Dei : ante omne enim hoc, Verbum non est factum, sed jam erat ab æterno, quia nunquam est factum, juxta illud Psalm. 109. *Ante Luciferum genui te.* Et Prov. 8. 25. *Ante colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat et flumina*, etc. Audi S. Hilar. *Quid est istud, In principio erat? transeunt tempora, transcenduntur sæcula, tolluntur ætates, pone aliquid quod voles, tua opinione principium; non tenes tempore : erat enim.* Ac nonnullis interjectis : *Meus piscator* (S. Joannes) *vicit omne principium : erat enim quod est, neque tempore aliquo concluditur, ut cœperit quod erat potius in principio, quam fiebat.*

Tertio, et simplicissime S. Augustin. Chrysost. Theophyl. in c. 1. Evang. S. Joannis et alii : *In principio*, inquiunt, id est, ante omnia, vel ab initio omnis durationis et æternitatis, ab omni æternitate, longe ante omnes angelos, homines, omnesque res creatas erat Verbum. Principium enim verum, non imaginarium, intelligit Joannes, æque ac Moses Gen. 1. 1. Unde Patres passim ex τὸ *in principio*, probant æternitatem Verbi contra Arrianos. Alludit enim Joannes ad Proverb. 8. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Unde et Nonnus Pentapolitanus, qui heroico carmine Græco reddidit Evangelium S. Joannis τὸ *in principio* exponit. Primo, intemporaneum; secundo, Patri coævum ; tertio, Patri natura æquale ; quarto, incomprehensibile ; quinto ineffabile : hæc enim quatuor

vicissim et gradatim ex primo consequuntur, verba Nonni sunt :

> Αχρονος ην, ακιχητος εν αρρητῳ λογος αρχη ,
> Ισοφυης γενετηρος ομηλικος , υιος αμητωρ ,

hoc est :

> Sine tempore erat, incomprehensibile, in ineffabili Verbum principio,
> Æqualis naturæ, Patri coævum, Filius sine matre.

Τὸ ergo *in principio* idem est quod ab æterno, et ut Michæas ait c. 5. 2. *Egressus ejus ab initio à diebus æternitatis.* Æternitas enim est principium sine principio, et principium omnis principii. Ita S. Athan. orat. contra. Arrian. Clemens, Hugo, Glossa, Dionys. Cathar. hic, et S. Ambros. lib. 1. de Fide c. 5. *Joannes*, ait, *in epistola dicit : Quod erat in principio, indefinite tenditur* erat ; *quidquid excogitaveris, erat Filius ; quod erat in principio, non includitur tempore, non principio prævenitur.* S. Aug. serm. 6. de Temp. *Qui in principio erat*, inquit, *intra se concludit omne principium.* Et Nazianz. orat. de Fide : *Quodcumque principium assignare volueris, præjudicatum habebis, quia in principio erat.* Expressus vero S. Cyrillus lib. 1. in Joan. c. 1. *In principio*, inquit, *si quidem definitionem principii retinet, nihil antiquius est ; nunquam enim principii principium poterit excogitari : nam si aliud quiddam ante principium intelligitur, excidet profecto, nec erit vere Principium. Præterea si ante vere principium aliud invenire poterit, in infinitum nobis erit procedendum, aliud semper ante aliud quærentibus, nec in uno simpliciter principio consistentibus.*

Posset quarto, τὸ *quod fuit ab initio* sic exponi *quod fuit initium.* Verbum enim fuit initium sive principium tum spirationis Spiritus sancti, tum creationis rerum omnium. Alludit enim ad Proverb. 8. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum ;* ubi Septuaginta vertunt, *Dominus creavit,* id est, fecit me *principium viarum suarum in opera sua.* Verbum enim fuit idea, per quam, et ad quam Deus opera omnia produxit.

Porro S. Joannes per τὸ *in principio*, astruit æternitatem Filii Dei contra Cherintum et Ebionem, qui eodem tempore docebant Christum fuisse merum hominem, ac proinde principium accepisse, cum ex B. Virgine natus est more cæterorum hominum. Unde contra Ebionem scriptum esse à S. Joanne Evangelium, ad adstruendam Christi divinitatem, testatur S. Hieron. l. de Script. Eccles. in Joanne. Hunc Ebionis errorem secutus est Paulus Samosatenus sub annum Christi 196. et Photinus sub annum Christi 350, teste Cassiodoro l. 3. Tripart. c. 5. Idem ex parte senserunt Arriani : licet enim concederent verbum fuisse antequam nasceretur in carne, tamen negabant illud ab æterno genitum, sed in tempore creatum primamque Dei creaturam esse asserebant.

Nota. Hæc sententia unimembris : *Quod fuit ab initio*, implicite complectitur illam trimembrem in Evangelio S. Joannis c. 1. v. 1. nimirum : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum ;* unde eo tacite lectorem hic remittit S. Joannes. Quod enim fuit à principio, puta ab æterno, necesse est ut fuerit apud Deum, sitque ipse Deus : nihil enim est æternum nisi Deus.

Denique primum sententiæ membrum, scilicet, *In principio erat Verbum*, proprie et explicite significat Verbi *quando*, puta æternitatem. Secundum, scilicet *Verbum erat apud Deum*, significat Verbi *ubi*, et à Patre distinctionem. Tertium, scilicet, *Et Deus erat Verbum*, clare significat Verbi essentiam, et essentiæ cum Patre identitatem. Hæc tria nobis contulit Verbum in sua Incarnatione, in qua humanitatem quasi sponsam Verbo despondit æterno, ut totum genus humanum eidem jungeret et desponderet, ut hac ratione nos temporales fieremus æterni, terrestres fieremus cœlestes, homines fieremus dii ; ut scilicet nostrum quando, nostrum ubi, nostra essentia defixa esset in Verbo divino et æterno.

Præclare S. Gregor. Nazianz. orat. 38. de Christi Nativit. *Ipse Dei Filius*, inquit, *ille sæculis antiquior, ille invisibilis, ille incomprehensibilis, ille incorporeus, illud ex principio principium, illud ex lumine lumen, ille fons vitæ et immortalitatis, illa archetypi expressio, illud immotum sigillum, illa per omnia similis imago, ille Patris terminus et ratio, ille, inquam, ad imaginem suam se confert, et carnem ob carnem gerit, et cum intellectuali anima propter animam meam jungitur, ut simile per simile repurget.* Et mox : *Progressus autem Deus cum humanitate, unum ex duobus inter se contrariis, carne nimirum et spiritu, quorum alterum deificavit, alterum deificatum est. O novam mixtionem ! ó admirandam temporationem ! Qui est, fit : qui creatus non est, creatur : qui nullo loco contineri potest, per interventum animæ intellectualis inter divinitatem et carnis crassitiem continetur. Qui locupletes alios ditat, paupertate afficitur : carnis enim meæ paupertatem subit, ut ego divinitatis ipsius opus consequar. Qui plenus est, exinanitur : sua enim gloria ad breve tempus exinanitur, ut ego plenitudinis ipsius particeps efficiar. Quænam hæc bonitatis divitiæ? quodnam me circumstat mysterium? Divinam imaginem accepi, nec custodivi : ille carnis meæ particeps fit, ut et imagini salutem, et carni immortalitatem afferat.*

Quod audivimus, quod vidimus.] Lyranus hoc refert ad prædicationem et judicium Christi factum à Joanne Baptista. Didymus, Hugo et alii referunt ad oracula Prophetarum, quibus prædixerunt Christum in carne appariturum, et docturum homines viam salutis, ut Baruch, c. 3. 36. et ad apparitiones Dei quibus apparuit Adæ, Abrahæ, Jacob, Mosi et Prophetis in veteri Testamento. In his enim licet apparuerit tota Trinitas, tamen speciatim apparuit, hoc est, repræsentatum fuit in iis Verbum sive Filius Dei, ut significaret et quasi præluderet se suo tempore vere carnem assumpturum, et in ea appariturum, uti docent Clemens Rom. l. 5. Constit. c. 21. Justinus contra Tryph. Origen. hom. 1. in c. 6. Isaiæ, Euseb. l. Hist. cap. 2. Hippol. de Consummat. sæculi, Tertull. lib. contra Judæos, S. Leo epist. 13. ad Pulcheriam, S. August. lib. contra Adiman. cap. 9. Prudentius in Apotheos. contra Patripassian. S. Hieronym. in Isaiæ 6. Licet enim in omnibus apparitionibus veteris Testamenti, ac præsertim in nobilissima illa, qua à Deo data fuit lex Mosi et Hebræis in Sina Exodi 19. proprie apparuerit persona non Dei, sed angeli, uti docet S. Paulus ad Galat. 3. vers. 19. et S. Dion. Cœlest. Hier. cap. 4. S. Hier. ad Galat. 3. S. August. lib. 3. Trinit. 11. S. Gregor. 24. Moralium cap. 2. tamen angelus hic repræsentabat Deum, ac speciatim Verbum, sive Fi-

lium Dei Patris. Ad has ergo Dei et Verbi apparitiones referunt auctores paulo ante citati hæc verba S. Joannis ; sed minus congrue : nam sic audiverunt et viderunt Verbum Patriarchæ et Prophetæ, sed typice et ænigmatice, non autem Joannes et Apostoli, qui clare et personaliter, idipsum viderunt et audierunt, quod hic significare intendit Joannes. Sensus ergo est. q. d. Nos Apostoli et discipuli Christi vidimus Verbum carne humana indutum, illudque ore humano loquens et docens audivimus, juxta id quod consonanter ait Paulus Hebr. 1. v. 1. *Multifariam multisque modis olim loquens Deus Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* Ita Beda, Clemens, Hugo, Dionys. Alludit ad illud Dei Patris de Verbo : *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite*, Matth. 17. 5.

Porro S. Joannes præmittit auditum visui dicens primo : *Quod audivimus*, deinde *Quod vidimus :* tum quia auditus, ait Aristot. est sensus disciplinæ et fidei : *fides* enim est *ex auditu.* Rom. 10. 17. tum quia gradatim crescit ejus oratio, ac à minoribus et minus certis ascendit ad majora et certiora : certior est enim visus quam auditus. *Pluris enim est testis de visu, quam auriti multi*, ait Plautus in Truculento; sed utroque certior est tactus ; unde de eo subdit : *Et manus nostræ contrectaverunt.* q. d. Nos verbum incarnatum non tantum audivimus auribus, et oculis vidimus, sed et ipsis manibus palpavimus et contrectavimus : illud ergo vere incarnatum firmissime credite, amate et adorate. Præclare S. August. serm. 52. de diversis : *Homo*, ait, *sequendus non erat, qui videri poterat : Deus sequendus erat, qui videri non poterat. Ut ergo exhiberetur homini et qui ab homine videretur, et quem homo sequeretur Deus factus est homo.* Idem in Psal. 33. *Ne dedignaretur homo imitari hominem humilem, Deus factus est humilis, ut vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia Dei.* Et S. Gregor. 29. Moral. cap. 1. *In nativitate divina Christus ab humano genere cognosci non poterat : proinde in humanitate venit, ut videretur ; videri voluit, ut imitaretur.* Idcirco in carne et sanguine nostro voluit nobis fieri consanguineus et frater. Nam, ut ait S. Augustin. in Psal. 48. *Qui dicit Deo, Pater noster, Christo dicit, Frater.* Denique Hugo Victor. in lib. Sententiarum paucis incarnationis causas complectens : *Deus*, ait, *homo factus est.* Primo, *ut idem esset redemptor qui creator ;* secundo, *ut de suo liberaretur homo ;* tertio, *ut familiarius ab homine diligeretur Deus in similitudine hominis apparens ;* quarto, *ut uterque sensus in ipso beatificaretur, et reficeretur oculus cordis in ejus divinitate, et oculus corporis in ejus humanitate, ut sive ingrederetur, sive egrederetur, in ipso pascua inveniret natura ab ipso condita.* Hoc est quod admirans, et cum Christo dissuavians ait Paulus ad Titum 3. *apparuit benignitas*, græce φιλανθρωπια, id est, singularis ille erga homines amor, *Salvatoris nostri Dei.*

Quod perspeximus.] Græce ετεασαμεθα, id est, *quod oculis intuiti, quod admirati sumus.* θεασθαι *enim est cum admiratione et stupore inspicere*, ait Œcum. item curiose, exacte, sagaciter inspicere et perspicere. Denique publice quasi in theatro mirum novumque spectaculum, sed omnibus conspicuum inspicere, unde Vatabl. vertit *quod spectavimus velut in hoc expositum.* Sic Paulus ait : *Spectaculum* græce θεατρον, id est *theatrum, facti sumus mundo, et angelis, et hominibus*, 1. Corinth. 4. v. 9. Unde τὸ *perspeximus* ad oculos non tantum corporis, sed et phantasiæ et mentis pertinet : hac enim sola Christi divinitatem perspexerunt Apostoli, eam colligentes ex Christi doctrina, sanctitate, miraculis, etc. Ita Didymus. Nota. Verbum, cum sit subtilissimus spiritus, in se videri oculis, aut cerni oculis nequit : unde carnem assumpsit, ut per eam videri et audiri posset. Per carnem ergo visum et auditum est, perinde ac Rex videtur per purpuram, sol transparet per nubem, ignis per ferrum ignitum, candela ardens per laternam, anima per carnem, substantia per sua accidentia, angelus per corpus assumptum : Verbum enim humanitate tectum et vestitum fuit quasi purpura, nube, ferro, laterna, carne, etc. omnibus enim unionibus hisce similis fuit unio Verbi cum humanitate, sed iis longe perfectior : omnes enim jam dictæ uniones, excepta animæ cum carne et corpore, sunt accidentales aut locales, qualis est unio ignis cum ferro : manet enim substantia ferri, sed in ejus poros se insinuat ignis, ut in eodem loco sit cum ferro, ac per illud traluceat : Verbi vero unio cum humanitate est substantialis, qualis est animæ cum corpore. Unde S. Athanas. in Symbolo : *Sicut*, inquit, *anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus ;* sed hoc discrimine, quod anima carni uniatur essentialiter, ita ut cum ea faciat unum compositum essentiale, unamque essentiam hominis, at vero Verbum cum carne non unitur essentialiter ; non enim informat carnem ut facit anima, nec cum ea unam constituit essentiam ; utpote cum in Christo maneat essentia divina plane discreta et distincta, ab essentia humana, sed unitur ei hypostatice sive personaliter : nam in eadem persona Verbi subsistit humanitas æque ac divinitas. Simili modo in Eucharistia videtur Christus, ejusque deitas et humanitas abscondita per species panis et vini, hæ enim sunt species, non panis, utpote qui jam desiit, sed corporis Christi. Unde de ea vere dixit S. Chrysost. hom. 60. ad populum : *Ecce cum* (Christum) *vides, ipsum tangis, ipsum manducas.*

Et manus nostræ contrectaverunt.] ἐψηλαφησαν, id est, *palparunt*, uti faciunt cæci manu rem attrectantes, scrutantes et indagantes. S. Thomas enim post resurrectionem palpavit corpus Christi ; ejusque cicatrices, indeque ex incredulo factus est fidelis, Joan. 20. 27. Rursum cæteri Apostoli die Dominica resurrectionis videntur palpasse Christum, ut de ejus resurrectione dubii, de eadem per tactum plagarum certi fierent, utque eas devote venerarentur, juxta ejus jussum : *Palpate*, inquit, *et videte quia spiritus carnem et ossa non habet*, Luc. 24. 39. Ita S. Leo epist. 97. et S. August. serm. 147. et 160. de Temp. S. Athanas. orat. contra Arrian. Beda hic, Suarez 3. part. tom. 2. disput. 49. sect. 4. Maldon. in cap. 24. S. Lucæ vers. 39. Canisius lib. 4. de B. Virg. cap. 2. licet Euthymius censeat solum Thomam tetigisse plagas Christi. Denique in mensa et conversatione quotidiana, ac præsertim aliunde venientes, vel abeuntes Apostoli Christum amplexati sunt, et contrectaverunt ex amore, devotione et reverentia, præsertim ubi eum esse Deum agnove-

runt. *Unus enim*, ait OEcum. *erat indistinctus, idem spectabilis et inspectabilis, perceptibilis, et imperceptibilis, tangibilis et intangibilis, humane loquens et tanquam Deus miracula operans.*

Denique credibile est Joannem peculiariter Christo devotum, familiarem et amicum, peculiari modo et affectu, tum, ut ait Beda, in cœna, cum supra Christi pectus recubuit, tum alias cum contrectasse. Unde Clemens Alexand. hic : *Fertur*, ait, *in traditionibus, quoniam Joannes ipsum corpus quod erat extrinsecus tangens, manum suam in profunda miserit, et duritiem carnis nullo modo reluctatum esse, sed locum manui præbuisse discipuli.* Quod cum grano salis accipe ; videtur enim dicere Clemens plagas Christi fuisse obductas carne et nervis ; ideoque duras, sed per miraculum cessisse discipulis, ut viderentur sibi eas apertas tangere. Certum enim est ipsas plagas apertas, puta foramina pedum, manuum et lateris mansisse et manere in corpore Christi, uti docent SS. August. Ambros. Cyrill. Cyprian. et alii, quos citat et sequitur Suarez 3. p. tomo 2. disp. 47. sect. 2.

Nota. Joannes tot verbis inculcat et exaggerat Verbi incarnationem et apparitionem in carne, tribus de causis. Prima, ut contra Basilidem illo ævo docentem Christum assumpsisse carnem apparentem et phantasticam, non veram, ac proinde non vere esse crucifixum, sed in imagine duntaxat, doceret Christum veram et realem carnem assumpsisse, in eaque realiter passum, realiter nos redemisse, et sanctificasse. Ita Epiphan. hæresi 24.

Secunda, ut fideles in fide Incarnationis plene confirmet, infidelibus vero ejus fidem persuadeat, petito argumento à tribus sensibus, qui fidelissimi et perspicacissimi habentur : tales enim sunt visus, auditus et tactus. Asseverat ergo se cum Apostolis Verbum incarnatum vidisse, audisse, attente perspexisse et contrectasse. Sic Petrus Christum resurrexisse probat testimonio oculari suo et Apostolorum dicens : *Hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri non omni populo ; sed testibus præordinatis à Deo, nobis qui manducavimus et bibimus cum illo*, Actor. 10. 40. Nam, ut ait Tertull. lib. de Anim. c. 17. *falsa utique testatio, si oculorum et aurium et manuum sensus natura mentitur.*

Tertia, ut ostendat Verbi dignationem et Apostolorum dignitatem. Verbum enim dignatum est è cœlo in terram descendere, ac se limo, carni, inquam, nostræ ex limo formatæ, ac Deum homini arctissimo ejusdem hypostaseos et personæ vinculo sociare et nectere, ita ut omnia attributa Dei sint attributa hominis, et vice versa, ac proinde per attributa hominis deitatem ejusque attributa Apostolis ostendit.

Hac de causa Verbum caro factum est, ut intactile fieret tactile, ait Naz. orat. 38. indeque cognoscibile. Dei enim, utpote spiritus, effigiem in mente nobis efformare non possumus : ut ergo eum concipere, invocare, imo cernere, alloqui et tangere possemus, factus est homo. Unde S. Paulinus epist. ad Florentinum : *Hic*, ait, *Dominus et Deus noster qui in terris visus est, et inter homines conversatus est pro nobis, ovis et pastor in nobis est, quia nos invisibili baculo et salutari virga intus reget, ut etiamsi ambulemus in umbra mortis, non timeamus mala, quia nobiscum Deus est, Emmanuel ille Dominus majestatis, et filius ancillæ, quorum alterum natura, alterum, factus est. Idem creator hominis et redemptor, Deus ex Deo, homo pro homine ; Filius Dei ante sæcula, filius hominis pro sæculo ; forma servi pro libertate servorum, et pauper factus, ut pauperes sua egestate locupletet ; quia ipse est dives in omnes omnis boni, qui omnia in omnibus adimplet, plenitudo divinitatis, spes omnium finium terræ, et in mari longe, Deus salutaris noster, mediator hominum et Dei, homo Christus Jesus, qui est in gloria Dei Patris super omnes Deus benedictus in sæcula.*

Hic ergo Deus, qui olim in deitate tantum erat pater, per humanitatem assumptam factus est hominibus quasi mater, ideoque πατριμητωρ, id est *patri-mater*, non tantum ob quatuor modos et causas quas recensui Actor. 17. v. 24. et 29, sed etiam quia Deus quasi sponsus humanitatem matrem nostram quasi sponsam, sibi perenni conjugio arctissime copulavit, assumpsit et induit, idque repræsentatum est per matrimonium Adæ cum Eva, de quo dictum est Genes. 2. 24. *Et erunt duo in carne una.* Per humanitatem igitur nos nostramque naturam sibi despondit, ut esset nobis mater, qui prius fuerat pater, itaque ad eum fidenter accederemus. Solent filii timentes patris severitatem adire matrem, et per eam impetrare id quod volunt à patre : tenerior enim est amor matris in filium, quam patris. Ita fideles et Ecclesiæ per humanitatem Christi invocant Deum, omniaque ab eo impetrant : unde Ecclesia omnes collectas et orationes concludit, dicendo : *Per Christum Dominum nostrum.* Ad hæc humanitas Christi est quasi mater, quia sicut mater suum infantem magno et continuo dolore in utero gestat, formal, parturit, lactat, fasciat, bajulat, educat et in virum efformat ; ita et Christus quasi mater per 34. annos magnis et continuis laboribus et doloribus, præsertim in cruce et morte nos concepit, parturivit, aluit, pavit, efformavit. Tertio, quia incarnatio Filii Dei fuit opus tum summæ mentis et sapientiæ, tum summæ bonitatis, quæ attribuitur Spiritui sancto, sicut illa attribuitur Verbo ; sapientia autem, sive idea ac bonitas sese habent quasi mater respectu omnipotentiæ, quæ est quasi pater ; Deus enim Pater Verbo suo quasi idea, mente et matrice concepit, formavit et produxit omnia Idem sua bonitate quasi matre viscera misericordiæ in nos effundit ; præsertim per incarnationem, de qua Zacharias Lucæ 1. 78. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Hinc Deus quasi mater per Isaiam cap. 49. 15. homines quasi filios blande ad se advocat, illicitque, dicens : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* Hinc et Christus veniens in carnem, ex matre sola nasci voluit sine patre, ut instar Melchisedec esset αμητωρ, sicut in cœlis est αμητωρ quasi ex matre maternitatem assumpturus, materque nobis futurus. Unde Psaltes de eo ait : *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus*, et : *Miserationes ejus super omnia opera ejus.* Quare apposite Gentiles, ait Clemens l. 5. Strom. Deum μητροπατορα, quasi patrem matrem, vel, ut exponit S. August. 7. Civit. cap. 9. progenitorem genitricemque simul vocaverunt.

Porro ut immensitatem beneficii incarnationis Verbi aliqua ratione concipiamus et ponderemus, S. Joannes quatuor ejus circumstantias

expendendas suggerit et proponit, nimirum, quis, quid, cui, cur.

Primo, quis est ille qui carnem nostram induit, imo assumpsit? Est Verbum, quod fuit ab initio, est verbum æternum, est Deus omnipotens, creator cœli et terræ, Dominus Universorum, Rex regum, et Dominus dominantium. Verbum ecce æternum per quod facta sunt omnia, fit caro, fit homo. *Et vocabitur nomen ejus*, ait Isaias, *Emmanuel*, id est, nobiscum Deus, *admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, princeps pacis, pater futuri sæculi, magni consilii angelus;* quæ singula expendi Isaiæ 9. v. 6. Hoc est quod canit Ecclesia in Præfat. Nativit. Christi : *Per incarnati Verbi mysterium nova mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis infulsit, ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur.* Porro natura divina per incarnationem non est mutata, nec passa, sed sui similis inviolata et impassibilis permansit.

Præclare S. Leo serm. 10. de Nativit. *Idem*, ait, *est in forma Dei, qui formam suscepit servi. Idem est incorporeus manens, et corpus assumens. Idem est in sua virtute inviolabilis, et in nostra infirmitate passibilis. Idem est è paterno non divisus throno, et ab impiis crucifixus in ligno.* Quocirca S. Cyrill. in cap. 1. Evang. S. Joannis, Verbum humanatum comparat carboni, vel ferro ignito. Sicut enim ignis non consumit ferrum ignitum, sed utriusque substantia illæsa et integra permanet; sic nec deitas mutavit humanitatem, nec humanitas deitatem, sed utraque integra et illæsa permanet. Id significatum est per ignem in rubo, quem vidit Moses Exodi 3. 2. ignis enim in rubo est Verbum in carne; sed sicut ignis rubum non adussit, sic Verbum humanitatem non læsit. Vide Theodoretum in tribus dialogis. Primo, *immutabilis;* secundo, *inconfusus;* tertio, *impassibilis;* ubi contra Euthychetem ex Patribus pulchre explicat, quomodo Verbum manens immutabile, inconfusum et impassibile, factum sit caro. Quocirca Damasc. orat. 1. de Nativit. *Tantus*, ait, *Domine, tuus in me fuit amor, ut non per angelos, aut per ullam aliam creaturam salutis meæ negotium obieris, verum ut primam fictionem, sic etiam ipsam instaurationem ipsemet efficiendam duxeris.* Et S. August. serm. 59. de Verbis Domini : *Ad sanandum*, ait, *grandem ægrotum, descendit omnipotens medicus, humiliavit se usque ad mortalem carnem, tanquam usque ad lectum ægrotantis.*

Secundo quid fit Deus in incarnatione? fit caro, id est homo. *Caro*, ait S. Augustin. tract. 2. in Joannem, *te cæcaverat; caro te sanat. Carnalis enim anima facta erat consentiendo affectibus carnalibus, inde fuerat cordis oculus cæcatus, Verbum caro factum est. Medicus tibi fecit collyrium, ut de carne vitia carnis extingueret.* Nam caro hominis est præ cæteris animalibus misera, infirma, putida, mille ærumnis et morbis subjecta, et per concupiscentiam corruptissima; hanc assumpsit Verbum, eo se inclinavit illa majestas, ut Seraphinos, Cherubinos, et cæteros angelorum ordines præteriens descenderet in imam hanc miseriarum vallem et carnem, eamque sibi arctissimo hypostaticæ unionis vinculo copularet. Cogita si ovis duceretur ad lanienam, et homo quispiam eam amans et miserans (uti S. Franciscus eas pecunia redimebat ob amorem Christi, qui repræsentatur Agno Dei) vellet pro ea mori, imo mutari in ovem, ut ovem illam redimeret, an non diceretur hic ejus in ovem esse insanus et ecstaticus amor? longe major fuit amor Christi in nos, dum ex Deo factus est homo; infinities enim amplius Deus excedit hominem, quam homo excedat ovem. Hoc ergo est *magnum pietatis* (et divinæ dignationis et philanthropiæ) *Sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.* 1. Timoth. 3. 16. Hoc cum Seraphinis admirari et obstupescere debemus, ac cum videmus parvulum in præsepio, cum stupore dicere : Itane iste parvulus est Deus meus, Rex cœlorum, creator Universi? Deus, ait D. Thom. opusculo 60. communicat se; primo, omnibus creaturis per præsentiam; secundo, et magis justis per gratiam; tertio, et maxime carni nostræ per substantiam : Primo, naturaliter; secundo, supernaturaliter; tertio, personaliter, ait, Cajetan. Porro Verbum per humanitatem suam omnes homines, et per eos totum universum (hujus enim nexus et vinculum est homo, ideo microcosmus appellatus) ad se elevavit, sibique univit, ut sit Deus omnia in omnibus, ait Damascen. orat. de Transfigurat. et Cajetan. in 3. p. q. 1. a. 1. *Incarnatio*, inquit, *est elevatio totius Universi in divinam personam;* imo S. Dion. de Divin. nomin. c. 4. *Quæ major*, ait, *Dei communicatio cum creatura, quam ea qua Verbum caro factum est cogitari potest?* Rursum junxit se Verbum homini, id est, primum ultimo : in creatione enim homo fuit ultimo à Deo creatus : atque sic Deus quasi in circulo ad punctum unde cœperat verbo creando omnia, per incarnationem rediit, hominem jungendo Verbo. Ita Clictovæus in Damascen. lib. 3. de Fide cap. 1.

Tertio, cui Verbum factum est caro? homini peccatori et vilissimo instar vermiculi. *Parvulus* enim *natus est nobis, et filius datus est nobis.* Christus ergo non assumpsit hominem propter se, quasi egeret aut delectaretur illa humanitate quam assumpsit, sed propter nos. Ultimatus ergo terminus incarnationis sumus nos. Ideo enim natus est in carne corporaliter, ut in anima nostra nasceretur spiritualiter. Hinc canit Ecclesia in Symbolo Conc. Nicæni : *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis.* S. Anselmus l. 2. *Cur Deus homo* c. 20. *Quid*, ait, *misericordius intelligi valet, quam quod peccatori æternis tormentis deputato, et unde se redimeret non habenti, Deus Pater dicit, accipe Unigenitum meum, et da pro te, ipse Filius. Tolle me, et redime te?* Celebratur Atheniensium dux Codrus, qui orto cum Spartanis bello, cum respondisset oraculum illos posse vincere, quorum dux periisset, deposita ducali trabea, vilem militis vestem induit, itaque hostium castra adiens, illic jurgio eos in suam cædem instigavit, ac moriens sua morte victoriam, vitam et libertatem suis peperit. Sed quid Codrus ad Christum? quid homo ad Deum, qui carnem induens nos sua morte ab æterna morte et gehenna liberavit, ac regni cœlestis et æternæ gloriæ hæredes effecit?

Quarto, cur Verbum factum est homo? ut hominem inferno, morte, peccato, omnique miseria corporis et animæ liberaret. Verbum enim nihil sibi acquisivit nisi exinanitionem, opprobria, paupertatem, dolores, mortem et crucem, ut per ea nobis benefaceret. *Natus est Christus*

in carne, ut nos nasceremur in spiritu, ait S. Gregor. Nazianz. *Natus est in tempore, ut tu nascereris in æternitate. Natus est in stabulo, ut tu nascereris in cœlo.* Audi S. August. serm. 9. de Nativit. *Dominus noster Jesus Christus, qui in æternum cunctorum est creator, hodie nascendo de matre, factus est nobis Salvator. Natus est nobis hodie in temporis volubilitate, ut nos perducat ad Patris æternitatem. Factus est Deus homo, ut homo fieret Deus: ut panem angelorum manducaret homo, Dominus angelorum hodie factus est homo.* Et Nazianz. in distichis : *Patris Verbum est homo noster, ut hujusmodi mixtioni Deum hominibus misceat. Unus utrimque Deus est, hactenus homo effectus, ut me ex mortali Deum efficiat.*

Quocirca Clemens Alexandr. adhortat. ad Gentes ait Christum sua incarnatione terram in cœlum mutasse, ac ex hominibus angelos, imo deos fecisse; ideoque ipsum pulchrum esse aurigam qui currum sive bigam fidelium, puta Judæorum et Gentium, agat in cœlum, dirigatque ad beatam immortalitatem. Hoc est quod S. Joannes Evangel. c. 1. 12. ait : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus,* etc. Et *Verbum caro factum est,* q. d. Ideo Verbum caro factum est, ut homines faceret filios Dei. Audi Origen. hom. 2. in diversis hæc verba tractantem : *Si filius Dei factus est homo, quid mirum si homo credens in Filium Dei, filius Dei futurus sit? Ad hoc siquidem Verbum in carnem descendit, ut in ipsum caro, id est homo, credens in verbum ascendat, ut per naturalem Filium unigenitum, multi filii efficiantur adoptivi; non propter seipsum Verbum caro factum est, sed propter nos, qui non nisi per Verbi carnem potuissemus in Dei filios transmutari. Solus descendit, ut cum multis ascenderet. De hominibus facit deos, qui de Deo fecit hominem. Et habitavit in nobis, id est naturam nostram possedit, ut suæ naturæ participes faceret nos.* S. Leo s. 6. de Nativit. *Ideo,* ait, *Christus filius hominis factus est, ut nos filii Dei esse possimus.* Vide S. Anselmum lib. Cur Deus homo.

Vide ergo immensitatem hujus beneficii; Deus hic non pluit è cœlo manna, sed totum cœlum quasi disrumpens, omnes deitatis suæ thesauros et viscera misericordiæ suæ, imo totum se, quantus quantus est, cum omnibus suis donis et gratiis in terram effudit. Hoc est quod optabat Isaias cap. 45. 8. *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum, aperiatur terra et germinet Salvatorem.* Audi S. Augustinum serm. 27. vel alio computu 23. de Temp. *Laudem Domini,* inquit, *loquetur os meum. Ejus Domini per quem facta sunt omnia, et qui factus est inter omnia. Qui est patris revelator, matris creator. Filius Dei de patre sine matre, filius hominis de matre sine patre. Magnus dies angelorum, parvus in die hominum; Verbum Dei ante omnia tempora, Verbum caro opportuno tempore. Conditor solis, conditus sub sole. Cuncta sæcula ordinans de sinu patris, hodiernum diem consecrans de utero matris. Ibi manens, hinc procedens. Effector cœli et terræ, sub cœlo exortus in terra. Ineffabiliter sapiens, supienter infans. Mundum implens, in præsepio jacens; sidera regens, ubera lambens. Ita magnus in forma Dei, brevis in forma servi, ut nec ista brevitate magnitudo illa minueretur, nec illa magnitudine ista brevitas premeretur. Neque enim quando membra humana suscepit, opera divina deseruit, nec attingere à fine usque ad finem fortiter, et disponere omnia suaviter destitit, quando infirmitate carnis indutus virginali utero receptus est, non inclusus; ut nec angelis subtraheretur sapientiæ cibus, et nos gustaremus quam suavis est Dominus.*

Audi et S. Gregor. Nazianz. jubilantem orat. 38. *Christus gignitur, glorificate; Christus è cœlis; obviam prodite. Christus in terra; subvehimini, cantate Domino, omnis terra. Atque ut hæc duo in unum contraham, lætentur cœli et exultet terra, propter cœlestem, ac postea terrestrem. Christus in carne; tremore et gaudio exultate : tremore propter peccatum, gaudio propter spem. Christus ex Virgine; mulieres virginitatem colite, ut Christi matres sitis. Quis eum qui à principio est non adorat? Quis eum qui postremus est non laudat ac celebrat?* Et mox : *Omnes gentes, plaudite manibus, quoniam parvulus natus est nobis filius, et datus est nobis, cujus principatus super humerum ejus (cum cruce etenim extollitur) ac vocatur nomen ejus magni consilii, hoc est paterni, angelus. Clamet Joannes : Parate viam Domini; ego quoque diei hujus vim ac potentiam clamabo. Carnis expers incarnatur; Verbum crassescit; invisibilis cernitur; intactibilis tangitur; tempore vacans initium sumit; Dei filius, hominis filius efficitur, Jesus Christus heri et hodie, idem et in sæcula.* Et S. Bernard. serm. 1. de Epiphan. *Quid tantopere declaret ejus misericordiam, quam quod ipsam suscepit miseriam? Quid ita pietate plenum, quam quod Dei Verbum, propter nos factum est fœnum? Quanto enim minorem se fecit in humanitate, tanto majorem se exhibuit in bonitate : et quanto pro me vilior, tanto mihi charior.* Idem serm. 46. in Cant. *O suavitatem, ô gratiam, ô amoris vim! summus omnium, imus factus est omnium. Quis hoc fecit? Amor dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor, ut scias amoris fuisse, quod plenitudo effusa est, quod altitudo æquata est, quod singularitas associata est.*

Quare ut hoc manna immensum è cœlo depluens excipiamus, pandamus totum cor, ampliemus ejus sinum per immensum ejus desiderium, ut totam ejus copiam, gratiam et suavitatem capiamus et sapiamus. Imitemur Patres in limbo, qui per tria et quatuor annorum millia sedentes in tenebris et umbra mortis, illud avidissime et sitientissimis animis desiderabant, clamantes : *Utinam dirumperes cœlos, et descenderes,* Isaiæ 64. v. 1. Imitemur B. Virginem, quæ concepto Verbo anhelabat ad ejus partum, tota avulsa à mundo, et tota Christo unita, in eumque transformata, ut deitas in utero latens per corpus Virginis, in omnibus ejus partibus et motibus resplenderet; atque idcirco Christus jussit hanc suam nativitatem quotannis solemniter recoli et celebrari, ut nobis id præstet, quod olim præstitit Pastoribus, Magis, Annæ, Simeoni, Joseph, dum realiter natus est; quia enim tunc præsentes esse non potuimus, hinc nobis quotannis per commemorationem fit præsens, ut easdem gratias impertiat. Quisque ergo suas necessitates Christo nato proponat carnis infirmitates, ac præsertim vitium et tentationem, quæ maxime eum premit, dicatque confidenter cum S. Catharina Senensi : *Domine, habeo te præsentem, meus es, non dimittam te donec hanc tentationem sustuleris, hanc virtutem vel gratiam dederis, donec totum cor meum possederis, et tuo amore imbueris.* Ideo enim Verbum caro factum est, ut carnis ærumnas et infirmitates curaret vi Verbi, uti curavit omnes in ea carne quam as-

sumpsit. Rogandus est ut idem faciat in carne nostra, ut in ea habitans eam sanet, sanctificet, et quasi in spiritum transmutet; cum nova nativitate det novam vitam, ut vivamus angelice, cum angelo cœlesti. Ita S. Hieron. cum S. Paula migravit in Bethlehem, ut ibi jugiter mentis oculis intuerentur Christum nascentem. Ita S. Franciscus sub mortem Græcii solemniter celebravit Christi natalem cum bove et asino, ac prædicans non aliud dicebat quam : *Amemus parvulum nostrum, parvulum de Bethlehem.* Sic et S. Bernard. in hoc mysterio se superat, totusque melleus est et divinus. Christus se totum tibi, tu te totum da Christo; Christus tibi natus est, Verbum tibi incarnatum est, Deus tibi humanatus est, tu vicissim nascere Christo, Verbo te insere, Deo te desponde, imo trade et redde.

Denique exclamat S. Bernard. vel quisquis est auctor, serm. in Cœna Domini, qui habetur sub finem operum ejus pag. 391. *O stupenda Dei miseratio! Verbum carnem, Deus cinerem, figulus lutum, vita morticinum induit, ut jumenta manducarent panem angelorum. Homines jumenta erant.* Et inferius : *Ea propter cibus cœlestis mutavit se in pabulum pecoris, homine mutato in pecus; panis enim angelorum factus est fœnum; amicus Patris, filius hominis, omnis enim caro fœnum,* Isaiæ 40. *Comedunt igitur angeli Verbum de Deo natum; comedunt homines Verbum fœnum factum. Pane suo vivunt angeli in cœlis, et beati sunt; fœno suo vivunt homines in terris, et sancti sunt. Fœnum quippe istud de prato virginalis uteri collectum factum est refectio jumentorum; Verbum ut fœnum fieret, latuit in Virgine, sol in sidere, artifex in opere.*

Et manus nostræ contrectaverunt de Verbo.] Hoc est, Verbum ipsum quod contrectavimus, æque ac vidimus et audivimus. Est hebraismus, dicit tamen *de Verbo*, non Verbum, quia Apostoli non ipsummet Verbum in se, utpote divinum et spiritale, sed ejus vestem, puta humanitatem, contrectaverunt. Ergo non Verbum, sed aliquid *de Verbo*, puta adjacentem Verbo carnem quasi vestem contrectaverunt. Rursum *quod contrectavimus*, id est, quod contrectando invenimus et deprehendimus, *de Verbo* (est metalepsis scilicet Verbum vere carnem humanam, non autem phantasma vel spectrum inane carnis assumpsisse. Quam felices Apostoli qui Verbum incarnatum videre, audire, tangere meruerunt! *Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis quod multi Prophetæ et reges voluerunt videre, quæ vos videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis, et non audierunt,* ait Christus Lucæ 10. 23.

Porro Dydimus hæc omnia refert ad mysterium resurrectionis Christi. q. d. Vidimus, audivimus, contrectavimus Christum, postquam resurrexit. Credite ergo eum resurrexisse, hoc enim resurrectionis mysterium orbi erat novum et paradoxum; ideoque illud ipsum S. Petrus et Paulus in Actis Apost. et Epistolis suis assidue confirmant et inculcant. Glossa restringit ad transfigurationem Christi, tunc enim vidit Joannes gloriam Christi, et audivit vocem Patris. *Hic est filius meus.* Verum melius alii referunt ad totam Verbi incarnati œconomia.

De verbo vitæ.] Syrus, *Verbum vitæ.* Sic Joel ait : *Effundam de spiritu meo*, id est, spiritum meum, Actor. 2. 17. *Dabitur ei de auro* (id est auri m) *Arabiæ, et adorabunt de ipso* (id est ipsum) psal. 71. 15. græce περι του λογου, id est, *de illo Verbo*, scilicet eximio, increato, æterno et divino puta de Filio Dei, ut fatebantur, ipsi etiam Arriani convicti ex eo, quod Verbum hoc in Evangelio cap. 1. paulo post v. 14. vocet Unigenitum Dei, ac passim alibi Script. illud appellet Filium Dei, licet enim S. Basil. putet etiam Spiritum sanctum dici posse Verbum, tamen id improprie diceretur, ait D. Thom. Verbum intellige non oris, sed mentis. Ita S. August. Chrysost. et alii in c. 1. Evangelii S. Joannis.

Quæres primo, cur S. Joannes Filium Dei non vocat Filium, sed Verbum? Respondeo primo, quia in suo Evangelii et Epistolæ principio alludit ad principium Mosis, quo Deus verbo creavit cœlum, terram, omniaque quæ iis continentur, Genes. 1. 2.

Secundo, quia, ut docet S. Chrysost. in Evang. S. Joann. c. 1. Verbum hoc quod est in sinu Patris omnem habet sapientiam, ac carne vestitum eamdem nobis enarravit : illam autem sapientiam tam Evangelio quam Epistola hac enarrare statuit S. Joannes. Unde etiam S. Joannes magis verbis et doctrinæ Christi enarrandæ insistit, cum alii tres Evangelistæ magis rebus et gestis Christi insistant. Christum ergo vocat Verbum, quia Verbi hujus verba nobis recensere intendit.

Tertio, ne, si Filium dixisset, eum corporeum et passibilem quis imaginaretur; tales enim sunt filii quos novimus in terra. Ita S. Cyrill. in cap. 1. Evang. S. Joannis. Vox ergo *Verbum* significat generationem Filii non esse humanam, sed spiritualem, mentalem et divinam, ideoque puram, integram et incorruptibilem, scilicet eum generari à mente divina ut verbum mentis.

Quarto, quia Verbum in divinis significat Filium. Verbum enim significat conceptionem mentalem Dei Patris, quæ est ipsa generatio Filii, qui quasi verbum repræsentat et manifestat sapientiam, et voluntatem Patris. Et hæc est causa cur Filius sit incarnatus, non Pater, aut Spiritus sanctus, quia scilicet incarnatio idcirco facta est, ut per eam Deus se manifestaret hominibus : Verbi autem est rem manifestam facere. Rursus sicut Verbum à Patre genitum est spiritu, ita decuit idem gigni à matre in carne. S. Joannes ergo nos quasi manu ducit ad Verbum, ac per illud ad Deum, ut cum eo secum jugiter commorari, colloqui et dissuaviari nos doceat. In Joanne enim et similibus verum est illud Senecæ epist. 41. *Quemadmodum solis radii contingunt quidem terram, sed ibi sunt unde mittuntur; sic animus magnus et acer, et in hoc demissus ut proprius divina nossemus, conversatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ. Illinc pendet, illud spectat ac nititur;* et, ut ait S. Amb. *Verbo innubit æterno,* nam, ut inquit S. August. serm. 38. de Verbis Evang. secundum Joannem : *Homo fit beatus contingendo illud quod semper beatum manet, et est illud ipsa beatitudo perpetua; et unde fit homo vivus, vita perpetua; unde fit homo sapiens, sapientia perfecta, unde homo fit illuminatus, lumen sempiternum est.*

Quæres secundo cur Filius dicatur λογος, sive *Verbum?* Resp. Primo, λογος verti potest *ratio*, quia sicut ratio nobis intima est, ita et Patri intimus est Filius. Ita Nazianz. orat. 4. de Theol. Secundo, sicut ratio vel notitia procedit à mente; ita Verbum sive Filius procedit à Patre.

Ita Origen. S. Chrysost. Theophyl. Euth. in c. 1. Evangel. S. Joannis. Nazianz. orat. 4. de Theolog. S. Basil. in illud : *In principio erat Verbum.* Tertio, quod à nobis auferat omne quod rationi repugnat, itaque nos faciat rationi obsequentes, ait Origen. l. 1. in Joann. c. 1. et ibidem Rupert. *Verbum*, inquit, *Dei perpetua ratio est sapientia sempiterna*, etc. *Cur non ipsa ratio sempiterna Verbum dicatur, unde nobis inest rationalitas?* et Euseb. 5. Demonstr. c. 5. *Verbum*, ait, *earum omnium rerum quæ factæ sunt rationes in se fert, quare et Sapientia et Verbum Dei appellatur.* Verum ratio non ita exprimit processionem à Patre, sicut exprimit verbum, uti notat S. August. q. 63. inter 83. Adde rationis nomen esse essentiale; non notionale et personale, ideoque commune S. Trinitati. Audi S. Dionys. de Divin. nom. cap. 7. *Deus*, inquit, *dicitur ratio in S. Litteris, non modo quia rationis sensus et sapientiæ indultor est, sed quia et omnium causas in se uniformiter ante complexus est, et quia per omnia pergit penetrans usque ad omnium finem, Sapient. 8. et super hæc etiam, quia super simplicitatem omnem divina expanditur ratio, estque ab omnibus, super omnia supremæ substantiæ ratione, absoluta.* Denique ratio esse potest in eo qui actu non intelligit, ut in dormiente; verbum autem est ejus qui in actu intelligit, qualis est Deus.

Secundo, λογος verti potest *opus;* est enim Verbum Patris opus ei commensum, coævum et adæquatum, juxta illud Sapient. 7. 25. *Vapor est virtutis Dei, et emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera.*

Tertio, λογος, verti potest *virtus.* Verbum enim est virtus, potentia, brachium, et dextera Patris, qua creavit et fecit omnia : nam Verbum, qua Deus, est virtus creandi ; qua homo, est virtus redimendi et salvandi omnes, juxta illud Pauli 1. Cor. 1. v. 23. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam,* et : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, Psal. 32. v. 6. et : *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Hebr. 1. 3.

Quarto, λογος, verti potest *forma ;* Verbum enim est Patris forma, pulchritudo, *candor lucis æternæ, et speculum sine macula, Dei majestatis, et imago bonitatis illius,* Sapient. 7. 26. *splendor* (græce απαυγασμα, id est, *refulgentia*, resplendentia) *gloriæ, et figura substantiæ ejus,* Hebr. 1. v. 3. His adde à magno Dionysio Areopagita duas divinas personas, Filium et Spiritum sanctum productas dici veluti infinita quædam germina, veluti fragrantissimos quosdam flores, veluti lumina quædam splendidissima; etenim in lib. de Divinis nom. cap. 2. in fine primæ partis hæc scribit : *Quod primordialis et fontana sit deitas Pater, Filius vero et Spiritus sanctus fœcundæ deitatis (si fas est dicere) germina plantata divinitus et veluti flores, ac super substantialia lumina, à Scripturis sanctis accepimus. Quonam vero modo ista sint, neque eloqui, neque intelligere possumus.* Hinc et S. Aug. l. 6. de Trin. c. 10. *Quidam* (is est S. Hilar. l. de Synodis, non longe à principio) ait, *cum vellet clarissime singularum in Trinitate personarum insinuare propria ; Æternitas est, inquit, in Patre, species in imagine* (in Filio), *usus in munere,* puta in Spiritu sancto, qui est donum et munus Patris et Filii. Idem S. August. serm. 38. de Verbis Evang. secundum Joannem : *Non enim verbum*, inquit, *proficit, aut crescit accedente cognitore, sed integrum manet, si permanseris ; integrum, si recesseris, integrum cum redieris, manens in se et innovans omnia; ergo est forma omnium rerum, forma infabricata, sine tempore, et sine spatiis locorum.*

Quinto, λογος, verti potest *definitio,* quia quasi rerum omnium definitio Patris naturam omnesque res definite et plene exprimit. Unde S. Gregor. Nazianzen. orat. 4. de Theolog. *Eodem modo*, ait, *Filius se habet ad Patrem, quo definitio cum definito; nam hoc quoque λογος dicitur. Qui enim Filium videt, videt et Patrem,* Joann. 14. *Ac brevis facilisque paternæ naturæ declaratio est Filius,* sic et Euthymius in c. 1. Evang. S. Joann. Rursum λογος, verti potest *computus, calculus, supputatio.* Verbum enim est calculus et computus omnium angelorum, Sanctorum, imo creaturarum totius universi.

Sexto, λογος, verti potest *causa;* quia Verbum est causa per quam singula facta sunt, et subsistunt. Ita S. Hieron. epist. ad Paulinum. Philostratus in Heroicis : *Trojanis*, inquit, *Hector manus, Æneas mens fuit*, at Verbum creaturis tam manus, quam mens fuit; tam causa efficiens, quam idea concipiens.

Septimo, aliqui λογος, vertunt *sermo promissus,* sive quem voces et sermones Prophetarum promiserunt venturum orbis Salvatorem, ita Beza, quem recte refutat noster Salmeron t. 2. tract. 4. Nam ante Prophetas, eorumque oracula ab æterno Verbum erat Verbum, eratque apud Deum; ut ait S. Joannes. Reipsa ergo Beza negat λογον, æque ac Alogiani, teste Epiphan. hæresi 51. et Centuriatores Magdeburg. centur. 1. l. 1. c. 4. qui negant λογον dici respectu Patris, quasi ab eo genitus sit per cognitionem. Hi ergo sunt hostes Verbi et Filii Dei, ideoque semiathei.

Octavo et optime, λογος, cum nostro et Patribus pene omnibus vertas, *verbum*, utique non oris et vocis, sed cordis et mentis. Sicut enim nos dum cogitamus vel intelligimus quippiam, formamus nobis conceptum rei cogitatæ vel intellectæ, qui dicitur verbum mentis ; ita Pater æternus intelligendo et comprehendendo suam essentiam, et omnia quæ in ea sunt, formavit et produxit hoc Verbum æternum sibi adæquatum et simillimum, quo fit ut Verbum hoc sit Deus, Deique Filius à Patre genitus. Dixi, *omnia quæ in ea sunt*, quia in essentia Patris est virtus spirandi Spiritum sanctum, et omnipotentia producendi omnes creaturas possibiles; quare ex cognitione Spiritus sancti et creaturarum possibilium pariter ac essentiæ divinæ producitur et procedit Verbum, uti docet Franc. Suarez lib. 9. de Deo trino et uno, c. 4. 5. et 6. et alii.

Ubi nota. Verbum Dei est duplex : unum essentiale, quod est ipsa intellectio Patris, quam cum essentia, intellectu et voluntate communicat Filio et Spiritui sancto. Et hoc videntur intellexisse Trismegistus, Plato et Philosophi (de quibus mox.) Similiter Arriani Verbum internum essentiale, id est intellectionem Patris et Filii et Spiritus sancti ponebant in uno Deo ipsi coæternam ; sed addebant Deum cœpisse esse Patrem in tempore, cum Verbum notionale à se distinctum produxit, quasi primam creaturam, et per eam cæteras. Alterum Verbum est notionale, sive personale, quod est Verbum à Patre productum

et genitum, ideoque ipsum est persona subsistens, puta Filius Dei Patris. De notionali agit S. Joann. tam hic, quam in Evang. Vere Cyrillus l. 7. Thesauri c. 1. *Nomen Verbi*, inquit, (*elegit*) S. Joann. *quia est maxime proprium et significativum divinitatis, et processionis propriæ secundæ personæ.* Unde Apoc. 19. *dicitur : Et nomen ejus erat Verbum Dei.* S. August. vero l. 15. de Trinit. c. 14. Verbum essentiale à notoriali distinguens, sic ait : *Novit omnia Pater in seipso, novit in Filio, sed in seipso tanquam seipsum*, puta essentialiter ; *in Filio tanquam Verbum suum*, puta notionaliter.

Adverte, λογος, idem est quod *verbum, sermo, oratio.* Unde Tertull. S. Cyprian. S. Ambros. Hieron. et alii veteres sæpe Filium vocant sermonem. Renovavit idipsum hoc ævo Erasmus ; unde pro : *In principio erat Verbum*, vertit, *in principio erat sermo*, ob quam novationem à Theologis vapulavit. Erasmum secutus est et defendit Calvinus in cap. 1. Evangel. S. Joann. *Miror*, ait, *quid Latinos moverit ut τον λογον, transferrent Verbum. Sic enim vertendum potius fuisset* το ρημα. *Verum ut demus aliquid probabile secutos esse, negari tamen non potest, quin Sermo melius conveniat ; unde apparet quam barbaram tyrannidem exercuerint Theologastri, qui Erasmum turbulente adeo vexarunt, ob mutatam in melius unam vocem.* Erras, Novator, cum errantem et novantem sequeris.

Quod enim hoc loco melius conveniat Verbum quam sermo, liquet primo, ex eo, quod verbum simplicius sit sermone ; sermo enim est compositum quid ex verbis : simplicissimus autem est Dei filius. Secundo, quia verbum generalius est sermone ; omnis enim sermo est verbum, at non omne verbum est sermo. Tertio, quia conceptus mentis semper verbum mentis, nunquam sermo dicitur. Filius autem est conceptus mentis divinæ et paternæ. Quarto, sicut mens gignit verbum mentis, hocque fit vocale dum in os et linguam carneam deducitur, et quasi ex ore nascitur ; ita Pater genuit Verbum mentale, quod factum est vocale per incarnationem, dum induens carnem, os et vocem hominis, per eam locutum annunciavit nobis voluntatem Patris. Et huc subinde alludit Script. dum Christum, qua homo est, vocat Verbum, eo quod qua homo fuerit legatus nuntius et interpres voluntatis Dei apud homines, ut patet 1. Joannis 5, 7. Apocal. 19. 13. Ita S. Chrysost. et Theophyl. in c. 1. Evang. S. Joann. et S. Epiphan, hæres. 71. *Filius*, ait, *Verbum nominatur, quia interpres est voluntatum Dei*, et S. August. lib. de Fide et Symbol. cap. 3. *Verbum*, ait, *Patris dictum est, quia per ipsum innotescit Pater. Sicut ergo verbis nostris id agimus ut noster animus innotescat audienti, sic illa sapientia quam genuit Pater, quoniam per ipsam innotescit animus secretissimus Patris, Verbum ejus convenientissime nuncupatur.* Verum S. Joann. tam hic, quam in Evangel. Christum vocat Verbum ratione divinitatis, non humanitatis. Quinto, licet aliqui apud S. Augustin. lib. de Princip. Dialect. cap. 6. verbum derivent à verberando, quod verberato lingua intra palatum aere, omne verbum proferatur, melius tamen ipse S. August. lib. 15. de Trinit. cap. 11. ex Varrone, Servio et aliis, verbum deducit à vero et veritate, quod verum verbo concipiamus et loquamur. Verbum ergo, uti et verum menti est intimum ; sermo vero innuit potius aliquid foras jactatum, diciturque à sero ; scritur enim sermo inter plures et sæpe falsus. Nam, ut ait Servius : *Sermo est consertio orationis, et confabulatio duorum vel plurium.* Melius ergo Filius Dei vocatur Verbum quam sermo.

Denique Verbi hujus dignitatem et attributa describens S. Basil. lib. 2. contra Eunom. processionis hujus admirandæ alia similia iis verbis proponit : *Oportet* (inquit) *dignam de Deo generationem intelligere impassibilem, impertibilem, indivisibilem, sine tempore, instar resplendentis à luce radii. Intelligere autem imaginem invisibilis Dei, nec secundum artificiosas has imagines ad exemplar postea elaboratam ; sed existentem et consubsistentem cum prototypo, qui ipsi substantiam dedit, itemque cum archetypo existentem ; nec imitatione figuratum, sed tanquam sigillo aliquo tota Patris natura Filio impressa. Aut si vis qualis artium sit constitutio tota ex docentibus in discipulos immissa ; cum nihil desit docentibus, et perfectio adsit iis qui didicerunt, vel id quidem non ita congruum ad similitudinem, propter temporis spatium ; illud commodius, qualis est intellectionis natura, motibus mentis sine tempore constituta.* Hæc Basilius.

Tertullianus his etiam utitur collationibus in libro adversus Praxeam cap. 8. *Protulit Deus sermonem, id est verbum, sicut radix fruticem et fons fluvium et sol radium, nec frutex à radice, nec fluvius à fonte, nec radius à sole discernitur, sicut nec à Deo sermo*, etc.

Divinius S. Gregor. Thaumaturgus, Verbum hoc æque ac Patrem et Spiritum sanctum depingit in Symbolo, quod ei cœlitus traditum est à nostro S. Joanne, jussu B. Virginis, uti scribit Gregor. Nyssenus in Vita Thaumaturgi. Symbolum hoc toto Oriente celeberrimum ita se habet : *Unus est Deus Pater Verbi viventis, sapientiæ subsistentis, et potentiæ et figuræ æternæ, perfectus perfecti genitor, Pater filii unigeniti. Unus Dominus solus ex solo, Deus ex Deo, figura et imago deitatis, verbum efficax, sapientia constitutionis rerum universarum comprehensiva, et potentia totius creaturæ effectrix, filius verus veri Patris, visum effugiens visum effugientis, et corruptioni non obnoxius non obnoxii corruptioni, et morti non obnoxius morti non obnoxii, et æternus æterni. Unus Spiritus sanctus ex Deo ortum et existentiam habens, quique per Filium apparuit, videlicet hominibus, imago filii perfecti perfecta vita viventium, causa, fons, sanctus, sanctitas sanctificationis suppeditatrix, per quem manifestatur Deus Pater, qui est super omnia et in omnibus. Et Deus filius qui per omnia permanat. Trinitas perfecta, quæ gloria atque æternitate et regno non dividitur, neque abalienatur.*

Porro idem per umbram viderunt Gentiles, idque didicerunt vel ex libris Mosis et Hebræorum. Unde Plato vocatur Moses Atticus ab Eusebio lib. 13. de Præpar. cap. 7. et Theodor. lib. 2. de Cur. Græc. affect. *Oceanus Theologiæ, à quo fluvii omnes et maria derivantur ; illinc enim Anaxagoras, Pythagoras, et Plato parva quædam veritatis lumina desumpserunt.* Vel ex Sibyllis, vel lumine naturæ, vel instinctu divino. Audi Lactant. lib. 4. de Sapientia c. 9. *Hunc*, ait, *sermonem*, id est Verbum divinum, *ne Philosophi quidem ignoraverunt. Siquidem Zenon naturæ dispositorem, atque opificem universitatis* λογον *prædicat*, quem et fatum, et necessitatem rerum, et Deum ; et animum Jovis nuncupat. Nam Trisme-

gistus, qui veritatem pene universam, nescio quomodo investigavit, virtutem majestatemque Verbi sæpe descripsit. Id enim de Mercurio Trismegisto testatur S. August. lib. de Quinque hæresib. cap. 3. Idem Mercurius in Pimandro: *Mens* (inquit) *Deus, utriusque sexus fœcunditate plenissimus, vita et lux, cum verbo suo mentem alteram opificem peperit, qui quidem Deus, ignis, atque spiritus numen.* Accedit his vulgata illa ejusdem sententia: *Monas genuit monadem, et in se suum reflexit ardorem;* hoc est, unus Deus genuit unicum filium, et in se amorem reflectens, produxit Spiritum sanctum. Illud quoque in Pimandro: *Mens Deus tuus, mentis vero germen lucens Dei filius.* Similiter Theodor. lib. 2. de Principiis: *Plotinus* (inquit) *ac Numenius explicantes Platonis mentem, tria aiunt posita esse à Platone æterna, ipsum videlicet bonum mentemque et hujus universi animam; vocat enim bonum, quem nos Patrem dicimus; mentem vero seu intellectum, quem nos Filium, Verbumque appellamus; potentiam vero quæ animet omnia et vivificet. Animam vocat eam quam sacræ Litteræ Spiritum sanctum appellant. Atque hæc ipsa, ut sæpe jam dixi, ex Hebræorum sapientia et Theologia subducta sunt.* Verum recte notat Cardin. Bessarion. l. 2. Apol. Platonis c. 4. Platonem non Christiane, sed Arriane de Filio et S. Trinitate esse locutum; nam statuit gradus in divinitate. Primum enim entium statuit primum Deum, post hunc quasi inferiori gradu ponit mentem ab eo productam; ac denique tertio loco et gradu ponit mundi animam, quæ universum hoc quasi animal animet et vegetet. Docuit ergo Plato, Deum ingenitum primo genuisse mentem; secundo, animam mundi. Quare arrianizat; ponit enim mentem et animam mundi, quasi res distinctas à Deo ingenito, eoque minores. Huc facit illud Serapidis oraculum datum cuidam regi Ægyptio.

Principio Deus est, tum sermo, et spiritus istis
Additur: æquæva hæc sunt, et tendentia in unum.

Sic et Orpheus aliique Græci, Chaldæi et Ægyptii Deum Patrem vocarunt νουν, id est *mentem*, Filium vero λογον, quasi mentis prolem, ait Theod. l. 2. de Curand. Græc. affect. et S. August. 7. Confess. c. 9. Alii Patrem vocarunt animam, vel spiritum; Filium vero νουν, id est *mentem* et notitiam Patris. Quanquam multi valde probabiliter censent Orpheum, Trimegistum, Platonem et Platonicos per νουν et λογον non verbum notionale, hoc est Filium, sed essentiale, hoc est, ideam mentis divinæ, per quam omnia produxit, intellexisse. Hinc et illud Trismegisti: *Monas genuit monadem, et in se reflexit ardorem*, quod multi sic explicant, q. d. Pater genuit Filium, ipsumque reflexio amore amans spiravit Spiritum sanctum, S. Thom. in c. 1. Evang. S. Joan. sic explicat. q. d. Unus Deus unum creavit mundum, propter sui ipsius amorem. Plura vide apud Theodor. Euseb. August. locis citatis, et August. Steuchum de Perenni Philosoph. ac nostrum Barradium tom. 1. lib. 4. cap. 3.

Quæres tertio an verbum hoc divinum simile sit nostro verbo mentis, an vero dissimile? Respond. partim esse simile, partim dissimile. Simile est primo, quia sicut nostrum est immateriale et spirituale, ita et divinum. Secundo, sicut homo mente parit conceptum sive verbum mentis, ita Pater intellectu et intellectione sua comprehendens suam essentiam, omniaque ejus attributa gignit Verbum. Verbum ergo est notitia et notio Patris. Unde S. August. serm. 38. de verbis Evang. secundum Joannem: *Verbum Dei*, ait, *incorporaliter, inviolabiliter, incommutabiliter, sine temporali nativitate, natum tamen intelligamus à Deo;* tertio, sicut per nostrum verbum concipimus res omnes, ita et Deus per suum; quarto, sicut nostrum est menti internum, ita et Dei: est enim apud Patrem et in sinu Patris, Joan. 1. 18., sicut nostrum menti inhæret, illique est intimum; quinto, sicut nostrum est idea, juxta quam omnia fabricamus et facimus, ita et Dei, juxta illud: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*, Joan. 1. Hinc Timæus Platonicus Deum Deique Verbum vocat κοσμον ινδαλμικον, *mundum exemplarem;* quia Verbum est mundus increatus et immensus, qui est idea et exemplar mundi creati. Est ergo Verbum maximus mundus sapientiæ, sanctitatis, intelligentiæ, vitæ, rationum, formarum; nam, ut ait Plato: *Omnia quotquot sunt animalia intelligibilia, ille in se complexus servat et continet; non secus ac mundus nos et omnia creata, quæcumque cernuntur suo ambitu cingit;* sexto, sicut nostrum verbum mentale fit vocale, dum loquimur; ita Verbum divinum factum est vocale, dum in carne assumpta locutum est; septimo, sicut verbum nostrum est imago rei quæ intelligitur, ita Verbum divinum est imago Dei Patris; octavo, sicut verbum, puta conceptus noster tandiu durat, quandiu durat intellectio, sic et divinum Verbum. In æternum autem permanet Patris intellectio: quare in æternum quoque gignitur, manetque ejus verbum, quod per illam producitur; quia enim intellectio Patris semper est in actu, hinc et Verbi generatio semper est in actu. Quapropter vera est hæc propositio: Verbum semper gignitur, et semper est genitum; quia in divinis idem est fieri et factum esse. Hoc est quod ait Michæas c. 5. v. 2. *Egressus*, Hebr. egressiones, *ejus ab initio à diebus æternitatis.* Unde Patres Conc. Ephesini: *Coæxistere*, inquiunt, *semper, et coæternum esse Patri filium splendor tibi denuntiet, impassibilitatem nativitatis illius ostendat Verbum, consubstantialitatem nomen Filiipandat.* Et S. Basilius homil. 1. in Joannem. *Cur Verbum? ut ostendat quod ex mente processit. Cur Verbum? quia citra passionem natus est. Cur Verbum? quia imago est genitoris, totum in se ipso genitorem ostendens.* Nono, sicut conceptus mentis præcedit opus, ita et Verbum præcedit opus Dei. Nam, ut ait S. August. 15. de Trinit. 11. *Hominis opera nulla sunt, quæ non prius dicantur in corde.* Unde scriptum est: *Initium omnis operis verbum.* Nec ita multo post: *Est* (inquit) *et hæc in ista similitudine verbi nostri similitudo Verbi Dei, quia potest esse verbum nostrum quod non sequatur opus; opus autem esse non potest nisi præcedat verbum: sic et Verbum Dei potuit esse nulla existente creatura; creatura vero nulla esse potest nisi per ipsum per quod facta sunt omnia.*

Dissimile est primo, quia verbum nostrum, æque ac angelorum, est accidens, puta actus vitalis, menti quasi subjecto inhærens: Verbum Dei vero est substantia et persona subsistens. Ita S. Athanas. serm. 1. contra Arrian. et S. Chrysost. homil. 1. in Joan. *Hoc Verbum divinum*, ait, *substantia quædam est in persona, ex ipso Patre sine passione proveniens.* Hinc sequitur aliud discrimen, scilicet quod verbum creatum est

forma creata constituens in actu secundo intelligentem, à quo producitur. Per verbum enim quod concipit et producit, actu intelligit. Verbum vero divinum non est forma Patris intelligentis à quo producitur; quia est res per se subsistens, quæ nequit esse forma rei alterius distinctæ. Ita Suarez lib. 9. de Deo trino cap. 2.

Secundo, verbum nostrum est temporale ac mente posterius: Verbum Dei est æternum Deoque coævum. Rursum verbum nostrum producitur ex indigentia intelligentis; quia sine eo nequit rem actu concipere et intelligere; et Verbum Dei non ex indigentia aut potentialitate, sed ex infinita perfectione et fœcunditate intellectus paterni producitur, ideoque supponit illum non solum constitutum in actu primo, sed etiam in actu secundo intelligendi.

Tertio, verbum nostrum est imperfectum et mutabile, ideoque varium et multiplex. Verbum Dei est perfectum, ideoque constans, immutabile, unum et simplex, *cum in uno sint omnia*, ait S. Aug. in Psal. 44. et S. Athanas. serm. 3. contra Arrian.

Quarto, verbum nostrum est à mente distinctum et ετερουσιον, id est, *alterius naturæ*. Verbum Dei est, ομουσιον, et consubstantiale Dei patris. Ita S. Anselm. in Monol. cap. 28.

Quinto, verbum nostrum est in nostra hypostasi: verbum Dei est hypostasis et persona distincta à Patre, per quam Pater dixit et fecit omnia.

Sexto, verbum nostrum non est filius noster; Verbum Dei est filius Dei. Rursum Pater producens Verbum, ipsissimam suam intellectionem communicat Verbo, quod non facit mens nostra verbo suo, imo potius vice versa ipsa per verbum constituitur in actu secundo intelligendi. Ita Suarez loco citato. Hinc Filius vocatur Sapientia genita. Unde S. August. q. 23. inter 83. dicit Patrem esse sapientem sapientia genita, hoc sensu quod eam genuerit. Verum hanc phrasin retractans lib. 1. Retract. c. 26. l. 6. de Trin. 1. *Ergo Pater*, inquit, *ipsa sapientia est, qua sapiens est. Filius vero dicitur sapientia Patris et virtus Patris, non quia Pater per eum sit sapiens, vel potens, sed quia Filius sapientia et virtus est de Patre sapientia et virtute. Ex his ergo patet quod Pater non est sapiens sapientia genita; sed seipso sapientia ingenita.*

Septimo, verbum nostrum est impotens et inefficax; Verbum Dei est efficax et omnipotens, dixit enim: Et protinus facta sunt omnia, Gen. 1.

Octavo, verbum nostrum tam oris quam mentis, mox ut effertur et nascitur, dilabitur et diffluit: Verbum Dei est æternum, quia æterna est intellectio, puta dictio et generatio Patris. *Cessat*, ait S. Hilarius, lib. 2. de Trinit. *sonus vocis et cogitationis eloquium: verbum hoc res est non sonus; natura, non sermo; Deus, non inanitas est.* Plura de Verbo vide apud D. Thom. et Suarez loco citato.

Itaque licet aliquo modo ascendamus ex verbo mentis nostræ ad Verbum Dei, tamen hic ascensus per lumen naturæ tantum fit ad Verbum essentiale. Per hoc enim Deus omnia concipit, intelligit et producit; sed quod intellectio Dei sit dictio, id est, productio quæ dixerit, produxerit et genuerit Verbum notionale quasi Filium, hoc incomprehensibile est, et non nisi per revelationem Dei sola fide cognoscitur et creditur: superat enim omnem intellectum angelicum et humanum, quod in S. Trinitate *in personis proprietas, et in essentia unitas, et in majestate adoretur æqualitas*, uti canit Ecclesia in festo S. Trinitatis. Ipsa ergo casto mutoque potius admiranda et adoranda est silentio, quam curioso et exili scrutanda et declaranda ingenio, ut cum Seraphinis stupentibus stupentes ei acclamemus: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth; plena est omnis terra gloria ejus*, Isaiæ 6. *Hoc* (Dei Verbum) *doctus Plato nescivit, hoc Demosthenes eloquens ignoravit: Perdam*, inquit, *sapientiam sapientum, et prudentiam prudentium reprobabo;* ait S. Hieron. ad Paulin. *Eructavit cor meum verbum bonum; dico ego opera mea regi*, ait Psaltes psal. 44. 1. *Vides hoc Verbum filium Dei esse, quem non aliunde quam de paterno pectore, et ut ita dicam, de utero cordis Dei, credimus extitisse*, ait Nazianz. de Fide juxta illud: *Ex utero ante Luciferum genui te*, Ps. 109. ubi S. Hieron. *De utero generavit*, inquit, *id est, de sua natura, de suis visceribus, de sua substantia: ex utero, id est, de medullis divinitatis suæ, totum quidquid Pater est in divinitate, dedit Filio.*

Tropol. Quomodo Verbum loquatur cordi hominum, explicat S. August. 11. Confess. cap. 9. et S. Bernard. serm. 45. in Cant. *Pulchritudo*, inquit, *illius dilectio ejus, et ideo major, quia prævenient. Medullis proinde cordis et intimarum vocibus affectionum, tanto amplius atque ardentius clamitat sibi diligendum, quanto id prius sensit diligens, quam dilectum. Itaque locutio verbi, infusio doni, responsio animæ cum gratiarum actione admiratio. Et idcirco plus diligit, quod sentit se in diligendo victam; et ideo plus miratur, quod prævenientem agnoscit.* Et S. Ambros. l. 3. de Virgin. *Vulnerat*, ait, *Dei verbum, sed non ulcerat. Est vulnus boni amoris, sunt vulnera charitatis. Ideoque dixit* (sponsa Cant. 2.) *Vulneratæ charitatis ego sum. Quæ perfecta est, vulneratæ charitatis est. Bona sunt igitur Verbi vulnera, bona sunt amantis vulnera.*

Verbo vitæ.] *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et filio vitam habere in semetipso*, Joan. 5. v. 26. hinc Patri attribuitur esse, Verbo vivere, Spiritui sancto diligere.

Nota. Triplex est vita: divina, angelica, humana. Divina est perfectissima, immensa, æterna, increata, origo, et fons vitæ angelicæ et humanæ. Angelica est creata, sed spiritalis. Humana partim est spiritalis, partim corporea. Estque duplex: naturalis et supernaturalis. Naturalis rursum est triplex: vegetativa, sensitiva, et rationalis. Supernaturalis est duplex; inchoata per gratiam, qua homo justus per fidem, spem et charitatem servit Deo, vivitque vitam supernaturalem in Deum supernaturaliter credendo, sperando, eumque super omnia amando; altera vita supernaturalis est consummata per gloriam, qua Beati Deo fruuntur, deliciantur et beantur in æternum. Porro divina vita est duplex: formalis et causalis. Formalis est qua Deus in seipso vivit vitam divinam, increatam, summe immortalem, sanctam, jucundam, perfectam, beatam et æternam. Causalis est duplex: naturalis et supernaturalis. Naturalis quæ causat vitam naturalem omnium plantarum, animalium, hominum et angelorum: supernaturalis, quæ causat vitam supernaturalem, tum gratiæ, tum gloriæ, tam hominum quam angelorum. Vide S. Dionys. c. 6.

de Divin. nom. ubi docet Deum esse originalem vitam; primo, vitæ angelicæ; secundo, humanæ; tertio, animalium; quarto, plantarum; quinto, justorum; sexto, Beatorum. Dicitur ergo Verbum vitæ, id est, vitale et vivificum, quia habet in se vitam, imo ipsum in se est vita divina, tum formalis, tum causalis jam dicta. Alludit, imo citat Joannes illud sui Evangel. c. 1. 4. *In ipso vita erat*, quod Interpretes tripliciter de triplici vita exponunt. Primo de vita formali, q. d. Ipsa Verbi substantia est vita, ipsum verbum est vita subsistens, ait Œcumen. Ipsum Verbum per essentiam et essentialiter est vita: ipsa enim ejus essentia est vivere et vita: in Deo enim et Verbo omnia sunt de essentia Dei et Verbi: nullum enim ibi est accidens. Unde Deus et verbum per essentiam est sapientia, vita, bonitas, potentia, virtus, etc.; licet enim hæc in nobis sint accidentia, in Deo tamen sunt essentialia, adeoque realiter idem sunt cum essentia Dei. Ita S. Dionys. loco citato et S. Thom. 1. parte quæst. 28. Alludit ad illud Ps. 35. *Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videmus lumen*, hoc est, ait Theodor. *Apud te est Verbum æternum, fons vitæ, et in lumine Spiritus sancti lumen unigeniti tui cernemus.*

Secundo, accipi potest de vita non causali, sed naturali, q. d. In Verbo est vita, hoc est in Verbo quasi in idea vivunt sempiternæ rerum omnium rationes, ut ait S. August. Verbum enim est omnium creaturarum idea: Idea autem est ipsa essentia et vita Dei. Ita S. August. tract. 1. in Joan. *Sapientia Dei* (inquit), *secundum artem continet omnia: terram vides, cœlum, solem, lunam; sunt ista in arte, sed foris corpora sunt, in arte vita sunt.* Alio vero loco: *propterea* (ait Joannes) *quod factum est, in ipso vita erat; omnia quæ facta sunt et vitam non habent, in ipso Verbo Dei vita sunt, in seipsis vita non sunt.* Quod ipsum sensisse videtur auctor homiliarum ex diversis, quæ tribuuntur Origeni. *Cœlum*, ait, *et terra, abyssus et quæcumque in eis in Verbo vivunt, et vita sunt, et æternaliter subsistunt, et quæ nobis omni motu vitali carere videntur, in Verbo vivant.* Rursus, *omnia quæ per Verbum facta sunt, in ipso vitaliter et uniformiter et causaliter subsistunt.* Denique: *In ipso vivimus, movemur et sumus.* Actor. 17. 28.

Præclare Philo l. de Mundi opificio: *Ubi decrevit*, inquit, *ingentem hanc urbem condere, prius formas ejus concepit, ex quibus postquam intelligibilem mundum constituit, ad illius exemplar sensibilem hunc mundum condidit.* Et post multa: *Si cui* (inquit), *libeat apertioribus uti vocabulis, nihil aliud dixerit esse mundum intelligibilem, quam Verbum Dei jam mundum condentis.* Rursum aliquanto post: *Liquet autem quod archetypum sigillum quem dicimus esse mundum intelligibilem, ipse sit archetypum illud exemplar, idea idearum verbum Dei.*

Rursum in Verbo quasi in causa efficiente est vita, id est, omnium rerum vigor, duratio et conservatio, quia hæc per Verbum fiunt: Verbum enim omnibus rebus dat vigere, vivere, durare et permanere. Ita S. Chrysost. Cyrill. Theoph. Euth. in c. 1. Evangel. S. Joan. v. 4. Unde Jansenius ibidem sic exponit. q. d. Vita naturalis viventium pendet à Verbo, quasi sensim Joannes à vita viventium descendat ad hominem ejusque vitam acceptam à Verbo, et Clemens Alexand. Exhort. ad Gentes: *Verbum*, ait, *quod erat apud Deum, doctor apparuit, Verbum per quod omnia sunt fabricata, et quod cum eo qui finxit vitam simul præbuit, ut opifex, bene vivere docuit, cum apparuisset ut magister, ut postea semper vivere suppeditaret ut Deus.*

Tertio et magis genuine; tam hic quam in Evang. per *vitam* accipias vitam causalem supernaturalem, q. d. in Verbo quasi in fonte et causa erat vera nostra vita, tum gratiæ, tum gloriæ. Unde ut hanc vitam et lucem hominibus communicaret, ad eos in carnem descendit, factus homo, ut, sicut per Verbum magnus hic mundus creatus est, ita per idem mundus parvus quoque (id est homo, recrearetur, et à morte peccati ad vitam gratiæ et gloriæ revocaretur. Ita enim se explicat Joannes, dum subdit in Evangel. *Et vita erat lux hominum*, et hic mox Verbum vocat vitam æternam, dicens: *Et vita manifestata est, et vidimus, et testamur et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis*, et cap. 5. 11. *Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus.* Ita S. Chrysost. Aug. Ammon. Theophyl. in Evangel. c. 1. S. Ambros. 3. de Fide cap. 3. S. Athanas. lib. 8. de Assumptione hominis contra Marcellinum. Atque hac de causa S. Joannes et Script. passim alibi Christum vocant vitam: ut Joan. c. 3. *Ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam*, et cap. 4. *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, et c. 5. *Non vultis venire ad me, ut vitam habeatis*, cap. 6. *Qui credit in me habet vitam æternam*, c. 8. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*, c. 10. *Ego veni ut vitam habeant*, c. 11. *Ego sum resurrectio et vita*, c. 14. *Ego sum via, veritas et vita*, c. 17. *Ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* Paulus ad Coloss. 3. 4. *Cum apparuerit Christus vita vestra.* Alludit ad lignum vitæ Genes. 2. 9. *Verbum* enim *vitæ* est quasi arbor vitæ, quia vitam homini prorogat, non in longum tempus, ut illa arbor, sed in omnem æternitatem.

Idem per umbram viderunt Gentiles, qui proinde Jovem græce vocarunt Ζηνα, id est *vitam.* Audi Aristotel. lib. de Mundo: καλουσι δε τον Θεον Ζηνα και Δια, παραλληλως χρωμενοι τοις ονομασιν, ως καν ει λεγοιμεν δι ον ζωμεν, id est, *Deum quidem tum* Ζηνα, *tum* Δια *vocant, inter se compositis atque è regione collatis nominibus, tanquam duabus iis vocibus significare velint per quem vivimus.* Ita posteriores Græci; priores enim alia de causa Jovem vocarunt Ζηνα quam assignat Lactant. libr. 1. cap. 11. *ipse autem*, inquit, *furto servatus, furtimque nutritus ζευς sive ζην appellatus est: non, ut isti putant, à fervore cœlestis ignis* (quasi απο του ζεειν) *vel quod vitæ sit dator, vel quod animantibus inspiret animas, quæ virtus solius Dei est; quam enim possit inspirare animam qui ipse accipit aliunde? Sed quod primus ex Saturni maribus vixerit.*

2. ET VITA MANIFESTATA EST,] q. d. Verbum quod est vita immortalis et beata, tum formalis, tum causalis, uti jam dixi, sed abscondita apud Deum in sinu Patris, jam per incarnationem sese manifestavit, ac hominibus aspectabilem et tractabilem se præbuit; itaque nos Apostoli qui vidimus illud, testamur et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et nunc in fine sæculorum per carnem assumptam apparuit nobis. Hoc est quod præcinuit Isaias, c. 40. 5. *Revelabitur gloria Domini, et videbit*

omnis caro pariter quod os Domini locutum est, nimirum, ut explicat S. Lucas cap. 3. 5. *Et videbit omnis caro salutare Dei*, id est, *videbit omnis homo Christum Dei*, ait ibidem S. Ambros. Idem S. Ambros. in Psal. 36. 19. *Non confundentur in tempore malo ipse* (Christus) inquit, *nostra in omnibus vita est, ipsius divinitas vita est, ipsius æternitas vita est; ipsius caro vita est, ipsius passio vita est. Unde et Jeremias ait : In umbra ejus vivemus; umbra alarum, umbra crucis, umbra est passionis. Ipsius mors vita est, ipsius vulnus vita est, ipsius sanguis vita est, ipsius sepultura vita est, ipsius resurrectio vita est universorum. Vis scire quoniam mors ipsius vita est? In morte*, inquit, *ipsius baptizati sumus, ut cum ipso in novitate vitæ ambulemus. Et ipse ait: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram moriatur, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Ipse granum pro nobis corpore solutus et mortuus est, ut fructum multum afferret in nobis; mors itaque ejus fructus est vitæ.*

ET TESTAMUR,] quasi Martyres, id est, testes Dei, tum voce, tum vita; tum passione, morte et martyrio, uti S. Joannis ob hoc testimonium de Christo à Domitiano Romæ missus est in dolium olei bullientis, sed illæsus exiens ab eodem relegatus est in Pathmos, ubi scribens Apocalypsin, ita de se orditur v. 2. *Qui testimonium perhibuit Verbo Dei, et testimonium Jesu Christi, quæcumque vidit*, et v. 9. *Ego Joannes frater vester, et particeps in tribulatione et regno, et patientia in Christo Jesu, fui in insula quæ appellatur Pathmos, propter Verbum Dei, testimonium Jesu.* Rursum *testamur*, id est, protestamur et obtestamur minando incredulis terribile Dei judicium. Ita Cassianus lib. 5. de Incarnat. cap. 6. *Deinde*, ait, *addit, Verbum vitæ, et vitam manifestatam : hoc se vidisse, hoc annuntiare, hoc protestari, simul scilicet, et exequens officium fidei, et ingerens terrorem incredulitati : ut cum ille utique protestatur se prædicare, sibi imputaret periculum suum, qui eum noluisset audire.* Sic de Heliodoro ab angelis flagellato dicitur 2. Machab. 3. 36. *Testabatur* (id est, protestabatur, celebrabat, glorificabat) *autem omnibus ea quæ sub oculis suis viderat opera magni Dei.*

ET ANNUNTIAMUS VOBIS VITAM ÆTERNAM, (puta Christum, qui qua Verbum Dei, est vita æterna, increata et per essentiam,) QUÆ ERAT APUD PATREM ET APPARUIT NOBIS,] ut ex invisibili fieret visibilis nobis per incarnationem, prædicationem, miracula, ac præsertim per transfigurationem, ait Cajetan. resurrectionem et ascensionem in cœlum : ibi enim ostendet Christus se non tantum qua Verbum, sed et qua homo erat, vivere vitam gloriosam et æternam.

Nota. Τὸ *quod erat apud Patrem*, alludit ad id quod ait in Evang. c. 1. 1. *Et verbum erat apud Deum* quod pulchre Nonnus vertit :

Πατρος ην αμερίστος ατερμονοι συνθρονος εδρη,
A Patre erat indivisum æterna una sedens in sede.

Occurrit S. Joannes objectioni. Dicet enim quis : Si ab æterno erat Verbum, ubi erat cum nihil, vel nullus locus esset in rerum natura? respondet Joan. Verbum loco non eguisse, sed fuisse apud Deum Patrem, utpote à quo originem duceret, hoc est fuisse in sinu Patris, uti explicat v. 18. vel etiam in domo paterna quæ est Deus ipse, fuisse absconditum nobis. Præpositio ergo *apud* notat tria; primo, Verbum esse personam distinctam à Patre, contra Sabellium. Ita S. Chrys. Cyrill. Theophyl. Leontius in Joannis Evangel. c. 1. 1.; secundo, *apud* significat amicam et summam Filii cum Patre conjunctionem; tertio, *apud* significat æqualitatem Filii cum Patre. Nam esse apud Deum est esse juxta Deum, sive sedere ad dexteram Dei : eo enim post ascensionem rediisse dicitur Marci 16. 19. et alibi. Hinc ruit hæresis Eunomii dicentis Filium non esse Verbum. Duplex enim ponebat ipse Verbum : unum internum ὁμοούσιον Deo, alterum externum, quod à Verbo interno reciperet ea quæ annuntiaret nobis, et hoc esse creatum, esseque Christum. Hoc refutat Joannes dicens illud idem Verbum, quod erat apud Patrem, apparuisse nobis per carnem. Porro ne Arriani et Eunomius inferrent : Verbum erat apud Deum, ergo ipsum non erat Deus; prævenit id Joannes, dum subdit in Evangel. *Et Deus erat Verbum.* Sic enim personæ divinæ inter se sunt distinctæ, et una apud aliam, ut tamen omnes habeant unam eamdemque numero essentiam, puta divinitatem. Quare ineptus fuit Arrianus ille, de quo S. Fulgent. lib. 3. contra Monimum cap. 2. et 3. qui arripiens pileum è capite Catholici : Hic pileus, inquit, est apud te an apud me? cumque responderet Catholicus : Est apud te; intulit : Ergo Verbum quod erat apud Deum, illi externum erat, non ὁμοούσιον. et consubstantiale. Recte enim respondet S. Fulgent. Verbum non esse apud Patrem sicut pileus est apud me : pileus enim est res distincta à me : Filius autem cum Patre est eadem res et essentia, ideoque dicitur esse in sinu Patris. Filius ergo est apud Patrem eo modo quo calor est apud splendorem in eodem igne, aut potius eo modo quo memoria est apud intellectum in eadem mente et anima, præsertim si cum nonnullis Philosophis dicamus potentias, puta intellectum, memoriam, voluntatem, ab anima non distingui, sed cum ea realiter esse unum et idem.

ET APPARUIT NOBIS.] Vox *apparuit* significat in Christi incarnatione ἐξαίφνης τὸ ἀφανες factum esse ἐμφανες, ait S. Dion. epist. 3. ad Caium, scilicet *repente invisibilem apparuisse visibilem, et ex obscuro deitatis arcano eum qui omni essentiæ præstat, hominem effectum, in nostrum conspectum prodiisse. Occultus autem est Deus etiam post ipsam declarationem, aut, divinius dicam, in ipsa declaratione. Hæc enim Jesu divinitas abscondita est, neque ullo sermone vel cognitione, quod circa ipsum peractum est mysterium depromitur, seu ex tenebris educitur, sed et cum dicitur, inexplicabile manet; et cum intelligitur, occultum.* Idem epist. 4. ad eumdem, loquens de Christo : *Cum ad essentiam assumendam venisset*, inquit, *essentiam accepit, qui omni essentia superior est : et quæ homini sunt, supra hominem gerebat; quod declarat et virgo, quæ supra naturam parit.* Unde subdit incarnationis, perinde ac deitatis, mysterium magis per negationem quam per affirmationem, cognosci. *Nam*, inquit, *ne homo quidem erat, non quod non esset homo, sed quod ex hominibus natus, homines longe superaret, et supra hominem vere homo factus sit : et divina, non quatenus Deus est, perfecit; neque humana quatenus homo, sed postquam Deus factus est homo* (græce significantius ἀνδρωθεντος θεου, id est, *Deo virum induto; Deo humanato, Deo hominem vestito*) *novam quamdam* θεανδρικην,

id est, *Dei virilem*, sive *ex divina et humana compositum, operationem apud nos instituit.*

3. UT ET VOS SOCIETATEM HABEATIS NOBISCUM.] *Societatem*, græce κοινωνιαν, id est, *communionem*, commercium, societatem, scilicet in eadem fide, religione et Ecclesia Christi, ubi eadem Sacramenta omnes participant : hæc est communio Sanctorum de qua in Symbolo dicimus : *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.* Porro bona et fructus hujus societatis et communionis subdimus, dicentes : *Remissionem peccatorum*, quæ fit per gratiam Christi : *Carnis resurrectionem et vitam æternam;* vide nostrum Canisium, Lud. Granatensem et alios in symbolum. Porro *habeatis*, id est, habere pergatis et in ea proficiatis et confirmemini; significatur enim actus continuatus et crescens, non inchoatus. Loquitur enim fidelibus, qui jam habebant hanc societatem. OEcum. tamen refert quoque ad infideles, quasi illos velit Joannes allicere ad fidem et Ecclesiam Christi. Hoc est quod ait Paulus Hebr. 12. 22. *Accessistis ad Sion montem* (id est, ad Ecclesiam quæ cœpit in Sion) *et civitatem Dei viventis ; Jerusalem cœlestem et multorum omnium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, et judicem omnium Deum, et spiritus justorum perfectorum, et testamenti novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel.* Cum his omnibus in Ecclesia est nobis societas, puta cum angelis, cum Apostolis, cum primis Christianis, cum viris justis et perfectis, cum Beatis, cum Christo et Deo. Unde subdit Joannes :

ET SOCIETAS NOSTRA SIT CUM PATRE, ET CUM FILIO EJUS JESU CHRISTO.] Non cum Deo Simonis Magi et mediatoribus angelis, quos ipse cum Platone quasi semideos inducit. Societas ergo Ecclesiæ est societas cum Deo et Christo, *nec habere societatem cum Deo quisquam valet, qui non prius unitur Ecclesiæ societati*, ait Beda. Nam, ut ait S. Cyprian. lib. de Unitate Ecclesiæ, *quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ jungitur, à promissis Ecclesiæ separatur, nec perveniet ad Christi præmia, qui reliquerit Ecclesiam Christi, alienus est, profanus est, hostis est; habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quisquam qui extra Arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadit. Monet Dominus, et dicit : Qui non est mecum, adversus me est, et qui non mecum colligit, spargit ; qui pacem Christi et concordiam rumpit, adversus Christum facit ; qui alibi præter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spargit.* Et aliquando post : *Cum Deo manere non possunt, quia esse in Ecclesia Dei unanimes noluerunt. Ardeant licet flammis, et ignibus traditi vel objecti bestiis animas suas ponant ; non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ : nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus ; occidi talis potest, coronari non potest.* Hinc excommunicati separati ab Ecclesia pariter separati sunt à Deo et Christo. Græca significantius et efficacius habent : και η κοινωνια δε η ημετερα μετα του πατρος και μετα του υιου αυτου Ιησου Χριστου ; quæ sic vertas : *Nostra vero societas est cum Patre et cum Filio ejus Jesu Christo.* Ita Vatablus et alii. Explicat enim nobilitatem societatis Ecclesiæ, quod scilicet sit societas cum ipso Christo et Deo : illius enim sponsa est Ecclesia. Hinc in ea fimus *divinæ consortes naturæ.* 2. Petri 1. 4. Nam *qui adhæret Domino, unus spiritus est*, 1. Corinth. 6. v. 7. Hoc est quod admirans celebrat et gratulatur Paulus 1. Corinth. 1. 9. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filii ejus Jesu Christi Domini nostri.* Omnes ergo fideles sunt socii Christi et Dei per fidem, spem et charitatem ; sed eò majorem cum eo habent societatem, quo magis in ejus fide, spe et charitate proficiunt, magisque ejus vitam et mores imitantur, præsertim ejus fidem et gloriam celebrando, et magis magisque propagando, uti fecerunt Apostoli, qui proinde in hac societate fuere primi, et summi ; quia pro Christo multa egerunt, et multa passi sunt, adeoque totos se ejus gloriæ et animarum saluti impenderunt.

Societas ergo hæc est amicitia cum Deo : hanc enim vere intercedere inter animam sanctam et Deum docet hîc Joannes, ac consequenter ipsa continet omnes conditiones veræ amicitiæ, quas recenset Arist. Cicero et alii Ethici tractat. de Amicitia, puta reciprocum amorem, mutua colloquia, officia, gaudia, communicationem bonorum, etc., quæ sane mira et divina est animæ dignitas, æque ac utilitas. Unde S. August. tract. 76. in Joannem : *Facit*, inquit, *Spiritus sanctus cum Patre et Filio in Sanctis mansionem, intus utique, tanquam in templo suo. Deus Trinitas, Pater, Filius et Spiritus sanctus, veniunt ad nos, dum venimus ad eos ; veniunt subveniendo, venimus obediendo ; veniunt illuminando, venimus intuendo ; veniunt implendo, venimus capiendo, ut sit nobis eorum non extranea visio, sed interna, et in nobis eorum non transitoria mansio, sed æterna.* Vide dicta in illud quod de Abraham dicitur, Jacob. 2. 23. *Et amicus Dei appellatus est.* Vide et Dionys. Carth. hic post medium c. 1. ubi pulchre et pie explicat quomodo fideles quasi socii et amici cum Deo agere et conversari debeant.

Porro recte Joannes Hesselius Doctor Lovaniensis, et ex eo noster Lorinus : Societas, inquit, sive communio hæc nostra cum Christo tam homine quam Deo, est tanquam domini et servi, patris et filii adoptivi, illuminantis et illuminati, justificantis et justificati, regentis et subditi, dantis et accipientis, invocantis et exaudientis, donantis munera et gratias agentis, beatificantis et beati, denique ut adhærens Deo unus cum illo sit spiritus, et in luce ambulans, sicut ipse est in luce, societatem habeat cum ipso. Secundùm humanam naturam cum Christo est, ut magistri ad discipulos, sacerdotis ad eos pro quibus sacrificat et interpellat ; solventis pro alio pœnam debitam, et promerentis seu consequentis gratiam indebitam ; gratias agentis cum iis, pro quibus gratias agit ; regis rursum et subditorum. Explicant Scripturæ societatem hujusmodi parabola Pastoris et ovium, capitis et membrorum, cibi et edentium, vitis et palmitum, et aliis ejusdem generis ; tandem qui socii passionum, socii et consolationum. Vocavit nos quoque Christus amicos suos, fratres, sorores, matres ; dixit eumdem Deum suum et Deum nostrum, Patrem suum et Patrem nostrum. Hoc est quod ait Paulus Ephes. 2. v. 19. *Estis cives Sanctorum, et domestici Dei ;* et Joan. c. 3. 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.* Rursum Paulus 2. Cor. 11. 2. *Despondi*, ait, *vos uni viro virginem castam exhibere Christo ;* et Osee cap. 2. v. 19. *Sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo*

te mihi in justitia et judicio, et in misericordia, et miserationibus; et sponsabo te mihi in fide.

4. ET HÆC SCRIBIMUS VOBIS UT GAUDEATIS, in societate Ecclesiæ Christi et Dei, ejusque bonis gratiæ quæ percipitis, et gloriæ quæ percipietis in cœlo : ET GAUDIUM VESTRUM SIT PLENUM.] In dies scilicet fiat majus et plenius, donec in cœlo fiat plenissimum, per hoc quod in societate hac in dies crescatis et proficiatis, juxta illud Pauli Philipp. 2. v. 2. *Implete gaudium meum ut idem sapiatis; eamdem charitatem habentes unanimes, idipsum sapientes*, et illud Christi Joan. 17. 13. *Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur.* Hoc gaudium nititur et nascitur ex testimonio bonæ et sanctæ conscientiæ, quæ confidens se esse in Dei gratia, sperat ab eo omne bonum et gloriam beatam; juxta illud Pauli 2. Corinth. 1. 12. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Vere S. Bernard. ad Eugenium : *Quid ditius, quid in terra quietius est et securius bona conscientia? Damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus, quæ et ipsa morte magis erigitur, quam deprimitur.* Quin et 2. Tuscul. M. Tullius : *Nullum theatrum virtuti*, ait, *conscientia majus.* Rursus in Catone Majore : *Conscientia bene actæ vitæ multorumque benefactorum jucundissima est.* Itemque illud pro Cluentio præclarè : *Si optimorum* (ait) *consiliorum atque factorum testis in omni vita nobis conscientia fuerit, sine ullo metu summa cum honestate vivemus.* Denique *conscientia rectæ voluntatis maxima consolatio est rerum incommodarum*, et Horat. l. 1. epist. 1.

—— Hic murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Idem ode 22. lib. 1.

Iuteger vitæ scelerisque purus,
Non eget Mauri jaculis, nec arcu,
Nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra.
Sive per Syrtes iter æstuosas,
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quæ loca fabulosus,
Lambit Hydaspes.

Merito itaque Apostolus integræ puræque conscientiæ spem et fiduciam pollicetur. Vere namque scripsit Augustinus : *Ipsa caritas bene operantis dat ei spem bonæ conscientiæ; spem enim gerit bona conscientia, quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe.*

Rursum ; *plenum*, id est, reale et solidum, est fidelium *gaudium :* hoc enim mentem satiat et implet, quale est gaudium in Domino; cum gaudium in deliciis, opibus et honoribus sæculi mentem titillet, non impleat. Audi S. Greg. homil. 11. in Evang. *Quia præsentia gaudia sequuntur perpetua lamenta; hic, fratres charissimi, vanam lætitiam fugite, si illic flere formidatis; nemo enim potest et hic gaudere cum sæculo, et illic regnare cum Christo. Temporalis itaque lætitiæ fluxa restringite, carnis voluptates edomate, quidquid in animo ex præsenti sæculo arridet, ex consideratione æterni ignis amarescat; quidquid in mente pueriliter hilarescit, hoc disciplinæ juvenilis censura coerceat, ut dum sponte temporalia fugitis, æterna gaudia sine labore capiatis.* Et S. Chrysost. hom. 18. ad pop. *In Domino gaudens, ex accidente nullo hac voluptate excidere potest; alia nempe cuncta in quibus gaudemus, mutabilia sunt, nec tantam nobis afferunt voluptatem, ut ex aliis nascentem tristitiam expellant et obumbrent. Dei vero timor hæc habet utraque; stabilis enim est, et immotus, atque tantam emittit lætitiam, ut nullus nos aliorum malorum sensus capiat. Deum enim sicut oportet timens, et in ipso confidens, voluptatis radicem lucratus est, et omnem habet lætitiæ fontem. Et sicut in immensum mare decidens scintilla, brevi facile extinguitur : sic quantacumque Deum timenti illidantur, velut in vastum lætitiæ pelagus incidentia extinguuntur atque perduntur. Et re vera, hoc est maxime mirabile, quod cum adsint quæ contristare solent, permanet ipse gaudens.* Et S. Aug. 10. Confess. c. 22. verum gaudium à falso secernens : *Absit*, ait, *Domine, absit ut corde servi tui, qui confitetur tibi; absit ut quocumque gaudio gaudeam, beatum me putem; est enim gaudium quod non datur impiis, sed iis qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipse es, et ipsa est beata vita gaudere ad te, de te et propter te, ipsa est, et non est altera; qui autem aliam putant esse, aliud sectantur gaudium, neque ipsum verum*, et post nonnulla : *Beata quippe vita est gaudium de veritate; hoc est enim gaudium de te, qui veritas es Deus illuminatio mea, salus faciei meæ.*

5. ET HÆC EST ANNUNTIATIO.] Græce compositum επαγγελια, id est *promissio*, ponitur pro simplici αγγελια, id est *annuntiatio.* Ita OEcum. Jam *annuntiatio* ponitur pro re annuntiata, per metonymiam, qua actus ponitur pro objecto. Sic Deus vocatur spes, timor, amor noster, id est, objectum spei, timoris et amoris nostri, sive in quem speramus, quem timemus et amamus. Ostendit S. Joannes societatem fidelium cum Deo consistere in eo, ut ambulent in luce cognitionis, obedientiæ et amoris Dei, eo quod Deus sit ipsa lux; in qua si permaneamus, invicti peccato efficimur, ait OEcumen.

QUONIAM DEUS LUX EST, ET TENEBRÆ IN EO NON SUNT ULLÆ.] Alludit ad Evang. cap. 1. 4. ubi S. Joannes explicans illud : *In ipso vita erat*, illico subdit : *Et vita erat lux hominum*, ut significaret, ait Toletus, ad vitam assequendam necessarium esse lumen, quo verbum hoc luceat in cordibus nostris ; non enim vivere facit, nisi quod fide sua illuminat Christus, ideo Joan. 8. dicebat : *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Quod planius Joan. 17. exposuit : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum;* ac si diceret : Vita non sum, nisi iis quibus lux sum. Unde recte Greg. Nazianz. orat. 4. Theolog. hæc verba Joannis sic interpretatus est : *Quia lux erat, vita erat.* Verbum ergo est lux hominum, quo scilicet homines illuminantur spiritualiter per fidem, spem, charitatem : de spirituali enim, non de naturali rationis luce hic agi, patet ex sequenti. Sensus ergo est. q. d. Vita nostra, quam dixi esse in Verbo, imo esse ipsum Verbum, est hæc Verbi illuminatio, qua homines cognitione Dei et salutis suæ illuminat. Et hæc est causa cur Verbum sit caro factum, in eaque se manifestarit hominibus, ut scilicet daret eis vitam æternam.

Quomodo Deus et verbum sit lux, non accidentalis et creata, uti est nostra, sed substantialis et increata, eaque triplex primo, forma-

lis ; secundo, idealis ; tertio, causalis omnis lucis corporeæ et spiritalis hominum et angelorum, justorum et beatorum gratiæ et gloriæ, vide apud S. Dion. de Divin. nom. cap. 2. 4. et 7. *Lucis nomine*, inquit, *ipsum bonum celebratur, quasi in imagine primum exemplar expressum.* Hinc Deus dicitur, *amictus lumine sicut vestimento*, Psal. 103. hinc et vocatur *Pater luminum* à Jacobo cap. 1. 17. et à Paulo dicitur *habitare lucem inaccessibilem*, 1. Tim. 6. 16. Vide utrobique dicta. Lux enim nobilissima est qualitas, quæ maxime Dei ejusque illuminationis et gratiæ decus et dotes repræsentat. Inter Deum ergo, Deique gratiam et lucem maximæ et pulcherrimæ sunt analogiæ : lux enim cœlestis et nobilissima inter naturales est qualitas, celerrima, efficacissima, impassibilis, purissima, quæ nullis sordibus licet iis immixta fœdari potest, afferens calorem, splendorem, lætitiam, faciens res omnes videri, vitam et vigorem omnibus viventibus afferens. Talis est et Deus Deique gratia : contrarium est in peccatis, quorum proinde symbolum sunt tenebræ. Adde quod gratia ad æternam lucem et gloriam, peccata ad imas et summas tenebras ducant.

Audi S. Dion. cap. 15. Cœlest. Hierarch. triginta et unam ignis et lucis proprietates, Deo et gratiæ mire congruentes recensentem : primo, *ignis* (et lux) inquit, *in omnibus et per omnia sine admixtione funditur ;* secundo, *secernitur à rebus omnibus ;* tertio, *lucet totus simul*, quarto, *abstrusus est, incognitusque manet ipse per se, nisi adhibeatur materia, in qua vim actionemque suam declaret ;* quinto, *cohiberi vincique non potest ;* sexto, *omnia ipse per se obtinet ;* septimo, *ea in quibus fuerit ad vim suam actionemque commutat ;* octavo, *sui ipsius particeps facit quidquid ipsi propius quoquo modo adhibetur ;* nono, *renovat omnia vitali calore ;* decimo, *illustrat aperto lumine ;* undecimo, *teneri non potest ;* duodecimo, *nec misceri ;* decimo tertio, *dissipandi vim habet ;* decimo quarto, *commutari non potest ;* decimo quinto, *sursum fertur ;* decimo sexto, *celeritate magna est præditus ;* decimo septimo, *sublimis est nec humilitatem ullam ferre potest ;* decimo octavo, *immobilis est ;* decimo nono, *per se movetur ;* vigesimo, *aliis motum affert ;* vigesimo primo, *comprehendendi vim habet ;* vigesimo secundo. *ipse comprehendi non potest ;* vigesimo tertio, *non eget altero ;* vigesimo quarto, *clam se amplificat ;* vigesimo quinto, *in materiis quæ ipsius capaces sunt magnitudinem suam declarat ;* vigesimo sexto, *vim efficiendi habet ;* vigesimo septimo, *potens est ;* vigesimo octavo, *omnibus inest, nec videtur ;* vigesimo nono, *si negligitur non esse videtur ;* trigesimo, *attritu quasi inquisitione quadam repente apparet, rursumque ut comprehendi et detineri nequeat avolat ;* trigesimo primo, *in omnibus sui communionibus minui non potest.*

Denique apposite Damasc. l. 2. de Fide c. 11. S. Trinitatem comparat luci, sive soli reflexo in nube, puta in parelio in quo tres videntur soles, cum revera unicus tantum sit sol. *Indivisibilis enim*, inquit, *in divinis est divinitas, ac velut in tribus solibus inseparabili nexu inter se cohærentibus una eademque est lucis temperatio atque conjunctio.* Sic et S. Dionys. cap. 2. de Divin. nom. S. Trinitatem repræsentat per tria lumina eamdem domum illuminantia, una luce, et indistincta quadam distinctione. Atque hac de causa lux illa Deitatis et Trinitatis licet in se sit clarissima, tamen nobis est obscura caligo, eo quod acies nostra solem illum tam fulgidum, tam sublimem, tam supernaturalem, rectis et irretortis mentis oculis intueri et aspicere non valeat. Unde ut eam contemplemur cum Mose caliginem subire oportet. Audi S. Dionys. *Caligo*, inquit, *lux est tum invisibilis, propter eximiam et substantiæ supereminentem claritatem, tum inaccessibilis, pro immensa supersubstantialis luminis ex se manantis copia. Ad hanc pertingit et absorbetur quisquis Deum nosse ac videre meruerit, eoque ipso quod nec videt, nec cognoscit* (hoc est, non comprehendit) *Deo visionem omnemque cognitionem transcendenti familiarius jungitur, hoc ipsum noscens quod post et super omnia est, quæ in sensum cadunt ; et cum Propheta exclamat : Mirabilis facta est scientia tua ex me ; confortata est, et non potero ad eam, et Apostolus eam agnoscens, vias ejus investigabiles, judicia inscrutabilia, donum ejus inenarrabile, pacem omnem sensum superantem testatus est ;* Deus ergo Pater lumen est luminosum et primum, v. g. lux solaris lumen producens. Filius est lumen rectum, primo productum, suæque luci commensum et adæquatum. Spiritus sanctus est quasi lumen reflexum, puta splendor ; producitur enim ex mutuo, ideoque reflexo amore Patris et Filii. Idem per umbram viderunt Gentiles. Parmenides Deum definivit esse *coronam continentem ardorem, lucis orbem qui cingit cœlum.* Democritus Deum aiebat *esse mentem in igne orbicutari.* Ægyptiis hieroglyphicum Dei erat stella : *Depicta Ægyptiis, stella Deum significat*, inquit Horus Apollo Hierogl. l. 2. c. 1.

Nota. Christus qua Deus et Verbum est lux formalis increata, qua homo est lux creata, quia plenus sapientia, gratia et gloria ; est etiam lux causalis, quia causa est omnis sapientiæ, gratiæ et gloriæ nostræ. Unde S. Joann. in Evangel. c. 1. Christum qua homo est, vocat lucem, quia *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ;* non tantum dans eis lumen naturale rationis, uti explicant Orig. et Cyril. sed etiam et potius dans eis lumen supernaturale fidei et sapientiæ. Unde à Malachia c. 4. 2. vocatur *sol justitiæ.* Vide ibi dicta. Deliravit autem Manichæus, cum solem istum materialem censuit esse Christum, teste S. August. tract. 34. in Joann. Luxit ergo Christus maxime post incarnationem ; fuit tamen etiam lux ante eam à mundi exordio ; nam sicut sol, antequam horizontem ascendat, aliquos auroræ radios præmittit, quibus mundum illuminat, sic et Christus. Ita S. August. tract. 1. in Joann. Hoc est quod ait Pater ad Christum : *Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ*, Isaiæ 49. 6. et Christus : *Ego sum lux mundi*, Joann. 8. ac de eo Simeon : *Lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israel.* Lucæ 2. 32. Pulchre S. Aug. hom. 43. inter 50. *Ideo*, ait, *venit Christus illuminator, quia diabolus fuerat excæcator. Fecit summus medicus infiniti collyrium pretii, ut excæcatos sanaret oculos. Vide quale, quamque salutiferum fecerit collyrium, ex Verbo et carne. Verbum, inquit, caro factum est*, etc. *Refecti autem hominis oculi ita sunt, itaque illuminati, ut angelorum exæquare possint oculos, Deique ipsius cœlestem gloriam tueri.*

Hanc lucem Christus suis fidelibus, præsertim viris Apostolicis communicat, adeo ut et ipsi

sint lux mundi, juxta illud Job 38. *Auferetur ab impiis lux tua*, et : *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt*, psal. 88. et Christus Apostolis: *Vos estis lux mundi. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Matth. 5. Idem de Joann. Baptista : *Ille erat lucerna ardens et lucens*, Joann. 5. Et Paulus Ephes. cap. 5. 8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate et justitia et veritate, probantes quid sit beneplacitum Deo.*

ET TENEBRÆ IN EO NON SUNT ULLÆ.] Sicut lux est symbolum Dei, sapientiæ et gratiæ; ita tenebræ symbolum sunt diaboli, ignorantiæ et peccati, quæ proinde longe sunt à Deo. Ita Didymus et Œcum. qui citans illud Evang. S. Joann. c. 1. 5. *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Tenebras* (inquit) *peccatricem nostram substantiam vocans in qua Christus natus, id est, qua assumpta Christus, ejus inquinationum particeps non fuit; peccatum enim non fecit.* Sic David : *Rectus Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo.* Et Moses : *Deus*, inquit, *fidelis absque ulla iniquitate.* Et rursus David : *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Et alibi : *Sanctus in omnibus operibus suis.* Denique Habacuc : *Mundi sunt oculi tui ne videant malum.* Hoc est quod ait S. Jacob cap. 1. 17. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Vere S. Thom. in 1. Tim. c. 6. *Res*, ait, *quæ actus quidem sunt, sed non purus, lucens tantum, non etiam lux sunt; divina autem essentiæ cum actus purus sit, lux est. Unde de hominum sanctissimo dicitur : non erat ille lux; de Dei autem verbo, erat lux vera omnem hominem illuminans.* Et S. Greg. Nazianz. orat. 40. *Deus*, ait, *summum et inaccessibile lumen est, quod nec mente percipi, nec verbis explicari potest, naturam omnem ratione præditam illuminans; hoc in intelligibilibus, quod sol in sensibilibus, hoc se magis contemplandum nobis præbens, quo accuratius animos purgaverimus; eo rursus magis amandum, quo magis contemplati fuerimus; eo denique magis cognoscendum, quo magis amaverimus; se ipse speculans et comprehendens, ac perexigua ad externa diffundens. Lumen porro hoc dico quod in Patre et Filio et Spiritu sancto consideratur, quorum opulentia naturæ identitas est, atque una eademque splendoris prosultatio.* Quæ sane omnia aperte indicant vere dictum esse à Joanne Deum esse lucem tenebrarum prorsus expertem, et lucem, ut ait Œcumen. intelligibilem, quæ oculos animæ nostræ ad perceptionem ejus illustrat, et ab his materialibus omnibus avocans, ad ipsam solam appetitum nostrum amatorio affectu incitat.

Antistropha est hæc sententia illius cap. 1. Evang. 4. *Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt*, de qua S. Greg. Nyssen. orat. de Nativit. Christi : *Puritas*, ait, *in nostris sordibus versatur; sordes vero puritatem non attingunt, sicut ait Evang. quod lux in tenebris, et tenebræ eam complexæ non sint.* Et S. August. epist. 120. ad Honoratum : *Filius*, ait, *Dei non est absens etiam mentibus impiorum, quamvis eum non videant; sicut nec illa lux videtur oculis præsentata cæcorum.* Idem l. 1. de Pec. mer. c. 25. *Sicut sol à cæcis quamvis eos suis radiis quodammodo vestiat, sic à stultitiæ tenebris lumen Dei non comprehenditur.* Lucet autem lux Verbi in tenebris impiorum hominum per lumen rationis, per creaturarum voces, quæ omnes creatorem esse, essequc venerandum et amandum clamant; per legem naturæ menti inscriptam, per legem novam, per Scripturam, doctores, concionatores, sanctas inspirationes, etc.

Unde idem Aug. tractat. 2. in Joann. *Noli cadere*, ait, *in peccatum, et non tibi occidet hic sol. Si tu feceris casum, tibi faciet occasum.* Si videre lucem cupis, esto et tu lux; si enim tenebras et tenebrosas cupiditates ames, obtenebrabûnt, imo excæcabunt te.

Viderunt id per umbram Gentiles quos citat Clemens Alex. l. 4. Strom. Antiphanes, inquit, dixit : *Plutus* (id est divitiæ), *cum aliquos plus aliis videntes acceperit, cœcos facit; hinc à Poetis prædicatur ab ortu cæcus;* sic Venus, Bacchus, omnisque cupido videntes excæcat. Citat deinde Aristophanem, dicentem: *Agite obscuræ vitæ homines generationi foliorum similes, imbecilles, ceræ figmenta, folia instar umbræ reddentia, evanidi, involucres, unius tantum diei vitam viventes.*

Porro ridiculi et stolidi, æque ac blasphemi sunt Thalmudistæ, qui dicunt Deum instar lunæ pati eclipsin et tenebras, ac nominatim eas passum, cum lumen injuste à luna ademptum soli attribuit, ideoque ad culpam hanc suam expiandam instituisse festum Neomeniæ, sive novilunii, in qua per statuta à se sacrificia, initio cujusque mensis hoc peccatum purgaret, uti refert Sixtus Senensis l. 2.

6. SI DIXERIMUS QUONIAM (quod) SOCIETATEM HABEMUS CUM EO, ET IN TENEBRIS (ignorantiæ Dei et Christi, errorum et peccatorum) AMBULAMUS MENTIMUR.] *Quæ enim societas luci ad tenebras?* 2. Cor. 6. 14. *Ambulare in tenebris*, est vivere in peccatis, in iisque progredi in pejus ac peccata peccatis cumulare. Perstringit Gnosticos illo ævo docentes (uti nostro docent Lutherani et Calvinistæ) fideles omnes esse prædestinatos, eosque sola fide salvari, ac proinde etiamsi peccent et turpiter vivant, manere tamen in Dei prædestinatione et gratia, certoque salvandos. Item Ebionitas, qui ambulantes in tenebris se Deo placere jactabant, ac ut cæteri Judaizantes censebant se per frequentes lotiones et baptismata peccata eluere. Nota. Peccata passim à S. Joanne in Evang. et hic vocantur tenebræ, ob multas utrimque analogias. Prima est, sicut tenebræ sunt privatio lucis; ita peccata sunt privatio gratiæ. Secunda, sicut in tenebris ambulans nihil videt, et crebro impingit; ita peccantes in via salutis cæcutiunt, et crebro impingunt. Tertia, tenebriones uti noctuæ oderunt lucem; ita et peccatores oderunt lucem Dei et hominum, juxta illud Christi : *Qui male agit odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.* Joann. 3. 20. Quarta, quia peccata sunt opera principis, tenebrarum, puta diaboli; hic enim uti primus peccati est auctor, ita omnes ad peccatum instigat. Quinta, quia pleraque peccata in tenebris fiunt, juxta illud Ovidii :

> Nox et amor, vinumqne nihil moderabile suadent :
> Illa pudore vacat, Liber amorque metu.

Sexta, quia peccata oriuntur ex tenebris, puta ex errore practico, quo peccator judicat sibi hic

et nunc indulgendum esse cupiditati exili cum jactura Dei, cœli et bonorum æternorum, quæ sane summa est cæcitas et stoliditas. *Cæcitas mentis*, ait, S. Aug. libr. 5. contra Julian. *quam solus removet illuminator Deus, et peccatum est, quo in Deum non creditur, et pœna peccati est, qua cor superbum digna animadversione punitur; et causa peccati est, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur.* Septima, quia mentem magis obtenebrant et excæcant. Octava, quia ducunt ad tenebras æternas gehennæ; *terram*, inquam, *miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis nullus ordo. sed sempiternus horror inhabitat*, Job 10. v. 22. Sicut ergo lux et salutifera et vitalis viventibus, rebusque omnibus, tenebræ vero noxiæ et mortiferæ; ita fides et gratia Christi est salutifera, vitamque affert æternam; peccata vero sunt pestifera, mortemque creant æternam. Unde Horus Apollo libr. 1. Hierogl. 67. *Ægyptii*, inquit, *tenebras significantes crocodili caudam pingunt. Neque enim aliter ad exitium et internecionem perducit crocodilus quodcumque apprehenderit animal, nisi cauda prius cæsum, invalidum reddiderit; namque in hac corporis parte præcipua est crocodili vis ac robur.* Sicut ergo crocodilus exitialis est, ita et tenebræ.

Hinc tenebræ vocantur *umbra mortis*, juxta illud Zachariæ: *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent*, Lucæ 1. v. 79. et illud Isaiæ cap. 9. 2. *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.*

MENTIMUR, ET VERITATEM NON FACIMUS.] *Mentimur* verbo, et *veritatem*, quam loquimur et profitemur, *non facimus* ipso facto; veritas enim hic non tam speculativa mentis et horis, quam practica operis et moris intelligitur. Verum ergo est bonum honestum, sive officium cujusque quod præstare debet; si id non præstet veritatem, id est quod justum est et æquum non facit, esto id simulet, ideoque personatus est hypocrita, et simia hominem vestita, ut ait Nyssenus epist. ad Harm. Sic de diabolo dicitur Joannis 8. 44. *Ille in veritate non stetit*, quia in integritate, perfectione et officio angelico, in quo creatus erat, non perseveravit; hinc factus est *mendax et pater mendacii.*

7. SI AUTEM IN LUCE rationis, fidei, Evangelii, virtutis, gratiæ, AMBULAMUS, proficiendo et eundo de virtute in virtutem; SICUT ET IPSE (Deus) EST IN LUCE, id est, est lucidus imo ipsa lux substantialis et divina ideoque omnia sua facit in luce sapientiæ, prudentiæ, et sanctitatis divinæ; SOCIETATEM HABEMUS AD INVICEM.] Vatabl. *mutuam* scilicet tum cum invicem, tum consequenter cum Deo, uti dixit v. 3. Ita Dion. Vere S. Augustinus 4. Confess. cap. 9. *Beatus*, inquit, *qui amat te, et amicum in te, et inimicum propter te. Solus enim nullum charum amittit, cui omnes in illo chari sunt qui non amittitur.* Hoc est quod ait Sapiens Proverb. 4. 18. *Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem. Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant.* Et Paulus Philipp. 2. 15. *Lucetis sicut luminaria in mundo in medio nationis pravæ et perversæ.* Audi S. August. serm. 15. de verbis Apostoli: *Videtis*, ait, *quia viatores sumus. Quid est ambulare? breviter dico proficere, ne forte non intelligatis et pigrius ambuletis; semper tibi displiceas quod es; si vis pervenire ad id quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti ibi remansisti. Si autem dixeris, Sufficit, et peristi; semper adde, semper ambula, semper profice; noli in via remanere, noli retro redire, noli deviare. Remanet qui non proficit; retrocedit, qui ad ea revolvitur, unde jam abcesserat; deviat qui apostatat. Melius it claudus in via, quam cursor præter viam.*

ET SANGUIS JESU CHRISTI, FILII EJUS EMUNDAT NOS AB OMNI PECCATO.] Non quasi faciat nos impeccabiles, uti somniant hæretici; contrarium enim docet S. Joannes verbis proxime sequentibus; sed *emundat*, id est, emundavit à peccatis per baptismum, et emundat in præsenti à peccatis venialibus, sine quibus non ducitur hæc vita mortalis, et emundabit in futuro ab iisdem, et à periculis peccatorum mortalium. Denique in cœlo emundabit nos, non tantum ab omni culpa et pœna, sed et ab omni concupiscentia. Ideo enim S. Joannes utitur præsenti *emundat*, ut sub eo quasi medio præteritum et futurum complectatur. Ita S. August. et ex eo Beda hic, ac S. Hieron. libr. 2. contra Pelag. *Quod*, inquit, *scriptum est. Et sanguis Jesu filii ejus emundat nos ab omni peccato, tam in confessione baptismatis, quam in clementia pœnitudinis accipiendum est. Emundat* ergo, id est, emundandi vim habet, emundareque potest et solet instar lixivii.

Nota primo. Deus non radit peccata, ut volunt hæretici, sed prorsus emundat, id est, expurgat et abolet sicut macula è facie, lutum è veste, sordes è domo everruntur et emundantur. Ita Concil. Trid. cess. 6. c. 7. ubi asserit neminem posse esse justum, *nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur*, idque fieri in justificatione impii, *dum ejusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis inhæret.* Porro Clemens VI. Extravag. *Unigenitus*, de pœna et remiss. asserit unam sanguinis Christi guttulam universum mundum redimere potuisse, quia erat sanguis Verbi per unionem hypostaticam.

Quocirca S. Gregor. Nazianz. *Nullum*, ait, *cum salutis meæ miraculo conferendum est, in quo exiguæ cruoris guttæ orbem universum instaurarunt, atque idem quod lacti coagulum hominibus præstiterunt, in unum nos conjungentes et constringentes.* Et S. August. in psalm. 65. *Quæritis quid emerit? Videte quid dederit, et invenietis quid emerit. Sanguis Christi pretium est, tanti quid valet? quid nisi totus orbi, quid nisi omnes gentes?* Alibi vero serm. 128. de Temp. *Pretium vitæ nostræ sanguis est Domini, et totius mundi incolumitas sempiterna pecunia illa totius mundi copiosa possessio est.* Et S. Ambros. lib. 3. de Virgin. *Omnia igitur habemus in Christo, omnis anima accedat ad eum, sive corporalibus ægra peccatis, sive clavis quibusdam sæcularis cupiditatis infixa, sive imperfecta adhuc quidem, sed intenta tamen meditatione proficiens, sive multis aliqua sit jam perfecta virtutibus, omnis in Domini potestate est, et omnia Christus est nobis. Si vulnus curare desideras, medicus est, si febribus æstuas, fons est; si gravaris iniquitate, justitia est; si auxilio indiges, virtus est; si mortem times, vita est; si cælum desideras, via est; si tenebras fugis, lux est; si cibum quæris, alimentum est.*

Nota secundo. Emundat nos sanguis, id est, sanguinis effusio, puta passio et mors Christi; hæc enim est lytrum et pretium pro peccatis

totius mundi, est metonymia. Hinc sequitur sanguinem Christi emundare peccata non physice, sed meritorie. Christus enim sanguinis effusione, passione ac morte satisfecit pro peccatis nostris, eorumque veniam nobis promeruit. Addit D. Thom. 3. p. q. 48. a. 6. et q. 50. a. 6. sanguini et carni Christi inesse quoque vim physicam sanctificandi, eo quod ipsa sint instrumentum physicum divinitatis ad sanctificandum homines de quo disputant ibidem Theologi. Sed audi D. Thom. q. 48. a. 6. *Ad tertium dicendum, quod passio Christi secundum quod comparatur ad divinitatem ejus, agit per modum efficientiæ; in quantum vero comparatur ad voluntatem animæ Christi, agit per modum meriti, secundum vero quod consideratur in ipsa carne Christi, agit per modum satisfactionis, in quantum per eam liberamur à reatu pœnæ, per modum vero redemptionis, in quantum per eam liberamur à servitute culpæ; per modum autem sacrificii, in quantum per eam reconciliamur Deo, ut infra dicitur.*

8. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.] Quod et quale peccatum? Primo, Cajet. accipit peccatum originale; hoc enim omnes contrahimus ex Adamo, excepta B. Virgine, uti habet pius fidelium sensus, et aperte colligitur ex S. Aug. l. 5. contra Julian. cap. 15. ubi asserit eum qui caret peccato actuali, caruisse etiam originali; atqui B. Virgo caruit peccato actuali, uti docet Ecclesia; ergo et caruit originali. *Sanctificavit* ergo *tabernaculum suum Altissimus*, psal. 45. 5. *quia in ipso inhabitavit plenitudo divinitatis corporaliter*, ut ait Paulus Coloss. 2. 9. Imo purissimam ex ejus carne utique pariter purissima, carnem assumpsit. Superat ergo ipsa puritate omnes angelos, et Cherubinos et Seraphinos, ait S. Chrysost. in Liturgia. Nazianz. in Tragœdia sub finem, Ephrem in laudibus Deiparæ, et S. Amb. lib. 2. de Virgin. *Quid nobilius*, ait, *Dei matre? Quid splendidius Dei matre? Quid splendidius ea quam splendor elegit?* S. Anselm. de Concept. Virg. c. 18. *Decebat*, ait, *ut ea puritate qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat.* Deniqne de ea dicitur Cantic. 4. *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.*

Secundo, Lyran. accipit peccatum mortale; licet enim justi eo careant, tamen quia nemo scit certo se esse in gratia Dei, esseque justum, hinc pariter nemo præsumere debet, certoque asseverare se immunem esse à peccato mortali.

Tertio, Hugo, Dionys. et alii passim accipiunt peccatum veniale; licet enim infans et adultus recens baptizatus, aut plene contritus ab omnibus peccatis absolutus careat omni peccato, etiam veniali; tamen tota vita, imo longo tempore eo carere nequit, quin brevi in aliquod labatur; ita definit Concil. Trid. sess. 6. can. 23. ubi tamen excipit B. Virginem: *Si quis*, inquit, *hominem semel justificatum dixerit*, etc. *posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.* Ubi nota, quod ait Joann. *habemus* in prima persona, significare se quoque, æque ac cæteros Apostolos, habere peccatum; licet enim confirmati essent in gratia, ut non peccarent mortaliter, poterant tamen peccare, et peccabant aliquando venialiter; quanto magis ergo nos nati et enutriti in peccatis, peccata multa et gravia committimus? Unde jugiter nos humiliare eaque plangere debemus, uti egregie ostendit Bellarm. lib. de Gemitu columbæ sub initium l. 2. Quarto, alii per *peccatum* accipiunt, non solum culpam, sed et reatum sive obligationem ad pœnam temporalem, qui remissa culpa et pœna æterna communiter remanere solet. Ita D. Thom. in 4. dist. 21. q. 2. art. 1. ad 4. Quinto, alii per *peccatum* accipiunt concupiscentiam, quæ subinde in Script. ut Rom. 7. v. 13. et 17. et à S. Aug. vocatur peccatum, non quod proprie et formaliter peccatum sit, uti volunt hæretici, sed metonymice, quia est effectus, pœna et causa peccati. Concupiscentia enim, remissa culpa, manet in omnibus renatis et justificatis, uti docet Conc. Trid. ipsaque experientia. Huc accedit Gennadius l. de Eccles. dogmat. 86. (qui liber falso ascribitur S. Aug.) ubi docet omnes veraciter asserere se peccatores: *quia in veritate habent quod plangant, si non reprehensione conscientiæ, certe mobilitate et mutabilitate prævaricatricis naturæ.*

Fateor omnes hosce sensus simul nos posse complecti, ut generalem S. Joannis propositionem generaliter accipiamus de quovis peccato, ejusque effectu, puta reatu et concupiscentia, et tunc, verbum *habemus* ample accipitur, et ampliandum est ad præteritum et futurum. q. d. Habuimus peccatum originale, et habemus vel habebimus peccatum aliquod actuale, si diu vivamus. Unde mox v. 10. mutat præsens in præteritum, dicens: *Si dixerimus quoniam non peccavimus*, etc.; vult enim docere omnes obnoxios esse peccato, et egere redemptore Christo: ejus enim sanguis emundat nos ab omni peccato, tam quoad culpam, quam quoad pœnam, et concupiscentiam, uti paulo ante dixit. Quare sicut sanguis Christi emundat nos ab omni peccato originali, mortali, veniali, etc.; ita pariter illud omne hic accipi potest: proprie tamen et directe accipiendum est hic peccatum actuale, sive mortale id sit, sive veniale. Illud enim solum confitendum est, uti de peccato hoc subdit Joannes: *Si confiteamur peccata nostra*, etc. et de eo solo verum est quod subjicit v. 10. *Si dixerimus quoniam non peccavimus*, id est, commisimus actuale peccatum.

Sensus ergo est: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus*, id est, quod peccatum non facimus, non committimus aliquando; sed vivimus sine peccato, sumusque ἀναμάρτητοι, id est, *expertes peccati*, vel impeccabiles, *ipsi nos seducimus.* Peccatum ergo non habere, idem est quod non peccare; sicut habere spem, idem est quod sperare, Proverb. 23. 18. habere fidem, est credere; habere quietem, est quiescere, Apocal. 4. 8. finem habere, est finire, Marci 3. v. 26. Per *peccatum* ergo accipe actuale, præcipue veniale, quia in illud crebro cadunt homines, etiam justi, ita ut parvo, et vix ullo tempore omni veniali careant; sicque de eo potest dici in præsenti, quod *peccatum habemus*, id est, peccamus sæpe venialiter; ita explicat et definit Conc. Milevit. can. 6. Trident. sess. 6. can. 23. S. Aug. de Perfectione justitiæ, cap. 21. S. Hier. dial. 3. contra Pelag. S. Basil. hom. de Pœnit. Cyprian. lib. 3. ad Quirin. c. 54. Greg. 18. Mor. 4. Ambr. de Fug. sæc. c. 1. et alii. Succenturiatur S. Jacobus, dicens c. 3. 2. *In multis offendimus omnes.*

Vide ibi dicta. Perstringit enim Jonanes, æque ac Jacobus, Simonianos, Gnosticos, aliosque illius ævi hæreticos docentes solam infidelitatem esse peccatum; fideli enim omnia esse munda, etiamsi turpiter vivat. Idem hoc sæculo docuit Lutherus et Libertini. Beguardi vero et Beguinæ censuerunt se suîque similes ad tantam posse perfectionem ascendere, ut fiant impeccabiles, quantacumque tentatio exurgat. Pelagius quoque docuit peccata omnia, etiam venialia, sine gratia Christi, solis naturæ viribus posse vitari, quæ omnia damnat hic S. Joannes. Ab his non longe abit Durandus in 2. d. 28. q. 3. qui putat omnia indeliberata posse vitari, non autem omnia venialia deliberata, quæ fiunt ex subreptione. Hoc est quod ait Sapiens Eccl. 7. 21. *non est homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet.* Et Proverb. 24. 16. *Septies in die cadit justus, et resurgit.*

Hæc est ergo humiliatio nostra in medio nostri, ut jugiter agnoscere debeamus nos esse peccatores, ideoque quotidie juxta Christi doctrinam orare: *Dimitte nobis debita nostra*, etc. *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* Audi S. Aug. de Natura et gratia c. 36. *Excepta*, inquit, *S. Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem; inde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, et interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus: Utrum hoc quod iste dicit, an quod Joannes Apostolus! Rogo vos quantalibet fuerit in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonne una voce clamassent: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Et S. Gregor. hom. 39. in Evangel. *Sine culpa*, ait, *in mundo esse non potuit qui in mundum cum culpa venit.*

Qui ergo ob scientiam inflaris, qui ob ingenium, opes, vires, formam, dignitatem, cervicem attollis; cristas pone, pedes cum pavone inspice. Nosti quis sis? peccator es. Scis quid sit peccatum? est summa hominis vilitas, summa miseria, summum orbis malum, summe enim summo bono adversatur. Peccatum enim est summus Dei contemptus, summa ingratitudo, summum odium, summa offensa, adeoque est Christicidium, imo quasi Deicidium. Si enim Deus occidi posset, utique non alio telo quam peccato perimeretur.

Porro Cassianus collat. 23. cap. 19. exemplum dat orationis, in qua vix quisquam est qui non mente evagetur, et venialiter delinquat. Caute tamen legendus est ipse c. 5. et seq. ubi videtur asserere malum esse, quidquid nos etiam invitos à jugi Dei contemplatione abstrahit, ut comedere, bibere, dormire, laborare manibus, uti fecit S. Paulus ad comparandum victum; sed explicandus est de malo pœnæ, ex quo tamen facile oriatur malum culpæ. Explicat enim illud Apostolus Rom. 7. 19. *Non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago;* et per *bonum* accipit jugem Dei memoriam et præsentiam, per *malum* distractionem mentis ab hac Dei præsentia. q. d. Apostolus: Vellem jugiter contemplari Deum præsentem, sed ob corruptæ naturæ necessitates id præstare nequeo, ideoque culpæ periculum incurro.

Ipsi nos seducimus,] ipsi nos decipimus et decipimur, quia falsum nobis ipsis persuademus in perniciem animæ nostræ; ita Œcumen. Qui enim putat se plane à peccato purum, negligit quærere remedium peccati sui, ob quod puniendus est. Rursus dicens se carere omni peccato, superbe et præsumptuose errat; contradicit enim Scripturæ asserenti nos omnes esse peccatores, et evacuat gratiam et passionem Christi, dicens se non egere emundatione sanguinis ipsius, ideoque blasphemus est et ingratus; quare nisi resipiscat condemnabitur.

Et veritas in nobis non est.] q. d. *Mentimur*, uti legit Cyrill. catech. 5. Hinc S. August. in Sententiis sent. 365. *Divinitus*, ait, *dictum est*, Eccli. 7. 17. *Noli esse justus multum; quoniam non est justitia sapientis, sed superbia præsumentis. Qui ergo sic fit nimis justus, ipso nimio fit injustus. Quis est autem qui se facit justum, nisi qui dicit se non habere peccatum?*

9. Si confiteamur.] Suggerit S. Joannes peccati, cujus omnes reos esse dixit, remedium, scilicet veram ejus agnitionem et humilem confessionem ac pœnitentiam; per hanc enim applicatur nobis sanguis Christi, qui nos ab eo emundat, uti dixit v. 7. Sed quam confessionem exigit S. Joannes generalemne quæ fit Deo, an specialem quæ fit sacerdoti in Sacramento Pœnitentiæ? Hæretici solam generalem quæ fit Deo admittunt, Catholici etiam specialem requirunt. Resp. S. Joannem utramque exigere, generalem pro peccatis levibus, specialem pro gravibus: mortalia enim peccata non sufficit confiteri Deo, sed eadem sacerdoti confitenda sunt, ut ab eis absolvamur; eis enim solis tradidit Christus potestatem absolvendi, dicens Joannis 20. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta sunt.* Quare cum Joannes hoc loco nec sibi in Evangelio, nec Christo sit contrarius, dicendum est eum sic esse explicandum, q. d. Si confiteamur peccata nostra, eo scilicet modo, quo Christus voluit et instituit, nimirum mortifera confitendo sacerdoti, venialia ipsi Deo, vel etiam sacerdoti si velimus, fidelis est Deus ut nobis confitentibus ea remittat. Ita Thomas Anglicus, Dionys. ac Serarius hic, et Bellarm. l. 1. de Pœnit. c. 13. et l. 3. c. 4. qui duo pluribus idipsum confirmant.

Audi S. Cyprianum serm. de lapsis: *Hoc ipsum* (peccatum) ait, *apud sacerdotes Dei dolentes ac simpliciter confitentes exomologesin conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet ac modicis vulneribus exquirunt.* Et Tertull. libr. de Pœnit. cap. 8. *Tantum*, ait, *relevat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat; confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ.* Deinde actus pœnitentis veræ confessionis indices et comites subjungit: *Itaque exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare, pastum et potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa. Plerumque vero jejunis preces alere, ingemiscere, lachrymari, et mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum,*

presbyteris advolvi; et caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. Breviter S. Chrysost. hom. de Pœnit. *Pœnitentia*, ait, *est contritio in corde, confessio in ore, in opere tota humilitas.*

Moral. Vide hic quam utilis sit confessio, quæ illico Dei iram placat, ejusque gratiam accersit, juxta illud Isaiæ 43. v. 26. secundum Septuag. *Dic tu prius peccata tua ut justificeris.* Ita David: *Quoniam iniquitatem*, inquit, *meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper*, ps. 50. 4. et psalm. 31. 5. *Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.* Vide S. Chrysost. in psalm. 50. et S. August. homil. 12. inter 50. Audi Origen. homil. 2. in psalm. 37. *Sicut ii qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humores, vel phlegmata stomacho graviter et moleste imminentia, si vomuerint revelantur; ita etiam ii qui peccaverunt, siquidem occultant et retinent intra se peccatum intrinsecus urgentur et propemodum suffocantur à phlegmate, vel humore peccati; si autem ipse sui accusator fiat dum accusat, semetipsum et confitetur, simul evomit et debitum, atque omnem morbi digerit causam.* Unde S. Diadochus libr. de Perfect. spirit. cap. ult. hunc sancti Joannis locum explicans de confessione quam facit Religiosus suo directori et patri spirituali, tentationes et lapsus suos ei manifestando, docet eam esse singulare tentationum et peccatorum omnium remedium. Et sanctus Franciscus et S. Augustinus in Sententiis: *Si te excusas*, inquit, *Deus te accusat; et si te accusas, Deus te excusat.*

Porro docet S. Joannes nos eo quod crebro peccamus, crebro debere confiteri; esto enim levia sint peccata, tamen si negligantur, evadunt multa et gravia. *Levia multa faciunt unum grande, multæ guttæ implent flumen, multa grana faciunt massam*, ait S. August. hic. Idem epist. 108. *Quid enim interest, ad naufragium utram uno grandi fluctu navis operiatur, an paulatim aqua subrepens sentinam, et per negligentiam derelicta atque contempta impleat navim, atque submergat?* Hoc est quod ait Eccles. c. 19. 1. *Qui spernit modica, paulatim decidit.* Et, ut ait Gregorius: *Si curare parva negligimus, insensibiliter seducti audenter etiam majora perpetramus.* Et alibi: *Qui enim peccata minima flere, ac devitare negligit, a statu justitiæ non quidem repente, sed partibus totas cadit. Admonendi sunt qui minimis frequenter excedunt, ut sollicite considerent, quia nonnumquam in parva deterius quam in majore culpa peccatur. Major enim, quo citius quia sit culpa agnoscitur, eo etiam celerius emendatur, minor vero dum quasi nulla creditur, eo pejus quo et securius in usu retinetur. Unde fit plerumque ut mens assueta malis levibus, nec graviora perhorrescat, atque ad quamdam auctoritatem nequitiæ per culpas nutrita perveniat, in tanto in majoribus contemnat pertimescere, quanto in minimis didicit non timendo peccare.*

Fidelis est.] *Quia qui orare nos pro debitis et peccatis monuit, paternam misericordiam promisit, et veniam secuturam*, ait S. Cyprianus de orat. Domin.

Et justus.] Quomodo justus? Non enim tenetur Deus ex justitia remittere peccatum peccatori, etiam pœnitenti; nam illud remittere et condonare est meræ ejus misericordiæ et clementiæ: Resp. *justus*, id est æquus. Æquum enim est et congruum Deoque dignum ut pœnitenti peccatum remittat; tum quia id ipse promisit pœnitentibus, non ut operis mercedem, sed ut pœnitentiæ donum et præmium, Joannem 20. 23. Ezech. 18. 32. et alibi. Promissum autem est debitum, quod proinde solvere est justum; tum quia Deo et divinæ bonitati, ac clementiæ conveniens et dignum est, ut pœnitentes in gratiam recipiat, sibique reconciliet. *Justum est*, ait S. Anselm. Prosol. c. 9. et 10. *ô Deus, ut parcas malis, sed et justum est ut malos punias.* Unde aliqui exponunt: *Justus*, id est, benignus et misericors; misericordia enim maxime congruit Deo; tum denique quia pœnitentia quasi ex natura rei, est proxima ad reconciliationem et gratiam dispositio. Sicut ergo naturaliter justum est ut in lignum calidum ut octo, quasi habens ultimam dispositionem, inducatur forma ignis; sic supernaturaliter æquum est, ut posita pœnitentia quasi ultima dispositione inducatur forma gratiæ, qua peccator reconcilietur Deo. Ita Lyran. et Dion.

Secundo, *justus*, quia Christus suo sanguine et morte promeruit nobis hanc veniam, eique Deus illam promisit. Justa ergo est, et ex justitia debita hæc peccatorum remissio, sed Christo, non nobis, ita Cajetan. Porro Christus sua merita pœnitenti communicat, applicat et quasi appropriat, ut ea pœnitens quasi peccatorum suorum lytrum proprium Deo offerat. Quare justus est Deus, qui lytrum hoc accipiens peccata remittit; sed quia hæc merita sunt propria Christi, ab eo vero nobis duntaxat appropriata, id est applicata, hinc ratio justitiæ in remissione peccatorum proprie est respectu Christi, non nostri; tum quia ejus sunt merita; tum quia ei remissionem promisit, et ex pacto præstat Deus, non nobis; alioqui enim non solus Christus, sed et nos ipsi essemus redemptores nostri, quod est impium et injurium Christo.

Tertio, subtilius noster Suarez 3. pag. tom. 3. disp. 11. sect. 1. concl. 3. *Fidelis*, inquit, est Deus cum condonat pœnitentibus peccata mortalia; *justus*, cum justis condonat venialia; quia scilicet justi per opera pœnitentiæ, charitatis, etc., merentur de condigno hanc condonationem, uti docet S. August. de Correp. et Grat. cap. 13.

Quarto, quadam etiam ratione justus est Deus, cum condonat pœnitenti et confitenti peccata mortalia, eo quod confessio, ejusque pœnitentiæ actus, paulo ante ex Tertull. recensiti, sint quasi satisfactio quædam, qua satisfacimus Deo pro offensa contra ipsum admissa. Sicut enim offendens qui proximum vilipendit, juste satisfacit ei, dum se humiliat, et ab eo veniam petit; unde offensus ex justitia tenetur acceptare hanc satisfactionem; sic et pœnitens satisfacit aliqua ratione Deo cum offensam humiliter confitetur, veniamque petit cum gemitu, lacrymis, ac præsertim si id faciat ex vera et perfecta animi contritione. Contritio enim cum ex amore Dei super omnia procedat, est quasi compensatio quædam injuriæ, qua peccator Deum vilipendit et postposuit creaturæ, quam peccando adamavit; amor enim Dei amans eum super omnes creaturas compensat quasi odium Dei, ac honor et pretium Dei compensat ejusdem vilipendium et contemptum, licet non ex æquo.

Quaro aliqua ratione justum est ut Deus pœnitenti ob hosce actus offensam condonet; atque hac de causa pœnitentia ponitur à Theologis virtus affinis et connexa justitiæ, ejusque pars potentialis. Unde D. Thom. 3. p. q. 85. a. 3. docet pœnitentiam esse partem et speciem justitiæ vindicativæ, ac consequenter commutativæ large sumptæ, sicut est pietas; observantia, religio, quæ deficiunt à ratione justitiæ strictæ, quia respiciunt majus debitum quam sit justitiæ, et quia respiciunt Deum, inter quem et hominem non est æqualitas quam requirit justitia, imo Durand. in 4. dist. 14. q. 2. censet pœnitentiam esse ipsammet justitiam commutativam, quatenus ei imperant virtutes theologicæ, ut reddat Deo debitam satisfactionem (qualem scilicet potest) pro offensa. Verum alii passim verius censent pœnitentiam esse specialem virtutem à justitia stricta, et moralibus cæteris distinctam. Addit Richard. in 4 dist. 15. a. 1. q. 2. in corp. et ad 1 positis meritis Christi posse pœnitentem pro peccatis satisfacere ex justitia, et dist. 17 a. 2. q. 7 asserit contritionem, si præcedat remissionem peccatorum, ex condigno eam mereri. Sic et nonnulli alii docent contritionem æquivalere peccato mortali, et ex æquo pro eo satisfacere. idque deducunt ex principiis S. Thomæ. S. Thomas enim 1. 2. q. 113. a. 8. docet in justificatione peccatoris prius esse infusionem gratiæ sanctificantis, quam sit contritio et remissio peccati; ex gratia enim sanctificante manare contritionem, ex contritione remissionem peccati. Idem docent discipuli S. Thomæ, ut Cajetan. et Medina ibidem, Ferrariensis l. 3. contra Gentes c. 153. D. Soto l. 2. de Natura et gratia c. 18. Quo posito sequitur, contritionem quasi ex æquo mereri remissionem peccati. Si enim contritio manat ex gratia sanctificante, et præcedit remissionem peccatorum; ergo eamdem meretur, perinde ac meretur gloriam æternam, ex sententia S. Thomæ; gratia enim sanctificans naturaliter et quasi jure suo expellit peccatum imo per se et formaliter id facit, ac proinde sine intermedio contritionis.

Verum contrarium sentiunt passim alii Doctores, scilicet contritionem non manare ex gratia sanctificante, sed ex auxilio speciali, sive ex gratia præveniente et excitante. Ratio est, quia nulla dispositio potest manare ex forma ad quam disponit, ut patet inductione aliarum dispositionum et formarum. Ergo cum contritio sit dispositio ad gratiam sanctificantem, non potest ex ea manare; sed necessario eam præit et præcedit, uti diserte docet Concil. Trident. sess. 6. cap. 6. 7. et 8. ubi consequenter docet nos gratis justificari, ideoque non mereri justitiam quæ includit remissionem peccatorum. Ita pariter docent Scotus in 4. dist. 14. q. 2. Gabr. ibid. q. 1. Durand. in 4. dist. 17. q. 2. Andreas Vega in Concil. Trident. l. 6. c. 28. et 29. Bonav. in 4. d. 15. a. 1. q. 1. Almain. Massil. et alii ibid. Idem docent Patres, uti S. Aug. Ambr. Tertull. Chrysost. tractat. de Pœnitentia.

EMUNDET NOS AB OMNI INIQUITATE.] Plus significat *iniquitas*, quam peccatum, ait S. Gregorius 11. Moral. cap. 21. aut 22. quia facilius fert quis se vocari peccatorem, quam iniquum. Negat id S. Ambros. de Apolog. David, imo vero, inquit, turpius est esse et vocari peccatorem quam iniquum. Verum quidquid sit de hac re, sæpe hæc duo pro eodem sumuntur; unde hic quasi synonyma ponuntur.

10. SI DIXERIMUS QUONIAM NON PECCAVIMUS.] Primo, peccato originali, quo peccavimus jam olim in Adamo, quodque in nobis ipsis contraximus, dum primum concepti et animati fuimus, ita nonnulli. Verum quorsum S. Joannes inculcaret hic peccatum originale omissis actualibus? Secundo, *peccavimus*, id est peccare potuimus peccato actuali mortifero ob innatam concupiscentiam. Sed quis hoc nescit? Quare verius est S. Joannem loqui de peccatis venialibus; more enim suo repetit, idemque dicit et inculcat hic cum eo quod dixit v. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus.* Unde Syrus vertit, *si dixerimus nos non esse peccatores*, vel *nos non peccare.* Hebraizat S. Joannes; Hebræi enim præterito utuntur pro præsenti quo carent, et pro futuro. Præteritum enim apud eos est ipsum thema et radicale verbum à quo cætera tempora, modos et personas derivant.

Illustrat idipsum variis exemplis S. Ambros. l. 1. de Abraham cap. 8. ut Joannis 15. 8. *In hoc clarificatus est* (id est, clarificatur et clarificabitur) *Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli.* Lucæ 1. 47. canit B. Virgo: *Magnificat anima mea Dominum; et exultavit*, id est exaltat, *spiritus meus in Deo salutari meo.* Matth. 23. 2. *Super cathedram Mosi sederunt*, id est sedent, *Scribæ.* Sensus ergo est: *Si dixerimus quoniam non peccavimus*, id est, quod non peccamus, quod sine peccato tam veniali, quam mortali vivimus, quod nec peccavimus, nec peccare solemus. Dicit tamen *peccavimus* in præterito, quia scribit ad Parthos (uti dixi in proœmio) qui recenter à gentilismo ad Christum conversi, multa in gentilismo eaque gravia peccata commiserant. Rursum inter conversos olim multi erant qui baptismum diu differebant, etiam usque ad mortem, adeoque ægri in lecto baptizabantur, ut per baptismum expiati ab omni culpa et pœna illico evolarent in cœlum, indeque Clinici, id est Lectuarii, vocabantur, in quos graviter invehuntur Patres ut S. Ambr. serm. de Sanctis, S. Basil. Naz. et Nyssenus oratione de baptismo. Hi sane ante baptismum, utpote in peccato originali existentes, et gratia Dei destituti, multa peccata committebant. Qui vero pueri baptizati erant, jam adulti multa peccata saltem venialia admiserunt. Loquitur enim Christianis adultis. Quare vere asserit omnes peccavisse in præterito, quia vult monere eos ut deinceps in futuro, utpote jam renati in Christo, à peccatis studiose caveant; unde mox initio c. 2. subdit: *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis amplius.*

MENDACEM FACIMUS EUM, quia Deus in Script. asserit omnes homines esse peccatores, nec vivere sine peccato, ut Eccles. 7. vers. 21. Proverb. 24. v. 16. Psalm. 141. v. 2. Jacobi 3. v. 2. et alibi. Et docet nos orare quotidie: *Dimitte nobis debita nostra.* Quocirca VERBUM EJUS NON MANET IN NOBIS,] q. d. Non intelligimus, non amplectimur, non retinemus veram ejus doctrinam, aut certe ejus obliviscimur; non credimus Script. et verbo Dei, quod asserit omnes obnoxios esse peccato, sed illud, ipsumque Deum facimus mendacem. Ita Clemens, Didymus, Cajetan. Dionys. et Catharin. Aliter Glossa: *Verbum Dei*, inquit, id est, Christus per quem fit remissio peccatorum, non manet in nobis, ut

pote incredulis et superbis, quia evertimus redemptionis Christi mysterium, dicimusque nos, utpote justos ipso redemptore non eguisse, nec egere. Aut *verbum* quod locutus est Deus Eccles. 3. 20. *Quanto major es, humilia te in omnibus;* non manet in nobis, quia ejus contrarium facimus; cum enim simus parvi et peccatores, volumus esse magni et impeccabiles.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DOCUIT CAP. 1. FIDELES PER CHRISTUM IN NOVAM LUCEM ET VITAM RENATOS SOCIETATEM INIISSE CUM DEO; NUNC DOCET UT IN EA STUDIOSE PERSISTANT, IDEOQUE CAVEANT A PECCATIS, DEIQUE PRÆCEPTA OBSERVENT, PRÆSERTIM CHARITATIS TAM DEI QUAM PROXIMI, QUOD VOCAT MANDATUM VETUS ET NOVUM. INDE V. 13. SINGULAS HOMINUM ÆTATES, PUTA PATRES, ADOLESCENTES, INFANTES, JUVENES COMPELLAT, SINGULOSQUE AD DEI CULTUM ET AMOREM ACCENDIT, IDEOQUE HORTATUR UT CAVEANT A MUNDO TRANSEUNTE, UTPOTE IN QUO NON EST ALIUD QUAM CONCUPISCENTIA CARNIS, CONCUPISCENTIA OCULORUM, ET SUPERBIA VITÆ. TERTIO, V. 18. PERSTRINGIT HÆRETICOS, MONETQUE UT EOS QUASI ANTICHRISTOS EXECRENTUR, FIDEM VERO IN DEUM PATREM ET FILIUM ET SPIRITUM, EJUSQUE UNCTIONEM CONSTANTER RETINEANT, UT IN EO MANEANT, NEC CONFUNDANTUR IN ADVENTU EJUS, SED AB EO ACCIPIANT VITAM ÆTERNAM.

1. FILIOLI mei, hæc scribo vobis, ut non peccatis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum: 2. et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. 3. Et in hoc scimus quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus. 4. Qui dicit se nosse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est. 5. Qui autem servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est: et in hoc scimus quoniam in ipso sumus. 6. Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. 7. Charissimi, non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio: Mandatum vetus est verbum, quod audistis. 8. Iterum mandatum novum scribo vobis, quod verum est et in ipso, et in vobis; quia tenebræ transierunt, et verum lumen jam lucet. 9. Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. 10. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, et scandalum in eo non est. 11. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat; quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. 12. Scribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus. 13. Scribo vobis, patres, quoniam cognovistis eum, qui ab initio est. Scribo vobis, adolescentes, quoniam vicistis malignum. 14. Scribo vobis, infantes, quoniam cognovistis Patrem. Scribo vobis, juvenes, quoniam fortis estis, et verbum Dei manet in vobis, et vicistis malignum. 15. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. 16. Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. 17. Et mundus transit, et concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. 18. Filioli, novissima hora est: et sicut audistis, quia Antichristus venit: et nunc Antichristi multi facti sunt; unde scimus, quia novissima hora est. 19. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum: sed ut manifesti sint quoniam non sunt omnes ex nobis. 20. Sed vos unctionem habetis à Sancto, et nostis omnia. 21. Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam: et quoniam omne mendacium ex veritate non est. 22. Quis est mendax, nisi is qui negat quoniam Jesus est Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem, et Filium. 23. Omnis, qui negat Filium, nec Patrem habet; qui confitetur Filium, et Patrem habet. 24. Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat: si in vobis permanserit quod audistis ab initio, et vos in Filio et Patre manebitis. 25. Et hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam æternam. 26. Hæc scripsi vobis de his, qui seducunt vos. 27. Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse

habetis ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium. Et sicut docuit vos: manete in eo. 28. Et nunc, filioli, manete in eo: ut, cum apparuerit, habeamus fiduciam, et non confundamur ab eo in adventu ejus. 29. Si scitis quoniam justus est, scitote quoniam et omnis, qui facit justitiam, ex ipso natus est.

1. FILIOLI MEI, HÆC SCRIBO VOBIS, UT NON PECCETIS, l q. d. In fine cap. præcedentis, dixi omnes adultos peccavisse, vel in gentilismo mortaliter, vel in christianismo venialiter; jam hortor singulos ut à pristinis in gentilismo commissis sceleribus plane caveant, à venialibus vero abstineant quantum possunt, licet enim omnia collectim vitare sit impossibile; singula tamen distributive vitare est possibile; præsertim ea quæ non ex subreptione, sed prævia animadversione, ideoque deliberate committuntur.

SED ET SI QUIS PECCAVERIT, ADVOCATUM HABEMUS] Est occupatio. Objiciet enim quis: Si omnino peccata fidelibus fugienda sunt, quid faciet is, qui ex humana fragilitate in peccatum aliquod lapsus est, præsertim enorme, verecundum et pudendum? Respondet: Si quis lapsus sit, non idcirco desperet, nec animum abjiciat; quia apud Deum, qui est pater noster amantissimus, advocatum habemus Christum Dominum, qui suum sanguinem, crucem et mortem pro nobis obitam Patri repræsentans, facile nobis, si vere nos pœniteat, veniam impetrabit; Deus enim est clementissimus, et Christi merita sunt maxima. Sicut ergo peritiam et gloriam medici commendat magnitudo vulneris et morbi quem curat et sanat; sic magnitudinem gratiæ, clementiæ et redemptionis Christi commendat magnitudo peccatorum nostrorum, quorum ipse est medicus et propitiator. Hujus rei specimen dedit in S. Magdalena et S. Paulo, qui proinde hanc in se Christi gratiam celebrans 1. Timoth. 1. 15. *Fidelis*, ait, *sermo et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum; sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui crediturі sunt illi in vitam æternam.* Vide ibi dicta.

Nota primo. *Advocatus* idem est latine quod græce παράκλητος. Unde tam Christus quam Spiritus sanctus est paracletus, id est, advocatus noster; ita enim vocatur hic à S. Joanne in textu Græco, æque ac in Evang. c. 14. 16. Vatab. παρακλητος vertit, *patronus, mediator, intercessor.* Laurent. Valla lib. 4. patronum ab advocato distinguit, quod patronus sit orator, qui reum dicendo defendit; advocatus, qui reo ad defensionem astat, etiamsi nihil dicat. Et Ascon. Pedianus: *Qui defendit*, ait, *aliquem in judicio, aut patronus dicitur, si orator est; aut advocatus, si jus suggerit, aut præsentiam suam commodat amico.* Verum hic et alibi *advocatus* idem est quod patronus; sic enim causidicos, qui causas forenses agunt, vocamus advocatos. Ita Ulpian. *Advocatos*, ait, *accipere debemus omnes omnino, qui causis agendis quoquo studio operantur.* Et Quintil. l. 12. c. 1. *Non*, inquit, *forensem quamdam instituimus operam nec mercenariam vocem, nec (ut asperioribus verbis parcamus) non inutilem sane litium advocatum, quem denique causidicum vulgo vocant.*

Nota secundo. Christus est advocatus noster. Primo, oratione interpretativa, scilicet exhibendo se et suas plagas, vulnerumque cicatrices, ac consequenter sua merita allegando divino conspectui, uti omnes Doctores consentiunt. Idcirco enim resurgens has cicatrices retinuit, et in cœlum intulit, ut eas jugiter Deo Patri quasi Pontifex et mediator noster repræsentet, ac per eas veniam et gratiam nobis obtineat.

Secundo, multi valde probabiliter censent Christum etiam esse advocatum nostrum, oratione proprie dicta; qua pro nobis in cœlis Patrem oret et interpellet, oratione, inquam, non qua denuo mereatur vel impetret (qualis fuit dum viveret in terris, eratque viator), sed qua jam comprehensor petit, rogatque Patrem exigendo jus in vita hac promeritum, sibique promissum, ideoque debitum, scilicet gratiam et salutem nostram. Hoc enim significat Paulus in epistola ad Hebræos, ubi docet Christum esse Pontificem nostrum æternum in cœlis, qui *per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa*, cap. 9. v. 12. et c. 7. 25. *Semper vivens*, inquit, *ad interpellandum pro nobis.* Et Christus Joannis cap. 14. 16. *Ego*, ait, *rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis.* Et Paulus Rom. 8. 34. *Christus Jesus*, etc. *qui est ad dextram Patris, qui etiam interpellat pro nobis.* Vide ibi dicta. Christus ergo qua homo jam beatus in cœlo, et mente, et corpore ac voce debitum Deo cultum religionis exhibet, cum adorando, laudando, gratias agendo, cur non et postulando? hoc enim est officium advocati, qualis est Christus.

Tertio, hæretici hinc contendunt Sanctos non esse nostros advocatos, nec orare pro nobis, ac consequenter non esse invocandos, eo quod hoc sit officium Christi, qui solus est advocatus noster; ac proinde nos facere injuriam Christo, si Sanctos quasi advocatos invocemus. Audi Bezam hic: *Joannes eum nominat Christum, cæteros excludit. Quid ergo illis fiet qui B. Virgini hanc faciunt injuriam, ut Christi spoliis velint eam exornari; imo etiam contentissima voce Christum illi tanquam matri infantulum subjiciunt?* Falleris et fallis, impostor, dum asseris nos Christum subjicere B. Virgini, eamque Christi spoliis exornare. Scimus et profitemur Christum esse Deum, Deique Filium; B. Virginem non esse deam, sed Dei incarnati matrem, ac proinde infinitis partibus Christo esse inferiorem. Unde Christus solus vocatur à S. Joanne advocatus, scilicet talis, qui, ut ipse illico subdit, sit *propitiatio pro peccatis mundi*, quique sua passione et morte placavit Patrem, imo et justo sanguinis sui pretio satisfecit. At B. Virgo et Sancti sunt advocati nostri, ut deprecatores et intercessores per merita Christi. Unde B. Irenæus lib. 5. c. 19. *Sicut*, ait, *Eva seducta est ut effugeret Deum, sic Maria suasa est obedire Deo, ut virginis Evæ virgo Maria fieret advocata.* Et S. Bernardus serm. in illud Apocal. 12. *Signum magnum: Opus est*, inquit, *mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis utilior quam Maria.* Vide dicta 1. Tim. 2. 5. ad illud: *Unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* Et Bellarm. tract. de Invocat. Sanct.

JESUM CHRISTUM JUSTUM.] *Justum*, id est, innocentem et sanctum, qui sua sanctitate gratissimus Patri meretur ab eo exaudiri. Secundo et potius, *justum*, id est, qui juste pro peccatis nostris satisfecit, justumque pro eis dedit pretium et lytrum, scilicet sanguinem suum et vitam. Unde explicans subdit : *Et ipse est propitiatio.* Alio ergo sensu vulgo vocatur advocatus justus, qui justam causam defendendam suscipit, non injustam, uti faciunt nonnulli lucri causa : unde Cassiod. lib. 11. epist. 4. *Si in advocationis*, ait, *studio justitiæ claritate fulsistis.* Hic scilicet bonus est advocatus apud homines, non apud Deum, utpote à quo non justitiam, sed misericordiam et gratiam postulamus. Apud Deum ergo habemus tribunal gratiæ duntaxat, non justitiæ.

2. ET (id est, *quia*, q. d. Christus est advocatus noster, quia) IPSE EST PROPITIATIO, id est propitiator, PRO PECCATIS NOSTRIS,] quia scilicet se offerens in cruce victimam pro peccatis, pro eis Deo Patri satisfecit, eumque nobis reconciliavit. Alludit ad propitiatorium imminens arcæ fœderis ; hoc enim repræsentabat Christum propitiatorem, uti dixi Rom. 3. 25. et Exodi 25. 27. S. August. lib. de Fide et opere, legit : *Et ipse est exoratio pro peccatis nostris.* Orat enim Christus pro nobis etiam in cœlis, uti paulo ante dixi, et propitiare est exorare. S. Cyprian. lib. 4. epist. 2. vel 52. pro *exoratio* legit *deprecatio.* Significat S. Joannes Christum talem nobis esse advocatum, ut certo causam nostram obstinet, imo eo patrono causa cadere non possimus, eo quòd ipse sit ex officio redemptor et propitiator noster, qui ex justitia pro peccatis nostris satisfecit.

Hoc est quod ait S. Joann. Apoc. 1. 5. *Dilexit nos et lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Nam ut ait S. Leo serm. 12. de Passione : *Effusio pro injustis sanguinis justi tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut si universitas captivorum in redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent.* Et paulo post : *Quamvis enim in conspectu Domini multorum Sanctorum pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi. Acceperunt justi, non dederunt, coronas ; et de fidelium fortitudine exempla nata sunt patientiæ, non dona justitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo funere solvit, cum inter filios hominum solus Dominus noster Jesus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sint suscitati.*

Hac de causa S. Augustinus, S. Bernardus, S. Franciscus, S. Elzearius, cæterique Sancti qui aliquando peccarunt, confugerunt ad vulnera Christi, quasi ad asylum, in eoque habitarunt. Eorum gnomas recensui. Zachar. 13. 6. Vere S. Ambr. Præfat. in psalm. 35. *Bonum*, ait, *aurum est sanguis Christi, dives ad pretium, profluus ad lavandum omne peccatum.*

NON PRO NOSTRIS AUTEM TANTUM, SED ETIAM PRO TOTIUS MUNDI.] q. d. Non pro peccatis Judæorum tantum, sed et gentium omnium, ait OEcumen. et Cyril. Melius Clemens Alexandr. et alii, q. d. Non pro peccatis nostris qui sumus fideles tantum, sed pro peccatis infidelium totius mundi. Pro his enim quoque passus est Christus, eisque meruit gratiam et gloriam, si in eum credere, ejusque merita amplecti velint. Unde et jussit prædicari Evangelium hoc omnibus gentibus, easque baptizari in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Marci 16. v. 15. Rursum Christus ut hostia propitiatoria offertur in sacrificio Missæ pro omnibus hominibus, etiam infidelibus, ac defunctis in Purgatorio existentibus, uti fuse docet hic noster Justinianus ; Ecclesia enim tantum excipit excommunicatos, pro his enim vetat sacrificari.

3. ET IN HOC SCIMUS, non certo et demonstrative, sed probabiliter et conjecturaliter ex signis et effectis, QUONIAM, id est quod, COGNOVIMUS EUM, cognitione non tantum speculativa, sed et practica, quæ cum amore et affectu conjuncta est, ac in opus derivatur : *Cognovimus* ergo, id est, novimus et diligimus eum, SI MANDATA EJUS OBSERVEMUS.] Referenda sunt hæc ad id quod præcessit : *Advocatum habemus Jesum Christum*, præscribit enim modum quo hunc advocatum nobis conciliabimus, nimirum si eum cognoscamus per fidem, spem et amorem ; eum vero cognituros si mandata ejus observemus, id quod pluribus deinde sententiis prosequitur et inculcat. Vere S. August. lib. de Fide et oper. cap. 12. *Nequaquam*, ait, *mens fallatur ut se existimet Deum cognovisse, si cum fide mortua, hoc est, sine bonis operibus confiteatur.* Sic David ait psal. 102. 18. *Memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea*, et moriturus ad filium : *Tu*, ait, *Salomon fili mi, scito Deum patris tui ; scito*, scilicet practice, id est crede, reverere, ama, obedi ei. Unde explicans subdit : *Et servi ei corde perfecto, et animo voluntario ;* et Osee c. 6. v. 6. *Volui*, ait, *scientiam Dei plusquam holocausta.* Chald. vertit, *voluntas mea*, vel beneplacitum meum, complacentia mea, *in operantibus legem Domini magis quam in offerentibus holocausta.* Qui enim non observat legem Dei utique eum non novit, quia non æstimat practice, non ponderat uti debet Dei immensam majestatem, bonitatem, potentiam, sapientiam, justitiam. Si enim eam justo rationis libramine ponderaret, utique toto corde eum amaret, coleret, obediret. *Nam quisquis Deum non amat*, ait Beda, *profecto ostendit quia quam sit amabilis non novit ; et quam sit suavis Dominus et dulcis gustare ac videre non didicit, qui ejus conspectibus placere continua dilectione non satagit.* Hinc θεον S. Dionys. de Divinis nominibus, deducit ab αιθειν, eo quod accendat affectum eorum, qui ipsum rite cognoscunt. Hoc est quod ait S. Joann. cap. 3. 7. *Omnis qui diligit ex Deo natus est, et cognoscit Deum. Qui non diligit non novit Deum, quoniam Deus charitas est.*

Quare ex τω *scimus* non recte colligit Catharinus, justos certo scire posse se esse justos et in gratia Dei ; esto enim habeant in anima gratiam et charitatem Dei, tamen eam non vident. Rursum licet mandata Dei exterius observent, tamen nesciunt an ea observent ex amore Dei et eo modo quo Deus jussit. Denique esto sentiant se amare Deum, tamen nesciunt an hic amor sit talis qualis esse debet, puta supernaturalis pure propter Deum, utque eum ament super omnia ; ita definit Trident. sess. 6. c. 9. vide Bellarm. l. 3. de Justific. c. 1. et seq.

4. QUI DICIT SE NOSSE EUM, vera et salutifera notitia, puta, practica, quæ nocentem conducat ad vitam æternam. *Nosse* ergo, id est ita nosse ut amet Deum, eique per omnia obediat, ET MANDATA EJUS NON CUSTODIT, MENDAX EST.] Nam de Philosophis cognoscentibus Deum, sed speculative et aride, ideoque eum non colentibus

ait Apostolus : *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*, Rom. 1. 21.

5. QUI AUTEM SERVAT VERBUM EJUS (jussa et mandata Dei) VERE IN HOC CHARITAS DEI PERFECTA EST.] Per antithesin contrariæ sententiæ priorem sententiam confirmat. q. d. Qui mandata Dei non servat, Deum non novit, id est, non diligit ; quia à contrario qui Dei mandata servat, hic Deum diligit, adeoque habet charitatem perfectam. Unde dicit *verbum ejus* in singulari, quia præcipue respicit legem charitatis; hæc enim cæteras omnes in se comprehendit, uti radix comprehendit frondes et fructus, totamque arborem.

Perfectam charitatem vocat quæ implet illud verbum, sive legem charitatis, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua et in tota mente tua.* Matth. 22. v. 37. Qui enim mandata Dei observat, diligit Deum ex toto corde; esto aliquando peccet venialiter; hoc enim in corruptione hujus vitæ est malum necessarium. Porro in hac perfectione charitatis et vitæ Christianæ varii sunt gradus. Primus est ita diligere Deum ex toto corde, ut nunquam offendas eum mortaliter. Secundus, ut nolis deliberate eum offendere venialiter, etiamsi totum mundum posses lucrari. Tertius, si amore Dei omni amori creaturæ renuncies, totumque te mancipes Dei cultui et obsequio, uti faciunt Religiosi. Quartus, si non aliud cogites, velis vel ames, quam Deum aut propter Deum, uti faciunt Beati in cœlo. Tertium expressit S. Paulus cum ait Rom. 8. 35. *Quis me separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas?* etc. *Certus sum quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus*, etc.

Præclare Origen. Præfat. in Evangel. S. Joannis : *Quisquis*, ait, *perfectus est, non amplius vivit ipse, sed in ipso vivit Christus, cumque in ipso vivat Christus, de eo dicitur Mariæ : Ecce filius tuus Christus.* Et S. August. in serm. 39. de Temp. *Sicut radix*, ait, *omnium malorum est cupiditas, ita et radix omnium bonorum est charitas. Totam magnitudinem et latitudinem divinorum eloquiorum possidet charitas, qua Deum proximumque diligimus.* Et aliquanto post : *Quapropter, fratres, sectamini charitatem, dulce et salubre vinculum mentis, sine qua dives pauper est, et cum qua pauper dives est. Hæc in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, in hospitalitate lautissima, inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima; in Abel per sacrificium grata, in Noe per diluvium secura, in Abrahæ peregrinationibus fidelissima, in Moyse inter injurias lenissima, in David tribulationibus mansuetissima; in tribus pueris blandos ignes innocenter expectat; in Machabæis sævos ignes fortiter tolerat. Casta in Susanna erga virum, in Anna post virum, in Maria præter virum.*

Egregie quoque S. Bernardus ad Fratres de monte Dei : *Ab omnibus vobis*, inquit, *perfectio exigitur, sed non uniformis; sed si incipis, incipe perfecte; si jam in profectu es, et hoc ipsum jam perfecte age. Si autem perfectionis aliquid attigisti, teipsum in temetipso metire, et die cum Apostolo : Unum autem, quæ retro sunt obliviscens, et ad ea quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor bravium supernæ vocationis in Christo Jesu; in quo manifeste Apostolo docente declaratur, quia perfecta eorum quæ retro sunt oblivio, et perfecta in anteriora extensio, ipsa est hominis justi in hac vita perfectio; et perfectio perfectionis hujus ibi erit, ubi erit bravii supernæ vocationis perfecta apprehensio. Hoc autem modo sicut stella à stella distat in claritate, sic cella à cella in conversatione, scilicet incipientium, proficientium et perfectorum. Incipientium status dici potest animalis, proficientium rationalis, perfectorum spiritualis.* Et inferius : *Primus status circa corpus se habet, secundus circa animam se exercet, tertius non nisi in Deo requiem habet. Quorum singuli sicut habent certam proficiendi rationem, sic in genere suo certam habent perfectionis suæ mensuram. Initium boni in conversatione animali, perfecta obedientia est. Profectus subjicere corpus suum, et in servitutem redigere. Perfectio, usu boni consuetudinem vertisse in delectationem. Initium vero rationalis est, intelligere quæ in doctrina fidei apponuntur ei. Profectus, talia præparare, qualia apponuntur. Perfectio, cum in affectum mentis transit judicium rationis. Perfectio vero hominis rationalis, initium est hominis spiritualis. Profectus ejus, revelata facie speculari gloriam Dei. Perfectio vero, transformari in eamdem imaginem à claritate in claritatem, sicut à Domini spiritu.*

Et S. Maximus de charitate centuria 3. n. 97. *Anima*, ait, *perfecta est, cujus vis affectibus obnoxia, prorsus ad Deum declinavit.* Idem centuria 4. numer. 17. *Nondum*, ait, *perfectam charitatem consecutus est, neque divinæ providentiæ secundum profunditatem cognitionum, qui in tempore tentationis in doloribus et molestiis sibi accidentibus longanimitate non perdurat, sed seipsum à spiritualium fratrum charitate abscindit.* Et S. Franciscus in opusculo Decem perfectionum : *Perfectio perfecti Christiani est*, inquit, *quod cor suum ab omni mundana et humana creatura erudiet, nec quærat cur inveniat fundamentum aut radicem, nisi in illo qui fecit sibi cor; sed consuescat cor suum projicere in ipsum Deum, et de fœcibus terrenis frequenter elevare, ita quod sine pœna quandocumque voluerit revertatur ad Christum, cogitando et afficiendo se ad cordis Creatorem; et intentus sit in omni loco et tempore altissimo benefactori. Rursum tantam habeat patientiam, quod illum qui sibi malum aliquod fecerit vel dixerit, conetur plus diligere et amare ex toto corde, et ex bona voluntate ei libenter servire sine omni amaritudine cordis. Quia sicut Deus ex vera liberalitate omnia bona sibi tribuebat, ita omnia mala credat eum occulte promittere, ad hoc ut peccatori ostendat sua peccata, sicque leviter ea puniat in præsenti, ut non flagellet durius in sempiternum. Illum igitur qui malum sibi fecit aut dixit, multum diligat, quia mediante illo tanquam nuncio, Deus magnum bonum illi confert; et tanquam retinaculum quo mediante Deus eum detinet, ne in profundum abyssi projiciatur, et tanquam tersorium quo Deus eum tergit, et tanquam dolabrum quo Deus eum dolat et perficit.*

IN HOC SCIMUS QUONIAM (quod) IN IPSO SCIMUS.] S. August. addit : *Si in illo perfecti fuerimus*, atque explicat, q. d. Si perfecte ei adhæreamus, eumque diligamus, ita ut ejus amore etiam inimicos amemus. Sic quoque legit Dionysius et alii nonnulli. Verum Romana et Græca passim illa delent. Sensus ergo est, q. d. In hoc scimus, quod in eo sumus, si videlicet verbum ejus servemus, uti paulo ante dixi. Effectus enim et sig-

num dilectionis, qua adhæremus et copulati sumus Deo, est observatio legis ipsius. Porro per charitatem sumus et manemus in Deo, et Deus in nobis ea ratione qua amatum est in amante, et amans in re amata, magis enim est anima ubi amat, quam ubi animat; vicissim Deus se amantes, sibique adhærentes redamat, inhabitat, curat, dirigit, protegit. Unde Hugo sic explicat, q. d. Qui amamus Christum, sumus in Christo, sicut membra sunt in capite, et sicut id quod regitur est in regente, nempe regimine peculiari et sancto. Antistropha est hæc sententia Joannis illi in Evang. Joann. 14. v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Diligentis ergo Deum anima est quasi templum, in quo realiter inhabitat Pater, Filius et Spiritus sanctus. Ubi nota S. Joannem dilectari verbo *manendi*, illudque crebro usurpare, ac per illud significare primo, intimam conjunctionem; secundo, moram permanentem et perseverantiam, juxta illud Christi Joannis 15. 4. *Manete in me, et ego in vobis.* Tertio, continuam præsentiam, amicam conversationem, mutuam familiaritatem, omniaque veræ amicitiæ obsequia et officia.

6. QUI DICIT SE IN IPSO MANERE, DEBET SICUT ILLE AMBULAVIT, ET IPSE AMBULARE,] procedendo semper in virtute, præsertim charitatis, ac in dies majora ejus opera exercendo, uti Christus crescebat *ætate et gratia apud Deum et homines*, Lucæ 2. 51. Sancti enim eunt de virtute in virtutem. S. Leo serm. 2. de Quadrag. *Hæc*, ait, *est perfectorum vera justitia, ut nunquam præsumant se esse perfectos, ne ab itineris nondum finiti actione cessantes, ibi incidant deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerint appetitum.* Hoc est quod ait Paulus Ephes. 5. 1. *Estote imitatores Dei sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos.*

Pulchre S. Prosper lib. 2. de Vita contempl. cap. 21. *Quid*, ait, *est ambulare sicut ille ambulavit; nisi contemnere omnia prospera quæ contempsit, non timere adversa quæ pertulit, docere quæ docuit, sperare quod promisit*, etc. *præstare beneficia etiam ingratis? non retribuere secundum merita malevolis? orare pro inimicis, misereri perversis, invitare adversos, æquanimiter pati subdolos atque superbos; ac denique juxta verbum Apostoli, mortui simus carni, ut duntaxat Christo vivamus, sicut enim carne mortuus nulli jam detrahit, nullum aversatur aut despicit, nullius pudicitiam callida circumventione corrumpit, non invidet, non adulatur, non ambit; sic qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis, nulla horum possunt agere aut pati.*

Unde Nyssenus epist. ad Harmenium, *Christianismum definit esse imitationem divinæ naturæ.* Idem ad Olympium : *Quid igitur*, ait, *oportet eum facere, qui magno Christi cognomine dignus effectus est, nisi ut omnia sua tum cogitata, tum dicta, tum facta diligenter exploret, et utrum eorum singula ad Christum tendant, an ab illo sint aliena, dijudicet.*

Præclare S. Aug. de vera religione cap. 15. docet quod verbum factum sit caro, hoc fine ut viam virtutis doceret, non vi cogendo, sed exemplo præeundo. Dum enim omnia mundi bona contempsit, contemnenda docuit; dum omnia vitæ mala sustinuit, sustinenda monstravit : *Doctrina enim Deus apparebat, ætatibus homo. Satellites voluptatum divitias perniciose populi appetebant : pauper esse voluit. Honoribus et imperiis inhiabant; rex fieri noluit. Carnales suos filios magnum bonum putabant; tale conjugium prolemque contempsit. Contumelias superbissimi horrebant; omne genus contumeliarum sustinuit. Injurias intolerabiles esse arbitrabantur; quæ major injuria, quam justum innocentemque damnari? Dolores corporis execrabantur; flagellatus atque cruciatus est, mori metuebant, morte mulctatus est. Ignominiosissimum mortis genus crucem putabant; crucifixus est, omnia quæ habere cupientes non recte, non recte vivebamus, carendo vilia fecit; omnia quæ vitare cupientes à studio deviabamus veritatis, perpetiendo dejecit; non enim ullum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea quæ ille contempsit, aut fugiuntur quæ ille sustinuit. Tota itaque vita ejus in terris, per hominem quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit.*

Huc facit stimulus S. Cyprian. tractat. de Zelo et livore : *Si hominibus*, inquit, *lætum est et gloriosum filios habere consimiles, et tunc magis generasse delectat, si ad patrem lineamentis patribus soboles subsiciva respondeat, quanto major in Deo Patre lætitia est, cum quis sic spiritualiter nascitur, ut in actibus ejus et laudibus divina generositas prædicetur?* Et paulo anterius : *Qualis cœlestis, tales et cœlestes. Quomodo portavimus imaginem ejus qui de limo est, portemus et imaginem ejus qui de cœlo est; imaginem autem cœlestem portare non possumus, nisi in eo quod esse nunc cœpimus Christi similitudinem præbeamus; hoc est enim mutasse quod fueras; et cœpisse esse quod non eras, ut in te divina nativitas luceat, ut ad Patrem Deum deifica disciplina respondeat, ut honore et laude vivendi Deus in homine clarescat, ut ipso exhortante et eis qui se clarificant vicem mutuam pollicente. Eos*, inquit, *qui clarificant me, clarificabo*, Joann. 12.

7. CHARISSIMI, NON MANDATUM NOVUM SCRIBO VOBIS, SED MANDATUM VETUS.] Loquitur de mandato dilectionis Dei et proximi; in hac enim includitur observatio mandatorum omnium, de qua sermo præcessit. De lectione enim se explicans illico sermonem infert S. Joann. v. 9. 10. 11. Vocat hoc *vetus mandatum*, non, *novum*, quia datum fuit Judæis in Veteri testamento, Lev. 19. 18. imo datum fuit Adæ et omnibus hominibus in lege naturæ, æque ac angelis ab initio creationis suæ. Est enim hoc mandatum, juris naturæ dictatum à ratione et lege æterna, quæ fuit in mente Dei ab æterno. Sic τὸ *vetus* explicat Joannes cum subdit : *Mandatum vetus est verbum quod audistis.* Ita S. August. et Didymus : *Objiciebatur*, ait, *Apostolo novam ab illo doctrinam tradi, ac prorsus inauditam : tacite ergo illi occurrens negat se novum aliquod præceptum proponere, sed prisca et vetera inculcare.*

Rursum mandatum hoc est *vetus*, quia jam ab olim, puta ab initio christianismi, mox à baptismo illud audistis et accepistis. Ita explicat S. Joannes τὸ *vetus*, dum subdit, *Quod habuistis ab initio.*

8. ITERUM MANDATUM NOVUM SCRIBO VOBIS.] q. d. Iterum inculco vobis jam quidem antiquum, olim vero novum mandatum, dilectionis et observationis mandatorum Dei, quod desuetudine et naturæ corruptæ vitio antiquatum Christus renovavit et auxit, nobisque identidem in memoriam revocare et innovare præcepit.

Alludit, imo citat illud Christi Joannis 13. 33. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Novum* dicitur, quia novi Testamenti præcipuum, et præcipue à Christo verbis et exemplis commendatum est præceptum non timoris, uti olim apud Judæos sed dilectionis, illudque explicatius (ut patet Matt. 5. 38. et seq. Joann. 14. 15. et 16.) arctius et firmius quam antea fuerat, ac proinde novum novis tradidit Christus.

Novum ergo dicitur per omnia genera causarum. Primo, ratione novæ causæ efficientis, puta novi legislatoris, scilicet Christi; quia arctius et quasi novum illud nobis tradidit. Rursum ratione novæ originis, charitatis et gratiæ, scilicet Spiritus sancti, qui primo visibiliter et copiose effusus fuit in Pentecoste; unde consequenter ad charitatis hujus officia nove, novaque obligatione obstringimur, eaque magis obligamur nunc quam ante Christum; Judæi enim obscuraverant hoc dilectionis præceptum pravis interpretationibus, dicentes proximos esse amicos: solos ergo amicos esse diligendos, inimicos autem odiendos: per amicos autem intelligebant homines suæ gentis, puta Judæos, unde censebant se Christianis, omnibusque gentibus posse fœnerari, eorumque opes per usuras exhaurire. Quocirca Christus illa corrigens et innovans Math. 5. 43. *Audistis*, inquit, *quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos*, etc.

Secundo, mandatum dilectionis est *novum* ratione novæ causæ materialis, puta novorum diligentium Christianorum, qui antea fuerant in tenebris infidelitatis et odii, ut subdit hic S. Joannes; jam vero charitate et spiritu Christi innovati, nove et ardentius Deum et se invicem diligere debent quam ante.

Tertio, et maxime *novum* dicitur ratione novæ causæ formalis, puta novi objecti (objectum enim est instar formæ) et novæ rationis formalis diligendi, puta novæ incarnationis Verbi, novæque in eo fidelium unionis; Christo enim, qui caput est Ecclesiæ et fidelium, incarnato, facta est in eo singularis unio et communicatio membrorum Ecclesiæ, tum inter se, tum cum Christo capite suo jam homogeneo, id est, ejusdem rationis et naturæ; unio, inquam, per naturam, per gratiam et per Sacramenta, præsertim Eucharistiæ, quæ unio fundamentum est majoris et singularis obligationis ad arctiorem amorem Dei, Christi et Christianorum, ut scilicet jam Christianos diligere debeamus, non tantum ut proximos propter Deum, sed ut fratres et membra ejusdem capitis et patris Christi incarnati, qui parens est et legistor legis amoris, uti Moses tulit legem timoris. Indicat hanc rationem Christus dum subdit: *Sicut dilexi vos.* Sicut ergo dilectio Christi in nos fuit summa, nova et inaudita, ita et præceptum ejus, quo jubet nos hanc suam dilectionem imitari, summum est, novum et inauditum. Ita S. Cyrillus. Antiqua enim dilectionis lex à Mose lata sic habet: *Diliges amicum tuum sicut teipsum*, Levit. 19. 18. Nova vero a Christo lata sic habet: *Diligite invicem sicut dilexi vos*, Joann. 13. 33. quæ major est et perfectior, tanto scilicet, quanto Christus (cujus dilectio quasi exemplar nobis imitandum proponitur et præcipitur) cæteris hominibus major et perfectior est. Porro per incarnationem non soli Christo, sed et toti SS. Trinitati, puta Patri, Filio et Spiritui sancto, majorem quam antea, et novum amorem debemus, tum ratione majoris unionis; jam enim unito nobis per carnem assumptam Verbo consequenter quoque nobis magis unita est tota SS. Trinitas; hæc enim est ubi Verbum est; tum ob nova et maxima beneficia per incarnationem nobis præstita. Per incarnationem ergo Verbi novam relationem et unionem habemus ad Patrem, Filium et Spiritum sanctum, et inter nos invicem, quam non habuimus ante, ac consequenter novam diligendi causam et rationem formalem. Per incarnationem enim Verbum factum est noster consanguineus et frater, ac consequenter Pater factus est novo modo Pater, uti Christi incarnati, ita et Christianorum fratrum ejus; Spiritus sanctus vero totum se in eos effudit. Christianis enim proprie hoc novum dilectionis mandatum à Christo datur (non omnibus hominibus, nisi indirecte et consequenter, quatenus scilicet Deus vult omnes fieri Christianos) ut se invicem non tantum quasi proximos, sed quasi fratres et unius corporis Christi membra ament propter Christum, uti recte advertit Toletus et Francisc. Lucas in c. 13. S. Joann.

Quarto, *novum* dicitur ratione novæ causæ exemplaris, puta Christi Domini: Christus enim suam vitam, sanguinem et totum seipsum pro salute suorum, ex puro amore impendit et exhausit. Idem fecit B. Virgo, Apostoli et primi fideles, ut darent nobis perfectæ dilectionis exemplar, quod imitaremur, juxta illud: *Inspice, et fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est*, Exodi 25, v. ult. Et idipsum significat τὸ *sicut dilexi vos*, quæ verba meditanti multam confusionis, dicenti multam exaggerationis materiam suppeditant. Cogita enim quanta dilectionis argumenta nobis ostenderit Christus singulis momentis nascendo, laborando, prædicando, patiendo, moriendo, etc. Et videbis quam parva sit hominum omnium dilectio. Cogitabat illa S. Joannes Eleemosinarius Archiep. Alexandr. cui cum quispiam effusam ejus in pauperes liberalitatem laudaret et suspiceret, dicere solebat: *Frater, nondum pro te sanguinem fudi, sicut mandavit mihi Dominus.*

Quocirca per Christum didicimus proximos non tantum diligendos esse, sicut nos ipsos, uti habebat vetus lex, sed plusquam nos ipsos. Christus enim mortuus est, ut nos licet inimicos vivificaret; eoque nobis dedit exemplum et exemplar dilectionis, ut nos idem faciamus pro proximis, qui sane diligendi modus apud Judæos et in orbe erat novus et inauditus. Ita S. Cyrill. in Joan. cap 13. Unde Chrys. Theoph. Euthym. et Rupert. *novum* dici censent ratione novi modi. Modum hunc explicat Arias, ut sit, inquit, dilectio ad exemplum dilectionis Christi ferventissima et officiosissima, erga omnes, etiam inimicos, ad omne officium prompta, ad exponendum sanguinem et vitam pro salute fratrum, uti fecit Christus, sic et Cajetanus, Gagneius, Joannes Major et alii.

Quinto, *novum* ratione novi finis, quia per hoc dilectionis mandatum voluit Christus nos facere novos homines, cœlestes, non terrestres. Rursum voluit nos illud crebro renovare, ut per crebras synaxes, conciones, meditationes, etc. illud, sæpe excitemus, novaque et

recenti voluntate, conatu et fervore, perinde ac si nunc primum daretur, illud capessamus. Huc respexit hoc loco S. Joannes dicens se mandatum vetus scribere, sed novum, id est, crebro renovandum. Unde ipse jam senex per singulas Collectas illud refricabat, nec aliud inculcabat quam: *Filioli, diligite alterutrum; quia præceptum Domini est, et si solum fiat, sufficit*, ut dixi in proœmio, et hac Epistola crebro idipsum repetit et inculcat.

Audi S. Bernard. serm. 5. in Cœna Domini: *Mandatum novum do vobis. Unde novum? nuper inventum, non quia in veteri Testamento non sit scriptum: Diliges Dominum Deum tuum. Quid ergo est novum? Novum, quia vetera ad novitatem perducit, et veteres homines transformat in juvenes. Novum, quia exuit veterem hominem, et induit novum, qui secundum Deum creatus est in sanctitate et justitia veritatis. Novum, quia olim genus humanum à paradisi gaudiis expulsum, nunc et quotidie transmittit in cœlum;* et S. Aug. hic: *An ideo est mandatum novum, quia exuto vetere homine induit nos hominem novum? Innovat quippe audientem, vel potius obedientem non omnis, sed ista dilectio, quam Dominus mandat, et, ut à carnali dilectione distingueret, addidit. Sicut dilexi vos.* Et mox: *Dilectio ista nos innovat, ut simus homines novi, hæredes Testamenti novi, cantatores cantici novi facit, et colligit populum novum.* Hoc spectans S. Greg. hom. 32, in Evangel. *Quia*, inquit, *Dominus ac redemptor noster novus homo venit in mundum, nova præcepta dedit mundo: vitæ enim nostræ veteri in vitiis enutritæ contrarietatem opposuit novitatis vitæ*, puta concupiscentiæ charitatem, amori sui amorem Dei et proximi.

Sexto, Maldon. *novum* exponit excellens et præstantissimum, quia cæteris omnibus mandatis hoc dilectionis præceptum est sublimius, excellentius, utilius, magisque necessarium, sic dicitur psal. 95, 1, et 98. 1. *Cantate Domino canticum novum*, id est præstans, eximium, egregium: *egregium* enim dicitur quasi è grege selectum: hinc victimæ vocabantur egregiæ, quasi è grege selectæ, juxta illud Æneid. 6.

Lectas de more bidentes:

eximium, quod quasi singulare eximatur è grege cæterorum, ideoque rarum et novum.

Huc pertinet illud aliorum, *novum*, inquiunt, id est postremum; quia hoc mandatum ultimum suis dedit Christus jam iturus ad mortem: non quod novum significet postremum, sed quia postremum respectu priorum jam visorum auditorum et præteritorum, ideoque veterum, videatur novum. A novo enim in superlativo fit novissimus, id est ultimus, postremus; eo quod quæ recenter fiunt, ultimum locum habeant. Sic homines novi vocantur, quorum nulli majores clari fuere, sed ipsi per seipsos clari esse incipiunt, qua ratione Cicero Romæ vocatus est *homo novus*. Sensus est, q. d. Mandatum nunc vobis do, quod hucusque nondum dedi, sed in hunc extremum discessum reservavi, nunc primo hoc mandatum vobis trado, ideoque novum appello: hucusque enim hoc mandatum talibus verbis expressum discipuli à Christo non audierant. Ita Sebast. Barradius, qui et addit: Præterea dicitur *novum*, quia volebat Christus tunc illos noviter incipere illud observare: sicut si pater filiis mandatum traderet, quod vellet noviter filios deinceps exequi, recte diceretur mandatum novum. Et Franc. Lucas. Do, inquit, mandatum novum quod hucusque non dedi, sed in habitum reservavi, quo tenacius inhæreret memoriæ omnium vestrum, quod pro meo, hoc est mihi proprio mandato habeo, ut quod præ omnibus aliis vobis commendatum, inculcatum et observatam velim, quale nullus, unquam suis discipulis dedit, lene, adeoque suave mandatum. Est ergo novum, tum quia nove in ultima cœna à Christo datum, tum quia Christi proprium, ut ait S. Basil. de Baptismo c. ult. tum quia singulari est studio ab ipso commendatum.

Septimo, *novum* ratione effectus, quia novos edit effectus, puta nova opera heroica, et à seculo inaudita, qualia fuerunt S. Pauli et cæterorum Apostolorum, qui nova cœlestique vita, nova doctrina, novis miraculis, novis et inauditis laboribus et persecutionibus; nova alacritate, ardore et spiritu orbem subegerunt Christo. An non nova charitas fuit S. Pauli, qui optabat esse anathema pro fratribus? S. Paulini, qui se in servum tradidit Wandalis, pro filio viduæ redimendo? S. Dominici, S. Francisci, S. Ignatii, qui se et suos saluti animarum consecrarunt? S. Franc. Xaverii, qui ad extremos Japones, Sinas et Indos tantis sudoribus, æque ac ardoribus perrexit, ut eos ad Christum converteret? B. Jacoponi, qui optabat et orabat omnia omnium damnatorum tormenta subire, ut eos illis eximeret, omnesque salvaret, si Deo id placuisset.

Octavo, *novum* ait S. Thomas, quia charitas ad novum Testamentum pertinet, et Lyranus, *novum* dicitur, inquit, quia novum Testamentum distinguit à veteri; vetus enim fuit timoris et servorum, novum est amoris et filiorum. Unde subdit Christus: *In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis; si dilectionem habueritis ad invicem*, ubi S. Cyrill. *Facies*, inquit, *et imago Christi nobis insculpta, qua sui esse cognoscimur, charitatis gloria est.* Hinc illud Cant. 2. 4. *Ordinavit in me charitatem.* Alii ex Hebræo vertunt, *vexillum ejus super me amor.* Et Cant. 8, 6. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio; lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.*

Talis fuit dilectio primorum Christianorum: *Multitudinis* enim *credentium erat cor unum et anima una, erantque illis omnia communia.* Actor. 4. 32. vide ibi dicta. Unde Tertull. in Apolog. ait Ethnicos de Christianis dicere solitos: *Videte ut invicem se diligant, et ut pro alterutro mori sint parati.* Additque Christianos se invicem vocasse fratres, utpote *qui unum Deum Patrem agnoverunt, qui unum spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejusdem ad eamdem lucem expaverint veritatis*, etc. *Idem ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos dirimit fraternitatem. Itaque quia animo animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus: omnia indiscreta sunt apud nos præter uxores.*

Quod verum est, et in ipso et in vobis.] Pronomen ὅ id est, *quod*, cum sit neutrum, non potest referre *mandatum*, eo quod græce sit ἐντολὴ

femininum. Quare technice vel substantive sumitur. q. d. *Quod*, id est, quæ res vera est *in ipso*, id est, in seipsa, quia mandatum hoc dilectionis cum sit juris naturæ, in seipso certissimum et verissimum est, æque ac antiquissimum, licet quoad praxin et executionem sit novum. Idem verum est *in vobis*, quia vos illud ipsum cum nova vita in Christo complexi estis. Ita S. Augustin. Junilius et Œcumen. Hoc sensu τὸ *in ipso* refertur ad mandatum. Melius alii referunt ad Christum : licet enim eum non nominet hic tamen eum nominavit v. 1, 2, 3, 4 et seq. Cor enim S. Joannis plenum erat Christo, ut, cum *ipsum* nominat, non alium intelligat quam Christum, utpote amorem suum, quo plenum erat os ejus æque ac cor, unde simili modo ait Magdalena Christo, quem putabat hortulanum: *Domine, si tu sustulisti eum.* Joan. 20, v. 15. Quem ? utique Christum : præter eum enim aliud non cogitabat, aliud non quærebat, aliud non amabat Magdalena. Tota enim absorpta in Christo, putabat omnes ibi habere cor, ubi ipsa habebat suum. Hæ sunt phrases amantium, quas proinde usurpat sponsa in Canticis. Ita S. Hieron. qui proinde lib. 2. contra Jovin. legit : *Mandatum novum scripsi vobis, quod est verissimum et in Christo et in nobis.* Nonnulli enim codices legunt ἡμῖν, id est, *nobis :* Noster tamen cum aliis plerisque legit ὑμῖν : id est, *vobis*, sed eodem redit sensus. Jam aliqui exponunt, q. d. Hoc mandatum charitatis est res quæ facit vos tam vere esse in Christo, quam estis in vobis ipsis.

Secundo et planius, q. d. *Quod*, id est, quæ res, puta novum hoc dilectionis mandatum locum habet tam in Christo, quam in vobis, tum quia mandatum est, tum quia practicatum et executioni datum : quia, sicut Christus ut caput Ecclesiæ summe amat Christianos, quasi membra sua, ita ipsi se invicem summe ut commembra amare debent (ac reipsa amant) atque Christum in hoc amore imitari, ut sicut ipse mandato Patris nostro se totum impendit amori, ita et nos vicissim totos amori Dei, Christi et Christianorum impendamus. Rationem subdit.

Quia tenebræ (ignorantiæ, concupiscentiæ, peccatorum, æque ac umbrarum, timoris et cæremoniarum veteris Testamenti) transierunt : et verum lumen jam lucet.] Syrus, *incipit apparere :* puta lumen Evangelii, fidei, gratiæ, amoris, omnisque sanctitatis. Simili modo ait Paulus : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Roman. 13, 12. Et : *Eramus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino,* Ephes 5, 6, vide ibi dicta. Hoc vocatur lumen *verum*, id est perfectum, plenum, divinum. Sic Joannes de Christo ait : *Erat lux vera*, id est perfecta, et essentialis, Joan. 1. 9. *Ego sum* vitis vera, id est, perfecta, dans vinum divinum, Joan. 15, 1. Sic Eucharistia vocatur *panis verus*, id est perfectus, plene cibans et satians, Joan. 6. 55.

Hujus rei symbolo, luminis hujus sol et lucifer Christus Dominus, incarnatus est in æquinoctio verno, puta die 25 Martii, ut significaretur eum abacta caligine judaismi et gentilismi invecturum veram lucem Evangelii et christianismi, uti advertit S. Chrysost. hom. de S. Joan. Bapt. Eadem de causa natus est Christus in solstitio hiberno ; cum incipiunt crescere lux et dies, uti annotavit S. August. serm. 22 de Temp.

9. Qui dicit se in luce esse (Evangelii, fidei, gratiæ et charitatis Christi), et fratrem suum odit, mentitur se esse in luce. Unde S. Cyprian. l. 3. contra Judæos c. 3. legit vel potius interpretando supplet, *mendax est, quia* in tenebris est] ignorantiæ saltem practicæ, iræ, odii, concupiscentiæ et peccatorum ; quibus excæcatus non videt quantum malum sit odium, quam Deo, qui est lux charitatis, exosum, quantas strages afferat, quanta sibi damna conciliet, quanta gehennæ tormenta accersat. *Ipso scelere cæcatus est, vadit nesciens in gehennam ignis, et præceps fertur in pœnam,* ait S. Chrys. homil. de Erudit. disciplinæ. Vere dixit Sapiens : *Error et tenebræ peccatoribus concreata sunt,* Eccles. 11, v. 16.

Præclare S. Cyprianus de Zelo et livore : *Si homo lucis,* ait, *esse cœpisti, quæ sunt Christi gere : quia lux et dies Christus est. Quid in Zeli tenebras ruis? Quid te nubilo livoris involvis? Quid invidiæ cæcitate omne pacis et charitatis lumen extinguis? Quid ad diabolum cui renuntiaveras redis? Quid Cain similis existis?* Rursum : *Qui odit fratrem in tenebris est*, scilicet gehennæ et inferni, tum quia eo tendit, tum quia dæmon eum possidet. Audi S. Basil. homil. de Ira : *Sicut,* ait, *qui charitatem habet, Deum in se habet ; ita qui odium et iram habet, dæmonem in se continet.* Et iterum : *Habetis,* inquit, *iram dæmonem pessimum vestris animabus innatum,* et S. Chrysost. *iram voluntariam dæmonem* appellat. In irato ergo quasi in orco contemplari licet Cerberum tricipitem, Megæram, Alecto et alias Furias. Seneca lib. 2 de Ira : *Qualia,* ait, *Poetæ inferna monstra finxerunt succincta serpentibus, et igneo flatu quales ad bella excitanda, pacemque lacerandam teterrimæ inferi exeunt furiæ, qualem Cerberum* tricipitem flammas vomentem, *talem nobis iram figuremus.*

Usque adhuc,] usque ad hoc tempus quo baptizatus est, et Christianus, q. d. Baptismus licet sit illuminatio, tamen has odii tenebras depellere nequit, si adhuc voluntariæ sint, aut baptismum sequantur, ita S. Augustinus, Beda et Hugo.

10. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet,] fidei et amoris Christiani. Est antithesis v. præced.

Et scandalum.] Scandali etymon dat S. Hier. in c. 15. Matth. *Quia crebro teritur,* inquit, *in Ecclesiasticis Scripturis scandalum, breviter dicamus quid significet* προσκομμα *et* σκανδαλον. *Nos offendiculum, vel ruinam et impactionem pedis possumus dicere : derivant à* σκαζω *sive* σκαω, *id est claudico, quod cogat claudicare pedibus objectum offendiculum : aut, ut aliis placet,* σκανδαλον *lignum est curvum quo sustinetur decipula vel tendicula ; et in quod animal, dum impingit, in sui ipsius ruinam evertit decipulam, aut postremo impedimentum insidiose positum in via, ut transiens offendat.*

Et scandalum in eo non est.] q. d. Qui diligit, nusquam offendit, nusquam impingit. Scandalum ergo, id est, offensio vel offendiculum in eo non est, sive activum, ut ait S. Augustinus, sive passivum, ut ait Glossa : diligens enim nulla re, nulla injuria, nullis moribus offendit vel offenditur ; quia *charitas patiens est, benigna est,* etc. *non irritatur, non cogitat malum,* etc. *omnia suffert, omnia credit, omnia sustinet,* 1. Corinth. 13, v. 4. Hoc est quod ait Sapiens Proverb. 15, 19. *Viæ justorum absque offendiculo.*

Et Psaltes psal. 118, 165. *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.* Dicunt enim sibi : Offendit me frater, ira mihi suggerit eum meum esse inimicum, qui id fecerit ex meî odio et contemptu. At falso id suggerit, non credo iræ, quia odio cæca est, suspicax et mendax : sed esto vera esset, verumque diceret, num idcirco deseram charitatem, deseram tot bonos, deseram Deum et Christum? Absit : vincam in bono malum, sequar Christum, ostendam quàm diligam fraternitatem, quàm amem Deum : pugnabo non contra fratrem, qui me læsit, sed contra fratris morbum : iram ejus et malevolentiam charitatis fluminibus obruam et extinguam.

Audi S. Augustinum : *Qui sunt,* inquit, *qui patiuntur scandalum, aut faciunt? qui scandalizantur in Christo et in Ecclesia : qui in Christo scandalizantur, tanquam à sole uruntur; qui in Ecclesia, tanquam à luna. Dicit autem psalmus : Per diem sol non uret te, neque luna per noctem, id est, si tenueris charitatem, nec in Christo scandalum patieris, nec in Ecclesia; nec Christum relinques, nec Ecclesiam.* Idem serm. 59 de Temp. *Plus diligendi sunt inimici, quam amici : qui enim inimici sunt corpori adversantur, et animæ præparant æterna præmia; quia qui carnalia nostra et terrena rapiunt, cœlestia nobis et spiritualia congregant. Nonne magis diligendus est qâum odiendus qui nobis dat æternas opes? Amici vero carnis nostræ nobis suavia suadere contendunt, quæ animæ nostræ præparant æternam mortem.*

Et in eamdem sententiam Basil. in Reg. brevior. reg. 176. *Quid,* inquit, *est quod ab amico magnum adeo beneficium possit proficisci, quantum est illud quod ab inimicis nobis datur, quorum opera fit ut beatitudinem illam assequamur, de qua Dominus dicit : Beati estis cum vos oderint homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me.* Rursum S. Aug. serm. 61 de Temp. *Tot,* ait, *viri, tot mulieres, clerici, pueri; tantæ et tam delicatæ puellæ, flammas et ignes et bestias æquanimiter pertulerunt, et nos hominum convicia dicimus tolerare non posse. Unde nescio qua fronte, vel qua conscientia cum omnibus Sanctis partem in æterna beatitudine habere desideramus, quorum exempla sequi in rebus minimis non acquiescimus.*

11. QUI AUTEM ODIT FRATREM SUUM, IN TENEBRIS EST.] *Non potest in lumine Christi esse, et ad Christum pertinere,* ait OEcumen. *qui eum pro quo Christus mortuus est odit.* S. Joannes more suo idem repetit et inculcat.

ET NESCIT QUO EAT.] *It enim,* ait S. Cyprian. de Zelo et livore, *nescius in gehennam, ignarus et cæcus præcipitatur in pœnam, recedens scilicet à Christi lumine monentis et dicentis : Ego sum lux mundi; qui me secutus fuerit non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Vere auctor Imperfect. humil. 13. *Odium,* ait, *spiritus est tenebrarum, et ubicumque insederit, sordidat pulchritudinem sanctitatis.* Additque : *Cum mundus iste scandalis plenus sit, si amicos tantum voluerimus diligere, non poterimus invenire quod diligamus.* Hoc est quod ait Sapiens Proverb. 4, 19. *Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant.* Et Sophon. 1, 17. *Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt.* Et Isaiæ cap. 59, 10. eorum personam et sensa exprimens : *Palpavimus,* inquit, *sicut cæci parietem, et quasi absque oculis attrectavimus : impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui.*

Sane nullum vitium ita rationem excæcat, atque ira, invidia, odium; hæc enim faciunt hominem non sapere, sed furere, ut videatur esse non homo, sed furia faces inferni vomens, juxta illud Virgil. 10 Æneid.

> His agitur furiis, totoque ardentis ab ore,
> Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.

Idem 3. Georg.

> In furias ignemque ruunt, amor omnibus idem.
> Tempore non alio catulorum oblita leæna
> Sævior erravit campis, nec funera vulgo
> Tam multa informes ursi stragemque dedere.

Unde Seneca lib. 1 de Ira. c. 1. *Iram* definit *esse brevem insaniam.* Et Cicero Tuscul. 4, *nihil,* ait, *esse similius insaniæ, quam iram, quam bene Ennius dixit initium insaniæ,* ac S. Chrys. hom. 47, in Joan. *Inter iram et insaniam,* inquit, *nihil differt,* juxta illud : *Ira furor brevis est.*

Porro adeo cæca est ira et odium, ut hasce suas furias furore cæcata non videat, imo non furias, sed justas vindicias æstimet, ut non odio, sed ratione se agi censeat; ut culpam omnem non sibi lædenti, sed à se læso ascribat. Repræsentat idipsum lepide, Seneca epist. 51, in Harpaste uxoris suæ ancilla, sed cæca et fatua, quæ cum in cæcitatem incidisset, negabat se cæcam, culpamque non videndi conferebat in domum, dicens eam esse tenebrosam : unde ex illa educi, et in aliam deduci postulabat. *Hoc,* inquit, *quod in illa videmus, nobis accidere liqueat tibi : nemo se avarum esse intelligit, nemo cupidum; cæci tamen ducem quærunt; nos sine duce erramus, et dicimus : Non ego ambitiosus sum, sed nemo aliter Romæ potest vivere : non ego somptuosus, sed urbs ipsa magnas impensas exigit. Non est meum vitium, quod iracundus sum, quod nondum constitui certum genus vitæ, adolescentia hæc facit. Quid nos decipimus? non est extrinsecus malum nostrum, intra nos est, in visceribus ipsis sedet. Et ideo difficulter ad sanitatem pervenimus, quia nos ægrotare nescimus.* Democritus Philosophus excæcavit se splendore solis, ut non videret malorum felicitatem : ita invidi et odio lividi, livore excæcant seipsos, ne videant æmulorum prosperitatem. Audi Laertium apud Gell. lib. 10, cap. 17.

> Democritus effodere ut posset splendore æreo, radiis
> Solis aciem effodit luminis, malis bene
> Esse ne videret civibus : sic ego
> Fulgenti splendore in pecuniam volo
> Lucificare exitium ætati meæ,
> Ne in re bona videam esse nequam filium.

12. SCRIBO VOBIS, FILIOLI.] Descendit S. Joan. à thesi ad hypothesin, à genere ad speciem. Quæ enim de Dei cognitione et dilectione commendavit omnibus Christianis in genere, hic eadem singulis eorum gradibus et statibus commendat. Distinguit autem eos in tres gradus et classes, juxta tres eorum ætates, scilicet in pueros, juvenes et senes. Pueros vocat *filiolos* et *infantes :* juvenes vocat *adolescentes :* senes vocat *patres.* Hisce sigillatim gratulatur donum christianismi, quod scilicet per illud Deum agnoscant, colant et diligant, ac gratulando tacite hortatur, ut in eodem perseverent et proficiant. Triplici autem hoc ætatis gradu, triplicem Chris-

tianorum in virtute gradum, et quasi ætatem repræsentat; pueri enim repræsentant incipientes et neophytos, juvenes repræsentant proficientes, senes perfectos. Quo tacite innuit S. Joan. Christianos virtute, æque ac ætate debere crescere et proficere, ut Christum imitentur, de quo scribit S. Lucas c. 2. 52. *Jesus proficiebat sapientia et ætate, et gratia apud Deum et homines,* ita Clemens, Œcum. Dionys. Gagneius, Cajet. et Cathar. licet S. Aug. aliter sentiat, nimirum hæc tria ad eosdem pertinere, puta singulos Christianos vocari filiolos, quia baptismo renati sunt, et patres, quia Christum patrem et antiquum dierum agnoscunt, et adolescentes sive juvenes, quia fortes sunt et validi : *In filiis,* inquit, *significatur nativitas, in patribus antiquitas, in juvenibus fortitudo.* Sed prius quod dixi, uti simplicius, ita germanius videtur. Primis ergo puta pueris, dicit Joannes : *Filioli* recenter in mundo nati, æque ac baptismo renati, gaudete, gratulamini vobis, et Deo gratias agite, illumque diligite et colite : *quoniam remittuntur,* id est, baptismo remissa sunt, et si quæ deinceps committatis, remittentur per pœnitentiam, *vobis peccata vestra,* in quæ puerilis ætas, utpote debilis et fragilis, parvæque mentis, judicii et animi, prona et proclivis est *propter nomen ejus,* puta Christi, uti dixi v. 8. Nomen Christi metonymice vocat vel ipsum Christum quem crebro, nominare et invocare debemus, vel ipsam invocationem nominis Christi. q. d. Propter nomen Christi professum et invocatum : vel auctoritatem et potestatem Christi; hanc enim significat nomen, et hac remittuntur peccata per gratiam et merita Christi.

Moral. docet hic S. Joannes, magnam educationis et institutionis puerorum habendam esse curam, uti ipse se habere ostendit exemplo pueri, quem Episcopo commendavit, quod recensui in Proœmio : à pueritia enim pendet tota hominis vitæque deinceps conformatio. Quod enim pueri discimus, hoc retinemus viri :

> Quo semel est imbuta recens servabit odorem
> Testa diu.

ait Horat. Hac de causa S. Ignatius fundator Societatis nostræ, in ea scholas instituit, in quibus pueri cum litteris pietatem probosque mores imbiberent : è quibus quanta in Ecclesiam universam commoda redundent, experientia docet, vide Ribadeneiram fuse de puerorum institutione et scholarum commodis disserentem l. 3. Vitæ S. Ignatii c. 24, ubi non solum ex Scriptura, Patribus et Conciliis, sed et ex Platone, Aristot. Xenophon. Cicerone, Plutarcho, Quintil. aliisque Philosophis idipsum confirmat.

Mystice. Audi S. August. Mysticas septem viri justi ætates describentem lib. de Vera relig. c. 26. *Iste,* ait, *dicitur novus homo, et interior et cœlestis, habens et ipse proportione non annis, sed prosectibus distinctas quasdam spiritales ætates suas. Primam in uberibus utilis historiæ, quæ nutrit exemplis. Secundam jam obliviscentem humana, et ad divina tendentem, in qua non auctoritatis humanæ sinu continetur, sed ad summam incommutabilem legem passibus rationis innititur. Tertiam jam fidentiorem et carnalem appetitum rationis robore maritantem, gaudentemque intrinsecus in quadam dulcedine conjugali cum anima menti copulatur, et velamento pudoris obnubitur, ut jam recte vivere non cogatur, sed etiamsi omnes concedant, peccare non libeat. Quartam jam idipsum multo firmius ordinatiusque facientem, et emicantem in virum perfectum, atque aptam et idoneam omnibus etiam persecutionibus et mundi hujus tempestatibus, ac fluctibus sustinendis atque frangendis. Quintam pacatam atque ex omni parte tranquillam, viventem in opibus et abundantia incommutabilis regni, summæ atque ineffabilis sapientiæ. Sextam omnimodæ mutationis in æternam vitam, et usque ad totam oblivionem vitæ temporalis transeuntem in perfectam formam, quæ facta est ad imaginem et similitudinem Dei. Septima enim jam quies æterna est, et nullis ætatibus distinguenda beatitudo perpetua. Ut enim finis veteris hominis mors est, sic finis novi hominis vita æterna. Ille namque homo peccati est, iste justitiæ.*

13. SCRIBO VOBIS, PATRES, QUONIAM COGNOVISTIS EUM QUI AB INITIO EST.] A filiis transit ad patres. id est, grandævos et senes : hi gloriari solent se multa vidisse et expertos esse, juxta illud Job 12. 12. *In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia.* His proinde antiquis accommode ad suum genium gratulatur S. Joannes, quod cognoverint antiquum dierum, puta Deum, qui *ab initio,* hoc est ab æterno *est.* Nam ut ait S. Aug. *Novus est Christus in carne, sed antiquus in divinitate,* qui et addit : *Mementote vos patres esse : Si obliviscamini eum qui à principio est, perdidistis paternitatem.*

SCRIBO VOBIS, ADOLESCENTES, QUONIAM VICISTIS MALIGNUM.] Ab utraque ætate extrema, scilicet puerili et senili, transit ad mediam, puta adolescentiam. Hæc gloriatur in viribus, gaudetque luctis et pugnis, in quibus suum robur exerat et ostentet : hæc etiam ob sanguinis fervorem abundat concupiscentiis, quas dæmon accendit cum quibus et assidue luctandum est. Adolescentibus ergo gratulatur quod vicerint malignum, puta dæmonem cum suis quas suscitat concupiscentiis. Loquitur enim adolescentibus Christianis christiane viventibus, qui per Christi gratiam tentationes fortiter illo ævo superabant : quales fuere virgines (sub adolescentibus enim utrumque sexum, puta adolescentulas quoque intelligit) quæ protractæ ad lupanar fortiter pro virginitate decertarunt, ideoque illæsæ et intactæ pene omnes à Deo per miraculum conservatæ sunt, uti fuit S. Agnes, S. Lucia, S. Agatha, et aliæ innumeræ. Talis quoque fuit adolescens, qui, ut scribit S. Hier. in Vita S. Pauli primi Eremitæ, à persecutore ligatus inter rosas et lilia, à speciosa meretrice impudicis tactibus sollicitatus est ad scelus. *Quid faceret,* ait, *miles Christi, et quo se verteret nesciebat, quem tormenta non vicerunt, superabat voluptas, tandem cœlitus inspiratus præcisam morsu linguam in osculantis se faciem expuit, ac sic libidinis sensum succedens doloris magnitudo superavit.* Hæc fortitudo et victoria suggeritur à Christo, unde ait Paulus : *Qui dat nobis victoriam per Christum,* 1. Corint. 15. 57. Et S. August. hic. *Si malignus,* ait, *à juvenibus vincitur, pugnat nobiscum : pugnat, sed non expugnat; quare? quia nos sumus fortes, an quia ille est fortis in nobis, qui inter manus persequentium infirmus inventus est? Ille nos fortes fecit, qui persequentibus non restitit : crucifixus est enim ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.*

14. SCRIBO VOBIS, INFANTES.] More suo S. Joannes redit in orbem, singulisque ætatibus repetit

quod dixit, sed aliis verbis, ut id eis inculcet. Quos enim vers. 12. vocavit τεκνια, id est *filiolos*, hic vocat παιδια, id est *pueros*, *puellos*, quos Noster vocat *infantes*. Sic Job 21. 11. dicitur : *Infantes eorum exultant lusibus ; infantes*, græce παιδια, id est, *pueri* : nam infantes proprie dicti, uti fari, ita saltare nequeunt. Sic Plinius lib. 9. cap. 8. ait delphinos gestare fœtus in infantia, id est, in pueritia, ideoque infirmos. Et lib. 22. cap. 22. *Nec tunicæ*, ait, *gratia minor in cibo infantis*, id est parvi, et nondum adulti, *boleti*. Sic Cicero de Claris orat. ait Scipionem non fuisse infantem, id est infacundum.

QUONIAM COGNOVISTIS PATREM.] Dum didicistis Symbolum, dicentes : *Credo in Deum patrem omnipotentem.*

Moral. Pulchre Catharin. *Incipientium vita*, ait, *est esse quodammodo sub Patre, qui blanditiis et paternis foveat complexibus, prohibens tantisper duriores tentationes ; postea ut crescant ac plenius eruditantur tradit Filio, demum hic Spiritui sancto confirmandos et perficiendos.*

Post : *Scribo vobis, infantes*, subjiciunt antiqui codices : *Scribo vobis, patres, quia cognovistis eum qui ab initio est.* Suffragantur codices Græci et Syri : adstipulantur August. Beda, Thomas et Œcumen. Audi Franc. Lucam in Notat. hic : *Videtur hic versiculus omissus fuisse, tum quia proxime præcedenti verbis ac re simillimus est, tum quia paulo ante idem prorsus lectus est. Cum enim Apostolus omni animum addidisset ætati, ut servatoris aucta beneficiis in Domino gauderet, gloriareturque cupiens majori id pondere mentes penetrare, fixumque inhærere, iterum idipsum egit. Et infantes quidem sive pueri atque adolescentes, quos plerique libri juvenes hic vocant* (*Græcis eadem est vox quæ prius* νεανισκοι) *ab omnibus concorditer repetuntur patres, sive senes, cur præteriti sint? an quod sufficeret senes, quippe per se sapientes, semel monuisse? una est Complutensis editio Græca* (*Regia namque eadem est*) *quæ, vulgaribus Latinorum codicibus similiter, omittat.*

SCRIBO VOBIS, JUVENES (græce νεανισκοι, quos vers. 13. Noster vertit, *adolescentes*) gaudete, gratias agite Deo, eumque colite et diligite, QUONIAM FORTES ESTIS (græce ισχυροι, id est, *viribus validi*), ideoque VICISTIS MALIGNUM.] Græce τον πονηρον, id est, *illum malignum* antonomastice, puta principem et caput malignitatis, scilicet diabolum, q. d. ait August. *Scribo vobis, juvenes, etiam atque etiam considerate, quia juvenes estis : pugnate, ut vincatis ; vincite, ut coronemini ; humiles estote, ne cadatis in pugna*, etc. Et Rursum : *Magna gratiæ commendatio, fratres mei, corda instruit humilium, ora obstruit superborum.*

ET VERBUM DEI MANET IN VOBIS.] q. d. Custoditis Dei verba et præcepta, quæ vobis ego et socii mei prædicavimus, et in hac custodia manetis et perseveratis. Alii Verbum increatum et incarnatum accipiunt, puta Christum. q. d. In Christi fide, et amore persistitis per ipsius gratiam, ideoque statis fortes et constantes contra omnes hostium insultus, ac vincitis malignum. Audi Œcumen. *Adolescentibus et juvenibus, qui robusti cum sint, ad luctam et certamina instruendi sunt victoriæ gloriam attestatus, eos generosis ac militaribus collocutionibus indigere ostendit.* Et S. Prosper. epist. ad Demetriad. quæ habetur lib. 2. epist. S. Ambrosii num. 33. *Operante*, inquit, *spiritu Dei juvatur arbitrium, non auferitur ; hoc agit gratia, ut voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria, seductionibus circumscripta, difficultatibus impedita non remaneat in languoribus suis, sed per opem miserantis medici curata revalescat.* Et mox nonnullis interjectis : *Vigilant tentatoris insidiæ, ut ubi proficit devotio, subrepat elatio, et ut homo de bono opere in se potius, quam in Domino glorietur. Sed Apostolus nos contra hoc periculum monet, dicens : Cum timore et tremore salutem vestram operamini ; Deus est enim qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate. Quanto ergo excellentius mandatis Dei quique proficiunt, tanto majores habent causas formidinis et tremoris ; ne de ipsis probitatis augmentis mens sibi bene conscia, et laudis avida, insuperbiæ rapiatur excessus, et fiat immunda vanitate, dum sibi videtur clara virtute.*

15. NOLITE DIRIGERE MUNDUM.] Suasit amorem Dei, nunc suadet odium mundi quia amor mundi parit odium Dei. Audi S. Augustin. *Duo sunt amores, mundi et Dei : si mundi amor habitet, non est qua intret amor Dei. Recedat amor mundi, et habitet Dei : melior accipiat locum. Amabas mundum, noli amare mundum ; cum exhauseris cor tuum amore terreno, hauries amorem divinum, et incipiet habitare jam charitas, de qua nihil mali potest procedere. Audite ergo verba purgantis, modo quasi agrum invenit corda hominum, sed quomodo invenit? Si silvam invenit, extirpat : si agrum purgatum invenit, plantat : plantare ibi vult arborem caritatem. Et quam silvam vult extirpare? amorem mundi. Audi extirpationem silvæ : Nolite diligere mundum.*

Isaias Abbas Orat. 21. de Pœnitentia, cum ex eo quidam quæreret : *Quid esset mundus?* respondit : *Mundus est animi ad peccata destructio. Mundus est, cum ea quæ naturæ contraria sunt sequimur. Mundus est, cum carnis voluptates implemus. Mundus est, cum arbitramur diu nos in hoc seculo permansuros. Mundus est, cum majorem corporis quam animæ curam gerimus. Mundus est, cum iis quæ caduca sunt gloriamur. Non ex me ipso ista confingo, sed Joannes Apostolus ita loquitur : Nolite diligere mundum*, etc., *quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* Quocirca S. August. hic. *Charissimi*, ait, *in hac valle miseriæ, nihil tam pulchrum, tam delectabile possideatis, quo animus vester omnino occupetur. Fuge mundum, si vis esse mundus : si tu es mundus, jam non delectat te mundus. Fuge creaturas, si vis habere Creatorem. Omnis creatura vilescat, ut Creator in corde dulcescat.*

Vide S. August. lib. de Contemptu mundi, et de Fuga seculi, S. Ambros. de Fuga seculi, S. Cypr. de Mortal. S. Eucherium epist. ad Valerianum, qui eleganter et pie docet quam vana sint et contemnenda omnia mundi bona.

SI QUIS DILIGIT MUNDUM, NON EST CHARITAS PATRIS IN EO.] Consonat S. Jacob. cap. 4. 4. *Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse seculi hujus, inimicus Dei constituitur.* Vide ibi dicta. Deus enim vult diligi *ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute.* Quare non patitur partiri cor et amorem nostrum, ut partem ejus demus Deo, partem mundo ; sed totum sibi reddi vult, qui totum creavit et dedit. *Duo namque*, ait S. Leo. serm. 5. de jejunio 7. mensis, *amores*

sunt, ex quibus prodeunt omnes voluntates, ita diversæ qualitatibus, sicut dividuntur auctoribus. Rationabilis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi. In dilectione Dei nulla noxia, in dilectione autem mundi cuncta sunt noxia. Et ideo æternis bonis inseparabiliter inhærendum, temporalibus vero transeunter utendum est, ut peregrinantibus nobis, et ad patriam redire properantibus, quidquid de prosperitatibus mundi hujus occurrerit, viaticum sit itineris, non illecebræ mansionis.

16. QUONIAM OMNE QUOD EST IN MUNDO CONCUPISCENTIA CARNIS EST, ET CONCUPISCENTIA OCULORUM, ET SUPERBIA VITÆ.] Dices, in mundo proprie non est concupiscentia; hæc enim est in animabus et hominibus concupiscentibus. Resp. mundus tripliciter accipitur.

Primo, pro hominibus mundanis, mundique bona et illecebras sectantibus : in his proprie est concupiscentia; sic dicitur : *Mundus eum non cognovit : mundus*, id est mundani, mundi amatores, Joan. 1. 10. Et : *Mundus vos odit*, Joan. 16. 18. Sic S. August. in Psal. 54. *Ne forte*, inquit, *cum dixisset mundi, intelligeres dæmones esse rectores cœli et terræ; mundi dixit, tenebrarum harum; mundi dixit, amatorum mundi; mundi dixit, impiorum et iniquorum mundi*, et pro his passim in Evang. S. Joan. accipit nomen *mundus*.

Secundo, *mundus* proprie et physice significat mundum hunc creatum, puta orbem hunc sublunarem, terram hanc in qua vivimus et versamur : in hoc mundo, utpote inanimi, proprie et formaliter non est concupiscentia, utpote animata et viva ; sed in eo est concupiscentia materialis, id est, objectum concupiscibile, quod hominum concupiscentiam irritat, et ad se invitat, ut opes, deliciæ, honores. Est metonymia. Simili tropo Deus dicitur amor et timor noster, id est, objectum amoris et timoris nostri, puta quem amamus, timemus et reveremur. Porro quidquid est in mundo hoc, subaudi visibile et sensibile, hoc pariter est concupiscibile; omne enim sensibile sensum afficit, allicit et illicit in sui amorem et concupiscentiam : alioquin in mundo quoque sunt angeli, Sancti, virtutes, etc. Verum hæc visibilia et sensibilia, sensusque irritantia ideoque concupiscibilia non sunt, sed amabilia et venerabilia.

Tertio, *mundus* sumi potest pro ipsa mundana vita, vel mundana concupiscentia in genere; in hac enim generica concupiscentia continentur tres specificæ, sive tres ejus species, puta concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. Hoc est totum quasi corpus concupiscentiæ et peccati, ex tribus hisce partibus quasi membris compactum et integratum. Hic est quasi mundus vitiorum, quatuor suis elementis constans : terra enim est concupiscentia carnis, aer et aqua est concupiscentia oculorum ; ignis est superbia vitæ, quæ ardet desiderio dominandi omnibus. Vel, ut aiebat S. Antonius de Padua : *Terra est avaritia, aqua est luxuria, aer est inconstantia, ignis est superbia.* Sicut ergo partes sunt in toto, species in genere, membra in corpore, elementa in mundo; sic hæ tres concupiscentiæ particulares sunt in ipsa concupiscentia generali, quasi in generali complexu. Unde de ea subdit vers. 16. *Quæ non est ex Patre, sed ex mundo*, id est, mundano vitio et concupiscentia.

Omnibus hisce modis *mundus* hic accipi potest, et S. Joannes nunc ad unum, nunc ad alterum respicit; ludit enim in voce *mundus*.

Secunda tamen expositio uti simplicior, ita germanior est. De mundo enim hoc paulo ante dixit : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* Non diligimus autem nec concupiscimus ipsam concupiscentiam, sed bona concupiscibilia, quæ in mundo sunt, puta opes, voluptates, honores. Ab his enim animum fidelium avocare vult S. Joannes, quia illa omnium peccatorum radices et fontes sunt, jubetque ut eum transferant in Deum, ut eum ament et bona cœlestia. Rursum, quia mundum à concupiscentia distinguit, dicens vers. 17. *Et mundus transit et concupicentia ejus.* Ergo mundum hunc physicum accipit.

Sensus ergo est, q. d. Nolite diligere mundum hunc, bonaque mundo contenta ; quia quidquid spectabili hoc mundo continetur, aut carnis cupidinibus et illecebris animum emollit et inquinat, aut opum cupiditate accendit, aut superbia et fastu extollit : quæ omnia sunt à Deo Patre, ejusque amore aliena atque ad hæc caduca mundi bona, vel potius bonorum umbras et simulacra pertinent.

Nota primo : Sicut concupiscentia oculorum est avaritia et curiositas, ita concupiscibile oculorum est aurum, argentum, gemmæ, prædia, opes, res curiosæ et pretiosæ, etc., quas concupiscit avarus et avaritia. Ita S. August. lib. 3. de Symbolo cap. 1. *Ad concupiscentiam carnis*, ait, *pertinent illecebræ voluptatum, ad concupiscentiam oculorum nugacitas spectaculorum, ad ambitionem sæculi insania superbiæ.* Dicitur *oculorum* : tum quia oculos irritat, et per oculos phantasiam et mentem. *Oculi*, ait S. August. in psal. 41. *membra carnis sunt, fenestræ sunt mentis; interior est qui per eas videt*, tum quia oculos tantum pascit : tum quia fere solis oculis tenetur et possidetur. Avarus enim recondit opes, nec audet eas expendere, iisque frui, sed eas habet in arca ; unde non alium earum usum et fructum habet, quam quod subinde eas oculis lustrare et intueri cum voluptate possit, quæ sane ingens est miseria et fatuitas. Pari enim modo intueri posset aurum, argentum et gemmas in templis, iisque se pascere ; opibus vero propriis magis se pasceret, iisque frueretur si eas in proprium, amicorum et pauperum commodum, usumque et gustum expenderet.

Secundo, sicut concupiscentia carnis est gula et luxuria, ita concupiscibile carnis est vinum, cibus delicatus, mulier et res venereæ, quas concupiscit gulosus et luxuriosus. Dicitur *carnis*, quia carnem titillat et irritat, et quia carne tenetur et possidetur. Unde patet quam vilis, exigua, brevis et sordida sit : vilis, quia similis bestiis ; hæ enim non nisi carnis oblectamenta quærunt : exigua, quia spiritum et mentem non pascit, sed solam carnem, quæ per se inanimis et insensibilis est; brevis, quia illico ut cibus transit per palatum, transit gulæ voluptas. Idem est de luxuria sordida, quia desinit in sputa, stercora, vomitus, vomicas, putredines, febres, dysenterias, aliosque graves et fœtidos morbos. Unde S. August. de Vera relig. cap. 55. *Non diligamus*, ait, *per carnis voluptatem corrumpere aut corrumpi, ne ad miserabiliorem corruptionem dolorum tormentorumque veniamus.* Sic Apostolus desideria et opera carnis opponit desideriis et

operibus spiritus, ad Galat. 5. 17. de quo vide Cassian. Collat 4. c. 10.

Tertio, sicut superbia vitæ est ambitio, fastus, appetitus excellentiæ et gloriæ, ita concupiscibile hujus superbiæ sunt superbæ vestes, palatia, famuli, rhedæ, dignitates, magistratus, prælaturæ, etc. Superbum graphice depingit Seneca in Thyeste Actu. 5.

Æqualis, *inquit*, astris gradior et cunctos super
Altum superbos vertice, attingens polum.

Græce est αλαζονεια του βιου quod Tigurina vertit, *fastus vitæ*. Vatabl. *arrogantia, insolentia et ostentatio facultatum ad vitæ sustentationem pertinentium;* Syrus, *fastus mundi;* SS. August. et Cyprian. *ambitio sæculi;* alii, *honoris, laudis et imperii cupiditas;* alii, *jactantia, gloriatio, suique venditatio et prædicatio.* Omnia hæc apposita sunt : inde enim dicitur ταως αλαζων, id est, *pavo superbus,* dum alas suas explicans pompatice incedit, qui est vera superbi et superbiæ imago, juxta illud Ovidii 13 Metamorph.

Laudato pavone superbior.

Præclare S. Bernard. in Psal. *Qui habitat,* serm. 6. *Ambitio,* ait, *subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli opifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem.* Unde ambitio vocatur *cos pravitatis,* quia omnia vitia excitat et exacuit, à S. Basil. serm. *Ne affixi simus temporal.* Vide S. Greg. 24. Moral. 14. lib. 31. 17.

Hæ ergo tres passiones et concupiscentiæ sunt tres fontes omnium tentationum et peccatorum, de quibus vide S. August. lib. 10. Confess. c. 30. et seq. et S. Thom. 1. 2. quæst. 75. art. 5. Vere Poeta.

Ambitiosus honos, et opes, et fœda voluptas,
Hæc tria pro trino numine mundus habet.

Quocirca hisce tribus primitus serpens tentavit Adam et Evam protoplastos nostros : concupiscentia carnis, cum persuasit eis comedere de ligno vetito : oculorum, cum eis falso promisit : *Aperientur oculi vestri;* superbia vitæ, cum eis falso itidem pollicitus est : *Eritis sicut dii,* Gen. 3. Ita S. Prosper lib. 2. de Vita contempl. cap. 19. Iisdem diabolus tentavit Christum Matth. 4. Concupiscentia carnis, cum ei dixit : *Dic ut lapides isti panes fiant;* at Christus eum repulit, dicens : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Superbia vitæ, puta cum eum ad inanem gloriam aucupandam ursit, ut de fastigio templi præcipitaret se, quod angelis Deus mandasset de eo ; sed abegit eum Christus dicens : *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Concupiscentia oculorum, cum ostendens ei omnia regna mundi et gloriam eorum, dixit : *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Sed profligavit eum Christus dicens : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Matth. 4. Ita S. August. de Vera relig. c. 38.

Porro triplex hæc concupiscentia opponitur SS. Trinitati : concupiscentia oculorum, id est avaritia, Deo Patri : ipse enim est liberalissimus; nam suam essentiam, omniaque sua communicat Filio et Spiritui sancto essentialiter, creaturis vero participative. Concupiscentia carnis opponitur Filio, cujus generatio non est carnalis, sed spiritalis; gignitur enim à mente Patris, quasi Verbum, ideoque purissimus est spiritus, ac omnis impuritatis carnalis osor et hostis. Superbia vitæ opponitur Spiritui sancto, quia ipse est spiritus humilitatis et lenitatis. Rursum eadem opponitur tribus primariis virtutibus; nimirum concupiscentia carnis continentiæ, puta sobrietati et castitati : concupiscentia oculorum charitati et beneficentiæ : superbia vitæ humilitati. Plura vide apud S. Bernard. serm. 1. in Octava Paschæ et serm. de diligendo Deo.

QUÆ NON EST EX PATRE, SED EX MUNDO EST.] Τὸ *quæ* refer non tantum ad superbiam vitæ, sed ad concupiscentiam triplicem jam dictam. Unde Syrus in plurali vertit : *quæ non sunt ex Patre, sed ex ipso mundo.* Porro concupiscentia est ex mundo, id est, ex mundi et mundanorum corruptione et vitio, qui rebus mundi nimio amore adhærent. Unde S. Cyprian. tract. de Mortal. et alibi legit : *Sed ex concupiscentia mundi aut sæculi.* Ludit enim eleganter S. Joannes in voce *mundus* hic, æque ac in Evangel. cap. 1. 10. dicens : *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.* Prius enim mundum vocat orbem, posterius mundum vocat amatores mundi. Et cap. 16. 9. *Non pro mundo,* id est mundo deditis, *rogo, sed pro his quos dedisti mihi,* etc. *Et jam non sunt in mundo, et hi in mundo sunt,* puta in orbe hoc. Simili modo ludit Paulus in voce *peccatum,* dicens : *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum,* id est, hostiam pro peccato, *fecit,* 2. Corinth. 5. 21. Et *Christus de peccato damnavit peccatum,* Rom 8. 3. Sicut ergo caro in Script. sæpe significat carnis corruptionem, concupiscentiam et vitia ; sic pariter mundus significat mundi, id est hominum mundanorum corruptos mores et amores.

Dat rationem cur mundus mundique concupiscentia non sit diligenda, quia scilicet non est ex Deo, sed ex mundo, id est ex mundana vita. Sub concupiscentia accipe bonum concupiscibile : hoc enim natum est ex concupiscentia. Hæc enim fecit ut res bona fieret concupiscibilis, perinde ac æstimatio et appretiatio hominum ponit pretium auro, argento cæterisque rebus. Unde ante Adami peccatum nullum erat in orbe bonum concupiscibile, sed Adam peccans et concupiscens fecit illud concupiscibile.

Concupiscentia ergo et bona concupiscibilia nata sunt ex Adamo concupiscente et peccante ; nam ab eo trahimus cum peccato originali concupiscentiam, indeque consequenter fit ut mundus hic fiat nobis objectum concupiscibile, ut scilicet opes, honores, deliciæ, etc., à Deo in bonum hominis creatæ, vertantur nobis in illecebras et irritamenta concupiscentiæ, dum eas nimio et immoderato amore appetimus et concupiscimus, juxta illud : *Creaturæ Dei factæ sunt in laqueum, et in tentationem animabus hominum, et in muscipulam pedibus insipientium,* Sap. 14. 11. Et cap. 4. 12. *Fascinatio,* ait, *nugacitatis obscurat bona, et inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia.* q. d. Fascinum vanitatis vel concupiscentiæ obscurat ea quæ honesta sunt. Species enim voluptatis, quæ est in concupiscentia et vanitate peccati, fascinat mentem, ut peccati turpitudinem et pœnas non videat, nec virtutis pulchritudinem et præmia consideret, vide dicta Jacobi 1. 14.

Porro, quia concupiscentia et peccatum Adæ factum est instigante dæmone, hinc Œcumen.

τὸ *ex mundo*, exponit, ex dæmone. *Si vero*, inquit, *pravus opponitur bono Patri, qui concupiscentiis mundi servit, non ex Patre, sed ex mundo. Eum qui ex Patre non est, sed ex mundo, ex diabolo esse perspicuum est. Quemadmodum in Evangeliis quoque ad Judæos ait : Vos ex patre diabolo estis hoc est, mundanis studiis, quorum diabolus est et sator et cultor.*

Ita dæmon sæpe à S. Joanne vocatur *princeps mundi* in Evangel. ut c. 11. 31. c. 14. 30. c. 16. 11.

17. ET MUNDUS TRANSIT ET CONCUPISCENTIA EJUS.] *Et*, id est, *quia*, ita enim sæpe sumitur Hebr. *vau*, id est *et;* est enim hic secunda ratio, cur mundus non sit diligendus; quia scilicet transit æque ac omnis concupiscentia ejus, id est, omne quod in eo est delectabile et concupiscibile, ut opes, deliciæ, voluptates, honores. Hoc est quod ait Christus : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*, Matth. 24. vers. 35. Et Paulus : *Præterit enim figura hujus mundi*, 1. Corinth. 7. vers. 31. Et S. Petrus epist. 2. cap. 3. vers. 11. *Cum igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, expectantes, et properantes in adventum diei Domini.* Plura vide Sapient. 5. 9. et seq. et S. Bernard. epistol. 107. et Nazian. de Vitæ itiner. ac Plutarch. in Orat. consolat. et Senecam lib. de Brevitate vitæ.

Porro mundus transit, quia tempus transit : mundus enim alligatus est tempori quasi suæ mensuræ, mensuratur enim tempore. Sicut ergo transit hora, dies, annus, et sol transit ab Oriente ad Occidentem : sic transit et mundus. *Traditur dies, die* ait Horat. mensis mense, annus anno, et Ovid. lib. 3. de Arte :

Venturæ memores jam nunc estote senectæ,
Sic nullum vobis tempus abibit iners.
Dum licet, et veros etiam nunc editis annos,
Ludite, eunt anni more fluentis aquæ :
Nec quæ præteriit rursum revocabitur unda,
Nec quæ præteriit hora redire potest.
Utendum est ætate, cito pede labitur ætas :
Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit.

Et Virgil. 3. Georg.

Fluxere interea pede tempora lapsa fugaci.

Præclare S. Hieron. Epist. 3. *Debemus*, ait, *nos animo præmeditari, quod aliquando futuri sumus, et quod velimus, nolimus, abesse longius non potest. Nam si nongentos vitæ excederemus annos, ut ante diluvium humanum vivebat genus, et Mathusalem nobis tempora donarentur, tamen nihil esset præterita longitudo, quæ esse desiisset : etenim inter eum qui decem vixit annos, et eum qui mille, postquam idem vitæ finis advenerit, et irrecusabilis mortis necessitas, transactum omne tantumdem est, nisi quod senex magis onustus peccatorum fasce proficiscitur.* S. Cyprian. lib. ad Demetr. fuse ostendit mundum senescere. *Deficit*, ait, *in agris agricola, in mari nauta, miles in castris, innocentia in foro, justitia in judicio, in amicitiis concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina.* Et mox : *Hæc sententia mundo data est, ut omnia orta occidant, et aucta senescant, et infirmentur fortia, et magna minuantur, et cum infirmata et diminuta fuerint finiantur.* Et S. Ansel. in cap. 12. ad Rom. *Nolite*, ait, *constanter mundum diligere, quando ipse quem diligitis non potest constare : incassum cor quasi manenter figitis, dum fugit ipse quem amatis.* Hæc ratio est à posteriori : tempus enim saltem natura posterius est mundo, perinde ac duratio posterior est re quæ durat. Prius ergo est mundum transire, quam tempus; sed à posteriori recte colligas. Transit tempus, ergo et mundus. Ratio à priori cur mundus transeat est, quia creatus est ex non ente sive nihilo; unde à Deo accepit esse participatum, ideoque tenue et mutabile, quod proinde natura sua tendit ad non esse, ut eo redeat unde venit.

Ex adverso æternitas est propria Deo, quia Deus habet esse per se increatum, ideoque stabile, constans, immutabile et æternum. Rursum mundus non est simplex, sed compositus, partim ex variis corporibus, partim ex materia et forma, partim ex actu et potentia, partim ex substantia et accidente, partim ex aliis corporibus, uti mixta constant elementis; omne autem compositum in suas partes quibus constat, quasi in sua principia et elementa resolvitur. Causa finalis est, ut à creaturis transeuntibus et mutabilibus mentem transferamus ad immutabilem, semperque stantem Creatorem. Hoc enim mutabilitate sua quasi muta voce inclamant omnes creaturæ, imo cor nostrum, juxta illud S. August. l. 1. Confess. c. 1. *Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Hanc causam subdit Joannes dicens :

QUI AUTEM FACIT VOLUNTATEM DEI, MANET IN ÆTERNUM,] tum quia anima semper manet, quæ migrans è corpore, si fecit voluntatem Dei, beabitur in æternum; tum quia corpus post mortem mox resurget immortale et gloriosum : sic enim Deus statuit, et suis promisit. Hoc est quod ait Psaltes psal 118. vers. 96. *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.* Et Christus : *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum.* Joan. 5. vers. 52. Ratio à priori est, quia amor instar chameleontis amantem conformat rei amatæ; amor enim est animæ impulsus, et quasi exitus in rem amatam : intellectio vero et cognitio è contrario est introitus et ingressus rei cognitæ in intellectum cognoscentem. Ita S. Aug. *Talis*, ait, *est quisque, qualis ejus dilectio est. Terram diligis, terra eris. Deum diligis, quid dicam, Deus eris? non audeo dicere ex me : Scripturas audiamus. Ego dixi : Dii estis, et filii Altissimi omnes. Si ergo vultis esse dii, et filii Altissimi, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* Res enim amata hic est Deus. Deique voluntas quæ est stabilis et æterna; ergo et amans eam evadit æternus. Id insinuat Osee c. 9. 10. dicens : *Facti sunt abominabiles sicut et ea quæ dilexerunt.* Hebr. *sicut amores eorum.* Et Jerem. Thren. 1. 8. *Peccatum peccavit Jerusalem, ideo instabilis facta est.* Vide ibi dicta. Vis ergo esse æternus? ama bonum æternum. Vis perpetuo frui re amata? ama rem æternam. Si enim amas rem caducam et labilem, cades, transibis et laberis cum labili; sin mentem et amorem figas in re stabili, cœlesti, divina, æterna, evades stabilis, cœlestis, divinus, æternus. Hæc est sapientia vera et sapientia Sanctorum. Fatui ergo sunt mundi amatores, qui pro stabilibus amant transitoria, pro æternis caduca, pro cœlestibus terrena, pro divinis humana, pro increatis creata; ideoque cum eis transeunt, imo pereunt et cruciantur in æternum. *Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* Ut quid non res, sed inanes et fugaces rerum opumque um-

bras sectamini? Tenere umbram non potestis, nec opes et honores umbraticos tenere poteritis. Da, Domine, nobis hanc sapientiam, *ut inter mundanas varietates, ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia.*

Præclare S. Aug. hîc : *Quare*, ait, *non amem quod fecit Deus? Quid vis? utrum amare temporalia, et transire cum tempore; an mundum non amare, et in æternum vivere cum Deo?* Deinde amatores mundi plus quàm Dei, cum mundus à Deo creatus et datus sit ad hoc ut per eum homines recordarentur Dei creatoris, comparat cum sponsa quæ annulum aureum datum à sponso plus amat quàm sponsum, qui sane adulterinus est amor, cum ipsa ad hoc eum dederit, *ut in arrha sua ipse ametur. Ergo dedit tibi Deus omnia ista, ama illum qui fecit ista. Plus est quod tibi vult dare, id est seipsum qui ista fecit : si autem amaveris hæc, quamvis illa Deus fecerit, et neglexeris Creatorem, et amaveris mundum, nonne tum amor adulterinus deputabitur?* Et Didymus : *Quicumque*, ait, *omnia contemnit, et supra mundum erit diligens Deum, et faciens voluntatem ejus qui permanet in æternum.* Et mox : *Justitia immortalis est, sic enim scriptum est : Justitia ejus permanet in sæculum sæculi.* Et : *Quasi tempestas transiens non erit impius, justus quasi fundamentum sempiternum.* Proverb. 10. 25.

Idem per umbram viderunt Philosophi. Audi Senecam epist. 59. *Quæcumque videmus ac tanginus, Plato in illis non numerat quæ esse proprie putat : fluunt enim et in assidua diminutione atque adjectione sunt.* Idemque : *Omnia ista quæ sensibus serviunt, quæ nos accendunt et irritant, negat ex his esse quæ vere sint.* Itaque subdit Seneca : *Igitur ista imaginaria sunt, et ad tempus aliquam faciem ferunt : nihil horum stabile ac solidum est.* Et mox : *Mittamus animum ad illa quæ æterna sunt, mirenur in sublime volitantes rerum formas, Deumque inter illas versantem.*

18. FILIOLI, NOVISSIMA HORA EST, etc.] Probat id quod dixit v. præced. *Mundus transit, et concupiscentia ejus*, ex eo quod jam novissima sit mundi hora, id est, novissimum tempus. Est synecdoche : per *horam* enim, utpote usitatissimam temporis mensuram, significat ipsum tempus. Sensus est, q. d. Scitote, ô fideles, novissimum jam mundi tempus instare, vel propemodum jam adesse, quo tempore Antichristum esse venturum sæpius audistis. Jam enim plures Antichristi in lucem prodierunt, quod signum est hanc ultimam esse mundi jam senescentis, imo pene agonizantis ætatem, et instare diem judicii; ac proinde cogitate vitam vestram in hoc mundo senescente non posse esse longam. Quare si sapitis, avellite vestram mentem et amorem à mundo, ejusque concupiscentiis vanis et caducis; eamque totam in res cœlestes et æternas, ac in Deum ipsum defigite; juxta illud Pauli : *Hora est jam nos de somno surgere*, Roman. 13. v. 11. Rursum cum in mundi vitæque brevi hac hora tot instent ab hæreticis et impostoribus pericula, omni cura, attentione et sollicitudine cavete, ne ab eis in hæresin, impietatem et gehennam abducamini. Ita OEcumen. et Didymus : *Merito*, inquit, *ad proprium finem considerandum unumquemque inducit, ut quasi extrema vitæ hora unicuique instet, sobrietas subsequatur, atque ita vita immaculata, et actionum puritas inter Christianos semper versetur*, illud juxtà S. Petri epist. 2. c. 3. 14. *Propter quod charissimi hæc expectantes, satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace;* nam, ut idem ait v. 8. *Apud Dominum mille anni sicut dies unus.* Vide ibi dicta.

Nota. *Horam novissimam* vocat tempus novissimum. Ita Syrus, aut potius et magis præcise, hora non significat tempus, sed temporis unam partem. Tempus enim partimur in horas; novissima ergo hora est novissima temporis pars, sive ultima sæculi mundique ætas, de quo mox plura. Ita S. Aug. Epistol. 80. ad Hesychium. Dicitur novissima respectu originis et durationis mundi, ac præcedentium ejus partium, statuum et ætatum, si videlicet tempus omne ab origine mundi dividas in primum, medium et novissimum, ait ex S. Chrys. OEcumen. puta in tempus legis naturæ, legis Mosaicæ et legis gratiæ. Vocat novissimam, ut significet hanc ultimam esse legem, religionem et statum Ecclesiæ, nec aliam expectandam, uti expectant Judæi suum Messiam, ejusque regnum et Ecclesiam.

Addit ex S. Chrys. OEcumen. *vel novissima*, inquit, *id est pessima.* Sicut enim dicimus de ægro jam desperato. Iste æger ad extremum mali et morbi pervenit; sic de mundo dicit S. Joannes eum ad novissimum, id est, summum malorum pervenisse. *Extremam horam*, inquit, *appellavit quasi pessimam dicas, ut quæ ultimo loco quasi fæx et sentina desederit.* Huc accedit Ribera in epist. ad Heb. in cap. 9. n. 113. et seq. *tempus novissimum*, inquit, est tempus seductionis et impostorum, puta hæreticorum et Antichristianorum : horum enim caput erit Antichristus, qui novissima mundi ætate venturus est. Hæc expositio valde huic loco congrua et propria est : probat enim S. Joannes hanc esse ultimam mundi horam, id est ætatem, ex eo quod jam Antichristus, imo Antichristi multi exorti sint; Antichristus autem venturus sit ultima mundi ætate. Accedit Glossa, Cajetanus, Dionys. et alii, qui horam novissimam interpretantur similem novissimæ, quia scilicet hæreses et persecutiones suscitat, quales suscitabit finis mundi, puta Antichristus.

Porro, hæc novissima mundi hora, id est ætas, magnam habet latitudinem. Sicut enim prima mundi hora, id est ætas, in lege naturæ duravit bis mille annos, ac totidem secunda in lege Mosis, sic pariter nonnulli conjectant quod totidem durabit ætas tertia in lege Christi, de quo plura Apocal. 20. v. 5. et 7. Quare falsi sunt primævi fideles, qui putabant instare diem judicii, ac Neronem censebant esse Antichristum, quos redarguit S. Paulus 2. Thessal. 2. Sic S. Cyprian. suo ævo censuit instare finem mundi lib. 4. epistol. 6. et S. Hier. de Monogam. et S. Gregor. lib. 4. epist. 38. et Lactant. lib. 7. c. 25. Causam erroris indicabo Apoc. 20.

Sic *hora* sumitur pro ætate et sæculo Matth. 20. ubi Deus vocat operarios in vineam, id est, Ecclesiam suam, hora prima, sexta, nona et undecima diei, id est prima, secunda, tertia, et quarta sive ultima mundi ætate. Huc alludit S. Joannes, et horam undecimam vocat novissimam. Ratio phrasis est hebraismus : Hebræi enim horam vocant עת *et*, id est *tempus*, quasi notissimam temporis partem, licet Chaldæi horæ proprium dent nomen שעה *scaa* à verbo שעה *scaa*, id est *respexit, intuitus est;* quod homines

in actionibus suis respiciant ad horas, eisque actus suos dirigant et mensurent. Sic Christus ait Joan. 5. 25. *Venit hora, et nunc est quando mortui audient vocem filii Dei, hora*, id est tempus. Et cap. 4. v. 21. *horam* vocat tempus Christi, et legis novæ : *Venit hora*, id est tempus, *judicii ejus*. Familiaris est ergo S. Joanni hæc phrasis, ut omne hoc tempus ob brevitatem vocet *horam*. Sic et Latinis ac Græcis *hora*, teste Calepino, tempus significat, hoc est, quamcumque durationis partem, sive annum, sive diurnum, sive nocturnum spatium complectens.

Hinc quatuor anni tempora, hoc est hiems, ver, æstas, autumnus, *horæ* dicuntur, juxta illud Horatii. lib. 1. Carm. ode. 12.

Variisque, mundum temperat horis.

Item partes ipsæ in quas distinctus est dies, similiter *horæ* vocantur. Hæ apud Hebræos erant quatuor, puta prima, quæ incipiebat cum ortu diei ; tertia quæ post tres nostrates horas ab ortu solis ; sexta quæ in meridie ; nona quæ incipiebat post tres nostrates horas à meridie, et finiebatur in solis occasu. Unde et Romani noctem dividebant in quatuor vigilias, quasi horas. Postea tamen diem in duodecim horas partiti sunt, cujus partitionis hæc origo fuisse memoratur. Quodam tempore Hermes Trismegistus cum esset in Ægypto sacerdos, intuitus quoddam animal Serapi dicatum, eo quod illud in toto die duodecies urinam fecisset, pari semper interposito tempore, per duodecim horas diem dividi debere conjecit, ita ex Cicerone Pierius Hierog. 6. c. 4. Sic et Cynocephalus, qui per diem duodecies, puta horis singulis argutiore ululatu vociferatur, duodecim diei horas indicat, ait Pierius ibidem. Sic Plinius *horam anni* vocat partem anni lib. 9. cap. 35. et Terentius in Eunuch. *Hora abiit*, id est, tempus elapsum est. Hinc et Ovidius 2. Metamorph. horas fingit esse deas et ministras solis. Et Cicero act. 3. in Verrem : *Ut cum horis nostris*, inquit, *nos essemus usi, ut binis ludis interpositis quadragesimo post die responderes.* Horas suas ait Asconius, vocat dies viginti, qui accusatori dabantur ad accusandum legitimi, totidemque defensori. Hinc et Pierius Hierolog. 29. cap. 18. ait Ægyptios significare horas per equum fluviatilem, qui stato tempore stata mensura agri partem depascitur ; hora enim pro tempore cujuscumque maturitatis accipitur. Unde Græci omnes fructus æstivos horæos dicunt, et tempus maturitatis, per excellentiam vocant horam ; ὡρα enim sive ὡραιοτης est *decor*, pulchritudo, maturitas, tempestivitas, tempus florens et opportunum. Idem Hierogl. 33. cap. 49. horas dictas censet ab Horo rege Ægypti, qui à nomine suo quatuor anni tempora, quibus res quæque maturantur, horas vocitavit ; quod deinde ad 24 diei horas translatum est, quas Homerus solis filias dixit : de quibus extat fabula, scilicet Horomazen. 24. deos in ovum inclusisse : id cum Arimanii perforassent, bona malis immixta prodiisse, atque ita quantacumque fruamur jucunditate, serus quid vesper vehat nescire. Plura de hora dixi Isaiæ 38. 8.

Moral. Disce hîc brevitatem vitæ. Si enim totum hoc mundi sæculum est una hora, eaque novissima, sane vita cujusque hominis quæ hujus sæculi minima est portio, nequit esse amplius quam hora, imo horæ istius minima portio. Vis ergo nosse quanta sit ætas tua qui tibi Nestoris annos promittis, imo ita vivis ac si æternus fores ? Hora est, horaria est vita tua : horarii sumus omnes ; senes sunt in ultima vitæ hora, imo horæ unius parte : juvenes horam integram longamque sperant, et sibi polliccntur, sed sæpe in horæ exordio abripiuntur et moriuntur, juxta illud S. Hier. *Juvenis potest cito mori, senex diu vivere non potest.* Hinc Gentiles horam juventutis et pulchritudinis deam vocabant. Audi Ennium :

Teque, Quirine Pater, veneror, horamque Quirini.

Hora ergo monet nos diligentiæ, ut diligentissimam temporis nobis concessi, utpote brevissimi instar horæ, rationem habeamus. Sic Cicero Act. 3. in Verrem : *Hîc tu fortasse*, ait, *eris diligens ; ne quam ego horam de meis legitimis horis remittam. Horis*, inquit Asconius, *mire dixit, cum sint dies, ut ostenderet nimiam diligentiam.* Cogita si medicus vel judex tibi diceret : Para te ad mortem ; post horam enim certo morieris, quanto studio et sollicitudine conscientiam expiares, quantos actus contritionis, et charitatis eliceres, quàm omnia tua in bona opera expenderes. Idem facito nunc ; vita enim tua non est nisi hora. Rursum, affligeris, ægrotas, fames, æstuas, calumniam sustines, etc., tolera, modicum sustine : horaria erit afflictio, post horam transibis ad beatam æternitatem. *Tempus breve est*, ait S. Paulus 1. Cor. 7. 29. *Reliquum est, ut qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur.* Quocirca hac Joannis sententia Melania Romanorum nobilissima et ditissima, suis persuasit omnia vendere, Roma excedere, ac proficisci in terram sanctam : *Filii*, inquit, *plus quàm quadringentis abhinc annis scriptum est : Ultima hora est. Quid ergo lubentes ac volentes immoramini in vanitate vitæ ? ne forte veniant dies Antichristi, et non possitis frui vestris opibus et rebus majorum vestrorum.* Dictitabat enim (ut existimabat) cum urbe orbem pariter esse ruiturum, ut recte advertit. Baron. Profecta ergo est cum suis Hierosolymam, ibique quadragesimo die defuncta est, ac mox Barbari Romam vastarunt, adeo ut Roma fieret ρυμη, id est, *vicus*, uti prædixerat Sibylla. Tunc ei credentes asseclæ *laudaverunt Deum, qui rerum mutatione persuasisset incredulis, quod aliis omnibus redactis in servitutem, eæ solæ salvæ fuerint familiæ, quæ Domino fuerunt holocausta studio beatæ Melaniæ*, ait Palladius in Lausiaca cap. 118. Porro hæc vastitas Romæ illata est ab Alarico Rege Gothorum anno Christi 410. Simili modo Apocal. 10. 6. angelus apparens S. Joanni jurat per viventem in sæcula sæculorum, *quia tempus non erit amplius*, de quo ibidem plura.

Denique præclare S. Basil. in Moral. regula 80. cap. 21. in fine : *Quid proprium*, ait, *Christiani ? Quotidie ac singulis horis vigilare, et assidue paratum esse ad eam perfectionem, per quam placeat Deo illud scientem, venturum esse Dominum illa hora, qua non sperat.*

ANTICHRISTUS VENIT.] De Antichristo, quis qualis, et quando futurus sit, fuse et plene dixi 2. Thessal. 2. non habeo quod illis addam.

ET NUNC ANTICHRISTI MULTI FACTI SUNT.] *Antichristi*, id est, contrarii Christo, et veri Antichristi prodromi, quia æque ut ille Christi fidem, religionem, Ecclesiam, Sacramenta, etc.,

imo ipsam Christi personam et naturam impugnant. Notat enim hæreticos sui ævi, quorum alii negabant Christum esse Deum, alii esse verum hominem. Tales fuere Ebion, Cherinthus, Saturninus, Basilides, Menander, Simon hæreticorum primipilus, eorumque asseclæ : de quibus ait Paulus : *Mysterium jam operatur iniquitatis*, 2. Thess. 2. 7. vide ibi dicta. Vere sanctus Augustinus (vel potius Rabanus) tractatus de Antichr. : *Antichristus*, ait, *multos habet suæ malignitatis ministros, ex quibus multi in mundo præcesserunt, qualis fuit Antiochus, Nero, Domitianus. Nos quoque, nostro tempore Antichristos multos novimus esse. Quicumque enim sive laicus, sive canonicus, sive monachus contra justitiam vivit, et Ordinis sui gloriam impugnat, et quod bonum est blasphemat, Antichristus est, minister Satanæ.* Hæretici ergo sunt Antichristi. Ita S. Hilar. scribens ad Constantium Imp. Arrianum, eum vocat Antichristum. Verba ejus citavi 1. Petri 3. v. 14.

UNDE SCIMUS QUIA NOVISSIMA HORA EST] q. d. Novissimo tempore veniet Antichristus ; jam autem videmus præcursores hæreticos : unde, signum est appropinquare tempus novissimum, sicut cum videntur præcursores regis et exercitus, signum est eum appropinquare ; et cùm in aurora videntur radii solis, signum est eum oriri. Ita OEcum. *Si Antichristum*, ait, *expectamus, nunc autem Antichristi multi versantur in hac vita, manifestum est quod tempus consummationis immineat, dum multi Antichristi unum præcedunt, iterque illi parant.*

19. EX NOBIS PRODIERUNT.] S. August. et S. Cyprianus legunt *exierunt ;* omnes enim hæretici fuerunt Catholici, vel veri, vel ficti : hæreticus enim est qui à fide Christi semel suscepta apostatat, et abit in hæresin. Audi S. Cypr. lib. 1. epist. 8. et de Unit. Eccles. sive de Simplic. Prælat. *Cohærere non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluvia cum serenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas. Nemo existimet bonos de Ecclesia posse discedere ; triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subvertit, inanes paleæ tempestate jactantur, invalidæ arbores turbinis incursione evertuntur. Hos execratur et percutit Joannes Apostolus, dicens : Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis : hinc hæreses factæ sunt frequenter, et fiunt, dum perversa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet unitatem.* Et S. Hieron. *Foras* (inquit) *prodeunt ut publice colant, quod intus prius venerabantur.* Et S. August. *Ipso* (inquit) *exponente* (Joanne Apostolo) *intelligetis non posse exire foras nisi Antichristos ; eos autem qui non sunt Christo contrarii foras exire nullo modo posse. Qui enim non est Christo contrarius, in corpore ipsius hæret, et membrum computatur.* Paulo autem post explicans quomodo quidam sint nobiscum, nec tamen sint ex nobis : *Sic sunt* (inquit) *in corpore Christi, quomodo humores mali quando evomuntur, tunc relevatur corpus ; sic et mali quando exeunt, tunc Ecclesia relevatur ; et dicit quando humores eos evomit atque projicit corpus : Ex me exierunt isti, sed non erant ex me. Quid est, non erant ex me ? non de carne mea præcisi sunt, sed pectus mihi premebant cum inessent. Ex nobis exierunt ; sed nolite tristes esse ; non erant ex nobis.*

NON ERANT EX NOBIS, quia, ut explicans subdit nobiscum non erant permansuri, nisi ad tempus, NAM SI FUISSENT EX NOBIS, PERMANSISSENT UTIQUE NOBISCUM,] constanter et semper, q. d. Non erant veri, genuini et solidi Christiani ; quia non habebant virtutem et constantiam Christianam : unde veram et genuinam indolem fidei, gratiæ et spiritus Christiani radicitus, id est constanter et stabiliter non imbiberant, ut eo se plane imbuerent ad fortiter resistendum omnibus tentationibus : hinc orta tentatione et persecutione illi cesserunt, fidem deseruerunt, factique sunt apostatæ : sicut herba quæ ex suo solo in aliud transplantatur, solis ardore percussa, illico arescit, quia non imbibit indolem et succum alterius soli. Sic 1. Mach. 5. 62. de Josepho et Azaria æmulis Judæ Machabæi dicitur : *Ipsi autem non erant ex semine virorum illorum per quos salus facta est in Israel.* q. d. Ipsi non erant Machabæi, non habebant indolem, prudentiam, fortitudinem, et opem Dei, quam habebat Judas cum fratribus ; unde Israelem non salvarunt, sed perdiderunt. Sic de civium suorum proditore dicebant Romani : Iste non est noster, non est Romanus, sed Pœnus, quia non habet Romanorum fidem, sed Pœnorum perfidiam. Sic Aman qui fuit Macedo, ut patet Esther. c. 16. 10. ob barbaram tyrannidem vocatur *Bugæus* c. 12. 6. id est, Agagæus : inde enim per aphæresin fit Gogæus inde Bogæus et Bugæus ; nam litteram b interdum poni pro g testatur S. Hier. in Locis Heb. ubi Byblum apud Ezechielem ait poni pro Gobel, vel Hyblo. Sensus ergo est, q. d. Aman tyrannus et proditor non tam videtur esse Macedo, quàm Agagæus, id est, oriundus ex stirpe Agag, ut habent Hebræa. Sic filius qui à patrum indole, affectu et virtute degenerat, dicitur non esse legitimus, sed spurius. Ita Saul Jonatham, utpote amicum Davidis sui hostis, vocat filium meretricis et spurium, 1. Reg. 20. 30. Sic Virgilius ait :

O vere Phrygiæ, neque enim Phryges :

secutus Homer. dicentem : Ἀχαιδες, οὐκ ἐτ' Ἀχαιοι, q. d. *Estis Achivæ, non Achivi ;* estis feminæ, non viri, quia à virili Achivorum robore degenerastis, effeminati estis et transformati in feminas. Sic apostatæ à Religione dicuntur non fuisse vere Religiosi ; quia veram indolem, spiritum et constantiam Religionis non imbiberunt ; si enim imbibissent, non deficerent. Ita S. August. hîc : *Tentatio*, ait, *probat quia non sunt ex nobis : quando illis tentatio venerit, velut occasione venti volant foras ; quia grana non erant.* Talis fuit Judas, ait idem tract. 50. in Joannem : *Judas*, inquit, *iste non tunc perversus factus est, quando à Judæis corruptus Dominum tradidit. Non tunc periit, jam fur erat, et Dominum perditus sequebatur, qui non corde, sed corpore Dominum sequebatur.* Unde idem Aug. hoc loco : *De voluntate sua*, ait, *unusquisque aut Antichristus est, aut in Christo est : aut in membris sumus, aut in humoribus malis. Qui se in melius commutat, in corpore membrum est ; qui autem in malitia permanet, humor malus est, et quando exierit, relevabuntur qui premebantur.*

Secundo, multi exponunt sic, *non erant ex nobis*, scilicet per Dei præscientiam et prædestinationem, hoc est, non erant à Deo prædestinati et electi ; quia præsciti erant quod caderent et apostatarent. Hic sensus sequitur ex primo ; quia enim sua sponte, suaque incon-

stantia casuri erant : hinc à Deo tales fore præsciti sunt. Quidquid enim futurum est, id præscitur à Deo : ita Clemens Alexand. OEcum. Lyran. Glossa. Hugo. Intellige hæc de præscientia et prædestinatione ad fidem, gratiam et Ecclesiam, non autem ad gloriam beatitudinis æternæ. Hoc enim secretum tangere noluit S. Joannes, præsertim quia nonnulli qui exciderunt à fide et Ecclesia, resipiscunt, ad eam redeunt et salvantur, uti contigit Berengario, ac hodie multis ab hæresi resipiscentibus : ex adverso multi sunt manentque in Ecclesia reprobi, qui non sunt prædestinati ad gloriam, sed ad gehennam. S. Aug. tamen lib. de Bono persever. c. 8. hæc accipit de prædestinatis ad gloriam et præscitis ad gehennam; quia qui usque ad finem vitæ manet in fide, Ecclesia et gratia, hic est prædestinatus ad gloriam; qui vero ante vitæ finem egreditur nec regreditur, hic est præscitus ad gehennam. Et plerique omnes hæresiarchæ, excepto uno Berengario, semel egressi ab Ecclesia nunquam deinceps ad eam redeunt, unde sunt præsciti et reprobi. Porro cavendus est error aliquorum, qui hinc inferebant Dei reprobationem esse causam exitus ab Ecclesia, lapsus et damnationis reproborum, quem Semipelagiani falso impegerunt S. Augustino. Unde ipse se purgans art. 12. in articulis sibi falso impositis : *Voluntate*, ait, *exierunt, voluntate ceciderunt; et quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati; essent autem prædestinati, si essent reversuri, et in sanctitate ac veritate mansuri : ac per hoc prædestinatio Dei multis est causa standi, nemini causa labendi.*

Tertio, aliqui sic exponunt : *Non erant ex nobis;* quia antequam per apertum schisma vel hæresim exirent publice ex Ecclesia et fidelium cœtu, jam ante in animo occulte exierant. Exierunt ergo *ut publice coterent, quod intus prius venerabantur*, ait S. Hieron. lib. 1. in Jerem. sub finem. Hæresis enim est apex impietatis; nemo autem repente sit impiissimus, sed gradatim ad apicem evadit, uti docet egregie S. Cyprian. lib. 1. epist. 8. et de Unitate Ecclesiæ, ac Cyrillus catech. 6. Hunc sensum suadet id quod sequitur : *Sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis.*

Cathar. et Melchior Canus lib. *h.* de Locis cap. ult. ad 7. hoc accipiunt de solis Apostolis, q. d. Non erant ex nobis, id est, non erant ex numero Apostolorum. Verum hic sensus æquo est arctior; nam S. Joannes generatim loquitur de cœtu fidelium.

Præmunit hîc S. Joannes Christianos, ne turbentur si videant fideles, imo Episcopos, apostatare, et fieri hæresiarchas. Idem suos præmonuit Paulus Actor. 20. 30. Certe noster Salmeron ex Climacho censet ex 120. qui receperunt Spiritum sanctum in Pentecoste Actor. 2. quatuordecim factos esse hæresiarchas. Vide Vincent. Lirinen. contra profanas hæres. novitates, et Tertull. de Præscript. cap. 1. et seq. *Ex personis*, ait, *probamus fidem, an ex fide personas; Avolent igitur quantum volunt paleæ levis fidei, eo purior massa frumenti in horreum Domini reponetur.* Simul tacite S. Joannes monet fideles, ut cum metu et tremore salutem suam operentur, ut sint humiles, itaque constantiam à Deo emercantur, ne et de ipsis quandoque dicatur : *Prodierunt ex nobis, sed non erant ex nobis.* Hoc est quod ait Paulus Rom. 11. 20. *Tu fide stas, noli altum sapere, sed time*, etc., *alioquin et tu excideris.*

SED UT MANIFESTI SINT, QUONIAM NON SUNT OMNES EX NOBIS.] Clare Syrus : *Sed egressi sunt è nobis, ut innotescat eos ex nobis non fuisse.* q. d. Deus permisit eos apostatare ut proderetur eorum interna levitas, inconstantia, superbia, perfidia, quodque fidem, indolem et constantiam Christianam plane pleneque non imbiberant, ut eos jam publice suam hæresim et perfidiam prodentes, quasi pestes fugerent et caverent fideles. Hoc est quod ait Paulus : *Oportet hæreses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* 1. Corinth. 11. 19.

Hinc ergo nil habet Beza quo inferat, fideles à fide non posse deficere, sed tantum defectionem à fide signum esse eam non fuisse plene radicatam et roboratam, ut constans staret in omni tentatione et persecutione.

S. Aug. locis citatis hæc refert ad prædestinatos, et electos. q. d. Ex apostasia eorum manifestum evasit, eos non esse de numero prædestinatorum et electorum.

20. SED VOS UNCTIONEM HABETIS A SANCTO, ET NOSTIS OMNIA] q. d. Docui vos in hac hora novissima cavendos esse Antichristos, Antichristum venturum in fine mundi, etc.; sed non est necesse pluribus hæc docere, et Antichristos describere, ut eos dignoscatis; quia vos unctionem, id est, gratiam et sapientiam habetis à Sancto, puta à Christo (ita Beda et Salmeron) et consequenter à Spiritu Sancto (ita OEcum. Lyran. Cathar.) qui vos abunde de omnibus instruat, et Antichristos, hos qui Christo et unctioni ejus adversantur, demonstret. Voce enim unctionis notat Antichristos, ait Beda, æque ac Christum, ut mox dicam. Hoc est quod ait Christus Joan. 16. 13. *Spiritus docebit vos omnem veritatem, et ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.*

Quæres quænam hæc *unctio?* Primo, OEcum. et S. Hieron. lib. 2. in cap. 3. Habacuc, et Cyrill. Alexand. orat. ad Presbyt. Diaconos, et Monachos, accipiunt baptismum, in quo ungimur in vertice capitis.

Secundo, Cyril. catech. mystag. 3. et alii mox citandi accipiunt sacramentum Confirmationis, in quo ungimur in fronte.

Tertio, Emmanuel Sa accipit christianismum : sicut enim Christianus idem est quod unctus, sic christianismus idem est quod unctio.

Quarto, alii accipiunt fidem Christianam.

Quinto, alii gratiam.

Sexto, alii donum sapientiæ et intellectus.

Septimo, alii inspirationem Spiritus sancti.

Hæc omnia licet inter se diversa, eodem tamen redeunt; omnia enim hæc complectitur christianismus. q. d. Unctio, id est, Christiana fides, Christiana doctrina, Christiana religio. Christi gratia et sapientia vobis aspirata per Baptismum et Confirmationem, docebit vos omnia dogmata et officia veri Christiani, ac dignoscere et fugere hæreticos, quasi Antichristianos.

Ut hoc plenius intelligatur, notandum est, pro *unctionem* græce esse χρισμα, id est, *unctio* et *unguentum*. Unctio ergo pro unguento sive oleo sumitur. Unde S. Hieron. l. 2. in c. 3. Habacuc legit *unguentum;* hoc enim cum sit permanens; habetur, non ipsa unctio quæ transit. Alludit χρισμα ad nomen Christi. q. d. Habetis chrisma

à Christo, unctionem ab ungente, indeque estis et vocamini Christiani, ac facti estis mystici reges et sacerdotes per unctionem, qua uncti Deoque consecrati estis, tam in Sacramento Baptismi, quam Confirmationis, quod olim baptizatis, utpote adultis, dabatur mox à baptismo, tanquam τελείωσις, ut ait S. Dionys. id est, *complementum*, consummatio et perfectio baptismi ac christianismi; per unctionem ergo corporalem, accepistis spiritualem, puta per chrisma accepistis charisma et donum Spiritus sancti. Unde S. Cyrillus Catech. 3. mystag. Turrian. l. 2. pro epist. Pontif. c. 18. et Bellar. l. 2. de Sacram. Confirm. c. 5. et 8. hunc locum accipiunt de chrismate et Sacramento Confirmationis; quia in eo perfectam unctionem, id est, gratiam et illuminationem Spiritus sancti accipimus. Per unctionem enim hic non tam gratia sanctificans, quam donum prudentiæ et intellectus accipitur, et, ut S. Gregor. ait 5. Mor. 19. alias 20. allocutio intimæ inspirationis, quæ humanam mentem contingendo sublevat. Unde et S. Iren. l. 4. c. 43. vocat chrisma veritatis, hoc est, doctrinam: hoc enim donum olim dabatur baptizatis in baptismo, et magis in Confirmatione: unde baptizati illico prophetabant, id est, sublimia de Deo et Christo mysteria eructabant, ut patet Actor. 2. 6. cap. 10. 46. cap. 19. 6. et 1. Corinth. 14. Idem etiamnum datur in baptismo; conjunctum enim est cum gratia sanctificante, uti dixi Isaiæ 11. 1. licet non in tanta abundantia nunc detur.

Ad hæc omnia jam dicta alludit *unctio*, præsertim ad regale sacerdotium, quod Christianis tribuit S. Petrus epist. 1. c. 2. 9. Olim enim uti etiamnum, Reges, Prophetæ et Sacerdotes consecrabantur per unctionem, reges, ut à Deo illuminati et directi bene et prudenter regerent; sacerdotes, ut à Deo sanctificati et illustrati bene et prudenter sacra administrarent et docerent; Prophetæ, ut à Deo inspirati futura præviderent et prædicerent. Sic et Christiani in baptismo et Confirmatione inuncti gratiam accipiunt, qua et se suosque regant, quasi reges, futura bona et mala prævideant, quasi Prophetæ, ideoque hostias bonorum operum Deo offerant, quasi sacerdotes. Unde Prudent. in Psychom.

> Post inscripta oleo frontis signacula, per quæ
> Unguentum regale datur et chrisma perenne.

Sensus ergo est, q. d. Sicut unctio, id est, gratia et sapientia, quam in unctione recipiebant, docebat reges regere, Prophetas prophetare, sacerdotes sacra tractare et docere; ita unctio, id est, gratia et sapientia Spiritus sancti, quem in unctione corporalis Baptismi et Confirmationis accepistis, docebit vos ô Christiani omnia quæ ad Christianam fidem et vitam pertinent. Hisce de causis S. Joannes gaudet nomine unctionis: quia illud repræsentat Christum amorem suum, de quo proinde dicitur Cantic. 1. 2. *Oleum effusum nomen tuum*, atque ob ejus assiduam prædicationem S. Joannes sub idem hoc tempus, Romæ à Domitiano missus est in dolium olei ferventis, sed unctione Christi munitus illæsus exivit. Hinc et de Christo præcinuit Psaltes psal. 44. 8. *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis;* et Isaias c. 61. 1. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me*, et Petrus Actor. 10. 38. *Unxit eum Dominus Spiritu sancto et virtute.*

S. Athanasius epist. ad Serapionem, ait unguentum hoc esse Spiritum sanctum, puta cum suis donis et gratiis. In justificatione enim infunditur non solum gratia et charitas, sed et ipsemet Spiritus sanctus, ut docet Paulus Rom. 5. 5. et Concil. Trident. sess. 6. c. 7. et S. Aug. hic: *Unctio spiritualis*, ait, *ipse Spiritus sanctus est, cujus sacramentum est in unctione visibili;* et in Hymno *Veni, creator Spiritus*, etc. vocatur *spiritalis unctio.* Spiritus sanctus ergo animam inhabitans, illuminans, dirigens, opportuno tempore monet et suggerit quæcunque ejus saluti opportuna sunt; hæc est ejus unctio, id est illuminatio. Unde Clemens lib. 3. Constit. Apost. cap. 17. cæremonias Baptismi et Confirmationis explicans: *Baptismus*, ait, *datur in mortem Filii Dei, aqua adhibetur pro sepultura, oleum pro Spiritu sancto, sigillum crucis pro cruce; Chrisma, confirmatio confessionis est.* Imo S. Paulus 2. Corinth. 1. 21. *Qui*, inquit, *confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.*

Porro licet oleum varias habet dotes et virtutes, scilicet refrigerandi, exhilarandi, roborandi athletas, nutriendi, medendi ægris, ignem fovendi, impinguandi, quas mystice præstat unctio Spiritus sancti, juxta illud: *Impinguasti in oleo caput meum*, psal. 22. 5. et illud S. Ambr. lib. 1. de Sacram. cap. 2. *Occurrit presbyter, unctus es quasi athleta Christi; quasi luctamen hujus sæculi luctaturus, professus es luctaminis tui certamina; qui luctatur habet quod speret: ubi certamen, ibi corona.* Tamen propria ejus virtus est illuminare, lumenque fovere. Quocirca per chrisma et oleum proprie significari donum illuminationis, puta sapientiæ et intellectus, quod in Sacramento Confirmationis confertur, docent Patres. Amalarius libr. 1. de Eccles. Offic. c. 27. cur chrisma conficiatur ex oleo et balsamo, hanc dat causam: *Ut per oleum*, ait, *intelligamus rectam conversationem, quæ moderatur in mente per maturitatem sapientiæ; et per balsamum doctrinam, quæ bonum odorem præstat foris.* S. Ambrosius libr. de iis qui initiantur myster. c. 7. *Repete*, ait, *quia accepisti signaculum spiritale, spiritum scientiæ, spiritum sapientiæ et intellectus, spiritum consilii atque virtutis. Signavit te Pater, confirmavit te Christus Dominus, et dedit pignus Spiritus in cordibus tuis, sicut Apostolica lectione didicistis.* Ordo Romanus, qui vel S. Gregori jussu, vel paulo post ejus tempora est editus, hanc orationem ad benedicendum chrisma præscribens: *Dominator Domine Deus*, inquit, *in tuo nomine fiat hæc creatura jam chrisma et habeatur ut chrisma; forma crucis. signum frontis, sacri titulus bellatoris, in hoc chrismate mulceatur auditus, purificetur visus; ut talibus stipendiis Christi milites decorati, atque ambrosio rore madidi, imperanti serviant, non suadenti, et signati chrismate sancto, signiferi esse mereantur cœlestes.*

Rabanus Maurus lib. 1. de instit. Cleric. c. 30. *Signatur*, ait, *baptizatus cum chrismate per sacerdotem in capitis summitate, per Pontificem vero in fronte; ut priori unctione significetur Spiritus sancti descensio ad habitationem Deo consecrandam; in secunda quoque, ut ejusdem Spiritus sancti septiformis gratia cum omni plenitudine*

sanctitatis, et scientiæ et virtutis venire in hominem declaretur. Tertull. de Resurrect. carn. c. 8. agens de cæremoniis Confirmationis: *Caro*, ait, *ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima munietur; caro manus impositione obumbratur, ut et anima spiritu illuminetur.* Hugo Victor lib. 2. de Sacram. part. 7. c. 6. *unctionem* chrismatis in fronte servandam esse docet septem diebus. *Quia septem*, inquit, *sunt dona Spiritus sancti; alium diem habet sapientia, alium intellectus, alium consilium, alium fortitudo, alium scientia, alium pietas, alium timor.* Orig. homil. 7. in Ezech. *Oleum*, ait, *quo ungitur vir sanctus, oleum Christi, oleum sanctæ doctrinæ.*

Denique hoc loco abutuntur Novantes et Enthusiastæ, qui jactant se habere spiritum internum, quo illuminante intelligant S. Script. et dirigantur per omnia, ut interprete et doctore, aut Ecclesiæ judicio non sit opus. Verum graviter errant; hæc enim unctio illuminat fideles in iis quæ didicerunt, ut scilicet sciant retinenda esse fidei dogmata, quæ initio christianismi audierunt, nec audiendos esse Antichristos, qui ea oppugnant. Si enim in fide dubium, vel in Scriptura difficultas aliqua oriatur, eadem Spiritus sancti unctio docet non esse cujusque plebeii ea resolvere; sed consulendos esse Doctores et Prælatos Ecclesiæ. Hos enim eo fine posuit Deus in Ecclesia, uti docet S. Paulus Ephes. 4. 11. Idipsum enim poscit ordo Hierarchicus et recta ratio. Unde idipsum faciunt omnes resp. etiam Gentilium et Saracenorum.

Moraliter hic docemur, in omnibus dubiis, perplexitatibus, difficultatibus, invocandam esse unctionem Spiritus sancti, ac dicendum cum Josaphat rege: *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui ut oculos nostros dirigamus ad te.* 2. Paral. 20. 12. Porro quam Spiritus sanctus suorum mentes illuminet, quamque in eo omnia perspiciantur, egregie docet S. Cyrill. catechesi 16. *Cui*, ait, *Spiritus sanctus donatus est, anima illius illustratur, et plus quam homo cernit. In terra erit corpus, et anima cœlos contemplabitur. Videt ut Isaias cernebat Dominum super throno excelso et elevato; videt ut Ezechiel eum qui sedebat super Cherubim; videt ut Daniel myriades myriadum, et millia millium. Exiguus homo cernit principium et finem mundi, et medium temporum, et regum successiones. Scit quæ non didicerit; adest enim verus doctor lucis. Intus consistens homo, et virtus scientiæ procul à Deo illi immittitur, ita ut ea quæ fiunt ab aliis ipse cognoscat. Non adfuerat Petrus Ananiæ et Saphiræ, cum sua bona vendebant, sed per spiritum aderat. Quare, inquit, tentavit Satanas cor tuum, ut mentiaris Spiritui sancto? nullus erat accusator, nullus testis. Unde igitur hoc evenit ut nosset? Nonne, inquit, manens manebat tibi, et id quod vendidisti in potestate erat tua? Quare statuisti in corde tuo hanc rem? Qui erat absque litteris, per gratiam spiritus illa didicit, quæ ne Græcorum quidem sapientes noverant. Habes simile huic de Elisæo*, qui absens vidit Giezi accipientem dona à Naaman, ideoque ei revertenti ait: *Nonne cor meum ibat tecum? Hic ego corpore fueram conclusus, sed spiritus à Deo mihi datus, ea quæ procul aberant cernebat. Cernis quomodo illuminat animas Spiritus sanctus; tollit ignorantiam, et scientiam reponit.*

Mystice de triplici unctione, scilicet compunctionis, quæ sita est in peccatorum detestatione; devotionis, quæ sita est in beneficiorum Dei recordatione; pietatis, quæ sita est in proximorum commiseratione. Vide S. Bernard. serm. 10. et 22. in Cant. Idem serm. 2. de Pentec. Spiritus sanctus suis tribuit, inquit, *pignus salutis, robur vitæ, scientiæ lumen. Pignus quidem salutis, ut ipse Spiritus reddat testimonium spiritui tuo, quod filius Dei sis, qui certissima signa prædestinationis tuæ cordi tuo imprimat, et ostendat, qui donet lætitiam in corde tuo, et de rore cœli, si non continuo, tamen sæpissime mentem tuam impinguet. Robur vitæ, ut quod per naturam tibi est impossibile, per gratiam ejus non solum possibile, sed etiam facile fiat. Scientiæ lumen, ut cum omnia benefeceris, te servum inutilem putes, et quidquid boni in te inveneris, illi tribuas, à quo omne bonum est, sine quo non parum aliquid, sed nihil omnino potes incipere, ne perficere dicam.*

Et nostis omnia,] quæ scilicet jam dixi de retinenda fide, de cavendis Antichristis, de Antichristo venturo; *omnia* ergo intellige accommode, quæ fideles docentur, quæque eos scire convenit. Clarum enim est nec fideles, nec Doctores, nec ipsum Joannem et Apostolos scivisse omnia omnino. Unde Syrus vertit, *discernitis unumquemque hominem*, puta, ut Beda, *discernitis inter probos et improbos*, inter Christianos et Antichristianos. Simili modestia et phrasi ait Paulus 1. Thessal. c. 5. 1. *De temporibus et momentis non indigetis ut scribamus vobis; ipsi enim diligenter scitis.* Et S. Petrus Epist. 2. cap. 1. 12. *Incipiam vos semper commonere de his, et quidem scientes confirmatos vos in præsenti veritate.*

21. Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam.] Solent magistri laudare ingenium et scientiam discipulorum, ut eos sibi concilient, et ad acrius studendum extimulent. Ita hic facit S. Joannes, simulque insigne dat specimen modestiæ, q. d. Non hæc eo scripsi ut vos doceam, sed ut doctos confirmem et commonefaciam, *tanquam in memoriam vos reducens*, uti in simili ait Paulus Roman. 15. 15.

Et quoniam (quod) omne mendacium ex veritate non est.] Repete τοῖς *scientibus*. q. d. Scripsi hæc vobis scientibus veritatem; ideoque pariter scientibus quod mendacium ex veritate non est; mendacium vocat non Ethicum, quod est contra mentem loqui; sed Theologicum, quod est error, falsitas, hæresis. Indicat fontem hæresis et hæreticorum, quos Antichristos nominavit. q. d. Hæreticorum dogmata sunt errores et mendacia, ideoque non manant à Deo et Christo, qui est prima veritas, sed à diabolo qui est mendax et pater mendacii, hoc est, omnis hæresis et erroris, Joann. 8. 44. *Qui mentitur non est ex Christo*, ait Beda; unde colligit S. August. *Ecce*, inquit, *admoniti sumus quomodo cognoscamus Antichristum. Quid est Christus? Veritas ipse dixit: Ego sum veritas.* Joann. 14. 6. *Omne autem mendacium non est ex veritate; omnes igitur qui mentiuntur non sunt ex Christo.* Vide S. August. libr. Contra mendac. cap. 18. Nota hebraismum, *omne non*, id est, nullum mendacium est ex veritate. Aliter id accipiunt Logici in suis æquipollentiis; nam *non omne*, vel *omne non*, eis idem valet quod *aliquod non*, ut, omnis homo non est doctus, vel, non omnis homo est doctus, idem est quod aliquis homo non est doctus. Sed secus se res habet apud Hebræos.

Sic ait Eccles. cap. 7. 14. *Noli velle mentiri omne mendacium*, id est, nullum mendacium velis mentiri : *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*, Luc. 1. 37. id est, nulla res erit Deo impossibilis.

22. QUIS EST MENDAX (per antonomasiam, puta mendacissimus) NISI IS QUI NEGAT, QUONIAM (quod) JESUS EST CHRISTUS?] Ita Romani, sed alii Latini, Græci et Syri codices addunt *non*, leguntque, *quoniam Jesus non est Christus;* nam duplex negatio apud Hebræos magis negat, licet apud Latinos affirmet. Perperam aliqui apud Hugonem legunt : *Quoniam Jesus non est homo.* Explicat quodnam *mendacium* intelligat, nimirum gravissimum in fide et religione, adeoque in fidei summa et capite, puta hæresin Antichristianorum, qui negabant hunc hominem, scilicet Jesum esse Messiam et Christum, ac consequenter esse filium Dei, uti negabant Simon, Ebion, Cherintus, aliique Judaizantes prisci, æque ac moderni, contra quos S. Joannes tam Evangelium, quam epistolam conscripsit. *In hujus enim comparatione mendacii*, ait Beda, *cætera aut parva videntur, aut nulla :* Quid enim mendacius aut perniciosus dici fingique potest, quàm quod Jesus non sit Christus, id est, redemptor et salvator mundi? hoc enim est præcidere omnem fidem et spem salutis. Talis ergo est mendax per excellentiam, quia falsarius, hæreticus, sacrilegus, atheus, Antichristus. Hoc significat hic *mendax;* alioqui mendax Latinis proprie dicitur qui contra mentem loquitur, aliud sciens vel cogitans, aliud proloquens; sed et hi contra mentem loquebantur, quia Jesum esse Christum sciebant, vel scire debebant.

Audi Tertull. libr. de Præscript. cap. 33. *Joannes*, inquit, *in epistola eos maxime Antichristos vocat, qui Christum negarent in carne venisse, et qui non putarent Jesum esse Filium Dei. Illud Marcion, hoc Ebion vindicavit.* et Œcum. *Simon*, ait, *alium Jesum, alium Christum asserebat; Jesum videlicet, qui ex S. Maria ortus fuerat, Christum, qui in Jordanem de cælo descenderat.* Et Cyrill. catechesi 6. *Ex nobis*, ait, *prodierunt, sed non erant ex nobis. Horum dux et omnis hæreseos inventor et auctor est Simon Magus. Hic autem cum esset Romæ, posteaquam ab Apostolis rejectus est, et Græcam Selinen quamdam meretricem circumducens, ore nefando primus ausus est dicere seipsum esse Deum, qui in monte Sina tanquam Pater apparuit; ac deinde apud Judæos non in carne, sed in imagine tanquam Christus Jesus visus est; atque postea tanquam Spiritum sanctum à Christo mittendum se esse promissum. Et ita seduxerat civitatem Romanam, ut Claudius illi statuam erexerit, cum ea inscriptione in lingua Romana, Simoni Deo sancto.*

Porro, quàm fanaticos, insulsos et insanos Antichristos hoc sæculo produxerit hæresis, liquet ex Historia Anabaptistarum Arnoldi Meshovii, in qua inter alia libr. 1. cap. 17. narrat Carolstadium eorum parentem ex Theologiæ Doctore se fecisse agricolam et aratorem, eo quod diceret, cuique ex labore manuum esse vivendum, juxta legem Dei Genes. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, ac tandem tradit eum à diabolo abreptum, nusquam deinceps comparuisse. Cap. vero 19. narrat Jacobum quemdam jactitasse se esse Christum, et duodecim Apostolos Instituisse, qui miris fraudibus et imposturis populo imponebant, ac tandem hosce sycophantas in Silesia à matrona nobili mappam ad sacrificandum postulasse. *At mulier*, inquit, *fasciculum telæ illis obtulit, tunc illi : Hanc nobiscum accipiemus, et Christus tibi benedicet, ut tibi linum abundantius crescat, ostende aliam si habes. Quam cum similiter accipere vellent, mulier recusavit, maritum timens. Illi autem frustulum fomitis cum igne in telam clam involventes, mulieri reddiderunt. Itaque cista à tela, à cista vero domus accensa conflagravit. Viro domum reverso, uxor ob Christum cum Apostolis male tractatum, hoc sibi juste contigisse dixit; at vir iræ excandescens : Latro hic, inquit, nequissimus, et non Christus fuit. Itaque cum vicinis eos insequitur, et in quadam villa assequitur. Tum pseudochristus ad illum, qui vocatur Petrus, dixit : Jam mea passio, Petre, calixque quem bibiturus sum appropinquat. Cui Petrus : Et mihi, ut video, Domine, imminet. Ille vero dixit : Petre, ego aliter non possum nisi per fenestram hanc evadere; tum Petrus : Et ego te quoad vivam non derelinquam, sed quocumque fugeris sequar. Ergo per fenestram aufugit; cæteri quoque Apostoli qua potuerunt evaserunt. Rustici eos secuti baculis fustibusque cecidere, dicentes : Prophetiza nobis, Christe, cum tuis Apostolis, qua in silva baculi isti creverint. Ergo plagis emendati, vitam suam emendarunt, dicentes : Difficile est nobis Christi passionem Apostolorumque tormenta subire.*

Deinde libr. 2. cap. 15. narrat extitisse mulierem Abacellam nomine, quæ cum cæteros Anabaptistas Spiritum sanctum jactitare, quodque ab eo interpretationem sacræ Scripturæ discerent, audiret; ipsa quoque novi Testamenti, surrepto in manus codice sacrarum Litterarum, sensum cœpit populum docere; atque cum ad eum locum pervenisset, apud Deum nihil esse impossibile, Christum se verumque mundi Messiam, id possibile rata, constituit, conjunctis sibi ex fratrum grege viris duodecim, quibus ad propagandum Evangelium velut Apostolis uteretur. Hi foris nonnunquam egrediebantur, ac ruri agricolis Messiæ suæ doctrinam prædicabant. Libr. 5. c. 11. narrat Joannem Mathiæ arte pistorem, patria Harlemensem finxisse se esse Henoc, missumque à Deo, ut quasi verissimus Dei testis, fidelem in Hollandia populum ad novam Hierosolymam convocaret. Inter alia enim paradoxa docebat Christi regnum ante diem judicii civile in terra futurum, in quo soli Sancti, regibus ferro et vi sublatis dominarentur; id autem regnum esse jam cœptum Anabaptistarum. Lib. 7. toto narrat Joannem Bocoldum sartorem Leidensen occupasse urbem Monasteriensem in Westphalia, ibique se regem creasse, ac Christum nominasse, duodecim Apostolos elegisse, ut vicinos, ad novum Messiam adorandum advocarent, sed post horrenda dogmata et flagitia, expugnata ab urbis Episcopo urbe, candentibus laminis toto corpore laceratum, meritas sacrilegiorum suorum pœnas dedisse.

HIC EST ANTICHRISTUS QUI NEGAT PATREM ET FILIUM,] quia negando Christum esse Filium Dei, negant Deum ejus Patrem, ut sequitur. Pater enim et Filius sunt correlativa, quorum lex est, ut mutuo se ponant et tollant. Filius enim est Patris Filius, et Pater est Filii Pater; posito ergo uno ponitur et alterum : sublato uno necessario tollitur et alterum. Œcumen. opinatur hic perstringi Valentinum, *qui alium esse patrem innominabilem asserebat, præter eum qui pater Christi*

diceretur. Idem vero hæretici, inquit, *Filium quoque denegant, dum hominem solum esse ipsum, et non natura Deum affirmant.* Sic et Basilides alium quemdam Patrem confinxit, à quo νους id est *mens*, inde λογος, id est *verbum*, productum sit. De quo Iren. lib. 1. cap. 23. Tertull. de Præscript. Epiphan. hæresi 24. et alii.

23. OMNIS QUI NEGAT FILIUM NEC PATREM HABET (tanquam in quo maneat, nec tanquam manentem in se, ait Cajetan. quia generationem ejus æternam non credit, ait Dionys.) QUI CONFITETUR FILIUM ET PATREM HABET,] ita Roman. et Latini omnes, ac Syri et Græci multi; nonnulli tamen delent τὸ *qui confitetur Filium et Patrem habet.*

HABET] scilicet in mente et fide, ac consequenter in ore et confessione, id est ut Syrus vertit, credit, vel confitetur Patrem. Alludit ad illud Evang. cap. 5. 38. *Verbum ejus* (Patris) *non habetis in vobis manens, quia quem misit ille, huic vos non creditis,* ubi pariter τὸ *habetis*, exponit per *creditis.* Simili phrasi dixit c. 1. v. ult. *Verbum ejus non est in nobis.* Et hoc cap. v. 5. *In hoc scimus, quoniam in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manere,* etc. et v. 24. *Vos quod audistis ab initio in vobis permaneat.* Per fidem enim, spem et charitatem Deus Pater, Filius et Spiritus manent in nobis; ac consequenter eos habemus in nobis, sicut templum in se habet, et continet Eucharistiam: anima enim sancta realiter est templum Dei inhabitantis.

Perstringit hæreticos judaizantes; Judæi enim negant mysterium SS. Trinitatis. Dicunt enim unum tantum esse Deum, in una duntaxat persona, æque ac in una duntaxat natura existentem, ac consequenter negant Christum esse Deum, Deique Filium. Unde Christus in Evangelio S. Joannis passim contra eos disputat, probatque se esse Filium unigenitum Dei Patris. Vide c. 3. 35. c. 5. v. 18. et seq. et v. 36. usque ad finem capitis, c. 6. 58. etc. *Si enim,* ait Œcumen. *Patrem novissent, eum quoque filii unigeniti Patrem esse procul dubio percepissent.* Præsertim, quia qui ignorat Trinitatem, ignorat et Deitatis naturam, eam scilicet esse tam plenam et fœcundam, ut personarum pluralitatem exposcat, et tribus se communicare efflagitet, adeo ut si unam personam sustuleris, totam divinitatem sustuleris, et hoc significat hic S. Joannes. Simili modo ait Christus Philippo: *Philippe, qui videt me, videt et Patrem,* etc. *Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est?* Joann. 14. 10. Qua sententia significatur et pluralitas personarum, et identitas essentiæ divinæ, ac intima et perfecta inhabitatio unius personæ in alia, et è converso, quam Damascenus l. 1. de Fide c. 11. vocat περιχωρησιν, ac ex Damasceno Doctores Scholastici *circumincessionem.* De quo sublimi mysterio sublimiter disputat S. August. lib. 6. de Trinit. c. ult. S. Hilar. lib. 4. de Trinit. Ambrosiaster. in epist. 2. ad Corinth. cap. 13. *Singula,* ait S. August. *sunt in singulis* (personis) *et omnia in singulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, et unum omnia.*

Denique S. Cyprian. de Exhort. mart. cap. 5. et Hilar. lib. 6. de Trinit. ultima verba sic legunt: *Qui habet Filium, et Filium et Patrem habet,* scilicet benevolum et faventem. Sic quoque legit S. August. sed explicat de cultu et veneratione. q. d. Qui colit Filium, colit et Patrem; nequit enim colere Patrem, qui non colit Christum ejus Filium, juxta illud: *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum,* Joann. 5. 23.

24. VOS QUOD AUDISTIS AB INITIO, IN VOBIS PERMANEAT.] Est Hebraica verborum trajectio, quam latine sic ordines: Quod vos audistis ab initio, id in vobis permaneat. q. d. Constanter perseverate in fide, doctrina et vita Christiana, quam primitus accepistis; sic enim vera fides manebit in vobis, et vicissim vos manebitis in vera fide, religione et cultu Dei. Quare, *si quis evangelizaverit, præterquam quod accepistis, anathema sit,* ait Paulus Galat. 1. 9. Ideoque *doctrinis variis et peregrinis nolite abduci,* Hebr. 13. 9. Præclare S. Cyprian. epist. 40. *Admoneo,* inquit, *pariter et consulo ne perniciosis vocibus temere credatis, ne fallacibus verbis consensum facile commodetis, ne pro luce tenebras, pro die noctem, pro cibo famem, pro potu sitim, venenum pro remedio, mortem pro salute sumatis.*

SI IN VOBIS PERMANSERIT QUOD AUDISTIS AB INITIO (eo modo quo jam explicui), ET VOS IN FILIO ET PATRE MANEBITIS.] q. d. Adhærebitis Filio et Patri per veram fidem, spem et charitatem quod vers. præced. dixit: *Qui confitetur Filium, et Patrem habet,* adde et Spiritum sanctum, quia hic in Patre et Filio includitur. Pater enim et Filius sunt spiratores Spiritus sancti; unde in plena suî ratione et essentia includunt vim spirativam, imo actualem spirationem Spiritus sancti. Sanctus Joannes tamen non nominat Spiritum sanctum, sed Filium et Patrem, quia de Spiritu sancto tunc nulla erat quæstio, sed duntaxat de Filio, puta Christo, et consequenter de Patre. Simoniani enim et Cerinthiani negabant Jesum esse Deum, Deique Filium. Hinc et Filium præponit Patri, præsertim quia *nemo venit ad Patrem nisi per filium,* Joann. 14. 6. *Nullus enim divinæ gloriæ celsitudinem videbit, nisi qui per sacramenta humanitatis, quam Filius suscepit, renatus est,* ait Beda et Thomas Anglicus.

Porro ex eo quod *vos in Filio et Patre manebitis,* vicissim Filius et Pater manebunt in vobis Nam, ut explicat Œcumen: *In Filio,* inquit, *et Patre manebitis, hoc est, conjunctionem et communicationem cum eo habebitis,* juxta promissum Christi Joann. 14. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Quo loco Augustinus: *Ecce,* inquit, *facit in Sanctis cum Patre et Filio Sanctus etiam Spiritus mansionem, intus utique tanquam Deus in templo suo. Deus Trinitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus veniunt ad nos, dum venimus ad eos; veniunt subveniendo, venimus obediendo; veniunt illuminando, venimus intuendo; veniunt implendo, venimus capiendo, ut sit nobis eorum non extraria visio, sed interna; et in nobis eorum non transitoria mansio, sed æterna.*

25. ET HÆC EST REPROMISSIO (id est, res promissa), QUAM (Vatabl. legit *qua*, sed græce est ην id est, *quam*) IPSE POLLICITUS EST NOBIS (si in ipso maneamus) VITAM ÆTERNAM.] S. Aug. legit. *vita æterna*, idque clarius est et latinius. Est antiptosis Hebraica. Similis est v. 27. *Unctionem quam accepistis ab eo maneat in vobis; unctionem,* id est unctio, et in Evang. c. 14. 24. *Sermonem,* id est sermo, *quem audistis*, et psal. 117. 22. *Lapidem*, id est lapis, *quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Similis est apud Latinos, ut apud Terent. prol. Andr. *Populo*

ut placerent quas fecisset fabulas, et Virgil. *Urbem*, id est urbs, *quam statuo vestra est.*

Aliter Gagneius : Manere, inquit, in Filio et Patre promissio est, quam nobis pollicitus est in Evangelio orans pro nobis Patrem Dominus Joan. 17. 20. *Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum, ut omnes unum sint, et sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.* Bene ergo ait de hoc Joannes. Hæc est promissio quam pollicitus est nobis, quæ quidem est vita æterna : vita enim æterna est manere in Deo, eoque frui hîc per gratiam, in futuro per gloriam. Huc accedit OEcum. qui τὸ *et* accipit, ut causale pro *quia*, q. d. Manebitis in Filio et Patre, quia hoc ille pollicitus est : cum vitam æternam pollicitus est. Verum prior sensus simplicior et germanior est.

Acer hic est stimulus, quem fidelibus ad constantiam in fide contra hæreticos, et omnem virtutem dat S. Joannes, nimirum promissio et merces vitæ æternæ : *Memoria promissæ mercedis perseverantem te faciat in opere*, ait Beda : *Videamus*, inquit S. August. *quid promisit. An argentum? An possessiones? An amœna prædia? Non est hæc merces ad quam nos hortatur, ut in labore duremus. Quid igitur merces ista? vita æterna.* Subjicit deinde Deum promissis jungere minas, ac ni pareamus minari mortem æternam, imo ignem æternum. *Minatur*, ait, *mihi potens homo, ut aliquid mali faciam : quid minatur? Carceres, catenas, ignes, tormenta, bestias : numquid ignem æternum? Exhorresce quod minatur omnipotens, ama quod pollicetur omnipotens, et vilescit omnis mundus, sive promittens, sive terrens.*

27. ET VOS UNCTIONEM QUAM ACCEPISTIS AB EO, MANEAT IN VOBIS.] Est hyperbaton, sive verborum trajectio, quæ sic clare ordinanda est : *Et quam vos accepistis unctionem ab eo, maneat in vobis.* Ita enim non solum Hebræi, sed et Latini loquuntur, ut ostendi v. 25. unde nonnulli codices clare pro *unctionem* legunt, *unctio.* Sic et Syrus : *Sed et vos*, inquit, *si permanserit vobiscum illa unctio, quam accepistis ab eo, necesse non habetis ut quis vos doceat. Unctionem* vocat gratiam Spiritus sancti, puta donum sapientiæ et intellectus fidelibus inditum in Baptismo, et auctum in Confirmatione : hæc enim gratia et sapientia ungit imbuitque animam quasi unguentum spiritale fragrantissimo odore et sapore rerum divinarum, æque ac unguentum corporale, puta chrisma ungit imbuitque corpus fragrantia corporali. Vide dicta v. 20.

ET NON NECESSE HABEBITIS UT ALIQUIS DOCEAT VOS, SED SICUT UNCTIO EJUS DOCET VOS DE OMNIBUS.] Subaudi, *manete in eo*, uti post brevem parenthesin subdit S. Joannes. Aliqui codices supplent, *ita faciatis.* Agit contra pseudoapostolos, puta hæreticos, quos v. 18. vocavit Antichristos. idipsum S. Joannes clare vers. præced. significavit, dicens : *Hæc scripsi de his qui seducunt vos.* Sensus ergo est, q. d. Non est necesse ut pseudoapostoli et hæretici vos doceant veram fidem et doctrinam; jam enim eam didicistis ab ipsis Christi Apostolis, cooperante unctione Spiritus sancti, quem in Baptismo et magis in Confirmatione accepistis ; necesse est enim ut quod Apostoli foris per vocem docent, idipsum Spiritus sanctus interius per gratiam et illuminationem vos doceat, juxta illud Isaiæ 54. 13. *Ponam universos filios tuos doctos à Domino;* quod S. Joannes Evang. c. 6. 45. vertit, *et erunt omnes docibiles Dei.* Deus enim est *qui docet hominem scientiam*, ps. 93. 10. In hac ergo doctrina quam Apostoli exterius, Spiritus sanctus interius vos docuit, manete et perseverate. Vide Bellarm. lib. 3. de Verbo Dei c. 3. et seq. ubi et addit : *Simile*, inquit, *esset, si Catholicus Catholicis quos perturbarent hæretici, scriberet. Non necesse habetis ut Lutheranus aut Calvinista doctrinam vos doceat Christianam; quia quæ vos oportet scire, plene didicistis et tenetis ex prædicatione Ecclesiæ, adjuvante unctione Spiritus sancti.*

Simili modo S. Petrus hortatur fideles ad constantiam in fide dicens epist. 1. c. 5. 12. *Breviter scripsi vobis, obsecrans et contestans hanc esse veram gratiam Dei, in qua et statis*, et Paulus Coloss. 1. 6. *Cognovistis gratiam Dei in veritate, sicut didicistis ab Epaphra charissimo conservo meo.* Ita Interpretes ac S. August. unctionem hanc explicant : *Quantum ad me pertinet*, inquit, *omnibus locutus sum, sed quibus unctio illa intus loquitur, quos Spiritus sanctus intus non docet, indocti redeunt. Magisteria forinsecus adjutoria quædam sunt, et admonitiones; cathedram in cœlo habet, qui corda docet : de Domino dico. Propterea ait et ipse in Evangelio : Nolite vobis dicere magistrum in terra, unus est magister vester Christus; ipse vobis intus loquatur, quando nemo hominum illic est; quia etsi aliquis est à latere tuo, nullus est in corde tuo; et non sit ullus in corde tuo, Christus sit in corde, unctio ipsius sit in corde; ne sit in solitudine cor sitiens, et non habens fontes, quibus irrigetur interior; ergo magister est qui docet, Christus docet, inspiratio ipsius docet, ubi illius inspiratio, et illius unctio non est, forinsecus inaniter perstrepunt verba.* Et S. Greg. hom. 30. in Evang. citans hæc verba S. Joannis illaque Evangelii ejusdem explicans : *Ipse vos docebit omnia : Quia nisi idem Spiritus*, ait, *cordi adsit audientis, otiosus est sermo doctoris.* Mox autem recte subdit : *Non ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit, quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat. Ecce unam loquentis vocem omnes pariter auditis, nec tamen pariter sensum auditæ vocis percipitis. Cum ergo vox dispar non sit, cum in cordibus vestris dispar est vocis intelligentia, nisi quia per hoc quod vox loquentis communiter admonet, est magis interior qui de vocis intelligentia quosdam specialiter docet?*

Quod ergo ait : *Unctio ejus docet vos de omnibus*, commode accipe *de omnibus*, scilicet jam dictis, quæ audistis et scitis, puta de omnibus articulis fidei contra hæreticos retinendis, cæterisque quæ quemlibet fidelem scire oportet; quæ proinde quisque docetur et discit in prima sua catechesi et instructione, quod olim exacte faciebant fideles in primitiva Ecclesia : loquitur enim *scientibus*, ut ipse ait v. 21. Alioqui enim non eguissent Doctoribus et Pastoribus, et frustra eos hac epistola doceret S. Joannes, uti recte arguit hîc ipsemet Beza, ne quis hoc S. Joannis loco abutatur, et contendat spiritum privatum singulorum esse interpretem S. Script. et judicem controversiarum fidei. Talibus enim intonans communiter Deus : *Væ Prophetis insipientibus qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident!* Ezech. 13. 3.

Addunt aliqui hæc scribi à S. Joanne toti Ecclesiæ, in qua multi erant sapientes et illuminati à Deo, qui proinde docti erant de omnibus, ut et ipsi alios rudiores docerent, q. d. O fideles, non est quod vos doceant hæretici; Ecclesia enim vestra, vestrique doctores plene à Spiritu sancto docti sunt de omnibus : ipsos ergo adite, ipsi vos docebunt de omnibus ad fidem et salutem necessariis.

Denique pro *unctio ejus*, scilicet Christi et Spiritus sancti. Græca pleraque legunt τὸ αὐτο χρισμα, id est, *ipsa unctio;* unde Syrus vertit, *sed sicut illa unctio à Deo est, ipsa vos docebit de omnibus.* Rursum per chrisma, id est *unctionem*, aliqui accipiunt Christum, id est, unctum et ungentem. q. d. Christus per se et suos vos ungens, id est, imbuens et instruens docebit de omnibus, non Antichristi. Sic Daniel. 9. 26. *Occidetur Christus*, Septuag. pro *Christus* vertunt, *chrisma*, scilicet per abstractum *chrisma* significantes concretum *Christus*. Unde quod sequitur: *Et verum est*, Tigur. vertit, *et verax*, scilicet Christus, sic et S. August. legit, *et verax est, et non mendax.*

ET VERUM EST, ET NON MENDACIUM.] Græcizat interpres, quia enim χρισμα Græcis est neutrum; hinc pariter epithetum Latinum neutrum ei dedit, scilicet *verum*. q. d. Hoc chrisma verum est, puta hæc unctio vera est, et non mendax. Secundo et simplicius, hæc accipias technice. q. d. Et, id est *quia*, verum est, quidquid docet hæc unctio, et nullum est mendacium in iis, hinc secure ei auscultate in omnibus, in iisque manete et persistite usque ad mortem : Solent Hebræi asseverationem firmare per negationem contrarii, ut, *confessus est, et non negavit*, id est, plane pleneque confessus est Joannes se non esse Messiam, Joan. 1. 20. Sic hic, *verum est et non mendacium*, id est, verissimum est, et alienissimum ab omni mendacio et falsitate.

ET SICUT DOCUIT VOS. *Et* ponitur pro *igitur*, ait Vatabl. Hæbræis enim *vau* pene sola est conjunctio quæ æquivalet cæteris Latinorum et Græcorum. q. d. Cum omnia quæ docet unctio sint vera, carentia omni mendacio et falsitate; igitur SICUT ILLA DOCUIT VOS, MANETE IN EO,] id est, in illius doctrina et fide perseverate. Gaudet Joannes verbo manendi. Pro *manete* græce est μενειτε, id est *manebitis*, hoc est, manete. Græci enim, æque ac Latini et Hebræi sæpe futurum usurpant pro imperativo. Adde, quidam codices legunt μενετε in imperativo, id est *manete.*

28. ET (id est igitur, idcirco) NUNC, FILIOLI.] Vox familiaris S. Joanni, utpote seni, patri et patriarchæ suorum amantissimo, ipsisque quasi filiis charissimis hac paterna voce blandienti.

MANET IN EO,] quod scilicet vos docuit unctio Christi et Spiritus sancti, puta in orthodoxa fide, doctrina et vita Christiana constanter perseverate, nec hæreticorum blandiloquentia vos ab ea in hæresin, vel errorem abduci sinatis. Sollicite inculcat fidelibus inter tot exorientes in dies hæreses et hæreticos, in christianismo constantiam et perseverantiam, ob periculum apostasiæ, quia inter omnes virtutes sola perseverantia coronatur.

UT CUM APPARUERIT Christus (in gloria judicaturus orbem in fine mundi) HABEAMUS FIDUCIAM,] παρρησιαν, id est libertatem, securitatem, fiduciam, loquendi audaciam : cum cæteri sibi male conscii trepidabunt et obmutescent, juxta illud Sap. 5. 1. *Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt.* Nam, ut ait Paulus Coloss. 3. 4. *Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.* Quare quod ait S. Basilius hom. 11. Hexaem. *Abraham quoque timebit in judicio, et agoniam patietur*, per exaggerationem dictum est, tantumque significat summum judicii et examinis in eo futuri rigorem, indeque pavorem, si videlicet illud in se spectes, juxta illud S. Petri epist. 1. c. 4. 18. *Si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt?* Nam alioqui si spectes Dei gratiam et clementiam, illa Sanctos omnes assecurabit de sua salute et gloria : nam ipsa ante examen discernet illos à reprobis, eosque constituet à dextris, quasi amicos dilectos et electos suos.

ET NON CONFUNDAMUR AB EO IN ADVENTU EJUS.] q. d. Ne pudefiamus utrique, scilicet tam vos, si à doctrina Christi aberretis, quàm nos Apostoli et Pastores, quod vos in ea non conservaverimus : sicut enim eruditio et probitas discipuli laus est et decus magistri, sic imperitia et improbitas discipuli probrum est et dedecus magistri. S. Basil. ad illud Psalm. 33. *Timorem Domini docebo vos*, docet acerbissimam damnatis pœnam fore pudorem et confusionem æternam, quam subibunt coram Christo et angelis sanctis, dæmonibus, cæterisque damnatis in die judicii, adeo ut damnati mallent manere et ardere in gehenna, quàm inde egredi in vallem Josaphat ad judicium hoc sibi tam probrosum et infame subeundum. Unde dicent *montibus et petris : Cadite super nos, et abscondite nos à facie sedentis super thronum, et ab ira Agni; quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare?* Apocal. 6. 17. Pudoris causæ erunt, quod Christus peccata omnia etiam pudenda, infamia et horrenda, licet secretissima et sola mente commissa, coram toto mundo publicabit; quod Sanctos in hac vita à se contemptos, vexatos et occisos videbunt super se elevatos in gloria, suosque esse judices, ac se pariter condemnare; quod tam fuerint stulti, ut exili voluptate emerint æternum hoc probrum; quod peccata et gehennam modica pœnitentia, et confusione confessionis expiare neglexerint, etc. Hoc est quod ait Isaias ultimis verbis suæ prophetiæ : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni*, et Daniel 12. 2. *Qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt, alii in vitam æternam, et alii in opprobrium, ut videant semper.*

Notat S. Cyrillus catechesi 3. mystag. fideles in Confirmatione ungi in fronte, quæ sedes est pudoris, ne pudeat eos confiteri nomen Christi, neve aliquid pudendum committant, ob quod confundantur in die judicii. Præclare S. Aug. hic : *Fidelis*, inquit, *est qui promisit, non te fallit, tantum tu noli deficere, sed expecta promissorem; non enim novit fallere veritas; tu noli esse mendax, ut aliud profiteari, aliud agas. Tu serva fidem, et servabit ille pollicitationem; si autem non tu servaveris fidem, tu fraudasti, non ille qui promisit.* Et Œcum. *Quid illustrius atque admirabilius esse unquam poterit, quàm cum apud quem labores nostros relaturi sumus, apud eum cum fiducia id faciemus, nulloque pudore in adventu ejus perfundemur?*

IN ADVENTU EJUS.] εν επιφανια, id est, *in appa-*

ritione, in manifestatione, in illustratione illius, cum scilicet gloriosus apparebit, eritque judex omnium hominum. *Videmus* enim *nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, 1. Corinth. 13. 12.

29. Si scitis (id est, quia scitis, vel cum sciatis, quandoquidem sciatis. Ita Dionys.) quoniam justus est (Christus judex, de cujus adventu jam egit) scitote quoniam et omnis qui facit justitiam, ex ipso natus est.] Dat modum et medium, quo in die judiciis non confundamur coram Christo judice, sed habeamus fiduciam, si nimirum faciamus justitiam, id est, opera justa et sancta, quæ Christo justo judici offeramus. Ne quis enim putaret solam fidem orthodoxam sufficere, uti docebat Simon Magus, et moderni hæretici, addit hîc requiri quoque justitiæ opera. q. d. Cum Christus futurus judex non tantum qua Deus, sed et qua homo, sit justus antonomastice, id est, justissimus et sanctissimus, tum in se, tum in ferenda sententia, utique amat eos qui sunt justi, faciuntque opera justitiæ, pro eisque feret sententiam justam et salutiferam. Judicis enim justi est judicare de operibus cujusque, et bonis addicere præmium, malis pœnam. Qui ergo facit justitiam, in die judicii coram ipso non confundetur, sed habebit omnimodam fiduciam; quia judici suo justo similis, imo ex ipso natus est, hoc est, ipsius filius et hæres est. Quare non confundetur in ejus adventu, sed fidenter cum expectabit, certus se per eum fore hæreditatis æternæ participem. Nam *si filii, et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Rom. 8. v. 17. Omnis enim justitia nostra manat à justitia, sanctitate et gratia Christi. *Justitiam* hîc non specialem, sed generalem accipe, quæ est complexio omnium virtutum, à qua justi, sancti, Deo grati, amici et filii denominamur. Alludit ad illud Evang. c. 1. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis; neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Porro nullum certius est argumentum, quod quis natus sit ex Deo, quàm si factis et moribus Deum exprimat velut lineamentis. Notat primo Didymus dici, *qui facit* in præsenti, non qui *fecit*, aut *faciet*; quia bona radix bonos dat fructus in præsenti; quia ergo per justitiam et gratiam ex Deo renascimur, et fimus divinæ consortes naturæ, ut ait S. Petrus 2. epist. c. 1. 4. (realiter enim participamus Dei substantiam per gratiam supernaturalem et divinam, quæ summa est participatio divinitatis); hinc pariter nativitatem hanc et vitam divinam per opera vitalia divina, puta per opera justitiæ, in præsenti semper ostendere debemus. Sicut enim non est homo vivens, qui in præsenti opera vitæ humanæ non edit, puta qui non comedit, non ambulat, non respirat, non loquitur, non ratiocinatur: ita pariter non est justus, nec renatus aut vivens ex Deo, qui opera justa et divina non edit, præsertim quia filii est imitari patrem. Cum ergo Deus justus justitiam ubique faciat, et nos ejus filii eamdem ubique facere debemus.

Notat secundo, noster Salmeron, generationem hanc divinam similem esse generationi carnali et humanæ. Sicut enim hæc fit ex viro et femina, sic et illa quodammodo: Christus enim, quia homo patiens parturiit nos cum summo dolore: idem qua Deus agit et producit in nobis gratiam et justitiam, per quam renascimur in filios Dei.

Notat tertio Œcumen. justos à Deo gigni, ut et ipso progignant et procreent alios sibi similes; *quippe cum justus*, inquit, *etiam justos procreet ac gignat*, uti homo generat hominem, bos bovem, et Didymus: *Operantem*, ait, *justitiam commendat virtus, cum sit scilicet actualis: nullus itaque antequam faciet quæ virtutis sunt, justus est, sed neque dum cessaverit operari*, intellige in actu exercito, non signato.

Denique S. Augustinus justitiam perfectam esse docet in angelis, inchoatam in hominibus: *In angelis sanctis*, inquit, *nullo lapsu aversis, nulla superbia cadentibus, sed manentibus semper in contemplatione Verbi, et nihil aliud dulce habentibus, nisi à quo creati sunt, in ipsis perfecta justitia est; in nobis autem ex fide cœpit esse secundum spiritum.* Et mox: *Initium justitiæ nostræ confessio peccatorum. Cœpisti non defendere peccatum tuum? jam inchoasti justitiam, perficietur autem in te, quando nihil aliud facere delectabit, quando absorbebitur mors in victoriam, quando nulla concupiscentia titillabit, quando non erit luctamen cum carne et sanguine, quando erit corona, victoria, et triumphus de inimico. Tunc erit perfecta justitia, modo adhuc pugnamus, si pugnamus, in stadio sumus, ferimus et ferimur; sed qui vincat expectatur. Ille autem vincit, qui et quod ferit, de viribus suis non præsumit, sed de hortatore Deo.*

Justi ergo æmulantur angelorum justitiam, ut mentem ab omnibus terræ fæcibus; ac amorem ab omnibus creaturis avellentes, cum universum conferant in Creatorem, eum in omnibus tam prosperis, quàm adversis amando, colendo, laudando, gratias agendo: ut eorum vox et vita, æque ac crux et passio, non sit aliud quàm continua et assidua Dei laus. Talis enim est vox et vita angelorum, de quibus ait Job cap. 38. 7. *Ubi eras, cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei?*

Insuper Christiani ex Christo renati æmulentur Christum, ac proinde *loquantur ut oracula, vivant ut numina;* quia Christus ex Deo natus, et ex Virgine renatus, *locutus est ut os et oraculum Patris, ac vixit ut numen.* Ita hominum, etiam peccatorum, corda ferient, convertent, gignentque Christo instar S. Basilii, de quo scribit S. Gregorius Nazianzenus orat. in ejus funere: *Sermo Basilii erat tonitru, quia vita ejus erat fulgur.*

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

OSTENDIT QUAM PRÆSTANS SIT NOVA EX DEO NATIVITAS ET FILIATIO EX FINE ET MERCEDE, QUÆ EST GLORIA ÆTERNA, IN QUA SIMILES EI ERIMUS. AT ILLAM RETINENDAM, ET HANC CONSEQUENDAM MODUM PRÆSCRIBIT: PRIMUM, STUDIUM SANCTITATIS, ET FUGAM PECCATI; QUIA QUI NATUS EST EX DEO PECCATUM NON FACIT; QUI VERO FACIT PECCATUM, EX DIABOLO EST. SECUNDUM, V. 11. AMOREM FRATERNUM, UT DILIGAMUS INVICEM NON VERBO, NEQUE LINGUA, SED OPERE ET VERITATE. DENIQUE V. 20. DOCET HORUM OMNIUM FRUCTUM, SCILICET EUM QUI PURO EST CORDE, AMATQUE FRATRES, AC DEI MANDATA CUSTODIT, OMNIA QUÆ POSTULAT A DEO, IMPETRARE.

1. VIDETE qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus. Propter hoc mundus non novit nos; quia non novit eum. 2. Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. 3. Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est. 4. Omnis, qui facit peccatum, et iniquitatem facit, et peccatum est iniquitas. 5. Et scitis quia ille apparuit ut peccata nostra tolleret, et peccatum in eo non est. 6. Omnis, qui in eo manet, non peccat; et omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum. 7. Filioli, nemo vos seducat. Qui facit justitiam, justus est, sicut et ille justus est. 8. Qui facit peccatum, ex diabolo est; quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. 9. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. 10. In hoc manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli. Omnis, qui non est justus, non est ex Deo, et qui non diligit fratrem suum. 11. Quoniam hæc est annuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum. 12. Non sicut Cain, qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant: fratris autem justa. 13. Nolite mirari, fratres, si odit vos mundus. 14. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte: 15. Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem. 16. In hoc ergo cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere. 17. Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? 18. Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate. 19. In hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus, et in conspectu ejus suadebimus corda nostra. 20. Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum, major est Deus corde nostro, et novit omnia. 21. Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. 22. Et quidquid petierimus, accipiemus ab eo; quoniam mandata ejus custodimus, et ea, quæ sunt placita coram eo facimus. 23. Et hoc est mandatum ejus: Ut credamus in nomine filii ejus Jesu Christi, et diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis. 24. Et qui servat mandata ejus, in illo manet, et ipse in eo: et in hoc scimus quoniam manet in nobis de Spiritu, quem dedit nobis.

1. VIDETE QUALEM (græce ποταπην, id est *quantam*) CHARITATEM DEDIT NOBIS (indignis, inimicis et peccatoribus) PATER, UT FILII DEI NOMINEMUR ET SIMUS.] Charitatem tum activam, puta actum amoris Dei quo nos mire amat, tum passivam nobisque à Deo communicatam et infusam accipe, q. d. Videte quantam charitatem, benevolentiam, et amorem nobis dedit, id est, præstitit et exhibuit Deus. Vatabl. *quantum dilexerit nos*, cum gratiam et charitatem creatam nobis dedit et infudit, qua filii Dei nominamur et sumus. Ex charitate enim Dei increata manat charitas nostra creata, quasi radius à sole, rivulus à fonte, scintilla ab igne. Quos enim Deus amat charitate increata, eos facit sibi in amore respondere, seque redamare per charitatem creatam quam eis infundit. Charitas enim est amicitia, sive amor mutuus

inter Deum et justum. Quocirca sicut Deo quasi Deo et creatori nos quasi creaturæ debemus omnem honorem, religionem, et latriam : eidem quasi Domino nos quasi servi debemus timorem, reverentiam et obedientiam; sic eidem quasi Patri summo summum debemus amorem, adeoque totum cor, totam voluntatem, totum affectum.

In fine capitis præcedentis dixerat S. Joannes eum qui facit justitiam ex Deo esse natum, ideoque esse Dei filium ; hic illius nativitatis et filiationis divinæ excellentiam, fructum et præmium docet et demonstrat, ut ex eo incitet fideles ad opera justitiæ, paulo ante nominata, quibus Deo se gratos dignosque filios exhibeant, atque hanc ejus filiationem conservent, augeant ; et ad bravium gloriæ æternæ perducant. Pro *videte*, S. Augustinus legit, *ecce quasi admirando divinam charitatem extollat.* Singula S. Joannis verba si penitius perpendantur, discutiantur et ponderentur, magnam habent emphasim, novosque amoris stimulos et ignes suggerunt.

Per *Patrem* accipe totam S. Trinitatem, vel potius proprie personam Patris, licet enim tota S. Trinitas nobis det gratiam et charitatem, qua nos sibi in filios adoptat, idipsum tamen appropriatur Patri : tum quia Patris est generare filios similes Christo filio suo unigenito; juxta illud Evangelii S. Joan. cap. 3. 6. *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret*, tum quia Patri appropriatur vocatio, electio, prædestinatio, cujus effectus est justificatio et filiatio. Porro vere S. Aug. de Nat. et grat. cap. ult. *Inchoata*, ait, *charitas inchoata justitia est; provecta charitas provecta justitia est; perfecta charitas perfecta justitia est.* Et S. Dionys. Eccl. hierar. part. 1. cap. 2. *Prima*, ait, *mentis ad divina motio et contentio Dei est charitas; sanctæ autem charitatis ad divina perficienda præcepta prima omnino progressio est illa ineffabilis operatio, quia divine habemus. Si enim divinus status divino ortu, et, ut ita dicam, generatione efficitur, profecto, qui statum divinum non accepit, is nihil unquam eorum quæ à Deo tradita sunt sciet, nec operabitur.* Unde S. Cyrillus in c. 44. Isaiæ, et lib. 12. Thesauri c. 3. charitatem vocat characterem substantiæ Dei, sanctificationem, reformationem, pulchritudinem et speciem animæ.

Ut filii Dei nominemur (per adoptionem, sicut Christus est Filius Dei per generationem et nativitatem naturalem) et simus,] quia multi nominantur id quod non sunt; nos autem ita nominamur, ut revera simus pariter filii Dei. Audi S. August. *Nam qui vocantur et non sunt, quid illis prodest nomen, ubi res non est? Quàm multi vocantur medici, qui curare non norunt? Quàm multi vocantur vigiles, qui tota nocte dormiunt? Sic multi vocantur Christiani, et in rebus non inveniuntur; quia hoc quod vocantur non sunt, id est, in vita, in moribus, in fide, in spe, in charitate. Hic autem quid audistis, fratres? Ecce qualem dilectionem dedit nobis Pater, ut filii Dei vocemur et simus.* Hoc est quod ait Paulus : *Misit Deus spiritum filii sui in corda nostra clamantem : Abba Pater*, Galat. 4. 6,

Notent hæc Novantes, qui censent nos revera et intrinsece justos non esse ob inhærentem semper concupiscentiam, sed tantum ita nominari propter justitiam Christi nobis imputatam, contra quos ait Concil. Trident. sess. 6. c. 7. *τὸ simus* in multis Græcis codicibus deest, tuncque includitur in *nominemur;* quæ enim à Deo nominantur, revera talia sunt, imo efficiuntur à Deo, qualia nominantur. Si enim rex vocando aliquem nobilem, Magnatem, Principem, Ducem, hoc ipso facit eum nobilem, Magnatem, etc., multo magis idem facit Deus, qui dona realia gratiæ iis quos filios nominat infundit, quibus hoc nomine digni efficiantur : quod nequit facere rex. Unde Syrus vertit : *qui vocat nos, filios efficit.* Sicut enim Deus Pater generando Filium, ei communicat ipsissimam suam naturam et divinitatem, sic nos ex carne natos per spiritum regenerando, divinitatis suæ participationem summam nobis communicat per gratiam ; facitque divinæ consortes naturæ, ut ait S. Petrus, et Psaltes : *Ego dixi, dii estis, et filii Excelsi omnes*, psal. 81. 6. Quare hoc ipso nos facit quasi deos, et similes filio suo. *Hujus gratia Deus est quisque Sanctorum*, ait S. Basilius hom. de Spiritu sancto. Sicut ergo Deus est sanctus per essentiam, sic justus à Deo genitus participat hanc ejus sanctitatem, cæteraque omnia Dei attributa. Fit enim quasi omnipotens, ut cum Paulo omnia possit in Deo qui eum confortat, Philip. 4. 13. Fit immutabilis, ut Deo inhærens nullis promissis, vel minis à recto dimoveri se sinat. Fit cœlestis, ut cœlestia concupiscens punctum hoc terræ despiciat. Fit quasi impeccabilis, quia quamdiu in gratia persistit, peccare nequit, de quo v. 9. Fit optimus, quia charitatis viscera et beneficentiæ radios, quasi sol quidam salutaris ad omnes extendit. Fit quasi omniscius, quia theodidactus : unctio enim Dei eum docet de omnibus, ut ait Joan. cap. 2. 27. Fit imperturbabilis, quia super omnes mundi sæculique vicissitudines mentem in Deo defixit. Fit liberalis, ut nulli invideat; sed ut omnium commoda quasi sua promoveat. Ardet charitate, ut æmulis reddat bona pro malis, itaque ex inimicis amicos efficiat. Fit rectus, patiens, constans, æquanimis, prudens, fortis, sincerus, quia talis est Deus pater ejus. Vide S. Thom. Opusc. 62. si tamen ipse ejus est auctor : nam stylus alium indicat. Hoc est quod ait S. Jacobus c. 1. 18. *Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus.* Et Osee c. 1. 10. *Et erit in loco ubi dicetur eis : Non populus meus vos; dicetur eis : Filii Dei viventis.* Vide utrobique dicta.

Ex dictis sequitur nos per justificationem fieri filios Dei tripliciter, scilicet in præteritum, præsens et futurum. In præteritum, per generationem spiritualem, qua, ut ait Jacobus, *genuit nos verbo veritatis*, et S. Petrus epist. 2. cap. 1. 4. *Ut simus divinæ consortes naturæ*, et S. Joannes in Evang. c. 1. 12. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, et hac epist. c. 4. 4. *Vos ex Deo estis filioli*, et v. 6. *Nos ex Deo sumus*, et cap. 5. 18. *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum.* Porro hæc generatio fit non tantum per gratiam, sed etiam per ipsam deitatem quæ realiter nobis quasi filiis à Deo Patre communicatur, uti dixi 2. Petri 1. 4.

Secundo, simus filii in præsens, per paternam curam, qua Deus quasi pater nos ut filios amat, regit et format, perficit, dirigit, tuetur, juxta illud psal. 54. *Jacta cogitatum tuum* (Hebr. *sarcinam tuam, pondus tuum*) *in Domino;*

et ipse te enutriet. Hebr. *sustentabit te*, et hac epist. c. 5. 15. *Scimus quia audit nos quidquid petierimus : scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo.* Lucæ 12. 7. *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Quæ mater ita amat filium, ut capillos ejus omnes numeret, conservet, restituat? Id tamen facit Deus : ergo plus quàm mater nos curat. *Quid* ergo *times, ô homo, in sinu Dei*, ait S. Aug. qui tibi pater est et mater? Vere B. Theodorus in Vitis Patr. *Etiamsi*, inquit, *cœlum ruat in terram, Theodorus non timet*, scilicet : *Etiamsi fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ.*

Tertio, in futurum per hæreditatem cœlestem, quam nobis quasi filiis dabit, ut simus hæredes Dei, et cohæredes Christi, juxta illud : *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi*, psal. 15. 5.

Sic Gentiles jactabant se à Jove vel diis genitos, sed falso : de qua re S. August. lib. 3. de Civit. cap. 4. *Varro*, inquit, *utile esse civitatibus dicit, ut se viri fortes etiamsi falsum sit, ex diis genitos esse credant : ut eo modo animus humanus velut divinæ stirpis fiduciam gerens res magnas aggrediendas præsumat audacius, agat vehementius, et ob hoc impleat ipsa securitate felicius.* Sic Scipio nunquam elevari ad illam hominum existimationem voluit, quod divino semine ortus esset; et apud Lucianum Dialog. Diogenis, Alexander utile sibi ad res gerendas dicit fuisse, quod filius Jovis Ammonis sit habitus. Timebatur enim, nec aliquis repugnare ei audebat, nempe quem crederent Deum. Sic Romulum ex Marte genitum, Julium Cæsarem ex Venere finxerunt. Verum Christiani gloriantur se esse filios Dei, et vere sunt filii Dei, ideoque quo verior, eo acrior hic eis debet esse stimulus ad omnem virtutem, et ad heroica, imo divina opera. Audi S. Cyprian. lib. de Spectac. *Nunquam humana opera mirabitur, quisquis se cognoverit filium Dei; dejicit se de culmine generositatis, qui admirari aliquid post Deum potest.* Cum ergo sollicitat te caro responde : *Filius Dei sum. Ad majora natus sum, quàm ut me ventris mancipium efficiam.* Cum te tentat mundus, cum aurum et opes ostentat, responde : *Dei sum filius, cœlestibus opibus destinatus? indignum ergo est ut terræ albæ aut rubræ punctum consecter.* Cum te dæmon invadit, cum honores et pompas promittit, responde : *Vade, Satan, in gehennam : absit ut filium me efficiam diaboli, qui filius et hæres sum Dei. Regno æterno natus, omnem terræ honorem pompamque velut fumum calco et pedibus premo.* Dei filius es : ergo magna, ardua et divina opera, modico tempore vitæ quod tibi restat, et forte modicis horis mente destina, qualia Christus, qualia Sancti peregerunt. Vocaris à Deo ad statum perfectionis, vocaris ad vitam pro salute animarum impendendam, vocaris ad Japones et Indos, vocaris ad crucem, ad martyrium? vocationi generose te offer, uti decet filium tanti patris. Ita noster P. Balthasar Alvarez, uti refert Ludov. de Ponte, in ejus Vita, hunc sibi suisque monitorem stimulum jugiter adhibebat: *Noli degenerare à præcelsis cogitationibus filiorum Dei.*

PROPTER HOC MUNDUS NON NOVIT NOS (Cajetan. et Vatabl. Isidor. legunt *vos;* sed Græca, Syrus, S. August. et Latini legunt *nos*) QUIA NON NOVIT EUM.] q. d. Ideo homines mundani et Gentiles non æstimant, imo parvi pendunt et despiciunt hanc Christianorum ex Deo regenerationem et filiationem; quia Deum non noverunt saltem practice, quia Deum non colunt, non amant; multi etiam Deum non norunt speculative, ut athei, idololatræ, Pagani, etc. *Nesciunt*, ait S. Chrysost. hom. 78. in Joan. *qui nos contumelia afficiunt quales simus, utpote qui cœli cives, et supernæ patriæ ascripti, et Cherubim socii sumus. Scient autem in die judicii, cum stupentes et gementes dicent : Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est*, Sapient. 5. 4.

2. CHARISSIMI, NUNC FILII DEI SUMUS; ET NONDUM APPARUIT QUID ERIMUS, erimus autem Deo similes : unde subdit : SCIMUS AUTEM QUONIAM CUM APPARUERIT (Syrus, *cum ipse revelatus fuerit*) SIMILES EI ERIMUS.] *Similes ei*, scilicet Deo, non natura, sed qualitate, felicitate, gloria æterna. q. d. Mundus non novit nos, quia non videt internum nostrum decorem; sed videbit eum in die judicii, tuncque noscet nos, sed sero; quia tunc non erimus amplius obscuri, viles, despecti, sed splendidi; quia similes erimus Deo et Christo, puta erimus perfecte sancti, justi, puri, amantes Deum; quia erimus beati, gloriosi, divini : et sicut Deus se videt, eaque visione fruitur et beatur; ita et mens nostra videbit eum sicuti est, et omnia quæ in eo formaliter sunt, hacque visione fruetur et beabitur in æternum, eaque perficietur nostra filiatio et adoptio; quia ut filii Dei gloriam, hæreditatem et felicitatem Dei adipiscemur.

Nota. Similitudo Dei in nobis est triplex. Prima per naturam; sumus enim naturæ rationalis et intelligentis, sicut Deus est rationalis et intelligens. Secunda per gratiam, quæ, ut ait S. Bernardus ad Fratres de monte Dei, *in virtutibus consistit, in qua animus virtutis magnitudine summi boni quasi imitari gestit magnitudinem, et perseverantiæ in bono constantia æternitatis ejus incommutabilitatem.*

Tertia similitudo Dei summa et perfectissima in nobis erit in cœlo per gloriam beatificam, in qua, ait S. Bernardus, *fit homo cum Deo unus spiritus, non tantum unitate volendi idem, sed expressiore quadam unitate virtutis aliud velle non valendi.*

Hæc ergo tertia similitudo de qua loquitur S. Joannes, consistit in gloria et felicitate cœlesti, quæ, ut docent communiter Theologi, consistit in visione Dei unius in essentia, et trini in personis, per lumen gloriæ. Unde τὸ *similes* explicans S. Joannes subdit : *Quoniam videbimus eum sicuti est.* Quocirca Œcumen. hanc Dei similitudinem ponit in adoptionis charitate et gloria, juxta illud psalm. 15. 11. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* et Psalm. 47. 9. *Sicut audivimus : sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri.* et psal. 26. 4. *Unam petii, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini.* et psal. 35. 10. *Domine, apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.* Et Paulus 1. Corinth. 13. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Hinc Scholastici 1. p. q. 12. docent Beatos videre

ipsam Dei essentiam in se, ejusque tres personas et attributa omnia : Beati enim per visionem Deum possident, eumque quasi intra se trahunt, indeque sugunt omne bonum. Unde S. Augustinus libr. de Cognit. veræ vitæ in fine : *Talis*, ait, *visio, et talis gloria regnum cœlorum dicitur, quia soli cœli, id est, justi hac visione fruuntur, quorum primum summum bonum est, in quo habent plenum gaudium de plenitudine omnium bonorum.*

Rursum dum vident Deum, ejus speciem in mente sibi efformant, puta verbum mentis quod plane Deo est simile, Deumque eis refert et repræsentat. Unde S. Augustinus in Enchirid. cap. 3. *Cum autem*, ait, *initio fidei quæ per dilectionem operatur, imbuta mens fuerit, tendit bene vivendo etiam ad speciem pervenire, ubi est sanctis et perfectis cordibus nota et ineffabilis pulchritudo, cujus plena visio est summa felicitas.* Hinc rursum Beati similes Deo erunt, quia participabunt beatam ejus æternitatem, eruntque feliciter æterni, sicut ille feliciter æternus est, uti explicat S. Gregorius homil. 2. in Ezechiel. et Evaristus Papa epist. 1. et noster Vasquez 1. p. q. 12.

Ex hac similitudine gloriæ et visionis Dei quæ erit in intellectu, sequetur altera in voluntate, nimirum perfectus amor Dei visi et possessi. Unde S. Fulgentius ad Ferrandum Diacon. q. 3. *Similes ei erimus*, inquit, *imitatione justitiæ.* Nam hic Dei amor non tantum excludet omne peccatum etiam levissimum, sed et totum hominem rapiet in Deum, ut diligat eum ex toto corde, tota mente, tota anima et omni fortitudine ac viribus suis, ita ut nil diligat aut diligere velit vel possit, nisi Deum propter se, et cætera omnia propter Deum. Sicut enim Deus ita diligit seipsum, ut alio mentem et amorem flectere nequeat; sic et Beati Deum, utpote pulcherrimum, optimum, jucundissimum, et omnibus bonis cumulatissimum, ita diligunt, ut mentem alio avocare nequeant : inde fiunt non tantum impeccabiles, sed et immobiles à Deo, Deique contemplatione et amore. Unde S. Aug. in Confess. *Cum*, ait, *inhæsero tibi ex omni me, nusquam erit mihi dolor aut labor : viva erit vita mea tota plena te : nunc autem quoniam plenus tui non sum, oneri mihi sum.*

Porro hic amor idem semper durabit in omnem æternitatem, ideoque Beatos jugiter accendet ad Dei laudes. Unde S. Aug. serm. 118. de divers. c. 5. *Jam similes illi quando deficiemus, quo avertemur? Securi ergo sumus fratres, non nos satiabit laus Dei : si deficies ab amore, deficies à laude : si autem amor sempiternis erit, quia insatiabilis illa pulchritudo erit, noli timere ne non possis semper laudare, quem semper poteris amare.* Tertio, ex hac gloria et visione sequentur omnes dotes animæ et corporis, similes dotibus animæ et corporis Christi gloriosi : in anima enim erit summa pax, summa concordia, summa harmonia potentiarum, virium et actionum omnium.

In corpore erit impassibilitas, claritas, subtilitas, agilitas, teste S. Paulo 1. Corinth. 15. 42. Unde Tertull. de Resurrect. c. 20. ait : Similes ei erimus, scilicet quoad resurrectionem et immortalitatem corporis; erimus ergo similes ei, hoc est, erimus quasi Dii. Sicut enim sol in nube tralucens efficit parelion, ut videatur esse novus, secundus et tertius sol : ita Deitas in Beatorum anima et corpore tralucens, efficiet tot quasi Deos, quot erunt Beati. Quanta felicitas, quanta gloria erit videre tot quasi angelos, imo tot quasi Deos quot erunt Sancti in cœlo? S. Joanni consonat S. Paulus Coloss. 3. 3. *Mortui*, inquit, *estis, et vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria;* et 1. Corinth. 15. 45. *Primus homo* (Adam) *de terra terrenus : secundus homo* (Christus) *de cælo cælestis. Qualis terrenus, tales et terreni : et qualis cælestis, tales et cælestes. Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cælestis ;* et Philip. 3. 21. *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ;* et 2. Corinth. 3. 18. *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu;* et Rom. 6. 5. *Si enim complantati sumus similitudini mortis ejus simul et resurrectionis erimus ;* et Rom. 8. 29. *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*, etc.

QUONIAM VIDEBIMUS EUM,] scilicet Deum, qui præcessit, et Christum : Christum enim quasi dilectum suum toto corde et ore gerebat S. Joannes : videbimus ergo Dei essentiam *sicuti est* in se, uti docent Scholastici 1. p. q. 12.

Rursum videbimus Christum hominem et carne indutum, *sicuti est*, id est, sicut circumamictus est glorioso corporis decore et specie. Ita Bellarm. lib. 1. de Beatitud. Sanct. cap. 3. Greg. de Valentia 1. 2. disput. 1. de beatitud. qu. 4. puncto 2. et alii.

Rursum *videbimus eum sicuti est*, id est, non per speculum et ænigma, sed facie ad faciem : in hac enim vita non videmus Deum sicuti est, sed sicut propter nostram dispensationem factus est, scilicet videmus carne vestitum, passum et crucifixum, ait S. Aug. et Origen. hom. 6. in Genes. et S. Gregor. hom. 2. in Ezech.

3. ET OMNIS, QUI HABET HANC SPEM IN EO SANCTIFICAT SE, SICUT ET ILLE SANCTUS EST.] Dixit S. Joannes nos in futura vita similes fore Christo et Deo; quia videbimus eum sicuti est, nunc modum id assequendi suggerit, scilicet : Primo spem locare in Deo; Dei enim est dare gratiam, quæ nos ad rem tam arduam, qualis est similitudo Dei, perducat. *Fiducia sperantium misericordiæ Dei est*, ait S. Prosper in psal. 130. Secundo, studere sanctitati. Neque enim sufficit spem locare in Deo, nisi et ipse manum admoveas operi, Deoque collabores : nemo enim in cœlo erit Christo similis, qui in terra in moribus fuit dissimilis. Ut ergo ei similes simus in gloria, conniti debemus ut similes ei simus in sanctitate, virtute et gratia, puta in amore, labore, cruce et dolore, juxta illud : *Si tamen compatimur, et conglorificemur*, Roman. 8. 17. Et : *Sine sanctimonia nemo videbit Deum.* Hebr. 12. 14 ; scriptum est enim : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, Matth. 5. 8. Pulchrè S. Aug. de Cognit. veræ vitæ, in fine : *Ad hoc summum bonum*, ait, *justi quadam catena trahuntur, quæ de virtutibus hoc modo connectitur. In primis fides animam quasi quidam circulus complectitur, fides spe nutritur, spes dilectione tenetur, dilectio operatione explétur, operatio ad sum-*

num bonum intentione trahitur, intentio boni perseverantia clauditur, perseverantiæ Deus fons omnium bonorum dabitur.

SANCTIFICAT SE,] ἁγιζει εαυτον, id est, *castificat seipsum*, uti legit S. Augustinus, Didymus, Clemens, Œcumen. et alii; Tigurin. *purificat seipsum;* alii, *lustrat, expiat seipsum.* Putant nonnulli quod noster Interpres legerit ἁγιαζει, id est *sanctificat:* verum non est necesse eo confugere. Docte enim interpres ἁγιζει, id est *purificat*, vertit *sanctificat*, quia *sanctitas*, ut ait S. Dionysius de Divin. nom. c. 12. *est omni inquinatione libera, incontaminatissima et perfectissima puritas.* Unde castitas, et præsertim virginitas vocatur sanctitas; juxta illud Apostoli 1. Corinth. 7. 34. *Mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu.* Talibus enim à Christo datur certa spes visionis Dei, juxta illud: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Vera ergo hominum sanctitas consistit in emundatione peccatorum, et eradicatione vitiorum juxta illud S. Pauli: *Qui emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino, et ad omne opus bonum paratum.* 2. Timoth. 2. 21.

Porro, hæc emundatio vitiorum fit per insitionem et exercitium contrariarum virtutum, puta superbiæ, per humiliationem et humilitatem; libidinis, per carnis mortificationem et castitatem; impatientiæ, per patientiam; intemperantiæ, per temperantiam; odii, per charitatem, etc. Quare sanctitas non est aliud quam humilitas, castitas, patientia, temperantia, charitas, cæteræque, virtutes, quibus anima sanctificatur, Deoque quasi dicatur et consecratur. Sanctum enim dicitur, quasi sanguine sancitum, id est, dicatum et oblatum Deo. Unde aliqui sic exponunt, *sanctificat se*, id est offert, dicat, consecrat se Deo, uti faciunt sacerdotes et Religiosi. Simili enim modo, licet imperfectiori, fideles omnes in baptismo unguntur, et consecrantur Deo, fiuntque regale sacerdotium, id est, reges et sacerdotes mystici; uti dixi 1. Petri 2. 9. Sic Christus ait: *Pro eis ego sanctifico meipsum*, id est, in sanctam victimam me offero, *ut sint et ipsi sanctificati in veritate*, justificati scilicet, Deoque deputati et dicati, Joannis 17. 19.

Denique S. Gregorius Nazianz. Iambico 15. *Quid*, ait, *est sanctitas? Cum Deo consuescere.* Et S. Bernardus libr. 5. de Consider. cap. 14. *Sanctum*, inquit, *facit affectio sancta, et ipsa gemina, timor Domini et sanctus amor. His perfecte affecta anima, velut quibusdam duobus brachiis suis comprehendit, amplectitur, stringit, tenet et ait: Tenui eum, nec dimittam.* Idem serm. 25. inter parvos: *Tria*, ait, *sunt quæ sanctum faciunt hominem, victus sobrius, actus justus, sensus pius. Victus sobrius erit si continenter, si socialiter, si obedienter, id est caste, charitative, humiliter vixerimus. Per continentiam enim castitas, per socialitatem charitas, per obedientiam humilitas acquiritur. Et hæc est virtus quæ animam perfecte Deo subditam, sub umbra alarum ipsius secure facit vivere. Actus justus erit, si fuerit rectus, discretus, fructuosus. Rectus per bonam intentionem, discretus per mensuram possibilitatis, fructuosus per utilitatem proximorum, Sensus pius erit; si fides nostra Deum sentit summe potentem, summe sapientem, summe bonum: ut per ejus potentiam, nostram credamus adjuvari infirmitatem: per ejus sapientiam, nostram credamus corrigi ignorantiam; per ejus bonitatem, nostram credamus dilui iniquitatem. Tria sunt quæ mortem sanctorum faciunt pretiosam: quies à labore, gaudium de novitate, securitas de æternitate.*

SICUT ET ILLE SANCTUS EST.] Alludit Joannes, imo citat illud Levit. cap. 26. *Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus.* Vide dicta ibidem et Levit. cap. 27. 28. Magnam à fidelibus sanctitatem requirit S. Joannes, nimirum quæ similis sit sanctitate Dei et Christi, ac proinde ut in dies studeant magis sanctificari, magnosque in sanctitate facere progressus, ut hac ratione quotidie similiores Christo, ejusque sanctitate efficiantur. Idem sanxit Christus, dicens: *Estote vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est*, Matth. 5. 48.

Quisquis ergo satagit esse sanctus, ob oculos pone exemplar tuæ sanctitatis, ac meditare jugiter vitam et passionem Christi Domini, eamque imitare: ac factis et moribus exprime. Audi S. Ambrosium libr. de Isaac. cap. 8. *Exuat unusquisque animam suam involucris sordidioribus, et quasi aurum igne approbet detersam luto: sic enim purgatur anima velut aurum optimum; pulchritudo autem animæ sincera virtus et decor, verior cognitio supernorum, ut rideat illud bonum, ex quo pendent omnia, ipsum autem ex nullo.* Gregorius autem Nazianzenus ad hoc ipsum nos excitans, ait: *Imaginis decus imagini reddamus, dignitatem nostram agnoscamus, exemplar nostrum honore prosequamur, mysterii vim intelligamus, et pro quo Christus morte functus est: simus ut Christus, quoniam Christus quoque sicut nos. Efficiamur Dii propter ipsum, quoniam ipse quoque propter nos homo.* Idem Nazianzenus orat. 6. de Deo loquens: *Neque enim purus*, ait, *tanto in pretio quidquam habet, quam puritatem aut purgationem.*

4. OMNIS QUI FACIT PECCATUM, ET (id est, etiam) INIQUITATEM FACIT; ET (id est, quia) PECCATUM EST INIQUITAS.] *Quia quicunque peccat, contrarius æquitati divinæ legis peccando existit*, ait Beda. Probat fideles se debere sanctificare, ut assimilentur Christo, qui est Sanctus sanctorum, a contrario, quia scilicet peccatum quod est contrarium, non est aliud quam iniquitas, græce ανομια, id est, *legis divinæ prævaricatio;* ac proinde nos plane Deo dissimiles, difformes et exosos reddit loquitur proprie de peccato perfecto, puta mortifero. Unde S. Augustinus lib. 22. Contra Faustum cap. 27. peccatum ita definit: *Est dictum, factum vel concupitum contra legem æternam.* Et S. Ambrosius lib. de Paradiso cap. 8. *Quid aliud*, inquit, *est peccatum nisi divinæ legis transgressio, ac cœlestium inobedientia mandatorum?* Idem significat vox *iniquitas*, id est, recessus ab æquitate, quam lex præscribit. Simili modo peccatum dicitur injustitia, quia contrarium justitiæ, id est justo, æquo et recto. Hoc ergo est ανομον, id est *illegitimum*, exlex, irregulare, devians à lege et regula. Hinc patet apud S. Joannem peccatum idem esse quod iniquitatem, licet in vulgari usu loquendi plus et pejus quid significet iniquitas, quam peccatum, uti docet S. Gregorius 11. Moral. c. 21. vel 23. Esto S. Ambrosius Apolog. David cap. 13. secus existimet, putetque plus sonare peccatum quam iniquitatem; quia *peccatum*, inquit, *est opus*

iniquitatis; iniquitas autem operatrix culpæ aut delicti.

Porro omne peccatum, etiam contra legem humanam duntaxat, puta civilem, vel Ecclesiasticam commissum, est contra Deum; quia est contra legem Dei æternam: ab hac enim omnis lex positiva et humana, quasi rivulus à fonte derivatur et descendit; lex enim æterna, ait S. Thomas 1. 2. q. 91. art. 1. est summa ratio in mente divina existens, secundùm quam dirigit omnes creaturarum actiones et motus in suos fines. Sicut enim in Deo est ratio rerum creandarum, quæ dicitur idea; ita etiam est ratio rerum gubernandarum, quæ dicitur lex æterna. Et sicut illa ratio rerum creandarum non est aliud quàm conceptus divinæ mentis, quo concipit rem, et judicat quomodo illa sit facienda; ita hæc ratio quæ est lex æterna, non est aliud quàm conceptus ille quo concipit et judicat quomodo quælibet creatura debeat suas functiones obire, adjuncta simul voluntate eam obligandi, vel imprimendi inclinationem ad eam regulam sequendam.

5. ET SCITIS QUIA ILLE APPARUIT UT PECCATA NOSTRA TOLLERET.] *Ille*, scilicet summus rerum opifex, summe venerandus, colendus et amandus, puta Christus Dei Filius, quem toto corde et ore gero, cæterique omnes gerere debent; quasi suum Creatorem et redemptorem. Sic Moses Deum vocat *illum qui est*, Exodi 3. 14. Et Pythagoras apud suos tantæ erat venerationis et auctoritatis, ut cum de quæstione quapiam contenderent ejus discipuli, dum citaretur sententia Pythagoræ, quasi magistri irrefragabilis, omnes dicerent αυτος εφα, *ipse*, scilicet Pythagoras, *dixit;* ergo ei acquiescendum est; ac proinde cessent omnes disputationes et rationes. Porro Christus tollit peccata, quia, ut ait Beda: *Tollit dimittendo quæ facta sunt, et adjuvando ne fiant, et perducendo ad vitam ubi omnino fieri non possunt.*

Pro *tolleret*, græce est αιρειν, syriace ܢܫܐ *nasa* quorum utrumque tam *portare*, quàm *auferre* significat: et utrumque huic loco convenit. Christus enim ita peccata nostra abstulit, ut ea in se luenda susceperit, itaque pœnam eis debitam portarit. Alludit, imo citat Isaiæ. 53. 4. *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit:* ubi hebr. est idem ܢܫܐ *nasa*, et v. 6. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrùm;* et v. 11. *Justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit.* Ad Isaiam alludens S. Joannes Baptista videns Christum de eo dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, Joannis 1. 9. Huc quoque respicit hic illi homonymus noster S. Joannes. Antistropha S. Joannis est illa S. Petri sententia epist. 1. c. 2. 24. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum;* et illa S. Pauli: *Quem proposuit Deus propitiationem* (propitiatorem) *per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum.*

Moral. disce hic quàm grave malum sit peccatum, utpote ad quod tollendum Christus è cœlo in terram et carnem descenderit, imo passus et crucifixus sit; ut nos idem facere doceret, ut scilicet pro abolendis peccatis et convertendis peccatoribus omnes labores, peregrinationes, dolores, pœnas et cruces libenter subeamus. *Non sane,* ait Œcum. *peccandi vobis locus ullus relinquitur; cum enim Christus ad peccatum destruendum advenerit, quippe qui peccati omnis prorsus fuerit immunis, vobis qui in ipso estis nati et fide in ipsum confirmati, peccare amplius non licet.* Oportet ergo quemlibet fidelem satagere ut aboleat in aliis, æque ac in seipso omne peccatum; ut destruat opus diaboli, eo studio (imo longe majori) quo venatores destruunt semina serpentum, ova accipitrum, catulos luporum.

ET PECCATUM IN EO NON EST.] *Et*, id est, quia, q. d. Ideo Christus potens et idoneus fuit tollere peccatum, quia carebat omni peccato, imo potestate peccandi. Erat enim ipse naturaliter impeccabilis ob unionem hypostaticam; per hanc enim divina Verbi persona Christi humanitati ita assistebat, ut illam per omnes actiones dirigeret, ne vel in minima offenderet: alioqui enim offensa et peccatum recidisset in ipsam personam Verbi (quod est impossibile), tum quia actiones sunt personæ sive suppositi, tum quia persona tenetur naturam quam sustentat regere et gubernare, ne peccet. Denique *Christi voluntas cum tota deificata sit, Deo procul dubio non adversatur*, ait S. Gregorius Nazianz. orat. 36. Et S. Cyrillus de recta fide ad Theodos. docet Verbum animam Christi sua sanctitate et immutabilitate plane imbuisse, sicut vellus imbuitur colore quo tingitur. *Sicut ergo*, inquit, *caro postquam Verbi omnia vivificantis caro effecta est, quod peccatum non novit, è vestigio statum firmum ac omnibus modis stabilem, peccatoque quod olim tyrannidem in nos exercebat, multis partibus potentiorem nacta est.* Citat S. Joannes Isaiam cap. 53. v. 9. *Eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.* Nam, ut ait S. Paulus Hebr. 7. 26. *Talis decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, et excelsior cœlis factus.* Quia, ut ait S. August. hic *in quo non est peccatum, ipse venit auferre peccatum;* nam si esset et in illo peccatum, auferendum esset illi, non auferret.

6. OMNIS QUI IN EO MANET, NON PECCAT.] In sensu composito, quamdiu scilicet in Christo et Christi gratia manet, quamdiu ductum gratiæ sequitur; quia gratia et peccatum sunt contraria, quæ magis inter se pugnant, quàm calor et frigus, albedo et nigredo; et quia Christi gratia roborat hominem ad vincendum omne peccatum. Porro in Christo manet, ait Œcum. *Qui nulla intermissione facta virtutes exercet, et nunquam ab operatione ipsarum desistit.*

ET OMNIS QUI PECCAT, NON VIDIT EUM, NEC COGNOVIT EUM.] *Non vidit*, scilicet Christum, quoad humanitatem; *non cognovit* eumdem, per fidem quoad deitatem, ait Glossa. Verum hoc subtilius est. Idem ergo est *non vidit*, quod *nec cognovit;* qui enim peccat, non cognoscit Christum, scilicet practice, quia practice non considerat immensum Christi amorem, redemptionem, beneficia ac præmia gloriæ æternæ justis promissa et pœnas peccantibus ab eo præparatas in gehenna: si enim hæc attente consideraret, utique non peccaret; unde S. Basil. in Moral. regul. 80. in fine: *Quid proprium*, ait, *Christiani? Providere Dominum in conspectu suo semper.*

Rursum qui peccat non novit Christum, notitia scilicet sapida et affectuosa, quæ conjuncta est cum amore et charitate. *Non novit* ergo, id est, non amat Christum, non illi esse gratus sa-

tagit, non illi placere contendit. Si enim Christum verè amaret, ingruente quavis tentatione cum Paulo diceret : *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia?* etc. *Certus sum quia neque mors, neque vita*, etc. Roman. 8. et cum Sponsa Cant. 8. *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Ita passim S. Joannes hac epist. accipit τὸ *cognoscere* practicè, pro amare, æstimare, affici.

Audi Bedam. *Omnis ergo*, inquit, *qui peccat non vidit eum, nec cognovit eum; si enim gustasset et vidisset quàm suavis est Dominus, nequaquam se peccando à videnda ejus gloria segregaret : et in quantum justi memoriam abundantiæ suavitatis ejus eructant, et justitiam ejus exaltant, in tantum se à peccatis abstinendo, justitiæ ejus incommutabili et incomparabili concordare satagunt.* Optime vero hoc loco Didymus : *Omnis*, ait, *qui peccat factus extraneus Christi, non habet participium, nec scientiam ejus. Nam cum dicit : Non videt eum, significat quod participium non habet ejus; cui rei consequens est, ut neque scientiam internam ejus habere videatur.*

7. FILIOLI, NEMO VOS SEDUCAT,] q. d. Non vos seducat Simon, non Gnostici, qui docent sola fide hominem justificari, nec requiri ad justitiam bona opera; quare posse quemlibet esse justum, et simul indulgere suis cupiditatibus, et impure vivere : hæc enim non officere justitiæ, dummodo fidem retineat : quocirca Christianos libertate à Christo donatos, libere posse vivere, et facere quidquid lubet. Contra hanc enim hæresim Epistolas suas scripserunt S. Petrus, Joannes et Jacobus ; unde contra eam docent justificari nos non ex sola fide, sed et ex operibus. Hinc subdit S. Joannes.

QUI FACIT (non qui credit) JUSTITIAM, JUSTUS EST.] Nota. Non ait : Qui facit opera justa, sed, *qui facit justitiam ;* peccatores enim et pœnitentes faciunt aliqua opera justa, et tamen non sunt justi (nisi dispositive et inchoative, quia scilicet disponunt se ad justitiam, ad eamque tendunt), quia non faciunt justitiam, scilicet plenam et integram, quia non faciunt omnia à lege Dei præscripta : legem enim Dei plene implere nemo potest, nisi per gratiam et charitatem, quam solus habet justus. Nam, ut ait S. Jacobus c. 2. v. 10. *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus ;* vide ibi dicta.

Secundo, opponit hic S. Joannes natos ex Deo, uti dixit cap. 2. v. 29. natis ex diabolo, puta filios Dei filiis diaboli sive justos injustis, in eo quod justus faciat opera Dei, puta opera justitiæ et sanctitatis ; per justitiam enim hic generalem accipit, quæ est complexio omnium virtutum, sive omnis virtus, ut ait Nyssenus lib. de Beatitud. injustus vero faciat opera diaboli, puta opera injustitiæ et iniquitatis, sive peccata.

Tertio, *qui facit justitiam justus est ;* tum quia opera justitiæ quæ facit, indicant eum esse justum ; manant enim ex habitu justitiæ et charitatis, quo ille à Deo donatus est, cum ex eo renatus est : tum quia opera justitiæ ejus augmentum promerentur, faciuntque magis justum ; tum quia justi est continuo exercere se in operibus justitiæ, si justitiam acceptam retinere et augere velit. Agitur enim hic non de infusione, sed de exercitatione justitiæ, ait Thomas Anglicus.

Moraliter ergo docet S. Joannes, justum debere se assidue exercere et crescere in operibus justitiæ et virtutis, ejusque augendæ perpetuum debere habere studium et conatum instar sponsæ, de qua dicitur Cantic. 4. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol ;* et Proverb. 4. *Justorum semita quasi lux splendens procedit ; et crescit usque ad perfectum diem.* Vere S. August. in hanc epist. tract. 4. *Tota vita Christiani boni*, inquit, *sanctum est desiderium.* Ita faciebat S. Paulus, dum ait : *Quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis*, Philipp. 3. 14. Et de sanctis animalibus ait Ezech. c. 1. 12. *Unumquodque eorum coram facie sua ambulabat : ubi erat impetus spiritus illuc gradiebantur ;* ubi vide S. Gregorium homil. 3. et S. Bernard. epist. 254. ad Guarinum, et S. Basilium hom. 11. Hexaem. et S. Hieronymum ad Celantiam.

SICUT ET ILLE JUSTUS EST,] quia semper et ubique facit justitiam, eamque plenam et perfectam ; imo divinam, juxta illud : *Universæ viæ Domini misericordia et veritas.* Psal. 24. 10. Et : *Opera manuum ejus veritas et judicium.* Psal. 110. 7. Et : *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.*

Nota, τὸ *sicut* non æqualitatem significat, sed similitudinem : nulla enim creatura æquare potest justitiam et sanctitatem Creatoris, sed ejus umbram duntaxat imitatur et assequitur, perinde ut speculum umbram seu imaginem hominis exhibet, non ipsum hominem, ait Beda. Audi S. Augustinum : *Castificat nos sicut et ipse castus est, sed ille castus æternitate, nos casti fide : justi sumus, sicut et ipse justus est ; sed ipse in ipsa incommutabili perpetuitate, nos justi credendo, ei, quem non videmus, ut aliquando videamus. Et cum perfecta fuerit justitia nostra, cum facti æquales Angelis fuerimus, nec tunc illi æquabimur : quanto ergo modo ab illo longe est, quando nec tunc par erit?*

8. QUI FACIT PECCATUM, EX DIABOLO EST.] Est antithesis versus præcedentis. q. d. Sicut qui facit justitiam justus est, et ex Deo natus : ita ex adverso qui facit peccatum injustus est, et natus ex diabolo, quia ejus actiones et suggestiones sequitur, ex iisque quasi ex malo semine concipit et gignit peccatum. Esse ex diabolo, est imitari diabolum, ait S. August. *Nam neminem fecit diabolus, neminem genuit, sed quicumque fuerit imitatus diabolum, quasi de illo natus sit filius diaboli imitando, non proprie nascendo.* Itaque *qui facit peccatum ex diabolo est*, id est ex diaboli regno, familia et prosapia est, eumque sequitur et imitatur, ceu filius patrem : non autem quasi ex traduce diaboli genitus sit, ut somniarunt Manichæi. Simili phrasi, ait Ezechiel, cap. 16. 3. Judæis impiis : *Mater vestra Chetæa, et pater vester Amorrhæus : et soror tua major Samaria*, etc. *soror autem tua minor Sodoma.*

QUONIAM AB INITIO DIABOLUS PECCAT.] *Ab initio*, scilicet creationis suæ : nam licet non primo instanti (quia creatus est in gratia) paulo post illud tamen peccavit, superbiens et rebellans contra Deum. Secundo *ab initio* peccati et peccatorum, quia ipse primo peccavit ; unde Adæ cæterisque peccandi dedit initium et exemplum.

Ita Cyrillus catech. 2. *Princeps*, ait, *peccati diabolus est, et pater malorum.* Et S. August. hic: *Ab initio*, ait, *diabolus peccat, non ab initio ex quo creatus est, sed ab initio peccati; quod ab ipsius superbia cœperit esse peccatum.* Addit tertio, Didymus: *Ab initio diabolus peccat*, quia *primas*, inquit, *immittit suggestiones peccatorum.* q. d. Initium peccatorum omnium sibi vindicat plerumque diabolus, quia plerumque ea homini suggerit, ad eaque impellit. Denique τὸ *ab initio peccat*, significat diabolum jugiter in suo peccato et rebellione perseverare, utpote damnatum et obstinatum in malo, juxta illud Psalm. 73. *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. Peccat* ergo, id est, in affectu peccati primi superbiæ et aliorum semper persistit.

Alludit S. Joannes ad illud sui Evang. c. 8. 44. *In veritate non stetit, quia statim ut factus est, cecidit; fuit quidem in veritate conditus, sed non stando confestim à veritate est lapsus*, ait Isidorus lib. 1. de Summo bono cap. 3. Addit Beda: *Quoniam*, inquit, *ab initio diabolus peccat; quia*, ait, *ex quo ab initio cœpit diabolus peccare, nunquam desiit, nec præsentium scilicet pœnarum enormitate, nec futurarum metu coercitus. Unde ex illo jure esse dicitur, qui à peccando se revocare negligit.* Cujusmodi autem fuerit primum diaboli peccatum, his verbis explicat Beda: *Ille qui primus est conditus, mox ut altitudinem suæ claritatis aspexit, contra conditorem cum suis sequacibus superbus intumuit, perque eamdem superbiam ab initio peccans de Archangelo in diabolum est versus.*

In (ad) hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.] Confirmat id quod dixit. q. d. Adeo qui peccat est ex diabolo, non ex Deo, ut ad peccatum quasi hostem suum abolendum, Christum carnem assumere, in eaque apparere voluerit. Repetit more suo id quod dixit v. 5. *Et scitis quia ille apparuit ut peccata nostra tolleret.* Nota τὸ *ut dissolvat.* Peccata enim sunt quasi funes quos plectit diabolus, instar aranei captantis muscas, ut iis implicet, intricet et irretiat peccatorem, ne iis se extricare possit, quos proinde Christus venit dissolvere, ut iis peccatorem, extricet et eripiat. Hoc est quod ait Sapiens Proverb. 5. 22. *Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur;* et Isaias c. 5. 18. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum!* Vide ibi dicta. Hinc Christus dedit Petro et Apostolis potestatem solvendi, Matt. 16. 19. et Joann. 20. 23.

Ex hoc loco et similibus liquet Christum non fuisse incarnandum, si Adam non peccasset: negant id nonnulli Doctores Scholastici; sed constanter asserit Scriptura et Patres, qui nullam aliam Christi incarnationis causam assignant, quam nostram à peccato expiationem et redemptionem. Audi Symbolum Nicænum. *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis.* Hinc ex S. Gregorio canit Ecclesia in benedict. cerei Paschalis: *O vere necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est! O felix culpa, quæ talem et tantum meruit habere redemptorem!* S. Ambros. lib. de Sacrament. Incarnat. cap. 61. *Quæ*, inquit, *erat causa incarnationis, nisi ut caro quæ peccaverat, per se redimeretur.* S. August. serm. 9. de verb. Apost. *Nulla*, ait, *causa fuit veniendi Christo Domino nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, et nulla erit causa medicinæ.* S. Leo serm. 3. de Pentecost. *Si homo non deviasset*, inquit, *Creator creatura non fieret, neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo Patri Filius formam servi, et similitudinem carnis peccati assumeret.* Idem dicunt cæteri.

Quoniam semen ipsius in eo manet.] Quodnam est hoc *semen?* Primo, Œcum. accipit Christum; Christus enim est semen Patris, et semen benedictum Abrahæ, Galat. 3. 29. Secundo, S. Augustin. Clemens, Alexand. Beda, Glossa et Hugo accipiunt Verbum Dei, de quo extat parabola seminis et seminantis, Lucæ 8. v. 11. Jacobi 1. v. 18. 1. Petri 1. 23. Tertio, et aptissime, Lyran. Cajetan. Hugo et Thomas Anglicus: Semen, inquiunt, est gratia Dei, idque primo, quia ex gratia et charitate quasi ex semine pullulant cæteræ virtutes, item bona opera et merita. Secundo, quia gratia est semen gloriæ, uti pulchre docet S. Thomas 1. part. q. 62. art. 3. Tertio, quia, sicut semen mori debet ut pullulet et fructificet; ita gratia parit studium mortificationis et martyrii, ex quo omne bonum privatum et publicum profluxit et profluit, juxta illud Christi Joannis 12. vers. 24. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.*

9. Et non potest peccare quoniam ex Deo natus est.] Hinc Jovinianus olim, teste S. Hieron. lib. 2. contra eum, et nuper Lutherus et Calvinus docuerunt fidelem non posse excidere à fide, gratia et justitia; esseque certum de sua perseverantia et salute. Sed hic est error damnatus à Scriptura et à S. Joanne c. 2. v. 1. ubi ait: *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis;* poterant ergo peccare, atqui illi erant fideles; ac repugnat experientiæ quotidianæ, qua videmus in dies multos fideles fieri hæreticos et peccare. Denique contrarium definitum est à Concil. Trident. sess. 6. can. 23.

Alius ergo est sensus S. Joannis, nimirum qui natus est ex Deo, non potest peccare, scilicet graviter et mortaliter. Primo in sensu non diviso, sed composito; quatenus scilicet ex Deo natus est, et quamdiu nativitatem hanc et semen gratiæ Dei qua renatus est conservat, ejusque ductum sequitur; ita Œcum. Thomas Anglicus, Cajetan. et S. Hieron. l. 2. contra Jovin. Sic dicunt Theologi eum qui habet gratiam efficacem, non posse non facere id ad quod eum gratia impellit, ac consequenter non posse peccare nimirum in sensu composito; quia gratia efficax in suo conceptu includit effectum. Efficax enim dicitur, quæ prævisa est habitura effectum, quod scilicet libero arbitrio persuadebit consensum in bonum opus. Absolute tamen qui habet gratiam efficacem, potest ei resistere et peccare, uti liquet ex Concil. Trident. sess. 6. can. 4.

Secundo, qui natus est ex Deo, *non potest peccare* in sensu formali, quantum scilicet est ex parte nativitatis divinæ, si videlicet vim nativitatis et gratiæ divinæ spectes; hæc enim si sinatur agere et operari, nec ei resistat liberum arbitrium, potens est et efficax, ut excludat omne peccatum, ne cum eo possit consistere. Ita S. Augustinus de Gratia Christi cap. 21. Sic Adam in statu innocentiæ dicitur fuisse immor-

talis, quia quamdiu in eo perdurabat, non poterat mori; sed sicut illum deserere poterat, sic et mori. Sic dicemus : hæc medicina, v. g. theriaca, tam potens est, itaque pesti resistit, ut qui eam sumit non possit peste mori, uti Mithridates sumens quotidie mithridaticum à se inventum et denominatum, ita induruit contra venenum, ut in angustias extremas à Romanis redactus, sumensque venenum, ut eo se enecaret (ne vivus in Romanorum potestatem veniret) diu id facere nequiverit, natura ita mithridatico roborata, ut omnem veneni vim eliderel. Sed sicut quis potest theriaca, quam habet, non uti, imo sumptam ejicere et evomere, itaque peste tangi et mori; ita pariter qui habet gratiam Dei potest ea non uti, eamque abjicere et peccare. Porro S. Joannes hic distinguit habitus supernaturales divinæ gratiæ ab habitibus virtutum moralium naturalibus, quod illi omne peccatum excludat, hi vero non. Nam habitus, v. g. temperantiæ non perditur per unum actum intemperantiæ, sicut nec per unum actum temperantiæ acquiritur. Rursum distinguit gratiam Christi à gratia Adami, quod hæc Adamo dabat posse non velle, illa Christianis licet infirmioribus det posse et velle; vide S. August. de Corrept. et gratia c. 12. *Provisum est*, inquit, *infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter et inseparabiliter ageretur, et ideo quamvis infirma non deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur*, etc. *ut ipso donante invictissime quod bonum est vellet, nec hoc deserere invictissime nollet.* Hoc modo explicat S. Joannes c. 5. 18. dicens : *Omnis qui natus est ex Deo non peccat, sed generatio Dei conservat eum.*

Tertio, *non potest peccare*, id est, ægre, difficulter potest peccare; quia non novum hominem renatus, totus gratia Dei est indutus et imbutus, ut tanti Dei beneficii immemor et ingratus esse vix queat.

Huc accedit OEcum. *non potest*, ait, id est, non vult peccare. Alii per metathesin *non potest peccare*, id est, inquiunt, potest non peccare; quia hoc proprie est posse et potentia, cum ex adverso posse peccare, et peccare sit infirmitas, et impotentia, quasi dicat: Semen, id est, gratia Dei, dat nobis potentiam et robur qua possimus non peccare, et vincere omne peccatum, si velimus ei cooperari.

Quarto, S. August. de natura et gratia cap. 14. *Non potest peccare*, scilicet de jure, non de facto, q. d. Jure non potest peccare, non decet, non congruit eum peccare; si peccet, facit contra omne debitum, jus et fas; quia ingratus est tantæ gratiæ, nativitati et filiationi à Deo acceptæ.

Quinto, Gagneius : *Non potest peccare*, scilicet peccato infidelitatis affectatæ, vel impugnationis veritatis agnitæ, quod S. Joannes vocat peccatum ad mortem. c. 5. 16.

Sexto, alii hæc accipiunt de prædestinatis et absolute electis ad vitam æternam; hi enim licet possint aliquo tempore esse in peccato mortali, tamen in extremo vitæ articulo nequeunt esse in eo, cum eoque mori. Simili modo ait Christus Matth. 24. non posse electos in errorem induci, et Joannes 10. neminem posse electos de manu sua rapere. Hinc S. Fulgentius de Fide ad Petrum c. 35. *Firmissime tene*, inquit, *nullum eorum qui prædestinati sunt posse perire;* intellige hoc de impossibilitate non antecedenti, sed consequenti, quam logici consequentiæ vocant, quæ recte cum libertate arbitrii nostri consistit, quia illam includit et præsupponit.

Prima expositio et secunda maxime genuinæ videntur.

Anagogice S. Aug. lib. 2. de peccat. mor. c. 7. justus, ait, non potest peccare, non in re, sed in spe; quia sperat, imo jus habet ad vitam æternam, in qua erit impeccabilis.

Simili modo S. Augustin. lib. 1. de Nuptiis et conc. c. 23. et 29. et de Spiritu et littera cap. ult. ait præceptum : *Non concupisces*, et, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, et ex omnibus viribus*, perfecte in hac vita non posse adimpleri, sed illo nos moneri ut eo contendamus, ubi illud perfecte adimplebimus, quod erit in cœlo. Intellige hæc in sensu anagogico. Nam eo jubetur cum dicitur : *Non concupisces*, ut nullum concupiscentiæ motum sentiamus, quod in hac vita facere non possumus, sed faciemus in cœlo; in sensu enim litterali præcepto *non concupisces*, tantum præcipitur, ut esto concupiscentias sentiamus, iis tamen non consentiamus, quod possumus præstare in hac vita. Idem dicendum est de illo : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, et ex omnibus viribus*, uti dixi Roman. 7. v. 7.

Moraliter S. Joannes docet hic fideles modum facilem et certum fugiendi quodlibet peccatum, ac faciendi ut moraliter fiant quasi impeccabiles, nimirum si intendant jugiter semini Dei, hoc est, sanctis inspirationibus et dictaminibus fidei, ac prudentiæ Christianæ, quas Deus per fidem et prudentiam menti suggerit et inspirat; dum enim illis intendimus, mentemque affigimus, excludimus omne semen diaboli, id est, omnes suggestiones concupiscentiæ, et peccati, itaque peccare non possumus. Qui enim peccat, necesse est ut attendat et intendat alicui concupiscentiæ à Deo vetitæ; si ei non attendat, peccare nequit, quia appetitus et voluntas nil potest appetere et velle, nisi quod phantasia et mens ei proponit et suggerit quasi bonum appetibile et concupiscibile. Hinc Beati peccare nequeunt, quia Deum vident tanquam summum et immensum bonum; unde ab eo oculos avertere nequeunt, sed in eo quasi omnis boni abysso merguntur et absorbentur.

Quocirca utilissimum est mentem semper occupare bonis cogitationibus, uti faciebat S. Xaverius, v. g. ruminare aliquam piam sententiam S. Script. vel SS. Patrum, aut actum, vel virtutem aliquam cujuspiam Sancti; hac enim cogitatione occupata mens excludit et elidit omnem aliam cogitationem illecebrosam, quæ appetitum movere posset ad peccatum; hoc de intellectu. Idem est de voluntate. Qui enim intendit semini Dei, hoc est, piis affectionibus, desideriis, impulsibus, terroribus, promissis, etc. quas Deus inspirat et indit voluntati, nequit intendere concupiscentiæ, ac consequenter nequit peccare. Dicit ergo cum S. Josepho sollicitato ab adultera : *Ecce Dominus meus omnia mihi tradidit præter te; quomodo ergo possum hoc malum facere, et peccare in Deum meum?* Gen. 39. 3. Vide ibi dicta. Audi S. Leonem serm. 8. de Epiphan. *Qui*, inquit, *experiri cupit an in ipso Deus habitet, de quo dicitur : Mirabilis Deus in Sanctis suis; sincero examine cordis sui interiora discutiat, et sagaciter quærat qua humilitate resistat superbiæ, qua benevolentia obluctetur invidiæ,*

quam non capiatur adulantium linguis, quamque bonis delectetur alienis. An pro malo non cupiat malum reddere, malitque inultas oblivisci injurias, quam imaginem et similitudinem sui conditoris amittere, qui omnes ad cognitionem sui generalibus incitans donis, pluit super justos et injustos, et solem suum oriri facit super bonos et malos. Ac ne in multis laboret sollicitæ discretionis inspectio, ipsam matrem virtutum omnium charitatem in secretis suæ mentis inquirat, et si in ea dilectionem Dei et proximi toto corde intenti reperit, ita ut etiam inimicis suis eadem velit tribui, quæ sibi optat impendi, quisquis hujusmodi est, Deum et rectorem et habitatorem sui esse non dubitet.

10. IN HOC MANIFESTI SUNT FILII DEI, ET FILII DIABOLI : q. d. Hisce duobus indiciis manifeste secernas filios Dei à filiis diaboli, puta justos ab injustis; nimirum primo, quod OMNIS QUI NON EST JUSTUS (Græca et Syrus : *Omnis qui non facit justitiam*, opera justa et sancta) NON EST EX DEO; secundo, QUI NON DILIGIT FRATREM SUUM] puta proximum, præsertim Christianum, repete, hic pariter *non est ex Deo*, id est, non est filius Dei, sed diaboli. Unde à contrario colligendum relinquit, filium Dei esse primo, qui facit justitiam; secundo, qui diligit fratrem. Hæ sunt ergo duæ tesseræ, et quasi duo symbola filiorum et militum Dei, scilicet justitia et charitas; diaboli vero injustitia et odium. Nota. Qui diligit fratrem, facit justitiam. Justitia enim generalis hic accipitur, quæ dilectionem, omnemque virtutem complectitur; uti genus complectitur suas species; hic tamen ea secernit S. Joannes, ut ostendat inter omnes justitiæ species nullam magis ostendere, imo efficere nos filios Dei, quam charitatem et dilectionem proximi; nec ex adverso ullam injustitiæ speciem magis nos ostendere et efficere filios diaboli, quam odium et invidiam. Hinc S. Joannes, dilectus Jesus, non nisi dilectionem spirat. Proprie ergo charitas secernit inter filios Dei et diaboli. Audi S. August. hic tract. 5. *Dilectio sola discernit inter filios Dei et filios diaboli; signent se omnes signo crucis Christi; respondeant omnes: Amen; cantent omnes : Alleluia ; baptizentur omnes ; intrent omnes Ecclesias, faciant parietes basilicarum; non discernuntur filii Dei à filiis diaboli, nisi in charitate. Qui habent charitatem, nati sunt ex Deo; qui non, non sunt nati ex Deo. Quidquid vis habe; hoc solum non habeas, nihil tibi prodest. Alia si non habeas, hoc habe, implesti legem.* Charitate autem diligitur Deus propter se, et proximus propter Deum; unde *plenitudo legis est dilectio.* Rom. 13. 10. Idem August. de natura et gratia c. 42. *Charitas*, ait, *est verissima, plenissima, perfectissimaque justitia.* Tertull. autem lib. de Patient. eamdem vocat *summum fidei Sacramentum, Christiani nominis thesaurum, quam Apostolus totis viribus Spiritus sancti commendat :* Clemens vero Alexand. in Paræn. ad Gent. *præcipuum* nominat *hominis Christiani munus;* Cyprianus de Bono Patient. *fundamentum pacis, tenacitatem ac firmitatem unitatis, quæ et opera et martyria præcedit.* Basilius orat. 3. *radicem mandatorum :* Gregor. Nazianz. epist. 20. *doctrinæ nostræ caput.* Hieron. epist. ad Theoph. *cunctarum virtutum matrem.* Ephrem Doct. de humil. *omnium virtutum columnam.* Aug. serm. 53. de Temp. *omnium virtutum arcem.* Prosper. l. 3. de Vita contempl. c. 13. *affectionum omnium potentissimam, in omnibus semper invictam, actionum bonarum summam, salutem morum, finem cœlestium præceptorum, mortem criminum, vitam virtutum;* Cyrillus in cap. 13. S. Joann. *omni virtute constantem.* Gregor. lib. sexto, epist. 60. *matrem et custodem omnium bonorum.* Bernardus epist. 2. *Hominum matrem et Angelorum, non solum quæ in terris, sed etiam quæ in cœlo sunt pacificantem.*

Denique S. Basil. de instit. Monach. *Ubi deliquium*, ait, *patitur charitas, eo prorsus ejus loco odium succedit. Quod si, ut Joannes ait, Deus charitas est, sine dubio necesse est diabolum odium esse. Ut igitur qui charitatem habet, is Deum habet; sic qui odium habet, diabolum in se nutrit.* Hæc ante me congessit noster Bened. Justin.

11. QUONIAM HÆC EST ANNUNTIATIO,] hoc est, res annuntiata, et semper annuntianda ac prædicanda. q. d. Hoc est nuntium è cœlo à Christo allatum, quod nos Apostoli nuntii Christi vobis jugiter annuntiamus. Syrus, hoc est præceptum; præceptum enim subditis promulgandum et annuntiandum est. Græcum ἀγγελια alludit ad Evangelium, q d. Summa Evangelii est diligere invicem. Rursum Evangelium, id est lætum nuntium, quod Christus nobis attulit è cœlo, fuit ut diligamus invicem, sicut Christus dilexit nos. Potuisset Deus à nobis, utpote peccatoribus, exigere multa opera pœnosa et ardua jejuniorum, ciliciorum, laborum, tormentorum, martyriorum, sed noluit, contentus est si amemus invicem. Hoc est Evangelium. Quid enim lætius, quid jucundius, quid facilius quam amare, et amare *alterutrum*, id est, invicem, reciproce! Sicut enim Deus præcepit nobis ut diligamus fratres, sic vicissim præcepit fratribus ut reciprocum amorem nobis rependant. Hunc enim elicit et exigit noster amor; philtrum enim efficacissimum, lynx, magnes et illex amoris est amor, juxta illud Mart.

> Ut præstem Pyladem, aliquis mihi præstet Orestem;
> Hoc non fit verbis : Marce, ut ameris, ama.

Rursum hæc est ἀγγελια, puta angelorum annuntiatio, doctrina et vita; angeli enim se invicem ardentissime diligunt. Hanc jubet nos imitari Christus, ut angelorum mores et felicitatem æmulemur, et per mutuum amorem inchoemus.

Alludit, imo citat illud Christi : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*, Joann. 15. v. 12. ubi notat S. August. tract. 83. in Joannem, το *sicut dilexi vos*, distinguere charitatem à dilectione humana et carnali. q. d. Diligite invicem, non sicut se diligunt homines, quoniam homines sunt, sed sicut se diligunt, quoniam dii sunt, et filii Altissimi. *Ut quid enim*, inquit, *diligit nos Christus, nisi ut regnare possimus cum Christo? Pauci se propterea diligunt ut sit Deus omnia in omnibus.*

12. UT DILIGATIS (græce αγαπωμεν, id est, *diligamus alterutrum*) NON SICUT CAIN,] subaudi faciamus, vel diligamus. Cain enim seipsum tantum dilexit, fratrem vero suum Abelem odit, et occidit ex invidia; quod scilicet videret sacrificia fratris, utpote meliora, esse Deo grata, ideoque ab eo cœlesti igne inflammari, sua vero, utpote pejora, esse Deo ingrata, ab eoque respui. Hoc est quod Caino ait Deus juxta Septuag. *Nonne, si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti?* Nam Cain *hoc ipso male dividebat, dans Deo aliquid suum, sibi autem seipsum*, ait S. August. 15. Civit. cap. 7. *Quod omnes*, inquit,

faciunt, qui non Dei, sed suam sectantes voluntatem, id est, non recto, sed perverso corde viventes offerunt Deo munus, quo putant eum redimi; ut eorum non opituletur sanandis pravis cupiditatibus, sed exemplis. Quocirca notat Euseb. lib. 11. de Præpar. Evang. c. 4. apposite et quasi omine divino vocatum esse Cain; licet enim mater Eva cum vocarit *Cain*, id est, *possessionem et peculium* suum, dicens: *Possedi hominem per Deum*, Gen. 4. 1. à radice קנה *kana* per ה, id est, *possedit*, tamen æque commode *Cain* derives à קנא *kana* per א, id est *æmulatus est, invidit*; et sic *Cain* idem est quod *æmulus*, vel *invidus*, qualis ipse fuit. Vide Prosperum lib. 1. de Promis. et prædest. c. 6. de dilectione proximi, vide S. Gregor. 10. Moral. c. 6. Chrysost. homil. 18. in Matth. ubi novem dilectionis gradus assignat. Et S. August. l. 1. de doctr. Christ. c. 22. *Hæc*, inquit, *regula dilectionis divinitus constituta est: Diliges proximum tuum sicut te ipsum, Deum vero ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente, ut omnes cogitationes tuas, et omnem vitam, et omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipsa quæ confers. Cum autem ait, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit quæ vacare debeat, et quasi locum dare, quasi alia re velit frui. Sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit. Quisquis ergo recte proximum diligit, hoc cum eo debet agere ut etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat Deum. Sic enim cum diligens tanquam seipsum, totam dilectionem sui et illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur.*

Qui ex maligno erat.] Puta ex diabolo. q. d. Cain erat filius non Dei, sed diaboli, non generatione, sed imitatione et suggestione. Diabolus enim ex odio Dei, cum ipsi nocere non possit, cupit nocere ejus imagini, puta homini ipsumque perdere; sicut pardalis cum hominem lædere nequit, hominis imaginem discerpit, ait S. Basil. homil. de invidia. Malignitas ergo Cain æque ac diaboli consistit in odio et invidia; quæ sunt vitia tyrannorum, raptorum et homicidarum, *qui piscium vitam degunt; nam ii in quemcumque alium inciderint devorant, robustior infirmiorem propellens*, ait Athenagoras orat. pro Christianis. Unde piscis apud Ægyptios erat hieroglyphicum odii, ait Clemens Alex. lib. 5. Stromat.

Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna (πονηρα, id est, *mala et prava*) erant.] Quia scilicet Deum parvi, imo minoris seipso æstimans, pejores victimas ipsi offerebat, meliores et pinguiores sibi reservans, atque invidebat Abeli, quod meliora offerens Deo, ipsi gratior existeret, et ab eo cœlesti victimarum incendio honoraretur; peccatum ergo Cain fuit invidia, quod scilicet Abeli fratri invideret Dei benevolentiam et gratiam, qua ejus victimas cœlitus inflammando acceptabat, non Caini. Ex invidia natum est odium, ex odio homicidium, imo parricidium. Hæ sunt proles et fruges invidiæ.

Audi S. Cyprian. tract. de Zelo et livore: *Ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus auctiorem zelo excæcante sensus nostros atque in ditionem suam mentis arcana redigente, Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, judicii dies non providetur; inflatur superbia, exacerbatur sævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutit; furit discordia, ira fervescit, nec se jam potest cohibere, vel regere, qui factus est potestatis alienæ. Hinc Dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, ad hæreses atque ad schismata prosilitur, dum obtrectatur sacerdotibus, dum Episcopis invidetur, dum quis aut queritur non se potius ordinatum, aut dedignatur alterum ferre præpositum. Hinc recalcitrat, hinc rebellat, de zelo superbus, de æmulatione perversus, animositate et livore non hominis, sed honoris inimicus. Qualis vero est animæ tinea, quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo, zelare in altero vel virtutem ejus, vel felicitatem, id est, odisse in eo vel merita propria, vel beneficia divina, in malum proprium bona aliena convertere, illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam pœnam, velut quosdam pectori suo admovere carnifices, cogitationibus et sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent, qui cordis secreta malevolentiæ angulis pulsent, non cibus talibus lætus, non potus potest esse jucundus: suspiratur semper, et ingemiscitur et doletur; dumque ab invidis nunquam livor exponitur, diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur.*

Fratris autem ejus justa.] Puta innocentia, pia et sancta; quia Deum pluris se æstimans, meliores victimas ipsi offerebat, ideoque ex invidia à fratre Cain occisus est. Tria maxime præconia justitiæ in Abel fuere: scilicet virginitas, sacerdotium et martyrium; ait S. August. vel quisquis est auctor lib. Divers. quæst. ad Onosium; unde et S. Cyprian. lib. de Bono patientiæ, ante medium ait Abelem initiasse martyrium, eumque Martyribus ad imitandum in exemplum statuit. Sic et Rupert. in Isaiæ c. 59. Abelem vocat Protomartyrem. Hinc et Abel fuit typus Christi, qui fuit Martyrum caput et princeps, uti docet Irenæus lib. 4. c. 42. S. August. lib. 12. contra Faustum c. 9. et 10. Prosper loco citato et alii, vide dicta de Cain et Abel Gen. 4. et epist. Judæ v. 11. Hac de causa S. August. civitatem Dei inchoat ab Abel, civitatem diaboli à Cain, lib. 15. Civit. c. 8.

13. Nolite mirari, fratres, si odit vos mundus.] Hanc sententiam quasi consequens deducit S. Joannes ex antecedenti antithesi filiorum Dei et filiorum diaboli, v. g. Caini et Abelis. q. d. Sicut Cain odit Abelem, quia Caini maligna, Abelis vero justa erant opera; et ita pariter mundus, id est, Gentiles et mundani homines oderunt Christianos verosque fideles, quia ipsorum prava, fidelium vero sancta sunt opera. Alludit ad illud Christi in suo Evangelio c. 15. 18. *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Quid mirum si filii diaboli oderint filios Dei, cum pater eorum diabolus extreme oderit Deum Deique filios? Sicut non mirum est filios serpentum odisse filios hominum, contrarium enim odit sibi contrarium; uti nigredo odit, id est aversatur, albedinem, frigus calorem, amaritudo dulcedinem, malitia bonitatem, vitium virtutem, etc.

Porro causæ cur mundus oderit et fideles et sanctos, sunt quinque. Prima est, dissimilitudo morum; mundani enim mundanos habent mores, sancti vero cœlestes. Illi tument ambitione, avaritia; gula, libidine; hi se deprimunt humilitate, paupertate, sobrietate, castitate. Nam sicut

similitudo est causa amoris, sic dissimilitudo est causa odii, ait Aristot. hinc illud Horatii l. 1. epist. 19.

> Oderunt hilarem tristes, tristemque jocosi,
> Sedatum celeres, agilem gnavumque remissi.

Hanc causam dant impii Sapient. 2. 15. *Gravis*, inquiunt, *est nobis etiam ad videndum quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatæ sunt viæ ejus.* Et S. Leo serm. 9. de Quadrages. *In bono ergo*, inquit, *proposito constitutis inimicitiæ dissimilium diabolo instigante non desunt, et facile in odia prorumpunt, quorum improbi mores detestabiliores sunt comparatione rectorum. Iniquitas cum justitia non habet pacem, temperantiam odit ebrietas, falsitati nulla est cum veritate concordia. Non amat superbia mansuetudinem, petulantia verecundium, avaritia largitatem, et tam pertinaces habet diversitas ista conflictus, ut etiamsi exterius conquiescat, ipsa tamen piorum cordium penetralia inquietare non desinat; ut verum sit, quod qui voluerint in Christo pie vivere, persecutionem patientur; ut verum sit, quod omnis hæc vita tentatio est.* Mox vero aliam hujusce rei causam affert ab invidia malevolentiaque dæmonum desumptam. *Per istum*, inquit, *agonem dilectissimi ad præmia æterna tendentibus, in eo maxime diaboli insidiatur astutia, ut quorum pervertere non potest probitatem, subruat fidem.* Simili de causa inter bestias dissimiles intercedit antipathia et odium, v. g. inter hyænam et pantheram, de quo Plinius l. 28. c. 8. *Hyænæ*, inquit, *pantheris terrori esse traduntur, ut ne conentur quidem resistere, et aliquid de corio earum habentem non appeti; mirumque dictu, si pelles, utriusque contrariæ suspendantur decidere pilos pantheræ.* Simile odium est inter lupum et ovem, inter canem et leporem, inter murem et felem, inter elephantem et rhinocerotem.

Secunda odii causa est invidia; quia enim mundani suis concupiscentiis irretiti non possunt assurgere ad puritatem, virtutes et sanctitatem Sanctorum; dolent, eamque illis invident, præsertim quia vident illos magnis certisque passibus tendere ad beatitudinem et gloriam cœlestem, se vero suis sceleribus tendere ad damnationem et gehennam. Sicut ergo damnati et dæmones oderunt Sanctos, sic et mundani.

Tertio est, quod mundani videant Sanctos se separasse ab eorum consortio, illudque assidue fugere; unde eos quasi sui cœtus apostatas oderunt. Hanc causam assignat Christus Matth. 15. 18. *Si de mundo*, inquit, *fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Et impii Sapient. 2. 16. *Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, et abstinet à viis nostris tanquam ab immunditiis.*

Quarta, quia Sancti carpunt et redarguunt pravos mores mundi, imo sola Sanctorum vita est tacita mundanorum reprehensio. Hanc causam dant impii Sapient. 2. v. 12. *Circumveniamus*, aiunt, *justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est nobis, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ.* Et Christus Joann. 15. 8. *Cum venerit ille* (Paraclitus) *arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio.*

Quinta, quia mundani pleni sunt amore sui, cui contrarii sunt Sancti, utpote pleni amore Dei; hinc laudem, dignitatem et gloriam acquirunt, quam eis mundani invident. Tritum est illud vulgi:

> Dum canis os rodit, socium quem diligit odit.

Unde fremit et ringit, quia metuit ne socius canis, os vel partem ossis sibi eripiat. Et hæc est causa cur etiamnum mundus et mundani oderint viros religiosos, quia scilicet eos ob sapientiam et virtutem sibi videnti præferri in concionibus, pulpitis, cathedris, etc. easque sibi eripi; quod sane nascitur ex amore sui et mundi, non Dei; vide Philonem lib. *Quod deterius potiori insidiatur.*

Succinit S. Joanni S. Jacobus c. 4. *Adulteri*, inquit, *nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei;* vide ibi dicta, et sanctus Paulus dicens: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*, Galat. 1. 10. Nota. Pro *nolite mirari* S. Fulgent. lib. 3. ad Trasimundum, et Tertul. in Scorpiaco c. 12. legunt: *Nolite expavescere.* Nonnulli enim Christiani verecundiores et timidiores mirabantur, quasi quid novum et insolens, se ob susceptam Christi fidem, sanctamque vitam à suis amicis Gentilibus despici, et odio haberi, imo vexari, et bonis spoliari, cum potius ob sanctitatem coli et amari juvarique debuissent, ideoque hæc odia expavescebant. Roborat ergo eos S. Joannes, docetque id non esse mirandum nec expavescendum, sed potius in eo lætandum et gloriandum; quia quos odit mundus, hos amat Deus: *Magis mirabile esset, si pravi homines diligerent eos qui secundum Christum pie vivunt*, ait Didymus. Quare ob hæc odia ne vel hilum remittendum est de sanctitate vel amore, sed potius in iis obfirmandus, intendendus et majoribus incrementis perficiendus est animus; sicut calor objecto frigore per antiperistasin sese intendit, corroborat et adauget; adeo ut etiam mundanos nos audientes charitate superare, et ex inimicis amicos facere satagamus.

Hoc est quod ait S. Petrus epistol. 1. c. 4. 12. *Charissimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat; sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione glòriæ ejus gaudeatis exultantes.* Vere Seneca lib. de Providentia c. 1. et seq. *Deus*, ait, *virum bonum in deliciis non habet, experitur, indurat, sibi illum præparat*, etc. *omnia adversa* (vir bonus) *exercitationes putat*, etc. *marcet sine adversario virtus; tunc apparet quanta sit, quantum valeat polleatque cum quid possit patientia ostendit;* et S. Basil. Admonit. ad filium spirit. *Fili*, ait, *patientiam arripe, quia maxima est virtus animæ, ut velociter ad sublimitatem perfectionis possit ascendere.* Causam dat S. August. serm. 11. et 149. de Tempor. ut scilicet ex mundi odio Deus nos trahat ad amorem sui et cœli. *O infelicitas*, inquit, *generis humani! amarus est mundus et diligitur, puta si dulcis esset, qualiter diligeretur? flores ejus quomodo colligeres, qui à spinis non removes manum?*

14. Nos scimus,] non fide divina credendo nos esse justos et prædestinatos, ut volunt hæretici, sed certitudine morali et conjecturali, concepta ex testimonio bonæ conscientiæ, innocentis vitæ, et consolationis Spiritus sancti. Dicit hoc S. Joannes ad consolationem fidelium, ne timeant mundi odia. q. d. In hisce mundi odiis et persecutionibus soletur vos; ô fideles, vobisque animos addat et exacuat, quod per fidem et Christianismum translati estis de morte peccati

ad vitam cœlestem et divinam, scilicet in hac vita per gratiam, in futura per gloriam, quæ omnibus odiis superior est; hujus autem vitæ certum est judicium, imo effectus, *quoniam* (quod) *diligimus fratres*, id est, proximos. Dilectio enim hæc signum est, et effectus indubitatus gratiæ sanctificantis, et Spiritus sancti, à quo quasi fonte increato manat omnis amor et dilectio. Vere S. Basilius in Regulis brev. reg. 11. et fusius in disput. reg. 296. *Quando*, inquit, *certo persuasus esse aliquis potest Deum sibi peccata remisisse? Nempe si affectionem animi in se animadverterit similem illius qui dixit : Iniquitatem odio habui, et abominatus sum*, etc.

Ubi tria dat signa inhabitantis gratiæ et justitiæ : Primum, odium peccati; secundum, mortificationem carnis, et omnium malarum cupiditatum; tertium, zelum salutis proximi ex amore Dei provenientem, qualem habuit Paulus, dicens : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* 2. Corinth. 11. et S. Gregor. l. 1. Dialog. c. 1. *Mens*, inquit, *quæ divino spiritu impletur, habet evidentissima signa sua, virtutes scilicet et humilitatem; quæ si utraque perfecte in una mente conveniunt, liquet quod de præsentia sancti Spiritus testimonium ferunt.* S. Leo serm. 8. de Epiphan. hæc tria gratiæ et sanctitatis assignat indicia. Primum, humilitatem; secundum, injuriarum condonationem; tertium, ea tribuere quæ sibi cupit impendi. *Quisquis*, ait, *hujusmodi est, Deum rectorem et habitatorem sui esse non dubitet*, videlicet ita ut non pendeat animi, sed probabiliter id credat.

Qui non diligit, cum scilicet debet diligere, aut qui non diligit, id est, qui odit, ut sit liptote aut miosis, manet in morte,] puta manet in macula peccati habitualis, remanente post actum peccati transeuntem, indeque manet in reatu et obligatione ad mortem æternam, ex quo exire per se nequit, sed tantum per gratiam Christi, ait Thomas Anglicus. Quomodo anima, immortalis cum sit, peccato tamen mori possit, eleganter explicuit S. August. lib. 3. de Civit. Dei c. 1. *Mors animæ fit, cum eam deserit Deus; sicut corporis, cum id deserit anima. Ergo utriusque rei, id est, totius hominis mors est, cum anima à Deo deserta deserit corpus; ita enim neque ex Deo vivit ipsa, neque corpus ex ipsa.* Consentaneè Cyrill. Alexand. orat. de exitu animæ : *Mors proprie est non quæ animam dirimit à corpore, sed quæ animam à Deo separat : Deus vita est, à quo qui disjungitur, perit.*

Quin potius hæc animæ mors absolute in arcano sermone appellatur mors; nam mors illa corporis quam tantopere horremus, umbra duntaxat est, et imago hujus veræ mortis, cum illa ne conferenda quidem. Unde S. Gregor. l. 4. Moral. cap. 17. *In Scriptura*, ait, *mors carnis dicitur umbra mortis; quia sicut vera mors est, qua anima separatur à Deo, ita umbra mortis est, qua caro separatur ab anima.* Denique peccatum generat formidabilem illam æternæ damnationis mortem, de qua S. August. lib. 6. de Civitate cap. ult. *Si anima in pœnis vivit æternis, mors illa potius æterna dicenda est, quam vita; nulla quippe major et pejor est mors, quam ubi non moritur mors.* Quocirca S. Basilius homil. 5. in Julittam Martyrem : *Peccatum*, ait, *animæ est ægritudo, peccatum mors est animæ, alioqui immortalis. Peccatum luctu est et implacabilibus lamentis dignum. Ob peccatum profluant effusissimæ lacrymæ, nec desinat ab imo pectoris recessu jugiter prosilire suspiriosus gemitus.* Ob hanc utique causam S. Hieron. peccatorem vocat diaboli cadaver : *Cadaver*, inquit, *diaboli putridum, ob magnitudinem peccatorum dubitare non poterit, qui legerit peccatum esse fœtidissimum, ipso peccatore dicente : Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ;* ita ipse l. 6. in Isaiæ c. 14.

15. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.] Probat id quod dixit : *Qui non diligit manet in morte*, hoc syllogismo : Omnis homicida manet in morte; atqui omnis qui non diligit, sed odit fratrem suum, est homicida; ergo omnis qui non diligit fratrem suum, manet in morte. Porro S. Joannes pro eodem habet non diligere fratrem et odisse fratrem, tum per miosin, quia minus dicitur, sed plus intelligitur, puta per negationem intelligitur affirmatio contrarii; tum quia non diligere fratrem cum debeas eum diligere, censetur interpretativum odium, et sæpe id oritur ex expresso et formali odio.

Porro, qui odit fratrem suum homicida est, non actu et opere, sed affectu et voluntate; quia, ut ait S. Hieron. epist. 36. ad Castorin. *Cum homicidium ex odio sæpe nascatur, quicunque odit, etiamsi necdum gladio percusserit, animo tamen homicida est.* Sic Christus ait, cum qui concupiscit uxorem proximi esse adulterum, quia eam mœchatus est in corde suo, Matth. 5. 28. Secundo, *homicida* est dispositive, quia odium disponit, et via est ad homicidium, sicut concupiscentia ad adulterium; ita Dion. Carth. Denique odium plenum est desiderium homicidii : difficillimum enim est ut quem oderis, superesse velis; vide Antiochum Monachum homil. 28.

Mystice, qui odit fratrem homicida est sui ipsius, quia per odium occidit animam suam. Ita S. Ambros. precat. ad Missam : *Qui*, inquit, *invidet, qui odit, non alium priusquam seipsum occidit; qui exultat in adversis proximi, et affligitur in prosperis ejus, alieno proximum, se suo petit gladio;* et S. Gregor. lib. 10. Moral. c. 11. num. 18. *Vitam*, ait, *animæ culpa polluit, servatus vero contra proximum dolor occidit; menti namque ut gladius figitur, et mucrone illius ipsa viscerum occulta perforantur, qui scilicet à transfixo corde si prius non educitur, nihil in precibus divinæ opis obtinetur; quia et vulneratis membris imponi salutis medicamenta nequeunt, nisi ferrum à vulnere ante subtrahatur.* Pari modo qui odit fratrem, animam ejus sæpe occidit; quia provocat eum ad odium, vindictam et rixas, quibus animam suam perimit.

Porro Alexander Papa epist. 3. sic legit : *Omnis qui detrahit fratri suo homicida est, et omnis homicida non habet partem in regno Dei.* Nam ut ait hic Dionys. triplex est homicidium : Primum corporale, quod tollit esse naturæ; secundum detractionis, quod tollit esse famæ, occiditque civiliter; tertium, odii.

Non habet vitam æternam in semetipso manentem.] q. d. Non habet gratiam in se manentem, non manet in eo gratia, nec ipse in gratia, qua obtinetur vita æterna; ut sit metonymia, ita Cajetan. et alii. Aut proprie, *non habet*, id est, non habebit, vel habere non potest gloriam vitæ æternæ, ut vertit Syrus, ut sit enallage temporum, qua præsens ponitur pro futuro. q. d. Qui odit non habet spem vitæ æternæ, nec eam spe-

rare potest, sed manet in morte peccati, inde transiturus ad mortem æternam gehennæ (est miosis, ut dixi) juxta illud S. August. Præfat. in Psalm. 31. *Quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe,* unde Cain : *A facie,* inquit, *tua abscondar, et ero vagus et profugus in terra; omnis igitur qui invenerit me, occidet me.* q. d. ait S. Hieron. epist. 121. ad Damasum quæst. 1. *Quisque ex tremore corporis et furiatæ mentis agitatæ, cum me esse intelliget, qui mereatur interfici.* Sic Poetæ fingunt Orestem ob cædem matris continuis furiis agitatum ; vide S. Augustin. hanc S. Joannis sententiam expendentem homil. 40. inter 50. c. 2. et hom. 42. c. 7.

16. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere.] Redit S. Joannes ad vim, indolem et legem perfectæ charitatis, ejusque ideam et vivum exemplar proponit Christum. q. d. Christus eminentiam charitatis ostendit, ejusque legem fixit, non tam verbo quam facto, quando ipse animam, id est, vitam suam posuit pro nostra : mortuus enim est ut nos à morte præsenti, et æterna liberaret, ac ad vitam gratiæ et gloriæ beatæ traduceret ; quo facto quasi in imagine nobis legem charitatis depinxit, scilicet nos pari modo pro fratribus debere animam, id est vitam, ponere. Dicit ergo : *In hoc cognovimus charitatem Dei.* q. d. In hoc elucet clare immensa Dei charitas superans omnem charitatem et amorem parentum, cognatorum, amicorum, quod scilicet Deus infinitus et immensus, pro suis creaturis, puta hominibus peccatoribus, indignis et ingratis, ultro et liberaliter sine ullo suo commodo, aut fructu, imo cum magno incommodo et probro, vitam suam posuerit ; eoque simul nobis tacite præcepit ut se imitemur, et similiter pro fratribus animam ponamus.

Nota. Non licet animam, id est, æternam animæ salutem, prodigere pro æterna salute animæ proximi ; quia charitatis ordo poscit ut magis diligam meam salutem, gratiam et gloriam, quam proximi ; quocirca bona spiritalia, puta gratiam et gloriam, eorumque augmentum magis mihi velle et procurare teneor, quam proximo ; hoc enim dictat charitas ejusque ordo ; licet tamen animam, id est, temporalem animæ salutem et vitam prodigere pro æterna salute proximi ; quia illa longe pluris facienda est quam temporalis propria. Unde cum ad illam comparandam necessarium est hanc prodigere, vel periculo exponere, id omnino faciendum est : hoc enim dictat et jubet ordo charitatis. Ita S. Paulus et Paulinus pro fratribus animas posuerunt. Ita S. Sebastianus vitam suam exposuit morti et martyrio, ut S. Marcum et Marcellianum ex tentatione parentum natantes in fide confirmaret. Ita S. Vitalis Ursicinum medicum in martyrio nutantem corroborans, mortem et martyrii lauream adeptus est. Similia legimus in actis aliorum Martyrum et Sanctorum.

Sed quæres an liceat, et an quis teneatur animam, id est vitam temporalem, exponere pro vita temporali proximi ? quia cum charitate tenear me magis diligere, quam proximum, videtur pariter quod magis debeam diligere vitam temporalem propriam, quam proximi.

Respond. Ordinarie id verum est ; extraordinarie tamen ob alias causas concurrentes, sæpe aliter faciendum est. Primo ergo tenetur vitam pro aliis exponere, qui ad id se pacto promisso aut jurejurando obligavit. Ita milites in prælio debent ex justitia pugnare, et vitam exponere, quamdiu est spes victoriæ ; quia ad id ex pacto et juramento se obligarunt.

Secundo, ex justitia legali tenetur civis pro patria et civitate vitam exponere : recte enim ratio dictat partem esse exponendam periculo pro salute totius, v. g. Reipubl. Sic Samson collidendo postes domus, ejus ruina se cum Philistæis oppressit, ut eorum servitute populum Dei liberaret, Judic. 16. Sic Decii pro Romano exercitu, Codrus pro Atheniensi, Leonidas pro Spartano, morti se devoverunt, uti refert Livius, Plutarch. Valer. Maxim. et alii.

Tertio, amicus non tenetur pro vita amici suam exponere ; hoc enim est diligere proximum, *non sicut seipsum, sed plusquam seipsum,* quod doctrinæ regulam excedit, ait S. Aug. lib. de Mendacio c. 6. Si tamen exponat, laudabiliter faciet ; exponet enim illam pro honestate et bono virtutis amicitiæ ; licet enim pro ea, æque ac pro alia virtute, v. g. castitate vitam exponere. Majus enim est bonum virtutis, quam vitæ ; illud enim est honestum et spiritale, hoc naturale duntaxat et corporale. Tunc ergo vita propria exponitur, non ex amore vitæ alienæ, sed ex amore virtutis, et ad aliorum exemplum, ut eis ostendat dignitatem virtutis amicitiæ, utque in ea excellat ; ita docet S. Augustinus lib. de Amicitia cap. 10. S. Hieronymus in cap. 7. Michææ : *Interrogatus,* ait, *quidam quid esset amicus? respondit : Alter ego. Unde Pythagorei duo vades sese invicem Tyranno dederunt.* S. Ambros. lib. 3. Offic. cap. 12. Franc. Victoria Relect. de homicidio num. 24. Domin. Soto l. 5. de Justitia quæst. 1. art. 6. imo S. Thom. 2. 2. qu. 26. art. 4. ad 2. et ibid. Valentia, qui et addit alium casum, nimirum si quis ex ira me invadat, itaque me stringat ut vel debeam occidi, vel invasorem occidere, licite posse me permittere occidi, ne alium occidam ; quia non teneor cum tanta difficultate et incommodo cædis alienæ, vitam propriam conservare ; præsertim quia si eum occidam, non tantum corpus, sed et animam ejus perdo, utpote existentem in flagranti delicto invasionis et conatus homicidii. Simili modo possum exponere vitam pro tuenda alterius castitate. Unde S. Ambros. l. 2. de Virgin. celebrat militem illum qui S. Theodoram damnatam ad lupanar ; commutando cum ea vestes, periculo violationis exemit ; pro ea enim jam habitu virili et militari egressa damnatus ad mortem, eam deinde sponte ad locum supplicii procurrentem, martyrii sociam habuit, ne eos tyranni gladius separaret, quos junxerat amor Christi. Simili modo S. Paulinus se pro filio viduæ exposuit servituti, quæ civilis est mors, ob amorem charitatis, ut scilicet heroicum actum imo excessum charitatis posteris in exemplum relinqueret : quem proinde mire celebrat S. Augustinus, Ambrosius, Hieron. et alii passim. Denique clara est sententia Christi : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis,* Joann. 15. 13.

Idem viderunt Gentiles, qui laudant Pyladem et Orestem, Nisum et Euryalum, Damonem et Pythiam amicos, quorum unus pro altero morti se ultro obtulit. Vide Valer. Max. lib. 4. cap. 7. et Aristot. lib. 7. Moral. Eudemior. cap. 7. *Itaque,* inquit, *et simul esse et convivere, congaudere,*

condolere, absque se mutuo ne vivere quidem posse (una enim anima sunt) sed commori unius illius veræque amicitiæ est. Seneca epist. 9. *In quid*, ait, *amicum paro? ut habeam pro quo mori possim, ut habeam quem in exilium sequar.*

17. QUI HABUERIT SUBSTANTIAM (Syrus *possessionem*) HUJUS MUNDI, ET VIDERIT FRATREM SUUM NECESSITATEM HABERE (S. Cyprian. lib. de Opere et eleemosina legit *desiderantem*, vel, ut vetus editio habet, *esurientem*) ET CLAUSERIT VISCERA SUA AB EO, QUOMODO CHARITAS DEI MANET (S. Aug. legit *manere poterit*) IN EO?] Educit hanc sententiam quasi consequentiam ex versu antecedenti; estque argumentum à minus verosimili ad majus. q. d. Si charitas Dei et Christus nos obligat ut ponamus animam pro fratribus, quod est difficillimum; ergo multo magis nos obligat ut illi egenti demus eleemosynam, quod est facillimum. Rursum, quia casus ille quo obligamur dare animam pro fratribus, raro occurrit; crebro vero occurrit obligatio levandi ejus indigentiam per eleemosinam, hinc ab illo ad hunc transit. q. d. Si durum vobis est dare vitam, date saltem eleemosynam proximo, quod vobis est facile; ita Œcumen. et S. August. Ita S. Joannes eleemosynarius, cum quis celebrabat profusam ejus in pauperes liberalitatem, respondebat: *Frater, nondum pro te sanguinem fudi, sicut mandavit mihi Dominus meus Christus*, uti refert Leontius in ejus vita.

Ex hoc loco multi Doctores docent eleemosynæ præceptum obligare, non tantum in extrema proximi necessitate, sed etiam in gravi, adeo ut dives teneatur tunc erogare non tantum superflua, sed etiam necessaria statui suo, si minori suo incommodo possit avertere grave incommodum proximi. Ait enim S. Joannes: *Qui habuerit substantiam*, græce βίον, id est, *victum*, non superflua; victus enim et substantia, tam superflua quam necessaria complectitur. Rursum ait: *Et viderit fratrem suum necessitatem habere*, non extreme indigere; necessitas enim gravis vera est necessitas, esto non sit extrema. Vide Gregor. de Valentia tom. 3. disp. 3. quæst. 9. puncto 4. et Bellarm. lib. 3. de Bonis oper. in partic. c. 7. Hinc ait Eccles. cap. 4. 1. *Fili, eleemosinam pauperis non defraudes.* q. d. Injuriam et fraudem illi facis, si eleemosynam ipsi debitam neges, et S. Ambros. lib. 1. Offic. c. 31. *Grandis culpa*, ait, *si sciente te fidelis egeat, si scias cum sine sumptu esse, fame laborare, ærumnam perpeti, qui præsertim egere erubescat*; vide S. Gregor. Nazianz. orat. De cura pauperum, et S. Chrysost. passim de eleemosyna.

ET CLAUSERIT VISCERA SUA AB EO.] *Viscera* enim sunt sedes commiserationis et symbolum misericordiæ, juxta illud Thren. 2. 11. *Conturbata sunt viscera mea, effusum est in terra jecur meum, super contritione filiæ populi mei*; vide ibi dicta. Œcumen. expendit τὸ *viscera*. q. d. Qui in viscera sua non admittit miserorum commiserationem, ex iis excludit et evacuat charitatem. Unde jubet Paulus Coloss. 3. 12. *Induite viscera misericordiæ.* Viscera sunt symbolum paterni, imo materni amoris; patres enim et matres filios suos vocant *viscera sua*, uti Paulus vocat Onesimum filium suum spiritalem, epist. ad Philem. v. 7. ubi S. Hier. *Omnes filii*, inquit, *parentum sunt viscera.* Significat ergo τὸ *viscera* nos omnes ex eadem carne constare, esseque filios unius Adæ, et magis Dei, ac proinde invicem misereri et subvenire debere tanquam fratres fratribus, juxta illud Isaiæ c. 58. 7. *Carnem tuam ne despexeris.* Rursum τὸ *viscera* significat eleemosynam dandam ex magno commiserationis affectu, et ut hunc semper ostendamus proximo, si effectum præstare nequimus. Vide S. Gregor. 20. Moral. cap. 26. *Audiant*, ait, *duri et immisericordes tonitrua Sapientis*, Proverb. 21. 13. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur.*

Ad hæc viscera miserationis induenda fideles incitat Salvianus l. 4. ad Ecclesiam Cathol. dum docet Christum in pauperibus esse mendicum, omnibusque indigere; quare in Christum crudeles esse qui bona sua erogant in cognatos qui non indigent, et Christum in pauperibus egere sinunt: *Sunt*, ait, *quibus etsi desint multa, non desunt omnia. Christus tantummodo solus est, cui nihil est, quod in omni humano genere non desit. Nullus servorum suorum exulat, nullus frigore ac nuditate torquetur, cum quo ille non algeat. Solus cum esurientibus esurit, solus cum sitientibus sitit. Et ideo quantum ad pietatem illius pertinet, plusquam cæteri eget; omnis enim egestuosus pro se tantum, et in se eget; solus tantummodo Christus est, qui in omnium pauperum universitate mendicet. Et cum hæc ita sint, quid ais, ô homo, qui Christianum te esse dicis, cum Christum egere videas, ut facultates tuas quibuscumque non indigentibus derelinquas? Christus pauper est, et tu opes divitum cumulas? Christus esurit, et tu delicias affluentibus paras? Christus etiam aquam sibi deesse queritur, et à te apothecæ ebriosorum vino replentur? Christus rerum omnium egestate conficitur, et à te luxuriosis copiæ congregantur? Christus tibi pro muneribus à te datis præmia sempiterna promittit, et tu nil præstituris cuncta largiris? Christus tibi et pro bonis bona immortalia, et pro malis mala æterna proponit; et tu nec bonis cœlestibus flecteris, nec malis perennibus commoveris, et credere te Domino Deo tuo dicis, cujus nec remunerationem desideras, nec iracundiam contremiscis.* Deinde demonstrat tales non habere fidem, nec credere Christo promittenti eleemosynariis amplam remunerationem. *Si ea quæ aliis relinquis ideo relinquis, quia profutura ei cui reliqueris, certus es; sic profecto si quæcumque religiosis muneribus prorogasses, profuturu esse tibi crederes, tibi absque dubio peculiariter deputares; quia quanto te plus amas quam eos quibus relinquis, tanto magis tibi relinqueres, si profutura ea tibimet, vel tenui opiniuncula judicares. Non enim te odisti, ut prodesse tibi nolis; sed quæ pauperibus dereliqueris, profutura tibi esse non credis; unde est quod aliis magis quam tibi consulis? quia profuturum tibi opus religiosum esse non credis; sicut credis itaque, sic recipies. Tu Salvatorem perpauci pendis, et te Salvator nihili. Tu Christum postponis aliis, et te omnibus Christus. Tibi in comparatione etiam hominum perditorum vilis est Dominus, et tu eris inter perieturorum ultimos deputandus.* Deinde ostendit eos graviter peccare, tum quod pauperes non juvent, tum quod sua magno labore et dolore parta, conferant iis qui illis ad pompam, gulam et luxuriam abutuntur, unde exclamat: *O quanto melius quæcumque illa es, quanto melius et salubrius pauper fueras et egestuosa, quam dives; paupertas enim te Deo insinuare potuisset, divitiæ ream esse fecerunt. Rectius ergo per indigentiam salva fieres quam per opes tuas et te et alios prægravasses: te*

scilicet, dum male aliis relinquis; alios, dum à te relicta et ipsi usu inhumanissimo male possident, et post se male aliis derelinquunt. Si vis ergo quæcumque illa es; si vis tibi esse consultum, si vis æternam habere vitam et cupis videre dies bonos, relinque substantiam tuam indigentibus sanctis, relinque claudis, relinque cæcis, relinque languentibus; sint facultates tuæ alimenta miserorum, sit opulentia tua pauperum vita, ut illorum refrigeria præmia tua sint, ut illorum refectio te reficiat. Hæc enim omnia recipies à Christo, qua Christum in pauperibus fecisti hæredem; et inferius acrius in eos invectus : *Das*, inquit, *res tuas divitibus, et egenis negas. Das luxuriosis, et negas sanctis. Das cuicumque fortasse perdito, et negas Christo; prout ergo judicasti sic judicaberis, sicut elegeris sic recipies. Non habebis cum Christo partem quam despexisti, cum his habebis quos prætulisti.*

Notent hæc divites Christiani, præsertim Ecclesiastici, qui bona quæ ab Ecclesia acceperunt, Ecclesiæ et pauperibus reddere tenentur, peccantque graviter, si iis ditent cognatos; *quia res Ecclesiæ nihil aliud sunt nisi vota fidelium, pretia peccatorum et patrimonia pauperum*, ait S. Prosper lib. 2. de Vita contempl. cap. 9. et 10. quem vide, æque ac S. Bernard. epist. 24. ubi ait : *Væ tibi, Episcope, qui peccata populi comedis ac si propria tibi minus sufficere viderentur*, etc. *non licet tibi, de facultatibus Ecclesiæ luxuriari, et in superfluitatibus consumere, sed solum vivere : non licet ditari, non licet consanguineos extollere : non licet palatia ædificare, denique quidquid præter necessarium victum ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Et S. Basil. orat. in illud : *Destruam horrea mea; at tu*, ait : *Nonne spoliator es, qui quæ dispensanda accepisti, propria reputas? Est panis famelici quem tu tenes; nudi tunica, quam tu in conclavi conservas; discalceati calceus, qui apud te marcescit; indigentis argentum, quod possides inhumane. Quocirca tot pauperibus injuriam facis, quod dare valeres.* Quare ethnica, inhumana, ferina et barbara est Stoicorum et Senecæ l. 2. de clementia c. 5. vox et sententia, misericordiam non esse virtutem, sed vitium mollis, flexilis et effeminati animi; æque ac illa Plauti, teste Lactantio lib. 6. c. 11.

> Male meretur qui mendico dat quod edat,
> Nam et illud quod dat perit,
> Et illi producit vitam ad miseriam.

Humanius, sapientius et pientius Valer. Maxim. lib. 4. c. 8. *Erat*, inquit, *opibus excellens* Gillias, *sed multo etiam animo, quam divitiis locupletior, semperque in eroganda potius quam in contrahenda pecunia occupatus, adeo ut domus ejus quasi quædam munificentiæ officina crederetur. Alimenta inopia laborantibus, dotes virginibus paupertate pressis, subsidia detrimentorum incursu quassatis erogabantur. Hospites quoque benignissime excepti, variis muneribus ornati dimittebantur. Quodam tempore quingentos simul Gelensium equites, vi tempestatis in possessiones suas compulsos aluit, ac vestivit. Quid multa? non mortalem aliquem, sed propitiæ fortunæ benignum diceres esse sinum; quod Gillias possidebat, omnium quasi commune patrimonium erat.* Quid hic dicent Christiani, qui à Christo Domino amplissimam promissionem audierunt : *Date, et dabitur vobis.*

18. FILIOLI MEI, NON DILIGAMUS VERBO, NEQUE LINGUA, SED OPERE ET VERITATE.] Sanxit S. Joannes præceptum dilectionis, hic declarat qualis illa esse debeat, scilicet non verbalis, sed realis; non otiosa, sed operosa; non linguax, sed verax, id est, non adulatoria, ficta et hypocritica, sed sincera, cordialis et vera, quia talis fuit Christi; linguam enim opponit veritati, quasi hypocrisin et simulationem sinceritati et cordiali amori, ut à Christiana charitate et fideli amore omnem fraudem, dolum et fictionem excludat. Nam multi sunt amici linguaces, quos Theognis vocat απο γλωττης και μεχρι προσηγοριας , , qui verbis sunt liberales, re parci; qui montes aureos promittunt, sed obolum non dant; qui saccos blanditiarum effundunt, sed unciam auri, imo panis non præstant. Hi fucati sunt et hypocritæ, quia verba non satiant famem et sitim esurientis et sitientis, sed cibus et potus; nec promissa vestiunt nudum, aut carcere liberant, sed vestes et nummi. Unde de talibus ait S. Jacobus c. 2. v. 15. *Si autem frater et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano; dicat autem aliquis ex vobis, illis : Ite in pace, calefacimini et saturamini; non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? sic et fides quæ non habet opera, mortua est in semetipsa :* pari modo dilectio, quæ non habet opera, mortua est; vide S. Gregor. 21. Moral. cap. 14. ubi post multa concludit : *Dilectio nostra semper exhibenda est veneratione sermonis, et ministerio largitatis.* Et S. Bernard. serm. 50. in Cantic. explicans illud : *Ordinavit in me charitatem*, citansque hæc S. Joannis verba : *Nec linguæ mentientis*, inquit, *in hac dilectione recipit fictum, nec rursum afficientis exigit sapientiæ gustum. Opere diligamus et veritate, quod videlicet moveamur ad bene operandum magis quodam vividæ charitatis impulsu, quam sapidæ illius charitatis affectu;* et inferius : *Da mihi hominem qui ex toto corde diligat Deum, se vero et proximum*, etc. *atque in hunc modum ad cætera quæque Dei ordinato intendat amore, despiciens terram, suspiciens cœlum, utens hoc mundo tanquam non utens, et inter utenda et fruenda intimo quodam mentis sapore discernens, ut transitoria transitorie, et ad id duntaxat, quod opus et prout opus est curat, æterna desiderio amplectatur æterno; talem, inquam, da mihi, et ego audacter illum sapientem pronuntio, cui nimirum quæque res revera sapiunt prout sunt, et cui in veritate atque securitate competit gloriari, et dicere : Quia ordinavit in me charitatem. Sed ubi ille, aut quando ista?*

Nota. Si quis non potest opere et effectu succurrere, quia v. g. est pauper, huic sufficit lingua et affectu succurrere consolando, orando, consulendo, etc. Rursum qui succurrit effectu, debet quoque succurrere affectu, ut non tristis, morosus, objurgans, sed hilaris et blandiens det eleemosynam, juxta illud Pauli : *Qui miseretur in hilaritate*, Rom. 12. 8. et Eccles. 18. 15. *Fili, in bonis non des querelam, et in omni dato non des tristitiam verbi mali. Nonne ardorem refrigerabit ros? sic et verbum melius quam datum. Nonne ecce verbum super datum bonum, sed utraque cum homine justificato*, græce κεχαριτωμενω, id est, *gratioso*. q. d. Vir justus utrumque præstabit, scilicet tam datum quam verbum bonum.

Denique præclare S. Greg. hom. 3. in Evang. *Nec tamen*, inquit, *sibi aliquis credat, quidquid sibi animus sine operis attestatione responderit; de dilectione conditoris lingua, mens et vita requi-*

rantur; nunquam est Dei amor otiosus: operatur enim magna si est; si vero operari renuit, amor non est. Et S. Chrysost. hom. 53. et 68. ad popul. *Quo plura*, inquit, *dederis Deo, eo plus te diligit; quibus majora debet, plus tribuit et gratiæ; cum aliquem videt cui nihil debet, cum fugit, et adversatur; cum vero intuetur eum, cui aliquid debet, continuo ad eum accurrit. Omnia ergo tibi faciendæ sunt, ut Deum habeas debitorem.* Qua vero id ratione fieri possit, sic plane explicat: *Nunc hujusce rei tempus est, nunc enim esurit, nunc sitit, nunc nudus est in pauperibus; cum vero hæc vita elapsa fuerit, tui non indigebit; et nunc indigere vult propter te. Cibari à te vult, ut te cibet; indui, ut te induat. Pecuniam ergo contemne, ne contemnaris; ut dives sis, tua largiter da; ut colligas aisperge, imitare seminantem. Semina in benedictionibus ut de benedictionibus et metas.*

Et S. Leo serm. 6. de jejunio 10. mensis: *Constans*, inquit, *esto, Christiane largitor, da quod accipias, sere quod metas, sparge quod colligas. Noli metuere dispendium, noli de dubio suspirare proventu. Substantia tua cum bene erogatur, augetur, et concupiscere justum misericordiæ lucrum, æterni quæstus est sectari commercium. Munerator tuus vult te esse munificum, et qui dat ut habeas, mandat ut tribuas, dicens: Date et dabitur vobis; amplectenda est tibi promissionis istius gratulanda conditio.* Paucis autem interjectis. *Qui ergo*, ait, *pecunias amat, et multiplicare opes suas immodicis optat augmentis, hoc potius sanctum fœnus exerceat, et hac usurarum arte ditescat, ut non hominum laborantium captet necessitates, ne per dolosa officia laqueos incidat insolubilium debitorum, sed illius sit creditor, illius fœnerator qui dicit: Date et dabitur vobis, et qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis.* Et concludit: *Si benignus esset animæ suæ, illi bona sua crederet, qui et idoneus fidejussor est pauperum et largissimus redditor usurarum.* Quocirca merito dixit Chrysost. *eleemosynam artem esse omnium quæstuosissimam.*

19. IN HOC, scilicet si diligamus non verbo et lingua, sed opere et veritate, COGNOSCIMUS QUONIAM (quod) EX VERITATE SUMUS,] id est, sumus veraces, veraciter ambulamus, veram habemus dilectionem, sumus quasi filii veritatis, id est, veræ et sinceræ charitatis.

Secundo *ex veritate*, id est, ex Deo et Christo *sumus;* ita OEcumen. Deus enim est prima et summa veritas, ac vera charitas, juxta illud: *Ego sum via, veritas et vita*, Joann. 14. 6. et cap. 18. 37. *Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* Quocirca recte concludit S. August. de Moribus Ecclesiæ c. 33. *Charitati victus, charitati sermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur, coitur in unam conspiratarque charitatem; hanc violare tanquam Deum nefas dicitur; huic si quis resistit expugnatur, atque excitur; hanc si quis offendit uno die durare* (in monasterio) *non sinitur; sciunt ita commendatam esse à Christo et Apostolis, ut, si hæc una absit, inania; si hæc adsit, plena sint omnia.*

ET IN CONSPECTU EJUS SUADEBIMUS CORDA NOSTRA.] Primo, Hugo, Lyran. et Dionys. exponunt, q. d. Suadebimus corda nostra, ut studeant proficere in melius, et meliora excogitent, omnemque suam cogitationem, studium et intentionem dirigant in Deum, satagendo illi in dies magis magisque placere.

Secundo, Joann. Ferus explicat, q. d. *In conspectu ejus suadebimus corda nostra*, id est, fiduciam nanciscemur impetrandi quidlibet à Deo.

Tertio, et magis genuine, *suadebimus corda nostra*, id est, suadebimus cordibus nostris, ut vertit S. August. Pagnin. et Tigurina; Vatabl. vertit, *placabimus corda nostra;* Syrus, *persuasum reddituri sumus cor nostrum;* alii, *secura reddemus corda nostra.* q. d. Conscientiam habebimus pacatam et securam in conspectu Dei; vere enim persuadebimus cordi nostro nos esse ex veritate, hoc est, vere charitati studere, dum diligimus non verbo et lingua, sed opere et veritate. Græcum enim πείθω, id est, *suadeo*, construitur cum accusativo, qui Latina syntaxi vertendus est per dativum, ita S. August. Beda et alii. Græcizat ergo interpres hic, æque ac Judith. 12. 10. *Suade Hebræam illam*, pro suade Hebrææ illi. Verum quia hic sensus includitur in eo quod proxime præcessit: *In hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus*, ut ab eo distinguamus id quod sequitur: *Et in conspectu ejus suadebimus corda nostra;* hinc

Quarto et planissime sensus est, q. d. Si diligamus non lingua, sed opere et veritate, *in conspectu ejus*, id est, Deo et Christo omnia conspicienti *suadebimus*, id est, probabimus et persuadebimus, *corda nostra*, scilicet esse ex veritate, uti paulo ante dixit; dat enim fructum dilectionis operosæ et veræ, ut ad eam fideles invitet. q. d. Qui diligunt duntaxat verbo et lingua possunt mentiri hominibus, ac fingere se ex corde diligere, at non Deo; hic enim cor intuens videt dilectionem illam esse labialem, non cordialem. Qui vero diligunt proximum opere et veritate, non reformidant oculum et judicium Dei, sed audent comparere in ejus conspectu, audent libera fronte se ejus tribunali sistere, audent ei corda sua pandere ac probare, et ostendere ea in veritate, veraque charitate esse fundata; se scilicet vere Deum et proximum propter Deum diligere, se Dei legi et voluntati satisfacere, illique soli placere contendere; ita OEcumen. Simili modo Paulus ait Galat. 1. 10. *Modo hominibus suadeo, an Deo?* q. d. Ego causam meam probare et persuadere satago Deo, non hominibus; ita S. Chrysost. Unde S. August. legit: *Ego Deo, non hominibus, probatum me reddere cupio;* vide ibi dicta, et S. August. l. 1. contra Secundinum cap. 1. *Senti de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset.*

Moral. docet hic nos S. Joannes omnia opera nostra examinare ad regulam et limam intuitus et judicii divini; sæpe enim nos concupiscentia, mundus aut dæmon decipit, ut putemus nos agere pure ob amorem Dei, quod agimus impure ob concupiscentiam, vel amorem nostri. Quare antequam actionem aliquam aggrediare, ad hanc normam eam conformato: *Ita sincere age hanc actionem, tanquam qui conspiciaris à Deo, qui omnia videt et notat, quique omnium exactam à te exiget rationem; ita perfecte hoc age, quasi ultimum sit hoc opus tuum, quasi illico post illud moriturus.* Cum dubitas quid agendum, dubium resolve ex hoc principio: *In dubio hoc elige, quod in hora mortis voles te elegisse. In hoc negotio hoc age, sicut cupis rationem reddere Christo in die judicii.*

Ita faciebat Psaltes: *Providebam*, inquit, *Do-*

minum in conspectu meo semper, ps. 15. 8. Eliseus Joram regi : *Vivit*, ait, *Dominus, in cujus conspectu sto*, 4. Reg. 3. 14. Ita Paulus : *Gloria nostra*, ait, *hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati simus in hoc mundo*, 2. Corinth. 1. 12.

Ita S. Xaverius : *Ubicumque fuero*, inquit, *meminero me in orbis theatro, et in oculis Dei versari.* Ita noster Campianus agonem martyrii obiturus : *Spectaculum*, ait, *facti sumus mundo et angelis et hominibus;* 1. Corinth. 4. 9. Hos imitemur ; ita *in conspectu ejus suadebimus corda nostra.*

20. QUONIAM SI REPREHENDERIT (καταγινωσκη, id est, *arguat*, condemnet, ut vertit Œcum. NOS COR NOSTRUM, quod lingua diligamus, non opere et veritate, esto idipsum dissimulemus, et exterius jactemus contrarium, frustra id facimus. QUIA MAJOR EST DEUS CORDE NOSTRO, ET NOVIT OMNIA.] q. d. Si tuam hypocrisin non potes celare cor tuum, multo minus celabis eam Deum, qui corde tuo major et profundior est, ac intimius illud videt, magisque illi præsens est quam tu ipse. Si conscientia tua te reprehendit et condemnat, quanto magis reprehendet et condemnabit te Deus, qui est præses et judex conscientiæ ? unde Syrus vertit : *Quod si cor nostrum reprehendat nos, quanto major est Deus corde nostro? Si cor nostrum*, ait Œcum. *quod exiguum est, latere nequimus, quo pacto Deum qui nusquam non adest latere valeamus?* et S. August. *Cor tuum*, ait, *abscondis ab homine, à Deo absconde si potes;* et mox : *Perhibeat tibi testimonium conscientia tua, quia ex Deo est. Si ex Deo est, noli illam velle ante homines jactare, quia nec laudes hominum te levant in cœlum, nec vituperationes, inde te deprimunt; ille videat, qui coronat; ille sit testis, quo judice coronaris.* Vere Diadochus de Perfect. spirit. cap. 100. *Longe majus*, ait, *est judicium Dei conscientia nostra.* Unde Paulus : *Mihi*, ait, *pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die. Qui autem judicat me, Dominus est;* ita ipse 1. Corinth. 4. 1. et Psaltes psal. 63. 7. *Accedet homo ad cor altum* (græce βαθεια, id est, *profundum*) *et exaltabitur Deus.* q. d. Homo profundo et abdito corde et consilio multa mala, dolos et simulationes excogitabit; sed Deus eo altior et profundior erit; profundius enim illud subit, ut intueatur et judicet ejus consilia dissipando et vindicando. Unde Symmach. Aquila et Theodot. pro ירום *jarum*, id est, *exaltabitur*, legentes יורם *jorem*, id est, *sagittabit*, vertunt, *mentem et cor profundum hominis Deus configet*, vel, *sagittabit.*

Quare accommodatitia, non genuina, est expositio Thomæ Anglici. q. d. Si magna est cordis offensa, suique reprehensio, major est Dei misericordia ad eam condonandam. Impia enim est Caini vox, Gen. 4. 13. *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear*, et illa aliorum : *Major*, id est, liberalior, ditior, plenior, perfectior, *est Deus corde nostro;* quia solus ipse cordis nostri desideria satiat et explet, imo exuberat in immensum, nec iis capi potest, sicut mare capi nequit cochleari.

21. SI COR NOSTRUM NON REPREHENDERIT NOS.] Καταγινωσκῃ, quod S. August. vertit, *si cor nostrum non male senserit;* Œcum. *si non condemnet, ut indemnati apud nos ipsos simus, fiduciam habemus ad Deum*, quod omnia quæ petimus, quibusque indigemus ab eo impetrabimus, ut sequitur. Hoc est quod canit Psaltes psalm. 118. 6. *Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.* Ex adverso de impio male sibi conscio ait Sapiens Prov. 28. 9. *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Nam, ut ait S. Gregor. 10. Mor. cap. 15. vel 17. *Diffidit accipere se posse quod appetit, qui profecto reminiscitur nolle se adhuc facere, quod divinitus audivit : et cor nos in petitione reprehendit, cum resistere se præceptis ejus quem postulat meminit.* Auctor. imperfecti hom. 15. in Matth. *Sicut oleum*, ait, *accendit lumen lucernæ, ita bona opera dant animæ confidentiam; nam justus quasi leo confidit*, Prov. 28. 1.

22. ET QUIDQUID PETIERIMUS (quod petendum est, puta revera bonum ad Dei gloriam, nostramque et aliorum salutem pertinens, vel conducens. Ita se explicat Joannes c. 5. 14. dicens : *Quæcumque petierimus secundùm voluntatem ejus, audiet nos*) ACCIPIEMUS AB EO,] aut certe aliquid melius eo quod petimus. Explicat hic fiduciam quam parit bona conscientia apud Deum, ex effectu, qui est quod impetret omnia quæ postulat à Deo. Causam dat : *Quoniam mandata ejus custodimus, et ea quæ sunt placita coram Deo facimus.* Congruum enim est, et congrua merces obedientiæ et amicitiæ, ut si homo faciat voluntatem Dei, Deus vicissim faciat voluntatem hominis, juxta illud : *Voluntatem timentium se faciet*, psalm. 144. 19. *Mandata* dilectionis intelligit, ut diligamus alterutrum, uti præcessit. Ita S. August.

Alludit ad illud promissum Christi. *Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis et fiet vobis*, Joan. 15. 7. Oratione enim operatio, et vicissim operatione fulciri debet oratio, juxta illud S. Gregor. l. 9. epist. 45. *Inanis fit oratio, ubi prava est actio : actio enim preces orationum superat.* Hoc est quod ait Jerem. Thren. 3. 41. *Levemus corda nostra cum manibus ad Deum in cœlos.* Nam, ut explicat S. Hier. vel potius Rabanus : *Cor cum manibus levat, qui orationem suam operibus roborat. Nam quisquis orat, sed operari dissimulat, cor levat et manus non levat : quisquis vero operatur, et non orat, manus levat, et cor non levat. Juxta ergo Joannis vocem, tunc cor fiduciam in oratione accipit, cum sibi vitæ pravitas nulla contradicit, et bonorum operum oratio orationi concinit.* Quin et Laconum, teste Plutarch. in Lacon. erat proverbium. *Admota manu fortunam esse implorandam*, quo significabant *frustra Deum invocari, nisi quis addens industriam manum rotæ admoveret.*

Docet ergo hic S. Joannes orationem habere vim ex fiducia, fiduciam vero oriri ex observatione mandatorum. nam impiis qui ea violant, minatur Dominus Isaiæ 1. 15. *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis, cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Alibi. *Aggravata est auris ejus ut non exaudiat, sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum*, et Malach. 2. 2. *Maledicam benedictionibus vestris.* Et in eamdem sententiam Salomon Proverb. 28. 9. *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Denique David : *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?* psalm. 49. 16. Idipsum expertus regius

Propheta psallit : *Me autem propter innocentiam suscepisti, et confirmasti me in conspectu tuo in æternum*, psalm. 40. 13. et : *Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum*, ps. 33. 16. et : *Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adjutor et protector noster est : in eo lætabitur cor nostrum, et in nomine sancto ejus speravimus*, psalm. 32. 20. Unde idem alios docens : *Delectare*, inquit, *in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui*, psal. 36. 4. imo petitiones ipsas præveniet juxta illud : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus*, psalm. 9. 17. Igitur non ipsas modo preces, sed etiam tacitas cogitationes ac desideria, antequam orando expromantur prævenit, et adimplet Dominus in iis qui vere pauperes sunt spiritu. Ita S. Dominicus dictitabat se nihil à Deo postulasse, quod non accepisset. Idem professus est S. Thomas Aquinas, S. Scholastica soror S. Benedicti, S. Catharina Senensis, et alii.

Et EA, QUÆ SUNT PLACITA CORAM EO, FACIMUS.] *Placita*, quia ab eo jussa. Placita ergo sunt præcepta Dei, sicut placitum Regis est præceptum Regis. Placita tamen quoque sunt consilia Dei, puta consilia Evangelica. Qui enim perfecte Deo placere satagit, hic ejus non tantum jussa et præcepta, sed et nutus ac consilia amplexatur; quod uti arduum, ita Deo gratissimum est; unde S. Bernard. serm. 1. de dedic. Ecclesiæ, religiosum, vel monachum vocat perpetuum miraculum. In hoc ergo omnis nostra sanctitas consistit, puta in studio et conatu placendi Deo semper, ubique et in omnibus. Hic enim est actus purissimæ et perpetuæ charitatis.

Ubi nota. Duplex est amor, concupiscentiæ scilicet, et amicitiæ. Amor concupiscentiæ est, quo studemus placere Deo, ut ab eo gloria æterna quasi mercede donemur; qui est actus bonus, sed magis spei, quam charitatis, juxta illud : *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem*, psalm. 118. 112. Amor amicitiæ est, quo pure satagimus placere Deo, eique placita adimplere non ob spem mercedis, sed ex puro amore; quia scilicet eum amamus, cupimusque ei rem placentem et gratam facere, in qua ipse sibi complaceat seque oblectet, ut ejus oculos, animum et mentem pascamus. Hic est actus puræ et perfectæ charitatis.

Hunc habuit Christus à primo instanti conceptionis suæ, eumque tota vita continuavit, donec ultimum in cruce spiritum in manus Patris resignavit. *Ego*, inquit, *quæ ei placita sunt facio semper*, Joan. 8. 29. et : *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei*, psalm. 39. 9. Ita paulus monet Romanos c. 12. 2. ut studiose perquirant, *quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta*, et Colos. 1. 9. *postulantes ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia et intellectu spirituali, ut ambuletis digne Deo per omnia placentes.*

Unde viri sapientes docent optimam esse praxim augendi Dei gratiam et merita, si qualibet hora cogites : Quid hac hora à me requiret Deus? quid hoc momento vult me facere : quid hoc instanti magis beneplacitum est? illudque agnitum statim exsequare et opere compleas. Sic famuli regis qualibet hora cogitant quid placeat regi, quid ipse velit, omnesque regis nutus observant, et illico quod innuit perficiunt, ut non tam ire quam volare videantur : quanto magis nos Domini Dei nostri nutus observare debemus, illique in omnibus obsequi? Dei, inquam, qui est augusta illa et summa majestas, summa æquitas, summa sanctitas, summa sapientia, summa bonitas, summa potentia : Dei, qui est summus noster et omnium dominus, legislator, judex et vindex : Dei, qui nos creavit, conservat, redemit, sanctificat, singulisque momentis innumeris beneficiis cumulat. Hoc est quod ait S. Greg. l. 6. Mor. cap. 12. vel 14. *In cunctis quæ agimus vim supernæ voluntatis inquiramus.* Ammon Abbas apud S. Ephrem. tom. 2. in c. parænet. c. 10. et seq. *Voluntatem Dei*, ait, *tanquam vere regnum cœlorum, ac coronam vitæ perfectæ desidera quovis tempore perficere, credens toto corde illud omnem humanam prudentiam utilitate superare, et in quacumque re primum probes oportet, an Dei sit voluntas ista.* Joannes Abbas moriens gaudebat, aliosque idem docebat, dicens : *Nunquam meam feci voluntatem*, uti refert Cassian. lib. 5. de Instit. renunc. 28. Noster B. Aloysius Gonzaga dictitabat se lætè mori, nec ullius rei, ac præsertim nimiæ austeritatis, habere scrupulum, quod nihil fecisset nisi ex voluntate Dei, cujus interpres erat superior. Hoc est quod Deus laudat et celebrat, dicens : *Vocaberis voluntas mea in ea*, Isaiæ 62. 4. Vide S. Bernard. serm. 38. in Cant. et tract. de Diligendo Deo.

23. Et HOC EST MANDATUM EJUS. Dixerat S. Joannes nos accepturos quidquid petierimus ab eo *quoniam mandata ejus custodimus*, hic explicat quænam sint illa mandata, aitque esse duo. Primum, Ut CREDAMUS IN NOMINE (id est in nomen, est hebraismus : Græce ονοματι, id est, *nomini*) FILII EJUS JESU CHRISTI (hoc est, ut credamus in Jesum Christum Dei filium : *nomen* enim ponitur pro re nominata metonymice, juxta illud : *In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum*, quod explicans subdit : *Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris.* Phil. 2. 9.) Secundum, Ut DILIGAMUS ALTERUTRUM.] In his enim duobus quasi fundamentis et radicibus cætera continentur : credere enim in Jesum Christum, est simul in eum sperare, eum amare, colere, adorare et per omnia obedire. Ita Œcum. Rursum credere in Jesum Christum filium Dei, est pariter credere in Deum Patrem et in Spiritum sanctum. Pater enim est Filii Pater; ac Pater et Filius includunt vim, imo actum spirandi Spiritum sanctum, ut alibi dixi. Denique præceptum dilectionis proximi includit et præsupponit præceptum dilectionis Dei : propter Deum enim diligendus est proximus. *In his* autem *duobus mandatis universa lex pendet et Prophetæ*, Matth. 22. 40. *Minus enim*, ait S. August. l. 10. Conf. c. 29. *Te*, Domine, *amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. O amor qui semper ardes, et nunquam extingueris, charitas Deus meus, accende me. Continentiam jubes; da quod jubes, et jube quod vis.*

SICUT DEDIT MANDATUM NOBIS.] Vox *mandatum* toties repetita, significat Christum unice et crebro mandasse et commendasse dilectionis mutuæ præceptum, tum Apostolis, ut idipsum ubique prædicarent et sæpe inculcarent; tum fidelibus, ut illi plane et plene obedirent.

24. Et QUI SERVAT MANDATA EJUS, IN ILLO MA-

NET, ET IPSE IN EO.] Vox *manet* significat moram et habitationem, item intimam conjunctionem et societatem. Manet ergo Deus in obediente.

Primo, per *mandatum* et legislationem : lex enim, et consequenter legislator, manet in subdito, qui ei obedit; sicut doctrina doctoris manet in discipulo, qui eam audit et haurit, juxta illud : *Verbum Dei manet in nobis*, c. 2. 14. ac vissim subditus manet in lege et legislatore per disciplinam et obedientiam, qua ei inhæret et obedit.

Secundo, per amorem : qui enim mandata Dei custodit, Deum diligit, ac ab eo diligitur. Unde manet in Deo, sicut amans per affectum et amorem manet in amato. Anima enim magis est ubi amat quàm ubi animat; vicissim manet in Deo, sicut amatum objective manet in amante. Eodem modo Deus manet in eo, scilicet et tanquam amans et tanquam res amata : *Qui* enim *adhæret Domino, unus spiritus est*, 1. Cor. 6. 17. Vide S. Bernard. serm. 71. in Cant.

Tertio, diligens et obediens manet in Deo per clientelam, vicissim Deus manet in diligente per patrocinium, directionem et regimen, quasi ejus tutor et custos, juxta illud psalm. 90. 1. *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.* Unde Syrus vertit : *Qui servat præceptum ejus, per ipsum servatur.* Hoc est quod ait Zachar. c. 2. 8. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Parum fuit dicere, me tangit; sed eam partem nominavit quæ est in homine charissima, eademque ad sensum mollissima. Et Deus ad Abraham : *Noli*, ait, *timere; ego protector tuus, et merces tua magna nimis*, Hinc orat Psaltes : *Esto mihi in protectorem et in domum refugii.* Psalm. 30. 3. Unde eleganter Beda : *Sit*, inquit, *tibi domus Deus, et esto domus Dei : mane in Deo, et maneat in te Deus. Manet in te Deus, ut te contineat : manes in Deo, ne cadas. Serva mandata ejus, tene charitatem, noli te divellere à fide illius, ut glorieris in præsentia ipsius, et securus manebis in eo, modo per fidem, tunc per speciem. Manebit et ipse perennis in te, juxta quod ei Psalmista decantat : In æternum exultabunt, et habitabis in eis.* Psalm. 5. 12. et S. Chrysost. in c. 8. ad Rom. explicans illud. v. 14. *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Ad comparandam*, ait, *filiorum hæreditatem non satis est divino semel imbui spiritu, nisi ejus ducatu perpetuo regamur, cum nauclerus sit animæ nostræ, auriga et ductor, agens nos in prælium contra spirituales nequitias in cœlestibus.*

Quarto, manet Deus in amante, quasi locatum in loco : Anima enim sancta est thronus, templum et cœlum Dei, uti docet Paulus 1. Corinth. 3. 17. et Isaias c. 66. 1. et 2.

Denique Deus manet in justo substantialiter, quia suam essentiam et substantiam justo communicat; facit enim eum consortem divinæ naturæ, 2. Petri 1. 4. Vide ibi dicta.

ET IN HOC (per hoc) SCIMUS. q. d. Hoc indicio cognoscimus, QUONIAM (quod) MANET IN NOBIS, nimirum DE SPIRITU (Græca et Syrus *ex spiritu*) QUEM DEDIT NOBIS.] Probat servantes mandata, ideoque diligentes Deum manere in Deo, ac Deum in ipsis. q. d. Ex Spiritu sancto ejusque charitate quæ facit nos alterutrum diligere, cæterisque ejus virtutibus et donis quasi ex effectibus, cognoscimus quod ipse Spiritus sanctus, ac consequenter Pater et Filius maneant et habitent in nobis, juxta illud : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*, Roman. 5. 5. Unde sequitur nos vicissim manere in Deo. *Deus* enim *charitas est, et qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in eo*, c. 4. 16. Ita S. August. Beda, OEcumen. et alii. *Ista connexio*, ait S. Aug. *satis aperteque declarat fraternam dilectionem non solum ex Deo, sed etiam Deum esse, quam videmus tanta auctoritate prædicari. Cum ergo de dilectione diligimus fratrem, de Deo diligimus fratrem.*

Nota, τὸ *scimus*, non fide divina, quam hæretici specialem vocant, quasi fideles certo credere debeant se habere fidem et gratiam Dei, non etiam certitudine physica et absoluta, ut vult Catharinus, sed certitudine morali et conjecturali, qualis ex signis et conjecturis, puta ex fuga peccatorum, studio virtutum, præsertim humilitatis, mortificationis, charitatis, contemptus mundi, etc. haberi solet : et quo majora quis in se hæc signa experitur, eo majorem habet certitudinem, quod sit in gratia Dei. Unde quo magis crescit in virtutibus, eo certior sit de sua gratia et salute, adeoque Andreas Vega lib. 9. in Concil. Trident. cap. ultimo et penult. docet Sanctos posse habere tantam certitudinem quæ excludat omne dubium, et metum contrarii, ut moraliter non dubitent de sua gratia : quomodo certo credimus Constantinopolim esse ex communi omnium assertione, esto eam non viderimus; aut potius sicut sacerdos rite ordinatus certo scit se esse sacerdotem, et baptizatus scit se esse baptizatum, vel quia id à viris fide dignis audivit, vel quia adultus se baptizari vidit, qua ratione dicebat S. Antonius : *Ego Deum meum amo, non timeo.* Hoc paucorum est et eximie Sanctorum, qui diu et ferventer Deo servierunt; qui tamen si spectent suam infirmitatem; formidare possunt ne forte fallantur in hac sua credulitate, esto actu non formident. Cæteri et formidare possunt, et actu formidant. Ita sanctus Hieronym. in cap. 6. Michææ. *Nulla hora*, ait, *dormire, nullo tempore securi esse debemus, sed semper expectare diem judicii.* S. Gregor. lib. 6. epistol. 22. ad Gregoriam Augustæ cubiculariam : *Secura*, ait, *de tuis peccatis fieri non debes, et quousque veniat ultima vitæ tuæ dies, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes.* S. Bernardus sermone 3. de Adventu : *Cum et meam et proximi conscientiam debeam servare, neutra mihi satis nota est : utraque abyssus est imperscrutabilis, utraque mihi nox est.* Vide Conc. Trident. sess. 6. c. 16. Communiter ergo Sanctorum certitudo et fiducia mixta est cum metu et formidine de opposito, juxta illud Pauli : *Cum metu et tremore vestram salutem operamini*, Philip. 2. 12. Voluit id Deus, ut hic metus nobis esset frenum ad humilitatem, et stimulus ad acrimoniam virtutis.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PERGIT INCULCARE VERAM CHRISTI FIDEM, ET CHARITATEM TAM DEI QUAM PROXIMI. PRIMO, A V. 1. USQUE AD V. 7. DOCET DISCERNENDOS ESSE SPIRITUS, AN SINT VERITATIS, AN ERRORIS; HOC SIGNO QUOD SPIRITUS QUI CONFITETUR JESUM CHRISTUM IN CARNE VENISSE, EX DEO SIT; QUI VERO SOLVIT CHRISTUM, SIT EX MUNDO ET DIABOLO. SECUNDO, A V. 7. AD 15. MULTIS COMMENDAT CHARITATEM, EO QUOD DEUS SIT CHARITAS, ET EX CHARITATE FILIUM SUUM PER INCARNATIONEM NOBIS DEDERIT, ETC. TERTIO, A V. 15. USQUE AD FINEM, TRES PRÆCIPUOS CHARITATIS FRUCTUS ET EFFECTUS RECENSET: PRIMUS EST, QUOD HABENS CHARITATEM IN DEO MANEAT, ET DEUS IN EO; SECUNDUS, QUOD CHARITAS DATURA SIT FIDUCIAM IN DIE JUDICII; TERTIUS, QUOD CHARITAS FORAS MITTAT TIMOREM.

1. CHARISSIMI, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint; quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. 2. In hoc cognoscitur spiritus Dei: omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. 3. Et omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit, et nunc jam in mundo est. 4. Vos ex Deo estis, filioli, et vicistis eum, quoniam major est qui in vobis est, quàm qui in mundo. 5. Ipsi de mundo sunt: ideo de mundo loquuntur, et mundus eos audit. 6. Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos: in hoc cognoscimus spiritum veritatis, et spiritum erroris. 7. Charissimi, diligamus nos invicem; quia charitas ex Deo est. Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. 8. Qui non diligit, non novit Deum; quoniam Deus charitas est. 9. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum. 10. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. 11. Charissimi, si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere. 12. Deum nemo vidit unquam. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est. 13. In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, et ipse in nobis; quoniam de spiritu suo dedit nobis. 14. Et nos vidimus, et testificamur, quoniam pater misit Filium suum Salvatorem mundi. 15. Quisquis confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo. 16. Et nos cognovimus, et credidimus charitati, quam habet Deus in nobis. Deus charitas est: et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. 17. In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii; quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. 18. Timor non est in charitate; sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet; qui autem timet, non est perfectus in charitate. 19. Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. 20. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? 21. Et hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.

1. CHARISSIMI, NOLITE OMNI SPIRITUI CREDERE.] *Spiritum* vocat suggestionem, inspirationem, impulsum, doctrinam, suasionem; aut potius ipsum suggerentem, inspirantem, impellentem, docentem, suadentem, puta ipsum doctorem, aut magistrum. q. d. Nolite credere omni illi quod à quolibet doctore, vel suasore vobis suggeritur aut suadetur. Doctores enim varii, imo contrarii, vario et contrario spiritu aguntur. Boni, sapientes et orthodoxi aguntur spiritu bono Dei; mali et errantes, uti hæretici, aguntur spiritu malo diaboli. Illi ergo aguntur spiritu veritatis, hi vanitatis, erroris et mendacii, adeoque spiritus bonus vel malus per doctorum ora loquitur, ait Dionys. Sic Abbas Serenus apud Cassianum Collat. 7. c. 32. testatur se audisse dæmonem confitentem, quod per Arrium et Eunomium impias hæreses condidisset. Sic diabolus per os serpentis loquens tentavit et seduxit Evam, Genes. 3. v. 1. Respicit ad nautas qui non credunt omni spiritui, id est, vento, nec ei obsecundant; quia, si id facerent, aberrarent à destinato portu, et sæpe agerentur in syrtes, scopulos, certumque exitium. Porro

doctores vocat *spiritus;* tum quia scientia et doctrina est spiritus et spiritalis : tum quia doctorum occultis rationibus et impulsibus, quasi spiritibus, aguntur hi ad bonum et verum, illi ad malum et falsum. Unde jubet examinari et indagari quo spiritu agantur, antequam eis fidem adhibeamus. Hoc est quod præmonuit Paulus 1. Timoth. 4. v. 1. *Spiritus*, inquit, *manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium*, etc. et Ephes. 4. 14. *Et jam non simus parvuli, et circumferamur omni vento doctrinæ.*

Alludit ad illud sui Evangelii c. 3. 8. *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quò vadat : sic est omnis qui natus est ex spiritu.* Cujus loci sensus est. q. d. Sicut spiritus, id est ventus, quocumque eum trahit voluntas, id est, appetitus naturalis, ibi spirat, et tamen eum ejusque determinatum locum non cognoscis nec pervides, sed tantum ejus effectum et stridorem percipis : ita multo magis regenerationem hanc spiritalem ex aqua et spiritu, ô Nicodeme, ejusque finem et terminum, nec sensu nec ratione naturali percipere vales, sed tantum ex revelatione et afflatu Spiritus sancti, etiamsi symbola externa aquæ et ablutionis in Baptismo videas. Ita S. Chrysostom. Cyrillus, Theophyl. Euthym. Jansen. ibidem. Ludit enim Christus analogice in voce *spiritus*, et prius per spiritum intelligit ventum : posterius Spiritum sanctum, cujus typus et symbolum est ventus.

Sed probate (sicut aurum probatur Lydio lapide; Syrus, *discernite*) spiritus si ex Deo sunt.] Quia, ut ait Ambrosiaster in c. 5. epist. 1. ad Thessalon. *solent spiritus immundi fallaciter quasi per imitationem dicere bona, et inter hæc superinducere prava, ut per hæc quæ bona sunt, accepta ferantur et mala, ut quia unius spiritus dicta putantur, non discernantur ab invicem, sed per id quod licitum est commendetur illicitum auctoritate nominis, non ratione virtutis.*

Porro Lydius lapis, quo probandi sunt spiritus et doctrinæ, est, non spiritus privatus cujusque ut voluit Suencfeldius : hic enim à diabolo esse agique potest, et sæpe est ac agitur, ut cum unus alteri est contrarius (inde enim prognatæ sunt tot sectæ inter se dissectæ, quot capita Cerbero Poetæ affinxerunt) sed doctrina Apostolorum et Ecclesiæ : hæc enim est certa, et communis fidelium omnium. Talis enim illa est, quam quasi suo ævo maxime accommodam et necessariam suggerit S. Joannes, dicens : *Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est*, etc. Perperam ergo hæretici ex hoc loco contendunt hæreses suas esse examinandas et probandas. Jam enim illæ ab Ecclesia examinatæ et damnatæ sunt, ut privato cuilibet eas probare non sit opus, imo nec liceat. Ita S. Hier. ad Pammach. *Cur post quadringentos annos*, ait, *docere niteris, quod ante nescivimus? usque ad hanc enim diem sine ista doctrina mundus Christianus fuit.* Et S. Aug. l. 2. contra Crescent. c. 35. *Ecclesiam*, ait, *periisse dicere, et vos unde nati fueritis ostendite.* Et Vincentius Lirin. contra hæres. *Si vitanda est novitas, retinenda est antiquitas : si profana est novitas, sacrata est vetustas.* Acute autem Primas. in Apocal. c. 2. *Jam*, inquit, *probati sunt spiritus ab Ecclesia, quid vis tu probare quod jam improbatum est?*

Moral. docet hic S. Joannes quemlibet fidelem non debere credere omnibus internis suis motibus, impulsibus, inspirationibus, desideriis, rationibus in speciem bonis, sed solerter examinandam esse ejus originem et auctorem, ut si is bonus et amicus sit, acceptetur, si malus et hostis, refutetur omnique vi ei resistatur. Si melancholicus sentit motus et impulsus tristitiæ, accediæ, pusillanimitatis, suspicionum : ne eis credat; quia si originem examinet, inveniet ea oriri à spiritu malo melancholiæ, qui falsus est et fallax, juxta illud S. Eucherii ad Valerian. *Si vis esse verax, suspicax non eris : non enim suspicamur nisi quod nescimus.* Cholericus agitur æstibus iræ, vindictæ, indignationis, putatque se agi zelo justitiæ ; sed sedata mente et ratione originem perquirat, ac inveniet ea oriri à spiritu malo bilis et choleræ. Ita cum Samaritani non reciperent Christum, ideoque Jacobus et Joannes dicerent : *Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cœlo et consumat illos?* Respondit : *Nescitis cujus spiritus estis;* putatis enim vos spiritu Dei agi, et agimini spiritu humano impatientiæ, q. d. Vultis imitari zelum Eliæ, ut habent Græca et Syrus; puta spiritum vindictæ, quo Elias quinquagenarios igne cœlesti consumpsit : at nescitis hunc spiritum non esse Evangelicum, et præsertim non esse meæ personæ : meus enim spiritus est mansuetudinis, tolerantiæ, beneficentiæ. *Nam filius hominis non venit animas perdere, sed salvare*, Lucæ 9. 56. Sic multi putant se agi spiritu Dei, puta spiritu veritatis, sobrietatis, castitatis, charitatis, etc. qui si penitius sincere et sine dissimulatione, coram Deo fundum cordis examinent, invenient se agi contrario spiritu diaboli, puta vanitatis, gulæ, libidinis, concupiscentiæ, etc. Quocirca in illis animi æstibus, passionibus et tumultibus suspendendum est judicium, donec iis sedatis mens conquiescens possit discernere, videre et judicare quid à quo spiritu sit, quid bonum sit, quid malum; et ad hoc maxime invocandus est Spiritus sanctus, ut det nobis donum discretionis spirituum, cujus regulas practicas tradit Richard. Victor. p. 2. c. 33. in Cant. Gerson. l. de Probat. spirit. Turrecremata præfat. in revelationes S. Brigidæ, noster S. Ignatius in lib. Exercit. spirit. Adrianus ab Adriano l. de inspirat. Bernardinus Rossignolus lib. 3. de discipl. Christ. perfect. cap. 10. et seq. Vide et S. Bern. s. 57. et 74. in Cant. et serm. de septem spiritibus, ubi sex spiritus distinguit, scilicet divinum, angelicum, diaboli, humanum, carnis et mundi. Porro, quantum et quanti momenti sit hoc discretionis donum, multis sententiis, rationibus et exemplis docet Abbas Moses apud Cassian. collat. 2. ubi inter alia ait cap. 4. *Tam beati Antonii, quam universorum sententia definitum est discretionem esse, quæ fixo gradu intrepidum monachum perducat ad Deum, prædictasque virtutes jugiter conservet illæsas, cum qua ad consummationis excelsa fastigia minori possit fatigatione conscendi, et sine qua multi etiam propensius laborantes perfectionis nequiverint culmen attingere, omnium namque virtutum generatrix, custos, moderatrixque discretio est.*

2. In hoc cognoscitur (legit Interpres γινωσκεται, jam legunt, γινωσκετε, id est *cognoscite;* alii, γινοσκομεν, id est *cognoscimus;* Syrus, *cognitum est*)

SPIRITUS DEI.] q. d. Hæc est tessera veræ fidei, doctrinæ et veritatis, quam docet et suggerit spiritus Dei, nimirum : *Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est.* Hæc ergo ævo S. Joannis erat quasi tessera et symbolum veræ et Christianæ fidei, nimirum credere et profiteri Christi filii Dei incarnationem, cæteramque in carne œconomiam; quia huic articulo quasi novo et paradoxo tunc adversabantur omnes hæretici et hæreses. Alii enim negabant Christi divinitatem, docebantque eum merum esse hominem, ut Cherintus, Ebion, Menander, Carpocrates, et postea Cerdon, Marcion, Valentinus, Paulus Samosatenus, Theodotus, Montanus, Arrius, uti videre est apud Irenæum, Epiphan. et S. August. libr. de hæres. Alii negabant Christi humanitatem, eamque non veram sed phantasticam fuisse asserebant, ut Simon Magus, Manichæus, Eutyches, Dioscorus, Apollinaris, Petrus Gnapheus cum Theopaschitis, sive Patropassianis, qui divinitatem in Christo passam et crucis fixam asserebant.

Addit S. Augustinus omnes hæreses repugnare Christo incarnato; quia Christi doctrinæ, Ecclesiæ, Sacramentis, Pontifici, et ordini hierarchico à Christo instituto repugnant. Sic Pelagius negans gratiam Christi, licet ore confiteretur Christi incarnationem, reipsa tamen eam evertebat; quia incarnatio Christi non ad aliud facta est, quam ad conferendam nobis gratiam. Idem dicas de Luthero, Calvino, et cæteris sectariis, qua de causa S. Joannes omnes hæresiarchas vocat Antichristos; quia omnes Christi doctrinæ et Ecclesiæ adversantur, ac proinde spiritum non Christi, sed Antichristi et diaboli habent. Hoc sensu sub uno articulo incarnationis Christi cæteros omnes fidei articulos, totamque Catholicam doctrinam complectitur S. Joannes. q. d. Omnis qui rectam Christi fidem complectitur, ex Deo est.

Tertio, alii sic exponunt. q. d. Omnis qui confitetur Christum in carne venisse ex Deo est, scilicet quatenus idipsum quod verum est confitetur : omnis enim veritas ex Deo est; idem tamen quatenus huic veritati falsos errores et hæreses admiscet, ex diabolo est.

Mystice, OEcumen. *Confessionem*, ait, *hanc adventus Christi in carne, non lingua, sed operibus fieri intelligit.* Multi enim non solum hæretici, sed et mali Catholici Christum verbis confitentur, sed factis negant. q. d. Qui Christum confitetur tam recte vivendo, quàm recte de eo sentiendo, hic ex Deo est; ita Didymus et Beda. *Quid juvat*, ait S. Cyprianus, *verbis virtutem astruere, si factis veritatem destruimus?* et S. Aug. *Christum*, inquit, *confiteamini in carne venisse et verbis vera dicendo, et factis bene vivendo. Nam si confiteamini verbis, et factis negetis, fidei talium malorum prope est fides dæmoniorum.* Ex dictis liquet Transilvanos Arrianos nuper in disputat. Albana, perperam et directe contra mentem S. Joannis hæc sic explicasse : Christus dicitur venisse non in carnem, id est, assumpsisse carnem, sed *in carne*, id est, esse caro, hoc est, esse homo. Perperam, inquam : nam Hebræis idem est venire in carne et in carnem. Nec venire in carne est, esse carnem : aliud enim est esse, aliud venire. Nec enim venit aliquo, nisi diversus ab illo, quique prius extitit vel tempore, vel natura : quomodo anima dicitur venire in carnem, quando embryo animatur : prius enim natura est esse animam, quam eam carni se unire, cum eaque facere compositum, puta hominem : esto eodem instanti temporis hæc fiant; anima enim creando infunditur carni et infundendo creatur. Verum Christus non est anima, sed persona Verbi integra et subsistens : hæc enim venit in carnem, cum eam assumpsit factus homo. *Sic se exinanivit formam servi accipiens, non formam Dei amittens. Forma servi accessit, non forma Dei discessit, hoc est confiteri Christum in carne venisse*, ait S. Aug. serm. 31. de verbis Apost. c. 4. Idipsum patet ex antithesi, quam subdit S. Joannes, dicens :

ET OMNIS SPIRITUS QUI SOLVIT JESUM, EX DEO NON EST.] q. d. Jesus est quid colligatum et compositum ex deitate et humanitate, per vinculum et ligamen unionis hypostaticæ, qui ergo hoc compositum solvit, negans Christum esse Deum, ut Arriani, vel esse hominem, ut Ebionitæ; hic non est ex Deo, sed ex diabolo. Hic enim negat Christum filium Dei è cœlo in carnem venisse, aitque eum vel esse Deum, vel hominem duntaxat. Hoc est quod Athanas. in Symbolo proponit de Christo credendum, dicens : *Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus; unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.* Ubi nota. Τὸ *sicut* significare unionem et unitatem, non eamdem, sed similem : nam anima rationalis et caro faciunt unum compositum essentiale, puta unum hominem ; deitas vero et humanitas juncta in Christo faciunt unum compositum, non essentiale, sed substantiale, sive hypostaticum. Nec enim deitas informat humanitatem, sicut anima informat corpus, sed integra et immista consistens, humanitatem sibi copulat in eadem hypostasi Verbi. Quare proprie Christum solvit Nestorius, docens in Christo duas esse personas, sicut sunt duæ naturæ, ac proinde in Christo hominem esse diversum et distinctum à Deo. Christus ergo Deus in humanitate et quasi margarita in concha, ex materia virginea et rore Spiritus sancti conceptus et concretus, candidissimus per vita innocentiam, lucidissimus per sapientiæ lumen, rotundus per omnis perfectionis possessionem : habens pondus constantiæ, levorem mititatis, pretium beatitudinis. Ita noster Salmeron tom. 7. tract. 11.

Nota. Syrus et Græca sic legunt : *Omnis spiritus qui non confitetur Christum in carne venisse, ex Deo non est.* Sic quoque legit S. Cyprian. lib. 2. contra Judæos c. 7. vel S. Tertull. lib. de Carne Christi c. 24. qui tamen pro *non confitetur*, legunt *qui negat.* Verum passim Latini cæteri legunt : *Omnis qui solvit Christum, ex Deo non est.* Ita Legit S. Leo epist. 10. c. 5. Prosper. lib. 1. de Vocat. Gent. c. 23. Cassianus l. 5. de Incarnat. c. 10. quin et Tertull. l. contra Psychicos c. 1. Irenæus l. 3. c. 18. et S. August. hic, qui tamen priorem quoque lectionem affert et exponit. Porro in Græcis pro ομολογει id est, *confitetur*, olim lectum fuisse αναλυει, id est, *solvit*, liquet ex Didymo hic, et S. Cyrillo de Fide ad Reginas, atque ex eo quod scribit Socrates lib. 7. cap. 32. agens de Nestorio, qui negabat Christum esse Deum, et B. Virginem esse Deiparam : *Ignorabat*, inquit, *in vetustis exemplaribus Catholicæ*

Joannis esse scriptum, omnem spiritum qui Jesum solvit à Deo non esse. Hanc enim sententiam ex vetustis exemplaribus abstulerunt illi, qui divinitatem à dispensatione hominis separare voluerunt.

Utraque lectio eodem recidit, unaque explicat aliam, scilicet quod solvere Christum idem sit quod, negare Christum venisse in carne.

Allegor. solvit Christum qui corpus Christi, puta Ecclesiam, scindit per schisma. *Solvere*, ait S. August. factis intelligitur : *Ille venit colligere, tu venis solvere. Quomodo non negas Christum venisse in carne, qui disrumpis Ecclesiam, quam ille congregavit?*

Tropol. solvit Jesum, qui ejus unionem, puta gratiam, ab anima fideli per peccatum vel scandalum tollit. Ita OEcumen. Debemus enim, ut B. Paulus inquit, *ubique mortificationem Jesu circumferre, ut et vita Jesu in corpore nostro manifestetur. Qui igitur operantem habet Jesum, et mundo mortuus est, neque amplius mundo, sed Christo vivit, Christumque non in Christi tantum carne, sed in sua quoque circumfert, is est ex Deo.* Hæc OEcum. Hoc est, quod ait sponsa Cant. 1. 13. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.*

Et hic est Anticuristus,] tum appellative, quia contrarius Christo; tum potius propric, quia præcursor Antichristi. Unde Græca habent, *et hic est Antichristi;* Syrus, *hic est ab ipso pseudochristo;* S. Cyprian. l. 2. contra Jud. c. 7. vel 8. *Qui autem negat in carne venisse, de Deo non est, sed de Antichristi spiritu.* Sic Joannes-Baptista vocatur Elias Matth. 17. 12. non in persona, sed in officio et spiritu : quia, sicut Joannes-Baptista præcurrit primum Christi adventum, ita Elias præcurret secundum. Vide dicta c. 2. 18. et 21. *Quis*, ait, *est mendax nisi is qui negat quoniam Jesus est Christus. Hic est Antichristus, qui negat Patrem et Filium.*

Quoniam venit,] ερχεται, id est, *venit*, in præsenti, non in præterito, hoc est, certo veniet. Syrus, *quem audistis venturum.*

Et nunc jam in mundo est,] non in persona, sed in spiritu, puta in suis præcursoribus. Hoc est quod ait Paulus : *Mysterium jam operatur iniquitatis*, 2. Thessal. 2. 7. Ita Lutherus viam stravit Mahometi, et consequenter Antichristo, cum præter alia docuit Turcæ non esse resistendum, idque probabat hoc sophismate : Flagello Dei non est resistendum; quia hoc idem est quod Deo flagellanti resistere : atqui Turca est flagellum Dei; ergo. Eodem argumento probasset latronibus, furibus et prædonibus non esse resistendum; quia hi omnes sunt flagellum Dei; sed hoc flagellum à judicibus est flagellandum, quia à Deo est non positive, sed permissive. Et quid hoc aliud erat, quam Christianos omnes subjicere Turcæ, et efficere Turcas? Quocirca Solymanus Turcarum Imper. cum aliquando quæsivisset à legato Cæsaris, quem annum ageret Lutherus? Legato respondente quod 48 ageret, dolere se dixit, quod ob imminentem senectutem non in posterum tantum, quantum antea semper conatus suos posset adjuvare. De quo Solymani de se judicio gloriatur Lutherus lib. Symposiac. ac Turcicum Cæsarem omnem sibi benevolentiam detulisse jactitat. Sic S. Hilarius Constantinum Arrianum Imper. vocavit Antichristum, cujus ignea verba recensui 1. Petri 3. 14.

4. Vos ex Deo estis, filioli, et (id est idcirco) vicistis eum.] q. d. Quia vos, ô Christiani, estis à Deo, qui est prima et æterna veritas, idcirco vicistis eum, scilicet spiritum Antichristi, puta spiritum erroris et hæresis. Hinc Græca et Syrus legunt αυτους, id est, *eos*, scilicet pseudoprophetas et spiritus erroris. q. d. Gratulor vobis, ô Christiani, eo quod vicistis hæreticos jam subnascentes, puta Ebionem, Simonem, Menandrum, qui solvunt Christum, eorumque tentationes constanter repudiatis; quin et doctores ex vobis disputando, cæteri christiane vivendo, eosdem confutarunt. S. Cypr. l. de Simpl. Prælat. legit νικατε, id est, *vincite illos*, ut sit vox adhortantis ad pugnam et victoriam, jam legunt νενικηκατε, id est, *vicistis illos;* ut sit vox gratulantis, et ob victoriam quasi triumphantis. Hoc est quod ait cap. 5. 4. *Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum; et hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.*

Quoniam major est qui in vobis est, quam qui in mundo.] Dat causam victoriæ, scilicet Christum, ejusque spiritum veritatis, qui regit fideles, quique major est diabolo, ejusque spiritu erroris, qui dominatur in mundo, puta in hominibus mundanis, hæreticis et impiis, qui non nisi caduca bona amant, sperant et prædicant, uti sequitur. Dicit hoc, tum ut commendet fidelibus humilitatem, ne suis viribus, sed gratiæ Dei victoriam humiliter acceptam ferant. *Esto humilis*, ait S. August., *porta Dominum tuum, esto jumentum sessoris tui.* Vide dicta Apocal. 6. 2. Tum ut eos animet ad fiduciam et constantiam in tentationibus, cogitando se magnum habere ducem et protectorem.

Alludit ad illud Evangel. sui c. 16. 33. *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.* Loquitur proprie de tentatione contra fidem, quam afferunt hæretici.

Idem tamen à pari vel simili extendas ad quamvis aliam tentationem. Unde primo, S. Cyprian. Exhort. ad martyr. extendit ad Martyres, hortando eos ad spem et constantiam. *Nec plus*, inquit, *ad dejiciendum potest terrena potentia, quam ad erigendum tutela divina*, et lib. 1. epist. 9. ait *timendas non esse injurias et pœnas persecutionum; quia major est Dominus ad protegendum, quam diabolus ad impugnandum.* Probat dicens : *Major est qui in vobis est, quam qui in mundo.* Quin et ipse Joan. Apocal. 12. v. 11. *Ipsi*, inquit, *vicerunt eum propter sanguinem Agni, et propter verbum testimonii sui, et non dilexerunt animas suas usque ad mortem*, et Ecclesia in hymno Martyr. *Tu vincis in Martyribus.*

Secundo, OEcumen. extendit ad fidelium et sanctorum contemptum, quod scilicet contemnantur à mundanis et impiis : his enim solatium est, quod major sit Christus, qui eos magnifacit, quam mundus, qui eos contemnit.

Tertio, S. Ambros. homil. 1. de Elisæo in fine tom. 1. extendit ad hostes et exercitus hostiles : *Sæpe* inquit, *me dixisse memini, quod hostium tumultus bellicosos timere minime debeamus, nec quamlibet copiosum hostium multitudinem formidare; quoniam sicut ait Apostolus : Major est qui in nobis est, quam qui in mundo, hoc est, potentior est ad protegendos famulos suos Christus, quam diabolus ad instigandos inimicos. Quamvis enim idem diabolus colligat sibi turbas, et crudeli eas armet insania, tamen facile destruuntur, quia melioribus populum suum Salvator circumdat auxiliis. Ait enim Propheta : Immittet*

angelum Dominus in circuitu timentium eum, et eripiet eos. Quod si Angelus Domini timentes eum de periculis eripit, non potest timere barbarum qui timuerit Salvatorem, nec potest metuere hostis impetum, qui Christi præcepta servaverit. Causam subdit, arma Christi. *Præcepta enim Christi, arma sunt Christianis, et divinus timor terrorem à nobis expellit hostilem. Arma autem hæc nostra sunt, quibus nos Salvator instruxerit, oratio, misericordia atque jejunium. Jejunium enim melius quam murus tuetur, misericordia facilius liberat quam rapina, oratio longius vulnerat quam sagitta. Sagitta enim non nisi proxime conspectum percutit adversarium; oratio autem etiam longius positum vulnerat inimicum.* Deinde id confirmat exemplo Elisæi, qui cinctus à Syris vidit castra Angelorum. Unde Giezi famulo suo paventi dixit : *Noli timere; plures enim nobiscum sunt, quam cum illis. O fides sancti Prophetæ! non timet adversarios quos prospicit; quoniam scit Angelos secum esse quos credit. Non metuit terrenas insidias, quia cœlestia adesse sibi novit auxilia.*

Quarto, S. Prosper. lib. 1. de Vocat. Gentium c. 24. extendit ad quotidianas fidelium tentationes, ut contra Palagium ostendat ad eas vincendas opus esse gratia Dei : *Victoria ergo sanctorum*, inquit, *est opus Dei habitantis in sanctis.*

Quinto, S. Gregorius lib. 4. epist. 39. extendit ad insolentias Prælatorum et Principum. Scribens enim Sabiniano Diacono, jubet ut resistat Joanni Patriarchæ Constantinopolitano, qui se nuncupabat Episcopum œcumenicum sive universalem, fretus potentia Imper. Constant. *Sed nos*, inquit, *rectam viam tenebimus, nihil in hac causa aliud nisi omnipotentem Dominum metuentes. Unde tua dilectio in nullo trepidet. Omnia quæ in hoc seculo videt alta esse contra veritatem, pro veritate despiciat; in omnipotentis Dei gratia atque B. Petri Apostoli adjutorio confidat. Vocem veritatis recolat, dicentis : Major est qui in cœlis est, quam qui in mundo, et in hac causa quidquid agendum est, cum summa auctoritate agat. Majus est regnum* (et reges impios) *fastidire, quam accipere*, ait Tacitus. *Majus est regibus imperare, quam regnare*, aiebat Carolus Martellus respuens regnum Franciæ sibi oblatum.

Sexto, alii extendunt ad quodvis opus arduum, ut quisque fidelis se ad illud excitet et exacuat sibi, dicendo, *Major est qui in me est quam qui in mundo*, et cum S. Paulo : *Omnia possum in eo qui me confortat*, Philip. 4. 13. et cum S. Cypriano lib. 2. epist. 2. *Nihil appetere de seculo potest, qui seculo major est*, additque eum *majorem et fortiorem viribus fieri, ut in omnem adversarii grassantis exercitum imperioso jure dominetur*, etc. *Quidquid sub cœlo est tanquam leve, fallax, inane, et amore nostro indignum despiciamus.* Idem tract. de Orat. Domin. *Qui renuntiavit seculo*, ait, *major est honoribus ejus et regno, et ideo qui se Deo et Christo dedicat, non terrena, sed cœlestia regna desiderat*, et cum S. Hilario in psal. 130. *Humiles corde, sed animo excelsi sumus;* portamus enim in capite robur, vires et omnipotentiam Christi. Vidi in Belgio Chiliarcham qui minantibus ei hæreticis respondit : *Neminem vestrûm timeo, quia coronam Hispanicam porto in capite.* Idem dicat fidelis : In capite coronam porto, non Hispanicam, sed divinam; idcirco nullum hominum, vel dæmonum, imo totas inferni vires non metuo, sed ambio, omnesque ad duellum provoco, uti omnes Arrianos, totumque orbem provocavit et prostravit S. Athanas. Nam *si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8. Per Deum quanta fecit S. Paulus, S. Antonius, Simeon Stylites, S. Franciscus, S. Vincentius, omnesque virgines, heroes et martyres? Eadem per eumdem nos possumus, *qui triumphat*, id est, triumphare facit *nos in Christo*, 2. Corint. 2. 14. Id promisit ipse per Isaiam c. 58. 14. dicens : *Sustollam te super altitudines terræ*, ut in cœlo quasi aquila habitans, despicias quidquid est in mundo, Job. 39. 27. Vidit hoc per umbram et secutus est Seneca, sed non assecutus. Sic enim scribit epist. 54. *Quærendum est quid sit quod non fiat deterius in dies. Quid hoc est? animus; sed hic rectus, bonus et magnus. Quid aliud voces hoc, quam Deum in humano corpore hospitem?* Ferunt Olympum montem adeo esse excelsum, ut supra nubes, nullis agitetur ventis, nullis turbinibus. Talis est animus celsus, supra terrena omnia erectus, in cœlo habitans, qui nullis mortalium laudibus, nullis minis et terroribus à recto dimoveri se sinit.

5. Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, et mundus eos audit] q. d. Hæretici non sunt ex Deo, sed ex mundo; quia amant opes, honores, voluptates mundi, de iisque loquuntur, et prædicant. Unde mundani, qui non nisi mundana sapiunt, libenter eos audiunt. Similes enim habent labra lactucas, ut vulgatum habet proverbium. Ita Œcumen. *Hæreticus est*, ait S. August. lib. de Utilit. credendi cap. 1. *qui alicujus temporalis commodi, et maxime gloriæ, principatusque sui causa, falsas ac novas opiniones vel gignit, vel sequitur.* Tertull. lib. de Præscrip. *Omnes hæretici*, inquit, *tument, omnes scientiam pollicentur.* S. Hier. in Abdiam : *Quis hæreticorum in superbiam non extollitur?* Rursum S. August. lib. de Pastoribus : *Una*, ait, *mater superbia omnes hæreses genuit, sicut una mater nostra Catholica omnes Christianos fideles toto orbe divisos.* Idem lib. 4. in Julian. c. 9. hæreticos confert cimicibus, *qui dum vivunt mordent, mortui autem fœtent.* Tropol. hanc sententiam recte adaptes hominibus mundanis, qui non nisi mundana, id est detractoria, spurca, insulsa, ridicula, fatua et vana loquuntur, ideoque à suis similibus mundanis libenter audiuntur.

6. Nos ex Deo sumus : qui novit Deum, audit nos ; qui non est ex Deo, non audit nos,] juxta illud Christi : *Qui vos audit, me audit ; qui vos spernit, me spernit*, Lucæ 10. 16. *Nos*, scilicet fideles omnes baptismo regenerati et charitate prædíti, ita S. August. Œcumen. et Lyran. Secundo : *Nos*, scilicet prædestinati, ait Dionys. Tertio, et genuine : *Nos*, scilicet Apostoli : Hæresiarchis enim, quos jam dixit esse ex mundo et de mundo loqui, id est, mundanas et carnales cupiditates docere, ait Œcumen. opponit Apostolos, qui ex Deo nati et cœlesti doctrina imbuti, ab eoque missi, docent ambire spiritualia, cœlestia et divina. Unde *qui novit* practice *Deum*, id est, Deum amat, *hic audit nos*, puta me Joannem, meique similes Apostolos, et viros Apostolicos ; *qui* vero non amat Deum, ideoque *non est ex Deo*, sed ex mundo, hic non audit nos. Unde subdit : *In hoc cognoscimus spiritum veritatis, et spiritum erroris ; in hoc* scili-

cet, *quod qui audit nos, habet spiritum veritatis : qui non audit nos, spiritum habet erroris*, ait S. August. Rursum *in hoc*, quod hæretici qui aguntur spiritu erroris, docent mundana : Apostoli vero et Apostolici Doctores ex Deo nati docent divina. q. d. Dixi : probate spiritus utrum ex Deo sint ; jam do modum probandi, scilicet hoc signo dignoscetis veros Apostolos à falsis et hæreticis, quod veri ament et doceant vera et divina, falsi ament et doceant falsa et carnalia. *Nos* ergo *ex Deo sumus :* quia, ut ait Œcumen. *à mundanis concupiscentiis abhorremus, et de futura vita solliciti contemnimus omnia caduca et mortalia bona.* Alludit ad illud Christi in Evangel. cap. 10. v. 16. *Oves*, etc. *vocem meam audiunt*, et cap. 6. v. 46. *Omnis qui audivit à Patre et didicit, venit ad me*, et cap. 8. 47. *Qui ex Deo est, verba Dei audit : propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Vere S. Hier. ad Heliod. *Absque notitia creatoris sui homo pecus est.*

7. Charissimi, diligamus nos invicem.] Hæc recte cohærent præcedentibus. Dedit enim tesseram et signum quo dignoscatur spiritus veritatis à spiritu erroris, puta quo secernantur Apostoli ab hæreticis, scilicet quod Apostoli doceant amare divina, hæretici mundana et carnalia. Nunc particulatim et quasi in individuo idipsum demonstrat. q. d. Spiritus erroris est spiritus cupiditatis, sed spiritus veritatis est spiritus charitatis ; puta errones et hæretici docent diligere honores, opes, Venerem, et ventrem proprium : at Apostoli docent diligere Deum et proximum. Quare, charissimi, ut sequamur spiritum veritatis, non erroris, spiritum Apostolorum, non hæreticorum, *diligamus nos invicem.* Rationem subdit :

Quia charitas ex Deo est.] q. d. Spiritus veritatis est spiritus charitatis, ut diligamus invicem ; quia sicut veritas, ita et charitas est ex Deo, imo Deus uti est ipsa prima et æterna veritas, ita magis et potius est ipsa summa et increata charitas. Unde consequenter sequitur, quod *omnis qui diligit* (amore non naturali, sed supernaturali, puta charitate) *ex Deo natus est*, quia renatus ex fide et charitate, quæ ex Deo est, factus est filius Dei ; charitas enim est habitus supernaturalis tribuens animæ facilitatem diligendi Deum et proximum. Porro ex Deo natus est, *ea generatione, vel potius regeneratione, quæ potestatis est, non naturæ. Adoptio enim potestatis est, generatio proprietatis*, ait S. Ambros. lib. 4. de Fide cap. 4. *Ut cognoscat Deum*, non solum speculative, sed et practice, quia Deum quem cognoscit esse summum bonum, summe amat. Rursum amor facit ut homo plenius cognoscat et quasi gustu spirituali sentiat et sapiat Deum : qui sensus et sapor in tantum crescit, in quantum crescit amor, præsertim quia Deus amanti seipsum manifestat, et clarius revelat per internas illustrationes, inspirationes, consolationes et gustus, juxta illud promissum Christi : *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum*, Joan. 14. 21. et Apocal. 2. 17. *Vincenti dabo manna absconditum*, etc.

Nota. *Charitas ex Deo est.* Primo, quia charitas essentialis increata promanat naturaliter ex ipsa essentia divina, sicut calor ab igne : imo charitas est ipsa essentia divina. Secundo, quia charitas notionalis est Spiritus sanctus ; hic enim quasi amor notionalis procedit ex Patre et Filio per actum amoris, quo se invicem infinito amore diligunt. Ita hunc locum intelligit Hugo et Magister sentent. In 1. dist. 31. Quare minus recte Origen. homil. 1. in Cant. et Hugo per charitatem accipiunt Filium, qui est ex Deo, quia à Deo genitus. Filius enim à Patre procedit, non ut amor et charitas (hoc enim est proprium Spiritus sancti), sed ut verbum mentis ac notionalis veritas.

Tertio, charitas creata est ex Deo, quia est donum summum et nobilissimum Dei, juxta illud Roman. 5. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, etc. non quasi charitas qua diligimus Deum sit ipse Deus, sive Spiritus sanctus ; uti voluit Magister in 1. dist. 37. hic enim est exploratus error, sed quod Deus qui est charitas increata, charitatem creatam qua eum diligamus inspiret et in nobis accendat, sicut lumen illuminans producit lumen illuminatum, ait S. August. 12. Confess. 15. Et hoc proprie hîc intendit S. Joannes, quo tacite simul significat hoc donum non esse nostrarum virium, sed assidua prece postulandum à Deo, ait S. August. de Gratia et lib. arbit. c. 18, ubi et addit : *Quid aliud est charitas, quam bona voluntas!* Rursum significat charitatem, quæ idem est quod gratia, aut individua gratiæ comes, esse virtutem maxime divinam, quæ nos faciat consortes divinæ naturæ, 2. Petri 1. 4. ideoque quasi deos, quia Deus charitas est, ait Philo Carpatius in cap. 4. Cantic.

Quarto, charitas est ex Deo, qui Deus prior nos dilexit, 1. Joan. 4. 19. et amando nos ad redamandum accendit, præsertim cum sua viscera, puta Filium suum unigenitum ex immenso amore nobis per incarnationem fratrem dedit, juxta illud : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, Joan. 3. v. 19. Hanc rationem dat hîc v. 9.

Quinto, charitas ex Deo est, quia Dei lege sancita est, et crebro uniceque commendata. Totus enim Decalogus non est aliud, quam lex charitatis Dei et proximi, juxta illud : *Omne mandatum in hoc verbo instauratur : Diliges proximum tuum sicut teipsum ; plenitudo ergo legis est dilectio.* Rom. 13. 9.

Hinc sequitur quod Deus in se sit charitas formalis, in nobis autem causalis, idque omni genere causæ, puta materialis, quia ipse est objectum charitatis nostræ : formalis, quia ipse ejusdem est exemplar : efficientis, quia ipse eam in nobis producit : finalis, quia ipse finis est noster et amoris nostri.

Denique amor naturalis est à natura, carnalis à carne, mundanus à mundo, supernaturalis vero, puta charitas, non nisi à Deo. Vide S. Chrysost. hom. 1. in epist. ad Coloss. et Cassian. coll. 16. cap. 2.

8. Qui non diligit, non novit Deum.] Versu præced. dixit S. Joannes : *Omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum*, nunc idipsum probat à contrario, quod *qui non diligit, non novit Deum ;* cujus rationem subdit : *Quoniam Deus charitas est.* q. d. *Qui non diligit* Deum et proximum, esto speculative noscat Deum, practice tamen, id est, experimentaliter et sapide *non novit Deum ;* sicut mellis saporem et dulcedinem nemo novit per experientiam et saporem, nisi qui illud gustat et sapit : sicut enim sapor sapiendo, ita amor amando practice cog-

noscitur, gustatur et sapitur. Unde Syrus hæc invertit hoc modo : *Quoniam Deus charitas est, et quisquis non diligit Deum, non cognoscit Deum.* Quocirca licet, ut advertit Didymus et Cajetan. potuisset S. Joannes pari modo dicere : Qui non scit, non novit Deum, quia Deus scientia est : qui non sapit, non novit Deum, quia Deus sapientia est : qui non potest, non novit Deum, quia Deus potentia est : qui non est patiens, non novit Deum, quia Deus patientia est : qui non est humilis, non novit Christum, quia Christus humilitas est, etc. Maluit tamen dicere: *Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas est;* tum quia agit de charitate, non de scientia, sapientia, potentia, etc., tum quia plenus charitate Dei et Christi non nisi eam spirat, in eaque deliciatur : nam, ut ait S. Bernard. serm. 83. in Cantic. inter sponsum et sponsam, puta inter amantes, nulla alia connexio quærenda præter amare et amari; quia sponsus iste non modo amans, sed et amor est. Hoc est quod ait Jerem. c. 31. 3. *Charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui.* Quocirca S. Joannes charitatem hîc opponit cupiditati, omnique amori mundi, et cuivis illecebræ mundanæ, tum denique quia charitas uti omnium dotum et virtutum, ita et omnium Dei attributorum est princeps et regina.

Quoniam Deus charitas est,] tum formalis, et increata, eaque vel essentialis vel notionalis, tum causalis et creata, idque per omnia genera causarum, uti paulo ante dixi. In Deo enim Deique essentia ob summam perfectionem et simplicitatem nulla sunt accidentia; sed quæ in nobis sunt accidentia, in Deo sunt idem cum essentia, uti sapientia, bonitas, amor, potentia sunt ipsa essentia divina, sicut contra Gilbertum definivit Concil. Remens. Vide S. Bernard. serm. 80. in Cant. Porro Deus est charitas tum in abstracto, tum in concreto; quia est tum summa dilectio, tum summe diligens, ideoque vicissim à nobis summe diligendus et redamandus. q. d. Deus est charitas, quia summe nos dilexit : nam hujus suæ charitatis evidentissimum dedit indicium, cum pro nobis salvandis dedit misitque Filium suum unigenitum. Hoc proprie intendit S. Joannes : ita enim se explicavit v. seq. Hinc primo, S. August. et Beda docent eum qui proximum non diligit, contra Deum peccare, quia Deus charitas est. Ex adverso S. August. lib. 8. de Trinit. cap. 7. *Qui proximum*, ait, *diligit, consequens est ut ipsam præcipue dilectionem diligat ; Deus autem dilectio est : consequens est ergo ut præcipue Deum diligas.*

Rursum S. Chrysost. serm. de fide, spe et charitate, docet nil cum charitate posse comparari, cum ipsa sit Deus, qui est incomparabilis. Secundo, Origen. Proleg. in Cantic. infert charitatem in nobis perseverare debere, ferrique in res spiritales, eo quod Deus sit spiritus jugiter perseverans et immortalis. Tertio, Gagneius infert nos certos esse quod Deus supra modum nos diligat, eo quod sit ipsissima charitas. Quarto, hinc Patres inferunt charitatem cæteras omnes virtutes imperare et complecti : illas enim imperat et complectitur Deus. Unde S. Cyrillus in cap. 13. S. Joannis ait, *Charitatem omni virtute constare.* Quin et S. Paulus 1. Corinth. 13. 1. *Charitas*, ait, *patiens, benigna est*, etc. Vide ibi dicta, et S. Gregor. lib. 10. Moral. c. 7. et 8. alias 4.

9. In hoc apparuit charitas.] Hic declarat cur dixerit: *Deus charitas est*, quia scilicet Deus immensam suam in nos charitatem declaravit, mittendo Christum in carnem pro salute nostra, ut hac ratione nos ad se redamandum invitaret, simulque legem et modum redamandi, quasi in viva idea et exemplari præscriberet, uti in sequentibus explicat S. Joannes. Nam *qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* ait Paulus Rom. 8.

Alludit ad illud Evangelii cap. 3. 19. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ecce ait S. August. *Ut diligamus Deum hortationem habemus : quomodo possemus illum diligere, nisi prior ille diligeret? Si pigri eramus ad amandum, non simus pigri ad redamandum. Prior amavit, sed iniquitatem solvit : iniquos amavit, sed non ad iniquitatem congregavit : ægrotos amavit, sed sanandos visitavit. Deus ergo dilectio est, in hoc manifestata est dilectio Dei in nobis.* Pathetice docteque S. Paulinus agens de S. Magdalena epist. 4. ad Severum : *Ergo*, inquit, *illum amemus, quem amare debitum est. Illum osculemur, quem osculari castitas est. Illi compulemur, cui nupsisse virginitas est. Illi subjiciamur, sub quo jacere super mundum stare est. Propter illum dejiciamur, cui cadere resurrectio est. Illi commoriamur, in quo vita est : in quo et mortui vivimus : qui vicissim nobis hoc esse dignetur, quidquid illi fuerimus servuli sui*, etc.

10. In hoc, scilicet Christo, ait Didymus. Planiùs alii, *in hoc*, id est, in hac re, puta in Dei dilectione, qua, ut sequitur, prior dilexit nos, ideoque Filium suum misit in carnem, est, et clarissime cernitur, ejus erga nos charitas,] id est, charitatis magnitudo et immensitas. S. Joannes dilectus Christi, charitatis Dei præconio non satiatur, sed jugiter illam, ceu vinum quo plenus erat, eructat. Hic ergo eamdem ponderat et exaggerat ex eo, quod Deus nulla dilectione, nullo officio vel obsequio nostro provocatus, imo multis injuriis et sceleribus nostris offensus, *prior dilexit nos*, dum nos peccatores suos inimicos et hostes, ipsum fugientes et aversantes insecutus charitate prævertit, ut ad se reductos salvaret. Nam *ad hoc nos dilexit, ut diligamus eum*, ait S. August. ideoque *misit filium suum propitiationem*, qui scilicet esset propitiator, et victima propitians et placans Dei iram *conceptam pro peccatis nostris*: unde S. August. legit *litatorem*, idque exponit *sacrificatorem.* Prior, ait S. Bernard. serm. 9. in psalm. *Qui habitat*, Deus dilexit nos, quia ab æterno, juxta illud : *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate*, Ephes. 1. 4. Denique S. August. hîc tract. 9. *Dilexit*, inquit, *impios, ut faceret pios : dilexit injustos, ut faceret justos, dilexit ægrotos, ut faceret sanos.*

Vide hîc quam elevatæ sint viæ Dei à viis hominum. Homines enim, si quis eos contemnat, vexet, spoliet, imo rideat et levi injuria afficiat, illico se contrahunt, aversantur, fugiunt, imo odio prosequuntur afficientem, ac par pari, imo majorem vindictam, ei irrogare cogitant. At Deus ab hominibus contemptus, irrisus, honore spoliatus, et mille injuriis affectus, dilatat

erga eos viscera charitatis, charitate cum eorum odio certat, odio excitatur ad amorem, odium Deo est flabellum charitatis, imo odium amore infinito superat, absorbet, obruit et extinguit, perinde ut rogus ingens guttulam aquæ absorbet. Dei ergo propria est beneficentia et charitas in inimicos et hostes, ut scilicet eos amore et gratia præveniat, ac ex inimicis amicos, filios et hæredes efficiat, imo ex maximis peccatoribus maximos efficiat sanctos : uti ex Saulo fecit Paulum, ex latrone præconem suum in cruce, ex peccatrice Magdalenam, hoc est speculum pœnitentiæ et sanctitatis. Idipsum celebrat et admiratur Paulus : *Fidelis*, inquit, *sermo et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum ; sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui crediturі sunt illi in vitam æternam*, 1. Timoth. 1. 15.

Hanc Dei et Christi in se charitatem imitatus Paulus Judæos, licet juratos suos hostes, omni modo Christo lucrifacere satagit, et crescentibus eorum odiis, crevit et magis accensus est in eos amor illius, adeoque pro iis optavit fieri anathema, Rom. 9. 2. Simili modo S. Magdalena ut amorem amori rependeret, sua omnia, seque ipsam devovit Christo. Idem fecere cæteri Sancti. Hanc Dei charitatem nobis quoque imitandam hîc proponit S. Joannes. Unde subdit :

11. Charissimi, si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere.] *Si* non est dubitantis, nec conditionale, sed asseverantis et causale, idem valens quod *quia*. q. d. Quia sic Deus dilexit nos. Simili modo ait Christus : *Si*, id est quia, *ego lavi pedes vestros Dominus et magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes*, Joan. 13. 14.

Dicit tamen Joannes potius *si* quam *quia*, ad majus pondus et pathos, quasi admirans et obstupescens ad amorem Dei infinitum, cujus proinde nulla cum nostra possit esse æqualitas vel proportio. Unde solerter ex illo antecedenti, *si sic Deus dilexit nos*, non infert : *Ego et sic nos debemus Deum diligere ;* hoc enim est impossibile, ut scilicet sic Deum amemus, sicut ipse amavit nos : nec enim amorem Dei æquare, vel ex minima parte possumus, sed infert : *Et nos debemus alterutrum diligere*. q. d. Cum non possimus amori divino par pari reddere, saltem diligamus invicem pro modulo nostro. Quod enim proximo facimus, Deus sibi factum æstimat, Matth. 25. 40. idque tum quia proximus est imago Dei, tum quia Deus nullius nostrûm indigens sibi substituit proximum, ut in illum egentem amorem nostrum erga Deum expromamus, amando et succurrendo illi propter Deum. Jussit itaque et sanxit hunc proximi amorem enixe Deus, quia homo homini est similior et vicinior, quam Deus. Si ergo Deus adeo dissimilis et supereminens hominem sic dilexit, quanto magis homo hominem sibi congenerem, et per omnia similem diligere debet? ita OEcumen. *Si Deus*, inquit, *ita nos amavit, qui nullam cum natura ejus communicationem habemus, multo magis etiam nos amare eos qui cognati nobis sunt, debemus ; et cum cognoscamus bonum quod ex charitate proficiscitur, id mutuo nobis præstare.*

Adde τὸ *nos* complecti etiam proximos, q. d. Si Deus omnes naturæ nostræ consortes, ipse licet ejus exors, suo amore dignatus, imo tanta charitate complexus est, quanto magis decet nos eadem complecti invicem, qui omnes ejusdem naturæ sumus participes, in eaque pares. Vere S. August. hîc tractat. 7. *Dilige*, ait, *et quod vis fac : sive taceas, dilectione taceas : sive clames, dilectione clames : sive emendes, dilectione emendes : sive parcas, dilectione parcas. Radix sit intus dilectionis ; non potest de ista radice nisi bonum existere.* Porro si Christus sic dilexit nos, ut pro nobis animam poneret, multo magis nos debemus pro proximorum salute animam ponere. Praxim unam hujusce rei quotidie obviam assignat Abbas Pastor in Vitis Patrum l. 5. c. 17. n. 10. *Non est*, inquit, *aliquid majus dilectione, etiam ut ponat quis animam suam pro proximo suo. Nam si quis audiens sermonem tristem certet et sustineat, ac non recontristet, vel etiam si læsus in re aliqua patienter tulerit, non retribuens contristanti atque lædenti se, eo modo hujusmodi homo animam suam ponit pro proximo suo.*

12. Deum nemo vidit unquam.] Quorsum hoc hîc ingerit S. Joannes ? Primo, S. August. ingeniosius, quam germanius sic adaptat. q. d. Deus est invisibilis, ac proinde non oculo, sed corde quærendus est : avocandum ergo est cor à sensibus, ac dandum dilectioni : hac enim tenetur Deus, qui non est aliud quam dilectio. *Ubi est*, inquit, *iste oculus ? Audi Evangelium : Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, etc. *Si vis videre Deum, Deus dilectio est.* Pergit S. August. *Qualem faciem habet dilectio? qualem formam habet? qualem staturam habet? quales pedes habet? quales manus habet? Nemo potest dicere : Habet tamen pedes, nam ipsi ducunt ad Ecclesiam : habet manus, nam ipsæ pauperi porrigunt : habet oculos, nam inde intelligitur ille qui eget : Beatus qui intelligit super egenum et pauperem. Habet aures de quibus dicit Dominus : Qui habet aures audiendi, audiat. Non sunt enim membra distincta per loca, sed intellectu tot um simul videt. Qui habes charitatem habita, et inhabitaberis : mane, et manebitur in te.* Et inferius : *Sed et si sævis aliquando propter correctionem dilectionis, propterea de columba demonstrata est charitas, quæ venit super Dominum. Species illa columbæ in qua venit Spiritus sanctus, in quo nobis charitas infunderetur. Quare hoc? Fel columba non habet, tamen rostro et pennis pro nido pugnat, sine amaritudine sævit. Hoc facit et pater quando filium castigat, sed ad disciplinam castigat, sicut dixi. Amor ergo sævit, charitas sævit, quo modo ? sine felle, more columbino, non corvino.*

Secundo, et genuine, hæc verba partim dant causam cur ex antecedenti : *Si sic Deus dilexit nos*, intulerit : *Et nos debemus alterutrum diligere*, non Deum, uti inferendum videbatur, quia scilicet Deum videre, et benefaciendo diligere non possumus : hinc vice Dei benefaciendo proximo quem videmus, testamur amorem nostrum erga Deum, quem videre, cuique benefacere non valemus : partim invitant ad amorem proximi, cohærentque cum sequentibus. q. d. Studiose diligite proximum : hanc enim dilectionem sibi factam reputat Deus, licet enim eum non videamus, tamen si proximum diligamus, ipse invisibilis erit nobis præsentissimus, adeoque sedem et thronum suum

in anima nostra manens constituet, imo charitas ejus in anima nostra plene exprimetur et perficietur. Ita Œcumen. Ratio est, quia charitas invisibilis et divina Deo invisibili nos conjungit et confœderat. Adde quod Deus in se invisibilis videatur in proximo visibili : hic enim Dei est imago.

Nota. *Deum nemo vidit unquam*, scilicet per essentiam, sive facie ad faciem in hac vita. Unde probabiliter docent Doctores, nec Mosen, nec Paulum, nec alium purum hominem (Christus enim vidit Deum, sed ipse erat Deus homo) in hac vita vidisse divinam essentiam, juxta illud Exodi 33. *Non videbit me homo, et vivet*, licet contrarium opinentur S. August. et ex eo S. Thomas. Vide dicta 2. Corinth. 12. 4.

Rursum, *Deum nemo vidit unquam;* sed nec videre potest, per vires naturæ, uti voluerunt Anomæi et Eunomiani, quos refutat S. Chrysost. et Basilius lib. 1. contra Eunomium, ac postea Begardi et Beguinæ. Beati enim in cœlo vident Deum, sed per vires gratiæ : unde ibi mens eorum elevatur, et alium quasi accipit oculum ordinis divini, puta lumen gloriæ, quo videat Deum. Hac phrasi ergo significat S. Joannes Dei majestatem adeo esse sublimem, adeoque transcendere non tantum res omnes creatas, sed et intellectus omnium tam angelorum, quam hominum, ut licet ipse sit lux splendidissima, tamen ob sui puritatem, subtilitatem et sublimitatem à nulla mente vel oculo creato videri possit. Citat eamdem sententiam S. Joannes Evangel. c. 1. v. 18. sed ibi applicat Dei cognitioni, hîc vero dilectioni ejusdem. Ibi enim ait : *Deum nemo vidit unquam, unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* q. d. Hæc quæ dixi de divinitate Verbi, et Dei Patris, adeo sublimia sunt, ut, cum nemo mortalium præter Filium, Deum viderit, nemo etiam præter Filium, ne Moses quidem hæc perfecte hominibus enarrare potuerit : quocirca *unigenitus Filius qui est in sinu Patris*, id est, qui Patri est intimus, conjunctissimus, homousios, utpote ab eo genitus, ac consequenter sapientiæ et consiliorum ejus omnium est particeps, *ipse* veniens in carnem ea nobis *enarravit*. Ita S. Chrysost. Cyrillus, August. Theophyl. Euthym. ibidem. Sic Nabuchonosor Danielem ob interpretationem somnii divini ita compellat, c. 4. 6. *Daniel cui nomen Baltassar, secundum nomen Dei mei, qui habet spiritum deorum sanctorum in semetipso.* Hîc vero eamdem applicat dilectioni. q. d. Deus est invisibilis, ac proinde ab homine nullum dilectionis officium percipere potest; quia transcendit omnes hominum opes, æque ac oculos et actiones, juxta illud Daniel. 2. v. 11. *Exceptis diis, quorum non est cum hominibus conversatio.* Idem tamen tanti facit dilectionem, et eos qui diligunt proximos, ut ex summo cœlorum vertice ad eos se inclinet, et quasi descendat habitetque et maneat in cordibus eorum. Hoc est quod ait Paulus : *Qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum videt, nec videre potest*, 1. Timoth. 6. 16. Vide ibi dicta.

Denique S. Cyrillus Hierosol. initio catechesis 9. censet Deum non posse videri oculis corporeis ; quia ipse est incorporeus, ac proinde ipsum cœlum quasi velum prætendisse oculis nostris, ne fulgore divinitatis nos excæcaret, imo occideret. Hoc falsum est nisi commode exponatur, scilicet hoc modo, quod Deus licet in se incorporeus habitans tamen in cœlo empyreo, quod corporeum est, et corporibus Beatorum se suamque gloriam ostendens, tantam lucem sensibilem ibidem spargat, quæ sui majestatem quodam modo repræsentet, ut illa oculos Beatorum excæcaret, imo eos occideret, nisi divina virtute fulcirentur et conservarentur. Qua de causa angelus repræsentans Dei gloriam, Mosi apparens in corpore assumpto, dorsum ei duntaxat ostendit, utpote in quo erat lux temperatior : facies enim ejus ita radiabat, ut Mosis oculos excæcasset, juxta illud : *Posteriora* (id est dorsum) *mea videbis, faciem autem meam videre non poteris.* Vide dicta Exodi 33. 23. et c. 34. 6. Hinc apud veteres pervagata erat opinio, eum qui vidisset Deum, puta angelum Deum repræsentantem in corpore assumpto, moriturum, juxta illud Manue patris Samsonis viso angelo : *Morte moriemur, quia vidimus Dominum*, Judic. 13. 22.

Hinc S. Epiphan. in VII. Synodo Act. 6. docet Deum secundum se non posse ulla imagine exprimi, quin et Moses vetans Judæis Dei imaginem causam dat : *Vocem verborum ejus audistis, et formam penitus non vidistis*, etc. *Non vidistis aliquam similitudinem, ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem.* Deut. 4. 12. et 15.

CHARITAS EJUS IN NOBIS PERFECTA EST.] *Perfectum* est, quod omnibus suis partibus quasi numeris integratur et completur. Charitatis autem partes et officia sunt duo : Primum, diligere Deum; secundum, diligere proximum. Quare si solum prius habeat charitas, ut scilicet diligat Deum, imperfecta est; perficitur vero et completur, si accedat secundum, scilicet si se extendat ad proximum. Rursum charitas qua diligimus Deum perficitur per charitatem proximi, quia proximum non ob aliud quam propter Deum diligimus; amor ergo proximi propter Deum perficit amorem Dei; quia id quod est ratio cur amentur alia, et ipsum multo magis amatur. Cum ergo propter Deum amamus proximum, multo magis amamus ipsum Deum.

Secundo, hæc accipi possunt de charitate, non nostra, sed Dei : hoc enim significat *ejus.* q. d. Deus licet sit invisibilis, per charitatem tamen manet in nobis, quin et charitate perfecta se nos diligere ostendit; dum in nobis manens efficit, conservat et auget in nobis charitatem, qua non tantum ipsum, sed et proximum propter ipsum diligamus. Hunc sensum innuit versus sequens, et S. August. *Ama*, inquit, *eum qui in te cœpit habitare, ut perfectius inhabitando faciat te perfectum.*

Porro, charitas maxime perficitur dilectione inimicorum, si scilicet ultra amicos se extendat ad æmulos, hostes et persecutores. *Ignis charitatis*, ait S. August. hîc tract. 7. *prius occupat proxima, et sic se in longinquiora distendit, antea in fratrem, deinde in ignotum, postea in adversarium.* Et inferius docet nos debere diligere inimicos, sicut medicus diligit ægrotos et phreneticos : *Sævit*, inquit, *in te homo, ille sævit, tu deprecare; ille odit, tu miserere. Febris animæ ipsius te odit, sanus erit et gratias tibi aget. Quomodo medici diligunt ægrotos? volunt ut semper ægrotent? Ad hoc diligunt ægrotos ne ægroti permaneant, sed ut ex ægrotis sani fiant; et quanta plerumque patiuntur à phreneticis? quales contumelias verborum? plerumque et percutiuntur : per-*

divinus amor sit ecstaticus, quia amantem extra se trahit in amatum : Deum enim suæ celsitudinis quodam modo facit oblivisci, et inclinat ad humilitatem nostram, totumque in salutis nostræ negotio occupat. Cujus signum incarnatio, prædicatio, miracula, passio, mors, Sacramenta, missio Spiritus sancti, assidua et admirabilis Ecclesiæ gubernatio, cura et directio singulorum. Hominem similiter extra se ponit, efficiens ut de se suisque commodis non cogitet, sed solum de Deo et bonis Dei. Unde magnus Dei amator seipsum abnegat, suis cupiditatibus renunciat, suas utilitates negligit, sui obliviscitur, et totus in iis est quæ ad Deum pertinent. Est enim cogitatione et affectu totus extra se, et translatus in dilectum. Talis erat S. Ignatius Martyr, qui dicebat : Ἐμὸς ἐμὸς ἐσταύρωται : *Amor meus crucifixus est. Talis erat S. Paulus Apostolus : Mihi, inquit, vivere Christus est, et mori lucrum. Hujus illustre exemplum est in sole. Sol enim in rebus corporeis est summum pulchrum et bonum. Unde recte quodam loco D. Gregorius Nazianzenus :* Ὥσπερ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς ἥλιος, οὕτως ἐν τοῖς νοητοῖς ὁ Θεός. *Sicut in rebus sensibilibus est sol, ita in intelligibilibus Deus. Ex sole descendit calor ad res inferiores, descendit autem per lucem, et prius res illustrantur, quam calorem concipiant ; calore concepto fiunt spirituales, leves, et sursum in cœlum vehuntur. Sol est symbolum Dei, et lux sapientiæ, calor amoris, res terrenæ animarum et spirituum. A Deo descendit amor per sapientiam ; prius enim mens illustratur cognitione pulchritudinis, et bonitatis divinæ, deinde per cognitionem concipit amorem ; amor conceptus efficit animam spiritualem, cœlestem, eamque mox sursum trahit, et Deo conjungit illique soli æterno similem veluti quemdam parelium (qui solis est expressa imago) efficit.*

Idem viderunt Gentiles, sed tenuem per umbram, qui summum deorum fecerunt Cupidinem Deum amoris, cique supplicem finxere Jovem, cæterosque deos. Unde Poeta :

> Amor Deum gubernat.
> Amoris omne regnum est.

Hinc emblema Cupidinis est :

> Sol calet igne meo, Neptunus flagrat in undis.
> Quamvis liber erat feci servire Tonantem,
> Quamvis liber erat Martem sine Marte subegi.

Hieroglyphicon amoris extat hoc lemmate : *Amor causa omnium, et ad ipsum omnia ;* quod nimirum ex amore vero omnes res originem ducant, ipseque primum rerum sit principium. Vide Girald. in Syntag. Cupidinis.

Et qui manet in charitate, in Deo manet, (*et*, id est igitur, idcirco ; infertur enim hæc quasi conclusio ex antecedenti, quod præcessit. q. d. Deus charitas est ; ergo qui manet in charitate, manet in Deo, cum sint unum idemque Deus et charitas,) et Deus in eo,] quasi in templo charitatis. Deus enim quasi charitas increata manet in amante quasi in charitate sacra, sed creata ; manet, inquam, non tantum per charitatem, sed et per suam essentiam ac substantiam novo quodam modo, ut dixi 2. Petri 1. 4. Amans ergo *in Deo manet*, tanquam objectum cognitum et dilectum à Deo, ut vitam æternam ei conferat : et *Deus* manet *in eo*, tanquam objectum cognitum et dilectum, quod amans diligit dilectione supernaturali ; amor enim est occupatio amantis circa amatum ipsius amati causa. Manet ergo sicut annulus in annulo reciproce : charitas enim est vis unitiva et reciproca, quæ amantem transformat in amatum, et amatum in amantem. Audi S. Dionys. c. 4. de Divin. nom. *Hoc amoris verbum vim habet faciendi unum, et colligandi, præstantique modo res inter se miscendi*, et mox : *Dimovet etiam de statu divinus amor*, et rursus : *Itaque Paulus ille magnus jam divino amore captus, præditusque ejus vi, quæ hominem statu suo dimovit, divino ore : Vivo autem, inquit, jam non ego, vivit vero in me Christus : ut verus amator, et à mentis, sicut ipse ait, statu dimotus Deo degit, non suam vitam, sed amantis tanquam valde diligendam.* Mox addit Dei erga nos amorem simili modo extra se fieri rerum omnium procreatione, suorumque donorum communicatione et effusione ; ita tamen ut interim à seipso, puta à Deo, non discedat.

Denique S. Bernard. lib. 5. de Consid. cap. 14. Deum ita definit : *Quid est Deus ? voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, æterna dulcedo, creans mentem ad te participandum, vivificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, justificans ad promerendum, accedens ad zelum, fœcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad benevolentiam, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem.* Idem S. Bernardus de cœna Domini : *Altaris Sacramentum*, inquit, *est amor amorum.*

Hinc amor facit ecstasin et excessum amantis à seipso ut illum in amatum transferat, et illi arctissime uniat, unumque cum illo efficiat. Sic amor univit Deum homini, non solum affectu et cura, sed etiam effectu et substantia, unione nimirum hypostatica. Hominem vero unit Deo, ita ut prorsus à seipso deficiens in Deum transeat, et veluti colliquescat, nihil amplius cogitans, intelligens aut sentiens præter Deum, nihil aliud appetens aut desiderans, nulla alia re gaudens quam bonis Dei. Qui sic adhæret Deo, unus cum eo efficitur spiritus, quia seipsum exuit, et Deum induit, quare perinde ac si in divinam naturam transformatus esset, totus cogitatione et affectu est in Deo. Sic omnes Sancti in cœlo unum erunt cum Deo (quod Dominus illis precatur Joann. 17.), quia omnes agnoscent suum nihilum quod ex se sunt, seque nihili æstimabunt, nisi quatenus sunt Dei, et propter Deum ; et hoc modo penitus à seipsis deficient. Cur enim hæreant in nihilo ? Deinde intellectu et voluntate potentissime rapientur in illum, et toti in ipso erunt, et in ipsum veluti liquescent et transformabuntur, nihil aliud ibi sentientes et gustantes quam Deum ; nihil aliud æstimantes quam bonum ipsius perinde ac si ipsi in Deum essent transmutati. Itaque amor est vis unitiva, tum quia ipsum amantem transfert in amatum ut in eo vivat, sentiat, gaudeat ; et ipsum illi quodam modo incorporat, ut sit unum cum illo : amans enim quantum in se est, optat à se deficere, et in amatum veluti *colliquescere, ut unum cum illo efficiatur tum quia, amante jam in dilectum translato, omne bonum dilecto vult et procurat quantum potest, tanquam sibi ipsi, quia jam unum est cum illo.* Audi S. Aug. hic tractat. 8. *Qui manet in dilectione, in Deo manet, et Deus in eo ; vicissim se habitant, quod*

continet et quod continetur. Habitas in Deo, sed ut continearis, habitat in te Deus, sed ut te contineat ne cadas, ne forte sic te putes domum Dei fieri quomodo domus tua portat carnem tuam. Si subtrahat se domus in qua es, cadis; si autem tu te subtrahas, non cadet. Deus integer est, cum eum deseris; integer, cum ad illum redieris. Tu sanaris, non illi aliquid præstabis; ut mundaris, tu reficeris, tu corrigeris. Ille medicamentum est non sano, regula est pravo, lux est tenebrato, habitatio est deserto : omnia ergo tibi conferuntur, et tract. 9. *Sit tibi domus Deus*, inquit, *esto domus Dei. Mane in Deo, et maneat in te Deus. Manet in te Deus, ut te contineat; manes in Deo, ne cadas; quia sic de charitate dicit Apostolus : Charitas nunquam cadit; quomodo cadit quem continet Deus?*

Hac de causa scilicet in symbolum charitatis, Christus instituit, et testamento nobis reliquit se ipsum in Eucharistia, ut scilicet non per imaginem, ut volunt hæretici, sed realiter, substantialiter et personaliter maneat in nobis et nos in ipso, juxta illud Christi : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem in me manet, et ego in eo*, Joann. 6. 54. Est ergo Eucharistia fomes et follis charitatis, quam tota Epistola commendat S. Joannes; per eam enim fit, ut ait S. Chrysost. hom. 45. in Joann. *ut non solum per dilectionem, sed reipsa in illam carnem convertamur; per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cum enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobiscum commiscuit, et in unum nobiscum redegit, ut corpus cum capite uniretur; hoc enim amantium maxime est.* Hoc ipsum indicat Leo Pontifex : *Non aliud*, inquit, *agit participatio corporis et sanguinis Christi, quam ut in id quod sumimus transeamus.* Denique Cyrillus Hierosolymitanus : *Sic Christophori*, inquit, *erimus, hoc est, Christum ferentes, cum ejus corpus et sanguinem in membra nostra receperimus, atque ita, ut B. Petrus dicit; divinæ naturæ consortes efficiemur.* Quocirca S. Irenæus l. 5. c. 6. explicans illud 1. Thessal. 5. 25. *Ut integer spiritus vester et anima et corpus conservetur*, asserit perfectum hominem integrari ex corpore, anima et Spiritu sancto inhabitante per charitatem.

Porro cum ait S. Joannes : *Qui manet in charitate*, tum increatam accipe; de illa enim paulo ante dixit : *Deus est charitas*; tum creatam : qui enim manet in charitate creata, manet quoque in charitate increata, puta in Deo; quia ubi est charitas creata, ibi est et increata, puta Deus, qui creatæ est auctor et conservator. Amans ergo manet in charitate creata, hinc manet pariter in charitate increata, quæ est ipse Deus.

Pulchre S. Bernardus serm. 71. in Cantic. *Atqui Deum*, inquit, *et hominem, quia propriis exstant et distant voluntatibus et substantiis, longe aliter in se alterutrum manere sentimus, id est, non substantiis confusos, sed voluntatibus consentaneos. Et hæc unio ipsis, communio voluntatum et consensus in charitate. Felix unio si experiaris, nulla si comparaveris. Vox experti : Mihi autem adhærere Deo bonum est; bonum plane, si omni ex parte adhæseris. Quis est qui perfecte adhæret Deo, nisi qui in Deo manens, tanquam dilectus à Deo, Deum nihilominus in se traxit, vicissim diligendo?* Mox vero de hac Dei hominisque unione subjicit : *Ergo cum undique inhærent sibi homo et Deus, inhærent autem undique intima mutuaque dilectione inviscerati alterutrum sibi, per hoc Deum in homine, et hominem in Deo esse haud dubie dixerim. Sed homo quidem, ab æterno in Deo, tanquam ab æterno dilectus, Deus vero in homine ex quo dilectus est.* Idem S. Bernard. citatus hic à Thoma Anglico : *Deus charitas est*, inquit, *quid ergo charitate melius? Et qui manet in charitate, in Deo manet; quid ergo charitate securius? et Deus in eo, quid ergo charitate jucundius?* Charitas enim se possidentes deificat, facitque quasi deos incarnatos, uti dixi v. 8. Verum enim est illud Catonis : *Qui amant quodam modo in corpore proprio mortui sunt, vivunt vero in alieno.* Voluit ergo Deus per amorem nos reducere ad nostrum principium, unire scilicet suæ bonitati et pulchritudini, transformare in seipsum. Hoc fieri non poterat per naturam : invenit igitur modum quo id perficeret per amorem, ut ejus ardore in eo colliquescamus et absorbeamur. *Quo totum divinum est*, ait S. Bernardus de Dilig. Deo, *quod sentitur; sic affici, deificari est. Quomodo stilla aquæ modica multo infusa vino deficere à se tota videtur, dum et saporem vini induit et colorem; et quomodo ferrum ignitum et candens igni simillimum fit pristina propriaque forma exutum; et quomodo solis luce perfusus aer in eamdem transformatur luminis claritatem, adeo ut non tam illuminatus, quam ipsum lumen esse videatur; sic omnem tunc in Sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit à semetipsa liquescere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem;* nimirum hoc perfecte fiet in cœlo per gloriam, sed inchoate in terra fit per charitatem et gratiam. Idem serm. 83. in Cant. *Ipse*, inquit, *meritum, ipse præmium sibi est amor; præter se non requirit causam, non fructum. Fructus ejus, usus ejus. Amo, quia amo : amo, ut amer. Magna res amor, si tamen ad suum recurrat principium, si suæ origini redditus, si refusus suo fonti, semper ex eo sumat unde jugiter fluat. Solus est amor ex omnibus animæ motibus, sensibus atque affectibus, in quo potest creatura, et si non ex æquo, respondere auctori, vel de simili mutuam rependere vicem.* Idem de Vita solitaria : *Formatio hominis*, ait, *institutio est moralis; vita ejus, amor Dei. Hunc fides concipit, spes parturit, charitas format et vivificat*, et mox : *Amorem ergo Dei in homine ex gratia genitum lactat lectio, meditatio pascit, oratio confortat, et illuminat;* et inferius : *In ipso vivimus, movemur et sumus. Et non sicut in aere isto, sic in Domino Deo nostro, sed in ipso vivimus per fidem, movemur per spem, agimur per amorem. Ab ipso enim et per ipsum conditus est rationalis animus, ut ad ipsum sit conversio ejus, ut sit ipse bonum ejus.*

Porro, Deus per charitatem manens in anima fideli, hos in ea producit effectus. Primo, eam à terrenis cupiditatibus purificat, ut non nisi cœlestia cupiat et sapiat. Ita Josaphat Rex conversus à Barlaam tanto amoris igne æstuabat, ut relicto regno, opibus, deliciis, honoribus in solitudinem secedens exclamaret : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Adhæsit anima mea post te, ô Christe; suscipiat me dextera tua.* Damascen. Histor. c. 37.

Secundo, omnes potentias, sensus, affectus, amores, operationes, cogitationes, intentiones trahit in Deum, ut non nisi Deum cogitet, intendat, suspiret, juxta illud S. Basilii : *Jugem*

tibi imprime memoriam Dei, quasi indelebile signum. Quid enim extra quærat, qui Deum intra se habet? Deo enim, id est, abysso omnis boni se immergit, et illud S. Pauli : *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite,* 1. Cor. 10. 31. Itaque amans perfecte Deum non comedit ut satisfaciat gulæ, sed ut placeat Deo, ut scilicet sano vegetoque corpore et animo, melius possit servire Deo. Idem dicas de somno, studio, cæterisque omnibus. Amor enim est vinculum quod acerrime amantem vincit amato : *Neque enim præsentior spiritus noster est ubi amat, quam ubi animat,* ait S. Bernard. de Præcept. et disp. Imo cum in amoris fornace unus amantium animus conflatus è duobus videatur, alterum alterius dimidium esse necesse est, juxta illud : *O animæ dimidium meæ.* Nam ut docet Aristot. 9. Ethic. c. 4. *Amicus est alter ego.* Sic primorum fidelium amantium erat *cor unum et anima una,* Actor. 4. Sic anima Jacobi pendebat ex anima Benjamin filii unice dilecti, Genes. 44. 20. *Et anima Jonathæ conglutinata est animæ David, et dilexit eum Jonathas quasi animam suam,* 1. Reg. 18. 1. Animæ ergo fibula est amor.

Tertio, facit ut anima optet pro Deo dilecto suo magna et heroica agere, multaque pati, et Christo crucifixo assimilari. Ita sponsa in Canticis dicens : *Dilectus meus mihi et ego illi,* dixit pariter : *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur,* Cant. 1. 13. Quæ verba explicans S. Bernard. serm. 43. *Myrrha,* ait, *amara res, dura et aspera tribulationem significat. Ea sibi dilecti causa imminere prospiciens gratulabunda id loquitur, confidens se omnia viriliter subituram. Ibant, inquit, gaudentes discipuli à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt præ nomine Jesu contumeliam pati. Propterea denique non fascem, sed fasciculum dilectum dicit, quod leve præ amore ipsius ducat, quidquid laboris immineat et doloris. Bene fasciculus, quia parvulus natus est nobis. Bene fasciculus, quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Id enim,* inquit, *quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis. Erit ergo quandoque nobis ingens cumulus gloriæ, qui modo est fasciculus myrrhæ. An non fasciculus, cujus jugum suave est, et onus leve? Non quia leve in se* (*nec enim levis passionis asperitas, mortis amaritudo*) *sed levis tamen amanti. Et ideo non ait tantum : Fasciculus myrrhæ dilectus meus; sed mihi, inquit, quæ diligo fasciculus est. Unde et dilectum nominat, monstrans dilectionis vim omnium amaritudinum molestiam, et quia fortis est ut mors dilectio ejus;* nimirum,

Est amor æternus, nullisque domabilis undis.

Quarto, facit ut anima in dies crescat in amore ; Deus enim est quasi flamma jugiter accendens et inflammans animam, donec eam totam amore incendat. Tradunt, vel fabulantur potius, salamandram igne pasci, ideoque esse symbolum amantis, qui amoris igne pascitur. Ita eo pascebatur S. Franciscus dicens :

Urit amor, me torquet amor, sum factus amoris
Alter amor ; nostri est victor amoris amor.

Audi S. Bonav. charitatem S. Francisci enarrantem lib. 1. Vitæ ejus cap. 9. *Totus,* inquit, *quasi quidam carbo ignitus divini amoris flamma videbatur obsorptus. Subito enim ad auditum amoris Domini excitabatur, afficiebatur, inflammabatur, quasi plectro vocis extrinsecæ chorda chordis interior tangeretur,* et mox : *Contuebatur in pulchris pulcherrimum, et per impressa rebus vestigia prosequebatur ubique dilectum, de omnibus sibi scalam faciens, per quam conscenderet ad apprehendendum eum qui est desiderabilis totus. Inauditæ namque devotionis affectu fontalem illam bonitatem in creaturis singulis, tanquam in rivulis degustabat.* Et inferius : *Flagrabat erga Sacramentum Dominici corporis fervore omnium medullarum, stupore admirans permaximo illam charissimam dignationem, et dignatissimam charitatem; sæpe communicabat, et quasi spiritu ebrius, in mentis ut plurimum rapiebatur excessum.* Et cap. 13. agens de sacris ejus stigmatibus : *Excreverat,* ait, *in eo insuper amoris incendium boni Jesu in lampades ignis atque flammarum. Cum igitur Seraphicis desideriorum ardoribus ageretur in Deum, et compassiva dulcedine in eum transformaretur, qui ex charitate nimia voluit crucifigi, vidit Seraph unum sex alas habentem tam ignitas, quam splendidas; apparuit inter alas effigies hominis crucifixi : intellexit ex hoc se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis totum in Christi crucifixi similitudinem transformandum; disparens igitur visio mirabilem in corde ipsius reliquit ardorem, sed et in carne non minus mirabilem signorum impressit effigiem.*

Quinto, facit ut anima amore Dei accensa eodem alios, totumque mundum accendere satagat instar S. Pauli, dicentis : *Charitas Christi urget nos,* etc. *Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo,* 2. Corinth. 5. 14. et 20. Ita B. Jacoponus charitate ardens, audiens peccatum aliquod quo Deus offendebatur, mire cruciabatur, ideoque jugiter flebat. Rogatus cur? Respondit : *Quia amor non amatur.* Idem dicebat beatitudinem hujus vitæ in eo consistere, ut quis cum Deo vel de Deo assidue tractet. Ita habet ejus Vita. In amantibus enim Deus quasi sol animam vultumque occupat, ac radios sapientiæ virtutis et ardoris per eos in alios spargit, idque velociter et ardenter. Amor enim est ardens et alatus, nullæ in amore moræ : *Nihil enim aliud est amor, quam vehemens in bono voluntas,* ait S. Bernard. de Natura divini amoris cap. 2. *Qui ergo non zelat, non amat.*

Sexto, facit ut anima amans Deum per amorem et confidentiam ipsi, quasi dominetur, et ab eo impetret omnia quæ petit, itaque fiat quasi omnipotens, uti Jacob luctans cum angelo Dei vicario, illi prævaluit, indeque vocatus est Israel, id est, dominans Deo, Gen. 32. 28. Hinc illud paradoxum : *Fideli totus mundus divitiarum est.* Et : *Fidelis mundi est dominus.* Unde S. Franciscus : *Fuge,* inquit, *creaturas, si vis habere creaturas;* fugiendo enim ad Creatorem per amorem dominaberis illi, et per illum omni creaturæ, quibus dominatur Creator. Sic sanctus Franciscus fugiendo mundum, et sequendo Deum, totum post se traxit mundum.

Septimo, Deus animam amantem sibi amicat et assimilat in moribus et virtutibus divinis, adeoque secretorum suorum consciam facit : unde subinde ei revelat arcana cordium, res absentes et futuras, uti fecit Prophetis et Aposto-

lis, juxta illud : *Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus ; vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis*, Joann. 15. 14.

Octavo, eam tranquillat, serenat, illustrat, ut imperturbabilis, læta, hilaris tam in adversis quam prosperis jugiter exultet Deo, eique gratias agat, laudet et benedicat canens cum Psalte: *In pace in idipsum dormiam et requiescam*, Ps. 4. 9. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*, Psalm. 33. 1. et cum S. Job. c. 1. 21. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum.* Atque hac ratione videtur sanctus esse homo cœlestis, et angelus terrestris, ac inchoare beatitudinem paradisi ; vivit enim continuo in amore, jubilo et laude Dei, dicitque : *Quoties suspiro et respiro, ad te suspiro, ô Deus meus!*

Denique amor hic in Sanctis eximiis ita crescit, ut languorem, et subinde mortem inducat, juxta illud sponsæ Cantic. 2. 5. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me*, et c. 5. 8. *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo.* Ita B. Virgo non ex morbo, sed ex amore et desiderio fruendi Christo filio suo, languens et anhelans ad eum, animam in manus ejus expiravit, uti docent Francis. Suarez, Canisius et alii. Vide S. Bernard. de Diligendo Deo, et de Amore Dei, et de Natura ac dignitate divini amoris, ubi sic orditur : *Ars est artium ars amoris.* Et lib. de Conscientia, ubi post initium sic loquitur : *Qui evagationes mentis in unum colligit, et omnes cordis motus in uno æternitatis desiderio figit ; profecto jam ad cor suum rediit, jam ibi libenter immoratur ac mirabiliter delectatur ; et cum ipsum præ gaudio capere non possit, supra seipsum ducitur, et per excessum mentis in summa elevatur ; atque ita per semetipsum per cogitationem suî ascendit ad cogitationem Dei, ut discat eum solum indeficienter cogitare, et in eo delectabiliter requiescere, cum amor Christi totum absorbuit affectum hominis, ut negligens et immemor suî, nisi solum Jesum Christum, et ea quæ sunt Jesu Christi sentiat ; tunc demum, ut arbitror, perfecta est in eo charitas. Hic itaque sic perfectus est : non est onerosa ei paupertas, iste non sentit injurias, ridet opprobria, contemnit damna, mortem lucrum deputat, imo nec mori se putat, cum magis de morte ad vitam se transire sciat.* Et inferius : *Qui sic in amore Dei jugiter delectatur, frequenter mentis excessus patitur, frequenter ab omnibus præsentibus et terrenis raptus coram Deo præsentatur ; et cum pulchritudinem considerat, et magnitudinem pulchritudinis, attonitus in ejus admiratione suspenditur, miratur regis gloriam, regni magnificentiam, supernæ civitatis nobilitatem. Et cum felicitatem contemplatur, gloriæ decorem, Dei bonitatem, internæ suavitatis dulcedinem, et æternæ quietis tranquillitatem ; meditatur Patris potentiam, Filii sapientiam, Spiritus sancti benignitatem, et angelicæ creaturæ beatitudinem ; delectatur de Deo in Deum, dum ejus pietatem miratur, et decorem contemplatur. O quam jucundum, si non esset tam modicum! raptim rapitur, sola cœlestia contemplatur, contemplando jucundatur*, etc.

17. In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam (παρρησιαν, id est *fiduciam*, securitatem, libertatem, audaciam loquendi) habeamus in die judicii.] Primo, *in hoc*, id est, hoc fine et fructu. q. d. Perfecta charitas parit hunc finem et fructum, scilicet fiduciam in die judicii, tum particularis, tum universalis. Hinc justi desiderant adventum Domini, cupiuntque cum Paulo dissolvi, et esse cum Christo, et ut ait hic S. Aug. *Cum patientia vivunt, et delectabiliter moriuntur.* Descendit Joannes à charitate ad ejus fructus, eosque tres recenset : primus est fiducia, puta fidenter vivere et mori ; secundus est, quod amantem faciat timoris expertem ; tertius, quod omnia quæ postulat à Deo impetret.

Secundo, et nervosius. q. d. *In hoc*, id est, ad hoc Deus nos ita amavit amatque, et nos vicissim ejus charitate et gratia illecti, eum plene et perfecte redamamus, itaque manemus in eo, sicut ille manet in nobis : ad hoc, inquam, ut examinandi à Christo judice in die judicii de charitate fidenter respondeamus, nos toto corde amasse ipsum, non mundum, ideoque cœlo et felicitati ab eo adjudicemur. Nam, ut ait S. Aug. Præfat. in Psalm. 31. *Quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe.*

Tertio, alii, q. d. *In hoc*, id est, in hoc signo cognoscimus perfectam nos habere charitatem, si nimirum abjecta formidine extremi judicii diem magna spe et confidentia præstolemur. Ita S. Augustin. *Quisquis*, ait, *fiduciam habet in die judicii, perfecta est in illo charitas.* Unde concludit : *Ergo, fratres, date operam, intus agite vobiscum ut desideretis diem judicii, aliter non probatur perfecta charitas, nisi cum cœperit ille dies desiderari. Ille autem eum desiderat, qui fiduciam habet in illo ; ille autem fiduciam habet in illo, cujus conscientia non trepidat in charitate perfecta atque sincera.*

Quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo.] Quis ille? Primo, *ille*, scilicet Deus, quem paulo ante nominavit. q. d. Ideo fiduciam habebimus in die judicii ; quia in charitate sumus, et vivimus in hoc mundo in ea perfecti, adeo ut etiam diligamus inimicos, sicut Deus in eadem perfectus est, dum solem suum beneficum oriri facit super bonos et malos, et pluit super injustos æque ac justos. Ita S. Aug. Beda, Hugo, Lyran. et Dionys.

Secundo, et profundius : *Ille*, scilicet Christus, quem quasi amorem meum mente et ore semper geto. Hac de causa enim S. Joannes cum dicit, *ille est*, intelligit Christum, ut dixi c. 3. v. 3. et 5. Porro Christus, *est*, id est, *fuit in mundo* hoc, ut vertit Syrus ; et etiamnum *est* per merita, providentiam, charitatem et familiaritatem, qua habitat in mentibus Sanctorum charitate prædito rum. Sensus ergo est, q. d. Sicut ille, scilicet Christus, in mundo immaculate sancteque vixit, et charitate Dei nostri plenus ac mundo mortuus fuit et est, iteinque manet in nobis ; ita et nos illum imitantes in hoc mundo immaculate vivere satagimus, imo quasi mortui mundo Christique mortificationem jugiter cum Paulo in corpore nostro circumferentes, sancti, et charitate etiam erga inimicos, pleni sumus, et manemus in ipso, ideoque fiduciam habemus nos in die judicii non confundendos fore, sed glorificandos, quia illum diem semper habemus præ oculis, ad eumque per opera charitatis et omnimodæ sanctitatis nos quotidie disponimus,

imo ad eum anhelamus, scientes nos hic peregrinos esse, et unius diei hospites, juxta illud vers. 3. *Omnis qui habet hanc spem, in eo sanctificat se sicut et ille sanctus est.* Ita OEcumen. et Gagneius.

18. TIMOR NON EST IN (id est cum) CHARITATE, SED PERFECTA (S. August. legit, *consummata*) CHARITAS FORAS MITTIT TIMOREM.] A fiducia quam parit charitas, transit ad fugam timoris, quam parit fiducia; et consequenter charitas S. Aug. l. 83. q. 36. *Charitatis venenum*, inquit, *est spes adipiscendorum aut retinendorum temporalium; nutrimentum ejus est, imminutio cupiditatis; perfectio, nulla cupiditas; signum profectus ejus, imminutio timoris; signum perfectionis ejus, nullus timor.*

Quæres: Quis hic timor, quem pellit perfecta charitas? Resp. est multiplex; est enim generalis et illuminata S. Joannis sententia, unde ad quoslibet timores extendi potest. q. d. Charitas nihil omnino timet, est expers timoris, libera, læta, animosa et liberalis. Itaque primo, Vatabl. Timor, ait, hic pro desperatione et consternata conscientia sumitur; illo enim peccatores timent se damnatum iri, et de sua salute desperant. Opponit enim S. Joannes timorem quasi diffidentiam fiduciæ in die judicii; hanc enim fiduciam parit charitas, sicut peccatum parit diffidentiam et desperationem.

Secundo, timor hic est quo anguntur recens conversi, quoque eos memoria præteritorum peccatorum vexat et cruciat, ne forte non sint eis plene condonata, juxta illud: *De propitiato peccato noli esse sine metu*, Eccli. 5. 5.

Tertio, timor hic est servilis, quo servi et imperfecti metu pœnæ, non amore justitiæ, faciunt mandata Domini; hunc enim pellit pura, sincera et liberalis charitas, cum amore Dei facit ejus jussa. Hic timor, ait hic S. August. inducit charitatem, sicut seta inducit filum sutoris. Unde de eo ait Eccles. 1. 28. *Qui sine timore est, non poterit justificari.* Nam timor castus et filialis manet cum charitate, et quantum hæc crescit, tantum et ille; quo enim quis perfectior et sanctior est, eo magis filiali amore et timore timet et reveretur Deum cavetque ne vel in minimo eum offendat. Hic enim timor est actus amoris, imo ipse timor est amor; quia enim amat, hinc timet displicere amato. Hoc timore jubentur omnes Sancti timere Deum, psalm. 33. 10. nam hic timor permanet in sæculum sæculi, psalm. 18. 10.

Quarto, timor hic accipi potest mundanus, quo quis timet parentes, cognatos, etc. ideoque ne eos offendat, violat præcepta Dei; hunc pellit charitas. Hi sunt timidi, quorum pars est in stagno ardenti, igne et sulphure, Apoc. 21. 8. de hoc mundano timore hunc locum accipit Tertull. in Scorpiaco cap. 12.

Quinto, timor hic accipi potest pro anxietate et metu, quo scrupulosi et anxii formidolose metuunt ne in suis scrupulis offendant Deum. Scrupulos enim pellit, perfecta charitas; hæc enim non est scrupulosa, sed libera, audax et magnanima juxta illud Rom. 8. 15. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater.*

Sexto, timor hic accipi potest pœnæ et damnationis; hunc enim fugat charitas. *Sancti* enim *solliciti sunt de præmio; non adeo formidantes de supplicio*, ait Prosper epist. ad Demetriad. Ita noster Lessius narranti quemdam virum gravem optare Purgatorium subire usque ad diem judicii, ut eo sibi assecuraret æternam salutem, respondit: *Spem Christianam majorem esse debere, quam ut certitudinem cœlestis gloriæ tam longis Purgatorii pœnis redimat.* Semper tamen Sancti in hac vita habent spem mixtam timore, si non actuali, certe potentiali; quia non sunt certi de sua salute, ut dixi v. 13. Ita in morte timuerunt S. Hilarion, Arsenius et alii. Rursum Sancti timent, cum se et suam imbecillitatem considerant; confidunt vero, cum Dei in se amorem et fidelitatem intuentur.

Septimo, timor hic accipi potest persecutorum, damnorum, infamiæ, difficultatum, quæ occurrunt in heroicis charitatis operibus; hunc pepulit Magdalena ardens amore Christi, cum eum sepultum inter milites intrepida requisivit; unde de ea canit Ecclesia: *Pellit timorem charitas*, juxta illud Christi: *Nolite timere eos qui occidunt corpus*, Matth. 10. 28. et illud S. Petri epist. 1. c. 3. 14. *Timorem eorum ne timueritis.* Sic Martyres non timebant tyrannos et tormenta, sed his exultabant, illis insultabant, ut Laurentius Valeriano, vincentius Daciano, Sebastianus Diocletiano. Multi non audent dare eleemosynas, quia timent paupertatem, senium, casus sinistros; hunc timorem pellit perfecta charitas: nam, ut ait Tobias cap. 4. 12. *Fiducia magna erit coram Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* Hinc S. Maximus in serm. cent. fideles infimos ponit *timentes*, medios *proficientes*, summos *perfectos.*

Octavo, timor hic accipi potest initialis, quo quis ita timet culpam, ut etiam timeat pœnam; hunc pellit charitas, sed duntaxat ex parte posteriori; quia charitas perfecta timet et horret culpam, non pœnam.

Hos omnes timores vincit perfecta charitas, sed præsertim servilem et initialem, quo timide, pusillanimiter et diffidenter timemus pœnas, Deique judicium et vindictam; hic enim oritur ex amore sui, quem vincit et pellit amor Dei. Et de servili loqui S. Joannem censet S. August. Beda, OEcum. et alii, et Diadochus. cap. 16. de Perfect. spirit. ait timorem purgantem, qui est timor pœnarum, consistere cum mediocri charitate, sed pelli à perfecta. Hæc enim considerat Deum non ut judicem et vindicem, sed ut patrem et sponsum. Sicut ergo Sara sponsa Abrahæ ejecit servam Agar, ita charitas pellit timorem servilem de quo vide Orig. hom. 7. in Genes. et Cassian. collat. 11. cap. 13. S. August. hic et D. Thom. 2. 2. q. 19. art. 6. et 10. Opponit itaque S. Joannes timorem fiduciæ felicitatis et gloriæ æternæ, quam parit charitas: per timorem ergo accipit diffidentiam, anxietatem, et metum pœnæ: hisce enim opponitur fiducia quasi contrarium contrario. Contraria enim sunt timor et amor, æque ac fiducia et diffidentia; timor enim animum stringit et cruciat, amor dilatat et exhilarat. Hinc amor parit fiduciam, securitatem, audaciam, timor vero parit diffidentiam, trepidationem, pavorem.

Nota. Communiter initium justificationis in peccatore incipit à timore pœnarum et gehennæ, quo perculsus à Deo incipit cogitare de sua salute, et disponere se ad pœnitentiam, uti docet Concil. Trident. sess. 6. c. 6. Justificatus deinde sensim minuit hunc timorem. Unde S. August.

hic : *Quantum*, inquit, *illa* (charitas) *crescit, tantum ille* (timor) *decrescit, et quantum illa fit interior, tantum timor pellitur foras; major charitas, minor timor; minor charitas, major timor; si autem nullus timor, non est quæ intret charitas.* Id vero mox apto exemplo confirmat : *Sicut videmus* (ait) *per setam introduci linum, quando aliquid suitur; seta prius intrat, sed nisi exeat non succedit linum; sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor; quia ideo intravit ut introduceret charitatem*, et rursum : *Timor stimulat, sed charitas sanat quod vulnerat timor*, etc. *Opus est ergo ut intret timor primo per quem veniet charitas; timor, medicamentum; charitas, sanitas.* Idem serm. 3. de Verbis Apostoli : *Timor*, ait, *servus est charitatis*, et serm. 18. de Verbis Apost. *Timor est custos et pædagogus legis, donec veniat charitas.* Et S. Basil. hom. 8. in psalm. 32. *Necessario*, ait, *velut introductorius ad pietatem timor assumitur, dilectio vero deinceps succedens à timore scientifice adoptatos perficit.* Audi S. Bernard. serm. 51. in Cant. *Cæterum si paulatim per incrementum gratiæ cœperit deficere timor, et proficere spes, cum demum ad hoc ventum fuerit, ut totis viribus exurgens charitas in adjutorium spei foras mittat timorem, nonne ejusmodi anima singulariter in spe constituta videbitur, ac proinde etiam in pace in idipsum dormire jam et requiescere? Si dormiatis* (inquit) *inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ. Quod propterea dictum puto, quoniam est locus inter timorem et securitatem tanquam inter lævam et dexteram, media videlicet spes in qua mens et conscientia, molli nimirum supposito charitatis strato, suavissime requiescit.*

Denique S. August. l. 14. de Civit. cap. 9. et serm. 214. de Temp. hæc accipit de gloria cœlesti ; ibi enim securitas charitatis excludet omnem timorem : *Per bonam vitam*, inquit, *bona conscientia comparatur, ut per bonam conscientiam nulla pœna timeatur. Quapropter discat timere, qui non vult timere. Discat ad tempus esse sollicitus, qui semper vult esse securus*, et inferius : *Tanto minor fit timor, quanto patria quo tendimus proprior. Major enim timor debet esse peregrinantium, minor propinquantium, nullus pervenientium. Sic et timor perducit ad charitatem, et perfecta charitas foras mittit timorem.* Verum hic sensus est anagogicus ; ad litteram enim S. Joannes asserit perfectos in charitate pellere timorem in hac vita. Ita S. Antonius cum pellebat, dum dicebat : *Ego Deum jam non timeo, sed amo; quia perfecta charitas foras mittit timorem*, uti refertur in Vitis Patr. lib. 5. libello 17. tractat. de charitate, num. 1. Et S. Ignatius fundator Societatis nostræ dictitabat, si sibi à Deo proponeretur optio vel moriendi, et certe eundi in cœlum, vel vivendi et augendi Dei gloriam, sed cum incertitudine et dubio salutis ; se hoc posterius electurum : Quia, inquit, si ego Deum ita amo, ut amore ejus periculo salutis me exponam, utique ipse qui amorem meum longe superat nec eo se vinci patitur, periculum hoc omne in se suscipiet, illudque mihi assecurabit. Idem dicant et faciant qui à Deo vocantur ad vitam activam et apostolatum, in qua varia occurrunt salutis pericula ; sequantur, inquam, hanc Dei vocationem, quasi stellam cœlestem, sciantque eam sibi fore rectam viam in cœlum, imo securiorem vita abstracta et contemplativa. Ita S. Salvius jam defunctus, et cœlum ingressurus audivit vocem : *Revertatur ad corpus, adhuc Ecclesiæ meæ est necessarius;* cumque ille ingemiscens responderet : *Domine, si revertar, exponar periculo, et forte nunquam huc redibo;* audivit : *Vade, ego ero custos tuus, teque secure huc reducam*, uti narrat Gregor. Turon. lib. 7. hist. c. 1.

QUONIAM TIMOR PŒNAM HABET.] Vulgo enim dicitur : *Pejor est bello timor ipse belli;* timor enim magis affligit, quam res quæ timetur. Pro *pœnam* græce est κόλασιν ; S. August. vertit, *tormentum;* Tigurina et Pagn. *cruciatum;* Tertull. lib. de Fuga c. 9. *supplicamentum*, id est supplicium ; Syrus, *timor in perturbatione est.* Sensus est, q. d. Timor parit cruciatum animi, quo se ille cruciat dum cogitat, et timet sibi impendens malum et pœnam. Atqui charitas non habet pœnam et cruciatum, sed lætitiam et voluptatem. Ubi enim est amor, ibi non est labor, sed sapor, ait S. Bernard. Ergo charitas excludit timorem ; timor enim arctat et affligit, charitas vero dilatat et lætificat cor. Unde conclusionem hanc eligit, subditque Joannes dicens : *Qui autem* (ergo) *timet non est perfectus in charitate.* Græcum enim καὶ, id est, *autem*, non tantum copulative, sed et συλλογιστικῶς, id est, *ratiocinative* et circumscriptive sumitur, ait Gaza lib. 2.

19. NOS ERGO DILIGAMUS DEUM, QUONIAM DEUS PRIOR DILEXIT NOS.] Est conclusio, qua repetit et inculcat studium charitatis, ex eo quod Deus prior nos dilexerit, et diligendo dilectionem nobis inspirarit suique dilectores effecerit, ait S. August. l. de Gratia Christi c. 26. Vide eumdem in Soliloq. c. 19. pie cum Deo prius amante dissuavianten.

20. SI QUIS DIXERIT, QUONIAM DILIGO DEUM, ET FRATREM SUUM ODERIT, MENDAX EST,] quia charitas Dei se extendit ad charitatem proximi, qui est imago Dei, eamque continet et complectitur. Id probat duobus argumentis : Prius est.

QUI ENIM NON DILIGIT FRATREM SUUM QUEM VIDET (ἑωρακε in præterito, id est, *vidit et* assidue videt) DEUM QUEM NON VIDET QUOMODO POTEST DILIGERE.] Quia natura comparatum est, ut amor et affectus rapiatur in sensibilia quæ videmus ; oculi enim sunt in amore duces. Nam, ut ait S. Gregor. hom. 11. in Evang. *Ex his quæ animus novit, surgit ad incognita quæ non novit, ut per hoc quod scit notum diligere, discat et incognita amare.*

Posterius : ET HOC MANDATUM HABEMUS A DEO, UT QUI DILIGIT DEUM, DILIGAT ET FRATREM SUUM.] Nam, ut ait S. Augustinus : *Si frater est, et eum non diligis, quomodo Deum diligis, cujus mandatum contemnis?* Vide S. Gregor. 10. Moral. 6. ubi actus dilectionis quos proximo impendere debemus, fuse enarrat. Et S. August. de Discip. Christ. c. 2. et 3. *O pie Domine*, ait, *quid tibi ego sum ut amari jubeas te à me? minaris mihi ingentes miserias; irasceris, si non faciam; multa promittis, si faciam. Et quid, amor meus, quid dilectaris in eo? Quis Rex dicit servo : Simus amici, et dabo tibi unam provinciam.*

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit commendare fidem et amorem erga Deum et Christum incarnatum, ejusque sex effectus et fructus assignat. Primus est, nativitas divina, v. 1. Secundus, victoria mundi, v. 4. Tertius est, testimonium Dei, v. 7. et 10. Quartus est, vita æterna, v. 11. Quintus est, fiducia impetrandi quidlibet a Deo, dummodo non oret pro venia peccati ad mortem, v. 14. Sextus est impeccabilitas, hoc est, præservatio a peccato et a diabolo, v. 18. Est ergo hoc caput quasi conclusio Epistolæ in qua repetit, inculcat et confirmat jam dicta, uti Rhetores facere solent in Epilogo. Pleræque ergo sententiæ hujus capitis in præcedentibus jam explicatæ sunt. Quare ne dicta iterem, eo remittam.

1. Omnis qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est. Et omnis, qui diligit eum qui genuit, diligit et eum qui natus est ex eo. 2. In hoc cognoscimus quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus, et mandata ejus faciamus. 3. Hæc est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus, et mandata ejus gravia non sunt. 4. Quoniam omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum; et hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. 5. Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei? 6. Hic est, qui venit per aquam, et sanguinem, Jesus Christus; non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. Et spiritus est, qui testificatur quoniam Christus est veritas. 7. Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt. 8. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, et aqua, et sanguis; et hi tres unum sunt. 9. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est; quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est; quoniam testificatus est de Filio suo. 10. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit eum; quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo. 11. Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Filio ejus est. 12. Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet. 13. Hæc scribo vobis ut sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei. 14. Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum: Quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. 15. Et scimus quia audit nos quidquid petierimus: scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo. 16. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petet, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis. 17. Omnis iniquitas, peccatum est; et est peccatum ad mortem. 18. Scimus quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum. 19. Scimus quoniam ex Deo sumus, et mundus totus in maligno positus est. 20. Et scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, et vita æterna. 21. Filioli, custodite vos à simulacris. Amen.

1. Omnis qui credit (fide viva quæ ad charitatem se extendit, et per dilectionem operatur, uti dixi cap. 4. 16.) quoniam Jesus est Christus, id est Messias, redemptor et salvator mundi, ex Deo natus est] nativitate spirituali et divina, quæ fit per fidem, charitatem et gratiam, qua fit non tantum amicus, sed et filius, hæresque Dei, ac consors divinæ naturæ, 2. Petri 1. 5.

Et omnis, qui diligit eum qui genuit, diligit et eum qui natus est ex eo.] *Natus*. Primo, proprie natus ex Deo Patre est, Christus Dei filius. Deinde *natus* ex Deo est quilibet fidelis, per Christi gratiam adoptatus à Deo. *Natus* enim analogice dicitur de Christo et nobis, sed de nobis per respectum ad Christum. Est ergo hæc ratiocinatio S. Joannis, qua probat diligendos esse proximos, quod in fine cap. præced. cœpit probare, et hîc prosequitur. q. d. Quicumque diligit Deum Patrem, qui genuit, diligit pariter Deum Filium à Patre genitum: atqui qui diligit Deum Filium, diligit et cæteros Dei filios, quasi illius fratres et membra; ergo qui diligit Deum Patrem, diligit quoque omnes Dei filios ex eo natos. Hi sunt fideles proximi nostri; ergo hi diligendi sunt eadem charitate, qua Deum tam Patrem quàm Filium diligimus. Ita S. August.

Beda, Glossa, Hugo et alii hîc, ac S. Hilar. lib. 6. de Trinit. Huic expositioni, ait S. August. favet, quod dicat *natus* in singulari, quasi intelligens unigenitum Dei per generationem Patris: mox vero v. 2. dicat *natos* in plurali quasi intelligens justos per adoptionem et regenerationem natos ex Deo.

Rursum quod sententia præcedenti commendarit fidem in Christum, unde congrue mox hîc subjungat et commendet amorem in Christum: non enim sufficit fide credere in Christum, nisi et amore diligamus eumdem.

Secundo, *natus* accipi potest non Christus, sed duntaxat quilibet Christianus et justus, de quo paulo ante dixit: *Omnis qui credit*, etc. *ex Deo natus est*, ut hæc sit sententia disparata à præcedenti, tantumque significet fideles sicut credunt in Christum, ita debere sese invicem diligere tanquam fratres, ab eodem Deo Patre genitos et natos. Si enim diligunt Deum qui genuit fideles, debent pariter eos qui ab eo geniti sunt diligere, tum quia Pater eos diligit, tum quia nobiscum conjunctissimi sunt, utpote fratres et filii ejusdem Patris. Ita Didymus, Cajetan. et Cathar. Prior sensus uti magis connexus, ita et germanior ac nervosior est. Ubique enim Joannes spirat Christum tanquam centrum, vinculum et glutinum charitatis inter nos et Deum. Christus enim conciliavit nos Patri, unde mediator est, et causa cur Deum diligamus, et cur vicissim Deus diligat nos. Omnes enim fideles sunt corpus Christi, et membra de membro, ait Paulus 1. Corinth. 12. 26. *Cum ergo membra* (ait S. Aug.) *Christi diligis, Christum diligis; cum Christum diligis, filium Dei diligis; cum filium Dei diligis, et Patrem diligis; non potest ergo separari dilectio. Elige tibi quid diligas, sequuntur te cætera: dicas Deum solum diligo, Deum Patrem, mentiris, si diligis, non solum Deum Patrem diligis; sed si diligis Patrem, diligis et Filium.*

2. IN HOC COGNOSCIMUS QUONIAM DILIGIMUS NATOS (τεκνα) DEI CUM (οταν, id est *quia*, quandoquidem,) DEUM DILIGAMUS, ET MANDATA EJUS FACIAMUS.] *Cognoscimus*, id est concludimus, cognitum facimus, ostendimus, convincimus, demonstramus. Sic cap. 4. 13. ait: *In hoc cognoscimus*, id est, certo signo et argumento concludimus: *Quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam spiritu suo dedit nobis.* q. d. Ex spiritu Dei concludimus et convincimus Deum manere in nobis, et nos in Deo. Similiter sumit S. Joannes τὸ *cognoscimus* c. 3. v. 16. et 19. c. 4. 2. et 6. *Cognoscimus* ergo, id est, convincimus quod diligamus Christianos, quasi natos Dei, q. d. Dixi: *Omnis qui diligit Deum qui genuit, diligit et eum qui natus est ex eo*, puta omnes fideles et Christianos. Idipsum enim *cognoscimus*, id est, concludimus et convincimus hoc argumento, quod *Deum diligamus.* Hic enim est S. Joannis syllogismus et hæc demonstratio. Omnes filii Dei sunt fideles et Christiani; quicumque diligit Deum, diligit et filios Dei: ergo qui diligit Deum, diligit fideles et Christianos tanquam Christi fratres et membra, genitos ab eodem Deo patre. Sicut enim ex amore proximorum inferimus et concludimus amorem Dei, sic vicissim et reciproce ex amore Dei inferimus et concludimus amorem proximorum. Rursum: Quicumque servat mandata Dei, servat et dilectionem proximorum; hæc est enim unum e mandatis; atqui qui servat mandatum dilectionis, hic diligit proximos: ergo quicumque servat mandata Dei, hic diligit proximos.

Porro, S. Joannes hîc non nominat omnes proximos, sed tantum natos ex Deo, puta fideles et Christianos; quia eorum inter se dilectionem accendere satagit, ut in fide et vita Christiana se invicem contra Gentiles tueantur, animent, juvent, promoveant. Eumdem fidelibus commendavit, et quasi testamento Christus ad Patrem abiturus reliquit Joan. cap. 15. 12. et S. Paulus crebro, ut Ephes. 4. 2. et seq. Galat. 6. 2. Philip. 2. 1. et seq.

3. HÆC EST ENIM CHARITAS DEI, UT MANDATA EJUS CUSTODIAMUS] q. d. Charitas consistit in observatione mandatorum Dei. Charitas enim est amor et amicitia Dei; hæc autem impellit amantes ut faciant voluntatem, puta mandata Dei à se summe amati, juxta illud Sapient. 6. 19. *Dilectio custodia legum illius est.* Sic ait Eccl. c. 12. v. 13. *Deum time, et mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo.* q. d. Omne hominis bonum, omne officium, omnis felicitas, finis et perfectio consistit in timore Dei. Aut, hoc est quo spectare debet omnis homo, quantus quantus est, in dictis factisque suis omnibus, et tota vita, ut scilicet sibi ubique timorem Dei ob oculos ponat, et ejus servet præcepta; unde Chald. vertit, *talem decet esse viam hominis*, S. Hieron. *ad hoc creatus est homo*, et Solonius: Quia, ait, qui aliter vivit, non est homo, sed bestia, quia non rationaliter, quæ est natura hominis, sed bestialiter vivit, si gulose, ut porcus: si dolose, ut vulpes: si superbe, ut leo, etc. Idem per omnia applices charitati.

ET MANDATA EJUS GRAVIA NON SUNT.] Multo minus impossibilia, ut blasphemant hæretici. Alludit ad illud Christi: *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve*, Matth. 11. 30.

Ratio est. Prima, quia Christus Christianos liberavit ab onere gravi et multiplici tot mandatorum cæremonialium et judicialium veteris legis, tantumque moralia, sive Decalogum, puta decem præcepta legis naturæ, eis imposuit paucis additis de fide, baptismo et cæteris Sacramentis. Præcepta enim affirmativa veteris legis 218. negativa 365. numerat R. Moyses, lib. 3. *More Hannebuchim* cap. 56. et 57 hisce omnibus liberavit nos Christus.

Secunda, quia charitati, et amanti Deum nihil est grave: *Quomodo enim est grave, cum sit dilectionis mandatum? Aut enim quisque non diligit, et grave est; aut diligit, et grave esse non potest*, ait S. August. de Natura et gratia cap. 69. et Sapiens Proverb. 4. 11. *Viam sapientiæ monstrabo tibi, et ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum.*

Tertia, quia Christus dat gratiam quasi alas, quibus præcepta impleamus, imo super ipsa quasi volemus, juxta illud: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*, Psal. 118. unde S. August. lib. de Perfectione justitiæ ante medium, ait, *non esse grave quod diligendo fit, non timendo. Nam perfecta charitas foras mittit timorem, et facit præcepti sarcinam levem, non solum prementem onere ponderum, verum etiam sublevantem vice pennarum. Anima ergo quæ illa gravia sentit, oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facilitatis.* Unde S. Bonaventura ait mandata gravia esse naturæ lapsæ et cor-

ruptæ, facilia vero naturæ sanæ et integræ. Gratia autem naturam sanat et integrat, sicut peccatum eamdem vulnerat et quasi mutilat, ideoque facit ut mandatum sit illi quasi *talentum plumbi*, Zachar. 5. 7. et sicut *onus grave gravatum*, Psal. 37. 5. Ita Didymus et OEcum.

Quarta, quia, etsi quædam in se gravia sunt, ut mortificare omnes cupiditates, obire martyrium, pati omnia adversa, tamen hæc levia fiunt, si considerentur exempla Christi et Sanctorum, ejusque promissio de cœlesti gloria, juxta illud Pauli : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Roman. 8. et : *Quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur*, 2. Cor. 4. 17. Hinc ait sponsa Cant. 1. 13. *Fasciculus*, non fascis, *myrrhæ dilectus meus mihi*, ubi vide S. Bernard. cujus verba superius recitavi.

Audi S. August. serm. 18. de Sanctis : *Si quotidie*, ait, *oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam parvo tempore tolerare, ut Christum videre digni essemus in gloria venientem, et Sanctorum ejus numero sociari, nonne erat dignum pati omne quod triste est, ut tanti boni, tantæque gloriæ participes haberemur?*

4. QUONIAM OMNE, QUOD NATUM EST EX DEO, VINCIT MUNDUM.] Probat quod dixit : *Mandata ejus gravia non sunt*, hac ratione, quod fideles fide et charitate renati, armatique à Deo vincant mundum, id est, mundi cupiditates æque ac terrores, quæ solæ resistunt charitati, faciuntque observationem mandatorum difficilem : iis ergo sublatis mandata remanent facilia, non gravia ; charitati enim sola contrariatur cupiditas : hanc tolle, remanet facilis et expedita charitas. *Testimonium cœlestis generationis est victoria tentationis*, ait S. Bernard. serm. 1. in octava Paschæ.

Nota *omne quod natum est*, id est, omnis qui renatus est ex Deo, *vincit mundum ;* dicit tamen *omne*, non, *omnis :* Primo, ut significet hanc victoriam provenire fideli non à se, sed à fide, charitate et gratia Dei, unde explicans subdit : *Et hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.* Sensus ergo est, q. d. Fides, charitas et gratia, quæ nata sunt et manant à Deo, vincunt mundum, ideoque pariter fideles per ea nati et renati vincunt mundum ; unde OEcumen. per *omne quod natum est ex Deo*, intelligit charitatem fraternam : hanc enim vincere mundum.

Secundo, τὸ *omne* habet emphasin, et significat universitatem omnium gentium. Alludit enim ad animalia omnis generis munda et immunda, quæ erant in arca Noe, quæque per visionem vidit Petrus in linteo Ecclesiæ, Actor. 10. 12. Quibus significabatur omne genus hominum ex qualibet gente, statu, conditione admittendum ad Ecclesiam per novam in baptismo nativitatem. Eadem causa et emphasi ait Christus : *Omne quod* (pro omnem quem) *dat mihi Pater, ad me veniet ;* unde explicans subdit : *Et eum qui venit ad me, non ejiciam foras*, Joan. 6. 37. et c. 17. v. 2. *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne*, id est omnis, *quod dedisti ei, det ei vitam æternam.*

Tertio, Thomas Anglicus : *Omne*, inquit, dicitur, non omnis, ut significet in generatione spirituali non esse distinctionem sexus. In Christo enim *non est masculus neque femina*, Galat. 3. 28.

Hinc S. Cyprian. S. Leo et alii dicunt fidelem majorem esse mundo, et in cœlo versantem, hoc mundi punctum despicere. Citavi eorum verba c. 4. v. 4. ad illud : *Vicistis eum, quoniam major est qui in vobis est.* Præclare S. Aug. lib. 2. de Symbolo ad Catechum. c. 2. *Admirabile*, ait, *spectaculum nostrum, plane admirabile in quo Deus adjuvat, fides vires impetrat, innocentia pugnat, sanctitas vincit, præmium consequitur tale, quod et ille qui vicerit accipiat, et qui donaverit nihil amittat.*

ET HÆC EST VICTORIA QUÆ VINCIT MUNDUM, FIDES NOSTRA.] *Victoria*, id est, vincens et victor : proprie enim victoria non vincit, sed pugna vincentis quæ parit victoriam. *Victoriæ* ergo, id est, causa victoriæ, arma quibus comparatur victoria, est fides. Hæc igitur est victrix fides, non nuda et otiosa, sed charitate et bonis operibus vestita, puta operosa, certans et fortiter dimicans, juxta illud : *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones*, etc. Hebr. 11. et 1. Petr. 5. *Adversarius*, ait, *vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide.* Vide utrobique dicta ; fide enim credimus vitam æternam esse summum bonum, pro quo omnia mala fortiter toleranda sint ; et dimicandum contra omnes mundi tentationes usque ad mortem et martyrium. Unde per fidem hanc et spem tum divinæ opis et gratiæ Christi, tum mercedis et præmii gloriæ æternæ, Martyres omnia tormentorum genera alacres et læti vicerunt, juxta illud : *Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, et propter verbum testimonii sui*, Apocal. 12. 11. et illud Pauli Ephes. 6. 16. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Audi Tertull. ad Scapulam : *Arius Antonius cum persequeretur instanter in Asia fideles omnes illius civitatis, Christiani ante tribunalia se manu facta obtulerunt*, et Nicephorus : *Diocletiani tempore* (ait) *cum natalis dies Christi festus adesset, viginti millia Christianorum in templo à tyranno conclusa igni conflagrare maluerunt, quàm tantillum à Christianæ fidei stabilitate deflectere.* Quare vere S. Bernard. serm. 6. in vigil. Nativit. *Fides*, ait, *est velut quoddam æternitatis exemplar, præterita simul et præsentia ac futura sinu quodam vastissimo comprehendit, ut nihil ei prætereat, nihil pereat, præeat nihil.*

Pro *vincit* græce est νικησασα, id est *vicit*, in aoristo, sub quo omne tempus intelligit. q. d. Vicit, vincit et vincet. Hac de causa Rupertus scripsit opus de victoria Verbi Dei. S. August. lib. de Utilit. credendi cap. 17. docet fidem Christi totum mundum sibi subegisse sanctitate, castitate, patientia, constantia, etc. Apostolorum, Virginum et Martyrum quibus conversæ sunt ad Christum gentes totius mundi. OEcum. *Omnem*, ait, *fides perfidiam vicit atque ejecit, ita ut neque Judæus, neque hæreticus quampiam vim adversus eam habeat.* Quocirca S. Aug. serm. 1. de verbis Apost. *Nullæ*, ait, *sunt majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major substantia, quàm est fides Catholica, quæ peccatores homines salvat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles justificat, pœnitentes reparat, justos augmentat, Martyres coronat.* Denique S. Bernard. serm. 76.

in Cant. *Fides*, ait, *attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, reprehendit novissima, ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu quodam modo circumcludit. Fidenter dixerim, æternam beatamque Trinitatem, quam non intelligo, credo et fide teneo, quod sana non capio mente.*

Porro fides viva omnia impetrat à Deo, vincitque omnipotentem, ideoque fit omnipotens, adeo ut miracula quælibet operetur, juxta illud: *Omnia possibilia sunt credenti*, Marci 9. 23. Hæc est fides miraculorum. Fides ergo vincit mundum, quia vincit Deum mundi dominum.

5. QUIS EST, QUI VINCIT MUNDUM, NISI QUI CREDIT QUONIAM JESUS EST FILIUS DEI?] Credendo enim sperat, sperando invocat, invocando amat Christum; itaque gratia Christi roboratus odit spernitque mundum, ac spernendo vincit juxta illud Pauli: *Omnia possum in eo qui me confortat*, Philip. 4. 13. Sub fide ergo complectitur charitatem, obedientiam, fortitudinem, cæterasque virtutes à Christo sancitas et donatas, quibus vincitur mundus. Qui enim credit in Christum, debet Christi præcepta sequi, eique obedire, non mundo, imo contemnere mundum; hoc enim suis asseclis præcepit sanxitque Christus, Joan. 15. 18. et 19.

Audi S. Bernard. serm. 1. de tribus testim. in cœlo et in terra: *Quid ergo ait: Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quia Jesus est filius Dei, cum et ipse jam mundus id credat? An non ipsi quoque dæmones et credunt et contremiscunt? sed dico: Putasne Filium Dei reputat Jesum, quisquis ille est homo, qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit? Nonne is etiamsi fateatur se nosse Deum, factis tamen negat? Porro fides sine operibus mortua est in semetipsa, nec sane mirum videri potest, si nequaquam vincit, quæ nec vivit quidem.*

Probat S. Joannes thesin ex hypothesi, genus ex specie, imo speciem ex individuo: probat, inquam, fidem esse victoriam fidelium, ex eo quod fides Christi sit victoria mundi; simulque perstringit Cherintum, Ebionem, et alios illius ævi hæreticos, qui negabant Christi divinitatem. Hinc Petrus eam confitens, dicensque: *Tu es Christus Filius Dei vivi;* ab eo audire meruit: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, Matth. 18. et Paulus: *Quis nos separabit à charitate Christi? Certus sum quia neque mors, neque vita*, etc. Rom. 8. *Unde certus erat, nisi ex fidei firmitate?* ait S. Hieron. in c. 2. ad Galat.

6. HIC EST QUI VENIT PER AQUAM ET SANGUINEM, JESUS CHRISTUS.] q. d. Hic est Messias Dei filius, Salvator et Redemptor mundi, quem Prophetæ venturum prædixerunt, ut suo sanguine orbem redimeret, et aqua baptismi expiaret, ut patet Ezech. 36. v. 47. et Zachar. 12. 13. idemque præsignarunt omnia sacrificia legis veteris, in quibus fundebatur victimarum sanguis, ut repræsentarent Christi sanguine in cruce fundendo expianda fore peccata. Cum ergo Christus hæc Prophetarum oracula adimplens reipsa venerit, suoque sanguine nos redemerit, et aquæ baptismum dum in Jordane à Joanne baptizatus est, sanxerit, eique vim sanctificandi tribuerit; inde certo colligite ipsum esse verum Messiam, et Christum mediatorem à Prophetis prædictum, ac proinde ejus fide nos vincere mundum. Probat Joannes quod Jesus Christus sit Filius Dei, puta quod Jesus sit verus homo et verus Deus, primo ex eo quod ipse sit ille *qui venit*, græce ὁ ἐλθών, id est *ille*, scilicet Messias, *veniens* antonomastice, quem scilicet Prophetæ venturum promiserunt, quem Scriptura Isaiæ 9. 6. et alibi significat fore Deum et Dei filium. Unde *veniens*, vel *venturus*, est nomen Messiæ. Sic enim eum vocabant Judæi ex vaticiniis Prophetarum, ut patet Apocal. 1. 4. Joan. 1. 15. Matth. 11. 3. Psal. 117. 26. Aggæi 2. 8. Malach. 3. 1. et 2. et alibi.

Rursum idipsum probat ex aqua et sanguine, quibus constitit Christi corpus, quodque pro nobis effudit. Hæc enim, primo, significabant Christum verum esse hominem, non phantasticum, uti volebant Simon et Manes: corpus enim humanum conflatur et constat aqua et sanguine, puta quatuor humoribus; sub aqua enim sive phlegmate accipe melancholiam, sive atram bilem; aqua enim sive phlegma, si crassescat, fit lutum, sive melancholia: sub sanguine accipe choleram, sive flavam bilem; sanguis enim, si incalescat, fit bilis. Hi quatuor humores continent quatuor elementa, quibus coagmentatur hominis corpus: phlegma enim continet aquam, melancholia terram, sanguis aerem, cholera ignem. Per aquam ergo et sanguinem significat S. Joannes corpus Christi constitisse quatuor humoribus, et quatuor elementis, ac proinde vere et proprie fuisse corpus humanum.

Secundo, aqua et sanguis probabant Christum esse Deum; tum quia sanguis Christi fuit justum pretium redemptionis nostræ, ex æquo satisfaciens Deo pro offensa peccatorum nostrorum: ergo necesse est ut fuerit sanguis hominis Dei, sive hominis hypostatice uniti Deo; sanguis enim puri hominis non poterat esse justum et adæquatum pretium offensarum Dei: tum quia virtute sanguinis sui Christus instituens baptismum, illi indidit vim divinam expiandi omnia omnium hominum peccata. Ergo necesse est ut fuerit Deus: faciebat enim hoc Christus per se et auctoritative, non quasi minister pendens ab alio. Per se autem instituere Sacramentum remittens et expians peccata, est opus virtutis divinæ.

Alludit primo, ad aquam et sanguinem victimarum, quo vetus Testamentum sancivit Moses, Exodi 24. 8. quo significabat Christum suo sanguine et aqua sanciturum novum Testamentum. Audi Paulum Hebr. 9. 19. *Lecto enim omni mandato legis à Mose universo populo, accipiens sanguinem vitulorum et hircorum cum aqua et lana coccinea et hyssopo, ipsum quoque librum et omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis Testamenti quod mandavit ad vos Deus.* Vide ibi dicta.

Alludit, secundo, ad aquam et sanguinem quæ miraculose fluxerunt ex latere Christi in cruce mortui: corpus enim mortuum pro sanguine et aqua viventis, naturaliter dat saniem, unde idipsum solus ex Evangelistis narrat S. Joan. cap. 19. 34. Hac enim Christi aqua et sanguine repræsentabatur, virtute sanguinis et mortis Christi fideles ab omnibus peccatis abluendos per aquam baptismi. Et hoc significat sponsa, id est Ecclesia, Cant. 5. 10. *Dilectus meus*, inquit, *candidus et rubicundus;* aqua enim est can-

dida, sanguis est rubicundus. Ita Cyril. Hier. catechesi 13. S. August. lib. 2. de Catech. rud. c. 6. S. Leo epist. 45. Hier. epist. 83. Damasc. 4. de Fide cap. 10. Suarez 3. p. q. 53. disp. 41. sect. 1. et alii. Hinc noster Salmeron hîc opinatur Christum ubique sanguini aquam miscuisse, scilicet lacrymarum in circumcisione, in sudore sanguineo agoniæ, in flagellatione, in cruce ante mortem; ideoque jussisse aquam vino misceri in calice Eucharistiæ convertendam in sanguinem. Et Hugo ait Christum venisse per sanguinem, quando circumcisus est, ut legem observando significaret se Judæos velle redimere, per aquam vero Gentes, quia in aqua instituit baptismum præcipue pro Gentibus.

Porro distinguit S. Joannes baptismum Christi a baptismo Joannis Baptistæ, quod hîc fuerit solum in aqua, ideoque inefficax ad expianda peccata : Christi vero fuerit in aqua et sanguine, ideoque ad eadem abluenda efficax. Rursum perstringit Ebionitas qui aqua mera censebant placari Deum, ideoque quotidie aqua se abluebant, et in calice Eucharistiæ non vinum, sed meram aquam offerebant, quia negabant sanguine Christi nos esse redemptos, teste Irenæo lib. 5. cap. 1.

Denique Tertullian. lib. de Baptismo cap. 16. ait Christum venisse per aquam, cum baptizatus est à Joanne; per sanguinem, cum passus est, ut *aqua*, inquit, *tingeretur, sanguine glorificaretur*, per passionem et mortis victoriam. *Proinde, ut nos faceret aqua vocatos, sanguine electos, hos duos baptismos de vulnere perfossi lateris emisit; quia qui in sanguinem ejus crederent, aqua lavarentur : et qui aqua lavissent in baptismo, etiam sanguinem potarent in Eucharistia.*

Symbolice, per *aquam et sanguinem* accipiunt duplicem baptismum, scilicet fluminis et sanguinis, S. Hieronym. Epist. 88. S. August. lib. 2. de Symbol. c. 6. Cyril. catech. 13. et alii. Alii censent repræsentari duplicem modum quo damnatus est Christus à Judæis vociferantibus : *Sanguis ejus super nos*, etc., et à Pilato manus aqua lavante, Matth. 27. v. 24. et 25.

Anagog. Cyrill. catech. 13. per *aquam* accipit baptismum, per *sanguinem* judicium; eo enim reprobi damnabuntur ad sanguinem, id est, gehennam et mortem æternam.

Allegor. S. Bernard. serm. 1. in octava Paschæ : Moses, inquit, venit per aquam, quia ex aqua ereptus, ideoque vocatus Moses, id est extractus, populum Hebræorum per aquas maris Rubri illæsum deduxit in terram promissam : Jesus vero legislator legis novæ venit per aquam et sanguinem, quia per sanguinem introducet nos in sancta, puta in cœlum, Hebr. 9. 12. *Sic ergo hodie*, inquit, *quoque ad nos per aquam et sanguinem venit, ut sit aqua et sanguis testimonium ejus fideique victricis.*

Tropol. S. Bernard. ibid. per *aquam et sanguinem* accipit duplicem baptismum duplexque martyrium, prius in lacrymis compunctionis, posterius in studio mortificationis : *Jam vero*, inquit, *quia baptismum aquas, martyrium diximus sanguine designari, memento et unicum et quotidianum esse baptismum, similiter et martyrium. Est enim et martyrii genus, et quædam effusio sanguinis in quotidiana corporis afflictione. Est et baptismus aliquis in compunctione cordis, et lacrymarum assiduitate. Sic quippe infirmis et pusillis corde necesse est, ut quem semel pro Christo ponere non sufficiunt, saltem mitiori quodam, sed diuturniori martyrio sanguinem fundant. Sic et baptismi Sacramentum quoniam iterari non licet, his qui sæpius in multis offendunt, frequenti oportet ablutione suppleri. Unde et Propheta : Lavabo*, inquit, *per singulas noctes lectum meum, et lacrymis meis stratum meum rigabo*, Psal. 6. 7.

HIC EST QUI VENIT PER AQUAM ET SANGUINEM. Græci codices nonnulli addunt, καὶ πνεύματος, id est, *et spiritum*. NON IN AQUA SOLUM, SED IN AQUA ET SANGUINE,] iidem addunt, *sed et in spiritu*.

ET SPIRITUS EST QUI TESTIFICATUR QUONIAM CHRISTUS EST VERITAS.] Græca habent ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια, id est, *quoniam spiritus est veritas*. Sic quoque legit Syrus, Vatablus, Clarius, Cajetan. q. d. Spiritus est qui recenter in Pentecoste testificatus est Christum esse Dei filium. Illi ergo credendum est, quia hic Spiritus est veritatis, ipsaque veritas. Verum genuina lectio est, *quoniam Christus est veritas;* de Christo enim hîc agitur, non de Spiritu, et Christi proprium nomen est veritas, non Spiritus sancti.

Testimonio obscuro et quasi mortuo aquæ et sanguinis, adjungit S. Joannes clarum et vivum Spiritus sancti : hic enim tum in vita Christi, utpote per eum ad hoc testandum operans miracula, tum post mortem et resurrectionem ab eo in Pentecoste missus in Apostolos, per eorum ora testatus est et prædicavit ubique, quod Christus esset veritas, id est, verus Deus. Christus enim qua Deus, est Verbum, ideoque veritas et sapientia Patris; qua homo, fuit verus Dei legatus et interpres, qui umbras legis veteris aperuit, claramque de Deo doctrinam et veritatem propalavit, juxta illud : *Ego sum via, veritas et vita*, Joan. 14. v. 6. et illud c. 18. 37. *Ego ad hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Hinc Pontifex Aaronicus gerens typum Christi, veri et veracis Pontificis, in Rationali pectoralis insigne intextum gestabat *Urim et tummim*, id est, *doctrina et veritas*, Exodi 28. 30.

Alii per *spiritum* accipiunt internam illuminationem Spiritus sancti, qua nos impellit ad fidem et amorem Christi, juxta illud c. 2. 27. *Unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est.*

7. QUONIAM TRES SUNT.] Testimonium aquæ, sanguinis et spiritus de Christo jam allatum plenius hîc S. Joannes explicat et confirmat; unde τὸ *quoniam* partim probat id quod dixit v. 5. scilicet Jesum esse filium Dei, partim probat id quod dixit v. 6. scilicet Spiritum testificari quod Christus est verus Deus. Id enim hîc confirmat ex eo quod Spiritus sanctus sit unus ex tribus testibus, qui in cœlo testimonium perhibent Christo.

TRES SUNT QUI TESTIMONIUM DANT IN COELO (de cœlo) : PATER, VERBUM ET SPIRITUS SANCTUS, ET HI TRES UNUM SUNT.] Notat S. Hieron. Præfat. in Epistolas Canonicas hæc ab infidelibus, scilicet Arrianis (unde et moderni Arriani in Transylvania propter hæc verba totam S. Joannis Epistolam rejiciunt) fuisse abrasa è nonnullis Græcis codicibus. Quocirca non legit hæc Syrus, Clemens Alexan. Beda, OEcumen. et alii nonnulli, quos citat Franc. Lucas in Annot. hujus loci annot. 612. Jam tamen constanter hæc legunt Biblia Latina, et correctiora Græca,

multique veterum, ut S. Athanas. August. Hier. Cyprian. Concil. Lateranense cui interfuerunt Græci, et alii quos citat Bellarm. lib. 1. de Christo c. 6. Hesselius et alli hîc. Certum ergo est hæc esse legenda esseque Canonicam Scripturam, ac proinde ex iis recte confirmari mysterium sanctissimæ Trinitatis, ac divinitatis Christi et Spiritus sancti contra Arrianos et Macedonianos.

Sensus ergo est, q. d. Omnes tres personæ SS. Trinitatis in cœlo et de cœlo tum angelis, tum maxime hominibus (hoc enim præcipue intendit hîc S. Joannes) testimonium perhibent Christo, quod scilicet ipse sit verus Messias, Deique filius : nimirum Pater, dum in baptismo et transfiguratione Christi, Matth. 3. 17, et c. 17. v. 5. publice proclamavit : *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.* Rursum cum super Christum rogantem ut se clarificaret, è cœlo intonuit : *Et clarificavi, et iterum clarificabo,* Joan. 12. v. 18. Similiter et Spiritus sanctus, dum descendit in Christum in specie columbæ, et effudit sese in Apostolos, cæterosque Christianos in die Pentecostes, idque ex Christi prædictione, promissione et missione : unde idem Spiritus sanctus per ora Apostolorum non aliud fere quàm Christum præconizavit. Filius etiam sæpissime dixit, docuitque ac miraculis probavit, et convicit se esse Messiam, Deique filium, ut patet ex toto Evang. S. Joannis. Sic pariter tres Christi testes sunt in terra, scilicet spiritus, aqua et sanguis, ut sequitur. Igitur mutuo inter se consentiunt cœli et terræ testes, ac consequenter iis omnimoda fides est adhibenda, quasi testibus divinis omni exceptione majoribus; et quia cœlum et terra, totus, inquam, mundus, in hoc Christi testimonium conspirare videntur. Alludit S. Joan. ad illud sui Evang. cap. 8. 18. *Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me qui misit me Pater,* et cap. 16. 14. de Spiritu sancto : *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Denique tres testes producit, quia scriptum est : *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum,* Deuter. 29. 15.

Et hi tres unum sunt,] uti natura et essentia divina, ita pariter intellectu, voce, locutione et testimonio de Christo; hæc enim omnia in SS. Trinitate essentialiter unum idemque sunt. Complutensia et Regis habent, και οι τρεις εις το εν εισι, id est, *et hi tres in unum sunt.* Sed Latini et alii Græci legunt, *et hi tres unum sunt;* significatur enim ομουσιον sanctæ Trinitatis, quod scilicet tres personæ habeant unam eamdemque individuam deitatem. Nec aliud significat lectio diversa Complut. *Nam in unum sunt,* hoc est, in unum, puta in unam essentiam conveniunt et coeunt. Sic Gen. 2. 24. de Adam et Eva conjugibus dicitur : *Erunt duo in carne una,* id est, erunt duo *una caro,* uti explicat Christus Matth. 29. 6. hoc est, vir et mulier erunt quasi una persona civilis et politica. Sic Jerem. 31. 33. *Eritis mihi in populum,* id est, eritis mihi populus, et Psalm. 30. 3. *Esto mihi in Deum protectorem,* id est, esto mihi Deus protector, et sæpe alibi.

Euthymius Panopliæ part. 1. titul. 7. pag. 143. pro *tres* legit *tria,* indeque ostendit tres personas in divinis revera esse tria personaliter, sed unum essentialiter.

Idem multis ante S. Joannem seculis dixit Serapis, qui Ægypti regi nomine Thuli postulanti : *Quis eo fortunatior esset?* respondit :

> Principio Deus, tum sermo, et spiritus illis
> Additur, æquæva hæc sunt, et tendentia in unum.

de quo superius dixi.

8. Et tres sunt qui testimonium dant in terra: Spiritus, et aqua, et sanguis.] Dicendum erat *tria;* nam græce πνευμα, υδωρ et αιμα, id est *spiritus, aqua et sanguis,* sunt generis neutri : dicit tamen *tres,* tum ut ostendat hos tres terræ testes conspirare, imo repræsentare tres cœli testes jam dictos, ait S. Aug. de quo mox plura : tum quia per prosopopœiam hisce tribus attribuit personam testium : testis enim in terra apud homines animatus sit oportet, adeoque homo, ideoque masculini generis, non neutri. Qui enim testatur, debet loqui, oreque suum efferre testimonium, quod non nisi hominis est. Opponit S. Joannes terrenum et humanum testimonium cœlesti et divino. Jam aliqui censent tres testes in cœlo esse testes divinitatis Christi; tres vero testes in terra esse testes humanitatis ejusdem, ait Innoc. III. c. *in quadam,* de celebr. Missar. et D. Thom. Sed verius est utrosque adduci ad probandam divinitatem Christi : hoc enim probandum sumpsit S. Joannes v. 5. quia hoc negabat Ebion, Cherinthus et alii. Unde et subdit mox : *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se,* etc.

Mystice S. Bernard. serm. 2. in Octava Paschæ, per το *in terra* accipit homines in terra viventes, ut per hæc tria, spiritum scilicet, aquam et sanguinem, distinguantur justi ab injustis, sicut per Patrem et Filium et Spiritum sanctum in cœlo distinguuntur Beati à damnatis. Nam Beatis, inquit, visio Trinitatis testimonium perhibet : electis fructuosus est sanguis Christi ac merita, aqua baptismi et Spiritus sancti gratia, de quo mox plura, jam singula expendamus.

Tres sunt.] Ponit S. Joannes duplicem trinitatem testium Christi, qui scilicet testantur ejus divinitatem, eumque esse Dei Filium, atque unam alteri opponit, imo componit in officio testificandi. Prior increata est, scilicet Pater, Filius, Spiritus sanctus : posterior creata, scilicet aqua, sanguis et spiritus, quæ manat ab increata, eique ex æquo respondet, adeoque eam repræsentat. Aqua enim refert Patrem, sanguis Filium, spiritus Spiritum sanctum. Pater enim est rerum omnium principium, sicut est et aqua. Ex aqua enim formati sunt cœli, aer, aves, pisces, uti ostendi initio Genesis : rursum aqua nutrit herbas, arbores, plantas, omniaque animantia et viventia. Unde *aqua* Latinis dicitur quasi *à qua nata sint omnia;* vel, ut Festus, *à qua juvamur.* Unde Thales aquam posuit principium rerum omnium, licet alii *aquam* dictam velint quasi *æquam,* quod æqua sit et æqualis, nisi ventis agitetur. Ita Deus Pater omnibus est æquus et idem : Orphici et symbolici contemplatores summum bonum, sive omnium bonorum Oceanum censuerunt esse aquam, ideoque repræsentare Deum. Hinc Virgilius secutus Homerum lib. 4. Georg. Oceanum patrem rerum indigitat, et Plinius lib. 1. c. 31. *Hoc elementum,* ait, *cæteris omnibus imperat, terras devorant aquæ, flammas necant, scandunt in sublime, et cœlum quoque sibi vindicant : quid esse mirabilius potest aquis in cœlo stantibus?* Unde et cœli hebraice vocantur *scamaim,* id est, *ibi*

aquæ. Rursum aqua significat affluentiam bonorum et gratiarum quæ est in Deo Patre, juxta illud Isaiæ 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Scitum est Ægyptios Nilum pro Deo coluisse, quod à Nilo exundante omnis eis seges obveniret. Hinc illud Parmenonis : *Jupiter Ægypti Nile.* Insuper aqua apposite Dei Patris misericordiam et pietatem repræsentat. Quocirca Allemannos deorum loco aquam fluminum adorasse, testatur Agathius lib. 1. et 2. Pereg. hist. Idem de Persis docet Arnôbius lib. 6. contra Gentes. Sic et hodie nonnulli Indi adorant aquam, ut refert Vasquez lib. 3. Navig. fol. 362. Brachmanes longissime vivere, eo quod non nisi aquam bibant tradit Suidas verbo *Brachmanes.* Lucian. quoque in suis Macrobiis scribit per aquam vitam produci, ideoque Syros ad trecentos annos vixisse. Apollonius Tyanæus dictitabat bibentes aquam nunquam laborare capitis vertigine, uti refert Philostr. in Vita Apollonii. Plura de aquæ præstantia vide apud Tiraquel. tract. de Nobil. c. 31. Plutarch. quæst. *An aqua sit dignior igne?* Vide quoque Hydragiologiam M. Antonii Marsilii Columnæ.

Porro, sub testimonio SS. Trinitatis increatæ intellige testimonium sanctorum angelorum, per hos enim quasi administratorios spiritus et legatos SS. Trinitas locuta est, et testimonium perhibuit Christo, tum in ejus nativitate, cum cecinerunt : *Gloria in excelsis Deo;* tum in baptismo Matth. 3. 17. tum in transfiguratione Matth. 17. 5. tum in resurrectione Matth. 28. 2. tum in ascensione Actor. 1. v. 10.

Qui testimonium dant.] Jesu Christo, quod sit filius Dei, ac consequenter quod ejus fide et ope vincamus mundum, quodque fides Christi sit victoria nostra.

In terra,] de terra ; sicut tres primi in cœlo, id est, de cœlo testantur hominibus in terra agentibus.

Spiritus, et aqua, et sanguis.] q. d. Spiritus quem Christus in cruce moriens emisit in manus Patris, item aqua et sanguis quæ de latere Christi profluxerunt, testificantur Christum verum fuisse non tantum hominem, sed et Deum ; quia hisce quasi pretio adæquato et justo satisfecit Christus offensæ Dei, juxta oracula Prophetarum, quod facere non potuisset nisi fuisset Deus, uti dixi v. præced. Rursum spiritus, quia à Christo cum clamore emissus, arguebat eum esse Deum. Unde *videns Centurio quia sic clamans expirasset*, ait : *Vere hic homo Filius Dei erat*, Marci 15. v. 39. Vox enim moribundos deficit ; ergo clamor hic Christi miraculosus erat, non naturalis, significans Christum super hominem esse Deum, ideoque voluntate, non infirmitate mori, ait ibidem S. Hieron. Chrysost. Euthym. et Theophyl. quin et Christus ipse : *Nemo*, ait, *tollet eam* (animam) *à me, sed ego pono eam à meipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam*, Joan. 10. 18.

Secundo, S. Aug. lib. 3. contra Maxim. c. 22. Lyran. et Glossa per *Spiritum* accipiunt Spiritum sanctum à Christo in Pentecoste effusum ; hic enim testificatus est Christum esse Deum, tum quia Christus mittebat hunc Spiritum, tum quia ipse Spiritus per ora Apostolorum protestabatur se mitti à Christo, eumque verum esse Dei Filium.

Tertio, Œcum. per *spiritum* accipit Spiritum sanctum qui datur in baptismo. *In baptismate*, inquit, *per aquam Jesus Patris testimonio Filius Dei est declaratus, at per sanguinem, quando, cum prope erat ut crucifigeretur, dixit : Glorifica me tu Pater, et vox delata est quæ dicebat : Et glorificavi, et iterum glorificabo. Per spiritum vero est manifestatus, quando è mortuis tanquam Deus resurrexit.*

Huc pertinet expositio Didymi, nisi quod ipse testimonium hoc referat non ad Christum, sed ad nativitatem nostram spiritualem, quæ fit in baptismo. Hic enim, inquit, spiritus, id est, Trinitas invocatur, ac sanguis, id est, humanitatis Christi merita per aquam baptismi operantur et sanctificant. Ac illa S. Ambrosii l. 10. in c. 22. Lucæ : *Aquam*, inquit, *ad lavacrum, sanguinem ad pretium, spiritum tradidit ad resurrectionem.* Unde

Anagogice, sed valde apposite ad litteram et pene litteraliter, aqua, et sanguis, et spiritus in cruce à Christo emissa, sed resumpta ab eodem in resurrectione, significabant ipsum vere esse Messiam promissum, victorem mortis et inferni, ideoque Dei Filium : Christus enim vi propria resurrexit, et hæc tria resumpsit : vi propria, inquam, tam humanitatis, quam divinitatis. Anima enim et spiritus Christi jam glorificatus vi propria accepta à divinitate, cui hypostatice erat unita, univit se corpori in sepulcro, illudque animavit, vivificavit et glorificavit ; ac pari modo nostra corpora animabit, vivificabit et glorificabit in resurrectione, uti dixi 1. Petri 3. v. 21. et 22.

Mystice per *spiritum*, *aquam et sanguinem* significantur tria quæ ad justificationem nostram concurrunt ; itaque testimonium perhibent Christo, utpote, cujus meritis et virtute peragitur nostra justificatio. Sanguis enim significat sanguinis et mortis Christi meritum nobis in justificatione applicatum ; aqua significat ablutionem et purgationem peccatorum, spiritus significat aspirationem, et infusionem spiritus, id est, vitæ spiritalis, gratiæ, charitatis, cæterarumque virtutum quibus justi efficimur. Unde S. Ambrosius lib. de Spiritu sancto cap. 11. ait, *spiritu mentem renovari, aqua nos lavari, sanguinem esse pretium.* Sic et Cyrill. de Fide ad Reginas, et S. Leo epist. 10. c. 5. *Hi tres*, inquit, *sunt spiritus sanctificationis, sanguis redemptionis, aqua baptismatis.*

Allegorice per hæc tria significantur tria præcipua Sacramenta, quæ testimonium perhibent Christo, utpote ab eo instituta, et ejus meritis ac virtute sanctificantia. *Aqua* significat baptismum, *sanguis* calicem Eucharistiæ, *spiritus* pœnitentiam. Unde et insufflando spiritum Apostolus, Christus dedit eis potestatem remittendi peccata, Joannis 20. vers. 22. Hæc omnia probant Christum esse Deum, tum quia remissio peccatorum est opus Dei et divinæ potestatis, tum quia transubstantiatio panis et vini in corpus et sanguinem Christi, non nisi divina vi et potestate perfici potest. Porro spiritus significat Sacramentum Pœnitentiæ, tum quia per illud Spiritus sanctus remittit peccata : hoc enim maximum est Dei donum ; omnia autem Dei dona, præsertim gratiæ, in S. Scriptura appropriantur Spiritui sancto ; eo quod ipse sit primum Patris et Filii notionale donum : ab iis enim procedit per modum amoris et doni; tum quia ipse per pœnitentiam nobis per peccata

mortuis spiritum vitæ, puta gratiæ, inspirat. Quocirca ex hoc loco, et ex fluxu aquæ et sanguinis è latere Christi Innocentius III. docet et probat aquam in calice Eucharistiæ miscendam esse vino, ut convertatur in sanguinem Christi, ita ipse cap. *in quadam*, de celebrar. Missar.

Symbolice, primo, S. Bernardus serm. 1. in Octava Paschæ : *In aqua*, inquit, *baptismum intellige, in sanguine martyrium, in spiritu charitatem diffusam in cordibus nostris.* Rursum Catharinus per *aquam* accipit tribulationes, ad quas experiendas venit Christus, eoque vocat Christianos. Alii per *aquam* accipiunt sapientiam, juxta illud Eccli. 15. 3. *Cibavit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potavit illum.* Alii per *aquam* accipiunt gentium multitudinem in Christum credentem, juxta illud : *Aquæ multæ populi multi*, Apoc. 11.

Secundo, Balduinus Cantuariensis (quem Lovanii manu scriptum evolvi) lib. 1. de Eucharistia c. 48. *Spiritus justorum*, inquit, *aqua pœnitentium, sanguis Martyrum testantur Christum redemptorem.* Nam, ut ait Tertull. *sanguis Martyrum est semen Christianorum*, et S. Leo : *Non minuitur Ecclesia persecutionibus, sed augetur; et semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum singula grana quæ cadunt, multiplicata resurgunt.*

Tertio, Clemens Alexandr. hic *spiritum* accipit pro vita, *aquam* pro fide et regeneratione, *sanguinem* pro cognitione : quæ sunt salutiferæ virtutes Salvatoris. Rursum S. Ambros. lib. de Spiritu sancto cap. 6. sanguini mortem, aquæ sepulturam, spiritui vitam assignat in baptismo.

Quarto S. August. hic censet his tribus notari tres personas sanctæ Trinitatis, scilicet *spiritu* Patrem, *sanguine* Filium, *aqua* Spiritum sanctum. De Patre enim dicitur : *Spiritus est Deus.* Joan. 4. 24. Filius assumpsit sanguinem et carnem humanæ naturæ. De Spiritu sancto dicitur : *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*, Joannis 7. 18. Atque hac de causa dici *tres sunt*, non, tria, ut dicendum erat, *qui testimonium perhibent.* Et rursum : *Et hi tres unum sunt.* q. d. Tres personæ sunt una essentia divina. Unde et Hyginus Papa epist. 1. et Joannes II. epist. 1. testimonium eorum, qui in cœlo testantur postponunt testibus in terra, quasi illi hos explicent. Quod vere hæc tria exierunt de corpore Christi, repræsentabat Ecclesiam, quæ est corpus Christi, prædicaturam Trinitatis unam eamdemque essentiam, ait S. Augustinus. Congruentius *aquam* adaptes Patri, *sanguinem* Filio, *spiritum* Spiritui sancto, uterque enim est spiritus : aqua autem est principium rerum omnium, sicut et Pater; ex aqua enim creati sunt cœli et cætera omnia, uti ostendi initio Genesis, eo enim alludit Joannes. Sicut enim initio mundi Deus creavit aquam, et spiritus Domini ferebatur super aquas, ut ex iis cætera efformaret; ita pariter in recreatione mundi, Deus per aquam baptismi dando Spiritum sanctum, Christianos quasi novos homines; spirituales et divinos efformavit, idque merito sanguinis Christi.

Tropolog. S. Bernardus serm. 2. in Octava Paschæ : *Sanguine*, inquit, *et aqua et spiritu habere testimonium* justitiæ, quod renatus sis per Christum, *est si contines à peccatis, si dignos facis pœnitentiæ fructus, si facis opera vitæ.* Sanguis ergo significat continentiam, aqua lacrymas, spiritus opera spiritualia, quæ testantur nos esse regeneratos et sanctos. Et serm. 1. *ostendit* hæc tria opponi tribus quæ sunt in mundo eaque vincere : concupiscentiam enim carnis vinci sanguine mortificationis, concupiscentiam oculorum, lacrymis compunctionis; superbiam vitæ sive spiritum vanitatis, spiritu charitatis. *Certum quippe*, ait, *triumphati mundi testimonium est, si corpus castiges et subjicias spiritui, ne perniciosa libertate serviat voluptati : si fletui præbeas oculos magis quam petulantiæ vel curiositati; si denique spiritali dilectione flagrans, nulli animum dederis vanitati. Merito sane unus est qui in terra pariter et in cœlo testimonium perhibet spiritus; quia sive corporis afflictio cessabit, sive lacrymarum fons exiccabitur, sed charitas nunquam excidit.* Hisce tribus suffragabitur testimonium SS. Trinitatis : *Magnum profecto habituri sunt testimonium, quos in cœlo Pater susceperit tanquam filios et hæredes, filius adsciverit tanquam fratres et cohæredes, Spiritus sanctus adhærentes Deo unum spiritum faciet esse cum eo.* Rursum per hæc tria possunt tropolog. accipi tres fidelium gradus, scilicet incipientium, per aquam; proficientium, per spiritum; perfectorum, per sanguinem; hic enim est symbolum martyrii. Addit S. Bern. serm. 76. ex parvis, tres pariter in inferno esse testes, scilicet vermem quo roditur conscientia, ignem quo crematur corpus et anima, ac desperationem : *Quia vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur*, Isaiæ 66. 24. *His qui in cœlo sunt*, ait S. Bernardus, *datur testimonium beatitudinis : his qui in terræ justificationis : his qui in inferno sunt, damnationis. Primum testimonium est gloriæ, secundum gratiæ, tertium iræ.*

Denique Baronius tom. 2. anno Christi 106. censet S. Joannem hic perstringere Elxai hæresiarcham, ejusque fratrem Jexeo, qui, ut ait S. Epiphanius hæres. 19. *A Judæis oriundus, et cum Judæis sentiens*, etc. *introducens salem et aquam, et terram et panem, et cœlum, et æthera et ventum, jusjurandum ipsis in divinum cultum præfinivit, ac tradidit. Aliquando vero rursus alios septem testes præscripsit, cœlum, inquam, et aquam, et spiritus et sanctos angelos orationis, et oleum, et sal, et terram*, et c. 30. *Cum*, inquit, *quis ex ipsis aut in morbum inculerit, aut à reptili morsus fuerit, descendit in aquas, et invocat cognomina in Elxai relata, cœli ac terræ, salis et aquæ, ventorum et angelorum justitiæ, et panis et olei, et incipit dicere, opem ferte mihi et amovete à me dolorem.* Hisce ergo fictitiis et superstitiosis septem testibus Jexeo hæretici, S. Joannes opponit sex veros testes, tres cœlestes, et tres terrestres. Fuit enim hic Jexeo cum Elxai, synchronos et coævus sancto Joanni; floruit enim anno Christi 106. S. Joannes vero vixit ad annum Christi 101.

Spiritus, et aqua et sanguis.] Hyginus Pont. epist. 1. et Joannes II. epist. 1. ac Idacius lib. de Trinit. legunt, *aqua, sanguis et caro.* Sed perperam : Græci enim Syri et Latini codices habent *Spiritus*, non, caro; hæc enim includitur in sanguine.

Et hi tres unum sunt.] Quidam Latini codices et Græci, ut Complut. et Regii, carent hisce verbis; vide Francisc. Lucam annot. 213. Unde S. Thomas opusc. 24. in 2. decretalem, ait hæc ab Arrianis esse apposita, ut inde à pari colli-

gerent tres personas dici unum non essentialiter, sed testificative; plerique tamen Latini ea legunt et correctiores Græci; sed sic, *et hi tres in unum sunt*, et Syrus, *hi tres in uno sunt*, q. d. Hi tres, puta aqua, sanguis et spiritus Christi non sunt unum, sicut unum sunt Pater, Filius et Spiritus sanctus; sed *in unum*, id est ad unum, scilicet Christum, Christique humanitatem, aut mystice ad unam justificationem et perfectionem nostram referuntur. Unde Idacius lib. de Trinitate legit, *et tres in nobis sunt*; sed contra fidem cæterorum codicum. Secundo *in unum*, scilicet testimonium de Christo Deo et homine mediatore, redemptore et justificatore conspirant. Audi S. Aug. l. 3. contra Maximin. cap. 22. *Unum sunt*, inquit, *aqua, sanguis, spiritus, concordia quadam testandi, Pater, Verbum, Spiritus, unitate prætereа naturæ.* Nam, ut ait Innocent. III. in Conc. Lateran. *inter Creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos major sit dissimilitudo notanda.*

9. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.] q. d. Si testimonio hominum fidem adhibemus, multo magis fidem adhibere debemus testimonio Dei de Christo, quia majus est, tum dignitate et auctoritate, tum veritate et certitudine; est enim testimonium Dei, qui omnes homines et angelos in immensum superat majestate et veracitate, adeoque est ipsa prima et summa veritas, quæ mentiri, falli aut fallere nequit. Quocirca asseverat Paulus Rom. 3. 4. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Porro testimonium Ecclesiæ, Apostolorum et Prophetarum est testimonium Dei; Ecclesia enim regitur à Spiritu sancto, qui est Spiritus veritatis : ac *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*, ait S. Petrus 1. epist. 1. v. 21. Sic Joannes Baptista à Deo missus fuit, ut esset testis et præco Christi : Joann. 1. 7. Sic elementa omnia, saxa fissa in morte Christi, terra contremiscens, sol et luna cum sideribus obscurata, mortui resurgentes, vim Christi divinam sententia ei testimonium perhibuerunt. Unde D. Thom. serm. 1. de Pentecoste numerat duodecim testes Christi : Christum enim testimonium habuisse, primo, à Deo Patre; secundo, à Filio; tertio, à Spiritu sancto; quarto, ab angelis; quinto, à Sanctis; sexto, à miraculis; septimo, à cœlo; octavo, ab aere; nono, ab aqua; decimo, à terra; undecimo, ab igne; duodecimo, ab inferno. Testimonia ergo Dei de Christo credibilia facta sunt nimis, adeo ut fideles, si fallantur, dicere possint : *Si fallimur, à Deo decepti sumus*, ait Richard. Victor lib. 1. de Trinit. c. 2.

Quoniam hoc est testimonium Dei quod majus est.] Vox *quoniam* non tam est causalis, quam exegetica et explicativa, idemque valet quod *porro*, vel *autem*. q. d. Hoc autem *est testimonium Dei*, etc. *quoniam*, id est quod (Græce enim est pronomen relativum ην) *testificatus est de filio suo;* dum scilicet in baptismo Christi aliasque sæpe testatus est, et dixit de Christo : *Hic est Filius meus, ipsum audite*, ut dixi vers. 7. Porro *testimonium* hic idem est quod veritas à Deo testata. Est metonymia, de qua mox.

10. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se.] Primo, quia habet in se rem testatam à Deo, puta hanc veritatem quod Christus sit Filius Dei.

Secundo, quia habet in se ipsum Dei testimonium, ipsumque Deum attestantem. Ideo enim credit Christum esse Filium Dei; quia credit Deum hoc revelasse, Deumque hoc esse testatum per Prophetas, Apostolos, miracula, etc. objectum enim formale fidei est Dei revelatio : ideo enim credimus articulis fidei, quia credimus eos à Deo, qui est prima et infallibilis veritas, esse revelatos et testatos.

Tertio, testimonium hoc est ipsa fides, qua credimus testimonio Dei, ut sit metonymia, qua objectum ponitur pro habitu vel actu tendente in objectum. q. d. Qui credit habet singulare Dei donum, puta fidem quæ includit testimonium Dei, Deumque attestantem, quod eum mire ornat et roborat ad Christi confessionem, et cultum retinendum et propagandum.

Quarto, hoc testimonium accipi potest de ipsa credentis regeneratione, adoptione, gratia et gloria. q. d. Qui credit in Filium Dei, hic habet in se testimonium Dei, quo scilicet Deus attestatur ejus animæ et conscientiæ ipsum per hanc fidem qua in Christum credit, eique obedit, esse fidelem, justum, filium, et hæredem Dei, cohæredem autem Christi. Unde idipsum explicans S. Joannes mox subdit v. 11. *Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus, et hæc vita in filio ejus est.* Ita Beda et Œcumen.

Qui non credit Filio, mendacem facit eum.] q. d. Sicut qui credit Filio, Deique de eo testimonium recipit, hic veracem facit Deum eumque honorat et colit; credendo enim Deo, testatur Deum esse primam et infallibilem veritatem : ita ex adverso, qui non credit Filio, Deique de eo testimonium respuit, hic mendacem facit Deum, eique gravem ignominiam et injuriam irrogat. Reipsa enim dicit Deum, qui dicit Christum esse filium suum, mentiri, quod est blasphemia execranda.

Nota. Pro *credit* græce est πεπιστευκεν, id est, *credidit*, in præterito; sed Joannes præteritum more Hebræo usurpat pro quovis tempore. *Credit* ergo, id est credit, credidit, credet. Sic pro *facit* græce est πεποιηκεν, id est *fecit*, hoc est, facit, fecit, faciet.

11. Et hoc est testimonium, q. d. Hæc est pars, æque ac fructus testimonii Dei jam dicti, nimirum quoniam (quod) vitam æternam dedit nobis Deus, et hæc vita in Filio (per Filium, puta per fidem in Filium) ejus est.] Hoc ipsum enim est primo, pars testimonii Dei de Christo; Deus enim non tantum testatus est Christum esse filium suum, sed et eum esse nostrum salvatorem et redemptorem, ita ut qui credit in ipsum justificetur, et acquirat vitam spiritualem gratiæ et gloriæ. Ita Glossa et Thomas Anglicus.

Secundo, hoc ipsum est finis et fructus testimonii, hoc est fidei, qua credimus testimonio Dei testantis Christum esse filium suum, nimirum quod per hanc fidem obtineamus vitam gratiæ et gloriæ. Alludit et quasi citat Joannes illud sui Evangelii c. 17. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Vide quæ de hac Christi vita dixi c. 1. v. 2. Ita Lyran. et Glossa. Simili phrasi dixit S. Joan. c. 4. 9. *In hoc* (id est, ad hoc, hoc fine et fructu) *apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum*, et vers. 13. *In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, et ipse*

in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis, et vers. 17. *In hoc* (id est hoc fructu) *perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii.*

Porro Deus dedit nobis vitam æternam, inquit Beda, *sed adhuc in terra peregrinantibus in spe, quam daturus est in cœlis ad se pervenientibus in re.* Voce ergo *dedit* significat S. Joannes firmitatem et certitudinem promissionis divinæ, æque ac spei nostræ; quod scilicet ita certi simus de vita æterna, si in fide et obedientia Christi perseveremus, perinde ac si actu ea de nobis data esset, eamque reipsa possideremus. Hinc ait Paulus: *Spe salvi facti sumus*, Roman. 8. 23. et Hebr. 6. 17. *Abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem: quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introivit Jesus, secundum ordinem Melchisedec pontifex factus in æternum.*

Hanc vitæ æternæ fidem et spem repræsentarunt prisci Christiani per phœnicem, qui moriens fertur renasci et resurgere in vitam vegetam et juvenilem, teste Lactantio in Carm. de Phœnice; quocirca eum in sepulcris fidelium depingebant. Ita S. Cæcilia, ut habet ejus acta, jussit ut in sarcophago S. Maximi Martyris sculperetur phœnix, ad indicium fidei ejus, qui resurrectionem se inventurum phœnicis ad instar credidit. Sic et Romæ in cryptis subterraneis, multorum fidelium tumulis insculptus visitur phœnix, quasi resurrectionis et vitæ æternæ symbolum: Christus enim resurgens in vitam æternam, noster est phœnix, qui Christianos resuscitans in eamdem vitam, eosdem pariter faciet phœnices.

12. QUI HABET FILIUM (per fidem, amorem et obedientiam, credendo, amando et obediendo illi, itaque manens in Deo, et Deus in eo, uti dixit c. *h.* v. 16.) HABET VITAM,] gratiæ in re, gloriæ in spe. Alludit ad illud sui Evangelii c. 3. 35. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Ita Paulus Galat. 2. 20. *Christo*, inquit, *confixus sum cruci: vivo ego jam non ego, vivit vero in me Christus.* q. d. ait S. Gregor. hom. 32. in Evang. *Extinctus est sævus ille persecutor, et vivere cœpit pius prædicator. Ego quidem à memetipso extinctus sum, quia carnaliter non vivo; sed tamen essentialiter mortuus non sum, quia in Christo spiritualiter vivo.* Nam, ut ait S. Dionys. c. 4. de Divin. nom. *Ecstasin facit divinus amor, amatores suo statu dimovet, et sui juris esse non sinit, sed in ea quæ amant penitus transfert: idcirco et Paulus ille magnus cum divino amore flagraret, excessivæ illius virtutis particeps factus. Vivo* (inquit) *jam non ego, vivit vero in me Christus, tanquam verus amator mentis excessum patiens*, et Gregorius Nyssenus hom. 5. in Cant. *Mihi*, inquit, *vita Christus est: hisce verbis tantum non clamat Apostolus, nullam in se affectionem humanam vivere, non fastum, non timiditatem, non voluptatem, non dolorem, non iram, non metum, non audaciam, non injuriarum memoriam, non invidiam, non vindictæ, avaritiæ, honoris aut gloriæ cupidinem; sed his omnibus abrasis solus* (inquit) *ille mihi superest, qui nihil est horum, qui est ipsa sanctificatio, et puritas et immortalitas, et lumen et veritas, qui pascitur inter lilia in splendoribus Sanctorum.*

13. HÆC SCRIBO VOBIS, UT SCIATIS QUONIAM VITAM HABETIS (inchoate per fidem, puta in spe, unde Thomas Anglicus legit *habebitis*) ÆTERNAM QUI CREDITIS (fide viva quæ per dilectionem operatur) IN NOMINE FILII DEI,] hoc est, nomini Filii Dei puta ipsi Filio Dei. *Nomen* enim ponitur pro re nominata et per nomen significata, metonymice. Alludit ad illud sui Evangelii c. 20. v. 31. *Hæc autem scripta sunt ut credatis, quoniam Jesus est Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Græca hic addunt, *ut credatis in nomine Filii Dei.* Unde Kemnitius carpit Latinam Vulgatam quasi mutilam. Sed respond. illa verba redundare in Græco, etiam teste Erasmo; nam cum dictum sit: *Hæc scribo vobis qui creditis in nomine filii Dei*, quorsum additur et iteratur: *Ut credatis in nomine Filii Dei?* Hoc enim est battologia, et inanis ac verbosa ejusdem rei repetitio.

Recenset hic S. Joannes tres fructus vivæ fidei in Christum. Primus est, vita æterna hoc versu. Secundus, fiducia impetrandi quidlibet à Deo, v. 14. Tertius, est plena peccati fuga, et moralis quasi impeccabilitas, v. 18.

14. ET HOC EST FIDUCIA. (Hic est secundus fidei fructus; fides enim parit fiduciam) QUIA QUODCUMQUE (id est, ut Græca habent et Vatablus, *quod si quid*) PETIERIMUS SECUNDUM VOLUNTATEM EJUS, quod scilicet ejus voluntati et legi conforme est, puta pertinens ad Dei gloriam et nostram salutem, AUDIT NOS,] id est, exaudit nos, et petita largitur. Hugo et alii nonnulli legunt, *audiet nos*, vide dicta c. 3. 21. Vere S. Aug. tract. 73. in Joan. *Quodcumque petimus*, inquit, *adversus utilitatem salutis, non petimus in nomine Salvatoris*, et alibi: *Manendo quippe in Christo, quid velle possunt, nisi quod convenit Christo? Quid velle possunt manendo in Salvatore, nisi quod non est alienum à salute?*

15. ET SCIMUS, etc.] Græca addunt ἐὰν, id est *si*, tuncque oratio totius versus magis est connexa. Unde Tigur. ex Græco sic vertit: *Et si scimus quod audit nos, quidquid petierimus, scimus quod habemus petitiones* (id est, res petitas, puta ea quæ petimus) *quas postulavimus ab eo;* et Syrus: *Quod si persuasum habemus quod audit nos, quidquid petierimus ab eo, confidimus nos jam recepisse petitiones nostras, quas postulavimus ab eo.* Juxta Græca ergo liquet non esse inanem hic ejusdem rei iterationem, nec etiam juxta Latinam nostram editionem: ea enim precandi studium excitat et inflammat, ait Beda. Addit Didymus S. Joannem loqui de se suisque similibus: idipsum enim expertum esse crebro se quidquid à Deo postularet, protinus impetrare. Idipsum experiuntur qui magna confidentia, instantia et perseverantia Deum precantur.

Audi S. Gregor. in psalm. 6. Pœnitent. *De profundis clamavi ad te. Non ait: Clamo, sed Clamavi; habes, in hoc perseverantiæ documentum, ut, si primo non exaudiris, ab oratione non deficias, imo precibus et clamori insistas. Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci; ideo tibi dicit: Regnum Dei vim patitur, et violenti rapiunt illud. Esto ergo sedulus in oratione, esto in precibus importunus, cave ne ab oratione deficias. Si dissimulat audire quem rogas,*

esto raptor, ut regnum cœlorum accipias; esto violentus, ut vim etiam ipsis inferas cœlis : quid hac rapina locupletius? quid hac gloriosius violentia? Bona violentia qua Deus non offenditur, sed placatur; proximus non lœditur, sed juvatur; peccatum minuitur, non multiplicatur. Vide in eumdem Psalm. S. Chrysost. Idem Chrysost. l. 1. de Orando Deo, orationem vocat animæ vitam, ac proinde animam orationis expertem ait esse mortuam. Et mox orationem vocat nervos animæ : *Sicut enim*, inquit, *corpus nervis cohæret, currit, vivit, stat et compactum est, adeo ut, si nervos incideris, universam corporis harmoniam dissolveris; itidem animæ per sanctas preces sibi constant et compinguntur. Quid si te ipsum destitueris deprecatione, perinde feceris ac si piscem ex aquis extraxeris : ut enim pisci vita est aqua, ita ibi deprecatio; per hanc datur velut ex aquis subvolare, cœlumque transcendere.* Rursum alibi : *Magna arma sunt preces, magna securitas, magnus thesaurus, magnus portus, refugii locus : oratio enim colloquium est cum Deo, quod ut scias, audi Prophetam dicentem : Jucundum sit Deo eloquium meum, hoc est, sermo meus appareat Deo.* Et S. Gregor. Nyssen. l. de Oratione : *Oratio*, inquit, *corporum robur est, abundantia domus, recta legum ac juris in civitate constitutio, regni vires, belli trophæum, pacis securitas, diffidentium conciliatio, conjunctorum conservatio; oratio virginitatis sigillum est, matrimonii fides, viatoribus scutum, dormientium custos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, navigantium salus, ejusdem cum angelis honoris conditio, præsentium fructus, futurorum repræsentatio.* Huc accedit S. Ephrem Syrus : *Desidera*, inquit, *orationem, familiare cum Deo colloquium; omnis enim oratio sancta et pura cum Deo familiariter agit. Oratio autem perfecte Deum desiderantium magna cum lætitia, fiduciaque multa, ipsum etiam cœlum jugiter penetrat. In ipsa Angeli atque Archangeli exultant et coram throno sancti et excelsi universorum Domini illam statuunt.*

16. QUI SCIT FRATREM SUUM PECCARE PECCATUM NON AD MORTEM, PETAT, ET DABITUR EI VITA PECCANTI NON AD MORTEM (S. Ambros. lib. 1. de Pœnitent. cap. 9. et Tertull. de Pudic. c. 2. legunt, *quia non peccat ad mortem.*) EST PECCATUM AD MORTEM, NON PRO ILLO DICO (S. August. loco mox citando legit, *non præcipio*) UT ROGET QUIS.] q. d. Dixi eum qui credit in Christum fiducialiter orando quidvis impetrare à Deo; unde infero addoque : Si quis sciat fratrem peccare quodlibet peccatum, obsecret pro eo, et dabit ei Deus pœnitentiam, veniam et vitam, tum gratiæ, tum gloriæ. Excipio tamen peccatum ad mortem. q. d. Si frater peccarit peccato non ad mortem, ora pro eo, et certo spera te exauditum iri. Sin autem peccat peccato ad mortem, non ausim spondere, nec certo sperare quod ei veniam impetrabis; non tamen omnino orationem veto : ora, si velis; sed sub dubio impetrandi. Unde S. Ambr. non quivis, ait, de populo, sed vir eximiæ sanctitatis pro tali orare debet.

Quæres quodnam sit *peccatum ad mortem?* Resp. primo : Tertull. lib. de Pudicit. c. 2. et 19. et Armacanus l. 9. quæst. Armen. c. 27. ex hoc loco censent quædam peccata gravissima, qualia fuere dæmonum, cum adhuc essent in via, vere esse irremissibilia etiam in hac vita, et tale censet esse Tertullian. Mœchiam post baptismum commissam. Verum hic est error damnatus in Script. et Concil. Lateran. sub Innocent. III.

Secundo, Origen. homil. 12. in Exod. censet esse peccatum quod ducit in interitum, et in gehennam protrahit.

Tertio, Turrian. lib. 4. Pro epist. Pont. c. 3. censet esse peccatum cui annexa est excommunicatio : excommunicatus enim est impœnitens, et pro excommunicato publica Ecclesiæ oratione orare non licet. Verum S. Joannes negat pro tali orandum oratione qualibet, etiam privata.

Quarto, S. August. lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 22. et serm. 59. de Temp. eumque secutus Beda hic, censent esse peccatum invidentiæ, quo quis invidet fratri gratiam, virtutem et salutem : *Cum post agnitionem Dei*, inquit, *oppugnant fraternitatem, et adversus ipsam gratiam quareconciliati sunt Deo, invidiæ facibus agitantur.* Verum idipsum moderatur et restringit S. August. lib. 1. Retract. c. 19. Unde

Quinto, idem S. August. ibid. et lib. de Corrept. et gratia c. 12. et S. Gregor. lib. 6. Moral. cap. 31. Gelasius lib. de Anathem. Pacianus epist. 3. Beda, Lyran. hic, Magister in 2. sent. dist. 43. et S. Thom. 3. p. q. 86. art. 1. ad 2. ibidem Valentia, Suarez et alii, putant esse peccatum in quo quis ad mortem usque perseverat. Noster Lorinus censet esse peccatum odii et homicidii, quo quis sibi vel aliis mortem consciscit : de eo enim dixit Joannes c. 3. 15. *Qui odit fratrem suum homicida est.* Alii censent esse peccata reproborum et damnandorum. Sed incertum est quinam et quænam illa sint; Joannes autem ait : *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem.*

Sexto, Glossa censet esse quodvis peccatum mortale. Pro hoc enim orare quasi ex officio solius est sacerdotis, ad cujus examen castigari debet peccator; cum pro venialibus orare possit quivis laicus. Sic et Cassianus collat. 11. c. 10. et Origen. homil. 12. in Exodum. Favet et Syrus qui vertit, *peccatum quod non condemnat ad mortem.* Verum contrarium significat Joannes, dum subdit : *Et dabitur ei vita*, hoc enim innuit eum loqui de peccato mortali, non veniali, cum jubet orari pro peccato, quod non est ad mortem.

Septimo, S. Hieron. in c. 14. Jeremiæ censet esse peccatum gravius, quod Deus punire decrevit. *Qui enim semel*, inquit, *gladio, fami et pesti fuerit destinatus, nullis precibus erui potest. Unde et Prophetæ dicitur : Ne frustra roget, quod impetrare non potest.* Sic et S. Bernard. de Grad. humil. cap. ult. Bonavent. in 2. dist. 43. dub. 1. ibidem D. Thomas, et Suarez 3. p. tom. 4. disp. 8. sect. 1.

Octavo, Dionys. censet esse peccatum finalis impœnitentiæ. Unde Roffensis art. 17. contra Lutherum hinc probat Purgatorium, quia scilicet S. Joannes orandum dicit pro iis qui non sunt finaliter impœnitentes, hoc est, qui decedunt justi vel pœnitentes, utique non ob aliud nisi ut pœnis Purgatorii liberentur; pro impœnitentibus autem non esse orandum, nisi aliud suadeat peculiaris Dei revelatio, ex qua S. Agnes amasium ab angelo occisum orando resuscitavit. Sic ferunt S. Greg. orasse pro anima Trajani Imper. eique salutem impetrasse. Verum hæc est fabula, ut recte ostendunt Baron. Bellarm. et alii.

Nono, Anastasius Nicenus qu. 58. in Script. censet esse peccatum in Deum, v. g. blasphemiam, de quo dicitur 1. Reg. 2. 25. *Si peccaverit quis in Deum, quis orabit pro eo?* De quo S. Hieron. l. 2. contra Jovin. *In Deum*, ait, *peccare, id est, ab ejus cultu recedere, impietatis peccatum est difficiliorque remissio.* Aut esse peccatum quod quis sciens committit : pro hoc enim non esse orandum, quia peccans seipsum potest corrigere et convertere cum gratia Dei.

Decimo, Gagneius censet esse peccatum apostasiæ et infidelitatis, qua quis fide ad hæresin vel idololatriam desciscit.

Undecimo, S. Hilarius in Psalm. 140. censet esse peccatum quod destinato, et ex malitia committitur.

Duodecimo, S. Ambros. lib. 1. de Pœnitentia c. 8. et 9. censet esse quodvis peccatum gravissimum, quod vix remittitur. Œcumen. censet esse propositum perseverandi in quolibet peccato, v. g. in retinenda et vindicanda injuria.

Pleræque hæ sententiæ veræ sunt, et ex parte rem attingunt, imo eodem vergunt, sed punctum difficultatis pauci acu tangunt, uti mox liquebit.

Mea sententia est, *peccatum ad mortem* esse quodvis gravissimum, quod ob sui enormitatem, vel consuetudinem, obstinationem et malitiam, juxta legem communem per gratiam quam Deus ordinarie dare solet, est quasi immedicabile, incorrigibile et insanabile. Sic peccatum Judæ quo prodidit Christum, fuit peccatum ad mortem, quia adegit eum ad desperationem et laqueum, mortemque præsentem et æternam. Sic peccatum Sodomorum fuit peccatum ad mortem ; quia enorme, et ob consuetudinem obstinatam incorrigibile, ideoque cœlesti igne punitum. Sic peccatum Judæorum blasphemantium et occidentium Christum fuit peccatum ad mortem, quia immane et pertinax, ideoque communi gentis excidio per Titum vindicatur, uti eis prædixerat et comminatus erat Christus : et ante Christum Isaias intonans c. 1. 4. *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis! dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas; vulnus et livor et plaga tumens.* Et Jerem. c. 6. v. 29. *Frustra consflavit conflator : malitiæ enim eorum non sunt consumptæ. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos.* Et cap. 30. 22. *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua, non est qui judicet judicium tuum ad alligandum, curationum utilitas non est tibi.* Hæc est sartago ferrea Hierosolymæ, quam vidit Ezechiel c. 4. v. 3. Itaque peccatum ad mortem est peccatum palmare et immedicabile, cujus desperata est venia et salus, quodque adeo iram Dei provocat, ut communes Sanctorum preces illam placare nequeant, ideoque ipsum pene certo et infallibiliter peccantem ad mortem tum corporis tum animæ, puta in gehennam, comitatur et deducit, nisi insignis aliquis sanctus, et quasi novus Moses, ei extraordinariam gratiam et veniam à Deo impetret. Sicut enim peccatum mortale dicitur, quod animam privat gratia quasi vita, itaque ei mortem spiritualem, sed primam affert ; ita peccatum ad mortem, sive mortiferum hic dicitur, quod ei mortem secundam, puta damnationem, conciliat. Rursum, sicut vulnus vel infirmitas ad mortem dicitur, quæ ægrotanti mortem corporalem infert : sic peccatum ad mortem vocatur, quod ei mortem spiritualem irrogat, puta quod ad mortem durat, indeque peccantem transmittit ad mortem æternam in gehenna. Sicut ergo medicus accitus ad ægrotum, eumque explorans dicit : Nequeo eum curare, ægrotat ad mortem, partes vitales læsæ sunt, desperatum est de ejus salute, morbus est lethifer, sic fidelis, ait S. Joannes, viso apostata et hæretico dicat : Non ausim pro eo orare : peccat enim peccato ad mortem, partes vitales læsæ sunt, abjicit fidem quæ est principium vitæ spiritualis, desperatum est de ejus salute. *peccatum est invisceratum*, ait S. Gregor. lib. 6. in Reg. ideoque mortiferum, dæmoniacum et gehennale. Hæc est mens et sententia S. Augustini, Hieronymi, Origenis, Œcumenii, Bernardi, Bonaventuræ, S. Thomæ, S. Hilarii et Gagnei locis jam citatis, et S. Cypriani de Exhort. Martyr. cap. 4. Alludit S. Joan. ad illud S. Job c. 24. 19. *Usque ad inferos peccatum illius*, scilicet deducet peccantem, et ad illud Christi ad Pharisæos sibi incredulos Joann. 8. vers. 21. et 24. *Ego vado, et quæretis me, et in peccato vestro moriemini.* Ex quo loco colligimus, licet peccatum ad mortem sit varium et multiplex, uti impœnitentia, obstinatio, propositum perseverandi in peccato quolibet usque ad mortem, etc. proprie tamen S. Joannem per peccatum ad mortem respicere et intelligere peccatum, quo quis fidelis à Christi fide et Ecclesia discessit, illamque malitiose impugnat, aliosque ab illa ad suam hæresim, vel idololatriam traducere et pervertere satagit, quod illo Joannis ævo nonnulli faciebant, magno ejus dolore, metu et mœrore. Quare ut ab eo fideles deterreat, vocat illos peccatores ad mortem.

Id ita esse colligimus primo, ex Evangelio S. Joann. c. 8. 24. jam citato, ubi sic Pharisæis obstinate sibi resistentibus, ait Christus : *Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis vestris. Si enim non credideritis quia ego sum* (Messias Salvator) *moriemini in peccato vestro.* Ergo peccatum ad mortem fratris, id est fidelis est illud quo quis apostatans à fide amplius non credit in Christum, et in hac perfidia obstinate vult permanere usque ad mortem. Unde dicitur hoc peccatum *ad mortem.* Primo, quia solet durare per totam vitam, usque ad mortem. Secundo, quia ad mortem gehennæ quasi certo deducit. Tertio, quia aufert fidem, quæ est fundamentum et principium vitæ spiritalis ; reliqua enim peccata, quia peccatori relinquunt fidem, hinc relinquunt ei aliquid vitæ spiritalis, et spem resurgendi : hoc vero peccatum, quia fidem aufert, hinc peccatori tollit omnem vitam, omnemque spem pœnitendi et resurgendi. Quarto, quia à Deo ordinarie non remittitur, sed destinatur ac addicitur morti præsenti et æternæ. Alludit ad illud de Nabuchodonosor dictum Jeremiæ 43. 11. *Percutiet terram Ægypti ; quos in mortem, in mortem; et quos in captivitatem, in captivitatem, et quos in gladium, in gladium.* Et c. 17. 1. *Peccatum Judæ scriptum est stylo ferreo, in ungue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum.* Quo loco S. Greg. *In ungue*, inquit, *finis est corporis; ita vero lapis durus est adamas, ut ferro non valeat secari. Per stylum vero ferreum fortis sententia, per unguem vero adamantinum finis signatur æternus. Peccatum itaque Judæ*

stylo ferreo, in ungue adamantino scriptum dicitur; quia culpa Judæorum per fortem Dei sententiam in fine servatur infinito.

Secundo, idipsum colligitur ex eo, quod S. Joannes tota hac Epistola non aliud inculcat, quam fidem et amorem Christi, ac amorem fraternum; quare videtur peccatum ad mortem utrique opponere, ac consequenter per illud intelligere apostasiam à Christo et Ecclesia, quæ non est aliud, quam cœtus fratrum, puta fidelium in fide, cultu et amore Christi conspirantium.

Tertio, quia hoc apostatarum peccatum taxant S. Petrus epist. 2. toto c. 2. S. Judas tota Epistola, S. Joannes c. 3. v. 1. et seq. S. Paulus Hebr. 4.

Quarto, quia hoc peccatum est enorme et incorrigibile, tum quia est peccatum ex certa scientia et malitia; tum quia directe contra Christum et Ecclesiam committitur; tum quia apostata post tot à Christo recepta beneficia ingrate et imprudenter illum, illiusque dona aspernatur, conculcat, profanat, impugnat; itaque fontes divinæ gratiæ et clementiæ sibi claudit, omnemque medicinam et medium ad remissionem excludit. Opponit enim se directe Christo, à quo solo speranda est salus; eumque à se abigit, imo blasphemat, à quo solo curari potest et debet; sicut morbus dicitur incurabilis, qui medicinam, et cibum non admittit. Unde Paulus ad Hebræos 6. v. 4. *Impossibile*, ait, *est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes Filium Dei, et ostentui habentes.* Et cap. 10. v. 24. *Non deserentes collectionem* (Ecclesiam, cœtum fidelium) *nostram, sicut consuetudinis est quibusdam*, etc. *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccato hostia; terribilis autem quædam exspectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. Irritam quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit.*

Quinto, quia S. Joannes passim Christum vocat vitam nostram, eo quod per fidem et gratiam ejus ducimur et tendimus ad vitam æternam; peccatum ergo ad mortem, est infidelitas in Christum, qui est vita nostra. Sicut enim fides Christi est vita animæ, ita infidelitas in eumdem est mors animæ. Audi S. Joannem in Evang. cap. 5. 24. *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non venit, sed transiit à morte in vitam*, etc. Et c. 11. 25. dicit Christus Marthæ: *Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet, et omnis qui vivit et credit in me non morietur in æternum*, etc.

Ex dictis patet peccatum ad mortem distingui à blasphemia in Spiritum sanctum, de qua Matth. 12. 31. licet hæc illi sit cognata et affinis. Nam Christus Matth. 12. vocat peccatum in Spiritum sanctum blasphemiam Scribarum, qui calumniabantur miracula Christi, ejusque opera divina et sancta, ut ejectionem dæmonum, quæ faciebat vi et virtute Spiritus sancti, eaque ascribebant spiritui immundo, puta Beelzebub et dæmoni, idque scienter et ex malitia. Facile enim scire poterant et debebant illa fieri à Spiritu sancto, non à dæmone. Christus enim opponit blasphemiam hanc in Deum et Spiritum sanctum blasphemiæ in Filium homini, qua nonnulli offensi humana conversatione et familiaritate Christi, facta ejus humana calumniabantur; vocantes eum vini potorem, amicum publicanorum, etc. quod proinde minus et excusabilius erat peccatum, ideoque minus venia indignum, et facilius remissibile, ita Hieron. Chrysost. Ambr. et alii passim in Matth. 12. vel Lucæ 12. Sicut ergo illa erat blasphemia in Spiritum sanctum; ita hic peccatum ad mortem est blasphemia et perfidia in Christum; et sicut illa difficile remittitur, ita et hæc.

Anagog. peccata ad mortem sunt peccata blasphemiæ, iræ, desperationis, maledicentiæ damnatorum et dæmonum in inferno; hæc enim est mors secunda, Apoc. 20. 14. Hi enim sunt sicut oves in inferno, ubi mors depascet eos in æternum.

Tropolog. peccatum ad mortem est, primo, apostasia ab Ordine, vel Religione, cum scilicet quis sacerdos, vel Religiosus à suo statu et gradu apostatat, fitque laicus, vel sæcularis; hoc enim peccatum durare solet usque ad mortem, et apostatantem ducere in gehennam. Quin et Deus tales in hac vita solet punire subitanea vel misera et infami morte, ut hos gladio, illos laqueo, alios igne, etc. plectat. Vide Hier. Platum l. 3. de Bono status relig. c. 37. et Dion. Carthus. in Scala cœli.

Secundo, peccatum ad mortem est obstinatio, propositum perseverandi in peccato, v. g. odio, rixa, concubinatu; habitus et consuetudo peccandi. Unde discas quam perniciosum sit induere pravum habitum et consuetudinem: hæc enim per omnem vitam durat usque ad mortem præsentem et æternam: consuetudo enim est altera natura; et qualis homo vivit, talis et moritur, ait S. August. Hoc est quod ait Jerem. c. 13. 23. *Si potest Æthiops mutare pellem suam, et pardus varietates suas; ita et vos poteritis benefacere cum didiceritis malum.* Vide ibi dicta. Consuetudo enim inducit dedolentiam, ut peccator nullum peccati habeat sensum, nullum scrupulum, nullum remorsum, ac tandem peccatum putet non esse peccatum, juxta illud Jerem. c. 5. 3. *Percussisti eos, et non doluerunt; attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam; induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti.* Et Isaias c. 5. 20. *Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum; ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum!* Tales sunt in peccato ad mortem; quia anima eorum exiguo tantum muro corporis distat à morte gehennæ.

Hoc peccatum non est cujusvis curare, sed solius Christi. Sic enim peccans similis est Lazaro, de quo ait Martha ad Christum Joann. 11. 39. *Domine, jam fœtet, quatriduanus est enim.* Unde Jesus magno molimine lacrymans, suspiciens in cœlum, magnaque voce clamans: *Lazare, veni foras*, eum suscitet oportet.

Tertio, peccatum ad mortem est odium et invidia; hoc enim fratri sæpe mortem temporalem, et peccanti semper mortem spiritualem,

ac sæpe æternam affert; quod peccatum quasi Cain et diaboli, insectatus est S. Joannem cap. 3. 12.

NON PRO ILLO DICO UT ROGET QUIS.] Ita Græca et Latina, licet S. Gregor. lib. 6. in lib. Reg. cap. 2. legat: *Pro eo ne oret quis.* Sensus est, q. d. Non prohibeo quidem pro tali orare, sed non audeo polliceri quod impetrabit; ideo *non dico ut roget quis*, nimirum cum illa certa fiducia impetrandi, de qua v. præcedenti dixi cætera esse petenda et impetranda. Nam sæpe Deus orantes pro peccato ad mortem, utpote gravissimo et incorrigibili, non exaudit, juxta illud Jerem. 7. v. 16. *Noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te.* Ita Bellarm. l. 2. de Pœnitent. c. 16. in fine, et Toletus in Lucæ 12. Annot. 21.

Aliqui sic exponunt: *Non pro illo*, scilicet peccato ad mortem, *dico ut oret quis*, ut S. Joannes pro peccato, non autem pro peccatore, orandum neget, quasi indicet ejus peccati pœnam luendam esse à peccatore, atque idcirco illam non esse deprecandam. Verum hoc subtilius quam solidius dicitur; tam enim pro peccatore, quam pro peccato ad mortem; tamque pro culpa, quam pro pœnæ debitæ remissione non esse orandum indicat Joannes, cum de peccante ad mortem ait: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat et dabitur ei vita*, scilicet gratiæ, quæ opponitur culpæ, non pœnæ.

Porro S. Bernard. de Gradibus humilit. cap. ultim. *Pro tali, inquit Joannes Apostolus, non dico ut quis oret.* Sed numquid dicis, Apostole, ut quis desperet? *Imo gemat qui illum amat, non præsumat orare, nec desistat plorare*, uti Martha et Magdalena plorabant mortem Lazari, et plorando impetrarunt ejus resuscitationem; quia humilitas, lacrymæ, verecundia, *fides aliquando recipit quod oratio non præsumit.*

17. OMNIS INIQUITAS PECCATUM EST, ET EST PECCATUM AD MORTEM.] Græca et Syrus addunt negationem, leguntque: *Et est peccatum non ad mortem.* q. d. Omnis iniquitas est peccatum, sed non est peccatum ad mortem, quia per pœnitentiam, Deique gratiam medicabilis et sanabilis est. Unde Cajetanus audet asserere textum Latinum, qui caret negatione, esse corruptum. Verum constanter Latina expungunt negationem, tum quia sensus magis commodus et connexus est. Ponit enim et opponit duas species peccati; unam quæ est ad mortem, alteram quæ non est ad mortem, sed est communis et venialis iniquitas. Sensus ergo est, q. d. Omnis quidem iniquitas est peccatum, sed non omnis est ad mortem; quia peculiare peccatum est quod, uti dicitur, ita est quoque peccatum ad mortem. Pro iniquitate cuilibet cum certa impetrandæ veniæ fiducia orandum est; pro peccato ad mortem non item, uti paulo ante dixi. Vide dicta c. 3. *h.*

Pro *iniquitas* græce est ἀδικια, id est *injustitia*, quæ proprie justitiæ opponitur. Aristot. in Prædicam. Qualitatis: δικαιοσυνη, inquit, ἀδικια ἐναντιον, id est, *justitia injustitiæ contrarium est.* Sed sicut in Scriptura, quin et apud Aristot. et Ethicos justitia sæpe generatim sumitur pro qualibet virtute, sic et injustitia sive iniquitas capitur pro quolibet peccato, improbitate, scelere et maleficio. Ita hic accipitur.

18. SCIMUS QUIA OMNIS QUI NATUS EST EX DEO, NON PECCAT; SED GENERATIO DEI CONSERVAT EUM.] Legit interpres: γενεσις ἐκ του Θεου τηρει αυτον, jam legunt γεννηθεις ἐκ του Θεου τηρει ἑαυτον, id est, *genitus ex Deo servat seipsum*, scilicet virtute accepta à generatione divina, sic et Syrus.

ET MALIGNUS NON TANGIT EUM.] Hic est tertius fructus fidei vivæ, sive regenerationis, qua quis per fidem et gratiam renatus est in Christo, scilicet præservatio à peccato saltem graviori et mortali, et consequenter à vi et potestate maligni puta diaboli. Hæc explicui c. 3. v. 6. et 9. ubi idem imo amplius dixit S. Joannes, scilicet quod talis non possit peccare, nimirum quantum est ex parte gratiæ per generationem divinam acceptæ, si ejus inclinationem et ductum sequatur, sicut qui in tenebris sequitur lucernam, et lumen prævium, errare et impingere nequit. Audi Œcumen. Indicare voluit S. Joannes: *Eum qui adoptatus à Deo in filium est, neque ad mortem, neque non ad mortem unquam esse peccaturum; quippe cum semel inhabitanti in se per adoptionem Christo sese dediderit, intactus atque impollutus à peccato permansurus sit.* Et mox: *Hac nos gratia dignatur, ut, si nos donum ejus nobis diligenter custodiamus ac conservemus, possimus etiam non peccare*, dum scilicet possumus, ac volumus in gratia Dei constanter perseverari. Vide S. Aug. de Corrept. et gratia c. 12. S. Bernard. serm. 23. in Cantic. et serm. 1. de Septuag. ubi hæc adaptat prædestinatis et electis ad gloriam. Hos enim generatio Dei conservat à peccato, et licet aliquando peccent, uti S. Petrus negando Christum, et David adulterando; tamen mox resurgunt, ut charitas non tam deperdi quam obstupescere et soporari in iis videatur. Ita S. Bernardus.

Verum S. Joannes generalius loquitur de quolibet fideli et justo. q. d. fidelis adeo non peccat peccato ad mortem, de quo jam egi, ut omnino non peccet peccato mortali; sed *generatio*, id est, nativitas nova ex Deo, puta gratia *Dei*; per quam regeneratus est, factusque Dei filius, conservat eum. Est metonymia; generatio enim ponitur pro gratia regenerante. S. Gregor. l. 5. in l. 1. Regum, et S. Bernardus loco citato, pro *generatio Dei* legunt *generatio cœlestis.* Per *generationem* S. Gregor. accipit cognitionem divinæ voluntatis, cum ejusdem dilectione; S. Bernard. prædestinationem divinam; Didymus voluntariam regenerationem, quæ fit per spontaneam conversionem et pœnitentiam. Melius alii accipiunt gratiam et charitatem; per hanc enim fit regeneratio et renovatio novi hominis, puta animæ fidelis et sanctæ, ejusque in sanctitate constantia.

Audi S. August. in Psal. 12. tractantem illud Cantic. 8. v. 6. *Fortis est ut mors dilectio. Magnificentius exprimi non potuit fortitudo charitatis; quis enim resistit morti? Resistitur ignibus, undis, ferro; resistitur potestatibus, resistitur regibus, venit una mors, quis ei resistit? Nihil est illa fortius, propterea viribus ejus charitas comparata est; quia enim ipsa charitas occidit quod fuimus, ut simus quod non eramus, facit in nobis quamdam mortem dilectio. Ista morte mortuus erat qui dicebat: Mundus mihi crucifixus est, et ego mundo. Ista morte mortui erant quibus dicebat: Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Eamdem mortis comparationem explicans S. Gregor. hom. 11. in Evang. *Recte*, inquit, *per Salomonem dicitur: Fortis est ut mors dilectio; quia videlicet sicut mors corpus interimit, sic*

ab amore rerum temporalium æternæ vitæ charitas velut insensibilem reddit. Et mox allato B. Agnetis exemplo: *Nec enim*, inquit, *sancta hæc cujus hodie natalitia celebramus, mori pro Domino potuisset in corpore, si prius à terrenis desideriis mortua non fuisset in mente. Erectus namque in virtutis culmine animus tormenta despexit, præmia calcavit, ante armatos reges et præsides invicta stetit, feriente robustior, judicante sublimior.*

ET MALIGNUS NON TANGIT EUM.] Per *malignum* Didymus et Thomas Anglicus accipiunt mundum, qui totus in maligno positus est, ut dicitur v. 19. puta homines mundanos et impios. Melius alii passim accipiunt diabolum : hic per antonomasiam vocatur ὁ πονηρός, id est, *ille malignus et nequam*, hic *non tangit*, id est, non lædit *eum*, scilicet natum ex Deo; Syrus, *non appropinquat ei.* q. d. Deus non permittit diabolum appropinquare justo, aut, si id permittit, non permittit ut eum lædat, trahendo eum ad consensum in peccatum ; imo non permittit ut lædat eum in corpore, nisi ad ejus bonum, virtutem et gloriam, uti permisit Jobum tangi et affligi à diabolo ; vis enim illa quam ex cœlesti illo ortu Sancti perceperunt, in iis perseverat, eosque ita confirmat ac munit, ut nullis dæmonis insidiis decipi, nullis lenociniis illici, nullis minis et terroribus vinci queant. Hoc est quod ait Zachar. c. 2. 8. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Et Psaltes ps. 104. 15. *Nolite tangere christos meos.* Et Paulus : *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum*, 1. Cor. 10. 13. Vide Cassian. Collat. 7. cap. 22. ubi ostendit Christum exarmasse et enervasse diabolum, ut vel vires non habeat ad tentandum fideles, vel modicas et imbecilles, ita ut facile à fidelibus Christi gratia armatis vinci ac superari queat.

19. SCIMUS QUONIAM EX DEO SUMUS, ET MUNDUS TOTUS IN MALIGNO POSITUS EST.] Græce κειται, id est *jacet, situs est.* Per *malignum* primo, valde apposite et genuine diabolum accipit Hugo, Glossa. Dionys. et alii, de diabolo enim vers. præcedenti dixit : *Et malignus non tangit eum ;* et hunc opponit Deo. Est epilogus Epistolæ q. d. Dictorum meorum hæc sit conclusio et summa : impense nobis gaudendum esse, quod ex Deo renati in eo maneamus, vivamus et simus, in eoque agamus vitam puram, sanctam, cœlestem et divinam; cum ex adverso mundus, id est mundani in maligno positi sint, id est, sub misera et tyrannica diaboli potestate ac dominatu oppressi jaceant, in eoque agant vitam impuram, sceleratam, tartaream et diabolicam. Per peccatum enim ex diabolo quasi renati, ipsi se manciparunt ; unde ejus impulsu et arbitrio quasi mancipio aguntur in omne nefas, omnemque miseriam, adeo ut ab eis quasi Deus in idolis coli et adorari velit. Porro errant Manichæi, qui mundum in maligno positum esse censent eo quod à diabolo sit conditus, quasi ille eum condendo ipsi suam malitiam et malignitatem afflarit ; unde docent omnes creaturas corporeas, utpote ab angelo malo creatas, esse malas.

Huc spectat illa nonnullorum congrua explicatio, *mundus totus in maligno*, id est, in idololatria et dæmonum cultu, *positus est ;* talis enim erat ævo S. Joannis. Unde explicans subdit vers. ult. *Filioli, custodite vos à simulacris ;* ex idololatria enim sequuntur omnia vitia et peccata, ut ait Sapiens c. 14. 27. *Infandorum*, inquit, *idolorum cultura omnis mali causa est, et initium et finis.*

Secundo, *malignum* accipi potest pro malitia, pravitate, et improbitate. Unde Salvianus lib. 4. de Providentia legit : *Sæculum totum in malo positum est.* Alludit ad Genes. 6. 5. *Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum ;* græce *super maligna ;* Hebr. *omne figmentum*, vel *imaginatio cogitationum cordis malum.* Totus ergo mundus positus est in maligno, id est in malitia ; et concupiscentia, quæ sollicitat ad omne scelus. Quia enim mundus, id est, omnes homines mundi in Adamo peccante contraxerunt peccatum originale et concupiscentiam ; hinc per eam aguntur ad omne malum. Ita Œcumen. Beda, Lyran. et alii. Unde S. Ambros. in Apolog. David c. 2. *Mundus*, ait, *in maligno positus est, quia omnes homines sub peccato nascuntur, quorum ipse ortus est in vitio.* Mundus ergo est oceanus scelerum et diluvium vitiorum, juxta illud Osee 4. v. 2. *Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt ; et sanguis sanguinem tetigit.*

Leviusculum est quod addit Lyran. et Thomas Anglicus : *Malignus*, inquiunt, dicitur quasi *malus ignis* concupiscentiæ, puta gulæ, luxuriæ, superbiæ ; aut mundus est *in maligno*, id est, *in malo anno* per quod proverbialiter significatur omne infortunium, omnis miseria, omne malum.

Experientia nos docet quàm mundus instar Sodomæ plenus sit cupiditate, superbia, fraude, luxuria, gula, avaritia, omnique malo. Audi S. Prosperum ad Object. Vincent. in 6. *Totus quidem mundus*, inquit, *in maligno positus est, et multorum hominum talis est malitia, qualis est dæmonum*, etc. *Sed hoc inter malos homines distat et dæmones, quod hominibus etiam valde malis superest, si Deus misereatur, reconciliatio ; dæmonibus autem nulla est in æternum servata conversio.* Tum subdit : *Sicut ergo prævaricatoribus angelis non Deus indidit illam, quæ in veritate non stetit, voluntatem ; ita nec hominibus hunc affectum, quo diabolum imitarentur, inseruit*, etc. Salvianus de Providentia : *Merito*, inquit, *totum sæculum esse in malo dicitur, ubi boni locum habere non possunt ; siquidem ita totum iniquitatibus plenum est, ut aut mali sint, qui sunt in illo, aut qui boni sunt, multorum persecutione crucientur.*

Videtur S. Joann. alludere ad tria mundi mala quæ recensuit c. 2. v. 16. scilicet concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, et superbiam vitæ ; in his enim tota totius mundi malignitas consistit. Quocirca qui sapit fugiat è mundo, et mundanorum conversatione, in sanctorum aliquem cœtum se recipiat, sicut Lot è Sodomæ incendio fugiens salvavit se in monte. Audi S. Cyprianum lib. 1. epist. 11. *Ne diabolo*, inquit, *insidianti et sævire cupienti ad nocendum detur occasio, quando et Apostolus dicit : Nolite locum dare diabolo. Liberanda est igitur vigilanter de periculosis locis navis, ne inter scopulos et saxa frangatur ; eximenda est velociter de incendio sarcina, priusquam flammis supervenientibus concremetur. Nemo diu tutus est periculo proximus.* Atque idem de Singular. Cleric. *Adversa est confidentia, quæ periculis vitam suam pro certo*

commendat, et lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati salvari se posse sperat. Incerta est victoria, inter hostilia arma pugnare; et impossibilis liberatio est, flammis circumdari, et non ardere. Verendum est dormienti in ripa ne cadat. In hac parte expedit plus bene timere, quam male fidere; et utilius est, ut infirmum se homo cognoscat, quam fortis videri velit, et infirmus emergat. De qua re præsumptores objurgat Apostolus dicens: Si quis se putat aliquid esse cum nihil sit, seipsum implanat. Pro certo implanator proprius animam suam decipit, qui non cavendo contraria noxiis rebus semetipse immiscuit. Ille autem tutius sibi consulit, qui circa malos semper infidus, species quascumque noxias semper extimescit. Hæc Cyprianus.

Idipsum cœlesti visione repræsentatum est S. Anselmo, ut habet ejus Vita: *Raptus enim in ecstasin vidit fluvium immanem atque præcipitem, in quem sordes omnes, quæ ubique terrarum essent confluerent, ita ut nihil aquis illis turpius ac fœdius fieri posset, quæ etiam quidquid attingerent, raperent, ac devolverent, viros, feminas, divites, inopes. Quod ille spectaculum miratus ac miseratus cum quæsisset quibus ii rebus alerentur, et quomodo viverent, responsum est ei, infelices illos eodem ipso cœno, quo trahebantur, potari et delectari. Quin etiam adjecta est mysterii hujus interpretatio, torrentem illum esse ipsum mundum, in quo cæci mortales suis divitiis, honoribus et reliquis cupiditatibus involvuntur, eumque adeo miseri sint, ut ne consistere quidem possint, ipsos tamen se beatos et fortunatos putare. Ductus est deinde in septum quoddam ampli et spatiosi claustri, cujus omnes parietes argento obducti purissimo mirum in modum nitebant. In medio pratum erat, et in eo herbulæ, non ut vulgares istæ, sed omnes argenteæ, eædemque tamen viventes, et molles, ita ut facile cederent insidenti, eoque surgente per se rursum subrigerentur; aer autem placidus et amœnus, denique omnia adeo jucunda et suavia, ut nihil amplius ad felicitatem optari posse videretur. Atque hoc indicatum est ei esse religiosum statum; ut sine dubio ejusmodi imagine docere voluerit Deus, in mundo omnia esse fœda, incerta, mortifera, semper in præceps ruentia; contra vero in religione omnia pulchra, omnia jucunda, denique omnia ut argentum et candida et pretiosa.* Vide S. Ambros. lib. de Fuga sæculi, et S. Basilium in Regulis fusius explicatis c. 6. et S. Bernardum serm. 3. de Circumcisione.

Tertio, noster Martinus de Roa l. 2. Singular. cap. 2. sic explicat: *Mundus in maligno positus est*, hoc est, in obscuro, lubrico, præcipitique loco, angusto et arduo, ut conveniat cum illo Sapientis: *Cunctæ res difficiles; prætcrit enim figura hujus mundi.* Quid ni ergo in mundo sæpius labamur, et in lapides incurramus? Ita Psal. 36. *Noli*, ait, *æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem*, etc. *Spera in Domino, et fac bonitatem, et pasceris in divitiis ejus.*

Rursus mundus in maligno et malignitate positus est, hoc est, mundani habent cor malignum, id est, primo, sterile velut solum exile et infrugiferum, quod ne cultu quidem maximo et curatione adhibita fœcunditatem accipit. Secundo, habent cor malignum, id est angustum, difficile, morosum, parcum, avarum, quod sese Deo minime dat, nec ad recipiendam ejus magnitudinem explicat, juxta illud Baruch. 1. *Abivimus unusquisque in sensum cordis nostri maligni, operari diis alienis, facientes mala ante oculos Dei nostri.* Hæc enim omnia significat τὸ malignus; ita Servius in illud Virgilii 2. Georg.

Difficiles primum terræ collesque maligni.

Maligni, inquit, id est *infœcundi*. Et Nonius: *Malignus*, inquit, *ager agricolis, illiberalis et minus ferax, is est, cujus angustior est proventus.* Virgil. Æneid. 6. *Lucem malignam dixit pro tenui, parva et obscura. Nam malignum*, inquit Servius, *proprie est angustum*, ut Virgilius, 11. Æneid.

Tenuis quo semita ducit,
Angustæque ferunt fauces aditusque maligni,

id est angusti, obscuri et ardui. Martial. l. 10. ad Avitum.

Tepet igne maligno
Hic focus, ingenti lumine lucet ibi.

Et Juvenalis satyr. 10. maligna appellavit Numina, id est avara, et quæ ab eis peterentur minime concessura. Sic enim ait:

Magnaque numinibus vota exaudita malignis,

hoc est parcis, nec concessuris quæ petebantur. Livius: *Malignitas conferendi ex privato*, hoc est parcitas, etc. Quintil. lib. 11. c. 11. *In laudandis discipulorum dictionibus nec malignus, nec effusus.* Sed Donatus optime in Hecyr. actu I. scena II. *Malignus*, inquit, *est, qui difficultatem sui ostendit.* Sic Esdræ 4. c. 3. dicitur: *Non abstulisti ab eis cor malignum* (id est sterile, saxosum, durum) *ut faceret in eis lex tua fructum.* Hæc Roa. Juxta quem hic erit sensus, q. d. Fidelis ex Deo natus habet cor sanctum, amplum, liberale, sincerum, candidum, divinum; at mundus, id est, mundani habent cor malignum, id est pravum, arctum, avarum, terrestre, fictum, tortum, diabolicum.

20. Et scimus quoniam Filius Dei venit (S. Ambrosius lib. 1. de Fide c. 7. legit, *apparuit*) et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus et vita æterna.] Explicat id quod dixit nos esse ex Deo, ideoque vincere mundum et malignum, ejusque modum assignat, nimirum id factum esse et fieri per Christum. q. d. Deus idcirco misit Filium suum in mundum et carnem, ut per ejus doctrinam divinam daret nobis sensum et cognitionem rerum cœlestium, ut scilicet relictis idolis quasi falsis diis, liberati à peccato, diabolo et mundo, cognoscamus verum Deum, ejusque Filio, puta Christo et Ecclesiæ, per fidem, spem et charitatem incorporemur, itaque ab eo vita gratiæ et gloriæ æternæ donemur. Ipse enim est verus Deus, ipsaque vera vita increata et æterna.

Porro S. Hilarius lib. 6. de Trinit. hunc locum paraphrastice quædam explicationis gratia interserendo, sic legit: *Quia scimus quod Filius Dei venit, et incarnatus est propter nos, et passus est, et resurrexit à mortuis; assumpsit nos et dedit nobis intellectum optimum, ut intelligamus verum, et simus in vero Filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus, et vita æterna, et resurrectio* (alias) *redemptio nostra.*

Pro *sensum* græce est διανοιαν, quod Syrus vertit, *intelligentiam*, mentis illustrationem, cognitionem divinam; Vatabl. *mentem*, S. Hilarius, *intellectum optimum*, per quem ipse acci-

pit Spiritum sanctum; hic enim est spiritus intelligentiæ, Sapient. 7. 22. quem sanctus Paulus 1. Corinth. 2. v. 16. vocat *spiritum à Deo, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis;* Clemens Alexandr. accipit fidem; Didymus mentem Christi, ut alludat ad illud 1. Corinth. 2. 16. *Quis enim cognovit sensum Domini, qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habemus.* Sensus ergo est, q. d. Exultate, ô Christiani, Deoque immensas agite gratias; quia in gentilismo serviebatis idolis saxeis et æneis, eratisque quasi saxa inanima; at per Christum accepistis veram vitam, sensum et motum; in gentilismo serviebatis concupiscentiæ, et vivebatis quasi animalia muta et bruta; at per Christum accepistis διανοιαν, id est *mentem* et rationem, ut vivatis vitam humanam et homine dignam; in gentilismo serviebatis diabolo, agebatisque vitam diabolicam in tenebris ignorantiæ et infidelitatis; at per Christum donati vita supernaturali, accepistis διανοιαν, id est *cognitionem*, sensum et gustum rerum cœlestium et divinarum. Hoc est quod tot sæculis ante de Christo præcinuit Baruch. c. 3. 36. *Hic est Deus noster; hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.*

Ut cognoscamus verum Deum.] Patrem S. Hilar. loco citato, S. Hieron. in c. 65. Isaiæ, et S. Leo serm. 1. de Jejunio decimi mensis, legunt: *Ut cognoscamus verum*, scilicet Deum Patrem. *Verus* enim est epithetum Dei, qui est ipsa per essentiam veritas.

Et simus in vero Filio ejus.] Græca, Syrus et S. Athanas. orat. in id, *Deus de Deo*, legunt, *et simus in ipso vero, nempe in Filio ejus Jesu Christo*, quo significatur Filium esse ομουσιον Patri, eo quod ipse sit verus et veritas per essentiam, puta vera deitas, æque ac est Deus Pater. Ita Didymus, S. Hier. loco citato, S. Athanas. Cyrill. Nazianz. et alii omnes scribentes contra Arrianos.

Porro sumus in Filio per fidem et gratiam, quam ab eo sugimus, sicut ramus est in arbore, à qua succum et vitam sugit, juxta illud Christi: *Ego sum vitis, vos palmites; sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis.* Joann. 15. vers. 1. et 4.

Paucis hisce verbis S. Joannes compendium quasi totius Epistolæ, symboli et fidei Christianæ complectitur, duoque præcipua ejus mysteria assignat, scilicet Filium ομουσιον Patri, ejusque incarnationem. Unde Beda: *Quid*, ait, *apertius his verbis? quid dulcius? quid adversus omnes hæreses fortius potuit dici?* Et S. Athanas. disput. contra Arium ait hanc esse demonstrationem scriptam (quam ab eo postulabat Arrius) pro divinitate Filii, et S. Cyrill. 12. Thesauri cap. 18. *Nam si Deus verus est*, inquit, *substantialiter, non participative hoc ipsum est, sicut creaturæ. Qui enim Deus verus est, natura Deus est.* Et S. Ambros. lib. 1. de Fide c. ult. *Si verus Deus*, inquit, *utique non creatus, nihil fallax habens atque facatum, nihil confusum atque dissimile.* Et c. 8. insinuat hinc petitum illud Symboli Niceni. *Deus ex Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, ex Patre natus, non factus, unius substantiæ cum Patre.* Et S. Hieron. loco citato: *Alioqui*, inquit, *si non est verus, erit idolo similis*, et, ut ait Victor Uticensis lib. 2. de Vandalor. persecut. *Si alterius à Patre substantiæ est, aut verus Filius non est, aut, quod nefas est dicere, degener natus est.* Et S. Bernard. *Si Filius Dei, ergo Deus; quia filii regum reges sunt.*

Porro cognitio Dei et Filii ejus non solum speculativa, sed et practica, puta conjuncta cum ejus amore et obsequio, est perfectissimum bonum, ait Clemens Alexand. 6. Strom. et beatitudo hujus vitæ, juxta illud Christi Joann. 17. 2. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Quæ verba explanans Cyrillus Alexandr. *Cognitio*, inquit, *est vita spiritalem nobis benedictionem adducens, per quam spiritus in cordibus nostris habitat in adoptionem filiorum Dei, et veram pictatem per Evangelicam vitam et incorruptibilitatem reformans. Cum igitur origo et quasi pronuba dictorum omnium cognitio Dei veri esse inveniatur, recte à Domino nostro Jesu Christo vita æterna est appellata, quasi mater et radix virtute naturaque sua vitam æternam pariens. Sed considera diligenter quomodo solius Dei veri cognitio efficiatur; non enim absque cognitione Filii, quare nec absque cognitione Spiritus sancti. Hæc enim Dei unitas in Trinitate intelligitur, atque creditur secundum Scripturas.* Nihil autem potuit magnificentius dici, quam quod de Dei cognitione scribit Greg. Nazianz. orat. de Statu Episcop. *Regnum*, inquit, *cælorum nihil aliud esse existimo, quam ejus, quod purissimum et perfectissimum est, adoptionem; perfectissima autem rerum omnium est Dei cognitio.* Et S. Aug. serm. 112. de Temp. *Cognitione Dei*, ait, *nihil melius est, quia nihil beatius est, et ipsa vera beatitudo est. Unde et Salvator ad Patrem ait: Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Et in eamdem sententiam Hieron. in c. 31. Jeremiæ: *Notitia unius Dei*, inquit, *omnium virtutum possessio est.* Et rursus: *Memoria Dei excludit omnia flagitia.*

Præclare vero Lactant. lib. 1. Divin. institut. c. 8. *Dei vim*, ait, *majestatemque tantam esse dicit in Timæo Plato, ut eam neque mente concipere, neque verbis enarrare quisquam possit, ob nimiam et inæstimabilem potestatem.* Denique S. Bernardus serm. 57. in Cantic. *Qui si*, inquit, *ignoras Deum, poterit spesne esse salutis cum Dei ignorantia? ne hoc quidem. Nec enim potes aut amare quod nescias, aut habere quem non amaveris. Noveris proinde te, ut Deum timeas, noveris ipsum, ut æque ipsum diligas; in altero initiaris ad sapientiam, in altero et consummaris; quia initium sapientiæ timor Domini est, et plenitudo legis est charitas. Tam ergo utraque ignorantia cavenda est tibi, quam sine timore et amore Dei salus esse non potest.*

Hic est verus Deus.] Erasmus more suo arrianizans, ac pleraque loca Scripturæ de divinitate Filii detorquens et pervertens, hunc pariter ita detorquet et pervertit. Hic, inquit, scilicet Deus verus, puta Pater, non Filius, est verus Deus; sed sic esset hic battologia. Quis enim nescit quod Deus verus sit Deus verus? Ergo pronomen *hic* non refert τὸ *Deus verus*, quod præcessit, sed refert verum Dei Filium. Hic enim uti verus est Dei Filius, ita consequenter necessario est verus Deus. Unde OEcumen. το ουτος, id est *hic*, quod est demonstrativum, asserit positum pro relativo ὃς, id est *qui*, ac referre Filium, qui proxime præcessit. Adde, S. Joannis ævo (uti et posterioribus sæculis) nemo dubitavit de divinitate Patris, sed multi dubitarunt

imo negarunt divinitatem Filii. Hanc ergo, non illam, ubique astruere satagit S. Joannes, eaque de causa scripsit Evangelium. Ita S. Athanas. S. Hieron. in Isaiæ 66. S. August. lib. 2. et 3. contra Maximinum et passim alii, ex hoc loco quasi claro et certo probant deitatem Filii. Audi S. Athanas. in illud : *Omnia mihi tradita sunt à Patre : Lux est Pater, jubar radiusque Filius; et lux vera verusque Deus Pater, verus Deus Filius. Ita enim à Joanne scriptum est : Sumus in vero Jesu Christo. Hic est verus Deus et vita æterna.* Sic et S. Cyrillus lib. 3. Dialog. de Trinitate, et S. Ambros. lib. de Fide ad Gratian. c. 7.

Et vita æterna] tum formalis sua, tum causalis nostra, uti dixi v. 2. Nota. In Deo ob summam simplicitatem et perfectionem nulla est concretio nec compositio, ideoque nullum accidens ; quare in Deo concreta omnia sunt abstracta. Deus ergo est ens et ipsum esse, Deus est vivens et vita, verus et veritas, bonus et bonitas, sapiens et sapientia, justus et justitia, potens et potentia. Ita S. Bernardus contra Gilbertum Porretanum serm. 80. in Cant. et S. Thom. 1. q. 3. art. 3.

21. Filioli, custodite vos a simulacris, Amen,] hoc est *fiat*, ita omnino facite, et vos custodite. Ultimum hoc monet S. Joann. quia illo ævo hoc erat maxime periculosum, ideoque monitu maxime necessarium. Tunc enim totus mundus positus erat in maligno, puta idololatria, adeoque Christiani ab ea recens conversi, inter parentes et amicos Gentiles et idololatras assidue versari debebant, ac cum eis pandere et convivari, ubi idolothyta, id est idolis immolata, quasi sacra comedenda proponebant, de quibus dixi 1. Corinth. 8. Ne ergo eorum exemplo et hortatu ad idola, quæ recens reliquerant, laberentur, studiose hoc ultimo monet S. Joannes, ut tenacius eorum menti et memoriæ id infigat, scilicet ut studiose ab omni idolorum commercio, et ab idolothytorum esu abstineant. Ita Didymus, OEcumen. Lyranus, Cajetanus. Perperam Beza et hæretici vertunt, *custodite vos ab imaginibus.* Imago enim est similitudo rei veræ ; simulacrum vero sive idolum rei falsæ, puta falsi Numinis ; ita enim Scriptura et SS. Patres hæc omnia distinguunt. Esto Cicero lib. 1. de Finibus, imagines vocet idola, *imagines*, inquit, *quæ idola nominantur.* Unde εἰδωλον est diminutivum ab εἶδος, id est *forma;* q. d. Formula, forma imperfecta, diminuta, deficiens à ratione veræ formæ. Ita Tertull. de Idololatr. c. 3. et Isidorus 8. Etymolog. c. ult. Unde Plato in Theæretro ; idola vocat mendacia, et S. Hier. in c. 7. Oseæ ait : Sic opponit simulacrum Deo, sicut veritas mendacio. Sic et S. Augustinus in Psalm. 235. Clemens Alexandr. 6. Strom. Orig. hom. 8. in Exod. Theodor. quæst. 38. in Exodum quocirca Synodus VII. OEcumenica act. 5. et 7. anathema intentat iis, qui asserunt imagines Christi et Sanctorum esse idola.

Mystice, simulacra phantasiæ hominum sunt prava dogmata, hæreses, phantasmata vana, avaritia, cupiditates honoris, pecuniæ, voluptatis, ab his fideles custodiant sese oportet ; ita Beda, Hugo, Dionysius, Cajetanus et alii.

Porro ait Joannes : *Custodite vos*, non autem, destruite simulacra; quia hoc fuisset concitare furorem Gentilium in omnes Christianos : unde monet S. Augustinus idola prius destruenda in cordibus hominum, deinde in delubris et aris templorum ; ita ipse epist. 154. et ep. 150. et serm. 6. de verbis Domini : ubi et addit non esse censendos Martyres qui occiduntur eo quod destruxerint idola (idem sanxit Concilium Elibertinum canon. 60.) intellige temere et imprudenter cum scandalo. Nam qui prudenter ex magnitudine animi, vel ex instinctu divino ad Gentilium confusionem, et fidelium confirmationem, id fecerunt, Martyres habentur, uti S. Theodorus, S. Barbara, S. Christina et alii plures. Gentiles enim qui doctiores et sapientiores erant, idola venerantes, hac in speciem apparente ratione se excusabant, quod dicerent se in idolis non saxa aut metalla, sed deos colere : hos enim in idolis quasi in delubris aut corporibus suis habitare sicut anima habitat in corpore. Unde S. August. concl. 2. in Psal. 113. de idolis ait : *Sine vivo aliquo habitatore esse non putant.* Et Olympius Sophista apud Sozomenum l. 7. Histor. c. 15. *Simulacra*, ait, *erant ex materia corruptioni obnoxia, ideo comminui potuerunt ; quæ vero in eis erant cœlestes potestates, in cœlum evolarunt.* Sed errabant primo, quod idola censebant esse aliquid Dei, aliquid Numinis habere, Deumque iis esse alligatum, atque iis ad vivum repræsentari. Secundo, quod in iis plures variosque deos colerent. Tertio, quod dii eorum erant dæmones : hi enim dabant responsa per idola. *Custodite* ergo *vos à simulacris*, ut ea non sculpatis, pingatis, poliatis : non eis caput aperiatis ; genuflectatis, aut honorem ullum exhibeatis : non per ea juretis ; non eis immolata comedatis ; nullum eis officium vel obsequium præstetis ; non eis hostias, thus, vinum, aut munera deferatis : non sitis eorum ædiles, curatores, tutores : non eorum laudes canatis, nec ea versu aut prosa celebretis. Magna ergo ubique custodia et circumspectione ab iis se custodire, sibique cavere debebant fideles, ne inter tot idololatrarum ritus et cæremonias, aliquo modo eis consentire et cooperari, itaque inquinari viderentur. Denique S. Joannes hisce verbis perstringit et redarguit hæresin Elxai, qui sub finem vitæ S. Joannis exortus, uti ostendi v. 7. et 8. inter alia docebat, *non esse peccatum, etiamsi simulacra ipsos adorare contingat persecutionis tempore instante, si solum in conscientia non adorent, et si quid etiam confitcantur ore, non autem in corde. Atque hujus rei testem adducere fraudulentus ille impostor non erubescit, Phinees sacerdotem quemdam de genere Levi et Aaron, et prisci Phinees, qui in Babylone tempore captivitatis adorarit Dianam, et in Susis effugerit perniciem mortis coram Dario rege. Quare omnia ipsius falsa sunt et vana*, ait Epiphanius hæresi 19. Additque id hebraice significari nomine *Elxai:* Elxai enim notat hypocrisin et hypocritam. *Imaginantur*, inquit, *hunc* (Elxai) *vocari virtutem obvelatam, propterea quod El appelletur virtus, Xai vero obvelatum et occultum*, quod sua dogmata perfide obvelaret et occultaret, juxta illud Priscilliani ejus sequacis : *Jura, perjura, secretum prodere noli*, teste S. August. hæresi 70.

Claudat ultima S. Joannis verba et vota similis cycnæa vox, vita et mors illustrissimi et pientissimi Alexandri Cardin. Ursini, qui hisce diebus, quibus hæc cuduntur, mundo maligno erutus diem vitæ præsentis clausit extremum, ut primum inchoet æviternæ, Christoque suo fruatur in vita beata et æterna : quem præmature

sibi ereptum lugent Romani, et ego imprimis. Ille enim hujus scriptionis meæ (æque ac omnium bonorum operum) erat incentor et promotor, adeoque sæpius ad Collegium ventitans sevocabat me, ac de ea rebusque piis et litterariis per horas mecum et cum nostris pie, æque ac erudite colloquebatur; ut jure paucis hic eidem ultima justa exolvere, et lugenti calamo parentare debeam, simulque tam illustre virtutis exemplum transalpinis gentibus et futuris seculis celebrandum imitandumque transmittere; ut discant mortales, licet principes, ex hoc humanæ mortalitatis proscenio, mortem opes omnes et purpuras funestare, nihilque in rebus humanis esse solidum et stabile, nisi mores honestos et sanctos, qui in omne ævum perennant. Familia erat nobilissimus. Ursina enim est è familiis Romæ primis et principibus; quæ in alias etiam regiones propagata, in illis principatum tenuit: Regum præcipuis affinitate juncta tribus, Summis Pontificibus Purpuratorum plurimis, et strenuissimis bellorum ducibus illustrata. At longe nobilior fuit sapientia et virtute, adeoque non tam familia ipsum, quam ipse familiam decoravit et illustravit. S. Joannem candido, hilari et pudico vultu, gestibus, actibus, moribus referebat. Innocentiæ, castitatis, modestiæ, humilitatis, pudicitiæ, charitatis, patientiæ, mortificationis, pœnitentiæ, contemptus sui et mundi, integritatis, magnanimitatis, beneficientiæ, zeli Cardinalibus, Prælatis, Principibus æque ac Christianis omnibus, vivum erat exemplar et speculum. Christo Jesu, ejusque passioni et cruci, æque ac Deiparæ Virgini imprimis addictus ac devotus, quasi utriusque Benjaminus. Florenti erat ætate, sanguineus, succulentus, torosus, elegans, affabilis, eloquens, eruditus, ac simul candidissimi moris et pectoris, sine illo oris cordisque dissidio, maturus, gravis, integer, constans: Joannem, hoc est filium Charitatum et gratiarum, dixisses. Magnis Ecclesiæ gubernaculis magnanime perfunctus, ad majora natus, nisi Deus eum ad maxima transtulisset. Consummatus in brevi explevit tempora multa: placita enim Deo erat anima illius. Junior efflagitarat ingressum in Societ. Jesu: idque ardenter et instanter. Verum repulsam passus, quod dictitarent eum ob certas dotes in seculo plus Ecclesiæ profuturum acquievit, sed ita, ut inter Aulicos et Principes vitam ageret religiosam, adeoque mores ejus intuens religiosum censuisset simul et Principem. In jejuniis, disciplinis, ciliciis, etiam Cardinalis creatus, erat assiduus, imo nimius. Congregationi Sodalium in Collegio romano erecto ascribi voluit, adeoque ad eam frequens, etiam tempore disciplinæ ventitabat, ac publice in turba plebeiorum cum illis acriter se diverberabat, idque non raro ad sanguinem; quod perpetim faciebat in pervigiliis B. Virginis, ut ei se suamque vitam suo sanguine offerret et consecraret. Hospitalia visebat, ægris serviebat, eisque cum eleemosyna manu sua cibum porrigebat, quin et pedes abluebat. Quocirca tam illustri tantarum virtutum exemplo nonnullos hæreticorum compunctos hæresin ejurasse, seseque S. Ecclesiæ romanæ reconciliasse constat. Atque interim gravitatem Principe et Cardinale dignam præferebat. Inter potentes magnificus, inter egentes munificus, in consiliis cautus et providus, in factis acer et efficax. Zelo non tantum Prælatos, sed et Religiosos superabat. Bracchiani, quod oppidum est Romæ vicinum, sedesque Ducum Ursinorum, Sodalitatem è civibus sibi subditis aulicisque erexerat, instar ejus quæ visitur in Collegio Romano, in qua ipse Præfectum, concionatorem, disciplinæ choragum, cæterorumque pietatis officiorum antesignanum agebat. Ad pectus nudum Christi è cruce pendentis effigiem gestabat ænæam, claviculis in ea extantibus carnemque pungentibus, qui proinde non raro illi sanguinem eliciebant, ac indusium cruentabant, solebatque per vices manu admota pectori (ut sæpius vidi) crucem arctius illi apprimere, ut Christum crucifixum penitius illi majori amore æque ac dolore imprimeret. Edidit Officium Passionis et crucis, indicium tam elegantis ingenii, quàm ardentis in eam pietatis et devotionis. Opus justum (de quo subinde mecum egit) de Regno, omni eruditione refertum Juris divini et humani adornaverat, cujus vestigium per singulas partes et capita distributum reliquit, ex sacra primorum quatuor Regum Historia singulis capitibus disserendi argumentum præfigens. Bracchiani in colle quodam quasi in eremo secessum, Passionis Christi mysteriis insignitum (similem illi, quem B. Carolus Borromæus non longe à Mediolano crebro adibat), adornabat, ut per vices eo se reciperet, totusque Christo et sibi vacaret. Hæc majora meditantem mors immatura, at non improvisa corripuit. Festo Assumptionis B. Virginis (quod hoc anno in sabbatum incidit) ægrotare cœpit, in Octava ejus finivit, et vivere desiit. In pervigilio festi præter ordinaria devotionis exercitia obita; exhortationem in Congregatione ad suos habuerat solito ardentiorem, ac deinde de more cum suis, imo præ suis acriter se diverberarat. Solebat enim, ut dixi, eo die sanguinem elicere, quem B. Virgini daret et dedicaret. Quare licet causa morbi diu fuerit collecta, quia substantiam membrorum bilis occupaverat, cum tamen candido vultu et pacatissimis moribus tecta non appareret; ex hisce tamen laboribus et ardoribus, aliqua occasio morbidæ materiæ vehementius accendendæ præberi potuit, ut citius quàm paraverat, febrim adduceret; quæ leniri ad tempus medicamentis potuit, vinci non potuit, quin septima die ipsum mortalibus subduceret. Solebat quotidie conscientiam Confessione sacramentali expiare, ac deinde sacrificium Missæ religiose celebrare, eaque de causa semper confessarium ad manum habebat. Sed ut morbum sensit, illico confessarium (quem Romæ è Societate nostra animæ suæ directorum delegerat), è Collegio Romano ad se evocavit, ac una Præfectum Congregationis; quibus advolantibus: Ille, inquit, me deducet in Purgatorium, hic è Purgatorio ad Paradisum per suorum utique ferventium Sodalium preces, vota ac voluntarias pœnas. Confessione peracta sacram Synaxin suscepit prostratus in terram, illis reverentiæ et pietatis indiciis, quæ omnes intimo devotionis affectu perstringerent ac compungerent. Ingravescente morbo pie cum confessario de morte collocutus, Deo vitam totumque se resignavit, dicens cum Apostolo: *Sive vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur: sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.* Addidit tamen, si sibi daretur optio mortis et vitæ, se mortem præelecturum. Causam rogatus, dedit, ut citius, inquit, fruar Deo: *Mihi*

enim vivere Christus est et mori lucrum. Veni ergo, Domine Jesu, veni, dilecte mi. Mox jussit sibi recitari psalmum : *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.* Declinans in mortem fratrem primogenitum, Ducem Bracchiani sevocavit, ac remotis omnibus : Accipe, inquit, mi frater, ultima verba fratris tui, migrantis et peregrinantis ad alteram vitam. Cætera à remotis audiri non potuere; verum ea non inflantia, sed inflammantia fuisse, ducis deinde acta gestaque monstrarunt. Præ ingenti febris æstu in phrenesim incidit, et tamen ad verba pia apposite magnoque animi sensu respondebat : quin et sibi modico tempore redditus, ad ultimum agonem se obarmans, Extremæ-Unctionis Sacramentum, pie ad singulas orationes respondendo suscepit. In hoc oberrantis mentis delirio, nullum ei verbum indecens vel inconcinnum excidit; sed ex pristino pietatis habitu, omnia spirantia zelum propagandæ fidei, pacis et charitatis. Summus Pontifex pro suo in eum affectu et munificentia, suam ei benedictionem per internuntium impertivit, pluraque alia ultro et liberaliter indulsit. Agonem luctamque moriens nullam ostendit, sed perinde ac si senectute confectus foret, resolutis viribus placide pieque animam Creatori et Redemptori suo resignavit, collacrymantibus præ devotione omnibus qui aderant. Vita functus est, annos natus circiter 33, quæ fuit ætas Christi Domini. Post mortem apertum à medicis corpus, rite compositum apparuit, sed cor omni humore (utpote quem fervidis pietatis actibus exhauserat, vel exsudarat) vacuum, ac flava bilis per totum corpus dispersa; quod malum incurabile, mortem ei attulit. Cor Romam delatum, conditum est in sepulcro Cardinalis Bellarmini, utpote quem ille in vita ut patrem, et ducem vitæ Christianæ et sanctæ, coluit pariter et dilexit: nam cum eo et per eum exercitiis spiritualibus S. Ignatii fundatoris Societatis Jesu fuerat excultus, atque in eum quasi rarum sapientiæ, pietatis et virtutis exemplar, jugiter oculos mentemque intendebat. Hæc pauca è multis non tam tuo, quàm posterorum commodo scripsi, Cardin. Illustrissime. Tu enim humana despicis elogia, honoratus divinis. Defunctus mundo, vivis cœlo; sæculo mortuus, frueris Christo, quem à puero per omnem vitam tota mente dilexisti. Bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem servasti; nunc à justo Judice coronam justitiæ tibi repositam percipis. Opera enim tua sequuntur te. Vixisti, non tempori, sed æternitati. Idcirco per montes æternitatis sequeris Agnum. Nunc saturaris, quia jejunans esurivisti, et lætus decantas : *Sicut audivimus, ita et vidimus in civitate Domini virtutum.* O beata rerum commutatio! luxisti et flevisti, ut semper rideres; caducas et umbratiles hujus vitæ pompas, opes, dignitates sprevisti : iisque licet circumfluens, cor tamen nunquam addixisti, ut potireris cœlestibus, veris et perpetuis. Carnem afflixisti, ut intaminata m Christo sisteres. Vestitus es cilicio, ut albis vestimentis ornareris, et jubilares : *Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia.* Delicias sprevisti, ut in æternum pane angelorum vescereris, et diceres : *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.* Primos sanctosque Ecclesiæ Rom. Cardinales, pro Christo sanguine suo purpuratos, S. Laurentium, Cyriacum, Largum, Smaragdum, etc. æmulatus es, eorumque pietatem, fervorem, patientiam, constantiam, zelum moribus expressisti; ac in sanguine Agni lavisti et rubricasti, imo dealbasti stolam carnis tuæ : idcirco nunc coronaris et accipis palmam, stolaque gloriæ amiciris, et in cœlesti illorum senatu purpuratus confides. Vivet tui nominis decus, vivet tuæ virtutis gloria, quamdiu sæculorum omnium vivet ÆTERNITAS. Ex alto aspice nos in valle hac lacrymarum, imo in mari hoc turbinibus procelloso, cum tot internecinis piratis, æque ac fluctibus colluctantes, ut Christo duce per stellam maris quasi cynosuram, B. Virginem inquam Deiparam, salvis animæ mercibus incolumes enavigemus, et secundis gratiæ aspirantis ventis ad portum salutis appellamus. Impetra nobis ut scribendo, laborando, patiendo, semper mortificationem Jesu in corpore nostro tecum circumferamus; ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris, ut in cœlis Doctorum et Martyrum laurea donemur, et laureati Deo et Agno perenne melos canamus : *Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, virtus et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum; quia redemisti nos in sanguine tuo, et fecisti nos Deo nostrum regnum, et sacerdotes, et regnabimus super terram. Amen.*

COMMENTARIUS

IN SECUNDAM

SANCTI JOANNIS

EPISTOLAM.

PROŒMIUM.

DUBITARUNT olim nonnulli de auctoritate harum duarum sequentium Epistolarum, censueruntque eas esse Joannis non Apostoli, sed Presbyteri, eo quod initio vocet se seniorem, græce πρεσβυτερον; ita refert Euseb. l. 3. Histor. cap. ult. et S. Hieron. de Scriptor. Eccles. in Joanne, atque ita censet Erasmus, et dubitat Cajetanus. Verum nunc de fide est utramque esse Canonicam Scripturam, scriptam à S. Joanne Apostolo. Id patet primo, ex definitione Conc. Trident. sess. 4. et Carthag. III. c. 47. et Loadiceni cap. 59. et canon. 84. Apostolorum. S. Athanasio epist. 39. recensente novæ Script. libros, Nazianz. in carmine de libris S. Script.

Secundo, ex Patribus, scilicet Irenæo lib. 3. c. 13. S. August. l. 2. de Doctr. Christ. cap. 8. Damasc. lib. 4. de Orthod. fide cap. 18. Didymo, Clemente Alexand. Œcumen. Beda, et aliis hic. Idem censet Beza et hæretici moderni. Audi S. Hieron. Epist. ad Paulinum: *Jacobus, Petrus, Joannes et Judas Apostoli septem Epistolas ediderunt tam mysticas, quàm succinctas et breves, pariter longas, breves in verbis, longas in sententiis, ut rarus sit, qui non earum lectione cæcutiat.* Alibi vero in epist. ad Evagr. quæ est 85. *Clangit*, inquit, *tuba filius tonitrui, quem Jesus amavit plurimum, qui de pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit: Presbyter Electæ dominæ et filii ejus, quos diligo in veritate.* Hinc duarum harum Epistolarum sententias quasi sanctæ Scripturæ citant Tertull. de Præscript. cap. 33. S. Chrysost. hom. 19. in Matth. S. Cyrill. lib. 8. de Adoratione in spiritu et veritat. S. Ambros. in Psal. 36. S. Gregorius 31. Moral. cap. 7. S. Ephrem in interrogat. et respons. Ruffinus, Idacius, Cassidiorus et alii, quos citat Jodoc. Coctius in Thesauro Catholico lib. 6. art. 26. Syriacam versionem harum duarum epist. ac S. Judæ, quæ desideratur in Bibliis Complut. edidit noster Serarius in Commentarium earumdem.

Tertio, styli et rerum similitudo arguit has duas Epistolas ejusdem esse Auctoris cujus est prima, puta S. Joannis Apostoli. Audi Baronium anno Christi 99, cap. 9. *Certe*, inquit, *si quando ex facierum similitudine filios eodem parente genitos licuit judicare, tres illas Epistolas verbis, sententiis, stylo, charactere, unam eamdemque præ se ferentes imaginem, ab uno eodemque auctore esse conscriptas quivis facile poterit intelligere. In primis enim quod ad verba atque sententias spectat, in multis id contigit demonstrari; ut cum ait in prima: Non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus; in secunda item: Non tanquam mandatum novum scribens vobis, sed quod habuimus ab initio. Rursum in prima: Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet; qui confitetur Filium, et Patrem habet. Et in secunda eamdem plane his verbis sententiam reddit: Qui recedit et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet; qui permanet in doctrina Christi, hic et Patrem et Filium habet. Quod item in prima: Omnis qui ex Deo natus est, peccatum non facit, in tertia habet eumdem his verbis: Qui bene facit ex Deo est; et qui ex Deo natus est, peccatum non facit. Et quod in prima habet: Ut diligamus opere et veritate, idem in secunda et tertia de diligendo in veritate frequenter inculcat. Dum item in prima hæc habet: Multi pseudoprophetæ exierunt in mundum: In hoc cognoscitur Spiritus Dei: Omnis spiritus qui confitetur Christum in carne venisse, ex Deo est; et omnis qui solvit Jesum ex Deo non est, et hic Antichristus est. In secunda iisdem pene verbis eamdem reddens sententiam, ait: Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitetur Jesum venisse in carne, hic est seductor et Antichristus. Rursum in prima: Hæc est charitas ut mandata ejus custodiamus; et in secunda: Hæc est charitas ut ambulemus secundum mandata ejus. At quæ frequens in tribus illis Epistolis facta est charitatis, dilectionis, veritatis inculcatio, plane declarat in duabus illis Epistolis eamdem quæ in prima genuinam elucere atque perspicue conspici Joannis imaginem.*

Ad objectionem respondeo, S. Joannem inscribere se *Presbyterum*, id est seniorem, tum quia illo ævo Presbyter et Episcopus pro eodem usurpabantur, uti ostendi 1. Timoth. 4. 14. idemque docet S. Hieron. epist. 85. ad Evagrium; tum quia S. Joannes jam decrepitus et apostolatus dignitate et ætatis plenitudine, omnium Christianorum erat senior. Ultimus enim Apostolorum vixit usque ad imperium Trajani, mortuus circiter anno ab incarnatione Christi 101, qui fuit à passione Christi 68; ita S. Hieronymus loco citato, et Baronius.

SYNOPSIS.

ARGUMENTUM EPISTOLÆ EST : LAUDAT ELECTAM, EJUSQUE FAMILIAM A FIDE ET CHARITATE; HORTATUR UT IN EA PERMANEAT, IDEOQUE CAVEAT HÆRESES ET HÆRETICOS TUM SUBNASCENTES, QUASI ANTICHRISTOS, ADEO UT NEC AVE EIS DICAT.

SERARIUS CENSET EPISTOLAM HANC A JOANNE SCRIPTAM ESSE EPHESI, INDEQUE MISSAM : EPHESI ENIM, UTPOTE METROPOLI ASIÆ S. JOANNES AB EXILIO REDIENS, JAM SENIO PENE CONFECTUS RESIDERE SOLEBAT.

1. SENIOR Electæ dominæ, et natis ejus, quos ego diligo in veritate, et non ego solus, sed et omnes, qui cognoverunt veritatem, 2. propter veritatem, quæ permanet in nobis, et nobiscum erit in æternum. 3. Sit vobiscum gratia, misericordia, pax à Deo Patre, et à Christo Jesu filio Patris in veritate et charitate. 4. Gavisus sum valde, quoniam inveni de filiis tuis ambulantes in veritate, sicut mandatum accepimus à Patre. 5. Et nunc rogo te, domina, non tanquam mandatum novum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, ut diligamus alterutrum. 6. Et hæc est charitas, ut ambulemus secundum mandata ejus. Hoc est enim mandatum, ut, quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis, 7. quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem, hic est seductor, et Antichristus. 8. Videte vosmetipsos, ne perdatis, quæ operati estis; sed ut mercedem plenam accipiatis. 9. Omnis qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet : qui permanet in doctrina, hic et Patrem et Filium habet. 10. Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec AVE ei dixeritis. 11. Qui enim dicit illi AVE, communicat operibus ejus malignis. 12. Plura habens vobis scribere, nolui per chartam, et atramentum : spero enim me futurum apud vos, et os ad os loqui, ut gaudium vestrum plenum sit. 13. Salutant te filii sororis tuæ Electæ.

1. SENIOR,] πρεσβυτερος, id est *Presbyter* et *senex*, hoc est omnium senior; ponitur enim positivus pro comparativo et superlativo; quia S. Joannes omnibus Apostolis solus superstes, omnes Episcopos superabat ætate, æque ac dignitate. *Senior* ergo, *cui scilicet cycnea suppeteret quædam gratia senectutis*, ait S. Ambrosius in Psal. 36. 25. Hinc *senior* idem est quod dominus, puta Prælatus, Episcopus, Apostolus. A *Senior* enim deducitur : Italum, *Signore;* Hispanum, *Senor;* Gallum, *Seigneur*; nam quod ea à Græco κυριος derivet Joachimus Perionius tract. de Linguæ Gallicæ cum Græca cognatione, longius petitum et contortum videtur. Unde OEcumen. *Joannes*, inquit, *Episcopum se esse nomine Presbyteri declarat.*

ELECTÆ.] Noster Serarius secutus OEcumen. octo conjecturis probare contendit per Electam non significari certam personam et matronam, sed Ecclesiam aliquam Asiæ. Ecclesia enim electa est Dei sponsa, juxta illud Cantic. 6. 9. *Pulchra ut luna, electa ut sol;* et S. Petrus ep. 1. c. 5. v. 13. Ecclesiam in Babylone vocat *coelectam.* Censet autem Serarius hanc Ecclesiam fuisse unam ex septem Asiæ, quas S. Joannes instituerat, quasque monet et docet Apoc. c. 1. et 2. aut certe fuisse Ecclesiam Corinthiacam, eo quod in ea degeret Caius hospes S. Pauli, ut colligitur Rom. 16. 23. 1. Cor. 1. 14. Videtur enim hæc secunda Epistola missa cum tertia, ac ad illam Ecclesiam in qua erat Caius cui inscribit tertiam. Porro hæc Ecclesia vocatur κυρια, id est *domina*, vel ob loci nobilitatem, vel ob virtutis præstantiam; vel dicitur κυρια, id est *lectissima*, legitima, legitimo modo congregata, quæ Actor. 19. 39. vocatur εννομος : hoc enim significat quoque κυρια, teste Laertio in Zenone.

Verum, ut alia omittam, huic sententiæ obsistit quod scribit S. Joann. ep. 3. ad Caium 9. *Scripsissem forsitan Ecclesiæ, sed is qui amat primatum gerere in eis Diotrephes, non recipit nos;* quo significat se ad Ecclesiam in qua erat Caius, nullam scripsisse Epistolam. Rursum insolens est litteras ad Ecclesiam aliquam inscribere *Electæ dominæ*, præsertim cum multæ, imo omnes Ecclesiæ sint electæ; litteræ enim certis personis, vel Ecclesiis inscribendæ sunt, ne in incertum vagentur, vel ad alienos ad quos non pertinent perferantur: quare inscriptio distincta et clara sit oportet. Quocirca alii passim censent hæc scribi particulari matronæ; hoc enim significat τὸ *Electæ dominæ*. Sed cur vocat eam *Electam?* Multi censent τὸ *Electæ* esse nomen appellativum, non proprium, idque vario sensu. Primo, aliqui *Electæ*, inquiunt, id est, fideli et Christianæ; Christiani enim à Deo ex gentilismo vocati et selecti ad fidem, gratiam et gloriam, vocabantur Electi, juxta illud Christi : *Ego elegi vos de mundo*, Joann. 15. 19. et illud Pauli : *Sic ut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate*, Ephesiis 1. 4. etc. : *Scientes fratres dilecti à Deo electionem vestram*, 1. Thessalon. 1. 4. Sic S. Petrus 1. epist. 1. cap. 11. scribit *electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ*, etc. et c. 2. 4. *Vos autem genus electum, regale*

sacerdotium, gens sancta. Sic Christus vocatur *Dei electus*, Lucæ 23. 33. Isaiæ 42. v. 1.

Secundo, alii censent hoc esse epithetum virtutis. q. d. *Electæ*, id est, eximiæ, insigni sapientia et virtute præditæ. Sic Eccles. 1. 16. de sapientia dicitur : *Cum electis feminis graditur.*

Tertio, alii censent S. Joannem habuisse revelationem de hac matrona, quod à Deo posita esset in numero prædestinatorum et electorum, hocque significare nomine *Electæ.* Sed quis credat S. Joannem, si revelationem hanc habuit, illam non solum ei, sed et toti mundo patefacere voluisse.

Verum alii melius censent τὸ *Electæ* esse nomen proprium vel certe appropriatum. Epistolæ enim solent inscribi personis certis, nominando eas proprio nomine, ne vagæ sint, vel ad alienos perferantur. Hinc et τὸ εκλεκτη, id est, *Electæ*, nullum habet articulum, quasi nomen proprium. Si enim esset appellativum, dicendum fuisset cum articulo τη εκλεκτη, ut dicit v. ult.

Hinc rursum τὸ *Electæ* passim majuscula littera scribitur, quasi proprium; sicut enim multi fideles nomina appellativa sibi imponendo fecerunt propria, ut vocentur Justus, Justa, Fortunatus, Felix, Christianus, Christiana, Christina, Pretiosus, Exuperius, Exuperantia, etc.; ita et hæc vocata fuit *Electa*, esto *electus* esset cognomen commune omnibus Christianis. Dixi esse hoc nomen vel proprium, vel appropriatum, quia fieri potuit ut fideles hoc nomen ob eximiam virtutem et probitatem ei appropriarint: præsertim quia filias instruebat in cultu virginitatis, et familiam habebat religiosam, uti mox ostendam, sicut Manichæi viros eminentes in sua secta, vocabant Electos, teste S. August. de Hæresibus hæresi 46. Sic ergo *Electæ* idem est quod eximiæ, et nobilitate et virtute præstanti, ut respondeat Hebræo בחירא *bechira*, id est, *electa, eximia.* Sic Paulus vocat se segregatum et selectum ad Apostolatum, Rom. 1. 1. Galat. 1. 15. et Rom. 16. 13. Rursum vocat, *electum in Domino.*

Rursum fieri potuit, ut hæc matrona ob nobilitatem, potentiam, charitatem et virtutem electa fuerit in præsidem et præfectam cæterarum mulierum Christianarum, præsertim pauperum, ut eas in fide et Christianismo instrueret, utque earum necessitati eleemosynas procurando subveniret. Addit Lyranus eam ministros Ecclesiæ sustentasse. Erat ergo quasi mater et refugium fidelium, uti Romæ fuerunt S. Praxedes et soror ejus, S. Potentiana in persecutione Antonini Imper. Sicut enim Apostoli ad hoc munus elegerunt Stephanum et cæteros sex diaconos, Actor. 6. 5. ita pro feminis postmodum Episcopi ad hoc elegerunt Diaconissas; et sicut Diaconi præfecti eleemosynis vocabantur *Electi;* ita Diaconissæ vocabantur *Electæ*, scilicet ad gradus et munus diaconiæ; sic enim Episcopi suffragiis creati vocantur Electi, antequam consecrentur. Favet primo, quia si τὸ *Electæ* esset nomen mere proprium, potius dicendum fuisset : *Senior dominæ Electæ*, quam *Senior Electæ Dominæ.*

Favet secundo, quod Interpres eam non vocet *Electam;* uti vocatur græce, sed latine *Electam;* interpretatur enim nomen Græcum quasi appellativum, sed appropriatum ratione dignitatis et officii. Rursum favet Lucius Dexter in Chronico, qui hanc matronam proprio nomine vocatam ait Drusiam. Sic enim ait : *Anno Christi* 100, *Flavia Domitilla patitur : S. Dionysius scribit librum de divinis nominibus. Anno Christi* 105, *S. Joannes scripserat ad Drusiam feminam Electam secundam Epistolam, quæ velut Ecclesiæ illius civitatis parens, mira largitione et charitate tunc florebat.* Sic et Espencæus ait hanc Electam vocatam fuisse Drusianam, eamque fuisse hospitam S. Joannis. Denique Clemens Alexand. hic, et ex eo Glossa et Thomas Anglicus : *Secunda Joannis Epistola,* ait, *quæ ad virgines simplicissime scripta est, scripta vero est ad quamdam Babylonicam Electam Dominam,* sicut prima scripta est ad Parthos : Parthi enim comprehendunt Babylonios. Sic Josue vocatur Electus Num. 11. v. 28. et Moses Psal. 105. v. 23. et Saul 1. Reg. 9. 2. et David 3. Reg. 8. 16. Magis congrue femina aliqua singularis virtutis vocatur electa, æque ac vocatur Margarita.

Dominæ.] Hinc patet hanc Electam fuisse nobilem, primariam et potentem matronam, ad quam proinde, licet feminam, præter morem scribit S. Joannes, ut eam, et per eam cæteros in fide confirmet, ne ab Ebione, Cherinto et Gnosticis seducatur. Videntur enim hi hæretici se in dominæ hujus domum et animum insinuasse, ut eam et per eam cæteros sua hæresi inficerent: sicut reliquos hæreticos suas hæreses per feminas propagasse, docet S. Hieronym. epist. ad Ctesiphontem. Hoc insinuat S. Joann. v. 10. ubi severe jubet, ne Ave eis dicat, nec in domum recipiat.

Alludit ad Hebræam paranomasiam perpulchram, quæ sic Habet לבחירה גבירא *libechira gebira,* id est, *Electæ Dominæ.* Simili modo S. Hier. nobiles matronas Romanas et verbis et scriptis erudiendo, non illas solum, sed per illas magnam partem nobilitatis Romanæ ad perfectionem Christianam instruxit, adeoque in suam Bethlehem ad monasteria S. Paulæ et Eustochii pertraxit. Id ipse respondet pium hoc suum cum feminis commercium calumniantibus epist. 140. ad Principiam : *Si viri,* inquit, *de Scripturis quærerent, mulieribus non loquerer. Si Barach ire ad prælium voluisset, Debora devictis hostibus non triumphasset. Jeremias carcere clauditur, et quia periturus Israel virum non receperat prophetantem, Olda eis mulier suscitatur. Sacerdotes et Pharisæi crucifigunt Filium Dei, et Maria Magdalena plorat ad crucem; unguenta parat, quærit in tumulo, hortulanum interrogat, Dominum recognoscit, pergit ad Apostolos, repertum nuntiat; illi dubitant, ista confidit. Vere* πυργιτες, *vere turris candoris et Libani quæ prospicit ad faciem Damasci, sanguinem videlicet Salvatoris ad facti pœnitentiam provocantem. Defecerant Sara muliebria, et ideo Abraham ei subjicitur, et dicitur ad eum : Omnia quæ tibi dicit Sara, audi vocem ejus.* Verum idipsum non cuilibet est imitandum, ac plane junioribus fugiendum, ne pro charitate supponat se carnalitas, aut certe ejus suspicio et periculum, ut ex fumo flamma sequatur. Vide S. Cyprian. de Singular. Cleric.

Et natis ejus.] Hosce Electæ filios vel filias Virgines fuisse testatur Clemens Alexandr. qui ait hanc Epistolam scriptam ad virgines, unde et à Joanne virgine dilectæ officiose hic salutantur. Videtur ergo Electa filias educasse, et promovisse ad virginitatem et sanctimoniam, ut domus ejus videretur esse parthenon, sive monasterium virginum, uti fuit domus et aula S. Pulcheriæ filiæ Theodosii et Imperatricis, de

qua vide Aulam sanctam nostri Raderi. Sic ævo S. Joannis Philippus Diaconus quatuor filias virgines Deo obtulit Actor. 21. 9. S. Matthæus Iphigeniam, S. Clemens Flaviam Domitillam et socias. Hinc illa virginitatis et virginum primævarum encomia apud Philon. de Vita contempl. ubi narrat mira de Essæorum continentia sub S. Marco, ac apud S. Dionysium de Eccles. Hierarch. cap. 6. p. 2. apud S. Ignatium epist. ad Antiochenos et ad Tarsenses, imo apud S. Paulum 1. Corinth. 7. 37. et Christum Matthæi 19. 12.

Quos ego diligo in veritate,] vero scilicet, sincero, casto, christiano, efficaci et operoso amore. *In veritate* ergo est idem quod, in Christiana charitate; unde Dionys. Carthus. ex hoc loco colligit S. Joannem Dei instinctu cognovisse se esse in Dei gratia et charitate perfecta; quod utique verum esse credo, sed id ex hoc loco evinci nequit. Denique *in veritate*, id est, in Evangelica lege et doctrina, quæ sola est lex veritatis veræque charitatis. Porro Hugo in *veritate*, ait, hoc est, *in Domino*, qui est veritas; unde et subdit:

Et non ego solus, sed et omnes qui cognoverunt veritatem.] *Communis hic amor suspicionem amoris privati, et majorem facit auctoritatem*, ait Glossa interlin. Sensus est, q. d. Omnes Christiani qui cognoverunt veritatem, puta verum Deum, verum Christum, veram fidem et legem, veram virtutem, veram puritatem et sanctimoniam, hi eos amant, quia vident eos excellere in veritate, id est, vera puraque fide, castitate et virtute Christi.

2. Propter veritatem quæ permanet in nobis, et nobiscum erit in æternum.] Refert hæc ad *diligo in veritate*, non ad *cognoverunt*, q. d. Diligo eos in veritate, quia ipsi constanter adhærent veritati, id est, veræ fidei, castitati et charitati Evangelicæ, quæ permanet in nobis per omnem hanc vitam, et permanebit per omnem vitam futuram et æternam in gloria cœlesti. Per *veritatem* ergo accipe veram fidem, verum Evangelium, veram doctrinam, quæ permanet et permanebit inviolata, firma et stabilis per omnem æternitatem. Secundo, Œcum. per *veritatem* accipit veram, id est, firmam, stabilem, semperque sui similem charitatem, ne scilicet facile refrigeretur, extinguatur aut mutetur. Sic et Dionysius Carthus. per *veritatem* accipit veram charitatem, qua Electa cum natis subveniebat necessitatibus fidelium, ideoque eam à Joanne tantopere fuisse dilectam asseverat. Videtur enim alludere S. Joannes ad aliud epist. 1. c. 3. v. 18. *Filioli, non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate.* Veritas ergo est efficax estque vera charitas, quam sequitur chara æternitas, et æterna felicitas. Sensus est, quasi dicat: Diligo eos propter veritatem, quia scilicet vivunt secundum veritatem Evangelii, illi quasi normæ vivendi mores omnes conformant, illam actibus suis exprimunt. Tertio, nonnulli per *veritatem* accipiunt Christum; ipse enim est via, veritas et vita. Rursum ipse est parens, præco et objectum Evangelii, sive veritatis Evangelicæ; qui enim Evangelium dicit, Christum dicit. q. d. Diligo vos propter Christum, qui in nobis per fidem et amorem manet, et manebit per fruitionem in æternum.

3. Sit vobiscum gratia, misericordia, pax.] De hac salutatione dixi initio epist. S. Pauli ad Titum, ad Roman. ad Corinth. etc. Addit *misericordiam*, vel, ut Syrus, *miserationes*, gratiæ, ut per eam misericordiam quam à Deo per Christum perceperunt, et in dies percipiebant, instiget Electam et natos ad similem misericordiam exhibendam proximis, puta Christianis pauperibus, eorum egestati succurrendo; omnes enim, quantumvis sancti, miseri sunt et infirmi, ac sæpius vel labuntur, vel in periculo sunt labendi; egent enim misericordia Dei assidue, ut lapsi resurgant, lapsuri sustententur et confirmentur.

A Deo Patre et a Christo Jesu filio Patris.] Sub his duabus personis intellige tertiam, scilicet Spiritum sanctum; hujus enim necessarium principium spirativum sunt Pater et Filius; ita Lyranus.

In veritate et charitate.] Subaudi ut perseveretis, vel, ut crescatis. q. d. Sit vobis gratia, etc. ut crescatis et proficiatis assidue in charitate et veritate, hoc est, vera Dei bonorumque divinorum et cœlestium cognitione, sapore et gustu. Aliter Hugo et Cajetanus. Referunt enim hæc ad τὸ *Filio*. q. d. Filius est dilectus Patris, sive diligitur à Patre in charitate et veritate. Aut q. d. Filius pro ea veritate et charitate quam attulit in mundum, quaque vos et fideles suos prosequitur, det vobis gratiam et pacem.

Aliter quoque Catharinus. q. d. Gratia, misericordia et pax, quam vobis apprecor, consistit in veritate, hoc est, in vera doctrina et fide ac charitate, quia invicem sincere propter Deum diligatis. In his enim duobus consistit perfectio Christiani et Christianismi. Hic sensus valde appositus est, æque ac facilis et obvius: nihil enim subaudit, nihil supplet. Porro veritas mentem illuminat, charitas voluntatem inflammat; quocirca non aliud pene quam hæc duo, hisce Epistolis inculcat S. Joannes.

Symbolice Lyran. *in charitate*, inquit, id est, in Spiritu sancto; huic enim appropriatur amor et charitas.

Porro artificiose S. Joan. hac salutatione quasi prologo insinuat, et summatim complectitur totius Epistolæ argumentum. Deinceps enim commendat charitatem, ut diligamus invicem usque ad v. 7. inde usque ad finem inculcat veritatem Evangelii, ut in ea persistant, nec hæreticis aures vel linguam commodent, imo nec Ave dicant.

4. Gavisus sum valde, quoniam inveni de filiis tuis,] hoc est, filios tuos. Est hebraismus. Similis est Psalm. 71. v. 16. *Dabitur ei de auro* (id est, aurum) *Arabiæ; et adorabunt de ipso*, id est, ipsum, et Isaiæ 2. v. 3. *Docebit vos de viis suis*, id est, vias suas.

Videtur Electa plures habuisse filios, vel ex iis nepotes. Hi enim filiorum nomine censentur; nonnulli *filios* intelligunt non carnis, sed spiritus, quos scilicet Electa in pietate et virtute alebat et promovebat; sed prius quod dixi est genuinum.

Ambulantes in veritate,] vitam instituentes ad normam Evangelii. Nota. Non dicit stantes, nec sedentes, sed ambulantes, ut significet eos in dies profecisse in moribus Christianis, et ivisse de virtute in virtutem, eosque in hoc nobis imitandos proponat. *Quantum enim quis in virtute operatur*, ait Œcum. *tantum alterius progreditur, habitumque honesti perfectiorem sibi comparat, quippe cum infinita et nunquam deficiens virtutis via sit.* Stimulum ad ambulandum

dat S. Ambr.: *Tempus*, inquit, *tuum ambulat, et tu dormis?* q. d. Grandis tibi à terra in cœlum empyreum restat, via, multorum millionum milliarium est iter; tempus ambulandi tibi breve est et velox; ambulat enim, imo volat; quare ergo cum ambulante, imo volante tempore non ambulas et volas in cœlum? Vidit hoc per umbram Seneca epist. 73. ubi ait, *omnia alia negligenda esse, ut huic assideamus, cui nullum temporis spatium satis magnum est, etiamsi à pueritia usque ad longissimos humani ævi terminos vita protendatur.* Quocirca idem de Vita beata cap. 17. monet *quotidie aliquid ex vitiis demendum, erroresque suos objurgandos.*

Sicut mandatum accepimus a Patre.] Patrem potius nominat quam Filium, quia patris est mandare filiis, juxta illud Malach. 1. v. 6. *Filius honorat patrem, et servus dominum suum. Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Porro Pater mandavit per Filium, quem ideo misit in mundum, juxta illud Christi Joann. 15. v. 15. *Omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Alii per *Patrem* accipiunt Christum; qui est *pater futuri sæculi*, Isaiæ 8. v. 9. Pro quo Galatinus lib. 3. de Arcan. Cath. cap. 19. legit: *Pater sempiternus;* quique ait: *Ecce ego et pueri mei quos dedit mihi Dominus*, Isaiæ 8. 18. Ita Lyran. Hugo et Thomas Anglicus. Sed prior sensus simplicior est; nam paulo ante S. Joannes Christum à Patre distinxit.

5. Et nunc rogo te, domina.] Refert hæc ad finem versus: *Ut diligamus alterutrum;* ibi enim sententia pendens expletur. q. d. Rogo te, domina, ut te et tuos exerceas in dilectione mutua; hoc enim dilectionis mandatum non est recens et novum, sed ab initio Evangelii et Christianismi à Christo, me, cæterisque Apostolis promulgatum, et assidue commendatum. Nota modestiam S. Joannis prælatis imitandam, quia dicit: *Rogo te, domina*, cum potuisset dicere: *Mando tibi, ô filia;* de qua fide S. Gregor. 13. Moral. cap. 3. S. Bernard. serm. 23. in Cant. et S. Bonavent. de Sex alis Seraphim cap. 4. 5. 7. De mandato dilectionis novo et veteri dixi ep. 1. cap. 2. 7.

6. Et hæc est charitas ut ambulemus secundum mandata ejus.] Græca et Syrus, *mandatum ejus*, puta dilectionis, jam dictum, q. d. In hoc cernitur, in hoc consistit charitas, nimirum in observatione mandatorum Dei. Hæc enim mandata non sunt aliud, quam mandata charitis et dilectionis, tum Dei, uti sunt tria prima Decalogi, tum proximi, quod jam inculcavi et inculco, uti sunt septem ultima Decalogi.

Hoc est enim mandatum (scilicet charitatis et dilectionis jam dictum, et sæpius, imo semper à me inculcatum) ut quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis,] nimirum in veritate et charitate Evangelica assidue progrediamini, crescendo et proficiendo in fide et dilectione Dei et proximi, quæ initio prædicationis meæ vobis inculcavi, nec ab iis à quoquam ullo modo vos abduci patiamini.

7. Quoniam multi seductores exierunt in mundum.] Transit in alterum Epistolæ caput, scilicet à charitate ad veritatem Evangelicam; hæ enim virtutes sunt individuæ comites et sorores; veritas enim Evangelii docet et parit charitatem. Porro τὸ *quoniam* dat causam dictorum vers. præced. q. d. Dixi ut in mandato veritatis et charitatis Evangelii, quod ab initio vobis tradidi, constanter ambuletis, id est, maneatis, et proficiatis; quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui hanc veritatem, et consequenter charitatem Christianam evertere, et vobis eripere conantur; à quibus proinde quasi lupis, imo Antichristis, cavere debetis; ipsi enim à Christo et Christianorum unione, ad sua satanica conventicula vos seducere satagunt; ita Œcum.

Venisse.] Græce ερχομενον, hoc est, *venientem*, id est, ut Tigur. *venturum*, scilicet ab olim, à tempore Prophetarum, qui eum venturum prædixerunt. Melius Noster vertit, *venisse.* Jam enim venerat Christus, nisi quis cum Cajetano referat ad futurum in judicio Christi adventum; hunc enim negabant hæretici illius ævi, uti dixi 2. Petri 3. vers. 4.

Hic est seductor, et Antichristus.] q. d. Quisquis sentit, quisquis ita docet, scilicet Christum non venisse in carnem, nec esse incarnatum, hic est impostor, imo Antichristus. Repetit et inculcat dicta epist. 1. c. 4. 3.

8. Videte vosmetipsos.] Vatablus, *intuemini*, scrutamini, examinate *vos ipsos;* Tigurina, *cavete vobis ipsis;* Syrus apud Serarium, *custodite vos in anima vestra.* Præclare Philo Carpathius in c. ult. Cantic. *Nihil*, ait, *est utilius, nihil laudabilius, nihil sanctius, quam in se descendere, seque et vitam propriam et proximi, cum possis, ad honestatem collimare.*

Ne perdatis quæ operati estis.] Græca hæc legunt in prima persona, ινα μη απολεσωμεν α εργασαμεθα, id est, *ne perdamus quæ operati sumus.* q. d. Ne incassum vobis prædicarim, quod sane fieret, si sineretis vos ab hæreticis à veritate et charitate Christiana ad hæresim traduci; tam enim ego quam vos omnem pristinum laborem perderemus. Porro, ut vetus dictum habet: *Nulla major infelicitas est, quàm meminisse se aliquando fuisse felicem.*

Sed ut mercedem plenam accipiatis.] Hanc enim vobis afferet in fide et charitate Christi constantia, ac perseverantia; hæc enim tam præteritorum, quam præsentium et futurorum bonorum operum integram, adæquatam, plenamque mercedem promerebitur et reipsa afferet. Rursum *plenam*, id est, copiosam et abundantem, ut alibi ostendi. Qui enim apostatat, esto postea pœniteat, semiplenam et dimidiatam duntaxat mercedem recipiet; quia omne tempus et omnia opera quæ in apostasia gessit, perdidit. Græca rursum habent in præsenti απωλεσωμεν, hoc est, *ut plenam mercedem accipiamus;* plena enim Apostoli et doctoris est merces, cum operum suorum fructum videt in discipulis; cumque non tantum in se, sed et in discipulis suis remunerationem accipiens, honoratur et coronatur. Unde S. Paulus ait Philippens. cap. 4. 1. *Itaque, fratres mei charissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea, sic state in Domino charissimi*, et Thessalonicensibus epist. 1. cap. 2. 19. *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum estis in adventu ejus? vos enim estis gloria nostra et gaudium.*

9. Omnis qui recedit.] Perperam Lyranus et Hugo legunt *præcedit.* q. d. Qui prius bene incedit, sed postea male ambulat et recedit, per-

peram, inquam: Græce enim est παραβαινων, id est, *qui transgreditur*, violat, recedit; Syrus, *qui transit et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet amicum*, patrem, tutorem, provisorem per fidem, spem et charitatem.

QUI PERMANET IN DOCTRINA, HIC ET PATREM ET FILIUM HABET,] ac consequenter Spiritum sanctum qui est amor et nexus Patris et Filii. Talis ergo est templum SS. Trinitatis, uti docet Christus Joann. 14. 23. et Paulus 1. Corinth. 6. 19. Repetit et inculcat S. Joannes ea quæ scripsit epist. 1. c. 2. 24. Vide ibi dicta.

10. SI QUIS VENIT AD VOS, ET HANC DOCTRINAM NON AFFERT, NOLITE RECIPERE EUM IN DOMUM, NEC AVE EI DIXERITIS.] Non tantum consulit S. Joannes, uti aliqui opinantur, sed et præcipit, ut Electa et quivis fidelis hæreticum, qui *hanc doctrinam non affert*, id est, qui aliam, et Christo fideique orthodoxæ contrariam doctrinam affert (est miosis) hospitio non accipiat, nec Ave ei dicat; loquitur enim proprie de hæreticis dogmatistis, qui in domos matronarum nobilium et potentum irrepebant, ut hæreses suas occulte docerent et spargerent. Unde causam præcepti subdit, dicens: *Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis;* quia scilicet salutando hæreticum dogmastisten, videtur dogmati et hæresi ejus favere et applaudere, illudque fovere et promovere sua auctoritate, favore, hospitio, facultatibus. Sicut enim qui furem artem furandi exercentem domo excipit, censetur ejus furtis cooperari, ac proinde juxta leges quasi furum receptator punitur, quia furi dat receptaculum et latebras. Et qui meretrici ut meretricetur elocat domum, censetur cooperari ejus meretricio, ait Navarrus in Manuali c. 17. n. 195. Sic qui hæreticum venientem in urbem ut in ea dogmaticet, hæresimque spargat, hospitio excipit, censetur ejus doctrinæ et hæresis propagationi cooperari. Vetat hic S. Joannes omne colloquium, omne consortium, omne commercium cum hæreticis; hoc enim est plus quam *Ave*.

Nota Non tantum jure Humano et Canonico, quod post S. Joannem ediderunt Pontifices et Concilia, sed et jure divino ac naturæ fugiendi sunt hæretici tribus casibus. Primus est, cum est periculum ne tu vel tui ab eis pervertantur, quod ordinarie subesse solet. *Nam sermo eorum ut cancer serpit*, ait sanctus Paulus 2. Timoth. 2. 17.

Secundus, cum suscipiendo eum, videris ejus hæresi favere, eamque tacite profiteri aut adjuvare. v. g. si Ministrum Calvinianum cognitum domo et mensa excipias, qui ea de causa venit, ut hæresin suam propaget; si ejus concioni et cœnæ Eucharisticæ intersis; si ei in sacris et Sacramentis communices.

Tertius, cum scandalum aliis creas, ut ipsi putent te hæresis et hæreticorum hospitem et patronum, utque ipsi ad idem faciendum tuo exemplo incitentur.

Hisce casibus exceptis, jure divino et naturæ non vetatur communicatio cum hæreticis, præsertim si necessitas, pietas aut gravis utilitas eam suadeat.

Porro S. Joannes quod hic docuit verbo, monstravit exemplo. Ingressus enim balneum, mox ut in eo Cherintum conspexit, ex eo se proripuit, dicens suis: *Fugiamus ocius, ne balneum in quo est Cherintus veritatis adversarius, extemplo corruat*, uti refert Iræneus l. 3. c. 3. Et Euseb. l. 3. c. 13. additque S. Hieron. dial. contra Lucifer. post S. Joannis abitum illico Cherintum cum sociis balneo ruente fuisse oppressum. S. Joannes ergo uti ingenti amore prosequebatur Christum, Christique fidem, ita immani odio aversabatur hæreticos, juratos Christi et fidei hostes.

S. Joannem magistrum secutus S. Polycarpus discipulus, ad hæc S. Joannis verba alludens epist. ad Philippens. *abstinentes*, ait, *à scandalis et à falsis fratribus, qui in vanum portant nomen Domini, qui oberrare faciunt inanes homines; omnis enim qui non confitetur Jesum Christum in carne venisse, hic Antichristus est; et qui non confitetur mysterium crucis, ex diabolo est; et qui detorserit eloquia Domini ad propria desideria, et dixerit neque resurrectionem, neque judicium esse, hic primogenitus Satanæ est. Propter quod relinquentes vanitates multorum et falsas doctrinas, ad illud quod traditum est nobis à principio verbum revertamur.* Ita scripsit S. Polycarpus, ita et fecit; occurrens enim Marcioni hæretico, ab eo rogatus num se agnosceret? *Agnosco*, ait, *te primogenitum diaboli*, uti ex Irenæo Eusebius l. 4. Histor. c. 13.

Sic et S. Ignatius, æque S. Joannis discipulus, epist. ad Trallianos: *Fugite*, ait, *impias, et Deum abnegantes hæreses; diaboli enim sunt adinventiones serpentis malorum auctoris, qui per mulierem seduxit Adam.* Similia habet S. Clemens Rom. l. 6. Const. Apostol. c. 18. S. Martialis epist. ad Tolos. S. Irenæus lib. 3. cap. 3. S. Hilarius lib. contra Auxentium, S. Cyprianus de lapsis, S. Hieron. epist. ad Demetr. S. Chrysost. hom. de fide, spe et char. S. Bernardus serm. 66. in Cantic.

Sic S. Herminigildus jussu patris Leovigildi regis Gothorum occisus est, quod noluisset in Paschate ab Episcopo Arriano Eucharistiam suscipere, uti refert S. Gregor. 3. Dialog. 31. eaque de causa eum ut Martyrem colit Ecclesia.

Joannes Moschus in Prato spirit. cap. 40. narrat Cosmum Abbatem sanctum, sepultum in eodem sepulcro in quo humatus erat hæreticus Episcopus, singulis noctibus auditum has voces dare: *Noli me tangere, hæretice, et ne appropinques mihi, inimice sanctæ Dei Catholicæ Ecclesiæ.* Et cap. 177. narrat Monachum habitantem in cella Evagrii hæretici, in eadem seipsum injecto fune strangulasse. Id ei prædixerat Abbas, dicens: *Fili, dæmon acerrimus illic habitat, qui non permittit aliquem ibi commorari.*

Eusebius Vercellensis captus ab Arrianis malebat fame mori, quam ab Arrianis cibum sumere, uti habet ejus Vita.

Liberius Pontifex rejecit munera, quæ Eusebius Constantii Imper. Arriani legatus offerebat sancto Petro, teste S. Athanas. epist. ad Solitar.

Quam cives Samosateni execrati sint Eunomium hæreticum, adeo ut pueri ludentes pila, cum illa casu mulam Eunomii tetigisset, in lusu pergere noluerint, nisi illam quasi hoc tactu contaminatam, prius trajiciendo per flammas expiassent, narrat Theodor. l. 4. Histor. c. 12. et Baron. anno Christi 370. Similia de Alexandrinis suis Arrianos aversantibus habet S. Athanas. ep. ad Solitar.

S. Paphnutius Maximum Hierosolymæ Epis-

copum ex simplicitate inter hæreticos versantem manu educens : *Non patiar*, inquit, *Episcopum adeo venerandum in cathedra pestilentiæ sedere, et cum impuris hæreticis ne verbo quidem communicare.* Testis Sozomen. l. 2. c. 25.

S. Antonius jam moriturus, teste S. Athanas. in ejus vita suis discipulis severe edixit : *Hæreticorum et schismaticorum venena vitate, meumque circa eos odium sectamini ; scitis ipsi quod nullus mihi pacificus sermo cum eis unquam fuerit.*

S. Martinus communicans cum Episcopis Ithacianæ sectæ spe salutis eorum, monitus fuit ab angelo, pœnitensque licet, deinceps tamen sensit detrimentum virtutis, ut tot miracula non patraret quod ante solebat, teste Sulpitio lib. 3. Dialog.

Multo magis cavendi sunt hæreticorum libri ; illi enim pestilentes occulte hæresim suam, quasi pestem, specie elegantiæ et sapientiæ animis legentium instillant. Hoc sæculo hæresis Lutheri et Calvini, per tot regna sparsa est per libros eorum ; si eam vis tollere, tolle eorum libros et Ministros ; illico eam sustuleris, si pios et doctos sacerdotes et prædicatores eis substituas. Quocirca Constantinus Magnus sub pœna mortis jussit libros Arrianorum exuri ; ita Tripart. lib. 1. cap. 15. Idem sub eadem pœna de libris Eunomianorum sanxit Theodosius Cod. Theodos. lib. 16. leg. 16. Sic Manichæorum libros cremari jussit S. Leo, teste S. Prospero in Chronico. A libris Wicleſi Bohemiæ invectam esse hæresim Hussiticam, quæ usque ad hæc tempora duravit, testis est Æneas Sylvius de Origen. Bohem. c. 37. Joannes Moschus in Prato spirit. cap. 46. narrat Cyriacum Abbatem graviter pervisum à B. Virgine reprehensum, quod in cubiculo haberet libros Nestorii, cum diceret : *Habes intra cellam tuam inimicum meum, et vis ut ingrediar?*

Nec Ave ei dixeritis.] Syrus : *Ave et Vale non dicetis ei;* græce χαιρειν, id est, *ave, salve, vale. Ave* et *salve* dicebant prisci Romani in ingressu, *vale* in digressu. Rursum *ave* dicebant mane, *vale* vespere, teste Suetonio in Galba c. 4. et Martial. lib. 4. epigram. 79.

> Discurris tota vagus urbe, nec ulla cathedra est,
> Cui non mane seras irrequietus ave.

Ave ergo, id est, gaude ; ita Syrus. Audi Festum : *Avere nihil aliud est, quam cupere; argumento est avidum et aviditas, ex quibus præcipua cupiditas intelligitur; cum significet et gaudere.* Sic χαιρειν idem est quod *gaude, lætare, exulta;* lætitia enim salus est et beatitudo hujus vitæ, quam salutando aliis apprecamur, juxta illud Eccles. 3. 12. *Cognovi quod non esset melius nisi lætari et facere bene in vita sua.* Hæretico ergo non Ave, sed væ intentandum, uti intentavit Elymæ impostori S. Paulus Actor. 13. 10. dicens : *O plene omni dolo et omni fallacia, filidiaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, et eris cæcus, non videns solem usque ad tempus.*

11. Qui enim dicit illi Ave (Syrus, *gaude*) communicat operibus ejus malignis.] Salutando enim hæreticum dogmatisten, hæresin ejus probare videtur, uti paulo ante ostendi, cum potius instar Pauli eam redarguere et abominari debeat. Pro *maliguis* Iren. lib. 1. cap. 13. legit *nequissimis;* omnes enim dolos, fraudes, libidines, scelera omnia machinantur hæresiarchæ, et hæresis propagatores. Nonnulli codices Latini addunt : *Ecce prædixi vobis, ut in die Domini non confundamini.* Ita legunt Lyran. Hugo, Dionys. et Thomas Anglicus.

12. Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum,] non quasi ob defectum chartæ et atramenti plura scribere nequeam, sed quod censeam ea non committenda esse chartæ et atramento (ita Syrus) hoc est, non esse scribenda, sed oretenus communicanda, ut sequitur ; sive quia secreta sunt, sive quia litteræ perire, vel in infidelium, qui perperam omnia nostra interpretantur, manus incidere possunt ; sive quia viva vox est efficacior et gratior quam scripta ; sive quia litteræ et colloquia, præsertim cum feminis debent esse succincti, uti aiebat S. Franciscus uterque, scilicet Assisias et noster Xáverius. Præclare quoque idem S. Franciscus Assisias in opusculo Decem perfectionum veri Religiosi, hanc ultimam assignat : *Super omnia caveat,* inquit, *ut in omnibus verbis ejus reluceat veritas, bonitas et humilitas ; quia verbum hominis debet incipere à veritate, proficere in bonitate, terminare in humilitate, et mensurari brevitate, quia Verbum abbreviatum fecit Dominus super terram.*

Spero enim me futurum apud vos.] Hinc videtur hæc Epistola scripta et missa non Babylonem ad Babyloniam feminam, ut ait Clemens Alexand. sed ad aliquam Asiæ, vel Græciæ urbem Epheso vicinam. Inde enim ad vicinas Asiæ urbes in fide erudiendas et confirmandas excurrere poterat et solebat S. Joannes jam grandævus, et pene decrepitus, non vero in Babylonem adeo remotam.

Et os ad os loqui.] Est græcismus, pro eo quod Latini dicunt : *Ore ad os loqui*, hoc est, præsens præsenti loqui ; Græce enim est στομα προς στομα λαλησαι ; sed more Græco subauditur præpositio κατα, q. d. Secundum os, id est, ore ad os loqui. Est ergo antiptosis Græca, vel potius Hebraica : Hebræi enim quia carent nominum declinatione et casibus dicunt פה אל פה *pe el pe* id est, *os ad os*, hoc est ore ad os loqui.

Ut gaudium vestrum plenum sit.] *Plenum*, id est, abundans et exuberans ; viva enim vox Doctoris et Apostoli, præsertim S. Joannis, longe plus gaudii, doctrinæ, consolationis, pietatis, devotionis erat allatura, quam litteræ mortuæ. Nam, ut ait S. Hieron. ad Paulin. de S. Script. *Habet nescio quid latentis energiæ vivæ vocis actus et in aures discipulorum de auctoris ore transfusa fortius sonat.* Pro *vestrum* Græca legunt ημων, id est *nostrum*. Tam enim S. Joannes gaudebat videre, docere et consolari suos discipulos, quam discipuli gaudebant ejus aspectu, doctrina et consolatione. Sic S. Paulus optat videre Romanos c. 1. 12. *Et simul consolari,* inquit ipse, *in vobis, per eam quæ invicem est fidem vestram atque meam.*

13. Salutant te filii sororis tuæ Electæ.] Hinc OEcum. et noster Serarius contendunt τῇ *Electæ*, cui inscribitur hæc Epistola, esse nomen appellativum, et epithetum Ecclesiæ cujusvis particularis. Sensum enim esse. q. d. Te, ô electa Ecclesia Corinthiorum, salutant filii sororis tuæ, puta fideles Electæ Ecclesiæ Ephesiorum. Alii censent Electas has fuisse personas particulares, sed vocari sorores non carne, sed fide et spiritu, eo quod ambæ ejusdem magistri, puta S. Joannis essent discipulæ.

Verum respondeo primo, το *Electæ* referre ad *tuæ*, non ad *sororis*. Clarius id apparet in Græco: *salutant*, inquit, *te filii* της αδελφης σου της εκλεκτης, id est, *sororis tuî; tuî*, inquam, quæ es *Electa*, sive quæ uti nominaris, ita revera es electa. Unde Biblia Gothica, teste Mariana, legunt: *Salutant te filii sororis tuæ, Electa*, id est, ô Electa in vocativo casu.

Secundo, planius τὸ *Electa* referas ad *sororis*, soror ergo Electæ, ad quam scribit S. Joann. v. 1. vocabatur pariter *Electa;* sæpe enim in eadem familia, præsertim si sit ampla et proliibus abundans, plures filii et filiæ habent idem nomen, ut in eadem sint duo Joannes, duo Petri, duæ Mariæ, duæ Margaritæ. Addo quod initio Epistolæ indicavi, τὸ *Electæ* non tam esse nomen proprium, quam appropriatum, quia scilicet est nomen dignitatis et officii, quod pluribus personis idem officium obeuntibus tribuitur et congruit. Electa ergo videtur fuisse nomen matronæ primariæ, quæ Ecclesiæ ministros, orphanos, viduas et pauperes sustentabat, quasi mater, quæ cæterarum feminarum instructioni et gubernationi in Ecclesia præerat instar Diaconissæ. Sensus ergo est. q. d. O Electa mater fidelium in Ecclesia, v. g. Corinthi, salutant te filii sororis tuæ, quæ pariter est Electa mater fidelium in Ecclesia Ephesi, unde hæc scribo. Id arguit Græcus articulus της εκλεκτης; nomini enim proprio non solent Græci præfigere articulum, sed nomini dignitatis et officii, quod certæ personæ appropriatur.

Hæc verba ostendunt comitatem, affabilitatem et humanitatem S. Joannis, qua non solum Electam suo, sed et nepotum nomine salutat. Similis fuit in S. Paulo, uti videre est Rom. cap. ult. et in fine cæterarum ejus Epistolarum.

Nonnulli Græci et Latini Codices addunt *Gratia tecum, Amen;* et Syrus, *Gratia vobiscum, Amen*, quæ salutatio et S. Joanne digna est, et S. Paulo frequens.

COMMENTARIUS

IN TERTIAM

SANCTI JOANNIS

EPISTOLAM.

SYNOPSIS.

Scribit S. Joannes ad Caium sibi familiarem, eumque laudat ab hospitalitate, quod fideles peregrinos hospitio excipiat, foveat, benigne lauteque habeat. Inde v. 9. ex adverso accusat Diotrephis inhospitalitatem et arrogantiam, quod fideles non suscipiat, et suscipientes ex Ecclesia ejiciat. Denique v. 12. Demetrium publico omnium suoque testimonio commendat, ac brevi se præsentem fore significans salutari jubet amicos.

1. Senior Caio charissimo, quem ego diligo in veritate. 2. Charissime, de omnibus orationem facio prospere te ingredi, et valere, sicut prospere agit anima tua. 3. Gavisus sum valde venientibus fratribus, et testimonium perhibentibus veritati tuæ, sicut tu in veritate ambulas. 4. Majorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam illos meos in veritate ambulare. 5. Charissime, fideliter facis quidquid operaris in fratres, et hoc in peregrinos. 6. Qui testimonium reddiderunt charitati tuæ in conspectu Ecclesiæ : quos, benefaciens, deduces digne Deo. 7. Pro nomine enim ejus profecti sunt, nihil accipientes à Gentibus. 8. Nos ergo debemus suscipere hujusmodi, ut cooperatores simus veritatis. 9. Scripsissem forsitan Ecclesiæ; sed is, qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes non recipit nos. 10. Propter hoc si venero, commonebo ejus opera, quæ facit : verbis malignis garriens in nos ; et quasi non ei ista sufficiant : neque ipse suscipit fratres; et eos, qui suscipiunt, prohibet, et de Ecclesia ejicit. 11. Charissime, noli imitari malum, sed quod bonum est. Qui benefacit, ex Deo est ; qui malefacit, non vidit Deum. 12. Demetrio testimonium redditur ab omnibus, et ab ipsa veritate, sed et nos testimonium perhibemus; et nosti quoniam testimonium nostrum verum est. 13. Multi habui tibi scribere ; sed nolui per atramentum, et calamum scribere tibi. 14. Spero autem protinus te videre, et os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.

1. Senior] id est, maxime senex, antiquissimus, summus tum ætate, tum dignitate Episcopatus, Apostolatus et Patriarchatus. Vide dicta epist. 2. v. 1.

Caio.] Quis est Caius? Primo, Lucius Dexter in Chronico, censet fuisse filium Caii Oppii Centurionis; sicut enim habet : *Anno Christi* 70, *in Arabia Felice, martyrium trium Magorum, qui Christum in Bethlehem adorarunt. Per hæc tempora delatus jam in Asiam S. Joannes cognomento Theologus, docebat Ephesi; unde scripsit ad Caium Hispanum C. Centurionis Malacitani filium, fratrem Demetrii hospitalis viri, cujus pater post fuit Episcopus Mediolanensis; Diotrephes vero impediebat hospites ad Hispanias peregrinationis causa devenientes. At hic malus Episcopus propter ejus scelera et superbiam depositus est.* Pergit Dexter. *Peregrinatio ad loca sancta Hispaniæ, ex multis aliis locis facta ab ipsis Apostolicis temporibus, cum C. Oppius Centurio peregrinus sustentabat. Qui Caius domo Corinthius, genere vero Hispanus, etiam D. Paulum inde redeuntem domo tectisque liberaliter excepit, invisitque Joannem ab exilio post redeuntem in Hispanias. Comitatur Joannem et Romam usque ad Higinium; inde venit Mediolanum, et Pontifex ibi factus in Domino moritur.* Sic et Onuphrius in Chronico Caium tertium facit Mediolani Episcopum, sed ait eum fuisse Romanum, non Hispanum. Sic enim habet anno Christi 92, *Caius Romanus tertius Mediolani Episcopus sedit annis* 22, puta usque ad annum Christi 114, quousque vixisse videtur C. Oppius, nisi dicas eum fuisse decrepitum, uti fuit S. Dionysius Areopagita et alii illo ævo: nam Helecas Episcopus Cæsaraugustanus, qui ad sua usque tempora prosecutus est Chronicon L. Dextri, asserit C. Oppium Cornelium fuisse Centurionem illum, cujus famulum Christus suscitavit, ac postea sociatum Apostolis, neci Stephani interfuisse. Petrum et Paulum comita-

tum in Hispanias ibi prædicasse ac prædicantem Sceptiniensibus juxta Idam mortuum esse. Ac L. Dexter. C. Oppium, patrem hujus Caii ad quem scribit S. Joannes, censet fuisse Centurionem illum qui astitit et custodivit Christum in cruce, qui, viso terræ motu aliisque prodigiis, exclamavit : *Vere filius Dei erat iste*, Math. 27. 54. sic enim scribit : *Anno Christi* 34, *Christus Salvator mundi reus ad Pilatum agitur. Claudia Procula, uxor Pilati, admonita per somnium in Christum credit, et salutem consequitur. Christus Dominus noster in crucem actus* VIII. *Calend. Aprilis; solis defectus et tenebræ terram cooperiunt; Caius Oppius Centurio Hispanus credit Christo morienti in cruce.* Addit deinde hunc C. Oppium per Hispanias prædicasse Christum et miracula a Christo in cruce coram se edita, ideoque Hispanos primos suscepisse Christi fidem, ac postulasse aliquem ex Apostolis ad se mitti, missumque esse S. Jacobum. Hæc Dexter; de cujus fide et auctoritate dixi Præfat. in Acta, in fine Chronotaxis.

Secundo, Beda, Glossa, Hugo, Lyran. Dionys. hic, Ambrosiaster in c. 16. ad Rom. et alii passim (excepto Cajetano et Cathar. qui dubitant) censent Caium hunc fuisse Corinthium illum, de quo S. Paulus Corintho ad Romanos scribens cap. 16. 23. ait : *Salutat vos Caius hospes meus, et universa Ecclesia*, vel, ut Græca et Beda habent, *et universæ Ecclesiæ*, eo quod quoslibet de Ecclesia domo exciperet ; pari enim modo S. Joannes hic Caium suum ab hospitalitate impense commendat. De eodem ait Paulus. 1. Corinth. 1. 14. *Neminem vestrûm baptizavi nisi Crispum et Caium.* Porro hunc Caium S. Joanni fuisse familiarem testatur sanctus Athanasius in Synopsi, ubi ait eumdem dictante S. Joanne scripsisse ejus Evangelium : Metaphrastes vero in Vita S. Joannis asserit S. Joannem Evangelium à se in exilio Pathmos conscriptum, cum ex eo Ephesum rediisset, illud Caio legendum et recognoscendum tradidisse.

Addit Mariana et Serarius hunc eumdem esse Caium cum illo ad quem extant primæ quatuor epistolæ S. Dionysii Areopagitæ, quas inscribit Caio Therapeutæ; id est Esseno, Ascetæ, Monacho. Favet id quod huic Caio scribit S. Joannes v. 11. *Qui bene facit ex Deo est ; qui male facit, non vidit Deum.* Therapeutæ enim assidue vacantes pietati et contemplationi, per eam videbant Deum ; unde et videntes vocabantur, uti olim et Prophetæ. Idem censent Maximus et Georgius Pachymeres S. Dionysii Paraphrastes, ac Dionysius Carthus. ibidem. Ex illis enim S. Dionys. epistolis liquet Caium hunc fuisse virum sublimem, et Apostolis familiarem ; nec obstat monachismus hospitalitati, quam in Caio hic commendat S. Joannes; tam enim olim quam modo religiosis et monachis cordi fuit et est hospitalitas; præsertim si credimus Dorotheo in Synopsi, et Sedulio in c. 16. ad Roman. qui tradunt Caium, de quo Paulus Roman. 16. creatum esse Episcopum, sive, ut Dorotheus vult Ephesinum; sive, ut Sedulius, primum Thessalonicensem ; solebant enim ex Therapeutis et Ascetis, quasi viris perfectis, creari Episcopi ; imo Episcopi erant Therapeutæ, ut patet in S. Dionysio, S. Basilio, S. Nazianz, S. Chrysost. S. Gregor. S. Augustino, qui vitam contemplativam jungebant actioni. Episcoporum enim propria dos et laus est hospitalitas, quam proinde eis commendat S. Paulus 1. Timoth. 3. 2. et Tit. 1. 8.

2. De omnibus orationem facio prospere te ingredi, et valere, sicut prospere agit anima tua.] Pagninus et Tigurina omittentes τὸ σε, id est, *te*, sicut vertunt, *de omnibus* (fidelibus tuis) *opto ut prospere agant, et recte valeant, sicut prospere agit anima tua.* q. d. Opto omnes recte valere et prosperari, sicut ut recte vales et prosperaris. Verum omnes Græci, Syri et Latini legunt τὸ σε id est *te*. Itaque pro genuino sensu, Nota. Pro *de omnibus* græce est περὶ πάντων, quod verti potest, *præ omnibus, supra omnia*, vel *omnes*. Noster simplicius vertit, *de omnibus*, id est, in omnibus, per omnia; Syrus, *in omni re ero ego pro te, ut prospere pergas, et sis sanus, sicut prospere agit anima tua;* Vatabl. *sicut animo bene habes, ita opto te per omnia bene habere.* Aut, opto te in omnibus semper valere et prosperari, sicut reipsa nunc anima tua, id est, tu ipse in omnibus recte vales et prosperaris. Deus enim tua omnia fortunat et prosperat; facit enim ut tam corpore quam animo recte valeas, idemque benedicit et locupletat tuam familiam, famulos, amicos, negotia, opes, proventus, resque tuas omnes ; quia eas in Dei obsequium, ac Ecclesiæ ministrorum, et hospitum pauperumque alimoniam impendis, ut in te impleatur illa benedictio Psaltis, imo Dei. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, et campi tui replebuntur ubertate*, psalm. 64. 11. et : *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eum*, psalm. 5. 13. et : *Qui coronat te in misericordia et miserationibus*, psalm. 102. 4. Sic Deus benedixit bonisque omnibus vallavit beneficos amicos suos, Noe Genes. 9. 1. Abraham Gen. 22. 17. Isaac Genes. 25. 11. Jacob Genes. 32. 29. Ruth. c. 3. 10. Obededum 2. Regum 6. 11. Judith. c. 13. 23. Job cap. 1. 10. et cap. 42. 12. Idem facit similibus, qui ad miserendum et benefaciendum proclives sunt, juxta illud promissum Sapientis Prov. 28. v. 27. *Qui dat pauperi, non indigebit ; qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam*, et illud Pauli 2. Corinth. 9. v. 6. *Qui parce seminat, parce et metet ; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.*

Orationem facio] εὐχομαι, id est, *oro*, vel *opto*, ut vertit Vatabl. quæ enim optamus, hæc et oramus. Addit Nyssenus orat. 2. de Orat. Domin. orationem græce dici εὐχὴν, id est, *optionem* et *votum ;* eo quod illi fidenter orent Deum pro bonis qui ei boni aliquid voverunt. Rursum εὐχομαι, id est, *vota facio*, voveo; nec enim verbales et frigidæ erant S. Joannis preces, sed contentæ, votivæ, efficaces et fervidæ.

Prospere te ingredi.] q. d. Oro ut tu in omnibus tuis negotiis et actibus prospere agas. Glossa Interl. *ut quod bene agis bene perficias.* Græce est εὐοδοῦσθαι, id est, *bene ingredi*, prospera via progredi; feliciter dirigi, prospero itinere deduci : significat enim prosperum rei successum et exitum, quem suis dat Deus. Sic Sapient. 11. 1. dicitur εὐοδωσεν, id est *feliciter direxit opera eorum* (Hebræorum) *in manu Prophetæ sancti*, puta per Mosen. quem eis dedit per desertum viæ ducem. Et Psal. 1. 3. de justo dicitur : *Omnia quæcumque faciet prosperabuntur*, id est, felicem sortientur exitum, græce εὐοδωθήσονται. Quare mysticum est quod ait Œcumenius et Beda : Prospere agere, inquiunt, idem est, quod ex Evangelii norma et præceptis vitam instituere.

ET VALERE,] ὑγιαινειν, sanum esse, bona esse valetudine. Sanitas enim requiritur ad bona opera, præsertim hospitalitatis et beneficentiæ.

SICUT PROSPERE AGIT ANIMA TUA,] sicut animo recte vales, ita valeas et corpore, rebusque omnibus, vel *anima tua*, id est, tu ipse ut jam dixi. Laudat Caium, et laudando eum ad hospitalitatis et virtutis incrementa extimulat. Nam, ut ait S. August. hom. 25. inter 50. *Laudata virtus crescit, et laudare est acerrimus stimulus movendi.* Porro Plinius lib. 3. epist. *Eget*, inquit, *si qua virtus alia, laudis hoc stimulo liberalitas.* Quin et Seneca lib. 2. de Ira cap. 21. ait: *Assurgere ingenium si laudatur, et in spem sui bonum adduci.*

3. GAVISUS SUM VALDE VENIENTIBUS FRATRIBUS, ET TESTIMONIUM PERHIBENTIBUS VERITATI TUÆ.] *Veritas* hæc primo, est fidei. q. d. Testantur te in fide Christiana et doctrina Christi constanter inter omnes persecutiones persistere. Secundo, *veritas* hæc est morum. q. d. Testantur te vivere juxta fidem et veritatem Evangelii; testantur mores tuos esse conformes fidei et Evangelio quod profiteris. Unde tertio, veritas hic accipi potest vera charitas et beneficentia; hanc enim maxime docet et sancit veritas Evangelii, hancque in Caio dilaudat Joann. v. 5. et 6. Quarto, *veritas* accipi potest sinceritas et candor, qui opponitur hypocrisi et simulationi. q. d. Testantur te in omnibus esse sincerum et candidum. Quinto, *veritas* accipi potest in tribuendo simplicitas, et vera simplexque liberalitas, de qua Paulus Rom. 12. 8. et 2. Corinth. 8. 2.

4. MAJOREM HORUM (id est, *his*; est græcismus) NON HABEO GRATIAM.] q. d. Nihil mihi gratius accidere potest, nullam majorem mihi gratiam facere possunt, quam, si faciant, ut audiam eos in veritate jam dicta ambulare. Legit Interpres χαριν, id est, *gratiam*, et ita legunt Græci; nonnulli tamen legunt χαραν, id est, *gaudium*, unde Comp. et Regia legunt, *majus horum non habeo gaudium*; et Syrus, *major illa lætitia nulla mihi est, quam ut audiam filios meos ambulare in veritate.* Eodem redit utraque lectio. Celebrat S. Hieron. in c. 5. ad Ephesios illud Christi axioma: *Nunquam læti sitis, nisi cum fratrem videritis in charitate.*

Porro quantum gaudii soleat magistris afferre discipulorum profectus, pulchre docet Seneca epist. 34. *Cresco*, ait, *et exulto, discussa senectute recalesco, quoniam ex his quæ agis et scribis, intelligo quantum te ipse (nam turbam olim reliqueras) supergrederis. Si agricolam arbor ad fructum producta delectat, si pastor ex fœtu gregis sui capit voluptatem, si alumnum suum nemo aliter intuetur quam ut adolescentiam illius suam judicet; quid evenire credis his, qui ingenia educaverunt, et quæ tenera formaverunt, adulta subito vident? Assero te mihi, meum opus es. Ego cum vidissem indolem tuam injeci manum; exhortatus sum, addidi stimulos, nec lente ire passus sum, sed subinde incitavi, et nunc idem facio. Sed jam currentem hortor et invicem hortantem.*

5. CHARISSIME, FIDELITER FACIS QUIDQUID OPERARIS IN FRATRES, ET HOC IN PEREGRINOS.] *Fideliter*, id est, christiane, facis. Græce πιζον ποιεις, id est, *quod fidelem decet facis*; Vatabl. *facis rem tua fide dignam*, facis quod Christianum facere oportet, facis quod mire Christi fidem illustrat, hospitando, alendo, fovendo fratres, puta fideles præsertim peregrinos. Hospitalitas enim olim Christianis erat commendatissima, adeoque signum et nota certa Christianæ fidei; testis est Lucianus licet Gentilis in Peregrino.

Secundo, *to fideliter*, hic non solum fidem, sed et fidelitatem Caii, significat. q. d. Fidelis es Christo; fidelitatem quam Christo in baptismo spopondisti, reipsa præstes. Spopondisti enim te vitam instituturum juxta præcepta Christi, inter quæ primum est charitatis et beneficentiæ erga Christianos, quasi fratres, ac ejusdem fidei et religionis socios. Audi Tertull. inter notas fidelium recensentem contesserationem hospitalitatis; sic enim ait l. de Præscript. c. 20. *Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes; sic omnes primæ, et omnes Apostolicæ, dum unam omnes probant unitatem. Communicatio pacis, et appellatio fraternitatis, et contesseratio hospitalitatis; quæ jura non alia ratio regit, quam ejusdem Sacramenti una traditio. Contesserationem* vocat tesseram sive signum, quod Christiani Christianis exhibebant, ut se ostenderent esse Christianos, itaque quasi fratres hospitio exciperentur. Sic enim et Gentiles habebant tesseram hospitii et amicitiæ. Sed cum tesseram hanc Christianorum cognovissent, et dolose usurparent Gentiles, uti Peregrinum fecisse docet Lucianus, Concilium Nicænum pro tessera instituit litteras, quas Formatas appellabant, de quibus vide Baronium.

ET HOC IN PEREGRINOS,] και εις τους ξενους, id est *et in hospites* vel *peregrinos*, ubi το και, id est *et*, idem valet quod *præsertim;* ideoque Noster vertit *et hoc.* Sic Christus ait: *Dicite discipulis, et*, id est præsertim, *Petro*, Marci 16. 7. Similia sunt Sophoniæ 1. 16. Matth. 13. 41. et alibi.

Porro per *peregrinos* hic accipe tum viros Apostolicos, qui peregrinando disseminabant Evangelium, uti vult Beda; tum eos qui à Gentilibus proscripti exules peregrinabantur, ut vult Hugo et Glossa interlinearis; tum fideles quolibet alio titulo, vel causa peregrinantes, ut vult Dionys. Horum enim curam Deus suo exemplo fidelibus commendavit, dicens Deuter. 10. 18. *Deus amat peregrinum, et dat ei victum atque vestitum; et vos ergo amate peregrinos, quia et ipsi fuistis advenæ in terra Ægypti.*

6. QUI TESTIMONIUM REDDIDERUNT CHARITATI TUÆ IN CONSPECTU ECCLESIÆ.] Solebant enim olim Episcopi et presbyteri venientes ad se hospites invitare ad concionem vel exhortationem in Ecclesia faciendam, quam dum hi facerent, simul celebrabant hospitalitatem et charitatem Caii, quam alibi experti erant. Hunc ritum invitandi hospites tradit S. Clemens l. 2. Constit. c. 62. et sancit Concil. Carthag. IV. c. 3. eumque usurparunt Mediolani S. Ambros. ut patet hom. 48. et S. Cyrillus Alexandriæ, ut patet homil. 7. et 8.

QUOS BENEFACIENS DEDUCES DIGNE DEO.] Hugo legit, *deducis*. Sensus est. q. d. Quibus si benefacere pergas, excipiendo illos hospitio, alendo, juvando, dirigendo, dando viaticum, *deduces illos digne Deo.* q. d. Facies ut commode iter suum prosequi, et alio quo tendunt commigrare possint, quod est opus pium, Deoque dignum, Græce est, ους καλως ποιησεις προπεμψας, id est, *quos benefacies*, id est, beneficio afficies, *deducens digne Deo*, et ita legunt Complut. et Regii. Hinc et Tigur. ac Pagnin. vertunt: *Quos benefacies si deduxeris digne Deo;* S. Hieron. in c. 1. ad Titum vertit: *Quos optime facies si præmiseris* (hoc

enim est προπεμψας) *digne Deo.* Hæc omnia eodem redeunt; τὸ ergo *deduces*, ut ex voce Græca liquet non tam ducatum aut comitatum corporalem significat, quasi velit S. Joann. Caium hospites suos abeuntes personaliter comitari, et per iter deducere; quam viaticum et reliqua ad iter opportuna, v. g. duces itineris, comites contra latrones, litteras commendatitias ad amicos, etc. complectitur. *Deduces* ergo, id est, transmittes eos commode, secure, liberaliter. Sic Romani iis quibus publicum hospitium dabant, etiam lautia, id est, hospitalia dona tribuebant. Hoc est quod Romanis scribit Paulus c. 16. 2. de Phœbe : *Ut suscipiatis eam*, inquit, *in Domino digne sanctis, et assistatis ei in quocumque negotio vestri indiguerit.*

Digne Deo.] Primo, q. d. Uti dignum est Dei cultores à Dei cultore tractari, honorando illos quasi Dei ministros, et Deum in illis; tam charitative et reverenter eos tractando, quam tractari decet Christi servos et membra, ait Dionysius.

Secundo, q. d. Facies quod Deo dignum est, gratum et honorificum.

Tertio, q. d. Rependes quasi vicem Deo, quia sicut ille in te liberalis est, ita et tu liberaliter tua in Dei ministros effundis.

Quarto, q. d. Magnam apud Deum inibis gratiam et mercedem; mereberis enim ut Deus liberalitatem tuam in suos ministros majori erga te liberalitate bonorum, tum corporalium, tum spiritualium compenset. Actio enim Deo digna censetur, quæ apud Deum præmium et compensationem meretur. Qui enim agit digna Deo, dignus est cui Deus paria, imo majora rependat, juxta illud promissum Christi Matth. 10. 40. *Qui recipit vos, me recipit; et qui recipit me, recipit eum qui me misit. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet; et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.*

Quinto, *digne Deo*, hoc est, tali modo qui dignus censeatur Deo, q. d. Divine, regie, largiter. Ita noster Lorinus : Unde Syrus vertit, *sicut decenter Deo.*

Sexto, idem, *digne Deo*, inquit, hoc est, eo modo et dignitate, ac si Deus ipse id ageret, servata proportione; sic loqui linguis angelorum 1. Cor. 13. est ea elegantia loqui, qua uteretur angelus si loqueretur.

Moral. examinet se quisque fidelis, et videat an opera ejus sint plena, perfecta, et tam præstantia ut sunt digna Deo, an charitas ejus sit similis charitati Dei et Christi; an agat et vivat digne Christo. Donum quod regi offers non quale quale; sed eximium et regium esse decet, ut sit rege dignum; quale ergo sit oportet quod Deo, summæ, inquam, illi sanctitati et majestati, quæ est Rex regum, et Dominus dominantium, offertur? De quo ait Job c. 37. 23. *Digne eum invenire non possumus, magnus fortitudine, et judicio, et justitia, et enarrari non potest.* Ut vivas digne, Deo et Spiritu sancto plenus sis necesse est; solus enim Deus operatur divina digna se. Invoca ergo jugiter Spiritum sanctum et ex imo corde inclama : *Veni, sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.* Hic ergo tibi in omni opere, ut illud excellenter facias sit stimulus : *Fac hoc digne Deo*, et, ut ait Sapiens Eccli. 33. 23. *In omnibus operibus tuis præcellens esto.* Hoc est quod Ephesios monet cap. 4. 1. *Obsecro vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate*, etc. et Philipp. 1. 27. *Tantum digne Evangelio Christi conversamini.* et Colos. cap. 1. 10. *Ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia Dei.* etc. et Thessal. epist. 1. c. 2. 12. *Testificati sumus ut ambularetis digne Deo, qui vocavit vos in suum regnum et gloriam.* Pro modulo ergo nostro digne Deo ambulemus; nam adæquate et physice solus Christus id facere potuit et fecit : ipse enim solus est ισόθεος, id est, *æqualis Deo*, quia Deus homo; unde et actiones ejus solius fuerunt theandricæ, id est, Dei viriles, ut ait S. Dion. qui epist. 4. ad Caium. *Divina*, ait, *non quatenus Deus est, perfecit, neque humana quatenus homo; sed postquam Deus factus est homo, novam quamdam* θεανδρικὴν, *id est ex divina et humana compositam, operationem apud nos instituit.*

7. Pro nomine enim ejus profecti sunt,] ut scilicet nomen Dei et Christi evangelizarent, ait Beda, aut quia pro nomine ejus exilio mulctati sunt, aut quavis alia pietatis et Dei causa, hoc iter susceperunt; ergo par est eos à vobis *digne Deo suscipi* et deduci. Primam causam, scilicet quod profecti sint ad propagandum Evangelium, magis verba ipsa significant, et ea quæ sequuntur.

Nihil accipientes a Gentibus,] quia gratis Gentibus prædicant Evangelium, ne videantur quæstum aucupari ex Evangelio. Aut quia à Gentibus ob fidem Christi bonis spoliati sunt. Aut quia cum sint Christiani noluerunt ullum cum Gentibus, utpote idololatris, commercium habere, nec quidquam ab eis etiam oblatum accipere; decet ergo eos à vobis, ô Christiani, sustentari digne Christo. Unde subdit :

8. Nos ergo debemus suscipere hujusmodi.] Græce καταλαμβανειν, id est, *occupare*, prehendere, detinere, ut non exspectemus donec ipsi ad nos veniant, sed eos prævenire, domum nostram invitare, imo cogere, ait Œcumen. uti coegerunt discipuli Christum in Emaus, Lucæ 24. 29. et Abraham suos hospites Genes. 18. v. 12. et Lot, Genes. 19. v. 1. Porro *suscipere* et *susceptio* in Script. significat omne officium, omne obsequium, omnem protectionem, omnem opem et curam.

Ut cooperatores simus veritatis,] ministrando necessaria illis qui veritatem prædicant; et illis qui pro veritate fidei tribulationes et exilia sustinent, ait Lyranus.

Porro S. Joannes hortans Caium ut pergat in hospitalitate, utitur prima persona, non tertia, seque illi associat, dicens : *Nos ergo debemus*, non : Tu ergo debes; ut suavior et efficacior sit exhortatio. Sane non dubium S. Joannem valde fuisse in peregrinos hospitalem; erat enim Episcopus Ephesinus; ac proinde bona Ecclesiæ Ephesinæ in pauperes et peregrinos dispensabat. Addit Beda S. Joannem instar Pauli Actor. 20. 34. ex labore manuum vixisse, indeque aliis succurrisse, ut impleret illud Christi : *Beatius est magis dare, quam accipere*, Actor. 20. vers. 35.

Nota S. Joannes multis argumentis et stimulis pungit incitatque Caium ad prosequendam suam in peregrinos liberalitatem. Primum est, laudando ejus liberalitatem, quodque hospites eam laudarint coram tota Ecclesia. v. 3. Secundum

quod hoc sit opus fidele et Christiano proprium, v. 5. Tertium, quod hoc sit opus dignum Deo, v. 6. Quartum, quod conferatur in eos, qui nomen Dei prædicant aut propagant, vers. 7. Quintum, quod conferatur in eos, qui à cæteris Gentibus deserti vel expilati sunt, v. 7. Sextum, quod per hoc cooperemur veritati et Evangelio, illudque per prædicatores vel confessores, quos excipimus et alimus, prædicemus et profiteamur. Vide quæ de excellentia hospitalitatis dixi 1. Petri 4. 9. et Hebr. 13. 2.

9. SCRIPSISSEM FORSITAN ECCLESIÆ.] Græce εγραψα, id est, *scripsi*. Ita Erasmus. Vatabl. Clarius, Cajetanus qui censent nostram Vulgatam hic esse corruptam. Verum Gagneius, Serarius et alii censent Interpretem legisse εγραψα αν, aut certe το αν subintellexisse, uti subinde alii subintelligunt, ideoque rectius vertisse *scripsissem forsitan*, idque probatur primo, quia hic sensus est congruentior, q. d. Scripsissem utique, sed ideo non scripsi, quia nos nostrasque litteras non recipit superbus ille Diotrephes. Secundo quia nullæ extant S. Joannis litteræ scriptæ ad Ecclesiam, et frustra eos scripsisset, cum sciret eas non recipiendas, imo qui eas recepissent vexandos à Diotrephe, ut patet v. 10. Tertio, id plane confirmat Syrus qui vertit, *bohe havith*, id est, *quærens, petens, cupiens fui ad scribendam Ecclesiæ, sed ille qui amat esse primus apud vos, Diotrephes, non suscipit nos.*

SED IS QUI AMAT PRIMATUM GERERE IN EIS,] in ea, puta Ecclesia; sed dicit *eis*, quia intelligit fideles qui sunt in Ecclesia, eamque componunt et conflant. Ecclesia enim est nomen collectivum significans multitudinem, collectionem et cœtum fidelium; congrue ergo ei datur cognomen vel pronomen plurale. Græce est φιλοπρωτεύων, id est, *ambiens primatum*, primas tenere volens. Quare videtur fuisse Diotrephes, vel Episcopus, ut aliqui censent, quia Episcopus jure suo primas tenet in Ecclesia; vel certe vir potens, insolens, et arrogans, qui in Ecclesia dominari, fidelibus præesse, sibique jus Episcopale arrogare satagebat. Addit Beda eum fuisse hæresiarcham; sed nil tale insinuat hic S. Joannes, imo potius contrarium; nam si fuisset hæresiarcha, acrius cum eo egisset S. Joannes, eumque excommunicasset, et ex Ecclesia ejecisset, uti Paulus excommunicavit Hymenæum et Alexandrum, 1. Timoth. 1. 20. Oderat ergo Diotrephes S. Joannem, non quia hæreticus, *sed quia ambitiosus;* videbat enim Joannem suo primatui quem ambiebat resistere. Porro Diotrephes adeo fuit superbus et arrogans, ut ipsi S. Joanni sese opponere, ejusque fideles excommunicare, et ex Ecclesia ejicere auderet. S. Joannes enim, licet jure Episcopali præsideret soli Ecclesiæ Ephesinæ, jure tamen Apostolico, sive qua Apostolus, præerat omnibus Asiæ, imo totius orbis Ecclesiis.

DIOTREPHES.] Vatablus censet esse nomen appellativum, q. d. Jactabundus, arrogans; olim enim qui generis nobilitate inflati erant, διοτρεφεις, id est, *à Jove nutriti*, solebant vocari, et huc facit, quod eum primatus Ecclesiastici affectatorem dixit.

Melius L. Dexter. in Chronico, et alii passim censent esse nomen proprium, aut potius appropriatum; ipse enim jactans suum genus et opes apud Gentiles, gentilitio nomine vocabat se Diotrephem, id est, à Jove nutritum, Jovis filium. Sic Homerus reges vocat διοτρεφεις και διογενεις. Id est, *Jovis alumnos, et à Jove genitos*. Sic Castor et Pollux vocantur διοσκουροι, id est, *Jovis filii*. Actor. 28. 11. Addit L. Dexter hunc Diotrephem fuisse Episcopum, sed ob superbiam et inhospitalitatem ab episcopatu depositum, verba Dextri recitavi initio capitis.

Perperam ergo Beda : *Diotrephes*, inquit, *idem est quod speciosus, insulsus, sive decor insaniens, ita ut perfidiam cordis etiam in nomine signaverit.*

Moraliter hunc Diotrephem imitantur, qui beneficia et prælaturas ambiunt, eaque sibi ob nobilitatem et opes deberi autumant, cum Christus ignobiles et pauperes vocarit, imo elegerit in Apostolos; vide 1. Cor. 1. 26. vide et Tiraquellum de Nobilit. c. 20. n. 10. et seq. Rursum Diotrephem imitantur sæculares principes et nobiles, qui jus patronatus in conferendis beneficiis non habentes illud usurpant et invadunt, aut eo abutuntur volentes dominari in Cleris.

Denique disce hic quàm Apostoli et viri magni suos habeant æmulos et hostes; ita S. Petrus æmulum habuit Simonem Magum, S. Paulus Elymam, S. Joannes Diotrephem, et Apollonium Tyanæum Ephesi magiam docentem.

NON RECIPIT NOS,] nostrum apostolatum, nostram auctoritatem, nostros fratres, nostras litteras, nostra præcepta. Solebat Episcopus epistolas ad Ecclesiam suam missas recipere, et fidelibus in Ecclesia legere, quasi Ecclesiæ caput, primus et primas, Episcopo absente id præstabat ejus Vicarius, vel qui jus Episcopale sibi arrogabat; quod si Episcopus epistolas non probaret, supprimebat, nec legebat. Dicet ergo S. Joannes se non scribere Ecclesiæ, eo quod illi præsideat ambitiosus Diotrephes, qui primas sibi arrogans, nulli, ne S. Joanni quidem, se submittebat, ideoque ejus scripta in Ecclesia non legisset, nec legi permisisset.

10. COMMONEBO EJUS OPERA.] Minus recte aliqui legunt *commoveam*, id est, commoveho. Græce enim est υπομνησω, id est, *commonebo*, in memoriam revocabo, in lucem proferam, sanctis nota faciam, ante oculos ponam : Vatab. et Pagnin. *indicabo*. Ubi nota lenitatem S. Joannis in corripiendo et castigando. Budæus in Comment. Linguæ Græcæ vertit, *judicabo;* est enim verbum forense; OEcumen. *minabor, puniam*, ac *malum pro malo retribuam;* Syrus, *meminero operum ejus*, recordabor eorum quæ facit. Unde L. Dexter ait hunc Diotrephem officio et episcopatu fuisse privatum ac depositum, uti jam dixi.

VERBIS MALIGNIS GARRIENS IN NOS.] Syrus, *qui verba mala facit in nos*, calumnias in me conjiciens, mihi detrahens, me infamans, quod proprium est hæreticorum; græce est φλυαρων, quod significat *nugari;* ineptire, garrire, blaterare. Apposite calumnias Diotrephis despiciens vocat garritum; nam, ut ait Seneca epist. 92. *Elegantèr Demetrius dicere solebat, eodem loco sibi esse voces imperitorum, quo ventre redditos crepitus? Quid enim, inquit, meâ refert, rursum isti an deorsum sonent? Quanta dementia est, vereri ne infameris ab infamibus?* Idem vero Seneca l. de Remed. fort. *Male*, inquit, *de te opinantur homines, sed mali; moverer si male de me M. Cato, si Lælius sapiens, si alter Cato, si duo Scipiones ista loquerentur; nunc malis displicere, laudari est.*

Non potest ullam auctoritatem habere sententia, ubi qui damnandus est damnat. Male de te loquuntur; moverer, si judicio hoc facerent, nunc morbo faciunt; non de me loquuntur, sed de te. Male de te loquuntur, bene nesciunt loqui; faciunt non quod mereor, sed quod solent; quibusdam enim canibus sic innatum est, ut non pro feritate, sed pro consuetudine latrent. Ita Demosthenes apud Stobæum serm. 40. *Calumniam aliquantisper quidem audientium opinionem confirmare, progressu vero temporis nihil ipsa imbecillius esse* dicebat, et Socrates *admiranti cuidam cur nihil in eum commoveretur, à quo conviciis petebatur: Mihi,* inquit, *non maledicit, quandoquidem ea quæ dicit, mihi non adsunt nec in me hærent.*

NEQUE IPSE SUSCIPIT FRATRES,] Christianos, orthodoxos; quia suscipit duntaxat suæ sectæ pseudo Christianos et cacodoxos, hoc erat scelus avaritiæ, invidentiæ, et odii, quod vero sequitur, sævitiæ et arrogantiæ.

ET EOS QUI SUSCIPIUNT.] Legit ἐπιδεχομένους. Et sic habent aliqui codices; plures tamen habent τοὺς βουλομένους, id est, *eos qui volunt*, scilicet suscipere.

DE ECCLESIA EJICIT,] tum de loco et cœtu Ecclesiæ, præsertim in agape et convivio post Eucharistiam; ita Hugo; tum de ipsa fidelium congregatione, excommunicando eos. Ita Dionys. cum potius ipse excommunicandus esset. Sic enim habet Concilium Gangrense cap. 11. et habetur cap. *Si quis despicit*, dist. 42. *Si quis*, ait, *despicit eos qui fideliter agapas, id est, cœnas pauperibus exhibent, et propter honorem Dei convocant fratres, et noluerit communicare hujusmodi vocationibus, parvipendens quod geritur, anathema sit.*

11. NOLI IMITARI MALUM.] Syrus, *ne similis fias in malo, sed in bono.* q. d. Noli imitari superbum, impium, avarum, et inhospitalem Diotrephem, esto primas in Ecclesia occupet, qualem cæteri sequaces vulgo solent imitari; sed potius imitare humilem, pium, liberalem et hospitalem Demetrium, de quo v. 12. Magna est vis exempli ad provocandum intuentes, ut illud imitentur, et major est vis pravi, quam boni ob corruptionem naturæ. *Proclivius est*, ait Hieron. epist. 7. *malorum imitatio, et quorum virtutes assequi nequeas, cito imitaris vitia.* Quocirca monet hic S. Joannes, ut quisque bonorum exemplum sibi imitandum proponat, non malorum. Sic et S. Paulus 1. Corinth. 11. 1. *Imitatores*, ait, *mei estote, sicut et ego Christi.* Et Hebr. 13. 7. *Mementote Præpositorum vestrorum, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.* Hac de causa celebrat Ecclesia Sanctorum festa, ut eos quasi exempla vitæ ad imitandum proponat; hinc et utilissimum est legere et meditari vitas Sanctorum. Ita ex lectione Vitæ S. Antonii conversi sunt duo illi aulici, quos refert S. Aug. 8. Confess. c. 6. quin et ipse S. August. ibidem cap. 7. Ex lectione Vitæ S. Mariæ Ægyptiacæ conversus est S. Joannes Columbinus fundator Ordinis Jesuatorum; legendo Vitas sanctorum, conversus est noster S. Ignatius.

QUI BENEFACIT, EX DEO EST; QUI MALE FACIT, NON VIDIT DEUM.] Syrus: *Ille qui facit bonum, à Deo est; et ille qui facit malum, non vidit Deum.* Dupliciter hæc sententia accipi potest. Primo, generatim de quolibet bono et malo cujuslibet virtutis et vitii. q. d. Qui facit bona opera ex Deo est, qui facit mala, non vidit Deum. Secundo et magis apposite specialim hæc accipias de bono beneficii et beneficentiæ, et malo maleficii et maleficentiæ. Et hoc magis significant voces Græcæ: ἀγαθοποιεῖν enim est *benefacere* alicui, beneficium præstare alteri; et ἀγαθοποιος est *beneficus*, munificus, liberalis; ex adverso κακοποιεῖν, est *malefacere*, male mereri de aliquo. Agit enim Joannes de beneficentia et hospitalitate, eamque in Caio laudat; maleficentiam vero in Diotrephe culpat et damnat. Alludit S. Joannes ad id quod dixit epist. 1. c. 3. v. 6. et c. 4. 7. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum; quoniam Deus charitas est.* Vide ibi dicta. Sensus est ergo, q. d. Qui benefacit egentibus, v. g. hospites et peregrinos suscipiendo et fovendo, uti facis tu, ô Caie, hic ex Deo est, eumque cognoscit, amat, imitatur et colit; qui vero malefacit proximo, uti facit Diotrephes, non est ex Deo, nec Deum vidit aut videt, id est, Deum practice non cognoscit, quia eum non amat, non imitatur et colit, nec ei beneficentiam mandanti obedit. Licet ergo omnis virtus sit ex Deo, tamen charitati et beneficentiæ id attribuitur et appropriatur, quod sit ex Deo, eo quod ipsa sit virtus divina, ac nos similes faciat Deo. Dei enim proprium est se suaque bona communicare, et benefacere.

Cujus ratio est, quod Dei proprium sit abundare adeo omni bono, ut superefluat, illudque in alios benefaciendo transfundat. Qui ergo benefacit, Dei benefici filius similis et imitator est. Unde ad hæc S. Joannis verba alludens S. Dion. Eccles. hier. c. 3. *Est omnium divinius*, ait, *ut eloquia sacra aiunt, Dei cooperatorem fieri, et ostendere divinam in se ipso actionem relucentem.* Hinc illud adagium de beneficio: *Homo homini Deus.* Deus est, ait Plinius lib. 2. cap. 7. *mortali juvare mortalem, et hæc ad æternam gloriam via.* Nazianz. de cura Pauperum: *Esto*, ait, *calamitoso Deus.* Viderunt idipsum Gentiles. Ovidius l. de Ponto elegia 9. ad Cotyn.

> Hoc tecum commune diis, quod utrique rogati
> Supplicibus vestris ferre soletis opem.
> Nam quid erit quare solito dignemur honore
> Numina, si demas velle juvare deos?

In verbo *juvare* alludit ad etymon Jovis, qui erat deorum maximus; dictus est enim *Jupiter* à juvando, quasi *juvans pater;* unde Cicero ait, eum propter beneficia vocatum esse optimum, sicut propter vim maximum. Concludit Ovidius:

> Utilitas igitur magnos hominesque deosque
> Efficit, auxiliis quoque favente suis.

Hinc Virgil. ecloga 1. Augustum Cæsarem, qui sibi agros servarat, suum vocat deum:

> Namque erit ille mihi semper deus.

Cicero epist. ad P. Lentulum, eum vocat parentem ac deum suæ vitæ, fortunæ, memoriæ, nominis. Martialis l. 8. epigram. 24.

> Qui fingit sacros auro vel marmore vultus,
> Non facit ille deos; qui rogat ille facit.

Huc facit illud Arist. 1. Ethic. cap. 2. *Quo communius, eo divinius bonum.* Vide dicta Actor. 20. 34.

QUI MALEFACIT, NON VIDIT DEUM.] Alludit ad illud 1. epist. cap. 3. 6. *Omnis qui peccat non vidit Deum.* Antithesis exigebat ut diceret: *Non est*

ex Deo; sed per auxesin dicit amplius, q. d. Qui male facit, adeo non est ex Deo; ut ne quidem Deum videat, id est, practice cognoscat, cum tamen Deus sit lux immensa, quia malefaciens in tenebris agit, dum opera tenebrarum puta peccata, exercet. Rursum hic non cognoscit Deum, quia ita vivit ac si Deum non novisset, ac si Deus sua scelera non videret, ac si non esset Numen, scelerum judex et vindex, quæ omnia alienissima sunt à Deo. *Nam in omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos.* Prov. 15. 3. Rursum qui maleficus est, et male facit proximo, hic proprie non videt, id est, cognoscit Deum practice, quia non agnoscit immensa et perpetua Dei in se beneficia, ut iis gratus existat, aliis amore Dei benefaciendo, cum Deo, qui bonis nostris non eget, benefacere, et vicem rependere nequeat. Quare Deus vicissim tales non cognoscit, id est, non probat dicetque eis in die judicii : *Nunquam novi vos; discedite à me, qui operamini iniquitatem,* Matth. 7. 23.

Ad hæc S. Joannis verba allusit S. Dionys. scribens ad eumdem Caium Therapeutam, videntem et contemplativum (qua de causa ait hic S. Joannes : *Vidit Deum*) epist. 1. ubi explicat quomodo boni et perfecti, præsertim Therapeutæ, qualis erat Caius, videant Deum. *Si quis est,* ait, *qui viso Deo id quod aspexit intellexit, non eum vidit, sed aliquid ipsius, quod est et cognoscitur; ipse vero supra mentem atque supra omnem substantiam, sublimiter collocatus,* etc. *mentis captum longè superat.* Deus enim in se invisibilis omnia transcendit, lucemque habitat inaccessibilem, quæ nobis caligo est impervia, ut idem docet ibidem. Idem epist. 2. cum quæsisset ab eo Caius : *Quî fit ut Deus super principium emineat deitatis et bonitatis?* Respondet, ut interpretatur Pachymeres : *Quia deitas ejusmodi donum est, quod à Deo in nos derivatur, quo divinæ efficimur consortes naturæ. Per deitatem intellige munificam Dei gratiam nos bonos et deos constituentem. Hoc enim donum et origo est et causa, quo dii efficimur, pariter et boni, porro bonum hoc quod est principium nostræ deificationis, Deus ipse transcendit. Additque inimitabilem Dei imitationem, nostram esse deificationem; quia enim non efficimur dii nisi numen divinum imitando, ideo imitatio dicitur; quia vero ad primarium illud divinitatis exemplar, ne ulla quidem ex parte pertingimus, hinc jure inimitabilis hominibus et angelis dicitur ejus deitas et bonitas.* Idem ep. 3. ad eumdem : *Occultus,* ait, *est Deus etiam post ipsam declarationem, aut divinius dicam, in ipsa declaratione.* Idem epist. 5. ad Hieroth. *Divina caligo,* inquit, *est lux ad quam aditus non patet, in qua Deus habitare dicitur, quæ quidem nec cerni potest, præ excellenti claritate, nec adiri eadem propter singularis divini luminis effusionem. In hac versatur omnis, qui dignus habitus est, Deum nosse et videre; hoc ipso quod non cernit neque cognoscit, vere in eo aspectum et cognitionem superat; atque hoc ipsum noscens, quod est super omnia, et quæ sensu percipiuntur, et quæ ratione intelliguntur; dicitque illud Prophetæ : Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est, et non potero ad eam.* Idem deinde probat exemplo S. Pauli, qui licet raptus esset in Deum, tamen asserit Deum omnem intelligentiam et cognitionem superare. Hinc et noster Joannes Evang. c. 1. 18. ait : *Deum nemo vidit unquam,* scilicet per visionem claram; vidit tamen per obscuram cognitionem, seu fidem, juxta illud sancti Pauli : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem,* 1. Corinth. 13. 12.

12. DEMETRIO TESTIMONIUM REDDITUR ABOMNIBUS,] de hospitalitate, probitate et cæteris virtutibus Christianis. Hunc ergo Caio imitandum et adjuvandum proponit, sicut Diotrephem inhospitalem vitandum. Suspicatur noster Serarius Demetrium hunc esse illum qui olim Præfectus artificum Dianæ, contra S. Paulum Ephesi seditionem concitavit Act. 19. 24. qui postea pœnitens peccatum suum fervore pensans persecutionem in propagationem fidei commutarit; licet nil tale prodant veterum historiæ. Insinuant Catharinus et Salmeron hunc Demetrium fuisse Episcopum. L. Dexter in Chronico asserit hunc Demetrium fuisse fratrem Caii, ad quem epistolam hanc scribit S. Joannes. Verba Dextri recitavi initio capitis.

ET AB IPSA VERITATE.] q. d. Falli potest testimonium populi et vulgi, at falli nequit testimonium veritatis : *Vulgus,* ait Cicero pro Roscio comœdo, *ex veritate pauca, ex opinione multa æstimat.*

Veritas autem testimonium perhibet Demetrio, q. d. Vere Demetrius christiane vivit et Christiana opera facit. Ejus ergo vita verum ei virtutis dat testimonium. Veritas, id est, res ipsa clamat eum tam re ipsa, quam nomine verum probumque esse Christianum. Beatus qui testimonium habet à veritate; hic enim testimonium habet à Deo, qui est prima et summa veritas. Mundani testimonium habent, sed ab adulatione et falsitate; nam, ut vulgo dicitur : *Multi Laudenses, pauci Veronenses;* nimirum multi laudatores, puta adulatores, pauci veridici.

SED ET NOS TESTIMONIUM PERHIBEMUS,] quod utique gravius et certius est, utpote Episcopale, Apostolicum et canonicum, utpote scriptoris hagiographi. Vere Cicero pro Plancio : *Gravior et validior est decem virorum bonorum sententia, quam totius multitudinis imperitæ.*

13. MULTA HABUI TIBI SCRIBERE, SED NOLUI PER ATRAMENTUM ET CALAMUM SCRIBERE TIBI.] q. d. Multa habui tibi communicanda, sed nolui ea committere chartæ, quia brevi ore ad os loquemur. Vide dicta epist. 2. 12. Syrus : *Multa fuerunt mihi ad scribendum tibi, sed non volo ut in manu atramenti et calami scribam tibi.*

PAX TIBI.] Syrus, *pax sit tecum.*

14. SALUTANT TE AMICI. SALUTA AMICOS NOMINATIM.] Syrus : *Precantur pacem tibi amici. Precare pacem amicis cuilibet in nomine suo.* Hebræorum enim communis salutatio erat; שלום לכם *schalom lachem,* id est, *Pax vobis,* quam more gentis usus est Christus et Apostoli. Rursum hic nota comitatem et affabilitatem S. Joannis, qui amicos vult salutari nominatim, eos tamen non nominat, quia plurimi erant, et ne quem ex oblivione prætereundo, aut alteri præponendo offendat.

COMMENTARIUS

IN EPISTOLAM

SANCTI JUDÆ,

APOSTOLI.

PROOEMIUM.

TRIA hic de more præmittenda : Primum de Auctore hujus epistolæ; secundum, de ejus auctoritate; tertium, de ejus argumento.

Quoad primum. Auctor est Judas non Iscariotes, sed Jacobi, scilicet frater Jacobi, inquam, Minoris, qui frater Domini cognominatus est, scripsitque Epistolam Canonicam. Matrem habuit Mariam Alphæi, sive Cleophæ, scilicet uxorem; quæ et Jacobi, scilicet mater, vocatur, Marci 15. 40. Eadem vocatur soror B. Virginis, cum eaque astitit cruci Christi, Joann. 19. vers. 25. non quod proprie fuerit soror ejus, ac filia S. Joachimi et Annæ, uti censuit S. Hieron. contra Helvid. Theodor. Lucæ 6. Beda et Anselm. Galat. 1, sed soror phrasi Hebræa, id est cognata vel consobrina. Hæc ergo Maria Alphæi quatuor habuit filios, è quibus tres à Christo electi sunt ad apostolatum, scilicet Jacobus, Judas et Simon; quartus Joseph fuit competitor Matthiæ, cum sors apostolatus cecidit super Matthiam, Actor. 1. Hinc quatuor hi vocantur fratres Christi, Matth. 13. 55. non quod fuerint filii Joseph sponsi B. Virginis, ex alia uxore, ac consequenter privigni B. Virginis, et proprie fratres Christi, uti opinatus est Nyssenus orat. 2. de Resurrect. Origen. Theophil. et Euthym. in Matth. 13. Clemens Alexandr. hic, Epiphan. hæresi 51. Chrys. orat. de Annunc. Hilarius can. 1. in Matth. Ambrosiaster ad Galat. 2. Œcumen. et Cajetanus Galat. 1. Unde et Arabica versio sic habet initio epistolæ : *Judas filius Josephi fabri.* Joseph enim fuisse cælibem et virginem tradit S. Hieron. contra Hevid. Beda in Joann. 2. Rupertus in Matth. 1. Magister in 4. dist. 30. c. de B. Maria, D. Thomas 3. p. q. 28. a. 3. ad 5. et alii. Vide Canisium lib. de Deipara c. 13. Suarez. 3. p. tom. 2. disp. 5. sect. 4. Tolet. in Joann. c. 2. annot. 18. et Salmeron. tom. 3. tr. 23. Vocantur ergo fratres Christi, id est consanguinei, vel affines, sicut mater eorum vocatur soror, id est cognata B. Virginis.

Quoad etymon, Judas hebr. idem est quod confessio et laus, vel confessor et laudator, scilicet Dei et Christi. Nomen hoc accepisse videtur à Juda fortissimo et celeberrimo filiorum Jacob, Genes. 49. v. 8. Idem, æque ac frater ejus Simon, cognominatus est Chananæus, quasi oriundus ex Cana Galilææ, hoc est, zelotes, teste S. Hieron. in cap. 4. ad Galat. eo quod zelavit pro Domino, ait S. Fulgentius serm. 9. Unde hæc ejus amoris et zeli plena vox ad Christum recensetur à S. Joanne cap. 14. 22. *Domine, quid factum est quia manifestaturus est nobis teipsum?* Hæc enim ejus vox excita fuit verbis illis Christi euntis ad mortem, amore plenissimis : *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Hinc idem Judas cognominatus est Thaddæus et Lebbæus, id est, leoninus, à לביא *labi,* id est *leo,* vel *cordatus.* Leo enim hebraice dicitur *labi* à לב *leb*, id est *cor*, quasi cordatus, seu animosus; quia à generositate et præsentia animi imperterritus. Cor enim sedes est et symbolum fortitudinis; unde Aristomenus qui totam Græciam stupefecerat audaciæ miraculo, post mortem dissectus, inventus est habere cor totum pilis hirsutum, teste Plinio lib. 11. cap. 37. Rursus Lebbæus, id est corculum, verisimile enim est, Lebbæus, pene idem esse quod Thaddæus : nam Græca Matth. 10. 3. et Syra sic habent : *Lebbæus, qui cognominatus est Thaddæus.* Lebbæus ergo idem est quod corculum, à לב *leb*, id est *cor*, ait S. Hier. in Matth. 10. q. d. Mire cordialis, benevolus, amabilis; aut mire sapiens et prudens; qui enim valde cauti erant et prudentes, vocabantur corculi, ait Plinius lib. 7. cap. 31. et Festus : Corculum, inquit, à corde dicebant antiqui solertem et acutum. Unde Scipio Nasica, ob prudentiam bis consul, appellatus est corculum, ait Cicero Tuscul. 1. Thaddæus vero non tam ab Hebræo *toda*, id est *laus*, deducitur; sic enim dicendum fuisset *Thaddæus;* quam à Syro תד *thad* (Hebræi dicunt צד *sad;* unde Deus dicitur *saddai;* id est, mamma bonorum omnium); sed Syri et Chaldæi sæpe *s* Hebræum vertunt in *t*, ac pro *sad* dicunt *thad*, pro *Saddæus Thaddæus*, id est mamma, uber, q. d. Mammeus, uberalis, dulcis, misericors, benignus, beneficus. Ita Angelus Caninius in Nomin. Hebr. novi Testamenti. cap. 13. Porro S. Hieron. (vel quisquis est auctor; non enim est S. Hieron.) in Marci c. 6. et ex eo Pagnin. in Nom. Hebr. interpret. Lebbæum volunt dici à corde, quasi cordis cultorem, qui scilicet cordis puritati, sanctitati et perfectioni unice incubuerit. Qua de causa Judas hic præ cæteris Apostolis S. Bernardo fuit in veneratione ac deliciis; auctor enim Vitæ S. Bernardi lib. 5. cap. 2. narrat ipsum reliquias S. Judæ Hierosolymis ad se missas mira devotione excepisse, adeoque moriturum jussisse eas secum sepeliri et pectori suo superponi, *eo utique fidei et devotionis intuitu,* ait auctor Vitæ, *ut eidem Apostolo in die communis resurrectionis adhæreret.* Nota.

Judas Hebr. includit omnes litteras nominis tetragrammati Jehova, indeque ad nominis Jehova, utpote sacrosancti, et apud Judæos ineffabilis reverentiam; censent aliqui pro Juda, vocatum esse affini nomine, Thaddæum. Sed hæc est fabella; constat enim nomen Judæ apud Judæos fuisse usitatissimum, adeoque à Deo laudatum, Genes. 49. vers. 8. Insuper Euseb. lib. 1. histor. cap. 13. Nicephor. lib. 2. histor. c. 40. et Græci in Menologio duos ponunt Thaddæos, scilicet unum Apostolum, puta Judam hunc nostrum; alterum qui fuerit è LXX discipulis Christi missus ad Abagarum Verum alii non nisi unum agnoscunt Thaddæum, scilicet Judam Apostolum. Ita S. Hieron. in Matth. 10. Beda in c. 1. Actor. Fulgent. serm. 9. Et Ecclesia Latina non nisi unum Thaddæum in Martyrol. et officio divino commemorat.

Juxta quos dicendum est, quod hic Judas sic ille Thaddæus, qui Abagarum regem Edessæ et Edessenos ad fidem convertit, uti fuse narrat Eusebius loco jam citato, qui et addit hæc 43 Christi anno contigisse, atque Abagaro aurum tum cælatum, tum rude offerenti respuisse illud Judam, ac dixisse: *Si nostra prorsus dereliquimus, quomodo accipiemus aliena?* quæ sane verba cor ejus purum, magnanimum et cœleste significant. Plura vide apud Eusebium. In Apocalypsi cap. 21. 20. Judas repræsentatur per chrysoprasum: causas ibidem recensui.

Nicephorus lib. 2. cap. 4. Breviarium Romanum 28 Octobr. et alii tradunt S. Judam prædicasse in Mesopotamia, Persia, Arabia, Idumæa. Demum S. Judas nobilem apostolatum glorioso martyrio coronavit, ac sacrum ejus corpus, æque ac fratris Simonis, Romam delatum conditum est in basilica S. Petri, ut quem in vita unice coluerat, adeoque sensa epistolæ ejus in sua expresserat, juxta eumdem et mortuus conderetur.

Quoad secundum. Aliqui olim de auctoritate hujus epistolæ dubitarunt; imo nuper Cajetanus censuit hanc epistolam esse minoris auctoritatis iis quæ sunt certæ Scripturæ sacræ. Hæretici, ut Lutherus, Centuriatores, Brentius, Kemnitius, apocryphum esse censent. Rationes eorum sunt, quod auctor ejus citet librum Henoch apocryphum, et altercationem Michaelis cum diabolo de corpore Mosis, quæ nusquam in Scriptura extat; sed ad hæc suis locis respondebo. Dico ergo: de fide est hanc epistolam esse canonicam Script. Ita definit Concil. Trident. sess. 4. et Florent. in Eugenii Pont. epist. ad Armenos; Concil. Romanum sub Damaso, Conc. Laodic. cap. 58. et Carthaginens. cap. 47. Audi S. Hier. lib. de Scriptor. Eccles. in Juda: *Judas*, inquit, *frater Jacobi, parvam quidem quæ de septem Catholicis est, epistolam reliquit. Et quia de libro Henoch, qui Apocryphus est, in ea assumit testimonium, à plerisque rejicitur, tamen auctoritatem vetustate jam et usu meruit, et inter S. Scripturas computari, et sacrosanctam auctoritatem habere.*

Unde eamdem ut canonicam citant S. Dionysius de Divinis nominibus cap. 4. Epiphan. hæresi Gnostic. Nazianzen. in carm. de Scriptur. Didymus et Œcum. hic, S. Athanas. in Synopsi Ephrem, Origen. et è Latinis S. Cornelius, S. Cyprianus, Innocentius I. Tertull. S. Hier. S. Ambros. S. August. Ruffinus, Philastrius, Cassian. Prosper. Gelasius, Fulgentius, Alcimus, Primasius, S. Gregor. Beda, Rabanus, Remigius, Ado, Ansbertus, Angelomus, et alii quos fuse citat Jodocus Coccius in Thesauro Cathol. tom. 1. lib. 6. pag. 370. et Bellarm. lib. 1. de Verbo Dei cap. 18.

Græce scripta est epistola; licet enim S. Judas in Perside prædicarit, hanc tamen epistolam, quasi encyclicam et universalem, scripsit fidelibus omnibus tam Judæis, quam Gentilibus toto orbe dispersis, ideoque non persice, sed græce; quia Græca lingua tunc maxime erat communis et latissime patebat. Porro Origenes, in c. 13. Matth. asserit hanc epistolam paucorum quidem esse verborum, sed plenam efficacium cœlestis gratiæ verborum. Ipsa ergo suî brevitate fœcunda est, et quasi margarita, quæ sub exigua mole multorum summam includit sestertiorum, quod de S. Scriptura dixit S. Hilarius canon. 6. in Matth. Brevis enim hæc epistola multa dogmatice astruit, nimirum mysterium SS. Trinitatis, incarnationis et redemptionis Christi, angelorum bonorum à malis discretionem, et studium pro salute hominum, denique fidem et metum futuri judicii. Ethice docet fugam luxuriæ, blasphemiæ, inobedientiæ, superbiæ, avaritiæ, odii, doli, adulationis, personarum acceptionis; ac constantiam in vocatione, fide, oratione, charitate, conversione errantium, insectatione hæreticorum, doxologia et laude Dei. Quod ergo S. Bartholomæus, teste S. Dionys. cap. 1. de Mystica Theologia, dixit, *Magnam esse Theologiam, et minimam; ac Evangelium amplum et magnum, rursumque compendiarium*, idipsum vere dicas de hac epistola, nimirum *brevem esse et longam; brevem in verbis, longam in sententiis, ut rarus sit qui non in ejus cæcutiat lectione*, ut ait S. Hieronymus ad Paulinum.

Extat hæc epistola syriace, non in Bibliis Regiis, sed separatim, quam in Latinum vertit noster Etzelius; extat et arabice, quam in Latinum vertit quidam in fide heterodoxus.

Quoad tertium. Argumentum epistolæ est confutare hæreses jam tum natas Simonis Magi, Nicolaitarum et Cerinthi, ac mox ex iisdem nascituras, Gnosticorum, Ebionis, Menandri, Basilidis, Saturnini, Valentini, Marcionis et similium. Ita S. Epiphan. in hæresi Gnosticorum, post recensitas eorum libidines, ait Spiritum sanctum de iis per Judam prædixisse? *Quæcumque naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.* Hæreticorum ergo improbos mores graphice depingit, eosque quasi seductores et pestes cavendos esse docet, ac in fide suscepta constanter esse persistendum, ne eis contingat quod contigit Hebræis, Sodomitis et angelis à Deo apostatantibus, qui omnes misere perierunt. Ita S. Athanas. in Synopsi, Œcumen. et alii. Docuit enim Judas in Asia minore, ubi florebat schola Simonis Magi, contra quam scripsit pariter S. Paulus epistolas ad Ephesios et Colossenses, ad quas hic respicit Judas. Maxime autem insectatur dogma Simonis docentis solam fidem suam (quæ hæresis erat et perfidia) sufficere ad salutem sine bonis operibus, et Gnosticorum docentium, nullum esse peccatum nisi infidelitatis, sed omnia esse adiaphora, scilicet bona bene utentibus, mala male utentibus, ac proinde impune licere vacare comessationibus et libidinibus; unde Simonianorum et Gnosticorum immanes et infames li-

bidines acriter perstringit, eisque acre Dei judicium ab Henoch prædictum intentat. Quocirca S. Ephrem tom. 1. serm. *De iis qui animas ad impudicitiam pelliciunt, cum nihil mali sit*, recitat totam hanc S. Judæ epistolam, eamque contra illos intorquet. Est ergo hæc epistola perpetua quasi invectiva in hæreticos, eosque blasphemos et luxuriosos. Primo enim, præmissa salute hortatur fideles, ut contra eos pro vocatione et fide sua viriliter certent, eo quod ipsi sint apostatæ, similes Sodomitis et angelis Deo rebellibus, cum eisque perdendi et perituri. Deinde v. 8. eorum libidines, rebelliones, blasphemias et maledicta incusat, cum Michael, licet justam habens causam, non fuerit ausus maledicere Satanæ. Tertio, v. 11. comparat eos Caino, Balaamo, Core seditioso, eosque vocat nubes sine aqua, arbores autumnales, fluctus feri maris, sidera errantia, de quibus prophetavit Henoch minans eis acre Dei judicium, cum sint murmuratores, pleni concupiscentiis, superbi, avari. Quarto, v. 17. hortatur ut Apostolorum fidei et doctrinæ constanter insistentes, hæreticis resistant. Denique v. 20. hortatur fideles ad orationem, charitatem, misericordiam et zelum animarum, ut seductos ab hæreticis ad fidem reducant; ad castitatem, ut immaculatos se sistant tribunali judicis Christi. Atque tandem doxologia claudit epistolam, dicens : *Soli Deo Salvatori nostro per Jesum Christum Dominum nostrum gloria et magnificentia, imperium et potestas ante omne sæculum et nunc et in omnia sæcula sæculorum. Amen.*

Scripserunt è veteribus in hanc epistolam Didymus et Clemens Alexandrinus ; sed breviter extant in Biblioth. SS. Patrum ; recentiores plurimi, recentissime noster Justinianus et Lorinus. Ego pariter brevis ero more meo, præsertim quia pleraque hic dicenda dixi 2. Petri 2.

Ubi nota hanc epistolam valde similem esse epistolæ secundæ S. Petri cap. 2. adeoque multas cum eo easdem, vel pene easdem habere sententias. Quare vel S. Petrus illas sumpsit ex S. Juda, ut ejus dicta confirmaret, uti vult Salmeron ; vel certe Judas illas accepit ex S. Petro, ut volunt Baron. anno Christi 68. Adamus Sasbout. Lorin. Hugo, Thomas Anglicus, et Primasius hic, qui tres ultimi censent idcirco hanc epistolam in ordine Biblico esse ultimam, eo quod ultimo sit edita (excipe epist. S. Joannis) ac proinde post mortem S. Petri, qui paulo ante mortem secundam suam epistolam scripsit anno Christi 68. Quæ si vera sunt oportet dicere S. Judam cum fratre Simone Chananæ oppetiisse mortem non anno Christi 64, ut vult Onuphrius in Chronico, sed post S. Petrum postque annum Christi 68. Porro ut videas S. Petri et S. Judæ harmoniam et consonantiam, accipe easdem utriusque sententias per parallela digestas.

PARALLELA
EARUMDEM SENTENTIARUM

S. PETRI, EPIST. 2.	ET SANCTI JUDÆ.
I. Cap. 2. v. 1. In vobis erunt magistri mendaces qui introducent sectas perditionis. et v. 3. Quibus judicium jam olim non cessat.	I. v. 4. Subintroierunt quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc judicium impii.
II. Et eum, qui emit eos, Dominum negant.	II. Solum dominatorem et Dominum Jesum Christum negantes.
III. v. 2. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur.	III. Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam.
IV. v. 4. Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari.	IV. v. 6. Angelos vero qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit.
V. v. 6. Et civitates Sodomorum et Gomorrhæorum in cinerem redigens, eversione damnavit, exemplum eorum, qui impie acturi sunt ponens.	V. v. 7. Sicut Sodoma et Gomorrha et finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, et abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.
VI. v. 10. Magis autem eos qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt.	VI. v. 8. Similiter et hi carnem quidam maculant ; dominationem autem spernunt.
VII. Sectas (δοξας) non metuunt introducere blasphemantes.	VII. Majestatem (δοξαν) blasphemant.

VIII. v. 11. Angeli fortitudine et virtute cum sint majores, non portant adversum se execrabile judicium.

IX. v. 12. Hi vero, etc. in his quæ ignorant blasphemantes, in corruptione sua peribunt.

X. v. 13. Coinquinationes et maculæ deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes.

XI. v. 14. Cor exercitatum avaritia habentes, et v. 3. In avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur.

XII. v. 15. Secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit.

XIII. v. 17. Hi sunt fontes sine aqua, et nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reservatur.

XIV. v. 18. Superba enim vanitatis loquentes pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ.

XV. Cap. 3. v. 2. Charissimi, etc. memores sitis eorum quæ prædixi verborum, etc. et Apostolorum præceptorum Domini et Salvatoris.

XVI. v. 3. Hoc primum scientes quod venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes.

XVII. v. 11. Quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes, et properantes in adventum diei Domini.

XVIII. v. 18. Ipsi gloria et nunc, et in diem æternitatis. Amen.

VIII. v. 9. Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit: Imperet tibi Dominus.

IX. v. 10. Hi autem quæcumque quidem ignorant, blasphemant; quæcumque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.

X. v. 12. Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore semetipsos pascentes.

XI. v. 16. Mirantes personas quæstus causa.

XII. v. 11. Errore Balaam mercede effusi sunt.

XIII. v. 12. Nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur, etc. quibus procella tenebrarum servata in æternum.

XIV. v. 16. Secundum desideria sua ambulantes, et os eorum loquitur superba.

XV. v. 17. Vos autem charissimi, memores estote verborum quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi.

XVI. v. 18. Qui dicebat vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus.

XVII. v. 21. Vosmetipsos in dilectione Dei servate, expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam.

XVIII. v. 25. Soli Deo Salvatori nostro per Jesum Christum Dominum nostrum gloria et magnificentia, imperium et potestas ante omne sæculum, et nunc, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

1. Judas Jesu Christi servus, frater autem Jacobi, his qui sunt in Deo Patre dilectis, et Christo Jesu conservatis, et vocatis. 2. Misericordia vobis et pax, et charitas adimpleatur. 3. Charissimi, omnem sollicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute, necesse habui scribere vobis: deprecans supercertari semel traditæ sanctis fidei. 4. Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præscripti sunt in hoc judicium) impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum dominatorem et Dominum nostrum Jesum Christum negantes. 5. Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam Jesus populum de terra Ægypti salvans secundo eos, qui non crediderunt perdidit; 6. angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit. 7. Sicut Sodoma, et Gomorrha, et finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, et abeuntes post carnem alteram

factæ sunt exemplum ignis æterni pœnam sustinentes. 8. Similiter et hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, majestatem autem blasphemant. 9. Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ ; sed dixit : Imperet tibi Dominus. 10. Hi autem quæcumque quidem ignorant, blasphemant ; quæcumque autem naturaliter, tanquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur. 11. Væ illis, quia in via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et in contradictione Core perierunt! 12. Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, 13. fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum. 14. Prophetavit autem et de his septimus ab Adam Enoch, dicens : Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis. 15. Facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, et de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum peccatores impii. 16. Hi sunt murmuratores querulosi, secundum desideria sua ambulantes, et os eorum loquitur superba, mirantes personas quæstus causa. 17. Vos autem, charissimi, memores estote verborum quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi. 18. Qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. 19. Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes. 20. Vos autem charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu sancto orantes. 21. Vosmetipsos in dilectione Dei servate, expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam. 22. Et hos quidem arguite judicatos : 23. Illos vero salvate, de igne rapientes. Aliis autem miseremini in timore : odientes et eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam. 24. Ei autem, qui potens est vos conservare sine peccato, et constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in exultatione in adventu Domini nostri Jesu Christi ; 25. soli Deo Salvatori nostro, per Jesum Christum Dominum nostrum, gloria et magnificentia, imperium et potestas ante omne sæculum, et nunc, et in omnia sæcula sæculorum. Amen.

1. JUDAS JESU CHRISTI SERVUS, FRATER AUTEM JACOBI] Minoris, qui fuit Apostolus et primus Episcopus Hierosolymæ, parique modo sic epistolam suam inscribit: *Jacobus Dei et Domini nostri Jesu Christi servus ;* vide ibi dicta. Hoc ipso Judas significat se esse Apostolum : constat enim Judam fratrem Jacobi fuisse Apostolum. Arabicus vertit : *Judas filii Joseph fabri ;* et Clemens Alexand. *Judas*, inquit, *qui Catholicam scripsit epistolam, frater filiorum Joseph, extans valde religiosus, cum sciret propinquitatem Domini, non tamen dixit fratrem ejus esse, sed quid dixit ? Judas servus Jesu Christi.* Verum in proœmio ostendi Judam non fuisse filium Josephi. Vocat se *servum Christi.* q. d. Ego Simonis Angelos, Æones Valentini, Gnosticorum genios ignoro ; solius Christi me servum esse profiteor et glorior, æque ac David, dicens psal. 115. 6. *O Domine, quia ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ ; dirupisti vincula mea*, quibus obstrictus eram peccato, morti et gehennæ, et gloriosæ tuæ servituti, apostolatui me mancipasti : *Idcirco sacrificabo tibi hostiam laudis.* Optabilius est, inquit Philo de Monarchia, *Deo servire quam regnare.* Hinc Moses dux Hebræorum vocatur servus Domini, Deut. 34. 5. vide ibi dicta. Vere S. August. tract. 41. in illud Joann. 8. *Si vos filius liberaverit, vere liberi critis. Hæc*, ait, *spes nostra est, fratres, ut à libero liberemur, et liberando servos nos faciat : servi enim eramus cupiditatis, liberati servi efficimur charitatis.*

Porro Judas vocat se fratrem Jacobi, tum ut à Juda Iscariote se distinguat, tum ut sibi benevolentiam et auctoritatem conciliet à fratre sancto et celebri : *Jacobi enim celebris ob virtutem apud omnes, fama effectura erat, ut hujus Apostoli doctrina majorem auctoritatem haberet, libentiusque admitteretur*, ait OEcumenius.

Docent oratores, in exordio orationis vel epistolæ, conciliandam esse auditorum vel lectorum primo, benevolentiam ; secundo, attentionem ; tertio, docilitatem. Ita S. Judas hic lectores facit primo, benevolos, vocando eos dilectos, charissimos, et ostendendo omnem erga nos amorem et sollicitudinem ; secundo, attentos, dum ait se scribere de communi omnium salute, utique æterna ; tertio, dociles, dum ait se non aliud quàm semel traditam eis fidem inculcare et propugnare, hocque esse totius epistolæ argumentum.

IIIS QUI SUNT IN DEO PATRE DILECTIS.] Legit Interpres in Græco ηγαπημενοις, id est *dilectis*, Jam multi legunt ηγιασμενοις, id est *sanctificatis.* Ita Cajetan. Clarius, Vatabl. Pagninus et alii. Utrumque verum, et huic loco congruum. Christiani enim *in Deo*, id est, à Deo, vel proprie *in Deo*, id est, in Dei fide, gratia et charitate sunt uniti : ideoque à Juda et ab invicem diligibiles et dilecti. Ita Lyran. Dionys. et alii. Item *in Deo*, id est, per Deum et à Deo sunt sanctificati, subaudi, *salutem dicit.* q. d. Judas Christianis in Deo patre dilectis salutem dicit, scribitque hanc epistolam.

ET IN JESU CHRISTO,] id est per Jesum Christum, ejusque gratiam. Rursum *in Jesu*, id est, in Jesu fide, cultu, religione, dilectione, puta in Christiana fide, charitate et vita *conservatis.* q. d. Judas salutem dicit et precatur Christianis, qui à Deo sunt dilecti, et in hac ejus dilectione per Jesu Christi gratiam conservantur et perse-

verant. Magnum enim Dei et Christi donum est perseverantia, uti docet Conc. Trident. 6. c. 13. et S. August. l. de bono perseverantiæ. Hoc est quod ait Christus Joann. 17. 12. *Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo : quos dedisti mihi, custodivi, et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* Et c. 18. 9. *Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam*, et c. 10. 28. *Non peribunt in æternum, et non rapiet eos quisquam de manu mea.* et Abigail ad David 1. Regum. 25. 29. *Erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viventium apud Dominum Deum tuum.*

CONSERVATIS ET VOCATIS.] Quæres : Quomodo Judas vocatos postponit conservatis, cum prius sit vocari ad fidem et dilectionem, posterius in ea conservari ? Primo, Glossa interlinearis censet esse ὑστερον προτερον : vocatos enim præcedere conservatos. Secundo, alii respondent per *conservatos* intelligi conservatos in gratia ; per *vocatos*, vocatos ad gloriam, gloria autem posterior est gratia. Verum obstat, quod licet gloria posterior sit gratia; tamen vocatio ad gratiam includit vocationem ad gloriam, quasi suî consummationem et terminum. Unde Hugo respondet id verum esse in intentione, non in executione ; in executione enim prius est conservari in gratia, posterius vocari ad gloriam. q. d. Judas scribit fidelibus qui in fide et gratia Christi conservantur et perseverant, ac per hanc perseverantiam proxime vocantur et diriguntur ad gloriam, quam certo assequentur, si uti cœperunt, ita usque ad finem vitæ in fide et gratia Christi perseverent. Verum hæc subtiliora sunt quàm solidiora.

Dico ergo τὸ *vocatis* græce κλητοις (non κεκλημενοις) esse nomen, τὸ vero *conservatis*, græce τετηρημενοις, esse participium. Sic enim habent Græca, τοις τετηρημενοις κλητοις, id est, *conservatis vocatis ;* et Arabicus, *ad servatos vocatos in nomine Jesu Christi : vocati* enim vocantur Christiani, estque hæc quasi propria eorum nomenclatura, ut nuncupentur *vocati*, græce κλητοι, id est *vocatitii*, quasi à Deo evocati ad suam familiam, amicitiam, filiationem, hæreditatem. Τὸ ergo *vocati* est titulus summæ dignitatis, ad quam Christiani à Deo evecti sunt. Unde Hesychius : κλητοι, inquit, vocantur nobiles ; vocavit enim nos Deus de tenebris *in admirabile lumen suum*, 1. Petr. 2. 9. ac de miserrima servitute peccati *transtulit nos in regnum filii dilectionis suæ.* Coloss. 1. 13. scilicet à morte ad vitam, ab ignominia ad gloriam, ex gehenna ad cœlum, ut ex hominibus angelos efficeret. Vide dicta Rom. 1. 1. ad illud : *Paulus vocatus Apostolus ;* et 1. Cor. 1. ad illud, *vocatis sanctis*, ubi Syrus vertit, *vocatis et sanctis*, æque ac Noster hic *conservatis et vocatis ;* quia τὸ *vocatis* peculiarem dignitatem et titulum, æque ac donum addit Christianis nimirum quod fide, gratia et dilectione Dei donati sint, in eaque conserventur, non ex se, suaque electione et virtute, sed ex vocatione et gratia Dei, qui sicuti eos primitus vocavit ad fidem et gratiam, ita pariter eosdem ad ejus conservationem et augmentum in dies vocat, et promovet.

Itaque τὸ *vocatis*, hic est quasi suppositum, cujus epitheta sunt τὸ *dilectis et conservatis.* Suppositum autem suis epithetis nunc præponitur, nunc postponitur. Sensus ergo est. q. d. Judas scribit hanc epistolam *vocatis*, id est Christianis, qui sunt vocatitii Dei, ab eoque evocati, ejusque obsequio, cultui, fidei, gratiæ et regno mancipati ; ideoque ab eo dilecti et conservati. Vocavit enim, vocatque eos Deus non solum ad suam dilectionem, sed etiam ad dilectionis conservationem, incrementum et perfectionem, ut scilicet per eam illos ad hæreditatem et gloriam regni cœlestis perducat. Unde hæc explicans Judas subdit : *Misericordia vobis, et pax, et charitas adimpleatur.*

Nota. Pro *conservatis*, græce non est verbum φυλαττω, sed significantius φρουρεω, id est, urbem vel arcem undique propugnaculis, præsidiis et vigiliis vallatam munitamque teneo, ut nullus hostium insidiis vel irruptionibus sit aditus. Sic enim fideles suos contra omnes diaboli, mundi et carnis impetus obvallat, tutatur et conservat Deus, juxta illud Prov. 18. 10. *Turris fortissima nomen Domini.*

2. MISERICORDIA VOBIS ET PAX, ET CHARITAS ADIMPLEATUR.] Judas more suo imitatur S. Petrum, qui pari salutatione secundam epistolam orditur, dicens : *Gratia vobis, et pax adimpleatur.* Misericordiam intellige virtutem, non fidelium nec fidelibus inhærentem, sed Dei, qua sua dona, præsertim pacem et charitatem, misericorditer fidelibus impertit, q. d. Adimpleatur in vobis et erga vos Dei misericordia, et suam pacem et charitatem, cæteraque dona in vos effundat, vel potius jam in baptismo et deinceps effusa magnis incrementis augeat et cumulet. *Pacem*, intellige tum cum Deo, tum cum proximis, tum cum conscientia propria ; hæc autem pax charitatis est comes et filia. Unde Syrus vertit, *et pax in dilectione ;* juxta illud : *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum*, Psal. 118. 16. Hoc est quod canit Zacharias : *Per viscera misericordiæ Dei nostri in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Lucæ 1. 78. Pro *adimpleatur*, græce est πληθυνθειη, id est, *multiplicetur.* Unde aliqui putant nostrum Interpretem legisse πληρωθειη, id est, *adimpleatur.* Verum non vident Interpretem docte verbum non verbo, sed sensu uberiore expressisse. Adimpleri enim misericordiam, charitatem, etc. non est aliud, quàm illa multiplicari tum numero, tum gradu et perfectione. Unde 2. Petri 1. 2. πληθυνθειη, æque ut hic vertit *multiplicetur.* Præclare S. August. tract. 2. in epist. S. Joannis : *Talis*, ait, *est quisque, qualis ejus dilectio est. Terram diligis? terra eris. Deum diligis? quid dicam? Deus eris.*

Symbolice noster Salmeron et alii *misericordiam* attribuunt Deo Patri ; ipse enim est *pater misericordiarum.* 2. Cor. 1. 3. *pacem* Filio ; *ipse* enim *est pax nostra*, Eph. 2. 14. *charitatem* Spiritui sancto : *Charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Rom. 5. 5. Per *misericordiam* abolentur peccatorum miseriæ, scilicet culpæ et pœnæ : per *pacem*, conscientiæ remorsus et perturbationes sedantur et componuntur : nam, ut ait Tertul. lib. 5. contra Marc. cap. 5. *Nec gratia fit nisi offensæ, nec pax nisi belli*, etc. *quæ gratia à non offenso, quæ pax à non debellato?* Idem ad Martyr. *Pax nostra bellum est diabolo.* Per *charitatem* vis et robur confertur ad omnia opera bona et heroica perficienda, ad legem Christi adimplendam, et fortiter resistendum mundo, carni et dæmoni, ad vincendum omnes tribulationes, persecutiones, tormenta et martyria.

S. August. vero in epist. ad Romanos censet S. Judam hic repræsentare mysterium S. Trinitatis ; nominare enim Patrem et Filium : Spiritum sanctum vero repræsentare per hæc

tria, scilicet misericordiam, pacem et charitatem; hæc enim appropriantur Spiritui sancto, Ipse enim ex vi processionis suæ procedit ut amor Patris et Filii : inde ergo habet quod sit increatus amor et charitas, à quo procedit creata misericordia, charitas et pax, omneque bonum et donum.

Moral. S. August. in illud psal. 58. *Deus meus misericordia mea. O nomen*, inquit, *sub quo nemini desperandum est! Deus meus, inquit, misericordia mea. Quid est misericordia mea? Si dicas, salus mea, intelligo quia dat salutem. Si dicas, refugium meum, intelligo quia confugis ad eum. Si dicas fortitudo mea, intelligo quia dat tibi fortitudinem. Misericordia mea quid est? Totum quidquid sum de misericordia tua est; si tu mihi dedisti ut sim, et alius mihi dedit ut bonus sim, melior est ille qui dedit mihi ut bonus sim, quàm ille qui mihi dedit ut sim.*

3. OMNEM SOLLICITUDINEM FACIENS SCRIBENDI VOBIS DE COMMUNI VESTRA SALUTE, NECESSE HABUI SCRIBERE VOBIS.] q. d. Cum valde sollicitus essem et vehementer cuperem ad vos scribere, ea quæ ad communem vestram salutem spectant, necessè duxi scribere vobis ea quæ subjungo de fide constanter retinenda, et de hæresibus subpullulantibus omni contentione fugiendis, imo profligandis. Hæ enim hæreses tam sunt periculosæ, ut non tantum sollicitudinem, sed et necessitatem scribendi mihi imponant. Unde Arabicus vertit : *Necessitate compulsus sum;* et Thomas Anglicus : Urgente, inquit, mea sollicitudine interius, et periculo vestro exterius, necesse habui scribere vobis. Breviter et clare vertit Pagninus et Tigurina : *Tantum mihi studium fuit scribendi ad vos de communi salute, ut non potuerim non scribere vobis.*

Moral. Discant Prælati à S. Juda quantam ovium sibi creditarum debeant habere curam, nimirum sollicitam, adeoque, ut ipse ait : *Omnem sollicitudinem.* Sic et S. Paulus 2. Corint. 11. 28. *Instantia mea quotidiana*, inquit, *sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Et Roman. 12. 8. *Qui præest in sollicitudine.* Et Hebr. 13. 17. *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Ubi S. Chrysost. *Omnium*, ait, *quos regis tu rationem redditurus es; tanto igni tuum subjicis caput. Miror si potest salvari aliquis Rectorum.* Et hom. 2. in epist. 2. ad Timoth. *Quantumvis illi honoris impendas; quantumlibet obsequii deferas, nihil his periculis referre par poteris. Nam etsi animam ponas; ipse amplius pro te facit: nam animam periculo æternæ mortis exponit.*

DEPRECANS (παρακαλων, id est *exhortans*, vel *deprecans*) SUPERCERTARI SEMEL TRADITÆ SANCTIS FIDEI.] Syrus : *Rogans ut certamen faciatis;* Arabicus : *Rogo vos ut contendatis mecum vice una* (id est, continue et constanter) *in fide quam tradiderunt ad nos Sancti*, ut scilicet decertetis pro fide semel, i est, firmiter prorsus et irrevocabiliter, ut dicam vers. 5. tradita sanctis, puta Christianis, utque eam pro viribus tueamini et propugnetis, tum verbo, tum honestæ et Christianæ vitæ exemplo; ita ut nullam aliam admittatis, sed omnem ab hac diversam explodatis.

Nota τὸ *supercertari*, id est supercertare, ut aliqui codices hic legunt. Noster enim Interpres verbum *certor* accipit subinde non ut passivum, sed ut deponens, idemque quod *certo*, ut liquet Eccli. c. 11. 9. et c. 38. 29. et Sap. 15. 9. Quin et Pacuvius apud Nonnium c. 8. *certatur*, usurpat pro *certat.*

Rursum τὸ *super*, idem est quod *pro;* hoc enim est græce επι. Quare *supercertari fidei*, idem est quod certare pro fide. Ita Gagneius. Secundo, τὸ *super* notat ingens, acre et continuum certandi et resistendi hostibus fidei studium, ac quasi ασπονδον πολεμον, id est, irreconciliabile bellum : τὸ enim *super* significat strenuum, et quasi super vires certamen, ut certando seipsos quasi superent instar athletarum, qui in agone suas vires et seipsos quasi transcendunt, dum de summa rei, puta victoriæ et vitæ, agitur. Tertio, τὸ *super* notat alterum et quasi secundum certamen. q. d. Ego vobiscum primo certavi contra idololatriam et idololatras, vos mecum jam secundo certate contra hæresim et hæreticos : hoc enim est επαγωνιζεσθαι, sic Nazianzen. orat. de Machabæis ait: προηγωνιζατο πατηρ, επιγονιουνται παιδες, id est, *primo certavit pater, postea certabunt filii.* Hoc est quod monet Paulus Timotheum epist. 1. c. 6. 12. *Certa bonum certamen fidei* (Vatabl. *ostende te acerrimum fidei defensorem*), *apprehende vitam æternam.* q. d. Si bene certaveris apprehendes vitam æternam. Terribilis est sententia Innocentii III. dist. 83. c. error. *Error*, inquit, *cui non resistitur, approbatur; et veritas cum minime defenditur, opprimitur: negligere quippe, cum possis deturbare perversos, nihil aliud est quam fovere.* Loquitur Prælatis præcipue, sed et cæteris suo ordine. Quare mystica, non litteralis, est expositio Hugonis : *supercertari fidei*, inquit, est super fundamentum fidei et bonorum operum erigere et addere certamen passionum : vel certare pro supernis, ut pro anima et justitia agonizemus usque ad mortem, ut monet Sapiens Eccles. 4. Similis est illa Thomæ Anglici : *supercertari fidei*, inquit, est certamini interiori, quo captivatur intellectus, addere certamen exterius, quo confundatur hæreticus. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Rom. 10. 10.

Moral. Disce hic quantum et quàm acre Christianis pro fide et pietate debeat esse certamen. Audi Christum ad angelum, id est Episcopum, Smyrnæ scribentem Apoc. 2. 10. *Esto fidelis* (certando) *usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.* Præclare S. Cyprian. lib. 2. ep. 6. ad Martyres : *Si vos*, ait, *acies vocaverit, si certaminis vestri dies venerit, militate fortiter, dimicate constanter, scientes vos sub oculis præsentis Domini dimicare, confessione nominis ejus ad ipsius gloriam pervenire; qui non sic est ut servos suos tantum spectet, sed et ipse luctatur in nobis, ipse congreditur, ipse in certamine agonis nostri et coronat pariter et coronatur.* Et mox : *O beatum Ecclesiam nostram*, etc. *Floribus ejus nec lilia nec rosæ desunt. Certent nunc singuli ad utriusque honoris amplissimam dignitatem; accipiant coronas vel de opere candidas, vel de passione purpureas. In cœlestibus castris et pax et acies habent flores suos quibus miles Christi ob gloriam coronetur.* Idem l. de Mortal. ait nihil aliud in mundo quàm pugnam adversus diabolum quotidie geri, cumque vitiis et illecebris colluctationem esse molestam, eamque assiduam. Et Clemens Alexandrinus l. 7. Stromat. *Verus*, ait, *athleta est, qui in magno hoc mundi stadio coronatur, veram assecutus victoriam adversus omnes animi perturbationes, quoniam agonotheta est omnipotens Deus.* Et Tertullianus ad martyres c. 3. *Bo-*

num, ait, *agonem subituræ estis, in quo Agonothetes Deus vivus est, Xystarches Spiritus sanctus, corona æternitatis bravium, angelicæ substantiæ politia, in cœlis gloria in sæcula sæculorum.*

Ex dictis liquet τὸ *supercertari* referri ad *fidei*: quare minus recte aliqui referunt ad *sanctis*. q. d. Deprecor vos supercertari sanctis, id est, certare pro sanctis, ait Catharinus, vel cum sanctis, ait Erasmus: sanctis, inquam, fidei, id est fidelibus, puta Christianis; primitus enim omnes fideles vocabantur et revera erant sancti. q. d. Deprecor vos certare cum sanctis, æmulando sanctos, addendo certamen vestrum ad certamen illorum, et quasi adimplendo ea quæ desunt passionibus Christi et Sanctorum, uti ait Paulus Coloss. 1. 24.

Denique perperam hinc colligunt hæretici, laicis rudibus et indoctis licere disputare de fide: aliud enim est disputare, quod non nisi peritorum est et doctorum, aliud certare; certant enim etiam simplices et rudes, non disputando, sed constanter veritatem fidemque asserendo et tuendo; unde hæreticus Beza τὸ ἐπαγωνισασθαι, id est *supercertare*, explicat per ἐπαμυνασθαι id est *tueri*, *defendere*.

4. SUBINTROIERUNT ENIM QUIDAM.] Hoc est, furtim subierunt; Regia, *subrepserunt*: nam τὸ *sub*, et Græcum παρα, significat eos clam ex insidiis, furtim, dolose, subreptive quasi vulpes introiisse, et se insinuasse fidelibus. Sic enim pseudoprophetæ et hæretici quasi veri prophetæ et doctores astute novam, raram et eximiam scientiam et doctrinam prætexentes et jactitantes se fidelibus insinuant. Vide dicta 2. Petri 2. 1. Dat hic causam, cur oporteat eos supercertare pro fide, quia videlicet eam acriter et dolose impugnant hæretici. Syrus vertit: *Acquisierunt ingressum*, scilicet arte, astutia, fraude; Arabicus: *Commixti sunt in nobis.*

QUI OLIM PRÆSCRIPTI SUNT IN HOC JUDICIUM.] Syrus: *Qui à principio pervenerunt, ut scriberentur in condemnationem justam*; Arabicus: *Qui scripti sunt in hoc istud judicium.*

Nota pronomen *hoc*: significat enim hæreticorum judicium esse certum, notum et publicum: q. d. in hoc judicium de quo ego, et omnes orthodoxi mecum, eos hæresis condemnamus, ac gehennæ reos pronuntiamus.

Jam *præscripti*, ait Beda et Clemens Alexand. id est, prævisi et prædestinati: quia enim à Deo ab æterno prævisi sunt fore impii, hinc ab eodem reprobati et prædestinati sunt ad judicium, ad condemnationem et gehennam. Secundo, Didymus *præscripti*, ait, id est, à semetipsis dijudicati, traditi sunt in reprobum sensum, scilicet ob sua demerita. Impie ergo impius Beza censet eos traditos in reprobum sensum à Deo sine ordine ad demerita. *Nam Dei decreto*, inquit, *nil vel tempore, vel ordine prius inveniri posse dico, quin Deus divinitate spolietur.* An non Satanica hæc vox? quæ ex Deo facit Satanam, puta ex auctore boni facit auctorem mali et reprobi sensus. Tertio, Gagn. *præscripti*, inquit, id est, præfigurati sunt in veteribus pseudoprophetis.

Quarto, et genuine, OEcumen. Dionys. et alii, *præscripti*, græce προγεγραμμενοι, id est, *antea scripti*, prius descripti. q. d. De talibus, deque eorum impietate et judicio, id est, condemnatione ante me (Judam) scripsit Petrus et Paulus, imo Christus ipse eos depinxit, præmonuitque ut eos quasi lupos caveretis, Matth. 24. 24. 2. Timot. 3. 1. 2. Petr. 2. Quin et Prophetæ prisci ante Christum ad vivum in suis æmulis pseudoprophetis, mores et certamen hæreticorum cum orthodoxis depinxerunt, ut Jerem. Thren. 2. 14. *Prophetæ tui viderunt tibi falsa et stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent.* Simile est Jerem. 14. 14. et Zachar. 13. 4. *Et erit: In die illa confundentur Prophetæ, unusquisque ex visione sua, cum prophetaverit*, etc. Clarissime vero Jeremias toto c. 28. suum cum Hanania pseudopropheta certamen describit, tandemque ei Dei judicium et vindictam intentans v. 15. *Audi*, ait, *Hanania, non misit te Dominus, et tu confidere fecisti populum istum in mendacio. Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego mittam te à facie terræ; hoc anno morieris: adversum enim Dominum locutus es. Et mortuus est Hananias propheta anno illo.* Simile fuit certamen Micheæ cum Sedecia pseudopropheta regis Achab, similesque judicium, 3. Reg. 22. 24. et seq. Dicit hoc S. Judas propter τὸ *subintroierunt*, id est furtim subierunt; ne enim fideles dicerent: Quomodo eos cognoscemus et cavebimus, si furtim et ex improviso nobis se insinuent? præoccupat S. Judas, dicitque hac de causa eos præmonitos jam esse de iis, eorumque artes et mores jam esse descriptos ab Apostolis et Prophetis, ut ex iis latentes lupos agnoscere et cavere debeant.

IMPII (pietas est cultus Dei: impii ergo sunt hæretici, qui Dei veram fidem, cultum, religionem abolere aut violare satagunt. Unde explicans, dansque causam cur eos vocarit impios, subdit Judas, dicens) DEI NOSTRI GRATIAM (Serarius legit, *gloriam*) TRANSFERENTES IN LUXURIAM.] Syrus, *pervertentes in immunditiam*; Arabicus, *avertentes*, vel *convertentes in impudicitiam. Gratiam* vocat legem Evangelicam, sive Christianismum: hic enim ingens est gratia, imo cumulus gratiarum. q. d. Christianismo abutuntur ad luxuriam, Christianismum convertunt in Priapismum, legem gratiæ, puritatis et virtutis vertunt in licentiam dedecorum, turpitudinum, omniumque scelerum: docentes Christianismum esse legem libertatis, ac proinde Christianis licere libere indulgere concupiscentiæ, gulæ et Veneri, hoc est quod ait S. Petrus epist. 2. cap. 19. *Libertatem illis promittentes, cum ipsi sint servi corruptionis.* Addentes facilem in lege nova esse peccati expiationem, per baptismum, absolutionem, aliaque Sacramenta. Notat Nicolaitas, Simonianos, Gnosticos, qui cum essent impurissimi, simulabant se puri Evangelii esse doctores, eoque prætextu mulierculas onustas peccatis, ut ait, abducebant, instituentes nocturna sacra, in quibus omnem obscœnitatem promiscue perpetrabant. Ita OEcumen. Adeo vero obscœni erant Gnostici, uti dicti sint Borboritæ, id est cœnosi, quia ipsas etiam sacras Historias et Scripturas ad suas libidines explicando traducebant, uti fuse narrat Ephiphan. hæresi 26. Iren. lib. 1. c. 20. Clemens 7. Stromat. Simili modo Lutherus, Calvinus, cæterique moderni hæretici, gratiam et decus Christianismi transferunt in carnis licentiam et luxuriam. Quocirca S. Greg. 16. Moral. 22. hæreticos comparat onagris, id est asinis feris et silvestribus, tum ob feritatem, tum ob libidinem (est enim onager salacissimus) tum quia omne jugum excutiunt. *Recte*, inquit, *onagris comparantur hæretici, quia suis voluptatibus dimissi sunt à vinculis simul fidei et ra-*

tionis, juxta id quod ait Job c. 2. 45. *Alii quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum, vigilantes ad prædam.* Sane de Simone Mago primo hæresiarcha ita scribit Tertull. l. de Anima cap. 34. *Helenem quamdam Tyriam de loco libidinis publicæ eadem pecunia redemit* (qua scilicet voluerat à S. Petro emere donum Spiritus sancti) *dignum sibi mercedem pro Spiritu sancto.*

Secundo, aliqui per χαριν, id est *gratiam*, intelligunt Eucharistiam; hæc enim est gratiarum gratia. Unde à Cyrillo Hierosol. vocatur ουρανιος χαρις, id est, *cœlestis gratia:* ab aliis θεια και θεοποιος χαρις, id est, *divina et deifica gratia:* ab aliis passim μυστικη χαρις, id est, *mystica gratia*, sive arcanum gratiæ. Imo illud Pauli Hebr. 12. 28. *Habemus gratiam per quam serviamus, placentes Deo cum metu et reverentia*, S. Clemens l. 2. Constitut. 27. sic explicat: *Ut omnes*, inquit, *accedant ad mysticum cultum cum metu et reverentia, tanquam adregis corpus accedentes.* Hanc gratiam, puta Eucharistiam, hæretici convertebant in luxuriam. Tradit enim S. Aug. hæresi 46. Manichæos *Eucharistiam conspersam cum semine humano sumere:* quod merito ipse ait non esse Sacramentum, sed execramentum. Idipsum turpius faciebant Gnostici, dicentes: *Hoc est corpus Christi, et hoc est pascha*, ait S. Ephiphan. hæresi 26.

ET SOLUM DOMINATOREM (Græca habent δεσποτην θεον, id est, *Dominum Deum;* vel herum Deum: δεσποτης enim vocatur herus, qui in servos habet jus herile. *Dominator* ergo est idem quod Dominus Deus, vel herus omnium Deus) ET DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM NEGANTES.] Simoniani enim negabant Christum esse Deum; negabant enim Deum esse natum, passum, suscitatum. Addit OEcumen. *Quo pacto*, ait, *Christum non negant, qui impura et immunda vita, quasi clamoso præconio, totius temperantiæ magistrum abdicant et alienant? nulla siquidem tenebris cum luce societas est.* S. Petrus epist. 2. c. 2. 1. ait: *Et eum qui emit eos, Dominum negant.* Vide ibi dicta. Porro cum ait Christum esse *solum Dominatorem et Dominum*, non excludit Patrem et Spiritum sanctum, sed alium quemlibet qui sit alterius essentiæ. *Solum* ergo scilicet cum Patre et Spiritu sancto, utpote quibus Christus est ομουσιος et consubstantialis, ac proinde idem cum eis habet dominium et dominationem. Quocirca, ut recte ait Beda: *Quamcumque in eadem sancta et individua Trinitate personam nomines, solus Deus est; et cum totam simul Trinitatem nominas, solum verum Deum nominas.* Dictio ergo exclusiva, addita uni personæ divinæ respectu prædicati essentialis, non excludit alias personas, ait Lyran. sed excludit eas in prædicatis notionalibus, ut si dicam: Solus Pater generat, solus Filius generatur, solus Spiritus sanctus spiratur.

Porro OEcumen. το *Dominatorem*, refert ad Patrem, τὸ *Dominum nostrum* ad Filium Jesum Christum; sed longe verius est utrumque ad Christum referri, uti refert Didymus, Beda, Lyran. Hugo, Dionysius, Gagneius, Salmeron, Serarius et alii passim. Idque probatur primo, quia Græca utrumque uno articulo τον denotant et prænotant, licet nonnulli codices Græci hunc articulum duplicent, sed ii pauci sunt et minoris notæ. Secundo, quia S. Judas idem dicit cum S. Petro, quia ait: *Et eum qui emit eos* (Christum) *Dominum negant.* Tertio, quia Simoniani et Ebionitæ, contra quos hic scribit Judas, non negabant unum esse Dominatorem, hoc est summum Dominum et Deum Universi, sed negabant hunc esse Jesum Christum: Jesum enim dicebant purum esse hominem, non Deum. Genuinus ergo S. Judæ sensus et mens est, contra Simonianos, Ebionitas et Arrianos postea futuros, docere Jesum Christum esse verum Deum. Similiter Nicolaitæ, contra quos scribit S. Judas, negabant Christum esse Deum: aiebant enim Deum in Christo tantum habitasse, uti refert S. Ignatius epist. 9. et Iren. l. 3. c. 11. Denique id ipsum suadet versio Arabica, quæ sic habet: *Et in eo qui est solus Dominus Deus, Dominum nostrum Jesum Christum negantes.* Porro Christus est noster *Dominator*, græce δεσποτης θεος, id est, *Dominus et herus-Deus*, quia nos è servitute diaboli suo sanguine redemit et emit. Unde idem est κυριος, id est, *Dominus* noster, uti titulo creationis, ita et redemptionis. Quocirca Augustus Cæsar *dominum se appellari passus non est, imo non ausus, quo tempore verus Dominus totius generis humani inter homines natus est*, ait Orosius l. 6. c. 21.

Quæres quomodo differant, *Dominator* et *Dominus*? Resp. primo, τὸ *Dominatorem* significare dominium in res omnes, τὸ vero *Dominum nostrum* duntaxat in fideles et Christianos, qui eum ut Dominum agnoscunt et venerantur. Ita Glossa. Unde Syrus vertit: *In eo qui solus est Dominus Deus, Dominum nostrum Jesum Christum negantes;* et Arabicus: *Abnegantes Regem unicum Dominum nostrum Jesum Christum.* Secundo, Fevardentius ait Deum Patrem dici *Dominatorem* ratione creationis, Christum vero dici *Dominum nostrum* ratione redemptionis; qua nos quasi servos sibi coemit. Tertio, Thomas Anglicus censet voce *Dominatoris*, significari potestatem dominandi, vel dominationem naturalem: *Domini* vero, actum dominandi, vel dominium gratuitum. Prima responsio, cui cohæret secunda, videtur genuina: τὸ enim *Dominatorem* ponitur absolute et indeterminate ut omnia respiciat, τὸ vero *Dominum* determinatur per *nostrum*, scilicet fidelium et Christianorum. Adde: Deus vocatur *Dominator Dominus*, ad exaggerationem ejus dominii. q. d. Amplissime et plenissime, ubique et per omnia dominans; sive, ut S. Paulus ait: *Rex regum, et Dominus dominantium*, 1. Timoth. 6. 15. Unde Ecclesia in introitu Missæ in festo Epiphan. ita orditur: *Ecce advenit Dominator Dominus, et regnum in manu ejus, et potestas et imperium;* et in hymno Angelico: *Tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus, Jesu Christe, cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris.* Alludit ad Isaiæ c. 3. 1. et c. 10. 16. ubi Deus vocatur *Dominator Dominus.* Addit Adamus, Deum dici δεσποτην, id est *Dominatorem*, quasi δεσμωτην, id est *vincientem*, qui scilicet vincire et vincula nobis injicere possit quasi judex reis; κυριον vero, id est *Dominum*, à κυρωσαι, id est *decernere*, quod leges nobis ferat, iisque nos obliget. Verum hæc allusive dicuntur potius, quàm genuine. Prior ergo ratio est genuina, idque liquet ex eo quod primitus hoc nomen *Dominator Dominus* sibi indiderit Deus, Exodi 34. v. 6. eoque se invocari jusserit à Mose, ubi in Hebræo est idem nomen repetitum, scilicet *Jehova Jehova*, et Isaiæ 10. 16. rursum vocatur *Dominator Dominus*, pro quo in Hebræo repetitur nomen *Adon Adonai.* Ibidem vero v. 33. et c. 3. 1. vocatur *Haadon Jehova sabaoth*, pro quo Noster vertit: *Dominator Do-*

minus. Hinc Sapiens c. 12. 18. *Tu autem*, ait, *dominator virtutis, cum tranquillitate judicas*, et Amos c. 5. 16. *Hæc dicit Dominus Deus exercituum Dominator*, et Zachar. 4. 14. *Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ.* Vera ergo ratio, veraque origo cur Deus vocetur *Dominator Dominus*, est, quod crebro in veteri Testamento Deo dentur duo nomina, vel idem geminatum ad repræsentandam ejus majestatem et gloriam. Vocatur enim *Jehova Adonai*, quod Noster vertit: *Dominator Dominus;* atque eo alludit hic S. Judas, *Jehova* proprie significat ipsum esse Dei quaquaversum immensum et infinitum, puta pelagus essentiæ, à quo omne ens et esse sicut radius à sole procedit: *Adonai* significat Dominum, uti ostendi Exodi 6. 3.

Verum, quia ipsum esse Dei, quod significat *Jehova*, uti est in se homines concipere nequeunt, hinc Noster vertit *Dominator;* nil enim divinitatem summamque Dei majestatem nobis ita repræsentat, atque nomen *Dominator*, scilicet summus totius Universi, quod scilicet in omnes Universi creaturas plenum habeat dominium, regnum et imperium, juxta illud Cicer. l. 2. de Natura deorum: *Dominator rerum Deus.* Et: *Sit igitur hoc jam à principio persuasum civibus dominos esse omnium rerum ac moderatores deos;* et illud Senecæ Hippol. *Freti sævus dominator Neptunus*, et Virgil. 2. Æneid. Priamum vocat.

> Tot quondam populis terrisque superbum
> Regnatorem Asiæ.

Sic Hebræi Deum vocant *Dominum Sabaoth*, id est exercituum, juxta illud: *Dominus exercituum nomen illi*, Jerem. 31. 35. *Deitas enim quia incomparabilis est, varie nuncupatur*, scilicet *sapientiæ gloria, deitatis gloria aut summitas, aut dominatio, aut dignitas, aut charitas, aut majestas, aut imperium, aut potestas, aut sempiternitas*, ait S. Athanas. l. 1. de Unitate S. Trinit.

Porro Christus est *Dominator Dominus*, tum qua Deus, tum qua homo; qua homo enim per unionem hypostaticam habet summum in res omnes creatas etiam Angelos, Cherubinos et Seraphinos, jus et dominium, juxta illud Christi Matth. 28. 29. *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra*, et Apoc. 19. 16. *Habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium*, et Hebr. 1. v. 2. *Quem constituit hæredem universorum.* Quam ergo Christum hominem colere, revereri, eique omnibus viribus obsequi et servire debemus, cui omnes angeli ad pedes ejus provoluti humillime se substernunt, obsequuntur et serviunt?

5. COMMONERE AUTEM VOS VOLO.] Græce ὑπομνῆσαι, id est, in memoriam vobis reducere cupio; Arabicus, *diligo* (cupio) *ut revocem in memoriam vobis.* Hinc ὑπομνήματα vocantur memorialia.

SCIENTES SEMEL OMNIA.] q. d. Non volo vos docere, quia jam illa didicistis et scitis; sed tantum ea suggerere, et in memoriam quasi commonitor revocare. Dicit hoc modestiæ causa, ne videatur eos inscitiæ arguere, sed potius laudare à scientia. Sic S. Joannes ait epist. 1. c. 2. 21. *Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam.* q. d. Persuadeo mihi vos hæc quæ scribo scire, unde ea non doceo, sed refrico et confirmo, ut quæ credere bene cœpistis, melius perseverando perficiatis. Esto enim nonnulli ea ignorarent, multi tamen ea sciebant. Unde colligas primos Christianos in fide valde bene fuisse instructos et eruditos. Vigebat enim tunc Neophytorum catechesis, adeoque ipsi Apostoli erant perpetui catechistæ. Hos imitentur jam Pastores, quia magna inter fideles est ignorantia rerum fidei et salutis, multique ea de causa pereunt et damnantur, quorum animas à Pastoribus reposcet Deus.

Vox *semel*, vel refert primam eorum in fide et Scriptura instructionem. q. d. Jam pridem in prima vestra instructione et catechesi, simul et semel audistis et didicistis Historiam Josue et Hebræorum. Verum in prima catechesi traduntur articuli fidei, non autem Historiæ S. Scripturæ, nisi dicas S. Judam loqui maxime Judæis ad Christum conversis: hi enim in judaismo multa audierant de Mose et Josue. Secundo, magis congrue τὸ *semel*, per trajectionem Hebraicam refera ad τὸ *salvans;* opponitur enim τῷ *secundo*, quod sequitur, ut sententia ita sit ordinanda: scientes quod *Jesus semel populum de terra Ægypti salvans, secundo eos qui non crediderunt perdidit;* et ita legunt nonnulli codices Græci: tunc enim sensus planus est, connexus et nervosus. Accedit Syrus, qui vertit: *Quod Deus secundum unum tempus populum ex Ægypto liberavit;* et Arabicus: *Quod Jesus in vice prima*, vel *primo populum suum ex Ægypto liberavit.* Tertio et planissime, scientes *semel*, id est omnino et prorsus *omnia*, universim *omnia*, in totum *omnia*, simul *omnia*, ita ut me iterum ea docere, et vos iterum ea audire et discere non sit necesse. Sic Cicero pro Dejotaro: *Cum facile*, ait, *exorari Cæsar, tum semel exorari soles; semel*, id est, omnino et prorsus, ut amplius te exorare non sit necesse. Rursum *semel*, id est, ad summam, vel in summa. q. d. *Scientes semel*, id est summatim, *omnia.* Sic Quintilianus l. 11. c. 1. *Et ut semel*, ait, *omnia complectar*, et l. 10. c. 3. *Denique ut semel quod est potentissimum dicam: secretum in dictando perit;* id est, ut summa dicam. Hujus phrasis ratio est ipsum illud *semel*, quod significat una vice pro omnibus, ita ut postea non oporteat quid addi. Denique *semel*, id est irrevocabiliter. q. d. *Scientes* omnia *semel*, id est, plene, firmiter et irrevocabiliter, ut eorum oblivisci non possitis. Sic Ovidius epist. 5. de virginitate ait:

> — Deperit illa semel:

id est, irrevocabiliter, quia semel amissa nunquam recuperari potest. Et Lucanus l. 9.

> Dixitque semel nascentibus auctor,
> Quicquid scire licet.

Semel, inquit, ut nullum postea verbum addat. Plinius l. 7. c. 34. *Vir optimus*, ait, *semel à condito ævo judicatus est Scipio Nasica à jurato senatu*, et c. 35. *Pudicissima femina semel matronarum sententia judicata est Sulpitia.* Ubi τὸ *semel* affirmantis venustatem habet, ut quod verissimum esse asseverare volumus, id semel tantum dixisse sufficiat. Quo sensu ait Job cap. 33. 17. *Semel loquitur Deus, et secundo idipsum non repetit;* et Psaltes Psal. 88. v. 36. *Semel juravi in sancto meo*, et psal. 61. vers. 12. *Semel locutus est Deus*, et Paulus Hebr. 9. et v. 12. Christus *semel introivit in sancta;* et Judas hic v. 3. *Semel traditæ sanctis fidei.* Similia sunt Exodi 33. 5.

Numer. 30. 7. Levit. 27. 28. et 1. Reg. 26. 8. et alibi.

Porro τὸ *omnia*, intellige commode. Notat Œcum. S. Judam citare Historiam veteris Testamenti, *tum ut declarat eumdem esse Deum et veteris et novi Testamenti institutorem, et non, sicuti isti scelesti aiunt, alterum esse Deum veteris Testamenti ultorem et crudelem, alterum novi mansuetum et benignum asserentes; et simul ait, quod neque hi qui nunc peccant, inulti permanere poterunt, sicut neque illi qui ex Ægypto educti fuerant.* Hoc ipsum indicat Didymus, qui hoc exemplo confirmari existimat quod modo dixerat Judas, Christum Deum ac Dominum esse rerum omnium creatarum. *Dictum namque est*, inquit, *ante hæc de eo quod sit verus Deus, iste solus Dominator et Dominus Jesus Christus, qui eduxit populum ex Ægypto per Moysem: quibus ità dictis, consequens est ut non sit alter Deus Moyseos: neque enim est alius præter Trinitatem.*

Quoniam (quod) Jesus.] S. Hieron. l. 1. contra Jovin. accipit Josue: hic enim à Septuaginta vocatur *Jesus*: Josue enim populum induxit in terram promissam. Verum obstat quod Josue non eduxerit populum ex Ægypto; nam id fecit Moses, cujus minister et successor fuit Josue. Rursum pro *Jesus* multi Græci codices habent κυριος, id est, *Dominus*, et nonnulli addunt ὁ θεος, id est, *Deus*. Unde Syrus et Clemens Alexandrinus legunt *Dominus Deus*, quod Jesu Christo soli competit, non Josue. *Jesus* ergo non qua homo (utpote necdum natus in terra) sed qua Deus populum suum, puta Hebræos, ex Ægypto ejusque servitute eduxit et liberavit. Nam ut ait Paulus: *Jesus Christus heri et hodie, ipse et in sæcula*, Hebr. 13. 8. Omnibus hisce ostendit S. Judas contra Simonem, Ebionem et Arrianos Christi divinitatem.

Salvans] σωσας, id est, *cum salvasset.*

Secundo eos qui non crediderunt, Deo et Mosi promittenti, quod eis traderet terram promissam, ideoque redire voluerunt in Ægyptum, perdidit.] Quomodo *secundo?* Primo, Beda et ex eo Glossa interlin. *Secundo*, inquit, id est, bis punivit et perdidit eos, scilicet primo in hac vita per mortem, secundo in altera per gehennam. *Quia solos*, inquit, *pœna à supplicio liberat, quos immutat; et quos præsentia mala non corrigunt, ad sequentia producunt.* Verum alii passim *secundo*, exponunt *postea, deinceps*, uti legit Clemens Alexandr. unde Arabicus legit: *in vice secunda.*

Sensus ergo est, q. d. Deus semel salvavit populum, cum eum se sequentem eduxit ex Ægypto; at *secundo*, id est, alia vice eum perdidit, cum scilicet incredulus ab eo recessit et apostatavit, idque non semel, sed sæpius. Nam idololatrantes cum vitulo aureo, occidit in Sina Exodi 32. 27. postea occidit murmurantes et carnes desiderantes in Sepulcris concupiscentiæ, Numer. 11. v. 33. Denique omnes præter Josue et Caleb damnavit morte in deserto, ob murmur exploratorum, Numer. 14. v. 29.

Quare non est necesse cum nonnullis τὸ *secundo*, referri ad Hebræos respectu Ægyptiorum, qui primo perditi et mersi sunt in mari Rubro. q. d. Deus primo perdidit Ægyptios in mari Rubro, eo quod insequerentur Hebræos populum Dei; at cum Hebræi Deo obluctati, imitati sunt Ægyptios, imo in Ægyptum reverti voluerunt, Deus iram suam in eos reflexit; atque sicut primo perdiderat Ægyptios, sic secundo perdidit Hebræos; non, inquam, est necesse sic explicare, imo nec convenit; quia nulla hic perditionis Ægyptiorum facta est mentio. Porro S. Judas hoc exemplum fidelibus applicandum relinquit. q. d. Simili modo Deus fideles quos primo salvavit in baptismo, dum Christum secuti sunt, secundo perdet si à Christo apostatent et ad Simonem, Ebionem, aliosque Christi hostes declinent. *Quare melius erat istis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo quod illis traditum est sancto mandato*, ait S. Petrus epist. 2. c. 2. v. 21. vide ibi dicta.

6. Angelos vero qui non servaverunt suum principatum, etc.] Arabicus sic vertit: *Projecit angelos qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum ordinem et officium, in tenebras extremas, alligatos in vinculis æternis, reservando in eis ad hunc diem magnum, diem judicii.* Est hoc secundum exemplum et argumentum, scilicet angelorum, sicut primum fuit Hebræorum, q. d. Si Deus angelos nobilissimos apostatantes, sibique rebellantes è cœlo dejecit, et in diem magni judicii damnandos, reservavit, quanto magis puniet vos, ô fideles, ac in die judicii coram toto mundo condemnabit, si ab ejus fide apostatantes ad hæreticorum impietatem et perfidiam desciscatis? Eodem utitur S. Petrus epist. 2. c. 2. 4. dicens: *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari*, etc. Vide ibi dicta. Hunc Luciferi et Angelorum horribilem casum graphice depingit Isaias cap. 14. 12. et Ezech. cap. 28. 12.

Pro *Principatum* græce est αρχην quod tam originem et principium, quam potestatem et principatum significat. Unde Cajet. et Tigur. vertunt, *suam originem;* Gagneius, *suam dignitatem;* Adamus, *suum magistratum*, id est, *angelicæ dignitatis honorem et præeminentiam non retinuerunt.* q. d. Angeli non servaverunt suam originem, id est, originalem suam excellentiam, statum, gratiam, justitiam, præeminentiam et dominium in res omnes corporeas, ut quasi principes dominarentur in cœlo et in terra, in qua originaliter à Deo creati et conditi sunt. Hinc patet angelos omnes, etiam dæmones, primitus creatos esse in gratia. Ex originali enim gratia et justitia manabat originalis eorum excellentia, et dominium, in res omnes.

Quare minus probabiliter dæmones creatos esse in gratia, negant Magister sentent. Henricus, Bonavent. Scotus, Alensis, et Hugo, quos citat, et ex hoc loco aliisque confutat noster Vasquez 1. p. disp. 217. c. 3. et 4. ubi ostendit per *principatum* maxime accipi gratiam sanctificantem; per hanc enim constituimur filii Dei, hæredes et principes regni cœlestis, adeoque ipsi angeli per eam erant amici et familiares Dei, ac principes in domo Dei aulaque cœlesti. Multo magis hinc patet error hæreticorum dicentium diabolum natura sua esse malum, ita senserunt Priscillianistæ, quos condemnat sanctus Leo, epistol. 97. c. 6. et Concil. Lateran. c. *firmiter*, de summa Trinit. et Epiphan. hæres. 48. Confutat hæreticos, qui dicebant diabolum esse filium Sabaoth, id est, septimæ potestatis, quem Deum Judæorum esse asserebant,

suaque natura malum et Patri repugnantem, commixtum vero cùm Eva, ex ea genuisse Cainum et Abelem.

Tropol. Beda : Simili modo instar dæmonum, inquit, fideles superbientes, qui gratiam adoptionis filiorum Dei non servant, et derelinquunt domicilium suum, scilicet Ecclesiæ unitatem, in qua Deo renati sunt, vel certe sedes regni cœlestis quas accepturi erant, si fidem servarent, ante judicium graviter, et gravius in judicio universali damnabuntur. Idem applices Clericis ab Ordine religiosis à suo statu apostatantibus. Utrique enim relinquunt suum principatum, et quasi è cœlo in infernum corruunt, imo ultro se præcipitant. Vide Hieronymum Platum lib. 3. de Bono status Religiosi cap. ult. et penult.

Denique ex hoc aliisque Scripturæ locis, quibus dæmones vocantur ἀρχαί, id est, *principatus* et potestates, solerter colligit Cassianus collat. 8. c. 8. inter angelos qui ceciderunt, plerosque è summis eorum principibus extitisse. Hisce enim eo major superbiendi et ruendi fuit occasio, quo majoribus naturæ et gratiæ dotibus se cæteris antecellere cernebant. Hic verum est illud : *Feriuntque summos fulmina montes*, ita per superbiam ceciderunt summi in Ecclesia, ut Saul, Origenes, Tertullianus, etc.

Sed dereliquerunt suum domicilium,] ἴδιον οἰκητήριον, id est, *propriam habitationem*, scilicet cœlestem, puta cœlum empyreum, ait Lyran. *dereliquerunt* autem non directe et sponte, sed indirecte et coacte; quia enim sponte dereliquerunt cœleste vitæ institutum, quo Deo adhærebant et serviebant, hinc à Deo coacti sunt relinquere cœlum, cum ex eo præcipitati sunt. Ita OEcumen. Unde Arabicus vertit : *Dereliquerunt ordinem*, seu *constitutum officium suum*. Vere S. August. serm. 28. de verbis Domini secundum Lucam : *Sanctificatum*, ait, *est cœlum, dejectus est diabolus*, et paulo ante : *Cœlum est, ubi culpa cessavit; cœlum est, ubi flagitia non sunt; cœlum est, ubi nullum mortis vulnus est.* Hinc liquet angelos creatos esse in cœlo empyreo, licet id nonnulli negent.

Moral. disce quam omnis creatura, etiam angelica, sit instabilis, nisi à Deo confirmetur et stabiliatur : *Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem*, ait Job c. 4. 18. et c. 15. 15. *Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus.* Rursum hinc liquet angelos primitus non fuisse beatos, nec vidisse Deum; sic enim fuissent confirmati in gratia, nec potuissent cadere de cœlo. Unde S. August. 11. de Genes. ad litter. c. 13. ait : *Dæmonem nunquam gustasse dulcedinem beatæ vitæ, quam* (inquit) *non utique acceptam fastidivit, sed nolendo accipere deseruit et amisit.*

In judicium (id est, in condemnationem, per metonymiam. Ita OEcum.) magni diei,] puta diei judicii : hic enim erit dies magnus; quia magna in eo fient, scilicet judicium universale, consummatio mundi, descensus Christi gloriosus cum omnibus Angelis et Sanctis, divisio bonorum à malis, glorificatio bonorum, et damnatio malorum in æternum. Hic ergo dies erit horizon temporis et æternitatis, determinans in omne ævum angelos à dæmonibus, beatos à damnatis, Paradisum à gehenna. Hinc patet dæmones comparituros in judicio universali, et à Christo judicandos, acceptuosque æternæ damnationis sententiam, juxta illud 1. Cor. 6. 3. *Nescitis quoniam angelos judicabimus?* uti ibidem docent et explicant S. Chrysost. Theod. Ambros. Anselmus et alii passim.

Vinculis æternis.] Græce ἀιδίοις, id est, *æternis*, vel *non propriis*, sed alienis et coactis, vel, ut Syrus, *incognitis*, invisibilibus, quæ scilicet videri nequeunt. Origen. homil. 9. in Matth. legit : *vinculis gravibus;* S. Petrus epist. 2. c. 2. 24. vocat σειρὰς ζόφου, id est, *rudentes* sive *catenas caliginis.* Unde addit Judas, *sub caligine. Vincula* hæc sunt spiritalia, puta vis divina eos detinens, atque obligatio et alligatio eorum per illam ad carcerem, gehennam et pœnam æternam. Huic enim Deus eos ita alligavit et astrinxit, ut eam nusquam et nunquam excutere vel evadere queant, ideoque vocantur æterna; quia licet dæmones usque ad diem judicii permittantur in hoc aere versari et tentare homines, tamen ipsi quocumque vadant, hanc obligationem et alligationem, adeoque ipsam suam pœnam et incendium, tanquam mancipia catenam suam circumferunt. Sicut ergo homo, puta judex, corpora reorum, ita Deus spiritus et animas damnatorum alligat gehennæ et igni. Potest secundo sic exponi, q. d. Deus dæmones sub caligine aeris hujus reservavit vinculis æternis, id est, ad vincula æterna, quibus eos in die judicii coram toto mundo alligabit et compinget in gehenna, ut ex ea nunquam amplius egredi possint, uti nunc possunt, sed in eam quasi in ergastulum perenne retrudantur. Unde Cyril. Alex. in Habacuc 3. n. 49. legit : *quibus caligo tenebrarum in omnia sæcula reservata est.* Utrumque verum; dæmones enim et vinculis æternis jam ligati sunt, et iterum iisdem ligandi in die judicii, uti jam dixi. De vinculis dæmonum, qualia ea sint, et quomodo iis ligentur, dicam Apoc. c. 9. v. 14.

Denique Clemens Alexandr. *vincula* dæmonum interpretatur amissionem honoris in quo constiterant, et cupiditatem infimarum rerum; cupiditate enim propria devinctos, converti nequaquam posse. Sed hæc symbolica et mystica sunt vincula, non litteralia.

Sub caligine,] tum aeris hujus caliginosi, tum potius inferni et tartari, uti ait S. Petrus epist. 2. c. 24. ζόφος enim, id est, *caligo*, nox, significat quoque infernum, quia in eo est densissima caligo, perpetua et æterna nox : aliqui enim dæmones versantur in inferno, alii in hoc aere; sed utrique suam catenam et pœnam circumferunt. Unde Patres docent aerem hunc esse plenum dæmonibus. Ita S. August. 11. de Civit. 33. S. Fulgent. lib. de Trinit. et alii passim. In vita S. Emmerammi lib. 2. narratur tantam esse dæmonum in aere multitudinem, ut cuidam viro sancto revelatum sit, eos, si haberent corpora nostris æqualia, splendorem solis mortalibus intercepturos.

Præpositio *sub* notat caliginem hanc esse loco, non superiori, sed inferiori et subdito, eamque esse instar carceris. Carcer enim solet esse in loco imo et subterraneo, in quo, et sub quo rei concluduntur, deprimuntur et arctantur. Unde S. Aug. de Natur. boni contra Manich. c. 33. asserit quod dæmones *pœnaliter hunc infernum, hoc est, inferiorem caliginosum aerem tanquam carcerem acceperint.*

Reservavit,] *cruciando*, ait S. Petrus, vide ibi

dicta. S. Judas potius τὸ *reservavit* refert ad *vinculis æternis*, q. d. Reservavit eos ad vincula æterna, quibus in die judicii eos vinciet, et compinget in carcerem et ignem æternum. Hinc moraliter, nota quanta sit miseria et infirmitas dæmonum quod nimirum quasi rei catenati sunt, ac proinde quasi canes ligati nos invadere et mordere nequeant, nisi ultro in eorum rictum et ungues nos injiciamus, uti docet S. August. sermon. 197. de Tempor. et Tertull. de Habitu mulieb. cap. 2. *Illi sunt*, ait, *angeli, quos judicaturi sumus. Illi sunt angeli, quibus in lavacro renuntiamus. Hæc sunt utique per quæ ab homine judicari meruerunt. Quid ergo faciunt apud judices suos rei eorum? Quod est commercium damnaturis cum damnandis? Qua constantia tribunal ascendimus decreturi adversus eos, quorum munera appetimus?*

7. SICUT SODOMA ET GOMORRHA.] Est hoc tertium exemplum, quo Simonianorum et Gnosticorum infames libidines, quibus æternum ignem intentat, perstringit; sicut primo exemplo Hebræorum rebellium, perstrinxit eorumdem perfidiam et rebellionem; ac secundo exemplo dæmonum apostatantium, perstrinxit eorumdem superbiam et invidiam. Quo tacite notat eos instar Sodomitarum, præpostera et infanda libidine se contaminasse.

EXFORNICATÆ,] id est, extreme fornicatæ, extremam et pessimam libidinem exercentes, ut omnem ejus modum et mensuram excessisse, utque omnes corporis vires, omne semen, omnem sanguinis et vitæ succum in fornicando exhausisse videantur. Hoc est quod de Marci Gnostici amasiis scribit Iren. lib. 1. *Hæ*, inquit, *sæpe conversæ ad Ecclesiam Dei confessæ sunt, et secundum corpus exterminatas se ab eo velut cupidine, et inflammatas, valde se illum dilexisse.* Secundo, Thomas Anglicus, Hugo et Glossa *exfornicatæ*, inquiunt, id est extra debitum naturæ vas fornicatæ sunt, quia scilicet relicto naturali usu feminæ in mares exarserunt, Rom. 1. 27. Alii *exfornicatæ*, id est, extra fornices non cum meretricibus quæ in iis prostabant, sed cum pueris domi fornicatæ sunt. Verum hoc subtilius est quam solidius.

ABEUNTES POST CARNEM ALTERAM.] Syrus: *Ambularunt post carnes alias.* Mas enim et femina in conjugio fiunt una caro ad generandam prolem, juxta illud Matth. 19. 5. *Erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* At mas et mas non possunt fieri una caro ad generandum; ergo sunt duo, et si misceantur, abeunt post carnem alteram. Igitur *caro altera*, vel ut Pagninus vertit, *aliena*, est femina et concubina et meretrix: hæc enim altera est ab uxore legitima. Vel potius est masculus; hujus enim caro præpostera et cum ea libido, est aliena ab instituto et usu naturæ; quia incongrua et inepta, imo adversa generationi et procreationi liberorum. Ita Œcumen. *Carnem*, inquit, *alteram, vocat masculum sexum, quippe quæ diversa sit, et à coitu generationis aliena. Caro siquidem ad coitum accommodata feminæ caro est, juxta id quod à progenitore nostro dictum est: Os ex ossibus meis, et caro ex carne mea. At marium caro altera est, id est, diversa à coitu.* Abeunt ergo post carnem alteram, cum mares maribus, aut feminæ feminis, aut viri feminis extra naturale vas præpostere commiscentur; multo magis cum bestia, vel diabolo in corpore assumpto, sive incubo, sive succubo commiscentur. Simili phrasi ait Constans Imper. *l. cum vir.* ad legem Juliam de adult. *quod in isto scelere sexus perdit locum, venus mutata est in alteram formam.* Et Sapiens c. 14. 26. ait ex idololatria (æque ac hæresi) ortam esse nativitatis immutationem, nuptiarum inconstantiam, inordinationem mœchiæ et impudicitiæ.

FACTÆ SUNT EXEMPLUM.] Græce προκειῦθαι δειγμα, id est, *projectæ sunt in exemplum*, propositæ in ostensionem. Hoc est quod S. Petrus Judæ succinens ait epist. 2. c. 2. 6. *Exemplum eorum qui impie acturi sunt ponens.* Unde Gellius lib. 6. c. 14. inter tres causas ob quas publice scelerati puniendi sunt, hanc præcipuam assignat. *Tertia*, inquit, *ratio vindictæ est quæ paradigma à Græcis nuncupatur, cum punitio propter exemplum est necessaria, ut cæteri à similibus peccatis metu cognitæ pœnæ deterreantur. Idcirco veteres quoque nostri exempla pro maximis gravissimisque pœnis dicebant.* Hinc Num. 5. 21. de adultera dicitur: *Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo*, et c. 25. 4. *Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem.* Septuag. παραδειγματισον, id est, *statue in exemplum.*

IGNIS ÆTERNI POENAM SUSTINENTES.] Primo, quia Sodoma et Pentapolis cœlesti igne conflagravit, ita ut concremationis hujus vestigia jugiter extent, et in perpetuum extitura sint, usque ad finem mundi, nimirum desolatio perpetua, ac mare mortuum, perpetim fumans et exhalans bitumen et sulphur, quo conflagravit, nec pisces, aut vivum ullum admittens, quin protinus eos enecet; poma et fructus non alios producens quam vapidos et cinereos, adeo ut Sodoma præteriti incendii habeat specimen, et futuri in gehenna vivum sit exemplar. Ita Cajetanus. Citat enim Judas Historiam incendii Sodomæ narratam à Mose Genes. 19. ubi temporale tantum ejus incendium, non æternum in gehenna, enarratur. Audi Strabonem lib. 17. *Quod illa regio ignita est, permulta signa afferunt; nam et petras exustas ostendunt, et terram cinerulentam, et picis guttas ex petris distillantes, et flumina fœtida odore efferventia.* Similia in Sodomitas etiam nostri ævi divinæ vindictæ exempla, quibus à Deo tonitruis et fulminibus siderati, et in cineres redacti sunt, videre est de Peruvianis, et Mexicanis apud Ferdinandum Cortesium in Themistitan civitate pag. 307. et Petrum Martyrem tomo 3. Navig. mundi novi, fol. 28. et 29. quin et Europæa funesta non desunt exempla. Celebris est illa S. Hieronymi in Epistola sententia: *O ignis infernalis luxuria! cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintilla prava colloquia, fumus cujus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna.*

Secundo, *ignis æterni*, quia Sodomitæ omnes ab igne temporali transmissi videntur ad ignem æternum gehennæ. Unde Syrus vertit: *Positæ sub igne æternitatis, rei judicii;* et Arabicus: *Cum projicerentur in ignem æternum per judicium justitiæ.* Ita Isidor. Pelus. l. 3. epist. 203. Vide dicta Genes. 19.

Cogitent ergo luxuriosi, cogitent hæretici, cogitent peccatores, dum eos libido aut concupiscentia quælibet ad peccatum sollicitat, ignem Sodomæ, imo ignem gehennæ, ejusque metu cupiditati resistant. Ignis enim modicæ concupiscentiæ luendus est igne perenni gehennæ.

Audiant intonantem Isaiam c. 33. 14. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* et S. Chrysost. homil. 44. in Matth. *in ignis*, inquit, *fluvium atque pelagus intrudentur, et pelagus impertransibile, atque magnitudine acerbissimum, in quo ignei fluctus montium instar eriguntur*, et homil. 13. in epist. ad Rom. *Expendito vitæ alterius mala quæ sint futura, regni cœlorum privationem, à gehenna inustum dolorem, vincula perpetua, exteriores tenebras, vermem venenatum, dentium fremitum, pressuram loci angustam, igneos fluvios, fornaces nunquam restinguendas.* Et S. Gregor. 14. Moral. 10. agens de Sodoma: *In ipsa*, ait, *qualitate ultionis notavit maculam criminis; sulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem qui itaque ad perversa desideria ex carnis fœtore arserant, dignum fuit ut simul igne ac sulphure perirent.*

Porro certum est dæmones et damnatos in gehennæ vero igne torqueri; ignem enim ubique nominat Scriptura ubi de eorum pœna agit, et ita docet S. Basil. in Psalm. 28. S. August. 21. Civit. 9. S. Gregor. 4. Dialog. 29. Isidor. lib. 1. de Summo bono c. 31. S. Chrysost. paulo ante citatus, S. Cyprian. de Laudib. martyrii, Nazianz. orat. in S. Lavacr. S. Justin. Adhort. ad Gentes, Clemens lib. 5. Strom. Magister et Scholastici unanimi consensu in 4. dist. in c. 44. Quod ergo Damascenus lib. 4. de Fide c. ultim. Nyssenus l. de Resurrect. et anima, S. Hieron. in c. ult. Isaiæ, Ambros. lib. 7. in Lucam c. 14. Chrysost. hom. 1. in epist. ad Hebr. S. Aug. 21. Civit. 10. S. Greg. 15. Moral. 14. alias 17. insinuant dæmones et animas damnatorum torqueri igne non materiali et corporali, sed spirituali et mystico, intellige non *corporali*, id est non crasso, terrestri et obtuso, qualis est noster ignis; ignis enim gehennæ alterius rationis est à nostro, eoque longe acrior, ardentior et penetrantior, adeo ut etiam in animas et spiritus agat, easque comburat, quo respectu vocatur spiritalis, tum quia objectum in quod agit est spiritale, tum quia modus agendi, æque ac effectus est spiritalis, imo miraculosus et divinus.

8. SIMILITER ET HI CARNEM QUIDEM MACULANT, etc.] Græca addunt, οὗτοι ἐνυπνιαζόμενοι, id est, *hi somniantes*, vel *somniis delusi*; quod suspicari quis posset à quodam explicationis causa adjectum in margine, deinde in textum irrepsisse, quia illud omittit Latinus. Verum veteres, ut S. Epiphan. hæresi 26. et ex eo Œcumen. ac Clemens l. 3. Strom. c. 1. idipsum legunt, sicque exponunt, q. d. Simon et Gnostici non docent veritatem, sed sua somnia et commenta de libidine, carnis licentia, contemptu superiorum, etc. populis obtrudunt: *Loquantur*, ait Epiph. *velut per somnia verba sua, et non per sobrietatem vigilantis rationis. Nam et doctoribus in Jerusalem dicit Isaias* c. 56. 10. *Omnes canes muti non potentes latrare; somniantes concubitum*, etc. *Et sane hic in Epistola Judæ ostendit, dicens: Somniantes concubitum, quæ non sciunt dicentes; et ostendit quod non de insomniis in somno dicit, sed de fabulosa ipsorum tragœdia ac nugacitate, quæ velut per somnium profertur, et non à sanamente.* Hic sensus huic loco valde congruit: τὸ enim *somniantes* non solum ad *carnem maculant*, sed et ad sequentia, *dominationem spernunt; majestatem blasphemant*, etc. refertur ut patet ex Græco. Unde et Arabicus vertit: *Assimilantur illis etiam hi qui videntes sunt somnia.* Et sic pseudoprophetæ sæpe à Prophetis vocantur somniantes, eo quod non Dei oracula, sed suæ phantasiæ figmenta et somnia prædicarent. Ita vocat eos Moses Deuteron. 13. 3. Jeremias c. 27. v. 9. Zacharias cap. 10. v. 2. Clare vero Deus per Jeremiam c. 23. 25. *Audivi*, ait, *quod dixerunt Prophetæ prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes: Somniavi, somniavi. Usquequo est istud in corde Prophetarum vaticinantium mendacium, et prophetantium seductiones cordis sui? Qui volunt facere ut obliviscatur populus meus nominis mei propter somnia sua*, etc. *Ecce ego ad Prophetas somniantes mendacium*, etc. *cum ego non misissem eos.* Similia habet c. 29. 8. Hinc et Iren. l. 1. c. 20. Gnosticos vocat Oniropompos, eo quod sua somnia quasi oracula Dei venditarent. Sed audi somnium Gnosticorum de Elia ex Epiphan. hæresi 26. *Philippi Apostoli conflictum Evangelium proferebant, et ex eo mera somnia et deliramenta, ad sua impura dogmata stabilienda. Quin etiam de sancto Elia blasphemias dicere audent; quando assumptus est, inquiunt, rursus dejectus est in mundum. Venit enim, inquiunt, una ex dæmonibus, et tenuit, et dixit ipsi: Quo vadis? habeo enim liberos à te, et non poteris ascendere, et hic dimittere liberos tuos. Et dixit Elias: Unde habes liberos à me, cum ego in castitate vixerim? Et dixit illa: Certe quando insomnia somnians, sæpe in defluxu corporum evacuatus es, ego eram quæ assumpsi à te semina, et genui tibi filios.*

Secundo, alii apposite τὸ *somniantes* sic exponunt, q. d. Adeo libidinibus sunt dediti, ut non nisi de iis cogitent, loquantur, imaginentur, imo somnient. Ita Clemens Alexand. 3. Strom. cap. 1. unde Syrus vertit: *In somno pelliciuntur ad carnem à contaminatoribus;* S. Hieronymus contra Jovin. *nihil aliud nisi de voluptatibus cogitantes;* Vatablus et Pagninus vertunt: *Delusi insomniis*, id est, non solum interdiu libidine se contaminant, sed etiam noctu per insomnia, ait Vatabl. puta per illusiones, imaginationes et pollutiones nocturnas; hæ enim causantur ex diurna obscœnorum imaginatione. Ita Gagneius, Salmeron, et alii. Hoc est quod ait Theodor. lib. 1. Hæretic. fabul. *Qui sectæ Simonis erant, se audacter omni libidini et intemperantiæ dedebant, et omni incantationum et præstigiarum* (quæ quasi somnia oculos perstringunt et fascinant) *genere utebantur, amatoria quædam pellicientia* (philtra) *machinantes.*

Quocirca sapienter de somno moderando ita scribit et præscribit S. Bernard. ad fratres de Monte Dei: *Cave, serve Dei, ne totus aliquando dormias, ne sit somnus tuus non requies lassi; sed sepultura corporis suffocati; non reparatio, sed extinctio spiritus tui. Suspecta res est somnus, et ex magna parte ebrietati similis. Exceptis enim vitiis quibus in dormiente, cum corpore dormitante ratione non est qui contradicat, quantum ad debitum continui profectus, nihil temporis tam deperit de vita nostra, quam quod somno deputatur.* Unde dat salubre consilium: *Iturus ergo ad somnum semper aliquid defer tecum in memoria, vel cogitatione, in quo placide obdormias, quod nonnunquam etiam somniare juvet, quod etiam evigilantem te excipiens in statum hesternæ intentionis restituat. Sic tibi nox sicut dies illuminabitur, et nox illuminatio tua erit in deliciis tuis. Placide obdormies, in pace quiesces, facile evigilabis, et surgens facilis et agilis eris ad redeundum in id,*

unde non totus discessisti. Sobrium enim cibum sobriumque sensum sequitur sobrius somnus. Carnalis vero somnus et brutus, et sicut dicitur, lethæus, abominandus est servo Dei.

Tertio, alii τὸ ἐνυπνιαζόμενοι, vertunt *sopiti* quasi veterno, q. d. Hæresi et libidini ita immersi sunt, ut ejus quasi veterno et stupore consopiti videantur, adeo ut obscœna quæ vigilantes agunt, eadem in somnio dormientes peragant, ex continuo et ardenti libidinum usu et habitu. Ita Serarius. Rursum turpibus suis insomniis experrecti delectantur, eaque vigilantes opere exequuntur et perpetrant. In somnis enim, utpote sopita ratione, tota se effundit phantasia, concupiscentia et libido. Unde proverbium : *Somniantium libido*, pro effusa et summa. Audi S. August. 10. Confess. 30. humiliter de se confitentem et gementem : *Adhuc vivunt*, ait, *in memoria mea talium rerum imagines, quas ibi consuetudo mea fixit; et occurrant mihi vigilanti quidem carentes viribus, in somnis autem non solum usque ad delectationem, sed etiam usque ad consensionem factumque simillimum. Et tantum valet imaginis illusio in anima mea, et in carne mea, ut dormienti falsa visa persuadeant, quod vigilanti vera non possunt.* Vicissim libido ipsa tam ardens et bruta est, ut mentem et rationem sopiat instar somni. Unde Erasmus hic : *Somniantes*, inquit, *quia omnis libido veluti per somnium peragitur sopita ratione.* Hinc Hippocrates libidinem dicebat esse brevem quamdam epilepsiam, teste Gellio l. 19. c. 2.

Moral. *somniantes*, quia libido omnisque voluptas transit instar somnii. Unde sapienter et pathetice exclamat Petr. Chrysologus serm. 124. *Quid stupemus? quis est iste qui nos eludit somnus? Quæ est ista quæ nos tenet oblivio lethalis? Quare non cœlo mutamus terram. Quare non caducis emimus æterna? Quare non perituris manentia comparamus?* Quin et Plato, et ex eo Philo l. de Joseph, censuit *omnes res et gaudia mortalium non esse aliud, quam somnia vigilantium.*

Carnem quidem maculant,] per pollutiones et infandas libidines. Nam, ut ait Paulus 1. Cor. 6. 18. *Omne peccatum quodcumque fecerit homo extra corpus est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*, ubi Ambrosiaster : *Cætera peccata*, ait, *etsi per corpus generantur, non tamen animam ita carnali concupiscentia faciunt obstrictam et obnoxiam, quemadmodum commisceri facit animum cum ipso corpore usus libidinis agens in opere carnalis fornicationis; quia in tantum, agglutinatur anima corpori, ut in ipso momento nihil aliud cogitare homini liceat aut intendere, quia ipsam mentem captivam subdit ipsa submersio et absorbitio libidinis et concupiscentiæ carnalis.* Unde Alexander Magnus dicebat coitum esse speciem epilepsiæ, sive morbi comitialis, teste Plutarcho in ejus vita.

Quare perperam Arias contra omnes Interpretes sic exponit : *Carnem maculant*, id est, carnem maculatam esse prædicant, quasi S. Petrus taxet Encratitas, qui prohibebant nubere et abstinere à cibis, quos Deus creavit ad sumendum cum gratiarum actione, 1. Timoth. 4. 3. *Nubere*, ait Iren. lib. 1. c. 22. *et generare à Satana dicunt esse*, et Theod. in Epitome divin. decret. *Bellum*, ait, *adversus Creatorem hujus universitatis gerebant, ideo ne per matrimonium opificium ejus augeretur, formidabant.* Verum Apostolus hic non Encratitas, sed eis contrarios incestos Gnosticos insectatur.

Dominationem autem spernunt.] Syrus *calumniantur.* Primo, Clemens Alexandr. hic de angelis hæc exponit, q. d. Hæretici spernunt angelos, præsertim ordinem eorum, qui vocantur *Dominationes.* Secundo, Epiphan. hæresi 26. *Gnostici*, inquit, *spernunt dominationem*, id est, divinitatem, ejusque majestatem, dominium et imperium, quod habet in omnia à se creata. Unde Arabicus : *Provocant*, ait, *potentiam Dei;* et OEcumen. *Contra divinam*, ait, *naturam insuper insaniunt dominationem ejus et universi imperium abnegantes, cum alios quosdam mundi architectos confingant*, puta angelos aut dæmones, quibus Valentiniani mundi prælationem et dominium consignabant, uti docet Tertull. l. contra Valent. c. 22. Tertio, alii, q. d. *Dominationem*, id est, Dominatorem et Dominum nostrum Jesum negant, ut ait S. Petrus epist. 2. cap. 2. 1. ita Clemens Alexandr. Adamus, Cajet. et alii. Accedit OEcum. qui sic rursum explicat, q. d. *Dominationem*, id est, *Christi mysterii cæremonias abrogare volunt, dum loco angelicorum mysteriorum sua flagitia perpetrant.* Quarto et genuine, *dominationem*, id est, magistratum tum civilem, tum potius Ecclesiasticum spernunt, dicentes se per Christi legem factos esse liberos, ut nulli principi aut magistratui sint subjecti. Ita Thomas Anglicus, Gagneius, Cath. Salmeron. et Vatabl. qui pro *dominationem*, vertit, *dominos.* Vide dicta 2. Petr. 2. 10. Unde Irenæus l. 1. c. 1. et 20. *Hi*, ait, *sunt qui exurgunt contra veritatem, et adversus Ecclesiam Dei*, et S. Cyprian. supra citatus : *Non aliunde*, ait, *hæreses obortæ sunt, vel nata schismata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur.* Causam dat S. Petrus epist. 2. c. 2. 10. *Quia*, inquit, *sunt audaces sibi placentes.* Vide ibi dicta. Ex Gnosticis derivata est calumnia Gentilium in Christianos, per Evangelium politias humanas everti; principum obedientiam prætexto libertatis contemni, quod proinde studiose refutant Justin. Tertull. et alii in Apocal.

Majestatem autem blasphemant,] Videtur Interpres legisse in Græco δόξαν : sic quoque legit Syrus; vertit enim, *majestatem*, æque ac Noster. Jam legunt δόξας, quod primo, OEcum. vertit, *glorias, dignitates*, id est in dignitate constitutos, majestate illustres, puta principes, præsertim Ecclesiæ, puta Apostolos et Episcopos, blasphemant, id est, probris conviciis et maledictis insectantur. Ita Gagneius, Pagninus, Catharinus, Vatablus, Salmeron, Serarius et alii.

Secundo, Clemens Alexand. vertit et explicat, q. d. Angelos blasphemant. Accedit Estius qui hæc refert ad indigna figmenta, quæ Gnostici affingebant angelis, et Epiphan. hæresi 26. *Quicumque*, ait, *post numen illud adhibiti sunt ad regimen mundi, hoc est, angelos Dei ministros, et provinciarum rectores blasphemant.*

Tertio, Adamus per *majestatem* accipit Mosen et Prophetas, in quibus proprie resplendebat majestas Dei, quos Simon et Gnostici mire insectabantur. Favet quod subdit Judas de Michaele altercante cum Satana de corpore Mosis. Unde Thomas Anglicus per *majestatem* accipit tum angelos, tum Sanctos, tum Deum.

Quarto, OEcumen. per δόξας, id est *glorias*, accipit gloriosa mysteria conscripta in utroque Testamento, puta novo et veteri, quod spernebant, vel violabant et perperam interpretaban-

tur hæretici, teste Epiphan. hær. 26. Sic enim Paulus novum Testamentum vocat *gloriam*, 2. Cor. 3. 7. et 11.

Quinto, proprie Simon et Gnostici blasphemabant majestatem Dei, dum ejus opera calumniabantur, mysteria in Script. latentia depravabant, potentiam enervabant. Ita Beda et Hugo, ac præsertim gloriosam Dei sapientiam, bonitatem, justitiam, misericordiam, etc. exhibitam nobis per Christum blasphemabant, dum Christum vere natum, passum, mortuum negabant. Ita Cajetan. et Arias per *majestatem* accipiunt Christum, ejusque utramque naturam divinam et humanam, æque ac miracula, doctrinam cælestem, resurrectionem, ascensionem, missionem Spiritus sancti, quæ negabant Simoniani; hæc enim erant δοξαί, id est, *gloriæ* Dei et Christi. Nam, ut ait Poeta, proprie *majestas convenit ipsa Deo.* Majestas enim absolutum dominium et nulli obnoxium (quale solus habet Deus) indeque summum decus amplitudinem et dignitatem significat: Deus ergo est sacra majestas. Unde Ovid. 5. Fastor.

Hinc sata majestas, quæ mundum temperat omnem.

Et mox:

Consedit medio sublimis Olympo,
Aurea purpureo conspicienda sinu.

Hoc sensu recte distinguimus *majestatem* à *dominatione*, quæ præcessit, ut dominatio sit magistratus, majestas sit Dei, cujus attributa et dotes gloriosas, augustas et divinas significat Græcum δοξας. Hæretici enim negabant et blasphemabant Dei providentiam, præscientiam, justitiam, vindictam, etc. Has ergo vocat δοξας. Estque climax sive gradatio. Hæretici enim primo principum, deinde sensim magis insolescentes angelorum, ac tandem Dei jugum numenque excutiunt, juxta illud Psal. 35. 1. *Dixit injustus, ut delinquat in semetipso; non est timor Dei ante oculos ejus*, et Psal. 13. 1. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.* Porro Gnosticos blasphemasse Deum diserte asserit Epiph. hær. 26. Idipsum significat magis τὸ *blasphemant*. Blasphemia enim proprie est convicium in Deum. Unde Syrus vertit: *A majestate non moventur dum blasphemant*, q. d. Cogitatio majestatis divinæ quam invadunt et violant, deberet eos absterrere à blasphemia; at non absterret, quia eam contemnunt. Denique nonnulli per δοξας accipiunt dogmata Apostolica: δοξας enim inter alia significant dogmata certa, sententias illustres, axiomata. Porro noster Interpres 2. Petri 2. 10. δοξας interpretatur sectas; ideo enim hæretici spernebant Apostolorum δοξας, id est, *sententias*, ut suas δοξας, et sectas inducerent. Vide ibi dicta.

9. Cum Michael, etc.] Est argumentum ab exemplo, q. d. Ait OEcum. Michael contendens cum Satana non ausus est eum, licet impudentem et merentem, blasphemare, id est, conviciari; quomodo ergo hæretici audent blasphemare majestatem, non tantum angelorum et Sanctorum, sed et ipsiusmet Dei? Opponit ergo Michaelem modestum Gnosticis impudentibus et blasphemis, idque significat Græcum δε cum ait: ὁ δὲ Μιχαηλ, id est, at vero Michael. Ita Pagn. et Vatabl.

Nota. Michael Hebr. dicitur quasi מי כאל *mi cael*, id est, *quis ut Deus?* hoc enim ipse humiliter respondit, et opposuit superbo Lucifero, dicenti: *In cœlum conscendam, similis ero Altissimo*, Isaiæ 19. 13. Addit Isidor. 7. Etymol. c. 5. nomine *Michael*, id est, *quis ut Deus*, significari quod nemo propitiationem vel expiationem possit afferre, nisi Deus. Minus recte ergo Pantaleon Chartophylax Conensis, in Encomio sancti Michalis, quod extat apud Surium 29. Septemb. nomen *Michael* interpretatur: *Dux exercitus Dei.* licet enim id verum sit, tamen hoc non est genuinum Michaelis etymon.

A Michaele didicit Moses illud, demerso Pharaone epinicion. Exod. 15. v. 11. *Quis similis tui in fortibus, Domine!* à quorum verborum initialibus in Hebræo litteris, nonnulli censent Machabæos nomen suum accepisse, ut ibidem dixi.

Archangelus.] Arabicus: *Princeps angelorum*, est enim Michael omnium angelorum summus et princeps, ideoque tutor Ecclesiæ, uti olim fuit Synagogæ, uti ostendi Daniel. 12. 1. Est hic duplex in personis comparatio. Prima, q. d. Si Michael Archangelus non est ausus, quis hominum jure audeat? Secunda, si ne diabolus quidem maledicendus est, quo jure magistratus ac principes maledicentur?

Cum diabolo.] Diabolus græce, idem est quod criminator: διαβαλλειν enim est *criminari.* Intelligit Luciferum: hic enim est princeps dæmonum, uti Michael angelorum, ideoque ejus antagonista. Hoc est quod Ecclesia canit in officio S. Michaelis. *Collaudamus venerantes omnes cœli milites; sed præcipue primatem cœlestis exercitus Michaelem, in virtute conterentem zabulum. Zabulus* enim Æolice idem est quod diabolus. Æoles enim pro δια dicunt ζα. Quare minus genuine S. Cyprian. Adhort. ad Martyr. nomen *Zabulus* deducit à *Belsebub*, id est, Dominus muscæ, puta Deus cohibens plagam muscarum; tolle enim nomen *Bel*, manet *sebub*, unde *Zabulus;* nam sic dicendum fuisset *Zababus*, non *Zabulus.* Minus etiam aptum videtur quod S. Hieron. censet, *Zabulus* esse nomen Hebræum, ac significare *deorsum fluentem*, ut ipse ait ad Titum 2. vel *fluctum noctis*, ut ipse ait de Nomin. Hebr. vel *habitaculum noctis*, ut ipse ait in Tradition. Heb. in Genes. quasi sit idem vel fere idem cum nomine *Zabulon*, id est, habitaculum, qui ita dictus est à matre Lia, eo quod per ejus et fratrum generationem habitaturus esset secum deinceps maritus suus Jacob Patriarcha, Genes. 30. 20. Porro diabolus Hebr. vocatur *Satan*, id est, adversarius; et *Belial*, id est, absque jugo, quia jugum Dei excutere voluit.

Disputans altercaretur.] Syrus, *litigaret;* alii, *contenderet judicio;* Arabicus, *postquam increpavit Satanam et removit eum.* Hæc disputatio et altercatio Michaelis cum Satana de Mosi corpore, nusquam extat in Scriptura: Judas ergo eam accepit vel traditione majorum, vel ex libro qui tum extabat, quem Orig. 3. Periarch. c. 2. citat, nomenque ei dat *Ascensio Mosis.* Eumdem citat Clemens Alexand. 6. Strom. ubi ex eo refert Mosen visum à Josue et Caleb in gloria, cum assumeretur inter angelos. *Merito ergo*, inquit, *Mosen qui assumebatur, duplicem vidit Jesus filius Nave, et unum quidem cum angelis, alterum autem super montes; qui dignus erat; cui in convallibus justa fierent.* Vide Sixtum Senensem verbo *Mosis Ascensio*, ubi docet hunc librum à Gelasio Pontifice relatum inter apocryphos; in apocry-

phis tamen multa possunt esse vera. Sic Paulus citat versus Arati, Menandri, Callimachi, Gentilium Poetarum ad Titum 1. non quod omnia eorum dicta probet, sed illa duntaxat quæ citat. Alii volunt Judam hæc accepisse ex libro Henoch Ita S. Hieronym. in epist. ad Titum, et Origen. 4. Periarchon. Ut ut est, ex Juda certum est hanc historiam esse certam et canonicam. Sic S. Paulus ait nomina magorum qui restitere Mosi, fuisse Jannes et Mambres, 2. Tim. 3. 8. quæ tamen nusquam Moses expressit.

De Moysi corpore.] Putat Œcumen. altercationem hanc Michaelis cum Satana fuisse, eo quod Michael vellet Mosen pro meritis honorifice sepeliri, ut eo magis lex ab eo lata commendaretur; Satan nollet, objiciens ei crimen homicidii, quod scilicet Ægyptium interfecisset, Exodi 2. 12. Addit Glycas part. 2. Annal. et Pantaleon Chartophylax orat. de S. Michaele, diabolum voluisse sibi vindicare Mosen tanquam homicidam. Secundo, alii censent hanc altercationem fuisse de raptu corporis Mosis in Paradisum, ut versetur cum Elia et Henoch, sive eò vivus sit translatus, ut videtur dicere Philo libro de vita Mosis in fine, et S. Hieron. in cap. 9. Amos, sive post mortem resuscitatus eò sit raptus, uti censet R. Samuel Maroch. de Adventu Messiæ cap. 13. Sed hic raptus Mosis in Paradisum est fictitius; constat enim animam Mosis ivisse ad limbum Patrum, corpus in terra esse sepultum. Tertio, alii passim verius censent voluisse Satanam Mosen sepeliri loco cognito et publico, ut Hebræi in idololatriam proni, cum quasi Deum et numen colerent; Michaelem vero ei obstitisse, et curasse ut secreto sepeliretur. Ita S. Chrysost. homil. 5. in Matth. et S. Ambros. 2. Offic. cap. 7. Thomas Anglicus, Hugo, Dionys. Cajet. Gagneius, Arias, Salmeron, Adamus et alii; unde Deuter. 34. 6. dicitur: *Et non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem.* Vide dicta toto eo cap.

Hinc Epiphan. hæresi 9. et 64. testatur traditionem esse quod Moses sepultus fuerit ab angelis, et Œcumen. hic asserit Michaelem præfuisse sepulturæ Mosis. Addit Philo lib. 3. de vita Mosis, Mosis morientis vultum factum esse gloriosum, eumque præcessisse fulgura, lampades, et sagittas, mortemque ejus luxisse angelos. Sed hæc poetice ab eo dicta videntur vel per exaggerationem. Hæc est sententia communis omnium pene interpretum et Patrum, à qua proinde vix licet recedere. Accedit, quod vix alia ratio fingi possit, cur jusserit Deus Mosen ab angelis secreto sepeliri, nisi, ne si publice sepeliretur, adoraretur à Judæis. Quod enim aliqui dicunt honoris causa id factum, ut scilicet Hebræi Mosen quasi absconditum vel raptum magis revererentur, minus aptum videtur. Nam longe major, imo continuus et perpetuus fuisset honor Mosis apud Hebræos, si ejus sepulcrum visere et colere potuissent, sicut sepulcrum S. Catharinæ sepultæ ab angelis in monte Sina, ab iisdem revelatum, magna fidelium è toto orbe adventantium peregrinatione et devotione colitur.

Dices primo: Hebræi non coluerunt sepulcra Abrahæ, Isaac, Joseph, ac præsertim Joseph, cujus ossa secum deferebant per desertum; ergo nec coluissent sepulcrum Mosis, etiamsi illud cognovissent. Respondeo negando consequentiam. Ratio disparitatis est. Prima, quod tot sæculorum antiquitas quæ Abraham, Isaac, Jacob et Joseph habuerat ut homines, non ut deos abrogarat eis divinitatem, imo ejus opinionem et umbram detriverat. Secunda, quod pariter antiquata erant eorum in suos, eosque paucos beneficia. Tertia, quod illi tot prodigiis, gestis, et gubernatione populi non fuerint illustres, uti fuit Moses. Quarta, quod Hebræi ex Scriptura et Patribus suis illud Dei sibi altissime impresserant: *Ego sum Deus Abraham, Isaac et Jacob.* Unde sciebant non Abraham, sed Deum Abraham esse adorandum, Mosis vero, utpote paulo ante defuncti, recens erat memoria, æque ac beneficiorum ejus, portentorum, plagarum ac gubernationis, qua totam Hebræorum gentem numerosissimam per decem plagas toti Ægypto immissas gloriose eduxerat per mare Rubrum sicco pede mersis Ægyptiis, in desertum: ibique legem à Deo acceptam eis dederat, manna cœlesti paverat per 38 annos, columnam ignis et nubis itineris ducem assignarat, etc. insuper audierant illud Dei ad Mosen: *Constitui te deum Pharaonis, et Aaron frater tuus erit Propheta tuus,* Exodi 7. 1. Ad hæc peregrinantes per desertum, jamque transituri in terram promissam egebant duce Numine. Unde cum Moses in Sina legem accepturus diutius moraretur, fecerunt sibi vitulum aureum, puta Apin quasi itineris ducem. Hoc est enim quod ipsi dixerunt Aaroni: *Surge, fac nobis deos qui nos præcedant; Mosi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit,* et facto vitulo ei acclamarunt: *Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Exodi 32. vers. 1. et 4. Mose ergo mortuo pronum fuisset eis, si corpus illius habuissent, cum ut itineris reliqui ducem colere et invocare. Fuerat enim ipse totius populi summus legislator, Pontifex, Propheta, princeps et rex.

Dices secundo: Hebræi non erant tam stolidi ut corpus mortuum Mosis adorarent; hoc enim mortalitatis spectaculum omnem divinitatis opinionem illis excussisset, eumque hominem fuisse demonstrasset. Resp. Idololatria omnis est stolida: idololatras enim stolide homines insignes vita functos, puta parentes, reges, benefactores eximios in deos retulisse, et divinis coluisse honoribus, docet non tantum Plinius l. 2. cap. 7. Cicero de Natur. deor. Justin. Tertull. Lactant. Arnobius et alii scribentes contra Gentes, sed et S. Scriptura hanc idololatriæ originem diserte assignat Sapient. 14. 15. et constat apud omnes, Jovem, Mercurium, Æsculapium, Venerem, etc. fuisse homines, qui ob beneficia post mortem à Gentibus in deos sunt relati. Ita Cretenses colebant Jovem suum regem, ejus tamen sepulcrum et ossa in Creta apud se extare jactabant. Unde merito eos irridens Lactant. lib. 1. divin. Instit. c. 11. *Quomodo igitur*, inquit, *potest Deus alibi esse vivus, alibi mortuus? alibi habere templum, alibi sepulcrum?* Sic Imperatores Romani defuncti per apotheosim, qua publice corpora eorum cum pompa comburebantur, aquilaque è rogo quasi animam Imperatoris deferens in cœlum evolabat, dii habebantur; uti fuse narrat Herodianus initio lib. 4. quin et animas suorum, corpore combusto et incinerato, colebant nomine Manium. Unde illud tritum, quod etiamnum passim eorum sepulcris Romæ impressum legimus: *Diis Manibus.* Credebant enim animas defunctorum sepulcris et cineribus suis adesse, vel assidere.

Idem de Mose facere et credere potuissent He-

bræi, uti fecerunt postea Asæ regi defuncto, 2. Paralip. 16. 14. Vis exemplum? In Ægypto, æque ac in deserto Hebræi coluerunt vitulum, puta Apin, vel Serapin, quem fuisse hieroglyphicum Joseph, qui per vitulos sive boves macros et pingues prædixerat sterilitatem et fertilitatem Egypti et totius orbis, Genes. 41. v. 1. et 29. censet Ruffin. l. 11. Histor. c. 29. Suidas verbo *Serapis*, Auctor de Mirabil. S. Script. apud Aug. lib. 1. c. 15. et Auctor quæst. novi, et vet. Testam. apud eumdem c. 15. et alii, quos citavi Genes. 41. in fine capitis. Denique Hebræi coluerunt serpentem æneum, adeoque simulacra inanima, puta idola ænea et aurea Ægyptiorum, Chaldæorum, Assyriorum; quid mirum si Mosen post mortem, quasi redivivum et divinitate ob tot merita donatum coluissent? Sane Epiph. hæresi 55. narrat in Arabia Mosen ob prodigia reputatum esse Deum, adoratamque ejus imaginem. Ambrosiaster vero in c. 3. ad Galat. ait contendisse diabolum, ut Corpus Mosis revelaretur, aut suscitaretur à Magis, ut hac ratione Hebræos induceret ad eum adorandum; sed restitisse ei sanctum Michaelem.

Plures alias sententias de causa altercationis hujus recenset noster Serarius hîc, sed vel falsas, vel improbabiles, inter quas illustrior est illa Hugonis Etheriani de Regressu animarum c. 9. scilicet voluisse diabolum impedire ne anima Mosis pergeret ad locum quietis et beatitudinis; puta ad limbum, et consortium SS. Patrum, indeque per Christum eos liberantem in cœlum. Idem sentiunt Cyrillus Alexand. et Martyrius in Syntag. de statu morientium, quem librum è Græco in Latinum convertit noster Raderus. Verum hæc altercatio fuit de corpore Mosis, non de anima. Similis est illa expositio cujusdam auctoris in fide non sani, sed heterodoxi, altercationem hanc fuisse de corpore Mosis, id est, de Mosaicæ legis et judaismi restitutione. Nam hoc corpus mysticum est, non litterale.

Probabilior est illa ipsius Serarii, contendisse scilicet diabolum ut corpus Mosis inferretur in terram promissionis, nec extra eam in Moab, utpote regione sibi in idolorum cultu addicta, sepeliretur, ne ab eo aliquod damnum acciperet, uti accepisse se à S. Babylæ sepulcro in Daphne questus est, sicut habet Vita S. Babylæ, et ex ea Baron. tom. 4. Qua de causa ipse ubique per hæreticos Sanctorum reliquias comburere, vel abolere satagit. Porro perperam hæretici hanc absconsionem corporis Mosis torquent contra ostensionem et cultum sanctarum reliquiarum. Nec enim Christiani adorant cultu latriæ reliquias, uti Hebræi adorassent corpus Mosis, nec ex reliquiis idololatriæ apud Christianos est periculum, uti erat ex corpore Mosis apud Hebræos. Vide Bellarm. lib. 2. de Reliquiis Sanct. c. 4. Imo vero cultus reliquiarum ex hoc loco evincitur. Si enim S. Michael tantam habuit curam corporis Mosis, ejusque sepulturæ, majorem utique nos habere debemus.

Rursum hinc collige: si diabolus ita certat pro corpore Sanctorum in morte, quanto magis certat pro eorum anima? Et vicissim, si Michael et angeli ita defendunt corpora Sanctorum morientium, multo magis defendent eorumdem animas. Sic certarunt dæmones pro anima Theodori et Chrysaorii clamantis: *Inducias usque mane*, ac monachi Iconiensis, uti narrat S. Greg. 4. Dialog. 38. Plura vide apud Raderum in Syntagm. jam citato. Hinc diabolus multis in morte apparet, ut eos percellat et in desperationem, aliudve peccatum adigat. Unde S. Martinus moriens eo viso: *Quid hîc*, ait, *astas cruenta bestia? nihil in me funestum invenies*, teste Sulpitio in ejus Vita. Hinc rursum de Michaele canit Ecclesia: *Constitui te principem super omnes animas suscipiendas.* S. Michael enim sive per se, sive per angelos sibi subordinatos in morte suscipit animas justorum, easque defert in cœlum, vel immediate si nil purgandum habeant, vel mediate per Purgatorium, si quid eo expiandum habeant. Vide Serarium et Lorinum hic. Hinc illa Ecclesiæ pro mortuis precatio: *Occurrite, angeli Domini suscipientes animam ejus, et offerentes eam in conspectu Altissimi.* Vide dicta Daniel. 12.

Symbolice Beda: Mosis corpus politicum sive mysticum, inquit, est Synagoga sive populus Judæorum, quem diabolus detinere volebat in captivitate Babylonica; sed obstitit ei Michael, id est, Jesus sacerdos, qui precibus suis apud Deum ejus liberationem impetravit. Quod enim aliqui id litterale esse volunt, quasi S. Judas citet visionem Zachar. cap. 3. ubi Satan contra Jesum filium Josedec pontificem disceptat, parum est probabile; in multis enim illa visio dissentit à verbis S. Judæ, uti ibidem ostendi, et patet intuenti.

NON EST AUSUS JUDICIUM INFERRE BLASPHEMIÆ.] *Judicium blasphemiæ* vocat blasphemiam, id est maledictum justum et meritum, justoque judicio irrogandum. q. d. Michael non est ausus diabolum, licet omnis malitiæ auctorem, sibique iniquissime resistentem, judicare et blasphemare, id est, justum et meritum ei convicium et maledictum ingerere, dicendo: Vade, maledicte Satan; abi, iniquissime, in maledictionem et gehennam. Unde Tigur. vertit: *Non est ausus illi notam impingere maledicti*, vel, ut Vatabl. *convicium illi facere;* Arabicus: *Non est ausus ingredi in contradictionem ad eum blasphemiæ.* Aut *judicium* vocat condemnationem et punitionem *blasphemiæ*, quæ Satan blasphemabat Mosen, cum Michael vellet ejus corpus loco recondito sepelire. Denique nonnulli *judicium blasphemiæ* censent esse illud, quod S. Petrus epist. 2. c. 2. 21. vocat *execrabile* (græce βλασφημον) *judicium*, de quo ibi plura. Prima expositio uti facillima, ita planissima est, eamque exigit sequens antithesis: *Hi autem quæcumque quidem ignorant, blasphemant.* Nota τὸ *non est ausus*, non quod Michael timeret diabolum, sed quod timeret proferre blasphemiam, id est, convicium et maledictum, uti rem se indecentem. *Merebatur diabolus maledictum, sed per Archangeli os blasphemia exire non debuit*, ait S. Hieronymus ad Titum 3.

Respexit Michael, ait Didymus, ad bonam diaboli naturam, atque idcirco maledictis abstinuit, suoque exemplo docuit quid nos facere oporteat, qui sæpe odio vel ira inflammati, non tam vitia, quam homines ipsos insectamur et maledicimus. Hinc infert Hugo, exemplo S. Michaelis magistratui et judici abstinendum esse ab injuriosis verbis, curandumque ne cum austeritate, vel imperiose dominetur, sitque ut leo in domo evertens domesticos et subditos, Eccles. 4. 35. sed cum mansuetudine eos rogat et corripiat, ut vitam corrigant. Idem diserte docet S. Hier. l. 2. contra Ruffinum, servandum

esse cuilibet Christiano certanti cum suis æmulis et obtrectatoribus, qualis S. Hieronymo erat Ruffinus. Imo Eccles. c. 21. 30. *Dum maledicit*, inquit, *impius diabolum*, *maledicit ipse animam suam*, quia hæc in impietate similis est diabolo ; illius ergo impietatem condemnans, suam ipsius condemnat.

SED DIXIT modeste et graviter : IMPERET TIBI DOMINUS,] græce επιτιμησαι σοι κυριος, quod Pagnin. vertit, *increpet te Dominus*. Sic et S. Hieron. in c. 3. ad Titum legit : *Increpet tibi Dominus*, secutus syntaxim Græcam επιτιμησαι σοι. q. d. Deus tuam insolentiam, malignitatem, nequitiam comprimat, ô Satan, teque cogat ut permittas occulte sepeliri Mosen, ne, si publice sepeliatur, Hebræis detur occasio idololatriæ, ut velint eum adorare. Deus ergo increpando tibi imperet cum potestate et objurgatione, id est, potenter et cum imperio reprimat et compescat te inique et indigne mihi resistentem.

Alludit ad illud Domini ad Satan : *Increpet Dominus in te Satan*, Zachar. 3. 2. Vide ibi dicta. Sic επιτιμαν in Evangeliis nunc vertitur *increpare*, nunc *imperare*, quia increpando imperatur ; ut quod Interpres vertit Matth. 8. 26. *Imperavit ventis*, apud Lucam cap. 8. 24. vertit, *increpavit*, apud Marcum c. 4. 39. *comminatus est*. Hebr. enim גער *gaar*, id est *increpare*, per catachresin et metalepsin significat increpando imperare, comprimere, compescere, sedare, ut patet Nahum. 1. 4. Psal. 9. 6. Psal. 118. 21. Psal. 106. 9. Psal. 104. 7. Isaiæ 50. 2. et c. 30. 17.

Nota : poterat S. Michael per se suaque vi compescere insolentiam diaboli, quia eo potentior est et superior, sed malnit ex modestia et reverentia hoc opus et hanc virtutem transferre in Deum, quem uti nomine præfert, ita multo magis corde et opere refert, ab eoque postulare ut diabolum comprimeret. Idem fecit S. Macharius Alexandrinus, ut habet ejus vita. Porro S. Ambros. in Lucæ c. 8. censet idem fecisse Christum, cum ventis in mari conflictantibus quietem imperavit, dicens : *Tace et obmutesce ;* hoc enim dixisse diabolo, qui hos ventos et tempestatem in mari concitabat. Idem usurpat Ecclesia dum baptizandos vel energumenos exorcizat, de quo ritu vide nostrum Delrio in Magic. lib. 6. c. 2. sect. 3. q. 13. et Josephum Viccomitem de Ritibus Baptismi l. 1. c. 29. et sequenti.

10. HI AUTEM QUÆCUMQUE QUIDEM IGNORANT, BLASPHEMANT.] Est apodosis, sive redditio et applicatio exempli. q. d. Michael cum pro imperio juste posset Satanam, utpote sciens ejus impietatem, qua indignissime contra se de Mosis corpore contendebat, blasphemare, id est, maledicere, convicio punire, probro castigare, imo verberare et flagellare, præ modestia tamen noluit ; Simoniani vero et Gnostici in toleranda audacia et impudentia blasphemant, et maledicunt ea quæ ignorant, quæque eorum, utpote carnalium, captum superant, scilicet Deum, Deique attributa, mysteria Christi, res cœlestes, sublimes et divinas. Ita Epiphan. hæresi. 26. *Blasphemant* (Gnostici) ait, *non solum Abraham, Mosen, Eliam et omnem Prophetarum chorum, sed etiam Deum qui ipsos elegit*, etc. Ita Arriani, Macedoniani, Sabelliani cum non caperent mysterium S. Trinitatis, illud negarunt et blasphemarunt. Ita hodie Calviniani et Zuingliani, qui non capiunt Dei omnipotentiam in mysterio Eucharistiæ, illud negant et blasphemant. Hæreticis enim ratio credendi est sensus et ratio naturalis, non fides, non Dei verbum omnipotens. Quod vident et intelligunt, credunt ; quod non intelligunt, credere nolunt. Quocirca Iren. lib. 1. c. 35. ait contra hæreticos victoriam esse sententiæ eorum manifestationem, et S. Hieron. ad Ctesiphontem : *Sententias*, inquit, *illorum prodidisse, superasse est.* Porro ignorantiæ hæreticorum causæ sunt tres : prima, est superbia ; secunda, levitas ; tertia, voluptas et concupiscentia. Nam, ut ait Architas : *Impedit consilium voluptas rationi inimica, ac mentis perstringit oculos, nec habet ullum cum virtute commercium.* Quocirca hisce tribus conflatur sphinx, quæ est ænigma ignorantiæ apud Mythologos. Sphingem enim pingebant quasi monstrum facie virginis, pennis avium, pedibus leoninis, quod obscura ænigmata proponens ea solvere nescientem occidebat. Audi Alciatum emblem. 187.

Quod monstrum id ? sphinx est. Cur candida virginis ora?
Et volucrûm pennas, crura leonis habet ?
Hanc faciem assumpsit rerum ignorantia : tanti
Scilicet est triplex causa et origo mali :
Sunt quos ingenium leve, sunt quos blanda voluptas,
Sunt et quos faciunt corda superba rudes.

Remedium deinde assignat, scilicet : *Nosce teipsum.*

QUÆCUMQUE AUTEM NATURALITER TANQUAM MUTA (Græce αλογα, id est, *irrationalia*, ideoque bruta et muta, id est, vocis articulatæ et humanæ expertia ; sic Cicero non semel animalia bruta vocat muta) ANIMALIA NORUNT, puta ventrem et venerem, IN HIS CORRUMPUNTUR,] vitiando et fœdando sua corpora et mentes turpi gula et obscœnis libidinibus, instar porcorum et canum, imo turpius quam sues et canes, uti de Gnosticis ostendit Epiphan. hæresi 26. Unde Arabicus : *Operantur*, ait, *naturalia sua* (puta carnalia) *sicut bruta.*

Porro ea *norunt* per sensum, concupiscentiam, experientiam et consuetudinem, hoc est, ea sapiunt, tangunt, appetunt, concupiscunt, exercent ; unde Gagneius pro επιστανται, id est, *norunt*, suspicatur legendum εφιεανται, id est, *appetunt*, sed obstat fides omnium codicum Græcorum et Latinorum. Melius τὸ *norunt*, includit τὸ *appetunt*, uti jam dixi. Clare Œcum. *Quæcumque*, ait, *naturali impetu vel appetitione tanquam irrationabilia, vel muta seu bruta animalia norunt, hæc sectantur velut insanientes, feminarumque appetentes equi, vel porci.* Ideoque corrumpunt corporis animique vires, rationem, sanitatem, integritatem, puritatem, castimoniam, denique vitam et naturam ipsam per crapulam et libidines contra naturam. Vere Seneca de Vita beata c. 14. ait voluptates esse quasi feras, quæ heros suos laniant. Et Architas nullam pestem in mundo capitaliorem esse dicebat, quam corporis voluptatem, teste Cicerone in Catone Majore. Socrates vero voluptates cavendas esse aiebat, quasi sirenas, quæ hominem incantant, infatuant, enecant, teste Laertio lib. 2. Quocirca Aristoteles monebat intueri voluptates non à fronte, sed à tergo, id est, non venientes, sed abeuntes. Venientes enim fucata specie blandiuntur, abeuntes vero aculeum, id est, pœnitentiam et dolorem relinquunt. Ita Laert. lib. 5. cap. 1.

11. VÆ ILLIS QUI.] Legit οι, id est, *qui ;* jam legunt οτι, id est, *quia.* Exardescit Judas in sua

contra Gnosticos invectiva, acriter eos increpando eosque comparando. Primo, Caino; secundo, Balaamo; tertio, Core, quia scilicet imitantur invidiam et fratricidium Caini, avaritiam, magiam, impietatem et obscœnitatem Balaami, seditionem, rebellionem, et schisma Core; ideoque instar illorum acriter puniuntur, non tantum in futura, sed etiam in præsenti vita. *Via* enim in Script. significat vitæ institutum, modum vivendi, actus et mores, æque ac eventus et exitus. Via ergo Caini, est Dei contemptus, invidia, homicidium imo parricidium, atheismus, vita vaga, desperatio. Nominat hos tres præ aliis, quia hi tres fuere Dei, Fidei et sanctitatis hostes, ac fideles seducere et Ecclesiam perdere voluerunt; unde fuerunt Simonis, Gnosticorum et hæreticorum typi et prodromi. Cain enim Abelem primam fidei et Ecclesiæ propaginem occidit; Balaam voluit perdere populum Hebræorum, qui erat veri Dei cultor, ejusque Ecclesia; Core ambiendo sacerdotium rebellavit Mosi, suoque schismate Synagogam secuit et perdidit.

Itaque primo, sicut Cain avarus viliores oves offerebat Deo, meliores sibi reservabat, eaque ratione se suaque commoda Deo præponebat, ita pariter Simoniani, Gnostici, cæterique hæretici se suaque lucra Deo anteponunt, imo Dei Ecclesias, calices et dona profanant et diripiunt. Huic avaritiæ apte respondet nomen Cain: *Cain* enim Hebr. idem est quod *acquisitio et possessio.* Eva enim primum filium suum vocavit Cain, dicens: *Possedi hominem per Deum.* Gen. 4. 1. קנה *kana* enim significat *possidere;* inde קין *Cain* est *possessio.* Porro apte S. August. lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 4. avaritiam, quæ à sancto Paulo vocatur idolorum servitus, comparat hæresi. Quare perperam Kyrstenus hæreticus hîc in versione Arabica scribit, *Cain* significare vomitum et crapulam, à radice קאה *kau,* id est, *vomuit.*

Secundo, sicut Cain invidit fratri suo Abeli quod gratior esset Deo, utpote offerens Deo meliores oves, quodque Deus igne cœlitus misso inflammando ejus victimas, idipsum testaretur; sic Simoniani et hæretici invidebant et invident Orthodoxis, eosque calumniis, maledictis, injuriis, rapinis insectantur. Ita Beda: *Via Cain,* inquit, *abeunt, qui propter invidiam meliorum, nomen sibi doctorum, quo honorificentur, assumunt.*

Tertio, sicut Cain ex odio et invidia fratrem Abelem occidit; ita hæretici ex odio et invidia Orthodoxorum, fidelium animas ad hæresim suam pellicientes occidunt, non raro etiam corpora sibi obsistentium mactant. Hæresis enim crudelis est, quia agitur à crudeli Satana. Ita crudeles fuere Arriani, ut patet ex scriptis sancti Athanasii, Luciferi Calaritani, et S. Hilarii ad Constantium Imperat. et ex Victore Uticensi in Persec. Wandal. Unde S. Athanas. Apol. de fuga sua: *Quis,* inquit, *Arrianorum scelera non videt, ut sitibundi sint, avidique sanguinis humani, versutiisque suis velut sagenis comprehendant quod neci destinent. Plane hoc ipsorum opera declarant, ostenduntque eorum animos feris efferatiores, et Babyloniis crudeliores esse.* De Donatistarum crudelitate vide S. Augustinum et Optatum Milevit. De Hussitarum in Bohemia sævitia, vide Æneam Sylvium de Rebus Bohem.

Quàm nostri Calvinistæ, cæterique hujus ævi hæretici sævierint in Orthodoxorum templa, opes, urbes, corpora per Germaniam, Galliam, Hungariam, Angliam, Belgium, Daniam, Sueciam, Norvegiam, etc. omnes novimus, imo oculis spectavimus. Vide theatrum hæreticæ crudelitatis, et Stanislaum Rescium de Evangelicorum Phalarismis. Didicerunt id à suo parente Luthero, qui in Præludio Captivitatis Babylonicæ anno Domini 1520. rusticos ad rebellandum principibus concitavit. Sed cum seditio in caput rusticorum recidisset, occisis eorum centum millibus, Lutherus pallium vertit, et palinodiam cecinit, principum contra rusticos causam tuendo, dixitque: *Ego Martinus Lutherus in bello rusticano omnes rusticos occidi; jussi enim eos trucidari: omnis eorum sanguis in meis humeris est; verum ego onus illud in Deum rejicio.* Ita Aurifaber in Colloquio Lutheri titul. de Bello.

Quarto, Cain, si credimus Chaldæo, fuit primus hæresiarcha, adeoque atheus, voluitque Abelem fratrem trahere ad hæresim et atheismum, ideoque eum, quod sibi reluctaretur, occidit. Asserit enim Targum Hierosolymitanum, qui est Chaldæus Paraphrastes, Gen. 4. Cain in agro cœpisse queri de Dei providentia et æquitate, disputasse contra judicium extremum, contra mercedem bonorum, et vindictam malorum. *Cum,* inquit, *egressi essent ambo in agrum, dixit Cain: Non est judicium, non est judex, nec merces bona pro justis, nec pœna pro impiis; nec Dei misericordia creatus est mundus.* E contrario Abelem hæc asseruisse, Deum defendisse, fratrem reprehendisse, ideoque ab eo cæsum esse. Unde S. Cyprian. l. 4. epist. 6. Abelem vocat Martyrem. *Imitemur,* ait, *Abel justum qui initiavit martyria, dum propter justitiam primus occiditur.* Hinc etiam Cain Deo roganti, ubi esset Abel? proterve, impudenter et mendaciter respondit: *Nescio, num custos fratris mei sum ego?* eoque satis significavit se putare suum scelus latere Deum. Non credidit ergo Deum omnia scire, omnia videre; quia non credidit eum vidisse suum cum Abele jurgium, et parricidium. Ita hæretici tandem fiunt athei, et omnis hæresis est quasi regia via ad atheismum, uti dixi 2. Petri 2. Hac de causa S. Joannes Cain vocat filium diaboli, utique primum et primogenitum, Epist. 1. c. 3. v. 12. *Non sicut Cain qui ex maligno erat,* græce ἐκ τοῦ πονηροῦ, id est *ex illo malo,* qui scilicet antonomastice est, diciturque malus, puta diabolo. Quod ergo sanctus Polycarpus Marcioni hæresiarchæ roganti: *Agnoscis me?* respondit: *Agnosco primogenitum diaboli;* hoc verius respondisset Caino.

Quinto, Cain increpitus à Deo non resipuit, sed obduruit; unde notatus ab eo tremore corporis quasi stigmaticus, et probrum orbis, fugiens à facie Dei factus est vagus ac profugus, imo pejor et impientior, si credimus Joseph. 1. Antiq. c. 3. ubi sic ait de Caino: *Tantum abfuit ut hac castigatione vitam in melius mutaverit, ut pejor etiam sit factus, omnibus voluptatibus vel cum aliorum injuria indulgens; et facultates domesticas per vim et rapinas accumulans, accitis undecumque latrociniorum et nequitiæ sociis, magister illis ad facinorosam vitam est effectus. Ad hæc simplicem hactenus vivendi rationem excogitatis mensuris et ponderibus immutavit, pristinamque sinceritatem et generositatem ignaram talium artium in versutiam depravavit.* Ita Simon Magus increpitus à S. Petro, factus est pejor. Sic et hæretici convicti, imo mulctati à Deo fiunt pejores, ruuntque in omnes voluptates et scelera; hæresis

culm est mater omnium criminum et scelerum. Hinc quasi errones et vagi provincias oberrant, ut fideles decipiant, depravent et perdant.

Sexto, Cain desperavit de Dei misericordia, dicens : *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear*, Genes. 4. v. 13. Sic hæretici ex conscientia tot tantorumque scelerum ruunt in baratrum desperationis.

ET ERRORE BALAAM MERCEDE EFFUSI SUNT.] Hoc est, in errorem Balaam, qui fuit merces, sive cupido mercedis et lucri, et effusi sunt, quasi dicat : toti effusi sunt in opes et lucra. Aut q. d. Errore et deceptione mercedis, qua deceptus fuit Balaam, effundunt se in maledicta, impia consilia, aliaque scelera. Error enim Balaam fuit spes mercedis et cupido lucri, quod scilicet spe mercedis oblatæ à Balac rege Moab voluerit maledicere, et perdere populum Dei, puta Hebræos, Numer. 22. et seq. Unde Syrus vertit : *Post mercedem Balaam in mercede participes facti sunt*, vel *exarserunt*, Pagnin. *deceptione mercedis, qua deceptus est Balaam, effusi sunt;* Vatablus, *effusi sunt deceptione mercedis Balaam, atque mercede dolosa qua deceptus est ille, à Dei præceptis egressi sunt, ac in omne scelus abducti.* Ubi nota. Pro *mercede*, græce est genitivus μισθου, quem Pagninus, Vatablus et alii referunt ad πλανη, id est, *errore*, et deceptione, quasi dicat : Deceptione mercedis instar Balaam effusi sunt. Noster vero vertit in ablativo, *mercede*, vel quia pro μισθου legit μισθω ; vel quia subintellexit ενεκα, vel χαριν. q. d. ενεκα μισθου, id est, *causa mercedis*, hoc est mercede; vel potius quia præpositio εξ quæ est in εξεχυθησαν, id est, *effusi sunt*, poscit genitivum. q. d. εξ μισθου εξεχυθησαν, id est, ex mercede, per mercedem, mercede effusi sunt. Sed eodem redeunt omnia.

Rursum τὸ *effusi sunt*, significat magnam hæreticorum peccandi licentiam, ardorem et impetum, quo totos se effundunt in mercedes et opes, ac per eas, et propter eas in omnes cupiditates et omnia scelera. Arabicus vertit, *et in mercede ejus exaruerunt*, quia post effusionem sequitur ariditas? unde effuso humore per sudorem vel sanguinem, exarescimus, et sitimus. Τὸ *exaruerunt*, notat mercedes et lucra per scelus parta non locupletare, sed exarescere et evanescere, juxta illud : *Male parta, male dilabuntur. De male quæsitis non gaudet tertius hæres.*

Porro, hæretici imitantur Balaam : Primo, quia instar Balaam pro *amore terrestrium commodorum, veritatem quam ipsi norunt impugnant*, ait Beda et Œcum. *Gnostici*, inquit, *lucri cupiditate omnia agunt.*

Secundo, quia pro Spiritu sancto quem jactant, spiritu erroris et patre mendacii, puta diabolo, agitantur. Ita Didymus.

Tertio, quia hæresiarchæ crebro sunt magi, vel familiarem habent dæmonem, uti habuit Balaam.

Quarto, sicut Balaam voluit maledicere populo Dei et Synagogæ, sed Deus ejus maledictionem vertit in benedictionem ; ita hæretici sunt maledicentissimi, et conviciis ac probris continuo non tantum Orthodoxos, sed et se invicem impetunt et proscindunt. Sed Deus hæc eorum probra in ipsorum ignominiam, et Ecclesiæ gloriam convertit, ostendendo toti mundo eorum impatientiam, maledicentiam, calumnias.

Quinto, Balaam impium dedit consilium Balac regi, ut scilicet puellas speciosas submitteret in castra Hebræorum, quæ eos ad libidinem, indeque ad idololatriam pellicerent, ut sic desererent eos Deo, à Balac vinci et occidi possent, ut patet Num. 31. 15. ibique docet Theodor. quæst. 45. et Joseph. 4. Ant. 6. Ita hæretici impia dant consilia, suadentque religiosis et Clericis apostasiam ; violationem votorum, perfidiam, hæresim : laicis rebellionem, libidinem, gulam, omnemque carnis licentiam. Ita Didymus. Imo Christus ad Angelum, id est Episcopum Pergami, Apocal. 2. v. 19. *Habeo*, ait, *adversus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui dicebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere et fornicari : ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum*, de quo ibidem plura. Unde Philast. l. de Hæres. Balaamitas recenset inter hæreticos ; hæresis enim eorum erat, licere fornicari, et vesci idolothytis. Quocirca Balaam appositum ad rem, opus et facinus suum sortitus est nomen : *Balaam* enim hebr. idem est quod lingens vel vorans populos, aut absorbens populum. Balaam enim invitans Hebræos per puellas ad esum idolothytorum, voluit eo absorbere et perdere.

Denique sicut Balaam in bello Madianitico ab Hebræis gladio cæsus est, ita hæretici gladiis principum perimuntur, quia impii sunt in Deum, et quia rempubl. turbant, concitando rebelliones, seditiones et schismata, uti Balaam per mulieres voluit evertere castra Hebræorum. Nihil enim animos viriles et militares ita effeminat ac libido. Quocirca veteres Gentiles feminas, licet uxores, castris arcebant, teste Tertulliano, libr. de Castitate c. 12. Unde *castra* dicta sunt *quasi casta, quod in iis castraretur libido*, ait Isidor. lib. 9. Etymol. cap. 3. Hanc causam affert Tacitus lib. 3. Histor. *Inesse scilicet mulierum comitatui quæ pacem luxu, bellum formidine morentur.* Et Valerius Maxim. lib. 2. cap. 7. *Exhausta*, ait, *erubescenda sentina scortorum è castris Scipionis, Romanus exercitus, qui paulo ante metu mortis turpi se fœderis macula asperserat, erecta virtute acrem illam et animosam Numantiam incendiis exustam solo æquavit.* Vide Lipsium l. 5. de Militia Rom. Dialog. 18. ubi narrat Germanos olim mulieres, in castris deprehensas, naso truncasse et expulisse.

ET IN CONTRADICTIONE (græce τῃ αντιλογια, id est, *contradictione*) CORE PERIERUNT,] quia hæretici licet nondum extarent tempore Core, tamen in eo et cum eo perierunt, typice et figurate : perditio enim Core, qua ipse vivus absorptus est à terra, descenditque in infernum, typus erat et figura, quod simili modo perderentur hæretici ejus asseclæ, ac descenderent in tartara. Unde de Antichristo ejusque pseudopropheta dicitur Apocal. 19. 20. *Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.* Simili phrasi ait Apostolus fideles baptizatos esse in Mose et mari, et eamdem escam cum eo manducasse, typice scilicet, et figurate, quia nimirum transitus Mosis per mare Rubrum erat typus baptismi, et manna ejus typus erat nostræ Eucharistiæ, 1. Corinth. 10. 2. Et Rom. 6. v. 3. ait nos consepultos cum Christo per baptismum in mortem, quia scilicet baptismus typus est sepulturæ et mortis Christi eumque repræsentat ; unde explicans subdit : *Ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.*

Secundo, et planius, *in contradictione*, id est,

instar contradictionis. q. d. *Instar* seditiosi Core, qui in sua contradictione et seditione periit, perierunt et pereunt hæretici. Sic sæpe Hebr. ב id est, *in* sumitur pro כ id est *sicut*, instar. Ita Vatabl.

Tertio, *perierunt* mystice quia suas suorumque quos seducunt animas, per hæresin perdunt et occidunt, ac reas gehennæ efficiunt.

Porro, recte S. Judas comparat hæreticos cum Core. Primo, quia sicut Core superbiens rebellavit Mosi, prætexens calvas et futiles causas : unde et *Core* Heb. significat calvum; sic ipsi rebellant Pontifici et Ecclesiæ.

Secundo, sicut Core ambivit sacerdotium, sic illi ambiunt Episcopatus et opima beneficia.

Tertio, sicut Core fecit schisma, sic et ipsi.

Quarto, Core leviter correptus à Mose arroganter respondit, et monentem sprevit; ita et ipsi obstrepunt monitionibus Pastorum et Episcoporum.

Quinto, sicut Core vivus ad inferna descendit, sic et ipse. Ita Beda, Œcum. et alii; vide dicta Numer. 16.

Denique S. Judas hæreticos comparat cum Core et Cain, quia in spiritu prævidebat fore hæreticos Caianos, qui utrumque defenderent et colerent. Audi S. August. hæresi 18. *Caiani*, inquit, *propterea sic appellati, quoniam Cain honorant, dicentes eum fortissimæ esse virtutis; simul et Judam traditorem divinum aliquid putant esse, et scelus ejus beneficium deputant; asserentes eum præscisse quantum generi esset humano Christi passio profutura, et occidendum propterea Judæis tradidisse, illos etiam qui schisma facientes in primo populo Dei, terra dehiscente perierunt, Core, Dathan, et Abiron. Sodomitas colere perhibentur. Blasphemant legem, et Deum legis auctorem carnisque resurrectionem negant.*

Moral. nota hic quàm severe puniat Deus murmur et rebellionem in Superiores, Deique ministros : ob eam enim Core, Dathan et Abiron vivi absorpti sunt à terra et gehenna; et, ut ait S. Ambros. l. 3. epist. 25. ad Eccles. Vercellen. *Immugiens terra in medio plebis scinditur, aperitur in profundum sinus, abripiuntur noxii, et ita ab omnibus mundi hujus ablegantur elementis, ut nec aerem haustu, nec cœlum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulcro.* Sic Maria, soror Mosis, contra Mosem murmurans percussa est lepra, Numer. 12. Sic magi Pharaonis Mosi resistentes ulceribus puniti sunt. Exodi 9. v. 9. Sic Absalon persequens Davidem regem, ex arbore pendulus inter cœlum et terram, quasi alterutrum tangere indignus, tribus lanceis confossus est, 2. Reg. 18. 14. Sic Paulus Elymam sibi resistentem cæcitate mulctavit, Actorum 13. 11.

Symbolice Cain, Balaam et Core repræsentant triplicem concupiscentiam, à qua omne malum, scilicet Cain avarus concupiscentiam oculorum, Balaam gulosus et luxuriosus concupiscentiam carnis, Core ambitiosus superbiam vitæ : de quibus S. Joannes epist. 1. c. 2. v. 16. *Omne*, ait, *quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.*

Cain ergo repræsentat avaros, Balaam gulosos et luxuriosos, Core superbos. Hisce tribus S. Judas, væ, id est, æternam maledictionem et gehennam intentat, æque ac Amos c. 6. 1. *Væ*, inquit, *qui opulenti* (ecce avari) *estis in Sion*, etc. *ingredientes pompatice* (ecce superbi) *domum Israel*, etc.; *qui separati estis in diem malum, qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris; qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti; qui canitis ad vocem psalterii, bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti* (ecce gulosi et luxuriosi), *et nihil patiebantur super contritione Joseph!*

12. HI SUNT IN EPULIS SUIS MACULÆ.] Græce ἐν ταῖς ἀγάπαις, id est, *in charitatibus, in dilectionibus vestris maculati*, uti legit S. August. de Fide et oper. c. 25. hoc est in conviviis. Primitus enim Christiani in symbolum charitatis post Eucharistiam celebrabant convivia communia, tam pauperibus quam divitibus, sed frugalia, et pia, ideoque ea vocabant Agapes, id est charitates; uti ostendi 1. Corinth. 11. v. 20. Sic Gentiles sua habebant convivia, quæ vocabant φιλίνια et φίλετικα, quasi amoris et amicitiæ symbola. Jam sensus est quem dat Syrus : *Isti sunt qui in deliciis suis commaculant*, tum corpus crapula, tum mentem ebrietate, gula, libidine; tum convivas prava doctrina et hæresi, æque ac detractione, maledicentia, atque impudicis verbis et aspectibus; habent enim *oculos plenos adulterii et incessabilis delicti*, ut ait S. Petrus epist 2. c. 2. 14. Vide ibi dicta. Arabicus vertit, *isti sunt provocantes super vos reatus*, quia scilicet vos hæresi, gula et libidine commaculant, ideoque iræ et vindictæ divinæ reos et obnoxios faciunt. In hisce ergo verum est illud Tertull. de Jejun. contra Psychicos c. 17. *Apud te Agape in cacabis fervet, fides in culinis calet, spes in ferculis jacet. Sed major his est agape, quia per hanc adolescentes tui cum sororibus dormiunt : appendices scilicet gulæ lascivia atque luxuria sunt.* Gnostici enim saturi uxores suas aliis concedendo, dicebant : *Surge, et fac agapen cum fratre*, ait Epiph. hær. 26. Minus recte Cajet. Ita dispungit, trajicit et exponit: Hi convivantes in dilectionibus vestris, id est, in beneficiis à vobis susceptis, convivia agitantes sunt maculæ, quia maculati alios suis vitiis commaculant.

Pro *maculæ* græce est σπιλάδες, quod Hesychius in Lexico, Plin. l. 3. in Proœmio Œcum. et alii vertunt *scopuli*, sive *confragosa in mari saxa*, ad quæ allisæ naves dissiliunt et vectores mergunt. Similes scopuli sunt hæretici et impii convivæ, qui alios secum epulantes in perniciem et ruinam trahunt. Aptius tamen Noster vertit *maculæ*; hæ enim epulis congruunt magis quam saxa, illasque significat Græcum σπιλοι, apud S. Petrum epist. 2. cap. 2. v. 13. itaque hic pariter vertunt Tigurinus Clarius, Erasmus, Arias et Pagninus.

Eleganter Thomas Anglicus : Dicuntur, ait, *maculæ*, quoad impudicitiam; *convivantes*, quoad crapulam, *sine timore*, quoad ineptam lætitiam, *pascentes semetipsos* non pauperes, quoad mensam.

CONVIVANTES SINE TIMORE,] quia sine Dei hominumque reverentia, intrepide et impudenter se carne infarciunt et vino ingurgitant, gestibus lasciviunt, ac verbis virus pectoris sui evomunt; quare gurgites sunt, helluones, nati veneri et ventri. Notat Dionysius accumbentem mensæ præ cæteris opus habere timore Dei, eumque in se excitare debere, eo quod in mensa multæ gulæ, detractionum, superbiæ, impudi-

citiæ, etc. fingerantur occasiones, quæ sine timore Dei superari nequeunt. Quare S. Ambros. Chrysostomus, Augustinus aliique Sancti convivia, licet invitati, adire noluerunt, domi vero suæ convivium et convivas sacra lectione condiebant. Qui ergo convivia adeunt, timore Dei se præmuniant, cogitentque illud Sapientis Prov. 23. 1. *Quando sederis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam; et statue cultrum in gutture tuo, si tamen habes in potestate animam tuam, ne desideres de cibis ejus, in quo est panis mendacii.* Vide S. Chrysost. homil. 32. in Matth. Clem. Alexand. 2. Pædag. cap. 1. et 2. S. Paulinum epist. 31. S. Ambros. apud S. August. 6. Confess. cap. 2. S. Hieronym. epist. 22. S. Gregor. lib. 1. epist. 71. qui omnes egregie docent qualia et quam sobria debeant esse Christianorum convivia.

Unum Tertullian. præterire nequeo, qui totum Christiani convivii ritum ita describit : *Cœna nostra de nomine rationem suî ostendit; vocatur enim agape, id quod dilectio penes Græcos est. Quantiscumque sumptibus constet lucrum est, pietatis nomine facere sumptum; si quidem inopes quoque refrigerio isto juvamus. Nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit : non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur; editur quantum esurientes capiunt; bibitur quantum pudicis est utile; ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse, ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire; æque oratio convivium dirimit.* Et paulo post : *Convivium etiam solemne majores instituerunt, idque Charistia appellaverunt, cui præter cognatos et affines nemo interponebatur; ut si qua inter necessarios querela esset orta, apud sacramensæ, et inter hilaritatem animorum fautoribus concordiæ adhibitis tolleretur.*

Porro, τὸ *sine timore* nonnulli referunt ad id quod sequitur, *semetipsos pascentes.* Verum Romana aptius referunt ad το *convivantes*, quod præcessit ; sed eodem res redit. Pro *convivantes* græce est συνευωχουμενοι, quod aliqui ad libidinem et turpem concubitum referunt, uti dixi 2. Petri 2. v. 13. Unde Arabicus vertit : *Qui currunt per dolum et impudicitiam in desideriis suis.*

Semetipsos pascentes,] q. d. Pastoris est pascere oves, non seipsos. At hi pseudopastores pascunt se, non oves, imo oves deglubunt, ut lis, eorumque bonis se pascant. Boni Pastoris est pascere etiam corporaliter pauperes. At hi Eleemosynas quas à fidelibus corrogant pro pauperibus sibi arrogant. Alludit ad Ezech. 34. 2. Vide ibi dicta.

Secundo, OEcumen. Græcum ποιμαινοντες, id est *pascentes*, exponit regentes : olim enim reges vocabantur et erant Pastores populorum. Unde Agamemnon ab Homero vocatur ποιμην λαων. Qua enim diligentia, cura et humanitate Pastor pascit regitque oves, eadem Rex pascere et regere debet populum. Unde Arabicus vertit, *gubernant seipsos sine virtute*, Pagninus et Vatablus, *suopte ductu arbitrioque viventes* ; alii, *semetipsos creant Pastores et Episcopos*, non vocati à Deo, nec electi ab Ecclesia.

Nubes.] Ita vocat hæreticos ob tumorem et fastum, quod instar nubium se extollant, suamque doctrinam è nubibus, et cœlo venire jactitent. Hinc ex adverso de Apostolis ait Isaias c. 60. 8. *Qui sunt isti qui ut nubes volant?*

Nubes sine aqua,] puta nubes steriles, infecundæ, quæ videntur aquam ad hominum refrigerium et terræ fecunditatem promittere, sed eam non præstant. Ita Gnostici nomen inane scientiæ et doctrinæ præferebant, sed eam non præstabant, ait Didymus, juxta illud Prov. 23. 14. *Nubes et ventus, et pluviæ non sequentes, vir gloriosus et promissa non complens.* Hujus loco S. Petrus epist. 1. c. 2. 17. eos vocat fontes sine aqua, et nebulas turbinibus exagitatas. Tropol. nubes sine aqua sunt concionatores pomposi et verbosi, qui aures scalpunt, sed cor non feriunt.

Secundo, OEcum. Sicut nubes, inquit, sine aqua agitata ventis, ea loca quibus incumbit non refrigerat aqua, sed caligine obducit et offuscat; ita hæretici animas salutari sermone non irrigant, recreant et fecundant, sed detestabilibus documentis obtenebrant.

Tertio, Beda : Sicut nubes steriles, ait, à ventis circumferuntur, ita hæretici ventis, id est, flatibus et suggestionibus dæmonum in diversos vitiorum raptantur errores. Rursum sicut nubes à vento instar fumi dispellitur et evanescit, ita et hæretici suo vanitatis spiritu dissipantur et evanescunt. Ita S. Athanasius de Juliano Apostata jam regnante et in fideles grassari incipiente : *Secedamus*, ait, *paululum, ô amici; est enim nubecula quæ cito præterit et evanescit*, teste Socrate lib. 2. c. 12. Verus fuit vates ; sequenti enim anno occisus fuit Julianus. Vere Job c. 7. v. 9. *Sicut*, ait, *consumitur nubes et pertransit, sic qui descenderit ad inferos, non ascendet.* Alludit ad Simonem Magum, qui instar nubis vento agitatæ volavit per aerem raptatus à dæmone, sed precibus sancti Petri prostratus crura confregit.

Nota τὸ *circumferuntur ;* hæretici enim ab una hæresi in aliam et aliam dilabuntur, atque in dies nova cudunt dogmata, juxta illud : *Impii ambulant in circuitu* dogmatum et errorum. Unde S. Hilar. ad Constant. Imper. ait Arrianos plurimas habere fides, ne ulla esset, imo annuas et menstruas adeoque tot habere fides, quot voluntates. Vere noster Frusius :

Cur nunc tot fidibus luditur una fides ?

Protei ergo et chamæleontes sunt hæretici, qui instar Euripi fluctuant semper, et nusquam stabiles consistunt. Vide Iren. lib. 1. c. 5. Tertull. l. de Præscript. c. 42. et Vincentium Lirin. contra profanas hæresum novitates.

Arbores autumnales,] δενδρα φθινοπωρινα, quod primo verti potest, *arbores autumno marcescentes*, scilicet perdentes fructus, seque in radicem et terram contrahentes. Simili enim modo hæretici sunt homines marcidi, nullum doctrinæ veræ, operumque bonorum fructum ferentes ; sed terrenis affixi cœlestia non capiunt, nec cupiunt, imo desperant. Ita Adamus, Vatablus et alii. Porro Columella l. 3. c. 10. ostendit analogice recte hominem comparari arbori et plantæ, ac utriusque partes et membra inter se confert. Est enim homo quasi arbor inversa, habens radicem, puta caput, sursum ; ramos, puta pedes, deorsum, cujus contrarium facit arbor.

Secundo, δενδρα φθινοπωρινα verti potest. *arbores finientis ultimique autumni*, ac hiemali squalori proximæ; ita dictæ παρα το φθινεσθαι την οπωραν, id est, à finiente autumno. Tunc enim arbores comam suam, puta omnia folia, deperdunt,

arescunt et canescunt. Ita hæretici nulla veræ sapientiæ vel eloquentiæ folia et speciem præferunt, sed uti fructu steriles; sic foliis et specie sunt aridi et squalidi. Ita Salmeron et Gagneius.

Tertio, φθινοπωρινα vocantur arbores frugiperdæ, παρα τὸ φθινεῖσθαι τας αυτων οπωρας, id est, eo quod suos fructus corrumpant et nil nisi corruptum et marcidum producant. Unde Arabicus vertit: *Arbores corruptorum fructuum.* Nonnullæ enim arbores præsertim novellæ recensque plantatæ, solent extremo autumno præter temporis rationem florere, idque agricolis indicat eas quasi egesto omni humore et vigore, mox per hiemem emorituras. Aliæ poma in autumno proferre incipiunt; verum ob supervenientem hiemem ea ad maturitatem non perducunt, sed acerba relinquunt. Tales sunt hæretici, qui non tantum sunt mortui, sed et mortiferi; quia non tantum sua, sed et aliorum bona opera et pietatis fructus extirpant, imo pestifero hæresis veneno inficiunt et intoxicant. Ita Beda, Salmeron, Catharinus et alii.

Tropol. Hugo: Arbores autumnales, ait, sunt acedi et pigri; qui sero, tarde et pigre Deo servire incipiunt, ideoque nil ad maturitatem perducunt, sed superveniente hieme, id est tentatione et adversitate, eorum studium et opus emoritur. Ex adverso justus fervens et strenuus est *tanquam lignum plantatum secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, et folium ejus non defluet, et omnia quæcumque faciet prosperabuntur*, Psal. 1. 3. Rursum: *Justus sicut palma florebit, et sicut cedrus Libani multiplicabitur*, Psal. 91. v. 13. et: *Ego sicut oliva fructifera in domo Dei*, Psal. 51. 10. Vide Eccl. c. 24. 17. et seq. ubi sapientia Dei et Sanctorum, practica scilicet, comparat se semper virenti cupresso, palmæ, olivæ, cinnamomo, balsamo, myrrhæ ac denique v. 23. *Ego*, ait, *quasi vitis fructificavi suavitatem odoris; et flores mei fructus honoris et honestatis.* Sic Joseph vocatur filius accrescens et frugifer, Gen. 49. 22.

Infructuosæ,] quia fructum vel perdiderunt vel perdunt, uti jam dixi. Apte S. Epiphanius hæresi 31. et Irenæus lib. 1. c. 33. Gnosticos et hæreticos comparant fungis, qui ex arboribus prodeunt, quasi eorum excrementa, unaque nocte oriuntur, et mox emoriuntur. Sic enim hæretici ex nobis prodierunt, repente oriuntur, occiduntque citissime, ait S. August. in Psalm. 57.

Bis mortuæ.] Primo, quia non tantum fructus, sed et folia amiserunt, uti jam dixi. Simili enim modo hæretici non tantum fructu et sapore, sed et specie ac decore pietatis et bonorum operum destituuntur. Ita Œcum.

Secundo, *bis*, id est, omnino et penitus, *mortuæ*. Sic dicimus *bis terque*, id est omnino, *beati.*

Sic Apostolus ait Presbyteros qui bene præsunt duplici, id est multiplici, honore esse dignos, 1. Timoth. 5. v. 17. ubi plura hujus phrasis exempla citavi.

Tertio, nonnulli per *bis mortuas* accipiunt bis plantatas, et bis eradicatas, per easque significari relapsos in hæresim. Alii aiunt primo mortuos fuisse, cum ante baptismum in gentilismo viverent, secundo vero mortuos, cum post baptismum in hæresin lapsi sunt. Alii bis mortuos censent, quia tam corpore, quod omni libidine contaminant, quam animo mortui sunt. Ita Œcumen.

Anagog. Primo moritur anima per peccatum, quo gratia quæ est vita animæ deperit; secundo moritur cum truditur in gehennam: hæc enim est mors secunda, Apocal. 20. 14.

Quarto, et genuine, arbores *bis mortuæ*, id est, eradicatæ, uti explicando subdit S. Judas, sicut paulo ante autumnales explicuit per infructuosas. Arbor enim primo in se moritur, dum arescit, sed vivit adhuc in radice, ex qua in vere rursum pullulat et reviviscit; secundo vero moritur in radice, dum illa eradicatur, et tunc plene planeque moritur, ut nulla ei vitæ spes supersit. Ita Arias. Simili modo moritur anima hæretici, primo per peccatum mortale: per hoc enim amittit charitatem et gratiam, quæ est vita animæ. Deinde secundo moritur per hæresin; per hanc enim amittit fidem quasi radicem, quæ est initium vitæ spiritalis: hæresis enim nunquam est primum hominis peccatum, sed ad eam præviis aliis peccatis quasi gradibus sensim descenditur.

Eradicatæ.] Œcumen. et alii jam dicti censent plus hoc esse quam τὸ *bis mortuæ;* mortuæ enim reviviscere et repullulare possunt, si radix in terra sana consistat; at eradicatæ nullam vitæ spem habent, sed verius est τὸ *eradicatæ*, explicare τὸ *bis mortuæ*, uti jam dixi. Porro hæretici per schisma et hæresin eradicati sunt à Fide, Ecclesia, Deo et Christo, quasi excommunicati. Τὸ ergo *eradicatæ*, Gnosticorum desperatam salutem significat. Nam, ut ait Œcumen. *à Paradiso, id est Domini Ecclesia, eradicantur, et foras projecti ad ignem æternum colliguntur. Qualem enim statum habere aut radicem potest, qui ob voluptatis colluviem ab omnibus projicitur?*

13. Fluctus feri maris.] *Feri*, id est *feroces*, ut legit S. Martinus Papa I. epist. 1. Syrus, *fluctus vehementes maris;* Arabicus, *fluctus maris commoti.* Sic Ovidius vocat *truces fluctus;* et Virg. 7. Æneid. vocat *latrantes undas.* Quia sonant et fremunt instar canum latrantium; unde et pars maris Zelandici à tali latratu vocatur, Denhout id est *canis.* Physice notat S. Chrysost. in Matthæo, 14. Deum creasse mare, non tranquillum, sed fluctuans et æstuans, ut in eo compescendo et moderando suam potentiam et providentiam ostenderet. Talis est et vita nostra, quam tentationibus et tribulationibus ita liberat Deus, ut nec nimiis obruamur, nec iis omnino carentes torpescamus. Comparavit S. Judas Gnosticos. Primo, nubibus sine aqua; secundo, arboribus autumnalibus; tertio, hic fluctibus marinis feris et sævis. Idque primo, quia instar fluctuum inquieti, tenebrosi, amari et tumidi sunt ac per superbiam attolluntur, ut cœlum sua maledicentia et blasphemia attingant. Ita Beda, juxta illud Isaiæ 57. vers. 20. *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.*

Secundo, quia, uti fluctus feri navim, ita ipsi turbulenti, seditiosi et tumultuosi Ecclesiam concutiunt et exagitant.

Tertio, quia sicut fluctus, licet tumentes et altissimi, littus et saxa verberantes, ab iis repulsi dissiliunt, abeuntque in spumas et evanescunt, sic et impetus, fastus ac furores hæreticorum verberantes Ecclesiam, in seipsos dissiliunt et evanescunt. Ita Beda, juxta illud:

Homo bulla, quæ non est aliud quam spuma inflata.

Quarto, sicut fluctus in fluctum, ita hæresis una in aliam arietat, itaque sese invicem conficiunt et jugulant.

DESPUMANTES.] Alii legunt *dispumantes;* proprie enim despumare est spumam auferre; dispumare vero est spumam quasi fæcem ejicere et exspumare; sed sæpe despumantes sumitur pro dispumantes, uti apud Persium satyra 3.

> Stertimus indomitum quod despumare falernum
> Sufficiat, quinta dum linea tangitur hora.

Unde Martinus Papa I. legit *spumantes proprias confusiones;* Syrus: *qui in manu spumationis suæ indicant ignominiam suam;* Arabicus: *sicut fluctus feri maris commoti ebulliunt in confusionibus,* vel *delictis suis.* Jam per *confusiones*, sive, ut Vatabl. *dedecora*, intellige, primo, verba pudenda, hæretica, blasphema, superba, contumeliosa, impudica. Secundo, pudenda opera, puta sacrilegia, expilationes templorum, seditiones, bella, cædes, rapinas. Tertio, et aptissime, το *confusiones* notat pudendas Gnosticorum crapulas et libidines portentosas, adeo ut et suum semen Deo offerrent, et Eucharistiæ miscerent ac comederent, uti ait Epiphan. hæres. 26. hæ enim sunt effectus et pœnæ superbiæ, Roman. 1. 24. q. d. Superbiunt et attolluntur instar fluctuum; sed hæc superbia detumescit, abitque in spumam pudendæ libidinis. Ita Didymus et Thomas Anglicus. Venus enim à Græcis vocatur Αφροδιτης, à spuma, quod è maris spuma orta credatur, ait Plato in Cratylo; vel, ut Aristot. 2. de Gener. anim. cap. 2. quod seminis natura sit αφρωδης, id est *spumosa;* vel, ut Euripides in Hecuba, quod sit αφροσυνης θεα, id est *stultitiæ dea.* Sic S. Hieronym. ad Oceanum: *Venter*, ait, *mero æstuans cito despumat in libidines.*

SIDERA ERRANTIA,] puta planetæ; sic enim habent Græca, αστερες πλανηται, id est, *stellæ erraticæ.* Planetæ enim, ut Mars, Venus, Luna, Mercurius in cœlo cursu vario vagoque oberrant. Sic et hæretici à vera fide in errores alios et alios aberrant, aliosque in errorem ducunt. Το ergo *errantia*, notat eorum non tantum errores, sed et errorum inconstantiam et mutabilitatem. Ita Œcum. Beda et alii. Oberrant ergo sicut planetæ, qui semper tramitem mutant, ut nunquam eodem loco oriantur et occidant, sed alio semper et alio, atque nunc tardius, nunc celerius rotentur; modo enim ad infima zonæ brumalis descendunt, modo ad alta zonæ solstitialis ascendunt, modo mediam zonæ æquinoctialis lineam repetunt, ait Beda. Sed hoc discrimine, quod planetæ in errore motuque suo sint regulares et constantes. Unde Plin. lib. 2. c. 6. *Septem sidera*, ait, *ab incessu vocamus errantia, cum errent nulla minus illis.* At hæretici in errando sunt irregulares prorsus et vagi, novos enim quotannis errores confingunt; quare innovandi constantia sunt inconstantissimi.

Secundo, *sidera errantia* Cajetanus non male interpretatur, non planetas cœlestes (hi enim constantes habent motus), sed meteora et exhalationes igneas, quas Aristotel. 1. Meteorol. vocat stellas discurrentes *in aere.* Græcum enim πλανητης idem est quod πλανης, id est, *vagus*, error, stella erratica sive in cœlo, sive in aere. Unde Plato lib. 2. de Republ. mercatores vocat πλανητας ητι τας πολεις, id est *planetas urbium*, quia urbes mercium causa pervagantur et oberrant. Et in militia hac illas temere abeuntes milites, πλανηται vocantur, quos Heraclius Imper. mulctabat pœna λειποταξιου, quia scilicet puniebantur ii qui locum in acie deservissent. Denique hospites, quia multas regiones pererrant, vocantur πλανηται. Tales prorsus sunt hæretici. Vide Bellarm. in orat. tomo ultimo præfixa, ubi apposite Lutherum comparat stellæ cadenti è cœlo in terram, imo in tartara. Apoc. 8. v. 10. Lapsus est enim è statu Religioso, qui est imitatio et inchoatio vitæ cœlestis, in terrestres cupiditates et sordes, ac infernales errores et blasphemias. Quocirca Syrus vertit, *stellæ seductrices;* Arabicus, *stellæ caliginosæ*, vel maleficæ, quales sunt exhalationes, quæ accensæ instar stellarum è cœlo cadere videntur. Item ignes fatui vel errantes, qui viatores in avia flumina vel præcipitia deducunt. Simillimi sunt hæretici. Longam de his errantibus stellis disputationem habet Isidorus Pelusiota l. 4. epist. 58. Perstringit rursum S. Judas Simonem Magum, qui volando per aera quasi sidus errans in cœlo oberravit.

Videtur quoque prævidisse pseudoprophetam, qui paulo post sub Adriano Imper. Judæos seduxit, et ad rebellandum Romanis concitavit, ideoque se *Barchochebas*, id est filium stellæ (כוכב *cocab* enim Hebr. est *stella*) nuncupavit, de quo Euseb. lib. 4. hist. c. 6. *Erat*, ait, *tunc temporis Judæorum dux Barchochebas nomine, quod stellam significat, vir alias ad cædes et latrocinia paratus. Propter nominis autem significationem portentose mentiebatur, quod Judæis tanquam servitute pressis velut è cœlo lux quædam descendisset, et afflictis illuxisset.* Et cap. 7. ait Basilidem hæresiarcham Prophetas sibi finxisse Barcabum et Barcoph, ad stupefaciendum auditores. Rursum perstringit triginta Æones, quos Valentinus confinxit, quasi triginta sidera in cœlo oberrantia; unde eosdem per ternos cœlos instar siderum distribuebat, uti videre est in eorum schemate, quod exhibet Pamelius in Tertullian. initio libri contra Valentin.

QUIBUS PROCELLA TENEBRARUM SERVATA EST IN ÆTERNUM.] Pro *procella* græce est ζοφος, quod Interpres 2. Petri 2. 17. vertit *caligo*, et ita legit Martinus Papa I. epist. 1. et Arabicus vertit, *perfectio tenebrarum;* caligo enim apposite quasi pœna adaptatur stellis errantibus: recte tamen quoque iis adaptatur procella; nubes enim quæ quasi caligo velant stellas, sunt procellosæ. Jam in inferno proprie est caligo et procella tenebrarum. Significat ergo S. Judas utramque paratam esse hæreticis, idque congrue, ut per quæ peccaverunt, per ea puniantur, Sapient. 11. 17. scilicet per tenebras, quia tenebras errorum in Ecclesia induxerunt: per procellam, quia Ecclesiam schismate et seditione exagitarunt. *Recte*, ait Beda, *in tenebras tormentorum mittentur æternas, qui in Ecclesia Dei sub nomine lucis tenebras inducebant errorum. Merito procella percellentur suppliciorum, qui in similitudinem tempestatum marinarum pacem Ecclesiæ turbabant. Tenebræ* repræsentant pœnam damni, puta carentiam visionis Dei, *procella* pœnam sensus, το *in æternum* pœnæ utriusque æternitatem.

Tropol. hæc omnia quæ S. Judas intorquet in hæreticos, intorqueas in quoslibet seditiosos, superbos, avaros, gulosos, luxuriosos, etc. tum

quia tales revera erant; et etiamnum sunt hæretici, tum quia superbus, avarus, luxuriosus, etc. suam habet hæresim, id est, pravam electionem Deo repugnantem, ac practice est hæreticus. Nam v. g. luxuriosus practice dicit : Bonum est mihi fornicari : mihi est fornicandum. Quod si idipsum speculative diceret, revera proprie haberet errorem in fide, esset que proprie hæreticus : hæreticus enim est, qui dicit fornicationem esse licitam, esse bonam et amplectendam. Superbus ergo, avarus, luxuriosus et quilibet peccator, primo est quasi nubes sine aqua, quia externam habet sapientiæ et honestatis speciem, quasi nubem, sed interius virtute vacuam, inanem et sterilem.

Secundo, idem est arbor autumnalis, id est, infrugifera, mortua et mox eradicanda ac mittenda in gehennam, juxta illud Christi : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur,* Matth. 7. v. 19.

Tertio, idem similis est fluctui maris, quia mille cupiditatum æstibus agitatur, quibus in suas confusiones et pudenda verba et scelera despumat; juxta illud Isaiæ 57. 20. *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus ejus in conculcationem et lutum.*

Quarto, idem est stella errans, quia à cœlo, Deo, recto, virtute, felicitate aberrat, tenditque in tartara. Ex adverso de justo ait sapiens Eccles. 27. 12. *Sanctus in sapientia sua manet sicut sol, nam stultus sicut luna mutatur.* Quocirca eidem procella tenebrarum servata est in æternum.

14. Prophetavit autem et de his septimus ab Adam Henoch.] Probat quod impiis hæreticis procella tenebrarum servata sit in æternum, ex testimonio Henoch, qui septimus fuit ab Adam. Adam enim genuit Seth, hic Enos, hic Cainam, hic Malaleel, hic Zared, hic Henoch. Prophetia hæc antiquissima est, utpote edita ante diluvium : Henoch enim fuit abavus Noe : genuit enim Mathusalem, hic Lamech, hic Noe, Gen. 5. Vide ibi dicta.

Porro Henoch fuit Propheta, et ea quæ citat hic Judas prophetavit viva voce, quæ vel traditione majorum accepit Judas, vel ex libro sive ab Henoch, sive à Noe, sive à quo alio qui prophetias Henoch collegit, conscripto. Unde Tertull. de habitu mulier. c. 3. censet librum hunc à diluvio servatum in arca, aut Noe afflatu Spiritus sancti memoriter redintegratum. Consentiunt S. Hieron. lib. de Script. Eccles. in Henoch, Didymus et Beda hic, S. Athanasius in Synopsi, et Clemens lib. 6. Stromat. Quare verisimile est librum hunc olim extitisse purum et sincerum, sed postea vel deperiisse, uti periit liber Addo Videntis, multique alii qui citantur in libris Regum; vel ab hæreticis esse corruptum et depravatum, uti et passim aliæ veterum prophetiæ. Nam liber Henoch qui citatur à Tertulliano, Irenæo et aliis jam citatis, scatet erroribus, ut quod asserit filios Dei Genes. 6. fuisse angelos, qui ex filiabus hominum per calidas lacrymas ex oculis angelorum profluentes, gigantes genuerint, quam S. August. 18. Civit. 38. merito fabulam appellat. Tale est et quod ex libro Henoch citat Tertullian. lib. de Cultu feminar. c. 10. scilicet damnatos esse angelos, qui docuerunt feminas se ornare et fucare, aureas et argenteas vestes texere, vellera tingere, etc. Idem c. 4. de Idololatria, ait Henoch prædixisse quod dæmones omnia elementa, et cuncta quæ in terra marique sunt, in idololatriam converterent. Liber Henoch citatur crebro in testamento duodecim Patriarcharum, quod citant et laudant Origen. et Procopius : citatur, inquam, in testamento Simeon, Levi, Issachar et Dan, ubi recensentur oracula Henoch, de his quæ eventura erant filiis et nepotibus duodecim Patriarcharum, de Hebræorum flagitiis et suppliciis, de mundi redemptore à Judæis occidendo, de Hebræorum clade, servitute et reprobatione perenni. Irenæus l. 4. c. 30. ait Henoch legatione Dei functum ad angelos, intellige ad filios Dei, quorum libidinem cum filiabus Cain castigavit, Gen. 6. uti recte interpretatur Irenæum Fevardentius. Porro S. Hieron. de Script. Eccles. in Juda, et S. August. loco jam citato, et lib. 15. Civit. 23. aiunt non habere certam fidem quæ in libro Henoch scribuntur, eo quod nimia antiquitas illa suspecta fecerit, ne supposititia vel depravata sint.

Ut ut est, certum est ea quæ citat Judas ab Henoch esse prædicta. Perperam ergo Cajetanus et alii suspectam habent hanc Epistolam, eo quod citet librum apocryphum Henoch : non enim citat librum, sed prophetiam Henoch, quæ potuit esse vocalis et verbalis, ac si eadem scripta olim fuerit ab Henoch, vel Noe, authentice scripta fuit, esto posterioribus sæculis additis fabulis fuerit vitiata; Judas ergo si librum Henoch citat jam vitiatum, ideoque apocryphum, non idcirco omnia quæ eo continentur probat, sed tantum illum citat probatque ea parte, qua is authenticus et germanus erat Henoch vel Noe, puta prophetiam Henoch de ultimo judicio. Vide dicta in simili v. 9. Jam vero S. Judas citat ejus prophetiam qua parte agit et intentat impiis Dei judicium, quia illud negabant Gnostici impuri et impii. Illud enim maximum est frænum ad cohibendos homines à peccatis et libidinibus, quæ tempore Henoch abundabant. Unde mox propterea Deus orbi generale induxit diluvium. *Quis enim peccare poterit, si semper ante oculos suos Dei judicium ponat?* ait S. Petrus apud S. Clem. epist. 1. Hinc judicium Dei jugiter sibi aliisque ob oculos posuere Sancti, ut S. Hier. S. Ephrem, S. Basilius, S. Augustinus, S. Chrysost., S. Gregorius uterque, et alii. Vide exempla et gnomas quas recitavi Deuter. 32. vers. 29. Hinc et ipse Henoch cum Elia venturus est quasi præcursor judicis Christi, tum ut resistat Antichristo, tum ut instans judicium prædicet, adigatque homines ad pœnitentiam, ut ad illud se comparent; de quo plura Apocal. 11. v. 3. Simili modo sanctus Athanas. lib. de Incarnatione Verbi : *Nolim*, ait, *te latere alterum ejus adventum illustrem et divinum, non humilitate contemptibilem, sed gloria magnificum in expectatione esse, atque imminere, cum non ut patiatur rediturus sit, sed ut fructus suæ crucis omnibus retribuat, immortalitatem videlicet, et resurrectionem et incorruptibilitatem, neque ut judicetur, sed ut judicet.*

Dicens : Ecce venit Dominus.] Græce, ἦλθε, id est, *venit*, in præterito. Unde Arabicus vertit, *jam ecce Dominus jam venit. Venit*, id est, ita certo brevique veniet, ac si jam venisset. Prophetæ enim de futuris loquuntur quasi de præteritis, ob rerum certitudinem; quia in Dei præscientia et prædestinatione sunt jam præterita. Deus enim ea præscivit et prædestinavit ab æterno, ut fierent tempore congruo à se decreto.

Rursum æternitas Dei, qui hæc per Henoch prædixit, ambit, includit, et transcendit omnia tempora, juxta illud quod dixit S. Petrus ep. 2. c. 2. 8. *Unus dies apud Dominum, sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus. Non tardat Dominus promissionem suam.* Hunc secundum Christi adventum passim Prophetæ et Apostoli hominibus tubali voce insonant, ut ad eum se comparent. Ita Isaias c. 3. 17. *Stat*, ait, *ad judicandum Dominus, et stat ad judicandos populos. Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui, et principibus ejus*, et c. 66. *Ecce Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadrigæ ejus reddere in indignatione furorem suum.* Joel cap. 2. v. 1. *Venit dies Domini, quia prope est dies tenebrarum et caliginis dies nubis et turbinis*, etc. Apocal. 1. v. 7. *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.*

In (id est *cum*) sanctis millibus suis,] stipatus scilicet innumeris legionibus angelorum et Sanctorum. Unde S. Cyprianus ad Novatianum legit: *Ecce venit cum multis millibus nunciorum suorum*, juxta illud Dan. 7. 10. *Mille millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Christum enim è cœlo descendentem ad judicium honoris causa comitabantur omnes omnino angeli quasi ejus ministri, ut tam solemnem et universalem Christi mundique actum condecorent, juxta illud Christi: *Cum venerit filius hominis in majestate sua, et omnes angeli ejus cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ*, Matth. 25. v. 31. Ad Henoch alludit Moses moriens et benedicens populo Deut. 33. v. 2. dicens: *Dominus de Sinai venit*, etc. *et cum eo sanctorum millia. In dextera ejus ignea lex. Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt*, et Zachar. c. 14. 6. *Veniet Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo.* In judicio ergo *infinitæ angelorum legiones Christum regem undique circumstabunt*, ait Nyssenus in illud: *Quod uni ex minimis meis fecistis.* Item plurimæ legiones hominum sanctorum, qui cum Christo judicabunt impios. Quod expavescens S. August. in Medit. cap. 4. *Tot*, ait, *judicibus inops astabo, quot me præcesserunt in opere bono; tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene vivendi exempla; tot convincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, seque imitandos dederunt justis actionibus.*

15. Facere judicium contra omnes.] S. Cyprianus ad Novat. legit, *facere judicium de omnibus*; Arabicus, *ut judicetur omnis caro.* Vere S. August. serm. 64. de verbis Domini: *Sedebit judex*, ait, *qui stetit sub judice; damnabit veros reos, qui factus est falsus reus.* Et S. Paulus 2. Corinth. 5. 10. *Omnes*, ait, *eos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum.* Tunc enim, ut idem ait cap. 4. 5. *Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium*, et S. Joannes Apocal. 20. v. 12. *Vidi*, ait, *mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt*, etc. *et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera eorum.*

Et arguere omnes impios.] Græca addunt αυτων, id est *eorum*. Unde Pagnin. *ut redarguat omnes ex eis qui sunt impii.* Explicat enim quod dixit, *facere judicium contra omnes*, per id quod subdit, *et arguere omnes impios ex eis.* Christus enim instituet judicium contra omnes homines, puta contra totum cœtum hominum (quia longe major ejus pars est impia), ut perdat ex eis quoscumque revera invenerit impios. S. Cyprian. ad Novat. legit: *Et perdere omnes impios, et arguere omnem carnem de omnibus factis impiorum, quæ fecerunt impie;* Syrus: *Et redarguat evectos illos impios, propter omnia opera illa quæ impie fecerunt.* Hinc patet omnes omnino impios, etiam infideles et hæreticos, esse judicandos in die judicii. Quod ergo S. August. serm. 38. negat eos fore judicandos, et Christus Joannes 3. ait: *Qui non credit, jam judicatus est;* intellige eos non fore judicandos judicio discussionis et inquisitionis, sed judicio sive sententia condemnationis; causa enim eorum cum sit clara, discussione non eget, sed sententiæ pronuntiatione, et pœnæ irrogatione.

Et de omnibus duris (S. Cyprian. loco citato legit *impiis*) quæ locuti sunt contra Deum peccatores impii.] Arabicus: *Et super sermonibus duris contradicentibus, quibus locuti sunt in eum impia peccata*, puta de omnibus blasphemiis, erroribus et murmuribus contra Deum jactatis, item de omnibus verbis maledicis, detractoriis, impudicis contra proximum dictis: hæc enim cum sint contra Dei legem, sunt pariter contra Deum ipsum legislatorem, ideoque ab eo in die judicii, judicanda, arguenda et vindicanda. Alludit S. Judas ad id quod dixit vers. 8. *Majestatem blasphemant.* Sic Capharnaitæ, audito Christi sermone de carne sua manducanda, dicebant: *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* Joan. 6. v. 61.

16. Hi sunt murmuratores querulosi.] Syrus: *Hi sunt qui turbant et conqueruntur in omni re;* Arabicus: *Hi sunt provocantes super vos reatus.* Nimirum murmurabant Gnostici de Evangelica lege, quod nimis esset arcta et carni difficilis; quod ob eam exponerentur fideles Gentilium, odiis, rapinis et neci; quod Episcopi novas leges, nova onera jejuniorum, festorum, rituum, observantiarum, etc. gravia et dura populo imponerent.

Pro *murmuratores* græce est γογγυσαι, id est *susurrones.* Est autem susurro, ait Œcum. qui tacite ac mussitando, non aperte, quod sibi displicet, reprehendit et carpit, ac præsertim qui discordias seminat inter fideles et amicos, turbatque unionem et pacem, uti turbant hæretici secreto detrahendo Episcopis et Pastoribus.

Pro *querulosi* græce est μεμψιμοιροι, id est, *queruli*, Œcumen. et alii vertunt, *reprehensores*, μεμψιμοιρος, ait Œcum. *Est qui portionem et sortem aliorum reprehendit, quique omnia ac semper studet vituperare.*

Secundum desideria (επιθυμιων, id est, *concupiscentias*) sua ambulantes.] Arabicus, *currentes*, uti equi effrænes et œstro perciti.

Et os eorum loquitur superba,] υπερογκα, id est, *tumida*, excelsa, fastuosa, omnem modum fidemque excedentia; Syrus, *stupenda*: Arabicus, *implicant in maximis ora sua.* Perstringit faustum Marci et Gnosticorum, de quibus Iren. l. 1. c. 9. *Perfectos*, ait, *seipsos vocant, quasi nemo possit exæquari magnitudini agnitionis ipsorum, nec si Paulum aut Petrum dicas, vel alterum quemdam Apostolorum, sed plus omnibus se cognovisse, et magnitudinem agnitionis illius, quæ est inenarrabilis virtutis solos ebibisse: esse autem se in altitudine super omnem virtutem. Qua-*

propter et libere omnia agere, nullum in ullo timorem habentes, propter enim redemptionem et incomprehensibiles et invisibiles fieri judici. Subdit eos ipsum judicem ad summum Dei tribunal citare. *Omnes tument, omnes scientiam pollicentur,* ait Tertull. de Præscript. cap. 41. Narrat S. Gregorius 18. Moral. cap. 27. alias 38. hæreticum quemdam dixisse, se non invidere Christo Deo facto, quoniam si vellet, et ipse posset fieri. Alii vocabant se Catharos, id est puros, alii Manichæos, quasi Manna fundentes, alii Noetos, quasi intelligentes. De superbia Lutheri et Calvini dixi 2. Petri 2.

MIRANTES PERSONAS.] Syrus, *laudant personas*, puta homines illustres, primarios, opulentos suspiciunt et prædicant. q. d. Adulantur potentibus et divitibus, eos mirifice laudant et extollunt, fingentes se admirari eorum excellentiam, ingenium, sapientiam, opes, virtutes. Ita OEcum. Sic Simon adulatus Neroni, eumque quasi admirans, ejus gratiam sibi conciliavit. Sic Marcus hæreticus, ait Irenæus l. 1. c. 9. purpuratas et ditissimas mulieres coluit, itaque earum opes emunxit. S. Hieron. in Amos cap. 7. testatur hæreticos aucupari et jactitare gratiam principum, quodque imperatores eis communicarent: ac si quis eis adversaretur, illico criminari solitos: Ergo tu contra Imperatorem facis? Augusti mandata contemnis? Ita Arriani adulantes Constantino Magno, eum inimicum reddiderunt sancto Athanasio; ac assentantes Constantio ejus filio, eum arrianum et acrem orthodoxorum persecutorem effecerunt. Sic nostro ævo adulati sunt hæretici Elisabethæ reginæ Angliæ, ut caput Ecclesiæ anglicanæ dici et haberi vellet; ac coli ut Papissa, utique vera, non fabulosa, uti illa Johanna pariter Anglica. Porro id faciunt

QUÆSTUS CAUSA.] Græce, *utilitatis gratia;* Syrus, *propter lucra;* Arabicus, *inhiantes lucro.* Testatur S. Hieron. in c. 2. Isaiæ et Jeremiæ 6. Syros, quales sunt Judæi, natura cupidos et avaros esse. Primi autem hæresiarchæ et hæretici fuere Judæochristiani. Unde S. Ignatius epist 3. eos vocat alienorum appetitores, pecuniarum rapaces et quasi vortices. Porro phrasim hanc *mirantes personas*, sumpsit S. Judas ex Septuag. qui *mirari* sumunt pro suspicere, revereri, colere. Unde Gen. 19. 21. *Suscepi preces tuas;* Hebr. habent. *Elevavi faciem tuam;* R. Mardochai: *Reveritus sum faciem tuam!* Septuag. *Admiratus sum faciem tuam,* quæ enim elevamus, quasi in altum sublata suspicimus, admiramur et reveremur. Hinc acceptionem, vel, ut Hebr. est נשא *neso*, id est, elevationem personarum, Septuaginta vocant admirationem personarum, ut Deuter. 10. v. 17. *Qui personam non accipit;* Hebr. *non elevat;* Septuag. *non miratur.* Proverb. 18. 5. *Accipere;* Hebr. *elevare;* Septuag. *Mirari personam impii non est bonum.* Isaiæ 9. 15. *Qui beatificant populum seducentes;* Septuag. *Qui facies admirantur.* Hinc Naaman Syrus vir magnus apud regem Syriæ 4. Regum 5. 1. à Septuag. vocatur τεθαυμασμενος προσαπω, id est, admirabilis facie, sive cujus personam omnes admirabantur. Id primus solerter advertit et annotavit hic noster August. de Quiros.

Simili phrasi Latina dicitur superbus mirari se pro sibi placere et de se magnifice sentire ac loqui, et Virgil. 11. Æneid.

Fama ingens, *inquit*, ingentior armis,
vir Trojani quibus cœlo te laudibus æquem?
Justitiæne prius mirer, belline labores?

Rursum mirari per metalepsin est imitari. Sic Virg. 8. Æneid.

Primis et te miretur ab annis,

Miretur, id est, imitetur, ait Servius. Et Lucanus lib. 9.

miratorique Catonis.

Optima enim ingenia necesse est ut ea quæ mirantur, imitentur. Sic Gnostici adulando mirabantur, id est, imitabantur mores et gestus potentum et divitum, ut eorum gratiam aucuparentur. Tales miratores videre est in auli principum, qui id quod facit princeps illico imitantur, ut principem voce, gestu, habitu, incessu, plane referre videantur; atque hac arte ejus favorem venantur.

17. VOS AUTEM CHARISSIMI.] Est conclusio, qua declaratis hæreticorum fraudibus et vitiis adhortatur fideles, ut Apostolorum doctrinæ et monitis constanter insistentes, eos velut pestes devitent.

MEMORES ESTOTE VERBORUM QUÆ PRÆDICTA (id est, prius dicta, antehac dicta. Ita Syrus, Arabicus, Pagninus et alii) SUNT AB APOSTOLIS,] ut à sancto Petro Epist. 2. cap. 3. vers. 2. à sancto Paulo 1. Tim. 4. v. 1. et Epist. 2. c. 3. 2. ubi præmonent fideles, ut caveant hæreticos mox nascituros, et ex parte jam natos. Vide ibi dicta.

18. ILLUSORES.] Hebr. לצים *letsim*, id est, *illusores*, *derisores*, vocantur homines pessimi, qui omnia divina et humana irrident, uti faciunt hæretici. Hugo, *qui fidelibus illudunt*, sicut illudebant Judæi Christo, ut jure Antichristi vocari possint; Dionys. *qui simplices decipiunt* per dulces sermones per hypocrisin et simulationem pietatis. Maxime vero Gnostici illudebant Dei providentiam et judicium, ut sine ejus metu libere suis indulgerent libidinibus. Unde irridendo dicebant: Ubi est promissio aut adventus ejus? 2. Petri 3. 4.

SECUNDUM DESIDERIA SUA AMBULANTES IN IMPIETATIBUS.] Græce ασεβειων, id est *impietatum.* q. d. Desideria eorum sunt desideria impietatum, id est, rerum impiarum et impiissima. Syrus: *Qui secundum concupiscentias suas ambulant post impietatem;* Arabicus: *Currunt in suis desideriis impudicitiæ.*

19. HI SUNT QUI SEGREGANT SEMETIPSOS,] ab Ecclesia et cœtu fidelium, ac consequenter à Deo, Christo et cœlo, faciendo schisma, Ecclesiam et sectam propriam, τὸ *semetipsos* deest in Græcis. Unde OEcumen. Græcum αποδιοριζοντες, id est *distinguentes*, dividentes, discriminantes, segregantes, vertens exterminantes, vel potius disterminantes, sic explicat: *Qui disterminant, id est, qui extra Ecclesiæ terminos, hoc est, extra fidem et sacrum Ecclesiæ tabernaculum homines abducunt et separant. Cum enim sua diversoria et collegia speluncas latronum fecerint, ab Ecclesia rapiunt, atque ad se adigunt.* Apostoli ergo primitus, ad unitatem Ecclesiæ, et ad consocietatem fidelium, utque melius omnes cognoscere, curare et promovere possent, valde urgebant Christianos, ut Ecclesias et cœtus communes frequentarent. Hinc illud Actor. 2. 46. *Quotidie perdurantes unanimiter in templo*, et c. 20. v. 7.

Cum convenissemus ad frangendum panem, et 1. Corinth. 11. v. 20. *Convenientibus ergo vobis in unum*, ad Hebræos 10. 25. *Non deserentes collectionem nostram.* Clemens Roman. lib. 2. Constit. Apost. c. 59. *Convenite*, ait, *in Ecclesiam singulis diebus mane et vespere ad canendos psalmos.* S. Ignatius Epist. 6. ad Magnes. *Omnes ad orandum in idem loci convenite, sit una communis precatio*, et Epist. 11. ad Polycarpum : *Crebrius celebrentur conventus Synodique, nominatim omnes inquire.* Porro causam cur se segregent assignat, dum subdit:

ANIMALES,] non ab anima, sed ab animalitate, ait Hugo : Sed hanc quoque significat anima, cum ab animo id est parte superiore, distinguitur. Unde Accius in Epigon. citatus à Nonio : *Sapimus animo*, inquit, *fruimur anima, sine animo anima est debilis.* Hæretici ergo vocantur *animales* ab anima sensitiva et vegetativa, cui toti serviunt; quia scilicet ut animalia non rationem, sed sensum sequuntur, vivuntque in concupiscentiis carnis. *Spiritum non habentes ;* Syrus et Arabicus : *Quibus spiritus non inest.* q.d. Toti quanti quanti sunt, sunt mera animalia, mera caro ; hinc nihil habent spiritus : nam *animalis homo non percipit quæ sunt spiritus Dei.* 1. Cor. 2. v. 14. Rursum : *Omnis qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet*, ait S. Joann. Epist. 2. v. 9. Causa ergo cur se segregent ab Ecclesia est quia sunt animales. Sicut enim animalia sequuntur suam phantasiam, ita ipsi sequuntur suum cerebrum et judicium, nolentes credere et subdere se judicio Ecclesiæ ejusque Rectorum. Unde Arabicus vertit, *sive viventes.* Secundo, quia instar animalium sequuntur suos appetitus, non rationis, et spiritus, sed sensus, puta gulæ, avaritiæ, iræ, superbiæ, libidinis, etc. Unde OEcumen. vertit : *Juxta mundi constitutionem viventes.* Rursum : *Spiritum*, inquit, *non habent, divinum scilicet in se loquentem, quia diabolica utuntur sapientia.* Audi S. Bernard. ad Fratres de Monte Dei : *Anima*, ait, *est res incorporea, rationis capax vivificando corpori accommodata. Hæc animales constituit homines quæ carnis sunt sapientes, sensibus corporis inhærentes. Quæ ubi perfectæ rationis incipit esse non tantum capax, sed et particeps, continuo abdicat à se nomen generis feminini, et efficitur animus particeps rationis, regendo corpori accommodatus, vel seipsum habens spiritus. Quamdiu enim anima est, cito in id quod carnale est effeminatur. Animus vero vel spiritus non nisi quod virile est et spiritale meditatur*, etc. *Animus, inquam, inquantum bene animans, et perficiens animal suum supplemento liberæ rationis ; bonus autem inquantum jam amans bonum suum, quo bonus fit, et sine quo nec bonus, nec animus esse potuit. Fit autem bonus animus et rationalis diligens Dominum Deum suum in toto corde suo, Deum timens, et mandata ejus observans. Hoc est enim omnis homo.*

Nota. Potest quis esse schismaticus, et non hæreticus, si videlicet separet se ab Ecclesia, non ideo quod credat eam non esse veram Ecclesiam, ac habere errores in fide, sed quia non vult ei obedire. Talis enim potest credere omnia Fidei dogmata quæ credit Ecclesia, et tamen quia non vult ei parere, ab ea facit schisma. Schisma enim directe non Fidei, sed charitati et unioni adversatur. Verum communiter schisma desinit in hæresim. Ut enim schismatici ostendant se cum ratione fecisse schisma, illico negant illam Ecclesiam à qua fecerunt schisma, esse veram et orthodoxam, negant pariter auctoritatem Episcoporum et Summi Pontificis, scilicet ipsum esse caput totius Ecclesiæ, ac præsertim suæ schismaticæ ; quæ duo, cum sint articuli Fidei, quisquis ea negat, hoc ipso fit hæreticus. Ita schisma Græcorum, Donatistarum et nuper Anglorum illico transiit in hæresim. Quocirca S. August. l. 2. contra Crescen. cap. 7. sic schisma definit et ab hæresi secernit : *Schisma est recens congregationis ex aliqua sententiarum diversitate dissensio ; hæresis autem schisma inveteratum.* S. Hieron. vero in cap. 3. Epist. ad Titum : *Nullum schisma*, ait, *non sibi aliquam confingit hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.*

Porro schisma est grave et immane peccatum ; primo, quia injurium est Deo : unam enim et unanimem ejus Religionem et cultum abolet, scinditque in duas. Quocirca Deus Core, Dathan et Abiron, schismaticos morte horrenda mulctavit, ut dehiscente terra vivi descenderent in infernum, Num. 16. Maxime vero injurium est Spiritui sancto, qui est amator et auctor pacis et concordiæ. Unde Beda Spiritum sanctum quo congregatur Ecclesia, vocat coagulum charitatis.

Secundo, quia injurium est Christo ; ejus enim inconsutilem tunicam, puta Ecclesiam, lacerat et scindit, quod facere non sunt ausi Judæi et Gentiles crucifigentes Christum. Qua de causa S. Cyprianus tractat. de Unitate Ecclesiæ, et S. Hieron. Epist. ad Damasum, asserunt schismaticos esse pejores crucifixoribus Christi. Ita Christus S. Petro Episcopo Alexandr. et Martyri apparuit veste conscissa, causamque rei sciscitanti dixit : *Arrius vestem meam, quæ est Ecclesia, dilaceravit*, simul præcipiens ne unquam Arrium in communionem reciperet, quem Deo mortuum esse sciret. Ita habet vita S. Petri die 26 Novemb. Sic et S. August. Epist. 171. Donatistas vocat divisores vestimentorum Domini. S. Iræn. l. 4. c. 62. *Suam*, ait, *utilitatem potius considerantes, quàm unitatem Ecclesiæ, propter modicas et quaslibet causas magnum et gloriosum corpus Christi conscindunt et dividunt, et quantum in ipsis est, interficiunt.*

Tertio, quia injurium est Ecclesiæ : nam eam lacerant et discindunt schismatici ; perinde ac gravem homini ejusque corpori faceret injuriam, qui illud mutilaret et dissecaret. Quocirca Iræneus lib. 4. cap. 26. ait nullam posse esse tantam perniciem, quanta est schismatis. Præclare Dionysius Alexand. apud Eusebium lib. 6. hist. cap. c. 45. ita scribit ad Novatum : *Si invitus impulsus es* (fieri Episcopus et facere schisma à vero Episcopo) *sicut dicis, declarabis hoc, si voluntarius redieris. Oportebat quidem nihil non ferre, ne Ecclesiam Dei scinderes. Nec est martyrium hoc Ecclesiæ non scindendæ gratia toleratum, minoris gloriæ, quàm quod fertur propter idololatriæ recusationem. Imo meo judicio, majoris etiam gloriæ est : nam illic pro una quidem anima martyrium toleratur, hic vero pro universa Ecclesia. Jam vero si persuaseris fratribus, vel coegeris etiam ut ad concordiam redeant, majus erit factum hoc tam egregium, quàm delictum quod præcessit. Si vero immorigeris persuadere nequiveris, servando serva tuam ipsius animam.*

Quarto, injurium est Prælatis Ecclesiæ, à quorum jurisdictione et obedientia debita se separat. Quocirca sapienter S. Hieron. Epist. 57. ad Damasum, in schismate Vitalis, Meletii et Paulini : *Ego*, ait, *Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior : super illam ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit, id est, qui Christi non est, Antichristi est.* Nam, ut ait Optatus Milevit. lib. 1. contra Parmen. *Deserta matre Catholica, impii filii dum foras excurrunt, et se separant, à radice matris Ecclesiæ invidiæ falcibus amputati, errando rebelles abscedunt.*

Quinto, est injurium cæteris fidelibus, à quorum societate, concordia et charitate fraterna impie se separat. Idem proportionaliter locum habet in schismate, quo quis non ab Ecclesia, sed à suo Ordine et congregatione se separat. Unde S. Bernard. serm. 1. de S. Michaele dicit SS. Angelis nihil ita placere ac concordiam, nihil ita displicere ac discordiam et schisma. *Sunt*, ait, *plurima quæ eis placent ut sobrietas, castitas, paupertas; creber in cœlum gemitus, attamen super omnia hæc unitatem et pacem à nobis exigunt angeli pacis. Quidni maxime delectentur in his, quæ formam quamdam suæ civitatis repræsentant in nobis, ut mirentur Jerusalem novam in terra? Dico autem ut, quomodo civitatis illius participatio est in idipsum, sic et non idipsum sentiamus, idipsum dicamus. E contra nihil æque offendit et ad indignationem provocat eos, quomodo dissensiones et scandala, si forte inveniantur in nobis.* Et mox citans verba S. Judæ: *Hi sunt*, ait, *qui separant seipsos, animales, spiritum non habentes. Videre est animam hominis, quemadmodum universa corporis membra vivificat cohærentia sibi. Separa ergo quidvis à junctura cæterorum, et vide an de cætero illud vivificet. Sic est omnis qui dicit anathema Jesu : quod nemo dicit loquens in spiritu Dei; quia anathema separatio est. Sic et inquam, omnis qui ab unitate dividitur, non dubites quin ab eo recesserit spiritus vitæ.* Deinde subdit angelos dicere schismaticis : *Quid nobis et generationi huic spiritum non habenti? Nam si adesset spiritus, per eum utique charitas diffunderetur, et unitas non scinderetur. Non permaneamus in hominibus istis in æternum, quia caro sunt. Quæ enim conventio luci ad tenebras? Nos de regno unitatis et pacis sumus, et homines istos in eamdem unitatem et pacem sperabamus esse venturos : nunc autem qua ratione nobis cohæreant, qui dissident à seipsis?*

Sexto, est injurium personæ cui inhæret; facit enim ut schismaticus sit separatus ab Ecclesia, à Christo, à Deo, incapax gratiæ et salutis, adeo ut qui in schismate pro fide Christi mortem oppetunt, non sint Martyres, nec in cœlum, sed in infernum descendant, uti docet S. August. l. de Patientia sub finem, imo Apostolus 1. Cor. 13. 3. Qui ergo se segregant, proprio judicio se condemnant, et quasi excommunicant.

Denique injurium est suis asseclis, quos Ecclesiæ prædatur, et in suum schisma ac æternam perniciem abducit. Vide S. Cyprian. l. 1. Epist. 6. ad Magnum, et Epist. 8. ad plebem. Ubi schismaticos vocat adulteros, impios, sacrilegos, et S. Chrysost. hom. 11. in Ep. ad Ephes. *Vir sanctus* (S. Cyprian.) ait, *dixit peccatum istud ne martyrii quidem sanguine deleri. Dic enim quæso quam ob causam martyrium subis? An non propter Christi glorium? Quo itaque pacto qui animam pro Christo exponis, Ecclesiam oppugnas, pro qua animam suam tradidit Christus?* S. Cyprian. l. de Unitate Ecclesiæ : *Avelle*, ait, *radium solis à corpore; divisionem lucis unitas non capit; ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit; à fonte præcide rivum, præcisus arescet.*

20. et 21. VOS AUTEM, CHARISSIMI, SUPERÆDIFICANTES VOSMETIPSOS SANCTISSIMÆ VESTRÆ FIDEI, IN SPIRITU SANCTO ORANTES, VOSMETIPSOS IN DILECTIONE DEI SERVATE.] Τὸ *superædificantes* pendet à *servate.*

Nota. In Script. crebra est metaphora à fabricis, qua homines et filii vocantur *domus;* fideles vero et sancti vocantur *templum Dei*, cujus fundamentum est fides, innixa solidissimo lapidi angulari Christo Jesu, *in quo omnis constructa ædificatio crescit in templum sanctum in Domino*, Ephes. 2. 21. Itaque cum seipsos superædificant S. Fidei, augustum Deo habitaculum extruunt. Unde subdit ibidem S. Paulus : *In quo et vos coædificamini in habitaculum Dei*, et S. Petrus Epist. 1. cap. 2. v. 1. *Ad quem accedentes lapidem vivum*, etc. *et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritales.* Christus ergo et fideles Christo inhærentes, erigunt et efficiunt insigne Dei templum mysticum, puta Ecclesiam, cujus fundamentum est Christus, parietes sunt Ecclesiæ particulares et provinciales; lapides sunt singuli fideles; qui Christo fundamento per fidem et gratiam inædificantur et superædificantur. Imo quisque fidelis seipsum quasi particulare templum, sive sacellum ædificat Deo; juxta illud : *Vos estis templum Dei vivi*, 1. Corinth. 6. v. 16. Hujus templi fundamentum est fides, parietes sunt spes aliæque virtutes, tectum est charitas. Unde S. August. serm. 22. de verbis Apostoli : *Domus Dei*, ait, *credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur*, et Origen. in cap. 4. ad Rom. *Prima salutis et ipsa fundamenta fides est : profectus vero et augmenta ædificii spes est, perfectio vero et culmen totius operis charitas.*

Quæres : qua ratione, sive per quid vult S. Judas fideles superædificare seipsos S. Fidei? Respondeo primo, per argumentum et robur fidei. q. d. Fidei vestræ novum in dies addite augmentum et robur; quotidie crescite, proficite et confirmate vos in fide, ut in ea contra omnes Gnosticorum, infidelium et diaboli tentationes constantes et firmi persistatis: sicut enim in fabrica corporali lapis lapidi, sic in mystica fides fidei superædificatur. Unde Syrus vertit : *In fide vestra ædificamini à principio*, id est, rursus et quasi de novo. q. d. Innovate, recolite et instaurate fidei vestræ principia, primosque fervores, in iisque vos confirmate, et crescite; et Arabicus: *State*, vel *erigite vos*, aut *consistite super fidem vestram sanctam.* Sic S. Paulus ait : *Spem habentes crescentis Fidei vestræ*, 2. Cor. 10. v. 15. Hinc OEcumen. sic legit, connectit et explicat : *Seipsos instaurantes sanctæ fidei in Spiritu sancto, id est, secundum doctrinam Spiritus sancti*, suasque congregationes in orationibus (quod significatur per τὸ *orantes*) facientes. Unde nonnulli hunc dant sensum : superædificate, id est magis magisque ædificate et confirmate invicem in fide, in qua primitus fundati estis, per mutuas exhortationes, orationes, exempla, etc.

Secundo, et potius, jubet fideles superædificare se sanctæ Fidei per opera virtutum; fides enim est fundamentum fabricæ spiritalis, cui spes, charitas, aliæque virtutes quasi parietes et tectum superædificantur, uti jam dixi. Sensus ergo est, q. d. Jecistis, ô fideles, in baptismo fabricæ mysticæ fundamentum, puta fidem, nunc reliquam substructionem erigite, sancta videlicet fidei et virtutum opera. *Nam fides sine operibus mortua est*, Jacobi 2. vers. 26. Jubet ergo primo fidei superædificari actus orationis, dum subdit: *In Spiritu sancto orantes.* Secundo, actus charitatis, ut illam illæsam servemus et adaugeamus. Unde subdit: *Vosmetipsos in dilectione Dei servate.* Tertio, fiduciam misericordiæ Dei et spem vitæ æternæ. Unde concludit: *Expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam.*

Opponit S. Judas τοὺς *superædificantes*, illi quod dixit v. præced. *Hi sunt qui segregant semetipsos.* q. d. Gnostici per hæresin separant se uti à fide, ita à fabrica Christi: vos autem, ô fideles, fidei jam receptæ constanter insistite, inhærete, et omnes simul vos superædificate, ut omnes simul unam Ecclesiam omnibus numeris absolutam constituatis.

Fidem vocat, non sanctam, sed *sanctissimam*, ut miram et summam ejus sanctitatem significet: multis enim titulis, nominibus et causis est sanctissima, ut ostendi 2. Petri 2. v. 20. Opponit sanctissimam, id est purissimam, Christi fidem impiissimæ et impurissimæ Gnosticorum sectæ et perfidiæ.

20. IN SPIRITU SANCTO, puta per Spiritum sanctum, ORANTES.] OEcum. *in Spiritu sancto*, refert ad *superædificantes*, quod præcessit. Melius Romani codices et alii referunt ad *orantes. Ipse enim Spiritus postulat*, id est, postulare nos facit *gemitibus inenarrabilibus*, Rom. 8. v. 27. Arabicus vertit: *State super fidem vestram sanctam, quando oratis in Spiritu sancto.*

Orationem accipe tum privatam, tum potius publicam in cœtu et Ecclesia. Ita OEcum. Notat enim Gnosticos animales, quorum cœtus et oratio erat impura, ideoque non fiebat in Spiritu sancto, sed venereo et diabolico; turpissimas enim libidines in invicem exercebant. Notat quoque Simonis Magi asseclas, qui docebant se natura esse spirituales, ac proinde per se salvari posse, nec egere oratione et ope Spiritus sancti, teste Iren. l. 1. c. 1. 3. et 20.

Τὸ ergo *in Spiritu sancto*, quatuor significat. Primo, orationem veram esse donum Spiritus sancti, et sine eo neminem posse orare sicut oportet ad obtinendam gratiam et salutem, uti definit Concil. Arausican. et Trident. sess. 6. canon. 3. imo Paulus Rom. 8. 26. Unde S. August. 9. Confess. 7. agens de suis orationibus: *Nos*, ait, *adhuc frigidi à calore Spiritus tui excitabamur.*

Secundo, in oratione postulanda esse ea quæ suggerit Spiritus sanctus, non caro, vel mundus, quæque Spiritui sancto grata sunt, non carni.

Tertio, orationem efficere hominem spiritualem, non animalem; oratio enim est opus Spiritus sancti, quæ orantem illi similem facit, ideoque spiritualem. Unde sicut veteres nonnulli definiunt angelum: *Angelus est animal cœleste, immortale, hymnisonum Dei laudes decantans.* Sic virum spiritualem definias: *Est orator et laudator Dei; est angelus in terra hymnisonus.*

Quarto, Spiritum sanctum dirigere orationem nostram, ne noxia, sed salutaria petamus et impetremus. Ipse enim orandi inspirat affectum pariter et effectum, ut ait S. August. juxta illud Zachar. 12. 10. *Effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et precum*, hebr. תחנונים *tachanunim*, id est, *miserationum*; quia oratio suggesta et directa à Spiritu sancto est ingens Dei misericordia, et divinæ miserationis fontes aperit, ex quibus non nisi bona et salutaria profluunt. Secus fecerunt Israelitæ, qui acti spiritu gulæ murmurantes contra manna petierunt à Deo carnes, quas et impetrarunt, sed illico plaga Dei in eos desæviit, Numer. 11. v. 33. Vere S. Isidorus l. 3. de summo bono cap. 7. *Multos*, ait, *Deus non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad salutem*; et S. August. tract. 73. in Joann. *Male*, ait, *usurus eo quod vult accipere, Deo potius miserante non accipit: proinde si hoc ab illo petitur unde homo lædatur exauditus, magis metuendum est ne, quod posset non dare propitius, det iratus.*

21. VOSMETIPSOS IN DILECTIONE DEI SERVATE.] Syrus: *Animam nostram vero in dilectione custodiamus.* Jungit dilectionem sive charitatem orationi, tum quia oratio per Spiritum sanctum impetrat charitatem, juxta illud: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*, Roman. 5. 5. tum quia ut Deus nos diligat et orantibus bona concedat, vicissim vult à nobis diligi, tum quia fabricæ virtutum, puta fidei, spei et orationis, finis, fructus, culmen et perfectio est charitas juxta illud: *Plenitudo legis est dilectio*, Roman. 13. v. 10. Et: *Finis præcepti est charitas de corde puro*, 1. Timoth. 1. v. 5. est enim charitas regina, imo anima, virtutum omnium. Porro dilectio hæc Dei includit dilectionem proximi. Propter Deum enim diligendus est proximus; sic enim jubet Deus, Deique charitas. Schismati enim Gnosticorum opponit charitatem fidelium, ut ea uniti in unam Ecclesiæ fabricam conspirent, et coalescant; juxta illud S. Pauli: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Ephes. 4. 3. Nam ut ait S. August. tractat. 2. in Joan. *Livor separat, charitas jungit.* Idem epist. 50. ad Bonifacium: *Ecclesia Catholica sola est corpus Christi, cujus ille caput est, Salvator corporis sui. Extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus sanctus, quia non est particeps divinæ charitatis, qui hostis est unitatis.* Eam ergo habeat, *ut coalescat arbori vitæ.*

EXPECTANTES MISERICORDIAM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI (quæ vos perducat) IN VITAM ÆTERNAM,] vel, ut vitam æternam assequamini. Arabicus, *in vita æterna.* In ea enim sentiemus immensam Dei misericordiam, eaque in Dei visione et possessione fruemur. Exhortatur fideles ad constanter retinendam Christi fidem et charitatem; excitando eos ad spem vitæ æternæ, quam certo assecuturi sunt à misericordi Deo, si in fide et charitate persistant. Hac ergo spe quasi clypeo omnes persecutiones, difficultates, tentationes sunt retundendæ et elidendæ. Unde Syrus vertit: *Animam nostram in dilectione Dei custodiamus, dum speramus misericordiam Domini nostri Jesu Christi.* Spes enim magis nititur misericordia Dei, quàm propriis meritis; tum quia merita non nisi ex misericordia et gratia Dei habemus:

tum quia meritis nostris Deus non debet gloriam ex justitia, sed gloriam eis promisit ex misericordia. Ita S. August. epist. 105. Unde Paulus : *Gratia Dei*, inquit, *vita æterna*, Roman. 6. v. 23. Deus ergo fidelibus tribulatis et afflictis, quasi fortissimum solatium et fulcrum dat spem (imo seipsum in spe) *quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis*, Hebr. 6. vers. 19. Hinc et Ovidius de spe cecinit lib. 1. de Ponto elegia 7.

Hæc dea cum fugerent sceleratas numina terras,
In diis invisa sola remansit humo.

Porro vitam æternam graphice depingit S. August. in suo de ea cum matre colloquio libr. 9. Confess. cap. 10. ubi inter alia ait : *Venimus in mentes nostras, et transcendimus eas ut attingeremus regionem ubertatis indeficientis, ubi pascis Israel in æternum veritatis pabulo, et ubi vita sapientia est, per quam fiunt omnia ista, et quæ fuerunt, et quæ futura sunt, et ipsa non fit, sed sic est ut fuit, et sic erit semper; quin potius fuisse et futurum esse non est in ea, sed esse solum quoniam æterna est : nam fuisse et futurum esse non est æternum. Et dum loquimur et inhiamus illi, attigimus eam modice toto ictu cordis, et suspiravimus, et reliquimus ibi religatas primitias spiritus.*

22. Et hos quidem arguite judicatos,] puta per se damnatos, re ipsa et facti evidentia, scilicet publica hæresi et schismate convictos; ac atrocitate criminis condemnatos, etsi nemo in illos sententiam damnationis pronuntiet, juxta illud Pauli ad Titum 3. 10. de hæretico : *Subversus est cum sit proprio judicio condemnatus.* Nonnulli codices Græci legunt : και ους μεν ελεειτε διακρινομενοι. quod Pagnin. et Vatabl. vertunt, *et hos quidem commiseremini dum dijudicamini*, scilicet ab eis vel *dum dijudicantes estis eritisve*, scilicet eos ; quod Noster passive, sed eodem sensu vertit, *judicatos.* Διακρινομενοι enim est verbum medium, unde tam active, quàm passive verti potest. Rursum OEcumen. διακρινομενους vertit, *qui se separant et segregant.* Verum melius alii codices, quos sequitur Arabicus, OEcumen. et noster Interpres legunt ελεγχετε διακρινομενους, id est, *arguite judicatos.* Sic enim constat antithesis cum altero partitionis membro, quod subdit, dicens : *Illos vero salvate.* Est partitio ; pronomen enim *hos* refert hæreticos, *illos* vero, eorum discipulos, ab eisque seductos, de quibus egit toto capite, et paulo ante v. 19. *Hi sunt*, inquit, *qui segregant semetipsos, animales ; Spiritum non habentes.* Jam sensus est, q. d. Volo vos dilectionem conservare, et exercere non tantum in fideles, sed etiam in infideles, apostatas et hæreticos, eorumque asseclas. *Hos* ergo, puta hæresiarchas, hæresisque doctores, disputando de hæresi ελεγχετε, id est *dijudicate*, redarguite, convincite (ut errore eorum patefacto ab omnibus vitentur et explodantur) *judicatos*, dum scilicet dijudicaveritis, verisque rationibus ostenderitis eorum errorem et schisma, ut jam si non sibi ipsis, certe aliis convicti, judicati et damnati videantur. *Judicatos* ergo intellige obstinatos in hæresi. *Illos vero*, puta discipulos hæreticorum, vel fideles qui eis incipiunt auscultare et nutare in fide, *salvate*, σωζετε, id est *servate*, ab imminenti ruina in Gnosticorum hæresim, libidines et perditionem, quasi celerime et violenter *de igne rapientes* : perinde ut pannus igne corruptus et ambustus, illico violenter et injecta manu ex eo abripitur. To *de igne* notat Gnosticorum tum libidines, tum gehennæ meritum incendium. Unde Græca addunt εν φοβω, id est *in timore*, vel terrore. q. d. Per minas et terrorem supplicii ac gehennæ salvate et eripite eos de igne inferni.

23. Aliis autem miseremini.] Hæc jam desunt in Græco, in quo proinde bimembris est sententia, cum in Latino sit trimembris. Sensus ejus ergo est. q. d. Ipsos hæresis doctores acriter arguite, quasi tam suo, quàm Dei et hominum judicio judicatos et condemnatos, ut cæteri timeant ; eorum vero discipulos partim timore, partim miseratione, et clementia pro cujusque indole ad fidem reducite. Addit quædam Arabicus quæ nec sunt in Græco, nec in Latino, sic enim vertit : *Quibusdam misericordiam facite, quando sunt in judicio vel contradictione, aut quando jure vel juridice corripiuntur.*

Secundo, alii trimembrem hanc sententiam ita explicant, q. d. Manifestos hæreticos palam arguite : eos vero qui adhuc integri sunt et sani in fide, incolumes servate, et quasi ab incendio eripite : alios denique jam nutantes et in interitum propensos, non sine casto timore, commiseratione complectimini.

Tertio, alii tres hic peccatorum gradus distinguunt : primum in hæresi, et peccato obstinatorum ; hoc acriter argui, dureque increpari jubet Judas, æque ac Paulus ad Titum 2. vers. 15. Secundum, qui decepti in hæresim et peccatum inciderunt ex ignorantia, vel infirmitate : hos jubet de igne rapi. Tertium, qui pœnitentes culpam agnoscunt, veniamque postulant : horum misereri, eosque misericorditer, in gratiam et gremium Ecclesiæ recipi jubet. Omnia hæc probabilia sunt.

Moral. docet hîc S. Judas quàm animarum, etiam infidelium et hæreticarum, saluti incumbere debeamus, idque exemplo Christi et Apostolorum, qui se et omnia sua pro animabus salvandis impenderunt. *Empti estis pretio magno*, ait S. Paulus 1. Corinth. 6. v. 26. Vide et obstupesce quàm pretiosa sit anima quælibet; eam enim emit Christus pretio sanguinis sui. Pretium itaque animæ est sanguis Christi ; ergo ipsa anima valet Christum, Christique sanguinem. *Magna res anima quæ Christi sanguine redempta est*, ait S. Bernard. epist. 54. et S. Chrys. hom. 3. in epist. 1. ad Corinth. *Nihil est*, ait, *quod animæ possit æquiparari, ne universus quidem mundus. Itaque etsi immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris si converteris animam.* Quocirca S. Dionys. Cœl. Hierarch. c. 3. *Divinarum omnium perfectionum*, ait, *divinissima est perfectio, Dei cooperatorem esse*, nimirum *in reductione animarum ad suum creatorem*, uti interpretatur ibidem Dionys. Carthus.

Secundo, docet S. Judas hunc animarum zelum debere esse celerem, et efficacem cum ait : *De igne rapientes.* Sicut enim si quem puerum, vel amentem in ignem ruere videremus, illico omnibus viribus eum etiam nolentem et resistentem inde raperemus : ita pariter animas per peccatum sponte ruentes in ignem gehennæ, omni conatu et celeritate, etiam per vim inde rapere debemus, juxta illud Amos 4. 11. *Facti estis quasi torris raptus ab incendio.*

Porro omne peccatum, omnis cupiditas est ignis, sed maxime libido : unde de ea à Gnosticis frequentata, ait S. Judas, *de igne rapientes*. Primo enim sicut ignis urit corpus, ita libido urit mentem, juxta illud Virgil. de Didone :

Uritur infelix et cæco carpitur igne.

et Ovidius l. 1. de Arte.

Venus in vinis, ignis in igne calet.

Quin et S. Paulus 1. Cor. 7. v. 9. *Melius est nubere quam uri.* Secundo, sicut ignis in domo carpit, eamque totam pervadit et comburit ; ita et libido totam hominis mentem, phantasiam, sensus, membraque omnia pervadit et depascitur, juxta illud Job. 31. 12. *Ignis est usque ad perditionem devorans et omnia eradicans genimina.* Tertio, sicut ignis à domo in domum proserpit, ab arbore in arborem, totamque plateam, urbem et silvam brevi tempore populantibus flammis occupat et inflammat, sic et libido unius vel paucorum in totam viciniam, urbem, et rempub. proserpit, eamque instar Ætna vel Vesuvii inficit et incendit. Quare initiis occurrendum est, ignisque hic in suo fomite et scintilla est suffocandus et extinguendus, juxta illud : *Beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram*, psal. 136. 9. Quarto, libido est ignis, quia igni gehennæ vicina : nil enim inter libidinosum et ignem gehennæ interjacet, nisi paries fragilis corporis, quo disjecto illico ultricibus gehennæ flammis corripitur. Hinc Sodoma ardens igne libidinis, igne cœlesti, imo gehennali conflagravit. Unde Glossa interlinealis ait, jubere S. Judam, *ut quadam vi studeant alios liberare de igne vitiorum, et sic de igne tormentorum.*

Quocirca ut hunc ignem libidinis ebullientem in se extingueret S. Franciscus, nives gelidas contrectavit. Alius sollicitatus à meretrice digitos in igne lucernæ cremavit, itaque igne ignem superavit, duosque rapuit de duplici igne : nam et se servavit, et meretricem compunxit ac convertit. Ita Vitæ Pat. l. 5. de Fornicat. numer. 37. Alius matrem vetulam per flumen translaturus, pallio manus involvit ne eam tangeret, rogatus à matre causam, dixit : *Quia corpus mulieris ignis est, et ex matre mihi idea aliarum suggeritur feminarum.* Ibidem libello 4. numer. 68. Denique Ursinus presbyter moriens presbyteram suam manum ori admovêntem repulit, dicens : *Recede à me, mulier, adhuc igniculus vivit*, ait S. Gregor. 4. Dialogorum 11.

Tertio, docet S. Judas hunc animarum zelum debere esse junctum cum visceribus misericordiæ, cum ait : *Aliis autem miseremini.* Non enim peccatoribus indignari debet, qui eos salvare satagit : sed peccato; peccatorum vero misereri : sicut medicus phrenetico non indignatur, nec eum impugnat, sed ejus phrenesin. Unde S. August. serm. 15. de verbis Apostoli : *Si per charitatem*, inquit, *imponitur disciplina, de corde lenitas non recedat. Quid enim tam pium, quàm medicus ferens ferramentum? Plorat secandus, et secatur : plorat urendus, et uritur. Non est ista crudelitas : sævit in vulnus, ut homo sanetur, quia si vulnus palpetur, homo perditur*, et S. Chrysost. hom. in illud. psal. 9. *Patientia pauperum non peribit in finem : Charitas*, ait, *servetur, et protervus homo increpetur, lingua clamet, et cor amet ; quia clamor iste, etsi clamat, intus amat.* Et S. Basilius in Reg. brevior. inter. 296. indicium boni animarum curatoris assignat, *si adversus peccantes admirabilem illam, et horrore plenam sanctorum virorum misericordiam imitatus sit.* Hac misericordia excelluit S. Martinus ; qui, ut narrat Sulpitius in ejus Vita c. 24. diabolo dixit : *Si tu ipse, ô miserabilis, ab hominum insectatione desisteres, et te factorum tuorum vel hoc tempore, cum dies judicii proxima est, pœniteret, ego tibi vere confisus in Domino Christi misericordiam pollicerer.* Subdit Sulpitius : *O quàm sancta de Domini pietate præsumptio, in qua etsi auctoritatem præstare non potuit, ostendit affectum!* Diabolus enim quia damnatus et in malo obstinatus, uti pœnitere nequit ; ita misericordiæ et veniæ est incapax. Huc facit quod monet Philo l. de Sacrificio Cain et Abel, conandum esse, ut etiam certo perdendos à suis vitiis quantum possumus servemus, tum ut nostro officio perfungamur, tum ut minus peccent minusque damnentur : atque ita imitemur bonos medicos, qui etsi videant ægrum sanari non posse, omnem tamen ei curam adhibent, ne officio suo defuisse videantur. A medico enim et pastore requiritur cura, non curatio, utpote cum morbus non raro sit incurabilis.

MISEREMINI IN TIMORE,] proponendo eis pœnas inferni, æque ac temporales, quæ eis timorem incutiant ut se convertant ; vel potius *in timore*, quasi dicat : Timendo ne, si immisericordes et duri sitis in prolapsos, aut imprudenter cum eis agatis, vos quoque in idem simileve peccatum deserente Deo prolabamini, itaque vicissim Deum immisericordem et durum in vos experiamini, juxta parabolam servi rigide à conservo exigentis omne debitum, Matth. 18. 33. Hoc est quod monet Paulus Galat. 6. v. 1. *Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris.* Ita S. Ambros. Dominicus, Eligius, audientes confessiones flebant ex compositione peccatorum : quia, ut ait S. August. in Soliloq. c. 15. *Nullum peccatum est quod unquam fecerit homo, quod non possit facere alter homo, si desit creator à quo factus est homo.* Rursum, *in timore* id est, cum quadam velut reverentia, tum versus Deum, tum versus imaginem illius, quam frater peccato suo turpavit, ita noster Lorinus. Minus recte aliqui τὸ *in timore* referunt ad *odientes*, quod sequitur.

ODIENTES ET (*et*, id est, etiam, vel *interim*) EAM QUÆ CARNALIS EST, MACULATAM (græce απο της σαρκος εσπιλωμενον, id est, à carne maculatam) TUNICAM.] Pendent hæc ex eo quod præcessit : *Aliis autem miseremini in timore*, q. d. Volo vos misereri seductorum à Gnosticis, sed cum timore et odio, non hæreticorum, sed hæresis, ne scilicet eorum familiaritate illecti ipsi suam scabiem vobis affricent, ac suam libidinem et hæresim anhelando afflent. Quare moneo ut animas eorum amando convertere satagatis, sed interim odiatis eorum maculatam vestem et tunicam. At quænam hæc?

Primo, aliqui accipiunt concupiscentiam, quam Paulus vocat veterem hominem, eumque exui jubet cum actibus suis, Coloss. 3. 9.

Secundo, alii per *tunicam* accipiunt carnem : hæc enim est quasi vestis animæ, hancque Gnostici maculabant suis libidinibus, juxta illud v. 8. *Et carnem quidem maculant.*

Tertio, alii accipiunt hypocrisin et speciem

pietatis, quam exterius suis sordibus iisdem prætendebant; erant enim interius spurci, omnique libidine polluti.

Quarto et optime, per *maculatam tunicam* accipe turpes et carnales mores et affectus (hi enim sunt quasi vestis animæ, pulchra si pulchri, turpis si turpes) turpem vivendi modum, sordidatam libidinibus et vitiis conversationem: sordida enim opera sunt quasi sordida indumenta animi, ita Vatabl. et Clemens Alexandr. *Maculata tunica*, inquit, *est cum spiritus concupiscentiis pollutus est carnalibus.*

Alludit primo, ad ritum legis veteris Lev. 15. quo vestes lepra, sanguine vel semine pollutorum, pollutæ censebantur, ita ut quicumque eas tangeret, legaliter polluceretur, et arceretur tam à templo, quam à convictu hominum. Secundo, ad profusas crapulas et libidines Gnosticorum, quæ in vestes ipsas defluebant, easque inficiebant et maculabant, juxta illud v. 12. *Hi sunt in epulis suis maculæ.* Tertio, ad vestem candidam qua fideles induuntur in baptismo, ut moneantur candorem internum tueri et conservare, ideoque audiunt à sacerdote baptizante: *Accipe vestem candidam, sanctam et immaculatam, quam perferas sine macula ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam æternam, et vivas in sæcula sæculorum, amen.* Vide S. Aug. serm. 139. de Temp. et S. Ambros. lib. de Initiandis. Sensus ergo est, q. d. Videte, ô fideles, ne agendo cum Gnosticis vestem candidam innocentiæ, quam in baptismo accepistis, eorum impuritate et libidine contaminetis, sed illam plane odite et execramini. Ita de Valentiniano Imper. legimus apud Sozom. l. 6. c. 6. quod cum adhuc militaret sub Juliano Apostata, dum cum eo ingressus templum idolorum, sacerdos roscidis frondibus Julianum aspergeret, gutta una in vestem Valentiniani inciderit; quare ipse illico, audiente Juliano, pollutum se dicens, non expiatum sacerdotem increpuit, pugnoque percussit, quin et vestis partem gutta aspersam præcidit et abjecit.

Moral. Docet hic Judas charitatem fidelium debere esse prudentem et circumspectam, ne dum alios volunt salvare, seipsos perdant. Quare qui conversantur cum peccatoribus, præsertim confessarii, qui fœdissima scelera audiunt, præmuniant se oratione, atque odio et execratione maculatæ tunicæ, puta omnis vitiis et sordis. Thomas Cantiprat. refert se per S. Lutgardem impetrasse à Deo, ut in excipiendis confessionibus nulla turpi narratione commoveretur, cum tamen alias frequenter et graviter turpibus phantasmatibus torqueretur, ita habet Vita S. Lutgardis lib. 2. apud Surium die 16. Junii. Prius ergo se solident sacerdotes in castitate et virtute, ac deinde cum incestis et sceleratis agant, eosque convertant, ne si in ea debiles sint et infirmi, à validiore obscœnitate et scelere vincantur; perinde ac debiles, qui manum natantibus jam submergendis porrigunt, ut eos extrahant, ab iis utpote validioribus, in undas pertrahuntur et merguntur.

24. EI AUTEM QUI POTENS EST VOS CONSERVARE SINE PECCATO.] Syrus et Arabicus addunt, *et sine macula*, ut careatis maculata Gnosticorum tunica, de qua proxime sermo præcessit. Doxologia magnifica obsignat S. Judas epistolam, ait Œcum. toto cordis affectu celebrando Dei attributa, et magnificentiam ostensam in Christo. Doxologia hæc tacitum continet votum et precem, ut scilicet Deus fideles sine peccato conservet, et immaculatos sistat Christo gloriose advenienti ad judicium, ut ab eo gloria donati exultent, cumque laudent in omnia sæcula. Simili modo S. Paulus claudit epistolam ad Roman. cap. 16. v. 25. *Ei autem qui potens est vos confirmare juxta Evangelium meum*, etc. *soli sapienti Deo per Jesum Christum, cui honor et gloria in sæcula sæculorum, amen.* Sic et S. Petrus claudit primam epist. cap. 5. 11. *Ipsi gloria*, inquit, *et imperium in sæcula sæculorum, amen.* Itidem secundam c. 3. 18. *Ipsi gloria et nunc, et in diem æternitatis, amen.*

Porro doxologiam hanc opponit blasphemiis et hæresibus Simonis et Gnosticorum. Simon enim dicebat se esse Deum et redemptorem, non Christum: sua gratia, non Christi nos salvari. Gnostici negabant peccatorum turpitudinem, punitionem et judicium universale. Hæc ergo in doxologia hac profitetur S. Judas, Deumque celebrat ut solum salvatorem, solum glorificatorem, solum potentem, solum mirabilium patratorem, solum dominantem, solum magnificum, solum gloriosum, solum æternum.

Nota. Τὸ *ei qui potens est*, non tantum significat, Deum posse, sed et velle nos conservare sine peccato, adeoque conservaturum nisi nos ei ejusque opi et gratiæ desimus. Simili phrasi ait Paulus 2. Corinth. 9. 8. *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis. Potens est*, id est potest, scit, vult et facit abundare omnem gratiam in suis fidelibus.

Hinc discimus neminem sine Dei gratia posse vitare omnia peccata, vivere sine peccato, etiam gravi et mortifero: per ejus autem opem ordinariam posse nos omnia mortalia vitare, non tamen omnia venialia ad longum tempus, nisi ex speciali ejus privilegio, quale concessum fuisse B. Virgini credit Ecclesia, ait Concil. Trident. sess. 6. can. 23. et cap. 1. *Justorum*, ait, *illa vox est et humilis et verax: Dimitte nobis debita nostra.* Unde S. August. de Natura et gratia c. 10. *Hoc*, inquit, *confiteatur, quod impietate sceleratissima negatur sine gratia Dei hominem sine peccato esse non posse.* Et S. Cyprianus de Oper. et eleemos. *Si*, inquit, *nemo esse sine peccato potest, quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus, aut stultus est*, et S. Gregorius 21. Mor. c. 9. *Multi*, ait, *in hac vita sine crimine, nullus vero esse sine peccatis valet.* Quocirca Arabicus vertit: *Etenim salus nostra potens est ut custodiat vos sine peccato, et sine macula*, seu *vitio.* Per *salutem* intelligit Deum salvatorem, ejusque gratiam salutiferam per Christum datam. Deus enim solus per se et natura sua est impeccabilis: tum quia est ipsa per essentiam bonitas et sanctitas, tum quia ipsius ratio et voluntas sibi, et angelis hac hominibus est omnis recti bonique norma et regula, uti docet S. Thom. 1. part. quæst. 63. a. 1. Creaturæ vero omnes per se peccabiles sunt, sed à Deo participant ut non peccent, et subinde ut peccare non possint, uti Beati. Quo ergo magis accedunt ad Deum, eo magis recedunt à peccato, fiuntque tandem quasi impeccabiles, uti docet S. August. 22. Civit. 30. unde S. Hieronymus l. 2. contra Pelag. *Absque vitio*, ait, *quod dicitur κακία, id est malitia, hominem esse posse aio:* ἀναμάρτητον, *id est sine peccato, esse nego; id enim soli Dei competit, omnisque creatura peccato subjacet, et indiget*

misericordia Dei. Et Tertull. lib. de præscript. hæret. *Soli Deo Filio*, ait, *servabatur, sine delictis permanere.*

Et constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos.] Græce ἀμώμους, id est, *irreprehensibiles. Conspectum gloriæ* vocat primo, præsentiam Dei gloriosi, in qua omnes in hac vita consistimus, juxta illud Eliæ : *Vivit Dominus exercituum ante cujus vultum sto.* 3. Reg. 18. v. 15. quasi dicat : Ut in oculis Dei sitis et ambuletis immaculati. Ita Dionys. unde Clemens Alexand. exponit, *coram angelis*, q. d. Ut omnia faciatis quasi vidente Deo et SS. angelis, sic Paulus ait Ephes. 1. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate.* Et Zachar. *Serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris*, Lucæ 1. 74.

Secundo et planius, *conspectum gloriæ* vocat gloriam Dei, qua gloriosus apparet, conspicit et conspicitur à Beatis in visione beatifica : huic enim nemo sistetur nisi plane purus et immaculatus, Apoc. 21. 24. unde Syrus vertit, *sine nævo :* nullus enim vel minimus nævus admittitur ad istam gloriam. Unde sequitur : *In adventu Domini*, ita Beda, Lyran. Thomas Anglicus et alii. Ad hanc ergo gloriam cœlestem jugiter oculos cordis et corporis elevemus, juxta illud monitum Ecclesiæ : *Sursum corda.* Et S. Augustinus in psalm. 31. *Erige cor sursum, ne putrescat in terra.*

Et exultatione,] tum qua exultat sancta conscientia in hac vita, eo quod nullius mali sibi sit conscia, juxta illud psalm. 31. 11. *Lætamini in Domino et exultate justi, et gloriamini omnes recti corde.* Nam *secura mens quasi juge convivium*, Prov. 15. v. 15. Tum potius qua exultant Beati in cœlo, juxta illud : *Exultabunt sancti in gloria*, psalm. 149. 5. *Gaudium et exultationem obtinebunt*, Isaiæ 35. 10. Exultatio enim Beatorum de Deo viso et possesso, est ipsa Dei fruitio, ideoque vel est ipsa formalis beatitudo, ut vult Medina 1. 2. q. 3. a. 4. et alii, vel potius est beatitudinis in visione Dei consistentis fructus, flos et complementum, uti docent passim cæteri Theologi. Porro exultatio est gaudii excessus cum quadam cordis corporisque subsultatione. Unde græce ἀγαλλιᾶσθαι, id est *exultare*, dicitur quasi ἀγανάλλεσθαι, id est, valde saltare et exilire, quod Hebræi vocant רנן *ranan*, id est *jubilare*, et אלץ *alats*, id est *exultare*. Unde Græcum ἀλαλάζειν.

Præclare S. August. in illud psal. 148. *Laudate Dominum de cœlis. Etsi corpus nostrum*, ait, *adhuc in Babylonia tenetur, cor nostrum ad Jerusalem præmittatur. Laudat ergo tota creatura Dominum, quia hoc tibi facturi sumus, quod hic præmeditantur. Cœlestia tranquilla sunt, ibi semper gaudium, nulla mors, nulla molestia, semper laudant Deum beati. Nos adhuc in imo sumus, ea cum cogitamus, quomodo illic laudetur Deus, cor ibi habeamus, et non sine causa audiamus : Sursum corda. Levemus cor sursum, ne putrescat in terra? quoniam placet nobis quod ibi agunt angeli. Laudate ergo eum in excelsis.*

In adventu Domini nostri Jesu Christi.] Desunt hæc nunc in Græco, Syro et Arabico, et in nonnullis Latinis antiquis. Adventum secundum Christi intelligit, puta gloriosum ad judicium, quo omnes Sanctos beabit et glorificabit ; juxta illud 2. Thessal. 1. 10. *Cum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.* Hinc S. Franciscus in explicationis Dominicæ, illud : *Adveniat regnum tuum*, sic explicat : *Adveniat regnum tuum ut regnes in nobis per gratiam tuam, et facias nos venire ad regnum tuum, ubi est tuî visio manifesta, tuî dilectio perfecta, tuî societas beata, tuî fruitio sempiterna.*

25. Soli Deo salvatori nostro.] Salvatoris nomen nunc Jesu Christo ; Jesus enim idem est quod Salvator ; nunc Deo Patri, vel potius toti SS. Trinitati tribuitur ; hæc enim nos salvat per Christum. Ita hic Deus, puta tota SS. Trinitas, vocatur Salvator noster, juxta illud Psal. 31. 8. *Homines et jumenta salvabis, Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus.* Et 1. Timoth. 4. 10. *Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime autem fidelium.* Græca addunt σοφῷ, id est *sapienti :* solus enim Deus per se et per essentiam est sapiens, bonus, potens : angeli enim, homines et creaturæ à Deo participant et emendicant particulam bonitatis, sapientiæ, potentiæ, etc. Porro apte τῷ *sapienti* jungitur *Salvatori*, quia scientia sanctorum est scientia salutis, Sapient. 10. v. 10. Lucæ 1. v. 77. S. Judæ concinit S. Paulus 1. Timoth. 1. v. 17. dicens : *Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

Per Jesum Christum.] *A natura propria*, ait, S. Bernard. serm. 2. de Circumc. *habet noster Jesus ut sit Salvator ; innatum est ei nomen hoc, non inditum ab humana vel angelica natura.* Per Christi enim nativitatem, prædicationem, miracula, passionem, mortem, resurrectionem, etc. innotuit, imo toto orbe celebrata est Dei gloria, magnificentia, imperium et potestas juxta illud Christi : *Pater, clarifica nomen tuum ;* et facta est vox de cœlo : *Et clarificavi, et iterum clarificabo*, Joann. 12. 28. et c. 17. v. 1. *Pater, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te*, et v. 6. *Manifestavi nomen tuum hominibus.*

Gloria.] *Gloria*, græce δόξα, id est *claritas, est clara cum laude notitia*, inquit ex Aristotele et Cicerone S. Aug. lib. 83. quæst. q. 33. vel, ut S. Basil. lib. de Spiritu sancto, c. 23. Gloria est commemoratio mirabilium quæ alicui insunt, præsertim Deo. Vel, ut alii : *Gloria est notitia clarior alicujus excellentiæ*, vide S. Hieron. in c. 5. ad Galat. et Dom. Soto in 4. dist. 49. q. 3. art. 4. Gloriam hanc sibi uni reservat Deus, Isaiæ 42. 8. dicens : *Gloriam meam alteri non dabo*, quia gloria propria est, proprieque debita soli Deo ob infinitam ejus majestatem, celsitudinem, magnitudinem, magnificentiam, ita angeli et Beati omnes accinunt Deo gloriam Apocal. 4. 11. c. 5. 12. cap. 19. 7. Idem imitantur Sancti in hac vita. Unde S. Ignatius fundator Societatis nostræ hoc habuit, nobisque impressit elogium : *Ad majorem Dei gloriam.* Optat ergo S. Judas Deo gloriam, ut scilicet omnes angeli, omnes homines, omnesque creaturæ eum ut summam majestatem celebrent, prædicent, laudent et glorificent.

Et magnificentia.] Syrus, *potentia*, græce μεγαλωσύνη, id est majestas, magnitudo, magnificentia, decus, amplitudo, dignitas. Magnificentia autem est magnorum operum patratio, item magnum personæ decus, splendor, ornatus, majestas : utroque modo Deus est magnificentissimus. Unde millia millium ministrant

ei. Hinc dicta est magnificentia virtus, quam ita definit Cicero lib. 2. de Invent. *Est rerum magnarum et excelsarum cum animi ampla quadam et splendida propositione agitatio atque administratio.*

Et imperium.] Græce κρατος, id est *robur*, ita Syrus et Arabicus. Deus enim in omnes et omnia plenissimum, et robustissimum et efficacissimum habet jus et imperium, estque summus Universi imperator et dominator. Jam S. Judas et sancti ex summo Dei amore et reverentia, optant Deo magnificentiam et imperium, quasi congratulando ei, gaudendo et desiderando, ut in eo semper illa perseverent: rursum ut ab angelis et hominibus illa agnoscantur, colantur et celebrentur. Vide dicta Habacuc 2. ad illud v. 20. *Dominus autem in templo sancto suo, sileat à facie ejus omnis terra.*

Et potestas,] εξουσια. Syrus, *dominatio;* Arabicus, *potentia,* cui scilicet nemo resistere valet. Potestas est quasi executio imperii: exequitur enim efficaciter quidquid voluntas Dei imperat. Porro Hugo considerat gloriam Dei in se, magnificentiam in operatione, imperium in regimine omnium, ut omnis voluntas ejus fiat; potestatem ut nihil ei resistat. Lyranus gloriam explicat, in quantum Deus apparet dignus omni laude: magnificentiam, de diffusione bonitatis ejus super omnia: imperium, de obedientia totius creaturæ ad ipsum, potestatem de punitione malorum et præmiatione bonorum.

Ante omne sæculum,] scilicet fuit et constitit: *et nunc* consistit; vel potius opto precorque ut consistat. Aut q. d. Quæ illi ante omnia sæcula debentur, eadem ei *et nunc*, puta in præsenti vita à fidelibus, *et in omnia sæcula* à Beatis in cœlo reddantur.

Et in omnia sæcula sæculorum.] Græce, και εις παντας τους αιωνας; Syrus, *et in omnes ipsas æternitates:* licet enim una sit Dei æternitas, tamen hæc infinitas ævorum angelicorum et temporum humanorum æternitates, etiam quas mens effingere potest, ambit, complectitur et transcendit.

Amen,] id est, fiat, fiat, ut vertunt Sept. Vide dicta 1. Corinth. 14. 16. et 2. Corinth. 1. 20. Justi enim *nunc*, id est in hac vita, glorificant Deum: Beati vero in cœlo glorificabunt Deum per omnem æternitatem, juxta illud psalm. 83. 5. *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Ubi præclare S. Aug. *Noli*, ait, *timere ne non possis semper laudare, quem poteris semper amare: si cessabis à laude, cessabis ab amore; ab amore cessare non poteris.* Denique Boetius lib. 3. de Consol. metro 9. ita Deo, quasi principio et fini omnium, concinit et jubilat:

Tu requies tranquilla piis, te cernere finis;
Principium, vector, dux, semita, terminus idem.

Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. O summa veritas, vera charitas, chara æternitas, Deus meus et omnia: fac nos te sapere, tibi vivere, tibi mori, te frui per æterna sæcula sæculorum. Amen.

INDEX
LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

QUÆ

HISCE IN EPISTOLAS CANONICAS COMMENTARIIS EXPLICANTUR.

(Prior numerus paginam, secundus columnam designat : si unicus tantum occurrat numerus, ad præcedentem referri indicio est.)

EX GENESI.

Cap. 2. v. 24. Erunt duo in carne una, *pag.* 911. *col.* 1
4. 1. Possedi hominem per Deum, 545. 1. 879. 1. 960. 1
11. 9. Quoniam ibi confusum est labium universæ terræ, 736. 1
13. 8. Ecce universa terra coram te est, 685. 1
15. 1. Ego protector tuus sum, 776. 1
v. 6. Credidit Abraham Deo et reputatum est ei ad justitiam, 507. 1
19. 21. Suscepi preces tuas, 968. 1
49. 24. Pastor lapis Israel, 597. 1

EX EXODO.

Cap. 20. v. 7. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, 576. 2
33. 13. Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris, 897. 2

EX DEUTERONOMIO.

Cap. 10. v. 17. Qui personam non accipit, 968. 1

EX LIBRO I. REGUM.

Cap. 8. v. 2. Mensus est funiculos duos, unum ad occidendum, et unum ad vivificandum, 680. 1
27. 11. Virum et mulierem non vivificabat David, *ibid.*

EX LIBRO II. REGUM.

Cap. 1. v. 23. Saül et Jonathas amabiles, 604. 2

EX LIBRO III. REGUM.

Cap. 20. v. 11. Ne glorietur accinctus æque ut discinctus, 615. 1
4. 29. Dedit ei latitudinem cordis, 492. 1

EX LIBRO IV. REGUM.

Cap. 2. v. 12. Pater mi, currus Israel et auriga ejus, 588. 1

EX LIBRO II. PARALIPOMENON.

Cap. 17. v. 3. Non speravit in Baalim, sed in Deo patris sui, 664. 2

EX LIBRO IV. ESDRÆ.

Cap. 3. v. 20. Non abstulisti ab eis cor malignum, 921. 2

EX LIBRO TOBIÆ.

Cap. 10. v. 4. Lumen oculorum nostrorum, 454. 2

EX LIBRO ESTHER.

Cap. 12. v. 6. Aman Filius Amadathi Bugæus, 860. 2

EX LIBRO JOB.

Cap. 5. v. 22. Terminum circumdedit aquis, usque dum finiatur lux et tenebræ, 810. 2. 811. 1
21. 11. Infantes eorum exsultant lusibus, 854. 1
31. 38. Si adversum me terra clamat, et cum ipsa sulci ejus deflent, 568. 2
37. 18. Tu forsitan fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt, 805. 1
0. 14. Ipse est principium viarum Dei, 459. 2

EX PSALMIS.

Psal. 4. v. 6. Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino, 664. 2
10. 5. Palpebræ ejus interrogant filios hominum. 685. 1
v. 6. Dominus interrogat justum et impium, *ibid.*
11. 9. In circuitu impii ambulant, 730. 1
22. 1. Dominus regit me, et nihil mihi deerit, 658. 1
23. 2. Super maria fundavit eam, 798. 1
v. 9. Attollite portas, principes, vestras, 683. 1
28. 6. Dilectus quemadmodum filius unicornium, 759. 1
30. 3. Esto mihi in Deum protectorem, 911. 1
v. 16. In manibus tuis sortes meæ, 562. 1. 725. 1
33. 8. Immittit angelus Domini in circuitu timentium eum, 606. 1
v. 9. Gustate et videte quoniam suavis est Dominus, 632. 2
Ibid. Beatus vir qui sperat in eo, 664. 2
35. 10. In lumine tuo videbimus lumen, 454. 2
44. 17. Pro patribus nati sunt tibi filii, 757. 1
50. 9. Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor, 600. 2
54. 23. Jacta cogitatum tuum in Domino, 725. 2. 870. 2
Ibid. Et ipse te enutriet, 725. 2
59. 9. Fortitudo capitis mei, 776. 1
71. 15. Dabitur ei de auro Arabiæ, et adorabunt de ipso, 828. 1. 929. 2
76. 6. Exercitabar et scopebam spiritum meum, 809. 1
84. 3. Operuisti omnia peccata eorum, 698. 2
v. 8. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, 505. 2
85. 11. Lætetur cor meum ut timeat nomen tuum, 437. 1
88. 13. Thabor et Hermon in nomine tuo exsultabunt, 761. 1
89. 4. Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præteriit et tanquam custodia in nocte, 801. 1
v. 10. Anni nostri sicut aranea meditabuntur, 560. 1
95. 1. Cantate Domino canticum novum, 850. 1
101. 27. Omnes sicut vestimentum veterascent; et sicut operitorium mutabis eos, 805. 2
109. 4. Tecum principium in die virtutis tuæ, 459. 2
138. 14. Mirabilia opera tua, 604. 2
v. 23. Interroga et cognosce semitas meas, 685. 1

EX LIBRO PROVERBIORUM.

Cap. 1. v. 7. Timor Domini principium sapientiæ, 460. 1
3. 34. Illusores ipse deludet et mansuetis dabit gratiam, 549. 2
8. 22. Possedit me in initio viarum suarum, 459. 2. 823. 1
10. 11. Os impiorum operit iniquitatem, 699. 1
v. 12. Odium suscitat rixas, et universa delicta operit charitas, 698. 1. 2. 699. 1. 700. 1
v. 29. Fortitudo simplicis, via Domini, 776. 1
12. 17. Qui quod novit loquitur, index justitiæ est, 506. 1
17. 27. Pretiosi spiritus vir eruditus, 462. 2
18. 5. Accipere personam impii non est bonum, 968. 1
20. 2. Qui provocat eam, peccat in animam suam, 526. 1
v. 3. Stulti miscentur contumeliis, 534. 2
v. 26. Et incurvat super eos fornicem, 524. 1
21. 16. Vir qui erraverit à via doctrinæ, in cœtu gigantium commorabitur, 589. 1
23. 20. Propinquus pupillorum fortis est, 478. 1
29. 11. Totum spiritum suum profert stultus, sapiens reservat in posterum, 463. 2
30. 15. Sanguisugæ duæ filiæ, dicentes : Affer, affer, 544. 2

EX ECCLESIASTE.

Cap. 1. v. 1. Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, 559. 1. 2
7. 14. Noli velle mentiri omne mendacium, 864. 1
12. 6. Antequam conteratur hydria super fontem, et confringatur rota super cisternam, 523. 1
v. 13. Deum time, et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo, 411. 2

EX LIBRO CANTICORUM.

Cap. 1. v. 5. Nigra sum, sed formosa sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis, 798. 1
v. 8. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, 776. 1
4. 3. Labia tua sicut vitta coccinea, 475. 1
v. 9. Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, 468. 1

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

Cap. 4. v. 12. Fascinatio nugacitatis obscurat bona, etc. 856. 2
5. 17. Dextra sua teget eos, et brachio sancto suo defendet illos, 776. 1
11. 1. Feliciter direxit opera eorum, in manu prophetæ sancti, 935. 2
19. 11. Postulaverunt escas epulationis, 569. 1

EX ECCLESIASTICO.

Cap. 1. v. 28. Qui sine timore est, non poterit justificari, 464. 2
4. 1. Fili, eleemosynam pauperis ne defraudes, 883. 1
10. 19. Pecuniæ obediunt omnia, 483. 2
11. 3. Initium dulcoris habet fructus illius, 460. 1
13. 23. Venatio leonis, onager in eremo, sic et pascua divitum sunt pauperes, 491. 1
18. 18. Datus indisciplinati tabescere facit oculos, 432. 1
19. 12. Sagitta infixa femori carnis; sic verbum in corde stulti, 515. 1
20. 14. Datus insipientis non erit utilis tibi: oculi enim illius septemplices sunt: exigua dabit, et multa improperabit: et apertio oris illius inflammatio est, 432. 1
28. 16. Lingua tertia multos commovit, et utilis potius infernus quam illa, 523. 2. 524. 1
v. 29. Aurum tuum et argentum tuum confla, et verbis tuis facito stateram, 517. 1
29. 28. Initium vitæ hominis aqua et panis, 460. 1
31. 8. Beatus dives qui inventus est sine macula, 609. 1
33. 4. Qui interrogationem manifestat, parabit verbum, 685. 1
34. 25. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum, 571. 1

EX ISAIA.

Cap. 2. v. 3. Docebit vos de viis suis, 929. 2
8. 12. Timorem ejus ne timeatis, neque paveatis Dominum exercituum ipsum sanctificare, 676. 1. 2
9. 15. Qui beatificant populum seducentes, 968. 1
14. 13. In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum, 772. 1
28. 10. Manda, remanda, exspecta, reexspecta, 684. 1
v. 21. Alienum opus ejus ab eo, 704. 1
29. 1. Væ, Ariel, Ariel, 709. 2
52. 15. Iste asperget gentes multas, 600. 2

EX JEREMIA.

Cap. 2. v. 34. In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum, 571. 1
4. 2. Et jurabis in veritate, et in judicio, et in justitia, 576. 2
12. 3. Sanctifica eos in die occisionis, 570. 1
15. 18. Facta est mihi manus tua quasi mendacium aquarum infidelium, 786. 2
31. 33. Eritis mihi in populum, 911. 1

EX BARUCH.

Cap. 1. v. 22. Abivimus unusquisque in sensum cordis nostri maligni, 921. 1

EX EZECHIELE.

Cap. 22. v. 2. Et tu, Fili hominis, nonne judicas civitatem sanguinum, 685. 1
24. 9. Væ civitati sanguinum, cujus ego grandem faciam pyram, 698. 2

EX DANIELE.

Cap. 12. v. 2. Multi ex iis qui dormierunt resurgent, 693. 2

EX JOEL.

Cap. 3. v. 21. Mundabo sanguinem eorum quem antea non mundaveram, 698. 2

EX NAHUM.

Cap. 1. v. 7. Dominus confortans in die tribulationis, 776. 1

EX SOPHON.

Cap. 2. v. 1. Gens non amabilis, 604. 2

EX MALACHI.

Cap. 1. v. 6. Si pater ego sum, ubi est honor meus? 425. 2

EX LIBRO I. MACHABÆORUM.

Cap. 5. v. 62. Ipsi autem non erant ex semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel, 860. 2

EX LIBRO II. MACHABÆORUM.

Cap. 3. v. 36. Testabatur autem omnibus ea quæ sub oculis suis viderat opera magni Dei, 834. 1

EX NOVO TESTAMENTO.

EX S. MATTHÆO.

Cap. 5. v. 3. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, 437. 2
v. 34. Ego autem dico vobis non jurare omnino, 576. 2
v. 36. Neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum, 577. 2
6. 23. Et ne nos inducas in tentationem, 416. 2
v. 34. Sufficit diei malitia sua, 465. 2
7. 1. Nolite judicare, ut non judicemini, 541. 1
12. 40. Sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus, 682. 2
16. 17. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, 593. 1
17. 12. Quia Elias jam venit, 892. 1
23. 2. Super cathedram Mosis sederunt, 843. 2
v. 6. Vos autem, nolite vocari rabbi: unus est enim magister vester, 512. 2
24. 13. Tunc parebit signum Filii hominis, 808. 1
v. 35. Cœlum et terra transibunt, 805. 2
25. 24. Intra in gaudium Domini tui, 611. 1
26. 28. Qui pro multis effundetur, 697. 1

EX S. MARCO.

Cap. 16. v. 7. Dicite Discipulis et Petro, 936. 2

EX S. LUCA.

Cap. 1. v. 37. Non erit impossibile apud Deum omne verbum, 864. 1
v. 47. Et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo, 843. 2
6. 24. Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram, 563. 2
9. 56. Nescitis cujus spiritus estis, 890. 2
11. 41. Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis, 494. 1. 495. 1
12. 35. Sint lumbi vestri præcincti, 615. 1
22. 42. Pater, si vis, transfer calicem istum à me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat, 446. 2

23. 43. Hodie mecum eris in paradiso, 682. 2
24. 18. Tu peregrinus es in Jerusalem, et hæc ignoras, 704. 1

EX S. JOANNE.

Cap. 1. v. 1. In principio erat Verbum, 817. 1. 822. 2. 823. 1
Ibid. Et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, 823. 1. 834. 1. 2
v. 4. In ipso vita erat, 833. 1
Ibid. Et vita erat lux hominum, 836. 2
v. 9. Erat lux vera, 851. 1
v. 12. Verbum caro factum est, 689. 1
v. 18. Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit, 897. 1
v. 20. Confessus est, et non negavit, 867. 1
3. 8. Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis; sed nescis unde veniat, aut quo vadat, 890. 1
5. 21. Venit hora, et nunc est, quando, etc., 859. 1
6. 41. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi, 851. 1
8. 44. Ille in veritate non stetit, 839. 1
13. 14. Si ego lavi pedes vestros, 896. 1
15. 1. Ego sum vitis vera, 851. 1
v. 3. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, 843. 2
v. 12. Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, 878. 2
16. 9. Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, 856. 2
v. 30. Consummatum est, 454. 1
20. 15. Domine, si tu sustulisti eum, 851. 1

EX ACTIS APOSTOLORUM.

Cap. 2. v. 17. Effundam in Spiritu meo, 828. 1
8. 9. Dicens se esse aliquid, 460. 1

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

Cap. 5. v. 3. Scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, 420. 1
7. 19. Non enim quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago, 841. 1
v. 20. Si quod nolo, illud facio; jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum, 448. 1
8. 29. Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui, 423. 2
12. 8. Qui tribuit, tribuat in simplicitate, 429. 2
14. 23. Omne quod non est ex fide, peccatum est, 433. 2
15. 16. Sanctificans Evangelium Dei, 478. 2
16. 2. Salutat vos Caius hospes meus, et universa Ecclesia, 935. 1

EX I. AD CORINTHIOS.

Cap. 3. v. 7. Quod si ministratio mortis fuit in gloria, etc., 612. 2
9. 9. Justitia ejus manet in seculum seculi, 740. 2
13. 12. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad aciem, 471. 1
13. 13. Major horum est charitas, 762. 1
15. 7. Deinde visus est Jacobo, 408. 2
v. 45. Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem, 680. 1

EX II. AD CORINTHIOS.

Cap. 5. v. 21. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, 856. 2
8. 2. Altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum, 429. 2
9. 11. Ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, *ibid.*

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

Cap. 5. v. 18. Nolite inebriari vino in quo est luxuria, 784. 1
v. 26. Per lavacrum aquæ, in verbo vitæ, 626. 2

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

Cap. 2. v. 3. Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, etc., 689. 2

EX EPISTOLA AD COLOSSENSES.

Cap. 1. v. 15. Qui est primogenitus omnis creaturæ, 459. 2

EX PRIMA AD TIMOTHEUM.

Cap. 5. v. 17. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, 964. 2

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

Cap. 10. v. 22. Aspersi corda à conscientia mala, 600. 2
11. 31. Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis excipiens exploratores cum pace, 509. 1
12. 8. Ergo adulteri et non filii estis, 546. 2

EX EPISTOLA I. PETRI.

Cap. 4. v. 17. Quoniam tempus est ut incipiat judicium à domo Dei, 714. 2

EX APOCALYPSI S. JOANNIS.

Cap. 3. v. 3. Veniam ad te tanquam fur, et nescies qua hora veniam ad te, 803. 2
3. 14. Qui est principium creaturæ Dei, 460. 1
12. 8. Neque locus inventus est eorum amplius in cœlo, 609. 1
16. 15. Ecce venio sicut fur, 803. 2

INDEX
RERUM ET VERBORUM

QUÆ

IIIS IN EPISTOLAS CANONICAS COMMENTARIIS CONTINENTUR.

(Prior numerus paginam, secundus columnam designat: si unicus occurrat numerus, ad præcedentem referri indicio est.)

A.

Abacellæ mulieris fanatica superbia et hæresis, 864. 2
Abelis innocentia, virginitas, sacerdotium et martyrium, 879. 2. Fuit typus Christi, *ibid.* Quare à fratre sit occisus, 960. 2
Abjectus sua abjectione contentus vivat, 437. 2
Abrahæ fides bonis operibus cumulata fuit, 507. 1. Ejus obedientia et religio insignis in offerendo Isaac, *ibid.* Ex operibus vere justificatus est, *ibid.* 2. Cur dictus amicus Dei, 508. 1. 2. Ejus elogium, *ibid.* 2
Absconditus homo quis dicatur, 661. 2. 662. 1
Abstinentia est soror scientiæ, 748. 1
Abyssini in templo semper stant, 486. 1. Recens baptizatis dant lac et mel, 632. 1
Ακαταστος ακαταστασια inconstantem et inconstantiam omnimodam significat, 437. 1
Acceptio personarum quale sit vitium, 481. 1. 2. et seq. Ipsa justitiam evertit, 485. 1
Accidentia nulla sunt in Deo ob summam perfectionem, 895. 1

Acco seipsam in speculo intuens, secum quasi cum alia muliere loquebatur, 470. 1
Acedi comparantur arbori nunquam ad maturitatem fructus suos producenti, 964. 1
Actiones Christi fuere dignæ Deo, 957. 1. 2. Ad actiones identidem nobis reflectendum est, 692. 1. Earum regula est conspectus Dei, 885. 2
Actuale peccatum solum confitendum est, 840. 2
Actus per metonymiam sæpe significat objectum, 453. 2
Adam peccando vulneratus est natura, 446. 2. Est extra paradisum creatus, 772. 2. Ei obediebant feræ in statu innocentiæ, 526. 1
Adolescentum multorum victoriæ de diabolo et carne, 853. 2. Eorum officium erga superiores, 723. 1
Adriani II. Pontificis in egenos liberalitas, 432. 1
Advenæ qui sint quibus S. Petrus scribit, 598. 1
Adversis exploratur virtus, 417. 1
Adulatores palam laudant, occulte vituperant, 531. 1. Duplici suot animo, 456. 2
Adulteri spirituales quinam sint, 546. 1
Advocatus quomodo à patrono differat, 845. 1
Æones Valentini qui fuerint, 965. 2
Aeris quanta in inferiora sit vis, 805. 1. Plenus est dæmonibus, 727. 2. 771. 2. Est in montibus purior, in vallibus impurior, 559. 2
Ægroti commendent se identidem Domino, 579. 2. Fortiter ferant ægritudinem, 581. 1
Æmulos semper habent viri magni, 938. 2
Ænigma mentis et rationis, 474. 2
Ærugo vitium est tam æris quam auri, 566. 1
Ætates sex mundi, 694. 2. Ætas juvenilis flori comparatur, 439. 1
Æternitas temporum semper est durans, 800. 2. Æternitatem quomodo imaginemur, 814. 1. Est principium sine principio, 823. 1. Æternitas Verbi Dei adstruitur, 821. 2. 822. 1. 2. 823. 1. Æternitas Dei et Sanctorum quam sit longa, 802. 1. 976. 1
Affabilitas decet Christianos, 669. 2
Affectiones omnes carnis sunt naturales, nec in iis est peccatum, nisi ex negligentia procedant, 448. 1
Affectuum in homine diversitas, 436. 2. Tres eorum pro objecto habent bonum, alii tres qui habent malum, 412. 1.
Affectu pauperibus succurrat, qui effectu nequit, 884. 2
Afflictio est probatio et fornax expurgans, 704. 1. Ejus vilitas, 412. 1
Afflicti Deo se commendare debent, 712. 1
Africana Ecclesia S. Petro initium suum debet, 595. 2
Αγαλλασθαστει αγανα λλεθαι, 607. 1. 975. 1
Agamemnon unde dictus, 731. 2
Agapæ quæ essent olim convivia, 784. 1. 962. 2
Agapetarum secta quæ esset, 643. 1. 790. 2. 791. 1
Agatha (S.) Christianam humilitatem prætulit regum opibus, 473. 2. Ejus robur et generositas, 734. 2. Ei epitaphium posuere angeli, 480. 2
Agesilai regis in cruciatu constantia, 415. 2
Αγιος unde dicatur, 479. 1
Agis fuit multorum Lacedæmonis regum nomen, 720. 2
Agnes (S.) juvenem opulentum repudiat, et post mortem parentibus apparet, 548. 2. 549. 1
Agni nomine cur dicatur Christus, 620. 2. Agnus paschalis debebat esse sine macula; repræsentabat is Christum, 622. 1. 2
Albanenses hæretici negarunt futurum judicium, 796. 2
Albus color lætus, lucens et festivus, 484. 2. 485. 1
Alexandrini Ursini Cardinalis elogium, vita, mors, studia, 923. 2. 924. 1
Alexandrina Ecclesia per S. Petrum in S. Marco ibi præsidentem facta patriarchalis, 410. 2. Qui fuerint ejus doctores, 411. 2
Alfonsi Aragonum regis in periculo securitas, 424. 1
Αλλα interdum est particula confirmantis vel exaggerantis suum dictum, 505. 2
Almarici error circa absorptionem contemplantium in divinitatis abyssum, 743. 1
Aloysius (B.) Gonzaga nullum in morte scrupulum sentiebat, 887. 2. Hinc de morte loquebatur, quasi de migratione ex uno loco in alium, sed meliorem, 756. 1. Nullam in oratione mentis evagationem sentiebat, 615. 2. Ejus castitas, 616. 1
Alphæus flumen Achaiæ an in Sicilia denuo prorumpat, 531. 2
Altercatio S. Michaelis cum diabolo ubinam scripta sit, 957. 1. et quænam illa sit, *ibid.* 958. 1
Amandus (S.) apparuit S. Aldegundi cum iis quos ad fidem converterat, 590. 2. 722. 2
Amans Deum sit Deus, 430. 1. Ei dulce est pati, 414. 2. In eo Deus manet, 888. 1. et ipse manet in eo, 900. 1. 901. 1. 902. 1. Ejus zelus, 548. 2. 549. 1. Proximum amans vere, Deum in proximo considerat, 626. 1
Amarantus flos an non marcescat, 605. 1
Ambitio eos pravitatis est, 856. 1
Ambitio magisterii à S. Jacobo cur reprehendatur, 512. 1. 2
Ambrosius (S.) habebat aliam formam in sua Ecclesia in Extrema unctione conferenda, 580. 2. 582. 1. 583. 1. Suasit Theodosio differri reorum supplicium, 464. 1. Cœlitus edoctus et illustratus est, 428. 2. Commentationi psalmi 43. immortuus est, 713. 2. Quo omine ad Episcopatum assumptus, 720. 1
Ambulare capitur pro continuatione alicujus rei, 796. 2. Ambulare in circuitu est hæreticorum et cacodæmonis, 730. 1
Amiantus lapis in igne evadit nitidior; est symbolum divinitatis, 604. 1
Amicitia sit non verbosa, sed operosa, 884. 2. Est vera amicitia inter Deum et justum, 509. 1. 835. 2. Eaque multiplex, *ibid.* Amicitia Dei fida et secura est, 509. 1. Amicitia mundi quæ dicatur, 546. 2
Amicus est quivis proximus qui nobis natura conjunctus est, 493. 2. Amici multi pro amico vitam exposuere, 882. 2. Amicus Dei cur dicatur Abraham, 508. 2. cur et Apostoli et justi, *ibid.* 509. 1
Amor duplex est, concupiscentiæ et amicitiæ, 887. 1. Et quomodo utrumque erga Deum exercere possumus, *ibid.* Amoris vis et efficacia, 450. 2. 451. 1. Ipse potentior est quam timor, 649. 1. Hominem transformat in rem amaram, 857. 2. Amore ad Deum accedimus, 552. 1. Eo emitur regnum cœleste, 442. 1. 490. 1. Amor amorem provocat, 878. 2. Amor procedit ex pulchro et bono, 899. 2. Amor facit ecstasin, 900. 2. Transformat hominem quasi in Deum, 901. 2. Amoris effectus, *ibid.* Amor Dei erga homines, 895. 2. 896. 1. Ejus qui sint effectus et judicia, 430. 1. Amor Beatorum erga Deum, 872. 1. Amor proximi est lex regalis, 492. 1. Is debet condiri vera charitate Dei, 749. 1. Amore fraterno se invicem ament Christiani, 624. 2. Amor spiritualis sæpe degenerat in carnalem, 451. 1. Amor mundi adulterium est, 546. 2. Amor coronis aureis cinctus olim pingebatur, 492. 2. et erat summus deorum, 900. 1
Amphionis eloquentia, 519. 1
Anabaptistarum impostura et arrogantia, 864. 1. Baptizant adultos, non pueros, 686. 1. Negant magistratus et judicia, 647. 2
Αγαχυσις variam patitur significationem, 691. 2
Ananus Pontifex cur S. Jacobum non tulerit, 406. 2
Andreas (S.) in cruce exsultabat, 414. 2. 415. 1. Hinc ei affixus Christum prædicavit, 713. 1. 2
Angelus in priscis visionibus apparuit loco Filii Dei, 823. 2. Angelus loquebatur per os asinæ Balaam, 786. 1. 2. Angeli sunt creati in gratia, 951. 2. Multa à S. Joanne didicerunt, 818. 1. Mire delectantur visione humanitatis Christi, 613. 1. item visione tolerantiæ Martyrum, *ibid.* An suam gloriam et gratiam meritis Christi attribuant, *ibid.* An desiderent unionem hypostaticam Christi cum natura angelica, *ibid.* 2. In Spiritum sanctum prospicere desiderant, *ibid.* 614. 1. Christum item in Eucharistia, 614.

1. Toti sunt intelligentes et lucidi, 455. 1. Testimonium perhibuere Christo, 912. 1. Quam Deo sint obedientes, 617. 1. Omnes creati sunt in cœlo empyreo, 772. 2. Nequeunt quid pati, 416. 2. Assistunt sacrificio Missæ, 614. 1. An ex meritis Christi gratiam et gloriam consecuti sint, 687. 2. Eorum voluntas quomodo sit inflexibilis, 770. 2. Angeli boni abstinent maledicentia, 781. 1. 2. Angeli prævaricantes non pœnituerunt, 770. 2. Hi fuere ex principibus, 952. 1. Primitus non erant beati, *ibid.*

Angli à quo primum ad Christum conversi, 595. 2. Eorum erga S. Petrum devotio, *ibid.*

Anima per peccatum moritur, 452. 1. 881. 1. 964. 2. Magis propendet in sensum quam in rationem, 447. 1. Non est particula divinæ substantiæ, 457. 2. Animæ sanctæ septem ætates, 853. 1. Singuli Deo suam commendent, 712. 2. Animas lucrandi quæ sit ratio, 589. 1. Earum quanta habenda sit ratio, *ibid.* 2. Eas convertere quam sit gloriosum, 590. 1. Eas convertens operit peccata, *ibid.* 2. Per peccatum moriuntur, per gratiam vivunt, 589. 2. Earum pretium, *ibid.* 590. 1. 972. 2. 621. 2. Earum apud Deum commendatio optima est quæ sit opera virtutum exercendo, 714. 1. Earum immortalitatem negant hæretici, 787. 2

Animales qui dicantur, 535. 2. 536. 1. 969. 1

Animalia sapientiora, parum vocalia sunt, 462. 1. Animalia quæ nos adversarios habeant, 527. 2

Animus celsus et erectus nihil metuit, 893. 1. 2

Anna (S.) unam tantum habuit prolem, scilicet B. Virginem, 815. 2

Anno (S.) Episc. Coloniensis quare ad gloriam cœlestem statim admissus non sit, 673. 2

Annulum aureum gestant divites, et signum id splendoris, 484. 1. Eorum vanitas, *ibid.*

Annus dicitur quasi annulus, 858. 1. Ejus symbolum est serpens actus in gyrum, 523. 1

Anselmi (S.) visio de mundi malitia, 921. 1

Antichristus venturus ultima mundi ætate, 858. 2. Quomodo tamen venisse jam dicatur, 892. 1. Antichristi quomodo sint multi, 859. 2. 860. 1

Antigoni regis erga petentem aliquid cavillus, 432. 1

Antiochena Ecclesia undenam facta Patriarchalis, 410. 2

Antonini Imp. de Christianis sententia, 647. 1

Antonius (S.) à Deo petiit et impetravit sapientiam, 428. 2. Suis lætitiam spiritus suadebat, 417. 1. Eum certantem spectavit Christus, 418. 1. Ejus cum dæmone congressus, *ibid.* 2. Quam hæreticos detestaretur, 932. 1. Quo suos stimulo ad perfectionem animaret, 607. 1. 608. 2. Quibus verbis in Ecclesia auditis sit conversus, 472. 2. Cum Paulo Eremita quales sermones miscuerit, 702. 1

Antonii (S.) de Padua lingua integra est post mortem diu reperta, 529. 1

Απειρατος active et passive capitur, 443. 1

Αφροδιτη cur et unde dicatur Venus, 965. 1

Apin finxerunt Ægyptii ut hieroglyphicum Josepho, 958. 1

Apocryphi libri possunt multa continere vera, 957. 1

Apollonii (S.) Martyris in condonandis injuriis facilitas, 675. 1

Apostasia à fide cur sit peccatum ad mortem, 917. 2. item ab Ordine et Religione, 918. 2

Apostatæ comparantur angelis apostatis, 952. 1. Hi quomodo dicantur non esse ex nobis, 860. 1. 2. 861. 1. Ob eos non est quod fideles turbentur, 861. 1. Eorum quantum sit scelus, 790. 2

Apostoli an mitras gestarint, 407. 1. 2. Sunt à Christo ipso immediate ordinati Episcopi, 410. 2. In tribulatione gaudebant, 412. 2. Sunt principes filiorum Dei, 460. 1. Equo repræsentantur, 517. 1. Erant præcones castitatis, 659. 2. 660. 1. Potestatem à Christo in totum orbem accepere, 717. 1. Iis major data fides et gratia extensius quam aliis, 740. 1. An palparint die Dominica resurrectionis Christum et ejus corpus, 825. 1. Peccabant aliquando venialiter, 840. 1. Apostoli antonomastice dicuntur Petrus et Paulus, 411. 1

Apparitio Christi Jacobo facta quando contigerit, 408. 2. Apparitio Filii Dei in carne quomodo peracta, 834. 1. 2. In apparitionibus veteris testamenti repræsentatus fuit Filius Dei, 823. 2

Appetitus inferior quomodo politice moveri dicatur, 448. 2. Is mortificandus mundum cor habere volenti, 479. 2. Ejus naturalis inclinatio ad bona sensibilia, contraria legi Dei et rationi, est concupiscentia, 446. 1

Applicatio sanguinis Christi quomodo in nobis fiat, 600. 2

Apprecatio pacis et gratiæ est sigillum Apostolicæ epistolæ, 737. 2

Appropinquat Deus diversimode pœnitentibus et justis ferventibus, 552. 1

Apud Patrem quomodo dicatur Filius fuisse, 834. 1. 2

Aqua dicitur rerum omnium principium, 977. 2. Per eam terra consistit, *ibid.* Aqua unde dicatur, 911. 2. Refert Deum Patrem, *ibid.* Ejus elogia, *ibid.* Quid symbolice designet, *ibid.* 912. 1. A multis habita ut Deus, *ibid.* Quid spiritualiter denotet, *ibid.* 2. Aqua viva et mortua quæ dicatur, 635. 1. Aquæ quæ super cœlos sunt depluerunt in diluvio, 798. 2. Aqua et sanguis probabant Christum verum esse hominem et Deum, 909. 2

Aquila vox unde deducatur, 816. 1

Arbor symbolum hominis, 963. 2. Arbores autumnales quæ dicantur, *ibid.* Quæ sint bis mortuæ, 964. 1. Arbores et herbæ in flore sibi invicem succedunt, 439. 2

Arca Noe cum Ecclesia confertur, 684. 2

Αρχη et originem et potestatem significat, 951. 2

Αρετη quam varia significet, 642. 1

Arethusa fons et flumen diversis in locis diversum habet saporem, 531. 2

Aristomenus audax habuit cor pilis hirsutum, 941. 2

Aristoteles Euripi vicissitudinem intelligere non potuit, 435. 2. Ejus paradoxa absurda, 540. 1

Armis tribus diabolus vincitur, 731. 1

Arriani Imperatorem Constantium in partes suas traxerunt, 968. 1. Semper fidem suam mutabant, 437. 1. 963. 2. Arriani Transylvani epistolam primam S. Joannis cur rejiciant, 910. 2. Eorum paralogismus, 891. 1. 2. Eorum blasphemia in SS. Trinitatem, 780. 1

Arrius Ecclesiam Dei laceravit, 969. 2. Quare ab ea desciverit, 779. 1. Animam in latrinis effudit, 769. 1

Arsenii Abbatis silentium, 515. 2. Ejus continentia, 646. 1

Articulus græce non præfigitur nominibus propriis, sed appellativis, 933. 2

Ασωτεια generaliter omnem luxum et petulantiam denotat, 691. 1. 787. 2

Assidua oratio quæ dicatur, 585. 2. *Assiduus* vox quid proprie sonet, *ibid.*

Astronomi multis imponunt, ampla promittentes, 558. 2

Athanasius (S.) 46. annis Arrianorum persecutiones tulit, 440. 2

Atheismi hæreticorum modernorum, 777. 2. Maxime Calvini, 788. 1. 2

Athenodorus quod Augusto monitum dederit, 464. 1

Athleta perfectus qui diceretur, 423. 1

Ατμις vaporem, flatum, fumum, halitum, auram tenuem significat, 559. 1

Attentus capitur subinde pro *intentus*, 626. 1

Avari malunt condita corrumpi, quam aliis dare, 564. 2. 565. 1. 566. 2. Puniuntur sæpe à Deo rerum amissione, 565. 2. Eorum insatiabilitas, 566. 2. 567. 1. Defuncti torquentur auro, 567. 1. Triplici ardent igne, *ibid.* Per aurum sæpe occisi, *ibid.* 2. Semper thesaurum adaugent, *ibid.* Eorum miseria, 855. 2. Non audent uti habitis et cupitis, 544. 2

Avaritia sanguisugæ similis est, *ibid.* Ejus ignis juste punitur igne gehennæ, 567. 1. Avaritia hæreticorum, 770. 1. 785. 2. 960. 1

Αυχης capitur etiam pro parte clavi in navi, 518. 2

Auctorem omnium motuum et actionum tam malarum quam bonarum Deum censet Calvinus, 787. 2

Audaces dæmon timet, 728. 2

Audiendo (velocitas in) includit etiam velocitatem obediendi, 460. 2. Audire et silere faciunt sapientem, 461. 1
Auditio parit scientiam, *ibid.*
Auditor verbi sit et factor, 468. 2. Auditores verbi Dei sunt triplices, 471. 1
Ave, salutationis formula, 932. 1. Quid significet, *ibid.*
Augendi (gratiam) bona praxis, 887. 1
Augustinus (S.) in epist. S. Jacobi est commentatus, 404. 1. Etiam ante conversionem judicii recordabatur, 497. 1. In afflictione gaudebat, 415. 1. Quare libros Retractationum scripserit, 516. 1. Passionem Domini identidem recolebat, 655. 2
Augustinus Marloratus hæreticus ob seditiones in Gallia excitatas suspensus est, 651. 2
Aves canoræ statu et modico canunt tempore, garrulæ perpetuo garriunt, 462. 1. Aves omnes cicurantur, et discunt humanum sermonem, 526. 2. 527. 1
Aurelianus Imper. conceptam in Christianos persecutionem subsignare cœlitus impeditus fuit per mortem, 712. 1
Aurea fibula an dicatur annulus, 484. 1
Aureolæ in cœlo sunt tres particulares, 722. 2
Aurium situs, forma et numerus docet nos debere multa audire, 462. 1. 2
Aurum vere contrahit æruginem, 566. 1. Unde contrahat sordes; ejus etymon, *ibid.* 2. Ejus septem dotes, 608. 2. Ea adaptantur justo, *ibid.* Auro moderate utantur mulieres, 661. 2
Αυθαδεια quid significet, 778. 1
Auxilium cœleste majus est quam vires adversariorum tentantium, 892. 2. et seq.
Axiomata multa Christi, philosophis paradoxa, 642. 2

B.

B sæpe ponitur pro *G*, 860. 2
Babel quid hebraice sonet, 736. 1
Babylas mimus et magus quo audito verbo sit conversus, 472. 1
Babylon capitur pro Roma à S. Petro, 735. 1. 2. Babylon fuit duplex, una in Chaldæa, altera in Ægypto, 735. 1. Illam non adiit S. Joannes jam senex, 932. 2
Balaam vates in quo deliquerit, 961. 1. Est schema hæreticorum, *ibid.* et seq. Quomodo dicatur ex Bosor, 786. 1. Ejus avaritia, *ibid.* Ejus cæcitas, *ibid.* Quare cum asina contenderet, *ibid.* 2. Ejus mors, *ibid.*
Balæna ducitur à pisciculo musculo, 527. 1
Baptismus cur vocetur illuminatio, 455. 2. Per arcam Noe repræsentatur, 684. 2. Confertur cum diluvio, *ibid.* 685. 1. Quomodo dici possit verbum Dei vivi, 626. 2. Eum olim cur multi differrent, 843. 2. Per eum infantibus induntur virtutes, 631. 1. Est pactum inter Deum et baptizatum, 686. 1. Quæ ad eum requiratur dispositio, 685. 2. Ejus vis, dignitas et nomina, 686. 2
Baptizandus interrogatur an velit baptizari, *ibid.* 1. Olim oculos et manus in cœlum elevabant, *ibid.* Baptizati olim induebant calceos albos, 650. 2. item coronabantur, 638. 2. Dabatur quoque iis lac et mel, 632. 1. Cur veste candida induerentur, 631. 1. 650. 2. 974. 1
Barchochebas pseudopropheta quis et quando fuerit, 965. 2
Basilica S. Petri in Vaticano quam magnifica et celebris sit, 596. 1. 2
Basilides hæreticus negabat veram Christi humanitatem et carnem, 820. 1
Basilii (S.) silentium tredecennie, 463. 1. et in periculis constantia animi, 440. 2
Beati vident Dei essentiam in se, 871. 2. 872. 1. Ejus speciem in mente sibi efformant, 872. 1. Erunt quoque æterni, *ibid.* Eorum amor erga Deum, *ibid.* Erunt quasi dii, *ibid.* Eorum quantum sit gaudium, 611. 1. Vident Deum non per vires naturæ, sed gratiæ, 897. 1. Per gloriam sunt quasi dii, 745. 2. Beantur illapsu divinitatis in ipsos, 746. 1
Beatitudo consistit in visione Dei et Spiritus sancti, 613. 2. 871. 2. Ea erit omnibus communis, 489. 1. Ea quam magna sit, 705. 2. Erit spiritalis, angelica et divina, 604. 2. item immarcescibilis, tum substantia, tum sapore et gustu, *ibid.* 605. 1. Beatitudo in hac vita consistit in adimplenda lege Dei, 473. 2
Beda (Ven.) ne in morbo quidem à docendo et scribendo cessabat, et scribendo mortuus est, 713. 2
Beguardi censebant se reddi posse impeccabiles, 841. 1
Belisarii ducis dejectio de summo statu, 533. 2
Bellum unde dictum, 543. 1. Bellum vix caret peccatis, *ibid.* 2. Oritur ex cupiditate, *ibid.* 1. Bellum spirituale quam utile, 417. 1. Bellum hæreticorum pax est Ecclesiæ, 787. 1
Belus Assyriorum primus Rex bello vicinos impetiit, 543. 1
Benedicere Deum angelorum et Sanctorum est, 601. 1. Benedixit Deus olim bonis temporalibus amicos suos, 935. 2
Benedictio Dei et maledictio proximi ex eodem ore prodire non debet, 529. 2. 530. 1. 2. 531. 1. 2. 532. 1
Benedictus (S.) vidit totum mundum in globo collectum, 802. 1
Benefaciendum inimicis et persecutoribus, 712. 2. 713. 1
Beneficentia est virtus divina, cur, 939. 2. Beneficentia nostra morte tantum finiatur, 713. 1. etiam in tribulantes ostendatur, *ibid.*
Beneficia non sunt exprobranda, 432. 1. Ad beneficia sacra indignos promovens ob temporalem aliquem respectum, peccat mortaliter, 482. 1
Beneficorum Gentilium exempla, 431. 2. Benefici homines à Gentibus in deos relati, 540. 2. 541. 1. 957. 2. Sunt velut Deus ei cui benefaciunt, 429. 2. 431. 1
Benignitas Dei erga homines, 895. 2. 896. 1
Bernardini Ochini atheismus, 777. 2
Bernardus (S.) fuit S. Judæ devotus, 941. 2. Ex vulneribus Christi omnem gratiam hauriebat, 655. 2. Ejus modestia, 672. 1
Bezæ in Christum blasphemia, 780. 1. Ejus cenotaphium, 785. 1
Bilingues duplici sunt corde, 436. 2. et seq.
Blandinæ (S.) in tormentis constantia, 646. 2
Blasphemia est convitium in Deum, 962. 1. Etiam quamlibet exsecrationem et imprecationem significat, 781. 1. Blasphemia in Spiritum sanctum quæ sit, 918. 1. Blasphemiæ hæreticorum modernorum in Deum et Sanctos, 780. 1. Blasphemiæ nominis Dei causa sunt sæpe divites, 491. 2
Bonaventura (S.) quam esset moribus amabilis, 532. 2. Ejus modestia, 670. 2. Ejus lingua diu post mortem integra reperta, 529. 1
Bonifacius (S.) Germaniæ Apostolus quanti S. Petri epistolas faceret, 592. 2
Bonitas etiam capitur pro beneficentia et benignitate, 629. 1. item pro virtute qualibet et honestate, *ibid.* 2. Bonitas in Deo triplex est, naturalis, moralis, beneficentiæ, 443. 2. Bonitas ejus in res omnes exuberat, 444. 1
Bonum omne est à Deo, 453. 1. Debet totaliter bonum esse, non partialiter, 494. 2. Est communicativum suî, 430. 1. Bonum virtutis majus est quam vitæ, 882. 2. Boni honesti intuitu bene agendum est, 674. 2. Bona Ecclesiæ sunt pauperum, 701. 1
Bonus vir se non ulciscitur, 426. 2. Videt Deum, quomodo, 940. 1
Borboritæ sunt hæretici Gnostici, 792. 1. *Vide* Gnostici.
Brevitas vitæ quanta sit, 859. 1. 2. Monet hæc nos diligentiæ, *ibid.* 2
Brigida (S.) Romæ mori voluit, 736. 2. 737. 1. Ejus revelationes cujus sint auctoritatis, 819. 1
Bruno (S.) qua occasione sit conversus, 711. 2
Buri principis patientia, 424. 1

C.

Cæcilia (S.) quantam gereret curam castitatis, 549. 1. Quid responderit rogantibus cur ætatem et vitam pro Christo prodigeret, 677. 1

Cain an derivari possit à *kana*, id est zelari, 545. 1. 960. 1. Ex odio et invidia fratrem occidit, 878. 2. 879. 1. Interpretatio et etymon nominis ejus, 879. 1. Est typus hæreticorum, 960. 1. Fuit hæresiarcha primus, *ibid.* 2. Ejus in pœnis obduratio, *ibid.*
Cains quis cui scribit S. Joannes tertiam epistolam, 934. 1. An fuerit Hispanus et Mediolanensium Episcopus, *ibid.* 2. Caius hospes S. Pauli Corinthius, videtur fuisse is ad quem S. Joannes tertiam suam epistolam scripsit, 935. 1. An idem fuerit cum illo Caio cui S. Dionysius epistolas quatuor inscribit, *ibid.*
Cajetani error circa motus concupiscentiæ primos, 448. 1
Calamitas est vectigal concupiscentiæ, 452. 2
Calceos albos induebant olim baptizati, cur, 650. 2
Caliphas Babylonis Rex maluit ab hoste occupari quam pecuniam insumere, 567. 2
Climachus pictor dictus est artis suæ improbator, 466. 1
Calvinistarum sanguinaria immanitas, 960. 1. 2. Sunt Paganis et Turcis deteriores, 786. 1. Eos dæmon agit et impellit ut sua organa, *ibid.*
Calvinus docet Deum esse peccati auctorem, 442. 2. 785. 2. Quomodo opera ad salutem requiri doceat, 505. 1. Mortuum fictum excitare volens, eum vere mortuum effecit, 506. 1. Nomen SS. Trinitatis exosum habet, 619. 2. Arrianizat, *ibid.* Ejus in Christum blasphemia, 654. 1. Eum quomodo traducant alii hæretici, 779. 2. Negat Christum personaliter ad inferos descendisse, 680. 2. Ejus funestus interitus, 769. 2. 782. 1. Quas turbas et rebelliones in Gallia excitarit, 777. 1. Ejus atheismus, 778. 1. Negat infernalem ignem, 785. 2. Deum trinum blasphemat, 780. 1. Ejus Deus est Satanas, 788. 1. Docet Deum impios creasse ut damnaret, 803. 2
Calumnias retundit sancta vita, 678. 1. Calumniæ maledicentium parvi faciendæ, 938. 2
Camœnæ dictæ quasi castæ mentis, 538. 2
Candida vestis honoratorum erat, 484. 2. et color candidus lætus, *ibid.* Candida veste cur vestiantur baptizati, 631. 1. 650. 2
Canis vomitum resumens typus relabentium, 791. 1. Eorum natura describitur, *ibid.*
Canonicæ unde dicantur epistolæ, 402. 1
Capillorum ornatui studere solent mulieres, 661. 1. Capilli crispi dedecent viros, *ibid.* 1. 2
Caput an in Extrema unctione ungatur, 582. 1
Carnales homines similes sunt talpæ, 750. 1. Carnalia vitia immunda sunt, 465. 2. Obscurant et hebetant verbum Dei, 472. 1
Caro et natura humana quam misera et infirma sit, 826. 1. Post carnem alteram abire quid sit, 953. 1. Carnis concupiscentia est gula et luxuria; et concupiscibile, cibus delicatus et mulier, 447. 1
Carolstadii (And.) paralogismus contra gradus Scholasticos, 512. 2. Cur factus sit agricola, 864. 1
Carolus (S.) Borromæus actionum suarum inspectores habere voluit, 671. 1
Carpocratianorum fœda dogmata, 537. 2
Casimiri (S.) Poloniæ regis filius sanitatis recuperandæ ergo noluit uxorem ducere, 604. 2
Cassianus caute legendus circa operum distractiones ab oratione, 841. 1
Casti sunt dii quidam terrestres, 662. 2
Castiligatio animarum quæ sit, 624. 1
Castigantur (ad exemplum aliorum) improbi, 953. 2
Castitas est soror sapientiæ, 537. 2. Juvat ad scientiam comparandam, 538. 2. Per cingulum repræsentatur, 615. 1. Est incorruptio spiritus, 662. 2. Similes nos Deo facit, 745. 2. Eam hæretici impossibilem censent, 787. 2. Pro ea vitam licet exponere, 882. 2. Est prima dos uxorum, 660. 2
Castra dicta ut casta, hinc iis arcendæ mulieres, 961. 2
Catharinæ reginæ Angliæ in adversis patientia, 651. 2
Catharina (S.) Senensis elegit coronam spineam præ gemmea, 441. 2. Quanta cum fiducia oraret, 455. 2. Duo perfectionis præcepta à Christo accepit, 455. 1. Unde tantam sapientiam acceperit, 538. 1
Cathedram S. Jacobi Christiani Hierosolymis extulere ante obsidionem, 407. 2
Catholicum idem est quod universale, 401. 1. Unde dicatur, *ibid.* 2. Catholici plures an salventur, an damnentur, 497. 2
Cato cur dictus ἀγλαστος, 445. 1
Cerberus unde dictus, 791. 2
Certantes adjuvantur à Deo, 732. 2. Certare quam acriter pro fide Christiani debeant, 947. 2
Certitudinem qualem habere gratiæ possimus, 888. 2
Chabdera cur dicatur hebraice livor, 656. 2
χαιρειν tria significat, vox salutantis est, 411. 2
Charitas summa et increata est Deus, 894. 1. 2. 895. 1. Ex eo quomodo esse dicatur, 894. 2. Deus est charitas formalis in se, causalis in nobis, 899. 1. et cur dicatur charitas, *ibid.* 1. 2. Charitas perfecta Dei quæ dicatur, 847. 1. 2. Talis charitatis qui sint gradus, *ibid.* 1. Ejus vires, *ibid.* Charitas quæ operiat priora peccata, 590. 2. 697. 2. et quæ peccata, 698. 1. Reliquas virtutes complectitur, 895. 1. Est expers timoris, 905. 1. Est plena castitas animæ, 624. 2. Operibus debet foveri, 505. 1. Clypeus est veritatis, 535. 2. Est tessera filiationis Dei, 878. 1. Ejus elogia, *ibid.* Est virtutum forma et vita, non physica, sed moralis, 504. 1. Adfert secum ipsam personam Spiritus sancti, 744. 2. 745. 2. Facit nos Deo similes, 745. 2. Ejus fortitudo, 919. 2. 920. 1. Charitatem activam et passivam dedit nobis Deus, 869. 1. 2. Est character Dei, 870. 1. Charitas nulla sine patientia, 421. 2. Est lex regalis, 492. 1. Ejus perfectio consistit in animarum conversione, 590. 2. Ea tamen debet esse circumspecta, 974. 1. Ea est orationi jungenda, 971. 2. Charitas multorum sanctorum, 850. 2. et primorum fidelium, *ibid.* Incipit à se ipsa, 882. 1. Charitas perfecta quomodo sit, 897. 2. Perficitur dilectione inimicorum, *ibid.* Varium pellit timorem, 901. 1. Ejus præceptum quomodo sit vetus, 848. 2. quomodo vero novum, *ibid.* 849. 1. 2. Mutuas offensas remittit, 698. 2. Delicta excusat et celat, 699. 1. Offensas præsentes et futuras etiam abolet, 700. 1. Ejus candor, *ibid.* Est compago membrorum Ecclesiæ et Christi, *ibid.* 2. Charitatem qualem erga invicem habere debeant Christiani, 697. 1. Modus ejus quis sit, *ibid.* 2.
Cherintus fuit auctor Chiliastarum, 603. 2
Cherubini sunt hieroglyphicum sapientiæ, 426. 1
χρησος quam varia significet, 654. 1
Christiani sunt luctatores, et ad certamen uncti, 410. 1. Omnes invicem fratres sunt, 457. 2. Quam debeant esse perfecti, 454. 1. Non sunt sub lege servili, sed filiali, 473. 1. Iis quare annulus permittatur, 484. 2. Sint animo regio, et quomodo, 492. 2. Iis licitum est juramentum, 576. 2. 577. 1. Sua submittunt Dei providentiæ, 561. 1. Toti vivant Deo, 627. 1. Pueros simplicitate imitentur, 631. 1. In orbe sunt quasi anima in corpore, 638. 1. Crescant quotidie in virtute et via Dei, 741. 1. Vivant digne vocatione sua, 640. 1. In hoc mundo peregrini sunt, 643. 1. 2. Sunt veluti resurgentes, quomodo, 687. 1. Mundo crucifixi esse debent, 689. 2. 690. 1. Sunt peculium et cymelium Dei, 641. 1. item discipuli, oves, palmites, membra, sponsæ, templa, victimæ, filii Christi, *ibid.* 2. In crucibus florent, ab eis liberi marcescunt, 713. 1. Eorum est austere vivere, 782. 2. Quare in baptismo ungantur, 862. 1. Cur vocentur electi, 927. 2. Christiani primi erant velut religiosi, 474. 1. Eorum paupertas, 457. 2. 485. 2. Cur despicerentur: eorum modestia et abjectio, 457. 2. 458. 1. 880. 1. Eorum quis esset vestitus, 485. 1. In concione et lectione sedebant, in oratione flectebant, 486. 2. Nulla gesserunt bella, 542. 1. 545. 2. Eorum mira erga Christum dilectio fuit, 610. 1. Quam essent Apostolis obedientes, 617. 1. Eorum summa sanctitas, 479. 1. 618. 1. 2. 646. 2. 647. 1. Iis quæ crimina ab ethnicis impingerentur, 646. 2. Fuerunt insimulati obedientiæ erga reges, 647. 2. 648. 1. Mire unanimes inter

se fuere, 668. 2. 669. 1. Sua sanctitate olim plurimos Gentiles convertebant, 673. 1. Mira eorum hospitalitas, 700. 2. Ante S. Synaxin se invicem osculabantur, 737. 1. Eorum sinceritas, 795. 1. Putabant instare diem judicii, 858. 2. Plerique inter idololatras agebant, 923. 1. Multi eorum Jerusalem veniebant ut Jacobum Apostolum viderent, et in eo Christum, 406. 1. Eorum convivia qualia essent, 963. 1. Christiani Judæi, è Judæa fugientes, per varias regiones dispersi erant, 598. 1. Christiani ditiores olim pauperes opprimentes, trahebant eos ad tribunalia etiam infidelium judicum, 491. 1. 2. Christiani in India regibus suis parentiores sunt quam ethnici, 648. 2

Christianismus cur à multis vilipendatur, 437. 2. 438. 1. Est professio vitæ perfectæ, 454. 1. item charitatis, 624. 2. 625. 2. Æquat divites pauperibus, 483. 2. Docet omnem puritatem et castimoniam, 537. 1. 2. Nihil docet absurdi aut turpis, 539. 2. Fuit Prophetis revelatus, eumque prædixerunt, et avidissime exspectarunt, 611. 2. Est imago crucis, 689. 2. et imitatio Dei, 745. 1

Chrysanthus (S.) legendo sacros libros conversus est et Martyr factus, 472. 2

Ciceronis (M. T.) eloquentia et vis permovendi, 519. 2

Cingulum quarum rerum sit symbolum, 615. 1

Ciniflones qui dicerentur, 661. 1

Circuire cur dicatur diabolus, 730. 1

Circulares epistolæ quæ sint, 401. 1

Circumspectio in verbis actus est magnæ prudentiæ, 515. 1

Cirola Arrianus Episcopus mortuum fictum excitare dum vult, vere occidit, 506. 1

Clamare in cœlum peccata quomodo dicantur, 568. 2

Clara (S.) quomodo passionem Christi recoleret, 656. 2

Clementis (S.) epistolæ an sint genuinæ, 555. 2

Cleophas an fuerit S. Jacobi pater, an avus, 404. 2. 405. 1

Clerici sunt sors Domini, 719. 2. Clerici minores obediant senioribus, 723. 1

Cleros (in) dominari quid sit, 719. 2. Clerus capitur pro Ecclesiasticis, *ibid.* 720. 1

Clinias quantopere juramentum fugerit, 577. 2

Clinici qui dicerentur, 843. 2

Cœlestis gloriæ et vitæ hypotyposis, 441. 2. 972. 1. Pura est ab omni et culpa et sorde, 604. 1. Non potest ulla labe infici, *ibid.* Cur vocetur benedictio, 673. 1. Est inenarrabilis, 611. 1. Cœlestis corona cur dicatur vitæ, 441. 1

Cœlum empyreum constat æthere, 804. 2. Cœlorum unum invisibile et æternum, aliud visibile et corruptibile, *ibid.* Cœlum an sit igneum et igneæ naturæ, *ibid.* Cœlum capitur sæpe pro aere, 805. 1. Empyreum est locus in quo creati omnes angeli, 772. 2. Cœlum in Scriptura est omne quod supra nos expansum est, 805. 1. Cœlum quando fuerit inferno subditum, 771. 1. In cœlo nullæ sunt sordes vel peccata, 805. 1. 975. 1. Cœli ex aquis conditi, 798. 1. Cœli siderei an igne sint comburendi, 804. 1. An in fine mundi liquandi et fluidi futuri sint, 806. 1. 2. Erunt deinde perfectiores, et perfectiorem habebunt formam et materiam, *ibid.* 1. 809. 2. Quomodo incorruptibiles sint, et tamen aliquando corrumpendi, 805. 1. 806. 1. Non sunt immutabiles, 806. 2. Mutabuntur in fine mundi etiam substantialiter, 807. 1. et qui cœli, 804. 1. 809. 2. et quomodo, 805. 2. Cœli in Scriptura raro aperti leguntur, 462. 1. Cœli priores quomodo perierint diluvio, 798. 2. Ante Christum nemo in cœlos ascendit, 681. 1

Cœlitum vitam nos hic imitari oportet, 814. 1

Cœtu (in) primorum fidelium doctiores docebant et exhortabantur, 460. 2

Cogitationibus bonis mens semper occupanda, 877. 2

Cognitio perfecta Christi et veritatis vocari potest datum optimum, 454. 1. Cognitio Dei et ultimi finis est vera sapientia, 425. 2. Cognitio vera et plena Dei est summum bonum, 749. 2. 922. 1

Colaphi propria pœna servorum, 652. 2. Fuere iidem etiam olim Martyribus impacti, *ibid.*

Coleta (S.) frequens erat in recolenda passione, 656. 2

Colores præcipui florum sunt tres, 439. 2

Cometes ultimus in quo cœlo apparuerit, 804. 1. 2

Communio sanctorum quæ dicatur, 835. 1. Ea cur sit in Ecclesia, 505. 2

Compassio fidelium quanta esse debeat, 669. 1

Compunctionem (per) Deo appropinquamus, 553. 1

Conceptio concupiscentiæ quæ et quando fiat, 447. 1. 2

Concordia animorum in primitiva Ecclesia vigebat, 968. 2. Ea conjugibus necessaria, 667. 2. De concordia gnomæ, 668. 1. 2. Ejus vis, *ibid.* 2

Concupiscens quomodo non habeat quod concupiscit, 544. 1. Possidetur ipse à re concupita, non eam possidet, *ibid.*

Concupiscentia materialis, non formalis est in mundo, 855. 1. Concupiscentia fugienda quia repugnat divinæ societati, 746. 1. Ea minuitur per afflictiones et tribulationes, 543. 2. 544. 1. Quare dicatur peccatum; tentat nos ad peccandum, et una succedit alteri, 444. 2. Diversimode est, velut Eva, febris, vulpes, lena, prurigo, 445. 1. Est causa intrinseca tentationis et peccati; extrinsecæ causæ sunt variæ, *ibid.* 2. Ipsa est semen et origo peccati, *ibid.* Non est prava aliqua substantia à diabolo producta quæ pravos motus suscitet, *ibid.* Nec est peccatum originale, 446. 1. Nec est prava qualitas progenita à peccato originali, *ibid.* Concupiscentia quid proprie sit, *ibid.* 447. 1. Vocatur quoque morbidus affectus, et affectionalis qualitas, 446. 2. Non est quid superadditum potentiis animæ, *ibid.* 1. Non est ex Deo, sed à peccato et diabolo, *ibid.* 2. Est etiam in intellectu et voluntate, *ibid.* Dum consensum aliquem elicit, parit peccatum, 447. 1. Motus ejus rationem prævenientes, ac proinde involuntarii, nulla sunt peccata, *ibid.* 2. Blande irrepit et enecat, 448. 2. Optimum contra eam remedium est oratio, 449. 1. Semper nobis in pœnam peccati ad agonem adhæret, 450. 1. Quam ipse fera et atrox sit, *ibid.* Cupidini confertur, et ejus conditiones et mores, *ibid.* 1. 2. et seq. Cedendo augetur, et sistendo minuitur, 451. 1. Est insatiabilis, 543. 1. item instabilis, *ibid.* Ob eam non potest homo semper ab omni veniali peccato abstinere, 514. 1. Concupiscentia triplex est in mundo, 855. 1. 856. 1. Hac dæmon protoplastos et Christum tentavit, 856. 1. Opponitur SS. Trinitati, *ibid.* Non est ex Deo, sed ex mundo, *ibid.* 2. Est ex Adamo nata, *ibid.* Cito ea transit, 857. 1. Hujus triplices typi qui fuerint, 962. 1. Concupiscentias qui sequitur mancipium est, 789. 1. 2. In membris potissimum residet, 543. 2. Militant adversus spiritum, *ibid.* Quomodo nobis dominentur, et non dominentur, *ibid.* Suscitant bella in nobis, 544. 1. Sunt mysticæ fornicationes, 546. 2. Idem sunt quod ipse mundus, *ibid.* Iis bellum est inferendum, 448. 2. 542. 2. Concupiscentia oculorum quæ sit, 855. 2. quæ carnis, *ibid.*

Confessarii quomodo se munire debeant ac cum peccatoribus agendum, 974. 1

Confessio sacramentalis quam sit utilis, 584. 2. 842. 1. Ipsa est à Christo instituta, sed eam denuntiavit S. Jacobus, *ibid.* Est ad salutem necessaria, *ibid.* Ejus vis, 585. 1. Confessio specialis melior est generali, 841. 2. Facta laicis non est sacramentalis, nec præcepta, 584. 2. Hæc quando commendetur, *ibid.* Confessiones in morte, eorum qui male vixere, vix bonæ esse queunt, 499. 1

Confidendum nobis est in Deum, 726. 1

Confidentia nostra in Deum excitat eum ad nobis providendum, *ibid.* Confidentia in oratione requiritur, 433. 1. Unde ea in orante oriatur, *ibid.* 2. *Vide* Fiducia.

Confirmationis Sacramentum olim dabatur statim post baptismum, 862. 1. In eo datur donum sapientiæ, *ibid.* 2. In eo quasi milites auctoramur ad certandum pro fide Christi usque ad mortem, 690. 1. In eo varia aliquando membra inunguntur, *ibid.*

Confitendum sacerdoti, non angelis, 585. 2. nec laicis, cur, *ibid.* Confitenda sacerdotibus mortalia, Deo venialia, 841. 2

Conflagrationis mundi ac judicii ordo, 799. 2

Confusiones hæreticorum quæ sint, 695. 1

Conon Abbas tentationem metuens caruit mercede victoriæ, 418. 1

Conradi Vorstii atheismi varii, 780. 2
Conscientia bona tessera est veri Christiani, 687. 1. Ejus quantum sit gaudium, 836. 1. 975. 1. Dat fiduciam in oratione, 886. 1. 2. Hac maxime colitur Deus, 479. 1. Conscientia Dei quæ dicatur, 652. 1
Consensio animorum in fidelibus requiritur, 668. 1
Consensum in tentationes petimus ut Deus à nobis avertat dum petimus in eas non induci, 416. 2. Hic adfert animæ mortem, 452. 1
Conservati prius et dein vocati, an bene dicantur Christiani, 946. 1
Consideratio vanitatis et brevitatis vitæ, bonorumque omnium temporalium reddit cor mundum, 479. 2
Consolationes dat Deus in passione, 415. 1. Eæ post desolationem spiritus succedunt, 418. 1. 2
Conspectus Dei regula actionum est, 885. 2
Constantia in oratione adlerenda, 456. 2. Ea quo pacto paretur, 458. 1
Constantinus Magnus in Ecclesia sedere noluit, 486. 1. Aquilas in labarum crucis mutavit, 690. 1. Episcoporum criminationes audire noluit, 699. 1
Consuetudo peccandi quam noxia, 918. 2
Consummatio peccati quadrupliciter sit, 452. 1
Contentio hominum unde nascatur, 534. 2. 535. 1. Ejus damna, 535. 1. Ejus remedium, *ibid.* 2
Continentium variorum exempla, 645. 2
Continentia est virtus generalis vitiis omnibus modum præscribens, 748. 2
Contrectarint (quomodo) Apostoli verbum Dei, 828. 1
Contritio manat ex præveniente et excitante gratia, 843. 1
Conversio animarum quam sit gloriosa, 590. 1. et Deo placens, 591. 2
Convertens animam tegit peccata, 590. 2. 591. 1
Convivia adeuntes timore Dei se præmuniant, 963. 1. Convivia solemnia de communi ærario sugillantur à S. Jacobo, 570. 1. Qualia essent primorum Christianorum, 963. 1. Conviviorum dies quinam Gentilibus essent, 570. 1
Cor suadere quis dicatur, 885. 1. 2. Cor mundum est hostia Deo, cur, 479. 1
Corculi dicebantur qui valde erant prudentes, 941. 2
Core perditio præludium fuit perditionis hæreticorum, 961. 2. Ipse fuit eorum schema, 962. 1
Coriarius quidam ob humilitatem præpositus à Deo est S. Antonio, 458. 1
Cornustibii unde dicta filia Job, 575. 2
Coronabantur olim baptizati, 638. 2. et hæc corona ab Episcopo benedicebatur, 639. 1
Coronæ tres tabernaculi repræsentant tres aureolas cœlestes, 722. 2
Corpus humanum constat ex aqua et sanguine, 909. 2. Cur vocetur tabernaculum, 755. 2. Ejus fabrica docet hominem multa audire et pauca loqui, 462. 1. Id facile frenabit, qui linguam potest, 516. 1. Corpora resurgent in resurrectione in statum perfectiorem, 807. 2. 809. 2. Corpora beata sunt lucida et splendida, 455. 2. Corpora cœlestia sine strepitu motum suum peragunt, 462. 1. Corpora mixta resolventur ab igne extremo conflagrationis mundi in elementa, 799. 2
Correptio sit modesta et suavis, 531. 1. 670. 2. Corripiens alium id faciat ex misericordia, potius quam per judicium dure increpando, 502. 1. Corripiens consideret an idem aliquando vitium non habuerit, 514. 2
Cosmus Abbas etiam mortuus aversatus est hæreticos, 931. 2
Creare et *creatura* capitur subinde pro *ordinare* et *ordinatione*, 648. 1
Creaturæ omnes sunt instabiles, 952. 1. Militant Deo ad vindictam impiorum, 568. 2. 569. 1. Unde nobis vertantur in irritamenta concupiscentiæ, 856. 2. Suam à Deo bonitatem hauriunt, 444. 1. Iis adhærens sit instabilis, 458. 1
Credimus jam quæ postea ad oculum videbimus, 617. 1. Credens in Christum habet in se Dei testimonium, 914. 2. Credere Deo quam sit difficile, 508. 1
Crescere in spiritu et Dei cognitione nos semper oportet, 655. 1. 2. 815. 2
Crocodilus symbolum est tenebrarum, 859. 1
Crux sanctitatis magistra est Sanctis, 656. 2. Est panoplia hominis Christiani, 690. 1. Est tessera militiæ Christianæ, *ibid.* Quam sit dulcis et suavis, 545. 1. 2. 415. 1. Crux ob Christi contactum adoratur, et alia quælibet, 707. 1. Ejus virtus, 625. 2. Et ejus lignum erit ab igne conflagrationis mundi immune, 808. 1. Fuit currus triumphalis Christi, 656. 1. Est via ejus in cœlum, 654. 1. Crucis signum Christiani præfigebant litteris suis et monumentis, 410. 1
Crucifixus Christus est velut surculus arbori insertus, 467. 2
Crudelitas hæreticorum, 960. 1
Culpa (pro) puniri est actus justitiæ, 678. 1. 2
Cultus modestia decet mulieres, 661. 2
Cupiditatum quibus quis vivens servivit, memoria etiam in morte recurrit, 498. 2
Cupido summus deorum erat Gentilibus, 900. 1. Ex concupiscentia natus, quomodo is pingatur, 450. 1. Ejus descriptio, *ibid.* 1. 2. Ejus varia nomina, *ibid.* 2. *Vide* Concupiscentia.
Curam nostri habet Deus, 725. 2. 726. 1
Curiositas damna varia adfert, 708. 1
Currus stercorum dicti sunt quidam Anabaptistæ in Hollandia, 792. 2
Custodia Dei erga suos mira, 606. 1
Cypriani (S.) modestia in vultu, 671. 2. Tortori suo dedit 25. aureos, 713. 1. Etiam morti proximus suos est exhortatus, *ibid.* 2
Cyriacus Abbas à B. Virgine reprehensus quod in cubiculo libros Nestorii haberet, 932. 1
Cyrus imperium à Deo iniit, et cum eo finivit, 580. 2

D.

Ἀκτύλιος non fibulam, sed annulum significat, 484. 1
Dæmon vox unde deducatur, 536. 2. 728. 2. Dæmones an fidem habeant, 506. 1. 2. Quomodo per omnia nos tentent, 727. 2. 728. 1. An in inferno horribilia assumant corpora ut damnatos magis crucient, 771. 2. Pœnitere nolunt peccati, 772. 1. Ante diem judicii cruciantur igne, sed in judicio crescet eorum pœna, 773. 2. 954. 1. Non potuerunt resurgere per pœnitentiam, 770. 2. Eorum peccatum fuit superbia, sed in quo ea sita fuerit, 771. 1. Nunquam salvabuntur, 679. 1. 771. 2. Ubi creati sint, 772. 1. Sunt creati in gratia, 951. 2. Non sunt natura mali, *ibid.* Quibus vinculis æternis ligati sint, 952. 2. Eorum plurimi sunt in aere, *ibid.* Nocere nobis nequeunt nisi volentibus, 953. 1. *Vide* Diabolus.
Damnandorum confusio et pudor in judicio quantus, 867. 2
Damnantur plures quam salvantur, 497. 2. 499. 2
Damnati non amplius habent fidem, 506. 2. Statim à morte rapiuntur in tartara, 776. 1. Damnati aliqui semel, an à Christo ad inferos descendente liberati et salvati, 682. 1
Dare Deo proprium est, 429. 1
Datum est idem quod donum, 453. 2
David fuit typus æque ac pater Christi, 716. 1. Quomodo se ad judicium Domini præparet, 809. 1
Δε capitur etiam pro *ergo*, 905. 2. etiam pro *enim*, 445. 2
Debora et Barac quid mystice denotent, 761. 1
Decalogus semper obligat, quia est lex naturæ, 473. 1. Eum quomodo uno peccato quis transgrediatur, 494. 2
Δειπνον unde dicatur, 784. 1
Deliciarum damna, 569. 1
Delphinorum in homines amor, 527. 1
Demerita (ante prævisa) et mortem in peccato, Deus neminem reprobat, 805. 1
Demetrius, quem ab hospitalitate S. Joannes commendat, quis fuerit, 940. 2
Demosthenis vis in dicendo, 549. 2
Dentibus hominum quoddam inest virus, 472. 1

Desideria carnalia quæ dicantur, 645. 2
Despumare et dispumare quomodo differant, 965. 1
Desunt omnia Christo in pauperibus, 883. 2
Detractionis vitium quam commune sit, 555. 2. Fit quinque modis, *ibid.* Ipsum quam grave sit, *ibid.* Cur sit abominabile Deo, *ibid.* Ejus malitia, 523. 2. 556. 1. Quam illa sit fugienda, 557. 1. In ea triplex velut committitur homicidium, 881. 2. Ejus varia sunt genera, 630. 2. 631. 1
Detractor quomodo legem judicare dicatur, 556. 1. item Deum, *ibid.*
Deus (vox) unde dicatur, 429. 1. Dei definitio, 900. 2. 430. 2. Pro eo pati quam sit gloriosum, 415. 2. Est omnium rerum dominus, 410. 1. Est æterna, immensa et essentialis sapientia, 427. 2. 428. 1. Quomodo sua dona det, 429. 2. Ejus propensio ad se communicandum Filio et Spiritui sancto, tum angelis et hominibus, *ibid.* 430. 1. In justificatione seipsum animæ communicat, 430. 1. Ejus munificentia quintuplex est, *ibid.* 2. Diversimode et multipliciter se homini communicat, *ibid.* Dat plura quam rogetur, et antequam rogetur, *ibid.* In die judicii exprobrabit impiis quod data gratia sint abusi, 432. 2. Cur sæpe fideles non exaudiat temporalia petentes, 435. 1. Et tunc negando petita misericors est; tribuendo, iratus, 546. 1. Sæpe fidei et fiduciæ defectum in orantibus supplet, 436. 1. Non est auctor mali et peccati, 442. 2. Quadrupliciter intentator malorum est, 443. 1. Totus est bonitas, *ibid.* 2. Ejus bonitas naturalis quæ sit, *ibid.* Est per essentiam bonus, et ipsum bonum, *ibid.* 444. 1. Est superperfectus, 444. 1. Vincitur ab amore, 451. 1. Nil dat nisi bonum, 453. 1. 2. Ipse lumen est, et per quod lumen optime repræsentatur, 454. 1. Quot modis dicatur pater luminum, *ibid.* 2. 455. 1. Est ad intra lux increata et originalis, 454. 2. Est auctor omnium luminum, 455. 1. Apud eum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, 456. 1. Est immutabilis diversimode, *ibid.* 2. Est semper in benefaciendo sui similis, 457. 1. Nos genuit voluntarie, quomodo, 458. 2. Ejus silentium, 461. 2. Judicat tranquille sine ira, 464. 2. Puritate delectatur, 479. 1. Ejus sanctitas, *ibid.* Puris delectatur, *ibid.* 1. 2. Non est acceptor personarum, 482. 2. Pauperes eligit, 488. 1. et diligit, 491. 1. Misericordia magis utitur quam justitia, 497. 2. Ei mundus adversatur, 547. 1. Quomodo sit zelotes, 549. 1. Modi ei appropinquandi, 552. 1. Omnibus nobis proximus adest, *ibid.* 2. Quotupliciter ad hominem pœnitentem accedat, *ibid.* Detractor eum judicat, 556. 2. Multa non statuit nisi prævisa libera hominum actione, 562. 1. Misericordia ejus magna est diversimode, 601. 2. Est hæreditas nostra, 603. 2. Suos mire custodit, 606. 1. Solus ipse animam implet, 611. 2. Cum eo conversari, reddit sanctum, 619. 2. Semper accedentes ad se excipit, 634. 2. Ubique præsens est, 674. 2. Ejus patiens longanimitas erga peccatores, 683. 2. Suos maxime punit et probat, 709. 2. Disponit omnia mala quibus sui affligantur, 712. 1. Gerit curam nostri, 725. 2. 726. 1. Delectatur nostra de se confidentia, 726. 1. Liberalitate non vincitur, *ibid.* Maxime suis adest in rebus desperatis, 418. 1. 726. 2. Suos confirmat, perficit, solidat diversimode, 734. 1. Nullam dat homini gratiam, nisi per merita Christi, 740. 2. Ipse solus essentialiter habet naturam divinam, 743. 1. In Christo sibi complacet, 760. 1. 2. Cur homini peccanti pepercerit, non angelo, 770. 2. Res creatæ possunt, eo jubente, in nihilum resolvi, 797. 2. Omnia tempora in momento pervidet, 800. 2. Neminem vult damnari, sed omnes salvari, 803. 1. Potest cœlos mutare, 407. 1. Ipse ubique præ oculis habendus, 812. 1. Ejus æternitas omnia tempora ambit et complectitur, 822. 2. Est vivus et originalis vita omnium aliarum vitarum, 634. 2. 635. 1. 832. 2. Ubi esset Deus cùm nihil vel nullus locus esset in rerum natura, 834. 1. Ejus et lucis analogiæ, 837. 1. In eo non sunt tenebræ, et quæ, 838. 1. Est justus cum peccata condonat, 842. 1. Quos ipse amat, eos facit sibi in amore respondere, 869. 2. Est summe justus, 875. 2. Est major judex quam sit conscientia, 886. 1. Voluntatem timentium se facit, *ibid.* 2. Manet in obediente quintupliciter, 888. 1. In se est charitas formalis, in nobis causalis, 894. 2. 889. 1. Cur, *ibid.* 2. Ejus in nos charitas, 895. 2. 896. 1. Ejus essentiam nemo vivens vidit, 897. 1. Quomodo eam videant beati, *ibid.* Non potest imagine ulla exprimi, *ibid.* 2. Habitat in amante et justo, 900. 1. Quos tunc ibi producat effectus, 901. 2. Ejus cognitio summum est bonum hujus vitæ, 922. 1. Est sibi lux, nobis caligo, 940. 1. Vocatur Dominator Dominus, 949. 2. 950. 1. Natura sua est impeccabilis, 974. 2
Deuterocanonici libri sacri qui dicantur, 815. 1
Diabolica sapientia quæ dicatur, 536. 1
Diabolistæ quales sint in Gallia hæretici, 773. 1
Diabolus vox unde deducatur, 727. 2. Est idem quod criminator, 956. 2. Est adversarius noster juratus, 727. 2. Ejus invidia erga nos, 728. 1. Ejus superbia, *ibid.* Vocatur leo, *ibid.* Quam scientiam docuerit, 536. 2. Psalmodiam maxime exosam habet, 578. 2. Magister hæreticorum est, 525. 1. Est auctor concupiscentiæ, 856. 2. Quomodo cum S. Michaele sit altercatus de Mosis corpore, 956. 2. Cur amet porcos, 792. 2. Fugatus et victus redit iterum iterumque, 551. 2. Est myrmicoleon, *ibid.* Timidis insultat, *ibid.* Victus confugit ad insidias, *ibid.* Sanctiores magis infestat, *ibid.* Hebraice vocatur sair, id est hircus, 729. 1. Ejus natura, mores, fraudes, sævitia describuntur, 728. 1. 2. 729. 2. Cur circumeat, 730. 1. Ejus fraudes, *ibid.* 551. 1. Ejus sagacitas, 730. 2. Quibus armis vincatur, 731. 1. In idolis colitur, cur, 923. 2. Ejus odium erga Deum, 879. 1. Nihil potest in vere justum, 920. 1. Ejus vires sunt à Christo occisæ, *ibid.* Hominem in morte quomodo tentet et oppugnet, 958. 2. An diabolum particularem antagonistam homo quilibet habeat, 728. 1. Vincitur maxime gaudio spirituali, 416. 2. Is quomodo ab initio peccarit, 875. 2. 876. 1. Quale ejus peccatum fuerit, 876. 1. Ex diabolo est qui facit peccatum, 875. 2. *Vide* Dæmones.
Diaconissarum quod esset officium, 928. 1
Diaconus in necessitate an sacramentaliter possit absolvere, 584. 1. Potest absolvere ab excommunicatione, *ibid.*
Διάνοια quam variam significationem habeat, 921. 2. 922. 1
Didymus Alexand. in Epist. Canonicas est commentatus, 404. 1
Dies boni dicuntur felices, tum hujus, tum futuræ vitæ, 673. 2. Dies visitationis quæ dicatur, 647. 1. Dies revelationis est dies judicii, 610. 1. *Vide* Judicium. Dici apud Hebræos partes et horæ erant quatuor, 859. 1. Dies unde in duodecim horas divisus, *ibid.* Diei assimilatur fides et Evangelium, 763. 1. item beatitudo cœlestis, *ibid.* 2
Difficultates rei sæpe minuuntur in ejusdem susceptione, 631. 2
Diffidentia in oratione displicet Deo, 434. 1
Digitus auricularis quis, et cur in eo annulus gestatur, 484. 1
Digne Deo quomodo aliquid fiat, 452. 1
Dii (quasi) erimus in cœlo, 872. 1. Deorum filios se esse multi Gentiles jactabant, 871. 1. et hos omnibus cupidinibus suis præficiebant, 691. 2
Dilectio est Deus, 896. 2. Eam quanti ipse faciat, 897. 1. Dilectio nostra quomodo se debeat extendere, 625. 2. Eam Christus suis maxime commendat, 492. 1. Actus dilectionis Dei super omnia peccatorem justificat, 698. 1. Sit realis et operosa, non verbalis, 884. 2. Huic, non soli fidei promissum est regnum Dei, 895. 2. Dilectio mira fuit primorum Christianorum erga Christum, 610. 1. *Vide* Amor, Charitas.
Diligit (qui non) non novit Deum, 894. 2. 895. 1. Diligens Deum diliget et proximum, et diligens proximum diliget Deum, 907. 1
Diluvio mersi non omnes sunt damnati, 682. 1. 683. 1. Ipsum fuit Dei patientia, cur, 683. 2. Est figura baptismi, 684. 2
Dionysia (S.) Martyr quam generose Arrianis responderit, 440. 2

Diotrephes an fuerit Episcopus, an vir aliquis potens et arrogans, 938. 1. Fuit Episcopatu dejectus, *ibid.* 2. Ejus insolentia, 939. 1
Διψυχος quatuor diversa significat, 436. 1
Discinctus capitur pro ignavo et dissoluto, 615. 1
Disciplina religiosa in aliquo monasterio vigere unde intelligatur, 476. 1
Discipulorum est audire, docentis loqui, 461. 1
Discretio spirituum est magnum Dei donum, 890. 2
Dispersis Judæis quibus S. Jacobus scribat, 411. 1
Disputare de fide non est laicorum rudium, 948. 1
Dives apud Deum quis sit, 664. 1. Dives quomodo possit in humilitate sua gloriari, 438. 2. Divites sugillantur qui in pauperes duri, 884. 1. Ili ægre cœlum ingrediuntur, 489. 2. Quam difficulter Deum amare queant, *ibid.* Ilos non oportet præferre pauperi, 482. 1. Id faciens posset peccare aliquando mortaliter, 486. 2. Divites hic et in futuro cruciabuntur, 563. 2. Quare plorare et ululare debeant, 564. 1. 2. Eorum splendor in quo situs, 439. 2. Quæ eorum itinera, *ibid.* 440. 1
Divinitatem (in) injurii sunt hæretici, 777. 1. Ejus symbolum est amiantus lapis, 604. 1. Deitas Christi adstruitur, 821. 1. 2. 822. 2. 823. 1. 909. 1. 2. 910. 2. 911. 1. 922. 1. 2. 923. 1. 949. 1. 2. Illa non est passa, 689. 1. Arboris trunco assimilatur cui humanitas inserta est, 467. 1
Divinum est animarum conversioni studere, 590. 1
Divitiæ quare sint contemnendæ, 487. 2. Sunt fomites omnium vitiorum, 489. 2. Instant divitem, 491. 1. Sunt tantum flos feni, 459. 1. Pariunt superbiam, 437. 2. Per se non sunt honorandæ, 486. 2. Iis omnia concedunter, 483. 2. Quas in animis hominum cogitationes producant, 487. 2. Divitiæ veræ sunt virtutes, 485. 1. 488. 2
Δοκιμιον et δοκιμη quomodo differant, 420. 1
Doctor docet frustra nisi intus docet Spiritus sanctus, 866. 2. Doctores vocari possunt spiritus, 890. 1. Eorum in cœlo ingens est gloria, 722. 2. Doctores perversi loquuntur lingua dæmonum, 525. 1. Doctores multi dum sunt, quæ mala sequantur, 512. 1
Doctoratus est gradus in Ecclesia, *ibid.* 2
Doctrina Evangelica lacti similis est, 651. 2
Dolorem habet refrenatio linguæ, 517. 2. Dolores Christi fuere in carne, sed maximi in spiritu, 688. 2. 689. 1
Dolus quid sit, unde dicatur, 629. 2. Ejus definitio apud Græcos, 674. 1
Dominationem quam spernerent Gnostici, 955. 2
Dominator et Dominus quomodo differant, 949. 2
Dominicus (S.) jugiter aut cum Deo, aut de Deo loquebatur, 702. 1. Quidquid à Deo petit, impetravit, 433. 1. 2
Dominium Dei in res omnes negant hæretici, 777. 2
Dominus proprium epithetum Dei est, 410. 1
Domitiani Imp. arrogantia, *ibid.*
Domitilla (Fl.) martyrium pro virginitate obiit, 660. 1
Domus spiritualis quæ dicatur, 656. 1
Dona Dei optima et perfecta sunt, 453. 2. Donum perfectum quid sit et intelligatur, *ibid.* 454. 1
Δοξα quam varia significet, 778. 1. 596. 1
Drusiana an fuerit illa Electa ad quam S. Joannes secundam epistolam scribit, 928. 2
Dubitans in oratione videtur duas habere animas, 436. 1
Dulcedo christianismi et sanctæ vitæ, 654. 1
Duplici corde qui sint, 553. 1
Duplicitas in oratione quæ sit, 436. 1. Quæ ejus origo et radix, *ibid.* 2
Duri dure increpandi, 546. 1
Δυσκολος quid significet, 651. 2

E.

E' sæpe est quod *an*, 547. 2
Ebion negabat Christi divinitatem, 819. 2. 820. 1. 823. 1
Ebionitæ aquam meram in calice offerebant, 910. 1
Ebrietatis incommoda, 616. 1
Ecclesia est visibilis, 656. 1. Est sacerdotium sanctum, *ibid.* 2. item regale, 638. 2. Ejus et arcæ Noe analogiæ, 684. 2. Ejus præcipua nota est quod sit Catholica, 401. 1. 2. Fulget ut sol et luna, 764. 2. Est regnum et regale sacerdotium, 639. 2. Est Christi non Pontificis, 717. 2. Ejus societas est cum Deo et Christo, 835. 1. Quam ei noceant schismata, 969. 2
Ecclesia Romana quam semper fuerit florens, 736. 2. 737. 1. Caput est omnium Ecclesiarum, 594. 1. Qui ab ea dissidet, à Christo disjunctus est, *ibid.* Ecclesiæ omnes à S. Petro per orbem fundatæ sunt, 595. 1
Ecclesiastici in pauperes esse liberales cur debeant, 884. 1
Εκτενης variam habet significationem, 697. 1
Edmundus Campianus gaudebat audita mortis sententia, 414. 2
Effeminatus vir turpe monstrum, 660. 2
Effusio sanguinis Christi est pretium pro peccatis totius mundi, 859. 2
Egregium idem est quod selectum, 850. 1
Εκλεκτινης vox unde deducatur, et quid significet, 795. 1
Electa, cui S. Joannes scribit, an sit Ecclesia aliqua particularis, 927. 1. Verius est fuisse matronam aliquam, *ibid.* 2. An proprium ejus nomen fuerit Electa, vel appropriatum, 928. 1. Fortasse fuit præses Ecclesiæ, *ibid.* An habuerit sororem sibi cognominem, 933. 1. Ejus filiæ fuere virgines, 928. 2
Electi cur dicantur Diaconi et Episcopi, 928. 1. Electis quibus S. Petrus scribat, 598. 1
Electio duplex est : una ad fidem et gratiam, altera ad gloriam : rursus alia absoluta et efficax, alia inabsoluta et conditionata, 751. 1. Electio ad gloriam à Deo fit ex prævisis cujusque meritis, 752. 2
Eleemosyna quomodo hominem mundet, 495. 1. Sola non servat, si reliqua præcepta violentur, 494. 1. 2. Ipsa ditat, avaritia depauperat, 565. 2. Sacrificium est, 478. 1. Est semen magnæ messis, *ibid.* 2. Pilæ ludo similis est, *ibid.* Ejus lex obligat in gravi necessitate, 883. 1. Ea danda è magno affectu commiserationis, *ibid.* 2
Elementa in fine mundi quæ et quomodo solvenda sint calore, 807. 2. Non sunt dissolvenda, sed tantum extenuanda et liquanda, *ibid.* 809. 2. Elementa quatuor quadruplicem repræsentant concupiscentiam, 855. 1
Elias fuit vita angelicus, 587. 1. Nominis ejus etymon, *ibid.* Ejus zelus et ardor, *ibid.* 2. An sit Phinees nepos Aaronis, *ibid.* Ejus in orando fiducia, *ibid.* 1. Ejus elogium, *ibid.* 1. 2. An sit ob nimium zelum raptus in cœlum, 588. 1. Orationis ejus vis, 587. 2. 588. 1
Elias Episcopus Hierosolymitanus precibus famem Palestinæ induxit, *ibid.* 2
Elisabetha (S.) Hungariæ regis filia ex aspectu crucis mire compuncta fuit, 656. 2
Elogii Edesseni Orthodoxi generosum responsum Imp. Valenti, 440. 2
Elxai hæresis quæ esset, 913. 2. 923. 2. Ejus nomen quid significet, 923. 2
Elzearius (S.) Comes è passione Domini suam mansuetudinem hausit, 655. 2
Emendatio vitæ tegit peccata, 699. 2
Εν sæpe ponitur pro εις, 599. 2
Εγκομβωσασθε diversimode accipitur, 725. 2
Encratitæ prohibent nuptias et abstinentiam à cibis, 955. 1
Encyclicæ epistolæ quæ olim dicerentur, 401. 1
Enim quam varia significet, et sæpe orationem inchoat, 436. 1
Enthusiastæ docebant contemplatione submergi hominis humanitatem in deitatis abyssum, 745. 1
Ephrem (S.) in mentis tranquillitate rogabat sibi certamina restitui tentationum, 418. 2. Totus est in luctu et compunctione, 554. 1. Assidue judicii recordabatur, 497. 1
Epicurismus invaluit suggerente Calvino, 788. 1
Episcopatus olim non honores et opes, sed onus includebat, ideo cum multi refugiebant, 718. 2
Episcopi dicebantur à Romanis annonæ provisores, 477. 1. Episcopi litteras ad Ecclesiam suam missas olim recipere

solebant et legere, item ad alios scribebant epistolas encyclicas, 401. 1. Eorum quod sit officium ex vi nominis, 717. 2. Invigilent saluti animarum, 658. 1. 2. Cur crucem auream in pectore gestent, 715. 1. cur annulum, 484. 1. Solebant olim hospites ad se venientes invitare ad concionem in Ecclesiam faciendam, 936. 2. Olim è monachis et contemplativis eligebantur, 935. 1. Iis subsint reges, 648. 2. Episcopi plures una in civitate non sint, 511. 2. Episcopi avari sugillantur, 718. 2. 719. 1
Epistola est velut apostola, 820. 2. Epistolis Christiani Dei, SS. Trinitatis, aut Christi nomen præfigebant, 410. 1. Epistolæ Catholicæ quæ sint et dicantur, 401. 1. Eædem dicuntur Canonicæ, 402. 1. Sunt Scriptura Canonica, *ibid.* Earum inter se consensus, *ibid.* Quis earum sit ordo, 403. 1. Scriptæ sunt græce, 404. 1. Epistolarum Paulinarum difficultas, 813. 1
Epistola S. Jacobi ab hæreticis rejicitur, et cur, 403. 1. Ostenditur esse Canonicam, *ibid.* Cur aliis epistolis in serie præponatur, *ibid.* Ejus argumentum, *ibid.* 2. Est canon fidei et vitæ Christianæ, *ibid.* Quando scripta ab eo, 404. 1. Scripta est græce, *ibid.* Uter Jacobus eam scripserit, *ibid.* 2. An in ea erasum nomen Apostoli, 411. 1
Epistola S. Petri prima Canonica est et scripta Romæ, et quando, 592. 1. et qua lingua, *ibid.* Scripta primario ad fideles dispersos Judæos, *ibid.* Ejus argumentum, *ibid.* 2
Epistola secunda S. Petri stylo dissidet à prima, 738. 1. Est Scriptura Canonica, *ibid.* Exstat etiam syriace, *ibid.* Ejus auctor S. Petrus, *ibid.* Quando ab eo scripta, et ubi, *ibid.* 2. Ejus quod sit argumentum, *ibid.* Ad quos sit scripta, 739. 2
Epistola prima S. Joannis Canonica est, 815. 1. Ejus auctor, *ibid.* Ejus argumentum quod sit, 819. 2. Scripta est ad Parthos, 820. 1. item græce, *ibid.* 2. Epistolæ duæ posteriores S. Joannis sunt Canonicæ, 926. 1
Epistola S. Judæ est Canonica, 942. 1. Cur de ea aliqui dubitent, *ibid.* Est græce scripta, *ibid.* 2. Ejus laus et elogium, *ibid.* Ejus argumentum, *ibid.* Ejus qui fuerint interpretes, 943. 2. Valde similis est epistolæ secundæ S. Petri cap. 2. *ibid.* Cur ultimo loco in ordine biblico posita, *ibid.*
Epistola de malis doctoribus sub nomine Sixti III. edita est supposititia, et Pelagiani cujusdam, 404. 2
Επιτελεω quam varia significet, 732. 2
Επιτιμαω nunc increpo, nunc præcipio vertitur, 959. 1
Εποπτης quis proprie sit, 758. 1
Epulæ quam diversa significent, 569. 1. Conjuncta sunt cum immisericordia, *ibid.* Epularum damna, *ibid.*
Equitius (S.) cœlitus donum prædicationis accepit, 429. 1
Erasmus arrianizat pene ubique, 922. 2. Filium Dei perperam vocat sermonem, 830. 1. Ejus expositio de propheta Deo Patre exploditur, 762. 1
Erat cum de Filio Dei dicitur, notat ejus æternitatem, generationem, divinitatem, 821. 2. et permanentiam, 822. 1
Εργασια etiam calumniam fraudulentam significat, 650. 1
Error duplex est, fidei et morum, 589. 1
Essæi unde dicti, quæ eorum sanctitas, 618. 2. Eorum preces, opera et prandia, *ibid.* Eorum continentia et modestia, 619. 1
Essentiam Dei nemo potest videre vivens, 897. 1. Eam vident Beati, 871. 2. 872. 1. Essentiam divinam Christi Apostoli in transfiguratione non viderunt, 758. 1. 2
Et sæpe capitur pro *sic*, 520. 1
Eucharistia (in) Christus nobis inscritur, 467. 2. In ea is non videtur, sed creditur, 610. 2. In ea Angeli Christum adorant, 614. 1. Ipsa est gratia gratiarum, 616. 2. 617. 1. 949. 1. Olim recens baptizatis dabatur, 632. 1. Lacti confertur, *ibid.* 2. Est viaticum Christianorum; quomodo vocetur antitypa, 685. 1. Per eam fimus divinæ naturæ consortes, 745. 1. Est forma amoris, 901. 1
Ευχομαι et vovere et orare significat, 935. 2
Euclidis Megarensis patientia, 421. 1
Ευοδουσθαι quid proprie sit, 935. 2
Euripus quis sit locus, ipse symbolum inconstantiæ est, 435. 2
Euromius docebat Filium non esse Verbum, 834. 2
Eusebii Samosateni generositas contra Constantium Imp. Arrianum, 440. 2
Eusebius anachoreta quomodo parvam in audienda sacra lectione negligentiam in se punierit, 471. 1. 646. 1
Eusebius Vercellensis maluit fame mori, quam ab Arriano cibum sumere, 931. 2
Eutychiani docebant humanitatem Christi à deitate fuisse consumptam, 743. 1
Evagrii Abbatis de silentio gnome, 515. 2
Evangelium S. Jacobi supposititium est, 407. 1. Evangelium velut speculum est, 469. 2. Id non facit Christianos liberos ab observatione mandatorum, 473. 2
Examinandi sunt spiritus à fidelibus, 890. 2
Exempli vis major quam verbi, 646. 2. Ea quantum possint in utramque partem, 573. 2. 939. 1. Exempla fortium docent fortitudinem, 573. 2
Exfornicatæ quomodo dicantur Sodoma et Gomorrha, 953. 1
Exploratores in Jerichuntem missi qui fuerint, 510. 1
Exprobratio est beneficii tinea, 432. 1
Extremæ unctionis Sacramentum negarunt multi hæretici, 578. 2. Ostenditur Sacramentum esse, et de eo S. Jacobum agere in epistolâ, *ibid.* Negat id Calvinus, *ibid.* 579. 1. Adhibendum id periculose laborantibus, *ibid.* Non sanis, non mortuis, *ibid.* 2. sed compotibus mentis, *ibid.* Ipsum etiam præcipitur, *ibid.* Adhibendum non perceptis aliis Sacramentis, *ibid.* Conferendum à Sacerdote, non à laico, *ibid.* 580. 1. A pluribus valide confertur, *ibid.* In eo oratur manibus impositis pro ægro, *ibid.* Ejus materia est oleum olivarum, *ibid.* Ejus formæ quæ sit vis, 581. 1. 2. In id recipiente requiritur fides, *ibid.* 2. Quomodo ægrum salvet in corpore et anima, *ibid.* 582. 1. Non est differendum usque ad extremum halitum, 582. 1. Ejus effectus in anima, *ibid.* Sex ejusdem fructus, *ibid.* Tollit reliquias peccati, *ibid.* 2. Cur non sit negligendum, *ibid.* Quis proprius ejus sit effectus, 583. 1. Repetitur licite il aliquoties per annum, quando quis in periculum mortis incidit, *ibid.*
Extremis (in) consistit vitium, 466. 2
Exsules (an) Scythice Parthi dicantur, 820. 1
Exsultare capitur etiam pro *sævire*, 518. 2

F.

Fabulæ Gentium et Judæorum et hæreticorum quæ, 757. 2
Facies in speculo videtur, non ejus imago, 470. 1
Felicitas humana quam inconstans, 435. 2
Feminarum colloquia vitanda, 932. 2. *Vide* Mulieres.
Fenum dicitur à fenore, 439. 1
Feræ obediebant Adamo in statu innocentiæ, 526. 1. Multæ in homines benignæ fuere, *ibid.* 2. Multæ non curantur, sed domantur, 527. 2
Fidei etymon quod sit, 504. 2. Fides et spes quomodo invicem differant, 433. 2. Fides subinde capitur pro credulitate humana et probabili, *ibid.* Fides omnium quomodo sit æqualis, 740. 1. Respectu accipientium datur sorte, id est gratis, *ibid.* Est religionis fundamentum, 475. 1. Cur vocetur unctio, 861. 2. Radici comparatur, 507. 2. Sex habere debet dotes, 510. 2. Est fidelium custodia, 606. 1. Excitat eos ad quidvis audendum, *ibid.* Hæc tribulationibus exploratur, 608. 2. Fides operosa et dimicans vincit mundum, 908. 2. Vincit quoque Deum omnipotentem, 909. 1. Est ex gratia Dei, non ex nobis, 488. 2. 623. 2. Vera potest esse sine operibus, 503. 1. sed paulatim tunc perit, 504. 2. 505. 1. Et hæc diabolica est, 506. 2. et mortua, 504. 1. 2. et tunc non est fides, *ibid.* 2. Sola non justificat ut censent Lutherani, 403. 1. 2. 502. 2. 506. 2. 686. 1. Fides vera initium est justificationis, 459. 1. Ejus lumen est admirabile, 642. 2. Superat omne lumen philosophorum, *ibid.* Habet promissionem vitæ æternæ, 914. 2. 915. 1. Ea optime diabolus

vincitur, 731. 1. 2. Fides Catholica quæ dicatur, 401. 1. Hæc docet justitiam curamque pauperum, ei proinde repugnat acceptio personarum, 482. 2. Fides non manet in damnatis et dæmonibus, 506. 2. Pro fide pati quam sit gloriosum, 415. 2. Fides triplex orationi necessaria, 432. 2
Fidelis major est toto mundo, 893. 1. Ejus et lapidis variæ analogiæ, 635. 2. Est templum Dei, 970. 2. In afflictione sit instar incudis, 413. 2. Fideles sunt socii Christi et Dei per fidem, spem et charitatem, 835. 2. et quomodo, *ibid.* Possunt excidere à gratia, justitia, fide, 861. 2. Sunt cives cœli, hospites terræ, 598. 1. Per baptismum regenerati sunt nova Christi creatura, 460. 1. Eos Deus maxime vexat, et cur, 710. 1. Imitentur vitam cœlitum, 814. 1. Singuli sunt mystice sacerdotes, 638. 2. et reges, *ibid.* Assidue Dei verbum ruminent, 471. 2. Charitate armati vincent mundum, 908. 1. Eorum tres gradus repræsentantur per sanguinem, aquam et spiritum, 913. 1. *Vide* Christiani.
Fidelitatis symbolum est cingulum, 615. 2
Fiducia oranti necessaria, 433. 1. Unde hæc oriatur, *ibid.* 2
Filiatio Dei est stimulus ad heroica opera, 871. 1
Filius cum apud Hebræos jungitur genitivo pœnæ vel præmii idem est quod dignus, 785. 2. Filii Dei simus per gratiam, 870. 1. 2. 871. 1. Eorum tessera sunt justitia et charitas, 878. 1
Filius Dei quare vocetur Verbum, 828. 2. item ratio, *ibid.* item opus, 829. 1. item virtus, *ibid.* item forma, *ibid.* item definitio, *ibid.* 2. item causa et sermo, *ibid.* Cur potius dicatur Verbum quam sermo, 830. 1. Improprie dicitur sermo, *ibid.* 830. 1. Qua homo, solus erit personalis judex judicans omnes homines, 619. 2. Quomodo hic sit apud Patrem, 834. 1. *Vide* Verbum.
Finis instat mundi, 858. 2
Flaccianorum blasphema dogmata, 777. 1
Flamini Diali Romæ non licebat jurare, 577. 1
Flendum assidue Christiano est, 554. 1. 2
Flores quam brevis sint vitæ, 439. 1
Floriani hæretici negarunt resurrectionem, 796. 2
Fœdus vox unde dicta sit, 792. 2
Fons cupidinis Cyzici cujus esset potentiæ, 451. 1. Fontes ordinarie non dant simul dulcem et amaram aquam, 351. 1. 2. Sunt aliqui tales, sed eam dant diverso tempore et loco, *ibid.* 1. 2
Formæ mulieres studiosæ sunt, 661. 1
Formatæ litteræ quæ dicerentur olim, 936. 2
Fortes viri in tormentis velut incudes sunt, 573. 1
Fortitudo cingulo denotatur, 615. 1
Fortunæ rotatio dat spem oppressis, 523. 1. 2
Franciscus (S.) inimicus erat detrahentium, 556. 1. In cruce gaudebat, 415. 1. Aliud non oravit quam nosse Deum et se, 453. 1. Ob humilitatem exaltari meruit, 458. 1. Ejus in spiritu lætitia, 611. 1. Ejus in maledictis tolerantia, 673. 1. Charitas erga Deum, 902. 1. 2
Franciscus (S.) Xaverius gaudebat in tribulationibus, 414. 2. Magnum ejus apud Indos nomen et opinio, 406. 2. Quotidie de passione Christi meditabatur, 655. 2
Fratres Christi qui dicerentur, et quomodo, 941. 1. Fratres se invicem vocabant primi Christiani, et qua occasione, 503. 2. 732. 1
Frenum unde dictum, 516. 2
Frigus etiam in inferno reperitur, 772. 1
Fronte (in) cur ungantur fideles in Confirmatione, 867. 2
Fructus temporanei et serotini qui dicantur, 572. 1. Qui fructus pretiosi terræ, 571. 2
Fuga seculi hominem ab eo immaculatum servat, 480. 1
Funes peccatorum qui sint, 876. 1
Fur (quomodo ut) venire Christus ad judicium dicatur, 805. 2
Futurum sæpe usurpatur pro imperativo, 867. 1

G.

Gaar Hebræum quid sonet, 959. 1
Galilæorum secta quæ esset, 647. 2
Garruli verba inconsiderate effundunt, 474. 2
Garrulitas signum est insipientiæ, 462. 2
Gaspar (P.) Barzeus quam carus et venerabilis esset Armuziæ Saracenis, 406. 2
Gaudendum quare sit in tribulatione, 413. 2. 414. 1. 2. Ita gaudent viri solidæ virtutis, 440. 1
Gaudium plenum nascitur ex testimonio bonæ conscientiæ, 836. 1. Id tentationes dæmonis evincit, 416. 2. Gaudium Beatorum in cœlo quantum sit, 611. 1
Gehenna vocis etymon et significatio, 525. 1
Gemitus est animi muliebris, 573. 1
Generatio spiritualis et divina similis est carnali, 868. 2. Generatio peccati et virtutis, 452. 1. 2
Generositas difficultates omnes exsuperat, 735. 2
Gentiles suis in propositis addebant : Si dii volent, diis volentibus, 561. 2. Adorarunt homines ut deos, 957. 2. Eorum quæ sint fabulæ, 757. 2. Eorum impuritas, 537. 2
Georgii Saxoniæ Ducis de Lutherana fide opinio, 506. 1
Gereon (S.) Martyr S. Evergistum Archiepisc. Coloniensem de sepulcro est allocutus; 705. 2
Gigantes prisci fuere typus hæreticorum, 775. 1. item diabolorum, 589. 1
Gignimur à Deo ter, 458. 2. Quomodo hæc generatio peragatur, 459. 1
Gloriæ definitio, 975. 2. Cur soli Deo debeatur, *ibid.* *Gloria* sæpe sumitur pro *gratia*, 742. 1. Gloriæ titulus competit Christo, 483. 1. 2. Gloria Sanctorum in cœlo quanta futura, 609. 2. Gloria Christi in transfiguratione in quo eluxerit, 738. 2. Cur vocetur beatitudo, corona gloriæ, 723. 2. Pro gloria æterna pati facile est, 440. 2. Hæc vocatur corona vitæ, cur, 441. 1. Plenum affert gaudium, 616. 2. et omnis à Deo promanat, 455. 2. Gloria mundanorum est velut flos feni, 439. 1
γλωσσα unde derivetur, 526. 1
Gnostici quales hæretici, 757. 2. 758. 1. Censebant omnes fideles sola fide salvari, 838. 2. 840. 2. Adulabantur potentibus, 968. 1. 2. Ridebant Dei providentiam et judicium, *ibid.* 2. Suam jactantes scientiam, erant ignorantes, 813. 2. 963. 2. Eorum murmura, 967. 2. Quomodo Dei majestatem blasphemarent, 955. 2. 956. 1. 959. 2. 960. 1. Eorum sordes et obscœnitates, 476. 2. 537. 2. 942. 2. 943. 1. 948. 2. 949. 1. 959. 2. 962. 2. 965. 1. 971. 1. 973. 2. 974. 1. Eorum somnia, 954. 1. 2. Spernebant dominationes, 955. 2. Proxime ad ethnicismum accedebant, 790. 1. Eorum sordes, 791. 1. 796. 1. Similes erant porcis, 792. 1. Eorum stolida superbia, 782. 1. 967. 2. Eorum deliciæ, 782. 2. Luxuria, 784. 1. 2
Gorgoniæ (S.) elogium à modestia, 664. 2. 665. 1. 671. 1. Ejus ultima verba quæ fuerint, 458. 1
Gradus scholastici licite admittuntur, 512. 2
Græca lingua quam esset Hebræis nota et usitata, 404. 1
Græci pueris dant Eucharistiam, 632. 1
Gratia Dei cur vocetur semen, 876. 2. Præservat à peccato majori, 919. 2. Ejus varii effectus, 745. 1. Ipsa est semen gloriæ, 598. 1. Tam est efficax ut omne peccatum excludat, 876. 2. Non est nobis connaturalis, sed à Deo infunditur, 467. 1. Ejus tria indicia, 881. 1. Eam adaugere quomodo semper possimus, 887. 1. Ipsa est causa accessus nostri ad Deum, 552. 2. Ipsa cur dicatur vitæ, 667. 1. Gratia perfecta dici potest donum perfectum, 454. 1. Gratia Spiritus sancti per unctionem declaratur, 862. 1. Gratia justificans est causa formalis justificationis nostræ, et adoptionis ad gratiam et ad deificationem, 744. 2. Gratia excitans et operans prævenit voluntatem, 746. 2. Ab ea habet opus omnem dignitatem et meritum, 747. 1. Gratia ad bene vivendum à Deo postulanda est, 453. 2. Eam dat Christus ad mandata sua servanda, 907. 2. Ea sola homo se convertit, non naturæ viribus, 742. 1. Gratia datur in Extrema Unctione eam recipienti, 581. 2. Gratiæ acceptæ in proximos communicandæ, 701. 1
Gregorius (S.) Magnus Pontifex insignis fuit animarum zelator, 658. 2. Cur noluerit appellari Episcopus universalis, 715. 1. Prandio angelum excepit, 478. 1

Gregorius Nazianzenus (pater), quam esset moribus facilis, 533. 1
Gregorius (S.) Nazianzenus filio legem sibi indixit nunquam jurare, 577. 2. Fratri suadet ut à Juliano Apostata familia se subducat, 480. 1. Ei in somnis apparuit Sapientia et Castitas, 537. 2. 538. 1
Gregorius (S.) Thaumaturgus quantam animarum sibi creditarum curam gesserit, 658. 2
Gula quam sit noxia, 569. 1. 2. et seq.
Guttula una sanguinis Christi universum mundum redimere potuisset, 839. 2

H.

Habere pro *facere* capitur interdum, 840. 2. item pro *posse*, 757. 1. item pro *tractare*, *ibid.* 2
Hæreditas nostra est Deus et cœlum, 603. 2. Est quidem incorruptibilis, 604. 1. et incontaminata, *ibid.* Ea nobis reservata manet, 605. 2
Hæresiarchæ dæmones habuerunt magistros, 525. 1. Pene omnes misere mortui, 769. 1. Nunquam ad Ecclesiam redeunt, 861. 1. Cur vocentur Antichristi, 891. 1
Hæresis non semper includit schisma, 969. 1. 2. Est gravius peccatum peccato Sodomitarum, 776. 2. Quæ adferat damna, 768. 2. Desinit tandem in atheismum, 769. 1. 777. 2. Ejus fons est superbia, 778. 2. 779. 1. Ipsa ejusque defensio pertinax est peccatum ad mortem, 917. 2. Sapit terrena, non cœlestia, 536. 1. Est semper inconstans, *ibid.* 2. Hæreses quas jugulet S. Joan. in epistola sua prima, 819. 2. 820. 1. Cur plures hæreses in Christianismo sint, quam fuerint in judaismo, 533. 2. Hæreses non sunt universales, 3. 2. Hæreses quot post Lutherum enatæ, 778. 2. Hæreses non sunt explorandæ et probandæ, 890. 1
Hæretici in sua fide semper vacillant et variant, 437. 1. 536. 2. Non patrant miracula in hæresis suæ confirmationem, 506. 1. A magistro uno Christo desciscunt, 512. 2. Sunt turbulenti et seditiosi, 536. 2. Quæ mala orbi intulerint, *ibid.* 537. 1. Sunt hypocritæ, 541. 1. Eorum quæ sint fabulæ, 757. 2. Sunt pseudoprophetæ, 768. 1. Sunt lupi rapaces et vulpes, *ibid.* Negant Christum varie, 769. 1. Eorum sacrilegia, *ibid.* 2. Blasphemant religionem, *ibid.* Sunt in sermone blandi et elegantes, *ibid.* Eorum avaritia, 770. 1. 785. 2. Multi habuerunt dæmones familiares, 773. 1. Sunt magia infames, *ibid.* Sunt pejores ethnicis, *ibid.* 2. Sunt similes priscis gigantibus, 774. 1. et velut Sodomitæ, 775. 1. Eorum libidines et sordes, 537. 2. 769. 2. 776. 2. 954. 2. 955. 1. Omnes magistratus et præpositos tam seculares quam Ecclesiasticos contemnunt, 776. 2. Negant Dei providentiam, 777. 1. item ejus imperium in res omnes, *ibid.* 2. Eorum superbia, 968. 1. 778. 2. Semper novas opiniones comminiscuntur, 778. 2. Se invicem blasphemant et conviciantur, 779. 2. Quomodo Deum et sanctos blasphement, 780. 1. Quomodo à Deo puniendi sint, *ibid.* 2. Sunt pejores dæmonibus, *ibid.* et 781. 1. 772. 2. 773. 1. Sunt velut bruta pecora, 781. 2. Eorum in vita corruptiones, 782. 2. 783. 1. et vita delicata, 785. 1. Eorum in epulis obscœnitates, *ibid.* 1. 2. et seq. Sunt aucupes animarum, 785. 2. Sunt filii diaboli, *ibid.* Dant verba, non scientiam, 786. 2. 787. 2. Acerrime inter se confligunt, 787. 1. Eorum cæcitas, *ibid.* Jactant doctrinam et scientiam, sed non habent, *ibid.* 2. Quam escam ad decipiendum suggerant, *ibid.* In fide parum stabiles seducunt, 788. 2. Libertatem conscientiæ crepantes, eamdem sui sequacibus eripiunt, 789. 2. Canibus assimilantur, 791. 1. 2. item onagris, 948. 2. 949. 1. Eorum vera idea, 793. 2. Veteres omnes oppugnarunt Christi incarnationem, ac proinde ejus vel divinitatem vel humanitatem, 860. 1. Sunt Antichristi, 859. 2. 860. 1. Fuere alias Catholici vel veri vel ficti, 860. 1. Superbi et mundani sunt, 893. 2. Eos acriter insectatur S. Judas, 942. 2. 943. 1. Fugiendi jure naturæ et divino, 931. 1. 2. Ne salutandi quidem, 932. 1. Eos salutans videtur eis consentire, 931. 1. Eorum mores etiam à Prophetis prædicti, 948. 2. Abutuntur Christianismo ad luxuriam, *ibid.* Multi eorum sunt à dæmone suffocati, 782. 1. Multi quoquo negarunt futurum judicium, 796. 2. Nihil pensi habent, 854. 2. Eorum blasphemia, 959. 1. 2. Sunt similes Caino, cur, 960. 1. item Balaamo, 961. 1. 2. et Core, 962. 1. Eorum peccandi ardor et licentia, 961. 1. Eorum impia consilia, *ibid.* Sunt nubes sine aqua, cur, 963. 2. item arbores autumnales, *ibid.* Similes sunt fungis, 964. 1. Sunt arbores bis mortuæ, *ibid.* Sunt eradicati à fide, Deo, Ecclesia, *ibid.* 2. Sunt fluctus feri maris, *ibid.* item sidera errantia, 965. 1. Eos manet caligo et procella, *ibid.* 2. Aucupantur gratiam potentium, 968. 1. Vocantur animales, 968. 1. 969. 1. Hæretici nostri temporis docent fidem ad salutem sufficere, 502. 2. et Deum esse peccati auctorem, 442. 2. 443. 1. Eorum fides specialis, qua se credunt justos, refellitur, 433. 1. Eorum abominanda dogmata, 537. 2. Eorum turbulentia, 538. 2. Epistolis S. Pauli suam hæresin propugnant, 813. 1. Scripturam depravant, *ibid.* Sunt velut planetæ oberrantes, *ibid.* 2
Hæsitans in oratione diversis cogitationum fluctibus jactatur, 433. 2. idque vel ex incredulitate, vel ex diffidentia, 434. 2.
Hæsitationis effecta, *ibid.* Hæsitatio in fide triplex ab oratione amovenda, *ibid.* 1
Hebetudo mentis provenit à crapula, 569. 1
Hebræorum pronitas ad idololatriam, 957. 2. 958. 1. Hebræi, cum quid asserere volunt, idipsum interrogationis forma enuntiant, 685. 1. Præterito utuntur pro præsenti et futuro, 843. 2. Suppositum verbi sæpe subaudiendum relinquunt, 796. 1. Concordant adjectivum cum substantivo proximiori, licet ad remotius referatur, 797. 1. 2. Utuntur participio pro indicativo quo carent, 666. 1. Per enallagen numeros et genera commutant, 667. 1. Carent casibus, 932. 2. Verba contactus construunt cum *in*, 704. 1. 782. 1. item cum *ex* vel *de*, 898. 1. Asseverationem confirmant per negationem contrarii, 867. 1. Sæpe participia passiva usurpant pro verbalibus in *bilis*, 604. 2. Sæpe futuro utuntur tam pro imperativo et optativo, quam pro indicativo, 420. 2. Subinde geminant suarum vocum radices, 736. 1
Ἥλιος non est vox Hebræa deducta ab *eli*, 454. 2
Henoch fuit septimus ab Adam, et Propheta, 966. 1. Cur in fine mundi cum Elia venturus sit, 966. 2
Henrici VIII. Angliæ Regis libidines, 785. 1
Henricum Susonem sibi despondit sapientia, 538. 1
Hercîniæ silvæ vastitas, 521. 2
Hermenigildus (S.) Arrianis communicare nolens martyrio affectus est, 931. 2
Hieronymus (S.) assiduis in morbis impigre laborabat, 715. 2. Nobiles matronas ad perfectionem instruxit, 928. 2
Hierosolymitana Ecclesia Patriarchalem dignitatem unde et quando acceperit, 410. 2
Hilarion (S.) precibus pluviam impetravit, 588. 1. Quam esset contra dæmones invictus, 417. 2
Hilarius (S.) Constantino Imp. generose in faciem restitit, 676. 1
Homo pronus ad loquendum variis modis, 515. 1. Homo quasi conflatur ex angelo et bestia, 447. 1. Ei quantum contulerit Christus carnem assumendo, 826. 2. 827. 1. Homo homini confiteri debet, non angelo, 582. 2. Quam ægre salvetur, 199. 1. Arbori assimilatur, 964. 1. Deo se subjicere debet, 715. 2. Gustu et tactu cætera animalia antecedit, 750. 1. Homo interior suo modo exteriori proportionatur, 614. 2. Hominum vilitas respectu Dei, 430. 2. Dei sunt opus et imago, 530. 1. 2. Erunt post resurrectionem perfectiores quam modo sint, 807. 1. 2
Honor multa includit, 651. 1. Honor est bonum commune; debetur creaturæ rationali ob excellentiam, 486. 2. Honor uxori à marito impertiendus quam multa includat, 666. 2
Hora novissima quæ dicatur, 858. 2. Hora capitur pro ætate et seculo, *ibid.* item pro quavis temporis parte, 859. 1. item pro anni temporibus, *ibid.* Horæ diei duodecim unde inventæ, *ibid.* Horæ quod sit etymon, *ibid.*

Hospitalitas erat olim nota christianitatis, 936. 2. Ad eam sex stimuli, 937. 2. Etiam monachis olim usitata erat, 955. 1. Est propria laus Episcoporum, *ibid.* Ea exercenda Christianis, 700. 2. Ejus merita, 701. 1
Hospites abeuntes quomodo dimittendi, 937. 1. Etiam intrare compellendi sunt, *ibid.* 2
Hostiæ spirituales quæ dicantur, 637. 1
Humana creatura dici possunt principes et magistratus ab hominibus creati, 647. 1. 648. 1
Humanitas in Christo quasi ramus inserta est divinitati quasi trunco, 467. 1. Peccare ea non poterat, 654. 1
Humiliat hominem quod sit peccato obnoxius, 843. 2
Humilis vere quis sit, 355. 1. Cur semper à Deo exaltetur, *ibid.* 438. 1. 550. 1. 725. 1. Quomodo gloriari possit in sua exaltatione, 458. 1. Humilis etiam pauperem significat, 437. 2
Humilitas remedium est invidiæ, 534. 1. Ejus notæ, 672. 1. Ejus elogium, *ibid.* 438. 1. 2. 724. 2. Decem ejus signa, 724. 2. Est mater pacis, 539. 1. Ejus effigies et effectus, 551. 1. Per eam appropinquamus Deo, 413. 2. Humilitas et paupertas sociæ et sorores sunt, 437. 1. 2
Humiliter proferenda sunt sancta, 701. 2
Humores (quatuor) corporis continent in se quatuor elementa, 909. 2
Hydrargyrum quam venenosum sit, 529. 1
Hypocrisis morum fugienda, 722. 2. Adversatur sinceritati, 629. 2. Sunt duplici animo et corde, 436. 2

I.

Iberi Hispanici quomodo ad Christum conversi, 649. 2
Icterus avis quomodo sanet ictericos, 656. 2
Idola sunt imago rei falsæ, 923. 1. Eorum destructores non omnes sunt Martyres, *ibid.* 2. An ipsis colebantur dæmones, *ibid.* Quomodo illa colerentur, *ibid.*
Idololatria vere stolida est, 937. 2. Olim per totum pene orbem invaluit, 920. 1. 923. 1. Eam cur Joannes vetuerit, 923. 1
Ignatius (S.) Martyr aversatus est hæreticos, 931. 2. Ejus in tormentis alacritas, 676. 1
Ignatius (S.) de Loyola quam animarum zelo arserit, 590. 1. Quam de Dei gloria augenda sollicitus esset, 905. 1. Quare in Societate scholas instituerit, 853. 1. Divinitus mysterium S. Trinitatis edoctus est, 429. 1
Ignis non potest agere in cœlos, 805. 1. In quo sit symbolum Dei, 837. 1. Est figura libidinis, 973. 1. Ignis æternus Sodomæ quis, 953. 2. Ignis est in gehenna, 525. 1. 954. 1. Quomodo is dicatur spiritualis, *ibid.* Ignis conflagrationis mundi, judicium præibit, 799. 1. Ejus effectus, *ibid.* 2. Erit is noctu, 814. 1
Ignorantiæ hæreticorum tres sunt causæ, 959. 2
Illapsus Dei in Beatos in cœlo est causa beatitudinis, quomodo, 746. 1
Imaginatio fortis rei concupitæ parit consensum, 449. 1. Ipsa cohibenda tentationes vincere volenti, *ibid.* 2
Imago et idola quomodo distinguantur, 923. 1
Imber temporaneus vel matutinus et serotinus quis sit, 572. 1. Quis is allegorice, *ibid.*
Immisericordia et crapula conjuncta plerumque sunt, 569. 1
Immunditia tam avaritiam quam luxuriam significat, 465. 2
Impassibilitatis corporum beatorum quæ sit causa, 807. 2
Impatiens possidetur ab ira sua et Satana, 422. 1
Impatientiam docet diabolus, 572. 2
Impeccabiles quomodo fieri possimus, 877. 2
Imperatorum Roman. apotheosis, 957. 2
Impetrandi petita certum præsagium est certa fiducia, 434. 2
Impii æstu cupiditatum assidue jactantur, 455. 2
Imprudentiæ actus et vitia, 695. 1
In Hebræi sæpe capiunt pro *cum*, 482. 2. et pro *per*, *propter*, *ex* 600. 1. *In* cum accus. hebraice significat augmentum, *ibid.* item regimen genitivi, 605. 2
Incarceratis quibus prædicarit anima Christi, 681. 1
Incarnatio Filii Dei similis est arboris insitioni, 467. 1. Eam quomodo prædestinarit Deus, 622. 2. 623. 1. Cur tam sero fuerit incarnatus, 623. 1. Ipsa est basis charitatis, 898. 1. Quatuor circumstantiæ in ea nobis considerandæ sunt, 825. 2. 826. 1. Ejus beneficii magnitudo, 827. 1. Cur ea nobis præ oculis habenda, *ibid.* 2. Eam omnes pene hæretici oppugnarunt, 891. 1
Incarnatus quare sit Christus, 824. 1. 2. 825. 1. 826. 2
Inconstantia quanta sit in homine cogitationum et appetituum, 711. 1
Incorrigibiles etiam ad meliora trahendi, 973. 2
Incredulis quibus Christus prædicarit apud inferos, 683. 1
Inertia hominis vires addit diabolo, 731. 1
Infans quis proprie et abusive dicatur, 854. 1
Infernus est sub terra, 952. 2. Cur dictus gehenna et tophet, 525. 1. Carcer est, 681. 1. Ex eo nulla redemptio, *ibid.* Ejus tres testes qui, 913. 2
Inimicorum dilectio facit animum excelsum et regium, 495. 1. Inimici sunt Deus et mundus, 547. 1
Iniquitas an plus significet quam peccatum, 843. 1. 873. 2. 874. 1. Sæpe pro quolibet peccato et scelere capitur, 919. 1
Injustitia sæpe pro quolibet peccato sumitur, *ibid.*
Inobedientia signum est infidelitatis et hæresis, 648. 2
Inserantur (quomodo fideles) Christo, 467. 1
Insinuare quam variam habeat significationem, 723. 2. 724. 1. Insinuatio oratoribus quæ sit figura, 723. 2
Insitione (in) arborum quæ servanda sint; eadem in verbi divini in animam instillatione locum habent, 467. 1. 2. 468. 1
Insitum verbum quod à nobis suscipi velit S. Jacobus, 467. 1
Inspiratio divina provenit à Spiritu sancto, 468. 2
Intellectus donum olim in baptismo Christiani accipiebant, 862. 1. 866. 1
Intentator malorum quomodo dicatur Deus, 445. 1
Interpres vulgatus fidelis et Latinus est, 626. 1
Interrogare in Scriptura sæpe significat probare et explorare, 685. 1
Interrogatio per metalepsin capitur pro responsione, *ibid.*
Inveniri capitur sæpe pro *esse*, 609. 1
Invidiæ hypotyposis, 879. 1. 2. Est proprium diaboli peccatum, 630. 1. Ejus epitheta, *ibid.* Non cadit in Deum, sed hominem, 548. 1. Capitur tamen subinde in bonam partem, *ibid.* Est peccatum ad mortem, 918. 2. Est amarulenta, 533. 2. Ejus conditiones, *ibid.* et seq. Ejus remedium, 534. 2. Ejus damna, 536. 2. 537. 1. 630. 1. Invidia hæreticorum; 960. 1. et diaboli in homines, 728. 1
Invidus livet, 534. 1. Seipsum consumit, *ibid.* Ejus et pacifici antitheses, 630. 1
Ira quomodo non operetur justitiam Dei, 464. 2. An in Christo fuerit, *ibid.* Frenanda est, 465. 1. Dissipanda est per moram, 463. 2. 464. 1. Est insania, 852. 2. Ejus mala, 464. 1. 2. Est inimica justitiæ, *ibid.* 2. Eam ad quid Deus homini dederit, 427. 1. Vincitur amplexu inimici, non ejus fuga, 464. 1
Irascendum (in sola) vitia est, *ibid.*
Iratus est quasi dæmon incarnatus, 851. 2
Iris est speculum solis, 471. 1
Isaac visus ab Abimelech jocari cum Rebecca, uxor allegorice exponitur, 427. 2
Ivonis (S.) misericordia in pauperes, 477. 2

J.

Jacob cur dictus supplantator, et ubi fratrem supplantarit, 409. 1. 2. 410. 1. Ejus duodecim filii duodecim fecere tribus, 411. 1
Jacobi cujusdam Anabaptistæ impostura in Silesia, 864. 1. 2
Jacobus (S.) Alphæi, sive Minor, quando sit mortuus, 403. 1. Cur Simoni Mago imprimis se opposuerit, *ibid.* 2. Qua lingua epistolam suam scripserit, 404. 1. Evangelium S. Matthæi græce transtulit, *ibid.* Vere ipse est epistolæ auctor, non Zebedæi filius, *ibid.* 2. Ejus genus, fratres,

parentes, *ibid.* 2. 605. 1. Cur dictus frater Domini, 405. 1. Cur dictus sit Justus, *ibid.* An in utero matris sanctificatus, *ibid.* Fuit Episcopus Hierosolymæ, *ibid.* Quando creatus, *ibid.* 2. Cur dictus Oblias, *ibid.* Fuit Nazareus, an fuerit virgo perpetuus, et nudipes incesserit, *ibid.* Fuit fidei columna, et à Christo specialiter illuminatus, *ibid.* Ejus sanctitas, *ibid.* 406. 1. An ei à Judæis concessum Sancta sanctorum ingredi : carus erat Judæis, etiam non Christianis, 406. 1. Populi de Jacobo opinio, *ibid.* 2. Primus Missæ sacrificium solemniter celebravit, 407. 1. Gestavit laminam auream, *ibid.* Martyrium subiit, et ejus historia, *ibid.* 2. Quot annos vixerit, *ibid.* Causa martyrii ejus, 406. 2. 408. 1. Ejus sepultura, 408. 2. Ejus juramentum de non comedendo, nisi videret Dominum resuscitatum, an verum, *ibid.* Quomodo se Dei servum profiteatur, 410. 1. 2. Cur se Apostolum vocet, *ibid.* 2. Fuit proprie pastor Judæorum, *ibid.* 405. 2. 411. 1. Quibus epistolam suam scripserit, 411. 1. et quando, 404. 1. 493. 2. Ejus continentia, 645. 2. Cur viduarum et pupillorum curam potissimum commendet, 477. 1. 2. Ipse et Paulus quomodo sint conciliandi quoad justificationem ex fide sola, an vero etiam ex operibus, 510. 2. Jacobus frater Domini an idem cum primo Hierosolymorum Episcopo, 555. 2

Jacobus Zebedæi, sive Major, an auctor epistolæ Canonicæ, 404. 2. Sua beneficentia tortorem suum Christo lucrifecit, 712. 2. Jacobi tantum fuere duo, non tres, 405. 1. 410. 1

Jacoponus (B.) quam ardenter Deum diligeret, 902. 2

Jehova significat esse Dei immensum, 950. 1

Jesus Christus docuit vita sua in persecutione et passione sitam esse felicitatem, 412. 1. 2. Quomodo calicem à se transferri petierit, 446. 2. Semper seipsum cum donis suis donat; ideo donum perfectum est, 453. 2. Quam caro ei stemus, 459. 1. 2. Ejus silentium, 462. 1. An in eo fuerit ira, 464. 2. Fecit prius, deinde docuit, 468. 2. Qualem attulerit libertatem, 473. 1. Ejus paupertas, 491. 1. Ejus vis in persuadendo, 519. 2. Ejus zelus erga nos, 549. 1. Est justus antonomastice, 570. 2. 846. 2. Patientior fuit Jobo, cur, 575. 2. Quanti animarum salutem fecerit, 590. 1. Quos in vita sua baptizarit, 593. 2. Ipse resurgens nos suscitavit, 605. 1. Quare sit amabilis, 610. 1. Ejus gloria post passionem, 612. 1. Ipse qua homo est deliciæ angelorum, 613. 1. Est agnus immaculatus, 620. 2. Quantopere nos ei simus obligati, 621. 1. Fuit immaculatus et incontaminatus, 622. 1. 2. Cur tam sero sit incarnatus, *ibid.* 2. Lacti comparatur, 632. 1. Est petra ob varias analogias, 635. 1. Est lapis vivus et animatus, *ibid.* Servi formam assumpsit, 552. 2. Tribus de causis in mundum venit, 653. 1. Fuit expers peccati et impeccabilis, 654. 1. 902. 1. Quomodo tradiderit judicanti se injuste et juste, 655. 1. Quas virtutes in passione ostenderit, *ibid.* Est pastor animarum, 658. 1. Oculis ejus quædam inerat majestas, 663. 2. Ejus modestia in omnibus actionibus, 671. 3. Passus est innocens pro nocentibus, 678. 2. Vivificatus spiritu quomodo dicatur, 679. 2. Est hominum auriga in cœlum, 680. 2. Realiter ad inferos descendit, *ibid.* Incarceratis quibus ibi prædicarit, 681. 1. Est velut sol omnia beneficentiæ suæ radiis illustrans, 683. 1. Est Rex omnium angelorum et hominum, 687. 2. Ejus dolores fuere in anima sensitiva et rationali, 689. 1. Habuit unam personam, non duas, sed duas naturas, et quidem intermixtas, *ibid.* Patitur in suis fidelibus, 705. 1. Crucem quomodo in corpore suo honoravit, 706. 2. Est nobis omnia, 740. 2. Ejus deitas adstruitur, 741. 1. Essentiam ejus divinam in monte Thabor non viderunt Apostoli, 758. 2. Quomodo sit dilectus Dei, 759. 1. Est unicornis quomodo, *ibid.* In eo Deus Pater sibi complacet, 760. 1. Ipse audiendus, et quare, *ibid.* 2. Ejus dominatio et imperium etiam qua homo, 950. 1. Id abnegant hæretici, 777. 2. Est passus pro omnibus, 805. 2. Gratiam uberiorem effudit in sibi carne conjunctos, 816. 1. Erat ante omne tempus, 821. 1. Quare carnem humanam induerit, 824. 1. 825. 1. Incarnatus est nobis patri-mater, 825. 2. Quomodo sit vita, 832. 2. 833. 1. 2. Qua homo et qua Deus, lux est, 837. 2. 838. 1. Peccantes facile in gratiam admittit, 845. 1. Est advocatus noster, *ibid.* Ejus propitiatio quam sit valida, 846. 1. Ejus amor erga nos, 451. 1. 493. 1. 849. 2. 882. 1. 895. 2. Cur dicatur unctio, 867. 1. Si Adam non peccasset, non fuisset incarnandus, 876. 1. 622. 2. In pauperibus est velut mendicus, 883. 2. Dilexit Deum ex puro corde, 887. 1. Ejus vis major quam omnium tentantium, 892. 2. Probatur verus esse Messias, 909. 1. Cur venit per aquam et sanguinem, *ibid.* 2. Ejus ad judicium venientis majestas, 967. 1

Jexeo hæretici quæ esset hæresis, 913. 2

Job speculum fuit patientiæ : ejus encomia, 574. 1. 2. Fuit typus Christi, et in quibus, *ibid.* 2. Varii ejus morbi, 575. 1. Nominis ejus etymon, *ibid.* Ejus tres filiæ quid significent, *ibid.* 2. Ejus restitutio in facultates, *ibid.* 2

Joannes Apostolus fuit virgo, hinc tam fuit illuminatus, 538. 1. Fuit Christi consanguineus, 815. 2. Est socius S. Petri, 816. 1. Comparatur aquilæ, et cur, *ibid.* Fuit filius tonitrui, *ibid.* 2. Omnes Sanctorum gradus et laureas unus ipse meruit, *ibid.* An gestarit laminam auream, *ibid.* Fuit plenus gratia, *ibid.* Fuit Christo præ cæteris Apost. familiaris, 817. 1. Ejus zelus, *ibid.* In Christi sinu recubuit, cur, *ibid.* 2. Fuit Benjamin Christi et B. Virginis, 818. 2. Cruci Christi adstitit, *ibid.* Aliæ ejus prærogativæ, *ibid.* Cur à Christo magis diligeretur præ cæteris Apostolis, *ibid.* et seq. Fuit B. Virginis filius, 819. 1. Quantum ab ea didicerit, *ibid.* Apparuit S. Brigidæ, *ibid.* An vivat adhuc, an vero sit mortuus, *ibid.* 2. Cur dicatur Theologus, *ibid.* Quantam charitatem suis inculcaret, *ibid.* 850. 1. Cur ad Parthos, et qua occasione primam epistolam scripserit, 820. 1. 2. et quando, *ibid.* 2. Sæpius Christi corpus contrectavit, 825. 1. Erat plenus amore Christi, 851. 1. 895. 1. 2. 903. 2. Cur se in epistola II. vocet Presbyterum et seniorem, 926. 2. 927. 1. Ejus modestia, 927. 1. Detestatus est hæreticos, 931. 1. Fuit hospitalis, 937. 2.

Joannes Ecoldus Anabaptista nominavit se Christum, 864. 2

Joannis (S.) Chrysostomi invicta patientia, 707. 2

Joannis (S.) Damasceni obedientia, 651. 2

Joannis (S.) Eleemosynarii quanta esset beneficentia, 431. 2. Ei apparens Misericordia eum ad eleemosynam excitavit, 500. 1

Joannis Eremitæ continentia, 645. 2

Joannis Matthiæ Anabaptistæ vesania et impostura, 864. 2

Joannis Silentiarii de Deo fiducia, 726. 1

Joan. Wiclef ex ambitione factus hæresiarcha, 779. 1

Josephus (S.) fuit cælebs et virgo, 941. 2

Judæis an licitum olim fuerit jurare, 576. 2. Sæpe per alias terras se diffundebant, vel sponte, vel abducti, 411. 1. Erant natura avari et cupidi, 968. 1. Judæorum Christianorum curam proprie habuit S. Jacobus, 405. 1. 2. Hi fuere quoque curæ S. Petro peculiariter, 592. 1. Judæis Hispanis an scripserit S. Jacobus, 411. 1. Judæorum occidentium Christum peccatum fuit peccatum ad mortem, 917. 1. Eorum fabula de Thabor Carmelo jungendo, 761. 1. Semper suis propositis addunt : *Si Deus voluerit*, 561. 2

Judaizantes negant mysterium SS. Trinitatis, 864. 1. 865. 1

Judas (S.) fuit frater S. Jacobi Minoris : quæ ejus mater et fratres, 941. 1. Quid ejus nomen sonet, *ibid.* Ejus zelus et amor, *ibid.* 2. Unde dictus Thaddæus et Lebbæus, *ibid.* Fuit S. Bernardo carus, *ibid.* Unus tantum fuit Judas Thaddæus, 942. 1. Missus est ad Abagarum, *ibid.* Repræsentatur per chrysoprasum gemmam, *ibid.* Fuit Martyr; ejus corpus Romæ quiescit, *ibid.* Quando martyrium obierit, 943. 2. Fuit vere Apostolus, 945. 1. Cur se S. Jacobi fratrem vocet, *ibid.* Quomodo librum Henoch et qualiter citet, 966. 2

Judas Machabæus de Deo diffidens cæsus est, 434. 2

Judex jus suum cuique tribuat, 487. 1. Judex cordis nostri

major est Deus, quam conscientia, 886. 1
Judicare improbos Deus incipit in hac vita, 496. 2. Quos mortuos judicarit Christus, 692. 2. *Judicare* in Scriptura sæpe capitur *pro condemnare*, 572. 2
Judicii memoria semper præ oculis habenda, 496. 2. An de nocte an mane fiet, 804. 1. Ejus rigor, 867. 2. Id impiis semper ob oculos ponendum, 966. 2. Ejus timor quam sit utilis, 619. 2. 620. 1. Id erit sincerum, 800. 1. Ejus dies cur differatur à Deo, 803. 1. Is quomodo prope sit, 573. 1. Cur vocetur magnus, 952. 1. Veniet quasi fur, quomodo, 803. 2. In eo angeli et sancti omnes aderunt Christo judici, 967. 1. Omnes ibi homines judicabuntur, 967. 1. 2. Is cur futurus dies revelationis, 610. 1. Quamdiu is durabit, 802. 1. In eo charitas fiduciam suggerit. 903. 2
Judicia Dei sunt abyssus multa, 711. 1
Julianus vetuit Christianos litteras discere, 513. 1
Julitta Martyr omnes adstantes ad martyrium hortabatur, 633. 1
Jupiter dicitur ξευς, id est vita, cur, 833. 2. Dictus quasi juvans pater, 939. 2
Juramentum est actus religionis et latriæ, 576. 2. Quæ juramenta vetet Christus, *ibid.* Sunt homine libero indigna, 577. 1. Religio juramenti quanta esse debeat, *ibid.* 2
Jurare per creaturam, est jurare per creatorem, *ibid.* 1. Jurare licet Christiano, et quando, 576. 1. 2. Qui hæretici jurare nefas esse docuerint, *ibid.* Jurare quam Dominus vetuerit, 576. 2. 577. 1. Id in se malum est, 576. 2
Justificatio generationi assimilatur, et quomodo ea peragatur, 459. 1. Ejus duo sunt genera, 503. 1. In ea cujusque animæ Deus communicat se, tum per gratiam, tum per seipsum, 430. 1. Justificatio formalis consistit in charitate et gratia nobis indita, quæ secum adfert Spiritum sanctum, 743. 2. In ea quoque nobis datur ipsissima persona Spiritus sancti, totaque deitas, 744. 1. In peccatore incipit à timore pœnarum, 904. 1. 2. Ad eam tria concurrunt, 912. 2
Justinus Philosophus in sola sapientia Christiana quietem invenit, 429. 1
Justitia imputativa Lutheri refutatur, 459. 2. Justitia hominum inchoata est, angelorum perfecta, 868. 2. Ejus in homine habitantis tria indicia, 881. 1. Justitiam qualem cœli habeant, 811. 1. Justitia Dei et Christi quadruplex statuitur, 740. 1. 2. Propter justitiam pati quid sit, 675. 2. Justitia ostendit aliquem esse Dei filium, 878. 1. Justitia est remittere peccatum, 842. 1. Justitiam facere et opera justa facere quomodo differant, 875. 1. Justitiæ nomine se velat ira, 464. 2
Justus (quomodo) peccare non possit, 876. 2. Ad tempus omnia venialia peccata sine speciali privilegio evitare potest, sed non diu, 513. 2. 974. 2. Ei adaptantur auri proprietates, 608. 2. 609. 1. Justus quomodo vix salvetur, 710. 1. 2. et cur, *ibid.* 2. 711. 2. Justus sit quasi Deus omnipotens, immutabilis, etc. 870. 2. Sit Dei filius tripliciter, *ibid.* 871. 1. et ei similis, 871. 2. Exerceat se assidue in operibus justitiæ et virtutis, 875. 2. Justi lucent ad instar Christi, 460. 1. Per multas velitationes exercentur, 507. 2. Eorum oratio quam sit potens et efficax, 586. 1. 2. Ipsi sunt bases et fulcra urbium et regnorum, *ibid.* 2. Sunt divinæ consortes naturæ accidentaliter et substantialiter, 743. 1. 2. Eos qui in mundi fine vivent expiabit ignis conflagrationis mundi, 800. 1. Certo scire nequeunt esse se in Dei gratia, 846. 2. Quomodo à Deo gignantur, 868. 1. et ad quid, *ibid.* 2

K.

Καταυχω quid significet, 500. 2. et quid κατωκαυ-χαμαι, 501. 1
κανιζω est improbo et accuso, 629. 1
Kemnitius immerito carpit Vulgatam, 915. 2
Kipho collis Hierosolymæ vicinus erat, 597. 2
κλητοι, id est vocatitii, vocantur nobiles, 946. 1
κλυδων quam variam patiatur significationem, 435. 1
κρωπος varia significat, 734. 2

L.

Laborem nullum sentit charitas, 493. 1. Labores fidelium non finiuntur nisi cum vita, 713. 2. Ii spe quietis cœlestis subeundi sunt, 715. 2
Lac rationabile quod dicatur, 631. 1. Lac et mel olim dabatur recens baptizatis, 632. 1. Lactis proprietates, 631. 2. Id quam varia significet, 632. 2
Lacedæmone erant omnia inter omnes æqualia, 482. 1
Lacones brevium et paucorum erant verborum, 465. 1. Laconum puerorum sufferentia, 440. 2
Lacrymarum in oratione quanta sit vis, 586. 1
Lactare pro fallere subinde capitur, 631. 2
Lætitiæ spiritualis commoda, 416. 2. Hæc est quidam prægustus cœli, 611. 1
Laici omnes non sunt sacerdotes proprie dicti, 639. 1. sed mystici, *ibid.* Audientes confessionem et absolventes an fiant irregulares, 584. 2. Iis olim in Africa in Ecclesia sedere non licebat, 486. 1. Eorum non est de fide sua cum hæreticis disputare, 677. 1. Iis in reconciliatione et ad humilitatem etiam confitendum, 583. 2. non vero sacramentaliter, 584. 1
Lais hebræa vox unde derivetur, 526. 1
Lamech pater Noe an sit salvatus, 682. 2
Laminam auream quare S. Jacobus gestarit, 407. 1
Lapis vivus quis dicatur, 635. 1. Lapidis et fidelis analogiæ, *ibid.* 2. Lapidum varia miracula, *ibid.* 1
Lascivia sequitur ex epulis, 570. 1
Latro cum Christo crucifixus quomodo dicatur Martyr, 707. 2
Laudare Deum perpetuo debet homo, maxime Religiosi, 529. 2
Laurentius (S.) Justinianus vidit per visum divinam Sapientiam specie virginis, 538. 1
Laus Christi quam dabit in die judicii, est ambienda, 607. 1. et quanta ea sit, *ibid.* Dabit cuique pro meritis non tantum præmium, sed et laudem, *ibid.* 2. Faciet beatos apud homines gloriosos, *ibid.* A Dei laude omnia nostra inchoanda, 601. 1. Laudes virtutem adaugent, 936. 1. Laus subinde capitur pro virtute, 642. 1
Lautia olim dabantur hospitibus, 937. 1
Lebbæus est corculum, 941. 1. 2
Legalia opera ad salutem non sufficiunt, imo sine Christi fide inefficacia sunt, 511. 1. 2
Λωπομαι quam varia significet, 425. 1
Leo est symbolum linguæ, 526. 1. Leo ab hominibus domatur, *ibid.* Ejus proprietates diabolo accommodantur, 728. 1
Leprosus est typus peccatoris, 600. 2. Mundatio utriusque sanguine, *ibid.*
Levitas mater est inconstantiæ, 436. 2. Parit hæsitationem in oratione, *ibid.*
Lex æterna Dei quæ sit, 874. 1. Lex tota servanda, non una ejus pars, 493. 2. 494. 1. Eam observans est Religiosus, 475. 2. Possumus eam cum Dei gratia perficere, 493. 2. Eam quomodo detractor judicet, 556. 1. Est à Deo, et justa præcipit, 492. 1. Lex naturæ in conscientia scripta est, 493. 2. Lex regalis quæ et cur dicatur, 492. 1. Legem unam violans, quomodo fiat omnium reus, 494. 1. et seq. 496. 1. Legis Christianæ ætas quamdiu durabit, 859. 1. Ea sancta est, quare, 790. 2. Est perfecta, cur, 475. 1. Est item lex libertatis, *ibid.*
Liber Henoch olim exstitit purus, sed postea corruptus est, 966. 1. 2. Quos errores contineat, *ibid.* Libri S. Scripturæ canonici, sunt duplices, 815. 1. Libri hæreticorum quam noxii et fugiendi ut pestes, 932. 1
Liberales nos esse erga Deum liberalem oportet, 431. 1
Liberius Pontifex admittere noluit hæreticorum munera, 931. 2
Libertas omnis est in voluntate et à voluntate, 448. 2. Libertatem qualem suis det lex Evangelica, 473. 1

Libertini monachi patientia, 651. 1
Libertinorum quæ et qualis sit secta, 789. 1. Negant judicium et omne numen, 796. 2
Liberum arbitrium eligendorum in causa est, ut certa sit aut non sit eorum electio et vocatio, 752. 2. 753. 1. Id negant Calvinistæ, 637. 2
Libido quam hominem sopiat et delineat, 954. 2. et mentem eripiat, 955. 1. Est velut ignis, 973. 1. Hunc quomodo Sancti quidam conati sunt exstinguere, *ibid.* Est pestis ingeniorum et sapientiæ, 538. 2. Libido incessabilis hæreticorum, 784. 2. 785. 1
Ligatur ab orante Deus, 588. 2
Limbo (patribus in) Christus prædicavit, et quomodo, 682. 1. Quamdiu ibi fuerit, *ibid.* 2. Cur eo descenderit, 683. 1
Linguæ etymon, 518. 1. Dicitur hebraice *lascon*, id est leunculus, 525. 2. 526. 1. Data ad Deum laudandum, 529. 1. 2. Vicina est phantasiæ, hinc loquax, 514. 2. Ejus in ore situs docet hominem silentium, 462. 2. 463. 1. Quatuor de causis in ore nominis posita est, 521. 2. In homine optimum est et pessimum, 530. 1. Linguæ præcipitatio nascitur ex mentis præcipitatione quam parit ira, 464. 1. Ejus offensa facillima est, 514. 2. Ejus vis et potentia, 518. 1. 2. 519. 1. Est similis igni, 520. 1. 2. Ejus vitia totam vitam occupant, 523. 2. Totum hominem et corpus maculat, 522. 1. Ejus sævities, 526. 1. Totum universum implet iniquitate, 521. 1. Est alphabetum scelerum, *ibid.* Linguæ magna bona conciliantis exempla, 519. 1. item mala, *ibid.* 2. 520. 1. Ejus frenatio quanti momenti sit, 516. 1. Ipsa freno comparatur, *ibid.* 2. Ea refrenata refrenantur omnes spiritus motivi, 517. 1. Eam refrenent Religiosi, 474. 1. Eam domat Deus, non homo, 527. 2. et quomodo, *ibid.* 2. Est alioqui indomabilis, 528. 1. Est quasi hydrus, *ibid.* 2. et inquieta, 529. 1. Lingua maledica sepulcrum est, *ibid.* item hydrargyrum, *ibid.* Ejus sunt octo species, 532. 1. Varia ejus attributa et damna, *ibid.* 521. 1. 461. 2. 474. 2. 476. 1. 530. 1. Hæc inflammatur à gehenna, 524. 2. 525. 1
Linguæ in Babel primum fuere confusæ, 736. 1
Liquatio cœlorum in fine mundi, 806. 1. 2. 807. 1
Litaniæ leguntur pro infirmis inunctis, 585. 1
Lites sunt vellut bella, 542. 1
Liturgia S. Jacobi quam vetus, et quantæ auctoritatis, 407. 1
Loco non eget Deus, 834. 1. 2
Locutio obest scientiæ comparandæ, 461. 1
Λογος quam diversa significet, et ea omnia attribuuntur Filio Dei, 828. 2. 829. 1. 2
Longævitatem sibi promittentium vanitas, 558. 1. 2
Loquacitatis damna, 476. 1. Ea innata homini ex corrupta natura, 514. 2. Est signum fatuitatis, 462. 2. 526. 2. Loquax ostendit se non esse Christianum, 475. 1. Est irreligiosus, 476. 1
Loquendum (pruritus ad) quantus in homine sit, 528. 1
Lucæ Sternebergii hæretici blasphemiæ, 780. 1
Lucernæ campanariæ frequentes sunt in Italia, 763. 1. Lucernæ dimyxi veterum, *ibid.*
Luciæ (S.) generosum præfecto Paschasio responsum, 477. 2
Lucianus (S.) Martyr quam esset moribus compositus, 532. 2. 670. 2
Lucifer stella est typus fidei, 763. 1. item beatitudinis cœlestis, *ibid.* 2. Ejus exortus quam gratus, 764. 1
Lucifer appetiit unionem hypostaticam Verbi, 771. 1. Ei hæreticis comparantur, 772. 2
Lucii (S.) Martyris in tormentis et morte gaudium, 440. 2
Lucro non inhient Pastores animarum, 718. 2
Lucta spiritus et carnis quæ sit, 646. 1
Luctus decet Christianos in hac vita, 553. 2. Luctus sanctus quis sit, 554. 1. Ejus effectus, *ibid.*
Ludovicus Lantgravius quomodo curatus à mala opinione, quoad suam prædestinationem, 753. 1
Lugentium tres gradus, 553. 2
Lumbos mentis succingere quid sit, 614. 2. et quare ii sint succingendi, *ibid.* 615. 1
Lumen est causa omnis boni et symbolum, 454. 2. Optime Deum repræsentat, *ibid.* 455. 1. Lumina supernaturalia omnia Deus in nobis producit, 455. 2
Lunæ cur Ecclesia assimiletur, 764. 2. et seq.
Lutgardis (S.) impetravit Thomæ Cantipratano, ut sine noxa cum peccatoribus ageret, 974. 1
Lutheranorum opera ostendunt fidem ipsorum non esse bonam, 506. 1. Eorum obscœnitas in conviviis, 783. 2
Lutherus epist. S. Jacobi rejicit, et cur, 403. 1. Docuit Christianos per Evangelium liberos esse ab observatione mandatorum, 473. 1. Rebellionem excitavit suo dogmate, 648. 2. 777. 1. Habuit dæmonem familiarem, 773. 1. Ipsius de secta sua judicium, 777. 1. Ejus audacia, 778. 1. Ejus varia epitheta, *ibid.* Sæpe suum dogma mutavit, *ibid.* 2. Ejus blasphemiæ, 780. 1. Ex ambitione contra Ecclesiam surrexit, 779. 1. Ejus fastus, *ibid.* 540. 2. Ei epitheta quæ dent Calvinistæ, 779. 2. Sibi laqueo necem intulit, 769. 2. 782. 1. Ejus libido, 785. 1. Viam stravit Antichristo, 892. 1. Est velut stella è cœlo in terram cadens, 965. 2
Lux est symbolum Dei, et qualitas eum maxime repræsentans, 837. 1. *Vide* Lumen.
Luxuria noxia ingeniis et sapientiæ, 538. 2. Ejus ignis æterno igne luendus, 953. 2. 954. 1. Sæpe capitur pro lascivia, 784. 1. Est incessabilis, 785. 1. *Vide* Libido.
Lycurgus dabat impunitatem adulteriis, 539. 2
Lyduvinæ (S.) patientia diuturna, 657. 1. Est à Christo Domino inuncta, 582. 2. Quam esset patiendi cupida, 421. 1

M.

Macarius (S.) miraculis probavit orthodoxam fidem contra Eunomianos, 506. 1
Maculatam (quam) tunicam hæreticorum suos odisse velit S. Judas, 974. 1
Magia hæreticis est familiaris, 773. 1
Magister dicitur quilibet præfectus, 511. 1. Magister plus doceat vita quam voce, 532. 2. Quamobrem gravius punietur quam discipuli, 513. 1. Eum recreat discipulorum profectus, 936. 1
Magisterium non est à pluribus ambiendum, 512. 1
Magistratus à Deo sancitus est, 649. 1
Magnes est lapis vivus, 635. 1
Magnificentia virtus, proprie quid sit, 976. 1
Magnitudo animi decet Christianos, 492. 2
Mahometanorum carnalitas, 537. 2
Majestatem (quam) Dei blasphemarent Gnostici, 955. 2. Majestas Dei quam sit sublimis, 897. 1. 2
Major est qui in nobis est, quam qui in mundo, 892. 2
Malachias (S.) quam probus fuerit pastor, 722. 1. Mortuam sua culpa non inunctam à morte excitavit, 579. 2
Maledicentes benedictione compensandi, 672. 2
Maledicta benedictis rependentium exempla, 673. 1
Malignus quam varia significet, 921. 1. 2
Malorum causa non est Deus, 444. 2. Mali nihil nobis evenit, quin à Deo sigillatim prævisum sit, 712. 1
Malitia sextuplex datur, 465. 2. 466. 1. et quintuplex, 629. 1
Mandatum charitatis quam sit vetus, 848. 2. 849. 1. Quomodo tamen dicatur novum, 849. 2. Mandata Christi non sunt impossibilia, 907. 2. Eorum observatio signum est charitatis Dei, *ibid.*
Manere quid S. Joanni significet, 848. 1. Is *manendi* verbo crebro utitur, *ibid.* 867. 1. Manere in lege quid sit, 473. 2
Manetis hæresiarchæ mors, 769. 1. Is unde se Manichæum vocarit, 462. 1
Manichæi docebant mundum à dæmone conditum esse, 920. 1. et solem materialem esse Christum, 837. 2. et duas in homine esse animas, unam bonam, et alteram malam 445. 2
Mansuetæ sint mulieres, 663. 1
Mansuetudo virtus quæ sit, et ejus effectus, 466. 2. Ipsa flos

est veræ sapientiæ, 553. 1. Ipsa et humilitas sunt velut sorores, 669. 2
Manus symbolum sunt operationum externarum, 553. 1
Marcion hæresiarcha quare dicatur mus Ponticus, 598. 2. E superbia hæreticus factus est, 779. 1. Duos ponebat deos, 612. 2
Marcor quis sit morbus et unde nascatur, 440. 1
Marcus (S.) Evangelista fuit S. Petri spiritualis filius, adjutor et interpres, 737. 1. An fuerit è Christi discipulis, et interpres primæ S. Petri epistolæ, *ibid.* Quo anno Evangelio scripto, Alexandriam concesserit, *ibid.*
Marcus et Marcellianus post Dei opem petitam tormenta omnia superarunt, 733. 2
Mare semper æstuat, 964. 2
Maria Cleophæ fuit sancta mulier, 403. 1. Est eadem cum Alphæi et Jacobi; non fuit soror B. Virginis, sed consobrina, 941. 1. Quos filios habuerit Apostolos, *ibid.* In Italia Verulis quiescit, 816. 1
Mariæ (S.) Magdalenæ erga patientem Dominum affectus, 637. 1
Maria (S.) Oigniacensis ex Extrema Unctione quos fructus perceperit, 582. 1
Maria (B.) Virgo non habitavit in Sancto sanctorum, sed in atrio, ad ostium tabernaculi, 407. 1. Ejus humilitas, 438. 1. Ipsa invocanda in tentationibus, 449. 1. Pauciloqua fuit, 461. 2. Est angelorum et hominum Pandora, 589. 1. Ejus modestia, 663. 1. S. Joannes post mortem filii ejus curam gessit, 819. 1. Caruit peccato originali, 840. 1. An inuncta fuerit dum moreretur, 583. 1. Nunquam pœnitentiæ Sacramentum usurpavit, *ibid.*
Maritus in familia regenda sit prudens et sciens, 666. 1. Honoret uxorem, *ibid.* 2. et cur, *ibid.* 667. 2
Martinus (S.) quantum damni senserit ex communicatione cum hæreticis, 932. 1. Ejus spes viva et infracta, 603. 1. Sacerdotem prætulit regi, 482. 1. Pia ejus præsumptio de Dei benignitate, 973. 2
Martinus Pontifex libere Constantem Imp. coarguit, 639. 2
Martyr est qui pro fide et virtute aliqua Christiana moritur, 675. 2. 707. 2. 708. 1. Christo sanguinem pro sanguine, vitam pro vita rependit, 416. 1
Martyres in tormentis gaudebant, 414. 2. 416. 1. Quid responderint infidelibus petentibus quare morti se offerrent, 677. 1. Statim à morte ad Dei conspectum admittuntur, 574. 1. Non resistunt persecutoribus, 571. 1. Eorum passiones mire Ecclesiam illustrant, 707. 1. Eorum elogia, *ibid.* Eorum quanta esset patientia, 423. 1. Eorum fortis generositas, 747. 1. In tormentis suis diffisi viribus Deo se commendantes, vires patiendi et moriendi impetrarunt, 712. 2. Martyres multi lingua excisa sunt locuti, 529. 2
Martyrium est regale sacerdotium, 640. 2. Omnia peccata expiat, 406. 1. Est nobilissimus fidei actus, et dat nobilissimam coronam, *ibid.* 423. 2. Sex stimuli ad ipsum, 707. 2. Ejus quanta sit gloria, 708. 2
Martyrius (S.) in leproso suscepit Christum, 478. 1
Mas dignior femina tripliciter, 660. 1. Masculi sunt bases familiarum, 634. 2
Materia prima cœlorum non est creata informis, 797. 2
Mathusalem salvatus videtur, 682. 2
Mechtildis (S.) quantopere ad cœlum suspiraret, 810. 1. Ejus silentium, 670. 2
Meditatio rerum divinarum frenum linguæ est, 517. 2
Melania omnibus relictis nuda in Palæstinam profecta est, 859. 2
Melius est nescisse quam scientem damnari, 790. 1
Μελλω in Scriptura sæpe idem est quod incipio; 496. 2
Μεμψιμοιρος quis dicatur, 967. 2
Mendici similes sunt canibus, 791. 2
Mens Prophetæ vi divini spiritus acta, sui tamen est compos, 766. 1. Mens quos habeat lumbos, 614. 2
Mensæ accumbens cur præ cæteris timore Dei opus habeat, 962. 2
Merces plena Christianorum quæ sit, 930. 2. Merces operariorum defraudata clamat in cœlum, 568. 1
Μεριμνα vox unde deducatur, 725. 2
Mereri quotidie multa possumus, 416. 2
Merita augendi bona praxis, 887. 1. Meritum gloriæ per bona opera, contra Calvinum adstruitur, 442. 1
Messiæ tempus multi Prophetæ in veteri testamento præcise indicarunt, 612. 1. Id dicitur novissimum, 796. 1
Metus Sanctorum, esto sint in gratia, 888. 2. Is fideli necessarius quoad salutem suam, 861. 1
Michael vox unde derivetur, 956. 1. 2. Est princeps angelorum, *ibid.* 2. Ejus altercatio, 957. 1. Quomodo non est ausus diabolum blasphemiæ insimulare, 958. 2. An per os asinæ Balaam sit allocutus, 786. 1
Michael Servetus censuit deitatem reipsa in justos transfundi, 742. 2. Ejus athea blasphemia, 777. 2
Milites pro fide pugnantes et occumbentes Martyres non sunt, 571. 1
Mille anni quomodo Deo sint dies unus, 800. 1. 2
Millenarii docebant Sanctos in hac vita mille tantum annos regnaturos, 603. 2. 604. 1
Mina argenti quanti esset pretii Græcis, 482. 2
Ministri hæreticorum sunt sponsi Penelopes, 783. 1. Ministri Ecclesiæ exerceant ministerium suum ex virtute Dei, 703. 1
Miracula sunt fidei veræ, non fictæ, 506. 1. Eorum fides à Deo oranti datur, 434. 1
Mirari capitur subinde pro *colere*, 968. 1. item pro *imitari*, *ibid.* 2
Miseria hominis in hac vita octuplex est, 553. 1. Miseriis hujus vitæ etiam justi subjacent, 710. 2
Misericordes clienti velut Deus sunt, 541. 1. In judicio benigne à Deo judice habebuntur, 502. 1. Impetrant per misericordiam suam remissionem, vel mitigationem pœnæ peccatis suis debitæ, 500. 1
Misericordia quid proprie sit, 669. 2. Virtus est, 884. 1. Defendit apud Deum sui cultores, 500. 1. 2. 501. 2. Ejus vis, *ibid.* Deo amica et proxima est, 431. 1. Eam docet lex Christiana, 540. 1. 541. 1. Quomodo judicium superexaltare dicatur, 497. 2. 500. 1. 2. 501. 1. Misericordia et pietas sunt plerumque conjuncta, 476. 2. Misericordia Dei maxima et immensa est, 601. 2
Missa S. Jacobi quam antiqua sit quantæque auctoritatis, 407. 1
Mititas parit incorruptionem, 662. 2
Mitræ Episcopalis origo, 407. 2
Mixta omnia in fine mundi exurentur, et in cinerem convertentur, 808. 1
Modeste et reverenter de divinis loquendum est, 677. 2
Modestia virtus unde dicta, 663. 1. Ejus præstantia, *ibid.* Cingulo repræsentatur, 615. 2. Est sapiens, 669. 2. Quæ et qualis sit virtus, quæ ejus officia, 670. 1. Est purpura et cyclas Christiani, *ibid.* Ejus dotes, *ibid.* Est etiam compositionis internæ actus et effectus, *ibid.* Quatuor ejus species, *ibid.* 2. Actus quatuor, *ibid.* Varia ad eam acquirendam media, *ibid.* 671. 1. Est dos Prælati, 720. 1. Doctori cum primis necessaria est, 539. 1. Ejus elogium, *ibid.*
Modestus habitus decet mulieres, 661. 2
Monachi cujusdam, qui vivens nemini detraxerat, in morte securitas, 557. 2. Monachus Affligemensis per trecentos annos fuit in ecstasi mentis, 802. 1. Monachus quidam sua vita sancta revelationem de sua damnatione revocari fecit, 733. 1. Monachos quare dæmon acerrime infestet, 704. 2. Cur cucullis utantur, 631. 1. Erant olim hospitales, 935. 1. Solitarii defenduntur contra hæreticorum calumnias, 477. 1
Monica (S.) quam scite inter dissidentes pacem conciliaret, 699. 2. Dicta meribibula per convivium, vicit in se vini cupidinem, 427. 1. 651. 2
Mons quid typice et tropologice denotet, 761. 1. 2. In monte cur Christus sit transfiguratus, *ibid.* 1
Montanus hæresiarcha laqueo se præfocavit, 769. 1. Est ex ambitione factus hæresiarcha, 779. 1
Mora pensanda sunt verba, 465. 2

Mores depravati seculi pravi, 499. 2. Morum odores et colo-
Mores, 678. 1
rientes animam commendant Deo, 712. 2. Morientur omnes in fine mundi igne, 800. 1
Mors animæ in quo consistat, 881. 1. Ea vera appellanda mors, *ibid.* Mors malorum carentia est, 755. 2. Aufert invidiam, 534. 2. Mors repentina per multorum exempla probatur, 561. 1. Mors multis Sanctis revelata fuit, 756. 2. Mors Martyrum quam beata sit, 712. 2
Mortificatio appetituum et sensuum dat cordis munditiem, 479. 2. Ejus symbolum est cingulum, 615. 2
Mortuis quomodo Christus prædicarit, 692. 1. Mortui vivunt quoad animam post mortem, 693. 2. Mortui carni vivunt Deo, *ibid.*
Mosis (liber dictus) *ascensio* est apocryphus, 956. 2. 957. 1. Moses vere mortuus est, et ejus anima ivit ad limbum patrum, 957. 1. Cur secreto ab angelis sepultus sit, *ibid.* Eum alioquin ut numen coluissent Hebræi, *ibid.* 1. 2. Ob hæsitationem morte à Deo in deserto est mulctatus, 434. 2
Motus cœlorum cessabit in fine mundi, 805. 2. Motus concupiscentiæ in appetitu sensitivo, per se, et sine voluntatis consensu, non sunt peccata venialia, 448. 1. 2. Iis statim resistendum, *ibid.* 2. Hi non sunt in hominis potestate, 448. 1. Non sunt liberi, sed solum imaginationes et appetitus sensitivi, *ibid.*
Mulieres cur in libidinem pronæ sint, 660. 2. Dominantes viris monstrum sunt, *ibid.* 1. Honorent viros, 664. 2. 665. 1. Parendo iis imperant, *ibid.* Mulieres omnes separentur à viris, etiam spiritualibus, 791. 1. Earum illecebræ quam noxiæ, 961. 2. Arcendæ sunt castris, *ibid.*
Mullus piscis speculis nitorem restituit, 472. 1
Multi sæpe capitur pro *omnibus*, 697. 2
Mundana diligenda non sunt, 856. 2. 857. 1. Ea cito evanescunt et prætereunt, 439. 1. 2
Mundani sunt cives Babylonis, 736. 1. Eorum vita plena est triplici concupiscentia, 855. 1. Habent cor sterile, malignum, difficile, morosum, 921. 2. Eorum duplicitas describitur, 437. 1. Pleni sunt concupiscentiæ, 855. 1
Mundus tripliciter accipitur, 855. 1. 856. 2. Aliquando metonymice pro mundanis et carnali vita, 478. 1. Aliquando pro ornatu, 521. 1. Mundi finis instat, 694. 2. 857. 1. Quomodo consummabitur, 799. 2. Stabit sex mille annis, 801. 2. Ejus consummatio fiet noctu, 804. 1. Non est æternus et immortalis, 796. 2. Ejus amor parit odium Dei, 854. 2. Ejus descriptio, *ibid.* Cito pertransit, 857. 1. et quare, *ibid.* 2. Odit sanctos quinque ob causas, 879. 2. et seq. Ex eo tuto quis fugit, 546. 1. 920. 2. 921. 1. Totus sub diabolo est, 920. 1. Est plenus pravitate et iniquitate, *ibid.* 2. Ejus lubricitas et pericula, 921. 1. Ejus amor est adulterium, 546. 2. Ejus amicitia quæ, 547. 2. Est hostia Dei, 548. 1
Mundi cordis habendi varia media, 479. 2
Murmur contra Superiores quantopere Deo displiceat, 962. 1
Mutari nequit Deus, 456. 1
Mutatio omnis mortis est imitatio, *ibid.* 2
Μυωπαζων quid proprie sonet, et quis myops, 750. 1. 2

N.

Naas Rex Ammon typus fuit diaboli, 731. 2
Natalis Martyrum quis dicatur, 712. 2. Natalem Christi quam devote celebrare nos oporteat, 827. 2
Naturam divinam essentialiter habet solus Deus, personaliter solus Christus, accidentaliter justi, 743. 1
Navis equo comparatur, 518. 1
Nebridii Romani elogium, 663. 2
Nebula est nubes sine aqua, 786. 2
Necessaria vitæ quærenda sunt, non superflua, 504. 1
Necesse est justum aliquando peccare moraliter, non physice, 514. 1
Neglectum verbi sui quomodo Deus ulciscatur, 472. 1. 2
Negligentiam omnem homo evitare nequit, 513. 2. 514. 1
Nero quam in Christianos acer et dirus fuerit, 706. 1
Nestorii blasphemi lingua à vermibus corrosa est, 529. 2
Nobilitatem generis olim jactantes, vocabant se filios Jovis, 938. 1
Nocte media an judicium fiet, 803. 2. Noctu quare fideles orare debeant, 804. 1
Noe quomodo octavus præco fuisse dicatur, 774. 1. Quomodo fuerit præco justitiæ, *ibid.* 2. Ejus fides et justitia, *ibid.*
Nomen suum cur non ponat S. Joannes initio epistolæ, 819. 2. Nomen Christi quam esset Gentibus exosum, 706. 1. *Nomen* capitur aliquando pro re nominata, 887. 2. et aliquando pro jussu et auctoritate, 574. 1
Novatianus quare schisma ab Ecclesia fecerit, 779. 1
Novissimus et novus idem est quod postremus, 850. 2. idem quod pessimus, 858. 2. Novissimum dicitur tempus Messiæ, 796. 1
Novitas nota est hæreseos, 768. 2
Novum quomodo dicatur mandatum charitatis, 848. 2. 849. 1. Novi cœli quomodo futuri post resurrectionem, 809. 2. 810. 1
Nubes sine aqua sunt hæretici, 963. 2
Nugis non oportet aures intendere, 460. 2
Numen esse colligitur ex constanti inconstantia mundi, 796. 2. 797. 1
Numerus damnandorum et salvandorum an sit par, 499. 2

O.

Obediente (in) manet Deus quintupliciter, 888. 1. Obedientia et subjectio est tessera veræ fidei, 648. 2. Obedientia debet esse patiens, 651. 2. Castitati servandæ conducit, 624. 1. Obedientia charitatis quæ dicatur, *ibid.*
Observatione mandatorum amorem nostrum in Deum testatur, 846. 2. 848. 1
Obstinatio est peccatum ad mortem, 918. 2. Obstinatio hæreticorum, 962. 2
Obumbrare quomodo dicatur Deus in Scriptura, 457. 2
Occasiones patiendi fugere licet, 712. 1
Οχευω quid proprie significet, 784. 1
Octonarius symbolum est felicitatis æternæ et resurrectionis, 684. 2
Oculus baculo insistens symbolum Dei providentiæ, 717. 2. Oculorum concupiscentia est avaritia, concupiscibile opes, 855. 2. In amore duces sunt, 784. 1. Sunt fenestræ mentium, *ibid.* 2. In oculis Dei versantes modesti simus oportet, 671. 1
Odium mundanorum erga sanctos et religiosos, 879. 2
Offensas mutuas condonat charitas, tam in offenso quam in offendente, 698. 2
Olei effecta et vires, 580. 2. Oleo sancto à se benedicto curarunt morbos multi Sancti, *ibid.* Oleo sancto ab Episcopis benedicto nullus laicus ungit, sed solus sacerdos, *ibid.* 1. Oleum olivarum est materia Sacramenti Extremæ Unctionis, *ibid.* 2
Omne capitur pro *toto*, 411. 2. *Omne non* Hebræis est *nullum*, 864. 1
Opera præter fidem ad salutem et electionem ad gloriam requiruntur, 403. 1. 2. 469. 2. 502. 2. 503. 1. 507. 1. 751. 2. 868. 1. 875. 1. Ea tribuunt fidei perfectionem et consummationem, 506. 1. Sunt ejus vita et lingua, 504. 2. Jungenda sunt orationi, 886. 2. Opera bona merentur cœlestem gloriam, 442. 1. Ita sunt ea facienda, ut sint digna Deo, 937. 1. et quomodo id fiat, *ibid.* Hæc hominem in judicio securum reddunt, 868. 1. Ea signum sunt prædestinationis, 753. 2. Opera fidei et gratiæ non sunt tribuenda voluntati, sed fidei et gratiæ, 467. 1. Opera et passiones nostras actionibus et passionibus Christi unire debemus, 600. 2. 601. 1
Operantibus solis promittitur gloria cœlestis, 754. 1
Operariorum merces defraudata clamat in cœlum, 568. 1
Opes sunt dandæ pauperibus, 565. 1. 2. Flori feni comparantur, 439. 1
Ophitarum hæreticorum abominationes, 476. 2
Opiniones novas introducunt hæretici, 778. 2

Oppius (C.) Centurio an fuerit is qui astitit Christo in cruce morienti, 934. 2. 935. 1. An converterit Hispanos, 935. 1
Optimus maximus epithetum est Dei, 444. 1
Orans cum Deo colluctatur, isque se ab eo vinci gaudet fiducia, 434. 1. Credat recta de Deo ejusque attributis, 432. 2. 433. 1
Orationis elogia, 916. 1. In ea cur spem et fiduciam Deus exigat, 433. 2. Utraque ejus mensura est, 434. 1. et ipsa ut proprius actus spei et fiduciæ, 433. 2. Pandit Scripturam sacram, 766. 2. Vim facit Deo, 434. 1. 915. 2. Ejus quæ sint vitia et impedimenta, 435. 1. Habet vim et fiduciam ex bonis operibus, 886. 2. Est mater castitatis et continentiæ, 615. 2. Ejus vis in animi tristitia, 578. 1. Quas habere conditiones debeat, ut quod petit impetret, 434. 2. Optimum contra tentationes remedium est, 449. 1. Oratio assidua quæ sit, 585. 2. Habere debet opera socia, *ibid.* Lacrymis roborata potens est, *ibid.* Quomodo fiat efficax, 586. 2. Sex ejusdem fructus, 587. 1. Ejus effectus qui, *ibid.* Est clavis cœli, 588. 2. Oratio concordium est alata, 667. 2. Orationem sanctorum Deus prævenit, 887. 1. Oratio in Spiritu sancto notat quatuor, 971. 1. Oratio fidei infirmum salvatura quæ dicatur, 581. 1. Oratio in peccatum oranti tendens quæ sit, 545. 2
Oratores Christiani quinam fuerint, 519. 2
Oretur pro ægro in Extrema Unctione, 580. 1. Orandum pro principibus, et quare, 651. 1. Orandum pro invicem, 585. 1. Orare pro aliis est utilius quam pro se, *ibid.* Semper Christianus oret, 697. 1. Orantes pro peccatoribus ad mortem peccantibus sæpe Deus non exaudit, 919. 1
Origenes vita fuit talis qualis doctrina, 532. 2. Ejus error circa rerum revolutionem in pristinum statum, 604. 1. Docebat animas Beatorum rursus ad carnem redituras, *ibid.* Dat cœlis animam et mentem, 811. 1. Docuit dæmones aliquando salvandos, 679. 1. 771. 2. Cur dictus Adamantius, 677. 2
Originale peccatum habent omnes, 840. 1
Originalis mundus qui dicatur, 774. 1
Ornamenta vera mulieris quæ sint, 661. 2. 662. 1
Ornatus nimius pejor est adulterio, 662. 1
Os ad os loqui quid sit, 932. 2
Osculum sanctum quod sit, 737. 1
Osiandri error circa unionem nostri cum Deo, 742. 2
Ostendere in Scriptura significat rem reipsa exhibere, dare, donare, largiri, 505. 2
Ostensio fidei per opera cur in Ecclesia requiratur, *ibid.*
Otio marcet virtus, 417. 1
Ovis et hominis variæ analogiæ, 657. 2

P.

Pacifici et invidi antitheses, 630. 1
Palma symbolum est patientium, 441. 1
Pambonis Abbatis silentium, 515. 2
Pandora cur dicta sit terra : unde habeat nomen, et quæ sit, 588. 2
Paphnutius (S.) quam Maximum Hierosolymæ Patriarcham hæreticum detestaretur, 931. 2. 932. 1
Παρα *trans*, *obiter*, *cursim* significat, aliquando non, 473. 2
Paradisus terrestris fuit obrutus diluvio, 684. 1. An reservabitur ab igne conflagrationis mundi in usum parvulorum sine baptismo defunctorum, 799. 2. 808. 1
Paradoxa christianismi varia, 455. 2
Παρακαλω significat *hortor*, *consolor*, *obsecro*, 714. 2
Παρακλητος quid significet, 845. 2
Παρακυπτειν est inclinatio corpore et collo curvato in obliquum aspicere, 472. 2. 614. 1
Παραλλαξις quid proprie, 456. 1. 2
Parallela sententiarum earumdem ex epist. secunda S. Petri et S. Judæ, 943. et seq.
Parcæ symbolum sunt fati, 562. 1. Earum officia et nomina, *ibid.* 1. 2
Παρεισενεγκαντες quid proprie significet, 746. 2
Παρεπιδημοι qui sint, 598. 1
Parœci et parochus qui dicantur, 620. 1
Parthos (ad) an scripta prima S. Joan. epistola, 820. 1. et cur, *ibid.*
Parvuli baptizati salvantur sine operibus, 505. 1. Ili in peccato originali mortui ubi et qualiter vivent, 810. 2. Non patientur pœnam sensus, sed tantum damni, *ibid.*
Pascere idem est quod regere, 716. 1
Passio Christi omnium dolorum est remedium, 655. 1. Eam recolere Christo est gratissimum, 657. 1. Eam nos sequi decet et imitari, 653. 2. Ejus memoria in Missa fit, 600. 2. Ejus memoria excitandi sunt fideles, 715. 1. Passio nostra quam modica sit, 415. 1. 733. 1. Eam Deus dulcorat, 415. 1. Non est in cœlo, sed in terra, hinc per eam homo fit angelis major, 416. 2. Passiones mortificandæ ei qui exterius esse vult modestus, 671. 1
Pastor animas tripliciter pascat, 716. 2. et cogitet se pascere oves Christi, non suas, 717. 1. Accurate oves suas inspiciat et lustret, *ibid.* Libenter subeat onus non emolumenti causa, *ibid.* 2. Placide suos regat, 718. 1. Non vi cogat, sed amore agat, *ibid.* idque ex Dei præscripto, *ibid.* 719. 1. Ne lucro inhiet, 718. 2. Non imperiose Ecclesiam vexet, 719. 2. Clericis modeste imperet, 720. 1. Sit modestus, *ibid.* Præsit ut pater, *ibid.* Gravitatem lenitate misceat, *ibid.* 2. 721. 1. Sit forma vitæ subditis suis, *ibid.* Pastoris in figura sæpe pingitur Christus, 657. 1. Pastores mali deglubunt oves, 969. 1. Pastores quantam animarum cujusque curam gerere debeant, 817. 2. Eorum præmium in cœlo magnum est, 722. 2
Pater luminum dicitur Deus et SS. Trinitas, 454. 2. Deus Pater cur dicatur proprie gratiam dare, 870. 1. Eum qui negat, negat et Filium, 864. 2. 865. 1
Paternianorum hæresis de factura corporis humani, 445. 2
Pati pro Christo quam sit gloriosum, 706. 1. 2. et cur, *ibid.* 2. Pati gaudent pro Deo Sancti, 414. 2. Patiens tentationem et dolorem beatus est, 440. 1. Patiens injuste non conqueratur, ne meritum patientiæ amittat, 678. 1
Patiens est sapiens, 426. 2. Patiens perdurans incudi assimilatur, 440. 1. Is suorum affectuum est dominus, 422. 1. Eum Christus coronat, 441. 1. Ejus temporaneus et serotinus fructus quis, 572. 1. Ei Deus adest suis consolationibus, 675. 2. Inseritur cruci Christi, 705. 1. In illo patitur Christus, *ibid.* Fit unum cum Christo, *ibid.* In eo patitur Spiritus sanctus, 706. 2. In patiente certat et vincit Deus, 732. 2. Ei nullus nocere potest, 674. 2, 675. 1. Patientium gnomæ et exempla, 424. 1
Patientia capitur pro *perseverantia*, 422. 1. Patientia Christiana quam eminens sit, 412. 2. Est perfectio obedientiæ, 651. 2. Est Christianorum stadium, 655. 2. Quæ sit imperfecta, 620. 2. Quæ perfecta, 421. 1. Quomodo opus perfectum habeat, *ibid.* Elficit virtutum omnium consummationem, *ibid.* Nulla sine ea est virtus, *ibid.* 2. Perficit stadium vitæ humanæ, *ibid.* Est virtutum calx, 422. 2. Quæ patienti bona adferat, *ibid.* 1. Ejus effectus, *ibid.* Medium est ad acquirendam perfectionem, *ibid.* 2. Supplet virtutum et rerum omnium defectus, *ibid.* Sex opera perfecta producit, 423. 1. Suffert patienter omnia ardua et adversa, *ibid.* Deum habet debitorem, *ibid.* Citharæ assimilatur, *ibid.* 2. Creat Martyres, *ibid.* Hominem beatum et tranquillum facit, semper et ubique utilis est, *ibid.* Christo nos similes facit, *ibid.* Sine ea nihil in homine perfectum, 424. 1. Fatum quasi expugnat, *ibid.* Quomodo hominem perficiat, *ibid.* 2. Quando succumbat aut deficiat, 425. 1. Ipse vera sapientia, *ibid.* Ejus præcepta et dictamina varia, 427. 1. A solo Deo est petenda, 428. 1. Palmæ comparatur, 441. 1. Alia ejus elogia, *ibid.* Eam docet tentatio, 419. 1. Ejus tres sunt gradus, 411. 2. 414. 1. Adhortatio ad illam, 571. 1. Patientia Dei erga peccatores, 684. 1.
Patronatus (jus) non usurpent laici id non habentes, 938. 2
Patronus in quo differat ab advocato, 845. 1
Pauciloquis (de) gnomæ, 462. 2. 463. 1

Paulinus (S.) Nolanus Episcopus cur se depingi nollet, 469. 1. Dedit se in lytrum pro viduæ filio redimendo, 431. 2. 882. 2
Paulus (S.) unde dictus Saulus, 410. 1. Ejus elogia, 812. 2. In tribulatione gaudebat, 412. 2. Suos tortores ad Christum convertit, 713. 1. Consensit in scribendo cum aliis Apostolis, 402. 1. Ejus cervix recisa lac pro sanguine dedit, 632. 2. Omnes pene epistolas suas orditur à gratiarum actione vel benedictione Dei, 601. 1. Quomodo depressis operibus legis fidem in Christum tantopere extollat, 502. 2. Requirit opera fidei, 510. 2. Hinc non adversatur aliis Apostolis etiam opera requiri asserentibus, 502. 2. Is et S. Jacobus quomodo sint conciliandi quoad fidem et opera in justificatione, 510. 2. Ejus charitas et unio cum S. Petro, 812. 2
Paulus Samosatenus Episcopus populum suum expilavit, 719. 2
Pavo symbolum est superbiæ, 856. 1
Pauperes cur Christus elegerit ad fidem et regnum potius quam divites, 489. 2. Illi his præferendi sunt, 487. 2. 488. 1. Eorum contemptus quando sit peccatum mortale, 486. 2. 487. 1. Eos divitibus æquarunt Gentiles, 482. 1. Quomodo dare eleemosynam queant, 503. 2. Iis ex pio affectu succurrendum, 883. 1. 2. 884. 2. Aliquando ex impatientia ingemiscunt adversus Deum et proximum, 572. 2. Pauperes Evangelici sunt veri et soli divites, 489. 2
Paupertas oritur ex nimia abundantia, 569. 2. Paupertas primorum Christianorum, 437. 2. Eam reddidit Christus honorabilem, *ibid.*
Pax significat Hebræis gratiam et omne bonum, 737. 2. Charitatis comes et filia est, 946. 2. Soror est sapientiæ, 538. 2. Ejus quinque bona, 541. 2. Reddit opera nostra Deo grata, *ibid.* Est gratiæ effectus et comes, 601. 1. Proprie est piorum, 435. 2. Pax conscientiæ quantum sit bonum, 812. 1. Ea quantopere optanda, 674. 1. Illa est quædam incorruptio spiritus, 663. 1. Quam pacem Christus Apostolis optaret et relinqueret, 601. 1
Peccamus quotquot sumus, 843. 2. Peccandi necessitas humiliat hominem, 514. 2
Peccans non cognoscit Christum, 874. 2. Peccantium tres sunt gradus, 691. 1
Peccati tres sunt gradus, 452. 2. 466. 1. Idem est quod opus malum, 443. 1. Est error vitæ et morum, 754. 2. Dupliciter consummatur, 452. 1. Est mors animæ, *ibid.* Ejus an Deus sit auctor, 442. 2. Varias habet causas nobis intrinsecas, 445. 2. Debet esse voluntarium, 448. 1. Ejus generatio et prosapia, proles, nepos, pronepos, 452. 1. Ejus et tenebrarum analogiæ, 838. 2. Tollitur per tribulationem, 413. 2. 414. 1. Quam grave malum sit, 841. 1. 874. 1. 2. Ei omnes obnoxii, 513. 2. 840. 1. 2. 841. 2. 974. 2. Propter id Christus incarnatus est, 876. 1. Peccatum omne quomodo fugere possimus, 877. 2. Unum trahit ad plura, 495. 2. Incitatio ad peccatum est tentatio, 413. 1. Peccatum ad mortem quid sit, 916. 1. 917. 1. 2. et cur dicatur ad mortem, 917. 2. Peccatum originale non est morbida qualitas in anima existens, et perpetuo prava desideria excitans, 446. 1. Peccatum omne veniale an ex genere vitari possit, 514. 1. 974. 2. Id non tollit gratiam, 514. 1. Per id recedimus à Deo, 552. 2. Id sensualitati, mortale voluntati tribuitur, 448. 2. Peccata quomodo Christus abstulerit, 874. 1. Ea quomodo is pertulerit, 656. 1. Peccata tam propria quam aliena operit charitas, et proximi et Dei, 698. 1. 2. Coram Deo tripliciter, *ibid.* 1. Ea Christi sanguis prorsus expurgat et abolet, non radit, 839. 2. Iis valedicere debent Christianis maxime qui vanitati alias vacarunt, 590. 2. Ipsa in se non sunt paria et æqualia, 495. 2. Mortalia omnia nemo vitare potest sine Dei gratia, 974. 2. Peccata tegere quomodo dicatur Deus, 699. 1. Quomodo ea homo tegere possit, *ibid.* 2. 590. 2. 591. 1. Ad peccata dimissa redeuntes similes sunt canibus ad vomitum redeuntibus, 792. 1. Peccata quatuor in cœlo clamant vindictam, 568. 2
Peccator est servus concupiscentiæ, 789. 1. Est nubes sine aqua, arbor autumnalis, fluctui maris similis, et stella errans, 966. 1. item quasi sus, 792. 2. Fiduciam si concipiat se veniam commissorum consecuturum, eam consequetur, 434. 2
Pelagiani docent fidem esse ex nobis, non è gratia Dei, 488. 2
Perambulare significat dominium et imperium, 730. 2
Perdix symbolum est adulantium et hypocritarum, 436. 2
Peregrinarum in hoc seculo, 480. 1. Peregrinari in fervore quid sit, 703. 2
Peregrinationes ad sepulcra Sanctorum carpunt hæretici, sed insulse, *ibid.*
Peregrinus quid proprie, quid metaphorice significet, 704. 1. Peregrini sumus omnes in hoc mundo, et quare, 643. 1. 2. 645. 1. 2. Peregrini benigne excipiendi, 936. 2
Perfecti, integri et in nullo deficientes quomodo distinguantur, 424. 2
Perfectionem causatur patientia, 422. 2. Ea sita in mortificatione concupisc. 543. 2. 544. 1. et in moderatione linguæ, 514. 2. Per studium perfectionis ad Deum appropinquamus, 552. 1
Periclis Atheniensis patientia, 424. 1. 2
Περιποτεισθαι et Περιποιησις non significat adoptionem, 641. 1
Περισσπα significat redundantiam, 465. 2. 466. 2
Persæ cum sororibus inibant conjugia, 539. 2. An à S. Joanne ad fidem conversi, 820. 2
Persecutio est species tentationis, 413. 1. In ea cur sit gaudendum, 415. 2
Persecutores sunt fabri coronarum, 675. 1
Perseverantia in patiendo accipit coronam, et habet opus perfectum, 422. 1. Eam causat probatio, 420. 1. De sua perseverantia et salute nemo fidelis certus est, 752. 1
Personarum acceptionis vitium in quo consistat, 482. 2
Persuasio obtinendi quod petitur, oranti necessaria, 433. 2
Petenti simplum, demus duplum, 431. 1. Petenda necessaria ad vitam, et hæc à Deo dantur, 545. 1. 2. nec caduca, *ibid.* 2
Petronilla an S. Petri filia sit, 596. 1
Petrus (S.) Apostolus quando et ubi epistolam suam scripserit, 592. 1. 598. 2. Fuit peculiaris Judæorum curator, 592. 2. 598. 2. Varia ejus scripta apocrypha, ejus elogium, 593. 1. 595. 2. Privilegia ejus varia, 593. 1. 2. Est à Christo factus petra Ecclesiæ, est caput omnium Apostolorum, *ibid.* Fuit hierarcha, *ibid.* Ei firmitas in fide promissa est, *ibid.* Repræsentat auctoritatem et personam Christi, *ibid.* Præest cum suis successoribus Ecclesiæ quasi monarcha, 594. 1. Ejus jus sublimius quam quorumvis Regum et Imperatorum, *ibid.* 2. Ejus nomen cur fideles litteris formatis adscriberent, *ibid.* Ejus jus etiam ad superos et inferos pertinet, *ibid.* Cœlum claudit et aperit, *ibid.* Ejus potestas inconcussa manet, et durabit usque ad finem mundi, 595. 1. Per veteres pontifices designatus fuit, quasi illis major, *ibid.* Ecclesias per totum orbem fundavit, *ibid.* An in Angliam profectus sit, *ibid.* 2. Ejus effigies, *ibid.* Ejus martyrium et causa ejus, 596. 1. Ejus sepulcrum, *ibid.* Varia ejus nomina, 597. 1. Quid sit nomen Petrus et Cephas, *ibid.* 1. 2. Est Apostolus per excellentiam, *ibid.* 2. Etiam in Ponto prædicavit, 598. 2. Gaudet metaphora petræ et lapidis, 634. 2. Ejus modestia, 612. 2. 643. 1. Est testis passionum Christi, 715. 1. Habuit revelationem suæ mortis et temporis, *ibid.* 2. 756. 2. Morti proximus in carcere vinctos Christo lucrifecit, 713. 1. Pastor fuit pastorum, 716. 1. Quomodo S. Clementem suum successorem fecerit, *ibid.* Certo fuit Romæ, 735. 2. Quos ibi converterit, 736. 2. Quando secundam epist. suam, et ubi scripserit, 738. 2. Dictus est à parentibus Simon, 739. 1. Ejus fervor, 755. 1. Ejus cura circa fideles et totam Ecclesiam, 757. 1. Ejus charitas et unio cum S. Paulo, 812. 2. Ejus candor et sinceritas, *ibid.*
Petrus (P.) Canisius in omnibus adversis Deum benedicebat, 441. 1. Ejus cœlestis illustratio quoad sui cognitionem, 455. 1

Θαινόμενα quæ dicantur à Philosophis, 560. 2
Phantasiæ hominum quæ sint simulacra, 923. 1
Pharisæi censebant totam legem non esse servandam, sed partem ejus majorem, 493. 2. 494. 1. Eorum error duplex circa jejunium, 576. 2
Philadelphia Christianorum quanta esse debeat, 669. 2
Philippus Macedo conviciatoribus gratias agebat, 424. 1
Philosophi nonnulli in tribulatione sunt gavisi, 412. 1
Phinees Eleazari filius an fuerit inter exploratores ad Rahab missos, 510. 1
Phœnix symbolum est Christi et Christiani, 915. 1. Symbolum est resurrectionis, 734. 2. Hinc est insculptus sarcophagis plurimorum Martyrum, *ibid.* 915. 1
Θρουρεω est urbem præsidiis et propugnaculis munitam teneo, 946. 2
Pietas est condimentum patientiæ, 748. 2. 749. 1. Debet hæc condi amore fraterno, 749. 1
Pii semper affliguntur et tribulantur, 704. 2
Piscis hieroglyphicum est odii, 879. 1
Pisistrati vis in dicendo quanta fuerit, 519. 2
Placere Deo in omnibus studeamus, 887. 1
Planetæ sunt typus hæreticorum, 965. 1. Hoc nomen planetæ item aliis hominibus adaptatur, *ibid.* 2. Planetæ varios et miros habent motus, 804. 2
Plato quomodo se ad judicium præpararet, 809. 1. Ejus paradoxa et antilogiæ, 539. 2
Plinius omnem divinitatem ponit in beneficentia, 540. 2
Pœnitentiæ actus, 841. 2. Est affinis et pars justitiæ, 842. 2. Per eam ad Deum accedimus, 552. 1. 2
Politicorum principia quæ obsint serio emendationis proposito concipiendo, 498. 2. Pejerant sine conscientia, 578. 1. Duplex habent cor, et quam sint noxii, 436. 2
Polium herba sæpe in die colorem mutat, 459. 2
Polycarpus (S.) comprehensoribus suis mensam apponi jussit, 713. 1. Detestatus est hæreticos, 931. 2
Polychronius (S.) quam mente in cœlo versaretur, 810. 1
Pontifex Judaicus rationali intextum gerebat *urim* et *tummim*, 910. 2
Pontifex Rom. imperat et præest regibus et Imp. 639. 2. Ejus triplex corona quid significet, *ibid.* Ejus in Ecclesiam auctoritas, 594. 1. Vocatur Episc. universalis, 715. 1. Vocat Episcopos fratres, *ibid.* Pontificum omnium brevis est vita, 756. 2
Pontus est regio Asiæ Minoris, vicina Ponto Euxino, 598. 2. Ejus incolæ mire barbari erant, *ibid.* 700. 2. Apud eos erant antrum Cerberi et alia barbaries, 599. 1. Duros progignit homines, 700. 2
Porcus symbolum est hominum profanorum, 792. 1. item omnium peccantium, *ibid.*
Potestas Principum et Prælatorum à Deo descendit, 453. 2
Præcepta legis veteris fuere multa et gravia, 907. 2. Præceptum dilectionis proximi includit præceptum dilectionis Dei, 887. 2
Prædestinatio ad gratiam pendet à cooperatione liberi arbitrii, etiamsi hæc illius non sit causa, 752. 2. Prædestinationis dilemma plebeiorum confutatur, *ibid.* Tria vera signa prædestinationis, 753. 2. Prædestinatio ad gratiam non pendet ab ea quæ est ad gloriam, 861. 1
Prædestinatus (quis vere) et quis non dicendus, 752. 2. Prædestinati vere nequeunt in peccato mortali mori, 877. 1. Non sunt electi ante prævisa opera, ex mero Dei beneplacito, 751. 1. 2
Prædicationis et insitionis variæ analogiæ, 467. 2. 468. 1
Prædicator sit concha, non canalis, 463. 2. Sæpe eadem inculcet, 692. 1. 755. 1. 2. 794. 2. Ejus sermo sit sedatus, non velox, 461. 1. Populo nunc minari, nunc blandiri debet, 531. 1. Qualis esse debeat, 702. 2. 716. 2. Loquatur vera et sancta, 701. 2. Oret ante concionem, *ibid.* Sit sincerus, 471. 2. Qui pomposus et verbosus, est nubes sine aqua, 963. 2
Prælati vitæ probitate subditis præcerant, 721. 1. Eorum vita ab omnibus videtur, *ibid.* 1. 2. Amore plus apud subditos proficient quam terrore, 533. 1. Eorum duo munia, 719. 2. Quæ dotes, 720. 1. Iis laici subjici debent, 651. 1. Quantam ovium sibi creditarum curam habere debeant, 947. 1
Prælaturæ ambiendæ non sunt, 754. 2
Præmia tentationem vincentium, 418. 1
Præparatio ad adventum Christi quæ facienda, 808. 2
Præscientia Dei alia conditionata, alia perfecta est, 599. 1. 2. 600. 1. Latius patet quam prædestinatio, 599. 1. Ea in Deo quoad electionem hominum sex dotes includit, *ibid.* 1. 2
Præsentia Dei ubique habenda, 905. 2
Primitiæ Deo quomodo fimus, 459. 2
Primogeniti familiarum olim erant sacerdotes, 639. 1
Princeps sit modestus et moderatus, 720. 1. Ejus vita ab omnibus videtur, 721. 2. Principibus civilibus obedire debent Christiani, 648. 1. idque propter Deum, 649. 1. Sciant se potestatem à Deo accepisse, 453. 2. Eorum vita est quasi picta tabula quam subditi inspiciant, 653. 1
Principium Verbi Dei quod dicatur, 822. 2
Privilegia duodecim S. Petri Apostoli, 593. 1. 2
Probatio fidei quomodo operetur et causet patientiam, 419. 1. 420. 1
Procella (quæ) tenebrarum hæreticos maneat, 965. 2
Proclivitas ad malum etiam in justis manet, 711. 1
Profectus discipulorum recreat magistrum, 936. 1. Profectus in via spirituali in quo situs, 847. 2. Comparatur lucifero crescenti in diem perfectum, 764. 2. 765. 1
Professio fidei, legis et cultus Dei, vocari potest religio, 475. 2
Proficere semper in melius Christiani debent; 653. 1. 852. 2
Promittit Deus vitam æternam in fide constantibus, 866. 1. In veteri lege quæ promiserit Deus Christianis se daturum, 742. 2
Prophetæ loquuntur de futuris quasi de præteritis, 966. 2. Iis quanta sit fides adhibenda, 761. 2. Omnes à Deo sua oracula acceperunt, 455. 2. Apostolorum et Christianorum per suam prophetiam fuere ministri, 612. 2
Prophetare capitur pro interpretari, 765. 2
Prophetia capitur pro interpretari, *ibid.* Prophetia Henoch qualis fuerit, 966. 1. Prophetia vera venit à voluntate Dei, 766. 1. Subinde datur improbis, *ibid.* 2. Firmior visione, 761. 2. 762. 1. Est velut lucerna, 762. 2. Prophetia Scripturæ quæ dicatur, 765. 1
Propositum (multi quod) serium emendandi vitam non habeant, hinc damnantur, 498. 1. 2. et seq. Propositum firmum ab omnibus seculi illecebris resistendum reddit cor hominis mundum à seculo, 479. 2
Protocanonici libri sacri qui dicantur, 815. 1
Providentiæ Dei sua Christiani committunt, 561. 1
Proximo benefaciendum intuitu Dei, 431. 1. Proximus nobis diligendus quis sit, 493. 2. et quantopere, 896. 1
Prudentiæ definitio, 695. 1. Unde vox formetur, *ibid.* Ejus partes, *ibid.* Ejus actus et officia, *ibid.* Ejus elogium, *ibid.* 2. Varia ejus præcepta, *ibid.* 696. 1. 748. 1
Psalmodiæ quatuor fructus, 578. 1
Pseudoprophetæ nunquam defuere, 768. 1
Physici qui dicantur, 536. 1
Pudicitia legis Christianæ, 537. 1. 2
Pudor damnandorum in judicio quantus futurus, 867. 2. et quæ ejus ratio, *ibid.*
Puerorum institutionis magna cura habenda, 853. 1. Pueri olim sub specie vini Eucharistiam sumebant, 632. 1
Punitio improborum salus est proborum, 650. 1
Pupilli et viduæ Deum tutorem habent, 478. 1
Pura est et casta lex Christiana, 537. 1. 2
Purgatorii pœna quam acerba sit, 801. 2. Animas inde Christus ad inferos descendens liberavit, 682. 1
Puritas doctrinæ, castitatis et vitæ, est una é notis veræ fidei et Ecclesiæ, 537. 1. Puritas est quædam sanctitas, 875. 1. Quanta puritas Dei : hinc pura eum decent, 479. 1
Pythagoræ apud suos auctoritas, 874. 1
Pythagoræorum quinquennale silentium, 461. 1

R.

Radulphus Tacens silentio ignem compescuit, 520. 2
Rahab meretrix an caupona, 509. 1. An salvata, *ibid.* Quæ bona fidei opera fecerit, *ibid.* 2. Non poterat exploratores prodere, *ibid.* Ejus fortitudo, *ibid.* Ejus quanta fuerit fides, *ibid.* Fuit justificata, et avia Davidis et Christi, *ibid.* Quando sit justificata; an ante admissos exploratores, an post, *ibid.* 510. 1
Rebellio signum est hæresis et infidelitatis, 648. 2. Rebellio contra Superiores quantopere Deo displiceat, 962. 1
Recidivi quantum sit malum, 789. 2. 790. 1
Redemerit (quam plene Christus Dominus nos,) 621. 1
Regendæ (quomodo) sint animæ, 716. 1
Regeneratio Christianorum duplex est, 601. 2. 602. 1. Regenerationis divinæ dignitas, 627. 1
Reginaldus (S.) à B. Virgine est in magna ægritudine inunctus, 582. 2
Regio animo sint Christiani, 492. 2
Regnum Dei quomodo in nos adveniat, 975. 2. 976. 1. Id est ipse Deus cum omni sua felicitate, 489. 1
Regulæ septem rectæ vitæ, 655. 2
Relabentes in peccatum similes sunt canibus, 791. 1. 2
Relapsus in peccatum quam grave sit malum, 789. 2. 790. 1
Religionis quod sit etymon, 474. 1. 475. 2. Decem ejus species, 478. 2. Religio virtus quæ sit, 475. 1. Violatur per loquacitatem, 476. 1. Ejus actus, 477. 1. Religio capitur item pro pietate, 476. 2. Religio vera ab hæreticis blasphematur, 769. 2. Religio munda Christianorum est, non hæreticorum, 476. 2
Religiones bonæ bene servant silentium, 515. 1
Religiosa vita donum perfectum est, 454. 1. Ipsa continua quædam probatio est, 420. 2. Est regale sacerdotium, 640. 1
Religiosa quædam Tabennesiota à reliquis despecta, jussu angeli declarata est omnium sororum sanctissima, 438. 1
Religiosus quis proprie dicatur, 474. 1. 475. 2. Religiosi sunt holocausta, 640. 2. Cur à seculo avellant, 480. 1. Sunt beati, quia sunt quod esse volunt, 789. 1. Eos cur mundani oderunt, 879. 2. 880. 1. Quare debeant esse modesti, 670. 2. Quantum mundo prosint, 477. 1. Eorum quales debent esse sermones, 705. 1. Quomodo à Superioribus exerceantur, 420. 2. Est iis periculum à lingua, 619. 2
Reliquiæ peccati quæ dicantur, 582. 2. Reliquias Sanctorum odit diabolus, nec fert, 958. 1. Earum cultus adstruitur, *ibid.*
Remissio peccati est actus justitiæ, 842. 1. 2
Renovatio elementorum et cœlorum in mundi fine futura est, 806. 2
Reprobatur nemo post acceptam gratiam prævisus ea male usurus, nisi post et ob prævisa demerita, 752. 1
Reprobatio non est causa exitus ab Ecclesia, lapsus et damnationis improborum, 861. 1
Reprobi non sunt ante prævisionem peccatorum positi à Deo ad inobedientiam et rebellionem, 637. 2
Residentia Episcopis præcipitur, 717. 2
Resistendum nobis est concupiscentiæ, 448. 2. et tentationibus, 451. 1
Resolutio constans ad resistendum omnibus seculi invitamentis, reddit hominem ab eo immaculatum, 479. 2
Resurgent omnes cum iis quos Domino acquisiverunt, 590. 2. Resurrexit Christus virtute animæ suæ, 680. 1
Resurrectio rerum omnium, uti et hominum, erit in mundi fine, 806. 2. Resurrectio cur dicatur regeneratio, 602. 1. Ejus symbolum est phœnix, 734. 2. Resurrectio Christi est velut sigillum omnium ejus operum, 687. 1. Hæc et ejus concomitantia denotant eum esse Messiam, 912. 2. Illa ipsa nos suscitavit, 603. 1
Revelationis dies dicitur dies judicii, 610. 1
Rex est viva Dei in terris imago, 649. 1. Est regni sui primarius, *ibid.* 2. Sit subditorum velut pastor, 658. 1. Regibus debetur honos, 492. 1. Pastores æmulentur, 963. 1. Præcellant cæteris charitate, 492. 1. Eorum felicitas quam sit momentanea, 801. 2. Omnes sunt à Deo vel per se, vel per suos instituti, 649. 1. Meminerint se ei subditos esse, *ibid.* 2. Iis olim præferebatur ignis, 799. 2. Reges pii semper Ecclesiam et Pont. Romanum coluerunt, 649. 2
Robertus Cardinal. Bellarminus se depingi vivum noluit, 469. 1. Ejus patientia, 654. 2
Roma S. Petro debet fidei sinceritatem, 596. 2. Cur ab eo vocetur Babylon, 735. 2. Utriusque urbis analogiæ, *ibid.* A quo primum vastata, 859. 2
Romana Ecclesia quam semper fuerit florens, 736. 2. Quare facta Patriarchalis, 410. 2. Ejus in fide et pietate constantia S. Petro adscribenda est, 757. 2
Romani aliqui in proposito constantes recensentur, 479. 2. 480. 1
Ῥοπὴ est lancis in libra momentum, 456. 2
Rosæ brevis decor, 439. 1
Rota nativitatis quænam à lingua inflammetur, 522. 1. 2. Rota sumitur etiam pro tormento, et quale id sit, 524. 1
Rudentes inferni sunt ejus vis et jus in peccatores, 771. 1
Rupertus Tuitiensis Abbas cœlitus est edoctus, 428. 2

S.

S Hebræum sæpe Syri et Chaldæi mutant in *T.* 941. 2
Sacerdotes habuit omnis respublica et gens, 637. 1. Sacerdotes in Ecclesia Dei sunt velut principes, 460. 2. Pauci salvabuntur, 513. 1. Eos etiam confiteri oportet, 583. 2. Eorum est pro omnibus orare, 585. 1. Sunt regales, 638. 2. Quam honeste et decenter vivere teneantur, 640. 1. Quare debeant esse modesti, 670. 2. Semper salutaria et sancta loquantur, 702. 1. 2. 703. 1
Sacramentum quid sit propria significatione, 685. 1. Sacramenta tria perhibent testimonium Christo, 912. 2
Sacrificii mystici decem species, 478. 2. Sacrificium Missæ pro omnibus hominibus offertur, exceptis excommunicatis, 846. 2
Sadducæi negabant resurrectionem, 796. 2
Salam significat retribuere, et pacificum esse, 710. 2
Salvandorum paucitas, 497. 2. 499. 1. 684. 1. 2
Salvator dicitur tam Jesus, quam Deus Pater, 975. 2
Salvatur homo difficillime, etiam Catholicus, 498. 1. 499. 1
Salvius (S.) vitæ redditus ut Ecclesiæ prodesset, 905. 2
Salus in salutatione apprecata quid significet, 411. 2. *Salus* Punica lingua *tria* significat, *ibid.* Salus triplex est, 710. 2. Salus animæ revelatur statim à morte et in judicio universali, 606. 2. Ejus assequendæ quæ sint signa, 753. 2. Pro ea quidlibet faciendum, 499. 2. 500. 1
Salutatio Apostolorum et Sanctorum est efficax et realis, 411. 2. Salutatio Hebræorum erat: *Pax vobis*, 940. 2
Samosateni quam Eunomium hæresiarcham aversarentur, 951. 2
Sancta (in) sanctorum quando aliquis extra ordinem ingredi posset, 406. 1. 2. In eis B. Virgo non habitavit, 407. 1
Sancti diaconi in tormentis constantia, 646. 2. 647. 1
Sanctus quis proprie sit, 617. 2. Sanctum tria faciunt, 873. 1. Sanctorum sunt et fuere varii spiritus, 434. 2. Sancti non aperiunt os nisi ad laudes Dei, 462. 1. Semper se vocarunt peccatores, 514. 2. In vita fuerunt infirmi, cur, 587. 2. In cœlo perpetuo laudant Deum, 529. 2. Eorum os est quasi altare thymiamatis, 601. 1. Nihil timent, 676. 1. Iis prima peccata ad gloriam cedunt, 700. 1. Omnium operum initia ad Deum referunt, 703. 2. Semper incipiunt, 755. 1. Post mortem curant res mortalium, 757. 1. 2. Dilexerunt montes, 761. 2. Cruciantur offensis contra Deum et proximos admissis, 775. 2. Sunt velut cœli novi et terra nova, 811. 2. Sunt lux mundi, 837. 2. 838. 1. Sunt nostri advocati post Christum, 845. 2. Iis non est scandalum, cur, 851. 2. 852. 1. In judicio non trepidabunt, 867. 2. 868. 1. Sunt mundanis exosi, 879. 2. 880. 1. Eorum vota prævenit Deus, 887. 1. Deo nixi quid non faciant, 893. 1. 2. Amarunt hostes suos, 896. 1. Quomodo utantur ira sua, 465. 1. Peccantes semper

ad vulnera Christi confugerunt, 846. 1. Habent spem mixtam timore, 904. 2. Eorum festa quare celebrentur, 939. 1 Sanctieminentes dominium in feras accepere, 526. 1. Sancti veteris testamenti quomodo dicantur fuisse Christiani, 611. 2. Quo quisque Sanctorum sive ante, sive post Christum illi fuit vicinior, eo magis ab illo luit et gratiæ radiis illustratus, *ibid.* 612. 1. Sancti multi mire erga Christum incarnatum affecti fuere, 828. 1. Multi vitam pro aliorum animæ salute exposuere, 882. 1. Qualem nonnulli certitudinem gratiæ habuerint, 888. 2. Tamen horum plerique metuunt, *ibid.*

Sanctificatio est proprium opus Spiritus sancti, 599. 2

Sanctitas proprie quid sit, 479. 1. Vera in quo consistat, 873. 1. Scilicet in vitæ puritate, 617. 2. Plena et universalis sanctitas quæ sit, 618. 1. Ea quanti à nobis facienda sit, 600. 1. Facit hominem interritum ad omnia, 677. 1. Sanctitas propria optimum animarum convertendarum adminiculum, 590. 2

Sanguini effuso ubique aquam Christus miscuit, 910. 1. Sanguis et aqua probabant Christum verum esse hominem et Deum, 909. 2. *Sanguis* in Scriptura significat omne peccatum, 698. 2. Sanguis Christi reserat cœlum, 600. 1. Est balneum animæ ægræ, *ibid.* 2. Quomodo eo anima aspergatur, *ibid.* 1. Is quomodo nos à peccatis emundet, 839. 2. Is effusus unitus mansit deitati, 621. 1. Ejus vis infinita, *ibid.* 2

Sapientes soli sunt tolerantes, 427. 2

Sapientia vox unde dicatur, 425. 2. Sapientia sancta et vera quæ sit, *ibid.* 453. 1. 537. 1. Cur hæc dicatur cœlestis, 537. 1. Ejus et falsæ antitheses novem, *ibid.* Ejus effectus, *ibid.* Vera pudica est, *ibid.* 2. Ejus comes est castitas, *ibid.* 2. Est Dei filia, est cœlestis, 538. 1. Requirit cor purum, *ibid.* Est pacifica ob varias causas, *ibid.* 2. item modesta, 539. 1. Est suadibilis, *ibid.* 1. 2. Est bonis consentiens, 540. 2. Est plena misericordiæ, *ibid.* Ipsa est complementum omnium virtutum, 541. 1. Est lumen animæ, 454. 1. Hæc præ reliquis donis à Deo postulanda est, 428. 1. et ab eo solo, *ibid.* Eam acquirendi praxis, 426. 1. 2. Sita ea est in patientia, *ibid.* 2. Sapientiam omnes angeli et homines à Deo participant, 975. 2. Sapientia terrena quæ dicatur, 535. 2. quæ animalis, 536. 1. item diabolica, *ibid.*

Sara coluit Abraham maritum : tria ejus nomina, 665. 1

Satagere quis dicatur, 751. 1

Satanas est Calvini Deus, 788. 1

Saül humilis cum esset, ad regnum evectus est, 438. 1

Scandalizantes alium dissolvunt Christum, 892. 1

Scandalum proprie quid sit, 851. 2. Sancti scandalum non habent, *ibid.*

Schisma consistit sine hæresi, 969. 1. Quam ipsum sit grave scelus, *ibid.* 2

Schismatici solvunt Christum, 892. 1

Scientia quintuplici significatione accipitur, 748. 1. Vera scientia quæ sit, *ibid.* Ejus soror est abstinentia, *ibid.* *Vide* Sapientia.

Sclopeta quando inventa, 525. 2

Scriptores hagiographi à Spiritu sancto incitati sunt et directi, 766. 1. Plerique fuere sancti, *ibid.* 2. Cur inter se consentiant, 402. 1. 2

Scriptura speculum est, 469. 2. Est explicanda ex mente Ecclesiæ et Patrum, 766. 2. Eam pandit oratio, *ibid.* et vitæ puritas, *ibid.* Hinc eam quisque suo sensu exponere et interpretari non potest, 765. 2. Non est ad conceptus privatos trahenda, 815. 2. Eam hæretici depravant, *ibid.* 1. Non est facilis intellectu, *ibid.* Est quasi lucerna lucens in tenebris seculi, 762. 2. Interdum habet antiptosin, 865. 2. Cur dicatur prophetia, 765. 2. Ejus intelligentia à Deo petenda, *ibid.* Venit à Spiritu sancto, 766. 1

Scrupulosi quomodo se in timore suo gerere debeant, 449. 2

Scrupulos tollit charitas, 895. 1

Sebastianus (S.) quomodo SS. Marcum et Marcellianum in tormentis nutantes confirmarit, 609. 1

Sebastiani (P.) Barradii ultimum ad suos monitum, 724. 2. 725. 1

Secta tripliciter capitur, 778. 2

Seculum unde deducatur, 479. 2

Sedebant Judæi et Romani in consessibus, 486. 1

Seges suum habet mane et vesperam, 572. 1

Semel capitur pro *omnino* et *irrevocabiliter*, 950. 2. Quomodo Christus semel pro peccatis nostris dicatur mortem subiisse, 679. 1

Semen parentis non inficit corpus filii, ut excitet concupiscentiam, 446. 1. Semen Dei est multiplex, 876. 2

Senectus venerabilis est, 723. 1

Senior idem est quod Dominus, 927. 1

Sententiæ eædem subinde reperiuntur in scriptoribus hagiographis, et cur, 595. 1

Sepulcrum Mosis ignoratur, 957. 1. Sepulcro fœtido lingua maledica assimilatur, 529. 1

Sermo concionatorum sit sedatus et solidus, 461. 1. Sermo Dei ardenter depromendus, 701. 2. 702. 1

Serpentes ab hominibus domantur, 527. 1

Servi Dei nihil ejus servitio subtrahant, sed totos se ei dedicent, 460. 2. Servum esse Christi quam honorificum sit, 410. 2. Servi olim multi ob christianismum male ab heris excipiebantur, et patientes erant, 652. 1. Servi cur in omni timore dominis subditi esse debeant, 651. 1. Servis manumissis dabatur olim vestis alba et calceus, 650. 2

Servire Deo regnare est, 945. 1. Quam Christo servire teneamur, 621. 1

Servitus quare et qua occasione inducta, 789. 1

Si capitur subinde pro *quia*, 896. 1

Sibyllæ fuere virgines, 538. 2

Sigismundus Imper. quomodo punierit ducem avarum, 567. 2

Silentii elogia et laus, 463. 1. Id sedat mala lingua, 520. 2. item ignem, *ibid.* Id docet loqui, 515. 1. Silentium Christianorum commendatur, 475. 1. 476. 1. item Religiosorum, *ibid.*

Silvanus et Silas idem est : fuit bajulus epist. S. Petri in Orientem, 735. 1

Simeon Stylites identidem ad cœlum suspirabat, 810. 1. Quam patienter varias cœli injurias tulerit, 440. 2

Similes Deo sunt justi tripliciter, 871. 2. Modi quibus similes Deo reddamur, 872. 2

Simon (S.) unde dictus Zelotes, 941. 1 Simonis quod sit etymon, 739. 1

Simon Magus docuit opera ad salutem non requiri, item libertatem carnis asseruit, 405. 2. 502. 2. Ejus feralis interitus, 769. 1. Quam fuerit fabulosus, 757. 2. Docuit Deum esse auctorem peccati, 442. 2. 974. 2. Ejus libido, 949. 1

Simoniani negabant Christum esse Deum, 949. 1. Quomodo majestatem Dei blasphemarent, 950. 1

Simplicitas cordis et cor simplex quod dicatur, 625. 1. 2. Simplicitas in Scriptura cum de dando agitur, significat dandi affluentiam, 429. 2

Sinceritas decet Christianos, 795. 1. Ea lacte denotatur, 651. 2

Sincerum tria diversa denotat, 795. 1

Sinu (in) Christi cur Joannes recubuerit, 817. 2

Sinus et insinuare metaphorica significatione quid significent, 724. 1

Sisinnius Novatianus Episcopus reprehensus fuit à fidelibus quod esset homo mollis, 485. 1

Sisois Abbatis orantis fiducia de impetratione petitorum, 454. 2

Sobrietas mater vigiliæ et castitatis, 726. 2. Qualis Christianos deceat, 616. 1. 2

Societatis Jesu Collegia quantum Belgio profuerint, 648. 2

Socii affricant sociis bonitatem vel malitiam, 671. 2

Socratis potentia, 424. 2

Sodomæ incendium quam horrendum fuerit, 775. 1. Ejus incolæ omnes ad inferos damnati, *ibid.* 2

Sodomia quam infame et probrosum scelus, *ibid.* 1

Sodomitæ quomodo cœlitus puniti, 953. 2. An omnes transmissi ad ignem æternum, *ibid.*
Sol pater luminis Deum optime repræsentat, 454. 1. Dupliciter tenebras et umbram causat, 456. 1. Habet quoque suam parallaxin, *ibid.* Ejus vicissitudo quintuplex est, *ibid.* 2. Typus est Ecclesiæ, 764. 2
Sollicitudo nimia temporalium rerum an malitia quædam est, 465. 2. 466. 1. Ea est Christianis prohibita, 725. 2
Solvere Christum qui dicantur, 891. 2. 892. 1
Solymanni Turcarum Imper. de Luthero testimonium, 892. 1
Somnia vendunt hæretici, 954. 1
Somno moderate indulgendum, *ibid.* 2
Sortitio rerum nostrarum in manu est Dei, 562. 1
Spadani fontes quam diversorum sint saporum, 531. 1
Spartanorum consensus et unanimitas, 668. 1
Species aliena visa magis menti inhæret quam propria visa in speculo, 470. 2
Speculi descriptio, 469. 2. Id an vim habeat inducendi oblivionem sui potius quam alterius objecti in eo visi, 470. 2. Id mulierum est, non virorum, 469. 2. 471. 1. In eo videtur ipsa facies, non ejus imago, 470. 2. Ejus et verbi Dei analogiæ variæ, 471. 2
Spes per synecdochen omnem Dei cultum complectitur, 664. 2. Spes vitæ futuræ excitatur per patientiam, 421. 2. Hæc animat ad patientiam, 571. 2. 971. 2. Hæc in Christianis quam certa et efficax sit, 602. 1. Posset proinde vocari regeneratio, *ibid.* Cur dicatur spes viva, et quæ sit hæc, *ibid.* 2. Est fidei anima, 603. 1. Spes nostra est Christus, *ibid.* 2. Spes in Deum crescat tribulatione crescente, 776. 1. Ea in oratione excitanda, 588. 1. Eam in orante quare Deus poscat, 433. 2. Ipsa pro objecto habet Deum, item alia ad Deum ducentia, 616. 2. Quo ipsa major in affectu, eo majorem gignit credulitatem obtinendi in intellectu, 433. 2. Spes alia quam vana sit, 557. 2. Spes et fides quomodo inter se habeant, 433. 1
Sphinx imago est ignorantiæ, 959. 2
Σπιλος et maculas et scopulos significat, 962. 2. Est proprie macula in veste è vino aut unguine, 622. 2. 782. 2
Spiritualibus (in) nostri curam gerit Deus, 726. 2
Spiritus sanctus quomodo ad invidiam concupiscat, 548. 1. Ejus zelus in nos, *ibid.* 2. Quanta nobis det, 549. 2. Ejus divinitas probatur, 613. 2. Ei attribuitur redemptio et sanctificatio humani generis, *ibid.* Requiescit in patiente, 706. 1. et is eum adjuvat, *ibid.* 2. Substantialiter datur in justificatione homini, 744. 1. 2. 862. 2. item in Confirmatione, *ibid.* 2. Assistit scriptoribus sacris, 766. 1. Est invocandus in dubiis, 863. 1
Spiritus quis ad invidiam concupiscat, 547. 1. Spiritus internus Enthusiastarum jugulatur, 863. 1. Spiritu privato non sunt probandi spiritus et doctrinæ, 890. 1. Spiritus, aqua et sanguis quid ad litteram anagogice, mystice, allegorice, symbolice et tropologice significent, in eo quod testimonium dent, 912. 1. 2. Spiritus quis testimonium det de Christo, *ibid.* 1. Spiritus omnes examinandi sunt, 890. 2. Spiritus spei præstat spiritui timoris, 435. 1. Spiritus vocatur suggestio et inspiratio, 889. 2. Sic vocari quoque possunt doctores, *ibid.* 890. 1
Splendor faciei est signum favoris et opis, 454. 2
Stabilitas mentis quomodo paretur, 458. 1
Stellæ in fine mundi ardebunt et liquabuntur, 806. 1. 2. Sed erunt deinde speciosiores, *ibid.* 2. 807. 1. An alantur vaporibus, 806. 1
Stephanus (S.) quando servierit S. Jacobo Minori sacrificanti, 407. 1
Στρτος quam varia significet, 731. 2
Stoici docebant misericordiam non esse virtutem, 884. 1
Styli varietas in uno eodemque auctore unde proveniat, 758. 1
Suadere cor, quid sit, 885. 1. 2
Subalternatio et humilitas in Clericis quam sit necessaria, 724. 1
Substantia nulla mala est, nec producitur à diabolo, 445. 2
Succingat (quare homo se), 615. 1
Suggestio prima ad peccatum non est peccatum, 447. 1
Suistæ hæretici unde et qui dicantur, 792. 2
Superbia mera est insania, 550. 2. Ea à Deo retunditur, 551. 1. Mater bellorum est, 543. 1. Deo exosa est, 724. 2. Est fons hæreseon, 778. 2. Superbia vitæ est ambitio et fastus; ejus concupiscibile est omnis mundana pompa, 855. 2. 856. 1
Supercertare quid sit, 947. 1. 948. 1
Superiorum in Religione est suos mortificare et probare, 420. 2. idque sensim, et per minora ad majora ascendendo, 507. 2. Eorum est semper commonere, 755. 1. Ab injuriis abstineant, 958. 2. 959. 1
Suis stupor et hebetudo, 793. 1
Suscipere in Scriptura significat omne obsequium exhibere, 937. 2
Sycophanta vox unde derivetur, 650. 1
Sympathia quid sit, 669. 1
Synaxis fiebat in Ecclesia et conventu, 483. 2
Syriace etiam exstat epist. secunda S. Petri, 738. 1

T.

Tabernaculum figura erat seculi præsentis, 763. 1. Tabernaculum est symbolum corporis, 755. 2. Tabernaculorum festum quid repræsentaret, 756. 1
Tacet imprudenter qui loqui aliis debet, 517. 2. 518. 1. Tacere et audire docet sapientiam, 461. 1. 2
Talpæ an oculis suis videant, 750. 1. Acute audiunt, *ibid.* Eorum sub terra vita, *ibid.* 2
Tantalus dictus quasi ταλαντατος, 564. 1
Tarditas loquendi conducit ad sapientiam, 461. 1.
Tartarus vox unde deducatur, 771. 2
Tegere peccata quomodo dicatur charitas, 699. 2
Τελειος quintuplicem patitur significationem, 425. 2. 426. 1
Τελειωτις est perfectio et purificatio, 425. 1
Templum Dei est fidelis, superædificatum sanctæ fidei, 970 1 2. Templum spirituale quod dicatur, 636. 1.
Tempus cur vocetur hora, 859. 1. Ejus nobis habenda ratio, 930. 1. Tempus humanum quam breve sit, 802. 1
Tenebræ sunt symbolum diaboli, ignorantiæ et peccati, 838. 1. 2
Tentant diversimode nos Deus et dæmon, 442. 2. Neminem tentat Deus ad male agendum, 443. 1
Tentatio triplicem patitur significationem, 413. 1. In tentatione quomodo gaudere liceat, 416. 2. In tentationem non induci quomodo rogemus, *ibid.* Quomodo illa appetibilis sit, 417. 1. Eam vincentes aliis eamdem vincendi dant exempla, 418. 1. Ipsa mire mentem illuminat in via virtutis, *ibid.* Eam non curant generosi, *ibid.* Est per se mala, sed justis per accidens fit bona, 442. 2. In tentatione ad peccatum cogitandum de judicio, 573. 2. Ejus sunt tres gradus, 447. 1. 451. 2. Per eam anima sensim purgatur, ut perveniat ad perfectionem summam, 418. 2. 419. 1. Probat et explorat fidem, 419. 2. Eam vincendi praxis, 413. 1. Tentatio una cuneus est ad vincendam aliam graviorem, 417. 2. Tentationes virtutem exacuunt, *ibid.* 1. Sunt stimulus spei et orationis, *ibid.* 2. Sunt breves et modicæ, 607. 1. 2. Sunt experimenta virtutis, 608. 1. 2. Igni comparantur, *ibid.* 2. Earum commoda, 417. 1
Teresia (S.) pati pro Deo gaudebat, 415. 1
Terra post diem judicii decoranda, et cur, 810. 2. 811. 1. item ab omni maledictione liberanda, 811. 1. Ex aqua et per aquam consistit, quomodo, 797. 2. 798. 1. Aquæ immixta est, 798. 1. Eam Christus sua incarnatione in cœlum commutavit, 680. 1. Terra cur dicatur Ceres et Pandora, 588. 2
Terrena illico pertranseunt, 628. 2. Ab iis nostrum cor avellere debemus, 808. 2
Terrores Scripturæ optime animam docent, 472. 1
Tertullianus factus Montanista orthodoxos cur per scomma vocat psychicos, 536. 1
Tessera hospitalitatis fidelium quæ esset, 936. 1

Testes Christi tres in cœlo sunt, 911. 1. item tres in terra, *ibid.* 1. 2
Testimonia de Christo quam varia fuerint et authentica, 914. 1
Testor subinde significat *protector*, 834. 1
Thabor quis sit mons, et cur dicatur sanctus, 760. 2. 761. 1
Thaddæus, id est mammeus, 941. 1. Unde vox formatur, *ibid.*
Thaddæi an sint duo, 942. 1
Talmud quam sit fabulosum, 838. 2
Τεαστται est sagaciter inspicere et perspicere, etc. 824. 1
Theatro (in) Romæ quisque pro dignitate sua sedebat, 486. 1
Thebæa legio resistere cum posset, maluit martyrium subire, 571. 1. 648. 2
Thecla (S.) in tormentis oravit Deum pro patientia, 416. 1
Themistocles juvenis dolebat sibi non invideri, 535. 2. Gestavit in scuto Cupidinem fulmen tenentem, cur, 450. 2
Theodora virgo Antiochena à milite periculo violationis erepta, 882. 2
Theodora Augusta, cur dicta dæmonodora, ejusque mors, 536. 2
Theodorus (S.) Studita quam esset ad flagella paratus pro Christi nomine, 706. 2
Therapeuthæ erant prisci monachi, 935. 1
Thesaurus quid proprie sit, et unde vox deducatur, 567. 2
Thomas Anglicus interpretatus est epistolam S. Jacobi, et quis fuerit, 404. 2
Thomas (S.) Apostolus an solus Christum resuscitatum tetigerit, 824. 2
Thomas (S.) Aquinas cur dictus bos mutus, 461. 1. Intercessione B. Virginis omnia impetrabat, 435. 1. Magis oratione proficit quam studio, 428. 2. Ejus sapientia et castitas, 538. 1. Docendo mortuus est, 713. 2. An sit in epistolas Canonicas commentatus, 404. 2
Thomas Morus prætulit æterna transituris, 802. 1. 2
Τρησκεια quid sit, et unde vox derivetur, 476. 2
Tiberius Imper. Constant. in pauperes mire effusus erat, 568. 1
Tigris raptis catulis in speculo seipsam intuentis fatuitas, 470. 1
Tilmannus Hessusius seditionum fax erat, 777. 1
Timiditas intelligitur aliquando per malitiam, 466. 1
Timor Dei ejusque vindictæ conservat hominem à seculo immaculatum, 479. 1. Timor diversus à charitate pellitur, 904. 1. 2. Timor Sanctorum conjunctus est cum spe, 434. 2
Tineæ unde giguantur in vestibus, 565. 1. Eæ quomodo arceantur, *ibid.* 2
Tolerantia (in injuriarum) consistit vera perfectio, 672. 2
Torpor excutiendus est per vigiliam, 726. 2. 727. 1
Tortores multi visa Christianorum sanctitate ad Christum conversi fuere, 647. 2
Traditio Judæorum quomodo inutilis et mortifera esset, 620. 2
Tranquillitas animi quibus in rebus sita sit, 493. 1
Transfigurationis Christi ordo, 760. 2. Ejus symbola, *ibid.*
Transituri (cœli quomodo) sint, 805. 2
Tres in Trinitate quomodo unum sint, 913. 2. 914. 1
Tribulatio est locus Dei, 418. 1. Est tentatio, 415. 1. Est Christiano propria, 704. 2. Est tritura Dei, 514. 1. Alia ejus elogia, *ibid.* 415. 2. Quomodo operetur patientiam, 419. 1. Quantum boni includat, 412. 1. Ea crescente crescat spes in Deum, 775. 2. 776. 1. In ea gaudere debent Christiani, 607. 1. quia brevis est, *ibid.* 2. Tribulationibus peccatorum nævi expurgantur in justis, 780. 1. Sunt donum perfectum, 454. 1. Iis domatur lingua, 527. 2
Tribus totæ Judæorum inter Gentes dispersæ non fuere, 410. 1. Tribus decem è captivitate non redierunt, 411. 2
Trinitas (S.) quomodo describatur, 830. 2. Eam non intelligimus, 832. 2. Ejus una est deitas, 911. 1. Dat testimonium de Christo, *ibid.* Eam negant Judaizantes hæretici, 865. 1. Ejus circumcessio, *ibid.* Ea luci comparatur, 837. 1. Eam intelligere et comprehendere non possumus, *ibid.* 2. Est pater Christi et Christianorum, 601. 1. Quot modis dicatur pater luminum, 454, 2. 455. 1. Id probatur à simili, 455. 1. Est ens immobile, immensum et constans, 457. 2. Ipsa ex epistola S. Joannis cernitur, 911. 1
Tristitia dissolvit vires hominis, 632. 2. Est hamus dæmonis, 578. 1. Sola propter peccatum utilis est, 572. 2
Trudo (S.) cœlitus sacras litteras didicit, 429. 1
Tubal Cain primus militarem artem exercuit, 543. 1
Turcæ crescunt per dissidia Christianorum, 625. 1. Toti à Dei voluntate quasi à fato pendent, 561. 2

U.

Udo Archiepiscop. Magdeburg. vivus à Deo punitus est, 690. 2. 691. 1
Ulciscitur (vir bonus se non), 426. 2
Ululare canum et luporum famelicorum est, 564. 1
Umbras dupliciter sol causat, 456. 1
Unanimitas est invicta, 668. 1. Gnomæ de ea, *ibid.*
Ungebantur olim sacerdotes, prophetæ, reges, et cur, 862. 1.
Unguntur fideles in Baptismo et Confirmatione, 579. 2. 639. 1
Unctio docens omnia quæ sit, 861. 2. Unctio capitur pro illuminatione, 862. 2. 866. 1. Unctio spiritualis triplex, 863. 1. 2
Unio hypostatica deitatis et humanitatis in Christo facta, 891. 2. Eam appetivit Lucifer, 771. 1. Uniones similes unioni Verbi cum carne, 824. 2
Unitas in primitiva Ecclesia vigebat, 968. 2
Universitas iniquitatis quænam intelligatur, 520. 2
Υπομονη significat patientiam quæ conjunctam habet perseverantiam cum spe, 440. 1
Uxor par ducenda, 665. 2. Io quibus conjugi subesse debeat, 660. 1. Uxores nonnullæ cur in primitiva Ecclesia à conjugibus divortium facerent, 659. 2. Cur à viris infidelibus divertere ipsæ Christianæ non debeant, 660. 2

V.

Væ Hebræis plus significat quam, etc., 456. 1
Vale dicitur in digressu et vespere, 952. 1
Valentinianus Imp. à sacrificulo Gentili aqua respersus putavit se pollutum, 974. 1
Valentinus Martyr pene Claudium Imper. II. convertit, 747. 2
Valentinus è superbia factus est hæreticus, 779. 1
Valerii eloquentia in plebe rebelli permovenda, 519. 2
Vanitas omnium temporalium, 479. 2
Vapor quomodo et quando fiat, 559. 1
Vau Hebræis pene sola est conjunctio æquivalens omnibus, 867. 1
Venæ sunt et auri et lapidum, 655. 1
Venenata habent venenum sub lingua in vesica, 529. 1
Venialibus peccatis etiam justi obnoxii sunt, 711. 1. Iis diu quis carere non potest, 840. 1. 2. Venialia deliberata vitari possunt, secus de indeliberatis, 840. 2. 974. 2
Venire in carnem et *in carne* idem est, 891. 1. 2
Veneris quod sit etymon, 538. 2
Verba activa apud Hebræos significant nunc actum inchoatum, nunc consummatum, 680. 1
Verbum dicitur quasi verum, non à verberando, 830. 1. Verborum moderatio decet Christianum, 475. 1
Verbum dicitur filius Dei, cur, 828. 2. Verbum Dei est duplex, essentiale et notionale, 829. 2. Rectius vocatur verbum quam sermo, 830. 1. Quibus rebus humanis assimiletur quoad generationem à Patre, *ibid.* 2. 831. 1. Gentiles id cognovere, *ibid.* In quo sit simile nostro verbo mentis, 831. 1. 2. In quo sit dissimile, *ibid.* 832. 1. Quomodo id loquatur cordi nostro, 832. 2. In eo est omnium rerum vita, vigor, duratio, conservatio, 833. 1
Verbum vitæ quid sit, et quomodo dicatur, *ibid.* Ipsum est vita naturalis, *ibid.* In eo est vita nostra vera, tum gratiæ, tum gloriæ, 833. 1. 2. Quomodo ea vita sit hominibus manifestata, *ibid.* Verbum est lux substantialis et increata, eaque triplex, 836. 2. 837. 1

Verbum Dei audire et legere utile est, 468. 2. Quomodo id salvet animam, *ibid.* Simile est speculo, 469. 1. Ejus prædicatio optime insitioni surculi in arborem assimilatur, 467. 2. 468. 1. Id non obiter, sed studiose audiendum est, 470. 2. 471. 1. Ejus et speculi analogiæ variæ, *ibid.* 2. Id hominem inflammat, *ibid.* Est incorruptibile, 626. 1. Verbo veritatis quomodo geniti dicamur à Deo, 458. 2. 459. 1
Verecundia est purpura juniorum, 723. 2. Est verus ornatus mulieris, 662. 1
Veritas diversimode potest accipi, 929. 1. Veritas est triplex, mentis, oris, operis, 589. 1. Veritas prima et summa Deus est, 885. 1. Veritatem tueri decus est, 535. 1. Ejus potentia, *ibid.* Ejus soror est charitas, *ibid.* 2. Tres ejus gradus, *ibid.* Est cingulum mentis, 615. 2. Pro ea ut mendacium evitet moriens, Martyr est, 708. 1. 2. Veritatem quam in Caio laudet S. Joannes, 936. 1
Versutia etiam denotatur per malitiam, 466. 1
Verum capitur subinde pro *perfecto*, 851. 1. Verus est epithetum Dei, 922. 1
Vespertilio videtur talpa alatus, 750. 2
Veste (ex) splendida nemo æstimandus, 485. 2. Ejus vanitas, *ibid.* 1. Candida est honoratorum et principum, 484. 2. 485. 1. Erat ea index lætitiæ, *ibid.* Vestes superfluæ in mulieribus sugillantur, 661. 2
Via in Scriptura significat vitæ institutum, actus et mores, 960. 1
Videre in Scriptura pro quolibet sensu capitur, 673. 2. item pro *cognoscere*, 576. 1
Viduæ Deum tutorem habent, 478. 1
Viduitatis et viduarum plurima sunt incommoda, 477. 2
Vigilandum ad resistendum diabolo, 727. 1. Vigilandum etiam in oratione, 696. 2
Vigilantia ad pastores spectat, 717. 2. Cohæret sobrietati, 616. 2
Vigiliæ in Sanctorum pervigiliis unde ortum habuerint, 727. 1
Vigilii Pont. libertas adversus Justinianum Imper., 639. 2
Vincentii (S.) robur in tormentis, 734. 2
Vinculis (quibus) æternis ligati sint dæmones, 953. 1
Vinum adauget luxuriam, 616. 1
Violans legem unam quomodo fiat omnium reus, 494. 1. 2. 496. 1
Vir vox derivatur à virtute, 440. 1
Virgines fugiant virorum consortium, 451. 2. Quam Deo sint proximæ, 818. 1. Multæ initio Ecclesiæ, eo quod connubia respuerent, sunt Martyrio affectæ, 659. 2. 660. 1. 928. 2. 929. 1
Virginitas dici potest donum perfectum et optimum, 454. 1. Est margarita incomparabilis, 663. 1
Virtutis etymon : debet esse mascula, 747. 2. Omnia exsuperat, *ibid.* Ejus prosapia, generatio, proles, nepos, pronepos, trinepos, 452. 2. Virtutis habituatæ signum est gaudium in ejus exercitio, 419. 2. Virtus labore paratur, 711. 1. Per tentationes exploratur et roboratur, 417. 1. item per eas acuitur, *ibid.* Est sita in medio, 466. 2. et non in verbis, sed in opere, 520. 1. Una adhæret alteri, 747. 1. Una perfecta adducit cæteras, 495. 2. Etiam hostes in sui admirationem rapit, 648. 1. Virtutes causatur tribulatio, 414. 1. Inferuntur per vitiorum contrariorum expulsionem, 903. 2. Sunt veræ divitiæ, 485. 1. 488. 2. Earum perfectio vocari potest donum perfectum, 454. 1. Virtutes novem perfecti Christiani, 668. 1. Virtutes Christi quæ dicantur, 641. 2. 642. 1
Viscera symbolum et sedes sunt misericordiæ, 883. 1
Visio in speculo superficialis est et levis, 471. 1. Visio prophetica quam esset certa, 762. 1. Visio Dei beatifica quam reficiat et satiet, 605. 1. Ejus duratio explicatur, *ibid.* 2. Ea vocatur dies et lucifer, 763. 2. In ea sita est beatitudo, 871. 2. 975. 1. Ex ea sequitur amor Dei plenus in Beatis, 872. 1. item dotes animæ et corporis gloriosi, *ibid.*
Visitare pupillos et viduas quomodo ad religionis virtutem referatur, 477. 1
Visitatio pupillorum multa includit, *ibid.*
Vita hominum brevis et fragilis est, 559. 1. 801. 1. 859. 1. Est velut comœdia, 561. 1. Quot laboribus plena sit, 524. 2. Momentum tantum est, 802. 2. Similis est nundinis, 523. 2. Flori brevi emorituro comparatur, 439. 1. Militia est, 698. 2. item vigilia, 697. 1. Vita propria corporis exponenda pro salute animæ proximi, 882. 2. Quandoque etiam pro vita ejus corporali, *ibid.* Vita triplex est, divina, angelica, humana, 832. 2. Humana partim spiritalis, partim corporea, *ibid.* Divina partim causalis, partim formalis : et quomodo singulæ rursus dividantur, et quid sint, *ibid.* Vita Christi fidelibus imitanda, 617. 2. Illa est velut sanctitatis exemplar, 873. 2. Vitæ corona cur dicatur gloria cœlestis, 441. 1. cur vita æterna, *ibid.* Vita tota Christiani sit beneficentia, 713. 1. Vita in cœlo parvi facit annos gaudii sui, 801. 2. Ea describitur, 972. 1. Vita in inferno potius mors est, 452. 1. Vita Sanctorum est quasi lex viva, 573. 2. Vita Sanctorum legere utile est, 470. 1
Vitium suum quisque norit et persequatur, 449. 2. Vitiis indulgere, servile est, 474. 1
Vivificatus spiritu quomodo Christus dicatur, 679. 2
Vocati proprium nomen Christianorum, 946. 1. 2
Vocatio duplex est, una ad fidem et gratiam, altera ad gloriam : rursus alia absoluta, alia conditionata, 751. 2
Volubilitas verborum in concionatore reprehenditur, 461. 1
Voluntarie geniti à Deo quomodo simus, 458. 2
Voluntas humana nihil habet proprii in prophetia divina, 765. 2. In ea etiam residet concupiscentia, 446. 2. A voluntate mala ortum habet peccatum, 443. 1. Voluntas Dei cernitur in ejus verbo, 471. 2
Voluptates cito pertranseunt instar somnii, 955. 1. Homini mentem eripiunt, 959. 2. Iis indulgens non liber, sed servus est, 475. 1
Volutabrum quid pro suibus, 792. 1
Vox in monte Thabor audita an fuerit Dei an angelorum, 758. 2
Vulnera Christi quinque post resurrectionem aperta manent, neque carne obducta sunt, 824. 2
Vultus divini terror in die judicii, 674. 1. Vultus floris quis dicatur, 439. 2
Wilfridus (S.) à siccitate Anglo-Saxones liberavit, 588. 2
Willigisus ex carpentario factus est Archiepiscopus Moguntinus, 523. 1

Z.

Zabulon unde dictus, 956. 2
Zabulon æolice idem est quod diabolus, *ibid.* Varia ejus etyma, *ibid.*
Zebedæus an fuerit frater S. Barnabæ, 815. 2
Zelus Dei erga nos quantus sit, 549. 1. Eum nos imitari oportet, *ibid.* Zelus Deo quantopere placeat, 591. 2. Zelus animarum quantus habendus, 972. 2. Is debet esse celer et efficax, *ibid.* et junctus cum visceribus misericordiæ, 973. 1. Zelus purgat facinus, 700. 1. Zelus amarus est invidia, 533. 1
Zona hebraice cauponam et hospitam significat, 509. 1
Zuinglii feralis mors, 769. 2. Disputavit cum dæmone, 775. 1. Magnus fuit turbarum concitator, 777, 1. Ejus ardens libido, 785. 1

INDEX
MATERIARUM MORALIUM

QUÆ

HIS IN EPISTOLAS CANONICAS COMMENTARIIS CONTINENTUR,

Et quæ ad Evangeliorum Dominicarum, ac Festorum et Feriarum nonnullarum per annum accommodatarum, verba in usum et gratiam Concionatorum adaptantur.

DOMINICA I. ADVENTUS.

Cœlum et terra transibunt. Qui cœli transibunt, 804. 1. et quomodo id fiet, 805. 2. An liquefient, 806. 1. An tunc aqua etiam et terra evanescent, 807. 2. Terra post judicium novum decorem habebit, 810. 2. 811. 1. Crucis lignum ab igne conflagrationis mundi erit intactum, 808. 1. 2. *Vide plura Dominica ult. post Pentecosten, et in Indice rerum, v.* Judicium.

DOMINICA II. ADVENTUS.

Joannes in vinculis. Libertas Christiana in quo sita sit, 473. 1

Pauperes evangelizantur. Pauperes cur sint humiles, 437. 2. Pauperes præ divitibus cur à Christo electi sint, 489. 2. Non sunt deterioris conditionis quam divites, 482. 1. *Vide plura notata in festo omnium Sanctorum, et in Indice rerum, v.* Paupertas.

Veræ divitiæ sunt virtutes, 488. 2. Divitibus cur væ intenetur, 563. 2. Cur flere debeant, 564. 1

Hominem mollibus vestitum. Vestium mollium et splendidarum quanta sit vanitas, 485. 1. Mulieres ne sint in vestibus superfluæ, 661. 2. 662. 1. *Vide Indicem rerum, v.* Vestes.

FERIA IV. QUATUOR TEMPORUM.

Quia hodie incarnationis Dominicæ et Annuntiationis angelicæ memoria celebratur. *Vide notata in festo Annuntiationis B. Mariæ Virginis.*

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Prædicans. Prædicatores quales esse debeant, 702. 2. 716. 2. Eorum quæ sit corona, 722. 2

IN FESTO NATIVITATIS.

Christi æterna generatio, 821. 2. Principium Verbi quod sit, 822. 2. Incarnatus et natus Christus terram mutavit in cœlum, 680. 1

Non erat ei locus. Christo desunt omnia, quomodo, 883. 2

Dedit eis filios Dei fieri. Generatio nostra è Deo voluntaria est, 458. 1. 2

IN FESTO S. STEPHANI.

Quæ appellatur Libertinorum. Libertinorum modernorum quæ sit secta, 789. 1

Quoties volui te congregare? Deus diu peccatores ad pœnitentiam exspectat, 684. 1

IN FESTO S. JOANNIS.

Discipulum quem diligebat Jesus. S. Joannis dotes et prærogativæ, 815. 2. Cur in sinu Christi in cœna ultima recubuerit, 817. 2. Astitit Christo sub cruce, 818. 2. Fuit filius B. Virginis, 819. 1. An adhuc vivat, *ibid.* 2. *Vide Indicem rerum, v.* Joannes.

Hic autem quid. Curiosa S. Petri petitio occasionem dat agendi de curiositate; ejus damna, 708. 1

DOMINICA INFRA OCT. EPIPHANIÆ.

Sedentem in medio Doctorum. Ordo consessus olim in Ecclesia, 486. 1. Doctoratus quam sit onerosus suo doctori, 513. 1

Audientes illos. Audire et silere faciunt sapientem, 461. 1. 475. 1

Et erat subditus illis. Diversimode in obediente manet Deus, 888. 1

Jesus proficiebat sapientia. Sapientia quomodo acquiratur, 426. 1. Ea est à Deo petenda, 428. 1. Sapientia terrena et animalis quæ sit, 535. 2. 536. 1. Quæ vera, 537. 1. Utriusque antitheses, *ibid.* Vera pudica est, *ibid.* pacifica, 538. 2. modesta, 539. 1. et suadibilis, *ibid.* 2. Cognitio Dei vera sapientia est, 425. 2. 453. 1

Gratia. Christi quanta sit amabilitas, 610. 1

Proficiebat. Proficere semper in melius debet Christianus, 633. 1. 853. 1. Sancti semper proficiendo incipiunt, 755. 1. Proficientes in virtute dici crescenti assimilantur, 765. 1. Profectus hic in quo situs sit, 848. 1. Gratiam acceptam augendi quæ sit praxis, 887. 1

IN OCTAVA EPIPHANIÆ.

Veni ego in aqua baptizans. Christus venit per aquam et sanguinem, cur, 909. 2

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Nuptiæ factæ sunt. Occasione nuptiarum agi poterit de matrimonio, ejusque debito. Honorem qualem uxoribus viri deferre debeant, 666. 2. et qualem his illæ, 665. 1. 2. Mas in omnibus dignior femina, 660. 2. Uxorum prima dos est castitas, *ibid.* 661. 1. Sint modestæ in vestibus, 661. 2. 662. 1. Sint modestæ in omnibus, 662. 1. Modestiæ præstantia, 663. 1. 670. 1. *Vide feriam 4. post Dom. 2. in Quadrag.*

Aquam vinum factam. Aqua unde dicatur: repræsentat Deum Patrem, 911. 2. 912. 1. *Vide Indicem rerum, v.* Aqua.

DOMINICA III. POST EPIPHANIÆ.

Centurio hic an fuerit Hispanus, 935. 1

Dicens: Puer meus jacet. Centurio hic orat pro servo: sic pro aliis orare utilius est quam pro se, 585. 1

Dico huic: Vade; et vadit. Diversimode manet Deus in obediente, 888. 1. *Vide in Indice rerum, v.* Obedientia.

Servo meo: Fac hoc; et facit. Servi patienter duros dominos patiantur, 652. 1

Non inveni tantam fidem. Centurionis hujus fides docet orationem fidentem vim Deo facere, 915. 2. 916. 1. Fiducia in oratione necessaria, 433. 1. 434. 1. Eam in orante requirit Deus, 433. 1. Oratio assidua quæ dicatur, 585. 2. Orationis lacrymis mistæ quanta sit vis, 586. 1. Oratio boni viri omnia impetrat, *ibid.* 2. Ipsa quomodo fiat efficax, *ibid.* Est clavis cœli, 588. 2. *Plura vide in Indice rerum, v.* Oratio.

Ibi erit stridor dentium. In inferno erit vere frigus et vere ignis, 954. 1. Eo punientur maxime carnales, 953. 2

DOMINICA IV. POST EPIPHANIÆ.

Quid timidi estis, modicæ fidei? Fiduciam habeat is qui à Deo aliquid petit, 433. 1. 2. 434. 1. In tribulatione magis Deo confidere oportet, 776. 1. *Plura vide in Indice rerum, v.* Fiducia.

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

Primo mane. Ergo somnolentiam excussit. *Vide de vigilia notata in communi Virginum.*

Conducere operarios. Opera præter fidem ad salutem requiruntur, 502. 2. 503. 1. 504. 1. 2. 507. 2. Quomodo circa eorum necessitatem et depressionem conciliandi S. Paulus et S. Jacobus, 510. 2. Opera requiruntur ad gloriam obtinendam, 754. 1. *Vide Indicem rerum, v.* Opera.

Voca operarios et redde illis mercedem. Merces operariis non est deneganda, 568. 1

Murmurabant adversus Patrem familias. Murmur contra Superiores Deus acerrime vindicat, 962. 1

An oculus tuus nequam? Invidiæ hypotyposis, 879. 1. 2. Ejus variæ conditiones, 532. 2. Ejus remedium, 554. 1. Ejus damna, 630. 1. Ejus epitheta, *ibid.* Invidi et pacifici antitheses, *ibid.*

Quia ego bonus sum. Bonitas Dei triplex est, 443. 2. Ipse bonus est per essentiam, imo ipsum bonum, 443. 2. 444. 1. Neminem ad damnationem creavit, 803. 2

Pauci vero electi. Christiani ne plures damnentur an salventur, 497. 2. Justus quomodo vix salvetur, et cur, 710. 2

Electio ad gratiam quomodo certa fieri possit, 751. 1. 752. 1. Prædestinatio ad gloriam pendet à libero arbitrio, *ibid.* Tria signa prædestinationis, 753. 2. Præscientia Dei an idem quod prædestinatio, 599. 1. *Vide in Indice rerum, v.* Prædestinati.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Semen est Verbum Dei. Prædicatio verbi Dei insitioni arborum confertur, 467. 2. Verbum Dei est speculum, 469. 1. 470. 1. 2. Ipsum ardenter est promendum, 701. 2. item opportune et salubriter, 702. 1. 2. *Plura vide in Indice rerum, v.* Verbum, Prædicator.

Deinde venit diabolus. Propositum serium se emendandi multis deest, et ideo damnantur, 498. 1

Tempore tentationis recedunt. Apostatæ quomodo non essent ex nobis, 860. 1

Et a divitiis et voluptatibus vitæ euntes suffoc. Concupiscentia quomodo et utquid nos tentet, 445. 1. Ipsa quid sit, *ibid.* 2. 446. 1. Non est à Deo, *ibid.* 2. Ubi regnet et habitet, *ibid.* Ejus conceptio, 447. 1. Ipsa non est peccatum, *ibid.* 2. Fortiter ei resistendum est, 448. 2. Ejus feritas, 450. 1. item conditiones et mores, *ibid.* Quantopere sit fugienda, 746. 1. *Vide Indicem rerum, v.* Concupiscentia. Carnales sunt velut talpæ, 750. 1

Audientes verbum retinent, et fructum afferunt. Auditor verbi sit factor, 468. 2

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

Tradetur gentibus, conspuetur, etc. Job patiens in quo fuerit typus Christi patientis, 574. 2. Christus tamen eo fuit patientior, 575. 2

Occident eum. Sanguis Christi effusus unitus mansit divinitati, 621. 1. Servilem Christus in cruce formam assumpsit, 652. 2. Ejus patientia in tormentis, 655. 1. *Vide notata Dom. de Passione, et Indicem rerum, v.* Passio.

Multo magis clamabat. Sanctorum os in benedictionibus Dei est ceu altare thymiamatis, 601. 1

Domine, ut videam. Oculi sunt in amore duces et fenestræ, 784. 1. 2

Magnificans Deum. Lingua data homini ad Deum laudandum, 529. 1

Quia jam bacchanalia vicina sunt, et multi ventri et veneri (proh dolor!) indulgent, commodus de iisdem hic erit agendi locus. Ebrietatis damna et fœditas, 616. 1. Carni dediti sunt velut talpæ, 750. 1. et vespertiliones, *ibid.* 2. Peccator et ebrius est velut sus, 792. 2. Sobrietas quantopere nobis necessaria sit, 726. 2

FERIA QUARTA CINERUM.

Cum jejunatis. Sobrietas quam nobis sit necessaria, 726. 2. Abstinentia et scientia sunt duæ sorores, 748. 1

Nolite thesaurizare vobis. Divitibus cur intentetur væ, 563. 2. Cur flere debeant, 564. 1. Divitum quanta sit avaritia et durities in pauperes, *ibid.* 2. Avari defuncti torquentur auro, 567. 1. *Vide Indicem rerum, v.* Divites.

Memento, homo, quia pulvis es, etc. Vita humana vapor est variis de causis; ejus brevitas, 559. 1. 859. 1. Levi causa amittitur, 560. 1. Temporis nostri brevitas, 802. 1. Vita hominis instar herbæ marcescit, 801. 1. Instar rotæ cito pertransit et volvitur, 522. 2. Hominis miseria est octuplex, 553. 1

FERIA V. POST CINERES.

Vide notata Dom. 3. post Epiphan. est enim idem Evang.

Recumbent cum Abraham in regno cœlorum. Hæreditas nostra Deus est et cœlum. Estque incorruptibilis, 603. 2. et incontaminata, 604. 1. et immarcescibilis, 605. 1. 2. *Vide notata in festo omnium Sanctorum, et in Indice rerum, v.* Cœlum, Gloria, Sancti.

FERIA VI. POST CINERES.

Ego autem dico vobis. Christi dogmata adversantur axiomatis et doctrinæ philosophicæ, 642. 2. Lex Christi nova sancta est, et quomodo, 790. 2

Diligite inimicos vestros. Est hoc novum charitatis mandatum, et cur dicatur novum, 848. 2. 849. 1

Benefacite iis qui oderunt vos. Maledici et malefici sunt occasio patientiæ, 672. 2. 674. 2. 675. 1. Benefacere oportet inimicis, 712. 2. Sancti moriuntur benefaciendo, 713. 1. Inimicorum dilectione perficitur charitas, 897. 2. Beneficentia est virtus divina, 939. 2

Patris vestri qui pluit super justos et injustos. Misericordia Dei magna est septupliciter, 500. 2. Deus est charitas formalis in se, causalis in nobis, 899. 1. Cur ipse sit charitas, *ibid.* 2. Charitatis divinæ vis, *ibid.*

Et injustos. Deus injuria affectus semper benevolus est in afficientem, 895. 2. 896. 1. *Vide notata Dom. 12. post Pentecosten.*

Estote perfecti sicut et pater vester cœlestis perfectus est. Virtutis quæ sit prosapia, 452. 2. Virtus una perfecta adducit cæteras, 495. 2. Primorum Christianorum perfectio et sanctitas, 618. 1. 647. 1. Perfecti viri quæ sint virtutes, 668. 1. Christiani Christum moribus suis imitentur, 745. 1. Perfectio et sanctitas in quo consistat, 672. 2. 872. 1. Plena esse debet Sanctorum sanctitas, 618. 1

Te autem faciente eleemosynam. Eleemosyna est sacrificium, 478. 1. Est semen magnæ messis, *ibid.* 2. Ipsa ditat, cum avaritia depauperet, 565. 1. 2. Eleemosynæ dandæ lex obligat in gravi proximi necessitate, 883. 1. 885. 1. Ecclesiastici potissimum ad eleemosynam tenentur, 884. 1. Affectu pauperibus succurrat, qui effectu nequit, *ibid.* 2. Optimus thesaurus sunt virtutes, 488. 2

Pater tuus qui videt in abscondito. Præsentia Dei ubique habenda, 674. 2. 812. 1. Hæc præsentia Deique intuitus est regula actionum humanarum, 885. 2. Ipse major est judex corde et conscientia, 886. 1

Reddet tibi. Opera ita facienda sunt, ut sint digna Deo, 937. 1

SABBATO POST CINERES.

Circa quartam vigiliam noctis. Dici per horas divisio, et horæ etymon, 859. 1

DOMINICA I. IN QUADRAGESIMA.

Ductus est Jesus a spiritu. Spiritus omnes examinandi sunt, qui hominem rapiunt, 890. 2

Ut tentaretur. In tentatione quatenus liceat gaudere, 415. 2. Tentationum commoda, 416. 1. Justi sensim à Deo per varias tentationes exercentur, 507. 2. Dæmon tentavit Dominum hic triplici concupiscentia, 856. 1. *Vide plura in Indice rerum, v.* Tentatio, Concupiscentia.

Cum jejunasset. Sobrietas quam Christiano sit necessaria, 726. 2

Sed in omni verbo. *Vide notata in Dom. in Sexagesima.*

Assumpsit eum diabolus. Diaboli artes et calliditas, 551. 1. Ejus quanta sit invidia, 728. 1. Leoni assimilatur variis de causis, *ibid.* et seq. Cur semper circumeat, 730. 1. Dæmones ubi creati sint, 772. 1. 2. Ante diem judicii cruciantur igne, 773. 2. Eorum pœna crescet in judicio, et cur, *ibid.* et seq.

Ostendit ei omnia regna. Opes, regna et gloria omnis, velut flos feni, citu pertranseunt, 439. 1. Concupiscentia et concupiscibile oculorum quid sit, 855. 2

Mundi. Mundi et seculi descriptio, 854. 2. Mundus triplex est, 855. 1. Mundus quam cito transeat, 857. 1. *Vide Indicem rerum, v.* Mundus.

Vade, Satana. Vitium suum quisque à quo per spiritum

nequam impellitur, persequatur et fugare studeat, 449. 1. Diabolus timido est leo, generoso formica, 551. 2. 729. 1. Ad eum vincendum tria arma expediuntur, 731. 1. *Vide in Indice rerum, v.* Diabolus, Dæmones.

FERIA II.

Hospes fui, et collegistis me. Stimuli varii ad hospitalitatem, 937. 2. 938. 1. Ea est Christiano exercenda, 700. 2. Ejusdem merita, 701. 1

Infirmus, et visitastis me. Visitatio pauperum et pupillorum est advocata visitantium apud Deum, 477. 1

Venite, benedicti. Quomodo in die judicii quis benedici possit, et non erubescere, 867. 1

In supplicium æternum. Quam longa sit Dei æternitas, 802. 1

FERIA VI.

Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Recidiva in peccatum pejor est priore lapsu, 789. 2. 790. 1. Relapsi similes sunt canibus ad vomitum redeuntibus, 791. 1. Peccatum unum via est ad alterum, 495. 2

Quicumque fecerit voluntatem Patris mei. In obediente manet Deus diversimode, 888. 1

DOMINICA II. IN QUADRAGESIMA.

In montem Thabor. Thabor cur vocetur mons sanctus, 761. 1. Cur Christus sit in monte transfiguratus, *ibid.*

Transfiguratus est ante eos. S. Petrus non vidit hic Dei essentiam, 758. 2. Tunc resplenduit Christi facies sicut sol, *ibid.* Deus Pater tunc honorifice de Christo loquebatur, et vocabat eum dilectum suum, *ibid.* Ordo totius transfigurationis, 762. 1. Ejus symbola, *ibid.* 2. An viderint Apostoli hic Christi divinitatem, cum Deum nemo viderit unquam, 896. 2

Moyses et Elias cum eo loquentes. Elias an fuerit angelus, 587. 1. An fuerit Phinees, *ibid.* 2. Ejus zelus, *ibid.* 588. 1

Ipsum audite. Hæc verba exponuntur, 760. 1. 2

In quo mihi bene complacui. In Christo Deus mire sibi complacet, 759. 2. 760. 1

Nemini dixeritis visionem. Silentium docet loqui, 514. 1

FERIA II.

Qui misit me, verax est. Veritas triplex, oris, mentis, operis, 589. 1. Veritas est mentis cingulum, 615. 2

FERIA III.

Secundum opera eorum nolite facere. *Vide notata Dom.* 12. *post Pentecost. et feria* 2. *Paschatis.*

Qui major est vestrum, erit minister vester. Modestiæ in Rectore præstantia, 663. 1. 2. 670. 1. 720. 1. Ejus dotes, 670. 1. Quatuor ejus species, *ibid.* 2. Media ad eam, 671. 1. Superior crebro suos moneat, 755. 1

FERIA IV.

Dic ut sedeant hi duo. Prælaturæ non sunt ambiendæ, 512. 1

Nescitis quid petatis. Male petens cur petita non impetret, 545. 1. Caduca et peritura non sunt petenda à Deo, 545. 1

Potestis bibere calicem. Tribulatio hominem probat, 419. 1

Non est meum dare vobis. Concupiscens quomodo re concupita non fruatur, 544. 1

Indignati sunt de duobus fratribus. Bella oriuntur è nimia cupiditate, 545. 1

Principes gentium dominantur eorum. Principes erga suos sint modesti, 720. 2. Christiani sint animo regio, 492. 2. *Vide Indicem rerum, v.* Rex, Princeps, Prælatus.

Quicumque voluerit major esse, est vester minister. *Vide notata feria præcedenti.*

FERIA V.

Homo quidam erat dives. *Vide notata* de divitiis, *feria* 4. *Cinerum, et* de vestibus, *Dom.* 2. *Adventus.* Dives apud Deum quis sit, 664. 1

Epulabatur quotidie splendide. Sumptuosarum epularum damna, 569. 1

FERIA VI.

Et qui ceciderit super lapidem istum. Petra est Christus varias ob analogias, 654. 2. Fidelem inter et lapidem variæ relationes, 655. 2

SABBATO.

Vide notata Domin. 3. *post Pentecosten.*

Date annulum in manum. Annuli quare gestentur, 484. 1. Eorum quis sit usus, *ibid.* 2

DOMINICA III. IN QUADRAGESIMA.

Ut Vidit cogitationes eorum. *Vide notata Domin.* 22. *post Pentecosten.*

Omne regnum divisum desolabitur. Animi in duas partes divisio Deo displicet, 436. 1. Contentionis mutua damna, 535. 1. Schisma quam grave sit scelus, 969. 2

Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud. Auditor verbi sit factor, 468. 2. Verbum Dei et Scriptura est velut speculum, 469. 1. 2. 471. 1. 2. *Vide notata Dom. in Sexagesima, et feria* 2. *post Pascha.*

FERIA III.

Corripe eum inter te et ipsum solum. Correptio sit mitis, 531. 1. Mansuetudo est flos sapientiæ, 533. 1. Dure tamen increpandi duri, 546. 1

Si duo ex vobis consenserint. Pacis et concordiæ quinque bona, 541. 2. Unanimitatis robur, 668. 1

FERIA IV.

Honora patrem et matrem. Senes qui sint à juvenibus honorandi, 723. 1

Quod procedit de ore hoc coinquinat. Detractionis mala, 523. 2. 556. 1. Fit quintupliciter, 555. 2. Detractor judicat legem, 556. 1. Ipsa detractio fugienda, 557. 1. Linguæ bonæ et malæ exempla, 519. 1. 2. Cur sit similis igni, 529. 1. Ejus mala, 521. 1. 523. 2. 532. 2. Cur sit posita in ore hominis, 521. 2. Lingua mala inflammatur à gehenna, 524. 2. Cur dicatur leo, 526. 1. Ejus pruritus ad loquendum, 528. 1. Ipsa quasi hydrus est, *ibid.* 2. Lingua maledica est velut sepulcrum, 529. 1

De corde exeunt cogitationes malæ. Cor mundum est hostia Deo, cur, 479. 1. Media ad cor mundum habendum, *ibid.* 2

Falsa testimonia blasphemiæ. Jurare quatenus liceat Christiano, et quæ juramenta vetet Christus, 576. 1. 2. Jurans per creaturam jurat per creatorem, 577. 1. Juramenti quanta sit religio, *ibid.* 2. Blasphemia in Spiritum sanctum quæ dicatur, 918. 1

SABBATO.

Deprehensam in adulterio. Amor mundi velut adulterium est, 546. 2

Qui sine peccato est vestrum. Peccata omnia sine Dei gratia evitare non possumus, et non vivere sine peccato, 974. 2. *Vide Indicem rerum, v.* Peccatum, Peccator, *et notata Dom. de Passione.*

DOMINICA IV. IN QUADRAGESIMA.

Distribuit discumbentibus. Liberalitatem Dei imitari quomodo possimus, 451. 1

FERIA VI.

Lazarus amicus noster. Justus vere est amicus Dei, 835. 2. Amicus Dei quare fuerit Abraham, 508. 1. Amicitia Dei quæ bona includat, 509. 1. Amicitia mundi quæ dicatur, 546. 2

Amor est duplex, concupiscentiæ et amicitiæ, et qui ambo, 887. 1

SABBATO.

Ego sum lux mundi. Lucis et Dei variæ analogiæ, 836. 2. 837. 1. Deus sol est et lumen, 454. 1. Item pater luminum, *ibid.* 2. Scriptura est lucerna, 762. 2. *Vide plura in Indice rerum, v.* Lux, Sol.

DOMINICA PASSIONIS.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Peccati quis sit auctor, 442. 2. Ejusdem prosapia, 452. 1. Peccatum unum trahit ad

plura, 495. 2. Justus aliquando non potest non peccare : unde? quia nemo sine peccato est, 513. 2. 840. 2. 843. 2. 974. 2. Impeccabilis quomodo quis fieri possit, 877. 2. Justus quo sensu possit non peccare, 876. 2. Conscientia bona summum est bonum, 687. 1. *Vide plura in Indice rerum, v.* Peccator, Peccatum.

Ego dæmonium non habeo. Mansuete hic Dominus respondens, ostendit mansuetudinem esse florem sapientiæ, 533. 1

Abraham exsultavit ut videret diem meum. Prophetæ omnes ad Christi tempus ardenter anhelarunt, 713. 2

Vidit et gavisus est. Conscientiæ bonæ gaudium, 836. 1. Erit hic commodus agendi locus de Passione Domini. Passio Christi est omnium dolorum remedium, 655. 1. sanctitatis magistra, 656. 2. Sanguis Christi est animæ ægræ balneum, 600. 2. Is quomodo nobis applicetur, et ubi, *ibid.* Christi patientis exemplum docet fideles pati, 678. 2. 679. 1. Quos dolores Christus in spiritu et carne tulerit, 688. 2. 689. 1. Peccata nostra luenda in se suscepit, 874. 1. 876. 1. Quam multa pro nobis sit passus, 459. 1. *Vide Indicem rerum, v.* Jesus, Passio.

Pater, in manus tuas commendo. Morientes animam suam Deo commendent, 712. 2

FERIA V. IN COENA DOMINI.

Linteo quo erat præcinctus. Lumbos mentis succingere quid sit, 614. 2. Cingulum quarum rerum sit symbolum, 615. 1

Exemplum enim dedi vobis. Exempli quanta sit vis, 573. 2. 646. 2. *Vide Indicem rerum, v.* Exemplum, Prælatus.

IN FESTO PASCHATIS.

Surrexit, non est hic. Christus resurgens vivificatus est spiritu, 680. 1. Ad inferos descendens in quo carcere prædicarit, 681. 1. et quibus, *ibid.* 2. 682. 1. Fuit triduo in inferno, 682. 2. Cur eo descenderit, 683. 1. Quomodo patres in limbo dicantur fuisse increduli, *ibid.* Quibus mortuis Christus ibi prædicarit, 692. 1. Ipse resurgens nos resuscitavit, 603. 1

Resurrectio est velut regeneratio, 602. 1. *Vide in Indice rerum, v.* Resurrectio. Hæretici multi resurrectionem negarunt, 796. 2

FERIA II. PASCHATIS.

Nos speraramus. Spes præstat timori, 435. 1. Spes includit omnem Dei cultum, 664. 2. Est septupliciter viva, 602. 1

Tu solus peregrinus es. Peregrini sumus omnes in hoc mundo, 480. 1. Maxime Christiani, 643. 2

Qui fuit potens in opere et sermone. Concionator plus vita doceat quam verbo, 532. 2. *Vide Indicem rerum, v.* Prædicator.

Nonne oportuit Christum pati? Christi patientis exemplum docet fideles pati, 678. 2. 679. 1. Patiendo inserimur cruci Christi, 705. 1. In patientibus patitur Christus, *ibid.* In patiente requiescit Dei majestas, 706. 1. *Vide notata Dom. 3. post Pascha, et infra octavam Ascensionis, et in festo omnium Sanctorum.*

Interpretabatur illis in omnibus Scripturis. Scriptura est lucerna, 762. 2. Interpretatio Scripturæ cur vocetur prophetia, 765. 2. Ejus intelligentia per orationem impetratur, 766. 2

FERIA III. PASCHATIS.

Nolite timere. Sancti nihil timent, 676. 1. Timere non debent ardua et heroica aggredientes, 733. 2

DOMINICA IN ALBIS.

Intravit januis clausis. Dotes animæ et corporis gloriosi, 872. 1

Ubi erant discipuli congregati. Unanimitas invicta est, 668. 1. Concordiæ vis unde nascatur, *ibid.* 2. *Vide Indicem rerum, v.* Concordia, Pax, Unanimitas, Societas.

Quorum remiseritis peccata. Remissio peccati est actus justitiæ, 842. 1. *Vide notata Dom. 13. post Pentecost. et in Indice rerum, v.* Peccator, Sacerdos, Confessio.

DOMINICA II. POST PASCHA.

Ego sum pastor bonus. Pastor pascat tripliciter, 716. 2. 717. 1. Pastoris varia officia, 717. 2. 718. 1. 2. 719. 2. 721. 1. Sit forma gregis, 721. 1. *Vide Indicem rerum, v.* Pastor, Prælatus, Rex.

Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus. An et quando vita pro proximo exponenda sit, 852. 1

DOMINICA III. POST PASCHA.

Plorabitis et flebitis vos. Lugendi causas varias habet homo, 553. 2. Lugentium variorum exempla, *ibid.* Cruces fidelium non moriuntur, nisi cum vita, 713. 2. *Vide notata in festo omnium SS. et in Indice rerum, v.* Luctus, Crux, Passio.

Mundus autem gaudebit. Mundi amor adulterium est, 546. 2. Mundi et seculi descriptio, 854. 2. Est triplex, 855. 1. Mundus et omne ejus gaudium quam cito pertranseat, 857. 1

Sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Quam dulce sit pati pro Deo, 414. 2. In passione cur sit gaudendum, 415. 2. et seq. Pro gloria æterna pati facile est, 440. 2. Tribulationes quam sint breves, 607. 2. Per eas probatur justus, ut aurum per ignem, 608. 2. 609. 1. Major est qui in nobis quam qui in mundo, 892. 2. et seq

Et gaudebit cor vestrum. Lætitia spiritualis est quidam prægustus cœli, 611. 1. *Vide Indicem rerum, v.* Gaudium, Lætitia.

Gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Consolationum divinarum dulcedo, 634. 1

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Sed ego veritatem dico vobis. Veritas omnia evincit, 535. 1. Charitas est clypeus, *ibid.* 2

Arguet mundum. Mundus enim totus est sub diabolo et in malignitate, 920. 1. 2

De peccato. Quilibet peccator est nubes sine aqua, 966. 1. *Vide notata Dominica de Passione.*

De justitia. Punitio improborum salus est proborum, 650. 1. Puniri pro culpa est actus justitiæ, 678. 1. 2

Docebit vos omnem veritatem. Scientia vera quæ sit, 748. 1. Spiritus sancti unctio in rebus dubiis invocanda est, 865. 1.

DOMINICA V. POST PASCHA.

Petite et accipietis. Petens et orans habeat fidem, et qualem, 432. 2. 433. 1. Oratio fidei quæ dicatur, 581. 1. Qui sunt beatæ conscientiæ, impetrant à Deo quæcumque petunt, 586. 2. 587. 1

Ipse enim Pater amat vos. Zelus Dei et Spiritus sancti in nos, 547. 2. item Christi et angelorum, 549. 1. *Vide Indicem rerum, v.* Amor, Charitas.

IN LITANIIS MAJORIBUS.

Propter improbitatem ejus surget. Oratio assidua quæ dicatur, 585. 2

Petite et dabitur vobis. Orare pro aliis utilius est quam pro se, *ibid.* 1. Orationis lacrymis mistæ quanta sit vis, 586. 1. Oratio boni viri omnia impetrat, 586. 1. Ipsa quomodo reddatur efficax, *ibid.* 2. Est clavis cœli, 588. 2. *Vide notata Dom. præcedenti, et in Indice rerum, v.* Oratio.

Quanto magis pater vester de cœlo dabit, etc. Deus dicitur à dando, 429. 1. Propendet infinite ad se communicandum, *ibid.* 2. Ejus munificentia, 430. 2. et seq. *Vide in Indice rerum, v.* Deus, Beneficentia.

IN VIGILIA ASCENSIONIS.

Ut cognoscant te. Scientia vera quæ sit, 748. 1. Cognitio Dei est vera sapientia, 425. 2. 453. 2. et hæc est summum bonum vitæ hujus, 922. 2

Verba quæ dedisti mihi, dedi eis. Gratiæ cœlitus acceptæ sunt in proximum effundendæ, 701. 1

Ego pro eis rogo. Christus noster est advocatus, 845. 1

IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI.

Prædicate. Prædicatores Evangelii quales esse debeant, 702. 2. *Vide notata Dom. in Sexagesima, et Indicem rerum, v.* Prædicator.

Signa autem eos qui crediderint, etc. Fidei sex dotes quæ,

510. 2. Credens habet in se Dei testimonium, 914. 1. 2. *Vide Indicem rerum, v.* Miraculum.

Et sedet a dextris Dei. Ibi sedens Patrem pro nobis interpellat, 845. 1

Domino cooperante et serm. confirmante. Quam Christus habuerit curandi omnia virtutem, 642. 1

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENS.

Ille testimonium perhibebit de me. Testes tres Christi sunt in cœlo, 911. 1. et tres in terra, *ibid.* 2

Absque Synagogis facient vos. Tribulatio est summum bonum, 412. 1. et seq. Christiani dira patiantur, ut Christum ducem suum sequantur, 653. 2. Crux via est in cœlum, 654. 1. Mundus cur oderit viros sanctos, 879. 2. 880. 1

Quia non noverunt Patrem, neque me. Cognitio Dei est vera sapientia, 425. 2. 433. 2. *Vide notata in Vigilia Ascensionis, et Indicem rerum, v.* Cognitio.

IN VIGILIA PENTECOSTES.

Qui habet mandata mea et servat ea. Legem unam violans quomodo fiat omnium reus, 494. 1. Mandata Christi levia sunt, 907. 2

Non relinquam vos orphanos. Confortat nos Deus diversimode, 734. 1. Pios Deus semper eripit è periculis, 775. 2

Mundus me jam non videt. Deum nemo unquam vidit vivens, 897. 1

IN FESTO PENTECOSTES.

Si quis diligit me, sermonem, etc. Amoris divini vis, 899. 2. Amor facit ecstasin, 900. 2. Transformat hominem in Deum, 901. 2. Ejus effectus, *ibid.* et seq. Pellit timorem, 904. 1. 905. 1. 2. Zelus animæ amantis Deum, 548. 2. *Vide notata Dom.* 12. *post Pentecosten.*

Pater meus diliget eum. Amicitia Dei quæ bona includat, 509. 1

Mansionem apud eum faciemus. Deo an hac in vita realiter uniri possimus, 742. 2. 743. 1. Gratiæ septem sunt effectus, 743. 1. 2. Justi substantialiter fiunt divinæ consortes naturæ, *ibid.* 2. 430. 1. Quia in justificatione Spiritus sanctus, totaque deitas substantialiter in hominem venit, 742. 2. 743. 1. Tuncque is fit quasi Deus, 870. 2. item Dei filius, *ibid.* item Deo similis, 871. 2. 872. 2. Hæc filiatio est stimulus ad opera heroica, 871. 1. Certitudinem gratiæ qualem Sancti nonnulli habuerint, 888. 2

Non turbetur cor vestrum. Abjiciendus est timor generosa aggredientibus, 733. 2. *Vide Indicem rerum, v.* Metus, Timor.

Ille vos docebit omnia. Spiritus sancti unctio invocanda in rebus dubiis, 863. 1. Spiritus sanctus quomodo ad invidiam concupiscat, 548. 1. Spiritus sancti divinitas adstruitur, 613. 2. Blasphemia in Spiritum sanctum quæ sit, 918. 1. 2. *Vide Indicem rerum, v.* Spiritus sanctus, SS. Trinitas.

Quia Spiritus sanctus in linguis igneis venit, agi poterit de linguæ custodia. *Vide notata fer. 4. post Domin. 3. in Quadrag.*

Confirmatio est signaculum Spiritus sancti. Cur confirmandi in fronte ungantur, 690. 1. *Vide notata de Extrema Unctione Dom. 11. post Pentecosten.*

Hodie lex Evangelica confirmata est, hinc de ejus præstantia et sanctimonia agi potest, 790. 2

FERIA II. POST PENTECOSTEN.

Qui credit in ipsum non pereat. Fideles ex adverso sunt reges, 638. 2. Eorum dignitas, 640. 1. Sunt peculium Dei, 641. 1. Varia eorum epitheta, *ibid.* Sunt majores mundo, 895. 1. Fidei sex sunt dotes, 510. 2. *Vide in Indice rerum, v.* Fides.

Quia venit lux in mundum. Cur dicatur fidei lumen admirabile, 642. 2. Christus est lux tam creata quam increata, 836. 2. 837. 1. *Vide notata Sabbato post Dom. 4. in Quadrag. et Indicem rerum, v.* Lux.

Dilexerunt homines magis tenebras. Peccati et tenebrarum similia, 838. 2

FERIA III. POST PENTECOSTEN.

Qui intrat per ostium pastor est. Ministri Ecclesiæ quomodo suum munus exercere debeant, 705. 1. *Vide in Indice rerum, v.* Pastor, Episcopus.

Proprias oves vocat nominatim. Ovis et hominis similitudo, 657. 2

Ego veni ut vitam habeant. Christus nobis est vita et omnia, 740. 2. In ipso est vita, 832. 2. Vita triplex est, divina, angelica et humana, *ibid.*

FERIA V. POST PENTECOSTEN.

Curantis unice. Beneficentia est virtus divina, 939. 2

IN FESTO SS. TRINITATIS.

Verbum *Salus* punice est symbolum SS. Trinitatis, 411. 2. SS. Trinitatis mysterium asseritur, 865. 1. *Vide in Indice rerum, v.* Deus, Trinitas.

Deus ipse est immutabilis, 456. 1. Dei descriptio, 457. 2. Deum esse probatur contra atheos, 796. 2. 797. 1. Dominator vox optime SS. Trinitati quadrat, 950. 1

Baptizantes eos. Baptizandi oculos et manus cur erigant in cœlum, 686. 1

Baptismi et diluvii analogiæ, 684. 2. 685. 1. Dat bonæ conscientiæ interrogationem activam et passivam, 686. 1. Parvuli sine baptismo mortui ubi et qualiter vivant, 810. 2. Baptismus quomodo sit vivificans, 626. 2. In eo fimus filii Dei, *ibid.* et morimur culpæ, 627. 1

Et filii. Filius Dei potius Verbum dicitur quam sermo, 830. 1. Quæ sint similia huic Verbo, *ibid.* 2. Id Verbum omnes Gentiles cognoverunt, *ibid.* 1. 831. 1. Verbum Dei quomodo sit nostro simile, 831. 2. et dissimile, *ibid.* 832. 1. Id fuit semper apud Deum, 834. 1. Christus est Dominus et Dominator, 949. 1. 2. *Vide in Indice rerum, v.* Jesus.

DOMINICA I. POST PENTECOSTEN.

Estote misericordes. *Vide notata Dom. 12. post Pentecost. et in festo S. Matthæi, et Indicem rerum, v.* Misericordia.

Perfectus autem erit. Quis vere sanctus et perfectus sit, 617. 2. Christianus sit continens animo et oculis, 645. 2. Perfecti viri virtutes quæ sint, 668. 1. Perfectionis Christianæ varii gradus, 847. 1. *Vide notata feria 6. post Cineres.*

IN SOLEMNITATE CORPORIS CHRISTI.

Caro mea vere est cibus. Eucharistia cur vocetur lac rationabile, 652. 1. Ipsa est fomes amoris, 901. 1. *Vide Indicem rerum, v.* Eucharistia.

Sanguis meus vere est potus. Sanguis Christi est animæ balneum, 600. 2. Quomodo is nobis applicetur, et ubi, *ibid.* Sanguis Christi effusus mansit unitus divinitati, 621. 1

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

Juga boum emi. Avarus cur vocetur sordidus, 465. 2. Non audet uti habitis, 544. 2

Uxorem duxi. Ignis est propria pœna libidinosorum, 955. 2. 954. 1. Quin et ipsa libido est ignis, 973. 1. *Vide notata Dom. 2. post Epiphaniam et Indicem rerum, v.* Libido, Caro, Uxor.

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

Erant appropinquantes ad Jesum. Modi Deo appropinquandi, 552. 1. 2

Publicani et peccatores. Rahab meretrix quæ bona opera fecerit, 509. 2. Quando et quomodo sit justificata, *ibid. Vide Indicem rerum, v.* Rahab, Peccator.

Inveni ovem quæ perierat. Ovis et hominis analogiæ, 657. 2

Erit gaudium in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente. Deus diu peccatores ad pœnitentiam exspectat, 684. 1. Vult omnes salvos fieri, 805. 1. Angelo peccanti Deus non pepercit, sed homini, cur, 770. 2. Neminem creavit ad damnationem, 805. 2

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

In navim quæ erat Simonis. Hæc est symbolum Ecclesiæ, cujus vera nota est quod sit Catholica, 401. 1. 740. 1. Ecclesiæ et Fidei Catholicæ nota item est quod sit pura, 537. 2. Ecclesia est regale sacerdotium, 638. 2. Est item sancta, 640. 2. Ejus et arcæ Noe analogiæ, 684. 2. Ipsa fulget ut luna et sol, quomodo, 764. 2. *Vide notata in festo S. Petri, et Indicem rerum, v.* Ecclesia, Petrus, Roma.

Romana Ecclesia, cui Petrus præsedit, quam semper fuerit florens, 736. 2

Ex hoc eris homines capiens. Animas lucrandi ratio, 589. 1. Eas qui convertunt, sunt earum post Christum salvatores, 590. 1. Eas convertens operit peccata, *ibid.* 2

Concluserunt piscium multitudinem copiosam. Fructus spes omnem laborem solatur, 571. 2

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

Audistis quia dictum est antiquis. Christi dogmata adversantur axiomatis Philosophorum, 642. 2. *Vide notata in fer. 6. post Cineres, et Indicem rerum, v.* Lex.

Qui irascitur fratri suo. Iræ damna, 464. 1. Est inimica justitiæ, *ibid.* Est insania, 852. 2. Iratus est quasi dæmon incarnatus, 851. 2. *Vide Indicem rerum, v.* Ira, Amor.

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

Attendite a falsis Prophetis : intrinsecus sunt lupi rapaces. Hæretici sunt hypocritæ et lupi, 768. 1. Colorant suas hæreses verbis blandis, 769. 2. Principes et magistratus contemnunt, 776. 2. Sunt pejores dæmonibus, 780. 2. Sunt feræ bestiæ, 781. 2. Novitios et nutantes in fide ad se pelliciunt, 788. 2. Eorum descriptio, 793. 2. Eorum vesana doctrina et insania, 864. 1. 2. Sunt jure divino et naturæ fugiendi, et cur, 931. 1. item eorum libri, 932. 1. Sunt nubes sine aqua, 963. 2. Sunt arbores autumnales, *ibid.* bis mortuæ, 964. 1. fluctus feri maris, *ibid.* et sidera errantia, 965. 1

Non potest arbor mala bonos fructus facere. Hæreticorum carnales spurcitiæ, libido et fœda sacra, 476. 2. 537. 2. 782. 1. 2. 784. 1. 2. Negant Christum varie, 769. 1. Sunt similes dæmoni, 772. 2. item gigantibus, 774. 1. Caino, 960. 1. item Balaamo, 961. 1. item Core, 962. 1. Eorum blasphemiæ, 777. 2. 780. 1. Se invicem blasphemant, 779. 2. Eorum bellum pax est fidelium, 787. 1. Qua esca suos decipiant, *ibid.* 2. Abutuntur christianismo ad luxuriem et vitæ licentiam, 948. 2

A fructibus eorum cognoscetis eos. Hæresis cur semper sit inconstans, 536. 2. Semper hæreses redolent novitates, 768. 2. Quæ damna in orbem invexerint, *ibid.* Tendunt omnes ad atheismum, 777. 2. Earum defensio et propagatio est peccatum ad mortem, 917. 1. *Plura suggeret Index rerum, v.* Hæresis, Hæreticus. Hæresiarchæ omnes misere mortui sunt, 769. 1. Calvini Deus est Satanas, 788. 1

DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

Prudentiores sunt filii seculi hujus. Prudentia quid sit, et quis vere prudens, 695. 1. Prudentiæ laus, *ibid.* 2. Ejus præcepta varia, *ibid.* et seq. *Vide Indicem rerum, v.* Prudentia.

De mammona iniquitatis. Divitum paralogismi de divitiis, 487. 2. et contra sapientum gnomæ de divitibus, *ibid.*

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

Quia si cognovisses et tu. *Vide notata in Vigilia Ascensionis, et Dominica infra octavam Ascensionis.*

Tempus visitationis tuæ. Temporis quanta sit nobis habenda ratio, 930. 1. *Vide Indicem rerum, v.* Tempus.

DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

Ut orarent. *Vide notata Dom. 3. post Epiphan. et in Litaniis Majoribus.* Oratio in Spiritu sancto quæ sit, 971. 1

Non sum sicut cæteri hominum. Superbus est velut insanus, 550. 2. Superbia vitæ in qua re sita sit, 855. 2. 856. 1

Omnis qui se humiliat exaltabitur. Humiles à Deo exaltantur, 438. 1. 550. 1. 725. 1. Humilitatis elogia, 438. 1. 2. Ejus laus, 724. 1. Ejus signa, 672. 1. *Vide Indicem rerum, v.* Humilis, Humilitas, Superbia.

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

Adducunt ei surdum et mutum. Tribulationibus domat Deus linguam, 527. 2

Et loquebatur recte. Silentium docet loqui, 515. 1. et linguæ mala sedat, 520. 2. Garrulitas est puerile vitium, et quantopere fugiendum, 463. 1. Loquax est irreligiosus, 476. 1. Linguæ offensa facillima est, 514. 2. Ipsa proinde refrenanda, *ibid.* 1. Loquacitas stultitiæ signum est, 526. 2. *Vide notata feria 4. post Dom. 3. In Quadrag. et Indicem rerum, v.* Lingua, Silentium, Loquacitas.

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

In lege quid scriptum est? Legem unam violans, quomodo omnes violet, 494. 1. Scriptura est lucerna, 762. 2

Ex toto corde. Amor amantem rei amatæ conformat, 857. 2. *Vide Indicem rerum, v.* Amor, Charitas.

Diliges Dominum Deum tuum. Charitatis elogium, 878. 1. Charitatis obedientia quæ dicatur, 624. 1. Charitas est castratio omnium carnalium appetitnum, *ibid.* Charitas quænam operiat peccata, 697. 1. et quæ peccata : propria, non aliena, 698. 1. 2. 699. 1. Quomodo id faciat, 699. 1. Ejus vis, 700. 1. 847. 1. Facit similes Deo, 745. 2. Quæ sit charitas perfecta, 847. 2. Ipsa est ex Deo, cur, 894. 2. Cur charitatis mandatum dicatur novum, 848. 2. 849. 1. et seq.

Et proximum sicut teipsum. Amor proximi est lex regalis, 492. 1. Perfecta charitas diligit Deum et proximum, 896. 2. 897. 1. Charitas proximi sit prudens et circumspecta, 974. 1

Incidit in latrones. Miseria hominis est octuplex, 553. 1

Semivivo relicto. Eodem modo anima per peccatum sauciatur et moritur, 881. 1. Peccatum ad mortem quod dicatur, 916. 1. 2

Alligavit ea. Cingulum quarum rerum sit symbolum, 615. 1

Infundens oleum. Extrema Unctio est Sacramentum, 578. 2. Ejus quis minister, 580. 1. Quæ materia, *ibid.* Ejus oratio quomodo salvet, 581. 1. Ejus fructus, 582. 1. Unctio docens omnia quæ sit, 861. 1. Unctio est illuminatio, et oleum doctrinæ, 862. 2

Qui fecit misericordiam in illum. Misericordia quomodo superet judicium, 500. 1. Ejus vis quæ sit, 501. 2. Compassio fidelibus exercenda, 669. 1. *Vide Indicem rerum, v.* Compassio, Misericordia.

Tu fac similiter. Exempli quanta sit vis, 939. 1. Virtus non in verbis, sed in opere sita est, 510. 1. Qui re succurrere nequit, affectu id faciat, 884. 2

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

Ostendite vos Sacerdotibus. Sacerdoti confitendum, non laicis, 584. 1. Confessionis vis, 585. 1. Ea quam sit utilis, 842. 1. *Vide Indicem rerum, v.* Confessio, Sacerdos.

Fideles omnes quomodo sint sacerdotes, 636. 2. 637. 1

Dum irent mundati sunt. Quomodo nos Christus à peccatis nostris emundet, 839. 2

Magna voce magnificans Deum. Psalmodiæ spiritualis fructus qui sint, 578. 1. *Vide Indicem rerum, v.* Laus.

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

Nemo potest duobus dominis servire. Servitus Christi quantæ sit dignitatis, 410. 2

Quam teneamur servire Christo, 621. 1. Peccator est servus concupiscentiæ, 789. 1

Nolite solliciti esse. Solliciti non debent esse Christiani, 725. 2. 726. 2. sed sua Deo commendent, 561. 1. 725. 2. 726. 1

Nonne corpus est plus quam vestimentum? Tabernaculum animæ est corpus, 755. 2

Considerate lilia agri. Cura et custodia Dei erga suos, 206. 1. *Vide Indicem rerum, v.* Providentia, Sollicitudo.

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

Defunctus efferebatur. Morientes animam suam Deo commendent, 712. 2. *Vide notata feria 4. Cinerum, et Indicem rerum, v.* Mors.

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

Omnis qui se humiliat exaltabitur. *Vide notata Dom. 10. post Pentecosten.*

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

Diliges Dominum Deum tuum. *Vide notata Dom. 12. post Pentecosten, et Indicem rerum, v.* Amor, Deus, Charitas.

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

Filia mea defuncta est. *Vide notata de vitæ brevitate in fer.*

4. Ciner. et de Extrema Unctione Dom. 12. *post Pentecosten.*

Confide, filia. De fiducia in oratione adhibenda. *Vide notata Dom.* 3. *post Epiphan.*

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

Erat quidam regulus. Christiani sint animo regio, 492. 2. *Vide Indicem rerum, v.* Princeps, Rex.

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

Patientiam habe. Patientia opus perfectum quomodo habeat, 421. 1. Ejus effectus et elogia, 422. 1. 2. Ejus dictamina, 427. 1. Obedientiæ perfectio est, 651. 2. *Plura dabit Index rerum, v.* Patientia.

Serve nequam. Servi patienter dyscolos dominos patiantur, 652. 1. Duri dure sunt increpandi, 546. 1

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

Non est tibi cura de aliquo. Personarum acceptio quale sit vitium, 481. 1. 483. 2. *Vide Indicem rerum, v.* Acceptio.

Viam Dei in veritate doces. Veritas triplex est, oris, mentis, operis, 589. 1. Veritas est mentis cingulum, 615. 2. *Vide notata Dom. 4. post Pascha, et Indic. rerum, v.* Veritas.

Quid me tentatis, hypocritæ? Duplicitas animi displicet Deo, 436. 1

Cujus est hæc imago? Homo magis est Dei imago quam sit angelus, 530. 2. *Vide in Indice rerum, v.* Homo, Angelus.

Date Cæsari quæ sunt Cæsaris. Principibus cur Christiani obedire debeant, 648. 1. idque propter Deum, 649. 2. *Vide Indicem rerum, v.* Rex, Princeps.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

Filia mea modo defuncta est. Vitam sibi longam homo non spondeat, 558. 1. *Vide notata feria 4. Ciner.*

Confide, filia. Fiducia in oratione necessaria, 432. 2. 434. 1. Eam in orante requirit Deus, 433. 2. *Vide Indicem rerum, v.* Fides, Oratio.

DOMINICA ULT. POST PENTECOSTEN.

Cum videritis abominationem. Ignis conflagrationis mundi præibit extremum judicium, 799. 1. Ejus ordo et ignis hujus effecta, *ibid.* 2. Novissima hora quæ dicatur, 858. 2

Judicii extremi memoria quam sit utilis, 497. 1. Ejus timor quam sit utilis, 619. 2. 620. 1. Judicium verisimiliter fiet mane, 804. 1

Scitote quia prope est in januis. Christus judex quomodo ante januam assistere dicatur, 573. 1. Veniet ad judicium sicut fur de nocte, 803. 2. Quomodo ad ejus adventum nos præparare debeamus, 808. 2. *Vide Indicem rerum, v.* Judicium, *et notata Dom.* 1. *Adventus.*

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. Fidelis est templum Dei superædificatum sanctæ fidei, 970. 2. *Vide Indicem rerum, v.* Ecclesia, Tabernaculum, Templum.

IN FESTO CONVERSIONIS S. PAULI.

Elogium S. Pauli Apostoli, 812. 2

IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI.

Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam. Pontificis Romani corona triplex quid denotet, 659. 2. Pontificum multorum libertas in corripiendis Imperatoribus et Regibus, *ibid.* Pontificum omnium brevis est vita, 756. 2. *Vide notata Domin. 4. post Pentecost. et in festo S. Petri.*

Roma cur vocetur Babylon, 735. 2. Romana Ecclesia quam semper fuerit florens, et inde suscepta constans, 736. 2

IN FESTO S. MATTHIÆ.

Sors cecidit super Matthiam. Sors nostra pendet à Dei manu, 562. 1

IN FESTO ANNUNT. B. MARIÆ VIRGINIS.

Fiat mihi secundum verbum tuum. Hoc prolato verbo incarnatus est Dei Filius in utero Virginis. Ejus incarnatio insitioni arborum assimilatur, 467. 1. Uniones variæ similes unioni Verbi cum carne, 824. 2. In incarnatione Deus incarnatur, 826. 1. et quid assumat, *ibid.* Cui et cur, *ibid.* 2. Quid in ea præstiterit, 827. 1. Hanc incarnationem prædixerunt Prophetæ, 823. 2. Ea in primitiva Ecclesia ante omnia credenda erat, 891. 1. Eam multi hæretici impugnarunt, *ibid.* 1. 2

Christus an incarnandus fuisset, si Adam non peccasset, 622. 2. Cur tam sero sit incarnatus, 623. 1. Incarnatus cum fuit, mutavit terram in cœlum, 680. 1. Est nobis patri-mater, 825. 2. Cur vocetur Verbum, 829. 1. Cur dicatur λογος per omnes λογου significationes, *ibid.* et seq. *Vide notata feria 4. quatuor Temporum Adventus.*

IN FESTO S. MARCI.

S. Marcus an fuerit S. Petri socius, 737. 1

IN FESTO S. PHILIPPI APOSTOLI.

Non turbetur cor vestrum. *Vide notata fer. 3. Pasch.*

Quia Pater in me, et ego in Patre. *Vide notata Dominica Trinitatis.*

Dabit vobis. *Vide notata in Litaniis Majoribus.*

IN FESTO S. JACOBI MINORIS.

Hic Jacobus quis fuerit: ejus elogium, parentes, privilegia, sanctitas, 404. 2. An ei Sancta sanctorum ingredi licuerit, 406. 1. Ejus martyrium et causa, 407. 2

IN FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS.

Crucis Christi virtus, 623. 2. Crux via est in cœlum, 654. 1. Crux est sanctitatis magistra, 656. 2. Christianismus est imago crucis, 689. 2. Crucis lignum ab igne conflagrationis mundi erit intactum, 808. 1

IN FESTO S. PETRI APOSTOLI.

Tu es Petrus. S. Petri privilegia varia, 593. 1. 2. Ejus martyrium, 596. 1. Ejus nomen est idem quod Petra Ecclesiæ, 597. 1. *Vide notata Dom. 4. post Pentecosten.*

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Rahab meretrix in veteri testamento quæ bona opera fecerit, 509. 2. Quando sit justificata, *ibid*

IN FESTO S. JACOBI MAJORIS.

Nescitis quid petatis. Male petens cur non impetret ea quæ petit, 545. 1. Caduca et peritura à Deo petenda non sunt, 545. 2. *Vide notata in feria 4. post Dom. 2. in Quadrag. et in Litaniis Majoribus.*

IN FESTO ASSUMPT. B. VIRGINIS.

B. Maria Virgo moriens an sit inuncta, 585. 1. Ejus elogia. *Vide in Indice rerum, v.* B. Maria Virgo.

IN FESTO S. MATTHÆI.

Misericordiam volo, et non sacrificium. Quæ sit vis misericordiæ, 501. 2. *Vide notata Domin. 12. post Pentecosten.*

IN FESTO DEDIC. S. MICHAELIS.

Nisi efficiamini sicut parvuli. Uti parvulis datur lac quod simplicitatis symbolum est, agi poterit de simplicitate. Simplex cor quod sit, 625. 1. Lac rationabile quod dicatur, 631. 1. Sinceritas et candor puerilis decet Christianos, 795. 1

Si quis scandalizaverit. Sancti non habent scandalum, 851. 2. 852. 1

S. Michael quare cum diabolo de Mosis corpore sit altercatus, 957. 1

Angeli delectantur Christi humanitate, 613. 1. Non desiderant unionem hypostaticam Christi, *ibid.* Assistunt Missæ, 614. 1. *Vide in Indice rerum, v.* Angelus, Michael.

Luciferi, quem Michael cœlo deturbavit, peccatum in quo situm fuerit, 771. 1. Ipse ejusque asseclæ à Michaele sunt in infernum detrusi, *ibid.*

IN FESTO S. SIMONIS ET JUDÆ.

S. Judæ Apostoli parentes, sanctitas, vita, elogium, 941. 1. 2

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Beati visione Dei quomodo satientur, et non satientur, 605. 1. 611. 1. An videant Dei essentiam, 871. 2. 872. 1. Ex hac visione sequitur amor Dei plenus, 872. 1. *Vide Indicem rerum, v.* Sancti, Cœlum, Gloria. Eorum corona gloriæ, 722. 2. 725. 1

Gloria cœlestis, ad quam Sancti evecti sunt, cur dicatur corona vitæ, 441. 1. Regni cœlestis descriptio, *ibid.* 2. Ejus pretium est amor, 442. 1. 490. 1. 2. Quanta ea gloria sit, 609. 2. 610. 1. 705. 2. Cur benedictio vocetur, 675. 1.

Mille anni in gloria sunt sicut dies unus, 800. 1. 2. 801. 2

Hæreditas nostra Deus est et cœlum, estque incorruptibilis, 603. 2. et incontaminata, 604. 1. et immarcescibilis, 605. 1. Visio beatifica cur dicatur Lucifer, 763. 2

Sancti semper ad eam aspirarunt, 810. 1. Ipsi pro nobis ad Deum intercedunt ut advocati, 845. 2. Corporis et animæ gloriosæ dotes, 872. 2

BEATI PAUPERES SPIRITU. Humiles cur sint pauperes, 437. 2. Pauperes cur Christus elegerit, 489. 2. *Vide reliqua notata Dom. 2. Adventus.*

BEATI QUI LUGENT. Varias lugendi causas habet homo, 553. 2. Lugentium variorum exempla, 554. 1

BEATI MITES. Qui alium corripit, sit mitis in verbis, 531. 1

BEATI MISERICORDES. *Vide notata Dom. 12. post Pentecost.* Vita debemus esse cœlestes, et vitam cœlitum imitari, 814. 1

BEATI MUNDO CORDE. *Vide notata in Communi Virginum et Indicem rerum, v.* Virgo, Castitas.

BEATI QUI PERSECUTIONEM PATIUNTUR. Christiani dura patiantur, ut ducem suum Christum imitentur, 653. 2. Pro gloria æterna pati facile est, 440. 2. Pati pro Christo magna est dignitas, 706. 2. Patiendo inserimur cruci Christi, 705. 1. In patientibus patitur Christus, *ibid.* In iis requiescit Dei majestas, 706. 1. Pro eo pati quam dulce, 414. 2

PROPTER JUSTITIAM. Pati propter justitiam beatum est, 675. 2. Virtus versatur circa fortia, 747. 1. 2. Pro fide et pietate certare et pati nos par est, 947. 2. In persecutione gaudendum, 415. 2

IN COMMEMOR. FIDEL. DEFUNCT.

Vide notata Dominica 3. post Epiphan. et in festo Paschatis de descensu Christi ad limbum.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

EX HOC ERIS HOMINES CAPIENS. *Vide notata Dom. 4. post Pentecosten.*

IN FESTO CONCEPT. B. VIRGINIS.

Beata Virgo pura fuit ab omni peccato, originali et actuali, 840. 1

IN COMMUNI APOSTOLORUM.

Apostoli fuere præcones castitatis, 659. 2. 660. 1. Apostolici viri quales esse debeant, 716. 1. 2. *Vide Indicem rerum, v.* Apostoli.

IN COMMUNI EVANGELISTARUM.

Vide notata circa verba Evangelii, in Communi Confessorum, et Indicem rerum, v. Paupertas, Apostoli.

IN COMMUNI CONFESSORUM.

Religiosus et religio proprie quid sint, 474. 1. 475. 1. Quæ sit virtus religionis, 477. 1. 478. 1. Obedientiæ perfectio est patientia, 651. 2. Veri Christiani armatura, 731. 1. Ejus stadium est patientia, 653. 2. 654. 1

Fideles omnes quomodo sint sacerdotes, 636. 2. 639. 1. Fidelis major est mundo, 893. 1. Sacerdotes et Ecclesiastici sua pauperibus cur dare teneantur, 884. 1

Episcopi aspiciant identidem in Christum ducem Pastorum, 658. 1. Doctorum et Episcoporum quæ sit corona, 722. 2. *Vide Indicem rerum, v.* Pastor, Episcopus, Prælatus.

FACILIUS EST CAMELUM PER FORAMEN. Divitibus cur intentetur væ, 563. 2. *Vide plura notata in feria 5. post Dom. 2. in Quadrages.*

IN COMMUNI MARTYRUM.

Martyres statim à pœnis ad cœlum evolant, 574. 1. Eorum spes invicta, 616. 2. Patiendo illustre dant virtutis exemplum, 707. 1. Eorum robur venit à Deo, 734. 2. Eorum fortitudo, 747. 2

Patientia Martyrum quomodo opus perfectum habeat, 421. 1. et seq. Ejus effectus et elogia, 422. 1. 2. Ejusdem dictamina, 427. 1. 2. Pro fide et pietate quomodo certari et mori nos oporteat, 947. 2

Martyrii quanta sit gloria, 707. 1. 2. Simul ad ipsum, *ibid.* 2. *Vide notata feria 2. post Pascha, et in festo omnium Sanctorum, et Indicem rerum, v.* Martyr, Crux, Tribulatio.

IN COMMUNI ABBATIS.

Prælaturæ non sunt ambiendæ, 512. 1. *Vide notata feria 3. post Dom. in Quadrag. et Indicem rerum, v.* Prælatus.

IN COMMUNI VIRGINUM.

VIGILATE ITAQUE, QUIA NESCITIS DIEM NEQUE HORAM. Quamdiu vivimus vigilare nos oportet, 697. 1. 726. 2. Somno non nimis indulgendum, 954. 2. *Vide Indicem rerum, v.* Castitas, Virgo, Vigilia.

Incorruptus spiritus est castitas, 662. 2. Castitas sapientiæ est comes et socia, 537. 2. Ejus præcones fuere Apostoli, 659. 2. 660. 1. Ipsa est vera charitas, 624. 1. Cingulum est castitatis symbolum, 615. 1

Christianos decet continentia in animo et oculis, 645. 2

Vitam cœlestium quomodo imitari debeamus, 814. 1. et lumbos mentis succingere, 615. 1

FINIS.

CORNELIUS A LAPIDE.

COMMENTARII

IN

APOCALYPSIN

S. JOANNIS.

COMMENTARIUS
IN APOCALYPSIN
SANCTI JOANNIS
APOSTOLI.

PROLOGUS.

PROPHETA et Evangelista veteris Testamenti, ab Isaia, inquam, et Prophetis priscis, transeo ad Prophetam et Evangelistam novi Testamenti: ad S. Joannem dico, qui unus extat in lege nova Propheta, non umbræ veteris, sed lucis et veritatis Evangelicæ, eritque Propheta usque ad finem mundi. Ultima enim, finesque mundi ipse ex alta prophetiæ specula eminus prævidit et prænuntiavit. Quin imo, S. Joannem in fine mundi rediturum et prophetaturum, Doctores graves olim, et nonnulli hocce etiam sæculo, opinati sunt. S. Hippolytus enim Episcopus et Martyr, qui ex Arabia devotionis ergo, ut limina Apostolorum viseret, Romam veniens sub Severo Imper. ob singularem doctrinam et sanctitatem à Callisto Papa detentus, et creatus Episcopus Portuensis, multa præclare scripsit; ac inter alia Canonem temporis, qui etiamnum extat excisus in statua ejus marmorea, insigni et ingenti, quæ scriptorum ejus merito illi erecta visitur in bibliotheca Vaticana, ac tandem ab Ulpiano Juris-Consulto, acri Christianorum hoste, capitis damnatus, gloriosum obiit martyrium anno Domini 229. Hippolytus, inquam, lib. de Consummatione sæculi, scribit S. Joannem cum Henoch et Elia venturum, ac contra Antichristum depugnaturum. S. Hippolytum secuti sunt nuper Ambrosius Catharinus tract. de Gloria Christi consummata, noster Alfonsus Salmeron, et propendet Sebast. Barradius in illud Joann. cap. 21. v. 23. *Sic eum volo manere donec veniam.* Ili enim censent S. Joannem instar Henoch et Eliæ necdum esse mortuum, ideoque habere corpus mortale, prædicaturum contra Antichristum, et ab eo martyrio afficiendum: interim tamen per Dei dispensationem jam videre Deum, eoque frui. Probant id primo, ex ipsomet S. Joanne Apocal. 10. 11. ubi audit ipse à Deo: *Oportet te iterum prophetare Gentibus.* Si *iterum*, inquiunt, quando, nisi sub iteratum Christi adventum? Secundo, ex ejus Evangelii cap. 21. 23. ubi ad Petrum Christus de Joanne dicit et statuit: *Sic eum volo manere donec veniam.* Ergo, inquiunt, manebit Joannes in vita hac, donec veniat Christus ad judicium. Tertio, quia corona martyrii Joanni æque ac cæteris Apostolis debetur, et vero promissa est à Christo Matth. 20. v. 23. *Calicem*, ait, *meum bibetis.* At hactenus ipse Martyr non fuit. Fiet ergo ab Antichristo. Denique decet ut, sicut Joannes Baptista præivit primum Christi adventum, ita Joannes Evangelista præeat secundum.

Verum S. Joannem esse mortuum asseverant S. Hieron. Euseb. et veteres pene omnes, imo tota Ecclesia, quæ S. Joannis quasi mortui, et in cœlo jam cum Christo, instar aliorum Beatorum, gloriose regnantis festum celebrat, eumque publice in Litaniis, æque ac alios Sanctos, colit et invocat. Accedit, quod in Concilio Ephesino jubentur coli reliquiæ SS. Martyrum, maxime vero Joannis Theologi (qui sunt Apostolus et Episcopus Ephesi) ac earumdem reliquiarum meminit Cœlestinus Pontifex in epist. ad Concil. Ephesinum. Si reliquiæ ejus exstant, ergo mortuus est.

Quod ergo c. 10. Apocal. ei dicitur: *Oportet te iterum prophetare Gentibus*, sic intellige, non quod in fine mundi, sed quod sequentibus c. 12. 13. 14. aliisque usque ad finem Apocalypseos, Gentibus cum prophetare jubeat, uti de facto iisdem ibi prophetat.

Illud vero Evangelii ejus c. 21. *Sic eum volo manere*, idem est, ac si diceret: *Si eum volo manere*, uti alii codices legunt. Loquitur enim Christus non assertive, sed conditionate, idque ad reprimendam curiosam S. Petri interrogationem: *Domine, hic autem quid?*

Porro, quando et quomodo S. Joannes calicem passionis et martyrii biberit mox dicam.

Propheta ergo duntaxat est S. Joannes in Apocalypsi, quam jam quarto docendo et commentando ordiri, et Deo dante totam explicare destino.

Quanta sit sublimitas et excellentia Apocalypseos præ aliis Scripturis canonicis, ex tribus maxime capitibus æstimari potest.

Primum est materia. Sicut enim S. Joannes in Evangelio cæteris tribus Evangelistis antecellit, eo quod ipse pene solus ex professo agat de Christi divinitate, de Verbi origine, de processione et spiratione Spiritus sancti, de Sanctissima Trinitate, de ejusdem unitate, relationibus, attributis, et similibus: unde ex eo Patres omnia pene argumenta contra Arrianos, Sabellianos, Servetianos, Macedonianos, etc. æque ac Scholastici totam materiam de Trinitate, deque Deo trino et uno hauserunt. Ita hic in

cœlesti throno residentis, Agni ab origine mundi occisi, Spiritus sanctus multoculi et multivarii majestatem, angelorum et Beatorum venerationem, prædestinatorum signationem, Martyrum et Virginum gloriam; rursum futuras Ecclesiæ persecutiones, successus et triumphos ad Antichristum et finem usque mundi, Babylonis excidium, Henoch et Eliæ prædicationem et martyrium, Gog, Magog et Antichristi interitum, æterna gehennæ supplicia, Jerusalem cœlestem gemmis et auro radiantem, vivis coloribus depingit ac quasi corporata et præsentia oculis spectanda subjicit, ut cœlum palmo metiri, ut ait S. Cyrill. præfatione in Evangelium S. Joannis, ac humana humilitate in altissima provehi videatur. Quocirca S. Hieron. lib. 9. in Isaiam sub finem, asserit Apocalypsin *medullata Ecclesiæ Sacramenta contexere.* Ac S. Dionys. Eccl. Hierarch. c. 3. p. 3. *arcanam illam,* inquit, *ac mysticam omnino visionem dilecti discipuli, divinamque Domini Jesu et altissimam Theologiam, eis qui Dii fieri merentur exponit, eosque per sacra mysteria sustollit atque confirmat.* Apocalypsis ergo claudit in se et Theologiæ medullam, Christianæ Philosophiæ ac doctrinæ Evangelicæ quasi nucleum et animam. In Apocalypsi igitur jugiter et continuo cum sedente in throno, cum Agno, cum angelis, cum 24 senioribus, cum sanctis quatuor animalibus, cum duodecim millibus signatorum ex qualibet tribu Israel, et turba magna Gentium cum palmatis Martyribus, cum Virginibus canticum novum cantantibus, cum muliere amicta stellis duodecim, et lunam pedibus premente, cum Henoch et Elia, cum Sanctis stantibus supra mare vitreum qui vicerunt bestiam, habentibus citharas Dei, et cantantibus canticum Mosi, et canticum Agni, supra fulgura et tonitrua in cœlo novo et terra nova, in Jerusalem nova descendente de cœlo versabimur, ibique gustabimus lignum vitæ, Agnusque deducet nos ad vitæ fontes aquarum ut beatarum mentium beatam vitam hic præcipiamus et prælibemus, eamque audiendo et meditando contemplemur, et æmulemur, quam brevi Deo duce reipsa inibimus, ut hisce omnibus fruamur in omnem æternitatem. Hoc est quod de Apocalypsi S. Joannes ex ore Christi scripsit c. 1. 3. *Beatus qui legit et audit verba prophetiæ hujus et servat ea quæ in ea scripta sunt; tempus enim prope est.*

Secundum est ordo temporis. Scimus Ecclesiam instar auroræ et solis, successu temporis crevisse ad perfectum diem cognitionis mysteriorum fidei. Ac de causa scriptores hagiographi novi Testamenti, longe clarius, luculentius, distinctius et sublimius de iis scribunt quam Moses et Prophetæ veteris Testamenti. Ultimus est S. Joannes, ultimus pariter Bibliorum liber est Apocalypsis; ultimam ergo manum et coronidem Evangelii et S. Script. hac Apocalypsi S. Joannes imposuit. Richard. de S. Victore l. 7. c. 12. asserit, *Librum hunc non solum esse Evangelium, sed in Evangelica doctrina sicut ultimum ita et summum locum obtinere, ac in ipso S. Scripturam ad modum arboris cacumen extulisse.* Quocirca aureè S. Chrysost. præfatione in Evang. S. Joannis: *Joannes*, ait, *sanctissimus, admirationis plenus, arcana redundans sapientia, qui tot tantaque confert bona, ut qui diligenter et accurate eum excipiunt et observant, non jam homines et terræ incolæ habendi sint, sed super omnia hujus mundi bona collocentur in angelorum consessu, neque aliter terram quam cœlum habitent. Tonitrui enim filius est, Christo dilectissimus, columna omnium quæ in orbe sunt Ecclesiarum* (unde hac de causa longævissimus inter Apostolos, usque ad tempora Trajani Ecclesias rexit,) *qui cœli claves habet, qui Christi calicem bibit, et baptismatis aqua ablutus est, qui supra pectus Domini multa cum fiducia recubuit, non fabulas effingit, non personatus incedit, non orchestram supplodit, non aureo ornatur vestimento, sed stola purissima, veritatis decore intexta et distincta, amictus progreditur: cui proscenium est universum cœlum, theatrum orbis terræ, spectatores auditoresque omnes angeli, et quicumque homines angeli sunt, aut fieri desiderant. Hi duntaxat ejus harmoniam audire possunt. Ipsi enim angeli, Cherubim et Seraphim nobiscum per Joannis vocem didicerunt quæ cognovimus. Hoc enim ait Paulus: Ut innotescat Principatibus et Potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. Huic enim Apostolo supernæ adfuere virtutes, ejus animæ pulchritudinem, sapientiam et speciem virtutis admirantes, per quam ipsum simul hausit Christum. Etenim quasi lyram quamdam pretiosis lapidibus auroque distinctam, aureo plectro adhibito: sic suam sibi animam exornando effecit ut per eam magnum et altum spiritus personaret.* Hæc et plura S. Chrysostom. sparsim eo loco.

Tertium est Auctor. S. Joannes enim unus omnium Sanctorum coronas meruit, lauream Doctorum, liliatam Virginum, roseam et purpuream Martyrum. Nimirum ipse Theologus, imo Theologorum vertex, ipse Patriarcha, ipse Propheta, ipse Apostolus, ipse Evangelista, ipse Sacerdos, ipse Pontifex, ipse Hierarcha, ipse Virgo, ipse Martyr, ipse Angelus, non natura, sed puritate et virtute. Hinc cap. 19. 10. videns angelum fulgidum volensque eum adorare, audivit ab eo: *Vide ne feceris, conservus tuus sum.* Virgo, inquam, per omnem vitam, qua virtute et Isaiæ et S. Petro, qui conjugati fuere, præcelluit. S. Joannes enim nec in nuptiis Cana Galilææ, de quibus Joannis 2. (uti aliqui putarunt) nec alibi unquam uxorem duxit, sed virgo ad Christum accessit, virgo permansit, uti S. Hieronym. August. et passim veteres docent. Illibatum ergo adolescentiæ florem ad Apostolatum vocatus Christo obtulit, oblatumque conservavit; quocirca tum aliarum virtutum, tum hujus præsertim angelicæ puritatis merito Joannes vocatur et fuit *discipulus ille quem diligebat Jesus*, qui transfigurationi, et secretioribus omnibus ejus arcanis et miraculis interfuit, qui in ultima cœna super pectus Christi recumbens, ex eo omnem sapientiam suxit, nimirum virgo virginem dilexit, virgini virgo sua secreta credidit, atque arcana et abscondita à constitutione mundi revelavit: quin et moriens virginem matrem, quasi depositum charissimum, virgini commendavit. *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, tam in hac vita per fidem, quam in altera per speciem.

Martyrem dixi: quia esto cervicem Joannis, æque ac Pauli, carnifex non amputarit, longum tamen ipse pro Christo martyrium subiit, tum in omni vita; tum cum à Domitiano Imp. in insulam Pathmos relegatus, insulanos omnes ad Christi fidem convertit; tum denique vere et

proprie Martyr exstitit; cum hic Romæ ante portam Latinam, ejusdem Domitiani jussu in dolium ferventis olei immissus, mortis agonem obiit, sed miraculo ex eo illæsus, pulchrior et vegetior egressus, quasi à morte redivivus surrexit, scilicet quia virgo erat, instar trium puerorum in fornace Babylonia, ab igne uri aut lædi non potuit.

Extat hic Romæ martyrii ejus locus sacello insignitus, in cujus pariete ipse in dolio olei bullientis depingitur, cum hac inscriptione : *Joannes Christi Apostolus, Evangelista, Propheta et Martyr, è dolio ferventis olei vegetior exivit.* In averso vero pariete hæc inscripta visuntur carmina :

Martyrii calicem bibit hic athleta Joannes,
Principii Verbum cernere qui meruit.
Verberat hunc fuste Proconsul, forfice tondet,
Quem fervens oleum lædere non valuit.
Conditur hic oleum, dolium, cruor, atque capilli,
Quæ consecrantur, inclyta Roma, tibi.

Unde patet S. Joannem tunc pariter fustigatum fuisse, atque ignominiæ causa attonsum relegatum fuisse in exilium Pathmos. Tam ergo Roma martyrio S. Joannis, quam S. Petri et Pauli gloriari potest, et vero debet. *Felix statu Ecclesia* (Romana) ait Tertull. lib. de Præscript. c. 36. *cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt; ubi Petrus Passioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis Baptistæ exitu coronatur, ubi Apostolus Joannes postquam in oleum igneum demissus, nihil passus est, in insulam relegatur.* Atque hic est calix quem Christus ei propinavit dicens : *Calicem quidem meum bibetis.* Quocirca Tertullianus et alii veteres Joannem appellant Martyrem. Quin et ipse Joannes Apocal. 1. 9. *Ego*, ait, *Joannes frater vester, et particeps in tribulatione, et regno, et patientia in Christo Jesu; fui in insula, quæ appellatur Pathmos, propter verbum Dei, et testimonium* (græce μαρτυριον) *Jesu.* Taceo Martyrem fuisse, quando cruci Christi astitit cum Virgine matre tum Christi, tum sua, et doloris gladius ejus non corpus, sed animam penetravit, ut Christi dilecti, imo jam fratris sui, mortem intime ipsi compatiendo et commoriendo sentiret : videbat enim vitam suam mori in cruce; ibi ergo cum suo Christo mortuus est. Unde S. Bernardus in Lament. B. Mariæ, loquens de ea et de S. Joanne, cum cruci Christi astarent, et illa huic quasi mâter filio à Christo commendaretur : *Dum hæc*, ait, *pauca diceret* (Christus) *illi duo dilecti lacrymas fundere non cessabant. Tacebant ambo illi martyres, et præ nimio dolore loqui non poterant. Isti duo virgines audiebant Christum voce rauca et semiviva loquentem, ipsum videbant paulatim morientem.* Et mox : *Amabant flere, et flebant amarè. Amarè flebant, quia amarè dolebant. Nam gladius mortis Christi, animas utrorumque transibat. Transibat sævus, sævus perimebat utrumque.*

Porro inter quatuor illa sancta animalia Cherubim nuncupata, currumque Dei stipantia, quem vidit Ezechiel. cap. 1. et S. Joannes Apocal. 4. S. Matthæus homini, Marcus leoni, Lucas bovi, S. Joannes vero aquilæ comparatur. Quia sicut Isaias alios Prophetas, ita S. Joannes omnes Evangelistas sublimitate superat, et quasi aquila altissime in cœlum se librat. Moses rerum creationem et Pentateuchum à principio mundi et temporis orditur, dicens : *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Similiter, sed altius, mirum à principio, non temporis, sed æternitatis, Evangelium orditur Joannes : *In principio erat verbum.* Atque, quod notatu dignum, æque ac mirum est, vidit S. Joannes adhuc vivens quatuor animalia, et seipsum in aquila repræsentatum in cœlo empyreo, throno Dei astantem, ac inter beatas mentes Deum assidue collaudantem : *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens.* Quocirca jure S. Joanni hoc elogium tribuitur (quod nonnulli dant quoque S. Thomæ Aquinati) *Doctorum sanctissimus, et Sanctorum doctissimus.* Nam, ut ait S. Hieronym. præfat. in Matthæum : *Joannes Apostolus et Evangelista, quem Jesus amavit plurimum, qui supra pectus Domini recumbens purissima doctrinarum fluenta potavit, et qui solus de cruce meruit audire : Ecce mater tua.* Amplius dicit S. Aug. tract. 36. in Joann. *S. Joannes Apostolus non immerito aquilæ comparatus altius multoque sublimius aliis tribus* (Evangelistis) *erexit prædicationem suam, et in ejus erectione etiam corda nostra erigi voluit. Nam cæteri tres Evangelistæ tanquam cum homine Domino in terra ambulantes, de divinitate ejus pauca dixerunt : istum autem quasi piguerit in terra ambulare, sicut ipso exordio sui sermonis intonuit, erexit se non solum supra terram, et super omnem ambitum aeris et cœli, sed super omnem etiam exercitum angelorum, omnemque constitutionem invisibilium potestatum, et pervenit ad eum per quem facta sunt omnia, dicendo : In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Huic tantæ sublimitati principii etiam cætera congrua prædicavit, et de Domini divinitate quomodo nullus alius est locutus : hoc eructabat quod biberat. Non enim sine causa de illo in isto ipso Evangelio narratur, quia et in convivio supra pectus Domini discumbebat. De illo pectore in secreto biberat; sed quod in secreto bibit, in manifesto eructavit, ut perveniat ad omnes gentes, non solum incarnatio Filii Dei, passio et resurrectio, sed etiam quod erat ante incarnationem unicus Patri, Verbum Patris, coæternus generanti, æqualis ei à quo missus est.* Merito ergo S. Dionys. Areopagita scribens ad S. Joannem, eum solem Evangelii indigitat.

Denique S. Joannes cum fratre Jacobo à Christo nomen excelsum, scilicet Boanerges, id est filii tonitrui, accepit. *Clangit*, ait S. Hier. epist. 85. ad Evagrium, *tuba filius tonitrui, quem Jesus amavit plurimum, et de pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit.*

Quocirca, ut idem ait, præfatione in Matthæum, Joannes prævio jejunio; addit ex Metaphraste Baronius, præviis tonitruis et fulguribus, quasi alter Moses, novum legis novæ exordium intonuit : *In principio erat Verbum Joannes*, ait S. Epiphanius hær. 73. *vere tonitrui filius, per propriam suam grandiloquentiam, velut ex quibusdam nubibus à sapientiæ ænigmatibus, piam nobis de Filio intelligentiam persuasit.*

Joannes ergo fuit *filius tonitrui*, id est tonitru, sicut filius hominis est homo.

Rursum, fuit filius tonitrui, id est fulmen; sicut enim ex matris utero ingenti parturitionis nixu et dolore, excluditur et nascitur filius; sic ex vehementi nubium collisione et tonitruo excluditur et parturiendo quasi procedit fulmen. Sunt ergo duo fulmina belli sacri, non Scipiadæ, sed Zebediadæ, toto orbe et quovis sæculo, tonantes et fulminantes.

Hoc est quod de quatuor hisce animalibus ait Ezech. cap. 1. 14. *Animalia ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Certe in ejus Apocalypsi crebra ejus tonitrua et fulmina audiemus : fulminei hujus zeli exemplum, licet immaturum adhuc, dedit Lucæ 9. 53. quando Christo, utpote Judæo, à Samaritanis rejecto, indignans ac Eliæ zelum induens cum fratre Jacobo dixit : *Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cœlo, et consumat illos?* Maturius dedit quando Theodosio pio Imper. contra Eugenium tyrannum dimicaturo oranti, superûmque opem imploranti apparuit S. Joannes cum S. Philippo, vestitus candidis, et equo candido insidens, eique pugnam cum Eugenio edixit, ac suam opem victoriamque promisit; quam et præstitit insigni miraculo, tela hostium in ipsosmet retorquens, uti refert Theodoret. lib. 5. c. 24. et Nicephorus l. 12. c. 39.

De S. Basilio scribit S. Nazianzen. *Oratio ejus erat tonitruum, quia vita erat fulmen.* Talem nimirum decet esse Prælatum, talem Doctorem, talem prædicatorem, ut vita fulguret, verbo tonet; plus feriat et penetret exemplo quàm præcepto : vita ejus sit fulmen, et oratio ejus erit tonitru. Talis præ omnibus fuit S. Joannes Boanerges; oratio ejus erat tonitru; quia vita erat fulmen. Quocirca ipse quasi tonitru et fulmen totum orbem percellendo, cum Verbi divinitate et incarnatione illuminavit, ejusdemque charitate inflammavit. Testis est sermo ille longissimus et ultimus Christi à cœna, spiritu et ardore plenissimus, quem è sinu Christi excepit, ac in omnium aures et mentes effundit Evangelii c. 13. 14. 15. 16. 17. Testes ejus epistolæ : *Deus*, inquit, *charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Testis tota vita, qua non aliud voce et opere spiravit, quam charitatem Dei et proximi; adeo ut jam plane decrepitus, cum in plura non posset vocem verba contexere, per singulas Ecclesiæ collectas non aliud diceret, quàm : *Filioli, diligite invicem.* Ac rogatus à discipulis cur idem hoc jugiter ingeminaret, respondit : *Quia præceptum Domini est, et, si solum fiat, sufficit,* uti refert S. Hieron. in cap. 6. ad Galatas. Fuit ergo S. Joannes Cherub Dei, Benjamin Christi, Deiparæ adoptivus, Evangelistarum aquila, Apostolorum Mathusalem, sapientiæ abyssus, charitatis incendium, integritatis smaragdus, virgo sine labe, martyr sine morte; amiantus in igne, sol Ecclesiæ, deliciæ fidelium, Theologorum vertex, Prophetarum apex, cœli fulmen, orbis tonitru, α et ω S. Scripturæ, secretarius Verbi æterni, thesaurarius omnium ejus opum et charismatum.

Narrat S. Brigida l. 6. Revelat. c. 89. se, petente M. Matthia Sueco, commentante in Apocalypsin, petiisse à Christo, quis esset auctor Apocalypsis? ac Joannem jussu Christi respondisse : *Ego sum Joannes, cui in cruce assignasti matrem tuam. Tu, Domine, inspirasti mihi mysteria ejus, et ego scripsi ad consolationem futurorum, ne fideles tui propter futuros casus everterentur.*

Quocirca in tanta ejus sublimitate et spiritu, in tanta profunditate Apocalypseos, ut Boanerges hunc nostrum audiamus et hauriamus, faciamus quod fecit S. Gregor. Episcopus Neocæs. ob multitudinem miraculorum cognomento Thaumaturgus, uti de eo refert Gregor. Nyssenus in ejus Vita, qui cum Origenis errabundi fuisset discipulus, factusque Episcopus fluctuaret de doctrina adeo tunc controversa, deque doctrinæ modo ac methodo; per somnium à B. Virgine ad S. Joannem hunc nostrum deductus fuit, qui ab illa ei datus præceptor, Symbolum ei tradidit, cujus exordium est : *Unus est Deus;* quod celebrat quinta Synodus OEcumenica, et tota Orientalis Ecclesia : quo Symbolo pleraque divinissima Evangelii et fidei mysteria lympide explicat et complectitur. Quocirca hoc Symbolo omnem Gregorio nebulam abstersit, omnem fluctuationem sustulit. Idem et nos ab eo identidem efflagitemus; nam et ipse lacrymis ac precibus libri signati, puta Apocalypseos, resignationem et declarationem à Deo impetravit. Hoc est enim quod ipse ait cap. 5. v. 3. *Et nemo poterat neque in cœlo, neque in terra,* etc. *aperire librum, et ego flebam multum,* etc. *et unus de senioribus dixit mihi : Ne fleveris; ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus.*

Ita oranti Chrysostomo (uti habet ejus vita) apparuit S. Joannes cum S. Petro, vestitus albis, et respectu augustiore quam humano, eumque manu apprehendens dixit : *Sumus à Christo missi ad te, accipe librum, donum tibi missum à Deo. Ego sum Joannes Apostolus et Evangelista, qui caput in pectus Domini reclinavi. Hoc libro facile intelliges S. Scripturam, ac à me adjutus nullam in ea experire difficultatem,* datoque ei osculo pacis in cœlum remeavit. Hæc Joannes ad Joannem, quem quasi discipulum illuminavit, fecitque Chrysostomum.

Aspice nos ex alto, ô aquila cœlestis, illumina tenebras nostras, aciem mentis acue, ut irretortis oculis jubar cœlestium sacramentorum in Apocalypsi tua reconditum perspicere et contemplari, aliisque contemplandum proponere valeamus. Da, ut sacramenta hæc efficacia, æque ac sublimia legentes et ruminantes, excitemur ad illustre obsequium et amorem Dei nostri, ut tecum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente et spiritu diligamus Jesum nostrum; ac vicissim ab eo singulariter diligi mereamur, ut pariter audiamus quod audisti et audis : *Hic est discipulus ille quem diligebat,* diligit, et in æternum diliget, *Jesus.* Impetra nobis, ut amore Jesu amori vano creaturarum omnium, utpote vanarum, exilium, instabilium et caducarum moriamur; quia ipse pro amore veri amoris nostri, rebus omnibus, vitæque suæ mori dignatus est. Impetra, ut forti hoc et æterno amore omnia prospera et adversa, omnes infirmitates corporis et animæ, omnem inopiam, omnes ærumnas, humiliationes, despectus, persecutiones, labores adversitates, mortificationes, angustias, quin et mortem ac martyrium generose sufferamus, imo alacres et ludibundi superemus et transcendamus, quia *fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Quod ut facilius obtingat, impetra nobis patrocinium Virginis matris Jesu, imo tuæ, utei dicat Pater : *Mulier, ecce filius tuus;* et vicissim nobis : *Ecce mater tua.* Ipsa est enim mater amoris nostri; ipsa Jesum in corde nostro pariet. Ipsa est charitatis incendium; ipsa nos charitate ardentes efficiet, dilectos, fratres, imo filios sui et nostri Jesu, qui est vita nostra, gaudium nostrum, cor nostrum, jubilus noster, beatitudo nostra, æternitas nostra, Deus noster, amor noster et omnia.

QUÆSTIONES

PROOEMIALES IN APOCALYPSIN.

Quæritur primo, de auctoritate et auctore Apocalypseos, an nimirum sit liber canonicus; à quo, et quando scriptus? Dubitarunt olim nonnulli de auctoritate hujus libri. Marcionitæ et Alogiani olim, teste Epiphanio lib. 2. hær. 51. et nostro sæculo Erasmus, Lutherus et Calvinus Apocalypsin à canone sacræ Scripturæ rejecerunt. A suis ergo Patriarchis degenerant Augustinus Marloratus et Beza, quos sequuntur moderni Calvinistæ, qui eamdem recipiunt, ut ex ea probent Romanam Ecclesiam esse Babylonem, et consequenter Pontificem Romanum esse Antichristum, sed perperam, ut suis locis ostendam. Cæterum ipsi cornicum oculos configunt, atque invidia cæci, ut Pontifici eruant oculum unum, sibi alterum, imo utrumque, eruunt. Eorum enim servum arbitrium, ac lidem solam justificantem plane destruit, ac libertatem arbitrii, æque ac charitatis, aliarumque virtutum opera et merita, plane astruit Apocalypsis. Dubitarunt et nonnulli Catholici. Nam *Græcorum Ecclesiæ* (aliquæ scilicet; nam de pluribus contrarium ostendunt Cardinales Baronius et Bellarminus) *Apocalypsin non susciplunt*, ait S. Hieronymus epist. 129. ad Dardanum. Unde et Amphilochius coævus S. Basilio in catal. lib. canon. *Apocalypsin*, ait, *Joannis aliqui iis inserunt; sed longe plurimi adulterinam respuunt.* Quin et Caius vetus auctor apud Eusebium l. 3. cap. 28. Apocalypsin attribuit Cherinto hæretico Chiliastæ. Chiliastæ enim, sive millenarii suum de mille annis, quibus Sanctos post primam resurrectionem cum Christo in terra regnaturos putant, errorem hauserunt ex c. 20. Apocal. vers. 6. Verum Baron. anno Christi 97, ostendit hæreses Cherinti in Apocalypsi confutari.

Dico primo: Apocalypsis est Scriptura canonica. Est de fide, ut patet ex decreto Concilii Romani sub Damaso, ac Florent. et Trid. Item ex Ancyrano, Carthaginens. III. et Toletano IV. Rursum ex Innocent. 1. epist. 3. ad Exuperium, Gelasio, S. Augustino, de Doctrina Christiana, Cassiodoro, Isidoro, et aliis qui canonem librorum canonicorum pertexunt. Illi enim omnes in eo nominant et collocant Apocalypsin. Quocirca veteres Apocalypsin citant, ut librum canonicum. Ita faciunt S. Dionysius, Justinus, Irenæus, Hippolytus, Clemens Alexandrinus, Athanasius, Chrysostomus, Epiphanius, Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, et alii quos citat Pererius. Vide inter alios Cardinalem Baronium anno Christi nonagesimo septimo, et Bellarminum l. 1. de Verbo Dei c. 19.

Dico secundo. Licet aliqui, inter quos est Dionysius Alexand. apud Eusebium lib. 7. 20. Apocalypsin tribuant Joanni, non Apostolo, sed alteri presbytero et Christi discipulo, qui inde Theologus vocetur, tamen certum est Apocalypsis auctorem esse Joannem Apostolum; huic enim eam attribuunt Patres jam citati. Nec obstat quòd hic liber stylo differat ab Evangelio et epistolis S. Joannis; quia prorsus alia hîc est materia, scilicet prophetia, quæ alio stylo scribenda est, quam historia vel Ethica. Secundo, non obstat quod in Græco hic liber inscribatur: *Apocalypsis Joannis Theologi;* quia cognomen Theologi appropriatum fuit S. Joanni ob sublimitatem ejus doctrinæ, qua de Verbi divinitate altissimisque mysteriis profundissime disseruit. Unde Theophyl. præfat. in Evang. ait: Ἰωάννης δὲ ὁ θεολογικώτατος. Id patet ex epistola B. Evodii, quæ inscribitur τὸ φῶς; et ex epistola decima Dionysii Areopag. quæ inscribitur: *Joanni Theologo, Apostolo et Evangelistæ exultanti in Pathmo,* in qua inter alia ait: *Nulla adversitas nos privabit Joannis clarissimo radio, id quidem consecuturos memoria ac renovatione tuæ verissimæ Theologiæ.* Unde non immerito opinatur Alcazar, primum nomenclaturæ hujus auctorem, scilicet, qui nomen Theologi tribuerit S. Joanni fuisse S. Dionysium. Idem Theologi cognomen S. Joanni attribuunt S. Cyrillus, S. Chrysostomus, Athanasius, Origenes, Damascenus, qui orat. de Transfiguratione, vocat Joannem *purissimum Theologiæ organum*, et alii quos citat Baronius anno Christi 97. pag. 808. Errat ergo Beza, dum temere ex styli diversitate conjectat, hunc librum esse Joannis, non Apostoli, sed ejus qui cognominatus est Marcus, Actor. 12. v. 25.

Porro S. Joannes non hæbraice, nec latine, sed græce scripsit Apocalypsin; quia scribit eam septem Episcopis et Ecclesiis Asiæ, ut patet c. 1. v. 4. unde græce dicit v. 8. *Ego sum α et ω* non *ego sum Aleph et Thau,* quomodo dixisset, si hebraice scripsisset.

Dico tertio. Certum est Apocalypsin non esse conscriptam ante excidium Jerusalem per Titum, uti volunt Joannes Annius, P. Salmeron et Hentenius; sed diu post eam. Probatur id primo, quia conscripta est post relegationem S. Joannis in Pathmos, ut ipse ait c. 1. 9. hæc autem relegatio facta est à Domitiano, qui regnavit post Titum eversorem Hierosolymæ. Secundo, quia c. 2. v. 13. facit mentionem Antipæ Martyris. Antipas autem passus est sub Domitiano, ut habet Romanum Martyrologium 11. Aprilis. Quocirca pariter certum est S. Joannem scripsisse Apocalypsin in Pathmo, dum ibi exularet sub finem Imperii Domitiani, nimirum sub annum Christi 97, qui imperii Domitiani fuit 14. et penultimus. Ita Iren. lib. 5. sub finem, S. Hieronym. et Euseb. in chronico, item Primasius, Andreas, Aretas, Alcazar, et alii scribentes in Apocal. 1. v. 9. ac Baronius anno Christi 97.

Hinc patet primo Apocalypsin scriptam esse viginti quinque annis post excisam Jerusalem. Excisa enim est anno Christi 72; Apocalypsis autem scripta est anno Christi 97.

Patet secundo Joannem scripsisse Apocalypsin antequam scriberet Evangelium. Hoc enim

scripsit reversus ab exilio Pathmos, ut docent S. Hieronym. in Catal. Script. Eccles. Euseb. l. 5. histor. 24. S. August. et Beda proœmio in Evangelium S. Joannis : nimirum scripsit Evangelium sub annum Christi 99 (biennio post Apocalypsin), qui fuit annus Nervæ, post Domitianum imperantis, primus, quo etiam anno interiit magnus ille, sive Philosophus, sive magus, certe magnus orbis impostor, Apollonius Tyanæus, cum quo Joannes in Asia, æque ac Romæ Petrus et Paulus cum Simone Mago, congressus, eum prostravit, ac Evangelio suo quasi fulmine afflavit.

Denique biennio post mortuus est S. Joannes scilicet anno à nativitate Christi 101, ab ejus passione 68, qui fuit Trajani Imperatoris 2, cum ageret annum vitæ 106, ut vult S. Hippol. l. de Consummatione sæculi; vel ut alii 99, vel potius, ut Baron. 93. Cygnæam ergo hîc quasi vocem edit S. Joannes. Quocirca concludens Apocalypsin pene cum vita, ad amorem suum suspirans, suave illud dulciter canit : *Veni, Domine Jesu.*

Quæritur secundo quod sit argumentum, quæ materia Apocalypseos? Mire hîc variant Interpretes.

Primo, aliqui Apocalypsin generatim accipiunt, putantque in ea generaliter tantum describi dissidia et bella inter probos et improbos, ac utrorumque finem et exitum. Ita Ticon. et ex eo Primasius et Beda, quos fere sequuntur Ansbertus, Anselm. Rupert. Haymo, Richardus, Hugo, Thomas et Dionys. Huc accedit Arias Montanus, qui censet in Apocalypsi describi pugnam carnis et spiritus in quolibet homine. Verum prius nimis generale, posterius hoc mysticum est et tropologicum.

Secundo alii, et longe verius, putant particulatim in Apocalypsi describi futuros Ecclesiæ per varias ætates eventus, non omnes, sed illustriores tantum aliquos. In primis ergo Lyranus, Antoninus, et Aureolus censent Apocalypsin, post monita angelorum, id est, Episcoporum Asiæ à cap. 4. ad finem, prophetice futura prædicere, idque per sex visiones hac serie : A cap. 4. usque ad 8. primam visionem septem sigillorum ad Juliani Imper. tempora extendunt; secundam septem tubarum cap. 8. et sequent. ad Mauricium; tertiam draconis et duplicis bestiæ cap. 12. et 13. ad Carolum Magnum; quartam phialarum c. 16. usque ad Henricum Imperat.; quintam Babylonis usque ad Antichristum; sextam denique qua finem libri claudit, ad extremum judicium, salvandorum gloriam, et damnatorum supplicia referunt. Verum hos recte refutat Pererius disputat. 8. eo quod hæc expositio non tantum commentitia sit, sed hiulcam contineat vacuitatem. Nam tempus, quod post Aureoli ætatem futurum erat, describi putarunt per quintam et sextam, hoc est ultimam, visionem, quæ spectat ad Antichristum hisce trecentis annis, qui fluxerunt ab Aureolo hucusque, necdum venerit, nec tam cito venturus videatur; et tamen illustria multa hoc tempore, æque ac trecentis illis annis contigerunt, et contingunt.

Tertio, Abbas Joachim, Ubertinus et Seraphinus putant describi in Apocalypsi septem Ecclesiæ status, scilicet primum, fundationis ejus in Apostolis; secundum, persecutionis sub Gentilibus Imperatoribus; tertium, prosperitatis sub Constantino; quartum, divisionis sub hæreticis; quintum, tranquillitatis et incrementi sub Carolo Magno, et deinceps; sextum, ultimæ persecutionis sub Antichristo; septimum, extremi judicii. Verum et hæc explicatio partim violenta est, partim incerta; atque tota ab ingenio humano conficta, et textui adaptata videtur, æque ac præcedens.

Quarto, alii censent in Apocalypsi describi prima Ecclesiæ tempora, et sigillatim bellum Ecclesiæ cum Synagoga, et cum Gentilitate, ac de utraque triumphum. Nam à c. 6. ad 12. agi de Synagogæ et judaismi abrogatione : inde usque ad c. 20. de excidio gentilismi et Ecclesiæ regno. Ita noster Salmeron præludio 7. in Apocalypsin, tom. 16.

Huic scribit noster Ludovicus Alcazar, qui fuse et operose contendit Apocalypsin esse unum et continuum ænigma, quo eleganter describatur Ecclesiæ Romanæ, præsertim primitivæ, triumphus et gloria. Sic enim ipse ait initio operis in epist. dedicat. *Persuasio mea est mentem Spiritûs sancti in Apocalypsi fuisse, egregium quoddam ænigma proferre, quod excellentiam Ecclesiæ Christianæ primitivæ, duasque præclaras ipsius victorias adumbraret : alteram videlicet, quam de Hierosolyma rebelli reportaverat, alteram quam de antiqua Roma Ethnica deinceps consecutum iri, cœlesti oraculo promittebatur. Maximum autem fore inter duas prædictas victorias discrimen; quia exitus primæ, fuerat Hierosolymæ ac Judæi populi reprobatio : alterius autem finis et fructus futurus erat, Urbis et orbis, id est, Romæ et Gentilitatis, ad fidem Christi conversio; per quem erat futurum, ut mundani imperii domicilium ad se Christo transferente, latius præsideret Roma religione divina, quam olim dominatione terrena.* Itaque putat ipse in Apocalypsi non aliud describi, quam ruinam Synagogæ, sive judaismi, æque ac gentilismi, per erectionem Ecclesiæ, et regnum christianismi.

Verum in hac explicatione multa difficultatem habent. Primum, quod sit nova, et à communi explicatione dissentiens, licet eam cum communi conciliare conetur Alcazar notat. 21. quodque ab Alcazar asseratur quidem, sed non satis efficaciter probetur et demonstretur.

Secundum, quod mystica videatur, non litteralis; hæc autem interpretandi ratio taxata fuit in Origene, de quo S. Hieron. in Jerem. 27. ait : *Allegoricus semper interpres, et historiæ fugiens veritatem.*

Tertium, quod ex prophetia faciat historiam. Censet enim Joannem hîc per ænigma describere Hierosolymæ excidium ante 25 annos peractum et præteritum. At vero Apocalypsin hanc esse prophetiam de futuro docet ipsum ejus initium, sive libri titulus et inscriptio, quæ sic habet : *Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis, quæ oportet fieri cito,* id est, quæ cito futura sunt : Et v. 3. *Beatus qui audit verba prophetiæ libri hujus.* Unde S. Hier. lib. 1. contra Jovin. c. 4. *Joannes,* ait, *sicut appellatur Evangelista, quia librum Evangelii condidit; ita etiam appellatur Propheta, quia scripsit Apocalypsin infinita futurorum mysteria continentem.* Et Tertull. libr. 3. contra Marcion. cap. 24. Apocalypsin appellat *novæ prophetiæ sermonem, qui apud fidem nostram est.* Sic et S. Augustinus l. 20. Civit. 8. *Apocalypsis,* ait, *complectitur*

totum tempus à primo adventu Christi usque ad secundum. Sic et alii. Jam quis credat S. Joannem rem præteritam, claram, toto orbe publicatam et celebrem, puta Judæorum et Hierosolymæ excidium, tam obscuro et perpetuo ænigmate describere, involvere et abscondere voluisse? Rursum, quis credat eum de Romana Ecclesia tam obscure passim loqui, cum et verba plane aliud significent, et de Romana urbe sub nomine urbis septem montes complectentis, clare et diserte agat cap. 17. vers. 9.

Quarto, quia pleraque loca Apocalypseos ita clare, ex communi Ecclesiæ Doctorum explicatione, de temporibus novissimis loquuntur ut ad Ecclesiam Romanam, Judæorum et Gentilium victricem, detorqueri non posse videantur. Talia sunt, primo, sexti sigilli comminationes, quæ de extremi judicii signis prævias plane intelligendæ videntur. Secundo, plagæ tubarum ac phialarum, quæ plane videntur esse illæ, quas in fine mundi Deus in sceleratos immittet. Tertio, duo testes cap. 11. scilicet, Henoch et Elias, qui venient certaturi cum Antichristo, ab eo occidendo, et resurrecturi publice. Quarto, quod ibidem significat, Antichristum Hierosolymis regnaturum, atque eodem tempore, quo ab eo occidentur et resurgent Henoch et Elias, decimam Hierosolymæ partem terræ motu ruituram. Quinto, maris belluam, de qua c. 13. fore Antichristum; belluam vero terræ, fore ejus præcursorem et administrum. Sexto, Romam vastandam esse sub finem mundi per decem reges; et ex iis tres ab Antichristo occidendos, reliquos septem sponte se ei subdituros.

Respondet Alcazar not. 20. et 21. duos hîc esse sensus litterales, unumque alteri subordinatum; priorem per modum comparationis, alterum ut præcipue intentum. Prior est communis quem jam recensui; posterior, ait ipse, est meus de Ecclesia Romana.

Sic ergo ad singula ordine respondet, et singula juxta utrumque sensum exponit, et applicat. Ad primum: Sexti, ait, sigilli explicatio est hæc: ante vastitatem Hierosolymæ à Tito illatam, et ante Synagogæ repulsam, horribiles cœli minæ et tonitrua præcesserunt, quæ similes fuerunt iis quæ sunt ultimi judicii diem antecessura, atque eodem modo Christus utramque rem conjungit Matth. 24.

Ad secundum: Similiter, ait, dicendum est in septem tubarum plagis, Deum scilicet Apostolorum tempore, septem adversus Judæos plagas immisisse, ad earum similitudinem quas contra sceleratos in fine mundi est immissurus.

Ad tertium, eodem modo: Sicut enim Antichristi tempore Deus est Henochum et Eliam ad Judæos convertendos missurus: sic Apostolicæ prædicationis tempore Henochum et Eliam mystice et spiritualiter, hoc est Apostolos et viros Apostolicos, ad eosdem misit.

Ad quartum, similiter: Sicut decima Hierosolymæ pars Antichristi tempore ruet; sic olim Apostolorum tubis pars Hierosolymæ decima mystice corruit, cum relicto judaismo, Christo et Apostolis credens se subjecit.

Ad quintum, pariter: In bestia de mari prodeunte c. 13. designatur Imperium Romanum persequens Ecclesiam, instar Antichristi eamdem in fine mundi persecuturi.

Ad sextum: Decem reges in fine mundi Romam eversuros, similes esse iis qui mystice Romæ gentilismum everterunt.

Verum hæc, licet ingeniosa sint, tamen solidæ expositioni non satisfaciunt; nam primo, dura videntur, contorta et violenta. In Scriptura enim præterita assumuntur, ut typi et symbola futurorum: non vero econtra futura assumuntur ut sint typi præteritorum, eo quod futura præteritis sint obscuriora. Hoc autem fieri hîc censet Alcazar, dum Henoch et Eliam censet assumi quasi typum Apostolorum, Antichristum assumi quasi typum Decii et Diocletiani, cum econtra hi fuerint typi et præambuli Antichristi: plagas judicio prævias assumi quasi typum plagarum, quibus jam excisa et eversa erat Jerusalem. Quis enim unquam de re præterita, per futurorum symbola tam remota et obscura locutus est, eamque ita descripsit? Præclare P. Salmeron in Proleg. 10. quinquag. 2. can. 45. *Sicut*, inquit, *abusus magnus esset, et violentia quædam, historica ut prophetica interpretari: ita sane ingens esset error, et duritiæ textus, quæ prophetice dicta sunt ad historiam referre, etiamsi illa maxime enarrentur in præterito propter immobilem prophetiæ certitudinem. Et in hoc Rupertus explicans Apocalypsin defecisse videtur, qui res maxime propheticas et futuras ad historias retulit veteris Testamenti.*

Secundo, quia illæ plagæ, et res ad litteram, ut sonant, in fine mundi evenient: Alcazar autem illa, non ut sonant, sed mystice exponit in re præterita. Nam verbi gratia, septem plagas c. 7. ait fuisse Judæorum ignorantiam, concupiscentiam, iram et persecutionem in Christianos; plagam vero grandinis fuisse eorum obstinationem, etc. Sic cap. 16. plagæ novissimæ, ait, sunt illæ, quibus Deus idololatriam debellavit: scilicet, primo, pudor et dolor Gentilium, dum de peccatis arguuntur; secundo, persecutionis crudelitas in Evangelii prædicatores; tertio, in Gentiles etiam ad Christi fidem conversos mira sævitia; quarto, ex Christianorum sapientia gravissima offensio; quinto, summa in persecutione excæcatio; sexto, post invasionem Romæ major persecutio; septimo, manifesta urbis Romanæ divisio Evangelio prævalente, et idolorum cultura ruente. Quis exacta crisi litteram ab allegoria discriminans, non videt plagas hasce esse mysticas et spiritales, non litterales? Quis ergo credat per plagas æstus, pestis, cædis, aliasque litterales, hasce mysticas, non mystice, sed primo et litteraliter significari? Si hic non est sensus mysticus, quis erit? Talia sunt et cætera.

Urget Alcazar assidue acoluthiam, sive consequentiam et connexionem Apocalypseos, quam ipse cohærentem, et continuo filo quasi diductam exhibere se putat, cæteros exhibere non posse. Verum hæc in Prophetis ubique urgenda non est, uti ibidem ostendi, et inferius ostendam. Nam in Apocalypsi quandoque esse hysterologiam, sive perturbatum temporum ordinem Alcazar negare nequit. Res enim ipsa loquitur; ut cap. 14. 8. dicitur: *Cecidit, cecidit Babylon;* cum tamen postea c. 18. demum Babylonis casus et excidium describatur. Sic c. 14. v. 14. 16. 19. dicitur factum et peractum esse judicium, demessam terram, reprobos missos in lacum iræ Dei magnum; cum tamen mox cap. 16. subdat septem plagas orbis judicio prævias; et cap. 17. et 18. excidium Babylonis; et c. 19. stra-

gem Antichristi, Gog et Magog; et c. 20. solutionem Satanæ, etc. quæ omnia præibunt diem judicii, et consummationem sæculi, uti constat. Ad hæc, acoluthia hæc in sensu communi, quem Alcazar admittit, et quasi grammaticum suo præsupponit, servari nequit, uti ipse contendit; cur ergo servetur in sensu ænigmatico, sive parabolico, qui grammatico inniti, et ex æquo respondere debet? Tertio, quæ acoluthia est principium jungere fini, media transilire, atque ab ultimis mundi temporibus comparationem petere, ad explicanda illa quæ primis Ecclesiæ sæculis peracta sunt? Quarto, in Apocalypsi non est tanta ordinis perturbatio, atque Ribera et aliqui alii censent. Nam excidium Babylonis, quod describitur c. 17. et 18. suo loco et ordine positum est, uti ostendam c. 17. 16. Denique paucas hîc esse hysterologias ostendam in chronotaxi, quam dabo in fine comment.

Porro in hanc sententiam Alcazarem impulit, non adulatio, sed amor et reverentia Romanæ Ecclesiæ et Sedis Apostolicæ, studiumque eam celebrandi, uti ipse ingenue profitetur. Mentem et finem laudo, rem et media multi non laudant. Amor enim veritati, affectus rationi obsequi debet, non ratio affectui. *Honor* enim *regis judicium diligit.* Habet Ecclesia Romana suas priscas verasque laudes, nostris noviter adinventis, vel commentis non indiget. Non defuerunt tamen Alcazari ad ita sentiendum conjecturæ subtiles et in speciem probabiles. Verum est vetus dictum: *Eruditus errans errat errore erudito.* Quamquam hîc proprie error non est, si hæc ejus explicatio, non ut litteralis et primo intenta, sed ut symbolica et mystica vel accommodatitia, et ingeniose per omnia argumento tam digno et nobili adaptata, accipiatur. Nam et S. August. Gregor. Ambros. aliique Patres sæpe sequuntur symbolicam S. Scriptur. interpretandi rationem, eamque varii variam, de qua vide Sixtum Senens. in Biblioth. Porro hæc, licet symbolica, à nonnullis tamen vocatur litteralis, sed secundaria, itaque vocari potest, quando nimirum Spiritus S. ad eam significandam directe, licet secundario, ferebatur, ad eamque primam litteralem uno quasi intuitu et complexu dirigebat. In symbolis enim variæ sunt significationes et allusiones, etiam litterales. Mens enim Spiritûs S. altissima est et amplissima, ideoque ultima primis, prima mediis, media utrisque facile connectit, eaque inter se prout vult dirigit et componit, uti eum hîc fecisse in hac sua expositione opinatur Alcazar. Hæc ad excusationem Patris pii, æque ac eruditi, mihique arcto ejusdem Societatis vinculo astricti, et peramici dicta sint.

Dico ergo argumentum Apocalypseos esse duplex. Primo enim, usque ad c. 4. exhortatur S. Joannes fideles suos, ac corripit corrigitque mores septem Episcoporum et Ecclesiarum Asiæ. Ac proinde verum est quod ait Rupertus: *Apocalypsin continere qualis fuisset, qualis tunc esset, et qualis futurus esset Ecclesiæ status.* Hucusque ergo historica et ethica est Apocalypsis, deinceps vero prophetica. Secundo, ergo, et longe potiori parte, scilicet à c. 4. usque ad finem libri, prophetat hîc S. Joannes de rebus in Ecclesia futuris, maxime sub finem mundi tempore Antichristi. Sicut enim ipse primi adventûs Christi fuit annunciator et Evangelista, ita secundi voluit (Deo ita ordinante) esse Propheta et præ-nuntius; præsertim quia maxima, gravissima, et partim acerbissima, partim lætissima erunt, quæ in fine mundi contingent.

Scopus et finis quem spectat, est, ut per hæc omnia, et maxime per gloriam Martyrum, virginum, omniumque Beatorum, atque per impiorum et reproborum damnationem, quæ hîc sæpius describit et inculcat, ac fuse cap. 20. et deinceps enarrat: fideles, tum sui temporis, tum deinceps futuros, excitet ad constantiam in fide et pietate, ac ad martyrium sub Domitiano, aliisque persecutoribus fortiter obeundum. Jam enim instabant fidelibus persecutiones Antonini, Aureliani, Decii, Valeriani, Diocletiani, Maximiani, et aliorum; quæ numero decem fuerunt, et durarunt per trecentos annos, scilicet usque ad tempora Constantini. Ad hosce ergo omnes corroborandos S. Joannes scripsit Apocalypsin, æque ac ad alios fideles quovis ævo ab infidelibus hæreticis aliisque impiis persecutionem passuros, ac præsertim ad eos, qui in fine mundi ab Antichristo gravissime oppugnabuntur: ut illi ex signis, quæ hîc consignat, cognoscant Antichristum, eique usque ad mortem ductu Henoch et Eliæ, sese generose opponant, ac de eo triumphent, palmas et coronas æternas mox accepturi.

Rursum Joanne exulante in Pathmos, in Ecclesiis Asiæ succrescebant nonnullæ hæreses et vitia: utraque hic resecat Joannes. Cherintus enim, Ebion, aliique hæretici docebant Christum non esse Deum, nec fuisse ante B. Mariam; sed esse purum hominem, qui nascens ex beata Maria cœperit esse; contra quos Joannes ex professo scripsit Evangelium, ideoque illud orditur dicens: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Contra hos hîc cap. 1. et cap. 22. inducit Christum dicentem: *Ego sum α et ω, principium et finis, primus et novissimus.* Alii dicebant Ecclesiam ponderc tribulationum ante finem mundi opprimendam et desituram, atque pro laboribus suis et tribulationibus post hanc vitam præmium non accepturam; contra hos docet hîc Joannes Ecclesiam per tribulationes non desinere, sed proficere, atque pro his bravium gloriæ cœlestis adepturam; quod proinde fuse et graphice depingit, præsertim cap. 21. et 22.

Hæc est argumenti series, licet in ipso Joanne more prophetico subinde inversa. Primo, tribus primis capitibus correctiones, instructiones et monita ad septem Asiæ Episcopos continentur.

Deinde proponitur liber, puta Apocalypsis, septem sigillis signatus, atque ipsa sigilla reserantur continue usque ad caput undecimum. Porro hæc sigilla continent ea quæ usque ad finem mundi futura sunt in Ecclesia, ac præsertim plagas et signa, quæ præibunt, eruntque præambula tam extremo judicio, quam Antichristo.

Tertio, à cap. 11. usque ad finem libri, apertis jam sigillis, ipsum librum, id est scripta in libro, enarrat, scilicet visiones et prædictiones, quæ spectant Antichristi tempora, contra fideles et sanctos, atque electorum constantiam; Henoch et Eliæ prædicationem, martyrium et resurrectionem; item septem plagas novissimas, stragem Gog et Magog, uti et Antichristi cum suis asseclis interitum; ac demum cap. 20 universale judicium, et duobus ultimis capitibus glo-

riam Beatorum ad vivum depingit. Vide chronotaxin in fine commentarii.

Porro Beda, et ex eo Pererius et Viegas totam Apocalypsis materiam in septem partes sive visiones dividunt. Prima est Christi vestiti podere, qui septem Episcopis et Ecclesiis Asiæ scribit, partim ut in fide constantes sint, partim ut vitia sua emendent. Secunda est ea, qua à c. 4. ad 8. videt Agnum inter quatuor animalia et 24 seniores, aperire librum septem sigillis signatum. Tertia, qua c. 8. et 9. videt in septimo sigillo septem Angelos septem tubis canentes, in fine mundi magnas clades orbi inducere. Quarta, c. 12. sub figura mulieris amictæ sole parturientis, et draconis eam insequentis, Ecclesiæ persecutiones et victorias, quas de Antichristo referet, describit. Quinta, c. 15. et 16. videt septem Angelos septem phialas et plagas novissimas in orbem effundere. Sexta, c. 17. et 18. damnationem et incendium meretricis magnæ, puta Babylonis, id est Romæ, idolis servientis, complectitur, uti et exitium diaboli et Antichristi, omniumque ejus asseclarum c. 19. ac judicium extremum c. 20. Septima, c. 21. et 22. cœlestis Jerusalem miram speciem, decorem et gloriam exhibet.

Quæritur tertio quæ et quanta sit difficultas et obscuritas Apocalypseos, quaque via ac methodo ea superanda sit?

Consentiunt omnes Interpretes Apocalypsin esse librum omnium librorum S. Scripturæ obscurissimum et difficillimum, tum ob ejus sublimitatem, de qua dixi quæst. 1. tum quia plena est symbolis et ænigmatibus; tum quia prophetiæ ejus necdum impletæ sunt, uti impletæ sunt Prophetiæ Isaiæ, Jeremiæ et aliorum Prophetarum, sed adhuc implendæ restant. Omnis enim prophetia, quamdiu ejus executio pendet, nec reipsa exhibetur et cernitur, obscura est, ait S. Epiphanius.

Hinc Pannonius in præfatione ait, *Apocalypsin esse opus immensæ difficultatis.* Salmeron præludio 4. asserit, *Apocalypsis expositionem esse veluti quadraturam circuli, de qua dici solet: Scibilis est, sed nondum scita.* Pererius disp. 1. ait, *multos opinari, absque singulari Dei revelatione Apocalypsin esse prorsus incomprehensibilem.* Ribera, in proœmio, Apocalypsin dicit *esse mare magnum plenum procellis et tempestatibus, in quo omnis sapientia humana devoratur.* Idem asserunt Dionysius Alex. Richard. Victor. Joachimus Abbas, Cajetanus, Viegas, et alii, quorum verba citat Alcazar notat. 5.

Denique S. Hieron. epist. 103. ad Paulinum c. 7. *Apocalypsis*, ait, *Joannis tot habet secreta, quot verba. Parum dixi pro merito voluminis, laus omnis inferior est: in verbis singulis multiplices latent intelligentiæ.* Ac S. Ephrem l. de Pœnitentia: *Cuncta*, ait, *per parabolam et ænigma locutus est S. Joannes in Apocalypsi.* Quocirca hic nobis dicendum est, quod Aristot. l. 3. Rhetor. refert Socratem lecto Heracliti, qui σκοτεινος, id est tenebrosus et obscurus vocatus est, libro dixisse: *Laudo quæ intelligo, laudo etiam quæ non intelligo.*

Porro in hac obscuritate facem nobis præbebunt Canones aliquot, qui quasi claves librum hunc signatum aperient, ejusque arcana revelabunt.

I. Primus canon sit, quem dat S. August. l. 3. de doctr. Christiana c. 10. et 15. Apocalypsis omnisque S. Scriptura ad litteram, uti sonat accipienda est, quantum fieri potest, nisi videlicet quid ab ea dicatur, quod plane et simpliciter acceptum absurdum sit, ac sanæ fidei, bonisque moribus repugnet. Verbi gratia, cum Christus ait: *Si oculus tuus, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum*, si ut sonat accipias (uti fecit Origenes, qui tentatus stimulo carnis se castravit, ut castitatem conservaret, zelose quidem, sed imprudenter et illicite) absurdum quid significat, scilicet ut quis se ipsum mutilet. Ergo hæc figurate et metaphorice accipienda sunt hoc sensu. q. d. Si amici, fratres, parentes, etc. te ad hæresin, vel aliud scelus sollicitant, eorum familiaritatem reseca, et subduc te ab illis, licet charis, et necessariis instar oculi vel pedis.

II. Secundus. Prophetæ non servant ordinem temporis ac rei gestæ vel gerendæ, idque ut scriptura eorum prophetia esse videatur, et non historia; et quia diversis temporibus et occasionibus, prophetias sive revelationes à Deo acceperunt, uti ostendi can. 3. in Prophetas, et in Chronotaxi Jeremiæ. In Apocalypsi ergo, visiones propheticæ S. Joanni diversis temporibus, uti videtur, revelatæ, non describuntur ordine temporis, sed sæpe interrumpitur tam earum, quam temporis series et ordo; ita ut prius gesta, aut potius gerendo postponantur, et posterius gerenda præponantur. Itaque in hoc libro subinde sunt anticipationes, recapitulationes, transgressiones, item et regressiones, atque repetitiones earumdem rerum: quin et repentinæ transitiones. Nam ex uno in aliud, vel simile, vel dissimile, ac ex figura ad rem figuratam repente transit aliquando Propheta, atque illis non perfecte declaratis, ad priora redit et resilit.

III. Tertius. Eadem res apud Prophetas per plures et diversas visiones et figuras præfiguratur, idque fit, primo, ad prophetiæ, et rei futuræ, quam prædicunt, confirmationem et certitudinem. Sic Genes. 41. eadem sterilitas in Ægypto futura præsignificata est Pharaoni per visionem duplicem, spicarum scilicet aridarum, et vaccarum macilentarum. Secundo, quia una imago et similitudo non potest adæquare totam rei veritatem: quædam ergo res conditiones et circumstantiæ per unam imaginem et visionem, quædam per aliam significantur.

IV. Quartus. Tota Apocalypsis plena est allusionibus ad veteris Instrumenti locos, historias et figuras, ac præsertim sæpe alludit ad templum Salomonicum, candelabra, arcam, vestes sacerdotales, altare holocaustorum et thymiamatis, victimas, aliaque Mosaica sacra. Ita Alcazar in c. 1. v. 12. Maxime vero alludit hic Joannes ad visiones Ezechielis et Danielis; hisce enim ejus hic persimiles sunt.

Interpretes, qui in Apocalypsin scripserunt, fuerunt plurimi: plures centum recenset Alcazar notat. 26. iique extiterunt quovis sæculo, ut notat Pererius. Nam primo sæculo, post editam Apocalypsin, in eam scripserunt S. Justinus et Irenæus, teste S. Hieronimo.

Secundo sæculo, scripserunt S. Hippolytus, Episcopus Portuensis; Methodius, Melito, Victorinus, et Dionysius Alexandr. teste eodem sancto Hieronymo.

Tertio, S. Basilius et Nazianzenus, ut patet ex comment. Andreæ Cæsariensis et Aretæ. Scripsit item Ticonius Donatista, cujus homi-

liæ 18. in Apocal. extant inter opera S. Augustini tom. 9. Has enim Ticonii esse, non S. Augustini, patet tum ex prologo Primasii in Apocal. tum ex cap. 20. Apocal. quod S. August. in l. 20. de Civit. Dei c. 7. et seq. aliter explicat, quàm Ticonius hîc.

Quarto sæculo, scripserunt in Apocalypsin Primasius anno Christi 440, Cyrillus Alexandrinus, et Gennadius anno Christi 490.

Quinto, Cassiodorus, qui floruit anno Christi 577, Andreas Archiepiscopus Cæsariensis, quem mire laudat noster Peltanus, et commentator qui nomine S. Ambrosii circumfertur. Hunc enim commentarium non esse S. Ambrosii Mediolanensis Archiepiscopi patet, tum ex styli diversitate, tum quia in caput 17. scribens meminit regni Longobardorum, quod diu post S. Ambrosium cœpit, puta post annum Domini 550. Adde: Ambrosiaster hîc multas sententias transcribit ex S. Gregorio; fuit ergo S. Ambrosio ducentis annis posterior.

Sexto sæculo, scripserunt Beda sub annum Domini 730, et Albinus sive Alcuinus anno Domini 770, teste Trithemio.

Septimo, Rabanus Maurus anno Domini 855, Aretas et Haymo anno Domini 830.

Octavo, Ansbertus anno Domini 890. Qui scribens in illa verba c. 17. *Ego ostendam tibi*, ait folio 330, sæpe se instructum fuisse à Christo per internam inspirationem, ut obscura Apocalypseos intelligeret, et ab eo didicisse quodnam futurum sit signum Antichristi, quo suos asseclas ipse consignabit.

Nono, Anselmus Cantuariensis anno Domini 1080.

Decimo, Anselmus Laudunensis, auctor glossæ interlinearis anno 1110.

Undecimo, Rupertus anno 1120, et Richardus de S. Victore 1140.

Duodecimo, Hugo Cardin. anno 1240, Albertus Magnus anno 1260, et Joachim Abbas anno 1200, qui jussu Lucii III, Urbani III et Clementis III, Pontificum Roman. scripsit in Apocalypsin, atque à multis suo tempore habitus est Propheta, teste Sixto Senensi l. 2. Biblioth. verbo *Joachim*, sed negat id Trithemius; quia, inquit, Joachim prædixit Fredericum Imp. hostem fore Ecclesiæ, cujus contrarium experientia nos docuit. Et Alcazar notat. 22. num. 3. Erravit, ait, Joachim in mysterio SS. Trinitatis, et pro uno Deo tres inducere voluit: quocirca error ejus damnatus est tit. *de summa Trinitate et fide Catholica*, cap. *Damnamus*. Et esto suum errorem ipse agnoverit et revocarit, tamen qua facilitate suo judicio nimis fidens semel illusus et deceptus est, eadem potuit et secundo decipi. Nam prophetiæ ejus, potius somnia ac deliria videntur. Quale est illud, quod asserit de duodecim Apostolis in fine mundi mittendis, qui non erunt, inquit, Apostolis Christi inferiores. Atque hoc ille somnium persuadet sibi in litterali Apocalypseos sensu contineri, in num. 24. seniorum. Quocirca D. Thomas in 4. dist. 44. art. 3. q. 2. ad 3. *Abbas Joachim*, inquit, *per conjecturas de futuris aliqua vera prædixit, et in aliquibus deceptus fuit.* Vide quæ de Joachimo annotavi præfatione in Isaiam, in fine.

Decimo tertio, Petrus Aureolus anno 1317, Ubertinus de Cassalis anno 1300. Sub idem tempus scripsit F. Matthias Suecus, præceptor S. Bernardini Senensis et Confessarius S. Brigidæ, laudat ipsa ejus commentarium lib. 6. Revelat. cap. 89. Totus mysticus est et moralis. Nactus sum eum manuscriptum Romæ. Nicolaus de Lyra anno 1320.

Decimo quarto, Thomas Doctor, non Angelicus, sed Anglicus, Paulus Burgensis anno 1434; S. Antonius, qui sequitur Lyranum et Aureolum anno 1460, Dionysius Carthusianus anno 1470, et Joannes Annius.

Decimo quinto sæculo, Claudius à Monte Martyrum, Cœlius Pannonius (qui proprio nomine vocatur F. Gregorius Hungarus, Prior S. Stephani in Cœlio monte Romæ, uti habet meus codex) Seraphinus de Fermo urbe Italiæ, Petrus Galatinus (qui edidit l. de Arcanis fidei mysteriis contra Judæos). Hic scripsit in Apocalypsin decem libros eosque dedicavit Carolo V. Imp. Extant manuscripti in Biblioth. Vaticana, ubi eos legi. Prophetat instar Abbatis Joachim de futuris Ecclesiæ temporibus, persecutionibus, successibus, ac præsertim de Pastore (Pontifice) angelico, qui admirandæ sapientiæ et sanctitatis futurus sit, tantæque humilitatis et modestiæ, ut neminem ad osculum pedum admissurus sit: ac instar Christi habiturus duodecim Apostolos, per quos reformabit et divino amore succendet totam Ecclesiam, ut illa ad primordia sanctitatis suæ sub Apostolis redire videatur. Post illum vero secuturum Antichristum, qui omnia pessumdabit: ac deinde fore finem mundi, judicium et resurrectionem. Rursum, septem spiritus, de quibus Apocal. 1. 4. censet esse septem Angelos principes, Deo assistentes, qui proxime à Deo illuminentur, eorumque nomina esse hæc Michael, Gabriel, Raphael, Uriel, Sealtiel, Jehudiel, Barachiel: quæ omnia B. Amadæo à Gabriele revelata esse asseverat, de quibus plura dicam, cap. 1. v. 4.

Denique hocce sæculo in Apocalypsin commentati sunt è nostris Franciscus Ribera, qui præ cæteris singulas prophetiæ hujus partes et sententias particulariter, et apposite ad litteram explicat et applicat: Blasius Viegas succulente et moraliter: Benedictus Pererius in octo prima capita docte et floride: ac Ludovicus Alcazar prolixe, ingeniose, erudite et elaborate, utinam æque genuine et solide ad litteram!

Ergo pro sensu litterali præ cæteris legendi hîc sunt Ambrosiaster, Andreas Cæsariens. quem sequitur Aretas, Ribera et Viegas: pro mystico Rupertus: pro morali Viegas, qui tamen subinde liberius suo conceptui indulget, et evagatur, nec satis insistit sensui litterali, qui omnis sensus moralis et mystici appositum æque ac solidum debet esse fundamentum. Qua in re peccant multi Interpretes et Concionatores, qui, dum subtiles et aerios venantur conceptus, solidos, divinos ac genuinos Spiritus sancti amittunt.

Ex hæreticis scripserunt Beza, Bullingerus, Meyerus, Lambertus Viretus, Pignetius et alii, è quibus suam catenam consarcinavit Marloratus. Scripserunt et nuper nonnulli Anglo-calvinistæ, qui dum in Pontificem Romanum sua omnia contorquent, livore cæci, mania et cerebro laborare videntur, ac elleboro potius indigere quàm calamo. Putant se mathematice demonstrare Pontificem esse Antichristum, cum omnis illorum demonstratio, vel nuda eorum assertione, vel mendaciis, vel calumniis, vel textus

depravatione aut contorsione nitatur : sat eis est, si rudibus sive per fas, sive per nefas insanum hoc suum phantasma, et mentis hæreticæ idolum persuadeant. Sua hæc somnia vocant Apocalypses Apocalypseos, cum revera sint Epicalypses et Calyptræ, quibus Apocalypsin magis involvunt, intricant et obscurant, dum spiritu vertiginis acti, in orbem à calce ad caput eunt et redeunt, quibus vere competit illud Psaltis: *Impii in circuitu ambulant.*

Hosce Interpretes, præsertim recentiores orthodoxos omnes, ac nominatim totum Alcazarium, à capite ad calcem perlegi, discussi, et in compendium redegi, quod huic commentario sparsim inserui ; ut qui eum legerit, totum Alcazarium, cæterosque omnes Interpretes legerit, magno tum librorum, tum temporis, æque ac laboris compendio. Quocirca singulorum sententias ordine methodico recensebo : ac deinde illam quæ magis genuina videtur subtexam, eamque exactius et fusius paulo confirmabo et illustrabo ; præsertim ubi illa mea unius erit, et vix alium habebit auctorem, qui eam rite et plene explicet, ut difficultates omnes exhauriat, ac mentem votumque legentium expleat. Ubi simul ostendam qua ratione pleraque quæ ab iis minus vere et congrue pro sensu litterali afferuntur, ac præsertim ab Alcazario, congrue vereque pro sensu vel morali, vel accommodatitio usurpari possint : atque ita et Alcazario aliisque auctoribus, æque ac ipsis lectoribus consulam, faciamque ut opus ejus eruditum et viginti annis elaboratum, magis commodum utileque reddatur. Concludo : Syriaca versio novi Testamenti, quæ extat in Bibliis Regiis, in sola Apocalypsi desideratur. Illa Romæ extat in biblioth. Vaticana, æque ac versio Arabica : utramque subinde citabo, ubi quid novi affert vel illustre, uti feci in commentario Prophetarum.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Proponitur libri titulus, et elogium usque ad v. 4. Deinde subditur epistola seu dedicatio libri a v. 4. usque ad 8. qua septem Asiæ Ecclesiis, quibus prædicaverat, suam Apocalypsin dedicat, eisque gratiam et pacem apprecatur. Tertio, est prologus, continens narrationem primæ visionis a v. 8. ad finem. Describit enim speciem gloriosam Christi, quam vidit in medio septem candelabrorum, id est, septem Ecclesiarum Asiæ.

Notat Alcazar, in singulis hisce tribus partibus, argumentum totius libri indicari, in titulo breviter, paulo latius in epistola, in prologo seu prima actionis persona distinctius. Christus enim forma sua et specie quasi repræsentat omnia quæ continentur in Apocalypsi, sicut prologus in comœdia totam comœdiam summatim exhibet.

1. Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis, quæ oportet fieri cito ; et significavit, mittens per Angelum suum servo suo Joanni. 2. Qui testimonium perhibuit verbo Dei, et testimonium Jesu Christi, quæcumque vidit. 3. Beatus, qui legit et audit verba prophetiæ hujus, et servat ea quæ in ea scripta sunt : tempus enim prope est. 4. Joannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia. Gratia vobis et pax ab eo, qui est, et qui erat, et qui venturus est ; et à septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt. 5. Et à Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ : qui dilexit nos, et lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo. 6. Et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo ; ipsi gloria, et imperium in sæcula sæculorum : Amen. 7. Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes Tribus terræ. Etiam : Amen. 8. Ego sum A et Ω, principium et finis dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est, omnipotens. 9. Ego Joannes frater vester, et particeps in tribulatione, et regno, et patientia in Christo Jesu ; fui in insula, quæ appellatur Pathmos, propter verbum Dei, et testimonium Jesu : 10. Fui in spiritu in Dominica die, et audivi post me vocem magnam tanquam tubæ, 11. Dicentis : Quod vides, scribe in libro ; et mitte septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, Epheso, et Smyrnæ, et Pergamo, et Thyatiræ, et Sardis, et Philadelphiæ, et Laodiciæ. 12. Et conversus sum, ut viderem vocem quæ loquebatur mecum ; et conversus vidi septem candelabra aurea, 13. et in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum podere, et præcinctum ad mammillas zona aurea : 14. caput autem ejus et capilli erant candidi tanquam lana alba, et tanquam nix, et oculi ejus

tanquam flamma ignis: 15. et pedes ejus similes auricalcho, sicut in camino ardenti, et vox illius tanquam vox aquarum multarum; 16. et habebat in dextera sua stellas septem, et de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat; et facies ejus sicut sol lucet in virtute sua. 17. Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus. Et posuit dexteram suam super me dicens: Noli timere; ego sum primus, et novissimus. 18. Et vivus, et fui mortuus; et ecce sum vivens in sæcula sæculorum; et habeo claves mortis, et inferni. 19. Scribe ergo quæ vidisti, et quæ sunt, et quæ oportet fieri post hæc. 20. Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea, et septem candelabra aurea: septem stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum; et candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt.

1. Apocalypsis, id est revelatio. Nam αποκαλυπτω græce idem est quod revelo, velata et arcana detego; καλυπτω enim idem est quod tego, occulto: unde καλυμμα, id est velum; et καλυπτρα, id est flammeum sponsæ, sive velamen capitis mulierum. Jesu Christi, quasi dicat: Hæc est, vel hîc incipit prophetia Jesu Christo à Deo Patre, non ænigmatice, sed palam et aperte revelata. Pater enim clare loquitur Christo filio suo. Quam dedit illi, puta Christo, in sua conceptione et incarnatione (ab ea enim Christus plenus fuit omni scientia, sapientia, gratia et virtute) Deus palam facere, id est, ut eam palam faceret et revelaret non aperte, sed per ænigmata et symbola, servis suis, Christianis. Apocalypsis, inquam, sive revelatio eorum quæ oportet fieri cito,] hoc est, quæ cito incipient fieri, licet non cito finientur. Nam persecutiones Christianorum, quæ hîc revelantur, cœperunt sub Trajano, qui post Nervam successit Domitiano, et terminabuntur in fine mundi. Perperam ergo ex hoc loco suspicati sunt nonnulli, cito fore finem mundi, et diem judicii, quam suspicionem abstergit Christus Matth. 24. v. 36. et S. Paulus 2. Thessal. 2. 1. uti ibi annotavit S. Thom. et S. August. 18. Civit. 53. Minus etiam recte alii: Cito, inquiunt, quia mille anni apud Deum sunt sicut dies una. Hæc enim explicatio non est sufficiens consolatio humanæ infirmitati, quæ tot annorum moras non patitur. Secus est in Prophetis virisque divinis, uti dicam v. 7.

Hinc ergo patet Apocalypsin primo revelatam esse animæ Christi in ejus incarnatione, idque clare et perfecte; eique soli, non Prophetis, non etiam Angelis. Fuerunt enim hæc secreta abscondita à sæculis in Deo, ut ait S. Paulus Ephes. 3. v. 9. Ad Christi enim solius officium pertinebat præscire et prævidere ea, quæ ejus fidelibus totique Ecclesiæ erant post et per suam mortem eventura, præsertim in fine mundi: ibi enim incipiet gloriosum Christi regnum. Porro Christus per angelum hanc suam Apocalypsin revelavit S. Joanni, qui eam hîc describit, omnibusque spectandam proponit; uti in comœdia vel tragœdia, res et colloquia Imperatoris alicujus olim facta, per eum qui ejus personam gerit, quasi propria, et quasi jam fierent, et ab eo gererentur, recensentur et exhibentur. Ita Alcazar in proœmio notat. 3. qui et addit notat. 4. Joannem hîc tacite recusare ne libri appellatio præferat ipsius scriptoris nomen: ait enim, Apocalypsis, non Joannis, sed Jesu Christi; sicut nostræ Societatis auctor eam Jesu Societatem, non Ignatii, modestiæ causa voluit appellari. Ecclesia tamen merito Joanni eum honorem defert quem ille rejecerat, vocatque Apocalypsin sancti Joannis.

Hîc ergo Christus suam Apocalypsin, id est revelationem quam à Patre accepit, non totam, sed partem Ecclesiæ magis profuturam revelat S. Joanni, et per eum fidelibus; tecte tamen et arcane, scilicet per ænigmata, quorum respectu potius est Epicalypsis, quàm Apocalypsis. In re ergo est Apocalypsis, sed in modo et phrasi est Epicalypsis, id est occultatio et velamen: ipsi tamen Christo, cui primo clare revelata est, fuit, et quoad rem, et quoad modum, Apocalypsis, non Epicalypsis. Hoc responsum sit Luthero, qui sanctam Scripturam vult omnibus esse claram, ideoque Apocalypsin rejicit, quod obscura sit, et falso dicatur Apocalypsis, id est revelatio. Adde, licet prophetiæ in ea sint obscuræ, multa tamen in ea sunt præcepta vitæ clarissima, et præsertim exhortationes ad perseverantiam et patientiam tempore persecutionum, uti recte Luthero respondet Bellarm. l. 1. de verbo Dei cap. 19. Alio sensu S. Paulus. 1. Corinth. 1. v. 7. et S. Petrus epist. 1. c. 1. v. 7. et 13. Apocalypsin, sive revelationem Jesu Christi, vocant eam quæ ab ipso Christo facienda est in die judicii. Tunc enim se, suamque gloriam, et potestatem judiciariam, æque ac omnium hominum facta, tam bona, quam mala, toti mundo pandet et revelabit.

Mittens (scilicet hanc Apocalypsin, sive prophetiam) per angelum suum servo suo Joanni.] Deus enim, et Christus solet per angelos docere et illuminare homines. Hoc enim congruus divinæ providentiæ ordo poscit, ut imi per medios dirigantur; hocque est officium angelorum, id est legatorum Dei. Sunt enim ipsi administratorii spiritus in ministerium missi, Hebr. 1. Pari modo Deus Isaiam, Jeremiam, aliosque Prophetas ordinarie, non per se immediate, sed per angelos docuit, eisque suas Prophetias revelavit, uti dixi proœmio in Prophetas quæst. 1. revelavit ergo hanc Apocalypsin tota Trinitas Christo secundum humanitatem, Christus angelo, angelus Joanni, Joannes Ecclesiæ, prout illam hîc eidem scribit et inscribit.

Nota. Tripliciter loqui solet Deus hominibus et Prophetis. Primo, per internam locutionem et inspirationem, sive in phantasia factam per angelum (uti communiter accidit) sive in mente factam à solo Deo. Solus enim Deus menti nostræ illabi potest, solus immediate intellectum illuminat, et voluntatem commovet et accendit. Secundo, per externam apparitionem et locutionem angeli. Tertio, si ipsemet Deus vel Christus appareat et loquatur, uti apparuit S. Paulo eum convertens Actor. 9. 4. et alias aliisque sæpius. Tertius modus nobilior est secundo, et secundus nobilior est primo. Quocirca S. Hieron. Matth. 2. Josephi dignitatem præ Magis colligit, ex eo quod Deus ad Josephum legaverit ange-

lum, Magos vero docuerit per se in somnis. Verba ejus sunt: *Qui munera obtulerant Domino, consequenter responsum accipiunt, non per angelum, sed per ipsum Dominum; ut meritorum Joseph privilegium demonstraretur.* Rex enim majore honore afficit subditum, cum ad eum legat principem aliquem è sua aula, quàm cum ad eum nudas mittit epistolas; inspirationes enim Dei sunt quasi ejus epistolæ. Ita Alcazar.

2. QUI TESTIMONIUM PERHIBUIT VERBO DEI, ET TESTIMONIUM JESU CHRISTI,] id est, de Jesu Christo, qui est Verbum Dei jam dictum: est enim hendiadys et appositio. Idem enim est *Verbo Dei*, quod *Jesu Christi*. Ita Ribera.

Secundo, et magis genuine, verbum Dei vocat doctrinam à Deo revelatam, qualis est Evangelium, omnisque S. Scriptura: hæc enim passim vocatur verbum Dei. Porro hoc verbum, et hæc doctrina Dei hoc loco non est aliud, quàm *testimonium Jesu Christi*, id est Evangelium, sive Doctrina evangelica, quam prædicamus, qua testimonium perhibemus Jesu Christo, quod scilicet ipse sit missus à Deo mediator, redemptor et salvator mundi. Hîc ergo Joannes suam Apocalypsin et prophetiam vocat evangelium, id est optimum nuntium de instante ob Christi fidem persecutione, et per eam martyrio, ac felicitate et corona æterna, quam suis hîc Christus promittit et ostentat. Est enim Evangelium et fides, substantia rerum sperandarum, Hebr. 11. 1. Apocalypsis ergo continet Evangelicæ Doctrinæ medullam et substantiam.

Hunc esse sensum patet primo, ex Græco: ος εμαρτυρησε τον λογον του Θεου, και την μαρτυριαν Ιησου Χριστου, id est, qui testificatus est verbum Dei et testimonium Jesu Christi. Idem est ergo verbum Dei, quod testimonium Jesu Christi; sic ut eadem doctrina Dei, et doctrina Christi. Utrumque enim græce ponitur in accusativo, licet Noster unum in dativo, alterum in accusativo verterit claritatis causa. Latine enim clarius dicitur testificari verbo Dei, quàm testificari verbum Dei, ex adverso clarius dicitur testificari testimonium Christi, quàm testificari testimonio Christi. Testificari enim est perhibere testimonium, ut vertit Noster.

Secundo, id patet ex v. 9. ubi ait: *Fui in insula quæ appellatur Pathmos, propter verbum Dei, et testimonium Jesu;* q. d. Fui relegatus in Pathmos, quia prædicabam verbum Dei, eoque testimonium perhibebam Jesu Christo, quod ipse esset Messias: unde liquet idem esse verbum Dei, ac testimonium Jesu, puta Evangelium, sive doctrinam evangelicam, quam Joannes prædicabat.

QUÆCUMQUE VIDIT.] Hæc verba non sunt referenda ad opera et miracula Christi (sive conscripta in Evangelio ut vult Ambrosiaster, Beda et Rupert. sive à Joanne prædicata, ut volunt Ribera et Viegas), sed ad ipsius Apocalypseos visiones; in quarum singulis semper ait Joannes: *Et vidi, et vidi*, quod non ait in Evangelio. Atque ita in præsenti re de ipsa visione, quam hîc in Apocalypsi accepit, loquitur: aliàs enim non esset sermo ad rem. Agitur enim de testimonio, quod Joannes perhibuit Christo, non in Evangelio, sed hîc in Apocalypsi, scribens de eo quodcumque vidit, et audivit à Deo. Ita Alcazar. Idem confirmant sequentia: *Beatus qui legit et audit verba prophetiæ hujus et servat ea.*

3. SERVAT EA QUÆ IN EA SCRIPTA SUNT,] tum ea exequendo, qualia sunt monita, quæ dantur cap. 2. et 3. Episcopis et Ecclesiis Asiæ, tum devote ea in memoria conservando, ut illis ad Dei obsequium, et sanctam vitam, ac patientiam, quin et ad martyrium pro Christo obeundum excitetur: quales sunt visiones quæ c. 4. et deinceps recensentur. Sic de matre Christi dicitur Lucæ 2. 19. *Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo.*

TEMPUS ENIM PROPE EST.] Pro *tempus* græce non est χρονος, sed καιρος, id est opportunitas. q. d. Beatus est qui hanc prophetiam legit et servat, quia prope est tempus et opportunitas uberrimum ex ea fructum capiendi. Instat enim occasio promerendi beatitudinem, et coronas æternas in cœlis per persecutiones, quas jam fidelibus et athletis Christi imminere prævidi, et hîc prædico, nimirum per brevem in iis constantiam, et tolerantiam mortis et martyrii, ex quo mox in cœlum beandi evolabunt. Ita Aretas.

Hucusque titulus Apocalypseos, sequitur epistola dedicatoria.

4. JOANNES SEPTEM ECCLESIIS,] quas recenset cap. 2. et 3. Quod his septem scribit, omnibus aliis scribit; sicut Paulus, quod ad Romanos, Corinthios, et alios scripsit, hoc ad omnes fidelium Gentes scripsit. Hinc mystice sanctus Chrysostom. hom. 22. ex variis in Matthæum: *Septem*, ait, *Ecclesiæ sunt omnes, propter septem spiritus. Omnes ergo in quibus abundantior est spiritus sapientiæ, est una Ecclesia; et omnes in quibus abundantior est spiritus consilii, est altera Ecclesia.* Sic et S. August. 17. Civit. 4. Gregor. 23. Moral. 1. Isidorus l. 8. Etymol. c. 1. dicunt, *ideo septem scribi Ecclesias, ut una catholica septiformi gratiæ spiritu plena designetur.*

GRATIA VOBIS ET PAX.] Hæc est Apostolica salutatio à Christo accepta, qua Dei favorem, et omne bonum (hoc enim Hebræis significat *pax*) suis imprecantur.

Notat Tertull. l. 5. contra Marcion. c. 5. et ex eo Baron. anno Christi 45. Judæos, et ex eorum more Christum, pacis nomine salutare consuesse discipulos; quos, ut eodem modo cum in alienas domos introirent, in ea degentes salutarent, admonuit Lucæ 10. 5. Post Christi vero ascensionem Apostolos in salutatione paci gratiam addidisse, imo præmisisse: quod videlicet tam sublimis gratiæ restitutæ per Christum generationi humanæ essent annuntiatores, et, ut Tertull. ait: *Evangelizatores bonorum.* Hinc Paulus in suis epist. et S. Petrus suos salutant, dicendo: *Gratia vobis et pax.* Eadem salutatione in suis epistolis usus est S. Ignatius, cæterique Antiocheni Episcopi. Unde S. Gregor. epist. 37. ad Anastas. Antiochenum Episcopum in fine sic ait: *Amen, gratia; quæ videlicet verba de scriptis vestris accepta, idcirco in meis epistolis pono, ut de S. Ignatio beatitudo vestra cognoscat, quia non solum vester est, sed et noster.* In epistola enim S. Ignatii ad Ephes. eadem verba subscripta leguntur, ex cæteris vero excidisse putantur. Utique didicit hoc S. Ignatius à S. Joanne magistro suo.

AB EO QUI EST, ET QUI ERAT, ET QUI VENTURUS EST,] id est à Jehova, puta à Deo. Alludit enim S. Joannes ad illud Exodi 3. 14. *Sum qui sum*, et: *Qui est, misit me ad vos.* Idcoque in Græco non est hîc solœcismus, ut vult Gagneius; neque sensus est nullus, ut vult Erasmus: sed

est mimesis, sive imitatio nominis Hebræi, quod quasi indeclinabile et invariabile sibi indidit Deus, dicens Exodi 3. אהיה שלחני *eie schelachani*, hoc est, *erit* (id est, qui est, fuit et erit : Hebræi enim per futurum significant rei constantiam, et continuam durationem) *misit me.*

Pari enim modo hîc, cum ait S. Joannes : Απο, supple του λεγομενου, id est, qui vocatur, vel cui nomen est, ο ων, ο ην, ο ερχομενος, id est, *qui est, qui erat, et qui veniet*, sive venturus est. Verbum enim *sum*, sive *est*, et *erat*, vel, ut hebr. est, *erit*, significat stabilem æternitatem, quæ omnes temporum, præsentis, præteriti, et futuri differentias complectitur. Unde tradunt Hebræi, Hebr. *eie* tria tempora complecti, præsens, præteritum, et futurum. Id hîc explicat Joannes, dicens : *Ab eo, qui est, et qui erat, et qui venturus est.* Hæc ergo tria explicans το *eie*, ac consequenter sunt quasi nomen Dei proprium, puta Jehova, ideoque Joannes in Græco apposuit articulum, ac retinuit nominativum, vel verbum ipsum. Ait enim : Απο ο ων (non οντος) και ο ην, και ο ερχομενος, q. d. Gratia vobis et pax ab eo, cujus nomen est ens, et erat, et est venturus. Unde patet articulum ο ων, et ο ερχομενος, non tanquam participiis, neque tanquam nominibus τεχνικως sive materialiter acceptis, sed tanquam propriis nominibus esse adjunctum : hac etiam de causa ipsa inflexa relicta sunt. Sic sanctus Augustinus ait se litteras scribere ad *Deo gratias*, alii ad *Deus dedit ;* quia hæc nomina virorum sunt propria, et indeclinabilia. Vide dicta Exodi 3. et 6. ubi ostendi nomen *Jehova* esse idem cum eo quod dicitur, *qui est*, vel *sum qui sum.* Docte S. Aug. in Sententiis numer. 367. *Quamvis*, ait, *natura incommutabilis non accipiat : Fuit et Erit, sed tantum Est (ipse enim veraciter est, quia aliter qui est, esse non potest) ; tamen propter mutabilitatem temporum in quibus versatur nostra mortalitas, non mendaciter dicimus : Fuit, Est, et Erit ; fuit in præterito ; est, in præsenti ; erit, in futuro. Fuit quippe, quia nunquam desinit ; erit, quia nunquam deerit ; est, quia semper est. Neque enim velut quia jam non sit, cum præteritis occidit, aut cum futuris tanquam non fuerit orietur. Proinde cum secundùm temporum volumina locutio humana variatur, qui per nulla deesse potuit, aut potest, aut poterit tempora, vere dicuntur de illo cujuslibet temporis verba.*

Porro per hæc tria putant aliqui notari tres personas SS. Trinitatis. Alcazar hæc de solo Deo Patre accipit, non de Filio ; de eo enim mox subdit : *Et à Jesu Christo*, nec de Spiritu sancto ; de eo enim pariter subdit : *Et à septem spiritibus.* Melius Ribera accipit hæc de Deo indistincte, prout scilicet Deus communis est tribus personis. Tam ergo de Filio, et de Spiritu sancto, quàm de Patre hæc omnia et singula accipias. Quod enim sequitur, *à Jesu Christo*, de Christo, non ut Deus, sed ut homo est, accipiendum est. Sequitur enim : *Qui dilexit nos, et lavit nos in sanguine suo.*

Alcazar hîc notat. 1. decem rationibus contendit nomen Jehova idem prorsus esse cum eo, *qui est, qui erat, et qui venturus est.* Nomen enim Jehova compositum esse ex quatuor hisce vocibus, יהוה היה ו היה *iihie hoie vehaia*, id est, qui erit, qui est, et qui fuit. Singulas enim litteras nominis Jehova unam ex hisce dictionibus per compendium et crasin significare, ideoque dici hoc nomen ineffabile et tetragrammaton. Sicuti *Machabæi* nomen conflatum est ex initialibus litteris vers. 11. Exodi 15. *Mi camocha baelim Jehova*, id est, *quis similis tuî in fortibus, Domine ?* Sic Latini Spurios dixere ex eo quod iis litteris S. P. id est, *sine patre* notarentur, uti testatur Plutarchus in Quæst. Romanis. Sic in titulis crucis Christi sæpe scriptum videmus I. N. R. I. id est, Jesus Nazarenus Rex Judæorum. Sic veteres Romani scribebant S. P. Q. R. id est, Senatus populusque Romanus.

Verum hoc symbolicum est et cabalisticum, non litterale. Litterale enim nominis *Jehova* significatum est, *qui est*, vel *qui erit*. Deducitur enim à radice היה *haia*, id est fuit, uti omnes consentiunt, estque idem cum יהיה *iihie*, id est *erit*, uti ostendi Exodi 3. 14. Præsertim quia litteræ *Jehova*, dictionibus alterius nominis non ex æquo respondent. Nam in *Jehova* sunt quatuor litteræ, cum *iihie, hoie, vehaia*, tantum sint tres dictiones, non quatuor. *Vehaia* enim una est dictio, non duæ. Sic quoque hæc tria non respondent ex ordine tribus epithetis S. Joannis. Nam primum est, *qui est ;* ultimum, *qui venturus est.* In *iihie* vero *hoie vehaia* primum est, *qui erit ;* ultimum, *qui fuit :* licet ad hoc respondeat Alcazar notat. 3. id studio esse factum à S. Joanne, ut significaret Deum, qui Mosi et Prophetis erat futurus, id est venturus, redemptor, jam in lege nova adesse, esseque præsentem. Unde Moses in Jehova incipit ab eo *qui erit.* Joannes vero ab eo *qui est.* Verum quæcumque fuerit mutationis causa, hinc saltem liquet hoc nomen non plane idem esse cum nomine Jehova. Itaque Jehova, id est, qui est, idem est cum eo, *qui est, et qui erat, et qui venturus est*, non litteris et etymo, sed significatione et sensu. Nam *qui est*, significat eum qui semper est, et qui habet constans, immutabile et æternum esse, hoc est, eum *qui est, qui erat, et qui futurus est.* Favet Arabicus, qui sic vertit, *ab illo qui est*, et *qui exstitit, et qui futurus.*

Rursum, Alcazar notat. 2. docet nomine Jehova repræsentari mysterium SS. Trinitatis. Tres enim substantiæ per triplicem verbi substantivi repetitionem denotantur ; unitas vero essentiæ per conjunctionem copulativam. Itaque το *erit*, refert ad Patrem, cui attribuitur potentia et gubernatio, quæ futurum spectat : *Fuit*, refert ad Spiritum sanctum, cui attribuitur bonitas, quæ prima omnium fuit ratio, quæ Deum induxit ut se creaturis communicaret. *Est*, refert ad Filium, cui attribuitur Dei sapientia, quæ futuris et præteritis præsens adest, et omnia in sua æternitate intuetur præsentia. Insuper, sicut, in hisce tribus non variatur essentialis significatio ; hæc enim tria, *erit, est, fuit*, sicut sunt derivata verbi substantivi *sum ;* ita ejusdem essentialem significationem retinent, sed eam tantum per tempora inflectunt et modificant. Ita eadem essentia deitatis est in tribus personis.

Hæc pariter vera sunt, sed symbolica æque ac priora, non litteralia.

Tertio, idem notat. 3. notat nomen Jehova, licet significet Dei essentiam et substantiam, posse tamen quoque ad providentiæ ejus opera referri. Nam το *fuit*, significat quod Deus suis operibus initium dederit : *est*, quod iisdem det progressum : *erit*, quod iisdem daturus sit perfectionem.

Per hæc ergo tria significatur, Deum fuisse

principium Ecclesiæ, et ab eodem esse ejusdem progressum, ac similiter fore consummationem. Hoc est, quod subdit v. 8. *Ego sum* α *et* ω *principium et finis, dicit Dominus omnipotens, qui est, et qui erat, et qui venturus est.* Hinc Moraliter, hoc nomine fideli cuilibet excitanda est spes. Nam, ut ait S. August. serm. 3. de Ascensione: *Fidelis quisque cum jam tanta perceperit, per ea quæ cognoscit præstita, discat sperare promissa; ac Dei sui potentiam, præsentemque bonitatem, quasi futurorum teneat cautionem.*

Et qui venturus est.] Dicit *venturus*, potius quàm *futurus*, ut significet venturum Deum ad judicium, idque brevi (unde Syrus vertit, *et qui venit*) quo Domitianum, et alios fidelium persecutores puniet et damnabit; fideles vero ipsos et Martyres liberabit, glorificabit et coronabit, ut hac ratione animet eos ad constantiam. Ad illam enim S. Joannes prudenter arbitratus est, hanc memoriam Christi judicaturi utiliorem, quàm illam Christi regnaturi sine dubio futuram: cum ex illa sæpe vana præsumptio, ex hac non nisi justa formido oriatur. Unde D. Ambr. l. 1. Offic. c. 26. *Nihil est,* inquit, *quod magis proficiat ad vitam honestam, quàm ut credamus eum judicem futurum; quem et occulta non fallant, et indecora offendant, et honesta delectent.*

Nota. Τὸ *venturus est* proprie competit Filio: Filius enim proprie venturus est, et judicaturus orbem (unde Patres ex hoc loco contra Arianos probant Filium vere et proprie esse Deum), hîc tamen attribuitur Deo in communi, ac consequenter tam Patri et Spiritui sancto, quàm Filio; quia tota Trinitas veniet, ut judicium peragat, judicetque mundum non per se, sed per hominem Christum.

Denique Deo proprie competit τὸ *est.* Ejus enim æternitas semper est præsens, sibique constans: dicitur tamen etiam fuisse, et fore; quia omni tempori præterito et futuro commensuratur, illudque ambit et complectitur. Ita S. Augustinus lib. de Vera et falsa religione cap. 49. et Nazianz. orat. 42. Quin et Plato in Timæo: *Qui erat,* inquit, *et erit, quia nati temporis species sunt, non recte æternæ substantiæ assignamus. Dicimus enim de illa: Est, Erat et Erit; sed revera solum esse competit.*

Et a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt.] Quæres qui sint hi septem spiritus? Resp. primo, Aretas, Primas. Haymo, Beda, Rupertus, Ansbertus, et Thom. Angl. intelligunt septem dona Spiritûs sancti, id est ipsum Spiritum sanctum, qui est auctor septem donorum. Non enim à septem donis, sed à Spiritu sancto suis hîc pacem et gratiam precatur Joannes. Sic et Eucherius in Quæst. novi Test. quæst. ultima: *Hi* septem spiritus, inquit, sunt, *quos et Propheta Isaias* cap. 11. vers. 2. *enumerat, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et pietatis, spiritus scientiæ et virtutis, spiritus timoris Dei.* Hic sensus placuit Marlorato et hæreticis. Verum sic potius dixisset Joannes: *Et à Spiritu sancto.* Adde hunc sensum esse mysticum, ut recte annotavit Petrus Galatinus hîc: ut talis ergo admitti potest. Nam ad litteram hosce septem spiritus esse, septem angelos, patet tum ex iis quæ mox afferam, tum ex eo quod dicantur *stare ante conspectum Agni*, vel *throni.* Hoc autem est angelorum, qui sunt administratorii spiritus Dei, ut patet c. 5. 6. c. 15. v. 1. et 6. c. 16. 1. c. 17. 1. c. 21. 9. c. 3. 1. c. 8. 2. Unde per spiritus hos intelligunt angelos, Clemens Alexandrinus l. 6. Strom. in fine, Aretas, Lyran. Perer. Ribera, Emmanuel Sà, Serarius et alii mox citandi, et ex hæreticis Beza, Tremellius et Junius hîc, Franciscus David in defensione suarum thesium apud Faustum Socinum pag. 45. et ipse Socinus pag. 46. Unde

Secundo, alii passim per hos septem spiritus accipiunt angelos, sed varie. Nam aliqui, ut Lyran. Hugo et Dionys. per septem spiritus intelligunt omnes angelos; septenarius enim est symbolum universitatis. Alii proprie accipiunt septem angelos præsides septem Ecclesiarum, ad quas scribit hîc Joannes. Verum

Dico hosce septem spiritus esse septem primarios angelos, qui assistunt Deo, quasi stipatores ac primores regni ipsius, parati ad omne imperium Dei, vel per se, vel per alios inferiores angelos exequendum, præsertim in cura et administratione hominum. Hi enim vocantur et sunt spiritus administratorii. Ad Hebræos cap. 1. v. 14.

Id ita esse patet, primo, ex cap. 5. vers. 6. ubi iidem septem spiritus vocantur septem Agni cornua, et septem oculi, id est, vigiles æque ac robusti administri Dei: *Qui*, ait, *sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram.* Ergo sunt angeli: horum enim est mitti, imo angelus idem est quod missus, puta nuntius et legatus. Unde Zachar. 4. 10. hi septem spiritus vocantur *septem oculi Domini, qui discurrunt in universam terram.*

Secundo, ex c. 8. 2. ubi expresse vocantur angeli. Ait enim: *Et vidi septem angelos stantes in conspectu Dei.* Et c. 6. v. 15. *Exierunt septem angeli habentes septem plagas.*

Tertio, quia Tobiæ 12. vers. 15. ait Raphael: *Ego sum unus ex septem, qui astamus ante Dominum*, scilicet proxime, quasi primi à rege et summo orbis gubernatore. Nam alioqui millia millium assistunt Deo, ut ait Daniel c. 7. 10.

Quarto, quia similiter septem angelos præpositos esse septem planetis docent Rabbini Hebræorum, et multi Christianorum Philosophi et Theologi. Audi Trithemium initio libri, quem scripsit de septem intelligentiis orbem moventibus et regentibus, ad Maximilianum I. Imperat. *Veterum*, ait, *sententia est, mundum hunc inferiorem ordinatione primi intellectus, qui est Deus, per secundas intelligentias gubernari: quorum opinioni Conciliator medicorum assentiens, dicit septem planetis septem spiritus à principio cœli et terræ esse præfectos, quorum unusquisque mundum gubernat annis 354. Huic positioni complures viri doctissimi præbuere consensum.* Verum merito subdit Trithemius: *Confiteor quod in his omnibus nihil credo, nihilque admitto, nisi quod credit Ecclesia catholica; cætera ut vana, conficta et superstitiosa refuto.* Multi enim multa addunt, eaque vana et superstitiosa, imo hæretica, quales sunt nugæ Saturnini, apud Epiphan. hæresi 23. qui somniavit mundum et quæ eo continentur, à septem angelis esse producta. Insuper, an septem planetarum angeli cum hisce septem spiritibus iidem sint, valde dubium est. Nam hi missi sunt in omnem terram, illi planetis suis assident, eosque rotant. Sed sicuti ibi sunt septem, ita et in terra quæ planetis hisce subjacet, congruit esse septem angelos præsides.

Confirmatur primo, quia Christus stipatus hisce septem angelis clarissimis, subinde corporaliter apparuit Sanctis, uti S. Sebastiano, dum eum animavit ad instans martyrium, ideoque miro splendore eum circumfudit, et pallio candidissimo per septem hosce cum amicivit, uti habent acta S. Sebastiani, fideliter graviterque à Notariis Roman. conscripta, quæ citant probantque Ado, Usuardus, Baronius et alii.

Confirmatur secundo, quia pariter diabolus hostis Dei, hisce septem angelis ex adverso opposuit septem dæmones, quos cum septem capitalibus vitiis præfecisse tradit S. Antonius apud Athanasium et Serenus apud Cassianum collat. 7. cap. 17. et ex his Serarius Tobiæ 3. vers. 8. q. 6. Licet id alii negent, putentque quosvis dæmones ad quælibet vitia homines tentare.

Quinto, quia reges Persarum totidem habebant principes : nam Assuerus, ut dicitur Esther. 1. v. 14. habebat *septem duces Persarum atque Medorum, qui videbant faciem regis, et primi post eum residere soliti erant.* Hi autem reges in hoc imitati sunt Deum, Deique providentiam. Nam, ut ait Aristot. (vel quisquis est auctor) libro de Mundo ad Alexandrum, post medium, et ex eo Apuleius, majestas et gubernatio regum Persarum fuit imago divinæ majestatis et providentiæ. Idem docet libellus de regio Persarum principatu, ex adversariis Barnabæ Brissonii fol. 64. et 65.

Atque hæc est causa, cur in S. Script. horum septem angelorum non fiat mentio, nisi postquam Hebræi in captivitate fuerunt, ibique in aula regum Persarum et Medorum, hosce septem primos regni principes conspexerunt. Tunc enim eis revelatum fuit, instar illorum esse totidem Dei principes in aula cœlesti. Excipe Tobiam, qui diu fuit ante Cyrum et reges Persarum, ac à Raphaele c. 12. didicit hosce septem esse in cœlo. Tobias enim à Salmanasar fuit abductus in Assyrios. Non constat autem an Assyrii principes septem viros habuerint in sua regia, uti habuerunt Persæ.

Ab his ergo septem angelis, quasi ab administris Dei, non autem quasi ab auctoribus gratiam suis postulat S. Joannes : qui enim in aula regis habet gratiam et favorem principum intimorum regi, habet et gratiam ipsius regis. Hinc dicimus : *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ;* et : *Nos culpis solutos, mites fac et castos*, non donando, sed impetrando mansuetudinem et castitatem, æque ac culparum solutionem. Pari modo cum Joannes ait: *Gratia vobis à septem spiritibus*, hoc ipso rogat hosce septem angelos, ut gratiam illis à Deo impetrent. Ergo eos invocat. Sancit ergo hîc invocationem Sanctorum contra hæreticos. Quocirca non tantum significat hîc hosce septem spiritus assistere Deo, ut vult Beza ; sed etiam nobis præesse et succurrere, ac, ut magis ope sua succurrant, eam à nobis esse implorandam. Insuper, eos esse primarios aulæ cœlestis : Deo enim assistunt, uti principes suo regi.

Sexto, quia horum septem Archangelorum celebris est memoria in Sicilia, Neapoli, Venetiis, Romæ, aliisque Italiæ urbibus, ubi et imagines eorum affabre, quin et opere mosaico expressæ cernuntur. Neapoli de iisdem editus est libellus anno Domini 1594. Panormi, quæ urbs est primaria Siciliæ, extat templum septem principibus angelorum dicatum in quo anno Domini 1516. vetustæ eorumdem effigies repertæ sunt. Hujus templi rector, Antonius Duca, Sacerdos piæ et innocentis vitæ, Dei instinctu crebrius admonitus Romam venit anno 1527, ut eorumdem cultum ibidem promoveret, iisdemque Ecclesiam vel inveniret, vel appararet. Quocirca post multas orationes et jejunia, cœlesti lumine illustratus cognovit Thermas, Diocletiani locum esse septem spirituum ante Deum astantium ; utpote in quibus fabricandis laborassent tot corporei angeli, puta quadraginta Christianorum, et dena Martyrum millia, ad id damnata : in quibus excelluerunt septem Martyres illustres, nimirum S. Cyriacus, Largus, Smaragdus, Sisinnius, Saturninus, item S. Marcellus Papa, et S. Thrason, qui Christianos in iis laborantes animabant, suisque opibus alebant. Hujus revelationis, quam biennio post Venetiis primum, postea Romæ anno 1555. typis evulgavit Antonius, mentio fit in ejus sepulcro, quod in hisce Thermis ante summum altare extat. Purgatis ergo Thermis, locus anno 1551, à Philippo Archinto Vicario Generali Julii III. Pontif. dedicatus est B. Virgini angelorum, sive septem angelis stipatæ et circumdatæ. Cumque per bella rursum locus hic neglectus et profanatus esset, iterum anno 1555, alia visione significatum est divino decreto, Thermas hasce ad honorem septem angelorum, in templum consecrandas esse. Quare Pius IV, Pontif. auditis ejus rationibus et revelationibus, negotium dedit Michaeli Angelo Bonarotæ, nobili architecto, ut formam templi in Thermis hisce delinearet et appararet. Quo facto pontifex ipse indicto Cardinalium cœtu, die 5 August. anno 1561, coram Cardinalibus, tota curia et populo Romano, pontificalibus indutus, Thermas in honorem S. Mariæ angelorum solemni prece et ritu dedicavit, illamque Ecclesiam titulo Cardinalitio ornavit, eoque ex Ecclesia S. Crucis in Jerusalem transtulit monasterium Patrum Carthusianorum. Eamdem postea novis privilegiis et ornamentis illustrarunt Pius V et Greg. XIII. Ita habent Chronica illius Ecclesiæ, quæ à Patribus Carthusianis accepi et perlegi. Ita pariter rem totam narrat noster P. Antonius Spinellus tract. de Festis et templis Deiparæ pag. 690. et Octavius Pancirolus in Thesauris Romæ absconditis c. de S. Maria angelorum, et D. Andreas Victorellus l. de Ministeriis angel. c. 21. ubi fuse, æque ac docte et pie horum septem angelorum officia persequitur. In iisdem Chronicis legi multos energumenos per invocationem horum septem angelorum ibidem à dæmonibus fuisse liberatos. Eorumdem effigies tum alii alibi, tum Antverpiæ Hieronymus Wierix nobilis sculptor incidit et excudit, adeoque una imagine totum hunc Apocalypsis locum repræsentavit. Unde et imagini subscriptum est: *Gratia vobis et pax ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est.* Quocirca plane congruit, ut Pastores Ecclesiarum et fideles quique, horum, imo S. Joannis, qui à septem hisce spiritibus gratiam et pacem septem Ecclesiis Asiæ efflagitat, exemplum imitantes, hosce septem Archangelos velut principes aulæ cœlestis Ecclesiarum omnium præsides, Dei administros, hominum mediatores et præpositos, peculiari cultu crebro venerentur, colant et invocent.

Denique ita de septem hisce spiritibus, scilicet eos esse septem principes angelorum, censent S. Cyprianus de Exhort. Mart. et contra Judæos, Petrus Galatinus in Apocal. qui manuscriptus exstat Romæ in Biblioth. Vaticana, Salmeron tom. 3. cap. 3. Jacobus Suarez l. 3. in Apocal. v. 8. Joannes Fontana Episcopus Ferrariensis, discipulus et Vicarius S. Caroli Borromæi, part. 3. auctor. 64. Insuper diserte Clemens Alexandr. l. 6. Strom. *Septem*, ait, *sunt quorum maxima est potentia, primogeniti angelorum principes.* Irenæus, et ex eo Aretas, Stephanus Weberus de Offic. angel. cap. 3. num. 8. Fidelis Danielius l. 1. de Divina provid. cap. 20. pag. 195. Laurent. Massellus de B. Virgine l. 3. c. 5. Pineda l. 5. Salom. prævii cap. 13. num. 17. Ribera, Viegas, Pererius, Maldon. hîc, Gabriel Vasquez 1. p. disp. 180. num. 3. Franc. Mayronis Doctor. Illuminatus serm. de creat. animæ B. Virgin. *Mater Domini*, ait, *dicitur habere septem angelos notabiles, qui assistunt ejus throno, de quorum numero dicitur B. Raphael;* et Serarius in Tobiæ c. 12. ubi et officia horum septem angelorum recenset.

Dices : Si septem spiritus sunt septem angeli, cur præponuntur Christo? De eo enim sequitur: *Et à Jesu Christo.* Hoc enim rusticum et indignum videtur. Resp. Præponit eos Joannes Christo, quia de Christo homine deinceps continuandus erat sermo. Sic Matthæus Davidem præponit Abrahæ, dicens : *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham;* quia Abraham mox repetendus erat, dicendo : *Abraham genuit Isaac*, etc. Porro angeli, cum sint purissimi et nobilissimi spiritus, Christo homine, sive humanitate Christi præstant, eamque naturæ dignitate antecedunt.

Nota typum et symbolum horum septem Angelorum fuisse septiceps candelabrum Mosis Exodi 25. (septem enim habebat calamos), quod symbolice, ait S. Hier. significabat mundum cum septem planetis. Rursum et potius significabat Ecclesiam, tum militantem, tum triumphantem, cui præsunt septem hi spiritus angelici. Deus enim pleraque in mundo distribuit per numerum septenarium : sic in mundo septem sunt planetæ, in hebdomada septem dies; sic et septem dona Spiritûs sancti distribuit, et septem virtutes, puta tres Theologicas, et quatuor Cardinales, quibus præsunt septem hi spiritus, ut per eas homines dirigant ad vitam æternam. Ita Nicolaus Serarius in Tobiæ 12. vers. 15. ubi addit aliquos horum septem nomina ita recensere, scilicet *Michael, Gabriel, Raphael, Uriel* (qui nominatur lib. 3. et 4. Esdræ), *Sealtiel* (quem colligunt ex Gen. 16.), *Jehudiel* (quem colligunt ex Exodi 23.) *Barachiel* (quem colligunt ex Genes. 18.) Sed ultima quatuor nomina incerta sunt : sola enim tria prima agnoscit et colit Ecclesia, uti asserit Concilium Romanum, cui præfuit Zacharias Pont. quod citatur in vita S. Bonifacii apud Surium mense Junio fol. 598. et à Baronio anno Christi 745. fol. 179. Hoc intellige, quod Ecclesia plura angelorum nomina non agnoscat, scilicet quæ ex Scriptura canonica, aut Ecclesiastica traditione certa sint. Nam alioqui Urielis nomen admittit S. Ambros. lib. 3. de Fide ad Gratian. 2. Isidorus lib. 7. cap. 5. illudque habetur in Missa Mosarabum, quæ extat tom. 4. Biblioth. SS. Patrum, Andreas Cæsar. in cap. 22. Apoc. Albertus Magnus, Bonaventura, Prado, Sixtus Senensis, et alii quos citat Alcazar notat. 4. hîc in fine. Zacharias ergo tantum damnat magica et conficta Angelorum nomina, quæ ab Adelberto hæretico, et, ut videtur, mago in concilio illo producebantur. Unde S. Bonifacius in eo exclamavit, illa dæmonum, non angelorum esse nomina.

Porro nomina septem angelorum jam recensita divinitus fuisse revelata B. Amadæo viro sanctitate, miraculis et prophetiis illustri, legi in chronicis Ecclesiæ S. Mariæ Angelorum paulo ante citatis, idque contigisse sub annum Domini 1460. Idem testatur Petrus Galatinus lib. 2. in Apocalyps. cap. 8. Fuit hic Amadæus illustris familiæ Lusitanæ, qui Dei amore incensus, spretis omnibus opibus et statibus, monitu S. Francisci ejus ordinem amplexus est, illiusque reformationem quæ Amadæorum vocatur, instituit. Unde à Lusitanis B. Amator, ab Italis B. Amadæus vocatus est. Hinc à Sixto IV. Pont. in Confessarium electus et ascitus, ab eo obtinuit montem aureum, vulgo dictum Montorium, ubi crucifixus dicitur S. Petrus; ibique monasterium sui Ordinis exstruxit, de cujus sanctitate et revelationibus multa habent Chronica Ordinis S. Francisci part. 3. lib. 6. cap. 30. Ubi tamen addunt monentque eas non extare puras, sed iis varia à variis esse addita. Ego eas Romæ diligenter quæsivi, inveni, perlegi, itaque esse comperi. Reperi nomina septem angelorum eadem, quæ paulo ante recitavi, sed et ibidem legi nonnulla paradoxa et de falsitate plane suspecta, ut angelos cum cœlo empyreo diu ante cœlum et terram creatos esse : terram initio mundi creatam fuisse materiam primam; lucem initio mundi creatam fuisse solem, ac proinde solem non quarto; ut ait Script. Genes. 1. sed primo mundi die creatum esse; initio creatum esse primum mobile et cœlos planetarum, ac proinde ingens fuisse vacuum intermedium, quod secundo die quo creatum est cœlum crystallinum, impletum sit : corpus Adæ formatum esse à tribus angelis, etc. Adde opiniones Scoti (qui fuit Minorita, uti et Amadæus) in iis passim inseri quasi oracula, ut non sine causa vir gravis dixerit : *Angelus B. Amadæi fuit Scotista.*

Verum de nominibus hisce parva est difficultas et quæstio, cum de re et personis constet. Angeli enim inter se non habent nomina, cum se invicem videant facie ad faciem, itaque colloquantur; sed ea assumunt pro ratione ministerii quod apud homines obeunt. Sic dicitur *Michael*, id est, *quis ut Deus?* quia pro hominibus pugnat contra superbum Luciferum, Apocal. 12. 1. *Gabriel*, id est, *fortitudo Dei;* quia fortia Dei gesta et bella annuntiavit Danieli, B. Virgini, etc. *Raphael*, id est, *medicina Dei;* quia Tobiæ cæcitatem curavit. Pari modo dicitur *Uriel*, id est *lux* vel *ignis Dei*, is qui homines Dei cognitione illuminat, et amore inflammat : *Sealtiel*, id est *oratio Dei*, qui pro hominibus orat, illosque ad orandum excitat : *Jehudiel*, id est *confessio*, vel *laus Dei*, qui homines ad confessionem et laudem Dei exhortatur : *Barachiel*, id est *benedictio Dei*, qui beneficia Dei nobis procurat, nosque ad Dei benedictionem et gratiarum actionem impellit. Scripsit septem hisce angelorum Principibus, eorumque muniis et beneficiis librum noster P. Anton. Spinellus Provincialis Neapolit. Verum morte præventus eum absolvere et edere

non potuit : servatur is manuscriptus Neapoli. Porro Salmeron tom. 3. cap. 3. hæc eadem septem angelorum nomina recenset et probat, uti et Laurentius Massellius l. 3. de B. Virg. c. 5. Spinellus, Victorellus, et plures alii jam citati. Eadem eorum imaginibus adscripta inventa sunt in templo eorum Panormi anno Domini 1516 cum proprio cujusque epitheto, hoc modo : *Michael victoriosus, Gabriel nuntius, Raphael medicus, Uriel fortis socius, Jehudiel remunerator, Barachiel adjutor, Sealtiel orator.* Quin et emblemata cuique propria appicta visebantur. *Michael* enim pedibus calcans Luciferum, læva virentem palmam gestabat, dextera lanceam, in cujus summo vexillum candidum, rubra cruce intertexta, se hastæ convolvebat. *Gabriel* faculam laterna inclusam dextera gerebat, sinistra speculum ex viridi jaspide, rubris maculis immixtis. *Raphael* sublata sinistra pyxidem sustinebat, puerum Tobiam dextera manu ducens, piscem ex ore prehensum gestantem. *Barachiel* in sinu pallii albentes ferebat rosas. *Jehudiel* dextera coronam ex auro præferebat : sinistra flagellum tribus nigris funiculis distinctum. *Uriel* dextra eductum gladium stringebat ante pectus transversum, à læva prope pedes flamma collucebat. *Sealtiel* vultu oculisque demissis, et palmis ad pectus nexis, precantis speciem exhibebat. Eadem septem horum angelorum symbola, hinc ut videtur expressa, exhibet imago Antverpiæ ab Hier. Wierix incisa. Quocirca hisce tam priscis septem angelorum piisque schematibus excitatus Hector Pignatellus, Comes Montilleonis, Siciliæ nomine Caroli V. Imp. Prorex, templum hoc instaurans ornansque, in eo è Senatu Panormitano, ac plerisque è prima nobilitate civibus, Sodalitium, quod Imperatorium dictum est, septem hisce angelorum Principibus instituit, cujus ipse patrocinium pro Carolo V. volens lubensque suscepit, ut eorum ope ac patrocinio fultus Imperator, tum pace, tum bello, Panormitanam urbem, adeoque Siciliam universam bene feliciterque moderaretur. Hæc exacte ex Actis publicis perscrutati nostri Patres Panormitani, fuse ad me perscripserunt.

Jam vero, an hi septem sint ex summo ordine Seraphim, an ex ordine Principatuum, an alio, non constat. Nam Seraphim raro mittuntur : hi autem septem angeli, sive spiritus, dicuntur missi in omnem terram. Seraphim assistendo jugiter laudant Deum : hi septem assistunt Deo, ut excipiant jussa Dei circa Ecclesiam, eaque per se, vel alios inferiores exequantur. Adde Raphaelem, qui unus fuit è septem ; S. Thomas in 2. sentent. distinct. 10. et alii censent non esse è summis angelis : quia Tobiæ affuit per omnia quasi angelus custos ; quamquam de magnis Sanctis nonnullis legamus, quod habuerint Seraphinum aliquem instar angeli custodis à Deo sibi deputatum. Quocirca hosce septem angelos esse Seraphinos, alii affirmant, alii negant. Affirmant jam citati Galatinus, Fontana, Salmeron, Viegas, Pererius, et Clemens Alexand. dum eos vocat primogenitos angelorum principes. Sane Michael et Gabriel, qui in hisce septem primi numerantur, Seraphini esse videntur. Negant Gabriel Vasquez, Serarius et alii, quorum aliqui volunt eos esse Archangelos, alii principatus, alii Cherubinos, præsertim quia quatuor illi primores aulæ et throni Dei ; Ezechiel. 1. Cherubini vocantur, non Seraphini. Vide ibi dicta, et Daniel. 7. 10. ubi docui eosdem esse angelos Deo assistentes et ministrantes, omnesque mitti, etiam Seraphinos.

Porro ab hisce septem angelis Deo astantibus, Deique quasi Diaconis, Ecclesia militans, quæ imitari solet triumphantem, septem Diaconos instituit Actor. 6. 5. Deinde totidem Diaconos Cardinales posterioribus annis auctoravit. Totidem enim Pontifici olim assistere solitos, patet ex libr. de Roman. Pont. in vita S. Evaristi, qui quartus à S. Petro sanxit, ut septem Diaconi Pontifici, imo et Episcopo, prædicanti ac celebranti assisterent. Superior horum, et quasi Præpositus, vocabatur Archidiaconus, qualis S. Sixto fuit S. Laurentius. Hic numerus duravit usque ad S. Gregorium Magnum, quando crescenti Ecclesia alii septem prioribus additi sunt, ac tandem Gregor. III. quatuor alios adjunxit, ita ut universim Cardinales Diaconi essent octodecim.

Symbolice, Rupertus, et ex eo Alcazar (licet ipse velit hunc sensum esse litteralem, nec septem angelos cum dictis admittat) per hosce septem spiritus accipit septem Dei virtutes, sive attributa, in quibus consistit integra providentiæ perfectio (spiritus enim significat id quod occultum et intimum est in movendi et gubernandi ratione) nimirum sapientia, fortitudo, beneficentia, justitia, patientia, comminatio et severitas. Hæc enim septem ad exactum et perfectum regimen requiruntur et sufficiunt. Nam ad illud requiruntur quoque minæ et severitas ; hæc enim dum unum terret, coercet à malo, vel ipsum, vel alium. Hisce ergo septem dotibus homines regit et stabilit Deus. Porro hæ dotes sunt in Deo, suntque re ipsa ipse Deus : unde ab iis pacem et gratiam suis precatur Joannes. Hæ ergo virtutes in Deo sunt immensæ, nec ullum habent finem aut limitem : ideoque vocantur spiritus ; cum angelos Joannes in Apocal. passim angelos vocet, non spiritus.

Atque de his septem divinæ providentiæ virtutibus, censet Alcazar agi per ordinem in septem sigillis à cap. 5. usque ad 11. ideoque illas hîc initio, in dedicatoria quasi epistola universim notari et tangi.

Primas quatuor ex hisce virtutibus significant quatuor animalia, quæ stipant currum regis Dei Ezech. 1. Aquila enim est symbolum sapientiæ divinæ, leo fortitudinis, bos beneficentiæ, homo justitiæ. Sic et Pierius in Hieroglyph. l. 32. antiquissimam affert providentiæ Dei picturam, cui in quatuor angulis quatuor hæc nomina inscripta erant : *Virtus, auctoritas, scientia, felicitas.* Ubi enim est virtus, ibi est fortitudo : auctoritas pertinet ad justitiam, scientia est sapientia, felicitas indicat beneficentiam. Nam *beatius est magis dare, quam accipere*, Actor. 20. 35.

De hisce septem fuse agit Alcazar notat. 5. ubi ostendit eas esse non tantum in Deo, sed et in Christo homine, quibus Ecclesiam regit, ut patet vers. 8. atque omnes emicuisse in cruce Christi. Ibi enim apparuit summa Christi sapientia, fortitudo, beneficentia, patientia, etc. Addit Alcazar eos vocari septem lampades ; quia illustres sunt, orbemque æque ac Deum illustrant : ideoque eas apte comparari septem planetis. Per solem enim significari Dei virtutem et fortitudinem, per Jovem æquitatem, per Venerem beneficentiam, per Mercurium sapientiam, per Saturnum patientiam, per Lunam

comminationem, per Martem severitatem. Rursum, hisce septem divinæ providentiæ virtutibus diabolum opposuisse septem vitia capitalia, scilicet Dei sapientiæ opposuisse superbiam, fortitudini acediam, beneficentiæ invidiam, æquitati avaritiam, patientiæ iram, comminationi gulam, severitati luxuriam, quæ ingeniosa ejus est speculatio.

Porro hasce septem providentiæ suæ dotes Deus communicat et exercet per angelos, de quibus jam dixi. Itaque hæc expositio priori subservit, eamque complet. Septem enim angeli, septem providentiæ dotes habent, exhibent et repræsentant : et vicissim Deus septem hasce suas virtutes non immediate per se, sed per angelos exercet et ostendit.

5. Et a Jesu Christo, qui est testis fidelis.] Alludit ad illud psalm. 88. 38. *Testis in cœlo fidelis ;* quia Christus verum testimonium apud homines reddidit de Patre, ejusque consilio et voluntate circa hominum salutem per fidem in Christum. Græce enim est ο μαρτυρ ο πιςος, id est testis ille fidelis, puta ille egregius et eximius, nimirum Martyrum dux et princeps, qui pro veritate, quam constanter prædicabat, scilicet quod ipse esset Messias à Deo missus, orbis redemptor, atrocissimam in cruce mortem fortissime oppetiit. Unde Syrus ter articulum demonstrativum repetens, emphatice ita vertit : *Et à Jesu Christo, illo teste, illo fideli, illo primogenito mortuorum.* Joannes Alba Electorum cap. 100. Testis fidelis, inquit, idem est quod princeps æternus. Unde explicans subdit : *Primogenitus mortuorum,* id est, rex mortalium (primogeniti enim olim erant familiæ et gentis principes regesque) *et princeps regum terræ.* Quod enim testis per catachresin vocetur judex et princeps, ostendi Isaiæ 55. vers. 4. Verum testem hîc proprie sumi patet ex testimonio quod perhibuit verbo Dei vers. 2. Hinc Christus à S. Gregor. Nazianz. orat. 18. quæ est de S. Cypriano, vocatur *primus Martyr*, et à S. August. serm. 2. de S. Stephano, *caput Martyrum.*

Primogenitus mortuorum,] id est primo resurgens à mortuis ad vitam beatam et immortalem, quique fuit causa et exemplar beatæ resurrectionis omnium aliorum. Talis enim est solus Christus : nam qui ante Christum ab Elia, Elisæo et aliis à morte suscitati sunt, resurrexerunt ad vitam mortalem, sive iterum morituri. Ita Ribera et Gagneius.

Addit Christo hunc titulum Joannes, ut Christianos suos animet per hanc resurrectionis cum Christo spem ad persecutiones et tribulationes omnes fortiter cum eo perferendas. Christus enim patiens et resurgens est dux et exemplar Ecclesiæ, et fidelis cujusque patientis, et è passione gloriose emergentis ac resurgentis. Unde ut talem seipsum suis fidelibus proponit vers. 18. dicens : *Fui mortuus, et ecce sum vivens in sæcula sæculorum,* quasi dicat : Sic et vobis, ô fideles, sub Domitiano, Trajano, etc., moriendum est (sed sperate et durate ; nam vivetis mecum in sæcula. Sic etiam Christi exemplo suos roborat Paulus Roman. 8. vers. 29. dicens : *Vam quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Vide ibi dicta.

Et princeps regum terræ.] q. d. Nolite timere Domitianum, aliosque reges terræ : Christus enim omnium horum est rex et dominus. Ipse omnes compescere, arctare, imo annihilare potest ; ac consequenter faciet vos iis omnibus per patientiam et fortitudinem superiores, ut regum sitis reges, hîc per gratiam et robur invictum, in judicio extremo vero per gloriam, judicantes duodecim Tribus Israel omnesque mundi principes.

Qui dilexit nos.] En delicias amoris Joannis in Jesum, qui ejus erat cor et amor. Græcus textus hîc, uti et alibi, videtur corruptus. Habet enim in dativo : Τω αγαπησαντι ημας, id est *diligenti nos :* dativus ergo videtur irrepsisse pro nominativo. Ita Ribera.

Conatur tamen eum excusare Erasmus, dicens hunc dativum referri ad τὸ *fidelis*, supple *ei*, Patri scilicet, qui dilexit nos et lavit per sanguinem αυτου, id est ejus, puta Christi. Verum Noster aptius et planius vertit, *in sanguine suo*, quod ad Patrem referri nequit, sed ad Filium spectat. Sanguis enim Christi est sapo efficacissimus, qui elnit omnia omnium hominum peccata.

Alcazar vero excusat, dicens hæc verba referenda esse ad ea quæ sequuntur : *Ipsi gloria*, q. d. Christo diligenti nos sit gloria.

6. Et fecit nos regnum], in quo scilicet ipse regnet per gratiam, et in futuro per gloriam. Secundo, consequenter *fecit nos regnum*, id est reges, qui hîc vitiis per virtutes ; in futuro morti et miseriis dominemus per beatam immortalitatem. Unde pro *regnum* multi Græci codices legunt βασιλεις, id est reges, et ita legit Tertull. Quocirca Joannes c. 5. 10. repetens hanc sententiam, ait : *Fecit nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram.* Alludit ad 1. Petri 2. 9. *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.*

Quare inepte Lutherus ex hoc loco contendit probare omnes Christianos esse proprie dictos sacerdotes, non mysticos. Sic enim pariter deberent omnes esse reges proprie dicti. Omnes ergo Dei cultores vocantur hîc sacerdotes, sed mystici.

Præclare S. Gregor. 26. Moral. 21. explicans illud Jobi 36. 7. *Non aufert à justo oculos suos, et reges in solio collocat in perpetuum : Bene*, inquit, *viri sancti divinæ Scripturæ testimonio reges vocantur ; quia prælati cunctis motibus carnis, modo luxuriæ appetitum frænant, modo æstum avaritiæ temperant, modo gloriam elationis inclinant, modo suggestionem livoris obruunt, modo ignem furoris extinguunt. Reges ergo sunt, quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse noverunt.*

Et sacerdotes Deo.] Offerentes scilicet Deo spiritales hostias, ut ait S. Petrus epist. 1. c. 2. vers. 5. puta orationes, eleemosynas, jejunia, aliaque pia opera. Secundo : Christus, ait Cajetanus, fecit nos sacerdotes ; quia in Christiano populo instituit ordinem sacerdotalem, et sacerdotes ; per quos quisque fidelis offert Deo sacram hostiam, et sacrificium Eucharistiæ.

Deo et patri suo.] Loquitur de Christo homine, ut dixi. Christus enim, ut homo, Deum agnoscit ut Deum et creatorem suum (humanitas enim ejus creata est à Deo.) Eumdem agnoscit ut Patrem suum ; quia ratione unionis humanitatis suæ cum Verbo, non tantum qua Deus, sed et qua homo, est Filius Dei Patris naturalis, uti docent S. Thomas et Theologi.

Ipsi gloria et imperium.] Supple *sit :* est enim optantis hæc vox. Alcazar tamen intelligit *est ;*

censet enim hanc vocem esse affirmantis, quasi dicat : Ex Apocalypseos revelatione constat, gloriam et imperium tradita esse Christo; quia gloria et imperium æternum Ecclesiæ Christianæ, quod in ea ipse describi putat, ad Christi gloriam et imperium spectat; atque ex Christi gloria et imperio derivatur, quòd Ecclesia Christi de suis hostibus triumpharit, et in cœlo sit in æternum triumphatura.

7. Ecce venit cum nubibus.] q. d. Cito veniet Christus ad judicium, et jam spiritu prophetico eminus video illum venientem : quia mihi in spiritu ad Deum elevato omne hoc tempus, quod sub eo fluit usque ad diem judicii, breve videtur, breveque est respectu æternitatis beatæ et miseræ, quam in judicio pro meritis cuique afferet et infliget. Vide 2. Petri 3. vers. 8. cur Christus venturus sit in nubibus, et quod nubes sint symbolum æque ac velum gloriæ Dei; explicui Ezech. 1. vers. 4.

Et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt,] in crucifixione, puta qui eum crucifixerunt, uti et illi qui mystice jam eum crucifigunt in suis membris, Christianos ejus discipulos occidendo et crucifigendo. Pro *pupugerunt* Zachar. 12. 10. hebr. est דקרו *dakeru*, quod non tantum pungere, compungere, sed et perfodere ac transfigere significat, uti Noster ibidem vertit.

Hinc videtur quod in Christo judice veniente ad extremum judicium videbuntur crucifixionis insignia, et vulnera, id est aperturæ manuum, pedum, lateris; sed gloriosa et splendentia, uti notant S. Ignatius epist. ad Smyrnens. Cyprian. serm. de Ascension. Chrysost. hom. de cruce et latrone. S. Hieron. ad Heliodor. et Suarez 3. p. q. 59. art. 6. disp. 57. sect. 9.

Et plangent se super eum omnes Tribus terræ.] Quia scilicet Christo non obedierunt, ideoque damnabuntur plurimi ex qualibet Tribu, hinc plangent. Non enim de planctu pœnitentiæ, quo sua peccata planxerunt Judæi et Gentes conversæ ad Christum, hîc agi, ut vult Alcazar, sed potius de planctu reproborum et damnatorum patet, tum quia agit de die judicii, tum quia alludit ad illud Matth. 24. 30. *Tunc plangent omnes Tribus terræ, et videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli*, ubi clarum est agi de planctu qui erit in die judicii : ille autem erit impiorum, non electorum; tum quia alludit ad illud Zachar. 12. vers. 10. *Aspicient ad me quem confixerunt; et plangent eum planctu, quasi super unigenitum.* Quem locum licet de planctu pœnitentium explicet Alcazar, tamen S. Aug. 20. Civit. 30. Theodor. S. Hieron. Rupert. Ribera et alii explicant de planctu impiorum in die judicii.

Etiam Amen.] q. d. Omnino ita erit, vel Amen, Amen. Græce enim est, ναι αμην; ναι autem, quod Noster vertit *etiam*, Græcis idem est, quod Hebræis amen.

Quæres : Cur Joannes hîc idem exprimit per ναι Græcum et per αμην Hebræum, cum scribat Græcis græce? Respond. ut significet tum Græcos, tum Judæos huic judicio fore obnoxios, ac in die judicii confirmaturos id quod ipse hîc dicit, cum reipsa videbunt ita fieri uti hîc prædicitur, scilicet quod omnes videbunt Christum judicem, et plangent. Per Judæos enim et Græcos, omnes gentes intelligit. Judæi enim, utpote Deum colentes, reliquas gentes idololatras vocabant Græcos : olim enim Græci erant rerum domini, uti postea Romani. Hinc Paulus ait Rom. 1. *Judæo primùm et Græco.* q. d. Fides Christi à nobis annuntianda est primùm Judæis, deinde Gentibus. Vide ibi dicta.

8. Ego sum A et Ω] Quæres primo quis hîc loquatur. Alcazar censet loqui Christum; quia S. Nazianz. orat. 35. S. Athan. tract. in illud Matth. 11. 27. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, Ruffinus in exposit. Symbol. Idacius Clarus lib. 3. contra Varimundum, Phœbadius, sive Sebadius Agennensis in Gallia Episcopus l. 3. contra Arianos, hæc de Christo accipiunt.

Secundo, quia verbum *dicit*, designat eum qui Joanni Apocalypsin misit : hic autem fuit Christus, ut patet v. 1.

Verum dico loqui Deum, prout communis est tribus personis, scilicet Patri, Filio et Spisitui sancto. Patet hoc conferenti hunc versum cum vers. 4. ubi de Deo in communi est sermo : hîc enim idem Dei epithetum repetit, additque eumdem esse α et ω.

Ad Patres Resp. eos hunc locum tribuere Filio, non soli, sed quia Filius est Deus æque, ac Pater et Spiritus sanctus. Adde Patres respicere ad Apoc. 22. 2. ubi de Christo idem expresse dicitur. Ait enim : *Ecce venio cito, ego sum α et ω, principium et finis;* ac mox subjungit : *Ego Jesus, ego radix David.* Rursus ad cap. 2. 8. ubi Christus ait : *Ego sum primus et novissimus.* Quocirca Christiani olim vigente Arianisimo, ut se Orthodoxos, non Arianos profiterentur, in suis sepulcris incidi curabant α et ω, quasi dicerent, ego credo de Christo, quod ipse de se per Joannem dicit, scilicet ipsum esse α et ω, id est esse vere Deum, uti est Pater. Id notarunt vetustatis scrutatores, uti Ambros. Morales lib. 11. Histor. cap. 41.

Nota. Christus si hebraice, vel syriace (ut nonnulli volunt) locutus est S. Joanni, utpote Hebræus Hebræo, dixit : *Ego sum Aleph et Tau.* Aleph enim est prima, *Tau* ultima littera Hebræorum. Unde Syrus vertit : *Ego sum Olaph, etiam Tau.* S. Joannes tamen, quia Græcis græce scribebat, pro Hebræis substituit Græcas litteras α et ω, eaque de causa forte Christus pariter Joanni græce locutus est, dixitque : *Ego sum* α et ω, quod italice melius dicitur : *Io sono lo Alpha, et lo Omega.*

Quæres secundo : Quis est sensus : *Ego sum* α *et* ω? primo, S. Hieron. lib. 1. contra Jovinian. putat idem hîc dici cum eo, quod ait Apostolus Ephes. 1. 10. *Instaurare omnia in Christo.* Accedit Tertull. lib. de Monogam. qui putat hîc sanciri : *Ut Joannis disputatio designat in Christum, et per Christum omnia ad initium revocentur, et homo revertatur ad paradisum, ubi prius erat.*

Secundo, Petrus Damianus putat per α et ω, significari summam sapientiam Christi, qua prima et novissima cognoscit.

Tertio, Arias Montanus in cap. 4. Zachariæ exponit. q. d. Christus in Ecclesia est α et ω, id est consummatio, decus et perfectio rerum omnium.

Quarto, Prado in Ezech. in Isagog. sect. 2. ego sum α et ω, id est, ego sum principium et finis sermonum et oraculorum Dei. q. d. Ego sum quem spectant omnes Prophetæ, omnes Apostoli, omnis Scriptura sacra, ego sum scopus et summa legis et Prophetarum, æque ac Evangelii et Apostolorum; in me adimplentur et consummantur omnes Patriarcharum histo-

riæ, omnes Hebræorum ritus, sacrificia, lustrationes, miracula et oracula; omnes Virginum, Martyrum, Anachoretarum virtutes, certamina et triumphi.

Quinto, magis genuine Aretas et alii sic exponunt, *ego sum* α et ω, id est, ut sequitur, *ego sum principium et finis.* Nam cap. 22. 13. hæc tria, quasi idem sint, junguntur: *Ego sum* α *et* ω, *primus et novissimus, principium et finis.* Sic Martialis lib. 2. Codrum vocat *alpha penulatorum*, id est inter plebeios et pauperes primum, et quasi principem. Jam sensus est: *Ego sum principium et finis.* Primo, q. d. Ego sum sine principio et fine, id est sum æternus, inquit Aretas: significatur enim hac phrasi Dei æternitas. Itaque sum α et ω, hoc est, ego sum is, ante quem nihil est, imo per quem factum est quidquid factum est, quique, ut omnia intereant, superstes illis omnibus maneo, sicut ergo alpha sese vocat, quod omnium rerum principio sit antiquior: sic omega, quod sit omni fine posterior, ut utrimque ille vere sua constet æternitas. Sic à Græcis Jupiter vocabatur τερμιευς, id est terminalis, παρα το παντων αρχη και τερμα ειναι, eo quod ipse omnium rerum esset principium et terminus. Sicut ergo Apost. 1. Timoth. 6. 16. de Deo ait: *Qui solus habet immortalitatem;* ita ejusdem divinitatem, æternitatem et imperium. S. Joannes describit hac periphrasi: *Ego sum* α et ω, *principium et finis.* q. d. Ego sum qui omnes numeros sæculorum comprehendo; ego sum qui omnia tempora æternitate mea ambio, amplector et prætergredior. Nimirum regnum illius, est *regnum omnium sæculorum, et dominatio illius in generatione et generationem*, psalm. 144. 13.

Rursum et potius active, sum α et ω, id est principium et finis, hoc est, sum causa efficiens et finalis universorum: universa enim à Deo ad Dei gloriam creata sunt. Sic Plato: *Deus*, ait, *est, qui principium, medium, et finem rerum omnium complectitur*, et Virgil. *Ab Jove principium*, et: *A te principium, tibi desinet.*

Recte notat Alcazar abstracta hîc poni pro concretis, idemque dicere Joannem, quod dicit Paulus ad Hebr. 12. 2. ubi Christum vocat auctorem et consummatorem; αρχη enim, id est principium, apud Joannem idem est quod αρχηγος, id est auctor, apud Paulum: et τελος, id est finis, apud Joannem idem est quod τελειωτης, id est finitor et consummator, apud Paulum. q. d. Deus est auctor et consummator omnium, Deus est qui incepit et qui perficiet. Alludit ad Zachar. 4. 9. *Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus ejus perficient eam.* Denique hoc sensu et fine psalm. 4. 5. 6. multosque alios inscribi, *in finem*, id est Deo et Christo, qui æque finis est ac principium Ecclesiæ, rerumque omnium, fuse docet Alcazar notat. 8. Ex dictis patet minus recte Theologos aliquos ex hoc loco probare Filium cum Patre esse principium spirans Spiritum sanctum. Agitur enim hic de principio creaturarum, non Spiritûs sancti.

Quæres tertio: Quorsum hæc dicit Joannes? Resp. primo, ut doceat Deum quasi principium et finem, orbi, Ecclesiæ, omnibusque quæ in ea geruntur, principium et finem dare. Rursum, Deum, sicut Ecclesiam Christi oriri fecit, eique dedit principium, ita pariter eam provecturum et promoturum, ac finem, id est perfectionem ultimam, ei daturum. Ac proinde fideles non debere timere Domitianos et Decios; quia Deus et ipsis, et ipsorum persecutioni tam principium, quàm finem definiet et describet; eamque ita moderabitur, ut non patiatur suos tentari supra vires, sed dabit cum tentatione proventum. Hoc est enim quod dicitur vers. 17. *Noli timere, ego sum primus et novissimus.* Et cap. 2. 8. *Hæc dicit primus et novissimus, nihil horum timeas.*

Mystice Pererius: Per α, inquit, quod est principium alphabeti, significatur Christi divinitas, per ω Christi humanitas. Primo, quia ω est o magnum: o enim rotundum, mundum significat, et homo est parvus mundus; Christus vero est ω, id est magnus mundus, propter unionem humanitatis et deitatis. Atque etiam hoc forte spectarunt Christiani: cum suis sepulcris inscriberent α et ω, scilicet ut Christi incarnationem et humanitatem, æque ac deitatem contra hæreses tunc grassantes profiterentur. Huc spectat illud S. Ambros. lib. de Institut. Virgil. cap. 11. *Vide*, inquit, *clementiam Christi: ipse est primus et novissimus. Qui primus erat, propter nos se novissimum fecit. Primus, quia per ipsum omnia: novissimus, quia per ipsum resurrectio. Descendit enim et projecit se ut caderet, infra omnes se faciens, ut omnes jacentes levaret.* Idem, Christus, inquit, est α *et* ω, *primus et ultimus: primus æternitate, ultimus humilitate.*

Secundo, α significat unum, ω octingenta; quia Christus homo factus octingentos, id est innumerabiles, sanctos et electos sibi adoptavit in fine sæculorum, eosque octo beatitudinibus, per diversas mansiones in cœlo dispertiendo, remuneratus est, et remunerando dispertitus, inquit Rupertus.

Extat memorabile pentalpha, id est quintuplex alpha, ex quinque angulis pentagoni prosiliens apud Lucianum, et Pierium hierogl. 47. p. 599. cujus hæc est figura. Ferunt enim Antiochum cognomento Soterem, à quo reliqui Syriæ reges Antiochi sunt dicti, cum adversus Galatas dimicaturus esset, noctu per visionem videre visum astare sibi Alexandrum, qui mandaret ut militibus tesseram daret υγιαινειν, cujus dicti hieroglyphicum olim jam adinventum erat, triplex triangulus inter se complicitus ex quinque paribus lineis sese invicem in puncto contingentibus; ita ut quinque illorum anguli faciant quinque alpha, quo non cunctanter à se facto, pentagrammoque hujusmodi tum in vexillis impositio, tum et singulis militibus in militaribus indumentis superaddito assutoque, admirabilem mox à Galatis consecutus est victoriam. Exstat Antiochi nummus argenteus, cui hoc pentalpha in pentagono, litteris υγεια, id est sanitas vel salus inscriptum. In militia vero Imperatorum, qui præcipue Byzantii claruerunt, ordo eorum qui sub illustri viro magistro peditum merebant, et Propugnatores vocabantur, cæruleam parmam præferebant, cujus margo purpureus erat; viridis autem umbilicus, intra pentalpha hujusmodi contentus. Merito autem Propugnatorum nomen eis datum, quorum opera υγεια, id est salus, exercitui comparabatur. Hoc pentalpha est Deus, qui est α et ω,

et Christus Salvator ; unde hoc pentalpha certe quinque Christi vulneribus , in ipsis eorum locis et membris rite adaptat Pierius hier. 47. pag. 599. in effigie hominis Christum repræsentantis , quam ibidem exhibet.

9. Ego Joannes frater vester , et particeps in tribulatione et regno.] q. d. Ego Joannes spero uti tribulationis , ita et regni cœlestis vobiscum particeps fieri ; et , repete , *particeps in* , patientia in Christo Jesu.] q. d. Et particeps patientiæ Christi Jesu , vel patientiæ Christianæ, quæ omnia suffert, affligentibus non indignatur , nec in Deum obmurmurat , sed quidquid ab eo immittitur per quemcumque æquo animo sustinet. Secundo , *in Christo* , id est propter Christum , Christique fidem quam prædico. Ita Ribera. Aliqui sic exponunt : *In tribulatione et regno* , quia tribulatio et crux est regnum Christi et Christianorum. Nam regnavit à ligno Deus : itidem regnat in tribulatione patiens. Hoc mysticum est, sed verum et appositum , æque ac pium. Ita Sophronius , vel potius Joannes Moschus , in Prato spirit. cap. 112. refert , quod Abbas Leo dixerit et prædixerit : *Habeo regnare.* Ridebant eum sui. Contigit postmodum monachos quosdam à prædonibus et barbaris capi , ut eos redimeret Leo, semetipsum pro eis captivum tradidit. Pergens ergo cum eis , tandem cum viribus deficeret , nec ulterius progredi posset , ab eis occisus est. Cognoverunt tunc sui hoc ejus regnum , de quo dixerat : *Habeo regnare* , fuisse martyrium. Dicit hoc Joannes , quia , ut ait Aretas , solemus fidem facilius illis adhibere , qui nobiscum in iisdem laboribus eadem de causa susceptis communicant , cum aliqua ad eorumdem laborum perpessionem , et speratam mercedem spectantia commemorant.

Fui in insula , quæ appellatur Pathmos ,] quæ sita est in mari Asiatico et Icario , estque una ex Sporadibus non longè distans à Candia , sive Creta. Ibi , inquit Ansbertus , Joannes à Domitiano relegatus , et damnatus ad metalla ; quasi vinctus in terra , libere penetravit cœlos et cœlestia. Tradit ex Metaphraste Baron. omnes insulanos in Pathmos à S. Joanne conversos fuisse ad Christum. Ita nunquam otiosa fuit Apostolorum charitas et zelus.

Nota hîc providentiam et consilium Dei , qui suaviter et efficaciter ita cuncta disposuit , ut Joannes ab urbe Roma (in qua longe aberat à suis in Asia Ecclesiis) in Pathmon relegaretur , quæ Asiæ contermina , atque ipsis septem urbibus ad quas hîc scribit , vicina erat , quo facilius inde per litteras cum suis Ecclesiis agere , easque instruere et dirigere posset. Ita diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Rursum disce hîc , quàm Deus suis in exilio , et in tribulatione adsit , detque lucem et consolationem : ecce Joannes non alibi , quàm in Pathmo accipit à Deo suam Apocalypsin. Ita Jacob , cum eum persequeretur Esau , vidit Deum in Bethel. Genes. 28. et 32. Moses fugiens Pharaonem , conspexit Deum in rubo ardente , Exodi 3. Ezechiel captus in Babylone vidit eumdem in curru Cherubico cap. 1. Stephanus in lapidatione vidit Jesum stantem à dextris virtutis Dei quasi suum hyperaspisten , Actor. 7.

10. Fui in spiritu ,] fui raptus mente , fui in spirituali visione , vel in extasi , significat sanctum illum enthusiasmum , quo Prophetæ correpti extra mundum quasi rapiebantur , et peregrinabantur cum Domino.

In Dominica die.] Ergo à tempore Joannis et Apostolorum cultus sabbati fuit translatus in Dominicam , ob honorem resurrectionis Christi , quæ in Dominica contigit.

Et audivi post me vocem magnam.] Quæres : Cur à tergo hæc vox exhibita est Joanni ? Resp. Primo : Alcazar , ut Joannes intelligeret se vocari ad bellum , quod jam præterierat , considerandum. Putat enim ipse priori Apocalypsis parte describi bellum , victoriam , et excidium Judæorum per Titum , quod jam 25 annis præterierat. Quæ enim præterita sunt , retro et post tergum sunt. Unde ait Apostol. Philip. 3. 13. *Quæ retro sunt obliviscens , ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum.* Sed hoc fundamentum ejus superius subverti ex eo quod Apocalypsis sit prophetia futurorum, non historia præteritorum.

Secundo , ergo et melius respondet Ambrosius , Thomas Anglicus et Ribera , Joannem hîc à tergo audisse vocem , quia auditurus erat ea quæ erant ignota Ecclesiæ. Quod enim post nos est , quia videri nequit , nobis ignotum censetur.

Tertio , Anselmus , Richardus et Rupert. censent hoc situ vocis Joannem , qui contemplationi rerum divinarum vacabat , ad humana , puta ad aliorum correctionem et instructionem revocari.

Quarto , Glossa et Albertus putant hac voce à tergo significari symbolice , quod hæc mysteria , quæ Joanni hîc revelantur , in lege et Prophetis contineantur quasi in typo et figura.

Quinto et optime , vox hæc à tergo audita est , ut significaretur primo , revelationem hanc esse Spiritûs sancti , quia Spiritus sanctus non videtur ab hominibus , ideoque dum se iis doctorem et monitorem exhibet , videtur facere , *ut aures audiant verba post tergum monentis* , ut ait Isaias cap. 30. 21. Secundo , quod Deus hîc loquens Joanni , clare per faciem in hac vita videre nequit. Unde Moysi dixit Exodi 33. *Posteriora mea videbis , faciem autem meam videre non poteris.* Tertio , quod persecutiones hîc à Joanne auditæ et prophetatæ , proxime S. Joannem secuturæ erant sub Trajano, Adriano, Antonio, etc. Porro vox hæc à Deo per angelos , de more efformata videtur.

Mystice , significatur hîc singulare præsidium Dei , Joannem et fideles suos inter tot persecutiones et pericula protegentis et dirigentis. Recte enim Christi providentia post nos esse describitur; quia cum ipsam non cernamus , ipsa tamen nos cernit , semperque ante oculos habet, tuetur et protegit. Ita Origenes et S. Hier. in Ezech. 3. 12.

Tropol. monentur hîc fideles , ut à terrenis avertantur, et convertantur ad Deum et cœlestia. Servi enim fugitivi sumus , atque ut non revocet, à tergo clamat Christus. Ita Ambrosius et Lyranus.

Tanquam tubæ.] Ergo hæc vox fuit non tantum ingens et contenta, sed et tubalis, sive sonitum tubæ referens et exprimens : vox enim *tanquam* , non tam comparationem hîc notat , quam rei veritatem. Unde videtur hæc vox Dei fuisse diversa à voce Christi hominis , de qua dicit v. 15. *Et vox illius tanquam vox aquarum multarum.* Voce enim divina et tubali excitus Joannes respexit , viditque Christum inter septem candelabra , voce grandi instar aquarum

multarum resonantem, ac dicentem : *Noli timere, ego sum primus et novissimus.*

Aliter Alcazar : censet enim utramque vocem scilicet tubæ, et aquarum multarum, fuisse Christi, qui prius vocem tubalem edidit, deinde vocem aquarum multarum : utramque bellicam, ut priore significaret bellum illatum Ecclesiæ à Judæis ; posteriore, bellum eidem illatum ab omnibus Gentibus, sed in utroque patientia et virtute sua de utrisque triumphavit Christus ; scilicet Judæorum tubæ bellicæ opposuit, non arma, sed septem tubas, uti olim contra Jericho, de quibus c. 6. Judæorum enim plagæ per has tubas significantur. Aquis vero multis, id est tumultui Gentium contra Ecclesiam conspirantium, opposuit septem phialas cap. 15. v. 7. quasi ad gentium impetum retundendum satis sit, ut cœlum septem phialas aquæ effundat ; quasi aquæ tantum guttis contra maris furorem pugnetur. *Nam qui habitat in cœlis irridebit eos*, psal. 2. 4. Hac ergo tuba et voce bellica significari, quod, sicut olim bellicis tubis jubilei sive redemptionis annus promulgabatur ; ita ex tubis Judæorum et Gentium contra Ecclesiam insurgentibus fideles jubileum consequerentur, id est, egregium redemptionis fructum, atque eam libertatem, quæ in pacis mundanæ, divitiarum ac vitæ despicientia consistit. Hæc ingeniose et pie dicuntur ; at non satis germane et genuine, uti superius ostendi, et inferius ostendam.

11. PHILADELPHIÆ.] Urbs est sita in Mysia juxta Lydiam, ita dicta ab Attalo Philadelpho conditore. Alia est Philadelphia Syriæ, quæ in Scriptura vocatur Rabbat filiorum Ammon. De cæteris urbibus dicam suis quibusque locis.

12. ET CONVERSUS SUM, UT VIDEREM VOCEM,] puta auctorem vocis, sive ipsum vocantem et loquentem : vel *viderem*, id est, cognoscerem et perspicerem. Sic Exodi 20. 18. dicitur : *Cunctus populus videbat*, id est audiebat, *voces* : visus enim, quia certissimus, pro quolibet sensu, sensatione et cognitione sumitur : præsertim, quia intellectualis erat hæc vox ideoque erat ipsa visio. Unde Prophetæ suas prophetias jam *verbum*, jam *visionem* vocant ; quia in mente et spiritu idem sunt videre, et audire. Ita Aretas et Haymo. Vide Can. 1. in Prophetas.

ET CONVERSUS VIDI SEPTEM CANDELABRA AUREA.] Candelabra hæc erant similia illi, quod fecit Moses in tabernaculo ; et illis decem, quæ fecit Salomon in templo. Ad hæc enim alludit : unde et vidit Christum vestitum podere, quasi sacerdotem : sacerdotum enim legis veteris vestis erat poderis. Sic et Zacharias c. 3. 4. vidit sacerdotem JESUM mutatoriis vestitum, id est podere, ut vertunt Septuag. et mox c. 4. 2. vidit *candelabrum aureum, et septem lucernas super illud.* Erant ergo hæc candelabra instar illorum veterum heptalychna, id est septem lucernas habentia ; quodque enim candelabrum erat septiceps, scilicet habens septem scapos sive calamos, qui singuli in culmine habebant lucernam, uti dixi Exodi 25. v. 31.

Porro per candelabrum tam Joannes, quam Moses significat et repræsentavit Ecclesiam : ita enim ait Joannes v. 20. *Candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt.* Idque apposite. Nam primo, Ecclesia est visibilis et conspicua instar candelabri. Secundo, quia lucem mundi, puta Christum, Christique doctrinam mundo præfert. Tertio, quia erecta est ad res divinas et cœlestes. Quarto, est aurea propter charitatem, et quia quasi aurum igne et malleis persecutionum probatur, extenditur, formatur. *Est*, ergo, *Ecclesia quasi candelabrum* (inquit Perer.) *per doctrinam Scripturarum lucida, per fulgorem virtutum splendida, per gravitatem morum ponderosa, per obedientiam ductilis, per prædicationem sonora, per perseverantiam extensa, per spem erecta, per fidem in Deo fundata, per charitatem Deo astricta*, imo in eum quasi transformata. Plura de candelabro, hoc ejusque figura et significatione dixi Exodi 25. 31.

13. ET IN MEDIO SEPTEM CANDELABRORUM AUREORUM SIMILEM FILIO HOMINIS,] hoc est hominum, Christum scilicet. Homo enim homini est similis et Christus in similitudinem hominum factus est, dum habitu inventus est ut homo. Phrasi enim Hebraica similitudo veritatem rei significat, ita Gagneius, et patet ex sequentibus. Ribera tamen putat non fuisse ipsum Christum, sed angelum qui personam Christi gerebat. Adde dici similem, quia per omnia non erat hominis similitudo : habebat enim pedes ex aurichalco.

Quæres an Joannes revera viderit hîc Christum Dominum in seipso ? Resp. Probabile est vidisse, sed in alio habitu, quàm sit in cœlo. Corpus enim gloriosum potest apparere tali forma et habitu, quali vult beatus. Probabilius est tamen contrarium scilicet Joannem revera non vidisse Christum ipsum. Primo, quia erat in spiritu ; unde hæc omnia coram eo symbolice gerebantur, ut patet ex sequent. Deinde, quia similiter c. 5. ait se vidisse sedentem in throno : certum est autem ibi eum non vidisse Deum, sed symbolum aliquod, aut speciem quæ Deum repræsentaret. Pari ergo modo et hîc eidem contigit, scilicet species Christi phantasiæ ejus impressa et objecta fuit, non ipse Christus, idque ex amore Dei factum est per angelum, atque hoc sensu vera est sententia Riberæ.

Porro quod ait : *In medio septem candelabrorum*, intellige non consistentem, sed ambulantem ; sic enim ait c. 2. 1. *Qui ambulat in medio candelabrorum.* Ambulat autem in medio illorum, ut ea foveat oleo, accendat et emungat. Alludit enim ad officium candelabra curandi, quo sacerdos hebdomadarius in templo Salomonis fungebatur. Hac de causa persona quam vidit Joannes, vestita erat podere, id est tunica linea, quam induebant sacerdotes sacras has functiones obituri. Ita Alcazar.

Moral. Notat S. Thom. τὸ *in medio* significare Christum singulis Ecclesiis exhibere se communem, à nemine recedere longius, ad neminem accedere propius ; sed omnibus æqualiter adesse ac prodesse, ut doceat Episcopos in Ecclesia, rectores in collegio, patres in familia, se exhibere omnibus indifferentes, æquos et æquabiles, ad arcendam invidiam, et promovendam omnium unionem et charitatem. Vulgo quæritur cur ad Pontificatum electus sit, non Joannes Christo charissimus, sed Petrus ? Hanc quæstionem S. Hieron. l. 1. adversus Jovin. duplici responsione decidit. Una : *Ne adhuc adolescens*, inquit, *ac pene puer, progressæ ætatis hominibus præferretur* ; altera : *Ne magister*, inquit, *bonus, qui occasionem jurgii debuerat auferre discipulis, in adolescente, quem dilexerat, causam præbere videretur invidiæ.*

Huc alludit et hoc repræsentat Pontifex Romanus; dum ipse solus solemniter celebrans circum se in altari habet septem candelabra (quod nulli Episcoporum concessum est:) ipse enim est vicarius Christi, qui hîc visus est Joanni inter septem candelabra quasi summus Pontifex, et moderator septem, id est omnium, Episcoporum, et Ecclesiarum tam Græciæ, quam totius orbis. Christus ergo est qui Ecclesiæ suum communicat splendorem, vim ac virtutem, juxta illud Matth. 18. 20. *Ibi sum in medio eorum.* Quocirca Isaias cap. 12. 6. Ecclesiam ad gratias agendas, et ad jubilum excitat dicens: *Quia magnus in medio tui sanctus Israel.*

Hac de causa Christus alia forma et specie apparuit quam habeat in cœlo, nimirum vestitus podere, canus, cinctus zona aurea, habens pedes ardentes; ut per hæc repræsentarentur res admirandæ (de quibus mox dicam) quas Christus in Ecclesia, et suis fidelibus (quorum speciem et quasi personam hîc induit) operatur, juxta illud psal. 67. 36. *Mirabilis Deus in sanctis suis*, hoc est, quod ait Paulus Galat. 2. 20. *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus:* vide ibi dicta. Sic Cant. 5. à v. 10. ad finem cap. describitur Christi species et figura, non solum prout ipse in se est, sed etiam prout in suis præclara et illustria operatur, uti docent ibidem Gregor. Nyssenus, Paulinus Ambros. Gregor. Philo Carpatius et Honorius.

Vestitum podere.] Quæres cur hoc habitu vestitus apparuerit Joanni Christus? Primo, Irenæus l. 4. c. 37. censet hanc figuram ad sacerdotalem dignitatem, et gloriosum Christi adventum pertinere. Sic et Stunica in Zachariæ cap. 4. putat hîc describi Christi habitum, quatenus judex est, et ut judex judicabit orbem in fine mundi.

Secundo, Luisius Legionensis lib. de Nominibus Christi opinatur totum hoc ænigma ad Christi ardentem charitatem referri debere.

Tertio, Palmonius asserit hanc imaginem cuilibet justo convenire, quia Christus et Ecclesia sunt unum; Christusque hîc suorum habitu se vestit, ut indicet se in illis vivere, operari et loqui, uti paulo ante dixi.

Quarto, alii putant hîc depingi Christum, qua ratione est perfectissimus legislator. Unde Ribera censet hoc ænigma ad justorum consolationem et errorem impiorum spectare.

Quinto, Perer. censet in hoc Christi schemate depingi providentiam, qua Christus regit, curat et gubernat suam Ecclesiam; et in hoc ipso proponi ideam gubernationis Ecclesiasticæ, quam Episcopi et Pastores imitari debeant. Sic et multi alii putant hîc singulariter exprimi Christi providentiam erga septem Asiæ Ecclesias, quibus præerat, quibusque hæc scribebat Joannes.

Sexto, Alcazar censet hanc primam Apocalypseos personam prologum agere, et summam totius spectaculi (puta totius Apocalypseos) perstringere. Unde et vestitus poderis respondet vestibus albis, quibus seniores sunt amicti c. 4. et byssino, quo se induit Agni sponsa c. 19. Sic et poderis byssina et zona aurea respiciunt angelorum vestitum qui phialas effundunt c. 16. canities respicit canitiem seniorum c. 4. oculorum flammæ eædem sunt cum illis, de quibus dicitur c. 19. *Oculi ejus sunt flamma ignis.* Pedes ex aurichalco ardenti, iidem sunt cum illis qui dantur angelo c. 10. 1. *Pedes ejus tanquam columna ignis.* Ignis ipse idem est cum eo qui postea Babylonem comburit; septem stellæ respondent stellis quibus amicta est mulier c. 12. De morte, inferno, et clavibus sæpe inferius agetur. Ita ipse. Quæ omnia apposite et vere dicuntur.

Proprie tamen hæc spectant septem candelabra; Christus enim hîc eam speciem assumit, quæ repræsentet nobis ejus officium pontificale circa hasce Ecclesias, et alias quasvis, quas corripit, docet, monet perficit, ut patebit c. 2. et 3. Hæc enim omnia usque ad c. 4. pertinent ad primam Apocalypseos partem, quæ est de correptione et instructione septem Ecclesiarum et Episcoporum Asiæ. Unde c. 5. ubi incipit altera scilicet prophetica, Apocalypseos pars, alia visio, et alia species Christi, scilicet, quasi Agni occisi, proponitur.

Secundario tamen hæc quoque ad caput quintum, totamque Apocalypsin pertinent. Christus enim hîc eam speciem gerit qua repræsentat suam in fideles curam, protectionem et glorificationem: in impios vero, præsertim in Antichristum, ejusque asseclas, terrorem et vindictam, quod est argumentum et scopus totius Apocalypseos.

Porro quod Alcazar pag. 94. hæc omnia trahit ad suam de argumento Apocalypseos opinionem, scilicet hoc schemate Christi repræsentari victoriam et triumphum tam de Judæis et judaismo quam de Gentibus et gentilismo, superius minus probabile esse ostendi.

Jam quod ad verba textûs attinet, nota *vestitum podere*, hoc est veste sive tunica talari. Dicta est poderis απο του ποδος και αρειν, quod ad pedes usque adaptetur et descendat; vel, ut Erasmus, απο του ποδος, id est pes, και ηρης, quod in compositione remum significat. Deducitur enim ab ερεσσω, id est remigo; inde dicitur trieris, dieris; quasi poderis sit vestis quæ pedibus remigatur et ventilatur.

Nota: Pontifex duplicem habebat tunicam, unam lineam, quæ heb. כתונת *ketonet*, græce χιτων vocabatur, qua semper in sacris utebantur omnes sacerdotes; secundam hyacinthinam, quæ heb. מעיל *meil* dicebatur, eratque propria pontifici, ab eaque dependebant mala punica et tintinnabula de qua dicitur Sap. 18. 24. *In veste poderis totus erat orbis terrarum*, ut scilicet significaretur pontificem podere indutum, esse mediatorem cœli et terræ, Dei et hominum, ac pro toto mundo supplicare.

Quæres utram tunicam hîc intelligat Joannes per poderem? Alcazar, Ribera et Pererius intelligunt lineam. Hanc enim Joseph. lib. 3. Antiq. 8. et S. Hieron. epist. 128. vocant poderem. Quin et Septuag. Ezech. 9. 2. ubi nos legimus: *Vir vestitus lineis*, vertunt *vestitus podere.* Accedit quod persona hæc apparuit inter candelabra, et quasi de illis curam gerens, quod non erat summi pontificis munus; atque ita non satis apte cohæret, ut sacerdos hyacinthina vestitus inter candelabra apparuerit. Porro per hanc lineam tunicam censent significari, primo, Christi sacerdotium; secundo, mundissimam et pulcherrimam ejus carnem; tertio, inæstimabilem ejus innocentiam et puritatem; quarto, patientiam; linum enim varie carminatur, tunditur, maceratur, etc. et *semper injuria fit melius*, ait Plinius.

Verum verius videtur poderem esse tunicam hyacinthinam; primo, quia ita vertunt

et explicant Septuag. Exod. 28. 31. ubi distincte de utraque pontificis tunica agitur, et quæque suo nomine ab alia discriminatur. Secundo, quia sola hyacinthina propria pontifici, significat pontificatum proprium Christo. Christus enim hîc non quasi sacerdos minor, sed quasi pontifex inducitur, qui septem angelos, id est Episcopos, septem Ecclesiarum docet et corrigit. Unde et cingitur zona aurea; hæc enim pontificem designat, non sacerdotem. Sacerdos enim zona byssina tantum cingebatur; pontifex vero præter byssinam habebat zonam polymitam, quia hyacinthinam, quin et Ephod cum Rationali succingebat, cui respondet hîc zona aurea, quam Joannes dat Christo. Tertio, quia tunica linea *tantum usque ad crura descendebat*, ait S. Hieron. epist. 128. ad Fabiolam de vestibus sacerdotum; hyacinthina vero usque ad talos. Hæc ergo proprie est poderis, id est talaris, non illa, licet à S. Hieronymo et Josepho illa quoque subinde vocetur poderis, quod ad pedes, id est ad tibias et crura, descenderet. Quarto, quia per poderem intelligit tunicam hyacinthinam Sapiens c. 18. 24. verbis jam citatis, et Eccles. c. 45. 10. ubi enim nos legimus *circum pedes;* græce est *poderis,* et manifeste loquitur de hyacinthina.

Podere ergo, sive tunica hyacinthina significatur summus Christi pontificatus, quo Christus præest septem, id est omnibus Ecclesiis et Episcopis; ac consequenter Christi in nos amor commendatur, ut eum redamemus, nec in persecutionibus etiam morte proposita ab ejus amore recedamus. Sic enim Christus Pontifex noster seipsum pro nobis in victimam mortemque crucis obtulit. Hinc hyacinthina hæc tunica symbolum est, primo, veræ religionis, sanctitatis, et cultûs divini, in quibus excelluit Christus. Secundo, conversationis cœlestis: hyacinthus enim est coloris violacei, id est aerei et cœlestis. Hinc ab hac tunica pontificis dependebant aurea tintinnabula, et mala punica; illa significabant ardentem prædicationem, hæc miracula Christi. Vide dicta Exodi 28. 35. et Exodi 25. 4.

ET PRÆCINCTUM AD MAMMILLAS ZONA AUREA.] Alludit primo ad cingulum veterum sacerdotum et pontificum: hoc enim adeo alte succingebant se, ut Joseph. lib. 3. Antiq. cap. 10. asserat lineam vestem accingi solitam circa pectus paulo axillis inferius. Et S. Hier. epist. 128. *Balteo,* ait, *cingebatur tunica linea inter umbilicum et pectus.* Unde Turnebus l. 15. Adversar. c. ult. et Sigonius l. 3. de Judiciis c. 19. notant morem alte se cingendi proprium fuisse sacerdotum, ut per hoc significaretur eos præ cæteris promptos et paratos esse ad omne Dei obsequium. Rursum, zona aurea erat pontificum veterum; nam sacerdotes minores cingebant se zona ex bysso polymita, id est cocco, purpura et hyacintho intertexta, absque auro; pontificis vero zona erat ex bysso polymita auro intertexta.

Quæres quidnam significet zona hæc aurea Christi? Resp. primo aliqui, significare ejus clementiam, qua cohibet iram. Ita Andreas et Aretas. Secundo, ejus dignitatem regiam. Ita Rupert. et Pererius. Tertio, ejus sapientiam. Ita Albertus. Addunt aliqui justitiam, juxta illud Isaiæ 11. 5. *Justitia cingulum lumborum ejus.* Quarto, ejus pietatem et reverentiam. Ita Abbas Joachim, et Dionys. Quinto, ejus castitatem. Ita S. Chrysost. Gregor. Haymo, Anselm. et multi alii. Sexto, ejus charitatem. Ita Ribera, et Thomas Anglicus. Septimo, ejus præparationem et promptitudinem ad Dei obsequium, ad quod eum excitat Dei amor; hunc enim significat aurum; unde alte accingitur, ut præ aliis promptior et paratior significetur. Ita Alcazar. Octavo, proprie zona constringens vestes et corpus, illudque firmans et roborans, significat disciplinam sanctam, quæ Christi et Christianorum mentem, phantasiam, corpus, motusque omnes componit, à vitiis restringit, Deo Deique legi astringit. Est aurea, quia id facit non per timorem, sed per amorem Dei. Hinc charitas ab Apostolo Coloss. 3. v. 14. vocatur *Vinculum perfectionis.* Rursum 2. Cor. 5. v. 14. *Charitas,* ait, *Christi urget nos.* Christus enim ad auream charitatis legem, sive zonam suas omnes leges revocavit. Plura moralia de zona hac Christi et fidelium dixi Ephes. 6. 4. Jerem. 13. 1. Exodi 28. 39.

Porro multi hæc adaptant Ecclesiæ et fidelibus: horum enim personam et speciem sustinere hîc Christum, ideoque visum à Joanne inter candelabra, quæ Ecclesias significant; hanc ergo zonam Christi esse eam qua Sancti præcincti sunt. Ita Alcazar et alii. Imo multi volunt hanc zonam Christi esse ipsam Ecclesiam. Ita Victorinus, Ticonius, Primasius, Beda; vel aliquam Ecclesiæ partem, verbi gratia, chorum Patriarcharum, ut vult Ambrosius. Censent enim per hanc zonam auream innui ingens incrementum charitatis, quod Ecclesia accepit in persecutionibus, nempe in sigillo secundo, c. 6. et in thuribulo, c. 8.

Quæres: cur ad mammillas cingitur Christus? Respondet primo S. Chrysost. per zonam in lumbis significari legem veterem, per zonam ad mammillas Evangelium. Nam, ut ait S. Gregor. loco mox citando, aurea zona ad mammillas refrænatur non tantum operis, sed et cordis luxuria: hanc enim Christus damnat Matth. 5. 28.

Secundo, quia Christus, æque ac Christiani alacriores, paratiores et ardentiores sunt, aut esse debent, ad Dei obsequium, quam Moses et Judæi.

Tertio, quia cor Christi, quod est inter mammillas plenum est charitate.

Quarto, symbolice Viegas per duas mammillas duo universalia Dei attributa, puta misericordiam in pios, et justitiam in impios accipit. Ex dextra sugitur lac indulgentiæ, ex sinistra lac correptionis. Hoc durius, illud suavius, utrumque infantibus salutare. Unde et Rupertus per zonam auream accipit auctoritatem Christi regiam, ab omni miseria et mortalitate liberam.

Melius Pererius: Duæ mammillæ, ait, sunt mens et voluntas; hæc cincta est auro sapientiæ, illa charitatis; utraque lac præbent tum doctrinæ per prædicationem, tum gratiæ per Sacramentorum administrationem. Unde S. Greg. lib. 34. Moral. cap. 8. *Zonam,* inquit, *auream circa mammillas habere, est cunctos mutabilium cogitationum motus, per solius amoris vincula restringere.* Addit ibidem S. Gregorius aurum quinque res in Scriptura significare: primo, charitatem divinitatis; secundo, splendorem cœlestis civitatis; tertio, charitatem, uti hîc;

qua rio, nitoremgloriæ sæcularis; quinto, pulchritudinem sanctitatis.

Denique Alcazar hîc notat. 12. pag. 225. notat auro significari charitatis perfectionem. Nam, ut lib. 33. c. 1. et sequent. docet Plinius in auro novem sunt consideranda, mira : *generatio, splendor, pondus, facilitas materiæ, constantia, munditia, medicina, miracula, pretium*, quæ singula ipse ordine fuse et docte prosequitur, et claritati adaptat.

14. CAPUT AUTEM (divinitas quæ est caput Christi) EJUS ET CAPILLI; *et* significat *id est*, q. d. *Caput*, id est *capilli* capitis (Alcazar tamen per capillos capitis, accipit pilos, tam barbæ quam capitis; sed pili barbæ proprie non vocantur capilli (ERANT CANDIDI, TANQUAM LANA ALBA ET TANQUAM NIX,] quæ non tantum candorem habet, sed et pulchritudinem et splendorem. *Candidi*, nimirum canitie : qua significatur Christi æternitas, et, ut August. ait, *antiquitas veritatis*. Sic de Patre æterno dicitur Daniel 7. *Antiquus dierum sedit, vestimentum ejus candidum quasi nix, et capilli capitis ejus quasi lana munda*, id est cani, splendidi, juxta illud :

Et facies multo splendeat alba pilo.

Nota. Aretas per capillos candidos accipit candidam et puram humanitatem Christi : et Viegas, puritatem vitæ Christi. Secundo, Rupert. accipit SS. Prophetas; hi enim quasi multi capilli unius capitis Christi sunt. Pari modo S. Augustin. lib. de Essentia divinitatis initio, accipit quoslibet Sanctos. Tertio, S. August. tract. 57. in Joannem, accipit Christi Sacramenta, quæ multa et varia unius Christi sunt. Quarto, Joachim Abbas judicia Christi mundissima, et justissima. Quinto et optime, uti dixi, capilli sive candidi, sive cani significant Christi æternitatem, ac consequenter omniscientiam, omniprudentiam, omniprovidentiam : cani enim, sive senes, quia calor in iis subsidit, hinc non habent fervores et impetus turbidos, qui rationem perturbant, sed plane sedati liberum et sincerum habent judicium, maximeque in eis viget prudentia et sapientia.

Unde notat Alcazar per poderem significari sanctitatem et religionem Christi, ejusque fidelium, per zonam auream charitatem, per canos sapientiam, quæ mire increvit in persecutionibus iis, de quibus agitur hoc libro; per illas enim Christi docuit suam Ecclesiam Christianæ philosophiæ fastigium.

Porro inter hæc tria congruus servatur ordo; quia prius est mundari à peccato, et sanctificari; mox virtutum perfectionem in fervore charitatis amplecti; et demum alios docere et instruere per sapientiam. Unde in Ecclesia Christiana sapientia fuit matura et cana, quæ in Synagoga Judæorum erat germinans et infans. Hinc comparatur nivi, non tantum nitenti, sed et splendenti. Nix ergo significat splendorem et gloriam sapientiæ Christi, et Christianorum.

Addunt aliqui canos significare antiquitatem religionis Christianæ, tum quia fuit prior judaismo in mente et intentione Dei (unde voluit Deus illam per ritus et sacrificia Judaica significari et repræsentari); tum quia prisci Patriarchæ et Prophetæ, quoad fidem, spiritum, mores et vitam Christiani potius erant, quam Judæi et Mosaici, uti docet S. August. lib. 3. contra duas epist. Pelag. c. 4. et D. Thomas 1. 2. quæst. 107. artic. 1.

ET OCULI EJUS TANQUAM FLAMMA IGNIS.] His oculis significatur omniscia mens Christi, justis lucens, reprobos incendens, ait Gagneius.

Secundo, et melius Ribera : Oculi, inquit, Christi flammantes significant Christi iram et vindictam in persecutores Christianorum, aliosque impios. Id ita esse patet ex c. 19. 12. et c. 2. 18. et cap. 11. 19. ubi horribiles bestiæ depinguntur : *Ira plenæ, vaporem igneum spirantes, horrendas ab oculis scintillas emittentes.* Cur in ira flammescant oculi, causam dat Aristot. problem. 3. sect. 31. quod calor à natura in eam partem, tanquam violatam transmittatur, quæ et sensu et motu facilior est. Oculi enim violati censentur hoc ipso, quod quis coram ipsis indignum et injurium quid patrarit, nec faciem et oculos ejus sit reveritus. Adde phantasiam, quæ in capite est supra oculos, ira concitatam, advocare ad se spiritus vitales, eosque accendere, ut fumos naribus, ignem oculis efflare videatur. Sic de Achille irato ait Homerus Iliade 19. *Dentes ejus stridebant, oculi vero splendebant ut flamma ignis.* Et Virgil. libro 7. de Alecto : *Flammea torquens lumina.* Et Cicero in Verrem : *Ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat.*

Addit Alcazar flammas oculorum Christi significare, ab ejus ira neminem se posse abscondere. Quæ enim tenebræ impediant perspicientiam ei, cui oculi jaculantur claram lucem? juxta illud Jeremiæ 32. v. 19. *Oculi ejus aperti sunt, ut reddat filiis Adam secundum fructum adinventionum eorum.*

15. ET PEDES EJUS SIMILES AURICHALCO SICUT IN CAMINO ARDENTI.] Hinc patet Joannem non vidisse verum hominem, sed hominis imaginem, sive spectrum : habebat enim pedes ex aurichalco. Licet enim dicat : *Similes aurichalco*, tamen τὸ *similes* potius spectat hominem, sive spectrum hominis, quam aurichalcum. q. d. Hoc hominis spectrum pedes videbatur habere similes statuæ factæ ex aurichalco, quoad cætera vero simile erat homini. Alludit ad Ezech. 1. 27. ubi Ezechiel ait se vidisse speciem Dei sedentis in curru Cherubim : *Quasi speciem electri, velut aspectum ignis, intrinsecus ejus per circuitum; à lumbis ejus et desuper, et à lumbis ejus usque deorsum, quasi speciem ignis splendentis in circuitu.* Vide ibi dicta. Pro *aurichalcum*, græce est χαλκολίβανον quod Suidas putat esse genus electri auro pretiosius. Antonius Nebrissensis in Quinquagena cap. 4. vertit thus æneum, id est forte, masculum, puta potentissimum et fragrantissimum; (לבונה *lebona* enim hebraice, unde idem sumpserunt Græci, significat thus, eo quod sit album : לבן *laban* enim significat album) et ita sumitur hoc nomen apud Orpheum, cum ait : *Chalcolibanus in Apollinem, in Latonam*, id est masculum thus, vel masculini thuris sacrificium in Apollinem, in Latonam. Pedes ergo Christi similes sunt thuri masculo; quia quasi thus incensum et fragrantissimum, jucundissimum odorem spargunt.

Verum noster Interpres et alii passim, χαλκολίβανον vertunt *aurichalcum*. Unde et Plinius lib. 34. 2. ait Chalcolibanum esse genus æris, olim habitum in pretio. Porro vocatur aurichalcum æs, quod colorem habet aureum, in-

quit Sextus Pompeius. Idem dicitur aurichalcum, ab ορος, id est mons, et χαλκος, id est æs, quod è montibus eruatur; unde et dicitur χαλκολιβανον, quasi æs Libani, eo quod è Libano eruatur, ait Aretas et Thesaurus linguæ Græcæ. Unde Syrus vertit : *Pedes ejus similes æri Libanitico, quod inflammatum est tanquam in fornace;* Arabicus : *Pedes ejus sicut æs conflatum in igne.* Porro fulgidum fuisse aurichalcum docet Hesiodus, dum illud φαεινον vocat in Herculis scuto. Aurichalcum ergo, sive chalcolibanum erat æs laudatissimum.

Sensus ergo est : Pedes Christi similes erant aurichalco, non frigido, non etiam liquefacto, sed calenti, candenti et coruscanti *in camino ardenti* (legit noster Interpres in Græco πεπυρωμενω, id est *ardenti;* jam legunt πεπυρωμενοι, id est ardentes, scilicet pedes,) hoc est, pedes Christi erant splendidissimi, puta humanitas Christi (quæ per pedes significatur, uti deitas per caput) per caminum passionis et crucis facta est splendidissima et fortissima ad conculcandum Domitianum, suosque hostes, et ad eos comburendum. Ita Nazianzenus apud Andream, et Damascenus apud Riberam, Rupertus, Pannonius, aliique, qui omnes per pedes intelligunt humanam naturam in Christo. Paulo aliter Dionys. Carthusianus per pedes accipit extremos annos vitæ Christi, quibus passus est et crucifixus. Pedes Christi, ait Rupertus, dicuntur similes aurichalco : *Quia sicut aurichalcum multis ignium impendiis ex ære perducitur ad colorem auri, ita et illa humanitas per multas tribulationes passionis et mortis perducta est ad gloriam majestatis.* Quocirca pie S. Bernardus serm. 17. in psalm. *Qui habitat : Bonum,* ait, *mihi, Domine, tribulari, dummodo ipse sis mecum, quam regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriari : bonum in tribulatione magis amplecti te, in camino habitare te mecum, quam esse sine te, vel in cælo. Quid enim mihi est in cælo, et à te quid volui super terram? Aurum probat fornax, et viros justos tentatio tribulationis. Ibi, ibi cum eis es, Domine, ibi in tuo nomine congregatis adstas medius, sicut olim cum tribus pueris es dignatus, etiam Ethnico apparere, ut diceret : Quia species quarti, est similis filio Dei. Quid trepidamus, quid cunctamur, quid refugimus hunc caminum? Sævit ignis, sed Dominus nobiscum est in tribulatione : si Deus nobiscum, quis contra nos?*

Mystice, Haymo, Beda, Ambrosius, Anselmus : Pedes, inquiunt, Christi sunt fideles, qui vivent in fine mundi tempore Antichristi, durabuntque in igne persecutionis, quasi in camino, fortes et constantes.

Secundo, Victorinus Ticonius, Andreas, Aretas, Pererius et Alcazar : Pedes, inquiunt, Christi sunt Apostoli, qui nomen Christi quasi per totum orbem deportarunt. Ili similes sunt aurichalco, quia sua sapientia splenduerunt ut aurum, suaque constantia expresserunt firmitudinem æris. Unde de his dicitur Isaiæ 52. 7. et Roman. 10. 15. *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Et can. 7. 1. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!* Visi sunt ardentes, quia orbem accenderunt igne illo, de quo ait Christus Lucæ 12. 49. *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* Denique in chalcolibano, sive ære Libani alluditur ad altare holocaustorum, quod ex hoc ære factum erat. Respicit enim Joannes ad ignem holocaustorum, quo significat pedes illos, qui adeo Deo placent intendere et contendere, ut veræ religionis ignem, Deique cultum toto orbe accendant, quod et fecerunt. Hic enim est ignis iste, quo exusta est Babylon, ait Alcazar. Unde et Irenæus lib. 4. cap. 37. chalcolibanum refert ad fortitudinem fidei, et ad perseverantiam in tot adversis, ærumnis et persecutionibus, quas præcones Dei, amore Dei tolerarunt usque ad mortem et martyrium, itaque orbem Dei fide et amore succenderunt. De hoc igne vide dicta Levit. 9. in fine.

Tertio Ribera : Pedes Christi, ait, sunt hostes Christi à Christo calcandi, et igne gehennæ cruciandi, aut, ut Alcazar, Christo subigendi et ad eum convertendi, juxta illud Josue 1. 3. *Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam;* et Psalm. 59. 10. *In Idumæam extendam calceamentum meum.*

ET VOX ILLIUS TANQUAM VOX AQUARUM MULTARUM.] Primo, aliqui hæc exponunt de aquis baptismi. Ita Victorinus.

Secundo, alii de concordia Scripturarum, quæ sunt quasi aquæ et fluvii multi. Ita Rupertus et Pererius.

Tertio, alii de cœlestis virtutis cursu, qua variis modis in omnes influit. Ita Arias Montanus.

Quarto, Alcazar putat hanc vocem significare persecutionem Romani imperii, quasi aquæ multæ sint multæ gentes frementes et furentes in Christianos : sed hæc vox est Christi, non gentium frementium.

Nota. Alludit Joannes ad Ezech. 43. Initio, sicut enim ibi dicitur : *Ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam Orientalem; et vox erat ei quasi vox aquarum multarum, et terra splendebat à majestate ejus;* sic hîc ait Joannes : *Vox illius tanquam vox aquarum multarum; facies ejus sicut sol lucet in virtute sua.* Sensus ergo est, q. d. Vox Christi erat valde fortis, sonora, penetrans et efficax, qualis esse solet aquarum multarum cum impetu defluentium; ad hoc enim significandum hac aquarum similitudine sæpe utitur Scriptura. Hæc vox, ait S. Gregorius, Ticonius, Haymo, Seraphinus et Pererius, est prædicatio Evangelii, ita sonora et potens ut in omnem terram exiverit sonus ejus. Quis maris fremitus cautibus illisi, quæ fluminum rapidissimorum confluges, quæ Nili catadupa tam longe personarunt? Fuit ergo hæc vox *quasi aquarum multarum.* Primo, quia instar aquæ restinxit sitim rerum temporalium, et refrigeravit æstum concupiscentiæ. Secundo, quia abluit maculas peccatorum. Tertio, quia fecundavit terram cordium humanorum, ut fructus virtutum proferant. Quarto, quia multas, imo omnes gentes ad Christum convertit, fecitque ut quique sua voce communiter invocent et laudent Deum : hæc enim est musica non octo, sed centum millium vocum, in auribus Dei uti sonora, ita gratissima. Hinc cap. 17. 15. dicitur : *Aquæ multæ populi sunt, et gentes et linguæ.* Ita Primasius Ambrosius, Beda, Anselm., Richard., Rupert., Dionys. et Pannonius. Potest quoque per hanc vocem, cum Ribera intelligi condemnatio impiorum, puta vox Christi condemnantis impios in die judicii. Sed quia hæc significatur per gladium, qui sequitur, hinc melius per hanc vocem accipitur ipsa prædica-

tio Evangelii. Unde et sequitur narratio de septem Ecclesiis hac voce conversis.

16. ET HABEBAT IN DEXTERA SUA STELLAS SEPTEM.] Primo, multi putant idem esse septem stellas, quod septem candelabra, puta septem angelos, v. 20. per quos putant septem Ecclesias ipsis commissas significari. Ita Victorinus, Ticonius, Ambrosius, Haymo, Beda.

Secundo per septem stellas non septem Episcopos, sed proprie septem angelos, sive spiritus cœlestes accipiunt Origenes homil. 20. in Numeros, Hilar. in Psalm. 124. Nazianz. orat. 32. Hieron. in Matth. 18. Andreas et alii, quin et Maldonat. in Matth. 18.

Tertio, per septem stellas et angelos, accipiunt septem dona Spiritûs sancti, sive Spiritum sanctum septiformem, Victorinus, Seraphinus et Arias Montanus, qui ait has septem stellas esse septem spiritus in divina essentia constantes.

Quarto, Andreas per septem stellas accipit septem rerum gradus, sive res omnes quæ in mundo sunt, totamque mundi gubernationem, quæ in manu et dextera Christi est.

Quinto, Abbas Joachim per septem stellas accipit, non fixas, sed septem planetas, et singulis accommodat virum aliquem virtute præstantem, qui quolibet sæculo orbi præluxit, v. g. ut prima stella, sit Adam; secunda, Noë; tertia, Abraham; quarta, Moses; quinta, David; sexta, Joannes Baptista; septima, Elias in fine mundi, ita ipse hîc ad v. 20. sed hæc omnia vel parerga, vel accommodatitia sunt.

Itaque dico: Certum est has septem stellas esse septem angelos, uti ait S. Joannes v. ult. Porro angeli hi sunt Episcopi, ut ibidem patebit. Ubi nota: Angeli, id est Episcopi, in Ecclesia debent esse quasi stellæ. Primo, ut quasi stellæ, non errantes et planetæ, sed fixæ, perpetuum et ordinatum habeant motum, morumque omnium debitam compositionem. Secundo, ut sua claritate alios illuminent, hoc est quod ait Paulus Philipp. 2. 15. *In medio nationis pravæ et perversæ lucetis sicut luminaria in mundo.* Tertio, ut suo calore alios foveant et vivificent. Quarto, ut suis influentiis conservent et vegetent mundum. Quinto, stellæ fixæ parvæ videntur et humiles, sed tamen majores sunt tota terra: talis sit Episcopus et Pastor. Sexto, stellæ lucent noctu in medio tenebrarum, sic luceat et Episcopus, præsertim noctu, id est tempore persecutionum et hæresum, uti lucebant hi septem constanter tempore persecutionis Domitiani. Hoc est, quod ait S. Augustin. l. 1. de Sermone Domini in monte cap. 6. *Calcari non potest nisi inferior; sed inferior non est qui quamvis corpore multa in terra sustineat, corde tamen fixus in cœlo est.* Vide dicta Gen. 15. 15. et Daniel 12. v. 3. et 4. Hac ratione illud bravium à Daniele 12. v. 3. sanctis doctoribus promissum accipient: *Qui docti fuerint fulgebunt ut splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Denique stella vigilantiæ et providentiæ, quæ prima Episcoporum est dos, typum gerit. Hinc in veteri numismate Pertinacis Imper. simulacrum cernitur, manibus versus ingentem stellam in cœlum sublatis hoc lemmate: *Providentia Deorum.*

Porro Alcazar hasce septem stellas concipit ut septem gemmas instar stellarum annulis totidem infixas, vel insculptas. Hoc enim congruentius et elegantius videtur; gemmæ enim stellarum splendorem referunt et insuper magnas habent virtutes et energias. Sic ait Virgil. Æneid. 4.

Stellatus jaspide fulvo Ensis erat.

Et Rhodiginus l. 6. c. 12. *Scribit*, ait, *Damis, sapientum Indorum principem Jarcham tam scite, tamque docte annulos septem compegisse, qui et stellarum septem nominibus essent præsignes, ut Apollonium Tyanæum dono acceptos, singulis diebus singulos juxta dierum nomina eis distinguentem, gestasse proditum sit.* Idem refert Philostratus l. 2. c. 13.

Pari modo, ait, hæ septem stellæ erant septem annulli cum totidem gemmis sive stellis: singulæ autem gemmæ habebant stemma aliquod sive insigne insculptum, verbi gratia, crucem (quæ signum est Dei vivi, ut dicitur cap. 7. 2.); aut quatuor animalia, quæ sunt divinæ providentiæ sigillum. Veteres enim annulorum gemmis pro sigillis utebantur: neque ulla erat gemma, quæ figura aliqua, seu charactere non esset insignita. Christus enim Episcopos hîc maximo honore afficit, dum eos vocat dexteræ suæ annulos, vel annulorum gemmas. Hinc de Joachim Rege ait Jeremias c. 22. 24. *Si fuerit Jechonias annulus in dextera mea.* Et Eccli. 43. vers. 13. *Zorobabel quasi signum in dextera manu: sic et Jesus filius Josedec.* Et Aggæi 2. 24. *Ponam te quasi signaculum.* Sunt in dextera Christi, quia sunt Christi instrumenta in regimine animarum, æque ac ornamenta, præsertim si suo munere egregie perfungantur.

Addit Alcazar Christum habere in manu stellas fixas; sed tamen alludi hîc ad septem planetas, ut per eas significetur discrimen, quod erat inter ipsos Episcopos Asiæ. Smyrnensis enim se habebat ut Sol, qui omnia sua virtute superat; Philadelphensis ut Jupiter, ob prosperam fortunam; Sardensis ut Mars, propter audaciam; Laodicensis ut Saturnus, ob ignaviam et pigritiam; Ephesinus ut Mercurius: quia, licet prudens esset, erat tamen remissi ardoris; Pergamenus ut Luna, propter morum inæqualitatem; Tyatirensis ut Venus, propter imprudentem fervorem. Licet Christi intentio sit, ut omnes instar solis effulgeant.

Hæc sunt commenta ejus ingeniosa, et erudita magis, quam solida et genuina. Transformant enim stellas in gemmas, imo in annulos, quorum hîc nulla est mentio. In his ergo, et magis in aliis ingenium ejus laudo, sed solidius et planius subinde de littera sacræ Scripturæ judicium multi requirunt. Itaque simplicius et significantius septem stellas hic proprie accipiemus. Stellarum enim lux fulgentior est, quam gemmarum; eaque apte respondet septem lucernis candelabri, quibus præsunt hæ septem stellæ. Rursum, stellas proprie, id est fixas, non planetas accipio, uti et alii Interpretes passim.

Moraliter, non soli Episcopi, ait Haymo, sed quivis insignes Evangelii præcones sunt stellæ, uti fuit S. Dominicus, cui proinde in fronte visa est stella. Hinc Apocal. 12. 1. mulier, id est Ecclesia; dicitur in capite habere coronam stellarum duodecim, puta duodecim Apostolorum,

qui Evangelium toto orbe prædicarunt. Hi ergo fuerunt quasi stellæ primæ magnitudinis, de quibus mystice dicitur psal. 18. 1. *Cœli enarrant gloriam Dei*, et illud Poetæ : *Solemque novum nova sidera portant.*

ET DE ORE EJUS GLADIUS UTRAQUE PARTE ACUTUS EXIBAT.] Primo, Ambrosius per gladium accipit fideles validos et electos, qui in fine mundi contra Antichristum pugnabunt. Secundo, Ticonius, Primasius, Aretas, Haymo, Anselm. Richard. Victor. et Alcazar per gladium accipiunt verbum Dei, quod Christus per suos prædicatores loquitur eoque ferit et sanciat corda audientium, de quo Apostolus ait, Ephes. 6. 17. *Assumite gladium spiritûs quod est verbum Dei.* Et Hebr. 4. 12. *Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque et medullarum.* Et Psal. 149. 6. *Gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis*, etc. *gloria hæc est omnibus sanctis ejus.* Concionatores ergo sunt gladii Christi, per quos Christus pugnat et trucidat vitia. Agunt enim ipsi virtute et efficacia non sua, sed Christi, qui vim dat verbis eorum, ut animas convertant.

Verum, quia Joannes hoc verbum Dei intellexit per vocem aquarum multarum jam dictam, hinc aptius per gladium hunc Christi accipiemus sententiam condemnationis, ipsamque condemnationem et punitionem æternam, qua Christus impios in die judicii efficacissime et dirissime feriet, adigetque in gehennam, sive in mortem secundam. Ita Andræas, Aretas, Rupertus, Beda, Lyranus, Seraphinus et Ribera : ac probatur ex cap. 2. v. 12. *Hæc dicit qui habet rhomphæam utraque parte acutam.* Et v. 16. *Pugnabo cum illis* (Nicolaitis) *in gladio oris mei.* Minatur enim impuris hæreticis pœnam et gehennam. Et cap. 19. 15. *Et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes; et ipse reget eas in virga ferrea.* Agit enim de strage gentium infidelium et hostilium, quam Christus faciet in fine mundi; unde ad earum carnes devorandas invitat aves, dicens v. 17. *Venite ad cœnam magnam Dei ut manducetis carnes regum, tribunorum et fortium*, etc.

Sic Joannes Bohemus de Gentili ritu in Asia scribit principem, cum primùm accepto diademate rex inauguratur, dicere solitum : *Oris mei sermo, de cætero gladius meus erit.* Sic etiamnum rex Hungariæ, cum inauguratur, insidens equo gladium fulgentem vibrat, ac circumducit per quatuor mundi plagas, quasi protestans se eo contra quoslibet regni hostes quaquaversum depugnaturum. Gladius enim à clade dicitur, quasi cladius, quod cladem inferat hostibus, ait Varro. Hinc gladius symbolum est principis, judicis (*non enim sine causa gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit*, ait S. Paulus, Rom. 13. v. 4.) et vindicis.

Hinc consequenter priscis gladius erat symbolum et omen mortis. Ita Helvidio Pertinaci accidit, qui ante triduum quàm occideretur, visus est sibi videre hominem à quo gladio infestabatur. Eodem significato formidabilis minitabundusque Galba, cognita Neronis nece, susceptaque Cæsaris appellatione, iter ingressus est paludatus, pugione ante pectus è cervicibus dependente, usu togæ non prius recuperato, quam omnes qui res novas moliebantur oppressisset. Testis est Suetonius in Galba, c. 11. Quid vero belli duo, qui reperti sunt in secretis C. Caligulæ post ejus necem, in quibus nautæ nominaque continebantur morti destinatorum? Præscripti enim erant diverso titulo, alterique gladius, alteri pugio nomen erat, per hunc eos, qui clam opprimendi erant, intelligebat; per gladium, quos palam cædere destinasset; moliebatur enim princeps carnificinæ deditus electissimum quemque utriusque ordinis interimere, mox Antium, inde Alexandriam commigrare. Ita Suetonius in Caligula, c. 49. Hinc et priscis maximum omnium fuit juramentum, *ventum et acinacem attestari* (acinaces enim Medorum gladii sunt) per hunc quidem interitum aut salutem (in eo enim salutis suæ præsidia statuebant) per ventum autem animam, hoc est vitam, interpretantes, quod scilicet tandiu vivamus, quandiu halitum et auram vitalem haurimus. Ita Lucianus in Toxarî, et ex eo Pierius, hierogl. 42.

ET FACIES EJUS SICUT SOL LUCET IN VIRTUTE SUA,] cum scilicet omnem suam virtutem, id est vim et efficaciam (hanc enim significat Hebr. כוח *coach*, et Græcum δύναμις, scilicet virtutem, non moralem, sed naturalem, id est vim, robur et energiam) exerit. q. d. Cum sol maxime viget et lucet. Alludit ad Ezech. 43. 2. *Et terra splendebat à majestate ejus.* Jam primo, Primasius et Ticonius censent Christum hîc assimilari soli; quia natus est et passus et resurrexit, sicut sol oritur, occidit, et rursum oritur.

Secundo, Andræas, Aretas et Lyranus : Christus, aiunt, est sol, id est spiritalis lux mundi.

Tertio, Anselmus et Thomas Anglicus censent Christum hîc sustinere personam fidelium; hos enim comparari soli, ob claritatem gratiæ, qua à Deo dotati sunt.

Quarto, Joachim quasi Propheta hæc exponit de magna claritate Ecclesiæ, qua ait fruituram Ecclesiam in sexta ætate. Hinc contendit ipse, etiam faciem Mosis, quæ cornuta apparuit, similem fuisse lunæ; Christi vero faciem similem esse soli.

Quinto, Seraphinus censet hoc fulgore Christi repræsentari mirum splendorem Apocalypseos, quæ humanæ menti videtur esse obscura quasi nox et caligo. Huc accedit Antoninus, qui hunc fulgorem accipit de fulgore Evangelii et mysteriorum fidei.

Sexto, Alcazar censet hunc fulgorem vultûs Christi non aliud significare, quàm gloriam Romanæ Ecclesiæ, scilicet religionis ejus decus, imperii majestatem, Doctorum sapientiæ claritatem, Religionum regularium institutionem, et quidquid denique ad Ecclesiæ Romanæ magnitudinem atque præstantiam attinet; qualia sunt tot Martyrum, tot Virginum, tot Apostolorum et Sanctorum triumphi ac trophæa, quæ Romæ visuntur, idque ut hac gloria recompenset Deus eorum tormenta et probra, quæ Romæ à Gentilibus Imperatoribus subierunt.

Septimo, genuinè, significatur hîc gloria corporis Christi gloriosi, qua instar solis splendet nunc Christus in cœlo, et qua redimitus apparebit in die judicii : unde in transfiguratione resplenduit facies ejus sicut sol. Ita Ribera. Rursum, significatur hîc gloria Sanctorum Christianorum, qua in resurrectione *justi fulgebunt ut sol, in regno Patris*, Matth. 13. v. 43. Christus enim hîc in prologo quasi præfert schema et argumentum libri. Nam in Apocalypsi. cap. 7. et cap. 21. et

cap. 22. et alibi sæpe, describitur gloria Beatorum; eam enim certantibus quasi bravium ostentat hîc Deus. Ita Ticonius, Ambrosius, Haymo, Rupertus, Pererius et alii. Quocirca Joannes, Apocal. 18. 1. de Christi angelo, parta jam de impiis victoria plena, per eorum stragem in fine mundi, ait: *Vidi angelum descendentem de cœlo, habentem potestatem magnam; et terra illuminata est à gloria ejus, et exclamavit in fortitudine dicens: Cecidit, cecidit Babylon magna.* Ubi angelus hanc eamdem gloriam habitu suo præfert.

Denique notat Ambrosius per hæc octo Christi symbola significari octo status justorum: primo, per poderem significari sanctos et electos ab Adamo usque ad diluvium; secundo, per zonam significari sanctos post diluvium; tertio, per canitiem sanctos veteris Testamenti; quarto, oculos esse Prophetas; quinto, pedes esse Apostolos; sexto: Vox aquarum, inquit, est multitudo Gentium conversarum ad Christum; septimo, gladius erunt electi in fine mundi; octavo, sol erunt Sancti et Beati in cœlo. Verum hoc non litterale est, sed mysticum, aut potius symbolicum.

Symbolice, sol est hieroglyphicum Dei et Christi gloriosi. Primo, quia nullum est eorum quæ aspectu sentiunt præclarius, admirabilius et illustrius divinæ virtutis, gloriæ et magnificentiæ speculum, quam sol.

Secundo, Deus est immensus, uti sol est maximus; terræ enim marisque globum in sua magnitudine continet centies et sexagies: longe ergo et stellas omnes quantitate superat. Hæc autem magnitudo ei congruit propter ingentem lucem, quam toti terræ, aquæ, aeri, cœlisque omnibus communicat. Ejus enim est ubique tenebras fugare, omniaque suis radiis collustrare; quocirca omnia sidera simul juncta tantam lucem non efficiunt, quantam unus sol; quin et omnia luce solis perstringuntur et occultantur. Talis est natura Dei, ac gratia Christi, scilicet maxima et immensa, ideoque obscuram omnem gratiam omnium angelorum et hominum.

Tertio, quia sol cum luce simul et calorem producit quo omnia calefacit, fecundat, vivificat. Quocirca ab Eccles. cap. 43. 2. sol vocatur *vas admirabile Excelsi;* causam subdit: *In meridiano exurit terram, et in conspectu ardoris ejus quis poterit sustinere? Fornacem custodiens in operibus ardoris; tripliciter sol exuriens montes*, q. d. Est qui insufflat fornacem et accendit, ad urenda opera et vasa conflatoria: at sol triplo magis montes calefacit et adurit, *radios igneos exsufflans*, emittens, ejaculans, *et refulgens radiis suis obcæcat oculos. Magnus Dominus qui fecit illum.*

Quarto, sol dicitur, quod unus et solus sit in mundo, vel quod solus cum est exortus, obscuratis omnibus aliis astris, appareat, ait Cicero, lib. 2. de Natura deorum. Ita unus est Deus in mundo, unus Christus in Ecclesia.

Quinto, sicut sol lunam aliasque stellas illuminat; ita et Christus Ecclesiam omnesque fideles, præsertim Episcopos: unde hîc dicitur in dextera habere septem stellas, id est septem Episcopos, quos docet et regit.

Sexto, sol est pulcherrimus, sive jubar, sive rotunditatem, sive molem, sive motum, sive alia spectes, ac videtur esse oculus mundi, qui sine eo esset plane cæcus et tenebrosus. Sic et Deus, ait Poeta, est ἡλιος ος παντ' εφορα, και παντ' επακουει, est *sol qui omnia videt, et omnia audit.*

Septimo, sol velocissime, puta 24 horis, totum cœli circulum conficit et circumcurrit; et qualibet hora tantum spatii obit, ac si avis septies totam terram circumvolaret. Hinc quotidie omnes mundi plagas lustrat, illustrat, calefacit et vegetat. Unde à Poetis vocatur almus, aureus, auricomus, candidus, flammeus: ita et velocissimus est Deus et Christus, qui celerrime per Apostolos totum orbem lustravit et convertit. Quocirca de eo canit Psaltes, psalm. 18. *In sole posuit tabernaculum suum* (unde Manichæi solem adorarunt putantes eum esse tabernaculum imo corpus Christi (*et ipse tanquam sponsus*); sol enim mane exoriens, roseus procedit et pulcher, quasi sponsus) *procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam, à summo cœlo egressio ejus; et occursus ejus usque ad summum ejus: nec est qui se abscondat à calore ejus.* Christus enim quasi sol oriens ex alto, mundum celerrime illuminavit, et Dei amore calefecit, unde quasi gigas de cœlo descendit et cucurrit; quia natus est, crevit, docuit: mox passus est, resurrexit, ascendit, ait S. August. Ibidem misit Spiritum sanctum, convertit orbem. Thalamus ejus fuit uterus B. Virginis, ait S. Chrysost. tabernaculum est Ecclesia.

Octavo, sol in medio est planetarum, et mundi; unde *medius operum sol* vocatur à Statio, lib. 5. Thebaid.

> Sol medius operum summo librabat olympo
> Lucentes, ceu staret, equos.

Ita et Christus ait se esse in medio fidelium et Ecclesiæ.

Nono, sol facit diem, menses et annos, eosque suo motu describit. Unde Virgilius, 3. Æneidos:

> Magnum sol circumvolvitur annum.
> Hinc sol decedens crescentes duplicat umbras,

ait idem Eglog. 2.

Hinc rursum, sol lætitiæ et felicitatis est symbolum et causa, unde ait Poeta:

> Dulces et candidi soles fulsere mihi,

id est fortunatus fui, ideoque lætus. Et Martial. lib. 10.

> Felices, quibus una dedit spectare coruscum
> Solibus Arctois sideribusque ducem.

Ita Christus sua gratia parit menti diem, lætitiam, felicitatem et beatitudinem æternam.

Decimo, sol, solisque radii purissimi sunt, de quibus Martial. libr. 8.

> Hybernis objecta Notis specularia puros
> Admittunt soles, et sine fæce diem.

Ita Deus est ipsa per essentiam puritas, et Christus qua homo purissimus est, utpote natus ex virgine, et conceptus de Spiritu sancto.

Undecimo, apud Veteres celebris fuit solis mensa. Erat is locus in Æthiopia, apparatis epulis semper refertus; et quia ut libet (inquit Pomponius) vesci volentibus licet, solis mensam appellant: et quæ passim apposita sunt, affirmant nasci subinde divinitus. Ad quem locum Severus imperator cum venisset Alexandriam, rei fama permotus, profectus est. Verum hæc mensa vel fabulosa est, vel symbolica. Quocirca

Rhodiginus, lib. 29. cap. 4. ait solis mensam adagio dici divitum hominum domos, omni rerum copia affluentes, quæ inopum necessitatibus et alimentis patent, et exponuntur. Talem mensam vere proponit nobis Christus in Eucharistia, ac Deus in tot beneficiis, quibus singulis momentis nos afficit, pascit, vegetat, tutatur, omniaque sua dona elargitur. Quocirca S. Dionysius Arcopagita, lib. de Divin. nom. cap. 2. solem facit evidentem et expressam divinæ bonitatis imaginem, tum quia sol non cogitatione aut electione, sed eo ipso quod est, illuminat omnia, quæ pro modo suo participationem lucis admittunt : ita divinum bonum ipsa sua substantia, omnibus quæ sunt, pro captu cujusque, suæ bonitatis injicit radios. Et cap. 5. tradit causam : Quia sicut sol unus cum sit, sensibilium tamen rerum substantias et qualitates, uniformem infundendo lucem, renovat, nutrit, servat, perficit, discriminat, conjungit, refovet, fecundat, cum aliis plurimis admirabilibus operationibus, quas ibi commemorat : sic Deus operatur omnia in omnibus. Porro solis magnitudinem ac perfectionem admirantes homines, divino honore ac cultu eum adoraverunt, quales fuerunt Ægyptii ac Phœnices, qui lapidem nigrum concavum habebant, superius angustum, inferius vero amplum, ut dicit Herodotus, quem è cœlo se accepisse jactabant, ac veram solis imaginem esse affirmabant. Megarenses autem, ut de eis scripsit Alexander Neapolitanus, quamdam rotundam petram, sed planam in alto baculo figebant, quam tanquam solis imaginem adorabant. Apud Persas etiam sol pro magno Deo habebatur, cujus statua caput leonis habebat, ut significaret majorem vim habere in signo leonis, quam in aliis totius Zodiaci. Talibus enim cæci, et à veritate alieni homines honoribus creaturam illam admirabilem afficiebant. Quod dum populo suo præcavendum desiderat ipse Deus, ne in errorem similem incidant, advertendum per Moysen curavit : *Ne forte*, inquit, *elevatis oculis ad cœlum, videas solem, lunam, et omnia astra cœli, et errore deceptus adores ea et colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt.*

17. Cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus,] non tam ex reverentia, ut volunt Ambros. Joachim et Pannon. quàm ex ingenti pavore, quasi exanimatus, ob tam augustam et terribilem visionem Christi gladium ore vibrantis, et voce horribili detonantis. Idem contigit Danieli, c. 10. 9. et Apostolis in transfiguratione Christi, Matth. 17. 6. Unde occurrens et erigens eum Christus, ait : *Noli timere*, ita Andreas, Aretas, Rupertus et alii.

Mystice, significabatur hoc Joannis casu acerbitas persecutionum, quas in Apocalypsi Christus Joanni revelavit, quæ tantæ fuerunt, ut fideles viribus et animo in iis defecissent, nisi Christus eos corroborasset.

Et posuit dexteram suam super me.] q. d. Erexit me præ timore et stupore collabentem, roboravit et confirmavit. Sic Daniel, cap. 8. 18. *Collapsus sum*, inquit, *et tetigit me, et statuit me in gradu meo.*

Dicens : Noli timere, ego sum primus et novissimus.] q. d. Ego sum Deus et homo ; quà homo enim, fuit Christus novissimus virorum, ut ait Isaias, c. 53. Ita Aretas, Rupertus et Pannon. Secundo, Richardus, Thomas et Ribera, ὁ *novissimus* exponunt, q. d. Ego sum judex futurus in novissimo mundi die.

Verum dico hæc duo esse epithetum Dei. q. d. Ego sum α et ω, sum principium et finis. Id ita esse patet, tum ex dictis, v. 8. tum ex Isaiæ c. 44. v. 6. et c. 48. 12. Unde hæc verba sumpsit Joannes. Deus enim apud Isaiam probat et asseverat suam deitatem, eamque idolis adimit dicendo : *Ego primus, et ego novissimus, et absque me non est Deus.*

Quocirca recte ex hoc loco Christi divinitatem probat S. Athanasius et alii scribentes contra Arianos. Unde Ambrosius exponit, propterea dicitur primus, quia est auctor omnium, et propterea novissimus, quod omnia concludat. Rursum, Christus dum ait : *Ego sum primus et novissimus*, significat se opus Ecclesiæ à se inchoatum, per quascumque tribulationes et persecutiones, quales jam erant Domitiani, promoturum et perfecturum; ut fideles in iis non animo cadere, sed magnanimi et constantes esse debeant, utpote securi quod Christus, qui est primus et novissimus, eis tam finem, quam initium definiet et dabit; Ecclesiæ vero, quasi templo suo, sicuti dedit initium, ita et daturus sit culmen et consummationem. Ad hunc enim sensum verba hæc usurpat Isaias, cap. 48. dicens : *Ecce ego excoxi te, sed non quasi argentum ; elegi te in camino paupertatis, propter me faciam ut non blasphemer, et gloriam meam alteri non dabo ; ego ipse primus, et ego novissimus.* Unde Ambrosius exponit : *Primus, quia per ipsum omnia ; novissimus, quia per ipsum resurrectio.* Hinc subdit :

18. Fui mortuus, et ecce sum vivens.] q. d. Sicut ego ex morte gloriosus surrexi, ita faciam ut Ecclesia ex tribulationibus, quibus videtur obrui, et sepeliri, gloriosa resurgat, triumphet, crescat, et longe lateque dominetur. Hoc enim mea morte merui, ideoque hujus rei typum et specimen in mea morte et resurrectione orbi exhibui. Hujus rei pulchram figuram exhibuit Deus Moysi, dum ei apparuit in rubo, qui ardebat, sed non comburebatur. Sic enim persecutionibus ardet Ecclesia, sed non comburitur ; quia Deus in ea latens, eam servat et protegit. Vide ibi dicta.

Et habeo claves mortis et inferni.] Primo, aliqui sic exponunt. q. d. Habeo potestatem dimittendi peccata, sicque hominem liberandi à morte et inferno, eaque obstruendi, atque hanc potestatem communicavi Ecclesiæ. Ita Ticonius, Primasius, Beda et Rupertus.

Secundo, alii, q. d. Habeo potestatem hostes meos et Ecclesiæ, morte et gehenna puniendi, eosque, æque ac diabolum in morte et inferno concludendi, uti eos concludam in fine mundi. Ita Andreas et Richardus Victor.

Tertio, alii, q. d. Habeo potestatem à morte excitandi, et ex inferno liberandi. Ita Lyranus et Ribera. Rursum, habeo potestatem vitæ et mortis, vivificandi et occidendi. Ita Aretas et Pererius

Quarto, alii, q. d. Habeo potestatem diabolum, qui est auctor et præses mortis et inferni, judicandi et condemnandi. Ita Primasius.

Quinto, alii, q. d. Possum vitam gratiæ conferre, mortem peccatis inferendo. Vice versa, possum homines sempiternæ morti et inferno addicere. Ita Viegas.

Sexto, alii, q. d. Possum morti, id est dæmoni

ad tentandum homines habenas laxare, vel contrahere; possum cohibere eum ejusque ministros, ut tentatio non sit major, quam ut fideles possint sustinere; imo possum facere, et reipsa faciam ut ipsa vestra tentatio et tribulatio sit medium ad majorem Ecclesiæ et cujusque vestrûm gloriam et sublimitatem. Ita Haymo, Anselmus et Alcazar.

Septimo, et aptissime, Christo, non ut Deus, sed ut homo est, dantur claves mortis et inferni. Hæc enim duo quasi valla Christianis objiciebant Judæi et Gentiles, ut eorum fidem in Christum expugnarent, nimirùm minabantur quòd traderent eos morti, et per mortem mitterent eos in infernum, nisi fidem Christi abnegarent. Hisce ergo occurrit et succurrit Christus, dicens se non tantum posse illa dejicere, indeque liberare, sed utriusque esse herum et dominum; se enim habere plenum imperium et dominatum in mortem et infernum, illaque Christo quasi domino suo per omnia obsequi, nec quemquam invadere, nisi ex Christi nutu et imperio: ac vicissim reddere eos, quos captos tenent, ac vitæ restituere mox ut Christus jusserit. Hoc est enim quod dicitur, c. 20. v. 13. *Mors et infernus dederunt mortuos suos.* Ubi nota secundo mortem et infernum in Apocalypsi per prosopopœiam, quasi duas personas in comœdiam induci, quæ Ecclesiæ et Christianis necem et excidium minabantur. Mors enim inducitur quasi prævia, et occidens; infernus vero subsequens, et devorans eos quos mors occidit: unde mors inducitur quasi sagittas vibrans, infernus quasi fauces hiantes pandens, et occisos deglutiens. Nam eorum corpora in sepulcris; animas vero in imis terræ visceribus constrictas detinet. Hinc ait Sapiens, Proverb. 1. 12. *Deglutiamus eum, sicut infernus.* Et Isaias, cap. 5. 14. *Dilatavit infernus animam suam,* quasi cerberus triceps tres fauces, et tria guttura pandens. Hic est enim Gentilium Pluto, mortuorum devorator. Sensus ergo est, quasi dicat: Domitianus, et Gentiles tyranni, æque ac Judæi, minantur vobis, ô Christiani, ob fidem in me, necem, quodque per eam è vita vos exturbabunt, et ad inferos mittent; minantur, quin et reipsa faciunt; at nec ipsos nec ipsa metuite: ego enim habeo claves mortis et inferni, ego sum plenus eorum Dominus; ac proinde sicut ego à morte et inferno triumphans resurrexi: ita quoque possum, cui volo, vitam dare et reddere, vel eripere; ac præsertim mortuos et occisos pro me meaque fide possum resuscitare, et de facto resuscitabo ad gloriam et vitam beatam. Quinimo faciam ut mors et infernus, quæ obiter ad horam vos perstringunt, quasi ministri mei convertantur et grassentur in vestros persecutores, eisque veram et æternam mortem ac gehennam inferant. Christianorum enim, præsertim Martyrum, mors, potius est transitus ad vitam: impiorum vero mors est transitus ad mortem æternam, ejusque exordium et inchoatio. Ita Pannonius, Alcazar et alii.

19. SCRIBE ERGO QUÆ VIDISTI (hoc c. 1.) ET QUÆ SUNT: quæ scilicet nunc fiunt in Ecclesia, puta 20. SACRAMENTUM, græce μυστηριον, id est arcanam significationem (est metonymia) SEPTEM STELLARUM.] Ita Ambrosius, Rupertus, Anselmus, Ribera et Pererius. q. d. Scribe visionem hujus capitis, et ejus explicationem. In hac enim quasi in prologo summatim continetur et repræsentatur tota Apocalypsis, puta *quæ sunt*, id est præsens status Ecclesiæ, *et quæ oportet fieri post hæc*, tum statim sub Trajano, aliisque Imperatoribus persecuturis Ecclesiam, tum maxime sub finem mundi.

Nota. Alia ratione visiones ænigmaticæ et symbolycæ; alia Sacramenta novæ legis vocantur Mysteria, sive Sacramenta. Illa enim vocantur Mysteria et Sacramenta, quia res sacras supernaturales et mysticas arcane significant; sunt enim ipsa quasi imagines, quarum totum esse est significare et repræsentare res ipsas; sicut imago Cæsaris non est aliud, quam pictura vel similitudo repræsentans Cæsarem. Hæc vero ita vocantur, quia res sacras et significant, et simul exhibent; non enim sunt inania, uti vetera, sed efficacia, utpote Christi. Cum enim in baptismo dicit sacerdos: *Ego te baptizo*, non tantum dicit, quod baptizando corpus significet se baptizare, id est abluere, animam; sed quod, sicut hoc significat, ita et reipsa efficiat. Sic in Eucharistia cum in persona Christi ait: *Hoc est corpus meum*, significat sub speciebus panis et vini non tantum repræsentari, sed et vere adesse ac latere corpus Christi, sicut per fumum significatur latens ignis sub fumo.

21. SEPTEM STELLÆ, ANGELI SUNT SEPTEM ECCLESIARUM.] *Angeli*, id est Episcopi, ut patet c. seq. v. 1. 8. 12. 18. Ibi enim scribit angelo, id est Episcopo, Ephesi, Smyrnæ, Pergami, Thyatiræ, etc., eosque muneris Episcopalis neglecti arguit, monet et instruit.

Perperam ergo Origenes, hom. 20. in Numeros, et hom. 35. in Lucam, ac ex eo S. Hieronymus in c. 6. Michææ sub initium, proprie hîc angelos accipiunt. Angeli enim, inquiunt, versantur in periculo, et nisi nos bene custodiant, non videbunt faciem Patris. Sed hæc est hæresis Origenis, cujus verba transcribere solet sanctus Hieronymus, etiamsi ipse ea improbet, uti ipse se purgat Apolog. 1. contra Ruffinum. Præmittit ergo Joannes Apocalypsi suæ, septem epistolas ad septem Episcopos et Ecclesias Asiæ suæ, ut ex iis discant quem fructum ex Apocalypsi capere, quid in moribus suis corrigere, quid perficere debeant, ac vicissim epistolis subjungit suam Apocalypsin, ut ex ea ipsos incitet ad mores suos corrigendum et perficiendum. Ita Alcazar.

Nota: ex Apocalypsi Ecclesia Romana accepit multos ritus et cæremonias. Ita ex hoc loco accepisse videtur olim septem Cardinales Episcopos in basilica Lateranensi, cujus Episcopus proprius et germanus est Pontifex Romanus. Docet id diserte B. Petrus Damiani, cujus verba recitavi Zachar. 3. v. 9. Quisque horum septem Episcoporum suo die per septimanam, jugiter Missam celebrabat in altari majori basilicæ Lateranensis, uti habent Annales Romani.

Porro Episcopi dicuntur Angeli, primo, quia sunt internuntii Dei ad populum. Unde Malachiæ 2. 7. dicitur: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus; quia angelus Domini exercituum est.*

Secundo, quia ut angeli debent homines purgare, illuminare et perficere: hoc enim est eorum officium. S. Dionys. cap. 4. Cœlest. hierarch. docet cœlestes illos spiritus appellari angelos, *eo quod eis primo insit divina illustratio, ac per eos ad nos veniat.* Quod mirifice quadrat in sacerdotes et Episcopos; nam, ut ait S. Hieron. in illud Malach. 2. *Angelus Domini exercituum est; Angelus, id est nuntius, sacerdos Dei veris-*

sime dicitur, quia Dei et hominum sequester est, ejusque ad populum nuntiat voluntatem. Talis erat ille angelus, qui dicebat 2. Corinth. 5. 19. *Posuit in nobis verbum reconciliationis : pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Sunt ergo sacerdotes quasi annuli Dei signatorii qui quam in se figuram suis moribus expressam continent, eamdem quasi in mollissima cera, populo imprimunt, juxta illud Jerem. 22. 24. *Annulus in manu dextera mea.* Quocirca castissimi et purissimi debent esse instar angelorum, ut eamdem puritatem in fideles transfundant. Idem censuerunt Gentiles. Quærit Plutarch. in Problem. Rom. cap. 111. Cur sacerdotes non modo caprea abstinere, sed ne eam quidem contingere juberentur; causamque affert, ut horrorem in libidinem, cujus symbolum est caprea, indicarent. Magis mirum est quod scribit Gellius lib. 10. c. 15. nefas fuisse sacerdoti tangere, imo nominare hederam, quia scilicet hedera arcto illo complexu, nescio quid lasciviæ præ se fert. Vide Tiraquel. leg. 15. connubiali n. 118. Hinc exodi 28. 17. smaragdo qui erat in Rationali Pontificis, fuisse inscriptum nomen et tribum Levi, quæ sacerdotalis erat, ad repræsentandum ejus pudicitiam, cujus symbolum est smaragdus, censet ibidem Abul. licet verius sit smaragdo inscriptum fuisse nomen Judæ, ut ibidem dixi.

Tertio, quia caste, sancte et angelice vivere, et quasi angeli inter homines, imo inter bruta versari debent, uti ait S. Chrysost. Vide S. Dionys. Eccles. hierarch. c. 12. et Alcazar Apocal. 4. ubi per Seraphim, quos vidit Isaias cap. 6. ad litteram intelligit Apostolos et Episcopos ; licet verius sit eos tropologice tantum intelligi, uti ostendi Isaiæ 6.

Talis angelus fuit S Wilibaldus, primus Episcopus Eystettensis, qui *neglector exstitit suæ quietis, refuga propriæ voluntatis, appetitor laboris ; patiens abjectionis, impatiens honoris ; pauper in pecunia, dives in conscientia ; humilis ad merita, superbus ad vitia.* Ita habet ejus Vita scripta à Philippo Episcopo Eystettensi, quam edidit noster Gretserus cap. 36. ubi et de eodem subdit : *Nulla sibi ex omnibus propensior cura, quàm ut Deo in lectione atque sermone, aut cum Deo in oratione loqueretur : qui maceratum corpus continuis jejuniis habens, studebat de persecutore generis humani inimico longo triumphare martyrio ; ut de eo dici possit illud S. Ambrosii : Plus currit id certamine Confessor iste sustinens, quàm Martyr ictum sufferens, mucrone fundens sanguinem.* Sancte mortuus est anno Domini 781, cùm 36 annis quasi Episcopus rexisset Ecclesiam Eystettensem, quam ipse fundavit.

Nota. Ili angeli sunt in dextera Christi. Primo, quia in digniore gradu in Christi Ecclesia ab eo sunt constituti. Ita Anselm. et Aretas. Secundo, quia à Deo præ cæteris proteguntur, conservantur et foventur. Vide dicta v. 16. ideoque habent angelum altioris ordinis, à Deo sibi ad Ecclesiæ regimen destinatum. Vere et prudenter nuper Episcopus Atrebatensis in Belgio, cuidam petenti quamdam dispensationem, allegantique se consuluisse Doctores, illosque asserere Episcopum posse in hoc casu cum eo dispensare, respondit : *Doctores habent angelum Doctoralem, ego habeo angelum Episcopalem. Hic mihi dictat, esto possim dispensare, non tamen debere, nec decere. Ergo non dispensabo.* Nimirum *divinatio in ore regis* (Episcopi), *in judicio non errabit os ejus.*

Moraliter disce hîc quanta sit dignitas et sublimitas statûs Episcopalis. Episcopi enim hîc vocantur *Stellæ*, et *angeli dextera Christi.* Rursum, vocantur *Principes Dei*, et *Principes sanctuarii.* Ita enim vocantur 24 pontifices, sacerdotibus Aaronicis præpositi, qui erant typi et forma Episcoporum, 1. Paral. 24. v. 5. et 18. Tertio, Episcopis proprie dicitur illud 1. Petri 2. 9. *Vos* estis *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta.* Et illud psalm. 8. 6. *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes.* Quarto, Concil. Trident. ait Episcopatum esse *munus angelicis humeris formidabile.* Rursum sicut S. Petro succedit Summus Pontifex, ita aliis Apostolis succedunt Episcopi. Ipsi ergo nunc in Ecclesia sunt Apostoli Christi ; Apostolicam ergo Apostolorum vitam, doctrinam et zelum imitentur. Quinto, S. Ignatius ad Philadelph. hac gradatione Hierarchiam in Ecclesia docet : *Principes obediunt Cæsari, milites Principibus, Diaconi Presbyteris sacrorum præfectis : Presbyteri, Diaconi, et reliquus Clerus una cum populo universo, militibus, Principibus et Cæsare, ipsi Episcopo pareant ; Episcopus Christo ; et Christus Patri.* Idem ad Smyrnenses : *Omnes Episcopum sequimini, ut Christus Patrem.* Et inferius : *Laici Diaconis subjiciantur, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, ut ipse Patri.* Et rursum : *Quomodo ultionem evadere poterit, qui præter Episcopum* (contra Episcopi voluntatem et jussa, invito Episcopo) *aliquid egerit ? Sacerdotium enim est summa omnium bonorum, quæ in hominibus consistunt, quod si quis inhonoraverit, Deum inhonorat, et Dominum Jesum Christum primogenitum totius creaturæ, et solum naturæ principem, ac sacerdotem Dei.*

Hinc secundo, discant Episcopi quanta sit eorum obligatio, tum ut sanctitate Ecclesiæ præluceant, tum ut sua vigilantia et prudentia mores improborum corrigant, et probos in virtute promoveant. Audiant S. Chrysost. hom. 38. in Matth. *Si stomachus sanus est, totum corpus validum est ; ita si sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret ; si autem corruptum fuerit, tota Ecclesia marcida est. Cum ergo videris populum indisciplinatum et irreligiosum, sine dubio cognosce, quia sacerdotium ejus non est sanum.* Hinc Chromatius in cap. 6. Matth. *Episcopus*, ait, *est quasi oculus Ecclesiæ corpus illuminans : si ergo lumen, quod in te est*, ô Ecclesia, *tenebræ sint, tenebræ corporis quantæ erunt ?* Et S. Hieron. contra Lucifer: *Ut sal*, inquit, *omnem cibum condit, ita mundi et Ecclesiæ totius condimentum est Episcopus : qui si infirmatus fuerit per hæresim, libidinem*, etc. *à quo alio poterit condiri, cum ipse fuerit omnium condimentum ?* Idem epist. 43. *Tanta*, ait, *debet esse conversatio et eruditio Pontificis, ut omnes motus, gressus, et universa ejus opera notabilia sint, veritatem mente concipiat, et eam toto habitu resonet et ornatu, ut quidquid agit, quidquid loquitur, doctrina sit populorum.* Idem ad Heliodorum Episcopum, monens eum ne nimis lugeat mortem Nepotiani nepotis sui : *In te*, ait, *omnium oculi diriguntur ; domus tua, et conversatio quasi in specula constituta, magistra est publicæ disciplinæ ; quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant. Cave ne committas, quod aut qui reprehendere volunt, digne lacerasse videantur ; aut qui imitari, cogantur delinquere.* Idem ad

eumdem : *Non est facile stare loco Pauli, tenere gradum Petri, jam cum Christo regnantium ; ne forte veniat angelus, qui scindat velum templi tui, qui candelabrum tuum de loco moveat.*

S. Gregor. in Pastorali : *Ab imperitis*, inquit, *pastorale magisterium quanta temeritate suscipitur, cum sit ars artium regimen animarum ! et tantum debet populi actionem actio transcendere Præsulis, quantum distat à grege vita pastoris.* Rursum : *Lux gregis est flamma pastoris.*

Legant Episcopi et Pastores vitam S. Martini, Nicolai, Ambrosii, Augustini, Basilii, Chrysostomi, Borromæi, et aliorum Ecclesiæ Præsulum. Nihil enim ita spiritum illuminat, delectat, movet, et excitat ad vitam sanctam, et in suo gradu perfectam, atque similium Sanctorum vitæ et exempla, uti reipsa multa, et multorum experientia didici, et in dies disco.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

JOANNES JUSSU CHRISTI SCRIBIT : PRIMO, ANGELO EPHESI, UT PRIMAM CHARITATEM COLLAPSAM REPARET ; NI FACIAT, MINATUR QUOD AMOVEBIT CANDELABRUM EJUS ; SI FACIAT, PROMITTIT EI LIGNUM VITÆ. SECUNDO, V. 8. ANGELO SMYRNÆ, UT SIT CONSTANS IN FIDE ET VIRTUTE USQUE AD MORTEM, PROMITTENS EI CORONAM VITÆ. TERTIO, V. 12. ANGELO PERGAMI, UT FORTITER SE OPPONAT NICOLAITIS, MINANS EIS GLADIUM, ET PROMITTENS EI MANNA ABSCONDITUM, ET CALCULUM CANDIDUM. QUARTO, V. 18. ANGELO THYATIRÆ, UT RESISTAT JEZABELI DOCENTI FORNICARI, ET VESCI IDOLOTHYTIS, PROMITTENS EI POTESTATEM SUPER GENTES, ET STELLAM MATUTINAM.

1. Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe : Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum. 2. Scio opera tua, et laborem, et patientiam tuam, et quia non potes sustinere malos ; et tentasti eos, qui se dicunt apostolos esse, et non sunt, et invenisti eos mendaces. 3. Et patientiam habes, et sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti. 4. Sed habeo adversum te, quod charitatem tuam primum reliquisti. 5. Memor esto itaque unde excideris ; et age pœnitentiam, et prima opera fac : sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. 6. Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ et ego odi. 7. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis : Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. 8. Et Angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe. Hæc dicit primus, et novissimus, qui fuit mortuus, et vivit : 9. Scio tribulationem tuam, et paupertatem tuam ; sed dives es : et blasphemaris ab his, qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ. 10. Nihil horum timeas quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem ut tentemini ; et habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. 11. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis : Qui vicerit non lædetur à morte secunda. 12. Et Angelo Pergami Ecclesiæ scribe : Hæc dicit, qui habet rhomphæam utraque parte acutam : 13. Scio ubi habitas, ubi est sedes satanæ ; et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam. Et in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, ubi Satanas habitat. 14. Sed habeo adversùs te pauca ; quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere, et fornicari. 15. Ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. 16. Similiter pœnitentiam age, si quo minus veniam tibi cito, et pugnabo cum illis in gladio oris mei. 17. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis : Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum ; et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. 18. Et Angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis, et pedes ejus similes aurichalco. 19. Novi opera tua, et fidem, et charitatem tuam, et ministerium, et patientiam tuam, et opera tua novissima plura prioribus. 20. Sed habeo adversùs te pauca ; quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit prophetem, docere, et seducere servos meos, fornicari, et manducare de idolothytis. 21. Et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret ; et non vult pœnitere à fornicatione sua. 22. Ecce mittam eam in lectum ; et qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint. 23. Et filios ejus interficiam in morte, et scient omnes Ecclesiæ, quia

ego sum scrutans renes et corda ; et dabo unicuique vestrûm secundùm opera sua. Vobis autem dico, 24. et cæteris qui Thyatiræ estis : Quicumque non habent doctrinam hanc, et qui non cognoverunt altitudines Satanæ, quemadmodum dicunt, non mittam super vos aliud pondus ; 25. tamen id, quod habetis, tenete donec veniam. 26. Et qui vicerit, et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes, 27. et reget eas in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringentur, 28. sicut et ego accepi à Patre meo ; et dabo illi stellam matutinam. 29. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

1. Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe.] *Angelo*, id est Episcopo, uti dixi cap. 1. v. 20.

Ephesus nobile emporium, et metropolis Asiæ minoris, Amazonum fuit opus. Ab iis enim conditam esse tradit Justin. lib. 2. et Plinius lib. 5. 29. licet Pherecydes, et ex eo Strabo, ab Antiocho Codri Atheniensium regis filio extructam tradant. In hac celeberrimum fuit Dianæ templum, à tota Asia ducentis annis ædificatum. Ephesi prædicavit Paulus ibique Timotheum Episcopum constituit. Unde et ejus ad Ephesios exstat epistola, scripta 38 annis ante hanc Apocalypseos.

Nota. Hæc est prima Christi epistola, quam Episcopo Ephesi, et per Episcopum scribit toti Ecclesiæ, ut patet c. 1. v. 7. 11. 17. 24. ubi dicitur : *Qui habet aures audiendi, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.* Hinc moraliter Alcazar censet in hisce septem Episcopis notari septem conscientiarum genera inter Episcopos, aliosque fideles quoslibet. Primum genus, est improborum, qui audacter in scelera ruunt. Secundum, tepidorum. Tertium, eorum qui probatæ sunt virtutis. Quartum, eorum qui in virtute imbecilles sunt, sed à Deo proteguntur, ac à tentationibus liberantur. Quintum, lassorum, eorum scilicet, qui ob lassitudinem in via Dei nonnihil retrocedunt. Sextum, timidorum. Septimum, imprudentium. Unde hos septem Episcopos comparat septem planetis. Sardensis enim erat ut Mars, audax et præceps ad malum. Laodicenus ut Saturnus, piger ac segnis. Smyrnensis velut Sol, virtutis eximiæ, et omnia nubila superantis. Philadelphius imbecillior, sed prosperioris fortunæ, ut Jupiter. Ephesinus erat velut Mercurius bonus et prudens, sed lassus, indeque remissi ardoris. Pergamenus ut Luna, timidior : nam luna timorem creditur indere iis quibus dominatur. Thyatirensis sicut Venus, imprudenter fervidus.

Itaque has septem Epistolas esse velut septem Christi Pontificis summi decretales, quibus totum cœleste Jus Canonicum, doctrinæ scilicet ad mores spectantis, summa comprehenditur, per quam hominum conscientiæ informentur, et in vera sanctitate proficiant. Hos ergo septem Episcopos Deum, quasi septem specula fidelibus constituisse, ut in iis quisque suam conscientiam et vitæ rationem possit contemplari, eamque vel corrigere, dirigere et perficere. Symbolice et prophetice, Petrus Galatinus hîc censet hisce septem Christi epistolis significari septem status et vicissitudines Ecclesiæ sibi invicem ex ordine successuras, quas ipse enarrat.

Quæres quis fuerit hîc angelus, id est Episcopus, Ephesi ? Respondet Lyranus communem esse sententiam, fuisse S. Timotheum, ad quem S. Paulus scripsit duas epistolas. Negat tamen id Ribera, ut et ipse Lyran. Quia, inquiunt, Timotheus fuit vir sanctissimus : hic autem Episcopus Ephesi valde à Christo redarguitur. Verum idipsum asserunt Aureolus, Viegas, Alcazar, Pererius hîc, Magalianus proœmio in epist. ad Timotheum, et Baronius. Idque satis ex Chronologia evinci potest ; nam hoc tempore non alius fuit Episcopus Ephesi quàm S. Timotheus : nam S. Paulus scripsit epistolam ad Timotheum, quasi ad Episcopum Ephesi, anno Christi 57 ; hæc autem scripsit Joannes anno Christi 97. Timotheus vero obiit Episcopus Ephesi, anno Christi 109, qui fuit decimus Trajani. Tunc enim successit ei in episcopatu Ephesino Onesimus, quem Philemoni scribens commendat S. Paulus. Unde eodem anno Christi 109, scribens ad Ephesios S. Ignatius, post Timotheum meminit Onesimi, tanquam jam recentis eorum Episcopi. Errant ergo, qui ex Metaphraste contendunt Timotheum ante hæc tempora sub Domitiano occisum esse. Nam post hæc tempora S. Dionys. Areopagita plerosque suos libros scripsit, et inscripsit huic Timotheo. Ad argumentum Riberæ respondebo v. 4.

Hæc dicit qui tenet septem stellas.] De quibus dixi c. 1. v. ult. Hinc incipit epistola Christi ad Episcopum Ephesinum, et sub ejus persona ad quemvis Pastorem et Prælatum, imo ad quemcumque fidelem, qui in pristino charitatis ardore refrixit. Unde ut eum excitet et inflammet, initio ei in memoriam revocat vocationem et celsitudinem gradus sui, q. d. Memento te vocatum esse à Christo, ut sis stella et lux mundi ; cura ergo ut splendore et fervore tuo mundo præluceas, memento te esse in dextera Christi, Christum in te jugiter oculum intendere, velle te uti, quasi instrumento et face ad illuminandam Ecclesiam, ac convertendum Gentes. Vide ergo ne opus Christi impedias, vide ne Ecclesiæ fulgorem obscures, vide ne sis causa, cur multæ animæ per te salvandæ, tua tepiditate et segnitie pereant ; has enim à te reposcet Christus. Quocirca ita age, ita vive, ita ferve, ut per te omnes glorificent Patrem qui in cœlis est, ut infideles et impios ad Christum traducas, tepidos accendas, strenuos et fervidos magis inflammes. Imitare Paulum dicentem : *Quis infirmatur, et ego non infirmor ? quis scandalizatur, et ego non uror ?* 2. Corinth. 11. 29.

2. Scio opera tua et laborem.] Vide laudes hujus Episcopi apud Perer. disp. 3. et 4.

Moraliter suo exemplo docet nos Christus, ut reprehensionem vitii laude virtutis temperemus, ne nimis acerba accidat ; sicut medici pilulas circumliniunt saccharo. Audi Rupert. hîc : *Notanda*, inquit, *dispositio sermonis quàm artificiosa sit. Et priusquam emitteret auctoritatem reprehensionis, quæ laudanda erant, collaudavit ; et post ubi corripuit atque minas intentavit, rursus quod laudandum erat, laudavit. Ita reprehensionis amaritudinem, ne nimis offenderet atque exterreret, collaudationis dulcedine circumlinivit.* Eam-

dem moderationem tenuit Christus Dominus in femina illa Samaritana arguenda. Nam imprimis ejus in loquendo veritatem commendavit : *Bene dixisti*, inquit, *quia non habeo virum.* Joan. 4. v. 18. Deinde ejus in vivendo intemperantiam reprehendit : *Quinque viros*, inquit, *habuisti, et nunc quem habes, non est tuus vir.* Tandem quasi non satis fuerit ejus veritatem semel commendasse, iterum commendat : *Hoc vere dixisti.* Subdit Rupertus : *Magnum hoc*, inquit, *et digne imitandum est magisterium spiritûs Dei ; corripere quidem ea, quæ emendatione indigent ; sed inter corripiendum, et prius, et posterius collaudare, si qua bene dicta sunt, vel acta ab eo qui in aliis corripitur : quatenus quoad fieri potest, teneatur benevolus ; et non refugiat confusus, aut exterritus, audire non sustinens peccatoris animus.*

ET TENTASTI EOS, QUI SE DICUNT APOSTOLOS ESSE, ET NON SUNT,] examinasti, explorasti, et redarguisti eos qui mentiuntur se esse Apostolos, cum sunt pseudoapostoli.

3. ET SUSTINUISTI PROPTER NOMEN MEUM persecutiones et varias tribulationes ; ET NON DEFECISTI.] Græce ουκ εκοπιασας ; κοπιαν enim significat et laborare simpliciter, et in actu perfecto ita laborare, ut in labore deficias et succumbas. Priori modo accipitur versu præcedenti : *Scio opera tua et laborem*, græce κοπον : posteriori modo capitur hoc loco. Quamquam Petrus Faber. l. 2. Agonist. c. 8. probabiliter suspicetur in Græco hîc esse mendum, et pro εκοπιασας legendum κεκμηκας. Non enim videtur Apostolus κοπον aliter hoc versu, aliter versu præcedenti accipere. Unde et Aldinus codex novi Testamenti editus Venetiis anno 1518, et Roberti Stephani editus Parisiis anno 1546, et Basileensis anno 1565, et Lugdunensis anno 1571, sic legunt : και διὰ τὸ ονομα μου κεκοπιακας και ου κεκμηκας, id est, et propter nomen meum laborasti, vel lassatus es et fatigatus, sed non defecisti.

4. SED HABEO ADVERSUM TE PAUCA.] Τὸ *pauca* delent Romana et Græca, ac Syrus, qui vertit : *Sed habeo contra te propter tuum illud primum quod reliquisti ;* vel, ut Arabicus : *Dimisisti abs te.*

QUOD CHARITATEM TUAM PRIMAM RELIQUISTI.] Ambrosius et Haymo censent hunc Episcopum charitatem amisisse, et fuisse in statu peccati mortalis.

Verum quis credat hoc de S. Timotheo ? Præsertim cum hîc ejus patientia, zelus et illustria opera non tantum præterita, sed et præsentia commendentur ? Melius ergo Ribera, Pererius, Alcazar et alii exponunt, q. d. *Primum charitatem*, id est, primum illum charitatis fervorem *reliquisti.* Ea enim est humana infirmitas, ut qui magno spiritu cœperunt servire Deo, sensim de ejus contentione remittant, languescant, lassescant, tepescant.

Videtur ergo S. Timotheus, qui per 40 annos jam fuerat Episcopus Ephesi (fuit enim Episcopus anno Christi 57, et jam agebatur annus Christi 97, ut dixi v. 1. ergo jam ab episcopatus exordio effluxerant 40 anni) nonnihil intepuisse in prædicando verbo Dei, in labore convertendi Ephesios ; eo quod videret Judæos et Gentiles Dianæ Ephesiæ cultores sibi pertinaciter obsistere ; unde partim ex pusillanimitate et tepore, partim ex prudentia humana, suggerente quod pacis causa oporteret remissius agere, ne nimio zelo magis rem Christianam turbaret, et infideles contra se suosque concitaret (uti Ephesi olim S. Paulo contigisse, turba contra eum conclamante : *Magna Diana Ephesiorum*, Actor. 19. 34. meminerat) de pristino evangelizandi ardore nonnihil remisit, fuitque hoc ejus peccatum veniale, non lethale. Sæpe enim Prælati magis peccant per remissionem, quæ specie prudentiæ obrepit, quam per imprudentiam, quæ sub specie zeli. Utrumque tamen vitium est, utrumque hîc reprehenditur à Christo, prius in Episcopo Ephesino, posterius in Thyatirensi, inquit Alcazar.

Monitus ergo hîc à Christo per S. Joannem Timotheus, remissionem suam correxit, et primum fervorem prædicationis resumpsit, fervideque reprehendit cultores Dianæ, ideoque ab iis martyrio est affectus anno Christi 109, die 24 Januarii, quo die ejus memoria tabulis sacris adscripta in Ecclesia quotannis recolitur.

Adde hæc non dici soli Episcopo, sed et ejus Ecclesiæ Ephesinæ, ut dixi initio capitis. Fideles ergo Ephesii hîc teporis arguuntur in suo, et per suum Episcopum, utpote in quem quasi in caput et pastorem omnis subditorum culpa, nota et reprehensio redundat. Vulgo dicimus : *Non est peccatum in collegio, quod non faciat Rector.* Sic non est peccatum in parochia et diœcesi, quod non faciat Pastor et Episcopus ; ita Pererius, qui tamen non recte censet nullam hîc fuisse Timothei culpam ; sed omnem, quæ hîc arguitur, fuisse Ecclesiæ et fidelium. Proprie enim et primo, culpatur hîc Episcopus, atque tepor et culpa fidelium fere sine tepore et culpa Episcopi esse nequi, uti docet S. Chrysostomus hom. 38. in Matth.

Moraliter nota. Facile homo, etiam sanctus et perfectus, à primo fervore tepescit. Primo, quia animi est mobilis, mollis et inconstantis. Secundo, quia difficile est et violentum tot difficultatibus et tentationibus, quot in dies occurrunt, resistere. Tertio, quia gratia in nobis est quasi in loco alieno, non naturali ; unde natura nostra, nisi vis continua adhibeatur, ad se et naturalia sua desideria redit. Quarto, quia habemus innatam concupiscentiam, quæ gratiæ et bono semper reluctatur, contra quam pugnare, et quasi adverso flumine, imo fluctu remigare debemus.

Memorabile est dictum S. Bernardi epist. 56. ad Richardum Fontanensem Abbatem : *Multo facilius*, ait, *reperias multos sæculares converti ad bonum, quàm unum quempiam de Religiosis transire ad melius. Rara avis in terris est, qui de gradu quem in Religione forte semel attigerit, vel parum ascendat.* Et S. Bonaventuræ : *Vidi multos, qui à sæculo transeuntes ad Religionem profecerint, vitamque mutarint : vix vidi, qui in religione post novitiatum ferventiores et perfectiores evaserint.* Quocirca ipse in vita S. Francisci de eo quasi quid rarum et mirum scribit c. 14. Vitæ ipsius, quod appropinquans ad finem vitæ, Christo per sacra stigmata *confixus cruci tam carne quàm spiritu, non solum Seraphico amore ardebat in Deum, verum etiam sitiebat cum Christo crucifixo multitudinem salvandorum, ideoque se suumque corpus emortuum per civitates et castra faciebat circumveli, ut ad crucem ferendam cæteros animaret.* Fratribus quoque dicebat : *Incipiamus, fratres, servire Deo nostro, quia usque nunc parum profecimus. Flagrabat etiam desiderio ad humilitatis redire primordia, ut leprosis, sicut à principio ministraret, corpusque jam præ labore collapsum*

revocaret ad pristinam servitutem. Proponebat, Christo duce, se facturum ingentia, et fatiscentibus membris spiritu fortis et fervidus novo sperabat certamine et hoste triumphum. Neque enim languor, vel desidia locum habet, ubi amoris stimulus semper ad majora perurget. Tanta autem erat in eo carnis ad spiritum concordia, tanta obedientiæ promptitudo, quod cum ille ad omnem niteretur sanctitatem pertingere, ipsa non solum non repugnaret, sed præcurrere niteretur.

Itaque contra teporem hunc, hosque ejus fontes crebro et assidue, ac præsertim initio septimanæ, mensis et anni, æque ac in majoribus festis homo spiritum suum languescentem suscitare, ac pristina sua vota et proposita renovare debet. *Cogita,* inquit S. Bernard. epist. 91. *in scala Jacob angelos omnes vel ascendere, vel descendere, neminem stare. Et tu ergo si non proficis, deficis, et ubi incipis nolle fieri melior, desinis esse bonus.* Unde psalm. 83. dicitur: *Ibunt de virtute in virtutem.* Et Proverb. 4. *Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem.* Et Cant. 6. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Quocirca Abbas Agatho in Vitis Pat. l. 5. cap. de discretione, cuidam Religiosam vitam ambienti hoc præceptum dedit: *Sicut in prima die quando ingredieris ad fratres, ita custodi peregrinationem tuam omnibus diebus vitæ tuæ, nec assumas fiduciam.* q. d. Fervorem, reverentiam et verecundiam novitiatus, toto tempore Religionis conserva, ac cave ne successu temporis fias liber et audax in loquendo, carpendo, murmurando, otiando, etc. Vide dicta Philip. 3. 13. et Ephes. 4. 22. et Rom. 12. 2.

Speciatim vero Episcopum non debere tepescere in concionando, si pauci aut nulli convertantur, docet S. Chrysost. hom. 1. de Lazaro: primo, exemplo fontium, qui semper scaturiunt, licet nemo inde hauriat; secundo, exemplo Jeremiæ c. 20. 7. qui irrisus à Judæis, jubetur tamen à Deo, iis concionari; tertio, exemplo Christi, qui Judam, licet obstinatum, admonuit; quarto, quia qui boni sunt saltem fiunt meliores, et qui jam non convertuntur, forte postea converterentur. Unde eidem Timotheo S. Paulus epist. 2. c. 4. præcipit dicens: *Prædica verbum, insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia.*

5. SIN AUTEM, VENIO TIBI, ET MOVEBO (Syrus, *moveo*, scilicet illico et subito) CANDELABRUM DE LOCO SUO.] q. d. *Candelabrum*, id est Ecclesiam, à te auferam, ne sis ejus caput et Episcopus, eamque in alterius manu collocabo. Nam c. 1. v. ult. candelabra exposuit Ecclesias. Hæ autem dicuntur moveri de loco, id est de statu suo, cum ab uno capite, puta Episcopo, ad alium transferuntur, et in ejus manu gubernandæ collocantur. Sic regna dicuntur moveri, mutari, et de gente in gentem transferri, cum rex et imperator mutatur, et ex alia gente suscitatur; tam enim corpus est in capite, quàm caput in corpore; tam regnum est in rege, quàm rex in regno; tam Ecclesia est in Episcopo, quam Episcopus in Ecclesia. Moto ergo et mutato capite, movetur et mutatur corpus; mutato rege, mutatur respublica; mutato Episcopo, mutatur Ecclesia.

Sic monarchia Chaldæorum dicitur mutata et translata ad Persas, cum monarcha factus est Cyrus; Persarum ad Græcos, cum monarcha factus est Alexander; Græcorum ad Romanos, cum monarcha factus est Augustus. Ita Rupert. Hugo, Richardus et Victorinus.

Unde posset rursum hæc phrasis per hypallagen explicari hoc modo, q. d. Movebo candelabrum tuum de loco suo, hoc est, movebo te de loco candelabri tui, id est, amovebo te ab Episcopatu Ecclesiæ, auferam tibi dignitatem æque ac gratiam, et dona Episcopalia, quibus præsides et præfulges Ecclesiæ tuæ. Simili hypallage de dæmonibus dicitur Apoc. 12. v. 8. *Neque locus inventus est amplius eorum in cœlo*, q. d. Ipsi non sunt amplius inventi in loco suo in cœlo. Aut potius *candelabrum* per metonymiam ponitur pro ipsa *lucerna*, seu candela quæ in candelabro est sita. Hæc enim similis est regi in solio, et Episcopo in cathedra sedenti. Unde in Scriptura lucerna significat regnum, et consequenter sacerdotium; hoc enim est regnum sacerdotale, et sacerdotium regale. Hinc psalm. 131. 17. dicitur: *Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo.* 3. Reg. 11. 36. *Filio autem ejus dabo Tribuum unam, ut remaneat lucerna David. Movebo* ergo *candelabrum*, id est lucernam, hoc est episcopatum tuum, *de loco suo*; puta à te, in quo jam consistit: ita Delrio adagio 112.

Secundo, Haymo, Thomas Anglicus, Dionys. et Ribera censent aliter hîc accipi candelabrum, quàm c. 1. scilicet pro ipsa dignitate et gratia Episcopali, q. d. Auferam à te candelabrum, id est episcopatum tuum, quo præfulges Ecclesiæ. Sic Elias et Henoch c. 11. 4. vocantur *duo candelabra* in conspectu Dei.

Hanc expositionem, licet in re cum prima coincidat, recte impugnat Alcazar, quod in his septem Episcopis semper ad visionem c. 1. habeatur respectus; ergo coactum est hîc aliter accipere candelabrum, quàm c. 1. præsertim cùm in hac ipsa epistola expressa fiat septem candelabrorum c. 1. mentio v. 1.

Tertio, Andreas Cæsar exponit, q. d. Candelabrum, id est sedem Pontificiam Epheso auferam et transferam eam in civitatem regiam, v. g. Byzantium, sive Constantinopolim.

Quarto, Ambrosius et Beda exponunt, q. d. Privabo te mercede, quæ Episcopo et Rectori Ecclesiæ pro sua cura et labore promissa est à Deo.

Quinto, Victorinus Martyr: *Movebo*, inquit, *candelabrum*, id est, *dispergam plebem tuam*: et Lyran. *Obedientiæ*, ait, *tuæ subtraham subditos tuos*; et Andreas Cæsar. *Nudabo plebem tuam gratia et protectione mea, eamque in fluctus et tempestates conjiciam.* Sic et Alcazar censet hîc Deum minari Episcopo pacis publicæ perturbationem.

Propria enim et congrua, inquit, remissionis pœna est, ut qua ratione existimabat aliquis se quiete et tranquillitate fruiturum, remittendo scilicet aliquid de fervore et zelo, eadem res devolvatur in majorem civium seditionem, et fidelium perturbationem; tum quia Deus juste quemque punit in eo in quo peccat; tum quia inter homines solet ex remissione ducis oriri perturbatio militum: sicut ex adverso disciplina et severitate multo melius conservatur et augetur pax et obedientia. Ita fit ut Prælatus, dum parat quietem, inquietem pariat, et dispergatur plebs, et subditi à Prælati obedientia se subtrahant. Vulgo dicitur: *Ubi rigor, ibi vigor; ubi severitas, ibi auctoritas.* Sensus ergo est,

q.d. Ex humana prudentia putabas te per remissionem difficultates et perturbationes effugiturum, et adepturum pacem et quietem; at ego te puniam, inducendo te in ipsam tentationem, quam per viam non bonam fugiebas; plectam enim tuam negligentiam seditione et commotione civium tuorum, quam certissime effugisses, si non prudentiam humanam, sed mea consilia secutus, zelum exercuisses et spiritalem fervorem. Hic sensus valde moralis, prudens, et in praxi perutilis est. Sed primus sensus, uti simplicissimus et planissimus, ita maxime genuinus videtur. Non enim Ecclesiæ, sed ipsi Episcopo peccanti punitionem hanc intentat. Hoc est enim quod ait : *Sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum.*

6. Odisti facta Nicolaitarum.] Quorum hæresis erat licere fornicari, et promiscue uti feminis, etiam conjugatis. Vide S. Aug. hæresi 5. et Clement. Alexandr. lib. 3. Strom. qui excusant Nicolaum, unum è septem primis Diaconis (à quo hæresis nomen et originem accepit), sed accusant eos, qui ejus dicta sinistre intellexerunt. *Iste*, ait S. Augustinus, *cum de zelo pulcherrimæ conjugis culparetur, velut purgandi se causa permisisse fertur, ut eam, qui vellet, haberet. Quod ejus factum in sectam turpissimam versum est, qua probatur usus indifferens feminarum.* Ex hisce orti sunt Gnostici, hæretici spurcissimi. Nicolaum tamen accusat turpitudinis Epiphan. lib. 1. hæresi 25. et Philastr. hæres. Nicolaitarum, S. Hieron. epist. ad Heliodorum, quod scilicet cum ordinatus Diaconus, ab uxore quam pulchram habebat sese continuisset, postea tamen superatus concupiscentia, ad eam reversus sit; cumque ea de causa carperetur ab Apostolis, turpem hæresim excogitarit, scilicet necessarium esse ad salutem libidini operam dare. Nicolaum quoque accusant Irenæus, Tertul. Hilarius, et alii, quos citat Baronius tom. 5 anno Christi 68. Recruduit Nicolaitarum hæresis et spurcities sub Ludovico Pio Imp. filio Caroli Magni; cui quia Ludovicus non tam strenue quam par erat, restitit, hinc post mortem pœnas dedit in Purgatorio per triginta annos, quibus exactis apparuit filio pariter Ludovico Imp. opem et preces ab eo efflagitans, uti ex Annal. Franc. narrat Cardin. Baron. tom. 10. anno Christi 874. inchoante.

7. Quid Spiritus dicat Ecclesiis.] Quod enim dicit Episcopo Ephesino, hoc dicit ejus Ecclesiæ, et per eam cæteris omnibus : *Quod vobis dico, omnibus dico*, ait suis Apostolis Christus.

Vincenti dabo edere de ligno vitæ,] *vincenti*, scilicet Nicolaitas hæreticos; item Paganos et tyrannos. Rursum *vincenti* mundum, carnem, dæmonem, quomodo vicerunt et vincunt Martyres, Doctores, Virgines et Religiosi. Est enim generalis hæc sententia, inquit Pererius.

Ita hæc Christi verba pulchre adaptat B. Petrus Damianus S. Victori Confessori, prima Septembris : *Ipse enim*, ait, *nomen ex opere sortitus, ante vicit, quàm vincere nosset, nec quemlibet hostem, sed illum, de quo rara, et nunquam secura victoria*, etc.

Ita vitam alterius S. Victoris, Confessoris, 26. Februarii describens S. Bernard. *Pugnavit*, ait, *fortiter, viriliter superavit, et sic demum gloria et honore coronatur. Quomodo nempe inglorius remansisset bellator fortis, humilis Victor? Miror et stupeo infantem adhuc in utero, pavori fuisse pavendis dæmoniis; quippe ab ipsis præcognitum, et jam tunc ex nomine designatum, nec vacuum nomen, ubi hostium fuga, et extorta confessio, victoriam concessit infantulo.* Et inferius : *Æmulemur in viro sobrium victum, devotum affectum; æmulemur mansuetudinem spiritûs, castitatem corporis, oris custodiam, animi puritatem, ponere frenum iræ et modum linguæ, dormire parcius, orare frequentius, commonere nosmetipsos psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, diebus jungere noctes, et divinis laudibus occupare.* Hæ enim fuerunt victoriæ S. Victoris, quæ nos pariter victores efficient et coronabunt.

Tales Vincentes et Victores apud Græcos fuerunt S. Niceæ, Nicandri, Nicanores, Nicerii, Nicones, qui victoriam, nomine quasi omine prætulerunt; νικη enim Græcis est victoria, νικων, νικητας, etc. est victor. Talis fuit S. Nicæas Martyr Antiochiæ, 29. Augusti. Talis S. Nicander Martyr Melitinæ, sub Diocletiano, 7. Novembris. Talis Nicanor Martyr in Ægypto sub Maximino, 5. Aprilis. Talis S. Nicephorus Martyr in Ægypto sub Numeriano Imper. 25. Februarii. Talis S. Niceta Martyr in Lycia, 24. Julii. Talis S. Nicetas Gothus Martyr sub Athanarico, 15. Septembris. Talis S. Nicetius, episcopus Viennensis, 5. Maii. Talis S. Nicostratus tribunus cum suis militibus, Martyr Cæsareæ, 21. Maii. Talis S. Nicomedes Martyr Romæ, 15. Septembr. Talis S. Nicon Martyr Antiochiæ, 28. Septembr. Tales multi alii hisce cognomines, et in palma consimiles, quos videre est in Martyrol. indice apud Baron. Ac imprimis S. Victor et Corona, Martyres illustres, 22. Maii, de quibus eleganter ita canit Poeta Christianus :

Quàm bene cum sancto quadrat Victore Corona!
Quam sua Victori jure Corona datur!

Talis denique fuit S. Ursula, quæ non unam, sed undecim millia coronarum meruit; quia totidem virgines ad virginitatis et martyrii gemmatas coronas provexit; de quibus præclare idem Poeta :

Ursula nectendis, pro teque tuisque corollis,
Crediderim angelicas obriguisse manus.

His addendæ S. Digna et Emerita, Virgines et Martyres 24. Septembr. de quibus idem Poeta :

Quàm bene conveniunt rebus sua nomina! palmam
Ferre hæc Emerita est; altera Digna fuit.

Secundo, proprie ad rem propositam : *vincenti* scilicet suam remissionem et torporem per veram pœnitentiam, ac seriam deliberationem resumendi pristina opera, et pristinum charitatis fervorem; In hoc enim culpaverat hunc Episcopum Christus et ad hoc eum excitat proposito præmio apposito, scilicet ligno vitæ, q. d. Si lassitudinem et torporem excutias, dabo tibi lignum vitæ, quo et primas vires recuperes, easque ita corrobores et confirmes, ut deinceps tibi in iis lassitudo, vetustas et torpor non obrepant. Hoc enim fecisset lignum vitæ in Paradiso, ita Rupertus et Alcazar.

Quæres quodnam sit hoc lignum vitæ, quod hîc promittit Christus? Respondent aliqui esse Christum, qui in Ecclesiæ Paradiso omnibus fruendus proponitur : ita Victorinus et Beda; idque in Eucharistia, ait Rupertus et Anastas. Sinaita l. 1. Hexameron tom. 1. Biblioth. SS. Patrum, Paschasius l. 1. de Corpore Christi c. 7. et 8. et Alcazar, qui addit Christum promittere

hic suam opem et præsidium per Eucharistiam iis, qui fortiter apud se statuerint pristina sua vota ac desideria instaurare, et antiquum studium et contentionem repetere, nec in virtutum exercitatione languescere; hosce enim Eucharistia, quæ est panis vitæ, uti docet Christus Joan. 6. instar ligni vitæ corroborat, eisque animi vires confirmat, nec pristinum vigorem hebescere patitur, facitque hominem spiritualiter quasi immortalem, alacrem semper et vegetum. Ad hoc enim in hac naturæ corruptione, infirmitate et languore Eucharistiam nobis dedit et reliquit Christus: quinimo virtute Eucharistiæ resurgemus ad vitam immortalem. Resurrectio enim et immortalitas est effectus Eucharistiæ, uti fuisset effectus ligni vitæ in Paradiso. Hoc est enim quod ait Christus Joan. 6. v. 58. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Porro licet omnibus digne communicantibus idipsum præstet Eucharistia, proprie tamen, et longe ampliùs id præstat iis, qui cum hoc serio fervoris renovandi proposito ad eam accedunt. Cujus ratio est, quod sicut manna saporem suum juxta cujusque desiderium convertebat. Sap. 16. 21. ut qui in manna gustare vellet panem, panem saperet, non carnem; qui carnem vellet, carnem saperet, non pisces; qui pisces vellet, pisces saperet, non ova: ita pariter in Eucharistia qui humilitatem petit, humilitatem accipit; qui charitatem, charitatem; qui serium fervoris renovandi propositum, idipsum quod petit consequitur: ita Alcazar.

Hoc est, quod ait Psaltes Psalm. 22. v. 5. *Parasti in conspectu meo mensam adversùs eos qui tribulant me.* Quem locum de Eucharistia accipiunt Theodor. et alii passim, ac præsertim S. Chrysost. ibidem dicens: *Qui sunt qui vos tribulant? Suggestiones inimici, cupiditates, delectationes sæculi, honores; sed cum venimus ad mensam potentis, tribulationes efficiuntur consolationes, et ex mensa præparata proficimus adversùs eos qui tribulant nos.* Hac de causa ad frequentem Eucharistiæ sumptionem Christianos hortatur S. Ignatius, scribens ad Ephesios: *Date operam ut crebrius congregemini ad Eucharistiam*, etc. *frangentes panem unum, quod pharmacum immortalitatis est, mortis antidotum, vitamque in Deo concilians per Jesum Christum; medicamentum purgans vitia, et omnia pellens mala.* Quocirca olim usque ad tempora S. Hieronymi, Romæ et in Hispania fideles quotidie communicabant, uti ipse testatur scribens ad Lucinium epist. 28. et epist. 50. Hac etiam de causa tempore persecutionis in carcere apud Martyres Missas celebrabant; quin et fideles Eucharistiæ particulas domum deferebant, ut durante persecutione, ne sensim ex diuturnitate temporis, molestiarum et tormentorum, in fide tepescerent, frequenti ejus sumptione vires repararent, constantiam solidarent, ac majori ardore ad novos agones et tormenta, ipsumque martyrium se compararent. Atque hinc, scilicet ex crebra et quotidiana communione manavit illa S. Laurentii, Agnetis, Vincentii, Sebastiani, et aliorum, ecnleos, ignes et tyrannos irridentium fortitudo æque ac pro Christo moriendi zelus et desiderium. Ita, ut alios taceam, S. Catharina Senensis quotidiana pene communione vires tam corporis quàm animi reparabat, et ex ea fere sola vivebat, vix cibos corporales comedens. Tantus vero ejus in Eucharistiam erat ardor, tanta fames, ut, si quo die non communicasset, videretur animam exhalatura; mox vero, ut communicarat, et spiritu, et corpore evadebat ita valida, ut ingentes subiret labores et pœnitentias, ac cibos omnes humanos fastidiret, imo ad mensam quasi ad eculeum, ad alimenta quasi ad tormenta accederet.

Secundo, magis genuine et plane, lignum hoc vitæ est fruitio Dei et beatitudo, indeque consequens immortalitas. Hæc enim est immarcescibilis vitæ et gloriæ corona, quam suis fidelibus Christus promittit. q. d. *Vincenti dabo edere;* per contemplationem et fruitionem, *de ligno vitæ*, id est, de divinitate beante, et dante gloriam immortalem, uti inchoate faciebat lignum, id est arbor vitæ in paradiso, quæ erat hujus figura et typus. Hunc esse sensum clare patebit c. 22. 2. ubi per lignum vitæ accipit hanc beatitudinem et gloriam immortalem. De ligno vitæ dixi Gen. 2. 9.

8. ET ANGELO SMYRNÆ ECCLESIÆ SCRIBE.] Est hæc secunda Christi epistola ad Episcopum Smyrnensem, et sub ejus persona ad quosvis Episcopos et Christianos probatæ et perfectæ virtutis; ita Alcazar.

Porro Smyrna urbs est Joniæ in Asia, de qua Strabo lib. 14. *Cum Lydi*, ait, *evertissent Smyrnam, circiter annos quadringentos in vici modum mansit habitata; postmodum Antigonus eam suscitavit, deinde Lysimachus, et nunc omnium pulcherrima est: ejus pars in monte sita est, pars maxima in campo. Habet etiam bibliothecam et Homerium, porticum scilicet quadratam cum Homeri templo et statua. Nam et hi maxime hunc Poetam sibi vindicant: unde et nummus quidam æneus apud eos Homerus vocatur. Urbis mœnia Melas amnis præterfluit: ad certam structuram, etiam portum clausum habet.* Hucusque Strabo. Smyrna etiam à Græcis myrrha dicitur. Smyrna ergo idem est, quod myrrha, scilicet passionis et tribulationis, ob cujus patientiam hîc ejus Angelus laudatur.

Quæres: quis fuit hic Angelus, id est Episcopus, Smyrnæ? Resp. Valde verisimile est fuisse S. Polycarpum. Hic enim hoc tempore vixit spectatæ virtutis, atque à S. Joanne ordinatus fuit Episcopus Smyrnæ, uti refert S. Hieron. Ita sentiunt Aureolus, Ribera, Pererius, Alcazar et Lyranus, qui ait hanc esse communem sententiam. Favet Chronologia et temporis ratio. S. Polycarpus enim occisus est Martyrque occubuit anno Christi 169; cum jam Christo serviisset, ut ipse moriens præsidi asseruit, annos 86. Ad Christum ergo conversus fuit anno Christi 83. Quare hoc anno Christi 97, quo hæc scripsit Joannes jam quatuordecim annos fuerat Christianus: poterat ergo jam esse Episcopus; imo fuisse suadet quod à S. Joanne sit consecratus; S. Joannes autem post scriptam Apocalypsin, rediens ab exilio, utpote plane senex, ad vicinam Ephesum se contulerit, ibique scripserit Evangelium, ac paulo post ibidem sit mortuus. Unde non videtur Smyrnæ post hæc tempora fuisse, ut ibi crearet Episcopum. Adde quod hæ persecutiones et odia Judæorum, quæ hic recenset S. Joannes, valde congruant S. Polycarpo, ejusque tempori, quo multi Martyres effecti sunt, ut narrat Eusebius l. 4. histor. c. 15. Porro quàm solidæ et perfectæ sanctitatis fuerit S. Polycarpus, ut merito hæ Christi laudes ei competant, patet tum ex epistola Smyrnensium, quam ipsi de eo ejus-

que martyrio circularem scripserunt, quæ extat apud Euseb. loco citato : tum ex ipsa S. Polycarpi epistola ad Philippenses, quæ extat tom. 3. Biblioth. SS. Patrum, in qua mulieres, viduas, juvenes, Diaconos, cæterosque pro suo gradu et statu candide et sancte ad perfectionem vitæ Christianæ instituit, ac tandem inter cætera ait : *Imitatores efficiamur tolerantiæ ejus* (Christi) *et si passi fuerimus pro nomine ejus, glorificemus eum : hoc enim judicium posuit de seipso, et nos hoc credimus. Rogo vos omnes insistere verbo justitiæ et patientiæ, quam oculata fide vidistis; non solum in beatissimis illis, Ignatio scilicet, Zozymo et Rufo; sed in aliis, qui ex vobis sunt; et in Paulo et in cæteris Apostolis confidentes, quia in omnes non in vacuum cucurrerunt, sed in fide, et justitia, et ad debitum sibi locum, cum Domino, cui et compassi sunt, abierunt; quia hoc non sæculum dilexerunt, sed eum, qui pro ipsis et pro nobis mortuus est, à Domino resuscitatus. Cum potestis benefacere, nolite deficere.* Et infra : *Deus autem et Pater Domini nostri Jesu Christi, ipse sempiternus pontifex, Dei Filius, Christus Jesus ædificet vos in fide et veritate, et omni mansuetudine, et sine iracundia, in patientia, et longanimitate, et tolerantia, et castitate, et det vobis sortem et partem inter Sanctos suos, et nobis vobiscum, et cum omnibus qui sunt sub cœlo, qui credituri sunt in Dominum Jesum Christum.* En cœleste pectus, cœlestia exhalans virtutum aromata.

HÆC DICIT PRIMUS, ET NOVISSIMUS ; QUI FUIT MORTUUS, ET VIVIT.] Vide de his ea quæ dixi c. 1. 18. Refricat hæc S. Polycarpo, q. d. Scio te tribulari, agi ad mortem et martyrium ; sed constans, esto, intuere me quasi speculum : en occisus sum, et resurrexi, ita et tu occideris, mecumque ingenti gloria resurges.

SCIO TRIBULATIONEM TUAM (quam pateris à persecutoribus infidelibus), ET PAUPERTATEM TUAM.] Aliqui intelligunt paupertatem spiritûs ; de qua dicitur Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Secundo, alii intelligunt inopiam et penuriam rerum temporalium, humanorumque præsidiorum. Olim enim Episcopi erant pauperes : necdum enim episcopatus erant dotati. Tertio, et optime per paupertatem accipe eam, ad quam redigebatur exspoliatione et amissione suarum facultatum. Hanc enim fideles tunc passos esse patet ex S. Paulo Hebr. 10. vers. 34. *Rapinam bonorum universorum cum gaudio suscepistis.* Hæc enim paupertas jungitur tribulationi, id est persecutioni ; ergo ad eam spectat ; ita Richardus, Primasius, Aretas, Rupert. Ticonius, Beda et alii.

SED DIVES ES,] in Deo, Dei confidentia, præsidio et providentia. Rursum, *dives es*, gratia et bonis spiritualibus. Sic S. Jacobus c. 2. 5. ait : *Divites in fide;* Ecclesiast. 44. 6. *Homines divites in virtute;* et 1. Timoth. 6. 18. *Divites in bonis operibus.*

Adde : *Dives est cui nihil deest*, qui est αὐτάρκης et sua paupertate contentus, imo lætus.

Vere Seneca epist. 2. *Honesta*, inquit, *res est læta paupertas. Illa vero non est paupertas, si læta est : cui enim cum paupertate bene convenit, dives est : non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est.* Et Epist. 17. *Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis.* Et Ep. 16. laudat illud Epicuri dictum : *Si ad naturam vives, nunquam eris pauper; si ad opiniones, nunquam eris dives, exiguum natura desiderat, opinio immensum.* Et Epist. 18. *Nemo est Deo dignus, quàm qui opes contempsit, quarum possessione tibi non interdico, sed efficere volo ut illas intrepide possideas.* Vide dicta 1. Timoth. 6. 6.

Denique pauperes in terra, sed dives in cœlo; ibi enim multas habes repositas opes. Pulchre S. Augustinus, et ex eo Beda in illud 2. Corinth. 8. *Christus propter nos egenus factus est : Omnes ergo*, inquit, *boni fideles divites sunt; nemo se contemnat, pauper in cella, dives in conscientia securior dormit in terra, quàm auro dives in purpura.* Et S. Hieronymus ad Heliodorum : *Affatim dives est, qui cum Christo pauper est.* Et ad Pammachium : *Plus debet præstare Christi discipulus, quàm mundi Philosophus, gloriæ animal, et popularis auræ, atque rumorum venale mancipium;* ut Crates et alii, qui opes in mare abjecerunt, ut liberius philosopharentur. Christiano philosopho, id est Religioso, *Christus sit omnia, ut qui omnia propter Christum dimiserit, unum inveniat pro omnibus, et libera possit voce proclamare : Pars mea Dominus.* Sic S. Hilarion, ait idem Hieronymus : *Accensus fiducia pauperis conscientiæ lætabatur in eo, quod nihil haberet sæculi, et quod ab accolis mendicus putaretur.*

Vere et pathetice S. Hieronymus historiam S. Pauli primi Eremitæ pauperis et seminudi, in nuda eremo viventis et morientis, ita concludit : *Libet in fine opusculi eos interrogare, qui sua patrimonia ignorant, qui domos marmoribus vestiunt, qui uno filo villarum insuunt prædia : huic seni nudo, quid unquam defuit? Vos gemma bibitis, ille naturæ concavis manibus satisfecit. Vos in tunicis aurum texitis, ille ne vilissimum quidem indumentum habuit mancipii vestri. Sed è contrario illi quidem pauperculo paradisus patet, vos avaros gehenna suscipiet. Ille vestem Christi, nudus licet, tamen servavit : vos vestiti sericis, indumentum Christi perdidistis. Paulus vilissimo pulvere coopertus jacet resurrecturus in gloriam : vos operosa saxi sepulcra premunt, cum vestris opibus arsuros. Parcite, quæso, vobis : parcite saltem divitiis, quas amastis. Cur et mortuos vestros auratis obvolvitis vestibus? Cur ambitio inter luctus lacrymasque non cessat? An cadavera divitum nisi in serico putrescere nesciunt? Obsecro, quicumque hæc legis, ut Hieronymi peccatoris memineris; cui si Dominus optionem daret, multo magis eligeret tunicam Pauli cum meritis ejus, quàm regum purpuram cum pœnis suis.* Idem sensit et suasit S. August. l. 1. de Civit. cap. 10. *Da*, ait, *temporalia, accipe æterna; da terram, accipe cœlum.*

BLASPHEMARIS AB HIS, QUI SE DICUNT JUDÆOS ESSE, ET NON SUNT.] Βλασφημια idem est quod δυσφημια, id est, infamia, vituperium, probrum ; sed usu Ecclesiastico sumitur pro convicio jactato in Deum vel Sanctos : subinde tamen in Scriptura generatim capitur in propria significatione, ut blasphemare sit idem quod infamare, conviciari, calumniari. Sic Paulus ait ad Titum 3. 2. *Admone illos*, etc. *neminem blasphemare.* Et 1. Cor. 4. v. 13. *Blasphemamur, et obsecramus.* Sic Goliath dicitur blasphemasse Israel, 1. Paralip. 20. 7. Sic Deus ait se audisse *opprobrium Moab, et blasphemias filiorum Ammon, qui exprobraverunt populo.* Ezech. 5. v. 15. Et Isaiæ 51. 7. *Nolite*, ait, *timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis.* Communiter tamen accipitur pro convicio in Deum vel Sanctos. Sic Justinianus Imp. in Authenticis const. 77. ait : *Fames, terræ motus ac pestilentias*

ab irato propter blasphemias Deo immitti, hasque ultimo supplicio extirpandas. Unde S. Ludovicus, rex Galliæ, sanxit ut blasphemantis lingua ferro candente adureretur. Utroque modo hîc capitur. Sensus ergo est, q. d. *Blasphemaris*, id est injuria lacesseris, et non fidelis et pius, sed quasi legis et Judaismi hostis, utpote Christi assecla, impius et execrandus existimaris ac diceris à Judæis, qui se veros esse religionis Deique cultores mentiuntur. Hi enim non sunt veri Judæi, id est Deum confitentes et colentes, uti fuerunt Judas, à quo dicti sunt Judæi, aliique patres eorum, quia hi Christum persequuntur. Nam, ut ait Apostolus Rom. 2. 28. *Non qui in manifesto, Judæus est; sed qui in abscondito, Judæus est.* Hic scilicet verus Judæus, Deique cultor et confessor est, *cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Prima enim Christianorum persecutio à Judæis, et per Judæos, qui Gentiles contra Christianos accendebant, et suscitata. Unde toties in Actis Apostolorum Judæi Paulum persecuti leguntur.

Præclare S. Augustinus in Sententiis n. 32. *Omnes*, ait, *qui in Christo pie volunt vivere, necesse est ut ab impiis et dissimilibus patiantur opprobria, et despiciantur tanquam stulti et insani; quia præsentia bona perdunt, et invisibilia sibi profutura promittunt. Sed hæc despectio et irrisio in impios retorquebitur; cum et abundantia eorum in egestatem, et superbia transierit in confusionem.*

10. MISSURUS EST DIABOLUS ALIQUOS EX VOBIS IN CARCEREM.] Ex his fuit Germanicus Martyr, qui feris et bestiis objectus, imo ultro objecit seipsum; Pionius, qui clavis confixus est; Polycarpus, qui igni traditus; et alii plures, de quibus Ecclesia Smyrnensis circularem scripsit epistolam lectu dignissimam, quæ extat apud Euseb. l. 4. histor. c. 15. in qua describentes constantiam Martyrum in perferendis doloribus, inter alia dicunt: *Stupebant circumstantes flagris eos ad intimas usque venas et arterias dilaceratos, ita ut secretiora illa corporum penetralia, viscera et membra patefacta visrentur; deinde et conchas marinas et acutos quosdam obeliscos Martyribus substratos, et omne genus suppliciorum et tormentorum illatum, ac tandem eos bestiis ad devorandum traditos cernentes.*

UT TENTEMINI,] id est, variis ærumnis et cruciatibus probemini. Vere S. Gregor. hom. 9. in Ezech. *Abel*, ait, *fieri non valet, quem Cain malitia non exercet.* Et S. August. in psal. 54. *Non putetis*, ait, *gratis malos esse in hoc mundo, et nihil boni de illis agere Deum; omnis malus, aut ideo vivit, ut corrigatur; aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur.*

ET HABEBITIS TRIBULATIONEM DIEBUS DECEM.] *Decem*, id est, omnibus diebus vitæ: *neque enim gaudii locus est, ubi vita hominis tota est tentatio;* ita Primas. Beda et Rupert. Denarius enim in Decalogo et alibi significat universitatem, capiturque pro omnibus.

Secundo, Andreas Cæsariens. Aretas et Alcazar, *decem* id est paucis, *diebus.* Simili enim modo decem pro paucis capitur Num. 11. 19. licet aliàs ob circumstantiam, decem sumatur pro multis.

Tertio, Beda, Haymo, Lyranus et Joachim putant hîc significari decem persecutiones Christianorum per Romanos Imperatores excitatas, quæ numerantur à Nerone usque ad Diocletianum.

Quarto, Lyran. q. d. *Decem diebus*, id est, perfectam habebitis tribulationem: denarius enim est symbolum perfectionis.

Quinto, idem Lyran. *decem diebus*, id est, inquit, decem annis.

Sexto, sanctus Ambrosius, *decem diebus.* Quia, inquit, licet ista tribulatio pluribus diebus et mensibus duret, decem tamen diebus erit atrocissima.

Septimo, et optime. Pererius et Ribera, *decem* id est multis, *diebus.* Sic Job ait c. 19. 3. *En decies*, id est sæpe, *confunditis me.* Numer. 14. 22. *Tentaverunt me jam per decem*, id est per multas, *vices.* 1. Reg. 1. 8. *Numquid non ego melior tibi sum, quam decem*, id est multi, *filii?* et passim alibi.

ESTO FIDELIS USQUE AD MORTEM, ET DABO TIBI CORONAM VITÆ.] Æterna felicitas dicitur corona. Primo, quia datur certantibus et vincentibus. Alludit enim ad pugiles, athletas, aliosque luctantes in stadio vel agone, v. g. Olympico, ut dixi 1. Cor. 9. 25. ita August. l. de Agone Christiano. In cujus rei typum voluit Deus Hebræos armatos per acies et turmas in terram promissam procedere. Unde Cant. 7. hæc Ecclesia et fidelium corona et gloria assimilatur palmæ. *Statura*, inquit, *tua assimilita est palmæ;* idque ob tres causas, ait ibidem Beda. Primo, quia palma quo magis premitur, eo magis assurgit; ita et athleta Christi. Secundo, quia palma inferius aspera est, superius pulchra, et fructibus suavis; ita et pugil Christi. Tertio, quia palma manus victricis ornamentum est.

Secundo, quia corona rotunda significat perfectionem, et complexum bonorum omnium et gaudiorum, principio et fine carentem instar circuli et coronæ.

Tertio, quia pretiosissima est instar coronæ gemmis exornatæ, juxta illud psalm. 20. *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* Hujus coronæ duodecim gemmas è sacris Litteris recenset Viegas comment. secundo. Pulchra de hac corona dixi Isaiæ 61. 10. et c. 62. 3.

Porro vocatur corona *vitæ*, ut significetur Sanctos, qui pro Christo vitam posuerunt, et occisi sunt, non amisisse vitam, sed eam in meliorem commutasse; aptissime enim respondet morti pro Christo toleratæ, veræ vitæ præmium; ita Richardus Victor et Abbas Joachim, cujus hæc sunt verba: *Corona vitæ promittitur, quia ii qui donant vitam Deo, cum triumpho pretiosæ mortis perveniunt ad veram vitam; quoniam ut eam servare possent in regno, eam in exilio perdiderunt, juxta illud* Joannes 12. *Qui amat animam suam, perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.*

Secundo, *vitæ*, quia gloria eorum et gaudium semper vivet, ipsique semper vigebunt, et florebunt in æternum, nunquam senescent, nunquam deficient, nunquam fatigabuntur. Unde hæc vita et gloria à S. Petro epist. 1. c. 6. vocatur *immarcescibilis;* et à S. Paulo 1. Corinth. 9. 25. *incorrupta.*

Tertio, quia vita includit delicias, gloriam, sapientiam et omne bonum: hoc enim ex hac vita promanat. Hanc ergo coronam vitalem immensam et æternam suorum oculis objicit Christus, ut jugiter in eam intuentes generose et constanter superent quævis acerba et adversa,

atque in ejus amore fideles maneant usque ad mortem et crucem. Inter alios hac in re illustris fuit S. Agatha virgo et Martyr, quæ miris modis tentata, coronæ avida, fidelis mansit Christo sponso suo usque ad mortem. Erat ipsa nobilissima, ditissima, honestissima et pulcherrima, ita ut Præses Quintianus ejus amore captus non tam judicem ageret, quam amasium; sed frustra. Quocirca tradidit eam Aphrodisiæ, ut eam suis lenociniis flecteret: cumque illa quasi Siren nocte et die Agathæ voluptates et delicias occineret, Sancta quasi surda mentem totam in Christo defigebat. At cum illa finem sollicitandi non faceret, respondit tandem Agatha: *Tuas voces tuamque linguam, non ut tuam, sed ut cacodæmonis, qui hæc tibi suggerit, organum et linguam accipio. Sed scito te tempus et operam perdere, ac surdo canere. Ego enim ita defixa et firmata sum in amore Domini mei Jesu Christi, tamque constans in voto virginitatis quod ei nuncupavi, ut per ipsius gratiam plane confidam, quod prius sol perdet suos radios, ignis calorem, nix candorem, quam ego mutem meam voluntatem et propositum. Præparet Quintianus leones, succendat rogum, distentet eculeos, aperiat portas inferorum, si potest, omnemque dæmonum vim et tormenta contra me concitet, libens et læta omnia excipiam, ut moriar Christiana et virgo. Nullam Quintiani violentiam timeo, quia scio me Deo, cui corpus et animam consecravi, cordi esse et curæ.* Quocirca Aphrodisia renuntians dicta gestaque Præsidi: *Facilius*, ait, *est lapides mollire, aut ferrum in plumbum convertere, quàm Agathæ mentem à Christi amore et castitate dimovere. Ego enim et filiæ meæ ipsos triginta dies, noctu diuque assidue ejus animum pulsavimus, nunc blandiendo, nunc minando, nunc terrendo, nunc promittendo; sed illa immobilis manet ut adamas. Omnia enim quæ sub cælo sunt, propter Christum, non pluris facit quàm pulverem terræ quem pedibus calcat, imo perdia et pernox non aliud cogitat, non aliud somniat, quàm ut moriatur pro Christo.* Quintianus ergo Agatham accersens, omnes adhibuit artes, omnes machinas, ut eam flecteret. Cui Sancta: *Ego extra Christum nec vitam, nec salutem, nec quid aliud opto aut desidero. Non est quod speres, ô Quintiane, me tua sævitia percellere. Scito, enim non esse cervam, quantumvis anhelam et sitibundam, quæ ita desiderat aquam limpidam, uti ego desidero et sitio tua tormenta, ut per ea Christo uniar eumque amplectar. Ergo stringere si lubet in me ferrum, ecce collum meum; si flagella, ecce humeros; si ignem, en totum meum corpus, excrucia uti mavis. Ure, seca, liga, stringe, diffringe, lacera, transfige, macta: quanto in me crudelius sævies, tanto majus in me beneficium conferes, tanto gratior et gloriosior ero dulci meo sponso. Quid tardas? quid moraris? Expedi flagra, gladios, cruces, catastas, ignes, leones. Sitienti animo omnis hora nimis longa est mora.* Dixit et præstitit. Nam mammillæ torturam et præcisionem, testas, ignes, ardentes laminas, aliaque dira tormenta generose quasi ludibunda sustinuit, moriensque Martyr in cœlum evolavit. Tanti dux femina facti.

Simili modo Christus hanc coronam vitæ proposuit S. Vitali Martyri, de quo S. Ambros. qui ejus et S. Agricolæ reliquias Bononiæ invenit, ita scribit epist. 55. *S. Vitalis (ita dictus, quasi per istius vitæ contemptum, aliam vitam quæ æterna est, sibi compararet) cum à persecutoribus ut Christum negaret impeteretur, et ille constantius confiteretur, adeo omni tormentorum genere cruciatus est, ut nullus in corpore ejus sine vulnere esset locus. Quare hanc ad Dominum orationem effudit, dicens: Domine Jesu Christe, salvator meus et Deus meus, jube suscipi spiritum meum; quia jam desidero accipere coronam, quam sanctus angelus tuus mihi ostendit. Et, completa oratione, emisit spiritum.*

11. Qui vicerit, non lædetur a morte secunda,] id est, à peccato, quod animam separat à sua vita, id est, à gratia Dei; ita Rupertus et Albertus Magnus. Secundo et genuine, mors prima est, qua corpus in hac vita moritur, de qua paulo ante dixi: *Esto fidelis usque ad mortem.* Mors secunda est, qua anima et corpus semper moriuntur in inferno, ubi sunt dolores majores, quàm in morte corporali; et tamen nunquam sunt mortua. Id ita esse patet ex c. 20. et 21. ubi dicitur: *Pars illorum erit in stagno ardenti, igne et sulphure, quod est mors secunda;* ita Victorin. Andreas, Beda, Lyranus et Haymo, qui tamen mortem primam putat vocari non mortem corporis, sed animæ per peccatum. Idem ergo hîc dicit Christus, quod Matth. 10. vers. 28. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* Mors ergo prima est corporis, mors secunda est gehennæ. Hinc mortis stimulus est efficax ad certamen et victoriam; unde eo usus est Xenophon, dum Græcos, ut contra Persas fortiter dimicarent, incitaret: *Qui suos*, inquit, *videre cupit, strenuum se præbeat; qui vivendi cupiditate tenetur, is vincere contendat: victori enim hostium cædes et spolia; victo mors est proposita.* Ita refert ipse l. 3. de Expedit.

Et angelo Pergami scribe.] Pergamus vel Pergamum clarissima fuit urbs Asiæ vel Troadis, quam Silenus fluvius intermeat, à qua Claudius Galenus Medicorum princeps ortum duxit. Hæc eadem urbs Troja vocatur. Unde Virgil. 2. Æneid. *Trojam incensam, et prolapsa videntem Pergama.* Mortuus est Pergami P. Scipio, vir nobilissimus, teste Cicer. orat. pro Flacco. Inde Lavinia Pergama in Italia, de quibus Silius l. 13.

> Jam Phryx condebat Lavinia Pergama victor,
> Arnaque Laurenti figebat Troica luco.

Sic vocat Lavinium oppidum in Latio ab Æneâ conditum.

Pergami rex fuit Attalus, qui à populo Romano donatus eo regno, cum liberos non haberet, populum Romanum hæredem fecit. Membranæ quoque repertæ sunt Pergami, ait Varro, quæ indè dictæ sunt Pergamenæ, quibus olim pro papyro et charta utebantur.

Est hæc tertia Christi epistola ad Episcopum Pergamenum, et sub ejus persona ad fideles alioqui laudabiles, sed in eo reprehensibiles, quod spiritualem pugnam reformident, ait Alcazar.

Quæres: Quis fuit angelus, id est Episcopus, Pergami? Respondent Aurcolus et Lyranus fuisse S. Carpum. Hunc enim constat fuisse Episcopum, et Pergami martyrio coronatum sub Antonio Imp. ut patet ex Eusebio l. 4. histor. c. 15. Verum Eusebius ibi tantum asserit Carpum occisum Pergami, non autem ibidem fuisse Episcopum. Rursum Martyrol. Rom. 13. Aprilis,

S. Carpum Martyrem vocat Episcopum Thyatiræ, non Pergami. Ergo quis fuerit hic Episcopus non liquet; ita Pererius, Alcazar et alii.

HÆC DICIT QUI HABET RHOMPHÆAM,] id est gladium, de quo dixi cap. 1. 16. Hoc symbolo significat, primo, timendum esse, non Cæsarem persecutorem, sed Christum, qui animam et corpus sua rhomphæa dissecare et perdere potest. Secundo, Episcopum imitare debere Christum, ut animose et audacter rhomphæam verbi Dei contra Nicolaitas v. 15. aliosque hæreticos vibret, illisque bellum acre inferat; ita Joachim, Alcazar et alii.

Notat Panonius in hoc gladio Christi respici et alludi ad angelum, qui evaginato gladio contra Balaam stetit, eumque voluit occidere Num. 22. 23. unde subdit: *Habes tenentes doctrinam Balaam.*

13. SCIO UBI HABITAS, UBI SEDES (græce Θρονος) EST SATANÆ.] Ubi scilicet Satanas partim per gentes, partim per Nicolaitas dominatur. *Pergamus*, inquit Aretas, *idololatriæ dedita erat supra cæteram Asiam.* Unde in ea magna fuit persecutio Christianorum, ut patet ex martyrio Antipæ, de quo sequitur, et ex Eusebio loco citato. Atque hæc fuit causa timoris et pusillanimitatis Episcopi Pergamensis, ut Nicolaitis se opponere non auderet, de qua reprehenditur à Christo v. 15.

ET IN DIEBUS ILLIS (fuit et claruit) ANTIPAS TESTIS MEUS FIDELIS, QUI OCCISUS EST APUD VOS.] Laudat Episcopi Pergamensis in fide constantiam. q. d. Tu, ô Episcope, ne hoc quidem crudeli spectaculo et martyrio Antipæ in fide et constantia nutasti; sed potius fortior et solidior evasisti.

Antipas, sæviente in Christianos Domitiano, Episcopus Pergameni, publice Christum prædicabat, dæmonesque fateri coegit, quod à se per Christi nomen invocatum fugarentur. Hinc a Præfecto urbis captus, tractusque ad Dianæ templum, et in bovem æneum multo igne candentem conjectus, laudans et gratias agens Deo quod se hoc agone et laurea martyrii dignatus esset, in cœlum Martyr evolavit sub annum Christi 93, Domitiani decimum: quando et sanctus Joannes captus in Asia, Romamque ductus, in fervens oleum demissus, cum salvus et illæsus evasisset, in exilium relegatus est; ita Aretas, Metaphrast. Baron. et Perer. Vide Martyrium Antipæ apud Surium die 11 Aprilis. Porro bos æneus in quo crematus fuit Antipas, Pergamo translatus est Constantinopolim, et collocatus in templo Apostolorum, ait ex Cedreno Baron. anno Christi 330.

14. HABES ILLIC TENENTES DOCTRINAM BALAAM.] Nota. Balaam ariolus vocatus à Balac rege Moab, ut malediceret Hebræis ex Ægypto tendentibus in Chanaan per finem Moabitidis, cum Deo prohibente id facere non posset, quin potius eis benedicere cogeretur, suggessit Balac regi, ut ad castra Hebræorum submitteret speciosas puellas Moabitides, quæ eos ad fornicandum invitarent eo pretio et conditione, ut Hebræi prius ederent idolothyta, id est carnes idolis immolatas, atque Camos aliaque eorum idola venerarentur. Id fecit Balaam eo consilio, ut Hebræos à Deo ad libidinem, et ad idola averteret; itaque Hebræi vicissim à Deo suo offenso et irato derelicti à se maledici, et à Balac vinci possent. Indeque fuit illa clades Hebræorum colentium Beelphegor Num. 25. 8. Vide ibi dicta. Porro Balaam hoc consilium dedisse, clare liquet ex Num. 31. 16. Ergo Nicolaitas comparat Balaamo; quia instar illius docebant licere indulgere ventri et veneri, edere laute quidvis, etiamsi esset idolothytum, vetitum lege Apostolica Actor. 15. ut gula hæc esset fomentum luxuriæ: convivia ergo ad hæc ad luxuriam comparata erant quasi idolothyta eorum *quorum Deus venter erat;* ita Alcazar. Nam alioqui in historiis non legimus, quod Nicolaitæ diserte docuerint licere idolothytis vesci.

Symbolice et tropologice, B. Petrus Damianus hæresin Nicolaitarum ait esse concubinatum sacerdotum, contra quem suo sæculo, id est anno Domini 980, grassantem ipse accerrime decertavit. Audi eum epist. 6. ad Nicolaum II. Rom. Pontif. *Non expavescis, ô infelix Episcope* (concubinarium, alloquitur per apostrophen, non Nicolaum Pontificem castum), *quia dum in luxuriæ voraginem corruis, Nicolaitarum hæresin incurristi? Nicolaus quippe, unus ex his quos Petrus Apostolus Diaconos consecraverat, dogmatizabat, clericos cujuslibet ordinis nuptialibus fœderandos esse conjugiis. Quod ergo ille docebat verbis, ad hoc tu in cathedra pestilentiæ sedens, multo deterius invitas exemplis. De quo videlicet scelere, angelo Ephesinæ Ecclesiæ divina vox ait: Odisti facta Nicolaitarum, quæ et ego odi.* Hinc eo sæculo hic sacerdotum concubinatus, vocatus est hæresis Nicolaitarum.

16. SIMILITER, ac Ephesino Episcopo edixi et præscripsi pœnitentiam v. 5. Ita Ambros. et Primas. Quare perperam quidam putant hîc esse mendum, ac in Græco pro ομοιως, id est, *quod odi*, irrepsisse ομοιως, id est *similiter*, POENITENTIAM AGE,] timorem depelle, animos sume, et audacter contra Nicolaitas decerta, eosque pro viribus extirpa.

SI QUO MINUS (id est, sin minus, alioqui), VENIAM TIBI CITO,] te castigando et illos. Rursum *cito*, quia omnis potentatus et prælatura est vita brevis. Id videmus Romæ in Cardinalibus et Summis Pontificibus. B. Petrus Damianus rogatus ab Alexandro II. Pontif. cur nemo Pontificum attigerit annos S. Petri, imo plerique vix quatuor aut quinque annis Ecclesiæ præsideant? Respondet ep. 17. ad eumdem: *Idcirco hoc cœlestis judicii ordo disponit, ut humano generi metum mortis incutiat; et quàm despiciendu sit temporalis vitæ gloria, in ipso gloriæ principatu evidenter ostendat; quatenus dum præcipuus hominum tam angusti temporis compendio moritur, tremefactus quisque ad præstolandi sui obitus custodiam provocetur: et arbor humani generis, dum cucumen et verticem suum tam facile corruisse considerat, statu concussa formidinis, in suis undique ramusculis contremiscat.* Nam Papa est quasi sol mundi, cujus eclipsim omnes dum vident perceliuntur.

ET PUGNABO CUM ILLIS IN GLADIO ORIS MEI,] jussu scilicet, sententia et decreto efficacis ultionis. q. d. Feram in illos sententiam mortis, eamque re ipsa per angelos aliosque administros meos eis inferam, eosque trucidabo et occidam morte tam præsenti, quam æterna.

Aliter Alcazar: ipse enim per hunc gladium accipit verbum Dei, quod per infirmam plebem Deus prædicans Nicolaitis, eos erat conversurus.

Accusaverat, inquit ipse, Christus Episcopum de ignavia, quod armatus gladio verbi Dei, cum Nicolaitis tamen confligere non auderet: ad quod nulla valuit opportunior addi commination et supplicium, quàm futurum esse ut ex infirma plebe Deus aliquos suscitaret, qui cum Nicolaitis confligerent, eos vincerent, ac veritati subjugarent, quasi expeditionem hanc et coronam Deus ad alios transferat, et Episcopum pudore suffusum et confusum derelinquat. Hic enim pudor ei ingens futura erat pœna. Et hoc est quod cap. 3. v. 11. dicitur Episcopo Philadelphensi: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Verum hæc explicatio partim aliena, partim mystica videtur.

17. VINCENTI,] tum facta Nicolaitarum, fœdasque carnis voluptates, tum potius suam pusillanimitatem, quam ego Christus in te, ô Episcope Pergami, coargui. Nam in hisce Christi epistolis vincens vocatur Episcopus, qui, id quod Christus in iis ei jubet opere præstat, ac in ea re tam seipsum, quàm difficultates in re ipsa occurrentes generose superat et transcendit; ita Alcazar.

Hujus pii pro castitate certaminis et Victoriæ nobile dedit exemplum nomine et re Victoria virgo et Martyr, cujus fortem agonem et gloriosum triumphum ita paucis complectitur Ado Episcopus Trevirensis in Martyr. 23. Decemb. *Romæ natalis sanctæ Victoriæ virginis et Martyris, in persecutione Decii Cæsaris. Hæc desponsata Eugenio viro pagano, rogante Tito Aurelio, qui sponsam Anatoliam virginem habebat, ad suadendam eam, ut ei nuberet, perrexit; cui et dixit: Audi me, domina soror Anatolia; et ego Christiana sum, et novi quia Deum nuptias non condemnat. Prophetæ et Patriarchæ conjuges habuerunt, et posteritas eorum à Deo benedicta est. Nunc ergo audi me, et accipe virum, qui te non prodat, quod sis Christiana; sed per maritalem copulam fiat, ut ipse Christianis consentiat. Hæc dicenti Victoriæ virgo Anatolia respondit: O Victoria, vince diabolum, et esto vera Victoria. Tunc quando tota terra vacua erat, dixit Deus hominibus: Crescite et multiplicamini, et replete terram. Nunc plena terra, postquam Filius Dei de cœlo descendit, quotidie clamat: Crescite in fide, multiplicamini in charitate, et replete cœlos; quia appropinquavit regnum cœlorum. Iterum inter alia et post alia, S. Anatolia intulit: Ego, die qua explicui pretium ornamentorum meorum in pauperes Christi, vidi per visum juvenem aureo diademate splendidum, in vestibus purpureis atque gemmatis, qui grata facie et læto vultu me inspiciens, ait: O virginitas, quæ non in operibus tenebrarum, sed semper in lumine versaris! Hæc ego audiens, evigilavi et cœpi flere; et projiciens me in pavimento, rogavi Dominum, ut is, qui mihi loquebatur dulcissimos sermones, iterum prosequeretur. Sic mihi oranti et prostratæ, idem qui ante loquebatur, talia mihi subsequitur: Virginitas purpura regalis est, quam qui induit, reliquis fit eminentior. Virginitas gemma est pretiosa. Virginitas thesaurus est regis immensus. Huic fures insidias tendunt. Hanc tu evigilans sollicite custodi, quantumque te plus habere cognoscis instantius custodi, ne perdas. His et similibus verbis et factis incitata Victoria, omne pretium ornamentorum suorum et ipsa distraxit pauperibus.* Addit inde Martyr. *Sicque factum est ut, agentibus sponsis earum Aurelio et Eugenio quia nubere illis virginis Christi noluerunt, à Decio imperatore urbe Roma pulsæ, ad prædia sponsorum ducerentur. Ubi fame et inedia ita afflictæ sunt, ut vix ad vesperum medius panis cibarius eis daretur: nulloque pacto efficere sponsi potuerunt, ut vel ad nubendum, vel ad sacrificandum animi illarum inclinarentur. Beata igitur Victoria in virginitatis proposito invincibiliter persistens, post multa facta miracula, inter quæ plurimas virgines Domino aggregaverat, percussa est gladio in corde à carnifice Tuliarcho, quem rogatu Eugenii sponsi sui Julianus, pontifex Capitolii et comes templorum, ad hoc opus direxerat. Passa est autem decimo Calendas Januarii. Corpus ejus cum omni reverentia curatum. Taliarchus vero percussor ejus, leprosus factus, intra sex dies consumptus à vermibus, expiravit.*

Quocirca S. Victoriam merito ita celebrat poeta Christianus:

> De geminis geminas retulit Victoria palmas
> Hostibus, hunc pudor, hunc vicit aperta fides.

Maluit enim mori quàm nubere vel sacrificare. Idem Victoriæ certamen carmine descripsit sanctus Althelmus Episcopus lib. 2. de Virginitate.

DABO MANNA ABSCONDITUM.] Hoc manna notat ingentem suavitatem, et delicias; sed quam et quas?

Primo, manna hoc est Eucharistia, ait Ticonius, Beda, Rupertus, Aretas: manna enim ob saporem, aliasque causas quas recensui Exodi c. 16. et hìc recenset Viegas sect. 4. typus fuit Eucharistiæ, in qua Christus est absconditus. Notant Beda et Rupert. illud *vincenti*, scilicet gulam et libidines, referendum esse ad castitatem, et puritatem mentis et corporis cui adversabantur Nicolaitæ: hanc enim necessariam esse dispositionem ad S. communionem.

Secundo, Richard. de S. Victore censet manna hoc esse arcana divinitatis, et æternam felicitatem: Hæc enim, inquit Perer. notatur per tria optatissima bona; manna enim denotat inenarrabilem felicitatis dulcedinem: calculus, ejusdem opes, et pretium: nomen, famæ et gloriæ claritatem.

Tertio, Primasius et Ambrosius accipiunt Christum, qui fuit absconditus, primo in lege, secundo in carne, tertio in Eucharistia. Hinc dicitur Isaiæ 45. 15. *Vere tu es absconditus.*

Quarto, S. Bernard. l. de Convers. ad Cleric. c. 21. Manna hoc, ait, est dulcedo, quæ in rerum cœlestium, contemplatione percipitur. *Suavitas*, inquit, *Domini est, nisi gustaveris non videbis: gustate et videte quoniam suavis est Dominus. Manna absconditum est, nomen novum est, quod nemo sit nisi qui accipit; non illud eruditio, sed unctio docet; nec scientia, sed conscientia comprehendit.*

Quinto, et optime, manna hoc sunt consolationes spirituales quæ quasi congrua merces à Deo datur vincenti tum delicias, tentationes, et concupiscentias carnales, tum suum metum et pusillanimitatem, qualis erat hæc Episcopi Pergameni. Hinc enim apposite excitat, proponendo ei in bello, quod contra Nicolaitas ex Christi jussu ei suscipiendum erat, non fore illum horrorem, et eas difficultates tam amaras, quas ipse apprehendebat et reformidabat; eo quod Deus illi non tantum adesset, sed et tantam animi se-

renitatem, tantam consolationem et gaudiorum spiritualium copiam infunderet, ut in mediis etiam hostibus et periculis exultaret: quales jam experiuntur viri Apostolici; qui inter Indos, Hollandos et Anglos versantur, præsertim dum celebrant, et S. Eucharistiam sumunt. Hoc enim vere et proprie est manna absconditum, quod exterius non videtur, sed interius in anima fidelis, Deoque devoti sentitur et gustatur. Unde sanctus Paulus ait Coloss. 3. 3. *Vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.* Porro hæ consolationes vocantur manna, quia miræ sunt et ingentes, ut qui eas recipiunt, mirentur et stupeant, dicantque *man hu?* quid est hoc? *quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* Psalm. 30. 20. Est enim hæc consolatio prægustus quidam æternæ beatitudinis, in qua perfectissimum erit hoc manna.

Nota. Qui cupiunt hoc manna, debent suas concupiscentias, æque ac metus et passiones vincere; vincenti enim promittitur. Unde solet secuturæ consolationis tentatio præcedens esse signum. Nam tentatione probatis cœlestis promittitur, et promissa datur consolatio. Experientia constat neminem vincere heroice aliquam tentationem, infirmitatem, pusillanimitatem, contemptum; quin mox sentiat miram animi voluptatem et gaudium, quod longe tristitiam adversam, æque ac delicias concupiscentiæ superat. Experiatur quisque in se, et sentiet ita esse. Ita S. Bernard proœmio in psal. *Qui habitat*, recensens Religiosorum suorum mortificationes, jejunia, vigilias, labores, sudores, tentationes, subdit: *Quod igitur remedium? ut retineatur labor, et tamen hic labor dulcescat divina dulcedine. Quoniam si abundat tribulatio vestra pro eo, abundabit consolatio vestra per eum, ut in eo delectetur anima, quæ in his renuit consolari. Apud ipsum namque ipsa quoque tribulatio magna quædam consolatio poterit inveniri. Nonne enim certum est, supra vires humanas, ultra naturam, contra consuetudinem esse quæ sustinetis? Alius igitur portat ista: ille sine dubio, qui secundum Apostolum portat omnia verbo virtutis suæ.* Et ad Clericos c. 30. *Non sunt*, ait, *condignæ passiones hujus temporis ad præteritam culpam, quæ remittitur: non ad præsentem consolationem, quæ immittitur: non ad futuram gloriam, quæ promittitur. Denique nulla tanta est amaritudo, quam non prophetica farina dulcoret, quam non sapidam reddat sapientia lignum vitæ.* Hoc manna sapiebat regius Psaltes, cum regni opes et delicias transcendens, Deoque inhærens, Vincenti psalmos suos inscribens, caneret psalm. 34. *Anima mea exultabit in Domino et delectabitur super salutari suo; omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?* Et psalm. 35. *Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Et psalm. 83. *Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Et sanctus Paulus dicens: *gloriamur in tribulationibus; si Deus pro nobis, quis contra nos? quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio*, etc. *Certus sum quia neque mors, neque vita*, etc. Rom. 8. Et sanctus Jacobus cap. 1. 2. *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.*

Vis Confessores? Abbas Joannes apud Cassianum collat. 19. 4. mundana omnia vincens, et in cœlum mente conscendens, tanta perfundi solebat interiori dulcedine, ut ne id quidem recordaretur, an pridie comedisset.

S. Ephrem delectationes omnes terrenas fastidiens tanta gestiebat lætitia, ut ejus præcordia rumpi viderentur. Quocirca exclamabat: *Recede à me, Domine, parumper; quoniam vasis hujus infirmitas ferre non potest.*

S. Bernardus, gulæ et illecebrarum omnium victor, ita cœlestibus gaudiis absorbebatur, ut toto die lacui obequitans, nunquam eum viderit; et toto anno una in cella degens, adhuc ignoraret an illa cella testudinem haberet.

Noster S. Pater Ignatius ita dulcium lacrymarum affluebat copia, ut pene oculos perderet: et sane perdidisset, nisi medicorum monitu, et suorum impulsu à Deo impetrasset potestatem eas pro arbitrio vel lavandi, vel restringendi.

S. Xaverius in cœlum defixus, ita consolationibus divinis perfundebatur, ut exclamaret: *Satis est, Domine, satis est.* In Japone pedes iter faciens, ita in Deum absorbebatur, ut sæpe de via deflectens, in vepres, dumeta et saxa impingeret, nec adverteret: quocirca semper ei plantæ et tibiæ sanguine fluebant, cum tamen ille ne sentiret quidem.

S. Catharina Senensis, sensibilium omnium victrix: *Tantum*, ait, *gaudium obtinet mentem meam, ut valde admirer posse durare animam in corpore;* addebatque: *Tantum ardorem sentio in anima mea, ut ignis materialis mihi frigere videatur, potiusquam urere. Ex hoc autem ardore existit in anima mea quædam renovatio puritatis et humilitatis, ita ut videar mihi rediisse ad ætatem quatuor vel quinque annorum: tantus quoque inde in me accenditur amor fraternus, ut non solum libenter, sed et hilariter pro quocumque proximo velim mortem oppetere.* Inde à Deo donum accepit apathiæ et constantiæ, ut quidquid illi accideret, illa prorsus immota permaneret.

Vis Martyres? S. Adelphardus ab imperatore Ludovico, eo quod cum liberius de peccatis arguisset, in exilium relegatus, ita gaudebat, sibique gratulabatur, ut exilium reputaret paradisum, diceretque se ibidem pristinam in Christo libertatem recipere. Ita habet ejus Vita, quam scripsit Paschasius Ratbertus Abbas Corbeiensis.

S. Tiburtius Martyr super prunas candentes nudis pedibus incedens: *Mihi*, ait, *hæ prunæ rosæ videntur; nam creatura Creatoris famulatur imperio.*

S. Clemens Ancyranus, Episcopus et Martyr, arduum et longum, continuumque per viginti annos obiit martyrium, ea constantia et lætitia, ut à Præside et tyranno beneficium ingens accipere se diceret, æque ac honorem, eo quod per ejus sævitiam consors fieret passionis Christi, æque ac coronæ SS. Martyrum.

Theodorus Martyr sub Maximiano durissime excarnificatus, eo quod idolorum templum incendisset; dum costæ nudarentur, ita exultabat, ut caneret: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo,* uti legimus in officio Ecclesiæ, 9. Novembris.

S. Andreas ad crucem ductus, eam eminus videns, ex interno mentis jubilo ita eam salutavit: *O bona crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quæsita, et aliquando cupienti animo præparata, accipe me ab hominibus, et*

redde me magistro meo ut per te me recipiat, qui per te me redemit. S. Sisinnius Diaconus, à Maximiano damnatus ad lapides et arenam comportanda in fabrica thermarum Diocletiani, in longo hoc duroque martyrio ita animo gestiebat, ut non tantum suum pondus et sensum, sed et Saturnini senis imbecillis in suos humeros continue susciperet, atque interim assidue hymnos et laudes caneret Deo. Quare fremens Maximianus, eum cum Saturnino in eculeo distentum flagris dirissime laniari, atque faculis aduri præcepit; sed in his tormentis utriusque non alia erat vox, quàm : *Gloria tibi, Christe, qui nos tuæ passionis participes facere dignaris.* Ita habet Vita S. Saturnini, 29 Novembris.

ET DABO ILLI CALCULUM CANDIDUM (Arabicus, *clarum*, verum, absolutum, in quo non est falsitas vel obscuritas) : ET IN CALCULO NOMEN NOVUM SCRIPTUM, QUOD NEMO SCIT, NISI QUI ACCIPIT.] Primo, Victorinus, Calculus candidus, ait, est gemma alba, putá adoptio hominis in filium Dei, in quo scriptum est nomen novum, id est nomen Christiani.

Secundo, Beda : Calculus candidus, ait, est corpus in baptismo candidatum, postea vero resurrectionis gloria refulgens. Nomen novum est nomen filii Dei.

Tertio, Aretas, calculus candidus est claritas nominis.

Quarto, Haymo, et S. Hieron. epist. 143. ad Damasum, quæ incipit *Septuaginta :* Calculus candidus, inquiunt, vocatur carbunculus, eo quòd in tenebris quasi carbo ignitus fulgeat, hic est Verbum caro factum, sive ipse Christus. Verum, carbunculus proprie græce dicitur ἀνθραξ, hîc autem est ψηφος.

Quinto, Ambrosius : Calculus, ait, qui lapis est parvus, et à calcando dictus, est Evangelium Christi, in quo scriptum est nomen ejus, scilicet illud à quo orsus est Joannes, dicens : *In principio erat Verbum.* Calculus ergo candidus est Christi doctrina pura et candida.

Sexto, Rupertus et Hugo : Calculus candidus, inquiunt, erit gloria corporum in cœlo. Per duritiem calculi, ait Card. Hugo, significatur, dos impassibilitatis, per candorem claritas, per nomen novum plena obedientia, et subjectio corporis ad animam, quæ modo non est, ex qua nascetur agilitas et subtilitas. Rursum, nomen novum, ait Hugo, erit *Jesuani* sive *Jesuitæ*, id est salvati, qui omnes in cœlo vocabuntur.

Septimo, Ansbertus : Calculus hîc est charitas, quæ candorem habet, quia vestis est ; et ignem, qui amor est.

Octavo, Hugo rursum : Calculus candidus est Christus in Eucharistia, de quo multa Viegas hîc, sect. 6.

Nono, Pererius : *Calculus*, ait, *candidus incomparabilem divitiarum, id est rerum pretiosarum copiam denotat.*

Decimo, Alcazar per calculum candidum accipit gradum perfectissimum, ac summi apud Deum pretii, ad quem perventurus sit Episcopus Pergami, si pro Evangelio acriter cum hostibus dimicaverit. Gradus hic est altissima Christi imitatio, et maxima apud eum gratia, qua facile possit quamlibet superare difficultatem, dicens cum S. Paulo : *Omnia possum in eo qui me confortat.* Christus enim pro Dei gloria totum se devovit, ac pro ea usque ad mortem contra omnes ejus hostes decertavit; qui in eo Christum imitatur, ille in alto virtutum heroicarum et Christianarum, culmine consistit, ac donatur à Christo pretioso imitationis suæ calculo, id est carbunculo, quo summe dives ac lætus, omnique metu depulso animosus et gloriosus, quasi Seraphinus remanebit. Putat enim Alcazar alludi hîc ad visionem Seraphin Isaiæ 6. atque calculum tam hîc Episcopo Pergami promissum, quam illum Isaiæ labris admotum fuisse carbunculum, qui utrumque inflammaret amore Dei, et quasi Seraphinum efficeret. Jam, quia hæc gemma, inquit, datur Christi imitatori, ut Christi virtute potens et fortis reddatur ad omnia per Christi imitationem; hinc consequenter nomen novum in ea scriptum est nomen JESU, quo appellandus est is cui hæc gemma tribuitur; quo significat, eum Christi JESU virtute ac nomine posse egregia quæque facinora aggredi, et perficere, ut ea præstet regis annulo ac sigillo, qui regi sit valde charus, et multum apud eum gratia valeat, et cui rex jubeat regia auctoritate ad ea quæ velit uti ; unde addit : *Quod nemo scit, nisi qui accipit.* Multi enim de Christi imitatione speculative multa et magna loquuntur; sed nemo ejus vim sentit et experitur, nisi qui gemmam hanc accipit, quæ omnes inflammat, locupletat et omnipotentes reddit. Ita Alcazar pie et erudite, nisi quod calculum hunc in carbunculum, imo in adamantem transformet. Censet enim ipse, notat. 6. quosdam carbunculos esse candidos et adamantinos, scilicet in quibus liquidissimus quidam ignis apparet, ignis, inquam, non in rubro colore, sed in candido et liquido. Certe hi non sunt ψηφος, id est calculus; calculus enim proprie dicitur lapis brevis, terræ admistus : sic dictus, quòd sine molestia sui brevitate calcetur, ait Servius in illud Virgilii, Georg. 2.

> Tenuis uti argilla, et dumosis calculus arvis.

Hinc de ludo scachorum, sive latrunculorum Ovid. lib. ad Pisonem :

> Callidiore modo tabula variatur aperta
> Calculus, et vitreo peraguntur milite bella,
> Ut niveus nigros nunc, et niger alliget albos.

Idem alibi :

> Sive latrocinii sub imagine calculus ibit,
> Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus.

Undecimo et optime, calculus candidus est sententia felicitatis, quam Christus proferet in vincentes, ipsaque æterna felicitas, qua Deus vincentes donabit. Calculus enim candidus veteribus symbolum erat, primo, rei festæ et felicitatis. Unde dicitur dies felix, *niveo signando lapillo.* Secundo, absolutionis in judicio; sicuti calculo atro notabatur condemnatio. Unde Ovid. lib. 15. Metamorph. sub initium :

> Mors erat antiquis niveis atrisque lapillis
> Hos damnare reos, illos absolvere culpa.

Et :

> Calculus immitem demittitur ater in urnam.

Et Plinius in Panegyr. ad Trajanum : *Quotannis*, ait, *diis ipsis tanquam judicibus calculum de te permittis, an dignus sis incolumitate.* Tertio, victoriæ, inquit Sixtus Senens. lib. 2. in voce *calculus.* Nam athletæ in agone certanti, et vincenti dabatur calculus candidus, ait Aretas. Calculus enim subinde capitur pro difficultati-

bus, quas vincere oportet. Unde Plinius, lib. 2. 19. *Omnes*, ait, *quos ego novi in utraque parte oculos pone : calculos*, id est, difficultates et rationes. Unde calculos hos vincenti apte datur calculus candidus. Quarto, in comitiis, et ferendis suffragiis pro creatione magistratuum, cui suffragabantur, ejus nomine signatus calculus candidus dabatur. Hæc omnia conveniunt electis et Beatis; loquitur enim Joannes recens conversis ex gentilismo. Unde alludit ad eorum calculos in ferendis suffragiis, et hos proprie significat Græcum ψηφος. Addunt aliqui, calculis supputari debita et soluta, ideoque iis hîc significari præmia meritis vincentium ex æquo respondentia. Unde Syrus et Arabicus pro *calculum*, vertunt, *computum*, vel *supputationem*. Verum, τὸ *candidum* innuit hîc agi de calculo judiciali, non supputatorio.

Porro, *nomen novum* est, ut sit et dicatur filius et hæres Dei. Hunc calculum adhuc vivens recepit S. Franciscus, cum in extasi suæ prædestinationis revelationem accepit; unde sibi redditus exclamavit: *Laudetur Dominus Deus meus, ipsi gloria et honor sine fine.* Quin et proximos octo dies sic transegit, ut nec de alia re loqui, nec Horas canonicas recitare posset, sed hoc solum in ore haberet, idque semper repeteret: *Laudetur Dominus.*

Denique S. Bernardus in Declamat. sub finem, per *nomen novum* metonymice accipit rem novam, donum novum et inauditum. Quocirca hoc esse centuplum à Christo promissum renuntiantibus mundo, et se sequentibus, Matth. 19. 29. puta esse gaudium in Spiritu sancto et cœlestium bonorum et consolationum affluentiam, de qua Psalm. 30. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quàm abscondisti timentibus te! Hoc ergo centuplum*, ait S. Bernardus, *adoptio filiorum est, libertas et primitiæ spiritus, deliciæ charitatis, gloria conscientiæ, regnum Dei quod intra nos est, non utique esca vel potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto; gaudium sane, non modo in spe gloriæ, sed etiam in tribulationibus. Hic est ignis quem voluit Christus vehementer accendi. Hæc virtus ex alto, quæ Andream fecit amplecti crucem, Laurentium ridere carnificem, Stephanum pro lapidantibus flectere genua ad orationem. Hæc illa pax quam suis reliquit Christus, quando dedit et suam. Siquidem donum et pax est electis Dei, pax utique præsentis, et donum futuræ. Illa superat omnem sensum, sed et huic quidquid sub sole placet, quidquid in mundo concupiscitur, non poterit comparari. Hæc gratia devotionis, et unctio docens de omnibus, quam expertus novit, inexpertus ignorat : quoniam nemo scit, nisi qui accipit.*

18. Et angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe.] Thyatira urbs est ultima Mysorum, colonia Macedonum, ad Austrum Pergami, cujus item erat jurisdictionis. Olim dicta fuit Thyatira, eo quod Mosis urbem condituris respondit Deus *ibi condendam, ubi cervus ictus et currens appareret*, διὰ τὸ θύειν καὶ τροχάζειν τὸν ἔλαφον. Ita aliqui. Verum Strabo, lib. 13. Plinius, lib. 5. c. 9. et alii passim, tradunt eam primitus nuncupatam à Seleuco filio Nicatoris θυγατείρα, ob lætum nuntium natæ sibi filiæ, inde nomen Thyatiræ. Hujus civis fuit Lydia purpuraria, quam sanctus Paulus ad Christum convertit, Actor. 16. v. 14. Thyatira ergo græce significat filiam; quod apte competit Jezabeli illici, quæ hîc arguitur. Alii Thyatiram exponunt, quasi significat odorem vel sacrificium laboris vel contritionis. Sed ex dictis patet hoc non esse ejus originale etymon.

Est hæc quarta Christi Epistola ad Angelum, id est Episcopum, Thyatiræ, et sub ejus nomine ad fideles in Dei obsequio fervidos, sed per imprudentiam deceptos, ait Alcazar. Episcopus enim hic zelosus erat et diligens, sed per imprudentiam decipiebatur, putans se, si cum Jezabele conniveret, hac via eam ad frugem traducturum, non advertens cum quanto fidelium periculo id fieret, et quàm exigua, vel nulla ejus convertendæ esset spes.

Quæres : Quis fuit hic Episcopus? Aureolus putat fuisse S. Irenæum, qui Polycarpi discipulus, et egregius doctor et Martyr, primo fuit Episcopus Thyatirensis, postea Lugdunensis. Dices : Irenæus fuit posterior S. Joanne. Resp. Aureolus Joannem scribere ad Episcopum non præsentem, sed futurum. Unde et Epiphan. hæres. 51. putat, cum hæc scriberet Joannes, nullam fuisse Ecclesiam Thyatiræ, sed Joannem prævidisse eam multis post annis futuram. Verum Joannes, ut patet ex ejus verbis, præsentem Episcopum Thyatiræ, uti et cæteros Episcopos aliarum Ecclesiarum alloquitur. Adde : nullus veterum tradidit B. Irenæum fuisse Thyatiræ Episcopum, sed tantum Lugduni. Denique, Irenæus post centum annos vixit; Joannes enim scribit hæc anno Christi 97. Irenæus autem Martyr obiit anno Christi 204. Verisimilius quis asserat hunc angelum fuisse B. Carpum; hunc enim prædicasse Thyatiræ, ibique sub hæc tempora fuisse Episcopum, patet ex dictis v. 12. Idemque asserit Martyrol. Rom. 13. Aprilis, qua die illustre S. Carpi martyrium videre est apud Lipomanum et Surium. Unde etiam patet tunc fuisse Ecclesiam Thyatiræ.

Hæc dicit Filius Dei qui habet oculos tanquam flammam ignis et pedes ejus similes aurichalco.] Primo, Christus habet oculos igneos; quia acutissime, inquit Richard. Victor. videt scelera et libidines Jezabelis : sciant fornicantes cum eo, se in occulto à Christo videri, et in camino gehennæ quasi aurichalcum excoquendos. Secundo, ut Episcopus imitetur Christum, ac prævideat hæc scelera, in eisque corrigendis habeat fortitudinem et zelum, instar aurichalci. Tertio. Rupertus : Christus, ait, in cœlum ascendit, et inde quasi flammeis oculis in terram aspexit, misitque Spiritum sanctum, quo Apostolos flammeos et fortes quasi aurichalcum effecit. Quarto, Joachim : Episcopus, inquit, debet habere vitam contemplativam in oculis, activam in pedibus. Rursum, Episcopus debet habere oculos, ut videat quæ geruntur; et pedes, id est sollicitam et seriam executionem eorum, quæ corrigenda vel agenda prævideriit.

Per oculos arguitur tacite imprudentia Episcopi Thyatireni, quòd Jezabelis hypocrisim et scelera, in quæ multos illiciebat, non prævideret, nec redargueret. Addit Alcazar Jezabelem esse Judæos, et Judaizantes. Ergo, inquit, monetur hic Episcopus, ut relictis Judæis obstinatis, in quibus perdit operam, ad Gentium conversionem se transferat, utque ob eminens sibi et fidelibus à Judæis discrimen, Thyatira discedant, et per vicina oppida dispersi, Christi fidem Gentibus prædicent. Verum quæ fuerit hæc Jezabel, jam discutiam.

20. Permittis mulierem Jezabel.] Jezabel fuit

filia regis Tyri, uxor Achab, quæ ex Tyro Baal et Baalitas induxit in Judæam, et persecuta est Eliam, aliosque Dei cultores.

Quæres : Quænam fuit hæc Jezabel? Aliqui putant fuisse uxorem Episcopi Thyatirensis. Unde Græca Regia, et Aretas legunt : *permittis mulierem*, vel *uxorem tuam*, sed τὸ *tuam* alii passim non legunt, estque hæc sententia nova et improbabilis.

Secundo, Epiphan. hæres. 51. hæc refert ad mulieres Montani, scilicet Priscillam, Maximillam et Quintillam, quæ docebant Montanum esse Paracletum. Sed hæ castitatem simulabant, ideoque damnabant secundas nuptias. Hæc autem Jezabel docebat fornicari.

Tertio, Aretas : Jezabel, inquit, dicuntur Nicolaitæ, propter suas libidines et impietates. Unde Ticonius, Primasius et Rupertus : Jezabel, inquiunt, sunt hæretici effeminati, et libidini servientes.

Quarto, Alcazar per Jezabel accipit Synagogam, id est, Judæos qui inexpiabili odio prosequebantur Apostolos et Christianos (sicut Jezabel prosequebatur Eliam et Dei cultores) eosque vel in mortem, vel in suam hæresim adigebant, contendentes, ut saltem Christiani legem Mosis observarent; itaque judaismum cum Christianismo miscerent, unde multos seducebant. Ideoque arguitur hic Episcopus, quòd cum iis conniveret, falso et frustra sperans eorum conversionem. Huic enim expositioni apte convenit illud vers. 24. *Non mittam super vos aliud pondus.* Iisdem enim verbis utuntur Apostoli abrogantes usum legalium, dicentes, Actor. 15. v. 28. *Visum est Spiritui sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris.* Itaque censet ipse per Jezabelem significari hîc Synagogam, sicut per Babylonem, c. 17. significatur Roma gentilis. Utraque, ait, oppugnavit Christi Ecclesiam, sed utraque ab ea victa colla ei subdidit. Ita ipse omnia ad suum scopum quem præconcepit, rapit. Jezabel ergo juxta eum erant Judaizantes, quos S. Paulus sæpe insectatur, vocatque pseudoapostolos. Verum juxta hanc expositionem, et Jezabelem, et ejus fornicationem, et ejus idolothyta, etc. oportet mystice explicare : unde ipse per idolothytorum esum, accipit familiaritatem nimiam Christianorum cum Judæis; per fornicationem, illicitam legalium observationem. Hæc enim erat spiritualis quædam fornicatio; nam erat illicita consociatio cum meretrice, puta cum Synagoga judaizante, quæ omnia mystica sunt.

Quinto et optime, ad litteram hæc Jezabel fuit nobilis et potens aliqua mulier hæretica, quæ prophetissam se mentiendo propagavit sectam Nicolaitarum, docens licere fornicari et edere idolothyta (hæc enim fuit hæresis Nicolaitarum, uti audivimus v. 15.) sicut Jezabel propagavit cultum Baal. Ita Beda, Rupertus, Primasius, Pererius. Sic S. Hier. epist. ad Ctesiphontem, notat omnes hæreses propagatas esse per mulieres. Citavi ejus verba 2. ad Timotheum 3. v. 6.

Jam Ambrosius, Pererius et Viegas, fornicationem hîc non corporalem, sed spiritualem, puta hæresim vel idololatriam, intelligunt. Verum simplicius Ribera et alii proprie fornicationem accipiunt. Nota τὸ *fornicari et manducare de idolothytis*, referendum est ad τὸ *docere*.

Merito monet hunc Episcopum de imprudentia, quòd tolerarit Jezabelem : quid enim potentius ad propagandam hæresim carnalem, quàm mulier, eaque nobilis et potens? Serpens per Evam perdidit Adamum, omnesque posteros. Est ergo mulier organum diaboli, fax litium, incentivum libidinis. Hæc vero lynx, quia illex, quia nobilis, quia prophetis, triplex erat Veneris æque ac hæresis incentivum. Aristippus mulierem parvam, sed pulchram conspicatus : *Parvum quidem pulchrum*, inquit, *sed magnum malum.*

Democritus rogatus cur, cum magnus esset, parvam duxisset uxorem : *Ego*, inquit, *in malo eligendo, quod minimum erat, elegi.* Idem dixit B. Thomas Morus.

Socrates tribus suis malis recensitis, scilicet grammatica, paupertate, et uxore, aiebat *Se duo prima effugisse, perniciosam vero uxorem minime. Ut nemo sentit qua parte stringat calceus, nisi qui eo indutus est; ita nemo novit ingenium mulieris, nisi qui duxit uxorem*, ait Plutarchus in Moral.

Femina nil pestilentius, ait Homerus.

Mulieri ne credas, nemortuæ quidem, ait Menander. *Qui non litigat, cælebs est*, ait S. Hieron. q. d. Rixosa est mulier, ideoque rixosum est conjugium. Vulgo dicitur : *Ignis, mare, mulier, tria mala.* Disputarunt tres Hebræi juvenes in aula regis Persarum, quidnam esset fortissimum : primus dixit esse *vinum*, secundus, esse *regem*, tertius, scilicet Zorobabel, dixit *fortiores esse mulieres, sed fortissimam omnium esse veritatem*, hicque bravium et præmium à Dario rege tulit, l. 3. Esdræ c. 4.

Hugo Victor. lib. de Vitiis carnalibus vitandis. *In favo mellis*, ait, *duo sunt, mel et cera : in facie meretricis sunt similiter duo, scilicet decor, et gratia*, id est, *pulchritudo oris, et sermonis. Cera succendit ignem, mel præbet dulcedinem : sic pulchritudo meretricis igne libidinis inflammat carnem, blandimento lenocinantis sermonis subvertit mentem. Stillat mel ex cera, dum meretrix verba sua mollit, et facit dulcia.*

MANDUCARE DE IDOLOTHYTIS.] Nota. Idolothytis per se vesci licet; sed non licebat, primo, ob scandalum; secundo, ob præceptum Apostolorum. Actor. 15. Tertio, ob quod maxime hîc in illa invehitur Joannes, erat periculum idololatriæ; facile enim Gentes per ea ad sua idola relapsi fuissent. Vide dicta 1. Corinth. 8. initio.

ECCE MITTAM EAM IN LECTUM,] id est in infernum, ait Rupertus, Beda, Richardus Victor. ibi enim Jezabel, id est hæretici non quiescent, sed cruciabuntur. De quo Isaias, c. 14. ait : *Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes.*

Secundo, Ansbert. et Primasius : Lectus, inquiunt, est securitas et impunitas peccandi, in qua peccator quasi in mollissimo lecto, quiescens, ex uno scelere in aliud, et tandem in damnationem, ruit. Hæc ergo impunitas signum est reprobationis : sicut è contrario signum est electionis, si cujus peccata hîc à Deo castigentur, uti docet S. Greg. l. 7. Moral. c. 7. Nam ut dicitur Apocal. 3. *Ego quos amo, arguo et castigo.*

Tertio, Alcazar : Hæc, ait, lecti commina tio denotat gravissimas ægritudines, id est bellorum tempestates, et excidii procellas, contra Judæos à Romanis excitandas, eo quòd Christum ejusque Evangelium repulerint.

Quarto, et optime, Aretas et Pannon. *Mittam*

eam in lectum, id est, inquiunt, percutiam eam morbo et ægritudine, ut quæ modo in voluptatum et peccatorum suorum lecto quiescit, decumbat in lecto ægritudinis, indeque transeat ad lectum gehennæ, in quo cubant damnati.

INTERFICIAM IN MORTE,] id est morte. Est hebraismus : Hebræi enim *bet*, id est *in*, utuntur, cum instrumentum, modum et rationem significant; sic aiunt : *Percussit eos in ore gladii*, hoc est *ore*, puta acie, *gladii*.

ET SCIENT OMNES ECCLESIÆ, QUIA EGO SUM SCRUTANS RENES ET CORDA,] id est abditissima cordis Jezabelis arcana, ejusque cogitationes secretissimas ; horum enim symbolum sunt renes. Meretrices enim et hypocritæ simulantes se prophetissas, ac hæreticæ, qualis erat hæc Jezabel, mira arte et vafritie tegunt sua consilia, ut specie pietatis et honesti incautos fidelium animos illiciant et decipiant. Hinc patet Christi divinitas ; solus enim Deus est cardiognostes, id est scrutans renes et corda.

23. VOBIS AUTEM DICO, ET CÆTERIS.] *Et* significat, *id est*. Unde Græca non habent τὸ *et* ; convertit enim Joannes hîc sermonem à Jezabele cum suis ad alios veri Dei cultores, qui erant Thyatiræ.

Aliter Alcazar : Christus, ait, hîc admonitionem suam ad cæteros omnes Christianos extendit. Thyatira enim idem est quod illuminata, teste S. Hieronymo ; omnes autem qui in Ecclesia Christi sunt, sunt in mystica Thyatira, id est in civitate à Deo illuminata. Verum hæc expositio mystica est, non litteralis.

24. QUICUMQUE NON HABENT, non accipiunt, non tenent, DOCTRINAM HANC] Jezabelis et Nicolaitarum, quod licitum sit fornicari, et idolothytis vesci.

QUI NON COGNOVERUNT, id est, non approbarunt, inquit Beda, Rupert. Primas. Richard. ALTITUDINES SATANÆ.] Hæc altitudo est superbia, ait Rupertus, qua Satan dixit olim, Isaiæ 14. *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*, et etiam nunc dicit, quando videlicet sibi in idolis vult sacrificia offerri à Thyatirensibus, qui in honorem idolorum idolothyta manducant. Ita Rupertus, Haymo, Beda, Primasius, Verum, pro *altitudines*, græce est βάθος, id est profunditatem. Sic sæpe altum vocamus profundum, ut cum dicimus : Puteus altus est, id est profundus.

Unde secundo, alii sic exponunt : *Qui non cognoverunt profunditates Satanæ*, id est, qui non pepigerunt fœdus cum inferno, puta cum Satana non sunt confœderati.

Tertio, Gagneius : Altitudo Satanæ, ait, est immensum pelagus scelerum ; quia impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit, et semper profundius ruit.

Quarto, profunditates Satanæ sunt profundæ fraudes, inquit Andreas Cæsar, doli et astutiæ Satanæ, quos justi non cognoscunt, id est non approbant, de quibus S. Gregorius hom. 12. in Ezech.

Quinto, Ambrosius : Altitudo Satanæ est lex Mosi carnaliter accepta, et observata simul cum Evangelio ; hæc enim profunde demergit et involvit observantes sui in judaismum. Unde sequitur : *Non mittam super vos aliud pondus*. q. d. Non onerabo vos observantia legis Mosaicæ, præter pauca quæ vobis præceperunt Apostoli, ut abstineatis à fornicatione, et à suffocato, et à sanguine, et ab idolothytis. Huc accedit Alcazar inquiens : Cum dicit : *Qui non habet doctrinam hanc* Jezabelis, notat cautos et prudentes ; cum autem dicit : *Qui non cognoverunt altitudines Satanæ, quemadmodum dicunt*, notat imprudentes à Jezabele, id est à Judaizantibus, deceptos ; hi enim cum errores arguerentur, excusabant se dicentes se non cognovisse altitudines, id est altas fraudes et calliditates Satanæ, quibus se transfigurans in angelum lucis, per Jezabelem, id est Judæos, eos deceperat, ut legalia miscerent cum Evangelio.

Sexto, et melius, Lyranus : Non cognoverunt altitudinem Satanæ, id est, non approbarunt hæresim Ebionis et Cherinti, qui superbe restiterunt Christo, negantes ejus divinitatem et æternitatem.

Septimo, et optime, hæc verba : *Altitudines Satanæ quemadmodum dicunt*, referenda sunt ad hæreticos Thyatirenses, Nicolaitarum et Jezabelis sectatores ; hæretici enim suam doctrinam vocare solent altissimam, profundissimam, et nulli alii, quam sibi suisque discipulis comprehensibilem, uti docent Vincent. Lirin. in aureo suo contra hæreses libello. S. Greg. lib. 5. Moral. c. 18. Unde subdit : *Quemadmodum dicunt*, id est, sicuti loqui et jactare solent hæretici, scilicet sua dogmata esse altitudinem Dei, quæ revera est Satanæ, uti interpretatur hîc Joannes. Ita Ribera. Adde tamen cum Lyrano, hîc perstringi hæresin Ebionis et Cherinti, qui circumcisionem et legalia volebant miscere cum Evangelio. Hanc ergo hæresim inter alias plures docuisse videtur Jezabel, et Nicolaitæ. Hoc enim insinuant sequentia ; subdit enim : *Non mittam super vos aliud pondus*. Ita Valentinus (quem forte in spiritu mox hæresiarcham futurum prævidens S. Joannes hîc perstringit) triginta æones et deos confinxit, quæ revera nominum et criminum erant portenta potius, quam numinum : inter quos primum statuit βυθὸς (quod idem est cum eo, quod S. Joannes hic ait βαθέα, id est profunditates) id est profundum. Ex Bytho enim et Sige (id est silentio) ortos esse νοῦν (id est mentem) et veritatem qui sermonem et vitam procrearint : ex his deinde prognatum esse hominem, et Ecclesiam. Ita refert Tertull. lib. contra Valent. c. 7.

NON MITTAM SUPER VOS ALIUD PONDUS.] *Pondus*, id est onus grave Gentibus fornicationi et libertati carnis assuetis in gentilismo, erat post conversionem ad Christum abstinere ab ea, suamque concupiscentiam refrenare. Rursum, pondus grave iis erat abstinere ab idolothytis, cum inter idololatras assidue versarentur, quorum cibi sæpe non erant alii, quam idolothyta. Hoc sciens Jezabel, urgebat Thyatirenses, ut pondus hoc tam durum, unaque jugum et legem Christi excuterent. Hinc occurrit Joannes hisce verbis. q. d. Fateor quidem vobis hoc esse pondus aliquod, sed plura vobis olim imposuerunt idola, sive dii vestri, eorumque sacerdotes : plures etiam suis imponunt Judæi, et Judaizantes. Ergo Apostoli, Actor. 15. vetantes fornicationem et idolothyta, pondus quidem aliquod, sed longe minus quam sit Gentilium et Judæorum, vobis imposuerunt. Quocirca hoc minus servate, ne majore gravemini. Ego enim vobis promitto et edico : *Non mittam super vos aliud pondus, tamen* (tantum) *id quod habetis* (puta decretum hoc Apostolorum) *tenete donec ve-*

nium, ad judicium, quando vos pro patientia et obedientia remunerans, omni prorsus pondere liberabo et exonerabo.

Alludit enim plane S. Joannes ad Actor. 15. 28. Ubi Apostoli contra Cherintum definiunt, dicentes : *Visum est Spiritui sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstinentis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione.* Ubi pro *oneris*, græce est idem nomen βαρος, quod Noster hîc *pondus* vertit. Tacite ergo perstringit hîc hæresin Cherinti tunc grassantem, q. d. Nolo vobis imponere pondus importabile legis veteris, uti vult Cherintus ; sed tantum tria præcepta vobis impono, quæ sanxerunt Apostoli, Actor. 15. Ita Victor. Ambros. Primas. Rupertus, Beda, Haymo, Joachim, Lyranus, Ansbert. Hugo et Pannonius.

Aliter exponit Ticonius. q. d. *Non mittam super vos aliud pondus*, id est alias tribulationes, eo quod Jezabelis errores et sordes spreveritis. Sic enim Isaias, Nahum, aliique Prophetæ vocant onus Babylonis, Edom, Ninive, etc. pondus pœnarum et afflictionum ex Dei decreto imminens et quasi incumbens Babyloniis, Idumæis, Ninivitis, aliisque gentibus.

26. QUI VICERIT, ET CUSTODIERIT USQUE IN FINEM OPERA MEA, DABO ILLI POTESTATEM SUPER GENTES, ET REGET EAS IN VIRGA FERREA.] Primo, Beda, Primas. et Ansbert. censet hîc promitti Ecclesiæ, ejusque Prælatis conversionem et subjectionem Gentium, quæ à Deo Patre promissa est Christo, Psal. 2. *Dabo*, inquit, *tibi Gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Unde Alcazar sic exponit. q. d. *Qui vicerit, et custodierit*, græce ο τηρων, id est, qui observaverit opera mea (scilicet Christi) *in finem*, ut scilicet oculos ac mentem jugiter intendat in opera a Christo patrata, et in ipsius perseverantiam, ut eum utraque in re imitetur ; *dabo illi potestatem super Gentes*, id est magnam vim et efficaciam in Gentium conversione et sanctificatione. Unde eamdem mox vocat virgam ferream dicens: *Et reget eas in virga ferrea.* Illud enim : *Usque in finem*, potest accipi non solum de fine vitæ ; sed etiam de fine et perfectione singulorum operum, uti est difficilem quemque rem semel susceptam ad finem urgere et perducere. Pergit Alcazar, aitque Evangelicam perfectionem sub durissimi imperii, et virgæ ferreæ specie adumbrari ; quia jubet frænare cupiditates, mortificare carnem jejuniis et ciliciis, pro Christo mori, etc. itaque hanc virgam ferream potissimum cerni in vita Religiosa. Denique virgam ferream symbolum esse optimi regiminis, quo utitur Dei providentia, ac notare septem ejus attributa, scilicet fortitudinem, beneficentiam, æquitatem, sapientiam, patientiam, commi-nationem, et punitionem, quæ fuse prosequitur Alcazar, notat. 7. et 8. Ubi ostendit virgam ferream si magneti applicetur, ab eo accipere duplicem vim, scilicet primo, judicandi populum mundi, omnesque orbis plagas : secundo, attrahendi aliud ferrum. Itaque virgam hanc ferream, sive acum nauticam esse sapientiæ et gubernationis symbolum, præsertim quia magnes undique ferro rite munitus, centuplo majus pondus attrahit : v. g. si magnes nudus, et sine ferro attrahat unciam ferri, ferro munitus et quasi armatus attrahet centum uncias, uti ipse se expertum profitetur : sic enim Rector debet habere vim attrahendi ad se omnes subditos, ut recte eos gubernet.

Tria enim Rectoris et Episcopi munia sunt : primum, infideles et infirmos ad Christum allicere ; secundum, probos dirigere ; tertium, improbos castigare. Hoc repræsentat pedum Episcopale, sive virga eorum Pastoralis, quæ sursum curva est, quasi uncus attrahens in medio recta, in imo instar cuspidis acuminata, quæ tria carmine expressit Poeta :

Curva trahit, quos recta regit, pars infima pungit.

Rector ergo duros et difficiles pungat, sed et ungat.

Secundo, Richard. Anselm. et S. Thomas per virgam ferream accipiunt severitatem legum et disciplinæ in legum observatione ab omnibus exigenda, ac puniendis iis qui contra eas delinquunt. Ex quo fit, ut alii castigati coerceantur et convertantur, alii recalcitrantes, ultimo supplicio damnentur. Hinc noster Viegas censet hîc promitti iis qui vicerint, id est, qui strenue Jezabeli, aliisque hæreticis et impiis restiterint, altiorem dignitatis gradum, ut in eo constituti regant alios in virga ferrea, id est inflexibili et æquissima ; rebelles vero confringant. Unde colligunt hi Doctores, gubernandi curam non nisi ei qui vicerit, id est viro probo, æquo, forti, magnanimo, invicto, qui nullis cedat molestiis, murmurationibus, minis, periculis, committendam esse.

Rursum hinc colligunt, quod qui vincit in seipso vitia, hic facile eadem vincet et extirpabit in alio ; ut, si vincas in te superbiam, facile eamdem vinces in alio : quo fit, ut reipsa tales vincentes sæpe Gentes sua mortificatione et sanctitate convertant ad Christum, et suî imitationem. Unde S. Hilarius, S. August. Theodor. Beda, et Euthym. in psal. 2. illud psal. 2. *Tanquam vas figuli confringes eos ;* sic exponunt. q. d. Conteres idololatriam, libidinem, aliaque vitia ex animis Gentium, et reformabis eos, ut fiant alii novique homines, sancti, casti, verique Christiani. Sicuti Jeremias, c. 18. ex molli luto factum fictumque vas confregit, aliudque inde reformavit. Verum hæc mystica sunt.

Tertio, ergo, et genuine loquitur hîc S. Joannes de die judicii, in quo sancti victores, et Dei mandata custodientes usque in finem vitæ, creabuntur à Deo judices orbis ; et cum Christo Gentes impias condemnabunt, ut confringantur, id est irreparabiliter in æternam mortem et gehennam præcipitentur. Hoc enim significat τὸ *custodierit usque in finem opera mea* (à me præcepta, meoque exemplo firmata). Et : *Reget eas in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringentur.*

Alludit enim ad psal. 2. v. 9. ut patet utrinque verba conferenti, ubi pro *reges eos*, hebr. non est תרעמם *tirem*, id est pasces eos ; sed תרועם *teroem*, id est conteres, et, ut S. Hieronymus vertit, *franges eos*, scilicet incredulos et rebelles tibi. Franges, inquam, eos, tum in hac vita, ut fregisti Diocletianum, Maximianum, Maxentium, Licinium et alios, per Constantinum, Theodosium et alios ; tum omnes franges in die judicii, cum eos tua sententia, quasi fulmine adiges in tartara. Ita Victor. Andr. Aretas, Lyran. Rib. et alii.

Hoc est quod suis promisit Christus Matth. 19. 28. et Lucæ 22. 30. *In regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim Tribus Israel*, et Sapient. 3. 8. *Judicabunt* Sancti

nationes, et dominabuntur populis, et Malach. 4. 3. *Calcabitis impios*, et Psalm. 149. 6. *Gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus.*

Nota regna et potentiam mundi similem esse vasis figulinis; quia terrea est, et cito rei durioris objectu dissilit et diffringitur, juxta illud: *Fortuna vitrea est; cum splendet, frangitur.* Regnum vero Christi et Dei æternum est, omniaque hostilia confringit et subigit. Unde notat S. Athanas. quod virga ferrea sit potestas Christi, aut crucis Christi, cujus materia lignea est, sed vis et virtus ferrea.

28. DABO ILLI STELLAM MATUTINAM.] Hæc stella matutina est Venus, sive Lucifer. Jam Lucifer hic est diabolus, inquit Andr. Cæsar de quo dicitur Isaiæ 14. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris?* hunc enim Deus Sanctis dat calcandum, uti dicitur Roman. ult. *Deus pacis conterat Satanam sub pedibus vestris.*

Secundo, stella hæc, sive Lucifer, est ille, qui, ut ait S. Petrus cap. 1. epist. 1. oritur in cordibus nostris, puta est lux cœlestis à Deo immissa animæ. Ita idem Andreas Cæsar.

Tertio, Lucifer hic est Joannes Baptista et Elias, quorum ille primum, hic secundum Christi adventum quasi Lucifer antecedet. q. d. Faciam eum socium et consortem gloriæ Eliæ et Joannis Baptistæ, faciam eum quasi alterum Joannem, alterum Eliam. Ita idem Andreas Cæsar.

Quarto, Joachim: Stella matutina, ait, est fides et scientiæ donum, qua præcognoscimus ea quæ in cœlo visuri sumus., et, ut Gagneius, est clara rerum divinarum intelligentia, præsertim S. Scripturæ: hinc stella duxit Magos ad Christum.

Quinto, stella hæc est gratia justificans, ait Richard. Victor. et Maldonat. in Notis manuscriptis: ἀστέρα, ait, πρωϊνον, id est stellam matutinam vocat præcipuum quemdam angelum, qualis est Lucifer inter reliquas stellas, qui eum custodiat: aut q. d. Dabo ei in cœlo illustrissimum locum. Sic legimus in Vitis Sanctorum, illustribus Sanctis, qualis fuit S. Francisca Romana, in virtutibus heroicis strenue progredientibus, illustriores pro custodia datos fuisse angelos. Hoc verius est in Prælatis et principibus; qui sæpe pro custodia tum sui, tum suæ Ecclesiæ aut reipubl. habent non angelum, sed archangelum, aut alium è superiori ordine. Unde ille dicebat se habere angelum non Doctoralem, sed Episcopalem.

Sexto, stella hæc est angelus custos, ait Dionysius Carthusianus.

Septimo, Ribera per stellam accipit invisibilem, et aliquando visibilem Christi apparitionem, qua Sanctos suos animam agentes consolatur.

Octavo, Alcazar: Christus, ait, dicitur stella matutina, id est Lucifer, quia in ipsis ardentissimis persecutionibus suos consolatur certissima spe solis orituri, id est prosperitatis brevi subsecuturæ. Alludit enim ad Ecclesiastici 50. vers. 6. ubi de Simone justo et illustri pontifice (qui fuit typus Christi) dicitur: *Quasi stella matutina in medio nebulæ;* quasi dicat. Sic ut Simon populum nube calamitatis obductum et afflictum, quasi stella recreavit, et quasi Lucifer certam eis dedit spem solis, id est prosperitatis, mox oritur: ita faciet et suis in afflictione et persecutione constitutis Christus, critque eis quasi Lucifer instantis felicitatis prænuntius.

Nono, Lyran. Stella hæc, ait, est corpus gloriosum, claritatis dote quasi stella refulgens.

Decimo, et optime: Stella matutina est Christus, qui ait cap. 22. v. 16. *Ego sum stella splendida et matutina:* de quo dicitur Num. 24. *Orietur stella ex Jacob.* Christus enim vincentibus promittit seipsum, suæque claritatis visionem. Dicitur Christus stella matutina, hoc est Lucifer; primo, quia in hac vita dispulit tenebras infidelitatis, et in futura dispellet tenebras mortalitatis; secundo, quia uti Lucifer noctis finem, dici initium præbet: ita Christus peccato et ignorantiæ finem, fidei et salutis initium attulit; tertio, est matutina, *quia dum in seipso resurrectionis exemplum nobis præbuit, quæ lux sequatur indicavit,* ait S. Gregor. 29. Moral. 30. in illa verba Job 38. *Numquid produces Luciferum in tempore suo?* Et Beda: *Christus*, inquit, *est stella matutina, quia transacta nocte sæculi, lumen vitæ Sanctis promittit et pandit æternæ.* Et Rupert. *Pro labore quo Episcopus in hac vita quasi nocte laborat, pervigil in animarum sibi commissarum custodia manifestabo ei meipsum, qui sum stella splendida et matutina.* Et Haymo: *Christus*, inquit, *est stella matutina, id est Lucifer, qui in resurrectione pulsis mortalitatis tenebris quasi Lucifer apparebit, et perfectum æternitatis diem demonstrabit.* Ita quoque Perer. Viegas, et Ribera.

Rursum, plenius ac clarius: Stella matutina est lumen gloriæ, et clara visio Dei, quam anima victrix per Christi gratiam adipiscitur post mortem; hæc dicitur stella, propter claritatem contemplationis: *Domine*, inquit Psaltes, *in lumine tuo videbimus lumen.* Dicitur matutina; primo, quia post noctem hujus vitæ et sæculi illucesceet; secundo, propter inchoationem beatitudinis, quæ complebitur in resurrectione corporum, quando stella hæc matutina mutabitur quasi in solem meridianum, cum scilicet anima gloriam suam diffundit in corpus. Utrumque hunc sensum, scilicet de Christo, et de gloria animæ beatæ, habet Richard. Victorin. Primasius et Aretas.

Alludit ad illud Daniel. 12. 3. *Qui docti fuerint fulgebant quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates;* vide ibi dicta. Vult enim Christus hunc Episcopum docere veram fidem, et expugnare Jezabelem et hæreticos, eique ut doctori promittit hanc stellam. Philippus Rex Maced. cum puer esset, solebat de nocte desilientes stellas sagittis impetere, ex quo Diognetus vates conjecit eum dominaturum multis, uti refert Prolem. Hephæst. et ex eo Nicol. Causin. lib. 4. Parab. histor. cap. 56. Ita venantur stellas magnanimi, qui supra terram et terrena mentem attollentes, ad beatarum mentium domicilium aspirant, ideoque cœlestem et heroicam ineunt vitam:

Panci quos æquus amavit
Juppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus.

Ptolemæus auctor Almagesti tempore Antonini Imp. nobilis Astrologus hoc sepulcri elogium ipse sibi posuit:

Mortalem quamvis norim me forte creatum,
Dum tamen astrorum scrutor in orbe vias.

Sum pedibus tellure procul, juxtaque Tonantem
Assideo divus, pascor et ambrosia.

Quid jam dicant sancti Episcopi et Doctores, quorum dum viverent conversatio fuit in cœlis, qui jam in cœlum translati, domestici Dei, cives Sanctorum, stellas non eminus, ut Ptolemæus, sed cominus intuentur, pedibus premunt et possident? Denique decem analogias stellæ et viri sancti, recensui Genes. 1. in fine operis quartæ diei, in tertia editione.

Nota, *coronam vitæ*, quam Christus promittit angelo Smyrnæ vers. 10. eamdem vers. 7. promittit angelo Ephesi, et vocat *lignum vitæ*: eamdem promittit angelo Pergami, et vocat *calculum candidum* vers. 17. eamdem rursum promittit hîc angelo Thyatiræ, et vocat *stellam matutinam*, eamdem cap. 3. promittit angelo Sardensi, et vocat *librum vitæ* vers. 5. et angelo Philadelphiæ vers. 12. vocans eam *columnam in templo Dei*: et angelo Laodiciæ vers. 21. vocans eam *sessionem in throno Christi*. Ubi adverte. Hæc gloria mutat sua nomina, ut insinuet dotes et excellentias varias quas includit, quasque ipsa nomina significant, has enim dabit cuique apposite et proportionate ad suam luctam et victoriam. Ephesio enim, quia senio fractu à primo fervore discesserat, si enim resumat, promittitur hæc gloria sub nomine ligni vitæ, quod vires senio fatiscentes reparabat, et pristino vigori restituebat. Smyrnensi vero, quia probatæ et perfectæ erat virtutis, hæc gloria datur et vocatur corona, quæ est circulus plenus, ac gemmis, rosis, liliis, etc., undique circumseptus et clausus. Pergameno luctandum erat contra timiditatem, hinc, si vincat promittitur illi eadem gloria sub nomine calculi candidi. Calculus enim, quia solidus; et candor, quia tenebras dissipat, recte opponuntur timiditati, quæ vacillat, et tenebras animo offundit. Thyatirensi luctandum erat contra imprudentiam; hinc, si eam vincat, promittitur eadem gloria sub nomine stellæ claræ, et omnia collustrantis. Sardensis mortuus erat spiritualiter; unde, si ad vitam gratiæ resurgat, promittitur ei liber vitæ. Philadelphensis imbecillis erat, et modicæ virtutis; hinc, si hæc evincat, promittitur ei columna in cœlo. Laodicenus segnis erat et deses; hinc, si exurgat, et strenue laboret, promittitur ei sessio in throno Christi. Ita Alcazar more suo fuse, quæ ego presse et breviter.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Scribit Episcopo Sardensi quod dicatur vivere, sed mortuus sit: ni pœniteat, minatur quod veniet ei sicut fur in nocte; sin resipiscat, et vincat, promittit ei vestes albas, quodque scribet eum in libro vitæ. Secundo, v. 7. Episcopo Philadelphensi modicæ virtutis suadet: Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Quod si fecerit, promittit quod faciet eum columnam in templo Dei, et scribet in eo nomen Dei et novæ Jerusalem. Tertio, v. 14. exprobrat Episcopo Laodicensi, quod neque calidus sit, neque frigidus, sed tepidus, quem proinde Deus ore suo sit evomiturus. Suadet ei ergo ut emat aurum ignitum, vestesque albas induat, et collyrio ungat oculos; quod si fecerit, vincenti promittit sessionem in throno suo.

1. Et Angelo Ecclesiæ Sardis scribe: Hæc dicit qui habet septem Spiritus Dei, et septem stellas: Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, et mortuus es. 2. Esto vigilans, et confirma cætera, quæ moritura erant. Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo. 3. In mente ergo habe qualiter acceperis, et audieris, et serva, et pœnitentiam age. Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, et nescies qua hora veniam ad te. 4. Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua; et ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. 5. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ, et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram angelis ejus. 6. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. 7. Et Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David: qui aperit, et nemo claudit: claudit, et nemo aperit. 8. Scio opera tua. Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere; quia modicam habes virtutem et servasti verbum meum, et non negasti nomen meum. 9. Ecce dabo de synagoga Satanæ, qui dicunt se Judæos esse, et non sunt, sed mentiuntur: Ecce faciam illos ut veniant, et adorent ante pedes tuos; et scient quia ego dilexi te. 10. Quoniam servasti verbum patientiæ meæ, et ego servabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra. 11. Ecce venio cito: tene quod habes,

ut nemo accipiat coronam tuam. 12. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius; et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ descendit de cœlo à Deo meo, et nomen meum novum. 13. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. 14. Et Angelo Laodiciæ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit Amen, testis fidelis, et verus, qui est principium creaturæ Dei. 15. Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus; utinam frigidus esses, aut calidus ! 16. Sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. 17. Quia dicis : Quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo; et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus. 18. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, et vestimentis albis induaris, et non appareat confusio nuditatis tuæ, et collyrio inunge oculos tuos, ut videas. 19. Ego quos amo, arguo, et castigo. Æmulare ergo, et pœnitentiam age. 20. Ecce sto ad ostium, et pulso : si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum. 21. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo : sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. 22. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

1. Et Angelo Ecclesiæ Sardis scribe.] Hæc est quinta Christi epistola ad Episcopum Sardensem : in quo corripit fideles omnes in peccatum mortale prolapsos, eosque ut inde per pœnitentiam resurgant tam minis quàm promissis excitat et urget. Porro *Sardis* fuit urbs Lydiæ magna, ad latus Tmoli montis, maxime celebris, fuitque regia Crœsi Lydorum regis. Unde Horatius lib. 1. epist. 11.

Quid concinna Samus, quid Crœsi regia Sardis ?

Quæres : Quis fuit hic angelus, id est Episcobus, Sardensis ? Resp. Aureolus, et Antiochus Bronchus Sardus, qui in tria prima capita Apocalypseos commentarium edidit, fuisse S. Melitonem. Hunc enim paulo post hæc tempora fuisse Episcopum Sardensem, et anno Christi 172 apologiam scripsisse ad Antonium Imper. pro Christianis, docet ex Euseb. in Chron. Baronius. Eumdem Euseb. lib. 4. 26. laudat à doctrina, castitate et sanctitate; aitque eum Sardis requiescere. Addit Aureolus eum fuisse Martyrem, sed hoc non habet Eusebius. Verum B. Melitoni non convenit, quod ait hic Joannes ? *Nomen habes quod vivas, et mortuus es.* Rursum Joannes scribit hîc Episcopis præsentibus, non futuris. Melito autem septuaginta annis vixit post S. Joannem; scilicet anno Christi 172 ita Lyran. Perer. et Alcazar. Incertum ergo est quis fuerit hic Episcopus.

Nonnulli cum Erasmo hæc adaptant Lucifero Sardo, Calaritano Episcopo (Erasmus enim in Notis ad dialogum S. Hieron. contra Luciferianos censet Luciferum non Calaris, sed Smyrnæ Episcopum, fuisse auctorem Luciferianorum ; sed errat) qui cum SS. Athanasio et Hilario generosissime restitit Constantio Imper. et Arianis ; sed tandem schisma fecit ab Ecclesia, eo quod illa Episcopos Arianos pœnitentes reciperet, quos ipse nimis rigidus censebat non recipiendos. Quocirca ei convenit, quod hic dicitur. *Nomen habes quod vivas, et mortuus es.* Imo in morte hac et schismate eum obiisse tradit Ruffinus, et ex eo Baronius. Verum Luciferum resipuisse, et ad Ecclesiam rediisse, et in sancta ejus pace obiisse multis rationibus satis nervosis probare contendit Antiochus Bronchus, Sardus et ipse, ac Calaritanus, scribens in cap. 2. Apoc. disp. 11. quæst. 2. ac præsertim ex eo quod S. Hier. Nazianz. Hilarius et alii Patres eum beatum nominent, magnisque laudibus celebrant. Rursum quod Sardi et Vercellenses publice eum ut Sanctum colant et invocent, ac in ejus honorem basilicam juxta Calarim erexerint, quæ etiamnum extat. Adaptant dico : nam certum est ad litteram Joannem hîc non loqui de Lucifero ; fuit enim Lucifer Sardus, id est in Sardinia Calaris urbis Episcopus : Joannes autem loquitur Episcopo urbis Sardis quæ erat in Asia. Rursum Lucifer ducentis annis vixit post S. Joannem.

Hæc dicit qui habet septem Spiritus Dei, et septem stellas.] *Spiritus*, id est angelos, Ecclesiæ rectores, uti dixi cap. 1. vers. 4. *Stellas*, id est Episcopos, q. d. Versaris, ô Episcope Sardensis, inter sanctos Angelos et Episcopos ; pudeat ergo te unum non sancte vivere, pudeat te officium Episcopale, in quo alii aut fervent, aut serii sunt, negligere ; pudeat te degere in morte animæ, qui alios vivificare debueras.

Aliter Alcazar : ipse enim per septem spiritus accipit septem virtutes ad regimen necessarias, quas habet Christus, quasque suis Episcopis imitandas proponit, scilicet beneficentiam, æquitatem, sapientiam, patientiam, fortitudinem, comminationem et severitatem. In singulis horum deficiebat Episcopus Sardensis, in regimine suorum fidelium. Ergo monetur hîc, ut Christum Christique hosce spiritus intueatur, seque in ipsis consideret, quàm longe ab iis absit : ac proinde se corrigat, et spiritus, id est virtutes hasce, resumat. Vide dicta cap. 1. vers. 4.

Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, et mortuus es.] Ergo fuit hic Episcopus in statu peccati mortalis, q. d. Scio, et non curo, non æstimo opera tua bona quæ facis ; quia, esto nomen habeas quod vivas, revera tamen coram Deo mortuus es : ita Alcazar. Secundo, et simplicius. q. d. Scio opera tua tam bona, quàm mala, scio mores, scio statum tuum quod scilicet videaris vivere, et multa bona operari, cum revera sis mortuus ; et opera tua sint mortua, non viva. Vide hîc, quàm judicia Dei discrepent à judiciis hominum.

Nota *mortuus es*, id est vita gratiæ excidisti per peccatum. Nam, ut ait S. August. et ex eo Isidor. lib. 1. de Summo bono : *Vita corporis ani-*

ma, vita animæ Deus, et sicut corpus mortuum est sine anima, ita anima mortua est sine Deo.

Quæres : Quodnam fuit hujus Episcopi peccatum ? Primo, Rupertus censet hoc peccatum fuisse carnale, occultæ libidinis, ideoque taceri hîc à S. Joanne. Hæc mera est suspicio non habens sufficiens in textu fundamentum.

Secundo, Lyranus censet fuisse hypocrisin, qua sanctitatis specie, occulta peccata tegebat.

Tertio, et optime, Primas. Beda et Alcazar docent hoc peccatum fuisse negligentiam in pastorali et Episcopali munere ; puta eum negligentem fuisse in docendo, monendo et corrigendo populo, in debilibus confirmandis, in scandalis avertendis, in hæresibus reprimendis, etc. Multi enim sunt, qui sibi boni sunt, non aliis, multi boni sunt fideles, sed non boni Episcopi ; multi sunt bonæ oves, sed non boni Pastores. Multi rursum exterius videntur benigni, gratiosi, insignes, eo quòd externum Ecclesiæ cultum, altarium ornatum, fabricæ splendorem, largas eleemosynas, etc., egregie curent, sed interna, puta suorum vitia, ignorantiam, pericula salutis negligunt, cum hoc sit potissimum Episcopi officium. Hi proinde hominibus externa spectantibus, videntur esse vivi, laudabiles et sancti, cum coram Deo sint mortui. Talis erat hic Sardensis. Id ita esse patet ex verbis textûs : corrigens enim hunc ejus defectum Christus ait : *Esto vigilans*, deficiebat ergo in vigilantia curæ pastoralis, *et confirma cætera, quæ moritura erant :* deficiebat ergo in suorum cura, quod per ejus negligentiam multi spiritualiter essent mortui. *Si ergo non vigilaveris, veniam ad te.* Ecce hæc omnia arguunt Episcopi defectum fuisse desidiam et incuriam in pascendo gregi sibi commisso.

O quanta in Episcopo vigilantia requiritur, qui quasi Argus non unam, sed tot millenas animas custodire, curare, pascere et salvare debet, æque ac suam ! O quàm multi Prælati pereunt, non quod scelerate vixerint, sed quod aliorum sibi creditorum scelera non correxerint!

Plinius ad Vespasianum : *Vita*, ait, *mortalium vigilia*, imo *vita Pastorum vigilia, vita Episcoporum vigilia.* Apollonius Tyanæus cum Vespasianum nondum Imperatorem diluculo ad tractanda negotia surgere comperisset, dixisse fertur, ανηρ αρξει, hic vir imperabit. Ita Philostrat. in Apollon. Hinc illud Vespasiani emblema : *Imperatorem decet stantem mori.* Id sensit Annibal, de quo Silius lib. 2.

> Pœnus ut ad somnos vix totam cursibus actæ
> Indulsit pubi noctem, vigil ille, nec ullam
> Ad requiem facilis credensque abscedere vitæ,
> Quod sopor eripiat tempus.

Hujus vigilantiæ symbolum est delphinus, qui teste Æliano lib. 11. cap. 22. perpetuo movetur, etiam cum dormit : tunc enim et summa aqua in profundum descendit, donec terræ fundum attingat, cujus pulsu ex somno excitatur : ita nunquam à motu quiescit. Ejusdem symbolum est leo, qui apertis oculis dormit : unde ante fores templorum et palatiorum sculpere solent leones, quasi custodes pervigiles. Ejusdem symbolum est sol sculptus in sepulcro Josue ; cum enim Josue dux vigilantissimus et fortissimus persecuturus victoriam contra Chananæos, solem imperio suo stitisset, Hebræi in tanti viri et miraculi memoriam, statuam solis in ejus tumulo collocarunt. Vide P. Serarium in cap. 24. Josue. Vulgatum est istud :

> Vigili stant bella magistro.

Memorabile est dictum Joannis d'Avila quem à sanctitate et concionandi efficacia celebrat Hispania : Tot, ait, tantæque sunt Pastorum obligationes, ut qui vel tertiam earum partem reipsa impleret, sanctus ab hominibus æstimaretur, cum tamen eo solo contentus, gehennam non esset evasurus. Quin et S. Chrysost. scribens in Acta Apostolorum, magno cum animi sensu asserit paucos ex Episcopi salvari, eo quòd difficillimum sit tot animarum eis creditarum bonam rationem reddere. Similia dicunt alii Patres quos citavi 1. Timoth. 3. v. 1.

Quocirca Pius V. Pont. dicere solebat Papatum non esse rem desiderabilem, seque in eo tot molestias et labores experiri, ut cum iis paupertas, disciplina et labores omnes quos in vita Religiosa subierat, nullo modo essent comparandi. Quare quoties Religionis recordabatur, suspirabat, asserebatque se nunquam et nusquam nisi in illa invenisse quietem. Imo addebat se æstimare Papatum esse impedimentum salutis æternæ. Unde mox ut creatus fuit Pontifex, expallescens, et quasi horrore perfusus : *Ego*, inquit, *quamdiu fui Religiosus, bene speravi de mea salute, factus Cardinalis cœpi timere, jam creatus Pontifex pene de ea despero.* Hæc vere Pius, qui, si ullus hoc sæculo, eo gradu fuit dignus, eumque prudentia, fortitudine, sanctitate et miraculis illustravit, ut merito fideles preces et vota ad ejus sepulcrum nuncupent, atque de eo canonizando hîc Romæ tractetur.

Hoc domesticum exemplum secutus Cardinalis Alexandrinus, Pii V nepos, jam moriturus. *Quàm*, inquit, *in hac hora optarem totam vitam in Religione* (fuerat enim Dominicanus, æque ac Pius V) *transegisse ! Sane jam mallem me tota vita servisse coco monasterii mei, quàm Cardinalem egisse.*

Nicolaus quartus, ex Franciscano creatus Pontifex, aiebat se malle esse Fratrum cocum quàm Cardinalem.

Paulus III. Pont. animam agens : *Mallem*, ait, *me subjecisse coco familiæ Capucinorum, quàm hanc Deo proximam, sex et decem annorum curriculo dignitatem sustinuisse.* Ita refert P. Jovius in ejus Vita.

Similia plures in illo articulo dixerunt. Nimirum ille aperit homini oculos, dum transacta omnia vana æque ac onerosa fuisse ostendit, ac pandit instans iter ad judicium. Verum, dum vivimus et valemus, honor et voluptas mentem ad se rapiunt ut futura etiam brevi non cogitemus.

Macrobius in Saturnal. auctor est, quòd tempore Trajani Imper. fuerit quidam Romæ multis debitis obligatus, qui nihilominus in utramque aurem placide dormiebat. Cum igitur mortuus esset, et ejus bona sub hasta venderentur, jussit Imperator, ut sibi culcitra in qua ille dormire solebat emeretur. Rogatus, cur ? Respondit, fieri non posse, quin ea culcitra ad somnum capessendum magnam vim haberet. Nimirum, hoc dicto sugillavit et irrisit incuriam defuncti. Quàm multi hodie Pastores tot tantisque obligationibus Deo et Ecclesiæ obstricti, nihilominus adeo secure dormiunt, ac si cum Pastoratu

nullam suscepissent curam, nullam obligationem! Ex adverso sancti et sapientes Episcopi hoc onus ita pensarunt et ponderarunt, ut plures ex iis illud horrescentes Episcopatu se abdicarint.

Ita nimirum fecit S. Gregor. Nazianz. qui relicto Constantinopol. Patriarchatu, rus concessit, ibique monachi vitam egit, ut habet ejus Vita. Idem fecit S. Adelbertus Pragensis Episcopus, inde monachus et Martyr. Idem prorsus præstitere Lucidus Ficoclensis, Bonitus Arvernensis, Gaudentius Apsarensis, Martyrius Antiochenus, Justus Lugdunensis, Petrus Ravennas, Sergius Damascenus, Farnulphus Cisternensis, Hildulphus Trevirensis, Deodatus item Trevirensis, Gondebertus Senonensis, Lambertus Florentinus Episcopi, qui omnes sanctitate, multi etiam miraculis fuerunt illustres, uti fusius enarrat B. Petrus Damiani epist. 9. ad Nicolaum II Pontif. ubi ab eodem licentiam petit idem faciendi, ut relicto Cardinalatu et Episcopatu Ostiensi, liceat sibi ad monasterium regredi. Addiditque duorum illustrium Episcoporum exempla, quæ, quia rara sunt, hîc attexam. Prior est B. Nonnus, qui S. Pelagiam, antea meretricem, convertit, de eo sic ait: *B. Nonnus, qui et Hippolytus, postquam triginta millia Sarracenorum ad Christi fidem efficacissima prædicatione convertit, postquam S. Pelagiam de Lupanaribus ad Ecclesiæ pudicitiam provocavit, postquam denique nonnullos sanctarum expositionum libros luculenter explicuit, tandem Episcopatum deseruit, de Antiochenis partibus, unde erat oriundus, Romanos fines appetiit. Cumque B. Aurea apud Ostiam civitatem, saxo cervicibus, alligata, in marinis fluctibus martyrium consummasset, B. Nonnus sanctum cadaver pro devotione collegit, et cum omni diligentia tumulavit. Quem mox idem persecutor, qui dicebatur Ulpius, juxta Tiberis alveum in foveam aquis plenam mergi præcepit, cujus postmodum corpus consummato triumphali martyrio, in civitate quæ dicitur Portus, Christiana devotio sepelivit, illico audita est, vox velut infantium per unam fere horam clamantium: Deo gratias.* Censet ergo B. Petrus Damiani, B. Nonnum, qui S. Pelagiam convertit, fuisse S. Hippolytum Portuensem Episcopum et Martyrem, qui ab Ulpiano Jurisconsulto et Præside martyrio affectus est sub Alexandro Severo, anno Domini 229 cujus memoriam celebrat Ecclesia quot annis 21 Augusti, eique statua marmorea erecta est, cui incisi sunt sedecim ejus cycli Pascales, quæ exstat in Bibliotheca Vaticana: fuit enim vir admodum eruditus, qui multa scripsit. Verum hoc recte refellit Baronius in Martyrologio Octobr. 8. ubi docet Pelagiam et Nonnum vixisse sub Theodosio Juniore. Hippolytum vero longe anterius sub Numeriano et Alexandro, vigente persecutione.

Alter est S. Arnulphus, Pipini pater, et Caroli Magni avus. Hic relicto Ducatu Lotharingiæ, ex spiritus fervore monasterium juxta Mosellam iniit: inde abstractus, creatus est Metensis Episcopus, sed suæ salutis et perfectionis stimulis agitatus in Episcopatu successorem sibi diligens rursus eremum petiit, ibique usque ad felicem obitum vixit. Horum exempla imitari satagens B. Petrus Damiani, ita epistolam concludit: *Horum igitur aliorumque Patrum auctoritate suffultus, Episcopatui simul et monasteriis in sanctis manibus vestris irretractabiliter abrenuntio: et quia pro innumeris peccatis meis, non sum dignus in Ecclesiastica dignitate persistere; det mihi divina misericordia per orationes vestras, venerabilis Pater, eo ipso vitæ quod restat, in luctu et pœnitentia permanere. Confiteor enim, quia criminosus simul et vitiosus ad honorem hunc, et non sine reprehensione perveni, et in eo reprehensibiliter vixi: ideoque mihi tutum visum est, ut ipse me potius sponte deponerem, quàm ante tribunal tremendi judicis, in conspectu omnium angelorum et hominum; depositionis sententiam sub æterna damnatione subirem.* Omitto Cœlestinum S. Pontificem qui fuit fundator Cœlestinorum, ac resignato Papatu, inaudito à sæculis exemplo, ad eos se recepit, atque miraculis clarus Sanctorum catalogo ascribi meruit. Et B. Petrum Damiani qui, abdicato Cardinalatu et Episcopatu Ostiensi, ad suos Camaldulenses se recepit. Nostro sæculo Alfonsus Ramirius Vergara, celebris Hispaniæ Doctor, morti proximus duo aiebat sibi à Deo præbita æternæ salutis pignora: unum, quod non sivisset Episcopum fieri; alterum, quod animæ suæ magistrum P. Villanovam dedisset, quem angelum Custodem suum nuncupabat. Ita P. Sacchinus in Annal. Societatis Jesu, ad annum Domini 1557, num. 135.

NOMEN HABES QUOD VIVAS,] id est viventis. Hinc putant aliqui nomen hujus Episcopi fuisse Zozimus, id est vivus; q. d. Falso vocaris Zozimus, id est vivus; revera enim es mortuus. Sic ait Noemi Ruth. 1. 20. *Ne vocetis me Noemi, id est pulchram; sed vocate me Mara, id est amaram; quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.*

Verum hæc mea est conjectura, ideoque incerta: illud certum, hunc Episcopum vulgo bene audisse, et habuisse bonum nomen et famam, quasi qui pie et sancte viveret. Ita Lyran.

Negat tamen hoc Alcazar. Quomodo enim, inquit, sanctitatis famam habere potuit is, qui tam erat socors, et in officio Pastorali negligens, ut coram Deo esset mortuus? Respondeo, quia homines externa et splendida considerant; interna, et quæ Dei sunt, ac proprie obligationis Episcopalis non penetrant, uti paulo ante dixi.

Rursum Alcazar censet hîc alludi ad nomen stellæ, q. d. Elegi, et vocavi te stellam, posuique te unam inter septem illustres Asiæ, ut esses stella, id est lux viva, et semper fulgens. Et tu tua desidia tuam stellam extinxisti, eamque fecisti quasi mortuam, quæ nullam exempli ac doctrinæ lucem emittit.

Hæc apta satis est allusio, non tamen genuinus sensus. Sic enim potius dixisset: Habes nomen stellæ lucentis, sed est stella extincta. Nomen enim lucis et caliginis potius competit stellæ, quàm nomen vitæ et mortis. Nomen ergo significat famam, uti dixi.

2. ESTO VIGILANS,] ad cognitionem defectuum tuorum et gregis tui. Alludit ad nomen stellæ semper lucentis, et noctu quasi semper vigilantis et excubantis, atque ad nomen Episcopi; Episcopus enim græce idem est, quod inspector. Ergo ejus proprium munus est jugiter vigilare, et totam Ecclesiam suam inspicere et circumspicere, ut per omnia ei provideat, lapsa restauret, stantia perficiat, et exornet. Unde S. Paulus 2. ad Timoth. 4. 5. *Tu vero*, ait, *vigila.* Porro vigilare Episcopi idem est, quod sui gregis curam habere, eique de omnibus pro-

videre, ait Primas. et Beda. Nam Pastoris dormitantia, æque ac canis somnus gregem manifesto luporum et mortis discrimini exponit. Pastorum ergo et principum est excubare et vigilare. Præclare Parmenio, cum Græci ægre ferrent Philippum Macedonum regem per diem nonnihil interquiescere, ideoque se ad ejus colloquium non admitti, excusans eum ait? *Ne miremini, si nunc dormit Philippus : nam cum vos dormitis, ipse vigilat.* Ita Plutarchus in Apophthegm.

Tangit hîc duo Episcopi officia, quæ in hoc Episcopo desiderabantur, scilicet vigilare et confirmare, de quo subdit : *Confirma cætera quæ moritura erant*, hoc est, bona opera quæ inchoata erant non omitte, sed prosequere, quoad consummentur. Si enim omissa fuerint, indubie morientur, desinent et evanescent, tam opera quàm operum merita. Ita S. Greg. 3. p. Pastor. admon. 35. et Andreas Cæsar. His favent Græca Regia, quæ sic habent : α ημελλες αποβαλλειν, id est, *quæ futurum erat ut amitteres ; quæ*, scilicet opera et merita. Verum noster Interpres legit : α μελλει αποθανειν, id est, *quæ moritura erant.* Audi S. Gregorium : *Si quod videtur gerendum, sollicita intentione non crescit, etiam quod fuerat bene gestum decrescit. In hoc quippe mundo humana anima quasi navis est, contra vim fluminis connitens, quæ uno in loco nequaquam stare permittitur : quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur. Hinc est enim quod per Salomonem dicitur. Qui mollis et dissolutus in opere suo fuerit, frater est sua opera dissipantis. Quia videlicet qui bona cœpta districte non exequitur, dissolutione negligentiæ manum destruentis imitatur. Hinc Sardis Ecclesiæ angelo dicitur : Esto vigilans, et confirma cætera, quæ moritura erant : non invenio opera tua plena coram Deo meo. Qui ergo plena coram Deo ejus opera inventa non fuerant, moritura reliqua etiam quæ erant gesta, prædicebat. Si enim quod mortuum in vobis est, ad vitam non accenditur, hoc etiam extinguitur, quod quasi adhuc vivum tenetur.* Hoc mysticum est, sed verum.

Secundo, Ambros. Moritura, inquit, sunt opera etiam optima, nisi per charitatem vivificata et confirmata fuerint. Notat Rupert. τὸ *confirma cætera*, innuere non omnia in hoc Episcopo fuisse mortua, sed aliqua viva. Vivebat enim in eo, licet languide, Pastoralis cura, prædicatio verbi Dei, administratio Sacramentorum. Vivebat vicissim plebis erga illum reverentia et obedientia. Verum hæc quoque moritura erant, id est, illi auferenda, si ipso pœnitentiam non agente Deus peccatum ejus publicaret, itaque Episcopatu indignum demonstraret.

Tertio, Haymo explicat dupliciter. Primo, *confirma cætera, quæ moritura erant.* q. d. Si vis vivere, cave ne tuorum operum laudem ab hominibus requiras, *ne intentionem operis, elatio vitiet favoris.* Secundo, si vis ut opera bona, quæ in peccato existens fecisti, vivant, fac pœnitentiam : per hanc enim opera bona in peccato facta vivificantur. Sed hic est error. Illa enim opera fuerunt et sunt mortua, ergo per pœnitentiam vivificari non possunt.

Melius Perer. ex hoc loco evincit, opera bona per peccatum sequens mortificata, reviviscere per pœnitentiam. Nam hic Episcopus erat per peccatum mortuus. Unde opera ejus bona præcedentia, per peccatum sequens mortificata erant, planeque moritura, nisi ipse per pœnitentiam ea vivificaret et confirmaret.

Quarto, optime et plane genuina Primas. Beda, Lyran. Pererius et Alcazar, hæc non ad opera Episcopi, sed ad ejus gregem et subditos referunt. *Cætera* ergo, id est cæteros. Dicit tamen *cætera* in genere neutro, tum quia scribens græce respicit ad προβατα, id est oves, quod græce est neutrum, tum quia Script. genere neutro solet significare universitatem tam personarum quàm rerum, puta omnes. Sensus ergo est. q. d. Multi tui subditi ob tuam dormitationem et incuriam spiritualiter sunt mortui; cæteri pariter morientur, nisi tu illis invigiles, eosque in fide et virtute confirmes. Hoc est quod Christus jussit Petro, et in eo omnibus Pastoribus : *Confirma fratres tuos*, Lucæ 22. 32. Porro confirmatio sequitur ex vigilia. Vigilante enim Episcopo, confirmantur subditi per Episcopi inspectionem, exhortationem, providentiam, etc. Hinc Deus incurios Pastores increpat per Ezech. dicens cap. 34. 4. *Quod infirmum fuit non consolidastis.* Unde iis se quasi bonum Pastorem opponens dicit vers. 16. *Quod infirmum fuerat consolidabo.* Nota. Non dicit : *Quæ moritura sunt*, sed, *quæ moritura erant*, ut significet se sperare et plane confidere Episcopum hac Christi monitione se correcturum, facturumque ut non moriantur, quæ alias moritura erant.

Disce hîc salutem et prædestinationem, æque ac perditionem et damnationem subditorum pendere sæpe à cura vel incuria Pastorum. Eorum enim salus æterna sæpe per eorum curam procuratur, per incuriam evertitur, ut damnentur, quos salvare poterant et debebant.

NON INVENIO OPERA TUA PLENA CORAM DEO MEO.] *Plena*, id est perfecta, idque primo, quia, ut arbor florida, sed infructuosa, pietatis habes speciem, non fructus et opera ; secundo, ut Andreas, quia non es constans, nec perseverans in bono agendo ; tertio, Ambros. Opera, inquit, illius *non erant plena*, sed inania, quia non replebantur charitate ; quarto, Haymo : Opera ejus, licet in se bona, *non erant plena;* quia non bona intentione ab eo fiebant, sed ex appetitu inanis laudis et gloriæ, inquit Joachim. Rursum, quia mixta, et contaminata erant aliis malis operibus ; quinto, Dionys. Carthus. *Non erant plena*, quia tepida et remissa ; sexto, *non plena*, quia Prælato non satis est esse bonum sibi, sed bonus etiam aliis sit oportet, ut eos instruat et perficiat. Ita Beda. Rursum : *non plena*, quia non ad omnes, etiam inimicos, juxta exigentiam charitatis, hæc ejus opera se extendunt. Proprie ergo hujus Episcopi opera non erant plena, sed vacua et inania ; primo, quia carebant charitate, in qua consistit operum plenitudo. Erat enim ipse per peccatum mortuus : opera ergo hæc illius non plena erant, sed vacua charitate ; et consequenter merito : secundo, quia hic Episcopus hypocrita erat; ergo opera illius speciosa exterius, et vento gloriæ tumida erant, sed intus vacua pietate, spiritu et merito ; tertio, et maxime genuine, *non erant plena ;* quia dormitans in cura gregis non vigilabat, nec confirmabat moritura, uti paulo ante dixit ; itaque non explebat ea, quæ erant sui muneris et officii. Hoc est quod Timotheo præcipit Paulus : *Ministerium tuum imple.* 2. Timoth. 4. vers. 5. Huc spectat dictum d'Avila,

quod citavi vers. 1. post medium, et illud S. Hieron. ad Paulinum : *Nihil in te mediocre esse contentus sum, totum summum, totum perfectum desidero.* Quare perperam nonnulli Scholastici, per opera non plena intelligunt opera remissa, et minus intensa ipso habitu ; hincque probant ea non mereri augmentum sui habitus. Hoc enim subtilius est, et parergon hoc loco ; hic enim Episcopus mortuus erat, ac proinde carens habitu gratiæ et charitatis, quæ omnis meriti est fundamentum. Erat ergo extra statum merendi. Ita Gabriel Vasquez 1. 2. tract. de Merito.

Moraliter, opera patientiæ plena non sunt, quando quis vult pati hanc contumeliam, non illam ; ab hoc, non ab illo ; hunc morbum, et calamitatem, non illam ; hanc crucem, non aliam. Perfecta enim patientia opus perfectum habet, omnesque cruces, morbos et contumelias indifferenter amplectitur, à quocumque inferantur. Patientia plena et perfecta est, *quæ facit ut sit insensibilis ad injuriam sicut lapis*, uti Ammoni Abbati per Dei gratiam eventurum prædixit S. Antonius in vitis Patrum lib. 7. c. 9. Perfecte patiens est, qui cum Davide dicit in adversis æque ac prosperis : *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Et cum S. Job : *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* Et cum S. Servulo pressus paupertate et morbo jugiter psallit Deo nocte æque ac die, de quo S. Greg. lib. 4. Dialog. 14.

Humilitas plena non est, cum quis honorem non ambit, sed se despici non patitur : cum quis cupit audire vilis et abjectus, sed non parvi cerebri, imprudens, indoctus, superbus. Humilitas plena est, ait Abbas Motois in Vitis Patrum lib. 7. cap. 13. *Quæ nec irascitur, nec alios irasci permittit.* Rursus, *quæ indulget priusquam rogetur.* Ad hæc, *quæ imperturbabilis est.* Denique, *quæ benedicit eis, qui sibi malefaciunt.* Quæque se subdit non tantum superiori et æquali, sed et inferiori cuilibet ; uti Christus Joanni Baptistæ, dum ab eo baptizaretur, dicens : *Sic nos decet implere omnem justitiam*

Obedientia plena non est, cum quis huic Prælato vult obedire, non illi ; cum quis jussa sibi grata et placentia læte amplectitur, non ingrata et displicentia ; cum quis voluntatem Superiori submittit, non judicium. Obedientia plena est, quæ ad omnia imperata, vel permissa à Deo dicit cum Psalmista : *Factus sum tanquam surdus non audiens, et sicut mutus non aperiens os suum ; quæ nihil discernit, nihil dijudicat, ex his quæ ei fuerint præcepta*, ait Cassian. l. 4. Inst. 41. quæ dicit, et sentit : *Ut jumentum factus sum apud te.*

Charitas plena non est, quæ hunc amat, non illum ; amicum, non inimicum ; civem, non exterum. Charitas plena est, quæ proximi cujuslibet onera portat ut sua, imo quæ proximum quemlibet sibi præfert ; quæ proximi opus perficit, et suum relinquit imperfectum, ut faciebat sanctus ille in Vitis Patrum lib. 5. cap. 16. Denique quæ omnia dura pro Dei gloria, proque proximorum salute lubens suscipit et amplectitur, quæ opere diligit, non ore, quæ plus provocat exemplo, quàm verbo. Præclare sanctus Hieronymus Nepotianum sacerdotem docet : *Non confundant*, ait, *opera tua sermonem tuum, ne, cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat : Cur ergo hæc, quæ dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat. Accusare avaritiam et latro potest. Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent.*

3. In mente ergo habe qualiter acceperis, et audieris.] *Acceperis*, id est institutus et eruditus sis. Hebr. enim לקח *lecac*, id est acceptio, significat doctrinam à præceptore acceptam. Pro *qualiter*, græce est πως, id est quomodo ; sed πως ponitur pro ποια, id est qualia. Imitatur S. Joannes Septuag. qui ita sæpe vertunt Hebræum אשר *ascer*, quasi esset כאשר *caascer*. Sic Terentius ait : *Ita est homo*, pro *talis est.* Plinius lib. 8. cap. 48. *Antiquis*, ait, *torus è stramento erat, qualiter* (id est qualis) *tunc etiam in castris gausape.*

Si non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur.] Solent desides, et dormientes in suis vitiis proponere et polliceri sibi pœnitentiam in fine vitæ. Hisce minatur Christus, se ex improviso venturum, quasi furem, eosque morte, tum præsenti, tum æterna obruturum. Hæc enim congrua est pœna ; hoc justum Dei judicium, ut qui, cum pœnitere possent, et noluerunt ; pœnitere non possint dum volunt, ut tempus pœnitendi eis negetur, qui tempus à Deo datum neglexerunt, ut somnus peccatorum somno mortis et gehennæ puniatur ; itaque æternum dormiant in gehennæ ignibus, qui hîc dormitarunt in acediæ lectulis. Idem minatur Christus, Matth. 24. v. 43. Apocal. 16. v. 15. 1. Thessal. 5. v. 2. Præclare S. Hilarius, can. 26. in Matth. in fine : *Paratos*, ait, *nos esse convenit ; quia diei ignoratio intentam sollicitudinem suspensæ expectationis exagitat.* Quocirca Ægyptii, ait Horus Apollo, l. 2. Hierogl. 24. volentes significare mortem, pingebant nycticoracem. Sicut enim hic derepente pullos cornicum noctu, sic et mors homines nec opinantes invadit atque obruit.

4. Sed habes pauca nomina,] id est paucos Christianos vere fideles, pauca capita nominatim recensita. Ita ονοματα sunt ανθρωποι apud Senecam, l. 5. de Benefic. c. 22. et alios. Hinc illud Tibulli in Eleg. *Nec fidum femina nomen.* Et Horat. *Pater, ô relictum filiæ nomen.* Sic Dei nomen vocatur ipse Deus nominatus, ut Deuter. 18. 5. *Ipsum elegit Dominus Deus tuus, ut stet et ministret nomini Domini.* Psal. 5. v. 12. *Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum.* Jerem. 25. 26. *Juravi in nomine meo magno, ait Dominus. Nomina*, inquit Ambros. dixit pro viris nominatis et famosis ob eximiam virtutem, qualis est inter malos esse bonum, et innocentiam baptismalem conservare, idque suo studio sine pastoris cura, imo in tanta ejus incuria. Sic Exodi 33. dixit Deus Mosi viro perfectissimo : *Novi te ex nomine.* Unde explicans subdit Joannes : *Qui non inquinaverunt vestimenta sua.*

Pauca ergo *nomina* vocat paucos fideles et sanctos, quorum Deo nota sunt nomina, id est quos novit, et amat, quorumque nomina scripsit in libro vitæ. Ita Beda, Ambros. Haymo, Alcazar, et alii.

Alludit ad milites, qui nomen dant militiæ ; horum enim nomina à duce catalogo militum inscribuntur. Rursum ad pastores et Episcopos, qui nomina fidelium dum baptizantur, catalogo Christianorum inscribunt. Denique alludit ad librum vitæ, cui Deus eos inscripsit inchoate per gratiam, et perfecte inscribet per gloriam, si in gratia usque ad finem vitæ perseverent. Addit

Alcazar, recte Christianos appellari *nomina*; quia in baptismo dantes nomen Christo testati et professi sunt se debitores esse imitationis Christi. Nomina enim sæpe apud Græcos et Latinos significant debita, et debitores. Hoc subtilius est, quàm solidius.

QUI NON INQUINAVERUNT VESTIMENTA SUA,] id est, qui luxuriæ sordibus non inquinaverunt corpora sua, quæ sunt quasi vestimenta animæ, ait Aretas.

Secundo, Alcazar per vestimentum accipit conscientiam. Hæc enim mundatur, et inquinatur.

Tertio, et aptius, vestem vocat puritatem et innocentiam, quam cum veste candida in baptismo acceperunt, et conservarunt, vel certe peccato inquinatam per pœnitentiam repararunt. Ita Ambros. Haymo, Beda et Ribera. Innocentia enim et puritas est quasi vestis et stola animæ, ejus nuditatem tegens, eamque mire exornans; unde propter eam promittit ei vestes splendidas gloriæ cœlestis: *Qui vicerit*, inquit, *sic vestietur vestimentis albis.* Alludit ad vestem candidam quam accipiebant in baptismo certo ritu et formula qua monebantur eam conservare, ut illibatam eam proferrent Christo venienti ad judicium, de qua dixi, Rom. 6. v. 3. et 4. Huc facit illud Eccles. 9. v. 8. *Omni tempore vestimenta tua sint candida.* Hinc in monasteriis multis monacho dum vestitur, datur vestis candida, monenturque ut eam non inquinet, sed candidam conservet. Quocirca apte S. Paulinus de Celso puero, pauperes et objectos spe futuræ gloriæ his verbis consolatur.

> Jamque expeditis sarcinis egentibus,
> Laxate vinculis pedes;
> Ut copiosa luce vestiamini,
> Estote nudi sæculo.

Verum, cur horum candidatorum Episcopo memoriam refricat? Resp. Alcazar, ut significet se propter paucorum illorum merita et orationes Episcopum non abjicere; sed ejus curam gerere, ideoque eum exhortari ad pœnitentiam. Rursum Episcopo proponit illustre subditorum exemplum ut erubescat se ab illis sanctitate superari, et pravos mores emendare studeat.

ET AMBULABUNT MECUM IN ALBIS,] id est in purissima et splendidissima felicitate; in stola immortalitatis, claritatis et gloriæ. Sic enim de Beatis quasi albatis et gloriosis ait, c. 7. 9. *Amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum.* Aliter Alcazar: Promittit, inquit, Christus eis vestes albas, id est, maximam bonæ conscientiæ jucunditatem, qua fruuntur justi in hac vita.

5. QUI VICERIT peccatum, et statum peccati in quo versatur; in eo enim degebat hic Episcopus Deo mortuus. Hic status ater est, quia tristis, miser et funestus: unde si eum vicerit, et à peccato resurrexerit per pœnitentiam, promittit ei quod VESTIETUR ALBIS,] scilicet stola gloriæ jam dicta. *Non est gloriosa victoria, nisi ubi fuerint laboriosa certamina*, ait S. Ambros. in Offic.

ET NON DELEBO NOMEN EJUS DE LIBRO VITÆ,] id est, dabo ei donum perseverantiæ, nec sinam eum labi in mortale peccatum, quo justitiam amittat. Ita Pererius.

Secundo, Ambrosius, et alii: Liber, inquiunt, vitæ est immutabilis, et qui semel in eo scriptus est, deleri non potest: delentur tamen aliqui non secundùm veritatem, sed secundùm existimationem hominum, qui putabant eos esse sanctos et scriptos in libro vitæ, cum revera scripti non essent, quasi dicat: *Non delebo eum*, id est, declarabo eum non fuisse deletum de libro vitæ. Sic et August. in psalm. 68. v. 29. *Deleantur de libro viventium. Deleantur*, inquit, non revera, sed secundùm opinionem et spem ipsorum. Cum enim præter spem videbunt se esse de numero damnatorum, quasi deleti esse videbuntur de libro vitæ. Objicit huic expositioni S. Thomas 1. part. quæst. 24. artic. 3. non deleri de libro vitæ promitti hîc Sanctis quasi mercedem à Deo; hæc autem merces non est sita in opinione hominum. Respondet Pererius esse miosin, per negationem enim significari affirmationem, quasi dicat: Palam faciam eum esse de numero Sanctorum, canonizabo illum. Hæc enim ingens est merces, laus et gloria Sanctorum.

Tertio, Ribera: *Non delebo*, id est, ait, non damnabo eum, sed perpetua gloria vivere faciam. Est metonymia; ponitur enim objectum pro potentia vel actu, scilicet liber pro gloria, ad quam quis in libro conscriptus est. Proprie enim de libro vitæ nemo deleri potest.

Quarto, et optime, S. Thomas. 1. part. quæst. 24. art. 3. Dupliciter, ait, scribuntur Sancti in libro vitæ: primo, inchoate quoad præsentem justitiam, quomodo omnes Christiani in baptismo scribuntur in libro vitæ. Unde iis ait Paulus, Ephes. 2. v. 19. *Estis cives Sanctorum, et domestici Dei.* Secundo, complete quoad perseverantiam et gloriam. Primi deleri possunt; unde psal. 68. dicitur: *Deleantur de libro viventium.* vide canon. 13. in S. Paulum. De talibus hîc agit Christus, q. d. Qui vicerit et in victoria hac perstiterit et perrexerit, non delebo, sed pergam eum scribere in libro vitæ, sicut eum ab initio victoriæ in eo conscripsi, ut si vincere pergat ad finem usque, reipsa adipiscatur gloriam, ad quam conscriptus est. Est enim miosis, uti recte notavit Pererius. Vide de libro vitæ ea quæ dixi, Philip. 4. 2.

ET CONFITEBOR NOMEN EJUS CORAM PATRE MEO, ET CORAM ANGELIS EJUS,] agnoscam eum pro servo meo, ideoque faciam, ut non erubescat ob peccata præterita, quia ea per pœnitentiam delevit; sed potius cum pœnitentem, moresque corrigentem, et in emendatione ferventem, gloriosum efficiam, ejusque nomen celebrabo coram Deo et angelis.

7. ET ANGELO PHILADELPHIÆ ECCLESIÆ SCRIBE.] Hæc est sexta Christi Epistola ad Episcopum Philadelphensem, in quo erudiuntur et monentur à Christo fideles, pietatis et Dei cultus studiosi, qui modicæ adhuc sunt virtutis, sed à Deo protectæ, et felicibus eventibus actæ, quales sunt novitii tum in fide, tum in Religione, ait Alcazar. Quocirca hæc ad Philadelphensem Epistola, uti et illa ad Smyrnensem, nihil reprehensionis continet. Primo ergo, laudatur hic Episcopus. Secundo, prædicationis ei gratia et efficacia, qua etiam adversarios convertat, promittitur. Tertio, pollicetur ei Christus in tribulatione præsidium: unde ad constantiam et perseverantiam eum excitat.

Quæres quisnam fuerit hic Episcopus? Resp. Aureolus et Lyranus (qui ait hanc esse communem Interpretum sententiam) fuisse S. Quadra-

tum, qui fuit doctus et celebris Martyr sub Adriano imp. cui et librum, sive Apologiam pro Christianis obtulit, quo et Adriani animum flexit, ut persecutionem in Christianos cœptam sisteret et inhiberet, teste Eusebio, l. 4. hist. c. 3. Favet ratio temporis. S. Quadratus enim floruit sub annum Christi 125, id est, 28 annis post scriptam Apocalypsin. Verum obstat, quod sanctus Hieron. et alii tradunt S. Quadratum fuisse Episcopum Atheniensem, non Philadelphensem. Unde Pererius Alcazar, et alii negant hunc Episcopum fuisse S. Quadratum, asseruntque incertum esse quis fuerit hic Episcopus.

Hæc dicit Sanctus, id est auctor et amator sanctitatis, et Verus,] id est verax et fidelis (hoc enim est Hebr. נאמן *neeman*, vel *amen*) in præstandis promissis, quæ pro veritate et sanctitate certantibus et vincentibus promisit. Ita Ribera.

Secundo, Alcazar: *Verus*, ait, id est perfectus; ut Philadelphius videat in Christo se necdum esse verum, id est perfectum; ac in eo consideret et quantum à perfectione absit. Hinc græce est ὁ ἅγιος, ὁ ἀληθινός, id est, ille sanctus, ille verus, scilicet antonomastice per excellentiam et principatum. Addit Alcazar, non duo, sed unum tantùm hoc esse epithetum, scilicet, *Sanctus verus*, id est, qui habet veram sanctitatem, veram, id est, perfectam. Sic enim sæpe in Scriptura verum non opponitur falso, sed imperfecto, ut cum de Nathanaele ait Christus, Joannis 1. 47. *Ecce vere Israelita;* et de se: *Ego sum vitis vera*, Joannis 15. v. 1. Sic Eucharistiam vocat *panem de cœlo verum*, Joannis 6. 32. et capit. 4. 23. *Veri adoratores*. Et 1. Timoth. 6. 19. *Ut apprehendant veram vitam*. Hic sensus aptior est, quia arctior est, magisque stringit. Proponit enim Christus Philadelphio, qui erat modicæ virtutis, suam sanctitatem perfectam quasi speculum, et quasi scopum, ut ad eam aspiret et contendat.

Qui habet clavem David : qui aperit, et nemo claudit : claudit et nemo aperit.] Primo, Rupert. Ambros. Anselm. Richard. Lyran. Joachim, Thomas, Pannonius et Viegas: Clavis David, inquiunt, est reseratio et intelligentia S. Scripturæ et omnium Prophetarum, inter quos David genere, gestis, regno, vaticinio eminuit, et ad vivum mysteria Christi expressit; ut, qui Davidem intelligat, cæteros Prophetas facile intelligere possit. Sic enim, Lucæ 11. v. 52 dicit Christus, Scribis: *Tulisti clavem scientiæ*.

Secundo, Primas. accipit potestatem regiam Christi. Hæc enim dicitur clavis David, quia de Davidis stirpe natus est Christus, et quia David rex fuit typus Christi regis. Sicut enim David rex super carnalem Israel regnavit, sic Christus regnat super spiritualem, id est fideles.

Tertio, Ansbertus: clavis hæc est Christus; unde non ait, quæ, sed *qui*, scilicet Christus, *aperit*. Christus ergo est ostium, Joannis 20. *Ego sum ostium*, et est clavis, et est claviger ipse qui aperit. Itaque Christus aperit intellectum ad credendum, voluntatem ad diligendum; aperit cœlum piis, claudit impiis.

Quarto, clavis quæ aperit paradisum est crux, ait Hugo et Albertus. S. Chrysostomus, homil. 4. de Cruce, et Alcazar: Crux, ait, Christi est veluti clavis, qua ipse cœlum aperuit, et velut instrumentum omnipotentiæ Christi, quod est clavis regia, qua omnes res claudi et aperiri possunt.

Quinto, clavis hæc cœli est pœnitentia, ait idem Hugo.

Sexto, S. Thomas 3. p. q. 17. art. 1. ad 2. hunc locum intelligit de clave et clausura, qua Christus resurgens limbum Patrum clausit, ne quis ultra illuc descendat, quaque cœlum Adæ peccato clausum, sua morte nobis aperuit. Rursum, in respons. ad 3. Clavis, inquit, inferni, qua ipse aperitur et clauditur, est potestas conferendi gratiam, per quam homini aperitur infernus, ut scilicet exeat à peccato, quod est porta inferni. Clauditur vero infernus præservando hominem, ne ultra in peccatum relabatur.

Septimo, et optime: clavis hæc est templi Davidis et Salomonis, id est, est clavis Ecclesiæ, cujus typus erat vetus Judæorum templum. Clavis ergo hæc significat Christum habere summam potestatem in Ecclesia, ut illam aperiat iis quos per suam gratiam ad eumdem vocat, claudat vero, id est excludat ab ea, quos habere noluerit, puta infideles, qui resistunt fidei et gratiæ Christi. Loquitur de Ecclesia quasi de una domo, puta templo, cujus claves habet Christus. Unde sequitur: *Ecce dedi coram te ostium apertum*, ut scilicet te prædicante, multi per gratiam meam ad fidem veniant, et Ecclesiam intrent, quos nec Domitianus, nec minæ, nec pœnæ prohibere poterunt; ostium enim apertum significat occasionem, opportunitatem, facultatem æque ac copiam conversionis hominum ad Ecclesiam. Christus enim ut homo (de eo enim hic agitur) est summus Dei in Ecclesia minister, Pontifex et Rex, imo Rex regum, et Dominus dominantium. Quocirca clavis hæc Christi ad aperiendum et claudendum regnum cœlorum; sine dubio includit potestatem excellentiæ ad remittendas non solum pœnas, sed etiam culpas; cujus participationem communicavit Apostolis, ait Franc. Suarez, tract. de Pœnitentia, disput. 16. sect. 2. unde recte ipse infert: Ergo Petrus et Apostoli habent potestatem absolvendi à peccatis, itaque aperiendi; ac ea retinendi, itaque claudendi cœlum. Ita in Vita S. Joannis Chrysost. legimus S. Petrum ei apparuisse, ac dedisse duas claves, dicendo: *Ego sum, qui confessus sum Filium Dei; habeto potestatem remittendi peccata, istæ claves sunt signum tuæ jurisdictionis*. Rursus hac clavi innuitur potestas et imperium Christi in mortem, et infernum, de qua dixit, cap. 1. *Ego habeo claves mortis et inferni*. Alludit enim ad persecutiones Ecclesiæ imminentes: q. d. Instant Ecclesiis graves vexationes; sed ego te, ô Philadelphie, qui modicæ es virtutis, ab iis servabo immunem et indemnem; habeo enim claves tam Ecclesiæ, quam mortis et inferni, omnium supremus sum Dominus. Ita Alcazar. Sic Christus, Matth. 16. 19. promittit Petro, quasi Principi Ecclesiæ, claves regni cœlorum; principibus enim dantur claves urbium, ut eas aperiant et claudant quibus voluerint. Sic, c. 9. 1. *Vidi*, ait, *stellam, et data est ei clavis putei abyssi, et aperuit puteum*. Et c. 20. 1. vidit Joannes angelum habentem clavem abyssi. Alludit ad Isaiæ 22. 22. ubi de Eliacim filio Helciæ, quem amoto Sobna in pontificatu veteri Deus substituit, dicens: *Dabo clavem domus David super humerum ejus; et aperiet, et non erit qui claudet; et claudet, et non erit qui aperiat*. Ubi Eliacim promittitur summa potestas in domo et aula regia, ut primus sit à rege; vel potius, ut Hieron. et Hebr. summa et pontificia

potestas in templo; hoc enim dicitur domus David; quia David Salomoni totam ideam et fabricam templi delineavit, et præparavit. Sensus ergo Isaiæ est: q. d. Dabo Eliacim pontificatum, ut sit præses templi, illudque claudat et aperiat ad libitum. Ita S. Hieron. Cyrillus, Procop. Haymo, D. Thomas, Lyranus, Dionys. ibidem, ac Tyconius, Primasius, Andreas, Aretas, Beda, Anselmus, Ribera, Pererius, Alcazar hîc.

8. ECCE DEDI CORAM TE OSTIUM (prædicationis et conversionis Gentium) APERTUM; QUIA MODICAM HABES VIRTUTEM.] Græce δυναμιν, id est potentiam. q. d. Quia ex te infirmus es et debilis; hinc ego dedi ostium tibi apertum, ut scilicet non tuis, sed meis viribus, et me aperiente, non tantum Gentes, sed et Judæos, adducas et inducas in Ecclesiam. Hoc est enim quod subdit: *Ecce dabo de synagoga Satanæ, qui se dicunt Judæos esse, et non sunt: ecce faciam illos, ut veniant et adorent antę pedes tuos.*

Joachim Abbas hanc prophetiam Angeli Philadelphiæ intelligit de Ordine quodam novo futuro in Ecclesia, quem, ait, designat JESUS, qui præ multis aliis præclarus erit et amabilis, et tempore novissimo multiplicandus et dilatandus. Multi suspicati sunt eum designasse Societatem nostram, ut refert fuse hîc Viegas, sect. 3. quod in ea sit Philadelphia, id est amor fraternus. Secundo, quod ei dicat hæc: *Sanctus et verus;* quia contra infideles et hæreticos, æque ac malos Christianos Societas hæc pro fidei veritate et sanctitate depugnat. Tertio, quod Deus ei deducit ostium apertum ad conversionem Gentium. Verum hæc obscura, et incerta sunt; adeoque Trithemius censet Joachimum in Apocalypsi non tam prophetizasse, quam divinasse et conjectasse ex S. Scriptura. Et clarum est hanc ejus explicationem non esse litteralem, sed mysticam.

QUIA MODICAM HABES VIRTUTEM.] Primo, Joachim, Lyran. et Dionys. exponunt: q. d. Non accepisti donum, magna, id est miracula patrandi. Unde et Ticonius exponit; q. d. Modica tua est fides. Magna enim fides requiritur ad miracula, juxta illud: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis.*

Secundo, Ambrosius et Victorinus. q. d. Non accepisti magnam scientiam et intelligentiam S. Scripturæ.

Tertio, Richardus: q. d. Imbecillo es corpore et modicas habes vires. Alii hæc tria jungunt. q. d. Modica tibi est sanitas, modica sanctitas, modica sapientia. Vide ergo quàm sis modicus, et quàm modice de te sentire debeas.

Quarto, Ribera: q. d. Parva polles gratia et potentia sæculari; paucos potentes habes amicos, qui te ab inimicorum injuriis tueantur (unde notat Andreas urbem Philadelphensem exiguam fuisse, et ambitu et civium numero) magnas tamen vires habes patientiæ et virtutum; quia, ut sequitur: *Servasti verbum meum, et non negasti nomen meum.*

Quinto, Primas. Haymo, Beda et Thomas: *Modicam,* id est humilem et modestam. q. d. Agnoscis te parum posse, parvas habere vires; quia non in iis, sed in Deo spem reponis.

Sexto, Albertus: *Modicam habes virtutem,* respective, scilicet respectu ostii clausi Evangelicæ prædicationi, quod tibi aperiendum est; aut, ut Thomas, *modicam,* respectu magnarum virium quas habebis in cœlo.

Septimo, et optime, quasi dicat: Modicas habes vires ad conversionem infidelium, præsertim Judæorum; unde eas ego ipse supplebo, et augebo, faciamque ut eos superes et convertas. Hoc est enim quod paulo ante dixit: *Ecce dedi coram te ostium apertum.* Unde et subdit: *Ecce dabo de synagoga Satanæ, qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed mentiuntur: Ecce faciam illos ut veniant, et adorent ante pedes tuos.* Deus enim sæpe ad res magnas qualis est conversio animarum, utitur hominibus infirmis, indoctis, infacundis, teste Apostolo, 1. Corinth. 1. ut ostendat non ipsorum, sed suæ virtutis esse hoc opus. Unde recte colligit Alcazar, prædicatores minus sanctos sæpe plures convertere, quam convertant ii qui sanctiores sunt; uti S. Jacobus vivens et in Hispania prædicans, paucos admodum convertit. Sic Judæorum conversionem promittit hîc Christus Philadelphio, quam negavit, cap. 2. v. 8. Smyrnensi, qui erat probatæ et selectæ virtutis. Hic verum est illud Apostoli, 2. Corinth. 12. 9. *Virtus* Dei *in infirmitate nostra perficitur.* Vide ibi dicta. Ait ergo: *Modicam habes virtutem;* quia ad Judæorum conversionem magnæ requirebantur vires spiritûs, prædicationis et zeli. Licet enim ad hanc conversionem valde juvet scientia, eloquentia, miracula, nihil tamen eam ita promovet et perficit, atque robusta sanctitas, et zelus efficax prædicatoris et Episcopi. Hæc enim ærumnas, labores, persecutiones, difficultatesque omnes in hac re occurrentes fortiter non tantum tolerat, sed et superat ac perfringit. Atque hæc decerat Episcopo Philadelphio. Unde eam supplens Christus ait: *Servabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum.* Quocirca monens eum, ut cum Dei gratia fortiter cooperando, eam sibi comparet, et imbecillitatem superet, stimulat eum proponens ei appositum præmium solidæ columnæ: *Qui vicerit,* inquit, *faciam illum columnam in templo Dei mei.* Ita Rupertus, Andreas, Aretas et Alcazar.

ET SERVASTI VERBUM MEUM, puta fidem et doctrinam Evangelii. Unde explicans subdit: ET NON NEGASTI NOMEN MEUM.] q. d. Licet sis modicæ virtutis, tamen eam rite expendisti, rite ea usus es, me scilicet eam protegente et corroborante: quocirca esto fortem et durum martyrii agonem non obieris, nec adhuc ob virium imbecillitatem obire possis, tamen non negasti, nec erubuisti nomen meum, sed illud confessus et professus es. Quapropter ego te, tuasque vires promovens iis utar ad res magnas, faciamque ut convertas Judæos. Unde sequitur:

9. ECCE DABO DE SYNAGOGA SATANÆ, QUI SE DICUNT JUDÆOS, etc.] q. d. Ego Judæos, et Judaizantes, qui suam habent synagogam, non Dei, sed Satanæ, qui contra Christum et Christianos conspirat: Judæos, inquam, convertam, daboque tibi subditos, ut conversi ad Christum, adorent, id est procidant ante pedes tuos, et supplices tibi, quasi Episcopo suo, omnino se subjiciant.

ADORENT ANTE PEDES TUOS.] Significatur summa fidelium devotio, reverentia et submissio erga Ecclesiam, ejusque Prælatos. Hæc enim adoratio procedit ex apprehensione excellentiæ Prælatorum plusquam humanæ, et minus quam divinæ. Sic Nabuchodonosor, licet gentilis, Danielem adoravit, cum ei spiritu divino somnium suum retulisset et exposuisset, Daniel 2. v. 46.

Sic filii Prophetarum audientes spiritum Eliæ requievisse super Elisæum, adoraverunt eum proni in terram, 4. Reg. 2. 15. Simili modo Abdias procurator Achab regis adoravit Eliam Prophetam., 3. Reg. 18. 7. Sic *beatissimum Petrum piscatorem, modo genibus provolutis adorat Gentilium multitudo*, ait S. Augustin. serm. 1. de SS. Petro et Paulo. Sic olim sanctos Confessores obtestabantur, dicentes : *Obsecramus vos per vestigia vestra*, instar Magdalenæ, quæ prostrata ad pedes Christi, veniam peccatorum precabatur, Lucæ, 7. 38. Audi S. Chrysost. homil. 11. in Acta Apostolorum : Primi fideles, inquit, pretia rerum *ponebant ad pedes Apostolorum, non ad manus, declarando fidem, pietatem et reverentiam, quam habebant Apostolis; et quod majoris ducebant, quod ab eis reciperentur, quam quod ab eis donarentur dona.* Idem, homil. 59. ad populum Antioch. cum monet ut monachos adeat, eorumque pedes osculando deprecetur. *Accede*, inquit, *sanctos tange pedes. Multo namque honestius est illorum pedes tangere, quam aliorum caput. Dic enim mihi, si quidam statuarum pedes apprehendunt, quoniam regiam tantum habent figuram : tu ipsum in se habentem Christum non pedibus tenebis, et salvus eris? sancti sunt pedes, licet viles sint : inquinatorum vero neque caput venerandum est. Sanctorum namque pedes magna potuerunt; quamobrem et ulciscuntur, cum pedibus pulverem excusserint.* Idipsum prædixit Isaias, cap. 49. v. 22. *Erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ. Vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent.* Vide ibi dicta.

10. QUONIAM SERVASTI VERBUM PATIENTIÆ MEÆ.] *Verbum*, id est exemplum, ait Haymo et Beda. Secundo, et genuine, *verbum*, id est præceptum, et promissionem patientiæ meæ. Sic enim S. Joan. in Evangel. sæpe utitur hac phrasi *servare verbum*, pro *servare legem.* Patientiam intelligit tum tolerantiam injuriarum et persecutionum; tum potius in ea longanimem sustinentiam et perseverantiam. Hanc enim significat Græcum ὑπομονή. Vox *quoniam*, ad sequentia referenda est, non ad præcedentia, quasi dicat: Quia tu servasti mandatum meum, quo scilicet ego præcepi, ut patienter, longanimiter et perseveranter ferres omnes persecutiones ob spem auxilii et liberationis meæ, atque ob promissionem coronæ æternæ, hac de causa dabo tibi præmium quod subdo, scilicet : EGO SERVABO TE AB HORA TENTATIONIS, QUÆ VENTURA EST IN ORBEM UNIVERSUM.] *Ab hora*, id est, à tempore. Tempus enim tentationis vitæ hujus, quia breve est, et velut tempestas transiens; hinc vocatur *hora.* Videtur loqui de tempore, et persecutione Trajani, quæ valida fuit et universalis, atque instar ignis exarsit, sed mox desiit et velut turbo pertransiit. De qua Eusebius, lib. 3. hist. 32. Ita Ribera et Alcazar.

Addit Alcazar horam Græcis latius patere, et absolute significare tempus. Hinc quatuor anni tempora, vocant horam æstivam, horam autumni, horam hiemis, horam veris : Sic horam juventutis, vocant ætatem juventutis. Alludit et ludit in voce *verbum*, quasi dicat : Quia tu servasti verbum meum fideli executione, ego vicissim, qui sum Verbum Dei, servabo te fideli protectione, ut, cum pondus persecutionis futuræ ob vires modicas, quas habes, sustinere non possis, illud à te amolliar, ne te cum aliis involvat. Ita Alcazar. Minus recte Thomas Anglicus exponit, q. d. Servabo te, non, ut tenteris, sed ut tentatione non vincaris. Sic enim dicere debuisset : *Servabo te in hora.* Jam autem dicit : *Servabo te ab hora.*

11. ECCE VENIO CITO,] te adjuturus et coronaturus : Unde Rupert. et Richard. putant hic significari hunc Episcopum cito moriturum. Excitat ergo illum ad perseverantiam, proponens ei, primo, brevitatem vitæ; secundo, protectionem et opem cœlestem ; tertio, coronam æternam.

TENE QUOD HABES, UT NEMO ACCIPIAT CORONAM TUAM.] Arabicus : *Tene quod habes, et* cave *ne quis accipiat coronam tuam. Tene*, id est, perge tenere, retine constanter. Significat enim : *Tene* actum, non inchoatum, sed continuatum. Licet enim hic Episcopus ab ingenti illa et universali tentatione, Dei protectione esset futurus immunis; tamen non erant ei aliæ minores defuturæ, quales quotidie incurrunt in vitam hominis, et maxime occurrebant Christianis initio Ecclesiæ, *tentatio enim* (græce πειρατηριον, id est locus tentationis, stadium et agon) *est vita hominis super terram*, ait S. Job, cap. 7. 1. juxta Septuag. *Tene* ergo *quod habes*, id est, retine fidem et patientiam quavis occurrente tentatione et afflictione, ne quis coronam tuæ fidei et patientiæ promissam et præparatam, non absolute, sed sub conditione (si videlicet pestes et perseveres) te non perstante, sed cadente, accipiat.

Pulchre Rupertus : *Tene quod habes*, q. d. *Tu in humilitate firmo pede consiste, ne moto pede corruas, corruendo coronam tibi præparatam amittas, et alius tibi succedens eam accipiat.* Sensus ergo est : q. d. Jam fortiter et feliciter in stadio Evangelicæ vitæ et doctrinæ decurrendo et decertando victor pene coronam tenes, illa jam quasi est tua, quia in tuis manibus, in tua est potestate. Vide ergo ut illam constanter retineas, nec tibi ab alio eripi sinas. Simili modo ait sanctus Paulus, 1. Corinth. 9. 24. *Sic currite ut comprehendatis.* Alludit enim ad morem Agonistarum, qui ex aliquo eminentiore loco appensam coronam, in citato quam ocissime cursu manibus corripiebant, ut erudite probat Petrus Faber, lib. 2. cap. 27. Agonistici. Quo respexit S. Chrysost. homil. 7. in epist. ad Hebr. *Adhuc pendet bravium.* Et Chrysol. serm. 153. de Infantibus pro Christo necatis : *Confitentur tacentes, nescientes pugnant, vincunt inscii, ignari tollunt palmas, coronas rapiunt ignorantes.* Cassiodorus denique, lib. 11. Variar. cap. 35. *Si Olympiaci currus agitator rapit præmia post labores.*

Hinc patet primo justos et sanctos viros, etiam-à Deo laudatos, posse à gratia et virtute excidere, ac neminem esse certum de sua perseverantia et salute. Secundo, etiam prædestinatos posse absolute excidere à gratia; quia possunt gratiam prædestinationis negligere, ac proinde non eligi ad gloriam, nec coronari; licet in sensu composito excidere non possint; quia completa prædestinatio includit præscientiam perseverantiæ, ac consequenter salutis et gloriæ. Ita S. Thomas, I. p. q. 23. Tertio, *tene quod habes*, innuit huic Episcopo modicam fuisse virtutem, ut dixit v. 8. ut illi de lapsu fuerit periculum. Unde de eo illum hic monet, ut contra illud se muniat et corroboret per constantiam. Ita Alcazar. Quarto, significatur hic Deum solere uno cadente alium ejus loco et præmio

substituere. Sic homines angelis, Christianas gentes Judæis, Matthiam Judæ substituit. Quinimo, Primas. Beda, Ansbert. et S. August. lib. de Corrept. et gratia, cap. 13. hinc colligunt certum et definitum esse prædestinatorum numerum, qui nec augeri possit, nec minui; idque non solum formaliter, sed materialiter, id est, non solum quod tot salvandi sint, sed etiam, quod hi et illi nominatim, non alii, inquit divus Thomas, 1. part. quæst. 23. art. 7. Quod intellige de prædestinatione completa, quæ includit præscientiam futuræ perseverantiæ sanctorum et electorum. Alioqui si de inchoata loquaris, abstrahasque à præscientia perseverantiæ, nec formaliter, nec materialiter certus et definitus est electorum numerus, ut patet ex hoc loco: *Tene quod habes.* Sensus enim est, q. d. Potes electione tua excidere, vide ne excidas. Contrarium tamen videtur velle Primas. Beda, Ansbert. et S. August. loco citato, scilicet, saltem formaliter ante præscientiam, certum esse numerum electorum; v. g. tot præcise coronas esse decretas, ita ut si una ab uno auferatur, illa detur alteri. Hoc enim hîc videtur dici. Nam bonum, quo communius, eo divinius est, ait Alcazar. Itaque, inquit ipse, Deus quasi sapientissimus architectus ante omnia definivit, et mente designavit Ecclesiæ cœlestis fabricam, quot scilicet in ea futuri sint præcise sancti et electi, quasi vivi lapides; non plures, neque pauciores; atque in eo cernitur exactissima et sapientissima ejus dispositio, et apta rei destinatæ proportio. Sicut ergo in ædificio materiali prior est numerus lapidum in mente architecti, quam hujus vel illius lapidis electio: reprobatio autem hujus aut illius lapidis conjuncta est cum alterius substitutione in locum ejus, qui dum incideretur aut poliretur, inventus est inutilis. Ita in spirituali cœlestis civitatis ædificio, numerus electorum est prior intentione, quam hujus aut illius hominis salus; et reprobatio ejus qui erat vocatus et justificatus, semper conjuncta est cum alterius substitutione. Ita ipse.

Verum respondeo hoc non semper, sed subinde fieri, videlicet tunc, cum quis alteri in officio succedit: ut hîc uno Episcopo decidente, alius ipsi in officio, ac consequenter in corona, si alter ab ea exciderat, succedebat. Alioqui enim Deus, qui omnes ad has coronas vocavit, cuique suam præparavit. Deus enim non homines coronis, sed coronas hominibus præparavit et adornavit; corona enim est propter hominem, non homo propter coronam. Secus est in domo: ibi enim lapis est propter domum, non domus propter lapidem. Adde architectum prius quidem designare partes domus in communi; non autem particulari, ut v. g. in ea sint tot præcise lapides, non plures; hoc enim est impossibile. Itidem facit et Deus: nimirum mente destinavit ab æterno, ut in cœlesti Jerusalem essent tot ordines Angelorum et Sanctorum in communi, v. g. ut in ea esset chorus Prophetarum, chorus Apostolorum, chorus Martyrum, Episcoporum, Confessorum, Virginum, etc. Non autem destinavit, ut tot præcise in ea essent Prophetæ, non plures; tot Virgines et Martyres, non plures. Hoc enim nimis arctum et minutum est, quam ut deceat summam illam majestatem, ejusque liberalitatem, et communem providentiam. Quid enim decoris deerit ordini Prophetarum, si unus in eo sit amplius, vel minus numero, ut ipsi volunt, à Deo præstituto? Quid Virginum, Confessorum, Monachorum, Martyrum choro accedet, si in eo præcise sint centum milliones virginum? Quid decedet, si in hoc numero unus alterve desit? Omnibus hos choros, et eorum bravia proponit Christus, omnes ad illos invitat, omnibus coronas eorum hic ostentat. Vult ergo non tantum omnes salvos fieri, sed ad nobiles hasce coronas magna virtute, et suî victoria quemlibet, nemine excluso, eniti. Ergo non certantes coronis, sed coronas certantibus et vincentibus adaptavit et prædestinavit. Non ergo tot præcise coronas, v. g. centum milliones, prædestinavit; sed in genere et communi prædestinavit, ut tot essent coronæ, quot essent futuri in agone et certamine suo victores.

Simili modo rex et princeps novam urbem conditurus, prius describit ideam generalem urbis, v. g. ut tali loco sit forum, tali templum, tali domus civica; tot sint plateæ, tantus mœnium ambitus, etc. Non autem describit singulas domus in particulari. Rursum describit singula officia et opificia in urbe necessaria, non autem singulos cives. Denique si quis officialis, vel opifex urbi necessarius deficeret, curaret alium surrogari. Ita fecit et Deus in sua prædestinatione, qua primam ideam descripsit Ecclesiæ tam militantis, quàm triumphantis. Unde si quis Episcopus (uti erat hic Philadelphensis) Pastor, aliusve Ecclesiæ necessarius aut perutilis deficiat, mox curat ei alium surrogari, præsertim si fideles, vel Ecclesia idipsum petit et oret.

Ita cum è quadraginta Martyribus, in stagnum gelidum ob Christi fidem conjectis, unus vim frigoris non ferens deficeret, et ex stagno exiliret, mox in ejus locum custodem Martyrum surrogavit, quia idipsum Martyres obsecraverunt. Una enim omnium erat oratio, ait sanctus Basilius, hom. 20. *Quadraginta in stadium ingressi sumus, quadraginta item, Domine, corona donemur, ne una quidem huic numero desit. Est in honore hic numerus, quem tu quadraginta dierum jejunio decorasti, uti et Moses et Elias.* Quocirca Deus eos exaudiens, suscitavit janitorem, et illos orantes, et luce circumfusos, et solutam glaciem, et quosdam è cœlo descendentes angelos tanquam à rege missos, qui coronas 39 militibus distribuerent, intuens, ita secum loquebatur: *Quadraginta hi sunt, quadragesima corona ubi est?* Quæ dum cogitat, videt unum, cui animus ad frigus ferendum defecerat, exiisse in proximum balneum, quod tyrannus deficientibus præparari jusserat. Quocirca ipse sibi detractis vestibus, Christianum se professus, in gelidam insiliit, ac Martyr effectus, coronam quam quadragesimus amiserat accepit.

Ita S. Franciscus initio Ordinis sui, cum pauci essent, et nonnulli deficerent, adeo ut Franciscus timeret, ne Ordo deficeret, aut valde deprimeretur, ac nimis lente succresceret, ideoque se valde affligeret, Dominumque ut hoc averteret, obsecraret, audivit ab eo: *Quid turbaris, Francisce, aut quid angeris, cum tuorum fratrum quispiam vel Ordinem deserit, vel in Ordine scandalum concitat? An forte existimas ita te rectorem hujus gregis constitutum, ut non me intelligas superiorem ejus esse rectorem? Quis eum plantavit, nisi ego? aut quis præter me homines*

ad pœnitentiam vocat, vel vocatis perseverandi vires suppeditat? Ego eos perduxi, ego eos retinebo et servabo? ego illis cadentibus alios erigam atque substituam, ac, si unus ad vomitum redeat, ego in ejus locum alterum excitabo, qui illius coronam accipiat, isque si nondum natus fuerit efficiam ut nascatur. Quod si tres tantum in ea permanserint, eos ipse nunquam deseram, sed erit hæc semper familia mea. Ita refert S. Bonaventura, nimirum hoc tribuit Deus tum precibus S. Francisci, tum Ordini ipsi à se instituto, tum Ecclesiæ suæ, cui hic Ordo, uti et cæteri perutilis est. Quocirca miram Dei in conservandis per tot sæcula Ordinibus religiosis, semperque propagandis et labente uno alterum surrogando, providentiam cernimus.

Ita labentibus in martyrio nonnullis debilibus, timidis et inconstantibus, Deus, ut fidei, ac gloriæ, et Ecclesiæ suæ decus tueretur, mox alios substituit, qui pro deficientibus martyrio sese offerrent, et eorum coronam acciperent. Illustre est exemplum in Vita S. Nicephori Martyris, 9 Februarii. Hic enim pro Sapritio deficiente martyrio se obtulit, ejusque coronam accipit. Cum enim Sapritius presbyter Antiochiæ, post multa tormenta fortiter tolerata, ad mortem fidei causa damnatus esset sub Valeriano imperatore jamque ictum gladii exceptarus esset, occurrit ei Nicephorus, cum quo simultates gerebat; cumque Nicephorus identidem ab eo posceret sibi ignosci, et in gratiam cum eo redire, ille obstinate renuit, eique offensam condonare noluit. Quocirca Deus gratiam ei subtraxit: quo factum est ut fidem Christumque negans liber dimitteretur. Quod cernens Nicephorus, et ingemiscens, se pro fide Christi tortoribus generose obtulit, ac à Præside damnatus, martyrii lauream merito humilitatis et charitatis obtinuit, quam Sapritius ob suam superbiam et inclementiam justo Dei judicio amiserat.

Denique ita Deus labenti Saul Davidem, Tertulliano Cyprianum, Origeni Cyrillum, Ruffino Hieronymum, Pelagio Augustinum surrogavit.

Hoc ergo acri stimulo quisque se excitet ad virtutis agonem, dicatque sibi jugiter : *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Ita S. Alexander se excitabat dicendo : *Væ tibi, Alexander! quanta erit confusio tua, cum cæteri coronabuntur.* Rursum : *Sub patribus vigebat nuditas, et humilitas; in nobis autem avaritia, et superbia. Heu mihi, filii, quia conversationem vere angelicam destruximus.* Item dicenti et excusanti se : *Pater, infirmi sumus;* respondet : *Crede, fili, olympici corpore, et robusti sumus; sed anima nostra imbecilla est.* Ita refert Sophronius, aut potius Moschus in Prato spirituali cap. 168.

Porro hæc sententia : *Tene quod habes,* favet illi sententiæ Theologorum, quæ asserit Deum neminem absolute eligere ad gloriam cœlestem; nisi post prævisa merita. Unde et Christus omnibus hisce suis epistolis gloriam hanc nulli nisi vincenti promittit. Quocirca Gabriel Vasquez 1. p. quæst. 23. disp. 89. cap. 10. *Si electio,* ait, *ad gloriam facta esset ante prævisa merita, frustra electo diceretur : Tene quod habes, ut alius accipiat coronam tuam. Nam si nullus ita haberet eam in manu sua, ut posset amittere, recte responderet, depositam esse in manu Dei, de qua nec ullus alius rapere, nec ipse electus amittere posset. Si enim Deus habet clavem, et ita claudit, ut nemo aperire possit; et aperit, ut nemo claudere possit; recte ita electis clausa erit janua inferni, et aperta regni cœlorum, ut nec in manu eorum sit, apertam sibi claudere, et clausam aperire : quare non erit ipsis liberum, clausis januis in infernum introire; contra vero ostio regni cœlorum eis aperto, nemo impediet illos, si velint ingredi, quacumque ratione in hac vita vixerint.* Decretum enim Dei prævium, inviolabile et ineluctabile est, ac necessario impleri debet, quidquid agas. Quare non videtur eis, qui electus est ad gloriam absolute ante prævisa merita, manere liber, ut eam perdere, et gehennam sibi accersere possit, sed necessario ex efficaci Dei decreto salvabitur, ac impossibile erit eum damnari, quidquid agat. Decretum enim Dei à se excutere nequit, esto illud ipse ignoret. Perinde enim ut æger impotens ad ambulandum, vere non est potens, nec liber ad ambulandum, etiamsi ipse se impotentem ignoret, et potentem putet. Rursum, sicut is cui Deus concursum suum subtrahit, non est liber, nec potens ad agendum, etiamsi ipse id ignoret, et potentem ac liberum se putet : ita et hic electus, per decretum Dei efficax et absolutum beatificandi ipsum, beatitudini efficaciter destinatus et astrictus, videtur non esse potens, nec liber ad eam excutiendam, et ad præcipitandum se in gehennam, etiam ipse ignorans Dei circa se decretum impotentem se ignoret, et potentem ac liberum putet. Sed hæc alibi disputanda sunt.

12. QUI VICERIT, FACIAM ILLUM COLUMNAM IN TEMPLO DEI MEI], quasi dicat : Faciam ut is qui firmus in virtute perstiterit, viceritque omnes tentationes, sit magnus et gloriosus tum in Ecclesia, tum in cœlo. Alludit ad duas columnas templi, Boos et Jachin, de quibus 3. Reg. 7. ut fuse ostendit hîc Viegas sect. 6. et Alcazar notat. 1. ubi contendit has duas columnas Salomonis fuisse quasi trophæa victoriarum Davidis erecta ad imitationem columnarum duarum : quas Hercules (qui ducentis annis præcessit Salomonem) fixit in Gadibus, hoc titulo : *Plus ultra,* ac præfigurasse sapientiam sanctitati (hæ enim sunt duæ columnæ Ecclesiæ) jungendam fore in Ecclesia Christi. *Boos* enim hebraice idem est, quod *in fortitudine : Jachin* idem est quod, *præparabit.* Boos ergo significat instrumentum, Jachin efficaciam. In prædicatione autem Evangelii, quis non videat sapientiam esse velut instrumentum, sanctitatem vero esse eam, quæ verbo tribuit efficaciam ?

Sic Machabæis in sepulcris erectæ sunt columnæ, quasi trophæa victoriarum, 1. Machab. 13. 29. Sic Romæ videmus columnas Trajani et Antonini, quasi trophæa, quibus insculpta sunt omnia eorum gesta et victoriæ. Et Trajani quidem alta est 120 pedes, crassa adeo, ut sex homines expansis in orbem brachiis eam complecti vix possint; atque interius per cochleam ab imo ad summum ascenditur ac si esset turris.

Unde Richardus de S. Victor. primo sic exponit, quasi dicat : Efficiam, ut qui vicerit persecutiones et tentationes, *sit columna, hoc est, sit in se firmus per fidem, rectus per æquitatem, erectus per intentionem, sublimis per contempla-*

tionem, sustentans alios verbo consolationis, suffragio orationis, exemplo actionis.

Et Primasius : *Columna*, ait, *in fabricis et munimini congruit, et decori. Sic et mundi victores in Ecclesia eminent munere dignitatis, et portant alios officio charitatis.* Ita columnam hanc de Ecclesia triumphante explicat Ribera : de militante vero Ticonius, Haymo, Beda, Andreas, Aretas, Anselm. et Alcazar, qui multis id probat.

Secundo, Ambros. *Faciam*, ait, *illum columnam*, id est prædicatorem in Ecclesia, quomodo Paulus Galat. 2. 9. Petrum, Jacobum, Joannem, vocavit columnas. Verum quia Origenes, Tertullianus, et alii, qui erant quasi columnæ, ecciderunt, melius, inquit Ambros. *Faciam illum columnam*, id est faciam illum excelsum in cœlo, ex quo non egredietur amplius.

Tertio, Abbas Joachim : *Faciam illum columnam*, id est, Prælatum : hic enim primo : corpore terram, mente cœlum tangit ; secundo, per vitam activam inferioribus inhæret, et tamen per contemplativam sursum aspicit ; tertio, multis tribulationibus expolitur ; quarto, Prælati inter procellosos tentationum turbines, suppositam ipsorum curæ machinam infatigabiliter portant ; quinto, sunt tranquilli et immobiles.

Notat Pererius : In columna octo res spectari et laudari, scilicet rectitudinem, altitudinem, crassitudinem, firmitudinem, rotunditatem, levorem, colorem et materiam, quæ facile est accommodare Prædicatori, Prælato, et cuilibet excellenti Sancto in Ecclesia, et maxime in cœlo, ubi Sancti hi quasi columnæ nulli mutationi obnoxii, in æternitatem stabunt excelsi et gloriosi.

Denique apposite huic Episcopo, qui erat modicæ virtutis, promittitur columnæ soliditas, si ad eam proficiendo contendat, aspiret et enitatur, atque pro ea consequenda, pro virili laboret, gratiam Dei invocando, eique strenue cooperando. Talis columna à Deo effectus est Jeremias cap. 1. 18. cum ab eo audivit : *Dedi te in civitatem munitam, et in columnam ferream.* Vide ibi dicta.

Et foras non egredietur amplius.] *Foras*, scilicet extra ecclesiam, quia per donum constantiæ et perseverantiæ, quod ei dabo, firmiter perseverabit : q. d. Ita confirmabo eum in virtute, et solidabo, ut nulla vis cum quasi columnam, impellere, aut loco suo et gradu deturbare, vel dimovere possit. Secundo, et potius, q. d. firmabo eum in cœlesti gloria et beatitudine, ut *foras*, id est extra eam, non egrediatur amplius in omnem æternitatem. Vox enim *amplius*, non significat quod aliquis Ecclesia vel cœlo egressus sit, sed quod deinceps inde nunquam sit egressurus, cum antea inde egredi potuerit, antequam scilicet effectus esset columna. Sic sumitur τὸ *amplius* Actor. 13. 34. cum dicitur quòd Christus non sit amplius reversurus in corruptionem, cum tamen Christus nunquam corruptus sit, sed corrumpi potuerit, si corporis fragilitatem et cursum naturalem spectes.

Aliter Alcazar : Per templum, inquit, significatur Dei cultus et obsequium. Plateæ et τὸ *foras* significant exterioris hominis occupationes, q. d. Dabo ei robustæ virtutis constantiam, eamque devotionis firmitatem, ut se totum Deo consecret, et omnes actiones suas Dei obsequio mancipet, ut non solum tempus ullum et actionem aliquam in aliqua alia re collocare, sed neque cogitationem à Deo, et rebus divinis divertere, unquam velit. Talis fuit S. Anna, quæ, ut ait Lucas cap. 2. 37. *Non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens die ac nocte.* Multi enim sunt, etiam pii et religiosi, qui vix tertiam diei partem Deo dant, reliquis horis licere sibi putant egredi ex templo, et sine crimine otiari, aut pro libito negotiari. Ille vero quem Christi virtus, et devotionis ardor columnam fecit, non solum deinceps egredi ex templo non vult (id est, pro libito ulli rei vacare, nisi Deo, vel propter Deum), sed neque posse videtur ulli rei intendere, aut de alia cogitare, quàm de Dei et proximorum obsequio. Hic sensus pius est, sed moralis potius, quàm litteralis.

Talis vincens, talis columna fuit S. Vincentius Martyr, qui à Daciano Præside toto corpore laniatus, subridens : *Hoc*, inquit, *est quod ipse toto animo expetebam ; itaque nemo mihi unquam optabilior te ipso fuit, neque animæ meæ obsequium majus contulit : nam licet hostili animo id facias, tamen summum in me beneficium confers. En ut ad sublimia ascendo : en ut cœlestes res attingo, en ut Imperatores tuos contemno. Tu nisi à tua crudelitate desistas, mihi cumulatiorem victoriam afferes, quo majora tormenta perferendo teipsum superabo ; debacchare ergo in me, ne meam gloriam imminuas : quibus cruciatibus me vexare putabis, illis ipse acerbius vexaberis.* Dixit, et præstitit ; nam increpans tortores : *Cur*, ait, *tardiores, et in me torquendo facti estis imbecilliores ? Agite, crudelitatem vestri principis exæquate, ut in omni re quamprimum se ridiculum faciat.* Sævientibus illis, et omnia pœnarum genera in eum exercentibus, ille quasi in epulis exultabat, ut percellerentur ipsi tortores. In eo ostendit Christus, quàm potens sit gratia sua, quàm omnium suppliciorum, terrorum, æque ac blanditiarum victrix et triumphatrix ; quàmque homines resolutos, seseque pro Deo ad dura quæque offerentes faciat invictos et immobiles quasi columnas. Illustris ergo in victoria, fuit nomine et reipsa S. Vincentius, de quo S. August. serm. 12. de Sanctis : *Quid*, ait, *miramur, charissimi, si in illo Vincentius vicit, à quo victus est mundus ? In hoc, inquit, mundo pressuram habebitis, ut, si premit, non opprimat ; si oppugnat, non expugnet. Duplicem mundus aciem producit contra milites Christi. Blanditur ut decipiat, terret ut frangat. Non nos teneat voluntas propria, non nos terreat crudelitas aliena, et victus est mundus. Tanta grassabatur crudelitas in Martyris corpore, et tanta tranquillitas præferebatur in voce, tantaque pœnarum asperitas sæviebat in membris, ut miro modo putaremus Vincentio patiente, alium loquentem torqueri. Caro ergo patiebatur, et spiritus loquebatur. Sed jam, fratres, illa omnia transierunt, et ira Daciani, et pœna Vincentii. Nunc autem pœna Daciano, corona vero manet Vincentio.* Et serm. 13. *Cujus* (spiritus et calicis Christi in Eucharistia, erat enim Vincentius ejus Diaconus et dispensator) *hausta feliciter mente ebriatus, rabidi hostis atque in Christum sævientis insaniam interritus adiit, modestus sustinuit ; securus irrisit. Ideo non hunc laminæ ignitæ sartaginis, non eculei, non ungulæ ferreæque manus, non vires pavendæ cædentium, nec dolor scissorum mem-*

brorum, non foci fragor, et strepentis in patientis visceribus salis injectio, Daciani quiverunt aliquatenus subdere jussioni. Sed unde victor visus est apparere, inde victus compulsus est erubescere, quoniam quo Dei Martyr duriori urgebatur pœna, eo ampliori confessionis exultabat constantia. Contemni igitur se videns sæviebat, nec in quem jam vindictam inferret inveniebat. Videbat namque desævientium manus carnificum plus in eo invenire vulneris quàm corporis, solumque ingentem spiritum ei stultitiam exprobrare suam, quod provocabat veritatis normam. Audi et Prudentium Peristeph. hymno 5. de S. Vincentio, ita ejus verba ad Dacianum recensentem :

Tormenta, carcer, ungulæ,
Stridensque flammis lamina,
Atque ipsa pœnarum ultima,
Mors Christianis ludus est.

Et cum gravissime torqueretur :

Ridebat hæc miles Dei,
Manus cruentas increpans,
Quod fixa non profundius
Intraret artus ungula.

Et inferius :

O miles invictissime,
Fortissimisque fortior,
Jam te ipsa sæva et aspera
Tormenta victorem tremunt.

Spectator hæc Christus Deus
Compensat ævos intermino,
Propriæque collegam crucis
Larga coronat dextera.

Inter Confessores illustris fuit re et nomine sanctus Victor, de quo S. Bernard. serm. 2. de eo : *O Victor inclyte*, inquit, *qui et de terra, et de cœlo gloriosissime triumphasti, illius gloriam nobiliter superbus despiciens, et hujus regna pie violentus diripiens ; respice de cœlo ad vinctos terræ, ut hæc sit tuorum consummatio triumphorum, si et nobis demum vicisse te sentiamus. Nam si ex re nomen tibi, perfecta veritas nominis ex nostra liberatione censebitur ; et certe deest interpretationi, quamdiu nos qui tui sumus, minime liberamur. Quàm pium, quàm dulce, quàm suave, ô Victor, in hoc loco afflictionis, et in hoc corpore mortis te canere, te colere, te precari ! Nomen tuum et memoriale tuum favus distillans in labiis captivorum, mel et lac sub lingua eorum, qui tui memoria delectantur. Eia ergo fortis athleta, dulcis patrone, advocate fidelis ; exurge in adjutorium nobis, ut et nos de nostra ereptione gaudeamus, et tu de plena victoria glorieris. Omnipotens Pater, peccavimus tibi facti filii alieni, sed appropiavimus in victore, qui dum vicit cupiditatem suam, vincat et iram tuam, nos quoque in gratiam potenter restituat. O victor Jesu, te in nostro Victore laudamus ; quia te in illo vicisse cognoscimus. Da ei, piissime Jesu, sic de sua in te victoria gloriari ; ut non subeat oblivio nostri. Fili Dei, immitte ei nostri semper in conspectu tuo memorem esse, nostram in tuo tremendo judicio suscipere et agere causam.*

Et scribam super eum.] Persistit in metaphora columnæ (unde ex Græco verti potest, *super eam :*) columnis enim inscribi solent tituli et nomina victorum, vel eorum quibus eriguntur et dedicantur, uti videmus hic Romæ in columna Trajani, et in arcu Titi, Severi et Constantini.

Nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, etc., et nomen meum novum.] Nomen hoc, ait Ambrosius, est esse æternum, sive esse participem æternitatis, et æternæ visionis Dei, quam significat Jerusalem.

Secundo, esse in societate Angelorum et Beatorum, qui vocantur Jerusalem cœlestis. Sic et Andrea Cæsar.

Tertio, Rupert. Nomen Dei est nomen patris ; nomen Jerusalem est nomen matris, de qua ait Apostolus Galat. 4. 26. *Quæ sursum est Jerusalem libera est, quæ est mater nostra.* q. d. Qui voluntati Dei obsequens victor fuerit mundi, carnis et diaboli, hunc insigniam titulo patris, et matris, honorabo eum, quasi esset pater meus, et mater mea, juxta illud Christi : *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est*, Matth. 12. 50. Huc accedit Joachim : Faciam, inquit, ut à suis vocetur pater quomodo Religiosi suos rectores vocant Abbates, et laici sacerdotes vocant Papas, id est, patres ; ut sint instar Abrahæ, cui dictum est : *Patrem multarum gentium constitui te.* Sic S. Antonius, Hilarion, Benedictus nomen habent *Abbas*, id est pater. Pari modo faciam ut vocetur mater, instar Pauli, qui, ait Galat. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio.*

Quarto, et optime, alludit ad columnas, in quibus principes eos erigentes, sua nomina incidi curabant, quo significabant quod columnæ hæ sibi charæ, pretiosæ et gloriosæ essent : q. d. Adscribam eum meis filiis et electis in cœlo, ut sit incola cœli, et civis angelorum ; ut sit hypallage, qualis est illa : *Invocatum est nomen Domini super nos*, id est, nos vocati sumus servi et filii Domini. Sic hìc dicitur : *Scribam super eum nomen Dei, et novæ Jerusalem*, pro eo quod diceretur : *Scribam nomen ejus in libro Dei, et novæ Jerusalem*, scilicet scribam eum in libro vitæ in cœlo, ut sit civis Sanctorum, et domesticus Dei. Aut potius plane et simpliciter. q. d. Ego hunc virum tam solidum et illustrem in virtute, columnam efficiam, ut et Deo, et Ecclesiæ, et Christo magno sit honori, et gloriæ, ut ipse sit quasi trophæum in Dei victoris, et Ecclesiæ decus à Christo erectum. Quotquot enim ipsum, ipsiusque mores tam sanctos intuebuntur, dicent illum esse columnam Dei, Ecclesiæ et Christi ; ita ut videatur in fronte scriptum gerere : Hic est columna, imo trophæum, Dei, Christi et Ecclesiæ ; quia in ipso resplenduit, omnibusque quasi legenda proponitur magnitudo gratiæ et virtutis Dei. Est catachresis : scribi enim dicitur, quod tam conspicuum fit et illustre, ac si in fronte scriptum esset. Ita Alcazar, cujus sensa docta et pia, sed fusiora quàm ut à multis legi queant, hìc et alibi, in gratiam lectorum, paucis complexus sum.

Nota. Christus hìc ter repetit τὸ *Dei mei*, ut significet ingentem reverentiam, et delicias amoris sui erga Patrem ob tot beneficia, tum sibi, qua homo est, tum fidelibus suis per se collata. Cor enim Christi plenum erat recordatione, gratiarum actione, et amore Dei Patris sui, ut nihil aliud cogitare posset ; utpote qui solus à Patre honoraretur et diligeretur ut naturalis ejus filius, cum cæteri tam homines,

quàm angeli sint ejus adoptivi ; ac vicissim solus Patrem, ut patrem naturalem diligeret, quasi ejus unigenitus. Rursum, per hoc excitat Christus spem Ecclesiæ et fidelium, quod per eum à Patre omnia quæ petunt facile obtenturi sint. Summe enim Pater amat Filium, uti et Filius Patrem.

Nota. Ecclesia tam militans in terris, quàm triumphans in cœlis, vocatur *Jerusalem*, id est civitas Dei (sive visio pacis) ; *nova*, respectu hominum, quibus fuit incognita prioribus sæculis, puta in lege tam Mosis, quàm naturæ. Eadem dicitur descendere de cœlo, tum quia ad litteram, ipsa origine sua est cœlestis. In cœlis enim orta est, et à Deo producta ; unde ipsa è cœlis ad homines terrestres descendere videtur, cum eos facit cœlestes et beatos, de quo plura cap. 21. vers. 1. Tum quia mystice, ipsa cum Christo per humilitatem, semper descendit, contra superbum Luciferum, qui tumore inflatus dixit : *In cœlum conscendam ; super astra Dei exaltabo solium meum*, inquit Joachim. Aliter Maldonatus, in Notis brevibus manu propria scriptis, quas habemus in Collegio Romano : Dicitur, inquit, Jerusalem nova descendere de cœlo, id est fundari, tam alta habere fundamenta, ut à cœlo usque ad terram descendant ; vel quia cœlitus apparet quasi descendens ; vel, quod appropinquet et veniat, cap. 21. 2.

Et nomen meum novum.] Nomen novum Christi est Jesus : hoc enim novum illi in circumcisione impositum est, ait S. Thom. 3. p. q. 37. art. 2. q. d. In victoribus, quasi in columnis, inscribetur nomen Jesu ; ut significetur eas esse erectas per Jesum, gratiam et victoriam omnem adeptos esse per Jesum, ideoque per excellentiam vocabuntur Jesuani, sive Jesuitæ, id est filii et clientes Jesu. Ita Perer. Ribera, Viegas, imo Hugo, qui primus ex Ordine Prædicatorum in collegium Cardinalium est electus, et ex eo Landulphus Carthus. ante annos 260 parte 1. de Vita Christi cap. 10. *In gloria*, inquit, *cœlesti ab ipso dicemur Jesuitæ*, id est, à *Salvatore salvati*. Hoc ergo nomen novum, est nomen Jesu Christi, sanctificatoris in terra, beatificatoris in cœlo, quod Christus tum ante passionem, tum in ea, tum maxime post eam adeptus est, quando è cœlis misit Spiritum sanctum in Apostolos et fideles, ut eos et per eos totum orbem sanctificaret in hac vita, et glorificaret in futura. Porro hoc nomen novum tum ad fidelium, tum potius ad Christi gloriam spectat ; in hisce enim fidelibus, quasi columnis à Christo erectis, relucet Christi gratia, fortitudo et triumphus, quæ hasce columnas fundavit et firmavit, ut turbines omnes et tempestates vincerent ; ita ut in iis quasi Christi nomen et titulus inscriptus, imo insculptus videatur. Sic de Christo ait Apostolus Philip. 2. 9. *Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen ; nomen*, inquam, tum Redemptoris et Salvatoris, tum Domini et Monarchæ mundi. Unde sequitur : *Ut in nomine JESU omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum*. Vide ibi dicta.

14. Et Angelo Laodiciæ scribe.] Hæc est septima et ultima Christi epistola ad Episcopum Laodicenum, et sub ejus persona ad quosvis Prælatos et fideles tepidos. *Celeberrima est*, ait Plinius lib. 5. cap. 29. *urbs Laodicia : imposita est Lyco flumini, latera alluentibus Asopo et Capro, appellata primum Diospolis, deinde Rhoas*. Condita fuit ab Antiocho filio Stratonices, et in gratiam uxoris Laodices, dicta est Laodicia, quasi λαων δικη, hoc est, populorum judicium, id est, judex, puta princeps, populorum, quibus jus diceret, legesque ferret. Hinc vers. 17. se divitem jactat, et nullius indigentem. Erat ergo urbs maxima Phrygiæ, vicina Colossis ; unde S. Paulus Coloss. 4. 16. ait : *Cum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite ut et in Laodicensium Ecclesia legatur, et eam, quæ Laodicensium est, vos legatis*.

Quæres : Quis fuit hic Episcopus ? Aureolus putat fuisse S. Sagarem Episcopum, qui nobile martyrium Laodiciæ obivit sub annum Christi 172 quem laudat Eusebius lib. 5. histor. c. 24. *Quid*, ait, *attinet dicere de Sagare Episcopo et Martyre, qui Laodiciæ obdormivit* ? Verum obstat quòd Eusebius et veteres S. Sagarem à sanctitate et zelo commendent. Hic autem Angelus à Christo multis in rebus reprehenditur, et in nulla laudatur. Audit enim : *Tepidus es ; et nescis, quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus*. Ita Lyranus, Pererius et Alcazar : nisi dicat quis Sagarem initio talem fuisse, sed moritum à Christo resipuisse, ut resipuit Angelus Ephesi, de quo dixi c. 2. v. 1.

Hæc dicit Amen.] Græce ὁ αμην, id est, ille qui est Amen, id est stabilis, verus, constans, fidelis, ipsaque stabilitas, veritas et fidelitas. *Amen* ergo hic non est adverbium, ut volunt. Primas. et Ambros. sed nomen, sive epithetum Christi, uti et Isaiæ 65. vers. 16. ubi vocatur *Deus Amen*, id est Deus verus, et 2. Corint. 1. 18. et 19. Vide ibi dicta. Porro Christus hîc vocatur *Amen*, non tantum qua Deus : q. d. Hæc dicit Christus, qui est Deus, cujus epithetum est *Amen*, id est verus, sive ipsa veritas, sed potius qua homo ; quia qua homo, verax fuit et fidelis, tam in sua doctrina et testimonio, quod veritati perhibuit, quam in suis promissis. Vocatur ergo *Amen*, quia est *testis fidelis, et verus*, uti explicando subditur.

Sed cur hîc tantum Christus se vocat *Amen* ; et testem fidelem, non autem in aliis ad alios Episcopos epistolis ? Respondent aliqui : quia hic Episcopus dubitabat de Christi promissis, ideoque in teporem inciderat, quem hîc redarguit Christus, eumque ad fervorem iteratis promissis revocat, ideoque ei suam fidelitatem ante omnia proponit et inculcat. Verum, an hic Episcopus de Christi promissis dubitarit, incertum est ; certius est eum hæc Christi promissa non æstimasse satis, non considerasse, non ponderasse tantum, quantum par erat ; si enim ea prout debuerat ponderasset, non intepuisset. Omnis enim tepor in Dei obsequio oritur ex eo, quòd homo non satis consideret et æstimet, quis sit Deus, quæ et quanta sint ejus promissa æque ac minæ.

Aliam causam probabilem dat Alcazar. Præmittit, inquit, Christus asseverationem suæ fidelitatis et veracitatis ; quia huic Episcopo dicturus est quædam, quæ minus verisimilia videntur, ut, quod præstet frigidum esse quàm tepidum, quod Episcopus hic miser esset et miserabilis, quodque tali tam ingentia promittat, scilicet cœnaturum se cum eo, ipsumque collocaturum in throno suo.

Qui est principium creaturæ Dei.] q. d. Qui, scilicet Christus, est causa efficiens et exem-

plaris rerum creatarum (à qua scilicet principium ducunt omnes res conditæ) et maxime reparatarum, puta hominum redemptorum per suam mortem. Unde Isaiæ 9. 6. vocatur *Pater futuri sæculi.* Et Apostolus Galat 6. 15. Ephes. 6. 10. Coloss. 3. 10. fideles vocat novam creaturam, Christi scilicet. Sic enim ait ad Ephes. *Ipsius factura sumus, creati in Christo Jesu, in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Fideles enim in baptismo, vel pœnitentia, quasi regenerantur à Christo, fiuntque novi homines, et novum quasi esse divinum accipiunt, ut dicantur et vere sint nova creatura Dei, Deum scilicet colendo et glorificando; in Christo ergo est vera vita nostra, et *Sine Christo vanum omne quod vivimus,* ait S. Hieron. ad Heliod. Ita Ribera, Rupertus et Alcazar, qui et addit alludi hîc ad illud cap. 1. *Principium et finis,* omitti vero τὸ *finis*, quòd hic Episcopus non finem, id est perfectionem, hujus novæ creaturæ, uti ipse putabat, sed tantum initium, imo vix initium, ob suum teporem, erat assecutus. Secundo, pro *principium* græce est ἀρχὴ, quod tam principatum, quàm principium significat; quasi dicat: Qui, scilicet Christus, principatum obtinet in omnes creaturas. Ita ex Andrea Cæsar. Pererius. Perperam ergo Ariani interpretabantur Christum, qua Dei Verbum et Filius est, esse principium, id est, esse primam creaturam, et duratione et dignitate. Nam hoc repugnat S. Scripturæ, quæ docet alibi Filium non esse creaturam, sed Verbum coæternum et consubstantiale Patri, esseque ipsum Deum Amen, uti asserit Isaias loco jam citato.

15. UTINAM FRIGIDUS ESSES, AUT CALIDUS, ζεστὸς, (id est fervens;) SED QUIA TEPIDUS ES, ET NEC FRIGIDUS, NEC CALIDUS, INCIPIAM TE EVOMERE EX ORE MEO.] Arabicus vertit: *Utinam esses aqua frigida, aut esses calida! quia tu es sic aqua tepida, et non es aqua calida, et non es aqua frigida.* Aqua enim tepida evomitur, et ciborum vomitum provocat. Huic ergo comparatur hic Episcopus.

Quæres: Quinam vocantur hîc calidi, frigidi, tepidi, aut potius comparantur aquæ calidæ, frigidæ, tepidæ?

Primo, Richardus, Beda, Aretas, Ambrosius, serm. 2. in psalm. 118. Frigidi, inquit, sunt infideles, qui peccant per ignorantiam; his pejores sunt tepidi, id est fideles peccatores: quia peccatum, v. g. libido gravior est in fideli, quàm in infideli.

Secundo, Victorinus censet frigidos esse hæreticos; calidos, Catholicos; tepidos, politicos, qui pro suis commodis jam hæreticos, jam Catholicos se simulant.

Tertio, Primas. Frigidi, ait, sunt, qui nullas habent opes, quas erogent in pauperes; calidi, qui habent et erogant; tepidi, qui habent, nec erogant. Sic et Ticonius et Andreas, qui ait hunc Episcopum fuisse divitiarum spinis obsitum.

Quarto, comment. inscriptus nomine S. Ambrosii, putat tepidos esse fideles, qui bene operari negligunt, et ex sola fide aut scientia sua sperant salutem. Ita et verus S. Ambrosius in psalm. 118. Salvianus lib. 4. de Providentia, et S. Bernard. serm. 3. de Ascensione, qui inscribitur de Intellectu et affectu. Rursum S. Gregor. part. 3. Pastor. cap. 35. et Thomas Anglicus, tepidum interpretantur eum, qui non consummat ea quæ bene inchoavit, et, ut ait Origenes homil. 1. in psalm. 38. qui post bonum initium torpuit.

Quinto, S. Greg. 34. Moral. 2. ait: Calidus est qui charitatem habet; frigidus, qui in peccato mortali existit, sed culpam suam agnoscit; tepidus est, qui est in peccato, sed illud non agnoscit, et per hypocrisin probum se simulat.

Sexto, Haymo et Ansbert. Frigidi, inquiunt, sunt sæculares; calidi, monachi ferventes; tepidi sunt, qui habent habitum monachi, sed animum et mores sæculares. Vide Haymonem et Cassian. collat. 4. cap. 19. Unde aliqui sic explicant, q. d. Utinam Religiosi aut essent sæculares, aut vitæ Religiosæ, quam professi sunt, studiosi. In sæculari enim vita minus gravia essent peccata, quæ in Religioso graviora sunt.

Septimo, Joachim: Calidus est, qui lætus et alacer gaudet in Domino per misericordiam ejus; frigidus, qui tristatur in se pro peccatis suis; tepidus, qui nec tristis est per pœnitentiam, nec lætus ad obsequium Dei. Sic et sanctus Bernard. serm. 3. de assumptione B. M. Virg. Calidi, inquit, sunt, qui charitate fervent ad bona opera; frigidi sunt, fragiles et peccatores, sed tristes, humiles et pœnitentes. Sive calidi sunt, quos amor Dei; frigidi, quos timor pœnarum à peccatis coercet; tepidi, qui neutrum horum habent, qui nec amant, nec timent Deum.

Octavo, Rupertus et Pererius: Tepidi hîc sunt superbi, qui sibi placent et præfidunt, persuadentque sibi se esse bonos, et secure vivunt, quasi nullius egentes, nihil timentes. Unde sequitur: *Dicis quòd dives sum et locuples, et nullius egeo; et nescis quia tu miser es, et miserabilis.* Hi frigidis, id est manifestis peccatoribus sunt pejores. Unde Rupertus hæc virgini superbienti accommodans sic explicat, quasi dicat: *Utinam potius esses corrupta et humilis!* Hinc S. August. serm. 53. de verbis Domini: *Audeo,* inquit, *dicere, superbis continentibus expedit cadere.* Et libr. 14. de Civit. cap. 13. *Audeo,* ait, *dicere, superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant.* Subdit exempla. *Salubrius enim Petrus sibi displicuit quando flevit, quàm sibi placuit quando præsumpsit. Hoc dicit et sacer Psalmista Psalm.* 82. *Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine, id est, ut tu eis placeas quærentibus nomen tuum, qui sibi placuerant quærendo suum.* Hoc et ait Sapiens Proverb. 16. 18. *Contritionem præcedit superbia, et ante ruinam exaltatur spiritus.* Idem August. lib. 1. de Civit. Dei c. 28. docet Deum à barbaris Romam aliasque urbes vastantibus, permisisse violari virgines Christianas, vel quia ipsæ superbæ erant, vel quia periculum erat ne ob castitatem, etc., superbirent. *Illarum,* inquit, *tumori occursum est immanenti, istarum occursum est imminenti.*

Nono, tepidus est, qui inter virtutes et vitia fluctuat, quique ex virtute quidem vivere, et peccata vitare vellet; sed certamen cum vitiis et virtutis laborem refugit. Ita Haymo, Anselmus, Lyranus et Cassian. collat. 4. c. 12. et 19.

Hos secutus Alcazar: Tepidus, inquit, est, qui Deum quidem non audet moraliter sciens et volens offendere, ideoque se putat justum; sed purioris et perfectioris vitæ studium negligit: unde se facile, propriis concupiscentiis per-

mittit, et quævis peccata devorat, quæ sibi tantum venialia videntur. Hic licet possit esse in statu gratiæ, si videlicet ei gravis tentatio concupiscentiæ non occurrat, facile tamen ea occurrente in peccatum mortale cadit; unde in magno versatur peccati et salutis periculo, sæpeque inter tot occasiones, quibus plena est hæc vita, in peccatum mortale reipsa prolabitur, uti hic Episcopus prolapsus erat. Differt ergo hic Laodicenus à Sardensi, puta tepidus à frigido; quod Sardensis per improbitatem, puta per spontaneam in officio et cura sua Pastorali negligentiam, sciens et volens lethaliter peccaverat; hic vero Laodicenus à propria concupiscentia illectus, per teporem non adverterit se Deum offendere, et tamen ab ipsius gratia exciderit, unde vocatur cæcus. Licet enim sciret se tepidum, tamen non videbat magnitudinem sui periculi, ob hunc teporem; suumque ex eo lapsum et conditionis suæ miseriam non agnoscebat. Hæc explicatio genuina videtur, eique facile expositio quarta, quinta, sexta, septima, octava, nona adaptari, cum eaque conciliari possunt. Nam primæ tres expositiones parum aptæ et impertinentes videntur.

Unde nota: licet in se pejus sit esse frigidum et in frigore degere, quàm tepidum ad frigus tendere; sicut pejus est scienter peccare ex libertate, quàm ignoranter ex tepore et concupiscentia (hoc enim est esse tepidum, illud esse frigidum;) tamen tepor hic damnatur præ frigore, diciturque optabilius esse, ut Episcopus Laodicenus sit frigidus, quàm tepidus; quia tepor primo, periculosior est frigore, tum ob majorem oblivionem et socordiam, ex qua non advertit suum periculum, sed securus, in eo quiescit et obdormit; tum ob periculum derelictionis à Deo. Deus enim, qui est ignis consumens, sibique vult à Seraphinis ministrari, hunc teporem odit, et tepido gratiam suam subtrahit, sinitque eum altum dormire, itaque labi et ruere in barathrum. Peccatum ergo tepidi in se levius quidem est, sed periculosius; ideoque ei dicit hîc Christus: *Utinam frigidus, aut calidus esses!* quod explicans Thomas Anglicus ait: *Sermo est de frigido, non quantum ad frigiditatem et culpam, sed quantum ad dispositionis majorem facilitatem;* quia frigidus magis aptus et dispositus est ad emendationem, quàm tepidus, qui suo tepore facile est ruiturus in profundum peccati et gehennæ. Et Glossa: *Non optat*, ait, *eum frigidum simpliciter, sed talem de quo major spes habeatur.* Nam, uti præclare ait Cassian. coll. 4. cap. 19. *Frequenter vidimus de frigidis atque carnalibus, id est de sæcularibus ac Paganis, ad spiritualem pervenire fervorem; de tepidis atque animalibus omnino non vidimus.* Christus ergo hîc Episcopo Laodiceno, omnibusque Prælatis, et fidelibus, præsertim Religiosis ostendit, quantum sit in tepore periculum, et in quam periculoso, ac ad lapsum et ruinam proclivi et prono statu versentur tepidi, qui disciplinæ et vitæ perfectioris studium refugiunt, in eoque languent et quasi nauseant. Tepor ergo hîc damnatur, non tantum quia contrarius est stomacho, ac instar aquæ tepidæ quasi vomitum provocat Deo, ut vult Pererius; sed etiam quia diminutum quiddam est, imperfectum, torpidum et languidum: nec enim calor est, nec frigus, sed participium ab utroque, imo utriusque quasi refractio, imminutio et hebetatio. Itaque tepidi sunt animalia quasi amphibia, quæ nec terrestria sunt, nec aquatica, et, ut vulgo dicitur, nec piscis, nec caro. Quid agas cum talibus? ubi eos colloces? irresoluti sunt, hærent, fluctuant, nunc huc, nunc illuc inclinant. Nonne satius est esse frigidum, sed resolutum? Secundo, hic tepor per accidens pejor est frigore; quia conjunctus est et oriri solet ex magna præfidentia, superbia, præsumptione et contemptu Dei rerumque divinarum, uti superius dixi ex Ruperto. Hoc est enim quod subdit: *Quia dicis, quod dives sum.*

Unde nota secundo hunc Episcopum Laodicenum per hunc teporem à charitate excidisse, et reipsa incidisse in peccatum mortale, ac tetendisse ad plenum frigus, id est, ad spontaneam peccandi licentiam et malitiam, ac consequenter ad amissionem fidei. Hoc ita esse liquet, tum quia vocatur pauper, nudus, cæcus, miser et miserabilis; tum quia suadetur ei, ut emat aurum ignitum, id est charitatem. Ita docent Richard. Beda, Aretas, Alcazar, Ribera, S. Gregor. Ambros. locis jam citatis, aliique plures.

Nota tertio non male tamen hunc locum accommodari tepido in charitate existenti; imo de eo intelligere videtur Lyran. Nam, ut docet S. Gregor. 3. p. Past. admon. 35. majus periculum est in tepido, quàm in frigido: *Quoniam*, inquit, *frigus ante teporem sub spe est, tepor autem post frigus, in desperatione, id est, qui adhuc in peccatis est, conversionis fiduciam non amittit: qui vero post conversionem tepuit, simul spem quæ erat de peccatore, subtraxit.*

Dices: Quomodo de eo dici potest? *Utinam calidus esses, aut frigidus!* Respondeo: Bonum videtur esse hoc desiderium, uti et permissio, quo scilicet optat qui aut permittit, ut aliquis socors, obfirmatus in socordia, et proximus ruinæ, labatur in peccata aliqua graviora et manifesta, ut ex iis lapsus suos agnoscat, serioque et plane corrigatur et salvetur, uti docet S. August. 14. Civit. 13. verbis paulo ante citatis, de superbo, sibique præfidente ideoque torpente. Nam nisi hoc fiat, manebit socors, et labetur in peccata mortalia occulta, eaque negliget, itaque incurret periculum damnationis. Talis ergo in majori periculo versatur, quam qui est in mortali peccato manifesto, quod ipse agnoscit. Unde satius et optabilius est talem labi in peccatum mortale manifestum, ex quo mox resiliat ferventior, quàm hærere in sua socordia tam periculosa et damnosa, utpote ex qua in longe graviora labetur; et insensibili ac irrevocabili casu profundius in gehennam ruet, uti superius in tepido, qui in peccatum mortale lapsus est, ostendi.

Moral. disce quantum malum sit tepor et acedia: *Acedia* (ait Climachus) *est remissio animæ, et resolutio mentis, pusillanimitas exercitationis, odium professionis, mundanorum beatificatrix, detractrix Dei quasi inviscerosi et existentis sine benignitate, attonita in Psalmodia, infirmans in oratione, in ministerio ferrea, in opere manuum pigra, in obedientia improba.* Ita ipse c. de acedia. *Radix desperationis est ignavia, et non solum radix, sed est nutrix ejus et mater. Nam sicut vestimentum et tineam generat, et nutrit; ita ignavia non solum gignit ex se desperationem, sed alit et fovit*, ait S. Chrysost. lib. de Lapsu. *Per teporem vires et ingenium defluunt*,

ait Isidor. lib. 2. Soliloq. *Fugienda est otiositas mater nugarum, noverca virtutum*, ait S. Bernard. lib. 2. de Consideratione. *Sicut in unoquoque opere mater invenitur constantia, ita universæ doctrinæ et disciplinæ noverca est negligentia*, ait Boëth. lib. de Scholastica disciplina.

Vis Gentilium gnomas et sensa ? Plato libro de Republica : *Pestis*, ait, *mortalibus est ignavia.* Seneca in Proverb. *Diu*, ait, *deliberato, cito facito. Nil curare, hoc est insanum esse ; nil posse, hoc mortuum vivere.* Idem l. de Beneficiis : *Nullum beneficium dandum est negligenti.* Et Epist. 30. *Generosos animos labor nutrit.* Eusebius Philosophus : *Ignavia tabefacit corpus, animam socordia ; exercitatio vero ad speciem Deo simillimam, eam evehit.* Seneca in Medea :

Fortuna fortes metuit, ignavos premit.

Valer. Max. l. 2. c. 7. *Enerves animos odisse virtus solet.* Aristot. l. 3. Ethicor. 7. *Desperat ac diffidit omnis ignavus, quoniam omnia pertimescit : at fortis contra. Est enim fidentis animi audere.* Idem l. 10. de Animal. *Nullum*, ait, *ens naturale, natum est otiosum.* Vide quàm cœli sunt veloces, elementa activa, animalia operosa. Sallustius in Catilina. *Non votis, neque suppliciis mulieribus auxilia deorum parantur ; sed vigilando, agendo, bene consulendo, omnia prospere cedunt : ubi socordiæ atque ignaviæ te tradideris, nequidquam deos implorabis.*

Catonis fuit sententia : *Nihil agendo hominem male agere perdiscere.* Terentianus Mitio quærit de adolescente, an crediderit speratas nuptias dormienti sibi confecturos deos ? Democritus rogatus qua re industrii ab inertibus differrent ; respondit : *Qua impii à piis, spe nimirum bona.* Laborans enim suæ industriæ sperat præmium ; ignavus desperat.

Vis exempla ? Cyrus ignavos milites exauctorandos censuit, uti refert Xenophon l. 2. Cyri pæd.

Lycurgus plectendum censuit civem, qui manifesto neglexisset rationem qua præstantissimus evaderet : ab ignavis enim Respublicas prodi testis est Xenophon de Republ. Lacedæmon.

Themistocles *pigritiam* vocavit *vivi hominis sepulturam :* qui cum expletis centum et septem annis se mori videret, dixisse fertur se plurimum dolere, quod de vita decederet, quando sapere cœpisset. Ita Plutarchus in ejus vita.

Est in Mythis Æsopi, bubulcum agentem currum lignis onustum, cum his in luto hæret, otiose stantem implorasse opem Herculis, cui apparens Hercules : *Rotis*, ait, *ô bubulce, manus applica, et stimulum bobus admove, ac deorum deinde opem poscito ; ne, si tu cesses, frustra dii invocentur.* Unde Proverbium : *Manum admoventes invocate numina.* Seneca epist. 33. *Male*, ait, *mihi malo esse, quàm molliter ; si mollis es, paulatim effeminatur animus, atque in similitudinem otii sui et pigritiæ, in qua jacet, solvitur : dormio minimum, et brevissimo somno utor, satis est mihi vigilare desiisse : aliquando dormisse scio, aliquando suspicor.* Idem epist. 8. *Nullus mihi per otium dies exit : partem noctium studiis vindico. Non vaco somno, sed succumbo, et oculos vigilia fatigatos cadentesque in opere detineo.* Et ep. 67. *Demetrius vitam securam, et sine ullis fortunæ incursionibus, mare mortuum vocat ; in otio inconcusso jacere, non est tranquillitas, sed malacia. Attalus Stoicus dicere solebat : Malo ut me fortuna in castris, quàm in deliciis habeat.*

Lysander Lacedæmoniis segniter Corinthiorum muros oppugnantibus, cum leporem fossa vidisset exilientem : *Eos*, ait, *timetis hostes, quorum ignavia lepores in muris dormiunt.* Testis est Plutarch. in Apophtheg.

Archilochum poetam Spartani, licet Spartanus esset, urbe expulerunt, quod carmen scripserat, satius esse in prælio arma quàm vitam amittere. Hoc enim cives ad ignaviam, et ad timiditatem excitare videbatur.

Nabathæis servatum legimus, ut negligens, remissus et otiosus, qui opes paternas ignavia minuisset, pœna mulctaretur. Ita Alex. ab Alex. l. 3. 13.

Sardoa lex in otiosos constituta est, quæ pœnas socordiæ infligebat, et unumquemque laborum et victus, totiusque vitæ rationem reddere cogebat, teste Ælian. l. 4.

Similis fuit apud Argos, teste Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 3. Sic etiamnum Belgæ non ferunt ignavos aut validos mendicantes. Porro signa fervidi et tepidi, ex S. Bernardo recensui Roman. 12. 11.

16. SED QUIA TEPIDUS ES, INCIPIAM TE EVOMERE EX ORE MEO] Est metaphora à cibis, qui, si frigidi sunt aut calidi, in stomacho retinentur ; sin tepidi, vomitum provocant. Nam, ut recte deducit Ribera : stomachus, ut bene retineat et coquat cibos, claudi debet et constringi. Frigida ventriculum mordent et contrahendo exasperant, calida exsiccant et pungunt : atque idcirco ad utrorumque tactum partes ventriculi contrahuntur, ut utraque stringant, complectantur et percoquant. Hac de causa veteres in conviviis non solum frigidam apponebant, sed etiam calidam, uti notat Lipsius l. 1. Elector. cap. 4. Japones vero jugiter calidam bibunt, eaque ratione evadunt et ignorant colicam, cruditatem, pituitam, podagram, aliosque Europæorum morbos, qui ex frigido potu oriuntur, uti refert oculatus testis noster Trigautius l. 1. Hist. Sinarum. Ad tactum vero tepidorum blandum et suavem stomachus laxatur, solvitur, flaccescit et extenditur ; laxatus dimittit cibum, atque is dimissus gravat eum ut pondus, et molestia afficit : ac proinde natura in id quod molestum est insurgente, atque expellere laborante, evomitur. Unde Medici ad vomitum solent dare aquam tepidam. Explicat id Francis. Valesius Sacræ Philosoph. cap. 20. duplici exemplo. Primo, animalium habentium crustam ; hæc enim mox ut punguntur vel dolent, sese contrahunt ; si vero tepida perfundantur, vel à sole modice calescant, distenduntur. Secundo, manus laxatæ, quæ evertitur ab eodem pondere, quod firmiter constricta retineret et sustentaret.

Significat ergo Deus tepidos suo tepore sibi quasi aquam tepidam propinare, qua cogatur eos evomere, id est, à se suaque familiaritate repellere. Secundo, consequenter significat tepidos esse, quasi cibum crudum defectu caloris, id est charitatis, indigestum ; sicut è contrario ferventes, per charitatis calorem quasi concocti, Christi membra efficiuntur. Tertio, vomitus hic significat Deum execrari tepidos, sicut execramur id quod os evomit. Quarto id fieri violentia magna, sicuti fit vomitus : nam quasi contra bonitatem Dei est, ut eos evomat.

Quinto, non ait : Ex stomacho, sed, ex ore; quia tepidi ita displicent Deo, ut in stomachum eos non admittat, sed statim ut eos in ore senserit, evomat et expuat, ac tandem deturbet in æternum supplicium, ait Andreas Cæsar.

Audi et Alcazarium : *Assero*, inquit, *primo, vomitus metaphoram non esse referendam* (proprie et maxime) *ad æternam damnationem. Hæc enim non solis tepidis, sed omnibus peccatoribus, à Deo intentatur; verum ad id quod eam præcedit, scilicet ad derelictionem Dei. Secundo, assero vomitus metaphora repræsentari irreconciliabilem detestationem. Tertio, assero tepidum tunc aptissime dici à Christo evomi, cum induratur in peccato, et quodammodo projicitur extra curam divinæ providentiæ. Hujus autem comminationis particula* (*quæ propter venialem etiam teporem merito timeri debet*) *est, privari in auxiliis, quæ non conceduntur omnibus justis, sed iis solum, quos Deus majori favore prosequitur. Quantum vero periculum inde immineat labendi in peccata lethalia, et tandem in veram obdurationem, id spiritualium virorum considerationi relinquo. Quarto, assero comminationem hanc sic explicatam esse respectu teporis, et per ipsam doceri fideles, teporem esse ipsissimam viam ad obdurationem in peccato. Qua sententia nihil aptius potuit proponi tepidis, utpote qui putent se valde alienos esse ab hac obdurationе, et valde eam detestari.* Simile proverbium est : *Betizare* et *beta semicocta;* hæc enim nauseam movet, diciturque de hominibus languidis, torpidis et effeminatis; quo utuntur Septuag. Isaiæ 51. 20. Vide ibi dicta. Ita Diogenes dicebat se non carpere mores juvenum, quia *canis*, inquit, *betis non vescitur;* significans juvenes insulsos, ita et morsu suo indignos, nec se dignari eis allatrare.

INCIPIAM TE EVOMERE.] Pro *incipiam* græce est μελλω, quod proprie significat *futurus*, vel *facturus sum;* Syrus vertit : *Paratus sum.* In Scriptura tamen non raro significat *inchoo*, *incipio*, ut Joann. 4. 47. *Incipiebat*, græce εμελλε, *enim mori.* Actor. 3. 3. *Cum vidisset Petrum et Joannem incipientes*, græce μελλοντας, *introire in templum.* Plura affert Ribera. Estque hæc significatio hîc aptior et efficacior, q. d. Non in futurum differam, sed statim incipiam evomere te; vide ergo ut in tepore tuo non hæreas, sed illico eum excutias ac fervorem induas. Ut ergo verbo rem totam complectar, licet frigidus sit pejor tepido, tamen pejor est status sive conditio tepidi, quàm frigidi; quia tepidus est in majori periculo ruendi sine spe resurgendi, quàm frigidus. Arabicus vertit : *Nisi illud* (nisi esses sicut aqua tepida) *discrevissem te visu meo*, vel *oculo meo.* q. d. Placuisses mihi, invenisses gratiam in oculis meis, fuisses mihi dilectus et electus.

17. QUIA DICIS : QUOD DIVES SUM,] auro scilicet et opibus temporalibus : inde enim factus est pauper et tepidus in rebus spiritualibus. Ita Andreas, Aretas et Baronius uti mox plenius dicam. Opes enim apud omnes in pretio sunt, et sæpe magis quàm virtus, juxta illud Ovidii :

> In pretio pretium nunc est; dat census honores,
> Census amicitias : pauper ubique jacet.

Et illud :

> O cives, cives, quærenda pecunia primum,
> Virtus post nummos.

Secundo, et melius, *diversum*, scilicet virtutibus. Ita Ambr. et S. Greg. 30. Moral. 2. ubi pulchre docet electos quærere cœlestes, reprobos vero terrenas divitias.

Nota. Τὸ *quia*, idem est quod *quamvis.* q. d. Quamvis putes dicasque te esse divitem, revera tamen pauper es. Ita Alcazar. Secundo et proprie τὸ *quia* dat causam teporis, q. d. Quia tibi tuisque viribus et virtutibus præsidis, hinc in earum exercitio intepuisti. Solent enim tepidi, videntes se peccata graviora vitare, in quæ homines mundani et scelerati ruunt, gloriari de sua innocentia et sanctitate, ideoque intepescere.

ET NESCIS QUIA TU ES MISER ET MISERABILIS.] Cur sit miser et miserabilis causas tres subdit, quia scilicet erat primo, *pauper*, id est carens charitate : secundo, *cæcus*, quia imprudens in rebus agendis; tertio, *nudus*, quia carens bonis operibus, quia sua faciebat per præfidentiam et hypocrisin. Hæc enim tria, scilicet paupertas, cæcitas et nuditas, si in eodem concurrant, faciunt eum miserum et miserabilem; sicut è contrario beatum apud homines faciunt opes, sanitas et vestitus honestas. Quocirca tribus hisce ærumnis trinam hanc felicitatem opponit, ad eamque eum adhortatur, nimirum paupertati opponit aurum, dicens : *Suadeo tibi emere à me aurum probatum, ut locuples fias.* Nuditati opponit vestes, dicens : *Vestimentis albis*, id est puris et sanctis operibus, *induaris.* Cæcitati dat visus remedium, dicens : *Et collyrio inunge oculos tuos, ut videas.* Ita Beda, Ansbertus, Rupertus et Hugo.

Pulchre S. Greg. l. 34. Moral. c. 3. hæc Apocal. verba sic explicat : *Quasi divitem se asserit, qui per arrogantiam sanctitatis extollitur, sed pauper, cæcusque et nudus arguitur. Pauper utique, quia virtutum divitias non habet : cæcus, quia nec paupertatem quam patitur, videt : nudus, quia primam stolam perdidit; sed pejus, quia nec perdidisse se cognoscit. Quia ergo egestas reproborum, est defraudatio meritorum, recte de Leviathan dicitur : Faciem ejus præcedit egestas.* Aurea est sententia S. August. Num. 27. *Nemo*, ait, *tam eruditus, nemo tam doctus est, qui superna illustratione non egeat. Non enim ulli ita divinorum bonorum augmenta sufficiunt, ut non semper supersit quod mens rationalis et intelligendum desideret et gerendum.*

18. SUADEO TIBI EMERE A ME AURUM IGNITUM PROBATUM,] id est, igne probatum et purgatum; nam pro *ignitum probatum*, græce est πεπυρωμενον εκ πυρος, id est, ignitum ex igne, hoc est, extractum ex igne tanquam ignitum : ac consequenter plane purgatum et probatum; πεπυρωμενον enim respondet Hebræo צרוף *tsaruph*, id est igne exploratum et probatum. Forte etiam pro πεπυρωμενον, aliqui legerunt πεποιρωμενον, id est probatum; et Interpres noster utrumque conjungit.

Aliter Alcazar; nam τὸ *ex igne* refert non ad *ignitum*, sed ad *emere;* q. d. Accede ad fornacem, in qua ardet aurum, et ex ea ipsa fornace eme aurum purum : hoc est, accede ad inflammatam Dei et Christi charitatem per devotam meditationem, eaque quasi pretio oblato postula, ut illius auri igniti particulam aliquam tibi elargiatur.

Adverte. Christus ait, *suadeo*, non, jubeo. Nam ut ait S. Chrysost. hom. 56. in Matth. *Sicut qui vim affert, plerumque avertit; sic qui liberos audientes constituit, multo magis attrahit.* Poten-

tior est enim oratio mitis quàm violenta. Unde Seneca lib. 1. de clementia ait humanos animos esse quasi generosos equos, qui facile freno se flecti sinunt : *Remissius*, inquit, *imperanti melius paretur*. Hinc de Deo ait Sapiens cap. 12. 18. *Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate judicas et cum magna reverentia disponis nos.*

Nota primo. Per *aurum* multi intelligunt sapientiam, non Philosophorum, sed Sanctorum; tum quia ipsa quasi thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis, ut dicitur Proverb. 21. tum quia, uti auro emimus temporalia, ita per sapientiam comparamus et meremur æterna, ait S. Gregor. 4. Moral. 35.

Dicitur *ignitum*, quia sapientia eorum mentes in quibus habitat, in Dei et proximi amorem accendit, inquit, Ambrosius; ita et Andreas Cæsar. et Primas. et Rupert. *Eme*, inquit, *à me aurum sapientiæ ignitum ex charitate, probatum ex fide per charitatem operante;* unde Psal. 118. dicitur : *Ignitum eloquium tuum vehementer*, et Deuter. 33. *In dextera ejus lex ignea.*

Secundo, Haymo per *aurum ignitum*, intelligit Christum passionis igne inflammatum, q. d. Si vis ditescere virtutibus, imitare in tribulatione Christi patientis mansuetudinem, patientiam et Charitatem, ut possis dicere cum Psalmista Psal. 65. *Probasti nos, Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum;* et : *Transivimus per ignem et aquam.*

Tertio et optime, Richard. Beda, Ansbertus, Hugo, et alii per *aurum* hoc intelligunt charitatem, quæ ignita et probata est, id est pura, et defæcata ab hypocrisi, et à scoriis cupiditatis, ardens et fervens.

Porro charitas dicitur ignis : primo, ob puritatem; secundo, ob subtilitatem, qua omnia pervadit; tertio, quia tendit in altum; quarto, ob efficaciam, quia omnia in se convertit; quinto, quia sicut ignis sine materia deficit, sic et charitas sine operibus moritur; sexto, quia ignis omnia reddit ignea, et quo magis se communicat, eo nihil perdens magis crescit, ita et charitas; septimo, quia lucidissima est : ita S. Dionys. c. 15. Cœlest. Hierarch. Denique charitas vocatur aurum, quia præstantissima est et pretiosissima; et quia, sicut lapis lydius ac ignis probant et perficiunt aurum, ita patientia et passio probant et perficiunt charitatem. Plures auri et charitatis analogias vide apud Alcazar. cap. 1. pag. 223.

Nota secundo, hoc aurum emendum, id est comparandum (hoc enim significat Hebræum קנה *kana*, ad quod alludit hîc Joannes; sic Isaiæ 55. 1. dicitur : *Venite, emite absque argento vinum et lac*) esse oratione, lacrymis, pœnitentia, bonis operibus. Hoc aurum, inquit Rupert. *eme pretio piæ confessionis, et fugi memoria fragilitatis, semper considerando quid ex te sis, et quid à Deo acceperis : sic enim locuples fies gratia et cœlestibus bonis.*

Addit S. Ambros. lib. de Joseph. Patriarcha cap. 7. hoc aurum emi argento, non nostro (peccator enim nullo opere aut merito mereri potest primam gratiam) sed Christi, scilicet pretioso ejus sanguine : *Emite*, inquit, *sine argento; neque enim pretium quæsivit à nobis, qui pro nobis pretium sanguinis sui solvit.*

Tertio, Nazianz. orat. in S. Baptisma, respondet Deum ob ingentem suam bonitatem, qua nostram salutem optat, nostrum desiderium gratiæ et salutis, æstimare pro pretio. *O miram*, inquit Nazianzenus, *beneficentiæ celeritatem! O facilem contrahendi rationem! Hoc bonum solo voluntatis pretio emendum tibi proponitur; appetitionem ipsam Deus ingentis pretii loco æstimat : sitit sitiri, bibere cupientibus potum præbet; cum à Deo beneficium petitur, beneficio se affici putat : prompta, munifica ac prolixa natura est, jucundius dat, quàm alii accipiunt.* Et Clemens Alexandr. in Exhortat. ad Gentes : *Omnes sitientes venite ad aquas : Adhortatur*, inquit, *ad lavacrum, ad salutem, ad illuminationem, prope clamans et dicens : Do tibi, ô fili, terram, mare, cœlum; solummodo, ô fili, patrem sitias, Deus tibi gratis ostendetur.*

Quarto, Abbas Joachim : Dat Deus, ait, gratiam pro gratia, Joan. 1. negotiemur ergo cum minore Dei gratia, ut majorem emamus et comparemus. Et Thomas Anglicus : Emptio, ait, est dispositio liberi arbitrii. Verbum ergo emendi significat, quod multa debet homo facere et multa conferre, ut idoneus sit à Deo, accipere ista dona. Sic ergo emptio hæc acuit industriam arbitrii nostri. Sic Proverb. 23. dicitur : *Veritatem eme*, id est, magno labore et studio, et cum jactura rerum temporalium compara sapientiam, quidvis age, quidvis patere, ut eam assequaris. Ita Perer. Et Dionys. Carthus. Eme, inquit, pretio non condigno, sed congruo : actus enim fidei, spei, pœnitentiæ, aliique sunt pretia, id est dispositiones, quibus magno labore emitur, id est comparatur, hæc gratia.

Et vestimentis albis induaris,] scilicet innocentia, vitæ puritate, sanctis et puris virtutum operibus, de quibus ait Apostolus Coloss. 3. 12. *Induite vos sicuti electi Dei, et sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam*, etc. Græca habent : Ιματια λευκα ινα περιβαλη, id est *vestimenta alba*, supple suadeo tibi emere, *ut induaris.*

Nota ex Tacito, Strabone et aliis Baron. anno Christi 62. in fine, Laodiciam fuisse urbem opulentissimam, adeo ut cives urbem terræ motu collapsam, brevi iterum in integrum restituerint : ideoque ejus Episcopum non tam suo, quàm civium nomine dicere : *Dives sum*, atque hanc fuisse teporis tam ejus, quàm civium causam, scilicet opes, indeque luxum. Opes vero has, tum in aliis mercibus, tum in lana sitas fuisse, de qua scribit Strabo l. 12. *Loca*, inquit, *quæ circa Laodiciam sunt, oves alunt excellentes, non mollitie modo lanarum, qua etiam Milesiis præstant, sed etiam ad corvorum nigredinis æmulum colorem; unde amplos quoque habent redditus.* Huc alludens Christus hîc, docet eis alias quærendas esse divitias, diversasque ab illis quas Laodicenses in pretiosis velleribus possidebant, nimirum aurum ignitum charitatis, et vestes albas castitatis et puritatis vitæ; ita ex Strabone Baron.

Et collyrio inunge oculos tuos, ut videas.] *Collyrium* est pharmacum oculorum, præsertim lippitudinis : reprimit enim pituitam et noxium humorem, qui ad oculos fluens visum impediebat. Porro collyrium fit ex saccharo et aqua rosacea, ac tuzia, quæ est spuma subnigra argenti, inveniturque in fodinis argenti. Inde habet venulas argenti, estque friabilis, ut fiat instar arenæ subnigræ. Ab ea collyrium est subnigrum,

ac mordicans et pungens instar argenti et arenæ. Unde Horatius l. 1. Serm. sat. 5.

Hic oculis ego nigra meis collyria lippus
Illinere.

Jam per collyrium hoc, primo, Victor. Primasius, Beda, et S. Gregor. 1. p. Pastor. cap. 11. accipiunt considerationem et observationem mandatorum Dei. *Collyrio*, inquit Gregorius, *oculos inungimus, ut videamus, cum ad cognoscendam veri luminis claritatem, intellectus nostri acumen medicamine bonæ operationis purgamus.*

Secundo, collyrium est memoria passionis Christi, per quam sapientiam et gratiam consequimur. Ita Viegas.

Tertio, alii : collyrium est quælibet tribulatio, quæ per amaritudinem sensus spirituales purgat, ad cernenda spiritualia.

Quarto, collyrium (inquit Haymo et Alcazar) est mortificatio passionum, vel munditia cordis, vel imitatio Christi, vel assidua et pia divina legis meditatio, vel denique captivitas intellectus in obsequium fidei.

Quinto, Andreas Cæsar. et Aretas : Collyrium est contemptus munerum et bonorum terrenorum. Sicut enim hæc excæcant oculos prudentium, ita horum contemptus eosdem aperit et illuminat.

Sexto, et optime, collyrium hoc est tum humilitas, q. d. ait Rupertus : Cor tuum vera humilitate purifica, ut paupertatem tuam videas, et divitias bonitatis Dei agnoscas. Nam Episcopus hic Laodicenus valde perniciosa sui ipsius ignoratione et præfidentia laborabat. Tum collyrium hoc est consideratio novissimorum, q. d. Consideratione futurorum bonorum et malorum expurga mentis oculum terræ infixum, et per eam excæcatum et obtenebratum. Ita Primas. Anselm. Richardus, Hugo et Ribera. Rerum enim divinarum, ac præsertim novissimorum, attenta meditatio oculos animæ aperit, ut cernant veram vitam virtutis et salutis, reprimitque inordinatas affectiones et passiones, quæ visum animæ offuscant et obscurant. Tum denique collyrium hoc est pœnitentia et compunctio cordis, quæ instar collyrii initio oculum pungit et turbat, deinde noxios humores ex eo per lacrymas educit, itaque oculum mentis potius quam corporis purificat et clarificat. Ita Ambros. et Thomas Anglicus.

Hinc patet efficax tepiditatis remedium esse, primo, ferventem Dei amorem; secundo, studium bonarum operationum. Nam, ut ait Cassian. l. 10. Instit. Monach. c. 25. *Experimento probatum est acediæ impugnationem non declinando* (uti luxuriæ) *fugiendam, sed resistendo superandam esse.* Tertio, meditationem, præsertim mortis, gehennæ, judicii et cœlestis gloriæ, quæ initio mentem pungunt, ut purgent; sed purgatam serenant et lætificant. Verum enim gaudium est, quod pura et sancta conscientia parit. Porro, quem ad fervorem non excitet immensum et æternum gloriæ pondus fervidis à Deo promissum? Quem, licet tepidissimum, non percellant, et ab ignaviæ et concupiscentiarum somno excutiant, flammantia gehennæ incendia et ardores sempiterni, si seria meditatione inspiciantur, penetrentur et pene sentiantur? *Torpor* enim *ex imperfecta voluntate oritur: mox ut bonum velle cœperis, ardor erit atque impetus, qui, uti ad vitia pessimus, ita ad virtutem est optimus,* inquit Petrarcha; et Sapiens Proverb. 13. 4. *Vult, et non vult piger : anima autem operantium impinguabitur.* Et cap. 21. 25. *Desideria occidunt pigrum : noluit enim quidquam operari.* Sicut ergo stimuli bobus torporem in incessu excutiunt, ita stimuli hi gehennæ et gloriæ cœlestis acerrimi sunt, ut voluntatem flaccidam et torpidam excutiant, eamque faciant resolutam et efficacem ad omne bonum.

Præclare Sapiens Proverb. 6. 6. *Vade*, ait, *ad formicam, ô piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam; quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, et congregat in messem quod comedat :* ita et tu para tibi cibum bonorum operum, ex quo vivas in omnem æternitatem.

Pulchro apologo idipsum declarat Barlaam Josaphat regi, apud Damascen. in eorum Historia c. 14. Urbs, ait, quædam magna fuit, in qua cives solebant exterum et ignotum virum quotannis creare regem. Hic toto anno plenam habebat potestatem faciendi quidquid vellet. At exacto anno cives inopinato in eum irruebant, et regno urbeque expellebant, quin et relegabant in insulam rerum omnium inopem; ac mox alium peregrinum regem creabant, eique exacto anno similiter faciebant. Contigit quemdam sapientem ab eis creari regem, qui de hac civium consuetudine à consiliario quodam præmonitus; opes regias præmisit in insulam, in quam sciebat se post annum relegandum, quocirca relegatus invenit ibi suas opes quibus laute vixit, cum cæteri fame morerentur. Urbs hæc mundus est : cives sunt tum mundani, tum dæmones : Rex est quisque nostrûm, qui post annum, id est post breve vitæ spatium, relegatur in terram umbræ mortis. Itaque qui sapit, eò bona opera præmittat (hæ enim sunt futuræ regionis opes) ut inde vivat in æternum; quod si non fecerit, cum plurimis aliis improvidis et insipientibus, æterna fame, labe et morte conficietur. Utinam hæc Sapientis sapientissima admonitio jugiter auribus nostris insonet : *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare ; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Eccles. 9. 10.

Nimirum apud Deum in numerato sunt omnes anni, omnes dies, omnes horæ, imo omnia momenta vitæ nostræ. Definivit Deus cuilibet terminos vitæ et mortis; ac proinde præscit quo die quisque sit nasciturus, quot annos victurus, quo die, quo momento moriturus. Hinc præscientiæ et decreto Dei, nec diem, nec horam, nec momentum addere possumus. O si sciremus quàm pauci dies et horæ nobis supersunt! ô si sciremus quanta gloriæ et bonorum lucra in cœlis, singulis horis per actus humilitatis, patientiæ, charitatis et orationis comparare possimus! O si cogitaremus, post hoc tempus, nullum nos habituros instans bene operandi; quomodo viveremus? quomodo opera operibus, merita meritis, lucra lucris instar mercatorum opibus inhiantium, accumularemus? Legimus in vita S. Mechtildis, eam quodam die per revelationem audiisse : si scirent mortales quantum quolibet die mereri, suamque coronam augere possint; si scirent quàm pretiosum sit, æque ac breve tempus hujus vitæ, exultarent et jubilarent in spiritu mane cum expergiscuntur, ac immensas agerent gratias Deo, quod ejus gra-

tia dies ille eis illuxissent quo tantos sibi thesauros, in omnem æternitatem mansuros, comparare possunt.

Audiant tepidi et torpidi classicum Boetii lib. 4. Consolat. Philosoph. metro. 7.

> Ite nunc fortes, ubi celsa magni
> Ducit exempli via, cur inertes
> Terga nudatis? Superata tellus
> Sidera donat.

Audiant et classicum Apostoli : *Momentaneum et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Hic lituus perpetim ejus aures feriebat, hic mentem acuebat ad omnes labores et agones. Hoc æternum gloriæ pondus jugiter oculis ejus obversans, ad omnia dura et ardua eum exstimulabat, ut sentiret et diceret illud S. Francisci : *Tanta est gloria quam expecto, ut omnis me pœna delectet.* Immitte, ô Domine Jesu, in viscera nostra ignem, quem è cœlo in terras detulisti, ut omnis noster tepor fiat calor, omnis timor fiat amor, omnis mœror fiat splendor, omnis torpor fiat fervor. Amen.

19. EGO QUOS AMO, ARGUO ET CASTIGO.] Pro *arguo* græce est ελεγχω, id est arguo, convinco; pro *castigo* est παιδευω, id est erudio, formo, castigo, corrigo mores pueriles. Sensus est, q. d. inquit Rupert. *O Episcope Laodicene, ea quæ tibi loquor arguens et castigans te, tanquam amantis gratiam et benevolentiam suscipe.* Sic pater, inquit Haymo, filium, quem hæredem destinat, erudit et castigat; alios negligit, et sibi permittit. Porro sicut hic Christus opus fuit acri objurgatione, ut Episcopus hic suum teporem excuteret, ut miseriam agnosceret : sic pariter par fuit ut eidem viscera amoris sui ostenderet, tum ad leniendam objurgationem, tum ut eam ad redamandum pelliceret : nonnulli enim tepidi magis amore, quam terrore excitantur.

Nota. Christus suos castigat, primo, ut augeat eorum merita. Ita S. Job innocens et sine merito, aut potius demerito, tot tantaque sustinuit, ut in gratia et gloria perficeretur, ac futuris seculis omnibus in tribulatione positis statueretur vivum patientiæ exemplar, uti dicitur Tobiæ 2. 12. Secundo, ut conservet eos in humilitate, uti Paulum, 2. Cor. 12. 9. tertio, ut peccata eorum expiet, uti paralyticum Joan. 5. Quarto, ad majorem gloriæ Dei manifestationem, ut Lazarum Joan. 11. et cæcum Joan. 9. Ita Hugo : *Dum in occulto* (inquit S. Bernard. serm. in illud : *Qui gloriatur, in Domino glorietur*) *sponsus veritatis suggerit quid desit nobis, superbiam, negligentiam, ingratitudinem repellit : quo triplici vitio fere omnes Religiosi laborant, eo quod minus attenta aure percipiant quid intus loquatur is, qui neminem palpat, spiritus veritatis.*

Præclare Tertull. l. de Patientia c. 11. *Si à Domino*, inquit, *nonnulla credimus incuti; cui magis patientiam quam Domino præbeamus? quin insuper gratulari et gaudere nos docet, dignatione divinæ castigationis : ego, inquit, quos diligo, castigo.* Apocal. 3. 19. *O servum illum beatum, cujus emendationi Dominus instat, cui dignatur irasci, quem admonendi dissimulationi non decepit!* In hujus rei typum Jacobus moriturus *adoravit Dominum, conversus ad lectuli caput*, Gen. 47. 31. seu, ut D. Paulus transcripsit : *Adoravit fastigium virgæ ejus*, Hebr. 11. 21. Nam cum in illa Josephi virga divinam ad flagellandum potestatem mystice recognosceret; ei se posterorum nomine percutiendum submittebat, ut ostenderet quæcumque à Deo supplicia infligantur, libenti animo amplectenda. Nec sine mysterio quod in Genes. dicitur *lectulus*, à D. Paulo *virga* nominatur : quia probi et justi homines non minus inter divinas virgas, quam inter molles lectulos conquiescunt. Quod mihi videtur exprimi in Esther, quæ tunc felicissime regnavit, et regis gratiam promeruit, cum Assuerus *extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu, ipsaque accedens osculata est summitatem virgæ ejus.* Esther. 5. 2. Nam illi è suppliciis divinis facilius et felicius evadunt, qui supplicia divina humilius et libentius amplectuntur. Ita noster Mendoza in 1. Reg. cap. 3. vers. 18.

ÆMULARE.] ζηλωσον, zelare, zelum salutis tuæ et aliorum assume. Rursum, ut Rupert. q. d. *Ego te amo, æmulare tu meum amorem.* Atque, ut Alcazar : *Æmulare*, id est, *agnosce tuam miseriam æque ac meum in te amorem, et concepta amoris mei flamma inducre zelo vindictæ contra teporem tuum, et age pœnitentiam.* Hunc enim zelum opponit ei, quod dixit : *Nec calidus es, nec frigidus.*

20. ECCE STO AD OSTIUM ET PULSO : SI QUIS APERUERIT MIHI, etc.] Significatur hîc primo, Deum sua immensa clementia et gratia nos prævenire; et pulsare ad ostium cordis et mentis nostræ, ut nos à somno desidiæ aut peccati excitet. Secundo, cor nostrum per desidiam et peccatum Deo esse clausum. Tertio, in hominis esse arbitrio Deo aperire, id est ejus inspirationem et gratiam, qua mentem pulsat, admittere, vel respuere; gratiæ consentire et cooperari, vel dissentire et nolle cooperari. Ita Concil. Trident. sess. 6. c. 5. et 6. Quarto, merces aperientis est, *intrabo ad illum*, quasi ad hospitem meum (sicut Christus intravit in domum Zachæi) scilicet per gratiam justificantem et sanctificantem. Hinc Theologi dividunt gratiam in excitantem et adjuvantem; sive in operantem et cooperantem; aut in prævenientem et subsquentem (hæc enim omnia idem sunt) : docentque gratiam excitantem requiri quasi pulsum, qui torpentem et quasi dormientem voluntatem excitet, ut velit bonum : cooperantem vero requiri, ut eam fulciat, eique cooperetur dum vult bonum. Ita S. August. l. de Gratia et l. arbit. c. 17. *Ipse* (Deus) ait *ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Et l. de Natura et gratia c. 32. *Prævenit*, ait, *ut sanemur, et subsequitur ut sanati vegetemur : prævenit ut vocemur, et subsequitur ut glorificemur : prævenit ut pie vivamus, et subsequitur ut cum illo semper vivamus.* Ubi tamen S. August. per gratiam subsequentem, non tam cooperantem, quàm eam, quæ post justificationem datur ad perseverantiam, intelligit. Et S. Bernard. lib. de Gratia et l. arbitr. *Conatus*, ait, *nostri et cassi sunt, si non adjuventur; et nulli, si non excitentur.* Hoc est quod orat Ecclesia : *Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere.*

Alludit hîc Christus ad Cant. 5. v. 2. *Vox dilecti mei pulsantis : aperi mihi; soror mea, amica mea; quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium.* His enim verbis stimulat Christi sponsam ut teporem abjiciat, et

Christi tota nocte pulsanti tandem cor ad amoris et fervoris amplexus aperiat. Ita Joachim.

Nota. Pulsat Deus primo, per illuminationem intellectûs et impulsum voluntatis, immittendo ei terrores gehennæ, spem et desiderium cœlestium gaudiorum; secundo, per sacram Scripturam, aliosque pios libros; tertio, per prædicatores, aliosque monitores; quarto, per exempla. Nihil magis excitat, nihil utilius, quàm legere vitas et exempla Sanctorum. Ita S. Augustinus audiens vitam S. Antonii conversus est, uti et Aulici Imperatoris de quibus ipse scribit lib. 8. Confess. c. 6. Ita S. Thomas Aquinas lectitabat quotidie Collationes Cassiani et Patrum. Ita S. P. N. Ignatius lectitans heroica facta Sanctorum, ad eorum imitationem incitatus mutavit vitam et statum; quinto, proponens sua judicia circa hos, vel illos exercita; sexto, per sua beneficia in nos collata; septimo, per res adversas et tribulationes; octavo, per miracula. Ita Pererius.

ET COENABO CUM ILLO, ET IPSE MECUM,] q. d. Familiaris illi ero, hospes et amicus; familiariter cum illo agam, amice et jucunde uti hospes cum conviva, et conviva cum hospite.

Nota quanti faciat Deus nostram cooperationem cum sua gratia, puta nostram compunctionem, pia desideria, orationes, lacrymas; nimirum quasi delicias et epulas suavissimas, quibus ipse quasi in cœna opipara pascatur et recreetur. *Cœnabo tecum*, inquit Rupert. hoc est *delectabor bonis conscientiæ tuæ; postea vero et tu cœnabis mecum, id est, post mortem in cœlo æternis bonis, et deliciis meis perfrueris.* Proprie tamen per *intrabo* significatur justificatio, per *cœnabo* specialis jucunditas et suavitas, tum Dei, tum conscientiæ jam justificatæ, quæ initium est cœlestis cœnæ et deliciarum æternarum. Alludit ad Cant. 5. 1. ubi sponsa sponsum invitans, ait: *Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum*, et Cant. 8. 2. *Dabo tibi poculum ex vino condito, et mustum malorum granatorum meorum.*

Porro Alcazar τὸ *cœnabo cum illo*, exponit de Eucharistia. q. d. Si teporem excutias, et fervorem spiritus amplectare, promitto tibi gratiam ex S. Synaxi ad solidarum virtutum fructum, quibus eumdem Christum pascas et recrees; τὸ vero *et ipse mecum*, accipit de repotiis, id est, de altera cœna in domo Christi sponsi (sic enim sponsus celebrans nuptias in domo sponsæ, ei, ejusque amicis repotia exhibet invitans eos ad cœnam in domo sua) in qua Christus convivio excipiet eum à quo fuerat invitatus, juxta illud sponsæ Cant. 2. 4. *Introduxit me Rex in cellam vinariam.* Porro hæc repotia Christi sunt, inquit, delectatio magna ex rerum cœlestium cognitione, non arida, sed sapida, quæ mire animam reficit et inebriat, præsertim in S. communione, animam, inquam, non cujusvis, sed ferventis, et totum se Dei obsequio devoventis. Hunc enim solum introduxit in cellam suam vinariam. Hæc expositio acuta est et apposita.

21. QUI VICERIT, DABO EI SEDERE MECUM IN THRONO,] q. d. Faciam illum participem regni mei cœlestis, in quo Beatis est æterna lux, requies perfecta, gaudium inenarrabile et gloria sempiterna. Ita Andreas Cæsar. sic Isaiæ ult. dicitur: *Cœlum sedes mea est.* In hoc tamen universali throno et regno variæ pro meritis sunt sedes et altitudines.

Secundo, S. Gregor. 26. Moral. 26. *Quia*, inquit, *judicii principatum ex Christi virtute percipimus: hinc veluti in ejus throno residemus.* Sic et Haymo: *Sedere in throno*, inquit, *est esse participem judiciariæ potestatis Christi.*

Tertio, Alcazar: Ad thronum, ait, Christi viri perfecti exaltantur, non in futura, sed in hac vita, dum in altissimæ pacis sede collocantur, ac ipsis sedentibus, et ea pace fruentibus, Deus illis tentationum motus subjicit; sicut Christo sedenti atque regnanti Deus subjicit inimicos. Nihil enim aptius promitti potuit teporem excutienti, quam pax illa spiritualis, quam à Christo participant qui ei perfecte servire decernunt, ac thronus ille quo fruuntur, et affectuum propriorum dominatio. Hic sensus pius est, sed tropologicus et mysticus, non litteralis. Primus ergo sensus litteralis est et genuinus. Huic enim Episcopo, uti et cæteris, promittitur merces et bravium regni cœlestis: hanc enim coronam, licet alio et alio nomine et titulo, singulis ostentat Christus, ut eos ad studium virtutis et pietatis acuat. Huic ergo tepido eam promittit nomine sessionis; quia tepidus fugit laborem et cursum; hinc si eum amplectatur, promittit ei requiem æternam, et sessionem regalem in cœlis. Alludit ad Psalm. 109. 1. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.*

Nota. In septem hisce Epistolis Christi, passim ipse *vincenti*, et non alteri, promittit bravium; *vincenti* inquam se, suasque cupiditates, metus, torporem, aliasque passiones; quia hæc sui victoria, uti difficilis æque ac necessaria, ita nobilis est et gloriosa. Viderunt hoc eminus, et per umbram Gentiles. *Quoniam libera est anima et domina passionum, vincere seipsum omnium victoriarum prima est et optima: vinci autem à seipso; et turpissimum, et pessimum*, ait Plato de legibus. *Alexander seipsum vincere, quam hostes, magis regium esse existimabat*, ait Plutarch. in Alexandro. *Seipsum, quam hostem superare multo operosius est, nec adversa propera festinatione fugere, nec secunda effuso gaudio apprehendere*, ait Valer. Max. l. 4. c. 1. Poeta:

> Latius regnes avidum domando
> Spiritum, quam si Lybiam remotis
> Gadibus jungas, et uterque Pœnus
> Serviat uni.

Et alius:

> Ardua res vicisse alios, victoria major
> Est animi fluctus composuisse suis;
> Subjecisse metus, et debellasse tumores;
> Gaudia, spemque gravi supposuisse jugo.

Et alius:

> Rex est, qui sese rectæ rationis habentis,
> Compescens animi noxia vota, regit:
> Cujus ad imperium fugit illecebrosa voluptas,
> Et dolor, impigra spesque metusque fuga.

Et alius:

> Gestiens quisquis pepulit quieto
> Gaudium, et duros animo dolores;
> Spes anhelantes, pavidumque vicit
> Corde timorem;
> Solus hic lauris meruit coronam,

Purpuram solus placide triumphans :
Proximam sedem cui dat beato
Vera voluptas.

QUI HABET AUREM, AUDIAT QUID SPIRITUS DICAT ECCLESIIS.] Verba sunt excitantis attentionem. q. d. Arrige aures, Pamphile, agitur hîc res tua et salus tua : excipe arrectis auribus, oculis et et corde monita Spiritus sancti. Ita hîc Romæ in templo S. Pancratii, suggestui excelso, ex quo more prisco in sacrificio Missæ legitur Evangelium, priscis litteris aureis insculptum legimus : *Qui legit, attendat ad quid sacra lectio tendat.*

Pro coronide horum trium capitum nota, in singulis ad septem Asiæ Episcopos Epistolis, Christum alludere ad agones, victorias et coronas athletarum, præsertim Olympionicarum, quæ celebres erant in Asia et Græcia, iisque Episcopos et quoslibet fideles acuere et excitare ad similes luctas heroicas, coronas et triumphos, uti paulo post plenius ostendam.

In Olympicis enim certaminibus olim tanti erat victoria, tanti vincere, ut ολυμπιονικης, id est in Olympicis victor evehi videretur ad deos, atque Olympicæ coronæ eo in pretio fuerunt, ut non pauci hoc decus ipsi vitæ prætulerint, sicut terminum omnis humanæ felicitatis : quocirca ad eas obtinendas summa erat certantium lucta et contentio. Nero, inquit Sueton. in ejus vita c. 25. *Cum Roman eo curru, quo olim Augustus triumphaverat, et in veste purpurea, et chlamyde distincta stellis aureis invecheretur, coronam capite gestavit Olympicam, dextera manu Pythiam ;* etsi neutram meruerat. Certe cum Olympiæ curru certaret, eo excussus, nihilominus coronam adeptus est, ait Xiphilin. in Nerone; propter quem favorem judicibus distribuit viginti quinque myriadas, quas ab ipsis postea Galba repetiit. Porro præconium quo Nero renuntiatus est victor, tale fuit : *Nero Cæsar certamen vincit, et populum Rom. coronat, et proprium imperium.* Diagoras, inquit Gellius lib. 3. c. 15. *cum tres filios vidisset vincere et coronari eodem Olympiæ die ; eumque tres adolescentes amplexi, coronis suis in caput patris positis, suaviarentur ; eumque populus gratulabundus flores undique in eum jaceret, ibi in stadio in oculis atque manibus filiorum animam efflavit.* Idem de Chilone memorat Plin. lib. 7. c. 32. *Cujus funus, cùm victore filia Olympiæ expirasset, gaudio tota Græcia prosecuta est.* Hoc animo erat Acetes, de quo Statius lib. 5. Sylvar.

Spectatur Acetes
Ille magis crebro dum lumina pulveris haustu
Obruit, et pensa vovet expirare corona.

Pindarus in Pythiis ode 10. coronam hanc vocat maximam præmiorum, quæ nemini contingit nisi audendo et fortiter faciendo. Idem ode 1. *Qui autem vincit*, inquit, *reliqua in vita habet mellitam tranquillitatem, propter præmia victoriæ.* Hinc athletæ futuri, prius erant ascetæ, id est exercitatores. Assidue enim se exercebant cursu, lucta, saltu, aut eo luctæ genere quo erant certaturi. Neque solum ipsi athletæ, sed et patriæ ejus hoc decus parabatur, quæ tota cum suo victore exultabat et celebrabatur.

Mirum vero est quod scribit Plin. lib. 7. c. 47. *Euthymius*, inquit, *pycta* (id est pugil) *semper Olympiæ victor, et semel victus, sicuti mortale fastigium egressus, consecratus est vivus, sentiensque ;* scilicet huic pugili multo plus tributum, quàm unquam à quæsita adulatione Imperatoribus Romanis, quibus *honor Deum non ante habebatur, quàm agere inter homines desiissent*, ait Tacitus in fine lib. 15. Annal. Quid? quod Polydamantis athletæ statua dicebatur in Olympia iis opem ferre qui febre vexarentur, uti refert Lucian. in Deor. conv. Quocirca Plato l. 5. de Repub. felicitatem suæ divinæ reip. comparat cum Olympionicis : *Omnibus*, inquit, *his difficultatibus liberati, vitam agent felici illa Olympionicorum vita plane beatiorem.* Denique Gentiles Olympionicam pene ισοθεον, diis æqualem censebant. Causam dat Solon apud Lucian. de Gymn. *Ibi enim*, inquit, *spectare licet vim virorum, et corporum pulchritudines, et vigorem membrorum, multaque præclara experimenta et vim inexpugnabilem et audacem, ambitiosamque contentionem. Hæc si videres, nullum tu quidem laudandi faceres finem, nullum plaudendi.* Hinc Cicero pro Flacco : *Asinas*, inquit, *pugil Olympionices, hoc est apud Græcos prope majus et gloriosius, quàm Romæ triumphasse.* Quocirca Clemens Alex. asserit eos qui cupiditates vincere volunt, debere esse Olympicos, ipsis vespis acriores ac vehementiores. q. d. Nullam neque vim, neque virtutem cum Olympionica posse conferri, eamque requiri in voluptatis victore. Hæc et plura Carolus Paschalius lib. 6. de Coronis c. 6. et 7.

Si tanti vitrum, quanti margaritum ? si tanti erat victoria Olympica et Olympionices, quanti esse debet victoria Christiana, quanta ad eam lucta et contentio ? utpote in qua victor, qui terrena omnia ut pusilla et puerilia despicit, et cupiditatibus suis æque ac passionibus fortiter imperat, ac adversa duraque quælibet generose amore Dei sustinet et superat, non tantum ολυμπιονικης ; sed ολυμπουνικης, id est Olympi cœlique victor, sui mundique dominus, imo verus Israel, id est Deo dominans, efficitur. Præclare Apostolus 1. Cor. 9. 25. *Omnis*, ait, *qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Quocirca Christus, hîc, singulis Episcopis hanc coronam refricat et objicit, eaque illum, ejusque fideles ad arduos fidei agones et certamina excitat et accendit : nimirum Ephesino c. 2. 7. *Vincenti*, inquit, *dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei.* Smyrnensi v. 11. *Qui vicerit*, ait, *non lædetur à morte secunda.* Pergamensi v. 17. *Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum : et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit.* Thyatirensi v. 26. *Qui vicerit, et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes*, etc. *et dabo illi stellam matutinam.* Sardensi c. 3. 5. *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ, et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram angelis ejus* ; ubi alludit ad præconium Olympionicæ, quod publica præconis voce coram toto populo in Olympicis victor declarabatur, nominabatur et laudabatur, quale fuit Neronis, quod paulo ante recensui. Sic Virgil. 5. Æneid.

Tum satus Anchisa (Æneas) cunctis de more vocatis,
Victorem magna præconis voce Cloanthum
Declarat, viridique obvelat tempora lauro.

Pluribus idipsum ex Philostrato, Maximo, De-

mosthene, Plutarcho et Cicerone ostendit Carol. Paschal. l. 6. de Coronis c. 11. et Petrus Faber Agonist. l. 2. c. 11.

Philadelphensi v. 12. *Qui vicerit*, inquit, *faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius : et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem*, etc. *et nomen meum novum*. Laodicensi v. 21. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.* Christus ergo primus Olympιονίκης, asseclis suis Olympionicis, et quidem singulis, coronam cœlestis gloriæ ob oculos spectandam proponit, eaque ad certamen invitat, ideoque varios dat titulos et nomina ; nunc enim eam vocat lignum vitæ, nunc manna absconditum, nunc calculum candidum, nunc nomen novum, nunc vestes candidas, nunc stellam matutinam, nunc columnam, nunc thronum Dei, etc. Age ergo, ô athleta Christi ; viriliter certa bonum certamen, apprehende vitam æternam ; nullus tibi labor longus, nullus dolor durus videatur, cui cœlum, cui æternitas, cui corona divina promittitur. Hanc ibi plecte, et pertexe continuis heroicarum virtutum facinoribus. Hæc enim *virtus perfecta, et omnibus numeris absoluta coronam vincentibus, et mercedem expetendæ nobis immortalitatis impendit*, ait Lactant. l. 4. de Vera sapient. cap. 16. *Veniet, veniet postea dies ille, quo victor revertaris in patriam, quo per Hierosolymam cœlestem vir fortis coronatus incedas*, ait Hieronym. tomo 2. epist. 6. Imitare Martyres, quibus scribens S. Cyprian. l. 2. epist. 6. *Tolerastis*, inquit, *usque ad consummationem gloriæ durissimam quæstionem, nec cessistis suppliciis, sed vobis potius supplicia cesserunt. Finem doloribus, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt ;* et mox : *Steterunt torti torquentibus fortiores ; et pulsantes ac laniantes ungulas, pulsata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit sæviens diu plaga repetita, quamvis rupta compage viscerum, torquerentur in servis Dei non jam membra, sed vulnera. Pretiosa mors hæc, quæ emit immortalitatem pretio sanguinis sui, quæ accepit coronam de consummatione virtutis.* Denique audi S. Gregor. hom. 37. in Evang. *Delectet*, inquit, *mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamem laborum. Nam non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Jerusalem enim cœlestis est domus fortium, ut ait S. Vigilantius in vita S. Astionis ; unde ejus typus fuit domus fortium Davidis, puta 37 militum ejus fortissimorum, qui recensentur 2. Reg. 23. 8. fueruntque Heroes.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc capite post septem Christi Epistolas ad septem Asiæ Ecclesias, quas audivimus c. 2. et 3. transit Joannes ad suas visiones et prophetias. Itaque hoc cap. incipit proprie Apocalypsis, id est revelatio futurorum prophetica, cum hucusque fuerit potius historia, quam prophetia.

Quocirca recte Ven. Beda, Perer. Viegas et alii passim, uti dixi in prooemio, Apocalypsin in septem partes, sive visiones distribuunt. Prima est, a c. 1. hucusque, qua scribens ad septem Asiæ Episcopos, eos officii sui monet. Secunda est, a c. 4. usque ad octavum, qua S. Joanni ostenditur liber septem sigillis clausus, et per Agnum apertus et explicatus. Tertia est, a c. 8. ad 12. qua videt Joannes septem angelos tubis canentes. Quarta est, a c. 12. ad 15. ubi cernit luctam et duellum mulieris cum dracone. Videt enim mulierem amictam sole, et draconem eam persequentem inter se decertantes. Quinta est, a c. 15. ad 17. ubi prodeunt septem angeli, qui effundunt septem phialas, quibus septem plagas novissimas orbi inducunt et effundunt. Sexta est, a c. 17. ad 21. qua repræsentatur damnatio meretricis, scilicet Babylonis, et bestiarum, ac amasiorum et asseclarum ejus. Septima est, a c. 21. usque ad finem libri, qua uxor Agni et Jerusalem nova descendens de coelo, ejusque ornatus et pulchritudo describitur.

Hæc septem symbola ita explicant Ticonius, Primas. Beda et Rupert. Prima, inquiunt, pars sunt septem Epistolæ Christi ad septem Asiæ Episcopos, uti patet. Secunda pars, septem sigillorum ab Agno apertorum, significat reserationem mysteriorum fidei de Deo trino et uno, de Verbi incarnatione, vocatione Gentium, Sacramentis legis novæ, regno coelesti, etc. quæ clausa fuerant in veteri Testamento. Tertia, septem angelorum et tubarum, significat prædicationem et præcones Evangelii. Quarta, mulieris et draconis, significat dissidia bonorum et malorum in Ecclesia. Quinta, septem angelorum et phialarum, significat judicia et poenas impiorum in hac vita. Sexta, scilicet damnatio Babylonis, significat poenas reproborum in gehenna. Septima, aperte gaudia electorum in

coelo describit. Verum hæc expositio partim nimis ampla et generalis, partim moralis potius, quam litteralis est.

Secundo, Abbas Joachim, Casalensis et Firmanus censent per primam partem Epistolarum ad septem Episcopos, significari statum Apostolorum; per secundam sigillorum, statum Martyrum; per tertiam tubarum, Doctorum; per quartam pugnæ, Monachorum; per quintam angelorum, bonorum Pastorum et Episcoporum; per sextam, scilicet excidium Babylonis, ferventes Prædicatores et Religiosos Ordines, qui student extirpationi vitiorum, et reformationi Ecclesiæ; per septimam, Beatos in coelo. Verum hæc expositio nimis generalis est, et accommodatitia.

Tertio, Aureolus, Lyranus et Annius putant per sex visiones ultimas significari sex Ecclesiæ status, scilicet per secundam septem sigillorum, quæ hoc cap. incipit, significari ætatem et sæculum quod fluxit a Christo usque ad Julianum Apostatam, quod fuit annorum 365. in quo claruerunt Apostoli, Martyres, multique S. Doctores et Pontifices. Per tertiam tubarum, significari sæculum a Juliano usque ad Mauritium Imp. scilicet usque ad annum Christi 580. quod proinde continet annos 215. Per quartam pugnæ draconis contra mulierem, significari sæculum a Mauritio usque ad Irenem et Constantinum Imp. scilicet usque ad annum Christi 800. quod proinde continet annos 220. quo tempore Imperium translatum est ad Carolum Magnum et ad Germanos; eodemque Ecclesiam persecutus est draco, id est Cosroes Rex Persarum, et bestiæ, id est Mahomet et Saraceni. Per quintam septem phialarum, significari ætatem ab Irene, Constantino et Carolo Magno ad Henricum IV. Imp. scilicet ad annum Christi 1050. quæ continet annos 250. quando Ecclesia fuit in septem plagis, id est in variis dissidiis et schismatibus. Per sextam, significari tempus quod fluxit et fluet ab Henrico Quarto usque ad Antichristum. Per septimam tempus quod fluet ab Antichristo usque ad judicium generale. Sed hanc expositionem refutavi in prooemio quæst. 2.

Quarto, Perer. putat tum prædictos status et ætates Ecclesiæ, in eisque insigniores prosperitates, adversitates, eventa et gesta hic describi, tum novissima mundi tempora, et persecutionem Antichristi.

Quinto, Alcazar dividit Apocalypsin in duas partes. Prior, ait, pars a c. 4. usque ad finem undecimi agit de victoria Ecclesiæ Christi, quam habuit de Judæis et Judaismo. Posterior pars a c. 12. usque ad finem agit de victoria Ecclesiæ, quam habuit ex subactis Gentilibus et gentilismo. Priori parte reserantur septem sigilla, in quorum primis quatuor agitur de felicitate illorum paucorum, qui Christum receperunt, in eumque crediderunt: tribus ultimis de infelicitate et poenis eorum, qui eum respuerunt. Hæc est ergo Ecclesiæ victoria de Synagoga, qua decima rebellium Judæorum pars Christo et Apostolis subacta est, cæteris induratis et reprobatis, ac proinde severissime punitis per septem plagas, scilicet famem, bellum, pestem, ignorantiam, cupiditatem, iras et obdurationem. Sed et hæc expositio ac distributio graves habet difficultates, quas proposui in prooemio qu. 2. præsertim quod Apocalypsin faciat Historiam de præteritis, cum sit prophetia de futuris. Unde mox audit Joannes: Ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc.

Sexto, et genuine, Ribera Apocalypsin distribuit in duas partes, scilicet in septem sigilla libri, et ipsum librum. Septem sigilla continent signa prævia judicio et Antichristo, ea reserantur usque ad caput 12. Liber vero describit futura sub Antichristo, ipsumque judicium et gloriam Beatorum, uti suis quibusque locis plenius ostendam.

Hoc ergo capite videt Joannes per ostium apertum in coelo, Deum habitu jaspideo et sardinio, in throno smaragdino residentem ac iride amictum, et circumsedentes viginti quatuor seniores, et quatuor animalia, plena oculis; alis

SENIS INSTRUCTA, DEUM ASSIDUE LAUDANTIA, AC DICENTIA : SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS. SECUNDO, V. 8. AD EORUM LAUDES, VIGINTI QUATUOR SENIORES PROCIDUNT CUM SUIS CORONIS ANTE THRONUM, ET DEUM CELEBRANT.

1. Post hæc vidi : et ecce ostium apertum in cœlo ; et vox prima, quam audivi, tanquam tubæ loquentis mecum, dicens : Ascende huc, et ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc. 2. Et statim fui in spiritu : et ecce sedes posita erat in cœlo, et supra sedem sedens. 3. Et qui sedebat, similis erat aspectu lapidis jaspidis et sardinis : et iris erat in circuitu sedis, similis visionis smaragdinæ. 4. Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor : et super thronos viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, et in capitibus eorum coronæ aureæ. 5. Et de throno procedebant fulgura, et voces, et tonitrua : et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei. 6. Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo : et in medio sedis, et in circuitu sedis, quatuor animalia plena oculis ante et retro. 7. Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti. 8. Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas : et in circuitu, et intus plena sunt oculis ; et requiem non habebant die ac nocte, dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est. 9. Et cum darent illa animalia gloriam, et honorem, et benedictionem sedenti super throno, viventi in sæcula sæculorum. 10. Procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in sæcula sæculorum, et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes : 11. Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem ; quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt.

1. POST HÆC VIDI : ET ECCE OSTIUM APERTUM IN CŒLO.] Ad hoc, ut quasi per ostium Joannes videret Dei thronum, adstantes 24 seniores ; quatuor animalia, angelos, aliaque quæ deinceps enarrat. Fuit hæc tantum imaginaria, vel intellectualis visio ; et consequenter non realis, sed imaginaria tantum apertio cœli. Nec enim cœlum habet ostium, quod aperiatur et claudatur. Mystice hæc cœli apertio significat cœlestia fidei mysteria clarius fuisse revelata Joanni et Apostolis novi Testamenti, quàm Moysi et Prophetis. Hinc Stephanus vidit cœlos apertos, Paulus raptus est in tertium cœlum, angeli ascenderunt et descenderunt supra filium hominis, Joan. 1. 51. Nam, ut ait Daniel c. 2. 28. *Est Deus in cœlo revelans mysteria.*

Alludit ad Ezech. 1. 1. *Aperti sunt cœli, et vidit visiones Dei.* Sic et Jacob vidit scalam erectam in cœlum, et per illam ascendentes et descendentes angelos, idcirco dixit : *Non est hîc aliud nisi domus Dei, et porta cœli.* Sed hæc typi et umbræ fuerunt Christi, Apostolorum et Ecclesiæ, ideoque obscuriora, magis umbrosa et ænigmatica. Unde Ezechiel non ascendit in cœlum, sed ad illum potius è cœlo descendit currus Cherubim. Nam ut ait ipse c. 8. 15. *Apparuit rota super terram juxta animalia.*

Idem de Deo contendit Alcazar, scilicet Deum à Jacobo visum esse inniti scalæ non in cœlo, sed in terra juxta Jacobum consistentem. Verum hoc alii passim rejiciunt, ut dixi Genes. 28. 13. Illud verius Joannem et Paulum sine scala, quam vidit Jacob, raptos ascendisse in cœlum.

ET VOX PRIMA, QUAM AUDIVIT, TAMQUAM TUBÆ.] Alcazar censet tubam hîc æque ac c. 10. significare bellum à Judæis Ecclesiæ illatum. Verum hæc tuba non classicum canit Judæis; sed Joannem evocat in cœlum. Ait enim :

DICENS : ASCENDE HUC.] Ergo Joannes, raptus in extasim, ascendit in cœlum mente et spiritu, non corpore. Fuit enim efficax hæc ejus in cœlum, à Deo per turbam evocatio. In cœlo ergo vidit, non tam gloriam Ecclesiæ triumphantis, quam agones et labores futuros Ecclesiæ militantis, quos ipsa virtute è cœlis accepta erat superatura, et per illos in cœlum conscensura. Ideo enim Christus è cœlis descendit in terram, ut eam, ejusque fideles crucis et fortitudinis suæ asseclas in cœlum subveheret. Hinc de Christo ait Joan. c. 3. 13. *Nemo* (hucusque) *ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo.* Licet enim Elias per turbinem ascenderit in cœlum, tamen cœlum hoc aereum fuit, non siderum, nec æthereum. Hoc est quod ait sapientissimus Salomon : *Non novi scientiam sanctorum. Quis enim ascendit in cœlum atque descendit?* Proverb. 30. 3.

Mystice, significatur Prophetas, Apostolos, virosque Apostolicos debere in cœlis mente et actione versari, ac agere vitam cœlestem terris altiorem, ut omnem hominum vitam transcendant, dicantque cum Paulo : *Nostra conversatio in cœlis est.* Ita enim et populum ad cœlestis viæ et vitæ studium incitabant. Argute enim Diogenes cuidam mira de cœlestibus dicenti, dixit : *Quando de cœlo venisti?*

OSTENDAM TIBI QUÆ OPORTET FIERI POST HÆC.] Alcazar censens præteritam hîc Ecclesiæ de Judæis victoriam, Deique vindictam describi, τὸ *quæ oportet fieri*, sic explicat : Licet, inquit, res illæ jam essent præteritæ, nondum tamen earum magnitudo et præstantia fuerant mundo reserata ; et tunc aliquid fieri dicitur, cum manifestatur. Verum τὸ *quæ oportet fieri*, proprie significat ea quæ nondum facta, sed adhuc futura sunt. Adde magnitudinem excidii Judæo-

rum, æque ac Ecclesiæ gloriam, fuisse toti orbi in seipsa, dum peracta est, conspicuam et celebrem.

2. ET STATIM FUI IN SPIRITU,] raptus fuit in exstasin.

ET ECCE SEDES POSITA ERAT IN COELO.] Alcazar censet thronum hunc Dei fuisse instar propitiatorii et Cherubim. Ili enim erant thronus Dei in templo Salomonis; ad quod hic alluditur. Nam 24 seniores, ait, sunt principes sacerdotum. Hi enim erant 24 ut patet 1. Paral. 24. Hinc et septem lampades respondent septem lucernis candelabri, mare vitreum mari æneo, animalia magnis Cherubinis, quod fecit Salomon: denique caput ipsum Dei laudibus et adoratione terminatur. Atque eumdem hunc thronum censet fuisse in omnibus visionibus propheticis, ut cum Deus visus est Moysi et senioribus Exodi 24. 10. et Isaiæ c. 6. 1. et Ezechieli c. 1. 22. nisi quod pro aurea tabula propitiatorii, Exod. 24. 10. fuerit sapphirina, et Ezech. 1. 22. crystallina: qualem et hic fuisse censet, quia thronus hic erat in cœlo.

Porro propitiatorium, ait, significabat animi demissionem ac sanctitatem eorum qui Deo se totos subjiciunt, eique in semetipsis sedem constituunt. Erat aureum, quia humilitas charitate condienda est: hîc erat sapphirinum aut crystallinum; quia significabat vitam cœlestem. Duo Cherubini manibus junctis sedem Deo exhibentes, ita ut pedes Dei viderentur insistere propitiatorio, sive operculo arcæ, quasi scabello, significabant sapientiam et sanctitatem, id est, mentem cœlesti lumine illustratam, et voluntatem in divino obsequio ferventem. Harum enim potentiarum perfectio facit tam angelos, quàm homines præclarissimum Dei thronum. Alæ symbolum sunt erecti animi, promptique, et ad Dei jussa exequenda paratissimi.

Causam horum omnium dat, quia, inquit, non est sermo hic de throno quem Deus in cœlis habet, sed de throno novo regni cœlorum, quod prædicavit Christus et Apostoli, id est de throno, quem habet Ecclesia. Genuinus enim sensus est gloriosissimum esse Deo novum regnum, quod habet in Ecclesia Christiana, id est in cordibus fidelium quæ recepto Spiritu Sancto, perfecte ei subjiciuntur per excellentem sanctitatem, et vitam perfectissimam, ac rerum omnium terrenarum contemptum. Thronus ergo Dei sunt fideles justi et sancti. Nec aliud, vel alios significat hic thronus. Hucusque Alcazar.

Verum hæc partim mystica sunt et moralia, partim incerta, aut minus probabilia. Nam nulla Cherubinorum hîc fit mentio, uti nec Isaiæ 6. nec Ezech. 1. quinimo Cherubini Ezechielis stipabant currum Dei; ergo non poterant ejus esse thronus. Porro agi hîc de throno Dei quem habet in cœlo non autem in Ecclesia, patet ex sequentibus, ubi docet in circuitu throni hujus fuisse cœlestes spiritus ac beatos vestitos albis, et coronis aureis coronatos, clamantes: *Sanctus, sanctus, sanctus*, etc. Rursum ex eo quod ait v. 5. de throno processisse fulgura, voces et tonitrua; hæc enim è cœlo prodeunt, non è terra. Denique Alcazar ait Apocalypsin esse quasi scenam versatilem, in qua subito machinis quibusdam converso pegmate, alia species ostenditur, ut sylva, v. g. in palatium subito converti videatur: sic enim thronum hunc cœlestem quasi in terrestrem commutari, quod parum congruit divinæ gravitati et majestati.

Dico ergo ad litteram S. Joanni ostensam fuisse speciem throni cujusdam magnificentissimi, puta regalis, id est cœlestis et divini, qui longe magnificentiam propitiatorii, Imperatorum, Regum et Pontificum omnium superabat. Repræsentabat enim immensam et altissimam celsitudinem et majestatem divinæ naturæ, felicitatis et gloriæ, in qua Deus quasi in throno ex omni æternitate residet et requiescit. Fuit ergo thronus hic similior throno Dei, quem vidit Isaias c. 6. et Ezech. c. 1. uti mox patebit, quàm propitiatorio.

Mystice, sedes hæc est Ecclesia, ait Rupertus, Ambros. et Alcazar, puta Sancti, ut ait Aretas; vel angeli, ut vult Richardus Victor. vel potius B. Virgo. Ita S. Bernard. serm. de B. Maria: *De throno*, ait, *procedebant fulgura et voces, et tonitrua quia Mater filii Jesus Christi; parabolas, ænigmata, legalia et mirifica gesta, dicta et opera avidius ebibit, fidelius credidit, sincerius luculentiusque aliis edidit.* Alii distinctius per fulgura accipiunt B. Virginis miracula; per voces, blandas cohortationes; per tonitrua, increpationes, minas gehennæ, ultiones et supplicia hostibus suis et impiis ab ea inflicta. Hinc B. Virgo à S. Epiphanio, serm. de laud. Deiparæ, vocatur *Thronus Cherubicus.* Scripsit hac de re opus ingens, pium æque ac eruditum, noster P. Anton. Spinellus, Provincialis Neapolit. cujus titulus est: *Maria Deipara thronus Dei.*

ET SUPRA SEDEM SEDENS.] Sessor hic non fuit Christus, ut vult Ambros. Christus enim est Agnus ante thronum, qui à sedente accepit librum, ut patet c. 5. 7. Sed Deus, qui hîc specie humana et regali apparuit sedens in throno, ut patet ex eo quod c. 5. 7. dicatur habuisse dexteram. Hic ergo princeps in solio hoc cœlesti residens, est cœlorum Rex, id est cœli terræque conditor. Ita Richardus, Alcazar, Ribera et alii.

Porro Alcazar censet tam hîc, quàm Isaiæ 6. sessorem fuisse Deum Patrem tantum. Verum longe melius alii censent fuisse Deum absolute, prout communis est Patri, Filio et Spiritui sancto. Alludit enim ad thronum Isaiæ c. 6. 1. ubi sessor fuit Deus trinus et unus, sive Sancta Trinitas; uti ibidem ostendi. Unde et hîc, æque ac ibi, sancta animalia jugiter acclamant ei trisagion, scilicet *Sanctus, sanctus, sanctus*, quasi dicant: Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus sanctus; hi enim tres sanctissimi sunt ipsaque primæva, increata, essentialis et immensa sanctitas.

Objicit Alcazar: Filius hîc repræsentatur Agno qui accessit ad sedentem in throno. Ergo non sedit in throno: non enim accessit ad seipsum. Si dicas Agnum significare Christum hominem: hic autem potuit accedere ad seipsum, quatenus erat Deus. Resp. Alcazar, theologice id verum esse, sed Scripturam ita non loqui, imo passim dicere Filium, qua homo est accedere ad Patrem, eumque invocare non seipsum. Verum dico utroque modo loqui Scripturam. Cum enim passim dicit Christum nos redemisse et reconciliasse Deo suis meritis, oratione et passione, significat Christum nos reconciliasse toti sanctæ Trinitati, scilicet non soli Patri, sed Filio, et Spiritui sancto, uti patet, et omnes Orthodoxi fatentur. Tam enim offensus erat nobis Filius et Spiritus sanctus, tamque reconcilian-

dus, quàm Pater. Itaque illa oratio et vox Christi psal. 39. 7. quam citat Apostolus Hebr. 10. 7. *Hostiam et oblationem noluisti*, etc. *tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam* non tantum Patrem, sed et Filium, et Spiritum sanctum respicit, et ad omnes dirigatur. Venit enim Christus, ut horum omnium voluntatem circa redemptionem hominum impleret. Sic in cruce orans et clamans : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth. 27. v. 46. non tantum à Patre, sed et à seipso ut Deus erat, suam humanitatem in tormentis et morte derelictam significavit. Sic Matth. 6. 9. oravit, et nos orare docuit : *Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum*, etc. utique Patrem non personaliter, sed essentialiter intelligens, puta Deum ipsum, qui suæ humanitatis et omnium hominum est pater, id est creator et Deus : qualis est tam Filius, et Spiritus sanctus, quàm Pater æternus. Oramus enim ut omnium horum nomen sanctificetur et voluntas fiat. Multo magis in visionibus, qualis est hæc : Filius ut homo, dici potest accedere ad seipsum ut Deus est.

3. Similis erat aspectu.] Corrige cum Rom. *Aspectui*, id est colori, vel speciei jaspidis. Hebræis enim oculus vel aspectus ponitur pro colore vel specie ; scilicet potentia, vel actus pro objecto, per metonymiam.

Lapidis jaspidis et sardinis.] Jaspidis est coloris subviridis, sardius rubei. Unde Pererius putat hos colores in corpore Dei sessoris fuisse permistos. Præsertim, quia Plinius l. 37. c. 8. docet in Phrygia jaspides esse purpureos ; et apud Virgil. 4. Æneid. fulva jaspide stellatur ensis.

Concinnius Alcazar censet non commistos, sed partitos fuisse, scilicet corpus Dei ab imo ad lumbos fuisse simili jaspidi, à lumbis vero sursum sardio. Alludit enim Joannes ad Ezech. 1. 27. et c. 8. 2. ubi de sedente in throno Cherubico dicitur : *Ab aspectu lumborum ejus, et deorsum, ignis ; et à lumbis ejus et sursum, ut visio electri.* Partita ergo fuit hæc visio et species ; superne enim erat electrina, inferne ignea ; uti hîc superne erat sardina, inferne jaspidea. Sic olim viri illustres ad magnificentiam plures gemmas jungebant, easque gestabant in annulis et digitis, unde Martial. l. 5. epigr. 11.

> Sardonychas, smaragdos, adamantes, jaspidas uno
> Portant in articulo, Stella Severe, meus.

Quæres quid in hoc Dei throno significent jaspis et sardius ? Resp. primo. Victorinus, Primas. Beda et Rupert. per hasce duas gemmas significari Dei justitiam et vindictam in peccatores : scilicet per jaspidem, qui coloris est aquei, significari diluvium sub Noe, quo Deus omnes peccatores submersit : per sardium, qui rubeus est, significari ignem conflagrationis mundi, qui peccata et peccatores exuret.

Secundo, Richard. Virore, ait, jaspidis significatur semper virens Sanctorum gloria in cœlo; per sardium incendium gehennæ, quæ duo sunt hominis novissima, eaque Deus hîc et alibi hominum oculis subjicit, ut ea jugiter intueantur.

Tertio, Joachim : Jaspis, ait, est Pater ; sardius est Filius, smaragdus et iris est Spiritus sanctus.

Quarto, Viegas et Perer. Jaspide, inquiunt, virente significatur misericordia, sardio rubente justitia. Hisce enim duobus omnis resp. et totus mundus à Deo regitur. Unde ait Psaltes : *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine.* Hac enim visione multa adumbrantur de providentia et misericordia Dei in pios, atque justitia et vindicta in impios.

Quinto, Lyran. Deus, ait, hîc apparet quasi provisor Ecclesiæ militantis ; unde jaspide significatur ejus consolatio et recreatio in adversis, sardio ejus inflammatio, qua facit ut ardentius Deo serviamus.

Sexto, Aureolus : Sedes hæc, ait, est cathedra Ecclesiæ Romanæ, quæ est caput Ecclesiæ militantis. In hac est jaspis virens, puta misericordia et potestas solvendi peccata, est et sardius, id est potestas eadem retinendi et puniendi. Sedes enim Dei est sedes Ecclesiæ et Vicarii ejus ; scilicet Summi Pontificis ; unde de ea canit psaltes : *Et in cathedra seniorum laudent eum.*

Septimo, et optime, Andreas, Aretas et Ribera : Jaspis, inquiunt, qui firmissima est gemma, viridis et sæpe pellucens, teste Plinio lib. 37. 8. significat splendorem et pulchritudinem divinitatis semper virentis et florentis. Sardius, quia sanguinei et ignei coloris est, et ut ait Aretas, feris terrorem incutit, significat primo, igneam, id est sublimissimam et efficacissimam Dei naturam. Secundo, ejusdem justitiam, terrorem et vindictam in impios Antichristi præcursores vel asseclas ; hæc enim in Apocalypsi præsignatur et prædicitur : unde optime ejus speciem hîc ostentat Deus, ac vindicis habitum assumit : solet enim assumere speciem et habitum similem materiæ et rei de qua agitur. Tertio, Abulens. et alii asserunt sardio gaudium accendi : apte ergo sardius significat immensam illam Dei gloriam et felicitatem, ex qua manat immensa ejus voluptas et lætitia. Huc facit quod Alcazar pag. 979. littera C. tradit, sardium partem esse originem amethysti, idque ex eo manifestum esse, quod in nonnullis gemmis quæ inveniuntur, una parte sardius, altera amethystus cernatur. Amethystus autem, qui colorem habet vini, symbolum est deliciarum cœlestium, et nectaris divini, quod longe magis quàm vina Falerna lætificat cor, illudque gaudio inebriat, juxta illud Psaltis : *Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Idem ergo significat sardius.

Octavo, Alcazar censet jaspidem et sardium idem significare hîc, quod c. 21. n. 19. et 20. in duodecim fundamentis cœlestis Jerusalem : quæ cum significent, ait, duodecim articulos fidei, ac primum fundamentum sit jaspis, sextum sardius, sequitur jaspidem significare primum Symboli articulum de Deo rerum omnium creatore, sardium vero significare sextum, qui est de Christi resurrectione. Error enim hîc est in Alcazaris numero ; ponit enim sardium quintum, cum Apocal. 21. 19. ponatur sextus, uti ibidem ponit et Alcazar, ubi et articulum de Christi resurrectione, quem alii jungunt cum descensu ejusdem ad inferos, ponuntque quintum, ipse ab eo dividit, ponitque sextum. Hinc docet apte utrumque lapidem et articulum conjungi in idea Dei Patris, cui attribuitur potentia, ac consequenter tam creatio, quàm resurrectio. Sicut enim per creationem creaturæ esse cœperunt, ita per Christi resurrectionem datum est initium novæ creaturæ ; ante illam enim nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. Quare merito Christi resurrectio consideratur in Scriptura, quasi nova mundi creatio:

omnis autem creatio opus est Dei Patris. Rursum apte jaspis supponitur sardio, hoc est creatio resurrectioni ; hæc enim illa est excellentior et gloriosior. Atque sicut natura gratiæ supponitur, et gratia gloriæ; sic opus creationis supponitur resurrectioni, quæ est quasi recreatio, sive iterata creatio, quæ antiquæ rerum in Genesi productioni, novæ quasi creationis, et novæ creaturæ gloria addita est. Ita ipse ingeniose et incongrue. Sardius enim, ut dixi, symbolum est gaudii et felicitatis divinæ, quam Deus suis electis communicat beando illos, et resuscitando ad vitam et gloriam sempiternam.

ET IRIS ERAT IN CIRCUITU SEDIS SIMILIS VISIONI SMARAGDINÆ.] Primo, Andreas : Iris, ait, varia et florida repræsentat cœlestium virtutum et ordinum ornamenta, diversaque eorum munera et officia, ac præsertim, ut ait Perer. tres colores iridis significant triplicem virtutem, purgandi, illuminandi et perficiendi, quæ est in Deo et angelis.

Secundo, Richard. Victor. per iridem quæ speciem habet arcûs, itaque belli signum et instrumentum ostentat, putat significari judicium universale in quó smaragdus, qui partim viret, partim rubet, indicat bonos præmiandos, malos puniendos esse. Unde et Christus judex pingitur insidere iridi ; sedebit enim in nube gloriosa, qualis est iris.

Tertio, Ven. Beda : Iris, ait, sunt Sancti, qui Ecclesiam suis precibus protegunt, sicut iris cingit et protegit nostrum hemisphærium.

Quarto, Ansbertus : Iris, ait, est incarnatio Verbi ; idque primo, quia, sicut sol in nube irradians facit iridem, sic Verbum in carne irradians fecit Christum. Secundo, sicut iris fuit pacis symbolum tempore Noe, ita et incarnatio Christi fuit reconciliatio mundi. Tertio, duo cornua iridis sunt duæ naturæ Christi, humana scilicet et divina ; chorda in hoc quasi arcu, est earumdem unio hypostatica. Quarto, in iride triplex est color, ita et in Christo ; Christus enim fuit quasi cæruleus, id est cœlestis, per orationem assiduam : fuit viridis, per florem gratiarum et virtutum : fuit rubicundus in cruce, per amorem æque ac sanguinem. Quinto, ab hoc arcu emissæ sagittæ amoris sunt, quibus vulnerata sponsa dicebat Cant. 2. *Fulcite me floribus, stipate me malis ; quia amore langueo.* Ita Viegas.

Sexto, iris hæc imbrifera fuit : quia effudit in orbem prædicationis et doctrinæ cœlestis abundantiam.

Quinto, Alcazar censet hanc iridem non alium habuisse colorem quàm viridem, tamque fuisse viridem, ut smaragdo similis appareret. Licet enim communis iris sit multicolor, tamen nova, inquit, hæc et cœlestis tantum fuit viridis vocaturque iris, quia arcus cœlestis speciem exhibebat, non in colore, sed in forma et figura. Porro smaragdus c. 21. æque ac hîc, significat passionem Christi, qua Deo Patri reconciliatus est mundus, sicut per Noe reconciliatus est in diluvio, hujusque reconciliationis, et novi pacti Deus signum dedit iridem ; hæc enim passio, æque ut iris Noe, jugiter Dei oculis observatur, eumque iratum continet, ac clementem et liberalem in Ecclesiam efficit : tum quia incredibili voluptate hæc Christi obedientia, religio et charitas eum afficit : tum qua promissionis suæ Christo factæ, de gratia et venia peccatoribus danda, jugiter eum memorem facit. Arcus ergo passionis Christi totus est viridis, id est totus est spei nostræ objectum, totus benignitatis et misericordiæ promissio. Vide Isaiæ c. 54. 8. Crux enim, sive Christus in cruce distensus, fuit quasi arcus cœlestis tensus, quo novum fœdus, pactum et testamentum inter Deum et homines Christus sanxit, Arca ergo fœderis veteris testamenti fuit mutata per Christum crucifixum in arcum cœlestem, ut novi fœderis excellentia indicaretur, sicut mare æneum in mare vitreum conversum fuit v. 6. Hæc eleganter et apposite Alcazar. Cum enim Christus occisus, ante thronum Dei quasi in scenam hîc prodeat, apposite symbolum et instrumentum occisionis ejus, puta crux, in iride repræsentatur, et in scenam producitur. Rursum, crux Christi non clamat nisi reconciliationem et misericordiam, cujus symbolum est iris, uti jam dicam.

Sexto ergo, magis generatim et genuine Ribera, Viegas, Perer. et alii passim. Iris, inquiunt, est Dei misericordia, quæ undique thronum Dei circumdat. Iris enim tempore Noe reconciliationis et fœderis inter Deum et homines fuit signum, fuitque iris idem quod εἰρήνη, id est pax, ait Ticonius. Secundo, iris versicolor recreat, et imbrem copiosum ac varium in terram depluit : idem facit Dei misericordia ; unde in ea quasi est color cæruleus, id est fidelis ; et viridis, id est spes ; et rubicundus, id est charitas, aliique mixti, id est variæ aliæ virtutes et gratiæ, quas Deus effundit in homines. Tertio, sicut iris est semicirculus qui tantum in hemisphærio nostro apparet ; ita et Dei misericordia tantum apparet in hac vita, justitia vero in altera. Vidi Lovanii in inauguratione Serenissimorum Principum Alberti et Isabellæ, inter varios triumphales arcus et titulos, unum erectum, cui inscriptum erat uncialibus litteris : *Octaviani Augusti in Urbem adventu ; corona iridis specie circa solem apparuit, novæ potentiæ, novæ pacis auspicium. Hanc vobis, ô Principes nostri, senatus populusque Lovaniensis in ipso ingressu dedicat, novæ pacis auspicium.* Hunc titulum, hanc iridem Deo, novæ per Christum pacis auctori, consignat hîc S. Joannes.

Sic iris, id est pax, sui ævi fuit, re et nomine Irene Imperatrix, uxor Leonis Imperatoris Iconoclastæ et mater Constantini junioris Imperatoris ; quæ, mortuo marito, cum filio succedens in imperium, iconoclasmum sustulit, pacemque Episcopis, Monachis et Ecclesiæ reddidit. Unde Theodorus Studita in Vita S. Platonis : *Postquam,* inquit, *regnare cœpit Dei cultrix Irene* (anno Christi 780.) *quæ pacem ut cognomento, ita et re attulit, in cujus regno cum aliis bonis et monasticæ vitæ adeundæ facultas et janua patefacta est, quæ olim ab impio Imperatore clausa fuerat,* etc. *Ex eo, inquam, tempore quo Irene regnare cœpit, nostra tota eorum qui rebus terrenis renuntiaverant, familia monasticæ vitæ obedientiam profitebatur.* Idipsum miro ostento Christus præsignificavit. Nam eodem anno in longis Thraciæ muris quidam homo fodiens, invenit arcam lapideam, quam cum expurgasset et revelasset, reperit virum jacentem, et conglutinatas arcæ litteras continentes hæc : *Christus nascetur ex Virgine Maria. Credo in eum. Sub Constantino et Irene Imp. ô sol, iterum me videbis.* Ita refert Theophanes, et ex eo Baron. anno Christi 780.

Posset quoque cum Ribera per iridem accipi varietas, et universitas, ac pulchritudo creatu-

rarum omnium, quam in se continet Deus. Sicut enim iride mira est colorum varietas, et, ut ait Virgil. 4. Æneid. *Mille trahit varios, adverso sole colores :* ita et in universitate creaturarum resplendet jucundissima quædam et admirabilis varietas perfectionum Dei. Vide de iride dicta à Genes. 9. 13. et Ezech. 1. 28.

Similis visioni smaragdinæ.] *Similis* erat non ipse sedens in throno, puta Deus, ut vult Ribera, qui putat τὸ *et iris erat in circuitu throni*, parenthesi intercipiendum et includendum esse; sed similis erat, scilicet ipsa iris, smaragdo virenti. Erat ergo iris viridis, non tota, ut vult Alcazar, quasi alium colorem præter viridem non haberet, sed quòd viridis color in ea esset eximius, cæterisque præcelleret : *Smaragdus*, inquit Lyran. *est viridis coloris, et hic est unus de coloribus iridis. Sed illa iris imaginaria hîc sic apparuit, ut color ejus viridis intensior cæteris videretur. Per quæ designabatur consolatio Dei suis electis affutura, maxime in tribulationibus Ecclesiæ futuris, eò quod color viridis est consolativus, et consolativus ipsius visus.*

Smaragdus ergo, qui sua viriditate oculos mire recreat, adeoque teste Solino c. 17. virore superat herbas et germina, imo sibi proxima virore suo inficit et colorat, nec eum in umbra, lucernis aut sole immutat; significat Dei misericordiam nunquam senescentem, sed semper virentem, quasi novam et recentem, mire nos consolari. Smaragdus, ait Plin. l. 37. c. 5. suo virore et pulchritudine oculos implet, nunquam satiat, et subinde pulcherrimi speculi vicem obit. Unde Nero gladiatorum pugnas per smaragdum spectabat.

Rursum smaragdus, ait Ribera, significat Dei et creaturarum in Deo, quasi in speculo pulcherrimo, visionem, quæ mentem contemplantis jucundissime implet, nunquam satiat : pulchrius enim et clarius creaturas repræsentat, quàm ipsæ sint in seipsis. Hoc speculum est mirabile et inenarrabile, sicut Poetæ dixerunt de iride, eam esse Thaumantis, id est admirationis, filiam, cum de ea sic canunt :

Clara sub æthereis fulget Thaumantia proles
Nubibus, ut radiis pluvium sol attigit imbrem :
Et picturato cœlum velamine cingit,
Et cœlum variis miranda coloribus ornat ;
Picta veste decens, et multicoloribus alis.

Tropol. iris instar smaragdi symbolum est virginitatis, quæ semper viret, et suo virore splendescit instar smaragdi. Quocirca apposite Poloni in canonizatione S. Casimiri, qui maluit mori quàm virginitatem perdere conjugio, cum illud medici valetudini ejus necessarium esse dicerent, hoc anagramma ei dederunt : *Casimirus, sum quasi iris*, in quam scilicet irradians sol justitiæ, suum ei puritatis fulgorem afflavit. Rursum : *Casimirus*, quasi *cadis mirus*, quia pro castitate moreris, et virginitatis victima occumbis :

Sponte cadis, sed amore cadis Casimire, pudoris :
Mirus, te Christo mirificante, cadis.

Cecidit anno Domini 1484. ut cum Agno resurgat, eumque per omnia cœli gaudia sequatur.

4. Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor : et super thronos viginti quatuor seniores sedentes.] Alludit, tum ad ordinem angelorum primæ hierarchiæ, qui vocantur Throni ; tum ad 24 principes sacerdotum : tot enim erant eorum familiæ à Davide distributæ, ut per vices sacra obirent in templo, quæ singulæ suos habebant principes (scilicet primogenitus familiæ erat caput et princeps) qui proinde *Principes Dei, et Principes sanctuarii* vocantur 1. Paral. 24. 5. Hi enim 24 principes templi fuerunt typus 24 seniorum in templo cœlesti. Seniores enim, sive senatores vocantur principes populi : qui senatus olim è senibus eligebatur ; et licet postea senatorum et principum filii, esto essent juvenes parentibus defunctis in magistratu succederent, tamen et hi à prima nomenclatura vocabantur seniores, sive senatores, id est principes : *Senior* ergo non tam ætatis, quàm dignitatis est nomen : hanc enim significat Hebr זקנים *zekenim*, id est seniores. Unde et Presbyteri vocabantur apud Spartanos summi magistratus, qui rebus sacris præerant. Hinc enim Itali, Hispani, Galli, aliæque gentes, *Sennor* vocant dominum, quin et Gothi eosdem vocant *Sihora*. Unde S. Aug. epist. 178. *Sihora armen*, inquit, gothice significat *Domine miserere*, quod Græci dicunt *Kyrie eleison :* illudque à Gothis capti et supplices Romani dicere didicerunt ; à Gothis enim Latina lingua corrupta est, et traducta in Italicam, Hispanicam et Gallicam ; ut ex *Senior* Gothi fecerunt *Sihora ;* inde Itali *Signor*, et Hispani *Sennor*, et Galli *Seigneur*. Hoc est quod ait Cicero lib. de Senectute : *Uteretur consilio, ratione, sententia, quæ nisi essent in senibus, non summum concilium majores vestri appellassent Senatum.* Idem lib. 3. de Legibus : *Senatori*, ait, *tria jussa sunt, ut adsit ; nam gravitatem res habet cum frequens ordo est : ut loco dicat, id est rogatus ; ut modo, ne sit infinitus.*

Sedilia.] Græce θρόνοι, id est throni augusti, quales sunt regum et principum. Alludit ad Psal. 106. 32. *Et in cathedra seniorum laudent eum :* Nam 24. Principes sacerdotum in templo suas habebant cathedras et thronos, ut jam habent Episcopi et Pontifices, à quibus vocantur Ecclesiæ Cathedrales. Hinc et festa Cathedræ S. Petri, tam Romanæ, quàm Antiochenæ. Tales Pontificum thronos et priscos, et posterioris ac præsentis ætatis, plures Romæ conspicimus in tribuna, id est in choro cujuslibet templi. Porro hi throni cingebant thronum Dei instar semicirculi ; erat enim *in circuitu throni :* sicut throni Cardinalium ambiunt thronum Pontificis ; sed hic illis longe est augustior et sublimior. Alcazar tamen imaginatur eos visos fuisse quasi in Sancto sanctorum, quod quadratum erat, ac proinde censet thronos hos in quadrum fuisse dispositos, ita ut seni essent à quolibet latere. Verum in Sanctum sanctorum solus ingrediebatur summus Pontifex, non alii principes sacerdotum. Et esto fuissent in Sancto sanctorum, commodiùs, decentiùs et elegantius in semicirculum, quàm in quadrum fuissent dispositi. Sic enim omnes erant ante thronum in conspectu Dei, eum videntes, et ab eo visi. Nam in quadro sedentes, tantum in tribus quadrilateribus Deum ante faciem habere potuissent. Sedentes enim in quarto latere quod claudebat quadrum, ea parte qua erat thronus Dei, vel dorsum ; vel certe latus obvertissent Deo, aut certe fuissent à tergo Dei.

Circumamicti vestimentis albis. Albæ vestes notant non tam sacerdotium, ut vult Alcazar, quàm charitatem et gloriam beatitudinis 24 seniorum.

ET IN CAPITIBUS EORUM CORONÆ AUREÆ.] Coronæ hæ notant eorum victoriam, triumphum et regnum. Sunt enim victores et triumphatores, æque ac reges in regno Dei cœlesti.

Quæres quinam sint hi 24 seniores? Primo, Ticonius, Beda, Primas. et Arias Montan. in Zachar. 4. censent 24 seniores significare universam Ecclesiam, quæ à Deo coronata est, et coronas suas Deo acceptas refert.

Secundo, Ambros. 24 seniores, ait, sunt Patriarchæ, et sancti patres veteris Testamenti, qui in lectione et meditatione 24 librorum veteris Testamenti, quasi 24 sedilibus quiescebant. Licet enim S. Hieronymus, et alii, tantum numerent 22 libros veteris Testamenti, juxta numerum litterarum quæ sunt in alphabeto Hebraico; tamen Rabbini, ut Aben Ezra et R. David numerant 24 tam libros quàm litteras, Hebr. scilicet repetendo ter litteram Jod, uti repetitur in nomine tetragrammato Jehova abbreviato, hoc modo יהי.

Tertio, Andreas Cæsar. Aretas, et Hieron. Prado proœmio in Ezech. sect. 11. Seniores 24, inquiunt, sunt 12 Patriarchæ, puta duodecim filii Jacob in veteri, et duodecim Apostoli in novo Testamento; bis enim duodecim sunt 24. Sic fere et Rupert. nisi quòd ipse loco duodecim filiorum Jacob, accipiat duodecim judices, qui post Josue usque ad Saul Israeli præfuerunt: scilicet primus, est Othoniel; secundus, Aioth; tertius, Sangar; quartus, Barach; quintus, Gedeon; sextus, Jair; septimus, Jephte; octavus, Abessan; nonus, Ahialon; decimus, Abdon; undecimus, Samson; duodecimus, Samuel. Verùm non omnes filii Jacob, nec omnes Judices fuerunt sancti, vel certe non tam illustres quàm alii.

Quarto, S. Gregor. l. 4. in 1. Reg. cap. 9. 24. Seniores, ait, sunt sancti prædicatores, maturi sensu et moribus graves, qui thronum Dei ambiunt; quia præ cæteris conditorem diligunt, ideoque per altissimam contemplationem et conversationem ei viciniùs requiescunt. Et Glossa: Omnes, ait, Ecclesiæ Doctores nunc dicuntur duodecim, propter fidem SS. Trinitatis, quam annuntiant quatuor partibus mundi; nunc dicuntur 24, quia hic numerus conficitur per sexies quatuor: sex referuntur ad opera quæ sex diebus fecit Deus, quatuor verò ad Evangelia; quia opera quæ in lege naturæ et in Evangelio fecit Deus, Doctores ipsi colunt et explicant.

Quinto, Joachim, quem sequitur Petrus Galatinus: 24 seniores, ait, sunt duodecim Apostoli, et eorum filii, puta Martyres (de quibus hæc visio agit) usque ad Antichristum. Rursum præcise possunt numerari 24; nam sicut 12 fuerunt Apostoli tempore Christi orti à judæis, ita duodecim similes seniores et Apostolos et Gentibus excitabit et eliget Deus eo tempore, quo venturus est Elias, ut cum eo decertent contra Antichristum. Sed hoc sine fundamento dicitur, inquit Perer. nusquam enim id revelatum est. Adde: Joannes unus erat ex 12 Apostolis tempore Christi; Joannes autem adhuc vivebat hoc tempore, quo vidit in cœlo 24 seniores: non ergo omnes 12 Apostoli erant ex 24 senioribus, qui omnes erant defuncti, et beati in cœlo.

Sexto, Aureolus et Lyran. Cœlum, inquiunt, est Ecclesia militans: Dei est sedes Ecclesia Romana, in qua sedet Romanus Pontifex, quasi Vicarius Christi: 24 seniores sunt omnes Episcopi in suis sedilibus, id est Episcopatibus. Alludit enim ad 24 principes sacerdotum, uti dixi, qui Episcoporum erant figuræ et typi.

Septimo, Alcazar: Per 24 seniores, ait, designatur dignitas sacerdotum in Ecclesia Christi; hi enim vocantur Presbyteri et seniores, et succedunt 72 Christi discipulis, sicut Episcopi succedunt 12 Apostolis, qui significantur hîc per quatuor animalia; Ecclesia enim est regnum sacerdotale, in quo principes sunt sacerdotes. Hi habent thronum in cœlo, id est divinam auctoritatem et potestatem consecrandi corpus Christi, ac absolvendi à peccatis, quam non habent Seraphini. Unde habent coronas in capite, et phialas aureas, id est calices magnos, in quibus offerunt Deo orationes Fidelium et Sanctorum. Hoc deducit Alcazar ex suo scopo, et præconcepto fine. Agitur enim hîc, inquit, non de Sanctorum in cœlis felicitate, sed de novi cœlorum regni celsitudine, deque ingenti Ecclesiæ ministrorum dignitate. Per vestes albas significatur egregia sanctitas et castimonia, quam poscit sacerdotalis status. Coronæ aureæ in capite, significant honorem maximum, et splendorem, qui dignitati sacerdotum proprius est; juxta illud Psal. 8. 6. *Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Alludit ad Eccles. 45. 14. ubi de Aaronis corona dicitur: *Corona aurea super mitram ejus, expressa signo sanctitatis et gloria honoris opus virtutis.* Rursum, corona significat potestatem judiciariam in absolutione peccatorum; olim enim judices coronati ad judicandum sedebant, teste Demosthene. Denique corona significat eos esse reges et principes in regno Dei, id est in Ecclesia, in eaque totos Dei cultui esse addictos et consecratos. Unde in hac sacerdotum excellentia ac dignitate, mirum in modum Dei ipsius gloria et majestas elucet. Aurea enim corona olim nunquam nisi eximiis viris data, unde Apuleius l. 9. Metam. *Dignus Hercules solus coronam auream capite gestare.* Tertul. l. de Idol. docet sacerdotum, sed provincialium duntaxat, coronam auream fuisse. *Tantum enim*, inquit, *honoris nomine conferebatur his qui familiaritatem regum merebantur.* Regum enim erat corona aurea, eaque non crassa et solida, sed ex lamina auri ducta, et attenuata, ut significarent, illi parum auri esse satis cujus virtus imperat auro, nec tam regem opus habere auro, quàm remp. rege aureo, uti ex Xenophonte l. 1. Pædiæ Cyri, docet Carol. Paschal. l. 9. de Coronis c. 9. ubi etiam recenset Gentiles censuisse aurum Jove esse prognatum, ideoque non nisi regibus et viris divinis attribui: inde dictum est *aurum coronarium*, quod regibus dabatur, de quo vide Lipsium l. 2. de Magnit. Rom. c. 9. Ita Procop. l. 1. Belli Goth. scribit Theodatum regem Gothorum, *pactum cum Petro Justiniani Imp. duce, decedere tota Sicilia, et quot annis mittere Justiniano coronam auream trecentarum librarum.* Porro Festus: *Triumphales*, inquit, *coronæ sunt, quæ imperatori victori aureæ præferuntur, quæ antiquis temporibus propter paupertatem laureæ fuerunt.*

Notat Alcazar, notat. 4. hosce 24 thronos, et seniores in eis sedentes, repræsentare chorum angelorum qui vocantur Throni; atque in Ecclesia (forte et in cœlo) primum ordinem esse Seraphinorum, secundum Thronorum, tertium

Cherubinorum. Thronorum enim munus est portare Deum, ait S. Dionysius Cœlest. Hierarch. c. 7. unde et Sophronius, D. Thomas, et alii, Thronos vocant sedes Dei. Porro, Throni vocantur angeli juxta Deum sedentes in thronis, imo S. Chrysost. opinari videtur Thronorum chorum præcellere chorum Seraphinorum, quod Deo nihil videatur esse propius, quàm Dei ipsius sedes.

Rursum hos tres ordines repræsentare tria attributa Dei, scilicet potentiam, sapientiam et bonitatem. Adhæc Cherubinis repræsentari Dei sedem in hac visione; dicitur enim de eo: *Qui sedes super Cherubim;* Dei autem sedes sunt Christiani justi. Thronis vero 24 seniores, Seraphinis mystica quatuor animalia, id est Episcopos repræsentari et respondere; Episcopi enim debent ut Seraphini charitate ardere, eaque alios inflammare. Itaque Cherubinis respondent in terris fideles sancti, Thronis sacerdotes, Seraphinis Episcopi, uti hîc throno Dei, quem faciebant junctis alis Cherubini, repræsentantur fideles, thronis vero sacerdotum seniores, et quatuor animalibus Episcopi. Denique in Thronis, ait, monentur sacerdotes, ne ita aliorum salutem curent, ut suam negligant, sed semper cogitent se ad hoc vocatos esse, ut ipsimet sint throni Dei.

Verum Ecclesia jam in cœlesti hierarchia summos ponit Seraphim, secundos Cherubim, tertios Thronos. Rursum, hæc visio spectat ad Deum, ejusque regnum cœleste et gloriosum, non ad regnum quod Deus habet in Ecclesia militante, uti vult Alcazar. Alioqui fateor in his thronis, et eorum sessoribus 24 alludi ad Thronos, qui sunt tertius ordo angelorum, uti superius dixi.

Octavo, Vilalpando, part. 2. l. 4. c. 45. putat hos 24 seniores repræsentare 24 Cherubinos positos in templo Salomonis. Censet enim ipse duodecim Cherubinos positos fuisse in Sancto præ foribus oraculi, et totidem positos fuisse in Sancto sanctorum circa arcam. Per hos autem repræsentari universitatem angelorum qui Deo assistunt, indeque vocari seniores; quia scilicet angeli creati sunt ab olim, puta ab initio mundi. Verum nec ex Script. nec ex Josepho, nec aliunde probari potest in templo præcise fuisse 24 Cherubinos. Adde seniores nunquam vocari angelos, sed homines digniores. Denique angeli significantur hîc per septem lampades, et per quatuor animalia; non ergo per seniores.

Nono, et magis genuine, Haymo, Maldon. in Notis, et Ribera: 24 seniores, inquiunt, sunt omnes Patres et Sancti illustriores, tam veteris, quam novi Testamenti. Duodecim enim sunt Apostoli in Novo, sub quibus omnes viros Apostolicos accipe: et duodecim sunt Patriarchæ et Prophetæ veteris Testamenti, sub quibus omnes Sanctos illustres veteris Testamenti accipe. Esto enim non omnes Patriarcha fuerunt sancti; tamen quia Patriarchæ fuerunt Israelis, sive populi Dei; hinc apte significant, Sanctos illustres veteris Ecclesiæ aut progenitores, aut propagatores. Duodenarius enim numerus perfectus est, significans omnia. Componitur enim ex tribus in quatuor ductis; ter enim quatuor faciunt duodecim. Tria, significant fidem, spem et charitatem SS. Trinitatis; quatuor significant quatuor mundi plagas, ex quibus universi Sancti confluent, Sic enim Richard. Beda, Rupert. et Viegas per 24 seniores accipiunt præstantissimos Sanctos, ac præcipuos Prælatos et Doctores utriusque Testamenti. Hos secutus Pererius, simplicissime et planissime putat à Joanne hîc in cœlo visos fuisse præcise 24 illustriores Sanctos et heroes solius veteris, vel potius tam novi quam veteris Testamenti, puta ex novo duodecim Apostolos, ubi pro S. Joanne adhuc vivente, oportet Paulum substituere: ex veteri vero hos aut similes Abelem (hic enim fuit primus in orbe virgo et Martyr, primusque ponitur ab Apostolo in catalogo Sanctorum veteris Testamenti, Hebr. 11. 4.) Noe, Abraham, Isaac, Jacob, Mosen, Samuelem, Davidem, Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, et Danielem. Id ita esse patet primo: nam ubique in sequentibus definite inducuntur hi 24 seniores, illique Deum celebrant, imo et S. Joanni loquuntur. Unde, c. 7. 13. ait: *Unus de senioribus dixit mihi.* Secundo, omnes consentiunt quatuor animalia esse quatuor angelos, et quatuor Evangelistas; ergo 24 seniores sunt alii insigniores Sancti. Tertio, quia hi 24 seniores in hac visione non inducuntur, ut judices, sed ut conscii et interpretes mysteriorum divinæ providentiæ circa Ecclesiam, et ea quæ in Ecclesia usque ad finem mundi futura sunt. Vocantur seniores ob antiquitatem, gravitatem, sapientiam, prudentiam et virtutem: ex quibus omnibus sunt venerabiles. Vestiti sunt albis, id est, innocentia, lætitia et gloria pleni sunt. Habent coronas in capite, tum quia reges sunt, tum quia victores illustres generose certando et vincendo regnum Christi obtinuerunt: sunt ergo hi 24 seniores quasi senatus Ecclesiæ triumphantis, et assessores Dei.

Porro, præcise eos delectos fuisse 24 non est mirum; sic enim Christus præcise elegit duodecim Apostolos, quatuor Evangelistas et 72 discipulos: sic olim elegit Deus duodecim Patriarchas, et duodecim Prophetas minores. Pari modo hic duodecim seniores elegit ex novo Testamento, et totidem ex veteri. Sicut enim duodenarius est numerus perfectus, significans universitatem, puta omnes in isto genere; ita, et potius, numerus 24. Nam hic est duplum duodenarii, et duodenarius geminatus. Rursum, sicut sol 24 horis cursum absolvit, obitque et illustrat totum orbem; ita et hi 24 quasi soles illustrant Ecclesiam successive, scilicet quisque suo sæculo. Plura hujus numeri 24 mysteria vide apud Aretam hîc, et Petrum Bongum. lib. de numerorum mysteriis, p. 444.

Hosce 24 seniores repræsentant Cardinales, adeoque thronos, solium, totumque hoc capite eleganter repræsentat Confessus (vulgo *Capella*) Pontificis, in qua videtur imago cœlestis Jerusalem, ut merito ex illa hæc deprompta videatur. Pontifex enim quasi Vicarius Dei, Deum repræsentat; septem prisci Diaconi septem spiritus Deo assistentes; Cardinales, seniores 24; Agnus, Christum qui in Missa offertur; liber signatus, librum Evangeliorum. Denique Patriarchæ, et Episcopi ministrati et pontificalibus induti, Pœnitentiarii, Canonici, omnisque Prælatorum, sacerdotum et ministrorum ordinata multitudo et magnificentia, æque ac symphonia cœlestis, repræsentant innumeram Angelorum et Sanctorum multitudinem gloriosam, quæ Deo jugiter jubilat et psallit. Simili modo septem Episcopi Asiæ, subjecti S. Joanni, repræsentant

septem Episcopos Cardinales Pontifici subditos: septem Ecclesiæ adumbrantur per septem Ecclesias Romanas, structura, Indulgentiis et peregrinationibus totius orbis celebres, quas Romani, æque ac exteri, crebro obire solent, opemque Martyrum et Sanctorum, qui ibidem innumeri sepulti sunt, supplices implorare. Talia plura sunt, adeo ut ex Apocalypsi cæremoniæ, et magnificentia Ecclesiæ Romanæ desumpta et expressa videantur; ut merito S. Fulgentius eam intuens et admirans dixerit: *Si sic splendet Roma terrestris, quomodo fulgebit Jerusalem cœlestis.* Denique instar horum 24 seniorum, Cassianus scripsit totidem Patrum in eremo Deo angelice servientium 24. Collationes, quas ut ad sanctitatem et perfectionem perutiles, crebro lectitare solebat S. Thom. Aquinas. Idipsum profitetur de se Cassian. collat. ultima, c. 1.

Symbol. Pineda in Job, 19. v. 19. num. 3. censet in his 24 senioribus, qui sunt quasi senatores et consiliarii divinæ sapientiæ, notari quales debeant esse principum consiliarii, nimirum, primo, ut jugiter astent principi, principesque nil sine eorum consilio agant. Nam, ut ait Sapiens, Proverb. 11. v. 14. *Ubi non est gubernator, populus corruit: salus autem ubi multa consilia.* Peccavit hac in re Nero, qui nunquam senatus consilio usus est; imo eum oderat, hinc misere periit damnatus à senatu. Et Hieronymus Siciliæ Rex, qui quantumvis gravi in re, *neque convocavit, neque consuluit publicum consilium;* quocirca æque ut Nero perit: senatus enim est *mens, ratio, intelligentia reipublicæ,* ait Cicero, imo ejusdem *fundamentum.*

Secundo, ut senes sint; senes enim experientia et prudentia pollent. Quocirca Plutarchus tract. num seni sit gerenda respublica? respondet: *Maxime salva est civitas, ubi consilia senum, juvenum arma obtinent.* Sic rex Agamemnon consiliarium habebat Nestorem senem.

Tertio, ut sint *circumamicti vestimentis albis,* ut scilicet candore et sinceritate animi polleant, nullaque cupiditas aut metus rectum eorum judicium obfuscet et depravet.

Quarto, ut habeant coronam in capite, hoc est, prædili sint libertate et animo regali, ideoque non obsequantur cupiditatibus principum, sed libere quod rectum et æquum est pronuntient. Hinc Demetrius Phalereus, teste Plutarcho in Apohthegma, sapienter monuit Ptolemæum Philadelphum, ut illos libros legeret, quibus docentur reges et principes, quomodo debeant gubernare. Hi enim libere loquuntur, eaque dicunt quæ nemo subinde regibus privatim dicere auderet.

Quinto, ut non sint proprii judicii, neque pervicaces in tuenda sua sententia contra collegas, aut præsidem. Nam hosce seniores videas procidentes ante thronum, et adorare viventem in sæcula sæculorum, et mittere coronas suas ante thronum.

Sexto, ut exacte servent secretum. Sic enim hi seniores versantur circa librum signatum, nec quisquam eum reserat, sed omnes cum Agno reserandum permittunt. Hinc Theodoricus rex Gothorum sapiens, licet hæreticus, Senarco Comiti scribens, l. 4. c. 3. laudat eum dicens: *Arcana nostra morum probitate claudebas, multorum conscius, nec tamen cum plura nosses elatus. Collegis gratia, superioribus humilitate placuisti.* Verissime Valer. Max. l. 2. c. 1. taciturnitatem in senatoribus vocat *optimum atque latissimum rerum administrandarum vinculum.* Scribit Curtius l. 4. de consiliariis regum Persarum: *Arcana regum mira celant fide; non metus, non spes elicit vocem qua prodantur occulta, vetus disciplina regum silentium vitæ periculo sanxerat. Nec rem magnam sustineri posse credunt ab eo, cui tacere grave sit.* Hac de causa Philippides munus consiliarii detrectavit. Cum enim Lysimachus Rex ei quodam tempore dixisset: *Quanam mearum rerum te impertiam?* Respondit: *Quæ lubet, modo ne arcano ullo.* Testis Plutarch. l. de Curiositate.

5. Et de throno (Dei non seniorum) procedebant fulgura, et voces, et tonitrua.] Hisce enim symbolis Deus suam potentiam, majestatem et magnificentiam ostendit, uti patuit in Sina, cum ibi daretur lex à Deo, Exodi 19. 16. Rursum, hæc significant iram et terrorem Dei, qui maxime apparebit in fine mundi, de quo audiemus in sexto sigillo libri signati, quem Deus c. 5. porriget Christo. Voces videntur distingui à tonitruis, quasi sint hominum, vel angelorum horribiles clamores. Ita Alcazar hic voces humanas cum cœlestibus tonitruis consociat. Nisi dicas esse epexegesin, atque *et* poni pro *id est: voces et* (hoc est, *id est*) *tonitrua;* aut hendiadym, *voces et tonitrua,* id est voces tonantes, vel tonitrua vocalia, quasi articulatas et humanas voces proferant. Talia enim audivit Joannes, c. 10. 3. *Locuta sunt,* ait, *tonitrua voces suas.* Et, c. 19. 6. audivit *vocem tonitruorum magnorum dicentium: Alleluia.*

Mystice, voces sunt prædicatio, fulgura sunt energia et efficacia verbi Dei: hoc enim cor peccatoris penetrat quasi fulgur. Tonitrua sunt minæ gehennæ, judicii et iræ Dei. Discat hic prædicator, se jam voces, jam tonitrua, pro auditorum molli vel dura dispositione promere debere. Sic Joannes et Jacobus à Christo vocantur Boanerges, id est filii tonitrui, Marci 3. Vide psalm. 28. Rursum, hæc procedunt à throno Dei, id est ab iis qui sua sanctitate se fecerunt thronos Dei, in quibus quasi residet et loquitur Deus. Per tales enim Deus jaculatur quasi tonitrua et fulmina, quibus corda audientium penetrat, sauciat et immutat. Vanus enim et inanis est concionatoris docti et eloquentis labor, nisi à Deo Deique gratia et sanctitate, dicendi, persuadendi, et corda feriendi ac vulnerandi efficaciam sugat et hauriat. Nisi enim concio à magna Dei cognitione et amore promanet, frigida est et evanida. Ita Ambrosius. Sic quoque Ticon. Rupert. et Richard. nisi quod hi tres per fulgura accipiunt miracula, quæ hi 24 seniores ope Dei ediderunt, idque primo, quia, sicut fulgur longe lateque coruscat; ita et splendor miraculorum multos ad Christum traxit, et trahit. Secundo, quia, sicut è nubibus fulgura; ita à Sanctis miracula promanant. Tertio, sicut fulgur elicit pluviam; ita miracula eliciunt pœnitentiam et lacrymas. Quarto, sicut fulgur, aut potius fulmen hominem perstringit et afflat, ut specie corporis exterius manente sibi simili, interius ejus ossa comminuat, imo incineret: sic miracula homine exterius eodem manente, mentem comminuunt et commutant, ut plane alius sit homo quam ante fuerat. Ita Viegas.

Huc accedit Alcazar, qui hunc sensum affert ut litteralem, cum potius videatur esse mysticus et moralis. Thronus, ait, Dei, sunt Christiani omnes, qui excellenti Dei cognitione et amore,

in suo corde sedem Deo fabricant, ac in conversione animarum acriter et strenue laborant. Ab his procedunt voces, id est sermones pii conjuncti fulguribus et tonitruis; quia conjunctam habent cœlestem virtutem, quam significat tonitru; et piæ vitæ ac sancti exempli illustrationem, quam significat fulgur. Hinc fulgura hìc proponuntur; ait enim : *Fulgura et voces, et tonitrua :* prius enim fulgur oculis videtur quàm tonitru auribus percipiatur ; ut significetur, quod optimi exempli lux verborum virtutem et robur antecedere debeat. Sic in gentilismi tenebris primorum Christianorum sanctitas, et vitæ sanctissimæ fulgura, ac tonitrua potentium et efficacium verborum, ostenderunt veri Dei thronum in Ecclesia Christiana reperiri. Hæc ergo tonitrua et fulgura, sicut Ecclesiæ lætissima et festivissima sunt; ita Ecclesiæ hostibus sunt horribilia et formidanda. Illis enim quasi displosis quibusdam bombardis Christus cum Gentibus bellum gessit, easque suæ ditioni subjecit. Tradunt enim Physici sic generari fulgur et tonitru: intra nubem inclusa exhalatio ignea per antiperistasin circumstantis frigoris accenditur, fitque flamma et ignis. Deinde fit quod contingit in sclopo, sive bombarda, dùm disploditur. Nam cum flamma et materia accensa celerrime se dilatet, necesse est nubem extemplo magna cum vehementia disrumpi, et latentis ignis lucem oculis, auribus discissæ nubis et strepitum objici; sic et ignis charitatis in cordibus fidelium succensus, sua vi et impetu celerrime se dilatat ad proximos, ac omnes difficultates sibi obluctantes superat, foras prodire gestiens. Atque ejus virtutis effectus est, ut oculi externam illam internæ sanctitatis manifestationem aures doctrinæ sonitum et efficacitatem excipiant. Porro, quò major est ignis repugnantia dum è nube erumpit, eò vehementius editur tonitruum, et intermicantius fulgetrum, si ingens fuerit in nube ignis accensus. Ita primi Christiani ingenti igne divino succensi, quò magis Gentiles repugnabant, eò fortius prædicationis tonitru, et sanctitatis fulgur ediderunt, uti patet ex dictis et gestis SS. Martyrum et Apostolorum.

Et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei.] Alludit ad septem lucernas candelabri, quæ erant in tabernaculo Mosis, et in templo Salomonis, puta in Sancto, in quibus septem planetæ repræsentabantur. Templum enim cœli typum et speciem referebat; in cœlo enim, quasi in templo et throno suo, residet Deus. Unde ejus gloria divina nobis abscondita, per lampades quasi illustratur, et aliquatenus videnda proponitur; sicut in tabernaculo candelabrum ante Sanctum sanctorum, illud aliquatenus illustrabat, ut ipsum, Deusque in ipso residens per caliginem videri possent. Simili modo lampades accensæ suspenduntur ante tabernaculum, in quo sancta Eucharistia asservatur.

Quæres: Quænam sunt hæ septem lampades? Multi, quos recensui c. 1. 4. per septem spiritus, et consequenter per septem lampades, accipiunt septem dona Spiritus sancti. Hæc dicuntur lampades, quia homines illuminant et inflammant. Sunt ante thronum Dei, ut significetur Deum illa præ oculis, et ad manum habere; ut ad placitum cuilibet ea offerat et distribuat.

Secundo, et magis genuine, ut dixi c. 1. v. 4. septem hi spiritus et lampades, sunt septem primarii angeli, quibus commissa est cura hominum, præsertim Ecclesiæ et fidelium. Hi dicuntur lampades, quia in se Dei cognitione lucent, ejusque amore ardent; et quia illuminant et accendunt homines cognitione, et timore pariter ac amore Dei, æternæque salutis et felicitatis; atque ostendunt illis Dei providentiam, ejusque testes sunt. Unde Eccles. c. 5. 5. ait : *Ne dicas coram angelo : Non est providentia.*

Mystice, Alcazar per septem has lampades accipit septem divinæ providentiæ dotes et virtutes, quas recensui c. 1. 4.

6. Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo.] Syrus : *Et ante thronum tanquam mare vitri, quod simile est crystallo.* Arabicus : *Et ante sedem Dei mare vitri, simile gelu,* vel glacici, aut crystallo. *Vitri,* hoc est *vitreum,* id est pellucidum, et consequenter tranquillum ; nisi enim aqua sit tranquilla, non est pellucida, sed turbida et opaca : sicut mare Rubrum vocatur vitreum, quia pellucidum, ut ab Horatio, l. 4. Carminum, ode 2.

Vitreo daturus nomina Ponto.

Et lib. 3. ode 13.

O fons Blandusiæ splendidior vitro.

Sic et Virgilius *Nereidas* depingens, marinis nymphis vitreum colorem tribuit, cum ait 4. Georg.

Milesia vellera Nymphæ
Carpebant, hyali saturo fucata colore.

Et Ovidius, epist. Sapphus :

Est nitidus, utroque magis perlucidus amnis.

Quæres : Quodnam hoc mare vitreum ? primo, Primasius, Beda, Richard. et Rupertus accipiunt Sacramentum baptismi, per quem transire debent ituri ad sedem, et ad conspectum Dei. Porro baptismus vocatur mare vitreum, ob puritatem et claritatem, quem menti affert. Similis est crystallo, quia sicut hæc ex mari, id est ex aquis, tollit instabilitatem (eas enim conglaciat) et ex vitro fragilitatem (crystallus enim indurescit ut lapis) ; ita baptismus habet maris amplitudinem, vitri perspicuitatem, et crystalli firmitatem et soliditatem. Sicut enim vitrum solis radiis est pervium, ita anima baptizata radiis gratiæ à Deo illustratur, ait Hugo. Rursum, ut inquit Rupertus, fideles in hac vita sunt vitrei, id est lucidi, sed fragiles, infirmi, mortales; verum, post resurrectionem erunt similes crystallo, id est solidi, robusti et immortales.

Secundo, Dionys. Carth. Mare vitreum, inquit, est pœnitentia, ob analogias maris vitrei jam applicatas baptismo, quæ pari, aut potiori ratione possunt applicari pœnitentiæ; et quia pœnitentia est mare, ob amaritudinem et copiam lacrymarum; simile crystallo, ob firmitatem propositi de peccatis deinceps cavendis, et vita nova incunda.

Huc accedit Alcazar, qui censet mare vitreum ad litteram referre ingens illud vas aquæ in templo, quod à capacitate vocabatur mare æneum, sed hoc discrimine, quòd hìc fuerit vitreum, cum in templo Salomonis esset æneum. Ergo mare vitreum, inquit, est stagnulum, sive ingens crater, aut fons magnus aqua plenus, confectus ex nitidissimo vitro pellucido et fragili. Porro mare hoc vitreum, perinde ac mare æneum, sustentabatur à duodecim bobus æneis, erat-

que instar perfecti hemisphærii, habens labium lilii repandi, et crassitudinem trium unciarum. Sicut ergo mare æneum, quo lavabant se sacerdotes sacrificaturi, erat symbolum pœnitentiæ, ita et mare vitreum. Hinc primo, sustentatur à duodecim bobus, id est à duodecim Apostolis, eorumque successoribus; hi enim sunt administri pœnitentiæ. Secundo, vetus mare erat æneum, id est opacum, quia ænigmaticum: nostrum est vitreum, quia Sacramentorum novæ legis, præsertim pœnitentiæ, significatio, vis et efficacia traluxet, omnibusque clara est et perspicua, juxta illud Zachar. 13. 1. *Erit fons patens domui David, in ablutionem peccatoris et menstruatæ.* Rursum, sicut mare proluit omnia mortalium mala, ut ait Euripides in Iphigenia; sic et pœnitentia. Tertio, sicut olim tempore S. Joannis scribit Plinius, lib. 36. 26. ex nitro (quod salis est species) et arena permixta translucentes fluxisse rivos, et hanc fuisse vitri originem; jam vero vitrum fit ex cineribus silicis, similiumque herbarum salsarum, qui cum arena permixti, igneque ardentissimo excocti, conglutinantur et durescunt, atque ex admisto bitumine perspicui et pellucidi fiunt; inde enim vitrum habet perspicuitatem. Ita ex memoria mortis et cinerum in quos resolvitur corpus humanum, atque ex sale timoris judicii et vindictæ divinæ, ac ex fide et luce rerum cœlestium et divinarum, quam infundit Deus, nascitur pœnitentia, quæ igne contritionis et charitatis in ardenti passionis Christi fornace excoquitur et ferruminatur. Quarto, addit Plinius, *cæptus addi et vitro magnes lapis:* magnes autem, quia naves et nautarum viam dirigit, sapientiæ est symbolum, quæ mater est pœnitentiæ. Rursum, sicut magnes trahit ferrum, ita Dei charitas ad se trahit peccatores per pœnitentiam. Quinto, ingens ejus capacitas à qua mare vocatur, notat gratiæ copiam et abundantiam, quæ pœnitentibus omnibus datur. Sexto, labium lilii repandi notat vasis facilitatem, qua aquam suam omnibus accedentibus communicat, ut ea quisque se abluat, ita facilem et obviam omnibus se offert pœnitentia, et per eam venia et gratia. Hic sensus appositus est, sed moralis potius quàm litteralis.

Tertio, Joachim: Mare vitreum, ait, est Scriptura; quia hæc pellucida est quasi speculum, in quo homines sua peccata speculantur, ut ea pœnitentia et lacrymis abluant, juxta illud Christi, Joan. 15. 3. *Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.* Hic sensus litteralis est quasi vastum mare: vitrum speculare est sensus moralis; in eo enim speculamur et corrigimus mores nostros; crystallus, quia firma et perdurans, est sensus spiritualis et anagogicus, qui est de regno Beatorum glorioso et æterno. Sic et Ambrosius: Mare, ait, æneum (quod erat in templo Salomonis) est vetus Testamentum; mare vitreum est novum Testamentum.

Quarto, Ribera per mare vitreum accipit præsens sæculum, per quod quasi per mare transimus ad portum beatitudinis, dicitur vitreum, id est pellucidum, tum quia aer hic pellucidus est, tum quia hominum in eo degentium cogitationes arcanæ Deo pellucent et patent. Unde dicitur hoc mare esse in conspectu Dei. Hinc Sancti dicuntur stare super hoc mare vitreum, c. 15. 2.

Quinto, Andreas Cæsar. affert duas expositiones: primo, mare vitreum, ait, sunt aquæ quæ sunt super firmamentum, vel sunt ipsum cœlum crystallinum, adeoque omne cœlum, quod instar crystalli fulget et pellucet: in hoc mari stellæ quasi pisces natant et emicant. Secundam mox afferam.

Sexto et maxime genuine, Pererius: Mare vitreum, ait, est cœlum empyreum, quod est sedes Dei, Angelorum et Beatorum. Hoc dicitur mare ob amplitudinem; quia vastissimum est. Alludit ad cœlos empyreo vicinos et subjectos; quia ex primogenia aquarum abysso à Deo efformati sunt; unde hebr. vocantur שמים *scamaim*, id est, *illic aquæ*, uti dixi, Gen. 1. 7. empyreum vocatur vitreum, ob subtilitatem et tranquillitatem; unde et cap. 21. Joannes comparat cœlestem Jerusalem vitro et crystallo; Joannes enim vidit hic gloriam Dei in cœlo empyreo. In hoc quasi mari, emicant Angeli et Beati quasi pisces, uti eos in illo pingunt pictores nostri. Unde Andreas Cæsar. et Aretas censent mare vitreum esse ipsosmet Angelos et Beatos. Per mare, ait Aretas, significatur immensa multitudo; per vitrum splendor, puritas et tranquillitas; per crystallum soliditas et firmitas gloriæ et felicitatis beatarum et angelicarum mentium. Solet enim Scriptura Dei majestatem hac angelorum multitudine, fortitudine et gloria repræsentare, indeque dicitur Deus sabaoth, id est exercituum. Hi enim semper sunt in conspectu Dei. Hoc est quod ait Daniel, c. 7. v. 10. *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Hoc ergo cœlum est mare vitreum, sed et aureum; est enim ibi mare bonorum omnium, sicut in gehenna est mare malorum omnium.

ET IN MEDIO SEDIS, ET IN CIRCUITU SEDIS QUATUOR ANIMALIA.] Proprie animalia non poterant esse in medio sedis, et simul in ejus circuitu, uti ait Ambrosius præsertim, quia in medio sedis sedebat ipse Rex, puta Deus: unde Alcazar tripliciter exponit. Primo, *in medio sedis*, id est consessus hujus scilicet inter Deum et 24 seniores. Secundo: sedes, ait, hic sumenda est late cum hypopodio, sive suppedaneo, ita amplo, ut quatuor hæc animalia per quatuor latera distributa caperet. Tertio, *in medio sedis*, id est spatii, in quo erat sedes.

Secundo, Pererius respondet ea non simul fuisse in medio sedis et ejus circuitu, sed successive; ambulabant enim, inquit, et nunc ambibant sedem, nunc in medium sedis ambitum procedebant.

Tertio, Ribera censet tria fuisse in circuitu sedis, quartum, scilicet aquilam, in altum se librasse intra ambitum sedis, ut quasi attingeret pectus sedentis, ideoque dicere Joannem: *Quartum animal simile aquilæ volanti.*

Prima explicatio videtur maxime congrua, ut *in medio sedis* sit idem quod intra ambitum sedis, puta in ipso sedis hypopodio, amploque ejus ambitu; vult enim Joannes per τὸ *in medio*, tantum significare hæc animalia proxima fuisse sedi et sedenti, scilicet in throno sedisse regem, circa thronum proxime fuisse quatuor animalia, circa hæc animalia vero sedisse 24 seniores.

Illud vero *in circuitu*, significat hæc quatuor animalia non uno loco stetisse, sed per quatuor sedis angelos et latera fuisse disposita.

Mystice S. Ambros. citatus in Glossa, hæc refert ad residentiam et curam Pastorum : *In circuitu*, inquit, *sedis quatuor animalia stant; quia doctores populum sibi commissum, et à visibilibus, et ab invisibilibus hostibus, quanta virtute possunt, defendunt; in medio sedis consistunt, quia unumquemque eorum ut in virtutibus, omnibusque bonis operibus proficiat, admonere non desinunt.*

7. PRIMUM ANIMAL SIMILE LEONI, ET SECUNDUM SIMILE VITULO, etc.] Arabicus : *secundum simile tauro.* Quæres an integra animalia, an capita tantum, vel partes aliæ horum animalium apparuerint Joanni, ac consequenter quæ fuerit forma et figura horum quatuor animalium ?

Primo, noster Hieron. Prado in Ezech. 1. sect. 7. et Vilalpando, tom. 2. l. 4. c. 41. ac Pererius censent hæc animalia per omnia eadem esse cum quatuor Cherubim Ezechielis, cap. 1. ac consequenter hæc, æque ut illa, habuisse singula tantum faciem et figuram humanam, sed alas aquilæ, jubas leonis, et ungulam bovis. Erant enim quadriformia, ita ut unumquodque animal videretur compositum esse ex quatuor : perinde ergo erant, ac si homo vestiret se jubis leonis, alis aquilæ, et ungula bovis : ac talia erant quatuor. Erant enim omnia uniformia, ac consequenter singula erant quadriformia, modo jam dicto.

Probant primo, quia si habuissent capita leonina, bovina et aquilina, cum figura humana, fuissent monstra. Ad hæc S. Joannes distinguit similitudinem à facie, aitque primum animal simile leoni, secundum simile vitulo : in tertio vero, non dicit, simile homini, sed *habens faciem quasi hominis;* ergo primum simile erat leoni in jubis ; secundum vitulo in ungula ; tertium vero tantum faciem habebat hominis ; unde et de quarto subditur : *Simile aquilæ volantis.* q. d. Simile erat aquilæ in alis et volatu, non vero in facie.

Secundo, quia S. Dionys. Sophron. Basil. Cyrill. Rupertus et alii dicunt eadem animalia hîc vidisse Joannem, quæ videt Ezechiel, c. 1. illa autem singula erant quadriformia, sed capite humano ; ergo et hæc.

Verum, Ezech. 1. ex verbis claris Prophetæ docui singulos Cherubinos Ezechielis habuisse quatuor facies, scilicet veram faciem leonis, aquilæ et bovis, æque ac hominis ; ergo et hîc Joanni visa est vera facies leonis, aquilæ et bovis, æque ac hominis. Confirmatur, quia ait : *Primum animal simile leoni, et secundum simile vitulo :* similitudo autem et forma animalium maxime spectatur ex facie. Idem diserte docet S. Dionys. de Cœlesti hierarchia, c. 15. ubi loquens de tribus faciebus, leonis, aquilæ et vituli, eas vocat effigies bestiarum, et facici bovis assignat cornua. Rursum, in aquila notat oculorum aciem et vim, qua adverso et irretorto intuitu solem intuetur. Et c. 2. agens de aquila Ezech. ait eam effictam fuisse *ad aquilarum recurvis rostris effigiem.* Habebat ergo hæc aquila rostrum et faciem aquilæ, non os et faciem hominis. Denique, S. Joannes dicens : *Tertium animal habens faciem quasi hominis*, hoc ipso significat primum, secundum et quartum non habuisse faciem hominis (per hanc enim tertium à cæteris distinguit) sed primum leonis, secundum vituli, quartum aquilæ. Atque hîc videtur sensus Ecclesiæ, quæ hæc animalia ita concipit et passim depingit. Porro quod Prado hæc verba, *Primum animal simile leoni, secundum vitulo*, sic explicat. q. d. Prima facies cujusque animalis similis erat leoni, secunda vitulo, tertia homini, quarta aquilæ, convellitur ex tertio, de quo ait Joannes : *Tertium animal habens faciem quasi hominis ;* quis enim hoc sic exponat. q. d. Tertia facies erat habens faciem hominis ?

Ad primum respondi Ezechiel. 1. Cherubim quadrifaciales fuisse non tam monstra, quàm hieroglyphica, qualia multa vidit Daniel : sunt enim hæ visiones symbolicæ, non res veræ ; uti et symbolicum Agnum accipere librum, ejusque sigilla resecare vidit, c. 5. Unde non mirum si hæ leonis, bovis et aquilæ facies et ora locuta sint, et ediderint vocem articulatam et humanam. Simili enim modo Joannes c. 8. 13. vidit aquilam volantem et clamantem : *Væ, væ, habitantibus in terra!* Quomodocumque enim ea concipias, monstrosa sunt. Singula enim plena sunt oculis, et habent alas senas. Denique monstrosum est faciei et figuræ hominis addere jubas, alas et ungulas. Ad illud tertii animalis : *Habens faciem quasi hominis*, respondebo in fine hujus quæstionis.

Ad secundum respondeo hæc animalia fuisse eadem cum illis Ezechielis, c. 1. quoad primariam ideam, non quoad accidentia et emblemata omnia. Alludit ergo Joannes ad illa ; non tamen illa ipsa quoad omnia repræsentat. Sic sæpe S. Joannes et alii alludunt ad visiones Danielis, Ezechielis et aliorum, non tamen illæ ipsius cum hisce sunt eædem omnino, sed potius aliis et aliis partibus, vel ornamentis pro materiæ varietate vestitæ et interstinctæ. Ezechiel ergo vidit quatuor animalia per omnia sibi invicem similia, quorum quodque habebat quaternas facies, ita ut quaternis quasi animalibus vestitum, et ex iis quasi conflatum et compactum videretur : Joannes vero hæc animalia ab Ezechiele ita composita, et in unum compacta dissolvit, atque ex uno facit quatuor, cuique dans proprium suum vultum et formam.

Secunda sententia est communis et vulgata, scilicet quatuor hæc animalia tota et integra talia fuisse, qualia hîc nominantur, ut primum v. g. animal, quod dicitur simile leoni, habuerit caput, pectus, jubar, pedes omniaque membra leonina : sic et secundum vituli, et tertium hominis, ac quartum aquilæ, sicut c. 5. v. 6. Christus inter hæc animalia constitutus, per omnia visus est habere formam Agni occisi, et ita passim in Ecclesiis, et alibi videmus hæc animalia depicta.

Probatur hæc sententia primo, quia hoc plane videntur verba Joannis significare, dum ait : *Primum animal simile leoni, secundum simile vitulo*, etc. Si enim unum tantum membrum horum animalium habuissent, non recte diceretur totum animal fuisse simile leoni, vitulo, etc. Sed dici debuisset, caput v. g. et faciem animalis fuisse similem leoni, uti de suis Cherubim ait Ezechiel, c. 1. Secundo, quia S. Dionysius, Cœlest. Hierar. c. 13. Seraphinis dat multos pedes. Hisce autem similes erant Cherubini : erant ergo quadrupedes ; qua figura erant sphynges Ægyptiorum, quas ex Cherubinis Salomonis fuisse depictas, docet Clemens Alexand. l. 5. Stromat. Tertio, quia hi in Cherubinis stipabant et agebant currum Dei, Ezech. 1. 19. Unde Cherubim per metathesim idem est quod רכובים *recubim*, id est curules, vel currum agentes,

hocque esse genuinum etymon Cherubim, contendit Prado; erant ergo quadrupedes; erant ergo integra animalia, puta integer, et membris omnibus perfectus bos, integer leo, integra aquila, æque ut tertium animal erat integer homo. Quarto, quod non habuerint speciem humanam significat illud: *Tertium animal habens faciem quasi hominis.* q. d. In facie, et consequenter in capite, ore, collo, cæterisque omnibus erat homo; alia vero non erant homines, sed pure animalia. Unde Syrus vertit: *et Illud animal tertium habet aspectum* (vel effigiem, figuram, vultum, personam) *sicut filius hominis*, vel homo, favet et Josephus, qui, l. 3. Antiq. c. 6. scribit, Cherubinos Mosis esse animalia nova et mira specie, nec hactenus visa. Hæc expositio est plana et probabilis.

Tertio, non minus probabiliter et concinne, imo probabilius et concinnius Alcazar censet hæc quatuor animalia non integra fuisse, sed tantum capita animalium; quoad cætera enim membra habuisse speciem et figuram humanam (erant enim animalia non vera et naturalia, sed symbolica et hieroglyphica); primum ergo animal habebat caput leonis, alas senas, ac plenum erat oculis; quoad pectus, femora, tibias, pedes, brachia, manus, et cætera omnia erat homo; sic secundum habebat caput vituli, quartum aquilæ cum senis alis, et plenum erat oculis; quoad omnia cætera erat homo; quem tamen si quis cum Prado et Pererio in primo animali vestire velit jubis, in secundo ungula, ut similiora sint leoni et vitulo, non repugnabo.

Probatur primo, quia quoad primariam speciem et figuram, hæc animalia erant eadem cum illis, Ezech. c. 1. illa autem tantum facies habebant animalium cum alis; quoad cætera erant homines, ergo et hæc.

Secundo, quia erant proxima Deo, præcedebantque 24 seniores: ergo erant specie humana; indecens enim et incongruum videtur, si leo, bos, vel aquila præponatur homini, præsertim apud thronum Dei. Secus est de Christo, cui Joannes non aliam formam dat quam Agni, ob causas quas afferam c. 5. v. 6.

Tertio, quia significabant angelos, puta Cherubinos (unde assidue laudant Deum); hi autem dum apparent et pinguntur, speciem habent hominis, non aliorum animalium.

Quarto, quia c. 6. hæc quatuor animalia ordine quodque suo Joannem evocant et educunt: *Veni*, inquiunt, *et vide*, atque ostendunt ei quatuor equos successive, scilicet album, rufum, nigrum et pallidum, qui quatuor Ecclesiæ status futuros repræsentabant: hæ autem actiones hominum sunt, non animalium. Hinc consequenter videtur quòd capita eorum, et facies oraque fuerunt humana, ita tamen ut nonnihil immutata haberent similitudinem leonis, vituli et aquilæ, ac videretur esse facies leonis, vituli et aquilæ. Id ita esse probatur, quia non dicit Joannes: Vidi leonem, vel vidi faciem leonis, sed, Vidi animal simile leoni; ergo non erat leo, sed quamdam cum leone in vultu habebat similitudinem. Sic videmus, et vulgo dicimus, hic homo habet vultum taurinum, ille leoninum, iste intuitum et nasum aquilinum, alius caninum; quomodo Achilles apud Homerum Iliade α Agamemnonem vocat κυνωπα, id est caninum vultum habentem; sunt enim homines nonnulli ita magna fronte, ita torvo vultu, ut tauri esse videantur; alii ita ore deducto, sævo et crudeli, ut leonis; alii ita acuto, ringenti et impudenti, ut canes referre videantur. Et sic nonnulli pictores pingunt hæc animalia vultu nec plane humano, nec plane leonino, vitulino et aquilino; sed medio, id est partim humano, partim leonino, vitulino et aquilino. Magna enim inter vultum hominis, et leonis ac vituli est similitudo, ut in picturis sæpe dubites an facies sit hominis, an animalis; ac paucis variatis facile unam in aliam transmutes, aut unam cum alia commisceas. Ita ergo et hic facies humana cum aliis commista videtur, ut eis esset similis. Et sic hæc animalia parum habent monstri et deformitatis, quam alioqui haberent, si capiti leonis, vituli et aquilæ subderes corpus humanum. Denique, in Cherubinis Ezechielis, singulorum primaria facies erat hominis, licet cum tribus aliis conjuncta; ergo et hic facies humana fuit commista cum facie leonis, vituli et aquilæ.

Ad primum argumentum secundæ sententiæ responderi potest, à capite sumi denominationem animalis; est enim caput prima et potissima animalis pars. Ad secundum, S. Dionys. dicit Seraphinos habuisse multos pedes, quia non habuerunt unum, sed duos; binarius enim est prima species numeri, sive multitudinis, ac de eo primo dicitur, quòd sit multus. Constat enim Seraphinos Isaiæ 6. fuisse bipedes, non quadrupedes. Porro, quòd pictores hæc quatuor animalia pinxerint integra et quadrupedia, non mirum. Cum enim ipsi essent sensus S. Scripturæ imperiti, secuti sunt nuda Scripturæ verba, quæ cum dicat: *Primum animal simile leoni;* hinc leonem pinxerunt, similiter et vitulum, et aquilam. Ad tertium, stipatores currus sunt bipedes, non quadrupedes; sunt enim homines; puta famuli et asseclæ sui heri. Ad hæc Cherub non significat curulem, sed multa scientia pollentem. Porro, 1. Paralip. 28. 18. vocatur quadriga Cherubim; quia Cherubim extensis suis alis super arcam, quasi sedem et vehiculum, puta bigam sive currum (hinc enim tantum significat Hebr. *mercaba*, quod Interpres vocat quadrigam) Deo exhibebant: unde Deus dicitur inequitare et vehi super Cherubim; non autem quod Cherubim essent quadrupedes. Consentiunt enim Interpretes Cherubinos Mosis æque ac Ezechielis fuisse bipedes, non quadrupedes. Ad quartum, dicit Joannes: *Tertium animal habens quasi faciem hominis*, ut illud à cæteris distingueret; facie enim distinguebantur, non corpore: omnia enim habebant corpus humanum, sed capita diversa; scilicet primum habebat caput leonis, secundum vituli, tertium hominis, quartum aquilæ. Si enim dixisset: *Tertium animal simile homini*, non satis distinxisset illud à cæteris; poterat enim esse homini simile quoad figuram totius corporis excepto capite, uti erant cætera tria animalia, ut hoc tollat, clareque formam tertii exprimat, ait illud non tantum corpore, sed et facie fuisse simile homini, cum alia corpore quidem, sed non facie homini essent similia. Igitur hæc facies hominis magis confirmat, quàm enervet hanc sententiam. Hinc et de aliis non ait: Habens faciem leonis, vituli, aquilæ; sed, simile leoni, aquilæ, vitulo; quia facies proprie soli homini competit, non aliis animalibus. q. d. Hoc animal habebat faciem hominis totumque erat homo; cætera in vultu similia erant leoni, vi-

tulo et aquilæ; facies ergo hominis distinguebat hoc animal à vultibus cæterorum.

Porro Josephus videtur Cherubinorum formam voluisse tegere, ut eos magis mirabiles et reverendos redderet Tito et Romanis. Sic et alibi in laudem suæ gentis, nonnulla exornando super, imo contra veritatem adit. Adde fuisse mira animalia; quia erant juvenes alati: tale enim animal hactenus in orbe non est visum.

Denique eadem animalia visa fuerunt Ezech. cap. 1. quæ Joanni hîc, nisi quod Ezechieli visa sunt confusa, quaterna scilicet in unum compacta: Joanni vero clarius visa sunt distincta, divisa scilicet, et quasi dissecta. Ezechielis autem animalia tantum habebant facies quatuor animalium; cætera erant homines: ergo et quatuor hæc animalia à Joanne visa habebant tantum quatuor animalium facies, sed singula singulas; quoad cætera vero erant homines. Causa cur Ezechielis animalia quaternas habuerint facies, Joannis vero singulas, est, quia symbola rerum divinarum, quæ veteri Testamento convoluta, tecta et obscura erant, in novo Testamento divisa, discreta, plana et explicata exhibentur. Moralem causam dat Alcazar hîc pag. 377; quia, inquit, cap. 6. significandum erat nos virorum Apostolicorum (hi enim mystice significantur per hæc quatuor animalia) fortitudine invitari ad clare et distincte contemplandam divinæ providentiæ fortitudinem, in primo sigillo latentem: et eorumdem beneficentia excitari similiter ad Dei beneficentiam intuendam sub secundo sigillo; æquitate, ad æquitatem in tertio: et sapientia, ad sapientiam in quarto; fortitudinis enim symbolum est leo, beneficentiæ bos, æquitatis homo, sapientiæ aquila? quorum proinde faciem et speciem divisam et distinctam habent hæc quatuor Dei animalia: unde à singulis animalibus ex ordine accersitur Joannes, ad has dotes et virtutes in sigilli totidem sigillatim intuendas. *Veni*, inquiunt, *et vide*. Sed de hoc inferius.

Quæres: Quidnam sunt hæc quatuor animalia? Omissis insulsis hæreticorum expositionibus, qui per leonem Apostolos accipiunt, per bovem Constantinum Imp. per hominem Lutherum et Calvinum, aquilam adhuc expectant; primo, Aureolus existimat per ea significari ad litteram quatuor sedes Patriarchales: Leo, ait, est Hierosolymitana, ob constantiam Apostolorum ibidem. Vitulus est Antiochena, quia subdidit colla Apostolis agentibus Hierosolymæ. Homo est Alexandrina, ob viros doctissimos, ut Origenem, Clementem, Didymum, Cyrillum, Athanasium, Parthænum, Heraclam, aliosque quos partim doctores habuit, partim Episcopos. Aquila est Constantinopolitana, in qua viri magnæ contemplationis floruerunt, uti S. Chrys. Nazianz. et alii. Hæ quatuor sunt in circuitu throni Dei, id est Cathedræ Romanæ in qua sedet Vicarius Christi.

Secundo, Aretas hisce quatuor animalibus significari putat quatuor virtutes cardinales, in leone fortitudinem, in vitulo justitiam, in aquila temperantiam, in homine prudentiam.

Tertio, Origenes hom. 1. in Ezechielem, et ex eo Nazianz. apud Sixtum Senensem libr. 2. consent per hæc quatuor animalia significari quatuor facultates et vires animæ humanæ. Homo est vis rationalis, leo irascibilis, bos concupiscibilis, aquila est conscientia, sive spiritus.

Quarto, Ansbertus, Hieron. Abulensis et alii censent esse Christum, qui in incarnatione fuit homo, in passione vitulus, in resurrectione leo, in ascensione aquila.

Quinto, alii censent esse quatuor Doctores Ecclesiæ, scilicet hominem esse facilem S. Gregorium, leonem fortem Ambrosium, bovem laboriosum et solidum Hieronymum, aquilam sublimem Augustinum.

Sexto, Galfridus apud Sixtum Senensem, putat hæc quatuor esse typum boni Prælati, qui debet esse fortis ut leo, laboriosus ut bos, clemens et compatiens ut homo, contemplativus ut aquila. Sic et Pererius ac Viegas putant in quatuor hisce animalibus omnes Ecclesiæ Prælatos repræsentari.

Septimo, Aretas per hoc quadriforme animal accipit mundum, tam magnum, quàm parvum, qui ex quatuor elementis consistit; leo enim significat ignem, bos terram, homo aërem, aquila aquam; ex aqua enim aves creavit Deus.

Octavo, alii opinantur hisce quatuor significari quatuor attributa divinæ providentiæ. Hæc enim fortis est ut leo, velox et penetrans ut aquila, suavis et amabilis ut homo, longanimis et patiens ut bos. Bos enim significat laborem fortem, et pertinacem concertationem, ait Philastr. l. de hæresib. §. de quatuor animalibus.

Nono, Alcazar hisce quatuor putat significari non tantum quatuor Evangelistas, sed viros sanctissimos, qui majoris sunt perfectionis et dignitatis, quàm 24 seniores. Itaque, inquit, sicuti thronus Dei sunt fideles sancti, 24 seniores sunt sacerdotes; sic quatuor animalia, sive angeli Cherubini et Seraphini sunt Apostoli virique Apostolici, puta Episcopi: hi enim in cœlo terreno, id est in Ecclesia, supremum tenent gradum, suntque potestate sua proximi Deo. Hi sunt Cherubim scientia et sapientia, sunt Seraphim ardore et zelo, habent quatuor facies: Primo, leonis magnanimitatem et fortitudinem imperterritam. Hinc leo hebr. vocatur לביא *labi*, à לב *leb*, id est cor; quia ingens habet cor, robur et animum. Unde 2. Reg. 17. de viro magnanimo dicitur: *Cujus cor est sicut cor leonis*. Secundo, iidem habent bovis beneficentiam: bos enim arando parat fruges, quin et ex bobus putrefactis apes et bombyces procreantur; bos ergo est symbolum beneficentiæ. Tertio, habent hominis rationem et æquitatem. Quarto, aquilæ perspicacitatem, sapientiam et prudentiam, quà à Deo participata comprehendunt sapientes in astutia sua: sicut *aquilarum pennæ mistæ reliquarum alitum pennis eas devorant*, ut ait Plinius lib. 10. 3. Verum hæc omnia licet apposita videantur, tamen symbolica sunt et mystica, non litteralia et genuina. Nam sanctus Joannes hæc quatuor animalia describit, quasi quatuor naturas intelligentes, quæ in cœlis beatæ coram Deo semper versentur, atque secretorum Dei consciæ Deum jugiter laudent. Quare necesse est hæc quatuor, vel esse quatuor homines beatos, vel quatuor angelos.

Decimo, multi putant esse quatuor Evangelistas; nam iis hanc visionem adaptat Ecclesia, dum eam legit in officio Ecclesiastico eorumdem. Atque licet varii varie iis hæc quatuor animalia adaptent, uti S. August. tract. 36. in Evangel. S. Joan. tom. 9. per leonem accipit

S. Matthæum, per hominem S. Marcum; alii alios, ut videre est apud Pererium pag. 302. et Viegas : tamen plures planius sic accommodant ut leo sit S. Marcus, cujus facies, ut habet Ezechiel, est leonis; quia principium ejus Evangelii incipit à clamore et rugitu S. Joannes, quasi leonis in deserto. Rugit enim dicens : *Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini.* Vitulus est S. Lucas cujus principium incipit à sacerdotio veteri Zachariæ. Homo est S. Matthæus, cujus principium est humana genealogia Christi. Aquila est S. Joannes, qui à divinitate Verbi incipit. Ita S. Hieron. et Gregor. in c. 1. Ezech. Victor. Beda, Ambros. Haymo et alii hîc. Audi S. Ambrosium proœmio in S. Lucam. *Plerique*, inquit, *putant ipsum Dominum nostrum in quatuor Evangelii libris, quatuor animalium formis figurari, quod idem homo, idem leo, idem vitulus, idem aquila. Homo, quia natus ex Maria est; leo, quia fortior; vitulus, quia hostia; aquila, quia resurrectio est.*

Ubi nota primo : Patres docent animalia hæc quatuor totidem Christi proprietates in Evangeliis explicatas significare. Leo significat fortitudinem regiam Christi, quam maxime ostendit in resurrectione et post eam; vitulus significat sacerdotium Christi in cruce consummatum, homo humanitatem; aquila divinitatem, et ascensum in cœlum.

Nota secundo hæc animalia maxime discerni per facies; quia Evangelistæ maxime distinguuntur principio : aliqui in progressu eadem habent, omnesque has quatuor Christi proprietates et dignitates ostendunt et enarrant. Unde et apud Ezech. cap. 1. vers. 6. singula animalia quaternas facies habere dicuntur, quia scilicet initia aliorum trium, adeoque totam narrationem aliorum, quartus quisque complectitur. Ita Primasius.

Nota tertio alio ordine hæc animalia poni apud Ezech. alio hic. Nam Ezechiel secutus est ordine temporis, quo quisque Evangelista scripsit, scilicet primus est homo, id est Matthæus; secundus est leo, id est Marcus; tertius est vitulus, id est Lucas : quartus est aquila, id est S. Joannes. Joannes vero rerum ordinem secutus est, in quo primus est leo, id est Marcus, quia à Joannis præcursoris Christi prædicatione incipit. Sequitur Lucas; quia sacrificia vetera à quibus Lucas incipit, typus erant Christi, et adveniente Christo ei locum cesserunt ac cessarunt. Tertius est Matthæus, quia abdita veteri lege et sacrificiis successit fides humanitatis Christi, et per miracula ejus fides divinitatis ejusdem : humanitatis originem et seriem enarrat Matthæus, divinitatis Joannes, ac proinde Matthæus est tertius, Joannes quartus.

Verum hic sensus accommodatitius et mysticus videtur, non litteralis et genuinus. Nam ex verbis S. Joannis, certum est eum loqui de iisdem animalibus (hoc enim licet neget Isidorus Clarius, tamen communiter asserunt S. Hieron. Richard. Ansbert. Rupert. Hugo, Prado, et alii passim : vide Viegas sect. 12. in fine capitis hujus) de quibus Ezechiel cap. 1. atqui illi fuerunt angeli : Ezechiel enim vocat eos Cherubim, qui stipant currum gloriæ Dei : ergo et tales sunt hîc.

Secundo, quia Joannes, quem communiter intelligunt per quartum animal, puta per aquilam, adhuc vivebat, et necdum erat Evangelista, quia necdum scripserat Evangelium; quomodo ergo visus fuit hic non tantum Evangelista, sed etiam beatus in cœlo? Resp. Ribera hæc animalia repræsentata fuisse Joanni, non prout jam erant, sed prout futura erant in tempore novissimo, de quo prophetarit. Verum, licet prophetia ipsa sit futura, aut potius de futuro; tamen visio hujus capitis de Deo, de 24 senioribus, de quatuor animalibus enuntiantibus Joanni istam prophetiam, est præsens : ergo in hac visione Joannes videns, et visus, hoc est, et prophetans et audiens prophetiam præsens fuit, sicut Isaias, Jeremias, Daniel, et alii Prophetæ præsentes erant, non futuri, cum prophetarent de futuris. Rursum cap. 6. vers. 7. Joannes audivit à quarto animali, puta ab aquila sibi dici : *Veni et vide;* Joannes autem non potuit edoceri à seipso, præsertim præsens à futuro, nec potuit simul esse in terra et simul in cœlo.

Tertio, S. Matthæus, imo et Joannes sunt inter duodecim Apostolos, et consequenter inter 24 seniores; ergo non sunt inter quatuor animalia ad litteram, sed tantum mystice.

Dico ergo cum Pererio, et Hieron. Prado in cap. 1. Ezechielis, ad litteram hæc quatuor animalia esse eadem cum iis quæ vidit Ezechiel cap. 1. ac proinde esse quatuor angelos primarios, stipatores, principes et administratores Dei, circa curam Ecclesiæ, ac circa salutem ac regimen hominum totiusque mundi. Hinc affingitur eis similitudo quatuor animalium nobilissimorum, quibus significantur stemmata tum Dei, tum sua : aquila significat Dei celsitudinem et sapientiam; homo bonitatem et mansuetudinem; bos patientiam, justitiam, religionem et cultum; leo fortitudinem et potentiam. Quæ quatuor à Deo participant, et in se repræsentant hi angeli. Ita S. Dionys. Cœlest. Hierarch. 15. Vide dicta Ezech. 1. in fine capitis, quæst. 3. Paulo aliter hæc applicat Pererius pag. 305 in fine. Angelos fuisse patet, quia plane alludunt facie et forma ad Cherubinos quatuor Ezechielis cap. 1. uti dixi : illi autem erant angeli. Secundo, quia proximi sunt throno Dei; huic autem proxime assistunt angeli. Tertio, quasi pleni sunt oculis, et senas habent alas, alæ autem significant angelos velocissimos. Adhæc, jugiter canunt *Sanctus;* sunt ergo instar Seraphinorum Isaiæ, ut inferius dicam. Insuper cap. 6. Joannem evocant et educunt. *Veni*, inquiunt, *et vide*, atque ostendunt ei quatuor equos, quatuor futuros Ecclesiæ status repræsentantes. Hæc autem sunt munia angelorum, qui præsunt gubernationi Ecclesiæ : solet enim Deus Prophetis de rebus Ecclesiæ dare prophetias, eosque illuminare per angelos qui eis præsunt, uti patet ex sequent. et ex Daniele.

Dices : Cap. 1. 4. et Tobiæ 12. 15. dicuntur non quatuor, sed septem esse spiritus sive angeli stantes ante Dominum. Respondeo : Sicut in regno et republ. sæpe sunt triumviri, deinde septemviri; ita et in cœlo primi principes angeli sunt quatuor, deinde septem.

Dices secundo : Cap. 5. 9. dicunt hæc quatuor animalia : *Redemisti nos, Domine, in sanguine tuo:* angeli autem non sunt à Christo redempti, sed homines. Respondeo : Id dicunt hi angeli cum aliis et pro aliis, scilicet 24 senioribus, aliisque Sanctis. Loquuntur enim communi eorum voce, utpote quorum sunt custodes et curatores. Unde

et redemptionis Christi gestant insignia, uti ostendi Ezech. 1. Atque in primis bos, sive vitulus mortem et sacrificium Christi significat. Sic legatus aliquo missus loquitur nomine, non suo, sed sui regis; et protector nomine reipublicæ: ejus enim personam et vocem subit et obit.

Dices tertio: Joannes cap. 7. 11. dicit se cum quatuor animalibus audivisse vocem angelorum multorum; ergo ipsa non erant angeli, sed quid ab iis distinctum. Respondeo: Hi quatuor erant quasi principes aliorum angelorum, cum eis concinentium et conclamantium: sicut in choro præfectus et præcentor, quasi princeps est musicorum secum psallentium: omnes enim ipse præit et dirigit, omnesque ei succinunt et concinunt.

Censent nonnulli hosce quatuor Cherubim esse Michaelem, Gabrielem, Raphaelem et Uriclem, uti dixi Ezech. 1. Verum si illi ipsi sunt è septem spiritibus astantibus Deo, ab eoque missis, de quo dixi cap. 1. 4. ergo nequeunt esse è quatuor animalibus, sive Cherubinis; quia hæc hoc cap. simul Joanni visa sunt cum septem spiritibus, tanquam ab iis distincta. Nisi quis dicat in symbolica hac visione, eosdem visos esse Joanni quasi septem spiritus quatenus à Deo sunt missi; et quatuor ex eis simul visos esse quasi quatuor animalia, quatenus jugiter assistunt Deo, geruntque ejus stemmata. Nam similiter hi septem spiritus hoc cap. vocantur septem lampades, et mox cap. 5. 6. iidem vocantur septem cornua Agni. Simul ergo visi sunt quasi lampades et quasi cornua. Verum cum Deus abundet angelis et inter eos partiatur officia ut cœlestis curia sit quasi castrorum acies ordinata; hinc videtur potius quòd aliqui ex ipsis sint Assistentes, qui gestant Dei stemmata, illique videntur significari per quatuor animalia; alii vero sint Ministrantes, illique videntur repræsentari per septem lampades, cornua et spiritus tam Dei quàm Agni. Accedit quòd in sequentibus hi septem spiritus officio distinguantur à quatuor animalibus. Nam c. 6. v. 1. et sequent. singula quatuor animalia ad singulorum quatuor primorum sigillorum libri signati apertionem, evocant S. Joannem, ut ea intueatur; septem vero spiritus canunt septem tubis, et canendo evocant septem orbis plagas cap. 8. 2. et cap. 16. 1. Quinam ergo sint hi quatuor Cherubini, et quinam hi septem spiritus, norunt cœli cives; et nos sciemus, cum illorum aulam ingrediemur, iisque associati fruemur.

Plena oculis ante et retro.] Ezech. c. 1. 18. oculos hosce conspexit in rotis currus Cherubici, non in ipsis Cherubinis: Joannes vero in ipsis animalibus, puta Cherubinis: licet Liran. et ex eo noster Prado Ezech. 1. vers. 18. putent Ezechielem, æque ac Joannem, vidisse oculorum multitudinem, tam in Cherubinis, quàm in rotis: ex rotis enim, ubi exprimuntur, subintelligi eos quoque imo potiori ratione fuisse in Cherubinis: ac idcirco cum in rotis non fuerint vivi et humani, sed symbolici et quasi picti, quales visuntur in cauda pavonis; hinc consequenter et tales fuisse in ipsis Cherubinis. Verum omnes alii passim veros hîc accipiunt oculos: sic enim accipiuntur cap. seq. vers. 6. cum ait Agnum septem habere oculos; et tales videntur quoque fuisse in rotis Ezechielis: *spiritus enim vitæ erat in rotis;* erant ergo quasi vivæ rotæ ac consequenter vivos videbantur habere oculos. Dices: Oculi hi cum rotis perpetuo rotatu per terram volvebantur, ergo non erant veri, nec vivi; fuissent enim ad terram allisi et læsi. Resp. Alcazar oculos hos terram non tetigisse, sed vel ad latera rotarum fuisse dispositos, vel introrsum fuisse positos, et quasi cancellis inclusos, ut tangi aut lædi non possent. Unde et recte hinc infert hæc animalia fuisse nuda: erant enim *plena oculis ante et retro*, qualem Poetæ finxerunt Argum.

Jam sensus est: *plena oculis ante et retro.* q. d. Hæc animalia, puta hi Angeli, hi Cherubini perspicacissimo sunt intellectu et cognitione, tum naturali, tum supernaturali; omnia vident, præterita et futura, ut videantur esse puri et meri oculi. Hinc sapientissimi sunt et prudentissimi in administratione mundi et Ecclesiæ. Hac enim de causa, et hoc symbolo veteres Ægyptii pingebant Deum, Deique providentiam quasi oculum baculo aut sceptro insistentem. Multitudine oculorum, ait Andreas Cæsariensis significatur mirifica vis, qua cœlestes beatique spiritus ad hauriendos divinitatis radios pollent.

Mystice: Prælatus, doctor, prædicator debet plenus esse scientia et sapientia, tam contemplativa, quàm practica, ut instar Argi sit centoculus.

7. Et tertium animal habens faciem quasi hominis.] Ergo facie à cæteris distinguebatur, quòd scilicet hoc haberet faciem humanam, alia vero haberent faciem leonis, vituli et aquilæ: tertium ergo erat homo. Dices: Cur cum non vocat hominem, sed animal? Resp. Quia erat unum è quatuor animalibus: cætera enim tria erant animalia; quartum vero erat homo, qui quoque est animal, sed bipes, erectum et rationale. Adde hominem hunc vocari animal, quia senas habebat alas, quæ sunt animalium, puta avium: rursum plenus erat oculis, ut non tam homo, quàm novum quoddam animal esse videretur.

Quartum simile aquilæ volanti.] *Volanti*, non actu, sed in præparatione; extendebat enim et librabat alas in suo loco consistens, quasi paratum ad volandum. *Volanti* ergo idem est, quod volaturienti, aut volare volenti et paranti.

8. Singula eorum habebant alas senas.] Alludit ad Seraphinos Isaiæ cap. 6. vers. 2. Hisce ergo quoad alas, uti et quoad voces *Sanctus, sanctus, sanctus*, similia erant hæc animalia Joannis. Quocirca, æque ut Seraphini Isaiæ, duabus velabant faciem, duabus pedes, duabus volabant, id est habebant eas extentas quasi parati et expediti ad volandum. Vide dicta Isaiæ 6.

Ezechiel vidit Cherubinos quaternis tantum alis instructos, Isaias vero et Joannes senis; ubi Prado, Vilalpando et Pererius censent, tam illos Ezechielis, quàm hos Joannis in alis æque ac in cæteris fuisse omnino similes, imo eosdem. Ergo Ezechielis Cherubinos præter quatuor alas habuisse duas manus, quas Joannes hîc, æque ac Isaias cap. 6. vocet alas. Seraphinos enim præter alas habuisse manus patet, Isaiæ 6. 6. cum dicitur: *Volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus.* Isaias ergo et Joannes, ipsa brachia et manus angelorum vocant alas; quia quod in homine est brachium, hoc in ave et angelo est ala. Unde et ab ala vocatur axilla id, quod sub brachio est concavum. Porro animalia Joannis præter alas habuisse manus

patet, cap. 5. 8. ubi singula tenent citharas et phialas, utique non pedibus, nec alis, sed manibus. Verum contrarium est verius, scilicet manus ab alis, æque ac animalia hæc Joannis, et Seraphinos Isaiæ à Cherubinis Ezechielis hac parte scilicet alarum numero, distingui; Ezechielis enim erant Cherubini: Isaiæ erant Seraphini vere et proprie dicti: Ezechielis quaternas habebant alas, Isaiæ vero et Joannis senas. Præter alas tam Ezechielis, quàm hi Isaiæ et Joannis, habebant sua brachia et manus, uti patet ex locis et versibus jam citatis. Ita Alcazar, qui et addit, duas alas quibus vultum tegebant, fuisse in modum crucis insertas et conjunctas, uti pingitur Seraphinus qui sacra Christi crucifixi stigmata S. Francisco infixit. Similiter Prado censet, duabus imis alis in modum crucis collatis, tecta fuisse eorum femora; itaque repræsentasse, imo gestasse crucem, quasi stemma et insigne Christi.

Porro senarius symbolum est perfectionis: significant ergo senæ alæ in angelis hisce quatuor, vim volandi perfectissimam, scilicet primo, summam eorum quaquaversum agilitatem; secundo, mentis elevationem, et perspicaciam ad penetrandas res altissimas et profundissimas in Deo; tertio, celerrimam erga Deum obedientiam et executionem.

Allegor. Victorinus putat per senas alas quatuor animalium, id est per 24 alas (sexies enim quatuor sunt 24) significari 24 libros veteris Testamenti, quibus nititur et volat per totum orbem fides et prædicatio novi Testamenti. Addit Ambr. sedilia 24 seniorum, id est 24 libros veteris Testamenti, in quatuor animalibus novi Testamenti conversos esse in alas; quia jam spiritualiter intelligimus ea quæ Judæi carnaliter intelligebant, sicque evolamus ad res divinas.

Tropol. Joachim: Quatuor animalia sunt quatuor ordines et status in Ecclesia. Leo significat fortitudinem fidei Apostolorum, bos invictam patientiam et victimam Martyrum, homo Doctorum sapientiam, aquila Virgines angelice viventes, et Religiosos contemplationi addictos: hi duabus alis, scilicet pœnitentia et misericordia velant pedes et confusionem suam; duabus, scilicet humilitate et patientia, velant faciem suam, et laudem bonorum operum suorum; duabus, scilicet fide et spe, volant ad cœlestia: habent oculos undique, quia omnia prospiciunt; ante et retro, quia præterita deflent, futura bona et mala æterna provident.

In circuitu.] Multa Biblia hæc aliter dispungunt, nectuntque præcedentibus hoc modo: *Habebant alas senas in circuitu, et intus plena sunt oculis.* Verum Romana utrumque referunt ad sequentia, et legunt: *In circuitu et intus plena sunt oculis. Intus*, id est, intra alas, q. d. Tam intra alas quàm extra, tam intrinsecus quàm extrinsecus plena sunt oculis. Itaque opponit τὸ *in circuitu*, ei quod sequitur, *intus*. Cum ergo *intus* idem sit quod interius, intrinsecus, intra alas: sequitur τὸ *in circuitu*, idem esse quod exterius, extra alas, forinsecus, circumcirca. Addit Alcazar forte Joanni revelatum fuisse animalia præter oculos multiplices, quos habebant ante et retro, etiam interius plena esse oculis, qui, si intima nudarentur viscera, apparerent et viderentur. Hæc omnia significant Cherubinos quaquaversum esse perspicacissimos et providentissimos, ut non nisi oculi esse videantur.

Denique pedes Cherubinorum omnium Ezechielis erant vitulini, id est ungulam fissam habentes instar vituli: tales fuisse et horum animalium Joannis, æque ac Seraphinorum Isaiæ pedes contendit Hieron. Prado. Verum nihil tale ait Joannes, vel Isaias; licet enim in multis Cherubini Seraphinis fuerint similes, tamen in multis quoque fuere dissimiles. Quare si cum Alcazar et Prado dicamus hæc animalia fuisse humana specie, excepta facie, congruentius videtur dare eis pedes humanos, non vitulinos: tales enim sunt hominum et angelorum, cum apparent aut pinguntur; talesque habuerunt Cherubini supra arcam in tabernaculo Mosis.

Hæc ergo fuit figura et idea horum quatuor animalium; erant corpore et specie humana, ac consequenter et capite et facie humana, ut videtur; sed nonnihil inflexa et immutata, ita ut primi facies accederet ad similitudinem faciei leoninæ, esset que similis leoni, secundi vitulo, quarti aquilæ, tertii vero tota plane et perfecte erat humana: hæc enim species videtur decentior; secundo, reliqua corporis parte plane erant homines, bipedes scilicet et statura erecta; tertio, alas habebant senas, duabus velabant caput, duabus pedes, duabus volabant; quarto, ante et retro, sub alis et extra circumcirca plena erant oculis; quinto, habebant manus, et in manibus phialas et citharas. cap. 5. 8; sexto, non habebant requiem, sed jugiter canebant Deo: Sanctus, sanctus, sanctus; septimo, erant proximi throno Dei, eumque à quatuor lateribus stipabant et ambiebant; octavo, stabant quasi volaturientes, parati ad omnem Dei nutum, avidique ad volandum, ut Dei jussa statim exequerentur.

Hinc sequitur inter animalia Joannis et Cherubinos Ezechielis esse sextuplex discrimen; primum, quatuor facies in singulis animalibus vidit Ezechiel, Joannes tantum unam; secundum, apud Ezechielem prima facies erat hominis, secunda leonis, tertia bovis, quarta aquilæ. Apud Joannem prima facies est leonis, secunda bovis, tertia hominis, quarta aquilæ; tertium, hæc Joannis uti et Seraphim Isaiæ, pedes habebant hominum; illa Ezechielis vitulorum; quartum, hæc Joannis, uti et Isaiæ, habebant senas alas; illa Ezechielis, quaternas: carebant enim duabus, quibus priora vultum tegebant; pergebant enim ad bellum, puta ad excidium Hierosolymæ: ergo oculos apertos habere debebant, ut hostem cernerent et ferirent: hæc vero adorant et laudant Deum, unde ex reverentia tantæ majestatis velant oculos; quintum, hæc Joannis erant in ipso throno Dei, et in ejus circuitu; illa Ezechielis habebant super caput firmamentum, quasi scabellum pedum Dei; sextum, hæc Joannis binas habuerunt manus; illa Ezechielis quaternas.

Requiem non habebant.] Græce οὐκ ἔσχον, id est, non habent, quasi dicat: Vide quod hæc animalia sine cessatione jugiter laudabant Deum, contenta mente et voce clamando: Sanctus, sanctus, sanctus; quia hi angeli assidue toto corde et ore prædicant et celebrant SS. Trinitatem. Idem faciunt quatuor Evangelistæ, quos allegor. hæc quatuor animalia, puta hi quatuor angeli, repræsentant. Nam in cœlis per seipsos, in terris per quatuor sua Evangelia non aliud

quàm fidem, amorem, cultum et laudem SS. Trinitatis hominibus concinunt et appræ̀dicant. Vide quod sit officium, quæ occupatio angelorum? quid jugiter faciant? non aliud sane quàm laudare Deum. Hoc Ecclesia imitatur in perenni psalmodia, dicitque cum Psalte : *In conspectu angelorum psallam tibi;* hoc faciunt pii et sancti, qui semper corde et ore canunt : *Benedicam Dominum in omni tempore;* quorum vita est continua Dei laus. Ili sunt angeli terrestres : Dei enim laus est juge et otiosum angelorum negotium, ac negotiosum otium.

Angelici ergo ordinis sunt, qui semper laudant Deum. Sunt in Ecclesia pœnitentes, sunt qui vacant operibus misericordiæ, sunt qui docent, sunt qui regunt; sed in summo gradu positi sunt, qui assidue tam in adversis, quàm prosperis, laudant Deum. Quinimo angeli id ipsum nos docuerunt, scilicet psallere, canere: Sanctus, sanctus, sanctus, vel, quod quasi idem est, canere : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Summa enim SS. Trinitatis gloria, est summa ejusdem sanctitas. Nam, uti narrat Socrates libr. 6. cap. 36. cum Constantinopoli Ariani odas suæ hæreseos canerent, dicentes: *Ubi sunt, qui tria unam dicunt esse potentiam?* S. Joannes Chrysost. instituit, ut Orthodoxi ex adverso canerent trisagion et homousion, idque alternatim, uti in choro fit. Subdit deinde Socrates : *Dicendum autem et hoc, unde consuetudo responsoriorum hymnorum in Ecclesia initium cepit. Ignatius Antiochiæ Syriæ tertius ab Apostolo Petro Episcopus, unà cum Apostolis aliquando conversatus, visionem angelorum per responsorios hymnos S. Triadem laudantium vidit, et modum visionis Antiochenæ Ecclesiæ tradidit; unde et ad omnes Ecclesias ista traditio manavit. Et hæc est ratio hymnorum responsoriorum,* id est eorum qui alterne canuntur per antiphonas, uti fit in choro. S. Ignatius ergo est auctor psalmodiæ alternæ, sive chori. Itaque sicut angeli in cœlis, ita fideles et Sancti in hac vita, quasi angeli terrestres, jugiter canunt : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto*, sive ter Sanctus; canunt, inquam, toto corde, ore et opere, toto affectu et spiritu; quasi dicant :

Si mihi sint linguæ centum, sint oraque centum ;

imo si solus haberem omnium hominum et angelorum ora et linguas; si cor haberem tam amplum et vastum, ut caperet corda omnium animalium et omnium creaturarum; illud et illa tota, quot quantaque essent in SS. Trinitatis doxologiam expromerem et effunderem; quia omnis hæc laus pro ejus dignitate et merito exilis esset, et nullius pretii. Qui ergo vult æmulari et inchoare angelorum vitam, officium et felicitatem, terrena transcendat, omnia tam felicia quàm infelicia nihili æstimet, in cœlis conversetur, ibique cum sanctis angelis perpetim celebret et glorificet Deum et SS. Trinitatem, dicatque cum S. Paulo Rom. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia : ipsi gloria in sæcula. Amen.* Noster P. Nicolaus Serarius piam et eruditam doxologiæ hujus, *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto*, explicationem edidit, qua simul praxim docet eamdem per modum rosarii recitandi et iterandi; ut, sicut in rosario Beatæ Virginis recitamus quinquagies *Ave, Maria*, et quinquies *Pater noster*; in rosario SS. Trinitatis recitemus quinquagies *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto;* et quinquies *Pater noster*, ut ita continenter eamdem glorificemus.

Rursum S. Basilius explicans Psalm. 33. v. 1. *Semper laus ejus in ore meo*, quærit quomodo semper, etiam in somno, cibo, opere possimus laudare Deum? ac respondet dupliciter : Primo : *Cogitatio*, inquit, *quæ de Deo semel impressa est, et velut sigillo obsignata in præcipua animæ parte, nimirum in mente, potest laus Dei recte appellari semper in anima existens*; secundo, si faciat cuncta ad Dei gloriam, ita ut facta dictaque ipsius omnia, omnisque spiritualis operatio vim laudis habeant. Sive enim bibat justus, sive edat, sive quid aliud agat, omnia ad Dei gloriam facit. Talis etiam cum dormit, cor vigilat, juxta verbum dicentis in Cantic. *Ego dormio, et cor meum vigilat. Quasi enim tenor quidam soni semel editi, ac diutius auribus insonantis, sunt illa quæ per somnum recurrunt imagines, conceptæ interdiu cogitationis.*

SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS.] Alludit S. Joannes ad Seraphinos Isaiæ; hisce enim quoad alas et voces, similia erant hæc quatuor animalia, sicuti quoad quaternas facies similes erant Cherubinis Ezechielis. Videtur enim Joannes utramque visionem, scilicet tam Ezechielis, quàm Isaiæ connectere, et sua hac una complecti.

Nota primo : Pro *Sanctus, sanctus, sanctus*, hebr. Isaiæ 6. 3. est קדוש קדוש קדוש *cados, cados, cados*, quod significat id quod ob suam puritatem à rebus immundis et profanis, imo à cæteris, puta à creatis omnibus, separatum et sanctum, ideoque summe venerandum et adorandum est; radix enim קדש *cadas* significat separare, ac esse separatum, sanctum ac sacrum.

Hinc Græcum ἁγιος, id est sanctus, ait Origenes, et ex eo Beda, dicitur quasi α, id est sine, γη, id est terra. Verum sic dicendum esset ἁγιος spiritu leni, non ἅγιος aspirate. Potius ergo ἅγιος, idem est quod ἀξιος, id est colendum et venerandum, puta numen aut numinis particeps.

Latinum *sanctus* deducitur à sancire, id est sanguine victimæ firmare, uti eodem veteres firmabant sua pacta et fœdera : quia vero ita sancte et religiose inita ac confirmata violare nefas erat, hinc sanctum idem est quod integrum, incorruptum, intemeratum et inviolabile.

Sanctus ergo Deus Pater, sanctus Deus Filius, sanctus Deus Spiritus sanctus. Hinc trisagium hoc quotidie in sacrificio usurpat et celebrat Ecclesia. Vide dicta Isaiæ cap. 6. 3.

Porro in hoc trisagio mysterium Sanctissimæ Trinitatis repræsentari docent S. Basilius, Epiphanius, et alii quos citat et sequitur Leo Castrius Isaiæ 6. Item Damascenus, Felix Papa, Concilium Chalcedonense et Constantinopolitanum secundum, quod fuit generale quintum, hac de re celebratum contra Petrum Gnapheum, qui trisagio addebat : *Qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis.* Pro Trinitate enim volebat inducere quaternitatem : ponebat enim duos Filios, unum immortalem, alterum mortalem et crucifixum.

Triophthalmos cum onyche nascitur, tres hominis simul oculos exprimens, ait Plinius

lib. 37. cap. 11. Triophthalmos tres oculos habens commixtos, et una luce fulgentes, symbolum est Sanctissimæ Trinitatis, quam sanctus Nazianzenus in Odis, vocat φαος εν τριλαμπες, id est, lux una triplici face (quasi oculo) collucens.

Nota : sanctitas est ipsa justitia, rectitudo et perfectio mentis ; hæc autem consistit in conformitate voluntatis et actionis cum lege æterna, quæ est in mente Dei : ex adverso peccatum, quod directe contrarium est sanctitati, non est aliud quàm difformitas et prævaricatio legis æternæ. Sicut enim perfectio naturalis rerum consistit in eo, quòd res quælibet sit commensa suæ regulæ, puta ideæ, juxta quam est facta : ita perfectio moris consistit in commensione et adæquatione voluntatis cum lege æterna juxta quam oportet operari. Sicut enim idea in mente Dei est mensura perfectionis naturalis cujusque rei creatæ ; ita lex æterna in mente Dei, est mensura perfectionis moralis et sanctitatis naturæ rationalis in omnibus operibus bonis. Is enim perfectus est et sanctus, cujus volitiones et actiones plane conveniunt cum lege æterna. Quocirca cum voluntas divina idem sit cum mente divina et lege æterna, sequitur quod ipsa essentialiter sit sanctitas increata et infinita, adeo ut sanctitas creaturarum, puta angelorum et hominum omnium, ad divinam comparata, sit instar nihili, et veluti impuritas quædam : sicut entitas, potentia, sapientia, dominium creaturarum comparatum cum entitate, potentia, sapientia, dominio Dei, est tantum umbra entitatis, potentiæ, sapientiæ, dominii. Unde Christus Matth. 19. *Quid me interrogas de bono ? unus est bonus Deus.* Et in doxologia Missæ : *Tu solus sanctus, tu solus Dominus.*

Hinc secundo, sanctitas est ipsa innocentia et puritas ab omni labe, inquit S. Dionys. c. 12. Divin. nom. et Apostolus 1. Cor. 7. ait virginem esse sanctam, id est castam puramque corpore et spiritu : sicut enim labes et macula moralis consistit in difformitate actionis à lege æterna : ita moralis pulchritudo, puritas et sanctitas consistit in conformitate actionum cum lege æterna. Quocirca Deus est sanctus, quia est purissimus spiritus. Hinc angeli, quia hanc puritatem præ cæteris participant, sunt sanctissimi : homines quoque quo magis à contactu, adhæsione et amore rerum terrenarum, utpote fæculentarum, sordidarum et vilissimarum, mentem avocant, eamque ad Deum et divina attollunt et traducunt, eò sunt fiuntque sanctiores. Sanctitas enim consistit in contactu et amore rerum divinarum, utpote spiritualium, et purissimarum, puta in conjunctione cum Deo. Hæc etiam facit homines spiritales, cœlestes, angelicos et divinos.

Hinc tertio, sanctitas est ipsa mentis integritas, ipsa virtus, præsertim charitas, ipsa gratia, ipsa gloria. Hæc enim omnia commensa sunt legi æternæ. Hac de causa Psalm. 144. dicitur Deus *justus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis :* quia in omnibus insignem aliquam virtutem ostendit, nimirum vel misericordiam et beneficentiam, vel justitiam et scelerum vindictam. Sic Deus in opere incarnationis et redemptionis hominum ostendit se sanctissimum, id est summe misericordem et beneficum : utpote qui quasi oblitus tot offensarum et injuriarum hominum, ad eos sanctificandos sibique reconciliandos miserit Filium suum in carnem, imo in mortem crucis, quod maxime spectant hi Seraphini Isaiæ et Joannis. Hoc est quod ait Psaltes : *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus, sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus*, Psalmus 95. 6. Et Moses Exodi 15. 11. *Quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia ?* Jam quia charitas et amor divinus est sanctitas ; hinc, sicut duplex est amor divinus, nimirum essentialis, communis tribus personis, et notionalis, proprius singulis ; ita duplex est et sanctitas. Nam Pater et Filius immenso amore se invicem amanter, producunt amorem notionalem, eumque sanctissimum, qui proinde nuncupatur Spiritus sanctus ; quia Pater et Filius, ejus productores et spiratores, sanctissimi sunt, et per castissimum ac sanctissimum amorem eumdem producunt et spirant.

Huic sanctitati divinæ et immensæ, quasi numini sacratissimo, summam debemus reverentiam, cultum et latriam per sacrificia, preces, oblationes, vota, etc., summam item gratitudinem, amorem et obsequium, quod nos peccatores peccato liberarit, et suæ sanctitatis per Christum participes effecerit, insuper summam imitationem : vult enim Deus nos imitari ejus, non omnipotentiam, omniscientiam, magnificentiam, etc., sed bonitatem et sanctitatem. Hoc enim nos facit justos, sanctos, gratos Deo, imo filios et hæredes Dei. Hinc sancit ipse Levit. 11. *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.* Et Christus Matth. 5. 48. *Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.* Et Apostolus Heb. 12. 14. *Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Quare licet mundus sit velut templum quoddam divinitatis ipsius præsentia sanctificatum, ut ipsam ubique præsentem, omnia creantem, sustentantem, providentem, exornantem spectemus, ubique veneremur, laudemus et celebremus, semperque in ejus præsentia velut in sacro quodam templo nos versari cogitemus ; tamen proprie et potiori ratione templum Dei est anima sancta, juxta illud Apostoli : *Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus ; quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus*, 2. Corinth. 6. 16.

Quocirca sæpe in fundum animæ recipere nos debemus, ibique Deum per gratiam præsentem et inhabitantem, seposita omni alia cogitatione et cura, pro modulo nostro sancte colere et venerari. Sanctitas enim animæ est fides, spes, charitas, religio, oratio, patientia in adversis, continentia, cæteræque virtutes. Unde S. Gregorius lib. 6. in cap. 16. lib. 1. Reg. *Sanctificatio*, ait, *corporis pudicitia est, sanctificatio mentis charitas et humilitas.* Huc nos invitat et excitat aurea sententia S. Basilii homil. de Spiritu sancto : *Deus*, inquit, *est quisque Sanctorum. Dictum enim illis à Deo est : Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes, et, Deus deorum (utique sanctorum locutus est, et videbitur Deus Deorum (videlicet sanctorum) in Sion. Necesse est autem divinum esse spiritum, et ex Deo esse, qui diis divinitatis est causa.* Et S. Bernardus epist. 23. ad Attonem : *Deus*, ait, *cum sit mirabilis in majestate sua, etiam in Sanctis suis gloriosus apparere dignatur, ne solus habeat gloriam.* Idem serm. 25. inter parvos : *Tria*, ait, *sunt quæ*

faciunt hominem sanctum : victus sobrius, actus justus, sensus pius, etc. *Tria sunt quæ mortem Sanctorum faciunt pretiosam : quies à labore, gaudium de novitate, securitas de æternitate.* Denique ad hoc venit Sanctus sanctorum Christus Dominus in mundum, ut *serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris*, Lucæ 1. 75. Nostrum ergo est sancta vita sanctificare sanctitatem divinam, omnesque ad eamdem sanctitatem exhortari et traducere, itaque sanctissimum Dei nomen, et gloriam apud omnes toto orbe propagare et celebrare. Hæc est vera et consummata sanctitas.

Symbolice, trisagion non solùm continet mysterium SS. Trinitatis, sed totum Apostolorum Symbolum, totamque Evangelicam doctrinam. Cum enim Seraphini Patri æterno acclamant, *Sanctus*, significant sanctitatem Patris ostendi in mundi creatione; cum, *Sanctus*, acclamant Filio, significant ejus sanctitatem in mundi redemptione; cum, *Sanctus*, acclamant Spiritui sancto, significant eum esse sanctificatorem et beatificatorem Ecclesiæ, quia in hisce tribus, creationis, redemptionis et sanctificationis operibus (ad quæ referuntur duodecim articuli Symboli, totumque Evangelium) apparet trina sanctitas trium personarum; atque quia in his apparet omnipotentia Dei, ejusque universale dominium, hinc additur ab animalibus : *Dominus Deus omnipotens*, ita Alcazar. In Lauretano et Hispan. exemplaribus ἅγιος, id est sanctus, novies repetitur, forte ut significetur cuilibet trium personarum acclamari ter *sanctus* : nam quælibet est ter sancta, id est sanctissima, uti et terque quaterque beata, id est beatissima, ut significetur τὸ *sanctus* Sanctissimæ Trinitati acclamari à novem, id est ab omnibus Angelorum choris. Sed vera lectio est ut tantum legatur ter *sanctus*, ut legitur Isaiæ 6.

QUI ERAT, ET QUI EST, ET QUI VENTURUS EST.] Vide dicta c. 1. 4. hîc tamen mutatur nonnihil ordo; nam c. 1. præponit τὸ *qui est* : ait enim : *Qui est, qui erat, et qui venturus est.* Causam transpositionis dat Alcazar : Cap. 1. inquit, hoc nomine trino notatur Dei providentia circa Ecclesiam, q. d. Jam revera *est* redemptor, qui olim *erat* promissor et figurator, et tandem *venturus est* ut opus suum plene perficiat. Hic autem agitur de mysterio et doxologia SS. Trinitatis : unde oportuit exordiri à τῷ *qui erat*, qui est Pater; hic enim est antiquus dierum, qui erat ante mundum, et ante omnia sæcula. Rursum ordo illorum trium operum, quæ tribus personis attribuuntur, hic est, creatio, redemptio et perfecta sanctificatio. *Qui erat*, refertur ad creationem; *qui est*, ad redemptionem; *et qui venturus est*, ad Ecclesiæ sanctificationem, vel potius beatificationem et glorificationem, uti dixi c. 1.

9. ET CUM DARENT ILLA ANIMALIA GLORIAM ET HONOREM, ET BENEDICTIONEM,] clamando : *Sanctus, sanctus, sanctus;* hæc ergo tria, *gloria, honor* et *benedictio*, idem sunt quod trisagion, sive ter *sanctus*. Hoc enim Sanctissimæ Trinitati ingeminando, eamdem summe glorificabant, honorabant et benedicebant, hoc est laudabant et celebrabant.

VIVENTI IN SÆCULA SÆCULORUM.] q. d. Qui non tantum in sese vivit, sed et est ipsa vita increata et æterna, ac causa vitæ omnium Angelorum, hominum et animalium, vitæ, inquam, tum naturalis, tum supernaturalis per gratiam, tum gloriosæ et beatæ. Hoc est quod dicitur Joan. 1. 4. *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum.* Et Psal. 35. 10. *Apud te est fons vitæ.*

10. PROCIDEBANT VIGINTI QUATUOR SENIORES ANTE SEDENTEM IN THRONO, ET ADORABANT.] Alcazar per adorationem accipit sacrificium Missæ. Nam 24 seniores, inquit, sunt sacerdotes Ecclesiæ, qui per mare vitreum, id est per pœnitentiam, se parant ad hoc sacrificium, quod præstantissimam Dei adorationem, et SS. Trinitatis glorificationem continet, ob victimam pretiosissimam et Deo gratissimam quæ ei offertur, scilicet ipse unigenitus ejus filius; unde in Canone vocatur *sacrificium laudis*. Hic sensus mysticus est, non litteralis. Nam ad litteram loquitur de primariis Sanctis utriusque testamenti, qui jam beati in cœlo vident, adorant et celebrant Deum, tresque divinas personas.

Nota hîc triplicem reverentiæ gestum, qui miram seniorum humilitatem et venerationem denotat : nam primo, prociduntet projiciunt faciem suam in terram quasi humum osculaturi; secundo, adorant; tertio, mittunt coronas ante Deum. Primum significat alacrem festinationem et profundam reverentiam; secundum, justum et Deo debitum latriæ cultum; tertium, integram animi veritatem, sinceritatem et gratitudinem, dum suas coronas omnemque dignitatem exuunt, et quasi à se abdicant, atque Deo, quasi vero earum Domino, resignant et reddunt.

MITTEBANT (Syrus, *projiciebant;* Arabicus, *dimittebant, relinquebant,*) CORONAS SUAS ANTE THRONUM] tanquam regnum suum quod in cœlo adepti sunt, victorias, triumphos et coronas suas Deo acceptas ferentes : sicuti Romani triumphatores conscendebant Capitolium, et post triumphum coronas triumphales dicabant Jovi Capitolino, quasi earum auctoritati, teste Alexandro ab Alex. l. 6. Genial. c. 6. Ità Rupert. hîc l. 4. sub finem : *Considerantes*, inquit, *quod non suis meritis, sed gratiæ prævenientis et subsequentis misericordiæ, coronas assecuti sunt, etc. non ipsi suam dignitatem parvi faciunt, et totum quod meruerunt, cum humili reverentia illi attribuunt? Mittunt ergo ante thronum coronas suas, id est, quidquid virtutis, quidquid habent dignitatis, Deo cum gratiarum actione offerunt.* Sic Pontifex in sua tiara insculptum gestabat, *sanctum Domino*, quasi diceret : Omnis mea sacerdotalis dignitas, omnis mea pontificalis consecratio et sanctitas, à Deo mihi obvenit; unde publice et jugiter profiteor hanc meam sanctitatem pontificiam non esse meam, sed Dei, imo me ad hoc consecratum esse pontificem, ut jugiter Dei sanctitatem quam in se habet, et mihi, ac per me aliis communicat, prædicem et celebrem. Discant ab hisce 24 senioribus, qui reges sunt in cœlis, reges et principes terreni suas opes, sceptra et regna Deo accepta referre et offerre, ut iis ad Dei voluntatem, obsequium et cultum utantur : sic felices erunt et longævi, imo æterni, uti eis Deus promittit Deut. 17. 14. Sapient. 6. 22. Quocirca *antiquitus*, inquit Plinius lib. 16. c. 4. *nulla corona nisi Deo dabatur. Ob id Homerus cœlo tantum eas, et prælio universo tribuit : viritim verò ne in certaminibus quidem ulli.* Alcibiades apud Platonem dial. 3. postquam Socrati coronam obtulit, ait se diis coronas, et omnia quæcumque dari solent, dedicaturum,

si viderit illum diem, quo illa fiant, quæ à Socrate dicta sunt. Hinc Tertull. lib. de Corona milit. docet Christianos non debere uti coronis, quia iis usi sunt *quos sæculum deos credidit*. Corona enim primo, symbolum est perfectionis et complementi. Deus autem solus est perfectissimus, rerumque omnium coronis et complementum. Secundo, victoriæ et triumphi; tertio, felicitatis; quarto, imperii et regni; quinto, majestatis et gloriæ, quæ originaliter et plene soli Deo competunt, et ab eo per rivulos derivantur et communicantur creaturis, præsertim Sanctis. Ita coronas binas ad sanctam Cæciliam et S. Valerianum ex liliis et rosis contextas, è cœlo detulit angelus, quasi virginitatis et martyrii laureas, ac indices Christi, *cujus in rosis sanguis floruit, et cujus in liliis corpus albescit*, dicens : *Istas coronas immaculato corde et mundo corpore custodite, quia de Paradiso Dei eas ad vos attuli.* Ita habent acta S. Ceciliæ, et ex iis sanctus Althelmus de Virgin. c. 23. *Certent nunc singuli, accipiant coronas, vel de opere candidas, vel de passione purpureas*, ait sanctus Cyprianus, Epist. 9.

Porro alludit hîc S. Joannes ad 4. Esdræ 2. v. 46. ubi Esdras vidit juvenem pulcherrimum, scilicet Filium Dei, capitibus Sanctorum imponere coronas, de qua eleganti visione plura dicam cap. 7. 13.

Ita ad litteram merita sua, eorumque coronas Deo obtulerunt et resignarunt omnes Sancti. Isaias c. 26. 12. *Domine*, inquit, *dabis pacem nobis : omnia enim opera nostra operatus es nobis.* Jeremias c. 17. v. 14. *Salvum me fac, et salvus ero; quoniam laus mea tu es. Et ego non sum turbatus te pastorem sequens : et diem hominis non desideravi, tu scis.* Regius Propheta Psal. 15. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* Et Psal. 113. 9. *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Et Psal. 61. 8. *In Deo salutare meum* (salus mea), *et gloria mea : Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.* Et Psal. 3. 3. *Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum.* Porro ejus filius, et in regno successor Salomon. 1. Paralip. 29. 11. *Tua*, inquit, *est, Domine, magnificentia, et potentia, et gloria, atque victoria, et tibi laus; cuncta enim quæ in cœlo sunt et in terra, tua sunt : tuum, Domine, regnum, et tu es super omnes principes. Tuæ divitiæ et tua est gloria, tu dominaris omnium : in manu tua virtus et potentia : in manu tua magnitudo et imperium omnium.* Daniel. c. 9. 7. *Tibi, Domine, justitia, nobis autem confusio faciei : tibi misericordia et propitiatio.*

Sic et B. Virgo : *Magnificat*, inquit, *anima mea Dominum; quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.* Et Judith occiso Holopherne cap. 16. 3. *Dominus conterens bella; Dominus nomen est illi.* Et Moses cum Hebræis transito mari Rubro, et demerso Pharaone Exodi 15. v. 1. *Cantemus Domino; gloriose enim magnificatus est : equum et ascensorem projecit in mare. Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem, etc.*

Et S. Petrus epist. 1. c. 1. 3. *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundùm misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in cœlis in vobis.* Et S. Jacobus c. 1. 17. *Omne datum optimum, et omne donum perfectum, de sursum est, descendens à Patre luminum.* Et S. Paulus Ephes. 1. 3. *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo.* Et 2. Corinth. 4. 7. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis.*

Ita S. Agnes in flammis constituta, coronam virginitatis et Martyrii Deo resignavit, dicens : *Omnipotens, adorande, colende, tremende Pater Domini nostri Jesu Christi, benedico te; quia per Filium tuum unigenitum evasi manus hominum impiorum, et spurcitias diaboli impolluto calle transivi. Benedico te, Pater prædicande, qui etiam inter flammas intrepidam me ad te venire permittis. Ecce jam quod credidi video; quod speravi, jam teneo : quod concupivi, complector. Te confitcor labiis et corde, te totis visceribus concupisco. Ecce ad te venio, vivum et verum Deum.* Ita refert S. Ambros. lib. 4. epist. 34.

Ita B. Agatha cum abscissionem mammillæ, carcerem, ignem, etc. vicisset, jam agens animam expansis in cœlum manibus : *Domine*, ait, *Jesu Christe, magister bone, gratias tibi ago, quia me fecisti vincere tormenta carnificum : jube me, Domine, ad te quem ineffabiliter sitio, et ad tuam immarcescibilem gloriam feliciter pervenire.* Nam, ut ait S. Augustinus, quid sunt aliud nostra opera bona, nisi Dei dona? Cum ergo Deus nostra bona; quid nisi sua dona coronat? Hæc est veritas, per quam fugatur gloriæ vanitas. Sancti enim, dum vident in se quid boni, vident pariter id esse à Deo, non à seipsis : unde non superbiunt, sed magis sub Deo se humiliant. Dicamus ergo jugiter cum Psalte Psalm. 102. *Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus. Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia et miserationibus.* Ubi S. August. *Gaudeamus*, ait, *quia nos vicimus. Qui in nobis victi sumus, in illo* (Deo) *vicimus. Ergo coronat te, quia dona sua coronat, non merita tua.* Hæc est vera sapientia, si noris quid sis ex te, quid ex Deo, quid in te sit tuum, quid Dei. Ex te es abyssus nihili, ignorantiæ et peccati. Ex Deo es homo, sapiens, sanctus, etc. Hæc ergo da Deo, illa tibi. Quò clarius hoc perspexeris, et plenius effeceris, eò sapientior et sanctior, æque ac humilior evades.

11. DICENTES : DIGNUS ES, DOMINE DEUS NOSTER, ACCIPERE GLORIAM, ET HONOREM, ET VIRTUTEM.] Sicut quatuor animalia trisagion cecinerunt Deo, ita ad eorum imitationem, idem hic canunt 24 seniores (unde Græca quædam exemplaria hic addunt, *quia sanctus es*). Nam *virtus* hîc idem est quod benedictio et laus virtutis, per metonymiam. Sicut cap. 5. 12. dicitur : *Dignus est Agnus accipere virtutem et divinitatem*, id est laudem et doxologiam suæ virtutis et divinitatis. Pro *virtutem* græce est δύναμιν, id est fortitudinem, q. d. Dignus es, Domine, qui ex ore nostro, et omnium hominum et Angelorum acci-

pias confessionem et laudem tuæ immensæ potentiæ et fortitudinis, quâ omnia creasti, quaque nos aliosque fideles nobis subditos, victores effecisti : dignus es ut hæc tua virtus et robur ab omnibus laudetur et celebretur. Græca plures Dei titulos continent. Habet enim : αξιος ει, ο κυριος και θεος ημων ο αγιος, id est, dignus es, Domine ac Deus noster sancte, accipere, etc.

QUIA PROPTER (per) VOLUNTATEM TUAM ERANT.] *Erant*, id est fuerunt, extiterunt, suam essentiam et existentiam acceperunt, dum, ut sequitur, ex nihilo facta ET CREATA SUNT ;] το enim *et* est exegeticum, explicatque το *erant*, quasi dicat, *erant et*, id est, *creata sunt.*

Alii : *Erant*, inquiunt, id est, conservata sunt et conservantur, quasi ob duplex beneficium, scilicet creationis et conservationis, gratias agunt Deo ; sequitur enim : *Et creata sunt.*

Secundo complures pro ησαν, id est *erant*, legunt εισι, id est *sunt ;* quæ lectio facillima et planissima est. Ita legit et Vatabl. Erasmus et multi alii.

Tertio, Ansbertus : *Erant*, inquit, creaturæ ante creationem in æternis mentis divinæ ideis, in æterno Dei decreto, quo ab omni ævo decreverat, ut in tempore à se crearentur. Unde hujus decreti executionem subdit dicens : *Et creata sunt.*

Quarto, Alcazar το *erant*, refert ad esse naturæ το verò *et creata sunt* ad esse gratiæ, per quam natura per peccatum perdita, quasi de novo creata et instaurata est. q. d. Deo debent homines non tantum esse naturæ, quod creaturæ omnes per productionem antiquam in Genesi acceperunt ; sed etiam novum esse gratiæ, quod illis impertitum est cum facti sunt novæ creaturæ, ut ait S. Paulus et divinæ consortes naturæ, ut ait S. Petrus. Verùm sic potius dixisset, recreata, aut nove, vel rursum creata sunt, non autem absolute, *creata sunt :* hoc enim significat opus primæ creationis, qua res omnes ex nihilo Deo produxit et condidit. Porro sub hac quasi radice, hi seniores intelligunt simul opus recreationis, sive redemptionis, gratiæ et salutis. Ideo enim mittunt suas coronas ante thronum, quasi sua merita et salutem Deo accepta ferentes, quasi dicant : Tu, Domine, es creator et auctor omnium rerum, omnium bonorum tam naturalium quàm supernaturalium : tibi ergo nostram gloriam debemus, tibi nos nostraque omnia offerimus et referimus, imo non nostra, sed tua tibi reddimus.

Denique notat Alcazar hîc per omnia ad templum et vasa templi Salomonis alludi, nisi quòd arca, utpote Mosaica, versa sit in arcum cœlestem, puta iridem pulcherrimam Christi ; et pro mensa panum propositionis sit liber signatus, quem in manu habebat sedens in throno ; pro altari thymiamatis sint phialæ aureæ plenæ odoramentorum, cap. 5. 8. pro altari holocaustorum sit 24 seniorum adoratio, id est sacrificium Missæ.

Itaque in veteri Testamento illustria erant novem hæc : Primo, thronus Dei ; secundo, arca testamenti ; tertio, dignitas principum sacerdotum ab Aarone prognatorum ; quarto, doctrina legis divinæ quæ ibi prædicabatur ; quinto, candelabrum aureum cum septem lucernis ; sexto, mensa panum propositionis ; septimo, mare æneum ; octavo, Cherubini ingentes quos fecit Salomon ; nono, sacrificia quæ Deo offerebantur. Hisce totidem magis illustria, et ex æquo respondentia eodem ordine successerunt in novo Testamento, quæ Joannes hîc recenset. Nam primo, thronus Dei hîc sunt Cherubini et propitiatorium, non corporale et vetus, sed spirituale et novum, puta Christus, ejusque fideles Christiani ; secundo, pro arca fœderis apparuit arcus cœlestis ex smaragdo ; tertio, pro 24 principibus sacerdotum surrogantur hîc 24 seniores ; quarto pro legis doctrina tonitrua ut fulgura exaudiuntur ; quinto, septem candelabri lucernis substituuntur septem cœlestes lampades ; sexto, pro mensa panum propositionis proponitur liber signatus mirabilis in manu Altissimi ; septimo, pro mari æneo vitreum mare oculis subjicitur ; octavo, pro Cherubinis Salomonis quatuor animalia admiranda, et valde mystica adstant Deo ; nono, pro priscis victimis cruentis surrogatur incruentum Missæ sacrificium.

Hæc apposita sunt, sed mystica, non litteralia, uti vult Alcazar. Adde non satis congrue arcam in arcum, mensam in librum transformari : licet enim grammatice, sive quoad grammata et litteras vox, arca, facile in vocem, arcus, transeat et commutetur, non tamen res ipsa : alia est enim arcæ, alia arcus præsertim iridis forma et figura. Ita videmus subinde viros doctos, dum minutius et studiosius allusiunculas et elegantias quasdam, vel grammaticales, vel historicas consectantur, à solido et vero sanctæ Scripturæ sensu aberrare. Cætera satis congrue sibi invicem respondent : verùm ad litteram accipienda sunt de templo non terreno, id est Ecclesia, sed cœlesti. Templum enim Salomonis sicut allegorice Ecclesiam militantem, ita anagogice significavit et repræsentavit cœlum, sive Ecclesiam triumphantem ; de qua ad litteram hîc agit S. Joannes.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

SANCTUS JOANNES VIDET LIBRUM IN MANU DEI SIGNATUM SIGILLIS SEPTEM, SCRIPTUM INTUS ET FORIS, QUEM NEMO IN COELO VEL IN TERRA APERIRE POTERAT; SED V. 7. SOLUS AGNUS OCCISUS EUM APERIT: QUOCIRCA QUATUOR ANIMALIA, ET 24. SENIORES, OMNESQUE COELITES TAM DEUM, QUAM AGNUM CELEBRANT ET GLORIFICANT.

1. ET vidi in dextera sedentis supra thronum, librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem. 2. Vidi Angelum fortem prædicantem voce magna : Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus? 3. Et nemo poterat, neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram, aperire librum, neque respicere illum. 4. Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, nec videre eum. 5. Et unus de senioribus dixit mihi : Ne fleveris, ecce vicit leo de Tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus. 6. Et vidi : et ecce in medio throni et quatuor animalium, et in medio seniorum, agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, et oculos septem ; qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram. 7. Et venit, et accepit de dextera sedentis in throno librum. 8. Et cum aperuisset librum, quatuor animalia, et viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas, et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum. 9. Et cantabant canticum novum, dicentes : Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus : quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione. 10. Et fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes ; et regnabimus super terram. 11. Et vidi et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, et seniorum ; et erat numerus eorum millia millium. 12. Dicentium voce magna : Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem. 13. Et omnem creaturam, quæ in cœlo est et super terram, et sub terra, et quæ sunt in mari, et quæ in eo ; omnes audivi dicentes : Sedenti in throno, et Agno, benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum. 14. Et quatuor animalia dicebant : Amen. Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, et adoraverunt viventem in sæcula sæculorum.

1. ET VIDI IN DEXTERA SEDENTIS SUPRA THRONUM, LIBRUM SCRIPTUM INTUS ET FORIS, SIGNATUM SIGILLIS SEPTEM.] Alludit ad Isaiæ 29. 11. *Erit vobis visio sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras respondebit : Non possum ; signatus est enim.* Et magis ad Ezech. 2. 10. *Ecce manus missa ad me, in qua erat liber involutus, et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus et foris.* Unde patet librum hunc non fuisse similem nostris, sed fuisse involutum instar mappæ geographice convolutæ, uti pictus hic Romæ visitur in templis : tales enim erant veterum libri, quos à convolutione vocabant volumina : et tales pervetustos Hebræos Bibliorum libros vidi in Vaticana Bibliotheca. Veteres enim scribebant in membranis sive pellibus ; ab una, puta mundiori, pellis parte ; eam deinde convolvebant, colligabant et obsignabant, uti obsignantur testamenta. Aliquando tamen scribebant ab utraque parte membranæ, et tum liber dicebatur scriptus intus et foris, id est, in interiori parte membranæ, et simul in exteriori : talis hic erat. Hinc patet Joannem non potuisse videre librum hunc utrimque fuisse conscriptum, nisi post ejus resignationem, revolutionem et explicationem. Quod ergo dicit : *Scriptum intus et foris*, non jam, sed postea aperto et evoluto libro cognovit. Est ergo hic hysterologia : prius enim factum narratur, quod posterius contigit. Denique prius debuerunt resignari sigilla septem funiculorum, quibus colligatus et obsignatus erat liber, quàm liber posset aperiri, videri et legi. Aliter Pineda lib. 5. de Rebus Salom. c. 13. ubi signatum librum apud Isaiam c. 29. 11. et apud Danielem cap. 8. 26. et apud Joannem hic interpretatur, scriptum arcanis notis et characteribus, sicuti per notas hieroglyphicas scribebant Ægyptii, et etiammum scribunt Sinenses. Signatus ergo fuit hic liber septem sigillis, quasi septem characteribus, arcana quædam mysteria continentibus, quæ c. 6. exponuntur. Verùm ut ex parte hoc verum sit, negari nequit quin hujus libri signa fuerunt sigilla, quæ clauderent et obsignarent librum, ita ut liber legi non posset nisi sigillis apertis et reseratis. Hoc enim diserte hic et c. 6. ait Joannes.

Quæres : Quisnam est hic liber signatus ? primo, Ticonius, Ambros. Rupertus, Richard. An-

dreas, Beda, Haymo, Ansbertus, Anselmus, Joachim et Hugo hìc, ac Origenes hom. 12. in Exodum, Euseb. lib. 8. Demonstr. cap. 2. sanctus Hieronym. in Isaiæ c. 22. et passim veteres censent hunc librum esse sacram Scripturam, sive prophetias tam veteris quàm novi Testamenti : de hac enim dicitur Deuter. 33. 2. *In dextera ejus ignea lex.* Scripta est *intus* quoad novum Testamentum ; *foris*, quoad vetus : hoc enim fuit velamentum novi, ait Ansbertus et Beda, vel *foris*, quoad sensum litteralem ; *intus*, quoad spiritualem et mysticum, ait Rupertus. Sigilla septem significant eam plenam esse mysteriis arcanis et obscuris : septenarius enim symbolum est multitudinis et universitatis. Ita Primas. et Beda. Jam primum sigillum, ait Hugo, est sententiarum S. Scripturæ profunditas, secundum sensuum multiplicitas, tertium figurarum varietas, quartum rerum ipsarum incomprehensibilitas, quintum mysteriorum obscuritas, sextum tropologiarum suavitas, septimum infallibilis veritas mixta cum rerum inevidentia. Hunc librum signatum aperuit Christus, cum abiens in cœlum Apostolis dedit intelligentiam Scripturarum. De hoc libro pulchre ait Hugo de S. Victore tractat. de Arca Noe: *Sacra*, inquit, *Scriptura liber est vitæ, cujus origo æterna essentia, incorporea, scriptura indelebilis, aspectus desiderabilis, doctrina facilis, scientia dulcis, profunditas inscrutabilis, verba innumerabilia, et unum tantum verbum omnia.* Quamvis enim sint innumerabilia verba quoad sonum, tamen unicum tantum est quoad sensum, seu potius consensum. Unum olim librum vidit Joannes scriptum intus et foris, et audivit. *Quis est dignus aperire librum ?* Ubi Rupert. *Unus*, inquit, *iste liber sancta Scriptura est : quæ idcirco dicitur, et est unus liber, quia uno spiritu est conscripta, et unus verbi Dei thesaurus et sacrarium est.* Hic sensus plus æquo generalis est. Tam enim Ezechielis, Isaiæ et aliis S. Scripturæ libris, quàm Apocalypsi et huic loco congruit.

Secundo, S. Hilar. præfatione in Psalmos : Liber, ait, hic est Christus, quia Christus est hujus libri materia et argumentum. Sicut ergo Xenophon librum quem de Cyro conscripsit, vocat Cyripædiam ; sic etiam possumus librum hunc inscribere, de Christi archia, sive principatu ; ut significemus ipsum agere de Christo. Sigilla septem, ait Hilarius, sunt septem præcipua Christi mysteria, scilicet primum, incarnatio ; secundum, nativitas ; tertium, passio ; quartum, resurrectio ; quintum, ascensio in cœlos ; sextum, missio Spiritus sancti ; septimum, secundus ejus adventus ad judicium. Et B. Petrus Damian. serm. de S. Luca Evangelista : Septem, ait, sigilla libri signati *sunt septem Sacramenta, quibus totus ordo Dominicæ dispensationis impletur, videlicet Incarnatio Domini, nativitas, passio, resurrectio, ad cœlos ascensio, deinde judicium, postremo regnum.* Hæc Christus solus aperit, quia solus perficit et adimplet. Vel, ut S. Bernardus serm. 1. de Pascha : Septem sigilla sunt septem mysteria, quæ celarunt Christi deitatem et sapientiam. Primum est, matris desponsatio cum Joseph ; secundum, infirmitas corporis Christi ; tertium, circumcisio ; quartum, fuga in Ægyptum ; quintum, tentatio diaboli ; sextum, scandalum crucis ; septimum, sepultura. Hæc sigilla omnia Christus resurgens resolvit et patefecit. Rursum Seraphinus Firmanus per septem sigilla accipit septem secreta passionis Christi : primum est, summa impotentia in omnipotente ; secundum, summa pœna in impassibili ; tertium, summa stultitia coram hominibus in Christo, qui est divina Sapientia ; quartum, summa paupertas in Deo divitiarum ; quintum, summa ignominia in summa majestate ; sextum, summa derelictio Dei in summa cum eo unione ; septimum, summa severitas in summo amore Patris erga Filium.

Verùm hæc explicatio, æque ac prima, nimis universalis est, atque accommodatitia magis quàm genuina. Pari enim modo nonnulli librum hunc signatum accommodant Eucharistiæ. In ea enim Agnus, id est Christi passio et mors repræsentatur, ipseque Christus passus et occisus velatur, et celatur septem sigillis ; ut de eo vere dici possit illud Isaiæ 45. *Vere tu es Deus absconditus, Deus salvator.* Septem signacula quæ abscondunt Christum in Eucharistia, sunt odor, sapor, color, parvitas, levitas, rotunditas, gracilitas hostiæ, quæ omnia sunt accidentia panis, non corporis Christi, ita ut hìc septem sensus, scilicet quatuor exteriores, visus, odoratus, gustus et tactus, et tres interiores, scilicet sensus communis, phantasia et æstimativa, qui sensuum exteriorum judicium sequuntur, fallantur, et judicent esse panem. Rursum septem signacula sunt septem maxima miracula, quæ faciunt hìc Sacramentum esse arcanum arcanorum Dei : primum est transsubstantiatio, quòd scilicet tota substantia panis et vini convertatur in substantiam corporis Christi ; secundum, quòd accidentia panis remaneant et existant sine subjecto ; tertium, quòd tota quantitas Christi sex pedum, parvo loco, puta hostiæ circulo, circumscribatur ; quartum, quòd vi consecrationis sub specie panis sit tantum corpus Christi ; per concomitantiam vero adsint sanguis, anima et deitas Christi : pari modo sub specie vini ex vi consecrationis sit tantum sanguis Christi ; per concomitantiam vero sequantur et adsint corpus, anima et deitas Christi. Quintum, quod idem corpus numero, idemque Christus adsit in omnibus altaribus simul per tôtum orbem, cum simul fit sacrificium Missæ ; sextum, quòd Christus sit totus in tota hostia, et totus in qualibet ejus parte, imo et in quolibet ejus puncto ; septimum, quòd Christus se faciat cibum fidelium omnium, ita ut eos in se, non autem ipsi Christum in se seipsos transmutent. Rursum, quòd Christus sit instar mannæ, quod gustanti dabat omnem saporis, quem quisque volebat, suavitatem : eamdem dat Christus, sed spiritualem, non corporalem. Denique quod virtute corporis Christi gloriosi, quod in Eucharistia manducamus, resurgemus ad vitam immortalem, uti ipse promisit. Joannis 6. v. 51. Verùm hæc omnia accommodatitia sunt, non germana ad scopum et propositum hujus loci : non enim agitur hìc de Sacramento Eucharistiæ.

Tertio, Andreas Cæsar. hunc librum censet esse Dei decretum et memoriam, in quo omnes homines descripti sunt ; sive operum et judiciorum Dei inscrutabilem abyssum. Unde signatus est septem, id est plurimis sigillis. Sic fere et Aureolus : Liber, inquit, hic est divinæ sapientiæ arcanum. Et Maldonatus in notis manuscriptis, quas vidi in Collegio Romano : Liber, inquit, est scientia Dei, ut intelligitur ex toto c. 6.

Scriptus est intus et foris ; quia scientia Dei perfectissima est, nec potest crescere. Signatus est sigillis septem, id est omnino ; quia quis cognovit scientiam Domini ? aut quia continebat septem præcipue res futuras, quas nemo sciebat, ut explicatur cap. 6. Solus autem Christus aperuit ; quia in eo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei.

Quarto, alii putant hunc librum esse chirographum peccati Adæ, puta obligationem et reatum peccati, quo Adam se et nos Deo vindici obstrinxit. Septem sigilla sunt septem gravissima mala, quæ per hoc peccatum incurrimus: Primum est, offensa Dei ; secundum, pœna damni ; tertium, pœna ignis gehennæ; quartum, necessitas moriendi ; quintum, jugum diaboli ; sextum, aversio à Deo, et conversio ad creaturas : septimum, concupiscentia. Hæc omnia solus Christus solvere potuit. Verùm hæc omnia mystica sunt, non litteralia.

Quinto, Ambros. ait hunc librum esse chronologiam mundi, et septem sigilla esse septem mundi ætates. Verùm sic Apocalypsis historia esset, non prophetia : nam pleræque ætates mundi tempore Joan. evolutæ erant et præteritæ.

Sexto, Œcumen. Lyran. et Aureolus censent hunc librum esse præscientiæ, providentiæ et prædestinationis Dei, quæ nobis clausa est, nisi à Dei dextera nobis reveletur, vel executioni mandetur. Huc accedit noster Prado Ezech. 2. 10. qui septem sigilla ad maximas Ecclesiæ calamitates reducit : et in primo ait effulgere Dei potentiam ; in secundo, ejusdem indignationem et districtum gladium ; in tertio, justitiam scelerum vindicem ; in quarto, mortem quæ pallidos facit vultus ; in quinto, vindictam sanguinis innoxii ; in sexto universi consummationem ; in septimo malorum omnium cataclysmum. Sed hæc nimis generalia sunt, nec particulares Ecclesiæ eventus indicant.

Septimo, Alcazar censet hunc librum esse eam Apocalypsis partem, quæ septem sigillis continetur, sive mysteria quæ hisce sigillis apertis Joanni fuere revelata, quæ continentur à cap. 6. usque ad 11. inclusive. Nam à c. 11. usque ad 19. agitur, inquit ipse, de persecutione, quam Gentiles contra Ecclesiam concitarunt, deque eorumdem conversione. Porro libri, sive sigillorum septem mysteria censet esse hæc : In quatuor primis sigillis, ait, retegitur et ostenditur summa Dei fortitudo, beneficentia, æquitas et sapientia in Judæorum credentium et prædestinatorum salute : in tribus verò ultimis apparet in reproborum Judæorum repulsa maxima Dei patientia, horribilis comminatio, ac demum supplicium severissimum. Atque hi sunt septem spiritus, de quibus dixi cap. 1. notat. 5. Porro hæc non est nova doctrina, sed eadem, quæ à Prophetis in veteri Testamento fuit prædicta : unde passim Patres dicunt librum hunc signatum esse prophetias veteris Testamenti, scilicet, quia ab ipsis fuit prædicta salus Judæorum credentium, et non credentium reprobatio, quam hîc Joannes reipsa completam ostendit. Dicitur hic liber scriptus intus et foris, quia pars exterior interiori quasi ex æquo respondebat, sicut in libris computuum (qui olim erant membranæ integræ) in folio averso scribebant rationem dati, in adverso accepti : ita hîc mysteria circa salutem Judæorum credentium, respondent mysteriis et plagis inflictis Judæis incredulis. Liber ergo hic utraque parte scriptus, significat quomodo se Deus gerat erga pios et impios, nimirum, ut ait Psaltes Psalm. 17. 26. *Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris.*

Porro notanda est, ait Alcazar, distinctio quæ inter mysterium et sigillum esse debet : mysterium namque est, quod sub sigillo est absconditum : sigillum est, quod absconsionem et difficultatem ipsam mysterii continet. Quocirca mysterium primum est, magna Messiæ fortitudo ; atque difficultas, quæ in ejus cognitione assequenda est, provenit ab externa imbecillitatis ejus specie et simulatione. Primum ergo sigillum repræsentat infirmitatis speciem ; sub qua latet primum mysterium, hoc est infinita Christi virtus in Judæis, qui ipsum amplexi sunt, salvandis. Maxima enim Christi fortitudo elucet in eo, quòd in tanta carnis suæ infirmitate, per crucem tantam salutem et victoriam confecerit: *virtus* enim *in infirmitate perficitur*. Similiter secundum mysterium est immensa erga eosdem beneficentia ; sigillum verò, simulatio rigoris ac tyrannidis. Tertium mysterium est summa æquitas, quâ ipsos gubernat, sub iniquitatis prætextu, quasi sub sigillo abdita : æquitas enim Dei quâ hos elegit, illos neglexit et reprobavit, videtur iniqua, imo acceptio personarum : revera tamen est æquissima. Quartum, admirabilis sapientia in procuranda suorum felicitate : sigillum, species imperitiæ et stultitiæ : sapientia enim sub stultitiæ simulatione mire perficitur. *Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus*, 1. Corinth. 1. 25. Quintum, incredibilis patientia in rebelles Judæos : sigillum, injuriarum dissimulatio, et quasi non curantia : sapienter enim Deus patientiam suam oblivionis aut conniventiæ specie velat et obtegit. Sextum, seria comminatio : sigillum vero nullam præ se fert externam minarum faciem, sed potius permissionem atque licentiam : sæpe enim minæ et supplicia sapienter occultantur. Septimum est severa punitio, et supplicium quod de Judæis sumit ; sigillum autem impunitatis speciem adfert : aut in communibus malis, non Messiæ repulsam ; sed alias supplicii causas prætendit. Hucusque Alcazar subtiliter, sed obscure speculatur.

Verùm huic expositioni multa obstant. Primum, quòd per librum accipiat ipsa sigilla, eorumque mysteria ; cum constet librum à suis sigillis distingui. Secundum, quòd libro hoc censeat contineri salutem Judæorum credentium, et damnationem incredulorum, quæ jam transacta erant, et publica toti mundo : quomodo ergo hæc dicuntur signata, ut nemo possit ea videre aut legere ? Denique tota hæc expositio videtur potius ingeniosa accommodatio, quàm genuina explicatio : quomodo Proba Falconia Æneidem Virgilii accommodavit et adaptavit Christo, Christique gestis : atque de eisdem ex Homero suos Homerocentones, composuit Eudocia uxor Theodosii junioris Imp.

Octavo et genuine, liber hic est Apocalypsis, sive Apocalypseos mysteria et oracula, in Dei præscientia, providentia et prædestinatione, quasi in libro contenta : mysteria hæc sunt de regno et persecutione Antichristi, de Eliæ, Henoch et fidelium ei resistentium constantia, etc. deque judicio universali, et felicitate ac gloria beandorum. Septem sigilla sunt 7 proxime se-

quentes visiones, quibus scilicet, ad apertionem cujusque sigilli nova panditur et ostenditur res et calamitas orbi eventura, et prævia Antichristo ac fini mundi, quæ est materia et argumentum ipsius libri. Unde liber legi et intelligi non potuit, nisi prius reserarentur sigilla, id est, nisi prius viderentur calamitates illæ, quæ præire debent ultima Antichristi et judicii tempora. Similem librum vidit Ezech. cap. 2. 9. in quo scriptæ erant lamentationes, carmen et væ. Ita Pannonius, Prado, Ribera, Pererius, Viegas, qui pro hac sententia citant Andream, Aretam, Lyran. Aureolum et Dionys. Liber ergo hic non est aliud, quàm divinæ providentiæ consilium et præfinitio qua apud se statuit et decrevit vel facere, vel permittere ea quæ tempore Antichristi futura sunt.

Recte notat Ribera septem signacula libri non ita intelligenda esse, quasi illis solutis legeretur in libro id quod quolibet soluto vidisse se narrat Joannes ; uti soluto primo sigillo narrat se vidisse equum album; soluto secundo rufum ; soluto tertio nigrum ; soluto quarto pallidum, etc. Hæc enim non legit in libro, sed singulis sigillis apertis, singula sub iis latentia et clausa reserari, sibique ostendi vidit. Nihil enim in libro legi poterat, nisi post resignationem omnium septem sigillorum : omnibus enim reseratis, tunc demum aperiri et legi potuit liber, non ante. Erat enim liber convolutus, itaque forinsecus septem sigillis obsignatus : ergo id quod post cujusque sigilli reserationem vidit Joannes, non in libro, utpote adhuc aliis sigillis clauso, sed sub ipso sigillo quasi absconditum, eoque aperto patefactum vidit. Unde

Nota secundo : tota Apocalypsis occupatur in descriptione hujus libri, et septem sigillorum ejus. Quocirca duæ sunt partes Apocalypseos, uti superius dixi : priore, hoc scilicet cap. usque ad 11. reserantur et explicantur sigilla ; altera à c. 11. usque ad finem, reserantur et leguntur ea quæ scripta erant in ipso libro. Liber ergo continet ea quæ futura sunt tempora Antichristi : sigilla septem continent totidem persecutiones Ecclesiæ et Sanctorum, quæ futura erant ante adventum Antichristi : quocirca liber legi non potest nisi reseratis sigillis ; quia tempora Antichristi videri nequeunt, nisi præeant hæ persecutiones, quæ illi sunt quasi præviæ et prodromæ, illique viam parant et sternunt. Itaque quia ex Dei consilio et destinatione oportet hasce præire, antequam veniat filius ille perditionis, cujus tyrannis et sæva persecutio in libro scriptæ sunt; hinc eædem impediunt ne liber legatur, id est ne videatur et appareant quæ in illo scripta sunt. Quare rectissime signacula, sive sigilla appellantur. Simile est quod de eodem Antichristi tempore ait Paulus 2. Thessal. 2. 6. *Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore (nam mysterium jam operatur iniquitatis) tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. Et tunc revelabitur ille iniquus.* q. d. Adventum Antichristi detinet Nero, aliique Impp. Romani, qui nunc imperant : non enim potest venire, donec Imperium transferatur. Ita hæc sigilla detinent ne reveletur Antichristus, qui venturus non est, donec hæc tempora transeant, in iisque fiant ea quæ in quolibet eorum fieri voluit Deus, quæque hîc in septem sigillis signata et præsignificata, quasi suo tempore eventura vidit Joannes.

Hæc ita se habere patet ex ipso contextu, et tota serie Apocalypsis. Nam c. seqq. puta 6. incipiunt aperiri sigilla, et calamitates ac plagæ iis contentæ, ac deinceps usque ad cap. 10. continuo singula, ordine quæque suo, aperiuntur : c. 10. vero apertis jam sigillis, accipit Joannes ab angelo librum antea signatum, nunc apertum, cumque eum devorasset, audit ab eo v. 11. *Oportet te iterum prophetare Gentibus*, quia nimirum mysteria ipso libro contenta de Antichristo, Elia et Henoc, etc. c. 11. et seqq. prophetare et conscribere te oportet.

Porro sigilla ipsa particulatim c. 6. 7. 8. et 9. suis quibusque locis explicabo.

Nota tertio. Sicut S. Joannes descripsit primum Christi adventum in Evangelio, ita hîc in Apocalypsi describit secundum ejusdem adventum in fine mundi : ille liber est apertus, quia historicus : hic est signatus et clausus, quia propheticus de futuris sub diem judicii. Voluit enim Deus Joannem utrumque Christi adventum describere, priorem ut Evangelistam, posteriorem ut Prophetam.

Scriptum intus et foris.] Græce εσωθεν και οπισθεν, id est intus et à tergo, hoc est utraque parte membranæ : unde Syrus vertit, *scriptum intus et retro;* Arab. *scriptum de intra et de foris*, hoc est interius et exterius, *obsignatum septem signaculis.* Veterum enim libri erant convoluti : convolvebantur enim circa cylindrum, vel baculum aliquem. Hinc est illud c. 6. *Cœlum recessit sicut liber involutus.* Quocirca in libris hisce scriptura erat intus, id est introrsum, involuta et convoluta : hic vero liber, quia plurima continebat, hinc non tantum intus, sed etiam foris, id est à tergo in exteriori facie scriptus erat, quales Plinius vocat opisthographos, id est à tergo scriptos, de quali ait et Juvenalis.

Scriptus et in tergo necdum finitus Orestes.

Adde : scribebant mercatores, aliique non raro ab una parte membranæ rationem dati, ab altera aversa et adversa rationem accepti, sive una debitum, altera creditum. Ita hîc dici potest cum Alcazare, quod dum hic liber diversas sortes piorum et impiorum contineat, quarum una alteri ex diametro respondet et adversatur ; piorum sors in una, v. g. in interiori facie et pagina; sors impiorum in exteriore, sive adversa facie scripta fuerit. Qua phrasi ait Plinius lib. 2. cap. 7. *In tota ratione mortalium sola fortuna utramque paginam facit.* q. d. Fortuna in vita creat tam res prosperas, quàm adversas. Videtur enim ipse fuisse atheus, ac negasse Dei numen et providentiam, ac consequenter rerum eventa non providentiæ Dei, sed fortunæ adscripsisse.

2. Et vidi angelum fortem,] id est Gabrielem, ait Lyran. Gabriel enim Hebr. idem est quod fortitudo Dei. Secundo, Dionys. Carth. putat hunc eumdem fuisse Angelum cum eo qui hæc mysteria revelabat Joanni, et omnia hæc symbola throni Dei, 24 seniorum, 4 animalium, libri signati, Agni occisi, etc. in ejus imaginatione pingebat. Dicitur *fortis*, id est potens et validus. Videtur enim fuisse ex primariis angelis : mittebatur enim ad opus forte et validum, scilicet ut quæreret virum fortem, qui librum signatum summis mysteriis plenum reseraret, quem nulli angeli, vel homines reserare poterant. Unde forti et contenta voce clamat : *Quis est dignus aperire librum?*

Mystice : Angelus hic, ait Rupertus, significat patres in limbo avide expectantes Messiam, qui limbi claustra resignans, eos inde liberaret. Rursum, significat Joannem Baptistam, ait Joachim, qui dixit : Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti Christi ; idem enim corrigia calceamenti ligat, quod suis signaculis liber signatus claudit.

Denique Alcazar censet hîc alludi ad Osee 14. 10. *Quis sapiens, et intelligit ista? intelligens et sciet hæc? quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis ; prævaricatores vero corruent in eis.* Liber enim hic continet vias, tam piorum, qui vias Domini sequendo beantur, quàm impiorum, qui eas spernendo damnantur. Quod autem Oseas angelus fortis vocetur, cohæret optime cum iis quæ S. Ephiphan. in ejus vita scribit, ipsum scilicet verborum suorum vi ingentem quercum in duodecim partes divisisse. Congruit etiam cum Osee argumento, qui agit de impio ramo, puta Judæorum repudio ; et fidelium ac piorum, puta Gentilium, electione et salute. Hucusque Alcazar.

Quis est dignus ?] Quis potest, quis habet facultatem aperiendi librum ? Hæc enim à Deo non conceditur nisi ei qui dignus est.

Aperire librum, et solvere signacula.] *Et* significat, id est, q. d. Quis est dignus aperire librum, id est, solvere ejus signacula ; sive quis est dignus aperire librum solvendo ejus signacula ? nam aperire librum signaculis clausum, est non aliud, quàm ipsa ejus signacula solvere et resignare.

Minus recte Alcazar censet, aperire librum, et solvere signacula, non esse aliud, quàm Christum sui spiritus copiam hominibus facere, ut mysteria de Judæorum Christo credentium felicitate, et de incredulorum infidelitate, quæ Apocalypsi continentur, possint agnoscere. Itaque censet ipse hæc mysteria S. Joannis Apostoli, 24 senioribus, et quatuor animalibus jam ante fuisse cognita : ac proinde Joannem optare non ut sibi suisque, sed ut aliis tum fidelibus, tum infidelibus hic liber aperiatur. Verum mysteria hujus libri ipsi Joanni, senioribus, et quatuor animalibus fuisse incognita, patet ex eo quod subdit : *Et nemo poterat neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram, aperire librum ;* neque hoc tantum, sed *neque respicere illum :* ergo multo minus intelligere illum. Si *nemo in cœlo*, ergo nec 24 seniores, nec quatuor animalia potuerunt librum aperire aut inspicere. Unde et subdit : *Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum ;* nec hoc tantum, sed *nec videre eum.* Græca addunt, ουκ αναγνωναι, id est, nec legere eum. Plane ergo hisce verbis significatur, nullum hominum vel Angelorum cognovisse mysteria Apocalypseos, id est, ea quæ eventura erant futuris temporibus in Ecclesia, præsertim sub Antichristo, deque fine mundi dieque judicii, nisi Deum, Deique Filium, ut ipse ait Marci 13. 32. ubi licet neget se scire diem quo præcise futurum est judicium, scilicet ut liceat ei illum aliis revelare ; non tamen negat se scire signa prævia, quæ significabunt illum diem instare ; illa enim hic ipse revelat Joanni et toti mundo. Manet ergo hic liber clausus et obsignatus, ita ut nemo eum legere possit, donec Christus eum resignet et aperiat, non sibi (ipse enim jam ante sciebat, quid in libro contineretur), sed Joanni aliisque fidelibus. Aperire ergo librum idem est, quod eum aliis legendum proponere, hoc est, mysteria eo contenta aliis enarrare.

Alii hæc referunt ad Apocalypseos executionem et complementum, quo reipsa completa sunt quæ in ea hîc complenda prædicuntur : putant enim aperire librum nihil aliud esse, quàm ejus prophetias reipsa complere, ac facere ut actu fiant, quæ hîc futura prænuntiantur. Verum sic Joannes non vidisset, hîc sibi nunc aperiri librum, sed in fine mundi aperiendum dixisset. Apertio ergo libri non significat realem ejus executionem et complementum, sed explicationem et revelationem. Hæc enim aperuit Joanni hîc, omnibusque hominibus librum hunc signatum.

3. Neque respicere,] id est *videre*, ut mox sequitur (In Græco enim utrobique est eadem vox βλεπειν) inspicere, evolvere, legere, cognoscere librum, id est, ea quæ scripta erant in libro.

5. Et unus de senioribus dixit mihi : Ne fleveris ; ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum.] Hunc seniorem fuisse S. Lucam censet Alcazar : censet enim ipse hîc alludi ad id quod scripsit Lucas in Actis Apostolorum, scilicet Christum suum spiritum impertiisse multis qui Apostolorum prædicationem audiebant, ut c. 8. 17. *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.* Et c. 10. 44. *Adhuc loquente Petro, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum, etc.* Sed maxime alludi ad conversionem S. Pauli, quam fecisse Christum, narrat Lucas Actor. 9. Hæc enim omnia describit, ut effectus passionis et resurrectionis Christi qui sunt victoria Christi de Judæis et Gentibus, quæ in hoc libro signato conscripta erat.

Verum superius docui 24 seniores fuisse duodecim Apostolos ex novo, et duodecim primarios Sanctos ex veteri Testamento ; ac consequenter ex iis non fuisse S. Lucam.

Secundo, Lyranus vult fuisse S. Petrum. Hic enim erat princeps Apostolorum, ac consequenter magister S. Joannis, eratque jam beatus et gloriosus in cœlo.

Tertio, Dionys. Carthus. censet fuisse S. Matthæum ; quia ipse in fine sui Evangelii, de Christo dicit : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra ;* quod idem est cum eo, quòd hîc à seniore hoc audit Joannes : *Ecce vicit leo de tribu Juda.*

Verum hæc divinando dicuntur, et meræ sunt conjecturæ. Tam enim Jacobum fratrem Joannis aut Paulum, vel quem alium è senioribus fuisse dixeris, quàm Matthæum vel Petrum.

Ecce vicit leo de tribu Juda.] Christus apparuit hîc Joanni specie agni occisi, ut patet v. seq. ergo non apparuit specie leonis : dicitur tamen leo per metaphoram. *Vicit*, id est obtinuit, prævaluit, potens fuit ad aperiendum librum ita signatum, Christus. Addit Alcazar, *vicit*, id est, spiritum suum hominibus communicavit, ut prophetias hasce intelligerent, non tantum speculative, sed et practice et sapide, ita scilicet ut ex iis efficerentur spirituales : hoc enim esse *aperire librum.* Verum hoc morale potius est quàm litterale.

Nota. Christus hîc vocatur leo, mox agnus occisus : quia per mansuetudinem, innocentiam

et infirmitatem mortis et crucis meruit et obtinuit summam potentiam et imperium, factusque est leo, scilicet ex victo victor, ex mortuo redivivus, ex occiso vivificator omnium fidelium. Unde in Græco est articulus duplex, magnam habens emphasin : ὁ λεων, ὁ ων ἐκ τῆς φυλῆς Ιουδα, id est, leo ille illustris et celebris, qui est de tribu Juda.

Porro Christus vocatur leo : primo, quia ortus est ex tribu Juda, cujus insigne fuit leo. Illi enim benedicens Jacob Patriarcha ait Genes. 49. 9. *Catulus leonis Juda : accubuisti ut leo, et quasi leæna, quis suscitabit eum?*

Secundo ob eximiam fortitudinem qua diabolum, mortem, peccatum et infernum devicit; passus est ergo Christus; sed passus est ut leo, quia patiens vicit suos hostes, et à passione ac morte mox ut leo resurrexit. Hoc est quod ait Apostolus Coloss. 2. 15. *Exspolians principatus et potestates; traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso;* hinc v. 6. dicitur habere cornua septem.

Tertio, ob regiam dignitatem : leo enim est rex animalium; sic Christus est Rex mundi, et princeps fidelium et Sanctorum.

Quarto, quia ut leo terribilis est impiis, eritque in die judicii. Leo enim solo rugitu ita percellit alia animalia, ut ea quasi stupefaciat et exanimet, ait Ambros. Et S. Hilar. in Psalm. 131. *Leo*, ait, *terrori est feris omnibus, et hic solus per confidentiam et securitatem dormit intrepidus; terror omnium vigilans est :* ita et Christus.

Quinto, sicut leo solus inter animalia quæ curvos habent ungues, mox ut natus est, oculos aperit, iisque videt et cernit : sic Christus mox ut conceptus fuit et incarnatus, vidit Deum, plenusque fuit sapientia et gratia.

Sexto, leo apertis oculis dormit; unde à veteribus creditus est non domire : hinc leo symbolum est vigilantiæ. Sic Christus in passione, totaque vita apertum habuit non tantum divinitatis, sed et humanitatis oculum per visionem beatificam, et per scientiam infusam : hinc dicitur hîc habere oculos septem.

Septimo, addit S. Epiphan. hæres. 78. quia mater Christi est leæna. Sicut enim leæna semel tantum parit, ita et B. Virgo. An hoc de leæna verum sit, disputavi Ezech. 19.

Octavo, idem S. Epiphanius in Physiol. docet quòd leo sua obtegens vestigia, sit symbolum Dei cognitu difficilis et Christi. *Cum leo*, inquit, *in monte oberrat, et venatorem odoratur, sua ipsius vestigia cauda obtegit, ne illis insistentes venatores, lustrum inveniant, atque ipsum capiant. Sic Christus spiritualis leo, qui vicit ex tribu Juda, à Patre missus sua cooperuit vestigia, id est divinitatem suam : se enim exinanivit, et in Mariæ ventrem descendit, ut salvaret fraude deceptum genus. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Quapropter illi qui ignorabant desuper ipsum descendisse, dicebant : Quis est iste Rex gloriæ? Sanctus vero Spiritus : Dominus, inquit, virtutum ipse est Rex gloriæ.* Addit quòd catulus leonis nascitur mortuus et cæcus, ac die à patre leone in illum spirante, vitam et visum recipiat : sic et Christum gentes peccato mortuas et in fide cæcas vivificasse et illuminasse, cum tertio die à morte resurrexit. Verum hoc de leone negant Physici, nec videtur verisimile, nisi dicas leonis catulum non mortuum, sed dormitantem et mortuo similem à leone suscitari.

Denique virorum fortium sepulcro insculpebatur leo, uti factum Thebanis qui in acie contra Philippum ceciderant, docet Pausanias in Bœoticis. Cujus symboli auctorem fuisse Herculem docet Ptolemæus Hephæstion, et ex eo noster Nicol. Causinus Elec. Symb. pag. 190. Christi ergo fortissimæ pro mundi salute occumbentis sepulcro debetur leo.

Radix David.] Syrus, *illa Radix David*, nimirum celebris et eximia, non quæ Davidem produxit, sed quæ à Davide producta et generata est, q. d. Christus est radix, id est ramus et stirps, ex radice, id est ex familia Davidis jam pene succisa, extincta, humi depressa, et in radice tantum sub terra quasi delitescente, subpullulans et prognatus, qui regiam hanc Davidis familiam, ejusque regnum non temporale, sed spirituale restituit, imo longe amplius et gloriosius, quàm fuerat sub Davide, effecit. Est metonymia. Unde Arab. vertit, *de tribu Juda, et de radice David.* Hunc esse sensum patet cap. ult. v. 16. ubi dicit Christus : *Ego sum radix et genus David.* Idem est ergo *radix* quod *genus*, id est propago et filius Davidis. Alludit ad Isaiæ 11. v. 1. *Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.* Et ad Isaiæ 53. 1. *Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti.* Ita Ribera, Alcazar et alii. Hic sensus est genuinus. Audi tamen et aliorum interpretationes. Primo, Andreas et Rupert. Dicitur, inquiunt, Christus radix David, quoad divinitatem, licet quoad humanitatem fuerit ipse ex radice Davidis. Christus enim qua homo, natus est ex semine David; sed qua Deus, fuit radix, id est creator et Dominus, Davidis.

Secundo, quoad humanitatem, ait Aretas et Ansbertus : David fuit quasi semen ex quo ortus est Christus, qui est quasi radix germinans omnes fideles, omnem gratiam, omnem gloriam.

Tertio, Perer. David, ait, fuit radix Christi quoad naturam; Christus vicissim fuit radix Davidis respectu eximiæ sanctificationis, exaltationis et glorificationis Davidis. Ob hoc enim David ita à Deo exaltatus fuit, totque donis ab eo cumulatus, quòd ex ejus stirpe nasciturus esset Christus, ideoque appellandus filius Davidis. Unde S. Bernard. serm. 1. de Paschate : *Merito*, ait, *David sancte, filium tuum vocas Dominum tuum, qui non tu radicem portas, sed radix te.* Hinc Poloni, Rutheni et Moschi B. Virginem vocant *Bogoriza*, id est, Dei radix, quia scilicet ex ea quasi radice natus est Christus Deus Deique filius.

6. Et ecce in medio throni et quatuor animalium,] *in medio*, id est inter thronum et quatuor animalia : non enim Agnus erat in ipso throno; nam v. 7. dicitur venisse, et accepisse librum de manu sedentis in throno. Sed erat juxta thronum, sive proximus throno, ita ut medius esset inter thronum et quatuor animalia ac seniores. Est enim Agnus hic mediator Dei, angelorum et hominum. Hic ergo totius visionis fuit ordo. In throno sedebat Deus, proximus illi erat Agnus, quem sequebantur animalia cingentia tam Agnum, quàm thronum à quatuor ejus lateribus : post animalia sequebantur 24 seniores in suis thronis considentes, una manu tenentes phialam aromatum, sive incensi, al-

tera citharam : post seniores sequebantur millia millium Angelorum conclamantium : *Dignus es, Domine, etc.* Pulchra effigie hæc omnia repræsentat Alcazar pag. 420.

AGNUM STANTEM.] Christus, qui ob fortitudinem paulo ante vocatus est leo, hîc ob immolationem, mansuetudinem et innocentiam vocatur Agnus. Hinc Joannes Baptista Christum digito ostendens : *Ecce*, inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Joan. 1. Audi S. Bernardum ser. 1. de Paschate : *Leonem Joannes audiverat, et agnum vidit ; agnus aperuit librum, et apparuit leo : dignus est non amittere mansuetudinem, sed accipere fortitudinem, ut agnus maneat et leo sit.*

Nota : Christus dicitur *Agnus Dei ;* quia à Deo, id est jussu et voluntate Dei, pro hominum redemptione est immolatus, sicut vocatur sacrificium Abrahæ quod Abraham obtulit, ait Theophyl. Euthym. et Maldon. Aut, quia ipsimet Deo est oblatus et immolatus. Aut *Dei*, id est divinus, propter divinitatem quæ in ipso erat. Aut, ut Clemens Alexandr. lib. 1. Pædag. cap. 5. et ex eo Toletus in c. 1. S. Joannis, quia pro nobis factus est puer et infans Patris; pueros enim Agnos vocamus. Verba Clementis sunt: *Quoniam Scriptura pueros et infantes Agnos vocat, Deum, qui est Verbum, qui propter nos homo factus est, qui nobis in omnibus assimilari volebat, vocavit Agnum Dei, Filium Dei, infantem Patris.* q. d. Christus est Agnus Dei, id est Filius Dei; Agnus enim Filium notat; sicut Genes. 49. catulus leonis dicitur, ut significetur mystice Filius Dei, quod multi antiqui annotarunt. Ita hîc non ovem, non bovem, sed Agnum vocat, ut hominem hunc significet esse Filium Dei, non Patrem, non Spiritum sanctum. Porro τὸ *infantem Patris* à Clemente improprie dicitur : Christus enim æqualis Patri, eique coævus, non recte dicitur infans Patris, qua Deus est; nam qua homo est, recte id de eo dici potest. Joannem Baptistam sequitur noster Joannes Evangelista, qui Christum identidem vocat Agnum, mireque voce Agni delectatur, adeo ut in Apocalypsi vigesies septies eum nuncupet Agnum, uti videre est in Concordantiis Bibliorum. Pulchre S. August. serm. 50. de verbis Domini : *Quid dicis*, ait, *Domine bone Pastor ? Tu enim bonus Pastor, qui bonus agnus : idem Pastor et pascua, idem agnus et leo.*

Hinc et S. Petrus spectans Christi innocentiam, redemptos nos esse dicit *pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi.* Ob hasce ergo agni de Christo figuras et prophetias, vetus fuit mos Christum depingendi agni specie, quem præcursor digito ostendit, ut docet sexta Synodus habita in Trullo can. 82. ubi et hunc morem retineri jubet causamque addit, *ut per ipsum* (ait Agnum) *Verbi Dei humiliationem mente comprehendentis, ad memoriam quoque ejus in carne conversationis, ejusque passionis et salutaris mortis ducamur, ejusque quæ ex eo facta est, mundi redemptionis.* Atque hunc usum Romana et Latina Ecclesia semper retinuit, licet Græci ob calumnias Iconoclastarum, aliquando vetuerint Christum alia specie pingi, quàm humana, ob causam quam affert Gabriel Vasquez l. 2. de Adorat. c. 2. Romæ enim et in aliis Ecclesiis Latinorum, *in antiquis cœmeteriis et sepulcris videre est Christum musivo opere pictum, vel sculptum quasi agnum, sed et ex cera sacra solitas confici agnorum imagines in Ordine Romano à Gelasio collecto* (*ut constantior opinio est*) *ex antiquo ejus Ecclesiæ usus hæc habentur. In eadem Dominica post Albas, id est, in Octava Paschæ intra Civitatem Romanam dantur agni cerei ab Archidiacono in Ecclesia, post Missam et communionem populo, etc. Hæc quidem antiquitus in Ecclesia Romana servata, nunquam postea intermissa, hactenus perseverant*, ait Cardin. Baron. anno Christi 692. pag. 614.

Nota hîc usum agnorum cereorum benedictorum, quasi usitatum et antiquum laudari à Gelasio, qui vixit ante annos mille et centum, puta sub annum Christi 500. Nimirum baptizati, cum vestem candidam baptismo acceptam deponebant, Dominica in Albis ejus loco accipiebant hunc agnum cereum à Pontifice benedictum, ut monerentur Agnum Christum, ejusque innocentiam baptismo acceptam jugiter præ oculis habere, et conservare. Vide Josephum Vicecomitem in Observat. Eccles.

Denique Sergius Papa anno Christi 701. *Statuit ut tempore Dominici corporis Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis, à clero et populo decantaretur*, ait Anastas. Biblioth. et ex eo Baronius. Ita nimirum voluit Ecclesia Agni hujus ideam, memoriam, amorem, cultum et invocationem jugiter nobis objicere.

Tropolog. per hanc agni speciem significavit Christus, quàm sibi Deoque pretiosa et chara sit mansuetudo, quàmque ipsa sit fortis et invicta : nimirum Christus, utpote Agnus Dei primogenitus, amat agnellos, amat agnos, amat agnetes; amat innocentes, amat virgines, amat Martyres, quia mites, et per mansuetudinem facit eos omnibus hostibus, omnibus tormentis, omnibus tentationibus superiores. Hoc ergo est secretum quod per agnum nos docet Christus, nimirum mansuetudinem et patientiam esse fidelium scuta in bello defensivo, æque ac tela in bello offensivo invicta : quibus omnia adversa, omnesque adversarii superantur, imo subjugantur. Mansuetudo enim non tantum vincit hostes, sed et superat vitia, non solum superbiam, iram, invidiam, impatientiam, sed et libidinem, omnemque concupiscentiam, uti docet Cassianus et prisci Ascetæ, quin et ipsa Veritas clare pronuntiat : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Matth. 5.

STANTEM,] id est jacentem, inquit Alcazar : sequitur enim : *Tanquam occisum ;* agni enim occisi jacere solent, non stare. Verum Græcum ἑστηκὸς proprie significat stantem, non jacentem, et ita vertunt hîc omnes Interpretes; licet enim Agnus hic olim fuerit occisus, jam tamen erat vivens. Venit enim et accepit librum de manu sedentis in throno v. 7. Stabat ergo non jacebat. Primo ergo, *stantem :* quia Christus resurrexit ad vitam immortalem, ait Glossa. Secundo, *stantem*, quasi paratum ad perficiendum opus redemptionis à se inchoatum, inquit Richard. Tertio, *stantem*, ad judicandum, ait Pannonius. Quarto, *stantem*, ad opitulandum, ait Ansbertus, Hugo et alii. Quinto, S. August. in Quæst. novi Testamenti quæst. 88. Christus, ait, stat coram throno Dei, quasi advocatus noster pro nobis interpellans.

TANQUAM OCCISUM,] in præterito (*occisum* enim est præteriti temporis) non in præsenti, hoc est, non qui adhuc esset occisus et mortuus, sed qui brevi tempore, puta per triduum, occisus et mortuus fuerat; nam statim tertia die

resurrexit et revixit : unde hîc vivus et gloriosus Joanni apparuit, visusque est stare, non jacere ; ita Aretas, Ambrosius et Haymo. Christi enim mors ob celeritatem resurrectionis, non tam mors, quæ corruptionem corporis et dissolutionem membrorum inducit, quam mortis imago, et somnus quidam fuit. Unde seniores in suo hymno ei acclamant v. 9. *Quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo.*

Secundo, *tanquam occisum*, quia Christus resurgens servavit quinque vulnerum, quibus occisus est, cicatrices ; unde ob has similis occiso videbatur. Ita Andreas Cæsariensis.

Aliter Aureolus et Lyranus : censent enim Christum dici *Agnum tanquam occisum*, propter Eucharistiam, in qua Christus non est occisus, sed tanquam occisus ; quia Eucharistia repræsentat nobis occisionem et mortem Christi; ita Alcazar. Tota hac visione, inquit, alluditur ad templum Salomonis, uti dixi in fine capitis 4. In Agno ergo hoc alluditur ad juge sacrificium, agni scilicet, qui quotidie offerebatur tam mane, quàm vespere, ut jusserat Deus Exodi 29. v. 39. Ut scilicet per eum jugiter repræsentaretur hic Agnus Dei, qui in Eucharistia quotidie immolatur in Ecclesia Christiana, cujus jugi immolationi debet Ecclesia septem sigillorum apertionem, et adytorum sapientiæ cœlestis perfectam penetrationem. Hinc pro *tanquam occisum*, græce est ὡς ἐσφαγισμένον, id est, *tanquam jugulatum et immolatum*. Sic enim Hebr. זבח *zabach*, id est sacrificare, immolare, vertere solent Septuag. Apparuit ergo hîc Joanni Agnus tanquam occisus, et deinde surrexit, et ad Patris æterni solium ascendit, acceptoque de ipsius dextera libro ; aperuit eum, quod perinde est ac si diceretur : Id quod Christus mortem subiens, resurgens et gloriose ascendens effecit (scilicet reconciliare nos Deo, suamque virtutem et potentiam ostendere resurgendo, altissimumque cœli locum et thronum ascendendo, indeque suum spiritum in Apostolos et fideles emittendo) idipsum quotidie refici, rursumque fieri et repræsentari in hoc sacrificio Missæ ; ac proinde ab hoc sacrificio in Ecclesiam orthodoxam dimanare communicationem Spiritus sancti : quæ mysteria libri septem sigillis clausi reserat, et explicat. Hinc S. Andreas Ægeæ proconsuli cogenti eum ad sacrificandum idolis respondit : *Ego omnipotenti Deo, qui unus et verus est, immolo quotidie non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari, cujus carnem posteaquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus, qui sacrificatus est, integer persecerat et vivus.*

Hic sensus elegans est et pius, ad eumque respexit et allusit hîc Spiritus sanctus, sed mysticus potius quàm litteralis. Nam ad litteram hîc Joannes vidit Christum, non in Eucharistia, sed in se sub specie Agni in cruce occisi et immolati. Verum, quia idem est Agnus qui quotidie immolatur in Eucharistia, quæ eumdem in cruce occisum repræsentat et exhibet ; hinc ad Eucharistiam quoque symbolice hæc extendi possunt. Idem enim est sacrificium crucis et Eucharistiæ sive victimam, sive repræsentationem, sive fructum et effectum spectes.

HABENTEM CORNUA SEPTEM, ET OCULOS SEPTEM.] Alcazar satis concinne hæc septem cornua in Agno depingit, ita ut in modum coronæ caput, puta summitatem frontis, ambiant : deinde eodem modo singulos oculos singulis cornibus supponit, et æquali intervallo distribuit : ac præter hos septem oculos symbolicos, duos dat ipsi naturales, eo loco et modo, quo solent habere agni.

Quæres quænam sint hæc cornua septem, et oculi septem? Primo, Viegas : Septem, inquit, cornua significant plenam potestatem, fortitudinem et imperium Christi, quod adeptus est in sua passione, moxque resurgens ostendit. Alcazar : Significantur, ait, hîc septem spiritus, id est dotes providentiæ divinæ, de quibus dictum est c. 1. 4. sensusque est : q. d. Deus Pater communicavit Christo homini hasce suas septem dotes, eumque constituit totius mundi monarcham, et universalem rectorem. Nam *Pater potestatem dedit ei* (Filio) *judicium facere, quia filius hominis est.* Joan. 5. 27. unde de eo ait Isaias c. 16. v. 1. *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ.* Hinc cornua hæc disposita erant in modum coronæ quæ principatum significat. Unde infert Alcazar cum Ruperto septem spiritus, septem cornua, septem lampades, septem oculos, septem sigilla libri, hæc, inquam, omnia unum idemque significare. Secundo, Ansbert. Beda et Rupert. per septem cornua et septem oculos, censent significari septem dona Spiritus sancti ; quæ dicuntur oculi, ob gratiam et vim illuminandi quam habent : dicuntur et cornua, ob excellentiam fortitudinis et potentiæ quam continent. Tertio, Joachim per septem cornua accipit septem angelos Ecclesiarum Asiæ, de quibus c. 2. et 3. Quarto, Ambros. per septem cornua accipit septem mundi ætates ab Adam usque ad finem mundi ; vel potius omnes Sanctos et electos Christi, qui septem, id est omnibus ætatibus, puta quolibet sæculo, floruerunt. Quinto, Dionys. per septem cornua accipit omnia regna et imperia mundi, quæ sunt in manu et potestate Christi. Sexto, et optime, Pererius et Ribera per septem cornua et septem oculos accipiunt septem spiritus, uti mox se explicat Joannes, puta septem angelos primarios præsides Ecclesiæ et totius mundi, de quibus cap. 1. 4. et c. 4. 5. Hi dicuntur esse cornua, quia sunt fortissimi ad profligandos dæmones, ad tutandam Ecclesiam, ad patranda miracula, ad defensionem justorum, vindictam impiorum. Iidem vocantur oculi, quia perspicacissimi sunt et vigilantissimi ad Dei voluntatem cognoscendam et explendam, ad Ecclesiæ et hominum salutem procurandam : unde de iis dicitur Zachar. 4. 10. *Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram*, uti et hîc dicuntur missi in omnem terram, quod non potest de aliis quàm de angelis hisce accipi.

Porro hæc cornua agni fortissima esse patet, quia iis subegit totum orbem ; unde rhinoceroti comparantur Deuter. 33. 17. *Cornua rhinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit Gentes*, quod de cornibus crucis Christi, qua occisus est, et meruit hæc angelorum cornua, mystice explicans Tertull. lib. contra Judæos : *Christus*, inquit, *significabatur, cujus cornua essent crucis extima; hac enim virtute crucis universas gentes nunc ventilat per fidem, auferens à terra in cœlum, et tunc ventilabit per judicium.* De hisce crucis Christi cornibus prophetat et Habacuc c. 3. 4. dicens : *Cornua in manibus ejus ; ibi abscondita est fortitudo ejus :* pro quo Septuag. vertunt:

cornua in manibus ejus, et posuit dilectionem robustam fortitudinis suæ; nimirum : *Idcirco*, inquit S. Hieron. *Deus Pater operuit cœlos gloria, et terram replevit laude, et cornua, id est regnum posuit in manu filii sui, ut faceret dilectum suum ab hominibus diligi, et diligi non leviter, sed vehementer et fortiter.* Fortis enim sicut mors fuit ejus in nos dilectio, dura sicut infernus æmulatio : quæ proinde fortes amoris sagittas in nos jacet, quibus cor nostrum sauciat et penetrat, ut forti amore eum redamemus, et per cruces, per tela, per hostes et ignes post eum curramus, dicentes cum Paulo : *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames? etc.*

7. Et venit et accepit de dextera sedentis in throno librum.] Hac visione et symbolo significatur Christum habere omnem scientiam, curam et providentiam Ecclesiæ et suorum electorum. Rursum enim ex libro hoc decretorum Dei, tanquam judicem impiis pœnas et supplicia, æque ac piis præmia pronuntiare et irrogare.

Alcazar sic explicat, q. d. Agnus qui jacebat quasi occisus, subito surrexit quasi leo, dum scilicet tertia die à morte et inferis resurrexit; et librum cum ingenti mundi totius stupore reseravit, dum hominibus Dei mysteria, et abdita suæ sapientiæ penetralia manifestavit. Verum. v. præc. audivimus et vidimus *Agnum stantem*, non jacentem; nisi dicas Agnum non in latus demisso in terram capite decubuisse, sed innixum genibus erectum procubuisse, uti solent agni et oves dum comedunt et ruminant; ut simul stetisse et jacuisse dici possit, ac consequenter surrexisse et in pedes se erexisse cum accessit ad thronum Dei, accepturus ab eo librum. Licet enim haberet signa et cicatrices mortis obitæ, ob easque videretur occisus et mortuus, revera tamen erat vivus jam pridem, puta ab annis 63 (tot enim sunt ab anno Christi 34 quo mortuus est et resurrexit, ad annum Christi 97 quo hæc vidit et scripsit Joannes) à morte resurrexerat.

Porro Agnus pedibus excepit, et aperuit librum; pedes enim agno sunt vice manuum. Sic videmus simias et alia animalia pedibus efficere ea, quæ manibus efficiunt homines : ita et Agnus hic pedibus pro manibus usus est : præsertim quia symbolicus fuit in visione apparens Joanni, non verus et realis.

Mystice Rupertus notat dici *de dextera*, quæ bona æterna, non *de sinistra*, quæ bona caduca repræsentat. *Valde notandum*, inquit, *quia veniens Christus in hunc mundum per incarnationis mysterium, nihil divitiarum aut gloriæ de sinistra; sed tantummodo librum, sive ignoram legem accepit de dextera : bonum exemplum cunctis præbens discipulis et credentibus in se, nihil divitiarum, aut gloriæ voluit, aut quæsivit in hoc mundo.*

8. Et cum aperuisset librum.] Dices : Necdum reseraverat Agnus sigilla libri; illa enim reserat c. 6. et seq. Quomodo ergo hic dicitur aperuisse librum, cum liber aperiri non potuerit, nisi prius apertis sigillis? Resp. primo Beda esse hic mysterium : nam quòd prius apertus sit liber, deinde aperta sint sigilla, significat quòd Christus ubi resurrexit aperuit librum, sed in Pentecoste cum misit Spiritum sanctum, tunc demum mysteria libri reserari. Hinc alii dicunt Christum primo aperuisse librum, id est, dedisse suis fidem mysteriorum divinorum; deinde reserasse sigilla, id est, clariorem eorumdem intelligentiam communicasse. Verum alia sunt mysteria libri, alia sigillorum; nec poterat aperiri liber ejusque mysteria, nisi prius apertis sigillis, uti jam dixi.

Secundo, alii respondent esse prolepsin, sive anticipationem. Præponi enim hîc apertionem libri quæ posterius, scilicet post reserata sigilla contigit. Verum hæc prolepsis durior, et nimis anticipata videtur; præsertim quia c. 8. post apertum septimum et ultimum sigillum dicitur fuisse altum in cœlo silentium per dimidiam horam; ergo non potuit tunc contingere hæc seniorum et Angelorum adoratio, Deique glorificatio.

Dico ergo, *cum aperuisset*, id est, aperire cœpisset, *librum :* nam sensim et ordine singula libri sigilla reseravit, ut patet c. 6. 1. et seq. Significatur ergo hic actus inchoatus, non consummatus, uti et sæpe alibi. Cum enim viderunt seniores et angeli Agnum posse aperire librum, et de facto eum aperire primum sigillum; antequam illud plene aperuisset, statim proruperunt in doxologiam : unde Græca habent ὅτε ἔλαβε, *cum accepisset* librum; et ita legit Primas. Arias et alii : licet Alcazar dicat se vidisse codicem Græcum in quo legebatur, ὅτε ἠνοιξε, id est, *cum aperuisset;* sic etiam legisse videtur noster Interpres.

Aliter respondet Alcazar, scilicet, librum hunc sæpius fuisse apertum, et rursum clausum. Itaque Agnum hîc primo perfecte aperuisse librum, et omnia ejus sigilla reserasse, ut ostenderet suas vires et facultatem : unde mox seniores et angeli ipsum æque ac Deum glorificarunt; quo facto Agnus rursum clausit librum, suisque sigillis obseravit. Denique eumdem iterum, sensim reserando ejus sigilla c. 6. et seq. aperuit, ut plenius et planius singulorum sigillorum mysteria contemplanda proponeret. Verum de hac iterata et frequenti libri apertione et clausura nihil dicit Joannes; eaque levior videtur, minusque Agni gravitatem decebat.

Nota : Hæc omnia non revera fiebant, nec reipsa gerebantur, sed tantum symbolice in visione. Angelus enim hæc symbola pingebat in phantasia S. Joannis, ut ipse sibi videretur videre thronum, quatuor animalia, seniores, Agnum accipientem librum, ejusque sigilla reserantem.

Symbolice, S. Gregorius homil. 16. in Ezech. *Signatum*, ait, *librum solus Leo de tribu Juda aperuit; quia omnia ejus nobis mysteria in sua passione ac resurrectione patefecit. Et per hoc quod infirmitatis nostræ mala pertulit, sua nobis potentiæ et claritatis bona monstravit. Caro enim factus est, ut nos spiritales faceret : benigne inclinatus est, ut levaret : exiit, ut introduceret : visibilis apparuit, ut invisibilia monstraret : flagella pertulit, ut sanaret; opprobria et irrisiones sustinuit, ut ab opprobrio æterno liberaret : mortuus est, ut vivificaret. Agamus ergo gratias vivificanti et mortuo.*

Habentes singuli citharas.] *Singuli*, scilicet 24 seniores. Ansbertus et Alcazar *singuli* etiam extendunt ad quatuor animalia; per enallagen generis masculini, quod hîc complectitur et neutrum : unde ipse pingit quatuor animalia, æque ac seniores, una manu tenentes citharam,

altera phialam incensi, sive thymiamatis ; sed ita ut cum citharam pulsabant, phialam ante se deponerent.

CITHARAS ET PHIALAS AUREAS PLENAS ODORAMENTORUM.] Citharæ, ait Andreas, significant concinnam, suavemque Dei laudem : thymiama significat sacrificium, quod fideles per castimoniam et morum integritatem Deo offerunt : phialæ sunt piæ castæque cogitationes, ex quibus hoc thymiama exhalat.

Secundo, Rupert. Citharæ, ait, sunt pectora casta, cum plectro linguæ laudes Dei personantia : phialæ sunt corda charitatis dilatata. Ita et phialas explicat Richard. Beda et Hugo ; imo Ansbertus : Phiala, inquit, est charitas ; est aurea, id est, pretiosa. Ita et Viegas.

Tertio, Richard. rursum : Citharæ, ait, quæ manu pulsantur, significant bona opera Sanctorum, quæ suis effectibus, suaque fama quasi sonis suavibus, æque ac vehementibus, proximos ad Dei amorem excitant. Sic et Pannonius per citharas accipit spiritualem harmoniam, et variarum virtutum consonantia resultantem, per quam Sancti semper Deum laudant. Est enim in citharæ chordis suus cuique sonus, gravis, acutus, medius, atque alius aliis : hos modulatur et contemperat arte sua citharœdus. Ita sensus in corpore sunt, quasi chordæ in cithara, compositi : citharœdus est mens sapiens, quæ cum illis imperat, discernit animus quid absonum, quid concinnum sit, quale sit unicuique rei temperamentum adhibendum, ut nihil meditetur, aggrediatur, faciat, quod modulis et tonis non respondeat, unde concors concentus exaudiatur. Hinc nonnulli concordiam dici putant, quod chordæ variæ in unam conveniant harmoniam : licet alii concordiam à corde dictam malint. Ita Cicero Tusculan. 1. *Aliis*, inquit, *cor ipsum animus videtur, ex quo excordes, vecordes, concordesque dicuntur.* Hic sensus illustris est, sed moralis et tropologicus. Quocirca Cithara hieroglyphicum est animi sedati et compositi, imo et causa. Hinc Spartani ad lyræ citharæque sonum acies instruebant, rejectis tubis et classicis, ut sedatiore animo prælium aggrederentur. Unde Homerus strepitum et tumultum in congressu primo barbaris dedit, cum Græci sensim et taciturni in pugnam progrederentur. Hanc tamen in Pompeio frigidam cunctationem reprehendit Cæsar, cum in Pharsalia ardore militum victor evasisset. Ita Pierius Hierog. 47. cap. 10.

Quarto, Alcazar : Adoratio, inquit, Agni referenda est ad Missæ sacrificium ; illæ enim gratiæ Christo redemptori nostro præ cæteris placent, quæ illi in altaris sacrificio referuntur ; quod idcirco nominatur Eucharistia, id est gratiarum actio : et in eo Christo gratiæ aguntur, quòd nos sanguine suo redemerit, et plurimis aliis beneficiis, quæ ex redemptione dimanarunt, cumulaverit. Hinc adorantes dicunt : *Quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo.* Ratio ejus est, quia censet ipse 24 seniores esse sacerdotes novi Testamenti, quorum proprium est sacrificare, et offerre Missæ sacrificium : hæc enim est eorum adoratio, et Eucharistia, id est, gratiarum actio. Habent ergo citharas, easque pulsant, id est exultant et gratias agunt Deo ob peccatorum conversionem. Agunt enim gratias Deo et Christo, quòd hominibus duris suum spiritum communicarit, cum aperuit eis librum signatum, id est, cum eos luce suæ doctrinæ et Evangelii illustravit ; uti fecit Saulo, cum eum effecit Paulum. Citharæ enim significant gaudium, ac lætitiæ voluptatem. Phialæ aureæ sunt calices aurei, quibus sacrificium Missæ offerunt : hi enim calices spiritualiter præstant idem quod phialæ sive prunaria, in quibus odores incenduntur. Nam sacerdotes in calice missæ offerunt thymiama, id est contritionem et orationes eorum, quia ad Dei cognitionem et amorem sunt traducti. Unde in calicis oblatione dicitur : *Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu divinæ majestatis tuæ, pro nostra et totius mundi salute ascendat.* Verum hæc omnia allegorica sunt et mystica, non litteralia. Adde : alia plane est forma et usus phialarum, alia calicum ; calices enim profundi sunt et arcti, phialæ latæ et planæ, uti ipse eas depingit.

Quinto ergo, genuine et plane ad litteram : per citharas primo, per synecdochen intellige instrumenta musica, puta organa, citharas, chelydes, tibias, etc. quibus Sancti in corpore glorioso psallunt, et laudant Deum : hæc enim in cœlo fore insinuat hîc Joannes, uti et c. 14. 2. ubi è cœlo audivit vocem et symphoniam quasi *citharœdorum citharizantium in citharis suis.* Corpora enim et aures Beatorum, uti et reliqui sensus, æque ac mens et spiritus, suam in cœlo habebunt voluptatem, eamque summam. Major autem et suavior est melodia instrumentorum, quàm vocum : summa vero melodia est planeque perfecta, cum vocibus organa, citharæ et chelydes consonant et concrepant. Si ergo hîc in Ecclesiis laudamus Deum, non tantum vocibus, sed et organis, aliisque instrumentis musicis, quidni et in cœlo, ubi longe plenior et consonantior erit Dei laus et hymnodia ? Porro citharæ illæ cœlestes et organa longe nostris pretiosiores, sublimiores et resonantiores sunt. Hinc S. Anselmus in Elucidario : *O qualis*, ait, *voluptas auditus illorum, quibus incessanter sonant harmoniæ cœlorum, et concentus angelorum, dulcisona organa omnium Sanctorum !* S. August. in Meditat. cap. 25. *Omne*, ait, *opus eorum laus Dei sine fine, sine defectione, sine labore. Felix ergo, et vere in perpetuum felix, si post resolutionem hujus corpusculi audire meruero illa cantica cœlestis melodiæ, quæ cantantur ad laudem Regis æterni ab illis supernæ patriæ civibus.* Et Clarius cap. 26. in hymno paradisi : *Novas*, ait, *semper harmonias vox melodа concrepat, et in jubilum prolata mulcent aures organa ; qui sunt victores Regi dant præconia.*

Denique in Vitis Sanctorum legimus non raro eos audisse musicam, non tantum vocum, sed et instrumentorum cœlestium, uti de S. Francisco refert S. Bonavent. quòd, cum averet audire cœlestem musicam, Deo annuente audierit angelum scitissime citharam pulsantem.

Secundo, per citharas intellige cum Andrea Cæsar. et Areta, quamlibet modulationem et hymnodiam, qua ore consono omnes Sancti uniformiter laudant Deum ; ut sit metalepsis, q. d. Expediti erant hi 24 seniores cum quatuor animalibus, parati, prompti et avidi ad modulandum hymnos eucharisticos, et ad Dei Agnique laudes personandum, idque concorditer et consonanter, ac si omnes citharœdi fuissent. Nam in multarum vocum, æque ac citha-

rarum, aliorumve instrumentorum musicorum concentu, innuitur eleganter admirabilis Beatorum charitas et concordia; atque maxima Dei Christique gloria, quæ ex illo concordi consensu, communique omnium doxologia emicat et splendescit. Musica enim concordiæ est symbolum, ut non tantum sacri scriptores, sed et Plato ac Cicero docuerunt. Nominat Citharas, quia hæ suave resonant melos. Cœlo ergo competunt citharæ, ubi felix est voluptas; terræ tuba, ubi sunt prælia.

Guillelmus Parisiens. lib. 2. de Universo part. 2. fol. 166. col. 2. ait: *Os cujuscumque glorificati erit sicut cithara chordarum innumerabilium, et innumerabilium fistularum; et erit sonoritas ex ore uniuscujusque glorificati hominis concentus vocum sive sonorum innumerabilium, mira et incogitabili nobis hic suavitate sibi invicem consonantium, et auribus perfectionis illius simul audibilium.* Hoc est quod ait Psaltes psalm. 149. 5. *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis: exaltationes Dei in gutture eorum.* Ubi S. Basil. *Exultationes*, ait, *hymnodias et psalmodias dicit.* Citharæ ergo hæ significant summum Beatorum gaudium et jubilum; secundo, summam Dei laudem; tertio, summam eorum inter se concordiam et consonantiam.

Mystice et Tropologice, Primasius per citharam accipit crucem Agni, id est Christi (ejus enim insignia gestant hi seniores Agni stipatores et asseclæ) ejusque passionis et mortificationis imitationem. Sic et Beda, Rupert. Ansbert. et Hugo, per citharas accipiunt mortificationem carnis, per quam 24 seniores, aliique Sancti ad cœlum, cœlestesque has citharas ac thronos pervenerunt; idque primo, quia uti in cithara chordæ, sic in mortificatione membra distenduntur et cruciantur. Tales citharæ suave melos in auribus Dei resonantes, fuere Martyres in eculeo distenti et pulsati, uti S. Romanus, cujus hæc est vox apud Prudent. in hymno.

> Miserum putatis, quòd retortis pendeo
> Extensus ulnis, quòd revelluntur pedes,
> Compago nervis quòd sonat crepantibus.

Et rursum:

> Audite cuncti, clamo longe ac prædico,
> Emitte vocem de catasta celsior.

In hac cithara cycnæum canticum cecinit Guardianus Minoritarum Cantuar. qui cum suis Religiosis ab Henrico VIII, Angliæ rege, anno Christi 1537, damnatus ad patibulum, cum scalas conscenderet, psallebat: *Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, quoniam bonum est*, uti referunt Martyrol. Anglic.

Secundo, quia, ut ait Ansbertus, in cithara aliæ chordæ magis, aliæ minus tenduntur; ut aliæ acutum, aliæ gravem sonum edentes faciant concentum; sic et in Ecclesia, alii plus mortificationis subeunt, alii minus, sed plus vacant operibus charitatis et misericordiæ, atque ex omnibus pulchra fit consonantia qua Deus laudatur.

Tertio, ut ait S. Gregor. lib. 3. Moral. 3. sicut in cithara chordâ, si minus tendatur, non sonat; si nimis, raucum sonat: ita mortificatio si levior sit, vel rigidior justo, in Dei auribus non sonat, nec ei placet.

Quarto, sicut cithara ex inferiore parte sonat: ita mortificatio inferiores animæ vires et carnem domando, personare eas facit, Deumque laudare. Ita S. Augustin. in illud psalm. 42. *Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus;* quod hîc alludit S. Joannes.

Rursum, noster Viegas et alii, per citharas accipiunt prædicationem Evangelii et verbi Dei, ipsosque ejus præcones, de quibus mystice ait Isaias c. 16. *Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.* Ubi S. Hieron. docet concionatorem, quasi citharam, omnium virtutum consonantia excellere debere. Sic Clemens Alexandr. in Exhortat. ad Gentes ait Christum fuisse novum quemdam citharœdum, qui nova concentus suavitate omnia ad se traxit instar Amphionis, de quo dicitur: *Movit Amphion lapides canendo.* Et instar Orphei, quem solo cantu feras, sylvas et rupes attraxisse fabulantur Poetæ. *Sic enim Christus*, inquit, *Gentiles qui erant quasi lupi, imo lapides et saxa; quia lapides et saxa colebant, ad se traxit, eaque in homines transformavit. Vide quantum potuit canticum novum, quod ex lapidibus et feris homines effecit.* Ita Alexander monachus in vita S. Barnabæ: *Barnabas*, ait, *magnus Ecclesiæ orator, Evangelicæ prædicationis tuba, magna Christi vox, Spiritus sancti cithara, divinæ gratiæ plectrum, virginitatis margarita*, etc. Huc spectat versiculus à Spartanis decantari solitus, quem citat Plutarch. lib. 2. de Fortuna Alexandri:

> Vergit ad lethale ferrum, lepide cithara canere.

Quo significabant, certis citharæ modis et modulationibus sedari motus animorum, alios audientes exstimulari ad prælium. Cum Alexander Magnus audisset Antigenidam tibia modos incinentem, qui vocantur Harmatii, adeo inflammatus est, ut simul cum armis exurgens manus injecerit in proxime assidentes. Veteres in hisce musicæ tonis excelluerunt, ut ad libitum variando tonum et modulationem, nunc ad risum, mox ad fletum, inde subito ad bilem audientes concitarent, ita ut eorum affectus viderentur habere in sua manu et potestate. Tales etiamnum sunt nonnulli præsertim in Italia. Talis sit Concionator. Vere enim dixit S. August. lib. 10. Confess. c. 33. et ex eo S. Thomas 2. 2. q. 91. a. 2. in fine: *Omnes affectus spiritus nostri, pro sua diversitate habent proprios modos in voce atque cantu, quorum occulta familiaritate excitantur.* Atque est causa, cur in Italia, præsertim in Apulia, videamus eos qui tarantularum morsu lethargo corripiuntur, certo harmoniæ tono excitari, et saltando sudandoque venenum excutere.

In vocum ergo et citharārum consociatione, significatur hîc perfecta Evangelii prædicatio, in qua exemplum sanctæ vitæ cum sana doctrina vocis conjungendum et consociandum est. Ore enim canitur, cithara vero manibus pulsatur. Tales fuerunt Apostoli, suntque etiamnum viri Apostolici, qui manum æque ac linguam in Dei laudem moventes, sunt quasi divini Orphei et Amphiones, qui feras, sylvas et saxa, id est homines feros, rudes, duros et barbaros ad Christi fidem et sanctimoniam pertraxerunt et pertrahunt. Quos quasi cœlestes sapientes, oratores et musicos dilaudans Ecclesiasticus c. 39. vers. 17. adhortatur et incitat dicens: *Obaudite me, divini fructus;* id est, ut græce, υἱοὶ ὁσίου, id est, filii sancti, *florete*, id est, producite, *flores* quasi lilium, *et date odorem, et frondete in gratiam*, id

est cum gratia, et gratiose, quasi dicat : Deum sanctitatis sanctæque famæ odore, et Christianæ simul eloquentiæ gratia prædicate, ut cum Paulo Christi bonus odor sitis toti mundo in vitam. *Date nomini ejus magnificentiam in canticis labiorum, et citharis.* q. d. Labia manibus sociate, plectro labiorum æque ac manuum personate Christi, ejusque Evangelii laudes : hac harmonia corda etiam durissima mulcebitis, et ad Dei amorem et laudem pellicietis ; itaque per vos, et per ipsos à vobis conversos, magnifice celebrabitis Dei Christique gratiam et gloriam. Hic sensus pius est et elegans, sed mysticus, non litteralis, uti ejus auctores volunt. Nam horum citharizantium in hoc capite voces et melodia, ad litteram non dirigitur ad populum, sed ad Deum et Agnum, quos hymno eucharistico glorificant. Est ergo hîc doxologia Dei et Agni, non autem concio ad populum, nec Evangelii prædicatio.

Et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.] Symbolice phialæ hîc adhibentur (revera enim in cœlo Sancti non egent phialis, ut offerant Deo orationes sanctorum) visæque sunt Joanni ; quia in phialis solet thymiama offerri in templo Salomonis, in altari thymiamatis, ad quod hîc alluditur. Thymiama enim componebatur ex odoramentis, puta ex galbano, stacte, onyche et thure, quorum litteralem et moralem explicationem recensui Exodi 30. 34.

Nota. Orationes Sanctorum comparantur hîc suffitui non cujusvis rei, sed odoramentorum. Primo, quia oratio instar thuris sursum ascendit. Hinc ait Psaltes psalm. 140. 2. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Secundo, quia uti thus est odoratum; ita orationes Sanctorum Deum, ejusque nares subtiles et divinas oblectant. Hinc de sacrificio et orationibus Noe dicitur Genes. 8. vers. 21. *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, et ait : Nequaquam ultra maledicam terræ.* Tertio, ut thus fetorem, ita oratio peccatum abigit, Deique iram mitigat. Quarto, thymiama in igne adolebatur et cremabatur ; ita oratio in igne tribulationum exardescit. Quinto, thymiama fiebat ex aromatibus contusis, sic oratio ex animo mortificatio et humili procedere debet. Hinc S. Gregor. homil. 22. in Ezech. explicans illud Cantic. 3. 6. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii? Fumus*, inquit, *ex aromatibus compunctio est orationis concepta ex virtutibus amoris ; quæ tamen oratio virgula fumi, dicitur : quia, dum sola cœlestia postulat secreta, progreditur, ut ad terrena petenda minime reflectatur. Subjungitur : Myrrhæ et thuris, quia thus in sacrificium incenditur ; myrrha corpora mortua condiuntur, ne vermibus corrumpantur. Quare myrrhæ et thuris sacrificium offerunt, qui et carnem affligunt, ne eis corruptionis vitia dominentur, et rodolentem in conspectu Domini amoris suis hostiam incendunt.*

Addit Viegas ignem, quo thymiamata in Sancto incendebantur, deferri consuevisse ex altari holocaustorum quod erat in atrio, ad altare thymiamatis, quod erat in Sancto ; quia videlicet orationum fervor ex perfecta mortificatione oritur, à qua nunquam cessandum est, propter assiduos concupiscentiæ spiritui rebellantis motus : hoc enim significat ignis, qui jugiter in altari holocaustorum ex lege Dei Levit. 6. 12. alendus erat. Qui ergo orationi vacare studet non incumbens mortificationi, perinde facit, ac si quis sine igne thymiama incendere vellet; Unde Cantic. 5. v. 1. dicitur : *Messui myrrham meam cum aromatibus meis ;* quia nimirum utrumque conjungendum est, mortificationis videlicet myrrha, et orationis aromata. Et Cantic. 4. 6. dicitur : *Vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris ;* quæ verba sunt sponsi, quasi dicat : Visitabo eos qui in arduis mortificationis operibus, tanquam in montibus occupantur ; et eos qui in dulcedine orationis, tanquam in collibus ex monte illo manantibus conquiescunt. Oratio enim est quasi collis, qui ex monte mortificationis porrigitur : solent enim montes in colles desinere. Denique multi pulchras habent citharas, id est, externas voces quibus Dei laudes canunt, sed destituuntur phialis aureis plenis odoramentorum, id est, interna cordis devotione, quæ maxime in hac citharizatione requiritur.

Nota hîc contra Vigilantium, Lutherum, Calvinum, et alios Hagiomachos, Sanctos pro nobis orare, nostrasque orationes Deo offerre. Idem faciunt Angeli cap. 8. v. 3. Porro id maxime competit Apostolis et Prælatis, quales erant hi 24 seniores : horum enim est, fidelium sibi subditorum orationes et necessitates Deo offerre.

9. Et cantabant canticum novum.] Græce, ᾄδουσιν, id est, cantant assidue et jugiter. Quæres cur hoc canticum dicatur *novum?* Respond. quia cantores erant novi, scilicet Apostoli et Patriarchæ, renovati, non tantum per gratiam, sed et per gloriam in cœlo.

Secundo, quia cantici materia erat nova, scilicet nova Christi incarnatio, passio, redemptio; nova et cœlestis ejus doctrina, nova beneficia, nova miracula, nova Sacramenta, nova lex, nova promissa, nova gratia, nova gloria ; proprie vero hîc erat nova novi libri, tot mysteriis pleni, itaque obsignati, reseratio, in quo nova Christi et Ecclesiæ victoria de suis hostibus, ac præsertim de Antichristo, describitur : novum ergo hîc Christo, novo victori canunt epinicium. Audi Rupertum : *Canticum*, inquit, *novum dicitur, quia novum fuit Filium Dei hominem fieri, et crucis mortem subire ; novum fuit, resurgere (et in cœlum ascendere ; novum, remitti peccata, et Spiritu sancto visibiliter signari homines : novum, accipere sacerdotium sacræ observationis, et regnum expectare immensæ repromissionis.*

Hinc tertio, canticum hoc dicitur *novum*, id est singulare, exquisitum, eximium, jucundissimum, nova semper hilaritate afficiens mulcensque animum, ideoque iterum iterumque, imo millies et infinities absque fastidio repetendum. Sic dicitur Jerem. 31. 22. *Creavit Dominus novum*, id est rem singularem, eximiam, inauditam, *super terram*, nimirum *femina circumdabit virum*, id est, virgo concipiet Christum.

Quarto, *novum*, quia spectat canitque innovationem et glorificationem tam Agni, quam ejus sponsæ puta Ecclesiæ et sanctorum lætitiam et gloriam tam animi, quam corporis. Sic dicitur psalm. 149. v. 1. *Cantate Domino canticum novum.* Quod explicans Gilbertus Abbas serm. 4. inter eos quos addidit S. Bernardi sermonibus in Cantic. *Vere*, inquit, *novum, cujus*

nescit antiquitatem materia, fastidium gratia, quia semper est amore recens, usu recentior. Vere enim novum, quod hominum animos ad æternam innovat beatitudinem. Denique legitur : Ne memineritis priorum, et antiqua ne intueamini : nova quippe ego facio. Jure nova, quæ ab antiquo currentis naturæ nequaquam conclusa sunt legibus. Et S. August. in psalm. 149. v. 1. *Vetus*, inquit, *homo, vetus canticum ; novus homo, novum canticum. Vetus testamentum, vetus canticum ; novum testamentum, novum canticum. Quisquis terrena diligit, vetus canticum cantat. Qui vult cantare canticum novum, diligat æterna. Ipsa dilectio nova est et æterna. Ideo semper nova, quia nunquam veterascit.* Et inferius : *Omnes ergo, qui innovantur in Christo, ut ad vitam æternam incipiant pertinere, canticum novum cantant ; et hoc canticum pacis est, canticum hoc charitatis est. Quisquis se à conjunctione sanctorum separat, non cantat canticum novum : secutus est enim vetustam animositatem, non novam charitatem.* Ita mystice et moraliter S. August.

Simili modo et causa ait Christus Joan. 13. v. 34. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Mandatum enim dilectionis, licet fuerit antiquum, utpote legis naturæ, tamen à Christo dictum et factum est novum, ratione novi objecti et causæ. Christo enim qui caput est Ecclesiæ, incarnato, facta est singularis communicatio et unio membrorum Ecclesiæ, tum inter se, tum cum Christo capite suo jam homogeno : unio, inquam, per naturam, per gratiam, et maxime per Sacramentum Eucharistiæ, quo Christus se omnibus dat in cibum, ut omnes sibi et inter se invicem uniat, quæ unio fundamentum est magis singularis obligationis et arctioris amoris Dei, Christi et Christianorum. Per hanc enim corporaliter uniti sumus Deo Verbo, totique SS. Trinitati, ideoque illam magis redamare, magisque illi conjunctos, puta proximos, diligere tenemur. Hunc sensum innuit Christus dum subdit : *Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*, quasi dicat : Ego novo modo dilexi vos, ut nova dilectione vos mihi et inter vos invicem obstringerem, novamque dilectionis causam et obligationem vobis suggererem ; ergo par est ut novo ardentioreque amore invicem diligatis, quàm ante. Exigo enim tantum à vobis, ut invicem diligatis sicut ego dilexi vos : hoc à vobis dilectionis meæ præmium postulo, hoc novæ dilectionis exemplum suggero, ut eo excitati invicem diligatis, sicut ego dilexi vos : me ita vestri amantem redamate, non tam in me ipso (qui hoc vestro amore et subsidio non egeo) quàm in membris meis, qui sunt fratres vestri. Atque ut hoc faciatis, aspiro vobis meam gratiam et spiritum, non timoris, sed amoris, novoque modo mitto vobis Spiritum sanctum ; Christianis enim propriè hoc novum præceptum dedit Christus, non autem omnibus hominibus, ut recte animadvertit ibidem Toletus. Jubet enim ut Christiani non tantum se, quasi proximos propter Deum, sed quasi fratres, et unius corporis Christi membra ament propter Christum. Quocirca ad dilectionis hujus officia et actus magis obligantur Christiani, quàm cæteri homines. Consequenter ad novum Deo canendum canticum, ad novam gratiarum actionem, ob novum hoc dilectionis beneficium, et præceptum ab eo acceptum, obligantur.

Aliter Alcazar : censet enim ex præconcepto suo scopo et fine, cantico hoc grates Deo referri ob novam Judæorum hactenus rebellium et Ecclesiam oppugnantium, ac præsertim S. Pauli, conversionem ad Christum. Verum de ea hîc proprie non agi superius docui.

Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus ; quoniam occisus es.] Nota τὸ *quoniam* : significat enim causam meritoriam. Unde patet Christum, merito passionis et mortis suæ, accepisse à Deo potestatem revelandi cui vellet futura circa regimen et propagationem Ecclesiæ suæ, præsertim ea quæ contingent sub tempora Antichristi, et sub secundum ejus adventum ad judicium.

Et redemisti nos Deo.] Est hoc canticum quatuor animalium, id est angelorum primariorum, æque ac 24 seniorum : non quòd angeli à Christo redempti sint ; sed quòd loquantur ipsi cum 24 senioribus, qui omnes homines repræsentant. Cum iis ergo, et pro iis, quasi clientibus suis, quorum ipsi sunt angeli et custodes, dicunt : *Redemisti nos*, non pro se ipsis. Addit Rupertus per Christum redemptos esse angelos, quia per ipsum reparata est eorum ruina facta per lapsum dæmonum, atque impletus est numerus Beatorum, et Ecclesiæ triumphantis. Pro *redemisti*, græce est ἠγόρασας, id est, *emisti* nos ; sumus ergo servi emptitii Christi : hoc est quod ait Paulus : *Empti estis pretio magno ; glorificate et portate Deum in corpore vestro*, 1. Corinth. 6. 20.

Ex omni tribu, et lingua, et populo.) Duplex est hic sensus : Prior, redemisti, tibique selegisti nos paucos ex omnibus Gentibus, quasi populum singularem. Sicut olim ex omnibus mundi nationibus selegisti tibi Israelem, ut esset tuus populus, tuaque Ecclesia, Deuter. 4. vers. 34. Christus enim sua passione meruit accipere potestatem assumendi sibi in populum, sibique diligendi quoscumque voluisset, iisque applicandi meritum sanguinis sui, non tantum quoad sufficientiam (sic enim omnibus hominibus applicuit), sed etiam efficaciam. Ita explicat Alcazar.

Secundus, q. d. Redemisti, Domine, nos Christianos ex omni gente. Nam Christianismus sparsus est per omnes gentes : licet enim hi 24 seniores pauci essent, et ex paucis gentibus, ac fere ex Judæis selecti, tamen repræsentant omnes Christianos, et præsentes, et futuros ; sicut senatus repræsentat totum populum. Totius ergo populi Christiani voce et nomine loquuntur, dicuntque sex ex omni gente redemptos à Christo, ab eoque vocatos ad christianismi gratiam et salutem. Hoc est quod expressius dicitur cap. 7. v. 9. *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat : ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis : stantes ante thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum ; et clamabant voce magna, dicentes : Salus Deo nostro qui sedet super thronum, et Agno.* Hoc est enim canticum novum, quo celebrant novum redemptionis mundi, id est omnium gentium per Christum factæ beneficium, quo meruit Christus facultatem resignandi hunc librum signatum, uti paulo ante dixi ; ut nimirum posset Joanni, et per Joannem omnibus Christianis omnium gentium, utpote à se redemptis, sibique selectis eum ejusque mysteria pandere et explicare

Itaque hic sensus non minus quàm primus appositus est. Quocirca plenus erit sensus, si utrumque conjungas: q. d. Redemisti nos Christianos, Domine, nosque tibi selegisti et sanctificasti, non ex solis Judæis, ut olim; sed ex omni gente: selegisti, inquam; nam multos alios ex omni gente in sua infidelitate aut peccatis reliquisti.

ET FECISTI NOS DEO NOSTRO REGNUM, ET SACERDOTES;] Ecclesia enim est regnum sacerdotale, et regale sacerdotium Dei et Christi: consequenter Christiani sancti reges sunt et sacerdotes. Vide dicta c. 1. v. 6. Addunt hoc, quia talibus docuit pandi hunc librum signatum continentem futura Ecclesiæ mysteria: horum enim decet sacerdotes, æque ac reges, esse conscios. Vere S. August. in Sentent. sententia 242. *Non caret*, ait, *regia potestate, qui corpori suo noverit rationabiliter imperare. Vere enim dominator est terræ, qui carnem suam regit legibus disciplinæ.* Unde sequitur:

ET REGNABIMUS SUPER TERRAM,] tum hanc morientium: in hac enim Christiani regnant, et dominantur carni, mundo et diabolo; tum illam viventium in cœlis; cum in illam transferuntur, uti hi seniores translati erant. Christiani enim qui adhuc hîc vivunt, dominantur terræ rebusque terrenis; dum vero per martyrium aut mortem ad Deum transeunt, dominantur et regnant cum Christo in cœlo: sunt ergo domini et reges cœli et terræ. Alludit ad id quod Deus promisit Ecclesiæ, Isaiæ 62. 3. dicens: *Eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui.* Vide ibi dicta.

Unde notat Rupertus non dici *in terra*, sed *super terram; quia sancti*, inquit, *conditione in terra sunt, sed vita et conversatione super terram, et super terrena membra sua tenent principatum.*

Quomodo in cœlis omnes Beati sint reges, ita explicat S. Anselmus, epist. 2. ad Hugonem: *Tanta erit dilectio inter Deum et eos qui ibi erunt, et inter seipsos, ut omnes invicem diligant sicut seipsos, sed plus ament omnes Deum quàm seipsos. Et propter hoc nullus ibi volet, nisi quod Deus; et quod volet unus, hoc volent omnes, et quod volet unus vel omnes, hoc ipsum volet Deus. Quapropter quidquid unusquisque volet, hoc erit de seipso, et de omnibus aliis, et de tota creatura, et de ipso Deo. Et sic singuli erunt perfecti reges, quia quod singuli volent, hoc erit; et omnes simul cum Deo unus rex, et quasi unus homo; quia omnes unum volent, et quod volent, erit.* Et inferius cum dixisset pretium quo emitur hoc regnum, esse amorem, subdit: *Denique quoniam regnare in cœlo non est aliud, quàm sic glutinari cum Deo, et cum omnibus sanctis angelis et hominibus per dilectionem in unam voluntatem, ut omnes utantur simul una potestate; ama Deum plus quàm teipsum, et jam incipis tenere quod ibi perfecte vis habere. Concorda cum Deo et hominibus, si tantum ipsi à Deo non discordent, et jam incipis cum Deo et cum omnibus Sanctis ejus regnare. Nam secundum quod tu concordabis modo cum Deo, et cum hominibus in voluntate illorum, concordabit tunc Deus et omnes Sancti tecum in tua voluntate. Si ergo vis esse rex in cœlo, ama Deum et homines sicut debes, et mereberis esse quod optas.*

11. ET VIDI, ET AUDIVI VOCEM ANGELORUM MULTORUM.] q. d. Vidi angelos innumerabiles et audivi vocem eorum; una enim consona voce clamabant: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem*, etc. Ad litteram loquitur, non de monachis et Religiosis, quos Nazianz. vocat angelos terrestres; sed de veris et cœlestibus angelis, qui sunt innumerabiles: Unde sequitur:

ET ERAT NUMERUS EORUM MILLIA MILLIUM.] Græca Complut. legunt: μυριάδες μυριάδων, καὶ χιλιάδες χιλιάδων, id est, myriades myriadum, et millia millium. Porro myriades myriadum sunt decies millies dena millia. Alludit ad Daniel. 7. 10. *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Alcazar ad litteram hæc accipit de sacrificio Missæ, quod celebrabant 24 seniores, id est, sacerdotes; angelorum enim proprium est in Missæ sacrificio assistere, et sanctissimum Christi corpus venerabundos comitari. Verum, superius docui hæc omnia in cœlo visa esse, non in terra, ac cœlestium gloriam significare, non terrestrium.

12. DICENTIUM VOCE MAGNA.] Vox magna indicat ingentem animi affectum et ardorem ad glorificandum Deum et Agnum, eo quòd hominibus patefecisset librum Dei signatum; mire enim gaudent angeli de hominum commodis et salute, ideoque cum iis, et pro iis mire laudant Deum: *Clamor in Dei auribus est desiderium vehemens*, ait S. Bernard. serm. 16. in psal. 90. Nam *apud Deum valet non magnus clamor, sed magnus amor.* Unde S. August. in serm. *Cum oras*, ait, *clama non voce, sed mente; nam et tacentes exaudit Deus.*

DIGNUS EST AGNUS, QUI OCCISUS EST, ACCIPERE VIRTUTEM ET DIVINITATEM.] *Accipere*, scilicet ab omnibus hominibus, vel *accipere*, non in se, sed in mente et ore hominum; ut scilicet omnes homines agnoscant et laudent Agni virtutem, græce δύναμιν, id est, fortitudinem et divinitatem, eamque à suis idolis ad Christum, cujus revera est, transferant. Nam alioqui Christus non potuit mereri divinitatem; utpote quæ in Christo præcessit ejus existentiam et meritum, fuitque causa et ratio quæ ejus operibus infinitum valorem, et vim merendi tribuit, ut docent sanctus Thomas, 3. part. q. 19. a. 3. Suarez et alii. Facessat ergo Photinus, qui docuit Christum fuisse hominem purum, et ob merita vitæ sanctæ meruisse accipere divinitatem. Nam Christus ab initio suæ conceptionis fuit Filius Dei, nec aliam habuit hypostasin quàm filii Dei. Hoc est enim quod de eo prædixit Gabriel B. Virgini: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei*, Lucæ 1. Facessant multo magis Nestoriani, et nostri Sociniani, qui censent Christum nec ab initio incarnationis, nec postea fuisse Deum, sed sua sanctitate meruisse ut vocaretur Deus, id est vir divinus, quomodo judices vocantur Dii, psal. 81. *Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes.* Frustra enim id ex hoc loco probare contendunt, cum æque ipsi fateantur hîc non aliud dici, quàm Christum meruisse divinitatem, id est nomen, famam et gloriam divinitatis; ut scilicet ab hominibus honoraretur, et coleretur, non tantum ut vir divinus, sed vere ut Deus, uti videmus cum toto mundo coli et adorari. Meruit autem nomen verum, et famam et gloriam veram, non falsam, non ementitam; ergo revera habebat in se divinitatem, eratque Deus. Hoc est quod ait Apostolus, Philipp. 2. 5. de Christo: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens*, etc. *Humiliavit semetip-*

sum factus obediens usque ad mortem; mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Ecce hoc fuit accipere Agnum divinitatem. Ita Lyranus, D. Thomas, Pererius et alii. Sic sæpe alibi jubemus Deo dare gloriam, honorem, sanctitatem, benedictionem, non in se (illius enim gloria et sanctitas cum in se sit immensa, ei nihil addere possumus); sed apud homines, faciendo scilicet ut homines cognoscant, colant et laudent Dei sanctitatem et gloriam

Nota. Sicut septem erant sigilla libri signati, quæ continebant septem illustres divinæ providentiæ affectus, ita septem hîc elogia dantur Agno occiso ea reseranti, quibus laudatur et celebratur septemplici laude, scilicet *virtus, divinitas, sapientia, fortitudo, honor, gloria et benedictio.* Sic et cap. 7. v. 12. Deo eo quòd suos à septem plagis liberarit, septuplex datur doxologia à quatuor animalibus et 24 senioribus, scilicet: *Benedictio, et claritas, et scientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro.* Septemplici ergo laude et hymno celebrant septemplicem Dei providentiam.

Nota secundo, pro *divinitatem* græce est πλουτον, id est *divitias*, et ita hîc legunt Andreas, Aretas, Ticonius et Primasius. Sed alii passim legunt, *divinitatem;* unde ita videtur fuisse primitus in Græco: licet Alcazar *divitias* in Græco putet poni pro divinitate. Sermo enim est, inquit, de ostensione divitiarum in earum communicatione, id quod divinitatis est proprium, scilicet divitem esse in misericordia et beneficentia, idque videtur verius. Nam inter πλουτον et θειοτητα nulla est litterarum affinitas, ut non videatur pro θειοτητα irrepsisse πλουτον.

Porro, Deus nomen accepit à πλουτω, id est divitiis, tam apud Latinos, quàm Græcos et Hebræos. Latine enim dicitur Deus, quòd nihil ei desit, aut quòd omnia commoda hominibus det. Rursum Deum vocarunt ditem, quasi divitem. Audi Ciceronem de Natura deorum: *Terrena autem vis omnis atque natura Diti patri dedicata est, qui dives, ut apud Græcos* πλουτων, *quòd et omnia recidant in terras, et oriantur è terris.* Græcis πλουτων, id est Pluto, vel Plutus Deus, à πλουτω, id est divitiis, nomen accepit. Hebraice dicitur שדי *saddai*, quasi ש די *sche dai*, id est cui est sufficientia, abundantia, cornucopiæ omnium rerum; hanc enim significat *dai;* unde multi Latinum Deus, et Græcum Διος, Jovis nomen, deducunt. Sic et in lingua Illyrica Deus nomen habet à divitiis; illyrice enim *Bogh* est Deus, *Bogath*, dives, *Bogastuo*, divitiæ. Deitas enim in eo consistit, quòd sit dives et affluens omni sapientia, bonitate, justitia, omnibusque gratiis, attributis, perfectionibus, omnique bono. Hinc de Deo ait Apostolus, quòd sit *dives in omnes qui invocant illum*, Roman. 10. 12. Et de Christo: *Propter vos egenus factus est, cum esset dives*, 2. Corinth. 8. v. 9. Et: *Deus autem, qui dives est in misericordia*, Ephes. 2. 4. Et: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* Rom. 11. 33.

Et SAPIENTIAM,] scilicet plenam et perfectam, puta rerum omnium cognitionem, ait Glossa. Unde Lud. Molina 1. part. quæst. 12. art. 8. disput. 5. memb. 7. ex hoc loco probat Christum hominem in verbo videre omnia præterita, præsentia et futura, ideoque videre infinita; quia decet ut ejus actualis cognitio ut minimum tam late pateat, quantum ipsius dominatio ac potestas sese extendit. Hæc autem ad omnia jam dicta se extendit. Ergo, etc.

13. Et OMNEM CREATURAM.] Sicut versu præcedenti angeli, ita hîc omnes aliæ creaturæ in visione visæ sunt Joanni laudare Agnum, ob reseratum ab eo librum signatum: quo per prosopopœiam significatur admirabile fuisse Agni beneficium in reserando libro, ob quod omnes angeli et homines jubilent; ita ut cœlum et terra, omnesque creaturæ irrationales exultare videantur, ac reipsa exultarent, si sensu et ratione prædita essent. Congaudent enim hominibus quasi heris suis: creata enim sunt à Deo ut serviant homini; unde et cum homine renovationem suî expectant, Rom. 8. 19. Addit Rupertus: Gaudent, inquit, non quia redemptæ, sed quia creatæ sunt, ideoque Deum laudant non rationali aut vocali confessione, sed naturali quadam sui status præsentatione.

QUÆ IN CŒLO EST,] puta sol, luna, stellæ. Ita Ambrosius, Rupertus et Pererius. Aliter Alcazar: nam *esse in cœlo*, refert ad Christianos; *esse super terram*, ad Judæos; *esse sub terra*, ad dæmones et damnatos; *esse in mari*, ad Gentiles: q. d. Omnes Christiani, Judæi, Pagani et Dæmones, licet inviti, glorificant Agnum. Verum hoc mysticum est, non litterale.

Et SUB TERRA.] Hæ sunt animæ existentes in Purgatorio; illæ enim licet in pœnis sint, amant tamen et laudant Deum et Agnum, à quo brevi sperant liberationem, salutem et gloriam. Ita Franc. Suarez, Ribera, et alii passim. Rursum, sunt damnati et dæmones, qui coguntur Deum et Christum agnoscere et revereri, non voluntaria confessione, sed coacta concessione, ait Rupertus et S. Gregor. 4. Dialog. c. 42.

Dices: psal. 113. v. penult. et Baruch. 2. 17. dicitur: *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum.* Respond. Sensus est: Mortui non laudabunt te, Domine; scilicet ea ratione et modo, quo nos viventes laudamus, nimirum voce communi et publica coram viventibus. Vide dicta Baruch. 2. 17.

Et QUÆ SUNT IN MARI,] puta pisces, margaritæ et gemmæ, etc.

Et QUÆ IN EO,] scilicet *mari*. Græca jam habent, τα εν αυτοις, *quæ in eis*, scilicet cœlo, terra et mari. Repetit τὸ *in mari*, subdens, *et quæ in eo*, ut significet creaturas in mari existentes longius abesse à glorificatione Dei et Agni, et tamen revera Deum et Agnum glorificare. Τὸ ergo *et quæ in eo*, confirmatio est ejus quod præcessit. *Et quæ sunt in mari.* Aliter Ribera: refert enim τὸ *in eo* ad Græcum κτισμα, id est creaturam, quod est neutrum, q. d. Omnia quæ sunt in hac creatura cœli, terræ et maris.

Nota. Hæc omnium creaturarum doxologia significat omnes creaturas esse sub Christi, æque ac Dei dominio et imperio, illudque maxime cognituras, veneraturas et adjuturas in extremo judicio, cum mysteria hujus libri signati, puta judicium universale totius mundi, ipseque Christus judex toti mundo gloriosus apparebit. Tunc enim plangent omnes Tribus terræ, et pugnabit orbis terrarum pro Christo contra insensatos: omnis enim creatura videbit quòd ipse sit judex

vivorum et mortuorum : quocirca eum ut talem colet et adorabit.

DICENTES,] muta voce, qua lætabundæ creaturæ suo modo laudant Deum creatorem suum. Huc spectat illud Philonis, libr. de Plantat. Noe paulo ante finem. *Fertur*, inquit, *fabula à sapientibus viris ad posteros per manus tradita. Est autem talis. Olim cum totum mundum opifex absolveret, quemdam è Prophetis rogavit, num quid desideraret nondum creatum sive in terra et aqua, sive in aere et cœlo? Respondit ille esse quidem perfecta et plena ubique omnia, unum tamen se requirere, laudatorem horum sermonem, qui in rebus omnibus vel quod minimum obscurissimumque videtur, non tam laudet, quàm enarret; ipsam enim enarrationem operum Dei sufficientissimam esse laudem, nullo egentem auctario. Hoc responsum patri universorum placuisse fertur; nec multo post exortum genus canorum et musicum, ex una divinarum potentiarum virgine memoria, quam mnemosynam vocant. Hæc est priscorum fabula : ex cujus auctoritate discimus nihil esse Deo magis proprium quàm benefacere; nihil item creaturæ quàm gratias agere, cum præterea nihil rependere valeat.*

Moraliter, discimus hîc ab angelis et cœlitibus varios actus gratulationis, amoris, laudis et jubili, quibus Deum et Agnum crebro ob summam ejus majestatem, sapientiam, sanctitatem, et ob beneficia creationis, conservationis, gubernationis, etc. sed maxime incarnationis Verbi, et redemptionis nostræ, celebrare debemus. Primus est ipsa ejus cognitio, consideratio et professio, qua profitemur ipsum esse oceanum immensum essentiæ, bonitatis, sanctimoniæ, perfectionis, beatitudinis et gloriæ à quo veluti fonte omnes angeli homines et creaturæ guttulam suæ entitatis, sapientiæ et virtutis emendicant et participant. Ipse enim est omnium principium, omnium finis, omnium conditor, imo creator ex nihilo, omnium sustentaculum, omnium locus, omnium ævum, duratio, terminatio, ordinatio, connexio, concordia, consummatio, præsertim per gratiam et gloriam, quam per Christum nobis communicat. Ipse est omne bonum angelorum et hominum, ac totius naturæ, quæ est, et quæ non est, sed esse, et ab eo creari potest. Ex hoc actu sequitur secundus, scilicet summa ejus reverentia et admiratio; considerantes enim immensam hanc divinitatis ejus excellentiam, et ex altera parte nostram vilitatem, et abyssum nihili, summe eam reveremur et admiramur, summeque nos sub ea dimittimus et humiliamus, perinde ac Seraphini præ reverentia velant facies suas coram ea, Isaiæ 6. 2. Tertius est actus amoris concupiscentiæ, quo eum ut auctorem omnis nostri boni summe diligimus, eique dicimus : Tu Deus meus, et omnia mea, *Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.* Quartus est actus amoris amicitiæ, quo eum purissima charitate et benevolentia amamus; quia propter suam infinitam præstantiam et dignitatem infinite dignum est omni amore, omni gloria, omni laude, omni cultu, omni veneratione, omni obedientia et obsequio. In ipso enim est omne bonum, omne pulchrum, omne delectabile, omnis dulcedo, omnis quies, omnes divitiæ, omnis nobilitas, omnis majestas, omnis sapientia, omnis potentia, omnis gloria, et quidquid mens concipere potest, imo infinities plura. Quocirca mens amans hoc bonum immensum, fastidit omnia bona creata, velut umbras, somnium et tenuem picturam illius summi boni. Porro, S. Bernard. S. Bonavent. et Richard. Victor. tract. de Gradibus charitatis, hujus amoris varios assignant tum gradus, tum effectus et dotes. Primus est, quòd amori sit inseparabilis, ut anima cum Apostolo dicere possit : *Quis nos separabit à charitate Christi?* Secundus, quòd sit insatiabilis; ignis enim nunquam dicit : Sufficit. Tertius, quòd sit invictus. *Fortis* enim *est ut mors dilectio; et aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Quartus, quòd sit delectabilis, ut dicat anima hoc amore ebria : *Introduxit me rex in cellaria sua; fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Quintus, quòd vulneret animam ardentibus desideriis, et plurimis, quibus optat, et procurat quantum potest, ut omnes eum cognoscant, timeant, ament, colant, laudent. Sextus, quòd semper Deum sitiat, semper eum præsentem habeat; in omni creatura ad eum ascendat, eumque contempletur. Septimus, quòd desideret dissolvi et esse cum Christo, non tædio vitæ, sed ut fruatur dilecto suo.

Ex hoc amore sequitur quintus actus summi gaudii, quo mens gaudet de Dei Creatoris, Domini, Patris et Redemptoris sui attributis et perfectionibus immensis, nempe quòd Deus noster sit optimus, potentissimus, sanctissimus, gloriosissimus, omnibusque bonis quaquaversum circumfluat. Ex gaudio sequitur sextus actus gratulationis, quo illi tanquam Deo nostro tantam Majestatem, tantas opes, tantam felicitatem gratulamur dicentes : In te omnis gloria et dignitas, omnes divitiæ et thesauri, omnes voluptates et consolationes, omnes deliciæ, omnia gaudia, omnes beatitudines. Tibi omnia ista debentur, et si quid illis deesset, aut iis addere possem, omnia mea ad id liberalissime expenderem. Tu enim iis dignissimus es : tuæ divinitati hæc congruunt. Tibi ergo ea gratulor, tibi congaudeo. Ex gratulatione sequitur septimus actus jubili, quo cum Beatis exultantes de tanta Dei nostri gloria, jubilamus et dicimus : *Sedenti in throno et Agno benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum.* In eo enim jubilat mens, qui infinities pluris est omnibus quæ sunt, et in infinitis mundis esse possunt; qui infinito amore et jubilo dignus est : ac proinde in eum totum cor suum laudando et exultando effundit, optaretque, si fieri posset, infinita corda, quibus eum infinitis amoribus et laudibus celebraret : denique invitat omnes angelos, omnes homines, omnes cœlos, omnia animantia, omnia creata, ut secum ei jubilent, aitque : *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate et superexaltate eum in sæcula.*

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

AGNUS APERIT SEPTEM LIBRI SIGNATI SIGILLA, NIMIRUM : PRIMUM APERIT, V. 1. ET EXIT EQUUS ALBUS CUM EQUITE HABENTE ARCUM ET CORONAM. SECUNDUM APERIT, V. 3. ET EXIT EQUUS RUFUS CUM EQUITE, HABENTE GLADIUM MAGNUM. TERTIUM APERIT, V. 5. ET EXIT EQUUS NIGER CUM EQUITE, HABENTE IN MANU STATERAM. QUARTUM APERIT, V. 7. ET EXIT EQUUS PALLIDUS, CUI INSIDET MORS, QUEM SEQUITUR INFERNUS. QUINTUM APERIT, V. 9. ET PRODUCUNT ANIMÆ SANCTORUM MARTYRUM PETENTES VINDICTAM. SEXTUM APERIT, V. 12. ET FIT INGENS TERRÆ MOTUS, SOL OBSCURATUR, LUNA UT SANGUIS RUBESCIT, STELLÆ DE COELO CADUNT, OMNES HOMINES TERRITI IN SPELUNCAS SE ABDUNT.

1. ET vidi quòd aperuisset Agnus unum de septem sigillis, et audivi unum de quatuor animalibus, dicens, tanquam vocem tonitrui : Veni, et vide. 2. Et vidi : et ecce equus albus, et qui sedebat super illum habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret. 3. Et cum aperuisset sigillum secundum, audivi secundum animal, dicens : Veni et vide. 4. Et exivit alius equus refus ; et qui sedebat super illum, datum est ei ut sumeret pacem de terra, et ut invicem se interficiant, et datus est ei gladius magnus. 5. Et cum aperuisset sigillum tertium, audivi tertium animal, dicens : Veni, et vide. Ecce equus niger ; et qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua. 6. Et audivi tanquam vocem in medio quatuor animalium dicentium : Bilibris tritici denario, et tres bilibres hordei denario, et vinum et oleum ne læseris. 7. Et cum aperuisset sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentis : Veni, et vide. 8. Et ecce equus pallidus : et qui sedebat super eum, nomen illi Mors, et infernus sequebatur eum, et data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, et morte, et bestiis terræ. 9. Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium, quod habebant, 10. et clamabant voce magna, dicentes : Usquequo, Domine, (sanctus, et verus) non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra ? 11. Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ : et dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum et fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut et illi. 12. Et vidi cum aperuisset sigillum ; sextum et ecce terræ motus magnus factus est, et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus ; et luna tota facta est sicut sanguis, 13. et stellæ de cœlo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cum à vento magno movetur ; 14. et cœlum recessit sicut liber involutus, et omnis mons, et insulæ de locis suis motæ sunt ; 15. et reges terræ, et principes, et tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus, et liber, absconderunt se in speluncis, et in petris montium ; 16. et dicunt montibus, et petris : Cadite super nos, et abscondite nos à facie sedentis super thronum, et ab ira Agni ; 17. quoniam venit dies magnus iræ ipsorum ; et quis poterit stare ?

1. ET AUDIVI UNUM DE QUATUOR ANIMALIBUS.] *Unum*, id est primum, puta leo, ut patet c. 4. 7. sequitur enim secundum, tertium et quartum. Porro leo ostendit hanc visionem equi albi S. Joanni, dicens : *Veni, et vide ;* quia Christus ejus sessor et equus hîc inducitur, ut rex, hostiumque debellator, victor et triumphator, uti mox patebit. Hinc vox leonis Christum indicantis est instar tonitrui, quod omnes percellit et sternit. Mystice Rupert. per tonitru accipit doctrinam Christi toto orbe personantem : *Auditur*, inquit, *vox tanquam tonitrui, quia videlicet non sicut probrosa vanitas susurrat in angulis, sed palam omni mundo prædicari amat plenitudo partus virginalis, ita ut merito comparetur tonantibus cœlis.*

2. ET VIDI : ET ECCE EQUUS ALBUS.] Ex quatuor primis libri signati sigillis quatuor prodeunt equi, scilicet primus albus, secundus rufus, tertius niger, quartus pallidus.

Quæres quidnam hi significent ? Primo, Victorinus per equum album accipit prædicationem Evangelii, quæ mundum subegit sibi et Christo : per tres reliquos accipit bella, fames et pestes à Christo prædictas in Evangelio.

Secundo, Beda per equum album et equitem : accipit Apostolorum certamina et victorias,

per rufum, passiones Martyrum, qui Apostolos proxime secuti sunt : per nigrum, dolos et malignitatem hypocritarum, et falsorum fratrum : per pallidum, versutias et fraudes hæreticorum.

Tertio, Andræas Cæsar. et Aretas in primo et secundo equo consentiunt Bedæ : per tertium vero, puta equum nigrum, accipiunt infirmorum Christianorum à Christo et fide apostasiam : per pallidum autem, accipiunt eorumdem punitionem.

Quarto, Ambros. per septem sigilla putat portendi ea quæ septem mundi ætatibus, Sanctis et electis contigerunt, aut contingent. Unde quatuor prima sigilla refert ad vetus testamentum, puta ad facta et gesta quæ in eo contigerunt ; tria vero ultima refert ad novum testamentum, ut scilicet quintum sigillum pertineat ad Martyres ; sextum ad Judæorum reprobationem, et Gentium vocationem ; septimum autem ad Antichristum.

Quinto, Rupertus : Septem, ait, sigilla significant septem primaria vitæ Christi mysteria, puta nativitatem, crucem, resurrectionem, ascensionem, Spiritus sancti missionem, Gentium vocationem, et universale judicium.

Sexto, Alcazar per quatuor prima sigilla, puta per quatuor diversi coloris equos et equites, censet repræsentari conversionem et felicitatem Judæorum qui Christo credent, eique se subdent : per tria vero ultima significari infelicitatem et pœnas Judæorum Christo incredulorum et rebellium. Unde ipse hîc notat 3. Quatuor, inquit, amores inordinati homini, mundoque dominabantur quasi tyranni : primus erat nimius amor vitæ ac deliciarum ; secundus, divitiarum : tertius, honoris ; quartus, proprii sensus ac judicii. Ex hisce Christianos, præsertim primitivæ Ecclesiæ, eripuit Christus. Nam à proprii judicii dominatione eos subduxit, dum eos suæ fidei subjecit, quæ spiritualis vitæ fundamentum est. Deinde honoris studium dispulit, dum eos excitavit ut Christi fidem libere inter tot Gentilium probra et sanas profiterentur et prædicarent. Tertio, per Evangelicam et voluntariam paupertatem, in eis cupiditatem divitiarum extinxit. Quarto, docuit vitam contemnere, et amare martyrium : unde quarto equo pallido insidet *mors*, significans mortem et martyrium Judæorum qui Christum sunt secuti : tertio, nigro scilicet, insidet egestas, quam patiuntur pauperes : secundi rufi sessor est ipsa pacis perturbatio, sive audacia quæ pacem perturbat : unde datus est ei gladius, ut tolleret pacem de terra : primi, albi scilicet, sessor est Christus, transfigens corda, juxta illud psal. 44. 6. *Sagittæ tuæ acutæ (populi sub te cadent) in corda inimicorum regis*, id est eorum qui prius erant inimici. Sessores ergo quatuor equorum sunt : *Fides et veritas, audacia, egestas, mors ;* quæ quatuor amores inordinatos jam dictos interimunt. Hinc apte primi equi color est albus ; qui est symbolum mansuetudinis. Secundi equi color est rufus : hic enim symbolum est audaciæ et ardoris. Tertii color est niger, qui est symbolum humilitatis : quarti, est pallidus, quia venit mortem, quæ facit pallidos. Porro apte equus albus tribuitur fidei ; quia color albus proprius est equi cicuris et mansueti : unde quoque equis albis pilus est lenis ac mollis instar fili serici. Hinc etiam equi albi aliis aliorum colorum sunt imbecilliores. Unde Virgil. in Georg. *Color*, ait, *est deterrimus albis*. Ita fides leniter domat hominis judicium et rationem, illamque quasi infirmam subigit Christo.

Rursum, fides pingitur hîc quasi eques gestans arcum, per prosopopœiam, uti per eam Poetæ amori, sive Cupidini arcum et sagittas affingunt, ut significent efficacissimam amoris vim qua corda ferit et sauciat, ita ut ea trahat et ducat, non quo ratio, sed quo amor ipse ea rapit. Sic enim fides rapuit homines in amorem rei miræ et insolitæ, puta Christi crucifixi, ut in eo omnem spem et felicitatem reponerent. Hinc gestat coronam in signum victoriæ. Unde ait S. Joannes epist. 1. c. 5. v. 4. *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.*

Verum hæc omnia allegorica sunt, non litteralia, atque ingeniose adinventa ad aptam sensus præconcepti accommodationem, ut scilicet is singulis visionis partibus congrue adaptetur. Adde, communis Patrum et Interpretum sententia est, sessorem hujus equi non esse fidem, sed Christum.

Septimo, Aureolus et Viegas, per quemlibet horum equorum accipiunt Romanum Imperium, sub diversis tamen Imperatoribus, qui per sessores et equites significantur, ut Zacharias c. 6. quatuor Monarchias designat per quatuor quadrigas. Cujus symboli ratio prima est, quòd equus sit animal imperiosum et gloriosum, uti est monarchia ; secunda, quòd imperia quasi equi à Deo gubernentur, laxatis vel restrictis eorum habenis pro Dei libitu. Tertia, quòd imperia perinde ac equi pernices decurrant, et sæpe ruant, suosque sessores et reges excutiant ; quarta, quòd equus sit animal bellicosum ; item petulans et lascivum : talia quoque sunt imperia.

Equus ergo primus, puta albus, significat imperium C. Caligulæ, qui Christi Evangelium non impedivit, sed in Judæos Christi hostes desæviit. Secundus equus rufus, significat Imperium Neronis, qui habet gladium magnum ; quia fuit crudelissimus et maxime cruentus. Tertius equus niger significat Imperium Titi, qui Hierosolymam obsedit, atraque fame et gladio vastavit. Cui dicitur : *Vinum et oleum ne læseris*, id est, ne tangas Christianos, qui propter charitatem vino, propter misericordiam oleo comparantur. Christianos enim non læsit Titus, sed ii ex Jerusalem Pellam evaserunt, teste Eusebio lib. 3. c. 5. Titus in manu habet stateram, id est divinam justitiam : hujus enim ipse fuit executor. Equus pallidus significat Imperium Domitiani, qui sua persecutione ingentem metum et pallorem tum Senatoribus Romanis, tùm Christianis incussit, quos partim bonis, partim vita spoliavit. Unde ipse vocatur hîc mors : quamobrem ipse quoque à suis occisus est, et in infernum ob sua scelera detrusus. Notat Viegas recte huic equo insidere mortem, ob cursus sui velocitatem, qua ipsa non solum homines consequitur, sed et sæpe præcurrit, cum eorum spes quasi antevolans demolitur et præscindit. Rursum, equum hunc esse χλωρὸν id est *pallidum*, vel, ut Tertul. lib. de Pudicitia c. 20. vertit, *viridem* : quia mors impiis est pallida, id est metuenda et tristis, eosque facit luridos ; bonis vero est viridis, id est, suavis et placida, spemque præbet messis vitæ æternæ.

Quintum sigillum in lucem proferens animas

interfectorum, significat Imperium Trajani, Adriani, Antonini, et cæterorum sequentium, usque ad Diocletianum, qui ad sextum sigillum pertinet. Tunc ergo plurimi fuerunt Martyres, qui sub altari clamant, et vindictam à Deo postulant.

Sextum sigillum significat acerbissimam persecutionem Diocletiani : in qua terræ motus significat omnium Romanorum præsidum, ejus jussu, contra Christianos commotionem. Sol, id est Christus, visus est tunc obscurari et denigrari apud infideles : luna, id est Ecclesia, facta est rubea : stellæ, id est multi præclari viri, à fide et cœlo exciderunt.

Septimum sigillum, de quo c. 7. significat magnam Ecclesiæ commotionem, consolationem, pacem et lætitiam sub Constantino Magno, profligatis quatuor angelis malis, id est, quatuor tyrannis. In ea factum est silentium per dimidiam horam, quod significat persecutionem latentem et silentem Juliani Apostatæ, sed brevissimam : tantum enim biennio regnavit Julianus. Ita Aureolus.

Hæc sententia ex ipso rerum eventu apposita et plausibilis videtur : verum ei obstare videtur primo, quòd tantum futura in Ecclesia à Christo usque ad Constantinum complectatur : à Constantino saliat ad Antichristum ; cum tamen inter utrumque multa et mira contigerint, æque notanda et prædicenda, ac tempora Constantini et præcedentium Imperatorum. Secundo, quòd quatuor equos tantum viderit Joannes, jam autem decem fuerunt Ecclesiæ persecutiones : ergo decem oportuisset eum videre equos. Tertio, quòd hæc expositio quinto sigillo complectatur sex persecutiones, quæ fuerunt à Trajano usque ad Diocletianum, aliis vero sigillis singulis singulas tantum persecutiones attribuat; cum tamen illa Trajani et sequentes æque acres, imo acriores fuerint, quàm præcedentes. Quarto, videtur Joannes quatuor equis omnes Ecclesiæ persecutiones voluisse complecti : nam post eos quinto, sexto et septimo sigillis non equos, sed alias visiones in medium producit. Cur mutat equos in alias visiones, si de iisdem persecutionibus agit? una enim alteri in materia, modo, auctore, acerbitate, etc. fuit simillima. Cum ergo priores per equos apte denotentur, etiam posteriores per equos designandæ fuisse videntur.

Dico ergo septem sigilla significare septem mysteria, æque ac tempora, arcana et secreta, à Deo statuta et signata, quibus res quæ his sigillis continentur, ordine quæque suo, suoque sæculo successive, ante et usque Antichristum, finemque mundi (nam futura sub Antichristo, et in fine mundi, ipso libro signato descripta continentur) manifestabuntur, et reipsa evenient, ita ut uno desinente mox ordine suo succedat alterum, quod proxime sequitur, v. g. ut desitio secundi sit inchoatio tertii, et desitio tertii sit inchoatio quarti, uti docui c. 5. 1. Itaque primo sigillo inducitur hic Christus, quasi eques albatus, qui cum tribus sequentibus equis et equitibus, puta rufo, nigro et pallido, successive certabit, et quasi duellum inibit, singulosque tandem prosternet et debellabit ; nimirum Gentiles, quos significat equus rufus ; hæreticos, quos significat equus niger ; Turcas et Saracenos, quos significat equus pallidus : ita ut cum omni hostium et hominum genere certet, vincat et triumphet. Itaque cum in primo hoc sigillo ait Joannes : *Et ecce equus albus, et qui sedebat super illum habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret.* Respondeo, explico et dico hoc symbolo albi equi et equitis, significari bellicosissimum et victoriosissimum primitivæ Ecclesiæ statum. Nam equus primo, symbolum est belli unde Virgil. 3. Æneid. ait Anchisen patrem Æneæ visis albis equis exclamasse :

> Bellum, ô terra hospita, portas
> Bello armantur equi, bello hæc armenta parantur.

Et duellicam equorum prolem Lucretius appellat. Hinc equus Marti apud Gentiles sacer erat, eumque Marti Idibus Decembris immolabant. Narrant Plutarch. et ex eo Pierius Hieroglyph. 4. Horum post mortem apparuisse Osiridi, eique sciscitanti quod animal bello esset utilius, respondisse, equum. Cumque Osiris leonem præstare arbitraretur, respondisse Horum : posse quidem leonem auxilio esse, verum ubi semel fugam arripuisset, irrevocabilem abire ; cum alioqui bellatori necesse esset nonnunquam cedere, nonnunquam ex inclinata jam acie rursum hostes aggredi : idcirco equum omnibus his officiis magis commodum et officiosum esse. Aristot. in Ethicis, eam præcipue virtutem in equo laudat, quòd sit ad currendum portandumque hominem idoneus, et ad invadendum exspectandumque hostem minime formidolosus. Hinc et Zacharias cap. 6. quatuor monarcharum conflictus repræsentat per equos albos, rufos, nigros et varios; et adeos alludunt hi quatuor equi et equites S. Joannis. Hinc forte iidem quoque alludunt ad quadriformes illius ævi aurigas, puta ad quatuor Circensium aurigarum factiones, quaternis coloribus discriminatas et denominatas, quæ S. Joannis ætate Romæ et alibi celebres, inter se non raro decertabant : imo postea sæpe, ac nominatim sub Justiniano Imper. graves in rep. seditiones et tumultus concitarunt, teste Procopio in Anecdotis Justiniani, Marcellino in Chronico, Theophane et Zonara in Justiniano ; dum quisque in suam factionem plures, etiam principes pertraxit, et ad in adversam factionem per cædes grassandum concitavit, uti avorum memoria in Italia fecerunt Gibellini et Guelphi ; erant enim in Circensibus aurigæ, alii albati, alii russati, alii prasini, alii veneti, de quibus omnibus exstant Epigrammata lib. 5. Anthologiæ, et Dio in Domitiano lib. 59. et Suetonius in Vitellio c. 14. Albati respondent albo equo et equiti S. Joannis, russati rufo, prasini nigro, veneti pallido. Prasinus enim color est porraceus, sive viridis, conflatus ex gilvo et nigro, teste Platone in Timæo ; venetus color erat cyaneus, sive cæruleus, puta marinus, ait Vegetius, qui ad pallidum accedit.

Porro hisce quatuor coloribus videntur repræsentasse quatuor elementa, eorumque inter se pugnam et concertationem, nimirum rubro ignem ; rubet enim ignis : albo aerem ; albus enim videtur aer, cum serenus est : veneto, sive cæruleo aquam et mare : prasino, sive viridi terram, viridi gramine vestitam. Hæc enim quatuor elementa moderatur, interque se committit et contemperat summus auriga Deus. Unde de origine venetorum et prasinorum sic in antiquis historiarum Collectaneis Cod. Vatic. 96. legimus : *Onomaus primus invenit Circensium colores, quibus terræ et maris quasi certamen repræsentavit.*

Mittebantur sortes, quàm vero contigisset terræ vicem agere certando, ille vestem viridem induebat; cæruleam autem, qui vices maris agebat. Hoc certamen 24 die Martii Onomaus constituit. Quòd si color viridis vicisset, terræ fertilitatem omnes sperabant; si cæruleus, tranquillam maris navigationem. Quare agricolæ optabant victoriam viridi colori, nautæ cæruleo.

Secundo, equus symbolum est imperii. Carthaginis murorum fundamenta fodientibus oblatum est, ait Virgil. 1. Æneid. *caput acris equi.* Hinc urbem fore bellicosam et dominatricem conjectarunt. Narrat Suetonius in Julio Cæsare c. 61. in domo Cæsaris natum fuisse equum humanis prope pedibus, ungulis scilicet in digitorum modum subscissis: ac aruspices respondisse portendi orbis imperium ei apud quem equus hujusmodi editus esset. Eum itaque Cæsar magna cura aluit, nec patientem sessoris alterius primus ascendit. Dedit et Ælio Pertinaci, qui post Commodum Imperium arripuit, invadendi regnum signum equus. Nam ea qua natus est hora, equus pullus in tegulas ascendit, atque ibi brevi temporis spatio commoratus, simul et decidit et expiravit. Quod Pertinaci futuræ sublimitatis, quamvis modicum duraturæ, augurium fuit. Denique Suetonius in Nerone c. 46. narrat ejus asturconem, quo maxime delectabatur, in somnio visum esse posteriori corporis parte in simiæ speciem commutata, ac tantum capite integro, hinnitus edere canoros: ostento fuit, ait Sueton. quòd illa equi ferocitas in simiæ ludibrium esset habitura.

Tertio, equus symbolum est victoriæ. Sic de Marcello canit Virgilius lib. 6. Æneid.

> Hic rem Romanam magno trepidante tumultu,
> Sistet equis, sternet Pœnos.

Ex adverso Flaminius Consul contra Annibalem proficiscens, cum in equum insiliret, equus repente corruit, consulemque lapsum super caput effudit, inauspicati incepti signum, ait Plutarch. quo paulo post ipse cum exercitu, fœdissima clade apud Trasimenum lacum, ab Annibale superatus et cæsus occubuit.

Dico ergo primo: Equus albus sunt Apostoli, aliique præcones Evangelii, ut S. Ignatius, Polycarpus, Dionysius, etc. per quos Christus orbem debellavit, sibique subjecit. Ita Aretas, Andreas, Haymo, Ticonius, Ribera, Pererius et alii passim, qui secuti S. Ireneum, primum et priscum hujus explicationis auctorem, in eo uno ore consentiunt et conspirant omnes.

Nota: Apostoli recte comparantur equo, ut notat Thomas Anglicus. Primo propter ejus alacritatem et ferociam in prælio, quam pulchre hisce ejus elogiis describit Job. cap. 39. 20. *Gloria narium ejus terror: terram ungula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armati, contemnit pavorem, nec cedit gladio. Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta et clypeus. Fervens et fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem. Ubi audierit buccinam, dicit: Vah! procul odoratur bellum, exhortationem ducum, et ululatum exercitus.* Et Virgil. 8. Æneid.

> Quadrupedante patrem sonitu quatit ungula campum.

Quocirca Plato, cum in equum aliquando conscendisset illico in terram desiliit, dicens, vereri se ne equino quopiam fastu contaminaretur. Tales fuere Apostoli, nimirum in præliando contra dæmones, mundum et peccata feroces, ignemque spirantes. Secundo, propter officium equi portandi equitem; de quo adagium: ἱππος με φερει, βασιλευς με τρεφει. *Equus me portat, alit rex.* Cum enim juvenis quidam sub rege Philippo stipendia faceret, monitus est ut missionem peteret, et militia se abdicaret. Ille negavit se facturum, dicens se commodissime vivere, ut qui et pedibus alienis puta equi, ingrederetur, et aliena pecunia, puta regis pasceretur. Unde Horatius in Epistolis, sub Aristippi persona hoc usurpat:

> Splendidius multo est, equus ut me portet, alat rex.

Idem fuit officium Apostolorum; Apostoli enim quasi equi portarunt equitem Christum, tum per sanctam operationem, tum per Evangelicam prædicationem. Equus ergo Christi fuit Paulus, Andreas, Joannes, etc. Tertio, propter miram equi agilitatem et velocitatem. Similiter enim de Apostolis dicitur: *In omnem terram exivit sonus eorum*, et: *Exultavit ut gigas ad currendam viam, à summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus*, psalm. 18. 7. Quarto, propter equi patientiam et obedientiam, qua freno se regi et quaquaversum ad nutum equitis agi sinit. Sic enim Apostoli gratiæ Christi ductum et instinctum per omnia secuti sunt. Denique, quia equus symbolum est salutis et felicitatis, per bellicam fortitudinem et victoriam partæ. Sic enim Apostoli salutem et felicitatem, certando contra infidelitatem et impietatem, pepererunt orbi. Quocirca Zacharias c. 10. 3. ait: *Posuit Dominus domum Juda quasi equum gloriæ suæ in bello.* Et Prov. 21. 31. *Equus paratur ad diem belli: Dominus autem salutem tribuit.* Et Habacuc 3. 8. *Ascendes super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio.* Et psalm. 67. 18. *Currus Dei decem millibus multiplex.* Ergo Deum, vel Christum in equum ascendere, est eum in auxilium ac salutem populi sui, quasi bellatorem contra hostes properare et pergere. Sic angeli tutantes Eliseum contra Syros, in equis et quadrigis bellicis apparuerunt. 4. Reg. 6. 17. Sic equus terribilis pro templo et Judæis pugnans, Heliodoro volenti gazam templi invadere priores calces illisit, 2. Machab. 3. 25.

Dico secundo: Sessor hujus equi est Christus, ut patet c. 19. 11. de quo pulchre Origenes hom. 2. in Cant. ad illud: *Equitatus Pharaonis assimilavi te.* Equus, inquit, et equitatus Dei et Christi, sunt Apostoli et animæ sanctæ. Sessor est Verbum Dei, cujus illæ frenum suscipiunt, ut quocumque voluerit flectat eas, ita ut ad omnia bona non à se, sed à voluntate sessoris ducantur et reducantur, atque à malo refrenentur. Hæc sessio, inquit Thomas Anglicus, fit media sella, quæ est justitia vitæ, de qua dicitur psalm. 88. *Justitia et judicium præparatio sedis tuæ.* Hujus sessoris duo calcaria sunt: timor, quo declinatur malum; et amor, quo perficitur bonum: frenum est virtus prudentiæ et discretionis.

Dico tertio: Arcus Christi est sacra Scriptura, sive Verbum Dei, de qua tot præcedunt sagittæ, quot verba et sententiæ. Hoc arcu Christus alios occidit, puta dæmonem, mortem, peccatum, infernum; alios vulnerat ad vitam. Vel potius, arcus hic est Evangelica prædicatio, gratia et vocatio, qua Christus hostes prosternit, et homines salutaribus sagittis vulneratos, ad Deum

et salutem adducit. Hoc est quod ait Isaias c. 49. 2. *Dominus ab utero vocavit me, et posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me.* Vide ibi dicta.

Dico quarto. Equus hic est albus, ut significet lætum et festivum fore hoc prælium, utpote finem habiturum certam victoriam. Unde et Christus corona insignitur ; quia rex est et victor. Victor, inquam, non ut dux castrorum apud homines, qui hostem dum subigit, subdit ; sed qui eum subigendo ex hoste faciat amicum, ex impio pium, imo faciat eum militem suum, quo quasi nova sagitta utatur ad alios feriendos et subigendos. Christus enim ex hostibus à se prostratis et percussis, conflat sibi novas sagittas, quibus alios et alios suî amore transfigat. Hoc enim facit hæc sagitta, puta charitas et amor Christi, ut ea percussi, non sua solius salute sint contenti, sed omnium aliorum salutem sitiant, eamque ardenter procurent. Quocirca alios eadem sua sagitta, quia ipsi confixi sunt, sagittant et feriunt. Hinc ab Isaia vocatur hæc sagitta electa. Et Psaltes : *Sagittæ*, ait, *potentis acutæ*, psalm. 119. ubi S. Aug. *Sagittæ*, ait, *potentis acutæ verba Dei sunt. Ecce jaciuntur et transfigunt corda, ut amor excitetur, non interius comparetur. Sagittat cor amantis ut adjuvet amantem, sagittat ut faciat amantem;* et : *Sagittæ tuæ acutæ* (hinc *populi sub te cadent*) *in corda inimicorum Regis*, psalm. 44. 6. Hujus victoriæ symbolum est equus albus. Unde apud Philostratum in Heroicis, legimus Gentiles pullum equinum coloris albi Soli sacrificasse pro victoria consequenda.

Sic quinque angeli in equis fulgidis apparentes, è quibus duo Judam Machabæum in suî medio constituerunt, pro eo et Judæis contra copias Antiochi tela et fulmina jaculando victoriam pepererunt, 2. Machab. 10. 29. Sic sæpe S. Jacobus equo albo insidens, et armis radiantibus fulgens, Hispanis (ut habent eorum Annales) cum invocantibus, opem et victoriam attulit, ac nominatim Ramiro regi anno Domini 834, cùm ipse clade accepta à Mauris, fugiens in montem Clavigium, orans monitus est à S. Jacobo, ut ipse cum militibus confiteretur et communicaret, itaque rursum Mauros invaderet ; se enim castra præiturum dixit, et fecit : nam equo albo insidens præivit castra, et septuaginta Maurorum millia cecidit, cæteris vel captis, vel fuga elapsis. Idem de Castore et Polluce, quod scilicet in equis albis apparentes Romanis, ad maximas angustias redactis, opem tulerint, castraque præcesserint, narrant vel fabulantur Romani historici.

Atque hinc videtur fluxisse vetus proverbium, *Equis albis præcedere*, dici solitum in eos, qui quapiam in re longe superiores sunt : vel quòd antiquitus equi albi meliores haberentur, vel quòd victores in triumpho equis albis vectari solerent, uti de triumpho Diocletiani et Maximiani scribit Pomponius Lætus : *Post triumphantium currus ex auro et lapillis pretiosis, quem trahebant, quatuor equi candore certantes cum nive*, etc. vel quòd equi albi fortunatiores et auspicatiores à Gentilibus crederentur.

Denique Romæ die omnium maxime festo, quo novus Pontifex ad Lateranum, Pontificatus possessionem accepturus, deducitur, in communi urbis et orbis applausu, omnes Præsules in equis albis ei adequitare solent. Atque hoc forsan, uti et multa alia, sumptum est ex Apocalypsi hoc loco, scilicet ut repræsentent hunc equum album, cujus sessor est Christus, vicarius et successor est novus Pontifex.

Et exivit vincens ut vinceret,] ut scilicet confligendo cum tribus equis sequentibus, utpote hostilibus, eos vinceret. Secundo, ut per Apostolos, eorumque successores sensim vinceret et subjugaret suæ fidei et obedientiæ totum orbem. Hæc enim phrasis : *Exivit vincens ut vinceret*, significat sensim eum à victoria unius gentis, ad debellationem et victoriam alterius progressum, idque continuo victoriarum progressu et incremento. Licet enim primo Apostolorum sæculo, per eos multos vicerit et converterit, tamen longe plures vicit secundo sæculo et tertio, scilicet à Trajano usque ad Constantinum ; sub quo deinde totum orbem vicit, effecitque Christianum, ut publice ubique Christus coleretur, idolorum verò fana Constantini edicto clauderentur.

Moraliter, hæc pulchre adaptat S. Vincentio Ferrerio, Doctori et Prædicatori Apostolico ex Ordine S. Dominici, auctor Vitæ ejus cap. 1. quæ extat in Surio 5. Aprilis. *Fuit enim*, ait auctor, *Vincentius insuperabili animi virtute, ac vicit mundi errores, mirifica sapientia ; amores, integra mentis et corporis castimonia ; terrores, incredibili animi fortitudine et patientia. Comptratur equo ; quia per totum orbem prædicando discurrit, eique albo, ob nitorem, pudicitiam et fulgorem doctrinæ et coruscationem miraculorum. Super hunc equum album Christus sedit. Nam, ut ait S. August. Christi gratia est in sancti hominis anima, sicut sessor in equo. Sessor hic habet arcum, qui est veteris novique testamenti scriptura, qua configitur Judæorum perfidia, et hæreticorum perversitas; defenditur verò Christiana religio. Data est huic equo albo corona triplex : una ex sideribus, et hoc propter mirabilium virtutum multitudinem : altera ex auro, propter eruditionem magnamquedoctrinæ claritatem, de qua Eccles. 45. Corona aurea super caput ejus : tertia ex lapide pretioso, de quo psalm. 20. Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Hic equus exivit vincens carnis voluptates, mundi delicias, dæmoniaque versutias. Exivit in campum mundanarum tribulationum, ut vinceret carnem castitate, mundum paupertate, dæmonem humilitate, vitia perfecta charitate.* Quæ deinde per exempla, fuse auctor libris quatuor enarrat et confirmat.

3 et 4. Et cum aperuisset sigillum secundum ; audivi secundum animal (habens speciem vituli c. 4. 7. idque apposite ; ostendit enim Martyrum hostias, quarum symbolum et pars magna olim erat vitulus. Ita Andreas Cæsar.) dicens : Veni, et vide : et exivit alius equus rufus.

Nota. Tres sequentes equi, scilicet rufus, niger et pallidus, oppositi sunt primo, utpote albo et fausto, cujus sessor est Christus. Nam tres alios non esse Christi patet ; quia secundus, scilicet rufus pacem terræ conturbat ; tertius niger stateram habet fraudulentam ; quartus sessorem habet mortem, et comitem infernum, qui stragem illam edunt. Ita docent Ticon. Primas. Beda, Haymo, Lyran. Thom. Joachim, Aureol. Pannon. Ribera, Viegas, Perer. licet id negent Ambros. Aretas, Arias et Alcazar, qui censent omnes hosce quatuor equos eumdem habere sessorem, scilicet Christum, ad ejusque salutem, redemptionem et victoriam pertinere.

Verùm priorum sententia, uti communior, ita

longe est probabilior. Ita tres horum trium primorum equorum colores, ut duos posteriores primo opponeret, imitatus est Tamberlanes Scytharum Imperator sævissimus. Cùm enim urbes obsideret, prima die albo tentorio utebatur; secunda, rubeo; tertia, nigro, ut hoc terrore ad deditionem hostes compelleret. Hac enim re significabat, quòd, si prima die si dederent, clementem se habituri essent; si ad secundam usque pertinaces resisterent, sanguine suo pœnas daturi essent: si ad tertiam quoque perdurarent, ultimo excidio omnia fumo ac igne ipse vastaturus esset.

Jam præter expositiones quas attuli v. 1. ac præsertim Alcazaris, qui censent sessorem hujus equi esse audaciam primorum Christianorum in sua fide promulganda, qui pacem mundanam de terra sustulerunt, et veram Dei pacem (qualis est Evangelica) substituerunt; unde de iis dixit Christus: *Non veni pacem mittere, sed gladium; veni enim separare hominem*, etc. Matth. 10. 34. Gladius magnus hujus equitis est Evangelii prædicatio, quæ magnam separationem, discordias et dissidia fidelium ab infidelibus orbi induxit. Verùm omissa hac sententia, de qua dixi v. 1.

Primo, Haymo: Equus rufus, inquit, est corpus diaboli; puta multitudo reproborum omnium; quæ opposita est equo albo electorum. Hæc rufa est, quia animarum cæde cruentata. Hujus sessor est diabolus, cujus gladius est prava cupiditatum suggestio.

Secundo, magis particulatim magisque apposite Andreas Cæsar. Ribera, et alii quos citavi in primo sigillo equi albi, sic explicant: sicut per primum equum album, primus, scilicet Apostolicus, Ecclesiæ status significatur; ita per equum rufum significatur secundus, proxime primo succedens, Martyrum status. Equus ergo rufus significat populum Paganum, puta Gentiles et infideles, Ecclesiæ persecutores, adeoque ipsas decem cruentas Christianorum persecutiones, quæ fuerunt à Nerone usque ad Constantinum per annos 250. Prima enim persecutio facta est à Nerone, cui capita Ecclesiæ, Petrum et Paulum, occidit. Secunda à Domitiano, qui Joannem in dolium ferventis olei conjecit, sed inde illæsum exeuntem in Pathmos relegavit. Tertia sub Trajano, qui S. Ignatium leonibus Romæ in amphitheatro objecit. Quarta sub Antonino, qui tum alibi, ut scribit Eusebius lib. 5. hist. c. 1. tum Romæ ad arcum S. Viti multa Christianorum millia occidit, quorum corpora S. Praxedes et S. Pudentiana in suis ædibus, quæ deinde in templa conversæ sunt, sepelierunt, ut in iis ipsis inscriptum videmus et legimus. Quocirca tunc passi sunt S. Polycarpus, Gervasius et Protasius, Felicitas cum septem filiis, Justinus qui Apologiam pro Christianis ad Imp. scripserat, et alii, donec Antoninus in bello Marcomannico, in extrema exercitus siti, pluvia precibus legionis Christianæ, quæ inde Fulminatrix est dicta, impetrata, persecutionem stitit. Quinta fuit sub Septimio Severo, qui vere severus fuit et crudelis: sub eo passus est Victor Pontifex, Leonides pater Origenis, ipseque Origenes puer ambivit martyrium, teste Eusebio l. 6. cap. 2 et 3. et alii: unde tunc Tertull. scripsit Apologiam pro Christianis. Sexta fuit sub Julio Maximino, cujus vastitati corporis par respondit arrogantia, ut putaret se esse immortalem, nec posse occidi: atque crudelitas, ita ut illum alii Cyclopem, alii Busiridem, alii Scironem, alii Phalarim, alii Typhonem, alii Gigem appellarent: sub eo passi sunt Pontanus et Anterus Pontifices. Vide Orosium lib. 7. c. 19. et Euseb. lib. 6. c. 21. Septima fuit sub Decio, sub quo passi sunt S. Cornelius, Fabianus, Babylas, S. Apollonia, S. Agatha. Octava sub Valeriano, sub quo passi sunt S. Laurentius, S. Cyprianus et alii, donec justa Dei vindicta Valerianus à Sapore Persarum rege captus, illi equum ascensuro dorsum suum instar scabelli præbere coactus, ibidem misere periit. Nona fuit sub Aureliano, sub quo passi sunt Athenodorus frater Gregorii Thaumaturgi, Felix Papa, Agapitus quindecim annorum puer, et alii. Decima, eaque sævissima fuit sub Diocletiano et Maximiano, sub quo passi sunt S. Sebastianus, sanctus Mauritius cum sua legione Thebæorum, S. Cosmas et Damianus, S. Agnes, S. Eulalia, S. Vincentius, aliique plurimi; ita ut uno mense septemdecim Christianorum millia mactarentur. Unde Euseb. lib. 8.

Hujus equi sessor est Trajanus, Antonius, Decius, Diocletianus, aliique Romani imperatores et tyranni. Hi enim gestant gladium, quia eum exseruerunt in Christianos. His congruit color rufus, qui bellum, pugnas, cædem designat: unde illud Isaiæ 63. v. 1. *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra?* et v. 2. *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Rubeus enim color, igneus et accensus, iram, zelum stragesque notat: hinc Alciatus emblemate 117.

At ruber armatos equites exornat amictus.

Et Alexand. ab Alex. lib. 1. Genial. c. 20. ac Tiraquellus ibidem referunt ex Xenophonte, Æliano, Plutarcho et Valerio, Persas et Lacedæmonios, euntes ad bellum, rubris vestibus indui solitos.

ET DATUM,] id est, permissum est à Deo. Nihil enim mali possunt in hoc mundo, nisi data à Deo potestate et venia: sicut in republica bene ordinata non possunt esse usurarii et lenones, nisi potestate à principe accepta.

5. ET CUM APERUISSET SIGILLUM TERTIUM, AUDIVI TERTIUM ANIMAL (quod erat homo, ut patet c. 4. v. 7.) DICENS: VENI, ET VIDE. ET ECCE EQUUS NIGER.

Primo, Haymo per hunc equum rursum accipit reproborum multitudinem. Hi enim secundo sigillo comparati fuerunt equo rufo, ob crudelitatem; hîc vero, inquit, comparantur equo nigro, ob fœditatem vitiorum. Verùm hæc sigilla plane alias et alias res ac persecutiones significant.

Secundo, Alcazar censet sessorem hujus equi nigri, per prosopopœiam, esse voluntariam paupertatem, et indigentiam Christianorum primitivæ Ecclesiæ: unde stateram habet in manu, qua non triticum, sed cujusque necessitatem ponderat, et nummos qui in singulos erogandi erant, ut pro justo necessitatis pondere distribuerentur, ut scilicet pro labore diurno quisque acciperet denarium ad bilibrem, græce chœnicem, id est mensuram tritici, quæ sufficeret ad victum diurnum coemendum: denarius enim significat pretium, quod operario pro labore diurno quotidie solvebatur. Hoc est quod fideles docet Apostolus 1. Timoth. 6. 8. *Haben-*

tes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.

Porro, inquit Alcazar, *Vinum et oleum*, quia in Græco habent articulum, mystice accipienda sunt, q. d. *Vinum et oleum ne læseris*, id est, nos Christiani rogamus ne in tantis adversitatibus et ærumnis destituamur oleo, id est, luce et cognitione felicitatis, quæ in sancta paupertate quam eligimus, includitur, neve absit Spiritus sancti unctio, quæ nos recreet et soletur. Rursum, ut detur nobis vinum spiritualis lætitiæ; quo fulti, defectum rerum temporalium pro nihilo ducamus. Nam, ut ait Seneca lib. 1. epist. 2. *Honesta res est paupertas læta. Si verò læta est, paupertas non est.* In reseratione ergo hujus tertii sigilli docet Christus rerum abundantiam, quam Messiam allaturum Prophetæ prædixerunt, non esse temporalem, sed spiritualem, adeoque paupertate voluntaria non lædi, sed augeri. Denique significari hîc ingentem annonæ charitatem obventuram Christianis in Pathmon relegatis, scilicet tantam, ut bilibris, id est 24 unciæ frumenti emendæ sint denario. Verùm hæc mystica sunt, non litteralia : atque supponunt hunc equum, æque ac primum, esse Christi, cujus contrarium superius ex communi Interpretum sententia docui.

Tertio, Aureolus et Lyranus per equum hunc nigrum accipiunt Titum, qui Jerusalem vastavit. Hic tenet libram divinæ justitiæ et vindictæ, quam contra Judæos Christicidas exequitur. Rursum libra, inquiunt, significat, et continet quinque Judæos, ob quinque libros Mosis, quos quasi repræsentat : bilibris ergo tritici, sunt decem nobiles Judæi, qui à Romanis venditi sunt uno denario : hordei verò bilibres tres, sunt ignobilium et plebeiorum Judæorum triginta, qui pariter venditi sunt denario uno. *Vinum et oleum ne læseris*, q. d. Tu, ô Tite, fideles qui in Christum crediderunt, tam ex Judæis, quàm ex Gentibus, quique propter charitatem vino, propter misericordiam oleo significantur, ne tangas, ne affligas. Itaque accidit. Nam Christiani ex Jerusalem imminente obsidione, monitu Dei migrarunt Pellam, ut refert Eusebius lib. 3. Histor. c. 5. Verùm hæc Hierosolymæ vastatio jam præterierat 25 annis, cum hæc vidit et scripsit Joannes, eratque toto orbe notissima et vulgatissima : cur ergo eam ipse hîc tam obscure, per ænigmata bilibris, tritici, hordei et denarii significaret?

Quarto ergo, aptius Thomas Anglicus, Joachim, Gagneius, Pererius et Ribera, per equum nigrum accipiunt hæreticos, qui in errorum nigris tenebris versantur, suntque veritatis hostes. Unde è diametro primo equo albo, cui Christus insidet, opponuntur. Cernens enim diabolus se per Gentiles imperatores et tyrannos contra Ecclesiam non proficere, quin potius ipsam per persecutiones crescere et inclarescere; excitavit hæreticos, qui magis Ecclesiam vexarunt, magisque ei nocuerunt : ac præsertim mox tempore Constantini, qui persecutiones stitit, pacemque dedit Ecclesiæ, suscitavit Arium et Arianos. Quocirca multi per equum hunc accipiunt Wandalos et Gothos, qui fuerunt Ariani, ac mire Ecclesiam vastarunt per trecentos et amplius annos, ut patet ex Victore Uticensi in Wandal. Procopio, Baronio et aliis. Hi ergo sunt equus ater. Hic enim color denotat decetque tenebriones, lucifugas, calumniatores, improbos; tales autem sunt hæretici, quorum fides, conscientia et mores sunt atri. Sic monebat Pythagoras : *Ne gustaremus de his, quibus nigra est cauda*; quo vetabat cum iis versari, qui nigri essent morum improbitate. Et Horat. *Hic niger est, hunc, tu Romane, caveto.* Sic idololatræ in Scriptura vocantur Æthiopes, ut Amos 9. 7. *Numquid non ut filii Æthiopum vos estis mihi, filii Israel, ait Dominus?* Ubi S. Hier. *In omnibus*, ait, *Scripturis Æthiopes dicuntur, qui penitus in vitia demersi sunt*; quales sunt idololatræ et hæretici. Hinc Thren. 4. 8. Nazaræi candidiores nive cum pure Deum colebant, postea ad vitia et idola conversi, audiunt : *Denigrata est super carbones facies eorum.* Hinc et Saul malignus, et calumniator ac persecutor Davidis, vocatur Chus, id est Æthiopis, in titulo Psal. 7. Audi et Ciceron. pro Cæcinna : *Sextus Clodius, cui nomen est Phormio, nec minus niger, nec minus confidens, quàm ille Terentianus est Phormio.* q. d. Sextus Clodius æque improbus et audax est, ac Phormio Terentii. Vulgare est proverbium : *Albus, an ater sis nescio.*

Hujus equi sessor est diabolus, vel ipse hæresiarcha. v. g. Arius. Habet stateram, id est sacram Scripturam, ad quam omnia vult librare et examinare; non in mente, sed in manu, quasi ad libitum versatilem et flexibilem, ut eam ad errores suos, prout libuerit, torqueat et inflectat. Potest quoque cum Pererio per stateram accipi simulata et ostentata justitia, sive simulatus amor veritatis et recti. Sic Arius libravit Filium cum Patre in statera docens iniquum esse ut Filius Patri æquetur in duratione, dignitate et divinitate. Hosce Joanni ostendit tertium animal, scilicet homo, cujus faciem præfert, quæ est indicium rationis et æquitatis : quia hæretici hominis et humanitatis speciem mentiuntur, cum sint lupi rapaces. Secundo, quia omnes pene hæreses Filio hominis, id est Christo, adversati sunt, eique vel divinitatem, vel humanitatem, puta corpus vel mentem, vel voluntatem humanam ademerunt. Tertio, quia homo significat doctores et prædicatores, qui hæreses detegunt et confutant.

6. BILIBRIS TRITICI DENARIO, ET TRES BILIBRES HORDEI DENARIO : ET VINUM ET OLEUM NE LÆSERIS,] scilicet, tu, ô eques, et eque niger. Hoc enim illi imperat ex Deo tertium animal, sive tertius Cherubinus habens speciem hominis. Pro *bilibris*, græce est chœnix, quæ est mensura aridorum tantum capiens tritici, quantum ad diem unum uni homini ad victum sufficit. Unde proverbium, *Chœnici ne insideas*, id est, ne innitaris, ne fidas diætæ quotidianæ. Porro licet chœnices fuerint variæ, variæque quantitatis et mensuræ; tamen Attica et communis chœnix, ut docet Alciatus lib. de Ponder. et mensur. ex Polluce et Suida, continebat 27 uncias, id est duas libras, et insuper quartam libræ partem. Unde noster Interpres vertit *bilibris*, quod nomen Latinis notius est quàm Græcum chœnix; libra enim continet 12 uncias : bilibris ergo continet 24 uncias. Plura de chœnice vide apud Alcazar not. 7. Ubi inter alia citat verba Galeni dicentis : *Chœnix continet cotylas tres*; cotylæ autem tres, inquit ipse, capiunt juste 25 uncias aquæ, frumenti vero vulgaris uncias 24. Dico vulgaris : nam optimum frumentum est ejusdem cum aqua ponderis, ut docet Prado, et ex eo Alcazar. Denarius pretium est diurni laboris :

operarii enim diurna merces erat denarius. Bilibris ergo significat sacram Scripturam (hæc enim est libra, uti paulo ante dixi) quæ quasi duplex est, scilicet novi et veteris Testamenti. Hæc est chœnix ; quia animæ ad victum quotidianum alimoniam sufficit. Denarius significat meritum sanæ fidei, et sanctæ vitæ quotidianæ. Triticum est Evangelium : hordeum est aspera lex vetus. Apposite autem triticum unius chœnicis denario ; hordei vero tres chœnices eodem denario æstimantur : quia pretium tritici ad hordeum solet esse triplum ; et talis est doctrina novi Testamenti respectu veteris, scilicet triplo melior et perfectior, triploque melius et succulentius animam nutriens. Vinum et oleum sunt medicina Samaritani nostri Christi Domini, ut patet Luc. 10. v. 34. puta sunt S. Sacramenta. Sensus ergo est, q. d. Nolite timere hunc equum et equitem nigrum, ô fideles mei; licet enim Ariani et Wandali æque, imo magis, quàm Decius et Diocletianus, in vos sæviant, tamen ego vobis adero, vos alam, pascam et roborabo. Esto conentur illi omnibus viribus doctrinam, et animæ pabulum vobis eripere ; tamen non poterunt annonam sacræ doctrinæ, veritatis et fidei quæ vobis quotidie ad victum et robur spiritus sufficiat, adimere : illam enim ego vobis procurabo inter medios hæreticos et hostes , si constanter studio et exercitio Christianæ vitæ, prout debetis, quotidie insistatis ; ita Ribera.

Porro voces *bilibris* et *denarius* significant magnam fore caritatem annonæ spiritalis, id est verbi Dei, sub Arianis, Gothis, aliisque hæreticis. Carum enim est triticum, cum duæ ejus libræ venduntur denario, id est decem assibus; id est decem bajocis Italicis, puta uno Julio, aut regali Hispanico, qui apud Belgas valet quinque stuferos ; hic enim est denarius, qui continet drachmam argenti, estque quarta pars stateris, sive sicli : siclus enim continet quatuor drachmas argenti, valetque quatuor regales, hoc est unum florenum Brabanticum. Notat ergo miram arianismi propagationem et sævitiam in Orthodoxos, qua per Constantinum Imp. Ursacium, Valentem, aliosque Arianos plerique Episcopi decepti sunt, aut facti Ariani ; adeo ut in generali Concilio Ariminensi uti et in aliis, homousii et Nicænæ fidei damnatio conclamata sit, totusque orbis ingemiscens miratus sit se esse Arianum, ait S. Hieron. ita ut homousii et veræ fidei defensio ad unum fere redacta esset S. Athanasium ; tunc tamen Christus fideles suos non deseruit; sed per S. Athanasium, aliosque sacerdotes et Orthodoxos necessarium fidelibus verbi Dei, homousii, veræque fidei, et S. Sacramentorum alimoniam suppeditavit : licet sobrie, et furtim sæpe (uti fit in locis ubi dominantur hæretici, ut in Anglia, Scotia, Hollandia) ac tantum ad necessitatem, non ad abundantiam.

Aliter Pererius : Triticum, inquit, sunt Prælati virique sancti ; hordeum est plebs fidelis. Hi omnes, si in fide perstent, donabuntur eodem denario diurni laboris, scilicet vita æterna, uti legimus in parabola operariorum. Matth. 20. Christum eumdem denarium singulis annumerasse.

Aliter quoque Viegas sect. 10. Triticum, inquit, sunt insigniores Christiani ; hordeum sunt segniores. Hi ab hæreticis seducuntur uno denario, id est brevi et vili voluptate hujus vitæ, sive morum licentia, quam affert hæresis et hæretici. Sed *vinum et oleum ne læseris*, q. d. Eminentes in charitate, quos designat vinum ; et in misericordia, quos designat oleum, ô hæretice, seducere non poteris.

7 et 8. ET CUM APERUISSET SIGILLUM QUARTUM, etc. ET ECCE EQUUS PALLIDUS.] Græcum χλωρος significat colorem viridem herbarum, indeque earumdem marcescentium, et arescentium squalorem et pallorem. Quocirca Chloris ab Ovidio ponitur dea florum : quæ cum nympha esset celebris, et Zephiro nuberet, quasi dotis loco id à marito accepit, ut florum omnium potestatem haberet : unde inquit ipsa apud Ovid. l. 5. Fastor.

> Chloris eram quæ Flora vocor, corrupta Latino
> Nominis est nostri littera Græca sono.

Hinc χλωρον δεος, vocatur pallidus timor, eò quòd faciat pallidos : atque Constantius pater Constantini Magni, cognominatus est Chlorus, propter pallorem, inquit Zonaras in Diocletiano. Morbidus iste color equo huic congruit, utpote cui insidet ipsa mors.

Jam primo, Lyranus et Aureolus per equum hunc pallidum accipiunt persecutionem Domitiani : Andreas Cæsar, Diocletiani : Ribera, Trajani, quæ teste Eusebio fuit acerrima, plurimosque occidit. Unde pallido equo comparatur : pallor enim est morientium.

Verum hæ persecutiones omnes equo secundo, rufo scilicet, designatæ sunt, uti paulo ante ostendi.

Secundo, Alcazar per mortem hanc accipit mortem tam Martyrum quàm aliorum fidelium, puta Judæorum ad Christum conversorum. Mors enim, inquit ipse, hîc per prosopopœiam inducitur, quasi occidens Judæos Christo credentes. Sequitur eam infernus : quos enim ipsa occidit, mox hîc devorat, et suis subterraneis includit cavernis, scilicet corpus sepulcro, animam limbo. Hic enim erat communis naturæ ordo ante Christum, Christique gratiam, qua cœlum patefecit, suosque eò subvexit. Hoc ergo sigillo novum et inauditum quid apparuit, scilicet mortem ut Christi ministrum equo insidentem, ad perfectam Judæorum salutem adventare, qui Christum ipsum recipiebant. Quo innuitur mortis sævitiam et stragem in Christi servis editam, non fuisse veram mortem et interitum, viamque ad inferos, uti Gentiles putabant; sed fuisse viam ad absolutam eorum felicitatem. Quocirca primi Christiani mortem non formidabant, sed optabant et ambiebant : sciebant enim ex Paulo, mori corpus et sepeliri in fidelibus, idem esse quod seminari, ut gloriose in resurrectione renascatur et resurgat, 1. Cor. 15. 42. Porro quatuor hîc, inquit, genera mortis nominantur, quibus primi Christiani moriebantur. Primum est gladius, qui significat carnis castigationem, et affectuum refrenationem, quam docet et jubet Christi Evangelium. Secundum est fames, quæ significat divinæ gloriæ zelum, et proximorum salutis æmulationem, de qua ait Christus Matth. 5. 6. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam.* Tertium est mors, qua Deus Christianos peccantes rigide puniebat, uti punivit Ananiam et Saphiram Actor. 5. et Paulus 1. Cor. 5. 5. ait se tradidisse fornicarium Satanæ in interitum carnis ; et 1. Cor. 11. 30. scribit multos emori, quòd indigne ad Eucharistiam accederent. Quartum sunt bestiæ, per quas significatur martyrium ;

multi enim reipsa bestiis objecti sunt. Subdit deinde Alcazar : Simplicius tamen et aptius esse censeo, ut *gladio*, *fame* et *morte* designentur bella, fames et pestis (mors enim, sive mortalitas sæpe pestem significat) quæ immissa sunt à Deo non solùm in Judæos rebelles, sed etiam in eos qui Christum receperant ; sed illi per hæc ad infernum, hi ad cœlum et felicitatem ibant. Atque hoc pacto patuit quanta sit Dei sapientia quæ homines mortificanda vivificat, et perdendo salvat, ut egregie depingitur apud Jobum cap. 39 et 40.

Verum, equum hunc non esse amicum et faustum, sed inimicum et infaustum, nec sessorem habere Christum, Christive ministrum, sed Christi adversarium et æmulum, superius ex communi Interpretum sententia docui. Adde hanc explicationem arctiorem esse, quia ad solos Judæos hoc sigillum, uti et præcedentia, restringit : nec satis cohærere ; quia per mortem tam accipit mortem Martyribus, ob fidei confessionem illatam, quàm aliis Christianis ob peccata, vel sua, vel reip. à Deo inflictam. Denique multa miscet, quæ magis tropologica sunt, quàm litteralia.

Tertio, Thomas Anglicus, Dionys. Gagneius, Richardus Viegas et alii multi per hunc equum nigrum accipiunt hypocritas, et impios fideles, qui sua mala vita et sceleribus Evangelio adversantur, suoque pravo exemplo non parum nocent Ecclesiæ (ut hi tres equi significent tres hostes equi albi, id est Ecclesiæ et Christi, scilicet rufus significet mundum, niger dæmonem, pallidus carnem). Hi pallidi sunt : quia hypocritæ jejuniis et carnis macerationc, vel certe ejus fuco et ostentatione facies suas exterminant, ait Richard. et Hugo : vel quia charitate et sapientia fulgere se fingunt et ipsa simulatione pallescunt, ait Dionys. vel quia igneam charitatem sua luxuria perdiderunt, itaque expalluerunt. Huic equo et equiti permissum est homines interficere *gladio* linguæ impiæ, incitantis alios ad peccata ; et *fame*, id est penuria verbi Dei ; et *morte*, id est pestilentibus moribus ; et *bestiis terræ*, id est brutis irrationalibus vitiis.

Hic sensus generalior est, magisque moralis quàm litteralis : nec satis congruo ordine sequitur præcedentem, tertium scilicet equum nigrum. Nam tempore illius, puta tempore hæresium, imo etiam tempore persecutionum Gentilium, adeoque quovis sæculo fuerunt impii et hypocritæ in Ecclesia.

Quarto ergo, et optime, Joachim, Seraphinus Firmanus, Pannonius et Pererius per equum hunc pallidum intelligunt sectam Mahometis, Turcas et Saracenos, infensissimos et celeberrimos jam à mille annis hostes Christianorum. Hi enim post Gothos, Arianos, aliosque priscos hæreticos mox Ecclesiam gravissime infestarunt et jugiter infestant : estque hæc quasi quarta ætas Ecclesiæ. Hæc secta recte comparatur equo, quia plane irrationalis est, bruta et carnalis. Unde eam ostendit animal, scilicet aquila, quæ sublimis est et cœlestis. Hic equus est pallidus ; quia respondet sessori suo : sessor enim ejus est pallida mors. Rursus, pallor significat Saracenorum invidiam, livorem et odium in Christianos (unde et apposite Turcæ multi vultu sunt pallido) eorumque nequitiam et malitiam, insuper libidinem : in hac enim suis præcelluit Mahomet ; eamque lege sua permisit, imo promisit : unde et polygamiam induxit Libido enim spiritus et sanguinem exhaurit, itaque facit pallidos et luridos. Denique pallor notat eorumdem avaritiam, uti videmus Turcas auri esse cupidissimos, ideoque apud eos auro venalia jura. Avari enim ob curas et metus congerendi et conservandi opes, pallescunt. Quocirca argute Diogenes rogatus cur aurum palleret : *Quia multos*, inquit, *habet sibi inhiantes et insidiantes ;* testis est Laertius lib. 6. Hujus sessor est mors, id est Mahomet, qui, deficiente secta Arii, mox ortus est regnante Heraclio Imp. anno Christi 630, suamque sectam propagavit gladio, nimirum omnes sibi resistentes occidendo. Hoc enim erat Mahometis symbolum, quod quotidie Saracenis in suis Moskæis sive fanis usque ad ravim inclamant : *Non est Deus nisi unus, et Mahomet Apostolus ejus.* Quicumque hoc recipere et profiteri nolebant, necabantur ab eo ; qui vero recipiebant, servabantur, ideoque dicti sunt Musulmani, id est, servati et liberati à morte (à radice שלם *schalam*, quæ Hebraice et Arabice significat esse salvum, incolumen, prosperum ;) sed hi pejore, scilicet spirituali, morte ab eo occidebantur. Sequitur eum infernus, id est, Antichristus. Est enim ipse præcursor Antichristi, qui erit vitiorum abyssus, et quasi infernus ; illique viam præparat : putatur enim secta Mahometis duratura usque ad Antichristum, ait Firmanus ; adeoque Joannes Annius, et alii putarunt ipsum Mahometem esse Antichristum. Rursum, totus infernus, omnesque dæmones ad juvandum Mahometem, ejusque sectam propagandam, videntur concurrisse. Tertio, proprie sequitur eum infernus, quia plurimos ipse præ Gothis aliisque hæreticis ad infernum detrusit. Ipsius enim secta victoriis plurimis, non tantum Trapezuntinum et Constantinopolitanum, duo Orientis imperia, sed et majorem orbis partem occupavit, et plura in dies occupat ; adeo ut nuper subacta majori Hungaria et Transilvania, jam Germaniæ, Italiæ et Poloniæ immineat, idque per Christianorum principum dissidia : hisce enim crescit ; ac Christiani quasi excæcati id non vident, aut non curant. Unde dicitur hîc per quatuor partes terræ grassata : huic proinde datum est interficere gladio, fame, morte et bestiis terræ incolas orbis. Hæ enim sunt quatuor plagæ Dei, de quibus ait Ezechiel c. 14. 21. *Si quatuor judicia mea pessima, gladium et famem, ac bestias malas, et pestilentiam* (quam hîc Joannes vocat mortem) *immisero in Jerusalem, ut interficiam de ea hominem et pecus.* Saraceni enim multos Christianos gladio, alios fame, alios ærumnis, indeque consequente peste, alios aliis generibus mortis ; alios etiam leonibus, ursis, aliisque bestiis objiciendo occiderunt.

Addunt nonnulli regnum Turcarum vocari mortem et infernum, eo quòd ejus vires et milites constent Scythis, præsertim habitantibus juxta Bosphorum Cimmerium et Pontum Euxinum. Ibi enim est Cerberion mons et oppidum, Cocytus, Phlegethon et Tartarus : quocirca Homerus inferni sedem collocat apud Cimmerios, sive ob perpetuas tenebras, sive ob metallorum frequentes fodinas, sive ob valles opacissimas et hyberno soli inaccessas ; adeo ut Gentiles censerent illic esse inferni ostium. Sicque accipiunt illud Isaiæ 28. 15. *Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum*, puta cum Cimmeriis, scilicet, cum Assyriis reg-

mantibus in Ponto et Bosphoro. Huc facit illud Tibulli :

Elysios olim liceat cognoscere campos,
Lethæamque ratem, Cimmeriosque lacus,

caliginosos scilicet et infernos. Huc quoque alludere putant S. Joannem c. 20. 14. cum ait : *Et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis ;* nec enim proprie infernus mitti potest in stagnum ignis, id est, in infernum ; sed Cimmerii, Turcæ et Scythæ, qui in Ponto quasi in inferno habitant, ferique sunt et crudeles, ac vivunt quasi omnes infernales, eò mittentur. Hæc allusio non est incongrua, nec inelegans; plus tamen vult S. Joannes, uti paulo ante dixi.

Sicut ergo per secundum equum rufum significati sunt Gentiles et Pagani Ecclesiæ persecutores : per tertium, nigrum scilicet, Ariani, Gothi, Wandali aliique hæretici, ita per pallidum significantur Saraceni, Turcæ et Tartari (ex quibus prodibit Gog et Magog, de quo c. 20. 7.) Hi enim præ aliis duobus, puta præ Gentilibus et Gothis, fuerunt, et sunt acerrimi et continui, per decem sæcula, primi albi equi et equitis, puta Christi et Christianorum, hostes. Itaque significatur hîc acre, longum et continuum Ecclesiæ certamen et bellum, æque ac victoria, cum omni hostium et hominum genere. Primo enim per trecentos annos certavit cum Gentilibus, et Imperatoribus Romanis : hosce tandem subegit, cum Constantinus et sequentes Imperatores colla subdiderunt Christo et Ecclesiæ. Secundo certavit cum Arianis, Nestorianis, Eutychianis, aliisque hæreticis per totidem, scilicet trecentos annos proxime sequentes ; sed et hos vel profligavit, vel extinxit. Tertio, certavit, et adhuc certat cum Turcis et Saracenis : hosce etiam suo tempore dissipabit ; præsertim cum eorum monarchia cadere et ruere incipiat, cujus ruinæ initia et præsagia conspicimus. Post hosce omnes quasi anteambulones et sagittarios sequetur acerrimus hostis Antichristus, qui ex Judæis ortus, primum per Judæos, deinde per Gog et Magog gravissime affliget Christianos ; sed et hunc mox destruet Christus adventu suo ad judicium, cum Ecclesiam militantem post tot luctas et victorias coronabit, atque triumphantem deducet ad regnum suum cœleste. Tunc enim *suscipient regnum sancti Dei altissimi, et obtinebunt regnum usque in sæculum, et sæculum sæculorum*, inquit Daniel. c. 7. v. 18. Hæc est materia, hoc argumentum, hic ordo et series totius Apocalypseos. In ipso enim ejus libro signato continetur certamen et victoria de Antichristo : in sigillis vero libri continentur præviæ omnium Gentium persecutiones jam dictæ. Simili modo Daniel. c. 7. v. 4. quatuor monarchias, quarum una alteram ex ordine bello appetiit et protrivit, ac imperium ad se transtulit, comparat quatuor bestiis, scilicet leænæ, urso, pardo, et quartæ terribili, ac miræ et insolitæ formæ : atque Zacharias c. 1. et c. 6. easdem comparat quadrigis et equis variorum colorum, æque ac Joannes hîc.

Ex dictis sequitur saracenismum esse quartam et ultimam generalem Ecclesiæ persecutionem, ac post eam mox secuturum finem mundi. Ad illum enim statim transit S. Joannes in sexto sigillo vers. 12. ac consequenter appropinquare illum in hoc sexto illius annorum millenario : mundi enim ætas est sex millia annorum, uti ostendam cap. 20. vers. 5. Hinc et Saraceni Turcæque clamitant, jactitantque quasi oraculum, suam sectam duraturam mille annis.

9. ET CUM APERUISSET SIGILLUM QUINTUM, VIDI SUBTUS ALTARE ANIMAS INTERFECTORUM.] Martyrum scilicet omnium, qui occisi sunt vel à Rom. Imperatoribus, vel à Gothis, Arianis, aliisque hæreticis, vel à Turcis et Saracenis. Cùm enim in primo sigillo, equo albo significatum sit lætum et faustum Christi in Ecclesia regnum, mox tria sequentia sigilla reserarunt tres equos illi contrarios, puta tres generales Ecclesiæ persecutiones sibi invicem ordine successuras, et duraturas usque ad Antichristum : hinc hoc quinto sigillo apte et consequenter inducitur communis vox fidelium, qui in iis passi sunt, puta Martyrum optantium et orantium pro fine et termino persecutionum, ut scilicet Deus eas terminet, inhibeat et sistat ; utque passos et Martyres coronet, persecutores vero puniat et adigat in tartara : quibus respondet Deus, jubetque ut requiescant adhuc tempus modicum : donec compleantur conservi eorum, et fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut et illi, scilicet ab Antichristo : hujus enim tempus erit modicum. quo complebitur Martyrum et Electorum numerus, ideoque mox finis omnium ac judicium universale, et regnum Christi ejusque electorum gloriosum adveniet. Perperam ergo, et nimis arcte Alcazar censet in hoc sigillo tantum esse vocem Christianorum à Judæis occisorum.

Quæres quodnam sit hoc altare ? Aliqui ex hoc loco putarunt animas sanctas ante diem judicii non videre Deum, sed esse in locis quibusdam quietis et amœnis, quæ hîc vocantur altare ; ac primo, Origen. lib. 2. Periarchon, putat animas statim post mortem duci ad loca quædam terrena, ubi deputantur, et multa discunt : inde deduci ad loca aera, ubi plura addiscunt ; tandem supra cœlum ad Christum evehi, ibique plenam scientiam omnium adipisci ; secundo, Victorin. putat hoc altare esse loca quædam subterranea amœna et similia campis Elysiis ; tertio, Tertul. lib. de Anima sub finem, putat hunc animarum locum esse paradisum terrestrem, in quo, ait, degunt Elias et Henoch ; quarto, S. Bernard. serm. 4. in festo omnium Sanctorum, censet animas mox à morte rapi supra cœlum, ibique degere cum Christo. Ergo sunt sub altari, id est, fruuntur conspectu humanitatis Christi, non autem divinitatis. Sic et alii Patres, ut Irenæus, Hilar. Ambros. Origen. negare videntur animas Sanctorum ante diem judicii frui visione Dei. Sed hi commode exponendi sunt, scilicet ut tantum velint dicere eas non frui integra beatitudine totius hominis ; quia videlicet carent gloria corporis : habere ergo illas beatitudinem incompletam ; et perfectam, ejusque complementum in resurrectione exspectare.

Quocirca perperam ex ipsis, et ex hoc Apocal. loco docent Græci, Vigilantius et Calvinus, animas post mortem sub altari quiescere, et quasi dormire, nec videre Deum, idque usque ad diem judicii. Unde S. Hieron. scribens contra Vigilantium, jure eum vocat Dormitantium, additque : *Tu vigilans dormis, et dormiens scribis.* Nam animas hasce non dormire patet, quia clamant, petuntque vindictam ; et quia

sequuntur Agnum quocumque ierit, cap. 14. 4. Hic ergo est error et hæresis. De fide enim est animas plene à peccatis purgatas, statim à morte videre Deum, esseque beatas. Ita definit Concil. Florent. Trident. et Benedictus II. ac Innocent. III. in Decretalibus hac de re editis. Idque hîc satis significat Joannes, cum ait animas hasce habere stolas albas, et esse ante thronum Dei, eique servire die ac nocte, cap. sequenti vers. 15. Altare enim hoc sub quo eas vidit Joannes, est proximum Sancto sanctorum, ideoque in Scriptura vocatur altare oraculi, id est Sancti sanctorum, quod repræsentabat cœlum empyreum, deumque in eo residentem : unde scisso jam per Christi mortem velo intermedio, quod erat inter Sanctum sanctorum et sanctum, in quo erat altare hoc, clare vident Deum in Sancto sanctorum residentem, uti patebit c. 8. vers. 3. Vide Bellarm. lib. 1. de Beatitud. Sanctorum cap. 3.

Orthodoxi ergo, qui credunt animas sanctas jam Deum videre, altare hoc varie interpretantur ; primo, Ambros. Haymo, Richardus et Ribera, per altare accipiunt Christum Christique curam, æque ac fruitionem, cui, per quem, pro quo, et super quo immolati sunt S. Martyres, et sub cujus protectione jam beate vivunt.

Secundo, Joachim : Altare, inquit, est Romana Ecclesia, sub cujus fide et obedientia multi Christiani quinto sigillo, id est quinta ætate Ecclesiæ, tunc, puta tempore Joachimi florentis, occisi sunt à Mahometanis in Africa.

Tertio, Dionys. ait animas esse sub altari, hoc est, eas esse in securissima Dei tutela, juxta illud Sapient. 3. *Justorum animæ in manu Dei sunt.*

Verum respondeo significari hîc duplex altare, scilicet altare holocaustorum, quod erat in atrio ; et altare thymiamatis, quod erat in Sancto. In illo enim quasi immolata, et sub eo quasi sepulta sunt corpora Martyrum : in hoc vero post mortem translatæ animæ eorum, quasi requiescunt juge thymiama laudis Deo exhalantes. Dico ergo primo alludi, et notari hîc altare holocaustorum. Id patet, quia sub eo latent animæ interfectorum, id est immolatorum in altari ; et quia clamant, postulantes vindictam suæ immolationis.

Pro quo nota : Corpora Martyrum ex antiquo more et sanctione Felicis Papæ primi, solebant sepeliri sub altari, uti docent S. Augustinus serm. 11. de Sanctis, Anselm. Richardus et alii ; quia enim Martyres instar holocausti erant immolati Deo super altari hoc, hinc sub eo pariter sepeliebantur. Id fiebat primo, ut loco tam sacro honorarent Martyres. Ita S. Ambros. inventis reliquiis S. Gervasii et Protasii per revelationem S. Pauli, eas sub altari recondidit, ut ipsemet asserit epist. 54. ad Marcellinam sororem : *Succedant*, inquit, *victimæ triumphales in locum ubi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est ; isti sub altari, qui illius redempti sunt passione. Hunc ergo locum prædestinaveram mihi. Dignum est enim ut ibi requiescat sacerdos, ubi offerre consuevit. Sed cedo sacris victimis dexteram portionem, locus iste Martyribus debebatur.* Secundo, ut Martyrum corpora et sepulcra, orantibus ad altare essent continuum excitamentum devotionis et virtutis ac fortitudinis, quam imitarentur ; tertio, ut Martyres eorum preces apud Deum offerrent et adjuvarent. Hinc altare vocabatur Sepulcrum Martyris, Memoria Martyris, Martyrium, sive Confessio. Martyrium enim græce idem est quod latine Confessio, puta testimonium, ut ait hîc Joannes, quod Martyr fidei perhibuit, et sua morte ac sanguine obsignavit. Nam Martyr idem est quod confessor, sive testis fidei. Hinc hisce eorum sepulcris et altaribus postea, cum scilicet sub Constantino Ecclesia pacem allepta est, superædificarunt Ecclesiam, sive templum, quod inde pariter vocabant Martyrium. Ita in Concil. Chalcedon. vocatur Martyrium, id est Ecclesia, S. Euphemiæ. Rursum inde extensa vocis significatione, Ecclesia quævis vocata est Martyrium ; quia Martyrum, vel certe Sanctorum, reliquias eò transferebant, ibique condebant, ut ad primævum morem ædificandi altaria et templa super sepulcra Martyrum accederent quantum possent. Hinc jure Canon. sancitum est ut altare non consecretur nisi illatis eo Martyris, vel sancti alicujus reliquiis. Quocirca sacerdos accessurus ad altare orat, dicitque : *Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hîc sunt.* Ita Ecclesia Resurrectionis Hierosolymis in Golgotha erecta, vocata est Martyrium, ait Cyril. Hierosol. Catech. 14. Vide Baron. in Martyr. 6 Julii. Atque hæc est origo et causa cur Romæ in basilicis S. Petri, S. Pauli, S. Laurentii, sancti Sebastiani, S. Cæciliæ, S. Susannæ, et passim in aliis templis videamus gradus et descensus in cryptas, sive in sacella subterranea. In hisce enim cryptis propric sepeliebantur Martyres : unde ipsa crypta, sive sepulcrum Martyris vocabatur Confessio vel Martyrium ; supra quam deinde ædificabant altare et templum, quod exinde quoque Martyrium dicebatur, uti paulo ante dixi. Porro hinc intelligimus illam phrasim, quam toties in Vitis Sanctorum et Martyrologiis legimus : *Hic Sanctus sepultus est in Confessione S. Laurentii, S. Susannæ, S. Priscæ*, etc. ; nam in *Confessione*, idem est quod in crypta vel sepulcro S. Laurentii, S. Susannæ, Priscæ, etc. : nec enim totum templum vocabatur Confessio, sed Martyrium, uti solerter annotavit Baronius.

Sensus ergo hujus loci est, q. d. Vidi per visionem symbolicam, animas Martyrum sub altari ; quia secundum corpus sub eo sepulti sunt, qui super altari quasi holocausta suam vitam Deo immolarunt ; ut sit synecdoche, scilicet ut pars ponatur pro toto, nimirum anima pro homine, puta pro Martyre. Sic Genes. 46. dicuntur septuaginta animæ, id est homines, egressæ de femore Jacob. Clamant ergo Martyres, id est, animæ Martyrum per corpora sua, clamant, inquam, ex hoc suo Martyrii loco et sepulcro vindictam, perinde ac sanguis Abel eamdem clamat Genes. 4. vers. 10. Unde sequitur : *Datæ sunt ei stolæ albæ*, quasi in consolationem et mercedem. Agitur enim hîc de sigillis, quæ tegebant persecutiones, et res non in cœlo, sed in terra gerendas. Loco ergo animarum vocat altare : quia ubi est corpus, ibi censetur esse et anima. Secundo quia hæ animæ, hoc est hi Martyres, sunt quasi victimæ quæ in altari cremantur, quarum cinis per craticulam dilabebatur sub altare, ut viderentur quasi sub altari sepeliri : ita enim et corpora Martyrum immolata quasi in altari, sub illud delapsa

et sepulta sunt ; unde et in consecratione altaris dicit Pontifex : *Sub altari Dei sedes accepistis, intercedite pro nobis ;* ita Viegas, Ribera et alii, quin et S. August. serm. 11. de Sanctis, quem audi : *Recte sub altari animæ justorum requiescunt, quia super altare corpus Domini offertur. Nec immerito illic justi vindictam sanguine postulant, ubi etiam pro peccatoribus Christi sanguis effunditur. Convenienter igitur, et quasi pro quodam consortio, ubi Martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur. Nam immerito, inquam, consortio quodam illic occisus tumulus constituitur, ubi occisionis Dominicæ membra ponuntur, ut, quos cum Christo unius passionis causa devinxerat, unius et loci religio copularet.*

Dico secundo : Sub hoc symbolo, et symbolica visione animarum sub altari terrestri holocaustorum, in quo corpora Martyrum immolata et sepulta sunt, significatur altare cœleste in quo proprie animæ Martyrum requiescunt. Ad hoc enim post corporis immolationem et sepulturam in altari holocaustorum, translatæ sunt animæ eorum beatæ : ibi enim acceperunt stolas albas, jugiterque laudant Deum : unde ibi eorum altare potius vocandum est thymiamatis, quàm holocaustorum, uti mox patebit. Hoc ergo altare est secretum et penetrale cœleste, puta locus felicitatis et gloriæ Martyrum in cœlo. Nam hoc altare esse in cœlo patet primo, ex eo quòd cap. sequenti vers. 9. de similibus animabus dicitur, quòd sint ante thronum Dei, et in templo, scilicet cœlesti, serviant ei die ac nocte. Dico similibus : tam enim hæ, quàm illæ, sunt animæ interfectorum ; et licet illæ futuræ sint ultimis temporibus Antichristi, tamen æque ac hæ requiescent ad modicum tempus, donec impleatur numerus conservorum eorum. Secundo, idem patebit clarius cap. 8. 3. ubi angelus harum animarum thymiama, id est orationes et laudes, offert Deo in altari thymiamatis. Sub eo ergo quasi requiescunt in cœlo ; sed ita, ut distracto per Christum velo, quod hoc altare et Sanctum dirimebat à Sancto sanctorum, videant Deum in Sancto sanctorum residentem, ut ibidem ostendam ; unde patet eas jam esse beatas. Itaque sicut locus felicitatis Beatorum vocatur sinus Abrahæ, ob quietem : ita hîc vocatur altare, ob Dei laudem, et ob martyrii victimam : proprius enim locus et sepulcrum Martyrum est altare, uti jam dixi. Dicitur et cubile : quia in eo quasi lecto requiescunt ; hoc est enim quod ait Psaltes Psalm. 149. 5. *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Ita prius hoc hemistichium, scilicet : *Exultabunt sancti in gloria*, recitans S. Evergislus Coloniensis Archiepiscopus, ingrediens templum S. Gereonis et Thebæorum Martyrum, ab iis ipsis posterius subnecti et responderi audivit : *Lætabuntur in cubilibus suis*, uti refert Helinandus in Vita S. Gereonis. Ibi ergo se requiescere etiamnum, ipsæmet animæ Martyrum confitentur, ibique exspectant gloriam quietæ et beatæ æternitatis. Unde Romæ in cœmeterio S. Priscillæ, hæc eorum vox in ipso limine inscripta legitur : *Hîc exspectamus requiem.*

Nota alludit hîc Joannes, uti et in nonnullis aliis ad lib. 4. Esdræ cap. 4. 35. ubi animæ ex promptuariis clamant ad Deum idem pene, quod hîc. Ait enim ibi Esdras : *Nonne de his interrogaverunt animæ justorum in promptuariis suis dicentes : Usquequo spero sic ? et quando veniet fructus areæ mercedis nostræ ? Et respondit ad ea Jeremiel Archangelus, et dixit : Quando impletus fuerit numerus seminum in vobis ; quoniam in statera ponderavit sæculum, et mensura mensuravit tempora, et non commovit, nec excitavit, usque dum compleatur prædicta mensura.* Quamquam Esdras hæc promptuaria animarum viderit non in cœlo, sed in inferno, sive limbo, uti ipse ait vers. 41. eo enim tum descendebant omnes animæ, utpote quod Christus necdum advenerat, qui eis cœlum patefecit. Hac de causa vocat promptuaria, id est cellaria, sive cryptas ; atque de iis subterraneis clare ait c. 4. 41. *In inferno promptuaria animarum matrici assimilata sunt : quemadmodum enim*, etc., *sic et hæc festinat reddere ea quæ commendata sunt.* Quocirca Tertul. de Resurrect. carn. cap. 27. citans illud Isaiæ cap. 26. *Vade, populo meus, intra in cubicula* (id est sepulcra) *tua ;* ad quem locum alludit Esdras, æque ac Joannes hîc ; pro *cubicula* legit *cellas promas*, id est cellaria, sive penuaria, *in quibus*, inquit, *caro salita, et usui reposita servatur, depromenda illinc suo tempore : sic enim et è sepulcris processura sunt corpora, cum jusserit Dominus.* Nam liber tertius et quartus Esdræ suam habent auctoritatem, licet non canonicam S. Scripturæ, unde et canonicis subjunguntur, et ab Ecclesia in officio Missæ et Ecclesiastico, multa ex iis citantur et recitantur ; Patres quoque plerique non raro eos citant, ac nominatim S. Ambros. lib. de Bono mortis citat hunc de animabus in promptuariis degentibus locum. Quocirca viri graves librum tertium et quartum Esdræ reponunt inter libros canonicos tertii ordinis (qui scilicet, licet canonici non sint, proxime tamen ad eos accedunt) uti et librum tertium et quartum Machabæorum ac librum Hermetis ; quia à veteribus vocatur liber Pastoris, eo quòd in eo angelus specie pastoris loquens et docens inducatur. Immerito ergo Sixtus Senensis, et pauci alii hunc Esdræ librum ut fabulosum rejiciunt, uti dixi in Esdra.

Sicut ergo ante Christum dicebantur animæ esse in promptuariis, sive cellis in limbo, exspectantes Christum et beatam resurrectionem, ita post Christum dicuntur esse sub altari, puta thymiamatis in cœlo; quia enim sunt animæ interfectorum pro Christo, hinc, sicut corpus eorum dicitur esse sub altari holocaustorum in terra, ita et anima eorumdem dicitur esse sub altari thymiamatis in cœlo, exspectantes unionem cum corpore, ut illo vestitæ super altare quasi eleventur ad perfectam gloriam, et consummatam beatitudinem. Altare enim holocaustorum erat in atrio, quod terram significabat : unde sub eo corpora terrena Martyrum sepulta dicuntur. Altare vero thymiamatis erat altare oraculi, id est Sancti sanctorum, puta cœli empyrei : unde sub eo animæ beatæ collocantur, ut per hoc symbolice significetur, illas esse animas Martyrum, atque exspectare martyrii præmium, puta gloriosum corpus, æque ac vindictam suorum homicidarum ; quia enim sunt animæ nudæ, hinc quasi ad tegendam nuditatem earum, dicuntur esse sub altari, sub eoque quasi latere, ac illo tegi, id est ab hominibus abscondi, donec in resurrectione glorioso corpore donatæ et vestitæ, sese suamque

gloriam et martyrii lauream publice toti mundo ostentent.

INTERFECTORUM PROPTER VERBUM DEI (ideoque Martyrum) ET PROPTER TESTIMONIUM QUOD HABEBANT,] quod tenebantur, scilicet veritatem fidei, et vitæ innocentiam; hoc enim est martyrum testimonium, unde Alcazar : Propter testimonium, inquit, id est propter doctrinam, quam defendebant. Sæpe enim *testimonium* ponitur pro doctrina. Pro *animas interfectorum*, aliqui legunt ψυχας των ανθρωπων εσφαγισμενων, id est, *animas hominum signatorum;* sed Noster et alii legunt, εσφαγισμενων, id est jugulatorum, interfectorum.

10. ET CLAMABANT VOCE MAGNA.] *Clamor magnus, magnum est desiderium;* animarum enim verba sunt ipsa desideria : tanto enim minus quisque clamat, quanto minus desiderat. Nam si desiderium sermo non esset, Propheta non diceret : *Desiderium cordis eorum audivit auris tua*, ait S. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 4.

DICENTES,] ex zelo justitiæ, non vindictæ, appetentes, scilicet, ut destruatur regnum impietatis et peccati, utque pii ab eo liberentur, et impii puniantur, itaque super omnes adveniat regnum Dei, ait S. Augustinus loco citato.

USQUEQUO, DOMINE, utpote qui es SANCTUS ET VERUS,] id est æquus et justus, cujus proinde est tueri sanctos veros, id est justos; compescere autem et punire impios et injustos, quales sunt qui nos fideles tuos persequuntur et occidunt. *Sanctus* ergo *et verus*, idem est quod, sancte et verax : nominativi enim ponuntur pro vocativis Attice. Simile est quod canitur in Parasceve : *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis; Sanctus*, id est, Sancte.

NON JUDICAS, ET NON VINDICAS SANGUINEM NOSTRUM DE IIS QUI HABITANT IN TERRA ?] Judicium ad causæ cognitionem pertinet : vindicta ad perficiendam et exsequendam rem judicatam, sive sententiam pro insonte contra injuriantem latam.

Quæres quod judicium, quam vindictam à Deo postulent animæ Martyrum ? Respondet primo Alcazar, eas petere vindictam de Judæis Christicidis et Christianorum persecutoribus, eamque in hac vita, scilicet ut Deus eos exscindat per Titum, Adrianum, etc. Non enim, inquit, orant, nec volunt statutum à Deo extremi judicii diem precibus suis accelerare et antevertere, sed petunt ultionem quam Martyrum sanguis de persecutoribus petebat. Verum hæc vindicta, et hoc excidium jam per 25 annos facta erant et præterierant : quorsum ergo ea quasi necdum facta, sed futura optant ?

Secundo, alii passim censent eos petere vindictam condemnationis ferendam et exercendam in persecutores fidelium in die judicii.

Verum dico hasce animas primario non tam poscere injuriantium et persecutorum punitionem et condemnationem, quàm innocentium, puta suî, suorumque asseclarum ab injuria liberationem. Hanc enim significat Hebr. נקם *nakam*, id est vindicare, quando construitur cum præpositione מן *min*, id est *à, ex, de;* et Græcum εκδικεω, quando construitur cum præpositione εκ, uti hîc fit : optant enim vindicari εκ των κατοικουντων επι της γης, id est, ex habitantibus in terra. Sic 1. Reg. 24. 14. ait David ad Saul : *Judicet Dominus inter me et te, et ulciscatur me Dominus ex te; manus autem mea non sit in te. Ulciscatur*, id est, liberet me ex tua tam acri persecutione : non enim in os imprecatur Sauli necem, et ultionem Dei. Ait enim : *Manus mea non sit in te*, q. d. Absit ut te occidam, esto habuerim te in manu mea : non enim tibi mortem, sed mihi à te liberationem et salutem opto, et quæro. Fuit enim ipse mansuetissimus : unde de eo canimus Psalm. 131. 1. *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus.* Sic Lucæ 18. 3. ait vidua judici : *Vindica*, id est libera, *me de adversario meo.* Sic judices et vindices Israelis in libro Judicum vocantur Josue, Gedeon, Samson et alii, qui Israelem à virga Philistinorum, aliarumque Gentium exemerunt, et in libertatem asseruerunt; esto id fecerint sæpe cum hostium strage. Sic vulgo dicimus principem Christianos è manu Turcarum in libertatem vindicasse, cum eos è captivitate Turcarum eripuit, liberosque effecit. Sic ait Simon Machabæus 1. Machab. 13. 6. *Vindicabo*, id est liberabo de jugo et tyrannide Antiochi, *gentem meam, et sancta, natos quoque nostros et uxores : quia congregatæ sunt universæ gentes conterere nos.*

Animæ ergo Martyrum hîc optant vindictam, id est suî liberationem, eamque duplicem, scilicet primo, ut Deus eorum sanguinem injuste effusum et corpora injuste occisa, quæ adhuc in hac injusta occisione et morte manent et detinentur, sibi restituat, iisque rursum animæ spoliatæ nuditatem tegat et vestiat : unde responsum à Deo accipiunt, ut pro corporibus accipiant, stolas candidas, quibus se tegant et vestiant, donec compleatur numerus conservorum eorum; tunc enim plene eos corpore glorioso vestiendos esse. Unde S. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 4. *Quid*, ait, *est animas vindictæ petitionem dicere, nisi diem extremum judicii, et resurrectionem extinctorum corporum desiderare?*

Secundo, optant vindictam, id est, liberationem Ecclesiæ et fidelium à persecutorum tyrannide, ut scilicet Deus eam inhibeat et sistat, reddatque Ecclesiæ pacem et quietem : quibus pariter respondet Deus se id brevi præstiturum, sed oportere adhuc modicum expectare, donec compleatur Martyrum et Electorum numerus. Secundario tamen, et consequenter optant quoque vindictam propriè dictam ex zelo justitiæ, quasi dicant: Usquequo, Domine juste, non facis justitiam, ut nos et Ecclesiam insontem liberes, persecutores vero punias, ut omnes laudent et celebrent tuam in utrosque justitiam? Hanc enim postulat Martyrum sanguis. Idem enim est dicere animas petere vindictam, quod dicere, sanguinem earum illam deposcere. Alludit ad 4. Esdræ 15. 18. *Ecce sanguis innoxius et justus clamat ad me, et animæ justorum clamant perseveranter.* Unde S. August. serm. 59. de Tempore tom. 10. docet animas has petere ut evertatur regnum peccati.

Tertio, indirecte, et quasi eminus orant accelerari diem extremi judicii : illo enim die facienda est plena hæc vindicta. Non quasi decretum Dei de hoc die jam fixum et statutum mutari et accelerari desiderent : hoc enim fieri nequit; sed quod abstrahant ab hoc decreto, illudque quasi præveniant. Deus enim ob orationes Sanctorum decrevit, ut finis mundi et dies judicii citius adveniat et acceleretur; cum aliàs illum diutius differre potuisset, et de facto diutius distulisset, nisi hæ Sanctorum preces ab

eo prævisæ, et acceptatæ fuissent. Pari modo ob preces Danielis et Prophetarum, dicuntur abbreviatæ 70 hebdomades adventus Messiæ, Daniel. 9. 20. juncto cum vers. 24. Hæ ergo preces antecedenter se habent ad Dei decretum, non consequenter : eodem modo se habent preces Sanctorum ad Dei prædestinationem, puta ad electionem hujus vel illius ad salutem et gloriam.

Quocirca S. August. serm. 11. de Sanctis, incusat prædicatorum et fidelium desidiam quod ea in causa sit, cur differatur resurrectio, et regnum gloriosum Beatorum. *Videtis*, inquit, *quia propter nos* (dum ait : *Donec compleatur numerus conservorum*) *Martyrum vindicta differtur. Dum enim nos retardamus, horum sanguis inultus est. Sed hoc contingit nostra desidia, qui non religiose vivimus, qui non pie, sicut congruit, operamur. Nam si bonorum operum ad Dominum justitia nostra præcederet, jam conservorum numerus, qui expectatur, esset completus. Unde oportet, fratres charissimi, quia primitias Martyrum hodierna festivitate veneramur, de æterna quæ in cœlis est, Martyrum festivitate sedulo cogitemus, eorumque vestigia, in quantum possumus, sequendo, et ipsi ejusdem festivitatis supernæ participes existere curemus*, ut compleamus numerum civium cœlestis Jerusalem, sicque acceleremus regnum gloriosum Christi et Sanctorum.

Moraliter S. Bernard. serm. 3. in festo omnium Sanctorum. *Unde tibi, ô misera caro, ô fœda et fœtida, unde tibi hoc? Animæ sanctæ quas propria Deus insignivit imagine, te desiderant : quas redemit proprio sanguine, te expectant; et ipsarum sine te lætitia compleri, perfici gloria, consummari beatitudo non potest. Adeo siquidem viget in eis desiderium hoc naturale, ut necdum tota earum affectio libere pergat in Deum, sed contrahatur quodam modo et rugam faciat, dum inclinantur desiderio tui. Sine macula ergo sunt*, ut ait Joan. cap. 14. v. 5. *sed non sine ruga.*

11. ET DATÆ SUNT ILLIS SINGULÆ STOLÆ ALBÆ,] id est, plena puritas, quies et spes certa beatitudinis, inquit Andreas Cæsar. et S. Bernard. loco superius citato. Verum dico : stola alba est gloria et beatitudo animæ, quam Martyres acceperunt, nimirum lumen gloriæ, visio et fruitio Dei, ac consequenter humanitas Christi, B. Virginis, sanctorum angelorum, ac Beatorum omnium. Hæc enim gloria instar stolæ albæ, animam corpore nudatam et spoliatam vestit et condecorat. Est alba, quia lucida et splendida, et quia symbolum est innocentiæ et puritatis Martyrum, cui in præmium donata est. Hinc et Christi in transfiguratione facies resplenduit sicut sol, et vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix, hoc est, mira luce candicantia et fulgida. Hæc est ergo stola alba, quam Christus vincenti promisit cap. 3. vers. 5. dicens : *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ.* Vide ibi dicta. Unde patet hasce animas videre Deum, et esse beatas : hæc enim beatitudo vincenti promissa est sub nomine stolæ, sive vestis albæ. Hac etiam de causa ait quòd Martyribus datæ sint stolæ *singulæ*. Singuli enim unam tantum acceperunt, scilicet gloriam animæ : nam in resurrectione accipient singuli stolas binas : addetur enim illis gloria corporis. Porro stolas albas symbolum esse gloriæ et felicitatis, patet ex cap. seq. vers. 13. et 14. ubi degentibus coram throno Dei dantur palmæ et stolæ. Ita S. Gregorius in Psalm. 4. Pœnitent. vers. 10. et S. Anselm. Richard. Haymo, Beda hîc, ac S. Aug. serm. 11. de Sanctis. Stola enim priscis erat honestæ et nobilis mulieris vestis, usque ad imos pedes demissa. Unde Horat. lib. 1. Serm. sat. 2.

> Ad talos stola demissa, et circumdata palla.

Et Martial.

> Quisquis stolæ purpuræve contemptor
> Quos colore debet, læsit impio versu.

Hinc stolata mulier vocabatur locuples et primaria : contra togata vocabatur plebeia, et secundæ classis, ut videre est apud Horat. loco citato. Hac de causa stola, præsertim candida et splendida, in Scriptura symbolum est gloriæ, immortalitatis ac felicitatis. Hinc Pharao vestivit Josephum stola byssina, Genes. 41. 42. et 1. Paral. 15. 27. *David erat indutus stola byssina.* Judith. cap. 16. vers. 10. post victoriam *accipit stolam novam.* Mardochæus indutus fuit stola, et impositus equo ab Aman jussu regis volentis eum honorare, Esther. 6. 11. De sapientia ait Eccles. cap. 6. 30. *Erunt tibi torques illius in stolam gloriæ*, et vers. 32. *Stolam gloriæ indues eam.* Et cap. 45. 12. ait Aaronem jussu Dei induxisse stolam sanctam. Et cap. 50. vers. 11. ait Simonem pontificem accepisse stolam gloriæ. Isaiæ 63. 1. de Christo victore dicitur : *Iste formosus in stola sua.* 1. Machab. 6. vers. 15. dedit Antiochus Philippo intimo suo stolam suam, et annulum. Ibidem cap. 10. 21. *Induit se Jonathas stola sancta.* Marci 12. 38. *Cavete*, ait Christus, *à Scribis, qui volunt in stolis ambulare;* et cap. 16. 5. mulieres in sepulcro Christi viderunt angelum, coopertum stola candida.

Dices : spes ardens quæ differtur, affligit animam : quomodo ergo hæ animæ Martyrum ardenter sperantes et postulantes vindictam jam dictam, sunt beatæ ? Respondeo. Spes hæc est ordinata, est quieta et composita in Beatis : acquiescunt enim in voluntate Dei ; non enim sperant, nec volunt ut statim hæc vindicta fiat, sed ut fiat suo tempore quod Deus constituit et ordinavit : illius ergo tantum ingens se habere desiderium, sed in Dei voluntatem resignatum, significant.

Moraliter Tertullianus lib. de Cultu feminarum in fine, eas ex hoc loco adhortatur, ut ornent se stolis, non purpuræ, byssi, vel auri, sed innocentiæ, sanctitatis et fortitudinis : *Tempora*, inquit, *Christianorum semper, et nunc vel maxime, non auro, sed ferro transfiguntur : stolæ martyriorum præparantur, angelis bajulis sustinentur. Prodite vos jam ornamentis exstructæ Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundiu, et spiritus taciturnitate, inferentes in aures sermonem Dei, annectentes cervicibus jugum Christi. Caput maritis subjicite, et satis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite, et plus quàm in auro placebunt. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ. Taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem.*

ET DICTUM EST ILLIS UT REQUIESCERENT ADHUC TEMPUS MODICUM, DONEC COMPLEANTUR CONSERVI EORUM.] Alcazar exponit, *ut requiescerent*, scilicet à visione, non Dei, sed vindictæ de hostibus, puta de Judæis, quam postulant, q. d. Deus animas Martyrum statim convestivit stola

gloriæ, sed quoad petitionem vindictæ eorum, jussit ut modicum requiescerent, significans illam differendam esse, donec numerus Martyrum ab eis occidendorum compleatur, quo completo se eos puniturum et excisurum per Titum et Romanos.

Verum, jam sæpius dixi hæc referenda esse ad omnes Martyres, et ad finem mundi. Sensus ergo est. q. d. Sicut corpora vestra, ô animæ sanctæ, et vestro sanguine purpuratæ, requiescunt in suis sepulturis (quæ inde vocantur græce cœmeteria, id est dormitoria) sub altari holocaustorum, expectantia gloriam resurrectionis, ita et vos pariter requiescite sub altari thymiamatis in cœlo, in vestris stolis albis, id est in vestro lumine gloriæ et beatitudinis, ac modicum expectate eamdem resurrectionem : brevi enim corpus, quod hîc pro me morti tradidistis, vobis reddam gloriosum, ac simul ulciscar et puniam vestros persecutores et homicidas, condemnando, et adigendo eos in tartara; brevi, inquam, scilicet postquam completus fuerit sociorum vestrorum, puta Martyrum, numerus, quod propediem per Antichristum fiet.

Apposite S. August. serm. 11. de Sanctis : *Tali*, inquit, *modo loquitur Deus omnipotens, Sanctis velut quilibet paterfamilias habens multos filios, singulisque de agro revertentibus, et rogantibus ut cibum sibi tribuat, respondet : refectio quidem vestra parata est; sed expectate fratres vestros, ut, cum in unum positi fueritis, omnes in commune comedatis.* Et S. Greg. 2. Mor. 4. *Respondere eis* (animabus) *est, ut collectionem fratrum exspectare debeant, eorum mentibus libenter exspectandi moras infundere, ut, cum carnis resurrectionem appetunt, etiam ex colligendorum fratrum augmento gratulentur.*

12. Et cum aperuisset sigillum sextum : et ecce terræ motus magnus factus est, etc.] Primo, Aretas hæc refert ad prodigia facta in morte Christi; verum hæc jam diu præterita erant, non futura.

Secundo, Ambros. et Rupert. hæc referunt ad Judæorum reprobationem, et excidium per Titum; sicut quæ sequuntur cap. 7. referunt ad lætissimam vocationem Gentium, vide Pererium singula applicantem pag. 462. Huc accedit Alcazar, qui hoc sexto sigillo putat significari minas horribiles, quibus Deus voluit præmonitos Judæos, ante excidium, et ante septem plagarum supplicia, quæ septimo sigillo continentur : porro has minas comparari cum prodigiis, quæ minabuntur instantem extremi judicii diem, quia hæ illorum fuerunt typus : unde et Christus Matth. 24. confert excidium urbis Hierosolymæ cum excidio orbis; et ab illo ad hoc immediate transit. Minæ autem hæ septem sunt. Prima est terræ motus, qui significat magnam rerum commutationem et perturbationem, quæ Hierosolymis accidit, cum seditionem et bellum contra Romanos concitarunt. Secunda est obscuratio solis : hæc significat signa et prodigia quæ visa sunt, Dei indignationem contra Judæos testantia. Deus enim supplicia illaturus, lugubri veste quasi se induit, et modo quo reges Lusitaniæ olim sententiam capitis laturi, saccum induebant. Tertia est lunæ sanguis, qui denotat maximum supplicium, quod eis pro Christi sanguine effuso impendebat. Quarta est stellarum casus, qui indicat symbolice necem, quam S. Jacobo, Stephano, aliisque viris sanctissimis intulerunt, quod etiam Judæis minabatur ruinam. Quinta est complicatio cœli, quæ symbolum est Christianorum discessionis ab urbe Hierosolyma, quæ non levis etiam fuit civitati comminatio : quia enim hîc Deus per solem, Christus per lunam, Apostoli virique Apostolici per stellas fuerunt significati, hinc consequenter apposite primitiva Ecclesia, sive primi Christiani per cœlum significantur; de iisdem ait Christus : *Virtutes cœlorum movebuntur.* Virtutes enim cœlorum sunt exercitus cœli, puta Ecclesia militans, quæ poterat Jerusalem ab excidio defendere, sed eam deserens ac suo prædio destituens, eamdem Romanorum prædæ exposuit. Rursum in libro involuto notatur Judæorum excæcatio, quasi omnis eorum sapientia fuerit convoluta et complicata, ut quasi nihil scirent, nullas rationes salvandi se et urbem invenire possent. Sexta est migratio ac secessio montium et insularum, quæ portendit Deum Tito et Romanis obices, difficultates et impedimenta omnia amovere et tollere, viamque quasi complanare in Judæam, ut eam subigant et evertant. Septima est metus et horror communis omnium, dicentium montibus : Cadite super nos, qui figurat ingentem timorem, qui Judæos pervaserat, evidens esse argumentum, quòd Deus severissimam in eos vindictam jamjam exercere velit.

Verum hæc omnia pariter præterita jam erant, non futura; ideoque historica, non prophetica. Constat autem Apocalypsin esse prophetiam de futuris. Itaque hic sensus est accommodatio quædam, et adaptatio potius quàm expositio genuina. Adde vers. 15. nominari reges, quos constat non fuisse Hierosolymæ. Insuper, quod dicent montibus : *Abscondite nos à facie Agni*, non congruit Judæis qui Christum non agnoverunt : nec Agnum, sed ursum potius et lupum cum vocitarunt.

Tertio, Aureolus et Lyranus hæc referunt ad persecutionem Diocletiani, quando Christiani montibus, id est Beatis in cœlo, eos invocantes, dixerunt : *Cadite*, id est, protegite nos. Verum hæc expositio violenta est et contorta, ut patet : est et inordinata. Nam persecutio Diocletiani, uti et cæterorum Imper. repræsentata fuit sigillo secundo, puta equo rufo, uti ostendi cap. 6. vers. 2.

Dico ergo S. Joannem hîc transire ad tempora novissima, et ad finem mundi. Id patet ex ipsis ejus verbis, quæ proprie nulli alteri competere possunt, præsertim si quis ea conferat cum verbis Christi Matth. 24. 25. (ubi orbis excidium, signaque ei prævia describit); ille enim videbit pene eadem hîc dici cum iis, quæ ibidem dicit Christus. Quod enim hîc dicitur : *Sol factus est niger*, ibi dicitur : *Sol obscurabitur;* hîc dicuntur stellæ de cœlo casuræ; ibi idipsum dicitur : hîc *luna facta est sicut sanguis;* ibi *luna non dabit lumen suum;* hîc dicitur : *Cœlum recessit sicut liber involutus;* ibi : *Virtutes cœlorum commovebuntur;* hîc dicunt *montibus : Cadite super nos;* ibi idem dicent, ut patet Lucæ 23. 30.

Idipsum poscit ordo Apocalypseos, et septem sigillorum. Cum enim S. Joannes secundo, tertio et quarto sigillis, repræsentarit tres generales et illustriores persecutiones Ecclesiæ, successive duraturas usque ad finem mundi (unde quinto sigillo induxit communem vocem Martyrum, optantium finem); hinc sexto hoc sigillo

ad eumdem transit ; imo ab hoc loco deinceps usque ad finem libri loquitur de extremis mundi temporibus.

Hoc ergo sexto sigillo describit ultimam Dei vindictam in impios signaque horrenda quæ præibunt, et indicabunt instare extremum judicium; ita Victorin. Primas. Ticon. Haymo, Andreas, Beda, Ribera, Pererius et alii.

Dices : Hæc signa sequentur Antichristum ; erunt enim proxima judicio : hæc autem septem sigilla significant ea, quæ evenient ante Antichristum : ergo alia sunt ab illis signis Antichristo posthumis.

Resp. Aliqui censent hæc omnia signa, uti et cæteras plagas septimo sigillo orbi infligendas, quæ cap. 8. et 9. recensentur, fore ante Antichristum : continentur enim in sigillis hisce, quæ prius reserari debent et evolvi, quàm liber signatus, id est Antichristi tempora, succedere et videri possint. Sic enim optimo ordine consignatur et progreditur hæc Apocalypseos prophetia, estque quasi historia prophetica de rebus successivo tempore et ordine futuris. Favet et ratio : nam post mortem Antichristi non fore hæc tristia prodigia, probari videtur ex eo quod post mortem Antichristi summa erit pax et quies in mundo, uti ostendi Daniel. 12. unde et Christus Lucæ 12. vers. 40. et Matth. 24. 37. prædixit se insperato die, et subito venturum ad judicium, cum homines vocabunt gulæ et voluptatibus, uti faciebant in diebus Noe, cum è contrario de hisce signis dicat, quod arescent homines præ timore, et expectatione cæterorum prodigiorum, quæ supervenient universo orbi.

Verùm durum et difficile est creditu hæc signa omnia complenda fore ante Antichristum. Sunt enim signa judicii instantis, et judicis advenientis ; unde dicunt impii v. 16. *montibus et petris : Cadite super nos, et abscondite nos à facie sedentis super thronum, et ab ira Agni ; quoniam venit dies magnus iræ ipsorum : et quis poterit stare?* Quomodo hæc dicent, si inter hæc signa et diem judicii intercedant plures anni, puta totum tempus regni aut saltem monarchiæ Antichristi, quæ erit trium annorum cum dimidio ? Quomodo hæc signa dicuntur signa judicii, et judicis Christi, cùm potius dicenda essent signa adventantis Antichristi ?

Secundo, cap. seq. in septimo sigillo audiemus Judæorum conversionem ad Christum, quæ fiet in fine mundi, maxime post occisum Antichristum : ergo quædam ex his sigillis, non erunt prævia, sed posthuma Antichristo. Idem manifestum est ex eo quòd in septimo sigillo angelus septimus, tuba canens, dicatur inducere consummationem rerum omnium : quæ utique fiet, non ante, sed post Antichristum. Ita enim habetur c. 10. 7. et c. 11. 15.

Tertio, Christus Matt. 24. 29. ait hæc signa fore post tribulationem dierum illorum, id est post persecutionem Antichristi, inquiunt multi : verius tamen Ribera sic exponit, *post tribulationem*, scilicet inchoatam, non autem perfectam. Inchoabitur autem hæc mundi tribulatio ante Antichristum. Christus enim paucis verbis perstringit et convolvit multa, quæ successive per plures annos fient in fine mundi. Denique ibidem Christus de hisce signis ait : *Cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis*, scilicet dies Domini et adventus Christi ad judicium. Quocirca hæc signa fore, non ante, sed post interitum Antichristi, diserte docet Francis. Suarez 3. p. q. 59. disp. 56. sect. 3. et alii permulti.

Dico ergo hæc signa inchoanda fore ante Antichristum, ideoque poni inter sigilla ; sed perficienda et complenda esse post Antichristum, ita ut quædam ex iis fiant ante, quædam, et quidem plura ac majora, post Antichristum. S. Joannes ut omnia, utpote eodem spectantia, conjungeret, eodem sigillo omnia complexus est ; quæ quatenus præibunt Antichristum, eatenus spectant ad sigilla ; quatenus verò sequentur, eatenus pertinent ad librum signatum. Cùm enim illa orbis desolatio, et excidium sit futurum ultimum et maximum, idcirco Deus eminus per plures annos antequàm accidat, idipsum comminari, et plagas ei prævias orbi immittere incipiet. Sic enim fecit in excidio Hierosolymæ, et aliarum urbium et regnorum. Judæos enim impios per Isaiam, Osee, Joelem, immo per Eliam, Elisæum, aliosque Prophetas per centum annos admonuit et præmonuit de futuro per Chaldæos, ut ab impietate sua resipiscerent, itaque excidium evaderent. Idem fecit in diluvio : jussit enim Noe anno quingentesimo ætatis suæ fabricare arcam, ut per eam instans diluvium, hominibus prænuntiaret, et comminaretur ; cùm tamen diluvium induxerit demum anno sexcentesimo Noe, dedit ergo orbi centum annos ad pœnitendum. Quid in idem, vel simile faciat in ultimo orbis excidio, cùm non aquæ, sed ignis diluvio totus obruetur, et conflagrabit? Itaque ante Antichristum inundabit in orbe impietas et impii quibus Deus minabitur excidium; ideoque signa hæc illi prævia, plagasque ejus prænuntians immittere incipiet, putà insolitos terræ motus, maris fremitus et exundationes, fulgetra, tonitrua, Eclipses, obscurationes solis, lunæ et stellarum : ut cœlum, terra, mare, et aer in impios fremere, eisque necem et interitum minari videantur : ex quibus consequentur fames, pestilentiæ et bella, quæ Christus tum fore prædixit; sed contemnent ea impii : itaque plagas plagis addet Deus. Superveniet Antichristus, qui erit caput et culmen impietatis. Quocirca Deus acriora in eum, et impios ejus asseclas, supplicia è cœlo vibrabit, adigens eos in tartara, inde in impios ceteros, totumque orbem desæviet, eique mala extrema, ac inter ea solis, lunæ et stellarum plenam obscurationem inducet ; ac tandem diem ultimum orbi afferet per ignem conflagrationis, tumque ipse Christus descendet è cœlo, et veniet ad judicium; ita tamen, ut post Antichristi ejusque asseclarum stragem, et plagas impiorum, Deus aliquod tempus quietis daturus sit orbi ; quo Christiani in persecutione Antichristi lapsi, Judæi omnesque gentes tot plagis perculsæ, respirare, Deo reconciliari, justificari et salvari possint. Quo tempore mundani homines, sicut pueri amota virga, ad ingenium redibunt, nubent et nubentur, epulabuntur, uti in diebus Noe fecerunt ; donec ex insperato Deus mundi finem adducat, Christumque judicem mittat, uti Christus prædixit Matth. 24. 37. et Joan. Apoc. 13. et sequentib. et Daniel c. 12. 12. *Beatus*, inquit, *qui expectat, et pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque*, id est, qui vivet post tempora et mortem Antichristi, uti ibi ostendi.

Quocirca parum probabile est, quod censent S. Hieron. et S. Chrysost. in Matth. 24. et Eusebius Emissenus hom. in Domin. 27. post Pentecosten, scilicet hæc signa in sole, luna et stellis, fore post generalem resurrectionem in ipso adventu Domini, ac proinde fore non prævia judicio, sed in ipso judicio. Argumentum eorum est: Quia, inquiunt, immediate post hæc signa subdit Christus: *Et tunc apparebit signum filii hominis in cœlo; et tunc plangent omnes Tribus terræ.* Nam *videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli.* Verum hoc non urget. Nam Christus apud S. Matthæum multa conjungit et conglomerat de excidio urbis et orbis, quæ tamen non simul fient, sed tempore valde disjuncto et separato, quinimo S. Matthæus, cùm dixisset Christum venturum cum virtute magna et majestate, subjungit: *Et mittet angelos suos cum tuba;* cùm tamen hoc sit futurum non post, sed ante adventum Christi ad judicium.

Et sol factus est niger.] Quæres an ad litteram hæc signa, ut sonant, eventura sint? Primo, S. Augustinus epist. 80. ad Hesychium, atque ex eo Primas. Andreas et Beda, hæc signa mystice accipiunt pro persecutione Antichristi, sicque exponunt: Sol et luna, id est Ecclesia, obscurabitur; stellæ, id est, illustres Sancti, à fide, et consequenter à cœlo et salute, excident. Verum hanc expositionem esse mysticam, non litteralem, nemo non videt.

Secundo, S. Chrysost. et Hieron. ac Beda in Matth. 24. Euseb. Emiss. homil. in Domin. 27. post Pentecost. Hilar. can. 26. in Matth. de Thomas in opusc. 10. art. 36. putant hæc signa fore in ipso die judicii, scilicet quod Christus adveniens tanto lumine radiabit, ac totum orbem suis radiis perstringet, ut sua claritate obscuret fulgorem solis, lunæ et stellarum. Sic et S. August. serm. 130. de Temp. ubi hoc peculiariter tribuit fulgori crucis; qui tantus erit, ut solem occultet. Verum jam ostendi hæc signa fore prævia judicio, ac consequenter ante adventum Christi. Unde clare ait Joel c. 2. v. 10. et seqq. *Sol convertetur in tenebras, antequam veniat dies Domini.* Et Christus Lucæ 21. 26. *arescentibus hominibus præ timore et expectatione, quæ supervenient universo orbi.*

Tertio, Origenes tract. 30. in Matth. putat solem, lunam et stellas obscuranda à fumo, qui procedet ab igne conflagrationis mundi. Verum hæc signa erunt ante finem mundi, quem inducet hæc conflagratio, unde et Origen. in hac expositione non persistit: imo Suarez loco citato censet, ignem conflagrationis mundi fore post ipsum diem judicii.

Quarto, Rabanus in Matth. 24. idque refert, nec improbat D. Thom. in 4. dist. 48. q. 1. art. 4. quæstiunc. 2. putat quod sol, et consequenter luna, aliaque astra à Deo privabuntur sua luce intrinseca et connaturali.

Quinto, Dionys. Carthus. hæc accipit ad litteram, sed putat ea hyperbolice dici, sicuti Prophetæ dicunt in excidio Hierosolymæ et Babylonis obscurandum fore solem. Verum quia hæc excidia tantum typus fuerunt et tennis umbra excidii totius orbis, quod maxime erit horrendum et portentosum, hinc

Dico sexto hæc plane ad litteram, ut sonant, esse accipienda. In fine ergo mundi Deus ad vindictam peccatorum, solem faciet nigrum instar sacci cilicini, qui niger est ex nigris setis et pilis, è quibus contextus est. Porro id fiet partim ex densitate nubium, quas Deus inter solem et terram interjiciet, ut vult Ribera et Domin. Soto in 4. dist. 46. q. 2. art. 2. partim ex miraculosis Eclipsibus, ut vult Pererius, quæ provenient ex inusitatis motibus cœlorum, qui nunc tardius, nunc velocius solito movebuntur. Unde Lactantius lib. 7. cap. 16. de sole et luna sic ait: *Motus extraordinarios peragent, ut non sit homini promptum aut siderum cursus, aut rationem temporum agnoscere. Fiet enim vel æstas in hieme, vel hiems in æstate: tunc et annus breviabitur, et mensis minuetur, et dies in angustum coarctabitur.* Quæ si vera sunt, facile erit varias tunc produci Eclipses. Tertio, suspendet Deus non lumen, sed illuminationem solis et astrorum, nimirum negando luci solis et astrorum concursum, sine quo non potest lumen suum spargere, et illuminare orbem: unde ex eo sequentur densissimæ, et universales tenebræ per totum orbem; idque faciet facillima actione, ac minima rerum ac naturæ immutatione; ita Francisc. Suarez 3. p. q. 59. art. 6. disp. 56. sect. 3.

Luna tota facta est sicut sanguis.] Id fiet per interpositionem nubis ita dispositæ, ut per impressionem radiorum lunæ, ipsa videatur tota sanguinea, ad significandam divini judicii severitatem, ait Suarez ibidem: nam rubicunda luna repræsentat cruorem, id est, stragem impiorum, ob sanguinem Christi ab iis vel effusum, vel neglectum et spretum; item ob effusum sanguinem Martyrum, præsertim Eliæ et Henoc, aliorumque fidelium ab Antichristo et Antichristianis. Rursum rubicunda luna portendit ventos, procellas et tempestates iræ et suppliciorum Dei, quas effundet Deus in peccatores; nam

> Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.

Et Virgil. 1. Georg.

> At si virgineum suffuderit ore ruborem,
> Ventus erit.

Sanguis enim in Scriptura symbolum est peccati. Unde ait Oseæ c. 4. 2. *sanguis sanguinem tetigit.* Et Isaias c. 1. v. 15. *Manus vestræ sanguine plenæ sunt.* Vide ibi dicta. Fuit ergo tunc inusitata solis, lunæ et stellarum partim rubricatio, partim obscuratio, et quasi deliquium. Primo, ut significetur obscurari ac finiri jam gaudium impiorum.

Secundo, luna fiet rubea, ut videatur quasi pudore vultus sui, de turpissimis et atrocibus hominum sceleribus, noctu præsertim, cùm lucet luna, in lectis et tenebris perpetratis, erubescere; visis namque tot tamque enormibus hominum sceleribus, ab initio mundi ad finem usque perpetratis, sol, lunæ et stellæ quasi erubescent, quod talibus dominis tam impiis servierint, et ad eorum scelera lucem suam præbuerint. Hanc causam dat S. Antoninus 4. parte Sum. tit. 14. c. 11. §. 2. Ita in martyrio Felicis Episcopi Africani, anno Christi 302. luna conversa est in sanguinem, ut habent ejus Acta fidelia 24. Octobr. quæ citat et probat Baronius.

Tertio, sol et stellæ quasi metu Christi judicis venientis perculsa, splendorem suum retrahent; sicut homines in metu solent calorem et sanguinem in intima, ad cor confortandum,

retrahere, itaque expallescere, ait Maldon, Matth. 24. Omnia enim hæc signa eò tendunt, ut de hominibus impiis (quales tunc erunt plerique; pauci enim tunc erunt fideles et pii, uti prædixit Christus Lucæ 18.) vindicta sumatur, atque ipsi timore percellantur, majoraque supplicia expectent.

ET STELLÆ DE CŒLO CECIDERUNT SUPER TERRAM.] Primo, aliqui: *ceciderunt*, inquiunt, id est occiderunt, subito raptæ ad aliud hemisphærium; sic enim Poetæ significant stellarum occasum, dicendo eas in Oceanum sive mare se præcipitare. Unde Virgil. 2. Æneid.

Et jam nox humida cœlo
Præcipitat, suadentque cadentia sidera somnum.

Sic Romæ, et alibi, qui non longe à mari habitant in æstate jucunde spectant vespere solis occasum. Videtur enim eis sol se librare inter undas identidem, ac tandem subito in eas se demergere. Verum hîc dicitur: *Stellæ ceciderunt super terram*, non in mare, nec in aliud hemisphærium.

Secundo, Origines tract. 30. in Matth. *Stellæ*, ait, *de cœlo ceciderunt*, id est lumen suum deficiente fomento amiserunt, ac quod in eis terrestre remansit, in terram decidit: putat enim ipse, ex sententia Platonis in Timæo, cœlos et astra ex elementis esse composita et conflata; ac proinde egere nutrimento instar nostri ignis vel lampadis: quare sensim deficiente alimento in finem mundi, astrorum quoque lucem; sive id quod in eis igneum est, defecturum; quod vero terrestre est ad sua elementa et terram relapsurum. Verum duplici errore nititur: Primo, cœlos et stellas esse elementares; secundo, indigere alimento.

Tertio, Jansen. Cajetan. in Matth. 24. Stellæ, inquiunt, retrahent lumen suum et non videbuntur, ut videantur de cœlo cecidisse. Cadent ergo non à loco suo, sed à luce sua.

Quarto, Maldon. ibidem censet stellas proprie dictas in fine mundi de cœlo casuras. Magis enim, inquit ipse, Christo id affirmanti, quàm Aristoteli id fieri posse neganti, assentior.

Verum sic findi deberet cœlum, imo cœli omnes Planetarum; et quò deciderent hæ stellæ? quævis enim stella fixa in firmamento nobis visibilis, major est tota terra. Melius ergo Ribera et Pererius, per stellas accipiunt cometas, fulgura, ignes cadentes, aliaque meteora ignea instar stellarum, qualia multa erunt in fine mundi, eaque novæ et prodigiosæ magnitudinis, formæ, figuræ, motus et lapsus. Deus enim illa, quasi horribilia fulgetra et tonitrua, jaculabitur et deturbabit in terram, ut homines terrefaciat.

SICUT FICUS EMITTIT (βάλλει, id est abjicit, evertit. Ita Syrus. Male ergo legunt aliqui *mittit*) GROSSOS SUOS (ὀλύνθους, id est, ficus immaturas) CUM A VENTO MAGNO MOVETUR.] Significat Deum ob scelera, citius opinione hominum et rerum natura, finem mundo impositurum, cum is naturaliter diutius durare posset, sicut fecit in diluvio Noe. Sic enim grossi ex ficu ante maturitatem, intempestive decidunt. Rursum *grossi* indicant ver beatitudinis lætissimum et florentissimum, quod tunc inchoabunt Beati. Arabicus vertit: *Sicut ficulnea, cùm ceciderit graminetum ejus à vento grandi.*

24. ET CŒLUM RECESSIT SICUT LIBER INVOLUTUS,] ἐλισσόμενον, id est, qui involvitur vel convolvitur; Syrus: *Cœli separati sunt sicut liber qui involvitur;* Arabicus: *Cœlum involvetur quasi charta*, q. d. Sicut liber more veterum cylindro involutus (uti tela circa radium circumvolvitur) absconsis litteris legi non poterat: ita cœlum, ejusque stellæ quasi litteræ, absconduntur atris nubibus et tenebris, ut videri non possint, videanturque in alium mundum recessisse. Rursum, desinet notus cœlorum usus, motus et splendor, astrorum intuitus, ex iisque prognostica conjectatio et divinatio; sicut libro uti desinimus, nec eum legere possumus, cum eum complicamus, sive claudimus. Alludit, imò citat Isaiæ 34. 4. ubi idem dicit Isaias; vide ibi dicta. Unde S. Thomas et Suarez sic explicant. q. d. Homines, et Astrologi non divinabunt amplius ex astris, quasi ex libro prognostico. Cœlum, inquit Suarez, recedet, non motu locali, sed ab oculis hominum, sicut recedere solet liber involutus; quia litteræ ejus videri non possunt. Ita ipse loco citato, et lib. 2. de Superstitione cap. 11. Aliam rationem hujus phrasis dat S. August. lib. 5. de Genesi ad litt. c. 20. Deus, ait, sæcula, quæ cùm primum condita sunt, tanquam implicita ediderat, succedentibus temporibus explicat, id est per cœlorum motus ac vicissitudines temporum, mundum involutum paulatim evolvit, eductis scilicet aliis et aliis è capacitate specierum individuis, aliis ac aliis effectibus è causarum suarum finibus, ac præsertim è cœli solisque motu, et influxu, cum ergo ab hoc motu et hac providentiæ suæ explicatione cessat, ac individua et effectus inde manantes tollit vel suspendit, uti faciet in die judicii, tunc dicitur suæ providentiæ librum cœlumque complicare et convolvere.

Contrariè explicat Andreas Cæsar. Recessit, ait, cœlum à priori complicatione et occultatione rerum quas continebat; quia tunc æterna bona et gaudia, in cœlo Sanctis reposita, patefient.

Aliter quoque Dionys. Carth. q. d. Non patebit ulli deinceps aditus in cœlum; quia cœli janua claudetur et obserabitur.

Pro *cœlum recessit sicut liber involutus*, Christus Matth. 24. ait: *Virtutes cœlorum movebuntur.* Ubi primo, S. Chrysost. per *virtutes* has accipi angelos, qui, inquit, obstupescent ad tanta prodigia, et, ut ait D. Thom. à cœlorum motione cessabunt. Unde et S. Augustinus serm. 130. de Temp. *Sicut*, inquit, *principe judicante, non solùm rei, sed et officia, quæ nihil sibi conscia sunt, timore et tremore comprehenduntur propter judicis terrorem: ita et tunc, cum genus humanum judicabitur, et cœlestes ministri pavebunt, et terribili apparatu de judicis intuentis horrenda formidine contremiscent*, id est, videbuntur contremiscere: vere enim contremiscere nequeunt; sunt enim beati, in quos non cadit tremor, nec ulla passio aut perturbatio. Ad hæc cœlo et Deo fruentes nihil sub cœlo et Deo, utpote exiguum, mirabuntur. Sic et *sapiens*, ait Seneca, *super terram et lunam animum attollens, nihil in terra aut metuit, aut miratur.* Hoc enim est magnanimi. Ita Cyrus, ait Xenophon, doctus erat nihil admirari.

Secundo, Cajet. Titelman. et Perer. per virtutes has accipiunt influentias cœlorum, quæ in fine mundi cessabunt.

Tertio, Eusebius, apud S. Thom. in Catena Matth. 24. per has virtutes accipit januas cœli, quæ Christo descendenti ad judicium, et rursum ascendenti ad thronum cœlestem, aperientur.

Quarto, et genuine Jansen. ait has virtutes esse astra cœli : hæc enim in Scriptura vocantur militia cœlorum; ut, sicuti paulo ante dixit: *Stellæ de cœlo cadent;* ita hîc de iisdem, sed æthereis, et cœlestibus, non autem de aereis, uti paulo ante, dicat, quòd commovebuntur, et quasi contremiscent. Huc accedunt Hesselius et Maldonat. in Matth. 24. Virtutes, inquiunt, cœlorum, sunt poli et cardines cœlorum. q. d. Cardines ipsi, et bases ac fundamenta cœlorum commovebuntur, ut cœli à suis cardinibus concuti et convelli videantur. Hoc est enim quod ait Job. cap. 9. 6. *Qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur.* Et c. 26. v. 11. *Columnæ cœli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus.*

Quinto, Franc. Suarez 3. part. q. 59. art. 6. disp. 56. sect. 3. Virtutes cœlorum, inquit, hoc est angeli, commovebuntur ; commovebunt enim et comparabunt se, ut fiant ministri divinæ justitiæ, qui cœlos et elementa commoveant, qui nimirum omnes illas admirandas mutationes et motus in sole, stellis, mari et terra causent et efficiant. Erunt enim, ut videtur, majores, quàm ut per solam stellarum influentiam, vel virtutem fieri possint. Fient ergo per angelos, quibus recte accommodari potest illud psalm. 149. *Gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus increpationes in populis, ut faciant in eis judicium conscriptum.* Et huc etiam referri possunt multa, quæ in Apocalypsi dicuntur, scilicet S. Joannem vidisse angelos nunc canentes tubis, nunc effundentes phialas aureas plenas iracundia Dei, et similia, quæ legi possunt à c. 8. usque ad 16. Hucusque Suarez. Huc accedit Lactantius lib. 7. cap. 16. qui per virtutes has accipit angelos motores cœlorum. Hi, inquit, commovebuntur, quia mutabunt ordinem et modum movendi cœlos, eumque nunc accelerabunt, nunc retardabunt, etc. uti superius ipsius verbis commemoravi. Hinc et sequitur :

ET OMNIS MONS, ET INSULÆ DE LOCIS SUIS MOTÆ SUNT,] proprie ut verba sonant. Si enim stellæ de cœlo cadent et cœlum recedet sicut liber involutus, quid mirum si in terra montes et insulæ de locis suis moveantur ? Erit enim in die illa horribili quasi occasus mundi, totiusque Universi inversio et eversio, ut omnia inverse sursum, deorsum, antrorsum, retrorsum pessum eant. Sic L. *Marcio*, inquit Plinius lib. 2. cap. 83. *et Sex. Julio Coss. in agro Mutinensi duo montes inter se concurrerunt, crepitu maximo assultantes recedentesque, inter eos flamma fumoque in cœlum exeunte interdiu, spectante è via Æmilia magna equitum Romanorum, familiarumque et viatorum multitudine. Eo concursu villæ omnes elisæ.* Et paulo post : *Non minus mirum ostentum et nostra cognovit ætas, anno Neronis supremo, pratis oleisque, intercedente via publica, in contrarias sedes transgressis, in agro Marrucino.* Et cap. sequenti : *Maximus terræ memoria mortalium extitit motus, Tiberii Cæsaris principatu, duodecim urbibus Asiæ una nocte prostratis.* Vide eumdem lib. 2. cap. 90. et sequent. ubi terras terræ motu mari permutatas, haustas, absorptas recenset. Et c. 94. ait terras semper trementes exstare in agro Gabiensi et Reatino. Et c. 95. *Quædam*, ait, *insulæ semper fluctuant, sicut in agro Cæcubo, et eodem Reatino, Mutinensi, Statoniensi, in Vadimonis lacu, et ad Cutilias aquas sylva opaca, quæ nunquam die ac nocte eodem loco visitur : in Lydia quæ vocantur Caluminæ, non ventis solum, sed etiam contis quò libeat impulsæ. Sunt et in Nymphæo parvæ, Saltaures dictæ, quoniam hi symphoniæ cantu ad ictus modulantium pedum moventur. In Tarquiniensi lacu magno Italiæ, duæ nemora circumferunt, nunc triquetram figuram edentes, nunc rotundam complexu, ventis impellentibus; quadratam nunquam.* Tales terræ insulæque fluitantes visuntur juxta Audomaropolim in Belgio, eæque olim mihi ibidem ostensæ sunt. Memorabile est quod scribit Gregor. Turon. l. 4. c. 30. *Castrum Tauredunum in Galliis*, inquit, *situm est in monte supra Rhodanum. Auditus est vero per dies amplius sexaginta mugitum edere mons, donec tandem mirabiliter scissus ab alio sibi vicino monte, cum universo castro omnibusque incolis in Rhodanum præceps rueret. Accidit hoc imperante Justiniano.* Simile quid accidit nuper anno Domini 1618. die 4. Septembr. Cum enim tunc agerem in Italia, Romæ certo intellexi oppidum Piure in Valle Telina (quæ subjecta est Rætiis, qui nunc Grisones vocantur) non longe à Como, situm ad radices montis, eo, per ventum internum, qui terræ motum excitavit corruente plane oppressum esse et obrutum, omnesque incolas (censebantur ad tria millia) pariter obrutos quinque tantum evasisse. Indicium præcessit, fluminis, quòd oppidum interluebat, siccatio; ac duo examina apum ita furiose inter se depugnantia, ut utrimque omnes mortuæ conciderint. Horribile hoc exemplum Grisones, et totam Italiam perculit. Damnum æstimatum fuit duobus millionibus auri. Tradunt veteres Historici Siciliam olim fuisse Italiæ conjunctam, postea dirupta maris fluctibus terra, aquam perviam eam avulsisse insulamque effecisse. Ita Diodor. lib. 4. c. 14.

Secundo, ex hisce verbis : *Et omnis mons, et insulæ de locis suis motæ sunt*, aliqui opinantur in fine mundi montes deprimendos in valles, iisque æquandos, ut terra sit plane rotunda, qualis creata est die primo mundi. Nam die tertio ad usus hominum et animalium, Deus terram una ex parte aggeravit et erexit in montes, alia sustulit et depressit in valles, uti docui Genes. 1. v. 8. Cessante ergo usu vitaque hominum et animalium, videtur terra ad primigeniam suam figuram orbicularem plane reditura : quod si verum est, ergo deprimentur montes. Similiter censent insulas in mari enatas, in fine mundi sorbendas à mari, ut mare plenum suum locum alveumque recipiat, quem accepit primitus Genes. 1. 9. et 10. Quid hac de re futurum sit docebit experientia finisque mundi. Nam pro adversa sententia facit, quòd montes et insulæ non parum faciant ad decorem et varietatem Universi : unde non primo die mundi rudis et informis, sed tertio, quo terra formata et adornata est, à Deo producta sunt.

15. OMNIS SERVUS ET LIBER.] Omnis homo cujuscumque conditionis, impius scilicet. Hæc enim est impiorum pœna, æque ac vox et gemitus, qui sequitur. Erunt enim tunc plerique omnes infideles et impii, et mox dominante Antichristo eum, quasi suum regem et monarcham sequentur, tum ut ejus tormenta evadant, tum

ut ab eo opes et honores consequantur. Sic enim hoc sæculo vidimus, cum rex fit hæreticus aut schismaticus, totum regnum et pene omnes subditos fieri hæreticos aut schismaticos. Pauci ergo erunt fideles, qui adhæreant Eliæ et Henoc, pauciores qui cum iis Antichristo in faciem resistant. Hoc est quod ait Christus Lucæ 18. v. 8. *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Et Matth. 24. v. 12. *Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.*

Et dicunt montibus et petris (magnis, ait Arabicus, puta rupibus) : Cadite super nos.] Citat verba Osee c. 10. 8. sed in sensu allegorico. Nam Osee ad litteram loquitur de captivitate, desperatione et calamitate extrema decem Tribuum, cum urbs et regnum Samariæ excisum est à Salmanasar, decemque Tribus ab eo in Assyriam sunt traductæ. Pari modo idem dicent homines sentientes plagas Dei in fine mundi, tum ante Antichristum, tum magis sub Antichristo, et maxime post eum, cum jamjam adventabit Christus ad judicium. Eadem verba habet. S. Lucas, eaque attribuit Judæis in excidio Jerusalem; utrumque enim horum fuit typus excidii et consummationis sæculi.

Alludit quoque ad Isaiæ 2. 19. ubi de iisdem Judæis obsessis et oppressis ait: *Introibunt in speluncas petrarum, et in voragines terræ, à facie formidinis Domini, et à gloria majestatis ejus, cum surrexit percutere terram.*

A facie sedentis super thronum cœlestem suæ divinitatis, puta facie Dei, et ab ira Agni,] puta Christi hominis adventantis ad judicium : licet enim infideles et impii, præsertim Antichristiani, et persecutores fidelium, initio non credent Dei et Christi potentiam, vindictam et providentiam ; tamen cum audient Martyres in tribunalibus identidem illam deprædicare, ac comminari, illosque pro ea generose et hilariter pati et mori, cumque mox sentient eorum dicta reipsa verificari, plagasque et vindictam ab eis prædictas sibi immitti ; vel inviti credent hæc sibi à Deo et Christo infligi, ac acriora mox infligenda esse. Sic enim Antiochus subsannans et occidens Judæos, ridensque eorum sacra et Deum, à Deo percussus, agnovit suam culpam, Deique justam in se vindictam, 2. Machab. 9. 8. Sic et Pharao in mari Rubro cernens fulgetra in se è cœlo vibrari, marique se obrui, dixit: *Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Sic Imp. Maximianus, acer Christianorum persecutor, sentiens acres dolores, et morbos putidos sibi à Deo immissos, agnovit sibi à Deo Christianorum hæc juste infligi ac persecutionem stitit. Sic Julianus telo cœlesti confossus : *Vicisti,* inquit, *Galilæe, vicisti.*

17. Iræ ipsorum,] Dei et Agni : græce αυτου, id est, ejus. Deus enim et Agnus unum sunt in natura divina. Acute conjicit Leo Magnus, quàm formidabilis futura sit potentia irati Agni, ex ipsius lenitate et mansuetudine, serm. 1. de Passione Domini : *Ego sum,* inquit (Joan. 18. 5.), *et ad vocem ejus turba prosternitur impiorum. Quid jam poterit majestas ejus judicatura, cujus hoc potuit humilitas judicanda?* Et Gregor. l. 17. Moral. c. 21. *Quis ejus iram toleret, cujus et ipsa non potuit mansuetudo tolerari?*

Porro tantus erit pavor, tantusque pudor damnandorum coram Christo judice, qui ita percellet et peterrebit conscientiam ipsorum, ut optent obrui tegique montibus, imo esse in inferno potius, quàm in valle Josaphat coram Christo irato. S. Basilius merito existimat acerbissimum cruciatum ultricibus inferorum flammis inustum damnatis, pudore isto et confusione longe leviorem ac tolerabiliorem esse. Ponderans enim acerrimam illam increpationem Lucæ 12. 20. *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te; quæ autem parasti, cujus erunt?* sic ait hom. contra divites avaros : *Superat æternam pœnam irrisio ista stultitiæ.* Lege Cardinalem Toletum Lucæ 12. annotat. 39.

Nota. Hæc eadem signa horrenda, judicio et excidio orbis prævia, prædixerunt alii Prophetæ, partim sensu litterali, partim allegorico. Unde Tertull. lib. de Resurrect. carnis c. 22. citans verba Christi Matthæi 24. de excidio urbis et orbis, sic ait : *Posteaquam edixit, Et tunc erit Jerusalem conculcatui nationibus; inde jam in orbem et in sæculum prædicat secundum Joelem et Danielem, et universum concilium Prophetarum, futura signa in sole, luna et stellis.*

Primus ergo Joel cap. 3. 2. de eo ad litteram sic ait : *Congregabo omnes gentes in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis ibi super populo meo.* et v. 14. *Juxta est dies Domini in valle concisionis. Sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum.* Et 2. v. 1. sub typo excidii Hierosolymæ per Chaldæos : *Venit,* inquit, *dies Domini, dies tenebrarum et caliginis,* et v. 10. *A facie ejus contremuit terra, moti sunt cœli. Sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum. Et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui.* Et v. 30. *Dabo prodigia in cœlo, et in terra, sanguinem, et ignem, et vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis.*

Secundus est Isaias, qui c. 13. 9. ad litteram loquens de excidio urbis Jerusalem, allegor. sub eo quasi typo, diem excidii orbis ita depingit : *Ecce dies Domini veniet, crudelis, et indignationis plenus, et iræ furorisque ad ponendam terram in solitudinem, et peccatores ejus conterendos de ea. Quoniam stellæ cœli, et splendor earum non expandent lumen suum : obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo. Et visitabo super orbis mala,* etc.

Tertius est Jeremias Isaiæ assecla c. 15. 9. *Infirmata est quæ peperit septem, defecit anima ejus : occidit ei sol, cum adhuc esset dies ; confusa est, et erubuit.*

Quartus est Amos, qui pariter ad litteram urbi Jerusalem, allegorice orbi cladem ultimam intentat. c. 8. 9. *et erit in die illa : occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis : et convertam festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in planctum ; et inducam super omne dorsum vestrum saccum, et super omne caput calvitium : et ponam eam quasi luctum unigeniti, et novissima ejus quasi diem amarum.*

Quintus est Ezechiel, qui litteraliter stragem Pharaonis et Ægypti, allegorice Antichristi et impiorum ac mundi ita describit c. 32. 7. *Operiam, cum extinctus fueris, cœlum, et nigrescere faciam stellas ejus : solem nubi tegam, et luna non dabit lumen suum, omnia luminaria cœli mœrere faciam super te ; et dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus Deus, cum ceciderint vulnerati tui medio terræ.* Vide de horrore extremi judicii S. Basil. serm. de Judicio, et S. Ephrem.

serm. de S. Cruce et adventu secundo Domini, item serm. de Timore Dei, tom. 3.

Moraliter nota ingens esse, et fore malorum supplicium, metum et pavorem, ac pavidam expectationem plagarum incognitarum, et imminentium. *Pejor est bello timor ipse belli.* Ita sæpe rei magis affliguntur timore et apprehensione mortis ad quam damnati sunt, quam ipsa morte: nam singulis momentis ita anguntur, ut mori millies videantur. Quocirca Seneca l. de Vita beata c. 4. et seq. miseram vitam sitam esse docet in metu æque ac cupiditate; beatam vero vitam sitam esse in utriusque contemptu et victoria. *Summum*, inquit, *bonum est animus fortuita despiciens; virtute lætus quem non extollunt fortuita, nec frangunt; cui vera voluptas est voluptatum contemptio. Quid enim prohibet nos beatum dicere liberum animum, et erectum, et interritum, ac stabilem, extra metum, extra cupiditatem positum? cui unum bonum sit honestas, unum malum turpitudo? Cætera vilis turba rerum, nec detrahens quidquam beatæ vitæ, nec adjiciens. Hunc ita fundatum necesse est, velit, nolit, sequatur hilaritas continua, et lætitia alta, atque ex alto veniens. Quo die infra voluptatem erit, et infra dolorem erit.* Et c. 5. *Beatus est, qui nec cupit, nec timet beneficio rationis. Tunc enim mens pura est, et soluta omnibus malis, cum non tantum lacerationes, sed et vellicationes effugerit, statura semper ubi constitit, ac sedem suam etiam irata et infestante fortuna vindicatura. Nam quod ad voluptatem pertinet, licet circumfundatur undique, et per omnes vias influat, quis mortalium, cui ullum superest vestigium hominis, per diem noctemque titillari velit, et deserto animo corpori operam dare?*

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Signantur ab angelo electi, ne tangantur plagis impiorum, puta duodecim millia ex singulis Tribubus Israel. Deinde v. 9. Joannes videt innumeram turbam ex Gentibus stantem ante thronum Dei cum stolis albis et palmis, gratias agentes et laudantes Deum et Agnum.

1. Post hæc vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem. 2. Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi, et clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ, et mari. 3. Dicens: Nolite nocere terræ, et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. 4. Et audivi numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israel. 5. Ex tribu Juda duodecim millia signati: Ex tribu Ruben duodecim millia signati: Ex tribu Gad duodecim millia signati: 6. Ex tribu Aser duodecim millia signati: Ex tribu Nephthali duodecim millia signati: Ex tribu Manasse duodecim millia signati: 7. Ex tribu Simeon duodecim millia signati: Ex tribu Levi duodecim millia signati: Ex tribu Issachar duodecim millia signati: 8. Ex tribu Zabulon duodecim millia signati: Ex tribu Joseph duodecim millia signati: Ex tribu Benjamin duodecim millia signati. 9. Post hæc vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis; stantes ante thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum. 10. Et clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno. 11. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, et seniorum, et quatuor animalium; et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et adoraverunt Deum. 12. Dicentes: Amen. Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus et fortitudo Deo nostro, in sæcula sæculorum. Amen. 13. Respondit unus de senioribus, et dixit mihi: Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? et unde venerunt? 14. Et dixi illi: Domine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. 15. Ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus, et qui sedet in throno, habitabit super illos. 16. Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus; 17. Quoniam Agnus, qui in in medio throni est, reget illos, et deducet eos ad vitæ fontes aquarum, et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.

Hoc caput pertinet ad sextum sigillum, estque altera ejus pars. Nam post hoc caput, statim initio sequentis capitis 8. septimum sigillum subnectitur, et reseratur. Itaque est hoc caput

pars sexti sigilli, sed ita ut simul sit quasi præambulum et præparatio ad caput sequens, et ad septimum sigillum. Cum enim c. 6. præced. in priore parte sexti sigilli dixisset fore horrenda signa in terra, sole, luna, stellis et cœlo, quæ extrema supplicia mundo, id est impiis portendant et intentent, quæ nimirum in septimo sigillo per septem angelorum tubas et plagas exhibentur : hinc, ne plagæ hæ et supplicia pios et sanctos fideles cum impiis simul involvant et affligant, signantur hoc capite pii et sancti, ut angeli plagas immissuri in orbem et impios, caveant ne hosce signatos tangant, aut plagis suis afficiant. Sicut enim Deus Exodi 12. 7. percussurus per angelum primogenita Ægyptiorum, jussit prius signari domos Hebræorum, ut angelus percutiens eas transiliret, et non tangeret. Rursum sicut Ezechiel. 9. 4. Deus percussurus Jerusalem et Judæos sceleratos, jubet prius in ea signari sanctos, ne illi cum sceleratis percutiantur : ita pariter jubebit in fine mundi signari sanctos, ne communibus orbis plagis involvantur. Unde c. 9. 4. dicitur : *Præceptum est locustis, ne læderent fenum terræ, neque omne viride, nisi tantum homines qui non habent signum Dei in frontibus suis.*

Dices : Hi signati v. 9. dicuntur habere stolas albas et palmas, ac esse ante thronum Dei : ergo sunt beati in cœlo, non autem militantes in terra. Respondeo S. Joannem per visionem vidisse eos in cœlo, quia signati et conscripti erant cives in cœlo : revera autem adhuc existebant et militabant in terra, uti patet ex jam dictis. Quia enim in media illius ultimi et impiissimi sæculi iniquitate, atque in persecutione Antichristi mansuri sunt constantes in fide et pietate usque ad finem vitæ, hinc signati et destinati sunt ad gloriam cœlestem, 2. Timoth. 2. 19. Et propter utrumque jubet Deus illos hîc signari ad hoc, ne ab angelis septem plagas ultimas in orbem effundentibus lædantur. Itaque ad litteram agitur de Sanctis victuris sub finem mundi, et tempore Antichristi, quos Joannes per spiritum prophéticum vidit in cœlo, quia eo per Dei prædestinationem et præscientiam destinabantur : ideoque eorum gloriam futuram quasi præsentem enarrat, perinde ac Prophetæ de futuris loquuntur ac si præsentia aut præterita forent, ut significent ea tam certo eventura, ac si jam facta essent. Porro hi signati ex Judæis, erunt fideles conversi è Judæis ad Christum partim ante Antichristum, partim et potiori parte post Antichristum; eo enim cæso omnis Israel convertetur ad Christum, uti inferius dicam.

Quare minus congruæ, minusque probabiles sunt aliorum sententiæ, quas hîc recensebo, ut lectori plene et plane satisfaciam.

Imprimis ergo Ambrosius sicut per priorem sexti sigilli partem, in fine cap. sexti recensitam, accepit Judæorum reprobationem; ita hîc per alteram ejusdem sigilli partem, accipit Gentium omnium vocationem, electionem et glorificationem tum in terra, tum in cœlo.

Secundo, Lyran. Aureol. et Viegas, sicut priorem partem retulerunt ad persecutionem Diocletiani; ita hanc referunt ad Ecclesiæ pacem mox secutam sub Constantino, profligatis quatuor angelis, id est, quatuor tyrannis, itaque hîc Constantini cum illis bella et victorias describi.

Tertio, Primasius, Haymo et Ansbertus hæc referunt ad tempus quod Christum antecessit.

Quarto, verisimilius Andreas, Beda, Ribera et Pererius : Sicuti, inquiunt, priore parte sigilli sexti tristia Antichristi tempora, mundique supplicia Joannes, vel potius Christus, reseravit; ita hîc Ecclesiæ lætitiam et felicitatem, mox post Antichristum secuturam; cum innumeri ex Judæis et Gentibus eligentur ad gratiam et gloriam, subtexit. Verum, ut recte objicit Alcazar, non servant ipsi acoluthiam, sive debitam Apocalypsis sequelam et ordinem. Perperam enim ponunt hæc inter sigilla, cum ipsi censeant sigilla omnia continere ea quæ præambula erunt Antichristo, non posthuma. Rursum, perverso ordine ponunt hæc post Antichristum futura in fine sexti sigilli, ante septimum, quod continet plagas prævias Antichristo. Tertio, hæc signatio signatorum non fiet directe et proprie ad gloriam, sed ad hoc; ne angelis plagis suis eos attingant. Potest tamen hæc expositio commode explicata, cum nostra conciliari eique accommodari.

Quinto, Alcazar putat hanc signationem Sanctorum non pertinere ad sextum sigillum, sed esse præambulum septimi sigilli. Quia enim ipse censet primis quatuor sigillis recenseri felicitatem Judæorum in Christum credentium, tribus vero ultimis infelicitatem et plagas incredulorum et rebellium, ac præsertim excidium eorum per Titum; hinc censet signari hîc Christianos, qui Judæis in Jerusalem erant permisti, ut ex ea egrediantur, itaque plagas ejus septimo sigillo reserandas evadant. Ita factum est : nam Dei monitu evaserunt ipsi in Pellam urbem, ait Euseb. lib. 3. histor. c. 5. Quocirca congrue Dei nutu, inquit Alcazar, hæc urbs, vel anterius, vel posterius, à Christianis dicta est Pella, id est *mirabilis separatio;* quia Deus mira sua providentia eos ibidem servavit, ac separavit à Judæis pereuntibus in Jerusalem; sicut olim terram Gessen separavit à reliqua Ægypto, cum eam à muscis, grandine, tenebris, aliisque plagis Ægypti servavit intactam et immunem : Pella enim hebr. derivatur à rad. פלא *pala*, id est, separavit, vel mirabilem fecit. Unde Exodi 8. 22. ubi nos legimus : *Faciam mirabilem terram Gessen*, pro *faciam mirabilem*, hebr. est הפליתי *hiphleti*, à rad. *pala*, q. d. Ego faciam illam Pellam, ego illam ab Ægypto dividam, et mirabilem reddam. Similiter Exodi 9. 4. *Faciet Dominus mirabile*, hebr. est והפלא *hiphla*, hoc est, *faciet pele*, faciet mirabile, et separabit Gessen à reliqua Ægypto.

Verum hæc omnia subverso ejus fundamento (de quo superius sæpius actum est) corruunt, et ingeniosæ tantum allusiones sunt, ludusque ingenii.

1. POST HÆC VIDI QUATUOR ANGELOS STANTES SUPER QUATUOR ANGULOS TERRÆ, TENENTES QUATUOR VENTOS TERRÆ, NE FLARENT SUPER TERRAM, NEQUE SUPER MARE, NEQUE IN ULLAM ARBOREM.] Quatuor primarii sunt venti, flantes, à quatuor orbis partibus, puta Aquilo à Septentrione, Auster à Meridie, Eurus ab Oriente, Zephyrus et Favonius ab Occidente. Et hos quatuor tantum nominabant veteres, teste Plinio lib. 2. c. 47. Verum posterioribus sæculis nautæ hosce quatuor in plures alios subdiviserunt, et singulis duos, imo quatuor laterales addiderunt,

Quæres quinam sint hi quatuor angeli et quatuor venti? Respondet primo Ambros. quatuor angelos esse Romanum Imperium, quatuor ventis, id est mundi plagis, imperans. Sic et Primas. Ansbertus, Anselmus et Beda per quatuor angelos accipiunt quatuor præcipua mundi regna, quæ, cum Christus venit in mundum, tenebant ventos, id est pacem, lætitiam, opes et commoda orbis, quia suis rapinis et cædibus homines divexabant.

Secundo, Aureolus et Lyranus: Quatuor angeli, inquiunt, fuerunt quatuor tyranni tempore Constantini, puta Maximinus in Oriente, Severus in Italia, Licinius in Ægypto, Maxentius Romæ, qui tenuerunt ventos, id est, doctores, ne disseminarent fidem Christi. Sic fere et Ambros. Primas. Beda, Anselm. Richard. Ansbert. Rupert. Hugo, Dionys. Pannonius et Viegas.

Tertio, et melius, Andreas Cæsar. Ribera et Pererius, proprie accipiunt angelos, qui justitiæ Dei administri in fine mundi improbos affligent, sicuti terræ motu, obscuratione solis et stellarum, ita et cohibitione ventorum, summaque malacia, ita ut nec folium arboris agitetur. Quæ ingens est plaga: per hanc enim necesse est consequi primo, ut mare navigari nequeat; secundo, ut fructus tempestivam maturitatem consequi nequeant; tertio, ut aer crassus et infectus non possit depurari, nec attenuari, sed corrumpi et putrescere debeat; ac consequenter quarto, omnia quæ in terris vivunt, tabescere, deficere et emori. Venti enim suo flatu fovent omne vivens, ut pulchre docet Seneca lib. 5. Natural. qu. 18. Unde vers. 3. idipsum explicat Joannes dicens: *Nolite nocere terræ et mari*, scilicet tenendo ventos, ne flent in terra.

Quarto, et optime, Alcazar putat Angelos hosce fuisse quasi quatuor Æolos, ventorum dominos, qui eos quasi furentes vinculis et carcere frenent, ut ait Virgilius, ne flent et sæviant in terram. Unde hi angeli græce vocantur κρατουντες, id est, tenentes et comprimentes ventos, sicut qui rapidum molossum tenet et comprimit, ne dimissus in obvios irruat; quomodo Virgilius Æolum vocat tempestatum potentem. Itaque angeli hi nocebant terræ, non tenendo, sed laxando ventos: hi enim laxati vehementi impetu, et insano murmure furentes sævissimam excitabant tempestatem. Probat id primo. Nam quod hîc dicitur angelos hos tenuisse ventos ne flarent, id eis dictum et jussum fuit antequam servi Dei signarentur; ergo hoc ipsum non fuit plaga, sed potius retinaculum plagæ: mox enim jubet eis angelus, ut nullam plagam terræ inferant, donec servi Dei signentur; retentio ergo ventorum præcessit plagam, ac consequenter non fuit plaga. Secundo, quamvis malacia, et compressio ventorum damnum aliquod inferat, idipsum tamen lentum est, remissum et languidum: multo autem vehementius et horribilius damnum inferunt venti, idque subito, si omnes eis habenæ laxentur, adeo ut arbores, domos, templa, turres et palatia prosternant; qualem tempestatem ante paucos annos vidimus in Belgio altera Paschatis. Sic enim ait Daniel cap. 7. 2. *Ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari.* Tertio, compressio ventorum æque nocebat signatis, atque non signatis; frustra ergo dicitur eis: *Nolite nocere terræ et mari*, etc. *quoadusque signemus servos Dei nostri.* Secus est in laxatione ventorum: in hac enim jubentur eos ita laxare et moderari, ut procellas excitent quæ impios plectant, pios autem et signatos non attingant. Sensus ergo est, q. d. Vos, ô quatuor angeli, qui præestis quatuor ventis, eosque paratis laxare, ut tempestates concitent, qua plectantur impiissimi hoc ævo in fine sæculorum homines, retinete eos donec signemus servos Dei nostri, ut scilicet mox eos laxaturi, ita eos laxetis, et dirigatis, ut solos impios eorumque domos, hortos et arbores feriant, signatis autem abstineant.

Nota hîc quatuor ventis, utpote è quatuor orbis partibus prodeuntibus, quatuor præsidere angelos, puta singulos singulis; unus ergo præest vento Orientali, secundus Occidentali, tertius Aquilonari, quartus Meridionali. Discimus ergo hîc ventos, eorumque motus et gyros, non tam à vapore, aliave causa naturali (quam difficile est reddere, aut mente capere: unde in ea laborat Aristoteles, et omnes Physici) quàm ab angelis concitari, agi ac dirigi. Deus enim per angelos regit et moderatur orbem: sicut dominus per aurigam regit et moderatur equos et currum.

Porro hosce ventos, procellas, et tempestates recte poni in sexto sigillo, jungique cum obscuratione solis, lunæ et stellarum, patet ex eo quod Christus hæc omnia conjungat Lucæ 21. 25. dicens: *Erunt signa in sole, et luna et stellis, et in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris, et fluctuum;* hunc enim sonitum, et hosce fluctus excitabunt venti. Quare non recte Alcazar hosce ventos refert ad septimum sigillum, putatque illos cum eo idem esse: septem enim plagas septimo sigillo contentas censet non esse aliud, quam horum ventorum, sive tempestatis ab iis excitatæ in septem procellas sive nimbos divisionem: hosce enim nimbos excitabunt venti quatuor contrarii, inter se confluctantes. Nam hosce ventos, ab illis septem plagis septimi sigilli, aliam et diversam esse plagam, patet tum ex dictis, tum ex ipsismet septem plagis, ut patet eas intuenti cap. 8. nam v. g. vi ventorum non potuit excitari plaga quarta, quæ ibidem describitur v. 12. scilicet percussio solis, lunæ et stellarum: nec quinta, quæ describitur c. 9. 1. scilicet apertura abyssi, nec sexta v. 14. scilicet solutio quatuor angelorum, qui ligati sunt in Euphrate. Quod enim Alcazar hasce plagas interpretatur ignorantiam, concupiscentiam et iram, Judæis à Deo inflictas, patet mysticum esse, non litterale.

Quæres an hi quatuor angeli sint boni, an mali, puta dæmones? Noster Martinus Delrio lib. 2. de Magia quæst. 11. censet esse genios Alastores, id est, truces et sævos dæmones, citatque pro hac sententia Clement. Roman. lib. 4. Recognit. Hieron. lib. 7. in Isaiam, August. lib. 5. contra Julian. cap. 3. et alios. Ratio est, quia nocent: ergo videntur esse mali. Verum hæc ratio non concludit: nam etiam boni angeli nocuerunt, cum incenderunt Sodomam tanquam vindices Dei; Gen. 19. Rursum, per eosdem multæ aliæ plagæ orbi immittentur in fine mundi, ut patebit cap. 8. et sequentib. Adde, angeli cum mali sunt, solet Scriptura iis addere aliquod epithetum alienans, vel ex circumstantiis satis significans, se non bonos, sed malos intelligere. Denique hi angeli sunt proprii et directi executores divinæ providentiæ, ejusque loco sunt præsides ventorum, ut eos moderen-

tur et dirigant; præsertim ad puniendum impios, et ad tuendum pios : ergo sunt boni, non mali. Confirmatur, quia Ezechiel. 1. Deus vectus curru Cherubico, stipatus quatuor Cherubinis (qui utique boni erant, non mali) pergit ad exscindendam Jerusalem : ergo pari modo per angelos bonos peraget plagas ultimas, quibus orbis excidium conficiet. Ita Alcazar, Ribera, Pererius et alii.

NE FLARENT,] donec Dei voluntate cognita, angeli laxarent eos ad flandum; hanc autem hîc cognoverunt per alium angelum dicentem : *Nolite noscere* (laxando ventos) *terræ et mari, quoadusque signemus servos Dei nostri.* Unde liquet, postquam signati fuerunt servi Dei, revera angelos laxasse ventos, ac per eos graves procellas et clades impiis intulisse; licet id reipsa factum esse, in sequentibus non narretur.

Ubi nota moraliter Deum per angelos ita moderari vim et ictus fulminum, tonitruorum, ventorum, grandinum, et aliarum procellarum, ut hunc tangant, non illum, hunc agrum, non illum; hanc urbem aut regionem, non illam : præsertim ut impios, eorumque agros et bona affligant, non pios, uti hîc juberi et fieri videmus. Hoc est quod ait Psal. 148. 8. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.* Quocirca dum tonat, fulminat, grandinat, etc. metuant impii, ac per contritionem, vel etiam confessionem Deo se reconcilient, ne hisce ejus plagis tangantur.

Cum ergo ait : *Ne flarent*, intelligit flatum non communem et ordinarium, sed validissimum et vehementissimum, ita ut venti furere videantur, ac sævissimas procellas et tempestates concitent, quibus gravissimas tam in mari, quam in terra clades et damna impiis inferant. Tales enim erunt in fine mundi.

2. ET VIDI ALTERUM ANGELUM ASCENDENTEM AB ORTU SOLIS, HABENTEM SIGNUM DEI VIVI.] Quis hic? Primo, Ambrosius censet hunc angelum esse Christum, quia ab Isaia cap. 9. juxta Septuag. vocatur *Magni consilii angelus*, et à Zacharia cap. 6. 12. *Vir oriens.* Clamor hujus angeli significat efficaciam Christi, qua effecit ut in sua nativitate sublatis bellis esset ubique pax, ut hac ratione citius ipse suum Evangelium per omnes gentes spargeret. Huc refertur expositio Ansberti, Primas. Haymonis, Anselmi, Richardi et Bedæ, censentium angelum hunc esse Christum, qui ascendit ab ortu solis : quia mane surrexit, et Apostolos statim misit ad illuminandum orbem. Hic suo clamore coercet dæmones, ne impediant prædicationem Evangelii.

Secundo, Alcazar censet hunc angelum esse Spiritum sanctum, qui fideles signat se ipso, suaque gratia, eosque ab omni plaga liberos et incolumes præstat; aut potius angelum hunc esse ipsam Spiritus gratiam : hæc enim formaliter fideles et sanctos signat.

Tertio, Aureol. et Lyranus per angelum hunc accipiunt Constantinum Magnum, qui quatuor tyrannos jam dictos, evangelii prædicationem impedientes profligavit : ex quo ingens Ecclesiæ pax lætitia et propagatio est consecuta. Hic habet signum Dei vivi, id est signum crucis, quod è cœlo ei contra Maxentium pugnaturo, quasi victoriæ omnem datum est cum hac inscriptione : *In hoc signo vinces.* Unde tunc multi baptizati, et in baptismo à sacerdotibus signo crucis signati sunt.

Quarto, Victorinus et Gagneius, per angelum hunc accipiunt Eliam, qui sæviente Antichristo, ei, ejusque angelis, id est ministris, se opponet, multosque convertet ad Christum, eosque cruce Christi signabit et insignet. Hæc sententia in speciem est plausibilis.

Quinto, S. Bonavent. in prologo Vitæ S. Francisci, asserit hunc angelum esse S. Franciscum ejusque asseclas Franciscanos. S. Franciscus enim signum Dei vivi, puta crucis, prætulit, cum Christi crucifixi sacra stigmata corpori suo cœlitus impressa sensit. Idem præferunt Franciscani, puta signum pœnitentialis crucis, et habitum cruci conformem, ut omnes ad pœnitentiam et crucis amplexum excitent. Idipsum S. Bonaventuræ certo revelatum esse scribit S. Bernardinus, tomo 2. serm. 60. in princip. Idem dicit Leo X. Pontif. et alii, quorum verba et sententias citat Sedulius in elogiis S. Francisci, et Antonius Daça lib. de Stigmatibus.

Sexto, et optime, Ribera et Pererius censent hunc verum fuisse angelum. Hic dicitur ascendisse, quia prius descenderat è cœlo, eratque in terra, ut hominum salutem curaret et tueretur. Rursum, quia cum sole quasi oriri, et in horizontem, in quo erat S. Joannes, ascendere videbatur : quocirca dicitur ascendisse *ab ortu solis*, tum quia venerat ut læta et prospera nuntiaret, tum quia novam lætitiam, et quasi lucem afferebat. Nasci enim ab Oriente idem est quod exoriri tanquam novum solem, ad illustrandum eos qui in tenebris et umbra mortis sedent. Quomodo de Judæis ab Aman et à morte liberatis dicitur, quòd eis *nova lux oriri visa est.* Esther 8. 16. Et Malach. c. 4. 2. ait : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus.* Habet hic angelus *signum*, græce σφραγίδα, id est sigillum, quod frontibus electorum imprimat, *Dei vivi*, qui scilicet suos à communi exitio impiis parato, in fine mundi servabit et vivificabit. Vox enim *vivi*, est epithetum Dei. Deus enim est ipsa vita increata, quæ omnis angelorum, hominum, animalium et plantarum vitæ, tum naturalis, tum spiritalis, tum beatæ, tum gloriosæ fons est et auctor. Quodnam fuerit hoc signum, jam dicam.

3. QUOADUSQUE SIGNEMUS SERVOS DEI NOSTRI IN FRONTIBUS EORUM.] Alludit ad servos, sive mancipia, quæ olim ab hero stigmate fronti injusto, æque ac pecora, notabantur, ut si fugerent, vel errarent, aut caperentur, ex stigmate cognoscerentur, cujus heri vel domini essent, eique redderentur. Sic Paulus ait se stigmata Domini Jesu in corpore suo portare, Galat. 6. Vide dicta Ezech. 9. 4.

Rursum et potius, alludit, inquit Pererius, primo, ad sanguinem Agni paschalis, quo signabantur domus Hebræorum, ne percuterentur ab angelo cædente primogenitos Ægyptiorum, Exodi 12. Secundo, alludit ad titulum tiaræ pontificis : tiaræ enim inscriptus erat hic titulus *Sanctum Domino*, Exodi 28. ut ex eo quasi signo cognosceretur, quòd esset pontifex Dei sancti.

Tertio et maxime, alludit ad signum *tau*, quo signati sunt gementes in Jerusalem, idque in fronte, Ezech. 9. 4. Unde sequitur hoc signum fuisse signum crucis Christi : hujus enim formam habebat littera *tau;* hoc etiam signum impressum erat domibus et ostiis Hebræorum, uti

docet S. Hieron. in Isaiæ 66. cujus verba citavi Exodi 12. 7. Ratio est, quia nemo à morte æterna (quæ hisce plagis, hacque morte temporali Antichristianis infligenda significatur et inchoatur) liberari potest, nisi virtute crucis Christi, et nisi hoc crucis signo insigniatur.

Denique alludit ad Esdræ l. 4. 2. v. 38. *Surgite et state, et videte numerum signatorum in convivio Domini*, de quo plura v. 14. in fine. Vox *signemus* tacite continet mandatum, quo jubet hîc angelus aliis ut secum signent servos Dei. Unde Arabicus vertit : *Donec signetis servos Dei super frontes eorum.*

Signabunt ergo angeli in fine mundi electos signo crucis. Primo, per sacerdotes signo crucis in Baptismo et confirmatione visibiliter eos consignando.

Secundo, spiritualiter inducendo et exhortando eos per se, et per præcones Evangelii ad liberam, publicam et constantem fidei et crucis Christi coram Antichristianis, aliisque ejus hostibus professionem usque ad mortem. Hujus enim publicæ professionis symbolum est frons. Nam, ut ait Cicero de Petit. consul. *Janua animi frons est :* unde et frons dicitur à ferendo (licet Varro deducat à foraminibus oculorum, quæ sunt in fronte) quod indicia animi vel hilaris, vel mœsti, vel timidi, vel audacis præ se ferat, ut ait Plinius lib. 11. 37. Hinc rursum ostentatio est in fronte, ait Cicero; unde ipse orat. 1. in Catilin. *Sit*, ait, *inscriptum in fronte uniuscujusque civis, quid de republica sentiat.* Frontones ergo, animosos et resolutos sui cultus professores diligit et signat Deus. Hæc signatio est spiritalis, fitque per gratiam Christi. Unde de ea ait Paulus Ephes. 1. 13. *Signati estis Spiritu promissionis sancto ;* et c. 4. 30. *In Spiritu sancto Dei signati estis.* Et de Christo ait Joannes c. 6. 27. *Quem Pater signavit Deus.* Clare vero Paulus 2. Corinth. 1. 21. *Qui*, ait, *confirmat nos nobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus : qui et signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Vide ibi dicta.

Tertio, Andreas Cæsar. Tempore, inquit, Antichristi signo crucis fideles se distinguent et secernent ab infidelibus et Antichristianis. Tunc enim fideles intrepide, citraque ruborem signum crucis Christi in eorum conspectu deferent uti cruces et rosaria publice deferunt et gestant Helvetii Catholici, ut inter medios hæreticos profiteantur suam fidem, seque esse orthodoxos, Christi et virginis Deiparæ cultores. Græcum enim σφραγὶδα significat sigillum visibile et expressum. Idem exigit τὸ *in frontibus;* signum enim in fronte est visibile et omnibus conspicuum. Sic in die cinerum, omnes Christiani in Ecclesia signantur in fronte cruce cinerea : quin et omnes dum surgunt, dum orant, dum prandent, dum incumbunt, et alias sæpe per diem signant se cruce in fronte. Qui adeo usitatus et vetus est mos, ut Tertull. lib. de Corona militis cap. 3. dicat : *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum et ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* Nota. Non ait : Signamus, sed *terimus ;* ita enim crebro signabant frontem, ut eam terere viderentur. Idem docet S. Cyprianus epist. 63. et l. 3. Testim. ad Quirin. c. 22. et alii quos ibidem contra Calvinistas citat Pamelius. Simili ergo modo angeli in fine mundi *signabunt* sua suggestione, id est, excitabunt fideles et sanctos ut signent se signo crucis, illudque in fronte visibiliter forment, pingant aut gestent, quasi symbolum Christi et Christianismi, quo se ab Antichristianis, omnibusque impiis discriminent. Eodem modo milites Christiani cum Godefrido Bullonio, S. Ludovico et aliis, per decem expeditiones, pro recuperanda terra sancta contra Saracenos pugnaturi quasi insigne belli sacri gestabant signum crucis, uti etiamnum nonnulli Ordines gestant. Unde vocabantur expeditiones Cruciatæ, de quibus singulis fuse agit Gretserus tom. 3. de Cruce lib. 2. toto. Sic et Episcopi crucem auream vel argenteam, ipse vero Summus Pontifex adamantinam, etiam dum celebrat, gestat in pectore. Hi enim quasi duces fidelium in bello sacro ad tuendam Christi crucem debent esse fortes ut adamantes.

Denique, si quis proprie ad litteram, ut verba sonant, velit et contendat, quòd angeli per se signabunt fideles, videlicet illos designando et denotando per signum crucis, quod invisibiliter et spiritualiter in frontibus eorum formabunt et impriment; idque ad hoc, ut per hanc designationem et denotationem angeli, plagas sequentes illaturi, sciant quos percutere debeant, quos præterire et servare. Si quis, inquam, hoc sentiat, itaque hunc locum exponat, non trahamus cum eo contentiosum funem. Angeli enim ignorant secreta cordium et conscientiarum, nec in iis vident gratiam et dona Dei : hæc enim pendent à libero hominis arbitrio (quod solus penetrat Deus, qui scrutatur renes et corda.) Quocirca nesciunt an quis sit Dei servus et amicus; multo magis nesciunt an quis sit prædestinatus et electus ad gloriam, nisi id Deus eis revelet, aut aliquo signo judicet. Quocirca jubentur hîc Sancti signari, ut ex hoc signo angeli percussores eos cognoscant, eosque in mente et memoria sua consignent, ut eos à plagis indemnes servent. Verum quid in hac re verius sit mox indicabo.

Signantur ergo hîc fideles tum in frontibus, tum in mentibus angelorum, illi, qui in fine mundi cum abundabit iniquitas, ac præsertim in persecutione Antichristi, dirissima patientur, fortesque et constantes in fine et pietate persistent, ideoque eligentur ad vitam æternam. Signantur, inquam, speciali Dei providentia et gratia ad hoc, ne communibus orbis cladibus involvantur, neve cum impiis reprobis paria mala et plagas, quas angeli eis inferent, patiantur, sed iis eximantur.

Ad hanc signationem et sigillationem sponsus invitat sponsam, dicens Cantic. 8. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Quod S. Ambros. l. de Isaac cap. 8. sit explicat : *Signaculum*, inquit, *Christus in fronte est, signaculum in corde, signaculum in brachio : in fronte, ut semper confitcamur ; in corde, ut semper diligamus ; in brachio, ut semper operemur.* Quare Origen. hom. 8. in diversos : *Gaudentes*, ait, *hoc signum* (crucis) *levemus in fronte, quod dæmones cum viderint, contremiscant. Nam qui aurea capitolia non timent, crucem timent.* Signum enim crucis est tacita invocatio, æque ac professio Christi crucifixi. Hinc à SS. Patribus vocatur frontis decus, fidele signum, arma cœlestia, cassis Christiana, munimentum vitæ, magnum bonum, salutaris

armatura, scutum inexpugnabile, gladius et flagrum regium, quòd omnem diaboli impetum fundit; vivificum signum, insuperabilis Christianorum armatura, immortale vexillum, quo viso dæmones contremiscunt. Citat Patres noster Gretserus l. 4. de Cruce cap. 64.

Ita signo *Tau* in fronte signatus fuit R. P. Henricus Garnettus è Societate Jesu, Angliæ Martyr : *Cum enim Sociis in Anglia per viginti annos magna cum laude in quotidianis mortis periculis præfuisset, tandem anno Domini* 1606, *die tertia Maii pro Catholica fide gloriosum obiit Martyrium. Catholicus, qui spectator aderat, purpuratam sanguine spicam, ex substrato Martyris corpori stramine religiose sustulit : quam dum domi conspicatur attentius, vividam Patris imaginem in ea expressam conspexit. Verticem capitis ingens cingebat corona. Crux in fronte rutilabat stellæ inclusa, signaculum cordis illius utique, in quo fasciculus myrrhæ commorabatur; ut ideo etiam optata Inventioni Crucis dicata die, martyrii palmam sit consecutus. Sub mento Cherubinus visebatur alatus, vel angelicam ejus puritatem, vel sapientiam et doctrinam, vel utrumque indicans. Quia enim ad justitiam erudiit multos, Doctorum laurea decoratur, et quasi stella inter Cherubinos lucet in perpetuas æternitates. Imago hæc vultus ejus in spica sæpius excusa, per omnes Christianorum provincias sparsa est.* Miraculosam autem hanc ejus effigiem in prototypo etiamnum perdurare, viri graves occulati testes mihi constanter affirmarunt. Primis Ecclesiæ temporibus moris erat Christianis signum crucis, aut nomen Jesu candentibus notis carni inurere, uti testatur Procopius in c. 44. Isaiæ.

S. Wenceslaus, Bohemiæ rex et Martyr, cum adolescens in aula Ottonis imperatoris vitam ageret angelicam, ideoque à principibus cæteris despiceretur, cruce aurea divinitus signatus, ab angelis in conspectum Imperatoris perductus est : quo viso commotus Imperator, eum in suum concessum recipit, et brachio S. Viti magnisque muneribus donavit. Hæc crucis signatio martyrii fuit prænuntia, quod ipse fortiter obiit ante templi fores orans, cæsus à fratre Boleslao, qui coronæ ejus et regno Bohemiæ inhiabat, anno Domini 938. Ita Æneas Sylvius, qui postea creatus Pontifex vocatus est Pius II. in histor. Bohem. c. 14. Baron. anno jam dicto, et alii.

Quæres an hæc signatio ostensa Joanni sit tanquam futura realiter, an vero fuerit tantum visio imaginaria, imaginarie tantum futura ?

Resp. fuisse visionem imaginariam. Id patet primo ex eo quod ait : *Et vidi.* Visus est ergo S. Joannes sibi videre angelum clamantem et dicentem : *Nolite nocere terræ*, etc. *quoadusque signemus servos Dei nostri.* Et mox vidit eum singulos signantem, et colligentem numerum signatorum 144 millia. Secundo, quia vers. 9. pariter vidit in cœlo cum palmis, stolis et coronis, animas fidelium Gentilium, qui adhuc vivebant in terra, et æque ac Judæi signabuntur, ne lædantur ab angelo ventorum præside, qui per ventos clades illaturus est orbi. Ergo hæc omnia fuerunt visio imaginaria. Nec enim hæ animæ erant beatæ, sed beandæ, nec revera habebant, aut habituræ erant coronas, palmas et stolas, cum sint animæ et spiritus : sed per hasce symbolice repræsentabatur Joanni earum victoria et gloria. Tertio, quia plane alludit Joannes ad Ezech. 9. ubi signantur signo *Tau* pii gementes, quos Deus in excidio Hierosolymæ per Chaldæos, intactos servari volebat. Illa autem signatio fuit tantum imaginaria, ut ibi dixi. Nam Ezechieli in visione tantum signati videbantur ab angelo gementes, ac signati servari, non signati occidi : ut per hoc significaretur gementes pios, quasi ab angelo signatos, et protectos, à cæde Chaldæorum fore immunes ; alios vero omnes, utpote impios, ab eis occidendos. Talis prorsus fuit et hæc visio signatorum Joanni exhibita. Ratio est, quia angeli, cum sint puri spiritus, non egent signo *Tau*, crucis aut aliarum rerum sensibilium, ut cognoscant qui sint servi Dei, et servandi, qui non ; sed sufficit eis minimum Dei, vel angeli alterius indicium, sive revelatio. In fine ergo mundi Deus vel per se, vel per angelum indicabit angelis plagas illaturis, dicetque : Ne percutiatis tales et tales, v. g. talem Petrum, Jacobum, Joannem, Agnetem; hi enim servi mei et amici sunt. Ex hoc enim indicio, angeli eos in mente et memoria signabunt, cavebuntque ne plagas eis inferant : non ergo signabunt eos angeli visibiliter in frontibus.

Hæc tamen visio imaginaria fundamentum habebat in re, significabatque signationem realem, qua Sancti in fine mundi, tum in Baptismo et Confirmatione, tum per persecutionem et martyriorum tolerantiam, in iisque fidei de Christo crucifixo professionem publicam ; tum proprie per formationem et gestationem signi crucis reipsa signabuntur cruce, uti paulo ante dixi, idque ad hoc, ut ostendant se servos Dei et Christi crucifixi : ostendant, inquam, non angelis percussoribus, sed hominibus, præsertim Antichristi ministris et asseclis : coram iis enim profitebuntur suam fidem et religionem Christianam, cujus symbolum est crux ; sicut ex adverso Antichristus suos asseclas signabit suo signo et charactere, de quo audiemus cap. 13. 16.

Crux ergo est signaculum amicorum et electorum Dei, ideoque non fugienda, sed ambienda ; uti multis ostendi Ezech. 9. 4. Deus enim cum cruce simul dat robur et consolationem, ad eam læte et fortiter ferendam, uti aiebat S. Teresa. Hoc est enim quod ipse promisit dicens psal. 90. *Cum ipso sum in tribulatione.* Hinc viri prudentes et sancti quotidie orant per crucem, utque Deus eam in dies augeat, ac majorem semper immittat. Certi sunt enim primo, per hoc gratiam et spiritus robur pariter sibi additum iri ; secundo, se similiores esse Christo crucifixo, ideoque Deo esse gratissimos. Si quid enim Deo gratius esset quàm crux, utique illud dedisset Filio suo. Tertio, per crucem crescere patientiam, humilitatem, charitatem, omnesque virtutes. *Virescit* enim *vulnere virtus.* Quocirca uti calx aqua, ita humilis tolerantia et charitas afflictione et persecutione magis accenditur et inflammatur. Hoc est quod aiebat Paulus : *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra*, 2. Corinth. 1. 5. Et Psaltes : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam*, psal. 93. 19. Quocirca à Deo jugiter petebat S. Teresa : *Domine, da aut pati aut mori.* Et S. Xaverius in naufragiis, persecutionibus, aliisque periculis et ærumnis maximis orabat : *Domine, ne auferas àme hanc crucem, nisi majorem.* Christus enim in

hac vita non invenitur, nec apparet, nisi in cruce, ut aiebat S. Martinus, teste Sulpitio. Atque hæc est causa, cur Martyres tam avidi fuerint tormentorum et martyrii, ut ad ea quasi ad epulas hilares accederent, imò procurrerent.

Mirabile est, quod legimus in actis S. Ruffinæ et Secundæ, sororum et Martyrum 10. Julii. Cum enim judex curaret Ruffinam acerbe flagellari in præsentia Secundæ, ut eam percelleret et flecteret; Secunda accensa desiderio patiendi pro Christo, magna et constanti voce ita judicem compellavit: *Quid agis, ô perverse, et inimice omnis virtutis? Cur honore afficis sororem meam, et me relinquis intactam, ut non sim particeps ejus coronæ et gloriæ?* Cui judex: *Stultior videris esse sorore tua.* Ait illa: *Nec soror mea stulta est, nec ego; quia ambæ sumus Christianæ, ac proinde æquum est ut ambæ pro Christo feriamur: nam animus et fortitudo Christianis crescit in plagis et tormentis.* Cumque judex ei minaretur violentiam stupri, respondit: *Nequit virgo perdere virginitatem, nisi ipsa eam ex mente abjiciat, et flagitio consentiat. Si enim vis ei invitæ inferatur, id tormentum est: tormentum autem præmium et coronam adauget. Fac ergo quod vis, præpara ignes, gladios, furcas, eculeos, bestias: quo plus tormentorum dederis, eo magis, tantumque ex æquo augebis, coronam nostram.* Quocirca in bulliens oleum ambæ immissæ, sed illæsæ exeuntes, projectæ in Tiberim; ibi quoque servatæ ab angelo, tandem præcisione capitis gloriosum obiere martyrium.

Mystice, Matthias Succiæ præceptor S. Bernardini Senensis, qui Apocalypsin usque ad c. 15. spiritaliter, subtiliter et pie explicat, extatque apud me manuscriptus. Servi, inquit, Dei dicuntur habere in frontibus signum divinæ contemplationis, sicut v. 9. dicuntur in manibus habere palmas bonæ actionis. E contrario servi Antichristi c. 13. dicuntur habere characterem bestiæ in dextera manu, et in frontibus; qui character est perversa actio in opere, et malignitatis studium in mente.

Mystice quoque Alcazar (quamquam ipse putet hunc sensum esse litteralem, non mysticum: censet enim ipse hîc signari primitivæ Ecclesiæ Christianos, ne plagis quibus Judæi increduli afficientur, tangantur) signantur, imo signant seipsos fideles signo crucis, qui severe suis cupiditatibus imperant easque mortificant et crucifigunt, ut fiant viri pii et spiritales, Christique crucem imitentur: hoc enim signo spiritus Christi notat ipsos, et hac ratione remanent ipsi immunes et liberi, ut eos nulla tangat vexatio, nulla è septem angelorum plagis; liberi ergo sunt à fame, bello, peste, ignorantia, concupiscentiis, furiis et obduratione: licet enim eas sentiant, aut iis subinde tententur, tamen amore et virtute crucis Christi omnia fortiter tolerant et superant. Quocirca D. Taulerus in opusc. quod Vaticinium inscripsit, pag. 671. *Signum*, inquit, Tau *in frontibus habent omnes, qui per fidem Christi vivam in quodam melioris vitæ initio atque profectu inventi fuerint: atque ii erunt immunes ab his plagis, quas Joannes describit cap. 9. sub obscuris quidem verbis, sed luce clarius à B. Hildegardi detectis.* Hactenus ea in operibus B. Hildegardis non inveni.

Servos,] sive qui jam sunt servi, sive qui paulo post convertendi sunt, et futuri servi Christi, firmi scilicet et constantes usque ad finem vitæ. Hi enim in præscientia Dei jam existunt, suntque signati. Nam, ut ait Apostolus 2. Timoth. 2. 19. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognovit Dominus qui sunt ejus; et discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.* Vide ibi dicta.

4. Et audivi numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia.] Multi putant hîc numerum definitum poni pro indefinito. Unde primo, Aureolus et alii censent hoc numero tantum significari plurimos fore convertendos tempore Constantini Imp. tam ex Judæis, quàm ex Gentibus; signatos enim et numeratos esse Judæos, turbam vero innumeram v. 9. esse Gentilium. Verum, quia pauci Judæi fuerunt conversi ad Christum tempore Constantini, uti et deinceps; hinc Lyran. per Israel accipit quoslibet fideles, tam ex Gentilibus, quàm ex Judæis. Hi enim sunt Israel secundum spiritum, non secundum carnem; et in plurimis fuerunt tempore Constantini.

Secundo, Primas. Ambros. Haymo, Ansbert. Anselm. Beda, Ribera, Richard. hunc numerum mystice accipiunt: censent enim eo significari numerum omnium electorum. Hi enim filii sunt Israelis, et duodecim Patriarcharum: filii, inquam, vel naturales, ut Judæi; vel spirituales per fidei imitationem, ut Gentiles. Hisce subscribit Alcazar; sed ita, ut hunc numerum accipiat, non universe de electis omnibus quovis sæculo futuris, sed tantum de primis Christianis, qui eo tempore vivebant quo septem plagæ in pertinaces Judæos (ut ipse censet) Christum abnegantes effusæ sunt. Christianis, inquam, tam Judæis, quàm Gentilibus. Hi enim æque ut illi, sunt spirituales verique Israelitæ, ac filii duodecim Apostolorum, qui veri sunt, Israelis Dei, Patriarchæ. Juda ergo, inquit, est Petrus, libere et veraciter confitens Christum, quòd sit Filius Dei vivi: Benjamin est Joannes, minimus et ultimus Apostolorum in hac vita viventium: Manasse, id est oblivio, est Matthæus, quia oblitus est sui telonii. Dan omittitur, quia convenit Judæ proditori, cujus reprobatione occultissimi Dei judicii mirum exstitit documentum. In ejus locum succedit Levi, id est Matthias. Cuique horum tribuuntur duodecim millia, quia quisque plurimos convertit; juxta illud Isaiæ 60. 22. *Minimus erit in mille, et parvulus in gentem fortissimam.* Addit in fine capitis suspicari se hoc numero 144 millium, non omnes fideles primos, sed tantum primarios, scilicet eos qui socii fuerunt Apostolorum in prædicando et propagando Evangelio, ac fidelium duces significari: unde eis tribui numerum duodenarium, quia hic est numerus collegii Apostolorum, quorum ipsi cunei, et quasi decuriæ fuerunt. Verum repugnat textus: ait enim, *Donec signemus servos Dei*, non duces, uti fatetur Alcazar: qui proinde tandem ab hac suspicione resilit ad priorem suam expositionem.

Verum cum, ut dixi initio capitis, hæc omnia spectent ad sextum sigillum, ac in eo conjungantur cum obscuratione solis et lunæ, stellarum casu, et cœli recessu, etc. ideoque spectent ad finem mundi, et ad tempora Antichristi; hinc sequitur hunc numerum 144 millium signatorum tantum esse eorum, qui in fine mundi tum ante Antichristum, tum sub ipso, tum maxime post ipsum occisum (hi enim

erunt plurimi) ad Christum convertentur, et salvabuntur. Tunc enim omnis Israel salvus fiet, ait Apostolus, Rom. 11. prædicante eis Elia, uti prædixit Malach. c. 4. ita Iren. l. 5. c. 9. et c. 30. Andreas Cæsar. Pannonius, Ribera et Pererius. In fine ergo mundi ex singulis Judæorum tribubus, duodecim millia convertentur ad Christum : duodecim enim millia multiplicata per duodecim, faciunt 144 millia.

Nota. Hæc signatio, cum sit sexti sigilli, fiet ante Antichristum. Tunc enim angeli signabunt, id est, signari incipient, electos (ne ventorum clades, uti dixi v. 1. eis inferant) eosque signari pergent ipso etiam tempore Antichristi, imo post Antichristum : tunc enim plures convertentur ; omnes enim toto hoc tempore, puta in fine mundi, signandi et eligendi, hîc describuntur, simulque recensentur hoc sexto sigillo, ut integer eorum numerus constet, præsertim quia in mente, præscientia et prædestinatione Dei omnes, etiam futuri, jam sunt signati. Præscientia enim divina, in qua hæc vidit Joannes, omnia tempora complectitur. Unde et Joannes statim post hos signatos in terra, transvolat ad turbam Gentilium in terra æque signatam, sed in cœlo quasi existentem, jamque beatam et gloriosam ; quia videlicet, esto in terra adhuc consisteret, tamen ad illam beatitudinem et gloriam à Deo signata erat et conscripta, brevique ab eo beanda et glorificanda.

Quæres an in fine mundi præcise ex singulis Judæorum tribubus duodecim millia, non plures, nec pauciores signandi et salvandi sint, ita ut Judæi ex omnibus tribubus salvandi, præcise futuri sint 144 millia? Affirmat Ribera, additque neminem ex tribu Dan (quia ea hîc omittitur) salvandum fore. Verisimilius Andreas Cæsar. Perer. et alii censent plures ex singulis tribubus salvandos esse, et per duodecim millia significari omnes. Prob. id primo, quia non est verisimile ex qualibet tribu in fine mundi nascituros, æque ac salvandos, fore præcise eodem numero, ut ne unus quidem amplius è Juda, quàm ex Ruben, aliave tribu nascatur et salvetur : non etiam dignum videtur Apocalypseos majestate, ad hasce præcisas minutias descendere, etiamsi veræ essent. Secundo, non est virisimile nullum omnino ex tribu Dan salvandum esse : Danitæ enim cum videbunt Antichristum occisum, seque ab eo delusos, cum exsecrabuntur, et saluti suæ consulent. Tertio, quia Apostolus docet Rom. 11. 26. quòd tunc omnis Israel salvus fiet ; Israel, inquam, non spiritalis et fidelis, uti explicat Ribera, sed carnalis sive naturalis : de eo enim agit Apostolus, ut patet intuenti. Hic enim eo usque derelictus à Deo, tunc ab eo suscipietur et eligetur. Hoc est quod ait Christus Matth. 17. 11. quòd *Elias venturus est, et restituet omnia ;* omnes autem Judæi ex una tribu plures erunt quàm duodecim millia, et universi plures erunt quàm 144 millia. Nam olim ex una tribu Juda bellatores erant sexcenta millia, quibus si parvulos, senes, feminas, ancillas addas, habebis facile trigesies centena millia, sive tres milliones hominum ex Juda ; quin etiamnum in una provincia duntaxat invenies plusquam 144 millia Judæorum. Erunt ergo in fine mundi plures Judæi, ac consequenter plures salvandi quàm 144 millia : totidem tamen hîc nominantur, quia vere totidem, puta duodecim millia è singulis tribubus salvabuntur, sed non tantum. Erunt enim multo plures : vocantur tamen duodecim millia, quia duodenarius symbolum est perfectionis et universitatis : fuerunt enim 12 Patriarchæ veteris, et totidem novi testamenti, puta Apostoli, ad quorum familiam omnes signandi pertinebunt. Audi Bedam, et ex eo Petrum Bongum lib. de Numer. mysteriis, in duodenario : *Quia in quibuscumque singuli fidelium virtutibus profecerunt, antiquorum necesse est Patrum semper fide roborentur, atque informentur exemplis. Ad augmentum autem perfectionis pertinet ipsa duodecies multiplicari, et ad summam millenarium perfici, qui est denarius numerus quadratus solidus* (decies enim decem faciunt centum : decies centum faciunt mille) *Ecclesiæ significans stabilem vitam : quare etiam duodenario signatur, quia per orbem quadratum, id est, per quatuor mundi cardines in fide consistit SS. Trinitatis. Ternarius enim quater ductus duodecim conficit. Hinc Christus duodecim elegit Apostolos ut mundi salutem quam verbo prædicaturi erant, suo quoque numero repræsentarent.* Sic et S. August. lib. 3. de Doctrina Christ. 31. docet num. 144. significari universitatem. Est enim quadratus : duodecies enim duodecim faciunt 144. Significat ergo integram et perfectam fidelium Judæorum multiplicationem, eorumque inter se miram concordiam, et quasi ex quadro et æquo commensurationem. Idem docent passim alii Interpretes. Vide duodenarii symbola et attributa, quæ recensui Ezech. 48. initio capitis.

4. Ex omni tribu.] Nota. Omittitur hîc tribus Dan, et pro ea ponitur tribus Levi, ait S. Hieron. lib. 1 contra Jovin. quia, ut tradit S. Irenæus lib. 5. c. 20. S. Aug. q. 22. in Josue, Theodor. q. ult. in Genes. Ambros. l. de Prædict. Patriarch. c. 7. Hippol. tract. de Consum. sæculi, S. Gregor. 31. Moral. 18. item Cyril. Isidorus, Eucherius, Prosper, Ruffinus, et alii, quos citant Ribera et Perer. item Andreas, Haymo, Richard. Anselm. Beda, Rupert. Lyran. et alii hîc, ex tribu Dan orietur Antichristus, ideoque Danitæ pene omnes illum ut contribulem suum sequentur, sicuti Simeonitæ secuti sunt ducem tribus suæ Zambri, in fornicatione et cultu Beelphegor, ideoque tribus illa pene à Deo excisa est, uti dixi Num. 25.

Probant idipsum Patres citati, primo, ex Genes. c. 49. 17. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita ;* qui locus vel ad litteram, vel certe allegorice intelligitur de Antichristo, uti ibidem docui. Secundo, ex Jerem. cap. 8. 16. *A Dan auditus est fremitus equorum ejus, à voce hinnituum pugnatorum ejus commota est omnis terra.* Quæ verba ad litteram loquuntur de Nabuchodonosor, allegorice de Antichristo. Quare non recte Abulensis in Genes. 49. 17. ait incertam esse hanc traditionem ; pejus Oleaster ait eam esse fabulosam ; præsertim cum fundamentum habeat in S. Scripturæ sensu, vel litterali, vel allegorico. Adhuc enim Judæi servant suas divisiones et origines tribuum, ut hic dicat se esse ex tribu Juda, ille ex Levi, iste ex Dan, sive vere hoc dicant, sive fallantur. Plerique ergo Danitæ, id est, qui putabunt et jactabunt se esse ex tribu Dan, suum cognatum Antichristum sequentur, ideoque peribunt : quæ causa est cur hîc non signentur.

5. Ex tribu Juda.] Non servatur hîc ordo nativitatis, nec excellentiæ tribuum, sed ordo con-

versionis ad Christum, ait Ribera : putat enim ipse, in fine mundi primo convertendam esse tribum Juda, utpote ex qua natus est Christus, deinde tribum Ruben, deinde tribum Gad, et ita consequenter. Verum, licet de tribu Juda ratio ab eo allata probabilis sit, nulla tamen de aliarum ordine ratio probabilis adferri potest, quin potius promiscue videntur ex singulis tribubus Judæi, prædicante Elia, convertendi ad Christum.

Mysticam causam hujus ordinis dat Ambros. Primas. Rupert. Beda et Viegas. Quia, inquiunt, in conversione hominis et vita spirituali primus est Judas, id est confessio veræ fidei, et peccatorum suorum. Secundus est Ruben, id est filius visionis. Filii visionis sunt opera virtutum quæ præscribit ipsa fides. Tertius est Gad, id est, accinctus ad tentationes superandas. Nam, ut ait Sapiens : *Fili accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem.* Quartus est Aser, id est beatus. *Beatus* enim *est vir*, ait S. Jacobus, *qui suffert tentationem : quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Quintus est Nephtali, id est, latitudo : quia qui vicit tentationes cordis, magnam latitudinem et fiduciam in Deo acquirit. *Quia*, inquit Rupert. *hujus beatitudinis firma spe securi, non angustantur, sed firma spe gaudentes, in tribulatione patientes, cum Psalmographo decantant : In tribulatione dilatasti mihi. Et iterum : Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatares cor meum. Et cum matre Samuelis, exultantes dicunt : Dilatatum est cor meum super inimicos meos ; propterea Nephthalim succedit, quod est latitudo ;* quasi post tentationem victam, et beatitudinem partam, cordis et oris dilatatio subsequatur. Sextus est Manasse, id est oblivio : quia qui tentationis victor divinam experitur consolationem, terrenorum omnium obliviscitur. Septimus est Simeon, id est auditio : quia qui terrena obliviscitur, capax est ut audiat et percipiat divina. Octavus est Levi, id est mutuatus : quia qui totus ad Deum aspirat, peregrinum se in mundo, et quasi mutuatum arbitratur. Nonus est Issachar, id est merces, quæ tali peregrino ampla debetur. Decimus est Zabulon, id est habitatio : quia in tali inhabitat Deus. Undecimus est Joseph, id est, additio vel incrementum : quia talis quotidie gratia et virtute accrescit. Duodecimus est Benjamin, id est filius dexteræ : quia talis ad dexteram Dei evehitur in cœlo.

Rursum possumus, inquit Viegas, hæc ad Ecclesiam referre. Ipsa enim in Juda, est in fidei confessione fortissima, in Ruben, bonis operibus fœcunda : in Gad, tentationibus et persecutionibus probata : in Nephtali, charitate dilatata : in Manasse, ea quæ ante sunt obliviscens : in Simeone, divinis auditionibus et revelationibus illustrata : in Levi, cælibatu continentium illustris : in Issachar, futuræ mercedis expectatione suspensa : in Zabulon, Dei ipsius habitaculum : in Joseph, mire propagata : in Benjamin, ad dexteram Dei collocata. Vide et dicta Num. 1. et 2.

Paulo aliter Matthias Sueciæ, præceptor S. Bernardini : Duodecim, inquit, gratias et virtutes Deus dat servis suis, quibus eos ordinat ad divinam contemplationem, nimirum priores sex pertinent ad purgandas malas cogitationes, inter quas prima est Juda, id est confessio ; secunda Ruben, id est cognitio ; tertia Gad, id est promptitudo ; quarta Aser, id est benignitas ; quinta, Nephthali, id est latitudo, puta lata bonitas et beneficentia ; sexta Manasse, id est oblivio malorum. Posteriores sex ordinantur ad mentis per bonas cogitationes illuminationem. In his prima est Simeon, id est obedientia ; secunda est Levi, id est pœnitentia ; tertia Issachar, id est prudentia. Quarta Zabulon, id est perseverantia. Quinta Joseph, id est sapientia : sexta Benjamin, id est charitas.

8. Ex tribu Joseph,] id est, ex tribu Ephraim, qui licet junior, à patre Josepho, vel potius ab avo Jacobo Genes, 48. 11. Prælatus est Manasse seniori : unde retinuit nomen patris ut dignior. Hinc tribus Ephraim amplior et nobilior (quia regalis) fuit, quàm tribus Manasse.

Porro suffecisset dicere : Ex singulis duodecim tribubus signati sunt duodecim millia ; sed iterat hunc numerum per singulas Tribus dicendo : *Ex tribu Juda* 12 *millia signati, ex tribu Joseph* 12 *millia signati*, etc. tum quia hic mos est Hebræorum, uti ostendi Num. 7. 18. tum quia Deus, æque ac Joannes, hac iteratione sortis cujusque tam felicis et beatæ delectatur, et quasi cum ipsis signatis dissuaviatur, ut significet quanti eos faciat, simulque illos ipsos sigillatim compellando, et designando honoret et decoret, sibique acceptissimos esse judicet. Ita Alcazar. Rursum, ut ostendat quanti hæc signatio sit facienda à nobis, quantumque conari debeamus ut inter signatos inveniamur, nimirum ut per bona opera certam nostram electionem et vocationem faciamus, ut ait S. Petrus. Si enim inter signatos reperiamur, bene viximus : si non, præstaret nunquam esse natos, præstaret saxa et bruta fuisse potius quàm homines.

Duodecim millia signati.] Pro *signati*, græce est εσφραγισμενοι, id est, signo notati, sigillati, signo quasi sigillo obsignati ; τὸ signati in Græco non exprimitur, nisi hîc in fine et in principio. Interpres tamen recte et fideliter in singulis tribubus, illud repetiit et expressit ; quia in singulis intelligitur.

9. Post hæc vidi turbam magnam.] Nota. Hæc turba distinguitur à 144 millibus signatorum : licet enim id negare videatur Ticon. et Andreas ; tamen communiter asserunt alii omnes, idque patet ex textu ; nam signati sunt definito et certo numero, scilicet 144 millia, hæc autem turba et innumera : illi sunt ex omni tribu filiorum Israel ; hæc ex omnibus Gentibus : illi ergo sunt Judæi, hi Gentiles. Unde de his ait Joannes : *Post hæc* (post recensitos Judæos signatos) *vidi turbam magnam ;* quia Gentiles initio Ecclesiæ post Judæos conversi sunt. Judæis enim primo promissus fuit Christus, justitia et salus : eis ergo primus locus datur et debetur. Quare minus recte Alcazar censet turbam hanc esse eamdem cum signatis : quasi quos prius Joannes audivit numeratos et signatos ; postea viderit eosdem quasi turbam innumeram. Censet enim ipse signatos Israelitas, non esse carnales, sed spirituales, puta fideles tam ex Gentibus, quàm ex Judæis primitivæ ecclesiæ.

Dices : Cur ergo signantur et numerantur Judæi ? nil autem tale dicitur de Gentilibus, qui æque à Deo signati et numerati sunt ? Resp. quia Judæi, ut dixi fuerunt primi in regno Dei, iique pauci ; unde facile numerabiles : Gentiles vero fuere posteriores, iique plurimi et quasi innumerabiles. Porro Gentiles, æque ac Judæi, sig-

nati fuerunt. Hoc enim intelligitur ex eo quod promisit v. 3. *Donec signamus servos Dei nostri.* Itaque cum ait: *Post hæc vidi turbam magnam ex omnibus Gentibus*, intellige signatorum; de his enim agitur: τὸ ergo *signati*, quod in Judæis expressum est, hîc in Gentibus subintelligitur; sicut è converso stolæ, palmæ gloria et hymnodia, quæ turbæ Gentilium in sequentibus attribuitur, à paritate Judæis signatis attribuenda significatur.

Quæres: Quænam hæc est turba magna? Primo, Ambrosius, Ticonius et Beda censent esse Beatos omnes, qui Dei visione fruuntur. Secundo, Joachim censet esse Martyres quolibet sæculo occisos. Tertio, Lyranus censet esse Martyres occisos à Diocletiano. Ili enim fuerunt innumeri, adeo ut uno mense occisa sint ab eo 17 millia Christianorum, teste Eusebio; ac à Maximiano tota Thebæorum legio simul. Quarto, Aureol. Censet esse Gentiles conversos ad Christum, tempore Constantini Imp. Verum ex dictis patet hæc spectare ad Gentiles Christianos, qui futuri sunt in fine mundi sancti, ideoque signati et electi, ac intacti futuri à plagis septem angelorum septimi sigilli, de quibus cap. seq. Hi enim licet adhuc in terra militarent, tamen Joannes spiritu prophetico prævidens eorum constantiam et victoriam usque in finem vitæ, vidit pariter eorum gloriam et coronam, ipsosque quasi victores et triumphatores in cœlesti beatitudine; coronis, stolis, et palmis amictos, ut dixi initio cap. Ita Ribera et Pererius.

Porro turbam Beatorum magnam fore colligere licet ex ingenti numero solorum Martyrum, qui tamen cæteris Sanctis minor est. Nam sub uno Diocletiano, quolibet mense cæsa sunt 17 millia Martyrum: multiplica hunc numerum per decem annos, quibus ea persecutio duravit, invenies vicies centena millia, sive duos milliones Martyrum. Unde non excedit fidem, posse nos in singulis totius anni diebus honorare triumphos Martyrum, tanquàm tali die in cœlis coronatorum, usque ad triginta millia. Quin etiam ex antiquarum scripturarum monumentis haberi legimus in lib. 3. Revelationum S. Brigittæ, solum Romæ, qualibet die in anno 7 millium Martyrum posse festa celebrari. De sanctis vero Confessoribus, si cum Martyribus conjungantur, in eodem lib. Revel. ita dicitur: *Si mensurares terram centum pedum in longitudine, et totidem in latitudine, ut seminares eam plenam puris granis tritici, quolibet vero granum daret fructum centuplum, adhuc essent plures Martyres et Confessores Romæ à S. Petri tempore usque ad Cœlestinum*, nempe illius ætatis Summum Pontificem. Atque hæ sane revelationes magnam apud nos et doctos viros, teste Joanne Cardin. de Turrecremata qui eas descripsit, auctoritatem obtinuerunt. Quid igitur erit ab Adam usque ad nostra tempora, et non in una tantum urbe Roma; sed in universo terrarum orbe, non unius tantum ordinis aut chori Sanctos recensere, sed omnes Patriarchas, Prophetas, Apostolos et Apostolicos viros, Martyres, Virgines, Confessores, omnis generis, ætatis, sexus et conditionis justos et electos? *Suspice cœlum*, dixit Abrahæ Deus, *et numera stellas si potes, sic erit semen tuum. Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam, quæ est in littore maris.* Hæc autem divina promissio non tam ad carnalem, quàm ad spiritualem referenda est propagationem: *illa enim repetita comparatione cœlestium stellarum*, ait S. August. l. 16. Civit. 23. *mihi magis promissa videtur posteritas cœlesti felicitate sublimis.* Ita noster Thom. Massutius l. 8. Cœlest. Convers. cap. 5. Sane Thom. Bozius de signis Eccles. l. 12. cap. 22. ex historiis et Actis Martyrum colligit, in sola Roma extitisse plusquam trecenta millia Martyrum, inter quos antesignani fuere 27 Summi Pontifices. Noster Franc. Arias lib. 3. de Imit. Christi c. 32. et seqq. per singula sæcula, provincias et persecutiones discurrendo, ostendit ingentem fuisse numerum Martyrum, ac tandem in fine cap. 35. concludit facile quolibet die anni numerari et coli posse triginta Martyrum millia; quæ si per annos à Christo hucusque elapsos multiplices, efficient undecim milliones Martyrum. Idem censent alii apud Genebrardum in Psal 78. v. 4. Ex dictis æstimare licet quòd in fine mundi omnium omnino Sanctorum et electorum, qui quovis sæculo ubivis gentium vixerunt, numerus aliquot centenos milliones conficiet: reproborum vero longe major erit turba, quæ plures non tantum centenos, sed et millenos milliones efficiet. Sæpe enim ex mille hominibus, imo ex decem millibus vix unus salvatur; uti probant revelationes quas recensui Num. 14. 30.

Quam dinumerare nemo poterat.] Quia erat collecta ex omnibus Gentibus totius orbis, ac proinde ingens; et quasi innumera, cum Judæi, utpote pauci, scilicet una gens tantum, jam numerati fuerint, repertique 144 millia. Est hyperbole: vere enim erat finita, imo pauca respectu pereuntium. Quare facile ab angelo numerari poterat: dicitur tamen innumera, quia homo, v. g. Joannes eam videns, eamdem numerare non poterat.

Ex omnibus gentibus et tribubus.] Vox *tribubus* non significat ex omni omnino particulari familia, aliquos in fine mundi fore fideles et salvandos; sed sumitur generice pro familiis amplis et famosis, quæ numerosum populum, et multas particulares familias ab eadem stirpe prognatas complectuntur, quales sunt in Scotia et alibi. Scotia enim distributa est in primarias familias Hamiltoniorum, Gordoniorum, Haiorum et aliorum; ita ut quisque etiam plebeius sciat, ex qua familia sit prognatus, et ad quam pertineat: atque quæque familia suum habet caput, scilicet primogenitum familiæ, qui fere est Comes vel Baro: ac tempore belli, si v. g. inter Comites oriatur dissensio, quisque suam tribum, suæque tribus et familiæ Caput sequitur, illiusque causam quasi suam, ad mortem usque tuetur. Alludit ad 12 Tribus Israel: hæ enim tales fuerunt quales jam dixi, ideoque singulæ populum ingentem constituerunt. Rursum alludit ad familias et Tribus filiorum Noe, Genes. 10. Hæ enim in fabrica turris Babel à Deo in varias terras, æque ac linguas, dispersæ et dispertitæ, varias nationes et populos procrearunt.

Stantes ante thronum, et in conspectu Agni.] Græce ενωπιον του θρονου και ενωπιον του αρνιου, id est, *coram throno et coram Agno;* ergo non tantum videntur à Deo, sed et vident Deum et Agnum: habent enim oculos non clausos, sed apertos; ergo sunt beati. Erant enim in terra; sed Joannes per visionem vidit eos quasi beatos

in cœlo, quia mox à Deo erant beandi, utpote qui puritatem, constantiam, et vitæ cœlestis imitationem, illius felicitatem et gloriam quasi jam inchoabant et præcipiebant.

Nota τὸ *stantes*. Ex eo enim B. Petr. Damiani l. 3. epist. 8. reprehendit Archiepiscopum Bisuntinum, quòd permittat Clericos et laicos tempore officii divini in Ecclesia sedere: Quia, inquit, S. Joannes hîc vidit omnes Sanctos, et v. 11. omnes Angelos non sedentes, sed stantes coram Deo. Sic eosdem illi assistere, non sedere vidit Daniel. c. 7. 10. et Isaias Seraphinos c. 6. vidit stantes: *Ubi Seraphini*, inquit, *sedere non audent, sedet homo luteus, et tanquam pannus menstruatæ luridus et immundus?* Sic et Moses jussu Dei stetit coram eo Deut. 5. 31. Exodi 3. 5. sic et Elias 3. Reg. 18. 15. et David 2. Reg. 6. 14. Aaron quoque et Levitæ jubentur stare in conspectu Dei, Num. 3. 6. tum quia stare est vigilantis, reverentis et attenti, sedere dormitantis, audentis et torpidi: tum quia *cum oramus, tunc velut in acie contra malignorum hostium tentamenta confligimus*. Unde Cantic. 7. 1. *Quid videbis*, ait, *in Sulamite nisi choros castrorum*.

Amicti stolis albis.] Stola alba, uti dixi c. 6. 11. erat vestis honoris, gloriæ et triumphi. Hinc erat vestis sacerdotalis, puta poderis byssina. Et ad hanc hîc alluditur, ait enim v. 14. *Laverunt stolas suas*, etc. *ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus*. Erunt enim Sancti in cœlo reges et sacerdotes Dei, uti dixi c. 5. v. 10. Stola ergo hæc significat Sanctorum, primo, conscientiæ puritatem, castitatem, et candorem; secundo, inde consequentem serenitatem, hilaritatem et lætitiam; tertio, felicitatem et gloriam; quarto, hymnos, gratiarum actiones et doxologias, quas quasi sacerdotes jugiter canant Deo, qui eis dedit victoriam, triumphum et gloriam æternam. Unde S. Gregor. in Marci 16. ubi mulieres venientes ad Christi sepulcrum, dicuntur vidisse *Angelum coopertum stola candida*. Stola candida, inquit, significat gaudium et solemnitatem mentis.

Licet hoc loco hæc S. Joannis verba et oracula pie meditari et admirari: *Vidi turbam magnam*. O turbam sine turba ordinatissimam, maximam, felicissimam! *Ex omnibus gentibus*. O pulchram et variegatam ex tot gentibus varietatem! *Et linguis*. O musicam harmonicam omnium linguarum dissona consonantia, consonoque concentu Deum laudantium! *Stantes ante thronum*. O stationem augustam Deum intuentium et contemplantium! *Et in conspectu Agni*. O conspectum gloriosum Agnum stipantium, et comitantium quocumque ierit! *Amictis stolis albis*. O splendidas stolas immortalitatis et gloriæ! *Et palmæ in manibus eorum*. O palmas magnificas triumphantium! O nobilem victoriam et triumphum! *Et clamabant voce magna*. O lætas voces, ô jubilos perpetuos!

Quæritur hîc an stolæ vere fuerint albæ an vero purpureæ: Petrus Faber lib. 2. Agonistic. c. 12. censet hîc alludi ad hieronicas id est ad sacros victores, puta ad eos qui in sacris ludis et certaminibus Jovi, Marti, Apollini, aliisque diis dicatis, victores evadebant, qui albis, et subinde purpureis, stolis donabantur. Itaque censet ipse stolas hasce albas fuisse purpureas. Audi eum: *Stolas albas Martyribus attribuit S. Joannes; quia hac nivea puraque vestis olim magistratuum erat ac sacerdotum, teste Plutarcho: quæ tamen purissimo Agni sanguine tinctæ, inardescentem defæcatissimi veluti muricis ruborem imbiberant. Nam quod dicitur, eos stolas dealbasse, idem est quòd depurasse*. Probat id primo; nam sanguine non dealbantur, sed rubricantur, itaque depurantur vestes. Græcum ergo λευκαινειν, id est, dealbare sumitur pro καταριζειν, ut ait S. Joannes c. 1. 7. id est, mundare, et pro λαμπρυνειν, id est clarum, pellucidum, atque omnibus maculis detersis purum et nitentem, λευχειμονα, candidatum seu candidum reddere. Stolæ ergo λευκαι, id est, albæ dicuntur, quia ὑπολευκαι, ὀιαλευκαι, vel μεσολευκαι, id est subalbæ, puta purpureo-albæ, sive rubro-albæ erant. Secundo, quia vestis propria Martyrum est rubra, sive purpurea, qua et Ecclesia in eorum festis utitur, Missasque celebrat. Hæ ergo dicuntur albæ, id est, splendentes et fulgidæ, quomodo in transfiguratione Christi ait Lucas cap. 9. 29. quod vestis ejus erat alba, et εξαστραπτων, id est effulgurans. Et Christi vestis alba, qua indutus ab Herode remissus est ad Pilatum, fuit splendida: hoc enim significat Græcum λαμπρα, Lucæ 23. 11. unde à Syro vocatur *coccinea*. De Martyribus enim hunc locum accipiunt S. August. serm. 11. de Sanctis, et sanctus Gregor. hom. 17. in Ezech. Tertio, quia alludit Joannes ad hieronicas: horum autem triumphantium vestes sæpe erant purpureæ. Unde de purpura ait Plin. lib. 9. 36. *In triumphali miscebatur aureo*. Quarto, quia λευκον, Græcis sæpe idem est quod nitidum, limpidum, splendidum. Unde aqua, ver, æstas, fluvius, sermo, versus vocantur λευκα, id est alba; hoc est serena, nitida, lucida. Quinto, quia purpureum subinde idem est, quod candidum et fulgidum. Sic enim cycnus vocatur purpureus, id est, candidus et splendidus.

Ex adverso Alcazar censet albas stolas plane fuisse candidas, non purpureas, idque videtur verius. Nam primo, vincenti cap. 3. 5. promisit Christus vestes albas, non purpureas. Secundo, quia alluditur ad stolas sacerdotales: hæ autem erant byssinæ et candidæ. Tertio, quia alludit ad Isaiæ 1. 18. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt*. Quarto, quia Christi in transfiguratione vestis facta est alba quasi nix, ex mira Christi luce et gloria: talis autem erit et horum servorum Christi, ut patet c. 19. 14. ubi de Sanctis jam gloriosis, Christum ducem equo albo insidentem sequentibus ad prælium cum Antichristo ineundum, dicitur: *Et exercitus qui sunt in cœlo sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo et mundo*. Quinto, quia sæpe triumphantium, æque ac magistratuum, vestes erant candidæ, uti fatetur Faber. Sexto, quia esto purpureum ponatur subinde pro albo, nunquam tamen album ponitur pro purpureo.

Ad primum, resp. sanguine Christi dici animas dealbari metaphorice, id est, emundari. Nam sanguis Christi proprie et physice non tangit animam, ut eam suo colore tingat, inficiat et purpuret. Hoc est quod ait Joannes epist. 1. c. 1. 7. *Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato*. Itaque ut notat Alcazar, consideratur hîc sanguis Christi instar saponis efficacissimi, qui maculas omnes et sordes penitus erodit et abs-

tergit, itaque lintea facit candida, esto ipse non sit candidus.

Ad secundum, resp. animas hasce fuisse non tantum Martyrum, sed quorumvis fidelium Sanctorum et electorum, qui post baptismum vel pœnitentiam tentationibus et persecutionibus omnibus, præsertim Antichristi, fortiter et constanter restiterunt, ideoque vestem candidam baptismo acceptam, aut pœnitentia renovatam non sordidarunt, sed candidam conservarunt, uti docent Ticonius, Beda et alii. Fateor tamen inter eos multos fore Martyres : verum et horum stolæ, quia animas tantum vestiunt, non corpora, sunt candidæ : quia gloria beatifica, quam stola significat, cum sit spiritalis lux et claritas, potius candori quàm rubori comparatur : lux enim est candida, non rubea. Unde in hymno : *Te Deum laudamus* canit Ecclesia : *Te Martyrum candidatus laudat exercitus.* Quòd ergo Martyribus datur color rubeus, fit propter eorum corpora, ut repræsentet sanguinem ab eis effusum mereri purpuram, et regnum cœleste. Quocirca verisimile est, etiam in cœlo dotem claritatis, quæ erit in corporibus Martyrum, ita candidam fore, ut simul sit rubea, sive vermiculata ex candido et purpureo, uti cum D. Soto dixi Daniel. 12. 3.

Jam ergo animæ omnium Sanctorum, etiam Martyrum habent stolam candidam, id est, gloriam beatificam ; post resurrectionem vero corpora Martyrum habebunt claritatem candidam quidem, sed ita ut ei insit aliqua purpurei species et reflexio ; quomodo videmus in gemmis quibusdam candidis et pretiosissimis rubrum inesse halitum, et purpuream quasi animam. Nimius enim candor, præsertim lucis, ita splendescit, ut rubescere et purpurascere videatur, uti patet in fulgure. Et hoc est quod de Christo in transfiguratione ait Lucas.

Ad tertium, quartum et quintum patet responsio ex dictis.

Porro, Martyres vestiuntur candidis. Primo, quia candida designat eos pro cana candidaque fide usque ad mortem decertasse. Color enim candidus notat fidei antiquitatem et canitiem. Unde à Virgil. vocatur *cana fides ;* ita Girald. Syntag. 1. Secundo, quia candida vestis symbolum est Victoriæ et triumphi. Hinc Apocal. 3. 5. *Qui vicerit*, inquit, *vestietur vestimentis albis.* Quocirca Tertull. lib. de Corona milit. *Totus*, ait, *de Apostolo armatus, et de martyrii candida, laurea melius coronatus, donativum Christi, in carcere exspectat.* Et S. Cyprianus serm. de Lapsis sub initium : *Adest militum Christi cohors candida, qui persecutionis ferociam turbulentam stabili congressione fregerunt.* Tertio, quia color albus indicium est pacis, quam Martyres post prælium æternam in cœlis adipiscuntur. Hinc olim deditionis pacisque petitio, non nisi sublata alba veste firma et rata habebatur. Unde Æneas lib. 3. Æneid. ex candore equorum, qui in conspectu Italiæ apparuerunt, pacis omen accipit. Tamberlanes obsidens urbem, primo die vexillum candidum, quasi signum pacis, si se dederent, prætendebat ; secundo die atrum ; tertio die cruentum. Quarto, candida notat gloriam et immortalitatem, ac præsertim dotem claritatis, Martyrum. Hinc Angeli post resurrectionem Christi apparuerunt Magdalenæ et Apostolis in stolis candidis. Hac de causa S. Antonius veniens Alexandriam candidatum se stitit judici, ut ab eo martyrii lauream adipisceretur. Audi de eo S. Athanas. in epistol. ad solitariam vitam agentes : *Cadente præcinctus veste, procedentem judicem suo provocabat aspectu flagrans cupiditate martyrii.* Ita S. Gervasius et Protasius Martyres, albati apparuerunt S. Ambrosio, cum ipse indicio S. Pauli eorum corpora quæsivit et invenit, ut ipse refert in epist. circulari, quam de hac inventione scripsit ad Episcopos Italiæ.

Symbolice S. Bernard. serm. 1. de die Paschæ : *Agmina*, inquit, *hæc sunt Sanctorum dealbatorum, qui laverunt stolas suas, et candidas eas fecerunt in sanguine Agni ; quia exivit cum eo, et in eo aqua dealbans, et testimonium perhibet ipse qui vidit. Aut certe, candidas in sanguine Agni novelli, sanguine lacteo, candido et rubicundo sicut habes in Cantico Canticorum* cap. 5. *Dilectus meus, ait sponsa, candidus et rubicundus, electus ex millibus.* Præclare S. Hieron. tom. 2. epist. 11. *Fruatur*, ait, *ille virtutis corona, et ob quotidiana martyria stolatus Agnum sequatur.*

Et palmæ in manibus eorum.] Palma apud Historicos, et sacros et profanos, symbolum est victoriæ. Unde et in templo Salomonis, æque ac Ezechielis, palmæ erant insculptæ, quasi ingredientibus ostentantes bravium, si pro Deo generose certarent et vincerent, uti fusius dixi Ezech. 41. in fine cap. Hæc enim turba quam vidit Joannes, est victorum : nam de iis ait cap. 15. v. 2. *Vicerunt bestiam* (id est Antichristum) *et imaginem ejus, et numerum nominis ejus.* Præclare S. August. serm. 11. de Sanctis : *Stolis fulgent albis, et palmas in manibus habent, quia præmia in operibus habent, dum corpora quæ pro Domino ignibus ustulari, à bestiis dilacerari, flagris absumi, per præcipitia dissolvi, ungulis abradi, omnimodo pœnarum genere passi sunt dissipari, per resurrectionem glorificata recipiunt,* hoc est, in die judicii se recepturos sperant, imo credunt.

Alludit ad victores in Olympicis aliis quecertaminibus, præsertim sacris, id est ad hieronicas : hi enim veste alba, florida et triumphali, atque palma, subinde etiam corona palmea donabantur. Unde et Tertull. lib. de Fuga in persecutione, sub initium, docet hîc similitudinem desumi à re athletica. *A quo*, inquit, *certamen edicitur, nisi à quo corona et præmia proponuntur : legis edictum agonis istius, quibus præmiis ad victoriam invitat* (dicens cap. 3. 5. *Qui vicerit, hic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ*) *ita agnosces ad eumdem agonothetam pertinere certaminis arbitrium, qui invitat ad præmium.* Rursum, hieronicæ etiam post mortem coronabantur, eisque divinis prope honores habebantur, imo vocabantur ισοθεοι. Ita Pausanias in Arcadicis fol. 219. tradit olim in agonibus, præsertim sacris, victori datam fuisse φοινικουν στεφανον, id est, palmeam coronam, additque à Theseo, cum à Creta rediens apud Delum Apollini agonem instaurasset, coronas palmeas victoribus datas, indeque isti consuetudini factum initium, cujus palmæ apud Delum Homerum quoque meminisse. Et Plutarch. in Theseo : *Ludos*, ait, *eum edidisse ferunt in Delo, ac victores ab illo tunc primum palmæ ramis donatos.*

Porro palmam hanc in medio stadii loco eminentiore, in mensam spectandam proponebant, uti ex S. Chrysost. Virgil. et aliis docet Petr. Faber lib. 2. Agonist. 25. Causam dat Plutarch.

in Sympos. q. 4. in fine : *In certaminibus*, inquit, *placuit palmam signum esse victoriæ ; quoniam ejus indolis est, ut urgentibus opprimentibusque non cedat*, sed fortius assurgat. Rursum, palma significat manibus, et laborando acquiri victoriam. Nam à similitudine palmæ, id est concavæ manus, quæ in digitos desinens decore patet, dicta est palma arbor, quod illius adinstar comam habeat in cacumine circum extensam, et ramos in digitorum modum protensos. Unde et fructus ejus dactylos, id est digitos, vocamus, quod digitorum sint similes. Hinc et palma victori in manum dabatur, quasi palma palmæ : manu enim et palma certando, acquiritur palma triumphi. Quocirca Romæ in Capitolio, bis bello Persei enata palma victoriam portendit. Sic et palma Trallibus in basi Cæsaris Dictatoris, circa bella ejus civilia exorta, ejus triumphos præmonstravit, teste Plinio l. 17. c. 25. Hîc verum istud : *Aurum tibi domi nascitur.* Sic Claudian. in laud. Stiliconis :

Cum totis exurgens ardua pennis,
Ipsa duci sacras victoria panderet ædes,
Et palma viridi gaudens, et amicta trophæis.

Insuper palma in Persei capite enata procellis prostrata est, et eodem loco ficus enata, M. Messalæ et C. Cassii lustro, à quo tempore pudicitiam subversam Piso gravis auctor prodit, ait Plinius lib. 17. cap. 25. Ita mollities castitatis, deliciæ virtutis robur auferunt. Iis victa est Roma, quæ nullis armis vinci potuerat, cum, ut ait Juvenalis.

Sævior armis luxuria incubuit.

Palma ergo hîc datur Sanctis futuris in fine mundi ; quia acre habebunt certamen cum carne, mundo et dæmone, ac præsertim cum Antichristo, aliisque impiis, ac plerique occumbent Martyres ; imo omnes erunt Martyres, saltem in voto et præparatione, et quantum erit ex parte Antichristi. Ipse enim omnes fideles sibi reluctantes, edicto communi ad mortem damnabit, uti fecerunt olim Decius, Diocletianus et alii tyranni. Nam, ut docet S. Cyprianus, Martyres dici possunt omnes illi, qui, decretis principum infidelium et tyrannorum, pro Christi fide damnantur ad mortem. Unde et Confessores olim, qui in carcere degebant, sententiam mortis exspectantes, vocantur Martyres. Hinc S. Cyprianus scripsit librum ad hosce Martyres, quo eos ad martyrium reipsa obeundum animat. Gaudeant ergo, et in Domino glorientur hoc titulo martyrii Religiosi, qui hoc ævo in Japone, China, Anglia, etc., edictis principum infidelium vel hæreticorum proscribuntur, et ad necem damnantur.

Notat Hugo card. folia palmæ esse instar gladii vel pugionis arcta et acuta, ut vere lædant et pungant tangentem, ac per hoc significari primo, gladium quo feriuntur Martyres, in palmam, id est triumphum, verti. Secundo palmam gloriæ non nisi gladio, id est dimicatione, comparari. Sic et malum punicum symbolum est martyrii, de quo dicitur Cantic. 4. *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ ;* quia, ut explicat Beda, inter omnia poma solum punicum esse coronatum, ac granis rubicundum ; ideoque significat pulcherrimam et pretiosissimam Martyrum sanguine suo russatorum ac purpuratorum coronam. *Palma,* inquit S. Ambros. serm. 24. *Martyribus suavis est ad cibum, ambrosa ad requiem, honorabilis ad triumphum, semper virens, semper vestita foliis, semper parata victoriæ atque ideo non marcescit palma, quia Martyrum victoria non marcescit.* Pulchre Tertull. Apolog. 50. *Prælium,* ait, *est nobis, quòd provocamur ad tribunalia, ut illic sub discrimine capitis pro veritate certemus. Ea victoria habet et gloriam placendi Deo, et prædam vivendi in æternum : ergo vicimus cum occidimur, evadimus cum obducimur. Licet nunc Sarmenticios et Semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurimur. Hic est habitus victoriæ nostræ ; hæc palmata vestis, tali curru triumphamus.* Palmatam vocat vestem et tunicam, quòd hoc ei palmæ essent intextæ, quæ etiam Livio lib. 10. nota est in triumphis, à quibus togam palmatam dictam esse notavit quoque Servius in lib. 11. Æneidos. Censet Paschalius liber. 6. de Coronis cap. 21. Tertullianum alludere ad palmas nascentes in rupe Vulcani, quæ ardet perpetuo. Etsi enim ibi radices palmæ ignitis saxis angustiantur, tamen et florent, et uberes fructus edunt ; quod instar miraculi est : ita Martyres inter sarmenta et ignes virent, et fructus cœlestis charitatis et fortitudinis producunt.

Insuper palma salsum solum diligit, à fimo aliena est, ait Ruell. l. 1. de Natura stirpium cap. 118. Ita virtus sale patientiæ condita non patitur se vitiorum sordibus inquinare, sed intaminatis fulget honoribus. Idem de palma docet Theophrastus l. 2. Histor. plant. cap. 8. *Solum*, ait, *arenosum, salsuginosumque concupiscit ; idcirco ubi tale non est, agricolæ salem aspergunt.* Plutarch. lib. de Orac. silentio scribit in templo à Cypselo consecrato, palmam fuisse æneam, ad cujus radices sculptæ visebantur plurimæ ranæ et hydri : palma ranis obsessa significat quod virtuti comes sit invidia. Rursum palma succisa renascitur : mirumque de ea accepimus cum phœnice ave, quæ putatur ex hujus palmæ argumento nomen accepisse (φοινιξ enim palmam et phœnicem significat) iterum mori et renasci ex seipsa, ait Plin. l. 13. c. 4. Ita Martyres morientes renascuntur ad immortalem vitam. *Te stante virebo.* Insuper Q. Calaber describens clypeum Achillis, ait in eo effictum fuisse montem divinæ virtutis, in quo ipsa stabat palmæ vertici pedibus innitens, ardua, ad cœlum pertingens. Virtus enim, ut ait Claudian. in Consul. Theodos.

Divitiis animosa suis, immotaque cunctis
Casibus, ex alta mortalia despicit arce.

Horat. lib. 1. Carm. profitetur homines heroicis et palmatis virtutum victoriis evehi ad deos, et humanitatem pene cum divinitate commutare :

Palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad deos.

Ita heroes et Martyres Dei robur et gloriam participant, suntque quasi dii quidam terrestres.

Denique Plutarch. in Sympos. et ex eo Carolus Paschalius l. 6. de Coronis c. 20. et 21. notat palmam primo, esse longissimæ vitæ ; secundo, non aliunde quàm ex seipsa renasci ; tertio, perpetuo virore superare laurum, oleam, myrtum, quarum arborum foliis cadentibus alia succedunt, cum ipsa nihil amittat sui. Palmam ergo censeri pulchritudine, jugi virore, invicto robore ; ideoque esse symbolum heroicæ virtutis et victoriæ. Hinc à Virgil. 5. Æneid. palma voca-

tur ardua, sicut ad virtutem non itur nisi per ardua. Quocirca Tertull. contra Gnost. *Pyctes*, inquit, *ipse non queritur, dolere se non vult; corona premit vulnera; palma sanguinem obscurat; plus victoriarum est quàm injuriarum.* Et Rursum: *Innumera multitudo albati, et palmis victoriæ insignes revelantur* (hoc loco Apocal.) *scilicet de Antichristo triumphales.* Porro Olympionicarum præmium erat palma, eamque gestabant manibus; alii etiam capite ex ea coronato. Hinc Virgil. 3. Georg.

Seu quis Olympiacæ miratus præmia palmæ.

Et Cassiod. Variar. lect. lib. 8. cap. 22. *Certantes*, ait, *in stadio numerosior corona glorificat, Olympicos currus frequens palma nobilitat.* Hinc in Actis Martyrum passim legimus hunc illumve Martyrum gladio, igne, cruce, etc. palmam martyrii adeptum. Martyribus ergo quasi legitimis hieronicis, verisque Olympionicis palma hîc à S. Joanne, imo à Christo assignatur. Ita S. Paphnutius Anachoreta, palmæ affixus palmam martyrii obtinuit, cujus diem natalem recolit Ecclesia die 26 Septembr. de quo eleganter Poeta:

Palma est victorum: palmæ tu affixus es; ergo
Lætus obi, quoniam non nisi victor obis.

Ita S. Petrum Episc. Alexandr. Martyrem capite plexum, fideles in throno Episcopali (in quo vivens humilitatis studio sedere noluerat) collocarunt cum palmis in signum victoriæ, hymnosque Deo cecinerunt. Quin et audita vox è cœlo: *Petrus principium Apostolorum. Petrus finis Martyrum Episcoporum Alexandrinorum.* Ita habet ejus Vita.

10. Et clamabant voce magna, ingenti gratitudinis, exultationis et jubilationis affectu; Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno.] Subaudi, tribuatur; vel quasi dicant: Apprecamur et congratulamur toto corde Deo suam salutem, gloriam et felicitatem, à quo omnis nostra aliorumque salus et gloria dimanavit. Ipse enim non tantum à plagis angelorum, in fine mundi orbi inferendis, sed et à peccato ac damnatione æterna salvavit, vitaque, salute et beatitudine æterna donavit nos. Unde Vatabl. et Erasm. Græcum σωτηρια, id est salus, vertunt *salvatio*, quasi dicant: Quòd salvati sumus, hoc debemus Deo et Christo: *Magna*, inquit S. Aug. serm. 11. de Sanctis, *voce salutem Deo decantant, qui magna gratiarum actione recolunt, non sua se virtute, sed ipso auxiliante, tribulationum impugnantium superasse certamina.*

11. Et omnes angeli,] applaudentes clientum suorum, puta hominum signatorum et electorum, saluti, pro eaque Deo gratias agentes, eumque collaudantes. Vide dicta c. 5. v. 11. et 12.

12. Dicentes: Amen.] *Amen* hoc primum dupliciter accipi potest: Primo, ut sit nomen, significans *veritas, fidelitas, stabilitas*, quasi hoc sit primum elogium et epithetum, quod angeli tribuunt Deo, q. d. Deo tribuatur veritas, celebretur ab omnibus Dei veritas, qua fideliter, uti decrevit et promisit, servos suos à se signatos per tot tentationes et procellas in portum salutis deduxit. Vide dicta cap. 3. v. 12. ita Ribera.

Secundo et simplicius, *Amen* potest accipi ut adverbium, quasi applaudant turbæ Beatorum dicentium: *Salus Deo nostro et Agno;* hisce enim quasi alterna voce et choro respondent angeli, *Amen*, quasi dicant: Fiat, fiat. Unde et Biblia Romana, atque alia post *Amen* ponunt punctum; quod plane significat *Amen* esse clausulam doxologiæ præcedentis, ac non pertinere ad novam eorum doxologiam quæ sequitur: *Benedictio et claritas.* Cum enim omnes Beati suam protulissent, Angeli eam confirmant dicentes: *Amen;* at insuper ex ingenti gratitudinis affectu novam suam subjungunt, cui iterum subnectunt *Amen.*

Ubi notat Alcazar hanc *Amen* iterationem significare vehementem asseverationem, ortam ex majori penetratione, majorique admiratione divinæ bonitatis, quæ homines miseros et peccato perditos, per Christi sanguinem et mortem ad tantam salutem et gloriam evexit.

Benedictio et claritas.] Græce δοξα, id est gloria; subaudi, tribuatur Deo, quasi dicant: Omnes Angeli, homines et creaturæ benedicant et glorificent Deum, qui hosce suos signatos adeo fideliter, sapienter et benefice salvavit et beavit. Hinc Syrus et Arabicus pro *claritas*, vertunt *gloria.* Benedictio proprie est boni imprecatio, ut cum quis voto aut verbo alteri bene precatur: Dei est efficax, hominis inefficax.

Et gratiarum actio.] Græce ευχαριστια. Hoc elogium hîc ponitur pro *divinitate*, quæ tribuitur Agno cap. 5. v. 12. nam cætera sex elogia quæ dantur ibi Agno, dantur hîc Deo. Angeli hîc indicant homines beatos immensas Deo agere gratias, monentque viventes et militantes ut idem agant. Illi enim beati, vel potius beandi in fine mundi, erunt in gravissimis persecutionibus, tentationibus et periculis damnationis: tentabit enim eos modis omnibus Antichristus, tentabit mundus, caro, omnesque dæmones. Cum ergo evaserint ad portum salutis, palmamque assequentur, dum videbunt se tot salutis naufragia, tot peccandi discrimina, in quibus milleni et milleni, imo eorum socii, contubernales, parentes, filii, cognati, amici, perierunt et damnati sunt; tota eorum mens et spiritus in gratiarum actionem effundetur, corque eorum gaudium suum non capiet, imo præ gaudio creparet, nisi Deus illud contineret, præsertim dum videbunt se collocatos in tanta felicitate, gloria et regno cœlesti, in eaque confirmatos et securos, ut ab ea nunquam possint excidere, sed plane certi sint eam fore sibi perpetuam, et in omnem æternitatem duraturam. Unde totis præcordiis canent: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est: equum et ascensorem projecit in mare.* Et reliqua quæ Moses cum Hebræis transito mari Rubro, et submerso Pharaone cecinerunt Exodi 15. ac præsertim illud: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Quamobrem optima ratio impetrandi à Deo donum perseverantiæ, et pertingendi ad salutem et beatitudinem, est jugis gratiarum actio. Hæc enim est inchoatio vitæ cœlestis, hæc est stimulus ad iter hoc in cœlum usque jugiter prosequendum; hæc est tacita invocatio Dei, quæ novam et continuam ab eo gratiam elicit et provocat. Nam, ut ait S. Chrysost. homil. 26. ad pop. *Optima beneficiorum custos est, ipsa memoria beneficiorum, et perpetua gratiarum confessio.* Et noster Thomas Theodidactus l. 2. de Imitatione Christi c. 10. *Esto gratus pro minimis, et eris dignus majora accipere. Qui gratiam Dei retinere desiderat, sit gratus pro gratia data, patiens pro ablata; oret ut redeat, cautus sit et humilis ne*

amittat. Et superius : *Ideo non possunt in nobis dona gratiæ fluere ; quia ingrati sumus auctori, nec totum refundimus fontali origini. Semper enim debetur gratia digne gratias referenti ; et auferatur ab elato, quod dari solet humili.*

Est hîc ergo locus moralis de gratiarum actione. Quàm enim illa sit necessaria, utilis, sancta, Deo grata, liquet ex eo quòd in utroque testamento sæpe à Deo sit præcepta, et sancita sub gravi culpa et pœna, non utique ad Dei ipsius (quid enim Deo accedit ex homunculorum gratitudine ?), sed ad nostrum commodum. Vere S. August. in Psalm. 134. initio : *Si*, inquit, *non laudaverint servi Dominum, ingrati, irreligiosi erunt. Quid faciunt non laudando Dominum, nisi ut severum sentiant Dominum ?* Itaque statim ab initio creationis mundi, Deus jussit hoc beneficium hebdomadatim recoli, ac gratias agi, ideoque ex tunc instituit et sanctificavit sabbatum. Genes. 2. 3. Sic beneficium conversationis et gubernationis rerum creatarum, grata memoria jussit recoli et expendi primo quoque die mensis, ideoque instituit festum Neomeniæ, Num. 28. 11. uti ibi docui. Sic beneficium liberationis à Pharaone et Ægypto, memori gratitudine rememorari quotannis jussit celebrando Pascha, Exodi 12. 27. Datæ legis memoriam jussit renovari in Pentecoste ; protectionis et deductionis per desertum 40 annis, in festo Tabernaculorum, et ita de cæteris. Quin et Levit. 7. 12. peculiare sacrificium pro gratiarum actione, cum suis libaminibus et cæremoniis sanxit. Deuter. vero c. 26. 2. *Tolles*, inquit, *de cunctis frugibus tuis*, etc. *accedesque ad sacerdotem, et dices : Profiteor hodie coram Domino Deo tuo quòd ingressus sum in terram, pro qua juravit patribus nostris, ut daret eam nobis.* Sic frugum decimas et primitias exegit in gratiarum actionem, ut ipsæ essent quasi homagium terræ sanctæ, Hebræis quasi in feudum datæ.

Longe clarius, arctius et sæpius hæc gratiarum actio in novo Testamento præscribitur : Christus eam sanxit verbo et exemplo, Matth. 14. 19. Lucæ 9. 13. quinque hominum millia in deserto pasturus quinque panibus et duobus piscibus, conjectis oculis in cœlum gratias Deo egit, panesque benedixit : atque hac prece et gratiarum actione quasi vim multiplicandi et nutriendi elicuit, ut pauci panes tot millia satiarent : *docens nos*, ait S. Chrysost. hom. 50. ad popul. *non esse ad mensam accedendum, quousque gratias agamus ei qui cibum nobis præbuit.* Rursum Lucæ 17. 17. leprosorum à se mundatorum ingratitudinem increpans : *Nonne*, inquit, *decem mundati sunt ? et novem ubi sunt ? Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* S. Paulus Ephes. 5. 3. *Omnis*, ait, *immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos*, etc. *sed magis gratiarum actio.* Et v. 20. *Psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri.* Philipp. 4. v. 6. *Nihil solliciti sitis ; sed in omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Coloss. 3. 15. *Pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore, et grati estote.* Et c. 4. 2. *Orationi instate, vigilantes in ea gratiarum actione.* 1. Thessal. 5. 16. *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite : hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu, in omnibus vobis.* 2. Thessal. 1. 3. *Gratias agere debemus semper Deo pro vobis.* Et sane quis Christianorum considerans tum communia, tum privata beneficia, quæ in dies, imo singulis horis à Deo haurit et sentit, eaque tot tantaque, non jugiter dicat cum Psalte : *Benedic, anima mea, Dominum, qui coronat te in misericordia et miserationibus.* Certe coronat, cingit et circumvallat nos Deus undique suis donis et miserationibus, idque quotidie.

Gratiarum actio ergo propria est Sanctorum novi Testamenti, ob ingentes gratias et dona, quæ ipsi in eo per Christum acceperunt, et quotidie accipiunt. Hoc prædixit Isaias cap. 51. 3. *Consolabitur*, ait, *Dominus Sion, et ponet solitudinem ejus quasi hortum Domini. Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis.* Hinc enim primo, vocatur ipsa sacrificium laudis : hoc enim laudis, est novi Testamenti, cum veteris sacrificia fuerint boum et victimarum. Psal. 49. 13. *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo ? Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.* Et v. 23. *Sacrificium laudis honorificabit me et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* Quæ verba citans S. August. lib. 1. contra Advers. legis cap. 18. subdit : *Quod est autem sacratius laudis sacrificium quàm in actione gratiarum ? Et unde majores agendæ sunt gratiæ Deo, quàm pro ipsius gratia per Jesum Christum Dominum nostrum ? Quod totum fideles in Ecclesiæ sacrificio sciunt, cujus umbræ fuerunt omnia priorum genera sacrificiorum.*

Secundo, quia unicum et præstantissimum legis novæ sacrificium et Sacramentum, Christus gratias agens Patri, ad gratiarum actionem pro beneficiis omnibus, præsertim redemptionis nostræ instituit, quod inde dictum est Eucharistia, id est gratiarum actio, uti docet S. Chrysost. hom. 26. in Matth.

Tertio, S. Paulus 1. Timoth. 2. 1. inter orationes ultimum, id est dignissimum, locum dat gratiarum actioni : *Obsecro*, inquit, *primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus*, etc. uti docet et explicat Cassian. collat. 9. cap. 14. et S. Chrysost. hom. 1. ad populum : *Magnus*, ait, *thesaurus est gratiarum actio, magnæ divitiæ, inconsumptum bonum, armatura fortis ; sicut blasphemia ingentem jacturam intendit iis qui pejerare solent, plura insuper perire facit. Perdidisti pecunias, si gratias egeris, animam lucratus es, et majores nactus es divitias ; quia Dei benevolentiam hausisti amplius. Si vero blasphemaveris, et salutem tuam amisisti, et animam occidisti.*

Quarto, quia hoc unicum est quod Deo præstare possumus et debemus, quodque ei maxime est honorificum et gratum. Unde S. August. de Spir. et lit. c. 11. *Cultus*, ait, *Dei in hoc maxime constitutus est, ut anima ei non sit ingrata ; unde in ipso verissimo et singulari sacrificio, Domino Deo nostro gratias agere admonemur. Deus enim bonorum nostrorum non indiget.* Disce hîc tempore S. August. in Missa ante Canonem, sacerdotem excitasse præsentes ad gratiarum actionem, dicendo : *Gratias agamus Domino Deo nostro :* ac ministrum pro præsentibus respondisse : *Dignum et justum est.* S. Chrysost. homil. 8. in epist. ad Coloss. *Si in adversis*, inquit, *gratias agis : Primo, lætificas Deum ; secundo, diabolum pudefacis ; tertio, quod male factum est, nihil esse facis : nam et tu simul gratias agis et Deus dolorem amputat, et diabolus abscedit.*

Quinto, quia Dei in nos beneficia omnem gra-

tiarum actionem et laudem exsuperant, unde S. Chrysost. hom. 62. in Matth. *Putasne*, ait, *si quotidie pro eo qui nos tam mirifice amat moriamur, condignas nos posse referre gratias, imo vero minimum quid reddere? nequaquam.* Et S. August. lib. 7. Civ. 31. *Pro eo quòd sumus, quòd vivimus, quòd cœlum terramque conspicimus, quòd habemus mentem atque rationem, quòd obrutos peccatis non deseruit, misitque nobis Verbum suum*, etc. *quæ corda, quot linguæ ad agendas gratias satis esse contenderent?*

Sexto, S. Chrysost. in Psal. 49. *Nihil*, ait, *æque facit in virtute crescere, atque cum Deo assidue versari et colloqui, eique perpetuo gratias agere et psallere.* Causam dat S. Bernard. serm. 13. in Cant. *Ad locum*, ait, *unde exeunt revertantur gratiarum flumina, ut iterum fluant. Qualiter? inquis. Qualiter dicit Apostolus: In omnibus gratias agentes. Quidquid sapientiæ, quidquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti, Dei sapientiæ deputa Christo.* Dicamus ergo jugiter et ubique: *Deo gratias. Gratiæ Patri et Filio, et Spiritui sancto; sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.*

Ita fecerunt omnes Sancti. Vis exempla? David Rex Psal. 115. 12. *Quid*, ait, *retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Porro David multos scripsit psalmos Eucharisticos: talis enim est psalmus 8. 102. 103. 106. 110. 113. 116. 117. 134 et 135. in quo singulis versiculis proposito novo Dei beneficio, subjungitur hoc hemistichium intercalare et Eucharisticum: *Quoniam in æternum misericordia ejus.* Tales quoque sunt 137. 143. 144. 146. 147. 148. 149. 150. Christus Joannis 11. 41. suscitaturus Lazarum; *Pater*, ait; *gratias ago tibi, quoniam audisti me.* Rursum instituturus sanctam Eucharistiam, gratias agens Patri abeo petiit et impetravit virtutem transsubstantiandi panem in suum corpus, et vinum in suum sanguinem. Paulus Rom. 1. v. 8. *Primum quidem*, ait, *gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis.* Et c. 6. v. 17. *Gratias Deo quòd fuistis servi peccati; obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ in quam traditi estis.* 1. Corinth. 1. 4. *Gratias ago Deo meo semper pro vobis.* 2. Corinth. 2. 14. *Deo autem gratias, qui semper triumphat* (id est triumphare facit) *nos in Christo Jesu.* Cap. 9. 15. *Gratias Deo semper inenarrabili dono ejus*, scilicet eleemosynæ vestræ. Ephes. 1. v. 16. *Non cesso gratias agens pro nobis.* Philip. 1. 3. *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestrî*, 2. Timoth. 1. 3. *Gratias ago Deo, cui servio à progenitoribus in conscientia pura.* Denique tam creber est Paulus in gratiarum actione, quàm in nomine Jesu nominando et iterando. Quid enim aliud est nominare Jesum, quàm confiteri salvatorem et salutem ab eo acceptam? Pœnitentes ergo, et olim peccatores assidue dicant cum Paulo 1. Timoth. 1. 12. *Gratias ago ei qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro; quia fidelem me existimavit ponens in ministerio, qui prius blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus. Fidelis sermo, et omni acceptione dignus: quòd Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* Rursum cum Isaia c. 1. 9. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus.* Et cum Psalte et S. Magdalena: *Misericordias Domini in æternum cantabo: Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti;* ac cum S. Augustino converso à S. Ambrosio concinant hymnum: *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur.* Legant et imitentur Confessiones ejusdem S. Augustini, quæ non sunt aliud quàm gratiarum actiones continuæ. Denique, quia Deo pro tanta gratia nil rependere possunt, rependant proximis, qui Dei imago sunt, ac quoscumque possunt convertant, ut ex hostibus Dei amicos et filios ejus efficiant, qui jugiter pro se suisque gratias Deo agant, eumque verbis et vita celebrent.

Sancti vero et innocentes canant Christo in se concepto et nato innocentiæ Eucharisticum, dicantque cum Virgine Christum Dei dono concipiente: *Magnificat anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo; quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.* Et cum S. Anna concepto Samuele: *Exsultavit cor meum in Domino, et exsultatum est cornu meum in Deo meo. Non est sanctus, ut est Dominus, Dominus mortificat, et vivificat: deducit ad inferos, et reducit. Pedes sanctorum suorum servabit.*

S. August. epist. 5. ad Marcellinum: *Quid melius*, inquit, *et animo geramus, et ore promamus, et calamo explanemus quàm Deo gratias? Hoc nil dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest.* Idem in Psal. 132. docet communem Monachorum et Religiosorum sui ævi (uti etiamnum apud multos eadem in usu est) salutationem fuisse, ut sibi occurrentes dicerent: *Deo gratias*, ideoque à Circumcellionibus Donatistis irrisos fuisse, et per scomma vocatos *Deo gratias.* Quod refellens S. August. *Vide*, inquit, *si non debet frater Deo gratias agere, quando videt fratrem suum? Nonne enim locus est gratulationis, quando se invicem vident qui habitant in Christo? Et tamen vos Deo gratias nostrum ridetis, Deo laudes vestrum plorant homines.*

Denique Ecclesia per sacerdotes nomine omnium fidelium quotidie gratias agit Deo, jubetque ut idipsum singuli agant, dum in Præfatione Missæ jubet ab omnibus vel audiri devota et consona mente, vel recitari et cani: *Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: per quem majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates, cœli cœlorumque Virtutes, ac Beata Seraphim socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti jubeas deprecamur, supplici confessione dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth; pleni sunt cœli et terra gloria tua: Hosanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini: Hosanna in excelsis.*

Porro non tantum in prosperis, sed et in adversis æque Deo gratias agere debemus, ac dicere cum Psalte Psal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore.* Ita S. Job bonis et filiis omnibus spoliatus, gravique ulcere à dæmone percussus: *Dominus*, inquit, *dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum;* qua voce vicit et confudit diabolum, ait S. Chrysost. hom. 2. in epist. ad Rom. Ita Angeli et Beati hîc gratias agunt Deo pro tribulatione et lucta, quæ eis fuit materia et causa tantæ victoriæ et gloriæ S. August. in illud Psalm. 144. *Per singulos dies benedicam te*, inquit. *Sive ergo in ejus donis sive in ejus flagellis, lauda eum qui tibi aut blanditur dando ne deficias:*

aut corripit exsultantem, ne pereas. Laus flagellantis medicina est vulneris. S. Basil. homil. in Julittam : *Nullo*, inquit, *tuo merito plecteris? gaudium tibi ingerat futurorum spes. Justo es supplicio addictus? gratias agito quòd hic potius tuas pœnas quàm in futuro.* Uti fecit Mauritius Imp. in cujus conspectu cum filii et uxor trucidarentur à Phoca Imp. ad singulos exclamabat: *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum.* S. Hieron. in c. 5. ad Ephes. *Christianorum*, ait, *propria virtus est, etiam in his quæ adversa putantur, gratias referre Creatori, ac dicere : Benedictus Deus ; minora me scio sustinere quàm mereor. Hic animus Christiani est. Hic crucem suam tollens sequitur Salvatorem ; quem nec orbitas, nec damna debilitant.* S. Gregor. à Longobardis, aliisque ærumnis pressus et pene oppressus, ac coactus calamum de tabula tollere, comment. in Ezech. gratiarum actione ita concludit: *Tædet animam meam vitæ meæ, quia versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium. Quid igitur restat, nisi ut inter flagella quæ ex nostris iniquitatibus patimur, cum lacrymis gratias agamus? Ipse enim qui nos creavit, etiam pater nobis factus est per adoptionis spiritum, quem dedit. Et aliquando filios pane nutrit, aliquando flagello corrigit ; quia per dolores et munera ad hæreditatem perpetuam erudit. Sit itaque gloria omnipotenti Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.* S. Bernard. serm. 21. in Cantica : *Eris*, inquit, *inter adversa et prospera mutabilium temporum, tenens quamdam æternitatis imaginem, benedicens Dominum in omni tempore.* Vere S. Chrysost. hom. 8. in epist. ad Coloss. *Nihil*, inquit, *hac lingua sanctius, quæ in adversis Deo gratias agit. Certe non inferior est lingua Martyrum : utraque pariter coronatur.*

Martyres equidem in tormentis, licet acerbissimis, ob martyrii tamen lauream exsultabant, et toto corde Deo gratias agebant. Ita Theodorus Martyr dum toto corpore laceraretur, canebat : *Benedicam Dominum in omni tempore.* Ita S. Laurentius : *Gratias*, inquit, *ago tibi, Domine Jesu ; quia januas tuas ingredi merui.* Ita tres pueri in fornace Babylonia cecinerunt: *Benedicite, omnia opera, Domini Domino, laudate et superexaltate eum in sæcula*, Daniel. 3. Ita Deo gratias egerunt in ignibus cum jubilo S. Agnes, S. Cæcilia, S. Lucia, aliæque plurimæ.

Denique S. Chrysost. homil. 10. in epist. ad Coloss. viri cujusdam sancti pulchram orationem, et formulam gratias agendi recenset. *Novi*, inquit, *ego virum sanctum qui ita orabat : Gratias agimus tibi pro omnibus beneficiis tuis, à primo die usque in hunc præsentem indignis nobis impensis, sive nota nobis sint, sive incognita ; tam pro occultis, quàm pro manifestis, quæ vel opere nobis, vel sermone facta sunt ; et quæ voluntariis, et quæ invitis sunt præstita ; pro omnibus quæ immeritis nobis sunt exhibita, pro afflictionibus, pro quiete, pro gehenna, pro supplicio, pro regno cœlesti.* Causam subdit : *Multis enim nos Deus etiam invitos beneficiis afficit, multis etiam et pluribus quoque ignaros.*

Honor.] Singulis septem hisce elogiis in Græco præponitur articulus ad emphasin. q. d. Illa claritas, illa sapientia, ille honor, etc. scilicet summus, immensus et divinus tribuatur Deo, uti debetur.

Virtus.] Græce ἡ δυναμις, id est, illa potentia, puta omnipotentia divina et increata, qua omnia ex nihilo creavit, potestque mille, imo infinitos, mundos alios aliis semper perfectiores creare, et creatos conservare, vegetare et perficere.

Et fortitudo.] Græce ἡ ἰσχυς, id est, illud robur immensum, cui nihil potest resistere, quo attingit à fine usque ad finem, fortiter, et tamen disponit omnia suaviter: fortitudo ergo significat robustam executionem externam ; virtus vero internam Dei potentiam.

Deo nostro,] scilicet tam hominum beatorum quàm angelorum : homines enim beati sunt angelorum cives, et quasi fratres. Utrique enim sunt filii et hæredes Dei.

In sæcula sæculorum,] per omnia sæcula sibi continuo succedentia, per omnem æternitatem. Immenso affectu et jubilo angeli apprecantur Deo æternitatem horum septem elogiorum, per modum congratulationis. Nihil enim ei sua hac apprecatione reipsa addere, uti nec demere possunt. Vere ergo dixit S. Basil. *Laus Dei est opus Angelorum.* Quocirca S. Ephrem in lib. de Beatitudinibus, has tres quasi primarias assignat. Prima : *Beatus, qui factus est sicut Seraphim et Cherubim, et in divino ac spirituali officio nunquam est segnis, sed assiduus glorificat Dominum.* Secunda : *Beatus, qui in cella sua in Domino, tanquam Angelus cœlestis, castas retinet cogitationes, suosque collaudat eum ore, qui omnium spirituum potestatem habet.* Tertia : *Beatus, qui semper spirituali gaudio plenus est, nec in portando suavi jugo Domini pigrescit : coronabitur enim in gloria.*

Et S. Bernardus serm. 11. in Cantic. *Nihil*, ait, *ita proprie quemdam in terris repræsentat cœlestis habitationis statum, sicut alacritas laudantium Deum, dicente Scriptura : Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Et S. Augustin. in Psal. 144. *Sicut*, inquit, *ejus* (Dei) *magnitudinis non est finis, sic tuæ laudis non erit finis.* Idem in Psal. 47. *Non potest*, ait, *esse laus Dei nisi in sanctis ejus. Nam qui male vivunt non eum laudant, et si prædicant lingua, blasphemant vita.* Unde idem in Psalm. 32. 1. *Exsultate, justi, in Domino. Ipsi*, inquit, *laudant Dominum, qui subdunt se Domino.* Et in Psal. 140. *Transi*, ait, *ad tuam vituperationem, et laudabis Dominum.* Et in Psal. 83. *Si deficies*, ait, *ab amore, deficies à laude.* Denique epist. 120. ad Honoratum, docet quòd laus Dei sit sacrificium novi Testamenti : explicans enim illud Psalm. 21. *Qui timetis Dominum, laudate eum*, ait : *Quis autem veraciter laudat, nisi qui sinceriter amat? Tantumdem est ergo ac si diceret : Qui timetis Dominum, amate eum. Timentes enim Deum homines veteris Testamenti, currebant cum sacrificiis ad templum : nunc vero in gratia novi Testamenti, qui timetis Dominum, laudate eum.* Et rursum Psalm. 49. *Immola Deo sacrificium laudis.*

Vis ergo assidue laudare Deum ? vis æmulari angelorum vocem et vitam ? accipe, rumina, et crebro usurpa, cum eisque jubila quinque eorum et Sanctorum hymnos.

Primus sit Seraphicus Isaiæ 6. 3. et Cherubicus Apoc. 4. 8. *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum : plena est omnis terra gloria ejus. Omnis spiritus laudet Dominum.*

Secundus Angelicus Lucæ 2. 14. *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ volun-*

tatis. Benedictio et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen. Apocal. 7. 12.

Tertius Paulinus Rom. 11. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula. Amen.*

Quartus Ecclesiasticus ex officio S. Trinitatis: *Benedicta sit sancta Trinitas, et indivisa unitas; confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. Quoniam creasti nos in brachio tuo, redemisti nos in sanguine Christi tui, sanctificasti nos in Spiritu tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione; et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram. Benedicam ergo Dominum in omni tempore*, tam desolationis, quàm consolationis; tam adversitatis, quàm prosperitatis.

Quintus Davidicus Psal. 102. 1. *Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus. Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia et miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum. Quid enim mihi est in cœlo, et à te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.*

O Sacra Trinitas, Trina Unitas, Una Deitas!

O Trina Charitas, Una Felicitas, Felix Æternitas! tua et nostra. Amen.

13. ET RESPONDIT UNUS DE SENIORIBUS.] *Respondit*, id est, mecum colloqui cœpit, me interrogavit ut me erudiret, sicut præceptor interrogat discipulum ut eum doceat et erudiat. Hoc enim est Hebræis ענה *ana*, id est, respondit. Hinc Christus Dominus, et alii sæpe, dum ordiuntur sermonem, in Scriptura dicuntur respondere. Quis fuerit hic senior, incertum est. Lyranus vult fuisse S. Petr.; Alcazar S. Luc., qui conscripsit in Actis Apostolorum, signatos Christi gratia, id est Gentes credentes in Christum. Vide dicta c. 5.

14. HI SUNT QUI VENERUNT DE TRIBULATIONE MAGNA.] Græce est duplex articulus: ἐκ τῆς θλίψεως τῆς μεγάλης, q. d. Ex illa tribulatione; illa, inquam, ingenti et celebri, de qua Christus Matth. 24. v. 21. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro*, id est, nullus homo salvaretur. Alludit ad egressum Hebræorum ex Ægypto: Ægyptus enim hebr. vocatur *Misraim*, id est tribulatio, angustia, à rad. צרר *tsara*, id est arctavit, afflixit, tribulavit. Ita enim Hebræi ante Mosen afflicti fuerunt in Ægypto, indeque à Mose liberati et educti. Sicut enim in signatis v. 4. allusit ad domos Hebræorum signatas sanguine agni pascalis; ita hic alludit eodem in voce *tribulatione*, et in voce *Agni*, q. d. Sicut olim Hebræi fuerunt in magna tribulatione sub Pharaone; sed signati et quasi abluti sanguine agni Paschalis, ex ea per Mosen liberati fuerunt: ita et hi fideles in fine mundi erunt in magna tribulatione et tentatione, tum carnis, tum mundi, maxime Antichristi; sed signati cruce, et abluti sanguine Agni, ex ea eluctabuntur, ac generose eam superabunt; imo multi obibunt martyrium, ideoque donabuntur stolis albis et palmis, et quasi victores ducentur ante thronum Dei. Disce hic: sicut frigus hiemis parturit et parit fruges æstatis; ita tribulatio præsens parturit et parit coronas æternas. Hoc est quod ait æterna Veritas: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, Matth. 5. 10.

Vide hic quàm nobile et gloriosum sit pati pro Christo, nimirum fortia agere Romanum est, fortia pati Christianum. Ita Apostoli *ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*, Act. 5. Ita Paulus: *Mihi*, ait, *absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*, Galat. 6. 14. Ita S. Chrysost. in exilio pro Christo, fame, siti, febri, fatigatione, solis ardore, hostium Isaurorum incursu dire exagitatus, et tandem exanimatus, excelso animo exsultabat, aliosque similia patientes animabat, et ad exsultandum in persecutionibus excitabat. Unde scribens ad carcere detentos Episcopos epist 4. ex septem: *Beati*, ait, *vos ob carcerem, ob catenas, ob injecta vincula! beati, inquam, et ter beati, imo sæpius! Totum orbem vobis conciliastis: ubique terrarum et marium canuntur vestra præclara facinora, fortitudo, constans sententia, animusque minime servilis. Nihil quod aliis videtur grave, vos deseruit; non minæ, quæ innumeras mortes nuntiabant; non tribunal, non carnifex, non tormentorum coacervationes; non judex, qui ignem ab ore flabat; non adversarii, qui frendebant dentibus, et innumeris aliis insultandi modis gestiebant; non tantæ calumniæ, non impudentissimæ accusationes, non mors ante oculos quotidie proposita; sed hæc omnia vobis uberem potius consolationis materiam præstitere. Et idcirco clari quidem vos: et celebrant et prædicant vos omnes, non amici solum, sed et inimici ipsi qui hæc effecerunt. Tanta res est virtus, ut etiam illam impugnantes admirentur. Tanta res est malitia, ut etiam ii qui operantur, condemnent. Et ita in hac vita res vestræ se habent. Quæ autem in cœlis sunt, quis sermo digne explicabit? Inscripta sunt nomina vestra in libro vitæ; cum sanctis Martyribus connumerati estis.* Idem epistol. 118. *Carcerem incolitis, et catena vincti estis, et cum squalidis et sordidis inclusi. Ecquid tandem hoc nomine beatius fingi queat? Quid enim habet tale aurea corona cingens caput, quale catena propter Deum manum circumdans? Quid tale ingentes et splendidæ domus, quale carcer caliginis ac sordium, atque ingentis fetoris et calamitatis plenus, Dei causa? Quæ cum ita sint, gaudete et exsultate, coronis caput cingite, tripudiate, quòd molestiæ in quas incidistis, magnam vobis commodorum materiam comparent. Hoc nimirum semen est, messem omni sermone sublimiorem prænuntians: hoc luctæ, victoriam et palmas afferentes: hoc navigatio, amplum et uberem quæstum concilians. Hæc igitur animo repetentes, gaudete et lætamini, nec ullum tempus intermittite, quin Deum in omnibus rebus collaudetis, ac mortiferas diabolo plagas inferatis, ingentemque vobis ipsis in cœlis mercedem reconditis. Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Idem epistol. 130. ad suos Antiochenos: *Hoc*, ait, *habetote nos stomachi imbecillitate liberatos esse, commodeque valere, ac nec obsidione, nec latronum incursionibus, nec loci solitudine, nec sexcentorum adversorum casuum turba, nec denique ullo alio hujusmodi incommodo dejici ac conturbari: verum ingenti securitate, otio ac quiete frui, ac singulis diebus de rerum vestrarum*

statu in cura esse. Ibi denique scripsit ad Olympiadem ultimam lucubrationem vere auream, *Quod nemo laeditur, nisi à seipso. Id enim pharmacum,* inquit, *tibi sufficit.* Hæc fuit cycnæa oris aurei vox. Nam paulo post febri et itineris incommodis confectus, evocatus in cœlum à S. Basilisco Martyre, candidas vestes induens, quasi candidatus cœli Martyr, canensque : *Gloria sit Deo omnium causæ*, speciosos illos pedes extendit, atque excusso pulvere mortalis vitæ migravit ad Christum anno ætatis 52. Christi 407. ait Palladius in Dialog. et ex eo Baron. Idem sapiebat S. P. Ignatius, fundator Societatis nostræ, qui tanti æstimabat persecutiones ac vincula, quibus pro Christo sæpe fuerat constrictus, ut diceret, si quæ à Deo creata sunt omnia altera in parte stateræ collocarentur, in altera carcer, catenæ, probra, vix illa omnia præ istis, momentum ullum apud se habitura. Neque vero creatam ullam naturam posse lætitiam talem in anima procreare, quæ æquare possit gaudium illud Spiritus sancti, quod Deus infundit mentibus eorum qui multa magnaque pro ejus amore pertulerunt. Ex quo interrogatus à Patre quodam, *Quænam esset compendiosissima ad perfectionem via*, respondit : *Si multa adversa magnaque pro Christi amore patiare. Pete hanc gratiam à Deo. Nam cui Dominus hoc tribuit, multum tribuit : hoc enim uno beneficio multa magnaque ejus continentur beneficia.* Ita P. Ribaden. oculatus et auritus testis lib. 5. Vitæ ejus c. 10.

Symbolice et tropol. Alcazar (licet ipse putet hunc esse sensum litteralem) tribulatio hæc est captivitatis, peccati, et exulceratæ conscientiæ infelicitas, ex qua evadunt qui ad Christum confugiunt : lavant enim stolas in sanguine Agni ; itaque ad lætissimam sortem, puta bonæ conscientiæ felicitatem, transgrediuntur, atque à dæmonis servitute transferuntur in virorum sacerdotalium numerum, qui justitiæ indumentis ornati, Deo in ejus templo deserviunt.

Et laverunt (aliqui legunt επλατυναν, id est dilataverunt. Ita Vatablus et Erasmus, sed perperam : legendum est enim cum Compult. ηπλυναν, id est laverunt, ut dealbarent eas, ut sequitur) stolas suas,] id est vestimenta et corpora sua, id est seipsos, et conscientias suas deputarunt et sanctificarunt per sanguinem et merita Christi. Est metaphora et catachresis : loquitur enim de purificatione animæ spirituali, per metaphoram lotionis stolæ corporalis, nobis notæ ; sed per eam intelligit lotionem animæ : animæ enim quasi stola et vestis est conscientia, vel sordida, vel pura et munda. Nam, ut ait S. Hieron. vel potius Maximus Taurinensis (illi enim tribuit Martianus, illiusque stylum redolet) epist. de viro perfecto, quæ extat tom. 9. operum S. Hieron. *Nobis ovium vellera, et operatio mulieris indumenta procurant : illis* (animabus) *faciunt merita vestimentum.*

Porro hi Sancti laverunt animæ suæ stolam : Primo, in baptismo ; secundo, in pœnitentia et aliis Sacramentis ; tertio, crebro gemitu, oratione et compunctione ; quarto, per opera misericordiæ ; quinto, per continuam charitatis, patientiæ, omniumque virtutum exercitationem et fervorem ; sexto, per martyrium. Hisce enim omnibus sanguinem et merita Christi nobis applicamus, eoque nos quasi abluimus et dealbamus, ut albi, id est puri et mundi, magis magisque in dies evadamus. Selemnus amnis amoris est remedium, quo qui loti fuerint, cupiditatis obliviscuntur, ait Pausan. in Achaicis. Selemno nobilior et efficacior est Christi sanguis, qui amores omnes impuros restinguit, et, ut ait S. Chrysost. regiam in nobis imaginem reformat.

Alludit omnibus hisce visionibus S. Joannes ad illustrem illam visionem Esdræ lib. 2. c. 34. et seq. Ubi primo, beatos et signatos, æque ac Joannes hîc, eorumque præmia ita depingit : *Exspectate pastorem vestrum, requiem æternitatis dabit vobis ; quoniam in proximo est ille, qui in fine sæculi adveniet. Parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis ; fugite umbram sæculi hujus ; accipite jucunditatem gloriæ vestræ : jucundamini gratias agentes ei, qui vos ad cœlestia regna vocavit*, quæ verba transtulit Ecclesia in officium Ecclesiast. tempore Paschali. Subdit Esdras de signatis : *Surgite, et videte numerum signatorum in convivio Domini ; qui se de umbra sæculi transtulerunt, splendidas tunicas à Domino acceperunt. Recipe, Sion, numerum tuum, et conclude candidatos tuos, qui legem Domini compleverunt. Filiorum tuorum quos optabas, plenus est numerus.* Pergit deinde ad turbam, quam, hîc v. 9. et deinceps describit Joannes, aitque : *Ego Esdras vidi in monte Sion turbam magnam, quam numerare non potui, et omnes canticis collaudabant Dominum. Et in medio eorum erat juvenis statura celsus, eminentior omnibus illis, et singulis eorum capitibus imponebat coronas, et magis exaltabatur. Ego autem miraculo tenebar. Tunc interrogavi angelum, et dixi : Qui sunt hi, Domine ? Qui respondit mihi : Hi sunt qui mortalem tunicam deposuerunt, et immortalem sumpserunt ; et confessi sunt nomen Dei. Modo coronantur, et accipiunt palmas. Et dixi angelo : ille juvenis quis est qui eis coronas imponit, et palmas in manus tradit ? Et respondens dixit mihi. Ipse est Filius Dei, quem in sæculo confessi sunt. Ego autem magnificare eos cœpi, qui fortiter pro nomine Domini steterunt.*

Dealbaverunt,] deputarunt, emundarunt illas. Stolæ enim hæ sunt conscientiæ, quæ proprie nec rubri, nec albi coloris sunt capaces. Vide dicta. v. 9.

15. Ideo sunt ante thronum Dei.] Alludit ad thronum Dei in templo (hoc enim mox nominabit) ; in eo enim Deus sedebat in Sancto sanctorum super propitiatorium et Cherubim. Hic ergo erat thronus Dei in templo : similem vidit hîc Joannes in templo cœlesti. Significat primo animas hasce esse in cœlo beatas : habent enim in conspectu præsentem Deum, ejusque visione fruuntur et beantur. Secundo, eas mire esse charas et familiares Deo, ac cum eo jugiter versari, sicut summi et intimi principes jugiter versantur cum rege. Tertio, eas esse quasi sacerdotes : *Serviunt* enim *et die ac nocte in templo ejus*, Græce λατρευουσιν, id est latria colunt, nimirum juge thymiama adorationis, laudis et gratiarum actionis ei offerentes, ut patet ex dictis v. 10. et c. 5. 9. Alludit enim ad sacerdotes et Levitas, qui cum suis stolis, id est lineis tunicis, serviebant tabernaculo, die ac nocte illud custodiendo, et sacrificia aliaque munia obeundo et consummando. Nam alioqui in cœlo empyreo non est nox, sed jugis unus idemque dies claræ et beatæ æternitatis. *Nocte* ergo et *die*, id est, semper seu tota die. Meminit noctis, quia

sacerdotes tota nocte per vices in templo vigilabant, ac vicissim imponebant altari partes sacrificii jugis, puta agni vespertini : hoc enim tota nocte cremabatur, ut dixi Levit. 6. 9.

HABITABIT SUPER ILLOS,] eos jugiter intuendo, regendo, protegendo, beando, seque suaque omnia illis ostendendo et communicando, quasi è turri suæ potentiæ et providentiæ, qua quasi habitat super illos, illisque quasi incumbit. Est metalepsis, nec enim Deus proprie habet domum aut habitaculum : *Domini enim est terra et plenitudo ejus.*

16. NON ESURIENT, NEQUE SITIENT AMPLIUS, NEC CADET SUPER ILLOS SOL, NEQUE ULLUS ÆSTUS.] Alludit ad Isaiæ 49. v. 10. ubi iisdem verbis utitur Isaias. Tam Isaias, quàm Joannes, alludit ad athletas et pugiles victores, atque ad hieronicas jam emeritos, ut notat Petrus Faber lib. 2. Agonist. c. 12. Milites enim et pugiles sæpe sitim et famem patiuntur, sæpe sub dio degere, ac in medio solis ardore aggeres agere, castra munire, excubare, urbes invadere, hostem aggredi, et cum eo dimicare debent ; at jam victores et emeriti, ab hisce omnibus liberi, quiete, et bravio donantur. Ita accidit et animabus hisce beatis, q. d. Beati olim in hac vita certantes, fortiterque tolerantes famem, sitim, solem et æstum, id est mille labores, dolores, ærumnas et molestias, jam transacto omnium certaminum tempore, quasi arena et pulvere excedentes, ab iis omnibus deinceps erunt immunes, ac æterna quiete, gaudio et triumpho, quem in stadio suis illis laboribus et ærumnis fortiter toleratis meruerunt, perfruentur.

Mystice Ambros. per æstum accipit tentationes. Et Alcazar. *Sermo*, inquit, *est de cupiditatis fame et siti, ac de æstu luxuriæ atque invidiæ.*

17. QUONIAM AGNUS QUI IN MEDIO THRONI EST (eo sensu quem dedi cap. 5. 6.) REGET ILLOS,] græce ποιμανει, id est, pascet eos, quasi pastor diligentissimus et amantissimus suarum ovium. Alludit ad Isaiæ 49. 10. *Quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos.* Alludit rursum Isaias ad bonos Pastores gregum : illorum enim adinstar Christus, tum in terra, tum maxime in cœlo (de quo hìc igitur) suas oves, id est electos, pabulis uberrimis pascit, et limpidissimis fontibus potat, mollique aura et umbrosis arborum foliis opacat, ait Alcazar : licet ipse hæc referat ad Ecclesiam militantem, quam Deus pascit SS. Sacramenti, sacra Scriptura, et mysteriorum fidei contemplatione, quæ famem explent, sitimque extinguunt cupiditatum hujus vitæ bonis inhiantium : et leni divini spiritus aura, atque umbra protectionis suæ, et optimorum exemplorum, arcet luxuriæ, invidiæ et cæterarum animi appetitionum æstus, eamque incitat et roborat ad solidarum virtutum exercitationem. Verum hæc moralia sunt, non litteralia. Agit enim ad litteram de Beatis, quos Deus pascit in cœlo.

Tropol. tamen hæc apposite fidelibus in hac vita Deo in spiritu et veritate ex toto corde servientibus, ac præsertim Religiosis, accommodari possunt. Hi enim inchoant vitam cœlestem, beatam et angelicam. Unde primo, Deo quasi in templo jugiter assistunt : est enim religio quasi cœlum quoddam terrenum, ait Climachus gradu 4. sive paradisus Dei terrestris, ac templum, ait S. Bernardus serm. 1. de dedicat. Eccles. Quamobrem ab eodem S. Bernard. ad fratres de Monte Dei, Religiosi vocantur angeli terrestres, et homines cœlestes : corpus enim habent in terra, sed animum et mentem in cœlo.

Secundo, de his vere dici potest, quod λατρευουσιν, id est, religionis cultu et latria jugiter serviunt Deo ; quia se totos divino cultui dicant et consecrant : faciunt enim omnes suas actiones ex præscripto Regulæ et Superiorum, puta ex obedientiæ voto ; itaque omnes eorum actiones sunt actus religionis et cultus divini, tum quia fiunt ex voto, tum quia fiunt ex obedientia, quæ à virtute religionis imperatur. Obedientiæ enim jugum susceperunt unius Dei amoris, et honoris causa : propter Deum enim obediunt homini.

Tertio, amicti sunt stolis albis, easque dealbaverunt in sanguine Agni in ipso Religionis ingressu. Hic enim est instar baptismi : confert enim plenam peccatorum omnium remissionem ; omnemque culpam et pœnam abolet, quasi secundus sancti propositi baptismus, ut docent S. Hieron. ad Demetriad. et S. Bernard. lib. de Præcept. et dispens. Thomas Waldens. de Sacram. tit. 9. c. 8. Sylvester verbo *Religio* 3. dub. 23. et alii.

Quarto, habent palmas in manibus ; quia sæculum cum suis pompis reliquerunt et vicerunt. Rursum, in dies se suosque affectus domant et vincunt. Unde B. Laurent. Justinian. lib. de Monast. cap. 18. *Quid aliud*, inquit, *dixerim Religiosorum monasteria et Deo famulantium loca, quàm stadia militaria et spiritalia castra pugnantium?* Unde Religiosi à S. Basilio Nazianz. Chrysost. Cassiano et aliis vocantur Ascetæ, id est exercitatores, quasi luctatores, athletæ et pugiles in stadio et agone virtutis.

Quinto, sunt in conspectu Agni ; quia jugiter Christum Christique crucem præ oculis habent, ac totus se Christo crucifixo unire, seque in eum transformare conantur ; unde vocantur crucifixi à Cassiano lib. 4. c. 32.

Rursum, suam vocationem, gratiam, libertatem, donaque omnia Christo accepta referunt; ideoque jugiter clamant : *Salus Deo nostro qui sedet super thronum, et Agno. Benedictio, claritas, et sapientia, et gratiarum actio ;* quocirca mutua eorum inter se consultatio est : *Deo gratias.*

Sexto : *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna,* afflictæ et perturbatæ conscientiæ ex recordatione peccatorum, quibus in sæculo obstricti, et diabolo quasi mancipati versabantur. Rursum *ex tribulatione*, quam variam in mundo, et cum mundo, carne et sanguine habuerunt, præcipue dum statum mutarunt, atque à mundo ad Religionem transierunt.

Septimo, serviunt Deo die ac nocte per assiduas meditationes, psalmodias, orationes, perque continuos charitatis, zeli, patientiæ, aliarumque virtutum actus. Unde ut ait Euseb. l. 1. Demonst. Evang. c. 8. *Quasi ab hac mortali vita sejuncti, ipsumque duntaxat corpus in terra gerentes, cogitatione vero atque animo in ipso cœlo degentes, quasi quidam cœlites, reliquorum omnium vitam despiciunt, quippe qui pro converso genere, summo omnium Deo sacrati sint.* Et S. Ambros. epist. 82. *Hæc angelorum militia est, semper esse in Dei laudibus.*

Octavo : *Qui sedet in throno, habitat super illos.* Sunt enim ipsi in domo ac familia Dei, Deique potentiam semper in mente gerunt, eique in omni difficultate et negotio dicunt : *Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostrî. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Quocirca Deus à suis illis invocatus, iis adest, eos pascit et protegit in corpore et spiritu, eisque dicit idipsum quod olim dixit Abrahæ Genes. 15. *Noli timere, ego protector tuus, et merces tua magna nimis.* Et illud Psalm. 90. *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur*, et illud Psalm. 33. *Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum. Multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus*, maxime vero illud Zachariæ 2. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.*

Nono : *Non esuriunt, neque sitiunt;* quia famem deliciarum, sitim opum et bonorum abdicarunt et extinxerunt : unde non regnat inter eos cupiditas vel ambitio, nulla ibi est sollicitudo prolium et familiæ, nec concupiscentiæ æstus et ardores sentiunt ; quia omnem peccandi illecebram et materiam à se, per claustra et septa sua removerunt. Quocirca eis convenit illud S. Bernardi serm. 21. in Cant. *Eris*, inquit, *inter adversa et prospera mutabilium temporum tenens quamdam æternitatis imaginem, utique hanc inviolabilem et inconcussam constantis animi æquabilitatem ; benedicens Dominum in omni tempore, proindeque vindicans tibi etiam in hujus mutabilis sæculi dubiis, certisque defectibus perennis quodam modo incommutabilitatis statum, dum te cæperis renovare in illud insigne antiquum similitudinis æterni Dei, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Quippe sicut ipse est, ita et tu eris in hoc mundo, nec in adversis timidus, nec in prosperis dissolutus.*

Decimo : *Agnus regit illos, et deducit illos ad vitæ fontes aquarum.* Agnus enim inter eos versatur, eos illuminat, inflammat, roborat, vitales gratiarum fontes immittit. Est enim Agnus hîc quasi herus et paterfamilias, uti olim fuit in cœtu Apostolico. Quid enim sunt aliud Religiones, quàm collegia Apostolorum, et Societates Jesu? Itaque in his verum est illud Proverb. 18. *Turris fortissima nomen Domini ; ad ipsum currit justus, et exaltabitur.* Quin et seipso crebro pascit eos Agnus in Eucharistia : nusquam enim crebrior ejus usus et dignior, quàm in Religione.

Undecimo : *Abstergit Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*, tum in hac vita lacrymas compunctionis et pœnitentiæ leniens et mulcens lætitia sanctæ, serenæ et hilaris conscientiæ, atque consolationibus divinis, et gaudiis cœlestibus : tum potius in altera vita hoc ipsum, et cætera quæ præcesserunt, longe cumulatius præstabit. Denique collecti sunt ex omni gente, tribu et lingua, atque in eadem domo quasi fratres habitantes, fraterne se diligunt, omniaque habent communia. Nam, ut ait S. Basil. constit. 19. *Eis sunt communes animi, mentes, corpora, victus, vestis. Communis Deus, communis pietatis mercatura, communia præmia et certamina, communes labores et coronæ ; ubi multi unus, et unus non solus, sed in pluribus. Ili vitæ communitate retenta angelorum vitam æmulantur.* Vide Hieron. Platum lib. 1. de Bono status Relig. cap. 1. 13. 16. 17. 22. et lib. 2. c. 11. 14. 17. 18.

Et deducet, græce ποιμανει, id est pascet, sive reget, et minabit quasi pastor eos ad vitæ fontes, id est ad vivos (unde pro ζωης, id est *vitæ*, aliqui legunt ζωντας, id est vivos) perennesque fontes : aquarum,] omnis gratiæ et gloriæ beatificæ. Hi fontes erunt una Dei immensi (id est summi, omnisque boni) visio et fruitio, quæ unus est fons originalis, multos continens particulares fontes, inde scaturientes, puta plenitudinem scientiæ omnium rerum, abundantiam omnis gaudii, thesaurum infinitum opum cœlestium, exuberantiam honoris et gloriæ aggregationem deliciarum, voluptatum et bonorum omnium, de quibus dixi Isaiæ c. 25. in fine, et c. 33. 20.

Notat Vitalis Card. in Speculo morali S. Script. verbo *pulchritudo*, delicias spiritales potius denotari per potum quàm cibum, ob septem causas et analogias. Prima est, quod potus tam claritate quàm colore delectet aspectum ; secunda quod sua subtilitate sine medio immutet gustum ; tertia, quod sua limpiditate ad membra singula deportet, eisque inseparabiliter uniat nutrimentum ; quarta, quod sua potestate restauret deperditum : Quinta, quod sua subtilitate penetret corpus totum : undefamelici et deficientes, hausto vino statim resumunt vigorem et vires. Sexta, quod sua satietate sedet sitim, et tamen edendi provocet appetitum ; septima, quod sua facilitate et suavitate facile subeat intima ventris. Addit hisce septem dotibus potius denotari septem præmia, vel dotes præmii Beatorum, scilicet primo, contemplationem sine discontinuatione ; secundo, fruitionem sine interruptione ; tertio, dilectionem sine separatione ; quarto, potentiam sine corruptione ; quinto, sapientiam sine occultatione ; sexto munditiam, sine rebellione ; septimo, concordiam sine discretione. Deinde hæc septem adaptat totidem classibus Sanctorum : Primum, fidei Patriarcharum ; secundum, spei prophetarum ; tertium, fervori Apostolorum ; quartum, fortitudini Martyrum ; quintum, prudentiæ Doctorum ; sextum, temperantiæ Virginum ; septimum, justitiæ Confessorum.

Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum,] sicut mater abstergit lacrymulas sui parvuli, dum eum uberibus admovet ; et sicut agonotheta abstergit guttas sudoris et sanguinis, omnemque pulverem ab athleta et pugile, dum is in agone cum hoste certando victor evasit et bravium promeruit. Unde Syrus vertit : *Delebit*, vel *diluet omnem lacrymam ab oculis eorum.*

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

APERIT CHRISTUS SEPTIMUM SIGILLUM, ET PRODEUNT SEPTEM ANGELI CUM TUBIS. PRIMUS CANIT, ET FIT GRANDO ET IGNIS, QUI COMBURIT TERTIAM PARTEM TERRÆ ET ARBORUM. SECUNDUS CANIT, V. 8. ET MONS IGNEUS CADENS IN MARE PERDIT TERTIAM PARTEM PISCIUM ET NAVIUM. TERTIUS V. 10. CANIT, ET STELLA CADENS IN FLUMINA AMARICAT TERTIAM EORUM PARTEM. QUARTUS V. 12. CANIT, ET TERTIA PARS SOLIS, LUNÆ, ET STELLARUM OBSCURATUR.

1. T cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo quasi media hora. 2. Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei; et datæ sunt illis septem tubæ. 3. Et alius Angelus venit, et stetit ante altare habens thuribulum aureum; et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. 4. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo. 5. Et accepit angelus thuribulum, et implevit illud de igne altaris, et misit in terram, et facta sunt tonitrua, et voces, et fulgura, et terræ motus magnus. 6. Et septem Angeli, qui habebant septem tubas, præparaverunt se ut tuba canerent. 7. Et primus Angelus tuba cecinit, et facta est grando, et ignis, mista in sanguine, et missum est in terram, et tertia pars terræ combusta est, et tertia pars arborum concremata est et omne fenum viride combustum est. 8. Et secundus Angelus tuba cecinit; et tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare, et facta est tertia pars maris sanguis. 9. Et mortua est tertia pars creaturæ eorum quæ habebant animas in mari, et tertia pars navium interiit. 10. Et tertius Angelus tuba cecinit; et cecidit de cœlo stella magna, ardens tanquam facula, et cecidit in tertiam partem fluminum, et in fontes aquarum. 11. Et nomen stellæ dicitur Absinthium, et facta est tertia pars aquarum in absinthium; et multi hominum mortui sunt. 12. Et quartus Angelus tuba cecinit; et percussa est tertia pars solis, et tertia pars lunæ, et tertia pars stellarum, ita ut obscuraretur tertia pars eorum, et diei non luceret tertia pars, et noctis similiter. 13. Et vidi, et audivi vocem unius aquilæ volantis per medium cœli dicentis voce magna: Væ, væ, væ, habitantibus in terra, de cæteris vocibus trium angelorum, qui erant tuba canituri.

1. ET CUM APERUISSET SIGILLUM SEPTIMUM, FACTUM EST SILENTIUM IN CŒLO, QUASI MEDIA HORA.] Primo, Primas. et Victor. *Silentium*, inquiunt, *semihoræ ostendit initium quietis æternæ : et partem silentii vidit Joannes ; quia adhuc eadem visurus erat.*

Secundo, Ambrosius per hoc silentium intelligit nativitatem Christi, in qua toto orbe fuit silentium, id est pax, quam Nero persecutione in Ecclesiam concitata, postea abrupit. Rursum, Christus silenti, id est media, nocte natus est, Sapient. 18. 14. *cum quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cœlo à regalibus sedibus*, etc. *in mediam terram prosilivit.*

Tertio, Haymo et Ansbertus : Per silentium, inquiunt, mediæ horæ significatur brevitas quietis in contemplatione rerum cœlestium, quam Deus Sanctis in hac vita concedit, ut futuram felicitatem prælibent et prægustent. Dico brevitas : nam mox post eam ingerunt se, et obtrudunt animo varii cogitationum tumultus. Unde et quidam doctor recentior hoc silentium exponit de quodam divini amoris actu, qui languescere facit animum, et rerum omnium humanarum oblivisci. Verum hoc mysticum est et symbolicum, ut inferius dicam. Tale est illud Matthiæ Sueciæ : In fine mundi silentium aget fides, virtus et pietas ; quia dominabitur iniquitas.

Quarto, Lyranus et Aureolus per hoc silentium, ut dixi cap. 6, accipiunt silentem et brevem persecutionem Juliani Apostatæ, qui silentium indixit Christianis tam in Ecclesia, quàm in militia, academia et scholis. Verum hæc persecutio significata est secundo et tertio sigillo.

Quinto, Rupert. Silentium, ait, hoc significat, quod nullus in die judicii, contra Christum judicem hiscere audebit. Rursum, significat Sanctorum quietem futuram post diem judicii. Sed hæc erit æterna ; quomodo ergo post hoc silentium Joannes novas orbi plagas inducit ?

Sexto, Alcazar : Septimi, ait, sigilli mysterium nihil est aliud quàm magna severitas, qua Deus per septem plagas animadvertit in Judæos Christum repudiantes. Silentium vero plagis prævium significat insignem Christianorum

tolerantiam, qua silenter et constanter passi sunt sævissimam persecutionem à Judæis, ob quam plagæ Judæis parantur in septimo sigillo, quando jam Christianorum patientia ad perfectionis cumulum pervenerat. Licet enim hæc persecutio primitivæ Ecclesiæ durarit quadraginta annos, vocatur tamen hîc media hora, sicut à Paulo 2. Cor. 4. v. 17. vocatur: *Momentaneum et leve tribulationis nostræ.* Hora enim significat totum persecutionis tempus, quod quia contrahit Deus, hinc vocatur media hora. Alludit ad Tobiæ cap. 11. v. 14. Ubi cum Tobias junior linivisset oculos patris sui cæci felle piscis, subditur: *Et sustinuit quasi dimidiam fere horam; et cœpit albugo ex oculis ejus, quasi membrana ovi, egredi; quam apprehendens Tobias traxit ab oculis ejus, statimque visum recepit.* Sicut enim dimidia hora Tobias senior tolerans acerbitatem fellis, meruit visum recipere; ita primi Christiani, tolerantes persecutionem Judæorum, meriti sunt ingentem felicitatem, puta Ecclesiæ incrementum et propagationem per Gentes: quando vicissim Deus Judæos per Titum punivit et excidit. Porro dimidia hora tolerationis Tobiæ, qua visum recepit, symbolice et tropol. significat, quod ad maximam Dei lucem et cognitionem compendiaria via sit labor et tribulatio. Hæc apposita sunt; sed mystica et tropologica. Ad litteram enim agitur de silentio, non patientium in terra, sed Beatorum in cœlo.

Septimo Pererius opinatur septimum sigillum præcise in hoc silentio consistere, et septem plagas, septem Angelorum tubis, quæ sequuntur, significatas prævias fore huic silentio; sed per hysterologiam illi postponi. Porro per silentium hoc significari 45 dies quietis, qui dabuntur Ecclesiæ et hominibus post mortem Antichristi, ut qui in ejus persecutione lapsi sunt pœniteant; uti prædixit Daniel cap. 12. 12. Ita sentiunt quoque Beda, Anselm. Richard. Thomas Dionys. Accedit et Pannonius, qui tamen insuper addit eamdem Ecclesiæ post mortem Antichristi quietem significari per mille annos, qui dicuntur fore post primam resurrectionem cap. 20. v. 4. et 6. Hoc enim spatium hîc breve, puta mediæ horæ, cap. vero 20. longum, puta mille annorum, fore dicitur, ne quis certo ejus longitudinem definire audeat. Quo tempore pace et otio fruentes Christiani, rursum ad vitia diffluent, ita ut, cum venerit Filius hominis, vix inventurus sit fidem, uti ipse prædixit Lucæ 12. ac proinde homines genio et vitiis indulgentes, perinde ac in diebus Noe, Dei vindicta, et extremo judicio Christi ex improviso obruentur. Verum nimis magna distantia est inter mediam horam et mille annos. Rursum, isti mille anni non sequentur, sed finientur in persecutione Antichristi, uti patebit cap. 20.

Octavo, Andreas Cæsar. et Aretas putant per septimum sigillum significari terreni regni, vitæ et conversationis finem, cui subserviunt septem Angeli, ad supplicia impiis irroganda constituit. Silentium ergo significare summam Angelorum erga Deum, tot hominum peccatis offensum et iratum, reverentiam ac pudorem. Sic enim rege irato omnes aulici, etiam innoxii, ex veneratione et pudore se colligunt, contrahunt, et præ timore obmutescunt. Aut certe silentium hoc significare ignorantiam diei adventus Christi ad judicium: prudentes enim de eo quod ignorant, conticescunt. Dimidiam vero horam significare brevitatem temporis, quod inter novissimas plagas mundo inferendas, et regni Christi manifestationem diemque judicii intercedet.

Nono, optime Viegas et Ribera censent septimum sigillum non consistere in hoc silentio, sed in sequentibus septem tubis, quibus Angeli supplicia denuntiant, et quasi evocant in eos qui non sunt signati cap. 7. 3. et seq. sicut sigillo sexto significata est felicitas eorum, qui sunt signati. Unde c. 9. dicitur: *Et præceptum est ne læderent, nisi tantum homines qui non habent signum Dei in frontibus suis.* Silentium ergo hoc fuit peristasis, sive circumstantia prævia, aut potius comitans septem tubas et plagas, atque significat tacitam exspectationem et considerationem septem tubarum et plagarum, quasi rerum magnarum, insolitarum et stupendarum indéque consequentem, quasi admirationem et ad silentium usque stuporem cœlitum, stupentium nimirum et admirantium tum gloriam Sanctorum signatorum, visam sexto sigillo, tum pœnas impiorum septimo sigillo contentas. Jam enim apertum erat septimum sigillum. Ait enim: *Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo quasi media hora.* Et statim subdit: *Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei, et datæ sunt illis septem tubæ,* quibus scilicet septem plagas edicerent et evocarent in impios. Licet ergo Beati in terra, rebusque naturalibus et terrenis, utpote parvis, nihil admirentur; admirantur tamen divina et cœlestia, utpote supernaturalia; ac præsertim ineffabilia et incomprehensibilia Sanctorum præmia et impiorum supplicia. Oculus enim non vidit, et auris non audivit, nec in cor hominis ascendit bonum quod diligentibus, et malum quod odientibus se Deus præparavit. Secundo, et potius, breve hoc silentium significat gloriam hanc Sanctis præparatam, quam Joannes vidit cap. præced. in sexto sigillo, Sanctis non illico obventuram, sed post mediam horam, puta prodigia et supplicia impiorum septimo sigillo, et septem tubis contenta. Post hæc enim plena beatitudo eis obtinget, quam enarrat S. Joannes c. 21. et 22. Silentium ergo hoc mediæ horæ fuit eodem tempore, quo septem Angeli effuderunt septem plagas: tunc enim siluerunt cœlites, ut hoc silentio significarent Sanctos similiter tacituros in terra, nec evehendos in cœlum ad hymnos Angelicos, quos audivit Joannes in sexto sigillo c. præced. v. 12. audiendos, et pariter concinendos, donec plagæ istæ peragantur.

Tropol. Silentium hoc denotat Sanctorum quasi pudorem et verecundiam, ac gratitudinem; nam Sanctorum est, viso improborum supplicio, propriæ vilitatis ac suorum delictorum reminisci, et pudere, ac gratos esse Deo, quod se salvatos et electos, illos repulsos et damnatos videant. Rursum, silentium signum est laudis, et modestæ cujusdam approbationis, qua divinæ justitiæ integritatem et æquitatem Beati tacite approbant et collaudant. Huc spectat illud Psalmi 64. *Te decet hymnus Deus in Sion;* ubi Hebræa habent: *Tibi silentium Deus in Sion;* pio enim et reverenti silentio, æque ac voce et hymnis, honoratur Deus.

Hæ tres ultimæ sententiæ probabiles sunt, et inter eas probabilior est ultima Riberæ. Hæc enim sigilla, ut sæpius dixi, non sequuntur, sed præeunt Antichristum; atque septem tubæ

et plagæ sequentes plane videntur esse mysterium septimi sigilli, non autem nudum hoc et frigidum silentium; præsertim cum silentium necessario ad plagas hasce referendum sit. Nemo enim silet propter se, sed propter aliud, puta ob insolitas vel plagas, vel præmia, quæ conspicit. Quocirca opinantur aliqui hoc silentium durasse usque ad excidium impiorum et Babylonis: nam ea excisa abrumpitur cap. 19. ubi dicitur: *Post hæc audivi quasi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium: Alleluia; salus, et gloria, et virtus Deo nostro*, etc. *qui judicavit de meretrice magna.* Mox enim post Babylonis excidium, quasi præludium, sequetur simile excidium Antichristi et Antichristianorum, quo plene evertetur regnum impietatis et impiorum, post quod felicitas et gloria visa in sexto sigillo Sanctis obtinget, tumque abrupto silentio et æternos hymnos cum Angelis canent Deo.

Moral. disce hîc quanta sit virtus silentii quam etiam in cœlo servant, et in nobis commendant Beati: de qua virtute multa dixi Isaiæ 30. 15. et c. 32. 17. et Threnor. 3. 26. Quocirca *S. Mechtildis silentium tantum indixerat sibi, ut mutam crederes: si vero loqueretur, cum Angelo te conferre putares*, ait Engelhardus in ejus Vita c. 5. quæ proinde, ut idem narrat, cum quadam vice ei inadvertenter verbum otiosum excidisset, illud diu multis lacrymis et pœnis castigavit. Silentium ergo angelicum eam, ejusque similes, angelice docuit et docet loqui.

Ex dictis liquet resolutio quæstionis illius hîc adeo controversæ, an videlicet septimum sigillum consistat in hoc silentio duntaxat, an vero etiam septem plagas septem Angelorum complectatur. In solo silentio consistere affirmant Rupert. Beda, Joachim, Aureolus, Pannon. et Perer. qui et citat pro hac sententia Primas. Ticon. Victorin. Ansel. et Richardum, eo quod docent in septem hisce plagis retrogredi Apocalypsin, ac rursum ad primordia Ecclesiæ Christianæ redire. Verum hæc ratio non convincit: potest enim dici in septimo sigillo quædam repeti.

Negant idipsum Andreas, Aretas, Ribera, Viegas, Arias Montan. Alcazar et alii, asseruntque septem plagas plane et proprie pertinere ad septimum sigillum, silentium vero esse tantum circumstantiam sigilli et plagarum; unde sequitur septimum sigillum porrigi usque ad finem c. 11. Favet ipsa capitum sectio probata, et recepta ab Ecclesia. Nam hoc capite septimum sigillum reseratur v. 1. Et mox v. 2. et seq. recensentur angeli plagas inferentes. Quod si v. 2. nova plane incipit materia, inde certe inchoari debebat c. 8. et v. 1. remitti ad caput septimum, ibique finire septem sigilla.

Hæc sententia probatur primo, quia silentium hoc refertur ad plagas sequentes, earumque causa factum est: ergo ab eis non debet divelli. Secundo, quia signati in sexto sigillo cap. præc. ad hoc signati sunt, ne plagis hisce septimi sigilli tangerentur: ergo hæ plagæ sequuntur sextum sigillum, et pertinent ad septimum. Idipsum satis significat Joannes, dum silentium cum plagis conjungit dicens: *Factum est silentium in cœlo, et vidi septem Angelos, et datæ sunt illis septem tubæ.*

Symbolice S. Gregor. homil. 14. in Ezech. *Cœlum*, inquit, *est anima justi: cum ergo quies contemplativæ vitæ agitur in mente, silentium fit in cœlo; quia terrenorum actuum strepitus quiescit à cogitatione, ut ad secretum intimum auris animum apponat, sed est quasi media hora; quia mox ut se animus sublevare cœperit, et quietis intimæ lumine perfundi, redeunte citius cogitationum strepitu de semetipso confunditur, et confusus cœcatur.* S. Gregorium secutus S. Bernard. hom. de duobus discipulis eunt. in Emmaus, docet in meditatione subinde exoriri radium contemplationis et jubili, sed qui instar fulguris illico pertranseat. *Hic*, inquit, *est ille radius suavissimus contemplationis, quo anima per cincinnum capitis elevatur, cum meditatione exardescente, et oratione scintillante nascitur in corde jubilus quidam, scilicet mellifluus cordis risus, quem nemo scit nisi qui sentit, nec etiam ipse qui sentit, quia cito pertransit. Felix hora, sed brevis mora, quia factum est silentium in cœlo quasi media hora.* Et subdit: *Norunt experti quæ dico, qui hæc experientia suavitatis intimæ didicerunt; quia cum in fervore orationis admiscetur ardor meditationis, erumpit ille contemplationis radius de medio earum quasi species electri, hoc est de medio ignis. Et scintillæ quasi æris candentis, suspiria scilicet conscientiæ jubilantis.*

2. Et vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei.] Hi sunt septem primores Angelorum in aula cœlesti, et principes Ecclesiæ, quibus cura hominum et Ecclesiæ à Deo demandata est, de quibus dixi c. 1. 4. Ita Andreas, Aretas et Ribera. Aliter alii. Nam primo, aliqui putant hosce Angelos esse septem dæmones, eo quòd plagas inferant. Alii per Angelos accipiunt ipsasmet plagas, quas Deus in impios immittit. Sic enim venti vocantur Angeli Psalm. 103. 4. *Qui facit Angelos suos spiritus*, id est ventos. Ita Arias Montan. Quarto, Ticon. Primas. Beda, Anselm. per septem Angelos putant significari omnes Ecclesiæ doctores et concionatores. Sic fere et Ambros. Primus, ait, Angelus designat concionatores qui fuerunt ante legem Mosis; secundus, Mosen et legis doctores; tertius, Prophetas; quartus, Christum et Apostolos; quintus, fidei defensores; sextus, Martyres; septimus, Eliam et Henoc, aliosque prædicatores in fine mundi. Sic fere et Andreas et Joachim nisi quòd Joachim eos tantum notari putet, qui à Christo erunt per septem quasi ætates et sæcula Ecclesiæ, usque ad finem mundi.

Denique Alcazar censet septem tubas esse septem prophetias de septem plagis Judæis inferendis, quas refricarunt Judæis in primitiva Ecclesia Angeli, id est Prophetæ et prædicatores. Verum primus sensus est litteralis et genuinus. Nam de hisce Angelis dicitur, quòd erant *stantes in conspectu Dei*: ergo erant viri Angeli, iisque boni et primi ac primores. Idem confirmatur ex Antiphona, quam recitat Ecclesia in officio S. Michaelis ad Vesperas, in qua dicitur: *Dum sacrum mysterium cerneret Joannes, Archangelus Michael tuba cecinit: Ignosce, Domine Deus noster.* Ergo unus ex hisce septem Angelis fuit Michael. Ubi obiter nota ex Alcazario, τὸ *Ignosce, Domine*, non esse tubam; nec vocem Angeli, puta Michaelis, sed Ecclesiæ: quæ videns S. Michaelem classicum quasi canere ad plectendos sceleratos, procumbit in genua pro iisque intercedens ait: *Ignosce, Domine.*

Et datæ sunt illis septem tubæ.] Multi has tubas ægnimatice accipiunt et explicant, sed

violenter, uti videre est in explicatione Aureoli et Lyrani, paulo ante recensita. Noster Alcazar censet, hisce septem tubis, earumque plagis significari gravissima supplicia, quibus Deus severitatem suam adversus Judæos rebelles ostendit sub primitivæ Ecclesiæ tempora, scilicet primo Christianæ Ecclesiæ sæculo. Porro septem plagas esse has: *Famem, bellum, pestilentiam, ignorantiam, concupiscentiam, iram, obdurationem.*

Verum hæ pariter ænigmaticæ et mysticæ sunt plagæ, non litterales. Adde hîc non agi de plagis Judæorum jam præteritis, sed de futuris totius orbis in ejus fine. Dico ergo, ad litteram, hosce septem Angelos septem habere tubas, ut eas inflando et clangendo per prædicatores, gravissimas mundi (sub ejus finem, paulo ante Antichristum) calamitates et pœnas hominibus prænuntient et quasi evocent. Clangor ergo hîc tubarum non est realis, sed symbolicus. Visus enim fuit Joannes sibi videre Angelos tubis clangentes, non quòd vere iis clangent in fine mundi, sed ut hoc clangore quasi symbolo significaretur, eos per Prophetas et concionatores quasi tubas, hasce plagas in orbe proclamaturos, concionaturos et inducturos. Clangor ergo hic Angelorum erit prophetia et concio prædicatorum, eis ab Angelis suggesta: quæ vocatur tuba, allusione ad septem tubas Hebræorum clangentium, quibus corruit urbs Jericho, Josue 6. 4. de quibus ibidem dicitur: *Quarum usus est in jubileo*, quibus scilicet promulgabatur jubileum. Itaque sicut Deus prosternendo urbem Jericho, ejusque cives tradendo Hebræis ad necem, Hebræis dedit de hostibus victoriam, triumphum, et quasi jubileum: ita in fine mundi Deus per hasce tubas et plagas plectendo impios, hoc ipso significabit piis et sanctis instare redemptionem et jubileum perenne in cœlis, juxta illud Luc. 21. 18. *His autem fieri incipientibus respicite, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Adde: forte etiam ipsi Angeli sensibili organo, uti tuba, aut voce tubali, easdem plagas proclamabunt ac reipsa efficient et producent. Sic enim vere Archangelus, evocans et citans mortuos ad judicium, canet tuba, 1. Cor. 15. 52. Id enim maxime litterale et planum videtur; itaque videtur explicari v. 6. et seq. Clangor ergo tubarum est præconium quoddam, et quasi promulgatio ac inchoatio belli: unde clangorem mox sequitur plaga æque ac cap. 16. effusionem phialæ sequitur plaga. Sicut ergo judex sententiam latam contra reum per præconem proclamari, et statim executioni mandari jubet: ita et hîc Deus per Angelos plagas hasce proclamari, et reipsa inferri jubet.

Symbol. et tropol. S. Hildegardis anno Domini 1146. pollens luce et revelatione divina, adeo ut de ea scribat Taulerus in libro Vaticinii pag. 671. *B. Hildegardem luce clarius exposuisse caput nonum Apocalypseos.* Hildegardis, inquam, in epist. ad Abbatissam S. Glodesindis pag. 105. et 106. hasce septem plagas ita explicat et nominat: *Prima*, inquit, *est vana gloria; secunda, delectationis amplexatio; tertia, vivere quasi Deo mortuum; quarta, de prædictis peccatis se excusare; quinta, superbia; sexta, quærere solatium à creatura, et non à Deo; septima, idololatriæ servitus, quæ diabolum adorat.* Subjungit deinde hæc septem vitia superari per septem dona Spiritus sancti.

3. ET ALIUS ANGELUS VENIT, ET STETIT ANTE ALTARE (thymiamatis) HABENS THURIBULUM AUREUM.] Alcazar *thuribulum*, græce λιβανωτὸν accipit improprie pro acerra, sive arcula thuris, quàm naviculam (quia ejus figuram habet) vocant sacristæ, q. d. Angelo accedente ad altare, navicula ejus impleta fuit thymiamate, ut illud imponeret altari, in eoque illud cremaret et adoleret. Censet enim Alcazar thymiama in ipso altari fuisse crematum, non autem in thuribulo aut prunario altari imposito: ipsum enim altare fuisse prunarium. Verum contrarium, uti decentius, ita et verius est. Solet enim thus et thymiama non immediate in ipso altari, sed in foculo, sive thuribulo altari imposito sufliri et adoleri; itaque hîc factum ostendi Exodi 30. 8. Proprie, ergo hîc thuribulum accipio; nam illud mox Angelus v. 5. implevit igne, qui non solet in naviculam conjici. Tale ergo habuit Angelus, illudque implens incenso, sive thymiamate sibi dato, posuit super altare, ibique illud suffitum edere et evaporare permisit.

Quæres: Quisnam fuit hîc Angelus? Primo, Alcazar respondet esse charitatem Christianam: charitati enim hîc per prosopopœiam dari nomen et personam Angeli. Illa enim Christianos primos impulit, ut pro Judæis persecutoribus ardentes preces effunderent, quibus ab eis supplicia Dei, quæ eis impendere cernebant, averterent. Illa quoque ignem et prunas sui amoris in terram projecit. Significat ergo Christum exspectasse, ut charitas primorum Christianorum in persecutione Judæorum exardesceret, itaque suam plenitudinem acciperet, antequam iram et vindictam suam in Judæos effunderet.

Secundo, Aureolus consequenter ad superiora censet Angelum hunc esse S. Damasum Papam, sub quo valde floruit et crevit Ecclesia; quia instituit ut psalmi in Ecclesia canerentur, eisque in fine adderetur: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Unde dicuntur hîc ei data incensa multa; et mox *factæ sunt voces*, id est, illo tempore floruerunt Doctores, qui Ecclesiæ sunt quasi os et vox, nimirum S. Hieron. Ambros. Nazianz. Augustin. ac *fulgura*, id est, Sancti ferventes, uti Eremitæ agentes vitam cœlestem, ut S. Macarius, Moses, et alii per Ægyptum; atque *tonitrua*, id est patratores miraculorum, uti fuit S. Martinus et alii, ex quibus magnus in Ecclesiam, tam terræ, quàm animorum factus est motus.

Tertio, Viegas censet hunc Angelum esse Christum: Christi enim est universæ Ecclesiæ incensa, id est orationes, Deo offerre; ipseque est magni consilii Angelus, qui de igne sui thuribuli misit in terram, cùm Spiritum Sanctum in Pentecoste misit, et Apostolos claritate inflammavit. Quocirca Christus hîc apparet quasi sacerdos cum thuribulo, quia mediator est Dei et hominum. Porrò accipit Christus ignem de altari, holocaustorum scilicet, id est de cruce. Crucis enim suæ merito obtinuit et misit nobis Spiritum Sanctum, ac mox cœperunt fulgura, tonitrua, et terræ motus; quia mox cœperunt Apostoli variis linguis detonare, fulgurare et coruscare miraculis, omnesque homines Dei metu concutere.

Verum hæc licet plausibilia videantur, tamen mystica sunt, nec satis congrue cum littera et

textu cohærent. Nam Christus hîc cap. 4. 5. et seq. Joanni visus est ut Agnus (non ut Angelus assistens sedanti in throno) et reserans septem sigilla libri signati ; ita ut Angelus hîc tam Agno, quàm sedenti in throno hoc orationum thymiama offerret.

Dico ergo : Angelus hîc vere et proprie fuit angelus, æque ut alii septem, qui tuba canunt et plagas immittunt. Ita Aretas, Ribera et alii. Putant aliqui Angelum hunc fuisse Gabrielem, vel Raphaelem ; hos tamen Alcazar et alii potius inter Angelos tubarum, utpote primores stantes in conspectu Dei v. 2. referunt.

Porro ex hoc loco Apocal. et similibus colligunt viri docti peculiarem esse Angelum, qui sacerdoti celebranti assistat, cum juvet et dirigat, ejus preces et hostias Deo offerat, sive is angelus sit custos celebrantis, sive custos altaris et templi, ad hanc custodiam et sacrificiorum oblationem peculiariter à Deo deputatus, de quo legimus in Prato spiritual. apud Joannem Moschum cap. 4. Leontium Abbatem Dominica euntem in Ecclesiam ad sacra mysteria, vidisse Angelum astantem altari, ac ab eo audiisse : *Ex quo sanctificatum est altare istud, ego jugiter illi astare jussus sum.* Sic in vita S. Chrysost. legimus milites ab Eudoxia ad Chrysost. in templum missos, ab Angelo pro foribus vestibuli stante, et romphæam vibrante repulsos, re infecta domum rediisse. Sic Ada in Chron. ætat. 6. sub annum 774. narrat Saxones, volentes invadere Ecclesiam à S. Bonifacio consecratam, à duobus juvenibus (Angelis utique) miræ claritatis et splendoris eam defendentibus, in fugam actos. Hic ergo Angelus vel est custos altaris, vel custos sacerdotis, qui celebranti attentius et efficacius assistit ; vel uterque. Unde de eo legimus et oramus quotidie in Canone Missæ, dicentes : *Supplices te rogamus omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui, in sublime altare tuum in conspectu divinæ Majestatis tuæ*, etc. Ita D. Thom. 3. p. qu. 83. art. 4. ad 9. Simili modo Zachariæ offerenti thymiama *apparuit Angelus Domini* (Gabriel) *stans à dextris altaris incensi; aitque : Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua ; et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem.* Lucæ 1. 12. Sic Angelus apparens Manue, eique promittens filium Samsonem, astitit oblationi Manue : *Cumque ascenderet flamma altaris in cœlum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit*, Judic. 13. 20. Sic Angelus astitit Gedeoni sacrificanti, ac virga tangens victimam elicuit ignem de petra, qui victimam incendit et consumpsit, Judic. 6. 21. Sic Angelus astitit Abrahæ volenti sacrificare Isaac, gladiumque ejus continuit, ac pro Isaac substituit arietem, Genes. 22. 11. Sic Angeli ascendentes et descendentes in scala, quasi per eam preces Jacobi sursum in cœlum ferentes, et dona è cœlo in terram ad eum deferentes, apparuerunt Jacobo ; adeoque locum Deo dedicarunt, ut vocatus sit Bethel, id est domus Dei, Genes. 28. 12. Sic Angelus apparuit Davidi in area Areuna Jebusæi, hoc ipso locum templo ibidem à Salomone ædificando designans. Unde David jussu Gad Prophetæ in eodem altare erexit, et holocausta et pacifica obtulit, itaque plagam pestilentiæ stitit et cohibuit, 2. Reg. 24. 16. et seq. Sic Angelus astitit et apparuit celebrantibus S. Basilio, S. Chrysostomo, S. Gregorio et aliis pluribus. Refert P. Ludovicus de Ponte in Vita P. Balthasaris Alvarez cap. 6. ipsi celebranti astare et apparere solitum Angelum, qui eum dirigeret, eique necessitates eorum pro quibus celebraturus erat, panderet et suggereret, ut easdem Domino commendaret. Angelorum enim proprium munus est duplex : prius, Deum laudare et honorare ; summus autem honor Dei est sacrificium : illi ergo cooperantur Angeli. Posterius, curare hominum salutem : hæc autem salus minime curatur per sacrificia, quibus hominibus à Deo gratia impetratur. Illa ergo Deo offerunt Angeli, ut gratiam ejus hominibus concilient et impetrent. Quocirca sacerdos dum celebrat, meminerit sibi astare Angelum ; eumque veneretur et invocet, ut se dirigat, illuminet, accendat ad digne sacrificandum. Huc facit quod in vitis Sanctorum legimus, Angelos nonnullos ministrasse S. Eucharistiam, nimirum Marco monacho teste Sozom. lib. 9. cap. 29. et Palladio in Lausiaco cap. 20. S. Bonaventuræ ; S. Bertrandæ, ut habetur in Vita S. Elzearii cap. 17. Onuphrio quoque Dominicis singulis Angelus Domini S. Synaxin divinitus deferebat. Ita habetur in Vitis Patrum. Nostrum B. Stanislaum Kostkam ex Angelorum manibus, assistente S. Barbara, sumpsisse S. Eucharistiam, indeque visitatum à B. Virgine, ab incurabili morbo miraculose curatum convaluisse, habet ejus Vita. Dicat ergo sacerdos dum celebrat, dicant assistentes et communicantes cum Davide Psalm. 137. 2. *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Audiat S. Ephrem. tract. de Virginit. tom. 1. *Esto*, ait, *totus orationis tempore velut cœlestis Angelus : sicque contende ut oratio tua sit sancta, ac pura et immaculata, et irreprehensibilis, ut, cùm illam sursum ascendere viderint portæ cœlestes, gaudentes ultro ei aperiantur, ut ipsam cernentes Angeli et Archangeli cuncti lætantes illi occurrant, et coram sancto atque excelso throno immaculati Dei ipsam offerant. Sic ergo semper orationis hora esto Deo conjunctus ut Cherubim et Seraphim.*

Singulare est quod Damascen. orat. *De iis qui cum fide dormierunt*, scribit S. Gregorium I. Pontificem, *cum sacris operaretur, cœlestem ac divinum Angelum sacrosancti muneris socium habuisse.* Nec id mirum ; nam, ut ait S. Ildefonsus Toletan. de Viris illustr. *S. Gregorius ita cunctorum meritorum claruit perfectione sublimis, ut exclusis omnium virorum illustrium comparationibus, nihil illi simile demonstrarit antiquitas. Vicit enim sanctitate Antonium, eloquentia Cyprianum, sapientia Augustinum.*

ANTE ALTARE,] thymiamatis, super quo incensum adolebatur coram Deo residente in Sancto sanctorum, cui hoc altare in Sancto obversum, planeque vicinum erat, Exodi 30. 1.

Per altare hoc Primas. Beda, Ansbertus et alii accipiunt Ecclesiam, sive fideles ipsos, in quibus hæc incensa, id est orationes offeruntur per Dominum nostrum Jesum Christum. Thuribulum aureum est Christi humanitas charitate ardens, ait S. August. serm. 98. de Tempore ; unde Deo grata et exaudita fuit hæc ejus thurificatio, et interpellatio. Hoc est quod subditur :

4. ET ASCENDIT FUMUS INCENSORUM DE ORATIONIBUS SANCTORUM IN MANU ANGELI CORAM DEO.] Vir ergo sanctitate præstans est altare thymiamatis ; quia per cœlestium contemplationem terrena despicit, Deoque sancta desideria et

preces in ara cordis sui adolet : qua ex re evadit instar altaris lapideus et quadratus, id est, fixus et immobilis inter prospera et adversa ; quatuor habet cornua sive pomella speciosissima, scilicet prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam : offertur in eo mane et vesperi thymiama simul, id est, eodem tempore quo in altari holocaustorum offerebatur agnus, sive juge sacrificium, quia charitas et oratio, sive contemplatio jungi debet mortificationi.

Verum pro responsione adverte S. Joannem hic passim alludere ad vetus tabernaculum et templum (ejus enim tempore Christiani necdum habebant templa qualia nunc, sed oratoria,) ut patet c. 6. v. 9. et c. 7. v. 14. 15. et seq. Locus enim Beatorum in cœlo optime repræsentatur per templum, tum quia templum erat Deo sacrum Deique thronus, tum quia erat augustissimum, ditissimum et pulcherrimum, ita ut esset orbis miraculum ; tum quia erat locus sacerdotum, qui erant sancti et Christi Dei : pariter enim in cœlo Beati sunt sacerdotes Dei, uti dixi c. 5. 10. unde

Nota primo. Duæ fuerunt præcipuæ veteris templi partes, scilicet Sanctum et Sanctum sanctorum, velo interjecto divisæ. In Sancto erat altare hoc thymiamatis obtensum et oppositum Sancto sanctorum, habens à dextris candelabrum aureum septifidum, à sinistris vero mensam panum propositionis. In Sancto sanctorum autem erat arca cum propitiatorio et Cherubim, qui suis alis junctis quasi thronum exhibebant Deo iis insidenti.

Nota secundo. Allegor. Sanctum sanctorum significabat cœlum empyreum Dei, et gloriosæ ejus divinitatis, in quo Deus est, et apparet Angelis et Beatis in sua gloria et beatitudine, ac quasi in throno majestatis suæ. Itaque arca facta ex lignis setim imputribilibus, significabat corpus Christi non jam corruptibile et mortale, sed incorruptibile et gloriosum post resurrectionem. Propitiatorium, quod erat supra arcam ex puro auro, significabat thronum divinitatis, humanitati Christi (quam repræsentabat propitiatorium) quasi insidentis, et præcedentis, cui astant undique et ministrant Cherubim omnesque Angeli.

Nota tertio. Sanctum significabat Ecclesiam hominum justorum, quæ in hac vita Deo servit, et ad Deum tendit : item illa quæ in ea sunt. Itaque altare thymiamatis, quod erat in Sancto, significabat locum precum, gratiarum actionis et laudis, quatenus ea super Christo, quasi altari, et per Christum, ejusque passionem et mortem Deo offeruntur. Mensa panum propositionis significabat tum Sacramentum Eucharistiæ, tum opera charitatis et misericordiæ : candelabrum, lucem et fulgorem doctrinæ Christianæ.

Nota quarto. Christus sua passione et morte scidit velum intermedium dividens Sanctum sanctorum à Sancto ; quia morte sua Sanctum sanctorum id est cœlum, hominibus patefecit, Hebr. 9. vers. 12. Vult ergo dicere hic S. Joannes quòd animæ Sanctorum quæ in hac vita quasi sacerdotes spirituales versabantur, Deoque serviebant in Sancto, id est in Ecclesia per preces et laudes, ac puram piamque vitam, itidem et in cœlo eidem deserviant in Sancto quasi perpetui et regales sacerdotes, illique perpetuum thymiama orationum et laudum offerant. In Sancto, inquam, non terræ, sed cœli, ubi jam per Christum diffracto omni velo, altare hoc thymiamatis (in quo degunt animæ Sanctorum, ut dictum est c. 6. v. 9. ac serviunt Deo die ac nocte, uti dictum est cap. 7. v. 15.) conjunctum est arcæ, propitiatorio et Sancto sanctorum, id est throno Dei ; adeo ut in cœlo unus idemque sit locus Sancti et Sancti sanctorum ; ac animæ beatæ ex suo Sancto, et suæ felicitatis loco, in templo cœlesti jugiter intueantur Deum in Sancto sanctorum, seu in cœlo suæ divinitatis existentem. Vide ea quæ dixi Exodi 26. 27. et 40. Animæ ergo beatæ dicuntur esse sub altari ; quia altare hoc erat in Sancto, quod proprie erat locus sacerdotum, quales sunt hæ animæ in cœlo ; sicut Sanctum sanctorum proprie erat locus et thronus solius Dei : unde in illud solus ingrediebatur summus Pontifex, idque semel tantum in anno. Pontifex autem repræsentabat Christum, non Sanctos.

Nota quinto. Quod dicitur : *Ut daret de orationibus Sanctorum*, sensus est, q. d. Ut in suum thuribulum, ejusque igne conjiceret thymiama confectum ex variis orationibus et desideriis Sanctorum, petentium everti regnum peccati, impiosque puniri ; ut illud deinde imponeret ipsi altari thymiamatis, ibique illud Deo per suffitum adoleret et offerret. Non enim hìc fuit aliud incensum vel thymiama, quàm orationes Sanctorum. Adverte : Græca habent ταις προσευχαις ; quod Beza vertit, *cum orationibus*, subaudiendo præpositionem συν. Sed perperam : nil enim aliud cum orationibus, sed nudas et solas orationes Sanctorum Deo obtulit hìc Angelus. Quocirca melius Noster, quin et Erasmus et Vatablus vertunt, *de orationibus Sanctorum* : est enim hebraismus. Nam Hebræi dicunt העלה מתפלות *heela mittephillot*, id est, obtulit de orationibus ; præpositio enim מן *min* apud Hebræos est index et nota ablativi æque ac apud Latinos *de*. Voluit id ipsum eodem casu Græco exprimere S. Joannes ; sed quia Græci præpositionem non habent, quæ significans *de* vel *ex*, apte cum ablativo vel dativo construatur, hinc eamdem omisit, eamque subaudivit, ac solum posuit nomen προσευχαις, id est, *orationibus*. Porro Angeli offerunt Deo preces hominum, quorum quasi clientum suorum, ipsi custodes, patroni et advocati sunt ; non ut Deo illas manifestent, cum nihil ipsum lateat, sed ut ipsi pro iis simul Deum deprecentur, itaque eas efficaces reddant ; quo fiat ut optatum sortiantur effectum, et impetrent illud quod postulant.

Nota sexto. S. Joannes vidit in cœlo altare incensum, thurificationem, hymnos, adorationem, Agnum occisum instar victimæ et sacrificii : tum quia Christi passio, mors et sacrificium cruentum hisce omnibus adumbratum, virtute et merito permanet, suoque aspectu jugiter provocat Deum ad miserandum hominibus : tum quia reipsa et actu, quoad hostiam id ipsum permanet in sacrificio Eucharistiæ, in quo quotidie, ut aiebat S. Andreas, Christum quasi Agnum Deo immolamus, ita ut post immolationem Agnus semper supersit integer et vivus.

Quocirca Christus ipse jam in cœlis gloriosus, subinde visus est in terris sacrificium hoc suum iterare et peragere. Audi memorabile quod narrat Nauclerus ad annum Domini 1011. *Fertur*

de Henrico hoc, quòd semper post primam noctem ingrediens Urbem solitus fuerit in ecclesia S. Mariæ Majoris manere : contigit autem semel quòd, dum solitarius oraret, visus sit sibi Christus pontificalibus indutus procedere Missam celebraturus ; quem sequebatur S. Laurentius, et loco Subdiaconi Vincentius : post hos Virgo Dei genitrix cum multitudine virginum et Angelorum ; dehinc Joannes Baptista cum Patriarchis et Prophetis : post hos Petrus et Joannes cum cæteris Apostolis et Evangelistis, S. Stephanus cum Martyribus, S. Martinus cum Confessoribus. Angeli inceperunt introitum : Suscepimus, Deus, misericordiam ; et cum cantaretur : Dextera tua plena est justitia, omnes Christum et B. Virginem imitantes extenderunt digitum in Henricum. Post Evangelium indicibili jubilo Angelus librum deosculatum à Christo, præsentavit B. Mariæ, et post eam omnibus per ordinem deosculandum. Demum innuit B. Virgo Angelo, ut porrigeret librum etiam Henrico ad osculandum, dicens : Præbe ei pacis osculum, cujus mihi virginitas placet ; et cum præ nimio gaudio raptus nesciret ad plenum intendere, Angelus ipsum in nervo tangens dixit : Hoc tibi erit signum dilectionis Dei propter tuam castitatem et justitiam, et exinde usque ad mortem claudicabat, ex quo eventu vocatus est Henricus Claudus.

Alterum huic ferme geminum beato Godrico contigit, qui duodecimo à Virginis partu sæculo solitariæ vitæ in Anglia sectator, prodigiorum mirus opifex, et alter istorum temporum Thaumaturgus audiit, à B. Thoma Cantuariensi cultus unice, cuique et exilium, et honorificam post septennium restitutionem, ac denique gloriosam pro Ecclesiæ defensione mortem longe ante prænuntiavit. De hoc inter pleraque alia divinitus concessa beneficia, recenset et istud Nicolaus Harpsfeldius Archidiaconus Cantuariensis, ad historiæ Ecclesiasticæ Anglicanæ duodecimum sæculum c. 40. *Inter alia illustre, quod idem Petrus Apostolus sacræ Missæ mysteria, Ecclesiæ more, apud eum celebraverit ; ejusque confessione et exhomologesi, quam exquisite Godricus de omnibus peccatis suis, quæ ad memoriam revocare potuit, eo ita jubente fecit, audita, omnium delictorum gratiam fecerit, et sacrosanctam illi de altari Eucharistiam ministrarit.* Similia nonnulla hoc sæculo, atque adeo hoc anno 1622. In canonizatione nostrorum S. Ignatii et Xaverii contigere Duaci, quæ recensentur in libello hac de re ibidem edito. Sic Christus stipatus Angelorum multitudine visitavit S. Dionysium Areopagitam in carcere, eique porrigens S. Eucharistiam, animavit ad instans martyrium. Ita Hilduinus in vita S. Dionys. S. Honoratum quoque, quartum Ambianensem Episcopum, è Christi manu communicasse, indeque deinceps ab omni inquinamento carnis illæsum permansisse, habet Breviarium Ambianense. Idem S. Catharinæ Senensi contigisse, habet vita ejus scripta à Raymundo Capuano lib. 2. c. 32.

4. ET ASCENDIT,] q. d. Ad Deum pervenit, Deus accepit, excepit et exaudivit orationes Sanctorum. Unde hujus exauditionis fructum et effectum subdit, dicens :

5. ET ACCEPIT ANGELUS THURIBULUM, post suffitum et evaporationem thymiamatis ; indeque simul ignis consumptionem et incinerationem) ET IMPLEVIT ILLUD DE IGNE ALTARIS,] puta de igne, qui erat in aliis thuribulis quibus in eodem altari Deo adolebatur et cremabatur thymiama. Nec enim in ipso altari thymiamatis erat ignis : nam sacerdos incensurus thymiama, ignem et thuribulum accipiebat ex altari holocaustorum, illique imponens thymiama deferebat et imponebat thuribulum altari thymiamatis, in eoque illud adolebat, ut dixi Exodi 30. v. 7. et 8.

ET MISIT IN TERRAM,] non thuribulum, sed ignem sive prunas thuribuli : idque ad hoc, ut eo quasi symbolo significaret, quod per orationes Sanctorum (hæ enim fuerunt thymiama thuribuli) poscentium vindictam de impiis suisque persecutoribus, perque charitatem Christi, qua suos fideles et sanctos prosequitur, ignis vindictæ, id est tonitrua, fulgura et plagæ sequentes septem Angelorum et tubarum, in impios sint demissæ. Nam ignis hîc tonitrua et plagas defert ; ergo est vindex. Ignis autem charitatis est symbolum, perinde ac altare significat Christum : charitas enim zelat Dei honorem, ideoque impiorum Dei hostium est vindex. Quocirca apposite Haymo : Thuribulum, inquit, significat corpus Christi, quod in passione multis plagis quasi fenestris, vel cancellis instar thuribuli apertum est. Et quia per Christi passionem nobis charitas et spiritus orationis datur ; hinc congrue in thuribulo ignis et incensa ponuntur.

Rursum, quia Christus sua vulnera Patri ostendit pro Sanctis in terra laborantibus, suamque in eos charitatem, indeque Pater ad puniendum impios Sanctorum hostes excitatur, hinc thuribulum de igne altaris impletur et mittitur in terram ; charitas enim quasi ignis hanc vindictam procuravit ; hoc est, ignis charitatis Christi exivit à Deo, et in terram demisit ignem vindictæ in impios piorum persecutores et homicidas.

Porro orationes has Sanctorum vindictam, non veniam precari patet primo ; quia has orationes statim non venia, sed supplicia subsequuntur, scilicet tonitrua, tubæ et plagæ. Secundo, quia c. 6. 9. animæ sub altari clamarunt postulantes vindictam : *Usquequo, Domine, non judicas et non vindicas sanguinem nostrum ?* Tertio, quia c. 9. v. 13. prodit hæc vox ex cornibus altaris : *Solve quatuor Angelos*, qui soluti gravia impiis intulerunt supplicia. Quarto quia alluditur ad Ezech. 10. 2. ubi Angelus unus jubet alteri accipere prunas ignis ex altari, easque effundere in Jerusalem, ut eam vastet et comburat per Chaldæos. Ait enim : *Imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter Cherubim, et effunde super civitatem*, etc. Vide ibi dicta ; sicut enim ibi c. 9. signantur prius servi Dei, ne in urbis excidio lædantur, ita hîc cap. præced. prius signati sunt servi Dei, ne ab Angelis plagarum sequentium effectoribus tangantur. Ergo, sicut ille ignis Ezechielis fuit vindictæ et conflagrationis Jerusalem ; ita hic ignis erit vindictæ et excidii orbis.

Contrarium sensit Alcazar, scilicet hasce orationes Sanctorum petivisse veniam, non vindictam. Hic enim est spiritus Sanctorum novi Testamenti, scilicet amare inimicos, pro iisque orare : Angelus ergo, inquit, misit in terram ignem non vindictæ, sed charitatis et religionis, de quo ait Christus Lucæ 12. v. 49. *Ignem veni mittere in terram ;* quia licet hisce suis precibus non potuerint impetrare Judæorum rebellium et infidelium conversionem, nec ab eis aver-

tere supplicia septem tubarum ; tamen mitigarunt iram et vindictam Dei, ac impetrarunt ut multi ex Judæis, puta Paulus, Stephanus, Ananias, Gamaliel, etc. ad Christum converterentur, utque Deus supplicia septem tubarum non pauca ad tertiam partem coarctaret, uti significatur cap. 11. 13. cum dicitur : *Decima pars cecidit.* Voluit enim Deus ut Christianorum patientia, charitas, oratio et zelus ad perfectionis velut culmen perveniret, antequam plagas in perfidos Judæos immitteret, eosque disperderet. Verum hæc non Judæos, nec primitivam Ecclesiam, sed finem mundi, quando Deus pluet plagas et omne suppliciorum genus in impios, spectant, uti multoties jam dixi et docui.

Nota. Hæc omnia fuerunt visio imaginaria, Joanni exhibita ad significandum ea quæ dixi. Nam in cœlo non est altare thymiamatis, nec thuribulum, nec ignis. De igne tamen credibile est, quòd in fine mundi Angelus realiter ignem in terram demittet, quasi indicium et initium plagarum sequentium, unde sequitur :

Et facta sunt tonitrua.] Hæc omnia prænuntia sunt calamitatum ingentium, quas Deus in fine mundi in impios immittet. Unde tunc ante illas revera præmittet crebra tonitrua, fulmina et terræ motus, uti prædixit Christus Lucæ 21. Ita Ribera et alii. Aliter Alcazar, qui ad suam expositionem apposite et consequenter censet hîc per tonitrua, fulgura et terræ motus significari admirabilem primitivæ Ecclesiæ prædicationem, cum sanctimoniæ splendore et verbi efficacitate conjunctam, et magnam vitæ mutationem (hanc enim repræsentat terræ motus) in eorum animabus, qui cœlesti illi prædicationi se subjugabant.

6. Præparaverunt se, accipiendo tubas suas, easque ori admovendo, ut tuba canerent.

7. Et primus Angelus tuba cecinit, et facta est grando, et ignis, mista in sanguine.] Tò *mista* est neutrum plurale ; unde tam ad grandinem, quam ad ignem refertur, ut patet ex Græco μεμιγμενα.

Quæres : Quinam sunt hi septem Angeli, et quænam eorum tubæ ac plagæ, præsertim prima hæc ? Primo, Alcazar juxta dicta v. 2. per hanc plagam accipit famem immissam Judæis tempore excidii per Titum. Solent enim teneræ quæque segetes, fruges et stirpes grandine decuti, exuri igne, et sanguine putrefieri ; unde sequitur fames. Vide Psal. 104. v. 32. Sanguis notat crudelitatem famis, quæ tanta fuit, ut mater filium proprium coqueret et voraret, teste Josepho. Verum hæc mystica et ænigmatica, ac potius accommodatitia sunt, quàm litteralia.

Secundo, Lyranus et Aureolus per hos septem Angelos accipiunt quatuor celebres hæresiarchas, ac tres principes qui eorum hæreses secuti, valde Ecclesiam turbarunt sub tempora Constantini et Juliani Apostatæ, quem ipsi putant notari per silentium v. 1. Hæresiarchæ fuerunt, Arius, Macedonius, Eutyches et Pelagius, contra quos (scilicet contra tres primos, non contra Pelagium) congregata fuere prima quatuor Concilia œcumenica, scilicet Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum et Chalcedonense. Primus ergo Angelus est Arius, quem fovit et promovit Valens Imper. Arianus ; hic tuba suæ hæresis et persecutionis insonuit, indeque facta est grando animositatis et schismatis inter Episcopos, ac ignis æmulationis et zeli, quæ mista sunt sanguine ; quia usque ad mortes et martyria in Catholicos desævierunt. Unde tertia pars terræ, id est, fidelium communium et populi simplicis, ac tertia pars arborum, id est, Episcoporum, igne Arianismi afflata, prostrata et combusta est. Tunc etiam fenum viride, id est, nova gens prodiens et quasi enascens, Gothi scilicet, petentes à Valente Imp. Episcopos Christianos, qui se docerent, baptizarent, facerentque Christianos, submissis à Valente Episcopis Arianis, pro Catholicis facti sunt Ariani.

Tertio, Ansbertus, Haymo, Richard. Pannon. et Viegas per septem Angelos sive nuntios, accipiunt septem diversos concionatorum Catholicæ fidei in Ecclesia ordines, qui variis temporibus suæ prædicationis tuba orbi insonuerunt. Sed quia eis Judæi et Gentiles infideles resistebant, ac contra Ecclesiam pugnabant ; hinc variæ plagæ eis à Deo immissæ et inflictæ sunt : inde etiam tumultus ac seditiones exortæ sunt, quæ hîc per terræ motus, uti plagæ per grandinem, ignem et sanguinem significantur. Primus ergo Angelus significat primum concionatorum ordinem, puta Apostolos. Grando et ignis mista sanguine significant iram Dei in infideles, eorumque æternam damnationem. Ita Haymo, Ambros. Ansbertus. Infideles enim et impii hîc vocantur *terra*, quia terreni sunt ; et *arbores*, quia omni vento agitantur ; et *fenum*, quia omnis gloria mundi instar feni evanescit. Rursum, Pannon. per grandinem et ignem cum sanguine accipit iram et furorem non Dei, sed Gentilium et infidelium contra Apostolos et Ecclesiam : ex qua tertia pars terræ et arborum, id est multi fideles tam plebeii, quàm magnates et primores, à fide defecerunt.

Verùm dico cum Irenæo lib. 4. c. 50. et Lactan. lib. 7. c. 15. Areta et Ribera hæc omnia ad litteram, ut sonant, esse accipienda. Hæc enim signa et hæ plagæ litteraliter præcurrent, saltem inchoate, id est, inchoabunt et fieri incipient ante judicium et ante Antichristum (continentur enim septimo sigillo cujus resignatio et explicatio præit resignationem et explicationem libri signati, qui continet futura sub Antichristo et deinceps usque ad judicium et finem mundi), idque ad hoc ut Deus per hasce plagas terreat et puniat impios fidelium persecutores. Et hoc est quod prædixit Christus Lucæ 21. 11. *Terroresque de cœlo et signa magna erunt.* Illa enim signa quæ Christus paucis et generatim complexus est, S. Joannes hîc particulatim ex ordine explicat et enarrat.

Atque hæc eadem prædixit Sibylla lib. 2. Oracul. ubi sic inter cætera canit : Εσται κοσμος ακοσμος απολλυμενων ανθρωπων ; *Mundus erit non mundus*, id est, *sine ornatu et specie, percuntibus hominibus*, æque ac plantis per grandinem, ignem, sanguinem, etc. Et Sapiens Sapient. 5. 18. *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Ad litteram ergo grando et ignis sunt fulmina et exhalationes ignitæ, ac lapides grandinis. His miscebitur sanguis sive pluvia sanguinea ;

hanc enim sæpius accidisse narrat Plinius lib. 2. 26.

Porro pluvia sanguinis semper cœlestis iræ fuit indicium, et instantis vindictæ prænuntium, uti hîc est: nam prosternitur et crematur tertia pars germinum et arborum. Rursum, sanguine puniuntur impiorum cædes, quibus piorum et Martyrum sanguinem effuderunt, ut patebit c. 16. v. 6. Alludit ad septimam plagam Ægypti de qua dicitur Exodi 9. v. 24. *Grando et ignis mista pariter ferebantur.* Vide ibi dicta. Simili modo tenebræ plagæ quartæ respondent et alludunt ad plagam nonam Ægypti, quæ pariter fuit densissimarum tenebrarum. Et plaga quinta locustarum c. 9. 3. respondet plagæ octavæ Ægypti, quæ pariter fuit locustarum, Exodi 10. v. 4. Et plaga tertia aquarum amararum et impotabilium respondet primæ plagæ Ægypti, quæ fuit conversio aquarum Ægypti in sanguinem, Exodi 7. v. 17. Illæ enim plagæ Ægyptiacæ fuerunt typus et præludium harum ultimarum totius orbis, uti docet et asseverat S. Irenæus lib. 4. c. 50. et Lactantius lib. 7. c. 15.

Et missum est, totum hoc aggregatum, scilicet grando, ignis et sanguis inter se commista, ita ut facerent quasi unum quoddam compositum, in terram.

Et tertia pars terræ combusta est.] Tertiam hanc partem terræ, arborum et germinum accipe non conjunctim, et simul ac continue eodem loco, sed mistim et sparsim, scilicet ut aliqua in Hispania, alia in Italia, alia aliis locis et provinciis combusta et vastata sint, scilicet illa et illis locis, in quibus erant pessimi incolæ, et maximi persecutores fidelium (hæ enim illorum sunt plagæ, non fidelium et justorum:) ita nimirum ut omnibus computatis quæ sparsim vastata sunt, tertia pars terræ, arborum et germinum, quæ in toto orbe tunc erunt, hac prima plaga et strage disperdatur et comburatur.

Porro tertiam tantum partem percussit grando, non vero totum et omnia; quia noluit Deus hac prima plaga disperdere terram, et homines ejus incolas, sed per eam castigare eos, et admonere ut pœniteant, itaque cæteras plagas jam paratas evadant; quòd si tanta plaga moniti resipiscere et pœnitere nolint, reservat eis sex atrociores plagas, quas sensim majores et majores per sex Angelos sequentes evocabit et producet.

Et omne fenum viride,] omnis herba, omne germen herbescens et virescens: hoc enim significat Græcum χορτος, ut patet Marci 4. 28. *Terra,* inquit, *fructificat primùm herbam* (Græce χορτον), *deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.* Alludit enim ad sextam Ægypti plagam, de qua dicitur Exodi 9. v. 25. *Cunctamque herbam agri percussit grando.* Et v. 31. *Linum ergo et hordeum læsum est, eo quòd hordeum esset virens,* etc. *triticum autem et far non sunt læsa, quia serotina erant.* Ubi nota majorem fore hanc Apocalypseos stragem, tum quia in ea non excipitur triticum aut far, tum quia in ea additur etiam tertiam arborum partem hac grandine fuisse prostratam. Herba ergo vocatur fenum metonymice, quia per hanc plagam exaruit, factaque est fenum. Sicut è converso virga Mosis versa jam in colubrum, vocatur tamen virga, quia fuerat virga, Exodi 7. 12. cum dicitur: *Devoravit virga Aaron virgas eorum,* id est, serpens Aaronis ex virga ejus productus, devoravit serpentes Magorum, ex eorum virgis productos.

Primo, Alcazar per hanc plagam accipit bellum quod Titus intulit Judæis, quo eos perdidit et consumpsit; sanguis enim significat Judæorum necem et stragem: *tertia pars maris* significat magnam partem imperii Romani in eo bello Judæorum sanguine esse conspersam, ita tamen, ut multi ex eis fuga elapsi necem evaserint. Unde *mortua est tertia pars creaturæ eorum quæ habebant animas in mari,* id est hominum navigantium, puta Judæorum, non piscium. Nam *habere animas in mari,* dicuntur navigantes; quia animam, id est vitam, credunt et committunt mari cum magno periculo juxta illud Sapient. 14. 5. *Exiguo ligno credunt homines animas suas.* Pisces enim sunt filii aquæ. Navigantes vero sunt filii terræ, qui habent animas in mari; quia per mare divagantur causa lucri, cujus Judæi sunt avidissimi. Ergo navigantes per catachresin vocantur Judæi, quia institores et lucriones: consequenter cum dicitur: *Et tertia pars navium interiit,* naves intelliguntur ipsorum Judæorum urbes et oppida; in bello enim et excidio Titi facile tertia pars urbium Judææ interiit. Navim enim civitatis esse symbolum patet ex Ezech. 27. et ex Poetarum allegoriis.

Secundo Aureolus: Hîc, ait, secundus Angelus fuit Macedonius hæresiarcha, qui docuit Spiritum sanctum esse creaturam et servum Filii, contra quem congregata fuit secunda Synodus generalis Constantinopolitana. Tunc ergo mons magnus igne ardens, id est, grandis et tumens hæresis missa est in mare, id est in Ecclesiam, quæ dicitur mare, propter aquas baptismi, et propter multitudinem gentium omnium quas continet. Hæc facta est sanguis, quia a Macedonio deturbata, et sanguine, id est hæresi, infecta est; atque tertia pars piscium, id est fidelium, per hæresim mortua est; ac naves interierunt, quia plures Episcopi qui alios ferre et gubernare, ac ad fidam stationem fidei et salutis dirigere debebant quasi naves et nauclerí, facti sunt Macedoniani, suosque secum traxerunt et demerserunt in abyssum. Quibus adde, ob hæresim de Spiritu sancto, scilicet quòd Spiritus sanctus non procedat à Filio, sed tantum à Patre, Græci schismate à Latinis divisi, igne et sanguine puniti sunt, præsertim cum Constantinopolis vi capta, et cum Imperio Orientali eversa est à Mahomete Turcarum rege, ipso festo Spiritus sancti, puta in Pentecoste anno Domini 1453. Tunc enim mons magnus igne ardens, id est ingens exercitus Turcarum furore ardens, missus est in mare, id est, in Græciam et Constantinopolim adjacentem mari, puta Bosphoro; ac tertiæ, id est magnæ, partis incolarum sanguis effusus est, quin et Constantinus Palæologus, Imper. et ipse matre Hælena (uti et primus Constantinus urbis et imperii conditor) genitus, capite truncatus, regni simul et vitæ, ac Orientis pariter Imperii finem fecit.

Tertio, Viegas et alii citati in plaga prima v. 7. Secundus Angelus, inquiunt, est secundus concionatorum ordo, tempore decem persecutio-

num sub decem Imp. in primitiva Ecclesia. Mons magnus est dæmon superbus et ardens invidia, qui per tyrannos quasi mons obruere voluit mare, id est Ecclesiam, quæ tunc facta est sanguinea ob crebra martyria. Tunc multi pisces, id est fideles, imo et naves, id est Prælati virique magni, qui alios ad portum salutis vectare debebant, præ metu fecere fidei naufragium. Prælati enim recte vocantur naves, æque ac currus. Unde illud Elisei ad Eliam, dum raperetur in cœlum : *Pater mi, currus Israel et auriga ejus*, *h*. Reg. 2.

Quarto, planissime et simplicissime Ribera, per montem igneum accipit ingentem globum ardentem et igneum, quem mittet Angelus in mare, eoque afflabit et comburet tam naves quàm pisces, puta tertiam navium et piscium partem. Non enim homines navigantes, sed pisces sunt *creaturæ* et animalia quæ habent *animas in mari ;* Græce enim est : Και απεθανε το τριτον των κτισματων εν τη θαλασση, τα εχοντα ψυχας, id est mortua est tertia pars creaturarum in mari habentium animas, quod proprie piscibus convenit. Atque hoc est quod canit Sibylla :

> Et trepidi cuncti morientur in æquore pisces,
> Nec sulcabit aquas jam pondere navis onusta.

Montem hunc in terra, et terrenum fore innuit Alcazar, ut scilicet significet ingentes reipub. perturbationes, juxta illud Psal. *h*5. v. 3. *Dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris.* Mons ergo hic, instar Ætnæ succensus ab Angelo, ardebit et comburetur, ac mittetur in mare, suoque igne et ardore occidet pisces, ac aquas maris vertet in sanguinem, non tam naturali suâ vi, quàm supernaturali Dei inoperantis virtute et potentia. Verius tamen videtur hunc montem fore aerium, puta exhalationes multas et magnas collectas, quæ incensæ videbuntur esse mons igneus ; tum quia dicit: *Tanquam mons magnus ;* vox enim *tanquam* innuit non fore verum montem, sed montis similitudinem : tum quia plagæ hæ cœlestes sunt, et à cœlo per Angelos evocantur, ac depluunt in terram tanquam tela à Deo è cœlo in impios vibrata. Erit ergo hic mons ardens, ingens massa pinguis materiæ in aere concreta et accensa, quæ instar montis ardentis ruet in mare : quo fiet ut tertia pars maris vertatur in sanguinem, et tertia pars piscium moriatur, et tertia pars navium intereat. Verisimile est hanc massam primo in sublimi, et in initio lapsus, instar montis ardentis conjunctim apparituram oculis hominum : deinde progressu spargendam in varias partes, ut variis locis mare inficiat. Similis fuit pluvia ignis sulphurei, qua Sodoma et Pentapolis conflagravit. Genes. 19. Quare sicut illa, ita et hic mons ardens erit formidabilis, magnumque terrorem et pavorem hominibus incutiet, præsertim ubi cernent, et sentient ejus effectus, damna et strages. Jam quod per hanc plagam tertia pars maris facta sit sanguis, spectat tum ad stragem piscium : hi enim extra suum elementum, puta extra aquam in sanguine vivere nequeunt : tum ad horrorem impiis incutiendum, dum videbunt et terram per plagam primam ; et mare per hanc plagam secundam cruentari, ut terra et mare videantur repræsentare impiorum tum culpam, præsertim homicidia et cædem Martyrum, tum pœnam, dum suo cruore innuunt tantam fore impiorum occisionem, ut rivi sanguinis eorum terram et mare cruentent, eaque saltem quoad superficiem in sanguinem convertant. Sic sanguis significat ingentem hostium stragem à Christo edendam, Isaiæ 63. v. 1. 2. et 3. *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bofra?* Et : *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torcular? calcavi eos in furore meo, et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi.* Et Psal. 109. 7. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput,* Psal. 57. 11. *Lætabitur justus cum viderit vindictam : manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Porro sanguis animæ et vitæ est symbolum. Unde de graviter saucio et emoriente ait Poeta : *Purpuream vomit ille animam,* id est, vomit sanguinem in quo quasi vehiculo residet vita et anima. Quin et prisci Philosophi nonnulli, teste Arist. l. 1. de Anima, censuerunt sanguinem esse ipsissimam animalis animam. Quocirca per effusionem tanti sanguinis, significatur multarum animarum et vitarum profusio, et multorum hominum internecio. Hoc est quod ait Ezechiel cap. 38. 22. *Judicabo eam peste et sanguine.*

Mystice Rupert. *Hic mons*, inquit, *est Pharao, exemplar superbiæ diabolicæ.* Nam sicut Pharao, orante Moyse, dejectus est in mare Rubrum : ita Christo Domino magni consilii Angelo in mundo prædicante, cecidit ex suo imperio diabolus, in abyssum miseriarum deturbatus. Tanta vero celeritate ruit ac cessit, ut quamvis sua mole, seu potius sua malitia mons magnus esset, tamen sua velocitate lubricus quidam ac volubilis serpens fieret, et per antonomasiam fugitivus diceretur, juxta illud : *Visitabit Dominus super Læviathan serpentem vectem*, Isaiæ 27. 1. Seu, ut habent Septuag. *Super Læviathan serpentem fugientem.* Nam ille serpens, qui primum Adamum victor invasit, à secundo facile victus, tanquam timidus serpens effugatur.

Primo, Alcazar per tertiam hanc plagam accipit pestem, qua Deus Judæos punivit : post famem enim in obsidione Hierosolymæ toleratam, de more secuta et grassata in eos pestis, teste Josepho lib. 7. Belli c. 17. et Euseb. lib. 2. c. 6. et lib. 3. c. 3. Est catachresis : per aquas enim amaras significatur pestis, veluti aquæ veneno forent penitus imbutæ. Porro *τὸ cecidit de cœlo stella magna*, non significat stellam vere ac proprie è cœlo delapsam, sed ejus influxum sive influentiam, qua pestem creavit.

Secundo, Aureolus et Lyranus : Stella cadens de cœlo, inquiunt, est Pelagius monachus et hæresiarcha, qui aquas gratiæ et baptismi fecit amaras. Docuit enim, sine gratia, per solas naturæ vires nos posse recte vivere et salvari. Rursum, aquas baptismi non prodesse infantibus ; utpote sine peccato originali (hoc enim ipse negabat, asserens hominem nasci in puris naturalibus) natis : ideoque multis ei credentibus hæ aquæ factæ sunt insipidæ, amaræ, imo mortiferæ. Verum minus recte : nam per Angelum quartum qui sequitur, accipiunt ipsi Eutychetem, qui Pelagio fuit prior et antiquior.

Tertio, Viegas : Tertius, inquit, Angelus est tertius prædicatorum ordo, cui Arius et Hæretici restiterunt, sicuti secundo Angelo restiterunt imperatores et tyranni. Stella magna et ardens sunt ipsi hæresiarchæ. Hi ergo sunt ab-

sinthium, quia amarissimi et mortiferi : occidunt enim animas. Hæc stella cecidit in fontes, id est in S. Scripturas ; et in flumina, id est, in scripta et libros SS. Patrum : hæc enim depravant hæretici, ea vel corrumpendo, vel detorquendo et perverse explicando. Sed sicut absinthium, licet amarum, oculos acuit, ita hæretici studium et scientiam Ecclesiæ auxerunt, ait Aretas.

Quarto et proprie : stella hæc erit non cœlestis, sed aerea, puta cometa, stella cadens ; aut simile meteoron, quæ de cœlo cadet, suoque casu dissiliens, comminuta dividetur in multas faculas seu exhalationes, quæ in varios fontes et flumina incidentes, eos inficient. Vocatur Absinthium ; quia amaricabit aquas, idque in pœnam scelerate voluptatis, ac præsertim gulæ et crapulæ impiorum, ut qui biberunt vina dulcissima et sapidissima, iisque ventrem ingurgitarunt, jam bibant absinthium, eoque crucientur et enecentur.

10. Cecidit de coelo stella magna.] Docent medici corpus vitamque hominis ab aeris cœlique influxu pendere, adeoque pestem alias ex contagione, alias ex cœli et astrorum influxu, alias ex aeris infectione oriri ? quinimo, inopinatos ignotosque morbos et mortes vocant siderationes.

11. Et nomen stellæ dicitur Absinthium.] Ita et Syrus ; sed Arabic. vertit : *Et nomen stellæ dicitur absenymum ; et tertia pars aquarum facta est amara sicut absinthium.* Videtur ergo *Absenymum* scriptoris incuria irrepsisse pro *Absinthium.* Nam et Syrus, æque ac Græcus et Latinus habet : *Et nomen stellæ dicitur illud Absinthium*, per antonomasiam, quasi excellens et peramarum. Græce αψινθος in abstracto, q. d. Ipsa absinthii amarities, ipsa amaritudo. Nota est amaritudo eximia herbæ quæ vocatur absinthium, de qua Plinius lib. 27. cap. 7. et Dioscor. lib. 3. cap. 25. Et Ovidius lib. 3. de Ponto :

> Tristia deformes pariunt absinthia campi,
> Terraque de fructu quàm sit amara docet.

Quocirca dicitur αψινθιον, ab αψεσθαι, id est, tangere per antiphrasin ; eo quod nullum animal hanc herbam ob summam amaritiem attingat. Veteres Græconomici eamdem affini vocabulo Apinthion, id est impotabilem, vocaverunt, quod hanc nemo ob insignem amarorem possit ebibere. Huc alluditur in hisce aquis, quæ ob absinthium factæ sunt apinthion, id est, impotabiles.

Rursum, sicut absinthium oculos corporis exacuit, ita hoc aquarum absinthium oculos cordis hominibus in fine mundi ad pœnitentiam aperiet, inquit Aretas. Ita locus, in quo S. Bernardus primum sui Ordinis ædificavit monasterium, vocabatur, Vallis absinthii, tum ob absinthii in ea germinantis copiam, tum ob amaritudinem eorum qui in ea cadebant occisi à latronibus : erat enim vallis latronum. Sed S. Bernardus Vallem absinthii in Claravallem et nomine et reipsa commutavit.

Et multi hominum mortui sunt.] Hinc patet amaritiem hanc fuisse excessivam, ac proinde venenosam, et lethiferam ; alioqui amaritiem moderata sana est, corpusque à putredine conservat, uti patet in absinthite, id est, in cerevisia vel vino absinthiaco. Italorum vox est : *Il vino amaro te sia caro.* Denique axioma medicorum est : *Omnia dulcia stomacho sunt inimica* ; amara ergo amica. Erit ergo amaritiem hæc extrema, ideoque venenata, qualis est in colocynthidis, de quibus merito dicebat ille Elisei discipulus : *Mors in olla.* Sic et herba quæ dicitur absinthium, tantæ est amaritudinis, ut, si distilletur, vel in magna quantitate sumatur, instar veneni sit. Itaque aquæ hæ extrema amaritie à stella affectæ et infectæ in fine mundi, mortiferæ erunt, ita ut ex eis bibentes (aquæ enim potus vitari non potest) permulti emoriantur. Nam ut docet Galen. lib. 1. Epidem. comment. 1. proœmio : *Potest interdum efficere morbum universalem haustus aquæ infectæ, quod quidem memoria proditum est in castris accidisse.* Aqua enim venenata si ebibatur, quia liquida est et penetrans, statim ad hepar et cor, quæ sunt partes vitales, pervadit, easque inficit et enecat, suo nimio vel calore vel frigore, aut alia intemperie. Quocirca Arist. lib. 7. Polit. cap. 11. ut urbs aliqua commodo et sano loco constituatur, primum, inquit, situs spectandus est. *Ad Orientem enim solem conversæ urbes, et ad eos ventos qui inde perflant, salubriores sunt ; secundo loco, quæ sunt secundùm Boream sitæ : hæ namque sunt ad hiberna potiores.* Et inferius : *Secundum est in aquarum salubrium usu ; quibus enim plurimum et frequentissime utimur ad corpus, ea plurimum important ad sanitatem : aquarum autem et ventorum potentia talem habet naturam. Quocirca in civitatibus quæ recte sapiunt, distinguendus est aquarum usus, si non omnes sint pares, nec abunduntia sit earum aquarum, ut aliæ seorsim aquæ ad cibum et potum, aliæ ad aliam indulgentiam deputentur.* Ea nimirum vis est aquæ, æque ac aeris jugiter corpus ambientis, imo in intima vel potu, vel respiratione attracti, eaque penetrantis et pervadentis : ut docet Cicero lib. de Fato, ubi inter alia ait : *Athenis est cœlum, ex quo acutiores etiam putantur Attici ; crassum Thebis, itaque pingues Thebani et valentes.*

Primo, Alcazar per hanc plagam obscurationis siderum, accipit ignorantiam et excæcationem qua Deus percussit Judæos ; quia mundi lucem, scilicet Christum, aspicere et recipere noluerunt. Excæcati ergo non viderunt solem, id est, non agnoverunt Deum trinum et unum ; nec lunam, id est, humanitatem Christi ; nec stellas, id est, Apostolos ; eorumque Evangelicam doctrinam et sanctimoniam. Porro tertia pars siderum dicitur obscurata, quia non plane cæci fuerunt. Mansit enim in eis cognitio unius Dei, Mosis et Prophetarum, quin et viderunt miracula Christi et Apostolorum ; sed hæc lux et cognitio eis in gravius peccatum, et majorem excæcationem ac damnationem cessit. Ex iis enim agnoscere poterant et debebant Christum, viamque salutis. Hoc est quod de eis ait Christus Joannis 9. 41. *Si cæci essetis, non haberetis peccatum.* Rursum, cognitio de Deo tripliciter acquiritur : primo, per opera ejus admirabilia quæ fiunt per ejus potentiam, quæ attribuitur Patri ; secundo, per doctrinam, quæ attribuitur Filio ; tertio, per internam illuminationem, quæ attribuitur Spiritui sancto : duo priora habuerunt Judæi, sed tertium eis defuit, ideoque dicitur eis obscurata tertia pars solis et siderum.

Secundo, Aureolus et Lyranus per Angelum

hunc accipiunt Eutychetem et Nestorium hæresiarchas. Ille enim in Christo posuit unam tantum naturam, conflatam ex deitate et humanitate : hic in eo posuit duas personas, unde negavit Christum hominem esse Deum, ac B. Virginem esse Deiparam. Ab his per hæresim percussa est tertia pars solis, id est, excellentia et dignitas Christi : illius enim vel personæ, vel naturæ fuerunt injurii ; et lunæ, id est Ecclesiæ ; et stellarum, id est Episcoporum, quos sua hæresi infecerunt, inter quos fuit Dioscorus Patriarcha Alexandrinus.

Tertio, Viegas per quartum hunc Angelum accipit quartum concionatorum ordinem, qui contra quartæ Ecclesiæ hostes, puta hypocritas, tuba verbi Dei insonuerunt. Hypocritæ enim transfigurantes se in Angelos lucis, occulte nova falsaque dogmata sparserunt, quasi essent Dei oracula. Ex quo tertia pars solis, lunæ et stellarum, id est, fidelium nobilium et ignobilium, obscurata est.

Quarto, planissime Ribera hæc ad litteram, ut sonant, accipit; vere enim in fine mundi obscurabitur sol, et luna et stellæ, uti audivimus c. 6. 12. Ita ut dici non luceat eorum tertia pars, id est ut dies, æque ac nox, tertia parte fiat obscurior solito ; non autem quod tertia temporis, puta dici et noctis, parte sol, luna et stellæ plane obscurabuntur, et duabus tantum reliquis temporis partibus lucebunt, ut aliqui imaginantur.

Alludit ad nonam plagam Ægypti, quæ fuit densissimarum tenebrarum, de qua dicitur Exodi 10. 22. *Factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco in quo erat.* Et Sapient. 17. 2. *Vinculis tenebrarum et longæ noctis compediti. Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam.* Vide ibi dicta.

13. Et vidi (aquilam quæ sequitur) et audivi.] Syrus quædam addit : *Et vidi*, inquit, *et audivi aquilam unam volantem, in medio caudæ sanguinem habentem, dicentem voce magna : Væ, væ, væ, illis qui habitant super terram!*

Primo, Alcazar censet hanc aquilam esse doctrinam Evangelicæ sapientiæ (hujus enim symbolum est aquila) ; volat per medium cœli, id est, Ecclesiæ ; inclamat Judæis ter væ, ut significet tres sequentes plagas trium Angelorum, scilicet concupiscentias, iras et obdurationem, infligendas Judæis, majores et formidabiliores fore quatuor jam recensitis, scilicet fame, bello, peste et ignorantia.

Secundo, Lyran. Arcolus et Viegas putant hanc aquilam fuisse ipsummet S. Joannem. Commode enim et congrue potuit Deus imaginariam aquilam per visum S. Joanni ostendere, clamantem voce magna : Væ, væ, væ, ut per illam significaret ipsummet Joannem tres adhuc plagas prodigiosas conspecturum, easque orbi denuntiaturum et hoc libro descripturum.

Tertio, Abbas Joachim per aquilam hanc accipit S. Gregorium Magnum Pontificem, qui floruit anno Domini 590, et multa composuit moralia ad correctionem populi Dei, in quibus sæpe exclamat instar, *væ*, id est tempora amara, et horrendas grassationes Longobardorum, ideoque finem mundi appropinquare.

Quarto et genuine, Beda, Arctas et Ticonius per aquilam, vel, ut multi Græci codices habent, Angelum, accipiunt prædicatores, qui in fine mundi, illi imminentes plagas, exertamque vindicis Dei manum, strictumque gladium denuntiabunt. Quocirca aptissime Ribera per aquilam hanc intelligit aliquem sanctum et cœlestem Prophetam, quem Deus in fine mundi excitabit, ut hominibus toto orbe existentibus prænuntiet sequentes tres plagas, atque Antichristi adventum imminere. Unde volabit per medium cœlum, id est, celerrime per mediam terram discurret, ut prædicet graviora instare impiis supplicia, ni vitam moresque mutent. Clamat ter *væ*, ut indicet quod tres plagæ gravissimæ trium Angelorum proxime sequentur, et incumbent impiis. Denique, si quis per aquilam accipiat Angelum, qui assumpta aquilæ forma volabit per orbem, hæcque ubique proclamabit, non repugnabo.

Tropol. talis aquila fuit S. Paulus, ait S. Gregor. in illud S. Job c. 39. 27. *Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum?* De his etiam ait Isaias c. 40. 31. *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ.* Vide ibi dicta, quibus adde :

Primo, aquilæ cornicum garritus obstreperos contemnunt. Cornices enim aquilas irritant, sed aquilæ eas despicientes sursum evolant, ait Ælian. lib. 5. c. 22. Ita doctores virtute illustres æmulos et invidos contemnunt, quoque magis ab eis lacessuntur, eo altius se librant, et infra se volantes obstreperas corniculas rident, dicentes : *Sola virtute sequantur.*

Secundo, aquilæ fel Attico melle temperatum, illitum oculis hebescentibus, visum facit acutissimum, ait Ælian. lib. 1. de Animal. c. 42. Ita sapientis correptio suavitate condita docet voluptuarios sapere, eosque ad frugem revocat. *Blando vis latet imperio*, ait Ausonius ad Theodosium.

Tertio, aquila quædam in Septentrione ova in pelle vulpina soli exponit, calefacit et fovet, ait Albertus Magnus ; ita sapiens robori addit calliditatem.

Quarto, aquila senescens se cum pennis renovat ; ita sapientes dicunt docentque illud Psaltis : *Renovabitur ut aquilæ juventus mea.*

Quinto, Auctor Geoponicon lib. 1. scribit ad avertendum gradinis periculum multum valere chalazitem lapidem, vel aquilæ alam dexteram in medio agro defixam ; ita sapientes Dei præcones suis concionibus et orationibus avertunt procellas iræ Dei.

Sexto, in Imperatorum exequiis fiebat ingens pyra, in cujus cacumine considebat aquila, quæ, inferne omnibus conflagrantibus, in cœlum evolabat, ut animam Imperatoris in cœlum deferre videretur, ait Herodian. in Severo, et Xiphil. in Augusto. Sic mundus instar pyræ deflagrabit : soli sapientes quasi aquilæ in apice derident flammas, et se librant in cœlum. Ita Maximilianus II. Imp. pro insigni habuit aquilam in nubibus volantem.

Septimo, licet aquilæ feris captis vescantur, una tamen quæ Jovis dicitur, sola herba vescitur, ait Ælian. lib. 9. c. 10. Ita doctores religiosi Deo consecrati abstinentiæ vacant, ut purius cœlestia contemplentur. *Puriorum enim*

mentium propria est abstinentia, ait Isidorus Pelus. epist. 52.

Octavo, Pythagoras dictitabat se aquilam albam advolantem sinu excepisse, ex quo se divinum hominem factum, et multa supra mortalium captum scivisse asserebat, ait Ælian. lib. 4. c. 17. Tales sunt eruntque in fine mundi, qui aquilarum, id est cœlestium doctorum, voces excipient.

Nono, aquila ex insperato subinde advolans, destinatos gladio et neci eripuit, uti Tilgamum, qui postea Rex Babylonis creatus est : sic et Achemenes Persa, à quo nobilis Achemenidarum stirps descendit, aquilæ fuit alumnus, ait Ælian. lib. 12. de Animal. c. 21. Sic et Valeriam Lupercam immolandam Junoni ad avertendam pestem, aquila eripuit, cultrumque victimarium buculæ juxta templum pascenti infixit, inquit Aristid. lib. 9. Ital. Ita cœlestes viri et præcones peccatores convertendo, eos à morte et gehenna liberant, suntque eis quasi *Deus ex machina*, ut vulgo dicitur.

Nota hîc Dei clementiam, qua licet ab hominibus graviter offensus, iisque iratus et indignans, mittit tamen Prophetas, qui eos ad peccatorum agnitionem et pœnitentiam adducant, ne cogatur eos punire.

Væ habitantibus in terra !] Væ hominibus terræ incolis ! Mystice, væ terrenis et mundanis, qui corde et affectu habitant in terra, imo eidem prorsus affixi sunt ! *Sanctus enim non est habitator terræ, sed advena atque peregrinus, dicitque : Advena sum et peregrinus sicut omnes patres mei. Quamobrem et Abraham Hebræus, id est, περατης, et peregrinus transitor quem memoratur*, ait S. Hieron. in Ezechiel. 7. Et S. Ambrosius lib. 2. de Abrahaam cap. 7. citans hunc locum : *Væ habitantibus in terra !* explicansque subdit : *Non utique omnes homines comprehendit, qui tunc vitæ hujus cursum conficient (sunt enim et in terris positi, quorum conversatio in cœlis est), sed eos quos terrenæ conversationis affectus, ac sæculi hujus vicerit gratia. Ergo non habitatores, sed accolæ sumus terræ hujus. Accola enim temporalis diversorii spem gerit : habitator autem spem omnem, atque usum suæ illic substantiæ locare videtur, ubi habitandum putaverit. Itaque qui est terræ accola, habitator cœli est ; qui autem habitator terræ, possessor est mortis.*

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Canit tuba quintus Angelus, et stella cadens è cœlo aperit puteum abyssi : unde prodeunt locustæ monstrosæ similes equis, coronatæ, habentes capillos mulierum et dentes leonum, et caudas scorpionum, quæ cum rege suo Abaddon cruciant homines per quinque menses. Secundo, v. 13. canit sextus Angelus, et solvuntur quatuor Angeli ligati in Euphrate, qui colligunt maximum et terribilem exercitum, a quo cæsa est tertia pars hominum ; et tamen hisce plagis cæteri impii a suis sceleribus non sunt avulsi et aversi, ut dicitur v. 30.

1. Et quintus Angelus tuba cecinit ; et vidi stellam de cœlo cecidisse in terram, et data est ei clavis putei abyssi. 2. Et aperuit puteum abyssi : et ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ ; et obscuratus est sol et aer de fumo putei ; 3. et de fumo putei exierunt locustæ in terram, et data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ ; 4. et præceptum est illis ne læderent fenum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis. 5. Et datum est illis ne occiderent eos, sed ut cruciarent mensibus quinque ; et cruciatus eorum, ut cruciatus scorpii cum percutit hominem. 6. Et in diebus illis quærent homines mortem, et non invenient eam : et desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis. 7. Et similitudines locustarum, similes equis paratis in prælium ; et super capita earum tanquam coronæ similes auro : et facies earum tanquam facies hominum. 8. Et habebant capillos, sicut capillos mulierum ; et dentes earum, sicut dentes leonum erant. 9. Et habebant loricas sicut loricas ferreas, et vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum. 10. Et habebant caudas similes scorpionum, et aculei erant in caudis earum : et potestas earum nocere hominibus mensibus quinque ; et habebant super se 11. Regem Angelum abyssi, cui nomen Hebraice Abaddon, Græce autem Apollyon, Latine habens nomen Exterminans. 12. Væ unum abiit, et ecce veniunt adhuc duo væ post hæc. 13. Et sextus Angelus tuba cecinit : et audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei, 14. Dicentem sexto Angelo, qui habebat tubam : Solve quatuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate. 16. Et soluti sunt quatuor angeli, qui

parati erant in horam, et diem, et mensem, et annum, ut occiderent tertiam partem hominum. 16. Et numerus equestris exercitus vicies millies dena millia. Et audivi numerum eorum. 17. Et ita vidi equos in visione; et qui sedebant super eos, habebant loricas igneas, et hiacinthinas, et sulphureas, et capita equorum erant tanquam capita leonum; et de ore eorum procedit ignis et fumus, et sulphur. 18. Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, de igne et de fumo, et sulphure, quæ procedebant de ore ipsorum. 19. Potestas enim equorum in ore eorum est, et in caudis eorum; nam caudæ eorum similes serpentibus, habentes capita; et in his nocent. 20. Et cæteri homines, qui non sunt occisi in his plagis, neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum, ut non adorarent dæmonia, et simulacra aurea, et argentea, et ærea, et lapidea, et lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare. 21. Et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neque à veneficiis suis, neque à fornicatione sua, neque à furtis suis.

1. VIDI STELLAM DE COELO CECIDISSE.] Quæres, quænam hæc stella, quis fumus, quæ et quales locustæ? Primo, Alcazar censet hoc capite 9. enarrari quintam et sextam plagam Judæis incredulis immissam. Hæ duæ plagæ, inquit, sunt *locustæ horribiles et equi furiosi*, sive Sirenes et Furiæ. Traditi enim sunt Judæi Sirenibus, id est, suis effrenatis concupiscentiis, juxta illud quod eis minatus est David Psal. 80. 13. *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum.* Hinc consequenter traditi sunt furiis conscientiæ, ut illæ ex scelerum memoria, et pœnæ ac plagarum atrocitate, eis cor arroderent, eosque quasi in amentiam adigerent, de quibus ait Cicero pro Roscio Amerino : *Hæ sunt impiis assiduæ domesticæque furiæ, quæ dies noctesque parentum pœnas à consceleratissimis filiis repetant.* Secundo, per stellæ lapsum significatur, non id quod Astrologi aliqui volunt, scilicet Deum subinde permittere, ut astrorum impressio et depravatæ indolis vis, stultis et improbis dominentur, eosque qui cordis cupiditatibus subjiciant, quomodo ait Horatius lib. 1. ode 19.

In me tota ruens Venus deseruit Cyprum.

Et in Anacreontem (ut ipse fingit) sese immittit Cupido. Sed potius stella hæc significat legem Mosis, quæ quasi desuper ruens Judæos oppressit, et per occasionem concupiscentiam in eis accendit, Rom. 7. 7. Locustæ enim sunt cordis desideria et concupiscentiæ effrenatæ, quæ stella hac aperiente abyssum inde prodierunt. Tertio, puteus abyssi non est infernus, sed puteus profundissimus, ut sine fundo esse videatur. Hic puteus symbolum est justi judicii Dei (juxta illud psalm. 35. 7. *Judicia tua abyssus multa*) quo Deus tradidit Judæos suis concupiscentiis, juxta illud Proverb. 22. v. 14. *Fovea profunda est meretrix : cui iratus est Dominus, incidet in eam.* Sicut enim hîc judicium Dei, ita ibi meretrix fingitur esse puteus altus, in quem justo Dei judicio præceps ruit peccator. Porro concupiscentiam hîc accipe, non tantum libidinis, sed etiam opum, bonorum, gulæ, omniumque vitiorum; ἄβυσσος enim, sive βυθὸς est vorago, sive aquarum copia carens fundo : hanc enim significat Hebr. *tehom.* Unde Gen. 1. v. 2. dicitur : *Tenebræ erant super faciem abyssi.* Et S. August. lib. 22. contra Faustum : *Abyssus*, inquit, *est inæstimabilis aquarum profunditas.* Scapula quoque in lexico : *Abyssus*, inquit, *est aquarum vorago ;* idem de Hebr. *tehom* dicit Pagninus. Alleg. tamen abyssus significat infernum, tum quia infernus est quasi mare, cui damnati immerguntur, estque profundissimus instar putei, sive carceris profundissimi et tenebricosissimi; tum quia ipse est profundum Dei judicium, id est supplicium, quod Deus juste de damnatis sumit. Quarto, fumus putei significat concupiscentias esse tenebras obscurissimas, nec animo licere per eas sole, id est cœlesti luce, imo nec rationis lumine frui. Ex hoc inferni fumo, id est errore jam dicto, atque ex inordinatæ affectionis ac deceptionis tenebris prodeunt locustæ, id est inconstantes et carnales cupidines : locusta enim est animal ventosum et vorax; unde apte significat appetentiarum esuriem, et cupiditatum ac sollicitudinum varietatem et infinitatem, æque ac gulosorum ventrem insaturabilem. Rursum, locusta est animal inquietum, vagum, sordidum, noxium, impudens, mordax : talis est et concupiscentia. *Et data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones :* sunt enim quædam locustæ quæ habent caudam instar scorpionis. Apte significat locustas, id est cupiditates abeuntes, infigere aculeum menti æque ac corpori, sicut scorpius in cauda habet dentes, teste Plinio libr. 11. 37. juxta illud Prov. 23. 31. *Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus, ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet.* Quocirca dixit Seneca : *Qui desiderium claudit, mehercule cum Jove de felicitate contendit.* Sexto, præcipitur locustis hisce ne noceant herbis, sed hominibus : quo significatur spirituales has esse locustas, et mysticas, non physicas et naturales, scilicet concupiscentias jam dictas. Septimo, cum dicitur : *Ut cruciarent mensibus quinque*, alluditur ad Genes. 7. 24. et cap. 8. 1. ubi dicitur diluvium occupasse et tenuisse terram centum quinquaginta diebus (tot enim dies continent menses quinque). Sicut ergo tunc aquarum in orbe, et postea sub Mose locustarum fuit diluvium operiens totam Ægyptum, Exodi 10. 15. ita significatur hic concupiscentiarum diluvium immissum in Judæos, duraturum per 150 dies, id est diutissime, donec Deus misertus eorum, Noe mystici, id est Christi salvatoris nostri, meminerit, et suum spiritum zephyrumque terræ immittat, qui locustas has auferat, et Judæos ad Christum convertat, quod erit in fine mundi. Octavo, quærent homines mortem, et non invenient; quia inordinata desideria tot metus, angores et cruciatus menti afferunt, ut homines iis ob-

noxii sæpe optent mortem. Unde Plin. lib. 7. c. 50. *Tot*, ait, *metus, tot curæ, toties invocata mors, ut nullum frequentius sit votum.* Hæc ergo clarum est à concupiscentiæ fomite exoriri, sine quo nullus est metus, nulla cura, nulla sollicitudo. Unde sapienter S. Bernard. *Tolle propriam voluntatem, et infernus non erit.* Nono, sunt *similes equis paratis in prælium;* quia maxima est vis, ardor et impetus concupiscentiæ ad proterendum omnia quæ sibi obsistunt : ita videmus libidinosos et iracundos in ignes et enses ruere, dum œstro libidinis vel iræ aguntur. Decimo, habent in capite coronas ex auro; quia homines, suis concupiscentiis dediti, falso putant eas quasi reginas esse, quibus subjici et per omnia obsequi debeant : illis enim cordis sui regnum et imperium deferunt. Unde ait Paulus Rom. 5. 21. et c. 6. 12. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Undecimo, habent facies hominum et capillos mulierum; quia blandas et molles prima facie se exhibent, et ita incautos homines pelliciunt. Hoc est quod ait S. Jacobus c. 1. 14. *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus et illectus.* Duodecimo, habent dentes leonum; quia animam mordent, lancinant, et funestum habent exitum. Unde de iis Eccl. 21. 3. dicitur : *Dentes leonis dentes ejus, interficientes animas.* Decimo tertio, stridorem edunt alis suis instar curruum; quia suis clamoribus dicentes : *Affer, affer*, Prov. 30. 15. Ita aures mentis obtundunt et opplent, ut ejus attentionem absorbeant, nihilque loci supersit ad aures consiliis salutaribus accommodandas. Decimo quarto, habent super se regem Abaddon, puta diabolum, qui per concupiscentias, quasi milites suos, bellum hominibus infert. Unde de eo ait Paulus 2. Timoth. 2. 26. *A quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Hic vocatur Exterminator; quia ipse concupiscentias acuit et inflammat, ut per eas exterminet omne semen virtutis. Nam, ut ait Apostolus : *Desideria mergunt homines in interitum et perditionem*, 1. Timoth. 6. 9. Ubi pro *perditionem*, græce est απωλειαν; unde vocabatur hîc απολλυων, id est, perdens vel exterminans : nimirum hæc sunt *sepulcra concupiscentiæ*, de quibus Num. 11. 34. Notum est illud : *Plures occidit crapula quàm gladius.* Aut per angelum abyssi accipe amorem proprium; hic enim rex est concupiscentiarum, easque dirigit, immittit et inflammat, cui recte accommodes illud Habacuc 3. 5. *Ante faciem ejus ibit mors, et egredietur diabolus ante pedes ejus.* Vere enim amor proprius ipsi animæ est quasi dæmon nocentissimus. Hucusque Alcazar apposite ad tropologiam, sed non ad litteram, ut ipse contendit.

Secunda expositio est Aureoli, Lyrani et S. Antonini 1. p. Chron. tit. 6. c. 1. qui censent hîc prædici persecutionem Wandalicam, quæ gravissima fuit quinque mensibus, id est, sub quinque Wandalorum regibus, scilicet Gunderico, Genserico, Hunerico, Thrasamundo et Gilimer. Nam Stilico Wandalus, militiæ dux strenuus sub Theodosio seniore, ab eo moriente relictus est tutor filiorum ejus, et totius Imperii : quocirca ipse duas filias suas Honorio successive in uxores dedit. Tandem volens imperium ab Honorio ad se suumque filium Eucherium transferre, occulte contra Honorium concitavit Wandalos; sed proditione ejus detecta, perduellis ipse cum filio ab Honorio capite mulctatus est. Post Stiliconis mortem Wandali sibi regem crearunt Corsiconem, qui omnia quæ inter Alpes et Pyrænæos sunt vastavit. Wandali à Gothis facti sunt Ariani. Corsico obsidens Arelatum à Præfecto urbis capitur et occiditur. Huic succedit Fredebaldus II. Wandalorum rex, quo mortuo succedit III rex Gundericus, primus in Hispania Wandalorum rex : huic pariter succedit frater Genscricus, quartus eorum rex, qui Africam vastavit, et Hipponem, in eaque S. August. urbis Episcopum obsedit; deinde trajiciens in Italiam, Romam cepit et diripuit, mox et Capuam et Nolam, in qua Episcopus erat S. Paulinus, qui se pro filio viduæ captivum Wandalis dedit. Prædicatus fuit Genscricus omnium regum felicissimus et gloriosissimus, quòd duarum totius orbis potentissimarum et principum urbium, Romæ et Carthaginis, fuerit expugnator. Genserico succedit filius Hunericus quintus Wandalorum rex, qui trecentos Episcopos, Diaconos, Presbyteros, laicos vero 4940 in exilium misit, multosque martyrio affecit : Trachenses cives, quòd Arianum Episcopum pati nollent, male mulctavit, eisque linguas et dexteras manus amputavit; qui tamen per miraculum, Deo dante, ita locuti sunt ac si linguas habuissent : quorum unus dum peccat et prolabitur in libidinem, donum hoc perdidit, teste S. Gregor. lib. 3. Dialog. c. 32. Hunericus, postquam octo annis regnasset, vermibus consumptus interiit. Hunerico succedit Guntabundus; huic deinde Thrasamundus frater, qui regnavit annis 26. Thrasamundo successit filius Hilpericus, quem genuit ex filia Valentiniani Imper. qui proinde à matre orthodoxam fidem cum lacte suxit. Quocirca Gilimer Hilperici frater consobrinus, regni avidus, Hilpericum proditionis accusavit, quod cum Justiniano occulte colluderet. Hilpericus ergo à Wandalis regno privatus custodiæ traditus est, eique suffectus Gilimer, qui quinque annos regnavit. Justinianus Imper. volens restituere Hilperico regnum, bellum movit Gilimero, mittens contra eum Belisarium, à quo Gilimer superatus et captus, argentea catena vinctus, Constantinopolim in triumphum ductus est ad Justinianum Imp. anno Domini 536. Ubi visa Justiniani magnificentia, merito Gilimer exclamavit : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Ego heri fui rex, nunc captivus et catenatus quasi mancipium.* Tunc ergo desiit regnum Wandalorum, anno scilicet 95. ab invasa et occupata ab iis Africa, uti futurum prædixerat S. Cyprianus, teste Evagrio lib. 4. 16.

Censent ergo Lyran. Aureolus et S. Antonin. stellam cadentem esse Valentem Imp. Arianum, vel Gensericum, qui primus ex regibus Wandalorum fuit Arianus, primusque à Bonifacio Comite vocatus in Africam, eam invasit, tenuitque ipse et posteri ejus per 95 annos usque ad Gilimerum, ut dixi. Locustæ ergo sunt Wandali; quinque menses censent esse quinque reges Arianos jam dictos, vel regum tempora : hi enim, utpote Ariani graviter Ecclesiam afflixerunt, uti inter alios enarrat oculatus testis, et cum aliis orthodoxis ab iis gravia passus. Victor Uticensis libris tribus, quos de Persecut. Wandal. dignos sane lectu conscripsit. Verum, uti jam sæpius ostendi, hæc omnia à

sigillo sexto et deinceps usque ad finem Apocal. spectant ultima mundi tempora.

Tertia ergo expositio est nostri Blasii Viegas, qui secutus S. August. Bedam, Primas. Gagneium et alios plurimos, per quintum hunc angelum accipit quintum concinnatorum ordinem. Stella cadens, inquit, est Lucifer (Alcazar, Judam proditorem; Card. Bellarminus, Lutherum; alii, Calvinum et similes hæreticos ex clericis laicos, ex monachis maritos, ex castis incestos, ideoque ex summo in imum abyssi, id est hæresis, indeque gehennæ prolapsos accipiunt. Unde nonnulli conjectarunt Lutheri hæresin duraturam quinque mensibus, sive 150 diebus, id est, 150 annis : dicunt enim diem pro anno accipi.) Lucifer ergo olim instar stellæ cadentis lapsus est de cœlo, et nunc rursus ejus lapsus per visionem imaginariam repræsentatus fuit Joanni. Unde de eo ait Christus : *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Lucæ 10. 18. Locustæ sunt hæresiarchæ et hæretici, qui in fine mundi plurimi erunt quasi locustæ, uti præmonuit Christus Matth. 24. 24. Hos ex inferno educet Lucifer cum fumo, id est, densis errorum et hæresum nebulis, qui solem, id est, Christi, divinitatem et dignitatem; ac lunam, id est, Ecclesiam; et stellas, id est fideles, obscurabunt. Horum potestas erit ut scorpionum, id est, maxime dolosa et perniciosa. Eis præceptum est ne lædant fenum, id est, fideles qui habent fidem et charitatem, sed teneram et delicatam; nec viride, id est, fideles in fide et charitate virentes et fortes : nec arbores, id est, sanctos excelsos et Prælatos; sed tantum eos qui non habent signum Dei, id est, qui non habent fidem et charitatem : hi enim facile in hæresin labuntur. Hi ergo persequentur Ecclesiam usque ad mortem et martyria : unde habent arma, equos, loricas, etc.

Quæres cur hæretici vocentur locustæ : Resp. auctores citati, et pulchre ac fuse Cardin. Bellarm. in oratione quam ultimo tomo præposuit, atque Viegas hîc. Primo, quia, sicut locustæ maxime nocent virentibus, sic hæretici fidei et virtutibus. Secundo, quia contra Ecclesiam conspirant, sicut locusta egreditur universa per turmas suas, Prov. 30. 27. Tertio, ob locustarum saltus quos imitantur hæretici sua inconstantia, qua ab uno errore et hæresi saliunt in alium. Quarto, quia hæretici sanioso ore cuncta polluunt; suntque ut locustæ in ventrem, id est gulam et libidinem, propensi. Quocirca sicut ambitio et libido sunt gradus ad hæresin; ita humilitas, castitas, vitæque innocentia efficacissimum est medium, ut quis fidem sanam conservet, nec labatur in hæresin.

Nota primo. Hæ locustæ habent coronas in capite; quia hæretici reges et principes seducunt (uti Arius Constantinum et Constantium, Euthychiani Justinianum, Monothelitæ Heraclium, Lutherus Ducem Saxoniæ) qui eos eorumque hæreses armis tuentur et propagant. Coronæ hæ similes sunt auro. Primo, quia hæretici, et principes eorum asseclæ præ se ferunt fidei zelum et charitatis ardorem. Secundo, quia eorum victoria contra Ecclesiam futilis est, umbratica et evanida; hinc videtur aurum, sed non est; quia sua persecutione non vincunt, sed vincuntur tam hæretici, quàm tyranni per patientiam et constantiam Orthodoxorum, uti pulchre ostendit Viegas sect. 7. n. 3. Insuper Card. Bellarm. per coronas quasi ex auro, accipit hæreticorum fastum, ut Lutheri, qui in epist. ad Georgium, ducem Saxoniæ, dicit se superare S. August. et Ambros. Item in libro contra Bullam Leonis X. ausus est Pontificem Maximum, cum universa quæ illi adhæret Ecclesia, excommunicare. Hinc vocant se Prophetas, Evangelistas, Elias tertios, reformatores Ecclesiæ, instauratores fidei et religionis.

Secundo, habent faciem humanam, id est simulant humanitatem et benevolentiam, sed mordent; quia habent dentes leoninos. Tropol. talis est detractor, de quo psal. 139. *Acuerunt linguas suas sicut serpentis.* Serpentis enim lingua, ut ait Plin. l. 5. 37. tenuissima est, trisulca, vibrans, atri coloris, et si eam extrahas, perlonga. Similis est lingua detractoris, ac imprimis trisulca, quia nocet sibi, audientibus et iis quibus detrahit; itaque unico ictu tres ferit et lædit. Ita ministri hæreticorum jugiter detrahunt monachis, Clericis, Pontifici; quin et Sanctis ac B. Virgini.

Tertio, habent capillos sicut mulierum. Primo, quia effeminati sunt et libidinosi. Secundo, quia infirmi sunt et debiles instar mulieris, ut Ecclesiam quæ virago est, vincere non possint. Tertio, quia hæresis nisi comam et fucum sibi inducat, displicet omnibus. Quarto, quia omnes pene hæretici, teste S. Hieronymo ad Ctesiphontem, auxilio feminarum suas hæreses propagarunt.

Quarto, pectus lorica ferrea armatum significat eorum obstinationem, quæ tanta est, ut licet clare convincantur, malint tamen mori quàm ab errore recedere. Similitudo equorum signum est audaciæ et temeritatis. Quinto, habent caudas aculeatas instar scorpionum; quia licet os blandum habeant offerantque carnis illecebras, tamen in fine animam et corpus multis implicant difficultatibus in hac vita, et æternis ignibus in futura. Sexto, volantes currus significant miram celeritatem, qua hæresis instar pestis et flammæ grassando, varias provincias corripit et devastat. Septimo, præsidet eis rex abyssi Abaddon, id est, exterminator; quia, ut recte ait Bellarminus, hæretici, v. g. Lutherus, ejusque prosapia et propago, grassatur in cœlum, terras, Purgatorium, infernum. In cœlo Deum spoliarunt Trinitate, Christum deitate et humanitate, Sanctos homines beatitudine; eosdem cum angelis omni cultu et veneratione. In terra et Ecclesia magnam S. Scripturæ partem, omnia pene Sacramenta, omnes traditiones, sacerdotium, sacrificium, vota, jejunia, festa, templa, altaria, reliquias, cruces, imagines, monumenta omnia pietatis, leges Ecclesiasticas, disciplinam atque ordinem universum; populorum erga principes obedientiam, principum erga subditos potestatem, denique omnem modestiam, pudorem, reverentiam, omnem virtutem et spiritum, omnem domus Dei decorem et pulchritudinem exterminarunt. Purgatorium funditus evertere conantur. Quin et inferos veros et locales multi Lutheranorum negant, et imaginarios nescio quos inferos ex capite suo fingunt. Itaque nec à suo abyssi rege linguam virulentam abstinent, quin ei injurientur, eique jurisdictionem cum subditis adimant. Certe Calvinus docet infernum, ejusque cruciatus non esse aliud, quàm apprehensionem qua reprobi

apprehendunt Deum sibi iratum. Scilicet hoc valde cruciat impios, qui, si non sentirent verbera et ignes Dei irati, ad Deum iras suas obligarent, nec nihil iris aut minis ejus moverentur, multo minus cruciarentur.

Verum hæc, licet apposite dicantur, mystica tamen potius videntur, quàm litteralia. Adde : huic expositioni repugnat, quod hæ locustæ crucient homines, ita ut optent mori, quod hæreticis non competit; horum enim est homines pervertere in fide et moribus, non cruciare vel occidere; imo ab eis perversi et seducti, cum non nisi voluptates et commoda hujus vitæ spectent, summe amant vitam et horrent mortem. Tertio, hæ locustæ cruciabunt eos qui non habent signum Dei; hæretici vero cruciant eos qui habent hoc signum, puta fideles et Orthodoxos.

Porro insulsi et impudentes hîc sunt nostri hæretici, præsertim Calvinistæ Angli, qui, ut se vindicent, talionem hîc reddunt Catholicis. E quibus unus (ab uno disce omnes) recentior commentans in hunc Apocal. locum, per hanc stellam è cœlo lapsam et reserantem puteum abyssi, intelligit Mahometem, et Antichristum, id est Pontificem Romanum; uterque enim, inquit, cœpit sub idem tempus, scilicet sub annum Domini DC. Tunc enim Romani Pontifices à puritate fidei et religionis suorum Patrum desciscentes, superstitiones induxerunt, puta Missas, invocationes Sanctorum, orationes pro defunctis, cultum reliquiarum, imaginum, cæremoniarum. Tunc Bonif. III. à Phoca Imp. impetravit ut Universalis Episcopus vocaretur. Mox Bonif. IV. Pantheon, templum Gentilis idololatriæ, omnibus Sanctis consecravit, eamdem exercens impietatem, scilicet colendi novum deorum exercitum, dum festum eorum sanxit per totum orbem, ne scelus foret unius urbis Romæ. Plura alia affert de Bonif. V. Theodato, et aliis, sed plane falsa, quæ per calumniam ipsis impingit; quin nec à S. Gregorio lacerando maledicam linguam et calamum abstinet. Fumus ergo, inquit, est hæresis in doctrina, et in cultu superstitio, quibus sol et aer, id est lux veritatis, in Ecclesia obscurata est. Ex hoc fumo prodierunt locustæ : Orientales locustæ sunt Mahometani; Occidentales sunt monachi, moniales, numerosa cohors Religiosorum, Cardinales cum tota hierarchia Pontificia. Hi omnes scarabæi scaturiverunt ex eodem fumo, vel fimo ignorantiæ et erroris. Hi, utpote Mendicantes fratres, non occidunt, sed cruciant homines; quia spoliant hæredes patrimoniis, assidendo moribundis parentibus, eisque extorquendo partim minis Purgatorii, partim inde liberandi per suas preces et Missas spe, opima prædia, fundos, agros, magnam pecuniam; quin et filios et filias; docent enim licere filiis Religionem ingredi invitis parentibus. Major cruciatus et carnificina fuit, conscientiis injiciendo laqueum, eisque imponendo necessitatem quotannis confitendi omnia peccata cum singulis circumstantiis. Habent coronas in capite; quia sunt attonsi in modum coronæ. Habent capillos mulierum; quia sunt cultores B. Virginis, ejusque nomine se tegunt et velant, uti Carmelitæ ab Honorio III. vocantur familia Virginis, ideoque pallio albo utuntur. Ita hæreticus nugatur et blasphemat, vomitque calumnias, quæ singulæ jam millies à Card. Bellarm. Gretsero, Sandero, Stapletono, aliisque plurimis confutatæ sunt.

Verum, quid hæc ad septimum et ultimum Apocal. sigillum, quod ultimas orbi plagas, cum iisque finem et exitum adducet? jam enim mille anni et amplius elapsi sunt ab ortu Mahometis, et à S. Gregorio et Bonifacio III. Rursum, quæ conventio Mahometis cum Pontifice, ut una eademque sint stella? quæ consentio Saracenorum cum monachis ut utrique eædem sint locustæ? cum constet hos ab illis in fide, gente, loco, vita et moribus toto cœlo distare, ita ut Saraceni monachorum sint hostes infensissimi. Tertio, ante Mahometem et S. Gregorium, fuit Pontifex Romanus caput totius Ecclesiæ, fuit sacrificium Missæ, fuerunt monachi et Anachoretæ, fuit invocatio Sanctorum, cultus reliquiarum, imaginum, etc. ut patet ex S. Hieronymo contra Vigilantium, ex S. Augustino, l. 22. Civit. 8. ex S. Basilio hom. de XL Martyribus, et de Constitut. Monast. Ipse enim Basilius fuit monachus, ac monachis regulas et constitutiones præscripsit; imo è quatuor Ecclesiæ Doctoribus, tam Græcis, quàm Latinis, tres fuere monachi, scilicet è Græcis S. Basilius, S. Nazianz. S. Chrysost. è Latinis S. August. S. Hieron. et S. Gregor. Ergo falso horum inventio tribuitur Bonifacio III. ejusque successoribus. Mirum vero Anglos ita obstrepere S. Gregorio et monachis, cum ab ipso ejusque monachis, S. Augustino, et sociis, ab eo in Angliam missis, ab ethnicismo ad Christi fidem sint conversi, uti Ven. Beda, aliique omnes testantur. Nimirum effrons est hæresis, estque instar meretricis, quæ in adulterio deprehensa, quoslibet testes, etiam oculatos, lenones et meretrices esse clamitat; ita enim Lutherus, Calvinus, aliique hæretici hæresis crimen Orthodoxis impingunt, eosque vocant hæreticos, et idololatras, quia ab iis se damnari vident. Quarto, Mahometani non cruciarunt mensibus quinque, sed occiderunt et occidunt Christianos; gladio enim propagant suam sectam ex præcepto Mahometis. Quinto Saraceni non à mensibus quinque, sed jam à mille annis vexant Ecclesiam; monachi vero pene cum Christo nati sunt, uti patet ex S. Dionysio, lib. de Eccles. hierarchia. Sexto, monachi habent coronas in capite, sed non ex auro, uti habent hæ locustæ : esto habeant capillos B. Virginis, non tamen habent capillos mulierum, uti habuit apostata Lutherus moniali suæ astrictus, ejusque mollis et effeminata Ministrorum progenies. Denique monachi non habent caudas scorpionum, nec dentes leonum, nec loricas ferreas, etc.

Quarta ergo explicatio magis congrua est Riberæ, cui favet Primasius et ejus sequaces, dicens : *equi homines sunt, sessores sunt spiritus nequam.* Ait itaque Ribera : Angelus quinque tuba canit, et mox stella, id est angelus unus è bonis, qui præsidet inferno, è cœlo descendit habens clavem abyssi, id est, habens potestatem aperiendi et laxandi infernum. Claves enim infernalis carceris non committuntur Lucifero aut dæmonibus, utpote damnatis et incarceratis, sed angelis bonis, utpote Dei ejusque justitiæ ministris. Ex inferno prodit fumus, id est, furibundæ et dirissimæ machinationes dæmonum in homines. Hinc obscuratus est sol et aer, id est, excæcatæ sunt hominum mentes, ut cœlum non suspicerent, sed proni terram spectarent et ambirent, ait Richardus. Hæc enim symbolice et figurate accipere cogimur; quia nulla datur

proprie clavis inferni; nullum etiam ejus ostium, vel hiatus, qui fumum exhalet super terram, ut solem obscurare possit; et liquet ex sequentibus locustas, utpote tot bestiis similes, figurate accipi debere.

Locustæ ergo erunt exercitus quidam barbarorum, à dæmone in impios immissus, ut eos per quinque menses vastet et cruciet, ut olim fecerunt Gothi, Alani, Wandali et Longobardi. Illis primo datum, id est permissum est, ut non occidant, sed morte gravius diutissime excrucient quasi cruciatu scorpii, qui est furtivus et crudelis. Secundo, sunt similes equis paratis in prælium; quia erunt equites bellicosissimi. Tertio, coronas habent similes auro, id est, galeas micantes ut aurum. Sic enim corona pro galea accipitur à Virgilio, Æneid. 5.

Omnibus in morem tonsa coma, pressa corona.

Ubi Servius : *Corona*, ait, *id est galea; et sermone Homeri usus est, qui galeam* κερκνον, *id est coronam, dixit. Unde explicans subdit : Galeam ante pedes projecit inanem.* Quarto, facies tantum est hominum; quia cor et animus erit quasi leonum. Quinto, habent capillos sicut mulierum; quia molles et effeminati erunt, idque præ se ferent cultu corporis, maxime cincinnis et tortis crinibus. Sexto, dentes habent quasi leonum, ut validissime mordeant et lædant. Septimo, loricas habent sicut ferreas, id est ferreas; sed dicit *sicut*, quia hæc erat visio; et quia hos milites vocavit locustas, quibus proprie non competit lorica. Octavo, vox alarum est celer eorum impetus et strepitus, qui erit ex multitudine curruum expeditorum procurrentium ad prælium. Nono, habent caudas quasi scorpii; ut, sicut scorpii per caudam occulte nocent, ita et hi occulte noceant, idque in fine et habitu suo. Decimo, regem habent angelum abyssi, id est, diabolum eos excitantem.

Verum, non recte armati milites comparantur imbellibus locustis. Secundo, cum equi hîc nominantur, nulli nominantur sessores vel equites; ergo nulli fuerunt. Tertio, locustæ hæ varias et monstrosas habent formas, plane diversas à forma et habitu militum. Quarto, milites gladiis et lanceis pugnant : hæ autem locustæ caudæ aculeo, quasi scorpiones pungunt et lædunt. Quinto, hæc plaga quinti angeli distinguitur à plaga sequenti sexti angeli, in qua ducenti milliones militum per quatuor angelos in impios immittuntur : ergo hæc non fuit militum.

Dico ergo : Planissimus et aptissimus sensus est (quod etiam probabile esse censet Ribera) ut hæc proprie, sicut sonant, accipias. Locustæ ergo hæ erunt dæmones, qui speciem et formam locustarum induent, sed novam et monstrosam, utpote ex variis animalibus, puta leone, scorpione, equo et homine commistam et consarcinatam. Hæc sententia probatur primo, ex refutatione aliarum; non enim apparet quid planius et congruentius per locustas has ita monstrosas, quàm monstrosi dæmones, et monstrosa eorum corpora, in quibus ipsi apparere solent, accipi possint, præsertim quia cæteræ omnes plagæ ad litteram, uti sonant, accipiendæ sunt : ergo et hæc. Secundo, quia prodeunt ex puteo abyssi, id est inferni : ergo sunt infernales; ergo dæmones. Tertio, quia in fine mundi plagæ erunt novæ, insolitæ et inauditæ; tuncque Satanas, ejusque dæmones, solvetur, ut dicitur, c. 20. 3. qui soluti omnem suam vim et furias exerent in homines. Sicut ergo nunc invisibiliter tentant vexantque homines; ita tunc visibiliter vexabunt et cruciabunt. Quarto, etiam nunc in morte hominum solet dæmon morienti visibiliter apparere, ut extremam luctam et agonem cum eo obeat, animamque ejus sibi vindicet si possit, uti apparuit S. Martino morienti, et in dies moribundis apparere, ab iis ipsis audimus et cernimus; quod pluribus confirmat Barthol. Sibylla, libr. Peregrin. quæst. qu. ultima : ergo idem faciet in fine et quasi agone mundi, post quem amplius homines tentandi et cruciandi non habebit potestatem. Quinto, rex harum locustarum est dæmon dictus Abaddon, v. 11. hunc enim dæmonem esse omnes consentiunt; ergo et subditi ejus, puta locustæ hæ, erunt pariter dæmones. Sexto, S. Antonio, Hilarioni, et aliis Sanctis apparuerunt dæmones simili terrifica et monstrosa forma ursorum, leonum, luporum, imo mixta variorum animalium forma et specie. Ergo multo magis ita apparebunt in fine mundi, utpote amplius se non ostensuri, nec apparituri mundò. Septimo, hominum conceptus est dæmones monstrosas esse creaturas ex variis horrificis animalibus conflatas; itaque in imaginibus, puta in typo inferni et similibus, eos depingunt pictores; scilicet capite horrifico et varie cornuto, cauda hispida et aculeata, alis horrificis, ore et dentibus leoninis, etc. Idque apposite; quia dæmones talia corpora monstrosa assumere solent ex Dei nutu et jussu, ut per ea monstrosa animæ ipsorum (singularumque ejus potentiarum) tot vitiis deturpatæ deformitas demonstretur. Denique hac monstrosa specie apparituros dæmones in excidio Babylonis, aliarumque infidelium et impiarum urbium, ac multo magis in excidio orbis, cujus illa fuere typus et præludium, docet Isaias, c. 34. v. 14. *Occurrent*, inquit, *dæmonia onocentauris, et pilosus clamabit alter ad alterum : ubi cubavit lamia, et invenit sibi requiem.* Et cap. 13. 21. *Requiescent ibi bestiæ, et replebuntur domus eorum draconibus; et habitabunt ibi struthiones, et pilosi saltabunt ibi : et respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, et sirenes in delubris voluptatis.* Qui enim vastitatis et excidii fuere auctores, par est ut quasi urbis et orbis victores, in eo jam vastato et pene exciso habitent et dominentur. Itaque cum canente quinto angelo stella, id est angelus, è cœlo se librans deorsum, aperiet et laxabit infernum, fiet hiatus, et quasi caminus, ex quo exhalabit ingens caligo infernalis, qualis solet exhalare ex Ætna et Vesuvio (quæ proinde à multis putantur et vocantur fornax et os inferni) eaque tanta, ut aerem et solem obscuret, de quali canit Virgil. Æneid. 1.

Eripiunt subito nubes solemque diemque
Teucrorum ex oculis, ponto nox incubat atra.

Ex hac fornace, ejusque tetro fumo et caligine prodibunt agmina, hoc est innumeri dæmones, copia et forma similes locustis ingentibus. Est enim locusta animal fœdum, noxium, superbum, alatum et volitans, mordax, pungens, inquietum, inconstans et putridum (unde una è plagis maximis Ægypti fuerunt locustæ, Exodi 7. 17.) Tales autem per omnia sunt dæmones. Rursum, locusta symbolum est conviciatoris

et invidi (quales sunt dæmones) eo quòd in cordis gremio, tanquam in stomacho, dentes habeant; quia habet os et dentes declives, ideoque pectori et cordi vicinos; imo alios habent insuper dentes in occipitio, quibus stridorem edunt, si credimus Plinio, et aliis, quos citat Aldrovandus, tract. de Insectis, pag. 420. Rursum, Ægyptii volentes significare tyrannice in suos dominantem, pingebant polypum et locustam. Nam locustæ, ut ait Horus, et ex eo Aldrovandus in locusta, in polypos exercent vires, eosque vincunt. Tyranni autem omnium sunt dæmones. Ad hæc Pierius Hierog. 18. docet popularis seditionis symbolum esse, si quis pingat locustas duas sese invicem incursantes; locustæ enim cornibus inter se dimicant et arietant instar arietum. Dimicant autem pro pascuis, vel fœtu, vel feminis, uti ex Alberto docet Aldrovandus. Tales sunt dæmones inter se tumultuantes, rixantes et dimicantes.

Ad hanc expositionem accedit sententia nostri P. Lessii, lib. 13. de Perfectionibus divinis, cap. 18. ubi censet hasce locustas non tantum speciem et apparentiam locustarum habituras, sed veras et animatas fore locustas, licet peregrinas et monstrosas. Virtute enim divina profundissimus hiatus (forte usque ad inferos : nam paulo post ingens hiatus, quo omnes impii absorbebuntur in tartara, eousque aperietur) alicubi in terra, vel in montibus pandetur; unde quasi ex puteo abyssi, id est abyssali et profundissimo, immensa vis fumi exibit, sicut ex Ætna et Vesuvio crebro exisse legimus. Ex quo liquet in terræ visceribus multa et immania latere incendia, quæ jam compressa tenentur, ut sub finem mundi erumpant, et primo omnia fumo et cinere infestent, deinde simul cum igne conflagrationis terram exurant. Jam durante isto fumo, facile erit divina virtute procreari peregrinum genus locustarum pungentium et virulentarum, quod è fumo exeat, et omnia longe lateque occupet; sicut olim immensa agmina, primo ranarum, deinde locustarum, postea ciniphum, postremo muscarum, totam Ægyptum occuparunt, idque repente, divina virtute ea animalia formante, ut patet Exodi, cap. 7. et seq. Simili modo agri Philistinorum subito effuderunt infinitam vim murium, 1. Reg. 5. Quod ad formam earum attinet, non opus est ut facies earum plane sint similes faciei humanæ, aut ejusdem magnitudinis, sufficit esse rudem similitudinem, qualis reperitur in simiis. Idem censendum de capillis seu cirris earum, et dentibus. Probatur hæc sententia, primo, quia locustæ à Mose immissæ in Ægyptum fuerunt veræ locustæ; ergo veræ erunt et hæ : nam illæ harum fuerunt præambulæ et prænuntiæ. Secundo, quia S. Joannes diserte eas vocat locustas; eisque dat aculeum, ac comparat eas scorpiis. Cum ergo verum accipiamus hîc aculeum, quem veræ habituræ sunt, verum scorpium, cur non et veras locustas? cur mystice vel symbolice eas interpretabimur? Tertio, quia nullum est genus animalium, in quo tanta sit formarum peregrinarum varietas, quanta est in locusta, ut patet ex variis et monstrosis earum speciebus, quas recenset et depingit Aldrovandus in locusta. Quarto, quia cæteræ plagæ hîc, puta ignis, grandinis, stellæ cadentis, montis ardentis, æstus, fluminum versorum in sanguinem, terræ motus, vulneris, dæmonum solutorum, etc. ad litteram, ita sonant, accipiendæ sunt; cur non et hæc locustarum? Quare hæc sententia uti valde litteralis, ita valde probabilis est : cui tamen adde locustas hasce dirigendas et impellendas fore ab Abaddon dæmone, ejusque sociis. Nam hæ non invadent herbas et germina, ut solent locustæ, sed homines, eosque duntaxat, qui non habent signum Dei in frontibus suis, ut ait S. Joannes, v. 4. Hoc autem signum, et homines eo signatos, uti discernere nequeunt, ita naturaliter pungere vel cruciare non appetunt locustæ : utrumque ergo hoc dæmonum locustas impellentium erit opus, qui Dei jussu per locustas hanc ejus vindictam in homines impios exercebunt. Quocirca quæ de locustis hîc dicuntur, dæmonibus quoque earum motoribus competunt, quædam magis, quædam minus : sicut quæ, Genes. 3. dicuntur de serpente tentante Evam, partim serpenti, partim et potius dæmoni serpentem possidenti, per eumque loquenti conveniunt. Singulas ergo locustarum proprietates, quas sanctus Joannes hîc eis tribuit, dæmonibus accommodemus. Ait itaque :

3. DATA EST ILLIS POTESTAS, SICUT HABENT POTESTATEM SCORPIONES TERRÆ.] Nota. Locustæ hæ comparantur caudis scorpionum et serpentum; tum quia hæ sunt virulentæ : in illis enim latet virus et aculeus, quo pungunt et cruciant; tum quia hisce scorpiones homini insidiantur, eumque quasi per insidias occulte feriunt. Simili modo locustæ hæ erunt virulentæ, et insidiatrices. Alludit ad Hebr. ארבה *arbe*, id est, locusta. Hæc enim dicitur *arbe*, quia plurima, à radice רבה *raba*, id est, multus fuit; sed simul alludit ad radicem ארב *arab*, id est, insidiatus est. Locustæ enim radicibus et tenerioribus (utpote delicatioribus) calamorum et culmorum partibus insidiantur, easque arrodunt et depascunt, itaque faciunt ut arista totusque calamus discindatur et corruat. Ita R. David, et ex eo Pagninus in Lexico, in voce *arbe*, et Arias Montanus et Christoph. à Castro in Joelis, c. 1. v. 4. Porro dæmones, quos significant locustæ, recte comparantur scorpiis. Est enim scorpius (quales multos hîc Romæ videmus) animalculum ex genere insectorum, habens cornua anterius instar cancri, quibus prædam amplectens et stringens, mox spiculum quod in cauda gerit, reflectit, eoque hostem et prædam pungens, venenum instillat, quo illum conficit et enecat. Unde Ovid. lib. 4. Fastor.

Metuendus acumine caudæ Scorpius.

De eo hæc tradit Plinius, lib. 11. cap. 25. Primo, scorpius est *pestis importuna veneni serpentum, nisi quòd graviore supplicio lenta per triduum morte conficiunt*; ejus ergo virus est lentum, sed grave et internecinum supplicium. Secundo : *Virginibus lethali semper ictu, et feminis fere in totum; viris autem matutino, exeuntes cavernis, priusquam aliquo* fortuito *ictu jejunum egerunt venenum.* Tertio, est naturæ admodum iracundæ. Unde adagium σκορπιον οκταπουν εγειρεις, *scorpium octipedem excitas :* et σκορπιοω, idem est quod irrito, provoco ad iram, ut irascatur instar scorpii. Hinc quarto, quasi furibundus strictum telum, puta caudæ spiculum, semper exertum gerit ad lancinandum, et mortiferam plagam infligendam. Reliqua insecta aculeos intus recondunt : unus scorpius aculeum quasi lanceam

exerit, qui non est otiosus, sed *semper cauda in ictu est, nulloque momento meditari cessat, ne quando desit occasioni.* Insuper *ferit obliquo ictu et inflexo :* incedit quoque obliquo gressu, ut feriat ex improviso. Quinto, *venenum omnibus est medio die, cum incanduere solis ardoribus ; itemque cum sitiunt, inexplebiles potu.* Sexto, *constat et septena caudæ internodia sæviora esse : pluribus enim sena sunt.* Septimo, *hoc malum Africæ, volucre etiam Austri faciunt : vivere intra Siculi cœli regionem non potuere ; visuntur tamen aliquando in Italia, sed innocui.* Octavo, *in Scythia interimunt etiam sues, alioquin vivaciores contra venena talia.* Nono, *homini icto putatur esse remedio ipsorum cinis potus in vino.* Decimo, *putant scorpiones in totum nullis nocere quibus non sit sanguis.* Undecimo, *quidam et ab ipsis fœtum devorari arbitrantur ; unum modo relinqui solertissimum, et qui seipsius matris clunibus imponendo, tutus et à cauda et à morsu, loco fiat. Hunc esse reliquorum ultorem, qui postremo superne genitores conficiat. Pariuntur autem undeni.*

Hucusque Plinius, quæ singula plane significant animal hoc esse insignis malitiæ, feritatis, vindictæ et noxæ, qualis per omnia est dæmon. Primo ergo, in fine mundi hi dæmones specie locustarum, et instar scorpionum caudati erunt, caudæque suæ spiculo pungent homines ; ita ut non statim enecent homines, sed lento supplicio per quinque menses, ut dicitur v. 10. discrucient. Secundo, magis sævient in eos qui ardent concupiscentiis mulierum. Tertio, erunt pleni irarum, sævitiæ et furoris, ideoque spiculum caudæ semper exertum generent ad feriendum. Quarto ex obliquo incautos percutient. Quinto, candentes igne inferni, et sitientes hominum stragem extremam in eos exacuent omne suum virus. Sexto, septenis caudæ internodiis spiculum suum virulentum munient et roborabunt : quæ apte symbolice significant dæmonum dolos, fraudes, machinationes, quas quasi internodia sibi invicem implectunt, ut, si homo ex una se explicet, mox in aliam implicetur. Septimo, erunt volucres ; habebunt enim alas. Octavo, magis nocebunt iis, qui instar suum abdomini et ventri servierunt. Nono, remedio erit ipsorum cinis, si nimirum peccatores memores cineris et mortis tam suæ, quàm diaboli (qui ob superbiam ex angelo quasi factus est cinis, ac in morte secunda, puta in gehenna, jugiter crematur, et tantum non redigitur in cinerem) humilient se, compungantur, pœnitentiam agant, Deoque reconcilientur. Decimo, nulli nocebunt, pio et spirituali, sed tantum impiis, qui volutantur in carne et sanguine, quique sanguinem Sanctorum effuderunt. Undecimo, proles suas, puta sceleratos, cruciabunt, et quasi enecabunt, et ab ipsis vicissim cruciabuntur, dum reprobi iis quasi auctoribus suæ damnationis, æque ac tortoribus maledicent, omnesque diras imprecabuntur. Pariter in gehenna dæmones et damnati mutuo se lancinabunt, ac quasi canes ringent, invicemque mordebunt.

4. ET PRÆCEPTUM EST ILLIS NE LÆDERENT FENUM, etc.] Hinc patet locustas has non fore proprie dictas ; harum enim cibus æque ac noxa, est in herbis ; sed fore dæmones, qui instar scorpionum, nulli nisi habenti sanguinem, id est homini impio, nocebunt. q. d. hæ locustæ non erunt similes aliis herbivoræ, sed carnivoræ. Porro non permittet Deus ut omnem suam vim virusque exerant. Sic enim enecarent omnes mortales, sed tantum ut eos qui non habent signum Dei, de quo c. 7. 5. crucient per quinque menses. Si enim plaga hæc diutius duraret, desperarent homines, ac se ipsos interimerent. Unde ait v. 6. *Quærent homines mortem, et non invenient eam.* Tantus enim erit eorum cruciatus, ut mortem optent, et tamen mori non possint, uti fit cum quis hausit lentum et non satis efficax venenum ; quod non statim interimit, sed ita cruciat, ut homo nec vivere, nec mori possit.

7. ET SIMILITUDINES LOCUSTARUM SIMILES EQUIS PARATIS IN PRÆLIUM, etc.] Nota. Dæmones hi similes erunt, primo, magnis locustis quoad alas et pedes ; secundo, equis quoad formam, magnitudinem, audaciam et usum bellicum ; quin et locusta pedibus suis insistens quasi parata ad volandum et involandum, speciem habet equi armati et cataphracti (unde ab Italis locustæ vocantur *cavallette*, id est, equi parvi, equuli) : est enim lauricata, et habet pinnas pro aculeis ; atque volat saltando, et saltat volando. Ita Pineda in illud Jobi, 39. 20. *Numquid suscitabis eum quasi locustas?* Tertio, hominibus quoad loricas ; quarto, mulieribus quoad faciem, capillos et coronas aureas ; quinto, leonibus quoad dentes ; sexto, scorpiis quoad caudam et aculeum. Quid hæc symbolice significent superius dixi ex Viega et Ribera ; quæ enim illi hæreticis et militibus attribuunt, pari modo et potiori ratione dæmonibus accommodari possunt et debent.

8. DENTES EORUM SICUT DENTES LEONUM ERANT.] Tripliciter hi dæmones cruciabunt homines : Primo, pungendo aculeo caudæ instar scorpii ; secundo, mordendo dentibus, ut leones ; leonini enim dentis morsus venenatus est. Unde, ut ait Plinius, l. 8. c. 16. agens de leone : *Ex omni vulnere, sive dente, sive ungue impresso, ater profluit sanguis.* Tertio, terrendo homines et percellendo tum visu tam horribilium monstrorum, tum auditu, dum audient eorum sonitum, quasi curruum equestrium. Porro quàm dentes locustarum sint voraces et noxii, videmus in Apulia nobis vicina, quæ tota subinde à locustis devoratur, cum alias sit fertilissima.

9. ET HABEBANT LORICAS SICUT LORICAS FERREAS.] Est in India animal quod corium habet instar loricæ compactum ; quocirca ab Hispanis *Armadillus* vocatur ; atque rhinoceros suam habet loricam, eamque durissimam : sic et locustæ suam videntur habere loricam ; sed hæ diabolicæ longe majorem et duriorem habebunt.

ET VOX ALARUM EARUM SICUT VOX CURRUUM EQUORUM MULTORUM CURRENTIUM IN BELLUM.] *Vocem* vocat stridorem quem alarum concussione edunt locustæ, de quo Plinius, lib. 11. 29. *Vox*, ait, *earum proficisci ab occipitio videtur : eo loco in commissura scapularum habere quasi dentes existimantur, eosque inter se terendo stridorem mederi.* Dentes vocat non proprie dictos in ore, uti explicat Alcazar quasi ore, æque ac alis, stridant locustæ. Plinius enim hos dentes non in ore locustarum, sed in scapulis ponit ; dentes ergo vocat pinnas acuminatas et exstantes instar dentium ; unde et Joannes hic ait vocem hanc esse alarum, non oris. Ita symbolice mendacium dæmonibus et hæreticis familiare, semper a

tergo latet, nunquam prominet in aperto; aliud enim dicunt, aliud cogitant : unde Deo hominibusque mendaces sunt odiosi, ait Nicol. Causinus; Parab. hist. l. 9. c. 49. Hæreticorum ergo vox non ex corde et ore, sed quasi ex occipitio prodit, æque ac dæmonum.

11. ET HABEBANT SUPER SE REGEM ANGELUM ABYSSI.] *Locusta*, ait Salomon, Prov. 30. 27. *regem non habet, et egreditur universa per turmas suas;* sed hæ infernales habent, et habebunt quoad durabit hic mundus, et hominum vita in terra, cum quibus pugnant. Sciunt enim omnem exercitum sine duce et capite esse invalidum, atque à capite ejus vim et robur pendere; unde aiebat illi belli dux : *Fortior est exercitus cervorum duce leone, quàm leonum duce cervo.* Quocirca et milites, dum non persoluto stipendio contra principem et rempublicam rebellant, statim caput et ducem eligunt ex suo grege maxime strenuum, quem Electum vocant; alioquin essent instar hominis acephali, sine capite, sine duce et directore, ac instar reipublicæ carentis magistratu, in qua unus alium conficit; itaque cives ipsi suam rempublicam perdunt et interimunt. Vide hîc quantum quàmque necessarium sit ordinis et obedientiæ bonum; ac ex diverso quantum ataxiæ et acephaliæ sit malum, utpote quod et ipsi dæmones, licet pessimi et superbissimi, fugiant et detestentur.

Rursum, vide quanta sit vis turbæ, quid faciat multitudo, etiam rerum minimarum et imbellium. Locustæ enim viles et exiguæ, sua copia integras provincias stirpitus depascuntur et devastant. Ita Turcæ omnia superant et subigunt exercitus sui multitudine. Ita dæmones, licet invalidi, numero suo totum orbem affligunt et cruciant. Exstat hac de re symbolum apud Nicol. Causin. l. 9. Parab. hist. c. 31. *Draco à formicis consumptus*, hoc est, princeps à populo oppressus. Ita Suetonius in Tiberio : Erat, inquit, Tiberio oblectamentis serpens draco, quem ex consuetudine manu sua cibaturus, cum consumptum à formicis invenisset, monitus est, ut vim multitudinis caveret; draco enim regum symbolum est, formicæ populi. Sapienter proinde Ptolomæus in proœm. Almagesti : *Melius*, inquit, *est vulgi habenas regere, quàm multos habere milites.* Tutior enim et fortior est princeps vallatus subditorum amore, quàm militum armis. Ex adverso : *Terriblis multis, timeto multos.*

CUI NOMEN HEBRAICE ABADDON.] Hebraice אבד *abad* in cal significat perire : inde אבד *ibbed* in piel, active significat perdere, disperdere : inde *Abaddon* idem est quod perditio, id est, perdens vel perditor (Hebræi enim sæpe abstracta ponunt pro concretis) græce απολλυων, latine *exterminans.* Τὸ *exterminans* non est in Græco, ut patet; scripsit enim Joannes græce, non latine. Stomachatur Valla Interpretem hoc de suo addidisse textui. Verum temere; nihil enim de suo addidit, sed tantum Græcam vocem in Latinam transtulit (quod est Interpretis munus) ut Latini æque ac Græci intelligerent, quid sit απολλυων. Perperam ergo vertit Arabicus : *Et regnavit super eos angelus abyssi, cujus nomen Hebraice Machdan, et ejus interpretatio Ionice est Laudans*

Notat S. Gregor. homil. 34. in Evangel. angelos ex se non habere nomina (angeli enim non ex nomine, sed ex specie et visione invicem se internoscunt et compellant), sed ea sortiri ex ministerio quod apud homines obeunt. Idem est de malis angelis.

12. VÆ UNUM, plaga una, puta quinta quinti angeli, nimirum locustarum, de quibus jam dixi, ABIIT, ET ECCE VENIUNT ADHUC DUO VÆ,] puta duæ plagæ sexti et septimi angeli; unde subdit plagam sexti angeli, dicens :

13 et 14. ET SEXTUS ANGELUS TUBA CECINIT : ET AUDIVI VOCEM UNAM EX QUATUOR CORNIBUS ALTARIS AUREI, QUOD EST ANTE OCULOS DEI, DICENTEM SEXTO ANGELO QUI HABEBAT TUBAM : SOLVE QUATUOR ANGELOS.] Altare hoc aureum est altare thymiamatis, quod S. Joannes vidit in cœlo (de quo dixi c. 8. v. 3.) repræsentans Christum. Inde ergo visa est Joanni prodire hæc vox. q. d. ex Christo et Christi meritis, atque ex orationibus Sanctorum, qui requiescunt sub hoc altari, ut dixit c. 6. 9. manavit hæc vox, mandans puniri impios per sextam plagam ingentis exercitus hostilis. Tanta enim fuerunt impiorum scelera, ut ipsum altare contra impios expostulare, clamare, et vindictam deposcere videatur.

Quæres : Quæ, qualis et per quos fiet hæc plaga? Primo, Alcazar censet hanc plagam esse iras, odia et furores, quibus Deus punivit Judæos Christum respuentes. Cum enim locustæ symbolice significarint concupiscentiam eorum, ordo ipse postulat ut furiosi equi qui sequuntur, irarum furias significent; hæ enim ex concupiscentiis per alios impeditis consequi solent, et à malis angelis suscitantur et inflammantur. Secundo, clamor ex quatuor angulis altaris significat totam religionem (hujus enim symbolum est altare cum igne in priscis numismatis) Christianam de Judæis conqueri, et vindictam de tota eorum gente exposcere. Clamat ergo altare ad angelum. q. d. Ea est audacia et malitia Judæorum, ut amplius ferri non possit : tu ergo plagam tuam in eos exere. Tertio, quatuor angeli qui has iras suscitant, sunt *proprius amor, divitiarum cupiditas, inanis hominum existimatio et proprium judicium*, qui ligati fuerant in Euphrate, id est, in felici eorum successu, cum voluptates, honores et opes ad votum succederent. Euphrates enim pleno alvo fluens, Babylonem lætificans, ac fertilem lautamque reddens, apte repræsentat voluptates et delicias civitatis Deo inimicæ, et ad voluntatem prosperos successus. Sed cum Judæis per Titum hæ snæ cupediæ ereptæ sunt, quatuor hi angeli, id est perversi amores jam dicti, eousque sopiti et quasi ligati, soluti sunt ac Judæos ad iras et furores c oncitarunt. Quarto, cum subdit : *Ut occiderent tertiam partem hominum*, siguificat iras Judæorum non tam hostes Judæorum Romanos, quàm ipsosmet Judæos invasisse et enecasse. Ira enim in iratum irruit quasi hostis, cum lancinans et crucians. Rursum, intelligit iras quas Judæi in Christianos evomuerunt, dum eos persecuti sunt. Jam multos suis iris et furiis occidi et interire constat. Unde ait Eccles. c. 39. 26. *Zelus et iracundia minuunt dies.* Et Proverb. 14. 30. *Putredo ossium invidia.* Quinto, dicuntur esse vicies millies dena millia, quia irarum, tumultuum et furiarum exercitus, cum ex inordinatis animi affectionibus oriatur, innumerabilis est. Unde ex iis innumeræ lites, rixæ et discordiæ exoriuntur. Notent hæc homines iracundi; dum enim iræ non resistunt, sed indul-

gent, quid faciunt nisi ut infinitas tumultuum internorum et furentium inimicorum cohortes contra seipsos, suamque pacem et conscientiam concitent et immittant ? Sexto, capita equorum leonina iræ superbiam et crudelitatem repræsentant. Septimo, ignis significat iræ et irati excandescentiam, fumus rationis perturbatæ caliginem, sulphur furorem. Nam *ira furor brevis est.* Octavo, caudæ pro setis habent serpentes; quia setæ in aquam injectæ, ibique asservatæ facile convertuntur in colubros. Id significat, iram, etsi initio dum vindictam concupitam exercet, grata et blanda videatur, tamen in fine relinquere aculeum conscientiæ, eamque mordere et lancinare instar colubri. Sic Poetæ Furias (quas ipsi tres numerant, Acherontis et Noctis filias, quæ, ut inquit Servius, Diræ in cœlo, Furiæ in terris, Eumenides apud Inferos appellantur, suntque scelestæ mentis vindices et tormenta, ut ait Cicero, orat. pro Roscio Amerino) ita pingunt, ut in capite pro capillis dent eis colubros, in manibus tedas ardentes, quibus inest ignis, fumus, sulphur. Nono, habent loricas hyacinthinas, id est, ex panno hyacinthini et violacei coloris, quæ est armatura ridicula; quia irati suæ iræ obtendunt hasce loricas, id est, excusationes calvas et ridiculas, scilicet se jure irasci, se zelo justitiæ agi, indignum esse talia pati, nobili viro ex honore non licere hæc inulta relinquere, etc. quæ omnes nihil aliud sunt, quàm ira, et iræ nutrimentum, hoc est, ignis et sulphur. Decimo, cæteri, videntes licet hasce plagas, non pœnituerunt, sed perrexerunt adorare sua idola, id est studere auro et argento congerendo. Avaritia enim est idolorum servitus, ut ait Apostolus. Verum hæc mystica et tropologica sunt. Qui ergo cupit ingeniosum iræ symbolum morale, hoc utatur.

Secundo, Aureolus, Lyranus et S. Antonin. 1. p. chron. tit. 6. c. 1. §. 7. putant hîc significari quartum schisma generale, Ecclesiæ valde noxium, quod fuit inter Symmachum Papam et Laurentium Antipapam, eorumque asseclas anno Christi 498. de quo Nicephor. l. 16. c. 35. Vox de altari fuit vox S. Paschasii Cardinalis, qui cum aliis causa fuit schismatis eligendo Laurentium, ideoque post mortem punitus est in Purgatorio, cum apparuit S. Germano Capuano Episcopo in Thermis Puteolanis, uti narrat S. Greg. l. 4. Dialog. c. 40. Eodem tempore Constantinopoli imperabat Anastasius Imp. Eutychianus, et in Italia Theodoricus rex Arianus. Cum ergo Paschasius tuba cecinit, id est, Laurentio ut Papa fieret vocem dedit, soluti sunt quatuor angeli, sc. Symmachus, Laurentius, Anastasius Imper. et Theodoricus Rex, qui prius alligati erant in Euphrate, id est, Romano Imperio, quod quartum est inter regna, sicut Euphrates quartus est fluvius paradisi, Genes. 2. Tunc ergo ob schisma hoc multi occisi sunt utrimque. *Seditio ea*, ait Nicephor. *duravit ad triennium non sine cædibus, rapinis, aliisque calamitatibus. Sed Theodoricus rex, qui tam Romam obtinebat, etsi Arianus esset, Synodum tamen Episcoporum coegit, et Symmacho Episcopatum confirmavit; Laurentio autem pulso, thronum Naceriæ attribuit.* Anastasius vero et Theodoricus Christianos persecuti sunt. Unde Theodoricus Joannem Papam carcere macerando, et Symmachum (uti et Boetium) gladio occidit. Hinc viro cuidam sancto visus Theodoricus ea hora qua mortuus est, inter Joannem et Symmachum distinctus, discalceatus et vinctis manibus duci projicique in ollam Vulcaniam, uti refert S. Greg. 4. Dialog. 40. Quia ergo Ecclesia tunc in quatuor hos principes divisa, pars quæque pro suo principe certabat; hinc dicitur exercitus eorum fuisse vicies millies dena millia, id est, infinita multitudo. De ore Laurentii et Symmachi, procedit fumus ambitionis et vanitatis; ideoque rursum habent loricas hyacinthinas, quæ designant hypocrisin et vanam apparentiam : de ore Theodorici procedit ignis Arianæ perfidiæ : de ore Anastasii procedit sulphur hæresis Eutichianæ. Habebant potestatem non tantum in ore, sed et in caudis; quia inter Symmachum et Laurentium, atque inter Theodoricum et Anastasium res non solum ore, id est, discrepationibus et minis, sed etiam caudis, id est, occultis fraudibus et simulationibus, agebatur. Denique cum additur : *Cæteri homines qui non sunt occisi*, etc. Opinantur Lyranus et Antoninus significari quamdam Paganorum cædem, quæ tempore Theodorici facta sit, Saxonibus contra Thuringos dimicantibus, ubi utrimque multi cæsi sunt.

Verum Viegæ et aliis displicet hæc explicatio, idque merito. Nam primo, Symmachus non fuit ambitiosus, sed mitis, et suavibus admodum moribus; quin imo Sanctorum catalogo est adscriptus. Insuper falsum est quod Paschasius fuerit schismatis auctor, ad illudque classicum cecinerit. Nam ejus auctor fuit Festus Patricius Rom. qui ut gratiam iniret Anastasii Imp. post creationem Symmachi, eodem die in basilica S. Mariæ, pecuniis aliquos corrumpens, intrusit Laurentium. Paschasius ergo purgatorium subiit, non quia Laurentium creavit Papam, sed quia ei usque ad mortem adhæsit, ejusque partes fovit, uti narrat S. Gregor. Ubi quod dicitur, usque ad mortem, exclusive intellige : pœnituit enim moriens. Nam constat apud orthodoxos neminem in schismate manentem in eoque morientem salvari. Non enim in Ecclesiam cœlestem admittitur, qui à terrestri se separavit. Quocirca schisma est peccatum mortale, et schismatici non tantum à Dei gratia, sed et ab Ecclesia abscissi et præcisi sunt, nisi per ignorantiam culpa eorum vel in totum vel in parte, ut non sit mortalis, excusetur.

Secundo, quia Euphrates longe abest à Roma; nec Roma dici potest Euphrates, sed potius Babylon : hæc enim Euphrati adjacet. Tertio, schisma Laurentii et Symmachi non fuit in tota Italia, sed tantum Romæ. Rursum, inter Anastasium et Theodoricum nullum fuit bellum, sed solis minis Theodoricus coegit Anastasium pacis amantem, ad Ecclesias Arianis concedendum. Quarto, Thuringi et Saxones nullam cum Anastasio et Theodorico habent connexionem, ut habent inter se omnia quæ hoc capite recensentur.

Tertio, Beda, Richard. Andreas, Rupert. Aretas et Viegas referunt hæc ad ultima mundi tempora. Angelus ergo hic sextus, erit præcipuus aliquis dæmon. Hic solvet quatuor angelos, id est, omnes dæmones ligatos in Euphrate Babylonis, id est, in congregatione et confusione impiorum, qui Ecclesiam totam in fine mundi omnibus modis divexabunt. Unde dicuntur esse vicies millies dena millia.

Quarto et optime, Ribera plagam hanc proprie, ut verba sonant, accipit, putatque fore innumerum exercitum ferorum hominum et militum, qui in fine mundi puniet et occidet homines impios, scilicet tertiam eorum partem. Angelus ergo bonus tuba canens solvet quatuor angelos.

Quos, et quales? Nonnulli, apud Andream et Aretam, putant hosce quatuor esse angelos bonos, esseque Michaelem, Gabrielem, Raphaelem et Uriclem, cujus fit mentio 4. Esdræ 4. 1. et c. 5. 20. Verum patet, hos quatuor angelos esse malos, esseque dæmones; nam hi soli ligantur, non boni. Hi ergo sunt quatuor præcipue dæmones, qui quasi præsunt quatuor orbis partibus; ligati autem sunt in passione Christi, ne tantum noceant hominibus quantum ante. Hi in fine mundi rursus solventur, ut grassentur puniantque impios. Porro hi dæmones ligati sunt in Euphrate. Hic enim locus ad hoc est congruus. Primo, quia Euphrates alluit Babylonem; Babylon autem typus est regni diaboli et impiorum. Secundo, quia Euphrates alio respectu typus est Baptismi: per Euphratem enim transivit Abraham in terram promissam, indeque Hebræus, id est transiens, vel transamnanus, èst dictus. Forte etiam tertio, ait Andreas, quia inde nasciturus vel exiturus est Antichristus. Porro, licet hi archidæmones ligati sint, habent tamen suos velut emissarios canes ubique, qui homines tentent et divexent, uti experientia constat. Pari modo Asmodæus, libidinum rex, ligatus à Raphaele in deserto Ægypti, Tobiæ 8. 3. suos tamen per orbem dæmones quasi ganeones, jyngas et cupidines emittit: sicut et de ebriis lascivisque dæmonibus Andron proficiscentibus, narrat in Icon. Philostratus, uti recte advertit noster Serarius, scribens in Tobiæ c. 8. Sic Lucifer religatus in inferno suos ubique habet emissarios; quin et ipse solvetur tempore Antichristi, ut patebit c. 20. v. 2. et 3.

Quæres quomodo et quibus funibus ligentur dæmones. Resp. eos certo loco ligari, cum in illo per decretum et potestatem divinam, vel angelicam detinentur, ut se loco movere, eoque egredi nequeant. Hoc autem fieri potest tribus modis: Primo, si Deus eis subtrahat concursum divinum, qui necessarius est ad motum et egressum, simulque conservet semper illos in suo ubi, seu situ et modo existendi illo loco, cui vult eos affigere. Secundo moraliter, si impediat ne egrediantur, v. g. minando eis acriores pœnas si egrediantur, atque puniendo illos si egrediantur, et compellendo eos regredi: sic Asmodæo certa eremi Ægypti portio, extra quam ne ad passum pedis egredi ei liceat, à Raphaele est designata et præscripta. Tertio, physice omnino et naturaliter, si imprimat eis modum, aut qualitatem aliquam detentivam, vel unitivam loco, v. g. impetum et vim permanentem. Similem enim vim, sed transeuntem, videmus corporibus, uti lapidibus, imprimi, qua in altum levantur dum eo jaciuntur. Sicut ergo homo robustus alium minus fortem certo loco violente detinere potest, per vim ei impressam, ita et angelus dæmonem. Similem enim vim, licet non corporalem, sed spiritualem, potest spiritus superior et potentior spiritui inferiori et minus potenti imprimere; atque de facto vim hanc imprimunt dæmonibus angeli, cum eos ex certo loco, v. g. ex corporibus obsessis energumenorum violente expellunt et extrudunt. Cur enim Deus non possit similem vim, non transeuntem, uti illa est, sed diutius permanentem producere? magis enim mirabilem vim igni inferni indidit, qua non tantum detinet, sed et agit in animas damnatorum, ipsosque dæmones, eosque urit et cruciat. Hoc est quod ait S. Petrus 2. epist. 2. 4. *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Ubi nota ex Græco, vocem *rudentibus* non referri ad *detractos*: qui enim rudentes angelos detraherent cœlo? Sed ad vocem *tradidit*; q. d. Tradidit eos Deus et mancipavit carceri et igni infernali illique eos in perpetuum devinxit, et quasi quibusdam rudentibus, vel, ut Græca habent, σειραῖς ζόφου, id est *catenis caliginis*, alligavit. Sic enim explicat S. Judas in sua epistola vers. 6. dicens: *Angelos qui non servaverunt suum principatum, vinculis æternis sub caligine reservavit.* Alia ratione ligantur, id est, ligari se sinunt dæmones à magis, cum ipsi ex conventione et pacto eos, vel volentes, vel à superiore dæmone coactos in annulis includunt, ut qui annulos gestant dæmones sibi familiares et obsequentes habeant. Ita S. Hier. in vita S. Hilarionis, narrat dæmonem ab amasio in puellam quam deperibat immissum, cum S. Hilarion eum expelleret, exclamasse: *O cruces, ô tormenta quæ patior! Exire me cogis, et ligatus subter limen teneor. Non exeo, nisi adolescens qui tenet dimiserit. Tunc senex: Grandis, ait, fortitudo tua, qui licio et lamina strictus teneris.* Et sane ex hac alligatione patet dæmonum tum infirmitas, tum vilitas. Unde

Moraliter S. Antonius apud Athanas. *Minas*, ait, *dæmonis formidare non debemus: nam hamo crucis, ut draco aduncatus à Domino est, et capistro ligatus ut jumentum, et quasi mancipium fugitivum vinctus circulo, et armilla labra perforatus, nullum fidelium devorare permittitur.* Et S. Aug. serm. 197. de Tempore. *Si alligatus*, ait, *diabolus est, quare tantum adhuc prævalet? sed tepidis et negligentibus, et Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus est tanquam innexus catenis canis; et neminem potest mordere nisi eum, qui se mortifera securitate illi conjunxerit. Jam videtur, fratres, quia stultus est homo ille, quem canis in catena positus mordet. Tu te illi per voluptates et cupiditates sæculi noli conjungere, et illi ad te non præsumet accedere; latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet; nec extorquet à nobis consensum, sed petit.*

15. Ut occideret tertiam partem hominum,] non signatorum, ut patet ex dictis cap. 7. v. 3. et cap. 9. v. 4. puta impiorum et reproborum. Idem patet ex eo quòd, si hi occisi essent pii et justi, nulli tunc justi amplius superessent in mundo. Cæteri enim qui non sunt occisi, erunt idololatræ, ut dicitur. Ergo tantum loquitur hîc de non signatis et impiis (quorum sunt hæ vindictæ et pœnæ) ex quibus ait tertiam partem occidendam; cæteros vero permansuros in sua idololatria et sceleribus.

Ut numerus equestris exercitus vicies millies dena millia.] Græce δυο μυριαδες μυριαδων, ita legit noster Aretas, et alii (licet Complutens. non habeant τὸ δυο) id est duæ myriades myriadum, id est bis millies centena millia. Myrias enim est decem mille: duæ ergo myriades my-

riadum sunt vicies millies decem millia, id est ducenties millena millia, sive ducenti milliones. Ingens et immanis erit hic exercitus equitum, qualis nunquam visus est in orbe. Ex quo nonnulli conjiciunt pedestrem exercitum, qui equestri jungi, eumque numero longe superare solet, fore longe majorem et quasi innumerum. Verum sic exercitus hic nimius foret et pene immensus, quem nulla provincia alere aut sustinere posset; utpote qui majorem partem hominum qui in orbe sunt, ac consequenter plurimos impios, quos Deus hoc exercitu punire volet, in se complecteretur. Cum ergo peditatus hîc non meminerit, videtur is nullus, vel exiguus fore; sed totus, vel pene totus exercitus fore equestris, qualis est Tartarorum, Persarum, Polonorum, etc. Celebratur omnium ore multitudo exercitus Xerxis, qui quinque annorum apparatu decies centena millia, id est millionem hominum in aciem contra Græcos eduxit. Quem numerum ut Valerius, et ex eo sanctus Hieron. testantur, de alta prospectans specula, flevisse fertur, quòd ex tanta multitudine nemo post centum annos superfuturus esset. Igitur ipse maria pontibus conjunxit. Athon montem continenti abscidit, teste Plinio l. 4. c. 10. Verum quid hæc ad has Apocalypseos copias? Xerxes unum eduxit millionem : hîc ducenti milliones hominum educendi dicuntur. Ergo ducentesimam tantum hujus exercitus partem habuit Xerxes, et tamen de Xerxe canit Lucan. l. 2.

> Multum cum pontibus ausus,
> Europamque Asiæ, Sestonque admovit Abydo,
> Incessitque fretum rapidi super Hellesponti.

Quocirca nonnullis incredibilis videtur hic numerus, cum in toto orbe vix eis videantur esse ducenti milliones hominum. Sed errant : nam in solo regno Sinensi numerantur 250 milliones hominum, uti docet noster P. Nicolaus Trigault. lib. de Expedit. Sinensi : ex quibus quinta pars, puta quinquaginta milliones, potest esse militum. Adde totidem ex Æthiopia : Æthiopum enim mira est soboles, et copia. Adde totidem ex Tartaria, et totidem ex India, habebis ducentos milliones. Junge tunc plurimos fore homines : plerique enim erunt carnales, et vacabunt generationi.

Posset etiam quis suspicari bonam exercitus hujus partem fore dæmonum, qui induti specie et forma non locustarum, ut illi præcedentis tubæ v. 3. sed hominum et equitum, impios affligent et castigabunt. Nam duces eorum erunt quatuor Archidæmones, ut patet v. 14. qui v. 15. dicuntur occisuri, scilicet tam per se, quàm per suos socios, puta dæmones, tertiam partem hominum. Et de his ad litteram verificari poterit quod dicitur v. 17. *Capita equorum erant tanquam capita leonum; et de ore eorum procedit ignis, et fumus, et sulphur*, et illud v. 19. *Caudæ eorum similes serpentibus, habentes capita : et in his nocent.* Dæmones enim formam serpentum, leonum, et quorumlibet animalium facile assumere vel equis suis assuere, et per apparentiam adjungere possunt. Denique si ducenti milliones hi tantum essent hominum, utique continerent majorem partem hominum impiorum (pauci enim tunc erunt pii et justi) qui puniendi erunt hac plaga, non autem punient alios. Hæc enim plaga, uti et cæteræ, immittetur in impios, tertiamque eorum partem absumet. Unde videtur potiorem partem hujus numeri fore dæmonum; alioqui enim impii punirentur per homines æque, imo magis impios, et multo plures essent carnifices, quàm rei puniendi; atque carnifices ipsi impune evaderent, cum tamen cæteris impientiores sint futuri.

Opinatur Ribera hunc exercitum fore decem illorum regum, qui ante Antichristum Babylonem evertent, uti describit Joannes c. 18. hoc ergo caput 18. per hysterologiam eo loco ponit, cum recto ordine hîc ponendum esset. Unde inferunt aliqui hunc numerum militum fore, non simul, sed successive; per multos enim annos horum regum prælia duratura. Verum hoc minus esse probabile ostendam c. 17. 16. Verisimilius dici posset hunc exercitum præparaturum viam Antichristo, ac fore ipsius Antichristi jam inchoantis et invalescentis ut eo sibi gentes subigat, ac tandem fiat rex et monarcha orbis. Nam mox de ejus regno, monarchia et bello, quod tunc ipse geret contra Christianos, audiemus c. 11. in ipso libro signato, cujus sigillum ultimum hic reseratur, ita ut post hæc proxime sequi videatur lectio libri signati, qui tractat de monarchia Antichristi.

17. ET ITA (ut jam dicam) VIDI EQUOS IN VISIONE,] scilicet habentes capita quasi leonum, loricas hyacinthinas, etc. ut sequitur.

ET QUI SEDEBANT SUPER EOS, HABEBANT LORICAS IGNEAS, ET HYACINTHINAS, ET SULPHUREAS,] scilicet aliqui equites habebant loricas *igneas*, id est lucentes, et radiantes, ac flammantes, ideoque terribiles instar ignis; alii habebant loricas *hyacinthinas*, id est violacei, sive cœlestis coloris, ut è cœlo à Deo missi viderentur : alii *sulphureas*, id est, rubeas et croceas instar sulphuris. Hosce enim colores, aut certe tunicas talium colorum, loricis suis hi equites inducent, tum ornatus, tum terroris causa, ut percellant hostes, uti faciunt nostri equites, quos proinde Belgæ vocant rode rocken, blauwe rocken, geele rocken; et Galli, æque ac Itali et Hispani, *casaque rouge, casaque bleue, casaque jaune.* Hi ergo ultimi habebunt loricas, vel tunicas loricarum croceas, sive sulphureas, ut per eas Deus significet vindictam, quam per hosce equites exercere decrevit in libidines, et fœtida peccata ac peccatores, utque per eas prognostice indicet sulphur infernale, quod impiis in gehenna paratum est et imminet. Sic Virgil. Æneid, 12. canit de Turno :

> Ipse dehinc auro squallentem alboque orichalco
> Circumdat loricam humeris.

Et Livius lib. 5. Belli Maced. agens de equitibus : *Partim*, inquit, *loricatos, quos cataphractos vocant; partim sagittis ex equo utentes.*

Alludit S. Joannes ad Jeremiæ 51. 27. ubi feroces equos et equites Persarum incitans ad excidium Babylonis, ait : *Adducite equum quasi bruchum aculeatum;* bruchus enim genus est locustæ. Porro præferoces esse Persarum equos, ut videantur ex se habere aculeos, nec agere calcaribus, docet Oppianus, dum ait :

> Qui cives habitant virides Euphratis ad undas,
> Magnanimis utuntur equis in bella leonum.
> Lumina glauca vibrant, et magnum in pectore robur

Efferat audaces animos ad fervida bella.
Accedit levitas cursus, quodque ora leonis
Intrepide perferre valent.

Tales erunt et hi S. Joannis equi in fine mundi.

ET CAPITA EQUORUM ERANT TANQUAM CAPITA LEONUM; ET DE ORE EORUM PROCEDIT IGNIS, ET FUMUS, ET SULPHUR.] Per equos quoque equites ipsos, metonymice intellige. Significat per hyperbolem, formidabiles fore equos et equites instar leonum, ut fumos naribus efflent, videanturque ignes, sulphur et flammas spirare. Rursum equites spirabunt ignem, fumum et sulphur, id est incendia, et omnimodam vastitatem orbi afferent suis minacibus verbis et imperiis, cohortando se invicem, et inclamando *fuego, fuego*, uti in expilatione et excidio Antverpiensi (quam ipsi furiam vocant) nostro ævo factum meminimus, quando major et nobilior urbis et emporii illius quondam celeberrimi pars Hispanico igne horribiliter conflagravit. Tertio, proprie significantur hîc bombardæ militum, et ignis pulveris sulphurei. Dum enim milites jaculantur, ita admovent ori instrumentum, ut ore ignem et fumum sulphureum emittere videantur. Et hoc modo objecta sunt animo sancti Joannis in visione. Ita P. Lessius l. 13. de Perfect. divinis c. 18. Adde, si bona hujus exercitus pars sit dæmonum, de iis hæc ad litteram, ut sonant, accipi posse, ut dixi paulo ante. Idem dico de caudis serpentum, de quibus subdit dicens:

19. POTESTAS ENIM EQUORUM IN ORE EORUM EST, ET IN CAUDIS EORUM. NAM CAUDÆ EORUM SIMILES SERPENTIBUS, HABENTES CAPITA: ET IN HIS NOCENT.] Patet hæc non ad litteram sed symbolice accipi debere, æque ac capita leonum, et ignem sulphurque de ore egrediens. Nulli enim equi habent caudas serpentum, aut capita in caudis. Caudæ ergo hæ capitatæ significant gladios militares, qui instar caudarum retro exstant, et capulos instar capitis habent: describit enim arma eorum, bombardas scilicet, per ignem, fumum et sulphur, et gladios per caudas capitatas. Aut certe per caudas intellige pedissequos et ministros militum qui plerumque sunt pessimi, et instar serpentum occulte nocent incendiis, furtis, venenis, aliisque modis. Ita P. Lessius loco jam citato. Insuper caudæ hæ significant novissimum eorum imperium, quod pacificum et quietum jam videbatur, eo quòd per tyrannidem suam omnes hostes suppressissent, aut subegissent; æque tamen dirum fore ac eorum principium, nimirum quòd in fine redibunt ad sua capita, id est ad primam crudelitatem, et ad dira duraque sua imperia, ut rursum videantur ore spirare et efflare ignem, fumum et sulphur. Rursum, quod virulenti et dolosi erunt instar serpentum. Unde Richard. Victorinus quærens cur horum equorum caudæ desinant in capita serpentum, respondet: Quoniam impii, dum nequeunt aperta persecutione nocere, per occultam et fraudulentam simulationem nocendi sumunt initia. Et Joachim: *Quia*, inquit, *cum putantur ab inferendis malis quiescere, tunc ex insperato deteriora mala committunt; et ita caudæ eorum, id est, finis præcedentium malorum, in capita desinunt, id est, in initia futurorum.*

Symbolice S. Gregor. l. 33. Moral. c. 28. vel juxta aliam editionem 23. hæreticis hæc attribuit: *Quia*, inquit, *quod ab eis verbis blandientibus dicitur, hoc à principibus eorum fautoribus gladiis ferientibus imperatur. Unde potestas eorum est in ore et in caudis. In ore namque doctorum scientia, in cauda vero sæcularium potentia figuratur. Nam per caudam quæ retro est, hujus sæculi postponenda temporalitas designatur. Retro est enim omne quod transit, ante vero est omne quod veniens permanet. Istis ergo equis, id est, nequissimis prædicatoribus ubique carnalium impulsu currentibus in ore et in cauda potestas est; quia ipsi quidem perversa suadendo prædicant, sed temporalibus potestatibus fulti, per ea quæ retro sunt se exaltant.* Nota hîc obiter quo loco, juxta S. Gregorium, habenda sint omnia temporalia, ipsaque orbis imperia; nam per caudam hîc designantur, ut justitiæ et virtuti, æque ac Ecclesiæ postponenda intelligantur.

20. ET CÆTERI HOMINES, QUI NON SUNT OCCISI IN HIS PLAGIS, NEQUE POENITENTIAM EGERUNT.] *Neque*, id est *non*, vel *ne quidem tunc*. q. d. Cæteri homines, cum tot strages et funera viderent, ne quidem tunc compuncti ad mentem redierunt, nec ad tantas sociorum plagas resipuerunt. Patet ex Græco. Mira ergo erit tunc hominum obduratio, qui, visis tot signis et plagis, persistent nihilominus in suis sceleribus et idololatria. Similis fuit obduratio Pharaonis Exodi 7. et sequent. qui, visis tot portentis et flagellis Mosis, iis magis obduruit, fortiusque Deo et Mosi restitit. Causæ ejus erunt variæ. Prima, assuetudo peccandi; indeque ingens concupiscentiæ vis: ob quam videmus ebriosos à vino, luxuriosos à venere non abstinere, etiamsi præsentem et certam exinde pestem, imo mortem sibi imminere videant. Secunda, infidelitas; quia non credent has plagas à Deo infligi, sed fato, vel mundi quodam morbo, et senectutis quasi vitio evenire, uti senserunt Stoici, et nunc Politici. Tertia, quod tunc solutus erit diabolus, qui omnes ultimasque suas vires exeret: unde impiorum tunc quasi animas et corpora possidebit. Quarta, quia plagæ hæ concitabunt in eis, utpote impiis, bilem et impatientiam: unde blasphemabunt Deum, vel auctorem plagarum, quòd tot tantasque eis infligat, uti ait S. Joannes c. 16. vers. 9.

UT NON ADORARENT DÆMONIA.] Hinc patet in fine mundi renascituram idololatriam, sed eam evertet postea veniens Antichristus: volet enim ipso solus coli sicut Deus, sicut prædixit Daniel, c. 11. 36. et sequent.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

VIDET JOANNES ANGELUM AMICTUM NUBE, DEXTRO PEDE MARI, SINISTRO TERRÆ INSISTENTEM, AC JURANTEM QUOD AMPLIUS NON ERIT TEMPUS : MOX REBOANT ET CONSONANT SEPTEM TONITRUA. SECUNDO, v. 8. JUBETUR AB ANGELO ACCIPERE LIBRUM APERTUM, ACCEPTUMQUE DEVORAT, QUEM IN ORE DULCEM ET MELLEUM, IN VENTRE VERO AMARUM EXPERITUR.

QUATUOR ERGO SUNT PUNCTA HOC CAPITE NOTANDA : PRIMUM EST, IDEA ANGELI FORTIS, QUI UNUM PEDEM FIGIT IN TERRA, ALTERUM IN MARI ; SECUNDUM, SEPTEM TONITRUA ; TERTIUM, JURAMENTUM ANGELI QUOD AMPLIUS NON ERIT TEMPUS ; QUARTUM, LIBER DATUS JOANNI DULCESCENS IN EJUS ORE, SED IN VENTRE AMARESCENS.

1. Et vidi alium Angelum fortem descendentem de cœlo amictum nube, et iris in capite ejus, et facies ejus erat ut sol, et pedes ejus tanquam columnæ ignis. 2. Et habebat in manu sua libellum apertum ; et posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram. 3. Et clamavit voce magna, quemadmodum cum leo rugit. Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas. 4. Et cum locuta fuissent septem tonitrua voces suas, ego scripturus eram, et audivi vocem de cœlo dicentem mihi : Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere. 5. Et Angelus, quem vidi stantem super mare, et super terram, levavit manum suam ad cœlum ; 6. et juravit per viventem in sæcula sæculorum, qui creavit cœlum, et ea quæ in eo sunt ; et terram, et ea quæ in ea sunt ; et mare, et ea quæ in eo sunt : Quia tempus non erit amplius. 7. Sed in diebus vocis septimi Angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit per servos suos Prophetas. 8. Et audivi vocem de cœlo iterum loquentem mecum, et dicentem : Vade, et accipe librum apertum de manu Angeli stantis super mare, et super terram. 9. Et Abii ad Angelum, dicens ei, ut daret mihi librum. Et dixit mihi : Accipe librum, et devora illum ; et faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel. 10. Et accepi librum de manu Angeli, et devoravi illum ; et erat in ore meo tanquam mel dulce : et cum devorassem eum, amaricatus est venter meus ; 11. et dixit mihi : Oportet te iterum prophetare gentibus, et populis, et linguis, et regibus multis.

NOTAT Alcazar hæc omnia à capite 18. usque ad vers. 15. c. 11. pertinere quodammodo ad sextam tubam et plagam septimi sigilli. Nam sicuti post quintam plagam dixit Joannes c. 9. v. 12. *Væ unum abiit ;* ita c. 11. 14. ait : *Væ secundum abiit*, id est, sexta plaga sexti sigilli jam peracta est : *Et ecce væ tertium veniet cito*, puta septima et ultima plaga, quæ explicatur ibidem v. 15. Hoc ex parte verum est, sed non universim, ut patebit initio capitis sequentis.

Rursum Alcazar ex suæ explicationis acoluthia censet, sicut plaga sexta Judæorum iras et furores complexa est, ita hoc capite significari horribilem illam persecutionis procellam, et quasi furorem, quam Judæi contra Ecclesiam concitarunt, initium fuisse veræ ac solidæ Gentilium felicitatis : eo enim Deum hæc direxisse, ut persecutiones Ecclesiæ verteret in ejus felicitatem et gloriam, nimirum ut derelictis Judæis transferret fidem, Ecclesiam et salutem ad Gentes ; atque hoc intelligi cum dicitur : *Consummabitur mysterium Dei*. Verum hæc spectant novissima tempora. Inseruntur ergo hic, ut homines qui tunc tot plagis sex tubarum à Deo per Angelos moniti nolent pœnitere, vehementius redarguantur, arcteantur et urgeantur, unde jurat Angelus : *Quia amplius non erit tempus.*

1. ET VIDI ALIUM ANGELUM FORTEM DESCENDENTEM DE COELO AMICTUM NUBE, ET IRIS IN CAPITE EJUS, ET FACIES EJUS ERAT UT SOL, ET PEDES EJUS TANQUAM COLUMNÆ IGNIS.] Primo, Primas. Beda, Richard. et alii multi per Angelum hunc accipiunt Christum, qui de cœlo descendit in incarnatione. Iridem gestat, quia legatus est pacis. Hic terræ et mari imperat : unde pedem unum terræ, alterum mari, quasi possessor et dominus imponit. Pes ejus dexter est misericordia, sinister est justitia : *Universæ* enim *viæ Domini misericordia et veritas.* Librum habet apertum, quia mysterium gratiæ et salutis revelavit. Rugit instar leonis, quia pœnas gehennæ impiis denuntiat ; juratque quod post diem judicii non erit amplius tempus. Post ejus vocem locuta sunt septem tonitrua, id est, omnes Apostoli prædicarunt toto orbe, qui æque, ut Jacobus et Joannes, fuerunt Boanerges, id est, filii tonitrui.

Huc accedit Alcazar : Angelus fortis, inquit, est Christus, qui quasi magni consilii Angelus, per Apostolos mundo annuntiat altissimum Deo consilium, quod scilicet Judaici populi diminutio, egestas atque infelicitas fuerit Gentium felicitas, divitiæ et incrementum : Gentibus enim annuntiat affertque pacem et salutem. Quocirca amictus est nube Evangelicæ prædicationis, utpote qui per suos ministros loquitur, et imbrem cœlestis doctrinæ in homines infundit, hinc et iridem habet in capite : iris enim pacis et reconciliationis est symbolum. Facies ejus, radians ut sol, significat desiderium quo flagrabat Evangelii lucem toto orbe diffundendi, et hac ratione promittendi Ecclesiæ maximam gloriam. Habet pedes quasi columnas ignis ; tum quia quasi gigas ingentes et quasi columnares habet pedes. *Exultavit* enim *ut gigas ad currendam viam*, Psal. 18. 8. tum quia venit ut ignem charitatis in terram deferret, ibique accenderet. Alludit ad Cant. 5. 15. *Crura illius columnæ marmoreæ ;* et ad v. 15. cap. 1. Apocal. ubi dicitur : *Pedes ejus similes aurichalco sicut in camino ardenti.*

Secundo, Aureolus per Angelum hunc fortem accipit Justinum Imper. qui Anastasio successit, et jussit exterminari Arianismum. Unde amictus est nube gratiæ, et iride pacis Ecclesiæ. Facies ejus ut sol, ob splendorem fidei : pedes ejus ut columnæ ignis, propter æquitatem justitiæ. Habet librum apertum, id est, Epistolas quas de fide Catholica destinavit omnibus tam in terra, quàm in mari et insulis habitantibus. Tum septem tonitrua, id est, omnes Ecclesiæ Doctores, vocem laudis Deo dederunt. Prohibetur tamen Joannem voces has scribere, quia rege Theodorico adhuc vivente, non ausi sunt Orthodoxi publice Deum laudare, Filiumque Patri ὁμοούσιον celebrare.

Rursum, idem Aureolus per Angelum hunc accipit Justinianum Imp. qui nepos fuit Justini, ac imperare cœpit anno Domini 527. Hic habet librum, id est Codicem Juris, quem per suos Juris-consultos (fuit enim ipse analphabetus, ut ait Suidas, et plane illiteratus, adeo ut legere nesciret) conscribi et digeri jussit. Hic in ore ejus fuit dulcis, sed in ventrem descendens amarus ; quia Justinianus in fine vitæ per Arthemium Patriarcham Constant. factus est Eutychianus ; quocirca amaricavit et afflixit Sylverium et Agapetum Papas, ac Mennam Patriarcham, hæresi ejus resistentes. Unde in faciem ei exprobravit Agapetus, dixitque : *Ego ad Justinianum Christianissimum Imperatorum desideravi venire ; nunc autem Diocletianum inveni.*

Verum hæc omnia, uti sæpius dixi, spectant tempus, non incarnationis Christi, nec Justini aut Justiniani, sed consummationis mundi.

Ad litteram ergo genuine Andreas Cæsar. Ribera et Viegas per Angelum, non Christum, sed Angelum proprie dictum, eumque bonum, puta beatum et gloriosum (qui tamen sit typus et legatus Christi) accipiunt. Hic amictus est nube, quia nubes gloriæ rerumque cœlestium est tegumentum, æque ac symbolum, et, ut ait Aretas in cap. 11. in nube est quædam obscuritas cum aliquo splendore, qui à refractione radii solaris perficitur. Sic et divina, neque omnino nobis incerta sunt, neque omnino *manifeste præbentur, sed veluti puræ lucis illustratio per obscuritatem manifestantur.* Eadem de causa facies ejus splendet ut sol, tum quia gloriosus est Beatorum vultus, tum quia læta nuntiat impiis, si à peccatis resipiscere velint. Rursum, nubes significat ignorantiam, caliginem et perplexitatem, qua involventur homines in fine mundi. Gestat iridem, quia invitat homines ad pacem et reconciliationem cum Deo, si mores corrigere et vitam emendare velint : sin autem, rugit ut leo, ostenditque pedes columnares et igneos, id est, iram et furorem, quæ instar columnæ fortis est et potens ad plagas impiis irrogandas. Hisce ergo pedibus significatur potestas Christi ad conculcandum suos hostes, puta impios, eosque igne cremandum. Ponit unum pedem super terram, et alterum super mare, ut ostendat nihil in terra, nihil in mari posse evadere hanc vindicem Dei manum, Christique sententiam et justam ultionem.

FORTEM,] quia fortia nuntiat et efficit : unde habet pedes quasi columnas ignis, rugitque ut leo, ac ciet tonitrua. Jurat enim *quia tempus non erit amplius, sed in diebus vocis septimi Angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei.* Opinatur Ribera hunc Angelum fore eumdem cum illo, qui cap. 5. nuntiavit Joanni Agnum reseraturum esse librum ; uterque enim vocatur fortis.

AMICTUM NUBE,] quia divina et arcana Dei consilia, de fine temporis et mundi annuntiat. Porro amictus erat nube in facie ; hæc enim splendebat ut sol, sed inferne in cæteris membris. Sic Horat. lib. 1. ode. 2.

> Nube candentes humores amictus
> Augur Apollo.

Et Virgil. 1. Æneidos Æneam à matre dea Venere nube septum fingit :

> At Venus obscuro gradientes aere sepsit,
> Et multo nebulæ circum dea fundit amictu,
> Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset.

At inferius Æneæ ad Didonem accessum describens.

> Scindit se nubes, et in æthera purgat apertum,
> Restitit Æneas, claraque in luce refulsit,
> Os humerosque Deo similis.

2. ET HABEBAT IN MANU SUA LIBELLUM APERTUM.] Pro *libellum* est græce βιβλαρίδιον, aut, ut alii legunt, βιβλίδαριον : à βιβλος enim deducitur diminutivum primum βιβλιον, secundum βιβλαριον, tertium βιβλαρίδιον, quartum βιβλίδαριον : perinde ac à Latino liber diminuitur libellus, indeque libellulus, et libellunculus : hoc ergo tertio, vel quarto diminutivo significatur hunc librum satis minutum fuisse et exiguum. Porro hîc libellus est ille de quo c. 5. 1. qui scilicet signatus erat septem sigillis, quæ omnia jam pene reserata sunt ab Agno ; unde nunc aperitur liber, et apertus offertur v. 9. S. Joanni legendus et describendus. Deinceps ergo, puta post septimam tubam, de qua cap. sequenti v. 15. describet S. Joannes ea quæ scripta erant in hoc libro, nimirum tempora Antichristi, ejusque et asseclarum supplicia.

ET POSUIT PEDEM SUUM DEXTRUM SUPER MARE, SINISTRUM AUTEM SUPER TERRAM,] quia pes dexter fortior est, inquit Ribera ; tali autem indiget mare præ terra : mare enim natura sua est mobile, instabile, fluidum, inquietum et procellosum, ut significetur, quod in iis qui magis latent et remotiores sunt, ac ambitu maris quasi

vallo cincti, ut inaccessi videantur, puta in iis qui in insulis habitant, Christus magis ostendet suum imperium, fortitudinem et vindictam per plagas et supplicia eis irroganda.

Aliam causam, sed mysticam, dant Ambros. Rupert. Richard. Viegas et Alcazar, quod scilicet Angelus hic, id est Christus, relicta terra pergebat ad mare. Accessus autem, sive ingressus in mare fit dextro pede. Censent enim ipsi ad litteram per terram significari Judæos, per mare Gentes, q. d. Christus relictis Judæis perrexit ad Gentes, ait Alcazar; aut ut Ambros. et alii, q. d. Christus tam Judæis, quàm Gentibus misit concionatores; horum enim symbolum sunt Christi pedes.

Porro Judæi vocantur terra, quia terreni, terræ bonis toti inhiabant : Gentiles vero mare, propter eorum, primo, multitudinem et varietatem; secundo, levitatem, inconstantiam, profunditatem errorum et vitiorum; tertio, perturbationem, confusionem, tumultus, bella et rixas; quarto, quia in mari vivitur ex rapto, et magni pisces parvos devorant, æque ac piratæ omnia diripiunt : ita vivebant et Gentes; quinto, mare notat sævam tempestatem, qua Ecclesiæ navis erat jactanda in Gentilium persecutionibus : hæ enim optime per maris furorem repræsentantur. Porro Christi pedes aquis maris non mersi, sed solide in iis præstantes, significant Evangelii prædicationem in æstuantis maris procellis ac persecutionibus non esse obruendam, sed in iis potius solidam firmamque futuram. Hujus rei symbolo Christus ambulavit firmo gressu super mare æstuans, Marci 6. 48. Denique pedes Christi igniti significant miram Christi efficaciam, nimirum quod, sicut naphtha aquas ipsas ardentes et ignitas reddit, ita Christus Spiritus sancti igne aquas gentilitatis sit accensurus, uti prædixit Isaias cap. 64. 2. *Aquæ ardebunt igni.*

3. Et clamavit voce magna quemadmodum cum leo rugit,] cum in prædam vel hostem furibundus fertur et irruit. Pro *rugit*, græce est μυκαται, id est mugit; sed Græci non videntur distinguere inter ωρυομαι et μυκαομαι, sicut Latini inter *mugit* et *rugit*. Unde patet clamasse eum, horrida et ultima impiis imminere supplicia, quocirca idem jurat v. 6. *Quia tempus non erit amplius;* eique clamanti et rugienti pari fragore assonant et responsant tonitrua. Nota hæc omnia non esse realia, nec realiter eventura : non enim realiter Angelus amictus nube descendet, nec ponet unum pedem in terra, alterum in mari, nec clamabit aut jurabit, quia amplius non erit tempus; sed symbolice per visionem hæc omnia objecta fuisse phantasiæ et menti S. Joannis : videbatur enim ipse sibi videre Angelum ita ponentem pedes, eumque clamare ac rugire; ut per hæc omnia intelligeret, ac scriberet plagas orbi in ejus fine obventuras; has enim ipse hic describit, et proclamat. Rursum, ut significet quod easdem in fine mundi proclamabit Angelus per suos prædicatores et Prophetas : non enim est necesse dicere quod Angelus hæc ipsa per se proclamabit.

Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas.] Hæ voces quasi echo respondent clamori angeli. Est ergo hæc echo heptaphona, sive septem vocum, qualem refert Plinius l. 36. cap. 15. ubi vox eadem repercussa septies reddebatur. Forte alludit ad Psal. 28. qui celebrat Dei magnificentiam ex eo quod sit Altitonans, citatque horrida et valida tonitrua: unde in eo τὸ *vox Domini* (quæ non est alia quàm tonitru) septies repetitur. Ita Alcazar. Porro hæ voces tonantes, et hæc tonitrua vocalia significant magnitudinem calamitatum futurarum in fine mundi; quocirca articulatæ erant hæ voces : nam eas intelligebat, et intellectas conscribere volebat S. Joannes. Sicut ergo in Sina Exodi, 19. Angelus voce tonante, sed articulata, proclamavit et promulgavit Hebræis legem Decalogi : ita tonitrua hæc articulate et vocaliter edicebant plagas orbi imminentes. Quapropter tonitrua hæc articulata non sunt realia, nec realiter existent in fine mundi; sed per visionem tantum ostensa sunt Joanni, æque ac Angelus clamans et jurans; ut per ea repræsentaret horrida fulmina et tonitrua, quæ revera plurima erunt in fine mundi, esto non erunt articulata, ut portendant, et quasi inchoent extremas et gravissimas orbis plagas. In S. Brigittæ Revelationibus lib. 6. cap. 10. refertur illam, dum rogaretur quid significarent septem tonitrua, quæ Joannes asserit se audisse c. 10. Apoc. respondisse, divina revelatione se didicisse septem illa tonitrua esse comminationes persecutoribus Ecclesiæ è cœlo intentatas.

4. Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere.] *Signa*, græce σφραγισον, id est obsigna, velut occultanda, scilicet in mente tua, ibique recondita serva : noli vero ea scribere et patefacere, ne homines qui ea lecturi essent, ea non credant, vel plane animo percellantur et desperent; aut quia, ut ait Aretas, ob eamdem, aut similem causam, horum cognitio utilius ultimis temporibus reservatur. Ex hoc loco colligit et conjicit Ribera n. 15. 5. S. Joannem multo plura accepisse quàm quæ scripsit. Nam quæ ab hoc loco usque ad finem libri scribuntur, pauca sunt; ipse autem videt librum copiosum scriptum intus et foris c. 5. 1. Fortasse etiam in eo cognovit quinam essent in Ecclesiis Antichristo cessuri ex Episcopis, et viris sanctis, et quibus illi essent pœnis plectendi : ut merito dixerit v. 10. *Et cum devorassem eum, amaricatus est venter meus.*

5. Et Angelus, etc. levavit manum suam ad cœlum.] Primo, quasi jurans levata manu. Ideo enim in juramento levamus manum, ut Deum quasi dictorum nostrorum veritatisque testem, et perjurii vindicem, indice in cœlum intento designemus et invocemus. Secundo, quasi comminans iras Dei acres, nisi homines pœniteant. Tertio, hoc signo quasi excitans audientes ad attentionem rei maximæ et maxime notandæ, quam dicturus est de temporis pretiosissimi brevitate et jactura vel lucro.

6. Et juravit per viventem,] dicendo אל חי *el chai*, id est, *vivit Dominus*, id est, juro per viventem Dominum, vel per vitam Domini Dei. Nota hìc gravitatem et pondus juramenti, ob pondus rei, quam juramento hoc confirmat Angelus, scilicet temporis jam finiendi pretium. Subdit enim : *Qui creavit cœlum, et ea quæ in eo sunt; et terram, et ea quæ in ea sunt; et mare, et ea quæ in eo sunt.* Hæc enim pariter cum tempore finienda jurat. Solent enim Sancti, dum jurant, Deo tribuere illa epitheta, quæ rei quam juramento confirmant, congruunt. Mystice Alcazar : Angelus, inquit, obtestatur Deum qui novum Ecclesiæ Christianæ cœlum, qui Synagogæ terram, qui Gentilitatis mare condidit,

Porro alluditur hîc ad Daniel. 12. 7. ubi pariter Daniel vidit Angelum huic persimilem : *Et audivi*, inquit, *virum qui indutus erat lineis, qui stabat super aquas fluminis, cum elevasset dextram et sinistram suam in cœlum, et jurasset per viventem in æternum, quia in tempus, et tempora, et dimidium temporis*, id est, tres annos cum dimidio durabit monarchia et persecutio Antichristi. Ubi nota congrue Angelum tam hîc, quàm Daniel. 12. jurare per æternitatem Dei : hæc enim temporibus omnibus dominatur, iisque legem modumque figit, ac principium terminumque constituit et definit. Deus enim æternus est, *qui*, ut ait Boetius :

tempus ab ævo
Ire jubet, stabilisque manens dat cuncta moveri.

Hac de causa Deus vocatur hîc *Vivens in sæcula sæculorum*, et à Daniele (ad quem hîc alludit Joannes) c. 4. 31. *Vivens in sempiternum ;* ubi Syrus vertit, *vivens sæculorum ;* et alibi, *gigas sæculorum*, de qua phrasi plura dixi Isaiæ 57. 15.

Quia (quòd) tempus non erit amplius.] Syrus, *juravit*, etc. *quia sic non erit amplius ;* Arabicus, *juravit*, etc. *quia non erit tempus in diebus vocis Angeli septimi, cum cœperit tuba canere.* Alludit ad Daniel. 8. 19. *Quoniam habet tempus finem suum*, saltem verbotenus. Nam verba illa apud Danielem alium habent sensum, uti ibi dixi. Jam Alcazar exponit, q. d. Finietur nunc tempus Judæorum et Synagogæ, atque incipiet tempus Gentilium et Ecclesiæ. Putat enim ipse hîc agi de reprobatione Judæorum et vocatione Gentium, hocque esse magnum illud mysterium quod mox consummandum dicitur.

Verum dico agi hîc de fine mundi et temporis, q. d. Imminet finis mundi ; brevi tempus, id est, motus cœlorum solis et lunæ, ac consequenter tempus proprie dictum, quod, ut ait Aristot. est numerus, id est mensura, motus primi mobilis, quodque discriminant et interstinguunt motus solis et lunæ, non erit amplius; sed pro tempore succedet quasi ævum quoddam æternum, sed corporeum (erit enim mensura cœli, terræ, aliorumque corporum) simile ævo Angelorum. Hinc consequenter in terra non erit ullus motus aut tempus, nec vita sublunaris : ac tertio non erit tempus, id est spatium, pœnitendi, merendi et salutem suam procurandi. Nota : hæc dixit Angelus antequam Joanni daret librum devorandum, id est, antequam panderet ei futura sub Antichristo ; hæc enim in libro continebantur. q. d. Jamjam imminet tempus Antichristi, ac consequenter imminet tempus finis mundi et temporis, qui mox sequetur. Nam Antichristi regnum et tempus erit breve, scilicet trium annorum cum medio.

Moraliter nota hîc tempus præsentis vitæ esse pretiosissimum, ac propterea ejus maximam habendam esse rationem, singulaque ejus momenta utilissime collocanda esse et expendenda. Nam primo, tempus hoc est breve, et instar umbræ, avis, navis et sagittæ prætervolat, ut dicitur Sapient. 5. vers. 9. Et Psal. 101. *Defecerunt sicut fumus dies mei*, quid brevius, quid magis evanidum quàm fumus ? Et Psal. 89. 9. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* Hebræa ad verbum habent : *Anni nostri consumuntur sicut cogitatio*, quæ, ut aiebat Thales, citissime transcurrit. Præclare S. Hieron. Eustochium instruit, dicens : *Amemus Christum, ejusque semper quæramus amplexus, et facile videbitur omne difficile, brevia putabimus universa quæ longa sunt ; et jaculo illius vulnerati per singula momenta dicemus : Heu me, quia peregrinatio mea prolongata est.* Scribit S. Hier. de S. Marcella ad Principiam ejus filiam : *Sic*, inquit, *ætatem duxit et vixit, ut semper se crederet esse morituram. Sic induta est vestibus, ut meminisset sepulcri, memor Satyrici : Vive memor lethi, fugit hora ; hoc quod loquor, inde est. Et memento semper diem mortis, et nunquam peccabis ; laudabatque illud Platonis, qui Philosophiam meditationem mortis esse dixit.* Moriendum ergo quotidie, ut in somnum ituri læti hilaresque dicamus :

Vixi, et quem dederas cursum, Deus alme, peregi.

Itaque sic ordinandus dies est omnis, tanquam cogat agmen, et consumat atque expleat vitam, ait Seneca epist. 12. Quocirca Simonides rogatus quantum temporis vixisset ? respondit : *Tempus exiguum, annos vero multos.* Ita Stobæus serm. 98.

Secundo, quia tempus, cum præteriit, est irrevocabile. Nam, ut ait Catullus epigram. 5.

Nobis cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetuo una dormienda.

Et Heraclitus : *In idem flumen bis non descendimus.* Et Lamachus : *In prælio* (in vita quæ est militia) *non licet bis peccare.* Primus enim error est lethifer et inemendabilis. Quocirca prudenter S. Ambros. in Psalm. 1. Sicut, inquit, dormiens in navi vehitur ad portum ; *ita tu dormis, et tempus tuum* non dormit, sed *ambulat*, dormiensque pergis ad mortem. Surge ergo qui dormis, ambula, ascende et vola ad cœlum. Et Sapiens Eccles. 9. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare ; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Veteres, ut temporis celeritatem et fugacitatem irrevocabilem repræsentarent, pinxerunt tempus quasi juvenem expeditum, alatum, habentem falcem in manu, qua omnia demetit ; insistentem currui, qui à duobus equis pernicissimis instar aquilarum trahebatur, ita ut non tam currere, quàm volare videretur.

Tertio, quia ab hoc brevi tempore, et quasi momento pendet tota æternitas nostra, quæ sine fine est et intermina. Rursum, quia quolibet temporis instanti infinita æternitatis gloria comparari, et in immensum augeri potest. Hac cogitatione excitatus Psaltes canebat Psal. 118. 148. *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.* Et Sapiens Proverb. 6. 6. serio monet jubetque : *Vade*, inquit, *ad formicam, ô piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam ; quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, et congregat in messe quod comedat.* Quapropter S. Gregor. Nazianz. præsentem vitam dixit esse mercatum, in quo cuilibet quidvis emendi et comparandi sit opportunitas ; eo vero transacto nihil amplius à quoquam emi aut comparari possit. In Italia vidi viri sapientis epitaphium, qui illud suo sepulcro incidi jussit, estque tale :

Inveni portum ; spes et fortuna, valete.
Nil mihi vobiscum : ludite nunc alios.

Et alterius :

Cogitat sapiens, qualis, non quanta sit vita,

Id ago, ut mihi instar totius vitæ sit dies,
Ut moriens vivam, vivo ut moriturus.

Vere Seneca epist. 118. *Non*, inquit, *tam benignum et liberale tempus natura nobis dedit, ut aliquid ex illo vacet perdere ; et vide quàm multa etiam diligentissimis pereant. Aliud valetudo sua cuique abstulit, aliud suorum, aliud necessaria negotia, aliud publica occupaverunt. Vitam nobiscum dividit somnus. Ex hoc tempore tam angusto, tam rapido, et nos auferente, quid juvat majorem partem mittere in vanum?*

Quarto, quia tempus hoc est in nostra potestate et arbitrio ; datum enim est nobis à Deo ad bene operandum, ad salutem, gloriam, coronasque æternas procurandum et augendum. Quocirca ejus exactissimam rationem à quolibet exiget. Hinc Apostolus monet Ephes. 5. 16. *Redimentes*, inquit, *tempus; quoniam dies mali sunt.* Et ad Galat. 6. 9. *Bonum facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus.* Vide quæ hisce locis annotavi, uti et 1. Cor. 7. 29. et seqq. Refert Sophronius in Prato spirit. cap. 59. de B. Thalilæo, quòd semper flebat ; causam rogatus dixit : *Tempus hoc nobis ad pœnitentiam indultum est, et valde requiretur à nobis, si illud neglexerimus.*

Quinto, quia post hoc tempus non habebimus aliud tempus, in quo errorem et negligentiam in priore admissam corrigere et compensare possimus. Cogita quot milliones hominum sint in inferno, qui tempus hoc neglexerunt, jamque *sero sapiunt Phryges*, cuperentque pati omnia tormenta mundi et gehennæ per mille annos, imo per mille milliones annorum, si per hæc omnia vel unicum instans temporis consequi possent ad pœnitendum. Quin et Seneca l. de Brevitate vitæ, ex hoc capite docet omnium maximam hominum insaniam esse, quòd cum in cæteris sint avari, in tempore profundendo sint liberales, subditque : *Quid ergo est in causa? tanquam semper victuri vivitis, nunquam vobis fragilitas vestra succurrit ; omnia tanquam mortales timetis, omnia tanquam immortales concupiscitis. Audias plerosque dicentes : Anno quinquagesimo in otium secedam. Et quem longioris vitæ prædem accipis? non pudet te ad reliquias vitæ te tibi servare? Quàm serum est vivere incipere, cum desinendum est! vivere tota vita discendum. Tempus quasi nihil petitur, quasi nihil datur. Res omnium pretiosissima luditur. Ibit qua cœpit ætas, nec cursum suum aut revocabit, aut supprimet, nihil admonebit velocitatis suæ, tacita labetur. Tu occupatus es, vita festinat. Mors interim aderit, cui velis nolis vacandum est. Itaque cum celeritate temporis, utendi velocitate certandum est : velut ex torrente rapido, nec semper cursuro cito hauriendum est.*

Sexto, quia Deus brevi hoc tempus nobis auferet, ac in æternitatem transferet. Prudenter Climachus gradu 6. hoc cuique dat monitum. *Non est*, ait, *præsentem diem pie transire, nisi hanc esse ultimam totius vitæ nostræ existimemus. Probatus ille est, qui mortem singulis horis exspectat ; sed ille sane sanctus, qui eam singulis horis desiderat.* S. Hilarion, ait S. Hieron. in ejus vita, *singulos hortabatur prætierire figuram hujus mundi, et eam esse veram vitam, quæ vitæ præsentis emeretur incommodo.* Hoc assidue per annos 98 meditabatur S. Paulus primus Eremita, qui proinde veniente ad eum S. Antonio : *En*, inquit, *quem tanto labore quæsisti putridis senectute membris, operit inculta canities : en vides hominem pulverem mox futurum. Sed quia dormitionis meæ instat tempus, et, quod semper cupiebam dissolvi et esse cum Christo, peracto cursu superest mihi corona justitiæ ; tu missus es à Domino qui humo corpusculum mecum tegas, imo terram terræ reddas.* Quocirca rediens ad suos Antonius, merito de Paulo dixit : *Væ mihi peccatori! quia falso monachi nomen gero ; vidi Eliam, vidi Joannem in deserto, et vere vidi Paulum in paradiso.*

7. SED IN DIEBUS VOCIS SEPTIMI ANGELI, CUM COEPERIT TUBA CANERE (cap. seq. v. 15.) CONSUMMABITUR MYSTERIUM DEI,] mysterium scilicet glorificationis Eliæ et Henoch, ac paulo post aliorum Sanctorum, atque ex adverso punitionis hostium Eliæ et Henoch, et paulo post omnium impiorum. Elia enim et Henoch in cœlum ascendentibus, consummabitur, id est, consummari incipiet, et paulo post perfecte consummabitur mysterium consummationis sæculi, extremi judicii, glorificationis Sanctorum, damnationis reproborum, et beatæ miseræque æternitatis. Hanc enim evangelizarunt Christus, Apostoli et Prophetæ ; hæcque probis et sanctis est Evangelium, id est, faustus lætusque nuntius ; licet improbis et reprobis sit tristis et infelix.

9. ACCIPE LIBRUM, ET DEVORA ILLUM.] Pro *librum* græce est βιβλιδάριον, id est libellum, quem Alcazar accipit catalogum paucorum Judæorum qui Christo crediderunt, et salvati sunt. Unde eumdem Isaias vocat consummationem, sive verbum breviatum. Ait enim c. 10. 22. *Consummatio abbreviata inundabit justitiam : consummationem enim et abbreviationem faciet Dominus in medio terræ*, id est, ut Apostolus explicat Rom. 11. *Diminutio eorum divitiæ Gentium.* Hic liber apertus traditus Joanni, id est, hujus mysterii intelligentia reserata est Joanni.

Verum superius ostendi librum vel libellum hunc esse Apocalypsin. Sensus ergo est, q. d. Accipe, ô Joannes, hanc revelationem Apocalypsis de futuris in fine mundi sub Antichristo, eamque *devora*, id est, avide totam hauri et perspice, totamque in mente et ventre memoriæ reconde, ut eam ruminare et per partes expendere possis. Intellectus enim est quasi os animæ, dentes sunt indagines et scrutinia veritatis, per quæ veritas patefit et cognoscitur, ac deinde in ventrem, id est in cellam memoriæ, trajicitur et reconditur. Porro librum quem c. 5. 1. vocavit βιβλίον, hîc diminutive vocat βιβλιδάριον : quia cap. 5. liber hic septem ingentibus sigillis signatus ingens videbatur ; at hîc iis apertis et reseratis, dimidia quasi parte minor apparebat.

10. ET ERAT IN ORE MEO TANQUAM MEL DULCE : ET CUM DEVORASSEM EUM, AMARICATUS EST (Arabicus, *amarus factus est*) VENTER MEUS.] Alludit ad naturam mellis, quod comestum in bilem flâvam convertitur, stomachumque lancinat et amaricat. Nam, ut ait Poeta : *Dulcia se in bilem vertunt.* Jam *dulce*, id est dulcis, scilicet liber : respicit enim Interpres Græcum βιβλιδάριον, quod est neutrum. Sensus est, q. d. Apocalypsis hæc, hoc est revelatio et prænotio futurorum sub Antichristo, quam accepi à Christo per Angelum in ore, id est prima facie, et primo gustu erat mihi dulcis, mentemque pascebat et oblectabat ; quia erat mira, nova, arcana et divina cognitio et prophetia ; sed ubi cœpi ruminare calamita-

les ac multitudinem reproborum, forte etiam lapsus et casus multorum Sanctorum in persecutione Antichristi, quæ hoc libro et hac revelatione continebantur, amaricatus est venter meus, id est, intime in animo et mente mea indolui et ingemui. Ita Aretas. Alludit ad Ezech. 3. 1. ubi Ezechieli à Deo similis datus liber, qui hujus fuit typus; erat enim initio melleus, postea felleus.

Nota hîc: Verbum Dei simile est pilulis, quæ foris auratæ vel saccharatæ, deglutiuntur cum suavitate; sed cum in ventre dissolvuntur ob aloen, myrrham, aliaque amara quæ continent, amaricant ventrem, et torminibus eum quasi dilacerant: pari modo tropologice verbum Dei, ait D. Thomas, dulce est rationi, sed amarum sensualitati. Mystice S. August. in Quæst. novi et veteris Testamenti q. 72. tom. 4. Liber hic, ait, est S. Scriptura, quæ dulcis est in ore, id est orthodoxis et sanctis, qui quod integræ sint professionis, ore significantur. *Illis autem qui hæretica pravitate carnaliter vivunt vel sentiunt, propter quod in ventre significati sunt, amarus: accusabit enim eos in die judicii Dei.*

11. Et dixit mihi: Oportet te iterum prophetare gentibus, et populis, et linguis, et regibus multis.] Græce επιλαοις, id est, super gentibus, de gentibus, populis, etc. Jam primo, nonnulli ex hoc loco inducti sunt in opinionem, ut putarent S. Joannem necdum esse mortuum, sed in vita servari, ac venturum cum Elia et Henoch, ut certet cum Antichristo. Ita Hippolyt. Martyr. lib. de Consummat. sæculi, Dorotheus in Synopsi, Simeon Metaphrastes in vita S. Joannis, Catharinus opuscul. de hac re, et fuse Salmeron. tom. 11. tract. 32. Favent Andreas et Aretas hîc, et S. Ambros. lib. 7. in Lucam, Damascen. orat. de Transfiguratione. Theophyl. et Euthym. in Matth. 20. 23. Verum certum est S. Joannem esse mortuum, uti docent S. Hieron. August. Euseb. ex Polycrate, et passim veteres, imo Concilium Ephesinum et tota Ecclesia, quæ S. Joannis, quasi mortui, et in cœlo cum Christo regnantis, diem festum colit 27. Decembris. Vide dicta in proœmio.

Secundo, Primas. Beda, Ansbertus et Viegas exponunt: *Oportet te iterum prædicare*, q. d. Oportet te scribere Evangelium post Apocalypsim: post hanc enim illud scripsit.

Tertio, alii, q. d. Jam in Pathmo exul et silens agis, sed mox liberaberis, redibisque in Asiam, ut iterum Asianis prædices Christi Evangelium.

Quarto, Alcazar, q. d. Hactenus prophetasti et prædicasti reprobationem Judæorum, oportet te iterum prophetare, ut scilicet pronunties vocationem et electionem Gentium. Id enim Joannem facere à capite 12. usque ad finem, censet Alcazar.

Verum dico: sensus est, q. d. Oportet te, ô Joannes, rursum prophetare, ut nimirum prænunties alia graviora mala et supplicia orbi inferenda, quàm sunt illa quæ septem sigillis libri signati continentur, quæque hucusque per prophetiam cognovisti, et prophetando descripsisti. Illa autem graviora mala sunt, quæ, apertis jam septem sigillis, in ipso eorum libro prius signato, nunc aperto legisti, suntque illa quæ de Elia, Henoch, Antichristo, Gog, et Magog, etc. à cap. undecimo usque ad finem Apocalypseos recensentur. Cum enim Joannes tam operose hucusque explicarit, et descripserit mysteria septem sigillis libri signati contenta, sine quibus liber aperiri et legi non poterat, uti dixi cap. 5. plane credibile est eum quoque descripsisse mysteria in libro ipso contenta, ut ipse hîc satis significat. Ad hoc enim reserabantur sigilla, ut liber ipse legeretur. Deinceps autem Joannes non facit mentionem descriptionis libri, sed visionum; ergo visiones quæ recensentur capite undecimo et sequentibus, sunt illa quæ descripta fuerunt in libro, quem ipse vidit et legit, quæque ibi visa et lecta ipse in hoc suæ Apocalypseos libro describit et enarrat. Unde Arabicus vertit: *Necesse est tibi etiam ut prophetes super gentes*, vel *contra gentes*. Sic et Syrus.

Dices: S. Joannes capite 11. et sequentibus non meminit ullius libri, nec descriptionis ac lectionis, sed tantum dicit se vidisse illa symbola quæ enarrat. Respond. Joannes primo legit illa descripta in libro, deinde eadem jam lecta vidit per symbola oculis suæ mentis et phantasiæ objici. Post lectionem enim accessit eorumdem visio ut sciret quæ et quomodo, ac quàm recte vel aperte ea scribere deberet, quæ clarissime in libro descripta legerat. Similiter enim mysteria contenta in septem sigillis vocavit visiones, eaque se vidisse asseveravit hactenus; præsertim cum apud Prophetas visio, lectio et auditio idem sint, tantumque significent revelationem et cognitionem spiritalem mentis, uti ostendi canon. 1. in Prophetas. Hæc omnia confirmantur ex eo quod de tuba et clangore septimi Angeli dicitur hoc c. v. 7. *Sed in diebus vocis septimi Angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei.* Ergo ea quæ fuse narrantur c. 11. et sequentibus undecim, non pertinent ad septimam septimi Angeli tubam; sed illa tuba hisce capitibus postponi debet, quia in illa consummabuntur omnia. Unde sequitur ea quæ cap. 11. et sequentibus ad finem usque libri scribuntur, fuisse contenta et descripta in ipso libro signato: non enim continentur in sigillis, ergo in ipso libro. Ita Ribera, qui id fuse hîc demonstrat. Plane ergo aberrat Anglo-Calvinista hîc, dum asserit in Apocalypsi solum sigilla libri, non autem ipsum librum explicari; quasi Joannes cooperculum libri, non autem ipsum librum inspexerit et legerit, cum ex cap. 5. constet eum petiisse et impetrasse ut, solutis sigillis quasi operculis, liber ipse legeretur.

Gentibus, et populis, et linguis.] Puta prophetabis gentibus totius orbis; hisce enim scribitur Apocalypsis. Rursum gentibus quæ Antichristum sequentur, et persequentur Christianos toto orbe dispersos, qui proinde pariter variarum erunt gentium et linguarum. *Regibus* quoque *multis* prophetabis, quia prædices omnes reges terræ regna sua amissuros, et subjugum Antichristi venturos, qui proinde omnes cum eo uno die à Christo occidentur. Sic Jeremiæ ait Deus cap. 1. v. 5. *Prophetam in Gentibus dedi te*, quo hîc alluditur: fuit enim Jeremias typus S. Joannis.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubetur Joannes metiri templum, deinde atrium, quod audit dandum esse Antichristo per menses 42. Unde v. 5. audit quod contra eum prophetabunt, et plagas immittent Elias et Henoch, qui ab eo tandem occidentur in Jerusalem, ac post tres dies et dimidium publice resurgent, ac in coelum evocati ascendent, tuncque fiet terræ motus, quo tertia pars Hierosolymæ corruet, et septem millia hominum occidentur. Secundo, v. 15. canit septimus Angelus tuba, et mox fit omnium consummatio, incipitque regnum gloriosum. Quocirca 24 seniores gratias agunt et celebrant Deum, quod jam dies judicii et resurrectio, ac impiorum supplicia et Sanctorum præmia adveniant. Denique v. 19. aperitur coelum, et apparet arca testamenti, fiuntque fulgura, tonitrua, terræ motus et grando magna.

1. Et datus est mihi calamus similis virgæ, et dictum est mihi : Surge, et metire templum Dei, et altare, et adorantes in eo; 2. atrium autem, quod est foris templum, ejice foras, et ne metiaris illud : quoniam datum est Gentibus, et civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus, 3. et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. 4. Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes. 5. Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, et devorabit inimicos eorum; et si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi. 6. Hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum : et potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, et percutere terram omni plaga, quotiescumque voluerint. 7. Et cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet adversum eos bellum, et vincet illos, et occidet eos. 8. Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, et Ægyptus, ubi et Dominus eorum crucifixus est. 9. Et videbunt de tribubus, et populis, et linguis, et gentibus, corpora eorum per tres dies et dimidium, et corpora eorum non sinent poni in monumentis. 10. Et inhabitantes terram gaudebunt super illos, et jucundabuntur : et munera mittent invicem, quoniam hi duo prophetæ cruciaverunt eos, qui habitant super terram. 11. Et post dies tres et dimidium spiritus vitæ à Deo intravit in eos. Et steterunt super pedes suos, et timor magnus cecidit super eos qui viderunt eos. 12. Et audierunt vocem magnam de cœlo, dicentem eis : Ascendite huc. Et ascenderunt in cœlum in nube, et viderunt illos inimici eorum. 13. Et in illa hora factus est terræ motus magnus, et decima pars civitatis cecidit; et occisa sunt in terræ motu nomina hominum septem millia : et reliqui in timorem sunt missi, et dederunt gloriam Deo cœli. 14. Væ secundum abiit, et ecce væ tertium veniet cito. 15. Et septimus Angelus tuba cecinit, et factæ sunt voces magnæ in cœlo dicentes : Factum est regnum hujus mundi, Domini nostri et Christi ejus, et regnabit in sæcula sæculorum. Amen. 16. Et viginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, et adoraverunt Deum dicentes : 17. Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, et qui eras, et qui venturus es; quia accepisti virtutem tuam magnam, et regnasti. 18. Et iratæ sunt Gentes, et advenit ira tua, et tempus mortuorum judicari, et reddere mercedem servis tuis Prophetis, et sanctis, et timentibus nomen tuum pusillis et magnis, et

exterminandi eos qui corruperunt terram. 19. Et apertum est templum Dei in cœlo, et visa est arca testamenti ejus in templo ejus, et facta sunt fulgura, et voces, et terræ motus, et grando magna.

Censet Ribera hoc caput per anticipationem hîc collocari, eo quòd necdum finita sint septem sigilla quæ præibunt Antichristum, ac consequenter Eliam quoque et Henoch, de quibus hoc capite agitur. Verum dico ullam esse hîc anticipationem. Nam hîc reseratis jam septem sigillis aperitur liber, ejusque mysteria hîc describere incipit Joannes. Est ergo hîc altera posterior pars Apocalypseos : prior enim fuit explicatio septem sigillorum, quæ cœpit cap. 6. et protenditur hucusque. Posterior incipit hîc, et protenditur usque ad finem Apocalypsis, in qua contenta ipsius libri describuntur. Id ita esse patet ex fine capitis præcedentis, ubi Joannes jussus est ab Angelo devorare librum jam apertum, ex eoque iterum prophetare. Est ergo hîc altera prophetiæ ejus pars, in qua Joannes librum ipsum quem c. præcedenti devoraverat, et oculis animoque hauserat, enarrare incipit. Nam licet septem sigilla libri signati, quæ plane finiuntur hoc capite in tuba septimi Angeli v. 15. præcesserint lectionem ipsius libri, quem hîc describere incipit; tamen hoc intelligendum est de septimo sigillo non complete, sed inchoative, scilicet quod inchoata et non completa omnino reseratione, aut potius explicatione (nam sigillum jam erat reseratum, sed ex eo successive prodierunt, et suas tubas explicuerunt septem Angeli) mysteriorum septimi sigilli, Joannes legerit librum antea signatum, nunc apertum, et ita apertum, ut omnia quæ in eo scripta erant legi possent, uti ea legit, et deinceps enarrat Joannes. Totum ergo septimum sigillum simul et semel initio apertum fuit : aut si malis illud partes habuisse, quæ successive reseratæ successive ediderint hosce septem Angelos cum tubis, dicendum est, prioribus ejus partibus reseratis, totum librum legi potuisse, ita ut pars ejus ultima producens septimum Angelum, qui inducit finem vel consummationem omnium, eo modo vel forinsecus, vel intrinsecus aptata fuerit, ut ejus clausura non clauderet librum, sed eam manente clausa liber nihilominus aperiri et legi posset, qualia sigilla appendi videmus diplomatibus Pontificiis et Regiis patentibus, ut iis fidem faciant et auctoritatem concilient. Id ita esse patet ex eo quod septimus Angelus septimi sigilli affert secum consummationem omnium, uti dicitur cap. præced. v. 7. et hoc cap. v. 15. Quocirca pertinet ipse ejusque tuba ad finem Apocalypsis, ac consequenter ante illum ejusque clangorem fient ea, quæ de Elia et Antichristo, ejusque asseclis narrantur hoc cap. et deinceps.

Porro inchoat hanc posteriorem Apocalypseos partem Joannes à conculcatione Ecclesiæ et fidelium, quam faciet Antichristus, cui statim se opponent Elias et Henoch, quasi duo fidelium et belli sacri capitanei ; quorum proinde gesta et miracula uno eodemque filo pertexit Joannes, ideoque subjungit eorumdem mortem, martyrium, resurrectionem, ascensionem in cœlum, portenta mortem eorum consequentia, quæ posterius contingent. Eorum enim, adeoque omnium quæ hoc capite dicuntur à v. 7. usque ad finem capitis, proprius locus est c. 19. ante v. 11. nam ante bellum ultimum Christi cum Antichristo, Gog et Magog, quod illo v. 11. describere incipit Joannes, continget mors Eliæ et Henoch, et cætera quæ hoc capite à v. 7. usque ad finem narrantur ; sed Joannes ea hîc conjunxit, ut totam historiam Eliæ et Henoch simul complecteretur et pertractaret. Vide chronotaxin in fine commentarii.

1. Et datus est mihi calamus similis virgæ, et dictum est mihi : Surge, et metire templum Dei, et altare, et adorantes in eo.] Calamus hic non fuit scriptorius, sed mensorius, puta arundo ad dimetiendum templum, qua rursum metitur Jerusalem cœlestem c. 21. v. 16 et 17. de eaque dicit, quod sit *mensura hominis*, quod Alcazar sic exponit : Quia, inquit, mensura hominis est calamus. Nam calamus erat sex cubitorum : tot autem cubitorum suorum est quisque homo recte formatus, quia cubitus non est quarta, ut alii volunt, sed sexta pars staturæ hominis : ergo sex cubiti sunt mensura staturæ hominis. Hippocrates enim, Aristoteles et Galenus πηχυν, id est cubitum, vocant præcipuum brachii os, quod ab ima manu usque ad brachii curvaturam protenditur. Excludit ergo mensura cubiti ipsam manum, et eadem est mensura quæ pes, et quæ caput ; caput enim rite formatum est sexta pars hominis, ac consequenter est cubitus. Hucusque Alcazar. Verum hoc physice dici potest, non geometrice : S. Hieron. enim et passim veteres cubitum vocant mensuram, quæ à curvatura brachii usque ad extremum manus et digitorum protenditur, quæ est quarta pars staturæ hominis.

Rursum, Alcazar per calamum sive virgam percussoriam, quæ fuit mensura vetus veteris Adami, ideoque major calamo posterioris ætatis, accipit passionem et crucem secundi Adami, id est Christi, quæ omnes posteriorum Martyrum passiones superavit ; quocirca Christus hoc calamo, id est cruce, mensus est et erexit fabricam sui templi, id est, Ecclesiæ. Existimo ergo, inquit ipse, mensuram illam c. xi. esse mensuram afflictionum quas pro Christo servi ipsius perpetiuntur, ac præsertim quas fideles primitivæ Ecclesiæ perpessi sunt : mensuram vero c. 21. esse mensuram gloriæ qua Beati fruuntur in patria, quo significatur, ad virtutis et gloriæ perfectionem non conscendi, nisi per magnas cruces et ingentium laborum tolerantiam. Est enim hæc mensura viri, ut denotet pueros esse ac quasi pygmæos qui alia, puta suaviori et molliori ducuntur via. Unde et de persona illa quæ mensuratura erat templum Ezech. 40. 3. dicitur : *Vir cujus erat species quasi species æris.* Vir hic erat Christus, in passione et cruce natura carneus, sed robore æneus. Altare holocausti tam hîc, quàm apud Ezechielem, significat devotionem et fervorem primorum Christianorum, offerentium se Deo ad martyrium in persecutione Judæorum. Sensus ergo est, q. d. Metire, ô Joannes, magnitudinem altaris holocausti primitivæ Ecclesiæ : hoc est, collige et comprehende quantum Ecclesiam auxerit, dilatarit et exaltarit persecutionis magnitudo, ut mysticum illud altare (id est ingens ea devotio

ad martyrium) esset numeris omnibus absolutum, ac proinde Deo gratissimum, æque ac Ecclesiæ gloriosissimum. Ita ipse subtiliter et pie juxta suum scopum et propositum. Verum minus solide. Nam primo, à genuino Apocal. scopo aberrat, ut sæpe dixi. Secundo, calamus non est mensura hominis, sed eam duobus cubitis superat, uti paulo ante ex communi Doctorum sententia docui.

Calamus ergo hic mensorius præcise erat sex cubitorum et palmi : palmi, id est, quatuor digitorum transversim positorum, uti diserte asserit Ezech. c. 40. 3. ad quem locum hîc alluditur.

Erat hic calamus similis virgæ, primo, ut significet divinæ mensuræ et justitiæ æquitatem ac rectitudinem. Secundo, ut metuamus Deum judicem, utpote paratum statim cædere eum quem nocentem, vel minus habentem in mensurando reperit, ait Viegas. Tertio, ut Nicol. Zegerus, calamus hic erat similis virgæ, id est sceptro regali : quia ad Deum quasi ad regem orbis pertinet mensurare homines, id est eos dijudicare, et pro meritis vel præmiare vel punire.

Et dictum est mihi.] Græce λεγων, id est dicens, quasi calamus loqueretur. Verum per hebraismum, id est, antiptosin Hebræam, ponitur nominativus pro genitivo : *dicentis* pro *dicens*. Unde Vatablus vertit, *à dicente mihi*. Hinc Complut. legunt : και εστηκη ο αγγελος λεγων, id est, *et stetit Angelus dicens*.

Metire templum Dei, et altare, et adorantes in eo.] Significat templum vetus Judaicum, sed per hoc intelligit Ecclesiam. Porro templum duas habebat partes, unam quæ solis patebat sacerdotibus et Levitis ; hæc incipiebat ab atrio sacerdotum, quod dicebatur atrium interius, ac porrigebatur per Sanctum, per quod tendebatur ad Sanctum sanctorum. Altera erat atrium exterius, quod erat quasi templum laicorum. Prior pars vocabatur templum Dei, quia in eo erat altare holocaustorum in ipso atrio ; in Sancto vero erat altare thymiamatis, in quo incensa, sicut in illo victimæ offerebantur. Jam adorantes in eo sunt sacerdotes et Levitæ. In hac ergo priori templi parte, et in adorantibus, puta sacerdotibus, symbolice significantur fideles, qui tempore Antichristi in Ecclesia erunt optimi, religiosissimi, Deo conjunctissimi et in ejus cultu solidissimi. Hos jubetur metiri, id est numerare, Joannes ; quia hi non cedent Antichristo, sed perstabunt in fide usque in finem, ideoque eligentur ad gloriam. Hoc enim tantum significat symbolica et imaginaria hæc templi dimensio, quæ in visione hîc Joanni præscribitur. Templum enim hoc significat Ecclesiam sanctam, quæ ita constanter militat Deo, ut mox sit futura triumphans. Ecclesiam ergo militantem in fine mundi, et mox triumphaturam metitur et numerat hîc Joannes. Ita Aretas, Richard. et Œcumen. Porro nove Aretas per templum accipit Ecclesiam veteris Testamenti : per atrium, Ecclesiam Christi, quæ jubetur projici foras, id est eximi observantiis et oneribus legis veteris. Verum hoc non est litterale, nec ad rem præsentem.

2. Atrium autem quod est foris templum, ejice foras.] Intelligit atrium exterius, sive templum, laicorum quod quia remotius erat ab altari utroque, hinc significabat Christianos infirmiores et laxioris vitæ, ideoque à Deo remotiores. Hos (ait) *ejice foras*, id est extra Ecclesiam, q. d. Rejice eos inter fideles et apostatas ; quia hi cedent Gentibus, id est, Antichristo ejusque asseclis. Unde indigni sunt qui inter fideles mensurentur aut numerentur. Ita Richardus. Alludit ad extimum templi atrium, quod Gentium dicebatur, quia Gentiles in eo versari poterant. q. d. Gentiles non tantum suum atrium, sed et atrium Israelis, id est fidelium, occupabunt et vastabunt. Nota catachresin, *ejice foras*, id est rejice, repudia, contemne, noli illud numerare et metiri. Nam atrium hoc erat foris ; ergo proprie foras ejici non poterat. Quocirca nonnulli Græci codices, quos citant et sequuntur Erasm. et Vatablus pro *foris* legunt εσωτεν, id est, *intus*. Alii quos sequitur Noster, passim legunt εξωτεν, id est, *foris* ; utrumque est verum. Erat enim hoc atrium Judæorum *foris*, respectu atrii sacerdotum : idem erat *intus*, respectu atrii Gentium. Erat enim in templo populi fidelis, adeoque ipsum erat templum laicorum fidelium.

Aliter Ambros. atrium enim hoc datum esse Gentibus censet, quia Judæi propter incredulitatem Paganis Gentibus erant conjuncti. *Aut ideo*, inquit, *dicuntur Gentibus traditi, quia traditi sunt Romanis, ut ab eis delerentur*. Sic et Primas. Pannonius et alii per atrium accipiunt hæreticos, schismaticos et Judæos, quos ab Ecclesia expelli jubet Deus. Andreas vero per templum accipit fideles, per atrium infideles.

Tropolog. Alcazar (licet ipse putet esse sensum litteralem) atrium exterius, sive quod foris est, significat bona externa fidelium, ut sunt fortunæ, honores, magistratus, salus, vita, ac demum quidquid profanæ violentiæ subjacet. Hæc jubentur fideles ejicere foras, id est, abdicare à se, animumque ab eis avellere, eaque in prædam dare infidelibus Ecclesiam et fideles persequentibus. Quo innuitur Gentiles in bona omnia temporalia fidelium invasuros, ipsisque fidelibus eas calamitates inflicturos, ut illis nec reip. facies, nec civium commoda, nec domus aut possessiones supersint. Atrium vero interius, id est ipsam Ecclesiam, fidem, religionem et virtutem Christianam in fidelibus mansura illæsa, nec in hostium potestatem ventura ; sed potius magis per persecutiones efflorituram, ut Ecclesia quasi magnificum Dei templum ad maximam amplitudinem et gloriam assurgat.

Ita S. Gregor. 28. Moral. 6. *Quid*, inquit, *aliud atrium quàm latitudinem significat vitæ præsentis ? Et recte, foris templum sunt, qui per atrium designantur. Et ideo metiendi non sunt, quia angusta est porta quæ ducit ad vitam ; et latitudo vitæ pravorum non admittitur ad mensuras et regulas electorum.*

Et civitatem sanctam calcabunt,] Ecclesiam, quam prius vocavit templum et atrium, hîc vocat civitatem sanctam. q. d. Antichristus et Antichristiani maximam Ecclesiæ partem pervertent, vastabunt et possidebunt mensibus quadraginta duobus,] id est, tribus annis cum dimidio (si enim cuique anno des menses 12, invenies menses 42 facere tres annos cum dimidio) uti prædixit Dan. c. 7. 25. *Tradentur*, ait, *in manu ejus* (Antichristi) *usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis*, id est per annum et duos annos, et dimidium anni. Vide ibi dicta.

Aliter Alcazar : putat enim per tres annos cum dimidio, symbolice significari totum tempus, quo Judæi persecuti sunt Christum et primitivam Ecclesiam, quod fuit quadraginta annorum,

scilicet à Christo prædicante et à Judæis crucifixo anno ætatis 34 usque ad excisam Jerusalem à Tito, quod contigit anno Christi 72.

3. Et dabo (scilicet officium prophetandi, et simul cum eo spiritum, animos, ardorem, os et sapientiam cui nemo resistere possit) duobus testibus meis, et prophetabunt,] id est, ut prophetent. Sic enim sæpe vocula *et* cum futuro ponitur pro *ut*, sicut fit Psal. 50. 20. *Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, et ædificentur* (id est, ut ædificentur) *muri tui, Jerusalem.* Et Psalm. 79. 4. *Deus, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus*, id est ut salvi simus. Psal. 54. 7. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo*, id est, ut volem ?

Jam *prophetabunt*, id est docebunt, evangelizabunt, disputabunt contra Antichristum ejusque propugnatores ; atque ut fidem dictis suis astruant, etiam vere prophetabunt, id est futura prædicent, aliaque miracula patrabunt ; hæc enim omnia pertinent ad prophetiam, et in Script. significantur per prophetare, uti dixi proœmio in Prophet.

Duobus testibus.] Primo, aliqui per hos duos testes non duos singulares viros, sed duo genera testium accipiunt. Unde Pannonius asserit hos duos testes esse Ecclesiæ Doctores et prædicatores, qui duo Testamenta, scilicet novum et vetus, docent et prædicant. Et Arias Montanus censent hos duos testes esse legem et prophetiam, legem in Mose, prophetiam in Elia denotari. Hoc avide arripiunt Calvinistæ, præsertim Angli, qui negant Eliam et Henoch venturos in fine mundi; docentque duos hosce testes esse novum et vetus Testamentum, aut sacras Litteras et cœtus fidelium. Alcazar vero per duos testes accipit magnam sapientiam et magnam sanctitatem primitivæ Ecclesiæ, quæ ipsi et Christo testimonium contra Judæos perhibuerunt; hisce enim per prosopopœiam dari et affingi personas Mosis et Eliæ. Moses enim cœlestis sapientiæ, Elias zeli et sanctitatis fuit paradigma, ideoque pro Henoch substitui hîc Mosen. Fatetur enim ipse alludi hîc ad adventum Eliæ, et Henoch tempore Antichristi eumque hîc quasi præsupponi. Porro Alcazar hîc notat. 7. elegantia viginti symbola recenset, partim naturalia, partim artificialia ; quibus ostenditur quantum Ecclesiæ et cuilibet fideli conferat conjunctio sapientiæ cum sanctitate, quæ omnia pulchra sunt, sed mystica et moralia, non litteralia.

Secundo, qui hæc de temporibus, non futuris, sed jam præteritis exponunt, uti in sua expositione ; ita et hîc variant. Nam qui hæc de primitiva Ecclesia exponunt, censent duos testes esse Christum Dominum et Joannem Baptistam. Ita Ubertinus et Michael Eitsingerus in Pentaplo, pag. 109. Rursum Lyran. Aureol. et S. Antonin. duos testes censent esse Sylverium Papam et Mennam Patriarcham Constant. qui contra Eutychetis hæresin decertarunt. Denique sunt qui putent in hisce duobus notari S. Dominicum et S. Franciscum ; quod et placuit Ubertino.

Tertio, communis sententia aliorum est, hæc ad ultima mundi et Antichristi tempora pertinere, ac duos hîc testes singulares denotari, qui pro Christo contra Antichristum sint decertaturi. Unum fore Eliam consentiunt omnes. Unde et de eo cecinit Sibylla, lib. 2.

> Tunc quoque cœlesti curru devectus inibit
> Terras de cœlo Thesbites.

Idque docet Malach. c. 4. 5. Eccles. c. 48. 9. et 10. et Christus, Matth. 17. 10. De altero nonnulli dubitant. Victorinus, ex Jerem. 1. 5. ut ibi dixi, opinatus est eum fore Jeremiam, aut certe Eliseum. Sed hoc ab omnibus exploditur. Alii suspicantur eum fore Mosen ; tum quia Moses cum Elia interfuit transfigurationi Christi ; tum quia Moses videtur notari v. 6. cum dicitur : *Hi habent potestatem super aquas convertendi eas in sanguinem, et percutere terram omni plaga.* Videtur enim hisce verbis alludere Joannes ad plagas quibus Moses percussit Ægyptum. Ita opinati sunt S. Hilar. can. 20. in Matth. S. Ambros. in c. 9. Lucæ, Joachim, Gagn. Cathar. et noster Maldon. in Matth. 17.

Verum cæteri omnes una voce asserunt socium Eliæ fore Henoch. Constat enim Mosen esse mortuum, Henoch vero non esse mortuum, sed raptum à Deo, Gen. 5. 24. et ad Hebr. 11. 5. idque *ut det Gentibus pœnitentiam*, ut ait Eccles. 44. 16. Ita censent Ambrosius, Aretas, Ansbertus, Haymo, Richardus, Hugo, Thomas, Dionysius, Vatablus hîc, et alii passim, tam veteres quàm recentiores ; quos citant et sequuntur Franc. Suarez, 3. p. tom. 2. disp. 55. sect. 2. et fusius lib. 5. de Antichristo, cap. 11. Viegas et Ribera hîc.

Mystice Primas. hæc accipit de duplici genere testium, puta ordinum, qui confirmati ab Elia et Henoch Christum contra Antichristum tuebuntur; quos Joachim asserit fore sacerdotes et monachos, ac nuper S. Teresia, spiritu prophetico celebris, asseruit duplicem Ordinem, scilicet S. Dominici et Societatis nostræ, maxime Ecclesiam propugnaturum contra hæreticos et Antichristianos, ideoque ex utroque fore illustres tum doctores et prædicatores, tum Martyres. Ita referunt tum alii, tum Franc. Ribera in ejus Vita, l. 5. c. 5.

Porro ubi degant nunc Elias et Henoch, unde vivant, qualem vitam agant, an sint in statu merendi ; etc. fuse docui, Genes. 5. 24.

Denique duo erunt hi testes, tum quia jure Gentium et divino, *in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum*, Deut. 19. 15. tum quia Christus misit Apostolos binos prædicare : hi autem erunt Apostoli Christi; tum denique quia alludit ad duos Cherubinos positos ad arcam testimonii, sustinentes propitiatorium; pari enim modo hi duo suo testimonio sustinebunt tam arcam, id est Ecclesiam, quàm propitiatorium, id est fidem de Christo propitiatore et redemptore mundi. Denique quia Henoch repræsentat statum Patriarcharum, et legis naturæ, Elias statum Prophetarum et legis Mosaicæ, ut significetur legem et prophetiam, omnesque Patriarchas et Prophetas priorum sæculorum testimonium perhibere Christo contra Antichristum.

Et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta,] hoc est mensibus 42, uti dixi v. 2. Ita omnes Orthodoxi, Lutherani et Calvinistæ in hisce diebus mire variant, seque discruciant. Consentiunt fere in eo, ut dicant designari hîc tempus persecutionis Antichristi, id est Pontificis Romani, quo scilicet ipse tyrannice oppressit et occupat Ecclesiam Christi. Verum in diebus hisce laborant et sudant. Aiunt enim Pontificem jam mille et amplius annos tyrannidem suam exercere. Quocirca Henr. Bullingerus Lutheran. hîc serm. 48. putat certum numerum poni pro incerto. Non placet hoc Chitræo et Illyrico, qui

in suis centuriis censent hos 42 menses et dies 1260 esse angelicos. OEdipo ergo opus est, imo angelo è cœlis evocato, qui eos explicent. Rident et merito hoc alii eorum symmystæ. Anglo-Calvinista putat diem hîc pro anno poni, itaque censet ipse Pontificiam tyrannidem duraturam 1260 annis. Alii alia comminiscuntur. Hæresis enim, utpote falsa et mendax, est hydra, quæ nova semper producit errorum et monstrorum capita. Clarum est dies hîc veros et proprios intelligi; tum quia dies hi sunt iidem cum 42 mensibus; hi enim præcise continent 1260 dies, tum quia Dan. c. 7. 25. quo alludit hîc Joannes, diserte affirmat Antichristum regnaturum per tempus et tempora et dimidium temporis, id est annum, duos annos et dimidium, hoc est tres annos cum dimidio, uti omnes Orthodoxi exponunt. Idem ergo sunt hæc tria, scilicet 1260 dies, 42 menses et tres anni cum dimidio.

Perperam quoque Michael Eitsingerus loco jam citato, censet Joannem hîc definire tempus prædicationis Christi : illud enim fuit trium annorum cum dimidio. Certum enim est hîc agi de novissimis mundi temporibus, ac definiri hîc tempus quo contra Antichristum prophetabunt Elias et Henoch ; quod enim superius nominavit 42 menses, hîc vocat 1260 dies, ut indicet Eliam et Henoch in illis mensibus non tantum diebus festis, sed omnibus omnino et singulis diebus prædicaturos. Ad hoc enim urgebit eos tum Ecclesiæ necessitas, tum Antichristi impius zelus, tum incensus eorum amor in Christum et Christianos, qui eos faciet instar Pauli infatigabiles et igneos.

Ubi moraliter nota : Sicut ubi sunt venena, ibi et reperiuntur eorum antidota, providente ita natura, uti ait Plinius l. 29. 4. ita ubi est persecutio, ibi providet Deus de remedio : ubi grassatur hæresis, ibi excitat Doctores antagonistas. Ita oriente Ario excitavit, eique opposuit S. Athanasium : Ita Nestorio Cyrillum, Origeni Hieronymum, Pelagio Augustinum, Abailardo S. Bernardum, Albigensibus S. Dominicum, Luthero et Calvino modernos Doctores opposuit; ita in fine mundi Antichristo opponet Eliam et Henoch.

Porro censet Ribera hos dies 1260 non plane esse eosdem cum mensibus 42, sive cum annis tribus cum dimidio, sed deficere in 18 diebus, quibus verisimile est Antichristum Eliæ et Henoch supervicturum, ut integre regnet tribus annis cum dimidio, uti prædixit Daniel, sive 42 mensibus, uti prædixit Joannes, v. 3. Nam tres anni cum dimidio præcise continent dies 1278; ergo in 1260 diebus desiderantur dies 18, ut idem tempus expleant. Hic calculus subtilis est et solidus.

Alcazar tamen non improbabiliter censet idem prorsus tempus significari per 1260 dies, quod significatur 42 mensibus, et tribus annis cum dimidio. Nam Græci, Hebræi et Chaldæi communiter cuilibet mensi dabant 30 dies : jam multiplica 42 (qui est numerus mensium Antichristi) per 30, habebis dies 1260, ac consequenter in anno 12 mensium habebis præcise dies 360. Licet enim annus solaris habeat dies 365 (unde tot dierum annum instituit Julius Cæsar in reformatione Calendarii, quam etiamnum sequimur) tamen mensis (quem ex lunæ per zodiacum discursu describebant) habet tantum dies 30. Unde ut hos dies et menses anno solari æquarent, certis annis interjiciebant mensem unum, quem embolismalem vel embolismum vocabant. Verum hunc mensem, utpote rarum et quasi extraordinarium, negligit hîc Joannes ; eumque non numerat, sed tantum dies ordinarios mensium 42 qui præcise faciunt dies 1260; Daniel vero c. 12. 11. hunc embolismalem, qui tunc forte occurret, non negligit, sed numerat; unde recenset dies 1290. Ita Alcazar hîc ad v. 2. notat. 3.

Verius est et certius prædicaturos Eliam et Henoch præcise per 1260 dies, uti hîc ait Joannes; Antichristum vero ut monarcham regnaturum menses 42 scilicet Julianos, qui tunc Romæ et in Græcia (ubi vixit Joannes) erant usitati, hoc est tres annos Julianos cum dimidio, uti asseruit Daniel. Jam tres anni Juliani cum dimidio, faciunt dies 1278; sed paulo ulterius Antichristi monarchia excurret, scilicet adhuc per 12 dies, ita ut præcise duret dies 1290 uti expresse asserit Daniel, c. 12. 11. Verum hos dies 12, quasi minutias numeri integri, neglexit hîc Joannes, tantumque expressit integros menses 42, uti fecit et Daniel, dum numerat annos tres cum dimidio. Verius ergo est quod dixit Ribera, Antichristum Eliæ et Henoch supervicturum, non tantum ad octodecim, sed ad ipsos triginta dies. Nam illi pervenient ad dies 1260 ; Antichristus vero ad dies 1290, ut ait Daniel.

Ex hac chronotaxi annorum monarchiæ Antichristi et prædicationis Eliæ et Henoch, *Verisimile est*, inquit Suarez, disp. 55. jam citata, sect. 2. *Eliam et Henoch venturos, postquam Antichristus jam monarcha rerum omnium potitus fuerit, ut significat S. August. lib. 1. Quæstionum Evang. q. 21. dicens venturum Eliam ut restituat eos, quos persecutio Antichristi conturbaverat, clariusque id docet Anselmus in Elucid. Et ratio adhiberi potest, quia hi sanctissimi viri venient, ut Antichristo resistant : ergo tunc venient, quando persecutio Antichristi apertior erit et potentior. Item, quia (ut ex eodem loco Apocal. colligitur) paulo post mortem horum præcursorum peribit Antichristus, et cessabit persecutio ejus : ergo cum hæc sit duratura mille ducentis sexaginta diebus, simul fere cum illa, vel paulo post illam incipiet præcursorum prædicatio. Dices : Quomodo poterunt tam brevi tempore per universum mundum prædicare? Respondetur primo : non oportet ut ubique doceant, sed præcipue ea circuibunt loca, in quibus vel Antichristus ipse, vel potentiores ejus ministri versabuntur. Deinde non est credendum Henoch et Eliam semper simul incessuros ; sed verisimilius est eos seorsim diversas regiones peragraturos, donec divino nutu in eum locum conveniant, ubi simul trucidandi sunt. Denique credibile est non solum verbo, sed et scriptis consolaturos, et confirmaturos fidelium animos ; quos etiam plurimum eriget fama virtutis eorum, et potentia adversus Antichristum. Addunt quoque aliqui habituros discipulos, quos per universum mundum mittant.*

Dices secundo : Quomodo Antichristus, qui capitali eos odio prosequetur, non statim occidet ipsos, sed permittet ut contra se prædicent per 42 menses? Resp. id fiet, partim quia Deus eos tutabitur, partim ob admirandam eorum virtutem et potentiam, cui nullus prævalere poterit ; nam ignis de ore eorum exibit, et devorabit inimicos eorum, ut dicitur v. 5. Exacto vero prædicationis tempore sibi à Deo præstituto, cessabunt facere miracula, et tum Anti-

christus occidet eos. Denique ex verbis S. Joannis colligitur eos subito et inopinato mundo apparituros. Quomodo autem venturi sint, an visibiliter per aera transferendi in curro igneo, vel in nube, aliove simili modo, an vero imperceptibiliter subito apparituri sint Hierosolymis, aut alio in loco, nec Script. nec Patres dicunt. Porro, ex Paradiso egredientur, vel per aerem dimissi, incipient in regionibus illis vicinis prædicare; itaque pergent regiones peragrando, donec Hierosolymam ad ipsum Antichristum perveniant.

Amicti saccis,] id est, amicti ciliciis : saccus enim rudis, durus et scaber carni injectus, est instar cilicii. Ciliciis ergo vestientur Elias et Henoch, saccisque induti prodibunt instar Cappucinorum et Eremitarum, tum ut hac aspera pœnitentiæ veste ac vita iram Dei mitigent, eumque hominibus concilient; tum ut homines ad pœnitentiam suo habitu, voce et exemplo provocent. Similis fuit vestis Eliæ, dum inter suos viveret. Erat enim *vir pilosus et zona pellicea accinctus renibus*, 4. Reg. 1. Similis fuit quoque vestis S. Joannis Baptistæ, scilicet *habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos*, Matth. 3. 4. fuit enim ipse præco pœnitentiæ.

4. Hi sunt duæ olivæ.] Arabicus : *Hi sunt duæ radices olivarum, et duo candelabra stantia ante Dominum; radices*, id est arbores, vel rami olearum, ut vertunt Septuag. Zachar. 4. v. 12. pleni olivis; hi enim pullulant ex radice, est metonymia. Sensus est, q. d. Hi duo, scilicet Elias et Henoch, instar duarum olivarum, id est olearum, sunt succulenti, pingues et fertiles bonorum operum; quia multum fructum afferent in conversione Judæorum. Citat Zachar. 4. v. 11. et 14. ubi Propheta vidit duas olivas, rogansque quænam essent illæ? audit ab Angelo : *Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ; filii olei*, id est pinguedinis, hoc est pingues et fertiles. Aquila vertit, *filii splendoris* et claritatis, quia luce doctrinæ et vitæ prælucebunt Judæis. Hi assistunt Deo orantes pro Judæis, et se offerentes ac parati ut ab eo mittantur ad Judæos. Jam Lyranus et alii multi censent Zachariam ad litteram loqui de Zorobabele principe populi Babylone redeuntis, et Jesu filio Josedec pontifice. Apud Judæos enim tam reges et principes, quàm pontifices ungebantur oleo, q. d. Hi duo restituent Judæis regnum sive principatum et sacerdotium : hi duo restaurabunt et perficient urbem Jerusalem, et fabricam templi, quod per candelabrum denotat Zacharias. Vidit enim ipse duas olivas stantes super candelabrum : quo significabatur oleo olivarum brevi accendendum candelabrum, nimirum in die dedicationis novi templi, ac consequenter pristinum Dei cultum, lucem, splendorem et gloriam templo et urbi restituendum. Unde de iis ait Ecclesiast. cap. 49. 13. *Quomodo amplificemus Zorobabel? nam et ipse quasi signum in dextera manu : sic et Jesum filium Josedec? qui in diebus suis ædificaverunt domum, et exaltaverunt templum sanctum Domino, paratum in gloriam sempiternam.* Verum, esto huc alludat Zacharias illumque sensum quasi superficialem perstringat et præsupponat; tamen allegorice altius assurgit, ac directe loquitur de Elia et Henoch, qui instar Zorobabelis et Jesu Judæis templum, id est Ecclesiam, fidem, religionem et salutem restituent. Nam de Elia et Henoch hunc Zachariæ locum explicat hîc S. Joannes; ac idipsum docent Victorinus, Aretas, Thomas, Galatinus hîc, et S. Gregor. hom. 12. in Ezechiel. Ribera in Zachar. 4. et alii. Hi ergo *assistunt Dominatori universæ terræ* quasi legati et Apostoli, ut scilicet ejus fidem et Evangelium toto orbe propagent, ac contra Antichristum tueantur.

Alludit ad duos Cherubinos, quos ex ligno olivarum fabricavit Salomon, 3. Reg. 6. 32. Sicut enim illi propitiatorium et arcam, ita Elias et Henoch Ecclesiam et fidem Christi sustentabunt. Recte vocantur Cherubini, ob Angelicam vitam et sapientiam. Porro, oleum et oliva notat eorum splendorem et misericordiam qua miserati animarum pereuntium stragem, se suaque omnia cum vita pro Judæis ac hominum salute, æque ac pro Dei Christique gloria propugnanda impendent, quibus competit illud Eccles. 44. 10. *Illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt.*

Unde moraliter nota : Oliva symbolum est sanctitatis et Sanctorum; idque primo, quia oliva lignum solidum est, non sentit cariem, ventos aut vetustatem : hinc est victoriæ, felicitatis et æternitatis symbolum. Unde Cicero, 1. de Legibus : *Sempiternam*, inquit, *oleam in Arce tenere potuerunt Athenæ.* Hinc et in triumphis ministri triumphantium oleagineis coronis coronabantur, ait Festus; quod Minerva oleæ inventrix, præses et dea belli esse putaretur : unde et pugiles et athletæ certaturi oleo se perungebant, atque oleum certaminis erat symbolum. Tales autem per assiduam luctam, fortitudinem, constantiam et victoriam evadunt Sancti, præsertim Elias et Henoch, qui per tot annorum millia viventes et vegeti, merito à Tertulliano vocantur *æternitatis candidati.*

Secundo, quia oliva est symbolum misericordiæ, quæ propria est Sanctorum virtus, dicente Salomone : *Novit justus jumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia*, Proverb. 12. 10. Quocirca, ut recte advertit Philippus Episcopus Eystettensis in vita S. Wilibaldi, c. 36. ex Sanctorum illorum, qui valde misericordes et pii fuerunt (uti S. Catharina, S. Nicolaus, S. Walburga) ossibus scaturit oleum; quia oleum symbolum est misericordiæ et pietatis; ut, sicut in vita eam exercuerunt, ita et post mortem eamdem exercere non cessent, oleo hoc sanando miseros et infirmos. Fuerunt enim viri misericordiæ, et jam in cœlo sunt amplius.

Tertio, quia oliva est symbolum pacis. Unde Genes. 8. 11. columba ad Noe in arcam attulit ramum virentis olivæ, in signum cessantis diluvii et siccatæ terræ, quasi cum oliva simul securitatem ab aquis, pacemque et reconciliationem Dei orbi afferret. Talis est pax Sanctorum in terra, magisque erit in cœlo, quam instare denuntiabunt Elias et Henoch. Vulgo dicitur : *Oleo tranquillior;* quod maxime Sanctis convenit, qui mites sunt et pacifici; oleum enim ita tranquillum est, ut etiam mare rem sævissimam tranquillet, atque ob id urinantes, aiunt, oleum ore spargere, quod mitiget elementi naturam asperam lucemque deportet, ait Plinius, l. 2. cap. 103. penes quem sit fides.

Quarto, quia olivæ folia nunquam delluunt; sic Sanctorum virtus et species nunquam marcescit. Quocirca de S. Oliva virgine, cujus me-

minit Roman. Martyrol. die 3. Junii; ita apposite canit poeta Christianus :

Posse tuum ne, virgo, time marcescere nomen :
Et cœlo, et terris semper Oliva virel.

Rursum : *Oleam si lambendo capra lingua contigerit, depaveritque primo germinatu, sterilescere auctor est M. Varro*, ait Plin. lib. 15. cap. 82. Ita gula et libido, quarum symbolum est capra, sanctitatis vigorem et vitam arefaciunt et enecant.

Quinto, quia oliva pinguis significat pinguedinem spiritus et gratiæ, qua delibuti sunt Sancti. Denique olea fertilis est et frugifera, præsertim si mas seratur juxta feminam : oleæ enim sexu discriminantur. Unde Ovidius, l. 4. Fastor.

Ure mares oleas, tedamque herbasque Sabinas.

Rursum, olea frondes habet viles et flaccidas, fructum vero præstantem. Sic et Sancti pompam et ostentationem spernunt, sed fructus bonorum operum pretiosos producunt. Quocirca, Jeremiæ 11. v. 16. Ecclesiæ suæ ait Deus : *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum.* Vide ibi dicta.

Tales olivæ fuerunt S. Joannes et Paulus Martyres sub Juliano Apostata, anno Christi 362. die 26. Junii; quia sua sanctitate et zelo, Constantiæ, Constantini Magni filiæ, virginitatem et studio perfectionis persuaserunt. Ac Gallicanum exercitus ducem ad Christianismum, ad mundi contemptum, ad martyrium provexerunt; atque tandem contra Julianum fortiter decertantes, gloriosum pro Christo martyrium obierunt. Unde de iis canit Ecclesia : *Isti sunt duæ olivæ, et duo candelabra lucentia ante Dominum; habent potestatem claudere cœlum nubibus, et aperire portas ejus* (gloriosam enim è cœlo victoriam contra Scythas Gallicano impetrarunt), *quia linguæ eorum claves cœli factæ sunt.*

Ita Sixtus V. Pontifex in Bulla edita anno Domini 1588. qui S. Bonaventuram canonizavit, retulitque inter sanctos Ecclesiæ Doctores, æque ac S. Thomam Aquinatem retulerat Pius V. de utroque loquens : *Hi*, inquit, *sunt duæ olivæ et duo candelabra in domo Dei lucentia, qui et charitatis pinguedine, et scientiæ luce totam Ecclesiam collustrant. Hi singulari Dei providentia eodem tempore tanquam duæ stellæ exorientes, ex duabus clarissimis Regularium Ordinum familiis prodierunt. Hi duo Sancti, cum essent coævi, iisdemque studiis dediti, condiscipulis, simul magistri, pari ratione à Gregorio Decimo Summo Pont. cum ambo ad concilium evocarentur, honorati, et in hujus vitæ peregrinatione fraterna charitate, spirituali familiaritate, sanctorum laborum societate valde conjuncti fuerunt : et denique pari gressu ad cœlestem patriam commigrantes, pariter felices et gloriosi illa sempiterna beatitudine perfruuntur; ubi eodem charitatis affectu, ut pie credimus, pro nobis in hac lacrymarum valle laborantibus orant, divinamque opem implorant.*

Et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes,] *stantes*, id est, stantia. Ita Arab. Græcizat Interpres hic, uti et alibi subinde; Græca enim habent λυχνιαι εστωσαι. Imitatur ergo Interpres genus Græcum : λυχνιαι enim, id est candelabra, est feminini generis. Sensus est, q. d. Hi duo, Elias scilicet et Henoch, quasi candelabra Christum, qui est verum lumen, toti mundo præferent et ostendent. Aliter Alcazar : nam *stantes* refert ad *hi*, non ad *candelabra*, sicque sententiam ordinat : *Hi stantes coram Domino sunt veluti duæ olivæ et duo candelabra.* Unde Syrus vertit : *Hi qui coram Domino terræ stant.*

Nota : Zacharias cap. 4. tantum unum vidit candelabrum, et ad latus ejus utrimque duas olivas. Joannes vero hic audit : *Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra;* ut sciat Eliam et Henoch non tantum fore olivas, quæ oleum copiose suggerant candelabro, id est Ecclesiæ, ad ignem et lucem; sed etiam ipsosmet fore candelabra, quæ coram Deo et mundo mire ardebunt et fulgebunt. Alludit ad candelabrum, quod erat in Sancto septiceps, ideoque totum Sanctum varia et multa luce collustrabat. Hoc enim significabat lucem Evangelii, atque Evangelicos doctores. Sic de Joanne Baptista ait Christus : *Ille erat lucerna ardens et lucens*, Joan. 5. 35. ubi vide Pererium, qui multas analogias affert lucernæ et sancti. Et de primitivis fidelibus ait sanctus Paulus, Philipp. 2. 15. *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.*

Et si quis voluerit eos (id est eis, est græcismus; sic in Evangelium et alibi legimus : *Non nocuit eum*, id est, ei) nocere.] Græce αδικησαι id est, injuriam inferre, nocere, lædere, ut paulo post vertit Noster.

Ignis exiet de ore eorum.] Hoc erit primum miraculum, vel potius miraculi genus (illud enim facient crebro) quod patrabunt Elias et Henoch. Alludit ad zelum et ignem Eliæ, qui, 4. Reg. 1. 10. Pentacontarcho ab Achab misso ut Eliam caperet, dixit : *Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, et devoret te;* mox ignis de cœlo descendens devoravit eum cum omnibus suis. Unde Eccles. c. 48. 3. de eo dicit : *Dejecit de cœlo ignem ter*, scilicet bis in quinquagenarios, loco jam dicto, et tertio in suum sacrificium, cum eo certaret contra Prophetas Baal, 3. Reg. 18. Videbatur enim Elias non tam precibus, quàm imperio, puta ore suo jubendo, ignem de cœlo devocare, et in hostes Dei immittere : ac consequenter ignis hic de ore ipsius exire et prodire videbatur. Idem faciet in fine mundi. Inseret enim se in cœtus hominum per pagos et urbes, imo in ipsam Jerusalem et regiam Antichristi, ibique libere et audacter prædicabit Christum crucifixum esse redemptorem orbis; hunc vero fictum esse Christum, imo esse Antichristum. Quocirca magistratus et duces, Antichristo subditi, volent manus injicere in Eliam et Henoch, eosque capere et occidere; sed illi mox imperabunt, edicentque : Veniat ignis de cœlo, et perdat hosce Antichristianos; ac dicto ocius ignis descendet et perdet eos.

Mystice, ignis hic significat libertatem, fervorem, audaciam et efficaciam prædicandi Eliæ et Henoch; ita ut libere in faciem dicant Antichristo : Tu non es Christus, sed Antichristus; atque asseclis ejus : Vos non estis Christiani, sed Antichristiani; atque hac de causa ab eis tandem occidentur et martyrium obibunt. Sic enim Elias dixit Achab : *Non ego turbavi Israel, sed tu.* 3. Reg. 18. 18.

Sic S. Hilarius et Athanas. et Lucifer. Calarit. Constantio Ariano Imp. Antichristi prodromo in faciem improbarunt : Tu es Arianus, tu es Antichristus. Audi eorum verba æternitate digna, Hilar. l. contra Constantium Imp. *Proclamo*, ait, *tibi, Constanti, quod Neroni locuturus fuissem, quod*

ex me Decius et Maximianus audirent; contra Deum pugnas, contra Ecclesiam sævis, Sanctos persequeris, religionem tollis, tyrannus non jam humanorum, sed divinorum. Christianum te mentiris, Christi novus hostis es, Antichristum prævenis. Et rursum : *Tu, Constanti, omnium crudelitatum crudelissime, et mortalium scelestissime magis in eos, quàm Pagani desævis.* S. Athanas. in epist. ad solitariam vitam agentes : *Quis*, ait, *ausit Constantium Christianum appellare, ac non potius Antichristi imaginem? Quid enim ex notis Antichristi huic deest? aut quid est cur non omnibus modis Constantius Antichristus, et vicissim Antichristus Constantius habeatur?* ac mox nuncupat eum apostatam, fidei desertorem, canem, carnificem, filium perditionis, pestem, belluam, malorum omnium voraginem.

Hosce zelo et acrimonia superavit Lucifer Episcopus Calarit. quem S. Athanas. sui ævi Eliam vocat, qui in libro de Moriendo pro Filio Dei, ita Constantium Imp. alloquitur : *Mactasti plurimos, laniasti, dispersisti; sed hi omnes Martyres sunt. Crede mihi quod à te statuerimus interfici; quia et melius esse videmus, in omnia ævа Deum habere amatorem, quam tecum Juda Scarioth, Judæorum imitatore, puniri : subire parati sumus omnes exitium.* Et inferius : *Indigne fers, Arii vermis, quòd defendamus Filium Dei. Si tandem oculos serpentis morsibus confossos aperias, invenies, stolidissime Imperator, ubique Christianos, sicut nos, credere, ac pro Dei Filio, ut nos, mori cupere; at tuа novella prædicatio et recens religio blasphemia est.* Titulis vero et nominibus acrioribus quàm Athanasius et Hilarius deinceps eumdem compellat.

6. HABENT POTESTATEM CLAUDENDI COELUM III, NE PLUAT DIEBUS PROPHETIÆ IPSORUM.] Hoc erit secundum miraculum quod facient Elias et Henoch tempore Antichristi, nimirum ut prophetia et imperio suo pluviam prohibeant, et cœlo, quasi justitium indicant, aut quasi claustrum inducant, itaque sterilitatem, famem et pestem Antichristianis accersant. Idem fecit Elias, 3. Reg. 17. 1. ut scilicet per tres annos cum dimidio non plueret.

ET POTESTATEM HABENT SUPER AQUAS CONVERTENDI EAS IN SANGUINEM.] Tertium hoc erit Eliæ et Henoch miraculum. Idem fecit Moses (unde aliqui putarunt Mosen hîc notari, eumque venturum cum Elia), Exodi 7. 20. Ducit ergo eamdem potestatem dandam Eliæ et Henoch certantibus contra Antichristum, quæ olim data est Mosi certanti contra Pharaonem Antichristi præcursorem. Unde subdit :

ET PERCUTERE TERRAM OMNI PLAGA QUOTIESCUMQUE VOLUERINT.] Quartum erit hoc Eliæ et Henoch miraculum, non simplex, sed multiplex; multa enim, imo omnia in se complectitur. Erunt ergo plane thaumaturgi, ut ad libitum cœlo, terræ, aeri, ventis, fulminibus, etc. imperent, indeque plagas quaslibet in impios evocent et emittant. Alludit ad Mosen, qui sua virga minans et feriens Ægyptum, decem plagas partim è terra, partim è cœlo, partim ex aquis, partim ex igne in Ægyptios immisit. Unde audivit à Deo, Exodi 7. 1. *Constitui te Deum Pharaonis.* Nam, ut ait Philo, l. 3. de Vita Mosis : *Cum amicorum omnia sint communia, idcirco Deus potestatem et opes suas cum Sanctis communicat.*

Nota : Decem plagæ Ægypti fuerunt hæ : Prima, aquæ conversio in sanguinem; secunda, ranæ; tertia, ciniphes; quarta, muscæ caninæ, imo omne genus muscarum; quinta, pestis animalium; sexta, ulcera vesicarum; septima, grando; octava, locustæ; nona, tenebræ; decima, cædes primogenitorum. Has ergo et plures plagas immittendi potestatem habebunt quoque Elias et Henoch, quasi novi et Christiani Moses. Alcazar hæc omnia mystice exponit. Nam per primam plagam sanguinis, accipit Judæorum infidelium, tempore Titi, discordiam : per secundam ranarum, eorumdem rixas et tumultus : per tertiam ciniphum, curas et sollicitudines quæ eos discruciarunt : per quartum muscarum, iras et odia quibus æstuarunt : per quintam pestis, rerum et opum temporalium, quas ambierunt, vanitatem et privationem : per sextam ulcerum, conscientiæ stimulos et morsus : per septimam grandinis, obstinationem in Judaismo : per octavam locustarum, concupiscentiarum tyrannidem eis dominantem : per nonam tenebrarum, miserandam cæcitatem in qua jacent : per decimam cædis primogenitorum, suarum animarum damnationem. Verum hæc mystica esse, non litteralia, nemo non videt.

7. ET CUM FINIERINT TESTIMONIUM SUUM.] Finient hoc post dies 1260, uti dixit v. 3. eousque ergo erunt invincibiles, imo omnes et omnia vincent suo igne et plagis; sed peracto suo officio et temporis spatio à Deo sibi decreto, sinent se vinci et occidi, ut morte et martyrio obsignent suum de veritate et Christo testimonium.

BESTIA QUÆ ASCENDIT DE ABYSSO.] Bestia hæc est Antichristus; quia sævus erit et ferus ut bestia, non terrena, sed infernalis, quasi ascenderet de abysso. Dæmones enim eum agent et possidebunt, ac per eum omnem suam truculentiam in Eliam et Henoch, aliosque sanctos eorum asseclas exercebunt. Ita communiter Interpretes. Antichristus ergo per suos ministros occidet Eliam et Henoch, ideoque erit parricida; occidet enim parentem suum, puta Henoch; ab Henoch enim descendit Noe, omnesque homines post diluvium, ac consequenter et Antichristus.

Alcazar per bestiam hanc accipit locustas, quæ c. 9. v. 1. 2. visæ sunt Joanni exire ex abysso; per locustas autem ipse intelligit concupiscentias, quibus in pœnam scelerum traditi sunt Judæi ac propter eas occiderunt Eliam et Henoch, id est sapientiam et sanctitatem, puta sanctos et sapientes Christi Apostolos, Diaconos, aliosque primitivos Christianos; sed hi post tres dies, id est, post breve tempus, Ecclesia inclarescente, quasi resurrexerunt, et ad majorem gloriam tam in terra quàm in cœlo ascenderunt; tumque septem, id est, multa, Judæorum millia occisa, id est, ad Christum conversa sunt : occisa est enim in eis perfidia, ut quasi novi homines Christiani resurgerent in vitam fidei et gratiæ Dei; reliqui perculsi gloriam dederunt Deo, qui excidium Hierosolymæ attribuerunt cædi S. Jacobi Minoris à Judæis occisi, ac consequenter et Christi : hunc enim prædicabat Jacobus; ita narrat ex Josepho Euseb. l. 2. c. 22. Verum hæc mystica sunt. Adde locustas non ad hæc tempora, sed ad præcedentia, scilicet ad tubam quinti Angeli pertinere, jamque pertransiisse, uti dictum est, c. 9. 1.

8. ET CORPORA EORUM JACEBUNT IN PLATEAS CIVITATIS MAGNÆ, QUÆ VOCATUR SPIRITUALITER SODO-

MA ET ÆGYPTUS, UBI ET DOMINUS EORUM CRUCIFIXUS EST.] Arabicus, *quæ vocatur spiritualiter Sodoma Ægypti, locus in quo crucifixerunt Dominum suum*, hoc est in Jerusalem; ibi enim Dominus Eliæ et Henoch, puta Christus, crucifixus est. Videtur id negare S. Hieron. epist. 17. quam nomine S. Paulæ et Eustochii scribit ad Marcellam, ac per civitatem hanc accipere Romam Ethnicam et impiam. Verum hoc feminis condonandum est, quæ suam Jerusalem (commigrarunt enim in Judæam, ac in Bethlehem vixerunt et mortuæ sunt, uti et S. Hieron.) commendare, et ab omni infamiæ nota vindicare volunt. Conantur enim Marcellam pellicere, ut è Roma commigret in Jerusalem, ibique secum vitam monasticam agat.

Porro, Jerusalem spiritualiter, id est mystice et symbolice, vocatur Sodoma, ob sodomiticas libidines et peccata, quæ in ea viguerunt, et vigebunt magis tempore Antichristi in ea dominantis. Ita Isaias in Hierosolymitas detonat, dicens, c. 1. 10. *Audite verbum Domini, principes Sodomorum.* Vide ibi dicta et cap. 3. 9. *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt.* Ezechiel quoque cap. 16. 49. Sodomam vocat sororem Hierosolymæ, quia in sceleribus illi erat similis. *Hæc*, inquit, *fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium; et manum egeno et pauperi non porrigebant.*

Rursum, Jerusalem symbolice vocatur Ægyptus, ob idololatriam et superstitiones, quæ regnabunt in Jerusalem, quando Antichristus quasi Messias Judæis promissus, in ea ut regia sua dominabitur. Secundo, sicut Ægyptus et Pharao persecuti sunt Mosen ejusque populum fidelem; ita Antichristus cum suis Hierosolymitis persequetur Eliam, Henoch, aliosque Christianos, qui sunt veri Israelitæ Dei, qua de re plura, c. 14. Hinc patet Antichristi sedem et regiam non fore Romam, sed Jerusalem. Volet enim ipse haberi Christus, id est Messias Judæis promissus, hæres solii Davidis et Salomonis; ita passim interpretes novi et veteres. Vide Cardinalem Bellarminum, lib. 3. de Roman. Pontif. c. 13. Ergo, ut alia omittam, Romanus Pontifex non est Antichristus, uti ex Apocalypsi probare contendunt hæretici; sed quantum Roma distat à Jerusalem, et Christianismus à Judaismo, tantum Romanus Pontifex differt et distat ab Antichristo.

UBI ET DOMINUS EORUM CRUCIFIXUS EST.] q. d. Sicut Hierosolymitæ occiderunt Christum, ita et occident ejus Prophetas, Eliam et Henoch; quia non capit Prophetam perire extra Jerusalem, ut ei objicit Christus, Lucæ 13. 33.

9. ET VIDEBUNT DE TRIBUS, ET POPULIS, ET LINGUIS, ET GENTIBUS.] Erit enim populorum et gentium ex omni natione confluxus et concursus in Jerusalem, quando Antichristus monarcha orbis in ea residebit.

CORPORA EORUM PER TRES DIES ET DIMIDIUM.] Jacebunt ergo corpora Eliæ et Henoch occisorum in plateis Jerusalem per tres dies et dimidium insepulta; nec enim sinet Antichristus ea sepeliri, ut iis insultet, et quasi victor de iis triumphet; sed iis exactis cum gloria resurgent. Imitabuntur ergo resurgentem Christum Dominum suum; hic enim tertio die à morte resurrexit. Ecce brevi erit hoc eorum opprobrium, quod mox in æternam gloriam convertetur. Breve ex adverso erit Antichristianorum de eorum cæde gaudium, quod mox acribus æternisque suppliciis à Deo vindicabitur. Vere S. Athanasius grassantibus et furentibus Arianis Alexandriæ consolatus est et animavit Orthodoxos, dicens: *State, nubecula est quæ cito transit.* Quàm brevis erit afflictio et opprobrium Eliæ et Henoch præ æternitate præmiorum, quàm brevis gloria Antichristi et impiorum præ æternitate impiorum!

10. ET INHABITANTES TERRAM (tunc enim plerique homines erunt impii, utpote subditi Antichristo, eique quasi domino suo se conformantes) GAUDEBUNT: QUONIAM (supple, occisi sunt) HI DUO PROPHETÆ (qui) CRUCIAVERUNT EOS,] verbis minacibus, igni et plagis, quas audivimus v. 5.

11. ET POST TRES DIES ET DIMIDIUM SPIRITUS VITÆ A DEO INTRAVIT IN EOS.] *Spiritus vitæ*, id est anima vivificans. Hinc patet quod Elias et Henoch occisi ab Antichristo, post tres dies cum dimidio publice, omnibus Antichristi asseclis ex toto orbe eo confluentibus inspectantibus, resurgent; voxque de cœlo delabetur dicens eis:

12. ASCENDITE HUC.] Ac mox ipsi coram omnibus publice in cœlum ascendent, uti ibidem fecit Christus: tuncque fiet ingens terræ motus, quo decima pars Hierosolymæ corruet, et septem hominum millia occidentur: reliqui timore perculsi laudem et gloriam Deo dabunt. Hæc enim omnia et singula ita diserte enarrat Joannes, ut qui alio ea torquere velit, vim verbis ejus faciat necesse sit.

Aurcolus et Lyranus per hos duos testes accipiunt Sylverium Papam et Mennam Patriarcham Constant. quos Theodora August. Justinian. Imp. uxor anno Christi 538, relegavit in exilium, quod est quasi mors civilis, itaque quasi occidit eos, eo quod Arthemium Episcopum Euthychianum nollent in gradum pristinum restituere; sed eis Deus mox famam et gloriam in Ecclesia æternam restituit. Calcationem civitatis referunt ad Totilam regem Gothorum, qui sub idem tempus ob hæc scelera Romam cepit, et Romanum Imperium vastavit. Verum hæc nec consonant verbis S. Joannis, nec inter se cohærent. Ait enim Joannes Hierosolymæ, non Romæ, nec Constantinopoli, hos duos testes occisum, non autem in exilium relegatum iri, ac corpora eorum occisa, per triduum insepulta in plateis mansura, etc.

13. ET RELIQUI IN TIMOREM MISSI SUNT,] id est, reliqui hac strage non occisi, sed superstites, timore perculsi, ad Deum et Christum per pœnitentiam, sunt conversi. Tunc enim omnis Israel salvus fiet, uti prædixit Apost. Rom. 11. 26.

14. VÆ SECUNDUM EX ILLIS TRIBUS, de quibus dixit cap. 8. v. ult. ABIIT,] id est, jam inflictum est et pertransiit. Hæc enim tria *væ* fuerunt tres plagæ trium ultimorum Angelorum tuba canentium, puta Angeli quinti, sexti et septimi. Repetit hoc *væ* Joannes, ut quasi post parenthesin de Elia et Henoch interjectam, redeat ad hasce tres plagas, easque ordine pertexat. Unde sequitur:

15. ET SEPTIMUS ANGELUS TUBA CECINIT; ET FACTÆ SUNT VOCES MAGNÆ IN CŒLO DICENTES: FACTUM EST REGNUM HUJUS MUNDI, DOMINI NOSTRI ET CHRISTI EJUS.] Hæc septima tuba denuntiat et affert beatum et gloriosum Christi regnum, quod cum Christo inibunt Elias et Henoch, et paulo post omnes Sancti in die resurrectionis et judicii. Hoc enim clare verba sonant: *Tem-*

pus, ait, *mortuorum judicari, et reddere mercedem servis suis*, etc., *pusillis et magnis, et exterminandi eos qui corruperunt terram*; ita Andreas, Aretas, Primas. Beda, Albertus, Ribera, Viegas et alii. Hinc sequitur hanc septimam tubam poni hîc per anticipationem, ut jungatur sex aliis præcedentibus. Nam ante hanc septimam tubam fient ea, quæ de Antichristo, Gog, Magog, etc. (quæ sunt materia et scriptura libri septem sigillis signati c. 5.) narrantur hoc. cap. et seq.

Proprius ergo tubæ hujus locus est c. 19. ante v. 11. quo describere incipit bellum Gog et Magog contra Christos et Christianos. Unde de Gog et Magog hîc ait: *Et iratæ sunt gentes*, etc. Quocirca Elia et Henoch ascendentibus in cœlum, eorumque hostibus confusis et de cœlo sideratis, inciplet consummari mysterium Dei, uti dixit c. præc. v. 7. puta regnum gloriosum Christi et electorum ejus: quocirca tum Angelus hic septimus tuba canet, tumque 24 seniores omnesque Beati collaudabunt Deum, quod regnum peccati et impiorum jam finire et evertere incipiat. Nam paulo post cædetur Antichristus cum Gog, Magog, omnibusque eorum asseclis; deinde sequetur mortuorum resurrectio, et universale omnium judicium. Hinc sequitur quod hæc septem sigilla libri signati, licet majori ex parte contineant præambula quæ futura sunt ante Antichristum; tamen quædam in fine suî continere, quæ futura, aut perfectius futura sunt post Antichristum. Tale enim est quod c. 8. 12. in tuba quarti Angeli dicitur percussa tertia pars solis, lunæ et stellarum. Tale est id quod cap. 6. 12. in sexto sigillo dicitur de sole denigrato, stellis de cœlo cadentibus, cœlo recedente. Tale est et id quod hac tuba canitur. Erit enim hæc tuba quasi inchoatæ victoriæ et triumphi Christi præconium et conclamatio. Quocirca ad librum signatum ejusque finem spectat: refertur tamen ad sigilla, tum quia fuit septima et ultima tuba ex septem septimi Angeli et sigilli; tum quia est clausula omnium tam quæ in sigillis, quàm quæ in libro continentur. Sicut ergo in libris signatis, v. g. in instrumentis testamentorum, præter sigilla externa, sunt quædam sigilla interna, quæ ipsum eorum finem obsignant et communiunt, ut designent, ibi finiri testamentum, ne quid ab aliquo eis addi possit; ita est et de hoc sigillo, hoc est de parte hac ultima ultimi sigilli. Sigilla ergo hæc simul juncta amplectuntur non tantum initium, sed et finem libri signati; totum enim eum involutum stringunt et obsignant ante et retro, intus et foris. Licet ergo pleraque contineant ea quæ præibunt regnum Antichristi, quædam tamen continent ea quæ consequentur illud. Hoc enim regnum Antichristi et quasi medium quid, quod anterius regnis impiorum, utpote Antichristi præcursorum; posterius vero regno glorioso Christi et Sanctorum (quod tuba hæc septima denuntiat) clauditur et signatur. Tuba ergo hæc proclamabit jam in Eliæ et Henoch resurrectione et glorificatione inchoari regnum Christi gloriosum: quod mox post stragem Antichristi et impiorum perficietur in die judicii, quando omnes Sancti hoc regnum cum Christo inibunt.

Ipsa ergo apte hoc loco ponitur, quasi in confinio septem sigillorum et ipsius libri signati. Pertinet enim tam ad sigilla, quàm ad librum; ad sigilla, quia est clausula et obsignatio libri: ad librum, quia eveniet eo tempore quo mysteria libri pandentur. Non potuit ergo Joannes eam aptiori loco ponere quàm hoc, eaque de causa paulo ante pertexuit mortem et resurrectionem Eliæ et Henoch, ut pariter hac occasione pertexeret septimam tubam septimi sigilli, quæ tunc canere incipiet.

FACTUM EST REGNUM, etc.] q. d. Jam regnare incipit Christus, jam Eliam et Henoch glorificavit, hostesque eorum perdidit, parique modo mox cæteros omnes impios perdet, ac evertet regnum impietatis et peccati, omnesque scelestos in tartara deturbatos pedibus suis premet et calcabit: jamjam regnabit justitia, et justi cum Christo in cœlesti et æterna gloria, ad laudem Dei Domini sui. Hoc est quod ait Paulus 1. Cor. 15. 24. *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri.* Vide ibi dicta.

Aurcolus cum suis hæc refert ad libertatem, felixque et pacificum imperium Justini junioris Imper. qui Justiniano avunculo in imperio succedens, per Narsen Romanum Patricium, Totilam regem Gothorum repressit, et regnum Italiæ restituit. Sed cum Narses ab æmulis accusatus, à Sophia Augusta revocaretur Constantinopolim ut gynæcei curam haberet (erat enim ipse eunuchus) ac regiis puellis lanam et linum distribueret, indignans respondet, *se talem telam orditurum quam ipsa nunquam detexeret.* Ergo vocavit Longobardos ex Pannonia, eisque tradidit Italiam, qui eam et Ecclesiam vexarunt usque ad Carolum Magnum; hic enim eos exterminavit cæso eorum rege. Et hoc est quod hîc dicitur: *Et iratæ sunt Gentes*, etc. Verum hæc exilis et brevis fuit libertas et gaudium. Adde, licet Paulus Diaconus Narsetem proditionis accuset, asserens quod ipse Longobardos in Italiam vocarit, tamen Græci historici, quos sequitur Baronius anno Christi 567. hoc refellunt, ac Narsetem à fide et sanctitate commendant; quin et Constantinopolim ad Imperatricem rediisse, ibique honorifice vixisse ac sepultum esse commemorant. Denique acoluthia Apocalypsis exposcit, ut hæc ad ultima mundi tempora, et ad regnum Christi gloriosum referantur.

Mystice Alcazar (licet ipse putet esse litterale) exponit, q. d. Christiana Ecclesia devictis jam et subactis Judæis est Catholica et permanens, id est universas cujusvis sæculi nationes complectens, iisque imperans, et in æternum permansura. In Ecclesia enim militante inchoatur Christi regnum triumphans et gloriosum. Unde 24 seniores v. seq. gratias agunt Deo, eumque adorant et celebrant, præsertim in sacrificio Missæ. Quocirca τὸ *gratias agimus*, idem est quod Eucharistiæ sacrificium offerimus pro vocatione Gentium.

16. ET VIGINTI QUATUOR SENIORES.] Quinam hi sint, dixi c. 4. v. 4.

17. QUI ES, ET QUI ERAS, ET QUI VENTURUS ES.] Vide quæ de hoc Dei nomine dixi c. 1. 4.

QUIA ACCEPISTI VIRTUTEM TUAM,] id est, assumpsisti fortitudinem tuam, induisti te armis tuis fortissimis, dum nimirum usus es fortitudine tua, tuasque vires exseruisti in debellandis tuis hostibus, puta Antichristo et impiis, ideoque jam in plena pace et gloria regnas et triumphas. Alludit ad Psal. 92. 1. *Dominus regna-*

vit, decorem indutus est : indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se.

Et regnasti,] ἐβασίλευσας, id est, regnum adeptus es, regnare cœpisti.

18. Et iratæ sunt Gentes.] Antichristiani, Gog, Magog, aliique impii irascentur et frement, videntes tantas sibi à Deo plagas immitti, ac ad prælium contra Christum et Christianos se parabunt, de quo cap. 19. v. 11. Sed frustra; nam cædentur, indeque rapientur ad tribunal Christi, ut in gehennam deturbentur: quo circa desperabundi maledicent Deo et Christo.

Et, id est quia, advenit ira tua, ut in extremo judicio iram tuam in reprobos exseras, damnando eos ad tartara : et tempus mortuorum judicare.] q. d. Advenit tempus resurrectionis et judicii, in quo scilicet mortui à morte resurgent, *judicari*, id est, ut judicentur, et prout in vita gesserunt, bona vel mala æterna recipiant à judice Christo : ita Andreas, Aretas, Primas. Beda et alii.

19. Et apertum est templum Dei in cœlo : et visa est arca testamenti, etc. et facta sunt, etc. grando magna.] Primo, Alcazar ex suis principiis et præmissis, putat hîc significari Judæorum rejectionem et à Deo derelictionem, ideoque fingi parabolice arcam, quæ apud eos erat summæ venerationis et sanctitatis, è terra translatam in cœlum, sicut Ovid. 1. Metamorph. fingit virtutes terris ob scelera relictis, in cœlum ascendisse :

Ultima cœlestum terras Astræa reliquit.

Hoc est quod ait S. Leo serm. 8. de Passione : *Traxisti, Domine, omnia ad te, cum in execrationem Judaici sceleris scisso templi velo, Sancta sanctorum ab indignis pontificibus recesserunt, ut figura in veritatem, prophetia in manifestationem, et lex in Evangelium verteretur.* Tunc facta est grando, id est obduratio Judæorum, cum viderunt voces, id est tonitrua et fulgura, hoc est miracula, sanctitatem et efficaciam Apostolorum in evangelizando. Nam, ut ait Isidor. lib. de Mundo c. 35. *Figuraliter grando perfidiæ duritia est, torpore malitiæ frigida.* Jam in arca (in qua erant tabulæ legis) significatur observatio vera legis secundum spiritum, à Judæis translata ad Christianos : itidem et propitiatorium, id est, remissio peccatorum per fidem Christi : itidem et duo Cherubini, id est, vera sapientia et sanctitas : itidem et virga Aaron cum manna ; virga notat potentiæ divinæ contra hostes populi sui ostentationem ; manna beneficientiam et alimoniæ providentiam : utraque enim à Judæis translata est ad Christianos, præsertim manna per Eucharistiam.

Secundo, Aureolus putat hîc prædici institutionem festi Purificationis B. Virginis, quo Christus quasi arca testamenti præsentatus est in templo ; quod Constantinopoli institutum est sub Justiniano Imp. ad sedandam pestilentiam tunc grassantem, uti testatur Sigebertus in Chronico anno Christi 542. Paulus, vel potius Joan. Diaconus in hist. Miscell. Nicephor. lib. 17. 28. et ex ijs Baron. in Martyr. 2. Feb. Unde et in Missa illius festi legitur epist. Malachiæ c. 3. 1. in qua Christus vocatur Angelus testamenti : *Statim*, ait, *veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis.* Arca enim habebat utrimque Angelum, puta Cherubinum, testamenti.

Tertio, multi divellunt hæc à tuba septimi Angeli, putantque hanc novam esse visionem et ad c. seq. pertinere, unde hîc inchoant c. 12. Ita Andreas, Rupert. Ansel. Hugo, Joachim, Albertus et Pannon.

Verum dico ad septimam tubam septimi Angeli de qua v. 15. pertinere. *Apertum* est ergo *templum in cœlo*, puta habitaculum Beatorum ; in quo quasi in templo ipsi semper serviunt et laudant Deum. Hoc ergo mihi Joanni apertum est ad hoc, ut viderem eminus per aliquam speciem, vel potius umbram, Beatorum felicitatem et gloriam. Apertum, inquam, non reipsa, sed per imaginariam, aut mentalem visionem symbolicam.

Et visa est arca testamenti ejus in templo ejus.] Arca hæc est corpus sive humanitas Christi. Hanc enim anagogice (quomodo passim hîc loquitur S. Joannes) significabat arca veteris testamenti : idque primo, quia sicut arca facta erat ex lignis setim imputribilibus ; ita corpus Christi fuit imputribile, quia nec peccati labe, nec mortis corruptione dissolvi aut putrescere potuit. Secundo, quia arca intrinsecus obducta erat laminis aureis : ita Christus plenus est ardentissima et pretiosissima charitate. Tertio, arca habebat supra se propitiatorium quasi operculum : ita Christus secum affert propitiationem et redemptionem mundi. Quarto, supra arcam erant Cherubini duo, se invicem et propitiatorium cum arca obversis vultibus respicientes, sic duo testamenta, scilicet novum et vetus, unum Christum respiciunt. Quinto, in arca erant tabulæ legis : sic Christus legem et voluntatem Patris semper in mente et corde habuit. Sexto, juxta arcam erat virga Aaron, quæ fronduerat : sic in Christo est potestas regia, æque ac pontificia, quam virga hæc repræsentabat. Denique juxta arcam erat urna cum manna : sic in Christo est mira dulcedo ac clementia, præsertim quia seipsum quasi manna non tantum in Eucharistia, sed et in cœlo Beatis fruendum exhibet, eosque mire pascit, recreat et beat. Per arcam ergo significatur Christi humanitas pulcherrima et gloriosissima, quæ in cœlo Sanctis se videndam et fruendam exhibet, idque per visionem ostensum est hîc S. Joannis, qui sicut in hac vita Christi humanitate mire delectatus est, cum eaque dissuaviatus, ita multo magis in altera illa cœlesti mire ea delectatur, cum eaque dissuaviatur ; ita Richard. Victor. Beda et Rupert.

Rursum arca testamenti significat gloriosum Christi corpus, non tantum naturale, puta humanitatem Christi jam dictam, sed et mysticum, puta Ecclesiam sive congregationem Sanctorum, qui in corpore et anima sunt beati, et cum Christo in Sancto sanctorum, id est in cœlo, regnant. Sicut enim propitiatorium proprie significabat Christum, ita arca illi subjecta significabat Ecclesiam triumphantem : utrique enim super alas Cherubim, quasi in throno insidet et præsidet Deus gloriosus, Christum hominem, ejusque Sanctos beans et glorificans. Vide dicta Exodi 25. v. 10. et 17. Hinc consequenter arca testamenti est B. Virgo, quæ inter Beatos eminet, estque potior Ecclesiæ triumphantis æque ac militantis pars.

Hæc enim Christum quasi manna, æque ac legem Dei in se conclusit. Ita S. Bern. serm. de B. Maria, et alii, ac nominatim Franc. Suarez 3.

p. q. 37. a. 4. disp. 21. sect. 2. qui per arcam testamenti accipit corpus B. Virginis, quod resurrexit, et gloriose assumptum in cœlum hîc Joanni apparuit. Vidit ergo Joannes in cœlis per umbram gloriam B. Virginis et Sanctorum. Pulchre S. Amb. serm. 81. B. Virginem arcæ fœderis comparat. Siquidem, ait, arca intrinsecus portabat testamenti tabulas; Maria autem ipsius testamenti gestabat hæredem. Illa intra se legem, hæc Evangelium retinebat. Illa Dei vocem habebat, hæc Verbum. Arca intus foris-que auri nitore radiabat, B. Maria intus foris-que virginitatis splendore refulgebat. Illa terreno ornabatur auro, ista cœlesti. Merito ergo Ecclesia in Litaniis Lauret. B. Virginem nuncupat et invocat dicens: *Fœderis arca, ora pro nobis.*

Nota: Superius cap. 6. 9. vidit Joannes animas Martyrum sub altari, scilicet ante resurrectionem: hîc vero post consummationem et resurrectionem vidit eas translatas ex Sancto (ubi quiescebant sub altari thymiamatis, orantes pro resurrectione sua, et fine ac vindicta peccati et peccatorum) in Sanctum sanctorum, puta in arcam testamenti, id est, in cœtum gloriosum plene et perfecte beatorum, ubi jam nil amplius postulant, sed tam in corpore, quàm in anima beati et divini effecti Dei sunt filii, domestici, hæredes, membra, et quasi corpus: vide dicta c. 8. 3.

ET FACTA SUNT FULGURA, ET VOCES, ET TERRÆ MOTUS, ET GRANDO MAGNA.] Hæc omnia symbolice per visionem vidit S. Joannes; non ergo reipsa facta sunt. Itaque hæc omnia significant iram Dei et vindictam, ac pœnas impiorum, tum præsentes Gog et Magog, quos Deus igne cœlesti perdet c. 20. 9. tum futuras in inferno. Hæc enim ira Dei in reprobos, æque ac misericordia Dei in electos eodem tempore, puta in die belli contra Gog et Magog, et perfecte in die judicii fiet, ideoque pertinet ad consummationem quam hîc inducit septima et ultima tuba septimi Angeli in qua omnia sigilla et ipse liber, puta Apocalypsis, finiri incipiunt; ita Rupert. Pannon. Hugo. Alludit ad Psal. 148. 8. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus*, ad terrendum et prosternendum impios. Et ad Isaiæ 28. 2. *Ecce validus et fortis Dominus, sicut impetus grandinis.* Et c. 30. 30. *Allidet Dominus in turbine, et in lapide grandinis;* grando enim procellam grandem affert et indicat. Vidi grandinem quæ non tantùm segetes, sed et animalia sterneret et occideret. Plura de grandine dixi Exod. 9. 18.

Aureolus, prosequens seriem suam temporum et historiarum, hæc refert ad conversionem Anglorum, quæ facta est per miracula et prædicationem S. Augustini, quem eò cum aliis monachis misit S. Gregorius Magnus. Verum hæc, ut et cætera ejusdem, Apocalypseos sunt non tam explicationes, quàm applicationes et accommodationes.

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

CAPITE UNDECIMO DESCRIPSIT DUCES BELLI FIDELIUM CONTRA ANTICHRISTUM, PUTA ELIAM ET HENOCH; HIC IPSUM BELLUM DESCRIBIT. ITAQUE SUB SCHEMATE MULIERIS ET DRACONIS CONCERTANTIUM, DESCRIBITUR MULTIPLEX ECCLESIÆ ET DIABOLI PUGNA IN FINE MUNDI, ECCLESIÆQUE VICTORIA. NAM PRIMO MULIER PARIT MASCULUM, DRACO EUM RAPERE ET DEVORARE MOLITUR; SED ILLE RAPITUR AD DEUM: INSEQUITUR DRACO, UT EOS IN JUDICIO DEI CALUMNIETUR ET ACCUSET; SED A MICHAELE DEJICITUR, TRAHITQUE SECUM TERTIAM PARTEM STELLARUM: QUOCIRCA COELITES GLORIFICANT DEUM. INDE V. 12. DRACO DEJECTUS ET FRENDENS PERSEQUITUR MULIEREM: ILLA, ACCEPTIS ALIS, FUGIT IN DESERTUM; DRACO INSEQUENS ORE VOMIT ET EMITTIT IN EAM FLUMEN, SED TERRA HIANS ILLUD ABSORBET. QUARE DRACO FREMENS, V. 17. RELIQUIAS SEMINIS EJUS PERSEQUITUR.

1. ET signum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim. 2. Et in utero habens, clamabat parturiens, cruciabatur ut pariat. 3. Et visum est aliud signum in cœlo: et ecce draco magnus rufus, habens capita septem, et cornua decem: et in capitibus ejus diademata septem; 4. et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram, et draco stetit ante Mulierem, quæ erat paritura; ut, cum peperisset, filium ejus devoraret. 5. Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes Gentes in virga ferrea; et raptus est filius ejus ad Deum, et ad thronum ejus, 6. et mulier fugit in solitudinem ubi habebat locum paratum à Deo; ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta. 7. Et factum est prælium magnum in cœlo; Michael, et Angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et Angeli ejus; 8. Et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo. 9. Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, et satanas, qui seducit universum orbem; et projectus est in terram, et angeli ejus cum illo missi sunt. 10. Et audivi vocem magnam in

cœlo dicentem : Nunc facta est salus, et virtus et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus ; quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. 11. Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, et propter verbum testimonii sui, et non dilexerunt animas suas usque ad mortem. 12. Propterea lætamini, cœli, et qui habitatis in eis. Væ terræ et mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet! 13. Et postquam vidit draco quod projectus esset in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum. 14. Et datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum in locum suum, ubi alitur per tempus et tempora et dimidium temporis, à facie serpentis. 15. Et misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi à flumine. 16. Et audivit terra mulierem, et aperuit terra os suum, et absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo. 17. Et iratus est draco in mulierem ; et abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus, qui custodiunt mandata Dei, et habent testimonium Jesu Christi. 18. Et stetit supra arenam maris.

1. Et signum magnum apparuit in cœlo.] *Signum*, id est ostentum, prodigium, portentosa visio et spectaculum, idque *magnum*, tum in se : in hoc enim signo visa est S. Joanni mulier magna amicta sole, coronata stellis, calcans lunam, pariens masculum, ac pugnans cum dracone ; tum in re per signum hoc adumbrata et significata : hæc enim magna fuit et eximia, uti mox explicabo.

Putant aliqui alludi hîc ad constellationes virginis et draconis quæ sunt in cœlo, quasi per visionem hæ Joanni ostensæ sint instar virginis et draconis inter se confligere. Verum esto ad constellationes hasce nomine tenus alludat, tamen certum est eum non vidisse illas, sed revera personam virginis cum dracone certantem.

Symbolice Viegas : Ecclesia, ait, est *signum*, id est miraculum ; quia prodigiosa fuit Ecclesiæ à Christo institutio, ejusque inter tot hostes per Apostolos propagatio et incrementum. Secundo, *signum*, est vexillum crucis in Ecclesia erectum. Tertio, *signum*, id est scopus : in Ecclesiam enim quasi in scopum omnes tyranni et hæretici sua tela collimarunt, ut Ecclesia vere dicere possit cum Jeremia Thren. 3. 12. *Posuit me quasi signum ad sagittam, misit in renibus meis filias pharetræ suæ.*

In cœlo,] non empyreo, nec sidereo, sed aereo : inde enim mulier hæc volavit in desertum. Nam si mulierem ad cœlum sidereum evehamus, ut sol, luna et stellæ suis quæque locis persistant, ac stellæ eam coronent, luna se pedibus ejus subjiciat ; sane ipsa immanis proceritatis et plusquam gigantea esse debuisset, inquit Alcazar. Fingitur ergo hîc symbolice, quod sol et stellæ è suis locis videantur descendere in aerem, ibique mulierem hanc amicire, luna vero se pedibus ejus substernere : ut per hoc significetur, quod Ecclesia (hanc enim repræsentat hæc mulier) de cœlo descendit, eo quòd cœlestis sit ejus vita, mores, doctrina, auctor, lingua, affectus, spes et finis, sive terminus et corona. Secundo, quia potior et potentior Ecclesiæ pars est in cœlo, scilicet Sancti et Beati. Unde alteram ejus partem, scilicet hîc adhuc militantem, adhortans Apostolus Heb. 12. 22. *Accessistis*, ait, *ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, et Jerusalem cœlestem.* Tertio, quia alludit ad primum prælium Luciferi cum Michaele, ut mox dicam, quod in cœlo gestum est. Quarto, quia draco, id est diabolus, persequitur Ecclesiam et Sanctos usque ad cœlum, et usque ad thronum ac judicium Dei, ubi eos accusat : licet enim judicium in terra vel aere peragatur, tamen quia in eo est thronus Dei judicis, hinc cœli nomine appellatur. Ubi enim Deus est Deique thronus, ibi et cœlum est : sicut ubi Rex est, ibi aula regia est. Atque huc maxime respicit S. Joannes, tum quia agit de electis qui in cœlum ad Deum rapiuntur ; tum quia v. 9. ait ex cœlo dejectum esse diabolum accusatorem fratrem in terram. Nam alioqui reipsa prælium hoc quod in sequentibus enarratur, non fuisse gestum in cœlo, sed terra, patet ex v. 6. ubi dicitur mulier ex hoc prælio, et prælii loco fugisse in solitudinem.

Mulier.] Primo, aliqui per mulierem accipiunt Synagogam Judæorum, quæ erat Christo gravida et prægnans : ita Aretas, Rupertus et noster Sebast. Barradius tom. 1. l. 10. c. 12.

Secundo, hæc omnia Alcazar accipit de Ecclesia Christi primitiva : putat enim ab hoc capite usque ad finem libri describi Christi et Ecclesiæ victoriam de Gentibus ; sicut à cap. 4. hucusque descripta est ejusdem victoria de Judæis. Ratio ejus est, quia c. 20. 2. dicitur Satanas ligatus mille annis, et solvendus in fine mundi. Illi autem mille anni significant tempus primitivæ Ecclesiæ, et deinceps usque ad finem mundi : ergo de ea hîc agitur ; de fine vero mundi agere incipiet demum Joannes cap. 20. Verum resp. cap. 20. esse hysterologiam, uti ibi fusius ostendam ; hysterologia enim frequens est Prophetis. Quocirca ea quæ hîc clare dicuntur de Antichristo et fine mundi, itaque passim accipiuntur à Patribus et Interpretibus, non debent alio, præsertim ad mysticas aut commentitias interpretationes, detorqueri, ob unum locum, qui, ut dixi, per hysterologiam commode communi Doctorum expositioni adaptari potest.

Quapropter dico cum Ambrosio, Ticonio, Primasio, Andrea Cæsariensi, Haymone, Richardo, Beda et Methodio quem citat Aretas, per Mulierem hanc intelligi Ecclesiam, maxime quæ erit sub finem mundi : de eo enim hîc continuus est sermo, ut dixi cap. 6. 12. Id ita esse patet ex sequentibus, præsertim v. 6. 10. 11. 14. Ecclesia enim, adjuvante eam S. Michaele protectore, ejusque Angelis, luctatur continue, et maxime luctabitur in fine mundi cum dracone,

id est Lucifero ejusque dæmonibus. Dicitur Ecclesia mulier, quia est sponsa Christi.

Notandum tamen, cum Areta, in hac Ecclesiæ lucta cum diabolo alludi, primo, et quasi refricari memoriam primi prælii Angelorum olim gesti in cœlo, in quo Lucifer cum suis victus, deturbatus est in tartara. Unde duos illius prælii duces utrimque hîc consignat, idque in cœlo, Michaelem scilicet et draconem, id est Luciferum, atque utriusque Angelos, additque quòd hic victus ab illo traxerit secum tertiam partem stellarum, id est illustrium Angelorum, quorum locus naturalis erat cœlum, uti est stellarum; quodque non sit inventus amplius eorum locus in cœlo, sed inde projectus sit Lucifer cum suis in terram. Hæc enim in sensu grammatico vel historico, clariora sunt in primo illo Angelorum prælio, quàm in præliis Ecclesiæ contra dæmones, quibus tamen et symbolice conveniunt, uti statim dicam. Simili modo Isaias c. 14. describit casum regis Babylonis, sub typo et parabola casus Luciferi; et Ezechiel c. 28. opes et casum regis Tyri sub typo opum et casus cujusdam Cherubini. Simili schemate et parabola utitur hîc S. Joannes, idque facit ad hoc, ut ex prima illa Michaelis contra Luciferum victoria sperent fideles, se etiamnum eumdem, Dei et Michaelis ac SS. Angelorum ope et adjutorio superaturos. Michaelem enim et Angelos pro nobis, quasi clientibus et civibus suis, ardenter pugnare significat. Quocirca merito Poeta Christianus ita S. Michaelem Archangelum, dæmonum triumphatorem celebrat et invocat :

Qui cœlo Stygium pepulisti marte draconem,
Hunc simili terris ad Styga pelle manu.

Secundo, alluditur hîc etiam altera ex parte ad mysterium incarnationis Verbi, et ad partum B. Virginis, ejusque prolem Christum. Hic enim est puer masculus, de quo v. 5. qui maxime invisus est diabolo : ob illum enim maxima odia in Ecclesiam concepit; quia videbat per eum homines in suum suorumque locum, è quo dejecti erant, successuros. Quare furens livore et invidia, Christum adhuc puerum per Herodem voluit occidere, eoque per fugam ac Dei tutelam in Ægyptum elapso, propter eum tot millia infantium occidit : illo vero in cœlum sublato, ejus Apostolos, Martyres, omnesque fideles internecino odio et bello persequitur, et persequetur usque ad finem mundi.

Quocirca, quidquid occlamet Erasmus et Novantes, possunt hæc apte, uti et alia quæ alibi in Canticis, ac libris Sapientialibus de Ecclesia in sensu litterali dicuntur cum Ambrosio, Andrea, Ansberto, Haymone, Areta, Pannonio, Gagneio, et aliis hîc, ac S. August. lib. 4. de Symbolo ad Catechum. c. 1. et S. Bern. serm. de B. Virgine circa hunc Apocalyps. locum, etiam accipi et appropriari B. Virgini, præsertim quia, ut ait Amb. B. Virgo mater est, imo avia Ecclesiæ; quia cum peperit, qui caput et parens est Ecclesiæ. Unde Ansbertus : *Non miram*, ait, *si illa typum Ecclesiæ prætendat, in cujus beato utero capiti suo, eadem Ecclesia uniri meruit. Ipsa est quæ peperit masculum, non effeminatum, non ignavia torpentem, sed ad debellandas aereas potestates caput et corpus virile atque robustum.*

Rursum, ipsa est pars, civis, et filia lectissima Ecclesiæ; quia ipsa nobilissimum est Ecclesiæ membrum. Denique, quia ipsa conatur et mire desiderat Christum filium suum spiritualiter etiamnum assidue parere in animis omnium fidelium, maximeque ad hoc annitetur in fine mundi, tum per se, tum per Angelos, et sanctos prædicatores. Est enim ipsa, utpote charitate flagrans, honoris Dei Filiique sui, æque ac salutis animarum studiosissima. Unde de B. Virgine totum hoc caput fuse et docte explicat noster Blasius Viegas hîc. Audi S. Bernard. loco citato : Virgo, inquit, Maria *omnibus omnia facta est, omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi; captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanæ substantiam; ut non sit qui se abscondat à calore ejus. Putasne ipsa est mulier amicta sole? quæ velut alterum solem induit sibi. In sole et fervor et splendor stabilis : in luna solus splendor atque is omnino mutabilis et incertus, qui nunquam in eodem statu permanet. Jure ergo Maria sole perhibetur amicta, quæ profundissimam divinæ sapientiæ, ultra quàm credi valeat, penetravit abyssum. Illo nimirum igne Prophetæ labia purgantur, illo igne Seraphim accenduntur. Longe vero aliter Maria meruit, non velut summatim tangi, sed operiri magis undique et circumfundi, et tanquam ipso igne concludi. Candidissimus sane, sed et calidissimus hujus mulieris amictus, cujus omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea, non dico tenebrosum, sed obscurum saltem, vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid; aut non ferventissimum liceat suspicari.* Ipsa ergo est signum magnum; quia, ut ait S. Bonavent. in Speculo B. Virginis cap. 8. *Ipsa est qua majorem Deus facere non posset : majorem mundum facere posset Deus, majus cœlum facere posset Deus : majorem matrem quàm matrem Dei non posset facere Deus.* Et D. Thom. 1. p. quæst. 25. art. 8. quærit an Deus possit meliora facere ea, quæcumque facit; ac respondet, posse. Excipit tamen tria : scilicet Christum, B. Virginem, et nostram beatitudinem. Nam *humanitas Christi*, ait, *ex hoc quòd est unita Deo; et beatitudo creata ex hoc quòd est fruitio Dei; et B. Virgo ex hoc quòd est mater Dei, habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus; et ex hac parte non potest fieri aliquid melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo.* Ita ipse in respons. ad 4.

Primus sensus de lucta Ecclesiæ cum diabolo in fine mundi, maxime proprius est et genuinus, utpote propheticus (est enim Apocalypsis prophetia, eaque unica novi Testamenti) ideoque maxime intentus à Spiritu Sancto. Secundus sensus, de pugna Michaelis et Luciferi in cœlo, est allusivus et symbolicus. Tertius, de pugna virginis et diaboli, historicus est; et quasi originalis et fundamentalis : atque ad hosce duos primus quoque alludit.

MULIER AMICTA SOLE.] Arabicus, *induta sole*, hoc est, Ecclesia circumdata Christo sponso suo : Christus enim est sol justitiæ, Malach. 4. 2. uti Apostoli sunt stellæ, quæ suam lucem à sole, id est Christo, mutuantur. Rursum, Christus instar amictus et vestis circumdat, amicit et ornat Ecclesiam : unde toties hortatur fideles

Apostolus dicens : *Induimini Dominum Jesum Christum.* Secundo, Christus Ecclesiam suam ita undequaque protegit et communit, ut eam amicire videatur; idque significat phrasis Græca, περιβεβλημενη τον ηλιον, id est, circumamicta sole. Tertio, quia Ecclesia à Christo, fidei, veritatis, gratiæ et virtutum radiis circumquaque irradiatur et cingitur, idque maxime fiet in fine mundi, ne Antichristus eam obscuret vel obruat.

Alludit in hac phrasi Joannes ad Psal. 88. 38. ubi de throno Davidis et Salomonis ad litteram, et antitype de throno Christi, id est de Ecclesia, dicitur : *Thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum.*

Ita S. Bernard. loco citato, per solem accipit Christum, ubi hæc applicans B. Virgini : *In te*, ait, *manet* (sol Christus) *et tu in eo ; et vestis eum, et vestiris ab eo. Vestis eum substantia carnis, et vestit ille te gloriâ suæ majestatis. Vestis solem nube, et sole ipsa vestiris.*

Et luna sub pedibus ejus.] Alcazar hoc sic exponit : Luna, ait, est nobilior stellis, hîc tamen ponitur sub pedibus, non ut calcetur, sed ut mulierem, id est Ecclesiam, fulciat et sustentet. Locus enim inferior in symbolis est maximæ dignitatis, significatque basin, fundamentum et fulcimentum. Hinc tribuitur Ecclesiæ, et terræ, quæ est mater et genitrix omnium, perinde ac Pythagoras dixit, *lunam esse matrem stellarum.*

Itaque censet ipse mulierem hanc amiciri sole, id est Deo, coronari stellis duodecim, id est duodecim Apostolis; et inferne quasi basi et fundamento fulciri et inniti lunæ, id est Christo. Proponitur enim ipsa hîc quasi parturiens, ideoque exprimitur quasi mysticæ lunæ ope et auxilio adjuta : nam et Gentes ad lunæ fœcunditatem respicientes, eam in partubus implorabant; et quasi obstetricem credentes, illam Junonem Lucinam appellabant, cujus etiamnum templum Romæ, sed Junonis nomine in S. Laurentii commutato, exstat : vocatur enim Ecclesia S. Laurentii in Lucina. Felix ergo primitivæ Ecclesiæ partus Christi ope fovebatur, ideoque ut partus hic faustus, et auspicatus esset, eleganter inducta fuit mystica Lucina, opem ferens suo contactu ac virtute parturienti mulieri, eamque super se sustinens, ne deficiat. Ita Alcazar nimis subtiliter, et poetice potius quàm genuine et solide. Pergit ipse : Porro recte deitas comparatur soli, humanitas Christi lunæ. Nam primo, sicut sol est fons lucis, reliquorum luminum parens : ita Deus Pater est totius divinitatis fons, et *pater luminum.* Et sicut luna lucem suam à sole mutuatur : ita Christi humanitas à deitate suam sapientiam, gratiam et gloriam accipit, ideoque *omnem suæ lucis haustum eò regerit, unde accipit ;* quod de luna ait Plinius lib. 2. c. 9. Secundo, solem creavit Deus quasi *luminare majus, ut præesset diei :* lunam vero quasi *luminare minus, ut præesset nocti.* Gen. 1. 16. Pari modo Christi divinitas est quasi luminare majus, quod præest diei beatitudinis in cœlo; humanitas vero est luminare minus, quod præest nocti hujus sæculi, uti ait S. Aug. in Psal. 73. 16. Tertio, sicut luna in plenilunio est ingens, unde à Jeremia c. 7. 18. vocatur *Regina cœli ;* et ab Horatio in Sæculari carmine, *Regina siderum ;* sed sensim decrescit et quasi evanescit : ita Christus exinanivit se in præsepio, et in cruce, ut non esset ei species neque decor, Isaiæ 53. sed mox instar lunæ rursum crescentis resurgendo et ascendendo in cœlum, ad suam gloriam rediit. Quarto, luna stellis fixis natura est minor, sed luce major; ita Christus Angelis, quoad humanitatis naturam, est minor (unde de eo ait Psaltes Psal. 8. 6. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis.*) sed gratia et gloria longe omnes transcendit. Quinto magnus est lunæ in sublunaria influxus ita, ut nil videatur producere sol per se solus, nisi cum luna sociatus. Unde luna à priscis Romanis dicta est genitrix orbis. Vide Plinium lib. 2. c. 41. et 49. Ratio est, quia magna solis vis et calor cum lunæ humiditate ac mollitudine (utramque enim qualitatem ipsa efficit et producit) conjuncta, instar matris et patris causant et conservant naturalium rerum generationem, quæ in calore et humiditate congruenti consistit. Pari modo generatio spiritualis, puta justificatio, ac justitiæ et gratiæ incrementum, non solum ex Dei virtute, sed etiam ex Christi meritis, benignitate et gratia pendet; ita ut nihil Deus hominibus det gratiæ, nisi per Christum et Christi merita. Quocirca sicut Plinius lib. 2. c. 99. dixit, *lunæ sidus esse rerum spiritum ;* ita de Christo ait Jeremias Thren. 4. 20. *Spiritus oris nostri Christus Dominus.* Sexto, sicut lunæ accessus et recessus efficit æstum maris, ut scilicet mare quotidie singulis senis horis accrescat, et sequentibus senis decrescat : ita quod nunc hæ gentes ad fidem et Ecclesiam Christi accedant, nunc illæ, facit Christus.

Rursum, sicut luna est humanitas Christi, ita luna est et virgo Deipara : hæc est enim quasi Lucina Ecclesiæ parturientis, ut de ea dici possit illud Virgilianum :

Casta fave Lucina, tuus jam regnat Apollo.

Christus enim à B. Virgine, æque ac filius à matre, avelli aut separari nequit. Quocirca Ecclesia multa quæ in Scriptura de Christo primario dicuntur, secundario B. Virgini applicat, uti est illud Proverb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio : ab æterno ordinata sunt*, etc. Sic et Cantica Canticorum, quæ primario sunt Epithalamium Christi et Ecclesiæ, secundario Epithalamio Dei et B. Virginis attribuuntur. Unde Petrus Damiani serm. de Nativitate B. Mariæ illud Cant. 6. 9. *Pulchra ut luna*, de B. Virgine explicat dicens : *Quemadmodum nullum est astrum, excepto sole, adeo pulchrum ut luna ; sic summa gloria est post Deum, videre Virginem, adhærere illi, et illius protectionis munimine commorari.* Et serm. de Assumptione Virginis : *Quantumlibet aliæ stellæ reluceant ; luna tamen et magnitudine præeminet et splendore. Sic utramque naturam Virgo singularis exuperat, et immensitate gratiæ, et fulgore virtutum.*

Secundo, sicut *luna est super omnia pura luceque plena*, ut ait Plinius; ita et B. Virgo. Finxerunt Poetæ Dianam (id est lunam) præ virginitatis amore commercia hominum fugisse, et virginibus comitatam sylvas petiisse. Unde Virg. eam castam appellat. Quid castius B. Virgine? Quocirca S. Bernard. tract. de Passione Domini cap. 31. *Quis*, ait, *Sanctorum chorus melius lunæ comparatur quàm virgines?* videlicet propter earum candorem et pulchritudinem. Unde subjicit : *Honorabuntur præ cæteris, sicut lunam*

videmus præ cæteris sideribus eminere. Dixit vetus auctor, *lunam margaritarum ideam videri.* Quæ margarita purior et pulchrior virginitate, ac B. Virgine.

Tertio, luna cum puritate jungit fecunditatem : est enim parens rerum. Unde in numismatibus Cornelïæ Augustæ (uti refert Pierius Hierogl. 44.) cum lunæ effigie, in aliis hæc inscriptio apponitur, *fecunditas;* in aliis, *pudicitia.* Ita in B. Virgine junguntur summa virginitas, et summa maternitas ac fecunditas. Ut de Christo recte dicatur :

Nec genitrice tua fecundior ulla parentum est,
Tot bona per partum quæ dedit una suum.

Quarto, sicut luna, ita et B. Virgo, est et dicitur *Regina cœli.*

Quinto, sicut luna hîc mulierem fulcit ; ita B. Virgo Ecclesiam suis precibus et meritis, quasi basis et columna, fulcit et sustentat.

Sexto, sicut luna benigno influxu plantas et animalia vegetat, unde à Plinio lib. 2. c. 18. dicitur, *lunæ color blandus :* ita B. Virgo fideles tam justos quàm peccatores, quin et infideles, suam opem implorantes benigne complectitur, gratiam impetrat, ad salutem provehit. Est enim ipsa mater misericordiæ.

Septimo, sicut luna patitur eclipsin et defectum, cum se terra inter lunam et solem interjicit, ac radios solis intercipit, ne ad lunam deferantur, eamque illuminent : ita et B. Virgo, et humanitas Christi in passione eclipsin et defectum virium ac vitæ passæ sunt, cum terreni Judæi inter eas et Deum suam malitiam interposuerunt, ac crucem Christo statuerunt. Hinc Christus in cruce exclamavit : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Hæc summatim, quæ fuse Alcazar, eaque eleganter, ingeniose et mystice potius, quàm litteraliter et genuine prosequitur.

Respondeo ergo et dico : Ad litteram dicitur hîc luna esse sub pedibus mulieris, id est Ecclesiæ ; quia ipsa cuncta temporalia, et omnem creaturarum mutabilitatem despicit, et pedibus calcat, ait S. Gregor. 34. Moral. cap. 12. vel juxta aliam editionem 7.

Rursum, luna semper vel accrescit vel decrescit, et, ut ait Plinius l. 2. c. 19. *Modo curvata in cornua, modo æqua portione divisa, modo sinuatu in orbem ; maculosa, eademque subito prænitens, immensa orbe pleno, ac repente nulla.* Hac de causa luna est symbolum, æque ac causa inconstantiæ : ipsa enim causat æstus et reciprocationes maris, facitque ut mare adeo sit instabile, ut singulis senis horis nunc affluat, nunc refluat. A luna quoque lunatici dicuntur, in quos luna agit, et, ut Apuleius ait, qui cursum lunæ patiuntur : quales sunt potissimum qui comitiali morbo laborant, aut insania, aliove morbi genere quopiam certis lunæ temporibus gravantur et agitantur. Quocirca Eccl. 27. 12. dicitur : *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol ; nam stultus sicut luna mutatur.* Ecclesia autem est constans in fide, doctrina, moribus, persecutionibus, martyriis ; hinc lunam pedibus premit. Luna ergo hîc non ut fulciens mulierem (quomodo enim fulciret ipsa quæ maxime est vaga, varia, errans et instabilis), sed ut à muliere calcata proponitur. Hoc enim significat *et luna sub pedibus ejus*, ideoque Soli hîc, qui sursum est, ipsa deorsum posita opponitur. Sol ergo in bonam partem, luna vero in malam hîc capitur, ac significat res sublunares, variabiles, fluxas, et in perpetuo motu, fluxu et refluxu positas. Agitur enim hîc de bello, imo duello Ecclesiæ cum dracone : draconis autem arma sunt terrenæ et sublunares vel illecebræ, vel plagæ quas vel promittit, vel comminatur et infligit fidelibus ; has omnes cum luna pedibus calcat Ecclesia, itaque draconem superat et proterit, alioqui ab eo superanda et proterenda.

Et in capite ejus corona stellarum duodecim.] Duodecim scilicet Apostolorum, qui Ecclesiæ ut stellæ præfulserunt, idque in capite, id est, initio Ecclesiæ Christianæ : ita Patres et Interpretes passim. Arabicus vertit : *Et duodecim stellæ corona super caput ejus.* Notat Viegas hîc sect. 7. Apostolos duodecim figuratos esse, primo, in duodecim Patriarchis et tribubus Israel. Secundo, in duodecim titulis quos erexit Moses sanciens fœdus inter Deum et populum, Exod. 24. 4. Tertio, in duodecim fontibus Elim, Exod. 15. 27. Quarto, in duodecim gemmis quæ erant in rationali pontificis, Exod. 28. 17. Quinto, in duodecim panibus propositionis, Levit. 24. 5. Sexto, in duodecim exploratoribus quos misit Moses in Chanaan, Num. 13. 3. Septimo, in duodecim lapidibus, quos in signum Jordanis sicco pede transiti, erexit Josue cap. 4. 4. Octavo, in duodecim bobus æneis, super quos Salomon collocavit mare æneum, 3. Regum 7. 25. Nono in duodecim leunculis thronum Salomonis ambientibus, 3. Regum 10. 20. Decimo, in duodecim stellis hîc, et in duodecim signis Zodiaci.

Tropolog. notat Pannonius duodecim stellas esse Prælatos quoslibet, qui hîc admonentur eximiæ sapientiæ et sanctitatis. Nam ipsi sunt corona Christi et Ecclesiæ, ut sicut corona caput redimit et ornat, ita ipsi caput Ecclesiæ, id est Christum, suis eloquiis et moribus exornent.

Porro S. Bern. serm. de B. Virgine, in hæc Apoc. verba : *Signum magnum apparuit*, per has duodecim stellas accipit duodecim prærogativas gratiarum, quibus præ cæteris coronatur B. Virgo. *Nam primo*, ait, *singularis fulgor refulget in Mariæ generatione ; secundo, in Angelica salutatione ; tertio, in Spiritus superventione ; quarto, in filii Dei inenarrabili conceptione ; quinto, quod virginitatis sit primiceria ; sexto, quod sine corruptione fecunda ; septimo, quod sine gravamine gravida ; octavo, quod sine dolore puerpera ; nona, est mansuetudo pudoris ; decima, devotio humilitatis ; undecima, magnanimitas credulitatis ; duodecima, martyrium cordis*, quæ deinde fuse prosequitur.

Ex hoc loco nonnulli viri religiosi et cultus B. Virginis studiosi, conficiunt coronam, sive Rosarium duodecim stellarum, illudque hoc modo recitant. In honorem S. Trinitatis legunt interpolate ter orationem Dominicam, puta ter *Pater noster ;* ac in honorem duodecim stellarum, id est, duodecim illustrium virtutum B. Virginis, legunt totidem *Ave Maria.* Ad singula petentes ejus opem, ut illam ea in virtute imitari, in eaque crescere seque perficere possint. Primum ergo *Pater noster* recitant in honorem Dei Patris, petentes ab eo hyperduliam, et insignem reverentiam erga B. Virginem, utpote filii ejus matrem purissimam, virtutibus et

gratiis omnibus cumulatissimam, ac Reginam Angelorum et hominum. Deinde recitant quater *Ave Maria* in honorem quatuor virtutum quæ Deum concernunt, quibus excelluit B. Virgo. Prima virtus est fides, qua credidit se virginem fore simulque Dei matrem, ac sub cruce firma ac stabilis in fide divinitatis, redemptionis et resurrectionis Christi permansit.

Secunda, est spes, qua se in conceptione, partu, fuga in Ægyptum, passione et morte Christi, aliisque summis angustiis pressa, totam divinæ providentiæ resignavit et commisit.

Tertia, est charitas: primo, pura, et ab omni proprio commodo aliena; secundo, fervens, laboriosa, et nunquam cessans; tertio, fortis et constans juxta crucem; quarto, liberalis, seque totam cum filio suo nobis communicans.

Quarta, est religio erga Deum et Christum, ei serviendo, vestiendo, lactando, etc. ejus verba in corde suo conservando: servando circumcisionem, purificationem, aliasque legis et templi cæremonias.

Deinde recitant secundum *Pater noster* ad Filium, qui est spes nostra, postulantes donum spei, ut in omnibus necessitatibus magna fiducia ad B. Virginem, quæ est mater misericordiæ, vita, dulcedo et spes nostra recurramus. Mox recitant quater *Ave Maria* in honorem quatuor virtutum B. Virginis, quibus perfecta erat erga seipsam.

Prima, est humilitas qua primo, salutata ab Angelo, et electa Dei mater, se ejus ancillam vocavit; secundo, visitavit Elisabeth, eique servivit; tertio, mysterium incarnationis celavit, et laudata laudem in Deum retulit, dicens: *Magnificat anima mea Dominum;* quarto, servivit B. Josepho, et ultimo loco tum in domo, tum inter Apostolos et fideles sedit, ideoque in Actis Apostolorum ultimo loco nominatur.

Secunda, est virginitas, qua primo, prima omnium virginitatem Deo vovit; secundo, maximo illam zelo custodivit, dicens: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* tertio, domi manebat; ideoque vocatur hortus conclusus et porta clausa. Quarto, impuras aliorum cogitationes solo aspectu pellebat, uti S. Amb. de Virginibus et alii graves auctores testantur. Porro conceptio partus Christi virginitatem B. Virginis non violavit, sed sacravit, fecitque ut inaudito à sæculis, prodigio ipsa simul esset virgo et mater, ideoque mater Dei. Audi B. Chrysol. serm. 148. *Quæ ibi verecundiæ læsio, ubi init deitas cum amica sibi semper integritate consortium, ubi est interpres Angelus, fides pronuba, desponsatio castitas, donatio virtus, judex conscientia, causa Deus, conceptus integritas, virginitas partus, virgo mater?*

Tertia, est fortitudo, quæ eluxit in morte Christi, in qua stabat juxta crucem; secundo, in injuriis Judæorum tolerandis; tertio, in serviendo filio, omnibusque Christianis adjuvandis.

Quarta, est paupertas, quæ tanta fuit, ut non esset ei locus in diversorio, sed in stabulum secedere sit coacta, ibique parere Christum orbis dominum.

Denique tertium *Pater noster* recitant in honorem Spiritus sancti, postulantes ab eo gratum animum erga B. Virginem, cui ut matri Redemptoris, ut mediatrici nostræ apud Deum, ut matri amantissimæ, omnia nostra debemus.

Deinde legunt quater *Ave Maria*, ruminantes quatuor eximias virtutes B. Virginis erga proximum.

Prima, est charitas fraterna, qua juvit Elisabeth et sponsos in nuptiis Canæ Galilææ, cùm vinum non haberent; ac impense desiderat, adjuvatque omnium hominum salutem.

Secunda, est obedientia, quia et Augusto Cæsari Ethnico in pendendo censu, et legi Mosis in purificatione et Josepho sponso obedivit; ac curavit ut filii sui præceptis alii obedirent, ut cum in nuptiis ministris dixit: *Quodcumque dixerit vobis, facite.*

Tertia, est misericordia, qua viscera misericordiæ suæ cuilibet in qualibet afflictione eam invocanti effundit; æque ac filium suum in redemptionem nostram in cruce, ac in cibum in Eucharistia, nobis misericorditer et liberaliter elargita est.

Quarta, est modestia, quæ tanta fuit, ut S. Dionys. epist. ad S. Paulum, quam recitat Christ. à Castro in Hist. Deiparæ c. 19. scribat se eam pro dea habiturum fuisse, nisi fides eum aliud docuisset. Hinc in sermone erat parca: verba ejus singula erant præmeditata, pia, pudica, humilia, plena misericordiæ, charitatis et laudis Dei, ut cum concepto Dei verbo, ac salutata ab Elisabeth mater Dei, respondit: *Magnificat anima mea Dominum.* Denique duodecim hasce stellas pie pulchreque adaptat duodecim mysteriis vitæ B. Virginis P. Anton. Spinellus in suo Mariali p. 599 et 604.

2. ET IN UTERO HABENS CLAMABAT PARTURIENS, ET CRUCIABATUR UT PARIAT.] Ecclesia in fine mundi ob acerbissimas persecutiones et persecutores magnis doloribus et ærumnis, quasi parturiens, filios, id est fideles, Christo pariet: ita passim Patres et Interpretes. Historice cruciata quoque est B. Virgo, non dolore partus, sed desiderio pariendi et videndi Christum Salvatorem mundi. Rursum cruciata est paupertate et molestiis itineris, et hospitii et alimoniæ, in quibus se Christum parituram et educaturam prævidebat ac dolebat. Tertio, cruciatur etiamnum (unde græce est κράζει, id est, clamat) ut Christum in aliis pariat, quovis sæculo ac præsertim in fine mundi: tunc enim instar Rachelis pariet ultimas proles, et quasi Benjaminos Christo. Cruciatur, inquam, in suis instrumentis, puta Apostolis et prædicatoribus, aliisque qui zelo animarum aguntur. In seipsa etiam cruciatur per metalepsin, id est, summe desiderat et allaborat pro partu, vita et salute fidelium, indeque cruciaretur, si cruciatus in eam jam cadere posset; quomodo Deus dicitur dolere, pœnitere, contristari.

Alludit Joannes ad Isaiæ 66. 7. *Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus ejus, peperit filium masculum.* Et mox: *Quis audivit unquam tale? et quis vidit huic simile? numquid pariet terra in die una? aut parietur gens simul, quia parturivit et peperit Sion filios suos.* Ubi cum ait: *Antequam parturiret,* non significat partum hunc fuisse sine parturitione et dolore; sed tam dolores, quàm partum simul confluxisse, ut simul pareret et parturiret, brevi quidem, sed ingenti nisu et cruciatu.

Tropol. discant hic qui animabus convertendis student, sibi eas magno labore et dolore constitutas, scilicet tanto, imo majore, quàm est parientium; sed pro tali tantaque prole for-

fiter omnia tolerent et superent, ac si opus sit, pro suis Benjaminis cùm Rachele animam et vitam ponant. Ita fecit Paulus; unde ait Galat. 4. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio.* Idipsum suis prædixit Christus Joan. 16. 21. *Mulier*, inquit, *cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus; cùm autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ*, etc. *Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis*, etc. Quocirca S. Gregor. lib. 30. Moral. c. 9. et 10. explicans illud S. Job. c. 39. *Numquid nosti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes cervas observasti?* vere et apposite eos qui animabus convertendis studeut, comparat cervis et ibicibus parturientibus; quarum partus est difficillimus. Ubi inter alia notat τὸ *observasti : Quia*, ait, *perpaucorum est pensare quis labor sit in prædicationibus patrum; quantis doloribus quasi quibusdam conatibus animas in fide et conversatione parturiunt, quàm cauta se observatione circumspiciunt, ut sint fortes in præceptis; compatientes in infirmitatibus, minis terribiles, in exhortationibus blandi, in ostendendo magisterio humiles, in rerum temporalium contemptu dominantes, in tolerandis adversitatibus rigidi; et tamen dum vires suas sibimet non tribuunt infirmi : quantus sit eis dolor de cadentibus, quantus sit de stantibus timor, quo fervore alia adipisci appetunt, quo pavore alia adepta conservant.* Ad hosce labores et dolores accedunt vexationes et tentationes, quas dæmon suscitare solet, tum ex ira et invidia, tum ne præda, puta anima peccato subdita, sibi eripiatur. Hasce enim se expertam esse quotiescumque peccatorem aliquem ad meliorem vitam traducebat, fatetur S. Teresia, itaque longo usu se didicisse hoc esse signum fructus pii laboris, puta animæ conversæ, vel convertendæ, si quis eas sentiat; quocirca eas esse contemnendas, et fortiter superandas. Si enim fortiter obsistas, dæmon, qui timidissimus est, instar feminæ confusus aufugiet : sin cedas, dæmon in te insurget, et sæviet ut leo.

Pulchre S. Greg. lib. 5. Mor. 16. *Diabolus*, ait, *est myrmicoleon, id est formicarum leo, vel formicaleo : est enim myrmicoleon parvum valde animal formicis adversum, quod se sub pulvere abscondit, et formicas frumenta gestantes interficit, interfectasque consumit; est ergo aliis animalibus formica, ipsis autem formicis leo. Has enim quasi leo devorat, sed ab aliis quasi formica devoratur : sic diabolus contra erectos est timidus, contra subditos audax.*

Talis mulier parturiens fuit S. Monica, quæ tum alios, tum filium Augustinum tam carne quam spiritu, puta multis precibus, lacrymis et laboribus Deo peperit; de qua S. August. l. 5. Confess. cap. 9. *Non*, inquit, *satis eloquar quid erga me habebat animi, et quanto majore sollicitudine me parturiebat spiritu, quam carne pepererat.* Unde et ab Episcopo quodam audivit : *Fieri non potest ut filius istarum lacrymarum pereat*, teste eodem August. lib. 3. Confess. c. 12. Qui rursum lib. 9. cap. 9. describens mortem ejus : *Nutrierat*, inquit, *filios, toties eos pariens, quoties abs te deviare cernebat. Postremo nobis, Domine, omnibus qui ante dormitionem ejus in te consociati vivebamus, ita curam gessit, quasi omnes genuisset; ita servivit, quasi ab omnibus genita fuisset.*

3. ET VISUM EST ALIUD SIGNUM IN CŒLO : ET ECCE DRACO MAGNUS.] Plinius lib. 8. c. 14. memorat serpentem 120 pedes longum, qui balistis instar urbis, fuit oppugnatus et superatus. Additque in India serpentes esse adeo magnos, ut integros tauros et cervos deglutiant.

Nota : Draco hic, id est diabolus, apparuit S. Joanni in cœlo. Primo, quia inde decidit; secundo, proprie, quia in cœlo hoc aereo dominatur, tentatque homines, et à multis in idolis colitur quasi Deus, præsidens cœlo. Unde ab Apostolo Ephes. 2. 2. vocatur princeps aeris hujus; et cap. 6. 12. ait nobis esse colluctationem *contra spiritualia nequitiæ*, id est contra spiritales nebulones, puta dæmones, qui sunt *in cœlestibus*. Sic et mulier hæc, id est Ecclesia militans visa est in cœlo aereo, non siderèo, ut dixi v. 1. Tertio, quia Ecclesiam, cujus conversatio est in cœlis, ejusque fideles, qui sunt instar stellarum puri et lucidi, oppugnat et persequitur. Addit quarto Alcazar, symbolice per cœlum significari arrogantiam ac fiduciam dæmonis, qua certa quadam spe devoraverat Ecclesiam primitivam utpote exiguam, et cui se tam Judæi quam gentes, ac totus quasi mundus opponebat. Sperabat enim se illam, quæ moribus cœlestis est, et in cœlo quasi degit, gradu et loco suo deturbaturum, eumque occupaturum. Idem sperabit in fine mundi. Sic de eodem sub typo regis Babylonis dicitur Isaiæ 14. 13. *In cœlum conscendam;* et de Antiocho rege superbo, ejusque regno dicitur Daniel. 8. 10. *Magnificatum est usque ad fortitudinem cœli;* et 2. Machab. 9. 10. *Sidera cœli contingere se arbitrabatur;* et 1. Machab. 1. 4. de Alexandro Magno dicitur : *Exaltatum est et elevatum cor ejus*, scilicet supra terram, supra homines, in cœlum usque.

Nota secundo : Dæmon vocatur serpens, vel draco (draco enim idem est quod serpens grandior et sævior; unde vulgo dicitur : *Serpens non fit draco, nisi serpentem devoret*) ; tum quia primitus Evam serpentis specie decepit, indeque perennes inter eum et mulierem ejusque sobolem conflatæ sunt inimicitiæ et bella, Genes. 3. unde inferius vocatur serpens antiquus, tum quia dolos, sævitiam et horrorem serpentis ac draconis imitatur. Vide dicta Daniel. c. 14. 22.

Nota tertio : Licet Alcazar per draconem accipiat totam dæmonum rempublicam, eo quod dicatur habere capita septem et cornua decem; tamen verius est per draconem solum intelligi Luciferum dæmonum principem. Patet id primo, quia opponitur Michaeli, quasi dux duci; secundo, quia cæteri vocantur Angeli ejus; nam v. 9. dicitur : *Projectus est draco ille magnus, etc. et Angeli ejus cum illo missi sunt;* tertio quia v. 4. dicitur cauda sua traxisse tertiam partem stellarum, id est Angelorum, qui facti sunt dæmones.

Denique Aureolus ordine prosequens suam seriem temporum, et chronica Ecclesiæ, per draconem intelligit Cosroen regem Persarum : per mulierem, Ecclesiam : per filium masculum, Heraclium Imper. qui ope Dei et Angelorum Cosroen profligavit, et Christi crucem ab eo ablatam recepit. Hic sensus est accommodatitius, non genuinus et litteralis.

RUFUS,] quia est homicida, Joann. 8. 44. nam Adamo et Evæ, omnibusque ejus posteris, sua per pomum vetitum tentatione, fuit causa mortis; secundo, quia per suos ministros, puta infideles et hæreticos, multos fideles affecit martyrio, ac plures eodem afficiet per Antichristum

in fine mundi ; tertio, color rufus, inquiunt Viegas et Alcazar, significat fraudem et malitiam ; quid enim dæmone fraudulentius aut malitiosius? quarto, Alcazar, pro *rufus*, inquit, græce est πυρρος. Scitum est autem serpentem inveniri rufo colore, qui græce πυρριας dicitur, estque cæteris callidior et exitialior ; ac fortasse rufus idem est quod ignitus, quasi πυρρος dicatur à πυρ, id est igne, ut alludat ad ignitos serpentes, qui immissi sunt in Judæos murmurantes, Num. 21. 6. Porro visos subinde esse dracones qui ignes vomerent, narrant historici. Leslæus in sua Scotia, anno 1558, refert apud Marchiam et Laudoviam draconem quemdam ignes vomuisse, quibus segetes et fruges incendebat, ac proinde populum coactum fuisse pervigilare, ut ignes hosce extingueret. Addit Alcazar, sicut in libro Job dæmon habet tria nomina, scilicet Satan, cap. 2. 1. Leviathan, cap. 40. 30. et Behemoth, cap. 40 10. Ita hîc totidem ei dari. Nam nomini Satan respondet nomen draco ; nomine Leviathan, id est balænæ vel ceti, respondet bestia maris c. 13. 1. bestia terræ c. 13. 11. est Behemoth, id est elephas. Verum de bestiis hisce dicam c. 13. Audi ex Patribus draconis hujus indolem, sævitiam, fraudes, artes et arma.

B. Isidor. lib. 1. de Summo Bono : *Dæmones*, ait, *triplici acumine præscientiæ vigent, scilicet subtilitate naturæ, experientia temporum, revelatione superiorum potestatum. Quanto propinquius finem mundi diabolus videt, tanto crudelius persecutiones exercet, ut qui se continuo damnandum conspicit, socios sibi multiplicet, cum quibus gehennæ ignibus addicatur.* S. Cyprianus tr. 3. de Prælat. simplic. *Diabolus*, ait, *dictus est serpens; quia cum latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens, occultis accessibus serpit* (*unde nomen serpentis accepit ;*) *ea est ejus astutia, ea circumveniendi homines cæca et latebrosa fallacia, ut asserere videatur noctem pro die, venenum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi; ut, dum verisimilia mentitur, veritatem subtilitate frustretur. Nam transfigurat se in Angelum lucis.*

S. Basil. in aliquot Scripturæ locos, comparat diabolum pardali, quæ capitalis est hominis hostis : unde venatores ut feram deludant, hominis imaginem ex charta ei ostendunt ; illa statim furibunda eam concerpit et dilacerat. Sic et diabolus imaginem Dei in homine apparentem insectatur, quando Deum ipsum attingere nequit. Hinc et esca ejus electa est, uti ex Job docet S. Greg. 32. Moral. c. 2.

S. Martinus apud Sulpit. videns mergulos in flumine pisces capientes et vorantes : *Hæc*, ait, *forma dæmonum est. Insidiantur incautis, capiunt nescientes, captos devorant, exsaturari non queunt devoratis.*

S. Gregor. lib. 33. Mor. 14. Diabolus, ait, dicitur jumentum, draco et avis. Humanum genus tribus vitiis tentat, luxuria, malitia et superbia. In eis igitur quos excitat ad luxuriam, jumentum est ; in eis quos ad nocendi malitiam inflammat, draco est ; in eis quos ad superbiam elevat, avis est ; in illis quos pariter luxuria, malitia et superbia polluit, jumentum, draco simul et avis existit.

S. August. in ser. commun. serm. 4. *Quid pravius, quid malignius, quid adversario nostro nequius? qui posuit in cælo bellum, in paradiso fraudem, odium inter primos fratres, et in omni opere nostro zizania seminavit. Nam in comestione posuit gulam, in generatione luxuriam, in exercitatione ignaviam, in conversatione invidiam, in gubernatione avaritiam, in correctione iram, in præsulatu sive dominatione superbiam, in corde posuit cogitationes malas, in ore posuit locutiones falsas, in membris operationes iniquas ; in vigilando movet ad prava opera, in dormiendo ad somnia turpia. Lætos movet ad dissolutionem, tristes autem ad desperationem. Sed ut brevius loquar, omnia mala mundi sua sunt pravitate commissa.*

S. Chrysost. homil. 4. in Isaiam. Sicut navigia vacua non metuunt piratas, sed onusta auro, argento et lapidibus pretiosis ; sic et diabolus non facile persequitur peccatorem, sed justum potius, ubi multæ sunt opes, id est virtutes et merita.

S. Salvian. l. 6. de Provident. *Sicut*, ait, *exercitus pugnaturi ea loca per quæ venturas hostium turmas sciunt, aut foveis intercludere, aut sudibus præfigere, aut tribulis infestare dicuntur ; scilicet ut etiamsi non in ea omnia quispiam incidat, nullus tamen omnia penitus evadat : ita etiam dæmones tam multas in via ista humano generi illecebrarum insidias prætendunt, ut etiamsi plurimas earum aliquis effugiat, tamen ab aliqua capiatur.*

S. Anselm. in Similitud. cap. 80. comparat diabolum injusto litigatori, qui cum causa ei abjudicatur à Juris-consulto vel judice, postaliquod tempus, cum judicium hoc oblivione sepultum putat, rursus litem suscitat, dicens priorem sententiam fuisse injustam. Ita et dæmon ubi victus est rursus easdem illecebras suggerit, et tentat hominis animum, quem scit esse mobilem et inconstantem. Remedium suggerit. *Sed ille*, ait, *qui semel mundum, ipsumque diabolum recte superavit, non curat ea quæ fraudulenter ille dicit ; sed firmum tenet, quidquid semel recte est stabilitum, non esse denuo destruendum : et quod recte definivit relinquendum, non esse iterum appetendum. Sic enim facile Deo subveniente diabolum poterit superare.*

HABENS CAPITA SEPTEM, ET CORNUA DECEM : ET IN CAPITIBUS EJUS DIADEMATA SEPTEM.] Solum caput primarium draconis habebat cornua decem ; reliqua vero tantum habebant suum diadema, quod etiam habebat caput primarium. Hinc Alcazar opinatur draconem hunc visione ostensum Joanni fuisse hydram : hæc enim multorum fuisse capitum à Poetis dicitur, aut potius fingitur. Rursum hydra est invidiæ symbolum, uti docet Pierius Hierogl. 16. Jam quoad sensum, Alcazar per septem capita accipit septem nefarios spiritus, quos sancti Patres dæmoni adscribunt, scilicet spiritus superbiæ, avaritiæ, luxuriæ, iræ, gulæ, invidiæ et acediæ. Ac licet Scriptura capita hæc non describat, suspicari tamen licet fuisse ea horum septem animalium, scilicet leonis, tigridis, ursi, viperæ, lupi, serpentis et asini. Dæmon enim dum tentat, nunc caput et vultum superbi leonis nobis ostendit, nunc serpentis invidi, nunc viperæ iratæ, nunc asini ignavi, nunc lupi gulosi, nunc tigridis avaræ, nunc ursi luxuriosi, de quo Plinius l. 8. c. 36. Unde Ecclesia hæc septem vitia capitalia ab hisce draconis capitibus, ut videtur, appellavit ; quia ad ea quasi ad capita cætera reducuntur, ut docet S. Gregorius 31. Moral. 31. et Cassianus collat. 5. cap. 2. Porro per decem cor-

nua denotatur dæmonum tum multitudo, tum etiam singulorum vis et potentia, ut significetur bellum quod adversus Ecclesiam et Christianos gesserunt, gerunt et gerent, acerrimum esse, æque ac periculosissimum. Sic Danielis 7. v. 7. quarta bestia significans Romanum imperium, decem habet cornua, quæ significant Romanorum polyarchiam, scilicet Senatores numero multos et potentia validos : hi enim regebant olim Romam et Romanum imperium, iique soli ante Julium Cæsarem ; post eum vero una cum Imperatore. Erat enim Senatus gravissima principum concio, quæ Imperatorem et Imperium numero, virtute et concilio fulciebat; ita ut moriente Imperatore ipsa non moreretur, sed jugiter permaneret. Verum hæc mystica sunt potius quam litteralia. Unde Haymo et alii passim, mystice per septem hæc capita accipiunt septem vitia capitalia. Rursum Richardus per decem cornua accipit sæcularem potestatem, puta reges omnes qui Decalogum, Deique legem et cultum impugnant.

Ad litteram ergo decem cornua draconis, id est Luciferi, sunt decem reges (cornu enim symbolum est roboris et regni, uti ostendi Daniel. 7.) qui dominabuntur in orbe quando veniet Antichristus, è quibus tres occidet Antichristus ; unde reliqui septem timore perculsi, sponte ipsi se subdent, et cum eo quasi dæmonis instrumento, Christianos et Ecclesiam pessumdare et evertere conabuntur. Id ita esse patet ex Daniel. 7. 24. et cap. 11. vide ibi dicta. Similiter septem capita sunt septem alii reges, è quibus unus, isque præcipuus erit Antichristus : sex reliqui erunt illius præcursores, illumque alii per plura, alii per pauciora sæcula anteibunt ; ita enim se explicabit Joan. c. 17. v. 9. et 12. ubi explicabo quinam sint hi reges. Quocirca solum præcipuum draconis caput habebat decem cornua, id est, decem reges sibi subditos ; reliqua vero ejus capita lateralia et minora carebant hisce cornibus, et solum singula habebant diademata, ut recte advertit Alcazar, et in imagine mulieris et draconis expressit pag. 614. quia solus Antichristus subjiciet sibi decem mundi reges, non cæteri sex. Symbolice Petrus Galatinus hîc censet per septem draconis capita significari septem Ecclesiæ persecutiones, sibi invicem ex ordine successuras, quas ipse enarrat.

4. ET CAUDA EJUS TRAHEBAT TERTIAM PARTEM STELLARUM, ET MISIT EAS IN TERRAM,] id est, dæmon occidit multos ex Apostolis, primisque fidelibus et Evangelii præconibus, inquit Alcazar. Pro *trahebat* enim græce est συρειν, quod significat caudæ ictibus et voluminibus devolvere; indeque mittere in terram, ut casu eludantur et occidantur. Sic enim de bestia maris dicitur cap. seq. v. 7. *Datum est illi bellum facere cum sanctis, et vincere eos.*

Verum dico cum S. Gregorio lib. 32. Moral. cap. 14. Ribera et aliis, sicut præcipuum hujus draconis caput, ita et cauda illi respondens repræsentat Antichristum. Ipse enim est caput draconis, quia diaboli primarius erit dux, princepsque omnium tyrannorum et impiorum. Idem est cauda, quia ipse erit extrema draconis, id est corporis diaboli, pars. Hic trahet post se in suam perfidiam tertiam partem stellarum, id est illustrium Sanctorum, qui quasi duces, vel doctores, vel cæteris eminentes instar stellarum, aliis prælucebant. Nam ex plebe multo plures trahet et pervertet. *Stellas de cœlo cadere*, ait S. Gregorius, *est nonnullos relicta spe cœlestium, illo duce ad ambitum gloriæ sæcularis inhiare.* Sic de Antiocho Epiphane dicitur Daniel. 8. 10. *Dejecit de fortitudine, et de stellis, et conculcavit eas ;* ubi stellas vocat Judæos doctrina, pietate, vel genere illustres, quos Antiochus suis minis ad apostasiam et idololatriam inflexit; ita S. Hieron. Theodor. et alii ibidem.

Alludit ad primum Luciferi superbiæ peccatum, ut docet Victorinus, quo ipse rebellans Deo, sua cauda, id est post se, suadendo et sollicitando traxit tertiam partem stellarum, id est angelorum. Unde ex hoc loco et nonnullis similibus, multi moderni Doctores Scholastici, inter quos est Franc. Suarez 3. p. tom. 2. disp. 31. sect. 4. §. *Ex his ergo*, probabiliter opinantur Luciferi et asseclarum ejus ambitionem in eo sitam fuisse, quod accepta à Deo revelatione de futura unione hypostatica Verbi cum humana natura, humanæ naturæ hanc dignitatem inviderit; videbat enim eam sibi et angelis præponi. Quocirca illam sibi appetiit, itaque voluit fieri Deus non per essentiam (hoc enim sciebat esse impossibile, et implicare contradictionem), sed per unionem hypostaticam. Idcirco enim insecutus est puerum masculum quem peperit mulier, puta Christum, ob eumque in cœlo cum Michaele dimicavit, uti hîc dicitur, volens eum neci tradere, quia invidit ei hanc unionem. Omne enim ejus bellum est contra puerum hunc, adeoque duellum quod cum eo inchoavit in cœlo, illud ipsum continuat jugiter in terra.

Porro quod in hac allusione (alius enim est sensus litteralis primario intentus, uti jam dixi) dicitur Lucifer traxisse post se tertiam partem stellarum, id est angelorum, non arithmetice, sed vulgariter accipiendum est, scilicet tertiam, id est magnam partem. Nam non videtur præcise traxisse tertiam : inde enim sequeretur plures esse homines quam sint angeli et dæmones simul juncti. Id sequi patet : quia soli homines beandi, puta electi, supplent hanc tertiam partem angelorum lapsorum, eorumque ruinas adimplent. Jam vero homines beandi non sunt tertia pars, imo nec decima omnium hominum. Nam longe plures homines damnantur quam salventur, nimirum ex decem vix unus, imo si credimus S. Chrysost. ex centum vix unus salvatur. Ergo homines beandi vix sunt decima, et secundum Chrysost. vix centesima pars hominum. Quocirca si homines beandi explent numerum tertiæ partis angelorum quæ lapsa est, damnandi non tantum duas reliquas angelorum partes, quæ perstiterunt, explebunt, sed et insuper septem, et secundum S. Chrysostom. 97. alias tantas. Hoc autem non videtur verum. Nam S. Dionysius lib. de Cœlesti hierarch. docet angelos maximo esse numero et quasi innumerabiles, ac superare numerum rerum corporearum : ergo et hominum. Aut ergo dicendum est tertiam partem angelorum præcise non cecidisse ; aut si præcise tertia cecidit, in eam non tot præcise succedere homines beandos, quot ceciderunt angeli; quod posterius valde verisimile est. Cum enim dicitur homines succedere in locum angelorum lapsorum, ut eorum ruinas sarciant, hoc generice et indefinite, non singulariter et definite intelligendum

est, nimirum quod cœtus electorum ex hominibus succedet in cœtum angelorum lapsorum, etsi ille hoc sit minor, eumque numero non adæquet: non autem quod singuli homines singulis angelis succedant ac consequenter tot sint homines salvandi, quot angeli labentes facti sunt dæmones. Hoc ita esse liquido constabit legenti ea quæ dixi Apocal. 3. v. 11. ad illa verba: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Sicut enim homines hominibus, ita et angelis labentibus sufficiuntur, sed fine secundario. Primario enim Deum omnes homines, æque ac angelos, ad suum finem, scilicet salutem et vitam æternam, creavit, destinavit et vocavit; ac creasset, destinasset et vocasset, etiamsi nulli angeli cecidissent: primario enim voluit Deus condere hoc universum, ejusque incolas, scilicet angelos et homines, non propter aliud, sed propter se; imo universum hoc voluit condere propter homines: hominem enim decrevit et statuit finem et scopum universi, ac consequenter cœlum empyreum creavit, ut esset locus corporeus beatitudinis et gloriæ hominum, qui corpore æque ac anima constant. Angeli enim, cum sint incorporei, loco corporeo non indigent.

Tropologice, Origenes, tract. 30. in Matth. *Fidelis*, inquit, *qui debet audire: Post Dominum Deum tuum ibis, et: Venite post me; et ad hæc quidem obstruit aures suas, peccatum autem sequitur, trahitur à cauda draconis, vadens post eum. Si autem contigerit eum qui sic vixit, ut audiat: Vos estis lux mundi, et aliquando splenduerint opera ejus bona, hic aliquando constitutus stella, et in cœlo habens conversationem, si avulsus fuerit à dracone in terram, hic erit stella à cauda draconis tracta, et missa in terram.*

Et draco stetit ante mulierem quæ erat paritura; ut, cum peperisset, filium ejus devoraret.] Narrat Plinius l. 8. 14. sub Claudio imper. Romæ in Vaticano occisum fuisse serpentem ex illis quæ Boæ vocantur, et in ejus alvo inventum fuisse solidum infantem. Unde et Hercules, qui natus dicitur ad teterrima monstra quæ orbem infestabant debellanda, dicitur vel fingitur, dum adhuc infans in cunis ageret, à duobus serpentibus fuisse invasus, qui eum devorare satagebant. Ita Herodes infanticida, ad quem hîc alluditur, qui Christum puerum voluit pariter enecare, recte vocatur draco; imo, ut ait Arias Montan. in Apparatu, Herodes Syriace idem est quod draco ignitus: Herodes enim conflatur ex ירוד *ierud*, id est draco, et אש *es*, id est ignis. Porro quis sit hic partus et filius jam dicam.

5. Et peperit filium masculum.] Primo, quia secundum allusionem historicam B. Virgo, et per consequens Ecclesia vetus genuit Christum, qui masculus est, uti sexu, ita et fortitudine, qui dominus est et rector omnium gentium. Huic enim dictum est psal. 2. *Reges eos in virga ferrea.* Hinc etiam draco eum voluit devorare per Herodem; ita Barradius lib. 10. cap. 12. ubi docet hunc esse proprium hujus loci sensum, sed verius est esse allusivum; ita Aretas et alii.

Secundo, proprie et genuine, filius masculus est populus fidelis et sanctus, quem Christo parit Ecclesia. Alludit enim ad Isaiæ 66. v. 7. ubi dicitur mulier, id est Ecclesia, parere filium masculum, id est populum Christianum. Simili modo populus Israel vocatur filius, isque primogenitus Dei, ut Osee 11. v. 1. *Puer Israel, et dilexi eum; et ex Ægypto vocavi filium meum.* Sensus ergo est, q. d. Ecclesia parit, et maxime in fine mundi (de eo enim hîc proprie agitur) pariet Christo masculos, id est fideles et sanctos, qui masculo, forti et invicto sint animo, ideoque martyrium obibunt sub Antichristo. Aut quod eodem redit, q. d. Ecclesia parit, et pariet in fine mundi Christum in animis firmiter credentium et fortiter amantium Deum. Nam quod sequitur: *Et reges Gentes in virga ferrea*, soli Christo proprie et perfecte competit, participative tamen competit etiam aliis Sanctis, uti dixit Joan. c. 2. 27. Unus ergo masculus est, ait Ambros. quem peperit B. Virgo, quemque Ecclesia parit: quia Christus cum omnibus suis membris, puta fidelibus, unum est corpus, et quasi una persona, uti ait Apostolus 1. Cor. 12. v. 12. et 27. Vide ibi dicta; ita et Richardus, Primasius et alii hîc.

Nota: Fideles ut sint Christo chari et genuini ejus filii, debent esse masculi, ut fortiter suis cupiditatibus imperent, et constanter adversa quævis sustineant. Nam feminæ, id est voluptuarii, molles, timidi et inconstantes, quasi spurii ab eo rejiciuntur. Vide dicta Exodi 1. 16. et Num. 36. v. 2. et 11. In masculis ergo fidelibus perstat Christi, quasi parentis, nomen et gloria. Masculus enim hebr. dicitur זכר *sachar* à *secher*, id est memoria, quod in eo patris post mortem nomen et memoria perduret, juxta illud Eccli. 30. v. 4. *Mortuus est pater, et quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se.* Vice versa feminæ hebr. vocantur נשים *nasim*, à נשה *nasa*, id est oblitus est, eo quod in feminis patris nomen dispereat, et memoria oblivioni tradatur.

Alcazar more suo refert hæc ad Ecclesiam primitivam: unde per filium masculum accipit Romanam Ecclesiam, q. d. Primitiva Ecclesia peperit et fundavit Romanam Ecclesiam, antequam à Judæis ad desertum gentilitatis evolaret. Romano enim Pontifici data est à Christo virga ferrea, qua regat omnes Gentes christianismo subditas.

Et raptus est filius ejus ad Deum, et ad thronum ejus.] Perstringit ascensionem Christi in cœlum; sed ad litteram, uti dixi, significat Christianos. q. d. Christiani qui in fine mundi erunt sancti, fortes et electi Dei, rapientur per mortem, vel per martyrium in cœlum, ut Deo fruantur, itaque evadant os et manus draconis. Ita Ambrosius et Ribera. Alludit ad raptum pueri Joas, quem Josaba amita surripuit, ne cum aliis filiis regiis interficeretur ab Athalia, eumque abscondit in domo Domini, id est in atrio templi, uti dicitur 4. Regum 11. 2. Ubi nota. Apte Joas hebr. significat *Dei ignem*, q. d. Volebat Athalia extinguere ignem, id est lucernam, Davidis, ne quis ex ejus posteris regnaret: ita et volet draco extinguere lucernam Christi, sed servabitur in domo Domini sub alis et protectione Dei; nam ut dicitur psal. 90. *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.* Sicut ergo Deus in templo servat lucernam suam in candelabro ardentem, ita servabit et Joas, quasi scintillam lucernæ Davidis et suæ, ac multo magis servabit scintillas, id est fideles, in fine mundi, nec permittet extingui

lucernam, id est fidem, religionem et cultum Christi sui.

6. ET MULIER FUGIT IN SOLITUDINEM.] q. d. Cum puer masculus, id est heroes illi fortes permartyrium rapientur ad thronum Dei, tunc mulier, id est populus fidelis, puta cæteri Christiani et Sancti infirmiores tempore Antichristi fugient ad deserta et latibula; eo scilicet tempore, quo Elias et Henoch, eorumque asseclæ generosi, palam et intrepide cum Antichristo cominus decertabunt. Est autem hîc histerologia, sive occupatio et anticipatio. Nam hæc fuga contingeret post dejectum draconem, uti enarratur v. 14. Nota: Alludit ad fugam B. Virginis et Christi in Ægyptum. Rursum ad fugam Christianorum in solitudines et speluncas tempore Decii (uti sub eo fugit S. Paulus primus Eremita, teste S. Hieronymo) et aliorum persecutorum.

Sic Poetæ narrant, aut potius fingunt, Latonam filium Jovi parituram, à Pythone serpente acrem insectationem passam, fugisse in Delon insulam, ibique Apollinem et Dianam uno partu esse enixam.

Mystice, solitudo est solitaria quies à rebus terrenis, et contemplatio rerum divinarum et cœlestium gaudiorum, in quam quasi in asylum, a tumultu et persecutione mundi confugiendum est, inquit Primasius. Eo confugit David psalm. 54. 7. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam? Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine;* et Job cap. 29. 18. *In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies;* et sponsa Cantic. 3. 1. *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea;* quod explicans S. Gregorius 8. Moral. 17. *In lectulo*, inquit, *et per noctem dilectus quæritur; quia invisibilis conditoris species, repressa omni corporeæ visionis imagine, in cubili cordis invenitur.* Unde psalm. 149. dicitur: *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis; quia scilicet cum mala ab exterioribus fugiunt, securi intra mentium secreta gloriantur;* et Isaias cap. 30. 15. *In silentio et in spe erit fortitudo vestra;* et Jerem. Thren. 3. v. 28. *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius et tacebit; quia levavit super se.* Et S. Ambr. lib. 3. Offic. 1. *Non primus*, inquit, *Scipio scivit solus non esse cum solus esset: scivit ante ipsum Moyses, qui cum taceret clamabat; cum otiosus staret, prœliabatur. Adeo otiosus, ut manus ejus alii sustinerent: nec minus quam cæteri negotiosus, qui otiosis manibus expugnabat hostem, quem non poterant vincere qui dimicabant. Cujus autem majora negotia quam hujus otia, qui quadraginta diebus positus in monte, totam legem complexus est? Quando ergo justus solus est, qui cum Deo semper est? quando solitarius est, qui nunquam separatur à Christo?* et Ansbert. hîc: *Solitudo*, ait, *ad quam mulier fugiens, locum à Deo præparatum invenit, est quies mentis, quæ inordinatos motus desideriorum à secreto cordis ejiciens, solatium in Deo invenit. Sancti etenim viri, quia alibi draconis insidias evadere non possunt, seipsos desertum quietis faciunt, ut habeant quo salubriter fugere possint. Prius quippe terrenorum desideriorum motus manu considerationis à corde rejiciunt, et postmodum quietis locum in ipsa solitudine quo latere possint, inveniunt. Quia enim transitoria cuncta despiciunt, ex his nascentes cogitationum insolentias non patiuntur. Solam namque æternam patriam appetunt, et quia nulla hujus mundi diligunt, magna mentis tranquillitate perfruuntur. Ad hunc refugii locum avolare concupiverat Psalmista, cum diceret: Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. A frequentia quippe terrenorum desideriorum fugiens, ad magnam videlicet solitudinem* (puta ad) *semetipsum, ubi nil extraneum conspiceret, quo incompetens nil amaret, à tumultu rerum corporalium magnum quoddam secretum petierat, quietam mentem, in qua tanto purius Deum cerneret, quanto hunc cum se solo solum inveniret.*

Denique Cælius Pannonius uberius et magis particulatim eamdem ita pertractat. *Mens*, ait, *à mundi tumultibus segregata jure solitudo est, quæ nihil in mundo concupiscit; anhelat autem ad sola cœlestia, sicut scriptum est: Sedebit solitarius, et tacebit, et levabit se supra se, Thren. 3. Et in psalmis mysticis loquitur vir spiritualis: Ecce elongavi, id est, longe me feci à concupiscibilibus mundi fugiens; et mansi in solitudine, subditque: Exspectabam eum qui salvum me fecit à pusillanimitate spiritus, et tempestate, psalm. 54. In quibus verbis Propheta David dat intelligi, quo secedendum sit de hujus mundi turbine, et quid agendum postea. Primo ergo secedendum longe, nec in confinio subsistendum. Non enim licet viro justo usquam ulla in regione circa in peccatrices urbes immorari; sed properare in montem, nisi malit perire. Secundo, ut non cunctanter, non timide, non pigre, non quasi recusanter, sed strenue, atque (ut ita dixerim) gladiatorie, sed festinanter. Piger vult, et non vult. Non oscitantibus contingit regnum cœlorum, sed plane vim facientibus: et violenti rapiunt illud; quo festinantem non chrorum affectus retardet, non revocent illecebræ mundi, non remorentur curæ domesticæ. Incidenda est semel sæcularium negotiorum catena, quandoquidem aliter ab hac explicari homo non potest. Clamat Propheta, ut fugiamus de medio Babylonis, Exitus de Ægypto fuga vocatur. Et mulier hæc fugisse in solitudinem memoratur, non sensim emigrasse. At videas plerosque comperendinantes, et consiliis nimium lentis fugam vitiorum molientes. Ubi his me curis, inquiunt, extricavero. Ubi illud atque illud negotii perfecero. Nescientes hac in re utilissimam præcipitationem. Negotium ex negotio seritur, vitium vitio invitatur. Non reputa quid aut quantum relinquas, certus esto unum Christum tibi pro omnibus satis futurum. Aude modo te illi toto pectore committere; aude omnem tui curam illi credere: excipiet te, te enutriet. Dominus regit me, inquit Propheta, et nihil mihi deerit. Tertio, ut certo proposito mundum relinquas, ut non ultra relabare, neque respice. Sic deserenda est Ægyptus, ne quando redeas animo ad ollas carnium. Non est fas respicere. Respexit mulier, et versa est in statuam salis. Ne velis teipsum duobus partiri: mundo et Christo. Non potes duobus dominis servire. Nulla societas Deo cum execrabili Belial. Non fert eos, qui in duas partes claudicant genu utroque. Evomit eos, qui neque frigidi sunt, neque calidi, sed tepidi. Nimis zelotypus est amator animarum Deus. Solus ac totam possidere vult. Non patitur consortium diaboli, quem semel morte sua devicit. Duæ tantum viæ sunt: altera, quæ per obsequium affectuum ducit in exitium; altera, quæ per carnis mortificationem ducit ad vitam. Quid dubitas? tertia nulla: harum alteram, velis nolis, adeas oportet. Sed arcta hæc, si servari velis, tibi potius adeanda, quam Christus et ipse calcavit.*

Subdit deinde quatuor, quæ in hac solitudine observanda sunt, dicens : *Jam vero quid in solitudine agendum sit explicat Propheta, dicens : Sedebit solitarius et tacebit, et levabit se supra se. Et David : Exspectabam eum, qui salvum me fecit,* etc. *ubi quatuor docentur : primum, quod solitarius sit, hoc est liber à cupiditatibus mundi, cum propriæ et ejusdem noxiæ voluntatis abnegatione. Etenim nihil concupiscere in hoc mundo, fida et tranquilla mentis solitudo est, in qua habet Ecclesia locum à Deo præparatum; secundum, æternum ejus propositum : in quo quisquis habitat, in adjutorio Dei altissimi habitat, et in protectione ejus commorabitur. Hinc confestim taciturnitas docetur, juxta quod scriptum est : In silentio, et in spe erit fortitudo vestra,* Isaiæ 30. *Silentium autem animi est quies à strepitu vanarum et superfluarum cogitationum : in qua quisquis fuerit positus, in id quod sequitur vires assumet; tertium, ut per contemplationem se elevet in Deum, magna ejusdem miracula considerando, quod sit bonus, quod misericors, justus et sanctus; quartum sequitur ad hæc, videlicet exspectatio quædam Dei majestatis, quod solus salvat à pusillanimi spiritu, ac tentationum procella : hunc talem locum paravit Deus et parat suis fidelibus, qui ad se confugientibus quietem spondet et refectionem, dicens : Venite ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos, Matth.* 11. Hæc Cælius, imo Cœlicus.

UT IBI PASCANT EAM, Episcopi scilicet, Pastores, Religiosi, aliique verbi Dei ministri submissi ab Elia et Henoch, pascent et confortabunt fideles in desertis profugos, DIEBUS MILLE DUCENTIS SEXAGINTA;] tot enim diebus prædicabunt Elias et Henoch, uti dictum est v. 3.

7. ET FACTUM EST PRÆLIUM MAGNUM IN CŒLO (in aere, puta in Ecclesia hîc cum aeris potestatibus confligente et militante, ac per vitam cœlestem tendente in cœlum) : MICHAEL ET ANGELI EJUS PRÆLIABANTUR CUM DRACONE.

Alcazar per Michaelem accipit Christum ; per angelos ejus Apostolos et prædicatores, qui draconem, id est, diabolum ejusque cultum et idololatriam, ex Gentilitate ejecerunt. Michael enim hebr. significat *quis ut Deus?* Ita Christus fuit humillimus et gloriæ Dei studiosissimus. Unde ait : *Ego non quæro gloriam meam.* Hinc rursum ait Joan. 12. 31. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Sciant ergo prædicatores se habere societatem cum angelis, ac ab eis mire adjuvari, imo se in terris esse angelos. Ex adverso draco et angeli ejus sunt Nero, Simon Magus, Apollonius Thyanæus, aliique tyranni, infideles et impii, per quos dæmon pugnavit, et oppugnavit Christum et Ecclesiam. Sed uti olim per Michaelem cœlo empyreo, ita nunc per Christum cœlo terreno, id est Ecclesia ejectus est, ac totius terræ et mundi possessione privatus. Nam de cœlo dejici idem est quod causa cadere, et conceptam animo fiduciam de Christo et Ecclesia supplantandis, deponere et abjicere.

Rursum, sicut Mathathias vocatur Michael Daniel 12. 1. quia se Antiocho Epiphani opposuit, æque ac Michael Lucifero : ita hîc, licet primario nomen Michaelis tribuatur Christo, secundario tamen tribuitur S. Petro : hic enim se opposuit Simoni Mago, ac vexillum Christi contra draconem, ejusque cultum et idololatriam Romæ in Imperii metropoli erexit. Angeli Petri sunt prædicatores, Episcopi et religiosi, qui infidelitatem, hæreses, cæteraque draconis semina toto orbe evellunt. Hi enim dicunt cum Paulo : *Nos autem prædicamus Jesum Christum, et hunc crucifixum*, 1. Cor. 1. 23. Ita ipse notat. 6. apte ad sua principia ; at non ad acoluthiam novissimorum temporum, quam hîc pertexit Joannes, juxta quam

Dico historice hîc alludi ad prælium Luciferi cum suis, gestum cum Michaele ejusque asseclis in cœlo : illud enim hîc clarissime perstringitur. Tunc enim Lucifer cum suis cœlo dejectus, ex angelo factus est diabolus. Unde Rupertus notat hîc innui illam Michaelis et angelorum contra Luciferum pugnam fortiter initam, et illam victoriam feliciter partam, non tam angelicæ virtuti, quàm divinæ illius sanctissimi partus potestati tribuendam. Unde, et David non de angelo, sed de ipso Deo : *Tu*, inquit, *confregisti capita draconis*, psal. 73. v. 14. Imo et ipsi angeli victores ac triumphatores : *Nunc*, inquiunt, *facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus.* Sed per hoc prælium symbolice significatur bellum, quod Lucifer in dies gerit contra fideles in Ecclesia, eorumque tutelares angelos : prophetice vero et genuine ad litteram, significatur prælium quod ipse geret acerrimum et ultimum in fine mundi contra Sanctos. Hoc enim proprie hîc intenditur. Est enim hîc continua prophetia de fine mundi ; ita Beda, Haymo, Aretas, Viegas, Ribera hîc, et S. Gregor. homil. 34. in Evang. et 32. Moral. 12. *Stellas*, ait, *de cœlo cadere, est relicta nonnullos spe cœlestium, illo duce ad ambitum gloriæ sæcularis inhiare.* Idque ita esse patet Daniel. 12. v. 1. Tunc ergo præliabitur Michael cum suis angelis contra Luciferum ejusque dæmones, adjuvando, confortando et animando Christianos fortiores et constantiores, ut se cum Elia et Henoch aperte et generose opponant Antichristo, cum quo et pro quo pugnabit Lucifer per blandiloquentiam, astutiam, fraudes, ficta miracula, hypocrisin, minas, tormenta, cæterasque artes et arma quæ ipse Antichristo suggeret. Rursum tunc præliabitur Michael defendendo suos hosce fideles in judicio Dei, præsertim post eorum mortem, contra accusatorem diabolum. Eo enim, scilicet ad thronum Dei, raptus erat filius masculus, ut dixit v. 5. quem eousque persecutus est diabolus, volens suis criminationibus eum inde avellere, et secum in tartara rapere ; sed defendentibus eum angelis, rejectus et dejectus est accusator ille fratrum, ut dicetur v. 9.

Ex hoc loco colligunt Doctores S. Michaelem fuisse et esse principem omnium angelorum, qui in Dei obsequio, ac consequenter in cœlo perstiterunt : sicut Lucifer princeps fuit omnium cadentium. Quocirca S. Michael præses fuit olim Synagogæ Judæorum, uti nunc præses est et princeps Ecclesiæ Christianorum. Unde ab Ecclesia, in officio S. Michaelis, vocatur *Primas cœlestis exercitus, zabuli* (id est diaboli) *victor et calcator, militiæ cœlestis princeps, Paradisi præpositus ;* et S. Basil. hom. de Angelis : *Tibi*, ait, *ô Michael, duci supremorum spirituum, qui dignitate et honoribus, cæteris omnibus prælatus es supremis spiritibus : tibi, inquam, supplica.* Hinc et S. Michael à Niceta Choniate libro 3. fol. 208. vocatur *Archistrategus divinorum exercituum :* ita Ribera, Viegas, Bellarm. et alii, quos citat et sequitur Nicol. Serarius in cap. 5.

Josue qu. 45. Vide prærogativas S. Michaelis quas recensui Daniel. 12. 1.

8. NEQUE LOCUS INVENTUS EST EORUM AMPLIUS IN CŒLO.] Est hypallage Hebraica. Sensus enim est: ipsi non sunt inventi in cœlo, id est, inter sanctos et electos ad cœlum raptos, ut eos tentare, occidere et accusare possent; quia ab eis victi, projecti sunt in terram, id est, ad homines terrenos se contulerunt, à Sanctis masculis et heroibus dejecti et victi dæmones. De his enim ad litteram agit, ut patet ex dictis : alludit tamen ad primum casum Luciferi è cœlo : tunc enim ipsi proprie loco suo, puta cœlo, exturbati sunt. Est et metonymia; ponitur enim continens pro contento, puta locus pro locato; quia enim locus relative respicit locatum, hinc locus dicitur non inveniri locato, cum locatum loco suo excedit, ac in eo amplius non invenitur. Sic S. August. tract. 68. in Joan. explicans illud: *In domo patris mei mansiones multæ sunt, si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum.* Ita ait: *Parat mansiones, mansionibus parando mansores. Quid enim est domus Dei, nisi templum Dei? templum autem Dei sanctum est, quod estis vos*, 1. Corinth. 3.

9. ET PROJECTUS EST DRACO ILLE MAGNUS.] Nota: Hic dantur sex epitheta Lucifero, ejusque dæmonibus. Primo, quod sit *draco magnus*, ob causam datam v. 3; secundo, quod sit *serpens antiquus*: quia scilicet olim in paradiso Adamum et Evam, primos parentes nostros, per serpentem loquens et tentans seduxit, pervertit et occidit; serpentem enim tunc assumpsit, et quasi induit, non per se et sponte, ut vult Diodorus, sed quia Deus non permisit ei aliud animal assumere et ingredi, uti docet Bar-Cepha lib. de Paradiso c. 27. Idque ad hoc, ut per serpentem declararetur serpentina ejus astutia, fraus et malitia, ac nocendi homini cupiditas, æque ac lubricitas, ubi annotavit S. Gregor. 17. Moral. c. 20. dum ait: *Quia igitur suggestioni ejus si primo non resistitur, repente totus ad interiora cordis, dum non sentitur, illabitur, verba ad hominem per lubricum animal fecit;* tertio, quod sit *diabolus*, id est criminator. Diabolus enim græce derivatur απο του διαβαλλειν, id est à criminando et calumniando; Syrus tamen vertit, *projiciens*, vel *declinans*; quarto, hebr. vocatur שטן *satan*, id est adversarius : quia Deo, Angelis, Sanctis, bonisque omnibus adversatur, seque quasi antagonistam opponit; quinto, *qui seducit*, id est seducere nititur, et omnibus viribus molitur, *universum orbem*, puta homines incolas totius orbis; sexto, quod *projectus* sit *in terram*, eo sensu quem paulo ante dedi. Alludit ad pœnam serpenti, quia Evam deceperat, à Deo intentatam, Gen. 3. 14. *Super pectus tuum gradieris*, id est, repes super terram. Quo significatur primo, quod dæmon à Sanctis fortibus et constantibus in fine mundi vincetur et prosternetur; secundo, quod omni sua versutia nunquam se poterit è terra erigere, id est, quod semper in sua abjectione, vilitate et miseria sit mansurus, uti accidit sapientibus hujus sæculi, qui semper terrenis bonis inhiant et inhærescunt; tertio, quod ab hominibus qui cœlestia ambiunt, exclusus, ad eos se conferat qui terrena ambiunt, eisque sitim terrenorum augeat et accendat. Addit Alcazar diabolum divinitatis honore quem in cœlis frustra ambiverat, ac in terris injuste usurpaverat, inducendo homines ad sui cultum et adorationem, ex idolis à Christo fuisse dejectum : Christus enim et Apostoli idololatriam et idola ex mundo eliminarunt. Verum hoc mysticum est. Unde, cur, et quomodo diabolus vocetur sitque *serpens*, graphice describit S. Cyprian. tract. de Unitate Ecclesiæ : *Plus*, ait, *cavendus et metuendus est inimicus, cum latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens occultis accessibus serpit, unde et nomen serpentis accepit. Ea est ejus semper astutia, ea est circumveniendi hominis cæca et latebrosa fallacia.* Et clarius tract. de Zelo et livore, citans illud 1. Petr. 5. *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens*, et aliquid devorare cupiens, *circuit; circuit*, inquit, *ille nos singulos, et tanquam hostis clausos obsidens, muros explorat, et tentat an sit pars aliqua murorum minus stabilis, et minus fida, cujus aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illices et faciles voluptates, ut visu destruat castitatem. Aures per canoram musicam tentat, ut soni dulcioris auditu solvat et molliat Christianum vigorem. Linguam convicio provocat, manum injuriis lacessentibus ad petulantiam cædis instigat; ut fraudatorem faciat, lucra opponit injusta; ut animam pecunia capiat, ingerit perniciosa compendia : honores terrenos promittit, ut cœlestes adimat; ostentat falsa, ut vera subripiat : et cum latenter non potest fallere, exerte atque aperte minatur : in pace subdolus, in persecutione violentus. Quamobrem, fratres dilectissimi, contra omnes diaboli vel fallaces insidias, vel apertas minas stare debet instructus animus et armatus, tam paratus semper ad regnandum, quàm est ad impugnandum semper paratus inimicus.*

Porro cur diabolus dicatur *serpens antiquus*, præclare explicat idem Cyprianus tractat. de Exhortat. Martyr. ad Fortunatum, sub initium : *Adversarius*, inquit, *vetus est, et hostis antiquus, cum quo prælium gerimus. Sex millia annorum jam pene complentur, ex quo hominem diabolus impugnat. Omnia genera tentandi, et artes atque insidias dejiciendi usu ipso vetustatis edidicit. Si imparatum invenerit militem Christi, si rudem, si non sollicitum ac toto corde vigilantem, circumvenit nescium, fallet incautum, decipit imperitum. Si quis vero Dominica præcepta custodiens, et fortiter Christo adhærens, contra eum steterit, vincatur necesse est; quia Christus quem confitemur, invictus est.*

10. ET AUDIVI VOCEM MAGNAM IN CŒLO DICENTEM : NUNC FACTA EST SALUS, ET VIRTUS (græce δυναμις, id est robur, potentia) ET REGNUM DEI NOSTRI, ET POTESTAS CHRISTI EJUS.] Est Angelorum et Beatorum celeusma, sive acclamatio et congratulatio exultantium de prostrato et profligato dæmone, deque victoria quam Sancti cum Antichristo et diabolo certantes, obtinebunt. Hanc enim Deo et Christo acceptam referent, utpote qui eis salutem, id est redemptionem, gratiam et robur in lucta ad vincendum draconem contulit, ac post luctam et victoriam, regnum et potestatem, id est, imperium cœleste et sempiternum; vide dicta c. 11. 15.

QUIA PROJECTUS EST ACCUSATOR.] Græce κατηγορος, id est oblocutor, calumniator, detractor, accusator, qui calumniis et falsis criminationibus Sanctos apud Deum accusabat, uti olim accusavit S. Job c. 18.

11. ET IPSI VICERUNT EUM PROPTER SANGUINEM AGNI : nam merito sanguinis et passionis Christi vires, fortitudinem et constantiam resistendi et

vincendi acceperunt ; ET PROPTER VERBUM TESTIMONII SUI,] quia scilicet constanter, et prædicando, ac pro fide et prædicatione sua moriendo, testimonium perhibuerunt Christo contra Antichristum.

ET NON DILEXERUNT ANIMAS SUAS USQUE AD MORTEM.] q. d. Quia animam, id est, vitam, suam pro fide fortiter morti objecerunt. Est miosis, sive liptote : dicitur enim minus, et significatur majus, q. d. Adeo non dilexerunt animam, id est vitam, suam, ut etiam pro Christo eam exposuerint, neglexerint, et quasi oderint. Maluerunt enim emori quàm negare Christum, maluerunt vita quàm Christo Christique confessione spoliari. Perperam ergo aliqui Theologi ex hoc loco colligunt angelos ex Christi sanguine et meritis accepisse gratiam et victoriam, ac consequenter gloriam et coronam. Joannes enim loquitur de hominibus, non de angelis.

Præclare S. August. in Sententiis, sent. 374. *Quisquis*, ait, *seipsum non Deum amat, non se amat. Et quisquis Deum, non seipsum amat, ipse se amat. Qui enim non potest vivere de se, moritur utique amando se. Cum ergo ille diligitur de quo vivitur, non se diligendo magis diligit, qui propterea se non diligit, ut eum de quo vivit diligat.* Qui itaque tam Deum quam se diligit, vitæ suæ et sui ipsius sit prodigus oportet. Hoc est quod ait Christus Lucæ 9. 24. *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet illam ; nam qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam.* Qui ergo se salvare et Deum amare, ac vicissim ab eo amari et beari optat, se propter Deum perditum æstimet, et in prædam det laboribus, eculeis, crucibus et mortibus, uti Christus iisdem se in prædam dedit. Hoc poscit nobilitas Dei, charitatis, beatitudinis et præmii æterni.

12. PROPTEREA LÆTAMINI, COELI, ET QUI HABITATIS IN EIS.] q. d. Lætatur tam communis Ecclesia quæ in cœlis est, quam singuli fideles in ea, ait Alcazar. Ecclesiæ enim beatæ competit hoc solis elogium : *Omnibus et singulis.* Sicut enim sol omnes et singulos illuminat, exhilarat et calefacit ; et ita omnes sicut singulos, ac ita singulos sicut omnes ; sic et felicitas atque lætitia, æque ac gloria, Ecclesiæ triumphantis est singulorum, et est omnium : omnia enim bona et gaudia ibi, utpote inter amicos, imo amicissimos, omnibus et singulis sunt communia. Secundo, simplicius, per prosopopœiam cœli invitantur hîc ad lætitiam, ut significetur eam tantam, tamque amplam et communem fore, ut cœli quoque exultare videantur. Vide dicta c. 5. 13.

VÆ TERRÆ ET MARI (alludit ad dracones marinos et terrestres, qui solent tam maria, quam terras infestare) QUIA DESCENDIT DIABOLUS AD VOS, HABENS IRAM MAGNAM,] id est, *væ habitantibus in terra et habitantibus in mari !* uti habent quidam Græci codices. Sensus est, quasi dicat : diabolus videns se ab Heroibus et Martyribus, atque ab Elia et Henoch victum et prostratum, cœloque quasi dejectum, indignabitur, irasque suas evomet in cæteros homines, qui in terra vel in insulis habitant, ita ut in eos fumos et flammas efflare videatur.

SCIENS QUOD MODICUM TEMPUS HABET,] scilicet tres annos cum dimidio, ut patebit v. 14. Hinc patet hæc ad finem mundi et ad Antichristi tempora spectare. Sic dicunt accipitres in Norwegia celerrime ad prædam involare, eo quod ternas tantum lucis horas habeant, quibus volare et prædari possint : festinant ergo, quia sentiunt diem senescentem. Idem faciet diabolus, qui est accipiter aquilonis, in fine mundi.

Huc spectat quod legimus in Vitis Patr. lib. 7. c. 25. *Frater*, inquit, *quidam Abbatem Sisoium requisivit, dicens : Putas, Abba, sic modo persequitur nos diabolus, sicut antiquos? respondit : Magis modo homines nostræ ætatis persequitur, quia appropinquant genera pœnarum, ubi ille cum legionibus suis angustatur, dum scit stagnum, ubi in igne et sulphure arsurus erit : ideo hominibus infestatur. Nec tamen infirmos quosque dignatur appetere, quis ubi voluerit, cito subvertit ; sed fortes magis ac magnos supplantare per diversa præcipitia aggreditur.* Ibid. solerter Abbas Abraham : *Dæmones*, ait, *nobiscum non pugnant, quia voluntates eorum facimus ; sed nostræ nobis voluntates dæmones facti sunt, et tribulant nos.* Et Abbas Achilles, rogatus quomodo adversum nos possint dæmones, respondit : *Per voluntates nostras. Et adjecit, dicens : Ligna Libani dixerunt : Quam grandia sumus et alta, et parvissimo ferramento incidimur ! Nihil ergo ei demus ex nobis, et nos non poterit incidere. Venerunt ergo homines, et fecerant in securi manubrium ex ipsis lignis, et ita inciderunt. Ligna ergo sunt animæ : securis, diabolus : manubrium, voluntas nostra est. Per malas ergo voluntates nostras incidimur.*

13. ET POSTQUAM VIDIT DRACO QUOD PROJECTUS EST IN TERRAM, PERSECUTUS EST MULIEREM QUÆ PEPERIT MASCULUM.] Alcazar putat hîc significari primam Ecclesiæ persecutionem, quam exercuit Nero contra mulierem, id est, Ecclesiam Romanam. Verum hîc agitur de temporibus novissimis, et persecutione quam excitabit Antichristus.

14. ET DATÆ SUNT MULIERI ALÆ DUÆ AQUILÆ MAGNÆ, UT VOLARET IN DESERTUM.] Primo, Primasius : Aquila, inquit, symbolum est sapientiæ ; hinc duæ ejus alæ sunt duo testamenta ; novum et vetus, quæ ad sapientiam nos docendo elevant. Hinc rursum, proprie alæ duæ sunt duo primarii S. Scripturæ et sapientiæ effectus, scilicet timor culpæ et damnationis, ac amor Dei et salutis. Hic enim timor et amor stimulabunt fideles, ut persecutionem Antichristi fugiant, seseque abdant in deserta. Ex hoc timore et amore prodibunt duo alii sapientiæ actus instar duarum alarum, scilicet rerum temporalium despicientia ; et divinarum æternarumque æstimatio et appetentia. Hisce enim pennis spiritales viri ex rerum terrestrium contagione abstracti, tolluntur in sublime, relinquunt in persecutione et prodigunt opes suas omnes, fugiunt pericula peccatorum, latebras quærunt, et in uno Deo verum exquirunt solatium. Sapientiæ namque actus et effectus est, rem quamque tanti æstimare quanti est, scilicet parva ut parva ; magna, ut magna ; temporalia, ut temporalia ; æterna, ut æterna æstimare. Hinc iterum Victorinus et Ticonius : Alæ duæ, inquiunt, erunt prædicatores sapientiæ et veritatis, præsertim Elias et Henoch. Sic Exodi 19. 4. per alas aquilarum multi intelligunt Prophetas et prædicatores, præsertim Mosen et Aaronem ; ita Origenes, Ambrosius, Augustinus, Hilarius, Basilius et alii. Illi enim prædicatores suadebunt et animabunt fideles, ut fugiant in deserta et speluncas. Hic sensus valde appositus est : hisce enim actionibus quasi alis, super draconem nos in

terra persequentem elevamur, et evadimus ad Deum.

Secundo, Richardus : Duæ alæ, inquit, sunt vita activa et contemplativa.

Tertio, Aretas : Alæ, ait, duæ, sunt amor Dei et amor proximi.

Quarto, Ribera : Alæ duæ sunt desiderium gloriæ Dei, et innocentiæ vitæque sanctæ studium.

Quinto, Alcazar : Sicut, inquit, 12 stellæ in capite mulieris sunt duodecim Apostoli ; ita duæ alæ sunt Paulus et Barnabas, quibus ornata fuit et instructa primitiva Ecclesia, ut sese audacter in gentilitatis desertum inferret, idque jussu et ductu Spiritus sancti, uti dicitur Actor. 13. v. 2. et 46. Sed hoc concionatorium magis esse quam litterale, in fine notat. 9. fatetur tamen ipse Alcazar.

Porro hæ alæ sunt instar alarum aquilæ : primo, quia non coacte, nec ex timore, sed sponte libensque instar aquilæ, et ex amore Dei volat Ecclesia; secundo, quia instar aquilæ solem justitiæ, id est Deum, irretortis mentis oculis intuetur; tertio, quia conversatione in sublime attollitur, nec persecutione ulla dejicitur; quarto, quia aquilæ volatus uti altissimus, ita et velocissimus est : talis est et volatus Ecclesiæ ; quinto, quia de Ecclesia dicitur psal. 102. 5. *Renovabitur ut aquilæ juventus tua;* et Isaiæ 40. v. 31. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assumens pennas sicut aquilæ;* vide ibi dicta.

Disputat Epiphan. hæres. 78. an B. Virgo vere mortua sit, an vero raptu translata in cœlum instar Eliæ et Henoch, et in utramque partem adfert S. Scripturæ testimonia. Pro parte affirmante, quod Simeon prædixerit gladium ejus animam pertransiturum : pro negante, quod hîc dicantur ei datæ alæ, quibus in desertum aufugit. Verum suum hîc judicium resolute non interponit Epiphan. sciens utique ex utroque Scripturæ loco nihil in hac quæstione posse definiri. Jam certum est eam esse mortuam, et paulo post resuscitatam ascendisse in cœlum ; hoc enim profitetur et celebrat Ecclesia in festo Assumptionis ejusdem.

Mystice, Haymo, et ex eo Pannonius : *Desertus locus,* inquiunt, *sunt corda Sanctorum valde remota à terrenis hisce cupiditatibus ; prius namque à semetipsis inordinatos desideriorum motus dejiciunt, ac deliciis quibuscumque fugatis semetipsos desertum quietudinis efficiunt. Hoc est enim desertum, quod fuga deliciarum, et quarumcumque corporis voluptatum. Quo sensu vir justus in Propheta loquitur, dicens: In terra deserta et inaquosa, sic in sanctitate apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam psalm.* 62. *Terra deserta et inaquosa est, ubi nec vitæ necessaria suppetunt, exprimens vitam Sanctorum ita arctam fore in hoc mundo, ut nec vitæ necessaria sibi suppetant : qui omnes carnis delicias ab sese amovent ; ut fiant sicut desertum, ubi nihil reperiatur quod saltem necessitati subveniat. Et qui hujusmodi est, et vitam ita instituit, cupit videre continuo virtutem Dei, ac gloriam ejus. Id quod solum illi refugium est, et protectio in omnibus persecutionibus mundi. Est et consolatio magna viro justo ; quia dum mala hujus mundi non diligit, sed solummodo æternam patriam appetit, magna mentis tranquillitate perfrailur : in qua solitudine locum tenet, qui in deserto mentis à quærentibus invenitur ; cui per Psalmistam dicitur : Esto mihi in Deum protectorem ; et in locum refugii, ut salvum me facias. Desertum ergo, abrenuntiatio mundanæ voluptatis est, qua feriatum vult Christus fore suum militem. Hinc habes, quod locus proprius Ecclesiæ solitudo est, ut scilicet à sæculi notitia procul sit, et sollicitudine curarum sæcularium, Domino dicente : Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini, Matth.* 6. *Et Petrus ait : Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis,* 1. *Petr.* 5. 7.

Ubi alitur, elongata et remota a facie serpentis.] Aliter Ribera : putat enim hîc esse hyperbaton. Nam τὸ *à facie serpentis*, connectendum esse cum *ut volaret*, non cum *aliter*, sicque sententiam esse ordinandam : *Datæ sunt mulieri duæ alæ, ut volaret à facie serpentis in desertum, in locum suum ; ubi alitur*, etc.

Ubi alitur per tempus, et tempora, et dimidium temporis,] id est, per annum, per duos annos, et dimidium annum, puta per tres annos cum dimidio, sive per 42 menses, uti dixit c. 11. v. 2. sive per dies 1260, uti dixit c. 11. v. 3. Sic tempus pro anno ponitur Daniel. 4. v. 20. et 29. et Daniel. 7. 25. ad quem locum hîc alludit Joannes ; vide ibi dicta.

Aletur ergo in fine mundi Ecclesia, id est cœtus fidelium, in solitudine à Pastoribus verbo Dei toto tempore Antichristi, ac Eliæ et Henoch contra eum decertantium. Simili modo alita fuit à Mathathia et Machabæis Synagoga in deserto, fugiens persecutionem Antiochi, 1. Machab. 2. 29.

Minus recte ergo Ambrosius, Primasius et quidam alii, per tempus et tempora, et dimidium temporis, accipiunt totum tempus quod fluit à Christo usque ad finem mundi.

Moraliter, docet hîc Joannes fideles in persecutione debere esse constantes et longanimes. Multi enim persecutionis acrimoniam vicerunt, sed ejus duratione victi sunt. Præclare Theodorus Studita in catechetica ad fratres dispersos, quam recitat Card. Baron. anno Christi 818, eos ad constantiam in persecutione Leonis Armeni Imper. Iconoclastæ, quæ jam quadriennium duraverat, æque ac duratura est hæc Antichristi, ita adhortatur : *Minime vos conturbet duratio persecutionis ; haud multos annos pertulimus, ut antiqui Confessores. Abrahæ semen illud, cui promissa Dei benedictione terræ sanctæ hæreditas fuerat, 430 annis Pharaonis manu servitutem servire permisit Deus. Christi Ecclesia ab Apostolorum prædicatione usque ad Constantinum primum Christianorum regem, supra trecentos annos ferventem persecutionem passa est. Qui secuti sunt, remisse quidem, attamen longius tempus duxerunt, præterquam sub Juliano Apostata. Et tu quinque annorum spatio langues? Clemens* (Ancyranus Martyr cum Agathangelo) *multorum certaminum vir viginti octo annis in perpetuo martyrio fuit. Et tu intra paucos annos deficis? Non audisti sufferentiam Job? Nonne annis quindecim et amplius gravi ulcere vexatus est, præter alios qui adjecti fuerunt, lugubres casus? atque hoc cum nullius mali facinoris sibi conscius esset, quin potius laudabilium quam plurimorum. Quid autem ei respondet oraculum? Ut justus, inquit, appareas. Feramus adhuc, ô strenui milites Christi. Dies sicut umbra transeunt.* Ita et B. Thomas Morus uxori eum tentanti ut regis illicitas nuptias probaret : *Quid*, ait, *sunt viginti anni favoris regii, vel odii, et persecutio-*

nis, ad æternitatem gaudiorum cœli, et tormentorum gehennæ?

15. Et misit serpens, ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen.] Arabicus, *flumen aquæ.* Parabolice alludit ad balænas aliosque pisces, qui moles et quasi montes aquarum evomunt; qualis præ aliis est ille qui φυσητερ, id est, flator, dicitur, qui tantam aquarum copiam efflando emittit, ut etiam alveos navigantium deprimat, teste Rondeletio lib. 18. c. 14. Porro Ribera probabiliter censet aquas hasce quas vomit draco, fuisse instar fluctus, qui convolveret mulierem, eamque ad draconem attraheret. Volebat enim draco ad se attrahere et devorare mulierem; hoc enim videtur significari cum dicitur: *Ut eam faceret trahi à flumine.* Sic enim balæna vomit aquas, iisque alios pisces convolvit et trahit ad se, ut eos voret. Alii tamen simplicius censent draconem emisisse hoc flumen post mulierem, ut illam eo submergeret (hoc enim significat τὸ *aquam tanquam flumen*, nec enim in terra flumina tantos fluctus cient, ut homines remotos attrahant), sicque *eam faceret trahi*, id est absorberi, *à flumine.* Græce enim una voce eleganter dicitur, ινα ποταμοφορητον ποιηση, id est, ut efficeret illam auferri et rapi à flumine, ut vertit Vatablus, Erasmus et alii; sufficiebat enim draconi irato et invido, mergere et perdere mulierem; sive per se id fieret, sive per suum flumen.

Jam per hanc aquæ et fluminis parabolam significatur turba et violentia persecutorum, puta exercitus quem submittet Antichristus, ut fideles qui ad montes et solitudines confugerant, ibidem perscrutentur, persequantur et capiant vel occidant. Sic alibi sæpe inundatio aquarum significat acrem tribulationem et persecutionem, ut psal. 68. v. 2. *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi et non est substantia; veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me.* Et psal. 123. v. 4. *Forsitan aqua absorbuisset nos.* Ita Ticonius, Andreas, Beda, Primasius, Ansbertus et Haymo.

Aliter Alcazar: nam per flumen hoc accipit Neronem, qui primam, eamque truculentam persecutionem contra Christianos excitavit; sed Deo eos tuente mox Nero occisus, et à terra quasi absorptus est. Nero enim fuit magus, ideoque Simone Mago aliisque similibus delectabatur, adeo ut de eo scribat Plinius l. 30. 2. *Veneficorum omnium quotquot unquam exstitere maximus, qui dæmones de qualibet suspicione consulebat:* fuit ergo ipse instrumentum et flumen draconis. Verum hæc non ad Neronis, sed ad ultima mundi tempora spectant.

16. Et aperuit terra os suum, et absorbuit flumen.] q. d. Deus et angeli tutantes mulierem, id est Ecclesiam, effecerunt ut terra per hiatum se aperiret, et absorberet persecutores ab Antichristo submissos, uti olim aperuit se et absorpsit Core, Datan et Abiron, Num. 16. 31. Vere S. Hilarius: *Hoc,* inquit, *proprium habet Ecclesia, ut, dum persecutionem patitur, floreat: dum opprimitur, crescat: dum contemnitur, persistat: dum læditur, vivat: dum arguitur, intelligat. Tunc stat, cum superari videtur.*

17. Et iratus est draco in mulierem, et abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus,] cum reliquis scilicet, qui non fugerant, nec abdiderant se in solitudines, vel quia remotiores erant à regia et à propria ditione Antichristi, ut putarent hunc ejus furorem ad se non perventurum, vel quia constantiores et animosiores fuerant; aut tales aliorum, præsertim Martyrum, exemplo evaserant, ideoque non fugerant, sed remanserant, ut Antichristo resisterent, et martyrium, si offerretur, capesserent. Porro hoc prælium est illud ipsum quod per bestiam maris, et per bestiam terræ concitavit, de quo cap. sequenti. Ideo enim mox additur draconem stetisse super arenam maris, id est, in maris littore inter mare et terram, ut hoc bellum tam in mari, quam in terra concitaret; ita Alcazar.

Et habens testimonium Jesu Christi,] id est, qui credunt corde, et ore profitentur fidem in Jesum Christum, quasi mundi Redemptorem et Salvatorem: hac enim fidei professione testimonium perhibent Christo.

Secundo, alii per testimonium Christi accipiunt vitam Christianam: illa enim testabantur Christum ejus auctorem esse virum justum, sanctum et divinum, imo Deum.

Tertio, Alcazar: Testimonium, inquit, Christi est manifesta Christi approbatio per maxima beneficia, quibus Christianos primitivos Christus afficiebat, dum vires illis suggerebat et robur, ac miranda per eos opera patrabat. Iisdem suos afficiet, itaque eos quasi suos approbabit et decorabit in fine mundi.

18. Et stetit supra arenam maris.] Pro *stetit* aliqui legunt *steti;* ita Biblia Complutens. Andreas, Aretas et Rupertus quos sequitur Ribera et Viegas, q. d. Ego Joannes steti super arenam maris et vidi bestiam, de qua sequitur, è mari, et aliam è terra prodeuntem, ut hæc pertineant ad caput sequens, illudque hîc incipiat.

Verum omnes alii codices præter Complutenses, etiam Regii, ac Interpretes, quin et Erasmus, Vatabl. et Arias, legunt *stetit.* Ergo in Græco pro εσταθην, id est *steti*, legerunt εστατη, aut certe εστατην, acceperunt pro εσταθη, ut littera ν sit paragogica, non autem index primæ personæ. Jam stetit draco in littore maris, quia per unam bestiam è mari et alteram è terra mox prodituram concitat bellum tam in terra, quàm in mari contra fideles; bestia enim maris est quasi dux belli navalis, uti bestia terræ terrestris. Ergo draco utramque concitans apte in medio utriusque, id est inter terram et mare, consistit. Porro bestia maris est Antichristus, bestia terræ erit ejus præcursor et pseudo-propheta, de quo c. seq. Addit Alcazar serpentes et dracones fere esse amphibios, ac proinde tam ad mare quàm ad terram pertinere. Symbolice significatur dæmonem prævalere, ac prævaliturum in fine mundi hominibus terrenis, voluptuariis et instabilibus, qui agitantur ut mare amarum, ac vento efflantur quasi arenæ. Unde S. Hieron. in Daniel. c. 7. *Mare,* ait, *mundum istum, sæculumque significat, fulsis amarisque fluctibus redundans, sicut Dominus in parabola sagenæ missæ in mare interpretatur.*

Porro instabiles et impii recte comparantur arenæ maris: primo, propter infinitum eorum, id est stultorum, numerum; arena enim est innumera; secundo, propter duritiem; tertio, propter unionis defectum; impii enim inter se non cohærent, non consentiunt, sed sunt sicut arena sine calce. Quarto, propter sterilitatem; arena enim plane est sterilis, hancque sterilitatem adauget mare salsum in eam exæstuans.

Quocirca Origen. August. et Hesychius notant arenæ symbolo denotari homines impios, utpote steriles et terrenos. In his ergo consistit et abdit se dæmon, ut per bestiam maris, id est, per mundi fastum et superbiam, ac per bestiam terræ, id est, per sapientiam et sensum carnalem, Ecclesiam et fideles oppugnet. Hi enim sunt tres fidelium hostes et antagonistæ perpetui, scilicet draco, bestia maris, et bestia terræ, id est diabolus, mundus et caro, qui jugiter cum Sanctis in arenam descendunt et concertant. Stat inter duos medius diabolus; quia ipse est dux belli, mundumque et carnem regit et concitat ad bellum fidelibus inferendum: ita Alcazar.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

VIDIT JOANNES BESTIAM HABENTEM CORNUA DECEM ET CAPITA SEPTEM, SIMILEM PARDO, HABENTEM PEDES URSI ET OS LEONIS, LOQUENTEM BLASPHEMIAS CONTRA DEUM ET SANCTOS, EOSQUE PERSEQUENTEM, AC DOMINANTEM OMNIBUS GENTIBUS, QUÆ AB OMNIBUS ADORABATUR, QUIA VISA ERAT A MORTUIS RESURREXISSE. HÆC BESTIA ERIT ANTICHRISTUS. SECUNDO, V. 11. VIDET ALIAM BESTIAM FACIENTEM IGNEM DE COELO DESCENDERE, UTQUE IMAGO PRIORIS BESTIÆ LOQUATUR, ALIAQUE PRODIGIA: QUÆ DOCET ET JUBET ADORARI PRIOREM BESTIAM, EJUSQUE CHARACTERE OMNES CONSIGNAT, VETANS NE CUI SINE EO QUIPPIAM EMERE AUT VENDERE LICEAT. HÆC BESTIA ERIT PSEUDO-PROPHETA ALIQUIS, ET PRÆCURSOR ANTICHRISTI. TERTIO, V. 18. NUMERUS NOMINIS PRIORIS BESTIÆ, ID EST ANTICHRISTI, DICITUR FORE 666.

1. ET vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, et cornua decem, et super cornua ejus decem diademata, et super capita ejus nomina blasphemiæ. 2. Et bestia, quam vidi, similis erat pardo, et pedes ejus sicut pedes ursi, et os ejus sicut os leonis. Et dedit illi draco virtutem suam, et potestatem magnam. 3. Et vidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem: et plaga mortis ejus curata est. Et admirata est universa terra post bestiam. 4. Et adoraverunt draconem, qui dedit potestatem bestiæ; et adoraverunt bestiam, dicentes: Quis similis bestiæ? et quis poterit pugnare cum ea? 5. Et datum est ei os loquens magna, et blasphemias: et data est ei potestas facere menses quadraginta duos. 6. Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus, et tabernaculum ejus, et eos qui in cœlo habitant. 7. Et est datum illi bellum facere cum sanctis, et vincere eos. Et data est illi potestas in omnem tribum, et populum, et linguam, et gentem; 8. et adoraverunt eam omnes, qui inhabitant terram: quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi. 9. Si quis habet aurem, audiat. 10. Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hic est patientia, et fides Sanctorum. 11. Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, et habebat cornua duo similia Agni, et loquebatur sicut draco. 12. Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus: et fecit terram, et habitantes in ea adorare bestiam primam, cujus curata est plaga mortis. 13. Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum. 14. Et seduxit habitantes in terra, propter signa, quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ, dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladii, et vixit. 15. Et datum est illi ut daret spiritum imagini bestiæ, et ut loquatur imago bestiæ: et faciat ut quicumque non adoraverunt imaginem bestiæ, occidantur. 16. Et faciet omnes pusillos, et magnos, et divites, et pauperes, et liberos, et servos, habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis. 17. Et ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus. 18. Hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ. Numerus enim hominis est: et numerus ejus sexcenti sexaginta sex.

1. ET VIDI DE MARI BESTIAM ASCENDENTEM, HABENTEM CAPITA SEPTEM, ET CORNUA DECEM.] Quæres: quænam hæc bestia? Primo, aliqui censent esse dæmonum principem, puta Luciferum; ita Haymo, Albertus, et noster Pineda in Job c. 40. v. 10. §. 1. Sed obstat quod draco, id est Lucifer, dicatur dedisse potestatem suam huic bestiæ: ergo bestia hæc non est Lucifer, sed

quis alius ei subditus, ejusque quasi vassallus ; unde

Secundo, alii apud Aretam censent bestiam hanc esse dæmonem primarium, secundum à Lucifero, et cæteris superiorem.

Tertio, Primas. Beda et Richard. per bestiam hanc accipiunt corpus diaboli, sive totum cœtum et multitudinem impiorum.

Quarto, S. Antoninus, Euthymius, Cedrenus et Zonaras, quos sequitur Genebrardus l. 3. Chronolog. et noster Salmeron putant esse Mahometem. Huc accedunt Caponsachius hîc, et Luisius Legionensis lib. de Nominibus Christi, qui asserunt bestiam hanc significare imperium Turcicum, de quo rursum v. 11.

Quinto, Lindanus lib. 3. Dubitantii, opinatur esse Lutherum.

Sexto, Alcazar per bestiam hanc accipit Romanum Imperium Ethnicum, ac idololatriæ deditum, quod Ecclesiam Christianam acriter vexavit, ut primum illa Judæis derelictis ad Gentes transiit. Probat id primo, quia hæc bestia eadem est cum bestia supra quam sedet meretrix Babylon, c. 17. 3. Babylon autem ibi significat Romam Ethnicam : ergo et bestia hæc. Verum et major propositio est falsa, ut patebit c. 17. et conseq. claudicat, imo seipsam elidit. Si enim Babylon est Roma Ethnica; ergo bestia non est Roma Ethnica. Babylon enim alia est à bestia ; insidet enim bestiæ : ergo bestia est instar equi, Babylon vero instar equitis. Probat secundo ; quia hæc bestia eadem est cum bestia quarta Dan. c. 7. 7. utraque enim habet cornua decem : illa autem Danielis significat quartam monarchiam Romanorum : ergo eamdem significat hæc bestia Joan. Verum major propositio est falsa, uti mox patebit, licet enim in cornibus sit similitudo (tamen in aliis est dissimilitudo ; nam bestia hæc Joannis dicitur similis fuisse leoni, urso et pardo ; quæ apud Danielem sunt prima, secunda et tertia bestiæ. Sensus ergo juxta Alcazarem est hîc, q. d. Draco excitavit Romanos principes Ethnicos, ut persequerentur Ecclesiam, cum illa cœpit se per Gentes spargere. Septem capita sunt septem præcipuæ persecutiones, quæ inter Neronem et Julianum Apostatam intercesserunt. Neronis enim persecutionem omittit, quia de illa egit c. 12. Prima ergo fuit, Domitiani ; secunda, Trajani ; tertia, Antonini ; quarta, Severi ; quinta, Decii ; sexta, Valeriani ; septima, Diocletiani. Duæ enim aliæ quas alii numerant, scilicet Maximini et Aureliani, hîc non numerantur, eo quod Aureliani non fuerit executioni mandata : Maximini vero non fuerit universalis in omnes fideles, sed tantum in prædicatores Evangelii. Addit Alcazar septenario hîc significari multitudinem et complexionem omnium persecutionum ; poni enim numerum definitum pro indefinito. Decem cornua, inquit, significant polyarchiam, puta multitudinem Senatorum Romæ ; hi enim potentes erant instar regum. Unde Cyneas Senatum Romæ ingressus, et regressus ad Pyrrhum regem, dixit se vidisse civitatem regum, in qua tot erant reges quot Senatores, uti refert Plutarch. in Pyrrho, et Livius lib. 11. Porro multos fuisse Senatores liquet, cum fuerint trecenti et amplius ; imo Julius Cæsar voluit augere numerum ad nongentos, licet id reipsa non præstiterit.

Verum dico bestiam hanc esse Antichristum. Est communis sententia Irenæi l. 5. c. 28. Tert. Victorini hîc (licet enim hi tres fuerint Millenarii, tamen in aliis fuerunt catholici et orthodoxi) Hippolyti de Consummat. sæc. Ephrem tract. de Antichristo, Prudentii, Gregorii, Prosperi, locis mox citandis. Sic et Interpretes fere omnes hîc, puta Ambros. Andreas, Methodius, Aretas, Haymo, Rupert. Albertus, Thomas, Pannonius, Gagneius, Seraphinus, Ribera, quin et hæretici passim.

Antichristus vocatur θηρίον, id est, bestia vel fera, ob bestialem feritatem et mores. Audi S. Gregor. Nazianz. Iambico 5.

> Quid est Antichristus ?
> Vir opibus amplis,
> Apostata ille pessimus,
> Bellua venenum vomens.

Et S. Irenæum l. 5. c. 29. *In bestia* (Antichristo) *veniente recapitulatio fit universæ iniquitatis et omnis doli, ut in ea confluens et conclusa omnis virtus apostatica in caminum mittatur ignis.*

Hic ascendit, id est oritur, enascitur, succrescit, et sensim accrescit et grandescit, ac in altum regni culmen attollitur, *de mari*, id est, de mundo hoc et sæculo nequam. Mare enim quia tot ventis, fluctibus, procellis agitatur, et per æstus continuos nunc accrescit, nunc decrescit, symbolum est mundi, in quo omnia amaritudine, inconstantia et periculis sunt plena ; in eo enim magni pisces parvos devorant. Ita Clemens Alexand. Orig. S. August. Hieron. Cyrillus, Greg. quos citat et sequitur Alcazar. Hinc et Daniel. c. 7. v. 3. vidit quatuor bestias quatuor monarchiarum indices, è mari prodire. Ascendere ergo è mari hîc idem est in re et sensu, quod ascendere de terra, uti dicitur de alia simili bestia v. 11. Certum est enim Antichristum non è mari, sed è terra nasciturum. Unde Daniel c. 7. 17. quod dixerat quatuor bestias de mari ascendisse, mox explicat de quatuor regnis quæ de terra exsurgent. Addunt aliqui, ut noster Acosta lib. 2. de Tempor. noviss. Antichristum per mare cum ingenti classe venturum, ut tam mari et insulis, quàm terræ dominetur.

Porro Lutherani et Calvinistæ per bestiam hanc accipiunt Antichristum, sed cum putant esse Romanum Pontificem. Verum hoc è Scriptura ita clare refutatur, uti demonstravi 2. Thessal. 2. v. 9. et sequent. ut qui iis non convincatur et cedat, vel pervicacis, vel minus sani sit cerebri : atque ut alia, quæ ubi produxi, taceam, quænam hoc loco sunt Pontificis cornua decem et diademata decem ; quænam capita septem, quorum unum occisum resurgit et reviviscit ? Antichristus enim à morte quasi resurget ; quis unquam Pontifex à morte resurrectionem præ se tulit aut simulavit ? quis Pontifex blasphemavit Deum, ejusque Ecclesiam et Sanctos, quos ipsa colit et invocat, docetque et jubet ab omnibus coli et invocari ? quænam ejus statua cui ipse dat vim et facultatem loquendi ? quis unquam Pontifex adoravit, jussitque adorari draconem, id est, diabolum ?

Habentem capita septem.] Septem capita significant septem reges qui præcedent Antichristum, quorum regna ipse unus occupabit, de quo cap. 17.

Symbolice, septem capita significant regum discordiam et dissidia, quæ regnum perdiderunt. Hinc nuper Solymanus Turcarum Imp. ut suum imperium potentius esse imperio Cæsaris

ostenderet, ejus Legatis dixit, *se esse draconem unius capitis, sed multarum caudarum; Cæsarem vero et Christianos esse draconem multorum capitum, sed unius caudæ.* q. d. Meum imperium est monarchicum, ideoque concors et validum; Christianorum vero imperium est polyarchicum, ideoque discors et imbecillum.

ET CORNUA DECEM.] Vulgo pictores hæc cornua ita distribuunt, ut singulis septenis capitibus dent cornua singula, et tria reliqua ad libitum distribuant, nimirum tribus capitibus, quibus libuerit, bina cornua affigendo. Melius Alcazar hæc omnia decem cornua depingit in uno eodemque capite, scilicet primario bestiæ : cum enim esset una bestia, unicum habebat caput primarium, ut patebit c. 16. 13. Porro hæc cornua decem sunt decem reges ; unde habent diademata : qui veniente Antichristo erunt in orbe, è quibus ipse tres prælio profligabit et occidet; mox cæteri septem territi ei sponte se subdent, uti docet Daniel c. 7. v. 21. 23. 24. 25. Vide ibi dicta.

Quare insulse, æque ac petulanter Anglo-calvinista hæc decem cornua ait esse decem primos Imperatores Christianos, qui bestiæ, id est Antichristi, hoc est Romani Pontificis, opes et dignitatem auxerunt et propugnarunt, scilicet Constantinum Magnum ; Constantinum, Constantium et Constantem, ejus filios ; Julianum, Jovianum, Valentinianum, Gratianum, Valentinianum secundum, et Theodosium. Hæc enim ingens piorum istorum principum est calumnia, ingensque et inexpiabile convicium, nimirum vocare eos Antichristi adjutores et promotores. Adde Constantium, utpote Arianum ; et Julianum, utpote Paganum, fuisse hostes Ecclesiæ et Pontificis. Rursum, si tunc cœpit Papa esse Antichristus : ergo S. Athanas. Chrysost. Basil. Nazianz. August. Ambros. Hieron. omnesque sancti Patres qui illo ævo vixerunt, et Pontificem Romanum uti caput Ecclesiæ coluerunt, fuerunt Antichristi servi et milites, quæ est blasphemia sæculis omnibus inaudita.

ET SUPER CAPITA EJUS NOMINA BLASPHEMIÆ,] quia septem capita, id est septem reges sunt præcursores Antichristi, Ecclesiam oppugnantes, et Christum blasphemantes, uti patebit c. 17.

2. ET BESTIA, QUAM VIDI, SIMILIS ERAT PARDO.] Pardus primo, maculosus est ; secundo, crudelis et sanguinarius ; tertio, velocissimus, uti ostendi Daniel. 7. 6. Talis erit et Antichristus, scilicet maculatus omnibus sceleribus, et versatilis in omnes fraudes et dolos ; secundo, plurimorum homicida et patricida ; occidet enim Henoch atavum suum, à quo ipse prognatus est ; tertio, instar fulminis pervadet orbem ; eumque sibi subiget, indeque sibi ingentem triumphum, plausum et gloriam conciliabit, cujus symbolum est ocellata et speciosa pellis pardi.

PEDES EJUS SICUT PEDES URSI,] scilicet fortissimi, et aptissimi ad conciliandum fideles et sanctos. Addit Alcazar pedes hîc extendi ad crura et femora, ac notare luxuriam ursi (de qua Plinius lib. 8. c. 36.) id est Antichristi. Dissonat hîc à Græco et Latino Arabicus ; vertit enim : *Et animal quod vidi simile est urso, et pedes ejus pedes leœnæ, et os ejus simile est ori leonis.*

ET OS EJUS SICUT OS LEONIS.] *Os*, puta oris forma, rictus et rugitus erat leoninus, id est superbus, immanis, terrorem et horrorem inciens fidelibus, eosque discerpens et dilanians. Nota. Hæc bestia similis est visioni Danielis, capite 7. ubi vidit Daniel quatuor bestias, primam similem leænæ, secundam urso, tertiam pardo, quartam fortiorem cæteris, et decem cornua habentem, quæ significabant quatuor Gentilium monarchias, scilicet Chaldæorum, Persarum, Græcorum et Romanorum ; quæ præibunt et desinent in monarchiam Antichristi, eruntque ejus quasi præcursores ; cui proinde ut capiti suo, attribuuntur omnia quæ aliorum erant, ut scilicet ipse unus sit leo, pardus, ursus, et quarta bestia innominata decem cornuum, atque ex omnibus conflatus et coagmentatus videatur ; quia in eo erit leonis superbia, ursi sævitia et luxuria, pardi maculosa figura, etc. Porro uti hæc bestia, ita et illæ quatuor Danielis habuerunt capita septem ; nam tertia bestia, scilicet pardus quatuor habebat capita, quæ juncta tribus reliquis (singulæ enim tres singula habebant capita) universim faciebant septem capita.

Mystice Hugo et Alcazar (quod tamen ipse putat esse litterale) bestia hæc est mundus, in quo, ut ait S. Joan. epist. 1. c. 2. 16. non est aliud quàm *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ,* id est luxuria, avaritia, ambitio ; ursus enim symbolum est luxuriæ, pardus toto corpore ocellatus avaritiæ; (avarus enim oculos et cor habet in pecuniis reposita : ubi enim est cor, ibi sunt et oculi ; unde vulgo dicitur : *Ubi oculi, ibi amor, ubi manus, ibi dolor*); leo superbiæ et ferocitatis.

Ad hæc, quod luxuria in pedibus, avaritia in corpore, superbia in ore, id est in capite, bestiæ collocetur, significat, in infirmis hominibus, qui quasi mundi pedes sunt, luxuriam fere potissimum dominari : in mediis, avaritiam ; in capitibus et primoribus, superbiam. Et corpus quidem pantheræ, ursini pedes, atque os leoninum adumbrant, mundi corpus divitiis congerendis inhiare, ut exstare sic et eminere possit, atque se in turpem et libidinosam vivendi consuetudinem effundere. Rursum in medio avaritia constituitur, quia superbiæ et libidini opus est pecuniæ ope, et avaritiæ adminiculo ; et inter alias duas, nempe avaritiam et libidinem, caput exerit superbia, utpote erecta atque arrogans in ipso ore et capite, juxta illud Proverb. 14. 3. *In ore stulti virga superbiæ.* At luxuria, ut fœda ac turpis, ad pedes ipsos abjicitur. Hucusque Alcazar.

ET DEDIT ILLI DRACO POTESTATEM MAGNAM.] Græce εξουσιαν, id est primo, auctoritatem et majestatem suam ; secundo, licentiam et facultatem omnimode persequendi fideles ; tertio, decipiendi artes, vires et efficacitatem ; quarto, potestatem faciendi ficta miracula, per præstigia, per arcanorum revelationem, per adumbratam mortui suscitationem, etc.

Græce additur, *et thronum suum,* ut scilicet Antichristum colant omnes filii dæmonis, id est omnes impii, sitque ipse quasi diaboli vicarius, rex super omnes filios superbiæ.

3. ET VIDI UNUM DE CAPITIBUS SUIS QUASI OCCISUM IN MORTEM.] Syrus, *quasi mactatum in mortem ;* Arab. *quasi plaga mortis.* Dicit *quasi*, vel quod vere occisum non esset, sed tantum lethaliter vulneratum, ut aliqui exponunt; vel potius, quia hæc non revera fiebant, sed per symboli-

cam visionem et similitudinem duntaxat repræsentabantur Joanni. Nam alioqui vere hoc caput occisum, id est occidendum erat, saltem secundum apparentiam externam et opinionem hominum; sequitur enim: *Et plaga mortis ejus curata est.* Sic c. 5. 6. ait: *Vidi agnum tanquam occisum;* Christus enim vere fuit occisus, sed visus est Joanni *tanquam*, id est, similis agno occiso. Simulabit enim Antichristus instar Christi veram à morte resurrectionem.

Jam quoad sensum, Alcazar qui per bestiam accipit Romanum Imperium, et Imperatores Ecclesiam persequentes, sic exponit: *Vidi unum*, id est, primum caput; puta primum Imperatorem persecutorem Ecclesiæ, nimirum Neronem, occisum, et mox in Domitiano ejus successore quasi suscitatum et reviviscentem; Domitianus enim persecutionem à Nerone inchoatam, et sub Tito et Vespasiano sopitam, suscitavit et instauravit. Hinc veteres nonnulli simplicitate decepti, dum allegoriam non ut allegoriam, sed ut sonat, intelligunt, putarunt Neronem fore Antichristum, et rursum in fine mundi suscitandum et apparitarum, uti refert S. Hier. in Dan. 11. inter quos fuit Victorinus scribens in illud Apoc. 17. *Et ipsa octava est.* Sic et Prosper in Dimidio temporis c. 8. Verum hæc persecutionis instauratio non fuit miraculum, nec mirabile quid, aut novum et inauditum: quod tamen hîc fuisse liquet, tum ex aliis, tum ex eo quod subditur: *Et admirata est universa terra post bestiam*, ita scilicet ut bestiam sequeretur, coleret et adoraret, ut sequitur. Græce est, και εθαυμαστη εν ολη τη γη οπισω του θηριου, id est, *et admiratio fuit in tota terra post bestiam.* Quocirca impertinens et præpostera plane est expositio Lutheri, Illyrici, et Davidis Chytræi, qui pariter censent bestiam esse Romanum Imperium, quod vulneratum erat ad mortem, id est, plane declinabat et deficiebat; sed Antichristus, inquiunt, id est Papa, aliud resuscitavit, cum ipsum in Carolum Magnum transtulit. Ut enim alia taceam, contigit hoc sub annum Domini 800, cum ipsi contendant Antichristum cœpisse regnare Romæ anno 600. Rursum, hinc sequitur Carolum Magnum, omnesque ejus posteros Imperatores, esse creaturas et proles Antichristi: quæ contumelia est atrocissima in Majestatem Imperialem totumque Imperium. Longius abeunt alii, qui per caput unum, id est primum, accipiunt Julium Cæsarem, quo occiso videbatur Imperium Romanum periisse, sed mox Augustus illud suscitavit.

Dico ergo, sensus est primo, q. d. *Vidi unum de capitibus*, id est, primum de regibus Antichristo subjectis, percussum plaga mortifera, v. g. in bello quod pro Antichristo geret, sauciari usque ad mortem, eumque sanari, vitæque restitui ab Antichristo ope et virtute diabolica; unde omnes ejus vires admirati ei se subdiderunt; ita Aretas, Suarez tract. de Antichristo, et alii.

Secundo et potius, *unum de capitibus*, intellige ipsum Antichristum, qui bestia septiceps est, simulque ejusdem caput primum et præcipuum; nam v. 12. dicuntur homines adorasse bestiam cujus curata est plaga: adorabunt autem Antichristum, non autem aliquem alium è regibus. Finget ergo Antichristus plagam lethalem et incurabilem, ex eaque se mortuum simulabit, ac triduo transacto inopinato omnibus se redivivum sistet et ostendet, ut scilicet hac ratione imitetur Christum tertio die à morte resurgentem. Ita Beda, Primas. Richard. Ansbertus. Dicit autem *unum*, quia, ut videbimus c. 17. proprie unum tantum erit caput Antichristi; reliqua enim sex aliorum regum sunt: dicuntur tamen et illa Antichristi, quia illorum regna sibi vindicabit, eaque sibi subjiciet et quasi incorporabit Antichristus, ut in ipso quasi capite sit totum regnum impiorum, totumque corpus diaboli; omnium enim regum qui se præcesserunt impietatem et tyrannidem, æque ac potentiam et dominationem, ipse unus continebit et superabit.

Nota plagam hanc Antichristi revera non fore mortiferam; sed talis videbitur hominibus tantum, non autem talis reipsa erit: vel, si revera erit incurabilis, id tantum erit respectu artis et opis humanæ. Dæmoni enim totum nostrum corpus pervadenti, viresque herbarum et pharmacorum penetranti naturaliter curabilis erit, ac proinde ejus curatio nec vim creati agentis (qualis est angelus et dæmon) transcendet, nec miraculum erit. Deus enim clavem et potentiam miraculorum sibi reservavit.

4. ET ADORAVERUNT DRACONEM QUI DEDIT POTESTATEM BESTIÆ,] suscitandi se à morte: vere ergo tunc adorabunt diabolum, quasi numen Antichristi.

ET ADORAVERUNT BESTIAM.] Alcazar draconis adorationem proprie; bestiæ vero, id est, Romæ et Romani Imperii, improprie accipit, ut significet stultam reverentiam et cæcam subjectionem, quæ est quasi quædam adoratio. Ita enim Roma à Gentilibus scriptoribus, vel potius adulatoribus, vocata est *terrarum Dea, gentiumque.* Et Goltzius numismata plura exhibet cum hac inscriptione: Ρωμε θεα, *Roma et Augusti templum, Romæ Deæ*, etc.

Verum proprie, ut draconis, ita et bestiæ, id est Antichristi, adoratio accipienda est; volet enim ipse adorari ut Deus, ideoque quasi numen sedebit in templo Dei, ut ait Apostolus 2. Thess. 2. 4.

DICENTES: QUIS SIMILIS BESTIÆ? Ita Antichristum vocat Joannes, scilicet bestiam; sed ipsi ejus asseclæ et Antichristiani dicent: *Quis similis Christo nostro?* pro Messia enim et Christo eum recipient et colent; ita Beda.

5. ET DATUM EST EI OS LOQUENS MAGNA ET BLASPHEMIAS.] *Magna*, id est superba, arrogantia. Sic psal. 11. v. 4 et 5. dicitur: *Disperdat Dominus linguam magniloquam*, id est, tumidam et arrogantem. Et psal. 37. 17. *Super me magna* (id est præsumptuosa) *locuti sunt.* Jactabit enim Antichristus se esse Christum Dei filium, ac proinde Deum. Hinc secundo Alcazar, *magna*, id est blasphemias, ut vox *et* capiatur pro *id est.* Sic enim ait Poeta: *Nil magnum dixeris*, id est, ne jactes blasphemias. Et Horat. lib. 4. Carm. ode 6.

> Dive quem proles Niobea magnæ
> Vindicem linguæ, Tityosque raptor
> Sensit, et Trojæ prope victor altæ
> Phthius Achilles.

ET DATA EST EI POTESTAS FACERE.] Aliqui Græci codices addunt πολεμον, id est, bellum; sed melius alii tollunt, et legunt generatim *facere*, id est, agere quidquid libuerit.

MENSES QUADRAGINTA DUOS,] id est, tres annos cum dimidio; vide dicta caput 11. vers. 2. et 3.

6. ET APERUIT OS SUUM IN BLASPHEMIAS AD DEUM,

BLASPHEMARE NOMEN EJUS, ET TABERNACULUM EJUS, ET EOS QUI IN COELO HABITANT.] Antichristus ergo primo blasphemabit Deum ; erit enim atheus, tolletque omnem Deum et numen, ut ipse solus pro Deo colatur, ut dixi 2. Thess. 2. *h.* Secundo, ejus tabernaculum, id est Ecclesiam et templa ; tertio, sanctos omnes, cœlites et Beatos.

Hinc patet Antichristi præcursores esse, ejusque spiritu agi nostros Novantes, qui templorum cultum, et Sanctorum venerationem oppugnant, et abolere conantur. Hoc enim quod ipsi inchoant perficiet Antichristus.

Antichristus ergo rex orbis haberi volet, ac prædicabit se verum Christum esse mundi servatorem ; Christum vero nostrum impostorem fuisse : quæ de Christi miraculis, regno, morte, resurrectione et ascensione in cœlos à Prophetis prædicta sunt, in sese uno omnia certissime implenda. Quare et mortuum se, et à mortuis resurgentem simulabit, ac post tres annos cum dimidio ex monte Oliveti, in quo Christus in cœlum ascendit, pariter et ipse in cœlum conscendere tentabit ; sed ibi à Christo conficietur et dejicietur in tartara. Ita ex Daniele et Apocalypsi docent S. Hieron. Richard. Anselm. S. Thomas et S. Greg. 30. Mor. 3.

7. ET EST DATUM ILLI BELLUM FACERE CUM SANCTIS, ET VINCERE (bello subjugare, capere et occidere) EOS.

ET DATA EST ILLI POTESTAS IN OMNEM TRIBUM ET POPULUM, ET LINGUAM, ET GENTEM.] Hinc patet Antichristum sensim ita suum dilataturum imperium, ut tandem fiat orbis monarcha, illudque non aliis quàm terræ finibus terminetur. Ita Joseph Acosta, lib. 2. de Temp. novissimis c. 9.

8. ET ADORAVERUNT EAM (bestiam, id est Antichristum) OMNES QUI INHABITANT TERRAM, qui terrena sapiunt, homines terreni et impii, unde limitans subdit : QUORUM NON SUNT SCRIPTA NOMINA IN LIBRO VITÆ.] Hinc mystice Alcazar : Adorare bestiam, inquit, est mundum diligere et colere.

QUORUM NON SUNT SCRIPTA NOMINA IN LIBRO VITÆ AGNI, QUI OCCISUS EST AB ORIGINE MUNDI.] Aliqui post *occisus est*, ponunt comma, et τὸ *ab origine mundi* referunt ad *non sunt scripta nomina*. Ita Andreas, Aretas, Ticonius, Ambros. Beda, Ribera et Alcazar, tumque sensus est facilis, scilicet adorasse bestiam illos, qui ab origine mundi non sunt scripti in libro vitæ, id est, qui non sunt prædestinati, sed reprobi. Verum alii, uti vicinius, ita planius τὸ *ab origine mundi* referunt ad *occisus est*, tolluntque comma quod alii medium ponunt, uti idipsum tollunt Biblia Romana et alia passim. Tuncque sensus est duplex : primus, q. d. *Ab origine mundi*, id est jam olim, ab initio, et ante omnia, ab omni ævo, puta ab æterno, Agnus occisus est, id est, occidi decretus, præscitus et prædestinatus à Deo ; quia ejus merito omnes electi prædestinati et scripti sunt in libro vitæ. Quocirca est hic elegans antithesis inter librum vitæ et Agnum occisum : illa enim vita ad quam destinantur electi, effectus et fructus est passionis et mortis Christi. Hinc et Ticonius pro ἐσφαγμένου, id est, occisus est, legit ἐσφραγισμένου, id est, signatus est. Sic Paulus ait Deum dedisse (id est dare decrevisse et prædestinasse) nobis sua dona ante tempora sæcularia, 2. Timoth. 1. v. 9. Sæpe enim per hebraismum verba realia pro mentalibus ponuntur, ut alibi ostendi. Ita Hugo, Gagneius, et alii hîc, ac Gregor. de Valentia 3. p. q. 19. disp. 1. puncto 3. et Gabriel Vasquez 3. p. disp. 77. num. 66.

Secundo, Agnus occisus est ab origine mundi non in se, sed in suis typis et figuris, puta sanctis Patriarchis et Prophetis, qui fidei et pietatis causa occisi sunt. Ita Ambros. Anselm. Ansbert. Thomas, Hugo, Viegas et alii. Christus ergo fuit Agnus occisus ab origine mundi, quia præsignatus fuit primo, in sacrificio Abelis, qui obtulit primogenita ovium, id est agnos, Domino ; ac proinde Deo placens, ipsemet quasi agnus innocens factus est victima Deo, cum à parricida Cain occisus primus extitit orbis virgo et Martyr. Secundo, in ariete sive agno masculo, quem pro Isaac substituit et immolavit Abraham Genes. 22. 13. Sic enim in Christi passione Judæis et tortoribus pro deitate surrogata, passa et immolata est humanitas. Tertio, in agno paschali, de quo fuse dixi Exodi 12. Etenim *pascha nostrum immolatus est Christus. Agnus redemit oves, Christus innocens Patri reconciliavit peccatores.* Quarto, in jugi sacrificio ; quotidie enim Hebræi ex lege Exodi 29. 38. immolabant Deo tam manè quàm vespere agnum : et hoc est sacrificium matutinum et vespertinum, quod sæpe offert et refricat David in Psalmis, et Prophetæ. Ita Origen. Cyrill. et Euthym. in Joannis c. 1. 24. Quinto, in aliis ovibus et agnis, qui ex lege Dei omni festo offerendi erant. Sexto, quia ab Isaia c. 35. 7. et Jeremia c. 11. v. 19. Christus comparatur agno. Hinc et Joannes Baptista demonstrans Judæis Christum sive Messiam eis promissum : *Ecce*, inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.*

Eleganter æque ac vere S. Paulinus epist. 27. ad Aprum. *Ab initio*, inquit, *sæculorum Christus in suis patitur et triumphat : in Abel, occisus est à fratre : in Noe, irrisus à filio : in Abraham, peregrinatus : in Isaac, oblatus : in Jacob, famulatus ; in Joseph, venditus : in Mose, expositus et fugatus ; in Prophetis, lapidatus et sectus : in Apostolis, terræ marique jactatus : in Martyribus, toties et tam varie occisus. Ipse et in te patitur opprobria, et ipsum in te odit hic mundus ; sed gratias ipsi, quod vincit cum judicatur, et triumphat in nobis.*

9. SI QUIS HABET AUREM, AUDIAT,] tum ea quæ jam dixi de bestia, ejusque adoratione, tum potius ea quæ sequuntur de sortium commutatione. Hæc enim res magni est momenti, magnamque poscit attentionem.

10. QUI IN CAPTIVITATEM DUXERIT, IN CAPTIVITATEM VADET.] In græco pro *duxerit* et *vadet*, est elegans paronomasia in verbi συναγει, υπαγει. Sensus est, q. d. Nolite turbari, ô fideles, cum videbitis Antichristum ita sævire ad libitum, ac prosperari, quia tandem et ipse qui alios capit, capietur à Christo, imo à diabolo captivus et vinctus rapietur ad tartara, æternumque gehennæ carcerem.

QUI IN GLADIO OCCIDERIT, OPORTET EUM GLADIO OCCIDI.] *In gladio*, id est gladio, est hebraismus ; Hebræi enim instrumentis adjungunt ב, id est, *in*. Jam *gladio*, id est, violenta cæde, morte et ultione. Sic Matth. 26. 52. ait Christus : *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt ; gladio*, id est, violenta morte, Deo ulciscente : non autem quod tales homicidæ omnes præcise gladio interficiantur. Significat ergo Antichristum ho-

micidam, imo parricidam, pariter violenta morte à Deo occidendum et trucidandum.

Hic (in his rebus adversis et persecutionibus, earumque longanimi tolerantia, et spe liberationis patebit et splendebit) PATIENTIA ET FIDES SANCTORUM.] q. d. In tanta Antichristi persecutione et prosperitate probabitur et declarabitur illustris virtus, constantia et fides Sanctorum; quia ipsi cum fide patientiam retinebunt, sperantes brevi sortium commutationem, scilicet Antichristi depressionem et vindictam, suam vero exaltationem et gloriam.

Nota: Tribulationes sunt quasi lydius lapis, quo probatur fidelitas et constantia Sanctorum. Hoc est quod ait Eccles. c. 27. 6. *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis.* Hinc Tobiæ 12. 13. dicitur: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatione probaret te.* Unde Arabicus hîc vertit: *Et qui habet patientiam et fidem sanctorum, beatus est.* Est ergo patientia quasi thorax impenetrabilis, omnes hostium ictus excipiens et elidens. Quocirca fideles hortatur Apostolus Hebr. 12. 1. dicens: *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.* Et S. Jacobus c. 1. 2. *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis; scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur; patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes.* Rursum Apostolus ad Rom. 5. 3. *Tribulatio*, ait, *patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit.* In fine ergo mundi erunt viri patientissimi et fortissimi, ideoque Martyres illustrissimi.

Moral. vide hîc ut virtus per adversa splendescat et ad gloriam evadat. Gagates accenditur aqua, oleo restinguitur, ait Plin. l. 36. c. 19. Ita in adversis vera virtus ardet, tepet in prosperis, et affuso voluptatis oleo languescit et obruitur.

Nam virtus futile nomen,
Ni decus adfuerit patiendo, ubi tempora lethi
Proxima sint, pulchramque petat per vulnera laudem,

ait Silius lib. 9. Dionysias lapis fuscus est, rubeas habens notas; qui si aquæ mixtus conteratur, vinum fragrat, ait Solinus: ita virtus, adversis excitata et quasi contrita, fragrat acrius. Quocirca recte Ovid. lib. 4. Trist. eleg. 3.

Materiamque tuis tristem virtutibus imple,
Ardua per præceps gloria vadit iter.
Hectora quis nosset, felix si Troja fuisset?
Publica virtutis per mala facta via est.

Et Aratus lib. 1. in Acta Apostol.

Nec cedite curis.
Virtuti damnosa quies, nullumque coronat
In stadio securus honor: sua gloria forti.
Causa laboris erit, rarusque ad gaudia miles
Cui pax sola fuit, victoria semen ab hoste
Accipit.

Pulegium hiemè floret, rigente ubique frigore. Unde Cicero lib. 1. de Divinat. *Masculorum*, ait, *fecusculta bruma dicuntur augeri, et pulegium aridum florescere ipso brumali die:* ita *floret adversis agitata virtus.* Hinc S. Ambros. lib. 1. offic. c. 39. Fortitudo, ait, *imminentibus periculis ornamenta defendit virtutum omnium, et inexpiabili prælio adversus omnia vitia decernit: invicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior adversus voluptates, dura adversus illecebras.*

In numismate Trajani visebatur clava leonino insidens capiti, nimirum vir fortis et sapiens est παντάρατωρ omnium domitor, instar Dei cujusdam terrestris.

Sapiens autem vicinus proximusque diis consistit, excepta mortalitate similis Deo, ait Seneca cap. 8. lib. de Constantia sapientis. Idem epist. 66. hunc dat veræ virtutis typum: *Quemadmodum*, ait, *minora lumina claritas solis obscurat; sic dolores, molestias, injurias virtus magnitudine sua elidit atque opprimit; et quocumque affulsit ibi quidquid sine illa apparet, extinguitur, nec magis ullam portionem habent incommoda, cum in virtutem inciderint, quam in mari nimbus.* Quocirca Carolus Rex Neapolis in insignibus habuit rupem terra scissam, in cujus cacumine erat crux, in summa cruce rosa cum hoc lemmate: *In patientia suavitas.*

11. ET VIDI ALIAM BESTIAM ASCENDENTEM DE TERRA, ET HABEBAT CORNUA DUO SIMILIA AGNI, ET LOQUEBATUR SICUT DRACO.] Primo, Lyran. Anreolus, et Domin. Soto in 4. sentent. dist. 49. quæst. 1. a. 2. per priorem bestiam, de qua v. 1. accipiunt Sinochium, vel, ut alii vocant, Siroem, aut Sirum Cosroæ regis Persarum filium, qui multos, uti Anastasium, aliosque septuaginta monachos martyrio affecit: per hanc vero bestiam accipiunt Mahomet auctorem Mahometismi, cujus miracula narrant Saraceni. Primum, quod sine dolore prodierit ex utero matris, circumcisus et hilaris. Secundum, quod in ejus natali omnia idola per totum orbem corruerint. Tertium, quod Lucifer arreptus ab Angelis tunc immersus sit in profundum mare. Quartum, quod venti, aves et nubes de ejus educatione decertarint. Quintum, quod asina voce humana cum vocarit sigillum Prophetarum. Sextum, quod nubes atra semper etiam cœlo sereno, ejus capiti incubuerit. Septimum, quod lunam bipartito divisam conjunxerit et compegerit; hinc Turcæ venerantur lunam, eamque in vexillis castris præferunt. Octavum, quod Angelus sit ei locutus. Nonum, quod arbor fici ab eo evocata, ei humiliter se inclinarit. Decimum, quod bos et agnus ei, quasi maximo internuntio Dei, locuti sint. Quocirca asserunt Mahometis nomen fuisse ante mundi creationem in conspectu Dei: et quod, nisi fuisset, nequaquam mundum condidisset. Mahomet instituit imaginem bestiæ, id est, summum suæ sectæ pontificem, quem Turcæ Calipham vocant, quem summe reverentur, cuique obediunt uti nos Romano Pontifici. Character ejus est circumcisio, aliæque cæremoniæ ab eo inductæ. Injunxit suæ sectæ asseclis, ut cum nullo de religione et lege sua disputent, sed quemlibet eam blasphemantem interficiant. Numerus nominis ejus 666 significat, ait Innocent. III. quod secta hæc durabit 666 annis. Verum jam mille annis duravit; cœpit enim sub annum Christi sexcentesimum.

Ad hanc sententiam accedunt Joannes Annius, et ex eo Bentenius in judicio de Apocalypsi, quod velut prologus præfigitur commentariis Aretæ in Apocalypsin. Illi enim per bestiam hanc intelligunt Mahometem, quem asserunt fuisse Antichristum. Verum Mahometem non fuisse Antichristum, multis certisque rationibus demonstrat noster Suarez tractat. de Antichristo, et Pererius tractat. de hac re, scilicet, quod Mahomet non sit Antichristus.

Secundo, Alcazar sicut per bestiam maris, v. 1. ita et per hanc bestiam terræ accipit Romanum Imperium Ecclesiam Christi impugnans; per bestiam enim maris significatur Romani Imperii amplitudo et majestas, quæ Evangelii humilitati ex diametro erat adversa; per bestiam terræ vero significatur terrenus effrenatarum cupiditatum affectus, qui in Romanis aliisque gentibus eis subditis, integer ac vivus exstabat. Atque, ut verbo dicam, significantur hîc tres fidelium et Ecclesiæ hostes, scilicet draco, id est diabolus, bestia maris, id est mundus, et bestia terræ, id est caro : qui tres pariter significantur et alludunt ad Satanam, Leviathan et Behemoth, de quibus in lib. Job fit mentio. Duo cornua bestiæ sunt comminatio ac severitas, quibus sapientia carnis Evangelium exterminare conabatur. Secundario duo hæc cornua fuerunt duo insignes Magi cæteris nobiliores, nimirum Simon Magus et Apollonius Tyanæus, qui Christo et Apostolis per falsa miracula et inanem sapientiæ ostentationem pertinacissime repugnarunt. *Loquebatur sicut draco*, id est, loquela ejus dulcis erat, seseque facile insinuans, ita ut illam audire perinde esset, ac serpentis vel diaboli sibilos exaudire. Viri enim spirituales dicunt et docent carnis loquelam et instinctum esse loquelam et instinctum dæmonis. Alludit ad loquelam serpentis, qui Evam per gulam decepit, persuadendo ei pomi vetiti esum, Gen. 3. Hinc Jacob. c. 3. 15. de hac carnis sapientia ait, quod sit *terrena, animalis, diabolica*, quia scilicet loquitur ut draco. Fecit *ignem de cœlo descendere*, id est, præ se tulit zelum divinum et velut cœlo delapsum; quasi eum ad persequendam Ecclesiam nihil aliud stimularet, quàm zelus honoris et cultus diis impendendi. Fecit et imaginem bestiæ loqui; quia per idola dæmon loquebatur et dabat responsa. Ita ipse ex suo fine et scopo.

Tertio, melius S. Gregor. 33. Moral. 20. Aretas, Rupert. Haymo, et Pannonius hîc per hanc bestiam accipiunt universos Antichristi ministros, maxime præcones et prædicatores. *De terra quippe ascendere*, inquit S. Gregor. *est de terrena gloria superbire. Quæ habet duo cornua Agni similia; quia per hypocrisin sanctitatis, eam quam in se veraciter Dominus habuit, singularem sibi inesse sapientiam mentitur et vitam. Sed quia sub Agni specie auditoribus reprobis serpentinum virus infundit, recte subditur: Et loquebatur ut draco.*

Quarto et optime, Ambrosius, Andreas, Irenæus, lib. 5. c. 28. Tertullianus, lib. de Resurrectione carnis, c. 25. Ribera, Viegas et alii, per hanc bestiam accipiunt insignem aliquem impostorem, qui erit quasi præcursor et præco Antichristi : hunc enim ille habebit instar Christi, qui præcursorem habuit S. Joannem Baptistam. Quocirca Irenæus, lib. 5. sub finem eum vocat hyperaspistem et armigerum Antichristi. Atque hac ratione Antichristus qui volet coli ut Deus, imitabitur mysterium SS. Trinitatis, quæ est in Deo, scilicet ut draco sit Pater, ipse sit Filius, hic vero impostor ejusque præco sit instar Spiritus sancti; sicut enim Patri Christus defert, et Christum Spiritus sanctus clarificat : ita diabolum, ut patrem suum colet Antichristus, Antichristum pseudopropheta hic signis magnis prædicabit, et nobilitabit. Ita Josephus Acosta, l. 2. de Tempor. noviss. cap. 17. qui et cap. 11. nimirum cujusdam præcursoris Antichristi in Peru à se visi refert exemplum : qui cum esset Doctor Theologus, et quasi oraculum illius loci haberetur, à muliercula deceptus, se dicebat esse redemptorem mundi per efficaciam; Christum vero fuisse tantum per sufficientiam; ideoque flammis traditus, pertinax in sua superbia et hæresi, bis miser à morte præsenti in æternam transiit.

Et habebat cornua duo similia Agni.] Hæc duo cornua erunt species et simulatio mansuetæ sanctimoniæ, ut videatur esse Agnus, et potestas faciendi miracula, ut videatur esse thaumaturgus instar Christi : quibus quasi cornibus potentissime sibi homines conciliabit, plurimosque ad Antichristi sectam et jugum trahet. Possent secundo duo cornua significare duos ejus administros et cooperatores insignes dotibus jam dictis ad decipiendum instructos. Sic enim bestiæ, id est Antichristi, cornua decem, erunt decem reges, ejus administri et adjutores. Tertio, Josephus Acosta, lib. 2. de Tempor. noviss. cap. 17. Duo, inquit, cornua Episcopalis dignitatis, puta mitræ sive infulæ (hæc enim est bicornis) insigne sunt. Videtur ergo quod hîc pseudopropheta erit Episcopus quispiam apostata, et simulator religionis, Ecclesiastici honoris proditor, qui draconis venenum suis sermonibus populo propinabit. Porro insulse hæretici putant hîc taxari gradum et mitram Episcopalem, quasi biformem, cum potius laudetur; vocatur enim *duo cornua Agni*, id est, duo robora ac ornamenta Christi. Non ergo infula, sed infulatus apostata taxatur, qui perfide hisce cornibus Christi abutetur ad sectam Antichristi propagandam. Sic olim Ursacius, Valens, Eusebius, aliique Episcopi Arii hæresim propagarunt.

Nota : Cornu apud priscos signum et symbolum erat regni, imo divinitatis. Alexander Magnus, ut vulgo persuaderet se filium Jovis Hammonii, ejus cornua assumpsit, ait Athen. lib. 12. et Clemens Alexand. Exhortat. ad Gentes. Nam, ut Canit Silius Ital. lib. 14.

> Hammon numen erat Lybicæ gentile carinæ,
> Cornigeraque sedem spectabat cærula fronte.

Bacchus, priusquam nasceretur, habuit cornua quibus perforavit Jovem. Unde Euripides in Baccho, actu 1. eum vocat tauricornem.

Statius, lib. 2. Thebaid. Inachum cornutum facit :

> Pater ipse bicornis
> In lævum prona nixus sedet Inachus urna.

Celebre est cornu Amaltheæ. A diis cornua translata sunt ad reges illos priscos, innocentia et virtute diis proximos. Hinc aruspex, visis in capite Cippi cornibus, dixit hæc ei regnum Latii portendere, teste Ovidio, lib. 15. Metamorph.

> Rex, ait, ô salve. Tibi enim, tibi, Cippe, tuisque
> Hic locus, et Latiæ parebunt cornibus arces.

Io cornuta dicitur peperisse reges Thebanos, teste Eurip. in Phœniss. actu 3.

Acutum fuit Demetrii responsum Philippo regi datum : Si Rex esse vis, utroque cornu bovem retine, id est Peloponnesum; testis est Plutarch. in Arato.

Nec id solum apud profanos, verum et apud fideles et sacros, Mosi Deus Exodi 34. cornua,

id est, radios lucis instar cornuum, affixit, ut eum ducem et legislatorem ane toraret.

Flammea cornuto librantem lumina vultu,
Gestantemque sacris jura superna libris.

Cornu ergo symbolum est roboris et potestatis. Josepho, id est, posteris ejus, puta regibus Israel ex filio ejus Ephraim nascituris, benedicens Moses, Deuter. 33. v. 17. *Cornua*, ait, *rhinocerotis cornua illius : in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terræ.* Et Deus Davidi, psal. 131. 17. *Illuc producam*, inquit, *cornu* (imperium) *David;* qui vicissim grato animo illud in Deum auctorem resignans, 2. Reg. 22. 3. *Deus*, ait, etc. *cornu salutis meæ.* Et v. 48. *Deus qui das vindictas mihi, et dejicis populos sub me.* Impostor ergo hic bicornis, Antichristi domini sui imperium æque ac divinitatem, duobus hisce cornibus repræsentare et persuadere sataget.

Symbolice, duo cornua sunt fraus et vis, quibus Antichristus, ejusque hic præcursor, gentes sibi subiget, juxta illud vulgatum : *Arte et marte, astu et ausu.*

ET LOQUEBATUR SICUT DRACO,] quia doctrina ejus erit serpentina, id est callida, fraudulenta, venenata et diabolica, ideoque aptissima ad decipiendum homines. Sicut enim draco, id est diabolus, decipiens Evam, locutus est per os serpentis, ita et loquentur per os hujus pseudoprophetæ.

12. ET POTESTATEM PRIORIS BESTIÆ (Antichristi) OMNEM FACIEBAT IN CONSPECTU EJUS.] q. d. Hic pseudopropheta et præcursor Antichristi, pro Antichristo, et coram Antichristo faciet miracula, omniaque illa in speciem illustria, quæ faciet ipse Antichristus, idque Antichristo ipso mandante et adjuvante, ut per hæc facta et signa persuadeat hominibus Antichristum esse Messiam Dei Filium, ideoque adorandum. Unde sequitur :

ET FECIT TERRAM, ET HABITANTES IN EA, ADORARE BESTIAM PRIMAM CUJUS CURATA EST PLAGA MORTIS.] *Et* significat *id est.* q. d. *Terra,* id est, *habitantes in terra,* homines terreni terræque bonis affixi, sinent se duci ab hoc pseudopropheta, et adorabunt Antichristum ob ejus miracula, præsertim quod seipsum à morte visus sit suscitare.

13. ET FECIT SIGNA MAGNA, UT ETIAM IGNEM FACERET DE CŒLO DESCENDERE.] S. Joannes prædicit hîc tria miracula quæ Antichristus, vel per se, vel per suum præcursorem faciet. Primum est, quod simulabit se à plaga lethali resurgere, ut dixit v. 3. Secundum est hoc, quod ignem è cœlo evocabit quasi ejus dominus, id est Antichristus, sit filius et hæres Salomonis, imo alter Salomon, Rex de quo ait Script. 2. Paral. 7. v. 1. *Cumque complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cœlo et devoravit holocausta et victimas;* ac alter Elias, de quo ignem è cœlo contra hostem suum evocantem dicitur, 4. Regum 1. v. 10. *Descendit itaque ignis de cœlo, et devoravit eum, et quinquaginta qui erant cum eo.* Sic enim hic impostor ignem è cœlo minabitur iis qui nolent credere et credere Antichristo. Tertium est v. 15. quod faciet imaginem statuæ suæ loqui. Quæ omnia vel ficta, vel falsa erunt miracula ; vel enim vitium erit in materia, ut revera non fiant ; sed per diaboli oculos intuentium perstringentis præstigias, hominibus videantur fieri, vel vitium erit in forma ; omnia enim fient vi non divina et supernaturali, sed physica et naturali.

Hoc est quod prædixit Christus, Matth. 24. 24. *Surgent pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Et Marci 13. v. 22. *Et dabunt signa et portenta ad seducendos (si fieri potest) etiam electos.* Et Paulus, 2. Thessal. 2. 9. *Cujus est adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus et in omni seductione.* Vide ibi dicta. Ex eo enim loco liquet multa alia miracula, aut potius mira, facturum Antichristum, unde Sibylla, lib. 3. Oracul. quatuor alia addit, scilicet quod Antichristus sistet mare, quod sistet solem et lunam, quod montes transferet, quod plures mortuos suscitabit. Verum, inquit, hæc non erunt vera signa, sed fallacia. Plura recensent S. Methodius, Hippolytus, et Ephrem quorum verba citavi, 2. Thessal. 2. 9.

14. DICENS UT FACIANT homines IMAGINEM BESTIÆ, QUÆ HABET PLAGAM GLADII, ET VIXIT,] id est, suadens et persuadens hominibus ut faciant et adorent statuas Antichristi, qui percussus gladio et quasi occisus, videtur miraculose resurrexisse, ut dixi v. 3.

15. ET DATUM EST ILLI UT DARET SPIRITUM IMAGINI BESTIÆ, ET UT LOQUATUR.] q. d. Hic præcursor Antichristi in statuam Antichristi immittit spiritum, puta dæmonem familiarem, qui per statuam loquetur, ut olim locutus est Apollo Delphicus, ita ut statua Antichristi videatur animata, ipsaque loqui. Ita Richardus, Rupertus, Aretas.

16. ET FACIET OMNES HABERE CHARACTEREM IN MANU.] Sicut nos gerimus signum crucis, ait Ambrosius, ita Antichristus faciet omnes suum signum, quasi characterem gestare. Putant nonnulli quod Antichristus suis asseclis notam certam fronti aut manui inuret ferro, aut cultro incidet, aliove modo imprimet vel affliget, uti nos facimus pecudibus et jumentis nostris. Talem enim notam Latinis significat character, et Græcum χαραγμα proprie significat notam impressam vel insculptam. Ita Vatablus et Viegas. Sic olim milites signabantur stigmate in manu, uti ex Cod. Justiniani et S. Augustino, Chrysostomo, Prudentio docet Lipsius, l. 1. de Militia Romana, dialogo 9. Imo S. Gregorius, epist. 100. ad Mauricium, et 103. ad Theodorum medicum, ubi Imperatoris edicti meminit, ne quis manu signatus ante expletam militiam in monasterium recipiatur. Quin et Vegetius, libr. 1. c. 8. et libr. 2. c. 5. *Puncturis*, ait, *in cute cunctis scribuntur milites.* Ita Ariani præcursores Antichristi, sub Hunerico rege, cogebant Orthodoxos à sacerdotibus Arianis rebaptizari, et hujus rei chirographum eis deinde tradebant. *Quia non licebat*, ait Victor Uticens. lib. 3. Wandal. *sive privatis, sive negotiatoribus, alicubi transire, nisi scriptam characteris initio suam ostenderent mortem* (id est, se esse ab eis rebaptizatos, quod erat peccatum mortale, mortemque animæ attulerat) *quam per revelationem servo suo Joanni olim ostenderat Christus, ubi dicit, nulli licere aliquid emere, nisi qui habuerit characterem bestiæ in fronte sua, vel in manu sua.* Character ergo Hunerici erat chirographum, sive testimonium, quod quis ab Arianis esset rebaptizatus : simili forte modo character hîc Antichristi in charta excudetur, et singulis dabitur ut eum

affigant fronti, vel manui. Hoc enim facillimum et expeditissimum erit in tanto Antichristianorum numero. Porro, nulli licere aliquid emere, idem est quod igni et aqua interdicere, atque ab omni hominum commercio et contubernio quasi detestabiles et execrabiles arcere, utpote perversæ et pestiferæ fidei ac religionis. Itaque credibile est zelantiores Antichristianos, eosque qui præ cæteris gratiam Antichristi aucupabuntur, sibi suisque incisuros vel inusturos ejus characterem; alios vero eum vel impressum in charta, vel insculptum in medalliis, in fronte aut manu gestaturos. Sic Antichristi prodromus Diocletianus atrox edidit edictum, ne quis quidquam Christianis venderet aut subministraret, nisi prius thura diis adolevissent, de quo ita canit Ven. Beda in Hymno S. Justini Martyris :

Non illis emendi quidquam,
Aut vendendi copia,
Nec ipsam haurire aquam
Dabatur licentia,
Antequam thurificarent
Detestandis idolis.

Quæres : Quisnam erit character Antichristi? Primo, Alcazar censet characterem non fore alium quàm ipsum nomen, vel numerum nominis bestiæ. Verum verba aliud indicant; ait enim v. 17. *Qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus :* ergo hæc tria inter se erunt distincta, scilicet character, nomen et numerus nominis Antichristi.

Secundo, Viegas censet tres fore Antichristi characteres : primum, imaginem Antichristi ad vivum expressam; secundum, nomen ipsius proprium propriis litteris inscriptum; tertium, litteras quæ continent numerum nominis ejus per compendium, qui numerus erit 666. Itaque omnes compellentur aliquid horum trium quasi characterem Antichristi in fronte aut manu dextera gestare, ut hîc ait S. Joannes : proprie ergo per characterem Viegas accipit imaginem Antichristi.

Tertio, S. Hippol. lib. de Consum. sæculi censet nomen, æque ac characterem Antichristi, fore ἀρνούμαι, id est, nego. Sicut enim olim Trajanus (teste Plinio), Decius, aliique tyranni, qui volebant Christianos reducere ad cultum suorum idolorum, exigebant ab eis ut dicerent : Nego Christum crucifixum; ita Antichristus, ait Hippolyt. dicet : Nega Deum tuum crucifixum. Ejus ergo sigillum et character, quem ab omnibus exiget, erit hic : *Nego Creatorem cœli et terræ, nego baptismum, nego adorationem à me Deo præstari solitam : tibi adhæresco, in te credo.* Hæc enim erit apostasiæ et apostatarum professio. Quocirca Pererius in Daniel. 12. v. 1. Inter plures ait, convenit hoc fore insigne Antichristi : *Nego baptisma,* vel *nego Jesum.*

Quarto, Ribera hîc ad v. 4. putat Antichristum pro charactere habiturum formam draconis sicut Romani olim aquilas gestabant, et per singulas cohortes dracones, quos qui portabant Draconarii dicebantur, teste Vegetio, lib. 2. de Re militari, c. 13.) ut ea repræsentet suum dæmonem à quo missus est, et à quo agetur et regetur. Verum superbia Antichristi, æque ac dæmonis, non feret hanc formam; nec enim dæmon draco videri et nominari, nec Antichristus à dracone missus videri volet; præsertim quia ipse solus volet adorari ut Deus.

Quinto ergo, verisimilius Primasius et Ansbertus (qui asserit hoc sibi à Deo esse revelatum) censent characterem Antichristi fore nomen Antichristi, hoc charactere per compendium expressum : Ubi littera P est ρ Græcum, cui respondet R Latinum : duæ lineæ transversæ faciunt X *chi* Græcum, respondens *ch* Latino : tertia linea recta inter duas transversas media, et I *iota* Græcum respondens *i* Latino, quæ sunt tres initiales litteræ nominis χριστος, id est, Christus. Antichristus enim vocabit se Christum et Messiam. Id ita esse patet primo, quia v. 17. vocatur character nominis ejus : ergo charactere hoc nomen ejus per compendium exprimetur, uti exprimitur in figura jam dicta. Secundo, quia Constantinus hanc notam et characterem Christi jam dictum, in labaro castris præferebat, eoque vicit Maxentium aliosque hostes. Unde Prudentius, lib. 2. contra Symmachum agens de Romano Stiliconis exercitu ita canit :

Cecinere tubæ : prima hasta dracones
Præcurrit, quæ Christi apicem sublimior affert.

Ergo verisimile est idem facturum Antichristum, qui erit Rex potentissimus, et Constantino gloriosior : erit enim ipse simia Christi et Christianorum Imperatorum, voletque haberi, nominari et coli ut Christus. Tertio, quia Julianus Apostata, uti ipsemet testatur in Misopogone, nomen Christi exprimebat per litteram X *chi.* Ipse autem fuit typus et prodromus Antichristi.

Tropol. disce hîc characterem Christi esse crucem puram et genuinam, Apocal. 7. 3. Antichristi vero characterem esse P, id est, ῥοδον hoc est rosam et voluptatem, inter suas spinas caput attollentem. Ita Tertullianus, lib. de Corona militis, docet Christiani coronam esse eam, quæ fuit Christi; nimirum spineam, non roseam, adeoque illicitum esse Christianum coronari rosis, myrtho, lauro, etc. hisce enim coronari idola, deosque Gentium, id est, dæmones; quocirca nobis cum Christo, et ex Christi institutione, S. Catharina Senensi, omnibusque Martyribus et Sanctis, in hac vita eligendam esse spineam, ut in futura rosea, imo aurea et gemmea, coronemur; ut et illam, inquit ipse cap. 14. *coronam æmuleris, quæ postea ei obvenit, qui et favos post fella gustavit, nec ante Rex gloriæ à cœlestibus salutatus est, quàm Rex Judæorum proscriptus in crucem, minoratus primo à Patre modicum quid citra Angelos, et ita gloria et honore coronatus. Si ob hæc caput ei tuum debes, tale, si potes, ei repende, quale suum pro tuo obtulit; aut nec floridus coroneris, si spinis non potes.* Idem, l. de Spectaculis, c. 28. *Nostræ,* ait, *cœnæ, nostræ nuptiæ nondum sunt, non possumus discumbere cum illis* (mundanis et voluptuariis), *quia nec illi nobiscum. Vicibus disposita res est. Nunc illi lætantur, nos conflictamur. Sæculum (inquit) gaudebit, vos tristes eritis. Lugeamus ergo, dum Ethnici gaudent, ut cum lugere cœperint, gaudeamus, ne pariter nunc gaudentes, tunc quoque pariter lugeamus. Delicatus es, Christiane, si et in sæculo voluptate concupiscis, imo nimium stultus, si hoc existimas voluptatem. Dicas velim : Non possumus vivere sine voluptate, qui mori cum voluptate debebimus? Nam quod est*

aliud votum nostrum, quàm quod et Apostoli, exire de sæculo, et recipi apud Dominum? Hîc voluptas, ubi et votum. Et mox : *Quæ major voluptas, quàm fastidium ipsius voluptatis, quàm sæculi totius contemptus, quàm vera libertas, quàm integra conscientia, quàm mortis timor nullus, quod calcas deos nationum*, etc., *quod Deo vivis? Cursus sæculi intuere, tempora labentia dinumera, nefas consummationis exspecta, ad tubam Angeli erigere, ad martyrii palmas gloriare.* Hac de causa S. Petrus, S. Paulus, S. Andreas, S. Ignatius, cruces sitiebant, ad martyria velut ad epulas anhelabant; delicias vero, pompas, opes, honores fugiebant et aversabantur. Crux ergo est character Sanctorum et electorum, voluptas vero est character impiorum et reproborum.

In frontibus.] S. Ephrem, tractat. de Antichristo, ait id facturum Antichristum hoc fine, ne scilicet sit locus in fronte, in quo crux per manum dexteram formetur et pingatur. Timebit enim ne facto signo crucis, vis sua et potestas corruat.

Mystice S. August. lib. 20. Civit. 9. *In fronte*, ait, *per professionem; in manu, per operationem*, et S. Prosper in Dimidio temporis, cap. 5. *Inscriptio in fronte*, inquit, *est gloriatio in malis operibus, inscriptio in manu, est operatio.*

17. Aut numerum nominis ejus,] puta numerum 666, qui Græce exprimitur per litteras χ, ξ, ϛ; χ enim notat 600, ξ 60, ϛ 6. Verum incertum est an Antichristus Græca lingua litteris et numero utetur, an Hebræa (erit enim Judæus, Judæorum princeps et Messias), an qua alia. Rursum, incertum est an tot tantum (puta tres) sint futuræ litteræ quot sunt ciphræ senarii; an vero plures litteræ unam ciphram sint confecturæ, v. g. ρ notat centum, σ ducenta, τ trecenta : quæ simul juncta faciunt sexcenta, qui est primus senarius in 666.

18. Hic sapientia est.] q. d. Sapite, advertite vos qui vivetis tempore Antichristi, videbitisque ejus nomen et numerum nominis arithmetice efficere 666. Hîc enim opus est sapientia, et sapienti ac solerti numeri hujus indagine et supputatione, ut tum ex eo, nomini ejus adæquate respondente; tum ex aliis dictis et dicendis cognoscatis ipsum esse quem ego hîc prædico, scilicet Antichristum. Unde explicans subdit : *Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ.* Rursum : *Hic sapientia est*, ut scilicet quisquis ex hoc numero bestiam agnoverit, ejus insidias devitet, eique fortiter sese opponat, et Christo usque ad mortem constanter adhæreat. Sapientia enim est *androdamas*, hoc est virorum, et virilium animi motuum, puta iræ, amoris, timoris, etc., domitrix :

Inconcussa locat puræ sacraria menti.

Numerus enim hominis est.] Primo, plane et genuine, quasi dicat : Numerus hic nominis est cujusdam particularis et certi hominis, puta Antichristi, ne quis putet eum non fore hominem, sed bestiam, aut dæmonem, uti putavit S. Hippolytus, tractat. de Consummatione sæculi. Ita Beda. Unde secundo, Richardus : Numerus, ait, hominis est, id est, qui ab homine facile supputari potest. Et Alcazar, q. d. Cui suppetunt ingenii vires, valorem litterarum, quas continet bestiæ nomen, accurate observet, ejusque summam subducat. Est enim numerus hominis, id est, qui ab homine humano more computari potest et debet. Et Aretas, q. d. Nomen de quo loquor non est insuetum et insolens, sed hominibus notum et familiare, utpote cujus litteræ juxta communem hominum per litteras computum faciunt 666. Tertio, alii putant S. Joannem in voce *hominis* seipsum designare, q. d. Hæc computatio mea est, estque valoris earumdem litterarum quas scripsi, epist. 1. c. 2. v. 16. Ita Alcazar, de quo mox plura.

Symbolice, q. d. Numerus hic senarius est, isque triplicatus, scilicet 666. Dicitur senarius numerus hominis, quia sexto die mundi creatus est homo, Genes. 1. 26. De quo symbolo audi Petrum Bongum, tractat. de Mysteriis numerorum : Antichristus, inquit, volet nominari Deus; erit tamen bestia, id est, creatura et homo, unde ait Joannes : *Numerus hominis est.* Numerus enim creaturæ et hominis est senarius; quia sexto die complevit Deus rerum creationem, ac septimo die quievit : hinc et septenarius est numerus Dei, senarius hominis. Porro senarius hic non est simplex, sed triplex, scilicet, 666. Nam de primo, id est, singulari limite, in secundum, id est, decimum, transgressus facit sexaginta; idemque in tertium, id est centenum, traductus, facit sexcenta, qui simul positi faciunt 666. Nimirum, ut notetur triplex diaboli, qui Antichristo præsidebit, transgressio et prævaricatio, æque ac damnatio. Prima est, quando judicatus in cœlo sententiam damnationis accepit. Secunda, quando in serpente, per quem hominem deceperat, maledictione mulctatus est. Tertia, quando in Antichristo mundum seducens perturbabitur in tartara, quando nimirum Dominus Jesus interficiet eum spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui.

Et numerus ejus sexcenti sexaginta sex.] Hinc aliqui ex Aureolo et Lyrano putant Antichristum fuisse Mahometem, qui regnavit usque ad annum Domini 666. Rursum, litteræ nominis Mahomet, si arithmetice accipiantur quasi indices numerorum, faciunt numerum 666. Ita censerunt olim Cedrenus, et Zonaras, l. 3. Annalium, ac Genebrard. l. 3. Chronol. quos citavi v. 1.

Verum falluntur; videtur enim certum esse et clarum ex Scriptura, quod Mahomet non fuerit Antichristus, sed alius exspectetur, isque futurus sit sub finem mundi. Rursum, Mahomet regnare cœpit anno Christi 620, ac regnavit decem annos, desiitque et mortuus est anno Christi 630, non 666, ita ex veterum Annalibus Cardin. Baronius.

Secundo, Calvinistæ et Lutherani contendunt Bonifacium III. Pontificem fuisse primum Antichristum; quia is primus Papæ universalis nomen à Phoca Imper. accepit sub annum Domini DC; sed multipliciter errant : primo, quia numerus bestiæ, id est, Antichristi, hîc dicitur esse, non 600, sed 666 sive triplex senarius; in eo enim latet vis et mysterium. Secundo, quia ante Bonifacium III. Leo Primus in Concilio Chalcedonensi, et alii Pontifices vocati sunt à Patribus, et à fidelibus, Papæ Œcumenici, uti fuse ostendunt Baronius et Bellarminus. Tertio, quia hic numerus 666 non est temporis, sed hominis. Quarto, quia Antichristus erit singularis homo, contra quem certabunt Elias et Henoch, ac per tres annos cum dimidio regnabit sub finem mundi, etc. Jam autem Papæ Romæ post Bonifacium III. regnant plus quàm mille annos.

Tertio, Alcazar per bestiam accipit non Antichristum, sed Romanum Imperium Ethnicum et persequens Ecclesiam. Hujus, inquit, nomen est *superbia vitæ*, quæ græce dicitur ἡ ἀλαζονεια βιου; hæ enim Græcæ voces, si earum litteræ singulis arithmetice pro numeris supputentur, adæquant numerum 666. Hoc nomen gesserunt Romani Imperatores et persecutores. Primo in manu, superbiam hanc contra humiles Christianos ostendendo, et per plagas ac mortes exequendo; secundo in fronte, de eadem gloriando et se jactando. Idem nomen notavit Joannes, epist. 1. c. 2. v. 16. dicens : *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.*

Verùm hoc nomen sibi non assumpsit, nec prætulit Romanum Imperium : esto rem ipsam prætulerit. Hîc autem agitur de nomine quod bestiæ erit proprium, quodque ipsa præferet. Adde, certum est apud omnes bestiam hanc fore Antichristum, non Romanum Imperium.

Dico ergo ad litteram : nomen proprium Antichristi eas litteras continebit, quæ arithmetice acceptæ præcise facient numerum 666. Ita passim Patres et Interpretes, qui proinde aut conjectando, aut potius exempli causa, varia afferunt nomina quæ hunc numerum adæquant. Primo, Irenæus affert nomen λατεινος, quod perperam hæretici ad Pontificem Romanum detorquent, ut patet ex dictis : et ex eo quod Irenæus hoc nomen tribuat non Papæ, qui jam tum existebat, sed Antichristo, quem asserit venturum in fine mundi, foreque regem et Imperatorem. Ait enim : *Quoniam verissimum regnum hoc habet vocabulum. Latini enim* (non Pontifices, sed Imperatores) *sunt qui nunc regnant.* Secundo, Rupertus et Haymo afferunt nomen γηυσηρικος, id est, gentium seductor, quasi ejus prodromus fuerit Gensericus, rex Wandalorum, qui Romam vastavit sub Leone I. pontifice. Tertio, Anselmus et Richardus afferunt nomen αντιμος, id est, honori contrarius ; Antichristo enim nullus honor, sed potius omne probrum et anathema convenit. Quarto, S. Hippolytus, tractat. de Consummatione sæculi, affert αρνουμαι, id est, nego ; coget enim Antichristus omnes dicere : Nego Christum crucifixum. Quinto, alii afferunt nomen τειτανος, id est, gigantis ; erit enim Antichristus instar priscorum gigantium superbissimus, æque ac impiissimus. Sexto, Aretas affert nomen νικητης, id est, victor, et insuper alia sex. Noster Viegas affert quindecim. Quin et Saxonice *Martin Lauter;* Græce *David Chitræus;* Hebraice *Joannes Calvinus,* uti et *Beza Antitheos* reddere hunc numerum 666 annotarunt Lindanus in Dubitantio, dialogo 3. Bellarminus, lib. 3 de Pontif. cap. 10. Quocirca cum tam varia afferantur, quæ hunc numerum 666 reddant, et multo plura afferri possint ; nec ulla exstet revelatio, quæ certum Antichristi nomen explicet et determinet ; temerarium est definire quodnam ex omnibus reipsa futurum sit, præsertim cum S. Joannes studio illud subticuerit. Ideo ergo tantum hunc nominis ejus numerum 666 affert, ut cum natus, et nominatus fuerit Antichristus, omnes ex hoc numero nomini ipsius respondente, illudque adæquante, et ex aliis signis tum hoc capite et præcedenti à Joanne, tum à Daniele, c. 7. et 11. tum à Paulo, 2. Thessal. 2. allatis colligant illum esse Antichristum.

Ita Sibylla lib. 5. Oracul. per numeros nomina multorum Imperatorum præcinuit. Nam de Tiberio canit :

Post tempora longa
Imperium tradet cuidam ; cui prima valebit
Littera tercentum.

T enim Græcis notat 300.
De Caio Caligula :

Deinde notam trini numeri sortitus habebit
Imperium.

C enim notat 3 ; aut potius γ, quæ prima est in Græco γαιος, notat 3.
De Nerone :

Quem vero dominum nota quinquagesima signat,
Dirus erit serpens.

N enim notat 50.
De Vespasiano :

Hinc veniet quidam magnus, cæsorque malorum,
Quem nota perspicua decies septena docebit.

O enim, quæ prima est in nomine Vespasiani, si græce scribatur (pro Latino enim V Græci scribunt ου) notat 70.
De Tito :

Filius ast hujus (nota tricenaria monstrat)
Auferet imperium.

T enim notat 300.
De Domitiano :

Post quem fatale tenebit
Imperium, numeri quem quarti littera signat.

Δ enim notat 4.
De Nerva :

Hinc quinquagenum numerum vir honestus habebit.

N enim notat 50.
De Trajano :

Quem sequitur cui dat nota tricenaria nomen.

T enim notat 300.

Simili schemate numerorum, quo Joannes hîc denotat nomen Antichristi, Heliodorus, lib. 9. Æthiop. docet Nilum non aliud esse quàm annum ; litteris enim quæ nomine Nilus continentur, in numeros distributis, consurgent ter centum et 65 unitates, quot et dies sunt anni, ut patet ex hac litterarum nominis *Nilus* et numerorum combinatione.

N	50.
E	5.
I	10.
A	30.
O	70.
Σ	200.
Summa	365.

Sic in epigramm. Græcorum, lib. 2. Epigramm. 253 salse et acute ostenditur. Damagoræ cujusdam nomen ισοψηφον esse in numeris cum nomine λοιμος, id est pestis, id quod ex hac descriptione liquet :

Δ	4.	A	30.
A	1.	O	70.
M	40.	I	10.
A	1.	M	40.
Γ	3.	O	70.
O	70.	Σ	200.
P	100.	*Summa*	420.
A	1.		
Σ	200.		
Summa	420.		

Denique simili modo Sibylla, l. 1. Oracul. prædixit nomen Christi litteris suis expressurum numerum 888. Hunc enim exprimit nomen Jesus : in Græco enim ιησους I notat 10, η 8, σ 200, ο 70, υ 400, σ 200, quæ simul juncta faciunt 888. Ubi adverte Christi nomen continere 888; Antichristi vero 666, quia octonarius symbolum est perfectionis, consummationis et felicitatis æternæ (præsertim si ter iteretur, uti fit in 888) quam præstat Jesus; Antichristus vero felicitatem hanc prætendet, promittet, et ad eam aspirabit, sed non pertinget : nec eam, sed ejus umbram et fucum tantum exhibebit, suisque præstabit. Senarius enim hominis creati, imperfecti, et corruptibilis, ac peccatoris est symbolum, uti paulo ante dixi.

Nota secundo : Ea quæ hoc capite describit Joannes connexa sunt cum capite præcedenti, ut patet utraque inter se conferenti : tamen hæc ipsa S. Joanni exhibita sunt per diversas visiones et symbola, uti et aliis Prophetis sua oracula, ut distinctius seorsim quæque intelligeret, et intellecta describeret et explicaret. Idem factum est in sequentibus : ubi proinde subinde videbimus ordinem perturbatum, et hysterologiam more prophetico.

Ex hoc capite præcedenti ac sequenti liquet quanta quamque acris, varia et omnimoda futura sit persecutio Antichristi. Nam primo, tunc diabolus extremas iras et vires exeret; unde dicitur, cap. 12. 12. *Væ terræ et mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet!* Secundo, quia Antichristus omnes artes adhibebit ad decipiendum; scilicet simulatam sanctimoniam, eloquentiam, sapientiam, blanditias, promissa, opes, honores, minas, terrores, tormenta acerbissima : ac insuper faciet miracula, id est, mira quæ hominibus videbuntur miracula. Unde sanctus Gregorius, 32. Moral. c. 12. *Pensemus*, inquit, *qua erit humanæ mentis illa tentatio, quando pius martyr et corpus tormentis subjicit, et tamen ante oculos ejus tortor miracula facit? Cujus tunc virtus non ab ipso cogitationum fundo quatiatur, quando is qui flagris cruciat, signis coruscat? Dicitur igitur recte : Stringit caudam suam quasi cedrum; quia nimirum et altus tunc erit veneratione prodigii; et durus crudelitate tormenti; unde et per David dicitur : Insidiatur in abscondito, quasi leo in cubili suo.* Denique Antichristus erit organum diaboli, et quasi diabolus incarnatus. Unde Apost. 2. Thessal. 2. 9. *Cujus est adventus*, inquit, *secundum operationem Satanæ, in omni virtute et signis, et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt.* Quocirca, ut ait S. Hippolytus, tractat. de Consummatione sæculorum, erunt tunc Martyres prioribus sæculis illustriores et sublimiores; certabunt enim contra draconem, et Antichristum omnis nequitiæ principem, ac utrumque vincent, et de utroque triumphabunt. Itaque gravitas et acerbitas persecutionis Antichristi patet ex dictis, tum hoc cap. tum 2. Thessal. 2. v. 11. q. 5. Quibus adde eamdem ex priscis Gentilium et hæreticorum persecutionibus metiendam, et conjectandam esse. Hasce enim omnes quasi præambulas velitationes, hæc ultima Antichristi complectetur, et longe transcendet.

Primo, ergo lege quæ scribit Eusebius, Orosius, Baronius et alii de immani persecutione Neronis, Decii, Diocletiani, aliorumque Imperatorum primis trecentis post Christum annis : hæc omnia in tres annos cum dimidio Antichristi confer et confla, et videbis quanta ipsius immanitas sit futura. Quæ enim trecentis annis sparsim passi sunt Christiani successive, hæc omnia patientur simul iidem numero Christiani tribus annis cum dimidio ab Antichristo, imo longe plura et diriora. Nam Nero et cæteri ejus sequaces fuerunt tantum typus et præludium Antichristi; hoc est enim quod de eo ait Apostolus, 2. Thessal. 2. 7. *Mysterium jam operatur iniquitatis.*

Secundo, lege quæ de persecutione Wandalorum scribit Victor Uticensis; Donatistarum, Optatus Milevit. Arianorum, S. Athanasius et alii : ac scito has tantum fuisse umbras Antichristi. Atque ut alios præteream, umbra Antichristi fuit Constantius, Imperator Arianus. Nam primo, Constantius inconstantissimus *novas semper fides quærit*, ait S. Hilarius, lib. ad Constantium. Secundo, Constantius patientiam et lenitatem affectabat, sed per ministros furorem suum explebat. Tertio, Constantius ab Arianis appellatus est Æternus : ita Antichristus volet coli et adorari ut Deus æternus. Rursum, Constantius habitus est loco Antichristi, dum suum palatium vult esse Ecclesiam, ait S. Athanasius, epist. ad solitar. sic Antichristus in templo Dei, quasi in palatio suo sedebit, teste Apostolo 2. Thess. 2. v. 4. Insuper quarto, Constantius in exiliis separabat Confessores ab invicem, ne mutuo se solarentur et animarent, cum Decius et Diocletianus hac consolatione eos non privarent, sed simul et conjunctos in exilium relegarent, ait S. Hilarius loco citato. Quinto, Constantius volebat videri, et haberi Christianus et Catholicus, ideoque Catholicos orthodoxos ad suam sectam pellicere satagebat ficta benevolentia, ne videretur imitari sævitiam Decii et Diocletiani, cum tamen reipsa esset sævior; nam fideles ita discruciabat, ut tamen eos necari nollet, ut iidem absque martyrio viverent in tormentis. Unde S. Basilius, epist. 60. asserit tam atrocem et horribilem fuisse persecutionem Constantii, ut putet eam esse initium persecutionis Antichristi.

Audi S. Hilarium loco citato : *Utinam, omnipotens Deus, ætati meæ et tempori præstitisses, ut hoc confessionis meæ in te, atque in Unigenitum tuum ministerium Neronianis, Decianisque temporibus explessem! Nec ego per misericordiam Domini et Dei Filii tui Jesu Christi, calens eculeum metuissem, qui dissectum Isaiam scissem, nec ignes timuissem, inter quos Hebræos pueros cantasse meminissem; nec crucem, nec fragmenta crurum meorum vitassem, postquam translatum in paradisum latronem recordarer, nec profundum maris, et Pontici æstus absorbens rheuma trepidassem, cum per Jonam et Paulum docuisses fidelibus esse in mari vitam. Adversus enim absolutos hostes, felix mihi illud certamen fuisset*, etc. : *et nos populi tui tanquam duces suos, ad confessionis religionem intelligentia persecutionis publicæ comitarentur. At nunc pugnamus contra persecutorem fallentem, contra hostem blandientem, contra Constantium Antichristum, qui non dorsa cædit, sed ventrem palpat; non proscribit ad vitam, sed ditat ad mortem; non trudit carcere ad libertatem, sed intra palatium honorat ad servitutem; non latera vexat, sed cor occupat; non caput gladio desecat, sed animam auro occidit :*

non ignes publice minatur, sed gehennam privatim accendit; Christum confitetur, ut neget. Et inferius: *Omnia sævissima sine invidia gloriosorum mortium peragis. Novo inauditoque ingenii triumpho de diabolo vincis, et sine martyrio persequeris. Plus crudelitati vestræ, Nero, Deci, Maximiane, debemus. Diabolum enim per vos vicimus. Sanctus ubique beatorum Martyrum sanguis exceptus est; dum in his dæmones mugiunt, dum ægritudines depelluntur*, etc. *At tu omnium crudelitatum crudelissime, damno majore in nos, et venia minore desævis. Subrepis nomine blandientis, occidis specie religionis. Scelestissime mortalium, omnia persecutionis mala ita temperas, ut excludas et in peccato veniam, et in confessione martyrium. Sed hæc pater ille tuus artifex humanarum mortium docuit, vincere sine contumacia, jugulare sine gladio, persequi sine infamia, odire sine suspicione, mentiri sine intelligentia, profiteri sine fide, blandiri sine bonitate; agere quod velis, nec manifestare quæ velis.*

Sexto, Constantius miris artibus et fraudibus orthodoxos pervertere satagebat. Audi eas persequentem S. Hilarium : *Vestem ovis tuæ, lupe rapax, cernimus. Auro reip. Sanctum Dei honoras, osculo sacerdotes excipis, quo et Christus est proditus : caput benedictioni submittis, ut fidem calces ; convivio dignaris, ex quo Judas ad proditionem egressus est : censum capitum remittis, quem Christus, ne scandalo esset, exsolvit : vectigalia Cæsaris donas, ut ad negationem Christianos invites; quæ tua sunt relaxas, ut quæ Dei sunt, amittantur. Hæc tua falsa ovis indumenta sunt.*

Denique Constantio ademptum est imperium cum vita, dum ipse ademit divinitatem Christo Dei filio, idque à Juliano Apostata, quem ipse quasi cognatum, consortem et hæredem imperii designarat, Cæsaremque crearat. Quocirca moriens Constantius de tribus indoluit, ait sanctus Gregor. Nazianz. orat. de laudibus S. Athanasii : *Unum, quod generi suo necem attulisset* (nam initio imperii nonnullos sanguine junctos occidit); *alterum, quod Julianum Apostatam Imperatorem* (creando cum Cæsarem) *nominasset; tertium, quod novis fidei dogmatibus studuisset, simulque cum his vocibus è vita discessit.* Hæc et plura faciet quoque Antichristus.

Tertio, Constantium, Decium et Diocletianum, cæterosque persecutores superavit Julianus Apostata, ideoque præ illis omnibus fuit typus et præcursor Antichristi. Ejus ergo persecutio fuit acerbissima, multis de causis. Nam primo, Julianus magos alebat, eorumque artibus magicis utebatur, ac nuntios habuit dæmones, quos stitit S. Publius monachus, ut patet ex ejus vita. Secundo, desertoribus et apostatis honores tribuebat : suis blanditiis fideles ad apostasiam et idololatriam sollicitabat. Ita blanditus est Gregor. Nazianzeno, ornando præfectura ejus fratrem Cæsarium ; sed refutavit hoc Gregorius, jussitque Cæsario ut præfecturam Juliano resignaret. Tertio, pietatem simulabat; hinc parabat ædificare monasteria et virginum cœnobia, ac domos hospitales, ait Nazianzen. orat. 1. in Julian. Quarto, *Christianos liberales litteras doceri ac dicere vetuit*, inquit S. August. lib. 18. de Civit. c. 52. ut scilicet eos armis sapientiæ privaret, quibus suam fidem propugnabant. Rursum, ut Christianos vocaret in odium et contemptum, vocabat eos Galilæos, et ut ab omnibus ita vocarentur, publico edicto sanxit. Quinto, invidebat Christianis martyrium, nolebatque eorum constantia in tormentis vinci et confundi. Nam, ut ait S. Chrys. serm. de S. Juvent. et Maximo, quos Julianus martyrio affecit. *Videns Julianus etiam teneros pueros et virgines pro religione ad mortem prosilire, cruciabatur et dolebat. Cæterum movere bellum manifeste nolebat ; omnes enim, dicebat, ad martyrium, quasi ad alvearium apes volabunt.* Et inferius : *Cum occiderentur, adurerentur, suspenderentur, præcipitarentur, bestiis objicerentur fideles, carbones sicut lutum calcabant, mare et fluctus sicut pratum intuebantur, ad gladium sicut ad diadema et coronam currebant. Neque horti aquis irrigati ita germinant, ut Ecclesiæ si Martyrum rigentur sanguine. Non ergo, inquit, eis triumphos et coronas paremus. Sed quid facit ? medicos, milites, et oratores omnes, vel à professionibus suis discedere, vel fidem suam adjurare jubet, tela eminus mittens, ut si à fide desciscerent, ridicule vincerentur : sin generose perseverarent et vincerent, parva videretur victoria : nihil enim magnum, artem vel professionem pro pietate contemnere.* Sexto, simulabat patientiam et clementiam, cum esset furibundus et crudelissimus. Hinc persecutionem suscitavit ; sed executionem ac tyrannidem civitatibus, ac populari turbæ, cujus audacia est effrena et intolerabilis, permisit, ait Nazianz. orat. 1. in Julianum, ubi eum chamæleontem vocat, quod in omnes fraudum formas se verteret, sed ita ut post illecebras frustra adhibitas, statim plus violentiæ adhiberet. Rursum, cum Martyres fidei causa occideret, morti eorum non fidem, sed aliam politicam prætexebat causam et culpam, uti faciunt etiamnum Calvinistæ. Septimo, signum crucis ex labaro et aliunde sustulit, ac pro eo Jovem substituit, teste Sozomeno lib. 5. 16. Reliquias S. Babylæ Martyris, et aliorum, quibus magorum et dæmonum vis frangebatur, eorum monitu exportari fecit, ait Chrysost. orat. contra Gentes. Octavo, ingeniose artes fideles pervertendi excogitabat. Ita Constantinopoli tempore Quadragesimæ in foro, dum esset annonæ caritas, non nisi carnis idolis immolatas venales proponi curavit, ut cives cogeret idolothytis vesci, aut fame mori. Ita Clericos militiæ adscribi jussit ; fideles magnis tributis oneravit; Pastores et Episcopos in exilium egit, ut populum simplicem carentem ducibus, facilius ad suam sectam pertraheret. Christianos ad libitum bonis privavit, sola hac de causa, quod Christus Christianis præceperit temporalium rerum et opum despicientiam. Rursum, Judæos, Arianos et Donatistas hæreticos in Christianos grassari permisit, imo suscitavit, ut Christiani mutuis se litibus et cædibus conficerent ; testis est Optatus lib. 2. Nono, Julianus ut auctoritatem sibi apud plebem conciliaret, credi voluit Alexander Magnus (credebat enim ipse, et ab aliis credi volebat, Pythagoricam μετεμψυχωσιν, id est, animarum ex uno corpore in aliud transmigrationem), quasi Alexandri anima in se transmigrasset, ipseque in altero corpore esset Alexander, uti ex Socrate narrat. Cardin. Baron. anno Christi 363. Denique Julianus divinitus telo cœlesti percussus interiit, et tamen moriens divinos honores affectavit. Hæc et plura præstabit quoque Antichristus, tantumque hosce omnes superabit, quantum corpus superat umbram, veritas typum, exemplar imaginem.

Ex hoc ergo capite colligas qualis futurus sit An-

tichristus, quæ ejus dotes et mores, scilicet primo, ex v. 1. quod erit potentissimus; bestiam enim decemque ejus cornua, id est, omnia regna mundi, subjugabit. Secundo, v. 2. quod erit sævus ut ursus, superbus ut leo, varius et vafer ut pardus. Tertio, ibidem, quod diabolus ei tradet omnem suam potestatem, per eumque omnes et extremas suas vires exeret. Quarto, v. 3. quod finget se resurgere à mortuis. Hinc quinto, v. 4. quod adorabitur ab hominibus. Sexto, v. 5. quod erit blasphemus in Deum, Ecclesiam et Sanctos, quodque ut monarcha regnabit tres annos cum dimidio. Septimo, v. 7. quod bellabit contra Sanctos, eosque occidet. Octavo, ibidem, quod omnes omnino gentes sibi subiget, eritque orbis totius monarcha. Nono, v. 10. quod tandem à Christo occidetur. Decimo, v. 12. quod habebit sunum præcursorem, pseudoprophetam, qui suadebit et coget omnes adorare Antichristum. Undecimo, v. 13. quod faciet ficta miracula, scilicet ut ignis de cœlo descendat, et imago Antichr. loquatur. Duodecimo, v. 14. jubebit passim pingi Antichristi imaginem quasi resurgentis à morte. Decimo tertio, v. 15. jubebit occidi omnes qui nolent adorare imaginem Antichristi. Decimo quarto, v. 16. coget omnes gestare characterem aut nomen Antichristi in dextera manu, aut in fronte, statuetque ut nemo sine eo quid emere aut vendere possit. Decimo quinto, v. 18. quod nomen Antichristi suis litteris exprimet numerum 666.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

SANCTUS JOANNES C. 12. 13. RECENSUIT DIRAM ET ACREM PERSECUTIONEM ANTICHRISTI; JAM NE FIDELES PERCELLANTUR, RECENSET 144 MILLIA, QUI TUNC ANTICHRISTO GENEROSE RESISTENT, NON TAM LINGUA, QUAM VITA. NAM IN SUMMA MORUM LICENTIA QUAM DABIT ANTICHRISTUS, SERVABUNT VIRGINITATEM; QUOCIRCA EORUM GLORIAM ET PALMAS SUBJUNGIT, QUOD NIMIRUM SINT EMPTI DE TERRA, QUASI PRIMITIÆ DEO ET AGNO, QUOD SEQUANTUR AGNUM QUOCUMQUE IERIT, QUOD HABEANT NOMEN DEI ET AGNI IN FRONTIBUS, QUOD SINT CITHAROEDI DEI, ET CANTENT CANTICUM NOVUM. SECUNDO, V. 6. TRANSIT AD TRES ANGELORUM VOCES, QUORUM PRIMUS EDICIT, UT HOMINES TIMEANT DEUM, EO QUOD INSTET EJUS JUDICIUM. SECUNDUS V. 8. EDICIT BABYLONIS CASUM ET RUINAM. TERTIUS V. 9. ANTICHRISTI ASSECLIS MINATUR GEHENNAM. TERTIO, V. 13. AUDIT E COELO VOCEM: BEATI MORTUI QUI IN DOMINO MORIUNTUR. QUARTO, ANGELUS UNUS EDICIT CHRISTO, UT FALCE DEMETAT ELECTOS. ALIUS ANGELUS EDICIT ALTERI, UT VINDEMIET BOTROS, ID EST REPROBOS, EOSQUE MITTAT IN LACUM IRÆ DEI: IN EUM ERGO MISSI, IBIDEM QUASI UVÆ CALCANTUR, ITA UT SANGUIS EORUM EXUNDET USQUE AD FRENOS EQUORUM PER 1600 STADIA. OMNIA HÆC EO SPECTANT, UT HOMINES CAVEANT A PECCATIS, NEC CEDANT MINIS AUT PROMISSIS ANTICHRISTI.

1. T vidi, et ecce Agnus stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis. 2. Et audivi vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, et tanquam vocem tonitrui magni: et vocem, quam audivi, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis. 3. Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, et ante quatuor animalia, et seniores; et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. 4. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, et Agno. 5. Et in ore eorum non est inventum mendacium: sine macula enim sunt ante thronum Dei. 6. Et vidi alterum Angelum volantem per medium cœli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram, et super omnem gentem, et tribum, et linguam, et populum. 7. Dicens magna voce: Timete Dominum, et date illi honorem, quia venit hora judicii ejus; et adorate eum, qui fecit cœlum, et terram, mare, et fontes aquarum. 8. Et alius Angelus secutus est dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna quæ à vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes. 9. Et tertius Angelus secutus est illos, dicens voce magna: Si quis adoraverit bestiam, et imaginem ejus, et acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua: 10. et hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius,

et cruciabitur igne et sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, et ante conspectum Agni. 11. Et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum: nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt bestiam, et imaginem ejus, et si quis acceperit characterem nominis ejus. 12. Hic patientia sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, et fidem Jesu. 13. Et audivi vocem de cœlo, dicentem mihi: Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos. 14. Et vidi, ecce nubem candidam, et super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, et in manu sua falcem acutam. 15. Et alius Angelus exivit de templo, clamans voce magna ad sedentem super nubem: Mitte falcem tuam, et mete, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ. 16. Et misit qui sedebat super nubem, falcem suam in terram, et demessa est terra. 17. Et alius Angelus exivit de templo, quod est in cœlo, habens et ipse falcem acutam. 18. Et alius Angelus exivit de altari, qui habebat potestatem supra ignem; et clamavit voce magna ad eum qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam, et vindemia botros vineæ terræ; quoniam maturæ sunt uvæ ejus. 19. Et misit Angelus falcem suam acutam in terram, et vindemiavit vineam terræ, et misit in lacum iræ Dei magnum. 20. Et calcatus est lacus extra civitatem, et exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum per stadia mille sexcenta.

1. Et vidi, et ecce Agnus stabat.] Joannes passim hîc Christum vocat Agnum, mireque ea voce delectatur ob causas quas recensui c. 5. 6. et quia alludit ad Isaiæ 16. 1. *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ, de Petra deserti ad montem filiæ Sion.* Hunc enim Agnum jam emissum, et in Sion cum multis asseclis suî similibus consistentem, depingit hîc Joannes. Tertio, et maxime, quia agit hîc de virginibus qui sequuntur Agnum. Hi enim sunt ἁγνοι, id est, casti. Christus ergo Agnus (uti hac visione significatur) amat agnellos, agnas et agnos, amat innocentes, virgines et Martyres. Unde S. August. serm. 1. de Innocent. *Agni*, ait, *debent immolari, quia Agnus futurus est crucifigi, qui tollit peccata mundi.* Amat Christus agnetes et castos: sicut ferrum trahit magnes, sic Christum sua trahit Agnes. Unde ait Apostolus: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*, 2. Corinth. 11. 2. Hinc rursum vult Christus suos esse oves, ut sinant se ab eo regi quasi oves à pastore, plene in eum resignatæ. Ipse enim *deducit velut oves Joseph:* ipse est pastor ovium, de quibus ait Joannes Evang. c. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt.* Mirum est quod agni mox nati matris balatum inter mille oves et matres agnoscant, statimque ad matris ubera accurrant: sic et mater inter mille agnos, suum agnoscit. Ita fideles Christi vocem internam et externam audiunt et agnoscunt. Unde et Christus ait: *Ego cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ.* Hinc oves et agnos hos in judicio collocabit à dextris, atque secum in cœlum deducet; hœdos vero à sinistris deturbabit in tartara. Tales fuit David et S. Paulus dicentes: *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* Tales fuerunt Apostoli, fortes ut leones, sed mites et patientes ut agni, utpote Agni Dei filii et discipuli, qui ab eo audierunt: *Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*, Lucæ 10. 3.

Stabat supra montem Sion,] quia in Sion ædificatum erat à Salomone templum; hinc Sion allegorice significabat Ecclesiam novam sub Christo militantem, quia hæc cœpit in Sion. Nam, ut prædixit Isaias c. 2. v. 3. *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.* Sion enim hebraice significans speculam, significat totius sanctimoniæ celsitatem, quæ Deum jugiter respicit, intendit et contemplatur, ad eumque magnis virtutum passibus quotidie ascendit et contendit. Sion ergo, teste S. Hieronymo lib. 1. contra Jovin. notat virtutum culmen, quod erit in Sanctis hisce virginibus in fine mundi, simile illi quod Apostoli adepti sunt in Sion in die Pentecostes. Cernit ergo Joannes hîc Agni exercitum virgineum in virtutum culmine, et in simili spiritus perfectione, qualis data fuit Apostolis et Sionidis in monte Sion. Ibi enim Apostoli aliique primi Christiani induti sunt virtute ex alto: ibi divinum Spiritum intimis præcordiis acceperunt, ut castitatis, paupertatis, opum mundique contemptus, charitatis, et cœlestis vitæ speculum et exemplar futuris omnibus sæculis darent; ibi insuper imbuti sunt cœlesti robore ad Christi nomen toto orbe prædicandum; et ad vitam, si opus esset, pro eo prompte et alacriter profundendam. Eodem spiritu et virtute induentur hi Sionidæ virgines et Martyres, cum Antichristo dimicaturi.

Anagogice vero, mons Sion significabat Ecclesiam in cœlis triumphantem, eamque hîc symbolice ad litteram significat. Passim enim hîc Joan. Sion, templum, altare, thymiama, etc. accipit in sensu anagogico, ut scilicet hîc ad litteram significent cœlestem patriam, cœlitum gloriam, gratiarum actionem, lætitiam, et felicitatem. Nam ut ait Psaltes psal. 83. v. 8. *Videbitur Deus deorum in Sion.* Ita S. Gregor. lib. 5. comment. in lib. Regum, c. 3. ait Sion esse altissimum culmen supernæ felicitatis. Vidit ergo Joannes hîc Agni asseclas et milites contra Antichristum, puta virgines et Martyres, parta jam victoria triumphantes in Sion, id est in cœlo, unde mox de eorum voce subdit: *Et audivi vocem de cœlo.*

Quæres, cur ait Joannes: *Vidi supra montem*, non autem, *in monte?* Respondeo primo, ut significet quod virginitas omnem mundanæ fabricæ, æque ac virtutis communis altitudinem longe superet. *E cœlo*, ait Ambros. lib. 1. de Virginib. *accersivit quod imitaretur in terris. Hæc* (virginitas) *nubes, aera, Angelos, sideraque transgrediens, Verbum Dei in ipso sinu Patris in-*

venit, etc. *Elias etiam, quia nullius corporei coitus fuisse permistus cupiditatibus invenitur, ideo curru raptus ad cœlum. Incorruptio enim facit proximum Deo.* Quinimo refert et exprimit in virginibus imaginem S. Trinitatis præ aliis hominibus; S. enim *Trinitas prima est virgo:* Pater enim est ingenitus; Filius est ἀμήτωρ, qui à solo Patre sine matre genitus: Spiritus sanctus non generatur, sed spiratur. Quare sicut ventus auram et spiritum aspirat, non generat; ita et Pater cum Filio spirat Spiritum sanctum, non generat. Quocirca recte canit B. Nazianz. in carmine de virginitate :

Prima Trias virgo est; siquidem Patre natus anarcho
Filius est : nec enim Pater ortum traxit ab ullo.

Hinc addit Nazianzen. virginitatem tantum præstare conjugio, quantum animus carni, cœlum terræ, Deus homini præstat et antecellit. Audi et S. Gregor. lib. 5. in lib. Reg. cap. 3. *Bene in sublimi esse virgines dicuntur, quia quod naturam humanam supergreditur, in altissimo virtutum culmine situm est. Unde et virgo ille dilectus Jesu, locum virginum insinuans, ait : Vidi supra montem Sion Agnum stantem, et cum eo centum quadraginta quatuor millia; hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati : virgines enim sunt. In monte quidem esse cum Agno dicuntur, quia per meritum incorruptionis, quo à terrenis et carnalibus delectationibus se dividunt, in sempiterna Redemptoris gloria sublimantur.* Hinc rursum ait Nazianzen. *Effulsit castimonia dividens mundum*, quasi constituens supremum quemdam mundum ab hoc infero divisum et elevatum, in eoque super alios omnes collocans virgines. Quocirca S. Cyprianus lib. de Habitu virginum, et ex eo S. Augustinus lib. 4. de Doctrina Christi cap. 21. de virginibus loquens : *Flos*, ait, *est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles laudis et honoris, opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per ipsas, atque in ipsis largiter floret sanctæ matris Ecclesiæ gloriosa fecunditas; quantoque plus gloriosa virginitas numerò suo addit, tanto plus gaudium matris augescit.* Et S. Hieronymus Epistol. 17. ad Marcellam : *Certe*, inquit, *flos quidam et pretiosissimus lapis inter Ecclesiastica ornamenta, monachorum et virginum chorus est.* Denique Sapiens Eccli. 26. 20. *Omnis*, ait, *ponderatio non est digna continentis animæ.*

Secundo, τὸ *supra montem* significat virginitatem esse rem arduam, eumque qui virgo esse velit, quasi super montem altissimum conniti et conscendere debere, ac cœlitum et Angelorum vitam æmulari. Nam, ut ait S. Augustinus serm. 250. de Tempore : *Inter omnia Christianorum certamina sola duriora sunt prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna, et rara victoria; gravem castitas sortita est inimicum, qui quotidie vincitur, et tamen timetur.* Quocirca eam præcipere noluit Christus, sed consulere, et ad eam quasi rem sublimem allicere, dicens; *Qui potest capere, capiat*, Matth. 19. vers. 12. Hinc et Patres omnes æquant virgines, imo anteponunt Angelis. Nazianz. virginitatem vocat *Angelicæ gloriæ æmulam.* Sanctus Ambros. lib. de Virgin. *Castitas*, ait, *Angelos fecit : qui eam servavit, Angelus est; qui perdidit, diabolus.* S. Aug. lib. de Virgin. c. 23. *Virginalis*, ait, *integritas, et per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, angelica portio est, et in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio.* S. Cyprianus lib. de Discipl. virgin. *Cum castæ*, ait, *perseveratis et virgines, Angelis Dei estis æquales.* S. Bernard. epist. 52. ad Henricum Senon. Archiep. *Castitas*, inquit, *Angelum de homine facit. Differunt quidem inter se homo pudicus et Angelus, sed felicitate, non virtute; et si illius castitas felicior, hujus tamen fortior esse cognoscitur. Sola est castitas quæ in hoc mortalitatis et loco et tempore, statum quemdam immortalis gloriæ repræsentat.* Quin et Christus Matth. 22. v. 30. *In resurrectione*, ait, *neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.*

Hinc rursum notat Viegas τὸ *super montem* significare virgines, si virginitatem suam tueri et conservare velint, debere alterum sexum fugere, in cellas, claustra et montes secedere. Nam, ut ait Tertul. lib. de Veland. virgin. *Omnis publicatio virginis bonæ, stupri passio est : quantum velis bona mente conetur, necesse est publicatione sui periclitari, dum percutitur oculis incertis et multis, dum digitis demonstrantium titillatur, dum nimium amatur, dum inter amplexus et oscula assidua coalescit; sic frons duratur, sic pudor teritur, sic solvitur : pura virginitas nihil magis timet quàm semetipsam; etiam feminarum oculos pati non vult.* Idem, libro de Cultu feminarum : *Cum omnes*, inquit, *templum Dei simus, illato in nos et consecrato Spiritu sancto, ejus templi ædituus et antistes est pudicitia, quæ nihil immundum neque profanum inferri sinit, ne Deus ille qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat.* Virgines ergo, fugientes cum Lot incendium Sodomæ, sibi æque ac illi dictum putent illud Angeli Genes. 19. v. 17. *Salva animam tuam, noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione; sed in monte salvum te fac, ne et tu simul pereas.* Ita Nazianz. Exhort. ad virgines. *Recte*, inquit, *incedis, virgo, in montibus salveris, ad Sodomam ne respexeris, ne in salis statuam obdureris.* Vide S. Hieron. Epistol. ad Eustochium, de custodia virgin. S. Basil. Ambros. Ephrem, Nazianzen. et quotquot de virginitate scripserunt.

Mirabile castitatis, æque ac fugæ dedit exemplum S. Pelagia, virgo Antiochena et Martyr quindecim annorum, cujus festum colit Ecclesia 9. Julii : quam mire celebrat S. Ambros. lib. 3. de Virgin. sub initium; et S. Chrysost. duas homilias de ejus laudibus scripsit, quæ exstant apud Lipoman. tom. 7. celebrat et eam S. August. lib. 1. de civit. 26. Quæ cum sola esset domi, et à persecutoribus, id est, ut ait S. Ambros. *à prædonibus fidei vel pudoris circumsideri se videret, absente matre et sororibus, vacua præsidio, sed Deo plenior : Quid agimus, inquit, nisi prospicimus, captiva virginitas. Moriamur, si licet, vel si nolint licere, moriamur. Jam sacrilegas aras præcipitata subvertam, et accensos focos cruore restinguam.* Ergo præcipitavit se ex alto, itaque in cœlum evolavit. Hoc enim innuit ipsa dicens, *Præcipitata*, et diserte asserit S. Chrysost. Quare mirum Baron. in Martyrol. dicere, S. Ambrosium asserere eam cum matre in flumen se conjecisse. Hoc enim de ejus sororibus, non autem de ipsamet asserit S. Ambros. Subdit enim : *Ast ubi detestandi persecutores ereptam sibi viderunt prædam pudoris, matrem et sorores cæperunt quærere. Verum illæ spirituali volatu jam campum castitatis tenebant : cum subito hinc persecutoribus*

imminentibus, inde torrente fluvio exclusæ à fuga, inclusæ ad coronam. Quid veremur? inquiunt. Ecce aqua, quis nos baptizari prohibet? Et hoc baptisma est quo peccata donantur, regna quæruntur. Excipiat nos aqua quæ cœlum aperit, inferos tegit, mortem abscondit, Martyres reddit. Te, rerum conditor, precamur, Deus, ne exanimata spiritu corpora vel unda dispergat, ne mors separet funera, quarum vitam non separavit affectus; sed sit una constantia, una mors, una etiam sepultura. Hæc effatæ et suspensæ paululum, incincto sinu quo pudorem tegerent, nec gressum impedirent, consertis manibus tanquam choros ducerent, in medium progrediuntur alveum, ubi unda torrentior, ubi profundum abruptius, illò vestigia dirigentes. Nulla pedem retulit, nulla suspendit incessum; nulla tentavit ubi figeret gressum: anxiæ cum terra occurreret, offensæ vado, lætæ profundo. Videres piam matrem nodo stringentem manus, gaudere de pignore, timere de casu, ne sibi filias vel fluctus auferret. Has tibi, inquit, hostias, Christe, immolo, præsules virginitatis, duces castitatis, comites passionis. Sed quis jure miretur tantam viventibus fuisse constantiam, cum etiam defunctæ immobilem stationem corporum vindicaverint? non cadavera unda nudavit, non rapidi cursu fluminis volutarunt. Quin etiam, sancta mater licet sensu carens, pietate tamen adhuc servabat amplexum, et religiosum quem strinxerat nodum, nec morte laxabat, ut quæ religionis debitum solverat, pietate hærede moreretur. Nam quas ad martyrium junxerat, usque ad tumulum vindicabat.

CENTUM QUADRAGINTA QUATUOR MILLIA.] Putant aliqui, ut S. Hieron. lib. 1. contra Jovin. et Alcazar, hos esse eosdem cum illis totidem signatis cap. 7. sed longe verius est esse diversos; nam hi virgines sunt illi fideles et sancti cujusque status, etiam conjugalis; illi omnes sunt Judæi, hi tam Judæi quàm Gentiles. Describitur ergo hîc numerus, æque ac sors, virginum qui erit tempore Antichristi; utpote qui potentissimum vitium libidinis, ad quod tum caro, tum magis Antichristus incitabit, eo tempore fortissime superarint. Hoc enim ipsa verba, ipseque textus clare significat; nihil enim cogit nos ad allegorias, vel tropos confugere. Ita Aretas, Ribera, Viegas et alii, qui hæc plane ut sonant, non de aliis quàm virginibus in fine mundi futuris accipiunt.

Porro Viegas censet hîc numerum definitum poni pro indefinito: Plures enim, inquit, in fine mundi erunt virgines quàm 144 millia, ut patet ex eo quod soli parvuli et infantes, qui utique virgines sunt, plures erunt. Nam in sola Ninive tempore Jonæ, fuerunt plusquam 120 millia parvulorum et innocentium, Jonæ 4. v. 11. itaque ipse numerum centenarium putat significare universitatem infantium et puerorum virginum, qui tunc erunt: numerum vero quadragenarium significare universitatem virginum Deo dicatarum, quæ tunc erunt: denique numerum quaternarium significare universos viros et feminas, qui in sæculo virginitatem tunc colent. Melius magisque ad litteram Ribera putat, præcise in fine mundi fore 144 millia virginum. Qua enim alia de causa hunc numerum præcise poneret et definiret Joannes? Cur super quadragenarium adderet quaternarium, non senarium vel octonarium, nisi quia significat præcise totidem fore. Nec enim hîc illa causa assignari potest quæ data est capit. 7. Ibi enim recensentur tantum ii qui ex singulis duodecim Judæorum tribubus erunt electi, et ex singulis numerantur duodecim millia (eo quod duodenarius sit symbolum universitatis, significetque omnes fideles, qui duodecim tam Patriarcharum, quàm Apostolorum sunt discipuli et filii) quæ in unum conflata faciunt 144 millia. Hîc vero promiscue omnes virgines, tam Gentium quàm Judæorum, numerat S. Joannes.

Ad argumentum Viegas resp. hîc non numerari infantes et parvulos: in his enim virginitas non est virtus, sed conditio ætatis. Hîc autem recensentur virgines, qui pro virginitate contra Antichristum stabunt et decertabunt usque ad mortem, ideoque omnes lauream virginitatis, multi etiam martyrii, à Deo accipiunt. Constat enim parvulos, uti virtutis, ita et laureæ virginitatis, non esse capaces.

Notat S. Cyprianus lib. de Habitu virgin. hîc tantum numerari virgines masculos, non feminas; quia Joannes non ait: *Hæ sunt*, sed *hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati*, per masculos tamen significari quoque feminas; quia femina viri portio est, et à viro sumpta.

Verum dico tam feminas, quàm masculos, hîc numerari. In feminis enim, utpote fragilioribus, fortior et generosior erit virginitas. In genere ergo masculino, utpote nobiliori, intelligitur femininum, quasi subalternum. Nec enim aliter dicere, et utrumque simul complecti potuit Joannes. Si enim dixisset feminine: *Hæ sunt*, exclusisset masculos. Non enim mares sub feminis, uti feminæ sub maribus, comprehendi et intelligi solent. Porro Ecclesia legit hæc loco Epistolæ in festo SS. Innocentium: unde aliqui opinati sunt Innocentes ab Herode occisos fuisse 144 millia. Sed temere: Ecclesia enim tantum hæc accommodat illis, quia innocentes sunt, cum ad litteram sciat hæc non ad illos, sed ad virgines futuros spectare.

HABENTES NOMEN EJUS (Agni,) ET NOMEN PATRIS EJUS SCRIPTUM IN FRONTIBUS SUIS.] Hæc scriptura, sive character Agni opponetur characteri Antichristi, de quo capite præcedenti in fine. Sensus ergo est, q. d. Hi virgines, Agni asseclæ, libere profitebantur et vocabant se servos, imo sponsas Christi et Dei Patris, hoc est, se non tantum fidem et religionem, sed et virginitatem perpetuam in æternum obtulisse et consecrasse Deo et Christo instar martyrum, qui sanguinem et vitam Deo consecrarunt. Habet enim et castitas suum martyrium, idque difficile et longum.

Rursum, hi ab omnibus cognoscebantur et vocabantur familiares et intimi Christo et Patri, in ejusque aula et familia esse quasi primi et principes, imo reginæ, utpote sponsæ, de quibus ait Paulus 2. Corinth. 11. v. 2. *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Est catachresis. Nec enim necessum est dicere, quod reipsa hoc nomen frontibus virginum inscribetur. Symbolice tamen hoc eis inscribi vidit Joannes, ad significandam hanc liberam eorum professionem quam dixi. Si quis tamen reipsa inscribendum velit ad eorum decus et gloriam, non repugnabo; præsertim quia character Antichristi, cui hic opponetur, realis erit et visibilis, uti dixi cap. præcedenti in fine. Vide dicta de signo crucis, quo omnes fideles tempore Antichristi signabuntur, cap. 7. v. 3.

Nota hîc rursum castitatem esse virtutem

principem, regalem et divinam, ita ut virgines nomine Dei insigniantur, ejusque nomen et titulum in fronte præferant. Quocirca David Rex à regio castitatis gradu delapsus in adulterium, orat Psalm. 50. 14. dicens : *Spiritu principali confirma me ;* ubi pro *principali* Hebr. est. נדבה *nedaba,* id est principe, qui princeps est decetque regem et principem ; q. d. Spiritum castitatis quasi principem, quem adulterio perdidi, mihi restitue, eoque me confirma, ut rursus regem et principem referam et repræsentem. Secundo, Hugo : Habent, inquit, virgines nomen Dei scriptum in frontibus ; quia eodem nomine appellantur quo Deus : vocantur enim dii. Sic enim judicibus ait Deus : *Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes ;* multo magis idipsum dicet virginibus.

2. Et audivi vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum.] Una eademque vox et jubilus 144 millium, puta virginum, comparatur hic tribus diversis vocibus sive sonis : primo, sono aquarum multarum ; quia sonora erat, et ex multis variisque vocibus et sonis conflata, uti aquæ multæ in saxa decidentes aut collisæ, sonoræ sunt, magnumque et varium edunt strepitum. Secundo, sono tonitrui magni, qui non tantum sonorus, sed et terribilis est et horrendus, utpote cœlestis ; idque primo, quia virginum vox cœlestis est, atque impiis et incestis in fine mundi terribilis erit et horrida ut tonitru. Sic disputante S. Paulo de castitate, justitia, judicio, tremefactus est Felix Præses incestus, Actor. 24 25. Secundo, quia ut tonitru ex nubis collisione, et ex nube erumpentis fulminis violenta nascitur, ita virginitas continua membrorum omnium edomatione, ac quadam naturæ violentia acquiritur, et quasi tonitruum generatur. Hinc et castitas est famosissima et celeberrima, ejusque vox et fama quasi tonitru ab omnibus auditur et celebratur.

Tertio, hæc vox virginum similis est sono citharæ : primo, quia suavissima est, et suavissimo cantu Deum, Angelos et Sanctos demulcet. Hi enim virgines ore canendo, æque ac manibus pulsando citharas, concinunt novum et inauditum in orbe canticum. Ita Scipio apud Ciceron. lib. de Repub. ait civitatem esse concentum. *Sicut,* inquit, *in fidibus et tibiis, ac cantu ipso et vocibus concentus quidam tenendus est ex distinctis sonis ; sic ex summis, mediis et infimis interjectis ordinibus ut sonis, moderata ratione civitatem consensu dissimillimorum concinere ; et quæ harmonia à musicis dicitur in cantu, eam esse in civitate concordiam, arctissimum atque primum in omni republ. vinculum incolumitatis, eamque nullo pacto sine justitia esse posse,* uti refert sanctus August. lib. 2. de Civit. cap. 21. Secundo, sonus citharæ significat virtutum omnium in virginibus consonantiam ; ita S. Hieronym. in 16. Isaiæ v. 11. Virginitas enim paritur abstinentia, pœnitentia, humilitate ; alitur prudentia, fortitudine, obedientia ; perficitur solitudine, silentio, charitate, oratione, aliisque virtutibus : omnes enim virtutes circa virginitatem quasi excubant, ut eam tutentur, et circa eam quasi chorum agunt. Tertio, Rupert. *Citharæ,* ait, *significant pectora fidelium, in quibus per fidem musica cœlestis inhabitat.* Fides ergo comparatur citharæ, et quia sola fides ad salutem non sufficit, hinc extendi debent in ea chordæ mandatorum Dei, eæque tractari et pulsari manibus, id est, operando et exequendo perfici et impleri, ut integra fiat harmonia. Quarto, chordarum in cithara distensio et sonus significat distensionem et mortificationem carnis, quæ mater et nutrix est virginitatis, ideoque suavissime sonat in auribus Dei. Ita Ansbertus. *Quod,* inquit, *citharas Dei de bestia triumphantes habere dicuntur, sic intellige, q. d. Ipsi erant citharæ Dei, laudibus scilicet corda habentes dicata, et utriusque testamenti consona veritate canora. Vel certe citharas habent, voluptates scilicet carnis ligno passionis affixas. Passio enim Christi lignum est citharæ ; chordæ vero superextensæ sanctorum sunt corpora terrenis concupiscentiis emortua. De quibus Paulus dicit : Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Quorum etiam voce Psalmista ait, Psalmo* 11. 8. *Confige timore tuo carnes meas : à judiciis enim tuis timui.*

Ita et S. Gregor. Moral. 31. ubi explicans illud Job. cap. 30. *Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium,* sic ait : *Quia organum per fistulas, et cithara per chordas sonat, potest per citharam recta operatio, per organum vero sancta prædicatio designari. Per fistulas quippe organi, ora prædicantium ; per chordas vero citharæ intentionem recte viventium non inconvenienter accipimus. Quæ dum ad vitam aliam per afflictionem carnis tenditur, quasi extenuata chorda in cithara per intuentium admirationem sonat. Siccatur enim chorda, ut congruum in cithara cantum reddat ; quia et sancti viri castigant* (et jejuniis siccant) *corpus suum, et servituti subjiciunt, atque ab infimis ad superiora tendunt.* Hæc ergo est cithara crucis Christi, quam præfiguravit cithara Davidis, quam ipse pulsans fugabat spiritum malum qui exagitabat Saulem, 1. Reg. 16. 23. Nam, ibidem ait Eucherius, et ex eo Beda et Angelomus : *Iste puer in cithara suaviter, imo fortiter canens, malignum spiritum qui operabatur in Saule, compescuit ; non quod citharæ illius tanta virtus erat, sed figura crucis Christi, quæ de ligno et extensione nervorum mystice gerebatur, ipsaque passio cantabatur, eaque jam tunc dæmonis spiritus opprimebatur : in hoc tribuens moraliter exemplum, ut fastum divitum sermone humili ad aliquod bonum provocemus ;* et fastum carnis mortificatione distendendo et pulsando prementes, suave castumque melos Deo cantemus. Sicut enim in honoribus humilitas, in opibus paupertas, ita et in deliciis periclitatur castitas. Id præ cæteris sensit et docuit S. Carolus Borromæus, qui ad servandam castitatem voluptatibus omnibus bellum indicens, austeram admodum egit vitam ; atque ad Cardinalem quemdam scripsit, *sine pœnitentia et asperitate vitæ impossibile esse servare castitatem,* utpote quam tantopere caro, dæmon et mundus impugnant. Quocirca castitas dicitur à castigatione, ait D. Thom. 2. 2. quæst. 151. art. 1. *Nomen,* inquit, *castitatis sumitur ex hoc, quod per rationem concupiscentiæ castigatur, quæ ad modum pueri est refrenanda, ut patet per Philosoph. in 2. Ethic. cap. ultim.* Sicut enim pueri, quia ratione, qua carent, regi nequeunt, regendi et frenandi sunt virga ; ita et concupiscentia, quæ est instar pueri, castigatione domanda est. Hoc est quod ait S. Hieronym. ad Furiam : *Ardentes diaboli sagittæ jejuniorum et vigiliarum rigore extinguendæ.* Si objicias inde te fore debilem, vel infirmum, respondet S. Hieronym. in vita sanctæ Paulæ : *Satius est stomachum dolere, quam men-*

tem. Et S. Antonius apud Athanas. *Mihi*, ait, *credite, fratres, pertimescit Satanas piorum vigilias, orationes, jejunia, voluntariam paupertatem.* Quin et Christus Marci 9. 28. *Hoc genus*, ait, *in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio.* In Chronicis S. Francisci p. 1. l. 7. c. 32. narratur quod quidam quæsierit à viro sancto : Cur Joannes Baptista sanctificatus in utero ivit in desertum, ibique tam austeram vitam egit ? Respondit Sanctus : Dic et tu : Cur caro recens, esto sit bona, salitur ? Cumque ille diceret, ut conservetur, et non corrumpatur ; subjungit Sanctus : *Ita pariter Baptista sale pœnitentiæ salivit corpus, ut illud sanctum purumque à peccato conservaret*, juxta id quod de eo canit Ecclesia : *Ne levi saltem maculare vitam famine posset.* Axioma est S. Francisci, quod se experientia didicisse asserebat : *Dæmones horrent et fugiunt austeritatem vitæ, et rigorem pœnitentiæ ; appropinquant vero iis qui carnem delicate habent, eosque valide tentant et impugnant.* Ita Chron. Ordinis S. Francisci part. 1. lib. 1. cap. 21.

Hinc mystice Alcazar (quod tamen ipse putat esse litterale) : Vox, inquit, Apostolorum fuit quasi vox è cœlo, tanquam aquarum multarum et tonitrui magni ; quia instar cœlestis tonitrui percellebat mentes audientium, easque prosternebat et ad Christum convertebat ; vox vero fidelium primitivorum, qui perfecti erant et quasi Religiosi, ideoque stabant supra montem Sion, erat quasi vox citharœdorum. Primo, quia illorum omnium dulcissima erat concordia et consonantia. Secundo, quia non tantum ore, sed et manibus, id est, operibus piis et sanctis, laudabant Deum. Tertio, quia in ærumnis, persecutionibus, martyriis et eculeis distenti quasi chordæ in cithara, gratias agebant Deo, quæ ingens erat Dei et Apostolorum laus et gloria, atque Gentilium confusio et admiratio : hocque est canticum novum et sæculis prioribus inauditum quod cantabant, nimirum exultans Apostolorum, Martyrum et fidelium gloriatio in ipsismet persecutionum et cruciatuum procellis.

Hisce ergo citharœdis optime convenit illud Psaltis Psalm. 32. 2. *Confitemini Domino in cithara ;* et Psalm. 42. 2. *Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus.* Talis citharœdus fuit S. Bonif. Martyr, cujus festum celebrat Ecclesia 14 Maii, qui cum ungulis ferreis excarnificaretur, et acuti calami ei inter manuum ungues et carnes infigerentur, atque plumbum liquefactum in os infunderetur, hæc tantum ejus quasi citharizantis vox audiebatur : *Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, Fili Dei.*

3. ET CANTABANT QUASI CANTICUM NOVUM.] Τὸ *quasi* non est nota similitudinis, sed veritatis et asseverationis ; hanc enim sæpe apud Hebræos significat. Sic Joann. 1. 14. dicitur : *Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti.* Ubi clarum est τὸ *quasi* non esse assimilativum, sed assertivum ; sensus enim est, q. d. Vidimus ejus gloriam talem et tantam, qualis et quanta decebat, et congruebat unigenito Dei filio. Secundo, et melius S. Joannes passim hîc usurpat τὸ *quasi*, quia non audiebat ipsas reales voces virginum in se, sed ille tantum per visionem propheticam et imaginariam, vel intellectualem illius phantasiæ aut menti objiciebantur et repræsentabantur, ut videretur sibi eas audire. Phantasia enim, et magis intellectus, eminenter continet omnes sensus et sensiones. Quocirca in intellectu idem est videre et audire, uti ostendi canone primo in Isaiam.

Porro canticum hoc novum est laus Dei, exultatio et jubilus virginum ob tam rarum et insigne donum castitatis, sibi præ aliis plurimis (quibus hoc negatum est) concessum. Ita S. Gregorius 3. part. Pastor. admon. 29. Ribera et alii. *Singulariter*, ait S. Gregor. *canticum Agno cantare, est cum eo in perpetuum præ cunctis fidelibus, etiam de incorruptione carnis gaudere. Quod tamen electi cæteri canticum audire possunt, licet dicere nequeant : quia per charitatem quidem in illorum celsitudine læti sunt, quamvis ad eorum præmia non assurgant.* Porro quodnam sit hoc canticum in particulari, vel in individuo, felix nos docebit experientia, cum in cœlo illud canemus, vel audiemus. Vere Sapiens : *Innocentia tuba est argentea.* Porro sicut virginitas est virtus nova et propria novi Testamenti, in veteri fere incognita ; sic et præmium ejus ac canticum erit novum. Simili modo S. Joannes charitatis mandatum vocat novum Epist. 1. cap. 2. 7. Vide ibi dicta.

ET NEMO POTERAT DICERE.] Videtur corrigendum *discere :* hoc enim significat Græcum μαθεῖν, quasi innuat alios Sanctos avidos esse hujus cantici, æque ac laureæ virginitatis, sed ad illud aspirare non posse ; virginitas enim semel amissa reparari nequit. Romana tamen Biblia, S. Gregorius et alii legunt *dicere ;* atque eòdem redit sensus ; discitur enim canticum ut dicatur et canatur.

Memorabile est quod de S. Emerico legimus in ejus Vita apud Surium, die 4. novembris Conradum quemdam ob enormia peccata jussu Pontificis, loricam ferream ad nudum corpus ferreis catenis astrictam gestasse, donec divinitus catenæ dissolverentur, et scriptura peccatorum in charta descriptorum obliteraretur : et hunc visitasse multa Sanctorum templa spe indulgentiæ, sed frustra ; tandem adiisse sepulcrum S. Stephani, regis Hungariæ, qui eidem apparens : *Surge*, inquit, *amice, et Emerici Filii monumentum, quod juxta est, adito. Ille, quod carnis servanda integritate præcipuam apud Deum gratiam promeruerit, facinorum tuorum tibi veniam impetrabit. Ex eorum enim numero est, qui non inquinaverunt vestimenta sua, sequunturque Agnum quocumque ierit, et ante thronum Dei cantant canticum novum.* Et evigilat homo, illico ad B. Emerici sacellum se confert, fundit ibi preces, atque opinione celerius dissiliunt ferrei nexus, charta peccatorum nullum ostendit litteræ scriptæ vestigium.

QUI EMPTI SUNT DE TERRA.] Syrus : *Isti à Jesu empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et Agno.* Arabicus : *Hi sunt qui empti sunt ex hominibus primo, Deo et Agno.* q. d. Hi sunt qui pretio sanguinis Christi acceperunt hanc perfectam corporis et animæ puritatem, ut terra altiores cœlestem hîc agerent vitam, ideoque Dei sunt *primitiæ*, id est, selectissimi et gratissimi fructus et oblationes, quales in veteri Testamento erant primitiæ frugum et hominum. Videtur ergo Christus pro virginibus quasi gemmis pretiosissimis coemendis, peculiari modo orasse, laborasse, et pretium sanguinis sui Deo Patri obtulisse, destinasse et applicasse.

4. HI SUNT QUI CUM MULIERIBUS NON SUNT COINQUINATI ; VIRGINES ENIM SUNT.] Hinc patet ad litteram hîc agi de proprie dictis virginibus,

qui erunt tempore Antichristi. Quare mysticum est, non litterale, quod censet Alcazar, nimirum hîc virgines appellari omnes eos, qui rerum creatarum inordinata affectione se non contaminant, quique Christum crucem bajulantem usque ad Calvariæ montem sequuntur in constanti rerum temporalium vitæque despicientia, et divinæ gloriæ desiderio : quales erant primitivæ Ecclesiæ Christiani (unde illi hîc vocantur *primitiæ*) et modo sint Religiosi, qui angelicam puritatem consectantur, et Dei præceptorum observationem cum observatione consiliorum copulant, quod est, *sequi Agnum quocumque ierit.*

Mysticum quoque est quod Ambrosius in cap. 11. epist. 2. ad Corinthios. v. 1. citans hunc locum ait : *In mulieribus errorem significavit, quia error per mulierem cœpit ; sicut et Jezabel mulierem dicit Apocal. 2. v. 20. propter uxorem Achab, quæ zelo Baal Prophetas occidit, cum intelligatur idololatria, qua corrumpuntur mores et fidei veritas. Nam si, per mulieres, mulieres intelligas, ut ideo putes virgines dictos, quia corpora sua intaminata servaverunt, excludit ab hac gloria sanctos ; quia omnes Apostoli, exceptis Joanne et Paulo, uxores habuerunt.* S. Ambrosium sequitur noster Hieron. Prado in Ezech. 16. 15. *Hi sunt,* inquit, *qui cum mulieribus non sunt coinquinati ; virgines enim sunt, id est Martyres, qui cultum exhibere idolis etiam cum vitæ dispendio recusarunt, perstiteruntque in fide illibata constantes.*

Hi sequuntur Agnum quocumque ierit.] *Sequantur,* scilicet gressibus non tam corporis, quàm animi, intellectus et voluntatis, nimirum quasi individui, et ab eo summe dilecti, Agni comites et pedissequi, sequuntur eum in omnia gaudia cœlestia, quæ Agnum sequentibus, id est mundis corde, promittuntur ; hæc enim sunt gaudia Agni et agnorum, id est virginum, non autem sequuntur in gaudia leonum, aut taurorum et vitulorum jugulatorum, puta Martyrum, præconum et doctorum Evangelii.

Franciscus Ribera tamen hanc sequelam intelligit, quoad omnia omnino gaudia et præmia cœlestia : Quia, inquit, virgines illæ in fine mundi etiam martyrio, doctrina, aliisque virtutibus excellent ; quocirca omnium gaudia et præmia accipient. Sed esto hoc de multis verum futurum sit, tamen S. Joannes hîc proprie loquitur tantum de ipsa virginitate ultimorum virginum, ejusque præmio ; à sola enim virginitate eos commendat.

Melius ergo Viegas et Alcazar censent hac phrasi : *Sequuntur Agnum quocumque ierit,* non aliud significari quàm quod Agnus virginibus mire delectetur, ita ut eos à suo latere nunquam velit discedere, sed eum comitentur et sequantur quaquaversum ; perinde ac reginam virginem et sponsam comitantur virgines primariæ et nobilissimæ, juxta illud Psal. 44. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Et : *Filiæ Tyri in muneribus,* etc. *Adducentur regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi. Afferentur in lætitia et exultatione, adducentur in templum regis.* Sicut enim regina omnem suam voluptatem, colloquium et consolationem habet in suo puellarum gynæceo, quod perpetuo eam stipat instar chori ; ita eamdem habet Christus in suo virginum cœtu. Rursum, sicut musici sequuntur principem, miroque concentu eum demulcent, eique sunt in deliciis ; ita et virgines Christo. Sunt enim ipsi citharœdi Christi, qui citharizantes in citharis suis, uti dixi v. 2. mirifice eum oblectant. Denique sicut sponsa sponsum, ita virgines comitantur Christum ; sunt enim sponsæ Christi, ut ait Apostolus, 2. Corinth. 11. v. 2. Christus ergo amat virgines, iisque oblectatur, uti sponsus sponsa.

Pulchre S. Augustinus, lib. de S. Virginitate, cap. 27. *Quo putamus,* ait, *hunc Agnum ire : in quos saltus et prata ? ubi, credo, sunt gramina, gaudia, non gaudia sæculi hujus vana, insaniæ mendaces : nec gaudia qualia in ipso regno Dei cæteris non virginibus erunt, sed à cæterorum omnium gaudiorum sorte distincta. Gaudium virginum Christi de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. Nam sunt aliis alia, sed nullis talia.* Ite in hæc : *sequimini Agnum, quia et Agni caro utique virgo. Hoc enim in se retinuit auctus, quod matri non abstulit conceptus et natus.* Et cap. 29. *Videbit vos cætera multitudo fidelium, quæ Agnum ad hoc sequi non potest : videbit, nec invidebit ; et collætando vobis quod in se non habet, habebit in vobis. Num et illud canticum novum proprium vestrum dicere non poterit, audire autem poterit, et delectari vestro tam excellenti bono.* Addit cap. 51. *Non custodit bonum virginale, nisi Deus ipse qui dedit, et Deus qui charitas est. Custos ergo virginitatis charitas, locus autem hujus custodis humilitas. Ibi quippe habitat qui dixit, super humilem et quietum, et trementem verba sua requiescere spiritum suum. Facilius sequuntur Agnum, et si non quocumque ierit, certe quousque potuerint, conjugati humiles, quàm superbientes virgines.* Tertull. lib. 1. ad Uxorem, de virginibus loquens : *Deo,* inquit, *speciosæ sunt puellæ, cum illo vivunt, cum illo sermocinantur : illum diebus et noctibus tractant, orationes suas velut dotes Dei assignant : ab eodem dignationem, veluti munera maritalia, quotiescumque desiderant, consequuntur. Sic æternum sibi bonum Domini occupaverunt ac jam in terris non nubendo, de familia angelica deputantur.* S. Bernardus ad sororem de modo bene vivendi, serm. 12. *Si,* inquit, *Christum tota mente secuta fueris, et eum tota mente dilexeris, absque ulla dubitatione cum eo in cœlesti patria gaudebis, et eum cum sanctis virginibus, quocumque ierit, sequeris. Si cum omni devotione Christo adhæseris, et ad eum die ac nocte suspiraveris in hoc præsenti sæculo, sine dubio cum eo exultabis in cœlesti palatio, atque inter virginum choros cantabis illi dulces hymnos, sicut scriptum est : Qui pascis inter lilia septus choreis virginum, sponsas decorans gloria, sponsisque reddis præmia. Quocumque pergis, virgines sequuntur, atque laudibus post te canentes cursitant, hymnosque dulces personant.* Unde subdit : *Obsecro te, dilecta soror, ut nullam præter Christum sentias dulcedinem, nullum præter Christum quæras amorem, et nullum præter Christum diligas pulchritudinem.* S. Hieronymus, tom. 2. epist. 11. *Fruatur,* ait, *ille virtutis corona, et ob quotidiana martyria stolatus Agnum sequatur.* Ex hoc loco virginitas in Emblematibus pingitur quasi juvencula pallida, macilenta, oculis decoris, coronam è floribus capite gestans, candida sindone amicta, lætitiam vultu præferens, citharam manu pulsans, sequens Agnum in medio prati.

Ita S. Clemens Pontifex, Domitiani imperatoris cognatus, perpetuam virginitatem coluit, uti docet S. Ignatius, epist. ad Philadelph. Idem eamdem mire extulit, aliosque docuit, ut patet ex ejus Epistolis encyclicis, et testatur Epiphan. hæres. 30. Quapropter ejus exemplo et hortatu S. Flavia Domitilla, neptis et ipsa Domitiani, quam Aureliano desponsam, S. Clemens virginem Deo consecravit; Euphrosyna, Theodora, et aliæ nobilissimæ virgines illustre pro fide et virginitate martyrium obierunt. Quocirca Clemens a Trajano imperatore in Chersonam relegatus, cum plurimos Christianos eo pariter ad metalla damnatos, et inopia aquæ laborantes invenisset, pro iis preces fundens, vidit Agnum stantem, qui dexterum pedem levavit, velut S. Clementi locum fontis indicans. Ergo Clemens ad locum in quo Agnus stabat accedens, parvoque ictu locum qui erat sub pede Agni pulsans, mox fontem pulcherrimum elicuit, qui magno impetu effusus fecit fluvium ; ex quo omnes Christiani tunc, et deinceps sitim levarunt. Quo miraculo Gentiles indigenæ ad fidem Christi conversi sunt. Ita habet ejus Vita, et Baronius, anno Christi 100 ; unde et in officio Ecclesiæ S. Clementis antiphonas has legimus : *Orante S. Clemente, apparuit ei Agnus Dei.* Et : *Vidi supra montem Agnum stantem ; de sub cujus pede fons vivus emanat : fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* In sancto ergo Clemente adhuc vivente impletum est illud Apocal. 7. v. 17. *Agnus qui in medio throni est, reget illos et deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Fuit enim ipse agnus Agni Dei assecla, id est virgo, et ob virginitatem Martyr, paulo postquam hæc scripsit Joannes, ut ad eum hîc allusisse videatur : imo sub Clemente Pontifice et hæc quæ dixi inchoante, scripsit Apocalypsin et hæc ipsa S. Joannes. Videtur ergo Domitillam, et alias virgines tum florentes, et pro virginitate martyrium obituras, ad hoc fortiter obeundum, hac visione, et hisce encomiis virginitatis animare et roborare voluisse.

Ita sub idem tempus S. Petrus, S. Praxedem et S. Potentianam; S. Paulus, S. Theclam et plurimas alias ; S. Matthæus, S. Iphigeniam, regis Æthiopum filiam, ad virginitatem Deo vovendam excitarunt, qua de causa S. Matthæus ad aram sacrificans ab Hirtaco regis fratre, qui Iphigeniam conjugem ambiebat, occisus, *virginitatis factus est victima*, ut ait Hippolytus, lib. de duodecim Apostolis; æque ac Paulus à Nerone truncatus est, quod virgines Christianas suæ libidini subtraheret, et Deo dicaret, uti proœmio in S. Paulum ostendi ex sancto Chrysostomo.

Ita S. Agnes post mortem laureata apparuit, cum virginibus radiantibus et splendidissime vestitis, sequens Agnum. Audi S. Ambrosium, lib. 5. epist. 34. *Dum parentes beatæ Agnetis assiduis pernoctationibus vigilarent ad tumulum ejus* (qui prope Romam exstat via Numentana, templo marmoreo gemmisque illustris, quem quoties visito, mira me cum aliis sentio lætitia et devotione perfundi) *vident in medio noctis silentio exercitum virginum, quæ omnes auro textis cycladibus indutæ, cum ingenti lumine præteribant. Inter quas vident B. Virginem simili veste fulgentem, et ad dexteram ejus Agnum nive candidiorem, quæ rogans sanctas virgines parumper gradum figere, stans parentibus suis dixit : Videte ne me quasi mortuam lugeatis, sed gaudete mihi, et congratulamini ; quia cum his omnibus lucidas sedes accepi ; et illi sum juncta in cœlis, quem in terris posita tota animi intentione dilexi.* Ita Agnum secuta est B. Catharina Senensis, cui hoc datur elogium :

Transiit ad sponsum tribus exornata coronis.

Et illud :

Dulce signum charitatis,
Dum amator castitatis,
Cor mutat in virgine.

Quæ proinde ex hoc corde Christi igneo in suis Epistolis ardentes Christi flammas in omnes ejaculatur, atque in omnibus non aliud facit, quàm ut Pontifices, Cardinales, Prælatos, Principes, Urbes, Doctores, etc. ad quos scribit, inflammet amore Christi, ad ejusque perfectam sequelam incitet et exstimulet : quem proinde crebro agnellum nuncupat, ideoque singulas Epistolas incipit pariter et concludit : *in Jesu dulci, Jesu amore.*

Moral. S. Bernard. serm. 1. super *Missus est : Utrinque*, ait, *stupor, utrinque miraculum ; et quod Deus feminæ obtemperet, humilitas absque exemplo, et quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus virginum singulariter canitur, quod sequantur Agnum quocumque ierit : quibus vero laudibus dignam judicas* (B. Mariam) *quæ etiam præit? Disce, homo, obedire ; disce, terra, subdi ; disce, pulvis, obtemperare ; erubesce, superbe cinis. Deus se humiliat, et tu te exaltas?* Et infra : *Sequitur Agnum coinquinatus humilis, sequitur et virgo superbus ; sed neuter quocumque ierit ; quia nec ille ascendere potest ad munditiam Agni qui sine macula est, nec is ad ejusdem mansuetudinem descendere dignatur, qua scilicet non coram tondente, sed coram occidente se obmutuit. Attamen salubriorem elegit sequendi partem in humilitate peccator, quàm in virginitate superbus ; cum et illius immunditiem sua humilis satisfactio purget, et hujus pudicitiam superbia inquinet.*

Denique suis hisce verbis ad Christum Agnum in cœlum evocavit noster S. Joannes, S. Eduardum regem Anglorum, anno domini 1066. De quo audi Alredum Abbatem Cisterc. (qui floruit anno Domini 1164) in Vita ejus. Sanctus Eduardus *nulli petenti in nomine sancti Joannis Evangelistæ, aliquid denegabat ; hunc enim post Apostolorum principem arctius diligebat. Unde contigit, quod quidam peregrinus absente camerario, in nomine S. Joannis Evangelistæ importune à rege eleemosynam postularet. Cui Rex pretiosum annulum, cum nihil aliud in promptu haberet, dedit. Accidit post hæc duos Anglicos ad adorandum Salvatoris sepulcrum Hierosolymam proficisci. Qui die quadam à publica strata declinantes, devia quæqae sectati sunt ; et sole ruente, nox obscura adducta est. Et cum nescirent quid agerent, quo se verterent, apparuit eis senex quidam venerandus ; qui eos ad civitatem reducit. Susceptis autem hospitio mensa paratur ; lautissimeque refecti dant membra quieti. Mane autem facto egressis illis de civitate, ait senex : Viri fratres, cum summa prosperitate vos repatriaturos non dubitetis ; quoniam prosperum iter faciet vobis Deus, et ego ob amorem regis vestri, in omni via firmabo super vos oculos meos. Ego enim sum Apostolus Christi Joannes, qui regem vestrum ob meritum castitatis summa dilectione complector. Hunc ergo annulum, quem mihi in habitu peregrino appa-*

renti tribuit, reportate, denuntiantes ei obitus sui instare diem; quem infra sex menses visitans visitabo, ut mecum sequatur Agnum quocumque ierit. His dictis, disparuit; et illi ad patriam prospere redeuntes, quæ viderant et audierant, regi seriatim retulerunt.

Hi EMPTI SUNT (quomodo empti sunt dixi in fine v. 3.) EX HOMINIBUS PRIMITIÆ DEO ET AGNO.] Primo, quia virginitatem quasi primitias Deo gratissimas obtulerunt. Sicut enim primi fructus sui novitate sapidissimi et gratissimi sunt; ita et virginitas Deo. Alludit ad Jerem. 2. 3. *Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus: omnes qui devorant eum, delinquunt.* Sicut enim Israel præ omnibus Gentibus fuit electus, et dilectus Deo, eique oblatus quasi primitiæ, ut esset populus primus fidelis et sanctus; ita ex omnibus Christianis virgines, quasi primitiæ nobilissimæ Deoque acceptissimæ, secernuntur et offeruntur.

Secundo, sicut per primitias frugum Deo oblatas, reliquæ fruges omnes censebantur Deo oblatæ, ac ab eo benedictæ, ut patet Proverb. 3. v. 9. ubi dicitur: *Honora Deum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum da ei, et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt.* Ita pariter per virgines quasi primitias Deo oblatas, Deus totis earum familiis, totique Ecclesiæ benedicit et benefacit, eas fecundando, bonisque temporalibus et spiritualibus augendo. Unde S. Ambrosius, lib. 3. de Virginitate, docet ubi multæ sunt virgines, ibi conjuges esse fecundiores.

Præclare S. Hieron. lib. 1. contra Jovinianum, qui conjugium æquabat virginitati: *Si virgines*, inquit, *primitiæ Dei sunt; ergo viduæ et in matrimonio continentes erunt post primitias, id est, in secundo et tertio gradu: nec prius perditus populus salvari poterit, nisi tales hostias castitatis Deo obtulerit, et immaculatum Agnum purissimis victimis reconciliaverit.*

5. ET IN ORE EORUM NON EST INVENTUM MENDACIUM.] Quia ab hæresi et idololatria (quæ sunt mendacia perniciosissima contra Deum Deique cultum, quæque maxime vigebunt tempore Antichristi) longissime abierunt. Ad hæc enim proxima dispositio est licentia carnis et libido, quæ uti Salomonem ad idololatriam, 3. Reg. 11. 1. impulit, ita hodie multos ad hæresim et infidelitatem impellit, et plures in fine mundi impellet. Sicut ergo qui carni et veneri indulgent, facile in hæresin labuntur: Ita virgines qui vitiis carnis resistunt, ab ea sunt eruntque remoti.

Secundo, virginum decus est sinceritas et veritas, ipsaque virginitas hunc candorem secum affert; quia cum uni Deo placere studeant, non est cur hominum favores, blanditiis, mendaciis, fucis, et dolis sibi concilient; ut de illis merito dicatur id quod Christus dixit de Nathanaele, Joan. 1. v. 47. *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* Sicut ergo vulgo dicimus, ostende mihi mendacem, ostendam tibi furem; mendacium enim comitatur furtum; fures enim sua furta mendaciis celant et tuentur; ita pariter si dubium de cujuspiam castitate occurrat, dicas: Ostende mihi mendacem, ostendam tibi incestum: ostende mihi veracem, ostendam tibi castum. Hinc Arabicus vertit: *Et non invenitur quid de mendacio in ore eorum.*

SINE MACULA (græce ἀμωμοι, id est inculpati, irreprehensibiles) ENIM SUNT ANTE THRONUM DEI.] Τὸ *enim* dat causam præcedentium, cur scilicet in ore eorum non sit inventum mendacium, ac consequenter cur sint electi in primitias Deo et Agno. Quia nimirum fuerunt et sunt puri et immaculati, quia vitam egerunt virgineam et angelicam sine macula. Maculam intellige graviorem, quæ illis objici possit, v. g. mendacii, libidinis, etc. Nam alioqui nemo hanc vitam transigit sine labe et macula aliqua veniali. *Si enim dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*, ait S. Joannes, epist. 1. cap. 1. 8.

Nota hîc decem epitheta et elogia virginum. Primo, v. 1. quod cum Agno stent supra montem Sion. Secundo, quod habeant nomen Agni et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis. Tertio, v. 2. quod sint citharœdi Dei, sed sonori ut tonitru. Quarto, v. 3. quod soli cantent canticum novum coram throno Dei, quatuor animalibus, et 24 senioribus. Quinto, quod empti sint de terra. Sexto, v. 4. quod cum mulieribus non sint coinquinati; virgines enim sunt. Septimo, quod sequantur Agnum quocumque ierit. Octavo, quod sint primitiæ Deo et Agno. Nono, v. 5. quod in ore eorum non sit inventum mendacium. Decimo, quod sine macula sint ante thronum Dei.

Hinc similia elogia multis virginibus data legimus. Ita S. Agathæ hoc epitaphium posuerunt Angeli: *Mentem sanctam, spontaneam, Deo honorem, et patriæ liberationem.* Ita Proceres Poloniæ nomine totius regni, B. Stanislao Kostka hoc elogium, quasi vitæ compendium, statuerunt: *Juveni castissimo, nobili humillimo, diviti pauperrimo, rerum humanarum contemptori, suique ipsius victori acerrimo*, etc., *qui à puero Jesu cum ejus matre, ægrotans meruit visitari; et à duobus Angelis, præsente S. Barbara Martyre, cœli pane refici. Qui desiderio vitæ perfectæ generis nobilitatem, amplissimasque facultates negligens, Societati Jesu nomen dedit; in eaque religiosi instituti tenacissimus, disciplinæ exactæ brevi exemplar factus, ad præmia strenue certantibus promissa anno ætatis* 18, Christi 1568, *die* 14 *Augusti, præter omnium spem (morte sua prædicta) citius evocatus, Poloniam nascens, Ordinem Religiosum videns, Romam moriens, et inde cœlum petens, sua gloria illustravit. Ob gloriam admirandorum post mortem operum à Clemente Papa VIII. Beati appellatione donatus, à Paulo V. publica imaginis collocatione, et lampade ad sepulcrum ejus accensa auctus, etc.*

Denique Sostratus Byzantinus apud Achillem Tatium lib. 2. narrat lucum Byzantii fuisse, et in eo olivam, quam stupendo prodigio dicitur imber igneus fecundasse. Et Pausanias in Atticis refert olivam Minervæ, incensa à Persis urbe, conflagrasse, eodemque die in duorum cubitorum altitudinem germinasse. Oliva est symbolum virginis, quæ ex ipso damno compendia quærit ad fortitudinem invictam, quæ æternos parit triumphos. Præclare Tertull. ad Martyres: *Negotiatio est, aliquid amittere, ut majora lucreris.* Vir ergo et virgo patiens similis est cœlo, quod per et post nubila serenatur et splendescit.

6. ET VIDIT ALTERUM ANGELUM VOLANTEM.] *Alterum* scilicet à Michaele, de quo cap. 12. v. 7. Vel potius *alterum*, græce ἄλλον, id est alium et diversum, scilicet à duobus sequentibus vers. 8. et 9. Ita Alcazar. Vidit enim Joannes hîc tres Angelos,

quorum primus denuntiat diem judicii, secundus casum Babylonis, tertius iram Dei, ignem et sulphur gehennæ in eos qui adoraverint bestiam.

Quæres, quinam hi? Primo, Alcazar referens hæc omnia ad primitivam Ecclesiam, accipit tres duces Christi, tribus ducibus hostibus, scilicet draconi, bestiæ maris, et bestiæ terræ, puta diabolo, mundo et carni, oppositos, v. g. S. Joannem, Paulum et Petrum, qui milites Christi animarunt ad debellandum regnum draconis et gentilismi. Primi enim Angeli vox sumpta est ex S. Joanne, secundi ex S. Paulo, tertii ex S. Petro. Primus ergo, scilicet S. Joannes, volat per medium cœli; quia instar aquilæ res divinas perspexit, atque ad ipsam Sanctissimam Trinitatem evolavit, dicens: *In principio erat Verbum, etc.* Rursum, volat per medium cœlum, ut ab omnibus videri et exaudiri possit. Hic habet Evangelium æternum; quia prædicavit et scripsit Evangelium, id est lætissimum nuntium, de prostrato diabolo, deque felicitate et gaudiis æternis, quæ Deus promisit timentibus se, ita scilicet ut non timeant Domitianum, nec tormenta, nec mortem, sed unum Deum. Porro in eo quod clamat: *Quia venit hora judicii ejus,* non intelligit judicium extremum, sed illud de quo Christus, Joan. 12. 31. *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi, ejicietur foras.* Christus enim primo suo adventu dæmonem ex sua injusta possessione, id est Gentibus, exturbavit: tuncque fuit judicium, græce κρισις, id est, dies quasi decretoria morbi et mortis, id est, expulsionis diaboli. Secundus Angelus, puta Paulus, canit Babylonis, id est, Romæ Ethnicæ, et Romani Imperii Ethnici, ruinam, cum cœpit regnare Constantinus et posteri Christiani; hoc enim Paulus prædixit, 2. Thessall. 2. v. 7. dicens: *Mysterium jam operatur iniquitatis; tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat.* Tertius Angelus est S. Petrus, qui æque ac Angelus hic, hominibus carnalibus et luxuriosis ignes gehennæ æternos intentat Epistola 2. cap. 1. v. 2. 4. 6. 10. 12. 13. 14.

Verum dico hunc Angelum, uti et sequentes duos in visione ostensos Joanni, symbolice significare prædicatores triplices, per quos Angeli hæc ipsa quæ à Joanne hîc recensentur, proclamabunt toti orbi in ejus fine. Unde volant per medium cœli, ut significetur per prædicatores, qui per medium mundi, omnesque ejus plagas discurrent in tota Ecclesia, quæ hîc cœlum vocatur, ut dixi c. 12. v. 2. hæc promulganda fore. Simile vidimus, c. 8. v. 6. et 13. Suavis enim Dei providentia ad homines docendos et monendos, hominibus non Angelis, utitur. Ita Ticonius, Beda, Rupertus, Ansbertus, Anselmus, Gagneius, Ribera et alii. Unde et Victorinus per tres hosce Angelos accipit tres famosos prædicatores, quorum primus futurus sit Elias, secundus Eliæ socius, quem ipse putat fore Jeremiam; sed falso, ut dixi cap. 11. tertium aliquem hisce similem.

Possumus secundo, cum Viega, hos tres Angelos ad visionem imaginariam referre, ut Joannes scilicet sibi visus sit eos videre, et audire ita loquentes, tantum ad hoc, ut ipse quæ videbat et audiebat litteris mandaret: non autem quod hi Angeli repræsentarent concionatores futuros tempore Antichristi. Simile enim est vers. 13.

Habentem Evangelium æternum.] Evangelium vocatur æternum, quia Deus et Christus in eo æterna in cœlis bona annuntiat et promittit suis asseclis, ut homines temporarias voluptates, æque ac pœnas contemnant; unde clamat: *Timete Dominum, quia venit* (id est appropinquat, imminet) *hora judicii ejus.* Quocirca anagogice S. Hieron. epist. ad Avitum *quid cavendum sit in libris Origenis* περὶ ἀρχῶν: *Evangelium,* inquit, *sempiternum, id est, futurum in cœlis.* Dicitur *sempiternum, ad comparationem videlicet hujus nostri Evangelii, quod temporale est, et in transituro mundo ac sæculo prædicatum.* Porro Evangelium quod prædicabitur Beatis in cœlo, erit annuntiatio et revelatio beatitudinis, bonorumque omnium in Deo, quodque hæc eis in æternum perennabunt.

Aureolus per hunc Angelum accipit S. Bonifacium, qui missus à Gregorio Pontifice, anno Christi 741, prædicavit Evangelium duris Frisiis, Thuringiis et Austriacis, eosque timore judicii et gehennæ concussit, atque ad cultum, timorem et amorem unius Dei impulit. Verum hæc adaptatio est et applicatio, non explicatio hujus Angeli, qui erit in fine mundi.

Rursum, Vincentius Justinianus in vita Beati Vincentii Fererii, 1. part. cap. 19. asserit mortuum quemdam publice coram multis à Beato Vincentio vitæ fuisse restitutum, ut eo miraculo confirmaret se esse illum Angelum, quem Apocalypsis, cap. 14. v. 16. refert visum fuisse Joanni per medium cœli volantem et clamantem: *Timete Dominum, quia venit hora judicii ejus.* Angelum intelligit non litteralem, sed symbolicum, et litterali similem, puta qui missus esset à Deo ut similem legationem obiret, hominesque induceret ad pœnitentiam et timorem Dei, quique similiter ac hic Angelus clamaret: *Timete Dominum, quia venit hora judicii ejus.*

Moral. S. August. in Sentent. sententia 248. *Ad omne,* inquit, *opus bonum amor ducit et timor Dei: ad omne peccatum amor ducit et timor mundi. Ut apprehendatur bonum, et declinetur malum, discernendum est quid diligi debeat, et quid timeri.*

8. Et alius Angelus secutus est, dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna.] Alludit ad Jerem. 51. 8. *Subito cecidit Babylon et contrita est.* Et ad Isaiam 21. v. 9. *Cecidit, cecidit Babylon, et omnia sculptilia deorum ejus contrita sunt in terram.* Quibus locis Prophetæ ad litteram casum et excidium Babylonis, regnique Chaldæorum per Cyrum futurum describunt. Porro quidnam hîc à Joanne intelligatur ad litteram, dicam c. 17. 5. et toto capite 18. ibi enim graphice hoc Babylonis excidium depingitur: quocirca eo hæc referenda sunt. Est enim in Apocalypsi, uti et in aliis Prophetis, crebra hysterologia, uti dixi in canonibus præfixis Isaiæ. Hæc ergo pertinent ad c. 18. 2. ibi enim dicitur: *Cecidit, cecidit Babylon:* nisi dicas hîc aliter sumi *cecidit,* scilicet ut significet actum instantem et quasi inchoantem: *cecidit,* id est, jam cadere incipit, ac brevi prono casu cadet Babylon.

Aureolus per Babylonem accipit Constantinopolim, censetque prædici hîc excidium Imperii Constantinopolitani, eo quod ejus Imperatores plerique hæretici fuerint, vel Ariani, vel Euty-

chiani, vel Monothelitæ, vel Ichonomachi, vel Schismatici.

10. Et hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero.] Erasmus vertit, *de vino iræ Dei, quod infusum*, vel *propinatum est merum*, sive purum et non mistum. Nam Græcum κεραννυσθαι, id est miscere, significat etiam infundere et propinare. Olim enim bibebant ex cornibus, unde à κερας, id est cornu, dicti sunt crateres, quasi κερατηρες: inde κεραννυσθαι significat in cornu, vel aliud simile vas infundere. Ita Athenæus in Dypnosophistis, lib. 11. et alii. Hinc et Dionysio (id est Baccho, qui vini fuit inventor) cornua affinxit antiquitas; quin et taurum eum appellavit.

Verum melius proprie vertas hic, *quod mistum est*. Nam veteres (uti etiamnum faciunt Itali, Hispani, Galli, etc., idque medici docent esse utilissimum, et quasi divinum inventum) tum sanitatis, tum sobrietatis causa, vinum aqua miscebant et diluebant, ut docet Athenæus loco citato, et Plutarchus, lib. 8. Sympos. quæst. 6. Antiquissimi enim bibebant merum, sed non sine noxa: unde Polyphemus in tragœdia Aristii, cui titulus Cyclops, increpabat Ulyssem, dicens: *Vini liquorem perdidisti infusa aqua*, quasi vinum aqua corrumperetur, cum è diverso medicorum judicio reddatur melius ac salubrius: quocirca vinum aqua diluere docuit et adinvenit Staphilus Sitheni filius, teste Plinio, l. 7. cap. 56. Porro Genebrardus in Chronol. Primus apud Græcos, inquit, Melampus medicus vinum aqua diluere præcepit sub annum mundi 2847; quo tempore apud Hebræos, Judices erant Debora et Barac, quadraginta annis ante Gedeonem; nempe ab ultimis temporibus mero dediti Græci: hinc græcari. Ita Plato admonet ut Bacchum temulentum deum Nymphis (id est aquis; his enim præsident Nymphæ) sobriis deabus temperemus. Vulgare carmen tria commoda vini lymphati, id est aqua diluti, recenset. Ait enim

Lymphatum crescit, dulcescit, lædere nescit.

Dicit ergo Joannes hoc vinum iræ Dei mistum fore, non aqua, sed mero, id est, alio puro vino. Tale enim vinum sic cum alio commistum potentius est magisque inebriat. Ita Andreas, Ribera et alii, quasi dicat: Ira hæc et punitio Dei nulla clementia, nulla consolatione mitigabitur, sed omni desolatione et dolore potius angebitur. Sic enim *miscere* alibi accipitur, ut Isaiæ 19. v. 14. *Dominus miscuit* (Septuag. εκερασε) *in medio ejus spiritum vertiginis*, id est, Deus miscuit in ea (Ægypto) varios errorum et vertiginum spiritus, Proverb. 9. v. 5. *Bibite vinum quod miscui vobis*. Veteres enim temperantes erant, ideoque vinum aqua diluebant, uti jam dixi, Psal. 74. 9. *Calix in manu Domini vini meri plenus misto*. Si merum, quomodo mistum? Resp. merum est et tamen mistum alio vino mero, vel vini fæcibus, à quibus abhorremus; ut citius vehementiusque inducat soporem et ebrietatem potanti. Isaiæ 5. v. 27. *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem!* Hebraice, *ad miscendum sechar*, id est siceram, hoc est inebriativa, v. g. varia vina quæ magis turbant stomachum et cerebrum, ideoque magis inebriant. Hisce locis pro *mistum et miscere*, hebraice est מסך *masach*, quod proprie significat miscere (imo à *masach*, deductum videtur Latinum *misceo*) non infundere, nam נסך *nasach*, significat infundere, non *masach*. Cum ergo Hebræum *masach* Septuag. vertant κεραννυσθαι, sequitur illud pariter significare miscere non infundere.

11. Et fumus tormentorum eorum.] Syrus et Arabicus, *fumus tormentorum*, id est, ignis gehennæ et pœna reproborum. Est metonymia: ponitur enim effectus pro causa, scilicet fumus pro igne. Nam in inferno non videtur esse fumus, vel ignis fumans; quia ibi nihil est corruptibile vel resolubile, sed omnia constantia sunt et solida, puta idem numero semperque sibi constans ignis sulphureus. Alludit ad Isaiæ caput 34. v. 10. ubi Propheta agens de Bosræ, quæ Idumææ erat metropolis, excidio et conflagratione per Nabuchodonosor, ait: *In sempiternum ascendet fumus ejus*. Hic est ergo *Tartarus horrificos eructans faucibus æstus*, ut ait Lucretius, lib. 3. Quocirca vere damnatus quidam apparens suo amico, qui ei preces suas offerebat, respondit: *Sine pœnitentia sunt judicia Dei in inferno. Dum rotat astra polus, dum pulsat littora pontus, pro criminibus meis puniar. Si totus mundus mihi remedia exquireret, æterna tamen et innumera pœnarum genera patiar.*

Die et nocte,] id est semper. Nam proprie apud inferos nulla erit dies, sicut apud superos et Beatos nulla erit nox; sed his una perennis dies, illis una et perennis erit nox.

Moraliter hæc cogitent peccatores, qui peccando acceperunt imaginem bestiæ, id est diaboli, item ii quos bestia ad peccatum tentat et sollicitat, nimirum qui sint fructus, quæ pœnæ peccati. Scilicet primo, quod peccator bibet de vino iræ, id est, de felle Dei. Secundo, quod vinum hoc mistum est mero suppliciorum omnium, sine ulla aqua aut gutta consolationis. Tertio, quod cruciabitur igne et sulphure. Quarto, quod erit probrum et ludibrium in conspectu sanctorum Angelorum, et ante conspectum Agni. Quinto, quod fumus tormentorum ejus ascendet in sæcula sæculorum. Sexto, quod non habebit unquam requiem die ac nocte nec ab igne corporeo, nec à verme conscientiæ per omnem æternitatem. Hæc cogitans percellatur, dicatque: Ego non ero tam demens, ut parvo melle æternum fel emam, ut modica voluptate peccati, immensos gehennæ ignes et sulphur mihi accersam: *Momentaneum enim quod delectat, sed æternum quod cruciat.*

Quocirca hisce Apocalypsis verbis S. Cyprianus, lib. 4. epist. 6. fideles adhortatur ut usque ad martyrium resistant tyrannis et Antichristo. *Venit*, inquit, *Antichristus, sed et supervenit Christus; grassatur et sævit inimicus, sed statim sequitur Dominus, passiones nostras et vulnera vindicaturus. Irascitur adversarius et minatur, sed est qui possit de ejus manibus liberare. Ille metuendus est, cujus iram nemo potest evadere. Si quis adorat bestiam et imaginem ejus, etc., bibet de vino iræ Dei.* Et mox: *Ecce agon sublimis et magnus, et coronæ cœlestis præmio gloriosus, ut spectet nos certantes Deus, et super eos quos filios fecere dignatus est, oculos suos pandens certaminis nostri spectaculo perfruatur. Spectant Angeli ejus, spectat et Christus. Quanta est gloriæ dignitas, quanta felicitas præsule Deo congredi, et Christo judice coronari? Integros honor, lapsos dolor ad prælium provocet.* Et inferius: *O dies ille qualis et quantus adveniet, fratres, cum cœperit populum suum Dominus recensere, et divinæ*

cognitionis examine singulorum merita recognoscere, mittere in gehennam nocentes et persecutores nostros, nobis vero mercedem fidei et devotionis exsolvere, etc.

12. HIC PATIENTIA SANCTORUM EST, QUI CUSTODIUNT MANDATA DEI, ET FIDEM JESU.] Sunt verba, non tertii Angeli, sed Joannis, qui hoc quasi epiphonema elicit, et annotat ad tres voces trium Angelorum, q. d. Cum Babylon deciderit, omnesque impii bibent de calice iræ Dei, tunc apparebit fructus non solius fidei, ut volunt hæretici, sed patientiæ et obedientiæ Sanctorum, qui timentes Dominum, diemque judicii, inter tot impios, inter tot tentationes, persecutiones, tormenta et martyria, constanter usque ad mortem custodierunt et fidem Jesu, et mandata Dei. Nam hi immunes erunt à plagis, quibus in die judicii punientur impii, et insuper amplis præmiis, puta æterna felicitate, donabuntur.

13. ET AUDIVI VOCEM DE COELO DICENTEM MIHI: SCRIBE: BEATI MORTUI QUI IN DOMINO MORIUNTUR.] Aliqui hæc intelligunt de Martyribus, qui in *Domino*, id est pro Domino, vel propter Dominum moriuntur. Sic Jacob, Genes. 29. v. 18. in Hebræo dicitur serviisse ברחל *Berachel*, id est in Rachele, hoc est, pro Rachele, septem annis Labano: et sic alibi sæpe ב, id est *in*, capitur pro *propter*. Ita S. Ambrosius, Ansbertus, Haymo, Alcazar, qui ait: Loquitur hæc vox de iis qui fortiter mori decreverunt (hoc enim moriendi decretum significat τὸ *moriuntur*) potius quàm sceleris aliquid contra Deum admittere: q. d. Illi qui protinus firmiter apud se statuunt vitam ipsam Christo libenter immolare, ac morti, seipsos, cum opus fuerit, destinare: ex eo ipso temporis puncto incipient ingenti pace, animique tranquillitate perfrui, ac laboribus et ærumnis requiescere. Hoc est enim quod subdit: *Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant.* q. d. Antequam reipsa moriantur, statim ac se morti pro Christo devovent, ex eo tempore jam depositis laboribus requiescent, quasi reapse occubuissent. Vide hìc quàm efficax felixque sit serium et efficax Deo serviendi propositum; facit enim ut paccati et tranquilli omnino vitam agant fideles, mox ut se resolverint, Christique crucem, labores, et mortem strenue amplecti apud se plane statuerint: rursum facit ut in opere sint efficaces, uti mox dicam.

Verum planius et plenius alii hæc ad quoslibet Sanctos referunt, sive Confessores, sive Martyres. Hi enim omnes beati sunt; quia *in Domino*, id est in fide, charitate et gratia, ac amicitia Dei moriuntur. Ita Primas. Andreas, Beda, Richardus, Joachim, Pannon. et alii. Unde S. Bernardus: *Mori*, ait, *pro Domino, Martyrum est, in Domino autem mori, Confessorum.* Rursum in *Domino*, id est, in Domini quasi manu, aut potius sinu *moriuntur*, idest, morientes requiescunt, quomodo de S. Stephano Actor. 7. dicitur (quod etiamnum pii in fidelium morte usurpant, dicuntque) *Obdormivit in Domino.*

BEATI MORTUI, etc.] Præclare S. Cyprianus suos exhortans ad fortem patientiam lib. de Mortalitate, sive peste grassante tunc: *Adversa*, inquit, *non debilitent, nec frangant Christiani fidem, sed potius ostendant in colluctatione virtutem, cum contemnenda sit omnis injuria malorum præsentium, fiducia futurorum bonorum. Gubernator in tempestate ignoscitur, in acie miles probatur. Aversa non avocant à fidei virtute, sed corroborant in dolore, etc. Quanta sublimitas inter ruinas generis humani stare erectum!* Et mox: *Mortalitas Christianis præstat quod martyrium: cœpimus libenter appetere, dum mortem discimus non timere. Non est exitus, sed transitus, et temporali itinere decurso ad æterna transgressus.* Sic et S. Bernardus cap. 15. de Natura et dignitate divini amoris, mortem vocat Pascha: *Hunc transitum*, inquit, *ad vitam miseri infideles mortem appellant, fideles autem quid, nisi Pascha? quia moritur mundo, ut perfecte vivat Deo. Ingreditur locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.* Rursum S. Cyprian. lib. 4. epist. 6. ad Tibaritan. *Gravior*, ait, *et ferocior pugna nunc imminet, ad quam virtute robusta parare se debent milites Christi* (imminente persecutione Decii et Valeriani) *considerantes idcirco se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint et ipsi propter Christum sanguinem fundere.* Idem de exhortat. Martyrii docet *timendas non esse injurias et pœnas persecutionum, quia major est Dominus ad protegendum, quàm diabolus ad impugnandum.* Quocirca *in persecutionibus nemo cogitet quod periculum diabolus importet, sed consideret quod auxilium Deus præstet. Nemo difficile vel arduum putet esse Martyrem fieri, quando videat Martyrum populum non posse numerari.* Idem (vel quisquis est Auctor) tract. de Laude martyrii, hosce vel titulos, vel stimulos sparsim dat martyrio; primum: *Impavidos*, ait, *animos dat dolori.* Secundum: *Mens crescit in pugna; pulsata licet crebrius, hæret immobilis, uti rupes pulsata fluctibus.* Tertium: *Morte vitam condemnat, ut vitam morte custodiat.* Quartum: *Miles triumphalibus de hoste spoliis onustus, vulneribus suis gaudet.* Quintum: *Nec timendum iis, quorum spes æternitatis et vita cœlestis est, ac salus de promissa immortalitate lætatur.* Sextum: *Quorum animo despectus hic mundus, et alienata sæculi facies, quibus semper hic mundus loco carceris. Nec poteris amare martyrium, nisi ante oderis sæculum.* Septimum: *Martyrio velut socio Christi cruore decoraris.* Et sub initium: *Prædurantibus licet costis resultans ungula recurrat in vulnus, et euntibus flagris cum avulsa corporis parte rediens habena ducatur, stat immobilis tamen pœnis suis fortior: hoc solum secum ipse convolvens, quod in illa crudelitate carnificum, plus pro quo patitur, Christus ipse patiatur. Quid est ergo martyrium? delictorum finis, periculi terminus, dux salutis, patientiæ magister, domus vitæ: quo perfecto etiam ea occidunt, quæ in futuro discrimine potuissent tormenta reputari.* Vide eumdem lib. de bono patientiæ. Insuper S. Augustinus in Sentent. sentent. 148. *Mors*, ait, *etiam piorum, peccati pœna est. Sed ideo ipsis dicitur bona, quia illa bene utuntur, quibus finis est ad mala temporalia, et transitus ad vitam æternam. Sicut enim injustitia male utitur non tantum malis, verum etiam bonis; ita etiam justitia non tantum bonis, verum etiam malis bene utitur.* Hic bonus usus maxime fit per patientiam, uti indicat hìc S. Joannes, de qua S. August. sententia 33. *Tota*, ait, *fidelium salus, tota patientiæ fortitudo, ad eum qui in Sanctis suis mirabilis est, referenda est; quia nisi in illis Dominus esset, furori impiorum fragilitas succumberet humana.*

Nota: Ambrosius et Alcazar per mortuos hìc intelligunt eos, qui mortui sunt non corpori, sed mundo, sive qui mortui sunt non physice, sed mystice, et spiritualiter; qui enim physice mortui sunt, amplius mori non possunt, quod

tamen de mortuis hîc dicitur. Ait enim : *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Unde Aureolus hæc refert ad Monachatum restauratum in monte Cassiano anno Christi 716, quando et Carlomannus, frater Pipini regis Francorum, ibidem factus est Monachus, uti et Chilpericus Rex Francorum, aliique regum et principum filii facti sunt monachi. Monachi enim sunt mystice et civiliter mortui, tum quia sæcularibus negotiis sunt defuncti, tum quia cum S. Paulo mortificationem Jesu, semper in corpore, et magis in animo circumferunt. De qualibus ait idem Apostolus Coloss. 3. vers. 3. *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Hi proinde duplici fructu gaudent. Prior est, quod jugi pace et lætitia conscientiæ fruantur, uti experientia constat, et vox divina hîc promittit, dicens : *Ut requiescant à laboribus suis.* Posterior est, quod *opera eorum sequuntur illos ;* quia cum sua firma resolutione mortem quasi devorarint, hac de causa postea in opere ipso viribus non deficiunt, sed stabiles potius, et in actionibus suis efficaces, constantes, patientes et fideles Christi amatores inveniuntur, juxta illud Proverb. cap. 12. 20. *Qui pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium.*

Verum hæc partim accommodatitia, partim mystica et tropologica sunt. Dico ergo ad litteram τὸ *mortui* ample sumi, scilicet pro mortuis tam in præsenti et in futuro, quàm in præterito, ut significet morientes et morituros, quàm de facto jam mortuos, quasi dicat : *Beati* sunt *mortui,* id est morientes, morituri, et mortui, qui moriuntur, morientur, vel mortui sunt in Domino. Sic enim Hebræi sæpe ampliant tempora suorum verborum, ut sub præterito intelligant præsens et futurum ; et vice versa sub præsenti præteritum et futurum, atque sub futuro præsens et præteritum.

Porro, ut quis moriatur in Domino, vivere debet in Domino, id est, in Dei gratia, lege et voluntate. Dicebat Balaam Numer. cap. 23. 10. *Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia.* Sed sapientius dixisset : *Vivat anima mea vita justorum, ut moriatur morte justorum.* Fere enim bonam vitam bona mors, et malam vitam mala mors sequitur, ut ait S. August. Sicut ergo Romæ mori non potest, qui Romæ non vixit; sic qui in Deo non vixit, in Deo mori non poterit : et contra, qui cum Deo conjunctus vixit, in Deo etiam morietur.

Denique nota hîc beatos non dici viventes, sed mortuos, ut significetur ante mortem neminem esse, nec dicendum esse beatum. Clarius id significant græca, quæ sic distinguunt, ut *amodo* quod sequitur, sit finis sententiæ præcedentis, ut sit sensus : *amodo,* id est, posthac, erunt beati qui in Domino mortui fuerint. Denique sequitur : ναι λεγει τὸ πνευμα, id est, *etiam dicit Spiritus,* vel *certe dicit Spiritus ;* τὸ enim ναι affirmantis et asseverantis est. Vidit idipsum per umbram Gentilis Philosophus Solon, cui Crœsus opulentus Lydorum rex, ostendens suas opes, rogavit num quem nosset se beatiorem ; respondit Solon nosse se Tellum civem suum, qui honestis relictis liberis, cum nihil ei in vita defuisset, fortiter pro patria dimicans cum laude occubuerat. Rogavit deinde Crœsus, post Tellum num quem alium cognosceret beatiorem ; respondit Solon nosse se Cleobin et Bitonem, singulari et inter se, et in matrem pietate viros, qui remorantibus bobus, jugum ipsi plaustri subiissent, et matrem gratulantibus civibus exultantes traxissent ad Junonis templum : inde sacris peractis epulati, non surrexissent postridie, sed in tanta gloria vitam cum morte suaviter commutassent. Quid nos ? (inquit ira jam incensus Crœsus) nullone nos numero inter beatos habes ? cui Solon : *Beatus est, cujus prosperitatem Deus exitu et morte confirmavit ; at viventis adhuc, et periculis in vita expositi beatitudo, sicut certantis præconium et corona, fluxa est et vana.* Egre accepit hoc Crœsus, at paulo post captus à Cyro, damnatusque ad rogum, exclamavit : Solon, Solon, Solon, nunc experior veram fuisse tuam de beatitudine sententiam. Ita Plutarchus in Solone. Hac de causa Ecclesia diem mortis Sanctorum vocat natalem, quia eodem renascuntur in vitam beatam et gloriosam. Natalitia ergo Sanctorum vocat et recolit, non ea quibus cum peccato nascuntur ad vitam mortalem ; sed ea quibus per temporalem mortem transeunt ad vitam beatam et immortalem.

Moraliter innuit hîc S. Joannes mortem beatam et perfectam eorum esse, qui *in Domino,* id est, in Domini Dei commemoratione, invocatione, amore, ideoque in actu charitatis, animam efflant ; quod proinde omnibus desiderandum et reipsa faciendum est. Ita mortuus est S. Augustinus recitans cum lacrymis Psalmos pœnitentiales in actu contritionis, qui est actus amoris Dei, teste Possidonio in ejus vita. Sanctus Hieronymus obiit exhortando suos ad amorem Dei et proximi. S. Ambrosius subito post sanctam Synaxin raptus, colloquens cum Christo Salvatore expiravit. S. Antonius de Padua animam Deo reddidit, recitato hymno ad beatam Virginem, exultans in Christo. S. Thomas Aquinas, elevatis in cœlum oculis et manibus, alta voce pronuntians illa Cantic. cap. 7. vers. 11. verba, ultimo à se explicata : *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum,* moriens in cœlum evolavit. S. Ludovicus fixis in cœlum oculis, ardenti spe et amore suspirans : *Introibo in domum tuam, Domine, adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo,* spiritum Deo et cœlo reddidit. B. Petrus Cœlestinus, qui renuntians Pontificatui in eremum rediit, post magnos labores et cruces decrepitus, Psalmum centesimum quinquagesimum instar cycni canens, ultimis ejus verbis : *Omnis spiritus laudet Dominum,* immortuus est. Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis, in quo sanctitas cum doctrina de excessu certabat, explicatis quinquaginta proprietatibus divini amoris ex Cantico Canticorum, viva facie, ore et corde, identidem repetens suspiransque : *O Domine, fortis est ut mors dilectio tua,* animam amantem Deo amato reddidit. S. Franciscus Xaverius Indorum Apostolus, manu tenens crebroque osculans Christum crucifixum, ac ingeminans : *O Jesu, Deus cordis mei,* in cor ejus spiritum suum deposuit.

Beatiores sunt, qui non tantum in actu, sed ex actu et vi amoris Dei moriuntur. Ita mortua est Beata Virgo ex languore et desiderio videndi Christum suum Filium. Dicebat enim illud sponsæ in Canticis : *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Ita ex amore mortua est S. Maria Magdalena, quæ quotidie vi amoris ab Angelis septies in aerem elevabatur. Nam quadam Dominica rapta in Ecclesiam, ibique

contemplationi dedita, lacrymis perfusa, elevatis brachiis S. Synaxin à S. Maximino percipiens ad Christum sibi dilectum evolavit. Sanctus Franciscus ex vehementia amoris crebras patiebatur extases et deliquia, tandemque acceptis sacris stigmatibus in Christum crucifixum quasi transformatus, consumptis viribus et spiritibus naturalibus, vi amoris divini tabescebat, ac deficiens, pronuntians illud Psalmi centesimi quadragesimi primi : *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo ; me exspectant justi, donec retribuas mihi,* expiravit anno ætatis quadragesimo quinto. Sic præ vehementiâ amoris vitam abbreviarunt, mortemque sibi accelerarunt S. Catharina Senensis, moriens in ætate florenti, anno trigesimo tertio ; S. Carolus Borromæus, moriens anno ætatis 46 ; noster Stanislaus Kostka, cujus cor ita amore ardebat, ut crebro injecta aqua refrigerari deberet, unde ad vigesimum ætatis annum non pervenit.

AMODO JAM DICIT SPIRITUS, UT REQUIESCANT (perperam Beza, *quoniam requiescunt*) A LABORIBUS SUIS. *Amodo,* id est, ex nunc et deinceps in æternum, puta à tempore mortis illico requiescunt, et requiescent in omne ævum. Ita Ambr. Haym. Beda, q. d. Usque ad mortem oportet laborare, certare, pati ; post mortem dicitur : *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.* Ita, inquit S. Bern. serm. de Virg. *S. Germanus Pontifex Altisiodorensis, Romam petens, cum Eduam devenisset, ad tumulum S. Cassiani divertit ; quem proprio vocans nomine : Quid, inquit, agis, frater charissime ? Et ille de tumulo : Dulciter, inquit, in pace requiesco, et adventum Redemptoris exspecto.* Pro *amodo,* græce est ναι, id est utique, profecto, ita prorsus, imo vero, merito certe.

Objiciunt hæretici : Si justi omnes mox à morte requiescunt à laboribus ; ergo nulli eunt ad Purgatorium, ejusque cruciatus. Respond. negando consequentiam. Nam primo, quod dicitur hîc justos requiescere à laboribus, intellige hujus vitæ, quos scilicet exantlarunt in mortificatione passionum, in observatione divinæ legis, et in persecutionum tolerantia. Hi enim mox à morte ab iis requiescunt ; sed si quid adhuc labis habeant, illud detergendum est in Purgatorio. Adde eos in Purgatorio requiescere in certa spe salutis et gloriæ brevi affuturæ, quæ, dum adcrit, reipsa in æternam requiem introibunt.

Secundo, Turrianus, et ex eo Franc. Suarez. 3. part. tract. de Pœnitentia, disp. 45. sect. 1. censent S. Joannem hîc loqui tantum de perfecte justis, qui nulla labe culpæ, etiam venialis, nullo quoque reatu pœnæ pro culpa luendæ obstricti sunt, sed puri prorsus sunt et liberi. Hi enim cum nullum habeant debitum, mox in æternam requiem transeunt.

Tertio, Gregorius de Valentia 3. part. tract. de locis animarum post mortem, disp. 11. q. 1. puncto 1. respondet vocem *amodo,* non ad tempus determinatum mortis cujusque justi referri, sed ad totum illud tempus militantis Ecclesiæ. Voluit enim Deus hîc significare, hoc ipso tempore quo Ecclesia nunc in terris militat, et persecutiones patitur, habere etiam in regno cœlesti suum locum, et Ecclesiam aliquam triumphantem, ubi Beati requiescant, cum plane purgati fuerint : neque exspectare ipsam tempus extremi judicii et resurrectionis corporum, ut piorum animæ recipiantur in beatitudinem ; idque ut hac ratione animet eos ad constantiam in persecutione. Unde præcessit : *Hîc,* id est, hoc tempore, *patientia Sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei et fidem Jesu,* ac mox subdit : *Beati mortui qui in Domino moriuntur, amodo,* etc. Ita et S. August. lib. 20. Civit. 9.

SPIRITUS,] πνευμα, puta Spiritus sanctus. Secundo, Haymo, Richardus et Ansbertus : Spiritus, inquiunt, id est, Sanctissima Trinitas. Tertio, Pannonius : Spiritus, id est, Angelus qui Joanni loquebatur.

OPERA ENIM (nam δε, id est autem, capitur pro γαρ, id est *enim ;* ita notat Maldonatus et fatetur Beza) ILLORUM SEQUUNTUR ILLOS.] Græce μετ' αυτων, id est, *cum illis,* q. d. Comitantur illos proxime et individue (sicut famuli comitantur herum, maxime principem, ait Hugo), ut ante regem gloriæ cum pulcherrimo operum comitatu appareant. *Ad quid,* ait S. Bernardus, *sequuntur opera Sanctos ? nisi ut laudent eos in portis opera eorum.*

Secundo, opera, id est merces operum. Ita Anselmus, Richardus, Haymo. Opera ergo procedunt merito, sed sequuntur præmio. In morte nos deserent amici, opes, honores ; sola opera nos sequentur, ut pulchris similitudinibus declarat Barlaam Josaphat regi, apud Damascenum in Historia cap. 13. Nudat ergo mors hominem opibus, non operibus. Nota : Sicut opera bona sequuntur hominem, ita et mala. Unde S. August. hom. 42. inter 50. cap. 8. *Ipsa,* inquit, *est infelicitas hominum : propter quod peccant* (scilicet opes, delicias, honores) *morientes hîc dimittunt, et ipsa peccata secum portant.* E contrario Sancti labores et dolores, per quos meriti sunt, hîc dimittunt, et ipsas virtutes ac merita secum portant ad præmium mox adipiscendum. Pulchre S. Bernardus serm. 2. in festo omnium Sanctorum : *Quanta,* inquit, *est felicitas eorum, quàm immensæ lætitiæ, qui nimirum triplici gaudio, de recordatione transactæ virtutis, de exhibitione præsentis quietis, de cætera exspectatione futuræ consummationis exultant ! Dicunt enim singulæ animæ quibus jam datum est ad hanc requiem pervenire : In pace in idipsum dormiam et requiescam, quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me. Et : Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuit animam meam à morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu. Hoc est suavissimum animæ stratum, quod nullis jam lavet aut riget lacrymis, quando absterget Deus omnem lacrymam ab oculis ejus.* Et mox : *Sit ergo beatæ animæ culcitra, conscientiæ suæ puritas ; sit capitale, tranquillitas ; sit opertorium ejus, securitas : ut in hoc interim strato dormiat delectabiliter, feliciter requiescat,* etc. Et superius : *Nemo parvam aliquam requiem aut lætitiam suspicetur eorum, qui ab omni penitus molestia liberi, recogitant annos suos in dulcedine animæ suæ ; lætantur pro diebus quibus humiliati sunt, annis quibus viderunt mala : cum jucunda admiratione et mira jucunditate considerant pericula quæ evaserunt, labores quos pertulerunt, certamina quæ vicerunt : et pro his omnibus certa et indubitata fide exspectant beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris sui, qui suscitabit corpora eorum configurata proprii corporis claritati.* Idem S. Bernardus epist. 105. ad Romanum : *O quàm beati mortui,* inquit, *qui in Domino moriuntur, audientes à Spiritu, ut requiescant à laboribus suis ! Non solum autem, sed et succedit jucunditas de novitate, ac*

de æternitate securitas. Bona proinde mors justi propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem. E contra mors peccatorum pessima. Et audi unde pessima. Mala, siquidem est in mundi amissione, pejor in carnis separatione, pessima in vermis ignique duplici contritione.

14. ET VIDI, ET ECCE NUBEM CANDIDAM : ET SUPER NUBEM SEDENTEM SIMILEM FILIO HOMINIS,] scilicet Christum regem et judicem, qui sedebit in judicio in nube candida, ut indicet candorem ejus, atque in judicio nullum fucis et prætextibus fore locum, sed omnia manifesta et sincera futura. Habet falcem acutam, quia venit demessurus universum mundum illique finem impositurus; ita Andreas. Unde Matth. 13. 39. dicitur *messis*, id est, messio, *consummatio sæculi est.* Aureolus per Filium hominis intelligit Pipinum Filium Caroli Martelli, qui pro Chilperico factus Rex Francorum, illud regnum propagavit. Hoc accommodatitium est, non litterale.

15. ET ALIUS ANGELUS EXIVIT DE TEMPLO,] id est, de penetrali Dei cœlesti, puta de loco Beatorum in cœlo ; deferens scilicet ad Christum omnium Sanctorum et cœlitum desiderium de consummatione mundi, punitione impiorum, et gloria justorum : de quo dixit c. 6. v. 10. *Usquequo, Domine, non vindicas sanguinem nostrum?* Ait ergo Christo :

MITTE FALCEM (hoc est demete), QUONIAM ARUIT MESSIS TERRÆ.] Alcazar per messem accipit uberem animarum segetem, et copiosam Gentium conversionem, quam suis concionibus collegerunt Apostoli à Christo ad ipsum missi, de qua dicitur Lucæ 10. 2. *Messis quidem multa, operarii autem pauci.* Verum agitur hîc de messe mundi in die judicii. Alludit enim ad Joel 3. v. 13. *Mitte falces, quoniam maturavit messis :* ubi agi de die judicii patet ex eo quod præcessit v. 12. *Consurgant, et ascendant Gentes in vallem Josaphat ; quia ibi sedebo ut judicem omnes gentes in circuitu.* Sensus ergo est, q. d. Angelus : O Christe, mete, id est, demete homines, animalia, omneque vivens. Hoc enim desiderant animæ Martyrum omniumque Sanctorum, qui me hac de causa ad te legatum miserunt, quia plane matura est messis, id est, quia completus est electorum numerus, æque ac cursus mundi, sæculaque à Deo præstituta jam evoluta sunt. Proprie autem hîc intendit dicere completum esse Electorum numerum ; hos enim maxime amat et intendit Deus, ac propter eos sæculum totum disposuit, illudque vel arctavit vel prolongavit. Atque hæc est falx et messis tritici. Nam de falce reproborum sequitur, eamque inducit sequens Angelus. Ita S. Gregor. lib. 33. Moral. cap. 10. Beda, Ansbertus, Haymo, Pannonius, Viegas, Ribera, et alii. Cur judicium Dei comparetur falci causam dat S. Gregorius : *Potestas*, inquit, *divini judicii, quia intra se omnia incidendo complectitur, falcis appellatione signatur; in falce enim quidquid inciditur, quaquaversum flectatur, intus cadit. Et quia potestas superni judicii nullatenus evitatur (intra ipsam quippe sumus, quolibet fugere conemur) recte, cum venturus judex ostenditur, falcem tenere perhibetur : quia, cum potenter ad omnia obviat, incidenter circumdat.* Porro Christus petitioni Angeli hujus, et Martyrum ac Beatorum obsequitur, piosque et electos demetit, finemque mundo imponit. Hoc est enim quod subdit : *Et misit qui sedebat super nubem, falcem suam in terram, et demessa est terra.*

Aureolus sequens filum chronologiæ suæ, per hunc angelum accipit Stephanum Papam, qui à templo, id est è Roma, exivit anno Christi 753, ob persecutiones Astulphi regis Longobardorum, porrexitque in Franciam ad Pipinum, ejus opem implorans. Pipinus ergo, copiis collectis, quasi falce sua demessuit exercitum Astulphi.

17. ET ALIUS ANGELUS EXIVIT DE TEMPLO (cœlesti uti dixi v. 15.) HABENS ET IPSE FALCEM,] non messoriam, sed vindemiatoriam, sive putatoriam. Falx ergo hæc est cultellus curvus, quo vindemiatores multis in locis utuntur, eoque vites putant et vindemiant atque uvas abscindunt. Falx hæc significat punitionem et excidium impiorum : hos enim vindemiabit v. sequenti.

Quæres, quisnam hic Angelus ? Respondent Primas. Ansbertus, Beda, Pannon. Viegas et alii hunc Angelum, æque ac præcedentem, esse Christum : Christus enim utramque falcem habet, scilicet tam messoriam tritici, id est electorum, quàm vindemiatoriam uvarum, id est impiorum.

Melius Ribera censet hunc proprie dictum esse Angelum, eumque à præcedentibus diversum. Nam Christus hîc non vocatur Angelus, sed Filius hominis. Hic ergo Angelus egreditur ut Christo cooperetur, utque ejus nutu et jussu demetat impios, cum Christus demetet pios et sanctos, uti dixi v. præced. Apte enim Christo præmiatio, Angelo vero punitio tribuitur. Solent enim reges, utpote quos decet et ornat clementia et liberalitas, præmia per se distribuere : supplicia vero per alios irrogare : hoc enim exigit majestas regia.

18. ET ALIUS ANGELUS EXIVIT DE ALTARI, QUI HABEBAT POTESTATEM SUPRA IGNEM : ET CLAMAVIT VOCE MAGNA AD EUM QUI HABEBAT FALCEM ACUTAM, DICENS : MITTE FALCEM TUAM ACUTAM, ET VINDEMIA BOTROS VINEÆ TERRÆ.] Tres hîc v. 15. 17. 18. distinguuntur Angeli; primus v. 15. ait Filio hominis : *Mitte falcem tuam, et mete.* Secundus v. 17. est vindemiator vindemiaturus botros terræ. Tertius est qui secundum admonet ut botros vindemiet.

Quæres, quinam sunt hi ? Respondet Alcazar hæc verba petita esse ex Joelis cap. 3. v. 13. primum ergo Angelum esse Joelem, secundum esse Mosen, tertium esse Eliam. Moses typus est sapientiæ, Elias zeli. Introducitur ergo hîc per prosopopœiam Moses mysticus, id est, sapientia, clamans ad mysticum Eliam, id est, ad zelum, ut mittat falcem, atque vindemiet Christi Confessores, puta Martyres. Zelus enim est qui Sanctos impellit, ut sanguinem pro Christo fundant : quod in lege nova sub Christo futurum prædixit Joel, et præfigurarunt Moses et Elias. Censet enim ipse uti et alii nonnulli angelum hunc mitti ad hoc, ut Martyres in suo agone adjuvet et confirmet, ideoque habere potestatem super ignem, id est, supra charitatem, ut eam in Martyribus excitet. Dicit ergo mystico Mosi, id est sapientia, mysticus Elias, id est zelus : *Mitte falcem, et vindemia botros terræ ;* quia uvæ hujus amputatio et in torcular immissio, ut ibi conteratur, id est passiones et martyria, sunt res quæ directe cœlestem sapientiam attingunt, quam Deus suis martyribus copiose elargitur. Porro botri mittuntur in lacum iræ Dei magnum ; quia maximus fuit Martyrum numerus, qui suo sanguine iram Dei contra

hostes restinxerunt, eumque hominibus conciliarunt.

Pannonius quoque per angelum hunc accipit Eliam. Elias enim videtur notari, cum dicitur angelus hic potestatem habere super ignem : hanc enim habuit Elias, qui ter ignem de cœlo evocavit, ut dixi cap. 11. vers. 5. Ipse tamen alium dat sensum, q. d. Elias clamat ad Christum, ut potestatem judiciariam et vindictam in impios et Antichristianos exerceat in fine mundi.

Huc pertinet expositio et prophetia Abbatis Joachim, qui per hunc angelum intellexit et prædixit Ordinem Eremitarum S. Augustini, paulo post sua tempora instituendum. De eo enim sic ait, explicans hunc angelum : *Surget Ordo, qui videtur novus, et non est. Induti nigris vestibus, et desuper accincti zona pellicea. Hi crescent, et fama eorum divulgabitur : et prædicabunt fidem, quam et defendent usque ad mundi consummationem in spiritu et virtute Eliæ. Qui erit Ordo Eremitarum æmulantium vitam angelorum. Quorum vita erit quasi ignis ardens in amore, et zelo Dei, ad comburendum spinas et tribulos, hoc est, ad consumendum et exstinguendum perniciosam vitam pravorum, ne mali amplius abutantur Dei patientia.* Quod Joachimi oraculum citans sanctus Antoninus tit. ult. 3. part. histor. ex eo probat illum habuisse spiritum propheticum. Joachim enim id dixit et prædixit sub annum Domini 1200. Ordo autem Eremitarum S. Augustini institutus, vel potius restauratus est ab Innocentio IV. Pontifice, anno Domini 1243, ut docet idem S. Antoninus 3. p. tit. 24. cap. 14. et ex eo P. Hieronymus Platus lib. 2. de Bono status Religiosi cap. 22.

Tertio, Ansbertus et Haymo hunc angelum, æque ac præcedentem, volunt esse Christum qui habet potestatem super ignem; quia potest Spiritum sanctum mittere in corda fidelium. Nam, ut ait ipse Lucæ 12. v. 49. *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* Egreditur de altari, quia est Pontifex.

Verum hîc non agitur de martyrio aut missione Spiritus sancti, sed de die judicii et vindictæ, et consequenter ignis hic non est charitatis, sed conflagrationis mundi vel inferni.

Quarto, Aureolus et Lyranus per angelum hunc tenentem falcem intelligunt Carolum Magnum, qui demessuit infideles : per alium vero angelum euntem de altari intelligunt Adrianum Papam, qui opem Caroli imploravit contra Desiderium regem Longobardorum ; quem proinde Carolus aggressus bello vivum cepit, et regnum Longobardorum exstinxit. Verum hæc accommodatitia sunt, non genuina.

Dico ergo cum Ribera, Viega et aliis tres angelos qui præter Christum, de quo v. 14. hîc v. 15. 17. et 18. recensentur, esse hos : primus est v. 15. legatus Martyrum, qui eorum nomine obsecrat Christum, ut sua falce demetat triticum, id est, Sanctos et electos, eosque congreget et colligat ad se per angelos à quatuor mundi plagis, ut resurgant ad gloriam, et cum eo ascendant ad cœlum. Secundus v. 17. est angelus qui in fine mundi demetet impios : unde habet falcem acutam. Tertius hoc versu est pariter angelus, qui secundo imperat ut falcem exerat, et demetat impios. Est ergo hic angelus proprie dictus, æque ac secundus, qui præerit impiorum tum morti per secundum angelum, tum pœnis gehennæ, non per se, sed per dæmones inferendis. Exit de altari ; quia c. 6. dictum est quod sub altari quiescant animæ Martyrum poscentes vindictam : inde ergo egreditur quasi legatus Martyrum, æque ac primus, à Deo postulans vindictam, ut Martyrum homicidas, omnesque improbos in tartara detrudat, eaque impetrata mandat angelo secundo vindictæ divinæ executori, ut falce sua vindemiet botros, id est, impios. Hinc habet potestatem super ignem, ut videlicet inducat in orbem ignem conflagrationis, ait Andreas : vel ut mittat reprobos in ignem gehennæ, ut vult Aretas et Beda, tradendo scilicet eos dæmonibus, qui eos in tartara abripiant.

Nota : Sicut per messem et triticum tum hîc, tum Matth. 3. 12. et c. 12. v. 29. significantur electi, ita per vindemiam et botros, significantur reprobi; quia calicem iræ divinæ implebunt, ab ea calcandi extra civitatem, id est, extra Ecclesiam, vel extra cœlum, in torculari infernali, ut sequitur. Alludit rursum ad Joelis 3. 13. ubi cum dixisset Propheta de tritico et messe : *Mittite falces, quoniam maturavit messis;* subdit de botris et vindemia : *Venite et descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia ; quia multiplicata est malitia eorum.* Sic passim in Scriptura vindemiato pro punitione capitur, ut psal. 79. 13. *Ut quid destruxisti maceriam ejus, et vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam?* Thren. 1. v. 12. inducitur Jerusalem ita in suî vastatione lamentans et dicens : *Vindemiavit me, ut locutus est Dominus in die iræ furoris sui.* Et v. 22. *Vindemia eos, sicut vindemiasti me.* Isaias quoque c. 16. v. 9. agens de excidio Idumææ ait : *Super vindemiam tuam, et super messem tuam vox calcantium irruit.* Alludit quoque ad Zachar. 5. 1. ubi ipse vidit falcem volantem juxta Septuag. Ita Cyrillus ibidem.

Aliter Viegas : Falx, inquit, messoria tritici pertinet ad senes; sicut enim messis est arida et cana, ita et senectus : falx vero putatoria uvarum pertinet ad juvenes, qui sunt quasi botri pulchri et florentes, ac succo et sanguine pleni : utrosque enim metit et putat mors. Verum prior sensus aptior est, ut patet ex textu et ex dictis. Unde et sequitur : *In lacum iræ Dei,* græce εἰς ληνὸν, id est in lacum, in quem exprimitur et recipitur uvarum liquor.

20. ET EXIVIT SANGUIS DE LACU USQUE AD FRENOS EQUORUM PER STADIA MILLE SEXCENTA.] Arabicus vertit : *Et exivit sanguis de torculari ad frenos equorum, mille et sexcenta milliaria.* Sed male pro *stadia*, ponit *milliaria*, quæ stadiis octuplo sunt majora ; nisi forte in Arabia, Syria, vel alibi, milliaria adeo brevia sint, ut stadiis æquentur. Alcazar, qui de sanguine Martyrum hæc accipit, dicit eum exivisse ad frenos quatuor equorum quadrigæ Christi : Quatuor hi equi sunt, inquit, ii de quibus cap. 6. v. 2. et sequentibus; scilicet primus albus, qui significat mansuetudinem Christi et Martyrum : secundus rufus, qui eorumdem zelum ; tertius niger, qui eorumdem modestiam ; quartus pallidus, qui eorumdem mortificationem repræsentat. Porro in stadiis 1600 alluditur ad longitudinem terræ promissæ, quæ fuit 160 milliarium, ut ait sanctus Hieron. epist. 129. (qui et insinuat hæc 160 milliaria Palæstinæ, sive 1600 stadia, facere 200 milliaria Romana ; quod etiam asseverat Alcazar) quæ præcise faciunt 1600 stadia. Vocat

vero stadia, quia alludit ad agones Martyrum, qui fieri solebant in stadio. Terra autem promissa significat Ecclesiam. Sensus ergo est, q. d. Tota Ecclesia, totusque orbis quasi irrigatus est, et decoratus copia et ubertate sanguinis, quem recens conversi pro Christo profundebant.

Porro 160 milliaria facere 1600 stadia patet. Nam milliare continet octo stadia ; Romani enim singulis passibus dant quinque pedes, et stadiis singulis passus 125, qui Romanos pedes conficiunt 625. Cæterum in Græcorum dimensione decem stadia milliare unum, sive mille passus juste conficiunt. Quippe apud Græcos passus unus sex continent pedes (quæ mensura humanam staturam adæquat) et stadium unum centum passibus, sive staturis humanis constat, id est, pedibus sexcentis, ac proinde 160 milliaria præcise sunt stadia 1600. Quod autem Romani ad unius stadii dimensionem adjiciant 25 pedes, id propterea sit, quia ex communioribus Græcis pedibus, 24 pedes exæquabant longitudinem 25 pedum Romanorum. Quare ut in stadii mensura Romani cum Græcis convenirent, stadio tribuebant Romanos pedes 625, sive (quod idem est) 125 passus Romanos. Sanctus Joannes vero hîc, quia græce et in Græcia scripsit, utitur stadio Græco, non Romano, accipitque stadium pro centum passibus; quo fit ut 160 milliaria contineant 1600 stadia, uti jam dixi.

Hæc vera sunt et erudita, sed non ad propositum. Nam stadia hæc spectant ad dimensiones, non terræ promissæ, nec Ecclesiæ, sed loci reproborum (hic enim est lacus iræ Dei, nisi dicas hunc lacum commensurari et adæquari terræ sanctæ) et damnatorum, puta gehennæ et inferni. Sanguis ergo hic non Martyrum, sed reproborum accipi debet. Sensus ergo est, q. d. Tanta erit impiorum et reproborum, qui in fine mundi occidentur et damnabuntur, strages, ut, si locus ille quem ipsi in inferno obtinebunt, torcular esset quo sanguis eorum exprimeretur, sanguis hic via regia excurreret ad 1600 stadia usque ad altitudinem freni *equorum*. Equos intellige Christi et sanctorum ejus. Illi enim hîc et cap. 19. per prosopopœiam indicuntur ut victores equites, qui egrediuntur pedibus, non corporis, sed mentis, extra civitatem cœlestem, ad contemplandam victoriam Christi de impiis, eorumque stragem. Ita Andreas, Ambros. Beda, et alii. Est catachresis et hyperbole.

Similes catachreses et phrases alibi habet Scriptura, ut psal. 109. 7. *De torrente in via bibet.* Num. 23. 24. *Donec devoret prædam, et occisorum sanguinem bibat.* Psal. 57. 11. *Manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Quibus tantum plena victoria et ultio de hostibus significatur.

Simili schemate ait L. Florus in bello Cimbrico : *Tanto ardore pugnatum est, eaque cædes hostium fuit, ut victor Romanus de cruento flumine non plus aquæ biberit quàm sanguinis barbarorum.* Idem Florus lib. 2. de bello Punico : *Documenta*, inquit, *cladis, cruentus aliquando Aufidus.*

Potest secundo hîc locus proprie accipi de capacitate totius inferni, q. d. Impiorum in fine mundi sanguis et cadavera decurrent, et spargentur per totam capacitatem et longitudinem inferni. Infernus enim in longum (uti et in latum, et in profundum quaquaversum) extenditur ad 1600 stadia, id est, leucas Hispanicas 50. Ita Ribera, qui censet hîc præcise describi spatium et quantitatem inferni, scilicet quod extendatur ad 1600 stadia, tam in longum, quàm in latum et profundum : licet hoc Viegæ et Alcazari non placeat, eo quod in Scriptura alibi nihil tale exprimatur. Verum hæc ratio non concludit : nam ex ea tantum sequitur nihil certi de hac quantitate inferni afferri posse : non autem sequitur nihil probabiliter conjici posse. Probabile ergo est hoc spatium 1600 stadiorum esse mensuram inferni, tum quia id hîc innui videtur, tum quia hic locus satis capax est, ut capiat omnes omnium temporum reprobos et damnatos. Est enim hoc spatium 1600 stadiorum circiter tantum, quantum est Roma Bononiam, aut Bruxellis Parisios : quod plurimos et quasi innumeros hominum milliones complecti posset, præsertim accedente justa et proportionata tam latitudine, quàm profunditate, qualis est in inferno. Nam, ut ait Isaias c. 30. v. 33. *Præparata est ab heri Topheth* (id est ab æterno gehenna) *præparata, profunda et dilatata.* Nam 1600 stadia faciunt ducenta milliaria Italica; milliare enim continent mille passus, idque dictum est milliare. Passus continet quinque pedes, per quatuor palmas, palma quatuor digitos transversos. Stadium autem est octava pars milliaris, continetque passus 125. Ergo 1600 stadia faciunt ducenta milliaria ; hæc enim sunt octava pars mille sexcentorum.

Confirmatur hæc sententia, primo : quia sanctus Joannes hîc infernum vocat lacum iræ Dei magnum ; est ergo ingens valde et magnus, ut Deo iræque Dei aliquatenus respondeat et commensuretur. Rursum diserte ei assignat stadia mille sexcenta, quæ cum proprie accipere possimus, cur ea alio torquemus ? Quod enim aliqui viri docti hæc stadia censeant esse loci, quem occupabunt damnandi in die judicii circa vallem Josaphat, non videtur esse ex mente S. Joannis, qui hæc stadia assignat lacui iræ Dei. Hic enim lacus in quo calcantur damnati, sine dubio est infernus. Secundo, quia idcirco infernus in Scriptura et à Patribus vocatur abyssus, quia est profundissimus et maximus, ut videatur esse ἄβυσσος, id est, sine fundo. Tertio, quia ignis conflagrationis mundi totum occupabit orbem, scilicet totam terram, totam aquam, totum aerem usque ad cœlum. Hic autem ignis totus ibit in infernum, eoque secum convolvet damnatos : ignis autem tantus et tam vastus, esto densetur, vastissimum poscit locum. Quarto, incendium Sodomæ et Pentapolis extendit se ad septuaginta duo milliaria in longum, et novemdecim in latum, teste Josepho et aliis; complexum enim est quatuor urbes valde à se distantes : hoc autem fuit typus incendii infernalis. Quinto, Ætna aliquando flammas et cineres eructavit et ejaculata est ad triginta milliaria: similia scribit Plinius de Vesuvio. Ætna autem et Vesuvius tantum sunt umbra, et, ut aliqui vocant, os inferni. Sexto, quia ex visionibus constat amplissimas esse gehennæ flammas. Tales enim tantasque vidit S. Furseus, et sanctus Diethelmus apud Ven. Bedam. l. 5. Histor. Angl. c. 13. Septimo, quia valde verisimile est in inferno dæmones habituros corpora ignita, tum ut ipsi magis puniantur, tum ut horribili sua specie, plagis et tormentis corporeis, magis puniant damnatos, de qua re plura dixi Isaiæ 34. sub finem capitis. Infernus ergo maximus sit

oportet, utpote, qui capiet tot millenos milliones, non solum hominum damnatorum, sed et dæmonum corporatorum.

Contrarium tamen sentit P. Lessius, l. 13. de Perfectionibus divinis, c. 24. Ubi primo, docet infernum non esse aliud quàm stagnum ignis et sulphuris, Apocal. 20. 15; secundo, hoc stagnum esse in medio terræ, ita ut centrum stagni, centrum inferni, et centrum terræ sit unum idemque, sulphureo illud stagno circa centrum se in orbem colligente: quocirca stagnum hoc habere murum spississimum et impermeabilem, qui omnem evadendi spem damnatis adimet; ambitur enim spissitudine terræ, quæ à centro ad superficiem plusquam mille leucas continet. Quis hujusmodi murum perfodiat aut penetret? Tertio, cavitatem inferni esse circiter unius leucæ, seu quatuor milliarium Italicorum. Ratio ejus est, quia damnati in inferno non insistent pedibus, nec huc illucque discurrent, sed colligentur in cumulum instar carbonum, vel lignorum ardentium, ut Scriptura indicat. Jam etiamsi singulis corporibus damnatorum demus sex pedes quadratos (qui abunde sufficiunt), tamen una leuca (id est, mensura viginti millium pedum) cubitata, seu cubice multiplicata, capere poterit plusquam octinginta millia millionum corporum, cum tamen certum videatur facta subductione non futuros centies mille milliones. Addit deinde: Verum, inquit, quia ibi quoque ingens stagnum erit ignis et sulphuris, et dæmones omnes ignitis corporibus includentur, fortasse erit capacior. Sit ergo diameter duarum leucarum, seu octo milliarium Italicorum, tunc superficies concava terræ ambiens infernum, erit sex leucarum. Unde facile poterit cavitas inferni in medio suî continere stagnum, cujus profunditas sit undique unius mediæ leucæ, quanta vix usquam est profunditas maris, et supererit adhuc media leuca vacua inter concavam superficiem terræ et superficiem stagni. Hæc ipse probabiliter et erudite. Alii tamen aliter supputant, pluresque damnatorum milliones fore censent. Insuper, esto locus iste capiendis corporibus damnatorum constipatis sufficeret, tamen multo iis majorem fore censent. Primo, ut magnitudo incendii immanis et quasi immensi, solo aspectu horribili percellat damnatos; quo enim majus est incendium, eo majore nos horrore concuti in hac vita sentimus. Secundo, quia in incendiis hisce corpora damnatorum constipata volutabuntur, ut jam in altum conscendere, jam in abyssum mergi, jam ad latera quaquaversum latissime gyrari et raptari videantur, uti ibidem conscendere et descendere vidit animas S. Diethelmus jam citatus. Hoc insinuat S. Joannes dicens: *Et fumus tormentorum ascendit in sæcula sæculorum.* Sic enim non parum augebitur horror et cruciatus reproborum. Tertio, quia in inferno variæ variorum criminum sunt pœnæ, variæ carnificinæ, varia tormentorum genera, instrumenta et loca, ut patet ex visionibus Ven. Bedæ jam citatis, et ex multis energumenorum testimoniis, qui adjurati idipsum confessi sunt. Inter alia nostri patres Hispani oculati testes hæc Romam perscripserunt, quæ in Litteras annuas anni 1604 Collegii Huetensis provinciæ Toletanæ relata sunt, scilicet dæmonem per energumenam, concionem sibi à Deo imperatam habuisse ad circumfusam multitudinem, qua ejus peccata coarguebat, ac inter alia dicebat: *Me ex cœli vertice ad barathrum dejecit peccatum, et vos ullum in terræ locum tutum existimabitis? Eundum igitur vobis erit nisi caveatis, cum inferis Satanis ad sulphur, ad ignem, ad pontem, ad castellum, ad fluvium, ad rotundam domum*, quibus verbis utique varia tormentorum et loca et genera in gehenna significabat. Unde liquet corpora damnatorum non ita esse constipata, ut omnia in unum quasi falcem colligata sint, sed potius ita ut varios fasciculos efficiant, variis locis, catastis et eculeis dispositos, qui pro dæmonum libitu et Dei vindicta subinde solvantur, ut reprobi ab una catasta in aliam raptentur, iterum deinde colligantur, et in ollam vulcaniam mergantur. Est enim ibi pœnarum omnigenum maxima varietas et multitudo, et ab una in aliam damnati quasi in orbem ire coguntur, ut semper supplicia eis innovari, aliaque et nova instaurari videantur. Ut ergo seorsim disponi et torqueri possit eorum corpora, ingenti spatio est opus, uti fatetur P. Lessius, loco jam citato, ubi ad hoc requirit centum leucas et amplius.

Symbolice Petrus Bongus, lib. de Num. mysteriis: Numerus, inquit, 1600 à quadragenario tetragonus est. Nam quadragies quadraginta faciunt 1600. Hunc etiam componunt quatuor quadringenti. In sacra Scriptura totum insinuat mundum, cujus partes quatuor esse constat. Apoc. 14. scriptum est, quod manavit sanguis usque ad frenos equorum per stadia 1600. q. d. Per quatuor mundi partes Ortum, Occasum, Septentrionem et Meridiem. Unde et Threni Jeremiæ quatuor sunt, et quadruplici alphabeto distincti; quia in illis Jeremias non tantum Judæorum, sed etiam totius mundi scelera deplorat, et omnes ad deplorandum invitat. Ita Bongus.

Memento, quod jam sæpius monui, in his Joannis visionibus nonnulla esse hyperbata, ac saltus ab uno ad aliud et resultus, uti sunt in aliis Prophetis. Nam à signis judicio prævîis, de quibus egit v. 6. et seq. salit. v. 16. et seq. ad præmia electorum, et pœnas reproborum: inde rursum resilit ad signa judicio prævia. Nam cap. seq. 15. et 16. recenset septem plagas orbis novissimas; inde c. 17. et 18. describit Babylonis excidium; hæc enim omnia præibunt diem judicii.

Moraliter disce hîc quàm horrendus sit infernus, et in ea pœna reproborum. Primo, quia sunt botri iræ Dei, qui ab eo quasi furente calcantur in torculari gehennæ. Secundo, quia fumus tormentorum eorum ascendit in sæcula sæculorum, uti dixi v. 11. Tertio, quia jactantur in lacu igneo quaquaversum per stadia 1600. Cogita fornacem igneam flammas conglobantem et ejaculantem quaquaversum (id est, tam in longum, quàm in latum, et in profundum) per ducenta milliaria, et in eo corpora damnatorum volutari, nuncque ascendere, nuncque descendere, nunc gyrari in omnem partem, idque jugiter nocte et die per omnia sæcula, per omnem æternitatem. Ecce hoc est infernus.

Anima, inquit S. Gregorius, l. 4. Dial. 45. *illic* (in inferno) *posita bene esse perdit, et esse non perdit: qua ex re semper cogitur ut non mortem sine morte, et defectum sine defectu, et finem sine fine patiatur: quatenus ei, et mors immor-*

talis sit, et defectus indeficiens, et finis infinitus. Idem, lib. 9. Moral. 39. *Horrendo modo erit tunc reprobis dolor cum formidine, flamma cum obscuritate.* Et mox : *Fit ergo miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu; quia et mors semper vivit, et finis semper incipit, et defectus deficere nescit. Mors perimit, et non extinguit; dolor cruciat, sed nullatenus pavorem fugat; flammas comburit, sed nequaquam tenebras discutit.* Et inferius : *Tunc edax flamma comburit, quos nunc carnalis delectatio polluit. Tunc infinitum patens barathrum inferni devorat, quos inanis elatio nunc exaltat.* Idem in illud Matth. *Ejicientur in tenebras exteriores : In inferno erit frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cædentium, horrida visio dæmonum, confusio peccatorum, desperatio bonorum omnium.* Hugo, l. 4. de Anima : *Infernus,* ait, *locus est sine mensura, profundus sine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili, plenus dolore innumerabili : ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus, ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali.* Hîc dæmones horrendas induunt larvas, quibus percellunt damnatos, de quibus Virgilius, Æneid. 6.

Centauri in foribus stabulant, Scyllæque biformes,
Et centum geminus Briareus, ac bellua Lernæ,
Horrendum stridens, flammisque armata Chimæra,
Gorgones, Harpiæque et forma tricorporis umbræ.

Refert Climachus gradu 4. se in monasterio vidisse fratrem quemdam cocum, qui à Deo donum jugiter lacrymandi obtinuerat, qui rogatus quomodo id obtinuisset, respondit : *Ex ignis culinæ, quem perpetuo cerno, aspectu, vasta ignis inferni incendia animo verso; quæ consideratio uberes ex oculis lacrymas elicit.* Exempla et visiones hac de re horrificas recenset S. Gregorius, l. 4. Dialog. c. 30. ubi Theodorici regis jactum in ollam Vulcaniam recenset, et c. 36. et 43. et Damas. histor. c. 30. ubi Josaphat regis visionem de inferno enarrat. Nota est Doctoris Parisiensis defuncti historia, qui in exequiis surgens è feretro dixit : *justo Dei judicio accusatus, judicatus et damnatus sum,* qua voce S. Bruno, aliique permoti Carthusiam instituerunt, uti narrat Franc. Puteus in vita S. Brunonis, et ex eo noster Petrus Thyræus, lib. de Judicio particulari, c. 6. Nota etiam est Udonis Episcopi monitio cœlestis : *Udo, Udo, cessa à ludo, lusum satis Udo;* cumque non cessaret, ejusdem judicium, decollatio et damnatio, quam enarrat Fulgosius, l. 9. c. 12. Naucler. vol. 2. gener. 37. S. Antoninus et alii. Refert Gregor. Turon. l. 8. histor. Franc. c. 5. Chilpericum regem pessimum, Francorum tyrannum, post mortem Guntramno regi visum confractis membris projici in ollam æneam, statimque undarum vapores ita dissolvi ac liquefieri, ut nullum ex eo penitus vestigium remaneret. Plura hac de re dixi, Deuter. 32. 22.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Redit hic Propheta post aliqualem digressionem capitis 14. de die judicii, deque damnatione impiorum, ad cap. 13. scilicet ad tempora Antichristi : unde hic producere incipit septem angelos effundentes septem phialas iræ Dei. Primo, ergo v. 2. videt Sanctos qui vicerunt bestiam, stantes super mare vitreum, citharizantes et cantantes canticum Mosis et Agni. Identidem enim Deus per Joannem proponit hic et inculcat gloriam Sanctorum, ut fideles animet ad certamen, præsertim contra Antichristum. Secundo, v. 5. aperitur templum in cœlo, ex eoque prodeunt septem angeli vestiti lino mundo et zonis aureis, quibus singulis dantur singulæ phialæ iræ Dei, quæ continebant septem plagas orbis novissimas, quocirca templum impletum est fumo a Majestate Dei.

1. Et vidi aliud signum in cœlo magnum et mirabile, angelos septem, habentes plagas septem novissimas : Quoniam in illis consummata est ira Dei. 2. Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne, et eos, qui vicerunt bestiam, et imaginem ejus, et numerum nominis ejus, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei; 3. et cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum Agni, dicentes : Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens; justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum. 4. Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum? quia solus pius es : quoniam omnes gentes venient, et adorabunt in conspectu tuo, quoniam judicia tua manifesta sunt. 5. Et post hæc vidi, et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in cœlo. 6. Et exierunt septem angeli habentes septem plagas, de templo, vestiti lino mundo et candido, et præcincti circa pectora zonis aureis. 7. Et unum de quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viventis in sæcula sæculorum. 8. Et impletum est templum fumo à majestate Dei, et de virtute ejus : et nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ septem angelorum.

1. ET VIDI ALIUD SIGNUM IN CŒLO MAGNUM ET MIRABILE, ANGELOS SEPTEM, HABENTES PLAGAS SEPTEM NOVISSIMAS,] scilicet ultimas quas Deus infliget peccatoribus in hac vita. Unde subdit : *Quoniam in illis consummata est ira Dei.* Has plagas ordine recensebit capiti sequenti. Est hysterologia : hic enim versus postponendus est versui secundo, tertio et quarto. Nam prius vidit Joannes Sanctos stantes super mare vitreum, et cantantes canticum Mosis : post hanc enim visionem subdit, v. 5. *Et post hæc vidi, et ecce apertum est templum et exierunt septem angeli habentes septem plagas.* Præmittit tamen hasce plagas hîc obiter et in genere, ut significet eo hæc omnia de mari vitreo et Sanctis super illud stantibus spectare, ut scilicet illi jam quasi victores et triumphantes, è cœlo quasi emittant et ejaculentur hasce plagas in impios, utpote hostes Dei, æque ac suos. Est ergo hîc quasi propositio, vel summa eorum quæ his duobus capitibus dicenda sunt, quæque enarrari incipiunt v. 2. et pertexuntur usque ad finem capitis sequentis. Porro hæ plagæ dicuntur novissimæ, non mathematice, sed moraliter, quia scilicet erunt sub finem mundi, eruntque inter ultimas. Nam alioqui præcise post has plagas sequitur plaga et excidium Babylonis, ac post illud plaga et excidium Antichristi, Gog et Magog, etc.

2. ET VIDIT TANQUAM MARE VITREUM MISTUM IGNE, ET EOS QUI VICERUNT BESTIAM ET IMAGINEM EJUS, ET NUMERUM NOMINIS EJUS, STANTES SUPER MARE VITREUM, HABENTES CITHARAS DEI.] Primo, Alcazar : Mare, inquit, vitreum c. 4. significavit mare æneum quod Salomon fecit in templo : hîc vero significat ipsas maris Rubri undas coagulatas. Hîc enim alluditur ad Hebræorum sicco pede transitum per mare Rubrum. Ergo maris vitrei figura hîc similis est mari Rubro, ita tamen ut æque ardentes appareant, et in vitream soliditatem coagulatæ. Vitreum enim mare hîc idem est quod mare congelatum et solidum. Significatur itaque hîc Apostolos et primos fideles, quasi novos Israelitas, mare gentilitatis ingressos, supra illud quasi super mare solido illæsos ambulasse, illudque igne et flammis Evangelii accendisse : cujus rei symbolo S. Petrus Christi gratia fultus super mare ambulavit, et ad Christum perrexit, Matth. 14. 28. Stantes ergo super mare vitreum sunt illa ipsa 144 millia signatorum, de quibus c. 7. et c. 14. Veteres enim Israelitæ transierunt mare Rubrum, sed divisum, ideoque infra, puta in alveo, non supra : hi vero novi fideles calcantes mare, terram, ac terrena omnia, supra mare et terram stant et incedunt.

Secundo, Aureolus putat hîc describi pietatem et zelum Caroli Magni. Itaque mare vitreum esse populum Gallicanum, qui transiens per aquas maris, id est baptismi, in Christi fidem, ita constanter ei adhæsit, ut Christianismi cognomen acceperit. Mare hoc vitreum mistum fuit igne, id est, zelo et fervore fidei, qui bestiam, id est, Saxones, Saracenos et Hunnos subegit, eosque vel Christi amore inflammavit, vel excussit et occidit. Cantant canticum Agni; quia Carolus Magnus instituit, ut omnes Ecclesiæ Gallicanæ sequerentur canticum et officium Ecclesiæ Romanæ. Est hæc elegans allusio et adaptatio.

Tertio, Primasius, Richardus, Ansbertus, et alii per mare vitreum intelligunt Sacramentum baptismi ; hoc enim adumbratum est mari Rubro, ad quod hîc alluditur, ut patet 1. Corinth. 10. 1. Est vitreum : quia facit Christianos puros et sinceros instar vitri. Est mistum igne : quia tribuit Spiritum sanctum. Vel, ut Ansbertus : mare quod igne et calore in vitrum solidum convertitur, est fides charitate formata et solidata, vel, ut alii, ignis hic est ardor persecutionum ; unde super hoc mare victores Antichristi, quasi triumphantes stant. Ita Viegas.

Quarto, et genuine, Ribera per mare vitreum accipit sæculum hoc, sive terram, aerem et aquam, quæ instar vitri pellucent; item homines hujus sæculi, qui misti sunt igne conflagrationis mundi, quem Deus in pœnam peccatorum orbi immittet, de quo c. 14. 18. Sæculum enim hoc periculosum et tempestuosum vocatur mare, ut dixi c. 12. v. ultimo. Dicitur vitreum ; primo, quia sic à poetis cognominatur, eo quod sit pellucidum; secundo, quia habet colorem vitri; tertio, quia fragile est instar vitri. Itaque aliter hîc accipitur mare vitreum, quàm cap. 4. 6. ibi enim mare vitreum significat cœlum crystallinum, vel potius empyreum, angelosque qui in eo sunt in circuitu throni Dei. Hic vero mare vitreum dicitur igne mistum, et Sancti dicuntur supra illud stare ; quia scilicet sæculum hoc sancte, prudenter et feliciter transierunt et superarunt, jamque quasi victores stant in littore quod mari imminet, estque supra mare ; quia jam appulerunt ad portum salutis, et in cœlo beati consistunt. Alludit enim ad mare Rubrum, quod duce Mose Hebræi sicco pede transierunt, cum persequeretur eos Pharao, Exod. 14. Pari enim modo sæculum hoc transeunt Sancti, ita ut maneant illæsi à Pharaone, id est, à diabolo et Antichristo ; unde et cantant canticum Mosis. Simili schemate ait Poeta :

Ludunt in vitreo monstra marina salo.

Sicut ergo, Gen. 1. 1. dicuntur duplices esse מים *maim*, id est aquæ, et consequenter duplices esse שמים *scamaim*, id est cœli, scilicet alii supra firmamentum, alii sub firmamento ; ita et duplex est mare hoc vitreum, scilicet unum sublunare et terrestre, aliud cœleste, et ex illo in hoc transeunt et ascendunt Sancti : de sublunari igitur hîc, de cœlesti, c. 4. 6. Si quis tamen contendat eodem modo hîc accipiendum esse mare vitreum, quo cap. 4. hîc dicat Sanctos stare supra, id est, juxta mare vitreum, vel in ipso mari vitreo, id est in cœlo, quin et proprie dici possunt Sancti stare supra cœlum, id est, supra cœli partem concavam, esto non stent supra convexam : concava enim inferior est, imo ima; convexa autem superior, imo summa cœli pars est et superficies. Hoc cœlum mistum est igne, id est, fervore charitatis angelorum.

Moraliter disce hîc omnem hujus sæculi pompam, opes, gaudia et gloriam esse fragilem instar vitri; unde Arabicus pro *mare vitreum*, vertit, *mare vitri*, quasi totum factum sit ex vitro, sitque vitreum. Recte dicit tragœdus : *Fortuna vitrea est, dum splendet frangitur.* Rursum : *Si tanti vitrum, quanti margaritum?* si tam speciosa est terra, quàm speciosum erit cœlum ? si tam gloriosus fuit impius Nero, Decius, Diocletianus, quàm gloriosi sunt S. Petrus,

Paulus, Joannes? Præclare Horatius, l. 2. Serm. satyr. 3.

Et furiosus erit quem cepit vitrea fama :

Vitrea, id est fragilis, q. d. Insanit qui famam, rem adeo fragilem instar vitri aucupatur. Egregie Boetius, metro 3. lib. 2.

Rara si constat sua forma mundo,
Si tantas variat vices,
Crede fortunis hominum caducis;
Bonis crede fugacibus.
Constat, æterna positumque lege est,
Ut constet genitum nihil.

Nam, ut ait Arist. lib. 1. de Cœlo : *Genitum et corruptibile sese mutuo consequuntur.* Et Seneca, epist. 88. *Cui nasci contigit, mori restat.* Et Maximianus :

Cuncta suos repetunt ortus, matremque requirunt.

Vetus est illud Varronis Adagium : *Homo bulla*, de quo Faustus :

Subdita sunt certo mortalia corpora fato,
Cunctaque præcipiti tempore fluxa ruunt.
Tam nimis humanum celeri genus interit hora,
Turgida quàm pluviæ bulla liquescit aquæ.

Quid est homo, inquit Seneca? *quodlibet quassum vas, et quodlibet fragile jactatu. Quid est homo? imbecillissimum corpus et fragile, nudum suapte natura, inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam projectum, frigoris et laboris impatiens, ex infirmis fluidisque contextum. Odor illi saporque et lassitudo, et vigilia, humor et cibus, sine quibus vivere non potest, mortifera sunt.* Valer. Maxim. lib. 6. *Caduca*, ait, *nimium, et fragilia, puerilibusque consentanea crepundiis sunt ista, quæ vires atque opes humanæ vocantur. Affluunt subito, repente dilabuntur, nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt; sed incertissimo flatu fortunæ huc atque illuc acta, quos sublime extulerunt, improviso recursu destitutos in profundo cladium miserabiliter immergunt.* Adde his istud Senecæ : *Punctum est, et adhuc puncto minus, quod incolimus.* Porro, sicut læta et prospera, ita quoque tristia et adversa quælibet hujus mundi vitrea sunt : hostes et persecutores (quales in fine mundi erit Antichristus, de quo hìc agitur) vitrei sunt, ac similes fictis et vitreis militibus, quos in latrunculorum sive schaccorum lusu ita depingit Ovidius ad Pisonem :

Callidiore modo tabula variatur aperta
Calculus, et vitreo peraguntur milite bella.

Omnes ergo inimici sunt vitrei, omnes morbi vitrei : paupertas vitrea; infamia vitrea, labores vitrei.

Quocirca viri sancti et sapientes hosce vitreos hostes non timent, sed stant super hoc mare vitreum, animumque in cœlum attollentes dicunt cum S. Hieron. illud Socraticum : *Ætherea conscendo, et solem solumque despicio.* Sentiunt enim, et à Deo nanciscuntur illud ab Isaia dictum, ipsisque promissum, can. 58. 14. *Tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui.* Vide ibi dicta. Ili ergo sunt Anicii, id est, invicti; et Nicetæ, id est, victores et triumphatores. Scribit ex S. Gaudentio, S. Thoma, Giselberto, et aliis Franciscus Zazzera, tract. de Familia Anicia, eam ortum ducere à legione Græcorum militum, quæ dicta est Anicia, id est, invicta : ex eaque fuisse S. Georgium militem et martyrem. Rursum, ex ea natos invictos pugiles, Virgines, Martyres, Doctores, Pontifices, ut S. Paulinum Nolanum Episcopum, S. Benedictum Ordinis fundatorem, S. Scholasticam, S. Gregorium, S. Thomam, Severinum Boetium, de quo proinde vere ait Giselbertus : *Digne vocatus est Anicius fortitudine, Severinus gravitate, opitulatione Boetius, meritis Manlius.* Tales pariter sunt Anicii S. Joannis, qui proinde quasi victores stant supra mare vitreum. Anthracites lapis ignitus et carbo, jactatus in ignem velut inter mortuos extinguitur : at contra aquis perfusus exardescit, inquit Isidorus, lib. 16. Origen. cap. 13. Talis est virtus constantiæ cœlestis, quæ adversis exercita magis splendescit. *Contraria semper virtuti facere viam.* Eduardus II. Angliæ rex in symbolo pingebat araneam telam suam elaborantem, quam vehemens ventus perflat, cum hoc lemmate : *Ardentior ibo.* Idem fuit sensus Alexandri Magni, ut patet ex Plutarcho, de Fortuna Alexandri. Quid jam sentiat, quid faciat Alexander Christianus?

Citharas Dei.] De hisce citharis exultationis et jubilationis dixi, c. 14. 2. et c. 5. 8.

3. Et cantabant canticum Mosi.] Non illud Deut. 32. *Audite, cœli*, sed illud quod habetur Exodi 15. *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est*, quo Moses et Hebræi post transitum maris Rubri gratias agunt Deo, pro tam miraculoso maris transitu et liberatione à Pharaone. Sicut ergo Moses et Hebræi tunc alacres et grati Deo cecinerunt carmen hoc eucharisticum et quasi epinicion : *Cantemus Domino*, etc.; ita Christus, qui est Moses Christianus, ejusque fideles et Sancti, qui sunt veri Israelitæ, postquam feliciter transierunt mare hujus sæculi, merso in eo Pharaone, id est, diabolo et Antichristo, quasi victores super illud stantes canent dicentque : *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est : equum et ascensorem projecit in mare;* quia scilicet jamjam ad nostras preces et merita, Antichristum cum suis asseclis puniet septem phialis iræ suæ in hac vita, ac mox igne gehennæ in futura.

Et canticum Agni.] Idem est canticum Agni et Mosis, sed dicitur Mosis, tanquam figuræ et typi; Agni vero, tanquam exemplaris et Antitypi, et quia hoc cantico Beati Agnum laudant. Addit Alcazar canticum hoc in sensu litterali significare utrumque, scilicet tam transitum fidelium per mare gentilitatis ad fidem et salutem, quàm transitum Hebræorum per mare Rubrum. Cum enim hoc illis fuerit typus, Moses utrumque, scilicet tam typum quàm antitypum, eodem sensu litterali complexus videtur : ita enim de antitypo hìc innuere et explicare videtur S. Joannes. Verum clarum est litteralem sensum illius cantici Mosis esse de solo transitu Hebræorum per mare Rubrum in Chanaan; allegoricum vero esse de transitu Gentium per fidem et baptismum in Ecclesiam, ut patet 1. Corinth. 10. 1. anagogicum denique esse de transitu fidelium per mortem vel martyrium in cœlum, quem unum hìc ad litteram amplectitur Joannes. Ad litteram enim loquitur de triumpho, et gaudio

et gloria Beatorum, quem anagogice significavit et repræsentavit Moses in transitu maris Rubri, atque in hoc suo cantico Exodi, 15. descripsit. Vide ibi dicta. Dicant ergo qui mare hujus vitæ prudenter et feliciter transierunt, jamque ex altis æternitatis montibus illud despectant, ac jubilant : *Transivimus per ignem et aquam, eduxisti nos in refrigerium.*

JUSTÆ ET VERÆ SUNT VIÆ TUÆ, REX SÆCULORUM.] *Viæ*, id est, opera et judicia tua sunt justa; quia justam de impiis et persecutoribus nostris jam sumis vindictam. Eadem sunt *vera*, id est fidelia; quia fideliter eripis Sanctos hîc afflictos e periculis, eosque præmias et coronas, uti promisisti : sicut olim Hebræos transeuntes mare Rubrum eripuisti à Pharaone et Ægyptiis eos insequentibus, dum ipsos in mari mersisti.

REX SÆCULORUM.] Legit Interpres αἰωνων, id est sæculorum : jam legunt ἁγιων, id est Sanctorum : Andreas vero et Aretas legunt ἐθνων, id est Gentium. Alludit ad Danielem, 4. v. 31. ubi Deus vocatur *vivens in sempiternum;* Chald. *vivens sæculorum;* Syriace, *gigas sæculorum.* Vide ibi dicta.

4. QUIA SOLUS PIUS ES.] Pro *pius* græce est ὁσιος, id est sanctus, justus, purus, innocens; hoc ergo est pius : à quo dicitur piare et expiare pro expurgare et deputare. Ita Ribera. Verum simplicius æque ac pientius ὁσιος accipias pro sancto et pio, id est misericorde, qui viscera pietatis exerit et ostendit, q. d. Tu, Domine, olim quasi pater et mater ostendisti Mosi et Hebræis viscera misericordiæ et pietatis, dum eos à Pharaone liberasti, et salvos per mare Rubrum deduxisti in Chanaan; sed eadem jam multo magis ostendisti Christo et Christianis, Sanctis et electis tuis, dum eos per mare hujus sæculi turbidum et tempestuosum, in quo tot animæ pereunt, salvos et incolumes deduxisti ad portum salutis.

QUONIAM OMNES GENTES VENIENT.] Τὸ *quoniam* hîc non est causale, sed διηγητικον, sive explicativum et denotativum, poniturque pro *quod*, q. d. Quis non magnificabit te, Domine, dicens, quod solus justus et pius sis, uti in nostra protectione et salvatione ostendisti, quodque omnes gentes merito venient ad adorandum te, et quod judicia tua tam in pios quàm in impios, clara et manifesta sint. Sive brevius et clarius, q. d. Quis non magnificabit te, Domine, dicens te solum esse pium, et omnes gentes ad te adorandum venturas, et manifesta esse judicia tua? Sic Isaiæ, 3. v. 10. dicitur : *Dicite justo, quoniam bene*, id est, quod bene erit ei. Aliter Alcazar. Nam τὸ *quoniam* accipit proprie et causaliter, hoc sensu : *Quis non magnificabit te, Domine?* q. d. Omnino omnes magnificabunt te; quoniam Gentes omnes per tuum Christum et Apostolos ad te tuîque cultum convertisti. Alcazar enim hæc omnia accipit de prima Gentium ad Deum et Christum per Apostolos conversione, uti jam sæpius dixi.

5. ET POST HÆC VIDI, ET ECCE APERTUM EST TEMPLUM TABERNACULI TESTIMONII,] id est, templum quod est tabernaculum testimonii, seu in quo servabatur testimonium, id est lex, et tabulæ legis sive Decalogi. Templum hoc, et maxime sacratior ejus pars, scilicet Sancta sanctorum, significat locum Beatorum. Nam in Sancto sanctorum, erat arca cum tabulis legis, ut significaretur, in custodia legis quasi in radice et causa virtualiter contineri beatitudinem : quocirca septem hi angeli inde Joanni hîc exire videntur, utpote ultores futuri violatæ legis Dei. Vidit ergo Joannes templum hoc in cœlo simile tabernaculo Mosis, atque ex ejus Sancto sanctorum prodire hos angelos Dei vindices, et plagarum auctores. Imo Alcazar per templum tabernaculi præcise accipit Sanctum sanctorum tabernaculi; hoc enim erat quasi templum, id est, chorus tabernaculi. Unde, psalm. 27. 2. Aquila et Symmach. pro *templum* vertunt *oraculum*, quod erat in Sancto sanctorum.

6. ET EXIERUNT SEPTEM ANGELI.] Primo, Alcazar hosce angelos et plagas mystice exponit, scilicet ut in speciem sint plagæ, sed reipsa sunt maxima beneficia, quibus Deus contra gentilitatem dimicavit, eamque fidei et Christo subegit. Ratio ejus est : nam harum plagarum ultima est Babylonis divisio, quæ ipsius excidium antecedit. Babylonis autem excidium significat conversionem Romæ ad Christum. Nam ipsam Babylonis eversionem subsequuntur mille pacis anni, c. 20. Quare pro certo habendum, inquit, has plagas ante mille annorum initium eventuras; significant ergo illæ mysticum prædicationis Evangelicæ bellum, quo Deus pro Ecclesia contra gentilismum depugnavit. Sicut enim septem tubarum plagæ cap. 8. immissæ sunt in Judæos, ita hîc septem plagæ immittuntur in Gentes ad earum conversionem. Porro septem hæ plagæ sunt : prima, pudor Gentilium, dum de peccatis arguuntur; secunda, persecutionis crudelitas in Evangelii prædicatores; tertia, in Gentiles etiam ad fidem conversos mira sævitia; quarta, ex Christianorum sapientia gravissima offensio; quinta, summa in ipsa persecutione excæcatio; sexta, post invasionem Romæ mira persecutio, septima, manifesta urbis Romæ divisio. Tempore enim Constantini Imperatoris et S. Sylvestri Pontificis, ita excrevit Christianorum numerus Romæ, ut Gentilibus æquari posset, tumque Roma quasi divisa fuit in Christianos, Gentiles et neutrales. Primus ergo angelus, ait ipse, est S. Paulus, qui præcipuus est in cunctis hominibus de peccato arguendis, ut sic ostendat omnes Dei gratia indigere : *Omnes enim*, inquit ipse, *peccaverunt, et egent gloria* (id est, gratia gloriosa) *Dei.* Secundus angelus est S. Petrus; ipse enim Neronem sua prædicatione irritavit. Tertius est S. Clemens Papa, qui egregius fuisse dicitur in Gentilium plurimis ad fidem adducendis, et ad martyrium animandis. Quartus est alius Pontifex, cujus ope valde Christianorum sapientia effulsit, v. g. Alexander primus, qui fuit sextus à S. Petro, suaque sapientia et sanctitate multos nobiles Romanos convertit. Quintus erit ille, qui sua prædicatione excitavit rabidam persecutionem postea subsecutam, in qua eminebant in primis hinc Gentilium excæcatio, inde constantissima Dei et Christianorum patientia. Sextus ille erit, qui in multorum Senatorum conversione magis claruit. Vide an sit S. Fabianus. Septimus videtur fuisse S. Sylvester. Nam sub eo, et per eum accidit magna illa Romæ inter Christianos et Paganos divisio. Porro hæ plagæ dicuntur novissimæ, non quia ultimæ, sed quia novum sunt et admirabile, ac inauditum Dei vindictæ genus, quo ex hostibus fecit amicos; et quia per eas Deus finem imposuit peccato et gentilismo, æque ac iræ et offensæ suæ; hoc est enim quod ait : *Quoniam in illis consummata est*, græce

τελεσθη, id est, expleta est *ira Dei*. Ita ipse more suo ex sua acoluthia ingeniose et apposite, sed mystice et allegorice, non naturaliter, non genuine.

Secundo, alii hæc accommodant ad plagas quas Deus immittit peccatoribus ob septem peccata capitalia.

Tertio, noster Viegas censet hîc numerum certum et definitum poni pro incerto et indefinito, scilicet septem phialas et plagas significare multas.

Quarto, Rupertus, Beda, Haymo, Richardus, Ansbertus et alii, per hos septem angelos accipiunt universos (septenarius enim symbolum est universitatis) prædicatores, qui tum initio mundi et deinceps fuerunt, tum maxime erunt in ejus fine. Hi phialas iræ Dei in terram fundent, id est, terribilia peccatoribus à Deo decreta supplicia denuntiabunt, idque ex phialis aureis, id est, ex charitate : plagæ ergo eorum sunt minæ plagarum. Exeunt de templo, quia contemplationi et orationi erunt addicti. Sic Christus nocte pernoctans in oratione Dei, per diem concionabatur, ait S. Gregorius, 6. Moral. 16. Tertio, vestiuntur *lino mundo*, id est, vitæ puritate et mortificatione. Linum enim, quia varie et diu maceratur et carminatur, symbolum est mortificationis, ut docui, Jerem. 13. 1. Quarto, habent zonas, id est continentiam, easque aureas, ob charitatem ; vel, ut Primasius, ob sapientiam qua pollent. Alii pro *lino* legunt *lapide ;* quia concionator debet esse adamas per patientiam ; sed magnes per mansuetudinem. Unde de S. Athanasio ait Nazianz. in oratione de ejus laudibus : *Athanasius factus est percutientibus adamas, diffidentibus magnes.*

Verum hæc tropologica sunt. Ad litteram enim veri hîc intelligendi sunt angeli, qui judicia et supplicia Dei, quæ symbolice per phialas significantur, in homines effundent in fine mundi ; hi enim sunt administri et executores divinæ providentiæ et vindictæ. Quocirca probabiliter Ribera censet hos septem phialarum angelos esse eosdem qui, cap. 1. v. 4. vocantur *Septem spiritus qui in conspectu throni sunt.* Et cap. 8. 2. vocantur angeli septem *stantes in conspectu Dei, et datæ sunt illi septem tubæ.*

Vestiti lino mundo.] Ita legendum cum Romanis et Complutens. scilicet λινου. id est lino, non λιθου, id est lapide, ut legunt aliqui. Vestitus hîc significat angelorum candorem et puritatem: *zonæ* castitatem, *aureæ* charitatem eorum repræsentant. Secundo, linum mundum et candidum significat divinorum judiciorum, quæ angeli in effundendis phialis exercent et exequuntur, puritatem, candidamque et mundam, ab omni sive passione favoris vel odii, sive crimine, divinæ justitiæ æquitatem. Tertio, candida vestis est symbolum lætitiæ. Gaudent enim angeli, dum puniuntur impii, utpote rei læsæ divinæ majestatis : quia vident in eis impleri divinum consilium, Dominique sui et Dei honorem ab eis læsum vindicari. Alii qui legunt, *vestiti lapide mundo*, sic exponunt, q. d. Angeli hoc suo vestitu, puta lapide mundo, id est, gemmis lympidis et lucentibus, repræsentant, quod Deus pulcherrimos pretiosissimosque lapillos et gemmas, æque ac zonas aureas, id est, ornatum virtutum omnisque gratiæ et gloriæ, ditissimum et pulcherrimum promiserit et præparaverit iis, qui suppliciis ab ipso inflictis contriti, vitam corrigunt et emendant.

7. Et unum de quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas.] Nota : *Dedit* hasce phialas angelis in templo ante egressum ; nam clare id dicitur versu præcedenti, cum ait : *Et exierunt septem angeli habentes septem plagas de templo. Dedit* ergo, id est, dederat.

Jam *unum*, id est, primum animal, puta leo, ut patet cap. 4. 7. Leo enim fortitudinis, iræ et vindictæ est symbolum. Significatur ergo Deum et angelos in effundendis hisce plagis et phialis quasi leones rugituros, et sævituros in impios. Jam qui per quatuor animalia capite 4. accipiunt quatuor Evangelistas, sic explicant, q. d. Unus ex Evangelistis qui Evangelicam legem scripserunt, per quam judicabuntur et damnabuntur impii rebelles Deo, symbolice hic mihi Joanni visus est dare septem angelis septem phialas iræ Dei ; quia ob Evangelii legem ab eo editam, ab impiis neglectam, hæ plagæ dabuntur angelis, ut illis impios Evangelicæ legis violatores puniant. Ita Ribera et Viegas. Porro hic unus Evangelista est S. Lucas, ait Aureolus. Hic enim tristissima Hierosolymitis et Antichristianis in fine mundi supplicia prænuntiat, c. 21. et alibi. Alii tamen accipiunt S. Marcum ; hic enim inter quatuor animalia, quatuor Evangelistarum symbola, significatur per leonem.

Verum, quia hæc quatuor animalia Ezechielis et Joannis non sunt homines, nec Evangelistæ ad litteram, sed primarii angeli, puta Cherubini stipatores Dei, ut ostendi c. 4. hinc dicendum est hoc unum animal fuisse primum è quatuor hisce Cherubinis, qui quasi summus justitiæ divinæ præses, septem angelis inferioribus has suppliciorum plagas, id est, potestatem plagas hasce impiis inferendi, dedit, easque iis inferri jussit et mandavit.

Septem phialas.] Isidorus, l. 20. c. 20. phialas putat dici ab υαλος, id est vitrum, quod vitreæ essent. Verum obstat orthographia ; nam phiala per *i*, υαλος per *y* scribitur ; deinde in phiala accedit littera *ph :* licet enim spiritus asper sive aspiratio, quæ est in υαλος, sæpe apud Latinos vertatur in litteram *s*, ut ex υς fit sus, ex υλη sylva, ex υπερ super ; tamen nunquam vertitur in *ph*. Adde phialas sæpe ex auro, non ex vitro, conflari solitas : unde et Juvenalis satyr. 5. aureas vocat phialas. Exstat et apud Martialem, l. 14. epigramma de phiala aurea. Ex phialis enim bibebant reges et principes. Unde de Jahel quæ dedit lac Sisaræ principi, itaque eum soporavit et occidit, dicitur Judic. 5. v. 25. *Aquam petenti lac dedit, et in phiala principum obtulit butyrum.* Melius ergo Græci phialam quasi πιαλην dictam putant, απο του πινειν (π in φ commutata) id est à bibendo ; inde enim dicitur πιαλιος, id est humidus, potabilis.

Jam quoad sensum, censet Alcazar has phialas fuisse sacrificii : in sacrificio enim ex phialis libabatur, id est infundebatur, Deo vinum, ut patet Exodi 37. v. 16. et c. 25. v. 29. Liquor in hac phiala Deo libandus est ira Dei, id est sanguis Christi, ejusque virtus efficacissima. Christus enim in suis plagis et sanguine excepit et exhausit omnem Dei contra homines indignationem et iram. Angeli ergo, id est Apostoli, effuderunt Gentibus in suo mystico sacrificio, id est in prædicatione Evangelii, hoc sanguinis Christi libamen, cum ejus virtute illos converterunt,

abluerunt, Deoque reconciliarunt. Rursum, in phialis fit allusio ad sacrificium Eucharistiæ, quod fit in phialis, id est calicibus : illius enim virtute factum est ut Apostoli, eorumque prædicatio tantæ essent efficaciæ, ut tot hominum millia, imo omnes gentes ad Christum converterent.

Verum hæc non tantum mystica, sed et ἀντίλογα sunt. Iram enim in amorem, et in sanguinem Christi transformant; cum manifeste hîc agatur de ira proprie dicta, deque vindicta septuplici, quam Deus per angelos septem contra impios in fine mundi effundet.

Quare potius dicas has phialas esse sacrificii, quod immolabitur divinæ justitiæ et vindictæ, per impiorum mactationem et stragem; hæc enim est victima honorifica, æque ac grata Deo, de qua dicitur Isaiæ 34. v. 6. *Victima Domini in Bosra et interfectio magna in terra Edom.* Et Ezech. 39. v. 17. *Concurrite undique ad victimam meam quam ego immolo vobis.*

Itaque ad litteram phialæ, inquit Pannonius, sunt decreta, sententiæ et judicia Dei, in quibus ira, id est, ultio et supplicia Dei impiis inferenda, quasi thesauri justitiæ divinæ reservantur, sicut acetum, balsamum, aliaque distillata; aut potius sicut thus, aromata et thymiamata servantur et proponuntur in phialis. Sic enim sæpe Scriptura dicit Deum impiis parare et propinare calicem sive phialam iræ suæ. Alludit enim ad præfectum convivii, sive symposiarcham, qui in mensa cuique convivæ suum olim temperabat et propinabat calicem : sic enim et Deus quasi symposiarcha et modimperator, cuique homini suam dat sortem quasi calicem, et cuique peccatori suum, quod meretur, supplicium decernit et distribuit.

Nota primo : Ira et ultio Dei est res pretiosa; hinc servatur in phialis aureis instar thymiamatis. Est enim ipsa actus summæ justitiæ, qua puniuntur nocentes, et innocentes deterrentur a peccato et noxa.

Secundo, hæc ira non est in patera lata, sed in phiala, quæ habet os arctum et angustum, inquit Viegas; quia hæc judicia et decreta et vindictæ Dei comprimit ejusdem Dei misericordia, ne profundant, sed tantum stillent iram. Hinc Ezech. 20. 46. dicitur : *Stilla ad Africum, ut non tota*, ait ibidem S. Hieron. *ira Dei videatur effusa, sed stilla quædam et pars. Si autem stilla tantæ sævitiæ est, quid in totis imbribus æstimandum erit?*

Verum licet phialæ subinde significent vasa oris angusti, et cum lagenas vitreas in quibus servatur aqua rosacea, aqua vitæ, aqua fortis, etc., vocamus phialas; tamen hoc loco phialæ accipiendæ sunt patulæ et latæ, quales sunt pateræ, inquit Alcazar. Ita patet primo; quia tales pateræ sunt phialæ ex quibus bibitur, de quibus dicitur, Amos 6. 6. *Bibentes vinum in phialis.* Et Zach. 9. 15. *Bibentes inebriabuntur quasi à vino et replebuntur ut phialæ.* Multo magis tales sunt phialæ ex quibus libatur et sacrificatur, quales hæ sunt : unde et in iis ponebatur et adolebatur thus et thymiama, ut patet tum ex Exodi 25. 29. tum ex dictis hîc, c. 5. 8. ubi 24 seniores dicuntur habere phialas plenas odoramentorum. Secundo, quia hæ phialæ sunt iræ Dei extremæ et summæ : unde eam non stillabunt, sed instar pateræ totam simul effundent in impios in fine mundi. Tertio, hæ phialæ sunt aureæ; quia ultio Dei in hac vita procedit ex amore, non ex odio. Vult enim per illam hominis mentem perversam corrigere et sanare, secus est in altera vita et gehenna. Cum ergo hîc castigaris à Deo, cogita Deum te amare; cum vero tua peccata impunita relinquit, cogita eum tibi irasci, et parare tibi gehennam; ideoque dare tibi hîc paradisum, ut modica bona quæ fecisti, præsenti et modica voluptate remuneretur. Vide 2. Machab. 6. 12.

Pari modo angeli ad puniendum ex charitate procedunt, ut hisce pœnis inducant peccatores ad vitæ emendationem. In hoc ergo Deum et angelos imitentur judices et Prælati, ut supplicia, non ex ira vel odio, sed ex amore reis irrogent : ex amore, inquam, tum reorum, tum reipublicæ et boni communis, ut hoc ab improborum violentia et sceleribus terrore suppliciorum immune et indemne servent.

8. ET IMPLETUM EST TEMPLUM FUMO A MAJESTATE DEI, ET DE VIRTUTE (id est potentia, græce enim est δυναμις) EJUS.] Alludit ad dedicationem tam templi, quàm tabernaculi; tunc enim utrumque nebula et nube obtexit Deus, ut patet Exodi, 40. 32. et 3. Reg. 8. v. 10. Sic enim Moses et Aaron ob populi tumultum fugerunt ad tabernaculum, Num. 16. 34. ubi dicitur : *Operuit illud nubes, et apparuit gloria Domini.* Sic et Ezech. 10. 3. *Nubes*, ait, *replevit atrium, et repleta est domus nube.* Idem accidit Isaiæ, c. 6. 4. *Et domus repleta est fumo.*

Pro *majestate* græce est δοξα, id est gloria, claritas. Alcazar exponit, q. d. Ex claritate prædicationis Evangelii in primitiva Ecclesia processit *fumus*, id est, summum Ecclesiæ periculum, ut videretur à Gentibus comburenda et incineranda; sed Deus hoc periculum vertit in præsidium. Nam virtus, id est fortitudo, gloria et claritas Dei hominum infirmitate, ignobilitate et abjectione perficitur, dum tam infirmos, rudes et ignobiles apostolos, totque periculis expositos ita tutatur, provehit et extollit, ut totum orbem sibi et Christo subigant. Unde subdit : *Et nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ;* non quod nemo in Ecclesiam Christi ingrederetur, sed quod Ecclesiæ fulgor et splendor non appareret, ac proinde qui in eam ingrediebantur, videbantur sese in fumum, in laborem, in periculum conjicere; sed in septimæ plagæ effusione mox hîc fumus in claritatem, deformitas in pulchritudinem, periculum et lacrymæ in solatium et securitatem conversa sunt.

Verum dico : Fumus hîc symbolice significat primo, obscuritatem et incomprehensibilitatem judiciorum et suppliciorum, quæ divina majestas et potentia in fine mundi exercebit in impios, ita scilicet, ut homines tunc in terra viventes, videntesque tot tantasque plagas, ac tantam Dei potentiam et vindictam, quasi in tenebris sint versaturi, stupentes et nescientes quorsum illa tendant, et quid sibi velit Deus tali ostensione majestatis et fortitudinis suæ. Ita Primasius, Ansbertus, Ambrosius, et Ribera. Unde sequitur : *Et nemo poterat introire*, etc.

Hinc consequenter fumus hîc est symbolum et prognosticon maximæ vastationis in hac vita, ac incendii infernalis in gehenna, ubi fumus tormentorum ascendit in sæcula sæculorum.

ET NEMO POTERAT INTROIRE IN TEMPLUM, ad

contemplanda hæc profunda judiciorum Dei, eorumque causas, modos et rationes, DONEC CONSUMMARENTUR SEPTEM PLAGÆ,] id est, donec consummatis septem plagis sequetur universale judicium, in quo Deus omnia toti orbi manifestabit. Alludit ad psal. 72. 16. *Existimabam ut cognoscerem hoc: labor est ante me; donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum*, id est, donec ingrediar in secretarium judiciorum Dei; quod fiet, cum finem et exitum impiorum videbo. Ita Primasius, Richardus et Ansbertus.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

SEPTEM ANGELI SEPTEM PHIALAS ET PLAGAS NOVISSIMAS IN ORBEM EFFUNDUNT, SCILICET PRIMUS, V. 2. PRODUCIT VULNERA SÆVA ET PESSIMA; SECUNDUS, V. 3. MARE; TERTIUS, V. 4. FLUMINA ET FONTES VERTIT IN SANGUINEM. QUARTUS, V. 8. FACIT UT SOL ADURAT HOMINES ET TERRAM. QUINTUS, V. 10. FACIT REGNUM ANTICHRISTI TENEBROSUM ET DOLOROSUM, UT HOMINES LINGUAS SUAS MANDUCENT. SEXTUS, V. 12. SICCAT EUPHRATEM, UT CONGREGENTUR REGES, ET CÆDANTUR A DEO IN ARMAGEDON. SEPTIMUS, V. 17. INDUCIT FULGURA, TONITRUA, TERRÆ MOTUS ET GRANDINEM TALENTAREM.

1. ET audivi vocem magnam de templo, dicentem septem angelis : Ite, et effundite septem phialas iræ Dei in terram. 2. Et abiit primus, et effudit phialam suam in terram ; et factum est vulnus sævum et pessimum in homines, qui habebant characterem bestiæ, et in eos, qui adoraverunt imaginem ejus. 3. Et secundus angelus effudit phialam suam in mare, et factus est sanguis tanquam mortui ; et omnis anima vivens mortua est in mari. 4. Et tertius effudit phialam suam super flumina, et super fontes aquarum, et factus est sanguis. 5. Et audivi angelum aquarum dicentem : Justus es, Domine, qui es, et qui eras sanctus, qui hæc judicasti ; 6. quia sanguinem Sanctorum et Prophetarum effuderunt, et sanguinem eis dedisti bibere : digni enim sunt. 7. Et audivi alterum ab altari dicentem : Etiam, Domine Deus omnipotens, vera et justa justitia tua. 8. Et quartus angelus effudit phialam suam in solem, et datum est illi æstu affligere homines, et igni. 9. Et æstuaverunt homines æstu magno, et blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas, neque egerunt pœnitentiam ut darent illi gloriam. 10. Et quintus angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ ; et factum est regnum ejus tenebrosum, et commanducaverunt linguas suas præ dolore. 11. Et blasphemaverunt Deum cœli, pro doloribus et vulneribus suis, et non egerunt pœnitentiam ex operibus suis. 12. Et sextus angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphraten : et siccavit aquam ejus, ut præpararetur via regibus ab ortu solis ; 13. et vidi de ore draconis, et de ore bestiæ, et de ore pseudo-prophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum. 14. Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa, et procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei. 15. Ecce venio sicut fur. Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua, ut nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus. 16. Et congregabit illos in locum, qui vocatur Hebraice Armagedon. 17. Et septimus Angelus effudit phialam suam in aerem, et exivit vox magna de templo à throno, dicens : Factum est. 18. Et facta sunt fulgura, et voces, et tonitrua, et terræ motus factus est magnus, qualis nunquam fuit ex quo homines fuerunt super terram : talis terræ motus, sic magnus. 19. Et facta est civitas magna in tres partes : et civitates Gentium ceciderunt ; et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus. 20. Et omnis insula fugit, et montes non sunt inventi. 21. Et grando magna sicut talentum descendit de cœlo in homines : et blasphemaverunt Deum homines propter plagam grandinis ; quoniam magna facta est vehementer.

1. ET AUDIVI VOCEM MAGNAM DE TEMPLO,] Dei scilicet, qui hîc jubet septem angelis inferre septem plagas impiis Antichristianis. Nota : Hæ plagæ similes sunt et adumbratæ, in plagis Ægypti, Exodi 7. et seq. Nam, ut superius dixi, et hic repetendum est : prima plaga Ægypti fuit, conversio Nili et aquarum in sanguinem ; secunda, ranarum ; tertia, ciniphum ; quarta,

cænomyiæ, sive omnis generis muscarum; quinta, pestis; sexta, ulcerum; septima, grandinis; octava, locustarum; nona, tenebrarum; decima, cædis primogenitorum; undecima, siccatio maris Rubri, et demersio Pharaonis cum suis asseclis. Hæ ergo plagæ Ægyptiæ indices erant et exempla vindictæ Dei in peccatores, maxime in Deum contumaces et rebelles, qualis erat Pharao cum suis : atque allegorice significabant plagas in fine mundi impiis et Antichristianis infligendas, imo hæ eædem sunt cum illis. Nam plaga primi angeli hîc eadem est cum sexta Ægyptiaca ; plaga secundi angeli et tertii eadem est cum prima Ægyptiaca ; plaga quarti angeli eadem est cum quinta ; plaga quinti eadem est cum nona ; plaga sexti eadem est cum undecima et secunda ; plaga septimi eadem est cum septima Ægyptiaca.

Nota : Hi septem angeli, phialæ et plagæ, diversi sunt à septem angelis, tubis et plagis, de quibus actum est c. 8. et 9. Illi enim c. 8. et 9. continebantur in septimo sigillo, ut patet c. 8. 1. hi vero continentur in ipso libro septem sigillis signato. Ergo illi præcedent tempore, hi sequentur : illi plagas immittent ante Antichristum, hi tempore Antichristi. Quocirca et plagæ pleræque utrobique diversæ sunt, ex parte tamen vel eædem vel similes sunt, ut tuba et plaga. Prima grandinis, c. 8. v. 7. ex parte eadem est cum plaga septima hîc v. 21. inter alia enim quæ plaga hæc affert, affert et grandinem, sed immanem instar talenti. Sic tuba et plaga. Secunda c. 8. 8. similis est plagæ secundæ hîc v. 3. in eo quod mare versum sit in sanguinem, sed dissimilis in eo quod, c. 8. magnus mons missus sit in mare, hîc vero nil tale dicatur. Rursum, c. 8. tertia tantum pars maris versa est in sanguinem, et tertia pars piscium interiit : hîc vero totum mare versum est in sanguinem, omnesque pisces mortui sunt. Tertia tuba et plaga c. 8. 10. facta est in fluminibus, uti et tertia hîc v. 4. sed c. 8. aquæ versæ sunt in absinthium ; hîc vero in sanguinem. Quarta tuba et plaga c. 8. v. 12. fuit in sole, uti et quarta hîc v. 8. sed c. 8. sol percussus est tenebris et obscuritate ; hîc vero ardore et æstu. Quinta tuba et plaga c. 9. 2. est locustarum cruciantium et tenebras inducentium ; quinta pariter plaga hîc v. 10. facit regnum Antichristi tenebrosum et miserum ; ita et homines præ doloribus blasphement Deum, et manducent linguas. Sexta tuba et plaga c. 9. 15. solvit quatuor angelos ligatos in Euphrate, qui soluti in aciem producunt ducentos milliones equitum ; sexta pariter plaga hîc v. 12. siccatur Euphrates, ut paretur via regibus ab ortu solis. Septima tuba cap. 11. 15. inducit mundi finem et consummationem, canitque : *Factum est regnum hujus mundi, Domini nostri et Christi ejus.* Septima plaga hîc v. 17. ait : *Factum est*, ac mox inducit horrenda fulgura, tonitrua, terræ motus et grandinem. Ex dictis liquet septem illos angelos cum tubis hisce esse similes, diversos tamen et hisce prævios, ac quasi prodromos : unde et minores plagas inducunt, quas hi, utpote posteriores, adaugent et consummant. Excipe septimam cap. 11. v. 15. quæ omnium finem inducit, uti ibidem ostendi.

2. Et abiit primus angelus, et effudit phialam suam.] Nota : Quod angeli hîc dicuntur effudisse phialas in mare, flumina, solem, etc., non ad litteram ut sonat, quasi in fine mundi reipsa phialas suas effusuri sint, sed symbolice accipiendum est. Tantum enim hac phrasi et symbolo significatur angelos operaturos et effusuros esse in mari, fluminibus, sole, etc., iram et vindictam divinam, in phiala quasi contentam et repræsentatam : verbi gratia, efficient ut aquæ maris et fluminum vertantur in sanguinem, ut sol solito ardentius urat impios, etc.

Et factum est vulnus (græce ἕλκος, id est ulcus. Ita Vatablus et alii : dicitur tamen *vulnus ;* quia ulcus, dum aperitur, fit vulnus) sævum, id est, dirum et horridum ; rursum *sævum*, id est sæviens, dolore affligens et crucians Antichristianos : et pessimum,] id est, maxime putidum, pudendum et fœtidum. Alludit ad sextam plagam Ægypti Exodi 9. v. 10. de qua dicitur : *Factaque sunt ulcera vesicarum turgentium*, et ad ulcera quibus Deus percussit Philisthæos ob captam et circumdatam arcam Testamenti : de quibus dicitur, 1. Regum 5. v. 6. *Aggravata est manus Domini super Azotios, et percussit in secretiori parte natium Azotum.* Et mox, v. 9. *Computrescebant prominentes extales eorum.* De quibus dicitur et psalm. 77. v. 66. *Percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis.* Simili ergo plaga pudenda, æque ac dolorosa percutiet Deus in fine mundi eos qui habent characterem bestiæ, id est Antichristi, de quo dixi cap. 13. v. 16. nimirum ut puniat tum alia eorum scelera, tum pudendas libidines ; quibus Antichristus et Antichristiani frena laxabunt. Sic etiamnum hodie Deus punit obscenos et libidinosos obscenis et molestis ulceribus ac luc venerea, sive morbo Gallico, maxime in membris verecundis, quibus peccaverunt. Deus enim *ipsa peccata sic ordinat, ut quæ fuerunt delectamenta homini peccanti, sint instrumenta Domino punienti*, ait S. August. in psal. 7.

Hæc enim ulcera, cæteræque plagæ plane ut sonant ad litteram videntur accipienda : licet nonnulli hæc mystice exponant, ut facit Alcazar, cujus de singulis hisce septem plagis interpretationem recensui cap. præced. v. 5. Aliorum recensebo in fine capitis.

3. Et secundus angelus effudit phialam in mare, et factus est sanguis tanquam mortui,] quasi dicat : Angelus secundus operatus est in mari, vertitque aquam totius maris in sanguinem. Sed quid significat τὸ *tanquam mortui ?* primo, aliqui id exponunt de sanguine atro, vel congelato, qui ex corpore mortui profluit. Verum hoc recte refellit Alcazar. Fieri enim potest ut sanguis ex mortuo fluens sit rubeus et nitidus, uti in hœdi sanguine apparet. Nec vero aut diversi coloris est, aut minus congelatur sanguis ex scissa vivi hominis vena exiliens, quàm cruor ex cadavere manans.

Secundo, alii putant alludi ad mare mortuum, id est, quod Sodoma ob scelera sua conversa est ; ejus enim maris aquæ sunt bituminosæ, indeque atræ : de iis enim ait Tacitus, lib. 5. *Ater natura sua liquor.* Pari modo angelus hîc in fine mundi aquas maris faciet atras, et quasi mortuas ; unde sequitur : *Et omnis anima vivens mortua est.*

Tertio, Alcazar τὸ *mortui* refert ad victimas, quarum, cum immolabantur, sanguis excipiebatur in vase, quod aqua semiplenum erat, ut sanguis aquæ mistus esset fluidior, ac effusus

in fossam, quæ erat juxta crepidinem altaris, facilius defflueret, nec juxta altare hæreret, illudque inficeret. Mystice autem significabat quod de Christo in cruce, qui futurus erat victima totius mundi, effflueret sanguis et aqua. Sensus ergo est, quasi dicat : Aqua maris versa est in sanguinem, non secus atque in lebete, in quem animalis immolati sanguis immittebatur, aqua ipsa sanguineo tingebatur colore. Porro censet Alcazar hoc sanguine significari sanguinem Martyrum, qui mare gentilitatis rubricavit, et in sanguinem convertit, id est, sibi Christoque subjecit, et sanctificavit. Unde S. Isidorus in quæst. in Exodum, capite 10. *Aquæ*, inquit, *in sanguinem versæ significant populos conversos ad sanguinis Christi fidem :* inde *pisces*, id est fideles, *mortui*, id est, morti sunt addicti ab Imperatoribus eos persequentibus.

Quarto, et optime, alii hæc referunt ad sanguinis copiam. Cum enim homo, vel animal aliud occiditur, plurimum effluit sanguinis, quasi dicat : Aqua maris versa est in sanguinem, perinde ac si factæ essent in eo hominum cædes, multique essent occisi et mortui, ideoque pisces omnes, qui in mari non sanguinem, sed aqua vivunt, pariter emortui sunt. Genitivus enim singularis νεκρου, id est *mortui*, ponitur pro plurali νεκρων, id est mortuorum, quasi dicat: Facta est aqua maris quasi sanguis occisorum et mortuorum. Sic dicitur, 4. Reg. 3. v. 22. *Viderunt Moabitæ aquas rubras quasi sanguinem, dixeruntque : Sanguis gladii est; pugnaverunt reges contra se, et cæsi sunt mutuo.* Causam subdit v. 5. dicens : *Justus es, Domine,* qui punis eos in eo quo peccaverunt, et quod aliis injuste irrogarunt, juste rependis et remetiris eis : *Quia sanguinem Sanctorum et Prophetarum effuderunt, et sanguinem eis dedisti bibere ; digni enim sunt.* Sic Ægyptiis mutasti aquam in sanguinem, eo quod ipsi sanguine infantium Hebræorum, quos aquis mergebant, eas contaminassent, Exod. 7. 19.

4. ET TERTIUS ANGELUS EFFUDIT PHIALAM SUAM SUPER FLUMINA, ET SUPER FONTES AQUARUM, ET FACTUS EST SANGUIS.] Sicut secundus angelus mare vertit in sanguinem, ita hic tertius flumina et fontes pariter in sanguinem vertit. Itaque sicut in Ægypto sub Pharaone, à Mose omnis aqua versa est in sanguinem, et omnes pisces mortui sunt; ita sub finem mundi per totum orbem, universum mare et omnia flumina vertentur in sanguinem, et omnes pisces morientur. Quod enim olim in Ægypto accidit, typus et præludium fuit ejus quod futurum est in fine mundi. Sicut tamen in Ægypto conversio illa non duravit nisi octo diebus, ne homines perirent siti, ita pariter videtur istam conversionem non valde diu duraturam, ne omnes pereant, sed post aliquod tempus mare et flumina suæ naturæ, colori et sapori restituenda fore, sicut factum est in Ægypto. Probabile quoque est fidelibus hanc plagam aquarum non nociturum, sicut non nocuit Hebræis in Ægypto; hæc enim plaga immittetur in impios, ad vindicandum sanguinem Sanctorum, quem impii tunc effundent. Quod ad pisces attinet, non est necesse eos reviviscere; quia mundus brevi finietur; et forte non deerunt pisces in stagnis, lacubus et vivariis : nam de iis aquis non dicitur quod in sanguinem convertentur. Ita P. Læssius, lib. 13. de Perfectionibus divinis, cap. 18.

5. ET AUDIVI ANGELUM AQUARUM.] Nota : Ex hoc loco patet angelos certos à Deo perfectos esse et præsidere certis creaturis, ac singula elementa suum habere angelum præsidem. Si enim aquæ habent suum angelum, cur non pari jure habeat suum et terra et aer? Deus enim hæc inferiora per angelos distribuit, ut ipsi sigillatim eorum curam gerant. Ita docet Origenes, hom. 14. in Num. S. Augustinus, lib. 83. quæst. 79. ubi ait : *Unaquæque res visibilis in hoc mundo habet angelicam potestatem sibi præpositam.* Sanctus Thomas, 1. p. qu. 110. art. 1. Gabriel Vasquez, 1. part. tom. 2. disp. 245. num. 6. ubi præter Origenem et S. Augustinum, citat Andream et Aretam, quin et Platonem. Quod enim Alcazar per angelum aquarum Mosen, per angelum altaris Eliam accipit, mysticum est et symbolicum, non litterale nec genuinum.

Porro angelus hic aquarum præses laudat Dei justitiam, eo quod impios aquis abutentes puniverit, mutando eas in sanguinem. Ait ergo : *Justus es, Domine, qui es, et qui eras sanctus, qui hæc judicasti; quia sanguinem Sanctorum et Prophetarum effuderunt, et sanguinem eis dedisti bibere.* Syrus vertit : *Justus est ille qui est, et ille qui erat, et pius* (vel *indulgens*) *quia hæc judicasti*, etc. Gaudent enim angeli, cum creaturæ, quibus præsunt, Deum, Deique justitiam commendant et laudant. Nota : In his novissimis mundi plagis elucet non solum justitia, sed et misericordia Dei; nam paulatim, et cum moderamine adhibentur, ut peccatores per eas invitentur ad pœnitentiam et emendationem. Hinc non semper durant, sed alii aliis succedunt, ut advertant esse manum Dei castigantis, non causas naturales, aut fatum aliquod stellarum.

7. ET AUDIVI ALTERUM ANGELUM.] Lege cum Romanis et Græcis : *Et audivi alterum ab altari*, scilicet egredientem è loco Martyrum petentium vindictam, et *dicentem* : *Etiam, Domine*, etc., *vera et justa judicia tua : Alterum*, intellige angelum.

8. ET QUARTUS ANGELUS EFFUDIT PHIALAM SUAM IN SOLEM,] quia scilicet effecit ut sol intensius et acrius impios ureret. Unde sequitur : *Et datum est illi* (soli) *æstu affligere homines et igni.* Ubi τὸ *et* διηγητικον, sive explicativum est : *æstu et igni*, id est, æstu igneo, æstu intenso et ardente instar ignis. Sic ait Poeta : *Aurum frenosque*, id est, frenos aureos *momordit.* Significat enim homines arsuros tanto æstu, ut hic æstus eis videatur esse ignis, utque sibi videantur in igne versari et torreri. Nam græce est καυματισαι ανθρωπους εν πυρι, id est, datum est illi æstuare facere, sive adurere homines in igne.

Sic fingunt Poetæ quod Phaeton, cum solis curruum regere nesciret, terras et cœlum ambusserit. Unde et Phaeton dicitur απο του φαους, id est à luce, et αιθω, id est uro, ait Servius in illud Æneid. 5.

Auroram Phaethontis equi jam luce vehebant.

Et Cicero, lib. 3. Officiorum fabulam ita narrat : *Phaethonti filio sol facturum sese dixit, quidquid optasset; optavit ut in currum patris tolleretur : sublatus est; atque is antequam constitit, ictu fulminis deflagravit. Quanto melius fuerat in hoc promissum patris non esse servatum?*

Tropologice S. Gregor. 34. Moral. c. 12. *Phialam*, ait, *in solem effundere, est persecutionis supplicia viris sapientiæ splendore fulgentibus irrogare. Et datum est illi ut affligeret homines æstu et igni; quia dum sapientes viri cruciatibus victi, mali*

agendi errore tanguntur, illorum exemplo persuasi infirmi quique, temporalibus desideriis inardescunt. Ruinæ namque fortium augmenta præstant perditionibus infirmorum.

10. ET QUINTUS ANGELUS EFFUDIT PHIALAM SUAM SUPER SEDEM BESTIÆ,] id est, super regnum et subditos Antichristi : unde factum est regnum ejus tenebrosum, tum proprie, tum symbolice *tenebrosum*, id est infelix, peste, fame, morbis, aliisque ærumnis et infortuniis miserum et calamitosum, adeo ut Antichristiani manducent, id est mordeant, linguas suas, quasi rabiosi eas vellent manducare et vorare præ doloribus et tormentis. Est hyperbole et catachresis ; tenebræ enim symbolum sunt adversitatis et ærumnarum, uti lux prosperitatis et lætitiæ ; et manducare sumitur pro mordere.

12. ET SEXTUS ANGELUS EFFUDIT PHIALAM SUAM IN FLUMEN ILLUD MAGNUM EUPHRATEN ; ET SICCAVIT AQUAM EJUS, UT PRÆPARARETUR VIA REGIBUS AB ORTU SOLIS.] Nam, ut dixi, Daniel c. 7. et c. 11. et dicam hîc c. 17. ex decem illis regibus qui Antichristi tempore orbis imperium dividunt, tres occidentur ab Antichristo, ac mox septem reliqui territi ei se subdent : et quia aliqui ex his erunt in Oriente, hinc siccabitur ab angelo Euphrates, ut facile possint ad Antichristum transire, utque cum illo contra Christum et Ecclesiam pugnantes, à Deo proterantur, ut dicitur v. 14. ideoque hæc siccatio Euphratis, quæ fiet à bono Angelo, non fiet, nec cedet in bonum et victoriam Antichristi et Antichristianorum, quales erunt hi reges, sed Christi et Christianorum. Alludit ad Darium et Cyrum reges Persarum et Medorum, qui ab Oriente, id est, ex Perside et Media, venerunt ad excidium Babylonis, ac Euphrate in alios multosque alveos deducto, sicco pede milites in urbem immiserunt, itaque eam ex improviso ceperunt, uti dixi Danielis, 5. 30. Hæc enim Euphratis siccatio rursum iterabitur in fine mundi, idque non naturaliter opera hominum, uti factum est tempore Cyri, sed miraculose opera Angeli hujus sexti.

Censet Viegas hîc sect. 3. (licet sect. 2. contrarium dixerit) et Genebrardus in psal. 67. 37. hos reges venturos non pro, sed contra Antichristum, atque pro Christo et Ecclesia pugnaturos tum quia emittuntur ab Angelo bono, qui eis siccat Euphratem ; tum quia Antichristus contra eos ingentem parabit exercitum. Subdit enim quod draco et bestia, id est, diabolus et Antichristus, tres spiritus immundos mittent, qui alios omnes reges sibi fœderatos contra eos in suum auxilium evocent ; sed hi omnes cædentur, non tam à regibus ex Oriente venientibus, quàm à Christo, v. 16.

Hæc sententia in speciem videtur probabilis. Probabilius tamen videtur contrarium, scilicet eos pro Antichristo contra Ecclesiam venturos. Ita Ribera et alii, imo ipse Viegas, sect. 2. Nam hæc spectant ad ultimum Antichristi annum, quo ipse jam subjectos habebit omnes orbis reges, eritque monarcha; unde acerrimam instituet ubique persecutionem in Christianos, ac contra eos hunc exercitum convocabit, ut per eum fideles ubique perscrutetur, oppugnet et exterminet. Erit enim hoc ultimum bellum, ultima persecutio Antichristi, in qua ipse non à regibus, sed à Deo et Christo (contra quos pugnabit) profligabitur in loco qui vocabitur Armagedon, ut dicitur v. 14. et 16. et c. 19. 15. et c. 20. v. 9. Erit ergo hæc ex ultimis plagis tam mundi, quàm Antichristi.

Objicies : Quorsum tantus militum numerus ad profligandos Christianos, cum hi sub Antichristo futuri sint perpauci? Resp. paucos fore, si cum Antichristianis comparentur; revera tamen fore multos, præsertim qui in montes, sylvas aliasque latebras sese abdent. Si enim numerus Hebræorum egredientium ex Ægypto ascendit ad tres milliones, uti ostendi Exodi capite 12. v. 37. quot milliones fore putamus Christianorum in toto mundo? Quare sicut Pharao ad subjugandum Hebræos coegit omnes regni sui copias ; ita Antichristus ad subigendos sibi Christianos totius orbis, omnes suas vires et copias colliget : et, sicut Pharao cum omnibus suis periit obrutus mari Rubro, ita Antichristi exercitus peribit obrutus igne cœlesti. Hoc ergo consilio et fine faciet Deus colligi omnes hos ejus exercitus, ut universos in unum collectos uno ictu, unoque quasi fulmine afflet et perdat ; sicut idcirco fecit Pharaonem cogere universos bellatores Ægypti, ut omnes simul conficeret, mergeretque in mari.

Mystice, Laurentius Justinianus, et ex eo Alcazar (licet ipse id putet esse litterale) : Siccatio, inquit, Euphratis symbolum est terrenæ felicitatis mundanos homines in ipso decursu deficientis et deserentis. Euphrates enim significat torrentem rapidissimum superbiæ, deliciarum, atque opum, et forte etiam humanæ sapientiæ et eloquentiæ, quibus Romani circumfluebant, quibusque repellebant Christi Evangelium. Sed hæc in Romanis desiccavit Deus per Darium et Cyrum, id est, per S. Petrum et Paulum : quo factum est ut ipsi in Babylones, id est Romæ, familias illustres irrumperent, easque occuparent. Unde et Adamus Sasbout, prologo in Isaiam, refert S. Hieronymum docere, quod in Medis et Persis Apostoli et eorum successores denotentur, qui Babylonem, id est confusum mundum, everterunt. Sicut enim Cyrus et Darius non vi, nec armis, sed occulte alio derivando Euphratem (quod Babylonii impossibile putantes non præcaverant) Babylonem occuparunt ; ita Christiana religio non vi, sed occulte serpendo, senatorias domos Romæ occupavit, antequam Romani persentiscerent ; ita ut subito unus uxorem propriam Christianam deprehenderet, alius filiam, alius fratres, alius cognatos et affines, jamque viderent Christianismum totam Romam pervasisse. Hic sensus mysticus congruit Cyro et Dario expugnantibus Babylonem, non autem hisce regibus pugnantibus contra Christum et Ecclesiam.

13. ET VIDI DE ORE DRACONIS, ET DE ORE BESTIÆ, ET DE ORE PSEUDOPROPHETÆ (de quibus dictum est c. 13.) SPIRITUS TRES IMMUNDOS IN MODUM RANARUM,] supple prodire, vel *exire*, uti legunt aliqui codices manuscripti. Quæres, quinam sunt hi? Primo, Prosper in Dimidio temporis c. 11. censet fore tres Antichristi præcones, de iisque subdit : *Quod in Daniele dictum est : Examina ex eo surgent, hîc aperte dictum est, exire velut præcones ejus tres spiritus immundos, tanquam in tres partes orbis, Asiæ, Europæ et Africæ, qui persuadeant Antichristum esse Christum.*

Verum dico tres hosce spiritus esse immundos, esseque dæmones ; hoc enim diserte asserit S. Joannes. Censet Viegas hosce tres dæmones ab Antichristo, in visibili hominum, quasi

legatorum, specie, mittendos ut gentes ad se congregent.

Verum hoc incertum est, præsertim cum hîc à Joanne non hominibus, sed ranis comparentur. Illud certum est dæmones hosce exire de ore draconis, bestiæ et pseudoprophetæ, id est, jussu et imperio dæmonis, Antichristi, et præcursoris ejus mitti, ut sollicitent congregentque gentes et milites ad Antichristum. Eeunt ergo, ut septem reges reliquos et superstites, in bellum contra Christianos cum Antichristo inferendum, tum suasione, tum signis et prodigiis, sive per se, sive per magos suos inducant et concitent, ut sequitur. Quocirca subdit Joannes : *Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa.* Ubi τὸ *enim* dat causam præcedentium. q. d. Ne quis putans omnes spiritus esse puros et bonos, esseque angelos sanctos, miretur id quod dixi esse *spiritus immundos;* sunt enim revera tales inter spiritus, suntque spiritus dæmoniorum (non enim omnes spiritus sunt Angeli boni) iique faciunt signa et prodigia.

Porro hi spiritus comparantur ranis, ob immunditiem, fœditatem, loquacitatem et contumaciam, qua magno, sed inani et imbelli strepitu, omnes ad arma contra Christum et Christianos concitabunt. Rana enim clamorem edit raucum, molestum et importunum, sed invalidum, inefficacem et imbellem : quocirca rana à Græcis vocatur βατραχος, ab aspero clamore ; ranæ enim competit illud Laconicum : *Vox est, præterea nihil.*

Unde eos quasi deridens Joannes, stultumque eorum Christo obstrependi et obsistendi consilium ostendens, asserit nullum alium fore tantæ congregationis et conjurationis finem, quam ut congregentur reges omnes ad prælium in die magno omnipotentis Dei, ibique omnes pariter ab eo siderentur et perimantur, sicque in eis impleatur illud psal. 2. 2. *Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum, et adversum Christum ejus : qui habitat in cœlis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos.* Et illud Isaiæ, 8. 9. *Congregamini, populi, et vincimini.* Erit ergo hæc quasi gigantomachia. Sicut enim Titanes superbi gigantes, moventes bellum contra Jovem, ab eo fulmine adacti sunt in tartara : ita et hisce regibus contra se bellantibus faciet Deus. Quocirca omnis hæc eorum conspiratio nihil aliud proficiet, quàm ut omnipotens Deus eos simul collectos corripiat, et suæ fortitudinis documentum clarissimum in eorum excidio edat, idque præstet eadem via atque consilio, qua ipsi suum Christum et Christianos oppugnare et exterminare tentabant. Colliget enim eos cum Antichristo in unum locum, cujus nomen erit Armagedon, ut ibi simul collectos uno quasi ictu et telo conficiat et occidat. Unde c. 17. 14. dicitur : *Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos.* Hinc dies tantæ potentiæ et victoriæ vocatur hîc dies magnus omnipotentis Dei, quo scilicet Deus edet stragem tantam, ut ad cœnam magnam vocet omnes aves cœli, ut dicitur c. 19. 17.

Mystice, Alcazar (quod tamen ipse affert quasi litterale) : Per tres, inquit, hasce ranas significantur tres fidelium hostes ; dæmon, mundus, caro, aut potius eorum locutio et suggestio, de quibus fuse et docte agit noster Bernardinus Rossignolius, lib. 3. de Discip. perfectionis, c. 15. Hæc enim triplex eorum locutio et suggestio, scilicet ad honores, opes et delicias consectandas, prodit ex ore draconis, et bestiæ marinæ, ac bestiæ terrestris, de quibus cap. 13. id est, ex ore diaboli, mundi et carnis ; suntque eorum quasi halitus, sive spiraculum, imo sternutamentum, sicut ait ille felem esse leonis aut tigridis quasi sternutamentum. Huic enim symbolo convenit ranæ fœditas, obscenitas et figura. Nam in ipso cœno in quo et nascitur et volutatur semper, mirifice luxuria ac turpis libido repræsentatur. In maculis quibus velut ocellis quibusdam undique distinguitur, oculorum concupiscentia innuitur. In pertinaci importuni clamoris elatione, superbia adumbratur. Qua de re extat apologus apud Æsopum, de rana cum bovis ingenti mole sese per tumorem comparante. Tres ergo ranæ sunt triplices molestæ et obstreperæ suggestiones diaboli, mundi et carnis, sive superbiæ avaritiæ et libidinis. Hinc et triplices sunt ranæ, scilicet primo, ranæ communes et palustres ; secundo, rubetæ, quæ sunt terrestres et virulentæ ; ac tertio, calamitæ, quæ degunt inter arundines et fruticeta, teste Plinio, lib. 8. 31. et lib. 32. 10. Primas carni, secundas diabolo, tertias mundo, non male adaptaveris. Hucusque Alcazar, sed mystice. Nam ad litteram ait Joannes hasce ranas esse tres spiritus immundos, esseque tres dæmones.

Symbolice, rana est inverecunda, obstrepera, curiosa, obscena, stolida, ideoque loquax ; unde proverbium : *Rana gyrina sapientior.* De quo Plato in Theæteto ; *Nos,* inquit, *illum tanquam Deum ob sapientiam admirabamur ; ille nihilo magis antecellebat prudentia quàm rana gyrina.* Dicitur gyrina, à figura corporis ; quia in gyrum orbiculatur, ut quoquoversum se facile flectere et vertere possit. Hinc rana significat hæresin et hæreticos stolidos, loquaces, curiosos et obstreperos. Quocirca Fredericus Staphylus, libro de Lutheranorum concordia, et Gabriel Prateolus in Catalogo hæretic. apposite hasce tres ranas adaptant tribus sectis quæ à Luthero promanarunt. Prima est Anabaptistarum, quorum pater est Rothmannus. Secunda est Sacramentariorum, quorum auctor est Carolstadius, ex quo Zuinglius et Calvinus prognati sunt. Tertia est Protestantium, quorum dux est Melanchthon.

Rursum, Alcazar per tres hasce ranas accipit judaismum, gentilismum et hæresin. Vide quæ de ranis dixi, Exodi 8. 3. et seq.

15. Ecce venio sicut fur,] tum ad judicium universale, tum ad prælium et cladem hanc Antichristi et Antichristianorum, quæ judicio erit prævia, et *sicut fur,* id est clanculum, inexspectato, et ex improviso. Unde Varro, lib. 14. nomen *fur* derivat à furvo, id est atro, quod per tenebras atrasque noctesque furetur ; alii à fraude ; alii à ferendo, id est, auferendo res alienas, alii à Græco φωρ, id est fur. Ita Gellius, l. 1. c. 18. Hac furis comparatione adventum inexspectatum, arcanum et subitum Christi ad judicium designat sæpe Scriptura, Matth. 24. 43. 1. Thessal. 5. 2. 2. Petri 3. 10. Apocal. 3. 3. ut jugi et continua ejus exspectatione et metu homines teneat suspensos ; itaque ipsi singulis diebus, imo horis et momentis, studiose totoque mentis conatu ad eum se comparent. Nam, ut ait S. Hilarius, can. 27. in Matth. in fine : *Paratos nos esse convenit ; quia dici ignoratio in-*

tentam sollicitudinem suspensæ exspectationis exagitat.

BEATUS QUI VIGILAT, ET CUSTODIT VESTIMENTA SUA,] puta Dei gratiam et virtutis, quibus quasi vestibus ornatur anima, ne appareat ejus turpitudo, id est nuditas, puta ei innata concupiscentia et labes originalis, aliaque vitia et peccata inde prognata.

16. ET CONGREGABIT ILLOS IN LOCUM QUI VOCATUR HEBRAICE ARMAGEDON.] Ita Romana et Græca legunt, non *Armageddon*, sed *Armagedon* penultima brevi. Arabicus quoque legit *Armachadon*. Quæres primo quid hebraice significet, et ubi sit Armagedon. Primo S. Hieron. in nominibus Hebr. *Armagedon*, inquit, *interpretatur consurrectio tecti*, sive *consurrectio in priora* (quia Antichristo everso rursum Ecclesiæ tectum in pristinam gloriam consurget) *sed melius mons et latrunculus*, vel *mons globosus*; quia scilicet eò convenient Antichristiani, qui fures erunt et latrones; volent enim furari Deo suum honorem, et Sanctos vita spoliare. Addit Viegas *Armagedon* significare *montem pomorum*, sive *fructuum*: מגד *meged* enim significat pomum.

Secundo, Ticonius hom. 13. et Ribera putant *Armagedon* esse Mageddo, qui est campus et civitas in tribu Manasse, juxta Jezabel, ubi à Pharaone Nechao percussus et occisus est Josias Rex Juda, 2. Paral. 35. 22. Neque id vero est absimile: favent enim Septuag. qui Zachar. 12. 11. ubi nos legimus: *Sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon*, vertunt, *sicut campus malogranati quod in campo succiditur*, quasi in Mageddo littera *m* sit servilis et heemantica, ac radix ejus sit גדע *gada*, id est succidit, quæ etiam est radix et etymon *Armagedon*, ut mox dicam.

Verum, quia ad *Mageddo* hîc additur *Ar*, quod non campum, sed montem significat, neque *Mageddo*, sed *Armagedon*, vocatur; et quia nusquam alibi Scriptura, nec cosmographi meminerunt loci qui vocetur *Armagedon*, hinc verius videtur *Armagedon* novum esse nomen loci, quod illi imponetur ab eventu tempore Antichristi. *Armagedon* enim significat hebr. *dolum congregationis exercitus*, sive *insidias* vel *dolum excidii*. Derivatur enim à radice ערם *aram*, id est, dolose egit, astutus fuit (unde ערמה *orma* est dolus vel astutia) et גדד *gadad*, unde per crasin fit *gad*, id est, exercitum congregavit, vel à גדע *gada*, id est, succidit, unde גדעון *gidon*, est succisio; itaque vocatus est Gedeon, quia succidit altare Baal, indeque succisurus erat Madianitas. Pro Hebræo *gidon*, Græci dicunt *gadon*; quia non possunt exprimere mediam litteram *ain*, quæ est in *gidon*. Dicitur ergo hic locus *Armagedon*, quia in eum Deus callide, et quasi per dolum hos reges cum Antichristo adunabit, ut omnes uno die perdat; vide cap. 19. 11. et seq.

Aut certe *Armagedon* significat *anathema*, vel *excidium excidii*; quia scilicet Deus ibi Antichristum cum suis pleno excidio ad internecionem usque delebit: חרם *cherem* enim, sive *chorma*, vel ut nos dicimus *horma* (de quo Num. 21. 3.) hebr. significat anathema, vel rem excidio addictam et devotam: *gidon* significat succisionem et excidium; littera enim *chet*, quæ prima est in *cherem*, et *chorma*, quia gutturalis est, eaque durior pronuntiatur, eo quod sit profundæ aspirationis; hinc apud Græcos et Latinos liquescit et perit, ut pro *chorma* dicamus *horma*. Idem fit in nominibus Oreb, Enoch, Ezechias, etc., in quibus prima littera *chet* perit et evanescit.

Porro familiare est Hebræis nomen imponere ab eventu, maxime bellico. Sic enim locus in quo cæsi sunt Chananæi ab Hebræis, vocatus est *horma*, Num. 21. 3. (quo forte hîc alludit S. Joannes). Sic alius locus in quo Philistæi à Judæis cæsi sunt, vocatus est Lapis adjutorii, 1. Reg. 7. 12. Alius vocatus est *Baal Pharasim*, 2. Reg. 5. 20. Alius ubi Samson maxilla cecidit mille Philistinos, inde nuncupatus est *Ramat lechi*, id est, elevatio maxillæ, Judic. 15. 17.

Verisimile est *Armagedon* fore juxta Jerusalem et vallem Josaphat, tum quia, ut dixi c. 11. et rursum dicam cap. 17. ibi erit regia Antichristi: tum quia in valle Josaphat futurum est judicium, uti patet Joelis 3. 2. tum quia *Armagedon* Hebræum est nomen: erit ergo in Palæstina et Judæa. Porro hîc congregantur gentes et reges in *Armagedon*, sed sensim, viciniores citius, remotiores tardius. Interim fit excidium Babylonis, quod describitur c. 17. et 18. mox c. 19. 11. Christus cum suis in aciem prodit, qui eos cædit in Armagedon. Ergo non est hîc hysterologia, ut vult Ribera, sed recta rei gerendæ series et ordo.

17. ET SEPTIMUS ANGELUS EFFUDIT PHIALAM SUAM IN AEREM, ET EXIVIT VOX MAGNA DE TEMPLO, DICENS: FACTUM EST.] q. d. Hic finis est septem phialarum et plagarum novissimarum, ideoque pariter mundi finis et dies judicii instat. Porro effudit phialam suam in aerem, quia in aere Deus ostensurus erat suam iram, edendo in eo fulgura, et voces et tonitrua. Viegas *voces* has accipit articulatas, quasi sint voces spectrorum, puta exercituum discurrentium in aere, et conclamantium cædes et strages; sicut ante obsidionem Hierosolymæ in aere apparuerunt armatæ acies, et vox de templo: *Migremus hinc*, teste Josepho, lib. 7. Belli c. 12. Potest secundo esse hendiadys, *voces et tonitrua*, id est, voces tonantes, sive tonitrua vocalia. Si quis tertio, alias voces malit hîc accipere à cœlo terribiles, non repugnabo.

18. ET TERRÆ MOTUS.] Juxta illud psalm. 17. v. 8. *Commota est et contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt; quoniam iratus est eis.*

19. ET FACTA EST CIVITAS MAGNA IN TRES PARTES.] Alcazar per civitatem hanc magnam accipit Babylonem, quæ civitas magna vocatur c. 17. 18. id est Romam, quæ in tres partes divisa est cum Constantinus factus est Christianus, scilicet in Christianos, Paganos et neutrales. Per vocem vero de throno procedentem accipit notitiam, quam S. Sylvester Pontifex toti Ecclesiæ tradidit de Constantini Imperatoris decreto, quo se Christianum publice professus est, et templa in Jesu Christi honorem erigi imperavit. Ita ipse more suo mystice et pie in Romanam Ecclesiam.

Dico ergo ad litteram civitatem hanc non fore Babylonem, id est Romam; quia de ea mox aget Joannes sub nomine proprio Babylonis, sed esse Jerusalem: hæc enim vocatur civitas magna cap. 11. v. 8. et hæc maxima erit tempore Antichristi; erit enim ipsius regia, uti docui cap. 11. v. 8. Ita Aretas, Viegas, Ribera et alii. Sensus ergo est, q. d. Hoc terræ motu Je-

rusalem findetur in tres partes, tam quoad ædificia, quàm quoad mœnia; tantus enim erit, ut etiam insulæ et montes loco moveantur, ut sequitur; quocirca non tantum civitas ita findetur, ut habeat scrobes et hiatus interjectos, sed etiam ita dividetur, ut partes ipsæ inter se sejunctæ sint et divisæ; quod olim alibi accidisse narrat Plinius, l. 2. c. 83.

Mystice, multi per civitatem magnam intelligunt impiorum cœtum et multitudinem, quæ in tres, id est, varias partes et schismata abibit, et dividetur, uti in hoc mundo, ita et in inferno. Unde Richardus per tres partes accipit paganismum, judaismum et falsum christianismum. Rursum, alii tres has partes censet esse eas, de quibus dicit S. Joannes, epist. 1. cap. 2. 16. *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.*

Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum.] Quænam sit hæc Babylon dicam cap. seq. Nota: Simul hæc ostensa sunt Joanni, licet non simul mandanda sint executioni.

20. Et omnis insula fugit, et montes non sunt inventi.] Cum enim elementum terræ post diem judicii, alio perfectiori modo ac figura constituendum sit, nihil mirum est quod antea incipiat commoveri inusitato illo et stupendo modo, ac quasi universali totius terræ motu. Unde præcessit: *Et civitates Gentium ceciderunt.* Quo etiam fiet ut magna pars hominum intereat, et qui superstites manserint, ingenti pavore concutiantur, ait Franc. Suarez, 3. p. q. 59. a. 6. disp. 56. sect. 4.

21. Et grando magna sicut talentum descendit.] Græce, ως ταλαντιαια, id est quasi talentaris, hoc est magnæ molis et vastæ magnitudinis, ait Erasmus; hoc enim Græci vocant ταλαντιαιον, id est talentare, etiamsi præcise non adæquet magnitudinem et pondus talenti. Alcazar tamen censet præcise grandinem hanc habere molem et pondus talenti. Est enim sæculis omnibus invisa et inaudita. Unde: *Blasphemaverunt Deum homines propter plagam grandinis, quoniam magna facta est vehementer.* Porro talentum Atticum continebat minas 60, hoc est Romanas libras 62 cum media, quæ conficiunt uncias 750. Hebræum vero antiquum talentum duplum erat ad Atticum, de quo loqui interdum solent Græci et Latini, et de eo quoque videtur hîc loqui Joannes, inquit Alcazar. Dicitur talentum à ταλαντον, id est statera, trutina, libra. Hinc metonymice pondus quod ei imponitur librandum et ponderandum, ac proprie pondus illud ingens (quod talentum vocamus) hoc nomine appellatur. Sic Nonius balistas talentarias vocat, quæ scilicet lapides talenti pondo jacularentur.

Porro exempla ingentis et portentosæ grandinis ac lapidum recensui Exodi 8. v. 18. et Ezech. 38. 22. Hæ ergo sunt septem plagæ novissimæ, quæ totum orbem confundent, et tantum non evertent. Viderunt hæc per umbram Gentiles et Poetæ. Unde Lucanus initio, l. 1. Pharsal. ita canit:

> Sic, cum compage soluta,
> Sæcula tot mundi suprema coegerit hora,
> Antiquum repetens iterum chaos, omnia mixtis
> Sidera sideribus concurrent, ignea pontum
> Astra petent, tellus extendere littora nolet,
> Excutietque fretum, fratri contraria Phœbe
> Ibit, et obliquum bigas agitare per orbem
> Indignata diem poscet sibi: totaque discors
> Machina divulsi turbabit fœdera mundi.

Et Ovidius, 1. Metamorph.

> Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus,
> Quo mare, quo tellus, corruptaque regia cœli
> Ardeat, et mundi moles operosa laboret.

Et Seneca in Hercule OEtæo.

> Jamjam legibus obrutis,
> Mundo cum veniet dies,
> Australis polus obruet
> Quidquid per Libyam jacet:
> Arctous polus obruet
> Quidquid subjacet axibus.
> Amissum trepidus polo
> Titan excutiet diem.
> Cœli regia concidet,
> Certus atque obitus trahet:
> Atque omnes pariter deos
> Perdet mors aliqua, et chaos,
> Et mors fata novissima
> In se constituet sibi.

Mystice, Richardus et alii per grandinem talentarem accipiunt obdurationem damnatorum in gehenna: hæc est supplicium gravissimum, æque ac justissimum. Alcazar vero accipit obdurationem, qua nonnulli ex Gentilibus plectebantur, cum Constantinus et Roma ad Christum fuerunt conversi. Generalius accipias quamvis obdurationem sceleratorum, de qua notanda est sententia S. Augustini, serm. 3. de SS. Innocentibus, tom 10. *Percutitur hac animadversione peccator ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret oblitus est Dei.* Idem, serm. 88. de Tempore: *Cum*, inquit, *in peccatis suis cœperint permanere, de multitudine peccatorum nascitur desperatio, ex desperatione obduratio generatur.* Unde contra eam remedium suggerens: *Quoties*, ait, *nobis aliqua peccata subrepserint, sine ulla mora medicamentum eleemosynæ, vel pœnitentiæ festinemus animarum nostrarum vulneribus providere.*

Denique Aureolus sequens filum suæ chronologiæ, hosce septem Angelos, phialas, et plagas adaptat eventis et gestis à Carolo Magno usque ad Henricum IV. Imperatorem. Itaque primum Angelum censet esse Adrianum I. Pontificem, qui in II. Nicæna Synodo damnavit Iconoclastas; per secundum Angelum, accipit Romanorum quorumdam crudelitatem in Leonem Pontificem, anno Christi 797; per tertium, eorumdem Romanorum per Carolum Magnum castigationem; per quartum, Crescentii patricii Romani in Gregorium V. Pontificem, et in Othonem III. Imperatorem rebellionem; per quintum, Crescentii per Othonem Imperatorem castigationem; per sextum, constantiam Gregorii VII. Pontificis contra Henricum IV. Imperatorem, et principum investituras laicas in beneficiis Ecclesiasticis, anno Christi 1073; per septimum, Christianorum in Turcas et Saracenos expeditionem, sive cruciatum, quando milites omnes cruce signati sunt à duce Godefrido Bullonio receperunt Hierosolymam et terram sanctam, ac Godefridum crearunt primum regem Hierosolymorum anno Christi 1096; convenerunt enim quasi grando talentaria sex milliones Christianorum, esto non omnes penetrarint, nec de facto perrexerint in terram sanctam.

Mystice, Primasius, Richardus, Ansbertus, et Haymo (licet ipsi hoc quasi sensum litteralem afferant) : Primus, inquiunt, Angelus significat Apostolos, qui minati sunt Judæis terrenis iram Dei ; unde factum est in eis *vulnus sævum*, id est, grave peccatum infidelitatis, et gravis excæcatio; quia Christum recipere noluerunt.

Secundus Angelus significat Concionatores, qui mari, id est Gentilibus, iram Dei minati sunt : unde et illi ob infidelitatem reprobati sunt, et damnati ad sanguinem, id est, ad mortem æternam.

Tertius Angelus significat Concionatores, qui Dei iram et *sanguinem* pari modo et sensu denuntiant in hæreticos.

Quartus Angelus *soli*, id est, malis Prælatis, iram Dei intentat. Hi urunt et affligunt populum; unde populus afflictus et desperans blasphemat Deum.

Quintus Angelus effundit iram Dei *in sedem bestiæ*, id est, in impios Antichristo adhærentes.

Sextus significat Concionatores, qui iram Dei intentabunt dæmonibus in hoc aere agentibus, eo quod Antichristum cum suis adjuverint.

Jerusalem et Babylon significant reprobos : scissio in tres partes significat tria genera infidelium, scilicet Paganos, Judæos et falsos Christianos, qui aliter et aliter punientur pro cujusque meritis.

Symbolice, significantur hîc septem vitia capitalia. Primus ergo Angelus effundit phialam in terram, id est, in invidos, qui ex invidia terreo et luteo sunt colore. Unde in his fit vulnus sævum mœroris et ægritudinis animi. Invidus enim tristitia consumitur, et alienis bonis contabescit.

Secundus Angelus effundit phialam in mare, id est, in acedos, qui fluctuant ut mare; nesciunt enim quid agere debeant. Hi enim sunt mare ob amaritudinem et tædium, quo omnes virtutes moriuntur.

Tertius effundit phialam in flumina, id est, in gulosos, qui quasi flumina omnia devorant et absorbent; sed vertuntur in sanguinem, quia instar divitis Epulonis in inferno petent guttam aquæ, nec obtinebunt, sed bibent sanguinem suum.

Quartus, qui solem accendit, est ira quæ mentem accendit, et iratum stimulat ad maledicendum et blasphemandum.

Quintus, qui tangit sedem bestiæ, est superbia : hæc enim est sedes dæmonis et Antichristi.

Sextus, qui tangit Euphratem, est libido, quæ instar Euphratis delectat, hominesque plurimos secum rapit et devolvit : sed siccatur Euphrates, quia voluptas hæc vertitur in tormenta præsentia et æterna.

Septimus, qui tangit aerem, est avaritia, quæ instar chamæleontis aere pascitur ; nec enim bonis suis uti aut frui audet.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

VIDET JOANNES PURPURATAM MERETRICEM, CUI NOMEN BABYLON, INSIDENTEM BESTIÆ HABENTI CAPITA SEPTEM ET CORNUA DECEM : ATQUE VERS. 7. SINGULORUM EXPLICATIONEM AUDIT ET DISCIT AB ANGELO.

1. ET venit unus de septem Angelis, qui habebant septem phialas, et locutus est mecum, dicens : Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas. 2. Cum qua fornicati sunt reges terræ, et inebriati sunt qui inhabitant terram, de vino prostitutionis ejus. 3. Et abstulit me in spiritu in desertum. Et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, et cornua decem. 4. Et mulier erat circumdata purpura, et coccino, et inaurata auro, et lapide pretioso, et margaritis; habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, et immunditia fornicationis ejus. 5. Et in fronte ejus nomen scriptum : Mysterium : Babylon magna, mater fornicationum, et abominationum terræ. 6. Et vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, et de sanguine Martyrum Jesu. Et miratus sum, cum vidissem illam, admiratione magna. 7. Et dixit mihi Angelus : Quare miraris? Ego dicam tibi sacramentum mulieris, et bestiæ quæ portat eam, quæ habet capita septem, et cornua decem. 8. Bestia, quam vidisti, fuit et non est, et ascensura est de abysso, et in interitum ibit : et mirabuntur inhabitantes terram (quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi) videntes bestiam, quæ erat, et non est. 9. Et hic est sensus, qui habet sapientiam. Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet, et reges septem sunt. 10. Quinque ceciderunt, unus est, et alius nondum venit, et cum venerit, oportet illum breve tempus manere. 11. Et bestia, quæ erat, et non est : et ipsa octava est : et de septem est, et in interitum vadit. 12. Et decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt; qui regnum nondum acceperunt, sed

potestatem tanquam reges una hora accipient post bestiam. 13. Hi unum consilium habent, et virtutem et potestatem suam bestiæ tradent. 14. Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos : quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum, et qui cum illo sunt, vocati, electi, et fideles. 15. Et dixit mihi : Aquæ, quas vidisti ubi meretrix sedet, populi sunt, et gentes, et linguæ. 16. Et decem cornua, quæ vidisti in bestia : hi odient fornicariam, et desolatam facient illam, et nudam, et carnes ejus manducabunt, et ipsam igni concremabunt. 17. Deus enim dedit in corda eorum ut faciant quod placitum est illi ; ut dent regnum suum bestiæ, donec consummentur verba Dei. 18. Et mulier, quam vidisti, est civitas magna, quæ habet regnum super reges terræ.

1. ET VENIT UNUS DE SEPTEM ANGELIS, QUI HABEBANT SEPTEM PHIALAS.] Hinc patet hoc excidium Babylonis pertinere ad septem angelos, phialas et plagas novissimas, de quibus cap. præced. Ergo non est hîc hysterologia, ut contendit Ribera; sed recta rerum et temporis series et ordo, qua de re plura v. 16.

VENI, OSTENDAM TIBI DAMNATIONEM MERETRICIS MAGNÆ,] puta Babylonis, uti explicat v. 5. Quæres quænam intelligatur hîc Babylon. Primo, multi intelligunt cœtum omnium impiorum, sive mundum, mundique gloriam, opes, delicias, pompas, quatenus iis fundata est civitas, sive cœtus impiorum super septem montes, id est, super multitudinem omnium regum superborum, in qua caput est diabolus, ac proinde hæc est civitas diaboli, quæ adversatur civitati Dei, sicut Babylon adversata est Sion, sive Jerusalem; eamque ædificat amor sui usque ad contemptum Dei, qua de re scripsit S. August. libros de Civitate Dei. Ita Ambrosius, Ticonius, Beda, Primasius, S. Thomas, Haymo, Rupertus, Gagneius, sanctus Augustinus in psal. 26. enarratione 2. Prosper in Dimidio temporis, cap. 7. *Hæc est*, inquit Prosper, *Babylon illa magna per mundum; ejus vero filiæ, quæcumque facta ejus et superbiam imitantur : nec eam in uno loco existimes civitatem, quæ toto est sparsa in orbe.* Hi ergo per Babylonem accipiunt impiorum omnium multitudinem. His accedunt Joachim, Seraphinus et Ubertinus, qui per Babylonem intelligunt improborum, non quidem omnium, sed tantum Christianorum cœtum.

Verum hoc mysticum videtur et nimis generale; Joannes enim de certa urbe loquitur, quæ potestatem habet super reges terræ, ut ipse ait versu ultimo, quæque evertenda et concremanda est sub tempora Antichristi à decem regibus, ut ait v. 16. Et quomodo conveniat cœtui impiorum illud, cap. 18. 9. de Babylone eversa dicitur : *Et flebunt, et plangent se super illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, et in deliciis vixerunt, cum viderint fumum incendii ejus, longe stantes propter timorem tormentorum ejus.* Hi enim reges erunt de cœtu impiorum; quomodo ergo longe spectabunt incendium Babylonis, illudque plangent, si Babylon est cœtus impiorum, ac consequenter in se complectetur hosce reges ? Rursum, quomodo de impiorum cœtu dici potest illud, quod hîc v. 16. dicitur de regibus æque impiis : *Hi odient fornicariam, et desolatam facient illam, et nudam, et carnes ejus manducabunt, et ipsam igni concremabunt.* Hi enim reges erunt ex cœtu impiorum; quomodo ergo eum odire, desolare, concremare et manducare possunt?

Secundo, Arcolus per Babylonem intelligit saracenismum, sive sectam Mahometis, quæ fœdissima est, docet fornicationem, omnemque turpitudinem : unde permittit cuique tot uxores, quot alere potest. Per bestiam accipit Sultanum Ægypti, qui à Sultano Turcarum residente tunc in Perside regno, puta Syria et Ægypto spoliatus est. Cecidit Babylon, id est, saracenismus in Syria, quando Christiani anno Christi 1100, profligatis Saracenis, Terram sanctam recuperarunt.

Tertio, Aretas et Caponsachius per Babylonem accipiunt Constantinopolim; quia hæc est Turcarum, Christi et Ecclesiæ hostium, metropolis, atque *sedet super aquas multas :* adjacet enim Bosphoro Thracio. Verum Joannes per aquas hîc non mare, sed populos accipit. *Aquæ*, inquit v. 15, *quas vidisti populi sunt.*

Quarto, aliqui proprie hîc Babylonem accipiunt, quæ fuit metropolis Chaldæorum; censent enim Antichristum Babylone proditurum, ibique regnum suum inchoaturum. Probant id, quia ibi cœpit regnare Nemrod, primus tyrannus orbis : et deinde Nabuchodonosor; ac postea eidem dominatus est Antiochus Epiphanes, qui fuere typi Antichristi. Unde et Zachar. c. 5. v. 11. vidit mulierem insidentem amphoræ portari in Sennaar, id est, in Babylonem, subditque : *Hæc est impietas.* Porro Antichristum Babylone venturum censet S. Hieron. in c. 11. Daniel. D. Soto in 4. dist. 49. q. 1. art. 1. Pererius, lib. 14. in Daniel. et Suarez, tomo 2. in 3. part. disp. 54. sect. 5. et alii. Verum Babyloni non conveniunt ea quæ hîc à Joanne dicuntur, uti mox patebit. Idem dico de Hierosolyma, quam aliqui (idque innuit Franc. Suarez loco mox citando) hîc per Babylonem intelligunt.

Dico ergo : Babylon hîc et capite sequenti est Roma, non Christiana, qualis nunc est; sed infidelis et Pagana, qualis fuit tempore S. Joannis, qualisque rursum erit tempore Antichristi. Probatur hæc sententia. Primo, quia Roma ethnica est *civitas magna quæ habet regnum super reges terræ;* hanc autem esse mulierem, puta Babylonem, ait Joannes versu ultimo : quæque habet *septem montes*, uti de eadem ait v. 9. hoc enim nulli alteri, nisi soli Romæ competit. Secundo, quia Joannes asserit Babylonis nomen hîc non proprie, sed mystice sumendum: ait enim v. 5. *Mysterium Babylon magna;* etc. Ergo significat florentissimam et vitiosissimam urbem, quæ Christianos persecuta est, ut olim Babylon Judæos. Talis autem est Roma Ethnica. Tertio, quia Roma et Romani Imperatores acerrime tempore S. Joannis, et deinceps per trecentos annos, non tantum Romæ, sed toto orbe oppugnarunt Ecclesiam, ut eam exterminarent. Unde nulli alteri nisi Romæ Ethnicæ competit illud, v. 6. *Et vidi mulierem ebriam de sanguine*

Sanctorum, et de sanguine Martyrum Jesu. Et illud cap. 18. v. ult. *Et in ea sanguis Prophetarum et Sanctorum inventus est, et omnium qui interfecti sunt in terra.* Quarto, quia hac de causa pariter à S. Petro, epist 1. cap. 5. v. 13. Roma vocatur Babylon, id est, confusio errorum, vitiorum et tyrannorum. *Salutat*, inquit, *vos Ecclesia quæ est in Babylone* (id est Romæ, ait Beda, Œcumenius, S. Thomas, Eusebius, 2. histor. 15. ex Papia S. Joannis discipulo, S. Hieron. in Catalogo scriptorum in vita S. Marci et alii) *coelecta.* Eadem de causa Roma et Romani Imperatores à S. Paulo, 2. Thessal. 2. 7. vocatur *Mysterium iniquitatis :* ubi et addit Romam et Romanum Imperium duraturum usque ad Antichristum, atque adeo signum adventantis, vel potius præsentis Antichristi fore Romani Imperii ruinam. Quinto, S. Joannes jam recenter à Domitiano in dolium ferventis olei projectus, indeque relegatus in Pathmon (ubi hæc scripsit) hæc vidit et scripsit ad suî, et fidelium secum afflictorum consolationem et corroborationem, quod scilicet à Babyloniis, id est, à Romanis Imperatoribus ita vexati, visuri essent Deum suî vindicem, qui Babylonem igne cremaret : ergo Babylon hîc est Roma Ethnica.

Hæc est sententia primo, S. Hieronymi in illud Isaiæ 14. *Attrita est civitas vanitatis. Atteretur*, inquit, *civitas vanitatis, sive omnis civitas, vel spiritualis Babylon, quæ sedet in septem montibus purpurata, cujus supplicia in Apocalypsi S. Joannis legimus. Pulchreque dixit urbem vanitatis. Si enim de cœlo et terra, et omnibus quæ terrena sunt dicitur : Vanitas vanitatum, et omnia vanitas; quanto magis hoc de una urbe dicendum est, quæ totius orbis pars modica est?* Idem, prologo in libros Didymi de Spiritu sancto : *Cum*, ait, *in Babylone versarer, et purpuratæ meretricis essem colonus, et jure Quiritium viverem.* Idem, epist. 151. ad Algasiam, quæst. 11. *Secundum Apocalypsin Joannis in fronte purpuratæ meretricis scriptum est nomen blasphemiæ, id est, Romæ æternæ.* Idem, proœmio in lib. 11. comment. in Isaiam : *Quod si*, inquit, *in expositione statuæ, pedumque ejus et digitorum, discrepantia ferrum et testam super Romano Imperio interpretatus sum, quod primum forte, deinde imbecillum Scriptura portendit, non mihi imputent, sed Prophetæ. Neque enim sic adulandum est principibus, ut saeræ Scripturæ veritas negligatur, nec generalis disputatio unius personæ injuria est.*

Secundo, Tertulliani, lib. contra Judæos, c. 9. *Sic et Babylon*, inquit, *apud Joannem nostrum Romæ urbis figuram portat, proinde et magna, et regno superbæ, et Sanctorum debellatricis.* Idem asserit, lib. 3. contra Marcionem, sub initium.

Tertio, S. August. 18. Civit. 2. ait Babylonem esse quasi primam Romam. *Ut apparet*, inquit, *quemadmodum Babylonia quasi prima Roma, cum peregrina in hoc mundo Dei civitate procurrat*, etc. *Ubi et ipsa Roma quasi secunda Babylonia est.* Et cap. 22. *Condita est Roma velut altera Babylon, et velut prioris filia Babylonis.* Et cap. 27. Romam vocat Babylonem occidentalem. Sanctum Augustinum quasi discipulus sequitur Paulus Orosius, lib. 2. histor. 4. ubi ostendit multis in rebus Romam similem esse Babyloni.

Quarto, Andreas Cæsar, Aretas, Ambrosius, Victorinus, Œcumenius, Viegas et Ribera hîc, et fusius c. 14. v. 8. et seq. Lindanus, l. 4. Panopliæ, c. 82. Sixtus Senensis, lib. 2. Biblioth. verbo, *Meretricis magnæ inscriptio*, Cardinalis Bellarminus, l. 2. de Pontific. cap. 2. Alcazar, Apocal. 13. pag. 670. littera D, ubi et pro hac sententia citat Cassiodorum, Apringium, Forerium, Gagneium, Salmeronem, Pererium, Pradum, Hesselium, et alios ad viginti. Idem censet Thomas Bozius, l. 24. de Signis Eccl. c. 6. Franc. Suarez, 3. p. tom. 2. disp. 59. sect. 2. Hi omnes per Babylonem hîc interpretantur Romam infidelem et ethnicam, qualis fuit tempore Joannis, et rursum erit in fine mundi. Huc accedit prophetia S. Malachiæ, quam recenset Arnoldus Wion in Chronicis Ordinis S. Benedicti, sive in Ligno vitæ, l. 2. c. 40. in fine; in ea enim Malachias à suo ævo (fuit ipse coævus S. Bernardo ; hic enim scripsit ejus vitam) per symbola depingit omnes Romanos Pontifices futuros usque ad finem mundi, ultimumque fore asserit Petrum Romanum, de quo ita vaticinatur : *In persecutione extrema S. R. E. sedebit Petrus Romanus, qui pascet oves in multis tribulationibus; quibus transactis civitas septicollis* (Roma) *diruetur, et judex tremendus judicabit populum suum.* Hæc S. Malachiæ oracula singulis Pontificibus usque ad Clementem VIII. apposite adaptavit Alfonsus Ciacconus, uti videre est apud Wion loco citato.

Objiciunt hæretici : Roma est Babylon ; ergo Romana Ecclesia cum suo Pontifice est Babylon. Resp. consequentiam esse absurdam, æque ac fallacem. Aliud est enim Roma urbs, aliud Romana Ecclesia. Rursum aliud est Roma Ethnica, aliud Roma Christiana. S. Joannes loquitur de Roma Ethnica, qualis erat suo tempore sub Domitiano persecutore, non autem de Roma Christiana, multo minus de Romana Ecclesia. Itaque sub Domitiano, Nerone, Decio et similibus Roma fuit potens, sed impia ; Ecclesia tamen Romana fuit pia et sancta, imo tunc habuit præclarissimos Martyres, virgines, sacerdotes et Pontifices. Absit ergo ut eam, aut S. Petrum Romanum tunc Pontificem taxare voluerit S. Joannes, qui et ipse Romæ pro fide Christi, Petri et Ecclesiæ Romanæ, martyrium in dolio ferventis olei ante portam Latinam obiit. Fideles enim Romani sunt *Martyres Jesu*, quorum sanguinem, ut ait v. 6. fudit Babylon, id est Roma Ethnica, et Romani Imperatores Ethnici. Hæc ergo est Babylon, non autem Ecclesia Romana, cujus fundator, caput et Pontifex fuit S. Petrus. Quocirca Romæ Ethnicæ vituperium hîc, damnatio et excidium, est laus, sublimatio, triumphus et gloria Romæ Christianæ, et Romanæ Ecclesiæ. Nam quo magis Roma Ethnica impia fuit, et sæviit in Christianos, eo magis constans, victoriosa et gloriosa fuit Roma Christiana, ut patet in primis ejus trecentis annis post Christum. Idem erit in fine mundi : multi tamen in ea erunt fideles et sancti, uti erant olim, tum publici, tum occulti et abdentes se in cryptas et latibula. Horum ergo, æque ac Pontificis, major fuit eritque virtus, laus et gloria, quod inter magistratus et cives impios, in fide et pietate constantes usque ad martyrium persistant, quàm si Roma prorsus esset fidelis et pia. Sane Romani Martyres illustrissimi omne suum decus tulerunt in persecutione Romanorum Imperatorum, nec unquam magis floruit Romana fides quàm tunc.

Est ergo manifestus paralogismus hæreticorum, ac insignis fraus et fallacia, dum ipsi ea

quæ de Roma prisca Pagana à S. Joanne et sancto Petro dicuntur, detorquent ad Romanam Ecclesiam, aut ad Romam, quæ nunc est, fidelis scilicet, et sedes ac ditio Pontificis, qui est Vicarius Christi. Roma ergo Ethnica sub Nerone et sequentibus Imper. usque ad Constantinum fuit Babylon : sub Constantino facta Christiana et pia, desiit esse Babylon, cœpitque esse civitas sancta, urbs fidelis, Sion Deo dilecta, columen fidei, mater pietatis, magistra sanctitatis; sub finem mundi deserens fidem, pietatem, Christum, Pontificem, rursum fiet Babylon. Idque permittet Deus, ut urbem ab Ecclesia, Romam à Cathedra Petri secernamus; utque Romani non urbis suæ majestati, nec suis meritis, sed Christi Petrique gratiæ tribuant, quod ipsi Sedem Pontificiam, et Ecclesiæ metropolin obtineant. Solerter id advertit et annotavit Cardin. Baronius tom. 1. anno Christi 58. Paulus, inquit, Romanos arguit *facilitatis atque superbiæ, quod* (*ut notat Hieron.*) *hæc fuerint peculiaria vitia Romanorum; quæ etiam Bernardus exprobrat* lib. 4. de Consid. ad Eugen. *sic dicens: Populus Romanus est. Nec brevius potui, nec expressius tamen aperire de tuis paræcianis quod sentio. Quid tam notum sæculis, quàm protervia et fastus Romanorum? Gens insueta paci, tumultui assueta, gens immitis et intractabilis, et usque adhuc subdi nescia, nisi cum non valet resistere.* Subdit Baron. *Quæ nos idcirco voluimus retulisse, ut quisque intelligat non esse Romanorum virtutis, si Romana Ecclesia, semper florentissima, caput exstitit omnium Ecclesiarum, et deficientibus cæteris sedibus Apostolorum, ipsa permanserit inconcussa; et sicut olim, ita et semper, illibata fides ipsius in universo orbe Catholico prædicetur : sed potius esse Sedis Petri tam excellentem prærogativam, et privilegium eidem divinitus impertitum. Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.* Quocirca Tertul. de Præscript. *Felix*, ait, *Ecclesia* (Romana) *cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt.* S. Cyprian. l. 1. epist. 3. Sedem Romanam vocat *Petri cathedram, et Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est.* Et l. 4. 8. eamdem vocat *Ecclesiæ matricem et radicem.* S. Hieron. ad Damasum : *Ego*, ait, *beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri, communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio; quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est : si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.* Similia habet S. Irenæus lib. 3. cap. 3. Optatus lib. 2. contra Parmen. S. Aug. Epist. 162. S. Leo Epist. 87. et alii.

Instant hæretici, et perpetim occlamant, Romæ etiamnum non deesse scelera, ac nominatim lupas et lupanar permitti : ergo illam etiamnum esse Babyloniam meretricem. Roma, inquiunt, est Ruma. At ubi gentium desunt scelera? Itane omnes hæretici sunt integri vitæ, sceleris que puri? Quot Respubl. honestæ et nobiles tolerant lupas et fornices, ut virginum et honestarum pudori consulant, ac crimina graviora avertant? Ecclesia sancta est, at, quot in ea sunt impii? sane Roma sancta est, et sanctior omnibus orbis Ecclesiis et urbibus. Ubi tot Monasteria, tot Basilicæ, tot Apostolorum, S. Pontificum, Martyrum, virginum martyria et templa, tot hospitalia, tot nosocomia, tot orphanotrophia quot Romæ? ubi tot charitatis opera, tot misericordiæ Sodalitates, tot eleemosynæ, tot pietatis exercitia quot Romæ? ubi tot prælati sapientes et integri, tot sacerdotes probi et pii, tot religiosi sancti, tot virgines Deo dicatæ quot Romæ? ubi cives et populus tam devotus, tam Christianus, tam ardens zelo Dei, uti videmus Romæ? Verum hæretici livore cæci ab his oculos avertunt, et Romæ non nisi lupas et gurgustia quærunt : quærunt et inveniunt; fur enim furem agnoscit, lupus lupam, leno lenam. Hæ enim longe magis exteris quàm civibus, ut expositæ, ita et cognitæ sunt; Romæ enim est confluxus omnium ex toto orbe nationum; in urbe est orbis. Quid mirum in tapta colluvie esse spurcos et incestos, quibus ni lupas concedas, agnos invadent.

Hæreticis ergo qua curiosis, Roma est rima et rumor; qua vinolentis, est rumen; qua ægris, rheuma et ruina; qua effeminatis, ruma, et remora salutis. At fidelibus qua credentibus, Roma est ῥημα et ῥυμα, id est oraculum et propugnaculum fidei; qua pœnitentibus, est ῥυμμα, id est purgamentum et lustramentum; qua sanctis, est רמה *rama*, id est sublimitas et celsitudo virtutis; qua piis et solitariis, est ῥυμη, id est vicus, eremus et solitudo cleri et religiosorum; qua sanis et robustis, est ῥωμη, id est robur et fortitudo mentis et corporis, ut ait S. Hieron. Quin et nonnulli viri docti censent hoc proprium esse Romæ etymon, utpote quam prisci apud Solinum Polyhist. cap. 2. Festum, et Dionys. Halicar. l. 1. Antiq. Roman. Valentiam prius fuisse dictam Latinis tradunt. Denique Roma est ῥυμος, id est temo aurigantibus, et remus navigantibus in cœlum. Per anastrophen, Roma est Amor Dei et cœli; unde versus retro in se recurrens :

Roma, tibi subito motibus ibit Amor.

Verum hæc, licet hæreticis opportuna, sancto Joanni tamen parerga sunt, utpote qui de Roma non Christiana, sed Ethnica loquatur, uti paulo ante ostendi.

Porro cum liber signatus, puta Apocalypsis, sit prophetia de futuris in fine mundi sub Antichristo, uti in proœmio et cap. 5. docui; hinc sequitur hæc intelligenda esse de Roma urbe, non quæ est, aut fuit, sed quæ erit in fine mundi: ac consequenter Romanam urbem tunc redituram ad pristinam suam gloriam, pariter et idololatriam, aliaque vitia, ac talem fore qualis fuit tempore S. Joannis sub Domitiano, Nerone, Decio, etc. Nimirum ex Christiana tunc rursum fiet Ethnica, Pontificemque Christianum et fideles ei adhærentes ejiciet, persequetur et occidet, uti dicitur v. 6. Unde vocatur meretrix; quia omnium deorum cultu, superstitionibus et vitiis imbuta, quasi meretrix prostituta cunctis gentibus, gentiumque diis sedebit. De hac enim recte dicitur, quod sit *Babylon magna, mater fornicationum et abominationum terræ*, quod sit *ebria de sanguine Sanctorum, et de sanguine Martyrum Jesu*, quodque Deus judicabit et vindicabit in ea cædem Apostolorum; quia nimirum in fine mundi, ipsa rursum Ethnica æmulabitur persecutiones Imperatorum Ethnicorum in Christianos; itaque Deus in ea puniet et propriam, et antiquam patrum infidelitatem. Si quis tamen per persecutionem malit intelligere hæresin, ac dicere Romam in fine mundi lapsuram in hæresin, aut simile vitium, uti singulis sæculis novas videmus oriri hæreses, ideoque persecuturam Orthodoxos, æque ac Ethnici olim persecuti sunt, itaque imitaturam et im-

pleturam ipsorum peccata, ac propter illa, pariter ac sua, à Deo puniendam ac concremandam, non multum repugnabo ; quamvis contextus magis faveat priori sententiæ, magisque innuat Romam ad Ethnicismum redituram. Ut ut est, grave scelus sit oportet, quod tam horribili urbis incendio et excidio vindicandum est, de quo cap. sequenti.

Dices : Quomodo Roma in fine mundi ad pristinas opes et gloriam, æque ac ad ethnicismum redibit ? Resp. modus quo id fiet nos latet, soliqueque Deo recognitus est. Variis tamen modis id fieri poterit, v. g. si Ethnicus aliquis occupet Imperium Romanum, Romæque Senatores Gentiles, ac dignitatem pristinam restituat, uti fecit Julianus Apostata. Rursum, si Romam commigrent Ethnici plures nobiles et potentes, qui sensim numero et viribus crescant, uti primitus crevit Roma. Tertio, si magi aliqui et politici Romanos primores pervertant, eosque incitent ad pristinam patrum gloriam, et deorum cultum restaurandum, etc. si eos invitent ad vitia carnis, omnemque vitæ licentiam, ut eos deducant ad atheismum, uti multis locis factum olim, et etiamnum fieri audivimus et videmus. Gula enim et libido continua recta sunt via ad atheismum. Sic videmus Jerusalem primo fuisse Paganam sub Chananæis, secundo fidelem sub Judæis, tertio Christianam sub Apostolis, quarto Paganam rursum sub Romanis, præsertim sub Adriano et deinceps, quinto Saracenam sub Turcis. Similem videmus Tyrum, Constantinopolim, Alexandriam, Antiochiam, etc. Pari modo in opibus et gloria hæ urbes, æque ac ipsa Chaldæorum Babylon, nunc creverunt, nunc decreverunt, nunc recreverunt sæpius : quomodo Roma olim nunc crevit, ut sub Regibus et Cæsaribus, nunc decrevit, ut sub Annibale, et sub Gallis duce Brenno, qui Romam occuparunt, ut Romani nil nisi Capitolium tenerent, donec Camillus eos liberavit, Gallosque cecidit, ad arcem et portam quæ etiamnum inde *Portugallo*, sive *busta Gallica* dicitur, teste Marliano l. 3. Topogr. Rom. c. 25. Sic eadem decrevit sub Gothis, Alanis, Wandalis, Longobardis, sed paulo post vires resumpsit et quasi resurrexit. Pari modo Venetias, Antverpiam, Parisios, Brugas, aliasque urbes nunc crescere, nunc decrescere videmus. Quin et singulis pene sæculis, pluraque regna vel crescere, vel decrescere, vel plane mutari cernimus. Ea est rerum humanarum vicissitudo : hæc fortuitorum natura, sors et conditio. Ex dictis patet non esse probabile quod opinatus est vir doctus, scilicet hoc caput et sequens posse accipi de cladibus et excidiis illatis Romæ ab Alarico, Genserico, Odoacre, et Totila ; illa enim non à decem, sed à singulis regibus Romæ fuerunt inflicta ; nec fuere tanta, quantum hoc erit quod cap. sequenti describitur, nimirum extremum et inauditum. Rursum, tunc Roma fuit Christiana, ac consequenter non fuit tunc infidelis, nec ita superba et dives, ut Babylon vocari posset.

Hæc eò dixi, ut ostendam me cum heterodoxis in fide candide et liberaliter agere, non fugere difficultates, non tergiversari, nec affectu agi, sed ratione ; quinimo concedere eis quod probabiliter concedi potest, ut ipsi eo facilius mihi concedant, quod recta ratio et fides concedendum docent. Alioqui dicere possem arcanum aliud in hac prophetia latere mysterium, quod Deus latere nos voluit, ut opportuno tempore quo reipsa hæc complebit, patefaciat, ut in priscis Prophetarum oraculis cum fecisse scimus. Concedo igitur heterodoxis urbem Romam vocari hîc Babylonem ; concedant ipsi pariter mihi, inde non sequi Ecclesiam Romanam vocari Babylonem, utpote quæ sit caput omnium Ecclesiarum, cui præsidet summus Pontifex, successor S. Petri et Christi Domini in terra Vicarius. Si hoc fateantur, dabimus eis dextras fidei et societatis, atque exclusa hæresi omnes in unam sententiam et Ecclesiam coibimus, fietque unum ovile et unus Pastor.

Minus probabile est quod censet Alcazar, ad litteram hîc describi vindictam, quam Deus de Roma Ethnica et tot Martyrum interfectrice sumpsit, cum Ethnicismum in ea abolevit, et Christianismum sub Constantino induxit. Tunc enim, inquit, Deus quasi occidit Romam Ethnicam, eamque in Christianam commutavit. Unde unus, id est primus, Angelus phialarum, de quibus cap. præcedenti v. 1. puta S. Paulus, hanc divinam de Roma vindictam Joanni annuntiavit. Paulus enim fuit Gentium et Romanorum doctor, qui primus suam in eos phialam effudit, cum eos de suis sceleribus coarguit et convicit, ut patet in ejus epist. ad Romanos. Alter vero Angelus gloriosus, habens potestatem magnam, qui c. 18. 1. Joanni inclamat : *Cecidit, cecidit Babylon*, est S. Petrus, cui Christus claves regni cœlorum tradidit, quique Romam vocans Babylonem epist. 1. cap. 5. 13. hoc ejus excidium videtur cognovisse, et Joanni significasse. Petrus enim et Paulus Romanæ fidei et Ecclesiæ sunt auctores et principes : unde ipsis Deus revelavit hanc futuram Romæ mutationem. Hoc enim ad eorum statum et gradum spectabat. Hosce duos Angelos, puta Petrum et Paulum, præfigurarunt ascensor cameli, id est Darius, et ascensor asini, id est Cyrus, qui Isaiæ c. 21. 7. visi sunt evertere Babylonem. Petrus enim fuit ascensor cameli, id est doctor Judæorum ; Paulus ascensor asini, id est doctor Gentium. Hi ergo desolarunt et concremarunt Romam Ethnicam, cum idololatriam in ea everterunt, eamque igne amoris Christi succenderunt.

Verum hæc non tantum mystica, sed et ἀντίλογα sunt ; convertunt enim triste, atrox et funestum Romæ excidium et conflagrationem, quod graphice depingitur cap. sequenti, in lætum, pium, et omnibus votis optandum fidei, salutis et charitatis incendium.

Objicit Alcazar Romam fore æternam, nec exscindendam, ut veteres senserunt : unde et S. Benedictus prædixit eam nunquam ab infidelibus eversum iri, uti refert S. Gregor. lib. 2. Dialog. 15. Idem cecinit olim Erinna Lesbia, ode in laudem Romæ :

Martis ô proles mihi, Roma, salve,
Auream bellis decorans coronam,
Quæ vel in terris stabiles Olympi
Incolis arces.

Hoc dedit soli tibi Parca munus,
Sceptra quòd gestas labefacta nunquam,
Imperatricis tua quæ potestas
Cuncta gubernet.

Ipsa quæ gaudet dare cuncta pessum,
Resque transformans hominum vetustas,
Implet æternum tua sola ventis
Regna secundis.

Resp. S. Benedictus tantum prædixit Romam a Totila et suo sæculo non evertendam; sic enim habent verba S. Gregorii : *Canusinæ Antistes Ecclesiæ, dum cum viro Dei* (S. Benedicto) *de ingressu regis Totilæ et Romanæ urbis perditione colloquium haberet, dixit : Per hunc regem civitas ista destruetur, ut jam amplius non inhabitetur. Cui vir Domini respondit : Roma à Gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus coruscis, turbinibus, ac terræ motu fatigata, in semetipsa marcescet. Cujus prophetiæ mysteria nobis jam facta sunt luce clariora, qui in hac urbe dissoluta mœnia, eversas domos, destructas Ecclesias turbine cernimus.* De suis ergo temporibus locutus est sanctus Benedictus, non de ultimis mundi.

Porro superbum æternitatis, et consequenter deitatis nomen, Romæ à Gentilibus scriptoribus, utpote adulatoribus, datum est, ut vocaretur Roma æterna, Roma Dea. Fateor tamen æternam dici posse hoc sensu, quia usque ad finem mundi durabit, sed tempore Antichristi evertetur. Origo opinionis de Romæ æternitate orta est ex eo, quod scribit Lucius Florus in Tarquinio Superbo: *De manubiis*, ait, *captarum urbium templum erexit; quod cum inauguraretur, cedentibus cæteris diis, restitere Juventus et Terminus. Placuit vatibus contumacia numinum, siquidem firma omnia et æterna pollicebantur.*

Hinc Attalus tyrannus Imper. sub Honorio Imper. numisma cudit, in cujus altera facie Roma expressa erat hoc titulo ; *Invicta Roma æterna.* Similia numismata plura habet Pierius Hierogl. 43. Hinc et Virgil. 1. Æneid. ex Jovis ore ita canit :

> Romulus excipiet gentem et Mavortia condet
> Mœnia, Romanosque suo de nomine dicet;
> His ego nec metas rerum, nec tempora pono,
> Imperium sine fine dedi.

Similia habet Tertull. Lactant. et alii, quorum verba referam in fine capitis.

Objicit secundo, cap. 18. v. 5. 6 et 20. dicitur Roma exscindenda ob Prophetas et Apostolos interfectos à Romanis, puta à Nerone, Decio, etc. Atqui quis credat Deum hoc Romæ supplicium differre per duo millia annorum ? quis credat Deum Neronis et Decii crudelitatem puniturum in Romanis qui erunt in fine mundi ? punivit ergo eam, cum eam evertit, convertendo Romanos ad Christum, illosque ei subjiciendo ? Ad hoc respondebo c. 18. 20.

QUÆ SEDET SUPER AQUAS MULTAS,] id est, præsidet populis multis (sic enim explicat Joannes v. 15.) qui instar aquæ dilabuntur, et sibi invicem succedunt. Alludit ad veteris Babylonis situm. Sita enim erat Babylon in confluxu Tigris et Euphratis, quasi domina utriusque. Sic etiam urbes maritimæ, ut Tyrus, Ulysippo, Venetiæ, et aliæ recte considerantur quasi dominæ illius maris, quod longe lateque despectant.

2. CUM QUA FORNICATÆ SUNT (spiritualiter, scilicet idola colendo, ut essent hujus magnæ meretricis amasii et rivales mystici) REGES TERRÆ,] tum Romani Senatores, qui erant quasi reges orbis : tum aliarum provinciarum proprii reges et principes, qui Romanis erant subditi vel confœderati. Sic enim Prophetæ idololatriam vocant fornicationem ; quia in ea anima, relicto Deo sponso, desciscit ad idola quasi ad adulteros.

ET INEBRIATI SUNT QUI HABITANT TERRAM DE VINO PROSTITUTIONIS EJUS,] puta vino illo quo ipsa ad secum fornicandum, id est idololatrandum, tam reges quàm populos pelliciebat. Vinum hoc fuerunt opes et honores Romanorum, sive spes lucri, voluptatis et dignitatis à Romanis consequendæ, si quis eis adularetur, eorumque deos coleret. Exstat emblema : Cupido Κεραυνοφόρος, id est fulminans, cum hac apodosi : *Omnia vincit amor.* Ita Alcibiades in scuto aureo pro insigni habuit Cupidinem, qui ulnis fulmen amplecteretur. Cupido enim potentior est ictu fulmineo. Audi Oppian. κυν. ε. de Cupidine :

> Omnia te metuunt, et cœlum latum superne,
> Et quæcumque infra terram sunt, tristesque cœtus mortuorum.

Et mox :

> Tuis ignibus et lumen cedit
> Pertimescens, et simul Jovis cedunt fulmina.

Exstat et inter Europæ antiquitates, Cupido pro Jove Tonante fulmen ejaculans in mare, Neptuno interim posito tridente, et genibus nixo Amoris numen reverente. Sic enim canit Amor :

> Sol calet igne meo, Neptunus flagrat in undis.
> Quamvis liber erat, feci servire Tonantem :
> Quamvis liber erat, Martem sine Marte subegi.

Aliter Alcazar : Vinum hoc, inquit, est ira et sæva persecutio in Christianos. Hanc enim a Romanis imbiberunt, didicerunt et exercuerunt alii principes et populi, de quo sævitiæ vino accipit illud cap. 18. 3. *De vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes Gentes.* Hic sensus ingeniosus est, sed prior planior et naturalior.

3. ET ABSTULIT ME IN SPIRITU IN DESERTUM.] Desertum hoc, inquit Alcazar, est gentilitas inculta et deserta, cujus caput erat Roma, quam Joannes hîc in spiritu vidit per mysticam hanc Spiritus sancti conflagrationem, ex deserto convertendam in Paradisum Dei. Verum dico Joannem hic sibi posito in mentali raptu, videri rapi in desertum, tum ut significetur Babylonis interitus, quod in desertum sit convertenda, tum ut innuatur, viro spiritali, et divino Prophetæ, qualis erat Joannes, omnem mundi pompam esse instar deserti : ut intelligamus innumeram illam Ethnicorum Romæ agentium turbam, eximiam urbis structuram palatiorum, templorum, ac curiæ magnificentiam, reipubl. mirum ordinem, leges et politiam, senatus splendorem, cæteraque omnia viro sancto et cœlestibus intento esse instar deserti et solitudinis, quod non hominum, sed ferarum et brutorum est habitaculum: ubi nulla pietatis et veræ virtutis, sed tantum pompæ, fastus et gloriæ habetur ratio, quibus non rosæ, sed spinæ scelerum omnium innascuntur. Quomodo Diogenes in frequenti urbe cum lucerna incedens aiebat, *Se quærere hominem, nec invenire.*

ET VIDI MULIEREM (hæc est Babylon, ut patet v. 5.) SEDENTEM SUPER BESTIAM COCCINEAM, PLENAM NOMINIBUS BLASPHEMIÆ, HABENTEM CAPITA SEPTEM, ET CORNUA DECEM.] Quæres : Quænam est hæc bestia ? Primo, Ribera, Viegas et alii censent hanc bestiam esse diversam à bestia cap. 13. 1. illa enim similis erat pardo, hæc est coccinea : illa significabat Antichristum, hæc diabolum ejusque regnum : unde vocatur bestia, quæ *erat, et non est*, quia ante Christum erat : sed Christus diabolo hoc regnum ademit : est coccinea, quia diabolus est draco rufus et sanguinarius, uti dictum est cap. 12. 3.

Secundo, Alcazar et Suarez 3. part. tom. 2. disp. 59. art. 6. sect. 2. et alii censent hanc bestiam esse eamdem cum illa c. 13. 1. eadem enim ibi, æque ac hîc, et rursum cap. 19. 19. vocatur bestia, quæ significat et repræsentat Antichristum; unde et cap. 13. æque ac hîc, dicitur habere capita septem, et cornua decem. Antichristum dicitur habere septem capita; quia habuit septem tyrannos prævios et prodromos, quos ipse ultimo loco quasi rex et princeps consequitur. Habuit ergo eos, cum adhuc non existeret; habuit, inquam, non quasi præsentes, sed prævios, quomodo Christus habuit Prophetas quasi præcursores, figuras et typos suos, in iisque typice fuit et exstitit. Varii enim sunt modi habendi, inquit Aristot. in Postprædicamentis, æque ac existendi. Res enim dicitur existere, cum ejus exemplar, imago, typus aut figura existit.

Tertio, alii per bestiam accipiunt cœtum sive congregationem impiorum, puta hostium et persecutorum Christi et Ecclesiæ.

Quarto, alii proprie per bestiam accipiunt hunc mundum, sive sæculum imperans et dominans, mundum, inquam, non tam physicum, quàm moralem et Theologicum, hoc est complexionem hominum mundanorum et vitiosorum, qui ex vitio naturæ corruptæ student honoribus, deliciis, opibus et pompis mundi, ideoque sunt superbi, avari, luxuriosi, impii. Mundus ergo hîc est regnum infidelitatis, idololatriæ, superbiæ, omnisque peccati. Huic enim insidet et præsidet Babylon, eique propinat vinum suum ex calice aureo. Hic etiam habet capita septem, et cornua decem, ut mox patebit. Hæ omnes sententiæ eodem tendunt, et in unum idemque conspirant. Nam mundi hujus sustentator, et quasi anima eum dirigens, movens et agitans est diabolus, et consequenter Antichristus diaboli vicarius et princeps. Rursum mundus hic non est aliud quàm cœtus mundanorum, id est, hominum fastuosorum et vitiosorum, qui est corpus politicum diaboli et Antichristi, sicut respublica est corpus civile regis et principis. Bestia ergo est mundus, sive mundi regnum, fastus et pompa, in quo inequitat Babylon, id est, Roma Ethnica et impia, mundi impiorumque domina. Hæc enim præsidet regno diaboli, ideoque super diabolum, qui impiorum multitudinem sustinet, et quasi animat et vegetat, sedere dicitur, ut ab eo sustentari, regi et agitari videatur. Unde bestia hæc plena est *nominibus blasphemiæ;* quia sua infidelitate et impietate, tam vita quàm voce blasphemat Deum. Rursum vox blasphemiæ est, quod Roma Ethnica vocata sit, et vocarit se æternam et deam. Ita S. Hieron. Epist. 151. ad Algas. quæst. 11. *In fronte*, ait, *purpuratæ meretricis scriptum est nomen blasphemiæ, id est Romæ æternæ.*

Objicit Anglo-calvinista: Babylon hæc est Roma; bestia cui insidet, est Antichristus. Atqui illa non insidet bestiæ futuræ: hæc enim necdum existit; sed præsenti et existenti. Ergo jam præsens est Antichristus, et reipsa existit: frustra ergo Papistæ eum futurum exspectant. Atqui alius fingi nequit Antichristus jam existens cui Roma insideat, quàm Papa; ergo Papa est Antichristus. Verum hoc argumento pariter concludere S. Petrum aliosque primos Pontifices et Martyres fuisse Antichristos. Nam et hi Papæ fuerunt, quibus Roma et Romana Ecclesia insedit. Rursum Roma fuit Babylon tempore S. Joannis: ergo si bestia cui insedit erit Antichristus, isque est Papa, sequitur S. Petrum, Linum, Cletum, Clementem, etc., qui tempore S. Joannis fuerunt Papæ Babylonis, id est Romæ, fuisse Antichristos, quod etiam ipsi dicere horrent, imo exsecrantur.

Respondeo ergo bestiam hanc esse cœtum impiorum, ut dixi; huic enim insedit et præsedit Roma Ethnica tempore S. Joannis, et rursum insidebit et præsidebit in fine mundi. Quod si omnino contendas bestiam hanc esse eamdem cum cap. 13. ac proinde esse Antichristum, respondeo id hoc sensu verum esse, quod Antichristus sit caput et rex impiorum, ac proinde ubi est corpus impiorum, ibi censetur quoque esse ejus caput, puta Antichristus. Esto enim Antichristus tempore S. Joannis necdum existeret physice et personaliter, uti omnes etiam hæretici admittunt, existebat tamen politice et per moralem denominationem; quia scilicet ejus corpus politicum, puta cœtus impiorum, existebat, et quia ipsius vicarii et prodromi, qui huic corpori præsidebant illudque regebant, existebant. Hi nempe erant Nero, Domitianus, Trajanus, Decius, etc. qui typum et vices gerebant Antichristi nascituri; fecerunt enim et inchoarunt idipsum, quod Antichristus facturus et perfecturus est. Rursum vere et proprie dici nequit, quod Roma etiam Ethnica in fine mundi insidebit ipsi Antichristo; nam, ut dicetur v. 16. Antichristus odio persequetur, ac per decem suos reges evertet et comburet Romam. Itaque non alio sensu dici potest quod Roma Ethnica insideat bestiæ, et bestia hæc sit Antichristus, quàm hoc, quod nimirum Roma insideat cœtui impiorum, cujus caput erit Antichristus, qui tempore S. Joannis et etiamnum censetur esse per mysticam et moralem denominationem; sicut rex absens dicitur esse præsens, mandare, leges condere, cum parlamentum quod vices regis gerit est præsens, mandat, et leges condit. Constat enim ex dictis c. 11. 8. Antichristum thronum regni sui collocaturum non Romæ, sed Hierosolymæ. Sicut ergo Romana Ecclesia nequit dici Babylon, ita nec Papa ei præsidens dici potest bestia, puta Antichristus: potius Calvinus dicendus est Antichristus, ac Babylon vocanda Ecclesia hæretica, qualis modo est Genevensis, et Anglicana, in qua mira dogmatum, statuum, rerumque omnium est confusio. Atque, ut alia taceam, primum caput Ecclesiæ Anglicanæ deformatæ fuit Henricus VIII Rex, laicus, et sex uxorum vel vir, vel maritus. Huic in hoc Ecclesiæ primatu successit filius, non vir, sed puer Eduardus. Puero Eduardo successit, non mas, sed femina, puta ejus soror Elisabeth, etc. An non hæc Babylon? an non hæc regni et Ecclesiæ confusio? Quæ ætas, quod sæculum posterorum hæc religionis probra, hæc Ecclesiæ propudia non admirabitur? non obstupescet? imo quis exstitisse in orbe credet? Justus es, Domine, et rectum judicium tuum, ut qui caput Ecclesiæ à te constitutum agnoscere noluerunt, illudque indignis titulis lacerant et proscindunt, acephali sint, imo excæcati et excordes, laicos, pueros, feminas, etc. capita religionis, fidei et Ecclesiæ sibi constituant, ut ipsi ludicrum hocce idolum, quod sibi finxerunt, venerentur et colant. Miscuisti enim eis spiritum erroris et vertiginis, ut credant

mendacio, *eo quod charitatem veritatis non receperint, ut salvi fierent.* Sed usquequo, Domine, non misereberis errantium, imo deceptorum ?

Coccineam.] Dicitur bestia hæc coccinea, non mulier illi insidens, ut patet ex genere neutro quod est in Græco : ait enim και ειδον γυναικα καθημενην επι θηριον κοκκινον, quia bestia, id est mundus, regio splendore et fastu triumphat : coccus enim et purpura sunt vestis regum et principum. Aliter Alcazar : Coccinea, inquit, est vestis rubea, id est, cruenta sanguine Martyrum. Erat enim hæc bestia colore pardi, ut dixi c. 13. 2. sed hîc dicitur coccinea, quia aspersa sanguine Martyrum. Coccus ergo hîc non ad delicias, nec ad fastum pertinent, sed cædis et internecionis, quam in Christi agnis fecerat, est argumentum. Verum prior expositio est verior. Esto enim bestia esset pardus et pardi colore, inducitur tamen hîc ut vestita et induta cocco, ad significandum ejus opes, luxum et fastum. Nam mox mulier illi insidens pariter dicitur *circumdata purpura, et coccino, et inaurata auro, et lapide pretioso, et margaritis, habens poculum aureum in manu sua.* Quæ omnia non ad cædem, sed ad fastum et pompam pertinent.

Habentem capita septem, et cornua decem.] Quænam hæc sint dicet v. 9. Insulse et impie Kemnitius in Examine Conc. Tridentini part. 2. pag. 18 et 50. Hinc probare contendit non esse septem Sacramenta in Ecclesia Christi, sed totidem esse in Ecclesia Antichristi. Nam bestia, inquit, Apocal. 17. vocatur Sacramentum, quæ septem habebat capita : ergo septenarius numerus Sacramentorum pertinet ad bestiam, id est ad Antichristum. Sed apage, blaspheme, qui Sacramenta Christi et Ecclesiæ, ac consequenter Baptismum et Eucharistiam (quæ tu ipse fateris vere esse Sacramenta, quæque Catholici inter septem Sacramenta ponunt prima et præcipua) asseris esse capita bestiæ. Adde S. Joannes non dicit septem capita esse septem Sacramenta, sed esse unum Sacramentum bestiæ : quod magis congruit Luthero, qui unum tantum posuit Sacramentum, et plura signa Sacramentalia. Denique S. Joannes septem hæc capita interpretatur esse septem reges, non septem Sacramenta. Sacramentum ergo bestiæ, hîc idem est quod mysterium, sive arcana significatio bestiæ, non autem Sacramentum proprie dictum.

4. Et mulier erat circumdata purpura et coccino.] Describitur hîc mundana gloria, luxus et opes quibus superbiebat Roma Ethnica, instar meretricis, quæ auro et gemmis vestita superbe incedit. Quare imperite æque ac petulanter Beza censet hoc nomine et veste notari Cardinales Ecclesiæ Christianæ, in eosque hoc carmen virulentum maledicus intorquet :

> Semiviros quicumque Patres radiante galero
> Conspicis, et rubræ syrmata longa togæ ;
> Sane rubra vides sanctorum cæde virorum,
> Et mersa insonti tota cruore madent.
> Aut memor istorum quæ celet crimina vestis,
> Pro dominis justo tacta pudore rubet.

Ita impurus sycophanta omnes sibi similes putat, omnibus suam Candidam et Audebertum affricare conatur. Quàm hæc falsa sint et indocta patet ex paulo ante dictis.

Inaurato auro.] Ita legendum cum Romanis, licet Græca jam habeant κεχρυσωμενη χρυσω, id est *inaurata auro;* utrumque eôdem tendit, sed Romana lectio est significantior : significat enim fucum hujus mulieris, q. d. Non erat vestita vero et solido auro, sed auri tantum superficie et externa specie, puta vestita erat auro, id est aurichalco, sive ære inaurato. Ita Alcazar.

Aut potius id ad luxum et fastum referendum videtur, q. d. Ita splendide fuit vestita, ut non auro simplici, sed *inaurato*, id est duplici, ornaretur : solent enim aurifices in re magnifica aurum vulgare cooperire et inaurare auro præstanti et fulgenti. Id exigunt sequentia, quæ docent eam insuper gemmis et margaritis fuisse circumcinctam, præsertim, quia mulieres proprie non inaurantur, sed earum vestes. Unde non recte dicitur ipsa *inaurata auro*, sed bene vestita *inaurato auro :* civitas vero recte deaurata auro dicitur cap. 18. 16.

Habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione et immunditia fornicationis.] Poculum aureum est mundana felicitas, imperii majestas, terror et splendor, opumque et rerum omnium abundantia, sub cujus specie, illecebra et pompa Roma Pagana suam idololatriam, suaque vitia omnibus gentibus propinavit. Alludit ad Jerem. 51. vers. 7. *Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram : de vino ejus biberunt Gentes, et ideo commotæ sunt.* Sed ibi calix notat supplicium, gentibus aliis per Babylonios irrogandum : unde est in manu Domini. Hic vero notat culpam, puta propinationem idololatriæ et scelerum : unde est in manu meretricis, puta Babylonis. Sic enim meretrices externa specie et pompa in conviviis, per calices aureos et gemmeos, perque epulas splendidas et magnificas dementant amasios, uti Cleopatra dementavit Antonium ; de cujus in conviviis luxu et pompa videre est Plinium lib. 9. vers. 35. et Plutarchum in Antonio, qui inter alia ait de Cleopatra veniente ad Antonium : *Manavit per omnes rumor Venerem, ad salutem Asiæ, venire ad Bacchum comessatum,* additque Antonium ab ea invitatum, ad magnificentiam convivii obstupuisse, ac risisse suæ cœnæ sordes et rusticitatem. Plinius vero refert eam sponsione cum Antonio de magnificentia convivii concertasse, dieque dicta duos uniones per manus Orientis regum sibi traditos protulisse, æstimatos sexcenties sestertiûm, hoc est duodecies centies millibus Philippicorum, unumque ex eis aceto liquatum absorpsisse, cumque secundum liquare et absorbere pararet, prohibitam fuisse à L. Plancio, dicente, eam jam magnificentia vicisse Antonium. Hunc postmodum Augustus capta Cleopatra in duos divisum, Veneris auribus in Pantheo Romæ appendit. De conviviorum et compotationum harum luxu vere dixit Seneca :

> Venenum in auro bibimus.

Et Poeta :

> Nulla aconita bibuntur
> Fictilibus : tunc illa time, cum pocula sumes
> Gemmata, et lato Setinum ardebit in auro.

Aliter Hieron. Prado in Ezech. 23. 31. Poculum, inquit, quod meretrix Babylonia aliis præbuit, est poculum damnatorum, q. d. Damnavit eos ad mortem eo quod nollent secum fornicari, id est idola colere. Sic enim Jeremiæ 25. vers. 17. Isaiæ 51. 17. et alibi calix significat damnationem et vindictam. Verum ex dictis liquet cali-

cem hic aliter sumi, scilicet pro deliciis et culpis, non pro damnatione et pœnis.

PLENUM ABOMINATIONE ET IMMUNDITIA.] Alludit ad meretrices et veneficas, quæ in calice aureo propinant sua philtra amasiis. Philtra enim veneficarum fiunt ex cineribus bufonum, ranarum, serpentum, aliarumque rerum immundarum et abominandarum. Tropolog. notantur hæretici et similes, qui sua eloquentia et verborum lenociniis suos errores, moresque impios auditoribus propinant et instillant.

5. ET IN FRONTE EJUS NOMEN SCRIPTUM : MYSTERIUM, BABYLON MAGNA, MATER FORNICATIONUM ET ABOMINATIONUM TERRÆ.] Arabicus : *Et nomen scriptum super frontem ejus, id est, mysterium Babylonis matris fornicariorum, et immundorum cordibus, qui de terra sunt.* Alludit ad lupanar et fornices, in quibus cellæ meretricum nomina inscribebantur, uti docet Tertull. lib. de Pudicitia : *Ubi*, inquit, *proponetur liberalitas ista? sub ipsis libidinum januis, sub ipsis libidinum titulis.* Et clarius Seneca controvers. 1. *Meretrix*, ait, *vocata es, in communi loco stetisti, superpositus est cellæ tuæ titulus.* Porro, si plane impudens aut famosa esset meretrix, non tantum in cella, sed in fronte nomen et elogium scriptum præferebat. Docet id Seneca loco citato : *Nomen*, inquit, *tuum pependit in fronte, pretia stupri accepisti, et manus quæ diis datura erat sacra, capturas tulit.* Idem ex Martiali, Tertull. et Juvenali docet Durandus lib. 1. Variarum cap. 2. Talis hic à Joanne inducitur Babylon, quæ publice fornicata est, et in fornicationibus, id est idololatriis, suis gloriata.

Gestat ergo hæc meretrix nomen suum mysticum in fronte, sicut Aaron gestabat nomen Dei in fronte, quo significatur eam publice profiteri, et jactare se esse cultricem Jovis et deorum, eorumque errores, pariter ac vitia et scelera, sectari et propagare, ideoque Christum et Christianos eis obsistentes persequi usque ad necem, ut sequitur.

MYSTERIUM.] Hoc non est nomen mulieris, uti putavit Pannonius, sed à Joanne quasi per parenthesin interjicitur, ut excitet advertentiam nostram, utque meminerimus nomen mulieris quod sequitur, non esse proprium illius, sed figuratum et mystice exponendum. Unde vers. 7. vocat Sacramentum mulieris, id est, quid typice significet mulier. Sic et cap. 11. 8. de Jerusalem dixit : *Quæ spiritualiter vocatur Sodoma.*

BABYLON MAGNA.] Hoc est nomen meretricis, id est, Romæ Ethnicæ; idque primo, quia, sicut Babylon colebat Bel sive Baal, ejusque cultum propagavit in alias gentes, etiam Judæos : ita fecit olim, et rursum faciet in fine mundi Roma Ethnica.

Secundo, quia, sicut Babylon erat receptaculum et confusio omnium gentium, ac consequenter omnium idolorum et vitiorum, ita et Roma Ethnica. Audi S. Leonem serm. in festo Apostolorum Petri et Pauli, de Roma : *Cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus ; et magnam sibi videbatur assumpsisse religionem ; quia nullam respuebat falsitatem.* Hinc omnium deorum templa erant Romæ, ac, ne cujus obliviscerentur, tandem ædificarunt Pantheon, id est, omnium deorum templum, quod quasi orbis miraculum ex omnibus veteris Romæ templis solum exstat ; ac in honorem B. Virginis et Sanctorum omnium Deo consecratum est. Merito ergo vocatur mater fornicationum, id est, errorum et idolorum : quia ea quasi mater fovebat et propagabat.

Tertio, sicut Babylon luxu, opibus et gloria erat inclyta, orbisque domina, ita et Roma Ethnica.

Quarto, sicut Babylon Judæos, ita Roma Ethnica Christianos persecuta est et occidit, et rursum persequetur et occidet in fine mundi ; erit enim tunc, uti fuit olim, caput idololatriæ omnisque abominationis. Unde sequitur : *Et vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum.* Pulchrè S. Hier. lib. 2. contra Jovin. in fine : *Ad te*, ait, *loquar, quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti : urbs potens, urbs orbis domina, urbs Apostoli voce laudata. Interpretare vocabulum tuum : Roma aut fortitudinis nomen est apud Græcos* (απο του ρωειν, id est valere, esse fortem ac robustum) *aut sublimitatis juxta Hebræos* (à rad. enim רום *rum*, id est, altus fuit, dicitur *Roma*, quasi dicas, Altitudo, sublimitas, celsitudo) *serva quod diceris. Virtus excelsam te faciat, non voluptas humilem. Maledictionem quam tibi Salvator in Apocalypsi comminatus est, potens effugere per pœnitentiam, habens exemplum Ninivitarum. Cave Joviniani nomen, quod de idolo derivatum est. Squalet Capitolium, templa Jovis et cæremoniæ conciderunt, cur vocabulum ejus et vitia apud te vigeant? Adhuc sub regibus, et sub Numa Pompilio facilius majores tui, Pythagoræ continentiam, quam sub Consulibus Epicuri luxuriam susceperunt.*

Sicut ergo in Script. sæpe res figurata accipit nomen figuræ, ut cum Christus vocatur David, Salomon, Zorobabel, etc. ita hîc Roma vocatur *Babylon*, et hoc est quod dixit, *mysterium.* Plures analogias Romæ et Babylonis ex S. August. et Orosio recensui 1. Petri 5. v. 13.

MATER FORNICATIONUM,] id est, idololatriæ, superstitionum et scelerum. Alludit ad virgines et sponsas Babylonias, quæ nupturæ, prius prostituebant se, et pretium inde collectum offerebant Veneri, ut ejus ope auspicatas inirent nuptias, et bonos nanciscerentur maritos, itaque sua fornicatione colebant, et quasi sacrificabant Veneri, uti docui Baruc 6. 42.

6. ET VIDI MULIEREM EBRIAM DE SANGUINE SANCTORUM, ET DE SANGUINE MARTYRUM JESU.] Nam, ut canit Prudent. Peristephanon hymno 11. de immenso sanguine Martyrum Romæ effuso.

> Non contentus humum celsæ intra mœnia Romæ
> Tingere justorum cædibus assiduis :
> Janiculum cum jam madidum, fora, rostra, Saburram
> cerneret eluvie sanguinis effluere.

Idem fiet in fine mundi cum Roma, ad paganismum rediens, Christum et Christianos, ac maxime Pontificem persequetur, expellet vel occidet, ut patet ex hoc loco, et c. 18. v. 20. et ultim.

Manebunt tamen fideles Romæ, uti manserunt in persecutione Decii et Diocletiani; ac consequenter manebit Ecclesia Romana et Pontificatus Romanus : et Pontifex erit Episcopus urbis Romæ, licet exul et expulsus. Nec enim Gentiles eum episcopatu, multo minus pontificatu suo deponere aut privare poterunt. Pari modo cum Pontifices residerunt Avenione in Francia per 70 annos, vocabantur tamen et revera erant Episcopi urbis Romæ. An autem Pon-

lifex cum consensu Ecclesiæ pontificatum Roma in aliam urbem transferre possit, si Ecclesiæ necessitas id posceret, uti censent Bellarm. Suarez loco citato, et alii, disquirere non est præsentis loci.

ET MIRATUS SUM CUM VIDISSEM ILLAM,] tam vesanam, tamque furentem in Christianos, tamque ebriam sanguine Sanctorum. Rursum miratus sum mulieris habitum, scilicet quod insideret bestiæ septemcipiti, et habenti cornua decem, ea pompa et titulo quem paulo ante descripsi, non intelligens quid hæc omnia significarent et portenderent. Unde angelus hæc ei explicat, ut mirari desinat.

7. ET DIXIT MIHI ANGELUS: QUARE MIRARIS? EGO DICAM TIBI SACRAMENTUM MULIERIS, ET BESTIÆ QUÆ PORTAT EAM, QUÆ HABET CAPITA SEPTEM, ET CORNUA DECEM.] *Sacramentum* est mysterium, ut dixi v. 5. q. d. Explicabo tibi hanc mulieris visionem mysticam, puta quid mulier hæc mystice significet et repræsentet.

8. BESTIA, QUAM VIDISTI, FUIT ET NON EST, ASCENSURA EST DE ABYSSO, ET IN INTERITUM IBIT.] Dixi v. 3. bestiam hanc esse regnum mundi et diaboli, sive diabolum in mundo quasi regno suæ impietatis dominantem. Ante Christum ergo hæc bestia erat: quia in mundo dominabatur impietas et diabolus. Sed Christus hoc regnum sustulit, et alligavit diabolum, uti audiemus c. 20. 3. Hoc est quod ait Christus: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*, Joan. 12. 31. Sed in fine mundi rursum bestia hæc *ascensura est de abysso.* Alludit ad id quod de bestia hac dixit c. 13. 1. scilicet eam prodire ex abysso, sive ex mari. q. d. Bestia hæc est instar draconis vel ceti, qui nunc è mari caput et dorsum attollit, nunc rursum in illud se totum demergit, tertio iterum emergit et ascendit. Sic enim diabolus ejusque regnum et potestas, puta regnum infidelitatis et impietatis, magna ex parte sublatum est à Christo. Licet enim adhuc multis dominetur, tamen si ejus potestas et dominium præsens comparetur cum præterito quod habuit ante Christum, exiguum et quasi nullum censebitur; sed in fine mundi rursum quasi ascendet de abysso, quando Lucifer alligatus in inferno solvetur, regnumque mundi recipiet, et omnem suam vim ac furorem per Antichristum in homines exeret. Verum habebit tempus modicum sui regni; nam mox rursum cum Antichristo in abyssum mergetur, *et in interitum*, et in gehennam ibit; ita Ambros. Beda, Aretas, Viegas, Ribera et alii. Quocirca Græca mox addunt, καὶ παρεσι, *et adest.* Unde Vatablus vertit, *bestiam quæ erat, et non est, et tamen est*, q. d. Bestia hæc *erat*, id est, fuit: sed jam *non est*, id est non apparet; *est tamen*, quia in abyssum demersa vivit in inferno; unde in fine mundi rursum prodibit, et ostendet se. Quocirca Biblia Regia et Aretas, pro παρεσι, id est, *adest*, legunt παρεσαι, id est, *aderit.* Censet Alcazar hac phrasi, *fuit et non est*, alludi ad Ezech. 27. 13. ubi pro *Græca* in Hebræo est, יָוָן *javan*, quod teste S. Hier. significat *est et non est*, quo videtur notari Græcorum inconstantia, non ingeniorum modo, sed et fastus ac potentiæ. Rursum hac phrasi *fuit et non est*, significatur brevitas durationis, ait Maldon in Notis.

ET MIRABUNTUR homines BESTIAM, QUÆ ERAT, ET NON EST,] videntes eam, quæ quasi demersa in abysso et exstincta videbatur, rursum subito emergere, et ascendere cum tanta potestate, fastu et pompa. Admiratio enim, ait Aristot. ex eo provenit, quod videatur effectus novus cujus non videtur causa. Ita mirantur homines terreni mundi honores, opes et delicias, quia majora quæ in cœlis sunt non cognoscunt; sicut pueri mirantur nuces, poma et crepundia sua, quia delicias virorum non gustarunt: et rustici mirantur casas suas stramineas, et pecora, quia palatia, et templa, ac domos urbanas non viderunt. Ex adverso docti et sancti nihil in terris mirantur, quia omnia vident esse exilia, infirma, caduca, brevia præ cœlestibus, divinis, immensis et æternis. Recte Petrarcha: *Sapienti nihil est inopinabile, stulto omnia sunt impræmeditata.* Ita Cyrus, ait Xenophon, nihil admirabatur, sed omnia sub se quasi parva et subdita despiciebat, docebatque principes nihil admirari. Illi enim cum excelso sint animo, et quasi in rerum culmine positi, omnia præ se parva et vulgaria arbitrantur, ideoque indigna quæ magni æstiment, quibusque mentem et animum affigant. Vere Horatius:

> Nil admirari prope res est una, Numici,
> Solaque quæ possit facere et servare beatum.

In cœlis mente habitans despicit hoc terræ punctum, dicitque: *O quam exigui sunt mortalium termini! O quam exigui mortalium animi!*

9. ET HIC EST SENSUS, QUI HABET SAPIENTIAM.] ὧδε ὁ νους ἐχων σοφιαν, id est, *hîc latet intellectus qui habet sapientiam*, scilicet arcanam et reconditam. q. d. Hoc ænigma bestiæ et mulieris sapiens est, et sapienter à Spiritu sancto adinventum ad arcanas res significandas: itaque in ea latet magna sapientia, magnaque mysteria. Alii vertunt: *Hîc mens advertat quæ habet sapientiam;* νους enim proprie mentem significat; significat tamen quoque sensum seu intellectum, ut cum Apostolus ait 1. Cor. 14. 15. *Psallam spiritu, psallam et mente*, græce νοι, id est, sensu, intelligentia, id est, intelligibiliter, ut alii sentire et intelligere possint id quod psallo.

SEPTEM CAPITA SEPTEM MONTES SUNT, SUPER QUOS MULIER SEDET, ET REGES SEPTEM SUNT,] q. d. Septem capita significant primo, septem montes; secundo, septem reges. In septem montibus patet denotari Romam, de qua canit Virgil. Georgicon 2. in fine.

> Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma,
> Septem quæ una sibi muro circumdedit arces.

Et Sibylla lib. 2.

> Romæ septem vertices habentis magnæ divitiæ peribunt,
> Irrigatæ multo igne à flamma Vulcani.

Et Horat. in carm. sæcul.

> Dii quibus septem placuere colles.

Et Ovid. lib. 1. Trist.

> Sed quæ de septem totum circumspicit orbem
> Montibus, Imperii, Roma, Deûmque locus.

Et Tertull. Apologet. 53. *Ipsos*, ait, *Quirites, ipsam vernaculam septem collium plebem convenio.* Et Claudian. in Panegyr.

> Quæ septem scopulis zonas imitatur Olympi,
> Armorum legumque potens, quæ fundit in omnes
> Imperium.

Porro hi septem Romæ colles sunt. Primus, Capitolinus sive Tarpeius; secundus, Palatinus, in quo exstant ruinæ palatii magni Neroniani;

tertius', Cælius, in quo sita est basilica Lateranensis, quæ fuit estque prima totius orbis; unde ei in frontispicio hoc carmen inscriptum litteris uncialibus legimus :

Munere Papali simul et datur Imperiali,
Quod sim cunctarum mater caput Ecclesiarum.

Hic enim est prisca sedes Papæ, qui in hac Ecclesia accipit possessionem episcopatus Romani, et consequenter annexi ei pontificatus totius orbis. Quartus, Esquilinus, in quo eminet templum B. Virginis Majoris, cujus dedicatio celebratur 5 Augusti sub nomine B. Virginis ad Nives, ob miraculum nivis quæ locum templo designavit sub Liberio Papa. Quintus, Viminalis, in quo exstat locus martyrii S. Laurentii, in ejus Ecclesia quæ Panisperna cognominatur. Sextus, Quirinalis, qui hodie à duabus ingentibus statuis marmoreis Alexandri domantis Bucephalum, quarum unam sculpsit Phidias, alteram Praxiteles, vocatur *Monte cavallo.* Septimus, Aventinus, in quo sunt templa S. Sabinæ, S. Alexii, S. Sabæ : Romulus enim ambitu urbis Romæ tantum complexus est duos colles, Capitolinum et Palatinum ; tertium, Cælium scilicet, eversa Alba adjecit Tullus, Esquiliasque (qui quartus est) auxit : quintum, scilicet Aventinum, pro advenis adjunxit Ancus Marcius : sextum et septimum, scilicet Quirinalem et Viminalem, addidit Servius Tullius VI rex Romanorum. Quin et postea tres alios ambitu urbis complexi sunt, scilicet Janiculum trans Tiberim, in quo fertur crucifixus esse S. Petrus; Vaticanum, in quo sepultus est S. Petrus, in ejus basilica quæ est orbis miraculum : et Pincium, in quo extat hodie templum S. Trinitatis, et monasterium Religiosorum S. Francisci de Paula ; ita Barthol. Marlianus in Topographia urbis Romæ, lib. 1. c. 4. Quare licet, cum hæc scriberet Joannes, Roma plusquam septem colles muris suis complecteretur, tamen ab eo ex prisco nomine vocatur Septimontium : quia sub regibus septem tantum erant in urbe montes, sive colles, singuli singulis diis, uti nunc singulis Sanctis, dicati et consecrati.

Nota : Hæc septem capita repræsentant duo : primo, septem Romæ montes jam dictos ; secundo, septem reges, de quibus sequitur. Sunt enim hæc septem capita non mulieris, sed bestiæ, sive mundi, id est, regni impietatis et diaboli, qui in eo rex est, regnatque per suos ministros. Quare minus recte Arabicus vertit : *Septem capita sunt septem montes, super quæ mulier sedet ; hi sunt septem reges ;* quasi septem capita, et septem montes, non aliud sint quam septem reges.

10. QUINQUE CECIDERUNT, UNUS EST, ET ALIUS NONDUM VENIT : ET CUM VENERIT, OPORTET ILLUM BREVE TEMPUS MANERE.] Primo Andreas Cæsar. Septem, inquit, capita et montes sunt septem monarchiæ et regna : primum Assyriorum in Ninive ; secundum Medorum in Ecbatanis sub principe Arbace ; tertium Chaldæorum in Babylone ; quartum Cyri in Susis ; quintum Alexandri in Macedonia ; sextum Augusti et Imperatorum in Roma antiqua ; septimum Constantini in nova et Christiana Roma. Consequenter septem reges sunt, primus Ninus, secundus Arbaces, tertius Nabuchodonosor, quartus Cyrus, quintus Alexander, sextus Augustus, septimus Constantinus. Verum hic montes cum regibus confundit, qui distinguendi sunt, ut dixi. Ad hæc Constantinum fidelem et Ecclesiæ quasi nutritium, ponit inter capita bestiæ. Quocirca idem Andreas ex S. Irenæo, aliter communi more computat hos septem reges, eo modo quem mox referam.

Secundo, Victorinus : Quinque reges, inquit, qui, cum hæc scriberet Joannes, ceciderant, id est, mortui erant, sunt Vespasianus, Titus, Galba, Otho, Vitellius : sextus qui jam *est* et regnat, est Domitianus. Septimus qui necdum venit, est Nerva; quia hi post Neronem usque ad tempus quo Joannes hæc scripsit, regnarunt. Sed quid faciunt hæc ad Antichristum, cujus tempora omnibus totisque hisce capitibus descripsit S. Joannes ?

Dico ergo hoc septem reges significare collectionem tyrannorum, qui septem ætatibus, sive sæculis regnarunt in mundo, sive in regno impietatis et diaboli, atque fideles et Ecclesiam persecuti sunt. Ita Richard. Ambros. Beda et alii, et patet ex sequentibus. Ait enim Joannes quinque transiisse, sextum adhuc superesse, septimum exspectari et regnaturum per breve tempus. Primus ergo rex est Cain cum gigantibus aliisque similibus, qui fideles et pios persecuti sunt, prima mundi ætate, quæ fuit ab Adam usque ad Noe, et diluvium. Secundus est Nemrod cum fabris turris Babel, in secunda mundi ætate quæ fuit à Noe ad Abraham. Tertius sunt reges Sodomæ, et Pharaones Ægypti ante Mosen in tertia mundi ætate, quæ fuit ab Abraham ad Mosen. Quartus sunt impii reges Israel et Juda cum aliis similibus, qui vixerunt à tempore Mosis usque ad captivitatem Babylonicam, quæ fuit quarta mundi ætas. Quintus sunt Chaldæorum reges, ut Nabuchodonosor ; ac Asiæ et Syriæ, ut Antiochus Epiphanes, aliique à captivitate Babylonica usque ad Christum, quæ fuit quinta mundi ætas. Sextus sunt Imperatores Ethnici Romani, item Saraceni, Turcæ, aliique qui à Christo usque ad Antichristum fuerunt, sunt et erunt. Unde de eo dicitur hic : *Unus adhuc est.* Septimus est Antichristus, qui venturus est, et per breve tempus, puta tres annos cum medio, regnabit; ita Gagneius, Ribera et Viegas, qui asserit hanc esse communem expositionem. Accedit et Richard. cum suis, nisi quod ipse quartam ætatem consignet à Mose ad Davidem, quando fuerunt Balaam, Balac, Moabitæ, Idumæi, Philistæi, et similes hostes populi Dei, puta Israelis; quintam vero consignat à Davide usque ad Christum.

Alludit ad primos Babylonis quæ bestiæ insidet, id est Romæ, reges. Hi enim numero fuerunt septem, scilicet Romulus, Numa Pompilius, Tullus Hostilius, Ancus Marcius, Tarquinius Priscus, Servius Tullius, Tarquinius Superbus.

Perperam ergo Anglo-calvinista per hos septem reges accipit septem regimina Romæ : primo enim, inquit, rexerunt eam Reges ; secundo, Consules; tertio, Dictatores ; quarto, Decemviri ; quinto, Tribuni ; sexto, Imperatores tempore S. Joannis; unde de iis ait : *Unus est ;* septimo Papa, de quo dicit : *Oportet illum breve tempus manere ;* quia post centum annos à Constantino Roma eversa est à Genserico et Wandalis, ac rursum à Totila. Unde de eodem subit : *Bestia autem, quæ erat, et non est*, q. d. septimus ille rex Papa, qui venerat et *erat* quoad

ortum et originem potestatis per centum annos à Constantino : *et non est*, quia opinione hominum exstinctus videtur per invasionem barbarorum : Hæc, inquit, bestia octavus est, et è septem illis ; quia post Gensericum Papa imperium et papatum resumpsit, et quasi revixit.

Verum hæc et historiæ et textui repugnant. Nec enim Dictatores successere Consulibus, quasi ordinarii Romæ gubernatores, sed iis additi sunt quasi extraordinarii, qui tempore gravis belli et periculi eam tutarentur. Similes fuere Decemviri. Tribuni quoque plebis fuerunt patroni, cum Consules urbem regerent. Secundo, sub Genserico etsi Roma vastata sit, pontificatus tamen non fuit exstinctus ; imo S. Leo mansit Pontifex, eumque reveritus Gensericus à templis manum abstinuit, ac mox Roma discessit, moxque S. Leo ita et rempubl. et Ecclesiam administravit, ut vix eo major et gloriosior Pontifex deinceps extiterit. Falso ergo de papatu et Papa dicitur : *Oportet illum breve tempus manere*, cum jam manserit per 1600 annos ; et illud, *Bestia quæ erat, et non est.* Semper enim papatus, in quantacumque Genserici et Totilæ vastatione, permansit. Tertio, falsum est quod decem reges bestiæ, id est Papæ, odient fornicariam (id est Romam), eamque evertent et concremabunt ; quod tamen de decem bestiæ regibus dicitur v. 16. Quis enim Papa unquam curavit per reges vel principes Romam everti et comburi ? quis unquam Papa cum Agno, id est, cum Christo, pugnavit, et ab eodem devictus est? Quarto, perperam commiscet hæreticus bestiam cum septem regibus, cum ab iis distincta et diversa sit, uti patet ex textu, et mox clarius patebit. Hisce ergo principiis ejus eversis, ruit ejus conjectura, quam ipse demonstrationem esse censet, estque talis : septimus hic rex est Antichristus. Atqui septimus hic rex est Papa : Papa enim successit regi sexto, id est, Romanis Imperatoribus. Ergo Papa est Antichristus. Minor enim est falsa ; manet enim Papa cum Romano Imperatore, et uterque simul manebit usque ad Antichristum : non ergo Papa successit Imperatoribus in Imperio Romano, sed cum iis simul consistit, uti jam videmus Sereniss. Ferdinandum esse Imperatorem Romani Imperii, et S. D. N. Paulum V. Ecclesiæ Romanæ esse Pontificem.

Moral. sicut Dei nomen est *Jehova*, hoc est, *Qui est*, vel *ego sum qui sum*, Exodi 3. 14. et c. 6. v. 3. ita creaturæ et hominis, præsertim impii, nomen est : *Qui non est.* Secundo, Dei nomen est : *Qui fuit, et est ;* hominis et bestiæ : *Qui fuit, et non est.* Tertio, Dei nomen est : Fuit, est, erit ; hominis, Babylonis et temporis, *Non erit amplius*, c. 10. v. 6. Sic et de diabolo dicitur Job 18. 15. *Socii ejus qui non est*, id est, socii diaboli, ait S. Gregor. 14. Moral. 11. *Qui jam non est : quia à summa essentia recessit, et quasi ad non esse intendit, ex quo semel ab eo qui vere est cecidit, quia bene esse perdidit.*

11. Et bestia quæ erat, et non est : et ipsa octava est, id est, ipsa est octavum caput bestiæ (erat enim una bestia, sed septem habebat capita) ; unde Græca habent, *et ipse octavus est*, scilicet rex : hæc enim capita significant reges. Et de septem est.] Sensus est, q. d. Diabolus, qui est hæc bestia, distinctus est à septem bestiæ capitibus, id est, regibus jam nominatis, et tamen de septem est : quia ipse in omnibus septem quasi membris et subditis suis, regit et dominatur, ac contra Ecclesiam dimicat, eamque divexat. Favet Arabicus, qui vertit : *Et bestia quæ erat, et non est, est etiam angelus è septem : et est in interitum.* Unde et sequitur, quod decem alii reges potestatem acceperunt una hora post bestiam : quia bestia primariam habet potestatem : reges autem ab ea quasi secundi sunt.

Rursum bestia hæc est mundus, sive regnum impietatis et peccati : huic enim præsidet dæmon quasi monarcha ; hoc regnum octavum est, quia distinctum à singulis septem regibus jam dictis : et tamen è septem est, quia in omnibus septem existit, quasi totum in suis partibus quibus conflatur et integratur.

Tertio, Prosper in Dimidio temporis cap. 8. et Haymo : Bestia, inquiunt, est Antichristus, hic unus est è septem capitibus, id est, regibus uti jam dixi ; et tamen octavus est : quia ipse non tantum particularis erit rex, uti cæteri, sed princeps, Imperator et quasi monarcha omnium præcedentium, et, ut ait Haymo, septies amplius dominabitur ac persequetur Ecclesiam, quàm reliqui omnes superiores tyranni, qui Ecclesiam variis temporibus et sæculis sunt persecuti.

Moraliter, nota τὸ *quæ erat, et non est.* Hoc enim est epithetum impiorum, eorumque mortis et interitus periphrasis. Sic regi Tyri intentat Deus Ezech. 28. 19. *Nihili factus es, et non eris in perpetuum.* Quidquid ergo fuerit homo, si homo fuit et vita functus est, *fuit, et non est.* At Deus qui est α et ω solus habet immortalitatem, cujus regnum est regnum omnium sæculorum, proinde ejus nomen est : *Qui est, et qui erat, et qui venturus est ;* cap. 1. 8.

Aliter Alcazar, cujus explicationem recensui cap. 13.

12. Et decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt.] Alcazar per decem reges accipit polyarchiam, sive multitudinem Senatorum Romæ, quî ad vindictam de Roma tot Martyrum effectrice sumendam, justo Dei judicio ad Christum conversi per S. Petrum, Paulum, Alexandrum et alios Pontifices, Romæ ethnicismum damnarunt, et pro viribus extirparunt, ante reliquias Martyrum venerabundi prociderunt, imo seipsos martyrio pro fide Christi obtulerunt : itaque tandem Romam igne charitatis Christi accenderunt et concremarunt. Hæc pia sunt et ingeniosa, sed mystica.

Secundo, Ambros. Ticon. Beda et alii passim, uti dixi v. 1. per Babyloniam hanc meretricem accipiunt cœtum omnium impiorum ; per decem cornua accipiunt omnia regna regibus impiis subjecta, de quibus dicitur : *Hi odient fornicariam ;* quia fovendo et adjuvando impiorum multitudinem contra Christum, eam facient obnoxiam cruciatibus sempiternis, quod in re est odire, etiamsi in mente et affectu eorum videatur esse amor et amare, uti fuse explicat Gagneius. Verum hic sensus alienior, improprius et durus est ; quis enim dicat, v. g. Decium et Diocletianum odivisse Romam et Romanum Imperium, illamque concremasse, et carnes Romanorum manducasse, cum idololatriam et impietatem Romanorum adjuverunt et propugnarunt ?

Tertio, plane et genuine Anselm. Ansbert. Haymo, Richard. Ribera et Viegas, per decem cor-

nua accipiunt decem reges qui erunt in orbe sub finem mundi, quasi orbis domini, cum veniet Antichristus, qui Romæ et Romano Imperio erunt subjecti, aut certe ex eo prodibunt, et invidentes Romæ tantas opes et gloriam, ejus jugum excutient, eamque invadent, vastabunt et concremabunt. Ex hisce tres Antichristus bello superabit, mox reliqui septem ei subdent, unusque omnium rex et monarcha evadet, uti patet ex hoc versu et v. 16. juncto cum Daniel. 7. 24. Estque communis Patrum et Interpretum sensus et traditio, uti ait S. Hieron. Daniel. 7.

Hinc patet hos decem reges diversos fore ab illis septem, qui per septem cornua repræsentati sunt v. 9. illi enim tempore præcedent Antichristum : hi autem decem erunt tempore Antichristi. Unde dicuntur nondum potestatem accepisse, sed eam accepturi post bestiam una hora, id est, brevissimo tempore.

POST BESTIAM.] Legit Interpres græce μετα το θηριον ; alii legunt μετα θου θηριου, id est cum bestia : utrumque verum, scilicet *post bestiam*, quia eam sequentur ; *cum bestia*, quia ei parebunt ; ita Ribera. Quænam sit hæc bestia dixi versu 3.

14. HI CUM AGNO PUGNABUNT, puta cum fidelibus et populo Christiano, qui sunt subditi Agni, scilicet Christi : ET AGNUS VINCET ILLOS,] quia cum Antichristo quem sequentur, à Christo deturbabuntur in tartara.

15. AQUÆ QUAS VIDISTI UBI MERETRIX SEDET, POPULI SUNT, ET GENTES, ET LINGUÆ,] q. d. Aquæ quas vidisti significant omnes gentes et populos quibus Roma imperabit ; quæ proinde in unius Romæ, utpote suæ heræ et orbis dominæ, obsequium, vanitatem et idolorum superstitionem pedibus ibunt.

16. HI ODIENT FORNICARIAM, scilicet Babylonem, id est Romam ; ET CARNES EJUS MANDUCABUNT.] Est hyperbole, q. d. Ea rabie Romam et Romanos invadent, ut videantur eorum carnes voraturi. Similis est Job 19. 22. *Quare persequimini me, et carnibus meis saturamini ?* Et psal. 26. 2. *Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas.* Unde sequitur : *Et ipsam igni concremabunt.*

17. DEUS ENIM DEDIT IN CORDA EORUM, UT DENT REGNUM SUUM BESTIÆ,] id est diabolo, Antichristo, tyrannidi et impietati. *Deus dedit*, non immissive, sed primo permissive, laxando scilicet frena eorum ambitiosæ voluntati, quæ sine Dei permissu, imo concursu generali, in actum exire non potuisset. Secundo, objective, immittendo scilicet eis cogitationem de Roma, quod sit superba, dives, dignaque expugnatu, ac facile expugnabilis ob scelera ejus quæ Deus velit punire ; idque ad hoc, *ut faciant quod placitum est illi*, ut scilicet peragant judicium et vindictam in Babylone ex decreto et sententia Dei exercendam : *Donec consummentur verba Dei*, quæ scilicet Deus prædixit per me hîc, et per Danielem cap. 7. et c. 11. de consummatione urbis et orbis, q. d. Donec consummetur excidium plenum urbis et orbis.

Græca nonnulla addunt : *Et ut consentiant*, sive *habeant sententiam unam et voluntatem* de Roma expugnanda. Verum hoc satis innuitur in sequentibus.

Nota : Ex hoc loco, et Danielis 7. 24. certum est fore decem reges in orbe, cum veniet Antichristus, è quibus ipse tres prælio vincet ; mox reliqui septem territi ei se subdent. Rursum certum est hosce decem reges eversuros et concrematuros Romam ; sed dubium est an id facturi sint ante Antichristum, an sub Antichristo, ita ut Antichristus eversurus sit Romam, et pariter Romanum Imperium per hosce reges.

Primo Francisc. Suarez 3. p. tomo 2. disp. 59. art. 6. sect. 2. censet incertum esse an Romanum Imperium, et multo magis an Romana urbs, evertenda sint ante Antichristum, an per ipsum Antichristum.

Secundo, Ribera et Viegas hîc censent ante Antichristum evertenda, idque putant se demonstrare ex eo quod Roma hîc dicatur evertenda à decem regibus : ergo ante Antichristum ; nam Antichristus veniens statim debellabit tres reges et occidet, ut tantum septem restent, qui sponte ei se subdent. Cum ergo sub Antichristo tantum futuri sint septem reges, sequitur tunc Romam non esse evertendam, sed ante cum nimirum in orbe erunt decem reges. Hæc sententia est probabilis, eamque secutus sum 2. Thessal. 2. 9. eique favere videtur S. Hieron. in Daniel. 7.

Verum re exactius considerata, perspectaque tota acoluthia Apocalypseos, ac Danielis, contrarium mihi nunc videtur probabilius, scilicet Romam et Romanum imperium evertenda esse non ante Antichristum, sed ab Antichristo per decem reges ei jam subjectos.

Probatur primo, quia Daniel. cap. 7. recensens seriem monarchiarum docet quod, sicut Chaldæorum monarchia eversa est à Persis, Persarum à Græcis, Græcorum à Romanis, ita Romanorum Imperium evertetur ab ipso Antichristo.

Secundo, quia communis Doctorum sententia est, Romanum imperium esse ultimum et duraturum usque ad finem mundi ; nec tantum Doctorum recentiorum, sed et Patrum communis, teste S. Hieron. in cap. 9. Danielis ; hæc est traditio, eaque, ut videtur Apostolica : ergo non à decem regibus, sed ab Antichristo in fine mundi evertetur. Confirmatur, quia Daniel. c. 7. v. 8. et 24. vidit cornu parvulum, quod designat Antichristum, inter decem cornua, id est, decem reges, oriri ex bestia quæ designat Romanum Imperium. Ergo orietur Antichristus ex Romano Imperio. Stabit ergo illud usque ad ejus adventum, et ab eo evertetur. Rursum, cum hoc loco mulier, id est Roma, dicatur insidere eidem bestiæ habenti hæc cornua decem, sequitur Romam dominaturam Romano Imperio et decem regibus, donec à cornu parvulo, id est, Antichristo ex eo oriente, per decem reges ei rebellantes evertatur et concremetur, uti dicitur hîc v. 16.

Tertio, quia id exigit acoluthia Apocalypseos. Hæc enim dividitur in duas partes : prior usque ad caput undecimum, continet et enarrat septem sigilla libri signati ; posterior à cap. undecimo usque ad finem, continet contenta ipsius libri. Jam sigilla continent ea quæ præire debent tempus Antichristi ; liber vero continet, illa quæ fient tempore Antichristi. Ergo cum hæc duo cap. 17. et 18. contineantur in ipso libro signato, sequitur ea spectare ad ipsum Antichristum, ejusque tempus.

Respondet Ribera esse hysterologiam, sive

perturbatum ordinem. Hæc enim duo capita, sive hoc Babylonis, id est Romæ, excidium recto ordine ponendum esse anterius, nimirum c. 9. v. 13. in tuba sexta angeli. Verum hæc hysterologia nimis dura est et præpostera : perturbat enim totum Apocalypseos ordinem. Adde sic ipsa sigilla libri fore longe majora et copiosiora ipso libro : deme enim hæc duo capita et alia quæ eodem spectant, relinques exiguam libri materiam. Itaque ut in acoluthia Apocalypseos evitemus hanc hysterologiam, et hæc incommoda non parva, dicendum est hæc, uti et præcedentia, à cap. undecimo et deinceps, spectare ad ipsum librum signatum, et consequenter ad tempora Antichristi. Sic enim plana evadit tota series Apocalypseos. Confirmatur, quia angelus unus ex iis, qui cap. præcedenti visi sunt Joanni habere phialas et plagas novissimas, hæc de Babylonis excidio revelavit Joanni : ergo hoc ipsum pertinet ad plagas orbis ultimas.

Quarto, quia hîc v. 12. et 13. dicuntur hi decem reges potestatem accepisse post bestiam, et potestatem suam bestiæ, id est Antichristo, tradidisse : ac deinde de iisdem subditur v. 16. *Hi odient fornicariam et ipsam igne concremabunt*, quasi posterius id sit futurum.

Quinto, quia cap. præcedenti in phiala septimi angeli ait Joannes : *Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus.* Et hoc cap. 17. calicem hunc enarrare incipit. Ergo plane significat post septem phialas et plagas novissimas, fore hoc Babylonis excidium. Hoc enim apte ultimo quasi loco servatur : quia erit generale, eritque quasi plaga totius orbis ; eo quod ipsa erit orbis domina ; ac proinde ea excisa, orbis excisus videbitur. Confirmatur, quia id valde congruet genio et scopo Antichristi, ut nimirum ipse rex Hierosolymæ et Judæorum, pugnas contra Christum, regni et Ecclesiæ ejus metropolim, puta Romam, evertat. Hoc enim ipse summis votis optabit, ut regnum Christi delevisse videatur. Sicut ergo Antichristus Christo, Judæi Christianis, Hierosolyma Romæ opponitur : ita Antichristus Christum, Christianos, Romam, ejusque pontificatum abolere sataget : uti jam satagunt ejus prodromi Calvinistæ, aliique hæretici.

Sexto, id docent Patres. Tertull. libr. ad Scapulam cap. 2. *Christianus*, ait, *nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens à Deo suo constitui, necesse est, ut et ipsum dirigat et revereatur, et honoret, et salvum velit cum toto Romano Imperio, quousque sæculum stabit ; tamdiu enim stabit :* Theodor. in Daniel. 7. docet Antichristum ex Romano Imperio proditurum, et contra ipsum pugnaturum. S. Hieronymus in Daniel. 11. sic ait de Antichristo : *Et brachia pugnantis populi Romani expugnabuntur ab eo et conterentur.* Lactant. lib. 7. cap. 15. et 25. docet Antichristum Imperium Romanum eversurum, illudque ab Occidente in Asiam translaturum : *Cujus*, inquit, *interitu mundus ipse lapsurus est.* Rursum : *Res*, inquit, *ipsa declarat lapsum ruinamque brevi fore, nisi quod incolumi urbe Roma nihil istis videtur esse metuendum. At vero cum caput illud orbis ceciderit, et ρυμη esse cæperit (quod Sibyllæ esse aiunt) quis dubitet venisse jam finem rebus humanis orbique terrarum?* S. Chrysostom. homil. 4. in epist. 2. ad Thessalon. *Sicut*, ait, *regnum Medorum à Babyloniis destructum est, Babyloniorum à Persis, Persarum à Macedonibus, Macedonum à Romanis, ita et regnum Romanorum ab Antichristo.* Errant ergo : sed sponte et fraudulenter, Beza ac hæretici, dum docent defecisse Romanum Imperium, ut ex eo probent venisse jam Antichristum, eumque esse Romanum Pontificem, quem errorem fusius et efficacius confutavi 2. Thessal. 2. v. 3. In hanc sententiam impingit et Alcazar hîc, sed incogitanter et alio fundamento. Contendit enim defecisse Romanum Imperium, ut ex eo probet hæc non esse intelligenda de Antichristo, deque Romæ et Romani Imperii excidio in fine mundi, sed de excidio Romæ Ethnicæ, sive ethnicismi per christianismum sub Constantino, de quo jam sæpius dixi.

Ad argumentum Riberæ Respond. etsi Antichristus tres reges sit debellaturus, non tamen constat an eos sit occisurus. Daniel enim ait tantum, quod eos humiliabit, id est subjugabit. Et esto eos occideret, eorum regna aliis sibi amicis aut subditis tradet, ita ut post eum, æque ac ante, sint decem reges. Id patet ex eo quod bestia c. 13. 1. quæ significat Antichristum, dicitur habere decem cornua, id est, decem regna et reges. Rursum ex eo quod hîc decem reges dicuntur potestatem accepisse post bestiam, id est, post Antichristum. Erit ergo Antichristus monarcha, et rex decem regnorum et regum orbis, ac per eos quasi vassallos suos invadet et evertet Romam. Non enim apparet quomodo decem reges toto orbe dispersi conspiraturi sint in unius Romæ excidium, nisi quia suberunt uni monarchæ, puta Antichristo, ab eoque dirigentur ad Romæ sibi invisæ excidium ; idque insinuat hîc Joannes, cum causam excidii Romæ afferens, subdit : *Deus enim dedit in corda eorum ut dent regnum suum bestiæ ;* Romæ ergo et Romani imperii interitus, signum erit non prævium, sed simultaneum ; non adventantis, sed præsentis Antichristi. Jungo Romam cum Romano Imperio, quia Roma in fine mundi erit, uti olim fuit, dives et potens : unde in fine capitis ait Joan. *Civitas magna quæ habet regnum super reges terræ :* ergo illa tunc obtinebit imperium, præsertim quia non tantum Gentiles, sed et Christiani multi, ut Tertull. Lactant. verbis jam citatis, et alii, censuerunt Romam, æque ac Romanum Imperium, fore æternam, id est, duraturam usque ad finem mundi, puta usque ad Antichristum. Nam cap. seq. cædetur Antichristus cum suis, et mox cap. 20. inducetur dies Judicii. Hoc tamen Romæ Imperium, cæsis jam et subjugatis decem regibus ab Antichristo, erit valde attenuatum et imminutum, ac ruinæ proximum.

Hic ergo videtur futurus ordo et series rei gerendæ. Antichristus sensim viribus et numero crescens, debellabit tres reges ex decem, qui tunc erunt in orbe. Mox reliqui decem, omnesque gentes perculsæ ad eum legationes mittent, eique se subdent, uti fecerunt Alexandro Magno devicto Dario ; unde ipse tunc statim factus est monarcha. Antichristus deinde omne suum virus in Christum et Christianos exerens, ac imperium firmans et propagans, Romam, tum quia imperii, fuit eritque æmula, tum quia sedes fuit Pontificum Christi, obsideri et everti curabit, remque committet decem regibus, id est aliquot ex iis qui potentiores et Romæ vicinio-

res erunt, cæteris tamen faventibus, et pecunia, commeatu, aliisque modis adjuvantibus. Nec enim opus erit pro una urbe exscindenda exercitus decem regum, id est, totius mundi, congregare nec etiam tempus regni Antichristi (quod erit trium annorum cum medio) tam longas moras patietur, ut ex extremo Oriente, ut dicitur cap. 16. 14. reges ad eum veniant in Armagedon ; inde pergant ad Romam evertendam ; mox revertantur in Armagedon. Hæc enim plures annos requirunt. Aliquot ergo reges Romæ viciniores eam evertent et comburent. Hosce deinde in Armagedon evocabit : uti jam evocarat illos ex Oriente cap. 16. 14. aliasque gentes ex quatuor plagis terræ una cum Gog et Magog. Hi ergo omnes ad Antichristum in Judæa convenient, ut Christi et Christianorum nomen ubique deleant, eritque exercitus eorum innumerabilis. Mox Christus omnes congregatos conficiet, et occidet igne de cœlo in eos immisso, ut dicitur cap. 20. 9. Antichristum vero, ejusque pseudo-prophetam, vivum deturbabit in tartara. Hæc ita esse patebit, si quis simul consideret cap. 16. v. 14. et 16. ubi convocantur reges trans Euphratem ab ortu solis, ad diem magnum Dei in Armagedon, et cap. 17. vers. 14. ubi de decem regibus dicitur, quod potestatem suam tradent bestiæ, id est Antichristo, quodque pro eo pugnabunt contra Christum et Christianos ; sed Christus devincet et delebit eos. *Hi*, inquit, *cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet eos.* Et c. 19. v. 11. et 18. ubi Christus cum suo cœlitum exercitu prodit debellans et occidens eos ; ibi enim inter alia avibus cœli dicitur : *Venite et congregamini ad cœnam magnam Dei, ut manducetis carnes regum, et carnes tribunorum, et carnes fortium*, etc. Et v. 19. *Et vidi bestiam, et reges terræ* (nimirum decem jam dictos) *et exercitus eorum congregatos, ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo*, id est cum Christo. Mox subdit bestiam, id est Antichristum cum suo pseudo-propheta raptum in tartara, cæteros vero occisos, nimirum eo modo quem describit cap. 20. 7. 8. et 9. ubi de Satana soluto post mille annos ait : *Et seducet gentes quæ sunt super quatuor angelos terræ, Gog et Magog, et congregabit eos in prælium quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt super latitudinem terræ : et circuierunt castra sanctorum, et civitatem dilectam* (Jerusalem) *et descendit ignis à Deo de cœlo, et devoravit eos.* Hinc patet non esse hysterologiam in hoc Babylonis excidio, sed S. Joannem hæc omnia ritè, ordine quæque suo, collocasse.

Ex dictis colligitur Romam evertendam esse non initio, sed potius sub finem regni Antichristi. Hic enim prius reges et principes Romæ et Romano Imperio subjectos dèbellabit, sibique subjiciet, itaque extenuato jam Romano Imperio, Romam ipsam, quæ fuerat Imperii caput, adorietur, capiet et evertet : qua eversa ruet pariter, omninoque concidet Romanum Imperium. Mox sequetur prælium Gog et Magog, eorumque et Antichristi strages. Deinde dies judicii, et resurrectio ac gloria electorum, quæ ordine hic recenset Joannes, ita ut in gloria et felicitate cœlestis Jerusalem Apocalypsin claudat. Hoc enim exigere videtur plana et ordinata narratio S. Joannis, sicque vitamus hysterologias multas implexas, molestas et ambiguas, ideoque plane incertas et commentitias.

Porro an Pontifex Romanus, Roma ab Antichristo occupata et vastata, sedem in aliam urbem et provinciam translaturus sit, aut transferre possit, quæstio est. Multi enim, ex eo quod S. Petrus cathedram et Pontificatum Antiochia transtulerit Romam, cum de eo faciendo nullum Christi decretum exstet, censent quod pontificatus à S. Petro collocatus sit Romæ, juris esse humani, non divini, ideoque Pontificem gravi de causa (ut si Turca quod Deus avertat, occuparet Italiam et Romam) consentientibus Cardinalibus et Episcopis, posse pontificatum è Roma in aliam urbem et provinciam transferre ; ita censet D. Soto in 4. d. 24. q. 2. a. 5. in fine, Antonius Cordubensis, Gaspar. Casalius, Waldensis et alii, quoscitat et sequitur Alfonsus Mendoza Scholastic. controv. quæst. 4. concl. 3. Licet contrarium, scilicet papatum Romanum esse juris divini, eo quod Christus jusserit Petro illum ibi collocare, ac proinde non posse à Pontifice, sine revelatione divina, in aliam urbem transferri, censeant Joannes Dreido lib. 4. c. 3. part. 3. Turrecremata in glossa super cap. *Rogamus*, 24. q. 1. Card. Jacobatius lib. 8. de conciliis art. 6. ubi et pro hac sententia citat Archidiaconum, Ockam, Albericum et alios, S. Antoninus 3. p. Scholast. titul. 22. c. 4. §. 1. Alvarus Pelagius lib. 1. de Planctu Ecclesiæ art. 32. Verum quidquid sit de jure, et possibili, existimo de facto nunquam id futurum, uti hactenus nunquam factum est ut pontificatus Roma aliò transferretur (nam et cum Pontifices sederunt Avenione per 70 annos, erant et vocabantur Pontifices Romani, non Avenionenses.) Primo, quia tempore Antichristi in omnibus urbibus et provinciis, erit generalis persecutio Pontificis et fidelium, ac proinde inutile foret, sedem Roma transferre alio, cum ibidem persecutionem non evaderet Pontifex, sed magis in eam incurreret. Secundo, quia sanctus Petrus Romæ sedit in ardentissima persecutione Neronis : idem constanter fecerunt ejus successores omnes per trecentos annos in decem gravissimis persecutionibus, usque ad tempora Constantini. Tertio, quia brevis erit persecutio Antichristi, scilicet trium annorum cum dimidio; ac instabit dies judicii : pro tempore autem tam modico, non erit operæ pretium mutare sedem. Quarto, quia Romanum Pontificem tempore Antichristi fore Petrum Romanum, eique successurum extremum judicium habet prophetia S. Malachiæ, quam citavi sub initium capitis. Poterit tamen Pontifex, urgente persecutione, urbisque excidio profugere extra Romam, seque in aliis locis et urbibus abdere, uti fecit S. Sylvester in monte Soracte, et alii plures post eum.

Huic prophetiæ de decem regibus consona sunt ea, quæ de totidem pene regibus prædixit S. Francisc. de Paula, fundator Ordinis Minimorum. Ipse enim in variis epistolis, quas ad verbum hispanice recitat P. Lucas Montoya, in Chronicis ejusdem Ordinis sub finem, idipsum vaticinatus est, ac nominatim in una, quam scripsit anno Christi 1469. die 13. August. ad Simonem de Limena, dominum Montalti, quæ etiamnum ibidem asservatur, sic ait : *Ex te* (ô Simon) *descendet fundator novæ Religionis, quæ tres habebit partes : prima erit equitum armatorum, secunda sacerdotum, tertia hospitaliariorum. Erit hæc Religio omnium ultima, magnum*

fructum afferet Ecclesiæ, exstinguet maledictam Mahometis sectam, quin et hæreses omnes, ut fiat unum ovile et unus Pastor. In toto mundo non erunt nisi duodecim reges, unus Imperator et unus Pontifex, et pauci Principes, qui omnes erunt sancti. Idem in aliis Epistolis hunc Ordinem vocat Cruciferorum, eo quod in vexillis suis præferent imaginem crucis, vel Christi crucifixi, pro quo pugnabunt, cuique subjicient tam Mahometanos, quàm hæreticos et pravos Christianos. Atque hæc omnia sibi à Deo revelata, et certo eventura asseverat; similia circumferuntur aliorum vaticinia, sed quæ examine indigent.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DESCRIBITUR EXCIDIUM ET INCENDIUM BABYLONIS, INDEQUE LUCTUS ET PLANCTUS REGUM ET MERCATORUM V. 9. SANCTORUM VERO EXULTATIO V. 20. TRES ERGO CAPITIS SUNT PARTES, JUXTA TRES PERSONAS, ET VOCES COELESTES, QUÆ HIC INDUCUNTUR. PRIMO ENIM A V. 1. AD 4. INDUCITUR ANGELUS GLORIOSUS CLAMANS : CECIDIT BABYLON. SECUNDO, V. 4. AUDIT JOANNES VOCEM DE COELO, QUÆ DICIT : EXITE DE ILLA, POPULUS MEUS, QUONIAM VENIT DIES PUNITIONIS ET EXCIDII EJUS; HÆC VOX PROTENDITUR USQUE AD V. 21. MULTISQUE DESCRIBIT CLADEM BABYLONIS, IDEOQUE PLANCTUM REGUM, MERCATORUM ET NAUTARUM. TERTIO, V. 21. ANGELUS FORTIS MITTIT LAPIDEM MOLAREM IN MARE, DICENS : HOC IMPETU MITTETUR BABYLON, ET ULTRA NON INVENIETUR, NEC VOX CITHAROEDORUM, NEC VOX SPONSI ET SPONSÆ, NEC VOX MOLÆ, NEC LUX LUCERNÆ.

1. Et post hæc vidi alium Angelum descendentem de cœlo, habentem potestatem magnam; et terra illuminata est à gloria ejus. 2. Et exclamavit in fortitudine, dicens : Cecidit, cecidit Babylon magna; et facta est habitatio dæmoniorum, et custodia omnis spiritus immundi, et custodia omnis volucris immundæ et odibilis; 3. quia de vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes : et reges terræ cum illa fornicati sunt; et mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt. 4. Et audivi aliam vocem de cœlo, dicentem: Exite de illa, populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis. 5. Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum, et recordatus est Dominus iniquitatum ejus. 6. Reddite illi sicut et ipsa reddidit vobis; et duplicate duplicia secundum opera ejus : in poculo, quo miscuit, miscete illi duplum. 7. Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum; quia in corde suo dicit : Sedeo regina, et vidua non sum; et luctum non videbo. 8. Ideo in una die venient plagæ ejus, mors, et luctus, et fames, et igne comburetur; quia fortis est Deus, qui judicabit illam. 9. Et flebunt, et plangent se super illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, et in deliciis vixerunt, cum viderint fumum incendii ejus. 10. Longe stantes propter timorem tormentorum ejus, dicentes : Væ, væ, civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis! quoniam una hora venit judicium tuum. 11. Et negotiatores terræ flebunt, et lugebunt super illam : quoniam merces eorum nemo emet amplius; 12. merces auri, et argenti, et lapidis pretiosi, et margaritæ, et byssi, et purpuræ, et serici, et cocci (et omne lignum thyinum, et omnia vasa eboris, et omnia vasa de lapide pretioso, et æramento, et ferro, et marmore, 13. et cinnamomum) et odoramentorum, et unguenti, et thuris, et vini, et olei, et similæ, et tritici, et jumentorum, et ovium, et equorum, et rhedarum, et mancipiorum, et animarum hominum. 14. Et poma desiderii animæ tuæ discesserunt à te : et omnia pinguia et præclara perierunt à te, et amplius illa jam non invenient. 15. Mercatores horum, qui divites facti sunt, ab ea longe stabunt propter timorem tormentorum ejus, flentes ac lugentes, 16. et dicentes : Væ, væ, civitas illa magna, quæ amicta erat bysso, et purpura, et cocco, et deaurata erat auro, et lapide pretioso, et margaritis! 17. Quoniam una hora destitutæ sunt tantæ divitiæ. Et omnis gubernator, et omnis qui in lacum navigat, et nautæ, et qui in mari operantur, longe steterunt. 18. Et clamaverunt videntes locum incendii ejus, dicentes : Quæ similis civitati huic magnæ? 19. Et miserunt pulverem super capita sua, et cla-

maverunt flentes et lugentes, dicentes : Væ, væ, civitas illa magna, in qua divites facti sunt omnes, qui habebant naves in mari, de pretiis ejus ! quoniam una hora desolata est. 20. Exulta super eam, cœlum, et sancti Apostoli, et Prophetæ : quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illa. 21. Et sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum et misit in mare, dicens : Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, et ultra jam non invenietur. 22. Et vox citharœdorum, et musicorum, et tibia canentium, et tuba non audietur in te amplius : et omnis artifex omnis artis non invenietur in te amplius : et vox molæ non audietur in te amplius. 23. Et lux lucernæ non lucebit in te amplius : et vox sponsi et sponsæ non audietur adhuc in te, quia mercatores tui erant principes terræ, quia in veneficiis tuis errarunt omnes gentes. 24. Et in ea sanguis Prophetarum et sanctorum inventus est, et omnium qui interfecti sunt in terra.

1. VIDI ALIUM ANGELUM DESCENDENTEM DE COELO, HABENTEM POTESTATEM MAGNAM : ET TERRA ILLUMINATA EST A GLORIA EJUS,] id est à claritate et splendore ejus, q. d. Tanto fulgore hic angelus radiabat, ut totam terram sua luce et radiis collustrare videretur.

Quæres : Quisnam fuit hic Angelus? Primo, Alcazar, sicut per angelum de quo cap. præced. v. 1. accipit S. Paulum, ita per hunc angelum gloriosum habentem potestatem magnam, accipit S. Petrum, qui æque ut Paulus prædicit mysticum Babylonis, id est Romæ Ethnicæ, excidium, hoc est conversionem ejus ab ethnicismo ad christianismum. Inde v. 4. oritur cœlestis vox, quæ prædicationem Ecclesiæ designat. Ecclesia enim est cœlum quæ ex S. Petri sermone et doctrina egreditur per totum orbem, ut mysticum de Babylone, id est Romano Imperio, supplicium sumat, ac par pari reddat, evertendo scilicet paganismum, ac sublimando christianismum : Petrus enim est angelus gloriosus habens potestatem vicariam Christi per totam terram. Ipse enim audivit à Christo : *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Quocirca, inquit Alcazar, nil aptius Romæ templo S. Petri pro foribus inscribi posset, quàm hic hujus angeli titulus : *Angelo descendenti de cœlo, habenti potestatem magnam, et terra illuminata est à gloria ejus.* Ita ipse suam semper eamdemque canit cantilenam, atque jugiter repetit et inculcat hisce visionibus omnibus à c. 12. ad finem Apocal. non aliud significari, quàm Ecclesiæ victoriam de Gentilibus et gentilismo. Dicit enim hæc omnia non esse aliud, quàm varia symbola et ænigmata, quæ unum idemque scilicet gentilismi excidium, significent.

Secundo, multi per angelum hunc accipiunt Christum, qui in sua incarnatione descendit de cœlo, totamque terram luce sui Evangelii collustravit. Ipse enim est gloriosus Dei angelus, id est legatus, habens potestatem magnam; unde eo nato angeli magna claritate fulgentes cecinerunt : *Gloria in excelsis Deo;* ita Primas. Rupert. Richard. et alii.

Verum magis proprie et genuine hîc, uti et in præcedentibus angelum verum accipiemus, sed qui sit è primis et illustrioribus in cœlesti curia; habet enim potestatem magnam, et totam terram suo fulgore collustrare videtur.

2. ET EXCLAMAVIT IN FORTITUDINE, DICENS : CECIDIT, CECIDIT BABYLON.] Citat alleg. Isaiæ 21. 9. excidium enim Babylonis per Cyrum, quod describit Isaias c. 13. et c. 21. allegorice significabat excidium Romæ Ethnicæ (quæ hîc vocatur Babylon) in fine mundi, q. d. Sicut olim cecidit *Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta superbia Chaldæorum, sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorrham,* ut ait Isaias c. 13. v. 19. Babylon, inquam, quæ fuit *malleus universæ terræ,* ut ait Jerem. c. 50. 23. ita cadet et Roma illa inclyta orbis domina.

ET FACTA EST HABITATIO DÆMONIORUM, ET CUSTODIA OMNIS SPIRITUS IMMUNDI, ET CUSTODIA OMNIS VOLUCRIS IMMUNDÆ.] Alleg. rursum alludit ad id quod de Babylone excisa ait Isaias c. 13. 20. *Non fundabitur usque ad generationem et generationem : nec ponet ibi tentoria Arabs, neque pastores; sed requiescent ibi bestiæ et replebuntur domus eorum draconibus : et habitabunt ibi struthiones, et pilosi saltabunt ibi, et respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, et sirenes in delubris voluptatis ejus.* Similia habet de Idumæa excisa cap. 34. 14. *Occurrent dæmonia onocentauris, et pilosus clamabit alter ad alterum : Ibi cubavit lamia, etc.* Hisce phrasibus non aliud significatur, quàm summa vastitas et desolatio Romæ futura, adeo ut redigatur in desertum, fiatque habitatio draconum et bestiarum. Unde Sibylla verbis mox citandis prædixit, quod Roma erit ϱυμη id est vicus.

Mystice, hac phrasi innuitur idololatria, superstitiones, aliaque flagitia quæ Romæ grassabuntur in fine mundi, ante ejus excidium : per hæc enim fiet habitatio dæmonum; ita Primas. Aretas, Ansbertus et alii.

3. QUIA DE VINO IRÆ FORNICATIONIS EJUS BIBERUNT OMNES GENTES.] *Vinum iræ* vocat calicem vindictæ, supplicii et excidii, quod ob fornicationem, id est idololatriam et scelera, Deus Romæ propinabit, cogetque ut illud hauriat et ebibat. Porro Roma hunc iræ calicem propinabit aliis gentibus; quia supplicia sua in eas derivabit, hoc ipso, quo eas ad idololatriam suaque scelera imitanda impellet, quibus Dei vindictam in se provocabunt, æque ac Roma.

Nota : Romæ Paganæ in fine mundi excidium prædicit hîc Joannes; sed tacito nomine, imo mutato; vocat enim eam Babylonem. Id facit, ne Domitianum Imper. et Romanos jam tum adhuc Paganos offendat eosque contra se ac Christianos magis concitet et inflammet. Porro prædicit hoc Romæ excidium Joannes, ad consolationem fidelium et Sanctorum, qui tunc sub Domitiano Romæ et alibi mire exagitabantur, et paulo post sub Trajano et sequentibus Imper. gravius erant exagitandi, ut scilicet Christiani et Sancti scirent et cogitarent, in suis hisce tam atrocibus persecutionibus se Deo esse curæ, ac Deum fore ultorem sanguinis sui; quia nimirum Deus in fine mundi puniet non tantum præsentia, sed et diu præterita scelera et persecutiones Christianorum factas Romæ, et in Romano

Imperio tempore Domitiani et deinceps ; eo quod Romani in fine mundi futuri priscorum Romanorum infidelitatem, tyrannidem et mores impios laudabunt et imitabuntur : quocirca propter eadem gravius punientur, quàm punirentur si illa non præcessissent, ut patebit v. 20. et 24. Idem Romæ excidium prædixerunt Sibyllæ : sic enim canunt lib. 8. Orac. Sibyll.

> Veniet tibi cœlitus æqualis , ô recta cervice Roma,
> Cœlestis plaga , et flectes cervicem prima ,
> Et terræ allideris , et ignis te totam absumet ,
> Et tunc eris deserta ac si nunquam fuisses.

Et rursum :

> Prope quidem mundi finis et extremus dies ;
> Sed prius Romanorum inevitabilis ira erit.
> Et tu triumphus eris mundo , et opprobrium omnium.

Ex iisdem Lactant. lib. 7. c. 25. *Cum caput*, inquit, *illud orbis occiderit, et ρυμη esse cœperit, quod Sibyllæ fore aiunt, quis dubitet venisse jam finem rebus humanis orbique terrarum : Illa est enim civitas quæ adhuc sustentat omnia, precandusque nobis et adorandus est Deus cœli, si tamen statuta ejus et placita differri possunt, ne citius quam putemus, tyrannus ille abominandus veniat, qui tantum facinus moliatur, ac lumen illud effodiat, cujus interitu mundus ipse lapsurus est.* Idem docet Tertull. in Apologet. c. 32. Cum enim Gentes objicerent Christianis eos esse hostes Romæ et Romanorum Imperatorum, utpote Gentilium, respondet Tertull. id falsum esse, imo vero Christianos quotidie orare pro statu et conservatione Romæ ac Romani Imperii ; quia quamdiu illud stabit, stabit et Ecclesia totusque orbis, idque Christianos didicisse ex suorum Prophetarum oraculis : *Est*, inquit, *et alia major necessitas nobis orandi pro imperatoribus, etiam pro omni statu Imperii rebusque Romanis, quod vim maximam universo orbi imminentem, ipsamque clausulam sæculi acerbitates horrendas comminantem, Romani Imperii commeatu scimus retardari. Itaque nolumus experiri, et dum precamur differri, Romanæ diuturnitati favemus.* Idem docet lib. ad Scapulam c. 2. Idem docent alii superius citati in fine c. 17. Perperam ergo aliquid putarunt hanc unius Lactantii leviculam esse sententiam.

Hac de causa veteres, æque ac moderni, Romam vocant æternam. Ut alios silentio præteream, Jacobus Gutherius suum opus de Veteri Jure Pontificio dedicat *Romæ æternæ, urbium principi, capiti orbis, virtutum dominæ, juris et æquitatis vindici, vetustatis miraculo venerandæ, Victrici, Potenti, Augustæ, Piæ, Felici, Æternum renascenti, Æternum resurgenti.* Sic Ammiam. Marcell. lib. 15. c. 14. Romam *æternam* vocat, *victuram quandiu erunt homines.* Et Virgil. apud S. August. de Verbis Domini serm. 29. loquens de Romanis et Roma.

> His ego , *ait Jupiter*, nec metas rerum, nec tempora pono,
> Imperium sine fine dedi.

ET REGES TERRÆ CUM ILLA FORNICATI SUNT, ET MERCATORES TERRÆ DE VIRTUTE DELICIARUM EJUS DIVITES FACTI SUNT.] Nota : Romam vocat hîc primo, meretricem ; secundo, mercatricem ; tertio, cauponam ; quæ suo vino omnes inebriat et dementat. Ratio est, quia Hebr. זונה *zona* significat feminam cauponam, quæ scilicet tam domum et esculenta, quàm se aut suas prostituit, sive quæ mercimonia tractat, cauponatur, convivatur, lascivit, hoc est quæ meretur, vel paratis obsoniis ut caupona, vel mercibus expositis ut meretrix, vel corporis prostitutione, sive suum, sive luparum quas alit, corpus quasi lena hospitibus pretio prostituat, quæ antonomastice dicitur meretrix, licet nomen ipsum commune sit omnibus jam dictis. Meretrix enim idem est quod quæstuaria, venditrix, mercatrix. Sic et Græcum πορνη, id est, meretrix, significat venditricem : derivatur enim à περναμαι, id est vendo. Hac ergo de causa Babylon hîc, et cap. præcedenti inducitur ut caupona, meretrix et mercatrix. Itaque sicut Isaiæ 23. 15. mercatura Tyri vocatur lenocinium et meretricium quo hîc alludit Joannes : ita ex adverso, imo à pari, meretricium Babylonis hîc ab eo vocatur mercatura ob communem utriusque analogiam. Tam enim meretrix quàm mercatrix meretur, suasque merces exponit et divendit : et quia non raro tunc, uti et nunc, eædem erant cauponæ, meretrices et mercatrices ; idque Romæ Paganæ, maxime congruit, et congruet in fine mundi. Hinc Jura prisca Romana et civilia præsumunt eam, quæ in diversorio seu caupona servit, honestam non esse. Ut enim Cicero 1. Offic. ait : *Hostis olim vocabatur peregrinus vel hospes; sed peregrinorum et hospitum mores id effecerunt ut jam hostis pro inimico sumatur ;* ita et in nomine meretricis accidisse videtur : de qua vere dixit Plautus in Truculento : *Meretricem ego esse reor mare ut est, quod omnes devorat, nunquam abundat.*

Nota secundo : Caupona est viva imago et origo cultus idololatrici, ut patet Num. 25. 1. et Exodi 32. 6. Nam idolorum templa in cavernis erant, quasi popinæ et ganeæ sacerdotum et populorum convivantium, compotantium et lascivientium cum suis veneribus, uti fecerant ipsimet eorum dii quos colebant. Pari modo ex cauponis et convivis spargitur hæresis, uti hoc sæculo vidimus ac videmus, ac spargetur rursum idololatria in fine mundi. Hac de causa Babylon meretrix significat hîc Romam idololatrantem; ita Hieron. Prado in Ezech. tom. 1. pag. 195. et alii.

Alcazar addit in voce mercatricis et meretricis notari Romanos Imperatores, Præsides et Judices, qui ob sua peculiaria lucra Christianos in jus vocabant : ut enim occuparent eorum prædia et possessiones, accusabant eos quod essent Christiani ; itaque Christianis in tribunali Gentilium, utpote hostium Christi, causa cadentibus, imo damnatis ad mortem, ipsi in eorum bona involabant. Rursum Christianas virgines in judiciis ad suam libidinem pellicere satagebant, uti Quintianus sollicitavit S. Agatham : quod si nollent, eas ad lupanar damnabant, ut iis ibidem abuti possent. Unde illa apud Tertull. Gentilium virginibus inhiantium vox : *Non ad leonem, sed ad lenonem* damnetur virgo Christiana; uti Symphorianus damnavit S. Agnetem ad lupanar, ut ibidem filius ejus amore insanus ea frui posset. Similiter in fine mundi Romani, Pagani et tyranni opibus fidelium sese ingurgitabunt, ut avari mercatores, et ut lenones suam insaturabilem libidinem cum eis explere satagent. Jure ergo mercatores vocantur, qui instar Judæ innocentum sanguinem, propter divitiarum aut libidinum compendia faciendo, venum facillimo negotio dabunt, hoc solo titulo,

quod sint Christiani, uti jam in Anglia, Scotia, aliisque hæreticis aut Paganis regnis venumdari videmus. De his enim recte dicitur : *Et mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt.* Licet et aliter, magisque proprie hæc accipi possint, scilicet *de virtute*, id est de copia, *deliciarum* quas Romam advehebant, et care vendebant *mercatores ;* harum enim venditione *divites facti sunt.* Hebr. enim חיל *chel*, cui respondet Græcum δυναμις, et Latinum *virtus*, vel potentia, significat robur, fortitudinem, exercitum, copiam, opes, et quidquid magnum est, copiosum, potens, validum aut strenuum.

Rursum, in deliciis hîc notatur luxus in marmoribus et porphyreticis columnis : in superbis et magnificis templis idolis erigendis : in simulacris aureis et argenteis mira sculpturæ varietate et ornatu distinguendis : in gemmis et margaritis pretiosissimis, quibus Venerem, Cupidinem, aliaque deorum suorum monstra decorabant : in ludis gladiatorum, comœdiis et spectaculis, aliisque similibus, quibus quasi deliciis et illecebris Romani olim homines ad cultum suorum deorum pellexerunt, et in fine mundi pellicient. Hasce enim delicias mercatores Romam advehebant, careque vendebant, itaque divites fiebant ; et rursum fient in novissimis temporibus.

4. Et audivi aliam vocem de coelo dicentem : Exite de illa, populus meus.] Monet Christianos, ut fugiant è Roma Ethnica in fine mundi, cum illa erit evertenda. Sic Isaias cap. 48. 20. monet Judæos, ut egrediantur Babylone evertenda à Cyro : *Egredimini*, ait, *de Babylone, fugite à Chaldæis.* Et Zachar. 2. 7. *O Sion, fuge quæ habitas apud filiam Babylonis.* Et Jerem. c. 50. 8. et c. 51. v. 6. *Fugite de medio Babylonis, et salvet unusquisque animam suam ; nolite tacere super iniquitatem ejus, quoniam tempus ultionis est à Domino, vicissitudinem ipse retribuet ei ;* quo allegorice hîc alludit S. Joannes. Sic Christus præmonuit fideles, ut è Jerusalem obsidenda et vastanda per Titum fugiant. Matth. 24. 15. *Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto ; tunc qui in Judæa sunt fugiant ad montes ;* ita Ribera, Viegas et alii.

5. Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad coelum.] Pro *pervenerunt* græce est ηκολουθησαν, q. d. Peccata Babylonis alia ex aliis sequentia, in eum cumulum excreverunt, ut usque ad cœlum pertingant ; unde alii legunt εκολληθησαν, id est *adhæserunt*, concreverunt, conglobata sunt usque ad cœlum, quasi alludat ad fabros turris Babel dicentes : *Faciamus nobis civitatem et turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum*, Genes. 11. 4. Sensus est, q. d. Babylonis peccata tot tantaque sunt, ut clament vindictam in cœlum, quam proinde ultra differre non possum.

6. Reddite illi, sicut et ipsa reddidit vobis.] Alludit ad Jerem. 50. 29. ubi de Babylone dicitur Cyro, Medis et Persis : *Reddite ei secundum opus suum ; juxta omnia quæ fecit, facite illi.* Et c. 51. 49. *Et quomodo fecit Babylon ut caderent occisi in Israel, sic de Babylone cadent occisi in universa terra.*

In poculo, quo miscuit, miscete illi duplum.] Est metaphora à calice, qui à præfecto convivii cuique convivæ, prout ei convenire et placere sciebat, temperabatur et propinabatur ; sic enim Deus cuique suum calicem, id est sortem, pro meritis cujusque attemperat et propinat. Calix ergo hîc, uti et alibi sæpe, significat mensuram vindictæ et tribulationis, quam Deus cuique peccatori miscet, id est, pro mensura peccatorum admetitur et irrogat. Solebant enim veteres in calice, quem cuique dabant vel propinabant, miscere vino aquam, tum refrigerii, tum sanitatis, tum sobrietatis causa : inde miscere subinde idem est quod infundere et propinare, sive merum, sive dilutum, ut apud Juvenalem :

> Nescit tot millibus emptus
> Pauperibus miscere puer.

Et apud alium :

> Qui raptus ab alite sacra,
> Miscet amatori pocula grata suo.

Sic proverb. 9. 2. dicitur : *Miscuit*, id est infudit, *vinum. Miscete* ergo hîc idem est, quod infundite, propinate illi vinum iræ Dei, id est, affligite illam in *duplum*, non ejus quod ipsa commeruit : pœna enim Dei culpam hominis nunquam excedit, imo punit Deus citra condignum ; sed in *duplum* ejus, quo ipsa vox afflixit, q. d. Duplo magis affligite, ô Sancti et fideles mei, Babylonem, id est Romam infidelem, quàm ipsa vos afflixerit. Culpa enim qua vos afflixit, quia non tantum vos, sed et Deum ipsum offendit, et quasi læsit, ideoque fuit crimen læsæ majestatis divinæ ; hinc non simplicem, sed duplicem, id est gravem et multiplicem, imo non tantum pœnam terrestrem et temporalem, sed et infernalem ac æternam meretur. Affligite, inquam, illam, id est, afflictam à me gaudete et approbate : quod enim ego pro vobis, ut scilicet vestras injurias vindicem, facio ; hoc vos censemini facere, præsertim quia hanc justam vindictam à me exposcitis, ut patet c. 6. 10. egoque eam exerceo vestris precibus adductus et permotus. Quia ergo ego vestro nomine et causa Babylonem affligo, hinc vos censemini eam affligere ; et quia gaudetis, et quasi insultatis afflictæ, etiam revera affligitis eam. Sic alibi sæpe per hebraismum, verba activa transitiva et realia capiuntur pro activis mentalibus : ut facio pro facere cogito, volo, destino, desidero, gaudeo, uti dixi can. 29. proœm. in Prophetas.

7. Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.] Syrus : *Quantum complacuit sibi in deliciis esse, totum hoc date illi corruptionem et mœrorem ;* Arabicus eleganter : *Gloriam in qua facta est* (fuit) *et lusum date illum ei* (convertite ei in) *dolorem cordis et luctum.* Nota, *date tantum* scilicet in hac vita : loquitur enim de excidio Romæ et Romanorum in hac vita, ut patet ex sequent. potest tamen idipsum accipi de futura vita : sed tunc *quantum* non arithmetice, sed geometrice, id est, non æquali sed proportionali mensura accipiendum et demetiendum est. q. d. Tantum illi date pœnarum, quantum commeruit suis deliciis illicitis, quæ fuerunt maximæ. Pœna enim inferni longe major est deliciis hujus vitæ : proportionaliter tamen illis respondet ; minor scilicet minoribus, major majoribus, maxima maximis deliciis et peccatis. Idem et magis discendum est de gloria cœlesti, respectu bonorum operum et meritorum. Deus enim est liberalior in præmiando bona, quàm in puniendo mala : sicut ergo mala punit citra condignum ; ita bona præmiat longe supra condignum. Hinc Gregor.

de Valentia 3. p. de beat. et damnat. corporibus disp. 11. q. 5. puncto 3. probat corpora damnatorum in singulis sensibus crucianda esse : quia in singulis suas habuerunt lethiferas delicias. Itaque visus eorum patietur à terribilibus spectaculis et spectris dæmonum : auditus ab ejulatibus : odoratus à sulphure et pessimis fœtoribus, qui existent in ipsis etiam eorum putridis corporibus : gustus ab aliquo fœtido oris humore : tactus ab igne.

Moral. disce hìc quàm noxia et fallax sit voluptas, utpote quæ cum exiguo melle ingens fel afferat; scribit Olaus Magnus lib. 18. histor. Septemtr. c. 14. ursos in Russia hac arte capi et necari : Apes, inquit, in Russia ad cavas arbores mellificant; ursi, quia mellis avidissimi, in eas insiliunt : venatores clavam ligneam ferreis cuspidibus circumdatam super foramen egredientium apum, ex altiori ramo suspendunt : hæc à scandente urso agitata decidit, et caput ursi, quod debilissimum habet, obterit : ita melle mortem sibi accersit. Idem faciunt voluptuarii. Rursum sicut scarabæi vivunt in stercore, moriuntur in rosis, teste Ælìano libr. 4. c. 18. ita et voluptuarii vivunt in sordibus. Talis fuit Constantinus Copronymus, id est stercorarius, Imperator, qui tantopere sordibus delectabatur, ut animalium brutorum stercoribus se illineret, et suos idem facere juberet, inquit Theosterictus in Niceta. Potus aquæ pellucidæ elephantis inimicissimus est, turbulentam et sordidam avidissime bibunt, ait Ælian. libr. 17. c. 7. Ita voluptatis aucupes *vivunt cœno, non cœlo.* Tertio, Strabo lib. 12. scribit Septempaganos mel legere ex foliis arborum, quod homines facit insanos : cum enim hoc Pompeii militibus propinassent, mente emotas tres ejus cohortes conciderunt. Talis est voluptas : *Impia sub dulci melle venena latent.* Eadem similis est Gelopum fonticulo, qui habet aquas pellucidas, sed quisquis ex eis biberit, mox emoritur, de quo Aristot. in Admirandis. Idem est voluptatis auctoramentum. Quarto, voluptatis symbolum est Siren, quæ superne formosæ mulieris speciem gerens, omnes ad se allicit; sed inferne in horridum anguem et draconem desinit, qui sua cauda accedentes implicat et necat. Rursum ejusdem symbolum est pardalis, sive panthera, quæ sua pelle variegata, et odore suavi ad se allicit hinnulos, capras et dorcades; accedentes capit et vorat. *Fera*, inquit Plutarch. libro Contra volupt. *est sibi mancipans homines voluptas; sed mitis : nam si aperte pugnaret, cito caperetur. Nunc autem etiam ideo invisa magis, quod celat inimicitiam, induta habitum benevolentiæ.* Quinto, ejusdem symbolum est amasia, quæ Menippum spe conjugii demulcebat, omnibusque officiis sibi devincire satagebat, ut eum caperet et devoraret : quod facere dicuntur larvæ, quæ vocantur Empusæ. Rem narrat Philostr. libr. 8. Vitæ Apollon. cap. 4. et Delrio in Magicis. Quocirca Romani coluerunt deam Volupiam, quasi voluptatum hominumque dominam, teste sancto August. lib. 4. de Civit. Dei cap. 8. Sexto, Cicero lib. de Senectute : *Divine*, ait, *Plato escam malorum voluptatem appellat. In voluptatis regno virtus non potest consistere.* Idem in Partit. *Voluptas maxime est inimica virtuti, bonique naturam fallaciter imitando adulterat.* Idem lib. 3. Offic. *Omnis voluptas honestati est contraria.* Idem. lib. 1. de Legib. *Voluptas malorum omnium mater.* Septimo, S. Ambros. epist. 25. ad Eccl. Vercell. ait voluptatem esse serpentem pessimum, fuisseque primum dæmonis spiculum, quo Christum tentans impetiit, et Adamum paradiso expulit; ubi et citat hanc Epicuri sententiam : *Non immoderatæ epulæ, non potationes, voluptatis suavitatem generant, sed continens vita.* Idem lib. 6. in Lucam, voluptuarios ait esse porcis similes, quia in aquis suffocantur. Idem lib. 7. *Est*, ait, *lenocinantis quidam laqueus voluptatis, qui nostrorum vestigiis animorum quædam vincla subnectat, ut si igneum vigorem, puritatemque naturæ, terrenæ materiæ sensus hebetaverit luxuriæ pretio sæcularis addictum, sub quadam vitiorum auctione constituat.* Octavo, sanctus Chrysost. homil. 1. in Genes. *Voluptas*, ait, *brevis est et temporaria; dolor autem perpetuus et fine carens.* Idem conc. 1. de Lazaro : *Si quis*, ait, *in annis centum vidisset per unam noctem suave somnium, multisque deliciis per somnium fruitus, centum deinde annis puniretur; num is de hoc dicere posset, unicam noctem qua somniavit centum annis æquiparari? Dictu absurdum. Hoc jam et de futura vita cogita. Nam quod est somnium unum ad centum annos, hoc est præsens vita ad vitam futuram, imo multo minus. Quod est exigua gutta ad pelagus immensum, hoc sunt mille anni ad futuram illam fruitionem : quantumque interest inter somnia et res veras, tantum interest inter hujus vitæ statum et illius.* Et paulo post : *Voluptas temporaria est, dolor vero perpetuus, timor undique ac tremor, suspicio et anxietas, angelos metuit, umbras ipsas formidat*, etc. Cum ergo voluptas te ad suas cupedias sollicitat, responde quod vulpes leoni ad suam speluncam invitanti : *Vestigia ingredientium multa video, regredientium nulla.* Et quod asinus apud Phædrum lib. 5. 85. hero jubenti sibi reliquias hordei dari, quas porcellus recenter mactatus consumere nequiverat :

> Tuum libenter appeterem cibum,
> Nisi qui nutritus illo est, jugulatus foret.

Sedeo regina.] Hinc patet Romam in fine mundi ad pristinum imperii splendorem, opes, vires et pompam redituram, ut sit, sicut olim fuit, regina orbis et domina mundi. Unde et decem reges orbis dominos, sibi habebit aut subditos, aut devinctos, ut patet ex v. 3. ubi bestiæ decem cornibus (id est regibus) cornutæ ipsa insidere et præsidere dicitur, quos, aliosque vino suæ fornicationis inebriavit. Ili tamen eam postea impugnabunt, vastabunt, ejusque imperium divident, subdentque Antichristo, ut dixit c. 17. 16. Dicit ergo Roma infidelis : *Sedeo Regina*, q. d. Quamvis Pontificem, qui vir meus erat, ejecerim, non sum tamen vidua, sed plena populo. Ad hæc rege careo, sed eo magis ego ipsa sum regina, cum tot reges mihi pareant, ego nulli. Alludit ad veterem Babylonem, de qua idem ad verbum dicit Isaias c. 47. 8.

Et luctum non videro,] non sentiam, non experiar. Est catachresis.

8. Ideo in una die venient plagæ ejus, mors, et luctus, et fames,] scilicet, ut alios Babylonis cives tangat mors, alios luctus, alios fames : neque enim fames tangere potest eum, quem mors jam tetigit et occidit, licet quem fames tangit, hunc et mors tangat. In hac ergo meretrice verum erit vetus adagium : *Ubi uber, ibi*

tuber ; ubi mel, ibi fel ; ubi montes, ibi valles ; ubi aurum, ibi ærugo et scoria, q. d. Ubi libido, ibi lues ; ubi voluptas, ibi dolor ; ubi fastus, ibi contemptus ; ubi avaritia, ibi sordes ; ubi saturitas, ibi fames ; ubi crapula, ibi mors.

Et fames. Nota : Apta et congrua pœna gulæ et deliciarum Babylonis est fames ; tum quia Deus juste et congrue punit homines in eo in quo peccaverunt ; tum quia gula deterit et exhaurit opes, hominesque redigit ad egestatem et famem. Narrat Plinius gallinæ carnes consumere aurum. Sic enim ait l. 29. 4. *Non præteribo naturæ miraculum. Si auro liquescenti gallinarum membra misceantur, consumunt id in se ; ita hoc venenum auri est.* Mirum hoc est, si verum est ; et symbolice apte significat quod splendide et delicate epulantes suum aurum consumant, suaque patrimonia dissipent.

Quia fortis est Deus.] Aliqui putant hîc finiri vocem de cœlo, quæ cœpit v. 4. Joannem vero suis verbis hîc eam prosequi, et fusius explicare cladem et lamenta excidii Romæ. Verum verius est et planius vocem cœlestem v. 4. cœptam hîc continuari usque ad v. 21. omnia enim hæc ita connexa sunt, itaque fluit tota oratio, ut unius ejusdemque esse videatur ; ita Alcazar.

9. Et flebunt, et plangent se super illam reges terræ.] *Reges*, scilicet decem illi qui Romam vastabunt et incendent, ait Ribera. Solent enim ingentes calamitates et clades, etiam ipsis victoribus compassionem, luctum et mœrorem afferre. Aut potius, alii reges, et principes minores qui in fine mundi erunt. Licet enim tunc decem tantum reges primarii et potentiores in orbe sint futuri, plures tamen erunt reges, id est reguli et principes, qui videntes à decem regibus expugnatam et vastatam Romam, timebunt ne et ipsi ab eis, atque ab Antichristo eorum domino, monarchiam ambiente repugnentur et vastentur.

Porro alludit ad Ezech. 27. 29. ubi ad finem capitis, similia sunt principum, mercatorum et nautarum lamenta et threni ob excidium Tyri. Tyrus enim opibus et mercibus, et luxu inclyta typus fuit Romæ. Tropol. Alcazar : In regibus, ait, notatur superbia ; in mercatoribus avaritia ; in nautis, id est infima plebe, libido : hanc enim significat Græcum ἐρρηνιασε, quo et Paulus utitur 1. Timoth. 5. 11. ubi Interpres vertit : *cum luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt.* Hi flebunt in morte, cum cuique suæ deliciæ, suaque cupido, et quasi idolum auferetur.

11. Et negotiatores terræ flebunt, quoniam merces eorum nemo emet amplius.] Non quod aliæ civitates non possint multa ab iis emere, aut non sint empturæ, sed quod tantum pretiosissimarum mercium nulla alia civitas consumere, aut coemere possit, quantum Roma, ita inclyta, ait Ribera.

12. Et omne lignum thyinum.] *Thyinum*, id est odoratum, à θυω, id est, odorem emitto vel suffio, ut respondeat Hebr. *almuggim* quod Noster 3. Regum 10. 2. vertit *thyina ;* vel, quod idem esse videtur per metathesin, *algummim.* Videtur enim dici *almuggim*, ab אלה *ela*, id est quercus, vel arbor ; et מוג *mog*, id est liquescens, vel stillans resinam odoratam : *algummim* vero, quasi *ela*, id est, arbor *gummi* vel resinæ. Hebræi enim vocem *gummi*, uti et *suc*, id est saccus : *keren*, id est cornu ; *ab* et *abba*, id est pater, aliasque plures transfudisse videntur in omnes linguas : licet ipsa vox *gummi* non exstet hebr. in S. Script. Porro, *algummim* noster Interpres cum Josepho et Septuag. 2. Paral. 2. 8. vertit *pinea*, uti ut *almuggim* vel *algummim* et Græcum *thyinon*, generale sit nomen, et significet omnia odorata et resinosa ligna, sive pinea sint, sive cedrina, sive cypressina, sive alia. Unde additur hîc vox *omnis ;* ait enim, *omne lignum thyinum.* Ita Anton. Nebriss. in Quinquagena cap. 1. Hinc Syrus pro *lignum thyinum*, vertit, *lignum aromatis*, vel *suavitatis*, id est suavis odoris.

Potest tamen secundo, cum Ribera, per *thyinum* accipi certum genus ligni, ita dictum à thuia, vel thyia arbore odorata, quæ forma, folio, caudice et fructu similis est cupresso : ex cujus ligno, utpote immortali, et contra omnia vitia incorrupto, solebant fieri veterum templorum contignationes (uti etiamnum apud Turcas fiunt) ; ita Theophrast. l. 5. Historiæ plant. cap. 5. et Plinius lib. 13. cap. 16. Auctor recens Historiæ plantarum, puta Rodivillius, ponit quatuor ejus species lib. 1. cap. 16.

13. Et cinnamomum.] Complut. et alii codices addunt, *et amomum*, qui est frutex in Assyria et Armenia, habens florem instar candidæ violæ, colorem ad aurum inclinantem, lignum, rufescens, odorem suavissimum. Unde Lactant. in phœnice :

> Cinnama dehinc, auramque procul spirantis amomi
> Congerit,

ut iis nidum, semetipsumque comburat. Quin et Ovidius lib. 5. Metamorph. ait phœnicem amomi succo vivere. Verum amomum hîc nec habent Biblia Romana, nec Græca.

Et mancipiorum.] Græce σωματων, id est corporum. Ita vocabantur servi, quasi jumenta corporea ; liberi vero vocabantur ψυχαι, id est animæ, de quibus subdit :

Et animarum hominum,] id est, et vitarum hominum, quos scilicet Romani emebant, et rursum in fine mundi ement, ut vel eum gladiatoribus, vel cum bestiis in circo depugnent. Ex hisce omnibus patet Romam in fine mundi iterum florentissimam, potentissimam, opulentissimam et deliciosissimam fore.

14. Et poma desiderii animæ tuæ discesserunt a te.] Alcazar per *poma* accipit *occasionem :* Græcum enim οπωρα significat proprie occasionem et opportunitatem ; indeque tempus fructuum, puta autumnum : at tandem ipsos fructus et poma. Sensum ergo dat, q. d. *Poma desiderii*, id est fructus, quem tuorum oculorum concupiscentia præoptabat, exaruit prorsus, et occasio è manibus elapsa est. *Et omnia pinguia et præclara perierunt à te.* Id est, jam tua illa optima lucra et compendia fecere naufragium : nec reliquum erit quidquam deinceps, unde expetitum illum succum, quo impinguari et locupletari te posse putabas, posthac valeas exugere. Verum, esto Græcum οπωρα verti possit occasio, Latinum tamen *poma* ita verti nequit. Quis enim unquam pomum accepit pro occasione ? Porro inter alias Romæ delicias numerat *poma desiderii*, id est desiderabilia, quia Italia et Roma pomis aureis, limonibus, malogranatis, persicis, citriis, aliisque abundat, ita ut horti hisce consiti referant paradisum terrestrem. Nam et arborum folia jugiter, tam hieme, quàm æstate virent, imo virore suo

lucent et splendent instar laurorum : et flores mire, instar aromatum, redolentes proferunt; et fructus producunt, qui et oculos viridi, croceo aureoque colore, et nares odorato suavissimo, et gustum sapore pergrato mulcent et pascunt. Ac, quod mirum est, in una eademque arbore uno eodemque tempore delectabit te et frondium viror fulgorque, et florum albo roseoque colore vermiculantium color odorque, et simul fructuum horum gemmantium, illorum virescentium, istorum maturescentium, aliorum maturorum, species, variusque et multiplex decor. Taceo ficus biferas (nam et hæ, omnesque fructus molliori cortice, vocantur poma) olivas, cinaras, melones, cucumeres, cucurbitas, etc., quibus Roma et Italia præ aliis provinciis abundat : quæ ita Italis, etiam primoribus, gratæ sunt, ut iis plerique quam carnibus vesci malint. Ita Pompeius in triumpho ostentavit montem aureum quadratum, cum cervis et leonibus, et pomis omnis generis, circumdata vite aurea, ait Plinius lib. 37. c. 11. Sed tandem glebam terræ in alieno littore interfectus desideravit, qui poma et montes, imo mundos aureos ostentavit in triumphis. Rursum Narses eunuchus, qui Totilam debellavit, ab æmulis accusatus, à Sophia Justini Imp. uxore à sceptris ad lanæ pensa in gynæceum revocatus, dixit se Justino et Sophiæ eam telam orsurum, quam minime possent detexere. Ergo Longobardos à sterili Pannonia in fertiles Italiæ campos invitans, misit ex eodem solo lectissima poma, quorum specie capti Longobardi in Italiam magnis copiis penetrarunt. Ita Paulus Diaconus lib. 1. de Gestis Longobard. cap. 5. Licet hanc historiam enervare, et Narsetem ab omni proditionis crimine purgare contendat Baronius anno Christi 567.

Vox *desiderii* innuit ingentem cruciatum : quæ enim valde desiderantur, si pereant, valde cruciant ; quia quæ possidentur cum amore, perduntur cum dolore. Hinc ex adverso *non est in carendo difficultas, nisi cum est in habendo cupiditas ; et ideo id solum recte diligitur, quod nunquam bene amittitur*, ait S. August. in Sententiis num. 264. Quocirca sapienter monet S. Bernard. epist. 103. *Beatus*, inquit, *qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant.*

17. QUONIAM UNA HORA DESTITUTÆ SUNT TANTÆ DIVITIÆ.] Græce ηρημωτη ο πλουτος, id est, destructæ et in nihilum redactæ sunt tantæ opes. Ita Aretas et Primas. Secundo, Vatablus vertit : *Desolatæ sunt tantæ opes ;* et ita vertit Noster v. 19. Tertio, Noster hîc vertit : *Destitutæ sunt tantæ divitiæ : destitutæ*, id est possessoribus orbatæ, inquiunt Ribera et Alcazar, occiso enim vel abducto possessore destituitur et derelinquitur ejus possessio, domus, agri et opes.

ET OMNIS QUI IN LACUM NAVIGAT.] Quales multi in Italia, et juxta Romam sunt, unde pisces advehuntur. Græcum enim πλοιον magis parva navigia significat, qualia sunt in lacubus ; et quia paulo post de marinis sequitur : *Et quia in mari operantur.* Recte ergo Noster hæc de lacubus accipit, licet id in Græco, diserte non exprimatur.

20. EXULTA SUPER EAM CŒLUM, ET SANCTI APOSTOLI, ET PROPHETÆ : QUONIAM JUDICAVIT DEUS JUDICIUM VESTRUM DE ILLA.] Syrus vertit : *Jucundamini super eam, cœli, et angeli, et Apostoli et Prophetæ ; quia judicat Deus judicium vestrum die illa*, id est, quia justam pro vobis, vestraque lite et causa (hanc enim metonymice significat *judicium ;* quia lis et causa in judicio agitur et tractatur) tulit sententiam contra illam, q. d. Deus justo judicio vobis causam adjudicavit, definivitque vestram causam esse justam, Babylonis vero, id est Romanorum infidelium, injustam, scilicet vos insontes et innoxios ab injustis Romanis tyrannis esse occisos. Romæ enim occisi sunt S. Petrus et Paulus, S. Joannes in dolium ferventis olei projectus est, ac deinceps multa Martyrum millia tum Romæ, tum per totum orbem edicto Romanorum Imper. occisa sunt. Quia ergo Roma olim persecuta est Apostolos, Prophetas (non priscos et Judaicos, sed legis novæ, quales fuerunt Apostoli eorumque posteri) et fideles, rursusque eos cum Pontifice in fine mundi persequetur ; hinc Deus exscindet illam : puniet enim prisca Romanorum peccata, impleta eorum mensura in fine mundi ; unde gravius punientur Romani tunc futuri, quàm puniti fuissent, si similia priscorum Romanorum peccata non præcessissent. Erunt enim ipsi priscorum posteri (utpote incolæ et cives ejusdem urbis Romæ, quidam etiam à priscis illis prognati, eorumque nepotes) et asseclæ ; quia eorum scelera probabunt, laudabunt, reque ipsa sequentur et imitabuntur. Volent enim æmulari gesta et gloriam Cæsaris, Pompeii, Trajani, Decii, Diocletiani, atque veteris Romæ fumos, et nomina vana Catonum, etiamnum aliquos priscis hisce Romanorum fumis pasci et gloriari videmus. Quocirca Deus in iis majorum peccata puniet ; quia illis, propter approbationem et imitationem, majorum peccata imputabuntur : gravius ergo punientur quàm si soli peccassent ; quia et gravius peccabunt, eo quod illis placebunt scelera majorum, eaque æmulari volent, ut Romæ pristinum sub gentilismo splendorem, pompam et imperium restituant : itaque audacius et impudentius peccabunt, dum facere non timebunt ea, quæ Deo in majoribus suis displicuisse animadvertent. Et quia cum novis, vetera etiam Babylonis peccata luenda erant, Joannes quasi de re jam diu gesta dixit cap. 16. vers. 19. *Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus. In memoriam venit :* quia jam vetera ejus scelera oblivioni data erant, propter Christi fidem, quam amplexa erat ; sed postea novis similibusque accedentibus, priora revocantur in Dei memoriam. Hoc est quod ait hîc vers. 5. *Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum, et recordatus est Dominus iniquitatum ejus.* Quare sicut Jerusalem implevit mensuram peccatorum patrum suorum, atque tam pro priscis patrum, quam pro novis suis peccatis punita est, cum eam excidit Titus, uti prædixit Christus Lucæ 19. vers. 42. Ita fiet et Romæ. Sic Judæi, qui non descendunt ex Cain, quia tamen ejus parricidium imitati sunt, occidendo Christum et Apostolos, audierunt à Christo : *Et vos, implete mensuram patrum vestrorum*, etc., *ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ.* Vide quæ in simili de Amorrhæis dixit Genes. 15. vers. 16. et de Judæis Deuter. 5. 9.

21. ET SUSTULIT UNUS ANGELUS FORTIS LAPIDEM QUASI MOLAREM (græce λιτον ως μυλον, id est lapidem quasi molam, id est molarem) MAGNUM,

ET MISIT IN MARE, DICENS : HOC IMPETU MITTETUR BABYLON CIVITAS ILLA MAGNA, ET ULTRA JAM NON INVENIETUR.] Primo, Alcazar : Significatur, inquit, quod Roma nunquam sit reversura ad idololatriam et ethnicismum ; hîc enim vocatur Babylon. Sic ait Michæas cap. 7. 19. *Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.*

Secundo, Aureolus : Hic, inquit, angelus est Godefridus Bullonius, qui dux fuit Cruciatæ, id est exercitus recuperantis terram sanctam. Hic copias Saracenorum quasi lapidem molarem in mare compulit, ut in eo mergerentur. Hic cepit Babylonem, id est Jerusalem, in qua regnabant Saraceni. Unde factus est primus è Christianis rex Hierosolymorum.

Verum dico hunc angelum fuisse verum et proprium, qui per visionem videbatur S. Joanni projicere lapidem molarem magna vi et impetu in mare, ac dicere : *Hoc impetu mittetur Babylon*, id est cives Babylonis, puta Romani, mittentur magno impetu, sonitu et fragore, qualis esse solet lapidis molaris cadentis in mare. At quo mittentur ? in abyssum, id est in infernum. Unde Arabicus vertit : *Sic casu cadet Babylon, et projicietur in lacum magnum, profundum ; et civitas magna non invenietur postea* (ultra.) Nota : Passim hoc cap. S. Joannes alludit, imo allegorice citat ea quæ de clade veteris Babylonis scripserunt Isaias cap. 13. et Jeremias cap. 51. vers. 6. 7. 8. 37. 45. 48. 51. 58, 63. 64. Hîc ergo alludit ad vers. 63. ubi sic ait : *Cumque compleveris legere librum istum, ligabis ad eum lapidem, et projicies illum in medium Euphratem, et dices : Sic submergetur Babylon, et non consurget à facie afflictionis, quam ego adduco super eam, et dissolvetur.* Simile est quod de Phocensibus scribit Herodot. lib. 1. eos se diris devovisse, si quando de patria repetenda cogitarent, nimirum saxum in mare demersisse, seque exsecratos esse si in patriam redirent, antequam saxum illud ad summas aquas enataret. Sic et Romani jurabant Jovem lapidem ; tenentes enim projicientesque lapidem, dicebant : *Si sciens fallo, tunc me Diespiter, salva urbe arceque bonis ejiciat, uti ego hunc lapidem.*

22. VOX MOLÆ NON AUDIETUR IN TE AMPLIUS,] quia nemo erit qui molat, q. d. Romæ erit summa solitudo et vastitas ; unde sequitur : *Lux lucernæ non lucebit in te ; vox sponsi et sponsæ non audietur in te.* Hisce enim phrasibus et exemplis, Prophetæ solent significare extremam desolationem et vastitatem.

23. QUIA MERCATORES TUI ERANT PRINCIPES TERRÆ.] q. d. Principes et reges exteri terræ, pretiosa quæque Romam mittebant lucri gratia, ut scilicet ea ibidem divenderent. Ita Ribera.

Secundo, q. d. Principes tui, et consequenter principes orbis, vacabant mercaturæ, serviebant quæstui et lucro, uti Vespasianus qualibet ex re, etiam sordida, captabat lucrum, dictitans : *Qualibet ex re bonum esse odorem lucri*, teste Suetonio in ejus vita cap. 4. Similes fuerunt Domitianus, Nero, Caligula, Pertinax, et alii. Ita Pineda lib. 4. de Rebus Salomonis cap. 23. Notat ergo inexplebilem Gentilium Imperatorum et procerum Romanorum avaritiam, opes et fastum, quæ fuit prima causa excidii Romæ. Secundam subdit, dicens : *Quia in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes.* Tertiam deinde subjungit, dum ait : *Et in ea sanguis Prophetarum et Sanctorum inventus est.*

QUIA IN VENEFICIIS TUIS ERRAVERUNT OMNES GENTES.] Veneficia vocat peccati illecebras, opes, præmia et honores, quibus Roma Pagana omnes dementabat, et ad idololatriam, aliaque scelera pelliciebat. Alludit ad Sirenes, quæ suo cantu ; et ad sagas, quæ suis præstigiis et incantationibus fascinant, dementant, et in interitum agunt homines.

24. ET IN EAS SANGUIS PROPHETARUM ET SANCTORUM INVENTUS EST, ET OMNIUM QUI INTERFECTI SUNT IN TERRA.] Ex voce *omnium*, Beda, Aretas et alii contendunt, per Babylonem intelligi debere non Romam, sed totum mundum, et cœtum impiorum ; quia, inquiunt, non omnes Sancti cæsi sunt Romæ, sed multi alibi, idque sparsim per totum orbem. Verum Respond. Romanos hîc dici occidisse omnes, id est fere omnes, plerosque omnes martyres ; quia Romani toto orbe dominabantur, et per suos præsides suaque edicta has cædes toto orbe exercebant. Idem facient in fine mundi. Quod enim quis facit per alium, hoc per seipsum facere videtur, ut habet Regula Juris. Rursum, princeps qui non impedit malum et injuriam, cum potest, eamdem inferre censetur. Romani ergo rerum domini, non impedientes lanienam Christianorum, quæ toto orbe eis subjecto fiebat, imo eam foventes et præcipientes, eamdem effecisse censendi sunt.

Moral. vide hîc quam brevis et infelix sit finis regni Babylonis, id est infidelitatis, impietatis et mundi. Ubi nunc Julius Cæsar ? ubi Sylla ? ubi Pompeius ? ubi Augustus ? ubi Nero ? ubi Trajanus ? ubi Decius ? ubi Diocletianus ? periit memoria eorum cum sonitu, et descenderunt in infernum viventes. Ubi Ninive ? ubi Babylon ? ubi Ecbatana ? ubi Susa ? ubi Memphis ? ubi Sparta ? ubi Jerusalem ? ubi Gentilis Roma orbis domina ? Corruit, et Romæ Roma sepulta jacet, nimirum Roma Christiana sepelivit et calcat Romam Ethnicam. Ita eamdem calcabit in fine mundi.

Vide quam pompa omnis in fumum abeat, quam gloria in ignominiam, opes in nihilum, plausus in planctum desinat : quam luxus in lutum, imo luctum, deliciæ in sordes, voluptates in tormenta vertantur ; nimirum extrema gaudii luctus occupat. Sic transit gloria mundi. Babylon ex cœlo in cœnum, ex cœno in orcum ruit. Ubi nunc ejus calix aureus ? ubi vinum prostitutionis quo inebriavit gentes ? ubi fasces ? ubi sceptra ? ubi cornua ? ubi diademata decem ? evanuerunt, transierunt ut umbra, facta sunt esca vermium, pabulum dæmonum, folles et fomenta gehennæ. O quam inane, quam breve, quam fallax, quam spurcum, quam exitiale est omne mundi gaudium ! Qui hæc legis, qui intelligis, qui sapis, cave illecebrosum voluptuarium Babylonis calicem, fuge ejus mella quæ in fella vertuntur, ride et despice honorum et dignitatum titulos quos offert ; quia nil nisi puerorum crepundia et bullæ sunt, imo bullis et fumo vaniores et inaniores. Vive ergo, non Babyloni, sed Ecclesiæ ; vive, non voluptati, sed virtuti ; vive, non mundo, sed Deo ; vive non tempori, sed æternitati.

CAPUT DECIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Post purpuratæ meretricis, puta Babylonis, excidium et damnationem, describitur hic coelitum ingeminantium Alleluia, gaudium et gratulatio, tum de ejus damnatione, tum quod dies nuptiarum Agni, et retributio Sanctorum adventet. Deinde, v. 10. Joannes angelum hæc nuntiantem adorare vult, sed ab eo prohibetur. Tertio, v. 11. Christus habens in femore scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium, gaudium ore vibrans, regali gloria et pompa cum exercitu coelitum albatorum venit, ut Sanctos in fine mundi contra Antichristum pugnantes tueatur, utque Antichristum cum suis perdat et occidat; quocirca, v. 17. angelus invitat aves ad coenam magnam, ut cæsorum carnes devorent. Hinc quarto, v. 19. Antichristus et ejus præcursor, sive pseudopropheta, vivi a terra absorbentur: reliqui ejus asseclæ, puta decem regum exercitus, cum Gog et Magog occiduntur.

1. Post hæc audivi quasi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium: Alleluia: Salus, et gloria, et virtus Deo nostro est. 2. Quia vera et justa judicia sunt ejus, qui judicavit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua et vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus ejus. 3. Et iterum dixerunt: Alleluia. Et fumus ejus ascendit in sæcula sæculorum. 4. Et ceciderunt seniores viginti quatuor, et quatuor animalia, et adoraverunt Deum sedentem super thronum, dicentes: Amen: Alleluia. 5. Et vox de throno exivit, dicens: Laudem dicite Deo nostro, omnes servi ejus, et qui timetis eum, pusilli et magni. 6. Et audivi quasi vocem turbæ magnæ, et sicut vocem aquarum multarum, et sicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium: Alleluia; quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. 7. Gaudeamus, et exultemus, et demus gloriam ei; quia venerunt nuptiæ Agni; et uxor ejus præparavit se. 8. Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti et candido. Byssinum enim justificationes sunt Sanctorum. 9. Et dixit mihi: Scribe: Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt, et dicit mihi: Hæc verba Dei vera sunt. 10. Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum. Et dicit mihi: Vide ne feceris; conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Deum adora. Testimonium enim Jesu, est spiritus prophetiæ. 11. Et vidi cœlum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis et Verax, et cum justitia judicat, et pugnat. 12. Oculi tamen ejus sicut flamma ignis, et in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse. 13. Et vestitus erat veste aspersa sanguine: et vocatur nomen ejus, Verbum Dei. 14. Et exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo et mundo. 15. Et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat Gentes. Et ipse reget eas in virga ferrea: et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. 16. Et habent in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium. 17. Et vidi unum angelum stantem in sole, et clamavit voce magna, dicens omnibus avibus, quæ volabant per medium cœli: Venite, et congregamini ad cœnam magnam Dei. 18. Ut manducetis carnes regum, et carnes tribunorum, et carnes fortium, et carnes equorum, et sedentium in ipsis, et carnes omnium liberorum, et servorum, pusillorum, et magnorum. 19. Et vidi bestiam, et reges terræ, et exercitus eorum congregatos, ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo, et cum exercitu ejus. 20. Et apprehensa est bestia et cum ea pseudopropheta: qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, et qui adoraverunt imaginem ejus. Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure. 21. Et cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius; et omnes aves saturatæ sunt carnibus eorum.

1. Post hæc audivi quasi vocem turbarum multarum.] Male Ambrosius et Beda legunt, *tubarum multarum:* græce enim est ὀχλου πολλου. Significatur hac voce cœlitum multitudo, communisque omnium gratulatio et exultatio.

Alleluia.] Hebraice הללו יה *hallelu ia*, id est laudate Deum (*ia* enim est abbreviatum *Jehova*) læta et alta voce jubilando. Alleluia enim continet acclamationem cum exhortatione, aiunt Ribera, Viegas et Alcazar.

Salus.] Ita Romana et Græca, non *laus*, uti legendum vult Ribera. Sensus est, q. d. Salus nostra, qua à persecutione Babylonis, id est Romæ Paganæ, ea excisa liberati sumus, indeque consequens *gloria*, tum Dei, tum nostra: ac *virtus*, græce δυναμις, id est robur et potentia, qua hanc victoriam et salutem nobis peperit: non nobis, nostrisque viribus, sed Deo nostro accepta ferenda et tribuenda est. Alcazar addit, και η τιμη, id est, *et honor*, ut hæc quatuor elogia respondeant quadruplici *Alleluia*, de quo mox. Sed illud nec habent Romana, nec Complut. Symbolice, salus et victoria attribuitur Patri, gloria redemptionis Filio, virtus sanctificandi et beatificandi Spiritui sancto.

2. Quæ corrupit terram in prostitutione sua,] in sua idololatria, aliisque sceleribus. Vide dicta cap. 17. 2.

3. Et iterum dixerunt : Alleluia.] Nota : Cœlites ex ingenti devotionis et exultationis affectu quatuor ingeminant Alleluia, scilicet : primum, vers. 1 ; secundum, vers. 3 ; tertium, vers. 4 ; quartum, vers. 6.

Et fumus ejus, scilicet Babylonis incensæ cap. 18. ascendit in sæcula sæculolum,] quasi dicat : Laudant Deum canendo Alleluia, *et*, id est *quia*, Babylonis, id est, impiorum et persecutorum Romanorum, damnatio et supplicia in æternum durabunt. Hinc Isidorus libr. 6. Etymol. cap. 19. docet Ecclesiam in lætioribus festis usurpare et ingeminare Alleluia, idque accepisse ex hoc loco Apocalypseos, æque ac ex psalmis, et ex Tobiæ 13. 22. ubi dicitur : *Per vicos ejus* (Jerusalem) *Alleluia cantabitur.*

Mystice Alcazar : Perfecta, inquit, Dei laus complectitur quatuor partes, quæ quadruplici Alleluia respondent ; prima est ipsa Dei et sanctæ Trinitatis, ejusque victoriæ et salutationis fides et cognitio ; secunda, est vitæ integritas : magis enim pia vita quam vox laudat Deum. Est enim hæc vitæ et morum laus diuturna, imo æterna. Hinc dicitur psalm. 110. 10. *Initium sapientiæ timor Domini : intellectus bonus omnibus facientibus eum, laudatio ejus manet in sæculum sæculi.* Ubi *laudatio ejus* vocatur ea laus, quam Dei timor illi attribuit, id est laus quam pietas illi defert ; tertia, est laus publica totius Ecclesiæ in sacrificio Missæ, in concionibus, in divinis Officiis decantandis. Unde hoc Alleluia canitur à viginti quatuor senioribus, id est à Sacerdotibus ; quarta, est eorum qui student perfectioni, ut ad majorem Dei gloriam semper intenti, religiose in suo quippe statu Deo serviant, et zelo animarum ferveant, atque precibus, piis colloquiis et admirabili vitæ exemplo commune bonum, id est, majorem Dei gloriam in animarum conversione et perfectione promoveant. Hac enim ratione Apostoli et primi Christiani converterunt barbaros, hominesque plane impios. Quod si idem jam facerent sacerdotes et fideles, in eoque conspirarent, facile et hæreticos, et Paganos, et Turcas converterent. Hinc vox de cœlo, id est, Spiritus sancti instinctus et afflatus efficax, excitat homines ad hoc Alleluia, ideoque Christus in cœlum ascendit, ut hunc Spiritum è cœlo in nos dimitteret. Hæc vox est instar aquarum multarum, et instar tonitrui ; quia sonora, penetrans, et efficax ad permovendum et commovendum animas. Porro hæc quatuor Alleluia respondent, et fusius explicantur viginti Alleluia, quæ viginti psalmis quasi tituli præfiguntur, nimirum psalmo 104. 105. 106. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 134. 135. 145. 146. 147. 148. 149. 150. quos Alcazar notat. 2. hisce quatuor Alleluia commensurat et adaptat. Rursum Richard. notat hîc quater repeti Alleluia, ut significetur Deus trinus æque ac unus ; nam tres et unum faciunt quatuor.

4. Amen, Alleluia.) Seniores 24 dicunt *Amen*, quasi approbantes doxologiam, et Alleluia cœlitum quod præcessit : unde post *Amen*, suum et ipsi proprium addunt Alleluia ; quasi dicant : Omnino ita fiat, omnes laudent Deum, omnes dicant Alleluia.

5. Et vox de throno (à Deo per aliquem Seraphinum aut Cherubinum) exivit, dicens : Laudem dicite Deo,] id est dicite *Alleluia.* Hæc vox hortatur cœlites, ut Alleluia quod cœperunt dicere, iterent et ingeminent, ob magnitudinem victoriæ de Babylone eversa, ac salutis et exultationis inde consecutæ. Aut certe vox hæc de cœlo exit, et tendit ad terrigenas, ut fideles hîc in Ecclesia dicant Alleluia, sicut cœlites dixerunt vers. 1. 3 et 4. Unde huc alludens S. Hieronymus : *In Ecclesia*, ait, *ad similitudinem cœlestis tonitrui reboat Amen* æque ac Alleluia. Ita ipse in præfat. in epist. ad Galat. libr. 2.

Ita in Africa, in loco qui Regia vocabatur, cum in paschali solemnitate lector in pulpito Alleluia cantaret, jactu sagittæ guttur transfixus ab Arianis, canendo mortuus est, Martyrque in cœlum evolavit, perenne ibi Alleluia modulaturus, uti refert Victor Uticens. lib. 1. Wandal.

Testatur S. Hieronymus in vita S. Paulæ, in ejus monasterio voce *Alleluia* altius decantata, moniales ad S. Synaxim convocari solitas. S. Augustinus in psalm. 106. scribit, antiqua traditione ab Ecclesia Catholica toto orbe diffusa Alleluia cantari solitum, scilicet tempore paschali. Quare quod ait S. Gregorius lib. 7. epist. 36. *Ut Alleluia hîc* (Romæ) *diceretur, de Hierosolymorum Ecclesia ex B. Hieronymi traditione, tempore B. memoriæ Damasi traditur tractum :* intellige cum Baronio, ut diceretur extra tempus paschale. Nam ipse S. Hieron. adeo crebrum Alleluia usum et cantum fuisse docet, ut etiam in funere defunctorum caneretur. Sic enim ait Epitaph. Fabiolæ : *Sonabant psalmi, et aurata tecta templorum reboans in sublime quatiebat Alleluia.* Idem Christianos ita crebro Allelnia in ore habuisse docet, ut ipsi etiam infantes dum fari inciperent, primum Alleluia sonare et balbutire docerentur. Sic enim de Paula ad Lætam matrem scribens epist. 7 et 27. tradit eam infantulam ore balbutiente occinere consuevisse Alleluia. Idem fecerunt aliæ piæ matres, quæ primam vocem infantes sonare docebant *Alleluia.* Denique S. Hieron. epist. 17. ad Marcellam, docet Hierosolymis in omnium fidelium ore ita crebrum fuisse Alleluia, ut etiam agricolæ laboris molestias eo cantico levarent : *Quocumque*, ait,

te verteris, arator stivam tenens Alleluia decantat. Mirum est quod refert Constantius Episcopus, et ex eo Baronius, scilicet anno Domini 429. Britannos pressos ab hostibus, monitu S. Germani inclamantes Alleluia, insignem de eis obtinuisse victoriam. Cum enim una omnes voce conclamarent : Alleluia : *Hostile*, ait, *agmen terrore prosternitur, et ruisse super se non solum rupes circumdatas, verum etiam ipsam cæli machinam contremiscunt*, etc. Vide quæ de Alleluia notavi ad Ephes. 5. 20.

6. QUONIAM REGNAVIT DOMINUS DEUS NOSTER.] Excisa Babylone hostili, jam regnum pacatum, lætum et firmum init Deus noster. Alludit ad psalm. 92. 96 et 98. qui singuli ita incipiunt : *Dominus regnavit.*

7. GAUDEAMUS, ET EXULTEMUS, ET DEMUS GLORIAM EI : QUIA VENERUNT NUPTIÆ AGNI.] Alludit ad parabolam nuptiarum Christi Matth. 22. vers. 2. Ita S. Hieron. et Jansen. ibidem. Et ad psal. 44. *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi*, qui est epithalamium sponsi et sponsæ, id est, Christi et Ecclesiæ. Sicut enim Assuerus repudiata Vasthi ducens Esther in uxorem, jussit *convivium præparari permagnificum cunctis principibus et servis suis, pro conjunctione et nuptiis Esther*, Esther 2. 18. Ita et Deus Pater nuptias, id est nuptiale epulum, idque perenne, præparavit Christo et Ecclesiæ, id est fidelibus in cœlo. Ad litteram ergo hoc loco omnes cœlitus lætabundi jubilant et acclamant, quod jam venerit dies judicii, perfectæque nuptiæ Christi cum Ecclesia in cœlesti beatitudine celebrandæ. Unde subdit :

ET UXOR EJUS PRÆPARAVIT SE,] q. d. Ecclesia omni virtute, omnique Electorum, puta Apostolorum, Martyrum, Virginum, Confessorum varietate et numero adornavit se, ut veluti sponsa deducatur in thalamum sponsi Christi in cœlis fiatque ei uxor, eoque fruatur in perpetuum. Nota : In hac vita Ecclesia est sponsa Christi, cujus sponsalia celebrantur in baptismo per gratiam ; in futura vero eadem erit uxor per gloriam, cujus nuptiæ celebrabuntur in cœlo per omnem æternitatem. De sponsalibus Christi et Ecclesiæ dicitur Cantic. 3. 11. *Egredimini et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius.* De nuptiis hîc dicitur : *Quia venerunt nuptiæ Agni.* Ita S. Gregor. et alii quos citabo vers. 9.

Quare mysticum est et accommodatitium, quod censet Alcazar, scilicet uxorem esse Romanam Ecclesiam; nuptias ejus fuisse, cum Roma à S. Petro et aliis conversa est ad Christum, ideoque universam Ecclesiam dicere Alleluia.

8. ET DATUM EST ILLI, UT COOPERIAT SE BYSSINO SPLENDENTI,] græce καθαρὸν, id est mundo : quæ enim valde munda sunt et nitida, hæc præ nitore fulgent et splendent.

BYSSINUM ENIM JUSTIFICATIONES (id est, opera justa et sancta) SUNT SANCTORUM.] Byssus repræsentat purissimam et innocentissimam conversationem Sanctorum, quæ in tribulatione et persecutione magis enitescit et resplendet : perinde ac byssus et *linum* (byssus enim veterem erat linum præstantissimum, uti docui Exodi 25. initio capitis) injuria, id est macératione, tunsione, carminatione semper melius, puta purius, candidius et splendidius evadit, ut ait Plinius lib. 18. cap. 1. Quocirca Syrus vertit : *Illud enim byssinum debita* (id est merita quibus magna merces debetur) *Sanctorum est ;* Arabicus : *Quia byssus est justitia Sanctorum.*

Rursum symbolum felicitatis est byssus et tela candida. Hinc à Poetis aurea vel candida dicuntur Parcarum fila, ad significationem magnæ felicitatis. Unde Martialis l. 6. de filo Domitiani :

> Ipsa tibi niveo trahet aurea pollice fila,
> Et totam Phryxi Julia nebit ovem.

Ex adverso infelicitatis symbolum est tela nigra, unde nigra vitæ et fati stamina nuncupant Poetæ in re infausta : quia nigrum, ait Plutarch. est mali dæmonis. Ita Thebis araneæ, quæ circa Cereris valvas telas olim candidas texuerant, fines invadentibus Macedonibus nigras texuerunt, inquit Pausan. in Bœoticis.

9. ET DIXIT MIHI : SCRIBE,] ut omnes hæc lecturi animentur ad spem, fortitudinem et constantiam in persecutione et lucta cum impiis. Quæres : Quis hæc *dixit ?* Respondet Alcazar : Angelus magnæ potestatis de quo c. 18. vers. 1. quem ipse esse censet S. Petrum. Unde sequitur Joannem ad B. Petri pedes deosculaturum procidisse, sicut cap. 22. vers. 9. ad alterius angeli, qui erat unus è septem angelis habentibus phialas, puta ad S. Pauli, pedes supplex procidit, exultans præ gaudio ob felicissimum nuntium de Romæ conversione, et prosperrimo Ecclesiæ Romanæ successu. Quocirca prohibetur ab iisdem hac ratione, quod ipsi dicant se esse conservos Joannis, quasi dicant : Tu æque Propheta es in hac tua Apocalypsi, ac nos Prophetæ sumus revelantes tibi Romæ conversionem, ideoque nobis es par ; ac proinde non decet te ad pedes nostros procumbere, cum in eodem nobiscum dignitatis gradu consistas. Ita ipso pie et ingeniose hæc accommodat et applicat potius quàm explicat.

Verum dico angelum hunc esse verum, illum scilicet qui Apocalypsin jussu Christi revelavit S. Joanni, uti ipse dixi cap. 1. vers. 1. Ille enim angelus magnæ potestatis, de quo cap. 18. vers. 1. jam pridem, nimirum ibidem vers. 4. finivit suam legationem et sermonem.

BEATI QUI AD COENAM NUPTIARUM AGNI VOCATI SUNT.] Syrus : *Beati sunt illi, qui ad cœnam convivii Agni vocati sunt ;* Arabicus : *Beati, qui vocati sunt ad convivium Agni.* Alcazar hæc accipit de nuptiis, id est, conversione Romanæ Ecclesiæ, ejusque unione cum Christo : Christus enim tunc eam vocavit ad suum sapientiæ et sacræ Scripturæ convivium. Memini, inquit Alcazar, me audivisse à viro quodam eximiæ sapientiæ et sanctitatis, cœlestis felicitatis imaginem, quæ in terra reperitur, videri sibi non esse aliam, quam sacram Scripturam legere et intelligere. Et merito ; eodem enim sensu usurpavit Christus nomen Beati, cum dixit Petro Matth. 16. 16. vers. 17. *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Et : *Beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiant illud.* Et : *Vestri autem beati oculi, quia vident ; et aures vestræ, quia audiunt* Evangelium et verbum Dei. *Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt*, Matth. 13. v. 16. Quod enim Apostoli viderunt et audierunt

hoc idem nos à Spiritu dictatum et scriptum legimus in sacra Scriptura.

Ad hoc convivium facit, illudque condit et illustrat, concionum admirabilium frequentia, librorum cœlesti doctrina refertorum copia, colloquia cum viris sapientissimis habita, egregia spiritualium hominum institutio, ac super omnia interior divini Spiritus illustratio per pias divinarum rerum commentationes, ac frequentem ad Deum orationem adhærendo semper Romanæ Ecclesiæ institutioni et SS. Conciliorum. Rursum ad hoc convivium spectat sacrificii Missæ et sacræ communionis frequentia, quæ Romæ cœpit mox ut ipsa fidem Christi professa est, Religiosæ vitæ facilis consuetudo, propter erecta hominum Deo sacrorum monasteria, templorum multitudo, imaginum adoratio, SS. reliquiarum veneratio, ad divinorum officiorum celebritas. Hæc enim omnia ad cœnam Agni, id est ad conjunctionem cum Christo, animos fidelium disponebant.

Porro B. Petrus Romanos ad hanc cœnam vocavit : unde alludit hîc Joannes ad illa Petri verba epist. 2. cap. 1. 2. *Gratia vobis et pax adimpleatur in cognitione Dei, et Christi Jesu Domini nostri.* Hæc vera sunt et pia, sed mystica. Quocirca lector his apte et congrue, ut mysticis et moralibus, utatur.

Ad litteram ergo loquitur S. Joannes de nuptiis, quas Ecclesia beata celebrat cum Christo in cœlis : quicumque enim eo efficaciter vocati et perducti sunt, terque quaterque beati sunt. Beatitudo vocatur cœna, primo, quia ad vesperam et finem vitæ dabitur nobis hoc epulum cœleste. Dicitur et prandium Matth. 22. vers. 4. cum Christus ait : *Dicite invitatis : Ecce prandium meum paravi*, ut significetur continuatio et perpetuitas gaudii et felicitatis cœlestis : post prandium enim sequitur cœna. Sic in cœlo continuum et perenne erit convivium. Ita S. Gregor. homilia 24. in Evangelia, Beda, Salmeron, Maldonat. Barradius in Matth. 22. vers. 4. Viegas et Ribera hîc. Dicebat Leonidas dux strenuus Græcorum, cum trecentis fortissimis militibus irrupturus in castra innumera Xerxis : *Prandete hîc, commilitones, in inferno cœnaturi.* Verum Christus dicit : *Prandete hîc, commilitones, in cœlo cœnaturi.* Ita S. Dorothea cum post dira tormenta, mortis sententiam à Præside acciperet, jubilans dixit : *Benedico te, Domine, caste amator animæ meæ, quod me immeritam ad nuptias Agni immaculati vocare, et ad thalamum tuum cœlestem invitare dignatus sis.*

Secundo, quia alludit ad veterum ritum, qui nuptias peracto jam die et diei negotiis, celebrabant vespere et noctu, ut patet Matth. 25. vers. 1. in parabola decem virginum, quæ cum lampadibus exspectabant sponsum noctu venientem ad nuptias. Idem patet ex Plutarcho, Varrone, Tiraquello et aliis. Unde et tedas accensas sponsis in nuptiis præferebant. Quocirca teda capitur pro ipsis nuptiis, ut apud Ovidium epist. 4.

> At nec nupta quidem, tedaque accepta jugali.

Et epist. 6.

> Me tibi, teque mihi teda pudica dedit.

Et Catulus de Coma Berenices :

> Optato vos junxit lumine teda.

Et Seneca in Œdipo : *Concinit tedas* (id est epithalamium, sive carmen nuptiale) *Geminus Cupido.* Hinc *jugalis teda* apud Catonem, cap. 10. Et *jungere tedas* est inire nuptias, apud Statium, 3. Silv. 4.

HÆC VERBA DEI VERA, id est certa, firma, indubitata, SUNT,] ut de hisce Dei promissis, licet magnis et mirabilibus, nemini dubitare liceat.

10. ET CECIDI ANTE PEDES EJUS, UT ADORAREM EUM.] q. d. Ob latissimum nuntium de excidio Babylonis, et nuptiis Agni, deque vocibus cœlitum ingeminantium Alleluia, procidi in terram, ut angelo tam læta et divina nuntianti honorem duliæ, prosternendo me coram illo, deferrem. Adde forte S. Joannem suspicatum esse hîc finiri alloquium angeli revelantis sibi Apocalypsin; finis enim ejus est excidium impiorum et nuptiæ Agni. Ideo enim hactenus eum non adoravit; quia plura ab eo audire gestiebat, nec volebat ejus sermonem interrumpere. Jam vero putans se omnia audisse, quasi pro gratiarum actione de omnibus auditis, in terram procumbit, ut eum veneretur, eique gratias agat. Verum cum postmodum adhuc angelum plura revelantem videret, surrexit, ac tandem finitis omnibus in fine Apocalypseos, cap. 22. 9. rursum eumdem adorare conatur.

VIDE NE FECERIS : CONSERVUS (Syrus, *sodalis*) TUUS SUM, ET FRATRUM TUORUM HABENTIUM TESTIMONIUM JESU DEUM ADORA.] Arabicus vertit : *Non quia ego sum amicus* (socius) *tibi : adora Deum; quia testimonium Jesu est spiritus veritatis.* Quæres : Qua de causa angelus hîc noluit adorari à S. Joanne? Primo, S. Athanasius, serm. 3. contra Arianos, S. Thomas, 2. 2. q. 84. art. 1. et S. Augustinus, lib. 20. contra Faustum, cap. 21. censent S. Joannem putasse hunc angelum ob insolitum splendorem esse Christum, itaque eum ut Deum adorare voluisse; quocirca eum repulisse angelum dicentem : *Conservus tuus sum; Deum adora :* vel, ut S. Cyprianus legit lib. de Patientia : *Dominum Jesum adora.* Verum hoc non est verisimile. Nam S. Joannes assuetus his visionibus angelicis, sciebat hunc non esse Christum, sed angelum, unde eumdem jam hîc cognitum, rursum voluit adorare, cap. 22. 9.

Secundo, Alcazar censet angelum hunc esse S. Petrum, uti illum, cap. 22. v. 9. esse S. Paulum; nec Petrum ergo, nec Paulum permisisse se adorari à S. Joanne; quia ipse eis erat officio et meritis par. Verum hoc accommodatitium est, non litterale.

Tertio, S. Gregorius, homil. 8. in Evangelium, et ex eo Haymo, Rupertus, Richardus et Ansbertus opinantur angelum hunc proprie dictum non permisisse se adorari à Joanne, ob reverentiam incarnationis Christi. *Angeli enim*, ait S. Gregorius, *postquam naturam nostram supra se assumptam in Christo perspiciunt, prostratam eam sibi videre pertimescunt.* Et, ut ait S. Ambrosius, *pertimescit angelus adorari ab homine, qui supra se adorabat hominem Deum.*

Verum, non hanc, sed aliam affert causam hîc angelus.

Quarto, noluit angelus adorari à S. Joanne ob virtutem et meritum virginitatis, quo sanctus Joannes excellebat omnes angelos, pariter et homines, idque tanto, quanto virginitati Beatæ Mariæ per contubernii, sedulitatis, ac perpe-

tiæ custodiæ meritum præ cæteris appropinquavit, inquit Petrus Damianus, serm. 1. de Excellentia S. Joannis.

Quinto, quia Joannes erat sacerdos ac Pontifex, habens potestatem consecrandi corpus Christi in Eucharistia, et absolvendi reos à peccatis in Sacramento pœnitentiæ; ac proinde dignior erat angelis, qui utraque hac potestate carent, ait Viegas.

Sexto, et genuine, noluit hic angelus adorari à Joanne; quia Joannes erat Propheta. Hanc enim causam dat angelus, c. 22. v. 9. dicens: *Conservus enim tuus sum, et fratrum tuorum Prophetarum.* q. d. Ego non sum *te* superior, cur ergo adores me? nam tu mihi es æqualis dignitate; quia es Christi Apostolus, es Propheta, Evangelista, prædicator (hæc enim omnia significat nomen Prophetæ) continuusque Martyr (qui assidue maximos labores et dolores sustines pro Christo) ideoque par, imo superior angelis es merito, erisque pariter præmio et gloria superior in cœlis. Hoc est enim quod ait: *Conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu*, uti mox patebit.

Addit Cardinal. Baronius, tom. 1. anno Christi 60, angelum noluisse adorari à Joanne, ut confutaret hæresin Cherinthi jam tum subnascentem, qui angelos nimis exaltabat, præferens eos Christo, docensque per angelos creatum esse mundum Deumque Hebræorum unum ex illis esse angelum. Unde et Apostolus Coloss. 2. 18. invehitur in hanc religionem, id est, superstitionem et idololatriam angelorum. Et Hebr. 1. multis docet angelos inferiores esse Christo.

HABENTIUM TESTIMONIUM JESU,] id est, habentium spiritum prophetiæ, inquit Ambros. Rupertus, Beda, Viegas. Sic enim se explicat Joannes, c. 22. et hîc v. sequenti, cum subdit: *Testimonium enim Jesu, est spiritus prophetiæ*, qui scilicet in te tuîque similibus est, ô Joannes. Ille autem spiritus nunc dari non solet, nisi iis qui sunt Jesu Christi servi: non quales quales, sed illustres per illustrem fidem et vitam Christianam, ut sua prophetia illi apud omnes testimonium perhibeant, eaque testentur se esse servos et Prophetas Jesu Christi, ac Jesum Christum esse Filium Dei, ait Ribera. Ili ergo Prophetæ simul erant Apostoli, Doctores, Prædicatores et Martyres. Habebant enim testimonium Jesu objective, in corde scilicet per fidem; in ore per prædicationem, in vita per imitationem patientiæ, aliarumque virtutum et miraculorum Jesu.

Quocirca per spiritum prophetiæ, primo, cum Alcazar accipi potest spiritus et studium prædicandi Evangelium. Hoc enim est excellens prophetia, ideoque prædicatores sunt excellentes Prophetæ. Secundo, accipi potest proprie dicta prophetia à Spiritu sancto aspirata, ita Ambrosius, Rupertus, Beda, Viegas et Ribera. Hinc patet omnes Prophetas in Christum quasi in scopum collimare, ideoque illos solos esse veros Prophetas, et ut tales audiendos, qui ad Christum nos ducunt.

11. ET VIDI CŒLUM APERTUM, ET ECCE EQUUS ALBUS.] Nota: S. Joannes per visionem vidit hîc quasi aperiri cœlum; indeque egredi Christum quasi equitem cum suis turmis angelicis et beatis, ex eoque portis quasi patentibus descendere ad pugnam cum Antichristo ineundam, et ad opem suis fidelibus contra eum decertantibus ferendam, antequam nuptias eorum victrices et triumphatrices celebret, de quibus dixit v. 7. Porro insidet equo albo, primo, quia hic color lætus est et festivus, ac symbolum felicitatis et triumphi; qua de causa Poetæ fingunt Jovis currum trahi ab equis candidis, teste Suetonio in vita Augusti, c. 9. Quocirca Camillus in curru triumphali vectus equis albis, invidiam sustinuit, quasi qui Jovi se æquare vellet.

Secundo, quia equi albi aliis erant celeriores, ideoque hîc symbolum sunt celeris victoriæ Christi. Ita Virgilius, l. 12. Æneid. Turnum victoriam de Ænea sibi spondentem describit:

> Pascit equos gaudetque iuens ante ora frementes,
> Qui candore nives anteirent, cursibus auras.

Et inferius:

> Bigis it Turnus in albis,
> Bina manu lato crispans hastilia ferro.

Et Plautus in Asinaria, celeres quadrigas denotans, eas albas nuncupat. Veteres enim credebant equos albos esse velociores, uti docet Turnebus, lib. 24. c. 31. Vide dicta c. 6. 2.

Tertio, quia candidus color competit Deo, rebusque divinis. Significat enim Dei Christique puritatem, beatitudinem, gloriam et immortalitatem. Unde Virgilius ecloga 5:

> Candidus insuetum miratur lumen Olympi.

Ubi Servius: *Candidus*, inquit, *id est Deus, ut contra mortuos nigros dicimus.* Et Cicero, lib. 2. de Legibus: *Color albus*, inquit, *præcipue decorus est Deo, cum in cæteris, tum maxime in textili.* Nempe, quia virtutes inter se apte et connexæ esse debent, ideo textilia gratiora sunt Deo; sive quia castitas, fides, aliæque virtutes nisi cum charitate jungantur, quæ in auro textili significatur, gratæ Deo non accidunt, ideo candidæ in sacris olim erant; et etiamnum sunt vestes; cujus causam tradit Plato quam diximus, et Plutarchus in libro de Iside et de Osiride. Ita Mart. de Roa, lib. 6. Singular. cap. 15.

Viegas per equum album accipit humanitatem Christi, per sessorem divinitatem, sive ut S. Joannes ait: *Verbum Dei.* Ita et alii.

Aureolus per hunc equum accipit Balduinum, qui Gaudefrido Bullonio successit, fuitque è Christianis secundus rex Hierosolymorum. Hic enim cum Teutonicis, Templariis, Hospitalariis Saracenos debellavit. Habet *scriptum in femore: Rex regum et Dominus dominantium;* quia amore Christi Regis regum, inter alias virtutes continentiam et castitatem servavit. Secundo, sicut rosa dicitur flos florum, ita rex Hierosolymæ, utpote antiquissimæ et nobilissimæ, dicitur Rex regum. Hoc accommodatitium est, non litterale.

Nota: Lactantius, lib. 7. cap. 17. et 18. hunc Christi descensum, gladium, pugnam, etc., plane ad litteram ut sonant, eventura asserere videtur. Audi eum: *Cum hæc*, ait, *facta erunt, justi et sectatores veritatis segregabunt se à malis, et fugient in solitudines. Huc impius rex inflammatus ira veniet cum exercitu magno, et admotis omnibus copiis circumdabit montem in quo justi morabuntur, ut eos comprehendat. Illi vero ubi se clausos undique atque obsessos viderint, exclamabunt ad Deum voce magna, et auxilium cæleste implorabunt.* Et cap. 19. *Commotus igitur*

Deus ancipiti periculo et miseranda comploratione justorum, mittet protinus liberatorem. Tunc aperietur cœlum medium intempesta et tenebrosa nocte, ut in orbe toto lumen descendentis Dei tanquam fulgur appareat. Et paulo post : *Qui, priusquam descendat, hoc signum dabit : cadet repente gladius de cœlo, ut sciant justi ducem sanctæ militiæ descensurum. Et descendet ille comitantibus angelis in medio terræ ; et antecedet eum flamma inextinguibilis. Virtus autem angelorum tradet in manus justorum multitudinem illam quæ montem circumsederit, et concidetur ab hora tertia usque ad vesperum, et fluet sanguis more torrentis, deletisque omnibus copiis impius solus effugiet, et peribit ab eo virtus sua. Hic est autem qui appellatur Antichristus : sed se ipse Christum mentietur, et contra verum dimicabit, et victus effugiet ; et bellum sæpe renovabit, et sæpe vincetur, donec quarto prælio, confectis omnibus impiis debellatus et captus, tandem scelerum suorum luet pœnas.* Hucusque Lactantius.

Verum verius videtur hæc symbolice ostensa Joanni tantum significare imperium, dominium, ac mandatum Christi, quo ipse manens in cœlo per Michaelem, quasi ducem suum, comitatum aliis angelis, ingenti luce quasi fulmine siderabit et afflabit Antichristum, itaque eum omni vi, robore et vita privabit, ac deturbabit in tartara. Id ita esse patet primo, quia certum est quod ea quæ hîc dicuntur de cœlo aperto, de equis albis, de Christi diadematibus et veste aspersa sanguine, de titulo in femore inscripto : *Rex regum et Dominus dominantium*, non realiter evenient, sed tantum symbolice per visionem ostensa sunt Joanni, ad repræsentanda mysteria Christi quæ explicui hoc capite Apocal. Ergo et cætera, cum sint his similia, symbolice accipienda sunt, non ut realiter eventura. Simili schemate Psaltes, ps. 17. symbolice et poetice describit Deum nubibus vectum, armatum grandine, tonitru, fulmine, etc., descendere ad proterendum impios hostes suos.

Secundo, quia Apostolus ait, 2. Thessal. 2. v. 8. quod Christus occidet Antichristum, non gladio, sed *spiritu*, id est imperio, *oris sui ;* et *illustratione*, id est, fulgore prævio et præmuntio, *adventus sui.* Hoc enim fulgore quasi fulmine è cœlo emisso, sive per se, sive potius per Michaelem siderabit et consumet Antichristum.

Tertio, quia Daniel, c. 12. 1. ait quod tunc consurget Michael in prælium pro Christo et Christianis. Sicut ergo rex per ducem bella gerit et conficit hostem ; ita Christus per Michaelem conficiet Antichristum. Hic enim est Præses Ecclesiæ, ideoque dux Christi : Unde et Apocal. 12. ponitur dux belli Christiani, quo scilicet in fine mundi cum Lucifero et Antichristo confliget pro Christo et Christianis, ac Antichristum profligabit.

Quarto, quia S. Petrus, Act. 3. 21. docet Christum post ascensum in cœlum, ubi mansurum, nec visibiliter ex eo descensurum, nisi in die judicii, quo restituet omnia. Ergo non descendet ut occidat Antichristum. Hic enim occidetur multis diebus, et forte septimanis ac mensibus ante diem judicii, uti ostendam v. 11. et 12.

Quinto, subordinatio recta divinæ providentiæ id exigit. Solet enim Deus sua judicia exercere per angelos ; hi enim sunt administratorii ejus spiritus, Hebr. 1. 14. Contrarium enim nec deceret Christum, nec Antichristum. Utquid enim Christus, Deus et Dominus omnium, cum tot legionibus angelorum et Sanctorum cœlo descenderet ad conficiendum Antichristum, qui miser et vilis erit homuncio, quem solo flatu, imo nutu potest occidere, quin et annihilare? utquid tot legiones angelorum quasi militum ei astant, paratæ ad omnes ejus nutum, ex quibus unus sufficit ad delenda plurima hominum millia ?

Sexto, quia Sibylla, l. 3. igne cœlesti, puta fulgore afflandum Antichristum prædicit, cum ait : *Cum potestas ardens* (puta ignis et fulmen validum) *inundans in terram veniet, et Beliar incendet, et superbos homines ; omnes quicumque ei fidem præstiterint. Beliar* enim (id est Belial. Subinde enim littera *l* in *r* convertitur) hoc est, homo impiissimus, sine jugo, sine Deo et lege, est Antichristus.

Et qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis et Verax.] Equiti huic, qui sequentis exercitus v. 14. est dux, quatuor dantur nomina vel epitheta. Primum, *fidelis et verax* ; secundum v. 12. *Nomen scriptum quod nemo novit nisi ipse ;* tertium v. 13. *Verbum Dei*, scilicet de quo dixit Joannes, cap. 1. Evangelii : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*, vide ibi dicta ; quartum v. 16. *Rex regum, et Dominus dominantium.* Primum, est nomen virtutis ; secundum, essentiæ ; tertium, personæ ; quartum, potestatis et dominii. Dicitur ergo hîc *Fidelis et Verax :* quia fideliter uti promisit, eos qui sibi fideles sunt et erunt, tuebitur ac præmiabit ; infideles vero et impios puniet. Unde sequitur : *Cum justitia*, id est, justissime et æquissimo jure bellum init ; *judicat*, id est, vindicat, *et pugnat*, hostes impios scilicet occidendo.

Symbolice, q. d. Vocabitur Jehova. Jehova enim idem est quod, *qui est, qui facit esse, qui servat promissa* (uti dixi Exodi 6. 3.) hoc est, *fidelis et verax.*

12. Oculi ejus sicut flamma ignis.] Oculi flammantes et fulgurantes significant Christi iram in impios, procurrentem ad eorum vindictam et punitionem, uti dixi c. 1. 14. Magna vis inest oculis ; basiliscus enim sævis oculis quem aspexerit, enecat. Ex adverso struthiones et testudines benigne spectando ova, ea fovent, ait Plinius, lib. 9. 10. Ratio est : nam oculi, ut ait Damascenus in Vita Isidori, sunt αγαλματα της ψυχης ακριβη, per quæ ipsa anima influit. Ita Christus flammantibus oculis suos hostes examinabit ; serenis vero et blandis electos mire recreabit.

Et in capite ejus diademata multa.] Olim reges et Imperatores non coronis, sed diademate utebantur, uti Romanos Imperatores, cum fasciis caput circumdantibus depictos videmus. Nam, ut ait Rhodiginus, l. 24. c. 6. diadema erat fascia candida, quæ regum capitibus obligabatur. Quod insigne regum primus invenit Liber pater, teste Plinio. Hinc cum quidam coronam lauream fasciæ præligatam Cæsaris statuæ imposuisset, Tribuni plebis detrahi coronæ fasciam, quasi regni insigne, et duci hominem in vincula jusserunt. Ita Alexandrum Magnum memorat Curtius sibi diadema detraxisse, ut eo obligaret vulnus quod in fronte Lysimachus acceperat. Tradit Ammianus Marcellinus invidiæ datum ab æmulis Pompeio ; quod fascia obligatum crus circumferret ulceris causa, velut

novarum rerum affectationis præsagium id foret. Porro *diademata multa* erant multæ hujusmodi fasciæ, vel spiræ circumdantes caput, quales videmus in turbantis Turcarum, in quibus peplum byssinum vel lineum multiplici gyro capiti obvolvitur, et quilibet ejusmodi gyrus, sive ambitus est quasi diadema, ait Alcazar. Christus ergo habet diademata multa; quia Rex est regum, omniumque regnorum terræ dominus; ille enim universa in se uno continet.

HABENS NOMEN SCRIPTUM (in capite et diademate. Nam aliud nomen, *Rex regum*, scriptum erat in femore, v. 16.) QUOD NEMO NOVIT NISI IPSE.] Putant Ribera, Viegas et alii, hoc nomen esse id quod sequitur v. 13. scilicet *Verbum Dei*. Hoc enim nemo novit, id est, perspicit, penetrat, planeque cognoscit et comprehendit, nisi ipse Christus. Verum Joannes, ut dixi v. 11. videtur hîc quatuor dare nomina Christo, ac secundum hoc à tertio quod est *Verbum Dei*, distinguere; hoc enim secundum ait esse ignotum; tertium vero esse notum, scilicet *Verbum Dei*. Non enim ait rem nomine significatam, sed ipsum nomen esse ignotum : quare hoc nomen non est Verbum Dei, nec aliquod aliud ab ipso, aut à sacra Scriptura revelatum; sed aliud nobis incognitum. Erat enim ita exaratum, ut ne quidem à Joanne, sed à solo Christo legi posset : idque ad hoc, ut significaret immensitatem et incomprehensibilitatem naturæ et substantiæ Christi, quam nullus humanus vel Angelicus intellectus comprehendere valet. Ita Aretas et Alcazar. Alludit ad nomen *Jehova;* illud enim erat αρρητον et ανεκφωνετον, idest, ineffabile, uti dixi Exodi 6. 3. Rursum nomen *Jehova* gestabatur à pontifice, scriptum in lamina aurea pendente ex ejus tiara; pari modo, Christus Pontifex nomen hoc scriptum habet in capite et diademate; quia hoc est nomen significans et repræsentans divinitatem ejus.

13. ET VESTITUS ERAT VESTE ASPERSA SANGUINE.] Vestem hanc tam Christi, quàm sanctorum Martyrum intellige. Christi enim humanitas à Judæis fuit cruentata, et etiamnum vulnerum cicatricibus in corpore Christi remanentibus est rubicunda, q. d. Christus secum defert notas et memoriam sanguinis sui, et suorum, impie ab impiis effusi, cujus nunc ultionem deposcit, cujusque intuitu se ad ultionem excitat et accendit. Ita Viegas.

Idipsum graphice et tragice describit noster Martinus de Roa, lib. 1. Singularium, cap. 2. dicens : Ergo ut dæmonem Christus exanimet, in cruce sese illi cruentum ostentat; cujus ille facinoris et injuriæ cum auctor exstiterit, et fœdatum sanguine corpus aspexerit, injuriæ tam atrocis memor, neque audebit congredi, et manus dabit. Hinc tu mysterium capias, cur Zachariæ, cap. 3. cum Satan staret à dextris Jesu sacerdotis magni, ut adversaretur ei, Jesus esset indutus vestibus sordidis. Stat hostis acerrimus, mucronem intentat, addicit morti ac devovet sacerdotis caput : ille nudum latus, nudum caput ac corpus, aut, quod in bello pro eodem est, lacera et sordidata veste indutum opponit. Viderat jam ante congressum istum regius Propheta David, viderat Christum Jesum, cujus ille typum gerebat, viderat sese ad prælia comparantem; sed hortatus est ut gladio sese succingeret, et suo se robore armaret : *Accingere gladio tuo super femur tuum, Potentissime.* Viderat Propheta Isaias, idemque præmonuit : *Consurge, induere fortitudinem tuam brachium Domini.* Quin laceris cruentisque cum prælio vestibus? At Imperator Christus pro æreo thorace sanguineam chlamydem, pro ferreis manicis ocreisque ferreos clavos, pro galea spinas, pro militum præsidio solitudinem, pro tubarum clangore silentium, atque patientiam cum hoste congressurus opponit. Neque enim *in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.* Verum nullus æque potens gladius atque cruenta caro; nulla præstantior fortitudo adversus hostem, quàm ipsa lacerati corporis infirmitas : quam ut cernit, debilitatur ac frangitur, quoniam ejus atrocitatis est auctor. Consonat locus Apocal. 19. *Et vestitus erat veste aspersa sanguine, et vocabatur nomen ejus Verbum Dei.* Itaque cum ad pugnam progreditur, in cruenta sive purpurea veste, et equo rufo procedit. S. Hieronymus in Isaiæ c. 66. *Equo*, ait, *rufo sedebat Dominus atque Salvator, humanum corpus assumens, cui dicitur : Quare rubra sunt vestimenta tua? et : Quis est iste qui ascendit de Edom, fulva vestimenta ejus de Bosra?* etc. *Equo autem sedebat albo, quando post resurrectionem immortale et incorruptum corpus assumpsit : et quicumque eum sequebantur, candidis utebantur equis, incorruptis videlicet immortalibusque corporibus.*

Secundo, et potius, vestis Christi aspersa erat sanguine hostili, quem fudit, et mox hîc fusurus est; nam, ut sequitur : *Ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei.* Inducitur enim hic Christus quasi pugnans, conculcans et trucidans hostes, scilicet impios : unde eorum sanguine aspergitur et cruentatur, et ut cruentus symbolice per visionem Joanni spectandus objicitur, etiam ante pugnam; quia ad cruentam pugnam pergit, eaque se cruentabit. Nam alluditur ad Isaiæ 63. 1. ubi de Christo hostes trucidante dicitur : *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Torcular calcavi solus, calcavi eos in furore meo. Aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea.*

14. ET EXERCITUS QUI SUNT IN CŒLO (angelorum et cœlitum) SEQUEBANTUR EUM,] non tam ut milites pro eo pugnaturi, quàm ut comites et spectatores pugnæ ejus et victoriæ. Solus enim Christus hoc bellum confecit. Unde de eo dicitur v. 21. *Occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius.* Hinc pariter solus Christus dicitur habere vestem aspersam sanguine; cæteri vero equites ejus comites erant, *vestiti byssino albo et mundo :* quæ vestis est symbolum tum puritatis et innocentiæ, tum felicitatis, gloriæ et triumphi. Credibile tamen est vestem eorum, præsertim Martyrum, aspersam fuisse sanguine, ob causas jam dictas. Sic in veteri Testamento non tam Hebræi pugnantes, quàm Deus pro eis decertans pariebat victorias. Hoc est enim quod dicitur Deuter. 1. v. 30. *Dominus Deus qui ductor est vester, pro vobis ipse pugnabit.* Similia sunt Josue, 23. 3. Judith. 5. 16. Soli ergo Christo tribuitur hæc victoria; quia ejus viribus, imperio et jussu Michael et angeli eam conficient.

IN EQUIS ALBIS.] S. Hieronymus in Isaiæ 66. et S. Gregorius, Ansbertus et Viegas, per equos albos, Sanctorum corpora incorrupta et immortalia intelligunt. Magis ad litteram Ribera : Cœlitibus et angelis, inquit, dantur hîc equi albi symbolice, ut per eos significetur victoria et triumphus. Sic Zacharias, c. 1. 8. vidit angelos

Dominum custodes in equis albis sedentes. Moraliter audi S. Gregorium : *Equus*, ait, *est unicuique sanctæ animæ corpus suum, quod videlicet novit et ab illicitis continentiæ freno restringere, et rursum charitatis impulsu exercitatione boni operis relaxare. Equitis ergo nomine anima sancti viri exprimitur, quæ jumentum corporis bene subditum regit. Unde et Joannes in Apocal. Dominum contemplatus ait : Et exercitus qui sunt in cœlo sequebantur eum in equis albis, multitudinem quippe Sanctorum quæ in hoc martyrii bello sudaverat, recte exercitum vocat; qui idcirco in equis albis sedere describuntur, quia eorum corpora et luce justitiæ, et castimoniæ candore claruerunt.* Ita ipse lib. 31. Moral. c. 9.

15. ET DE ORE EJUS PROCEDIT GLADIUS EX UTRAQUE PARTE ACUTUS, hic gladius est imperium, vis et potestas Christi, quam exeret in Antichristianos et impios. Unde sequitur : UT IN IPSO PERCUTIAT GENTES, morte præsenti et æterna, in qua ET IPSE REGET EAS IN VIRGA FERREA, ET IPSE CALCAT TORCULAR VINI FURORIS IRÆ DEI OMNIPOTENTIS,] id est, acerrime premet, calcabit et puniet eos cum hîc, tum in futuro. Hîc enim corporaliter percutiet et occidet eos : in futuro vero torquebit eos in gehenna, ita ut semper videantur mori et occidi, nunquam tamen moriantur, sed semper in pœnis mortiferis vivant mortaliter immortales, et immortaliter mortales. Nota : S. Joannes more Hebræo crebro et varie usurpat καὶ, id est, *et*, pro *nam*, *deinde*, *postea*, etc. Hebræi enim suum illud *vau*, pro omnibus particulis usurpant.

16. ET HABET IN VESTIMENTO ET IN FEMORE SUO SCRIPTUM : REX REGUM.] *In vestimento*, id est, in thorace ; *et in femore*, id est, in femoralibus, aut tunicæ parte inferiori. Secundo, et potius, est hendiadys, *in vestimento et in femore*, id est, in vestimento femoreo, sive tegente femora, aut in femore vestito ; quia enim vestimentum tegebat totum corpus, idcirco hîc ejus partem certam designat dicens : *In femore*. Unde Syrus vertit : *Et habet super vestimentum, et super femur suum nomina scripta : Rex regum et Dominus dominantium.*

Quæres cur Christus *in femore* gestet hoc nomen. Resp. quia femur symbolice significat Christi humanitatem. Hanc enim ipse ex femore Jacob, Davidis et aliorum accepit, atque per eam electos omnes Deo spiritualiter genuit ; femur enim, quia partes sibi vicinas genitales complectitur, hinc et causa et symbolum generationis. Femore ergo primo, significatur Verbi incarnatio. Ita S. Gregorius, homil. 15. in Ezech. Secundo, passio Christi ; est enim hoc femur, vestisque Christi aspersa sanguine, ut dixi v. 13. hujus enim sanguinis et passionis merito factus est Christus Rex regum, et Dominus dominantium. Itaque sicut in capite habet nomen divinitatis (hujus enim symbolum est caput) *quod nemo novit nisi ipse :* ita in femore humanitatis habet nomen omnibus notum, scilicet quod qua homo sit *Rex regum et Dominus dominantium*. Tertio, femore significatur Christi soboles, puta filii et nepotes, inquit Alcazar, juxta illud Genes. 49. 10. *Dux de femore ejus.* Unde τὸ *in femore suo scriptum est : Rex regum*, etc., indicat ipsius filios veros esse reges, ipsumque esse regem illorum. In femore enim propagatio generis intelligitur, uti docent S. Gregorius, Anselmus et Beda. q. d. Christus suos filios facturus est reges, et ipsi etiam nationes judicabunt. Huc facit iambicum illud B. Thomæ Mori :

> Princeps piis nunquam carebit liberis,
> Totius est regni pater princeps,
> Abundat ergo felicissimus tot liberis quot populis.

Quarto, Maldonatus in Matth. 27. 11. in femore, ait, significatur Christi regnum, Christumque qua Deus est suapte natura regnare : per femur enim significatur natura, q. d. Christus est rex non vi, non tyrannide, non electione, non adoptione, sed natura, et naturali propagine ac generatione.

Secundo, Ambrosius per vestimentum Sanctos, per femur humanitatem Christi accipit : *Quia*, ait ipse, *primo in operibus Sanctorum agnoscitur hunc esse verum Deum, quo tales servos possidet. Secundo, quia in operibus quæ ipse in carne positus gessit, cognitum est hunc esse verum Dei Filium.*

Tertio, Pannonius : *Vestimentum*, inquit, *à foris est, femur à natura ; et Christus humanitatem à foris ex tempore habet ; divinitatem autem à natura, à qua ab æterno est Deus : et neutrum horum sine dignitatis honore habet ; quia ab utroque est rex*, q. d. Christus tam qua homo, quam qua Deus, est Rex regum. Verum primus sensus simplicissimus est et genuinus.

REX REGUM ET DOMINUS DOMINANTIUM.] Hic erat titulus et elogium regum Persarum, teste Alexandro ab Alex. l. 1. Genial. cap. 28. Ita Saporem Regem regum appellat Julius Capitolinus, cap. 24. ubi ejus ad Constantium Imperatorem litteras recenset ; quarum hæc erat inscriptio : *Rex regum Sapor particeps siderum, et frater solis ac lunæ, Constantio fratri meo S. P. D.* Unde illud Agesilai in eum, qui de more regem Persarum magnum appellabat : *Ecquidille*, inquit, *me est major, nisi sit et justior et modestior ?* Ita Plutarchus in Lacon. Sic et Suetonius in Caligula, cap. 6. Parthorum regem, regum Regem appellat. Sic et Plutarchus in Lucullo, Tigranem regem Armeniorum, Regem regum nuncupat. Porro apud Parthos, primus rex magnus appellatus est Artabanus, duplicique diademate usus, teste Herodiano, lib. 6. Hæc et plura Pineda in Job, 1. v. 1. num. 17.

17. ET VIDI UNUM ANGELUM STANTEM IN SOLE, ET CLAMAVIT VOCE MAGNA, DICENS OMNIBUS AVIBUS, etc. VENITE, ET CONGREGAMINI AD COENAM MAGNAM DEI.] Angelus hic stat in sole, ut significet quod in oculis totius mundi fiet hæc Antichristianorum per Christum ultio. Advocatio et invitatio volucrum significat ingentem fore stragem, adeo ut ad cadavera Antichristianorum depascenda et devoranda undique vultures, aliæque carnivoræ aves advolent. Hisce enim Deus cœnam hanc, id est, convivium et epulum hoc cadaverum præparavit. Alludit ad Jeremiæ 12. v. 9. *Venite, congregamini, omnes bestiæ terræ, properate ad devorandum.* Rursum alludit, aut potius citat Ezechiel. 39. v. 17. ubi de eadem exercitus Antichristi, puta Gog et Magog, clade loquens Deus, ait : *Dic omni volucri et universis avibus cunctisque bestiis agri : Convenite, properate, concurrite undique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem super omnes montes Israel, ut comedatis carnem, et bibatis sanguinem.*

Mystice, Angelus hic typus est præconis Evangelici. At cur à sole tanquam è suggesto, no-

vus ille prædicator exclamat? An, quia sicut sol semper festinat, nunquam conquiescit: ita Evangelicus prædicator totum orbem celerrimus circuit et pervagatur? An quia, sicut sol omnibus beneficus oritur super justos et injustos: ita Evangelicus prædicator, omnium tam bonorum quàm malorum commodis, præsertim spiritualibus, incumbit? An tandem, quia, sicut sol totum orbem suo splendore collustrat, suo calore fecundat: ita Evangelicus prædicator cæcas hominum mentes suis verbis illuminat, præposteras voluntates suis exemplis inflammat? Ita noster Mendoza in 1. Reg. 3. 21.

19. Et vidi bestiam et reges terræ,] decem, de quibus vide dicta c. 17. in fine. Bestia hæc est Antichristus, ut dixi c. 13. v. 1. Illic enim cum suis omnibus, qui erunt innumeri, congregabitur in Armagedon ad pugnandum contra Christum et Christianos, sed profligabitur omnino à Christo. Inde sequitur:

20. Et apprehensa est bestia (Antichristus) et cum ea pseudopropheta,] scilicet insignis ille impostor, qui erit Antichristi præcursor, de quo c. 13. 11.

Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.] Quidam legunt, *ardens;* Primasius, *ardentis igne et sulphure;* Græca, *ardens in sulphure;* Arabicus, *plenum igne et sulphure.* Verum Romana legunt, *ardentis sulphure.*

Nota: Antichristus, ut probet se esse Christum, quasi simia Christi, finget se mori, et post mortem ad vitam resurgere, ut patet Apocal. 13. v. 12. Audi S. Gregorium, lib. 11. epist. 3. *Veniens in mundum Antichristus, diem sabbati, et diem Dominicum ab omni jubebit opere custodiri. Nam quia simulaturus est mori se ac resurgere, ideo diem Dominicum in veneratione haberi præcipiet; quia vero judaizare populum compellet* (ut videatur esse Messias Judæis promissus) *ut ritus Mosaicæ legis revocet, et Judæorum sibi subdat perfidiam, diem sabbati observari coget.* Post fictam hanc et hypocriticam resurrectionem, coram toto populo ascendet in montem Oliveti (uti significat Daniel. c. 11. v. 45.) voletque instar Christi in cœlum ascendere ex quo se primitus descendisse mentietur: attollent eum in aere dæmones sumentes speciem angelorum, cunctis admirantibus et divinitati ejus acclamantibus, inquit Pererius. Sed mox à Christo per Michaelem deturbabitur, ac mox Antichristum terra dehiscet, vivumque eum rapient dæmones in tartara, sive vivus eo perveniat (perire enim de terra, et tradi igni gehennæ, erit ei mors et interfectio, ait Andreas Cæsar), sive potius in via prius moriatur et suffocetur. Utrumque enim probabile est, uti et de Core, Datan et Abiron docui, Numer. 16. v. 33. Posterius tamen probabilius est et conformius S. Scripturæ, quæ alibi dicit omnes omnino homines morituros, ut 2. Thessal. 2. v. 8. Hebr. 9. 27. Occidetur autem Antichristus, *sicut doctores tradunt, in monte Oliveti, in papilione ac solio suo, illo in loco contra quem cœlos Dominus ascendit,* ait Haymo in c. 11. Isaiæ.

Porro Michael fulgure, ut videtur, eum deturbabit. Sic enim de eo canit Sibylla, l. 3. *Cum potestas ardens inundans in terram veniet, et Beliar* (id est Antichristum) *incendet.* Nisi quis cum Ribera dicat iram Christi impios interficientis more poetico et prophetico vocari à Sibylla potestatem ardentem.

Ardentis sulphure.] Ex hoc loco et c. 20. 9. et cap. 21. 8. liquet apud inferos verum esse sulphur, ut communiter docent Doctores. Est enim sulphur materia et fomentum aptissimum ignis, atque suo fœtore et acredine pœnam ignis adauget. Est, inquam, in gehenna sulphur, non aliud et aliud sibi succedens, sed idem semper numero permanens et constans, uti idem numero semperque sibi constans est ignis.

21. Et cæteri occisi sunt in gladio.] q. d. Cæteri milites Antichristi, puta exercitus decem regum, ac Gog et Magog, *gladio*, id est, jussu et virtute Christi, occidentur, quam exsequetur non per gladium, sed per ignem de cœlo missum, uti docet c. 20. 9. Gladius ergo hic erit ignis et grando, quæ ex ore Christi procedent; quia imperio Christi de cœlo descendent, et exercitum illum impiorum delebunt.

Moraliter vide hîc quàm acris et metuenda sit vindicta Dei in impios et Antichristianos, præsertim hæresiarchas, quorum dux et caput erit Antichristus. Notus est interitus Simonis Magi primi hæresiarchæ, quem paucis ita describit Arnobius, lib. 2. contra Gentes: *Viderant Romani cursum Simonis Magi et quadrigas ígneas Petri ore difflatas, et nominato Christo evanuisse; viderant, inquam, fidentem diis falsis, et ab iisdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum suo, et cervicibus jacuisse præfractis, post deinde perlatum Brundam; cruciatibus et pudore defessum, et altissimi culminis se rursum præcipitasse fastigio.*

Julianus Apostata, cœlesti telo ictus, manum implevit sanguine, illumque jactans in aerem, dixit: *Vicisti, Galilæe*, ait Theodoretus, l. 3. Hist. c. 20.

Valens Arianus Imperator à Gothis in æsa combustus est; quod in spiritu videns S. Isacius monachus licet absens: *Nunc*, inquit, *Valens igne torretur, et nares profluentem ab eo ingratum odorem sentiunt.* Ita Nicephorus, lib. 11. cap. 50.

Zeno Imperator Eutychianus, vivus ab uxore sepultus est; de quo Cedrenus: *Satellites*, inquit, *qui ad sepulcrum in quo repositus fuit, custodiendum erant collocati, retulerunt se per duas noctes lamentabilem vocem è sepulcro audivisse: Miseremini, et aperite mihi. Cum illi dicerent alium jam regnare: Nihil, inquit, curo, in monasterium me abducite. Sed cum non aperiretur, ferunt aliquanto post monumentum fuisse reclusum, inventumque in eo Zenonem, qui præ fame suos ipse lacertos manderat, et caligas quas gestabat.*

Anastasius Imperator, ait Zonaras, vidit virum terribilem dicentem: *Ecce ob perversitatem fidei tuæ, annos quatuordecim vitæ tuæ deleo.* Nam, ut idem subdit, ac Cedrenus, cum oraculo didicisset sibi igne pereundum, cisternam quæ Frigida dicitur, multis meatibus aperuit, ut oraculum eluderet; sed frustra, nam fulmine est ictus.

Theodoricus, rex Arianus, visus est cuidam sancto viro inter Joannem Papam et Symmachum Patritium, quos occiderat, discinctus, discalceatus, et vinctis manibus projici in ollam Vulcaniam. Ita sanctus Gregorius, lib. 4. Dialog. 30.

Constantius Copronymus, hostis Deiparæ, miserabiliter in Chalandio moritur, clamans et dicens: *Vivens adhuc sum igni inextinguibili*

traditus, sanctamque Virginem Deiparam nominari et laudari expetiit, ait Theophanes.

Arius in secessu medius crepuit instar Judæ, visceraque effudit; quia Deo Patri viscera sua, id est, Filium consubstantialem, auferre voluerat. Ita S. Nazianz. in laudibus S. Athanasii.

Nestorii lingua blasphema in Christum et Deiparam à vermibus exesa est, et totum corpus tabe computruit, uti Evagrius, lib. 1. cap. 7. Cedrenus et alii tradunt.

Lutherum sibi gulam fregisse ex ejus familiarissimis acceptum esse tradunt Bozius de Signis Ecclesiæ, Genebrardus et alii, corvorumque turbam ejus funus comitatam; quin et dæmones ab energumenis ex Geel (oppidum hoc vidi in Brabantia, et energumenos, qui eo ad S. Dympnam confluunt) in Saxoniam ad ejus funus convolasse, narrat Tilmann. Bredembach. lib. 7. Sacr. collat. cap. 39.

Calvinum scribit Beza phthisi, colica, asthmate, calculo, podagra, hæmorrhoidibus vexatum. Accessit morbus pedicularis, qui totum corpus pervasit; ac fœtidissimum et purulentissimum ulcus circa verenda: à vermibus ergo corrosus expiravit instar Herodis, Hunerici, Maximiani et Antiochi Epiphanis, acerrimorum persecutorum Christi et Ecclesiæ; ita Hieron. Bolsecus Doctor medicus in vita Calvini, cap. 22.

Quæres quando occidendus sit Antichristus. Resp. postquam regnaverit tres annos cum dimidio, uti docet Daniel c. 12. 7. et S. Joannes Apoc. c. 11. v. 2. et 3. et c. 12. v. 14.

Addit S. Hieron. in Daniel. 12. 11. eum occidendum die 1290 ab initio regni sui, idque significare Danielem, cum ait: *Et à tempore cum ablatum fuerit* (ab Antichristo initio suæ monarchiæ) *juge sacrificium, et posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta.* Subdit Daniel: *Beatus qui exspectat, et perveniet usque ad dies mille trecentos triginta quinque.* Ex quibus verbis S. Hieron. et alii passim colligunt, post Antichristi mortem superfuturos dies 45 usque ad diem judicii, quos Deus dabit hominibus lapsis in persecutione Antichristi, ut pœniteant. Aliqui cum S. Hieronymo hos dies præcise accipiunt, ita postero die præcise, puta 46 à nece et persecutione Antichristi, futura sit omnium resurrectio, et judicium universale.

Porro probabile est, diem resurrectionis generalis fore eumdem quo resurrexit Christus, puta diem Paschæ. Unde Lactant. lib. 7. c. 19. docet nos resurrecturos in die Dominica, imo eadem hora qua Christus resurrexit; Christus enim fuit exemplar nostræ resurrectionis. Idem docet S. Anselmus in Elucidario, et Macarius homil. 5. et 12. dicens nostram resurrectionem fore tempore Aprilis, quando omnia florent, et speciem exhibent cœlestis gloriæ. Idem sentit noster Joannes Salas in 1. 2. quæst. 5. a. 5. tract. 2. disp. 14. sect. 10.

Suppositis hisce duobus principiis, scilicet primo, à nece Antichristi usque ad diem judicii et resurrectionis, præcise fore 45 dies; secundo resurrectionem fore ipso die Paschatis; sequitur Antichristum occidendum finitis Bacchanalibus (quod notent et timeant bacchantes) primo die Quadragesimæ; ac deinde Quadragesimam totam dandam lapsis ad pœnitentiam, ut se præparent ad ultimum Pascha, quo resurgent subituri judicium generale. Quadragesima enim usque ad Pascha continet dies 46, deme ex iis diem primum, utpote quo occidetur Antichristus, supererunt 45 dies, quos numerat Daniel usque ad diem judicii: ita ut finito die 45, et inchoante 46, qui erit Pascha, omnes resurgant et judicentur. Ita opinatur vir quidam eruditus Romæ, qui mecum hac de re egit. Si dicas: Ergo præcise poterit sciri dies judicii, quod negat Christus, Marci c. 13. 32. Resp. negando consequentiam. Nunc enim is non potest sciri, et deinceps non poterit sciri usque ad mortem Antichristi: ea vero peracta poterit probabiliter ex dictis cognosci; at non certo sciri: quia utrumque principium quo nititur hæc sententia, incertum est, et probabile duntaxat, scilicet quod resurrectio fiet die Paschatis, et quod præcise erunt 45 dies à nece Antichristi usque ad diem judicii. Multi enim longe plures fore opinantur, ut dixi Daniel. 12. 11. In hisce ergo conjecturis nihil certo definiri potest, præsertim cum à variis variæ aliæ afferantur, quarum quæ sit vera, eventus declarabit.

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

CONTINUATUR MATERIA CAPITIS PRÆCEDENTIS PER NOVAM VISIONEM, QUA RES ALTIUS A SUO EXORDIO REPETITUR; VIDET ENIM JOANNES ANGELUM HABENTEM CLAVEM ABYSSI, QUI SATANAM LIGAT IN ABYSSO PER MILLE ANNOS, QUIBUS MARTYRUM ET SANCTORUM ANIMÆ CUM CHRISTO REGNANT IN COELO. INDE, V. 7. POST MILLE ANNOS DICITUR SOLVENDUS SATANAS AD MODICUM TEMPUS, QUI SOLUTUS CONGREGABIT GENTES, GOG ET MAGOG, AD ANTICHRISTUM, UT PRO EO PUGNENT CONTRA CHRISTUM ET CHRISTIANOS: SED AFFLABIT ET PERDET EOS DEUS IGNE MISSO DE COELO; SATANAM VERO ET ANTICHRISTUM IN TARTARA DETURBABIT. DEINDE, V. 11. CHRISTUS VENIT AD JUDICIUM, RESURGUNT MORTUI PUSILLI ET MAGNI, LIBRI APERIUNTUR, EX IISQUE MORTUI JAM RESUSCITATI JUDICANTUR SECUNDUM OPERA CUJUSQUE; AC TANDEM MORS ET INFERNUS CUM IMPIIS, QUI NON SUNT SCRIPTI IN LIBRO VITÆ, MITTUNTUR IN STAGNUM IGNIS.

1. ET vidi Angelum descendentem de cœlo, habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua. 2. Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanas, et ligavit eum per annos mille; 3. et misit eum in abyssum, et clausit, et signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni, et post hæc oportet illum solvi modico tempore. 4. Et vidi sedes, et sederunt super eas, et judicium datum est illis: et animas decollatorum propter testimonium Jesu, et propter verbum Dei, et qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus aut in manibus suis, et vixerunt, et regnaverunt cum Christo mille annis. 5. Cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima. 6. Beatus, et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem; sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis. 7. Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exibit, et seducet Gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog et Magog, et congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. 8. Et ascenderunt super latitudinem terræ, et circuierunt castra sanctorum, et civitatem dilectam. 9. Et descendit ignis à Deo de cœlo, et devoravit eos: et Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia 10. et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum. 11. Et vidi thronum magnum candidum, et sedentem super eum, à cujus conspectu fugit terra et cœlum, et locus non est inventus eis. 12. Et vidit mortuos, magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt: et alius liber apertus est, qui est vitæ; et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum. 13. Et dedit mare mortuos, qui in eo erant; et mors et infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant: et judicatum est de singulis secundum opera ipsorum. 14. Et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis: Hæc est mors secunda. 15. Et qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.

Alcazar more suo hæc omnia refert et determinat ad Romanam Ecclesiam, quasi post Babylonis, id est, Romæ incendium, scilicet mysticum charitatis, cum sub Constantino cœpit publicum in ea fidei Christianæ exercitium, ligatus sit Satanas, ne illud ullo unquam tempore evertere aut tollere possit. Illud itaque duraturum usque ad tempus Antichristi, qui modico tempore illud tollet; sed eo mortuo rursum restituetur, durabitque usque ad diem judicii, quando commutabitur in regnum cœleste, beatum et gloriosum. Ligari ergo censet hîc Satanam ac hoc, ne impediat nuptias Agni cum Romana Ecclesia; sicut Raphael ligavit Asmodæum, ne impediret nuptias Tobiæ cum Sara, Tobiæ 8. v. 3. Porro hinc ipse probare contendit omnia præcedentia à cap. 12. hucusque intelligenda esse de primitivæ Ecclesiæ victoria contra gentilismum: quia cap. sequenti dicitur ligatus Satanas per mille annos. Ergo, inquit, ligatio Satanæ secuta est post Babylonis excidium, post pugnam Michaelis cum dracone, etc. Ergo hoc excidium, hæc pugna, etc., non fient sub Antichristo in fine mundi; sed facta sunt jam olim

in conversione Gentium, cum Roma professa est publice Christianismum; tunc enim ligatus est Satanas per mille annos. Nec enim post Antichristum supererunt orbi mille anni, ut iis tunc demum ligetur Satanas.

Verum Respondeo cum Ribera esse hîc novam visionem, uti fieri solet in Prophetis; in qua quædam per hysterologiam præmittuntur et repetuntur, quæ jam olim contigerunt. Ligatio enim Satanæ jam olim à Christo facta hîc narratur à Joanne, et arcessitur à suo initio: idque ad hoc, ut inde transeat et enarret ejusdem solutionem, quæ fiet in fine mundi sub tempora Antichristi. Quomodo enim intelligeretur Satanas suis catenis esse solutus, nisi prius narraretur eum jam olim à mille annis à Christo iisdem esse alligatum?

1. Et vidi Angelum descendentem de cœlo, habentem clavem abyssi.] Angelus hic est Christus, ait S. Augustinus l. 20. Civit. c. 7. Viegas et Alcazar; Christus enim habet clavem abyssi, et apprehendit ligavitque dæmonem imperii sui catena.

Verum simplicius et planius hîc, æque ac cap. 9. v. 1. Angelum accipiemus proprie dictum, qui sit præses et quasi prætor inferni. Unde habet clavem abyssi, id est, habet potestatem laxandi infernum, in eumque detrudendi diabolum, puta Luciferum, ibique eum alligandi per catenam, id est, per imperium divinum, ejusque vim detentivam et coercitivam (de qua dixi cap. 9. v. 14.) idque per annos mille, id est, per universum tempus regni Christi in hac vita, puta in Ecclesia militante, usque ad Antichristum; millenarius enim est numerus perfectus, quadratæ et solidæ figuræ: decies enim decem faciunt centum, et decies centum faciunt mille. Mille ergo est quadratura denarii, ideoque temporis plenitudinem et universitatem significat, ait S. August. et alii passim. Vel mille, id est, plurimos annos; ponitur enim numerus definitus pro indefinito.

Habentem clavem abyssi,] puta inferni. Mystice, Ansbert. et Haymo per abyssum accipiunt multitudinem impiorum, cui quasi alligatus est dæmon. Rursum Alcazar: In abysso, inquit, id est, in æquissimo Dei judicio (judicia enim Dei abyssus multa) ligatus et reclusus est dæmon.

Serpentem antiquum,] quia diabolus ab olim in Paradiso, per serpentem primos homines veneno suæ mortificavit invidiæ, ait S. Leo.

Et ligavit eum per annos mille.] Arabicus, *in annos mille.* Quibus catenis ligentur dæmones dixi c. 9. 14. Nota hanc ligationem dæmonis per mille annos, quintupliciter ab Interpretibus supputari et explicari. Primo enim, aliqui hos mille annos inchoant à passione Christi, et finiunt in Antichristo. Secundo, alii eos inchoant à Constantino Imp. aut à morte Juliani: tunc enim quasi simul interiit idololatria; tertio, alii post Constantinum; quarto, alii à morte vel tempore Antichristi; quinto, alii eos inchoant à die judicii, et complendos dicunt in regno cœlorum. Omitto sententiam Prosperi in Dimidio temporis c. 4. qui ab exordio 70 hebdomadum Danielis, hos mille annos orditur, quia hæc ejus unius singularis est opinio.

Primo, à passione Christi inchoant S. Gregor. August. Primas. Beda, Andreas, Viegas et Perer. l. 15. in Daniel. Christus enim in cruce ademit diabolo jus usurpatum et potestatem in homines, eumque alligavit. Unde ait ipse: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras;* sed sub Antichristo solvetur, viresque suas recipiet, easque exeret per Antichristum. Itaque à Christo in cruce Satanas, id est dæmonum princeps (unde in Græco est articulus; et S. Prosper in Dimidio temporis legit, *draconem illum magnum, illum serpentem antiquum*) puta Lucifer, realiter et personaliter relegatus est ad infernum, ibique ligatus est, ut ex eo egredi non possit, nec ita nocere hominibus ac si iis præsens esset usque ad tempus Antichristi: tunc enim solvetur et egredietur. Id diserte docet S. Gregor. l. 4. Moral. 12. Ambros. Andreas, Lactant. l. 7. Divin. institut. 24. et 26. Ribera et Viegas, qui docent hîc secretum quoddam detegi, scilicet in passione et morte Christi Angelum quemdam è cœlo descendisse, qui Satanam in gehenna alligaret, ne ex ea egredi posset usque ad tempus Antichristi. Rursum ligatus est Lucifer, ne per suos dæmones, qui inter nos agunt, totam suam vim exerat contra Ecclesiam, ne seducat gentes ex quibus constat Ecclesia, ait S. August. quas antea seduxerat et subjectas tenebat, sed permittere cogatur, ut illæ libere ad Christum converti possint, utque Christi fides toto orbe per omnes gentes propagetur, ait S. August. serm. 197. de Tempore. Ita refert S. Athanasius in vita S. Antonii, quod diabolus quadam vice prociderit ad pedes S. Antonii, dicens: *Cur mihi maledicunt homines? sibi imputent, si cadant. Ego enim nihil possum, nisi ipsi sponte se mihi subdant.* Additque S. Antonius: *Hamo crucis ut draco aduncatus à Domino est, et capistro ligatus ut jumentum, et quasi mancipium fugitivum vinctus circulo, et armilla labia perforatus, nullum omnium fidelium devorare permittitur. Nunc miserabilis ut passer, ad ludendum irretitus à Christo, calcaneo Christianorum substratus gemit. Ille qui universa maria à se deleta plaudebat, ille qui orbem terrarum manu suâ teneri pollicebatur, ecce à nobis vincitur, ecce me adversum se prohibere non potest disputantem.* Vide S. August. ubi supra.

Ita in Vita S. Marcellini et S. Petri Martyrum, 2. Junii legimus Petrum hunc Exorcistam, ut virtutem Christi Artemio præfecto carceris ostenderet, è carcere vi divina, solutis vinculis, egressum stetisse se ad mensam Artemii, ejusque conjugis Candidæ, et filiæ Paulinæ, quæ possidebatur à dæmone, qui subito ad Petri præsentiam fugiens, exclamavit: *Virtus Christi, quæ est in te, ô Petre, me ligavit, meque expellit;* ita ut Paulina plane libera et sana evaserit. Quocirca Artemius cum conjuge accedens ad pedes Petri, Christianus effectus, ac tandem cum iisdem Martyr evasit. Nam, ut ait S. August. 20. Civit. 8. *Alligatio diaboli non solum facta est ex quo cœpit Ecclesia in nationes dilatari, sed etiam nunc fit, et fiet usque ad terminum sæculi; quia unicuique fidelium iste fortis tunc alligatur, quando ab illo tanquam vas eripitur.* Vide dicta c. 9. 14. Quocirca apposite S. Cyprianus tractat. de Opere et eleemos. diabolum ita Christianis qui ejus tentationi consenserunt, coram Christo judice insultantem inducit: *Ergo pro istis quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, nec familium meam pretio passionis et cruoris redemi; sed nec regnum illis cœleste promitto, nec ad Paradisum restituta immortalitate*

denuo revoco; et munera mihi quàm pretiosa, quàm grandia, quàm nimio et longo labore quæsita, sumptuosissimis apparatibus comparant? Tuos tales munerarios, Christe, demonstra præceptis tuis monitos; et pro terrenis cœlestia recepturos illos divites, illos copiosius affluentes, an in Ecclesia præsidente et spectante te ejusmodi manusedant? in istis muneribus meis caducis atque terrenis nemo pascitur, nemo vestitur, nemo cibi alicujus solatio sustinetur; cuncta inter furorem edentis, et spectantis errorem, prodiga et stulta voluptatum frustrantium vanitate depereunt. Illic in pauperibus tuis tu vestiris et pasceris, tu æternam vitam operantibus polliceris, et vix tui meis perdentibus adæquantur, qui à te divinis mercedibus et præmiis cœlestibus honorantur. Quid ad hæc respondebimus, fratres charissimi?

Porro mille hosce annos finiri in Antichristo, tumque solvendum esse Satanam diserte docet S. August. lib. citato cap. 7. S. Greg. lib. 9. Moral. c. 1. et lib. 35. 20. Primasius, Beda, et alii passim.

Secundo, à tempore Constantini, qui publicum induxit Christianismi exercitium abolito gentilismo, inchoat hosce mille annos Ferdinandus Castiglius in Historia S. Dominici part. 2. cap. 1. et alii, eosque finit in exordio Imperii Ottomannici; tunc enim videtur solutus Satanas, quando Ottomannus factus est primus Turcarum Imperator, quem secuti sunt ejus posteri usque in hanc diem. Nam ab anno Domini 300 quo regnavit Constantinus, usque ad annum Domini 1300 quo cœpit Ottomannus, præcise sunt mille anni.

Rursum, Ubertinus de Casalis ligatum ait Satanam sub Constantino, sed solutum sub Joanne XXII. Pont. qui cœpit sedere anno Domini 1316. Huic enim minus Mendicantibus Ordinibus faventi offensus Ubertinus, contra eum stomachatur, eumque vocat mysticum Antichristum. Sed injuria: hilis enim fecit eum hasce voces in Pontificem legitimum evomere. Merito enim Joannes Imperatorem Ecclesiæ hostem judicavit, et sacris interdixit, eo quod creasset Petrum Corbarium Antipapam. Insuper Alcazar hosce mille annos inchoat à Constantino qui Christianismum evexit, eosque finit in Antichristo. Verum hæc accommodatitia sunt, non genuina, nec litteralia, præsertim cum S. Joannes Evangelista cap. 12. 31. aliique Evangelistæ, ut Matth. c. 12. 29. Marc. cap. 3. v. 27. Lucæ 11. v. 22. doceant à Christo vivente et patiente ligatum esse Satanam: ergo à tempore Christi, non Constantini, hi mille anni arcessendi sunt.

Tertio, post Constantinum orditur hosce mille annos Aureolus, scilicet à Calixto II. Pontif. anno Domini 1122. Censet enim hunc Angelum esse Calixtum Pontificem, qui habet clavem abyssi, id est, potestatem claudendi portas inferni, et aperiendi januas cœli. Hic ligavit Satanam; quia sustulit Imperatori jus investiendi Episcopos et Abbates, dando eis annulum et baculum, quod à Carolo Magno per 300 annos usurpaverant. Quocirca sub Calixto II. Henricus V. Imperator Romam veniens, huic juri renuntiavit anno Domini 1122. cum idipsum antea tentassent Gregorius VII. Victor, Urbanus et Paschalis Pontifices, sed perficere nequivissent. Calixtus ergo ligavit Satanam ad mille annos, id est, in perpetuum quamdiu Ecclesia durabit. Verum hoc quoque est accommodatio prophetiæ gravissimæ ad rem præ ea minutam et exilem.

Quarto, ab Antichristi morte ordiuntur hosce mille annos, primo, Chiliastæ, sive Millenarii, quorum dux fuit Papias discipulus S. Joannis Apostoli, quem secutus est Cherinthus hæreticus, et è Catholicis Irenæus, Tertull. Lactant. Victorinus, Apollinaris, Severus, Justinus et alii. Putarunt enim hi ea quæ à Christo prædicta et promissa sunt de pace et felicitate Ecclesiæ, necdum impleta esse, sed implenda fore post Antichristum, quando eo devicto justi resurgent, et cum Christo in terris regnabunt mille annis: quocirca illis ligandum esse Satanam. Itaque docebant post sex millia annorum, quibus stabit hic mundus, secuturum sabbatum, sive septimum millenarium annorum, in quo Sancti cum Christo in terris regnabunt in summis deliciis, vel corporalibus gulæ et luxuriæ, uti volebat impurus Cherinthus, vel potius spiritalibus, ut voluit Irenæus et alii: idque placuit aliquando S. Augustino, ut ipse refert lib. 20. Civit. 7. Hanc ergo aiebant esse resurrectionem primam, de qua hîc agit Joannes: post quam ait secuturam secundam, in qua scilicet è terra in cœlum transferentur, qui erat octavus millenarius felicitatis et æternitatis. Unde et caput sequens accipiunt de hac prima resurrectione: hanc enim aiebant esse novam Jerusalem è cœlis descendentem in terras. In hunc errorem induxit eos hic locus Apoc. qui id videtur asserere. Quocirca alii ex diametro his adversi, ut hunc errorem convellerent, respuebant Apocalypsin, eamque tribuebant Cherintho hæretico, qui fuit è primis Chiliastis.

Hic itaque est error Millenariorum: hæresin dicere non audeo, quia apertas Scripturas aut Conciliorum Decreta, quibus hæc sententia quasi hæretica damnetur, non habeo. Unde et S. Augustinus, loco citato, eam damnare non est ausus. Satis tamen illa erroris convincitur, et ab Ecclesia damnari posset ut hæretica (uti noster P. Salas et alii eam damnant.) Primo ex illis Script. et Decretis Pontificum, quæ docent animas puras et sanctas hac vita functas, mox in cœlum evolare: inde enim sequitur eas non degere in terra per mille annos.

Secundo, ex iis quæ docent unam tantum esse proprie dictam resurrectionem, scilicet corporum reviviscentium, eamque futuram in fine mundi, puta in die judicii: inde enim sequitur animas deinceps in mundo hoc ac terra non moraturas per mille annos. Tales Scripturæ sunt Job 19. v. 25. *In novissimo die de terra surrecturus sum, et in carne mea videbo Deum salvatorem meum.* Et Paulus 1. Corinth. 15. 52. ait nos resurrecturos *in momento, in ictu oculi, in novissima tuba.* Idem satis insinuat Joannes hoc cap. v. 12. et 13.

Tertio, ex iis quæ docent post resurrectionem Beatos non habituros delicias carnales, sed spiritales, ut Matth. 22. 30. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei.*

Quarto, ex iis quæ docent in resurrectione nos obviam rapiendos Christo in aera, ut dicitur 1. Thessal. 4. 16.

Quinto, quia hîc. v. 7. dicitur: *Cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas, et sedu-*

et Gentes, etc. *Gog et Magog*. Hi autem erunt duces et exercitus Antichristi, qui veniet ante finem mundi, et ante resurrectionem. Ergo hi mille anni non sequuntur, sed præcedunt Antichristum, finemque mundi. Ergo sunt anni hujus vitæ et sæculi, non resurrectionis.

Denique posteriores Patres, et Ecclesiæ sensus hanc sententiam reprobavit : unde illa jam evanuisse videtur.

Ad Chiliastes ex parte accedit sententia Abbatis Joachimi, Pannoni, Seraphini et Bullingeri, qui censent tam magnifica Christi de pace et felicitate Ecclesiæ promissa necdum esse impleta, sed implenda fore post Antichristum. Tunc ergo in Ecclesia nullam fore hæresin, aut hostem, qui eam affligat, aut perturbet, ipsosque fideles fore sanctos, ita ut non indigeant morum correctione aut reformatione : fore enim omnes doctos à Domino, tuncque fore in terris specimen cœlestis monarchiæ. Quocirca docent ipsi ex Sibylla, post mortem Eliæ et Henoch superfore 350 annos usque ad diem judicii, de quo vide Langium in Justinum tomo secundo fol. 72. Ubertinus vero hos annos duplicat, aitque fore 700. Verum hæc gratis et sine fundamento dicuntur, nec consentiunt cum Scriptura, quæ docet Antichristum in fine mundi venturum, ac non multo post Antichristum fore extremum judicium et resurrectionem, uti et satis insinuat hîc S. Joannes, cum post stragem Gog, Magog et exercitus Antichristi, mox v. 11. transit ad diem judicii. Quocirca Hortulanus in Cantica fol. 386. ubi eamdem cum Joachimo docet sententiam, ut has difficultates evadat, asserit hos mille felicitatis Ecclesiæ annos, non post, sed ante Antichristum futuros. Verum hoc quoque commentitium est, præsertim cum ad hæc usque tempora, quæ sensim accedunt ad Antichristum, nullum unquam fuerit sæculum sine hæresi, hoste et perturbatione Ecclesiæ, quale ipse per mille annos fore ante Antichristum opinatur, æque ac opinatus est Q. Julius Hilarion lib. de Duratione mundi, tomo 7. Biblioth. SS. Patrum.

Ad horum opinionem accedit Petrus Galatinus hîc, quem manuscriptum legi in Biblioth. Vaticana, qui hos mille annos ligationis Satanæ numerat tempore Christi, sed præcipuam eorum partem fore asserit ætate Pastoris (Pontificis) Angelici, qui admirandæ humilitatis, sapientiæ et sanctitatis erit, habebitque duodecim Apostolos instar Christi; cum quibus reformabit, et primo sub Apostolis splendori restituet Ecclesiam : post quem sequetur Antichristus, qui omnia subvertet, ac tum solvetur Satanas antea ligatus. Hunc Pastorem angelicum promittunt S. Catharina Senensis apud Ambros. Catharin. lib. 3. Vitæ ejus cap. 3. et Revelationes B. Amadæi, ex iisque eum mutuatus videtur Galatinus, et alii multi qui eum exspectant. An recte et vere, posterorum ætas docebit. Mihi certum est eum hîc à S. Joanne non describi, nec promitti. In oraculo S. Malachiæ, quod recitat Arnoldus Wion lib. 2. Ligni vitæ cap. 40. in fine, Pastor Angelicus in serie Pontificum futurorum, ponitur sextus à fine sive sextus à Petro Romano, qui ultimus Pontifex ponitur.

Quinto, hosce mille annos à die judicii extremi orditur Alphonsus à Castro lib. 3. Contra hæres. verbo *Beatitudo*, hæres. 2. ubi per hosce mille annos docet denotari æternitatem Beatorum in gaudio et gloria cœlesti. Sic et S. Justinus lib. de Veritate Christianæ religionis, asserit Joannem in Apoc. agere de mille annis, et lignum vitæ esse illosmet mille annos. Ait enim : *In his verbis, Secundum dies ligni vitæ dies populi mei erunt*, etc. *mille annos in mysterio arcane designari intelligimus. Ut enim Adæ dictum est, quo die de ligno vitæ edisset, esse moriturum; scimus illum mille annos non implevisse. Novimus etiam illud : Dies Domini ut mille anni, huc pertinere.* Huc ex parte accedit Viegas scribens ad v. 4. ut ibi dicam.

Porro quod dicitur post mille annos solvendum Satanam, sic explicant, q. d. Beatis mille annis, id est, in æternum, ligatum esse Satanam, et tamen iis qui in mundo sunt adhuc solutum manere ; sive cum pie morientium inchoatur beatitudo, tunc aliorum nascentium et viventium bellum inchoari. Verum hæc violenta et contorta est explicatio. Nam ut alia taceam, post mille hosce annos asserit Joannes solvendum esse Satanam, qui Gog et Magog congregabit in prælium, illisque cæsis fore judicium et resurrectionem, ut patet v. 7. 11. et 12. indeque Sanctorum gloriam in cœlo describit cap. 21. et 22. eaque claudit Apocalypsin. Ergo mille hi anni non sequentur, sed præcedent judicium, resurrectionem et gloriam Beatorum.

Prima ergo expositio, uti plurimos et gravissimos habet auctores, ita maxime genuina ac vera videtur.

Denique censet noster Turrianus lib. de Eucharist. c. 31. et Alcazar, S. Joannem hîc alludere ad Isaiæ c. 24. v. 21. et 22. ubi dicitur : *In die illa visitabit Dominus super militiam cœli in excelso, et super reges terræ qui sunt super terram ; et congregabuntur in lacum, et claudentur ibi in carcere, et post multos dies visitabuntur.* Reges enim aiunt esse dæmones, quos Paulus vocat *mundi rectores.* Verum licet in verbis nonnulla videatur esse allusio et similitudo ; tamen alia prorsus Isaiæ est mens et sententia, uti ibidem docui, alia Joannis.

Anglo-Calvinista hosce mille annos numerat ab anno Domini 300, quo regnavit Constantinus Christianus : itaque ligatus est Satanas, eosque terminat anno Domini 1300. tunc enim solutum esse Satanam ; quia tunc cœpit imperium Turcicum, puta Ottomannicum, quod Ecclesiam Dei vastavit et vastat. Additque interim hisce mille annis fideles secreto regnare, id est, veram fidem sequi, esto dominetur bestia, id est, Antichristus, puta Pontifex Romanus. At quomodo hisce mille annis ligatus est Satanas, cum, ut ipse asserit, regnet iisdem in Ecclesia bestia, id est, Antichristus ? Quæ major libertas erit Satanæ, quod majus regnum ejus, quàm tempore Antichristi, in quo operabitur et dominabitur Satanas totis viribus in omni virtute et seductione, uti ait S. Paulus 2. Thessal. 2. v. 10. ? Porro ridicula sunt æque ac stolida, quæ addit et divinat, imo delirat hæreticus, scilicet primo, Turcæ imperium duraturum *modico tempore*, ut ait hîc Joannes ; scilicet tantum *ad horam, diem, mensem et annum, id est, trecentos nonaginta annos. Si Julianorum annorum rationem sequamur,* inquit, *non prorogabitur impium regnum ultra septem annos amplius : tunc prorsus exstinguendum, ne vel ullo nominis vestigio superstite.*

Secundo, asserit resurrectionem primam factam esse à Joanne Wiclef, et similibus, qui pa-

riter Anglus anno Domini 1300 (sed errat : Wiclef enim cœpit anno 1352) papatui se opposuit, et veram fidem Ecclesiæ restituit. Itane Calvinistæ transformant se in Hussitas et Wiclefitas ? Prorsus : nescientes enim et inviti hic verum dicunt. Nam si conferas articulos Wiclef, quos recitat Prateolus l. 10. Waldens. et alii, cum articulis Lutheri et Calvini, clare videbis hos ab illo hæreses suas emendicasse, adeoque Lutheranismum et Calvinismum non esse aliud, quam antecedentium hæresum, in Conciliis Romano et Constantiensi damnatarum, redulcerationem et restitutionem.

Tertio addit, post hosce mille annos, qui finiuntur anno Domini 1300, secuturos alios mille annos, quibus fideles everso papatu et Turcismo (quod, inquit, propediem exspectamus) regnabunt cum Christo in Ecclesia ; quibus expletis solvetur secundo Satanas, et seducent Gog et Magog.

Ita ipse; sed hæc ex diametro pugnant cum verbis et mente S. Joannis, æque ac cum rerum eventu, et cum fide orthodoxa. Nam primo, S. Joannes asserit hosce mille annos resurrectionis primæ, in qua Martyrum animæ regnant cum Christo in cœlo, æque ac Christiani cum Christi Vicario Pontifice Romano in Ecclesia ; ac proinde iisdem ligatum esse Satanam, sed illis expletis solvendum ut seducat Gog et Magog. Hi ergo mille anni simplices sunt et iidem, non duplices et diversi : puta sunt anni regni Christi in cœlo, æque ac in Ecclesia, iisque expletis semel tantum solvetur Satanas, non bis, uti docet hic Joannes. Secundo quomodo potest annus 1300 vocari resurrectio prima ob paucos Wiclefitas, cum potius vocandus sit mors secunda, ob Ottomannorum, qui tunc grassari cœperunt, persecutiones et strages ? adde, ante Ottomannos à tempore Mahometi, qui vixit anno Christi 600, ipsum et posteros ejus semper afflixisse Ecclesiam, idque graviter.

Tertio, divinat ipse Turcæ Imperium, æque ac papatum, non duraturum nisi septem annos. At divinavit et scripsit hoc anno Domini 1609 (eo enim liber impressum se testatur.) Jam autem agitur annus Domini 1620, hoc est duodecimus post hanc ejus divinationem, quo papatus, æque ac Turcismus, consistit. Ergo errat et fallitur, ac fallit pseudopropheta, cum post septimum ejus annum, quo desituros eos prædixit, per quinque annos perdurent, nec ullum interitus eorum signum vel initium appareat.

Quarto, mille anni regni Christi non sequuntur mille annos quibus ligatus est Satanas, sed cum illis iidem sunt : regnum enim Christi est ligatio Satanæ. Christus enim regnans ligavit Satanam : sicut ex adverso solutio Satanæ sub Antichristo erit depressio, et pene eversio, regni Christi, puta Ecclesiæ.

Denique stabit Ecclesia Orthodoxa et Romana, stabit pontificatus usque ad finem mundi, uti promisit primo Pontifici Petro Christus Matth. 16. 18. *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Et passim alibi dicitur quod regnum Christi, id est Ecclesia, erit æternum. Desinant ergo hæretici sperare vicinam ejus eversionem, quasi post illam ipsi mille annos regnaturi sint usque ad tempora Gog et Magog. Novantes enim ut amantes sibi somnia fingunt, dum pontificatus ruinam, quam adeo optant, imminere augurantur. Didicerunt id à parente suo Luthero, cujus hoc oraculum fuit, æque ac votum :

Pestis eram, vivens ; moriens ero mors tua, Papa.

Verum falsus est, et fefellit impostor. Jam pridem enim mortuus est Lutherus, et tamen vivit, vivetque Papa : sed nimirum eum dementaverat, et cerebro orbaverat amor hæresis et libertatis, indeque consequens odium Papæ et papatus.

3. ET SIGNAVIT SUPER ILLUM,] diabolum scilicet, ut patet ex genere Græco quod est masculinum : signavit, inquam, abyssum, id est, infernum firmissime clausit Lucifero, ne ipse inde egredi possit ; idque fecit potestate et auctoritate regia, scilicet divina, sicut Daniel cap. 14. v. 13. ait fanum Belis signatum fuisse annulo regis. Est catachresis ; nec enim Angelus proprie signavit, id est, sigillum aliquod impressit inferno ; et licet impressisset, diabolus, qui spiritus est, facile illud illæsum, uti et alia quævis corpora, carceres et clausuras penetraret : frustra ergo hoc sigillum diabolo poneretur. Ergo per signaculum hoc symbolice tantum significatur firma alligatio ac conclusio Luciferi in inferno per auctoritatem et vim divinam, usque ad mille annos jam dictos, ut iis exactis solvatur modico tempore scilicet per tres annos cum dimidio quibus regnabit Antichristus, idque ad hoc, ait S. Augustinus lib. 22. de Civit. cap. 8. (ubi fuse hunc locum tractat, sed multa ex eo mystice) ut ejus maligna potentia, et sanctæ civitatis fidelissima patientia probetur, ac vicissim ostendatur Dei benigna, utilisque et cauta permissio in tanta tentatione Sanctorum.

4. ET VIDI SEDES (magnificas et augustas : has enim significat Græca vox θρόνοι) ET SEDERUNT SUPER EAS, ET JUDICIUM DATUM EST ILLIS.] Alcazar per *sedes* has accipit publicam Episcoporum, et præcipue Romanorum Pontificum, auctoritatem et majestatem, et potestatem judiciariam, quam adepti sunt mox ut sub Constantino inductum est publicum fidei Christianæ exercitium, itaque ligatus est Satanas, ejusque cultus in idolis. Quocirca sedentes in hisce thronis censet esse eosdem cum viginti quatuor senioribus, sedentibus in thronis cap. 4. Verum quia sequitur : *Et animas decollatorum,* etc. *Et qui non adoraverunt bestiam,* liquet has sedes ad aliud sæculum, et ad tempora Antichristi pertinere.

Secundo, Aureolus more suo accommodat has sedes Ordinibus Præmonstratensi et Cisterciensi, qui sub S. Bernardo reflorescere cœperunt anno Domini 1135. In hisce enim duabus Religionibus, quasi sedibus, multi viri religiosi sederunt, quiescentes per contemplationem, compositionem affectuum, ac multiplicem perfectionem.

Tertio, Viegas refert hasce sedes in diem judicii, de quibus Christus ait Apostolis, Matthæi 19. v. 28. *Sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel.* Verum hæ sedes dicuntur fore in mille annis pacis, qua fruetur Ecclesia ante resurrectionem secundam, quæ erit corporum in die judicii ; unde subdit : *Hæc est resurrectio prima.*

Quarto ergo et genuine : sedes hæ sunt throni, in quibus jam per mille pacis Ecclesiæ an-

nos, resident animæ decollatorum propter JESUM, et qui non adoraverunt bestiam. Sunt enim ipsæ in cœlo reges et principes, Deo quasi assidentes, ejusque visione fruentes. Hinc et *judicium datum est illis*, quia à Deo creati et destinati sunt judices, ut cum Christo in die judicii judicent orbem. Habent ergo nunc potestatem judiciariam quasi in actu primo, sed ejus usum et actum secundum exercebunt in die judicii. Est hyperbaton. Sic enim verba ordinanda sunt: *Et vidi sedes et animas decollatorum, et sederunt*, scilicet hæ animæ, *super eas* sedes: postponit enim Joannes τὸ *et animas decollatorum*, quia de iis plura erat dicturus, scilicet quod decollatæ essent propter testimonium JESU, et propter verbum Dei, uti decollatus fuit S. Paulus, S. Jacobus, aliique Apostoli et Martyres. Rursum, hisce animabus decollatis adjungit eos, qui in fine mundi non adorabunt bestiam, id est, Antichristum, nec recipient characterem ejus. Utrique enim sunt testes JESU, et utrique partim jam sedent, partim in fine mundi morientes sedebunt, in hisce sedibus. Est hebraismus: ponitur enim relativum ante suum antecedens.

Similis est Numer. 24. v. 17. ubi ait Balaam: *Videbo eum, sed non modo*, ac quem sit visurus explicat, dum subdit: *Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel;* quasi dicat: Christus erit ille quem visurum me dixi. Similia sunt alibi. Paulo aliter Ribera hæc ordinat et explicat, q. d. Vidi animas Beatorum in sedibus, et peculiariter animas Martyrum; quomodo dicitur Marci cap. ult. v. 7. *Dicite discipulis ejus, et Petro.* q. d. Dicite discipulis, et maxime Petro.

Mystice, S. Augustinus lib. 22. Civit. 9. et ex eo Beda, Rupertus et Ansbertus, hæc accipiunt de judicio non extremo; sed præsenti, quo Prælati in Ecclesia à Christo habent et exercent potestatem ligandi et solvendi: hinc bestiam aiunt esse non Antichristum, sed populum infidelium, imaginem vero bestiæ esse simulationem eorum, qui cum fidem profiteantur, infideliter tamen vivunt.

Hoc mysticum est. Nam ad litteram ostensa est Joanni obiter hîc, uti et cap. 7. v. 9. beatitudo Sanctorum, præsertim eorum qui resistent Antichristo; hi enim sedebunt judices cum Christo, et Antichristianos cum eo damnabunt; ut nimirum hac ratione et suos fideles sub Domitiano, Trajano, etc. et posteros, præsertim futuros sub Antichristo, hac spe gloriæ cœlestis animet ad patientiam et fortitudinem, ut generose stent usque ad mortem pro Christo, ac resistant tyrannis et Antichristo.

ET VIDI ANIMAS DECOLLATORUM PROPTER TESTIMONIUM JESU, ET PROPTER VERBUM DEI, ET QUI NON ADORAVERUNT BESTIAM, etc. ET VIXERUNT, ET REGNAVERUNT CUM CHRISTO MILLE ANNIS.] Syrus: *Et regnaverunt cum Christo suo his mille annis. Vixerunt*, id est, quasi resurrexerunt, transeuntes ad vitam beatam et immortalem. Unde reprobis subdit: *Cæteri mortuorum non vixerunt*, id est, non resurrexerunt ad vitam beatam.

Jam primo Alcazar vitam et resurrectionem hanc mysticam accipit, quasi dicat: Animæ Martyrum decollatorum resurrexerunt, non in se, sed in infidelibus, qui eorum exemplo et martyrio ad Christi fidem sunt conversi, aut in ea confirmati. Nam spiritus, religio et sanctitas Martyrum resurgit in eorum fide qui ad Christum convertuntur, ac consequenter in Romanæ Ecclesiæ gloria et splendore. Rursum, ipsæ animæ Martyrum in se quasi resurgunt: quia coluntur in terris, celebrantur et suspiciuntur publice à tempore Constantini, quo facta est publica religionis Christianæ professio. Pari modo explicat id quod sequitur quasi per antithesin: *Cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni.* Sensus enim est, inquit Alcazar, q. d. Tyranni aliique reprobi jam mortui non resurrexerunt, id est, non fuerunt in orbe celebres et illustres, sed post mille annos, cum scilicet solvetur Satanas tempore Antichristi, tunc resurgent, id est, erunt famosi et celebres. Nero enim, Diocletianus, aliique reprobi resurgent quasi in Antichristo, ejusque asseclis, qui laudabunt, imitabuntur, imo superabunt Neronis, etc., impietatem et persecutionem in Christianos.

Secundo, Aureolus putat per animas decollatorum significari maximam persecutionem Saladini, qui astu occupans regnum Ægypti anno Christi 1187, plurimos Christianorum occidit, eisque Hierosolymam et terram sanctam (quam Christiani duce Godefrido Bullonio recuperaverant et jam tenuerant per 80 annos) ademit. Per eos qui non adoraverunt imaginem bestiæ, intelligit Reges Franciæ, Angliæ et Siciliæ, qui anno Christi 1191 receperunt Acconem, et anno Christi 1217 Damiatam. Hi enim non adoraverunt bestiam, id est, Saladinum; nec imaginem ejus, scilicet Mahometem; nec acceperunt characterem ejus, scilicet circumcisionem. Tunc ergo Palæstini, qui sub Saladino videbantur in Palæstina esse mortui, quasi revixerunt, et regnarunt cum Christo mille annis, regnum scilicet Christianitatis manutenendo usque ad tempus Antichristi, sed non in Palæstina. Nam inde jam diu expulsi sunt Christiani.

Rursum, Aureolus hosce mille annos inchoat à S. Sylvestro Pontif. qui sedit anno Christi 316. inde, ait ipse, usque ad præsentem annum quo hæc scribo, qui est 1319, sunt mille et tres anni. Jam ergo Tribus annis deberet natus esse Antichristus. Sed quia hic necdum comparet, propterea certitudo istius numeri debet Spiritui sancto reservari. Ita ipse jam à trecentis annis fatetur se falsum in numero. Adde trecentos post ipsum jam elapsos, et plures qui elabentur usque ad Antichristum; ac ipsa experientia cognosces ipsum valde in hoc suo computu et conjectione à vero aberrasse.

Tertio, Viegas per hosce mille annos vers. 4. accipit æternitatem, per quam Sancti post judicium cum Christo regnabunt in cœlo. Hoc enim videtur hîc dicere Joannes, dum ait: *Et sederunt, et judicium datum est illis;* et paulo post: *Et vixerunt, et regnaverunt mille annis*, scilicet post diem judicii, de quo egi in fine capitis præcedentis. Verum obstat quod, post hos mille annos, dicitur solvendus Satanas, qui congregabit Gog et Magog, ut pro Antichristo pugnent contra Christum et Christianos. Respondet Viegas alios hoc versu esse mille annos ab illis vers. 2 et 7. ac S. Joannem ludere in mille annis; sicut Daniel ludit in voce *tempus*, Daniel 7. vers. 12. Verum hoc implicatius est et obscurius, atque hunc locum valde intricat: nec S. Scriptura solet in certis et definitis numeris ita ludere et æquivocare, præsertim cum iis

præfigitur articulus, uti utroque in loco hisce mille annis idem articulus præfigitur. Adde, contextus ipse totius capitis plane innuit, de iisdem mille annis hîc agi. Denique S. Joannes vocat hanc resurrectionem primam : ergo erit ante resurrectionem secundam, quæ fiet in extremo judicio. Ad argumentum Viegas respondeo, dici de animabus hisce, *Sederunt*, scilicet quasi principes et triumphatores ; adde : et quasi judices, non præsentes, sed futuri. Unde *datum est illis judicium*, id est, potestas judiciaria, ut scilicet judicent cum Christo, quando ipse veniet judicaturus orbem, quasi dicat : Illæ animæ hîc despectæ, capite minutæ, et quasi sepultæ ac oblivioni traditæ, coram Deo vivunt et regnant mille annis, ideoque sedent in thronis regalibus, in iisque judicaturæ sunt suos hostes. Solet enim Joannes Martyres et fideles in persecutione consolari, refricando eis memoriam et spem judicii, in quo ipsi qui injuste hîc judicati sunt, suos judices et præsides à quibus damnati sunt, judicabunt. Rursum, occurrit Joannes tacitæ objectioni ; dicet enim quis : Si Sancti hîc occisi demum apparebunt et judicabunt in fine mundi, ergone usque ad finem mundi mortui sunt, aut dormiunt, et in sepulcris antrisve suis delitescunt ? Respondet Joannes, minime gentium. Nam vivunt hæ animæ et regnant in cœlis, etiamsi à nobis non videantur. Adde Joannem hîc Prophetam agere, ideoque spiritu prophetico miscere tempora distincta et remota, nimirum miscere mille annos cum die judicii. Hic enim est mos Prophetarum, qui proinde sæpe ab uno tempore volant ad aliud, et mox revolant : hinc et habent sua hyperbata et hysterologias, uti hîc vers. 5 et 7. manifesta est hysterologia, et anacephalæosis, sive recapitulatio, uti fatetur ipse Viegas.

Pro responsione ergo, nota solere Hæbræos dicta sua sæpe non ad proxime præcedentia, sed ad remotiora, quæ anterius præcesserunt, referre. Itaque quod hîc dicitur de his animabus : *Vixerunt, et regnaverunt mille annis*, non tam ad Confessores et Martyres, qui bestiam, id est Antichristum, adorare noluerunt, quod proxime præcessit, quam ad animas decollatorum, scilicet tempore S. Joannis sub Domitiano, aliisque tyrannis Romanis referendum est. Sensus ergo est, q. d. Animæ horum Martyrum decollatorum, licet mortuæ et annihilatæ videantur impiis, in cœlo tamen vivunt et regnant cum Christo mille annis jam dictis, id est, tota serie temporis hujus sæculi, quod fluet à Christo usque ad Antichristum et diem judicii ; in qua quæ prius decollatæ sunt pluribus, quæ posterius paucioribus annis vixerunt et regnarunt, ac vivent et regnabunt usque ad finem mundi, quando in corpore gloriosi resurgent, ut plane pleneque beatæ regnent in æternum ; ita Primasius, Richardus, Aretas, Ambrosius, Beda et alii passim. Idem ergo hîc sunt mille anni cum illis vers. 2. 3 et 7. millenarius enim, ut dixi, significat temporis multitudinem et universitatem.

Porro hi mille anni, cum agitur de ligatione Satanæ, isque dicitur post mille annos solvendus, præcise finiuntur in initio regni Antichristi : tum enim solvetur Satanas. Cum vero iidem mille anni tribuuntur Sanctis, diciturque quod eorum animæ per mille annos in resurrectione prima regnabunt cum Christo ; tunc hi mille anni, quibus durat regnum hoc animarum, et earum resurrectio prima, porrigitur usque ad resurrectionem secundam, puta corporum, quæ fiet in die judicii. Alioqui enim esset implicatio manifesta, asserere regnum hoc animarum per mille annos futurum esse ante solutum Satanam, et simul dicere regnum hoc fore præmium eorum, qui post solutionem Satanæ aut oppugnati, aut capite mulctati sunt : eo quod noluerint adorare Satanæ bestiam, id est Antichristum. Utrumque vero hoc modo recte conciliabis, si dicas mille annos hosce, quatenus respiciunt ligationem Satanæ, præcise terminari in Antichristo ; quatenus vero respiciunt regnum et gloriam animarum, ulterius porrigi usque ad diem vicinum judicii, in quo æternum et plenum undequaque regnum nanciscentur. Regnum enim quod semel inchoarunt non amittent, sed semiplenum quod adeptæ sunt obtinebunt, donec plenum in die judicii adipiscantur.

Denique nonnulli suspicantur per annos mille, quos hîc præcise assignat S. Joannes et sexies iterat, symbolice notari mille annos quibus duratura est secta, regnum et persecutio Mahometis, puta Saracenorum et Turcarum. Hæc enim secta diutissime duravit, et gravissime afflixit Ecclesiam, fuitque typus et præambula Antichristi : unde et post eam exstirpatam, et aliquantam Ecclesiæ pacem et florem sequentur prodromi Antichristi, ipseque Antichristus. Itaque hunc locum sic explicant : Angelus, inquiunt, Satanam, qui antea grassabatur per Simonianos, Arianos, Nestorianos, Eutychianos, Pelagianos, aliosque plurimos et potentissimos hæreticos, ligavit sub annum Domini 630 in abysso, id est in secta Mahometis ; quæ est abyssus et vorago errorum, libidinum et scelerum. Post Mahometem enim non tot fuerunt hæreses et hæretici, quot ante ; quia Satanas ad eam sectam quasi religatus videtur, in eaque occupatus omnes suas vires exerit. Post hos mille annos, puta exstirpata secta Mahometis solvetur Satanas, novaque et plurima hæresum, hæreticorum et persecutorum monstra producet, uti fecit ante Mahometem. Unde v. 4. vidit Joannes animas decollatorum ; plurimi enim fideles à Saracenis et Turcis occisi et decollati sunt, eo quod noluerint adorare bestiam, id est colere Mahometem, qui carnalem et bestialem legem instituit : qui hisce mille annis quibus durabit secta Mahometis, regnabunt cum Christo in cœlis. Porro *cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni*, q. d. Saraceni, Turcæ cæteriquc infideles, qui per Mahometismum, infidelitatem, aliaque scelera quoad animam spiritaliter coram Deo sunt mortui, destinatique ad mortem æternam, hi hisce mille annis sectæ Mahometis non vixerunt ; sed iis expletis vivent, quia convertentur ad Christum, viventque vita gratiæ et gloriæ. Hæc est resurrectio prima, qua major pars mundi à morte infidelitatis et peccati resurget ad vitam fidei et justitiæ : his obtinget resurrectio secunda, qua resurgentes ibunt in vitam beatam, et regnabunt cum Christo mille annis, id est, per totam æternitatem. Et cum consummati fuerint mille priores anni, qui antecedunt resurrectionem primam jam dictam, solvetur Satanas : quia post exstinctam sectam Mahometis Satanas excitabit Gog et Magog prodromos Antichristi, ipsumque tandem Antichristum.

Confirmant hanc suam sententiam et explica-

tionem, primo, quod S. Joannes cum in Apocalypsi conscribat magis notabiles et illustres Ecclesiæ persecutiones, non videatur omisisse maximam et longissimam, qualis est Mahometis et Saracenorum: quin potius eam præ reliquis indicari, sed prophetice, id est, ænigmatice et obscure.

Secundo, quod hic agat de temporibus novissimis, ejusque præludiis et typis, qualis et secta Mahometis. Unde et cap. 6. 8. sectam Mahometis designavit per equum pallidum cui insidebat mors, ac mox post eam transit ad tempora novissima Antichristi, quasi post eam hæc brevi secutura sint.

Tertio, quod mille annos toties præcise hoc capite assignat et iteret. Mille autem nusquam invenire possumus, nisi in secta Mahometis. Ipse enim Mahomet sive à Deo, sive à diabolo inspiratus, prædixit suam sectam et regnum duraturum per mille annos. Idem prædixerunt alii, adeoque hæc communis Saracenorum et Christianorum est vox et sententia, quam Mahometani pro indubitata et certissima habent.

Quarto, ex rei eventu. Videmus enim, jam mille annis Mahometismi pene expletis, hanc sectam ejusque imperium valde mutare et inclinare. Turcæ enim deficiunt animis, viribus, unione (dum inter se rebelliones et schismata internecina concitant), militia, ducibus, pecunia, rebusque cæteris, quibus Christiani Imperatores, Reges et Principes accrescunt et assurgunt. Sane Deus Serenissimum Imperatorem Ferdinandum, utpote fidelem, pium, clementem, justum præ multis, tot prosperis successibus, victoriis et beneficiis cumulat, ut eum Deo curæ et cordi esse non tam oculis cernamus, quam manibus palpemus. Idem dico de cæteris Principibus orthodoxis. Atque ut alios taceam, Serenissimus Poloniæ Rex Sigismundus III ejusque proceres, anno Domini 1621, illustrem illam de Turcis insigni Dei dono retulere victoriam, qua eos pene protriverunt; protrituri plane, si eam persecuti fuissent. Ille enim annus Domini 1621 præcise fuit millesimus ab anno Domini 621, à quo Turcæ Mahometis suæque sectæ annos numerant. Illo enim anno asserunt Mahometem jura et leges dare cœpisse: à quo proinde suam æram, quam ipsi *Hegiram* vocant, ordiuntur, sicut Christiani suam æram ordiuntur à nativitate Christi; ita Genebrardus in Chronol. anno Christi 621. Verum Christiani ordiuntur annos sectæ et regni Mahometis ab anno Christi 630. Illo enim fundata est hæc secta et regnum, illoque pariter mortuus est Mahomet. Ita Theophanes, Cedrenus, Baronius, Bellarm. Gordonus, Bzovius, Spondanus, et alii in Chronol. Quare cum, instante jam anno Christi 1630, explendus sit millesimus à Mahomete annus, circa illum magnum Imperii Turcici et sectæ Mahometanæ inclinationem, vel ruinam, aut ruinæ exordium exspectant. Quod ipsum ita revera fore, nonnulli viri sanctitatis et prophetiæ fama celebres in Italia, Germania, Hispania, etc., prædixerunt. Idem viri sapientes et sagaces ex variis tum præteritis, tum præsentibus eventibus solerter conjectant, dictitantque finem et terminum belli contra hæreticos, quem propediem sperant, fore principium belli contra Turcas et Saracenos, nisi Christianorum vel æmulationes et dissidia, vel socordia et torpor, vel graviora scelera impediant. Ad hoc enim multis magnisque voluntatis suæ indiciis eos invitare et vocare videtur Deus.

Accedit congruentia typi cum antitypo. Liberatio enim Hebræorum à Pharaone et Ægypto typus fuit liberationis Christianorum è potestate infidelium, præsertim Turcarum. Atqui 1630 circiter anni fluxerunt à Servitute Hebræorum in Ægypto usque ad plenam eorum liberationem factam per Christum. Ergo totidem anni fluent à Christo usque ad plenam Christianorum liberationem ab infidelibus, præsertim Turcis: illa ergo fiet sub annum Christi 1630. Idque aliquatenus adumbravit Christus ætate sua: nam anno trigesimo cœpit prædicare et fundare Christianismum. Omitto Astrologos, qui ex astrorum concursu sub annum jam dictum futuro idem divinant, atque hac de re libros ediderunt. Hæc enim divinatio parum tuta, incerta et infida est.

Ita Auctores nonnulli, mystice potius quàm litteraliter. Verum quàm vera sit eorum hæc vel sententia vel suspicio, brevi eventus ætasque docebunt.

5. CÆTERI MORTUORUM, puta improbi et reprobi omnes, NON VIXERUNT, scilicet vita beata; sed iverunt in mortem primam, id est, in damnationem animæ in gehenna, DONEC CONSUMMENTUR MILLE ANNI,] hujus sæculi in hac vita temporali, ut ea finita per resurrectionem eant in mortem secundam. Opponit enim pios impiis, electos reprobis per hosce mille annos, quod nimirum pii et electi vivant in resurrectione prima, id est, quoad animam sint beati, regnentque cum Christo, donec hi mille anni consummentur, ut tunc transeant ad resurrectionem secundam, sintque beati et gloriosi in anima et corpore: impii vero et reprobi, dum moriuntur, transeant in mortem primam, id est, in punitionem animæ in inferno; ut consummatis mille annis hujus vitæ, in die judicii resurgentes transeant in mortem secundam, id est, punitionem æternam animæ et corporis.

Alludit toto hoc loco Joannes ad Isaiæ c. 26. 14. ubi primo, de improbis morientibus ait Isaias: *Morientes non vivant, gigantes non resurgant; propterea visitasti et contrivisti eos, et perdidisti omnem memoriam eorum.* Deinde v. 19. de piis morientibus per antithesin subdit: *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent;* et v. 20. *Vade, populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te: abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio*, id est, persecutio Antichristi, inquit Alcazar. Vide ibi dicta.

Aureolus per hosce mortuos accipit Fredericum II. Imper. cum suis, qui à Gregorio IX Pontifice excommunicatus est in Concilio Lateranensi: unde videtur hoc schisma Frederici duraturum mille annis, scilicet usque ad Antichristum. Sed et hîc fallit prophetia, aut potius conjectatio Aureoli; nam hoc schisma jam diu evanuit. Male computavit Aureolus, ex eo quod opinatus sit statim post sua tempora venturum Antichristum. Nam Historiam Ecclesiasticam ab initio prosequitur, et perducit usque ad sua tempora, eamque per partes ita adaptat Apocalypsi, ut in sua ætate finiat, ab eaque mox saliat ad Antichristum, nimirum fuit ipse Historicus, non Propheta; scivit quid ante se factum esset, nescivit quid post se futurum esset. Unde liquet Apocalypseos explicationem quam ipse tradit, tantum applicationem esse, et

adaptationem ad Historiam Ecclesiasticam à Christo ad sua usque tempora. Verum aliud, et alia post Aurcolum tempora spectavit cœlestis hæc aquila, puta S. Joannes, ac novissima mundi vidit et prædixit, uti mox patebit.

Simili ratione permotus S. Norbertus, Ordinis Præmonstratensis fundator, vir Apostolicus et prophetico pollens spiritu, sub annum Domini 1106, Antichristi adventum imminere existimavit; de quo ita scribit oculatus et auritus testis S. Bernard. epist. 56. *Quod à me de D. Norberto sciscitamini, si videlicet iturus sit Hierosolymam, ego nescio. Nam cum ante hos paucos dies ejus faciem videre, et de cœlesti fistula, ore videlicet ipsius plurima haurire meruerim, hoc tamen ab ipso non audivi. Verum de Antichristo cum inquirerem quid sentiret, durante adhuc ea quæ nunc est generatione revelandum illum esse, certissime se scire protestatus est. At cum eamdem certitudinem unde haberet, sciscitanti mihi exponere vellet, audito quod respondit, non me illud pro certo credere debere putavi. Ad summam tamen hoc asseruit, non visurum se mortem, nisi prius videat generalem in Ecclesia persecutionem.* Notavit forte schisma, quod paulo post fecit Petrus Leonis contra Innocentium II Pontificem.

Symbolice notant aliqui repeti hîc et nominari bis mille annos, quibus regnabunt Martyres et Sancti cum Christo, ut denotetur bis mille annos duraturam Ecclesiam, et regnum Christi in hoc sæculo, ac post illos fore finem mundi, et regnum gloriosum æternumque Christi ac Sanctorum in cœlo. Censent enim, aut potius conjiciunt multi, mundum duraturum per sex millia annorum, scilicet quatuor millibus ante Christum, et bis millibus post Christum, non præcise, sed circiter, sive plus minus. Nominantur ergo hîc mille anni à Christo usque ad finem mundi: quia vere mille erunt, non simplices, sed repetiti sive duplices, hoc est bis mille. Imo Viegas et aliqui alii putant S. Joannem bis mille annos numerare, quia priores erant diversi à posterioribus, itaque Joannem præcise numerare bis mille annos post Christum.

Ad id astruendum congruas rationes plures afferunt. Prima est, quia sex diebus conditus est mundus: ergo totidem, puta sex millibus annorum, consistet. Mille enim anni sunt apud Deum sicut dies unus, ut ait S. Petrus epist. 2. cap. 3. 8. et Psalm. 89. 4. Unde Genesis vers. 1. quo describitur creatio et fabrica mundi, reperiuntur sex *aleph; aleph* autem Hebræis arithmetice denotat mille, q. d. Creavit Deus cœlum et terram ad sex Aleph, id est, ut duret sex millia annorum. Confirmatur id primo, quia dies septima, puta sabbatum, quo quievit Deus ab opere creationis, significat diem beatæ quietis Sanctorum post resurrectionem communem in cœlo, uti docent Patres puta septimum millenarium æternitatis: ergo proportionaliter et consequenter, sex præcedentes dies creationis mundi repræsentant sex millenarios temporis et sæculi hujus, post quod immediate sequetur sabbatum, id est, septimus millenarius æternitatis. Unde S. Cyprianus tract. de Exhort. martyrii, cap. 11. *Primi*, inquit, *in dispositione divina septem dies annorum septem millia continentes;* secundo, sex primi parentes orbis, scilicet Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Jared, mortui sunt; septimus Henoch vivus in cœlum translatus est: quia post millenarios sex quibus labor et mors viguerit, initium erit quietæ et immortalis vitæ, ait Isidorus citatus à Glossa in cap. 5. Genesis; tertio, Genesis 6. vers. 3. hominum vitæ et ævo statuitur mensura 120 annorum, quos symbolici symbolice accipiunt, nimirum ut hi sint anni magni et Mosaici puta jubilæi, ita ut quilibet complectatur quinquaginta annos: quo fit ut hi 120 anni Mosaici conficiant sex millia annorum vulgarium, quibus durabit mundus, et hominum generatio. Multiplica enim 120 per quinquaginta, invenies sex millia; quarto, quia Joannes consignans hîc ætatem et finem mundi, sexies nominat mille annos, quasi innuens sex millibus annorum duraturum mundum; primo enim ait vers. 2. *Ligavit eum per annos mille;* secundo, v. 3. *Donec consummentur mille anni;* tertio, vers. 4. *Regnaverunt cum Christo mille annis;* quarto, v. 5. *Donec consummentur mille anni;* quinto, vers. 6. *Regnabunt cum illo mille annis;* sexto, vers. 7. *Cum consummati fuerint mille anni.* Ut quid enim præcise repetit sexies το *mille anni* sine necessitate, illudque sexies iterat et inculcat, nisi ut innuat post sex mille annos fore consummationem mundi, Apocalypseos, rerumque omnium.

Confirmatur, quia hac de causa S. Joannes cap. 6. à quarto sigillo equi pallidi, qui repræsentat Mahometem et Saracenos, per quintum sigillum quo prodeunt animæ Martyrum ab iis occisorum petentes vindictam, statim, in sexto sigillo vers. 12. transit ad tempora orbis novissima, videtque solem obscurare, lunam rubescere, stellas de cœlo cadere, etc., ut significet quod post Saracenismum proxime sequetur finis mundi. Ipse ergo est ultima publica et generalis Ecclesiæ persecutio: ac proinde ipsius et mundi finis in hoc sexto ejus annorum millenario appropinquat. Jam enim Saracenismus duravit mille annos, et ad finem vergit. Quin et Mahometani jactant oraculum, suam sectam et regnum duratura mille annis: estque hoc in ore eorum frequens et celebre; nimirum post mille annos illa declinatura, ut sensim secta deficiat et eat in ruinam.

Secunda ratio est à pari vel simili. Tres in mundo successive fuerunt leges et status, nimirum lex naturæ, lex Mosis, lex Christi. Atqui tempus legis naturæ, quod fuit ab Adam usque ad Abraham (qui circumcisionem, quæ initium fuit et tessera legis Mosaicæ, à Deo accepit et instituit) duravit pene per bis mille annos. Rursum, tempus legis Mosaicæ, sive circumcisionis, pariter duravit bis mille annos: tot enim sunt præcise ab Abraham usque ad nativitatem Christi; ut patet ex Tabula Chronologica, quam Genesi præfixi. Ergo pariter tertia lex et status mundi, puta lex gratiæ et Christi, durabit totidem, id est, bis mille annis circiter; ita ut triplex hoc triplicis legis tempus, quæ totius mundi est ætas, simul junctum conficiat, duretque per sex millia annorum. Unde in hujus rei symbolum et typum jussit Deus Josue, ut in transitu Jordanis arca Dei distaret bis mille cubitis à populo, Josue 3. vers. 4. ut significaretur, duobus millibus annorum tempus illud describendum, quo sacer Jordanis hujus baptismus, cæteraque Sacramenta vigeant; quo non nisi procul arcam, et quæ in ea condita sunt mysteria, in ænigmate, inquam, et quasi per speculum, arcam, id est humanita-

tem Christi, et latentem in ea divinitatem, quæ jam per mille sexcentos annos antecessit, videamus; eam, prope, id est facie ad faciem, contemplaturi in terra promissa, id est in cœlo, expletis bis mille annis, inquit ibidem noster Serarius quæst. 8. in fine. Unde sequitur, ab hoc tempore usque ad Antichristum, diem judicii, resurrectionis et gloriæ Beatorum, superesse quadringentos annos, non præcise, sed indefinite, uti mox dicam, quibus adhuc prædicandum est Evangelium in Sina, Tartaria, aliisque incognitis Indorum regionibus, ibique fundandæ sunt Ecclesiæ, et stabilienda Christi religio: ac deinde iis exactis veniet finis mundi, rerumque omnium, ibique terminabitur Apocalypsis, omniaque ejus mysteria, uti hîc innuit S. Joannes. Porro tempus legis Christi non fore majus, aut non multo, tempore legis naturæ et Mosaicæ, colligitur ex eo quod tempus legis Christi à Prophetis vocetur *novissimum*, et à S. Joanne epist. 1. cap. 2. vers. 18. *novissima hora*; et à Paulo 1. Corinth. 10. 11. *finis sæculorum*: unde et S. Petrus epist. 1. cap. 4. 7. *Omnium*, ait, *finis appropinquavit*, et S. Jacob. 5. 8. *Adventus Domini appropinquavit.*

Tertia ratio est: quia mundus jam videtur senescere, ac tendere ad occasum et interitum. Nunc enim longe verius est id, quod de suo ævo dixit S. Cyprianus ad Demetrianum: *Scire debes senuisse jam mundum, non illis viribus stare quibus prius steterat, nec vigore et robore eo valere quo antea prævalebat. Hoc mundus ipse jam loquitur, et occasum suî rerum labentium probatione testatur: non hieme nutriendis seminibus tanta imbrium copia; non frugibus æstate torrendis solita flagrantia est, nec sic verna de temperie sua læta sunt; nec adeo arboreis fœtibus autumna fecunda sunt. Minus de effossis et fatigatis montibus eruuntur marmorum crustæ, minus argenti et auri opes suggerunt exhausta jam metalla. Deficit in agris agricola, in mari nauta, miles in castris, innocentia in foro, justitia in judicio, in amicitiis concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina. Minuatur necesse est, quidquid fine jam proximo in occidua et extrema devergit.* Et mox: *Hæc sententia mundo data est, hæc Dei lex est, ut omnia orta occidant, et aucta senescant, et infirmentur fortia, et magna minuantur, et cum infirmata et diminuta fuerint, finiantur. Cum olim ultra* 800 *et* 900 *annos vita hominum longæva procederet, vix nunc potest ad centenarium numerum pervenire. Canos videmus in pueris, capilli deficiunt antequam crescant, nec ætas in senectute desinit, nec incipit à senectute. Sic in orta adhuc suo ad finem nativitas properat, sic quodcumque nunc nascitur, mundi ipsius senectute degenerat; ut nemo mirari debeat singula in mundo cœpisse deficere, quando totus ipse jam mundus in defectione sit et in fine.* Unde sub finem concludit: *Quia jam mundi finis in proximo est, ad Deum mentes vestras Dei timore convertite.* Putavit enim, licet falso ex falsa Chronologia S. Cyprian. jam elapsa esse sex annorum millia, mundi durationi à Deo præstituta. Hoc enim est, quod ait ipse ad Fortunatum de Exhort. mart. *Sex millia annorum jam pene complentur, ex quo hominem diabolus impugnat.* Idem de senescente mundo, æque ac de adventante ejus fine, censuit S. Ambrosius lib. 10. in Lucam, Hilar. in Constantinum, S. Gregor. hom. 1. in Evang. et S. Chrysost. hom. 33. in Joannem: *Non*, ait, *longe à fine absumus, sed jam mundus properat: hoc bella, hoc afflictiones, hoc terræ motus, hoc extincta charitas significat.*

Confirmatur primo, quia videmus Romanum Imperium valde declinare, et ad interitum vergere. Hoc autem durabit usque ad Antichristum et finem mundi, ut patet Daniel. 2. v. 43 et 44. ergo mundi finis appropinquat. Rursum videmus Evangelium prædicari in China, Japone, Indiis, et incognitis hactenus provinciis, adeoque totum orbem pervasisse. Ergo finis mundi adventat. Nam Christi vox est: *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet consummatio.* Matth. 24. 14.

Quarta ratio est ab auctoritate et traditione. Ita enim in hanc sententiam conspirant Christiani, Hebræi, Gentiles, Græci et Latini, ut videatur esse vetus communisque traditio. Ita S. August. lib. 20. de Civit. cap. 7. explicans hosce mille Apocalypseos annos: *Mille*, inquit, *anni duobus modis possunt intelligi; aut quia in ultimis mille annis ista res agitur, id est sexto annorum millenario, tanquam sexto die, cujus nunc spatio posteriora volvuntur; secuturo deinde sabbato, quod non habet vesperam, requie scilicet Sanctorum quæ non habet finem: ut hujus millenarii tanquam novissimam partem, quæ remanebit usque ad terminum sæculi, mille annos appellaverit, eo loquendi modo quo pars significatur à toto, aut certe mille annos pro annis omnibus hujus sæculi posuit, ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo.*

S. Hieron. in epistolari explicatione Psalmi 89. ad Cyprian. ex illo ejus versiculo: *Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præteriit*, deducit, omnem præsentis sæculi durationem fore sex millium annorum. *Ego*, inquit, *arbitror ex hoc loco mille annos pro una die solitos appellari, ut scilicet quia mundus in sex diebus fabricatus, sex millibus tantum annorum credatur subsistere, et postea venire septenarium et octonarium numerum, in quo verus exerceatur sabbatismus: unde et octo beatitudinibus bonorum operum præmia promittuntur.* Idem innuit scribens in caput quartum Michææ. Idem expresse docet Victorinus hic, S. Justin. q. 71. ad Gentes, Irenæus lib. 5. cap. ult. Lactantius lib. 7. cap. 14. fuse, Hilarius Canon. 17. in Matthæum, quorum verba citat Sixtus Senensis l. 5. Biblioth. annot. 190. licet enim aliqui ex his fuerint Chiliastæ, hæc tamen eorum opinio de sex millibus annorum mundi, ad errorem Chiliastarum impertinens est. Idem censent Rabanus in Deuter. lib. 1. cap. 11. Q. Julius Hilarion lib. de Mundi duratione, qui exstat tomo 7. SS. Patrum. Ex Ethnicis idem tradiderunt Hydaspes, Mercurius Trismegistus et Sibyllæ, teste Lactantio et Sixto Senensi.

Rursum, idem diserte asserit S. Gaudentius Brixianus tract. 10. *Exspectamus*, inquit, *illum vere sanctum septimi millesimi anni diem, qui adveniet post istos sex dies, sex millium videlicet annorum sæculi, quibus completis requies erit veræ sanctitati, et fideliter credentibus in resurrectione Christi. Nam nulla erit ibi pugna contra diabolum, qui tunc utique detinebitur suppliciis relegatus.* Idem docet S. Germanus Constantin. Patriarcha ex auctoritate illustrium Græciæ Patrum, S. Cyrilli, Hippolyti, etc., lib. de Theoria rerum Ecclesiast. ubi causam inquirit, cur

Pontifex populo benedicens, digitos attollat ad supputationem numeri 6500 accommodatos? ac respondet : quod Pontifex obsignet populum, id subindicat, adventum Christi ad judicium fore anno mundi 6500.

Idem docent Isidorus, et noster Serarius, quos paulo ante citavi, Abbas Joachim hîc, Bellarm. lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 3. Fervardentius in Iren. lib. 5. cap. ult. Genebrardus lib. 1. Chronolog. pag. 2. Joan. Picus Mirandul. lib. 5. cap. 10. in Astrolog. ubi ab anno Domini 1486 quo ipse hæc scribebat, numerat annos quingentos et quatuordecim ; et dies viginti quinque (sed hoc nimis est minutum et præcisum) usque ad consummationem sæculi. Adde, annis Domini 1485, futuros adhuc quingentos quatuordecim, habebis bis mille annos post Christum.

Idem docet Petrus Bongus tract. de Numer. mysteriis, in sexies millesimo, ubi pro eadem sententia citat Anastasium Sinaitam, Joannem Lucidum, Nicolaum Cusanum, S. Cyrillum et Chrysost. Ex Hebræis ita censent Moses Gerundensis, magnæ auctoritatis apud Hebræos, R. Isaac in Gen. c. 1. R. Elias, cujus hoc quasi oraculum celebratur à Judæis in Talmud. tom. 4. tract. 4. qui inscribitur Sanedrim, id est judicium : *Sex millia annorum erit mundus, et iterum destruetur ; duo millia fuerunt inanitatis* (legis naturæ), *duo millia legis Mosaicæ, duo millia erunt dierum Messiæ.*

Porro S. Ambrosius cæteris Patribus, et huic eorum sententiæ adversatur lib. 7. in Lucam, sed falsa nititur ratione et supputatione : Quia, inquit, ad hæc usque mea tempora plusquam sex annorum millia à condito mundo elapsa sunt. Hoc enim ex vera Chronologia liquet esse falsum. Eadem ratio, idemque computus in eumdem errorem duxit Philippum Solitarium (quem edidit noster Jac. Pontanus) lib. 3. Dioptræ cap. 8. putavit enim ipse suo ævo jam exacta esse sex annorum millia ab orbe condito. Vixit enim et scripsit anno 16 Alexii Comneni Imper. (uti ipse ait ibidem) qui fuit annus post Christum 1105, atque numerat ab exordio mundi usque ad Christum annos 5500; unde sequitur, anno Comneni 16 qui fuit Christi 1105, elapsos fuisse annos 6605 ab orbe condito. Quod manifeste est falsum : Christus enim natus est anno mundi 3950, uti ostendi in tabula Chronolog. Genesi præfixa, ac consequenter hoc anno Christi 1620 agitur annus mundi 5570. Restant ergo adhuc 430 anni ad explendum numerum sex millium annorum, quibus durabit mundus.

Hæc sententia (non definiendo certum diem, nec annum) uti communis, ita probabilis est conjectura ; nihil enim certi hac in re definire possumus, utpote quæ pendet à secreto Dei decreto, ne audiamus illud Christi : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*, Actor. 1. Et hoc tantum videntur velle S. August. in Psalm. 89. 4. Beda l. de Ratione Temp. cap. 65. Pererius in Gen. 2. 4. Franc. Suarez 3. p. disp. 53. sect. 4. Josephus Acosta lib. 1. de Temp. novissim. cap. 2. et aliqui alii, qui hunc computum sex millium annorum mundi respuunt, nimirum si definite et præcise intelligatur. Inde enim sequeretur, uti recte ipsi argumentantur, nos posse scire et indicare præcise annum et diem consummationis mundi, et extremi judicii, scilicet diem judicii fore anno mundi primo post sexies millesimum, ejusque primo die. Illo enim præcise finiuntur sex millia annorum, quibus dicitur duraturus mundus. Hoc autem repugnat Christo dicenti : *De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo*, Marci 13. 32. Idipsum autem non sequitur, si hunc numerum sex millium annorum non arithmetice et præcise, sed geometrice et moraliter accipias, nimirum hoc sensu, quod mundus duraturus sit tantum sex millenarios annorum, non plures, ac proinde non perventurus sit ad septies millesimum, sed ante eum desinet : an autem, et quot anni, vel simplices, vel deni, vel etiam centeni, post sexies millesimum futuri sint, et excursuri versus septies millesimum, usque ad finem mundi, hoc ignoramus : sufficit nosse nos versari in ultimo millenario annorum mundi : an quid ei defuturum sit, an superfuturum, nos latet.

Ex dictis liquet nos valde accedere ad finem mundi, eumque non longe abesse ; cujus rei multa sunt signa : primum, quod videamus Evangelium jam pene toto orbe prædicatum, adeoque ad extremos Sinas penetrasse ; secundum, quod S. Vincentius Fererius, qui nuper vixit, mortuus est enim anno 1418, asseveranter idipsum prædixerit et prædicarit, idque jussu Christi, ut habet Vita ejus lib. 2. c. 4 et 5 ; tertium, quod apud Turcas constans sit oraculum, Mahometis sectam duraturam mille annos. Hi autem anni jam quasi expleti sunt : hujus enim sectæ videtur ultima fore contra Ecclesiam persecutio : quartum, est prophetia sancti Malachiæ Archiep. Hiberniæ ; cujus vitam scripsit S. Bernard. quæ exstat apud Arnoldum Wion in Chronicis Ordinis S. Benedicti, sive in Ligno vitæ lib. 2. cap. 40. in fine ; in qua S. Malachias omnes Romanos Pontifices à suo ævo usque ad finem mundi futuros, ordine per symbola et emblemata depingit : quæ symbola explicuit, et singulis Pontificibus usque ad Clementem VIII, apposite adaptavit Alfonsus Diaconus. In hac enim prophetia post Gregorium XV, qui modo præsidet Ecclesiæ, numerantur tantum triginta duo Pontifices Romani, ultimusque dicitur fore Petrus Romanus. Si enim hæc prophetia vera est, tantumque supersunt 32 Pontifices Romani ; ergo supersunt ducenti circiter anni usque ad finem mundi ; quolibet enim annorum centenario facile numerantur sedecim, imo plures Pontifices : unde à S. Petro hucusque, id est, ad annum Domini 1623, numerantur Pontifices 238 ; quos si per annos Domini jam dictos distribuas, obvenient cuique Pontifici anni fere septem. Tot assigna cuilibet triginta duorum adhuc futurorum, et invenies totam eorum successionem et durationem explendam annis 224. Si cuique decem des annos, explendi restabunt anni 320 ; sin septenariis des fere duplum, explendi erunt anni pene totidem præcise, quot restant ad explendum sextum mundi millenarium, nimirum 430. Addit Christianus Druthmarus in c. 16. sancti Matth. *Majores*, ait, *nostri scriptum reliquere, quod octavo Cal. Aprilis* (25 Martii) *mundus factus est, Dominus conceptus, et passus ; et similiter mundus destruendus erit.* Sed hoc incertum est. Hæc cogitemus, et ad diem Domini quasi instantem nos comparemus : cor terræ non affigamus, non studeamus hîc familiis et palatiis, utpote vix ducentos annos duraturis, erigendis ; sed domos in cœlis perpetuas per eleemosynarum aliarumque virtutum opera,

fabricemus. Totam mentem ad futurum ævum transferamus ; studeamus, pingamus, vivamus æternitati. Ergo

Moraliter disce hîc mundum, utpote senescentem et occidentem, contemnere : cum illo enim et tu, et omnia quæ in eo sunt, brevi senescant et occidant oportet. Hoc est quod inculcat S. Joan. epist. 1. c. 2. vers. 15. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo ; quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. Et mundus transit, et concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. Filioli, novissima hora est.* Et S. Petrus epist. 2. cap. 3. 8. *Unum vero hoc non lateat vos, charissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus. Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quæ in ipsa sunt opera, exurentur. Cum igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes in adventum diei Domini ? novos vero cœlos, et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia habitat.* Præclare S. Gregor. lib. 8. Moral. cap. 28. in nova vero editione c. 24. *Nemo valet mobilia diligere et ipse immobilis stare.* Et hom. 36. in Evang. *Si res temporalis in usu, æterna in desiderio : illa in itinere, hæc in perventione.* Et lib. 6. epist. 25. exhortans Andream ad contemptum mundi : *Cur*, inquit, *magnifice fili, non consideras quia mundus in fine est ? omnia urgentur quotidie, ad reddendas rationes æterno et tremendo judici ducimur. Quid ergo aliud nisi de adventu illius cogitare debemus ? vita enim nostra naviganti est similis. Is namque qui navigat, stat, sedet, jacet, vadit; quia impulsu navis ducitur. Ita ergo et nos sumus, qui sive vigilantes, sive dormientes, sive tacentes, sive loquentes, sive ambulantes, sive volentes, sive nolentes per momenta temporum quotidie ad finem tendimus. Cum igitur finis nostri dies advenerit, ubi nobis erit omne quod modo cum tanta cura quæritur, et cum sollicitudine congregatur ?* Unde infert : *Non ergo honor ; non divitiæ quærendæ sunt, quæ dimittuntur. Sed si bona quærimus, illa diligamus quæ sine fine habebimus. Si autem mala pertimescimus, illa timeamus quæ à reprobis sine fine tolerantur.*

HÆC EST RESURRECTIO PRIMA.] Prima resurrectio, ait S. August. lib. 20. Civit. cap. 6 et 7. est ea qua anima à peccato resurgit per gratiam : secunda, qua à morte resurgit per gloriam. Verum hic sensus est tropologicus. Nam addit Joannes : *In his secunda mors non habet potestatem.* Mors autem secunda est æterna damnatio animæ et corporis. Prima ergo resurrectio est beatitudo solius animæ, qua anima sola per mortem transit in vitam et regnum cœleste. Hæc dicitur resurrectio : quia Sancti cum positis hîc corporibus moriuntur, eo quod in vitam novam, eamque feliciorem evadunt et transmigrant, quodammodo resurgere videntur. Anima enim moriente corpore, videtur pariter mori corpori, sicut corpus moritur animæ, atque per hanc mortem transire in vitam cœlestem. Secunda resurrectio est plena beatitudo, qua anima cum corpore in fine mundi plene in eamdem vitam beatam resurget. Pari ergo modo ex adverso mors prima reproborum, est damnatio solius animæ : mors secunda, est damnatio animæ et corporis resurgentium, et rursum unitorum ; quod fiet in judicio universali. Ita Ribera, Viegas et Pererius lib. 8. in Daniel.

Alcazar per primam resurrectionem accipit aureum Constantini sæculum, quo Christiana Ecclesia ante oppressa et quasi emortua reviviscere, imo dominari cœpit toto orbe. Hoc mysticum est.

Aureolus primam resurrectionem adaptat institutioni Ordinis S. Francisci et S. Dominici, sub Frederico Imp. et Innocent. III Pont. Horum enim doctrina et sanctæ vitæ exemplo, videtur quasi tota Christianitas resurrexisse, ut in novitate vitæ ambularet. Pari modo id aliis fundatoribus Ordinum, aliisque Ecclesiæ reformatoribus adaptes.

Symbol. S. August. Mors, ait, prima est mors corporis ; secunda, est damnatio. Audi eum in Sentent. n. 147. *De prima corporis morte dici potest, quod bonis bona sit, malis mala : secunda vero sine dubio, sicut nullorum bonorum est, ita nulli bona.*

6. BEATUS, ET SANCTUS, QUI HABET PARTEM IN RESURRECTIONE PRIMA : IN HIS SECUNDA MORS NON HABET POTESTATEM ; SED ERUNT SACERDOTES DEI ET CHRISTI.] Sancti quilibet, hîc uti et cap. 1. 6. vocantur sacerdotes mystici, quia scilicet offerunt Deo sacrificia laudis, gratiarum actionis et omnis obsequii, ET REGNABUNT CUM ILLO MILLE ANNIS,] de quibus dixi vers. 2. scilicet usque ad resurrectionem secundam, id est corporum, quæ fiet in die judicii. Nota proportionem, et relationem quæ est inter *beatus* et *sanctus*, atque inter *sacerdotes* et *regnabunt*. Nam vox *sanctus* respondet voci *sacerdotes :* et vox *beatus* respondet verbo *regnabunt*. Sanctitas enim propria est dos et decus sacerdotum ; beatitudo vero propria est justorum cum Christo regnantium. Ita Alcazar.

Denique notat S. August. hisce verbis : *Erunt sacerdotes Dei et Christi*, contra Arianos denotari Christum quoque esse Deum. Nam illi ipsi, qui Dei Patris, etiam Christi sacerdotes appellantur, soli enim Deo, uti altaria et templa, ita et sacerdotes consecrantur ; sacerdotis enim est offerre sacrificium, quod nulli nisi Deo offerri potest. Quocirca hæc quatuor inter se connexa correlativa sunt. Sacerdos enim est sacrificii sacerdos : et vicissim sacrificium est sacerdotis sacrificium. Rursum sacerdos et sacrificium est altaris et templi sacerdos et sacrificium : ac vicissim altare et templum est sacerdotis et sacrificii altare et templum. Cui ergo unum ex his debetur, illi debentur et reliqua, puta soli Deo.

7. ET CUM CONSUMMATI FUERINT MILLE ANNI (tempore Antichristi) SOLVETUR SATANAS (græce ὁ Σατανᾶς, puta Lucifer) ET EXIBIT, ET SEDUCET GENTES QUÆ SUNT SUPER QUATUOR ANGULOS (id est plagas) TERRÆ, GOG ET MAGOG.] q. d. Seducet omnes gentes, quin etiam Gog et Magog. Nec enim Gog et Magog sparsi sunt per quatuor angulos terræ, sed erunt certæ gentes suum habentes regem sive principem, ut ait Ezechiel c. 38. v. 2. Idem indicant hîc Græca, τοῦ Γωγ καὶ τοῦ Μαγωγ. Quocirca videtur quod hic earum rex sive princeps, erit unus ex decem regibus qui tempore Antichristi dominabuntur in orbe, uti dixi c. 17. v. 3 et 12. Unus, inquam, præ cæteris ferus, trux,

barbarus et bellicosus. Ideo enim hîc præ cæteris nominantur Gog et Magog : quia videntur fore gentes feræ et crudeles, quæ pro Antichristo contra Christum et Christianos pugnabunt; unde multi putant eas fore Arabes, aut Scythas, vel Tartaros. Hinc et Sibylla lib. 3. Oracul. sic ait : *Væ tibi, regio Gog et Magog, quæ medium es Æthiopum fluviorum*, id est, quæ cingeris fluviis Æthiopiæ. Ubi forte, inquit Alcazar, maris brachia nomine fluviorum appellantur. Arabia enim inter Sinum Persicum et Arabicum sita est. Sicut ergo Mahomet per Arabes, Tamberlanes per Scythas et Tartaros ad imperium evectus est; ita per eosdem, aut similes, evehetur Antichristus. Vide dicta Ezechiel. 38. initio capitis. Quin et M. Paulus Venetus lib. 1. de Rebus Orient. c. 64. scribit, in Tartaria, in provincia Teuduch, regiones esse Gog et Magog, quas Tartari, inquit, nominant Lug et Mungug.

Perperam ergo censent Novantes, Tremellius et Junius, Gog dici à Gyge, qui Candaule rege Lydorum per dolum occiso, regnum ejus occupavit; quasi inde Asia minor dicta sit Gog; sicuti postea Crœso propagante regni fines in Syriam, urbs quædam vocata fuit Gygarta, pro quod est Gog karta, id est urbs Gogi. Unde eo tempore, quo hæc de Gog prophetavit Ezechiel, vel Halyattes, vel Crœsus, utrique nepotes Gygis, in Asia minori regnabant. Verum nihil Gygi cum Gog, præsertim quia Gog latissime dominabitur, uti docet hic Ezechiel : Gyges autem soli Lydiæ imperavit; ejus vero nepos Crœsus tantum usque ad Halym fluvium dominatus est, teste Herodoto in Clio. Adde : Gyges à bis mille annis transiit et evanuit; Gog vero futurus est in fine mundi, cum nulla Gygis erit memoria.

8. Et ascenderunt super latitudinem terræ,] q. d. Latos terrarum et regionum campos suis copiis, equis, curribus, etc. complebunt, sicut Xerxes suo exercitu stravit mare et terram.

Et circuierunt castra sanctorum.] *Castra* vocat loca et latibula in quæ turmatim confluent Christiani, fugientes persecutionem Antichristi, uti fecerunt Judæi tempore Machabæorum fugientes crudelitatem Antiochi Epiphanis, 1. Machab. 2. vers. 1. et 28. Nec enim verisimile est Christianos tempore Antichristi, utpote potentissimi, à tyranno oppressos castra habituros, ut collatis signis cum Antichristo, et ejus regibus et gentibus confligant.

Et civitatem dilectam,] id est Romam, inquit Alcazar. Verum Roma paulo ante vocata est Babylon, eaque à decem regibus jam erit eversa, ut patet ex cap. 17. 18. Ergo civitas hæc dilecta, est Jerusalem, quam Ezechiel cap. 38. v. 12. vocat umbilicum terræ (erat enim sita in medio terræ olim habitatæ). Licet enim Jerusalem futura sit regia Antichristi, tamen in ea multi habitabunt Christiani utpote terra sancta, in qua habitavit Christus. Quocirca sicut olim Romani nobiles et matronæ, uti S. Paula, Melania, Marcella, etc. cum S. Hieron. Roma migrarunt in Palæstinam, ita et in fine mundi, cum Jerusalem, æque ac Roma, reflorescet. Rursum multi Christiani, item Gentiles et Judæi, partim conversi ad Christum, partim convertendi, confluent Jerusalem, ut ibi audiant prædicantes Eliam et Henoch. Hi enim in Jerusalem concionabuntur contra Antichristum, ibique ab eo occidentur, uti dixit cap. 11. 8. Denique S. August. per civitatem dilectam accipit Ecclesiam toto orbe diffusam : hanc enim ubique persequetur Antichristus.

9. Et descendit ignis de cœlo, et devoravit eos.] Alcazar hunc ignem mystice accipit. Ignis, inquit, de cœlo, est ardor cœlestis et divinus, quo Elias et Henoch tum in vita, tum potius post mortem, tam suam, quàm Antichristi, per suos præcones, æque ac per preces, accendent omnes gentes, convertendo eas ad Christum, uti fecerunt Apostoli recepto igne Spiritus sancti in Pentecoste. Hæc enim est vindicta inaudita digna Deo. Et tunc omnis Israel salvus fiet, ut prædixit Apostolus Rom. 11. 26.

Huc accedit S. August. lib. 20. Civit. 12. *Bene*, ait, *intelligitur iste ignis de cœlo, de firmitate Sanctorum. Firmamentum enim est cœlum : cujus firmitate cruciabantur peccatores ardentissimo zelo, quoniam non potuerunt attrahere sanctos Christi in partes Antichristi. Aut si appellavit ignem ipsam plagam, qua percutiendi sunt in Ecclesia peccatores veniente jam Christo; ii nempe quos viventes inveniet super terram, quando interficiet Antichristum spiritu oris sui; non est hoc ultimum eorum supplicium.*

Verum verba S. Scripturæ hîc vindictam et punitionem proprie dictam sonant, scilicet quod Gog et Magog, totusque Antichristi exercitus igne de cœlo misso afflabitur et concremabitur. Subdit enim de ipso ejus duce : *Et diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris; ubi et bestia* (Antichristus) *et* (ejus) *pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.* Quæ verba proprie esse accipienda liquet, et omnes, ipseque Alcazar, asseverant : esto Ribera, qui et citat Ambrosium et Augustinum, censeat in hisce verbis esse anticipationem; eo quod diabolus non sit deturbandus in infernum, quamdiu Ecclesiæ militia durat; durabit autem usque ad finem mundi. Ergo et post Antichristi necem, diabolus sinetur tentare fideles usque ad diem judicii. Verum respondeo S. Joannem hunc finem mundi hîc simul complecti et convolvere cum strage Antichristi, ejusque exercitus, ac cum deturbatione diaboli : post eam enim mox sequetur. Unde vers. sequenti transit Joannes ad extremum judicium. Adde probabile est diabolum cum Antichristo deturbandum in tartara, ut paulo ante finem mundi plena detur orbi et Ecclesiæ pax post tam immanem, eamque extremam Antichristi persecutionem; ut in ea lapsi pœniteant ac resurgant, Judæi et Gentes convertantur, omnisque Israel salvus fiat. Porro per pseudoprophetam, nonnulli accipiunt Mahometem auctorem mahometismi : Genebrar. in Chron. lib. 4. ad annum Domini 1302. accipit Ottomannum, ejusque stirpem et imperium Ottomannicum; hoc enim esse prodromum Antichristo, et forte usque ad illum duraturum. Verum quis sit hic pseudopropheta dixi c. 13. v. 11.

10. Die ac nocte,] id est, semper. Damnatis enim in gehenna nunquam est dies, sed nox perpetua. Aliter Alcazar : ipse enim diem refert ad Beatorum claritatem, noctem ad inferorum tenebras : ex utroque enim gravissimum tormentum ad damnatos redundat. Neque enim eos solum torquet propriæ sortis miseræ et infelicis obscuritas; sed etiam rabies ac furor ex suorum adversariorum claritate et felicitate conceptus.

11. Et vidi thronum magnum candidum,] id est solemnem, lætum et gloriosum : candor enim

est vestis Beatorum, et symbolum gloriæ : ET SEDENTEM SUPER EUM, Christum judicem. Transit enim hic Joannes ad diem judicii, A CUJUS CONSPECTU FUGIT TERRA ET COELUM,] id est pristina species, status et forma terræ et cœli : quia videlicet in aliam pulchriorem commutabuntur, ait Primas. Ambr. Beda, Aretas et Viegas.

Mystice Alcazar (licet ipse putet esse litterale): Per cœlos, ait, symbolice significatur tum Sanctorum intercessio, tum sacerdotum potestas dimittendi peccata per Sacramenta : per terram significatur misericordia, qua secundum humanæ naturæ conditionem tangi deberet pater in filii ærumna, uxor in viri, frater in fratris. q. d. Tanta erit Christi judicis integritas, tanta juris et æquitatis ratio, ut nullus ibi sit mysticorum cœlorum, puta Sanctorum et sacerdotum, favor aut auxilium, nulla terræ mysticæ jam dictæ commiseratio (nec enim pater filii, nec uxor mariti, nec frater fratris miserebitur;) sed solum jus atque æquitas, ut unusquisque secundum propria ipsius opera judicetur.

12. ET VIDI MORTUOS, qui ante mortui erant, jam autem resurrexerant, stabantque judicandi coram Christo judice : MAGNOS ET PUSILLOS.] Hinc aliqui probant infantes affore in judicio, ibique judicandos esse. Verum pro *pusillos*, græce est μικρους, id est parvos, tum ætate et statura, uti sunt pueri decem vel quatuordecim annorum ; tum potius dignitate et gradu, id est viles et objecti, uti sunt servi, rustici, ancillæ, etc. Sic enim cap. 19. vers. 18. invitans aves ad vorandum carnes liberorum et servorum, addit : Pusillorum et magnorum, quasi dicat : Plebeiorum et nobilium sive principum. Nam mox hoc eodem versu subdit pusillos hos, æque ac magnos, judicandos esse secundum opera cujusque : ergo non loquitur de infantibus.

ET LIBRI APERTI SUNT ; ET ALIUS LIBER APERTUS EST QUI EST VITÆ.] S. August. 20. Civit. 14. legit : *Vitæ uniuscujusque ;* unde liber, inquit, vitæ est, qui cujusque vitam et actiones continet. *Futurum enim est ut, per Dei potentiam, cujusque opera mira celeritate à quolibet conspiciantur.* Porro *libri aperti* sunt Sancti ; quia in illis clarum evadet, quæ præcepta Deus, et quàm severe sanxerit. Verum hæc lectio mendosa est : omnes enim codices legunt *liber vitæ*, itaque legendum esse patebit v. 27. Porro quod Sancti vocentur libri, aut mysticum est, aut violentum.

Secundo, S. Hieron. in Daniel. 7. docet in judicio duos aperiendos esse libros : unum Dei, qui continet bona cujusque opera ; alterum dæmonis, qui continet mala. Deus ergo habet librum vitæ, diabolus librum mortis. Verum S. Joannes libros hos manifeste distinguit à libro vitæ. Ait enim : *Et alius liber apertus est qui est vitæ.*

Tertio, Viegas : Liber, inquit, vitæ unus est ; quia paucos continet electos et salvandos : *libri* vero qui dicuntur *aperti*, reproborum sunt, ideoque multi, quia multi sunt damnandi. Verum hi libri sunt universales et communes, tam bonis, quàm malis.

Quarto, Beda et Alcazar libros hos censent esse S. Scripturam, quæ continet leges et præcepta Dei, ex quorum observatione homines judicandi sunt. Idcirco Deuteron. 33. v. 2. Deus ferens legem ita describitur : *Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis ; in dextera ejus ignea lex.* Ubi pro *Dominus*, hebraice est *Elohim*, id est judex, ut significetur Deum sub forma judicis venisse, et quasi solem splendidissimum per Seir et Sina montes Hebræis ortum fuisse. Porro igneam legem gestabat dextera, quod Cajetanus ita explicat, ut non Deus ipse legem portet, sed ad majorem pompam, portaretur à ministris prope dexteram ejus liber legis, et ignis, quo significabatur eum per legem judicaturum, et per ignem puniturum. Addunt aliqui eadem de causa initio Genesis dictum esse : *In principio creavit Deus cœlum et terram*, ubi rursum pro *Deus* hebraice est *Elohim*, id est judex vel judices ; ut significetur à Deo judice cœptam Scripturam, puta Genesim, ut leges et jura hominibus tradat, quibus eos in fine mundi judicaturus est.

Verum dico hos libros esse illos, in quibus cujusque opera, tam bona, quàm mala conscripta sunt ut ex iis quisque judicetur. De iis enim subdit : *Judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, secundùm opera ipsorum.* Nec enim in S. Scriptura, aut in Decalogo, legeque Dei legi possunt cujusque opera, quomodo scilicet eam adimpleverit. Libri ergo hi sunt conscientiæ et memoriæ singulorum, in quibus quasi in libris descripta sunt cujusque facta, tam bona, quàm mala.

Rursum, licet hi libri in se interirent, puta memoriæ hominum obliviscerentur suorum facinorum, iidem tamen servantur in divina scientia et memoria, in qua similiter tam opera, quàm conscientiæ singulorum consignatæ et descriptæ sunt. Hi ergo libri in hominibus sunt conscientiæ, in Deo est scientia et cognitio factorum cujusque. Hoc est quod ait Apostolus Rom. 2. vers. 15. Gentes quæ carent lege Dei scripta, *ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die, cum judicabit Deus occulta hominum.* Ita passim Interpretes, et Franciscus Suarez 3. p. q. 59. art. 6. disp. 57. sect. 9.

Porro, aperiet Deus in die judicii hosce libros, tum singulis suos proprios, scilicet conscientiæ et memoriæ cujusque objiciendo sua facta : tum omnibus aperiet aliorum omnium libros et conscientias, sive per locutionem mentalem, nimirum per divinam revelationem, ex sua omniscientia cuique indendo et suggerendo quidquid alius quisque fecerit, quomodo Prophetæ per Dei revelationem et inspirationem futura præviderunt : sive Deo simul et semel elevante omnium hominum phantasiam et intellectum, illisque vires et lumen supernaturale præbente ac concurrente supernaturaliter cum quocumque, ut videat facta cujusque in alterius conscientia et memoria quasi descripta. Simile enim est in angelis, et animabus separatis. Dum enim hi sibi invicem loquuntur, faciunt naturaliter, ut is cui loquuntur, videat cogitata et volita sua, hoc ipso quo volunt illum ea scire. Hoc enim ipso fit ipsorum conceptus et cogitatio, alias secreta, objectum proportionatum intellectui audientis, ut naturaliter ab eo sentiri et cognosci possit. Sic ergo Deus per hanc mentis cujusque elevationem faciet, ut potentia intellectus cujusque proportionata sit, et sufficiens ad omnia illi objecta, puta ad facta singulorum hominum, saltem successivo tempore, sed bre-

vissimo cognoscenda, quomodo Eliseus, aliique Sancti elevati à Deo viderunt absentia; et S. Benedictus, spiritu elevatus, vidit totum mundum quasi in globo in radiis solaribus collectum, teste S. Gregor. lib. 2. Dialog. c. 35. Quod enim hæc particularis cujusque in die judicii examinatio non sit futura per vocalem locutionem, patet, quia hac ratione cujusque facta successive edicenda et pronuntianda forent, itaque judicium ad multos menses vel annos protrahendum esset, cum tot millionum hominum facta sigillatim, ordine quæque suo ore tenus enuntianda forent. Quæ sane multos menses, imo annos sibi deposcerent.

Denique more suo S. Joannes hîc alludit ad Daniel cap. 7. v. 10. *Judicium sedit, et libri aperti sunt.* Ibi enim Daniel describit excidium quatuor monarchiarum, ac regni Antichristi, iisque successurum ait regnum Christi et Sanctorum, quod durabit in æternum. Idem hisce capitibus dicit et docet S. Joannes.

ET ALIUS LIBER APERTUS EST QUI EST VITÆ.] S. Aug. 20. Civit. 14. per libros qui aperti sunt, intelligit Sanctorum corda et mentes, in quibus Dei lex et voluntas scripta sunt: per librum autem vitæ, intelligit memoriam Sanctorum omnium, quæ per vim divinam cognoscet quidquid in vita bene aut male gessit. S. Anselmus in Elucidario ait librum vitæ esse vitam Jesu, quæ omnibus debet esse norma vivendi, per quam, et juxta quam omnes sunt judicandi. Verum dico: liber vitæ est liber prædestinationis Dei, in quo omnes et soli conscripti sunt ii, qui destinati et electi sunt ad vitam æternam, idque efficaciter, utpote jam vita peracta, et operibus cujusque per mortem consummatis. Porro libri vitæ inducitur hîc mentio: tum quia hic est liber Dei, qui componendus est et coæquandus cum libris apertis singulorum, id est cum conscientiis hominum: tum quia propter electos, qui in libro vitæ scripti sunt, maxime fiet judicium; ut nimirum illi à Deo glorificentur, eorumque labores et dolores pro meritis justum accipiant præmium. Vult enim Joannes hîc animare fideles et Martyres, dura patientes sub Domitiano, et duriora passuros deinceps, præsertim sub Antichristo, ut fortiter martyria et mortem subeant, cogitantes se per illam transituros ad vitam beatam, ad quam à Deo conscripti sunt in libro vitæ.

Alcazar opinatur librum vitæ hîc, non tantum completum accipi, sed et inchoatum, hoc est in eo scriptos esse non tantum eos, qui in gratia mortui, salvandi sunt; sed etiam eos, qui baptizati et gratia Dei donati, ad salutem destinati sunt, etiamsi ex eo ob sua flagitia deleantur, ac morientes in finali impœnitentia rejiciantur et damnentur. Quod non est improbabile; sed tunc liber hic magna ex parte idem est cum libris apertis, quatenus hi libri sunt Dei, non conscientiæ hominum, uti paulo ante dixi.

SECUNDUM OPERA IPSORUM.] Agitur ergo hic tantum de adultis, quorum opera examinantur et judicantur, non de parvulis, qui operari, et mereri vel demereri nequeunt. Parvuli enim mortui cum baptismo, hoc ipso adjudicantur cœlo: sine baptismo, inferno, id est limbo. Alcazar tamen ex S. Aug. censet etiam parvulos hîc comprehendi; quia parvuli non baptizati judicantur secundum opus et peccatum originale Adæ: hoc enim eis imputatur, imo inhæret; baptizati vero judicantur secundum opera et merita Christi, quæ eis in baptismo applicantur. Verum hoc subtilius est quàm solidius.

13. ET DEDIT MARE MORTUOS, QUI IN EO ERANT: ET MORS ET INFERNUS DEDERUNT MORTUOS SUOS, QUI IN IPSIS ERANT.] S. August. Ticonius, Haymo et Anselm. per mortuos mortis et inferni accipiunt vere mortuos; per mortuos vero maris, eos qui vivi invenientur, cum Christus veniet ad judicium. Sic enim ait August. *Hos ergo mortuos exhibuit mare, id est, hoc sæculum exhibuit homines qui nondum obierant; et sicut inventi sunt, ita affuerunt. Mors vero et infernus dederunt corpora, quoniam vitæ revocarunt. Et fortasse non satis fuit dicere: mors aut infernus; sed mors, propter bonos; infernus, propter malos.*

Secundo, Ambrosius: Mortui, ait, maris, id est baptismi, erunt baptizati et electi. Deinde mors dabit corpora impiorum, infernus animas.

Tertio, Aretas: Quodque, ait, elementum reddet quidquid corporum humanorum ad se pervenit; mare ergo dabit humorem, qui ad se pervenerat: mors (id est terra) pulverem; infernus (id est aer et ignis) id quod in auras evanuit et resolutum est.

Quarto, Viegas et Delrio adagio 197. loco 64. Mare, inquiunt, dabit corpora in eo submersa, aut devorata à piscibus: mors dabit corpora in terris humata; infernus vero dabit animas. Itaque mors hîc ab inferno et mari dividitur, ad danda videlicet corpora quæ in terra perierunt. Hæc enim censentur esse in ventre mortis, morsque ea revomet in die judicii ut resurgant. Huc accedit Ribera; sed in eo differt, quod inferni mortuos vocari censeat eos, qui vivi à terra absorpti, cum corpore et anima descenderunt in infernum, quales fuerunt Core, Dathan et Abiron. Sed hi erunt perpauci. Adde, mox de morte et inferno dici, quod missi sint in stagnum ignis: uti Ribera et Viegas aliter coguntur accipere infernum et mortem, scilicet ut significent diabolum. Quod tamen durum est et violentum.

Dico ergo: melius et magis consequenter Alcazar censet mortem et infernum hîc et alibi induci, simulque jungi quasi duas personas tragicas, truces et immanes, quæ semper associantur. Nam quas mors occidit, eosdem infernus sepelire et devorare dicitur. Non ergo mortui quos mors occidit, ab inferni mortuis diversi, sed iidem plane sunt. Mors enim est quasi lictor et carnifex, qui reos mortis occidit, et transmittit in infernum, qui quasi mortuorum locus, sinu suo eos excipit, absorbet et devorat. Id mox clarius patebit. Porro addit tertiam personam, æque horribilem, scilicet mare quod quasi leo rugit et sævit, navesque integras, æque ac homines absorbet, et in se ipso sepelit. Quocirca fictio mortuorum mortis et inferni non extenditur ad eos quos devorat mare. Hinc et Joannes mortuos quos possidebat mare, manifeste distinguit à mortuis quos possidebant mors et infernus, dum ait: *Dedit mare mortuos, qui in eo erant; et mors et infernus dederunt mortuos suos.* Mors enim suorum mortuorum simul est quasi mors et infernus.

14. ET INFERNUS ET MORS MISSI SUNT IN STAGNUM IGNIS. HÆC EST MORS SECUNDA.] Primo, S. August. Primasius, Ticonius, Viegas et Ribera, per infernum et mortem metonymice accipiunt diabolum, qui est princeps mortis et

inferni : hic enim cum suis asseclis adjudicabitur et mittetur in stagnum ignis, ut sint perpetui incolæ mortis et inferni. Verum sic dicendum fuisset: Missus est, scilicet diabolus, non *Missi sunt*. Rursum, plane videtur eodem modo hic accipi mors et infernus quo paulo ante, cum de iisdem dixit : *Mors et infernus dederunt mortuos suos*. Ibi autem mors et infernus non significat diabolum, uti patet, et ipsi auctores hujus explicationis fatentur. Eadem de causa minus recte alii per infernum dæmones, per mortem pœnas quaslibet accipiunt : æque ac alii, qui per infernum damnatos qui in inferno antea cruciabantur, intelligunt, quasi dicat, illos post judicium ad infernum, ex quo prodierunt, redituros, et alii, ut Maldon. in notis manuscriptis, quas Romæ vidi, quasi dicat : Mors et infernus non erunt ultra, id est, nemo ultra morietur, aut in infernum mittetur.

Aptius ergo, conformius et elegantius Alcazar, tam hîc, quàm paulo ante, mortem et infernum induci censet quasi duas tragicas personas, quarum munus est, ut altera vitam mortalibus auferat, altera deglutiat, et subterraneis sepulcris et specubus vinctos detineat. Pereleganter ergo finguntur hæ duæ personæ horribiles, quæ exultabunt in mundo, ac triumphabunt, post universale judicium, una cum damnatis ad ignitum inferorum stagnum descensuræ. Non autem fit mentio helluonis alterius, nempe maris ; quia illud dicitur amplius non fore, ad mysterium, de quo c. sequenti vers. 1. Duæ igitur personæ reliquæ, id est mors et infernus, congruentes eò mittuntur, ubi per omnem sæculorum æternitatem sese in ipsis damnatis pascant, ita ut non solum vere dici possit ; *Mors depascet eos ;* sed etiam: *Infernus depascet eos.* Nec vero contenti erunt mors et infernus miserorum cæde ac devoratione, sicut antea solebant ; sed mors semper eos occidet, infernus semper abscondet ac devorabit. Nec mors unquam illos interficere desinet; quia infernus eos semper vivos asservabit, quo patiantur semper ac moriantur. Atque hæc est mors secunda, quam damnatis mors et infernus pariter inferent. Itaque infernus et mors in stagnum ignis mittuntur, non ut patiantur ab igne, sed ut in æternum Dei inimicos excrucient. Hucusque Alcazar. Arabicus pro *mors*, vertit *abyssus*, quia mors vastissimum habet os et ventrem, quo omnes morientes complectitur, instar abyssi horribilis ; *Et abyssus*, inquit, *et infernus projecti sunt in stagnum ignis plenum sulphure.*

15. ET QUI NON INVENTUS EST IN LIBRO VITÆ SCRIPTUS, MISSUS EST IN STAGNUM IGNIS,] q. d. Sancti et Electi qui scripti sunt in libro vitæ, ibunt in cœlum ad gloriam æternam, uti exponam cap. sequenti ; improbi vero qui non sunt scripti in libro Dei et vitæ, sed diaboli et mortis, hi ibunt in ignem gehennæ æternum.

Objicies : Parvuli morientes sine baptismo in peccato originali, non sunt scripti in libro vitæ, et tamen non ibunt in stagnum ignis ; quia habent pœnam damni, id est carentiam gloriæ, non sensus, uti habet communis Theologorum sententia. Resp. S. Joannes hîc loquitur tantum de adultis, non de parvulis, ut patet ex vers. 12. *Judicati*, inquit, *sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* Soli autem adulti judicantur secundum opera sua, non parvuli. Idem patet ex cap. seq. vers. 8. Aliter respondet S. Aug. lib. 6. contra Julianum cap. 4. et ex eo Bellarm. lib. 6. de Amiss. gratiæ et statu peccati cap. 5. scilicet parvulos judicari secundum opera, quæ scilicet per Adamum, et in Adamo gesserunt et peccaverunt : ac ideo mittendos esse in stagnum ignis, id est, in lacum ubi est ignis ; nec tamen inflammandos illo igne aut cruciandos, vel quod sint in parte altiore ejus loci, vel quod ignis habeat vim eos detinendi, non tamen urendi.

Porro stagnum hoc plenum est igne et sulphure, ut habet Arabicus, ac diserte asserit S. Joan. cap. 21. v. 8. et Isaias. cap. 30. v. 33. Ignis ergo gehennæ est sulphureus : unde ejus typus et præambulum fuit ignis sulphureus quo conflagravit Sodoma et Gomorrha, Genes. 19. de quibus proinde ait S. Judas, quod *ignis æterni pœnam sustinentes facti sint exemplum orbi.* Hic enim ignis aptissimus est punitioni impiorum ; primo, quia ardentissimus est : sulphur enim cum sit igneæ naturæ, si ignem concipiat, vehementer exardescit ; secundo, quia hic ignis odorem habet teterrimum et acerrimum, qui fœtori peccatorum puniendo congruit; tertio, quia suffitui in expiationibus domorum sulphur adhiberi solet, teste Plinio lib. 35. cap. 15. Contaminarunt impii domos suas, puta animam et carnem, peccatis gulæ, luxuriæ, iræ, etc. par ergo est ut Deus hasce domos igne sulphureo lustret et quasi expiet. Supplicium enim peccatorum est genus quoddam expiationis et purgationis. Hac de causa immensa vis sulphuris partim ardentis, partim non ardentis sub terra latet, ut liquet ex thermis et montibus ardentibus, qui per orbem plurimi sunt : nam et thermæ sulphur olent, et ignes montium sulphurei sunt. Ipsa quoque fulmina, quæ iræ divinæ sunt symbola, igne sulphureo constant, et sulphur olent. Itaque totum gehennæ stagnum cum omnibus corporibus damnatorum in eum injectis, horrende ardebit, eritque tota illa iniquorum congeries ardens quasi victima Deo, et holocaustum pro peccato : quod sacrificium nunquam complebitur, sed semper peragetur coram Domino et omnibus Sanctis, sicut ipsum peccatum semper expiabitur, et nunquam erit expiatum. Hinc non solum ignis foris applicabitur corporibus ut suo contactu cruciet, sed ipsa etiam corpora ardebunt jugiter, sicut in holocausto fieri solet. Adhæc impii, præsertim qui graviter peccaverunt, uti Antichristus, in profundum hujus stagni projicientur et quasi sepelientur : sic dives Epulo dicitur sepultus in inferno, Lucæ 16. ita ut nullum eis possit extrinsecus accedere refrigerium, nec respirare aut clamare possint : clamor enim in magnis tormentis hujus vitæ, solet aliquod doloris afferre levamen. Verum nec hic concedetur Antichristo et sociis ejus in gehenna, quo fiet ut dolor compressus, intus acerrime desæviat. Alii enim qui capite saltem exstabunt, clamare poterunt, quales erunt qui minus peccarunt : sed et horum clamores vocesque erunt lamentabiles, quibus se sociosque affligent. Nam ex tantis et inevitabilibus æternisque pœnis sequetur desperatio, furor et maledictio, qua et seipsos, quod sibi tantorum suppliciorum causa fuerint, et Deum qui ipsos condidit, et parentes qui genuerunt, et dæmones qui seduxerunt, et socios qui allexerunt, et omnem creaturam quæ illis vel ad culpam, vel ad pœnam servivit,

aut servit, maledicent. Ita P. Lessius lib. 13. de Perfect. divinis cap. 24. qui et cap. 29 et 30. multiplices damnatorum pœnas, ac quomodo ignis corporeus in animas et dæmones agere, easque cruciare possit, erudite explicat. Vere Psaltes psal. 89. *Quis novit potestatem iræ tuæ, et præ timore iram tuam* (ô Domine) *dinumerare?*

Moraliter. Hæc lege, relege, rumina et pondera quotidie, ô Christiane. Vide quid in libris hisce tuis conscribas, qui in die judicii coram toto mundo pandentur et legentur, quando, ut ait Anselmus l. de Similitudinib. *à dextris erunt peccata accusantia, à sinistris infinita dæmonia, subtus horrendum chaos inferni, desuper judex iratus, foris mundus ardens, intus conscientia urens. Ibi vix justus salvabitur. Heu miser peccator sic deprehensus, quo fugiet? latere enim erit impossibile, apparere intolerabile.* Id hisce libris, in hac luce Christi revelabuntur omnes vulpinæ conscientiæ, omnia consilia cordium, omnes fuci mentium, omnia occulta tenebrarum. Hoc cogitans, hoc metuens Hugo Victor. lib. 1. de Anima c. 15. hanc humilem de se confessionem instituit, ut veniam impetret: *Sub ovina*, inquit, *pelle vulpinam conscientiam abscondebam; vulpina plane conscientia, tepida conversatio, animalis cogitatio, ficta confessio, brevis et rara compunctio; obedientia sine devotione, oratio sine intentione, lectio sine ædificatione, sermo sine circumspectione. O quàm dura sunt ista quæ loquor, quoniam meipsum loquendo ferio!*

Vis consilium? vis remedium? Accipe à S. Paulo: cogita, libra, discute, compone ad normam divinæ legis et voluntatis singulas tuas, non tantum actiones, sed et cogitationes ac intentiones mentis. *Si* enim *nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*, 1. Corinth. 11. vers. 31. Et: *Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus? omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus.* Viderunt hoc eminus Gentiles. Seneca lib. 3. de Ira: *Animus*, inquit, *quotidie ad rationem reddendam est vocandus. Hoc faciebat Sextius, ut, consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? desinet ira, vel moderatior erit, quæ sciet sibi quotidie ad judicem veniendum.*

Scribit Plutarchus de Livio Druso Tribuno plebis, quod, cum ædes ejus multis locis paterent vicinorum oculis, et opifex quidam eas se mercede quinque talentorum ostenderet aversurum, et mutaturum: *Decem*, inquit, *dabo, si totam domum meum conspicuam effeceris; quo cives omnes quales vitam instituam, contemplentur.* Fuit enim vir temperans et moderatus. Ita vive, ut memineris semper, imo optes et gaudeas, te tuaque intima videri à Deo, te notari ab angelis, à dæmonibus, ab hominibus: *Spectaculum enim facti sumus mundo, angelis et hominibus.* O quàm sapit, qui jugiter animo versat ultimum et censorium hujus mundi diem, qui erit horizon æternitatis beatæ et miseræ, ac Beatos à damnatis, superos ab inferis, angelos à dæmonibus, cœlum à gehenna in omnes æternitates distet minabit! O quàm sapit, cui jugiter hic lituus insonat: *Surgite, mortui, venite ad judicium!* O quàm sapit, qui ita actus singulos agit ac disponit, prout optabit eos egisse et disposuisse in die judicii!

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

SANCTUS JOANNES VIDET ET SCRIBIT COELESTEM JERUSALEM, NIMIRUM EJUS OPES, SPLENDOREM ET GLORIAM; SECUNDO, V. 12. EJUS MURUM ET PORTAS DUODECIM; TERTIO, V. 16. EJUS ALTITUDINEM, LONGITUDINEM, ET LATITUDINEM; QUARTO, V. 19. EJUS DUODECIM FUNDAMENTA FACTA E TOTIDEM GEMMIS; QUINTO, V. 22. EJUS CLARITATEM ET FELICITATEM.

1. Et vidi cœlum novum, et terram novam. Primum enim cœlum, et prima terra abiit, et mare jam non est. 2. Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo à Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. 3. Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus. 4. Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. 5. Et dixit qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia. Et dixit mihi: Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt et vera. 6. Et dixit mihi: factum est, ego sum α et ω: initium, et finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ, gratis. 7. Qui vicerit, possidebit hæc, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius. 8. Timidis autem, et incredulis, et exceratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure: quod est mors secunda. 9. Et venit unus de septem angelis habentibus phialas plenas septem plagis no-

vissimis, et locutus est mecum, dicens : Veni, et ostendam tibi sponsam, uxorem Agni. 10. Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cœlo à Deo, 11. habentem claritatem Dei : et lumen ejus simile lapidi pretioso tanquam lapidi jaspidis, sicut crystallum. 12. Et habebat murum magnum et altum, habentem portas duodecim : et in portis Angelos duodecim, et nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel. 13. Ab Oriente portæ tres, et ab Aquilone portæ tres, et ab Austro portæ tres, et ab Occasu portæ tres. 14. Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni. 15. Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam auream, ut metiretur civitatem, et portas ejus, et murum. 16. Et civitas in quadro posita est, et longitudo ejus tanta est, quanta et latitudo : et mensus est civitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia ; et longitudo, et altitudo, et latitudo ejus æqualia sunt. 17. Et mensus est murum ejus centum quadraginta quatuor cubitorum, mensura hominis, quæ est Angeli. 18. Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide : ipsa vero civitas, aurum mundum simile vitro mundo. 19. Et fundamenta muri civitatis, omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum, jaspis : secundum, sapphirus : tertium, chalcedonius : quartum, smaragdus. 20. Quintum, sardonyx : sextum, sardius : septimum, chrysolithus : octavum, beryllus : nonum, topasius : decimum, chrysoptasus : undecimum, hyacinthus : duodecimum, amethystus. 21. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas ; et singulæ portæ erant ex singulis margaritis : et platea civitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum. 22. Et templum non vidi in ea : Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, et Agnus. 23. Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea ; nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus. 24. Et ambulabunt gentes in lumine ejus : et reges terræ afferent gloriam suam et honorem in illam. 25. Et portæ ejus non claudentur per diem : nox enim non erit illic. 26. Et afferent gloriam et honorem gentium in illam. 27. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.

Putarunt aliqui, hoc capite et sequenti, ad litteram describi felicitatem Ecclesiæ, tam militantis in hac vita, quàm triumphantis in cœlo, præsertim quæ erit post Antichristum, quando erit summa Ecclesiæ militantis pax, æque ac sanctitas, eruntque Christiani perfecti, ac heroes virtutibus illustres. Ita Seraphinus, Ubertinus, Hortulanus et Joachim, quos citavi cap. præcedenti vers. 2 et 4. Censent enim ipsi hos fore mille annos felicitatis Ecclesiæ militantis ibi à Joanne prædictos. His accedit noster Turrianus lib. de Eucharistia, qui censet hîc agi de cœlesti Ecclesia cum militante copulata ; hanc enim denotari hisce verbis : *Vide Jerusalem novam*, etc. *descendentem de cœlo.* Et hisce : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.*

Alii censuerunt hîc describi gloriam Ecclesiæ Romanæ sub Constantino, et deinceps. De hac enim recte dicitur : *Ambulabunt Gentes in lumine ejus ;* et de hac Isaias, Ezechiel et alii Prophetæ, similia, imo majora prædixerunt, quàm hîc de sua Jerusalem dicat Joannes.

Verum certum est ad litteram directe hîc tantum depingi Ecclesiam cœlestem et triumphantem. Ita diserte docet S. Augustinus 22. Civit. 27. *Hæc*, inquit, *de isto tempore accipere impudentia nimia est : quia illa, Absterget Deus omnem lacrymam, tanta luce dicta sunt de sæculo futuro, et immortalitate, atque de æternitate Sanctorum, ut nulla debeamus in Litteris sacris quærere vel legere manifesta, si hæc putamus obscura.* Augustin. sequuntur passim Interpretes, quin et Alcazar, qui tamen hæc omnia Romanæ Ecclesiæ adaptat, quasi ejus triumphus in cœlis hîc describatur : Quia, inquit, illa quasi caput et matrix, electos omnes complectitur. Quod verum est.

Id probatur primo, quia hoc exigit Apocalypseos acoluthia. Cum enim cap. præcedenti egerit de strage Antichristi, Gog et Magog, deque resurrectione et de judicio ; ordo postulat ut hîc agat de gloria Beatorum, eaque claudat Apocalypsin.

Secundo, idipsum clare evincunt verba v. 7. et 8. ubi coronas Beatorum opponit pœnas damnatorum : *Qui*, inquit, *vicerit, possidebit hæc ; timidis autem et incredulis*, etc. *pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure : quod est mors secunda.*

Tertio, quia civitas quam depingit Ezechiel c. 48. (ad quam hîc alludit Joannes) quæ symbolum est Ecclesiæ militantis, ut multi volunt ; in quadrum patet tantum calamis 4500, id est stadiis 45. Hæc vero Joannis in quadrum protenditur ad duodecim millia stadiorum. Ergo longe eam superat, ac proinde est cœlestis. Ubi nota : S. Joan. hîc plane imitatur Ezechielem ; nam æque ut Ezechiel, post enarratam stragem Gog et Magog, Antichristi, etc., Apocalypsin suam claudit descriptione novæ Jerusalem, id est Ecclesiæ, quæ ad litteram apud Ezechielem est terrestris et militans ; apud Joannem hîc est cœlestis et triumphans. Hinc et fluvium hujus urbis consitum arboribus vitæ, de quo c. sequenti v. 1. ab Ezechiele c. 47. v. 5. mutuatus est S. Joan.

Quarto, illa verba : *Templum non vidi in ea ; ipsa civitas aurum mundum*, muri ex jaspide, fundamentum ex lapidibus pretiosis. Et : *Mors ultra non erit, neque dolor. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum. Claritas Dei illuminavit*

eam et lucerna ejus est Agnus, etc. non nisi Ecclesiæ cœlesti conveniunt.

Fateor tamen quædam hîc dici quæ Ecclesiæ militanti conveniunt, ut quod dicitur de 12 fundamentis, id est Apostolis, eorumque prædicatione : quia nimirum illi Ecclesiam deduxerunt et provexerunt in cœlum. Unde Ecclesia cœlestis et triumphans sua stemmata et insignia sumit ab Ecclesia militante. Hinc S. Laurentius, jam beatus licet, pro stemmate habet craticulam, cum eaque pingitur, S. Stephanus lapides, S. Sebastianus sagittas, S. Paulus gladium, etc. Quia scilicet hisce instrumentis obierunt mortem et martyrium, quo gloriam illam beatam meriti et assecuti sunt. Ita Alcazar.

Accipe summatim et ordine dotes admirabiles, quas cœlesti Jerusalem hîc S. Joannes attribuit. Prima est v. 1 et 2. quod sit Jerusalem nova in cœlo novo et terra nova.

Secunda, v. 2. quod sit descendens de cœlo à Deo, parata sicut sponsa ornata viro suo.

Tertia, v. 3. quod ipsa sit tabernaculum Dei cum hominibus, et quod in ea Deus habitabit cum eis : et ipsis populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

Quarta, v. 4. quod Deus absterget omnem lacrymam ab oculis eorum : et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra ; quia prima abierunt.

Quinta, v. 5. ibi dicet electis Deus sedens in throno : *Ecce nova facio omnia ;* dicet et faciet : Dei enim dicere est efficax, ac proinde ejus dicere est facere.

Sexta, v. 11. Jerusalem hæc cœlestis habet claritatem Dei ; et lumen ejus simile lapidi jaspidis sicut crystallum, id est, simile lapidi crystallizanti ; unde ibi nunquam est nox, sed dies una et perpetua : nec eget sole aut luna ; quia claritas Dei illuminat eam, et lucerna ejus Agnus, v. 23. Hæc lux et claritas, primo, symbolum est miræ gloriæ, nimirum divinæ, utpote à Deo derivatæ et participatæ. Secundo, crystallus innuit hanc gloriam non esse umbraticam et transitoriam, sed stabilem et solidam, eamque variam, prout in crystallo ex reflexione varia variæ apparent species. Tertio, eam nulla adversitatis, timoris aut tristitiæ nocte, aut nube et nebula fuscari, vel obscurari. Quarto, Beatos perpetuo frui præsentia, aspectu et consortio gloriæ Dei et Christi.

Septima, v. 12 et 17. habet murum ex jaspide magnum, et altum 144 cubitos. Hic murus significat cœlitum et cœlestis Jerusalem robur, munimen et securitatem, ut nullam dæmonum aliorumve hostium vim timeat.

Octava, v. 12 et 21. habet portas 12, scilicet tres ad singulas orbis plagas, quæ nunquam clauduntur, eæque singulæ ex singulis factæ sunt margaritis. Hæ portæ significant, undique et ex omni plaga et gente, justis et sanctis in eamdem aditum quolibet tempore, hora et momento patere ; atque per eas non intrare nisi puros, præstantes et gemmeos.

Nona, v. 19. habet fundamenta duodecim ex totidem gemmis pretiosissimis. Hæc 12 fundamenta significant urbem hanc fundatam esse in sanctitate, doctrina et symbolo duodecim Apostolorum.

Decima, v. 16. civitas hæc in quadro posita ; et longitudo ejus tanta est, quanta et latitudo et altitudo. Hæc omnia significant exactam et perfectam hujus urbis architecturam et fabricam, atque civium miram inter se unionem et consociationem.

Undecima, v. 16. civitas ampla est et vasta : nam cum sit in quadro, quodlibet quadri, sive quadrati latus in longitudinem procurrit ad duodecim stadiorum millia, id est, ad mille quingenta milliaria Italica. Hæc urbis amplitudo notat ejus magnificentiam, capacitatem, et ingentem civium, id est Beatorum, numerum. Nulla enim est urbs, quæ vel umbram tantæ capacitatis habeat. Babylon enim, quæ à capacitate celebratur, in toto suo ambitu et quadratura tantum continebat 120 stadia : hæc vero in uno quadri latere habet duodecim millia stadiorum. Quocirca unum quadri latus excedit longitudinem Babylonis centies, ac consequenter tota capacitas hujus urbis capacitatem Babylonis superat decies millies. Ita Alcazar. Verum verius est, non unum latus, sed omnia simul, puta totum civitatis hujus ambitum mensurari, cum dicitur : *Et mensus est civitatem per stadia duodecim millia*, uti dicam v. 16.

Duodecima, v. 18. ipsa civitas (id est plateæ civitatis) aurum est mundum, simile vitro mundo. Id designat omnia in cœlo esse pretiosa et præstantissima, ac rursum omnia Beatis esse conspicua et pervia, perinde ac si auro vitreo, id est, instar vitri pellucente, in cœlis omnia constarent ; ac consequenter singulos Beatos per mutuam charitatem, omnium aliorum gloria, bonisque omnibus perfrui : hæc enim omnia eis sunt conspicua.

Decima tertia, v. 22. *Templum non vidi in ea : Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, et Agnus.* Semper enim tuentur et intuentur, colunt, adorant et laudant Deum et Agnum.

Decima quarta, v. 24. *Ambulabunt gentes in lumine ejus, et reges terræ afferent gloriam suam et honorem in illam.* In cœlo ergo adunabitur omnium Regum, Principum, Imperatorum, Pontificum, Reginarum et Ducissarum pompa et gloria.

Decima quinta, c. 22. v. 1. fluvius vitæ et vitalis mediam urbem interluit. Hic fluvius significat sapientiæ et voluptatum omnium copiam et affluentiam.

Decima sexta, cap. 22. 2. ad utramque ripam fluminis arbores sunt pulcherrimæ et salutiferæ : ibi est et lignum vitæ, præstantius eo quod erat in terrestri paradiso. Hoc lignum symbolum est immortalitatis et æternitatis.

Decima septima, c. 22. 3. *Omne maledictum non erit amplius*, q. d. In cœlo nulla erit culpa aut pœna.

Decima octava c. 22. v. 4. *Videbunt faciem ejus, et nomen ejus in frontibus eorum ; et regnabunt in sæcula sæculorum ;* quia nimirum jugiter visione Dei fruuntur, quasi ejus intimi et familiarissimi, non tantum famuli, sed et principes et reges.

Denique huic urbi nihil pulchri, nihil pretiosi, nihil jucundi, nihil honorifici deest ; nihil turpe, vile, aut tristo adest ; sed omnes ejus cives sunt beati et gloriosi, ac regnabunt in sæcula sæculorum.

1. ET VIDI CŒLUM NOVUM, ET TERRAM NOVAM, etc. ET MARE JAM NON EST.] Joachim, et alii, qui hæc accipiunt de felicitate Ecclesiæ militantis, uti dixi initio capitis, per cœlum novum accipiunt illustres Sanctos, quorum cum Paulo conver-

satio in cœlis est; per terram novam, cæteros fideles, in baptismo per gratiam et vitam Christianam innovatos ; per mare , Gentiles , qui fluctus persecutionum contra Ecclesiam concitabant, q. d. *Mare non est*, id est, Gentiles amplius non persequuntur Ecclesiam; imo nec sunt, quia conversi sunt ad Christum factique Christiani.

Verum jam docui hæc ad Ecclesiam in cœlis triumphantem, quæ erit post diem judicii et post communem resurrectionem, pertinere.

Secundo, Alcazar cœlum, terram et mare mystica accipit, sed alio sensu. Homo, inquit, ex anima et corpore constat, cumque corpus sit terrena inhabitatio animæ, anima vero cœlestis sit spiritus, ideo congrue per terram significatur hominis corpus, per cœlum anima. Priorum ergo cœlorum qualitates erant hæ, in salutem animarum incumbere, Sacramenta fidelibus administrare, preces ad Deum pro peccatoribus fundere, à peccatis absolvere, docere, concionari, et quasi cœlestis doctrinæ pluviam in terram emittere. Hæc in resurrectione tollentur, et fient cœli novi; quia pro laboribus jam dictis succedet merces et præmium, scilicet æterna quies, visio et fruitio Dei, ac gloria æterna. Pari modo prioris terræ conditiones erant hæ : proximorum vices dolere et commiserari, molestias et angores pati, voluntariam macerationem et castigationem suscipere. Pro his in resurrectione succedet nova terra ; quia in corpore pro tot passionibus succedet impassibilitas, pro tot doloribus et mortibus immortalitas, cæteræque corporis gloriosi dotes. *Et mare jam non est*, id est, impiis, in infernum detrusis, nullus erit persecutor, nullus metus, nusquam formidines, nusquam pericula, nulli fluctus, nulli amplius pisces majores devorabunt minores, nullus erit naufragii timor. Verum hæc mystica sunt, ut ipse Alcazar fatetur, non litteralia.

Quocirca tertio, alii passim hæc accipiunt de materiali cœlo et terra. Hæc enim secundum qualitates, et ut aliqui volunt, secundum substantiam, id est formam substantialem, immutanda sunt in resurrectione ac innovanda. De his enim ait S. Petrus Epist. 2. cap. 3. vers. 13. *Novos cœlos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus.* Vide dicta Isaiæ 24. 19. et c. 34. 4.

PRIMUM ENIM COELUM, ET PRIMA TERRA ABIIT.] Ergo cœlum jam est novum et terra nova, uti dixi.

ET MARE JAM NON EST.] Arabicus : *Et non mare ultra* (est). Beda hîc et clarius scribens in Epist. 2. Petri c. 3. censet mare, post diem judicii, omnino siccandum esse et abolendum ; pari modo et ignem periturum : quia S. Joannes tantum nominat hîc cœlum, id est, aerem et terram, quasi hæc duo ex elementis sola sint mansura et renovanda. Idem dicunt, sed dubitanter, Andreas Cæsar. Aretas, Haymo, Anselm. Rupert. quin et S. August. l. 20. Civit. 16. Ubi explicans hæc verba : *Mare jam non est*, sic ait : *Verum maximo illo ardore* (conflagrationis mundi) *siccetur, an et ipsum vertatur in melius non facile dixerim : fortasse tamen maris nomine intelligitur hoc sæculum turbulentum et procellosum.*

Verum cum mare sit quartum elementum, ad perfectionem universi necessarium, quod piscium, avium, animantium, omniumque generabilium, quin et aeris et cœlorum, uti multi volunt, est matrix et origo, quodque terram unit et conservat; terra enim, nisi aqua et mari rigaretur, finderetur et fatisceret ; hinc longe verius videtur, mare, æque ac terram et aerem, quoad substantiam post resurrectionem mansurum. Dicitur tamen hîc : *Non est*, id est, non erit, scilicet tale quale fuit vetus illud et pristinum, nimirum crassum, mixtum et turbidum, procellosum, perpetuis agitatum fluctibus æstuans jugi suo fluxu et refluxu ; hæc enim est maris natura et conditio, quam significat ipsum maris nomen ; sed erit aliud et novum, æque ac cœlum et terra : cum illis enim innovabitur, fietque subtile, purum, pellucidum, quietum, serenum, fulgidum, ut jam non videatur esse mare, sed crystallus ; pellucebit enim, et splendebit instar crystalli. De mari ergo Hebraica phrasi dicitur אינבנו *veenennu*, id est, *non est ;* quia in aliam formam et decorem commutabitur. Sicut ergo ex eo quod hîc dicitur : *Cœlum abiit*, non licet (ut plerique docent) colligere : Ergo cœlum quoad substantiam, materiam et formam abibit et interibit ; sed tantum licet colligere : Ergo cœlum quoad qualitates et conditiones præsentes peribit, novasque et meliores acquiret ; ita pariter et de mari hîc colligas et concludas. Porro maris meminit præ aliis elementis, quia mare symbolum est fluctuum, procellarum, turbinum et tempestatum, quibus hîc jactantur Sancti et electi. q. d. Cum mari cessabit omnis Sanctorum persecutio, tentatio et turbo.

2. VIDI SANCTAM CIVITATEM JERUSALEM NOVAM.] Sicut civitas nunc ipsos cives, nunc ipsam civitatem, puta locum, plateas, domos, turres et muros significat ; ita et Jerusalem hæc cœlestis est duplex, scilicet primo, est ipsa Ecclesia, sive cœtus et congregatio Beatorum, puta ipsi Beati collecti et adunati ; hæc enim proprie hîc vocatur sponsa, et v. 9. uxor Christi.

Secundo, est ipsa civitas et locus Beatorum, puta ipsum cœlum empyreum. Huic enim primo et proprie competit, quod sit civitas et tabernaculum Dei : quod sit longa, lata, alta ; quod extendatur ad duodecim millia stadiorum, etc. Secundario tamen hæc ipsa etiam ipsi Ecclesiæ, sive cœtui Beatorum conveniunt. Hæc enim est civitas et tabernaculum Dei apte dimensum ; quia in ea singulari modo, ordine et proportione inhabitat Deus ; ideoque est et dicitur sancta, æque ac beata et gloriosa. Joannes hasce duas civitates commiscet, nuncque de una, nunc de altera mistim loquitur ; quædam enim dicit quæ magis uni, quædam quæ magis alteri conveniant, omnia tamen utrique suo modo conveniunt, vel primo et per se, vel analogice : Jerusalem ergo cœlestis est cœlum empyreum cum suis incolis, puta cum cœtu Beatorum. Describit enim Joannes directe Jerusalem quasi civitatem Beatorum, quoad muros, portas, fundamenta, etc. Itaque proprie locum ipsum describit ; sed quia hic locus est beatitudinis et Beatorum, hinc consequenter ipsam beatitudinem et Beatorum gloriam describit. Quocirca esto in hac civitate determinate, et in singulari non viderit ipsos Beatos ; nec enim ullos nominat aut describit ; tamen indirecte et in genere satis eos depingit, cum dicit quod *ipsi populus ejus erunt, et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum ;* quod *reges terræ afferent gloriam suam et honorem in illam ;* quod *servient illi et videbunt faciem ejus, et nomen ejus*

in frontibus eorum ; quod *Dominus Deus omnipotens templum illius est, et Agnus.* Ubi enim est Agnus, ibi sunt et Agni asseclæ, fideles et Beati: ubi Deus est, ibi sunt et Angeli, itidem et Beati ; sicut ubi est rex, ibi est et aula et aulici.

NOVAM,] quia vetus et Judaica Jerusalem anagogice significabat hanc novam, scilicet Ecclesiam, non militantem, ut vult Prim. et Beda ; sed triumphantem, ut patet ex sequentibus. Triumphans ergo dicitur nova, ob novum gloriæ statum. Secundo, Alcazar hæc accipit de novitate, æque ac sanctitate et cœlesti spiritu, quæ Christianæ Ecclesiæ inerant, priusquam ad gloriosissimum cœlestis patriæ triumphum conscenderet, qui triumphus innuitur verbis illis : *Paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* Additque hanc Agni sponsam, novamque Jerusalem esse Ecclesiam Romanam, quæ matri Sioni, id est, veteri Synagogæ, successit, sicut primogenitus filius hæreditario jure succedit patri. Quod eatenus verum est, quatenus Romana Ecclesia cæteras omnes quasi mater et caput, continet et complectitur, uti superius dixi. Verum Joannes agit hîc de Ecclesia triumphante, non militante, uti dixi.

Pulchre Pannonius Jerusalem hanc per antitheses opponit Babyloni, cujus sordes et clades audivimus cap. 18. Jerusalem enim est urbs Christi sancta, nova, descendens de cœlo, gloriosa, parata et ornata sponso suo : Babylon est urbs diaboli, impura, vetustate marcida, ascendens è tartaro, infamis, parata et conspurcata à cacodæmone, libidinibus totius mundi polluta, blasphemiis notata, cum qua fornicati sunt reges terræ. Sed audi Pannonium. *Illa,* inquit, *Babylon, hæc Jerusalem. Scimus Babylonem interpretari confusionem, Jerusalem pacis visionem ; quatenus certo certius teneremus omnes in confusionem abituros, quicumque carni serviunt ; ad pacis autem supernæ visionem perventuros omnes, quicumque legi spiritus se subdunt. Illa meretrix super bestiam colitur ; in ista Deus adoratur. Meretrix non dat, nisi abominationes spurcitiæ suæ, quas visa est porrigere in aureo calice, quo potat universam terram, et inebriat eam ; Ecclesia charismatum dona distribuit, et ornamenta virtutum. Nova hæc, vetus illa et strigosa, quæ florem juventutis suæ profligavit cum amatoribus terræ. Speciosa virgo est Ecclesia, sponsa pudica à Deo è cœlis descendens, in omni ornatu virtutum spiritualium decora, ideoque parata : cujus odor inæstimabilis nimis in vestitu ejus, quam circumdant flores rosarum, et lilia convallium, de qua summæ admirationis illa vox Cantici est : Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgulæ fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii? Cant. 3. De cujus pulchritudine in eadem Scriptura loquitur sponsus Christus : Quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra ! oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet, cap. 4. Et iterum : Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. Ubi eadem hortus conclusus, ob varietatem fructuum bonorum, et fons signatus, ob ubertatem gratiarum describitur ; cujus emissiones paradisus sunt, et summæ voluptates malorum punicorum.*

DESCENDENTEM DE CŒLO,] scilicet ad judicium, ut cum Christo in valle Josaphat judicet orbem, ait Maldon. in cap. 25. S. Matthæi. Verum judicium jam peractum audivimus in fine capitis præcedentis.

Secundo, Alcazar hoc refert ad statum quem habuit Ecclesia beata, dum adhuc militaret in hac vita ; hujus enim doctrina et vita desursum est, id est, de cœlo descendit. Verum in Græco est καταβαινουσαν, id est, quæ jam in præsenti descendit, non autem quæ jam ante tempore præterito descenderat.

Dico ergo figurate hîc dici Jerusalem cœlestem descendere de cœlo, ut electos ad se assumat. Fingitur enim hîc cœlum empyreum, et Ecclesia, sive cœtus Beatorum, in terram descendere, ut homines terrestres, ac præsertim eos qui cum tyrannis et Antichristo tanto agone et sudore certabunt, sibi cives cooptet, quod in re nil aliud est dicere, quàm quod cœlestis gloria et beatitudo hominibus terrestribus obtingat cœlitus, per Dei liberalitatem et gratiam ; est enim cœlestis et divina. Unde S. August. lib. 20. Civit. 17. *De cœlo,* inquit, *dicitur descendere, quia cœlestis gratia est, quia Deus eam fecit ; et de cœlo quidem ab initio suî descendit, Spiritu sancto misso de cœlo.* Idem in Sentent. numer. 31. *Ad cœlestis,* ait, *Jerusalem non ascendunt consortium, nisi qui toto corde profitentur, non proprii operis, sed divini esse muneris quod ascendunt.* Olim Moses, lege accepta è cœlo, dicebat Hebræis Deuter. 30. 11. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere : Quis nostrûm valet ad cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos?* Simili modo hîc, ne Christianus causetur, dicatque: Quomodo ego homo terrenus et carneus conscendam ad Jerusalem cœlestem ? hac de causa videt hîc Joannes Jerusalem ipsam de cœlo ad homines descendere, ut eos ad se accipiat et sustollat ; ut significetur, per Dei gratiam nos infirmos et carnales ad vitam cœlestem, ipsosque cœlos sustolli. Jerusalem ergo hæc est manetque in cœlo, et tamen per suî communicationem descendit in terram. Simile est in sole, qui est in cœlo, et simul in terra ; in cœlo per substantiam, in terra per radios quos eo diffundit. Et in fonte, qui est in summo, et simul in imo : in summo per originem ; scaturit enim in monte : in imo per rivulos ; ex monte enim manat, indeque emanat et defluit in valles. Talis est hæc Jerusalem. Ita Abbas Joachim. Sic vicissim nostra conversatio cum S. Paulo in cœlis est ; quia corpore in terra, mente et vita conversamur in cœlo. Præclare S. Aug. in Sententiis, sent. 221. *Duas,* ait, *in toto mundo civitates faciunt duo amores : Jerusalem facit amor Dei, Babyloniam facit amor sæculi. Interroget ergo se quisque, et inveniet unde sit civis.* Cicero de Petit. consul. narrat sibi consulatum petenti suggestum fuisse à Q. Cicerone, ut quotidie fere ad forum descendens, hoc ruminaret : *Novus sum, consulatum peto : Roma est.* Quanto magis quisque jugiter sibi dicat : *Novus es, in solo, non in sole, natus : Gloriam æternam ambis ; cœlum est, quod vim patitur, nec nisi à violentis rapitur.* Exere ergo vires omnes, ut tantam gloriam promereare, ut cœlum expugnes et occupes. Rursum, hoc civitatis descensu symbolice significatur Deum in cœlestis hujus palatii descriptione, non uti conceptibus cœlestibus, angelicis et divinis ; nec eam plane describere uti in se est (sic enim nobis incomprehensibilis et inexplicabilis est), sed ad nostram infantiam, nostrosque tenues conceptus descendere, ut illam aliqui rudi modo nobis ostendat

et repræsentet. Hac de causa ejus pulchritudinem per aurum, crystallum, gemmas, etc. describit; quia nos in terra his pretiosiora non novimus, nec vidimus.

Tropolog. anima sancta est Jerusalem cœlestis, ipsumque Dei cœlum. Audi S. Bernardum serm. 27. in Cant. *Ego puto omnem animam talem* (sanctam), *non modo cœlestem esse propter originem, sed et cœlum ipsum propter imitationem. Et tunc liquido ostendit, quia vere origo ipsius de cœlis est, cum conversatio ejus in cœlis est. Est ergo cœlum sancta aliqua anima, habens solem intellectum, lunam fidem, astra virtutes, quæ maxime in nocte, id est, in adversis, emicant. Ergo virtus est sidus, et homo virtutum est cœlum.* Vide cætera.

Hanc benedictionem Christus ascendens in cœlum immisit in terram, ut scilicet ipsa terra conversatione cœlesti possit fieri cœlum, uti docet Clemens Alexand. in sua hortatoria; respiciens enim ad illud Lucæ 24. 50. *Benedixit eis, et ferebatur in cœlum. Terram*, inquit, *mutat in cœlum Dei agricola, dextra significans, populos ad bona opera excitans, ac cœlesti doctrina hominem Deum faciens.* Hæc scilicet est causa hujus divinæ metamorphoseos, quod Christus in terris docuerit hominem vivere juxta cœli normas, uti in terris vivens homo instar cœli esset. Itaque per hanc ejus doctrinam, et magis per Eucharistiam, terra nunquam est sine homine Deo; sic ut Christianus vivens juxta doctrinam Christi, et in Eucharistia corpus Christi manducans, fiat quasi homo Deus, et secundam quasi unionem hypostaticam cum Christo suscipiat et induat. Hoc est quod ait S. August. serm. 61. de verbis Domini secundum Joannem: *Nos omnes cum capite nostro Christo Christus sumus.* Et S. Chrysost. serm. de expulsione sua: *Ecclesiam*, ait, *vincere nulla vis potest. Deus est Ecclesia, qui fortior omnibus est.* Nam, ut ait S. Bernard. serm. 27. in Cant. *Unus idemque Dominus et sponsus in capite est, et sponsa in corpore.* Quocirca qui contra Ecclesiam, vel virum sanctum pugnat, pugnat contra Deum; ac proinde frustra contra stimulum calcitrat. Id promisit Christus Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum*, tum per providentiam, tum per realem inviscerationem in Eucharistia, cujus proprium est deificare homines, *usque ad consummationem sæculi.*

Symbolice, vidit S. Joannes Jerusalem descendentem, quam stantem simul videre non potuit, cum tamen simul revera staret. Descendebat enim in angelis ministrantibus, stabat autem in eisdem intuentibus divinam essentiam; mobiles nempe nobis sunt, immobiles Deo. Nam hoc eodem capite Joannes et descendentem vidit, et in quadro positam; forma vero quadrata immobilitatis et constantiæ est symbolum. Ita sanctus Bernardus serm. 5. de dedicatione Ecclesiæ, et ex eo Anton. Fernan. visione 13. sect. 7.

A DEO.] Hæc verba non referuntur ad τὸ *paratam*, quod sequitur; sed ad *descendentem*, quod præcedit. Id patet ex textu Græco, qui habet, καταβαινουσαν απο του θεου εξ ουρανου, id est, *descendentem à Deo de cœlo.*

PARATAM, SICUT SPONSAM ORNATAM VIRO SUO.] *Paratam*, id est comptam, adornatam, tantaque gloria, pulchritudine, felicitate et majestate instructam, quanta decet sponsam cœlesti Agno jam nuptam, perinde ut sponsa regis pulcherrimis et pretiosissimis vestibus, gemmis ac monilibus se vestit, paratet adornat, cum in thalamum regis sponsi sui deducenda est. Nota: Τὸ *viro suo*, quadrupliciter accipi potest; primo, q. d. *Digne viro suo.* Secundo, *sicut sponsam ornatam viro suo.* q. d. Sicut illam sponsam, quam Deus Pater Christo filio suo unigenito tanto decore adornavit, ad Christi sui decus et gloriam; omnis enim Ecclesiæ decor Christo, Christique meritis tribuendus est. Tertio, *viro suo*, id est à viro suo, puta à Christo, ornatam. Quarto, *ornatam viro suo*, id est, cujus ornamentum est vir suus, puta Christus cui nupsit: *Quia claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus.* Ita Alcazar. Duæ tamen primæ explicationes, uti simpliciores, ita magis genuinæ sunt.

Nota hæc utrique Jerusalem de qua jam dixi, magis tamen priori, id est Ecclesiæ et Beatis, quàm posteriori, id est ipsi loco, puta cœlo empyreo, convenire.

3. ET AUDIVI VOCEM MAGNAM DE THRONO DICENTEM.] *De throno*, non Christi judicis in valle Josaphat, de quo actum est in fine capitis præced. sed de throno Dei et Agni in ipsa cœlesti Jerusalem. Hanc enim, ejusque thronum, portas, murum et fundamenta hîc describit. Unde de hoc throno, puta *de sede Dei et Agni*, vidit Joannes cap. 22. 1. *fluvium aquæ vitæ procedere;* et vers. 3. ait: *Sedes Dei et Agni in illa* (cœlesti Jerusalem) *erunt.* Videtur hic thronus esse idem cum throno Dei, coram quo astare visi sunt cum Agno, quatuor animalia, et 24 seniores cap. 4. 2. Porro hæc vox, magna, significat primo, magnitudinem gloriæ cœlestis, ac consequenter bonitatis et misericordiæ divinæ erga suos electos et beatos. Secundo, Deum velle ut hæc vox ab omnibus audiatur, utque omnes hac voce excitentur ad gloriæ hujus ardens desiderium et prosecutionem, per opera sancta et divina, eaque ardua. Vox enim, magna, innuit rei vocatæ et proclamatæ magnum pondus et momentum. Exit de throno, id est, à Deo, quia Deus solus hæc bona suis sanctis præparavit, omnibusque ea offert et proponit.

Cœlestis ergo hæc vox, quæ per quinque sequentes versus enarratur, proclamat hanc cœlestem Jerusalem esse civitatem illam fortium, victorum et triumphantium, quam Deus electis suis fortiter contra mundum, carnem, dæmonem, ac præsertim contra Antichristum certantibus et vincentibus præparavit: sicut ex adverso timidis, carnalibus et impiis æternos paravit gehennæ ignes; ut horum metu, illius spe et desiderio acuatur omnium animus, mens et industria ad heroicos agones obeundos, quibus et gehennæ ignes evadant, et cœlesti Jerusalem quasi cives perpetui adscribantur. Hinc apud Joannem Moschum in Prato spirit. legimus monachum quemdam, cum in visione paradisum videret, velletque in eum ingredi, audiisse ab angelo: *Nemo piger huc ingreditur; ite, certate, contemnite vanitates sæculi.* Ita B. Nilus, virmiræ sanctitatis, et multorum Religiosorum pater, cujus sepulcrum vidi in monasterio Cryptæ Ferratæ, juxta Tusculum, cum anno Domini 976 ad eum venisset Leo Comes Constantini Imperat. aliique primores, dixit ad eos: *Intelligite quia nisi virtute præditi fueritis, et magna etiam virtute præditi, nullus vos liberabit à pœnis inferni.* Additque, *ex decem millibus hominum vix unum salvari*, idque asserere S. Basilium,

Chrysostomum, Ephrem et alios. Ita habet ejus Vita à discipulo ejus conscripta, et ex illa Baronius tomo 10, anno Domini 976. Ubi et addit eum, cum rogaretur an Salomon salvus esset, nec ne, respondisse : *Nihil in sacra Scriptura legimus, quod post peccatum pœnitentiam egerit, sicut Manasses. Quis ergo de illo dicere poterit, quod salvus sit?*

ECCE TABERNACULUM DEI CUM HOMINIBUS.] Citat Ezech. 37. 27. ut ibidem dixi.

Nota ; Cœlum vocatur hîc tabernaculum Dei, primo, quia passim Joannes hîc in Apocal. alludit ad vetus tabernaculum et templum ; hoc enim erat typus et figura cœli. Secundo potius vocatur tabernaculum quàm templum, ut cogitemus cœlum empyreum, licet splendidum et augustum, minus tamen esse majestate Dei, ejusque non tam esse palatium, quàm tabernaculum et tentorium, utpote qui in se ipso, suaque immensa essentia gloriosissime et immense habitat. Pari modo in Beatis non tam habet domum, quàm tabernaculum ; quia ejus majestas à Beatis non capitur, sed ipse Deus per miram dignationem eis aliquatenus se communicat, et præsentem exhibet. Tertio, Viegas in voce tabernaculi censet alludi ad Ecclesiam militantem, quæ nunc in tabernaculis militaribus, quasi in campo et acie degit. q. d. Ne vobis grave sit, ô Christiani, modo ad modicum tempus in castris et tabernaculis morari, pati famem, frigora et æstus, cum dæmone, carne et Antichristo confligere ; quia mox hæc tabernacula et castra mutabuntur in tabernaculum cœleste, gloriosum et magnificum in quo positis armis et laboribus, victisque hostibus in perpetua pace, gaudio et gloria triumphabitis. Agite ergo, tolerate, durate, certate, vincite, triumphate. Quarto, Alcazar putat per tabernaculum significari summam Beatorum unionem et communionem, quod non in domo laxa et capaci, sed in tabernaculo degant, in quo unus ab alio abstrahi aut cælari nequit, sed omnes sese invicem pervident, et perfruuntur, atque cœlestem Regem inter ipsos placidissime degentem, ipsosque beantem, et omnibus bonis donisque cumulantem præsentem habent. Unde sequitur : *Et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.*

Pie S. Bernard. s. 5. ad milites templi, salutans hanc Jerusalem : *Salve*, inquit, *civitas sancta, quam ipse sanctificavit sibi tabernaculum suum Altissimus, quo tanta in te et per te generatio salvaretur. Salve, civitas Regis magni, ex qua nova et jucunda mundo miracula nullis temporibus defuere ab initio. Salve, domina gentium, princeps provinciarum, Patriarcharum possessio, Prophetarum mater et Apostolorum, initiatrix fidei, gloria populi Christiani, quam Deus semper à principio passus est oppugnari ; ut viris fortibus sicut virtutis, ita foret et occasio salutis. Salve, terra promissionis, quæ olim fluens lac et mel tuis duntaxat habitantibus, nunc universo orbi remedia salutis, vitæ porrigis alimenta. Terra, inquam, bona et optima, quæ in fecundissimo illo sinu tuo ex arca paterni cordis cœleste granum suscipiens, tantas ex superno semine Martyrum segetes protulisti, et nihilominus ex omni reliquo fidelium genere fructum, fertilis gleba trîgesimum, et sexagesimum et centesimum super omnem terram multipliciter procreasti. Undè et de magna multitudine dulcedinis tuæ jucundissime satiati, et opulentissime saginati ; memoriam abundantiæ suavitatis tuæ ubique eructant qui te viderunt, et usque ad extremum terræ magnificentiam gloriæ tuæ loquuntur eis qui te non viderunt, et enarrant mirabilia quæ in te fiunt. Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei.*

ET IPSI POPULUS EJUS ERUNT.] q. d. Beati nullius erunt, nisi Dei ; neminem dominum agnoscent, non Regem, non Cæsarem, nisi Deum ; neminem colent vel adorabunt, nisi Deum, quem unum, ut suum Regem, Deum et Dominum summe venerabuntur, amabunt, laudabunt : eique per omnia obedient, servient, seque et omnia sua subjicient dedentque.

ET IPSE DEUS CUM EIS,] q. d. Sicut rex jugiter est cum populo, pater cum filiis, magister cum discipulis ; ita Deus jugiter erit cum Beatis in cœlo, eos recreans, pascens, oblectans et beans : erit, inquam, cum eis per jugem præsentiam, quæ in hac vita videbatur ab eis absens vel absconditus. In cœlo enim videbunt Deum præsentem, facie ad faciem, cum eoque ore ad os colloquentur, qui eos ineffabili consolatione mulcebit, et ineffabilibus gaudiis perfundet. *Erit* enim *eorum Deus*, q. d. Deus Beatis erit Deus, id est pater, curator, protector, provisor, glorificator, omnium suorum bonorum communicator et effusor, isque omnipotens, omniscius, optimus et liberalissimus, idque in æternum. Hæc enim significat *Elohim*, id est, Deus.

Secundo, *erit eis Deus*, id est, erit eis omnis voluptas, omnis lætitia, omnis honor, omnes opes, omnis sapientia, omnis virtus et omne bonum, ut ei Beati dicant cum Psalte : *Quid enim mihi est in cœlo, et à te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.* Et cum S. Francisco : *Deus meus, amor meus, et omnia.* Hoc est quod optabat Moses Exodi 33. v. 18. dicens : *Ostende mihi gloriam tuam.* Cui respondit Dominus : *Ego ostendam omne bonum tibi.*

Tertio, *erit eorum Deus ;* quia Deus singulis Beatis erit proprius, ac quasi peculum et possessio jucundissima cuique propria ; ita enim erit singulorum, satians eorum desideria, sicut est omnium ; adeo ut singuli ita Deo fruituri sint, eumque possessuri, ac si soli in solidum eo fruerentur, eumque possiderent, ut jure dicant : *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei, tu es qui restituisti hæreditatem meam mihi ;* et : Tu, Domine, es *portio mea in terra viventium.* Sicut enim rex in throno regali conspicuus, æque est in oculis singulorum, ac omnium astantium ; singuli enim tam perfecte regem vident, eoque se pascunt, ac omnes ; perinde ac si singuli soli regem, id est, regis speciem et effigiem, haberent in oculis suis : sic et Deus quasi sol immensus visus à Beatis, eosque sua visione beans, hoc est, possidens et possessus, ita implet mentes singulorum, atque omnium, ut singuli dicant ei cum Psalte : *Deus meus es tu ;* et cum S. Thoma : *Dominus meus, et Deus meus.* Rursum, sicut musica eadem singulorum audientium aures implet, pascit et oblectat, æque ac omnium ; ita et Deus singulos Beatos seipso, omnibusque suis deliciis et bonis implebit, pascet et inebriabit, æque ac omnes. O terque quaterque beati, quorum sors, pars, honor, voluptas, gloria non erit alia, quàm Deus opt. max.

4. ET ABSTERGET DEUS OMNEM LACRYMAM AB OCULIS EORUM,] sicut matres dulcissimæ à parvulis suis lacrymulas abstergunt, eisque blandiuntur, osculantur et mulcent. Syrus vertit : *Et deficiet*

omnis lacryma ab oculis eorum. Alludit ad Isaiæ 25. 8. *Præcipitavit mortem in sempiternum, et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie.* Pie S. Bernardus in Declamationibus : *Felices*, inquit, *lacrymæ, quas benigna manus conditoris absterget : et beati oculi, qui in talibus liquefieri fletibus elegerunt, quàm elevari in superbia, quàm omne sublime videre, quàm avaritiæ et petulantiæ famulari.* Et Tertull. lib de Resurrect. carnis c. 58. *Delebit*, inquit, *Deus omnem lacrymam ab oculis eorum : utique ex iisdem oculis qui retro fleverant, quique adhuc flere potuissent, si non omnem lacrymæ imbrem indulgentia divina siccaret.*

ET MORS ULTRA NON ERIT, NEQUE LUCTUS, NEQUE CLAMOR] Martyrum excruciatorum à Domitiano et aliis tyrannis, ipsoque Antichristo. Secundo, *non erit clamor* pauperum oppressorum à potentioribus, præ injuriæ, ac laborum et dolorum magnitudine suspirantium et clamantium. De eo enim dicitur Exodi 3. vers. 9. *Clamor filiorum Israel venit ad me, vidique afflictionem eorum qua ab Ægyptiis opprimuntur.* Tertio, *non erit clamor*, quo Sancti hîc in colica, calculo, aliisque morbis; item in paupertate, infortuniis, injuriis, calumniis, et quibusvis ærumnis gemunt et clamant ad Deum. Unde sequitur :

QUIA (ita legendum cum Romanis et Græcis, non *quæ*) PRIMA ABIERUNT.] q. d. Prior vita non vitalis, sed mortalis, quæ potius mors fuit quàm vita, cum suis miseriis innumeris jam transiit. Deinceps non erit laborum et ærumnarum tempus: prima illa militiæ ac laborum tempestas abiit : quod deinceps sequetur in omne ævum, tempus erit pacis, lætitiæ et triumphi. Cujus causam subdit dicens :

5. ECCE NOVA FACIO OMNIA.] Arabicus : *Ecce ego faciam illa nova omnia.* Citat Isaiæ 43. 19. et 2. Cor. 5. 17. q. d. Prima illa, vetera et misera, cum misero et veteri homine, vita et mundo abierunt. Jam fàcio et creo cœlum novum, terram novam, vitam novam, hominem novum. Quare mirum non est jam nullas esse lacrymas, nullum luctum, nullum laborem et dolorem in servis meis videri. Hæc veteris vitæ fuerunt, nunc autem omnia innovantur. Ecce enim nova facio omnia.

6. FACTUM EST.] Legit Interpres γεγονε ; jam legunt γεγονα το α και ω, id est, *ego fui*, vel *sum* α et ω. *Factum* ergo *est*, quasi dicat : Jam finita sunt, jam perducta sunt ad complementum, quæcumque Deus de mundo, de electis, de reprobis ab æterno sapientissime disposuerat : jam factum est, quidquid in vita hominum mortali faciendum erat : jam factum est, quidquid ad gloriam et felicitatem Sanctorum pertinens, eis dandum et faciendum erat; jam factum est, quidquid fiet per omnem æternitatem. Tam enim Sancti suam gloriam, quàm damnati suam pœnam recipient in die judicii, quæ utrisque durabit in æternum, ita ut nil unquam novi eis accedat.

EGO SUM α ET ω, INITIUM ET FINIS,] ego sum qui rebus omnibus et hominibus, maxime electis, suum do principium et finem ; qui rem quamque et quemlibet electum ad suum finem perduco : ego sum qui Ecclesiæ et Jerusalem cœlesti principium dedi ; ego sum qui pariter dabo et finem, scilicet gloriam æternam. Vide dicta c. 1. c. 8.

EGO SITIENTI, Deum et cœlestia, id est justo, DABO DE FONTE AQUÆ VITÆ GRATIS.] Sitientes, inquit Ribera, vocat justos qui nil nisi Deum cupiunt, idque vehementer et ardenter instar sitientium, atque eo frui in hac vita non possunt, ideoque semper eum sitiunt ; qualis erat David psal. 41. dicens : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.* Peccatores enim fruuntur concupitis, qui nil nisi terrenum concupiscunt, idque mox assequi possunt. Justi vero semper sitiunt; quia etsi haustus quosdam illius fontis vivi degustant, sicut Christus, ait Joan. 7. *Si quis sitit, veniat ad me et bibat ;* illi tamen sitim non sedant, sed augent, ut ait Eccles. c. 24. *Qui bibunt me adhuc sitient.*

GRATIS ;] quia, licet justi suis bonis operibus mereantur vitam æternam, hæc tamen dicitur et revera est gratia : primo, respectu laboris eorum, qui in se exiguus est ; nec dignus tanto præmio : *Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Secundo, respectu primæ gratiæ ex qua profluunt bona opera : hæc enim omnino gratis datur.

7. QUI VICERIT POSSIDEBIT HÆC.] Ne, ex eo quod dixit se gratis daturum sitienti aquam vitæ, quis segnis et socors fiat, omnemque salutis et felicitatis suæ curam deponat, eamque in Deum resignet, addit non nisi certantibus et vincentibus hanc aquam esse dandam. Ita loquitur, ut ad pugnam excitet fideles, maxime eos qui erunt tempore Antichristi. q. d. Generosos et strenuos decet, æque ac manet hæc gloria et felicitas, qui contra Domitianum et Antichristum dimicare quique in confertissimos hostium globos intrepide sese inferre, et ardua quæque capessere audeant. Nam timidos alia et adversa manet sors in stagno ignis, ut sequitur. Dum ergo, ô miles Christi, tentaris à carne, dum luctaris cum mundo et dæmone, dum persequitur te cognatorum turba, dum morbus, infamia, paupertas te impetunt, dum cum adversis acrem agonem et quasi duellum subis, animos cape, suscipe cœlum, sic itur ad astra. Dicito tibi :

> Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires,
> Non venit è facili lecta corona jugo.

Virtutum gaudia vulnus habent, ait S. Prosper epigram. 87. Per labores et pugnas via est ad triumphos. *Ardua virtutem profert via.* Et, ut ait Silius lib. 3.

> Explorant adversa viros, perque aspera duro
> Nititur ad laudem virtus interrita clivo.

Dionysius ille qui magnis multisque præliis accisam subjugavit Indiam, pro trophæo templum habuit magnificum, ut ex eo conjici potest, quod 365 gradus ex sapphiro purpureo contineret, uti refert Epiphan. lib. de 12 Gemmis cap. 5. Quod sive verum est, sive fictum et symbolicum, apte significat eum, et quemvis heroem, per totidem virtutum et heroicorum facinorum gradus ad gloriæ culmen et ad cœleste regnum conscendisse. *Hac procere abiere pii.*

8. TIMIDIS AUTEM.] Græce δειλοις, id est, ignavis. Timidos ergo vocat, primo, eos qui timore deficiunt in persecutionibus, et non valentes sustinere cruciatus, tyrannis cedunt et consentiunt. Secundo, qui vim sibi, suisque concupiscentiis et carni inferre reformidant. Tertio, qui Satanæ tentationes et impetus perhorres-

cunt. Hunc enim horrorem in eis gignit, non tam rei asperitas et horror, quam mentis pusillanimitas et timor. Verè Seneca : *Non quia difficilia sunt non audemus, sed quia non audemus difficilia sunt.* Affert simile de umbris et phantasmatibus, quæ sua specie et larva aspicientibus terrorem incutiunt, sed si eas tangas, vides esse spectra; si insequaris, aufugiunt; unde de iis vere dixit Poeta : *Terribiles visui formæ, visu*, non reipsa. Iis ergo audacter obviam eundum et obluctandum, juxta illud Poetæ :

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

Et : *Audentes fortuna* (Deus qui est fortuna fortunans, sortesque hominum gubernans) *juvat.* Nil enim tam arduum, quod mens generosa cum Dei gratia non superet, uti patuit in Apostolis, Martyribus, Anachoretis, Virginibus, omnibusque Sanctis, in diesque patet.

Perperam Tertull. lib. de Fuga in persecut. c. 9. per timidos accipit fideles qui in persecutione fugiunt, et se abscondunt, ideoque ex hoc loco probare contendit, non licere Christiano fugere persecutionem. Unde ait : *Porro quis fugiet persecutionem, nisi qui timebit? quis timebit, nisi qui non amavit?* Verum hic est ejus error : Christus enim discipulis suis hanc fugam suasit, imo jussit Matth. 10. v. 23. *Cum*, inquit, *persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Neque hoc est timidi, sed prudentis et fortis. Sanc S. Athanasius contra totum pene orbem Arianum per 46 annos assidue decertans, fortissimus fuit, et tamen vita ejus non fuit aliud, quàm continua fuga et latebra.

Et incredulis,] qui videlicet fidem firmam et fortem non habent divinis promissionibus, sed in persecutione et tentatione despondent animum non credentes, nec confidentes Dei opem affuturam, et vires suggesturam, ideoque animo concidunt, et ab hoste obteruntur et opprimuntur. Hinc in vitis Martyrum passim legimus eos ingentem habuisse in Deum fiduciam, eaque ac jugi oratione et Dei invocatione omnia tormenta superasse.

Idem viderunt Gentiles, sed per umbram : *Quisque*, ait Livius, *sibi credi vult, et qui fidem dicenti adhibet, fidem ejus sibi obligat.* Hoc si verum apud homines, quanto verius apud Deum, qui est prima fides, æque ac prima veritas? Ex adverso, turpe et infame est apud omnes, audire illud Nasonis : *Ambigua dasque negasque fide.* Porro *Principum verbum simplex tantum valere debet ad fidem, quantum privatorum hominum jusjurandum*, uti dicere solet Alfonsus Aragon. Rex, teste Panorm. lib. 1. de gestis ejus : Deus autem est Rex regum, et principum princeps. Amissa classe, Carthaginenses postularunt pacem à Romanis. Hamilcar cum se Romam iturum negaret, timens ne Romani sibi facerent, quod Pœni perfide fecerant Cornelio Asinæ Consuli Romano, quem contra jus gentium catenis vinxerant; Hanno fidem Rom. considerans, profectus est, cumque in senatu liberius legationis suæ rationes exposuisset, à Tribuno audivit, illi posse accidere, quod acciderat Cornelio Consuli. Verum uterque Consul Tribunum compescuit, dixitque : *Hanno, isto metu te fides nostræ civitatis liberat.* Dux quidam cum teneret rupem inexpugnabilem, semet Alexandro Magno dedidit. Alexander non solum ejus ditionis principem esse jussit, verum etiam addidit, dicens : *Hic homo mihi videtur sapere, qui se maluit bono viro, quam loco munito concredere.* Et sic fidem hosti sanctissime servavit; ita Plutarchus in Apophtheg. regum. Hanc fidem, imo longe majorem à nobis exposcit Deus, quia longe magis fideliusque eam præstat, quam Alexander et Romani. Impossibile enim est ut eos qui sibi credunt fallat, aut qui in suam confugiunt fidem deserat; quin potius eos quasi fidei suæ obsides tuetur et propugnat acerrime. Quocirca incredulos qui sibi diffidunt, quasi fidei suæ infidos et injurios odit et execratur, ac mille vitæ et salutis præsentis et æternæ periculis exponi obruique permittit.

Exsecratis.] Exsecratos vocat exsecrabiles, qui exsecranda, et à moribus vitaque Christianorum abhorrentia scelera committunt, ac more idololatrarum vivunt : idololatria enim in S. Scriptura vocatur abominatio.

Et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis.] Respicit maxime tempora Antichristi : tunc enim multi impii justos interficient, et libidinibus vacabunt, ac veneficiis, id est, magiæ, incantationibus et maleficiis, uti tempore S. Joannis iisdem vacavit Nero, Simon Magus, Apollonius Tyanæus, eorumque asseclæ.

Et omnibus mendacibus.] Beda accipit mendacium quo in religionem peccatur, v. g. quo fingent et dicent se esse asseclas Antichristi, cum in corde sint Christiani, quales hodie multi sunt in Anglia. Secundo, alia quoque tunc vigebunt mendacia et fraudes, ut in contractibus, in promissis, in amicitia et fide; qui enim fidem Deo non servat, quomodo eam servabit homini? omne ergo perniciosum mendacium hîc intelligit S. Joannes. Tertio, Alcazar : Mendaces, ait, in Scriptura vocantur omnes qui mandata Dei violant et frangunt; ac præsertim qui injuriam alteri irrogant : hi enim non verbo, sed opere sunt mendaces; faciunt enim mendacium practicum, id est peccatum, quod est fraus vel injuria Dei vel proximi, vel utriusque. Hos omnes adversa et misera manet pars, id est, sors et quasi hæreditas (hanc enim significat Hebr. חלק *chelec*) in stagno ignis.

9. Et venit unus de septem Angelis.] *Unus*, id est, primus, ait Alcazar. Quocirca putat ipse hunc Angelum fuisse S. Paulum, qui quasi fundator Romanæ Ecclesiæ, ejus quasi sponsæ Christi, gloriam et nuptias in cœlo hîc Joanni ostendat, uti easdem descripsit 1. Corinth. 15. ubi toto capite agit de gloria resurrectionis et Beatorum resurgentium, sive Ecclesiæ triumphantis, quæ est sponsa gloriosa Christi.

Verum ostendi c. 16. 1. hosce septem Angelos septem phialarum, veros et proprios esse Angelos. Hic ergo unus ex iis fuit, qui uti cum aliis phialam suam et plagam in impios effudit cap. 16. ita apte mox post plagas illas novissimas, S. Joanni hîc præmia Sanctorum ostendit.

Et ostendam tibi sponsam, uxorem Agni.] Dices : Jam v. 1. et deinceps viderat Joannes hanc sponsam, quomodo ergo hîc illa ipsi ostenditur? Respond. primo Alcazar sensum esse, q. d. Ostendam tibi per partes, distincte et clare felicitatem Ecclesiæ triumphantis et Beatorum, quam jam v. 1. confuse tantum et summatim vidisti.

Secundo, sponsa hæc est Jerusalem cœlestis, quæ nunc ipsum locum et civitatem, nunc ejus incolas, scilicet Beatos, significat. Vidit ergo

Joannes in confuso ejus incolas v. 1. 3. 4. hic vero videt et describit ipsam eorum civitatem. Sensus ergo est, q. d. Ostendam tibi urbem novam de cœlo descendentem, ex cujus divitiis et decore utcumque intelligas, qualis sit futura Christi sponsa, ejusque beatitudo in hoc ejus palatio. Sicut enim is qui alicui peregrino ostendit regis vestes, stipatores, currus, equites et pompam, hoc ipso ei regem ostendere dicitur: ita Angelus hic cœlum cœlique opes ostendens Joanni, sponsam, id est, Ecclesiam et cœtum ipsum Beatorum, eidem ostendit. Proprie ergo et per se, Angelus in sequentibus tantum Joanni ostendit ipsam civitatem cœlestem, ejusque partes et dimensiones; non autem ipsos incolas, scilicet Beatos. Unde proprie et per se non ostendit ei sponsam Agni, sed civitatem et palatium sponsæ, sed ex eo, ejusque pulchritudine, felicitate et gloria colligendum relinquit, quanta sit sponsæ, id est Beatorum, beatitudo, felicitas et gloria.

10. ET SUSTULIT ME IN SPIRITU IN MONTEM MAGNUM ET ALTUM, ET OSTENDIT MIHI CIVITATEM SANCTAM.] Alludit ad Isaiæ 2. 2. *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Mons hic non erat extra civitatem, quasi eò ductus sit Joannes, ut eminus ex eo conspiceret civitatem; sed fuit mons ipse civitatis, sive in quo ædificata erat hæc civitas. Nam ad ipsam civitatem in spiritu ductus fuit Joannes ab Angelo, ut cominus eam, ejusque muros, plateas et fabricam intueretur. Id ita esse patet ex eo quod Angelus coram Joanne calamo dimensus est totam urbem, ejusque murum. Porro mons hic in cacumine ubi erat civitas, planus erat et æqualis. Nam de civitate ipsa dicitur v. 16. *Longitudo, et altitudo, et latitudo ejus æqualia sunt.*

Tropologice, mons hic significat, conanti, et tendenti ad beatitudinem cœlestem, in alta et ardua enitendum esse, ut mentem et animum ab ima terra rebusque terrenis in sublime ad Deum attollat, ad eumque mentis et affectus passibus conscendat, eatque *de virtute in virtutem,* donec videat Deum deorum in Sion. Hujus enim rei symbolo, arx Sion et templum vetus in monte collocata sunt. Quocirca canit Psaltes Psalm. 23. v. 3. *Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde*, etc.

Rursum, via in hunc montem est mentis descensus, demissio et humilitas. Vis ascendere in cœlum? descende, deprime te in abyssum: quo magis depresseris, eo altius ascendes, eo sublimius eveheris in cœlo, ut contigit S. Francisco. Hujus rei symbolo, sicut civitas, ita et consequenter mons ipse in quo sita erat civitas, visus est Joanni de cœlo descendere, ut scilicet humiles susciperet et elevaret in montem. Insuper assumitur S. Joannes in montem altum, ut inde consideret sanctam civitatem Jerusalem descendentem de cœlo: mons enim significat sublimitatem prophetiæ, ait S. Hieron. ad Algasiam qu. 4. ut, sicut spiritu erigitur vates ad videndas res magnas et cœlestes, ita etiam loco elevetur, ut exteriora interioribus congruant. Hinc Balaam vaticinaturus in montem conscendit Num. 23. 9. *De summis*, ait, *silicibus videbo eum*, scilicet populum Israel cui benedico. Hinc et Christus docturus Apostolos culmen perfectionis Evangelicæ, conscendit in montem, Matth. 5. v. 1. ut ibidem annotarunt Patres et Interpretes.

11. HABENTEM CLARITATEM DEI,] græce την δοξαν του θεου, id est gloriam Dei; sed gloria hîc significat lucem et claritatem, ut patet ex sequentibus, præsertim v. 23. ubi dicitur: *Civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea; nam claritas* (græce δοξα) *Dei illuminavit eam.* Porro τὸ *Dei*, significat hanc claritatem esse eximiam et admirabilem, utpote divinam, qualis nimirum decet Deum, Deique palatium gloriosum et beatificum, quod insatiabilem colorum varietatem et pulchritudinem spectantium, puta Beatorum, oculis objicit, qualis fuit in corpore Christi in transfiguratione, cujus umbra est in vitro crystallino triangulari, quod lucem excipiens, æque ac species camporum, domorum, etc. miram colorum varietatem ac pulchritudinem oculo cui opponitur exhibet; unde sequitur:

ET LUMEN EJUS SIMILE LAPIDI PRETIOSO,] græce τιμιωτατῳ, id est pretiosissimo. Pro *lumen* græce est φωσφορ, id est, luminare, quod illuminabat illam civitatem cœlestem, quod est ipse Deus, ut dicit v. 23.

Nota: Hoc luminare non est instar facis, sed instar solis; quia illuminat civitatem ingentem, quæ extenditur ad mille quingenta milliaria. Rursum, hoc luminare, æque ac fluvius aquæ vivæ, de quo c. 22. 1. procedunt à Deo, ac consequenter à throno Dei: ergo cum hic thronus visus sit Joanni, non supra in æthere, aut in cœlo, sed in ipsa civitate descendente de cœlo, puta in medio civitatis loco tamen eminentiori, sequitur ibidem quoque visum fuisse hoc luminare. Erat enim proprium et adæquatum ipsum civitati, nec foras extra eam lucem suam spargebat.

TANQUAM LAPIDI JASPIDIS, SICUT CRYSTALLUM.] Dixerat luminare hoc simile esse lapidi pretioso; jam ne quæreretur cui lapidi, addit: *Tanquam lapidi jaspidis.* Verum quia jaspides sunt varii et variorum colorum (alii enim virent ut smaragdus, alii pellucent ut crystallus, teste Plinio lib. 37. cap. 8.) hinc, ut hanc ambiguitatem tollat, addit: *Sicut crystallum*, græce ως λιθῳ ιασπιδι κρυσταλλιζοντι: *Tanquam lapidi jaspidi crystallizanti*, id est, plane perspicuo et splendenti instar crystalli. Arabicus vertit, *simile lapidi onychino*, vel *chrysolitho, crystallo, beryllo:* hæc enim omnia significat vox Arabica. Narrat Plinius lib. 36. c. 22. mirum quid de Fortunæ templo, ex lapide, phengite, sive sphengite pellucido constructo. *Nerone*, ait, *principe repertus est lapis in Cappadocia duritie marmoris, atque translucens, etiam qua parte fulvæ inciderant venæ, ex argumento sphengites appellatus: hoc construxit ædem Fortunæ à Servio rege sacratam, aurea domo complexus. Quare etiam foribus clausis interdiu claritas ibi diurna erat, haud alio quam specularium modo, tanquam inclusa luce, non transmissa.* De eodem lapide et Suetonius in Domitiano cap. 14. Domitianus, ait, anxius et sollicitus, ne illorum quos sua crudelitate offenderat, conjuratione opprimeretur, *porticuum, in quibus spatiari consueverat, parietes sphengite distinxit, ut ejus splendore per imagines, quidquid à tergo fieret, provideret.* Tales sphengites, imo longe clariores habent Beati in cœlo, ubi omnia omnibus sunt translucida et clara, imo fulgida.

Notat Alcazar hunc Dei thronum esse illum ipsum quem vidit Joannes c. 4. ubi de eo dicitur v. 3. *Et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis jaspidis et sardinis:* quocirca luminare hoc visum fuisse spargi ex jaspide et sardio, qui vestiebant, et quasi corpus faciebant Deo. Jaspis est gemma viridis et firma : hinc significat Deum sua luce et clara visione recreare, et confirmare oculos et mentes Beatorum, idque constanter et jugiter in æternum. Jaspis hic pellucet instar crystalli, ut significet intimam Dei essentiam à Beatis pervideri et penetrari. Vide dicta cap. 4. v. 3.

12. ET HABEBANT MURUM MAGNUM ET ALTUM.] Hic murus significat firmitatem insuperabilem cœlestis Jerusalem.

HABENTEM PORTAS DUODECIM, ET NOMINA INSCRIPTA, QUÆ SUNT NOMINA DUODECIM TRIBUUM FILIORUM ISRAEL,] ut scilicet per eas intrent omnes Tribus, propugnatæ ex duodecim filiis Israel, id est, Jacobi. Hæ enim tribus significant universitatem Sanctorum et Ecclesiæ triumphantis, idque quia ipsa olim adumbrata est et significata in Ecclesia veteri duodecim Tribuum Israel. Sensum hujus rei mysticum dedi Numer. 2.

Porro Salmeron in prolegomenis tract. 20. et Vilalpando tomo 3. in Ezechiel. et Adrichomius in chorographia Hierosolymæ, censent hîc alludi ad portas Jerusalem terrestris : hasce enim fuisse tempore Davidis et Salomonis duodecim. Verum Arias Montanus, Alcazar et alii, quin et ipse Salmeron tractat. 42. tantum novem portas Hierosolymæ numerant. Adde Hierosolymam ad Austrum nullam habuisse portam, uti docet Vilalpando.

Potius ergo alludit hîc Joannes ad castra duodecim Tribuum Num. 2. hæc enim in quadrum erant disposita, ita ut singula quadrilatera tres continerent Tribus, quarum singulæ singulas videntur habuisse portas. Ad Orientem enim erant tribus Juda, Issachar et Zabulon. Ad Meridiem Ruben, Simeon et Gad. Ad Occidentem Ephraim, Manasse et Benjamin. Ad Septentrionem Dan, Aser et Nephthali. Rursum, alludit ad Jerusalem descriptam ab Ezechiele c. 48. v. 31. ubi dicitur : *Portæ civitatis ex nominibus tribuum Israel;* ac deinde ad singulas orbis plagas tres tribus, et cuique suam portam assignat. Porro censet Alcazar, loco tribus et portæ Dan, quam recenset Ezechiel, Joannem hic substituere tribum et portam Manasse, eo quòd tribus Dan ab eo c. 7. v. 5. Exclusa sit ex numero tribuum signatarum, et electarum ad cœlestem Jerusalem. Verum hæc ratio non concludit. Nam cap. 7. egit de solis Judæis convertendis ad Christum in fine mundi, ideoque excludit tribum Dan, ex qua putatur nasciturus Antichristus. Hic vero omnes tribus filiorum Jacob complectitur, ut significet omnes omnium gentium fideles et Sanctos, qui sunt spiritales filii Jacob et Abrahæ, ex quatuor mundi plagis undequaque ad cœlestem Jerusalem confluxuros, tam pauperes, quàm divites; tam plebeios, quàm nobiles ; tam barbaros, quàm Græcos et Romanos. Nulli enim fideli et Sancto aditus præcludetur, juxta illud Christi Matth. 8. v. 11. *Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum.* Quocirca alludit ad Numer. c. 2. v. 25. ac Ezech. 48. v. 32. ubi Dan, æque ac aliæ tribus, in numer. 12 tribuum Israel recensetur : omnes enim omnino tribus et gentes, à Deo ad cœlestem beatitudinem vocantur.

Denique cum quodlibet quadri, sive murorum hujus civitatis, latus contineret duodecim millia stadiorum, id est, mille quingenta milliaria Italica ; hinc sequitur ingentem fuisse portæ unius ab alia distantiam, scilicet quingentorum milliarium, inquit Alcazar. Verum v. 16. ostendam quodlibet latus, ac consequenter distantiam portæ unius ab alia, fuisse quadruplo minorem, scilicet fuisse tantum 125 milliarium.

Mystice, S. Hieron. in c. 48. Ezechiel. August. et Rupertus per duodecim portas accipiunt 12 Apostolos. Hi enim sunt Patriarchæ, duces et capita 12 tribuum Israel, id est omnium fidelium et Sanctorum, qui eos sua prædicatione et labore ad Ecclesiam primo militantem, deinde triumphantem vocarunt et adduxerunt : qua de causa 12 tantum sunt portæ, quia 12 tantum fuerunt Apostoli Christi, æque ac Patriarchæ filii Jacob, à quibus duodecim Tribus prognatæ sunt. Porro custodes portarum cœlestis Jerusalem sunt Angeli, quos nemo indignus fallere aut corrumpere potest, ut sese iis insciis per fraudem, aut consciis et corruptis per munera in urbem insinuet, et intrudat.

Aliter Joachim Abbas, qui per 12 portas accipit 12 Apostolos, quos ipse in fine mundi censet à Deo mittendos, instar 12 qui olim missi sunt à Christo. Rursum, 12 portas fore 12 Religiones instituendas à Deo hac ratione, ut quæque peculiari ratione nomen et tribum Israel quàm respicit, referat et repræsentet. Verum hæc sunt conjectamenta, aut commenta, ne dicam cerebri figmenta.

ET IN PORTIS ANGELOS.] Ita lege cum Romanis ac Græcis, non *angulos :* singulæ ergo portæ suum habent Angelum custodem. Angeli enim sunt custodes, socii, ductores et receptores Sanctorum. Ita Angeli animam Lazari, S. Martini, S. Servuli, S. Pauli primi Eremitæ, S. Benedicti et aliorum, in cœlum deferre sunt visi.

13. AB ORIENTE PORTÆ TRES.] Hæc civitas ad quamlibet mundi plagam habet portas tres, ut significetur quod ab omnibus mundi plagis turmatim et frequentes, magna copia venient electi vocati ad cœlum.

14. ET MURUS CIVITATIS HABENS FUNDAMENTA DUODECIM, ET IN IPSIS DUODECIM NOMINA DUODECIM APOSTOLORUM AGNI.] Probabile est quod censet Alcazar hæc 12 fundamenta non divisisse muri partes, ita ut muro in duodecim partes diviso, in prima ima fundamenti parte esset fundamentum ex jaspide, in secunda ima parte esset fundamentum ex sapphiro, et ita consequenter; sed quod unum fundamentum fuerit alteri impositum in singulis muri partibus, ita ut in qualibet muri parte in imo fundamenti lapide esset jaspis, deinde ei impositus sapphirus, huic chalcedonius, et ita deinceps. Hoc enim videntur exigere verba v. 19. cum ait : *Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata fundamentum primum jaspis, secundum sapphirus, tertium chalcedonius,* etc. Nota τὸ *omni*, q. d. Fundamenta civitatis undequaque non habent unum lapidem pretiosum, sed singula, omnes puta duodecim.

Rursum censet Alcazar hæc fundamenta non tantum fuisse muri, sed et totius civitatis. Tota

enim civitas in vivo lapide erat ædificata : quocirca vivi hi lapides et gemmæ muri pervadebant totam civitatem, uti fit in vivo lapide, qui totum montis cacumen occupat. Verum hoc incertum est, præsertim quia Joannes civitatem à muro distinguit, dicens : *Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide ; ipsa vero civitas aurum mundum simile vitro mundo.*

Jam certum est apud omnes hæc duodecim fundamenta significare duodecim Apostolos : ipsorum enim humeris, quasi innixus Ecclesiæ murus recumbit. Ideo enim eorum nomina fundamentis inscripta sunt, ut significetur ipsos esse fundamenta et fundatores (hæc enim duo eòdem recidunt) Ecclesiæ.

Præclare S. August. in illud Psal. 86. *Fundamenta ejus* (Sionis, id est, Ecclesiæ) *in montibus sanctis. Quare*, ait, *sunt fundamenta Apostoli et Prophetæ? quia eorum auctoritas portat infirmitatem nostram. Quare sunt portæ? quia per ipsos intramus ad regnum Dei. Prædicant enim nobis. Et cum per ipsos intramus, per Christum intramus : ipse enim est Janua. Et cum dicuntur duodecim portæ Jerusalem, et una porta Christus, et duodecim portæ Christus ; quia in duodecim portis Christus.*

Porro quis sit ordo Apostolorum, et quæ gemma cuique Apostolo assignanda sit, obscurum et dubium est : probabile est quod censet Ribera, servandum esse ordinem Apostolorum illum, quo eos ponit et recenset S. Matthæus cap. 10. 2. Hic enim inter Evangelistas exactissimus est Historicus, et ordinis ac temporis custos. Unde sic eos ordine inchoat et recenset : *Duodecim*, inquit, *Apostolorum nomina sunt hæc : Primus, Simon, qui dicitur Petrus, et Andreas frater ejus : Jacobus Zebedæi, et Joannes frater ejus : Philippus, et Bartholomæus : Thomas, et Matthæus publicanus : Jacobus Alphæi, et Thaddæus : Simon Chananæus, et Judas Iscariotes*, qui fuit proditor ; unde in ejus locum suffectus est Matthias. Eodem ergo ordine videtur S. Joannes hîc eis fundamenta et gemmas assignare : nisi quod in combinatione S. Matthæi, commutandus sit ordo Thomæ et Matthæi ; præponendus est enim Matthæus Thomæ, uti alii Evangelistæ præponunt : quia ipse humilitatis causa se Thomæ postposuit, ait S. Hieronym. Jam gemmæ hæ singulæ notant singulas virtutes et dotes quibus singuli Apostoli præ cæteris eduxerunt.

Non placet hoc Alcazaro, tum quia iisdem virtutibus eluxerunt plures, imo omnes Apostoli ; tum quia ordo Apostolorum incertus est : in eo enim variant Evangelistæ, isque quater ab eis, et semper aliter et aliter recensetur. Quocirca censet ipse in his 12 fundamentis et gemmis plane respici ad duodecim articulos fidei, quibus constat Symbolum quod Apostoli condiderunt, et tradiderunt Ecclesiæ. Notus enim est et certus duodenarius hic articulorum Symboli numerus : notum pariter et certum est esse duodenarium, ex eo quod duodenarius fuerit Apostolorum, qui illud composuerunt, numerus. Hi enim 12 articuli sunt summa fidei Christianæ, ideoque sunt 12 fundamenta Ecclesiæ tam militantis, quàm triumphantis. Quapropter, inquit ipse, asserendum censeo Apostolos ideo Ecclesiæ fundatores dici, quia admirabilem illam fidei summam ediderunt, et effusi cruoris testimonio, nec non prædicatione atque miraculis in hominum animis inseverunt ; atque idcirco tribuitur Apostolis duodecim gemmarum symbolum : quia gemmæ ejusmodi symbolice figurant veritates duodecim Symboli ab ipsis compositi. Hæc videtur esse sententia S. August. qui lib. 3. de Symbolo ad Catechum. tom. 9. *Noveritis*, ait, *Symbolum hoc esse fundamentum, super quod ædificium surrexit Ecclesiæ ;* atque idem est dicere *harum veritatum fidem esse fundamenta*, uti loquitur S. Clemens epist. 1. ad Jacobum fratrem Domini. Huc spectat illud Ruffini libro de Symbolo, ea quæ continentur Symbolo esse monumenta fidei, ex lapidibus vivis, et margaritis Dominicis ab Apostolis ædificata. Adhæc Concilium Trident. sess. 3. in Decreto de Symbolo, Apostolicum Symbolum vocat firmum atque unicum fundamentum, contra quod portæ inferi non prævalebunt. Idem dicunt alia Concilia et Patres. Denique S. Hieron. in Psal. 86. *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, affirmat fundamenta esse SS. Trinitatis mysteria, quæ toto Symbolo explicantur. Atque tale fundamentum à Paulo fuisse jactum, de quo ait 1. Corinth 3. v. 10. *Ut sapiens architectus fundamentum posui :* Apostolos item vocari fundamenta, quia hanc ipsam fidem disseminarunt ; ita S. Hieronymus.

Porro parum referre videtur, nosse quænam sententiæ et articuli à quo Apostolo sint compositi ; licet enim omnes pariter Apostoli ad cujuslibet articuli compositionem et ordinationem confluxissent, nihilominus quia ipsi erant duodecim, hinc congrue totidem sententiæ et articuli eorum Symbolo, puta singulis singuli, attribuuntur. Porro omnes Apostoli omnes Symboli sententias probarunt, et in Symbolum redegerunt. Quocirca cujusvis articuli auctoritas eadem est, quæ totius collegii Apostolici. Hoc enim totum probavit, ordinavit, composuit, et conflavit Symbolum illud, sive quisque suum articulum edixerit, sive omnes articuli ab omnibus simul, vel à variis promiscue fuerint dicti et compositi. Hoc enim parum ad propositum facit.

Hæc sententia gravis est et solida certoque nititur fundamento ; Riberæ tamen explicatio non est rejicienda, quia diserte Apostolis singulis, non autem articulis fidei hos lapides assignat Joannes, æque ac Moses in Rationali singulis Patriarchis singulas gemmas assignavit. Exodi 28. v. 17. quo hic alludit Joannes.

Quare utraque sententia ut probabilis et vera admitti potest : una enim alteri conjuncta et subordinata est, una alteram explet et perficit : duodecim enim gemmæ et fundamenta significant duodecim Apostolos, quia ipsi 12 fidei articulos Ecclesiæ, quasi fundamenta tradiderunt.

15. Et habebat mensuram arundineam,] id est, mensuram quæ arundo, sive calamus dicitur : græce enim est καλαμος, continetque sex cubitos et palmum, ut patet Ezechiel 40. 5. Calamo ergo hoc mensus est Angelus cœlestem Jerusalem : unde aureus est, et gloriæ mensuram significat. Putat Alcazar cubitum non esse quartam humanæ staturæ partem, sed sextam, ac proinde calamum tantum esse quanta est hominis longitudo, quæ tempore Ezechielis et prisco major erat quam jam sit, et habet se ad modernam sicut quinque ad quatuor. Verum hoc est præter communem opinionem, quæ cu-

bitum accipit à flexu brachii ad extremum digiti longissimi, ut sit quarta hominis staturæ pars, non autem à flexu brachii ad manum tantum, qua ratione cubitus est sexta hominis staturæ pars, qua de re dixi cap. 11. 1.

Et portas ejus.] Ergo et has calamo mensus est Angelus, etsi id non exprimit Joannes. Sed cur id tacet? Respondet Alcazar, quia portæ cœlestis Jerusalem sunt angustæ, juxta illud Matthæi 7. 13. *Intrate per angustam portam.* Et: *Quàm angusta porta, et arcta via est quæ ducit ad vitam.* Tacet ergo has augustias, quia hæ non faciunt ad magnitudinem urbis, quam hîc depingere intendit Joannes. Porro licet portæ angustæ sint, sunt tamen pretiosæ et miri decoris, nec ita angustæ, quin homo cum suis gemmis et opibus per illas ingredi possit; curribus enim, equis et brutis per illas in cœlum non est aditus.

16. Et civitas in quadro posita est.] Græce τετράγωνος ἐστι, id est, quadrangula est (unde Arabicus vertit: *Et civitas habebit quatuor angulos*), sive sit omnibus partibus æqualis, ideoque quadratum geometricum; sive altera parte major, puta longior quam latior, quale proprie quandrangulum vocant Geometræ. Verum hoc quadrum fuisse quadratum, ut vertit Syrus, non quadrangulum, liquet ex eo quod subdit: *Longitudo ejus tanta est, quanta et latitudo.* Vitruvius lib. 1. c. 5. non probat quadratam figuram in urbibus, eo quod procurrentibus angulis hostes sese occultare possint. Sed urbs hæc cœlestis nullos timet hostes.

Alludit ad civitatem Jerusalem ab Ezechiele descriptam c. 48. 16. quæ ad omnes mundi plagas æquilatera erat, et quadrata, sed illa habebat suburbia continentia utrimque calamos 250, cum suburbiis careat hæc civitas Joannis. Rursum longitudo (æque ac latitudo, utpote longitudini par) civitatis Ezechielis continet calamos 4500; adde calamos suburbiorum, habebis calamos universim 5000, id est, novem milliaria Italica. Calamus enim continet novem pedes; quinque autem pedes faciunt passum: milliare vero continet passus mille. Verum Joannis urbs longa est stadia duodecim millia, id est, milliaria mille quingenta; ergo 1491 milliaribus superat civitatem Ezechielis. Ait ergo de cœlesti Jerusalem τετράγωνος ἐστι, id est, quadrangula est, non rotunda, non pentagona, non alterius figuræ.

Aliqui ex hoc loco opinati sunt cœlum empyreum non esse rotundum, sed quadrangulum, saltem quoad superficiem ejus convexam, sive extimam; ita S. Chrysost. et Theoph. in Hebr. 8. 2. Ludovicus Molina tractat. de Opere sex dierum disp. 3. ubi et citat Athanasium ac Basilium, Conimbricenses l. 2. de cœlo c. 5. q. 1. a. 2. Quin et S. Clemens l. 7. Consist. Apostolic. c. 36. ait: *Cœlum factum est in modum cameræ, instar quadrati lapidis stabile.* Idem docet anonymus Græcus Auctor libri qui inscribitur *Christianorum liber, expositio octateuchi*, scriptusque est sub Justino Imperat. et exstat in Bibliotheca Vaticana, eumque citat Photius. Porro auctor hic idipsum probat iterum ex Psal. 103. v. 3. pro eo enim quod nos ibidem legimus: *Extendens cœlum sicut pellem*, Septuag. vertunt, *sicut cameram.* Sed hoc argumentum non urget. Camera enim non significat hîc cubiculum, quod quadratum esse solet; sed fornicem, quæ rotunda esse solet, vulgoque dicitur concameratio: Latini enim, æque ac Græci, fornicem vocant cameram. Addunt et rationem, sive congruentiam, quod figura quadrata quieti et habitationi sit magis accommodata.

Verum melius magisque genuine hoc quadrum, uti et alia hîc, symbolice accipias. Qui enim hæc civitas à singulis quatuor partibus, sive plagis, dicitur habere tres portas, hinc ad majorem firmitatem et ornatum quadrata describitur. Urbes enim quadratæ, primo, commodiores; secundo, pulchriores et perfectiores sunt: hinc omnem perfecta architecturam videmus in quadrum conformatam; tertio fortiores sunt: bini enim singuli anguli è quatuor, sibi utrimque oppositi respondent, seque mutuo tueri, et hostem validius ex utroque simul propulsare possunt. Hi ergo anguli non dant latebras hosti, uti censuit Vitruvius, sed cum civibus tum in eodem, tum in adverso angulo consistentibus feriendum exponunt.

Mystice, hoc quadratum significat civitatem hanc, utpote cuilibet plagæ obversam, et patentem per tres portas, tam patere Occidentalibus quam Orientalibus, tam Australibus quam Aquilonaribus. Rursum, eam regi et beari quaternis Dei attributis, scilicet sapientia, bonitate, justitia et potentia. Caret suburbiis, id est, imperfectis: omnia enim in ea perfecta et conspicua, imo gloriosa sunt.

Tropologice, Haymo, Ansbertus et Pannonius: *Ecclesia*, inquiunt, *in quadro posita esse memoratur, quia est robusta per fidem, longanimis per spem, ampla per charitatem, efficax per operationem. Habent etiam singuli fidelium fidem, qua credunt, quæ videre non possunt: Deum scilicet trinum in personis, et unum in majestate. Habent et spem, quia sperant se posse pertingere ad illud, quod necdum vident. Habent quoque charitatem, id est, Dei et proximi dilectionem. Quibus virtutibus, ut perfecta sit vita illorum, adjungitur operatio, sine qua fides mortua est. Unde Jacobus Apostolus* epist. c. 2. ait: *Fides sine operibus mortua est. Rursum per quatuor latera civitatis possumus intelligere quatuor virtutes principales, prudentiam, temperantiam, fortitudinem atque justitiam. Quæ ita debent esse in electis, ut una alteri quadret, prudentia quippe scientia est in appetendis bonis, et vitandis malis; cui connectitur temperantia: quia non est perfecta prudentia, nisi adsit et temperantia, quatenus temperet sibi à noxiis hujus sæculi voluptatibus. Quod dum fecerit, magna animi fortitudine utatur oportet, qua venerem depellat, temperantiæ virtute fortiter resistens. Ad hæc justitia accedat oportet, ne plus quam oportet sapiat, sapiat autem ad sobrietatem. Sic ergo civitas in quadro posita esse memoratur, quæ placet Deo in quatuor mundi partibus congregata, consentiens fide, spe, charitate et operationibus, quæ mutuo sese in quolibet fideli complectuntur:* estque quasi monotessaron, et pretiosis quatuor virtutibus æquabili mensura, pulchra harmonia, et velut musico concentu compositis.

Longitudo ejus tanta est quanta et latitudo,] q. d. non tantum est quandrangula, sed et quadrata, sive æquilatera. Longitudo symbolice significat visionem, contemplationem, et ascensionem intellectus in Deum: latitudo denotat charitatem: quia, quantum Beati vident Deum, tantum et diligunt; ita Gagneius. Secundo et aptius: longitudo est æternitas, latitudo

est extensio gaudiorum, id est, objectorum de quibus gaudent, uti mox patebit; ita Ribera.

ET MENSUS EST CIVITATEM DE ARUNDINE (id est, cum arundine, per arundinem: est hebraismus, בְּ *min* ponitur pro בְּ) AUREA PER STADIA DUODECIM MILLIA.] *Civitatem* intellige totam, puta totum ejus ambitum et quadratum: eo enim dimenso, censetur tota civitas dimensa. Alludit S. Joannes ad urbis Hierosolymæ ambitum: hic enim complectebatur quinquaginta stadia quæ, si in quatuor partes et latera dividas, habebis pro quolibet latere duodecim stadia cum dimidio. Hunc numerum Joannes per mille multiplicavit; ait enim quodlibet civitatis hujus cœlestis latus continere duodecim millia stadia, ut ostenderet Ecclesiam Christi, præsertim triumphantem, longe superare veterem Jerusalem. Ita ex Josepho et Hecatæo Vilalpando in Apparatu urbis et templi part. 1. lib. 2. c. 20. Cum ergo civitas hæc duodecim in suî ambitu haberet portas, sequitur ab una porta usque ad aliam fuisse spatium mille stadiorum: ita enim ex spatio duodecim portarum conflabis duodecim millia stadiorum ambitus urbis. Est hic ambitus ingens, ut designet ingentem cœlestis Jerusalem capacitatem, quæ capiet tot milliones hominum; quot conflabuntur ex omnibus electis, qui quovis sæculo ab Adam usque ad finem mundi fuerunt, sunt vel erunt in qualibet orbis plaga. Octo stadia faciunt milliare Italicum: ambitus ergo civitatis continens duodecim millia stadiorum, continet 1500 milliaria Italica. Jam cum quadrata et æquilatera sit hæc civitas, sequitur quodlibet ejus latus tam longitudinis, quam latitudinis, habuisse quartam hujus numeri et horum milliarium 1500 partem, nimirum 375. Ergo hæc civitas longa erat 375 milliaria Italica, et totidem lata. Est itaque tam longa, quàm longum est iter et distantia Neapoli Mediolanum circiter: par est ejus latitudo. Immanis est hæc civitas, quæ tot provinciarum spatium ambitu suo complectitur. Quocirca qui hæc ad litteram, uti sonant accipiunt, dicunt tantum prorsus esse spatium civitatis, sive loci Beatorum, quem ipsi inter se per varias stationes distributi occupant in cœlo empyreo (nec enim totum empyreum occupare possunt; essent enim inter se nimis disjuncti. Illud enim vastissimum est, et terræ totius globum, non millies, nec centies millies, sed plus quam decies centies millies continet, ut colligere est ex iis quæ docui de cœlorum magnitudine, et terræ parvitate, Genes. 1. v. 7.) Sicut ergo ex c. 14. 20. censent inferni capacitatem quaquaversum extendi ad 1600 stadia, id est, ad milliaria Italica ducenta; ita pariter docent locum Beatorum in cœlo empyreo extendi quaquaversum ad 375 milliaria Italica. Longe ergo major est locus Beatorum loco damnatorum, præsertim cum Beati sint pauci, damnati plurimi.

Auget hoc spatium in quadruplum Alcazar. Censet enim ipse Angelum hîc metiri civitatem, id est, civitatis longitudinem tantum. Civitas enim, inquit ipse, mensurari dicitur, cum ejus longitudo ab una porta ad aliam oppositam mensuratur. Ergo longitudo hujus civitatis est duodecim mille stadiorum integrorum, id est, 1500 milliarium Italicorum. Eadem est ejus latitudo. Tam ergo longa est hæc civitas, quàm longa est via et distantia ab urbe Hispali usque Neapolim. Beati enim in cœlo vim visivam habent acutissimam, ut ea quæ hoc spatio fiunt, tam commode et clare videant, quam nos videmus ea quæ in uno cubiculo fiunt. Hoc est quod ait Baruc c. 3. 24. *O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus!*

Verum passim Interpretes hæc duodecim stadiorum millia uti et alia hîc, mystice accipiunt, ut designent ingentem capacitatem hujus civitatis, adæquatam mensuræ et numero 12 Apostolorum, qui ejus sunt quasi fundatores et parentes. Nam et cætera de pavimento aureo, de fundamentis gemmeis, etc., mystice accipienda videntur. Hæc civitatis capacitas significat ingentem, et quasi innumeram fore Beatorum multitudinem, uti ait Joannes Apocal. 7. 9. Quocirca Alcazar: Ad urbem, inquit, tantæ magnitudinis, quanta hîc describitur cœlestis Jerusalem, incolendam, requiri videtur major civium multitudo, quàm quæ occupare possit vicies centena millia urbium, Hispalin magnitudine adæquantium. Innumeri enim parvuli, etiam inter hæreticos et schismaticos, salvantur: atque ex adultis plures quàm multi opinantur. Curat enim Christus, qui suum sanguinem pro animabus fudit, ut illæ, quas tantopere amat, salventur, ne sanguis pro eis incassum sit effusus. Quocirca, si mundus staret per sex millia annorum, ut multi opinati sunt (licet plura fore opinetur Alcazar) quibuslibet mille annis tot salvarentur, quot incolere possent trecenta triginta tria millia urbium Hispalin adæquantium: quolibet vero anno salvarentur tot, quot possent incolere trecentas triginta tres urbes Hispalin ædæquantes; quolibet vero die pene tot (annus enim pene totidem, scilicet paulo plures, continet dies, nimirum 365) salvarentur, quot incolere possent Hispalin: incolere dico, non tantum quoad ædes, sed etiam quoad prædia, hortos et viridaria, quæ utilitati æque ac oblectationi incolarum serviunt; ob utramque enim causam cives, præsertim divites, præter ædes solent habere suos hortos et prædia. Ingens enim Catholicorum toto orbe numerus, per mille sexcentos annos semper fuit, et erit usque ad finem mundi. Catholicorum autem longe major pars salvatur, tum quia plerique peneque omnes morituri suscipiunt Sacramenta, quæ ex attrito faciunt contritum: atque isto articulo peccatores deserunt concubinas, aliasque peccati illecebras ex timore gehennæ, et ad beatam vitam toto animo se comparant. Tum quia tertia, vel quarta pars hominum moritur in infantia, vel innocentia baptismali. Plurimi enim moriuntur pueri, imo plusquam media pars hominum moritur ante annum ætatis vigesimum: plures enim videmus ante deficere quàm superare annos viginti. Tum quia plerique educantur bene in fide et timore Dei à parentibus, vel præceptoribus: illa autem prima semina pueris impressa, hærent in eis per omnem vitam. Nam *quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu.* Ab educatione ergo, et à consortio, pendet vita et salus, vel damnatio cujusque, sicut ostium pendet à cardine. Adolescentes enim in bivio versantur, eoque lubrico. Si in socios, famulos, amicos incidant perversos, pervertuntur et ipsi: si in probos, probi fiunt et ipsi. Quocirca parentes, et principes, ac Prælati maxime advigilare debent circa juventutis institutionem et educationem. Vidit hoc S. P. N. Ignatius, qui in Societate gymnasia

omnium classium et facultatum, ac extra eam scholas puerorum ac puellarum passim institui curavit magno Reipubl. et animarum bono, ut jam longe plures salventur quàm ante. Ita unus vir cœlitum numerum valde adauxit, cœloque cives dedit permultos, qui alioqui cives gehennæ evasissent. Taceo ingentem Religiosorum et Virginum multitudinem, quæ in monasteriis et collegiis vitam agit sanctam, imo cœlestem, idque quovis sæculo, et ubivis terrarum. Taceo Sacerdotum, Prælatorum et Clericorum pie viventium cœtus plurimos. Taceo Martyrum et Anachoretarum examina. Taceo Confessorum, viduarum, conjugum proborum turbam innumeram (quam vidit S. Joannes Apocal. 7. v. 9.) Qui è Christianis damnantur, vel caruerunt instructione, et ob ignorantiam rerum credendarum vel agendarum pereunt : vel usuris, simonia, injustis contractibus, fraudibus, etc., se suosque ditarunt, nec in morte ea volunt restituere, ne proles depauperent : vel odio et vindicta pertinaci laborant : vel in bello, rixa, aliove casu occiduntur, etc. Sed hi cæterorum comparatione pauci sunt. Scio S. Chrysost. homil. 40. ad pop. Antiochen. contrarium sentire. Ait enim : *Quot enim esse putatis in civitate nostra, qui salvi fiant? infestum quidem est quod dicam ; dicam tamen : Non possunt in tot millibus centum inveniri, qui salventur ; quin et de his dubito. Quanta enim in juvenibus, quæso, malitia? quantus in senibus torpor?*

Rursum, nomen stadii, inquit Haymo, indicat cursum et certamen ; quibus opus est currere et certare quotidie, ut in illam civitatem penetremus. Unde Paulus 1. Corint. 9. v. 24. *Nescitis*, inquit, *quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium?*

Longitudo, et altitudo, et latitudo ejus æqualia sunt.] *Æqualia*, id est æquabilia sunt, inquit Alcazar ; nam alioqui, si altitudo esset duodecim millium stadiorum, æque ac longitudo et latitudo, vix tota civitatis area fundamentis et basi, quæ ad turres tantæ altitudinis sustinendas requiritur, sufficeret. Adde altitudinem muri mox dici tantum esse 144 cubitorum, quæ sane exilis esset et improportionata, si altitudo domorum esset duodecim millium stadiorum. Itaque non comparatur hîc altitudo cum longitudine et latitudine, sed quælibet ex his mensuris in se considerata, dicitur esse recta et æqualis : secus est in plerisque urbibus, quæ quia in solo inæquali ædificantur, in æquales, id est inæquabiles, sunt, ut hîc assurgant, ibi deprimantur et descendant. Porro hæc murorum et domorum æquabilitas significat concordiam et societatem Beatorum, eorumque maximam familiaritatem et admirabilem proportionem. Hæc sententia est plana et probabilis : licet Græcum ισα, magis significet æqualia, quàm æquabilia.

Secundo, Rupertus censet hæc de muro urbis, non de urbe, ejusque domibus dici. Verum Græcum αυτης, id est *ejus*, urbem refert, non murum. Adde, de muro mox subdit, quod habeat 144 cubitos altitudinis : in longitudine enim et latitudine habet tria millia stadia ; totidem enim sunt in singulis quatuor lateribus, quæ faciunt longitudinem et latitudinem. Nam universim in omnibus lateribus simul, sunt duodecim millia stadia.

Tertio ergo, Ribera et Viegas censent longitudinem, altitudinem et latitudinem urbis proprie esse æqualia, scilicet singula habere tria millia stadiorum, id est 375 milliaria Italica ; hæc enim est quarta pars quadrati, sive ambitus totius civitatis, qui continebat duodecim millia stadiorum. Mirum hoc videtur : sed cœlestis est hæc civitas, et symbolica. Adde, forte in altitudine hac urbis comprehendit Joannes altitudinem montis, in quo sita erat urbs.

Symbolice, Petrus Bongus, libro de Numer. mysteriis, docet tribus millibus in S. Scriptura significari perfectionem virtutis et fortitudinis. Tres enim sunt castitatis, et Sanctorum gradus, scilicet conjuges, continentes, virgines qui ad sacræ et immensæ Trinitatis consortium et fruitionem ascendunt. Aut certe hæc non de urbe, sed de singulis domibus intelligit (altitudo enim civitatis consistit in altitudine domorum et turrium. Nam de muris et mœnibus mox aget.) q. d. Singulæ hujus urbis domus erant æque altæ, longæ et latæ. Hoc enim miram proportionem et pulchritudinem urbi afferre solet, uti videre est Antverpiæ.

Hoc quoad fundamentum et veritatem parabolæ. Jam quoad significationem et sensum, longitudo significat æternitatem gaudiorum cœlestium, latitudo eorumdem extensionem ad omnia delectabilia, altitudo tum sublimitatem, tum intensionem eorumdem. Hæc æqualia sunt : quia æquo tenore semper, puta in æternum, durant.

Nota : Sub altitudine complectitur etiam profunditatem, quam addit S. Paulus Ephes. 3. 18. Altitudo ergo qua altitudo significat sublimitatem felicitatis et visionis beatificæ : qua vero altitudo profunditatem complectitur, significat intentionem, et immersionem Sanctorum in abyssum divinorum bonorum, puta sapientiæ, beatitudinis et gaudiorum cœlestium. Sic fere et Viegas : Longitudo, inquit, est æternitas, de qua Psalm. 92. 5. *Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum.* Huic æqualis est altitudo, id est visio beatifica, qua quasi profunditas et altitudo divinæ sapientiæ penetratur. Æqualis etiam est latitudo, id est fruitio, quæ cum summa delectatione conjuncta est, per quam capacitas animæ propter magnitudinem gaudii quasi dilatatur. Æqualis ergo est longitudo, latitudo et altitudo : quia omnia hæc longitudinem æternitatis adæquabunt. Alludit. S. Joannes ad Ephes. 3. 18. *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas et profundum.* Addit Alcazar Angelum hunc, qui hæc Joanni ostendit et dimetitur, esse S. Paulum. Verum hoc refutavi c. 17. v. 1.

Tropol. Haymo, Ansbertus et Panon. *Tanta longitudo quanta et latitudo : quia quanta est fides, tanta est spes, tanta charitas, tanta operatio. Quantum enim credimus, tantum amamus : et quantum amamus, tantum speramus : et quantum speramus, tantum per dilectionem erga Deum et proximum extendimur. Similiter unusquisque, tantum prudens, quantum temperans, fortis et justus : tantum temperans, quantum prudens, fortis et justus : tantum fortis, quantum prudens, temperans et justus ; tantum justus, quantum prudens, temperans et fortis erit. Et quia æquali mensura, civitas hæc donec in terris agit, meritorum quaquaversum stat firma et stabilis ; æquali mensura et præmia gloriæ, quacumque orbis in parte ea prædictis virtutibus meruerit,*

recipiet. Eodem modo in Ezechiele quoque templum situatum describitur : quatenus insinuetur, quia, sicut quadrata firmitas stabilis est, ut nequaquam ventorum impulsibus, aut incursibus fluminum evertatur, sic gloria civitatis hujus è supernis descendentis perennis sit.

17. Et mensus est murum ejus centum quadraginta quatuor cubitorum mensura hominis quæ est Angeli.] *Mensus est*, scilicet murum quoad altitudinem. Nam in longitudine, æque ac in latitudine, habuisse illum tria millia stadiorum patet ex dictis v. 16. Ibi enim dixit totum muri et urbis ambitum continere duodecim millia stadiorum, ac insuper civitatem esse quadratam, habentem quatuor latera æqualia. Ex his enim duobus sequitur quodque civitatis latus, tam longitudinis, quàm latitudinis, habere tria millia stadiorum. Ita Babylonis muri in altitudine habebant ducentos cubitos, uti scribunt Historici.

Nota : Per murum ambientem urbem symbolice significatur divina protectio, quæ gloriam Beatorum in omnem æternitatem tuebitur, de qua ait Isaias c. 60. 18. *Occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio.* Murus ergo altus est 144 cubitos, id est, undequaque altissimus et firmissimus est. Duodenarius enim significat universitatem et perfectionem, maxime si sit quadratus, id est si in seipsum ducatur et multiplicetur, ut hîc fit : duodecies enim duodecim faciunt 144. Ita Arctas.

Alii per murum accipiunt Angelorum custodiam ; alii Apostolos, Doctores, Prælatos ; alii Martyres; S. Gregorius accipit Christum ipsum ; Rupertus asserit Eucharistiam esse murum Ecclesiæ : ad quem accedit Alcazar, qui per eum accipit sacerdotes Ecclesiæ. Hi enim sacrificium Eucharistiæ offerunt, suntque 24 seniores de quibus cap. 4. Unde adæquantur hîc numero 144, quia singuli 24 seniores senos habent cubitos staturæ humanæ (de ea enim mox subditur : *Mensura hominis, quæ est Angeli*) jam multiplica sex per 24, habebis 144. Significatur ergo sacerdotum munus esse, ut se murum pro Ecclesia opponant, ideoque congrue tribuuntur muro 24 humanæ staturæ dimensiones, quasi sacerdotes omnes conjuncti inter se sint ad offerendum Ecclesiæ sacrificium, et ad Ecclesiam ea ratione communiendam. Hucusque Alcazar. Verum hæc partim mystica et tropologica, partim minus probabilia et vera sunt : cubitus enim ex communi sententia, est quarta pars staturæ humanæ, non sexta.

Mensura hominis, quæ est Angeli.] q. d. Angelus usus est mensura tali, quali communiter uti solent homines, sive hi 144 cubiti dimensi sunt humana mensura, quam Angelus in manu habebat, idque ne putemus aliam spiritalem, vel Angelicam hîc intelligi mensuram ; ita Ribera, et Gabriel Vasquez 1. part q. 129. c. 1. *Mensura*, ait, *hominis quæ est Angeli* : q. d. Licet hæc mensura videretur esse hominis, revera tamen erat Angeli, qui sub specie hominis metientis civitatem, illam non mensura spirituali et intellectuali, sed humana, quæ est calamorum et cubitorum, dimensus est.

Addit Vilalpando in Apparatu urbis et templi tomo 3. part. 2. de Hebr. mensuris lib. 3. c. 15. hanc mensuram cubiti vocari hominis, eo quod ex hominis cubito desumpta primum fuerit. Cum vero addit : *Quæ est Angeli*, eumdem cubitum humanæ illi figuræ, quam gerebat Angelus, convenire indicat. q. d. Cubito metiebatur Angelus sub humana specie mensurans, qui proprio ejus cubito æqualis erat : in quo homines priores imitabatur, qui ad mensurandas rerum longitudines, cubiti proprii longitudinem pro mensura delegerunt. Unde Arabicus vertit : *Statura hominis, qui est longitudinis Angeli*, qui est tam longus quàm erat hic Angelus. Hac mensura hominis quæ est Angeli, significatur primo, homines sanctos in cœlo ad mensuram gloriæ Angelorum pervenire. Succedunt enim in locum eorum qui inde prolapsi sunt, factique dæmones. Secundo eadem mensura metiendam esse tam hominis, quàm Angeli beatitudinem et coronam, puta pro magnitudine gratiæ et bonorum actuum, tam homini, quàm Angelo dandam esse majorem vel minorem gloriam.

Addit tertio, Haymo, tot homines gloriam consecuturos, quot Angeli ceciderint : itaque quoad numerum eamdem esse Angeli et hominis, id est Angelorum et hominum, mensuram. Una enim civitas, una felicitas, una Ecclesia, ac consequenter una ejus mensura utrosque capit.

Aliter Alcazar; sic enim explicat, q. d. Usus est Angelus calamo, qui est sex cubitorum quæ est mensuræ staturæ hominis. Quisque enim homo longus est sex cubitos suos, sumendo cubitum à flexu brachii usque adinitium manus. Addit hanc esse mensuram primi hominis Adæ, et priscorum ; quæ major fuit moderna, et ad eam se habet ut quinque ad quatuor. Verum communis sententia est, cubitum esse quartam partem staturæ hominis, non sextam, uti jam dixi. Vide dicta c. 11. v. 1.

18. Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide.] Alludit ad Isaiæ 54. v. 12. *Ponam jaspidem propugnacula tua.* Jaspis firmissimus est, virens et pellucidus, ut docet Plinius lib. 37. c. 8. Hinc significat, primo, Dei fortitudinem, quæ cœlestem Jerusalem tuetur, protegit et firmat ; secundo, ejusdem delicias, amœnitatem et recreationem; tertio, ejusdem claritatem. Adde quarto, creditum esse ab antiquis jaspidem fugare dæmones : hos enim Deus arcet à cœlo. Scriptura enim in symbolis sese accommodat subinde communi hominum sensui et opinioni, esto ea in re non subsistat, nec sit vera.

Ipsa vero civitas aurum mundum, simile vitro mundo.] Aliqui putant in cœlesti Jerusalem nullas esse domos : quia in ea omnia sunt communia et clara ; unde nec Joannes ullas hîc domos recenset. Verum contrarium docet hic locus : *civitas* enim non vocantur horti, aut Paradisi, sed domus civium ; hinc et Christus ait Joannis 14. v. 2. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Domus ergo hæ non sunt ut nostræ, lapideæ ad civium defensionem, secretas actiones, etc. sed vitreæ et pellucidæ, ad pulchritudinem, voluptatem, proportionem, et ad significandam etiam meritorum distinctionem.

Jam civitas hæc est ex auro, sed quod vitro sit simili : quia auro nostro nihil deest nisi vitri perspicuitas, uti vitro nihil deest nisi auri firmitas. Utrumque ergo habet cœlestis Jerusalem, scilicet aurum et vitrum. Ejus enim aurum perspicuum est ut vitrum : rursum, vitrum hoc solidum est et præstans ut aurum. Est ergo instar Chrysolithi, qui symbolum est perfectissimæ gloriæ Christi, à qua Beatorum gloria proma-

nat, de quo in septimo fundamento; ita Alcazar.

Quocirca S. Cæcilia apparitoribus flentibus, quod tam locuples et nobilis sapiensque puella alacris properaret ad mortem, respondit: *Hoc non est juventutem perdere, sed mutare; hoc est dare lutum, et accipere aurum: dare habituculum vile et parvum, et accipere palatium amplissimum ex lapidibus pretiosis et auro constructum: dare angulum brevem et obscurum, et accipere forum lucidum margaritis cœlestibus coruscans: dare rem perituram, et accipere rem quæ finem nescit, et mortem ignorat: dare lapidem vilem qui pedibus conculcatur, et accipere lapidem pretiosum qui in diademate regio vibranti resplendet aspectu;* ita habent ejus Acta.

Jam *civitas aurum est*, id est aurea est. Hebræi enim זהב *zahab*, id est aurum, vocant aureum: nec enim habent concretum auri. Civitas ergo aurum est, quia radiat pretiosissimis opibus: aurum, inquam, non opacum, sed simile vitro; quia tota pellucet cognitione et contemplatione tum Dei, tum aliorum Sanctorum et Angelorum, tum rerum omnium. Græca quædam habent, ὁμοιος, id est similis vitro, scilicet erat civitas; ita Vatablus sed eòdem redit sensus.

Rursum, per vitrum significatur tum claritas, tum puritas cordis Beatorum, quæ cuique alteri beato patebit. Quidquid enim cogitabit aut volet unus, id protinus videbit alter, ita ut Beati sibi invicem futuri sint quasi quædam specula vitrea lucidissima. Nam, ut ait S. Greg. 18. Moral. 27. *Ibi uniuscujusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus: patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia, sicque unusquisque tunc erit conspicabilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicabilis sibi.* Sic Philosophus ille optabat ut in hoc mundo corda hominum essent vitrea, ut fundus eorum perspici posset, ne qui in illo doli vel fraudes residerent, et celarentur. Eadem de causa Momus apud Lucianum in Hermotimo, reprehendit Vulcanum, quod homini non dederit pectus fenestratum, id est perspicuum.

Simile quiddam in natura videmus, quæ producit genus quoddam marmoris flavi (quod alias communiter durum est et opacum) quod transparet et pellucet, ut docet Plinius, et ex eo Anselm. Boetius lib. 2. de Lapidibus c. 280. Marmor hoc vocatur phengites, id est splendens, quod interdum venis flavescit, de quo dixi superius v. 11. Spectatur Romæ in templo S. Mariæ in porticu, ex hoc marmoris genere columna dimidiata ad summum altare, colore flavo, parietis rimam obstruens, ac externam lucem solisque radios, instar vitri splendentis intromittens. Equidem ut primum vidi miratus sum, crystallumque putavi, donec penitus introspiciens marmor esse perspexi, nimirum phengitem.

Denique vitrum notat virginitatem Beatorum, et nitorem omnis labis expertem. Vitrum enim ab hydrargyro intactum, est virgo à peccati noxa immunis. Nam, ut docet S. Isidor. lib. 16. 18. hydrargyros, id est argentum vivum, aurum, argentum, æs, aliaque metalla perforat, vitrum autem non lædit.

Est vitrum virgo, labes hydrargyros ævi.

Exstat hac de re doctum carmen Nicol. Causini lib. 11. Parab. Hist. cap. 63.

Talem, tam augustam, tam splendidam, tam pretiosam ex auro et argento, hanc civitatem cœlestem conspexit, eò post mortem raptus S. Salvius Episcopus. Unde jussu Dei rediens ad vitam, exclamavit: *Audite, ô dilectissimi, et intelligite, quia nihil est quod cernitis in hoc mundo, sed sunt juxta id quod Salomon Propheta cecinit, omnia vanitas. Felix est enim, qui ea agere potest in sæculo, ut gloriam Dei mereatur cernere in cœlo.* Cumque adstantes rogarent ubinam fuisset, quidnam vidisset, ait: *Cum me ante hos quatuor dies contremiscente cellula exanimem vidistis, apprehensus à duobus Angelis in cœlorum excelsa sublatus sum, ita ut non solum hoc squalidum sæculum, verum etiam solem ac lunam, nubes et sidera sub pedibus habere putarem; deinde per portam luce ista clariorem introductus sum in illud habitaculum, in quo omne pavimentum erat quasi aurum argentumque renitens, lux ineffabilis, amplitudo inenarrabilis: quam ita multitudo promiscui sexus obtexerat, ut longitudo ac latitudo catervæ prorsus pervideri non posset. Cumque nobis via inter comprimentes, ab his qui præcedebant Angelis pararetur, pervenimus ad locum quem jam de longinquo contemplabamur, in quo superpendebat nubes omni luce lucidior, in quo non sol, non luna, non astrum cerni poterat, sed super his omnibus naturali luce splendidius effulgebat.* Subdit deinde de loci sono, fragrantia, turba et voce: *Et vox procedebat de nube, tanquam vox aquarum multarum. Ibi etiam me peccatorem humiliter salutabant viri in veste sacerdotali ac sæculari, quos mihi qui præcedebant enarraverunt esse Martyres ac Confessores, quos hic summo excolimus famulatu. Stans igitur in loco, in quo jussus sum, operuit me odor nimiæ suavitatis, ita ut ab hac suavitate refectus, nullum adhuc cibum potumque desiderem. Et audivi vocem dicentem: Revertatur hic in sæculum, quoniam necessarius est Ecclesiis nostris. Vox enim audiebatur: nam qui loqueretur, penitus cerni non poterat. Et ego prostratus super pavimentum cum fletu dicebam: Heu, heu, Domine, cur mihi hæc ostendisti, si ab his frustrandus eram? Ecce hodie ejicis me à facie tua, ut revertar ad sæculum fragile, et huc ultra redire non valeam. Ne quæso, Domine, auferas misericordiam tuam à me; sed deprecor ut permittas me hic habitare, ne illuc decidens peream. Et ait vox quæ loquebatur mihi: Vade in pace, ego enim sum custos tuus, donec reducam te in hunc locum. Tunc relictus à comitibus meis, descendens cum fletu per portam qua ingressus fueram; huc sum regressus.* Quocirca factus Episcopus Albigensis, vitam egit cœlestem et Angelicam, atque suos omnes hortabatur orationi incumbere, ac vigiliis instanter insistere, et bona semper tam in operibus, quam in cognitione versare, dicens: *Hoc agite, ut si vos Deus de hoc mundo migrare voluerit, non in judicium, sed in requiem intrare possitis.* Hæc omnia B. Gregorius Turonens. qui illa se ab ejusdem S. Salvii ore accepisse juratus asseverat lib. 7. Histor. c. 1. ubi et felicem ejus ad Dominum transitum enarrat, qui contigit anno Domini 586 ejusque memoriam quotannis recolit Ecclesia in Martyrol. die 10 Septembris.

19. ET FUNDAMENTA MURI CIVITATIS OMNI LAPIDE PRETIOSO ORNATA,] quia licet singula fun-

damenta essent ex singulis gemmis, erant tamen vestita aliis undecim; ut significaretur Apostolos, licet una virtute excellerent, alias tamen aliorum eis non defuisse, inquit Ribera.

Verum simplicius videtur et concinnius, si dicamus singula fundamenta singulis duntaxat gemmis constituisse, ita ut omnia simul juncta essent *omni pretioso lapide* (id est, hisce duodecim pretiosissimis gemmis) *ornata;* nam non ait fundamentum, sed *fundamenta*, scilicet omnia collective sive copulatim sumpta. Unde id membratim explicans subdit: *Fundamentum primum jaspis, secundum sapphirus, tertium chalcedonius*, etc. q. d. Hæc fundamenta erant omni pretioso lapide ornata; quia primum fundamentum erat jaspis, secundum sapphirus, tertium chalcedonius, etc. Addit Alcazar, *ornata* idem esse quod pulchro ordine disposita. Græcum enim κοσμεω, non tantum significat ornare, sed et ordinare, distribuere, componere, præsertim ubi ex ipsa dispositione decor et pulchritudo consurgit, uti fit in fabricis. Itaque fundamenta dicuntur omni lapide pretioso ornata, quia visa sunt Joanni gemmarum sequentium ordine disposita admirabilem pulchritudinis speciem oculis subjicere. *Ornata* ergo, id est, iis omnibus gemmis quæ sequuntur, collucentia.

Nota : Cœlestis Jerusalem fundamenta, speciem et decorem S. Joannes describit per gemmas. Primo, quia in terra nihil gemmis est pulchrius aut præstantius. Sicut enim in cœlo emicant stellæ, sic in terra gemmæ, ut videantur esse stellæ terrestres, ac stellarum cœlestem lucem, levitatem et vim participare. Docent enim Physici gemmas ex peculiari cœli et stellarum influxu, in terræ visceribus gigni et formari.

Secundo, quia gemmæ apud antiquos erant hieroglyphica rerum cœlestium, ac divinarum.

Tertio, quia gemmæ in terris pretio, splendore, firmitate et energia cæteris rebus antestant. Unde Andreas Bacci tractat. de hisce 12 gemmis, docet gemmas dici quasi gummeas, quod instar gummi arborum sunt lucidæ et transparentes, æque ac parvæ, ideoque vocari lapillos pretiosos. Sunt enim quasi guttæ et stillæ cœli, instar crystalli.

Quarto, quia in cœlis videntur veræ fore gemmæ, non terrestres, sed cœlestes, et longe hisce nostris præstantiores. Id colligitur primo, ex Joanne hîc, qui eas se vidisse in cœlo asseverat, atque ex Tob. c. 13. 21. *Portæ Jerusalem ex sapphiro et smaragdo ædificabuntur : et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus. Ex lapide candido et mundo omnes plateæ ejus sternentur, et per vicos ejus alleluia cantabitur :* ad quæ verba hîc alludit S. Joannes; verba enim Scripturæ proprie ut sonant accipienda sunt, ait S. August. nisi quid absurdi ingerant.

Secundo, quia corpora et oculi Sanctorum suas habebunt opes, et objecta pulcherrima et præstantissima, quibus se pascant et oblectent. Oculi autem non sola luce pascuntur, sed et varietate colorum, ut virore vario camporum, arborum, florum, fructuum; item fluviis et fontibus pellucidis instar vitri, ac præsertim gemmis fulgentibus. Ergo in cœlis hæc eis non deerunt : alioqui feliciores fuissent in terra, quam erunt in cœlo.

Tertio, quia S. Agnes, teste S. Ambrosio, aliæque virgines beatæ apparuerunt vestitæ cycladibus aureis et gemmeis; vide eumdem serm. 90.

Denique in cœlis varias Beatorum fore mansiones, et palatia pulcherrima ex margaritis et gemmis constructa, item prata, nemora, hortos aliaque amœnissima, docet S. Anselm. lib. de Similit. c. 44. D. Soto, Ferdinandus Peres, quos citat et sequitur Barradius tomo 3. lib. 10. cap. 3. De qua re plura dicam cap. 22. v. 2. in fine.

Huc spectat illa Socratis apud Platonem in Phædone sub finem, narratio de duodecim pulcherrimis coloribus superioribus terræ, et quod nostræ gemmæ, ut jaspis, sapphiris, carbunculus, sint particulæ et ramenta quædam montium ac gemmarum terræ superioris. Videtur id Plato hausisse ex Mose, uti et alia : unde ipse vocatur Moses Atticus. Moses enim Exodi 28. 17. in Rationali posuit duodecim gemmas, quasi duodecim signa Zodiaci : Rationale enim cœli erat typus, ejusque speciem et figuram repræsentabat.

Fundamentum primum, jaspis.] Nota : primo ex S. Hieron. in 28. Ezech. alludit S. Joannes ad Exodi 28. 17. Ubi eædem sunt gemmæ et totidem, scilicet duodecim, infixæ Rationali Pontificis, quarum cuique inscriptum erat nomen unius Patriarchæ, qui caput et parens erat unius Tribus è duodecim. Rationale enim formam gerebat cœli : duodecim Patriarchæ allegorice repræsentabant duodecim Apostolos : Apostoli enim sunt Patriarchæ duodecim Tribuum, id est, omnium fidelium Sanctorum et Beatorum novi Testamenti. Duodecim ergo gemmæ, vel fundamenta gemmata sunt duodecim Apostoli, idque eo ordine quem assignat S. Matthæus c. 10. v. 2. uti ostendi v. 14.

Porro novem gemmæ hîc plane eædem sunt cum novem gemmis Rationalis, licet alio ordine ponantur hîc, alio in Rationali : sardonix enim, qui hîc ponitur, est species onychis, qui ponitur in Rationali. Tres vero reliquæ videntur diversæ. Nam pro chalcedonio hîc, in Rationali ponitur carbunculus; pro hyacintho ligurius, pro chrysopraso achates. De quibus in singulis dicendum erit, ostendendumque qua ratione conveniant.

Nota, secundo : In gemmis nonnullis valde discrepant novi scriptores, Nilus, Anastasius et alii ab antiquis, puta à Theophrasto, et à Plinio, quem sequitur Solinus, Isidorus et alii; sive quia nomina gemmarum quandoque variata et mutata sunt; sive quod gemmæ veteres nonnullæ interierint; et novæ earum species subnatæ, aut à gemmariis substitutæ sint, uti præstantes gemmarii, quibuscum Romæ egi, mihi fassi sunt, ipseque ego singulas eorum gemmas perlustrans, et manu oculisque pertractans, easque conferens cum illis quæ de iisdem scribit Plinius, reipsa deprehendi. Vidi enim sardium olim opacum, nunc esse pellucidum : topazium olim aureum et porraceum, nunc tantum esse aureum et fulvum : sapphirum olim cæruleum, aureis punctis collucentem, et opacum; nunc esse violaceum, sine punctis et pellucidum : beryllum olim viridem dilutum, nunc albicare ut vitrum, imo à gemmariis vocari vitrum; hyacinthum olim cæruleum et violaceum, nunc melleum, etc. Quocirca Ansel-

mus Boetius lib. de Gemmis cap. 30. *Plinii*, ait, *hyacinthus, hodie inter amethysti genera ponitur; quemadmodum amethystus veterum, nunc granati nomen obtinet. Ætas, ac gemmariorum imperitia gemmarum nomina ita confundit, ut vix aliquid certi hac in re statui possit.* Quare præstat hîc antiquos sequi, ut Theophrastum, qui paulo ante Septuaginta Interpretes vixit, et Plinium ac Solinum; tum quia hi S. Joanni fuerunt coævi, præsertim cum Plinius diligenter ac fuse toto l. 37. de singulis gemmis pertractet; unde plane ad eum respicere et se remittere videtur hîc S. Joannes : tum quia S. Hieron. auctor nostræ versionis Latinæ, fatetur se sequi Plinium, ejusque fidem et studium in hisce gemmis commendat. Id fuse et docte docet Alcazar hîc notatione sexta, qui et deinceps exacte et ample per 50 paginas de hisce 12 gemmis disserit.

Nota, tertio : Duodecim hæc fundamenta significant tum duodecim Apostolos, tum duodecim articulos Symboli ab eis compositi. Hi enim continent veritates fundamentales fidei, et Ecclesiæ tam triumphantis, quam militantis; unde et sunt duodecim, ut ipse numerus nos commoneaceret de Apostolorum duodecim auctoritate eis communicata, deque ipsius doctrinæ articulis hisce contentæ concordia et unitate. De duodecim Apostolis explicant Ribera, Viegas et alii : de duodecim articulis Symboli explicant Glossa et Alcazar; utramque expositionem afferam; utraque enim eòdem tendit.

Jaspis.] Pro *jaspis* Exodi 28. v. 18. hebr. est יהלום *iahalom*, quod Arias et Rabbinizantes vertunt adamantem : tum quia radix הלם *halam* significat ferire et frangere; adamas autem sit infractus, et malleos quibus tunditur, frangat : tum quia ישפה *jaspe*, hebraice videtur idem esse qui latine dicitur jaspis, esto Noster Exodi 28. v. 20. verterit beryllus. Verum Septuag. Noster, Josephus, Aquila et Theodotion, qui fuerunt doctissimi Hebræi ipsumque Rationale, ejusque gemmas viderunt, *iahalom*, vertunt jaspidem, eo quod maculas quasi plagas habeat, quibus quasi contusus, fractus et dissectus videtur. Porro *jaspe* Hebraicus alius est à jaspide Latino, ubi gemma quæ nunc à gemmariis vocatur topazius, alia est à topazio Latino Plinii et veterum. Sic *sus* hebraice significat equum, latine porcum.

Porro jaspis à Plinio, Epiphanio, S. Hieron. Isidoro, Dioscoride et aliis passim, traditur esse viridis; esto inveniantur et jaspides alii cærulei, alii candidi, alii rubri : optimus est viridis, cui alba linea transversa est, qui grammatias vocatur, unde de eo hîc est sermo.

Secundo, jaspis firmissimus est.

Tertio, creditum est jaspidem fugare phantasmata, et esse amuletum contra venena et veneficia; unde Dioscor. l. 5. c. 160. *Omnes jaspides amuleta esse traduntur;* et S. Hieron. in Isaiæ 54. Jaspis, inquit, est *smaragdi habens similitudinem, quo omnia phantasmata fugari autumant, vocatur grammatias.* Id sumpsit S. Hieron. ex Plinio. Ridet hoc Isidorus, aitque esse superstitionem, talisque esse videtur, sed orta ex vero principio, scilicet quod jaspis confortet stomachum (uti docet Galenus lib. 9.) simplicium : languentes enim stomacho sæpe putant se philtris aut veneficiis in eum languorem esse conjectos.

Quarto, præstantissimus est jaspis viridis habens maculas rubeas sive sanguineas, ait Albertus Magnus. Unde et Plinius : *Optima*, inquit, *est, quæ purpuræ quidquam habet, secunda quæ rosæ, tertia quæ smaragdi.*

Quinto, jaspis non simpliciter et uniformiter viridis est, sed maculosus, sive venulosus : ut enim sit jaspis, requiritur in virore varietas. Nam, ut ait Theophrastus, jaspis similis smaragdo, verus fieret smaragdus, si maturesceret; idque probat ex ipsa smaragdi matrice, in qua variæ sunt viridis coloris species et gradus.

Hinc sexto, jaspis videtur dici ex ἰάσις, id est, salus, et σπίλος, id est, macula, quod ipsius maculæ salutares sint et medicæ. Porro Anselmus Boetius, insignis gemmarius lib. 2. de Gemmis c. 100. *Jaspis*, ait, *ab achate non differt, nisi quod mollior sit, et propterea non ita exacte poliri possit ut achates : neque tam perspicua quàm achates, ut plurimum viridis. Quo smaragdo vicinior, eo nobilior.*

Septimo, jaspis est gemma antiquissima. Unde Plinius : *Etiamsi victus à multis, antiquitatis tamen gloriam retinet.* Jaspis enim in ipsa terræ superficie invenitur, cum reliquas gemmas in terræ visceribus natura abdiderit : rursum, in multis regionibus invenitur.

Octavo, jaspis sistit fluxum sanguinis, et feminarum menstrua; ita Albertus Magnus, cujus rei miras et magnas experientias recenset oculatus testis Anselmus Boetius lib. 2. de Gemmis cap. 102. additque : *Viridis collo appensa, ita ut circa ventriculi orificium pendeat, stomachum firmare, nauseam vomitumque prohibere, ac calculos urinamque pellere traditur. Jaspis omnis conceptum firmat, partumque femori alligata promovet. Gestata febres et hydropes, quæ vel à debili concoctione, vel à sanguinis nimio fluxu oriuntur, corroborando ventriculum, et sanguinem sistendo, prohibet. Nonus Medicus etiam epilepsiam viridem jaspidem arcere affirmat; idque et nunc à multis asseritur, quæ si circa ensiformem cartilaginem per diem et noctem ab epileptico gestetur, aiunt, si sudore corripiatur, liberari à paroxismo; sin minus, emori : idque multoties fuisse probatum. Vires has omnes augeri putant, si argento includatur. Cogitationum etiam tumultum et inconstantiam, quæ ex sanguinis impetu oritur, prohibet. Calculi etiam generationem, si portetur, omnino arcere vulgo creditur. Jaspis grammatias, aut polygrammas appellata, quæque virens smaragdo persimilis est, ad venena pro amuleto gestatur.* Denique c. 103. et in epist. dedicatoria, narrat Rudolphum II. Imper. mensam è gemmis præsertim jaspidibus, exstrui jussisse, quam ipse octavum mundi miraculum appellat, et cum Dianæ Ephesiæ templo comparat, utpote in qua fabricanda plurimis annis maximisque expensis desudatum est, quæque tanto artificio elaborata est, ut gemmæ sibi invicem commissuris, quæ conspectum fugiunt, unitæ, silvas, arbores, flumina, flores, nubes, animalia, variasque rerum pulcherrimarum formas ita referant, ut depictæ ad vivum videantur, ac simile opus in toto orbe reperire non possit.

Nono, jaspis subinde opacus est, subinde pellucidus. Rursum, cum variis gemmis miscetur. Nam *à commixtione cum achate, vocatur jaspachates; cum onyche illa qua nivem imitatur, ac crystallo similis est* (*quem hodie chalcedonium vocant*) *jasponyx à Plinio appellatur : quæ cum sarda*

miscetur, sardojaspis dici potest. Habeo unam quæ amethystum, sardam, chalcedoniam distinctis locis in se habet, ait Boetius cap. 101.

Jam primus in fundamentis jaspis significat S. Petrum, Principem Apostolorum et Ecclesiæ: unde super hanc petram Christus promisit se ædificaturum Ecclesiam. Hinc viret semperque viget ejus auctoritas, vigebitque in suis successoribus ejus dignitas Pontificia usque ad finem mundi, imò in æternum.

Secundo, Petrus postquam post Christi resurrectionem ab eo creatus est Pontifex, firmissimus fuit in fide, ita ut contra eum ejusque Ecclesiam nec homines, nec portæ inferi, id est, omnis dæmonum vis unquam prævalere possit. Ipse est enim cui Christus oves suas jugiter commisit, dicens: *Parce oves meas*, et: *Confirma fratres tuos.*

Tertio, Petrus, ejusque successores Pontifices, omnia terrorum et errorum phantasmata fugant et propulsant ab Ecclesia. Esto enim jaspis revera non fuget veneficia, sufficit tamen ad symbolicam hanc significationem et repræsentationem communis orbis opinio, quæ id putavit et credidit.

Quarto, Petrus habet maculas sanguineas, quia sanguine suo obsignavit et purpuravit suam fidem et pontificatum.

Quinto, Petrus jugibus lacrymis quotidie ad cantum galli deflens suum peccatum negationis Christi, maculosus fuit, pœniteus et atratus: indeque

Sexto, à Deo gratiam medendi toto orbe omnibus animi morbis accepit.

Septimo, Petri dignitas est prima et antiquissima; quia ab ipso Christo consignata, et toti orbi promulgata ac cognita.

Octavo, Petrus stitit in Romanis, aliisque gentibus fluxum carnalium cupiditatum. In Rationali Aaronis jaspis insculptam sibi habebat tribum Gad: hæc enim erat Tribuum firmissima et fortissima.

Nono, Petrus opacus fuit per spei ac fiduciæ in Deo soliditatem: fuit et pellucidus per vitæ puritatem, et per contemplationem: imo in se habuit commistionem omnium virtutum: omnes enim habuit in gradu heroico.

Nota, secundo: Primus in fundamento Ecclesiæ jaspis, denotat primum Symboli articulum: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ.* Hic recte comparatur jaspidi. Primo, quia significat Dei virorem, id est, robur et potentiam, qua hanc mundi machinam ex nihilo creavit.

Secundo, firmitatem in ejus conservatione et gubernatione æterna.

Tertio, hic articulus de uno Deo creatore, fugat omnia deorum et idolorum phantasmata.

Quarto, pro ejus veritate et fide Martyres sanguinem suum profuderunt, eoque maculati, imo purpurati sunt: aut viridis color spem innuit et præmia, quæ Deus creator suis cultoribus promisit: sanguineus minas et tormenta, quæ incredulis et inobedientibus comminatur.

Quinto, est varius et maculosus; quia Deus creator varias et multiplices ad universi perfectionem creavit creaturas.

Sexto, medetur pusillanimitati, diffidentiæ, omnibusque infirmitatibus hominum.

Septimo, est antiquissimus; quia etiam Philosophi, qui non cognoverunt SS. Trinitatem, cognoverunt tamen unum Deum mundi opificem. Nam, ut ait Apostolus Rom. 1. 19. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit:... ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Rursus creatio attribuitur Patri, quæ origine prima et antiquissima est persona in divinis.

Octavo, sistit sanguinem et menstrua, id est, impuras et carnales actiones ac desideria. Huc facit quod recentiores, ut Beda, Rueus et alii, penes quos sit fides, tradunt jaspidem venereas cogitationes et appetitiones refrenare, oculos purgare et acuere. Hinc rursum jaspis dictus grammatias, linea alba interstinguitur, quæ symbolum est innocentiæ puræque vitæ, quam postulat Creatoris mundi debita servitus et cultus.

Nono, est opacus, quia obscurus Paganis et infidelibus; sed translucidus credentibus, quos etiam per puritatem morum, omnemque virtutem, in gratiam et lucem divinæ conversationis transformat. Ita Alcazar.

SECUNDUM, SAPPHIRUS.] In hac gemma omnes consentiunt. Nam hebr. vocatur *sapphir*, indeque græce et latine vocatur sapphirus. Jam sapphirus primo, cæruleus est, ait Plinius et alii passim.

Secundo, aureis punctis quasi stellis collucet et scintillat, ait Plinius et Isidorus; unde à Theophrasto vocatur χρυσοπασος, id est, auro distinctus, indeque hebr. סיפר *saphir* dicitur, id est, pulcher, ait S. Hieronymus à radice שפר *scaphar*, id est, pulcher fuit, vel *sappir*, à ספר *sepher*, id est, numerus, ob punctorum, quasi stellarum quæ in eo visuntur, numerum, ait Alcazar.

Tertio, cœli speciem præ se fert, ait ex Plinio S. Hieronymus; unde et Exodi, 24. 10. visio Dei qua apparuit Mosi et senioribus, fuit *quasi opus lapidis sapphirini, et quasi cœlum cum serenum est;* indeque à gemmariis sapphirus vocatur gemma sacra. Ex hoc loco patet sapphirum ita esse cæruleum, sicut est cœlum serenum, cum nimirum speciem habet cærulei purissimi ultramarini, qualis est in lapide Lazulo; cœlum ergo videtur esse primus et primarius sapphirus, à quo gemma sapphirus suum colorem et stellas accepit.

Quarto, sapphirus veterum opacus fuit teste Plinio, et aliis; sic enim habet communis veraque lectio Plinii, lib. 37. c. 9. *Optimæ apud Medos, nusquam tamen perlucidæ;* licet unus codex manuscriptus, quem citat Dalecampius, habeat: *Nusquam enim sic perlucidæ.* Quare qui hodie sapphiri vocantur et pellucent, potius hyacinthi sunt quàm sapphiri veterum. Quocirca Alcazar, et Anselmus Boetius, lib. 2. de Gemmis, c. 119. censent Plinii et veterum sapphirum esse speciem quamdam illius, qui nunc vocatur lapis Lazuli, id est, qui nec venas, nec aureum pulverem, sed scintillas, seu guttas ex auro in cærulea planitie habet; ac nobiliorem esse qui cœli sereni colorem, absque ulla violacei admistione, magis refert. Hinc et Epiphanius cyaneum (qui idem est cum lapide Lazuli, vel ejus species) numerat inter species sapphiri. Et Dalecampius, in Plinium commentans, ait ea quæ Plinius scribit de sapphiro, non sapphiro nostro, sed cyaneo convenire. Cyaneo vero medici attribuunt virtutem corroborandi cor, pellendi melancholiam, multasque alias magnas et miras.

Quinto, de veterum sapphiro ait Pierius, Hieroglyph. 41. *Sapphirus apud veteres magna semper in veneratione fuit : siquidem per eum imperium et summum sacerdotium significari manifestum est.* Et Rueus : *Supremam*, inquit, *olim sapphirum apud homines auctoritatem habuisse, et apud divos gratiam, ipsa perhibet antiquitas*, ut tunc illis jucundum et gratum esset sacrificium, quando offerebatur in sapphiro, id est, patina sapphirina, vel certe quando sacerdos in annulo gestabat sapphirum. Et Abulensis in Ex. 24. 10. *Apud Gentilium deos*, inquit, *in magna fuit sapphirus reverentia, quod sine eo responsa non dabantur.* Et in cap. 28. 18. ait olim sapphirum gemmam gemmarum appellari solitum. Hinc etiammum Pontificibus et Cardinalibus congruunt sapphiri, et Pontifex recens creato Cardinali mittit sapphirum, uti Episcopo datur annulus ; licet enim nostri sapphiri potius sint hyacinthi, tamen in veterum sapphirorum locum successerunt. Nam veteres Ægyptiorum summi judices, qui erant Pontifices, è collo gestabant sapphirum, cui insculpta erat veritas, teste Æliano, lib. 14. 34.

Sexto, sapphirus visum acuit, ait Nyssenus, orat. 14. in Cant.

Septimo, Galenus et Dioscorides has virtutes dant sapphiro : *Percussis à scorpione haustum prodesse, et contra intestinas exulcerationes bibi ; et ruptas membranas cogere, et excrescentia in oculis ac pustulas inhibere.* Addit Albertus Magnus, lib. 2. de Mineral. valere contra melancholiam, quartanam, et melancholicos humores. Vide quæ de sapphiro dixi Exodi 24. 10. et Exodi 28. 18. Addunt aliqui, penes quos sit fides, sapphirum homines ad pietatem, constantiam, pacem, et cupiditatum refrenationem inclinare, ideoque esse gemmam Pontificum.

Jam sapphirus in Rationali inscriptum habebat Nephthali : hic vero congruit S. Paulo, qui alter est et secundus à S. Petro Apostolus ac Ecclesiæ fundator. Ita Andreas et Aretas. Verum quia S. Paulus non fuit inter duodecim Apostolos, à Christo vivente vocatos, et recensitos à S. Matthæo, c. 10. 2. aliisque Evangelistis ; sed extra numerum et ordinem vocatus est à Christo è cœlo post resurrectionem. Rursum, quia Paulus Petro et in apostolatu, et in morte, et in imaginibus, et in officio Ecclesiastico, et in festo tam Romæ, quàm alibi per totam Ecclesiam semper associatur, ideoque ei hîc pariter in jaspide jungendus videtur : *Quia illos et electio pares, et labor similes, et finis fecit æquales*, ait S. Leo, serm. 1. de S. Petro et Paulo ; hinc melius Joachim, Ribera et Viegas per sapphirum accipiunt S. Andream fratrem S. Petri. Hic fuit cæruleus, puta cœlestis coloris, id est, profundæ lucis et sapientiæ, quam hausit à sole justitiæ Christo, quando à S. Joanne Baptista amandatus ad Christum, Joan. 1. 36. biduo apud eum mansit, et secretas ejus doctrinæ et vitæ perspexit et imbibit. Cæruleus enim color quem in cœlo videmus, nil est aliud, nisi maxima altissimæ lucis profunditas ; quæ quia nullo colore miscetur nullumque habet terminum, hinc oculum absorbet, perstringit et hebetat, ut videatur esse cæruleus oculo, cujus acies infirma in eo perspiciendo succumbit, ideoque cespitat, et quasi obtunditur, et obscuratur, uti experimur in nobis fieri, cum fulgentes solis radios adversis oculis per conspicilia, vel medium aliquod instrumentum intuemur.

Secundo, aureis stellis, id est, ardentis charitatis radiis effulsit ; quando à sole igneo, puta à Christo, afflatus et quasi desideratus, totius in ejus amorem exarsit.

Tertio, cœli speciem habuit, quia terrena omnia, prospera et adversa calcavit, animo in cœlo defixus.

Quarto, opacus fuit et densus, id est, fortis et solidus ; Andreas enim fuit ἀνήρ, id est vir, et virili animo ac robore, præsertim in morte et martyrio.

Quinto, fuit sacerdos et Pontifex.

Sexto, Achaiensium, et aliorum Gentilium cæcos oculos luce et fide Christi illuminavit et acuit.

Septimo, melancholiam, aliosque morbos à se suisque discipulis fugavit, quando lætus et alacer crucem biduo in ea pendens, sustinuit, eamque salutavit dicens : *O bona crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quæsita, et aliquando cupienti animo præparata ! Accipe me ab hominibus, et redde me magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit.*

Secundo, sapphirus congruit secundo symboli articulo : *Et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum.* Christus enim instar sapphiri cæruleus est, quia immensum incomprehensibilis lucis est pelagus, ut in ejus contemplatione mens humana evanescat. Est enim Verbum Patris, Deus de Deo, lumen increatum lucis increatæ : cæruleus ergo color sapphiri significat divinitatem, divinamque generationem Christi, qua procedit ut Verbum et imago Patris.

Secundo, aureis punctis collucet, quia est increata charitas, et amor originalis, quo cum Patre spirat Spiritum sanctum, qui est amor notionalis Patris et Filii.

Tertio, cœlestis est natura, habitatione, æternitate, beatitudine ; unde ait Apostolus : *Primus homo de terra, terrenus ; secundus homo de cœlo, cœlestis*, 1. Corinth. 15. 47.

Quarto, opacus est et densus, quia *generationem ejus quis enarrabit?* est enim inscrutabilis et impervestigabilis. Rursum, quia deitas ejus in densa humanitate opacatur et absconditur.

Quinto, est Christus, id est, unctus in regem et Pontificem æternum : in regem, inquam, et monarcham orbis.

Sexto, est lux mundi, Joan. 1. 9. atque eos qui ejus contemplatione se pascunt, mira luce et voluptate perfundit.

Septimo, omnes morbos et mœrores corporis et animi sanat.

Tropolog. sapphirus est, qui mente in cœlis versatur, quique, ut ait S. Hieron. cœlo similis factus, solem suis pedibus suppositum intuetur : et, ut ait Nyssen. loco citato, cujus cor ea quæ sursum sunt vult ac respicit, et istic oculos oblectat, sequens illud Apostoli : *Quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram.* Hic aureis punctis, id est, charitatis actibus collucet ; scalpi non potest, id est, invictus et infractus est.

Rursum, in sapphiro, qui est cœli imago, et quasi cœlum in terra, docemur qualis debeat in Prælato et in principe (cujus symbolum

est sapphirus) esse animi celsitudo, vitæ perfectio, mentis et frontis serenitas, ut jure Serenissimus vocari possit, habens semper et cum omnibus speciem et faciem cœli sereni ; ita ut Deum et Christum studeat imitari, et cum cæruleo colore, id est, cum divinæ gloriæ zelo, aureis virtutum radiis collucens omnibus mundi pompis, æque ac turbinibus sit superior.

TERTIUM , CHALCEDONIUS.] Pro chalcedonio in Rationali erat carbunculus, eique inscriptus erat Dan ; quocirca Isidorus , Beda et Aretas asseverant chalcedonium esse carbunculum aut carbunculi speciem : tum quia chalcedonii alterius veteres non meminerunt : tum quia non videtur Joannes carbunculum præteriisse, quæ una erat è præcipuis gemmis Rationalis. Dicitur chalcedonius, quia , ut notat Aretas, prope Chalcedonem urbem (quæ Constantinopoli ex altera Bosphori parte objacet, in qua celebratum est Concilium Chalcedonense) in littorum saxis et scopulis innascitur gemma habens speciem et colorem carbunculi. Suspicatur Gesnerus pro chalcedonio legendum Carchedonius, id est Carthaginensis (Καρχηδων enim est Carthago) ; itaque Plinius in lib. 37. cap. 7. carbunculos Carthagine allatos vocat Carchedonios. Sic enim ait : *Principatum habent carbunculi à similitudine ignium appellati, cum ipsi non sentiant ignes, ob id à quibusdam apyroti vocati. Horum genera Indici et Garamantici, quos et Carchedonios vocavere propter opulentiam Carthaginis magnæ.* Sicut ergo idem sunt *belial* et *beliar*, sic idem videtur esse chalcedonius et carchedonius : plane enim ad Plinianas, utpote suo ævo notissimas , gemmas respicere videtur Joannes. Porro vocatur carbunculus, quia habet speciem carbonis ardentis : quare et pyropus dicitur, quasi πυρος ωπα, id est, ignis faciem et speciem habens. Unde Poeta : *Flammasque imitante pyropo.* Dicitur et apyrausta, quod igne non lædatur.

Alii chalcedonium censent esse genus ambræ, aut certe lapidis duri et candicantis : dicunt enim eum similem esse pallenti lucernæ, et fulgere magis sub dio quàm sub tecto ; et, si sole aut frictu incalescat, paleas ad se attrahere. Tales enim sunt globuli lapidis duri et candicantis, quem vocant vulgo chalcedonium, etiam gemmarii , ex quibus sunt Rosaria. Unde Anselmus Boetius, l. 2. de Gemmis, cap. 87. *Chalcedonius*, ait, *gemma est quæ per nubem vel nullo, vel levi aliquo calore tinctam , totumque corpus occupantem semiperspicua, scalpturæ propter duritiem contumax. Olim sub onyche comprehensa, cujus species est, appellabatur onyx candida. Nam candicans veterum onyx, sive translucat, sive non , nunc chalcedonii nomen apud Europæ populos retinet.* Quales multis in locis in Germania, et in Belgio circa Lovanium in agro Heverensi, et prope Bruxellam ipse se reperisse testatur cap. 88. Ubi et addit : *Hoc tempore etiam pocula , effigies principum , coronæ pensiles , aliaque infinita ex chalcedonio fiunt. Præcipuus usus est ad sigilla , quia cera illi non adhæret.* Verum hic chalcedonius quasi vilis gemma , et potius lapis vulgaris , à Plinio omittitur et tacetur. Plinius enim, ut fatetur Boetius , per chalcedonium accipit granatum Orientalem , qui est species carbunculi ; chalcedonium vero modernum sub onyche comprehendit ; onyx enim, sardonyx, et chalcedonius, vel idem sunt, vel potius species invicem affines et cognatæ. Unde apud veteres omnes pro onyche habebantur , ait Boetius, lib. 2. cap. 92. ubi et addit : *Tantæ interdum magnitudinis est onyx , ut columnulæ inde fieri possint. Romæ enim in basilica S. Petri , sex columnulæ onychinæ conspiciuntur.*

Ergo verius est veterum chalcedonium esse carbunculum, aut carbunculi speciem ; carbunculus enim erat in Rationali , à quo hasce gemmas mutuatur S. Joannes. Porro carbunculus græce dicitur ανθραξ, id est, pruna ignita ; talis enim esse videtur. Hinc igne non calescit, in tenebris tamen lucet, et splendescit magis interius quàm exterius. Ita S. Augustinus , lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 16. et Isidorus , lib. 16. c. 13. *Carbunculi*, inquit, *fulgur, nec nocte vincitur ; colore ignitus ut carbo lucet in tenebris.* Scilicet modica luce in se collecta, non autem foras emicante, uti gemmarii experti docent, ac nominatim Anselmus Boetius, lib. 2. de Gemmis, cap. 8. Hinc carbunculus rubet, indeque rubinus dicitur. Alcazar tamen censet carbunculos subinde candere, esseque adamantes ; carbones enim nimis ardentes non rubent, sed candent, uti apparet in candenti ferro, quod ubi maxime ignitum est, fabri ferrarii appellant argentum , quia perfecte candidum est. Hinc in sacra Scriptura non nominari adamantes , quia comprehendit eos Scriptura nomine carbunculorum ; quocirca gemma quam Isaias, cap. 6. v. 6. calculum et carbunculum nominat, Joannes, Apocalypseos cap. 2. v. 17. vocat calculum candidum. Itaque chalcedonium esse adamantem , qui inter carbunculos est præstantissimus. Probat id primo, quia Plinius ait adamantem Cyprium in æreum colorem vergere : ergo is erit chalcedonius δια του χαλκους, id est, ab ære. Secundo, χαλκος sæpe ab Homero et aliis sumitur pro ferro et chalybe ; nobiliores autem adamantes sunt, qui colore chalybea specula imitantur, quos Plinius vocat *siderites* , et ferrei splendoris. Tertio, chalcedonii nomen denotat lapidem hunc æs , chalybem, aliaque metalla domare et perfringere ; talis autem est adamas, quo gemmarii chalybem domant ac poliunt. Verum hæc desultoria videtur levitas , nimiaque metamorphosis , videlicet chalcedonium in carbunculum, et carbunculum in adamantem transformare ; cum toto genere dissideant carbunculus et adamas : adamas enim candidus est et pellucidus, carbunculus rubeus et opacus, cum genuinus et perfectus est.

Quare verior videtur prior Aretæ et aliorum sententia chalcedonium esse carbunculum , qui speciem habet χαλκους , id est, æris candentis. Alludit enim ad aurichalcum, sive chalcolibanum , de quo dixit, cap. 1. v. 15. quod Christi pedes essent *similes aurichalco sicut in camino ardenti ;* tale enim aurichalcum ardens simile est carbunculo , sive prunæ ignitæ : unde et chalcites gemma est ærei coloris apud Plinium, lib. 37. cap. 11. ac forte eadem cum chalcedonio. Et chalcitis vocatur lapis ex quo ipsum æs coquitur, teste Plinio , lib 34. cap. 12 sicut ex rubrica coquitur ferrum : nam *ferri rubrica parens.* Alludit quoque ad Concilium Chalcedonense , ut mox dicam in significatione chalcedonii. Porro de carbunculo ita scribit Anselmus Boetius, lib. 2. de Gemmis, cap. 13. *Nobiliores rubini in insula Zeilan nascuntur. Alii et minores in Caria, Calecut, Cambaia et Bisnaga : optimi in*

flumine Pegu, quos incolæ ore et lingua explorant. Nam frigidiores et duriores meliores arbitrantur. Illorum colorum igne in quo coquunt augere dicuntur. Nasci solent in quadam lapidea matrice rosei coloris, quàm aliqui, si perspicua fuerit, Balassium rubinum vocant. Nam si transparens, gemmæque instar non sit, ab omnibus mater, aut matrix rubinorum appellatur. Propterea quod (ut infans in utero materno sanguine nutritur) in hac rubinus formetur, alatur et excrescat. Primum candicat, deinde paulatim maturescens raborem contrahit. Hinc fit quod albi et albicantes qui nondum maturi sunt reperiantur. Nascitur plerumque in eadem fodina ubi sapphiri reperiuntur. Si alimentum varium fuerit et non omnino idoneum, mixti coloris inveniuntur, nempe partim albicantes, partim rubentes, aut media parte rubini, media sapphiri, quos Indi Nilacandi, quasi sapphirorubinos appellant.

Jam chalcedonius, sive carbunculus, repræsentat Jacobum fratrem Joannis. Primo, quia ardens fuit Christi amore instar carbonis ardentis, aut æris candentis et flammantis.

Secundo, sicut carbunculus *nascitur in montibus apud Nasamonas, uti incolæ putant, imbre divino,* ut ait Plinius, lib. 37. c. 7. Ita Jacobus et Joannes à Christo facti et vocati sunt *Boanerges*, id est, filii cœlestis imbris et tonitrui. Hinc vox eorum et concio erat efficax, quasi tonitru et fulmen.

Tertio, carbunculi sole aut manibus calefacti attrahunt paleas; ita Jacobus per se, perque suos discipulos et pastores attraxit Judæorum et Hispanorum corda ad Christum.

Quarto, si credimus S. Augustino et Isidoro, carbunculus in tenebris lucet. Audivi à Lusitanis viris gravibus regem Lusitaniæ in festo Corporis Domini, præferre in fronte equi carbunculum tantum, et tam fulgidum, ut plateam illustrare videatur. Ita inter Judæos et Gentes eluxit Jacobus, omnesque sua sapientia et sanctitate illuminavit.

Quinto, carbunculi in aceto acre injecti splendescunt magis, *et aquis perfusi inardescunt,* ait Plinius: ita Jacobus in perfectionibus magis charitate Christi exarsit, ideoque primus inter Apostolos Martyr occubuit, ac Hermogenem magnum, et Josiam necis suæ auctorem sua charitate et osculo complexus convertit, ut de eo merito dici possit illud Cantic. 8. 6. *Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum: aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam.*

Rursum, tertiæ huic gemmæ respondet tertius symboli articulus: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.* Mysterium enim incarnationis apte repræsentatur carbunculo; primo, quia fuit opus ardentissimæ charitatis Christi. Rursum, sicut in carbunculo est quasi ignis in gemma, hæcque duo ita uniuntur, ut ignis videatur esse gemma, et gemma esse ignis, æque ac fit in ferro candenti: ita in incarnatione Deus humanitati per unionem hypostaticam ita est unitus, ut Deus sit homo, et homo Deus; ac omnia attributa Dei tribuantur homini, et vicissim omnia attributa hominis tribuantur Deo et Verbo. Hinc idem mysterium repræsentatum fuit Mosi, dum vidit ignem in rubo, Exodi 3. v. 2. uti ibi dixi, et docet Nazianzenus ad Chilonium, dialogo 1. Ita pariter Verbum incarnatum carboni ignito conferunt sanctus Cyrillus, lib. de Incarnatione Verbi, Justinus, quæst. 44. ad Orthodoxos et alii. Porro carbunculus hic vocatur chalcedonius, ut innueretur in urbe Chalcedone, celebrandum magnum illud Concilium Chalcedonense, quo veritas hujus articuli, puta Verbi incarnatio, manentibus duabus naturis integris in eadem persona Verbi, totius orbis consensu sanciretur et confirmaretur contra Eutychetem, qui unam in Christo naturam, æque ac unam personam; et contra Nestorium, qui duas in Christo personas, æque ac naturas posuerunt.

Secundo, uti carbunculus, ita magis Christus conceptus fuit virtute cœlesti ex Spiritu Sancto.

Tertio, Christus ut carbunculus per se, et per Apostolos totum mundum ad se traxit.

Quarto, uti carbunculus, ita magis Christus est *lux*, quæ *in tenebris lucet, et illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* Joan. 1. 9.

Quinto, Christi charitas magis aquis tribulationum exarsit, summeque enituit in cruce, quando crucifixoribus veniam et gratiam à Deo petiit et impetravit.

Porro Alcazar, qui censet carbunculum hunc fuisse adamantem, adamantis conditiones incarnationi Christi accommodat. Primo, sicut adamas est fortissimus, ita opus incarnationis fuit opus summæ fortitudinis et potentiæ divinæ, qua virtute Spiritus sancti, deitas juncta est homini, et cœlum terræ; ac mater Christi illibata virgo permansit, unde canit B. Virgo: *Fecit potentiam in brachio suo.* Secundo, adamas hircino sanguine rumpitur, ac in minimas partes dividitur; ita pro peccatoribus crucifigi se, et quasi disrumpi permisit amor et adamas noster Christus. Tertio, adamas in medicinis efficacissimus est: venena irrita facit, lymphationes abigit, metusque vanos expellit à mente, ait Plinius. Idem in animabus facit Christus.

QUARTUM, SMARAGDUS.] Hebraice ברקת *bareket*, id est fulgurans, sive ceraunius; et græce smaragdus (ita Noster et Septuaginta; perperam ergo Pagninus vertit chrysolithum; quia hic magis, inquit, habet speciem fulguris) dicitur quasi smaragdus à splendore, ait Athenæus, lib. 8. cap. 3. aut potius *smaragdus* dicitur ab Arabico *zamarrat*, ait Anselmus Boetius, lib. 2. de Gemmis, cap. 52. aut certe ab Hebræo *bareket;* sæpe enim *b* in *m*, et *k* in *g* liquescit. Unde liquet veterum smaragdos fulgentiores fuisse nostris, ac habuisse speciem fulguris. Id patet ex historia quam refert Plinius, lib. 37. cap. 5. *Ferunt in Cypro tumulo regis Hermiæ, marmoreo leoni fuisse inditos oculos ex smaragdis, ita radiantibus etiam in gurgitem, ut territi instrumenta refugerent thynni, diu mirantibus novitatem piscatoribus, donec mutavere oculis gemmas.* Hinc et Lucret. lib. 4. *Grandes viridi cum luce smaragdi.*

Secundo, smaragdi viriditate superant herbas, imo et aerem resque alias sibi vicinas suo virore imbuunt. Unde soli gemmarum contuitu oculos implent, nec satiant. Hinc mire visum recreant, ideoque gemmarii eos elaborabant concavos ut visum colligerent, ait Plinius. Porro viror hic smaragdi refert colorem olei purissimi, ait Joachim.

Tertio, ex smaragdo fiebant specula: unde Nero pugnam gladiatorum spectabat smaragdo.

Quarto, smaragdi æri sunt affines, durique et invulnerabiles : unde in æreis fodinis reperiri solent. Denique smaragdi sapor est amarus et acerbus, ait Epiphanius.

Jam quoad significationem, smaragdo in Rationali inscriptus erat Judas, Patriarcharum et tribuum fortissimus, qui viride semper et perenne habuit sceptrum et regnum usque ad Christum, juxta Prophetiam Jacobi, Genes. 49. 10. Hic vero smaragdus notat Joannem ; Joannes enim in ordine Apostolorum est quartus, Matthæi 10. v. 2. Joannes primo, est *bareket*, id est, fulgurans, quia est *boanerges*, id est, filius tonitrui, id est fulmen. Ergo sicut fuerunt duo fulmina belli Scipiadæ, ita et Zebediadæ, puta Jacobus et Joannes, in acie Christi. Tale fulmen fuit cum intonuit : *In principio erat Verbum*, etc.

Secundo, semper viruit, quia permansit virgo; unde Christo fuit charissimus, et diutissime viguit, et vixit usque ad annum Christi 101. Rursum, habet colorem olei, quia spirituali charitatis oleo resplenduit; unde ejus perpetua vox et concio hæc erat : *Filioli, diligite invicem ;* et quia in ferventis olei dolium Romæ missus est à Domitiano, sed illæsus, magisque virens et vegetus, quia virgo inde exivit.

Tertio, S. Joannes fuit speculum castitatis, sanctitatis et charitatis.

Quarto, S. Joannes fuit æneus in oleo bulliente et martyrio, in persecutionibus, laboribus et ærumnis, per tot annos usque ad decrepitam senectutem pro Christo toleratis ; ut vere ei et fratri ejus Jacobo dixerit Christus : *Calicem meum bibetis*, quasi mei cognati, mihique dilectissimi. Summis enim suis amicis Christus dat summam crucem, tanquam summum et pretiosissimum donum. Bactriani Etesiis flantibus colligunt smaragdos ex commissuris saxorum, ait Plinius, l. 37. c. 5. et Theophrastus, lib. de Lapidibus. Ita aspirante Dei favore omnis non tantum terrena, sed et cœlestis in Joannem similesque heroes influxit opulentia; atque ex ipsis rerum asperitatibus et persecutionibus summæ gloriæ suavitas decerpitur. *O faciles dare summa deos*, ait Lucan. l. 1.

Rursum, inter articulos Symboli quartus, qui quarto huic fundamento smaragdino respondet, est : *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus.* In hoc Christi et Dei amor fuit *bareket*, id est, effulgurans; quia instar fulguris homines et Angelos perstrinxit, afflavit, rapuit.

Secundo, in cruce viruit stupenda Christi constantia, et oleum misericordiæ, ut vere de eo dicatur, Canticorum 1. 2. *Oleum effusum nomen tuum.* Hîc etiam viret spes et fiducia fidelium, ut omnes peccatores sperent per Christum gratiam, misericordiam, salutem et gloriam æternam, sicut ex virenti segete speramus messem.

Tertio, passio et crux Christi fuit clarissimum speculum divinæ sapientiæ, justitiæ, charitatis omniumque virtutum : unde viri spirituales hoc speculum jugiter contemplantur, ex eoque discunt Deum, Deique attributa, veram sapientiam, omnemque virtutem et perfectionem. Crux enim Christi lucidissimum est speculum fœditatis peccati, pulchritudinis virtutum, charitatis Dei, magnitudinis gloriæ cœlestis, æque ac pœnæ damnatorum. Ad hæc, sicut smaragdus suo virore refringit colorem carnis sibi vicinæ, ut videatur palescere : ita nihil adeo refringit carnales appetitus, ac meditatio passionis Christi. Sed sicut smaragdi in profundo latent, et profunde effodiendi sunt; ita et profunde meditanda est Christi passio, ut hunc fructum colligamus.

Quarto, ænea fuit Christi in cruce patientia ; clavi enim et flagella quæ Christi carnem lacerarunt, mentis ejus patientiam, et invictum robur vulnerare nequiverunt : hinc repræsentatus fuit æneo serpente Num. 21. 9. Quocirca ex Christi fortitudine, quasi ex fonte, manavit mira illa et varia fortitudo omnium Martyrum.

Quinto, ex smaragdis fiunt amuleta contra venena, et passio Christi est antidotum contra omnes dæmonis suggestiones.

Sexto, scribit Theophrastus viridem jaspidem esse smaragdi matrem : ita Christus per passionem reparavit quos per creationem condiderat. Creatio enim fuit redemptionis quasi matrix et fundamentum.

Denique scribunt Albertus Magnus, Abulensis, Berchorius et alii, smaragdo effici verba persuasoria, opes acquiri, dæmones et venereas cogitationes fugari ; imo si conjux gestet annulum ex smaragdo, in copula maritali eum confringi, quæ facile est adaptare cruci Christi. Sed frivola sunt, uti ipsæmet matronæ conjugatæ asseverant. Esto Albertus Magnus scribat regem Hungariæ, post nocturnam pollutionem, invenisse mane smaragdum, quem in annulo digiti gestabat, in tres partes dissectum. Vere et solide Anselmus Boetius Rudolphi II. Imperatoris medicus, lib. 1. de Gemmis, capite ultimo : *Gemmas*, inquit, *à causis agentibus quæ reales non sunt, aliquid pati posse, ut smaragdum ab ictu adulterii, et turcoidem à casu, non quatenus concutitur, sed quatenus nocere casus potuit gestanti, disrumpi plusquam absurdum est. Fortasse à nimia calefactione quæ coitu excitatur, excalefacta gemma subitoque hiemali tempore frigori exposita, rumpi posset. Sed hoc propter adulterium non fit ; turcois, quia mollis, propter annuli concussionem, à casu rumpi posset. Sed hæc ruptura non fit, ut homo à casu illæsus permaneat, sed à concussione.* Quare plura olim superstitiose de gemmis fuisse credita ex quibusdam eventis, per dæmonem ad superstitionem hanc inducendam factis, multa etiamnum superstitiose credi et fieri, docet idem Anselmus, lib. 1. capite ultimo. Sane fabulosum et superstitiosum est, quod scribit Camillus Leonardus Pisaurensis medicus in Speculo lapidum, gemmam quæ dicitur Heliotropia (quod instar herbæ, quæ dicitur heliotropium, soli se conformet) facere eum à quo gestatur invisibilem; achatem tempestates avertere, et sistere fulmina, adamantem indomitas bestias humiliare et subjicere; dæmonium (nomen hoc est gemmæ) gestantem, ab hostibus eum tutum et victorem reddere; topazium divitias augere, et subitaneam mortem avertere, ac principum gratiam conciliare; turcoidem facere ut equus nunquam incessorem fatiget. Porro quæ de lapidum sculpturis et imaginibus subdit, plane superstitiosa et magica sunt, ut, si asini imago chrysolito insculpta inveniatur facere gestantem futurorum præscium : arietis figuram in saphiro sculptam vim habere liberandi à carcere, conferendi honores, dignitates et regnum ;

upupæ figuram, si cum dragontea herba ante se reperiatur in beryllo, vim habere mortuos notos ad se evocandi, ab eisque responsa ad quæsita accipiendi : hominis imaginem cum dextra manu erecta in cœlum, si in chalcedonio reperiatur, dare victoriam in causis et litibus forensibus, ac in itineribus à noxiis præservare : crucem sculptam in lapide viridi liberare gestantem à submersione aquæ : cervi imaginem in onyche sculptam ventos noxios compescere, et dæmones fugare : leporis imaginem in sardio facere, ne ab ullo dæmone aut spiritu lædi possis : hominis armati, ensemque manu tenentis in sardio, dare bonam memoriam, ac sapientem efficere, plurimaque talia.

20. QUINTUM, SARDONIX.] Sardonix est præstantissima species onychis, id est, gemmæ quæ habet speciem unguis humani ; nam interius habet speciem carnis, exterius unguis carnem tegentis : *Velut carnibus ungue hominis imposito et utroque translucido*, ait Plinius, lib. 37. c. 6. inde dictus est sardonyx, quod rubescat ut sardius, candescat ut onyx. Hic veterum fuit sardonyx ; postea enim sardonyches vocaverunt gemmas quibus superior unguis rubebat instar minii. Ita Plinius, qui et addit sardonyches candenti linea distingui et cingi. Hodie onyx et sardonyx à gemmariis Nicolus vocatur, ait Boetius, lib. 2. cap. 84.

Rursum, sardonyx triplicem habet colorem in triplici quasi circulo ; nam in infima parte est niger, in media albus, in summa ruber. Ita Plinius, Solinus, Isidorus et Alcazar. Habet circulum candidum, et in eo *quamdam cœlestis arcus* (iridis) *anhelationem*, ait Plinius. Romani ea in annulis ad sigilla utebantur, eo quod sola prope gemmarum sculpta, ob duritiem ceram non auferat : primus qui ea usus est fuit Africanus Senior, ait Plinius.

Addit Rueus ea reprimi animi tumorem et fastum ; alii, ea conciliari lætitiam et hilaritatem. Denique Platearius celebris medicus, et ex eo Andras Bacci, tract. de 12 Gemmis Script. docent onychem, si oculis admoveatur, educere malos humores, et visum confirmare.

Jam quintus sardonyx significat Philippum, qui in ordine Apostolorum est quintus. Sardonix notat candorem, qui in Philippo præ cæteris Apostolis eluxit ; unde Gentiles, Joan. 12. v. 21. fidenter ad eum accesserunt dicentes : *Domine, volumus Jesum videre.* Et ipse candide ad Christum ; *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis*, Joannis 14. 8.

Rursum, notat cœlestem Philippi spiritum. Sardonyx enim constat tribus coloribus, inferius nigro, medio candido, superius miniato : hæc sola in signando nihil ceræ evellit, ait Isidorus, lib. 16. Origenes, cap. 8. Notat ergo illustres animos, qui, cum adhærescant corpori, nihil tamen ex eo terrenæ labis contrahunt, sed purum servant æthereum ignem. Quocirca infra pedes res humanas habent, puro virtutum candore collucentes ; in apice vero miniati, hoc est, primis futuræ gloriæ radiis jam afflati, igneo charitatis rubore purpurascunt.

Frigida curarum fomenta relinquere posses,
Quò te cœlestis sapientia duceret ires.
Hoc opus, hoc studium,

ait Horatius, lib. 1. epist. 3.

Hinc in Rationali sardonychi inscriptus erat Manasses, et ipse candidus.

Secundo, sardonyx cum candore habet rubidinem : ita et Philippus candori sociavit charitatem, idque suxit à Christo, cui fuit perfamiliaris, de quo ait sponsa Cant 5. 10. *Dilectus meus candidus et rubicundus.*

Tertio, rubor notat sanguinem, in quo vita consistit : hinc significat piam et excitatam alacritatem et vigorem Philippi, qualem naturaliter habent ii qui sunt complexionis sanguineæ ; hi enim sunt læti et Joviales.

Rursum, quinto sardonychi respondet quintus Symboli articulus : *Descendit ad inferos.* Superior enim sardonychis pars, puta rubens superficies, significat Christum charitate et sanguine purpuratum ; limes, sive circulus candidus, qui quasi cingulum extimam superficiem rubeam ambit, significat patres in limbo Christum exspectantes, et à Christo liberatos ; limes enim hic, sive ora et circulus, est quasi limbus sive ambitus ; ima pars nigra significat damnatos in gehenna, quos Christus suo descensu ad inferos perculit, et quasi profligavit.

Secundo, hic descensus fuit quasi sigillum, quo Christus obsignavit et confirmavit suam passionem, mortem et resurrectionem apud patres in limbo. Sed nihil ei ceræ, id est, fæcis carneæ passionis, mortis aut corruptionis adhæsit ; quinimo tanquam victor et triumphator descendit, capturus quasi dominium et possessionem inferni : unde non tantum patres, sed et dæmones ac damnati eum ut dominum reveriti sunt, ut *in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Hoc descensu Christus fastum dæmonum humiliavit et compressit ; patres vero lætificavit et extulit. Denique sicut in sardonyche est iridis (quæ pacis est symbolum, quod scilicet amplius non erit diluvium, Genes. 9. 13.) anhelatio, sive æmulatio ; ita Christus descensu suo ad inferos justos fecit securos, quod jam imbres tristitiæ et laborum abiissent, nec unquam in posterum essent redituri. Ita Alcazar.

SEXTUM, SARDIUS.] Sardius, vel sardinus est is quem Plinius, Solinus et alii sardam vocant, qui olim in majori pretio fuit quàm nunc sit : unde fuit prima in Rationali. *Laudatissimus in Sardinia invenitur*, ait Anselmus Boetius, lib. 2. de Gemmis, cap. 81. Unde forte nomen sardii accepit ; licet alii à sarda pisce, cujus colorem refert, dictum putent. Colore similis est carni perspicuæ ac pellucidæ, ita ut caro humana in gemmam pellucidam et splendentem videatur conversa, ait Plinius, lib. 37. cap. 6. Unde vulgo *carnerina*, et corrupte *cornerina* dicitur : et hebr. dicitur אדם *odem*, id est, rubeus, et habens similitudinem *Adam*, id est, hominis et humanæ carnis. Nonnulli, ut Indici et mares, valde fulgent : generantur in saxi corde. Nullam habent maculam, aut vaporem, uti aliæ gemmæ, qui ipsius splendorem hebetet aut offuscet. Addit Alcazar sardium esse matrem amethysti ; unde in nonnullis gemmis una parte sardius, altera amethystus cernitur.

Virtutes hæ sunt : primo, vulneribus ferro inflictis et tumoribus medetur, ait Epiphanius, lib. de Gemmis. Rursum, sanguinem undecumque fluentem mirabiliter sistit, ait Boetius. Se-

cundo, gaudium accendit, ait Abulensis. Tertio, feris terrorem incutit, ait Aretas in c. 4. Apocal. Porro stultum est cum Cardano asserere quod litigantes victores, et gestantes divites faciat, ait Boetius, c. 82.

Jam sardius in Rationali inscriptum habebat Ruben : hic vero repræsentat S. Bartholomæum, qui sardii habuit speciem, cum excoriatus fuit pro Christo; tunc enim tota ejus caro rubea apparuit, ideoque feris, id est dæmonibus, terribilis exstitit. Jansenius, Rupertus et alii censent Bartholomæum esse Nathanael, qui ad Christum à Philippo adductus audivit ab eo : *Ecce vere Israelita in quo dolus non est*, Joannis 1. 47. Fuit ergo ipse sardius, qui nullam habet maculam aut vaporem. Quocirca conversus ad Christum, gaudens et exultans, ait : *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel*, ibidem, v. 49.

Hinc tropol. sardius sanguinei coloris Martyres, eorumque triumphos repræsentat. Nam

Sanguine fundata est Ecclesia, sanguine cœpit,
Sanguine succrevit, sanguine finis erit.

Hinc S. Agnes impio Præsidi generose respondit : *Sanguis Christi sponsi mei tinxit et ornavit genas meas.* Æque fortis S. Cæciliæ vox in agone : *Miseria moritur, non homo.* Similis vox aulici, exhortantis Ananiam præ senio trepidantem, ad martyrium : *Paulisper, pie senex, occlude oculos, et viriliter age; non enim multo post lucem æternam clari conspecta Dei intuebere.* Hæc sunt cycnæa carmina athletarum Christi; nimirum de cycno canit Poeta :

Tempora fatalis quando sic limitis itis,
Tristia concentu funera solor, olor.

Tale fuit S. Simonis : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.* Pax enim bello paratur, vita morte, cœlum martyrio. Hinc illud Constantii Imperatoris symbolum : *Virtus, dum patitur, vincit.*

Rursum, sardius respondet et repræsentat sextum symboli articulum : *Resurrexit à mortuis.* Hic enim non jungendus est quinto qui præcessit : *Descendit ad inferos;* sed ab eo separandus; nam resurrectio è descensu plane distincta et disparata est, ait Alcazar. Hic apte respondet sardio. Christus enim à morte resurgens habuit speciem carnis humanæ, vivæ, lucentis et gloriosæ, in qua apparens discipulis miro eos gaudio perfudit; feris vero, id est, dæmonibus, et militibus sepulcrum custodientibus, fuit formidabilis. Sicut ergo carbunculus, qui habet speciem prunæ ignitæ, Deum carne indutum; ita sardius habens speciem carnis translucidæ, Christum à morte suscitatum, et rursum in carne redivivum ac gloriosum significat. Insuper, sicut sardius in Rationali datur primogenito Jacobi, scilicet Ruben; ita hîc datur Christo qui fuit primogenitus mortuorum, id est, à morte resurgentium. Tertio, sicut sardius intra saxum generatur, ita Christus in lapideo sepulcro resurrexit, et quasi regeneratus est. Quarto, sardius vulneribus et tumoribus medetur, ita resurrectio omnes Christi livores et vulnera persanavit. Denique, sicut in sardio nulla est macula, ita in Christo jam resuscitato nullus est dolor, nulla tristitia, quæ ejus gaudium et gloriam hebetare et fuscare possit. Ita Alcazar, qui multis probat sextum articulum esse : *Resurrexit à mortuis.*

Septimum, chrysolithus.] Chrysolithus aureo colore translucet, eoque ita ardente, ut aurum cum eo collatum albicare videatur, ait Plinius. Chrysolithi ergo nomine subinde comprehenduntur topazii, et hyacinthi, qui et ipsi aureo sunt colore. Censet Alcazar chrysolithum non alium quàm aureum habere colorem. Verum eum non tantum aurei, sed et marini esse coloris, patet; quia hebr. vocatur תרשיש *tharsis*, id est, marinus : unde Ezech. v. 1, 16. ubi Noster vertit : *Quasi visio maris;* hebr. est : *Quasi visio Tharsis.* Hinc Isidorus : *Chrysolithus*, inquit, *auro similis est, cum marini coloris similitudine.* Alludit enim color chrysolithi hîc, ad id quod Joannes de cœlesti hac Jerusalem dixit, v. 18. *Ipsa vero civitas aurum mundum simile vitro :* et v. 21. *Platea civitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum.* Pari enim modo chrysolithus et aurei, et vitrei, id est, marini est coloris; quia enim aureus color in eo non opacatur, sed pellucet; hinc quasi vitreus est et marinus. Quocirca opinantur multi chrysolithum esse illum, qui vulgo à gemmariis vocatur chrysolica, cujus color est viridis dilutus, et multis angulis levigari et poliri solet, ut excitatius fulgeat. Verum in hac gemma vix apparet aureus color : adde, viridis color non est marinus. Quapropter Anselmus Boetius, lib. 2. de Gemmis, c. 65. *Chrysolithus*, inquit, *aureum habet colorem, et aquam rheubarbaro vel croco tinctam refert. Orientales purissimi auri instar rutilant : Europæi crystalli instar molles, cum aureo colore vel multum vel parum nigricant. Inter hos nonnulli parum flavedinis habent, ut nisi nigridine à crystallis distinguerentur, ab iis secerni non possent.*

Chrysolithi dotes sunt : valet contra asthma et pectoris angustias, ac contra pusillanimitatem, melancholiam, molestias et timores nocturnos, uti se expertum scribit Rueus, Cardanus, et ex eo Anselmus Boetius cap. 66. Addit Abulens. in Exodi 28. 20. valere contra dæmones, quia scilicet valet contra melancholiam, per quam operari et tentare homines solent dæmones. Denique Isidorus et Abulensis asserunt chrysolithum de die videri aureum, de nocte igneum. Sic de chrysolampi gemma scribit Plinius lib. 37. cap. 10. *Chrysolampis in Æthiopia nascitur, pallidi coloris die, noctu ignei.* Denique Boetius loco citato : *Chrysolithus*, ait, *est naturæ solaris, cujus speciem aureo suo colore refert.*

Jam chrysolitho in Rationali insculpta erat Ephraim, aurea, id est regia, tribus regni Israel : hic vero notat S. Matthæum ex ordine Apostolorum, qui assignatur Matth. 10. v. 2. Matthæus enim fuit Tharsis, id est pœnitens, et ardens amore Christi : unde scripsit præ cæteris Evangelistis, fuse et exacte Christi Evangelium, quo quasi ignea fax noctem hujus sæculi et Ecclesiæ illuminat.

Rursum, chrysolithus repræsentat septimum fidei articulum : *Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Patris.* Nam primo, sicut albus color sanctitatis, et cæruleus cœlestis vitæ, ita aureus symbolum est regiæ majestatis, triumphi et gloriæ Christi, quam adeptus est, cum ascendens in cœlum, gloria et honore coronatus est, sedetque ad dexteram Dei, quasi consors regni divini et æterni. Unde Plinius lib. 9. 36. vocat aurum triumphale, eo quod triumphantes aureis vestibus amicirentur. Rursum, aurum sym-

bolum est perfectæ felicitatis, puritatis, abundantiæ, et æternitatis, quam Christus ascendens in cœlum à Patre accepit.

Secundo, chrysolithus est aurum, non opacum, sed pellucidum : ita Christi gloria in cœlis pellucet, transfundit et communicat se omnibus Beatis.

Tertio, sicut chrysolithus dispellit pusillanimitatem et melancholiam, ita et ascensio et sessio Christi ad dexteram Patris : sedet enim ibi, ut agat nostrum advocatum apud Patrem, utque peccatoribus et scelerum conscientia oppressis, item timidis et scrupulosis spem, robur, veniam ac gratiam impetret; illi ergo omnem metum omnesque scrupulos hîc in sinu Christi ponant. Hoc est quod ait S. Joannes epist. 1. c. 2. 1. *Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum.*

Octavum, beryllus.] Beryllus colore est puri maris, ait Solinus, puta viridi diluto, hoc est habente perspicuitatem vergentem in cæruleum; qui glaucus, si dilutior; et cæsius, si saturior sit, dicitur, qualis est oleæ et olivarum. Unde Anselmus Boetius lib. 2. de Gemmis cap. 69. *Beryllus*, ait, *gemma est quæ aquæ marinæ colorem refert ex viridi cæruleum : Italis à colore, aqua marina vocatur.* Dum berylli aureos radios habent, aut ex auro scintillant, chrysoberylli appellantur. Porro berylli *poliuntur omnes sexangula forma artificum ingeniis : quoniam hebescunt, ni color surdus repercussu angulorum excitetur*, ait Plinius lib. 37. 5. Addit Solinus : *Indici reges hoc genus gemmarum in longissimos cylindros amant fingere.* Hinc Curtius lib. 9. scribit sceptrum aureum, quod Alexandro obtulit Sophites, beryllis fuisse distinctum.

Rursum, cæteræ gemmæ venustiores sunt vestitæ auro : beryllus vero sine auro, et nudus pulchrior est. Unde Plinius : *Solos gemmarum esse prædicant, qui carere auro malunt.*

Tertio, beryllum tradunt pugnantes excitare et animare ad pugnam. Rursum, inhibere catarrhos qui ad oculos et guttur fluunt : plures ejus vires recenset Anselmus Boetius lib. 2. de Gemmis, c. 71.

Beryllo in Rationali insculptus erat Benjamin : hîc denotat S. Thomam, qui berylli oculos, id est glaucos et perspicuos, accepit, cum Christum post resurrectionem, ejusque vulnera vidit et palpavit, ideoque audivit à Christo : *Quia vidisti me, Thoma, credidisti;* sexangulus etiam fuit, id est multis tentationibus et adversitatibus expolitus, fortior et gloriosior in fide evasit.

Rursum, beryllus denotat octavum Symboli articulum : *Inde venturus est judicare vivos et mortuos.* Idque primo, quia beryllus est colore maris puri; unde significat purum et limpidum Christi judicium, nullo favore aut passione fuscandum. Idem significat berylli perspicuitas, qua pellucet; ita enim in judicio intima conscientiæ toti mundo patebunt : ac nuditas, qua aurum respuit, et se solo suaque nuditate fulget. Sic Christus nulla admittet munera auri vel argenti, et nuda opera secundum merita cujusque judicabit, et præmiabitur vel puniet.

Secundo, glaucus berylli color significat terrorem diei judicii : glauci enim oculi, licet speciosi, terrorem tamen incutere solent; nam tales sunt oculi draconum, leonum et aquilarum : tales etiam fuerunt Neronis, et Palladis bellorum præsidis. Unde γλαυκῶσαι idem est quod horribilibus oculis aliquem intueri.

Tertio, sicut beryllus pugnantium industriam et animos acuit; ita meditatio judicii omnem segnitiem discutit, et animos ad omnia contra dæmonem et carnem certamina accendit.

Quarto, beryllus sanat siccatque catarrhos : ita cogitatio judicii desiccat appetitus carnales. Semper ergo tuis, æque ac S. Hieronymi auribus hic lituus insonet : *Surgite, mortui, venite ad judicium.*

Nonum, topazius.] Topazius veterum partim aurei coloris erat, partim viridis, puta porracei, sive qualis est foliorum porri, ait Alcazar : quare moderni topazii, qui toti sunt aurei et fulvi, à priscis veterum diversi sunt. Duæ ejus species recensentur à Plinio; una dicitur prasoides, quod plus porri viridis quàm auri speciem referret : altera chrysopasius, quod plus fulgentis auri quàm porri colorem exhiberet. Translucidum esse tradit Strabo et alii. Audi Anselmum Boetium lib. 2. de Gemmis c. 62. *Topazius*, inquit, *veterum fuit gemma viridis ac diaphana : si aureo quodam fulgore splendebat, chrysopatius appellabatur. Nunc utraque à gemmariis chrysolithi nomen obtinet. Topazius seu chrysolithus vulgaris smaragdo est colore dilutior, cui nonnihil flavedinis adjectum videtur. Huic, dum viror aureus est, chrysopatii nomen tribuitur, et smaragdi mater putatur. Plinius multa de chrysopatiis, chrysolithis et chrysoprasis tradit; sed omnes istas gemmas ita confundit, ut nihil inde certi colligi possit. Chrysopatius non absurde hodie à gemmariis chrysolithus appellari potest, quòd revera aureus color per viridem in illo fulgeat. Qui si noctu igne admoto vehementer splendeat, chrysolampis Plinii est. A nonnullis hæc gemma cum chrysopraso confunditur, quia parum inter se differunt* (et capite sequenti : *Chrysopasium, vel chrysopatium à chrysopraso differre non puto.*) *Topazius, teste Plinio, à Juba Mauritaniæ rege, qui eum in insula Chiti Arabiæ, marisque Rubri primum invenit, nomen accepit.* Dicitur topazius, id est quæsitus, ait Plinius : quia inveniebatur in Topazio insula, quæ quia nebulosa, à nautis quærebatur. Nam Troglodytarum lingua, *topazin* idem est quod quærere. Græce τοπάζειν, est in loco collocare, aut conjectare et suspicari. Aliqui tamen suspicantur topazium dici ab Hebræo פז *paz*, id est aurum, et aurea gemma : inde Septuag. Psal. 118. v. 127. et alibi, *paz* vertunt topazium, quasi primitus topazius dictus sit τὸ *paz*, vel græce τὸ πάζιον, quod postea inscitia librariorum in unam dictionem calluit, indeque vocatur τοπάζιον. Aliud etymon dat S. Gregorius lib. 18. Moral. c. 27. explicans illud Job c. 28. *Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia : Topazius*, inquit, *pretiosus lapis est, et quia Græca lingua pan omne dicitur, pro eo quod omni colore resplendet, topazium quasi topandium vocatur : Æthiopia* est gentilitas, quæ Christo adæquari nequit, q. d. *Nullus Sanctorum quibuslibet virtutibus plenus, ex ista tamen nigredine mundo collectus, æquari ei potest, de quo scriptum est : Quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.*

Est gemmarum maxima : nam inventi sunt topazii quatuor cubitorum, ex quibus facta est statua Arsinoæ, Ptolemæi Philadelphi uxoris, ait Plinius.

Rursum est delicatissima, quia sola nobilium

gemmarum limam sentit, et usu atteritur, ait Plinius. Insuper est mire splendens et fulgida, præsertim cum solis radiis verberatur. Ita S. Ambrosius in illa verba Psalmi 118. *Super aurum et topazion.* Tradunt Abulensis, Berchorius, Vincentius, et ex iis Alcazar topazium comprimere passiones animæ, ac nominatim passionem lunaticam, phrenesim, iram, tristitiam, luxuriam. Addit Rueus eum cohibere aquam ne igne effervescat, et ebulliat : imo Rueus ait, si quis annulum ex topazio gestet, posse eum intra ferventis aquæ lebetem secure manum immittere ; quod tamen credere malim quàm experiri. Merito hasce de gemmarum viribus opiniones ridet, et ex experientia confutat Anselmus Boetius lib. 2. cap. 63. Olim topazius fuit pretiosissimus, et regibus in deliciis. Denique S. Ambros. loco citato, ait topazium, *si eum polire et levigare velis, asperari magis, cum ipse natura sua sit euglyphus,* id est optimæ formæ, bene sculptus et scalptus.

In Rationali topazio insculptus erat Simeon : hîc vero eodem significatur Jacobus frater Domini, aurea sanctitate à Christo irradiatus, imo Christum ipsum vita et vultu referens, adeo ut qui ipsum videret, Christum ipsum sibi videre videretur. Qua de causa multi Hierosolymam confluebant, uti in ipso Christum cernerent.

Secundo, similis fuit porro, quia austeram et acrem egit vitam in magna abstinentia et pœnitentia, vino et carne abstinens, pane et aqua vivens, illique lacrymas miscens, nudis incedens pedibus. In oratione assiduus, adeo ut genua ex genuflexione callosa haberet instar cameli : quare creatus primus Episcopus Hierosolymorum, multos Judæos ad Christum convertit.

Tertio, corpus et affectus animi mortificatos et edomitos habuit ; hinc cognominationem Justi est sortitus etiam apud Judæos : quia vitæ adeo sanctæ fuit, ut videretur esse imago vitæ cœlestis, adeo ut Josephus, licet Judæus, lib. 20. Antiquit. cap. 8. hanc unam excidii Hierosolymæ per Titum causam afferat, quod Jacobum hunc justum occiderit.

Denique scripsit Epistolam omnigenæ perfectionis, qua Christianos ad tentationum et tribulationum omnium tolerantiam, opum contemptum, charitatem, misericordiam, omnemque virtutem inflammat.

Rursum topazius notat nonum Symboli articulum : *Credo in Spiritum sanctum.* Spiritus sanctus enim est quasi radius à sole, id est à Patre et Filio, procedens : topazius enim radio solis est simillimus, ait Strabo.

Rursum est aureus in suis donis. Illi enim attribuitur sanctificatio, illuminatio, rerum æternarum amor, temporalium contemptus, alacritas et generositas animi ad heroica opera, visque homines ad Christum attrahendi.

Secundo, comparatur porro : quia porri dotes sunt sanare tusses, distillationes, aliaque vitia pectoris et pulmonis : item serpentum et scorpionum morsus, hydropem, icteron, et renum dolores. Ita vitia morbosque animi curat Spiritus sanctus per pœnitentiam et mortificationem : hydrops enim symbolum est avaritiæ, icteros pravi exempli, renum morbus libidinis. Rursum de porro ait Plinius ; *Voci, fecunditati, somnoque multum confert ;* unde Nero statis diebus non nisi porro vescebatur ; erat enim vocis canoræ avidissimus, et Aristoteles scribit perdices adeo esse argutas et canoras, quod porri sint edacissimæ. Ita vocem et linguas igneas Apostolis dedit et dat Spiritus sanctus, quibus fecundam sobolem Ecclesiæ procreent. Dat et somnum, id est quietem menti ; quia facit ut sit addicta divinarum rerum meditationi, et contemplationi. Adhæc Plinus lib. 19. 6. asserit de porro : *Eo hausto mortem sine ullo cruciatu perferri ;* affert exemplum de Mela, qui *cum esset reus ex procuratione, Tiberio principe, succo porri ad trium denariorum pondus hausto, sine ullo cruciatu expiravit.* Quis Martyres in summis tormentis alacres, validos, et quasi insensibiles fecit, nisi Spiritus sanctus ?

Tertio, sicut chrysolithus aureo colore symbolum est ascensionis Christi, ita ei vicinus topazius aureo colore, sed pellucente, symbolum est communicationis Spiritus sancti, quo gloria et regnum Christi elucescit. Ideo enim Christus ascendit in cœlum, ut inde mitteret Spiritum sanctum qui, post Christum, est lux mundi.

Quarto, topazius facilius noctu quàm die invenitur, ait Strabo : ita Spiritus sanctus facilius in adversis, quàm in prosperis acquiritur.

Quinto, ut topazius, ita longe magis Spiritus sanctus frenat iram, libidinem, etc. omnesque animi motus pacificat et componit, ut inter medios mundi fluctus et turbines tranquilli simus.

Sexto, Spiritus sanctus instar topazii est donum splendidissimum, pretiosissimum et regale quod optat Psaltes Psal. 50. dicens : *Spiritu principali* (regio, principe) *confirma me.*

Septimo, topazius studiose vestigandus est ; ita de Spiritu sancto ait Christus : *Quærite, et invenietis ;* et : *Dabit spiritum bonum petentibus se,* Luc. 11. 9. Rursum, eodem studio custodiendus est : est enim instar topazii delicatus.

Decimum, chrysoprasus.] Chrysoprasus, teste Plinio, est triplex : scilicet primus est species topazii, secundus berylli (hi pellucent), tertius Indicus, id est opacus, de eo hîc agitur ; nam de topazio et beryllo jam ante audivimus. Hic viret, sed aureis guttis est inspersus. Unde Plinius lib. 37. cap. 8. ait quod callais, quæ gemma est viridis et pallens, sit affinis chrysopraso. Hic ergo colore refert succum porri : inde chrysoprasus dicitur. χρυσον enim est aurum, πρασον porrum ; inde prasinus color, id est porraceus. Quocirca in chrysopraso quasi copulantur chrysolithus, qui aureo ; et topazius, qui porraceo est colore. Chrysoprasus enim porraceum habet cum aureo splendore, eumque per tenebras magis ostentat. Rursum, Anselmus Boet. lib. 2. de gemmis cap. 56. tres chrysoprasi colores et species assignat : *Prima,* inquit, *continentur, qui exacte viridis porri colorem æmulantur. Secunda, qui multum flavedinis habent, ac silicis arescentis fere colorem referunt. Hi, si aurei sint splendoris, chrysopteri veterum sunt. Tertia, qui exigua viriditate, majorique flavedine lactescunt. Has tres species omnes apud me reservo.*

Tradunt chrysoprasum sanare infirmitatem aciei oculorum, ut firmiter in rem objectam figi possit. Addunt alii ingenerare animo opum contemptum et liberalitatem. Dilatat enim spiritus, eosque exhilarat, ideoque ex arcto et avaro facit liberalem et Jovialem.

In Rationali pro chrysopraso erat achates, illique inscriptus erat Issachar. Hæ solæ duæ gemmæ inter se diversæ sunt : quamquam co-

rallachati, quæ est species achatis, affinis sit chrysoprasus, ut dixi Exodi 28. 19.

Chrysoprasus est Judas Thadæus, aurea sapientia acer in hæreticos, ut patet ex tota ejus epistola æque ac aureo charitatis, suavitatis, omniumque virtutum fulgore, fidelibus æque ac Christo amabilis. Unde et Lebbæus, id est corculum, est appellatus. Quocirca Joan. 14. 21. cum Christus dixisset: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum;* Judas interrogavit, dicens: *Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, et non mundo? Respondit Jesus, et dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*

Jam chrysoprasus notat in Symbolo decimum articulum: *Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.* Primo, quia chrysoprasus paulum declinat à topazio in aurum. Topazius ergo vividior masculi, id est Spiritus sancti, chrysoprasus feminæ, id est Ecclesiæ, quæ sponsa est Spiritus sancti, symbolum est: hinc ab eo sancto fit sancta, nec quis sanctus esse potest, nisi in sancta et per sanctam Ecclesiam. Topazius est pellucidus, chrysoprasus est opacus: quia Spiritus sanctus illuminat opaca hominum terrestrium, qui in Ecclesia sunt, corda.

Secundo, in chrysopraso, id est Ecclesia, copulantur quasi chrysolitus et topazius, id est Christus et Spiritus sanctus: hi enim regunt Ecclesiam. Unde qui Ecclesiæ resistit, Christo et Spiritui sancto resistit.

Tertio, aureus color in chrysopraso charitatis, viridis spei est symbolum. Speravimus enim in Ecclesia à Christo et Spiritu sancto bona æterna, cujus spei pignus nobis dedit Christus in Eucharistia.

Quarto, chrysoprasus sanat infirmitatem oculorum, ita Ecclesia errorum et hæresum; magisque se in tenebris, id est in adversis, ostentat, atque animum ab operibus terrenis ad cœlestes transfert. Porro apte in Rationali pro chrysopraso positus fuit achates, cujus gloria et splendor est in repræsentatione earum rerum, quæ in ipsomet figurantur. Naturaliter enim varias et miras variarum rerum figuras exhibet. Ita Pyrrhus Rex, ait Plinius lib. 37. 1. *Habuisse traditur achatem, in qua novem Musæ et Apollo citharam tenens spectarentur, non arte, sed sponte naturæ ita discurrentibus maculis, ut Musis quoque singuli sua redderentur insignia.* Similem achatem se habere asserit Anselmus Boetius lib. 2. de Gemmis cap. 95. in quo scilicet visatur imago Episcopi cum mitra, aliæque plures. Quocirca apte achates significabat Synagogam, quia *omnia in figura contingebant illis*, 1. Corinth. 10. 11.

UNDECIMUM, HYACINTHUS.] Hyacinthus veterum fuit idem qui nunc à gemmariis vocatur Sapphirus, inquit Rueus, Georgius Agricola, et Alcazar: licet Anselm. Boetius lib. de Gemmis cap. 30. putet fuisse amethysti speciem; nostrum vero sapphirum à Plinio lib. 37. cap. 9. vocari cyanum. Ibi enim Plinius cyanum docet esse cæruleum, comparatque ac distinguit eum à suo sapphiro, dicens: *Inest* (cyano) *aliquando et aureus pulvis, non qualis in sapphirinis. Sapphirus enim et aureis punctis collucet.* Verum auctores jam dicti censent hyacinthum olim fuisse modernum sapphirum, fierique potest ut idem alio nomine dictus sit cyanus (quamquam quis sit Plinii cyanus obscurum sit: nam aureus pulvis quem ei tribuit, non cernitur in nostro sapphiro:) hyacinthus enim olim, æque ac noster sapphirus, fuit cæruleo colore, qui modice violaceo diluebatur, uti docent Plinius, S. Hieron. Nyssenus, Gregor. Magnus, et Eucherius. Porro cæruleus color in eo ita subtilis et delicatus, *ut evanescat antequam satiet, adeoque non implet, ut pene non attingat*, ait Plinius. Moderni ergo hyacinthi, cum sint coloris aurei et mellei, chrysolithi sunt (quod etiam docet Anselm. Boet. lib. 2. de Gemmis cap. 29. quodque illi nunc vocentur hyacinthi, recens inventum est, ex eo ortum, quod olim vocati sint hyacinthi sapphirini. Ita ex Alberto Magno Alcazar. Nam vulgus nomen prius hyacinthi retinuit, posterius sapphirini subticuit.

Hyacinthus veterum cum cœlo colorem mutare videbatur. Cœlo enim nubilo videbatur obnubilari, et quasi exstingui, idque quia color tener erat et delicatus. Ita Solinus. Secundo, durus erat, adamante tamen vincebatur et scalpebatur.

Tertio, difficile incalescebat, et in os missus frigescebat, inquit Solinus et Isidorus.

Quarto, medebatur. Hinc pesti et venenatis morbis medici potionem ex hyacinthis præscribebant, ideoque hyacinthus è collo suspendi solebat è regione cordis, inquit Rueus.

Quinto, hyacinthus dicitur corpus roborare, somnum et lætitiam conciliare. Denique quæ recentiores sapphiris tribuunt, ea priscis hyacinthis conveniunt. Ea sunt, roborare visum, pellere venena et tumorem, vinctos è carcere solvere, tollere invidiam, facere victorem, amorem castum inserere, fluxum sanguinis sistere, inordinatas animi affectiones frenare, pacem conciliare. Hæc vulgo etiam à doctis credita. E quibus multa vel per auxesin dicta, vel fabulosa arbitror.

Pro hyacintho in Rationali ponitur ligurius, quem Alcazar censet esse genus succini, vel electri, coloris ignei, et adeo durum, ut possit scalpi, ideoque à priscis vocari gemmam. Dici autem ligurium à provincia Liguriæ, quæ hoc succino abundarit, sive ibi mare illud ad littus ejecerit, sive Liguriæ feminæ fuerint ejus studiosissimæ, ut tradit Plinius. Verum probabilius est ligurium eumdem esse cum hyacintho, ut multis ostendi Exodi 28. 19.

Ligurio, sive hyacintho in Rationali insculptus erat Aser: hic vero repræsentat Simonem Chananæum, qui cæruleus et violaceus, id est cœlestis fuit coloris, instar sapphiri moderni, et instar floris, qui exinde pariter vocatur hyacinthus: est enim illi concolor; cœlestis, inquam, tam in vita et suavissimis moribus, quàm in ardenti prædicatione: unde hebr. cognominatus est Chananæus, id est zelotes.

In Symbolo hyacinthus repræsentat undecimum articulum, scilicet *Remissionem peccatorum:* per hanc enim fimus quasi hyacinthi, id est cœlestes, juxta illud Coloss. 1. 13. *Transtulit nos in regnum filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.* Nam sicut in topazio resplendet color porri, in chrysolitho auri, in carbunculo carbonis, sive prunæ ignitæ; ita in hyacintho refulget color floris, qui dicitur hyacinthus. Huic autem flori hæ duæ litteræ A. I. ita *discur-*

rentibus venis, ait Plinius, vel *maculosis notis*, ait Dalecampius, leguntur inscriptæ, quæ junctæ faciunt AI, quæ est vox et interjectio dolentis, pœnitentis, et suspirantis ad cœlum et vitam cœlestem. Ex hac floris inscriptione Poetæ finxerunt fabulam de hyacintho puero ab Apolline dilecto, quem cum ipse imprudens disco occidisset, in florem convertit, inscriptis his litteris AI, quæ est vox dolentis. Unde Ovidius lib. 6. Metamorph. ita Apollinem loquentem inducit :

Flosque novus scripto gemitus imitabere nostros :

Et mox :

Ipse suos gemitus foliis inscribit, et AI AI!
Flos habet inscriptum, funestaque littera dicta est.

Rursum flos hic mollis et tener symbolum est commiserationis, quam habet Christus erga peccatores. Eadem de causa in lege veteri pontifex gestabat tunicam hyacinthinam, quæ eum suî aspectu jugiter moneret, et misereri, et interpellare pro peccatoribus. Insuper in flore hoc cæruleus color mixtus est miniato, qui sanguinis est instar, quem Christus pro peccatoribus ex immensa miseratione effudit. Adhæc, de flore hoc ait Plinius lib. 21. 26. *Torminibus et aranearum morsibus resistit, et contra serpentes et scorpiones, morbumque regium semen ejus cum abrotono datur.* Idem facit Christus et Ecclesia per Sacramentum pœnitentiæ, quo remittuntur peccata.

Secundo, gemma hyacinthi sudo cœlo quasi hilarescit et splendescit, nubilo fuscatur, et quasi luget et mœret. Quid aptius ad clementiam et misericordiam repræsentandam?

Tertio, cordi medetur : sic pœnitentia et absolutio menti.

Quarto, cœli fulmina hæc gemma avertit, ait Rueus : sic venia et condonatio peccatorum Dei iras et fulmina amolitur.

DUODECIMUM, AMETHYSTUS.] Hic violaceus est, purpureus et roseus, sculptura facilis, leniterque flammulas fundit. Unde Plinius lib. 37. c. 9. *Violaceo colore perlucens.* Et inferius : *Præcellens debet esse in suspectu, velut ex carbunculo refulgens quidam in purpura leviter roseus nitor.* Et rursum : *Amethystum usque ad vini colorem accedere, sed in violam desinere, et fulgorem quemdam purpuræ in illa cerni, non ex toto igneum, sed in vini colorem deficientem.* Hinc ita oculis gratus est, ut Plinius eum vocet *gemmam Veneris.* Dictus est *amethystus*, id est *non ebrius*, eo quod vini colorem non integre accipiat, sed in violam desinat : aut, ut alii, *amethystus*, id est ebrietati resistens : μεθύσκω enim idem est quod inebrior ; ita Rueus, qui et citat Aristot. licet Plinius et Plutarchus idipsum negent, et rideant eos qui dicunt amethystum ebrietati resistere : ut ut est, amethystus symbolum est sobrietatis. Amethystus enim, imo omnes gemmæ siccæ sunt et frigidæ, ait Anselm. Boet. lib. 2. de Gemmis cap. 66.

Plutarchus lib. de Audienda Poetica, ait amethystum habere vim attrahendi sibi vicina. Alciatus tradit in Emblem. colorem ianthinum, id est violaceum (qui est amethysti) esse symbolum ejus qui est sorte sua contentus. Ait enim:

Quisquis sorte sua contentus, ianthina gestet.

Superius in sardio dixi sardium esse amethysti matrem. Scribit Anselm. Boetius lib. 2. de Gemmis cap. 32. amethystum Orientalem ustione dealbari et quasi in adamantem verti posse, ita ut periti gemmarii cum à vero adamante secernere vix queant.

Denique Rueus ait amethystum facere prosperos et felices, item vigilantes; forte ex eo quod hebr. vocetur *achlama*, à rad. חלם *chalam*, id est somniavit, per antiphrasin : licet et Rabbini et Pagnin. ita dici velint, eo quod qui eum defert digito semper videat somnia ; sed hoc frivolum est.

In Rationali amethysto inscriptus erat Zabulon. Hic notat Matthiam, humilem, qui ultimus in locum Judæ sorte electus successit. Unde Matthias heb. significat donum Dei : humilitas enim est gemma Veneris vel gratiarum, quæ Dei et hominum animos sibi conciliat, quæque vere ebrietati, id est superbiæ, resistit, ac quietem et felicitatem, gloriamque perennem et æternam parit. Ita hæc singulis Apostolis adaptant Joachim, Ribera et Viegas. Tropol. amethystus purpureus notat modestiam, quæ est *purpura virtutum*, ut ait S. Ambros. nam quasi purpura eas tegit, vestit et ornat.

In symbolo amethystus repræsentat duodecimum articulum : *Carnis resurrectionem, et vitam æternam.* Hæc enim duo cum eodem spectent jungenda videntur. Nam primo, vini color notat Beatorum lætitiam, de qua Psaltes : *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Hoc vinum cœleste animum ad se rapit, avocatque à vino hoc terreno corpus et mentem inebriante. Unde S. Hieron. ad Eustochium : *Quotiescumque sæculi te vana delectabit ambitio, quotiescumque aliquid videris gloriosum, ad Paradisum mente transgredere.*

Secundo, habet colorem violæ, quæ refrigerat; ideoque, ut ait Plinius lib. 21. 19. *crapulam et gravedines capitis impositis coronis, olfactuve discutit.* Simili enim modo vitæ æternæ cogitatio arcet cupidinem, et gravedinem gulæ et luxuriæ.

Tertio, in hujus vitæ laboribus et ærumnis homines ad se trahit. Insuper habet colorem purpuræ, ut notet Beatos in cœlo esse triumphatores, item principes et reges purpuratos, utpote filios et hæredes regni Dei. Porro regum purpura lanea est, brevis et evanida; hæc vero gemmea, solida, splendida et æterna.

Rursum purpura erat sacerdotum; unde Ephod pontificis erat ex purpura ; ita Sancti in cœlo erunt sacerdotes Dei.

Quarto, in cœlo omnes sua sorte sunt contenti, quia cujusque beati capacitatem et desiderium Deus adimplet; ac præsertim humiles, qualis fuit S. Matthias, exaltat.

Quinto, sardius est mater amethysti ; ita resurrectio Christi est causa et origo nostræ resurrectionis et gloriæ: unde sicut sardius, ita et amethystus in corde saxi generatur; quia tam Christus, quàm nos, è saxeis sepulcris resurgemus.

Denique hæc vita et gloria facit nos vigilantes et sobrios, instar amethysti. Hoc enim est quod nobis intonat S. Petrus : *Fratres, sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret*, ut nos hac vita æterna privet, et in mortem ignemque gehennæ secum pertrahat. Ita singulos Symboli articulos singulis gemmis adaptat Alcazar, qui deinde notat. 36. eosdem combinat cum duode-

cim Patriarchis, qui iisdem gemmis inscripti erant in Rationali. Verum ipse inter Patriarchas gemmis inscriptos numerat Levi, quem non esse numerandum docui Exodi 28. 17.

Quare eo omisso, illi utrimque se apposite combinandi videntur. Jaspis, qui hîc est primus, in Rationali inscriptum habebat Gad, qui ita dictus est à robore et turma militari. Gad ergo apte repræsentat S. Petrum, qui est petra Ecclesiæ : æque ac primum articulum creationis : creatio enim opus fuit fortitudinis et omnipotentiæ Dei.

Secundus, sapphirus cæruleus, in Rationali inscriptum habebat Nephthali, qui hebr. idem est quod colluctans, comparans, æquiparatus, consimilis. Hic repræsentat Andream, qui fratri suo Petro fuit consimilis ; æque ac secundum articulum, qui est de generatione Verbi. Verbum enim est menti paternæ consimile et coæquale. Rursum Nephthali benedicens Jacob Genes. 49. v. 21. ait : *Nephthali cervus emissus, dans eloquia pulchritudinis.*

Ita Filius Dei fuit Verbum ab eo emissum dans eloquia pulchritudinis. Verbum enim eloquitur omnem Patris rerumque divinarum pulchritudinem.

Tertius, carbunculus igneus, in Rationali inscriptum habebat Dan, qui ignitus fuit in Samsonis ex eo prognati zelo. Hic significat Jacobum fratrem Joannis, amore Christi ardentem, æque ac tertium articulum, qui est de Verbi incarnatione. Hæc enim fuit opus igneæ charitatis Dei, fuitque adumbrata in Dan, cui Jacob benedicens dixit Gen. 49. 18. *Salutare tuum* (id est Christum incarnatum) *exspectabo, Domine.*

Quartus, smaragdus viridis, in Rationali inscriptum habebat Judam, viribus virentem et pollentem. Hic adumbrabat S. Joannem, virginitate virentem et potentem ; æque ac quartum articulum, qui est de passione et morte Christi. In ea omnes vires suas exseruit Christus, quibus peccatum, mortem et diabolum debellavit. Crux enim est fortitudo Christi, et gladius quo hostes profligavit.

Quintus, onyx, in Rationali inscriptum habebat Manassem, qui, utpote primogenitus, repræsentat patrem suum Joseph, innocentem et candidum. Joseph ergo apte repræsentat Philippum, pariter candidum, æque ac quintum articulum, qui est de descensu Christi ad inferos. Sicut enim Joseph à fratribus missus est in cisternam, et ab hero in carcerem ; ita Christus missus est in infernum. Rursum, sicut Joseph dixit fratribus : *Ego sum Joseph frater vester ;* ita Christus dixit Adæ et Patribus in limbo : *Ego sum filius et redemptor vester.*

Sextus, sardius, in Rationali inscriptum habebat Ruben, rubentem amore Josephi, ut eum è manibus fratrum liberaret, Genes. 37. 21. Hic repræsentat S. Bartholomæum qui pro Christo excoriatur, totus fuit sanguineus et rubeus : æque ac sextum articulum, qui est de resurrectione Christi. In hac enim Christus carnem in morte exsuccam et pallidam, rursus rubeam et sanguineam instar sardii effecit, cum redivivus et gloriosus è sepulcro surrexit.

Septimus, chrysolithus aureus, in Rationali inscriptum habebat Ephraim, qui aureum Israelis sceptrum obtinuit. Hic figurat S. Matthæum, ex publicano Apostolum, et Ecclesiæ ac Evangelii principem ; æque ac septimum articulum, qui est de ascensu Christi in cœlum, ejusque sessione ad dexteram Patris. Hic enim notat regalem Christi dignitatem, aureamque ejus gloriam et majestatem.

Octavus, beryllus, in Rationali inscriptum habebat Benjamin, id est filium dexteræ. Hic figurat Thomam, qui fuit filius dexteræ Christi, cum novissimus inter Apostolos Christum resurgentem vidit, itaque ei credidit. Rursum figurat octavum articulum, qui est de judicio Christi : quia enim Christus est Benjamin, id est filius dexteræ Dei, hinc venturus est judicare vivos et mortuos.

Nonus, topazius aureus et cæruleus, in Rationali inscriptum habebat Simeonem, interritum et audacem. Hic figurat Jacobum Alphæi, qui apud Judæos, Christi parricidas, interrite Christum prædicavit, ideoque ab eis pariter occisus est. Rursum notat nonum articulum, qui est de Spiritu sancto, qui Apostolos et Martyres fecit interritos, deditque eis vires et animos quibus orbem Christo subigerent. Adde, Simeon hebr. idem est quod exauditio : ita Deus Pater exaudivit preces Christi et Apostolorum, dum misit eis Spiritum sanctum in Pentecoste.

Decimus, achates, in Rationali inscriptum habebat Issachar, qui inter Gentiles habitans, fidelis et sanctus exstitit. Hic notat Judam Thadæum, cujus sanctitas et zelus patent in ejus epistola, æque ac decimum articulum, qui est de S. Ecclesia, et Sanctorum communione.

Undecimus, hyacinthus, in Rationali inscriptum habebat Aser, qui hebr. idem est quod Beatus. Hic notat Simonem Chananæum, qui beatus fuit, quia zelotes. Rursum notat undecimum articulum, qui est de remissione peccatorum. Scriptum est enim : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Psal. 31. 1.

Duodecimus, amethystus, in Rationali inscriptum habebat Zabulon, qui hebr. significat habitaculum. Hic notat S. Matthiam, æque ac duodecimum articulum, qui est de cœlo et vita æterna ; hoc enim est habitaculum felix, dives et æternum, quod Deus Matthiæ, id est humilibus, præparavit ; unde Moses benedicens Zabulon Deuter. 33. 18. ait : *Lætare, Zabulon et Issachar, populos vocabunt ad montem. Ibi immolabunt victimas justitiæ, quia inundationem maris quasi lac sugent, et thesauros absconditos arenarum.* Apostoli ergo sunt gemmantes, immo gemmeæ stellæ : quia gemmæ sunt terræ, et stellæ cœli.

21. DUODECIM PORTÆ DUODECIM MARGARITÆ SUNT, PER SINGULAS.] Primo, Ansbertus et Ribera exponunt, q. d. Quælibet porta facta quidem erat ex solida una margarita, ut sequitur, habebat tamen alias duodecim margaritas sibi affixas et adpactas ad ornatum, ut significetur, omnes gratias et dona quas habent duodecim Apostoli, easdem habere et singulos eorum.

Secundo, et genuine. Ticon. Aretas, Beda et Viegas volunt hic significari, non quòd in singulis portis fuerint duodecim margaritæ, sed quòd singulæ portæ fuerint factæ ex singulis margaritis, ideoque fuerint singulæ margaritæ ; τὸ enim *per singulas*, idem est quod *singulæ ex singulis.* Ita enim mox se explicat S. Joannes dicens : *Et singulæ portæ erant ex singulis margaritis.* Jam portæ hæ non fuerunt foramina

margaritarum : hæc enim exilia sunt, et minora quàm sit foramen acus, sed fuerunt instar portarum urbis ; per eas enim homines et reges ingressi sunt, suasque opes secum in urbem intulerunt. Alcazar tamen censet has portas visas Joanni, arctas valde fuisse; arcta enim est via salutis, et porta aditusque in cœlum ; ita tamen, ut per eam ingredi posset homo.

Adhæc singulæ portæ factæ erant ex una margarita integra, non dissecta, nec ex variis partibus conflata. Erant ergo ingentes hæ margaritæ, utpote ex quibus erigeretur ingens et magnifica porta, tantæ civitati proportionata, cum suis postibus ac liminibus, sicut Romæ videmus portam templi quod Pantheon olim dicebatur, ex una æris lamina constare.

Insuper margaritæ à Latinis vocantur uniones, eo quod nullæ duæ reperiantur in conchis indiscretæ, vel solæ, sed singulæ aliis sunt unitæ, connexæ, et quasi adpactæ. Uniones *nulli duo reperiuntur indiscreti : unde nomen unionum Romanæ scilicet imposuere deliciæ,* ait Plinius libr. 9. 35. ubi et addit illas pretio superare alias gemmas. Porro per portas intelliguntur Apostoli et viri Apostolici. Horum vita et doctrina et margarita, quia mire præstans et pretiosa, atque instar unionis summe inter se unita et consentiens. Ut enim Religiosi et Clerici, qui sunt prædicatores zelosi, portæ cœlestes fiant, multosque in cœlum transmittant, debent esse inter se et cum capite suo unionis nexu copulati, adeoque instar primorum Christianorum, esse cor unum et anima una. Talis est et visio beatifica, gloria et fruitio Apostolorum et Beatorum in cœlis. Unde Christus Matth. 13. regnum cœlorum comparat homini quærenti bonas margaritas. Rursum, ut è margaritis fiant aptæ et concinnæ portæ, oportet ut multis tunsionibus et malleationibus feriantur et poliantur : ita et poliri debent magna corporis maceratione, et sensuum castigatione, ac varia mortificatione tam sponte assumpta, quàm ab aliis illata, qui aliis portæ cœli fieri cupiunt.

Symbolice, margaritæ aptæ repræsentant viros Apostolicos et Religiosos. Nam primo, Plinius libr. 9. 33. scribit certo anni tempore conchas luxuriare, ac maritimum rorem velut maritum sitire, cujus desiderio hiant, et cum maxime lunares liquantur aspergines, oscitatione quadam haurire humorem cupitum : sic concipere gravidasque fieri ex cœli rore, ideoque plus cœli quàm maris habere, ac cœli colorem, lucem et speciem præ se ferre. Hujus rei fides sit penes Plinium. Nam negat idipsum Anselmus Boetius lib. 2. de Gemmis cap. 37. ubi asserit se exemisse complures margaritas ex conchis, ac deprehendisse eas in conchæ corpore nasci ex eo humore, ex quo testa conchæ excrescit, non secus quàm in fellis vesicula, et urinæ vesicula lapides generantur : quo etiam modo lapis Bezoar in capris Indicis multis cuticulis generatur. Verum ex sententia Plinii, sicut unio è cœli rore gignitur, ita vita Apostolica et religiosa cœlestis est, et è cœlo ad homines delapsa : ac cujusque vocatio ad statum tam eximium, opus est peculiaris favoris et gratiæ Dei. Sicut ergo margaritæ causa efficiens, est lumen cœli, sive lunæ : materia seminalis, est humor roscidus : mater et matrix, concha virginea ; non enim coeunt conchæ, nec per commistionem generant : forma constat magnitudine et candore, ut mox dicam ; finis est ornamentum hominum, maxime regum et principum feminarum. Ita hæc omnia sese analogice habent in vita religiosa, cui cuivis facile est ea adaptare. Insuper nonnulli uniones in conchis fieri tradunt ex rore et fulgure. Ros enim allambentis fulguris vi non modo concrescit in unionem, sed et ipse unio celerius Jove tonante paritur, ait Ælian. lib. 10. cap. 13. licet Plinius lib. 9. cap. 35. asserat, si fulguret, comprimi conchas. Id S. Gregorius Thaumaturgus de incarnatione Christi explicat : fulgur enim esse virtutem Spiritus sancti, rorem purissimum sanguinem Deiparæ Virginis ; unionem, corpus Christi, unde Sedul. lib. 2.

> Uterumque puellæ
> Sidereum mox implet onus, rerumque Creator
> Nascendi sub lege fuit : stupet innuba tensos
> Virgo sinus, gaudetque suum paritura parentem.

Simili modo effulgurante in mente Spiritu Sancto, ros, id est, pia et cœlestis cogitatio, coalescit in unionem vitæ et virtutis religiosæ.

Secundo, margaritæ multiplici cute constant, æque ac cœlum variis orbibus, planetis et circulis, atque extimum empyreum omnibus eminet, omnesque ambit et continet. Ita religiosa vita omnibus statibus eminet, eorumque virtutes et dotes in se complectitur.

Tertio, *principium et culmen omnium rerum pretii margaritæ tenent,* ait Plinius. Ita religiosa vita nihil pretiosius et præstantius ; quare prudens negotiator *vendit omnia quæ habet, et emit eam.* Matth. 13. 46. Cleopatra duos uniones habuit, qui valebant sexcenties sestertiûm, id est, duodecies centena millia Philippicorum, teste Plinio lib. 9. 35. ubi et ornatum Lolliæ Paulinæ margaritis constantem, quadringenties sestertiûm, id est, octingentis millibus Philippicorum æstimat. Hac ætate pretio et æstimatione primas tenet adamas, secundas rubinus, tertias unio, quartas sapphirus : ego tamen huic opalum præferri debere existimo, ait Anselm. Boet. lib. 2. de Gemmis cap. 44.

Quarto, *margarita æternæ prope possessionis est,* ait Plinius : et vita religiosa *æternæ omnino possessionis est.* Rursum Origenes tract. 13. in Matth. et Plinius libr. 9. c. 35. docent inter conchylia esse unum maximum, et pulchritudine margaritæ intra se reconditæ venustissimum, quod quasi ducem alia conchylia turmatim sequuntur. Hoc urinatores præ cæteris venantur ; eo enim capto, facile reliquum agmen, omnesque margaritas eo inclusas capiunt. Ita viri Apostolici et Religiosi Christum, Christique vicarium, puta suum Superiorem, quasi ducem per omnia sequuntur.

Quinto, margaritarum *omnis dos in candore, magnitudine, orbe, lævore, pondere,* ait Plinius. Ita candent, ut nullam habeant maculam, nullam labem. Talis est angelica Religiosorum puritas et castitas. Magnitudo notat animi magnitudinem, qua omnia terrena, ut vilia et exilia despiciunt, ac cœlestia et divina spectant. Orbis, id est, orbiculata et rotunda figura facile in omnem partem mobilis, symbolum est obedientiæ, qua se ad nutum Dei et Superioris gyrari sinunt ad omnem locum, officium, exercitium. Cum orbe juncta est nuditas, id est paupertas. Lævor est politura absque ullo tumore aut scabritie. Hæc notat mores per omnia ad regulam

et disciplinam compositos, ut nihil sit in iis excedens aut deficiens, nihil quod alios offendere, aut à quoquam culpari possit. Ponderosiores margaritæ, quales sunt Occidentales, pretiosiores sunt; ita gravitas, modestia et prudentia Religiosorum quo major est, eo pretiosior. Addit Plinius : *non promptis rebus*, q. d. Non facile est hæc omnia simul in unionibus reperire : ita non facile est hasce omnes dotes simul in uno Religioso invenire, sed in quocumque inveniuntur; hic vir rarus est et eximius. Vir ergo Apostolicus et Religiosus refert Christum, qui est prima et pretiosissima margarita, cujus deitas in concha humanitatis continetur; ex materia virginea et rore Spiritus sancti conceptus; summe candidus per vitæ innocentiam, lucidus per sapientiam; rotundus per omnis perfectionis possessionem : habens pondus constantiæ; lævorem mititatis et ingenii tractabilis; pretium ditandi hic homines, et ornandi Ecclesiam tam præsentem, quam futuram. Rursum, instar Christi omnes hasce gemmas refert, licet in una excellat. Ipse est enim carbunculus, quia est lux mundi; est fortis, ut adamas; delectans visum, ut smaragdus; gaudium generans et timorem expellens, ut sardius; lepram peccati et vulnera sanans, ut chrysoprasus; juvat ad partum bonorum operum edendum, ut jaspis; bellum movet in vitia et in dæmones ad ea sollicitantes, ut onychinus; ingenium et prudentiam acuit, ut beryllus; limam passionum sustinet, et fluxum sanguinis peccati restringit, ut topazius; tristitiam malosque spiritus fugat, ut chrysolithus; paleas inconstantium hominum trahit ad se, ut igne charitatis comburat, tanquam chalcedonius; abortivum peccati per confessionem expellit, ut achates; resistit somno et ebrietati, ut amethystus; imbecillitatem animi fugat, ut hyacinthus; gaudium spirituale gignit, ut sardonyx; cœlestis est coloris, et cœlestia spirat corde, et ore, et opere, ut sapphirus.

Sexto, margaritæ rore suaviter et modeste nutriuntur et crescunt, alioqui si tonuerit, abortiunt conchæ speciem inflatam sine corpore, quam vocant physemmata, ait Plinius. Ita Religiosus oratione nutriat spiritum oportet, alioqui si metu tantum agatur, externam duntaxat speciem et larvam Religionis habebit, non internam formam et speciem.

Rursum, pro qualitate roris, qui concha concipitur, mutatur margarita, atque puro rore candidior, turbido obscurior producitur, ait Plinius. Ita pro gratiæ et vocationum discrimine, varia, ac magis minusve perfecta vita religiosa perspicitur. Hinc alii, Deo impellente, vacant quieti et silentio, alii operibus charitatis in hospitalibus, alii doctrinæ et prædicationi, alii contemplationi, etc. Est enim Ecclesiæ sponsa Christi, in vestitu deaurato *circumdata varietate.*

Septimo, solidæ sunt, *et nullo lapsu franguntur*, ait Plinius. Ita solidi sunt Ascetæ per omnia probati, et tentati, ut nulla tentatione aut persecutione frangantur, sed stent immobiles quasi marpesia cautes.

Octavo : *Usu atteri non dubium est, coloremque indiligentia mutari; sole rubescunt candoremque perdunt*, ait Plinius. Ita Religiosi nimia conversatione cum sæcularibus atteruntur. Si ad Episcopatus et Prælaturas evehantur, candorem perdunt.

Nono : *Aceti asperitas visque margaritas in tabem resolvit;* ita aceto suum unionem liquavit Cleopatra, et absorpsit. Pari modo rancoris, iræ et invidiæ asperitas omnem Religionis formam tabefacit in eo quem infecerit et corruperit.

Decimo : *Flavescunt in senecta margaritæ, rugisque torpescunt; nec nisi juventa constat ille qui quæritur vigor*, ait Plinius. Ita senescentibus Religionibus aut Religiosis, torpescit, et pene evanescit primus ille vigor et spiritus, quod ut caveatur, renovatione frequenti opus est, ut quisque cum S. Francisco jam emoriente gestiat ad novitiatus, humilitatis et fervoris redire primordia. Simili enim modo ad pristinum colorem, et quasi juventam redeunt margaritæ, nimirum, ut scribit Anselmus Boetius lib. 2. de Gemmis cap. 38. *Dempta caticula superiori. Demitur autem spiritu vitrioli, alias pulvere alabastri, et corallii albi. Idem fit, si columbis devorandæ præbeantur : aut si oriza et sale diu fricentur. Maculæ abolentur rore Maii, qui foliis lactucæ insidet, si per diem illi immorentur, aut eo perliniantur.*

Undecimo : *Singularis gratia est margaritam clara luce illustratam intus rubescere, ac velut animam habere sanguineam.* Id licet non habeat Plinius, in modernis tamen præsertim Occidentalibus, idipsum videre est. Ita Religiosi anima, est passio et sanguis Christi, ut cum S. Paulo dicat : *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Unde Religiosi à Cassiano, et aliis Patribus vocantur crucifixi.

Duodecimo, unionis gratia et splendor in unitate consistit. Si enim seces et dividas, perit. Hinc et unio dicitur, quia in singulis conchis singulæ, vel, si plures sint, unitæ et indivisæ reperiuntur, licet Anselm. Boetius libr. 2. de Gemmis cap. 37. *Magnæ*, inquit, *margaritæ uniones vocantur, quod raro sibi æqualem magnitudine habeant.* Ita religiosæ vitæ decus et fulgor in concordia et charitate fraterna consistit : si ea pereat, perit Religionis species et sanctitas. Quocirca sicut uniones singuli singulis colore, rotunditate, pondere, aliisque dotibus simillimi, et quasi fratres sunt : ita et Religiosi parem et communem agere debent vitam, ac in religiosæ disciplinæ observatione esse pares et simillimi. Qui enim singulares esse volunt et exempti, sibi odium, aliis scandalum creant. Romæ à Doctore Medico, qui pluribus monasteriis per multos annos operam navavit, audivi, se continua experientia didicisse, eos qui in victu, aliisque rebus singulares esse volunt in monasteriis, juge habere purgatorium tam animæ, quàm corporis : qui hoc evadere velit, ac jucunde et religiose vivere, debere agere vitam communem. Atque hanc singularitatem sæpe non ex infirmitate vel necessitate, sed ex occulta superbia, qua cæteris eminere volunt, proficisci : sicuti vitæ communis amor nascitur ex humilitate; qua, esto sis egregrius, vis esse quasi unus à grege. Radix ergo religiosæ vitæ, pacis, quietis, sanctitatis, est humilitas : ex qua sequitur communitatis amor, et mutua unio, quæ omnium congregationum est vinculum, imo spiritus et anima. Quocirca Cassian. lib. 5. de Institut. Renunc. cap. 23. ita sancit : *Eligendus est cibus*, etc., *qui sit conversationi fratrum usuique communis. Quidquid enim extra consuetudinem præsumitur usumque communem, ut vanæ gloriæ atque ostentationis morbo pollu-*

tum, antiquissima Patrum traditio notat. Acriter vero S. Bernardus serm. 30. in Cant. hosce singulares, velut perturbatores unionis et disciplinæ religiosæ, æque ac propriæ quietis, insectans ob quatuor mala quæ singularitas parit: *Parce*, ait, *obsecro, primum quieti tuæ; parce deinde labori ministrantium; parce gravamini domus; parce conscientiæ, conscientiæ dico, non tuæ, sed alterius.* Eosdem perstringit S. Basilius in Regul. brevior. interrog. 129. 131. 132. Idem Constit. Monast. cap. 19. vitæ cœnobiticæ decus et gloriam in eo consistere docet, quod ea, inquit, sint *omnia communia, animi, mentes, corpora, eaque quibus necessario ad cultum et victum utimur. Communis Deus, communis pietatis mercatura, communis salus, communia certamina, communes labores, communia præmia et certaminum coronæ, ubi multi unus et unus non solus, sed in pluribus.* Et S. Chrysost. hom. 58. ad popul. loquens de Religiosis: *Una mensa*, inquit, *et ministrantibus, et iis quibus ministratur, eadem fercula, eadem indumenta, habitacula eadem, eadem vita. Parvus non dolet, quasi contemnatur, nec ullus est qui contemnat.* Quocirca merito David inter alia mirabilia Dei opera, hoc etiam commendat his verbis: *Qui habitare facit unius moris in domo*, id est ita concordes, æquales et similes, ac si multi unus essent. Et Sophon. c. 3. 9. *Reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et serviant ei humero uno.* Hæc est resp. beata cujus ideam descripsit Plato, sed reipsa exprimere non potuit, in qua omnia sunt communia et æqualia: in qua Religiosi quasi milites, hac communione quasi testudine castrensi, ita se uniunt et muniunt, ut omnium hostium telis sint impenetrabiles, ait S. Basilius cap. 19. citato, imo omnia hostium castra expugnent et prosternant. Vide P. Alfonsum Rodriguez de Perfectione tom. 3. tract. 5. de obedientia cap. 16. et seq.

Decimo tertio, uniones ut usui esse possint, perforantur. Ita Religiosus, ut Ecclesiæ prosit, fiatque doctor, concionator, etc., prius ejus fides et virtus perspicienda est, ut constet eam esse solidæ et probatæ doctrinæ, æque ac virtutis. Denique Alselmus Boet. loco ante citato: *Margaritæ*, inquit, *cor spiritusque vitales roborant; proinde et venenis omnibus, pesti et putredini resistunt, animum exhilarant, cardiacos et melancholicos affectus, et syncopen tollunt. Phthisicis, marasmo febreque ardente aut pestilente correptis ob id utilissimæ sunt. Valent contra sanguinis alvique profluvia, cerebrum nervosque roborant, et oculorum lacrymas exsiccant.* Ita Religio mentem, spiritum, omnesque potentias roborat, sanat, exhilarat, conservat. Porro quæ hîc dixi de gratia et vita Apostolica præsentis vitæ, pari, imo majori jure competunt gloriæ ejusdem in cœlesti Jerusalem: de hac enim ad litteram hîc agit Joannes, cum portas ejus ait constructas ex margaritis. Quæ ergo de gratia et virtutibus dixi, eadem gloriæ et felicitatis dotibus adaptanda sunt. Hasce ergo Christi margaritas, humilitate parvas, valore pretiosas, portatu faciles, gestemus in capite nostro, ad ornamentum; in fronte, per confessionem, fidei; in auribus, per disciplinam et obedientiam Deo et Superioribus debitam; in collo et pectore per amorem et gustum; in brachio et armillis, per bonorum operum exercitium; in digitis et annulis, per donum discretionis spirituum; in cingulo, per castitatem, in vestitu et incessu, per modestiam et sanctam externæ vitæ moderationem, qua alios ad honestatem, et virtutem, Christique imitationem et sequelam pelliciamus, ita in cœlesti Jerusalem fiemus portæ ex margaritis, ac cum aliis quos eò inducemus, fulgebimus instar unionum in perpetuas æternitates. Amen.

Et platea civitatis aurum mundum, tanquam vitrum pellucidum.] Platea, id est, plateæ: nam civitas duodecim millium stadiorum necesse est ut plurimas habeat plateas. Rursum plateæ, id est, pavimentum platearum. Sicut enim v. 16. dixit ipsam civitatem, id est, domos civitatis, esse ex auro pellucido: ita hîc idem dicit de plateis. Platea ergo hîc non est forum civitatis, ut aliqui putarunt. Itaque sensus est, q. d. Plateæ omnes, æque ac domus eis utrimque adjacentes, aureæ sunt et pellucentes. Qua re et symbolo significatur latitudo (platea enim græce idem est quod lata) charitatis, æque ac claritatis Beatorum; scilicet quod eorum omnium communicatio, licet inter se meritis, et gloria impares et inæquales sint, sit fraterna, tota aurea et fervida charitate, æque ac lucida, sincera et clara instar vitri. Sancti enim invicem alii aliorum gloriam clare intuentur, eaque gaudent et fruuntur: nam per communionem charitatis, mutuo sibi eamdem felicitatem, quasi radium pellucidissimum transmittunt. Porro Alcazar, per domos accipit Beatos, qui gratia et gloria eminent; per plateam, Beatos communes et vulgares, v. g. qui in infantia, vel in conjugio vixerunt et obierunt, quorum ingens est numerus; unde recte plateæ latæ et longæ comparantur; omnium enim gloria ingens est, præstans et clara instar auri pellucidi, licet istorum major sit quàm horum. Hoc aurum participant à Christo, qui in cœlo fulget et radiat ut chrysolithus, qui est instar auri fulgidi et pellucentis: unde et Beati idipsum à Christo participant, fiuntque et ipsi chrysolithi, juxta illud Philip. 3. vers. 21. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.*

Denique chrysolithus, sive aurum pellucidum aptum est symbolum felicitatis Beatorum: aurum enim charitatem, vitrum pellucens claram Dei visionem et fruitionem, quæ eos beat, significat.

22. Et templum non vidi in ea: Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, et Agnus.] Syrus: *Ipse enim Dominus, ille omnipotens templum ejus est, et ille Agnus.* Porro in cœlo non est templum, primo, quia in hac mortali vita tantum est locus oblationis, sacrificii et orationis et per consequens templorum, quæ ad hoc solum destinantur. In cœlo autem post plenam resurrectionem, locus est facialis præsentiæ et fruitionis Dei, ubi videlicet Sancti Dominum facie ad faciem semper contemplantur, adorant et laudant, atque in ipso, quasi templo divino et increato, divinam et beatam obtinent mansionem: ita ut Deus eis sit templum, et præses templi, et omnia in omnibus, ait Richardus et Primasius.

Secundo, Deus ibi non indiget templo, ac consequenter nec Beati; quia ipsemet sibi est templum. Nam et in seipso videtur à Beatis et in se ipso majestatem omnem templi continet, eamque quasi *omnipotens* totam Beatis fruendam et possidendam communicat. Hoc enim est opus

omnipotentiæ Dei; nusquam enim magis quam in cœlo, Deus suam omnipotentiam manifestat.

Pari modo, Agnus est templum Beatorum; tum quia Christus qua Verbum est Deus, Deoque Patri æqualis; tum quia qua homo, sua gloria animæ et corporis mire recreat Beatos, ab eisque quasi salvator et redemptor colitur et adoratur. Alcazar Christum hominem comparat *Sancto*, Deum vero *Sancto sanctorum*. Supervacaneum ergo in cœlo est templum, ubi Dei et Christi claritas immensa Beatos tenet in suî contemplatione defixos. Quare perperam Aug. Marloratus hunc locum objicit Catholicis, ut probet in Ecclesia non debere esse templa ad offerendum Deo sacrificium, cum illud in lege nova nullum sit, nisi sacrificium Christi in cruce. Hæc est enim hæresis, quæ usu totius antiquitatis refellitur. Porro frustra hunc locum citat: Joannes enim hîc non agit de Ecclesia militante, sed de triumphante.

23. Et civitas non eget sole, neque luna; nam claritas Dei illuminavit eam.] Vidit hîc Joannes, æque ac cap. 4. Deum in medio hujus civitatis, throno sublimi et glorioso residentem, indeque instar solis radios quaquaversum spargentem, iisque totam civitatem illuminantem, exhilarantem, et gloriosam reddentem. *Claritas* ergo *Dei*, primo, accipi potest lumen gloriæ, quod mentes Beatorum illustrat, et elevat ad videndum Deum. Dicitur *Dei*, quia est donum Dei; nam ab ejus lumine inaccessibili Beati velut mutuatum lumen accipiunt, ait Gabriel Vasquez 1. part. disp. 42. num. 6. Qui tamen ibidem addit ex hoc loco non posse clare evinci contra refractarium, hoc lumen gloriæ esse habituale. Nam ipsa quoque visio et illustratio recte vocatur lumen et claritas. Sic et Ludov. Molina 1. part. quæst. 12. art. 5. disp. 1. Secundo, *claritas Dei* est ipse Deus, qui est increata claritas, et sol radiantissimus cœlestis Jerusalem. Idque aptius, qui hanc claritatem opponit lucernæ Agni, de qua mox, ita ut claritas Dei sit ipse sol divinitatis, ex qua lucerna humanitatis Christi suum lumen mutuatur. Tertio, et aptissime, utrumque jungendo, *claritas Dei* est ipse Deus clarissimus, qui suam claritatem, puta lumen gloriæ, Beatis communicat. De hac dixit v. 11. *Et lumen ejus simile lapidi pretioso tanquam lapidi jaspidis, sicut crystallum.*

Et lucerna ejus est Agnus.] *Lucerna*, id est fax, stella, vel lux oculos corporeos Beatorum illuminans et recreans, est splendidissima et gloriosissima Christi humanitas, quæ instar lunæ fulgidissimæ lumen per cœlum empyreum diffundit, ut videlicet oculi Sanctorum per illud intuendo humanitatem Christi gloriosam, aliosque Sanctos, omniaque quæ in cœlo erunt, et suam claritatem sensibilem, et recreationem ac jucunditatem maximam habeant. Sicut enim claritas Dei est sol, sic claritas Agni est quasi luna cœli empyrei. Pro *lucerna* græce est λυχνος; species autem carbunculi est quæ dicitur lychnites. Ergo videtur quod Christi humanitas instar ignei carbunculi et lychnitis, imo longe magis, refulget et radiat in cœlo. Nam eadem comparata est chalcedonio, id est carbunculo, ut dixi, vers. 19. Ita Alcazar hîc ad v. 11. Hinc pie et pulchre S. August. in hymno de gloria paradisi, l. Meditationum cap. 26. Ita jubilat:

Non alternat luna vices, sol, vel cursus siderum,
Agnus est felicis urbis lumen inocciduum.

24. Et ambulabunt gentes in lumine ejus,] id est, ad lumen ejus (civitatis scilicet, puta cœlestis Jerusalem, non autem Agni, ut patet ex pronomine Græco feminino αὐτῆς), quasi dicat: Gentes viso ejus lumine, non in se, sed quasi reflexo, ita ejus amore et studio incitabuntur, ut omnibus viribus eò contendant; τὸ enim *ambulabunt* viatorum est, non comprehensorum. Licet enim claritas Dei tantum ipsam civitatem ejusque cives illustret; tamen, quia tanta est et tam abundans, hinc spargit ex se mirum fulgorem circumquaque, qui eminus à viatoribus visus ita eos allicit, ut omni conatu eò proficiscantur; sicut sol antequam oriatur, spargit radios quosdam aureos auroræ, qui omnes recreant excitantque, ut ad solis ortum et conspectum anhelent. Porro fulgor ille claritatis cœlestis, quem in hac vita viatores conspicimus, est veritas et cognitio gloriæ cœlestis, quæ nobis à S. Scriptura, Patribus, Doctoribus et Concionatoribus proponitur et explicatur, ac interius à Deo menti objicitur et revelatur. Hæc enim exterius per fidem et spem percepta et præcepta, animos nostros in suî desiderium rapit, ut ad ejus assecutionem aspiremus, puta ad ipsum lumen gloriæ beatificum, ipsumque Deum, qui est lumen increatum, beans et clarificans suos electos.

Alludit ad Isaiæ 60. 3. *Ambulabunt Gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.* Ubi licet proxime loquatur Isaias de lumine Ecclesiæ militantis, tamen consequenter et de lumine triumphantis loquitur. Huc enim ducit et ductat nos militans, quasi ad suî finem, complementum, et beatitudinem.

Et reges terræ afferent gloriam suam et honorem in illam,] non tam ut eam glorificentur et honorent, quam ut ab ea honorentur et glorificentur. Omnis enim regum honor et gloria fucata est et vanida, nisi à cœlesti summi Imper. Dei aula robur, confirmationem et perfectionem, puta gloriam cœlestem, accipiat.

Primo ergo, *ambulabunt gentes* et reges *in lumine ejus*, id est, ad ejus lucem et splendorem ineffabilem contendent; ideoque *afferent gloriam suam et honorem in illam*, id est, opes suas omnes et honores, ac regna et imperia huc dirigent, ut se et suos subditos ad beatam hanc civitatem ducant; quin imo opes et gloriam omnem regalem et temporalem præ æterna parvi pendent, multi etiam, ut Josaphat apud Damascenum, Carlomanus, Carolus Quintus, etc. deponent, ut expeditius ad cœlestem contendant, quam omnibus votis ambient.

Secundo, *omnem gloriam et honorem*, id est, omnia heroica et gloriosa facta, ac merita afferent in cœlum; primo, ut Deum laudent, eique quasi auctori et datori gratias agant; secundo, ut eorum præmium consequantur: tertio, ut alios Beatos lætificent.

Denique quidquid gloriosum et magnum erit in Gentibus, reges scilicet et principes, sapientes item et opulenti, inferentur in cœlestem Jerusalem, ac ipsimet in eam suas virtutes omnes, suam sapientiam, suum ingenium suas dotes omnes inferent. Ita Primasius, Rupertus, Viegas et alii. Significatur enim hisce verbis cœlestis Jerusalem frequentia, nobilitas et opulentia, quasi ibi futurum sit emporium et commercium rerum et bonorum omnium. Alludit enim ad

Isaiæ 60. vers. 11. *Afferetur ad te fortitudo Gentium, et reges earum adducentur tibi. Gloria Libani ad te veniet. Suges lac Gentium, et mamilla regum lactaberis. Fortitudo Gentium veniet tibi, aurum et thus de Saba. Argentum eorum, et aurum eorum cum eis.* Sicut de facto hæc ipsa à principibus et populis pietatis causa, undequaque Romam deferri videmus. Loquitur enim Isaias ad litteram de Ecclesia militante, cujus caput est Ecclesia Romana; anagogice de triumphante. Joannes vero ad litteram hîc loquitur de triumphante.

Addit Alcazar alium sensum, q. d. Multi etiam reges in cœlum suas opes afferent, dum eas pro Christo despicient et in pauperes erogabunt, aut etiam in divini cultus obsequium impendent. Ea enim ratione mundi opes in cœlum transferri, et æternitate donari possunt.

25. ET PORTÆ EJUS NON CLAUDENTUR PER DIEM: NOX ENIM NON ERIT ILLIC.] Dixerat Isaias c. 60. vers. 11. de Ecclesia militante, tantam fore ejus pacem et securitatem, ut portæ ejus die et nocte non claudantur, uti hîc Romæ semper apertas videmus; Joannes vero ait, in cœlesti Jerusalem *non claudentur per diem; nox enim non erit illic*, quasi dicat: Cum clausuræ portarum memini, memini diei tantum, non noctis; quia ibi nox non erit. Ita Alcazar. Secundo et magis genuine, quasi dicat: Portæ ejus non claudentur per diem, id est in fine diei, imminente jam nocte et tenebris; tunc enim metu hostium claudi solent portæ: sed in cœlo non claudentur, quia ibi nulla erit nox, æque ac nullus hostis, nullus metus, sed summa pax et securitas. Itaque τὸ ἡμέρας quod Noster vertit *per diem*, idem est quod, per singulos dies noctu, ut fieri solet quod Hebræi dicunt דבר יום ביומו *debar iom beiomo*, id est rem dici in die suo, id est, quolibet die stato tempore. Rursum hac perenni portarum apertura significat, omnibus gentibus et regibus jugiter in eam patere aditum.

NOX ENIM NON ERIT ILLIC,] quasi dicat: Ne quis ex eo quòd vers. 23. lucernæ mentionem feci, suspicetur in cœlo aliquam fore noctem, quæ lucerna illuminanda sit, assero ibi nullam fore noctem, sed unum perennemque æternitatis diem, cum in ea perpetuo sol divinitatis, et lucerna, id est fax et luna humanitatis Christi fulgeat. Pulchre S. August. in Sentent. num. 37. *Æternæ civitatis*, ait, *æterna sunt gaudia, et stantium dierum perpetuitas infinita nec variabitur, nec labetur; quia incommutabili pace potientur, quorum erit omnium bonum, etiam quæ fiunt singulorum.*

26. ET AFFERENT GLORIAM ET HONOREM GENTIUM IN ILLAM.] Quod vers. 24. dixit de regibus, idem hîc dicit de gentibus, quod scilicet omnes suas dotes, artes, ingenium, scientias, prudentiam, etc. item omnia sua virtutum opera et merita afferent in cœlum.

27. NON INTRABIT IN EAM ALIQUOD COINQUINATUM.] Dixerat gentes gloriam suam in illam illaturas, nunc ne quis id de omnibus omnino accipiat, etiam infidelibus, pravis et infectis, subdit se de fidelibus tantum loqui, puris et sanctis. Porro *aliquod coinquinatum*, id est, aliquis coinquinatus. Utitur genere neutro per græcismum. Græcum enim ἔθνος, id est gens, est neutrius generis. Unde Arabicus vertit: *Non intrabit in eam mendax*, practice, hoc est impius, injustus. Alludit ad Isaiæ 60. v. 21. *Populus tuus omnes justi.* Et c. 52. v. 1. *Non adjiciet ut pertranseat per te incircumcisus.* Unde subdit: *Nisi*, id est, sed tantum illi, *qui scripti sunt in libro vitæ Agni*, de quo dixi cap. 3. vers. 5. et alibi.

Moraliter disce hîc quàm puritati studere oporteat, cum nullus impurus, imo nullus sanctus habens maculam, etiam minimam in cœlum admittatur: quod exemplis non semel testatum fecit Deus. Nam S. Anno Archiepiscopus Colon. in visione conspexit S. Hubertum, Arnulfum, Bardonem, aliosque Episcopos in gloria, ac inter eos solium augustum sibi paratum; cumque illud conscendere conaretur, prohibuit eum Arnulfus, dicens eum non posse in gloriosum hunc consessum admitti, eo quod vestem ejus turpis macula fœdaret. Macula hæc erat memoria injuriæ sibi illatæ à civibus Coloniensibus, qui eum Colonia expulerant. Evigilans ergo pœnituit, civesque à se excommunicatos bonisque spoliatos absolvit, bonisque restituit. Ita Lambertus Schafnaburgensis in Histor. German. ad annum Domini 1075.

S. Gertrudis vidit animam sororis suæ defunctæ Christo assistere, sed subtristem, et demisso vultu, oransque pro ea audivit à Christo causam, scilicet maculam, quæ ab ea expianda foret, ita exigente Dei justitia, addiditque Christus: *In hoc sponsa mea libentissime consentit justitiæ meæ, quæ cum plene purgata fuerit, gloria divinitatis meæ jucundissime perfruetur.* Ad quæ verba Domini illa benigno vultu annuit. Alio tempore vidit animam Religiosæ cujusdam subducentem sese reverenter à Christo, licet eam invitante. Cumque Gertrudis ab ea quæreret: *Cur te subducis amplexibus sponsi tam amabilis?* Respondit: *Quia nondum purgata sum, sed adhuc maculæ aliquæ me incompositam reddunt. Etiamsi omnino liber ad cœlum accessus mihi pateret, ego tamen (dictante justitia) memetipsam sponte subtraherem, cum sciam me tam glorioso sponso nondum convenire.* Ita narrat Ludovicus Blosius Abbas Læt. in Monili spirit. c. 13.

S. Germanus, Capuanus Episcopus, vidit in thermis Puteolanis torqueri, et purgari à maculis animam Paschasii Diaconi Apostolici, ab eaque requirens causam, audivit: *Pro nulla alia causa in hoc pœnali loco deputatus sum, nisi quia in tempore schismatis Laurentii contra Symmachum Papam sensi.* Ita S. Greg. lib. 4. Dialog. c. 40. Qui et c. 55. narrat animam Justi, monachi sui, per triginta dies in Purgatorio expiasse maculam proprietatis, qua sibi secreto tres solidos in vita asservarat.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Descripsit S. Joannes cap. 21. coelestis Jerusalem ambitum, murum, plateas, fundamenta, portas : hic ejus fluvium, et ex utraque fluvii parte arbores vitæ describit. Secundo, v. 8. volens adorare Angelum hæc nuntiantem, ab eo prohibetur dicente : Conservus tuus sum, etc. Tertio, vers. 12. adhortatur omnes ad hujus civitatis desiderium, utque per fugam peccatorum et sanctam vitam eamdem ineant. Quarto, vers. 18. graves poenas comminatur ei qui addit, vel detrahit aliquid huic prophetiæ. Denique ad coelum et Christum suspirans : Veni, inquit, Domine Jesu.

1. Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni. 2. In medio plateæ ejus, et ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem Gentium. 3. Et omne maledictum non erit amplius : sed sedes Dei et Agni in illa erunt, et servi ejus servient illi. 4. Et videbunt faciem ejus : et nomen ejus in frontibus eorum. 5. Et nox ultra non erit : et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, et regnabunt in sæcula sæculorum. 6. Et dixit mihi : Hæc verba fidelissima sunt et vera. Et Dominus Deus spirituum prophetarum misit Angelum suum ostendere servis suis quæ oportet fieri cito. 7. Et ecce venio velociter : Beatus, qui custodit verba prophetiæ libri hujus. 8. Et ego Joannes, qui audivi, et vidi hæc. Et postquam audissem, et vidissem, cecidi ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat ; 9. et dixit mihi : Vide ne feceris ; conservus enim tuus sum, et fratrum tuorum Prophetarum, et eorum qui servant verba prophetiæ libri hujus : Deum adora. 10. Et dicit mihi : Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus ; tempus enim prope est. 11. Qui nocet, noceat adhuc : et qui in sordibus est, sordescat adhuc ; et qui justus est, justificetur adhuc : et sanctus sanctificetur adhuc. 12. Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. 13. Ego sum α et ω, primus, et novissimus, principium, et finis. 14. Beati, qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem. 15. Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium. 16. Ego Jesus misi Angelum meum, testificari vobis hæc in Ecclesiis. Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina. 17. Et spiritus et sponsa dicunt : Veni. Et qui audit, dicat : Veni. Et qui sitit, veniat ; et qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. 18. Contestor enim omni audienti verba prophetiæ libri hujus : Si quis apposuerit ad hæc, opponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. 19. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, et de civitate sancta, et de his quæ scripta sunt in libro isto. 20. Dicit qui testimonium perhibet istorum : Etiam venio cito, Amen. Veni, Domine Jesu. 21. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

1. Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ (Syrus, *aquarum viventium*), splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni.] Arabicus vertit: *Et ostendet mihi fluvium aquæ vitæ procedentem de sede Dei et Agni, in medio platearum ejus ; et mare ex hinc, et illinc* (ex utraque parte) *et lignum vitæ proferens duodecim fructus secundum numerum mensium.* Fluvium hunc cœlestem vocat *mare*, quia ingens erat et amplus instar maris. Pro intelligentia hujus visionis et symboli nota S. Joannem vidisse thronum Dei et Agni in medio urbis, alto loco positum, atque ex hoc throno prodire fluvium, qui per singulas urbis plateas decurrit, tum ad voluptatem, tum ad utilitatem civium, eamque duplicem, scilicet: primo, ut sitientibus det potum, ut dicitur v. 17. Secundo, ut esurientibus det cibum. Habet enim alitque utrimque arbores pulcherrimas, ferentes poma et fructus præstantissimos, instar paradisi divini : quocirca et fluvius, et arbores, et poma, omniaque cætera hîc divina sunt. Vocatur hic fluvius vitæ, id est vitalis, vivas semperque scaturientes dans aquas, per quas sitientibus et potantibus vitam perpetuam et beatam confert.

Quæres: Quisnam hic fluvius vitæ ? primo,

Richardus et Joachim respondent esse gratiam Spiritus sancti. Secundo, Rupertus ait esse ipsummet Spiritum sanctum, qui procedit à Patre et Filio, sicut fluvius hic à throno Dei et Agni emanare dicitur; Spiritus sanctus enim uti gratiæ, ita et gloriæ, felicitatis et voluptatis fons est uberrimus, qui electis et Beatis suggerit jugiter omnia ad voluptatem opportuna, ut per singulos menses et dies anni æternitatis pascantur fructibus suavissimis. Sic et S. Ambr. lib. 3. de Spiritu sancto c. 21. *Hic*, inquit, *est utique fluvius de Dei sede procedens, is est Spiritus sanctus quem bibit, qui credit in Christum, sicut ipse ait: Qui sitit, veniat ad me et bibat: Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dicebat de Spiritu. Ergo flumen est Spiritus. Hic igitur est in Dei sede.* Tertio, Haymo et Ansbert. fluvium hunc aiunt esse prædicationem Evangelii, quæ instar fluvii omnes gentes pervasit. Verum S. Joannes agit hîc de Beatis, et de beatitudine, non de conversione gentium.

Itaque dico eum alludere hîc ad paradisum terrestrem, ejusque fontem et lignum vitæ, de quo Genesis 2. Fluvius ergo hic significat exuberantiam donorum et voluptatum à Deo et Christo in Beatos effusam. Dicitur *fluvius aquæ vitæ*, vel, ut alii legunt, *vivæ*, qui scilicet semper ex se, quasi ex vitali corde aut hepate, effundit aquam, sive qui semper fluit, et nunquam arescit aut deficit: qui si urbem permeet, magnam illi amœnitatem et utilitatem affert. Unde dicitur Psal. 45. 5. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Talis ergo fluvius in cœlo, est visio Dei beatifica, per quam Deus se suaque omnia bona Sanctis communicat, suaque gaudia in eos effundit adeo copiose, ut de iis dicatur Psalm. 35. vers. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Et Isaiæ 66. 12. *Declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam.* Quocirca pie et vere S. Bern. serm. 1. de diversis, labores et pœnas hujus vitæ cum hoc voluptatum cœlestium fluvio comparans: *Guttatim*, inquit, *pœna bibitur, liquando sumitur, per minutias transit; nam in remuneratione torrens est voluptatis, et fluminis impetus, torrens inundans lætitiæ, flumen gloriæ, et flumen pacis. Flumen plane est, sed quod affluat, non quod fluat vel effluat. Flumen vocatur, non quod transeat vel pertranseat, sed quod abundet.*

Hunc fluvium anagogice adumbravit fluvius ille templi Ezechielis c. 47. 1 et 5. inquit S. Hier. Ille enim Ezechielis est Ecclesiæ militantis, hic vero Joannes est triumphantis: fluvio enim doctrinæ et sapientiæ militantis Ecclesiæ, respondet fluvius sapientiæ cœlestis et visionis beatificæ. Quocirca de hac sapientia dicitur Eccl. 24. vers. 40. *Ego sapientia effudi flumina: ego quasi fluvii dioryx* (id est aquæ ductus; unde explicans subdit), *et sicut aquæ ductus exivi de Paradiso. Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum.*

Dices: Visio beatifica est sol hujus urbis, puta claritas Dei urbem illuminans, uti dictum est cap. 21. vers. 23. Ergo eadem nequit esse fluvius urbis. Respond. nego consequentiam. In visionibus enim symbolicis et ænigmaticis, eadem res per diversa symbola et ænigmata repræsentatur, præsertim cum res ipsa varias habet dotes, quæ per unum symbolum adæquate figurari et exprimi nequeunt. Ita hîc visio Dei comparatur soli cœlestis Jerusalem, quia eam illuminat et glorificat. Eadem visio comparatur fluvio urbis, quia omnem sitim, omneque desiderium Beatorum explet et satiat, eosque ineffabili voluptate perfundit et inebriat. Quocirca Alcazar eam comparat fluvio, quem Mardochæus in somnis vidit in solem converti, Esther 10. 6. *Parvus*, inquit, *fons crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est, et in aquas plurimas redundavit.* Porro hic fons repræsentabat *Esther, quam Rex accepit uxorem, et voluit esse reginam.* Ita pariter mystice sapientia, quam spirituali connubio omnes Beati sibi copulant, per solem et per fluvium adumbratur. Hinc ejus aqua vocatur *vitæ*, quomodo Itali vinum distillatum vocant aquam vitæ; quia est quasi spiritus vitalis vini, qui spiritus animales vitamque bibenti suggerit et instillat: aut vita hîc significat felicitatem, quia vita in Scriptura sæpe idem est quod beatitudo. Quare fluvius aquæ vitæ perinde erit atque fluvius beatus, seu potius beatificans. Simili sensu vocatur lignum sive arbor vitæ. Hæc Alcazar.

Huic fluvio vitali similis est fons Virginis balsamum vegetans. Burchardus enim qui ante trecentos annos lustravit terram sanctam, in ejus descrip. cap. penult. et ex eo Thomas Bozius de Signis Ecclesiæ lib. 2. c. 7. narrat se vidisse in Ægypto hortum balsami, qui ex se non dabat fructum, nisi irrigaretur fonte vicino, in quo B. Virgo sæpius puerum Jesum lavit; atque Saracenos expertos testari, frustra illum aliis aquis irrigari, quamobrem duxisse in illum fontem aliunde aquam, ut virtutem divinam inde hauriens, abunde sufficeret ad irrigationem. Ita Tropologice, omnia nostra cogitata factaque tanquam steriles plantæ marcescunt, nisi illa aqua vitæ irrigentur. O sola inter virgines mater, et inter matres Virgo; sola filii tui mater et filia, tibi, tuoque Jesu competit hoc lemma: *Crescit quodcumque rigas.* Ita Nicol. Causin. lib. 1. Parab. Histor. cap. 65.

Adde fluvium hunc esse instar solis, quia pellucidus est instar crystalli, qua re significatur puritas et sanctitas voluptatis; quam hauriunt Beati ex sapientia spirituali, et visione beatifica, cum de sapientia carnali et voluptatibus carnalibus dicat Jeremias cap. 2. vers. 18. *Quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam?* Porro comites sunt et sociæ individuæ, lux et vita spiritalis, ac sociatæ uberrimos dant clarissimarum virtutum fructus. Quocirca eas sociare solet Scriptura, ut Psal. 35. 10. *Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.* Et Joan. 1. 4. *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum* Putant nonnulli fluvium hîc comparari crystallo, eo quòd aqua sit materia crystalli, ac glacies diu in frigidissimis servata, tandem in crystallum convertatur. Verum id refutat Anselmus Boetius lib. 2. de Gemmis cap. 73. *Nunquam*, inquit, *aqua in crystallum mutari potest, absque tamen aqua non generatur; solvi enim terræ tenuissima portio ab aqua debet, aut illi aliunde missa commisceri, quæ recedente aqua tunc primum in crystallum concrescit. Si crystallus ex aqua congelata constaret, igne solveretur* (*quæ enim frigore concrescunt, calore solvuntur*), *ac aquæ partes igne solverentur, quod non fit experienti. Igne enim crematus calcem, seu terram, et sal cujus spiritus beneficio coagulatus fuit, ostendit.* Vera ergo causa, cur hic fluvius comparetur crystallo, est

ca quam dedi, scilicet quod limpidus esset, et fulgidus instar crystalli. Unde ait : *Splendidum tanquam crystallum.* Sic canit Poeta :

Fons erat illimis, nitidis argenteus undis.

Ita Romani Gentiles censebant suorum animas post mortem transferri in cœlum ad circulum lacteum (sive galaxiam) qui videtur esse quasi fluvius aquæ, imo lactis candicantis et splendentis : ibi enim habitare animas heroum ob similem vitæ candorem, puta innocentiam, puritatem, sanctitatem, uti refert Cicero in Somnio Scipionis. Unde Manilius lib. 1. causam assignans, cur circulus lacteus nitescat crasso lumine, ita canit :

An sortes animæ, dignataque nomina cœlo,
Corporibus resoluta suis, terræque remissa,
Huc migrant ex orbe, suumque habitantia cœlum,
Æthereos vivunt annos, mundoque fruuntur ?
Atque hìc Æacidas, hìc et veneramur Atridas.

Huc allusit Virgil. Eclog. 5. ubi celebrans apotheosim Julii Cæsaris quem Daphnidem vocat (eo quod corona laurea caput redimere soleret loco diadematis : Δάφνη enim Græcis est laurus,) ita canit :

Candidus insuetum miratur limen (*alii legunt lumen*) Olympi,
Sub pedibusque videt nubes, et sidera Daphnis.

2. IN MEDIO PLATEÆ EJUS, ET EX UTRAQUE PARTE FLUMINIS LIGNUM VITÆ, AFFERENS FRUCTUS DUODECIM, PER MENSES SINGULOS REDDENS FRUCTUM SUUM, ET FOLIA LIGNI AD SANITATEM GENTIUM.] *Lignum*, id est ligna, hoc est arbores vitales : nec enim una eademque arbor potest esse ab utraque fluminis ripa. Alludit tum ad lignum vitæ, quod erat in paradiso terrestri, de quo dixi Genes. 2. vers. 8 et 9. tum ad Ezech. 47. vers. 7. *Ecce in ripa torrentis ligna multa nimis.* Et vers. 12. *In ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum : non defluet folium ex eo, et non deficiet fructus ejus ; per singulos menses afferet primitiva.* Ubi nota : In paradiso terrestri variæ erant arborum species, è quibus una vocabatur arbor vitæ ; in cœlesti vero paradiso omnes arborum species sunt vitæ, id est, vitam et immortalitatem jucundam et beatam afferentes, q. d. Plane immortales sunt Beati, eorumque gaudia et felicitas; quia quocumque se vertant, per vias omnes vitales hæ arbores eis duplici ordine dispositæ occurrunt, quarum fructibus assidue pascuntur et fruuntur. Hinc arbori vitæ similis est palma : *Quæ ad singulos lunæ ortus, singulos etiam ramos procreat, ita ut duodecim ramorum productione annus expleatur. Quocirca Ægyptii annum indicantes pingebant palmam*, inquit Horus Apollo in Hierogl. cap. 3.

Ita in Vita S. Onuphrii legimus eum fugientem in eremum consedisse juxta fontem, et palmam, quæ singulis mensibus fructum, puta dactylos ei proferebat : *Per singulos menses*, inquit, *affert mihi unum botryonem dactylorum, qui mihi sufficit triginta diebus, et post hunc maturatur alter.* Ita Vitæ Patr. l. 6. libello 3. n. 11.

In Italia quoque videmus ficus biferas, id est, bis in anno dantes fructus, in Junio scilicet, et Septembri; rursum arbores melangulorum, sive malorum aureorum, citriorum, etc., quæ toto anno virent, fructusque gestant, alios maturos et croceos, vel aureos, alios virides et matu-rescentes. Celebrat et Homerus ac Poetæ Alcinoi hortos, quod sint biferi, semperque viridantibus foliis præditi, quod S. Justinus Admonit. ad Gentes, Homerum à Mose sumpsisse docet (fuit enim Homerus Mose longe posterior ; sed Ezechiele, ad quem hìc alludit Joannes, prior et antiquior) nec alios esse Alcinoi hortos, quàm paradisum terrestrem. Athæ S. Joannis arbores, fructus novos, eosque vitales afferunt per singulos menses ; et folia semper virentia, ac sanitatem conferentia gestant. Audi S. Justinum versus Homeri recitantem : *Homerus paradisi imaginem descripsit in hortis Alcinoi, quos semper virere dicit, plenos continuatis fructibus.* Sic enim canit Odyss. 7.

Ibi magnæ creverunt arbores, longæ
Piri, et punicæ, et mali fructuosæ,
Ficusque dulces, et olivæ longæ :
Quarum nunquam fructus perit, nec intermittit,
Hieme, nec æstate, perennans ; quin semper aura
Zephyria flans alia gignit, alia coquit,
Pirum post pirum senescit, et malum post malum,
Et uva post uvam, et ficus post ficum.

Narrat Ælianus lib. 3. cap. 18. Historiam, vel potius fabulam (certe apologus est Stygis infernalis, et fluvii hujus cœlestis) in finibus Meropum esse ἄνοσον, irremeabilem; in eo duos fluvios labi, alterum voluptatis, alterum tristitiæ, et ad utrumque arbores sitas esse, magnitudine platani. Quæ ad flumen tristitiæ sunt, tales fructus producere, ut, si quis iis vescatur, assidue et ubertim lacrymetur per omnem vitam, ac fletibus luctibusque diffluat, et sic vitam finiat. Alteras vero quæ fluvio voluptatis agnoscuntur, fructum contrarium producere. Qui enim eum gustat, ab omnibus pristinis cupiditatibus abducitur, et si quem amavit, ejus obliviscitur, sensimque fit junior, ac transactam ætatem retroagit et resumit, ut ex senectute ad vigorem et florem ætatis revertatur. Utique talis est hic fluvius paradisi cœlestis, tales arbores et fructus, imo longe præstantiores.

Quare perperam Beza pro platea vertit forum, quasi in solo foro fuerit hæc arbor et fructus. Arbores enim hæ erant ex utraque ripa fluminis, flumen autem hoc non solum forum sed totam urbem perluebat, lætificabat, alebat, per suos fructus, ut eos ad manum et in oculis jugiter cives haberent. Sic Venetiarum plateæ pene omnes rivis irrigantur. Denique Græcum πλατεια plateam, non forum significat : plateam, inquam, insignem, longam et latam, quæ tantam urbem decet. Unde Syrus et Arabicus vertunt *plateam.*

Quæres : Quænam sunt hæ arbores vitæ ? Primo, Ticonius hìc homil. 18. putat esse crucem : *Lignum*, inquit, *juxta fluvium crux est, quæ per totum mundum non solum omnibus mensibus, sed etiam omnibus diebus in his qui baptizantur exhibet fructum Deo. Nullum est lignum quod omni tempore fructificet, nisi crux Christi quam gestant fideles, qui rigantur aqua Ecclesiastici fluminis, et reddunt fructum perpetuum omni tempore.*

Verum hæ arbores à Joanne visæ sunt in paradiso cœlesti : crux autem est in terra et Ecclesia militante. Ergo arbores hæ non sunt crux, nisi quis dicat crucem Christi et Sanctorum quoque fore in cœlo, ad trophæum et triumphum æternum : quia crux quam hìc perpessi sunt, pariet eis gaudium et gloriam perennem;

unde vel ipsa in se, vel ejus imago et symbolum in Beatis remanebit. Sicut enim Christus in cœlo retinet cicatrices vulnerum, sed gloriosas jam et mira gloria fulgentes; ita videtur quod similes retinebunt Martyres, aliique Sancti. Quin et exterius in cœlo apparebit crux Christi, quasi victoriæ trophæum. Hoc est enim quod ait Christus Matth. 24. 30. *Et tunc parebit signum filii hominis in cœlo.* Unde et Ecclesia canit : *Hoc signum crucis erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit.* Et Sybilla lib. 6. Carminum :

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit!
Nec te terra capit, sed cœli tecta videbis,
Cum renovata Dei facies ignita micabit.

Secundo, aliqui, ut Viegas, censent esse ipsos Sanctos et Beatos : hi enim arbori comparantur Psalm. 1. 3. *Et erit*, inquit, *tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, et folium ejus non defluet, et omnia quæcumque faciet prosperabuntur.* Verum hæ arbores vitæ sunt cibus Beatorum, qui eis confert vitam immortalem; ergo non sunt ipsi Beati, unde cap. 2. 7. dixit : *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.*

Tertio, Beda, Rupert. Ansbertus, Ribera et alii, per lignum vitæ intelligunt Christum Dominum, qui suî visione et fruitione dat Beatis vitam immortalem, sicut lignum vitæ dabat Adamo in paradiso. Lignum hoc fert duodecim fructus per duodecim menses, hoc est perpetuo Beatis fructum suum in cibum et voluptatem recentem, ac sine ullo fastidio, imo cum nova semper aviditate suppeditat. Folia ligni sunt verba Christi, quibus ipse Beatus omnium gentium mulcebit et consolabitur. Unde ad eum dixit Petrus : *Domine, quò ibimus? verba vitæ æternæ habes.*

Quarto, magis apposite et genuine Alcazar censet sapientiam divinam, sive visionem beatificam hîc repræsentari per duo symbola; scilicet per fluvium aquæ vitæ, et per lignum vitæ. Dicitur enim ipsa fluvius aquæ vitæ, quia Sanctorum sitim et vota omnia satiat, eosque summa voluptate inebriat. Eadem dicitur lignum vitæ, quia ejus adinstar Beatis confert immortalitatem. Nam visionem beatificam (quæ perfectissimus est sapientiæ actus) necessario consequitur summa voluptas, nec non immortalitas. Atqui hæc duo aptissime per potum vitæ et cibum vitæ figurantur : quia ex potu et cibo, potus aptior videtur ad voluptatem indicandum; cibus autem ad vitæ sustentationem. Nam in potu major voluptas, in victu robustior alimonia reperitur. Porro quod hæ arbores singulis mensibus novos proferant fructus, significat in Beatis jugem esse immortalitatis et beatitudinis renovationem, eamque novam semper completam et perfectam; adeo ut singulis mensibus, diebus et horis ita eis nova, sapida et jucunda sit visio Dei et fruitio, ac fuit primo die quo illa frui cœperunt; nunquam enim, ne quidem post mille milliones annorum, obrepet illis ullum vetustatis, fastidii aut satietatis vestigium. Tertio, *folia ejus sunt ad sanitatem gentium*, non instaurandam et curandam : hoc enim fieri nequit, cum ibi nulli sint morbi, nullus virium defectus, sed conservandam et prorogandam in omne ævum. Adde folia hæc sanare omnes morbos et infirmitates corporis et animæ, quibus sancti laborarunt in hac vita; eas ergo sanant mox ut qui cœlum ingreditur, ac deinde easdem sanas conservant in omnia sæcula. Porro folia hæc significant dotes accidentales visionis beatificæ, quæ eam condecorant, uti folia, arborem, quales sunt in anima summa delectatio, fruitio, comprehensio summi boni; in corpore plena sanitas, vigor, robur; item agilitas, claritas, subtilitas, impassibilitas. Adjungit Alcazar folia hæc esse sanctas cæremonias ac pia verba, item Sacramenta, quibus Catholica Ecclesia decoratur; hisce enim etiamnum gaudent et delectantur Beati, præsertim cum vident se per ea ad beatitudinem pervenisse. Hæc enim sunt folia arboris Ezechielis 47. 7. ad quæ hîc anagogice alludit S. Joannes; Ezechielis enim fluvius, et arbor vitæ est Ecclesiæ militantis, Joannes vero fluvius hîc, et arbor vitæ est Ecclesiæ triumphantis. Summa, hæc folia symbolice significant in cœlesti gloria et visione beatifica nihil, quantumvis exiguum, esse, quod non mire Beatos recreet, vivificet, vegetet et beet. Hunc vitæ fontem cum suis arboribus et gemmis ita depingit S. August. lib. Meditationum cap. 26. tomo 9.

Ad perennis vitæ fontem mens sitivit arida,
Claustra carnis præsto frangi clausa quærit anima.
Ubi vivis margaritis surgunt ædificia,
Auro celsa micant tecta, radiant triclinia.
Auro mundo tanquam vitro urbis via sternitur.
Abest limus, deest fimus, lûes nulla cernitur.
Hiems horrens, æstas torrens, illic nunquam sæviunt.

Et rursum :

Flos perpetuus rosarum ver agit perpetuum.
Candent lilia, rubescit crocus, sudat balsamum,
Virent prata, vernant sata, rivi mellis influunt,
Pigmentorum spirat odor, liquor et aromatum,
Pendent poma floridorum non lapsura nemorum,
Inhiantes semper edunt, et edentes inhiant.

Quibus verbis significat fore ibi res floridas, odoriferas, amœnas, quæ visum, odoratum, aliosque sensus pascant, et mira voluptate perfundant. Idem docet S. Anselmus lib. de Similitudinib. cap. 57. *Oculi*, ait, *aures, nares, os, manus, guttur, jecur, pulmo, ossa, medullæ, etc., Beatorum mirabili delectationibus et dulcedinis sensu replentur.* Idem asserit B. Laurent. Justinian. de Discipl. monast. convers. cap. 23. Idem liquet ex visione quam recenset S. Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 36. Erunt enim Beati in cœlo empyreo, quasi in æthere suavissimo et felicissimo, quem proinde instar aeris nostri findi et scindi posse (ne Beati in eo quasi in muro compacti sint) docet D. Thom. in 2. d. q. 2. art. 2. Richardus in 4. d. 49. q. 3. art. 4. imo S. Basil. Ambros. Damascen. quos citavi Genes. 1. vers. 6. et Sebastian. Barrad. tom. 3. lib. 10. c. 3. et alii. Denique omnes sensus Beatorum proprias et mirificas voluptates, et sua oblectamenta quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, in cœlo habituros, docent D. Thom. Scotus, D. Soto, Henricus, Major et alii quos citant et sequuntur Suarez 3. p. tom. 2. disp. 47. sectione ultima, et Joannes Salas 1. 2. q. 5. art. 5. tract. 2. disp. 14. sect. 14. Hoc est quod Psaltes suspirabat : *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Quocirca fluvius hîc, arbores et poma ad litteram, uti sonant, accipi possunt. Quid enim obstat? nam si his in paradiso ter-

restri fruitus est Adam, multo magis iisdem fruentur Beati in paradiso cœlesti; hujus enim specimen et imago fuit terrestris. Quocirca veras et naturales aquas esse supra cœlos, ex Mose, et ex communi Patrum sententia docui Genes. 1. 6. Sed per hæc mystice et symbolice dotes beatificæ jam dictæ, ac bonorum et gaudiorum affluentia significatur et repræsentatur.

Has paradisi cœlestis aquas et delicias sitiens S. Dorothea Virgo et Martyr, cum in eculeo graviter torqueretur, dixit tyranno magna constantia et serenitate: *Quid moraris? exerce in me omnia tua tormenta: fac illico quod facere cogitas, ut per ea perveniam ad sponsum meum, pro cujus amore non timeo te, imo desidero tua tormenta. Sponsus enim meus me invitat: imus enim per hasce pœnas breves et exhiles ad paradisum deliciarum, ubi sunt poma miræ pulchritudinis, rosæ, lilia, et flores innumeri, qui nunquam marcescunt, ubi sunt fontes aquæ vivæ, qui nunquam siccantur, quibus animæ Sanctorum fruuntur, et exultant in Christo.* Cumque Theophilus assessor Præsidis irridens (erat enim hiems, puta 6. Februarii) diceret: *Mitte mihi poma è paradiso sponsi tui, cum eò perveneris. Faciam*, inquit illa; idque præstitit. Misit enim ad eum Angelum pueri elegantissimi specie, cum pomis et rosis speciosissimis. Quo miraculo conversus Theophilus, Christum confessus, martyrii lauream pariter adeptus est. Vere ergo fuit Dorothea δῶρον θεου, id est donum Dei, uti nomine, ita reipsa.

Tropol. lignum vitæ est sancta perfectio, in cordibus justorum plantata juxta fluenta gratiæ. Radix est timor Dei Eccli. 1. 16. Rami sunt omnes virtutes, quæ à Dei timore et amore procedunt, de quibus Eccli. c. 1. 25. *Rami ejus longævi.* Folia sunt præcepta divina, quia lignum istud protegunt et ornant quibus gentes à morbis peccatorum liberantur, et salutem justitiæ adipiscuntur. Fructus duodecim sunt: primus, puritas mentium; secundus, abjectio temporalium; tertius, quies appetituum; quartus, circumspectio verborum; quintus, munditia cogitationum; sextus, impatientia desideriorum cœlestium; septimus, sollicitudo virtutum; octavus, pulchritudo operum; nonus, sustinentia adversitatum; decimus, collectio internarum virium; undecimus, concordia voluntatum; duodecimus, transformatio in Deum, quos recenset et fuse prosequitur noster Jacobus Alvarez de Paz l. 3. de Natura perfect. parte 2. c. 13. et seq.

3. ET OMNE MALEDICTUM NON ERIT AMPLIUS.] q. d. Nil dignum maledictione, puta nullum peccatum, erit amplius; hoc enim significat καταθεμα. Rursum metonymice, *nullum maledictum*, id est, nullus maledicti, sive peccati effectus et pœna, puta nullus morbus, nullus dolor, nulla miseria erit ibi. Tolletur ergo in cœlo omne maledictum, id est, peccatum cum sua prole, puta omnis culpa et pœna: ac in eorum locum succedet omnis benedictio, id est, omnis gratia et gloria, omne bonum, omnis felicitas; inter quæ prima erit, quod jugiter habebunt ante se thronum Dei et Agni, ac cum utroque familiariter agent, utrumque videbunt, utroque fruentur, ab utroque colentur, recreabuntur et beabuntur; unde subdit: *Sedes Dei et Agni erunt in illa*, et ipsi quasi *servi ejus servient illi.* Servire enim Deo, præsertim in cœlo, regnare est: *Et videbunt faciem ejus.*

4. ET NOMEN EJUS IN FRONTIBUS EORUM.] q. d. Palam profitebuntur et gloriabuntur se esse servos Dei, ac si nomen ejus palam frontibus inscriptum gererent. Est enim metalepsis. Hæc tamen servitus, non tam servitus erit, quàm regale imperium: erunt enim omnes Beati reges et principes; unde subdit v. 5. *Et regnabunt in sæcula sæculorum.*

Alludit ad laminam pontificis, cui inscriptum erat, *sanctum Domino*, Exodi 28. 36. sicut enim hæc laminæ inscriptio significabat eum esse ministrum et pontificem sancti Dei; ita in cœlis omnes agnoscent à fronte et vultu Beatorum, eos esse servos et sacerdotes beati Dei, ac proinde (addit Alcazar) eos esse advocatos eorum qui in hac mortali vita morantur, et ad hanc rem Aarone potentiores esse. Hoc posterius verum est, sed non ad rem; nam post resurrectionem, et diem judicii, ac gloriam Beatorum, de quibus hîc agitur, nulli erunt in terra homines, pro quibus Beati in cœlo Deum interpellent.

5. ET NOX ULTRA NON ERIT.] Repetit et inculcat ea quæ dixit c. 21. 23.

Hîc finitur hypotyposis et descriptio cœlestis Jerusalem, quam S. Joan. inchoavit, 21. 1. et hucusque perduxit. Similem ex hoc loco fere petitam habet S. Vigilantius in Vita S. Astionis, quæ exstat in Vitis Pat. P. Heriberti. Cum enim Astion martyrio laureatus esset, in somnis apparuit Vigilantio, rogans eum ut adiret parentes suos, eosque adhuc Gentiles ad Christum converteret, ac eis suam mortem et martyrium dextere nuntiaret. Paruit Vigilantius, ac ut parentum dolorem de filii morte leniret, initio rem dissimulavit, dixitque Astionem adhuc vivere. Roganti matri in qua regione et urbe, qua ratione et modo viveret, respondit: *Regio robustorum seu fortium virorum est. Plures ibi et valde nobiles degunt, quorum possessio paradisus dicitur, quorum tabernacula ex lumine sunt constructa, quorum vita Deus est, et conversatio immortalis existit; quorum vestes sanguine sunt respersæ, et in capite coronæ ex auro purissimo cum gemmis variis fabricatæ. Rex eorum potentissimus, cujus nomen Deus deorum, et Dominus dominantium: cujus nuntii Angeli dicuntur justitiæ, quorum vestis una est omnibus, et tactus eorum igni assimilatur urenti. Senatus hujus Imperatoris valde clarus habetur: media pars Prophetæ nuncupatur, alii vero Apostoli pronuntiantur. Civitas valde præclara, nomenque ejus Christicolis* (quasi Christum colens, nisi legendum sit Christipolis, quasi Christi urbs) *cujus murus ex auro purissimo, habens portas duodecim, et in ipsis singulæ dependent margaritæ, atque singuli ex Senatoribus per singulas sedent. Prima porta dicitur Petri, secunda Pauli, tertia Andreæ, quarta Joannis, quinta Jacobi, sexta Philippi, septima Bartholomæi, octava Thomæ, nona Matthæi, decima Thadæi, undecima Simonis, duodecima Matthiæ.* Pergit templum ejus describere. *Sed et templum mirificum est in ea, habens Sancta sanctorum, et altare aureum, ante cujus conspectum vir quidam adstat mirificus, tenens decem chordarum psalterium, ac jugiter ibidem degentes ad laudem regis illius cohortatur, dicens: Laudate Dominum in cœlis; laudate eum, omnes Angeli ejus; laudate eum, omnes virtutes ejus. Hujus itaque nomen David, filius Jesse pronuntiatur. Sed et plateæ hujus civitatis ex auro purissimo sunt stratæ: cujus fluvius in vitam æternam emanat, cujus pomifera per singulos menses reddunt fructus suos, et folia eorum ad medicamentum*

procedunt animarum ; cujus lumen inenarrabile est; et portæ nunquam clauduntur, eo quod nunquam ibi nox erit, nec ullæ tenebræ; sed semper gaudium et perpetua lætitia ibidem commoratur.

Præclare quoque S. Ansel. in Prosologio c. 25. cœlestem felicitatem ita pingit : *Qui hoc bono fruetur, quid illi erit? et quid illi non erit? Certe quidquid volet, erit ; et quod nolet, non erit. Ibi quippe erunt bona corporis et animæ, qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis cogitavit. Cur ergo per multa vagaris, homuncio, quærendo bona animæ tuæ et corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, et sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum, et satis est. Quid enim amas, caro mea? quid desideras, anima mea? Ibi est, ibi est quidquid amatis, quidquid desideratis. Si delectat pulchritudo, fulgebunt justi sicut sol. Si velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis cui nihil obsistere possit, erunt similes Angelis Dei; quia seminatur corpus animale, et surget corpus spirituale, potestate utique, non natura. Si longa et salubris vita, ibi sana est æternitas, et æterna sanitas; quia justi in perpetuum vivent, et salus justorum à Domino. Si satietas, satiabuntur cum apparuerit gloria Dei. Si ebrietas, inebriabuntur ab ubertate domus Dei. Si melodia, ibi Angelorum chori concinunt sine fine Deo. Si quælibet non immunda, sed munda voluptas, torrente voluptatis tuæ potabit eos Deus. Si sapientia, ipsa Dei sapientia ostendet eis seipsam. Si amicitia, diligent Deum plus quam seipsos, et invicem tanquam seipsos, et Deus illos plusquam illi seipsos; quia illi illum, et se, et invicem per illum, et ille se, et illos per seipsum. Si concordia, omnibus illis erit una voluntas; quia nulla illis erit nisi sola Dei voluntas. Si potestas, omnipotentes erunt suæ voluntatis, ut Deus suæ. Nam sicut poterit Deus quod volet, per seipsum, ita poterunt illi quod volent, per illum; quia sicut illi non aliud volent, quàm quod ille; ita ille volet quidquid illi volent, et quod ille volet non poterit non esse. Si honor et divitiæ, Deus servos suos bonos et fideles supra multa constituet, imo filii Dei et dii vocabuntur; et ubi erit Filius, ibi erunt et illi, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Si vera securitas, certe ita certi erunt nunquam et nullatenus ista, vel potius istud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt se non sua sponte illud amissuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis invitis ablaturum, nec aliquid Deo potentius invitos Deum et illos separaturum. Gaudium vero quale, aut quantum est, ubi tale aut tantum bonum est? Cor humanum, cor indigens, cor expertum ærumnas, imo obrutum ærumnis, quantum gauderes, si his omnibus abundares!*

S. Greg. in fine 7. Psal. Pœnit. *Ibi*, ait, *est lux sine defectu, gaudium sine gemitu, desiderium sine pœna, amor sine tristitia, satietas sine fastidio, sospitas sine vitio, vita sine morte, salus sine languore. Ibi sancti et humiles corde, ibi spiritus et animæ justorum, ibi cuncti cœlestis patriæ cives, et beatorum spirituum ordines Regem in decore suo videntes, et in gloria virtutis ejus exultantes. Perfecta viget in omnibus charitas, una omnium lætitia, una jucunditas. Bone Jesu, Verbum Patris, splendor paternæ gloriæ, in quem desiderant Angeli prospicere, doce me facere voluntatem tuam, ut à spiritu tuo bono deductus, ad beatam illam perveniam civitatem, ubi est dies æternus, et unus omnium spiritus : ubi est certa securitas, et secura æternitas, æterna tranquillitas, et tranquilla felicitas, felix suavitas, et suavis jucunditas : ubi tu Deus cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas per infinita sæculorum sæcula. Amen.*

6. Et dixit mihi : Hæc verba fidelissima sunt.] *Dixit*, supple Angelus qui Joanni c. 21. 1. ostendit Jerusalem cœlestem, et hucusque ejus bona et gaudia ei explicavit. Porro censet Alcazar Angelum hunc fuisse S. Paulum, qui Joanni ostendit gloriam quam Romana Ecclesia, id est, Pontifices, Martyres, aliique fideles Romani, mox post mortem in cœlo consecuturi erant; ideoque eum dicere : *Hæc verba fidelissima sunt et vera.* q. d. Brevi fideliter et vere complebuntur. Verum superius dixi hunc Angelum fuisse verum et proprie dictum, qui totam Apocalypsin concludit temporibus novissimis, puta revelatione judicii, resurrectionis et gloriæ Beatorum.

Et Dominus Deus spirituum Prophetarum, q. d. Dominus Deus, qui Prophetis, ac consequenter et mihi, dedit spiritum propheticum, misit Angelum suum ostendere servis suis, mihi Joanni, et per me aliis Christi servis et fidelibus, quæ oportet fieri cito,] quia respectu æternitatis omnia temporalia cito affluunt, æque ac effluunt. Adde quædam hujus Apocalypseos cito post Joannem facta esse, uti sunt ea quæ primis capitibus prædixit septem Asiæ Episcopis.

7. Et ecce venio velociter.] Sunt verba, non Angeli, sed Domini Dei spirituum Prophetarum, de quo v. præced. loquebatur Angelus. q. d. Agite, Christiani, constantes estote, state in fide mea contra Domitianum, Trajanum, Decium, etc. ; ego enim Deus et Dominus vester brevi veniam, vosque æterna felicitate, quam per Angelum descripsi, remunerabor : tyrannos vero et persecutores vestros ad æternas pœnas damnabo; unde et subdit : *Beatus qui custodit verba prophetiæ libri hujus.*

8. Et ego Joannes (scilicet sum, vel testor me esse eum) qui audivi et vidi hæc.] Hæc est quasi subscriptio qua Joannes, velut scriba et notarius, subscribit huic libro et prophetiæ Apocalypseos, eaque confirmat ac vera esse testatur, ut omnes sciant hanc Apocalypsin esse S. Joannis Apstoli, quam ipse à Deo per revelationem accepit, præsertim accedente testimonio Ecclesiæ, quæ docet hanc esse veram et certam, non suppositiliam, S. Joannis subscriptionem, sine quo testimonio subscriptio hæc plenam auctoritatem et fidem non haberet. Multa enim scripta, imo et Evangelia, nomine Apostolorum inscripta sunt, quæ constat esse apocrypha.

10. Et dicit mihi : Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus ; tempus enim prope est,] q. d. Ne obsignaveris, ne clauseris, ne celaveris hæc oracula, sed potius ea scribe et expone omnibus legenda, quia omnibus profutura sunt. Solet Deus, ut patet Danielis 8. 26. et cap. 12. 4. Prophetis jubere ut obsignent Prophetias suas, quando eæ spectant remota tempora, tanquam jam legi non debeant, aut parvo sensu et fructu legendæ essent. At vero cum illæ sunt de temporibus propinquis, jubet ne signentur, uti hîc fit. Multa enim, præsertim quæ spectant persecutiones tyrannorum et hæreticorum, tangebant tempora S. Joannis. Et hoc est quod ait : *Tempus* (quo hæc prophetia implenda est) *prope est*, et c. 1. 1. *Apocalypsis*, inquit, *Jesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis, quæ oportet fieri cito.* Adde : omnia hæc spectabant ad

fideles eo tempore in persecutione animandos ; præsertim ea quæ dicuntur de Dei erga suos providentia, et in hostes vindicta, de impiorum damnatione, piorum et constantium gloria et felicitate, quæ hisce capitibus descripsit, et identidem inculcavit; unde v. 12. ait : *Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.* Scriptura enim jubet subinde signari prophetias; cum eæ, licet non adeo sint remotæ, tamen præsenti tempore parum afferunt fructus, sed in futuro, cum implebuntur, afferent. At vero vetat signari eas, quæ licet post multum tempus futuræ sunt, tamen ex nunc magnam fidelibus afferunt utilitatem : quia eos animant ad constantiam in fide et cultu Dei. Talis est hæc, ac proinde eam signari vetat. Ita Alcazar.

11. QUI NOCET, NOCEAT ADHUC (Arabicus : *Qui opprimit* (vel *calumniatur*) *opprimat etiam*) ; ET QUI IN SORDIBUS EST, SORDESCAT ADHUC ; ET QUI JUSTUS EST, JUSTIFICETUR ADHUC (Syrus : *Justitiam faciat adhuc*) ; ET SANCTUS, SANCTIFICETUR ADHUC.] Significat S. Joannes adhuc spatium et tempus superesse, antequam hæc omnia compleantur, ac præsertim ante judicium generale, eoque tempore quemlibet à Deo suæ libertati permitti, ut bene agat vel male. Itaque priora verba sunt permittentis. q. d. Permitto jam nocenti ut noceat, sordido ut sordescat magis, sed suo tempore eumdem puniam. Unde est tacita ironia, æque ac Eccl. 11. 9. ubi dicitur : *Lætare ergo, juvenis, in adolescentia tua, et ambula in viis cordis tui,* etc., *et scito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium.* Quæ vero sequuntur : *Qui justus est, justificetur adhuc,* etc. serio monentis et adhortantis sunt; ita Viegas et Ribera. Hinc patet contra hæreticos justitiam et injustitiam in omnibus non esse æqualem, nec consistere in indivisibili, sed posse crescere et augeri per opera bona et mala. Nam qui magis sordescunt, certe per mala opera et nova peccata sordescunt : ergo et qui magis justificantur, per nova bona opera magis justificantur.

Secundo, pressius et nervosius Alcazar censet hæc verba esse comparativa, q. d. Sicut ille qui nocet nocere pergit, sic qui sanctus est sanctificari pergat. Aliquando enim imperativus non præcipientis est, sed comparantis. Sensus ergo est : quando adversarius et persecutor deterius se et immanius gerit, tunc justus in sanctitate magis crescere et imminere studeat. Hoc enim pacto tum persecutorum supplicium, tum præmium justorum ad suum tandem cumulum perveniet. Sic enim in Proverbiis, singulis sæpe hemistichiis copula *et* est comparantis, nec tantum copulat, sed et comparat posterius hemistichium cum priori ; ut Proverb. 25. 23. *Ventus aquilo dissipat pluvias, et* (id est, sic et) *facies tristis linguam detrahentem.* Duos enim hîc impiorum gradus comparat et opponit duobus gradibus piorum. Prior est : *Qui nocet* et injurius est proximo, noceat adhuc ; huic opponit : *Qui justus est, justificetur adhuc.* Posterior est : *Qui*, licet nulli sit injurius, sibi ipsi tamen est intemperans, et *sordibus* in gula, venere, etc., *sordescat adhuc ;* huic opponit : *Et sanctus sanctificetur adhuc*, per majorem in dies abstinentiam, continentiam, orationem, etc. Vere S. Aug. epist. 137. ad plebem Hippon. *Sicut,* ait, *difficile expertus sum meliores, quàm qui in monasterio profecerunt : ita non sum deteriores expertus, quàm qui in monasterio defecerunt, ita ut hinc arbitrer in Apoc. c.* 22. *scriptum : justus justior fiat, et sordidus sordescat adhuc.* Hoc idem recte de primitiva Ecclesia, de qua maxime hîc loquitur S. Joannes. Sensus ergo est, q. d. Quisque pius accumulet merita, uti, et ubi impii accumulant demerita.

Præclare Faustus Rhegiensis Episc. Instruct. ad Monachos, quæ habetur in appendice Biblioth. SS. Patrum : *Nullum*, inquit, *finem sibi faciat proficiendi, nullum terminum constituat acquirendi, cum sibi dici audiat : Para in exitu opera tua, et iterum : Non verearis usque ad mortem justificari ; et iterum : Sapientia in exitu canitur. Quanto ergo plus proficimus, tanto plus humiliemur ; quia quanto plus humiliati fuerimus, tanto amplius proficimus. Nullus illi* (Deo et Superiori suo) *senior tam indoctus appareat, ut putet quod eum non deceat obedientia, quæ Deum decuit. Humilitas enim atque obedientia in junioribus adhuc necessitas, in senioribus jam dignitas est. Ille bene proficit, ille bene consummat, qui quotidie agit, quasi semper incipiat. Quamobrem augmenta meritorum incitamenta esse perfectorum Scriptura pronuntiat.* Et post nonnulla : *Simus itaque in opere Dei indeficientes propter æternam retributionem, et quotidie ad meliora tendamus. Ipsa enim apprehendendi aviditas, ipsa consuetudo proficiendi, semper nos ad majora provocet ; et ubi viderit Deus devotionem animæ, ardentiorem insinuabit affectum ; et quanto nos arserimus ad studium, tanto ille apponet adjutorium : quanto nos apposuerimus ad diligentiam, tanto ille addet ad gloriam. Qui habet, dabitur illi, et superabundabit, et alio loco dicit : Posui adjutorium super potentem. Gratia ergo de gratia nascitur, et profectus profectibus serviunt, lucra lucris, et merita meritis locum faciunt, ut quanto plus quis acquirere cœperit, tanto plus conetur acquirere : et quanto avidius de sapientiæ bonis hauserit, tanto plus haurire desideret ; sicut ipsa de se loquitur sapientia : Qui edunt me, adhuc esurient. Urgeamus cursum nostrum, ut crescat in novissimo vita nostra. Quæramus usque in finem, unde sine fine gaudere mereamur. Sed esto non possimus exercere corporis labores, conferamus nos ad spiritualium bonorum desiderium, ad compunctionis et charitatis augmentum. Si quotidie in cordibus nostris disponamus ascensus, nulla infirmitate, nulla ætate lassari possunt mentes ut spiritualibus quibusdam gradibus ascendere mereamur ad promissa Domini nostri Jesu Christi.* Egregie S. Bern. epist. 253. ad Guarinum, urget singulos ad progressum in via Dei : Quia, inquit, nolle proficere, est deficere ; non progredi, est regredi. Vide eum.

12. ECCE VENIO CITO, ET MERCES MEA MECUM EST,] hoc est, in promptu et quasi in manibus meis est, ut statim eam cuique pro meritis reddam ; idque probat ex eo quod subdit : *Ego sum α et ω, primus et novissimus, principium et finis,* q. d. Ergo meum est cuique suum finem et præmium, vel beatum, vel miserum pro meritis assignare. Rursum, q. d. Ergo meum est Ecclesiæ et justis laborum et persecutionum finem dare, uti eisdem principium dedi. State ergo, ô fideles mei, in tribulationibus ; dabit Deus his quoque finem, et celerem finem, cum præmio et corona æterna : vide dicta c. 1. 8. Ita S. Fursæus audivit Angelos concinentes : *Nullus labor du-*

rus videri debet, nullum longum tempus, quo gloria æternitatis acquiritur, ut refert V. Beda l. 3. Histor. Angl. c. 19.

Symbolice, Tertull. lib. de Monogamia cap. 5. *Sic et duas*, inquit, *Græciæ litteras, summam et ultimam sibi induit Dominus, initii et finis concurrentium in se figuras, uti quemadmodum α ad ω usque volvitur, et rursus ω ad α replicatur, ita ostenderet in se esse et initii decursum ad finem, et finis recursum ad initium, ut omnis dispositio in eum desinens per quem cœpta est, per sermonem scilicet Dei qui caro factus est, proinde desinat quemadmodum et cœpit. Et adeo in Christo omnia revocantur ad initium, ut et fides reversa sit à circumcisione ad integritatem carnis illius, sicut ab initio fuit; et libertas ciborum, et sanguinis solius abstinentia, sicut ab initio fuit; et matrimonii individuitas, sicut ab initio fuit; et repudii cohibitio, quod ab initio non fuit; et postremo totus homo in paradisum revocatur, ubi ab initio fuit.* Sed deinde Tertull. hanc sent. nimis extendit, ex eaque probare contendit, secundas nuptias Christiano esse illicitas, quia eæ non fuerunt in paradiso, qui est ejus error, quem hoc libro persuadere conatur.

14. Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni.] Aliqui codices carent hac sententia: inde putarunt Lovanienses eam ex cap. 7. 14. huc esse translatam. Verum Romana, aliaque Biblia complura eam legunt, et τὸ *beati* non habetur, cap. 7. 14. Rursum pro πλυνοντες τας στολας αυτων, id est, *qui lavant stolas suas*, Græci codices quos sequitur S. Cyprianus et Aretas legunt, ποιουντες τας εντολας αυτου, id est, *qui faciunt mandata ejus*. Verum prior lectio est communior et verior, cujus hic est sensus: Stola, sive vestis candida animæ, est puritas, innocentia et sanctitas animæ; hæc nævis venialibus subinde maculatur; lavanda ergo est pœnitentia in sanguine Agni, si beati esse velimus. Ubi nota: Sanguis Agni est quasi sapo, quo maculæ peccatorum ex anima eluuntur: per merita enim passionis Christi, et per fidem, qua per eadem merita veniam peccatorum et gratiam à Deo nos obtenturos credimus, speramus et obsecramus, Deus nobis veniam hanc et gratiam elargitur.

Ut sit potestas (εξουσια, id est jus, facultas) eorum in ligno vitæ,] ut frui possint fructu arboris vitæ scilicet visione Dei beatifica, uti dixi v. 2. Nota: Prius est habere jus ad lignum vitæ quàm actu per portas ingredi in civitatem, ut sequitur.

Et per portas intrent in civitatem] cœlestem. Hinc patet Angelos, uti custodes à Deo appositi fuerunt et excubarunt ad paradisum terrestrem, ne Adam, vel quis hominum post peccatum Adæ eò ingrederetur, Gen. 4. 24. Ita pariter eosdem jussu Dei custodire portas paradisi cœlestis, ne quis eo ingrediatur, nisi stolam et vestem habeat plene lotam et candidam. Idem clare patet ex c. præc. v. 12. *Et in portis Angelos duodecim.*

15. Foris, scilicet extra civitatem cœlestem, in gehennam pellantur et cant canes,] id est, persecutores, qui instar canum rabidorum corpora Sanctorum, aut famam et nomen dilacerant, quales multi erant tempore S. Joannis, et plures erunt tempore Antichristi; unde Aretas per canes intelligit Judæos, hæreticos, aliosque infideles fidelium hostes. Hos enim canes vocat Paulus Philip. 3. 2.

Venefici, malefici et magi: et omnis qui facit mendacium] perniciosum, uti dixi cap. 21. 8. hoc est, omnis perjurus, veterator, calumniator, falsus testis, etc. Hæc scelera abundarunt tempore S. Joannis, et magis abundabunt tempore Antichristi, de quo maxime passim hîc loquitur S. Joannes.

16. Ego Jesus misi Angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesiis.] q. d. Ego Christus per Angelum hanc Apocalypsin, ejusque oracula, ac præsertim hæc ultima de magnitudine civitatis et gloriæ cœlestis, æque ac civitatis et pœnæ infernalis, revelavi Joanni, ut ille eadem prædicaret et scriberet toti Ecclesiæ, ut omnes fideles iis excitentur ad curam salutis suæ, ad constantiam in fide, et martyrium pro illa si opus sit, obeundum.

Ego sum radix et genus David.] Ego sum ortus ex stirpe, radice et genere Davidis; vide dicta c. 5. 5. q. d. Ego sum Messias, sive Christus Davidi promissus, qui hæc edico, prædico et promitto; ac consequenter reipsa præstabo. Ego sum qui Davidis gloriosum regnum pene exstinctum, quasi filius et hæres suscitabo, magisque gloriosum et spiritale efficiam in Ecclesia tum militante, tum potius triumphante.

Stella splendida et matutina.] Arabicus: *Stella quæ oritur in mane;* Syrus: *Sicut illa stella illustris, illa matutina*, de qua dixi cap. 2. 28. q. d. Ego sum Lucifer prænuntius instantis solis, id est, vitæ et gloriæ beatæ. Agite ergo, durate, constantes estote in persecutionibus: indico enim vobis adventare solem vestræ gloriæ, et diei æternitatis. Unde S. Gregor. 29. Moral. 17. Christus ait: *Vivus apparens post mortem, matutina nobis stella factus est; quia dum semetipso exemplum nobis resurrectionis præbuit, quæ lux sequatur, indicavit.*

Tropol. Stellæ sunt Apostoli et Doctores, de quibus audi S. Chrysost. hom. 1. de Pentecost. sub finem tom. 3. *Quæ*, ait, *sunt tales stellæ sicut Apostoli? stellæ in cœlo, Apostoli super cœlos. Quæ sursum sunt, inquit Apostolus, sapite, ubi Christus est in dextera Patris sedens. Stellæ de igne* (ex sententia Platonicorum, juxta quam Poeta: *Vos æterni ignes*) *insensibili; Apostoli de igne intelligibili. Stellæ in nocte lucent, in die obscurantur: Apostoli in die et in nocte suis radiis, hoc est virtutibus, effulgent. Stellæ orto sole obscurantur: Apostoli, sole justitiæ resplendente, sua claritate lucescunt. Stellæ in resurrectione cadunt sicut folia: Apostoli resurrectione rapientur in aera nubibus. Et in illis quidem sideribus alius Antifer, alius Lucifer appellatur: in Apostolis autem nullus Antifer est, omnes Luciferi; et ideo stellis majores Apostoli. Et quicumque eos luminaria vocaverit mundi, non peccabit, non solum dum essent in corpore, sed etiam magis nunc quando de vita migrarunt.* Vide dicta Danielis 12. 3.

17. Et Spiritus et sponsa dicunt: Veni.] *Spiritus*, scilicet sanctus: *et sponsa*, id est, Ecclesia, *dicunt*, id est, dicere, desiderare et orare nos docent adventum Christi, ut dicamus: *Veni*, scilicet Domine Jesu ad judicium, in quo nos cum tua sponsa matre nostra, id est, Ecclesia, in thalamum cœlestem inducas. Quare perperam hæc divellit Arabicus, sicque dispungit: *Ego radix et genus David, et stella quæ oritur in mane, et spiritus, et sponsa; et dicetur: Veni.*

Et qui audit in se hanc vocem, et hunc instinctum Spiritus, idipsum dicat, scilicet veni,] Domine Jesu.

ET QUI SITIT justitiam et vitam æternam, VENIAT : ET QUI idipsum VULT, ACCIPIAT AQUAM VITÆ (Syrus, *aquam vivam*) GRATIS], de qua dixi v. 1. q. d. Dum Christo dicimus : *Veni ;* nos vicissim spiritualibus gressibus illi obviam procedere debemus, atque hanc ejus sitim in nobis acuere, ut vitæ et gloriæ beatæ siti et desiderio accensi, ad eam anhelemus, dicamusque : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.* Huic enim ita sitienti et anhelanti hæc aqua vitæ obtinget : Deus enim ita munificus est, ut magnos labores non requirat, sed tantum sitiri appetat, ait Nazian. Nihil ergo superest, nisi ut sitientes ad aquam vitæ festinemus.

Quocirca pie et sapienter S. Eugenius Toletanus Archiepisc. antecessor S. Ildephonsi anno Domini 636. ita orare solet :

> Rex Deus immensi quo constat machina mundi,
> Te mea mens sitiat, sermo canat, actio promat.

Integram ejus orationem carmine expressam recitat noster Browerus, in calce poematum Venantii Fortunati.

18. CONTESTOR ENIM.] *Enim*, id est, autem, q. d. Enim vero contestor : nam γαρ, id est, *enim*, apud Græcos sæpe est inclitieum, et redundat. Alcazar tamen τὸ *enim* proprie accipit, ut causale, huncque dat sensum. Quæ dixi de sitientibus, deque danda eis aqua vitæ, adeoque toto hoc libro, certissima sunt, itaque vera, ut de iis verissime pronuntietur Væ adversus eum, qui ejus verbis aliquid aut addere, aut detrahere ausit.

Est hoc quasi sigillum libri, quo gravi asseveratione et comminatione contestatur Joannes, hæc omnia et singula esse Deo accepta, esseque Dei oracula.

SI QUIS APPOSUERIT AD HÆC.] Significat fore hæreticos, qui Apocalypsin, et S. Scripturam, cujus Apocalypsis est quasi finis et clausula, adulterarent vel addendo, vel minuendo, uti fecit Marcion, quem ideo Tertull. lib. de Carne Christi c. 4. *Comestorem*, sive *murem Ponticum* appellat (fuit enim oriundus ex Ponto.) Ita Ticonius, Beda et alii. Non ergo Joannes carpit hîc leges humanas, Apostolicas, vel Ecclesiasticas, quæ adduntur divinis, ipsique Evangelio : non enim adduntur ut leges vel Scripturæ divinæ, sed ut humanæ ex divinis deductæ. Vide dicta Deut. 4. 2.

20. DICIT, non Joannes, ut volunt Aretas et Ribera, sed Christus, QUI TESTIMONIUM PERHIBET ISTORUM Joanni. Christus, inquam, *dicit*, tum id quod præcessit : *Si quis apposuerit*, etc., tum id quod sequitur : ETIAM VENIO CITO (Arabicus vertit, *et venit*, id est veniet, *cito*). AMEN.] q. d. Ego Christus certissime et citissime veniam, ut eos qui mihi fideles et constantes sunt præmiem; infideles vero, inconstantes et deficientes puniam : observate ergo hæc mea monita et præcepta. Porro Christo respondet S. Joannes jam senex, sitiens aquam vitæ cœlestem, optansque Christo frui : *Amen*, id est fiat : *veni*, vel, ut græce est, ναι ερχου, id est, *etiam veni, Domine Jesu :* obsecro veni, omnino veni, amor mi, gaudium meum, desiderium meum, idemque nos dicere et desiderare, tacite suo exemplo monet: Hoc enim est quod expressit v. 17. *Qui audit, dicat : Veni.* Ita Rupert. Ansbert. Haymo et Viegas. Unde Arabicus vertit : *Veni, Domine Jesu Christe, ad omnes sanctos in sæculum sæculorum. Amen.* Qui enim est puræ conscientiæ, pureque et intense amat Jesum, desiderat dissolvi, et esse cum Christo. *Ipse enim Jesus, qui dulcis est in voce, dulcis in facie, dulcis in nomine, dulcis in opere, dulcior apparebit in deitatis visione*, ait S. Bernard. (vel quisquis est auctor) serm. de cœna Domini pag. 391.

Quidam vir doctus apud Salmeron. prolegom. 7. pag. 97. Amen, ait, dictio familiaris Joanni, qua præ cæteris in Evang. est usus, eo quod illud jam senio confectus scripserit. Nam litteræ Αμην significant 99, ut etiam Gratianus tradit dist. 83. c. *Qualiter vero.* Siquidem *alpha* in Αμην denotat 1, *mu* vero 40, *eta* 8, *nu* 50 ; qui numeri collecti faciunt 99, quot annos fertur vixisse S. Joannes. Verum hæc levicula sunt et incerta.

Narrat S. Gregor. lib. Dialog. c. 8. S. Anastasium simili voce cœlitus lapsa : *Veni, Anastasi,* vocatum esse ad mortem, imo ad immortalitatem ; unde mox animam Deo reddens, ad illam evolavit, Tropol. idem Gregor. hom. 14. in Ezech. *Qui audit*, ait, *dicat : Veni. Cui enim jam vox vocantis Dei efficitur in corde, necesse est ut proximo per prædicationis officium erumpat in voce ; et idcirco alios vocet, quia jam ipse vocatus est.* Idem lib. 4. Dialog. 13. narrat de S. Galla, quod à S. Petro vocata sit in cœlum. Cum enim eum videns exultaret, rogaretque : *Quid est, Domine mi, dimissa sunt mihi peccata mea ?* ab eo audivit : *Dimissa, veni.*

Idem ibidem cap. 12. narrat S. Probum Reatis Episcopum, à S. Juvenali et Eleutherio Martyribus vocatum in cœlum. Idem c. 14. narrat S. Servulum paralyticum, qui *studebat semper in dolore gratias agere, hymnis Deo et laudibus diebus ac noctibus vacare,* angelorum cantu ad æternam gloriam invitatum. Et c. 15. refert S. Romulam in paralysi mire patientem, à duabus suis discipulis hac voce : *Mater, veni; mater, veni,* evocatam, ac duobus cœlitum psallentium choris in cœlum deductam, mira post se odoris fragrantia relicta.

Et cap. 16. narrat S. Tarsillam, amitam suam, à S. Felice Pont. atavo suo, ostendente ei mansionem perpetuæ claritatis, accersitam hac voce : *Veni, quia in hac te lucis mansione recipiam.* Quare febri correpta, sursum respiciens, Jesum venientem vidit, cœpitque clamare dicens : *Recedite, recedite, Jesus venit.* Cumque in eum intenderet quem videbat, sancta illa anima corpore est egressa. Dum vero corpus ejus lavaretur, longæ orationis usu in cubitis ejus et genibus, camelorum more inventa est obdurata cutis excrevisse.

Et cap. 17. narrat Musam puellam à B. Virgine invitatam ad suum virginum cœtum, mox pueriles mores in seniles commutasse, ac trigesimo post die, cum plane à B. Virgine evocaretur, depressis reverenter oculis aperta voce clamasse : *Ecce, domina, venio; ecce, domina, venio.* In qua voce spiritum tradidit, et ex virgineo corpore habitatura cum sanctis virginibus excessit.

Ita ad Christum transire anhelabat S. Maria Oigniacensis. Nam, ut in ejus Vita scribit Cardin. de Vitriaco lib. 2. c. 10. ultimo vitæ suæ anno propinquante, jam se amplius continere non valens anhelabat, suspirabat, præ desiderio clamabat, quasi moræ impatiens, cum *Domi-*

num (Christum, cum quo familiariter versabatur) *amplexaretur : Nolo, Domine, ut sine me recedas : non cupio hic morari amplius, domum ire volo.* Et paulo post cum narrasset illi revelatum suum transitum in cœlum : *Non potuit*, inquit, *tunc præ spiritus ebrietate tacere, sed clamans dicebat : Audivi à Domino me ituram in Sancta sanctorum. O dulcissimum vocabulum ! Dic mihi, mea Clementia* (*sic enim ejus ancilla vocabatur*), *quid est Sancta sanctorum? Ex famula volebat scire quid eæ dictiones significarent, cum neutra id sciret ; sed, ut dixi, spiritu ebria id faciebat.* Et mox : *Audiebat etiam vocem Domini vocantis, et dicentis : veni, amica mea, sponsa mea, columba mea; jam coronaberis.* Instante vero morte, ut idem Card. scribit c. 11. et seq. *Cœpit clara voce et alta cantare, nec cessavit spatio dierum trium et noctium laudare Deum*, hymni carmina suggerente ei angelo Seraphino ; adventante autem hora ultima canebat : *Quàm pulcher es, rex noster Domine! Alleluia.* Ita Sancti vitam habent in patientia; mortem, imo immortalitatem, in desiderio : quia ad Christum amorem suum suspirant. Unde S. Bernard. in Form. honest. vitæ : *Sit tibi Jesus*, inquit, *semper in corde ; et nunquam imago crucifixi ab animo tuo recedat : Hic tibi sit cibus et potus, dulcedo et consolatio tua : mel tuum et desiderium tuum ; dulcedo et meditatio tua, oratio et contemplatio tua ; vita et mors, et resurrectio tua.*

Lege suspiria S. August. anhelantis ad cœlum, in lib. Meditationum et Soliloquiorum tomo 9. lege et imitare suspiria S. Bernardi ad Jesum in Jubilo, ubi inter cætera ait :

O Jesu mi dulcissime,
Spes suspirantis animæ,
Te quærunt piæ lacrymæ,
Te clamor mentis intimæ.

Jesu dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.

Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vilescit vanitas,
Et intus fervet charitas.

Jesu mi bone, sentiam
Amoris tui copiam,
Da mihi per præsentiam,
Tuam videre gloriam.

Quem tuus amor ebriat,
Novit quid Jesus sapiat.
Quam felix est quem satiat !
Non est ultra quod cupiat.

Jesu, decus angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cœlicum.

Desidero te millies,
Mi Jesu, quando venies ?
Me lætum quando facies ?
Me de te quando saties ?

Jam quod quæsivi video,
Quod concupivi teneo,
Amore Jesu langueo,
Et corde totus ardeo.

O beatum incendium,
Et ardens desiderium !
O dulce refrigerium,
Amare Dei filium !

Tu mentis delectatio
Amoris consummatio.
Tu mea gloriatio,
Jesu mundi salvatio.

Tu verum cœli gaudium,
Jesu cordis tripudium,
Tollens omne fastidium,
Mel, nectar, melos, suavium.

Jesu, corona Martyrum,
Et flos perennis virginum,
Tu casti cordis lilium,
Tu decertantis præmium.
Exaudi preces supplicum,
Nil extra te quærentium.

21. GRATIA DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI CUM OMNIBUS VOBIS (Syrus, *cum omnibus sanctis*) AMEN.] Apostolicæ litteræ solent incipere et terminari in apprecatione gratiæ Christi. Ita hîc Apocalypsin (quæ instar epistolæ est : unde initio septem epistolas ad septem Asiæ Episcopos continet, atque hîc in fine terminatur instar epistolæ) S. Joannes ejusdem apprecatione concludit.

CHRONOTAXIS ET ORDO APOCALYPSEOS.

SICUTI Prophetæ varias, etiam de eadem re, vario tempore habuerunt revelationes, ac per consequens non servant semper ordinem temporis, sed prius futura posterius enarrant, et vice versa : ita facit et hîc subinde S. Joannes; verum parcius et rarius. Magis enim connexa, consequens et ordinata est Apocalypsis quàm sit prophetia Isaiæ, Jeremiæ et aliorum Prophetarum. Cujus ratio est, quod Apocalypsis tota versetur circa librum signatum, quem vidit Joannes c. 5. ejusque sigilla. Quocirca minus recte nonnulli censent ordinem in Apocalypsi valde esse confusum et perturbatum : quorum sententia permovit Alcazarum, ut novam comminisceretur interpretationem, in qua ordinem et acoluthiam S. Joannis exacte servaret et tueretur, nimirum explicando omnia mystice et symbolice. Ego utrumque hoc extremum minus verum, et cavendum, mediaque via incedendum censeo, ut nimirum ordo servetur quantum fieri potest, nec series textus invertatur, nisi necessitas, aut evidens ratio cogat : ubi tamen illa cogit, hysterologiam et universum esse ordinem non invitus admittam. Hoc autem raro admodum fieri, ex ipsa chronotaxi mox patebit, nimirum tantum in quatuor, scilicet primo, in septimo angelo, et tuba septimi sigilli, de quo cap. 11. v. 15. qui libro signato non præponendus, uti reliqua sigilla, sed postponendus est, idque ex natura rei, puta consummationis mundi quam adducit; unde proprie in eo non est hysterologia, sed recta rerum gerendarum series et ordo. Secundo, in ligatione Satanæ à Christo facta, quæ ponenda fuisset initio Apocalypsis : et ejusdem solutione tempore Antichristi, quæ ponenda fuisset initio capitis undecimi : hîc au-

tem ponitur c. 20. ob causam quam ibi dedi. Tertio, in narratione mortis resurrectionis et ascensionis in cœlum Eliæ et Henoch; hæc enim vitæ eorum attexitur cap. 11. v. 7. cum recto ordine ponenda sit c. 19. ante v. 11. Quarto in visionibus nonnullis, quæ hinc inde identidem interjiciuntur de gloria cœlesti Beatorum, deque judicio et pœnis inferni reproborum, ut patet c. 7. v. 15. c. 14. v. 14. c. 15. v. 2. Hæc enim proprio ordine, ad finem Apocalypseos spectant; sæpius tamen partim in sigillis, partim in libro signato commemorantur et refricantur : quia scopus Apocalypseos est, per hæc et similia animare fideles, tum præsentes, tum futuros ad tolerantiam et constantiam in persecutionibus; nihil autem eos animat, atque spes et consideratio gloriæ et coronæ cœlestis. Rursum, perterrefacere et percellere peccatores, tum præsentes, tum futuros, maxime tempore Antichristi, tum refrigescet charitas, et abundabit iniquitas, per comminationem divini judicii et pœnarum inferni. Horum enim consideratio seria et attenta, maxime absterret et cohibet impios à peccatis. Accipe ergo totius Apocalypsis chronotaxin.

Primo, tribus primis capitibus recensentur septem epistolæ et monita Christi ad septem episcopos et Ecclesiæ Asiæ Minoris.

Secundo, cap. 4. et 5. S. Joannes per visionem videt librum signatum septem sigillis, in quo descripta vel consignata erant ea quæ à tempore S. Joannis usque ad finem mundi eventura sunt, et maxime quæ futura sunt sub tempora Antichristi : nam septem sigilla continent ea quæ futura sunt partim complete, partim inchoate ante Antichristum; ipse vero liber signatus continet futura tempore Antichristi. Porro sigilla aperiri incipiunt cap. 6. et finiuntur c. 10. v. 8. ibi enim apertis jam sigillis reseratur liber : quocirca à cap. undecimo usque ad finem Apocalypsis, recensentur ea quæ in libro signato conscripta, vel repræsentata erant.

Tertio, cap. sexto in primo sigillo, per equum album significatur victoria Apostolorum, et prædicatorum Evangelii de gentilismo et gentibus Christo subactis et subigendis. Secundo sigillo, per equum rufum significantur decem persecutiones fidelium, per decem Imperatores Romanos usque ad Constantinum. Tertio sigillo, per equum nigrum significatur arianismus et hæreses, quæ post persecutiones Imperatorum, sub Constantino Magno cœperunt Ecclesiam oppugnare. Quarto sigillo, per equum pallidum significatur Mahomet et saracenismus, qui etiamnum Ecclesiam persequitur. Quinto sigillo, prodeunt animæ Sanctorum Martyrum, petentes persecutionum finem et vindictam. Sexto sigillo, transit Joannes ad tempora novissima : unde videt solem obscurari, lunam rubescere, stellas de cœlo cadere, etc. Quocirca deinceps usque ad finem libri agit de temporibus novissimis, puta de tempore Antichristi ut cap. 11. et deinceps, aut de annis illi contiguis, illudque proxime præcedentibus, uti facit ab hoc loco sexti sigilli usque ad c. 11.

Quarto, cap. septimo signantur electi Judæi et Gentiles, ne plagis Dei ejusque septem angelorum, jam jam in orbem, id est in impios, immittendis, tangantur. Hæc signatio pertinet ad sextum sigillum, de quo c. 6. 12. præcedit enim plagas, quæ septimo sigillo continentur; ac consequenter præcedet Antichristum; intellige inchoate : Judæi enim incipient converti et signari ante Antichristum; sed plene et universim convertentur et signabuntur post Antichristum.

Quinto, cap. octavo et nono aperitur septimum sigillum, prodeuntque septem angeli septem plagas immittentes in orbem, id est impios non signatos. Has plagas in genere et breviter Christus prædixit Matth. 24. v. 29. Marci 13. 24. Lucæ 21. 25. sed Joannes hic particulatim et sigillatim eas enarrat. Huc etiam spectare excidium Babylonis, de quo cap. 17. et 18. censet Ribera. Verum cap. 17. v. 16. et 17. ostendi illud suo loco et ordine positum esse, nec ad sigilla, sed ad librum signatum spectare.

Sexto, cap. 10. S. Joannes videt angelum glorioso habitu, jurantem quod amplius non erit tempus, id est, quod instet finis mundi : mox reboant et consonant eidem septem tonitrua.

Deinde v. 8. apertis jam septem sigillis, jubetur librum ante signatum nunc apertum devorare. Quocirca hic finiuntur sigilla, et prior pars Apocalypsis, continens ea quæ prævia erunt Antichristo, incipitque secunda, quæ est ipse liber, sive materia libri : ergo

Septimo, capite undecimo recenset ea quæ libro continebantur, quæ omnia ad tempus Antichristi pertinent. Itaque cap. 11. prædicit magnam Ecclesiæ et fidelium partem tradendam Antichristo, ac contra eum certaturos Eliam et Henoch. Hi enim erunt duo capita et principes fidelium resistentium Antichristo, ac consequenter erunt quasi duces belli sacri contra Antichristum, quod sequentibus capitibus describit. Porro quia hoc capite Joannes cœpit historiam Eliæ et Henoch, ne de iis in sequentibus cogatur rursum mentionem facere; hinc eam hoc loco pertexit, agitque de eorum morte, martyrio, resurrectione, ascensione ad cœlum, quæ omnia posterius contingent, quorum proprius locus videtur esse, ut ponantur cap. 19. ante v. 11. nimirum ante prælium quod Christus gesturus est contra Gog et Magog, et Antichristum. Nam paulo ante eorum stragem occidentur Elias et Henoch, resurgent, et ascendent in cœlum. Hic etiam, puta v. 15. cap. 11. intexit septimam tubam septimi angeli et septimi sigilli. Hæc enim sola inter sigilla non præibit tempora Antichristi, sed potius consequetur : comitabitur enim mortem, resurrectionem et ascensionem Eliæ et Henoch : quocirca illa, æque ac mors, resurrectio et ascensio Eliæ et Henoch, recto ordine ponenda videtur cap. 19. ante v. 11. præit enim Christi victoriam et judicium.

Octavo, describit bellum dæmonis cum fidelibus et Ecclesia per Antichristum, toto capite 12.

Nono, cap. 13. describit Antichristum, ejusque mores, præcursorem, sub specie et symbolo duarum bestiarum.

Decimo, cap. 14. describit gloriam virginum, qui generose resistent Antichristo. Deinde ea occasione diem judicii, et pœnas reproborum in gehenna summatim perstringit.

Undecimo, capite 15 et 16, describit septem plagas novissimas.

Duodecimo, post has sequetur excidium Babylonis, de quo agit cap. 17 et 18, indeque jubilus et exultatio Sanctorum, de quo agit initio cap. 19. Deinde enarrare incipit prælium Christi extremum contra Antichristum, Gog et Magog, ejusque narrationem perficit cap. 20. Ubi altius hujus belli originem repetit, et orditur à ligatione Satanæ jam ante mille annos facta à Christo, qui solvetur initio regni Antichristi, sed magis in ejus fine, cum ad eum Gog et Magog aliasque gentes adducet. Mox post horum stragem, describit Christum venientem ad judicium extremum.

Denique cap. 21. et 22. gloriam cœlestis Jerusalem, Martyribus et Sanctis generose certantibus præparatam, quam instar bravii accipient à Christo in die judicii, fuse et graphice depingit.

Ex dictis facile est videre quam recta et exacta sit S. Joannis acoluthia, et rerum temporisque ordo, quamque raræ et paucæ in Apocalypsi sint hysterologiæ.

JESU CHRISTO

REGI SÆCULORUM, DICTATORI APOCALYPSEOS,

A ET Ω.

HYMNUS EX EJUSDEM SYNOPSI.

Confitemini Domino, quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicant qui redempti sunt à Domino : Quoniam in sæculum misericordia ejus.

Dicat nunc Israel : Quoniam in æternum misericordia ejus.

Gaudens gaudebo in Domino : et exultabo in Deo Jesu meo.

I. Apocalypsis Jesu Christi: Gratia vobis et pax ab eo qui est, et qui venturus est.

Et à Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ : qui dilexit nos, et lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.

Et fecit nos regnum, et sacerdotes Deo et Patri suo : ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Ecce venit cum nubibus : et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.

Et plangent se super eum omnes tribus terræ : etiam, Amen.

Ego sum α et ω, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est, omnipotens.

Ego Joannes frater vester, et particeps in tribulatione, et regno, et patientia in Christo Jesu, fui in insula quæ appellatur Pathmos : propter verbum Dei, et testimonium Jesu.

Vidi septem candelabra aurea, et in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis vestitum podere, et præcinctum ad mammillas zona aurea.

Et habebat in dextera sua stellas septem, et de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat : et facies ejus sicut sol lucet in virtute sua.

Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus. Et posuit dexteram suam super me, dicens : Noli timere, ego sum primus et novissimus.

Et fui mortuus, et ecce sum vivens in sæcula sæculorum : et habeo claves mortis et inferni.

Scribe ergo quæ vidisti, et quæ sunt, et quæ oportet fieri post hæc.

II. Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe: Scio opera tua, et laborem et patientiam.

Sed habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti.

Memor esto itaque unde excideris : et age pœnitentiam, et prima opera fac.

Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.

Et angelo Smyrnæ scribe : Scio tribulationem tuam et paupertatem, sed dives es.

Habebis tribulationem diebus decem : esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.

Et angelo Pergami Scribe : Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanæ, et tenes nomen meum : sed habeo adversus te pauca, quia habes tenentes doctrinam Nicolaitarum.

Similiter pœnitentiam age: si quo minus, veniam tibi cito, et pugnabo cum illis in gladio oris mei.

Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis : Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum ; et in calculo nomen scriptum quod nemo scit, nisi qui accipit.

Et angelo Thyatiræ scribe : Novi opera tua novissima, plura prioribus.

Sed habeo adversus te pauca, quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit propheten, docere, et seducere servos meos, fornicari, et manducare de idolothytis.

Ecce mittam eam in lectum, et qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, vobis autem dico : Id quod habetis, tenete donec veniam.

Et qui vicerit, et custodierit usque in finem opera mea : dabo illi potestatem super Gentes.

Sicut et ego accepi à Patre meo : et dabo illi stellam matutinam.

III. Et Angelo Sardis scribe : Habes nomen quòd vivas, et mortuus es.

Esto vigilans et confirma cætera quæ moritura erant : non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.

Alioqui veniam ad te tanquam fur : et nescies qua hora veniam ad te.

Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ ; et confi-

tebor nomen ejus coram Patre meo, et coram angelis ejus.

Et angelo Philadelphiæ scribe : Hæc dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David : Scio quia modicam habes virtutem.

Quoniam servasti verbum patientiæ meæ : et ego servabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum, tentare habitantes in terra.

Ecce venio cito : tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.

Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei : et foras non egredietur amplius, et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ descendit de cœlo, à Deo meo et nomen meum novum.

Et angelo Laodiciæ scribe : Hæc dicit : Amen, utinam frigidus esses, aut calidus ! sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.

Quia dicis, Quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo : et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus ; suadeo tibi emere à me aurum ignitum.

Ego quos amo, arguo, et castigo : æmulare ergo, et pœnitentiam age.

Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo : sicut ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.

Confiteantur Domino misericordiæ ejus : et mirabilia ejus filiis hominum.

IV. Ecce sedes posita erat in cœlo ; et qui sedebat similis erat aspectui lapidis jaspidis, et sardinis : et iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ.

Et in circuitu sedis viginti quatuor seniores, amicti vestibus albis et coronis aureis.

Et in conspectu sedis mare vitreum : et quatuor animalia plena oculis ante et retro.

Animal primum simile leoni, secundum vitulo, tertium homini, quartum aquilæ : singula habebant senas alas, et requiem non habebant die ac nocte, dicentia : Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens.

Et viginti quatuor seniores procidebant, et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes : Dignus es, Domine, accipere gloriam, et honorem, et virtutem ; quia tu creasti omnia.

V. Et vidi in dextera sedentis supra thronum, librum scriptum intus et foris : signatum sigillis septem.

Et ego flebam multum : quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, nec videre eum.

Et unus de senioribus dixit mihi : Ne fleveris ; ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus.

Et ecce Agnum stantem, tanquam occisum, habentem cornua septem, et oculos septem : et venit, et accepit de dextera sedentis in throno librum.

VI. Et cum aperuisset librum ; quatuor animalia et viginti quatuor seniores cantabant canticum novum, dicentes :

Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus : quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione.

Et vidi, et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni, et animalium et seniorum : et erat numerus eorum millia millium,

Dicentium voce magna : Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem.

Et cum aperuisset Agnus sigillum primum, ecce equus albus, et qui sedebat super illum, habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret.

Cum secundum, exivit alius equus rufus, et qui sedebat super illum, datum est ei ut sumeret pacem de terra, et ut invicem se interficiant, et datus est ei gladius magnus.

Cum tertium, ecce equus niger, et qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua.

Cum quartum, ecce equus pallidus, et qui sedebat super eum, nomen illi mors, et infernus sequebatur eum.

Cum quintum, vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, clamantes : Usquequo, Domine, non vindicas sanguinem nostrum ?

Et datæ sunt illis singulis stolæ albæ, et dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum : donec compleantur conservi eorum, et fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut et illi.

Cum sextum, ecce terræ motus magnus factus est, et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, et luna tota facta est sicut sanguis.

Et stellæ de cœlo ceciderunt, et cœlum recessit sicut liber involutus : et reges, et principes, et divites, et fortes absconderunt se in speluncis, et in petris montium, dicentes :

Cadite super nos, et abscondite nos ab ira Agni ; quis enim poterit stare ?

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo : in concilio justorum et congregatione.

Magna opera Domini : exquisita in omnes voluntates ejus.

Confessio et magnificentia opus ejus : et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

VII. Et vidi angelum ab ortu solis clamantem : Nolite nocere terræ et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.

Et audivi numerum signatorum : centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel.

Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, et ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum.

Et dixit mihi angelus : Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna ; et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine agni.

Ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus : et qui sedet in throno, habitabit super illos.

Quoniam Agnus qui in medio throni est, reget illos, et deducet eos ad vitæ fontes aquarum : et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.

VIII. Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo, quasi media hora.

Et vidi septem angelos stantes in conspectu Dei; et datæ sunt illis septem tubæ.

Et facta sunt tonitrua et voces, et fulgura, et terræ motus magnus.

Et primus angelus tuba cecinit, et facta est grando et ignis, mista in sanguine, et missus est in terram, et tertia pars terræ combusta est, et tertia pars arborum concremata est, et omne fenum viride combustum est.

Et secundus angelus cecinit, et tanquam mons magnus missus est in mare; et facta est tertia pars maris sanguis, et tertia pars piscium et navium interiit.

Et tertius cecinit, et cecidit stella ardens, cui nomen Absynthium in tertiam partem fluminum, eamque vertit in absynthium, indeque multi hominum mortui sunt.

Et quartus cecinit, et percussa est tertia pars solis, lunæ et stellarum.

Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Magnus Dominus et laudabilis nimis, qui dominatur terræ, mari et omnibus abyssis: quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos.

Et audivi vocem aquilæ volantis per medium cœli: Væ, væ, væ habitantibus in terra!

IX. Et quintus cecinit, et stella cadens aperuit puteum abyssi, et exierunt locustæ, ut cruciarent eos, qui non habent signum Dei in frontibus.

In diebus illis quærent homines mortem, et non invenient.

Locustæ similes erant equis paratis in prælium, habebant facies hominum, coronas aureas in capite, capillos mulierum, dentes leonum, loricas ferreas, caudas scorpionum; et super se regem abyssi, nomine Abaddon.

Et sextus cecinit, et soluti sunt quatuor angeli ligati in Euphrate, ut occiderent tertiam partem hominum.

Et numerus equestris exercitus; vicies millies dena millia.

Et vidi equos, et equites qui habebant loricas igneas, hyacinthinas et sulphureas. Et capita equorum quasi capita leonum; et de ore eorum procedit ignis, fumus et sulphur.

Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine: Quoniam Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram,

Qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro.

X. Et vidi alium angelum fortem, descendentem de cœlo, amictum nube, et iris in capite ejus: et facies ejus erat ut sol, et pedes ejus tanquam columna ignis.

Et juravit per viventem in sæcula sæculorum: quia tempus non erit amplius.

Et dixit mihi: Accipe librum et devora; et accepi, et devoravi, et erat in ore meo tanquam mel dulce, sed amaricatus est venter meus.

XI. Dictum est mihi: Metire templum, non atrium quod foris est; quia datum est Gentibus, et calcabunt sanctam civitatem mensibus quadraginta duobus.

Et dabo duobus testibus meis: et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.

Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra: in conspectu Domini terræ stantes.

Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum et devorabit inimicos eorum: et si quis voluerit eos lædere sic, oportet eum occidi.

Et cum finierint testimonium, bestia ascendet eos: et post tres dies intravit spiritus vitæ in eos, et resurrexerunt.

Et audiverunt vocem magnam de cœlo, dicentem eis: Ascendite huc; et ascenderunt in cœlum in nube, et viderunt illos inimici eorum.

Et factus est terræ motus magnus: et tertia pars civitatis cecidit, et occisa sunt septem hominum millia.

Et septimus angelus tuba cecinit; et factæ sunt voces magnæ in cœlo, dicentes:

Factum est regnum hujus mundi, Domini nostri et Christi ejus; et regnabit in sæcula sæculorum. Amen.

Et apertum est templum Dei in cœlo, et visa est arca testamenti ejus in templo ejus: et facta sunt fulgura, et voces et terræ motus, et grando magna.

Lætamini in Domino, et exultate, justi: et gloriamini, omnes recti corde.

Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus?

Beati, qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore.

XII. Et signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim.

Et ecce draco magnus, rufus habens capita septem, et cornua decem, et cauda trahebat tertiam partem stellarum, stetit ut devoraret filium quem paritura erat mulier: et peperit, et raptus est filius ejus ad Deum.

Et factum est prælium magnum in cœlo: Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et angeli ejus, et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo.

Propterea lætamini, cœli, et qui habitatis in eis.

Væ terræ et mari! quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.

Et datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ, ut fugeret in solitudinem.

Et misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tanquam flumen: ut eam faceret trahi à flumine.

Et adjuvit terra mulierem, et aperuit os suum: et absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo.

XIII. Et vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem, et cornua decem: super cornua ejus decem diademata, et super capita ejus nomina blasphemiæ.

Et vidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem: et plaga mortis ejus curata est. Et admirata est universa terra post bestiam.

Et est datum illi bellum facere cum sanctis, et vincere eos: et data est illi potestas in omnem tribum, et populum, et linguam, et gentem.

Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra: et habebat cornua duo, similia Agni, et loquebatur sicut draco.

Et fecit signa magna: ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram, in conspectu hominum.

Et faciet ne quis possit emere aut vendere;

nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus, et numerus ejus sexcenti sexaginta sex.

XIV. Et vidi, et ecce Agnus stabat supra montem Sion : et cum eo centum quadraginta quatuor millia; habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis.

Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, et ante quatuor animalia et seniores : et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra.

Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt: hi sequuntur Agnum quocumque ierit; hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et Agno.

Et in ore eorum non est inventum mendacium : sine macula enim sunt ante thronum Dei.

Et vidi alterum angelum clamantem : Timete Dominum, et date illi honorem, quia venit hora judicii ejus.

Adorate eum qui fecit cœlum et terram, mare, et omnia qui in eis sunt, et fontes aquarum.

Si quis adoraverit bestiam, cruciabitur igne et sulphure in conspectu angelorum sanctorum : et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.

Et audivit vocem de cœlo, dicentem mihi : Scribe : Beati mortui qui in Domino moriuntur.

Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis : opera enim illorum sequuntur illos.

Et misit angelus falcem suam acutam in terram : et vindemiavit vineam terræ, et misit in lacum iræ Dei magnum.

Et calcatus est lacus extra civitatem : et exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum per stadia mille sexcenta.

Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus : et fugiant qui oderunt eum à facie ejus.

XV. Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne, et eos qui vicerunt bestiam et imaginem ejus, et numerum nominis ejus stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei.

Et cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum Agni dicentes : Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine, Deus omnipotens ; justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum.

Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum? quia solus pius es.

Quoniam omnes gentes venient, et adorabunt in conspectu tuo; quoniam judicia tua manifesta sunt.

XVI. Et audivi vocem magnam de templo dicentem septem angelis : Ite, et effundite septem phialas iræ dei in terram.

Et abiit primus, et effudit phialam suam in terram : et factum est vulnus sævum et pessimum in homines qui habebant characterem bestiæ, et in eos qui adoraverunt imaginem ejus.

Et secundus angelus effudit phialam suam in mare; et factus est sanguis tanquam mortui; et omnis anima vivens, mortua est in mari.

Et tertius effudit phialam suam super flumina, et super fontes aquarum ; et factus est sanguis.

Et audivi angelum aquarum dicentem : Justus es, Domine, qui es ; et qui eras sanctus ; quia hæc judicasti.

Et quartus angelus effudit phialam suam in solem, et datum est illi æstu affligere homines, et igni.

Et quintus angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ ; et factum est regnum ejus tenebrosum, et commanducaverunt linguas suas præ dolore.

Et sextus angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem ; et siccavit aquam ejus, ut præpararetur via regibus ab ortu solis.

Et septimus angelus effudit phialam suam in aerem ; et exivit vox magna de templo à throno, dicens : Factum est.

Et grando magna sicut talentum descendit de cœlo in homines ; et blasphemaverunt Deum.

Jubilate Deo, omnis terra, psalmum dicite nomini ejus ; date gloriam laudi ejus.

Dicite Deo : Quam terribilia sunt opera tua, Domine ! omnis terra adoret te.

Venite et videte opera Dei ; terribilis in consiliis super filios hominum.

XVII. Et abstulit me in spiritu in desertum, et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, et cornua decem.

Et in fronte ejus nomen scriptum, mysterium ; Babylon magna, mater fornicationum et abominationum terræ.

Et vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, et de sanguine Martyrum Jesu ; et miratus sum, cum vidissem illam, admiratione magna.

Et hic est sensus, qui habet sapientiam; septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet, et reges septem sunt.

Quinque ceciderunt, unus est, et alius nondum venit ; et cum venerit, oportet illum breve tempus manere.

Et decem cornua quæ vidisti ; decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt; sed potestatem tanquam reges una hora accipient post bestiam.

Hi cum Agno pugnabunt ; et Agnus vincet illos ; quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum, et qui cum illo sunt, vocati, electi, et fideles.

XVIII. Et vidi alium angelum clamantem : Cecidit, cecidit Babylon magna, et facta est habitatio dæmoniorum, et custodia omnis spiritus immundi, et custodia omnis volucris immundæ et odibilis.

Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum, et recordatus est Deus iniquitatum ejus.

Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit : tantum date illi tormentum et luctum, quia in corde suo dicit : Sedeo regina, et vidua non sum, et luctum non videbo.

Ideo in una die venient plagæ ejus, mors, et luctus, et fames, et igni comburetur ; quia fortis est Deus, qui judicabit illam.

Exulta super eam, cœlum, et sancti Apostoli et Prophetæ ; quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illa.

XIX. Et audivi vocem turbæ magnæ dicentis : Alleluia, gaudeamus et exultemus, demus gloriam ei : quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se.

Et datum est illi ut cooperiat se byssino splendenti et candido ; byssinum enim justificationes sunt sanctorum.

Et dixit : Scribe : Beati ad cœnam nuptiarum

Agni vocati sunt; et dicit mihi : Hæc verba Dei vera sunt.

Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum. Et dicit mihi : Vide ne feceris, conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu : Deum adora. Testimonium enim Jesu, est spiritus prophetiæ.

Et vidi cœlum apertum, et ecce equus albus; et qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis et Verax ; et cum justitia judicat et pugnat.

Oculi ejus sicut flamma ignis; vestitus erat veste aspersa sanguine.

Et exercitus qui sunt in cœlo sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino : et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus. Et ipse reget gentes in virga ferrea.

Et habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.

Et vidi angelum clamantem avibus : Venite ad cœnam magnam, ut manducetis carnes regum, liberorum et servorum.

Et apprehensa est bestia, et pseudo-propheta; vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure. Et cæteri occisi sunt in gladio.

Deus ultionum Dominus : Deus ultionum libere egit.

Exaltare qui judicas terram; redde retributionem superbis.

Et vidi angelum, qui ligavit Satanam per mille annos.

XX. Et vidi animas decollatorum propter testimonium Jesu, et regnaverunt cum Christo mille annis : Hæc est resurrectio prima.

Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo : et exibit, et seducet Gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog et Magog.

Et congregabit eos in prælium ; quorum numerus est sicut arena maris.

Et descendit ignis à Deo de cœlo ; et devoravit eos.

Et vidi thronum magnum candidum, et sedentem super eum; à cujus conspectu fugit terra, et cœlum, et locus non est inventus eis.

Et vidi mortuos, magnos et pusillos, stantes in conspectu throni ; et libri aperti sunt.

Et alius liber apertus est, qui est vitæ ; et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum.

Et qui non inventus est in libro vitæ scriptus; missus est in stagnum ignis.

Hæc dies quam fecit Dominus : exultemus, et lætemur in ea.

XXI. Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam, descendentem de cœlo à Deo; paratam sicut sponsam ornatam viro suo.

Et audivi vocem magnam de throno dicentem : Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis.

Et ipsi populus ejus erunt ; et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.

Qui vicerit, possidebit hæc ; et ero illi Deus, et ille erit mihi filius.

Timidis autem, et incredulis, et exsecratis, et homicidis, et fornicatoribus, veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus ; pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure; quod est mors secunda.

Et civitas habebat murum magnum, et altum habentem portas duodecim, et nomina inscripta ; quæ sunt nomina duodecim Tribuum filiorum Israel.

Ab Oriente portæ tres, et ab Aquilone portæ tres ; et ab Austro portæ tres, et ab occasu portæ tres.

Et murus civitatis habens fundamenta duodecim ; et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.

Civitas in quadro posita est ; longitudo, et latitudo, et altitudo ejus æqualia sunt.

Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide; ipsa vero civitas aurum mundum, simile vitro mundo.

Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata ; fundamentum primum jaspis ; secundum, sapphirus ; tertium, chalcedonius ; quartum, smaragdus ; quintum, sardonyx ; sextum, sardius ; septimum, chrysolithus; octavum, beryllus ; nonum, topazius; decimum, chrysoprasus ; undecimum, hyacinthus ; duodecimum, amethystus.

Et templum non vidi in ea : Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, et Agnus.

Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea ; nam claritas Dei illuminavit eam.

Et ambulabunt gentes in lumine ejus ; et reges terræ afferent gloriam suam et honorem in illam.

Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens et mendacium ; nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.

Beati qui habitant in domo tua, Domine ; in sæcula sæculorum laudabunt te.

XXII. Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidum tanquam chrystallum ; procedentem de sede Dei et Agni.

Et in medio plateæ ejus, et ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim; per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem gentium.

Et omne maledictum non erit amplius ; et sedes Dei et Agni in illa erunt, et servi ejus servient illi.

Et videbunt faciem ejus, et nomen ejus in frontibus eorum, et regnabunt in sæcula sæculorum.

Qui nocet, noceat adhuc ; et qui in sordibus est, sordescat adhuc : et qui justus est, justificetur adhuc ; et sanctus sanctificetur adhuc.

Ecce venio cito ; et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.

Ego sum α et ω : primus et novissimus, principium et finis.

Beati qui lavant stolas suas, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem.

Ego Jesus misi angelum meum testificare vobis hæc in Ecclesiis : Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina.

Et spiritus et sponsa dicunt : Veni, et qui audit, dicat : Veni. Et qui sitit, veniat. Et qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.

Dicit qui testimonium perhibet istorum : Etiam venio cito. Amen.

Veni, Domine Jesu, veni et deduc nos à mundi turbinibus, à mari hoc procelloso, in quo tot

tantique naufragium faciunt, in portum salutis. Veni, Domine Jesu, traduc nos à sæculo hoc nequam in regnum tuum cœleste; traduc nos à vita hac mortali, imo à morte vitali, in qua filii Adæ continue morimur, gemimus et suspiramus gemitibus inenarrabilibus, in paradisum tuum, in quo, et ad quem primitus condidisti nos. Veni, Domine, veni, Jesu, transfer nos ab exilio hoc in patriam, à terra in cœlum, à morte in vitam, à tempore in æternitatem, à mortalitate in beatam immortalitatem, ut cantet tibi gloria mea: *Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia.* Veni, mi Jesu; veni, salus et redemptio nostra; veni, amor noster, gaudium nostrum, spiritus oris nostri, lumen oculorum nostrorum. Trahe nos post te, curremus in odorem unguentorum tuorum, ut in cœlesti Jerusalem conscribamur cives sanctorum, domestici Dei, filii et hæredes tui. Ad hoc enim nos ab æterno ante tempora sæcularia prædestinasti: ad hoc nos in tempore à te constituto creasti, redemisti, vocasti et justificasti, ut post hocce tempus in tuo regno, in tua sancta civitate, in omnia sæcula nos magnificares et glorificares. Veni ergo, veni, ostende nobis faciem tuam: sequamur te quocumque ieris, fruamur te jugiter, qui mundo frui nec possumus, nec volumus; quia tu es pars hæreditatis nostræ, et calicis nostri. Eia, Domine, aspiret dies tua, et inclinentur umbræ. Quid enim mihi est in cœlo, et à te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum? veni, desiderium collium æternorum; veni, exultatio et jubilus cordis nostri. O vera charitas, chara sanctitas, sancta felicitas, felix æternitas nostra! Amen.

INDEX
LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

QUÆ

HISCE IN APOCALYPSIN S. JOANNIS COMMENTARIIS EXPLICANTUR.

(Prior numerus paginam, secundus columnam designat : si unicus tantum occurrat numerus, ad præcedentem referri indicio est,)

EX GENESI.

Cap. 1. v. 1. In principio creavit Deus cœlum et terram, 1318. 2
3. 14. Super pectus tuum gradierit, 1213. 1

EX EXODO.

Cap. 3. v. 14. Ego sum qui sum, 1027. 2
7. 12. Devoravit virga Aaron virgas eorum, 1178. 2
8. 22. Faciam mirabilem terram Gessen, 1150. 2
20. 18. Cunctus populus videbat voces, 1037. 1

EX NUMERIS.

Cap. 14. v. 22. Tentaverunt me jam per decem vices, 1055. 2
24. 17. Videbo eum, sed non modo, 1310. 1

EX DEUTERONOMIO.

Cap. 18. v. 5. Ipsum elegit Dominus Deus tuus, ut stet et ministret nomini Domini, 1071. 2
33. 2. Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis : in dextera ejus ignea lex, 1318. 1

EX LIBRO I. REGUM.

Cap. 1. v. 8. Numquid non ego melior tibi sum quam decem filii ? 1055. 2
24. 14. Judicet Dominus inter me et te, et ulciscatur me Dominus ex te; manus autem mea non sit in te, 1141. 1. 2

EX LIBRO III. REGUM.

Cap. 11. v. 36. Filio ejus dabo tribum unam, ut remaneat lucerna David, 1051. 2
18. 7. Qui cum cognovisset eum, cecidit super faciem suam, 1075. 1

EX LIBRO IV. REGUM.

Cap. 2. v. 15. Venientes in occursum ejus, adoraverunt eum proni in terram, *ibid.*

EX LIBRO TOBIÆ.

Cap. 12. v. 15. Ego sum Raphael, unus ex septem qui astamus ante Dominum, 1029. 2. 1105. 2

EX LIBRO JOB.

Cap. 10. v. 15. Socii ejus qui non est, 1283. 1
19. 3. En decies confunditis me, 1055. 2
29. 19. Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia, 1347. 2

EX PSALMIS.

Psal. 2. v. 9. Tanquam vas figuli confringes eos, 1064. 2
5. 12. Gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, 1071. 2
11. 4. Disperdat Dominus linguam magniloquam, 1231. 1
18. 6. Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, 1044. 2
22. 5. Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me, 1053. 1
37. 17. Super me magna locuti sunt, 1231. 2
50. 14. Spiritu principali confirma me, 1245. 1. 1348. 2
v. 20. Benigne fac in bona voluntate tua, Sion, ut ædificentur muri Jerusalem, 1204. 1
57. 7. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo ? *ibid.*
68. 29. Deleantur de libro viventium, 1072. 2
79. 4. Ostende faciem tuam, et salvi erimus, 1204. 1
v. 13. Vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam, 1256. 2
89. 4. Mille anni ante oculos tuos sicut dies hesterna quæ præteriit, 1314. 2
110. 10. Laudatio ejus manet in seculum seculi, 1296. 1
13. 17. Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum, 1127. 2
131. 17. Paravi lucernam Christo meo, 1051. 1
149. 1. Cantate Domino canticum novum, 1224. 2

EX LIBRO PROVERBIORUM.

Cap. 9. v. 2. Miscuit vinum, 1290. 2
v. 5. Bibite vinum quod miscui vobis, 1251. 2
23. 23. Veritatem eme, 1085. 2
25. 23. Ventus Aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem, 1363. 1

EX ECCLESIASTE.

Cap. 11. v. 9. Lætare, juvenis, in adolescentia tua, et ambula in viis cordis tui, 1383. 1

EX CANTICIS.

Cap. 3. v. 6. Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris, 1124. 1
4. 6. Vadam ad montem myrrhæ et ad collem thuris, *ibid.*
5. 1. Messui myrrham meam cum aromatibus meis, *ibid.*

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

Cap. 18. v. 24. In veste poderis totus erat orbis terrarum, 1038. 2

EX ECCLESIASTICO.

Cap. 39. v. 17. Obaudite me, divini fructus; florete, flores, et date odorem, et frondete in gratiam : date nomini ejus magnificentiam in canticis labiorum et citharis, 1123. 2. 1124. 1
43. 2. Fornacem custodiens in operibus ardoris, tripliciter sol exurens montes, 1044. 1
48. 3. Dejecit de cœlo ignem ter, 1207. 2
50. 6. Quasi stella matutina in medio nebulæ, 1065. 1

EX ISAIA.

Cap. 1. v. 15. Manus vestræ plenæ sunt sanguine, 1145. 2
5. 10. Dicite justo, quoniam bene, 1262. 1
5. 22. Væ qui estis viri fortes ad miscendam ebrietatem, 1251. 1
16. 9. Super vindemiam tuam vox calcantium irruit, 1256. 2
19. 14. Dominus miscuit in ea spiritum vertiginis, 1251. 1
22. 22. Dabo clavem domus David super humerum ejus; et aperiet, et non erit qui claudat; et claudet, et non erit qui aperiat, 1073. 2
28. 15. Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum, 1137. 2
30. 33. Præparata est ab heri Tophet, 1257. 2
51. 7. Blasphemias eorum ne metuatis, 1054. 2

EX JEREMIA.

Cap. 25. v. 26. Juravit in nomine meo magno, 1071. 2
31. 22. Creavit Dominus novum super terram : femina circumdabit virum, 1124. 2

31. 27. Adducite equum quasi bruchum aculeatum, 1193. 2

EX THRENIS.

Cap. 1. v. 12. Vindemiavit me, ut locutus est Dominus in die iræ furoris sui, 1256. 1

EX EZECHIELE.

Cap. 1. v. 5. Et in medio ejus similitudo quatuor animalium, et hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis, 1102. 1

v. 18. Totum corpus oculis plenum in circuitu ipsorum quatuor, 1106. 1

5. 15. Audivi opprobrium Moab, et blasphemias filiorum Ammon, 1054. 2

EX DANIELE.

Cap. 2. v. 46. Tunc Rex Nabuchodonosor Danielem adoravit, 1074. 2

12. 7. Jurasset per viventem in æternum quia in tempus, etc., 1198. 1

EX OSEE.

Cap. 4. v. 2. Sanguis sanguinem tetigit, 1145. 2

EX AMOS.

Cap. 9. v. 7. Numquid non ut filii Æthiopum vos estis mihi, filii Israel, 1135. 2

EX HABACUC.

Cap. 3. v. 4. Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus, 1120. 2

EX ZACHARIA.

Cap. 4. v. 11. Isti sunt duo filii olei, qui assistunt, 1206. 1

EX LIBRO I. MACHABÆORUM.

Cap. 13. v. 6. Vindicabo gentem meam et sancta, 1141. 2

EX NOVO TESTAMENTO.

EX S. MATTHÆO.

Cap. 1. Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham, 1031. 1

18. 8. Si oculus tuus vel pes tuus scandalizet te, abscinde eum, 1023. 2

24. 29. Virtutes cœlorum movebuntur, 1146. 2

EX S. MARCO.

Cap. 13. v. 32. De die autem illa vel hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater, 1304. 2. 1315. 2

Ult. v. 7. Dicite discipulis ejus, et Petro, 1310. 1

EX S. LUCA.

Cap. 11. v. 52. Tulistis clavem scientiæ, 1073. 1

18. 3. Vindica me de adversario meo, 1141. 2

EX S. JOANNE.

Cap. 1. v. 29. Ecce Agnus Dei, 1119. 1

v. 47. Ecce vere Israelita, 1073. 1

4. 23. Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, *ibid.*

4. 47. Incipiebat enim mori, 1084. 1

6. 32. Pater meus dat vobis panem de cœlo verum, 1073. 1

13. 34. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, 1115. 2

21. 23. Ego sum vitis vera, 1073. 1

15. 1. Sic eum volo manere, donec veniam, 1025. 1

EX ACTIS APOSTOLORUM.

Cap. 3. v. 3. Cum vidisset Petrum et Joannem incipientes introire in templum, 1084. 1

13. 34. Amplius jam non reversurum in corruptionem, 1078. 1

EX EPISTOLA S. PAULI AD ROMANOS.

Cap. 1. v. 16. Judæo primum et Græco, 1034. 2

EX I. AD CORINTHIOS.

Cap. 4. v. 13. Blasphemamur et obsecramus, 1054. 2

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

Cap. 2. v. 9. Donavit illi nomen, quod est super omne nomen, 1080. 1

EX EPISTOLA AD THESSALONICENSES.

Cap. 2. v. 6. Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore, 1116. 1

EX I. AD TIMOTHEUM.

Cap. 6. v. 19. Ut apprehendant veram vitam, 1073. 1

EX II. AD TIMOTHEUM.

Cap. 4. v. 5. Ministerium tuum imple, 1070. 2

3. 2. Admone illos neminem blasphemare, 1054. 2

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

Cap. 12. 2. In auctorem et consummatorem Jesum, 1035. 1

EX EPISTOLA I. PETRI.

Cap. 5. 13. Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone, 1274. 1

EX EPISTOLA II. PETRI.

Cap. 2. v. 4. Rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, 1192. 2

EX APOCALYPSI.

Cap. 12. v. 8. Neque locus inventus est amplius eorum in cœlo, 1051. 2

INDEX

RERUM ET VERBORUM

HIS COMMENTARIIS CONTENTORUM.

(Prior numerus paginam, secundus columnam designat : si unicus occurrat numerus, ad præcedentem referri indicio est.)

A.

A et ω quomodo sit Christus, 1034. 2. et dicatur Deus, 1363. 2
Abaddon, rex locustarum, est dæmon verus, 1187. 2
Abaddon vox quid significet, et unde derivetur, 1190. 1
Abbas idem est quod pater, 1079. 2
Absinthium unde dicatur, et ejus proprietas, 1180. 1. Stella, cui nomen absinthium, qualis in fine seculi futura, *ibid.*
Abyssus quid proprie sit, 1183. 1. Allegorice infernum significat, *ibid.* 1257. 2
Accidentales dotes visionis beatificæ repræsentantur per folia arboris, 1360. 2
Accipitres Norwegi ad prædam cur festinent, 1225. 1
Acediæ damna et mala, 1082. 2. Ejus remedia, 1086. 1
Achates gemmæ quam mirabiles figuras præferant, 1349. 1
Achemenes Persa aquilæ fuit alumnus, 1082. 1
Acoluthia in Prophetis et Apocalypsi non semper urgenda, 1021. 2
Actionis gratiarum formula cujusdam Sancti, 1165. 1
Actus septem amoris et laudis Dei sunt, 1128. 1
Adalbertus (S.) Pragensi Episcopatu se abdicavit, 1069. 1
Adæ peccati chirographum an sit liber signatus Joanni in cœlo visus, 1116. 1
Adamas an eadem gemma quæ carbunculus; cur in S. Scriptura non nominetur, 1060. 2. 1342. 2. Quinam præstantissimi, 1342. 2. Repræsentat incarnationis mysterium, 1343. 2
Adamantinam crucem in pectore cur gestet Pontifex, 1153. 2
Adelfardus (S.) in exsilio suo ob bonam causam exsultabat, 1059. 2
Admirationis causa, 1281. 2. Admiratione et reverentia Deum maxime laudamus, 1128. 1
Adorari homines ab hominibus quo sensu Scriptura intelligat, 1074. 2. 1075. 1
Adrianus I. Pontifex in Nicæna Synodo II. damnavit Iconoclastas, 1271. 2
Adversa parvæ durationis sunt in hoc mundo, 1261. 1. Adversis clarescit virtus, 1253. 1. In iis æque ac prosperis Deo sunt gratiæ agendæ, 1164. 2
Ægypti nomine cur vocetur impia Jerusalem, 1209. 1. Unde Ægyptus vocetur hebraice Misraim, 1166. 1. Ejus plagæ tempore Mosis quales fuerint, 1208. 1. 1265. 2. Has et majores immittendi potestatem habebunt Elias et Henoch, 1208. 2. Ea quomodo mystice exponantur, *ibid.*
Ægyptii quomodo Dei providentiam depingerent, 1106. 2. Quomodo solem colerent, 1045. 1
Ælius Pertinax Imp. quod habuerit omen imperii, 1132. 1
Æquabilitas longitudinis, latitudinis, altitudinis cœlestis civitatis quid denotet, et quomodo accipienda sit, 1335. 1. 2
Aer dat sanitatem vel morbum, 1180. 2
Ætatibus (singulis mundi) fuere aliqui qui Dei Ecclesiam et pios persequerentur, 1282. 2
Æterna quomodo sit Roma, 1277. 1
Æternitatis symbolum est oliva, 1206. 1. Æternitas Dei temporibus omnibus dominatur, 1198. 1
Æthiopia fœcunda hominum est, 1193. 1
Ævum pene quoddam æternum sequetur post finem temporis, id est, post mundi consummationem, 1198. 1
Agathæ (S.) in tentatione constantia usque ad mortem, 1056. 1. Ejus martyrium, *ibid.* Deo acceptam refert suam in tormentis constantiam, 1111. 2. Ei epitaphium quod posuerint angeli, 1249. 2
Agatho Abbas quod vitæ religiosæ studioso præceptum dederit, 1051. 1
Ἅγιος, id est sanctus, unde formetur, et quid sit, 1108. 2
Agnes (S.) ad lupanar damnata, illæsa exiit, 1289. 2. Post mortem parentibus cum aliis virginibus gloriosa apparuit, 1248. 1. Martyrii et virginitatis suæ coronam Deo acceptam refert, 1111. 2
Agnos et castos amat Christus Agnus, 1242. 1. Agnus ab origine mundi occisus quomodo sit Christus, 1252. 2. Is, Agnus cur vocetur, 1119. 1. Agni figura olim depictus est, *ibid.* Cur fit stans, cum sit mortuus, *ibid.* 2. 1121. 1. Quomodo sit tanquam occisus, 1119. 2. Quomodo acceperit librum de manu sedentis in throno, 1120. 1. Agnus est templum Beatorum, cur, 1355. 1
Agni cerei benedicti à Summo Pontifice benedicuntur, 1119. 1. 2
Agon olympicus olim quam celebris in Græcia, 1089. 1
Alæ duæ aquilæ datæ mulieri quid significent, 1225. 2. Alas quot haberent animalia Joannis et Ezechielis Cherubini, 1106. 2. Quid illorum alæ significarent, 1107. 1
Albati erat factio aurigarum Circensium, 1131. 2
Albertus Magnus Commentarium in Apoc. edidit, 1024. 1
Albis equis præcedere, proverbium quem habeat sensum, 1133. 1. Albo equo cur visus insidere Christus contra Antichristum pugnaturus, 1299. 1. Albus color symbolum est felicitatis et triumphi, 1263. 1. 1299. 2. Idem gloriam et beatitudinem decet, 1142. 1. 2. Is cur in equis sit cæteris deterior, 1130. 2. *Vide* Equus. Albæ sunt Beatorum vestes, non purpureæ, 1159. 2
Alcinoi horti semper virebant, 1359. 1. Sunt typus paradisi, *ibid.* 2
Alcuinus quando in Apoc. scripserit, 1024. 1
Aleph Hebræis est symbolum millenarii numeri, 1313. 1
Alexander Abbas quomodo se ad virtutem excitaret, 1077. 1
Alexander Magnus cur sibi cornua assumpserit, 1234. 2. Citharæ modulis ad arma concitabatur, 1123. 2
Alexandrina sedes Patriarchalis cur per hominem denotetur, 1104. 1
Alfonsus Ramirius Vergara quænam sibi salutis æterna pignora data diceret, 1069. 2
Alleluia vox unde dicatur, et quid contineat, 1296. 1. Ejus usus quam frequens, *ibid.* 2
Almuggim quid sit hebraice, 1292. 1
Altare et templum correlativa sunt, 1316. 2. Altare non consecratur, nisi illatis eo Sanctorum reliquiis, 1139. 2. Altare dicebatur sepulcrum Martyris, Memoria Martyris, Martyrium, Confessio, *ibid.* Altare sub quo animæ mortuorum latere dicantur, quod sit, 1138. 2. 1139. 1. Altare holocaustorum significatur per altare, sub quo animæ Sanctorum requiescere dicuntur, 1139. 1. 2. In altari thymiamatis non ardebat ignis, 1176. 2. In altari cœlesti proprie animæ requiescunt, 1140. 1. et tunc hoc adumbratur per altare thymiamatis, *ibid.* Altaria habent tutores et custodes angelos, 1174. 1

Altitudo idem est quod profunditas, 1063. 1. 1335. 2. Altitudines Satanæ quæ sint, 1063. 1
Altum se cingere proprie sacerdotum est, 1039. 1. In alta enitendum ad beatitudinem tendere volenti, 1330. 1
Amadæus (B.) Lusitanus Franciscanus didicit revelatione divina nomina septem angelorum : de ejus revelationibus judicium, 1031. 2
Amara stomacho amica sunt, 1180. 2
Ambrosius (S.) SS. Gervasii et Protasii reliquias inventas sub altari recondidit, 1139. 1. Quomodo et qualiter exspirarit, 1253. 2. Ejus in supputatione annorum mundi error, 1315. 1. Ejus an sit Commentarius in Apoc. ejus nomini inscriptus, 1024. 1
Amen dictio familiaris est Joanni, 1365. 1. *Amen* est epithetum Christi, 1080. 2
Amethystus gemma qualis sit, ejus descriptio, 1350. 1. Nomen unde derivetur, vires quas habeat, *ibid.* Est filius sardii, 1094. 2. 1350. 1. An in adamanti verti possit, 1350. 2
Ammon Abbas ad injuriam insensibilis erat sicut lapis, 1071. 1
Amomum quis sit frutex, 1292. 2
Amoris vis et potentia, 1277. 2. Amoris carnalis vis, 1130. 2. Amore concupiscentiæ et amicitiæ maxime Deum laudamus, 1128. 1. Ejus varii gradus et effectus, *ibid.* 2. Amoris mors est mors in Domino, 1253. 2. Amor Dei et timor pœnarum sunt duo primarii S. Scripturæ et sapientiæ effectus, 1225. 2. Amor Christi erga Patrem, 1079. 2. Amor Christianorum mutuus unde ortum habere debeat, 1125. 1. Amores quatuor inordinati ante Christum in orbe dominabantur, 1130. 1
Anabaptistarum quis sit auctor, 1269. 2
Anastasius (S.) est voce cœlesti ad mortem vocatus, 1365. 2
Anastasius Imper. hæreticus fulmine ictus interiit, 1303. 2
Andreas (S.) Apostolus sapphiro assimilatur ; ejus sapientia, 1341. 1. Ejusdem charitas, *ibid.* 2. Terrenorum contemptus, fortitudo, *ibid.* Crucem ardenti animo concupivit, *ibid.* Ejus typus fuit Nephthali, 1351. 1. Quotidie Missam celebrabat, 1120. 1. Visa cruce exsultavit, 1059. 2. 1060. 1
Andreas Cæsariensis in Apoc. est commentatus, 1023. 2
Angelus falcem acutam habens quis sit, 1255. 2. Angelus habens signum Dei vivi quis sit, variæ expositiones, 1152. 1. Est verus angelus, *ibid.* 2. Ab ortu solis quomodo dicatur oriri, *ibid.* Angelus fortis apparens Joanni circa apertionem libri signati quis esset, 1116. 2. Cur dicatur fortis, *ibid.* Quos is denotaret, *ibid.* Angelus fortis descendens de cœlo amictus nube et iride, quis, 1195. 2. 1196. 1. Cur pedem dextrum in mari ponat, 1196. 2. 1197. 1. Angelus thuribulum habens quis sit, 1173. 2. Angelus denuntians excidium Babylonis quis, 1288. 1. Angelus quidam præest inferno : is habet clavem inferni, 1306. 1. Angelus Martyres vindicaturus in fine seculi cur de altari exeat, 1256. 1. Angelus cur à Joanne adorari noluerit, 1298. 2. Septem angeli tubarum qui, 1172. 2. Angelus secundus tuba canens, ejusque plaga quid sint, 1178. 1. Angelus tertius tuba canens ejusque plaga absynthii, quæ, 1179. 2. Quartus angelus tubam tenens quis, et quæ plaga quæ post ejus tubæ cantum sequitur, 1180. 2. Angelus sextus tuba canens quis sit, 1190. 2. 1191. 2. 1192. 1. Et angelum altioris ordinis habent Episcopi, 1047. 1. Angeli septem cum phialis iræ Dei qui sint, 1262. 2. Quinam sint mystice et symbolice, 1272. 1. 2. Angeli quatuor ligati in fine mundi solvendi quinam sint, 1192. 1. Quatuor Angeli super quatuor angulos terræ stantes et ventos tenentes, quinam sint, 1151. 1. An mali sint quia nocent, negatur, *ibid.* 2. Angeli intelliguntur per septem spiritus in conspectu throni stantes, 1029. 2. Angeli quatuor ventis, eos emittentes vel retinentes, 1151. 1. Angelorum apostatantium peccatum in quo situm sit, 1220. 2. An ii sint pars tertia reliquorum angelorum, *ibid.* Angelos malos dum Scriptura significare vult, id ex aliquo adjuncto vel circumstantia satis intelligitur, 1151. 2. Angeli boni etiam nocere possunt, Deo jubente, *ibid.* Per eos Deus tempestatem et malorum impetum moderatur, 1152. 1. Angeli dicuntur interdum quatuor, interdum septem stare ante Dominum, 1105. 2. Angelos sua morte Christus non redemit, *ibid.* Eorum alii Assistentes, alii Ministrantes, 1106. 1. Eorum quod sit officium, 1108. 1. Quomodo sibi invicem loquantur, 1318. 2. An per se fideles in fronte crucis signo signaturi sint, 1153. 2. Ignorant secreta cordium et conscientiarum, *ibid.* Assistunt sacerdoti celebranti, id variis exemplis probatur, 1174. 1. Eorum duplex munus, *ibid.* 2. Eorum est mitti, 1029. 2. Præsunt planetis septem, *ibid.* Eorum multitudine, fortitudine et gloria Dei majestas repræsentatur, 1101. 2. Aliquando ministrarunt S. Eucharistiam, 1174. 2. Offerunt Deo preces hominum, 1175. 2. Per eos omnia sua judicia exercet Deus, 1300. 1. Cœli portas custodiunt, ne quis immundus illuc penetret, 1331. 2. 1364. 1. Nulla habent nomina, sed ea sortiuntur ex ministerio quod apud homines obeunt, 1031. 2. 1190. 2. Per eos Deus orbem moderatur, 1151. 2. Eorum ingens est multitudo, 1220. 2. Eorum ope vinci possunt dæmones, 1214. 1. Sacrificio Missæ assistunt, 1174. 1. 2. Gaudent de hominum commodis et salute, *ibid.* 2. Per eos docet et illuminat Deus homines, 1026. 2. Eorum scientia et perspicacitas, 1106. 2. An ad signa judicii obstupescent, et proinde intelligantur per virtutes cœlorum tunc movendas, 1146. 2. 1147. 1. In fine mundi præliabuntur contra Luciferum et angelos ejus pro Christianis, eosque animabunt, 1223. 2. Angeli illustriores dati Sanctis in virtute progredientibus pro custodia, item Prælatis et principibus, 1065. 1. Angelorum quæ nomina agnoscat Ecclesia, 1031. 1. 2. Angeli terrestres sunt Religiosi, 1168. 2. Angelorum nomine vocantur Episcopi, 1042. 1. 1046. 2. Angeli singuli præsunt elementis singulis, 1267. 2
Angli conversi sunt per S. Augustinum à S. Gregorio illuc missum, 1186. 2. 1212. 2
Anglicana Ecclesia est Babylon, cur, 1278. 2
Anglo-Calvinistæ quam in Pontificem Rom. ex Apocalypsi injurii, 1024. 2. 1186. 1. 1282. 2. 1283. 1
Angusta est porta cœli, 1333. 1
Anicia familia unde ortum habuerit, et quinam illustres ex ea nati, 1261. 2
Anima sancta proprie templum Dei est, 1109. 2. item cœlum, 1326. 1. Ejus vita Deus est, 1068. 1. Ejus candida vestis est innocentia, 1159. 2. Anima Martyrum habet stolam candidam, corpus habebit candido purpuream, 1160. 1. Animæ quatuor facultates an per quatuor animalia Joannis repræsententur, 1104. 1. 2. Animæ ante Christum dicebantur esse in promptuariis, in limbo exspectantes Christum ; post illum dicuntur esse sub altari thymiamatis, in cœlo, 1140. 2. Animæ pro Christo interfectorum in cœlo exspectant corpus gloriosum, *ibid.* Animæ quomodo abluantur, 1167. 1. Animas heroum ubinam habitare fingerent prisci, 1359. 1. Animas convertit robusta sanctitas, 1074. 2. Animæ propter Christum occisæ, sunt velut reges, principes, et judices, 1309. 2. 1311. 1. Animæ quam ægre convertantur, 1217. 2. Animæ puræ mox à morte vident Deum, 1139. 1. Animæ multæ sanctæ aliquam maculam habentes, ad Dei conspectum nolunt et nequeunt admitti, 1356. 2
Animalia quatuor Joannis. *Vide* Quatuor.
Anno (S.) Archiepiscopus Coloniensis quam ob maculam cœlo exclusus, 1356. 2
Annulis utebantur veteres loco sigilli, 1042. 2
Annus Hebræus et Chaldæus quot haberet dies, 1205. 1. Annus Julianus quomodo Hebræo posset adaptari, *ibid.* Anni mille, quibus Satanas ligatus est, quomodo supputentur, 1306. 1. Anni quot restent à nostra ætate usque ad mundi finem, 1315. 1. Quot usque ad tempora Antichristi, 1314. 1. Anni an plurimi restabunt post cæsum Antichristum, 1304. 1. 2. 1308. 1
Ἄνοσος quis sit locus apud Ælianum duplici arborum genere consitus, 1359. 2

Ansbertus sæpe à Christo instructus fuit ut obscura Apoc. loca intelligeret, 1024. 1
Anselmus Cantuariensis interpres Apoc. *ibid.*
Anselmus Laudunensis est auctor Glossæ interlinearis, *ibid.*
Antichristiani agnoscent in fine mundi, visis plagis, à Deo et Christo eas sibi immitti, 1148. 1. 1211. 1
Antichristus quamdiu regnaturus sit, 1203. 2. 1205. 1. 2. 1225. 1. 1251. 2. Supervivet Eliæ et Henoch triginta diebus, 1205. 2. Cur bestia sit quæ ascendit de abysso, 1208. 2. Dæmones eum agent et possidebunt, et per eum truculentiam suam in Sanctos exerent, *ibid.* Erit parricida, *ibid.* 1230. 1. Ejus erit Jerusalem, non Roma, 1209. 1. 1278. 2. 1317. 1. Sub illo plerique homines erunt impii, 1209. 2. Occidet tres reges ex decem regibus futuris suo tempore, tum reliqui septem ei sponte se subdent, 1220. 1. 1230. 1. Repræsentatur in cauda draconis rufi, 1220. 1. Quam multos decepturus sit, *ibid.* 2. Pro eo et cum eo certabit Lucifer cum angelis suis, 1223. 2. Per bestiam maris intelligitur, 1227. 2. 1229. 1. Cur vocetur bestia, 1229. 2. Oritur et succrescit de mari, quomodo, *ibid.* An per mare cum ingenti classe venturus, *ibid.* Quæ ejus capita septem, et cornua decem, 1230. 1. Cur comparetur pardo, *ibid.* Erit dolosus : ejus in orbe subigendo celeritas : ejus pedes cur similes ursinis, *ibid.* Ejus imperium futurum leoninum, superbum, immane et ferox: est designatus in quatuor bestiis Danielis, *ibid.* 2. Quam potestatem diabolus ei facturus sit, *ibid.* Simulabit se mortuum, ac triduo exacto se vivum sistet, 1231. 1. Est capitum bestiæ caput præcipuum, *ibid.* Ejus plaga an sit revera futura mortifera, et artis humanæ respectu incurabilis, *ibid.* 2. Volet adorari ut Deus, *ibid.* Faciet quæcumque volet, *ibid.* Erit blasphemus et atheus, 1232. 1. Christi honores sibi decernendos asseret, *ibid.* Fiet sensim orbis monarcha, *ibid.* A quibus adorandus sit, *ibid.* Violenta morte à Christo occidetur, 1233. 1. Ejus præcursor quis futurus, 1234. 1. Imitabitur mysterium SS. Trinitatis, *ibid.* Ejus miracula tria, 1235. 1. item alia, *ibid.* 2. Faciet omnes gestare suum signum et characterem, *ibid.* et cur, 1237. 1. Numerus nominis ejus quis futurus, *ibid.* Cur triplici senario constet, *ibid.* 2. Ejus nomen quale futurum, 1238. 1. Numerus nominis ejus efficiet DCLXVI. *ibid.* Ejus persecutio quam acris futura, 1113. 2. 1239. 1. Ejus nequitia, *ibid.* Ipse superabit crudelitate priores tyrannos, *ibid.* 2. Ejus dotes et mores summatim, 1241. 1. 2. E Babylone veniet; ejus typi varii, 1273. 2. 1278. 2. An sit bestia cocciuea super quam sedet mulier meretrix, 1277. 2. Ipse est caput et rex impiorum, 1278. 2. Est unus à septem capitibus bestiæ coccineæ, id est, regibus, et tamen octavus est, 1283. 1. Septies amplius persequetur Ecclesiam, quam reliqui omnes superiores tyranni, *ibid.* 2. Ipse Romam comburet et evertet per reges sibi subjectos, 1284. 1. 2. Imperium Romanum ex Europa in Asiam transferet, 1285. 1. Erit omnium regum totius terræ monarcha, *ibid.* 2. Ejus jam nati signum erit Romæ eversio, *ibid.* 1274. 1. Ordo rerum ab eo gerendarum, 1285. 2. Quomodo sit à Christo occidendus, 1300. 1. Fulgure afflabitur, *ibid.* 2. 1303. 1. 1317. 2. Finget se mori, et post mortem ad vitam resurgere, 1303. 1. Ascendet dein in montem Oliveti, volens in cœlum ascendere: unde eum dæmones in aera attollent, sed per S. Michaelem deturbabitur, ac tunc dæmones eum rapient in tartara, *ibid.* An vivus illuc descensurus sit, *ibid.* Ejus socii et milites quomodo occidendi, *ibid.* 2. Quo die occidendus sit, 1304. 1. Quot post ejus mortem supererunt dies usque ad judicium, *ibid.* Occidetur finitis bacchanalibus, *ibid.* 2. Post ejus cædem dabitur spatium aliquod pœnitendi et respirandi fidelibus, 1144. 2
Ἀντίμος an sit nomen Antichristi futurum, 1238. 1
Antiochi Soteris pentalpha ominosum, 1055. 2
Antiochus Epiphanes à Deo percussus, Dei justam vindictam in se agnovit, 1148. 1
Antiochena sedes Patriarchalis cur per vitulum repræsentetur, 1104. 1
Antipas, Episcopus Pergami, dæmones è possessorum corporibus pellebat; æneo bovi candenti inclusus, animam pro Christo reddidit, 1057. 1
Antonius Imp. quartam in Christianos persecutionem concitavit, 1134. 1
Antonius (S.) cur se albatum stiterit judici Alexandriæ, 1160. 1
Antonius Duca sacerdos cultum septem primorum angelorum promoveri conatus est, 1030. 2
Antonius (S.) de Padua cantans mortuus est, 1253. 2
Anthracites lapis aquis perfusus ardescit, 1261. 2
Aperire librum et signacula solvere, non est quid diversum, 1117. 1
Apocalypseos libri dignitas, ejusque materia, 1015. 2. Est liber ultimus Bibliorum, 1016. 1. Ejus auctor, *ibid.* 2. An sit liber Canonicus : cur à quibusdam rejiciatur, 1019. 1. Probatur quod sic, *ibid.* Ejus auctor Joannes Apostolus, non alius Joannes Presbyter, *ibid.* Scripta est græce, *ibid.* 2. Scripta est diu post excidium Jerusalem per Titum, *ibid.* item post relegationem auctoris ejus in Patmon, *ibid.* ante Evangelii scriptionem, *ibid.* Quod ejus argumentum et materia, 1020. 1. An sit continuum ænigma, *ibid.* 2. Est prophetia de futuro, *ibid.* An duos habeat sensus litterales secundum Alcazarem, 1021. 2. In ea aliquando est hysterologia, sed rarior, *ibid.* 1250. 2. Ejus acoluthia quæ, 1021. 2. Ejus argumentum est duplex, 1022. 1. Ejus finis et scopus, *ibid.* 2. Ejus series et ordo, *ibid.* 2. Est omnium librorum S. Scripturæ difficillimus et obscurissimus, 1023. 1. Ejus visiones non describuntur ordine temporis, *ibid.* 2. Est plena allusionibus ad veteris testamenti loca, historias et figuras, *ibid.* Est primo revelata Christo in ejus incarnatione, 1026, 1. In re est Apocalypsis, sed in modo et phrasi est epicalypsis, id est occultatio, *ibid.* 2. Cur eam rejiciat Lutherus, *ibid.* Ejus revelatio quomodo Joanni facta, *ibid.* Cur vocetur Evangelium, 1027. 1. Ejus septem visiones eorumque varia expositio, 1091. 1. 2. Ipsa est liber signatus quem vidit Joannes, 1115. 2. Tota occupatur circa descriptionem libri et septem ejus sigillorum, 1116. 1. Ejus duæ partes, *ibid.* Ejus pars secunda ubi incipiat, 1200. 1. Quædam illius cito post Joannem contigere, 1362. 1. 2. Quomodo ei Joannes subscribat et auctoritatem addat, 1362. 2. Ejus succincta chronotaxis et ordo, 1366. 2. Est ipsa satis connexa, consequens et ordinata, *ibid.* Quater tantum in ea ordo inversus, *ibid.*
Ἀποκαλυπτω quid proprie sit, 1026. 1
Apollinus Tyanæus quo anno obierit, 1020. 1. Ejus de Vespasiano augurium, 1068. 1
Apostoli Ecclesiæ ut stellæ perfulsere, 1216. 2. 1364. 2. Eorum decem figuræ, 1216. 2. Apostoli 12. et 12. Patriarchæ, vel Prophetæ, fuere 24. seniores quos videt Joannes in circuitu throni et Agni, 1098. 2. Eorum humeris incumbit Ecclesia, 1339. 1. Eorum quis sit ordo servandus, ut iis gemmæ civitatis cœlestis accommodentur, *ibid.* Repræsentantur per duodecim portas cœlestis Jerusalem, 1331. 2. et per ejusdem fundamenta, 1332. 1. 1338. 2. Patriarchis duodecim æquiparantur, 1339. 1. 1351. 1. Iis succedunt Episcopi, Pontifex Petro, 1047. 2. Plurimas ad virginitatem Deo vovendam animarunt, 1248. 1. Sunt pedes Christi, cur, 1041. 1. Per equum album denotantur, 1132. 1. Eorum in prædicando arbor, *ibid.* Quomodo portarint equitem Christum, eorumque in prædicando velocitas, et patientia, *ibid.* 2. Orbi salutem et felicitatem prædicando peperere, *ibid.* Apostolos virosque Apostolicos quomodo significent quatuor animalia, 1104. 2. Apostoli novi duodecim an in fine mundi mittendi, 1331. 2. Viri Apostolici vita et doctrina sua sunt velut margaritæ, 1332. 1
Aqua omnis in fine mundi vertetur in sanguinem, 1268. 1. sed id non erit diuturnum, *ibid.* An hæc plaga fidelibus sit nocitura, *ibid.* 2. Aqua sanitatis vel morbi esse causa solet, 1180. 2. Cur dicatur vitrea et crystallina, 1100. 2. Aqua facta sanguis tanquam mortui quomodo intelli-

gatur, 1266. 2. Aquæ flumen quod evomat draco in mulierem, 1227. 1. Aquæ vitæ fluvius in cœlo quis sit, 1358. 1. Aquæ veræ et naturales super cœlos sunt, 1361. 1. Aquas in sanguinem vertent Elias et Henoch, 1208. 1
Aquila significat Dei celsitudinem et sapientiam, 1105. 2. item Christi divinitatem, *ibid.* 1. Aquila in cœlo volans quæ sit, varie exponitur, 1181. 1. 2. Ei comparantur Concionatores, *ibid.* 2. Aquilæ cur assimiletur S. Joannes, *ibid.* 1. 1017. 2. Aquilæ cornicum obstreperos garritus contemnunt, 1181. 2. Earum fel melle mixtum acuit visum; senescentes se cum pennis renovant, *ibid.* Aquilarum ala dextera in agro defixa ab eo avertit grandinem : in Imperatorum apotheosi ipsæ in cœlum evolabant, quasi eorum anima, *ibid.* Multos neci eripuere, 1182. 1
Arabes an futuri sint Gog et Magog, 1316. 2. 1317. 1
Arabica versio Apocalypseos exstat in vaticana Bibliotheca, 1025. 2
Aranearum texentium Thebis quod fuerit prodigium, 1297. 2
Arbe (id est, hebraice, locusta) vox unde derivetur, 1188. 2
Arbores cœlestes omnes dant fructum vitæ et immortalitatis, 1359. 1. Illæ quid significent, *ibid.* 2. 1360. 1
Arca fœderis significat corpus et humanitatem Christi, 1175. 1. 1211. 2. In cœlo visa Joanni quæ sit, 1211. 1. Symbolum est B. Virginis, *ibid.* 2. Arca bis mille cubitis à populo in transitu Jordanis distans, quid typice et symbolice denotet, 1313. 2. 1314. 1
Archidæmones ligati in passione Christi fuere, 1192. 1. Cur ligati dicantur in Euphrate, *ibid.* Quibus vinculis ligentur, *ibid.* Habent tamen suos emissarios, *ibid.*
Archidiaconus inter cardinales quæ sit dignitas, 1052. 2
Archilochus poeta cur à Spartanis urbe ejectus sit, 1083. 2
Arenæ symbolo denotantur impii, utpote steriles et terreni, 1228. 1
Aretas Apocalypseos commentator est, 1024. 1
Aristippi de muliere parva gnome, 1062. 2
Armadillus animal habet corium instar loricæ compactum, 1189. 2
Armagedon hebraice quid significet, et ubi is locus sit, 1270. 1. Est nomen loci novum, quod illi ab eventu imponetur tempore Antichristi, *ibid.* Hic locus futurus est juxta Jerusalem et vallem Josaphat, *ibid.* 2
Ἄρνουμαι an sit nomen Antichristi futurum, 1258. 1
Arnulphus Caroli Magni avus, relicto Episcopatu, ad eremum rediit, 1069. 1
Arriani per equum nigrum Joanni visum repræsentantur, 1135. 1. Eorum dogma, *ibid.* 2. Eorum propagatio et sævitia in Orthodoxos, 1136. 1. 1177. 2. Orbis se mirabatur esse Arrianum, 1136. 1. Olim baptizatis à suis in Africa chirographum dabant, 1235. 2
Arrius in secessu crepuit medius, 1304. 1
Artabanus apud Parthos primus Rex magnus est appellatus, 1302. 2
Articuli Symboli repræsentantur duodecim lapidibus civitatis Jerusalem, 1332. 1. Quinam à quonam Apostolo sint compositi incertum, at singulis suam attribuerunt auctoritatem, 1332. 2
Ascensio Christi in cœlos cur chrysolitho gemmæ assimiletur, 1346. 2. 1347. 1
Aser Patriarcha est typus S. Simonis Apostoli, 1331. 2
Asiæ principes quo ritu inaugurarentur, 1043. 1
Asmodæus ligatus à Tobia in deserto, habet tamen suos per mundum ganeones, 1192. 1
Aspectus Hebræis ponitur pro colore vel specie, 1094. 1
Aspiratio Græca sæpe latine vertitur in *S*litteram. 1263. 2
Assistentes angeli videntur significari per quatuor animalia in conspectu throni stantia, 1106. 1
Astion jam beatus, Vigilantio apparens, parentes jussit ab ethnicismo converti, et in quam amœna regione ageret, aperuit, 1361. 1
Astra cœli an sint virtutes cœlorum in fine mundi movendæ, dicunturque militia cœli, 1147. 1
Athanasius (S.) quam libere Constantinum Imper. arguerit, 1208. 1. Continuo in fuga et latebra vixit, 1329. 1. Pene solus sese Arrianis opposuit, 1136. 1
Athletæ futuri prius sese diu privatim exercebant, 1089. 2. 1090. 1. Eorum labores et patientia, 1168. 1. Oleo se ungebant, 1206. 2
Attributa quatuor divinæ providentiæ an denotentur per quatuor Joannis animalia, 1104. 2. Attributa septem Dei, in quibus consistit integra providentiæ perfectio, 1052. 2
Auctoris oratio ad S. Joannem, 1018. 2. Ejus in hisce commentariis ratio ac methodus, 1025. 1. Ejus in hæreticos candor et sinceritas, 1276. 1
Audire et videre in spiritu idem sunt, 1037. 1
Augustinus (S.) quam ardenter ad cœlestia gaudia anhelaret, 1366. 1. Lectione vitæ S. Antonii conversus, 1088. 1. Per matris lacrymas ad fidem Catholicam transiit, 1218. 1. Quam Deo gratus ob suam conversionem, 1164. 2. Ejus mors qualis, 1253. 2
Aurelianus Imp. novam in Christianos persecutionem movit, 1134. 2. sed ea non fuit exsecutioni mandata, 1229. 1
Aurichalcum quid sit, unde dicatur, an sit æs, 1040. 2. Aurichalcum ardens simile est carbunculo, 1342. 2
Aurigarum Circensium factiones erant quatuor, 1131. 2
Aurum cur veteres nonnisi regibus et viris divinis attribuerent, 1097. 2. Id in Scriptura varia significat, 1040. 1. 1346. 2. 1347. 1. Cur sit pallidum, 1137. 2. Per aurum ignitum quid intelligatur, 1085. 1. Aurum inauratum quod sit : id ad splendorem facit, 1279. 1. Aurum charitatis emitur oratione, lacrymis, pœnitentia, bonis operibus, 1085. 1. item sanguine Christi, *ibid.* Quomodo sit civitas cœlestis aurum mundum, 1336. 2
Aventinus collis Romæ unus è septem, 1282. 1
Avis imago diaboli est, 1219. 1
Axilla dicitur ab ala, 1106. 2

B.

Babylon meretrix magna cum qua fornicati sunt reges terræ, quæ sit, 1273. 1. An cœtus impiorum, *ibid.* An mahometismus, *ibid.* 2. An Constantinopolis et Babylon Chaldæorum Regum sedes, *ibid.* Est Roma ethnica qualis fuit olim, et tempore Antichristi futura est, *ibid.* 1280. 1. Quid sit bestia coccinea super quam sedet, 1277. 2. Ejus poculum aureum quod sit, 1279. 2. Babylonis Chaldaicæ excidium et ruina fuit typus excidii Babylonis Romanæ, 1288. 1. Quanta ejus futura vastitas, *ibid.* Babylonis nomine eam vocet Joannes, *ibid.* 2. Cur id excidium describat, *ibid.* In ea punientur et Romæ ethnicæ persecutiones, *ibid.* Cum ea occidet orbis, 1289. 1. Vocatur meretrix, mercatrix, caupona, *ibid.* Ejus deliciæ, 1292. 2. 1293. 1. Mercatura et avaritia, 1294. 1. Ejus veneficia, *ibid.* 2. *Vide* Roma.
Babylon Chaldæorum metropolis an intelligatur per meretricem magnam in Apocalypsi descriptam, 1273. 2. Ejusdem situs, 1277. 1. Magnitudo, 1323. 1. 2
Babyloniæ virgines et sponsæ prius sese Venere prostituebant, 1280. 2
Bacchus priusquam nasceretur, habuit cornua, 1234. 2. Cur, 1231. 1. Ei post victoriam præmium fuit templum magnificum, 1328. 2
Balaam ariolus Israelitis non tam maledixit, quam benedixit, 1057. 1. Illius pravum consilium regi Balac datum, *ibid.*
Balænæ aquarum montes evomunt, 1227. 1
Balsami ortus ex se non dat fructum in Ægypto, nisi irrigante fonte Virginis, 1358. 2
Balthazari (P.) Alvarez celebranti adstabat angelus, 1174. 2
Baltheus sacerdotis veteris describitur, 1059. 1
Baptismi Sacramentum adumbratur mari Rubro, 1260. 2. An dici possit mare vitreum, *ibid.* 1100. 2
Baptizati olim vestem candidam deponentes ejus loco accipiebant agnum cereum à Pontifice benedictum, 1119. 2
Barachiel quid proprie significet, 1031. 2. Ejus emblema, 1032. 1
Barnabæ (S.) Apostoli elogium, 1123. 2
Bartholomæus (S.) cur sardio gemmæ comparetur, 1346. 1.

An ipse sit Nathanael, *ibid.* Ejus typus fuit Ruben, 1351. 1
Basilii (S.) oratio erat tonitru, quia vita fulmen, 1018. 1. Scripsit in Apocalypsin, 1025. 2
Beati admirantur non terrena, sed cœlestia, 1171. 2. Eorum reverentia erga Deum, *ibid.* A Jesu vocantur Jesuitæ vel Jesuani, 1080. 1. Quomodo in cœlo invicem loquantur, 1318. 2. Eorum unio et communio in cœlo, 1327. 1. Sunt populus Dei, *ibid.* 2. Deus est jugiter cum eis, *ibid.* Alter alterius vident arcana, 1337. 1. Palam prolitebuntur se esse servos Dei, 1361. 1. Sunt reges, 1126. 1. Eorum spes de vindicta nihil minuit de beatitudine ipsorum, 1142. 2. Stant ante thronum Dei, 1158. 2. Eorum in cœlo voluptas è ligno vitæ quæ sit, 1359. 1. Eorum præmii dotes septem, 1169. 2. Ipsi dici nequeunt arbores vitæ, 1360. 1. Illorum voluptas jugiter renovatur, *ibid.* Omnia in cœlo, etiam minima, eos recreant, *ibid.* 2. Eorum quantus sit numerus, 1158. 1
Beatitudo cœlestis cur vocetur cœna, non prandium, 1298. 1. Est velut lignum vitæ, 1053. 2. An denotetur per mille annos ligati Satanæ, 1308. 1. *Vide* Cœlum.
Beda in Apoc. Commentarium edidit, 1024. 1
Bella inter probos et improbos, eorumque exitus an in Apoc. generaliter describantur, 1020. 1. Bellum Ecclesiæ cum synagoga et gentilitate, ac de utraque triumphus an in ea describatur, *ibid.* 2.
Benedictus (S.) quomodo prædixerit Romam nunquam ab infidelibus eversum iri, 1277. 1. In spiritu elevatus vidit totum orbem quasi in globo in radiis solaribus collectum, 1319. 1
Benedictus Pererius docte in priora Apocal. capita scripsit, 1024. 2
Beneficia Dei in nos omnem gratiarum actionem et laudem superant, 1164. 1
Benjamin Patriarcha est typus S. Thomæ Apost. 1351. 2
Bernardus (S.) quomodo à cœlestibus deliciis absorberetur, 1059. 2. Ejus ad Jesum jubilantis ardor, 1366. 1. 2
Berilli gemmæ color, descriptio; sine auro venustior est; ejus dotes, 1347. 1
Bestiæ quatuor Danielis quomodo Antichristum repræsentent, 1230. 1. Bestia coccinea super quam sedet meretrix magna, quæ sit, 1277. 2. Significat cœtum impiorum et mundanorum, 1278. 1. Cur dicatur coccinea, 1279. 1. Bestia è mari ascendens quæ sit, 1228. 2. Non esse imperium Romanum ostenditur, 1229. 1. Bestia de terra quænam sit, 1233. 2. Proprie est præcursor et præco Antichristi, 1234. 1. Ejus duo cornua similia agni quæ sint, *ibid.* 2
Beta semicocta proverbium dicitur de hominibus languidis, 1084. 1
Beth Hebræi utuntur cum instrumentum, modum et rationem significant, 1063. 1
Bezæ error de Auctore Apocalypseos, 1019. 1. Ejus scomma de Cardinalibus, 1279. 1
Βιβλος varia patitur diminutiva, 1196. 2
Bilibris quæ sit mensura, 1135. 2
Blasius Viegas moraliter in Apocalypsin scripsit, 1024. 2
Βλασφημια idem est quod δυσφημια, sed usu Ecclesiastico sumitur pro convicio jactato in Deum vel Sanctos, 1054. 2. 1055. 1
Boetii Severini elogium, 1261. 2
Bogh illyrice Deus est, *bogas tuo* divitiæ, 1127. 1
Bogorisa cur dicatur Polonis et Moschis B. Virgo, id est Dei radix, 1118. 2
Bona terrena fideles debent à se abdicare, 1203. 2. Ob bona sua cur Sancti non superbiant, 1111. 1
Bonaventura (S.) et D. Thomas Aquinas comparantur duabus olivis, 1207. 1
Bonifacius (S.) Episcopus Moguntinus an sit angelus habens Evangelium æternum, 1250. 2
Bonifacius III. Papa non fuit primus Antichristus, 1186. 1. 1237. 2
Bonum esse oportet tum sibi, tum aliis, 1068. 1
Boos et Jachin erant duæ columnæ templi, 1077. 2
Bos significat symbolice Dei patientiam, justitiam, religionem et cultum, 1105. 2. item Christi sacerdotium, *ibid.* 1
Bosphorus Cimmerius sedes inferni, 1137. 2
Botri sunt symbolum reproborum, 1256. 2
Britanni *alleluia* inclamantes de hoste suo obtinuere victoriam, 1297. 1
Bruno (S.) quo facto sit ad Deum conversus, 1259. 2
Βυθος primum numen Valentini hæretici, 1063. 2
Byssus repræsentat purissimam conversationem Sanctorum, item felicitatem, 1297. 2. 1301. 1

C.

Cadente uno alius à Deo in ejus locum surrogatur, 1076. 1
Cados, id est sanctum, quid proprie sit, 1108. 2
Cæcilia (S.) quid responderit sortem ejus miserantibus, 1337. 1. Ei ejusque sponso Valeriano coronas lloreas è cœlo attulit angelus, 1111. 1
Cælestinus Pontifex relicto papatu in Monasterium se recepit, 1069. 2
Cælius collis Romæ quis esset, 1282. 1
Cæremoniæ et Sacramenta quibus Catholica Ecclesia decoratur, sunt velut folia arborum vitæ, 1360. 2
Cæruleus cœli color unde habeat ortum, 1341. 1
Cain cum gigantibus persecutus est pios, 1282. 2
Calamus quæ mensura sit, 1332. 2. Capitur etiam pro virga mensoria, 1202. 2. Quot esset cubitorum, *ibid.* Non est mensura hominis, 1203. 1. Cur esset similis virgæ, *ibid.*
Calculus candidus quis vincenti promittatur, 1060. 1. Quis proprie sit calculus, *ibid.* 1061. 1. Calculus candidus quatuor res priscis denotabat, 1060. 2
Calidi potus ad quid conducant, 1083. 2. Calidi, frigidi, tepidi quinam spiritualiter sint, 1081. 1. et seq.
Caligulæ Imper. immanitas, 1043. 2. Ejus imperium an per equum album significetur, 1130. 2
Calix aureus aliquando supplicium, aliquando splendorem et luxum significat, 1279. 2. Calices sacerdotum an possint per phialas exponi, 1122. 2
Calixtus II. Pontifex quomodo Satanam per mille annos ligasse dicatur, 1307. 1
Callais quæ sit gemma, 1348. 2
Calvinus quomodo sit Antichristus, 1278. 2. Qualem infernum fingat, 1185. 2. 1186. 1. Ejus funesta mors et castigatio, 1304. 1
Calvinistæ cur recipiant Apocalypsin, cum Calvinus eam rejiciat, 1019. 1
Camera capitur interdum pro *fornice*, 1333. 2
Candelabrum templi septem habebat lucernas, 1337. 1. 1100. 1. Sanctum sanctorum aliquatenus illustrabat, *ibid.* Ecclesiæ symbolum et typus est, et cur, 1031. 1. 1037. 1. 1031. 1
Candido calculo notabatur absolutio in judicio, 1060. 2. Candidus color quarum rerum sit symbolum, 1160. 1. 1263. 1. 1297. 1. 2. 1317. 2. 1318. 1. Convenit Deo et divinis, 1299. 2. *Vide* Albus.
Candidi et sinceri sint oportet senatores, 1099. 1
Candor nimius purpurascit aliquando, 1159. 2
Candor morum virginum est, 1249. 1
Canes qui cœlo excluduntur, quinam sint, 1364. 1
Cani capilli quarum rerum sint symbolum, 1040. 1
Canones Apocalypsi prælucentes, 1023. 1
Canticum novum virginum quod sit, 1246. 2. Canticum novum quod canant XXIV. seniores, 1124. 2. 1125. 2. Canticum Mosis et Agni quod sit, 1261. 2
Capilli candidi Christi apparentis quid denotent, 1040. 1
Capra symbolum est libidinis, 1207. 1
Caprea cur abstinerent sacerdotes prisci Romani, 1047. 1
Caput in omni hominum congregatione necessarium est, 1190. 1
Caput recte formatum an sit sexta pars hominis, et consequenter cubitus, 1202. 2. Capita septem draconis rufi quid denotent, 1219. 2. Capita septem Antichristi quæ sint, 1229. 2

Carbunculus cur dicatur calculus candidus, 1060. 1. Est gemma eadem quæ chalcedonius, 1342. 1. 2. Unde dicatur, *ibid.* 2. An adamas sit, *ibid.* 1060. 2. 1343. 1. Qualis gemma sit describitur, 1342. 2. Quam fulgidum Lusitaniæ Rex habeat, 1343. 1

Cardinales diaconi septem cur Pontifici Romano assistant, 1032. 2. Eorum numerus quando auctus, *ibid.* Cardinales septem Episcopi in basilica Lateranensi olim erant, 1046. 2. Cardinales omnes cur sint brevis vitæ, 1057. 2. In eos injurius est Beza, 1279. 1. Cardinalis Alexandrini Pii V. nepotis de sublimi statu sententia, 1068. 2

Carlomannus regis Francorum filius factus est monachus Benedictinus, 1253. 1

Carolus (S.) Borromæus voluptatibus omnibus bellum indixit, quo castitatem tueretur, 1245. 2. Quoto ætatis anno sit mortuus, 1254. 1

Carolus Magnus regnum Longobardorum exstinxit, 1210. 2. 1256. 1. Ejus zelus, 1260. 1

Carpus (S.) an fuerit Episcopus Pergamenus, 1056. 2. Potius videtur fuisse Thyatirensis, 1057. 1. 1061. 2

Casimirus (S.) maluit mori quam virginitatem etiam conjugio perdere, 1096. 1

Cassiodorus in Apocalypsin est commentatus, 1024. 1

Castiget (cur) suos Deus, 1087. 1

Castigatio scelerum signum est electionis peccantis, 1062. 2. 1264. 1. 2

Castitas dicitur à castigatione, 1245. 2

Castra metaphorice dicuntur latibula Christianorum tempore Antichristi, 1317. 1. Castra duodecim tribuum in deserto quomodo essent disposita, 1331. 1

Catharinæ (S.) Senensis elogium, 1248. 2. Quotidiana communione vires animi et corporis reparabat, 1053. 1. Quomodo divinis consolationibus perfunderetur, 1059. 2. Vehementia amoris mortem sibi acceleravit, 1254. 1. E Christi manibus aliquando communicavit, 1176. 1

Cathedras in templo habebant principes sacerdotum, 1096. 2

Catholicorum doctrina, in qua ab eis dissident hæretici, diu fuit ante S. Gregorium secus ac calumniantur hæretici, 1186. 2. Catholicorum longe major pars salvatur, et cur, 1335. 1

Caudæ scorpionum maxime sunt noxiæ, 1183. 2. 1188. 2. Caudæ capitatæ equorum visorum Joanni denotant gladios militares, qui instar caudarum retro exstant, et capulos instar capitis habent, 1194. 1. aut pedissequos militares, *ibid.*

Caupona est imago et origo cultus idololatrici, 1289. 2

Celeritas solis in cœlo, 1044. 2

Cellæ meretricum nomine olim Romæ inscribebantur, 1280. 1. Cellæ et promptuaria animarum quæ sint post mortem, 1140. 2

Centum et viginti anni vitæ hominum in Genesi à Deo definiti quid symbolice significent, 1313. 2. Centum quadraginta quatuor millia signati, mystice quid suo numero repræsentent, 1155. 2. Centum quadraginta quatuor millia in monte Sion stantes alii sunt à 144 millibus signatis, 1244. 1. Eorum vox quibus rebus comparetur, 1245. 1

Centuplum promissum renuntiantibus seculo quod sit, 1061. 1

Cerberion mons est apud Pontum Euxinum, 1137. 2

Certandum est in cœlum pertingere volentibus, 1135. 1

Chalcedonius quæ sit gemma, an idem qui carbunculus, unde dicatur, an dicendus carchedonius, 1342. 1. Dicitur et pyropus et apyrausta, *ibid.* Ejus color, vires, descriptio, an idem qui onyx, *ibid.* 1. 2. An interdum candeat, itaque sit adamas, *ibid.* 2

Chalcedonensi (in) Concilio declarata est veritas incarnationis Verbi divini, 1343. 1. 2

Chalcitis quæ species lapidis sit, 1342. 2

Chalcolibanum quidnam sit, 1040. 2. An sit thus, an aurichalcum, *ibid.*

Characterem Antichristus suis asseclis quare inuret, 1233. 2. Quomodo id fiet, 1236. 1. Sine eo nemini licebit quidquam emere, *ibid.* Quis is futurus, *ibid.*

Charitas cur dicatur ignis et aurum, 1083. 1. 1176. 2. Charitas plena quæ sit, quæ non sit, 1071. 1. Charitatis lex est aurea, 1039. 2. 1040. 1. Charitatis communio in Beatis viget, 1351. 2. Charitas et gratia est sanctitas, 1109. 1

Chel quam varie significet, 1290. 1

Cherintus miscere volebat legem cum Evangelio, 1063. 2. 1064. 1. Mire exaltabat angelos, eosque præferebat Christo, 1299. 1. Docebat Christum non esse Deum, hinc à Joanne jugulatur in Apocalypsi, 1022. 2. Ei cur Apocalypsis attributa, 1019. 1. 1307. 1

Cherub vox unde derivetur, 1102. 2. 1103. 1

Cherubini an in templo præcise 24. fuerint, itaque 24. seniores Apoc. repræsentent, 1098. 1. Cherubinorum perspicacitas, 1107. 1. Cherubini Ezechielis habebant ungulam fissam, non item animalia Joannis, *ibid.* 2. Eorum perfecta idea, *ibid.* Illi describuntur, 1102. 1. 1104. 1

Chet littera Hebræa apud Latinos et Græcos liquescit et perit, 1270. 1. 2

Chiliastæ post Antichristum numerant annos mille : eorum quis auctor, 1307. 2. Eorum error refutatur, *ibid.* *Vide* Millenarii.

Chilo præ gaudio mortuus est, 1089. 1

Chilpericus Francorum Rex visus à morte in infernum projici, 1259. 2

Chinensi (in regno) quot sint hominum milliones, 1193. 1

Chirographum peccati Adæ an sit liber signatus Joanni visus, 1113. 1

χλωρος est viridis color herbarum, 1136. 2

Chœnix quæ mensura sit : quæ sit Attica chœnix, 1133. 2

χορτος significat herbam virescentem et germen herbescens, 1178. 1

Christiani cur recte vocentur nomina, 1072. 1. Cur et quomodo debeant esse masculi, 1221. 2. Quomodo in terra regnare dicantur, 1126. 1. Cur se mutuo amare debeant, 1125. 1. Magis ad amandum tenentur quam cæteri homines, *ibid.* Sunt reges et pontifices cum sint sancti, 1126. 1. Eorum verba et sanctimonia qualia esse debeant, 1100. 1. Christiani qui potissimum damnentur, 1333. 1. Christiani omnes non sunt sacerdotes proprie dicti, sed mystici, 1033. 2. Tempore Antichristi cruces gestabunt publice, cur, 1133. 1. Eorum multi in fine seculi cur Jerusalem confluxuri sint, 1317. 1. Quam multi tunc adhuc futuri sint, 1268. 2. *Vide* Fideles. Christiani primi tum verbis, tum vita ethnicos convertebant, 1100. 1. Cur citharœdis comparentur, 1246. 1. Olim corona non utebantur, 1110. 2. Non erant adversarii Romæ et Rom. Imperatorum, 1289. 1. Cur sepulcris suis incidi curarent α et ω, 1034. 2. 1035. 2. Illis moris erat crucis signum aut nomen Jesu candentibus notis carni inurere, 1134. 1

Christianæ religionis antiquitas quanta, 1040. 1

Chronologia mundi, ejusque ætates septem an sint liber signatus, 1113. 1

Chronotaxis Apocalypseos, 1366. 2

Chrysolithus gemma describitur, quam late nomen ejus pateat, ejus color, 1346. 2. Ejus dotes et vires, *ibid.*

Chrysoprasus gemma est speciès topazii, 1347. 2. 1348. 2. Ea describitur, ejus species, nomen, vires, 1348. 2

Cicatrices vulnerum ad gloriam in cœlo an retinebunt Martyres et alii Sancti, 1360. 1

Cimmerius lacus est apud Pontum Euxinum, 1137. 2

Cippus quod cum cornibus visus esset, augur ei regnum prædixit, 1234. 2

Circensium aurigarum factiones erant quatuor, 1131. 2

Circulus lacteus in cœlo cur nitescat crasso lumine, 1339. 1

Citharis cur dicatur vox virginum similis, 1245. 1. Citharæ seniorum et phialæ quid significent, 1121. 2. 1122. 1. Citharas in cœlo fore probatur, *ibid.* 2. Earum suave melos, *ibid.* Citharæ mysticæ qui sint, 1246. 1

Civitas dilecta etiam tempore Antichristi erit Jerusalem, 1317. 1. Civitas est quasi musicus concentus, 1245. 1. Civitas cœlestis Joannis an respondeat civitati Ezechielis

quoad longitudinem et latitudinem, 1322. 2. 1333. 1
Claritas Dei civitatem cœlestem illuminans quænam sit, 1330. 2. 1335. 1
Classes septem Beatorum, 1169. 2
Claves mortis et inferni sextuplices habet Christus, 1045. 2.
Clavis David quæ sit, 1073. 1
Clemens Ancyranus viginti annis obiit martyrium, 1059. 2. 1226. 2
Clemens I. Pontifex perpetuam virginitatem coluit, 1248. 1. Ejus pro fide Christi martyrium, *ibid.* Vidit Agnum stantem, qui ei pede fontem aquæ indicavit, *ibid.* S. Domitillam ad virginitatem et martyrium pro ea subeundum animavit, *ibid.* Fuit egregius in Gentilibus ad Christum adducendis, 1262. 2
Cleopatræ reginæ Ægypti luxus et pompa, 1279. 2. Ejus uniones duo quanti constiterint, *ibid.* 1352. 2
Coccus regum est vestis, 1279. 1
Cœlestis gloria melius potu quam cibo denotatur, 1169. 2. Ejus hypotyposis, 1159. 1. Pro ea quam generose certandum, 1089. 2. Ejus cogitatio quas habeat vires, 1350. 2. Vocatur corona et palma, cur, 1055. 2. *Vide* Cœlum, Beatitudo, Gloria.
Cœlius Pannonius Apocal. interpres, vero nomine dictus Gregorius Hungarus, 1024. 2
Cœli descriptio, 1361. 2. Id nobis semper ante oculos habendum, 1325. 2. Anagogice per Sionem significatur, 1242. 2. In eo verus est fluvius et poma, 1360. 2. Ejus templum Deus est, non aliud, 1354. 2. Ejus sol est Dei claritas; claritas Agni est quasi luna, 1355. 1. In eo omnia communia, 1225. 1. Domus est fortium, cujus typus fuit domus fortium Davidis, 1090. 2. 1326. 2. In eo non est nox, 1251. 2. Qui illuc sine purgatorio transeant, 1254. 1. Id post diem judicii innovabitur, 1324. 2. Ejus pulchritudo unde colligatur, 1338. 1. Ejus magnitudo et vastitas, 1334. 1. Est quasi sapphirus primarius, 1341. 1. Ejus color cæruleus proprie non est color, *ibid.* Ejus fundamenta cur gemmea, 1338. 1. In eo sunt veræ gemmæ, *ibid.* Vocatur tabernaculum, 1327. 1. *Vide* Ecclesia cœlestis. Cœlum crystallinum et aquæ super cœlos an denotari possint per mare vitreum in conspectu sedis, 1101. 2. Cœli apertio quam vidit Joannes fuit tantum imaginaria, 1092. 1. Quid ea mystice designet, *ibid.* Cœlum empyreum cur dicatur mare vitreum, 1101. 2. Id an sit rotundum, an quadratum, 1333. 1. Cœlum recedere quomodo dicatur, 1146. 1
Cœnæ nuptiarum Agni quæ sint fercula, 1297. 2. 1298. 1
Cœtus impiorum an commode intelligatur per Babylonem quæ in Apocalypsi describitur, 1273. 1. 1274. 1
Cogitationes et intentiones omnes mentis ad voluntatis divinæ normam componendæ, 1321. 1
Cognitio gloriæ cœlestis homines in hac vita recreat, 1355. 2. Cognitione ipsa Deum laudamus, 1128. 1
Coinquinatum aliquod in cœlum non ingreditur, 1356. 1
Colles Romani quinam, 1281. 2. 1282. 1
Collyrium est pharmacum lippitudinis oculorum, 1085. 2. Collyrium spirituale quod sit, 1086. 1
Colores aurigarum Circensium erant quadruplices, 1151. 2. His denotabantur elementorum inter se pugnæ, *ibid.* Colores varios cur gestent equites in loricis, 1193. 2
Columnæ eriguntur ut trophæa victoriarum, 1077. 2. Columnæ octo sunt dotes, 1078. 1. Iis inscribuntur tituli victorum, 1079. 1. Columnæ duæ Booz et Jachin qua occasione ante templum Salomonis erectæ, 1077. 2
Communicantibus (in digne) maxime fructum suum operatur Eucharistia, 1055. 1
Communis vita in Religioso probatur, 1354. 1
Concio quænam sit efficax, 1099. 1
Concionando (in) non oportet tepescere, etiamsi pauci aut nulli convertantur, 1051. 1
Concionator aliquis in fine mundi hominibus plagas imminentes prænuntiabit et Antichristum instare, 1181. 2. *Vide* Prædicator.
Concordia unde dicta, 1122. 1. Concordia et unio cur requiratur in Religiosis, et Clericis, virisque Apostolicis, 1352. 1. 1353. 2
Concubinatus Sacerdotum est velut hæresis Nicolaitarum, 1057. 2
Concupiscentias repræsentant locustæ, 1183. 1. 2. Eas vincentibus dantur consolationes, 1058. 2. 1059. 1
Confessio capitur pro sepulcro Martyrum in priscis Martyrologiis, 1139. 2
Confessorum quanta copia sit in cœlo, 1158. 1. Confessores in carcere mortis sententiam exspectantes vocabantur olim martyres, 1161. 1
Confirmare alios munus est Episcoporum, 1070. 1
Conscientia quotidie examinanda, 1321. 1. Conscientia cuique instar libri est, in qua sua bona aut mala opera legit, *ibid.* Conscientiarum septem genera sunt, 1049. 1
Consiliarii principum quales esse debeant, 1099. 1
Consolationes spirituales sunt velut manna absconditum, eæque dantur vincentibus delicias et concupiscentias carnales, 1058. 2. 1059. 1. Consolationem in ærumnis submittit Deus, 1135. 1
Constantinopolis an intelligatur per Babylonem in Apocalypsi descriptam, 1250. 2. 1273. 2
Constantinopolitana sedes Patriarchalis cur per aquilam designetur, 1104. 1
Constantinus Magnus an denotetur per angelum habentem signum Dei vivi, 1152. 1. Ejus imperio an ligatus Satanas, et post annos mille solutus, 1307. 1. 1308. 2
Constantinus ultimus Græcorum Imp. una cum vita imperium amisit, capite truncatus, et pariter Orientis imperii finem fecit, 1178. 2
Constantini Copronymi sordes, 1291. 1. Ejus funestus interitus, 1303. 2. 1304. 1
Constantius Constantini Magni pater unde dictus sit Chlorus, 1136. 2
Constantius Imp. quam esset dirus et immanis in Orthodoxos: typus Antichristi fuit, 1239. 2. Ejus mors, et quid in morte deploraret, 1240. 1
Contemplationis rerum cœlestium dulcedo quomodo dicatur manna absconditum, 1058. 1. Ad eam per duodecim gradus ascenditur, 1157. 1. Illi intendens sapphiro designatur, 1341. 2
Convivium sacra Scriptura est in ea assidue versantibus, 1297. 2
Cooperationem nostram cum sua gratia quanti faciat Deus, 1088. 1
Cor hominis deberet esse patens et apertum, 1337. 1. Cor octo modis pulsat Deus, 1088. 1. Corda Sanctorum sunt velut desertum, 1226. 1
Corallachates affinis est chrysopraso, 1348. 2. 1349. 1
Cornu (ex) olim bibebant, 1251. 1. Cornu apud priscos signum erat regni, imo divinitatis, 1234. 2. item roboris et potestatis, 1220. 1. 1235. 1. Cornua decem bestiæ maris quæ sint, et quomodo disponenda, 1230. 1. Quid per ea intelligant hæretici, *ibid.* Cornua decem draconis rufi quid denotent, 1220. 1. Cornua duo similia Agni bestiæ de terra ascendentis quæ sint, 1234. 2. Cornua septem Agni quomodo in ejus capite essent disposita, 1120. 1. 2. Quid illa significent, *ibid.* 2
Corona aurea propria sacerdotum olim, sed provincialium duntaxat erat, 1097. 2. Qualis olim regum esset corona, *ibid.* 1300. 2. Corona olim nulli nisi Deo dabatur, 1111. 1. Quarum rerum corona sit symbolum, *ibid.* Corona gloriæ septem titulis et nominibus significatur, 1166. 1. Varias excellentias includit, *ibid.* Corona Olympica quam esset gloriosa, 1089. 2. Hæc in eminenti loco suspensa ab agonistis manibus veloci cursu corripiebatur, 1075. 2. 1160. 2. Corona pro galea accipitur aliquando, 1187. 1. Coronæ nomine cur appelletur beatitudo, 1055. 2. Corona cœlestis est propter hominem, non homo propter coronam, 1076. 1. 2. Coronæ quales deceant Christianos, 1256. 2. Coronæ aureæ in capite 24. seniorum, quid denotent, si per hos sacerdotes intelligan-

tur, 1097. 2. Coronæ hæreticorum cur fingantur similes esse auro non aureæ, 1185. 1. 2
Corpus Dei sedentis in throno superne erat simile sardio, inferne jaspidi, 1094. 1. Corpus Christi repræsentabat arca fœderis, 1212. 1
Corsico Wandalorum Rex multum damni Italiæ intulit, 1184. 2
Cotyla quæ sit mensura, 1155. 2
Creatio mundi et resurrectio Christi quomodo inter se conveniant, 1094. 2. 1095. 1
Creaturæ omnes quomodo Deum laudent, 1127. 2. 1128. 1. Dei et Christi imperium ac dominium maxime agnoscent in extremo judicio, 1127. 2. Earum varietas, universitas et pulchritudo per iridem repræsentatur, 1095. 2. 1096. 1. Earum visio in Deo per smaragdum repræsentatur, 1096. 1. Muta voce laudant Deum creatorem suum, 1128. 1
Crœsus in sua opulentia à Solone non est habitus felix, 1253. 1. 2
Cruciatæ expeditiones quæ dicantur, 1153. 2
Crucem gestant Episcopi et Pontifex, *ibid.* Crux et tribulatio est character Christi, 1256. 2. 1257. 1. Crux in fronte, corde et brachio quomodo, 1153. 2. Ejus elogia, *ibid.* 1154. 1. Est signum electorum Dei, 1153. 1. 1154. 2. Crux an commode arbor vitæ dicatur, 1359. 2. Crux à Christianis sæpe per diem formatur, 1153. 2. Crux signum Dei vivi habet formam *tau*, 1152. 2. Crux Christi est velut clavis cœli, 1073. 2. In ea quæ ejus virtutes eluxerint, 1032. 2. Fuit velut arcus cœlestis, 1095. 2. Clamat illa misericordiam et reconciliationem, *ibid.* 2. Ejus cornua quæ, quam potentia, 1120. 2. 1121. 1. Crux cithara est, 1123. 1. 1245. 2. Ea in cœlo exterius apparebit, quasi victoriæ trophæum, 1360. 1
Cryptæ cur in priscis templis Romæ conspiciantur, 1139. 2
Crystalli quæ sit materia et origo, 1358. 2
Cubile dicitur locus felicitatis Beatorum, 1140. 1
Cubitus an quarta, an sexta pars staturæ hominis, 1202. 2. 1332. 2. 1333. 1. 1336. 1. 2
Cupidinis vis et potentia, 1277. 2
Cupiditatibus debent imperare Christiani, 1089. 2. 1221. 2
Cyanus qualis gemma sit an cæruleus, 1349. 1
Cyprianus (S.) Wandalorum excidium prædixit, 1184. 2. Ejus error de mundi ætate et duratione, 1314. 1
Cyrillus Alexand. in Apocalypsin scripsit, 1024. 1
Cyrus ignavos milites exauctorabat, 1083. 1. Nihil admirabatur, 1146. 2. 1281. 2. Cyrus et Darius quo astu Babylonem ceperint, 1268. 1. 2

D.

Dactylus palmæ fructus digitis est similis, 1161. 1
Dæmones in inferno habent corpora ignita, 1257. 2. Inviti confitentur Deum, 1127. 2. Recte comparantur scorpiis, 1188. 2. 1189. 1. In inferno horrendas induunt larvas, ut terreant damnatos, 1259. 1. In fine seculi in forma equitum et equorum impios punient, permisti aliis equitibus impiis, 1193. 1. 2. Tum quoque locustarum speciem induent, sed novam et monstrosam, et ex variis animalibus commistam, 1187. 2. Dæmones tres in specie ranarum prodeuntes an visibili specie hominum ab Antichristo mittendi, ut gentes ad eum congregent, 1268. 1. 1269. 2. Cur ranis comparentur, 1269. 2
Damagoræ nomen respondet in numero suo voci λοιμος, id est pestis, 1258. 2
Damasus (S.) Papa an denotetur per angelum habentem thuribulum, 1179. 2
Damnandorum in fine seculi quanta sit futura multitudo, 1257. 1. Damnandorum pavor et pudor coram judice Christo, 1148. 1
Damnati coguntur Deum agnoscere et revereri, 1127. 2. Quem in inferno habeant situm, 1258. 1. 2. Eorum desperatio et maledictio, et quos maledicturi sint, 1320. 2. In singulis sensibus cruciabuntur, 1291. 1. Non solum adurentur, sed etiam de facto ardebunt, 1320. 2. Eorum clamores erunt lamentabiles, *ibid.*
Damnatio est mors secunda, 1316. 1
Dan Patriarcha est typus S. Jacobi Majoris, 1351. 1. Cur non signetur, 1156. 2. Ex eo orietur Antichristus, ideoque omnes Danitæ ei contribuli suo adhærebunt, *ibid.*
Danitæ etiam aliqui in fine seculi salvandi, 1156. 1
Daphnidis nomine cur Virgilius Julium Cæsarem designet, 1359. 1
David fuit typus Christi, 1073. 1. Fuit radix Christi quoad naturam, Christus vicissim radix Davidis respectu sanctificationis et glorificationis Davidis, 1118. 1. 2. Deo ob acceptu beneficia gratus fuit, 1164. 1
Debilitas hæreticorum, 1185. 1
Decem reges qui per decem cornua bestiæ repræsentantur, sunt decem reges futuri sub finem mundi quasi orbis domini, cum veniet Antichristus, Romæ et Imperio Romano subjecti, 1283. 2. 1284. 1. Tres ex his Antichristus bello subiget, reliqui septem ei mox se subdent, 1284. 1. 2. Differunt ab illis septem regibus qui per septem cornua designati sunt, *ibid.* 1. Hi Romam evertent et cremabunt, *ibid.* 2. 1285. 2
Decius Imp. septimam adversus Christianos persecutionem movit, 1134. 2
Decretum Dei prævium necessario impleri debet, quidquid agamus, 1077. 2
Deitas est velut sol, 1215. 1
Deletur quis de libro vitæ diversimode, 1072. 2
Deliciæ virtutis robur auferunt, 1161. 1. Deliciæ Romæ ethnicæ et luxus in quibus consisterent, 1290. 1
Delphinus piscis vigilantiæ symbolum est, 1068. 1
Demetrius Phalereus quid monuerit regem Ptolemæum Philadelphum, 1099. 1
Democriti de muliere gnome, 1062. 2
Denarii numeri perfectio, 1055. 2
Denarius est pretium diurni laboris, 1134. 2. 1136. 1. Est quarta pars sicli, 1136. 1
Dentes locustæ non in ore habent, sed in scapulis, 1189. 2
Descensus Christi ad inferos sardonychi gemmæ cur comparetur, 1345. 2. Quid in eo factum, *ibid.*
Desiderium rerum æternarum nascitur ex amore Dei et salutis et timore pœnarum, 1257. 1. Desideria animarum sunt velut verba, 1141. 1
Desidiæ Christianorum imputanda dilatio resurrectionis, 1142. 1
Desolatio extrema quibus phrasibus à Prophetis exprimatur, 1148. 2
Detractor habet dentes leoninos et serpentinos, 1185. 2. Detractoris et conviciatoris symbolum est locusta, 1187. 2
Deus græce, latine et hebraice dicitur à divitiis, 1127. 1. Deus per angelos solet docere et illuminare homines, 1026. 2. Tripliciter loquitur iis et Prophetis, *ibid.* Ejus nomen proprium quod sit, 1027. 2. 1028. 1. Quomodo de eo dicatur *Fuit*, *Est*, *Erit*, 1128. 1. Est Ecclesiæ principium, et progressus, et confirmatio ejus ab eo est, 1029. 1. Est α et ω, 1034. 2. 1363. 2. Est item pentalpha, 1035. 2. Adest suis in tribulatione, 1036. 1. Præsens adest suis, etsi non videatur, 1037. 2. Ejus hieroglyphicum est sol, 1043. 2. Non præcise coronarum numerum prædestinavit, sed in genere et in communi, ut tot essent coronæ, quot essent futuri in agone suo victores, 1076. 2. Sitit sitiri, 1085. 1. Cur suos castiget, 1087. 1. Octo modis pulsat cur, 1088. 1. Satis laudari ab hominibus et angelis non potest, 1108. 1. Eum assidue laudare quomodo quis possit, *ibid.* 2. Sanctus est, *ibid.* Quomodo sit sanctus in omnibus operibus suis, 1109. 1. Quomodo eum colere et in quo imitari debeamus, *ibid.* 2. Est vita increata et causa vitæ omnium angelorum, hominum et animalium, tum naturalis, tum supernaturalis, 1110. 1. Ejus decretum, memoria, judicia, scientia an sit liber signatus, 1114. 2. Clades immissurus, eas prænuntiare solet, 1144. 2. Ejus in fine seculi formidabilis ira et potentia, 1148. 1. Per angelos ita vim fulminum, tonitruorum,

ventorum et aliarum procellarum moderatur, ut hunc non illum tangant, impios, non pios, etc., 1152. 1. Quanti electos suos faciat, 1157. 2. Ejus clementia in peccatores, 1182. 1. Ejus æternitas, 1198. 1. Quo jure puniet priscorum Romanorum peccata in fine mundi, 1293. 2. Ejus laus quadruplex est, 1296. 1. In mente retinet omnium hominum tum bona, tum mala opera, 1318. 2. Est cum Beatis in cœlo jugiter, 1327. 2. Ipse est templum cœli, 1354. 2. Est claritas increata, 1355. 1

Deus pater non insedit throno quem vidit Joannes, sed Deus prout est communis toti S. Trinitati, 1093. 2

Diabolus unde dicatur, 1224. 1. Quomodo super terram gradi dicatur et repere, *ibid.* 1. 2. Unde vocetur draco et serpens, *ibid.* 2. 1218. 2. Ejus indoles et arma, 1219. 1. Comparatur variis animalibus et rebus, *ibid.* item injusto litigatori, *ibid.* 2. Ob Christum incarnatum maxima odia in Ecclesiam concepit, 1214. 1. Cur magis nos oppugnet quam olim patres nostros, 1225. 2. Est myrmicoleon, cur, 1218. 1. Est serpens antiquus, 1306. 1. Cum Antichristo deturbandus est in tartara, 1317. 2. Quomodo homines sibi consentientes coram Christo judice convicturus sit, 1306. 2. Ejus vis valde imminuta est, 1281. 1. sed in fine mundi rursum eam recipiet, *ibid.* Nocere non potest nisi volenti, 1192. 2. Ejus triplex maledictio, 1237. 2. In fine mundi adorabitur ut numen Antichristi, 1232. 1. Proprie in cœlo aereo dominatur, 1218. 2. Cur dicatur rufus, *ibid.* Ejus tria nomina, 1219. 1. Septem dæmones an præposuerit septem capitalibus vitiis, 1030. 1. Diabolus exterminator quomodo præsideat hæreticis, 1185. 2

Diaconi septem qua occasione in primitiva Ecclesia instituti, 1032. 2

Diadema erat fascia capitis, 1300. 2. Quis ejus inventor, *ibid.*

Diagoras præ gaudio animam efflavit, 1089. 1

Dianæ Ephesiæ templum quam esset celebre, 1049. 1

Dictatores Romæ fuere extraordinarii magistratus, 1283. 1

Dies in inferno nulla, nox perpetua, 1317. 2. Dies mundi finiendi à secreto Dei decreto dependet, et proinde incertus est, sed moraliter sciri potest, 1315. 1. 2. Dies quot superfuturi sint cæso Antichristo, 1304. 1. Diebus decem quomodo dicatur duratura tribulatio, 1055. 1. 2. In diebus 1260. quibus Elias et Henoch prædicabunt, explicandis, ut Antichristum Pontificem Rom. faciant, quomodo se torqueant Lutherani et Calvinistæ, 1204. 2. 1205. 1. Hi dies idem sunt cum 42. mensibus, et tribus annis cum dimidio præcise, 1205. 1

Dignæ et Emeritæ Martyrum elogium, 1052. 2

Dilectionis mandatum cur sub Christo novum, 1125. 1

Diluti vini commoda, 1251. 1

Diocletianus edictum edidit, ne quis quid Christianis venderet, nisi thura prius diis dedissent, 1236. 1. An in sexto sigillo repræsentetur, 1151. 1. Sub eo fuere duo milliones Martyrum, 1158. 1. Decimam in Christianos persecutionem excitavit : ea quam immanis fuerit, 1134. 2

Diogenes cur juvenes insulsos betæ assimilaret, 1084. 1

Dionysius lapis aquæ mixtus, si conteratur, vinum fragrat, 1233. 1

Dionysius Alexand. in Apoc. scripsit, 1023. 2

Dionysius (S.) Areopagita è Christi manibus Eucharistiam recepit, 1176. 1. Primus Joannem Theologum nuncupavit, 1019. 2

Diversorio (in) serviens præsumitur non esse honesta, 1289. 2

Dives (quis vere) sit, 1054. 1. Divites pauperibus succurrentes dici possunt mensa solis, 1045. 1. Divitum et pauperum voluntariorum mors et vita quam sit differens, 1054. 2

Divinitatem non potuit Christus mereri, utpote quam haberet, antequam nasceretur, 1126. 2. Eam quomodo Agnus accipere dicatur, 1127. 1. Divinitas repræsentatur per jaspidem et sardium, quorum colorem Deus in throno sedens habere videbatur, 1094. 2. Divinitas Christi, ejusque humanitas per α et ω mystice repræsentantur, 1035. 2. 1045. 2

Doctores Evangelici aquilis comparantur, 1181. 2. Sunt velut stellæ, 1364. 2. Doctores quatuor Ecclesiæ an per quatuor animalia Joannis repræsentari possint, 1104. 2

Dominicanos Ecclesiam in fine seculi maxime propugnaturos contra Antichristianos prædixit S. Teresia, 1204. 2

Domitianus secundam in Christianos persecutionem excitavit, 1134. 1. 1231. 1. Quare porticum sphengite lapide instraverit, 1330. 2. Ejus imperium an per equum pallidum significetur, *ibid.*

Domus cœlestes ex auro mundo sunt, et quinam Beati per has intelligantur, 1354. 2. Domus cœlestes sunt vitreæ et pellucidæ, 1336. 2

Dona Spiritus sancti an intelligantur per septem spiritus in conspectu throni stantes, 1029. 1. Dona sua Deus in nobis coronat, 1111. 2

Dormitantia pastorum quam noceat gregi, 1070. 1. 2

Dorothea (S.) quomodo ad cœlestes delicias in tormentis anhelaret, 1361. 1. Misit tempore hiberno è cœlo rosas Theophilo, *ibid.* Accepta mortis sententia gavisa est, 1298. 1

Draco est serpens grandior et sævior, 1218. 2. Dracones ignivomi inveniuntur, 1219. 1. Draconis forma an sit futurus Antichristi character, 1236. 1. Draco rufus habens capita septem et cornua decem in cœlo apparens, est diabolus, 1218. 2. Hoc nomine intelligitur Lucifer, *ibid.* Rufus cur dicatur, *ibid.* 1219. 1. Ejus septem capita quæ, 1219. 2. Ejus cauda repræsentat Antichristum, 1220. 1. Ejus prælium cum Michaele Archangelo, 1223. 1. Dicitur draco magnus, 1224. 1. Cur steterit super arenam maris, inter mare et terram, 1227. 2. *Vide* Lucifer.

Dulcia noxia sunt stomacho, 1180. 2

Duodenarius universitatem et perfectionem significat maxime si sit quadratus, 1156. 2. 1224. 1. 2. 1336. 1

Dux in omni republic. et congregatione est necessarius, 1190. 1

E.

Ebion legem et legalia miscere volebat cum Evangelio, 1063. 2. Docebat Christum non esse Deum, nec fuisse ante B. Virginem; jugulatur à S. Joanne, 1022. 2

Ecclesia quævis vocatur abusive martyrium, 1139. 2

Ecclesia candelabro templi Mosaici assimilatur, 1037. 1. Ejus varia cum diversis certamina, 1138. 1. Ultimum ejus bellum erit cum Antichristo, *ibid.* Ejus septem status an solum in Apocalypsi describantur, 1020. 1. 2. In eam Christus summam potestatem habet, 1073. 2. In fine mundi pariet filios suos magnis doloribus, 1217. 2. Quomodo dicatur signum, 1213. 1. Eam repræsentat arca fœderis, maxime triumphantem, 1211. 2. Est Agni sponsa in hac vita, in futura erit uxor, 1297. 1. Quomodo sit cœlestis et in cœlo, 1213. 1. Repræsentatur per mulierem amictam sole, maxime ea quæ erit in fine seculi, *ibid.* 2. Continuo luctatur cum Lucifero ejusque asseclis, *ibid.* 1214. 1. Est amicta sole suo Christo, 1214. 2. Ejus constantia in fide, doctrina, moribus, persecutionibus, martyriis, 1216. 1. Ejus persecutiones à Romanis Imp. excitatæ, 1134. 1. Quomodo pariat Deo filios masculos, 1221. 2. Est thronus Dei mystice, 1193. 2. In fine mundi aletur in solitudine à pastoribus verbo Dei toto tempore Antichristi, 1226. 2. Ejus gloria et imperium æternum ad Christi gloriam spectat, 1034. 1. Eam Deus ut cœpit, ita et promovebit, 1035. 1. E persecutionibus gloriosior exsurgit, 1045. 2. In ea est potestas peccata retinendi et absolvendi : hoc significatur per sardinum et jaspideum colorem Dei sedentis in throno, 1094. 2. Ejus felicitas quando futura, 1308. 1. 1317. 2. Stabit usque ad finem mundi, 1309. 1. Ejus quadratura tropologice exponitur, 1333. 2. Cur chrysopraso gemmæ assimiletur, 1349. 1. Cur sit sancta : à Spiritu sancto regitur, *ibid.* Hæreses convellit, et in adversis magis effulget, *ibid.* Fideles omnes ad gratias Deo agendas excitat, 1165. 1. Ec-

clesiæ primitivæ persecutio quamdiu durarit, 1171. 1. Ecclesiæ Rom. gloria in quibus consistit, 1145. 2. Quæ angelorum nomina agnoscat et colat, 1031. 2. Ejus Ecclesiæ repræsentantur per septem Ecclesias Asiæ, ad quas scribit S. Joannes, 1099. 1. Ipsa non est Babylon, ut volunt hæretici, 1274. 2. 1278. 1. Ejus decus, 1274. 2. Ejus elogia, 1275. 1. Ecclesia tam militans in terris, quam triumphans in cœlis vocatur Jerusalem, 1080. 1. Eadem cur dicatur de cœlis descendere, *ibid.* Ecclesia triumphans et cœlestis describitur in typo civitatis quam vidit Joannes descendentem de cœlo, 1322. 1. Sua insignia sumit à militante, 1323. 1. Ejus dotes ex ordine recensentur, *ibid.* Ipsa cur dicatur sancta et nova, 1325. 1. Ejus elogium, *ibid.* Quomodo de cœlo descendere dicatur, *ibid.* 1. 2. Quomodo descendere simul et stare, *ibid.* 2. Est sponsa ornata viro suo, 1326. 1. Est civitas fortium, victorum et triumphantium, *ibid.* 2. Vocatur tabernaculum ob quatuor causas, 1327. 1. Cur dicatur sponsa Agni, 1329. 2. Ejus portæ duodecim quid denotent, 1331. 1. Quanta fuerit portarum ab invicem distantia, *ibid.* 2. Ejus portæ quomodo dispositæ, *ibid.* Ejus fundamenta duodecim habebant inscripta nomina duodecim Apostolorum, 1332. 1. Aureo calamo eam metitur angelus, *ibid.* 2. Quadrangula est, 1333. 1. 2. Ejus longitudo et latitudo, *ibid.* 2. 1334. 1. Ejus ambitus, *ibid.* Ejus latitudo, longitudo et altitudo quomodo æqualia sint, 1335. 1. Ejus murus quam sit altus, *ibid.* 2. 1336. 2. Ejus domus quales sint, 1336. 2. Est ex auro structa, quomodo, *ibid.* Quomodo sit aurum, 1337. 1. Ejus fundamenta erant ex gemma, et gemmis ornata, *ibid.* 2. 1338. 1. Ejus portæ cælata ex margaritis, 1351. 2. Ejus plateæ et domus ex auro pellucido sunt, 1354. 2. Ejus claritas est à Deo et Agno, 1355. 1. Ejus frequentia, nobilitas, opulentia, 1356. 1. Quomodo ejus portæ non claudantur die ac nocte, *ibid.* Nihil inquinatum illuc ingreditur, *ibid.* Ejus fluvius quis, 1358. 1. *Vide* Cœlum.

Ecclesiæ aliquot Græcæ cur Apocalypsin olim rejecerint, 1019. 1

Ἐκδίκεω constructum cum propositione ἐκ, significat liberationem aliquam à malo, 1141. 1

Echo septem vocum ubi, 1197. 1

Eduardus (S.) I. Anglorum Rex à S. Joanne in cœlum est evocatus, 1248. 2

Eduardi II. Angliæ regis quod symbolum, 1261. 2

Eie Hebræum tria tempora complectitur, 1028. 1

Electi quomodo in fine mundi per angelos signo crucis signandi, 1154. 1. 2

Elementa quatuor an in quatuor Joannis animalibus denotentur, 1104. 2. Singula habent angelum præsidem, 1267. 1. 2. Eorum pugnas repræsentabant quatuor colores Circensium aurigarum, 1131. 2. 1132. 1

Eliam et Henoch in fine seculi venturos negant Calvinistæ Angli, 1204. 1. Certum tamen est et indubitatum, *ibid.* Ubi nunc degant, *ibid.* 2. Quem Ecclesiæ statum ambo repræsentent, *ibid.* Quamdiu prædicaturi sint contra Antichristum, *ibid.* 1205. 1. 2. Quomodo tam brevi tempore per universum orbem prædicare poterunt, 1205. 2. Quomodo eos Antichristus non statim occidet, sed permittet ut contra se prædicent, *ibid.* Vestientur ciliciis, et cur, 1206. 1. Cur comparentur olivis, *ibid.* Repræsentantur à Zacharia in persona Zorobabelis et Jesu filii Josedec, *ibid.* Cur vocentur Cherubini, *ibid.* 2. Cur candelabra stantia in conspectu Domini, 1207. 1. Dabunt oleum Ecclesiæ, et ardebunt ipsi sanctitate, *ibid.* 2. Ignem in adversarios suos evocabunt, et is devorabit eos, *ibid.* Antichristum et ejus asseclas libere arguent, *ibid.* Imperio suo prohibebunt pluviam, 1208. 1. Aquas vertent in sanguinem, percutient terram plagis quotiescumque voluerint, *ibid.* Peracto suo officio et spatio temporis sibi à Deo decreto, sinent se occidi ab Antichristo, *ibid.* 2. idque Hierosolymæ, *ibid.* 1209. 1. Eorum corpora per tres dies insepulta jacebunt in plateis Jerusalem, sed iis exactis cum gloria resurgent, 1209. 2. Publice coram omnibus ascendent in cœlum, *ibid.*

Elias an repræsentetur per angelum habentem signum Dei vivi, 1152. 2. Inter homines vivens fuit vestitus veste pilosa, 1206. 1. An intelligatur per angelum habentem potestatem super ignem et exeuntem de altari, 1256. 1

Eliseus in fine seculi contra Antichristum an venturus, 204. 2

Emere nemo quid poterit qui characterem Antichristi non habebit, 1236. 1

Emericus (S.) dissolvit nexus ferreos, quos peccator quidam Conradus pœnitens ad carnem adstrinxerat, 1246. 2

Empusæ, quales sint larvæ, 1291. 1

Ephesus à quo condita, ejus celebritas, 1049. 1

Ephraim tribus dicitur et Joseph, cur, 1157. 2. Ephraim est typus S. Matthæi Apostoli, 1351. 1

Ephrem (S.) quanta spiritus gestiret lætitia, 1059. 2

Episcopi in Ecclesia debent esse quasi stellæ ob varias analogias, 1042. 1. Quomodo in dextera Christi dicantur esse, *ibid.* 2. Dicuntur angeli, 1046. 2. Habent angelum illustriorem pro custodia, 1047. 1. 1065. 1. Eorum tria sunt munia, 1064. 2. Eorum quanta debeat esse cura, 1068. 1. 1069. 2. 1070. 1. Quam esse oculati debeant, 1061. 2. Quos habere pedes aurichalco similes, *ibid.* Eos quomodo figurent quatuor animalia Joannis; eorum dotes, 1104. 2. Ardere charitate debent ut Seraphim, 1098. 1. Eorum dignitas, 1047. 1. Olim erant pauperes, 1054. 1. Eorum quæ sit obligatio ad sanctitatem vitæ, et ad vigilantiam, 1055. 1. Cur gestent crucem auream vel argenteam, 1153. 2. Eorum qui se episcopatu abdicarunt exempla, 1069. 1

Episcopi septem Asiæ ad quos Joannes scribit, planetis assimilantur, 1042. 1. 1046. 2. 1049. 1

Episcopi Thyatirensis imprudentia, 1061. 2. Quis ille fuerit, *ibid.* Verisimile est fuisse S. Carpum, *ibid.* 1057. 1

Episcopus Laodicensis, cui S. Joannes scribit, quis fuerit, 1080. 2. Ejus peccatum, *ibid.* 1082. 1

Episcopus Pergamenus cur à Christo castigandus moneatur, 1058. 1

Episcopus Philadelphensis an fuerit S. Quadratus, 1072. 2. Quid ad eum scribatur, *ibid.*

Episcopus Sardensis, cui scribit S. Joannes, an fuerit S. Melito, 1067. 1. Cujus rei moneatur, *ibid.* 2. Ejus quod fuerit peccatum, 1068. 1. 1069. 2. 1070. 1. Ejus opera quomodo non plena, 1070. 2

Episcopus aliquis Apostata videtur futurus Antichristi præcursor, 1234. 2

Equi omnibus animalibus bello utiliores, 1131. 2. Eorum dotes, *ibid.* 1132. 1. Albi aliis sunt celeriores, 1299. 2. Denotant hi victoriam et triumphum, *ibid.* 1301. 2. Persici perferoces sunt, 1193. 2. Equi quatuor ex quatuor primis libri signati sigillis apertis prodeuntes quid significent, 1129. 2. An significent quatuor imperia, 1130. 2. 1131. 2. Equus symbolum est belli, 1131. 2. item imperii et victoriæ, 1132. 1. Equus albus sunt Apostoli, *ibid.* Rufus quid proprie significet, 1134. 1. Ejus sessores qui, *ibid.* 2. Niger quid proprie significet, *ibid.* 1135. 1. Ejus sessor est diabolus vel hæresiarcha, 1135. 2. Pallidus quos significet, 1136. 2. Repræsentat Mahometanos, 1137. 2

Equitum exercitus in fine mundi quam numerosus futurus. 1192. 2. Unde hi prodituri sint, 1193. 1. Hic viam pandet Antichristo, *ibid.* 2. Excellunt equitatu Turcæ, Poloni, Persæ, 1193. 1

Esdras quos signatos et coronatos viderit, 1167. 2. Videt promptuaria animarum de quibus loquitur, non in cœlo, sed in limbo, 1140. 1. Esdræ liber tertius et quartus non sunt Scriptura Canonica, suam tamen habent auctoritatem, et proxime ad eam accedunt, *ibid.* 2

Esquilinus collis quis esset Romæ, 1282. 1

Et Hebræis omnibus conjunctionibus deservit, 1302. 1. Sæpe ponitur in futuro pro *ut*, 1204. 1

Ethnici etiam sex millia annorum durationi mundi assignarunt, 1314. 2

Evangelistæ assidue quomodo Deum laudent, 1107. 2. Eorum præcipuus quomodo sit Joannes, 1015. 2. Evange-

listas quatuor an designent quatuor animalia Joannis, 1104. 2. Eorum diversitas maxime in principio, 1105. 1. Inter eos quis sit ordo, *ibid.*
Evangelium cur vocetur æternum, 1250. 2. Ejus prædicatio quam sonora et potens sit, 1041. 2. Ejus prædicatio, gratia et vocatio est arcus Christi, 1133. 2. Multis adhuc gentibus prædicatum non est, 1314. 1. Ejus lex quamdiu duratura sit, 1313. 2
Eucharistia est vinculum amoris Christianorum, 1125. 1. In ea Christus Agnus tanquam occisus, 1120. 1. An commode intelligatur per septem sigilla libri, 1114. 2. Ejus mirabilia et arcana, *ibid.* Renovantibus proposita prodest, estque lignum vitæ, 1053. 1. Est manna absconditum, 1058. 2. Eam primitivi Christiani cur domum deferrent, 1053. 1. Eam angeli aliquando ministrarunt, 1174. 2
Euphrates voluptatum est symbolum, 1190. 2. Quare in fine seculi ab angelo sit exsiccandus, 1268. 1
Euthymius pugil vivus et sentiens consecratus est, 1089. 1
Eutychetis quæ fuerit hæresis, 1181. 1
Excidii seculi figura fuit eversio regni Samariæ, et eversio Jerusalem, 1148. 1
Exempla quantum ad imitationem excitent, 1047. 2
Exercitus barbarorum an repræsentetur per locustas in fine seculi è puteo abyssi prodeuntes, 1187. 1
Exspectatio instantium plagarum ipsis plagis gravior est, 1149. 1
Ezechielis (ad) visiones maxime alludit S. Joannes in Apocalypsi, 1023. 2

F.

Factiones aurigarum Circensium quadruplices erant, 1131. 2
Falx acuta in manu Filii hominis quid sit, 1255. 1. Falx quoque est cultellus vindemiantium, *ibid.* 2
Fames apta pœna deliciarum et gulæ, 1291. 2. 1292. 1
Fastus hæreticorum, 1185. 2
Felicis (in martyrio) Episcopi Africani luna est conversa in sanguinem, 1145. 2
Felicitatis symbolum est sol, 1044. 2
Feminis (in) virginitas fortior et generosior quam in viris est, 1244. 2. Feminæ sub maribus in generali locutione comprehendi solent, *ibid.* Earum auxilio pleræque hæreses disseminatæ, 1185. 2
Femur Christi quatuor res notat, 1302. 1
Fervorem (ad) acres stimuli, 1086. 2
Festa Judaica instituta in gratiarum actionem pro beneficiis olim per patres acceptis, 1163. 1
Festus Patricius Roman. auctor fuit schismatis inter Symmachum Papam et Laurentium Antipapam, 1191. 2
Fidelis et verax quomodo sit Christus, 1300. 2
Fideles cur dicantur nova creatura, 1081. 1. In persecutione esse debent constantes et longanimi, 1226. 2. Sunt reges et sacerdotes, sed mystici, 1033. 2. Eorum nomina novit Deus, 1071. 2. Tempore Antichristi in solitudinem fugient, 1222. 1. Tunc futuri constantes, per templum Salomonis repræsentantur, 1203. 2. *Vide* Christiani.
Fidendum Deo in adversis, 1329. 1
Fidei antiquitas candore denotatur, 1160. 1. Citharæ comparatur, 1245. 2
Filius masculus quem draco vorare parabat, quos denotet, 1221. 1
Filius Dei, in quantum homo, etiam invocavit seipsum ut Deus, 1094. 1. Ejus divinitas probatur contra Arrianos, 1029. 1. *Vide* Christus.
Flamiuius Consul quod cladis suæ omen acceperit, 1132. 2
Fluvius cœlestis civitatis describitur, 1358. 1. Quis sit hic fluvius, *ibid.* Est instar solis pellucidus, *ibid.* 2
Fons Virginis in Ægypto quis sit locus, *ibid.*
Fornicatio spiritualis est hæresis vel idololatria, 1062. 1
Fortes fortuna adjuvat, 1329. 1
Francisca (S.) Romana illustriorem pro custodia habuit angelum, 1065. 1
Francisci (S.) de Paula vaticinium de tribus Ordinibus sub finem mundi orituris ex Simone de Limena, 1286. 2
Francisci (P.) Villanovæ Societ. Jesu elogium, 1069. 2
Franciscus (S.) prædestinationis suæ revelationem accepit, 1061. 1. Ejus fervor et renovatio mentis assidua, 1050. 2. Ei promisit Dominus Ordinis sui perpetuitatem, 1076. 2. Æger audivit angelum scitissime citharam pulsantem, 1122. 2. Ex vehementia amoris crebras patiebatur ecstases, 1254. 1. Jam senex gestiebat ad novitiatus redire fervorem, 1353. 2. Ipse et Franciscani an denotentur per angelum habentem signum Dei vivi, 1152. 2
Franciscus Ribera præclare in Apoc. scripsit, 1204. 2
Franciscus (S.) Xaverius quomodo cœlestibus consolationibus perfunderetur, 1059. 2. Qualiter mortuus sit, 1253. 2. In tribulationibus adhuc majores optabat, 1154. 2
Fraus et imposturæ hæreticorum, 1185. 1
Frederici II. Imp. schisma quamdiu durarit, 1312. 2
Frigidæ et calidæ potus Romanus in usu, 1083. 2. Frigidi, calidi, tepidi quinam spiritualiter sint, 1081. 1
Frons unde dicatur; ipsa publicæ professionis est symbolum, 1153. 1. In fronte signandi electi in fine mundi, *ibid.* In ea cur signandi Antichristiani, 1236. 1. Fronti inscriptum olim nomen meretricum, 1280. 1
Fructus Italici et varii et sapidi, 1292. 2. 1293. 1
Fruitio Dei in cœlo est velut fons vitæ, 1169. 2. et lignum vitæ, 1053. 2
Frumentum optimum est ejusdem cum aqua ponderis, 1135. 2
Fucus hæreticorum, 1185. 2
Fugere licet in persecutione, 1329. 1
Fulgura et tonitrua Dei magnificentiam et majestatem denotant, 1099. 2. Unde hæc nascantur, 1100. 1. Fulgure occidetur Antichristus, 1300. 1. 1303. 1. Fulmini assimilatur S. Joannes, 1017. 1. Fulmina igne sulphureo constant, et sulphur olent, 1320. 2
Fulminatrix legio Christiana sitienti exercitui Antonini Imp. pluviam precibus impetravit, 1134. 1
Fumus à majestate Dei prodiens quid denotet, 1264. 2
Fundamenta Ecclesiæ sunt Apostoli, 1332. 1
Fur vox unde derivetur, 1269. 2. Sicut fur veniet Dominus ex improviso, 1071. 2
Furiarum quæ sit pictura et imago, 1191. 1

G.

Gabriel quid proprie significet, 1031. 2. Ejus emblema, 1032. 1. Videtur esse de Seraphinis, *ibid.* 2
Gad Patriarcha typus est S. Petri, 1351. 1
Gagates accenditur aqua, oleo restinguitur, 1223. 1
Galba Imp. quo signo perduelles neci dandos ostenderit, 1043. 1. 2
Galla (S.) à S. Petro in cœlum est vocata, 1365. 2
Gallinæ caro consumit aurum, 1292. 1
Γαρ sæpe encliticum est apud Græcos, 1365. 1
Gaudii actu quomodo Deum laudemus, 1128. 2
Gemmarum pulchritudo, pretium, splendor : unde dictæ, 1338. 1. In cœlis veræ futuræ gemmæ, *ibid.* An congrue vocentur stellæ, 1042. 2. Omnes sunt siccæ et frigidæ, 1350. 1. Gemmas plures gestabant antiqui in annulis, 1094. 1. Earum in pretio qui sint gradus, 1352. 2. Earum fabulosæ virtutes, 1339. 2. Gemmæ duodecim civitatis cœlestis significant duodecim Apostolos, et duodecim Symboli articulos, 1332. 1. 2. 1339. 1. Hæ in quibus à gemmis rationalis differant, et conveniant, 1339. 1. Gemmæ priscæ nonnullæ interiere, earum nomina mutata, novæ subnatæ aut substitutæ, 1338. 2
Gennadius commentatus est in Apoc. 1204. 1
Gensericus Wandalus Africam et Romam diripuit, 1184. 2. Cur dictus sit regum omnium felicissimus, *ibid.* Primus Wandalorum regum Arrianus fuit; à Bonifacio Comite primus est in Africam vocatus, *ibid.* Gensericus an sit nomen Antichristi, 1238. 1
Gente (ex qualibet) ad cœlestem Jerusalem confluent aliqui, 1331. 2

Gentiles cur vocentur mare, 1197. 1. Cur iis gravis videretur lex Christi, 1063. 2
Gereonis (S.) vox ad orantem Episcopum Evergistum, 1140. 1
Germanicus Martyr bestiis fuit objectus, 1055. 1
Germanus (S.) audivit loquentem de tumulo S. Cassianum, 1254. 1
Gertrudis (S.) vidit multas animas quæ sponte se à Domini conspectu subducerent, 1356. 2
Gervasius et Protasius (SS.) albati S. Ambrosio apparuerunt, 1160. 2
Gidon Hebræa vox quid significet, et unde derivetur, 1270. 1
Gilimer Wandalorum Rex à Belisario victus et captus argentea catena vinctus ad Imp. mittitur, 1184. 2
Gladio Christi ex ore exeunte quid denotetur, 1043. 1. Gladius dicitur quasi cladius, *ibid.* Est symbolum principis, multis fuit omen mortis, *ibid.*
Glauci oculi terrorem incutere solent, 1347. 1
Gloria animæ est stola alba, 1142. 1
Gloria cœlestis cur dicatur tabernaculum Dei, 1327. 1. Revera gratia, 1328. 1. Longe major est quam bona sint et merita hominum, 1290. 2. Ad eam Deus neminem absolute elegit, nisi post prævisa merita, 1077. 1. Vocatur corona et palma ob tres causas, 1055. 2
Gnostici hæretici à Nicolaitis orti, 1052. 1
Godefridi Bullonii expeditio in terram sanctam an prædicta in Apocalypsi, 1271. 2. An is repræsentetur in angelo forti sustollente lapidem molarem, 1294. 1
Godricus (S.) Eremita in Anglia S. Petro Apostolo confessus, et ab eodem absolutus est, 1176. 1
Gog et Magog sunt certæ gentes suum habentes regem, 1316. 2. Is erit unus è decem regibus qui tempore Antichristi in orbe dominabuntur, *ibid.* Quales eæ futuræ sint, 1317. 1. Igne cœlesti afflabuntur cum Antichristo, *ibid.* 2
Gothi qua ratione Arriani facti sint, 1177. 2. Latinam linguam corruperunt, 1296. 2. Per trecentos annos, quia Arriani Ecclesiam vexarunt, 1135. 1
Gradus cur in priscis templis Romæ conspiciantur, 1139. 2
Græcari quid sit, 1251. 1
Græcorum inconstantia, 1281. 1. Græci sensim et taciturni in pugnam progrediebantur, barbari cum strepitu, 1122. 1. Græci negantes Spiritum sanctum à Filio procedere, à Turcis ipso festo Spiritus sancti excisi sunt, 1178. 2. Cur Christum aliter pingi voluerint, quam specie humana, 1119. 1
Grando magna symbolum est iræ Dei, 1212. 2. Grando talentaris cadet in fine seculi, 1271. 1. Ea mystice intelligitur, *ibid.* 2. Grandine cur Deus in fine seculi percussurus sit tertiam terræ partem, non totam, 1178. 1
Gratia maxima est gradus perfectissimus, 1060. 1. Gratia gratiam emimus majorem, 1085. 2. Gratiæ divinæ pulsus qualis, 1087. 2. Gratia operans et cooperans aut subsequens quomodo distinguantur, *ibid.* Gratiam cur in salutatione post Christi ascensionem Apostoli pati addiderint, 1027. 2. Gratiæ lex quamdiu duratura sit, 1313. 2
Gratiarum actio, quam homines beati in fine seculi agent Deo, unde habebit ortum, 1162. 2. Ea est optima ratio impetrandi à Deo donum perseverantiæ, et pertingendi ad salutem, *ibid.* Quam ea utilis, necessaria, sancta, Deo grata, 1165. 1. Est victima novi testamenti, *ibid.* 2. Ea Deo gratissima est, quæ in Missa fit, 1122. 1. Hæc pro beneficiis à Deo acceptis facta, vocatur sacrificium laudis, 1163. 2. Est unicum sacrificium quod Deo præstare possumus et debemus, *ibid.*
Gratulationis actu Deum summe laudare possumus, 1128. 2
Gregorio (S.) Pontifici celebranti adstabat angelus, 1174. 2. Is an denotetur per aquilam clamantem in cœlo *væ*, 1181. 1. Ærumnis pressus Deo gratias egit, 1165. 1. Hæreticis primus Antichristus est, 1186. 1. Is Anglos per S. Augustinum ad fidem adduxit, *ibid.* 2. 1212. 2
Gregorius (S.) Nazianzen. est in Apocal. commentatus, 1203. 2. Relicto patriarchatu Constantinop. rus concessit, 1069. 1
Gregorius (S.) Thaumaturgus à S. Joanne in orthodoxa doctrina confirmatus est, 1018. 1
Grossi sunt ficus immaturæ, 1146. 1
Guardianus Franciscanorum Londinensium gaudens patibuli scalas conscendebat, 1123. 1
Gubernatio nonnisi probo committenda, 1164. 2
Gula fomentum est luxuriæ, 1057. 2
Gygarta urbs unde dicta, an à Gog, 1317. 1
Gyges non est idem qui Gog, *ibid.*

H.

Hæresis quomodo proserpat et celeriter se diffundat, 1185. 2. Hæreses pleræque per mulieres propagatæ sunt, 1062. 2. Pene omnes Christo adversatæ sunt, 1135. 2. In exortis semper opponit Deus antagonistas, 1205. 1
Hæresiarcharum funestus interitus, 1303. 2
Hæretica Ecclesia vocanda est Babylon, 1278. 2
Hæretici Scripturam addendo vel minuendo adulterant, 1365. 1. Dogmata prava per eloquentiam suis propinant, 1280. 1. Eorum symbolum est rana, 1269. 2. Cur dicantur locustæ, 1185. 1. Eorum proprietates variæ, *ibid.* 1. 2. Eorum simulata humanitas, 1135. 2. 1191. 1. 2. 1194. 1. 2. Per equum nigrum significantur, 1135. 1. Scripturam ad mentem suam torquent, *ibid.* 2. In eorum persecutione furtim Sacramenta percipiuntur ad necessitatem, non ad abundantiam, 1136. 1. Sunt mendaces, 1189. 2. Vocant doctrinam suam altissimam, profundissimam, et nulli alii, quam sibi suisque comprehensibilem 1165. 2. Hæretici moderni sunt præcursores Antichristi, 1232. 1. Quid per quatuor Joannis animalia intelligant, 1104. 1. Grassantur in cœlum, terras, Purgatorium, infernum quomodo, 1185. 2. Quinam eorum commentati sint in Apocalypsin, 1024. 2. Eorum calumnia in Romanum Pontificem et Ecclesiam refutatur, 1186. 2. 1251. 1. 1274. 2. 1275. 1. 1278. 1. 1282. 2. 1250. 1. 1285. 1
Haymo Commentarium in Apocal. scripsit, 1024. 1
Hebræi per futurum significant rei constantiam et continuationem, 1028. 1. Sub præterito intelligunt præsens et futurum, et vice versa, 1253. 1. Sæpe abstracta usurpant pro concretis, 1190. 1. Verba activa realia capiunt pro activis mentalibus, 1232. 2. 1290. 2. Instrumentis addunt *in*, 1232. 2. Sæpe dicta sua non ad proxime præcedentia, sed ad remotiora, quæ anterius præcesserunt, referre, 1311. 1
Hebraæ aliquot voces etiam aliis linguis communes, 1292. 2
Hederam sacerdotes Rom. nec tangere, nec nominare poterant, 1047. 1
Helvetii Catholici publice inter hæreticos gestant rosaria et cruces, 1153. 1
Henoch nondum est mortuus, sed raptus à Deo, 1204. 2. Repræsentat statum legis naturæ et Patriarcharum, *ibid.* Ab eo ascendunt omnes homines per Noe, 1208. 2. *Vide* Elias.
Henricus V. Imp. renuntiavit juri investituræ, 1307. 1
Henricus (P.) Garnettus Soc. Jesu post martyrium in spica expressus conspicitur, 1154. 1
Herodes infanticida vocatur draco, rufus et ignitus, 1221. 1
Hierarchiæ primæ angeli quænam Dei attributa repræsentent, 1098. 1
Hieronicæ veste alba, florida triumphali, et palmea, et subinde palmea corona donabantur, 1160. 2
Hieronymi (S.) qualis fuerit mors, 1253. 2
Hierosolymitana Ecclesia cur leone denotetur, 1104. 1
Hilarius (S.) quam libere Constantium Imp. reprehenderit, 1207. 2
Hippolytus (S.) ob doctrinam creatus Episcopus Portuensis, et statua marmorea donatus, et capitis damnatus, 1015. 1. Est Apocalypsin interpretatus, 1025. 2. Ejus elogium: non idem est cum B. Nonno, 1069. 1
Homerus fuit Mose longe posterior, 1359. 2

Homo creatus ad beatitudinem, 1221. 1. Ejus fragilitas et miseria, 1161. 1. Homo in animalibus Joannis denotat Dei benitatem et mansuetudinem, 1105. 2. item Christi humanitatem, *ibid.* 1. Hominibus Deus utitur ad homines docendos, 1250. 1. An tot salvandi, quot angeli ceciderunt, 1220. 2. Homines blandi implent partem angelorum lapsorum, *ibid.* Homines nonnulli bestias vultu referunt, 1103. 1
Honoratus (S.) Ambianensis Episcopus è Christi manibus communicavit, 1176. 1
Hora quam late pateat, et ejus significatio, 1075. 1. 2
Horma quis sit locus, 1270. 1
Hostes tres fidelium ranis comparantur, 1269. 1
Humanitas Christi per pedes ejus apparentis denotatur, 1041. 1. Lunæ assimilatur, 1215. 1. Ea cruenta Christus diabolis terrori est, 1301. 1. 2. In cœlo est velut ejus lucerna, 1355. 1. Eam anagogice significabat arca veteris testamenti, 1211. 2
Humilitas optime purificat cor, 1086. 1. Est via ad cœlum, 1330. 1. Est gemma virtutum, 1350. 2. Humilitas plena quæ sit; quæ non, 1071. 1. Radix est religiosæ pacis, quietis, sanctitatis, 1353. 2
Hunericus Wandalorum Rex quomodo in Orthodoxos sævierit; ejus castigatio à Deo, 1184. 2
Hungariæ regis inauguratio quo ritu peragatur, 1043. 1
Hyacinthina tunica Christi quid denotet, 1039. 1
Hyacinthus flos unde maculosas notas habeat, et unde nomen, 1350. 1. Ejus vires, *ibid.*
Hyacinthus gemma qualis sit, variæ ejus species, colores, discrimen hodiernorum à priscis, 1349. 1. Priscorum dotes, natura, vires, *ibid.* 2
Hydra an fuerit draco septem capitum, 1219. 2
Hymnorum responsoriorum in Ecclesia quæ sit origo, 1108. 1
Hymnodia Dei quintuplex, 1065. 2. 1066. 2
Hyperbata in Apocalypsi sunt frequentia, 1258. 2
Hypocrisis hæreticorum, 1185. 2
Hypocritæ an per equum pallidum Joanni visum repræsententur, 1137. 1
Hysterologia mortis Eliæ et Henoch in Apocalypsi, 1202. 2. Rara est in ea hysterologia, 1021. 2. 1250. 2

I.

Idolia prisca erant quasi cauponæ, 1289. 2
Idololatria in fine mundi renascetur, sed eam postea veniens evertet Antichristus, volens adorari ipse ut Deus, 1194. 2. 1209. 1. Idololatria vocatur fornicatio, 1277. 1. Ad eam viam sternit libido, 1249. 1
Idolothytis per se vesci licet, sed olim ob varias causas non licebat, 1062. 2
Ignatius (S.) Episcopus Antiochenus Epistolis suis subscripsit *gratia*, 1027. 2. Auctor est psalmodiæ alternæ sive chori, 1108. 1
Ignatius (S.) de Loyola præ dulcium lacrymarum copia pene oculos amiserat, 1059. 2. Lectione vitæ Sanctorum mutavit vitam, 1088. 1. Quanti cruces et ærumnas faceret, 1167. 1. Cur Societatem à se nominari noluit, 1026. 2
Ignis charitatis est symbolum, 1085. 1. 1176. 2. Ignem in Antichristianos sibi resistentes revocabunt Elias et Henoch, 1207. 2. Ignis infernalis quam ingens futurus sit, 1257. 1. Est sulphureus, 1320. 2. et sine fumo, 1251. 2
Immortalitatem designat candor et albedo, 1160. 1
Imperativus aliquando non præcipientis est, sed comparantis, 1363. 1
Imperatores Romani serviebant quæstui et lucro etiam sordido, 1289. 2. 1294. 1. Quam atrociter olim in Christianos grassati sint, 1239. 2. 1273. 2
Imperii symbolum est equus, 1130. 2. 1132. 1
Imperium Roman. valde jam declinat, ipsum vero durabit usque ad finem mundi, 1314. 2. Id erit ultimum, et à quo evertendum, 1284. 2. Ipsum modo adhuc stat contra hæreticos, 1285. 2. Æternum id fore opinati sunt Gentiles, etiam Christiani nonnulli, *ibid.* Id cadet eversa Roma ab Antichristo, 1286. 1. 1289. 1. *Vide* Romanum.
Impii dum aperte non queunt, per fraudem nocent occulte, 1194. 1. 2. Quomodo transeant ad mortem primam et secundam, 1312. 2. Impii vocantur, cur, 1227. 2
Impostor quidam blasphemus in Peru sese redemptorem orbis esse jactabat, 1234. 2
Impudentia hæreticorum, 1186. 1
Impunitas peccandi est peccatoris lectus et signum reprobationis, 1062. 2
In aliquando capitur pro *propter*, 1252. 1. *In Domino mori* quid sit, *ibid.*
Incarnationis Christi mysterium iride denotatur, cur, 1095. 1. Repræsentatur carbunculo, 1343. 1. item ortu unionum, 1352. 2. 1353. 1
Incendia multa modo sub terra latent, quæ in fine mundi erumpent, 1188. 1
Inconstantes tempore Antichristi futuri, denotantur per atrium templi Salomonis, 1203. 1. 2
Infans Patris an Christus proprie dicatur, 1119. 1. Infantes fidelium olim docebantur *alleluia* proferre, 1296. 1
Inferni clavis quæ sit, 1045. 2. Ipse est lacus iræ Dei, 1257. 1. 2. In eo erit verum sulphur, 1303. 2. Ejus pœna major est deliciis hujus vitæ, 1290. 2. 1291. 1. In eo est ignis sine fumo, 1251. 2. In eo nulla est dies, *ibid.* Ei qualem vim in dæmones et damnatos indiderit Deus, 1192. 1. Ejus longitudo et latitudo quanta, 1257. 1. 2. Cur vocetur abyssus, 1183. 2. 1257. 2. Ejus situs describitur, 1258. 1. Ejus horror quantus, *ibid.* 2. Quos daturus sit mortuos, 1319. 2. In Apocal. inducitur velut persona per prosopopœiam, 1046. 1. Ipse et mors velut sociæ pene semper conjunguntur, 1319. 2. 1320. 1. Quomodo missi dicantur in stagnum ignis, 1320. 1
Inferos locales et veros negant Lutherani multi, 1185. 2
Influentia cœlorum in fine mundi cessabunt, 1146. 2
Ingressus Religionis similis est baptismo, 1168. 2
Innocens ab omnibus videri gaudet, 1321. 2. Innocentium, suî scilicet et asseclarum suorum, liberationem ab injuria petunt Martyres, 1141. 1. 2. Innocentia vitæ est velut candida vestis animæ, 1072. 1. Innocentia et puritas ab omni labe, est sanctitas, 1109. 1
Instrumenta musica in cœlo fore probatur, 1122. 2
Instrumentis ineptioribus ad res magnas uti Deus gaudet, 1074. 2
Insulæ in fine mundi de loco movendæ sunt, 1271. 1. An in fine mundi à mari, è quo enatæ, sint absorbendæ, 1147. 2
Intellectus ad omnia videnda et audienda à Deo sustolli potest, 1318. 2
Interpres Vulgatæ adversus calumniantes defenditur, 1190. 1. Interpretes Apocalypseos varii quolibet seculo, 1023. 2. 1024. 1. 2
Invidi luteo sunt colore, 1272. 2. Eorum imago sunt locustæ, 1187. 2. 1188. 1
Iræ quod sit hieroglyphicum, 1190. 2. 1191. 1. In ea cur oculi flammescant, 1040. 2. Ira Dei in impios tum in hoc mundo, tum in inferno, 1193. 2
Irenæus (S.) in Apocalypsin scripsit, 1203. 2. An fuerit Episcopus Thyatirensis, ad quem scribit Joannes, 1061. 2
Irene Imperatrix Leonis Imp. Iconoclastæ uxor iconoclasmum sustulit, 1095. 2
Iris in circuitu throni Dei quid ad litteram significet, *ibid.* 1. Proprie ejus misericordiam notat, *ibid.* 2
Israel omnis in fine seculi salvus fiet, 1156. 1
Issachar Patriarcha typus est S. Judæ Thaddæi, 1351. 2
Ita pro *talis* capitur interdum, 1071. 2
Italiæ deliciæ et amœnitas, 1292. 2. Ejus ficus biferæ, et aliæ arbores toto anno virentes et fructus dantes, 1359. 1

J.

Jacobus (S.) Major carbunculo cur comparetur, 1343. 1. Ejus

charitas, fervor, *ibid.* Hispanias convertit, primus Apostolorum Martyr occubuit, *ibid.* Ejus typus fuit Dan Patriarcha, 1351. 1. Aliquando Hispanis opem et victoriam attulit, 1133. 1

Jacobus (S.) Minor cur topazio gemmæ comparetur, 1348. 1. Erat is Christo similis; ejus vitæ austeritas; scripsit epistolam omnigena perfectione plenam, *ibid.* Ejus typus fuit Simeon Patriarcha, 1351. 2

Janiculum collis Romæ fuit præter septem alios notiores, 1282. 1

Japones cur semper calidam bibant, 1083. 2

Jaspis et sardius in throno Dei quid significet, 1094. 1. Jaspis est lapis viridis, interdum etiam purpureus, *ibid.* 1330. 2. Designat Deum sua luce Beatos recreare et confirmare, 1331. 1. Cur sit in fundamentis muri cœlestis Jerusalem, 1336. 2. Nomen jaspis unde dicatur : *jaspe* Hebraicus alius est à jaspide Latino, 1339. 1. Ejus color, firmitas et vires, *ibid.* et seq. Quis præstantissimus, *ibid.* Est ipse non simpliciter viridis, sed maculosus, *ibid.* 2. Ejus maculæ salutares sunt, estque gemma antiquissima, *ibid.* Subinde opacus, subinde pellucidus est, *ibid.*

Jehova nomen ineffabile proprium Dei est, 1028. 1. 1301. 1. An id nomen sit idem cum, *Qui est, qui erat*, et *qui venturus est*, 1028. 2. Unde id compositum, *ibid.* An significet S. Trinitatem, *ibid.* Notat Dei tum essentiam, tum providentiam, *ibid.*

Jehudiel angeli nomen sonat idem quod laus Dei, 1031. 2. Ejus emblema, 1032. 1

Jeremias Propheta in quo fuerit typus Joannis Evangelistæ, 1200. 2. An in fine mundi cum Elia contra Antichristum venturus, 1204. 2

Jerusalem quoties mutarit fidem et religionem, 1276. 1. Quot haberet portas, 1331. 1. Ejus quis esset ambitus, 1334. 1. Erit regia Antichristi, 1209. 1. Cur vocetur Sodoma et Ægyptus, *ibid.* Magnus illuc erit confluxus, Antichristo in ea residente, *ibid.* In ejus plateis occisa jacebunt corpora Eliæ et Henoch, *ibid.* Findetur in tres partes paulo ante cædem Antichristi, 1270. 2. Cur vocetur civitas magna, *ibid.* Ipsa etiam punita ob prisca patrum peccata, 1293. 2. Jerusalem cœlestis duplex, 1324. 2

Jesus est nomen novum Christi, 1080. 1. Jesu Christi animæ revelata Apocalypsis in ejus incarnatione, 1026. 1. Eam ipse Joanni revelavit per angelum, *ibid.* Ejus quæ fuerit olim salutatio, 1027. 2. Verum testimonium de Patre reddidit apud homines, 1033. 1. Quomodo sit primus Martyr, *ibid.* Est primogenitus mortuorum, *ibid.* Ipse patiens est dux omnium patientium, *ibid.* Est princeps regum terræ, *ibid.* Ut homo, agnoscit Deum ut Deum et creatorem suum, *ibid.* 2. In eo ad judicium veniente videbuntur crucifixionis insignia et vulnera, 1034. 1. Quomodo dicatur α et ω, principium et finis, *ibid.* 2. 1035. 1. Eum an viderit Joannes in 1. Apocal. capite apparentem, et qua forma, 1037. 2. Cur vestitus apparuerit podere, 1038. 1. et cur tunica hyacinthina, 1039. 1. Est noster Pontifex, *ibid.* Ejus aurea zona et cinctio ad mamillas, quid denotet, *ibid.* 1. 2. Quid ejus oculi flammantes, 1040. 2. Quid ejus pedes designent, 1041. 1. 2. Soli fulgenti comparatur, 1043. 2. 1044. 1. Ejus gloria in cœlo quanta sit, 1043. 2. Ejus divinitas asseritur, 1045. 2. 1063. 1. 1081. 1. 1128. 2. 1316. 2. Quomodo oculos flammeos habere dicatur, 1061. 2. Cur stella matutina dicatur, 1065. 1. Est clavis et claviger, 1073. 1. Summam potestatem habet in Ecclesia, *ibid.* 2. Ejus potestas in mortem et infernum, *ibid.* Ejus amor erga Patrem, 1079. 2. Cur vocetur *Amen*, 1080. 2. Est causa efficiens et exemplaris rerum creatarum, *ibid.* 1081. 1. Ejus principatus in omnes creaturas, 1081. 1. An per quatuor animalia Joannis designetur, 1104. 2. 1105. 1. An intelligatur per librum signatum septem sigillis, 1114. 1. Apparuit Joanni specie agni occisi, 1117. 2. Quomodo vocetur agnus et leo, *ibid.* 1118. 1. Est radix, id est ramus, David, 1118. 2. Est agnus Dei occisus ab origine mundi, 1119. 1. 1232. 2. Depictus olim est agni specie, 1119. 1. Amat mites et mansuetos, *ibid.* Quomodo habeat cornua septem, et quid illa significent, 1120. 2. Ejus amor potens est, 1121. 1. Quomodo citharœdus in vita fuerit, 1123. 2. Merito passionis accepit potestatem revelandi cui vellet futura circa regimen Ecclesiæ, 1125. 2. item assumendi sibi in populum quoscumque voluisset, *ibid.* Non potuit mereri divinitatem, utpote quæ in eo præcederet existentiam, 1126. 2. In Verbo videt infinita, 1127. 1. 2. Cur dicatur sessor equi albi Joanni visi, 1131. 1. 1132. 2. Ejus victoria de Gentibus, 1133. 2. An significetur per angelum habentem signum Dei vivi, 1152. 1. Natus est nocte silenti, 1170. 1. An denotetur per angelum habentem thuribulum, 1173. 2. Morte sua cœlum hominibus patefecit, 1175. 1. Visus aliquando est in cœlis jam gloriosus sacrificium Missæ celebrare, *ibid.* 2. An sit angelus de cœlo descendens amictus nube, et iridem in capite habens, 1195. 2. Quomodo cum jam inde ab initio oderit diabolus, 1214. 1. Vestit Ecclesiam ut vestis, et illuminat ut sol, *ibid.* 2. 1215. 1. Quomodo vocetur Michael pugnans cum dracone, 1223. 1. Ejus nomen Ἰησους efficit numerum 888, 1239. 1. Alligavit cacodæmonem venions in mundum, 1281. 1. Albo insidere visus est equo Joanni, Antichristum debellaturus, 1300. 2. An vere id ita futurum, *ibid.* Post ascensum semper in cœlo manet, 1300. 1. Habet clavem abyssi, 1306. 1. Quomodo diabolum ligarit, et eum solvet, *ibid.* Sapphiro assimilatur, 1341. 2. Hujus natura ei secundum deitatem applicatur, *ibid.* Ejus in passione amor, 1344. 1. Est margarita pretiosissima, 1353. 1. Est templum Beatorum, 1355. 1. Ejus humanitas est lucerna cœli, *ibid.* Quomodo dicatur lignum vitæ, 1360. 1

Jezabel regina Dei cultores persecuta est, 1061. 2. Quænam Jezabel ab Episcopo Thyatirensi promissa, varia expositio, 1062. 1. An sit ipsa Synagoga Judaica, *ibid.* Fuit potens quædam mulier propagans sectam Nicolaitarum, *ibid.*

Joachim Abbas an vere fuerit Propheta; ejus errores et deliria, 1024. 1. 1256. 1. Ejus prophetia de novo Ordine Jesu quomodo intelligenda, et cujus auctoritatis sit, 1074. 1

Joas Rex ab amita in domo Domini absconditus, mystice expositus, 1221.

Joel prænuntiavit signa judicio prævia, 1148. 2

Joannes Abbas quomodo dulcedine interiori perfunderetur, 1059. 1

Joannes (S.) Apostolus est Propheta novi testamenti, 1015. 1. An venturus sit contra Antichristum, *ibid.* An necdum mortuus, *ibid.* Mortuus esse probatur, *ibid.* 2. 1200. 1. In quo cæteris Evangelistis antecellat, 1015. 2. Habet omnes Sanctorum titulos, 1016. 2. Virgo fuit per omnem vitam, *ibid.* 1344. 1. Ejus prærogativæ apud Redemptorem nostrum, 1016. 2. Fuit proprie Martyr, quia in fervens oleum conjectus, 1017. 1. Locus et modus martyrii ejus, *ibid.* Fuit et fustigatus, et ignominiæ causa attonsus, *ibid.* Fuit et Martyr sub cruce Christi, *ibid.* Aquilæ cur comparetur, *ibid.* 1. 2. In cœlo specie aquilæ se vidit, *ibid.* 2. Est Doctorum sanctissimus, et Sanctorum doctissimus, *ibid.* Est sol Evangelii, *ibid.* Cur dictus cum fratre Boanerges, *ibid.* 1343. 1. 1344. 1. Est tonitru et fulmen, 1017. 2. 1018. 1. Theodosio Imp. victoriam contra Eugenium prædixit, 1018. 1. Charitatem Dei et proximi in omnibus spiravit, *ibid.* 1344. 1. Ejus elogia, 1018. 1. Apparuit S. Brigidæ, dicens se auctorem Apocalypseos, *ibid.* Docuit S. Gregorium Thaumaturgum et S. Chrysostomum, *ibid.* 1. 2. Est vere auctor Apocalypseos, 1019. 1. Cur vocetur Theologus, *ibid.* 2. An mortuus ætatis anno xcm, 1020. 1. 1344. 1. Cur potissimum scripserit Apocalypsin, 1022. 2. Ei revelata Apocalypsis à Christo per angelum, 1026. 1. Ejus humilitas, *ibid.* 2. Quomodo sit particeps Christianorum in tribulatione et regno, 1036. 1. Vocem cur à tergo audierit, *ibid.* 2. An viderit Christum ipsum revera in 1. cap. Apocalyps. 1037. 2. Rediens ab exsilio Ephesum concessit, ibique Evangelium scripsit, et mortuus

est, 1053. 2. Non potuit seipsum in quatuor animalibus docere aut videre, 1105. 2. Utrumque Christi adventum descripsit, primum in Evangelio, alterum in Apocalypsi, 1116. 2. Plura in Apocalypsi accepit, quam scripserit, 1197. 2. Quando iterum prophetaturus gentibus et populis dicatur, 1200. 1. Audito nuntio de excidio Babylonis et nuptiis Agni, procidit in terram, 1298. 2. Cur ab eo angelus adorari noluerit, 1299. 1. In smaragdo gemma cur denotetur, 1344. 1. Ejus typus fuit Judas Patriarcha, 1351. 1. Quomodo Apocalypsi suæ subscribat, 1362. 2. Quomodo optaret dissolvi, 1365. 1. 2

Joan. Baptista habuit vestem ex pilis camelorum, 1206. 1

Joannes Chrysostomus in exsilio et variis ærumnis gaudebat, 1166. 2. Ei apparens S. Joannes Apostolus, eum illuminavit, 1018. 2. Eidem S. Petrus apparens tradidit ei duas claves, 1073. 2. Eum tutati sunt angeli adversus milites ab Eudoxia ad eum capiendum missos, 1174. 1

Joannes Gerson qualiter mortuus sit, 1253. 2

Joan. Wiclef et Hus consentiunt in fidei articulis cum Luthero et Calvino, 1309. 1

Josephi (S.) confessoris dignitas, 1026. 2

Josephus historicus cur Cherubinorum formam texerit, 1104. 1

Jovem lapidem jurabant veteres, 1294. 1

Jubili actu Deum laudare possumus, 1228. 2. Jubili Sanctorum in cœlo quales, 1122. 2

Judæ Patriarchæ viror è quo colligatur, 1344. 1. Est typus S. Joannis, 1351. 1. Juda tribus an primo ad Christum convertenda, 1157. 1

Judæi cur vocentur terra, 1197. 1. Etiam castigati sunt ob priora patrum peccata, 1293. 2. Primo Christianos sunt persecuti, 1055. 1. Post cæsum Antichristum omnes ad Christum convertentur, 1150. 1

Judas (S.) Thaddæus fuit aurea sapientia, acer in hæreticos, et fulgore aureo virtutum amabilis, proinde chrysopraso gemmæ comparatur, 1349. 1. Cur dictus Corculum, *ibid.* Ejus typus fuit Issachar, 1351. 2

Judices olim coronati ad judicandum sedebant, 1197. 2. Martyres judices futuri sunt cum Christo, 1310. 1

Judicii proprii tenaces non sint senatores, 1099. 1

Judicii dies acceleratur ob preces Sanctorum, 1141. 2. Iride repræsentatur, 1095. 1. An is præsciri possit cæso Antichristo, 1315. 1. In eo quisque cujusque facta videbit, et quomodo, 1318. 2. Id per prævia signa Deus prænuntiabit, 1144. 2. Tota Trinitas ad id veniet, 1029. 1. Est id assidue cogitandum, 1321. 1. Ejus horror, *ibid.* Optime per beryllum gemmam repræsentatur, 1347. 1. Christus veniet ad id inexspectato sicut fur, 1269. 2

Judicia Dei sunt justa et vera, 1262. 1. Eorum abyssus an sit liber signatus Joanni visus, 1114. 2

Julianus Apostata typus Antichristi, 1236. 2. 1240. 1. Ejus persecutio brevis fuit, 1170. 2. Cœlitus ictus interiit, 1148. 1. 1240. 2. 1303. 2

Julii Cæsaris equus portentosus, 1132. 1

Jumento assimilatur dæmon, 1219. 1

Juramus manu levata in cœlum, 1197. 2

Juramentum maximum priscis quod esset, 1043. 2

Justinianus Imper. Codicem Juris digeri jussit; factus postea Eutychianus, afflixit Sylverium et Agapetum Papas, 1196. 1

Justinus Imperator exterminari jussit Arianismum, *ibid.* Per Narsen Totilam regem repressit, 1210. 2

Justitia et injustitia semper crescere et augeri possunt, 1363. 1

Justorum octo sunt gradus et status, 1044. 1

Justus monachus cur visus sit ad triginta dies Purgatorio detineri, 1356. 2

Juventutis institutionis maxima habenda est ratio, 1334. 2

K.

Καλυκτα quid proprie sit, 1026. 1

Kemnitii hæretici in Sacramenta Ecclesiæ calumnia, 1279. 1

Κερωνιδαι quid proprie sit, 1251. 1

Κοπιαν dupliciter laborare significat, 1050. 1

Κοσμεω non tantum ornare, sed et ordinare et distribuere significat, 1338. 1

L.

Labarum Constantiui qualem præferret characterem, 1236. 2

Labor qui in hac vita pro Deo subitur, brevis est, 1363. 2

Lacrymas ab oculis Beatorum quomodo abstergat Deus, 1327. 2. 1328. 1

Lacus frequentes in Italia, 1293. 1

Lætitiæ symbolum sol est, 1044. 2

Lampades septem ante thronum Dei in Apoc. quid denotent, 1001. 2

Lanæ Laodicenses quam præstantes, 1085. 2

Laodicia urbs ubi sita, ejus nomina, conditor, 1080. 1. 2. Est opulentissima, ejus opes ex ovibus, 1085. 2

Lapsum quomodo tepidis optare liceat, 1082. 2

Lateranensis templi elogium, 1282. 1

Laudantes Deum assidue, angelos imitantur, 1108. 1. Laudare eum jugiter quomodo quis possit, *ibid.* 2. Id est vitam inchoare angelorum, 1165. 2. Gnomæ de Dei laude, *ibid.*

Laurentius Antipapa contra Symmachum quartum schisma generale in Ecclesia produxit, 1191. 1

Laus Dei quadruplex est, 1296. 1

Lavamur sex modis in sanguine Agni, 1167. 1

Lector quidam quia *alleluia* cantabat, ab Arrianis jaculo in gutture trajicitur, 1296. 2

Lectus peccatorum quis sit, 1062. 2

Leo hebraice *labi* dicitur à corde, quia magnanimus, 1104. 2. Vigilantiæ symbolum est, 1068. 1. item superbiæ et ferocitatis, 1250. 2. item fortitudinis, iræ et vindictæ, 1265. 2. item Dei fortitudinis et potentiæ, 1105. 1. item Christi, 1118. 1. Ejus proprietates ei adaptantur, *ibid.* 1. 2

Leo I. Papa Gensericum Wandalorum regem rogavit ut templis abstineret, 1283. 1. Dictus est OEcumenicus, 1237. 2

Leo Abbas quomodo se regem fore prædixerit, 1036. 1

Leontius Abbas vidit angelum altari adstantem, 1174. 1

Leges naturæ, Mosaicæ et Christi quamdiu duraruot, et hæc duratura sit, 1315. 1. 2. Legum severitas commendatur in Rectoribus, 1064. 2. Leges Apostolicæ et Ecclesiasticæ non adduntur Scripturæ ut Scriptura divina, sed ut humana ex divina deducta, 1365. 1

Λευκαινειν dealbare, mundare, et pellucidum ac candidum reddere significat, 1159. 2

Liberi homines cur dicantur *animæ*, 1293. 1

Libertas qualis deceat consiliarios, 1099. 1

Liber signatus quem vidit Joannes, fuit involutus ut mappa geographica, 1113. 1. An fuerit signatus arcanis characteribus, *ibid.* 2. Quid per eum intelligatur, 1115. 2. Est à suis sigillis distinguendus, 1115. 2. Ipse est Apocalypseos mysteria, et oracula in Dei præscientia contenta, *ibid.* Quid in eo contineatur, 1116. 1. Non poterat legi nisi reseratis omnibus sigillis, *ibid.* Quomodo esset scriptus intus et foris, *ibid.* 2. Sensim est ab Agno apertus, 1121. 2. Ob eum reseratum omnes angeli et creaturæ Christum laudarunt, 1126. 2. 1127. 1. Eo graviora mala continebantur, quam sigillis, 1200. 1. Nec eadem erant; hinc Joannes tam vidit librum apertum, quam sigilla reserata, *ibid.* 2. De libro vitæ diversimode quis deletur, 1072. 1. 2. In eo dupliciter Sancti scribuntur, *ibid.* 2. Is quis dicatur, 1319. 1. Libri aperti in judicio pandendi qui sint, 1318. 1. Libri libere mouent reges et principes, 1099. 1. Libri veterum erant convolviles, 1116. 1. 1146. 2

Libido et gula viam sternit ad hæresim et idololatriam, 1249. 1. item ad atheismum, 1276. 1. Libido per Euphratem commode designatur, 1272. 2. Reddit pallidos et luridos, 1137. 2. Eam in fine mundi quomodo puniet Deus, 1266. 2

Ligari quomodo et quando dæmones dicantur, 1192. 1

Ligatio dæmonis per mille annos quomodo intelligatur, 1306. 1
Lignum vitæ quale Christus promittat vincenti, 1052. 2. Tale erat in paradiso, 1357. 2
Ligurius gemma an idem sit qui hyacinthus, 1349. 2
Linea tunica sacerdotis quid denotet symbolice, 1238. 2. Ea tantum usque ad crura descendebat, 1059. 1. Cur dicatur poderis, *ibid.*
Linum symbolum est mortificationis et patientiæ, 1263. 1. Semper injuria fit melius, 1038. 2. Linum mundum et candidum quid denotet, 1263. 1
Locustæ symbolum concupiscentiæ et cupidinis, 1183. 2. Ipsæ describuntur, *ibid.* 1187. 2. 1188. 1. 2. Quam sint noxiæ, 1189. 2. Variæ earum sunt species et formæ, 1188. 1. Iis assimilantur hæretici et hæresiarchæ, 1185. 1. Ipsi vero iis assimilant monachos, 1186. 1. Locustæ de puteo abyssi egredientes qui sint, 1183. 2. Sunt veri dæmones, 1187. 1. Eas veras fore etiam est probabile, 1188. 1. Sed eas diriget diabolus Abadon, *ibid.* 2
Longitudo et latitudo cœlestis civitatis mystice exponitur, 1333. 2. 1334. 1
Longobardos an Narses in Italiam evocarit, 1210. 2. 1293. 1
Loquitur Deus hominibus tripliciter, 1026. 2
Loricæ equestris exercitus in fine seculi grassaturi in impios quales futuræ, 1193. 2
Lucas (S.) an fuerit senior ille qui dixit Joanni : *Ne fleveris*, 1117. 2. Cur per vitulum demonstretur, 1105. 1
Lucerna in Scriptura significat regnum et sacerdotium, 1051. 2
Lucifer Calaritanus an fuerit Sardensis Episcopus, 1067. 2. Non fuit Smyrnæ Episcopus : quare ab Ecclesia fecerit schisma : rediit postea ad eam, *ibid.* Quam libere Constantium Imp. Arrianum sit allocutus, 1208. 1
Lucifer religatus in inferno suos ubique habet emissarios, 1192. 1. Quando et quomodo ibi religatus sit, *ibid.* 2. Plurimos angelorum sua ruina involvit, 1220. 2. In quo ejus et sequacium ambitio sita fuerit, *ibid.* An tertiam angelorum partem post se traxerit, *ibid.* 1214. 1. Cur nomine draconis rufi intelligatur, 1218. 2. 1219. 1. Quod flumen ore vomat, 1227. 1. Ejus epitheta, 1224. 1
Lucina Juno erat Gentilibus Luna, à parturientibus invocari solita, 1215. 1. Ei Christi humanitas assimilatur, *ibid.* 2
Lucta Ecclesiæ cum diabolo in fine mundi maxime intenditur à Joanne in signo magno, 1214. 2
Ludovici Alcazaris opinio de Apocalypseos argumento quas difficultates contineat, 1020. 2. 1021. 1. 2. 1024. 2. Ejus intentio et sententia excusatur, 1022. 1. Eum auctor in compendium redegit, 1025. 1. Ejus commenta ingeniosa rejiciuntur, 1042. 2
Ludovicus (S.) Galliæ Rex blasphemantis linguam ferro candenti inuri voluit, 1055. 1
Ludovicus (S.) Episc. qualiter mortuus sit, 1253. 2
Ludovicus Imp. quare diu in Purgatorio pœnas dederit, 1052. 1
Lumen gloriæ et clara Dei visio est velut stella matutina, 1065. 2
Lunæ magnus in sublunaria influxus est, 1215. 2. Ipsa quomodo sit sub pedibus Ecclesiæ, 1216. 1. Cur sit inconstantiæ symbolum, *ibid.* In fine mundi erit sanguinea, cur, et quomodo, 1145. 2. Rubra luna portendit ventos et tempestates, *ibid.*
Lusitaniæ reges sententiam mortis laturi olim saccum induebant, 1143. 1
Lutherani cum Wiclefistis et Hussitis in fide consentiunt, 1309. 1
Lutheri hæresis quamdiu duratura conjiciatur, 1185. 1. Ejus arrogantia, *ibid.* 2. Auguratur papatus exstinctionem, sed frustra, 1309. 2. Gulam sibi fregit, dæmones ejus funus sunt comitati, 1304. 1. Ex eo tres aliæ sectæ promanarunt, 1269. 1
Lux cœlestis civitatis quid denotet, 1323. 1
Lycurgus ignavum civem cur puniri jusserit, 1083. 1

M.

Macedonius hæresiarcha docuit Spiritum sanctum esse creaturam et servum Filii, 1178. 2
Machabæi vox unde sit conflata, 1028. 2
Magi quomodo dæmones ligent, 1192. 2
Magnetis vis duplex, 1064. 1. Huic rector assimilatur, *ibid.* 1. 2. Est sapientiæ et charitatis divinæ symbolum, 1101. 1
Magnum capitur interdum pro *superbo*, item pro *blasphemia*, 1231. 2
Mahomet an sit bestia ascendens de terra, 1233. 2. Ejus miracula, *ibid.* Nomen ejus continet numerum nominis Antichristi, 1237. 2. Quando cœperit et desierit, *ibid.* 1137. 2. 1312. 1. Quam fuerit ferus; est præcursor Antichristi, 1137. 2. Putatur à nonnullis Antichristus, *ibid.* 1233. 2. 1337. 2
Mahometani putant sectam et regnum suum duraturum mille annis, 1312. 1. 1313. 2. 1315. 2. Cur per equum pallidum repræsententur : eorum persecutio contra Ecclesiam, 1337. 2. Eorum brutalitas et carnalitas, livor in Christianos, nequitia, libido, avaritia, *ibid.* 1. 2. Quam multos ad interitum pertraxerint, *ibid.* 2. Quam multos Christianos interfecerint, *ibid.* 1138. 1. 1311. 2. Eorum descriptio, 1186. 2. *Vide* Saraceni, Turca.
Mahometismus an per Babylonem in Apocalypsi descriptam intelligatur, 1273. 2. Est vorago errorum et scelerum, 1311. 2. Ipse jam paulatim ad finem vergit, 1312. 1. Quamdiu durabit, 1138. 1. 1311. 2. 1315. 2
Malachias (S.) Hiberniæ Episcopus symbolice omnes Pontifices Romanos describit, 1274. 2. Ex eo quot anni colligantur futuri usque ad mundi finem, 1315. 2
Maledictum amplius in cœlo non futurum quomodo dicatur, 1361. 1
Mali in hoc mundo nihil possunt, nisi data à Deo potestate, 1137. 1
Malum punicum symbolum martyrii, 1161. 1
Mamillarum præcinctio in Christo quid designet, 1059. 1
Manasses Patriarcha typus est S. Philippi Apostoli, 1351. 1
Mandatum amoris novum sub Christo, cur, 1125. 1
Manna absconditum quod promittatur vincenti, 1058. 2
Mansuetudo omnia vincit, 1119. 2
Manu levata cur juremus, 1197. 2
Marcion quare dictus mus Ponticus, 1365. 1
Marco Monacho Eucharistiam dederunt angeli, 1174. 2
Marcus (S.) cur sit leo inter animalia Joannis, 1105. 1
Mare cur symbolum sit mundi, 1229. 2. Cur dicatur vitreum, 1100. 2. Quos mortuos daturum sit, 1319. 2. 1320. 1. Post diem judicii, ejus natura et conditio tantum mutabitur, 1324. 1. Mare æneum templi Salomonici describitur, id pœnitentiam repræsentat, 1101. 1. Et confertur cum mari vitreo quod vidit Joannes, *ibid.* Mare vitreum in conspectu sedis Dei quid symbolice designet, 1100. 2. Mare vitreum mistum igne quod sit, 1260. 1. 2. Cur dicatur vitreum, *ibid.* 2
Margaritæ cur dicantur uniones, 1352. 1. 1353. 2. Quomodo nascantur, 1352. 1. Variis cutibus constant, *ibid.* 2. Earum pretium, *ibid.* Inter earum conchylia quidam velut dux est : earum dos in candore, magnitudine, orbe, levore, pondere, *ibid.* Rore nutriuntur et crescunt ; si tonuerit, abortiunt, 1353. 1. Nullo lapsu franguntur, usu atteruntur, aceto resolvuntur, *ibid.* Præ senio flavescunt, et quomodo instaurentur, *ibid.* 2. Aliquando intus rubescunt, dividi nolunt, *ibid.* Earum vires et dotes, 1354. 1. E margarita una integra erat unaquaque porta cœlestis Jerusalem, 1352. 1
Maria (S.) Virgo est arca testamenti, 1211. 2. Ejus misericordia et modestia, 1217. 2. Ejus cruciatus, *ibid.* Ei adaptari possunt ea quæ in Scriptura de Ecclesia dicuntur, 1214. 1. 1215. 1. Ipsa est velut avia Ecclesiæ, 1214. 1. Est pars, civis et filia lectissima Ecclesiæ, *ibid.* Est signum magnum, *ibid.* 2. Eam in quantum mater est Dei, Deus facere meliorem non potest, *ibid.* Est luna ob

septem analogias, 1215. 2. Christo filio suo sociata est, *ibid.* Ejus castitas et puritas, *ibid.* Ejus fecunditas Ecclesiam suis precibus et meritis fulcit : homines tam pios quam impios vegetat, 1216. 1. In passione Christi velut deliquium passa est, *ibid.* Ejus duodecim prærogativæ, *ibid.* 2. Ejus variæ virtutes, *ibid.* 1217. 1. Mystice est thronus Dei, 1093. 2. Quæ rigat, crescunt, 1358. 2. Mortua est ex actu et vi amoris, 1253. 2. An sit mortua, an vero raptu translata in cœlum, 1226. 1

Maria (S.) Magdalena mortua ex vi amoris, 1253. 2

Maria (S.) Oigniacensis quam ad Christum transire anhelaret, 1365. 2

Marti equus sacer est, 1131. 2

Martyr idem est quod testis et confessor fidei, 1139. 2. Martyres proprie qui sint, 1161. 1. Cur olim sepelirentur sub altari, 1139. 1. Eorum quanta sit copia in Ecclesia, 1158. 1. 2. Eorum stola et vestis est rubra sive purpurea, 1159. 1. imo potius candida, 1160. 1. Cur ita ad tormenta anhelarint, 1155. 1. In tormentis gratias agebant Deo, 1165. 1. Iis timidis et inconstantibus Deus alios substituit, 1076. 2. Eorum animæ sub altari quomodo vindictam clament, 1141. 1. et qualem, *ibid.* 1. 2. Quam dira passi sint, 1090. 1. 2. Iis cur palmæ in manibus dentur, 1160. 2. 1161. 1. 1162. 1. Eorum robur et constantia unde haberet ortum, 1053. 1. Regnant mille annis, quibus, 1310. 1. 2. Eorum in cœlo non erit luctus, neque clamor, 1328. 1. Quem legatum in fine seculi ad Christum mittent, et quid is ab eo petet, 1256. 1. 2. Martyres multi in thermis Diocletiani laborarunt, 1030. 2. Martyrum Smyrnensium pœnæ et constantia, 1055. 1. Martyres illustres futuri tempore Antichristi, 1239. 1

Martyrii tituli vel stimuli, 1252. 2

Masach Hebræum significat proprie miscere, non infundere, 1251. 1

Masculos parit Ecclesia Dei, 1221. 1

Matthæus (S.) cur per hominem repræsentetur, 1105. 1. Quare ab Hyrtaco rege occisus, 1248. 1. An fuerit senior ille qui dixit Joanni ne fleret, 1117. 2. In chrysolitho gemma cur adumbretur, 1346. 2. Ejus typus fuit Ephraim Patriarcha, 1351. 1

Matthias (S.) cur in amethysto gemma repræsentetur, 1350. 2. Zabulon Patriarcha ei confertur, 1351. 2

Matthias Suecus quomodo in Apoc. scripserit, 1024. 1

Mauritius Imp. in adversis gratias egit Deo, 1165. 1

Maximianus Imp. sentiens sibi acres dolores à Deo immissos, persecutionem stitit, 1148. 1

Maximini Imp. sexta persecutio in solos Evangelii præcones sævit, 1134. 1. 1229. 1. Ejus vastitas et immanitas : unde varia ei nomina indita, 1134. 1

Mechtildis (S.) didicit per revelationem homines permultum quolibet die mereri posse, 1086. 2. Ejus silentium, 1172. 1

Meditatio judicii quas habet vires in animo hominis, 1347. 2

Megarenses quomodo solem colerent, 1045. 1

Mel comestum in flavam bilem convertitur, 1199. 2

Melampus medicus apud Græcos primus aqua vinum diluere præcepit, 1251. 1

Melito (S.) an fuerit Episcopus Sardensis, cui scribit S. Joannes, 1067. 1. Ejus elogium : quoto anno vixerit, *ibid.*

Μέλλω in Scriptura sæpe significat incipere, 1084. 1

Melodia summa est, cum vocibus citharæ consonant, 1122. 2

Membranæ repertæ sunt Pergami, 1056. 2

Mendacium dæmonibus et hæreticis familiare est, 1189. 2. Id sequitur furtum et libidinem, 1249. 1

Mendaces in Scriptura vocantur omnes qui mandata Dei violant, 1329. 2

Menippus quomodo ab amasia deceptus, 1291. 1

Mentis solitudo in quo consistat, 1222. 1. Quæ in ea observanda, 1223. 1

Mensa solis in Æthiopia quæ dicatur, 1044. 1

Menses Hebræorum, Græcorum et Chaldæorum quot essent dierum, 1205. 2

Mensura hominis, quæ est angeli, quænam sit, 1336. 1. Quid per eam significetur, *ibid.* 2. Mensura inferni quæ, 1257. 1

Mereri quantum quotidie possimus, 1086. 2

Meretrix proprie quid significet, 1289. 1. 2. Meretrices quibus rebus dementent amasios, 1279. 2. Eorum titulus olim Romæ in cella et fronte scriptus, 1280. 1

Merguli imago sunt dæmones, 1219. 1

Merum bibebant antiquissimi, 1251. 1

Messis in die judicii quæ futura, 1255. 1

Meteora ignea in fine mundi cadent de cœlo, non ipsæmet stellæ, 1146. 1

Metu (in) misera est vita, 1149. 1

Michael quid proprie sonet, 1031. 2. Ejus emblema, 1032. 1. Videtur esse Seraphinus, *ibid.* Contra Antichristum pro Christo et Christianis in bellum descendet, 1300. 1. Eum fulgure deturbabit in tartara, 1303. 1. Ejus prælium triplex cum Lucifero fuit, 1214. 1. 1223. 1. 2. Est princeps angelorum, qui in Dei obsequio ac consequenter in cœlo perstiterunt, 1223. 2. Est princeps Ecclesiæ Christianæ, *ibid.*

Milites olim stigmate in manu inurebantur, 1235. 2. Eorum labores et patientia, 1268. 1

Mille anni apud Deum sicut dies unus, 1313. 1. Mille annis duraturus mahometismus, 1138. 1. 1311. 2. Mille anni quibus cum Christo regnaverunt Martyres, quomodo intelligendi, 1310. 1. 2. item mille anni quibus ligandus est Satanas, 1306. 2. 1308. 1. Cur Joannes ponat sexies *mille annos*, volens finem mundi consignare, 1311. 2. 1312. 1. 1313. 2. Mille sexcenti numerus mystice exponitur, 1258. 2

Millenariorum quis error et auctor, 1307. 2. Eorum error refutatur, *ibid.* Eorum multi in variis rebus fuere Catholici, 1229. 2

Millenarius est numerus perfectus, 1306. 1. 1311. 1

Millesimus sexcentesimus trigesimus annus Mahometanis futurus fatalis, 1312. 1

Milliaria et Palæstina, et Romana, et Græca, inter se comparantur, 1256. 2. 1257. 1

Minæ Dei excidio Hierosolymitano præviæ, quæ, 1143. 1

Ministrantes angeli videntur significari per septem lampades, cornua et spiritus tam Dei, quam Agni, 1106. 1

Miracula an commode per fulgura repræsententur, 1099. 2 Miracula ficta Antichristi, 1235. 1. Miracula Eucharistiæ, 1114. 2

Miscere calicem priscis quid esset, 1251. 1. 1290. 2

Misericordia divina adhuc elucet in vindicta, 1264. 1. 1267. 2. Misericordiæ symbolum est oliva, et ipsa propria Sanctorum virtus, 1206. 2. Per iridem repræsentatur, 1095. 2. Id per omnes iridis proprietates declaratur, *ibid.* item per smaragdum, 1096. 1. Misericordia et justitia Dei significatur jaspide et sardio, quem referebat Deus in throno sedens, 1094. 2

Missæ sacrificium Christo gratissimum, 1122. 1. In eo renovatur Christi oblatio in cruce, 1120. 1

Mitis oratio potentior est quam violenta, 1085. 1

Modestia est purpura virtutum, 1350. 2

Modicam virtutem sextupliciter habere quis intelligitur, 1074. 1

Monachi sunt mystice et civiliter mortui, 1253. 1. Ii hæreticis cur sint locustæ, 1186. 1. Monachi quam antiqui sint, *ibid.* 2

Monarchiarum vicissitudines, 1051. 1. Monarchias quatuor Daniel Propheta comparat quatuor bestiis, uti et Zacharias, 1131. 2. 1138. 1

Monica (S.) quam multis precibus et lacrymis filium suum Christo pepererit, 1218. 1

Mons igneus in mare mittendus est igneus globus ardens et ignis, quem angelus in mare mittet, 1179. 1. Futurus est aereus, *ibid.* Ejus descriptio, *ibid.* Montes aliquando de loco suo moti sunt, 1147. 2. Montes ignivomi videntur os inferni, 1187. 2. 1257. 2. Montes Romæ quinam essent, 1281. 2. 1282. 1

Monstrosæ dæmonum formæ, 1187. 1. 2

Montani hæretici mulieres docebant eum esse Paracletum, 1062. 1
Moritur plusquam media hominum pars ante annum vigesimum, 1334. 2. Morientibus dæmon terribili forma apparere solet, 1187. 2. Omnes morientur, 1303. 1
Mors prima et secunda quæ dicatur, 1056. 2. 1312. 2. 1316. 1. Mors cur equo insidere fingatur, 1130. 2. Mors sæpe pestem significat, 1137. 1. Quos datura sit mortuos, 1319. 2. Mors in Domino est mors amoris, 1253. 2. Mortis apprehensio sæpe magis maleficos affligit, quam ipsa mors, 1149. 1. Mors Sanctorum et impiorum quomodo differat, 1046. 1. Mors in Apocal. inducitur velut persona comica, *ibid.* 1319. 2. 1320. 1. Mortis stimulus est efficax ad certamen et gloriam, 1056. 2. Velut pascha et transitus est, 1252. 2. Ante eam nemo dicendus beatus, 1253. 1
Mortificatio cupiditatum liberum reddit à plagis, 1155. 1. Ei jugiter est incumbendum, 1124. 1. Est cithara, et mater ac nutrix virginitatis, 1245. 2. Per citharas seniorum repræsentatur, 1123. 1
Mortui mortis et inferni et maris qui dicantur, 1319. 2. Mortui in Domino qui sint, 1252. 2. 1253. 1
Mosis lex quot annis durarit, 1313. 2. Mosis canticum quod sit, 1261. 2. An in fine mundi cum Elia contra Antichristum venturus, 1213. 1. 2
Motus cœlorum an in fine mundi alius per angelos futurus quam modo, 1147. 1
Moveri regna et Ecclesiæ, quomodo dicantur, 1051. 1
Μυκαομαι et rugire et mugire significat, 1197. 1
Mulieres quam sint illecebrosæ, 1162. 1. 2. Eas decet in cultu honestas et modestia, 1141. 2
Mulierositas hæreticorum, 1185. 2
Multitudinis quanta sit vis, etiam rerum imbellium, 1190. 1
Mundus templum quoddam divinitatis est, 1109. 2. Quot annis durabit, 1138. 1. 1313. 1. Sex diebus conditus est, 1313. 1. Ejus ad finem vergentis multa sunt judicia et argumenta, 1214. 2. 1215. 1. Ejus à Deo creatio et gubernatio, quæ primo Symboli articulo traditur, recte per jaspidem adumbratur, 1340. 1. Videtur senescere et ad occasum tendere, 1314. 1. Mundus viro spirituali desertum est, 1277. 2. Contemnendus, utpote senescens, 1316. 1. Ejus potentia et regna similia vasis figulinis, 1165. 1. An repræsentetur in bestia maris, 1230. 2. Mundus, id est cœtus impiorum, significatur per bestiam coccineam, 1278. 1. 2. item mari vitreo misto igne, 1270. 2
Murus civitatis cœlestis quam esset altus, 1335. 1. 2. Quid is repræsentet, *ibid.* 1. Cur fit ex jaspide, 1336. 2
Musa puella ad cœlum à B. Virgine est invitata, 1365. 2
Muselmanni qui dicerentur, 1137. 2
Musica est concordiæ symbolum, 1123. 1
Musicorum tonorum efficacia, *ibid.* 2
Myrias est decies mille, 1126. 2. 1192. 2
Mysterium et sigillum libri signati quomodo differant, 1115. 2. Mysterium iniquitatis quomodo appellentur Roma et Romani Imp. 1274. 1. Mysteria Apocalypseos nullus hominum vel angelorum cognovit, nisi Deus et Dei filius, 1117. 1. Mysteria cœlestia fidei clarius sunt revelata Apostolis in novo testamento, quam Mosi et Prophetis, 1110. 1

N.

Nabathæi ignavos oderant, 1083. 2
Ναι idem est quod Hebræis *Amen*, Latinis *etiam*, 1054. 1
Narses ab æmulis accusatus, et contumeliose ab Imperatrice habitus, Longobardos in Italiam evocavit; sed hæc historia fide caret, 1210. 2. 1293. 1
Nazim, id est oblivio, cur vocetur hebraice femina, 1221. 2
Nativitas Christi in quotum mundi annum inciderit, 1313. 1
Naturæ lex fere bis mille annis duravit, 1313. 2
Navigantes habent animas in mari, 1178. 2
Negatio Christi an sit character Antichristi futurus, 1236. 2
Nemrod cum fabris turris Babel persecutus est pios, 1282. 2
Nephthali S. Andream Apostolum repræsentat, 1351. 1
Nero quanti coronam Olympicam faceret, 1089. 1. Cur statis diebus porro vesceretur, 1348. 2. Pugnas gladiatorias smaragdo spectabat, 1343. 2. Nunquam senatus consilio utebatur, hinc à senatu damnatus, 1099. 1. Ejus imperium an per equum rufum significetur, 1130. 2. Ejus in imperio commutatio quo portento designata, 1132. 1. Ejus persecutio sustulit Petrum et Paulum Apostolos, 1134. 1. Ea an in Apocalypsi repræsentata, 1227. 1. Delectatus est magis et magia, *ibid.* Non est futurus Antichristus, 1231. 1
Nestorius duas in Christo posuit personas, hinc negavit Christum hominem esse Deum, ac B. Virginem esse Deiparam, 1126. 2. 1181. 1. Ejus lingua à vermibus exesa est, 1304. 1
Nicæas, Nicander, Nicanor, Nicophorus, Nicetas, Nicetius, Nicostratus, Nicomedes, Nicon sunt Martyres varii in Asia, 1052. 2
Nicephorus Martyr Antiochenus Sapricii deficientis coronam accepit, 1077. 1
Νικητης an sit nomen Antichristi, 1238. 1
Nicolaüs V. Pontifex dicebat se malle esse cocum in suo monasterio, quam Cardinalem, 1068. 2
Nicolaüs Diaconus è septem primis, qualem hæresin excogitarit, 1052. 1
Nicolaitæ unde dicti, quæ ipsorum hæresis, et qua occasione orta, *ibid.* Ea hæresis repullulavit sub Ludovico Pio Caroli Magni filio, *ibid.* Comparantur Balaamo, 1057. 2. An dici possint Jezabel, 1062. 1. Volebant legem miscere cum Evangelio, 1063. 2
Niger color symbolum infelicitatis, 1297. 2. Is denotat ac decet tenebriones, calumniatores, improbos, 1135, 1. 2
Nocens adhuc nocere quomodo jubeatur, 1363. 1
Nomen sumitur subinde pro homine, 1071. 2. item capitur pro debito et debitore, 1072. 1. Nomen virginitatis an virginum frontibus in fine seculi inscribendum, 1244. 2. 1245. 1. Nomen Antichristi quale futurum, 1238. 1. Id futurum character Antichristi, 1236. 1. Nomen Dei et Jerusalem novæ quomodo Deus super vincentes scribat, 1079. 2. Nomen novum quid sit, quod Christus promittat vincentibus, 1061. 1. Nomen novum Christi est Jesus, 1080. 1. Id ad Christi gloriam spectat, *ibid.* Nomina septem primariorum angelorum, 1031. 1. Ea revelata B. Amadæo, *ibid.* 2. Nominibus inter se carent angeli, sed ea assumunt pro ratione ministerii quod obeunt, *ibid.* Nomina Hebræi imponunt ab eventu, 1270. 2. Nominis Nili litteræ efficiunt totidem, quot sunt in anno dies, 1238. 2
Nonnus (S.) an idem qui Hippolytus, et Episcopatum Antiochenum deseruerit, 1069. 1
Norbertus (S.) quomodo Antichristi adventum imminere existimaverit, 1313. 1
Novissimæ plagæ quæ dicantur, 1260. 1. Novissimorum meditatio est optimum collyrium animæ, 1086. 1. 2. Novissimum dicitur tempus legis gratiæ, 1314. 1
Novum quare sit virginum canticum, 1246. 2. Cur dicatur canticum seniorum, novum, 1124. 2
Nox non est in cœlo empyreo, 1167. 2. 1356. 1
Nubes sunt symbolum gloriæ Dei, 1054. 1. Nubes Christi judicis candida est, 1235. 1. Nubes gloriæ et rerum cœlestium est symbolum, 1196. 1
Numerus electorum an sit certus ante præscientiam finalis perseverantiæ, 1076. 1. Numerus Beatorum etsi ingens sit, est tamen numerabilis, 1158. 2. Numerum certum cur Deus eligere gaudeat, 1098. 2. Numerus hominis quis dicatur, 1257. 1. Numerus nominis Antichristi quis sit, *ibid.* 1. 2. Numeros certos Scriptura exacte ponit, nec in iis ludit, 1310. 2. 1311. 1
Nuptiæ à priscis noctu celebrabantur, 1298. 1
Nycticorax cur sit Ægyptiis mortis symbolum, 1071. 2

O.

Obdurationis in peccatis quæ sint causæ futuræ in impiis sub finem mundi, 1194. 2

Obedientia plena quæ sit, quæ non sit, 1701. 1
Obstinati sunt hæretici, 1185. 2
Octonarii numeri triplicati perfectio, 1239. 1
Oculus Hebræis ponitur pro colore vel specie, 1094. 1. Oculi flammantes significant iram, 1300. 2. In iis quanta vis, *ibid.* Oculi flammantes Christi Joanni apparentis quid denotent, 1040. 2. Oculi cur ita inflammescant, *ibid.* Oculorum quotuplex sit recreatio, 1338. 1. Oculi in animalibus Joannis cur apparuerint, apud Ezechielem vero in rotis, 1106. 1. An fuerint veri oculi, *ibid.*
Oliva et oleum symbolum sunt Sanctorum, 1206. 2. Hæc quia ligoum solidum, victoriæ, felicitatis et æternitatis est symbolum, *ibid.* item misericordiæ, *ibid.* et pacis, *ibid.* Ejus folia nunquam defluunt, *ibid.* Pinguis est et fertilis; frondes habet viles, at fructum præstantem, 1207. 1. Olivarum duarum prodigia, 1249. 2
Olympionicarum labores, gloria, præmia, 1089. 1. 2. 1162. 1. Etiam post mortem coronabantur, et divini prope iis honores habebantur, 1160. 2. Palma quomodo et quare iis daretur, *ibid.* 1089. 2. 1161. 1. 1162. 1
Onesimus fuit S. Timothei in Episcopatu Ephesino successor, 1049. 2
Onomaüs primus invenit Circensium colores, 1131. 2. 1132. 1
Onuphrio (S.) singulis diebus Dominicis S. Synaxin ministravit angelus, 1174. 2. Ei palma menstrue dabat fructus, 1359. 1
Onus vocantur tribulationes et afflictiones, 1064. 1
Opera non plena, sed vacua sunt sextupliciter, 1070. 2. Opera omnium perfecte novit Deus, tum bona, tum mala, 1318. 2. Ea quomodo sequantur sanctos, 1254. 2. Ea nos post mortem non deserent, *ibid.* Opera bona per peccatum sequens mortificata, per pœnitentiam reviviscunt, 1070. 1. Operibus Dei nil deest nisi laudator et æstimator, 1128. 1
Opistographi qui libri essent, 1116. 2
Οπωρα tam poma quam occasionem significat, 1292. 2
Oratio est thymiama ob sex analogias, 1124. 1. Jungenda ei mortificatio, *ibid.* 1. 2
Ordo rerum in Apocalypsi satis exacte servatur, 1366. 1. Is quater tantum in ea inversus, *ibid.* 2
Ordo Franciscanorum et Dominicanorum an sit in Apocalypsi repræsentatus, 1316. 2. Ordo novus in Ecclesia futurus à Jesu appellatus, à Joachimo Abb. prædictus quis sit, 1074. 1. Ordinem quemdam cruciferorum sub finem mundi nasciturum prædixit S. Franciscus de Paula, 1287. 1. 2. Ordo Eremitarum S. Augustini quomodo ab eodem designatus, antequam institueretur, 1256. 1. Ordines Religiosos Deus semper propagat et promovet, 1077. 1
Oriente (ab) nasci est oriri tanquam novum solem, ad illustrandum alios, 1152. 2
Origenes puer ambivit martyrium, 1134. 1. Ejus error dicentis animas à morte non videre Deum, 1138. 2. De angelorum negligentium punitione, 1046. 2. item de stellis animatis, 1146. 1. Ejus interpretatio S. Scripturæ in quo reprehendatur, 1020. 2. Cur se castrarit, 1023. 2
Orpheo et Amphioni Christus comparatur, 1123. 2
Osee Propheta cur dicatur angelus fortis, 1117. 1
Ostentatio est in fronte, 1153. 1
Ostium apertum significat occasionem, oportunitatem, facultatem, 1073. 2
Ottomanicum Imperium quando cœperit, 1307. 1. 1317. 2. Quamdiu durabit, 1312. 1. *Vide* Mahomet, Turca.
Oves suas quomodo pascat Christus, 1168. 1. Oves eos esse vult Christus, 1242. 1. Ovium salus pendet à vita pastorum, 1070. 2

P.

Palatinus collis Romæ quis, 1281. 2
Pallidus equus Joanni visus quos significet, 1157. 1. 2
Palma arbor describitur; cur ea victoribus in certaminibus detur, 1160. 2. 1161. 1. 2. 1162. 1. Hinc symbolum est victoriæ, 1160. 2. Ei cur assimiletur cœlestis gloria, 1053. 2. Hinc similis est arbor vitæ, 1359. 1. Palma hieronicis danda in medio stadii, loco eminentiore in mensa spectanda proponebatur, 1160. 2
Palmata tunica quæ diceretur, 1161. 2
Palmus est mensura quatuor digitorum transversorum, 1203. 1
Pantheon Romæ unum ex omnibus priscis templis exstat, 1280. 1
Panthera symbolum est voluptatis, 1291. 1
Paphnutius (S.) palmæ affixus martyrium obiit, 1162. 1
Papias auctor Chiliastarum, 1307. 2
Parcarum fila aurea vel candida quæ dicantur, 1297. 2
Pardali assimilatur diabolus, 1219. 1. Ipsa symbolum est voluptatis, 1291. 1. et avaritiæ, 1230. 2. Ei cur comparetur Antichristus, 1230. 1. 2
Partus animarum difficillimus, 1217. 2. 1218. 1
Parvuli sine baptismo mortui quomodo dicantur mitti in stagnum ignis, 1320. 1. Parvuli in gratia mortui an judicandi cum aliis adultis in die judicii, 1318. 1. 1319. 1
Paschasius Cardinalis an fuerit causa schismatis inter Symmachum Papam et Laurentium Antipapam, 1191. 1. 2. Et cur post mortem ejus anima visa sit torqueri in thermis Puteolanis, *ibid.* 2. 1356. 2
Paschate (in) plerumque canitur *Alleluia*, 1296. 2
Passio Christi smaragdo denotatur, 1095. 1. 1344. 1. In ea quas Christus virtutes ostenderit, *ibid.* 1. 2. Ejusdem efficacia, *ibid.* et seq.
Passus quot contineat pedes, 1257. 1. 2
Pastoris liber auctore Hermete, an sit Scriptura Canonica, 1140. 2
Pastor Angelicus quis Pontifex futurus, et quando sedebit, 1308. 1. A pastoris vita pendet vita subditorum, 1050. 2. Ejus est assidue vigilare, 1068. 1. 1069. 2. 1070. 1. 2. et apud suos residere, 1102. 1
Pater æternus quomodo sit sanctus, 1110. 1. Paravit nuptias æternas Christo et Ecclesiæ, 1297. 1. Patres vocant Religiosi suos Rectores, 1079. 2
Pathmos insula est una è Sporadibus : in illam relegatus Joannes omnes insulanos Christo asseruit, 1036. 1
Pati pro Christo gloriosum et nobile, 1353. 2
Patientia in adversis habenda, 1252. 1. 2. Ipsa quasi thorax impenetrabilis omnes hostium ictus excipiens, 1233. 1. Patientia plena quæ sit, 1071. 1
Patriarchæ duodecim repræsentant duodecim Apostolos, 1338. 2. 1351. 1. et seq.
Patriarchales sedes quatuor an per quatuor animalia Joannis designentur, 1104. 1
Paulus (S.) Apost. quam creber in gratiarum actione et nomine Jesu nominando et iterando, 1164. 1. Petro ubique sociatur : ejus non habetur particularis ratio in gemmis cœlestis Jerusalem, 1341. 1
Paulus (S.) primus Eremita vitam æternam semper præ oculis habebat, 1199. 1
Pauli III. Pontificis Max. in morte vox, 1068. 1
Paupertas voluntaria dives est, 1054. 1
Pax Hebræis omne bonum significat, 1027. 2. Pacis indicium color albus est, 1160. 1. et ejus symbolum oliva, 1206. 2
Pax quid sit Hebræis, et an ab hoc formetur vox topazius, 1347. 2
Peccatum quid sit, 1109. 1. In peccatum cadere expedit nonnunquam torpidis, 1082. 2. Ejus pœnæ et fructus, 1251. 2. Peccatorum materia hominem post mortem deserit, et peccata ipsum comitantur, 1254. 2
Pedum pastorale sua forma tria significat, 1164. 2
Pedes multis animalibus pro manibus sunt, 1121. 1. Pedes Sanctorum osculabantur prisci fideles, 1074. 2. 1075. 1. Pedibus denotatur Christi humanitas, 1041. 1. Pedes Christi cur dicantur similes aurichalco, *ibid.* Sic vocantur Apostoli, *ibid.* Pedes Antichristi cur similes ursinis, 1230. 1
Pelagia virgo Antiochena et Martyr præclarum virginitatis ac fugæ exemplum dedit, 1243. 2. 1244. 1

Pelagii hæresis negantis gratiam, 1179. 2
Pella urbis refugium fuit Christianis è Jerusalem exscindenda fugientibus; ejus etymon, 1150. 2
Pentalpha Antiochi Soterris tessera, 1035. 2
Perfectio vitæ est velut lignum vitæ, 1361. 1
Pergamum urbs ubi sita: dicta eadem Troja: ejus Rex fuit Attalus in Romanos beneficus, 1036. 2. In ea magna fuit persecutio Christianorum, 1057. 1
Persæ pro Deo solem habebant, 1045. 1. Persici equi quam sint feroces, 1193. 2. Persarum reges, septem habebant primarios principes: eorum majestas fuit imago divinæ majestatis, 1030. 1. Eorum consiliarii quam sint arcanorum tenaces, 1099. 2
Persecutio Antichristi quam acris futura, 1239. 1. Aquarum inundatione repræsentatur, 1227. 1. Wandalica quam sæva fuerit, 1184. 1. 2. In persecutione fideles Veu, Eucharistiam sumebant, 1053. 1. In ea fideles esse debent constantes et longanimes, 1226. 2. Persecutiones Ecclesiæ usque ad finem mundi durabunt, 1026. 1. Decem cruentæ à Romanis Imp. contra Christianos usque ad Constantinum excitatæ, 1134. 1. Iis exornatur et perficitur Ecclesia, 1045. 2
Perseverantia (nemo de sua) ac salute certus est, 1075. 2
Personæ SS. Trinitatis singulæ sanctissimæ sunt, 1109. 1. 2
Pestis unde oriatur, 1179. 2. 1180. 1
Petri (B.) Damiani relicto cardinalatu petiit sibi dari licentiam ad monasterium redeundi, 1069. 1. 2
Petri (de) Galatini in Apocal. Comment. auctoris judicium, 1024. 2
Petri Aureoli in annorum supputationibus error, 1310. 2. 1312. 2. Apocalypsin tantum applicavit, non explicavit, 1212. 2
Petrus (S.) Alexandr. Episcopus et Martyr in throno Episcopali à suis cum palmis est collocatus, 1162. 1
Petrus (S.) Apost. an sit angelus habens potestatem magnam, 1288. 1. An fuerit senior ille qui dixit Joanni, ne fleret, 1117. 2. Est fundamentum Ecclesiæ; jaspidi comparatur, 1340. 1. Vigebit in suis successoribus usque ad mundi finem: fuit in fide firmissimus: errorum fugat phantasmata, *ibid.* Sanguine fidem obsignavit; ejus jugis fletus; omnibus animi morbis medetur; ejus dignitas prima et antiquissima, *ibid.* Ejus vitæ puritas et spei soliditas, *ibid.* Ejus typus fuit Gad Patriarcha, 1351. 1. Ipse et Paulus Romanæ fidei et Ecclesiæ sunt auctores et principes, 1276. 2
Petrus (S.) Martyr dæmonem quomodo ligarit virtute Christi et expulerit, 1306. 2
Petrus Romanus ultimus futurus est Pontifex Rom., 1274. 2. 1286. 2. 1315. 2
Phaetontis fabula unde procusa, 1267. 2
Phialæ vocis quod sit etymon et significatio, et quale sit vas, 1264. 1. 2. et seq. Iis adolebatur thymiama in templo Salomonis, 1124. 1. 1264. 1. Phialas suas quomodo angeli effudisse intelligantur, 1266. 1. Phialæ et citharæ seniorum quid significent, 1121. 2. 1122. 1
Philadelphia urbs Mysiæ ubi sita, unde dicta, 1037. 1. Alia est Philadelphia Syriæ, *ibid.*
Philippi Solitarii in supputatione annorum à mundo condito error, 1315. 1
Philippides cur munus consiliarii regii decliuaret, 1099. 1
Philippus Apostolus quam fuerit sincerus et candidus; ejus cœlestis spiritus et charitas, 1345. 1. Ejus typus fuit Manasses Patriarcha, 1351. 1
Philippus Macedo puer unde regni augurium accepit, 1065. 2. De eo dictum Parmenionis, 1070. 1
Philippus Melanethon auctor Lutheranorum protestantium, 1269. 2
Philtra venefcarum unde fiant, 1280. 1
Phocenses patria egressi, diris se devoverunt, si de ea repetenda cogitarent, 1294. 1
Phœnicis et palmæ similitudo, 1161. 2
Photinus docuit Christum fuisse purum hominem, et ob sua merita meruisse divinitatem, 1126. 2
Pietatem omnem exterminant hæretici, 1185. 2
Pii V. Pontificis de papatus onere sententia, 1068. 2
Pionius Martyr clavis ligno affixus fuit, 1055. 1
Pisces sunt creaturæ maris, 1179. 1. Ii in sanguine vivere nequeunt extra aquam, *ibid.* In fine mundi verisimile est in mari et fluminibus ab aqua sanguinea emorituros, 1267. 1
Pitre oppidum in Rhœtiis terræ motu obrutum et haustum, 1147. 2
Pius proprie quid sit, 1262. 1
Plagæ ante judicium quæ futuræ, 1177. 2. Plagarum et futurorum in fine mundi series et ordo, 1144. 2. Plagis immissis visis, Antichristiani sentient sibi has ob scelera immitti, 1148. 1. Plagas quaslibet in impios evocabunt Elias et Henoch, 1208. 1. Plagæ Ægypti quæ fuerint, *ibid.* 1266. 1. Quid eæ repræsentarent, *ibid.* Iis respondent plagæ in fine mundi immittendæ, 1177. 2. 1178. 1. Plagæ septem tubarum et septem phialarum in quibusdam sunt similes, in quibusdam dissimiles, 1266. 1. Plaga prima ab angelo primo tuba canente immissa quæ fuerit, 1177. 2. Plaga sexta equestris exercitus quæ, 1190. 2
Planetæ septem reguntur à septem angelis, 1029. 2. Repræsentant septem divinæ providentiæ attributa, 1032. 2. Iis comparantur septem Asiæ Episcopi, ad quos scribit Joannes, 1042. 2. 1049. 1
Plangent impii in die judicii, 1054. 1
Platea non significat forum, ut putat Beza, 1359. 2. Plateæ cœlestes ex auro mundo sunt, 1354. 2. Repræsentant hæ Sanctos communes, *ibid.*
Plato multa ex Moyse hausit, 1338. 2
Plinius accuratus in gemmarum natura describenda, 1339. 1. Dei providentiam negasse videtur, 1116. 2
Πλουτων est nomen Dei, 1127. 1
Pluvia sanguinis iræ cœlestis indicium, 1177. 2. Pluviam cœli prohibebunt Elias et Henoch, 1208. 1
Poculum aureum Babylonis quod sit, 1279. 2
Podere (in) cur appareat Christus Dom. Joanni in 1. c. Apoc., 1038. 1. Est vestis talaris: unde sic appellata, *ibid.* 2. Denotat ea pontificatum Christi, 1039. 1. Fuit vestis sacerdotum veteris testamenti, 1037. 1
Pœna Dei nunquam hominis culpam excedit, imo punit citra condignum, 1290. 2. Pœnarum in inferno mira varietas est, 1258. 1. 2
Pœnitentia est optimum collyrium animæ, 1086. 1. Cur dici possit mare vitreum, 1100. 2. 1101. 1
Polycarpus (S.) fuit Episcopus Smyrnæ, quoto anno Christi et ætatis martyrium obierit, 1053. 2. Ejus sanctitas et perfectio, *ibid.* Ejus martyrium, 1055. 1
Polydamantis athletæ statua dicebatur in Olympia opem ferre febricitantibus, 1089. 2
Pompa omnis vitæ hujus vitrea est, 1291. 1. 1294. 2
Pompeius undenam affectati regni suspicionem contraxerit, 1300. 2. Frigidam cunctationem in bello habebat, 1122. 1
Pontifex Judaicus duplicem gestabat tunicam, lineam et hyacinthinam, 1038. 2. Ejus zona qualis fuerit, 1039. 1. Pontifex Rom. solemniter celebraus solus circum se habet in altari septem candelabra, cur, 1037. 2. 1038. 1. Populo benedicens cur digitos attollat ad supputationem numeri 6500 mystice exponitur, 1315. 1. Eum dicunt hæretici esse Antichristum, 1186. 1. Id negatur, 1209. 1. Non est bestia maris, ut fingunt hæretici, 1229. 2. 1230. 1. 1231. 1. In eum injurii sunt Anglocalvinistæ, 1024. 2. An possit cum consensu Ecclesiæ pontificatum Roma in aliam urbem transferre, 1281. 1. 1286. 2. Dum inauguratur ad Lateranum deducendus, omnes Præsules in equis albis ei adequitant, 1155. 1. In fine seculi erit Episcopus urbis Romæ, licet exsul et expulsus, 1280. 2. Pontifices quam multi adhuc futuri usque ad mundi finem: et quot anni singulis probabiliter attribuendi, juxta prophetiam S. Malachiæ Archiepiscopi, 1315. 2. Tempore Antichristi Roma alio sedem non transferent, 1286. 1. Cur annos Petri non attingant, sed brevi moriantur, 1057. 2
Pontificatus, Roma in fine mundi eversa, an alio transferen-

dus, 1286. 1. Is etiamnum manet, et nunquam à suî exordio desiit, 1283. 1. Ejus exstinctionem semper, sed frustra sperant hæretici, 1309. 1. 2
Pontus Euxinus est sedes inferni, 1137. 2. 1138. 1
Πορνη, id est meretrix, etiam venditricem significat, 1289. 2
Porri dotes et proprietates, 1348. 1. 2
Portæ duodecim cœlestis Jerusalem quid designent, 1331. 1. Earum perpetua apertura in cœlo quid denotet, 1356. 1. Quomodo sint cælatæ ex margaritis, 1351. 2
Πως interdum sumitur pro ποια, 1071. 2
Potestas absolvendi et retinendi peccata à Christo collata Apostolis, 1073. 2
Potus denotat cœlestes delicias, melius quam cibus, 1169. 2. 1360. 1
Præcursor Antichristi futurus est insignis aliquis impostor, 1234. 1. et quidem Episcopus, *ibid.* 2. Ejus fraus et calliditas, 1235. 1. Faciet quoque miracula, et cur, *ibid.* Imitet in statuam Antichristi dæmonem qui per eam loquetur, *ibid.* 2. Is cum Antichristo in tartara deturbabitur, 1317. 2
Prædestinati possunt damnari : at reipsa non damnabuntur, 1075. 2
Prædestinatio Dei an per librum signatum septem sigillis designetur, 1115. 1. Ejus liber est liber vitæ, 1319. 1. Ipsa an possit mutari, 1072. 1. 2. 1076. 1
Prædicatio Evangelii est excellens prophetia, 1299. 1
Prædicator quomodo conciones suas attemperare debeat, 1099. 2. Sit velut citharœdus, 1123. 2. Ejus vita respondeat verbis, *ibid.* 1124. 1. Plenus esse debet sapientia et scientia tam practica, quam contemplativa, 1104. 2. Prædicatores an per viginti quatuor seniores intelligantur, 1097. 1. Qui minus sancti, sæpe plures convertunt, quam qui sanctiores sunt, 1074. 2. Sunt velut stellæ, 1042. 2. 1043. 1. 1364. 2. Repræsentatur per angelum stantem in sole, 1302. 2. Prædicatores triplices in fine seculi denuntiabunt orbi quæ futura sunt circa Romam et Antichristi sequacium punitionem, 1250. 1
Prælati pleni esse debent sapientia et scientia, 1106. 2. Eorum dotes quatuor repræsentant quatuor animalia Joannis, 1104. 2. Qualem animi celsitudinem præferre debeant, 1342. 1. Sunt velut stellæ, 1216. 2. Eorum obligationes quantæ sint, 1067. 1. 1070. 1. Eos quomodo revereantur homines, 1074. 2. Habent angelum illustriorem pro custodia, 1065. 1. Sunt columnæ ob quinque analogias, 1078. 1. Debent subditorum orationes Deo offerre, 1124. 2
Prælium triplex cum Lucifero iniit S. Michael, 1214. 1. 1223. 2. et seq.
Præscientia divina omnia tempora complectitur, 1156. 1
Præterita quomodo sint typi futurorum, 1021. 2
Prasini erat factio aurigarum Circensium, 1131. 2. Horum quis esset color, *ibid.*
Praxedes (S.) et Pudentiana Martyrum corpora sepeliere, 1134. 1
Preces Sanctorum quam vim habeant apud Deum, 1141. 2. 1142. 1. *Vide* Orationes.
Presbyteri apud Spartanos erant summi magistratus, 1096. 2
Primitiæ Deo cur sint virgines, 1249. 1
Principum est nihil admirari, 1281. 2. Iis semper adesse debent consiliarii, 1099. 1. Cœlestibus intendant, 1341. 2. *Vide* Reges. Principes sacerdotum erant olim XXIV, 1096. 1. 2. Ii in templo suas habebant cathedras, *ibid.* 2. Principes angelorum in conspectu Dei stantes quinam sint et undenam id probetur, 1029. 2. Illorum cultus in Italia celebris, 1030. 1. Is Ecclesiæ pastoribus suadetur, *ibid.* 2. Illorum typus fuit candelabrum septiceps, 1031. 1. Eorum nomina, *ibid.* Cui ea primum revelata, *ibid.* 2. Eorum officia, epitheta et emblemata, *ibid.* 1032. 1. Ex quo ordine angelorum hi sint, 1032. 1. Sunt septem virtutes providentiæ Dei, *ibid.* 2. *Vide* Septem Spiritus.
Prophetæ mundus est desertum, 1277. 2. Prophetæ non servant ordinem temporis, nec rei gestæ, nec gerendæ, 1023. 2. 1311. 1. 1366. 1. Cum prophetarent de futuris, præsentes erant, non futuri, 1105. 2. Per angelos à Deo illuminantur, *ibid.* 2. Prædixere horrorem diei judicii : item ejus signa prævia, 1148. 2. Suas prophetias jam *verbum*, jam *visionem* vocant, 1037. 1. Eos quando Deus jussit prophetias suas obsignare, 1362. 2. 1363. 1
Prophetare iterum gentibus quomodo Joannes dicatur, 1200. 1. *Prophetare* in Scriptura varia significat, 1204. 1
Prophetia quamdiu ejus executio pendet, obscura est, 1023. 1. Ejus spiritus non datur nisi illustribus servis Jesu Christi, 1299. 1
Propositi pii efficacis vis, 1252. 1
Propugnatorum cohors quæ esset Byzantii, et eorum symbolum, 1035. 2
Providentia divina an per librum septem sigillis signatum intelligatur, 1114. 2. Ejus septem virtutes quæ, 1032. 2. Ejus pictura antiqua, *ibid.* Easdem repræsentant septem planetæ, *ibid.* His diabolus septem vitia capitalia opposuit, 1033. 1
Psalmodia alterna à quo primum in Ecclesiam introducta, 1108. 1
Ptolemæi Astrologi epitaphium, 1065. 2. 1066. 1
Pudor et confusio impiorum in judicio quantus futurus, 1148. 2
Puerorum bona institutio quanti sit momenti, 1335. 1
Pugillum in Olympico certamine quanta post victoriam esset gloria, 1089. 1. 2. Eorum labores et patientia, 1168. 1. *Vide* Olympionicæ.
Pullum equinum album veteres Soli sacrificabant pro consequenda victoria, 1133. 1
Purgatorium contra hæreticos adstruitur, 1254. 1. Animæ in eo amant et laudant Deum, 1127. 2
Purificationis B. Virginis festum quando et ubi institutum, 1211. 2
Puritas vitæ est candida vestis animæ, 1072. 1
Purpureum capitur subinde pro albo, 1159. 2
Pusilli qui judicio extremo interfuturi sint, 1318. 1
Pyropus gemma eadem est quæ chalcedonus, 1342. 1
Pyrrhias quis sit serpens, 1219. 1
Pythagoras unde multa supra mortalium captum sciverit, 1182. 1

Q.

Quadragesima danda fidelibus ad pœnitendum cæso Antichristo, 1304. 2
Quadraginta Martyres viso unum è sociis defecisse, et rogantes Deum ut alium in ejus locum sufficeret, voti compotes facti sunt, 1076. 2
Quadrata figura cur non probetur in urbium munitionibus, 1332. 2. Ejus commoda, 1333. 2
Quadratus (S.) an fuerit Episcopus Philadelphensis, cui S. Joannes scribit, 1072. 2. 1073. 1. Fuit Martyr, et scripsit Apologiam pro Christianis, *ibid.* 2
Quasi sæpe veritatem, non similitudinem apud Hebræos significat, 1246. 1
Quatuor animalia currus Dei, quas providentiæ divinæ virtutes designent, 1032. 2. Hæc quomodo essent in medio sedis et in circuitu ejus, 1101. 2. 1107. 1. Qualis eorum sit forma, 1101. 2. 1107. 1. 2. An fuerint hæc animalia tota et integra talia, qualia à Joanne describuntur, 1102. 2. An habuerint tantum capita animalium, et quoad cætera membra speciem humanam, 1103. 1. An eadem animalia fuere Ezechieli visa, quæ Joanni in Apocal. 1101. 2. 1104. 1. 1105. 1. 2. 1106. 2. et seq. Quæ inter utraque diversitas, 1104. 1. 1107. 2. Quid eadem significent, 1104. 2. Alio ea ordine ponit Ezechiel, alio Joannes, 1064. 1. Per illa Evangelistas non indicari ad litteram, probatur, 1063. 2. Sunt quatuor primarii angeli Ecclesiam regentes, 1064. 1. Redemptionis Christi gestant insignia, 1106. 1. An sint Michael, Gabriel, Raphael, Uriel, *ibid.* Per hæc videntur adumbrari angeli assistentes, *ibid.* Quomodo et cur sint plena oculis, *ibid.* 2. Cur quartum animal habens faciem hominis, dicatur tamen animal, *ibid.* Sin-

gula habebant senas alas, *ibid.* et seq. Quid illæ senæ alæ repræsentarent, 1107. 1. Quid ipsa animalia tropologice significent, *ibid.* Habebant pedes humanos, *ibid.* Eorum descriptio compendiosa, *ibid.* Assidue Deum laudabant, 1107. 2

Qui est, qui erat, et *qui venturus est*, an idem sit cum Dei nomine Jehova, 1028. 1. 2

Quiete (ex) oritur contemplatio, 1172. 2. Quietem dum quis sectatur inquietem invenit, 1051. 2

Quirinalis collis Romæ unus è septem, 1282. 1

Quotidiana communio olim in usu erat Romæ et in Hispania, 1053. 1

R.

Rabanus Maurus Apoc. est interpretatus, 1024. 1

Rabbini Hebræorum sex annorum millia mundi ætati attribuunt, 1314. 2

Ramirus Rex Hispaniæ victoriam auspiciis S. Jacobi de Mauris est consecutus, 1131. 2

Rana est animal molestum et importunum, 1269. 1. Earum tria sunt genera, *ibid.* 2. Ejus loquacitas, *ibid.* Cur dicatur gyrina, *ibid.* Ranæ tres mystice sunt, dæmon, caro mundus, *ibid.*

Raphael unde cognomen invenerit, 1031. 2. Ejus emblema, 1032. 1. An sit è Seraphinis, 1031. 1

Rationale erat typus cœli, ejusque speciem referebat, 1338. 2. Ejus gnomæ, *ibid.*

Rectoris tria sunt munia, 1064. 2

Regnum Christi et ligatio Satanæ idem sunt, 1309. 1. Regnum Antichristi quomodo sit futurum tenebrosum, angelo quinto effundente phialam super sedem bestiæ, 1268. 1. Regnum suum multi reges præ æterno parvipendunt, 1335. 2. Regnum Turcarum cur vocetur mors et infernus, 1137. 2. Regnorum omnium quanta sit vanitas, 1294. 2

Religio est civitas illa beata quam descripsit Plato, 1354. 1. Ejus spiritus intercidens identidem renovandus est, 1353. 2. Religio Christiana quam semper Romæ floruerit et floritura sit, 1275. 1. 2

Religiosi sunt mystice virgines, 1247. 1. Eorum quæ olim esset salutatio, 1164. 2. Sunt velut margarita ob varias analogias, 1352. 1. Eorum vocatio è cœlis est, *ibid.* Cæteris statibus eminent, 1352. 2. Eorum vita qualis sit; oratione nutriri debent; eorum diversa sunt instituta, 1353. 1. Eorum elogia varia, 1168. 2. Inchoant vitam angelicam, *ibid.* Sunt toti addicti cultui Dei, *ibid.* In ipso Religionis ingressu ab omnibus peccatis emundantur, *ibid.* Seculum vicerunt, *ibid.* Christi crucem semper præ oculis habent, *ibid.* Deo vocationem acceptam referunt, *ibid.* De tribulatione seculi venerunt; serviunt Deo die ac nocte, *ibid.* Sunt de domo ac familia Dei, 1169. 1. Quomodo non sitiant, neque esuriant, *ibid.* Illorum provisor et nutritor Deus, *ibid.* Quibus consolationibus à Deo perfundantur, *ibid.* 1059. 1. Vivunt simul quasi fratres, 1169. 2. Religiosi singulares esse qui volunt, semper in anxietate sunt, 1353. 2

Remissionis à fervore quæ sit congrua pœna, 1051. 2. Remissio S. Timothei in prædicando unde ortum habuerit, 1050. 1. *Vide* Tepor. Remissio peccatorum optime per hiacinthum repræsentatur, 1349. 2

Renes symbolum sunt occultorum cordis, 1063. 1

Renovatio spiritus semper necessaria et repetenda, 1051. 1

Repotia quod sit convivium, 1088. 1. Christus quæ repotia præparet suis, *ibid.*

Reprehensio vitii virtutis laude temperanda est, ne sit nimis acerba, 1049. 2

Respondere in Scriptura sæpe est ordiri sermonem, 1166. 1

Resurrectio Christi et mundi creatio in quo sibi similes sunt, 1094. 2. Illa apte per sardium gemmam repræsentatur, 1346. 1. Resurrectio prima et secunda quæ sit, 1316. 1. Resurrectio tantum una est, 1307. 2. Est effectus Eucharistiæ, 1053. 1. Resurrectio generalis futura in die Paschæ, 1304. 2

Revelatio Jesu Christi in die judicii quæ futura, 1026. 2. Revelationes B. Amadæi cujus sint auctoritatis, 1031. 2. Multa continent fabulosa, *ibid.*

Reverentiæ triplex gestus, 1110. 2

Rex regum et Dominus dominantium titulus Christi et regum Persarum, 1302. 2. Rege sub impio subditi omnes impii, 1148. 1. Reges cur seducere conentur hæretici, 1185. 1. Illi sua regna Deo accepta referant et offerant, 1112. 1. Habent angelum aliquem è superiori ordine prosul custodia, 1065. 1. Eorum gloria evanida est, nisi in cœlestem gloriam desinat, 1355. 2. Reges contra Deum bellaturi in fine seculi, ab eo siderabuntur, 1269. 1. Qui reges per Euphratem, contra Ecclesiam pugnaturi, ad Antichristum venturi sint, 1268. 1. Hos Deus in loco Armagedon sensim adunabit, ibique eos cædet, 1270. 1. 2. Reges decem in orbe dominaturi veniente Antichristo, intelliguntur per decem cornua draconis, 1220. 1. item per bestiæ cornua, 1283. 2

Rhinocerotes loricati sunt, 1189. 2

Romæ quod sit etymon, 1275. 2. Olim dicta Valentia, *ibid.* Censebatur olim dea, 1231. 2. 1277. 1. Ejus luxus et opes, 1279. 1. Putabatur futura æterna, 1276. 2. 1289. 1. Quam varia habuerit regimina, 1282. 2. Ejus incrementa et decrementa, 1276. 1. In ea erant templa omnium deorum, 1280. 1. Erat septicollis, 1281. 2. Roma ethnica qualis fuit olim, et tempore Antichristi futura est, intelligitur per Babylonem meretricem magnam, 1275. 2. Diversimode id probatur, *ibid.* 1282. 1. Ipsa proinde exscindetur, 1275. 2. 1276. 2. Quomodo omnes ad sibi obsequendum pelliceret, 1277. 2. Quomodo in Christianos sævierit, 1280. 2. 1293. 2. Quot habuerit Martyres, 1158. 1. 2. Eam quomodo Christiana religio olim paulatim occuparit, 1268. 2. Romæ moderna sanctimonia, 1275. 1. 2. Ibi jam portæ semper apertæ sunt, 1356. 1. Non sibi, nec suis meritis ascribat, quod fidem servarit inconcussam, sed meritis S. Petri, 1275. 1. Ibi cur luxuria permittatur, *ibid.* In fine mundi fiet ethnica, *ibid.* 2. An et in hæresin sit tunc prolapsura, *ibid.* Quomodo ad pristinas opes et gloriam tunc reditura sit, 1276. 1. 1292. 2. Tunc persequetur Christum et Christianos, 1280. 2. In ea non residebit Antichristus, 1209. 1. sed eam evertet et cremabit, 1284. 2. Ejus excidium signum erit nati Antichristi, 1285. 2. Evertetur sub finem regni Antichristi, 1286. 1

Romana Ecclesia non est Babylon, ut volunt hæretici, 1274. 2. Ejus decus, *ibid.* Ejus splendor, 1099. 1. Cæteras omnes ut mater complectitur, 1325. 1. Ejus duratio, 1309. 1

Romani (S.) Martyris in tormentis constantia, 1123. 1

Romanorum priscorum in fide servanda constantia, 1329. 1. 2. Orbis et regum Domini quomodo essent, 1277. 1. Eorum propria levitas et superbia, 1275. 1. Eorum reges fuere septem, 1282. 2. Romanorum veterum peccata Deus puniet in fine mundi, et quo jure, 1293. 2. Quomodo dici possint omnes toto orbe Martyres interemisse, 1294. 2

Romanum Imperium non est bestia ascendens de mari, 1231, 1. Quamdiu sit duraturum, 1274. 1. Ejus polyarchia, 1220. 1. *Vide* Imperium.

Romanus Papatus an sit juris humani, an divini, 1286. 2

Romula (S.) voce cœlesti ad cœlum invitata est, 1365. 2

Rosarium SS. Trinitatis quomodo recitari possit, 1108. 2. Rosarium duodecim stellarum in honorem beatæ Virginis, et ipsum quomodo recitetur, 1216. 2. 1217. 1

Rotæ apud Ezechielem quomodo essent oculatæ, 1106. 1. 2

Ruben Patriarcha est typus S. Bartholomæi, 1351. 1

Rubris vestibus usi Persæ et Lacedæmonii euntes ad bellum, 1134. 2. Rubra in fine mundi futura luna: quid id significet, 1145. 2

Rudolphi II. Imp. mensa è gemmis variis constructa, 1339. 2

Ruffinæ (S.) in tormentis constantia, 1155. 1

Rufus color cædem, bellum, pugnas, iram denotat, 1134. 2. 1219. 1. Rufus equus Joanni visus denotat Gentiles Ecclesiæ persecutores, 1134. 1

Russati erat fractio aurigarum Circensium, 1131. 2. 1132. 1

S.

Sabbatum significat diem beatæ resurrectionis Sanctorum post resurrectionem in cœlo, 1313. 1
Sacerdos et sacrificium correlativa sunt, 1316. 2. Sacerdos olim in Missa excitabat præsentes ad gratiarum actionem, 1163. 2. Ei celebranti peculiaris assistit angelus, 1174. 1. Sacerdotes velut murus cœlestis Jerusalem sunt, 1336. 1. An repræsententur per 24. seniores, 1097. 2. Sunt quasi annulus signatorius Dei, 1047. 1. Angelis assimilantur, 1046. 2. 1047. 1. Cur vocentur à laicis Papæ, 1079. 2. Sacerdotes quomodo sint omnes christiani, 1033. 2. 1126. 1. Sacerdotes olim alte se cingebant circa pectus, paulo axillis inferius, 1039. 1. Sacerdotes Romani olim nec capream, nec hederam tangebant, 1047. 1
Saccus pœnitentium est vestis, 1206. 1
Sachar, id est memoria, cur hebraice vocetur masculus, 1221. 2
Sacramenta novæ legis alia ratione vocantur mysteria, alia visiones ænigmaticæ et symbolicæ, 1046. 2. Ea septem esse asseritur contra hæreticos, 1279. 1
Sacramentariorum hæreseos auctor Andr. Carolstadius, 1269. 2
Sacrificium Missæ repræsentat Christi sacrificium, 1175. 2. Id offerunt Angeli Deo, 1174. 2. Quibus in sacrificiis priscis adumbratus sit Christus, 1232. 2
Saddai nomen Dei Hebræis, 1127. 1
Sagares (S.) an fuerit Episcopus Laodicensis, cui scribit S. Joannes, 1080. 2
Saladinus in Ægypto plurimos Christianos occidit, 1310. 2
Salvandorum paucitas, 1158. 2. 1220. 2. Salvandorum ex Catholicis quanta sit multitudo, 1334. 2
Salvius (S.) ad vitam à morte rediens, quid de cœlesti gloria narrarit, 1337. 2
Salutatio Apostolica et Christi quæ fuerit, 1027. 2
Sancta sanctorum significant locum Beatorum, 1262. 1
Sancti (qui) veteris testamenti repræsentati per 24 seniores Apoc. 1098. 1. Sancti precibus suis accelerant diem judicii, 1141. 2. Sunt altare thymiamatis, 1174. 2. Eorum vestigia olim adorata ab hominibus, 1075. 1. Dum jurant, Deo tribuunt illa epitheta quæ rei juratæ congruunt, 1197. 2. In die judicii sunt futuri judices orbis, 1064. 2. Orationes nostras Deo offerunt, 1124. 2. Mystice sunt thronus Dei, 1093. 2. Per iridem repræsentantur, 1095. 1. Semper Deum laudant, 1107. 2. Terrenis affixi non sunt, 1182. 2. Mites sunt et pacifici, 1206. 2. Semper dissolvi cupiunt, 1365. 1. Cur oleæ et oleo comparentur, 1206. 2. E sanctorum, qui misericordes fuere, corporibus scaturit oleum, *ibid.* Possunt à gratia excidere, 1075. 2. Dupliciter in vitæ libro scribuntur, 1072. 2. Sancti qui suas coronas resignarunt Deo, 1111. 1. Divinæ contemplationis signum habent in frontibus, in manibus palmas boni operis, 1155. 1. Eorum invocatio contra hæreticos asseritur, 1030. 1. Sancti in fine mundi victuri, in terra signabuntur, ne communibus orbis plagis involvantur; non in cœlo, 1150. 1. Cur iis tunc detur palma, 1161. 1. Sanctorum animæ dicuntur esse in cœlo sub altari thymiamatis, et eorum corpora sub altari holocaustorum in terra, 1140. 2. Uniformiter laudant Deum in cœlo, 1122. 2. Ibi amicti sunt stolis albis : quid hæ significent, 1159. 1
Sanctitas in quo sita sit, 1109. 1. Deus est sanctitas increata et infinita, *ibid.* Ipsa jungenda sapientiæ est, 1204. 1. Sanctitas animæ sunt virtutes quælibet, 1109. 2. Sanctitas robusta convertit animas, 1074. 2. In ea semper proficiendum est, 1363. 2
Sanctum quid sit proprie Latinis, 1108. 2. 1262. 1. *Sanctus*, *sanctus*, *sanctus* est symbolum SS. Trinitatis, 1108. 2. Eo quoque continetur totum Apostolorum Symbolum, et Evangelica doctrina, 1110. 1
Sanguis symbolum est ingentis hostium stragis, 1179. 2. Est item animæ et vitæ nota : eum esse ipsam vitam animalis censuere nonnulli, *ibid.* In Scriptura symbolum est peccati, 1145. 2. Dum pluit, iram cœlestem prænuntiat, 1177. 2. Sanguis Agni est sapo macularum nostrarum, 1033. 2. 1159. 2. 1364. 1. Eum quomodo nobis applicemus, 1167. 1. Sanguis Martyrum in sardio gemma repræsentatur, 1346. 1. Sanguine hostili aspersus Christus, quando futurus, 1301. 2
Sapiens nihil in terra miratur, 1146. 2
Sapientia vera quæ sit, 1225. 2. Sapientia Judæorum et Christianorum quomodo differat, 1040. 1. Sapientia Sanctorum cur dicatur aurum ignitum, 1085. 1. Sapientia et sanctitas quam apte conjungantur, 1204. 1
Sapor solis fratrem se appellabat, 1302, 2
Sapphirus gemma unde dicatur; describitur; cœli speciem præ se fert, 1340. 2. Olim opaca fuit : estque species lapidis lazuli, *ibid.* Ejus apud veteres dignitas, pretium, vires et virtutes, *ibid.* 1341. 1. Sapphirum mittit Pontifex recens creatis Cardinalibus, 1341. 1. An eadem cum hiacintho, *ibid.* et 1340. 2. 1349. 1
Saraceni cur per equum pallidum repræsententur, 1137. 1. Eorum potentia Christianorum crescit dissidiis, *ibid.* 2. *Vide* Mahometismus, Turca.
Saracenismus est ultima, publica et generalis Ecclesiæ persecutio, 1138. 1. 1311. 2. 1313. 2. Putatur duraturus usque ad Antichristum, 1137. 2. 1138. 2. Quam multis fuerit noxius; cum dæmones promoverunt, 1137. 2. Quamdiu is durabit, 1138. 1. 1311. 2
Sardi quid in otiosos statuerint, 1083. 2
Sardis fuit urbs Lydiæ, Crœsi regis Lydorum regia, 1067. 1
Sardius quæ sit gemma et ubi nascatur, ejus descriptio et virtutes, 1345. 2. 1346. 1. Ejus natura, Dei justitia et terror repræsentatur, 1094. 2
Sardonyx gemma describitur; unde nomen habeat; ejus color et vires, 1345. 1
Satanas est ligatus per mille annos; quando, 1305. 1
Saturninus somniavit mundum ab angelis esse creatum, 1029. 2
Scalæ Jacob an Deus inferne adstaret, an desuper incumberet, 1092. 1
Scelera quæ abundarint tempore S. Joannis, et Antichristi tempore abundatura sint, 1364. 2
Schismate (in) moriens salvari nequit, 1191. 2
Scorpionum caudæ maxime sunt virulentæ, 1188. 2. Ipsi describuntur, *ibid.* 1189. 1
Scoti fere omnes à particularibus familiis sunt prognati atque quæque familia habet suum caput, 1158. 2
Scriptura omnis ad litteram, uti sonat accipienda est quantum fieri potest, 1023. 2. Genere neutro solet significare universitatem personarum et rerum, 1070. 2. Est velut arcus Christi, 1112. 2. Cur dici possit mare vitreum, 1101. 1. Ipsa an bene intelligatur per librum signatum Joanni visum, scriptum intus et foris, 1113. 2. 1114. 1. Per bilibram significatur, 1136. 1. Ejus lectio facit beatum, 1297. 2
Sealtiel angeli nomen quid sonet, 1031. 2. Ejus emblema, 1032. 1
Sebastiano (S.) apparuit Christus septem angelis stipatus, 1030. 1
Secreti servantes sint consiliarii, 1099. 1
Secundæ (S.) in tormentis constantia, 1155. 2
Secundæ nuptiæ illicitæ non sunt, 1364. 1
Sedens in throno quem vidit Joannes, fuit non Christus sed Deus, 1093. 2
Sedere cum Deo in throno quomodo vincens intelligatur, 1088. 1
Sedes (quæ) judicum in cœlo visæ, 1309. 2
Senarius numerus cur dicatur numerus hominis, 1237. 1. Ejus numeri imperfectio, 1239. 1
Senatores quales esse debeant, 1099. 1. E senibus legebantur olim et postea sic dicti etiam è senatoribus nati, et in senatum cooptati, 1096. 2. Senatorum Romanorum potestia et auctoritas, 1220. 1. 1229. 1
Senes reip. cur præesse debeant, 1099. 1
Senor vox quid apud varias nationes denotet, 1096. 2
Senior dicens Joanni ne fleret, quis fuerit, 1117. 2

Sensus omnes Beatorum suas habebunt voluptates, 1360. 2. Sensus omnes in inferno patientur, 1291. 1
Sententia condemnationis æternæ recte gladio denotatur, 1043. 1. Sententia felicitatis et ipsa æterna felicitas vocari potest calculus candidus, 1060. 2
Sepeliri (in inferno) quomodo dicuntur graves peccatores 1320. 2
Septempaganorum quale sit mel, 1291. 1
Septem spiritus in conspectu throni divini stantes qui sint, 1029. 1. 1100. 1. 1106. 1. Sunt septem angeli principes, 1029. 2. Quando horum septem angelorum primum mentionem facere cœperit Scriptura, 1030. 1. *Vide* Principes. Spiritus denotantur per septem lampades, 1100. 2. 1106. 1. Septem angeli tubarum quinam fuerint, 1177. 1. Septem capita draconis sunt septem reges tempore Antichristi futuri, 1220. 1. Septem diaconi Cardinales repræsentantur per septem Episcopos ad quos S. Joannes scribit, 1098. 2. 1099. 1. Septem phialæ quas habebant septem angeli quid significent, 1263. 2. Septem reges ante Antichristum, quorum quinque cecidere, unus est, et alius nondum venit, quisint, 1229. 2. 1282. 1. Septem capitalia vitia alluduut ad septem capita draconis rufi, 1219. 2. Hæc an repræsentata per septem angelos tubarum, 1272. 1. 2
Septenarius symbolum est universitatis, 1030. 2. 1031. 1. 1114. 1. 1263. 1
Septimius Severus Imp. quintam in Christianos persecutionem movit, 1134. 1
Sepulcro virorum fortium leo insculpebatur, 1118. 2
Sequi Agnum quocumque ierit quid sit, 1247. 1
Seraphim Isaiæ fuerunt bipedes, non quadrupedes, 1103. 2. Raro mittuntur, 1032. 1. Aliquando dantur magnis Sanctis in custodes, *ibid.*
Serpens antiquus est diabolus, cur, 1224. 1. 2. Serpentes ignivomi aliquando visi sunt, 1219. 1. Serpentes etiam integros pueros devorant, 1221. 1. Serpentes magni sunt in India, 1218. 2
Servi quare vocentur corpora, 1292. 2. Iis olim stigma in fronte inurebatur, 1152. 2
Servulus (S.) ab angelis ad cœlum vocatur, 1365. 2
Sex mille anni est tempus durationis mundi, 1313. 1
Sibyllæ de Imperatoribus primis vaticinia, 1238. 1
Siccatio Euphratis in fine seculi cur futura sit ad transmittendos Antichristianos, 1268. 2. Quid hæc mystice denotet, 1269. 1
Sicilia fuit olim Italiæ conjuncta, 1147. 1
Siclus argenteus cujus sit pretii, 1136. 1
Siderationes dicuntur inopinati morbi et mortes, 1180. 1
Sigillum Apocalypseos quod sit, 1365. 1. Sigillo quinto quinam Imperatores denotentur, 1131. 1. Sigillum sextum quod sit, diversimode exponitur, 1143. 1. 2. Septimo an repræsentetur quies Ecclesiæ sub Constantino, 1131. 1. An ad id pertineat silentium factum in cœlo, 1172. 1. Id simul et tantummodo semel initio apertum fuit, 1202. 1 Sigilla septem libri signati quid repræsentent, 1114. 1. 2. 1115. 1. 2. 1116. 1. 2. 1131. 1. 2. Continent quæ futura sunt ante tempora Antichristi, quædam quæ futura sunt post Antichristum, 1173. 1. Amplectuntur non tantum initium, sed et finem libri signati, *ibid.*
Signaculum quod diabolo et inferno appositum, 1309. 2
Signandi in fine seculi electi signo crucis, 1153. 1. 2. Signari à Deo quanti referat, 1157. 2. Signari quando prophetias jubeat Deus, 1362. 2
Signatio, qua Joannes vidit signari electos signo Dei vivi, fuit tantum visio imaginaria, 1154. 1. Hæc erit ante Antichristum, tum sub ipso, tum post ipsum, 1155. 2
Signatus (liber) Joanni visus, quomodo et cur dicatur signatus, 1114. 1. Signati centum quadraginta quatuor millia qui sint, an definitus fuit numerus pro indefinito, 1155. 2. Per eos intelliguntur qui in fine mundi, tum ante Antichristum, tum sub ipso, tum post eum occisum ad Christum convertentur, *ibid.* Signati è Judæis in fine seculi, erunt conversi è Judæis ad Christum, ante et post Antichristum, 1150. 1
Signum Dei vivi est crux, 1152. 2. Signa judicium præcessura describuntur in sexto sigillo ante et post Antichristum, 1144. 1. Quæ et qualia et quando ea futura, 1145. 1
Silentii virtus quantæ sit dignitatis, 1172. 1. Silentium in cœlo quod et quale, quasi media hora, 1170. 1. et seq. 1171. 1. An pertineat ad septimum sigillum, 1172. 1
Silverius Papa et Menuas Patriarcha Constant. an sint duo testes, quos Joannes ait occidendos, et dein cum gloria in cœlum ascensuros, 1204. 1
Simeon Patriarcha est typus *S.* Jacobi Minoris, 1351. 2
Similitudo phrasi Hebraica veritatem rei denotat, 1037. 2
Simon (S.) Apostolus cur hyacintho gemmæ assimiletur, 1349. 2. Ejus typus fuit Aser Patriarcha, 1351. 2
Simon Magus funestum habuit interitum, 1303. 2
Singulares in Religione quam noxii, 1353. 2
Sinus Abrahæ et altare dicitur locus felicitatis animarum, 1140. 1
Sion, in quo vidit Joannes Agnum stantem quid significet, 1242. 2. Allegorice significat Ecclesiam, *ibid.* Anagogice cœlum, *ibid.*
Siren figura est voluptatis, 1291. 1
Sisinnii (S.) Martyris in tormentis et afflictionibus gaudium, 1060. 1
Smaragdus unde dicatur : veteres quales fuerint, 1343. 2. Æri affinis est et durus, ejusque sapor amarus, 1344. 1. Ei passio Christi accommodatur, *ibid.* 2. 1095. 1. Ejus vires, 1346. 2. Pudicitiæ symbolum est, 1047. 1. Ejus viror, 1096. 1. 1343. 2. Per eum Dei misericordia repræsentatur, 1096. 1. item Dei et creaturarum in ipso visio, *ibid.*
Smyrna urbs est Ioniæ in Asia; ejus elogium, 1053. 2. Smyrna Græcis item myrrha dicitur, *ibid.*
Societatis Jesu homines Ecclesiam contra Antichristianos in fine seculi maxime propugnaturos prædixit S. Teresia, 1204. 2. An præsignati in Apocalypsin, 1074. 1
Sociniani docent Christum non fuisse Deum, sed sua sancta vita meruisse ut vocaretur Deus, 1126. 2
Sodomæ nomine cur dicatur Jerusalem, 1209. 1. Sodomæ incendium quantum, 1257. 2
Sol nihil videtur proferre nisi cum luna sociatus, 1215. 2. Soli fulgenti cur assimiletur Christus, 1043. 2. 1044. 1. Ejus proprietates describuntur, *ibid.* 1. 2. Est imago divinæ voluntatis, 1045. 1. Quomodo à Gentibus coleretur, *ibid.* Is in fine mundi futurus est niger instar sacci nigri : quæ ejus obscuritatis ratio futura, 1145. 1. Ejus magnitudo, 1044. 1. Sol sculptus in sepulcro Josue, est symbolum vigilantiæ, 1068. 1
Solitudo mystice est abstractio mentis à rebus terrenis, 1222. 1. Quæ in ea observanda, 1223. 1
Solon neminem dixit beatum, nisi feliciter mortuum : ejus ad Crœsum vox, 1253. 1. 2
Sp. litteræ denotant *Spiritus*, 1028. 2
Spartani ad lyræ sonum acies instruebant, 1122. 1
Sphengites quod genus marmoris sit, 1330. 2. 1337. 1
Sphinges depictæ è Cherubinis Salomonis, 1102. 2
Spiritus sanctus an denotetur per angelum habentem signum Dei vivi, 1152. 1. Est fons vitæ, 1358. 1. Quomodo sit sanctus, 1110. 1. Apte topazio gemmæ confertur, 1348. 1. 2. Ejus proprietates et operationes, *ibid.*
Spiritus quasi ranæ de ore bestiæ, draconis et pseudoprophetæ exeuntes, quid sint, 1269. 1. Cur ranis comparentur, *ibid.*
Spiritus septem sunt septem angeli primarii, præsides Ecclesiæ; repræsentantur per septem coruua Agni, 1120. 2. Cur dicantur oculi, *ibid.*
Sponsa Agni an dicatur Jerusalem, an ejus cives, 1329. 2
Stadium quanta sit mensura, 1256. 2. 1257. 1. 2. 1334. 1. Stadia 1600 ad quæ effundendus sanguis impiorum, proprie de spatio inferni intelliguntur, 1257. 1. 2
Stagnum inferni quale sit, 1258. 1. Ejus murus spississimus, *ibid.* Ipsum horrende ardebit, 1320. 2. Stagna in fine mundi non habebunt aquam sanguinolentam, sed tantum maria et flumina, 1267. 1

Stanislaüs (B.) Kostka ex angelorum manibus S. Eucharistiam sumpsit, 1174. 2. Ei quod datum elogium à proceribus Polonis, 1249. 2. Quam ardenti in Deum esset amore, 1254. 1
Stater cujus sit pretii, 1136. 1
Statio, non sessio, decet Beatos in cœlo, 1159. 1
Stella matutina quæ sit, quid per eam dandam vincentibus Joannes intelligat, 1065. 1
Stellæ non sunt elementares, nec indigent alimento juxta Origenem, 1146. 1. Eæ de cœlo quomodo cadent, *ibid.* Eas æmulantur gemmæ, 1338. 1. Stellæ septem in manu Christi quid significent, 1042. 1
Stephanus Papa ob persecutiones Longobardorum in Franciam ad Pipinum profectus est, 1255. 2
Stilico ambitionem capite luit, dum filium suum Eucherium ad imperium evehere satagit, 1184. 1. 2
Stimulus acer ad virtutem, 1077. 1
Stola est vestis honoris, gloriæ, immortalitatis et triumphi, 1142. 2. 1159. 1. item sacerdotalis, *ibid.* Erat priscis vestis mulieris honestæ et nobilis, 1142. 2. Stolis albis denotatur animæ gloria, 1142. 1
Struthiones ova spectando fovent, 1300. 1
Suffragiis (in) ferendis quis esset usus calculorum, 1061. 1
Suggestio ad honores, opes et delicias, prodit ex ore dæmonis, 1269. 1. 2
Sulphur quomodo de ore militum procedere videatur, 1194. 1. Sulphur verum in inferno erit, 1303. 2. 1320. 2. Ejus natura, *ibid.*
Superbi usque ad cœlum dicuntur exaltari, 1218. 2
Superbia Romanorum Imp. 1238. 1
Supplicia à Deo immissa humiliter et libenter sunt amplectenda, 1087. 2
Symboli articuli duodecim repræsentantur in duodecim gemmis civitatis cœlestis, 1332. 1. 2. 1339. 1. Ejus primus articulus repræsentatur in jaspide, 1340. 1. Secundus in sapphiro, 1341. 1. Tertius in carbunculo, 1343. 1. Quartus in smaragdo, 1344. 1. Quintus in sardoniche, 1345. 2. Sextus in sardio, 1346. 1. Septimus in chrysolitho, *ibid.* 2. Octavus in beryllo, 1347. 1. Nonus in topazio, 1348. 1. Decimus in chrysopraso, 1349. 1. Undecimus in hyacintho, *ibid.* 2. Duodecimus in amethysto, 1350. 2
Symbolica Scripturam interpretandi ratio quatenus admittenda, 1022. 1
Synagogæ in Apostolos odium, 1062. 1. Ea an Jezabel appellari possit, *ibid.*
Syriaca versio in Apocalypsi desideratur, ea exstat tamen in bibliotheca Vaticana, 1025. 2

T.

Taciturnitas consiliarios decet, 1099. 1. 2
Tædæ accensæ sponsis præferebantur, 1298. 1. Hinc tæda capitur interdum pro nuptiis, *ibid.*
Talentum quanti pretii et magnitudinis, 1271. 1. Attici et Hebræi talenti quæ differentia, *ibid.*
Tamberlanes tricolor tentorium habebat, cur, 1134. 1. 1160. 1
Tarsilla (S.) à S. Felice ad cœlum est invitata, 1365. 1
Tartari an futuri sint Gog et Magog, 1138. 1. 1317. 1
Τειτανος an sit nomen Antichristi, 1238. 1
Temperamentum virtutum per citharas denotatur, mens est citharœdus, 1122. 1
Templum etiam dicitur martyrium vel confessio, 1139. 2. Templum cœli Deus est, 1354. 2. Alia in eo non sunt templa, cur, *ibid.* Templum Dianæ Ephesiæ quam celebre, 1049. 1. Templi Salomonis descriptio. 1175. 1. Partium ejus significatio et allegoria, *ibid.* Ejus partes, 1203. 1. Allegorice Ecclesiam militantem, anagogice triumphantem significat, 1112. 2. Templorum usus et structura adstruitur, 1355. 1. Ipsa habent custodes angelos, 1174. 1
Tempus pro anno ponitur aliquando in Scriptura, 1226. 2. Temporis quanta habenda sit ratio, 1198. 1. Cito id prætervolat, *ibid.* Cum præteriit, est irrevocabile, 1198. 2. Ejus signa et schema, *ibid.* Ab illo pendet nostra æternitas, *ibid.* Nobis datum est ad bene operandum, ad salutem et gloriam procurandam, 1199. 1. Post illud elapsum non sequitur aliud, *ibid.* In eo impendendo nos oportet esse avaros, *ibid.* Brevi nobis Deus hoc auferet, et in æternitatem transferet, *ibid.* Tempus legis Christi cur dicatur novissimum, 1314. 1
Tentationes sunt signum fructus pii laboris, 1218. 1
Tepida cur provocent vomitum, 1083. 2. Tepidi de sua innocentia semper gloriantur, 1084. 1. Tepidi, calidi, frigidi quinam spiritualiter sint, 1081. 1
Teporis S. Timothei et Sanctorum causæ variæ, 1050. 1. 2. Quomodo sit pejor frigore, 1082. 1. Unde is nasci soleat, *ibid.* Ejus mala, *ibid.* 2. Ejus varia remedia, 1087. 1
Tergo (à) vox cur Joanni audita, 1036. 2
Τερμιδος cur diceretur Jupiter, 1035. 1
Terra conversatione cœlesti fieri potest cœlum, 1326. 1. Terra an post finem mundi æquanda sit sublatis montibus et vallibus, 1147. 2. In fine seculi sese aperiens absorbebit persecutores fidelium immissos ab Antichristo, 1227. 1. Terra nova quæ dicatur, 1324. 1. Terræmotus magnus futurus paulo ante necem Antichristi, 1270. 2. Terræ sanctæ longitudo quanta, 1256. 2. Terræ mobiles et trementes variæ; item fluitantes, 1147. 1. 2. Super terram repere dicitur diabolus, 1224. 1
Terrena despicienda, 1345. 1
Tertia angelorum pars an ceciderit, 1220. 2. Tertia pars terræ quomodo combusta intelligatur, 1178. 1
Testamenti veteris novem illustria, 1112. 1. Illustria novem novi, *ibid.*
Testes duo in fine seculi apparituri, quinam sint, 1204. 1. Testis fidelis quid proprie sit, et quomodo Christus sit talis, 1033. 1. Testis per catachresin vocatur judex et princeps, *ibid.*
Testimonium sæpe ponitur pro doctrina, 1141. 1. Testimonium Jesu Christi habere quid sit, 1227. 2
Testudines ova spectando fovent, 1300. 1
Thalilæus Eremita cur semper fleret, 1199. 1
Thebanorum pro patria occumbentium sepulcro insculptus est leo, 1118. 2
Themistocles etsi grandævus, doluit se è vita discedere, cum sapere inciperet, 1083. 1
Theodoricus Rex Arrianus qui Joan. Papam carcere maceravit, et Symmachum occidit, mortuus, est visus distinctus et discalceatus ad ollam Vulcaniam rapi, 1191. 1. 2. 1259. 2. 1303. 2
Theodorus (S.) Martyr in tormentis gratias agebat Deo, et gaudebat, 1059. 2. 1165. 1
Thermæ Diocletiani à Christianis Confessoribus ædificatæ, 1030. 2. Thermæ olent sulphur, 1320. 2
Theseus primus palmeas coronas dedit victoribus in agone Apollineo, 1160. 2
Thomas Anglicus, non Angelicus, auctor Comment. in Apoc., 1024. 2
Thomas (S.) Apostolus apte per beryllum repræsentatur, 1347. 1. Ejus typus fuit Benjamin, 1351. 2
Thomas (S.) Aquinas qualiter mortuus sit, 1253. 2. Quotidie lectitabat Collationes Cassiani, 1088. 1
Throni quales sint angeli, et cujus chori, 1098. 1. Throni viginti quatuor seniorum an essent in orbem, an in quadrum dispositi, 1096. 2. Throni prisci Pontificum plures Romæ conspiciuntur, *ibid.* Thronus Dei in cœlo, quem vidit Joannes, an fuerit instar propitiatorii et Cherubini, 1093. 1. Quid hic repræsentaret, *ibid.* 2
Thuribulum est symbolum corporis Christi, 1176. 2
Thyatiræ urbis situs, origo, etymon, significatio, 1061. 1. 1063. 1
Thynum lignum quid sit, 1292. 1. 2
Thymiama non in ipso altari, sed in foculo seu thuribulo adolebatur, 1173. 2. 1176. 1. Id è quibus odoribus componeretur, 1124. 1. Ei assimilatur oratio, *ibid.*
Tiberius Imp. quomodo monitus ut vim multitudinis caveret. 1190. 1

Tiburtii (S.) Martyris in tormentis lætitia, 1059. 2
Ticonius Donatista an in Apoc. scripserit, 1023. 2
Timor et amor sunt duo effectus Scripturæ et sapientiæ, 1225. 2
Timotheus (S.) fuit angelus Ephesi, ad quem scribit Joannes, 1049. 2. Quamdiu fuerit Episcopus, et an interpuerit, *ibid.* 1050. 1. et cur, *ibid.* Remissionem suam postea correxit, *ibid.* 2
Titi Imp. imperium an per equum nigrum significetur, 1130. 2. 1135. 1
Tobias à Raphaele didicit septem esse in cœlo primarios angelos, 1030. 1
Tonitrua quomodo locuta dicantur, 1197. 1. Ipsa et fulgura Dei majestatem et potentiam repræsentant, 1099. 2. Unde hæc nascantur, 1100. 1. Tonitruo comparatur vox virginum in cœlo, 1245. 1
Tonis musicæ affectus quilibet concitantur, 1123. 2
Topazius gemma describitur; ejus color, species, nomina, unde nomen derivetur, 1347. 2. Ejus dotes et vires, *ibid.* Ei comparatur S. Jacobus Minor, 1348. 1
Tormentorum varia sunt genera in inferno, loca et instrumenta, 1258. 1
Trachenses cives linguis ab Hunerico excisis loquuntur, 1184. 2
Traditio de Antichristo ex Dan nascituro probabilis est, 1157. 2
Trajanus tertiam in Christianos persecutionem movit, 1134. 1. Ipsa vehemens quidem fuit, sed mox desiit, 1075. 1. Ejus columna Romæ erecta describitur, 1077. 2
Tres partes, in quas dividetur Jerusalem sub Antichristo, quomodo mystice intelligendæ, 1271. 1. Tria angelorum nomina tantum agnoscit Ecclesia, 1031. 1. Trium millium numerus symbolice quid denotet, 1335. 2
Tribulatio est probatio virtutis, 1233. 1. Tribulatio præsens parit coronas æternas, 1166. 1. 2. Per eam additur homini robur, fit Christo crucifixo similior: per eam crescunt virtutes, 1154. 2. In ea Deus adest suis, 1036. 1
Tribus Israel singulæ populum ingentem constituerunt, 1158. 2. Ex iis in fine mundi convertentur aliqui, 1156. 1. An præcise ex singulis XII millia, et non plures et pauciores, *ibid.* Earum mystice interpretationes quoad earum ordinem à S. Joanne servatum in signatione, 1157. 1. Eædem ad Ecclesiam referuntur, *ibid.*
Trinitas (SS.) est prima virgo, 1243. 1. Ejus mysterium an repræsentetur per nomen Jehova, 1028. 2. Nunquam satis laudari potest; et quod ejus sit rosarium, 1108. 1, 2. Ejus symbolum est triophthalmus cum onyche nascens *ibid.* 2
Trisagion SS. Trinitatis unde in Ecclesia ortum habuerit, *ibid.* 1. Quid eo repræsentetur, *ibid.* 2. 1110. 1
Triumphantes olim albis equis vehebantur, 1133. 1. Eorum ministri oleaginis coronis coronabantur, 1206. 2. Ipsi coronas suas Jovi Capitolino dicabant, 1110. 2
Tubæ quas angeli in manibus habent, an veræ tubæ, an vero ænigmaticæ per prædicatores inflandæ, 1173. 1. Tubarum plagæ aliæ sunt à plagis phialarum, 1266. 1. Tuba septima denuntiat regnum beatum quod cum Christo inibunt omnes Sancti in die judicii, 1209. 1. Quis proprius ejus tubæ locus in Apocalypsi, 1210. 1. 2. 1212. 1
Tunicæ duæ pontificis Judaici, 1038. 2. Ejus tunica hyacinthina cujus res eum commoveret, 1330. 1
Turba magna, non dinumerari potens, an eadem sit cum 144 millibus signatis ex omni tribu, 1157. 2. Ii sunt Christiani Gentiles, futuri in fine mundi sancti, *ibid.* 2. 1158. 1
Turca draco est unius capitis, sed multarum caudarum, 1229. 2. 1230. 1. Turcæ cur venerentur lunam, 1233. 2. Eorum imperium quamdiu durabit, 1308. 2. *Vide* Mahomet, Saracenismus.
Tuzia est spuma subnigra argenti, 1085. 2
Tyranni libere arguendi, 1207. 2. Eorum imago est locusta, 1188. 1. Tyrannorum collectio, qui septem ætatibus fideles persecuti sunt, sunt septem illi reges, quorum ait Joannes quinque vénisse, unum esse, alium nondum exstare, 1282. 2. Tyranni prisci tantum sunt typus Antichristi, 1230. 2

U.

Ubertinus de Casalis commentatus est in Apoc. 1024. 1. Fuit à Joanne XXII. Pontifice alienior, cur, 1307. 1
Udo qua voce monitus resipiscere à mala vita, 1259. 2
Υγειω Antiochi Soteris symbolum, 1035. 2
Ultio Dei est res pretiosa, 1264. 1
Unio Cleopatræ quanti pretii fuerit, 1279. 2. Unionis nomine cur dicantur margaritæ, 1352. 1. 2
Urbs nulla à sceleribus immunis, 1275. 1. Urbis statuendæ quis situs spectandus, 1180. 2. Urbes in opibus, gloria, religione quomodo creverint et decreverint, 1276. 1. Urbes maritimæ considerantur quasi dominæ illius maris quod despectant, 1277. 1
Uriel angeli nomen an sit authenticum, 1031. 1. Quid ea vox sonet, *ibid.* 2. Ejus emblema, 1032. 1
Ursulæ Martyris elogium, 1032. 2
Ursus symbolum luxuriæ, 1230. 2. Ursi in Russia quomodo capiantur, 1291. 1
Uxor Agni est Ecclesia in cœlo, 1297. 1

V.

Valens Imp. Arrianus in casa combustus est, 1303. 2
Valentini hæretici æones et portenta numinum, 1063. 2
Valeria Luperca immolanda ab aquila neci erepta est, 1182. 1
Valerianus Imper. octavam in Christianos persecutionem suscitavit; humiliatur per Saporem Persarum regem, 1134. 2
Vallis Absinthii dictus locus in quo S. Bernardus primum Ordinis sui fundavit monasterium, 1180. 1
Vanitas regnorum et omnis pompæ, 1085. 1. 1294. 2
Veneti erat factio aurigarum Circensium, 1131. 2. Horum quis esset color, *ibid.*
Venti quatuor primarii sunt priscis cogniti, postea à nautis alii inventi, 1150. 2. Eorum necessitas quadruplex, 1151. 1. Eorum compressio minus damnum facit quam laxatio, *ibid.* Eorum motus ac gyri ab angelis concitantur, *ibid.* 2
Verbum Dei est nomen Christi, 1300. 2. 1301. 1. Verbum Dei dulce est rationi, sed amarum sensualitati, 1200. 1. Sic vocatur S. Scriptura, 1027. 1. Verbum capitur pro præcepto et promissione, 1075. 1
Verum in Scriptura subinde pro perfecto capitur, 1073. 1
Vespasiani Imp. vigilantia et sedulitas, 1068. 1
Vestem candidam cur olim acciperent baptizati, 1072. 1. Talis cur detur in multis monasteriis monacho dum vestitur primum, *ibid.* Vestis Martyrum quomodo aspersa sanguine, 1301. 2
Vicissitudo rerum humanarum et regnorum, 1276. 1
Victori (S.) Confessoris duplicis elogium, 1032. 1. 2. 1079. 1
Victor et Corona Martyres simul, 1032. 2
Victoriæ et triumphi symbolum candor est, 1160. 1. 1133. 1. item palma, 1160. 2. 1161. 1. item calculus candidus, 1060. 2. item equus, 1132. 1. Victoria sui difficillima, sed gloriosissima, 1088. 2. Victoriam Christus de hoste suo quomodo retulerit, 1133. 1
Victoriæ Martyris illustris agon et triumphus, 1038. 1
Vigesimi quarti numeri perfectio, 1098. 2
Vigilantiæ varia symbola, 1068. 1
Vigilare est proprium Episcoporum, *ibid.* 1069. 2. 1070. 1
Viginti quatuor seniores in circuitu throni Dei sedentes quinam sint, 1097. 1. Ii repræsentant quales debent esse senatores, 1096. 2. 1099. 1. Quid per eorum numerum 24. designetur, 1107. 1. Quomodo procciderent ante sedentem in throno, et eum adorarent: quid per hoc denotarent, 1100. 2. Deo laudem deferunt, 1111. 2. 1112. 1. Habebant in manu citharas et phialas, 1122. 1
Viminalis collis quis esset Romæ, 1282. 1
Vincens quis dicatur in epistolis Christi ad Episcopos Asiæ,

1058. 1. Vincentibus promittitur cœleste præmium, 1328. 1
Vincenti (S.) Martyris mira coram Daciano præside fortitudo, 1078. 2
Vincentius (S.) Ferrerius an sit angelus habens Evangelium æternum, 1250. 2. Semper prædicabat mundi finem instare, 1315. 2. Ejus victoriæ per prædicationem Evangelicam, 1133. 2
Vindemiatio in Scriptura passim pro punitione capitur, 1256. 2
Vindicare capitur aliquando pro *liberare*, 1141. 2. Qualem vindictam petant Martyres, *ibid.*
Vinum iræ vocatur calix vindictæ in Scriptura, 1288. 2. Vino veteres cur miscerent aquam, 1290. 2. Illius misturæ commoda, 1251. 1
Virga ferrea quid significat, 1064. 1. 2. 1065. 1
Virgines stant in culmine virtutis, 1242. 2. Superiores sunt angelis, 1242. 1. Fugiant alterum sexum, *ibid.* 2. Quomodo Agnum sequantur quocumque ierit, 1247. 1. Sunt primitiæ Deo, cur, 1246. 2. 1249. 1. Earum decem elogia, 1249. 2. Oliva earum symbolum est, *ibid.* Earum quod canticum novum sit, 1246. 2. Earum quanta copia futura sub Antichristo, 1244. 1. An præcise futuri 144 millia, *ibid.* 1. 2. Erunt hi tam viri quam feminæ, *ibid.* 2. Sunt principes in aula Christi, *ibid.* Virgines Christianæ olim ad lupanaria damnabantur, 1289. 2. Eas cur in direptione Romana à Barbaris violari permiserit Deus, 1081. 2
Virginitas omnem virtutis communis altitudinem superat, 1242. 2. Ejus dignitas, 1243. 1. 2. Tam est ardua quam excelsa, *ibid.* 1. Eam Dominus consuluit, non præcepit, *ibid.* Ea in parvulis non est virtus, sed conditio ætatis, 1244. 2. Semper viret, et suo virore splendescit, 1096. 1. Quibus virtutibus pariatur, 1245. 1. Ejus quod sit emblema, 1247. 2
Virtutes septem providentiæ Dei sunt, cur illæ vocentur spiritus, 1032. 2. Virtutes quatuor cardinales an per quatuor animalia Joannis denotentur, 1104. 1. Virtutum Theologalium æqualitas inter se, 1335. 2. Virtutes variæ à B. Virgine petendæ, 1216. 2. 1217. 1. Eæ inter se connexæ esse debent, 1299. 2. Virtutem modicam quomodo Philadelphius Episc. habere dicatur, 1074. 2. Virtutem accipere quomodo dicatur Deus, 1111. 2. Virtutes cœlorum movebuntur quintupliciter, 1146. 2
Visio Dei beatifica est fluvius aquæ vitæ, 1360. 1. item lignum vitæ, *ibid.* et velut fons vitæ, 1169. 2. Visio, qua Joannes vidit thronum Dei et seniores, fuit tantum intellectualis, 1092. 1. Visiones septem Apocalypseos quæ sint, 1023. 1. Res eadem sæpe in Scriptura per diversas visiones figuratur, *ibid.* 2. In ea ad visiones Ezechielis et Danielis alludit S. Joannes, *ibid.* In visionibus ænigmaticis eadem res per diversa ænigmata repræsentatur, 1358. 1
Visus cur pro quolibet sensu capiatur, 1037. 1
Vita et lumen sæpe in Scriptura conjunguntur, 1358. 2. Vita sæpe idem est quod felicitas et beatitudo, *ibid.* Cur dicatur cœlestis gloria corona vitæ, 1055. 2. Vitæ integritate Deus laudatur, 1296. 1. Vita Christi est velut liber vitæ, 1319. 1. Vitam bonam bona sequitur mors et vicissim, 1253. 1. Vitæ hujus pompa fragilis est, 1169. 1. Vitæ hujus et futuræ pulcher apologus, 1086. 2. Vita præsens mercatus est, in qua emere quidlibet possumus, 1198. 2. Vitam cœlestem agere debent Prophetæ et viri Apostolici, 1092. 2
Vitalis (S.) Martyr in Christo confitendo fuit constans, 1056. 1
Vitia (qui) in se vincit, facile ea in alio vincet, 1064. 2
Vitri quæ sit materia et origo, 1101. 1. Ei virginitas assimilatur, 1337. 1. Vitrea dicitur aqua, 1100. 2
Vitulus in animalibus Joan. significat Dei patientiam, justitiam, religionem et cultum, 1105. 2. item Christi sacerdotium, *ibid.* 1. *Vide* Bos.
Vivus est epithetum Dei, 1152. 2. Vivus an aliquis ad infernum descendat, 1303. 1
Volviles erant veterum libri, 1113. 1. 1116. 2
Volupia Romanis erat Dea voluptatis, 1291. 1
Voluptas cœlestis pellucida, terrena, turbida, 1358. 2. Voluptas spiritus sequitur post victam tentationem, 1059. 1. Voluptas est character Antichristi, 1236. 2. Ipsa quam noxia, 1291. 1. Ejus descriptio, *ibid.* 1. 2
Voluptuariorum sordes, 1291. 1
Vomitum cient tepida, 1083. 2. Sic tepidi Deo, *ibid.*
Vox cur Joanni à tergo audita, 1036. 2. Vox magna indicat ingentem animi affectum, 1126. 2. Quid vox magna de throno Dei veniens significet, 1326. 2. Vox aquarum multarum quid sit, et quid significet, 1041. 2. Vox virginum in monte Sion qualis fuerit, 1245. 1. Voces in aere futuræ ad finem mundi an futuræ sint articulatæ, 1270. 2. Voces in Apocalypsi Joannes reales non audiebat, sed illæ menti ejus objiciebantur, 1246. 1. Voces erumpentes è throno Dei quid significent, 1099. 2
Vulcani (in) rupe enascentes palmæ etiam florent, etsi inter ignes, 1161. 2
Vulnera relucebunt in Christi corpore ad judicium venientis, 1134. 1
Wandali à Gothis facti sunt Arriani, 1184. 1. 2. Hi etsi Romam vastarint, mansit tamen Pontificatus sub Leone I., 1283. 1. Per plusquam trecentos annos Ecclesiam vexarunt, 1135. 1. Eorum feritas in Orthodoxos, 1184. 2. Eorum regnum quando finem acceperit, 1184. 2. An fuerint locustæ è puteo abyssi prodeuntes, *ibid.*
Wenceslaüs (S.) Bohemiæ Rex cruce aurea divinitus signatus ab Angelis in Imp. conspectum perductus est, 1154. 1
Wilibaldi (S.) Episcopi Eystetensis elogium, 1047. 1

X.

Xerxes quam numerosos exercitus contra Græcos eduxerit, 1193. 1

Z.

Zabulon Patriarcha est typus S. Matthiæ Apostoli, 1351. 2
Zacharias Propheta sub persona Zorobabelis et Jesu filii Josedec, loquitur allegorice de Elia et Henoch, 1206. 1. 2
Zeno Imp. Eutychianus vivus ab uxore sepultus est, 1303. 2
Zona Hebræa vox significat cauponam sive lenam, 1289. 1
Zona pontificis Judaici à communium sacerdotum zona distinguebatur, 1039. 1. Zona aurea octo Christi dotes significat, *ibid.* Ea an repræsentet Ecclesiam, *ibid.* 2
Zozimus non fuit nomen Episcopi Sardensis cui Joannes scribit, 1069. 2

INDEX

MATERIARUM MORALIUM

QUÆ

HIS IN APOCALYPSIN S. JOANNIS COMMENTARIIS CONTINENTUR,

Et quæ ad Evangeliorum Dominicarum, ac Festorum et Feriarum nonnullarum per annum accommodatarum, verba in usum et gratiam Concionatorum adaptantur.

DOMINICA I. ADVENTUS.

Stellæ de cœlo cadent. Quomodo cæ cadere intelligantur, 1146. 1

Virtutes Cœlorum movebuntur. Hoc quomodo fiet, *ibid.* 2. Quomodo cœlum recedere dicatur sicut liber involutus, *ibid.* 1. 2. Elias et Henoch an in fine seculi venturi sint, quidve tunc facturi et passuri, 1204. 1. Hi sunt velut duæ olivæ, cur, 1206. 1. Quæ miracula sint patraturi, 1207. 2. Eorum mors, 1209. 1. *Vide notata Domin. ult. post Pentecost.*

DOMINICA II. ADVENTUS.

Cum audisset Joannes in vinculis. Joannes in vincula conjectus est, quia Herodem coarguit; nihilominus, reges et tyranni peccantes libere arguendi, 1207. 2

In domibus regum sunt. Regum Consiliarii et Senatores quales esse debeant, 1099. 1

Mollibus vestitum. Occasione cilicii Joannis agi poterit de decenti mulierum Christianarum ornatu, 1142. 2

Arundinem vento agitatam. Impii vocantur arundo et arena, cur, 1227. 2

DOMINICA III. ADVENTUS.

Propheta es tu? Deus tripliciter Prophetis loquitur, 1026. 2

Parate viam Domini. Concionatores terreant auditorium suum narratione novissimorum, 1099. 2

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Prædicans baptismum pœnitentiæ. Pœnitentia mare vitreum vocatur, 1100. 2

IN FESTO NATIVITATIS DOMINI.

In principio erat Verbum. Divinitas in Christo fuit ante ejus existentiam, 1126. 2. Deitas ejus soli, et humanitas lunæ comparatur, 1215. 1

Verbum caro factum est. Humanitas Christi quam sit splendida, 1041. 1. Leo vocatur Christus ob octo analogias, 1118. 1. Quomodo sit radix et ramus David, *ibid.* 2. Est item natus Agnus Dei, 1119. 1. Ejus cornua septem quæ sint, 1120. 1. 2. Ut Deus et homo sapphiro comparatur, 1341. 2

Dedit eis filios Dei fieri. Christiani sunt Deo filius masculus, 1221. 1

IN FESTO S. JOANNIS.

S. Joannes fuit proprie Martyr, 1016. 2. 1017. 1. Cur aquilæ comparetur, 1017. 1. Varia ejus elogia, *ibid.* 2. Quando et an mortuus, 1020. 1. Smaragdo adumbratur, 1344. 1. An ipse iterum prædicaturus Gentibus in fine mundi, 1200. 1. Cur angelus ab eo adorari nolnerit, 1298. 2

IN FESTO EPIPHANIÆ.

Turbata est omnis Hierosolyma cum illo. Multitudinis quanta sit vis, etiam rerum minimarum, 1190. 1

Obtulerunt ei myrrham. Myrrha mortificationis est symbolum: mortificatio vero ac crux mystice quædam est cithara, 1123. 1. 1245. 2

Thus. Oratio est ob varias analogias thymiama, 1124. 1

Aurum. Charitas est aurum, 1085. 1

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

Proficiebat sapientia et ætate. Sapientia vera quæ sit, 1225. 2. Sic et in sanctitate semper proficiendum, 1363. 2

Erat subditis illis. Obedientia plena quæ sit, 1071. 1

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Motus magnus factus est. Deus cur suos sinat affligi et castigari, 1087. 1. Persecutiones varias passa est Ecclesia, ut navis hæc tempestates, 1134. 1. 1239. 1. 2

Ipse vero dormiebat. Christus etsi dormiens, eorum tamen quæ gerebantur conscius per suam providentiam erat: providentiæ Dei virtutes septem quæ, 1032. 2

Modicæ fidei, quare dubitasti? In metu vita est misera, beata vero quæ vicit metum et voluptatem, 1149. 1

Venti et mare obediunt ei. Ventorum necessitas quadruplex, 1151. 1. His præsunt angeli, *ibid.* 2. Per hos Deus eorum uti et fulminum ac tonitruorum vim moderatur, ut hos, non illos; impios, non pios affligant, 1152. 1

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

Conducere operarios in vineam suam. Opera bona et mala hominem ubivis sequuntur, 1254. 2. Botri vineæ sunt reprobi, cur? seges vero electi, 1256. 2

An non licet mihi quod volo facere? De libro vitæ quomodo deleri quis possit, 1072. 1. 2

Multi vocati, pauci vero electi. Paucis auditoribus etiam fervide concionandum, 1051. 1. Quam pauci salvandi in fine mundi, 1156. 1. Salvandorum è Catholicis quanta sit multitudo, 1334. 2. Prædestinati an damnari possint, et eorum numerus sit certus ante præscientiam finalis perseverantiæ, 1076. 1

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Semen est verbum Dei. Concionator verbi Dei sit velut citharœdus, 1123. 2. Cum doctrina jungat exemplum sanctæ vitæ, *ibid.* Concionatores aquilis comparantur, 1181. 2

A voluptatibus euntes suffocantur. Voluptates et concupiscentiæ locustis comparantur, 1183. 1. Voluptas (cui multi his diebus incumbunt) est Antichristi character, 1236. 2. Ea quam sit noxia, 1291. 1

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

Filius hominis tradetur. Christus est Agnus occisus ab origine mundi, quomodo, 1232. 2. Passio Christi smaragdo denotatur, 1344. 1

Ut vidit dedit laudem Deo. Gratiarum actio quam sit utilis, sancta, necessaria et Deo grata, 1163. 1. Est victima novi testamenti ob varias causas, *ibid.* 2. Etiam in adversis gratiæ Deo agendæ uti agebant Martyres, 1164. 2. Deum semper laudare est vitam inchoare angelicam, 1165. 2. Laus Dei quadruplex est, 1296. 1. Deus semper laudandus, 1108. 1. Quomodo id fieri possit, *ibid.* 2. Septem actus amoris et laudis Dei, 1128. 1

Ut taceret. Silentium quam præstans sit virtus, 1172. 1

DOMINICA I. IN QUADRAGESIMA.

In desertum. Mentis abstractio à rebus terrenis est velut solitudo, 1222. 1

Cum jejunasset. Quadragesimalis jejunii commendatio, 1304. 2

Tunc accedens tentator. Generose fideles tentationibus resistant, 1221. 2. Tres hominum sunt hostes, diabolus, mundus, caro, iique per ranas intelliguntur, 1269. 1

Assumpsit eum diabolus. Dæmones nocere nequeunt, nisi volentibus, 1192. 2. Dæmonis septem sunt spiritus, 1219. 2. Ejus indoles et arma quæ sint, *ibid.* 1. Angelorum tertia pars an cum Lucifero ceciderit, 1220. 2. Quomodo diabolus super pectus gradiatur, 1224. 1. Quomodo sit serpens, *ibid.* 2. Horret sanguinem Christi, 1301. 1. Scorpius est symbolum illius, 1189. 1

Ostendit ei omnia regna mundi. Regnorum quanta sit vanitas, 1294. 2. Regna ea Christus non quæsivit, utpote qui in femore scriptum gestat Rex Regum, 1302. 1. Omnis pompa regnorum et hujus vitæ est vitrea, 1260. 2

Si cadens adoraveris me. Lucifer voluit esse Deus, quomodo, 1220. 2

Accesserunt angeli, et ministrabant ei. Ut Christo post conflictum peractum adfuere angeli, sic et hominibus rite certantibus dantur consolationes, 1059. 1. Vincentibus tentationem quam stellam matutinam promittat Deus, 1065. 1. quam item coronam vincentibus passiones, 1052. 1. Et hæc victoria quam sit gloriosa, 1088. 2. 1089. 2

DOMINICA II. IN QUADRAGESIMA.

Resplenduit facies ejus sicut sol. Quomodo Christi facies ut sol resplendeat, 1043. 2. Quinimo ipse Christus et Deus sol sunt ob varias analogias, 1044. 1. Lumen gloriæ est velut stella matutina, 1065. 2. Capilli candidi Christi quid denotent, 1040. 1

DOMINICA IV. IN QUADRAGESIMA.

Ne deficiant in via. Defectus teporis Sanctorum quæ sint causæ, 1050. 2. Tepidi, frigidi, calidi in spiritu qui sint, 1081. 1. 2. Tepidis quomodo optare liceat lapsum, 1082. 2. Hi Deo vomitum provocant, 1083. 2. Tepor quantum sit malum, 1082. 2. Ejus remedia, 1086. 1. 2

FERIA VI. POST DOMINICAM IV.

Infremuit spiritu, et turbavit semetipsum. Uti Redemptor multis prævis gestibus et affectibus Lazarum (qui peccatoris typum gerit) ad vitam revocavit; sic quam difficile peccatores convertuntur, 1217. 2. 1218. 1

DOMINICA PASSIONIS.

Vide notata Dominica in Quinquagesima.

DOMINICA PALMARUM.

Palma cur detur Sanctis futuris in fine mundi, 1161. 1. *Vide Indicem rerum, v.* Palma.

IN FESTO PASCHÆ.

Surrexit non est hic. Christus resurgens habet claves mortis et inferni, 1046. 1. Eæ sunt sextuplices, 1045. 2. Ejus descensus ad inferos apte sardonyche repræsentatur, 1345. 2. et resurrectio sardio, 1346. 1. Resurrectio prima quæ sit, 1316. 1. Alleluia canitur in Paschate, et ejus initium, 1296. 2

FERIA II. POST PASCHA.

In omnibus Scripturis. Scripturæ lectio facit beatum, 1297. 2

DOMINICA III. POST PASCHA.

Plorabitis et flebitis. Afflictio et tribulatio quomodo hominem probet, 1233. 1. Ipsa character est Christi, 1236. 2. Adversis virtus clarescit, 1233. 1

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Arguet mundum de peccato. Peccati pœnæ et fructus, 1251. 2. Conscientiam assidue examinare et arguere debemus, 1321. 1

IN FESTO ASCENSIONIS.

Christi ad cœlos ascendentis typus egregius est gemma chrysolithus, 1346. 2

IN FESTO PENTECOSTES.

Apud Judæos hoc in festo recolebatur memoria datæ legis, quæ etiam hodie abrogata, et nova data est, hinc dici poterit quæ utriusque testamenti illustria fuerint, 1112. 2. Spiritus sanctus optime topazio repræsentatur, 1348. 1

Non formidet cor vestrum. In timore qui vivit, misere vivit, 1149. 1

IN FESTO SS. TRINITATIS.

Docete omnes gentes. Evangelii prædicatio quam sonora ac potens fuerit, 1041. 2. Ejus doctores stellæ sunt, 1042. 2. Evangelium cur dicatur æternum, 1250. 2

Baptizantes eos. Baptismus cur vocetur mare vitreum, 1000. 2

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. SS. Trinitatis mysterium ostenditur, 1028. 2. Dei nomen est : Qui est, te qui erat, et qui venturus est, *ibid.* 1. Quomodo sit α et ω, 1034. 2. et seq. Amor Christi erga Patrem, et Patris in ipsum, 1079. 2. 1080. 1

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Eucharistia prodest ad spiritus vigorem reparandum, 1053. 1. Ipsa manna absconditum est, 1058. 2. Ejus septem sigilla quæ, 1114. 2

Missæ sacrificium cur Deo tantopere placeat, 1122. 1. Hinc sacerdoti celebranti peculiaris assistit angelus, 1174. 1

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

Uxorem duxi. Mulier quam illecebrosa sit et mala, 1062. 1. 2

Exi cito in plateas, et pauperes, etc., introduc huc. In apostatantium locum alii sufficiuntur à Deo, 1076. 2

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

In navim quæ erat Simonis. Est hæc navis imago Ecclesiæ Rom. Hæc autem non est Babylon, nec Antichristiana, ut volunt hæretici, 1274. 2. 1275. 1. 1282. 2. Quomodo tamen Roma per Babylonem et purpuratam meretricem designetur, 1273. 2. Ecclesia Catholica optime in chrysopraso denotatur, 1349. 1. Ejus claves habet Christus, 1073. 2

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

Attendite a falsis prophetis. Hæretici quare equo nigro assimilentur, 1135. 1. Optime locustis denotantur, cur, 1185. 1. Hæresiarcharum, eorumque fautorum funestus exitus, 1303. 2. 1304. 1

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

Eo quod non cognoveris tempus. Temporis quanta sit ratio habenda, quia id pretiosum, 1198. 1

DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

Omnis qui se humiliat exaltabitur. Humilitas est radix sanctitatis, 1353. 2. Humilitas plena quæ sit, 1071. 1. Ipsa est via ad cœlum, 1330. 1

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

Tanto magis prædicabat. *Vide notata Dominica in Quinquagesima.*

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

Diliges Dominum Deum tuum. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, 1036. 1. Charitas est aurum et ignis, 1085. 1

Diliges proximum sicut teipsum. Charitas quam lata sit, ut quæ omnes complectatur, 1354. 2. Mandatum amoris cur sub Christo novum, 1125. 1

Infundens oleum. Oleum est symbolum sanctorum ob varias analogias, 1206. 2. 1207. 1

Qui fecit misericordiam. Misericordia per iridem et smaragdum repræsentatur, 1095. 1. 1096. 1. Ejus symbolum est oleum, 1206. 2

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

Ostendite vos sacerdotibus. Christus quomodo sit sacerdos et vestitus veste podere, 1038. 1. Quomodo zona aurea præcinctus, 1039. 1

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

Tibi dico : Surge. Octo modis nobis inclamat et pulsat Deus, 1088. 1

Resedit qui erat mortuus. Mors prima et secunda quæ sit, 1056. 2. Mori in Domino quid sit, 1252. 2. 1253. 1. Mors amoris est mors in Domino, 1253. 2

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

In tenebras exteriores. In inferno erit ignis sine fumo, 1251. 2. Erit tamen verus ignis et sulphur, 1320. 2. Ejus latitudo et longitudo quanta, 1257. 1. 2. Ejus horror, 1258. 2

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

Erat quidam reculus. Rectoris et Regis tria sunt munia, 1064. 2. In omni congregatione dux et caput est necessarius, 1190. 1

Corona regia quarum rerum sit symbolum, 1111. 1. Sancti qui coronas suas Deo resignarunt, *ibid.* Cornu semper habitum est symbolum regni, 1234. 2

DOMINICA ULT. POST PENTECOSTEN.

Et nisi breviati fuissent dies. Judicii dies ob preces Sanctorum acceleratur, 1141. 2. 1142. 1

Surgent pseudochristi. Antichristi descriptio, actus, mores, regnum, miracula, character, 1229. 1. 2. 1231. 2. 1232. 1. 1235. 1. 1236. 1. Ejus persecutio, 1239. 1. Rerum ab eo gerendarum ordo, 1285. 2. Jerusalem erit ejus regia, non Roma, 1209. 1. Sed hanc evertet, 1284. 2. A dæmonibus in tartara jam fulminatus rapietur, 1303. 1. Quo die id fiet, 1304. 1

Plagarum et futurorum in fine mundi ordo et series, 1144. 2. Orbis evertendi quæ sint signa, 1177. 2. 1178. 1. Tunc dæmones induent formam terribilium locustarum, cur, 1187. 1. 1188. 2. Mundus paulatim ad fidem vergit et senescit, 1316. 1. Is quot annis durabit, 1313. 1

Luna non dabit lumen suum. Luna cur sit futura sanguinea in fine mundi, 1145. 2

Videbunt filium hominis venientem. Veniet Christus ad judicium sicut fur, 1071. 2. Signa judicio prævia, quæ, qualia, et quando futura, 1145. 1

Judicii quantus horror futurus, 1148. 2. Id per beryllum gemmam adumbratur, 1347. 1. Libri aperiendi in judicio quinam sint, 1318. 1. In eo quisque alterius facta videbit, *ibid.* 2. Liber vitæ quis sit, 1319. 1

Ite, maledicti, in ignem. Condemnationis sententia ore Christi egrediens gladio acuto comparatur, 1043. 1. Montes quomodo super se cadere tunc optabunt impii, 1148. 1

IN FESTO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

Templum nullum in cœlo est, cur, 1354. 2. Altare thymiamatis et templum est vir quilibet sanctus, 1174. 2

Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. Ecclesiæ institutio quam fuerit mirabilis, 1213. 1. Ejus pars potissima est cœlum, *ibid. Vide notata in festo omnium Sanctorum.*

IN FESTO S. MATTHIÆ.

In amethysto gemma optime S. Matthias repræsentatur, 1350. 2

IN FESTO ANNUNT. B. MARIÆ VIRGINIS.

Incarnationis mysterium hodie peractum apte carbunculo denotatur, 1343. 1. Humanitas Christi est arca testamenti anagogice, 1311. 2. *Vide notata in festo Nativitatis Domini.*

IN FESTO SS. PHILIPPI ET JACOBI.

S. Philippus cur sardonyche designetur, 1345. 1. et Jacobus carbunculo, 1343. 1

IN FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS.

Crux est signum Dei vivi, 1152. 2. Hinc Christiani tempore Antichristi crucem publice gestabunt, 1153. 1. In fronte, corde et brachio ea quomodo ponenda, *ibid.* 2. Crux est signum electorum Dei, 1154. 2. Per eam Christus diabolo vires et potestatem ademit, 1306. 1. 2

IN FESTO SS. PETRI ET PAULI.

Tu es Petrus, etc. S. Petrus cur jaspidi comparetur, 1340. 1. Pontificatus in fine seculi an Roma alio transferendus, 1286. 2. Christi Pontificatus, 1039. 1

Quodcumque solveris super terram. Peccatorum remissio hyacintho designatur, 1349. 2

IN FESTO S. JACOBI MINORIS.

S. Jacobum Apostolum adumbrat gemma topazius, 1348. 1

IN FESTO ASSUMPT. B. VIRGINIS.

B. Virgo quomodo sit arca testamenti, 1311. 2. Est mater Ecclesiæ, 1214. 1. Est item luna variis de causis, 1215. 2. Ejus duodecim prærogativæ, 1216. 2. An sit mortua, an vero raptu in cœlum translata, 1226. 1

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI.

Sardius gemma cur adumbret S. Bartholomæum, 1346. 1

IN FESTO S. MATTHÆI.

Repræsentatur hic in gemma chrisolitho, *ibid.* 2. et in primo animalium S. Joanni visorum, 1104. 2. 1105. 1

IN FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI.

E septem primariis angelis est S. Michael, et quinam hi primarii sint, 1029. 2. Eorum typus candelabrum septiceps eorumque nomina, 1031. 1. Officia et emblemata, *ibid.* 2. 1032. 1. Angeli quatuor regentes Ecclesiam repræsentantur in quatuor animalibus Joanni visis, 1105. 2. Cherubinorum idea, 1107. 2. Michaelis cum diabolo prælium triplex, in cœlo olim, in Incarnatione Christi, et in fine mundi, 1214. 1

Per Michaelem Christus Antichristum in tartara deturbabit, 1300. 1

IN FESTO SS. SIMONIS ET JUDÆ

S. Thadæus chrysopraso denotatur, 1349. 1

S. Simon hyacintho, *ibid.* 2

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Sanctorum invocatio astruitur, 1030. 1. Beatorum jubili in cœlo qui, 1122. 2. In cœlo sunt velut reges, 1126. 1. Quanta ibi futura multitudo, 1158. 1. Sanctitas in quo sita sit, 1109. 1

Ecclesia et civitas cœlestis describitur, 1322. 1. et seq. 1337. 2. 1361. 2. Cœlum est civitas fortium, 1326. 2. 1328. 2. Vocatur tabernaculum ob quatuor analogias, 1327. 1. Ejus amplitudo et longitudo, 1333. 2. 1334. 1. 1335. 1. 1336. 1. Ejus fundamenta duodecim denotant duodecim Apostolos, 1332. 1. 1339. 1

Gloria cœlestis vocatur corona et palma ob tres causas, 1055. 1. Ea septem titulis et nominibus significatur, 1066. 1. Vere in cœlo futuræ sunt citharæ, 1122. 2. Beatorum vestes sunt stolæ albæ, 1159. 2. Cœlestes delicias potus denotat ob septem analogias, 1169. 2. Claritas Dei in cœlo est ad instar solis, 1335. 1. Christus Agnus quomodo sit lucerna cœli, *ibid.* Fluvius vitæ in cœlo quid sit, 1338. 1. Visio beatifica est velut fons vitæ, *ibid.* Vitæ arbor in cœlo quæ sit, 1339. 1. Ibidem est verus fluvius et poma, 1360. 2. Beatitudo in Beatis semper renovatur, *ibid.* Cur vocetur cœna, 1298. 1. Amethysto optime adumbratur, 1350. 2. *Vide Indicem rerum, v.* Cœlum, Ecclesia triumphans.

Animæ puræ mox à morte vident Deum, 1138. 2. 1139. 1. Puræ sint antequam illuc perveniant, 1356. 2

Beati paupères spiritu. Paupertas voluntaria dives est, 1054. 1

Beati mites. Mansuetudo nihil non vincit, 1119. 2

Beati misericordes Misericordiæ symbolum oleum est, 1206. 2

Beati qui persecutionem patiuntur. Patientia quanti sit meriti, et stimuli ad eam, 1252. 1. Patientia plena quæ sit, 1071. 1. Pati pro Deo quam sit gloriosum et nobile, 1166 2. In persecutione debent fideles esse constantes et longanimes, 1226. 2

IN COMMEMOR. FIDEL. ANIMAR.

Purgatorium contra hæreticos astruitur, 1254. 1

IN FESTO S. ANDREÆ.

S. Andreas cur sapphiro assimiletur, 1341. 1

IN FESTO S. THOMÆ.

S. Thomam beryllus gemma egregie repræsentat, 1347. 1

IN COMMUNI APOSTOLORUM.

Apostoli sunt velut pedes Christi, 1041. 1. Cur equo assimilentur, 1132. 1. Duodecim Patriarchis æquiparantur, 1351. 1. Apostolorum Symbolum repræsentatur in duodecim fundamentis cœlestis civitatis, 1332. 1. 1339. 1. Idque per singulos illius articulos ostenditur, 1340. 1. 2. Stellis

comparantur, 1364. 2. Repræsentantur in 24 senioribus circum Dei thronum stantibus, 1098. 1

IN COMMUNI EVANGELISTARUM.

Evangelistæ repræsentantur in quatuor animalibus symbolicis quæ vidit Joannes, 1104. 2

IN COMMUNI PONTIFICUM.

Episcopi sunt velut stellæ ob varias analogias, 1042. 1. Vocantur angeli, 1046. 2. Eorumdem dignitas, 1047. 2. Eorum obligatio est, ut Ecclesiæ sua sanctitate præfulgeant, et vigilantia improbos curent, *ibid.* Eorum quanta esse debeat cura, 1068. 1. Multi Episcopatum à se abdicarunt, 1069. 1. Eorum munia sunt vigilare et confirmare, 1070. 1. Sunt velut columnæ Ecclesiæ, 1078. 1. Doctores et Præsules Ecclesiæ sunt velut stellæ, 1364. 2

IN COMMUNI CONFESSORUM

Centuplum promissum seculo renuntiantibus, 1061. 1. Undecim Religiosorum elogia, 1168. 1. 2. 1169. 1. Religiosi et virgines Martyres sunt mystice, 1247. 1. Religiosi iidem optime margaritis assimilantur, 1352. 1. 2. 1353. 1. 2

IN COMMUNI MARTYRUM.

Martyres olim sub altari sepeliebantur, 1139. 1. Quam à Deo ultionem de suis persecutoribus petant, 1141. 1. Quam multi in Ecclesia Martyres sint, 1158. 1. Quomodo mille annis in pace regnare dicantur, 1309. 2

IN COMMUNI VIRGINUM.

Christus Agnus amat virgines et castos, 1242. 1. 1247. 1. 1248. 1. 2

Virgo fugiat alterum sexum, 1243. 2. Virgines sunt in aula Dei principes, 1244. 2. Earum vox quasi tonitru est, 1245. 1. Earum quod canticum novum sit, 1146. 2. Illarum elogium, 1247. 1. 2. 1249. 2. Sunt primitiæ Deo et Agno, *ibid.* 1

Virginitas quam sit virtus sublimis, 1242. 2. 1243. 1. Ipsa est excelsa et ardua, 1243. 1. Dicitur virtus princeps et regalis, 1244. 2. 1245. 1. Simul sincera et candida est, 1249. 1

FINIS.

BS
485.
.C7
Cornelius a L
DEC 23 194

PONTIFICAL INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK CRESCENT
TORONTO—5, CANADA

12993.